UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Totius Latinitatis lexicon

secundum tertiam editionem, ..., correctum et auctum labore variorum

Forcellini, Egidio

Schneebergae, 1833

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1644

Visual Library

D 6
576

L

A E

TOTIUS LATINITATIS

LEXICON

CONSILIO ET CURA

JACOBI FACCIOLATI

OPERA ET STUDIO

AEGIDII FORCELLINI

ALUMNI SEMINARII PATAVINI LUCUBRATUM.

SECUNDUM TERTIAM EDITIONEM,

CUJUS CURAM GESSIT

JOSEPHUS FURLANETTO

ALUMNUS EJUSDEM SEMINARII,

CORRECTUM ET AUCTUM

LABORE VARIORUM.

EDITIO IN GERMANIA PRIMA

CUM PRIVIL. REG. SAXON.

TOMUS TERTIUS.



SCHNEEBERGAE

SUMPTIBUS ET TYPIS C. SCHUMANNI.

MDCCCXXXIII.

M

M Littera una est ex illis, quas Graeci grammatici ἡμίφωνα ἁπλᾶ, καὶ ἀμετάβολα, hoc est semivocales simplices et immutabiles, Latini liquidas appellant. Hanc, quod molestum in fine dictionis sonum habeat, et quendam quasi mugitum, non nisi aegre compressis labris erumpentem, Latini poetae (nam Graecis nulla dictio in *μ* desinit, ut monet *Quint.* 12, 10, 31.) vocali subsequentem, per ecthlipsin elidunt. Veteres tamen retinebant, et corripiebant. Idem *Quint.* 9, 4, 40. docet, quoties claudit verbum, et vocalis sequitur, ita efferri debere, ut parum exprimatur, adeo ut paene cujusdam novae litterae sonum reddat. Ferri vero non potest illorum vitium, qui ita proferunt, tanquam *n* sit, et cum vocali sequente conjungunt, ita ut *cum enim*, quasi *cunenim* sit, dicant. *Prisc.* 1, 555. M obscurum in extremitate dictionum sonat, ut *templum:* apertum in principio, ut *magnus:* mediocre in mediis, ut *umbra.* [*Cf. quae *Schneid.* in *Gr. L.* p. 300. sqq. luculenter satis et copiose de hujus literae pronuntiatione et cum aliis permutatione disputavit.] ℙ In notis M. significat praenomen *Marcus:* addita vero ad extremam lineam virgula M' vel ℕ∇. *Manius. Diom.* 2, 419. [*In notis inscriptionum alias significationes *M.* has habet: denotat *Magister.* V. ap. *Orell.* 2145., *Maurus ib.* 2593., *Mercurio* 2985., *Monumentum* 4388., *Municipium* et *Municipii*, 1934. 3349. et 3282. 3765, *Memor* 1989. 1529., *Memoriam* 3597., *Monumento* et *Monumentum* 4400. et 4013., *Miles* 3598., *Mater* 129. et sic varios ejusd. v. casus, ut *Matris* 2317., *Matri* 1897., 1899. sqq. *Merita* 3949. 4100., *Merito* 1636. 3911., *Misso* 3578., *Magna* 2319., *Magnae* 4920., *Minervia* 505. 1894. 5024.] ℙ In numeris mille valet: non quod sit prima ejus vocis littera, sed quia cum olim CIↃ scriberetur, paulatim in M transiit. ℙ [*Omittitur saepe *M.* a librariis in fine vocabulorum neglecta scil. transversa virgula, quae *m* notare debet. V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 183. *Spalding.* ad *Quint.* 12, 5, 4. Resolvitur in cdd. saepe in duas: ita ap. *Curt.* 4, 13, 36. legitur *inurices* pro *murices*; et 7, 7, 29. *inihi* pro *mihi.* Eadem ratione transit in *nt*, ut *ib.* 6, 9, 2. *possent* pro *possem:* item in *nc*, ut *ib.* 9, 7, 3. *Cunctis* pro *cum iis*; et 8, 9, 27. *tunc* pro *tum.* Saepissime etiam commutatur *m* et *n.* V. *Snakenborg. ind. Curt.*, unde haec transscripsimus.]

MA

MĀ Dĭă, per Jovem, *μὰ Δία*, Graeca jurandi formula, tum affirmando, tum negando. *Petr. fr. Trag.* 52. *Burm.* Syrum histrionem exhibebat, concinente tota familia ma dia perite, ma dia. Hinc est Italorum *madesi*, *madiè sì*, *madiè no.*

[MĂCAERINTHE, es, f. a *μάκαιρα*, beata. *Appul. Herb.* 79. Rosmarinum prophetae macaerinthen, Latini salutarem. *F.*]

MĂCARĒIS, idis, f. *Μακαρηΐς*, filia Macarei. *Ov. Met.* 6, 124. de Phoebo: ut pastor Macareida luserit Issen.

MĂCĂREUS, i, m. trisyllab. *Μακαρεύς*, filius Aeoli, qui Canacem sororem suam vitiavit, suscepitque ex ea filium. *Ov. Her.* 11. Sic *Ib.* 564. Utque sua Macareus, sic potiare tua. ℙ [Alius fuit Iasonis, et Medeae filius. *Hyg. fab.* 23. ℙ Et Lapitarum unus. *Ov. Met.* 12, 542. *F.*]

*MĂCARĬA, ae, f. (*μακαρία*, i. e. fortunata sc. *νῆσος*, *insula*), vetus nomen Lesbi insulae. *Plin.* 5, 31. ℙ Item Cyprus insula sic antiquitus dicta. *Id. ib.* ℙ Et Rhodi insulae aliud nomen. *Id. ib.* ℙ Et insula Aethiopiae, novem oppidis inclyta. *Id. ib.* ℙ Fuit et Macaria aeon Valentini. *Tert. adv. Valent.* 8. V. *Fortunata. B. A.*

*MĂCARĬŌTES, f. *μακαριότης*, *h. e.* beatitudo, felicitas, aeon Valentini. *Tertull. adv. Valent.* 8. *B. A.*

[MĂCĂRIS, idis, f. *μακαρίς*, felicitas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1380, 11. Nimphidia Macaris. *F.*]

[MĂCĂRĬUS, a, um, adj. *μακάριος*. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 712. *n.* 330. D. M. Cassio homini bono Macarius merenti fecit. Alia ap. *eund.* p. 644. *n.* 375. Salinatoria C. L. Macaria. *F.*]

[MĂCĂTUS, i, m. est a *μαχατὰς* Dorice pro *μαχητής*, pugnax, dempta etiam, ut saepissime alias ap. Latinos, aspiratione. Est cogn. R. ap. *Liv.* 27, 34. M. Livius Macatus. *F.*]

*MACCOCALINGAE, arum, populi Indiae cisgangeticae, Brachmanarum pars. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

MACCUS, i, m. qui stupidi partes agit inter mimos: videtur esse a *μακκοῦν* pro *μὴ κοῦν* resipere: alii deducunt a quadam muliere stupida, quae *Μακκὼ* appellatur ap. *Suidam. Diomed.* 3, 488. In Atellana Oscae personae inducuntur, ut maccus. V. BUCCO et STUPIDUS. [*Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 281, 5. M. Annaeus M. F. Esq. Longinus maccus. [*Dubium, utrum h. l. sit maccus cognomen, an ludio. V. *Orell.* corp. *inscript.* 2621.] *Appul. Apol.* Si cum hac una Rufini fallacia contendantur, macci prorsus, et buccones videbuntur. *F.*]

MĂCĔDO et Macedon, ŏnis, m. *Μακεδών*, qui est e Macedonia. *Cic. Phil.* 5, 17. Quid Macedo Alexander? cum res maximas gerere coepisset, etc. *Hor. Od.* 3, 16, 13. diffidit urbium Portas vir Macedo. *Nep. Eum.* 3. Macedones milites; et *ib.* Cum magno exercitu Macedonum. *Lucan.* 8, 694. Cum tibi sacrato Macedon servetur in antro, *h. e.* Alexander M. sepultus. [*V. *Cort.* ad h. l.] ℙ Secundam produxit *Arat. Act. Apost.* 2, 313. vir quippe Macedo In somnis haec visus ait. Graeci quoque interdum *Μακηδών* scribunt. ℙ *Macedum* pro *Macedonum* quidam leg. ap. *Sil.* 14, 5. et 17, 633. et alibi, item ap. *Sen. Trag.*, *Lucan.*, *Manil.* et alios: sed plerique al. ubique reponunt *Macetum.* [*Recte quidem! Istud nihili! V. *Cort.* et *Mart. Lag.* ad *Lucan.* 2, 647. et 5, 2.] V. MACETAE. ℙ *In *Liv.* 36, 18. *robur Macedonum* fortasse est *phalanx Syriaca in morem Macedonicum facta.* Sic *Id.* 37, 40. *in.* More Macedonum armati (*milites Antiochi regis Syriae*). Conferri etiam potest locus *Sil.* 13, 878. Sub Macetum (i. e. Macedonum) armis. ℙ *Hyrcani Macedones* populi fuere Lydiae, juxta Thyatiram, quae colonia Macedonum fuit. *Tac. A.* 2, 47. *Plin.* 5, 29. ℙ *Macedones Cadueni* populi Phrygiae, a Cadis urbe vicina sic dicti. *Plin.* 5, 29. ℙ Fuit et *Macedo, onis*, m. philosophus, Gellii amicus. *Gell.* 13, 8. ℙ *Macedo*, fenerator improbus. V. in *Macedonianus.* ℙ *Macedo*, Osiridis filius. V. in *Macedonia. B. A.*

MĂCĔDŌNĬĂ, ae, f. *Μακεδονία*, regio ampla Europae. Habet ab Occ. mare Ionium, ab Or. mare Aegaeum, a Mer. Epirum, Achaiam, et Thessaliam, a Septent. Mysiam superiorem, Scardo Orbeloque montibus intersitis, cum Thraciae particula. Dicta est a Macedone quodam Osiridis, sive ut *Stephanus*, et *Solin.* 9. scribunt, Jovis filio ex Thya filia Deucalionis. *Plin.* 4, 10, 17.

MĂCĔDŌNĬĀNUS, a, um, adj. *Senatusconsultum Macedonianum*, de quo est titulus 6. *l.* 14. *Digest.*, originem habuit a quodam Macedone (sic enim vocabatur) qui fuit improbus fenerator filiorumfamilias, et ut ab iis usuras exigeret, ad quidlibet audendum impellebat: adeo ut quidam etiam mortem patris molirentur, ut se a molesto creditore liberarent. Cautum est itaque eo senatusconsulto, ne cui, qui filiofamilias mutuam pecuniam dedisset, etiam post mortem parentis ejus, actio petitioque daretur. Cujus sanctionis auctorem fuisse senatui Vespasianum narrat *Suet. Vesp.* 11. [V. *Tac. A.* 11, 13. *F.*]

MĂCĔDŌNĬCUS, a, um, adj. ad Macedoniam pertinens. *Plin.* 4, 11, 18. Macedonicum mare. *Id.* 15, 25, 30. Macedonica cerasa. *Id.* 5, 10, 11. chlamys. *Liv.* 45, 23. praeda. *Pl. Ps.* 1, 1, 49. Macedonicus miles. ℙ *Macedonicus* cognominatus est Q. Caecilius Metellus, devicto Pseudophilippo, et Macedonia recuperata, et in provinciam redacta. *Vell.* 1, 11., *Plin.* 7, 44, 45., *Val. Max.* 4, 1. *n.* 12. et 7, 1. *n.* 1.

MĂCĔDŌNĬENSIS, e, adj. ad Macedoniam pertinens. Differt quidem a *Macedonius* ea ratione, qua *Hispaniensis* ab *Hispanus.* Adhibetur tamen promiscue a *Pl. Ps.* 4, 4, 4. Te ad illum duco dentatum virum Macedoniensem; *supra* 1, 3, 112. Illum eundem *Macedonium* dixerat.

MĂCĔDŌNĬUS, a, um, adj. *Μακεδόνιος*, qui ex Macedonia est. *Ov. Met.* 12, 466. Qui clypeo, gladioque, Macedoniaque sarissa Conspicuus. Ubi secundam produxit exemplo Graecorum, qui interdum *Μακηδόνιος* scribunt.

[MĂCELLĂ, ae, f. eadem ac macula. *Not. Tir.* p. 67. Macula, macella, maculentus. *F.*]

MĂCELLĀRĬUS, ii, m. *ὀψοπώλης*, qui obsonia omne genus vendit, agniam, bubulam, suillam, aves, pisces, et hujusmodi: in quo differt a lanio, qui carnes pecudum tantummodo vendit. Lanius igitur qui plebejas carnes vendebat, macellarius conciliator cupediarum. *Varr. R. R.* 3, 2. *med.* Num pluris nunc tu e villa illic natos verres lanio vendis, quam hic apros macellario Sejus? et *ib.* 4. Ornithonem fructus causa habent macellarii, et in urbe quidam, et rure maxime. *Suet. Caes.* 26. Ea, quae ad epulum pertinebant, quamvis macellariis oblocata, etiam domesticatim apparabat. *Id. Vesp.* 19. Convivabatur assidue, ac saepius recta ac dapsili, ut macellarius adjuvaret. ℙ Adjective. *Val. Max.* 3, 4. *n.* 4. Miro gradu Varro ad consulatum ex macellaria patris taberna conscendit. *Inscr.* ap. *Grut.* 647, 5. Negotiator artis macellariae.

[MĂCELLĪNI, orum, m. plur. incolae Macellae, oppidi mediterranei in Sicilia versus fontes fluvii Crinisi, nunc *Monte Busamara.* Illius mentio est in vetustissima Duillii *Inscr.* ap. *Grut.* 404, 1. Macelam pucnandod cepet, *h. e.* Macellam pugnando cepit; et ap. *Liv.* 26, 31. Secutae defectionem Murgantinorum Hybla, et Macella sunt. *Plin.* 3, 8, 14. Magellini (lege *Macellini*), Murgantini, Mutycenses (lege *Motyenses*). *F.*]

MĂCELLĪNUS dictus a servis suis M. Opelius Macrinus Aug. quod macelli specie domus ejus cruentaretur sanguine vernularum. *Capitol. Macr.* 13.

*MĂCELLŌTA, ae, f. ab Ionibus hortorum ostium dicitur, teste *Varr. L. L.* 4, 32. *B. A.*

MĂCELLUM, i, n. *κρεωπώλιον*, *ὀψοπωλεῖον*, locus, in quo obsonia venduntur. Varia Romae fuere loca, in quibus separatim varii generis obsonia vendebantur: forum boarium, piscarium, cupedinis, olitorium, etc. Haec omnia, inquit *Varr. L. L.* 4, 32., postquam contracta in unum locum, quae ad victum pertinebant, et aedificatus locus, appellatum macellum, ut quidam scribunt, quod ibi fuerit hortus (nam *μάκελλον sepimentum*, vel *locum septum* significat: et Iones ostia hortorum et castelli vocant *μακέλλους*): alii, quod ibi domus fuerit, cui cognomen fuit Macellus, quae ibi publice diruta. Haec *Varro.* Sic *Festus:* Macellum dictum a Macello quodam, qui exercebat in Urbe latrocinia: quo damnato censores Aemilius et Fulvius statuerunt, ut in domo ejus obsonia venderentur. Hoc idem confirmat *Varr.* ap. *Don. Eun.* 2, 2, 25. et Romanium Macellum dictum fuisse eum latronem, tradit. Alii ducunt a mactandis pecoribus. *Pl. Aul.* 2, 8, 3. Venio ad macellum, rogito pisces, indicant Caros, agninam caram, caram bubulam, Vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia. *Varr. R. R.* 3, 17. Macellum piscinarium, *h. e.* in usum piscium in piscinis conclusorum. *Hor. Ep.* 1, 15, 31. Pernicies, et tempestas, barathrumque macelli, Quidquid quaesierat, ventri donabat avaro. *Varr. R. R.* 3, 2. Collegiorum coenae excandefaciebant annonam macelli. *Mart.* 10, 59. Dives, et ex omni posita est instructa macello Coena tibi. ℙ Antiquis Romanis, et frugi hortus pro macello fuit. Oleribus enim fere victitabant. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 2. Ex horto plebi macellum, quanto innocentiore victu! *Varr. L. L.* 4, 32. Forum olitorium: hoc erat antiquum macellum, ubi olerum copia. *Cic.* Catonem loquentem inducens, *Sen.* 16. *med.* Jam hortum ipsi agricolae succidiam alteram appellant, ℙ Quod in macello etiam olera venderentur, colligitur tum ex *c. Varr. l.*, ubi contracta fuisse ait in unum macelli locum fora piscaria, olitoria, etc., tum ex *Plin.* qui *l. c. n.* 3. scribit, in qua domo indiligens hortus sit, e carnario, aut macello vivendum esse, *h. e.* emendam carnem, et olera, quae in horto do-

mestico per indiligentiam non colantur. ℙ Per synecdochen est ipsa macelli annona, seu cibi, qui in macello venduntur. *Manil.* 5, 370. Numidarum pascimur oris, Phasidos et damnis: arcessitur inde macellum, Unde aurata novo convecta est aequore pellis. ℙ Masculino gen. *Mart.* 10, 96. Hic pretiosa fames, conturbatorque macellus. ℙ In macello prostabant etiam coqui, conducentibus parati. *Plin.* 18, 11, 28.

MĂCELLUS, a, um, adj. ὑπισχνος, dimin. macri, ut *Festus* docet in *Altellus*. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 524. Si nosti, non magnus homo est, nasutu', macellus. ℙ [*Macella* est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 963, 5. Magia P. F. Macella. *F.*]

MĂCĔO, es, n. idem quod macreo, a macer. *Pl. Aul.* 3, 6, 28. Qui ossa atque pellis totus est: ita cura macet.

*MACEPRACTA, vicus Mesopotamiae. *Ammian.* 21, 4. (al. 2.) *B. A.*

MĂCER, cra, crum, adj. ἰσχνός, λεπτός, ἁπλμελος, exilis, gracilis, tenuis: cui opponitur *pinguis, plenus:* est a μακρός, longus, seu qui in longum, non in latum producitur. Dicitur de animalibus, quae tenui carne operiuntur: et de terra humore carente, aut saxis abundante. *Virg. Ecl.* 3, 100. Eheu, quam pingui macer est mihi taurus in ervo! *Hor. Ep.* 1, 7, 33. Macra cavum repetes arctum, quem macra subisti. *Sen. ep.* 78. *med.* Maximi dolores consistunt in macerrimis corporis partibus. *Gell.* 20, 8. Ostreae inuberes, et macrae. *Colum.* 11, 2. Macerrimi agri. *Varr. R. R.* 1, 24. Ager macrior. *Colum.* 2, 18. Macriora loca fimo juvanda sunt. *Cic. Agr.* 2, 25. *f.* Quod solum tam exile et macrum est, quod aratro perstringi non possit? *Colum.* 3, 10. Macerrimae stirpes, *h. e.* quae humore, et alimento destituuntur. *Id.* 8, 1. Macerrimis vineis avium stercore mederi. [**Virg. Cat.* 5, 26. ed. *Heyn.* ubi adpulsae rates stant in vadis coeno retentae sordido, macraque luctantes aqua.] ℙ Translate. *Mart.* 2, 6. Quid prodest mihi tam macer libellus, Nullo crassior ut sit umbilico? *h. e.* exiguus, brevis. *Hor. Ep.* 2, 1, 180. valeat res ludicra, si me Palma negata macrum, donata reducit opimum, *h. e.* moestum, tristem, et veluti enectum. ℙ *Spiritus jejunio macer*, ap. *Petr. Sat.* 128. est graveolens. Sed al. leg. *marcet:* alii aliter. ℙ [Est etiam cogn. R. ductum ab habitu corporis, ut C. Licinius Macer in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 233. et ap. *Val. Max.* 9, 12. *n.* 7. *F.*]

MĂCER, cri. V. AEMILIUS Macer.

MĂCĔRĀTIO, onis, f. τῆξις, φύρασις, actus macerandi, et subigendi. *Vitr.* 7, 2. Calx in maceratione diuturna liquore defervere coacta. ℙ Item corruptio, labefactio. *Arnob.* 4, 152. In ultimam tabem diffluentium viscerum maceratione consumi.

MĂCĔRĀTUS, a, um, part. a *macero:* ταχερός, subactus, mollitus. *Vitr.* 7, 2. Calx cum non penitus macerata, sed recens sumitur, cum fuerit inducta, pustulas emittit. *Plin.* 29, 3, 11. Ova macerata in aceto. *Id.* 18, 10, 23. Sesama macerata in calida. *Id.* 14, 10, 12. Maceratis aqua vinaceis. *Id.* 31, 7, 43. Intestina piscium sale macerata. *Id.* 10, 22, 28. Adeps anseris cum cinnamo multa nive obrutus, ac rigore gelido maceratus. ℙ Translate est exercitus, vexatus, afflictus. *Pl. Poen.* 5, 4, 76. Ei praedicabo, quo modo hujusce filias apud vos habeatis servas, etc. satis sunt maceratae. ℙ Item enervatus, fractus. *Vell.* 2, 112, 3. Pars exercitus macerata, perductaque ad exitiabilem famem. [**Curt.* 5, 13, 24. Haud procul erat fons, ad quem monstratum a peritis Polystratus Macedo siti maceratus accessit.]

MĂCĔRESCO, is, n. 3. τήκομαι, maceror, mollis fio. *Cato R. R.* 92. Lutum de amurca facito, palearum paulum addito, sinito macerescat bene. *Id.* 128. dixit *fracescat.*

MĂCĔRIA, ae, f. φραγμα, θριγκός, paries sub dio positus, ad sepiendos hortos, villas, silvas, vineta, sepulcra et hujusmodi, ex sicco lapide constructus. *Isid. Orig.* 15, 9. Maceriae sunt parietes longi, quibus vineae, aliaque clauduntur: longum enim Graeci μακρὸν dicunt. Haec *Isid.* Seu maceria dicitur, quia macra est, et nihil admixtum habet, quo partes ejus devinciantur; nostrates vulgo *masiera* vocant. *Serv.* ad *Virg. G.* 2, 417. Maceriae sunt de assis, idest de siccis lapidibus. *Sicul. Fl. de condit. agr.* p. 4. *Goes.* Alii congeries lapidum pro terminis observant, aut in specie maceriarum congerunt lapides, et attinas appellant. *Front. de colon.* p. 146. *Goes.* Congeries maceriae, id est ubi saxa collecta ab utrisque limites dederunt. Ejus species enumerat *Varr. R. R.* 1, 14. quatuor: e lapide, ut in agro Tusculano: e lateribus coctilibus, ut in Gallico; e crudis, ut in Sabino; ex terra et lapillis compositis in formis, ut in Hispania. *Cato R. R.* 15. Maceriam sine calce ex caementis et silice, uti dominus omnia ad opus praebeat: altam pedes quinque facito. *Varr. R. R.* 3, 12. Septa e maceriis ita esse oportere in leporario, ut textorio tecta sint. *Appul. Flor. n.* 23. Velut in maceria lapides temerario interjectu poni necesse est. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Maceria locum munire. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 560. Post villarum macerias ac parietinas *Non.* 2, 560. Post villarum macerias ac parietinas quinque cohortes in insidiis reliquit. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Silva tota septa maceriis altis. *Papin.* 3, 5. *med.* Silva tota septa maceriis altis. *Papin. Dig.* 18, 1, 73. Maceria sepulcrorum. *Ter. Ad.* 18, 1, 73. Maceria sepulcrorum. *Ter. Ad. Dig

ἴχνεια, cui crudeles illi hostes Regulum incluserunt, poetico colore descripta a *Sil.* 6, 2. *Schütz.* in *cl. Cic.*] ℙ Speciatim dicitur instrumentum ad magna pondera movenda, et transferenda, ad extollendam aquam, ad molendum, etc. de quibus *Vitr.* 10, 1. et sqq. fuse agit; et initio statim definit: Machina est continens ex materia conjunctio, maximas ad onerum motus habens virtutes. Dividit etiam in tria genera, scansorium, spiritale, et tractorium. *Cic. Verr.* 2, 1, 55. Omnes illae columnae, machina apposita, dejectae et repositae sunt. *Hor. Ep.* 2, 2, 73. Torquet nunc lapidem, nunc ingens machina tignum. *Id. Od.* 1, 4, 2. Trahuntque siccas machinae carinas. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *med.* Machina frumentaria. [**Ov. Fast.* 6, 381. Quodcumque est Cereris solidae, cava machina frangat.] ℙ Inter machinas, et organa distinguit *Vitr. l. c.* 1. V. ORGANUM. ℙ Item catasta, in qua venales servi prostabant. *Q. Cic. Petit. cons.* 2. Amicam, quam palam domi haberet, de machinis emit. V. CATASTA. [*V. *Ern.* in *cl. Cic.* s. v. MACHINA.] ℙ Item pegma, in quo artifices opus faciunt. *Plin.* 35, 10, 37. Pingebat semper togatus, quamquam in machinis. [**Staffeley.*] *Ulp. Dig.* 13, 6, 5. *med.* Si servum tibi tectorem commodavero, et de machina ceciderit; et *mox:* Si, ut de plano opus faceret, tu eum imposuisti machinae: aut si machinae culpa factum est, minus diligenter ligatae, vel funium, perticarumque vetustate. [**Gerüst.*] ℙ In re militari machinae sunt omnia instrumenta, quorum est usus in obsidionibus, in pugnis, etc. turres, ballistae, vineae, arietes, scorpiones, catapultae, etc. de quibus *Vitr. l. c.* 15. et sqq. *Virg. A.* 2, 46. Aut haec in nostros fabricata est machina muros. *Sall. Jug.* 24. Vineis, turribus, et machinis omnium generum expugnare oppidum. *Plin.* 7, 56, 57. Murales machinae. *Vitr.* 10, 19. Arietaria machina. *Flor.* 2, 9. Machinis urbem quatere. ℙ Hinc translate. *Cic. Agr.* 2, 18. *f.* Hanc legem ad evertendas illius opes, tanquam machinam comparari. *Id. Dom.* 11. Iisdem machinis sperant me posse labefactari, quibus antea stantem perculerunt. ℙ Saepe sunt conatus, consilia, doli, quibus quippiam perficere, aut decipere aliquem aggredimur. *Pl. Bacch.* 2, 2, 54. aliquam machinabor machinam, Unde aurum efficiam herili filio. *Accius* ap. *Cic. N. D.* 3, 29. Nec quem dolum ad eum, aut machinam commoliar, scio. *Cic. ad Brut.* 1, 18. Ut omnem adhibeam machinam ad tenendum adolescentem. *Pl. Mil.* 3, 2, 1. Quantas res turbo! quantas moveo machinas! Eripiam ego hodie, etc.

MACHĪNĀLIS, e, adj. μηχανικός, ad machinas spectans. *Plin.* 7, 37, 38. Grande et Archimedi geometricae et machinalis scientiae testimonium M. Marcelli contigit. *Auson. ep.* 21, 34. Qui machinali saxa volvunt pondere.

MACHĪNĀMENTUM, i, n. idem ac machina. *Liv.* 24, 34. Machinamentaque alia quatiendis muris portabant. *Tac. H.* 4, 30. Praecipuum pavorem intulit suspensum, et nutans machinamentum, quo repente demisso, singuli, pluresve sublime rapti, verso pondere intra castra effundebantur. [*Adde *A.* 12, 45. Nihil tam ignarum barbaris, quam machinamenta et astus oppugnationum.] *Sen. ep.* 24. *med.* Singulis articulis singula machinamenta, quibus extorqueantur, aptata. *Cels.* 8, 20. Tot genera machinamentorum ad extendendum femur. ℙ Translate. [*Ita nonnisi apud serioris aevi scriptores. Primo loco posuimus exemplum, quod perperam Noster in fine collocaverat.] *Appul. Dogm. Plat.* 1. Machinamenta, quibus ad sentiendas dijudicandasque quantitates et qualitates sensus instructi sunt, [*i. e. instrumenta sensuum ministerio dedicata.] *Imppp. Grat., Valentin. et Theod. Cod. Theod.* 6, 28, 6. Callida machinamenta commeantium.

MACHĪNĀRĬUS, a, um, adj. ad machinam pertinens. *Machinaria mola*, quae per machinam ab jumento versatur. *Appul. Met.* 7. ℙ [*Machinarius mensor* is est, qui frumentum publicum machina, seu, ut dicunt *Impp. Valent. et Valens Cod. Theod.* 11, 14, 1., modio frumenta metitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 99, 1. M. Aelius M. F. Rusticus mensoribus machinariis frumenti publici, quibus ex S. C. coire licet, Castores dedit. Alia ap. *Mur.* 525, 3. Corpus mensorum machinariorum. *F.*] ℙ Ita etiam appellatur, qui agros decempeda metitur, agrimensor. *Ulp. Dig.* 11, 6, 7. Et si mensor machinarius fefellerit, haec actio dabitur. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 552. ℙ *Machinarius asinus*, qui molam machinariam versat. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *med.* et *Afr.* 32, 58, 1. *extr.*, quamquam alii non jumentum, sed ipsam molam intelligunt, quae ὄνος Graece appellatur. Docet enim *Suid.* in Ὄνειον, ὄνον dici molae lapidem superiorem, qui movetur. ℙ *Machinarius commentator*, ap. *Solin.* 5. *med.* est artifex machinarum. ℙ *Machinarius* absolute, qui in machina opus facit, vel qui est machinarum artifex. *Paul. Dig.* 9, 2, 31.

MACHĪNĀTIO, onis, f. μηχάνημα, actus et vis machinandi, artificium, solertia. *Cic. N. D.* 2, 38. Cum machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphaeram, ut horas, non dubitamus, quin illa opera sint rationis; et *ib.* 48. Data est quibusdam bestiis etiam machinatio quaedam atque solertia: ut in araneolis aliae quasi rete texunt, ut si quid inhaeserit, conficiant, etc. ℙ Item machinamentum, machina. [*Sed observandum, v. *machinatio* semper cum notione actus, virium, nunquam simpliciter pro instrumento aliquo arte composito adhiberi. V. *Moeb.* ad *Caes. B. G.* 2, 30. quo tanta machinatio ab tanto spatio institueretur?] *Vitr.* 10, 1. *med.* Portationes fructuum non essent, nisi plaustrorum, aut sarracorum per terram, navicularum per aquam inventae essent machinationes. *Caes. B. G.* 2, 31. Qui tantae altitudinis machinationes tanta celeritate promovere possent; et *ib.* 4, 17. Tigna machinationibus demissa in flumen defigere. *Hirt. B. Alex.* 6. Aquae magnam vim ex mari rotis, ac machinationibus exprimere. [**Sall. Jug.* 97. aggeribus et aliis machinationibus locus importunus. *Liv.* 37, 5. Et quum quaterentur muri, nihil adversus tale machinationis genus parare, aut comminisci oppidani conabantur. Cf. 24, 19. *it.* 25, 11.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 17. Judex, tanquam machinatione aliqua, tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad laetitiam est contorquendus. *Ulp. Dig.* 4, 3, 1. Dolus malus est omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. *Paul. ib.* 14. Quae non magnam machinationem exigunt. *Ulp. ib.* 45, 1, 36. Per machinationem obligatus, *h. e.* per dolum.

MACHĪNĀTOR, oris, m. μηχανητής, μηχανοποιός, machinarum inventor et opifex, mechanicus. *Liv.* 24, 34. de Archimede: Mirabilior inventor, ac machinator bellicorum tormentorum, operumque. *Sen. ep.* 88. *med.* Ludicris artibus annumeres licet machinatores, qui pegmata per se surgentia excogitant, et tabulata tacite in sublime crescentia, etc. *Lact.* 2, 11. Deus rerum omnium machinator fecit hominem. *Inscr.* ap. *Grut.* 642, 4. C. Baebio Musaeo machinatori. ℙ *Machinator* etiam dicitur architectus, qui nempe aedificiorum, villarum, viarum, et aliorum operum rationem disponit. *Tac. A.* 15, 42. Ceterum Nero usus est patriae ruinis, exstruxitque domum, in qua haud perinde gemmae et aurum miraculo essent, solita pridem et luxu vulgata, quam arva et stagna et in modum solitudinis hinc silvae, inde aperta spatia, et prospectus, magistris et machinatoribus Severo, et Celere, quibus ingenium et audacia erat, etiam quae natura denegavisset, per artem tentare, et viribus principis illudere. ℙ Translate dicitur de inventore, et auctore cujuscumque rei: et fere in malam partem. *Cic. Agr.* 1, 5. *f.* Tibi nos, Rulle, et istis tuis harum omnium rerum machinatoribus totam Italiam inermem tradituros existimasti. *Id. Cat.* 3, 3. Omnium scelerum improbissimus machinator. *Tac. A.* 1, 10. Machinator doli. *Appul. Apol.* Auctor et machinator accusationis. *Cic. Rosc. Am.* 45. *f.* Architectus et machinator. *Sen. Troad.* 750. Machinator fraudis, et scelerum artifex.

MACHĪNATRIX, icis, f. inventrix. *Sen. Med.* 266. Tu malorum machinatrix facinorum.

MACHĪNĀTUS, a, um, part. a *machinor*, passive, per machinas effectus. *Vitr.* 10, 1. *med.* Aspiciamus solis, lunae, quinque stellarum naturam, quae ni machinata versarentur, non habuissemus in terra lucem. *Sall.* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. et *Non.* 2, 859. Demissum victoriae simulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam capiti imponebat. ℙ Translate. [*a) Sensu bono *Appul. de Mundo* 733. p. 336. *Oudend.* Ex ea (concordia) salutem operi machinatam. b) Malo sensu.] *Sall.* ap. *Prisc.* 7, 792. At Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat. *Id. Cat.* 49. [*48, 7. ap. *Kritz.*] Indicium a P. Autronio machinatum. [*De passiva Deponentium significatione disputat *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 7, 3.]

MACHĪNĀTUS, us, m. idem ac machinatio. *Appul. Apol.* Gloriatur me suo machinatu reum postulatum. Adde *Sidon. ep.* 5, 6.

MACHĪNOR, aris, atus sum, dep. 1. μηχανάομαι, ingeniose excogito, et fabricor, molior, struo. *Cic. N. D.* 2, 59. *med.* Ad usum autem orationis, incredibile est, quanta opera machinata natura sit. *Id. Univ.* 3. Qui haec machinatus est, ut molitionem novam quaereret. *Id. Or.* 3, 44. Haec duo musici machinati ad voluptatem sunt, versum, atque cantum. *Vitr.* 1, 6. *med.* Tritonem aereum collocavit, et ita est machinatus, ut vento circumageretur. [**Lucr.* 3, 957. Nam tibi praeterea quod machiner inveniamque, Quod placeat, nihil est.] ℙ Saepe in malam partem sumitur. *Pl. Cas.* 2, 4, 22. Mihi illa nubet: machinare quod lubet. *Id. Capt.* 3, 3, 16. Nisi si meo aliquam corde machinor astutiam; et *Bacch.* 2, 2, 54. aliquam machinabor machinam, Unde aurum efficiam. *Cic. Dom.* 21. Cum arma in aedem Castoris comportabas, nihil aliud, nisi uti ne quid per vim agi posset, machinabare: εἰρωνικῶς. *Id. N. D.* 3, 26. Sibi ipsi nefariam pestem machinari. *Liv.* 1, 51. necem alicui. *Sall. Cat.* 18. perniciem cuipiam. *Cic. Cat.* 1, 1. pestem in aliquem. *Just.* 39, 4. *f.* exitium occultis insidiis; et *mox*: exitium per insidias. *Ulp. Dig.* 4, 3, 1. adversus hostem, vel latronem.

MACHĪNOSUS, a, um, adj. πολυμήχανος, machinis confectus. *Suet. Ner.* 34. Repetentique Baulos in locum corrupti navigii machinosum illud obtulit.

MACHĬNŬLĀ, ae, f. parva machina. Legitur ap. *Fest.* in voce *Mustricola*, *Incitega*, *Groma*, et ap. *Paul. Nol. carm.* 26, 458. Machinulam gradibus scalas praebere paratam Gestans.

[MACHĬO, onis, m. qui machinas scandit: hinc Gallice *maçon*. *Isid. Orig.* 19, 8. Machiones dicti a machinis, in quibus insistunt propter altitudinem parietum. *F.*]

MACHLIS. V. ACHLIS.

[MACHLYES, um, m. plur. populi Africae fabulosi: a μάχλος, lascivus. *Plin.* 7, 2, 2. *med.* Supra Nasamonas, confinesque illis Machlyas androgynos esse utriusque naturae, inter se vicibus coeuntes, Calliphanes tradit. Aristoteles adjicit, dextram mammam iis virilem, laevam muliebrem esse. Eadem fere habet *August. C. D.* 16, 8. *F.*]

*MACHONĪCUM fluvium, in Colchide, meminit *Jul. Val.* 3, 70. *rerum gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*), et se haud scire fatetur an dicendum *Machelonico*, quoniam *Arrianus (peripl. Euxin.)* Machelones populos collocat in Colchide, quae vulgo creditur sedes Amazonum. V. ad l. *B. A.*

*MACHORBE, es, f. Arabiae portus. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*MACI, orum, m. populi Asiae ulterioris, Indiae contermini. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

[MACIA, ae, f. herba, quam Graeci anagallida appellant. Ejus meminit *Marcell. Emp.* 1. *med. F.*]

*MACIDUS, a, um, adj. macilentus. *Const. Afer* 13, 12. Si materia sit cholerica, corpus erit macidum. Adde 6, 9. *B. A.*

MĂCIES, ei, f. λεπτότης, corporis extenuatio, a *maceo*. *Colum.* 6, 14. Inde tussis, et macies. *Ov. Met.* 13, 397. Adducitque cutem macies. *Cic. Phil.* 7, 4. Profectus est ad bellum Hirtius consul: at qua imbecillitate! qua macie! et *Agr.* 2, 34. Homo vegrandi macie torridus. *Vet. poeta* ap. *eund. Tusc.* 3, 12. Refugere oculi: corpus macie extabuit. *Virg. G.* 4, 255. horrida vultum Deformat macies. *Id. A.* 3, 590. macie confecta suprema Ignoti nova forma viri. *Caes. B. C.* 3, 58. *f.* Equi macie corrupti. *Hor. Od.* 3, 27, 53. turpis macies decentes Deformat malas. *Tibull.* 4, 4, 5. macies tabentes occupat artus. *Prop.* 4, 3, 27. Diceris et macie vultum tenuasse. *Lucan.* 6, 515. tenet ora profanae Foeda situ macies. *Plin.* 30, 7, 20. Hoc maciem facit; et 24, 8, 30. Reducere ad maciem. [**Quint. Decl.* 9, 4. p. 193. Vincula macie laxare.] ℙ Dicitur et de agris sterilibus, et de tristi segetum proventu. *Colum.* 1, 4. In exili terra cultoris diligentia maciem soli vincere potest. (Adde *Just.* 43, 3.) *Ov. Fast.* 1, 689. seges macie deficit. *Pall.* 4, 10. *med.* Corticis macies jejuna nihil nutriet: quo sensu et *Plin.* utitur 17, 27, 42. ℙ Ap. *Solin.* 23. *extr.* macies aquarum est minuta aquarum copia. ℙ Transfertur ad orationis tenuitatem, et inopiam. *Auct. dial. de Or.* 21. Quique alii in eodem valetudinario haec ossa, et hanc maciem probant.

MĂCĬLENTUS, a, um, adj. ἁλμελος, macie extenuatus, plenus macie. *Pl. Capt.* 3, 4, 114. Macilento ore, naso acuto, corpore albo, et oculis nigris. *Id. As.* 2, 3, 20. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus. *Pall.* 4, 10. Macilentum solum.

MĂCĬO, as, a. 1. ἀποτρύω, macrum facio. *Solin.* 15. Caspii maris fauces mirum in modum maciantur imbribus, crescunt aestibus. [*Gloss. Phil.* Macio, διαχραίω. *F.*]

MACIR, indecl. μάκερ, ex India advehitur, cortex rubens radicis magnae, nomine arboris suae: qualis sit ea, incompertum habeo. Corticis melle decocti usus in medicina ad dysentericos praecipuus habetur. Haec *Plin.* 12, 8, 16.

MĂCIS, idis, f. ficti aromatis nomen ap. *Pl. Ps.* 3, 2, 43. Quidam ajunt esse corticem aromaticum cujusdam nucis Indicae, qui Ital. *mace* dicitur.

MĂCISCO, is, n. 3. idem ac macesco. Ita *Pontedera Op. post. T.* 1. p. 101. legit ap. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Ne, dum haec audit physica, maciscat, quod de fructu nihil dixi, non cursu lampada tibi trado. Al. leg. *physica fatiscat, quod de fructu nihil dixi, nunc cursu*, etc. Ita etiam legend. putat ap. *eund. ll. cc.* in MACESCO. V. LAMPAS.

*MACISTUM, i, n. Arcadiae oppidum. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

*MACISTUS, i, m. mons Lesbi insulae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*MACOMADA vel Macomades, oppidum Africae Propriae maritimum, in Byzacena, juxta minorem Syrtim, medio inter Thenas oppidum loco ostiumque Tritonis amnis. *Plin.* 5, 4. ubi *Macomades* audit. Alterum nomen est ap. *Ptolemaeum.* Ablativum *Macomadibus* usurpat *August. adv. Donat.* 6, 29. ℙ Fuit et Macomades oppidum Numidiae.

Anton. Itin. ℙ Hinc *Macomadiensis episcopus* in *Notit. Numid. B. A.*

*MACOMADIENSIS, e, adj. V. v. praec. *B. A.*

MACOR, oris, m. macies, a *maceo. Pacuv.* ap. *Non.* 2, 525. Corpus meum tabe, moerore, macore senet. Al. leg. *macrore.*

*MACRA, ae, fluvius Italiae, prope Lunam, medio inter Liguriam Etruriamque loco. *Plin.* 3, 5. *Liv.* 39, 32. et 40, 41. Hodie est *Magra.* ℙ *Macra* (*i. e.* longa) *Come* (*i. e.* vicus), *μακρὰ*, vicus vel fortasse oppidum Locridis, prope Thessaliam. *Liv.* 32, 13. ℙ *Macra* (*i. e.* longa, *μακρὰ*), insulae nomen in sinu Carcinite. *Plin.* 4, 13. ℙ *Macram* Euboeam dixit Aristides, teste *Plin.* 4, 12. V. *Macris. B. A.*

*MACRĀLES, ium, m. incolae oppidi cujusdam, quod in Latio erat et Macra fortasse audiebat. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

*MACRENĒSUS, i, insula maris Aegaei, quinque M. P. a Sunio promontorio distans. *Plin.* 4, 12. *Melae* est *Helene.* Vulgo *Macronisi* audit, ut refert *Martinière* (*Le grand Dictionaire Geographique, etc.*) *B. A.*

MACRESCO, is, n. 3. *λεπτύνομαι*, macer fio. *Colum.* 6, 3. Ne penuria cibi macrescat pecus. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* Fames macrescere cogit. Adde 3, 5. *Hor. Ep.* 1, 2, 57. Invidus alterius macrescit rebus opimis. *Festus* in *Curionem:* Curionem agnum Plautus pro macro dixit, quasi cura macruisset.

[MACRIANUS, a, um, adj. ad L. Clodium Macrum pertinens, qui, caeso Nerone, imperium in Africa improspere arripuit. In nummis ejusdem ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 288. Legio I. Liberatrix Macriana. V. LIBERATRIX. *F.*]

*MACRI CAMPI, *Μακροὶ Κάμποι Straboni*, videtur oppidulum fuisse Italiae superioris, in Gallia cispadana, circa Parmam ac Mutinam, ad Macram amnem situm. *Liv.* 41, 18. Consul litteras ad C. Claudium misit, ut cum exercitu ad se in Galliam veniret; Campis Macris se eum exspectaturum. Adde 45, 12. *Colum.* 7, 2. *Varr. R. R.* 2. *praef. B. A.*

[MACRINIANUS, a, um, adj. ad Macrinum aliquem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 47, 3. Cornelia Macriniana. *F.*]

[MACRINUS, i, m. derivativum macri. *Not. Tir.* p. 67. Macer, macrinus. Est cogn. R. imperatoris, V. MACELLINUS, et consulis ann. a Chr. n. CLXIV. ap. *Mur.* 335, 4, 5. et 6. M. Pompejus Macrinus. *F.*]

[MACRIO, onis, m. dimin. macri, idem ac macellus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1547, 4. Cornelius Macrio. *F.*]

*MACRIS, idis, f. (*Μακρὶς i. e.* longa), insula maris Aegaei, prope Ioniam, e regione Myonnesi promontorii. *Liv.* 37, 13. 28. et 29. ℙ Item Euboeae insulae vetus nomen. *Plin.* 4, 12. V. *Macra* f. ℙ Et nomen antiquum Icari Icariaeve insulae. *Plin. ib.* ℙ Et Chii. *Id.* 5, 31. ℙ *Macris* etiam audiebat insularum par in mari Mediterraneo, prope Lyciam. *Id. ib. B. A.*

MACRITAS, atis, f. macies, tenuitas, *λεπτότης. Vitr.* 2, 4. Macritas arenae. *Pall.* 11, 1. Propter macritatem ager semen aliud ferre non valet.

MACRITUDO, inis, f. idem ac macies. *Pl. Capt.* 1, 2, 32. Ossa atque pellis sum, miser a macritudine.

[MACRO, onis, m. perquam macer. Est cogn. R. consulis suffecti ann. a Chr. n. CXXXV. ap. *Vernazza, diploma di Adr.* L. Attius Macro: et praefecti praetorio sub Tiberio ap. *Dion.* 58, 9. Naevius Sertorius Macro. *F.*]

MACROBII, orum, m. plur. pop. Aethiopiae, in Meroe ins. ad Or., sic dicti a *μακρὸς*, longus, et *βίος*, vita, quia vita dimidio, quam nos, protensiore fruuntur. [*V. *Herod.* 3, 7.] Forma sunt pulcherrimi, plurimum valent robore, justitiam colunt, amant aequitatem. Apud eos lacus est adeo liquidus, ut ne folia quidem sustineat, quo perfusa corpora quasi uncta nitescunt. Ultra illos desertae inhumanaeque solitudines sunt. *Mela* 3, 9., *Plin.* 7, 2, 2. et *Val. Max.* 8, 13. *n.* 5. *extr.* ℙ **Macrobii* etiam dicti sunt incolae Apolloniae, Macedoniae oppidi. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

MACROBIUS, ii, m. Aurelius Macrobius Ambrosius Theodosius (vel Macrobius Ambrosius Aurelius Theodosius) vir consularis et illustris, sacrique cubiculi praefectus, qua fuerit patria, non constat, Romanus certe non fuit. Vixit autem Honorii et Theodosii junioris temporibus, hoc est exeunte saec. Christi IV., scripsitque commentaria in Ciceronem de Somnio Scipionis, et Saturnaliorum libros VII, in quibus ab A. Gellio multa descripsit, adeo ut ejus fur et simia dictus sit. Quamquam ultro ipse fatetur, se res ipsis verbis, quibus ab ipsis auctoribus enarratae sunt, explicasse, *Sat.* 1. *praef.*

*MACROCEPHALI, orum, m. *Μακροκέφαλοι*, populi Asiae, in Ponto. *Mela* 1, 19. *med. Plin.* 6, 4. *B. A.*

MACROCHĒRUS, a, um, adj. qui longas habet manicas: a *μακρὸς*, longus, et *χείρ*, manus. *Lamprid. Alex. Sev.* 33. Chlamydes hirtas Severi, et tunicas asemas, vel macrocheras ad usum revocavit suum. V. CHIRIDOTA.

MACROCHIR. V. LONGIMANUS.

MACROCOLUM, i, n. *μακρόκωλον*, charta regia, quae magnitudine Augustam, Livianam, Fannianam, ceterasque chartae species exsuperabat: a *μακρὸς*, longus, et *κῶλον*, membrum, membrana. *Cic. Att.* 16, 3. *Μακρόκωλον* translatum in macrocolum lege convivis tuis. *Id. ib.* 13, 25. Impensam fecimus in macrocola. *Plin.* 13, 12, 24. Pedalis, et cubitalis mensura erat macrocolis. *Hard.* ex MSS. legit *macrocollis* duplici *ll*, a *κόλλα*, glutinum, ut *macrocolla* fuerint chartae inter se junctae, et glutino compactae. Utcumque se res habeat, hujusmodi chartis utebantur describendis syntagmatis ex chirographo auctoris (qui ea in minoribus chartis conscripserat), ut in vulgus ederentur: quod ex allatis *Ciceronis* locis satis apparet.

*MACROCREMNII MONTES inter Tyram amnem siti et paludem Maeotidem. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

MACROLOGIA, ae, f. *μακρολογία*, est vitium orationis, quo sermo, longior quam oporteat, usurpationis, quo sermo, longior quam oporteat, usurpatur. Graeca vox est, et Graecis litteris scribitur a *Quint.* 8, 3., *Charis.* 4, 242. et *Diomed.* 2, 444. qui omnes in exemplum afferunt illud *Livii:* Legati non impetrata pace, retro domum, unde venerant, abierunt.

*MACRONES, um, m. populi Ponti. *Plin.* 6, 4. ℙ Item gens Iberiae, Absarum fluvium accolentes. *Plin.* 6, 10. *B. A.*

*MACRONTICHOS vel Macron Tichos, (*Μακρὸν τεῖχος, i. e.* longus murus,) gen. neutr. opp. Thraciae, in ora Propontidis, prope Bisanthen. *Plin.* 4, 11. *Mela* 2, 2. *med.* ubi Graece scribitur. *B. A.*

[MACROPHYLLON. V. MACHAEROPHYLLON. *F.*]

MACROR. V. MACOR.

MACTABILIS, e, adj. qui mactari, vel mactare potest. *Lucr.* 6, 805. Tum fit odor vini plagae mactabilis instar, [*i. e. velut mortifer ictus.] Ita legit *Lambinus*, [*Secutus est *Eichstadt.*] alii aliter.

[MACTATIO, onis, f. idem ac mactatus. *Arnob.* 7, 213. Quod gaudium est, innoxiorum animantium mactatione laetari? *Isid. Orig.* 6, 19. Unde et mactatio post immolationem est. *F.*]

MACTATOR, oris, m. occisor. *Sen. Troad.* 1002. Perge mactator senum.

MACTATUS, a, um, part. a *macto*, [*instructus, ornatus. V. in MACTO. *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 9, 641. Livius inde redit magno mactatu' triumpho. ℙ In malam partem i. q. affectus. *Ter. Ph.* 5, 8, 39. Mactatus infortunio. ℙ De hostiis mola salsa instructis. *Varr.* ap. *Non.* 2, 356. Grunnit tepido lacte satur, mola mactatus porcus, h. e. hordeo auctus. ℙ Hinc occisus in sacrificio, *σφακτός.*] *Hor. Od.* 1, 19, 16. Mactata veniet lenior hostia. *Ov. Met.* 13, 448. Placet Achilleos mactata Polyxena manes. *Suet. Aug.* 15. Trecenti ex dediticiis ad aram divo Julio exstructam hostiarum more mactati. V. *Servii* locum ad IMMOLATUS. ℙ [*Tum in universum i. q. sacrificatus. *Ov. Trist.* 4, 2, 35. Corpora mactata Deo.]

MACTATUS, us, m. occisio. *Lucr.* 1, 98. Hostia conciderat mactatu moesta parentis.

MACTE et Macti. V. MACTUS.

MACTEA. V. MATTYA.

MACTO, as, avi, atum, a. 1. [*frequent. obsoletae formae *mago*, i. e. augeo, unde etiam *magis*, *magnus.* Alii, quibuscum Noster fecerat, deducunt ex *magis* et *auctare.* Proprie signif. auctare, magnum facere et venerandum. Multi exstant scriptorum loci, in quibus haec antiquissima notio nondum plane deleta est, ex qua fere idem signif., quod instruere, ornare. Huc pertinent ex iis, quae Noster laudaverat, *Cic. Rep.* ap. *Non.* 4, 291. Ferunt laudibus, mactant honoribus. *Arnob.* 1, 24. Liberum patrem fanorum consecratione mactatis. *Cic. Vat.* 6. Cum puerorum extis Deos Manes mactare soleas. V. etiam locum in MACTATUS, *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 9, 641. Porro huc pertinet solemnis apud sacrificantes loquendi formula, *macte hoc vino inferio esto: macte hac dape pollucenda esto: macte hoc porco esto*, ut est ap. *Serv.* l. l. et *Cat. R. R.* 132. 134. et 139., quasi Deus ipse ea oblatione major fieret et honoratior, ejusque beatitas augeretur. Plura v. in MACTUS. ℙ Ita usurpatur etiam in malam partem de rebus, quibus aliquem afficimus aut affectum volumus. *Forc.* haec laudaverat: *Pl. Poen.* 3, 1, 14. Divitem audacter solemus mactare infortunio. *Id. Aul.* 3, 5, 62. Dotatae mactant et malo et damno viros. *Enn.* ap. *Non.* 4, 291. Qui illum Dii Deaeque magno mactassint malo. *Lucr.* 6, 1239. Incuria mactans. *Pl. Rud.* 1, 2, 8. Hoc quod me mactat, concinnem lutum, i. e. fatigat, molestia afficit. Adde *Sil.* 17, 500. mactantur comminus uno Exitio. ℙ Hinc factum est, ut in sacrificiis *mactari* dicerentur victimae, cum ante caedem ture, vino, mola salsa affunderentur. Ita *Serv.* ad *A.* 9, 641. Quoties aut tus, aut vinum super victimam fundebatur, dicebant: *mactus est taurus* vel *vino*, vel *ture*, i. e. sacratus, ad sacrificandum praeparatus. V. etiam locum *Varr.* ap. *Non.* 2, 356. in MACTATUS. ℙ Unde metaleptice sumitur pro caedere in sacrificiis, *κατ' εὐφημισμόν*, quod *caedis* voce in sacrificiis, ut mali ominis, abstinendum sit. Quae melior videtur ratio, quam de novo cogitare etymo (v. *Doederl.* 3, 222.), ut *mactare* caedendi significatione cognatum homonymum sit Gr. *σφαγή*, *σφάγανον. Virg. A.* 4, 57. Mactant lectas de more bidentes: ubi *Serv. Mactant*, verbum sacrorum, *κατ' εὐφημισμὸν* dictum. [*Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. Numa inter liba, et decimas profanandas, et suovetaurilia mactanda aetatem egit. *Ov. Met.* 15, 114. Vite caper morsa Bacchi mactandus ad aras. *F.*] *Doederl. l. l.* in his breviloquentiam viaras. *F.*] *Doederl. l. l.* in his breviloquentiam vidit, ita ut *bidentes mactare* dictum sit pro *bidentibus mactare deos*, eodem modo, quo *pontem jungere*, *foedus ferire*, cet. coll. ipsius animadvers. ad *Soph. Oed. Col.* 492. p. 352. ℙ Neque de victima solum, sed alibi etiam *mactare* de caede usurpatur. *Cic. Har. Resp.* 20. Clodius divisores tribuum domi suae crudelissima morte mactavit. *Cat.* 1, 11. Non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis. *Mart.* 1, 50. Ibi illigatas mollibus damas plagis Mactabis, et vernas apros. ℙ Tum *mactare*, quod proprie partem rituum sacrificalium denotat, translatum est in totum sacrificandi actum. Ita intelligendus videtur locus *Varr.* ap. *Non.* 4, 291. Pultem Diis mactare. V. MACTATUS. ℙ Hinc in malam partem i. q. devovere. *Liv.* 9, 40. Eos se Orco mactare Junius dictitans; et 10, 28. Hostium legiones Telluri ac Diis Manibus mactandas dabo. *Tac. A.* 2, 13. Raptores pacis ultioni et gloriae mactandos. ℙ Porro i. q. perdere, delere, pessumdare. *Cic. Verr.* 2, 4, 11. *extr.* Cum videant jus civitatis illo supplicio esse mactatum. *Acc.* ap. *Non. l. c.* Aut illorum opes fundam in campo, aut naves uram, aut castra mactabo in mare. *Cic. Fl.* 22. Tradere aliquem civitatis testimonio mactandum. ℙ Confunduntur *mactari* et *jactari.* V. *Burm* ad *Virg. A.* 2, 667.]

MACTRA, ae, f. *μάκτρα*, vas, in quo farina subigitur. Vox Graeca. *Petr. fragm. Trag.* 14. *Burm.* De mactra illam sustuli. Al. leg. *de mactrilla*, h. e. parva mactra. Sed potius legend.: *de machina illam sustuli*, *h. e.* de catasta, in qua servi venales prostabant, illam emi. [*Ita leg. in ed. *Anton.*] V. MACHINA.

MACTRILLA. V. v. praec.

MACTUS, a, um, adj. cumulatus, auctus: ex *magis auctus*, ut *Festus* docet. [*Est part. obsol. v. *mago.* V. MACTO; etiam locum, quem sequenti §. adscripsimus.] Habet locum in sacrificiis, in quibus, ut ait *Serv.* ad *A.* 9, 641., quoties aut tus, aut vinum super victimam fundebatur, dicebant: *mactus est taurus* vel *vino*, vel *ture*, hoc est cumulata est hostia, et magis aucta. Sic quippiam Deo offerentes dicebant Deo: *macte hoc vino inferio esto: macte hac dape pollucenda esto: macte hoc porco esto*, ut est ap. *Serv. ib.* et *Cat. R. R.* 132. 134. et 139., quasi Deus ipse ea oblatione major fieret, et honoratior, ejusque beatitas augeretur. In his autem *macte esto* positum est pro *mactus esto*, vocativus pro nominativo, (quamquam et *mactus* antiqui dixerunt, teste *Prisc.* 5, 668.) et saepe v. *esto* omittitur. [*Dixit de hoc constructionis genere *Ruddim.* 1, 126. *n.* 76. ubi *Stallb.* laud. *Theocrit.* 17, 66. *Ὄλβιε κῶρε γένοιο!* ibique *Kiessling.* coll. *Classical journal.* Tom. 16. p. 353. ℙ Hinc i. q. caesus. *Lucr.* 5, 1338. Ut nunc saepe boves Lucae, ferro male mactae, Diffugiunt: qui locus luce videtur illustrare clarius eorum sententiam, qui *mactus* non adject., sed particip. esse docent.] ℙ In eleganti usu est *macte*, et *macti*, quoties gratulamur alicui, plaudimus, felicem ac beatum esse, jubemus, et cohortamur, ut in virtute excolenda, quam recte factis adhuc ostendit, crescat quotidie magis. *Cic. Att.* 12, 6. *med.* et *Tusc.* 1, 17. Macte virtute: ego enim ipse cum eodem ipso non invitus erraverim. *Virg. A.* 9, 640. atque his victorem affatur Iulum: Macte nova virtute puer: sic itur ad astra. *Sen. ep.* 66. *f.* Macte virtute esto, sanguinolentis, et ex acie redeuntibus dicitur. *Liv.* 7, 36. Macti virtute milites Romani este: vestrum iter ac reditum omnia saecula laudibus ferent. *Val. Fl.* 6, 547. Macte, ait, o nostrum genus. *Lucil.* ap. *Serv. l. c.* Macte, inquam, virtute, simulque his versibus esto, *h. e.* honoratus, laudatus, auctus tum virtute tua, tum versibus meis. *Plin.* 2, 12, 9. Macti ingenio este, coeli interpretes. *Liv.* 10, 40. Macte virtute diligentiaque esto. *Stat. Th.* 7, 280. Macte animo juvenis; et *Silv.* 1, 2, 201. Macte toris, Latios inter placidissime vates, *h. e.* felix connubii; et *ib.* 3, 106. Macte bonis animi. *Mart.* 4, 13. Claudia, Rufe, meo nubit Peregrina Pudenti: Macte esto taedis, o Hymenaee, tuis. *Plin. Pan.* 46. Macte hac gravitatis gloria, Caesar; et *ib.* 89. Macte uterque ingenti in rempubl. merito. ℙ Animadvertenda est illa loquendi ratio ap. *Liv.* 1, 12. *f.* Juberem, macte virtute esse, si pro mea patria ista virtus staret. Ubi al. leg. *Juberem*, *te macte*, etc. [*Cf. *Drakenb.* ad h. l.] Sic *Flor.* 2, 18. Macte fortissimam, et meo judicio beatissimam in ipsis malis civitatem! asseruit cum fide socios, etc. Al. leg. *macte esse fortissimam*, etc. *asseruit: cum fide*, etc. Quibus locis *macte* tanquam indeclinabile, vel

adverbium ponitur. [*Huc pertinet etiam locus, quem Noster in f. laudaverat. *Cic. Att.* 15, 29. Servuli dicunt, eum, et agripetas ejectos a Buthrotiis: macte! i. e. recte, bene! V. quae in hanc sententiam comparat *Ruddim.* 1, 126. *n.* 76.] ℙ Cum genitivo. *Mart.* 12, 6. Macte animi, quem rarus habet, morumque tuorum, Quos Numa, quos hilaris possit habere Cato. Adde *Stat. Th.* 2, 495. ℙ Absolute et sine casu. *Cic. Att.* 15, 29. Servuli dicunt, eum, et agripetas ejectos a Buthrotiis: macte! i. e. recte! bene!

MĂCŬLA, ae, f. [*Proprie significat id, quod variat colorem in re aliqua, sine inficiendi, corrumpendi notione, quam sibi vindicat v. *labes*, ubi v. quae notavimus de discrimine vv. *labes*, *macula* et *nota*. Huc pertinent exempla, quae Noster ad finem laudaverat: *Plin.* 37, 10, 56. Gemma purpurea nigris interpellantibus maculis. *Virg. G.* 3, 56. bos maculis insignis et albo, *h. e.* albis maculis. V. ENDIADYS; et *ib.* 4, 91. de rege apum. maculis auro squalentibus ardens; et *A.* 9, 49. Equus albis maculis. ℙ Nunc sequi possunt, quae *Forc.* perperam ab initio posuerat, ea, in quibus *macula* est] *σπίλος*, sordes, labes, quidquid alicujus rei proprium colorem inficit et corrumpit. *Cic. N. D.* 1, 28. Est corporis macula, naevus: illi tamen hoc lumen videbatur. *Ov. Fast.* 3, 821. Maculas auferre de vestibus. *Plin.* 20, 13, 50. extrahere. *Id.* 12, 25, 54. in veste facere. *Id.* 28, 7, 23. e veste abluere. *Id.* 20, 2, 4. Lentigines ac maculas e facie tollit elaterium; et *ib.* 13, 51. Ruta illita cicatrices et maculas toto corpore emendat. *Id.* 36, 19, 33. Melitites medetur maculis corporis. *Petr. Sat.* 102. Aquae aspergo corpori maculam imponit. *Ov. Met.* 5, 455. Combibit os maculas. *Pl. Capt.* 3, 4, 63. Maculatur corpus maculis luridis. *Cic. Somn. Scip.* 6. Vides habitari in terra raris et angustis in locis: et in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, vastas solitudines interjectas: *maculas* vocat, quia loca terrae habitabilia rara sunt, et intervallis dissita, sicut in veste maculae. ℙ Translate est res turpis honestatem deformans, nota, infamia, dedecus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 311. Quem scis scire tuas omnes maculasque notasque. *Cic. Manil.* 3. Delenda vobis est illa macula, Mithridatico bello suscepta, quae penitus jam insedit atque inveteravit in populi R. nomine. *Id. Dom.* 9. *med.* Homo omnium scelerum libidinumque maculis notatissimus. *Id. Verr.* 2, 5, 46. Errabas, Verres, cum te maculas furtorum et flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare. *Id. Planc.* 12. Hunc tu vitae splendorem maculis aspergis istis? *Id. Rosc. Am.* 39. Legationis caeremoniam perfidia polluere, maculaque afficere. *Sen. Herc. Oet.* 1454. Imprimere maculam laudibus. *Cic. Verr.* 1, 4. Ut ejus adolescentiae maculas ignominiasque praeteream. *Id. Cluent.* 5. Illam non pudor, non pietas, non macula familiae a cupiditate revocavit. *Id. Balb.* 6. Est hujus saeculi labes quaedam et macula, virtuti invidere. *Ter. Ad.* 5, 8, 31. Effugere maculam avaritiae. *Pl. Poen.* 1, 1, 70. Inest amoris macula huic homini in pectore, Quae elui neutiquam potest. *Id. Capt.* 4, 2, 61. Jam ego ex corpore exigam omnes maculas moerorum tibi. *Hor. A. P.* 351. ubi plura nitent in carmine, non ego paucis Offendar maculis, quas haud incuria fudit, Ast humana parum cavit natura. ℙ Item foramen retis, plaga. *Ov. Her.* 5, 19. Retia saepe comes maculis distincta tetendi. *Colum.* 8, 15. Locus clatris, vel grandi macula retibus contegitur. *Varr. R. R.* 3, 11. septum totum rete grandibus maculis integitur. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. Reticulum ad nares sibi admovebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosae. ℙ In loco *Varronis* allato quidam omittunt v. *rete*, et maculas pro ipso rete poni putant. Est qui affert et locum *Claud. Rapt. Pros.* 3, 266., sed ibi non de reti, sed de tigris maculis sermo est. Licebit tamen, si usu veniat, *maculas* pro reti usurpare per synecdochen. [*Varias de significatione vocabuli *macula* in rebus venatoriis VV. DD. sententias comparat *Ruhnk.* ad *Ov. Her. l. l.* ubi v.] ℙ [*Macula* est etiam cogn. R. *Macr. Sat.* 2, 2. Faustus Sullae filius, cum soror ejus eodem tempore duos moechos haberet, Fulvium fullonis filium, et Pompejum Maculam, Miror, inquit, sororem meam habere maculam, cum fullonem habeat. Ejusdem fortasse meminit *Cic. Fam.* 6, 19. *F.*]

MĂCŬLĀTĬO, onis, f. actus maculandi. *Appul. Apol.* Ea tabes primorem cutem vitiligine insignit, et omnimodis maculationibus convariat. ℙ Translate *Firm. Math.* 3, 15. *n.* 3. Aliqua infamiae maculatione pollutus.

MĂCŬLĀTUS, a, um, part. a *maculo:* macula foedatus, inquinatus, *Ov. de nuce* 157. dextra maculata cruore. ℙ Translate. *Sil.* 11, 200. maculatae crimine mentes. ℙ Item notis, et signis varii coloris distinctus. *Val. Fl.* 6, 704. et multo maculatam murice tigrim.

[MĂCŬLENTUS, a, um, adj. idem ac maculosus. V. MACELLA. *F.*]

MĂCŬLO, as, avi, atum, a. 1. [*Proprie significat variare alicujus rei colorem, non polluendi, foedandi, sed tingendi, ornandi causa. V. in MACULA. Exemplum, quod huc faciat, Noster in f. posuerat. *Val. Fl.* 4, 368. de Argo: Lumina non aliter toto cui vertice, quam si Lyda nurus sparso telas maculaverit ostro. ℙ Tum est] *ῥυπαίνω*, inquino, polluo, foedo. *Virg. A.* 3, 28. atro liquuntur sanguine guttae, Et terram tabo maculant. *Catull.* 63, 7. recente terrae sola sanguine maculans. *Pl. Capt.* 3, 4, 63. Maculatur corpus maculis luridis. ℙ Translate est contaminare, polluere. *Cic. Har. resp.* 13. Castissimos ludos omni flagitio, dedecore maculare. *Id. Mil.* 31. omni nefario stupro et scelere sacra loca. *Id. Sext.* 28. aliquo negotio alicujus splendorem. *Liv.* 1, 13. partus suos parricidio, [*i. e. caedibus efficere, ut parricidarum progenies posteri dici possent.] *Nep. Paus.* 5. belli gloriam turpi morte. *Virg. A.* 10, 851. Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen. *Aurel. Vict. Caesar.* 15. Hunc nulla vitiorum labes maculavit. *Lucr.* 5, 1150. metus maculat poenarum praemia vitae, *h. e.* corrumpit. ℙ *Maculantia verba*, quae orationem maculant. *Gell.* 16, 7. Obsoleta quoque, et maculantia ex sordidiore vulgi usu ponit.

MĂCŬLOSUS, a, um, adj. [*Notis, maculis distinctus, non sordes, sed coloris discrepentiam spectantibus. Quae huc pertinent, Noster secundo loco posuerat. *Virg. A.* 1, 327. maculosae tegmine lyncis. *Plin.* 36, 6, 5. Maculosum marmor. *Colum.* 6, 37. Equus coloris nigri, vel maculosi. ℙ Tum sequi poterat exemplum, quod *Forc.* sine discrimine ceteris immiscuerat: *Pl. Bacch.* 3, 3, 29. Si unam peccavisses syllabam, Fieret corium tam maculosum, quam est nutricis pallium: ubi jocose dictum est de eo, qui verberibus probe castigatus est. ℙ Tum est] *σπιλωτός*, maculis aspersus, maculis abundans, immundus. *Cic. Phil.* 2, 29. Auctionis vero miserabilis aspectus: vestis Pompeji non multa, eaque maculosa, argentea vasa collisa, etc. *Plin.* 2, 9, 6. Maculosa luna. *Ov. A. Am.* 3, 395. maculosae sanguine arenae. *Id. Trist.* 3, 1, 15. Littera suffusas quod habet maculosa lituras, etc. ℙ Translate est contaminatus, impurus, scelestus. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Maculosi senatores, nudi equites. *Hor. Od.* 4, 5, 22. Maculosum nefas. *Tac. H.* 3, 38. Vir omni dedecore maculosus. *Aurel. Vict. Caesar.* 11. Maculosa adolescentia. ℙ [Comp. *Maculosior* ap. *Front. de orat.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3, *med.* Polluta, et contaminata, et varia, et maculosa, maculosioraque, quam nutricis pallium. *F.*]

*MĂCUM, Aethiopiae oppidum, vel fortasse in confinio Aethiopiae Aegyptique situm. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*MĂCURĒBI, orum, m. populi Mauretaniae Caesariensis. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*MĂCYNĬA, ae, f. *Μαχυνία*, oppidum Aetoliae. *Plin.* 4, 2. ℙ Huic vicinus fuit *Macynius mons*, *Μαχύνιον ὄρος*, qui et *Macynium* dictus. *Plin. ib. B. A.*

*MĂCYNĬUM et
MĂCYNĬUS MONS. V. in v. praec. *B. A.*

*MĂDAURA sive
MĂDAURĪ, urbs Africae. V. in *Madaurensis. B. A.*

[MĂDĂRUS, i, m. *μαδαρός*, calvus. Ita joculariter cognominatur C. Matius, Caesaris familiaris, propter calvitiem, a *Cic. Att.* 14, 2. Altera epistola de Madaro scripta, apud quem nullum *σαλαχώνισμα* (*h. e.* nulla lautitiarum ostentatio), ut putas, et *mox:* Habes igitur *φαλάκρωμα* (*h. e.* calvitium) inimicissimum otii, id est Bruti. V. CALVENA. *F.*]

MĂDAURENSIS, e, adj. ad Madauram pertinens, quae est urbs Africae in finibus Numidiae, et Getuliae, patria Appuleji. Unde *Appulejus Madaurensis* ap. *August. ep.* 49. V. METAURIANUS. ℙ *Dicta et *Madauri*, *orum*, haec urbs. *August. Conf.* 2, 3. A Madauris. Accusativum *Madauros* habet *Ant. Itin. Ptolemaeo* est *Μάδουρος*. *B. A.*

MĂDĔFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. *βρέχω*, *δεύω*, *διαίνω*, madidum facio, humore aspergo, tingo. *Cic. Div.* 1, 32. Vaticinatus est, madefactum iri minus triginta diebus Graeciam sanguine. *Virg. A.* 5, 330. Sanguis fusus virides madefecerat herbas. *Plin.* 32, 7, 25. Lanam aceto et nitro madefacere. *Ov. Met.* 4, 252. imbutum coelesti nectare corpus Delicuit, terramque suo madefecit odore, *h. e.* imbuit, perfudit. *Cels.* 3, 18. Si vero imbecillitas est, rosa caput, adjecto serpyllo alioque simili, madefaciendum est. Jocularitер *Pl. Ps.* 1, 2, 50. vino modo cupidae estis: Eo vos, vestros panticesque adeo madefacitis, cum ego sim hic siccus. [*Suet. Vesp.* 16. Madefacere spongiam. Opp. *exprimere.*] ℙ Pro macerare. *Plin.* 25, 6, 31. Caules concisos madefaciunt diebus quindecim, atque ita succum exprimunt.

*MADEFACTĬO, onis, f. *a moistening. Octav. Hor.* 1, 2. *B. A.*

MĂDĔFACTO, as, a. 1. frequent. a *madefacio. Venant. carm.* 1, 21, 26. Si tamen est fluvius, qui madefactat humum.

MĂDĔFACTUS, a, um, part. a *madefacio:* madidus factus, aspersus, maceratus. Minus est, quam *imbutus:* ut in illo *Cic. Phil.* 14, 3. Imbuit sanguine gladii, vel madefacti potius. *Plin.* 21, 8, 23. Amarantus madefactus aqua revirescit. *Id.* 26, 6, 15. Radix in vino madefacta. *Tibull.* 2, 7, 14. Et madefacta meis serta feram lacrimis; et 3, 6, 63. Syrio madefactus tempora nardo. ℙ Item tinctus, coloratus. *Id.* 4, 2, 15. cui mollia caris Vellera det fucis bis madefacta Tyros. ℙ Item perfusus, abundans, plenus, madens. *Sil.* 12, 18. molli luxu madefacta, meroque Illecebris somni torpentia membra fluebant. *Heins.* mallet *labefacta. Colum.* 10, 309. multo madefactus lacco. *Ammian.* 15, 3. *med.* Poculis amplioribus madefacti.

MĂDĔFĪO, is, anom. passiv. *διαίνομαι*, madens fio, humore aspergor. *Plin.* 28, 7, 22. Ferventes oculorum anguli subinde madefiant. *Catull.* 64, 364. Alta Polyxenia madefient caede sepulcra. *Cic. Div.* 1, 32. Madefactum iri Graeciam sanguine.

MĂDENS, entis, part. a *madeo: διάβροχος*, *ἔνυγρος*, humore plenus, madidus, perfusus. *Plin.* 9, 45, 69. Madentes spongiae. *Id.* 31, 9, 45. Linteolum vino madens. *Quint.* 6, 1. *med.* Vestis madens sanguine. *Petr. Sat.* 6. Madens sudore. *Stat. Silv.* 5, 3, 58. oculis, *h. e.* flens. *Ov. Trist.* 3, 5, 12. os fletu. *Id. Her.* 13, 52. More nivis lacrimae sole madentis eunt. *Stat. Th.* 3, 230. Ense madens, *h. e.* ensem habens madentem sanguine. ℙ *Caede madens* est madens sanguine ob caedem factam: et metonymice caedis auctor, aut reus. *Juven.* 4, 154. hoc nocuit Lamiarum caede madenti. *Sen. Herc. Oet.* 1870. populisque madens ferrum, *h. e.* sanguine caesorum populorum. *Id. Herc. Fur.* 1195. puerili madens arundo leto. ℙ Absolute. *Cic. in Sen.* 6. et *Virg. A.* 4, 216. Madens coma, *h. e.* delibuta unguentis. *Lucr.* 6, 1180. sudor per collum, *h. e.* manans, fluens. Sic per catachresin *Sever. Aetn.* 520. madentes flammae, *h. e.* fluentes. *Tac. H.* 5, 17. campi. *Sen. Herc. Oet.* 71. madens Auster, *h. e.* pluvius. Sic *Mart.* 10, 5. bruma. *Stat. Silv.* 4, 8, 8. Deus, *h. e.* Neptunus. ℙ *Vino madens*, est vini plenus, bene potus, ebrius. *Sen. ep.* 83. *med.* Vir moderatus et gravis, sed mersus vino et madens. ℙ Absolute. *Suet. Claud.* 33. Nec temere unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens. ℙ Hinc translate. *Mart.* 7, 51. Jure madens, varioque togae limatus in usu, *h. e.* plenus juris scientia. *Gell.* 13, 8. *f.* Vitia facundissime accusant, intercutibus ipsi vitiis madentes. *Auson. Profess. n.* 15. Cui felle nullo, melle multo mens madens.

MĂDĔO, es, ui, n. 2. *μαδάω*, *νοτέω*, humidus, madidus sum, humore madefio: a priore Graeca voce allata. *Cic. Phil.* 2, 41. Natabant pavimenta vino, madebant parietes. *Virg. A.* 12, 690. plurima fuso Sanguine terra madet. *Id. G.* 3, 429. Vere madent udo terrae, ac pluvialibus austris. *Mart.* 9, 36. Scis, quoties Pharios madeat Jove fusca Syene, *h. e.* pluvia perfundatur. *Id.* 1, 57. Continuis vexata madet vindemia nimbis, *h. e.* tempus vindemiae pluvium est. *Id. Spectac.* 3. Et Cilices nimbis hic maduere suis, *h. e.* perfusi sunt croco. *Id.* 10, 19. madent capilli: scil. unguento. *Plin.* 13, 1, 1. Persae unguento madent. *Id.* 22, 12, 14. Radix succo madet. *Id.* 24, 11, 53. Caprae si aquam biberint, in qua folia ea maduerint, mori dicuntur. *Ov. A. Am.* 3, 378. Lacrimis madent genae. *Val. Fl.* 3, 391. quibus invito maduerunt sanguine dextrae, *h. e.* qui inviti caedem patrarunt. *Lucan.* 2, 149. nati maduere paterno Sanguine, *h. e.* occiderunt patres suos: metonymia. ℙ *Madere vino*, et *madere* absolute est bene potum esse, atque ebrium. [*V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 7. p. 156. sq. *ed. Frotsch.*] *Tibull.* 2, 2, 8. Atque satur libo sit, madeatque mero. *Pl. Truc.* 4, 4, 2. Si alia membra vino madeant, cor sit saltem sobrium. *Id. Most.* 1, 4, 7. Ecquid tibi videor madere? *Id. Ps.* 5, 2, 7. Non vides me, ut madide madeam? *Tibull.* 2, 1, 29. non festa luce madere Est rubor. [*Notandus est locus *Lucr.* 3, 478. tardescit lingua, madet mens; ubi *Eichstadt.* in *Ind. Lucr.* parum recte ita videtur: de graviter aegrotante, cujus mens non magis suo munere fungitur, quam hominis vino obruti.] ℙ Pro abundare, plenum esse: ductum ab iis, qui vino madent. *Tibull.* 3, 6, 5. madeant generoso pocula Baccho. *Plin.* 17, 4, 3. Caecubae vites in Pomptinis paludibus madent. *Prop.* 4, 4, 74. Cum pagana madent fercula deliciis. *Pl. Most.* 2, 1, 48. Istaec blanda dicta quo eveniant, madeo metu. *Lucr.* 4, 793. arte madent simulacra, *h. e.* arte imbuta et praedita sunt. Est tamen qui *valent* legat. *Hor. Od.* 3, 21, 9. Socraticis madet sermonibus, *h. e.* imbutus est, et abundat praeceptis gravioris philosophiae. *Mart.* 7, 69. Cujus Cecropia pectora voce madent, *h. e.* peritissima sunt Graecae linguae. ℙ In illo *Virg. G.* 1, 196. Et quamvis igni exiguo properata maderent: *Serv.* et alii exponunt *festinata coquerentur:* quo sensu *Pl. Men.* 2, 2, 51. Jam ergo haec madebunt, faxo: nihil morabitur: *h. e.* coquentur. Sic *Id. Pers.* 1, 3, 12. Collyrae facite ut madeant, et colliphia: Ne mihi incocta detis

Non tamen haec ita intelligas, quasi *madere* coctum esse significet, sed quia quae cocta sunt, teneriora fiunt, et jure facilius perfunduntur ac imbuuntur.

MĂDESCO, is, n. 3. *δίεμαι*, madidus fio. *Virg. A.* 5, 697. semusta madescunt Robora. *Ov. Met.* 1, 66. tellus Nubibus assiduis, pluvioque madescit ab austro. *Id. Fast.* 6, 198. multa terra madescit aqua. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 311. largis tunc imbribus ora madescunt. *Cels.* 3, 6. *med.* Spectare oportet, num tempora, partesve corporis aliae paulum madescant, *h. e.* sudore perfundantur. ℙ Per metonymiam est mollescere, tenerum fieri, macerari. *Colum.* 6, 30. de equis: Ut stabulentur sicco loco, ne humore madescant ungulae. *Id.* 11, 3. *med.* Brassica in coctura celerius madescit. *Id.* 10, 398. de cucumere: riguoque madescit luteus arvo. *Plin.* 18, 7, 17. Triticum madescit dulci aqua ligneis vasis. ℙ [Item ebrius fio. *Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. Nec Chrysippum tuum praetereo, quem quotidie ferunt madescere solitum. *F.*]

MĂ DĬĂ. V. MA.

MĂDĬDĂTUS, a, um, part. a *madido:* madidus factus, madens. *Appul. Met.* 8. Madidatae spongiae. ℙ Item vino madens. *Arnob.* 5. *in.* Injecisse madidatis vincula.

MĂDĬDĔ, adv. *Madide madere* ap. *Pl. Ps.* 5, 2, 7. est probe ebrium esse.

MĂDĬDO, as, avi, atum, a. 1. madidum reddo, madefacio. *Arnob.* 2, 70. Proluvie linerent et madidarent se sua. *Id.* 5, 163. Mero multo madidari. ℙ Part. *Madidans* pro madidus, madens. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 88. ille *(Zephyrus)* novo madidantes nectare pennas Concutit, et glebas fecundo rore maritat. *Sed vitiosa est lectio, judice *Ruhnkenio*, qui corrigit *madidatas*. *B. A.*

MĂDĬDUS, a, um, adj. *ὑγρὸς, διάβροχος*, madens, madefactus, humidus. *Cic. Q. Fr.* 2, 12. *med.* Fasciculum illum epistolarum totum sibi aqua madidum redditum esse. *Plin.* 25, 6, 30. Radix succo madida. *Id.* 31, 7, 39. Madidus spiritus. *Ov. Met.* 1, 264. madidis Notus evolat alis; [*Perpetuum fere est ventorum epitheton v. MADĬDUS. V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 219. Et madidis Euri resolutae flatibus Alpes.] *Ov. Met.* 5, 53. Capilli madidi myrrha. *Id. A. Am.* 1, 660. Madidae genae, *h. e.* madentes lacrymis. *Id. Her.* 14, 30. et *Amor.* 1, 6, 38. comae, *h. e.* madentes unguento. ℙ Item humore abundans, aquosus. *Ov. A. Am.* 1, 554. Ut levis in madida canna palude tremit. *Id. Trist.* 5, 6, 37. multa madidae celebrantur arundine fossae. *Mart.* 4, 44. Presserat hic madidos nobilis uva lacus. *Id.* 7, 36. Madidus Juppiter, *h. e.* pluvius. ℙ Translate *Caecil.* ap. *Prisc.* 6, 699. Itan' est immemoris? itan' est madida memoria? *h. e.* quae nihil retinet, velut si in aqua scribas. ℙ Item mollis, tener. *Plin.* 27, 5, 21. Semina in siliquis nigriora, et madidiora lenticula. ℙ Hinc dicitur de cibis coctis, conditis, maceratis. *Pl. Men.* 1, 3, 29. Madida quae mihi apposita in mensam, etc. *Id. Pers.* 1, 3, 14. Nisi quas madidas glutias. *Mart.* 1, 42. Madidum cicer. *Id.* 10, 48. Et madidum thynni de sale sumen erit. *Lucan.* 1, 621. tabe jecur madidum, *h. e.* corruptum, et stillans. ℙ *Madidus vino*, et *madidus* absolute, est vini plenus, ebrius. *Pl. Aul.* 3, 6, 36. Ego te hodie reddam madidum, sed vino, probe. *Id. Amph.* 3, 4, 18. Faciam, ut sit madidus sobrius. Adde *Mart.* 6, 89. et 9, 23. Sic *dies madidi* ap. *eund.* 14, 1. sunt Saturnalicii, in quibus vino largius indulgebatur. [*Hoc sensu dicuntur *oculi mero madidi* ap. *Rut. Lup.* 2, 7. p. 156. *ed. Frotsch.* ubi *Ruhnk.* leg. cens. *oculis mero marcidis.*] ℙ Est etiam imbutus, tinctus. *Mart.* 5, 23. Vestis cocco madida, vel murice tincta. ℙ Etiam cum genitivo. *Appul. Met.* 4. Rosas madidas divini roris et nectaris video. ℙ Translate. *Id.* 1, 40. Si quis Cecropiae madidus, Latiaeque Minervae Artibus. *Id.* 4, 14. Nec torva lege fronte, sed remissa Lascivis madidos jocis libellos. Eundem habent usum *madens*, et *madeo.*

MĂDĬFĬCO, as, a. 1. madefacio. Quidam tribuunt *Plinio* 28, 7, 40. Ferventes anguli oculorum madificentur. Sed legendum omnino *madefiant.*

MĂDOR, oris, m. *ὑγρότης*, humor: a *madeo. Sall. fr.* ap. *Non.* 2, 534. Ingens terror erat, ne ex latere nova munimenta madore infirmarentur. *Arnob.* 5, 185. Mador terrae. *Appul. Met.* 1. quoad me urinae madore perluerent. *Ammian.* 20, 6. Lapides recens structi, et madore infirmi.

[MĂDOS, i, f. ita vocatur vitis genus: est a *μαδὸς*, glaber, depilis. *Plin.* 23, 1, 16. Vitis alba est, quam Graeci ampeloleucen, alii madon appellant. ℙ Item herba, quae et nymphaea. *Id.* 25, 7, 37. Nymphaea laudatissima in Orchomeno, et Marathone, Boeoti madon vocant. *F.*]

[MĂDŪĂTĒNI vel Madyteni, orum, m. plur. incolae urbis in Chersoneso Thraciae, quae olim Macytos a *Liv.* 31, 16. et 33, 38., nunc *Maiton* appellatur. *Id.* 38, 40. Thracum populi Astii, et Caeni, et Maduateni, et Coeletae ad ipsas angustias viam circumsederunt. *F.*]

MĂDULSĂ, ae, m. ebrius: a *madeo*, quia vino madet, *Festus. Pl. Ps.* 5, 1, 7. Ego nunc probe abeo madulsa. Ap. *Fest.* legitur et *madusa:* sed *madulsa* est rectius.

*MADYTOS vel Madytus, i, Thraciae oppidum, juxta Hellespontum, inter Critholem, Sestum et Flumen Aegos. *Mela* 2, 2. *Liv.* 31, 16. et 33, 38. *B. A.*

[MAEA, ae, f. *μαῖα*, obstetrix, nutrix. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 866, 11. Cluvia Maea. *F.*]

MAEANDER. V. MAEANDROS.

MAEANDRĀTUS, a, um, adj. flexus, tortuosus instar Maeandri. *Varr.* ap. *Non.* 2, 550. Mihi facies Maeandrata, et vermiculata, atque etiam adeo cingens orbem terrae.

*MAEANDRIA, ae, f. oppidum Epiri. *Plin.* 4, 1. *B. A.*

MAEANDRĪCUS, et

MAEANDRĬUS, a, um, adj. *Μαιανδρικός*, ad Maeandrum pertinens. *Tert. Pall.* 4. *med.* Si quis andrum pertinens. *Tert. Pall.* 4. *med.* Si quis Maeandrico fluxu delicatam vestem humi protrahat. Maeandrico fluxu delicatam vestem humi protrahat. V. v. sq. *Ov. Met.* 9, 573. Attonitus subita juvenis Maeandrius ira, *h. e.* Caunus Maeandri nepos. *Claud. VI. cons. Honor.* 635. Maeandria flumina. *Prop.* 2, 25, 35. Phrygio fallax Maeandria campo Errat, et ipsa suas decipit unda vias. *Avien. Perieg.* 1010. Maeandria gleba, *h. e.* arva, quae Maeandro alluuntur. *Salmasius legi vult *Menandrico*. *B. A.*

MAEANDROS et Maeandrus et Maeander, dri, m. *Μαίανδρος*, fluvius ingens Asiae in Phrygia magna, qui e lacu in Aulocrene monte oritur, plurimisque affusus oppidis, et repletus fluminibus crebris ita sinuosus flexibus, ut saepe credatur revertisque ita sinuosus flexibus, ut saepe credatur reverti, Apamenam regionem, et Eumeneticam, et Bargyileticos campos, demum Cariam placidus pervagatur, omnesque eos agros fertilissimo rigans limo prope Miletum lenis mari illabitur: quae est descriptio *Plinii* 5, 29, 31. In fabulis fingitur Oceani et Terrae filius, pater Cyanes Nymphae, ex qua Miletus Solis filius Caunum et Byblidem suscepit. Causa cur tam oblique feratur, est, quia multum limi defert, et modo huic, modo illi ripae adjicit. *Ov. Her.* 9, 55. Maeandros, toties qui terris erat in Isdem: Qui lassas in se saepe retorquet aquas. *Id. Met.* 8, 162. Non secus ac liquidus Phrygiis Maeandrus in arvis Ludit, et ambiguo lapsu refluitque, fluitque, Occurrensque sibi venturas aspicit undas: Et nunc ad fontes, nunc in mare versus apertum, Incertas exercet aquas. (Haec praeclare vertit *Torquat. Tass.* in *Gerus. liber.* 16, 8.) *Sen. Herc. Fur.* 683. qualis incerta vagus Maeander unda ludit, et cedit sibi, Instatque dubius, litus, an fontem petat. *Lucan.* 3, 208. Errantem Maeandron adit. ℙ Hinc *more Maeandri*, flexuose, tortuose. *Colum.* 8, 17. *med.* Oportebit nonnullis locis moles intercidi, more Maeandri. ℙ Hinc omnes obliquitates, quibus post varios flexus reditur, unde discessum erat: item omnes ambages, et obliqua, obscura, et vafra consilia *Maeandri* dicuntur. *Cic. Pis.* 22. *f.* Quos tum maeandros, dum omnes solitudines persequeris, quae diverticula, flexionesque quaesisti? *Gell.* 16, 8. *f.* Ne tu quoque in illis dialecticae gyris, atque maeandris, tanquam apud Sirenios scopulos, consenescas. *Ammian.* 30, 1. Hi locorum gnaritate confisi, quod ille, ut peregrinus et insuetus, maeandros faciebat, et gyros, etc. Adde *Prud. Cath.* 6, 142. ℙ Item opus penicillo, aut acu factum, ad similitudinem cursus Maeandri, flexuoso et in se remeabili gyro descriptum: qualia in oris vestium muliebrium saepe videmus. *Festus*, *Non.* 2, 550. et *Serv.* ad illud *Virg. A.* 5, 250. Victori chlamydem auratam, quam plurima circum Purpura maeandro duplici Meliboea cucurrit. Simile est Graecorum litterae ξ. *Auson. Idyll. de litter. monosyllab.* 12, 12. Maeandrum flexusque vagos imitata vagor ξ. Gallice *zic zac:* et habet locum etiam in aggeribus obsidionum. ℙ *Maeander* in recto singulari legitur etiam ap. *Claud. in Eutr.* 2, 266. et *Avien. Perieg.* 999. et *Sen. ep.* 104.

MAECĒNAS, atis, m. *Μαικήνας*. C. Cilnius Maecenas, eques R. origine Tuscus, et quidem regii sanguinis, clarissimus fuit tum amicitia Augusti, tum amore in studia praesertim et doctos viros, quo Horatium, Varium, et Virgilium praecipue fovit, et complexus est. Hinc studiorum patroni hodieque per antonomasiam *Maecenates* appellantur. *Mart.* 8, 56. Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones. ℙ Narrant, delicatum fuisse non solum cultu ac moribus (unde *Juven.* 12, 39. vestem Purpuream teneris quoque Maecenatibus aptam), sed etiam stilo: adeo elumbis, fracta, et mollis fuit ejus oratio: cujus specimina aliquot habes ap. *Quint.* 10, 4. *med.* et *Sen. ep.* 19, 101. et 114. Joculares autem appellationes, quibus in eum in quadam epistola usus est *Augustus*, referuntur a *Macr. Sat.* 2, 4. V. etiam *Suet. Aug.* 86. et *Vell.* 2, 88. ℙ Lis est non una de scriptione, aliis *Mecaenas*, aliis *Moecenas*, aut *Mecoenas*, aliis *Maecenas* scribentibus. Ab his non cum *Manutio*, *Dausq.* et *Cellar.* stamus, lapidibus tribus ap. *Manut.*, septem ap. *Fabr. Inscr.* p. 225., et Graeca consuetudine confirmante. V. *Broukus.* ad *Prop.* 3, 7, 1.

MAECĒNĀTĬĀNUS, a, um, adj. ad Maecenatem pertinens, *Suet. Ner.* 38. Maecenatiana turris. *Id. Tib.* 15. Maecenatiani horti. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 5. Maecenatiana vina.

MAECĬA, ae, f. tribus Romana rustica, in Latio constituta una cum Scaptia ann. U. C. CCCCXXII., sic dicta a castro Maecio, quod prope Lanuvium fuit. *Festus*, et *Liv.* 8, 17. et 29, 37. ℙ *Legitur et *Metia*. *B. A.*

*MAEDI vel Medi, orum, *Μαῖδοι Polyb. Μέδοι Straboni*, gens Thraciae. *Plin.* 4, 1. et 18. *Liv.* 26, 25. et 28, 5. *B. A.* ℙ Hinc

[MAEDĬCUS, a, um, adj. *Μαιδικὸς:* ad Maedos pertinens, Thraciae populos prope Macedoniam, sub Pangaeo monte. *Liv.* 26, 25. In Macedoniam, atque inde in Thraciam exercitum ac Maedos duxit: incurrere ea gens in Macedoniam solita erat: urbem Iamphorinam, caput arcemque Medicae *(regionis)* oppugnare coepit. *F.*]

MAELES. V. MELES.

MAELĬĀNUS, a, um, adj. ad Maelium pertinens, quod est nomen propr. civis R. *Liv.* 4, 16. Seditio mota ex Maeliana caede. ℙ *Maeliani*, *orum*, qui a *Maelii* partibus stant. *Id.* 4, 14. ℙ *Scribitur et *Melius* et *Melianus*. *B. A.*

MAELĬUM, ii, n. collare canum ex corio cum clavulis capitatis, ne vulnerentur a feris. *Varr. R. R.* 2, 9. *f.* V. MILLUS. *Apud *Varronem* in ed. *Schneider.* legitur *Melium*. V. *Melium*. *B. A.*

MAENĀ, ae, f. *μαινὶς*, genus piscis marini (ut est ap. *Plin.* 32, 11, 53.) exigui pretii, ex quo salsamenta fieri solebant. Fortasse est quod Veneti vulgo nunc *ménola* vocant. *Ov. Halieut.* 120. Fecundumque genus, maenae. *Mart.* 11, 31. Maenae breves; et 12, 32. inutiles. *Pers.* 3, 76. Maenaque quod prima nondum defecerit orca. *Cic. Fin.* 2, 28. Qui voluptatem ipsam contemnunt, iis licet dicere, se acipenserem maenae non anteponere. V. MAENAS.

MAENĀDES, um, f. plur. *Μαινάδες*, Bacchae, mulieres, quae insanientium ritu Bacchi orgia celebrabant: a *μαίνομαι*, insanio. V. BACCHA. *Catull.* 63, 23. Ubi capita Maenades vi jaciunt hederigerae. ℙ *Maenades Priapi* dicuntur matronae, quae in Bonae Deae sacris Priapum, ut Maenades Bacchum in orgiis Bacchi, invocabant. *Juven.* 6, 315. vinoque feruntur Attonitae, crinemque rotant, ululantque Priapi Maenades. ℙ In singulari num. est *Maenas*, *adis. Sen. Troad.* 674. qualis Deo Percussa Maenas, entheo silvas gradu Armata thyrso terret, atque expers sui Vulnus dedit, nec sensit. *Id. Agam.* 718. de Cassandra: verba nunc cluso male Custodit ore Maenas impatiens Dei. *Pers.* 1, 105. Hoc natat in labris, et in udo est Maenas, et Attys. *Sen. Phoeniss.* 365. Maenas cruenta. *Id. Oedip.* 436. impia. Adde *Sil.* 3, 102. ℙ *Deglupta Maenas* ap. *Pl. Poen.* 5, 5, 33. est convicium in hominem effeminatum. Al. melius leg. *maena*, ut ad piscem respiciatur: et dicatur in sordidum et foetidum hominem.

MAENĀLA, orum. V. MAENALOS.

MAENĀLĪDES, ae, m. *Μαιναλίδης*. *Auson. Technopaegn. de Deis.* Nec cultor nemorum reticebere Manalide Pan, *h. e.* cui sacer Maenalus mons.

MAENĀLIS, idis, adj. f. *Μαινάλις*, quae est ex Maenalo Arcadiae monte. *Ov. Trist.* 3, 11, 8. Cumque suo Borea Maenalis ursa videt. V. ARCTOS. *Id. Fast.* 3, 84. colit Pinigerum Fauni Maenalis ora caput, *h. e.* ipsa Arcadia.

MAENĀLĬUS, a, um, adj. ex Maenalo, Arcadicus, *Μαινάλιος*. *Virg. Ecl.* 8, 1. Incipe Maenalios mecum mea tibia versus, *h. e.* bucolicos, pastorales, quales in eo monte ab Arcadicis pastoribus canebantur. *Stat. Th.* 9, 719. Maenalium nemus. *Ov. Fast.* 4, 650. Maenalius Deus, *h. e.* Pan. *Id. Amor.* 1, 7, 14. Maenaliae ferae, *h. e.* in Maenalo monte versantes; et *A. Am.* 1, 272. Maenalius canis, *h. e.* qui in eo monte venatur. *Id. Fast.* 2, 192. Maenalia Arctos. V. ARCTOS. *Colum.* 10, 264. Maenaliae Dryades; et *ib.* 429. Maenalius pater, *h. e.* Bacchus, cujus orgia in Maenalo monte fiebant. *Prop.* 4, 9, 15. ramus, *h. e.* clava Herculis, nimirum stipes ab eo excisus in Maenalo, cum cervam aeripedem captam vellet perimere. *Stat. Th.* 7, 65. Maenalius ales, *h. e.* Mercurius, qui *aliger Arcas* dicitur ab *eod. Silv.* 3, 3, 80. natus in Cyllene Arcadiae monte.

MAENĂLOS et Maenalus, i, m. et Maenala, orum, n. plur. *Μαίναλος*, mons Arcadiae, apud Tegaeam urbem, ubi etiam oppidum Maenalus, vel Maenala, n. plur. a Maenalo Lycaonis filio. *Servius* scribit sine diphthongo, et deducit a *μῆλον*, pecus, ovis, quod ovibus plenus esset. *Virg. Ecl.* 8, 22. Maenalus argutumque nemus, pinosque loquentes Semper habet. *Id. G.* 1, 17. tua si tibi Maenala curae. *Ov. Met.* 2, 442. Dictynna per altum Maenalon ingrediens, et caede superba ferarum.

*MAENARĪA, ae, f. insula in mari Ligustico, ita dicta a maenis piscibus, quorum ibi magna capitur copia. Hodie est *Meloria*. *Plin.* 3, 6. ℙ *Maenariae*, sc. insulae, in mari Mediterraneo fuere,

prope Hispaniam, Balearibus vicinae. *Plin. ib. B. A.*

MAENAS, ădis, f. V. MAENADES.

MAENĬĀ Columna, Romae fuit in foro, ad quam triumviri rerum capitalium habebant judicia furum, et nequam servorum, eosque supplicio afficiebant, ut colligitur ex *Cic. Div. Verr.* 16. et adnotavit *Ascon.* Dicta est a quodam Maenio, qui cum eo loco domum suam venderet censoribus Catoni, et Flacco (ann. U. C. DLXXIV. *Liv.* 39, 44.), ut ibi basilica aedificaretur, excepit sibi jus unius columnae, super quam tabulatum projiceret, unde ipse, et posteri ejus gladiatoria munera spectarent, quae etiam tum in foro dabantur. *Ascon. ib.* ℙ Nihil huc pertinet columna illa, quam scribit *Plin.* 34, 5, 11. statutam fuisse publice C. Maenio, qui consul fuit cum Furio Camillo ann. U. C. CCCCXVI., ob devictos priscos Latinos: quamquam *Liv.* 8, 13. non columnam, sed equestrem statuam illi positam refert. ℙ *Maenia lex* a Maenio trib. pl. ann. U. C. CCCCLXVII. lata, qua statutum est, ut patres ejus rei fierent auctores, quam populus jussurus esset. Antea quippe ea rata fuerant, quae populus jussisset, si eadem senatus approbasset. Ejus meminit *Cic. Brut.* 14., et ad eandem respicit *Liv.* 1, 17. ℙ Sunt qui scribunt *Menia;* sed *Maenius* in antiquis lapidib. et libris semper diphthongum *ae* servat, teste *Manut.* in *Orthogr.*

MAENĬĀNUM, i, n. *ἐξώστρα*, tabulatum, vel lapis extra parietem projectus, et ad prospiciendum aptus: dictus a quodam Maenio, qui primus ultra columnas, ut ait *Festus*, extendit tigna, quo ampliarentur superiora. Adde *Non.* 1, 333. et V. v. praec. *Jabol. Dig.* 50, 16, 242. Inter projectum, et immissum hoc interesse ait Labeo, quod projectum esset id, quod ita proveheretur, ut nusquam requiesceret, qualia maeniana, et subgrundae essent: immissum autem, quod ita fieret, ut aliquo loco requiesceret, veluti tigna et trabes, quae immitterentur. *Cic. Acad.* 4, 22. Maenianorum umbram sequi. *Vitr.* 5, 1. Circum spectacula spatiosiora intercolumnia distribuantur, circaque in porticibus argentariae tabernae, maenianaque superioribus coaxationibus collocentur. *Val. Max.* 9, 12. *n.* 7. In maenianum conscendere. ℙ *Maenianum* etiam fuit in privatorum domibus, quod Veneti vulgo *diagò* ab *ἡλιαχὸν*, solarium, vocant, Itali vero *ballatojo, pergolo. Ammian.* 27, 9. Praetextatus praefectus Urbi (sub Valentiniano I. ann. a Chr. n. CCCLXVII.) maeniana sustulit omnia, fabricari Romae priscis quoque vetita legibus. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 8, 10, 11. Maeniana sive olim constructa, sive in posterum in provinciis construenda, nisi spatium inter se per decem pedes liberi aeris habuerint, modis omnibus detruncentur. In his vero locis, in quibus aedificia privatorum horreis publicis videntur objecta, obstructione maenianorum quindecim pedum intervalla serventur. *Isid. Orig.* 15, 3. Post haec alii lapide, alii materia aedificavere porticibus maeniana, et foribus, et domibus adjecerunt. ℙ In amphitheatro *maeniana* dicebantur tres supra podium gradationes, quae praecinctionibus intermediis sejunctae et latiori semper orbe recedentes spatium omne obibant; harum duae priores habebant marmoreos gradus, tertia vero ligneas tabulatiònes, de quibus consule *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 326. ed. *Pat.*, ac praecipue *Marin. Frat. Arv.* p. 224. et sqq., ubi illustratur ea celeberrima *Inscr.* Loca adsignata in amphitheatro Fratribus Arvalibus maeniano I. cuneo XII. gradib. marm. VIII. et *mox:* et maeniano II. cuneo VI. gradib. marm. et *mox:* et maeniano summo in ligneis tab. LIII. etc. ℙ Ceterum totam maeniani rationem paulo aliter exponit *Salm.* ad *Spart.* 12. Primo enim nugas esse sibi videri ait, quae de Maenio inventore traduntur a grammaticis: deinde videtur moeniana scribere per *oe:* tertio esse ait tecta aedium plana (ut in orientalibus provinciis in usu fuerunt, et *solaria* etiam dicuntur) projecta aliquantulum extra parietes, et *περιβόλῳ*, seu podio in circuitu munita, ne facilis in praeceps lapsus esset: adducitque in eam rem testimonium *Hieronymi*, quod nos in DOMA attulimus. Haec nos partim non probamus: pluris enim *Asconii* et *Festi* auctoritatem facimus. Partim facile conciliari posse dicimus: cum nihil obsit, quin et tabulata projecta, et ipsa plana tecta domorum podio instructa, eodem vocabulo significentur, quae eundem spectandi usum praebere possunt. ℙ *Maeniana* et *Maenianas scholas* appellat *Eumen. Restaur. schol.* 2. aedes publicas Augustodunenses, in quibus ludi litterarii habebantur: fortasse quia projecturis instructae erant. ℙ Ad scriptionem quod attinet *ae* diphthongum omnino retinemus cum *Manut.* et *Dausq.* ex *Pandect. Florent.* ap. *Torrent.* et ex *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 225., quamquam et sine diphthongo in aliis antiquis lib. non contemnendis legatur. Diphthongum vero *oe* omnino rejicimus.

*MAENOBA, ae, f. oppidum Hispaniae Baeticae. *Mela* 2, 6. *med.* Hodie est *Velez Malaga.* ℙ Reperitur et *Menoba. Plin.* 3, 1. ed. *Elzev.* ubi vocem omittit ed. *Hard.* ℙ Fuit et flumen, hoc nomine, vicinum. *Plin. ib.* V. *Menoba. B. A.*

MAENOMĒNON Mel, n. *μαινόμενον μέλι*, genus mellis venenati: a *μαίνομαι*, insanio, quia insaniam gignit. *Plin.* 21, 13, 45.

MAEON, ŏnis, m. *Μαιών, ονος*, pater Homeri. V. MAEONIDES. Item vir Thebanus, sacerdos Apollinis, de quo *Stat. Th.* 4, 598. et nostra praesignem Maeona lauro. V. *ib.* 2, 690. ℙ Item qui est ex Maeonia, seu Lydia, a Maeone rege. *Claud. in Eutr.* 2, 246. dicti post Maeona regem Maeones. ℙ Secundam recti casus corripit *Stat. Silv.* 5, 3, 129.

MAEŌNĬĀ, ae, f. *Μαιονία*, regio Asiae minoris, quae et Lydia: a Maeone rege, vel amne appellata. *Plin.* 5, 29, 30. ℙ Etiam urbs hoc nomine fuit in ead. regione. V. MAEONIUS. ℙ Item Etruria, quia Etrusci a Lydis oriundi, ut in LYDIUS dictum est. *Virg. A.* 8, 499. o Maeoniae delecta juventus.

[MAEŌNĬĀNUS, a, um, adj. qui est ex Maeonia Lydiae urbe, quam *Plin.* 5, 29, 30. in Lydia prope Tmolum statuit. *Inscr.* ap. *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 308. ed. *Pat.* Ti. Claudii, qui Fidini Maonian, *h. e.* Maeoniani. V. MAEONIUS. *F.*]

MAEŌNĪDES, ae, m. Maeonius, seu Lydus: a Maeone rege. Item Etruscus, ut in MAEONIA dictum est. *Virg. A.* 11, 757. praedam Tiburtum ex agmine Tarchon Portat ovans: ducis exemplum, eventumque secuti Maeonidae. *Sil.* 6, 607. Maeonidum tellus: pro *Maeonidarum*, h. e. Etruria. ℙ Item Maeonis filius, h. e. Homerus. Alii dicunt, Maeonem Lydorum regem fuisse ejus educatorem: alii ipsum natum esse in Maeonia. *Ov. Am.* 3, 9, 25. Adjice Maeoniden, a quo, ceu fonte perenni, Vatum Pieriis ora rigantur aquis. Adde *Mart.* 5, 10.

MAEŌNIS, ĭdis, f. quae est ex Maeonia, *Μαιονίς*. *Ov. Met.* 6, 103. Maeonis elusam designat imagine tauri Europen, *h. e.* Arachne Maeonia. *Id. Fast.* 2, 310. Maeonis aurato conspicienda sinu, *h. e.* Omphale Lydiae, seu Maeoniae regina. Adde *ib.* 352. *Id. Am.* 2, 5, 40. Maeonis Assyrium femina tinxit ebur, *h. e.* Lydia femina. Hinc *Claud. Rapt. Pros.* 1, 273. Lydia Sidonio quod *(ebur)* femina tinxerit ostro. ℙ *Maeonidas* vocat Musas *Ov. Met.* 5, 268. fortasse ab Homero (qui *Maeonides* dictus est) per prolepsin Al. leg. *Mnemonidas.* V. MNEMOSYNE.

MAEŌNĬUS, a, um, adj. *Μαιόνιος*, ad Maeoniam pertinens, Lydius. *Virg. A.* 9, 546. Maeonius rex; et *ib.* 10, 141. Maeonia domus; et *ib.* 4, 216. mitra. V. LYDIUS. *Id. G.* 4, 280. Maeonii carchesia Bacchi, *h. e.* vini Lydii. *Ov. Met.* 2, 252. Maeoniae ripae, *h. e.* Maeandri Lydiae fluvii. *Claud. in Ruf.* 1, 165. Maeonius rex, *h. e.* Midas. ℙ Hinc *Maeonii, orum* sunt Lydi, serius vero *Maeonii* sunt appellati incolae urbis in eadem regione Maeonia sitae, cujus nummi ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 1. p. 105. habent *ΜΑΙΟΝΩΝ. Plin.* 5, 29, 30. Et ipsi in radice Tmoli Cogamo flumini appositi Maeonii. ℙ Item ad Etruriam pertinens Tuscus: quia e Lydia Tusci profecti. *Ov. Met.* 4, 423. Maeonii nautae, *h. e.* Tyrrheni, quos Bacchus in delphinas vertit, ut *Id. Met.* 3, 671. et sqq. narrat. *Sil.* 8, 48. Maeoniaeque decus quondam Vetulonia gentis; et 15, 35. Maeonius lacus, *h. e.* Trasimenus, cujus aquas *Id.* vocat 12, 17. Maeonios fluctus. *Id.* 10, 40. Maeonia terra, *h. e.* Etruria. *Id.* 5, 329. Maeonium aequor, *h. e.* arva circa Trasimenum. ℙ Item ad Homerum pertinens. V. MAEONIDES. *Ov. A. Am.* 2, 4. Praeferar Ascraeo, Maeonioque seni. *Id. Pont.* 4, 12, 27. Maeoniae chartae; et *ib.* 3, 3, 31. Maeonium carmen. *Id. R. Am.* 373. Fortia Maeonio gaudent pede bella referri. *Sil.* 4, 527. Non, mihi Maeoniae redeat si gloria linguae, etc. *Col. prooem. l.* 1. *f.* Parens eloquentiae, Deus ille Maeonius.

MAEOTAE, arum, m. plur. populi Scythiae Europeae, qui Maeoticae paludi, circa quam incolunt, nomen dedere, iidem ac Maeotici. *Plin.* 4, 12, 26.

MAEOTĬCUS et Maeotius, a, um, adj. ad Maeotas, vel Maeotin paludem pertinens. *Virg. A.* 6, 800. Maeotia tellus. *Id. G.* 3, 349. Scythiae gentes, Maeotiaque unda. *Plin.* 4, 12, 24. Maeotius lacus. *Id.* 2, 67, 67. Maeotica palus. V. MAEOTIS. *Id.* 32, 11, 53. Maeotici pisces. *Juven.* 4, 42. Maeotica glacies. ℙ *Maeotici, orum*, iidem ac Maeotae, populi, qui eam paludem accolunt. *Mela* 1, 2. *f.* et *ib.* 19. *f.* et *Plin.* 6, 7, 7.

MAEOTĪDAE, arum, m. plur. Maeotici populi. *Vopisc. Tac.* 13. Ipsi autem Maeotidae ita congregabantur, quasi, etc. Adde *eund. Aurel.* 16. *f.*

MAEOTIS, idis et otis, adj. f. *Μαιῶτις*, ad Maeotas populos pertinens. *Ov. Pont.* 3, 2, 59. Regna Thoas habuit, Maeotide clarus in ora. *Id. Trist.* 3, 12, 2. Longior antiquis visa Maeotis hiems, *h. e.* Scythica. Diphthongum corripuit Graecorum more ob sequentem vocalem. Plerique tamen mendum hic latere contendunt. *Juven.* 15, 115. Maeotide saevior ara Aegyptus, *h. e.* ara Taurica, in qua homines immolabantur. ℙ *Maeotis palus* sinus maris supra Pontum Euxinum, ad ostia Tanais fluvii, nomen habens a populis, qui circa sunt, qui *Maeotae* appellantur, *mar della Tana*, vel *delle Zabacche.* Dicitur *palus*, et *lacus*, et *stagnum*, quia prae Euxino Ponto angustum spatium occupat, et quia pluribus in locis vadosa est, et non nisi minoribus navigiis navigabilis. *Plin.* 4, 12, 24. Quartus Europae sinus, ab Hellesponto incipiens, Maeotidis ostio finitur. *Id.* 5, 9, 9. Ab ore Ponti ad os Maeotis. *Id.* 10, 8, 10. Ad Maeotin paludem. *Manil.* 4, 614. faucesque Propontidos arctae Euxino junxit Ponto, Maeotis et undis. *Colum.* 8, 8. *med.* Scythica stagna Maeotidis. *Vopisc. Tac.* 13. A Maeotide multi barbari eruperant. ℙ *Maeotides peltiferae* sunt Amazones, quae prope Tanaim habitarunt. *Sabin. ep.* 2, 9. de Theseo: Qui modo peltiferas fudit Maeotidas armis. *Prop.* 3, 9, 14. Maeotis Penthesilea. Adde *Sen. Hipp.* 401. V. TANAITIS.

MAEOTĬUS. V. MAEOTICUS.

[MAERĀ, ae, f. *Μαῖρα*, mulier in canem conversa. *Ov. Met.* 7, 362. Et quos Maera novo latratu terruit agros. ℙ Item nomen canis Icarii, et Erigones comitis. *Hyg. fab.* 130. et *Astron.* 2, 4. ℙ Item sacerdos Veneris. *Stat. Th.* 8, 478. Aegaeae Veneris quos Maera sacerdos Ediderat prohibente Dea. *F.*]

MAERĔO, MAESTUS, etc. V. MOEREO, MOESTUS, etc.

[MAESIA Silva in Italia, in Etruriae confinio, in Vejentibus, non procul a Tiberis fontibus, nunc *Bosco di Baccano* appellatur. Ejus meminere *Liv.* 1, 33. et *Plin.* 7, 58, 83. *F.*]

MAESĬCUS. V. MOESICUS.

MAESĬUS, lingua Osca, mensis Majus. *Festus.*

[MAESON, onis, m. *Μαίων*, persona comica appellatur aut coci, aut nautae, aut ejus generis: dici ab inventore ejus Maesone comoedo ait Aristophanes grammaticus. Haec *Festus*, ap. quem perperam legitur *Meson.* V. *Athenaeum l.* 14. p. 659. *Casaub. F.*]

*MAEVĬA, ae, f. nomen proprium mulieris ap. *Papin. Dig.* 31, 4, 87. *B. A.*

MAEVĬĀNUS, a, um, adj. ad Maevium pertinens: quod est nomen propr. R. hominis. *Papin. Dig.* 34, 5, 1. Maevianus fundus. *Id. ib.* 31, 78, 1. Maeviana hereditas.

MAEVĬUS, ii, m. nomen Rom. civis. Ap. *Virg. Ecl.* 3, 90. et *Hor. Epod.* 10, 2. est malus quidam poeta, qui inimicus utrique fuisse dicitur. *Servius.* V. BAVIUS.

[MAEZĒĬUS, a, um, adj. ad Maezeios, seu Mazaeos pertinens, Liburniae populos, qui a *Ptolem.* 2, 17. *Μαζαῖοι*, in aliis Codd. *Μαιζαῖοι* et a *Plin.* 3, 22, 26. Mazaei appellantur. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 455. Platori Veneti F. centurioni Maezeio. *F.*]

MĂGĂ, ae. V. MAGUS, a, um.

*MAGĂBA, mons Galatiae. *Liv.* 38, 19. Adde *Flor.* 2, 11. Tectosagi Magaba insederant *cet.* ex lectione *Freinshemii.* Vulgo legitur *Tectosagique jam insederant* cet. *Freinshemii* correctionem valde laudat *Gron.* ad *Liv. B. A.*

*MAGAEA, ae, fons Siciliae, non longe a Syracusis. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

MĂGĂLĬA, ium, n. plur. *καλύβαι, καλύβια*, casae, sive aedificia rustica Poenorum, et Numidarum, quae etiam plaustris circumferebant: a *magar* seu *mager*, quod apud Punicos villam notat, ut docet *Serv.* ad illud *Virg. A.* 1, 425. Miratur molem Aeneas, magalia quondam; et ad illud *ib.* 4, 259. Ut primum alatis tetigit magalia plantis. *Cato* in *Orig.* ap. *Serv. ib.* Magalia, aedificia, quasi cohortes rotundas dicunt. ℙ Quod *Magalia* legitur ap. *Pl. Poen. prol.* 86. est nomen proprium loci in urbe Carthagine, cujus interior pars *Byrsa*, exterior *Magalia* vel *Magaria* dicebatur, ut ex *Corn. Nep.* docet *Serv.* ad *A.* 1, 372.

*MAGALŌNA, ae, f. insula, cum oppido cognomine, in mari Mediterraneo, ad littus Galliae Narbonensis. *Theodulf.* ℙ *Civitas Magalonensium* audit *Notit. civitat. Narbon. B. A.*

*MAGARSOS, i, oppidum Ciliciae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

*MAGASE, es, f. oppidum Aethiopiae, vel fortasse Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

MAGDĂLIS, ĭdis, f. et

MAGDĂLĬUM, ii, n. apud medicos sequioris aevi est massa rotunda et oblonga in cylindri formam, in quam composita emplastra redigere solent: est ab Hebr. מִגְדָּל *migdàl*, Chald. מַגְדַּל *magdàl*, Arab. مِجْدَل *migdalon*, turris, unde Itali suum habent *magdaleone*, quod rectius scripseris *maddalone.* Hinc *Scrib. Comp.* 201. Emplastrum manibus subigetur, et redactum in rotundas (lege *turundas*) ampliores, quas magdalidas dicunt, reponetur. *Marcell. Emp.* 20. Haec omnia tunsa, cribrata, et vino optimo madefacta simul in mortario collige, ex quibus trochisci, vel magdalia fient. Ap. *Plin. Val.* 1, 6. *f.* et 2, 37. *med.* mendose legitur *mandalia.* ℙ Alii minus recte derivant a *μάσσω*, subigo: unde *μαγδαλιὰ*, quae vox Graece significat mol-

liorem panis pulpam ad digitos post coenam detergendos, Itali nunc *mollica* vocant. [*Plurima immutavit et addidit *F.*]

*MAGDŌLUS vel Magdōlum, i, (*Herod.* 2, 159. ἐν Μαγδόλῳ,) oppidum Aegypti inferioris, non procul a Sinu Arabico, XII. M. P. a Pelusio distans. *Ant. Itin. B. A.*

MAGĔ, adv. idem quod *magis* ap. poetas. *Enn.* ap. *Gell.* 20, 10. Non ex jure manum consertum, sed mage ferro Rem repetunt. *Lucr.* 4, 79. Et quanto circum mage sunt inclusa theatri Moenia, tam magis haec intus perfusa lepore, etc. *Pl. Men.* 2, 3, 14. Jam scibo, utrum haec me mage amet, an marsupium. *Virg. A.* 10, 481. Aspice, num mage sit nostrum penetrabile telum. Ubi *Servius* adeo in usum venisse ait, ut etiam in prosa inveniatur. Cicero in Frumentaria: (h. e. *Verr.* 2, 3.) *Mage condemnatum hominem in judicium adducere non posse.* Haec *Serv.*, quem penes sit adhuc fides. Habet quidem et *Solin.*, si ulla est ejus hac in re auctoritas, 22. *f.* Nec quicquam mage patientiae loco nationes ferae ducunt.

*MAGELLI, orum, m. populi Liguriae. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

*MAGELLĪNI, orum, Macellae incolae, Siciliae oppidi. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

MAGIA, ae, f. *μαγεία*, vox Persica, quam illi fere accipiunt pro sapientia, et perfecta rerum naturalium cognitione. Duplex tamen traditur magiae species, quarum altera est ea, quam jam diximus, naturalis philosophiae perfecta cognitio, quam Pythagoras, Plato et Empedocles, ceterique inter philosophos praestantissimi velut sanctiorem quandam disciplinam indefatigabili studio, longinquisque peregrinationibus conquisiverunt: altera, quam *γοητείαν*, vel *θεουργίαν* vocant, Daemonum invocatione, infandisque incantationibus constat, quam et leges omnes exsecrantur, et *Plin.* 30, 2, 6. artem intestabilem vocat, irritam, et inanem. *Appul. Met.* 3. Meis his auribus audivi, ni celerius sol coelo ruisset, noctique, ad exercendas illecebras magiae, maturius cessisset, ipsi soli nubilam caliginem, et perpetuas tenebras comminantem. *Prud. adv. Symm.* 1, 89. Nec non Thessalicae doctissimus ille magiae. V. *Plin. l. c.* c. 1. 2. ℙ *Magia, ae*, f. Rhaetiae oppidum, hodie *Mayenfeld. Tab. Peut. B. A.*

MAGICE, es, f. *μαγική*, ars magica, magia. *Plin.* 30, 1, 3. Pariter utrasque artes effloruisse, medicinam dico, magicenque, eadem aetate illam Hippocrate, hanc Democrito illustrantibus.

MAGICUS, a, um, adj. *μαγικός*, ad magos et magiam pertinens: et praecipue ad veneficia et incantationes. *Virg. Ecl.* 8, 66. Conjugis ut magicis sanos avertere sacris Experiar sensus. *Id. A.* 4, 493. Magicae artes. *Tac. A.* 12, 59. superstitiones. *Plin.* 30, 1, 1. vanitates. *Id.* 24, 17, 79. herbae, *h. e.* quibus utuntur magi, et miras virtutes tribuunt. Sic *Prop.* 4, 1, 102. aquae. *Colum.* 10, 367. magicis sopitus cantibus anguis. *Tibull.* 1, 9, 23. Quid queror, heu misero carmen nocuisse? quid herbas? Forma nihil magicis utitur auxiliis. *Ov. Met.* 7, 330. magicaeque potentia linguae, *h. e.* peritae magicorum carminum; et *ib.* 5, 197. magica arma movere, *h. e.* magicas artes tentare. ℙ *Magici Dii* ap. *Tibull.* 1, 2, 62. et *Lucan.* 6, 577. sunt, qui magicis sacris invocantur, et evocantur, Pluto, Hecate, Proserpina, etc., de quibus *Virg. A.* 4, 510. Tercentum tonat ore Deos, Erebumque, Chaosque, Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae. Plures enumerat *Ov. Met.* 7, 192. ℙ *Magicae linguae* sunt Aegyptiorum litterae per signa res varias significantes. *Lucan.* 3, 222. Nondum flumineas Memphis contexere biblos Noverat; et saxis tantum volucresque, feraeque, Sculptaque servabant magicas animalia linguas. V. HIEROGLYPHICUS.

MAGIDA, ae, f. genus vasis escarii, a magnitudine sic dicti. *Varr. L. L.* 4, 25. *f.* Magidam, aut lanculam, alterum a magnitudine, alterum ab latitudine finxerunt. V. MAGIS, idis.

MAGINIUM, ii, n. morbus boum, cum eorum pellis ita dorso adhaeret, ut apprehensa manibus deduci non possit a costis. *Veg. Vet.* 3, 4. *med.* Sed monstrum verbi recte appellat *Morgagnius ep.* 3. in *Veg. n.* 18. et ex *Colum.* 6, 13. *coriaginem* reponit.

*MAGIOVINIUM, i, n. Britanniae oppidum. *Ant. Itin. B. A.*

[MAGIRA, ae, f. idem fortasse ac ars culinaria, vel infame subactoris ministerium, de quo V. MAGIRUS. *Cato* ap. *Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2. Cato ait, statuas positas Ochae, atque Dionysidoro effeminatis, qui magiras facerent. ℙ *Magirra*, duplicata tamen *r* consonante, est cogn. R. *Inscr.* ap. *Labus. Dissert. sui decur. Bresc.* p. 48. Primo Valerio Magirrae collegium fabrum et centonariorum, etc. *F.*]

MAGIRISCIUM, ii, n. *μαγειρίσκος*, parvus coquus: dimin. a *μάγειρος*. *Plin.* 33, 12, 57. de Pythea caelatore: Fecit idem et cocos, magiriscia appellatos, parvulis potoriis: sed e quibus ne exempla quidem liceret exprimere: tam opportuna injuriae subtilitas erat.

[MAGIRUS, i, m. *μάγειρος*, cocus: est a *μάσσω*, pinso, subigo, cujus aor. 2. ἔμαγον; cocus enim vap

ne, appellata stateras, et lances, quas antiqui magidas appellaverunt. *Paul. Dig.* 12, 6, 36. Servus insciente domino magidem commodavit. ℙ Videtur esse eadem cum *magida* Varronis, de qua Vide in ea voce. Alii tamen interpretantur vas, in quo pinsitur, subigiturque farina ad panem faciendum, *madia*, quae et mactra dicitur. *Marcell. Empir.* 1. *med.* Rasamen pastae, quod in magide adhaeret.

*MAGISTELLUS, i, m. dimin. a *magister*. V. *Priscian. c. de Diminutivo* et cf. *Voss. de Anal.* 4, 29. *B. A.*

MAGISTER, tri, m. προστάτης, ἐπιστάτης, praefectus, praeses: a *magis*, vel a μέγιστος, maximus. *Festus:* Magisterare, moderari. Unde magistri non solum doctores artium, sed etiam pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur: quia omnes hi magis ceteris possunt: unde et magistratus, qui per imperia potentiores sunt, quam privati. *Paul. Dig.* 50, 16, 57. Quibus praecipua cura rerum incumbit, et qui magis, quam ceteri, diligentiam et sollicitudinem rebus, quibus praesunt, debent, hi magistri appellantur. Quin etiam et ipsi magistratus per derivationem a magistris cognominantur. ℙ Hinc *magister populi* est dictator, teste *Cic. Fin.* 3, 22. et *Leg.* 3, 3. *Sen. ep.* 108. *med.* et *Fest.* in *Optima lex:* cujus erat in populum summa potestas, ut *Varro* docet *L. L.* 4, 14. Idem dictus etiam *magister consulum* ap. *Liv.* ubi ait 2, 18. T. Lartium moderatorem et magistrum consulibus appositum. ℙ Post hunc fuit *magister equitum*, qui ab ipso dictatore creabatur, eique soli parebat, summamque potestatem habebat in equites et accensos, ut *Varr. l. c.* dicit: hic successit tribuno celerum, qui sub regibus fuit. V. CELERES *f. Liv.* 3 27. Dictator magistrum equitum dicit L. Tarquitium. ℙ Ab hujus similitudine *magister peditum* dicitur ab *Ammian.* 21, 12. V. sq. §. Sic et pro duce usurpatur a *Virg. A.* 9, 370. Tercentum, scutati omnes, Volscente magistro. ℙ *Magistri militum*, posterioribus R. imperatorum temporibus, successere in locum praefectorum praetorio, et legatorum tempore reipublicae liberae: erant enim secundo ab ipsis imperatoribus gradu dignitatis et auctoritatis, praeerantque pluribus legionibus, et causas militum omnes disceptabant. Aliquando duo creati sunt, quorum alter *peditum*, alter *equitum magister* dicebatur: aliquando unus tantum toti exercitui praefuit, et *magister utriusque militiae* dictus est. V. *Grut. Inscr.* 1164, 5. et 1079, 14. ℙ *Magister morum* est censor. *Cic. Fam.* 3, 13. Cum haec scribebam, censorem jam te esse sperabam: eo brevior est haec epistola, et, ut adversus magistrum morum, modestior. ℙ *Magister curiae* ap. *Pl. Aul.* 1, 2, 29. et 2, 2, 3. videtur fuisse idem ac curio. *Magister* vero *vici* ap. *Suet. Aug.* 30. et *Tib.* 76. et *vicimagister* in *Inscr.* ap. *Grut.* 481, 9. et *vicomagister* ap. *P. Vict. de region. Urb. R.* fuit minor magistratus quidam tribunis pl., aedilibus et praetoribus subjectus in quolibet Romae vico, deinde etiam in municipiis, et coloniis, in pagis autem *magister pagi* appellatus, qui vicos aut pagos tuebatur, et publica sui vici aut pagi aedificia, si vetustate collapsa essent, reficiebat, aliaque munera aedilium propria gerebat, ut patet ex *Inscr.* ap. *Grut.* 43, 4. et 172, 9. Romae vero et in municipiis ac coloniis Larum publicorum cultui praeerat, in pagis agros lustrare solitus erat, ut ait *Sicul. Fl. de colon.* p. 25. *Goes.* Porro cum veterum ludorum Compitaliciorum solemnitas, quae quotannis Romae conceptiva erat, (V. COMPITALIS.) in desuetudinem abiisset, ut narrat *Suet. Aug.* 31., Augustus ann. U. C. DCCXLVII., ut constat ex *Dione* 55, 8., instituit, ut magistri vicorum ex plebe homines ac plerumque ex libertinis bini, vel terni, vel quaterni, vel plures, pro cujusque nempe vici frequentia, praetexta induti, et duobus lictoribus stipati, in suis quique vicis, bis in anno sacra Laribus Augustis facerent, V. LARES. Minime vero curanda est *Asconii* ad *Cic. Pis.* 4. et *Liv.* 34, 7. auctoritas, qui docere videntur, magistros vicorum Augusti tempore multo esse antiquiores; nam illius locum aliter esse legendum jam ostendit *Garatonius* in *adnot.* ad *Cic. l. c.*, hunc vero per prolepsin locutum fuisse, dicendum est. V. plura huc pertinentia in *Marinii ep.* ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 4. p. 298 — 310. *ed. Mediol.* ℙ Est etiam princeps, seu primus sacerdos alicujus collegii. Hinc *magister Saliorum* in *Inscr.* ap. *Grut.* 489, 10., et *magister Arvalium* in alia ap. *Marin. Frat. Arv. n.* XV. et *magister Larum* ap. *eund. ib.* p. 543. V. MAGISTRA. ℙ *Magister officiorum* et *operarum* a *Colum.* 1, 8. distinguitur a villico, cui subjicitur, ut singulis rusticae rei officiis, et operis in agro laborantibus praesit. *Vogt.* ℙ *chori canentium*, ap. *eund.* 12, 2. *Kapellmeister.* ℙ *scripturae*, et *in scriptura* ap. *Cic. Att.* 5, 15. *extr.*, *Verr.* 2, 2, 70. et *ib.* 2, 3, 71. est qui praecst iis, qui scriptum faciunt, praesertim vero qui rationibus vectigalium, et portorii conscribendis a publicanis praeficitur. *Cic. Att.* 11, 10. P. Terentius operas in portu, et scriptura Asiae pro magistro dedit, *h. e.* vicem magistri gerens. ℙ *societatis* idem est, qui scripturae, rationes curans societatis publicanorum. *Cic. Verr.* 2, 2, 74. et 75. Sic *Fam.* 12, 9. P. Rupilius, qui est magister in ea societate; et *Planc.* 13. Cn. Plancius eques R. maximarum societatum auctor, plurimarum magister. ℙ *pecoris*, qui pastoribus praeest gregem custodientibus; item quivis pastor, vel etiam agaso. *Varr. R. R.* 2, 10. Qui pascunt, oportet in pastione diem totum esse: esse omnes sub uno magistro pecoris: eum esse majorem natu, et peritiorem, quam reliquos. *Virg. G.* 3, 445. Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magistri Perfundunt; et *ib.* 185. de equo: blandis gaudere magistri Laudibus, et plausae sonitum cervicis amare. *Appul. Met.* 10. *f.* magister asini, *h. e.* dominus, et agaso. *Sil.* 4, 616. de elephanto: lapso dat terga magistro, *h. e.* rectore. ℙ *auctionis*, qui praeest bonis sub hasta vendendis. Nam si quando debitor citatus non paruisset, solebant creditores a praetore bonorum ejus possessionem impetrare, atque unum e suo numero deligebant, qui bona sub hasta venderet, et ex ea pecunia ipsis satisfaceret: unde is *magister* dictus est. A JCtis dicitur *curator*, in *tit.* 8. *lib.* 42. *Dig.* qui *De curatore bonis dando* inscribitur. *Cic. Quint.* 15. Cui magistri fiunt, et domini constituuntur, qui, qua lege, et qua conditione pereat, pronuncient. Adde *Att.* 1, 1. et *ib.* 6, 1. *med.* Hinc dictum ejusdem *Cic.* de Plaetorii matre ap. *Quint.* 6, 3. *med.* eam, dum vixit, ludum; postquam mortua est, magistros habuisse. Dicebantur enim, dum vixit, infames feminae ad eam convenire solitae: post mortem ejus bona venibant. Ludit itaque *Cic.* in ambiguo, ad magistrum auctionis respiciens, et ad magistrum ludi: de quo V. in LUDIMAGISTER. ℙ *convivii*, modimperator, rex, arbiter bibendi: quod munus *magisterium* a *Cic.* dicitur. *Varr. L. L.* 4, 26. et *Appul. Apol.* ℙ *navis*, nautarum praefectus: et plus est, quam gubernator. Est enim magister navis, inquit *Ulp. Dig.* 14, 1, 1., cui totius navis cura mandata est. *Liv.* 29, 25. Ut gubernatores, et magistri navium convenirent ad imperia accipienda. *Id.* 45, 42. Dedit sociis navalibus denarios septuagenos, gubernatoribus duplex, magistris navium quadruplex. ℙ Nonnunquam tamen pro gubernatore ponitur. *Virg. A.* 5, 176. Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister; et *ib.* 1, 119. excutitur, pronusque magister Volvitur in caput. *Val. Fl.* 1, 18. Grajis Helice servanda magistris. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 696.] ℙ *ludi*, qui ludo, seu scholae praeest, qui et *ludimagister* dicitur. V. in ea voce. ℙ *gladiatorum*, h. e. lanista. *Cic. Or.* 3, 23. ℙ In antiquis Inscriptionib. et alibi leguntur *magister sacrorum*, *fani*, *horreorum*, *collegii*, *memoriae*, *munerum*, *Augustalis*, *admissionum*, *epistolarum*, *libellorum*, etc., quae omnia, et his similia pari ratione, ac superiora, sunt exponenda. V. *Gruter.* indices, et *hist. August. Script.* ℙ Praeterea ap. eund. *Gruter.* non uno in loco habetur *magister a bibliotheca*, *ab marmoribus*, h. e. earum rerum curator, et custos. ℙ Saepe ponitur pro eo, qui docet quippiam, praecipue artes liberales. *Cic. Phil.* 2, 4. Invideo magistro tuo, qui te, tanta mercede, nihil sapere docuit. *Id. Or.* 1, 57. Pueri apud magistros exercentur. *Id. Inv.* 1, 25. Artium liberalium magistri, vivendi praeceptores. *Id. Mur.* 31. Vestri praeceptores, et virtutis magistri. *Id. Dom.* 39. Auctor et magister publicae religionis. *Id. Caecin.* 11. *f.* Te uti in hac re magistro volo. ℙ Translate. *Id. Or.* 1, 33. Stilus, optimus dicendi effector ac magister. *Pers. prol.* 10. Magister artis, ingeniique largitor venter. *Cic. Phil.* 2, 36. Timor, non diuturnus magister officii. ℙ Pro paedagogo. *Ter. Phorm.* 1, 2, 21. Senes me filiis relinquunt quasi magistrum. Ubi *Donatus:* Sic Latini: quem Graeci παιδαγωγὸν appellant. ℙ Pro suasore, impulsore, auctore. *Ter. Andr.* 1, 2, 21. Si quis magistrum cepit ad eam rem improbum, etc. *Cic. Verr.* 2, 3, 21. Qui dux isti quondam et magister ad despoliandum Dianae templum fuit. *Sen. Thyest.* 311. Saepe in magistrum scelera redierunt sua. ℙ Adjective. *Sedul.* 1, 5. rituque magistro Plurima Niliacis tradant mendacia biblis.

MAGISTĒRĬUM, ii, n. προεδρία, προστασία, magistri dignitas, seu officium. *Cic. Sen.* 14. Me vero et magisteria delectant a majoribus instituta, et is sermo, qui more majorum a summo magistro adhibetur in poculis, *h. e.* munus ejus, qui convivii est caput; quod regnum vini *Hor. Od.* 1, 4, 18. appellat. *Suet. Tib.* 3. Dictatura, ac magisterio equitum honorata familia. *Colum. praef. med.* Rem rusticam sordidum esse negotium, quod nullius egeat magisterio praeceptoris. *Pl. Most.* 1, 1, 32. Virtute id factum, et magisterio tuo, *h. e.* consilio, monitu. *Cic. Prov. cons.* 19. *med.* Magisterium morum, *h. e.* censura. *Suet. Aug.* 2. Municipalibus magisteriis contentus, *h. e.* magistratibus municipiorum. *Id. Dom.* 4. Magisterium collegii. *Id. Cal.* 22. sacerdotii. *Aurel. Vict. Caesar.* 42. pedestre, *h. e.* praefectura peditum in militia. *Tibull.* 1, 4, 84. Cum mea ridebunt vana magisteria, *h. e.* amatorias institutiones et praecepta. *Pl. Bacch.* 1, 2, 40. Jam excessit mihi aetas ex magisterio tuo, *h. e.* non amplius tibi subest tanquam magistro et custodi. *Plin.* 8, 40, 61. de canib.: Namque inter se exercent etiam magisteria, *h. e.* ut unus aliis praesit, et ductorem se praebeat in venatu, etc. *Cels.* 5, 27. *n.* 2. Post quae nullo novo magisterio, sed jam supra posito vulnus erit implendum, et ad sanitatem perducendum, *h. e.* nulla nova curandi ratione, quae a medendi magistris tradita sit.

MAGISTĒRĬUS, a, um, adj. ad magisterium pertinens. *Imp. Honor. et Theodos. Cod.* 3, 13, 6. Magisteriae potestati inter militares viros audiendi concedimus facultatem. *Imp. Zeno ib.* 24, 3. Qui magisteriae potestatis sudoribus clarus factus est. Adde *ib.* 6, 8, 1.

MAGISTĔRO, et per syncop. Magistro, as, avi, atum, a. 1. impero, praesum, magistrum, seu praefectum ago. *Festus:* Magisterare, regere, temperare, moderari. *Spart. Hadr.* 10. Inter manipulares vitam militarem magistrans.

MAGISTRA, ae, f. praeceptrix. *Ter. Hec.* 2, 1, 7. Ei ludo, si ullus est, magistram hanc esse, satis certo scio. *Cic. Rosc. Am.* 27. *extr.* Vita rustica parsimoniae, diligentiae, justitiae magistra est. *Id. Tusc.* 5, 2. Philosophia magistra vitae. *Id. N. D.* 1, 15. *med.* Lex quasi dux vitae, et magistra officiorum. ℙ Ita etiam appellatur femina sacerdos. V. MAGISTER. *Inscr.* ap. *Grut.* 1088, 4. Juliae Felicitati magistrae Fortunae Melioris. Collegium centonariorum. Alia ap. *Mur.* 133, 3. Bonae Deae paganae Rufria C. F. Festa, Caesilia Q. F. Sylace magistrae D. P. S. Alia *ib.* 5., q. v. in FONIO. ℙ Adjective. *Virg. A.* 8, 442. nunc viribus usus, Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra: cujusmodi est magistrorum alios docentium. *Ov. Her.* 15, 82. abeunt studia in mores, artesque magistrae. *Sil.* 3, 387. Asper frena pati, aut jussis parere magistris. *Claud. praef. de III. cons. Honor.* 7. de aquila: Consulit ardentes radios, et luce magistra Natorum vires, ingeniumque probat. Ap. *Ov.* et *Sil.* al. aliter leg.

MAGISTRĀLIS, e, adj. ad magistrum pertineus. *Vopisc. Saturn.* 10. Frequentaverat pergulas magistrales. V. PERGULA. *Id. Tac.* 6. Manuum magistralium ictibus, terrorique subjaceat. ℙ Item qui magisterio alicujus collegii antea est functus. *Inscr.* ap. *Schiass. Guida al Mus. Bologn.* p. 24. *Libero Patri Aug. sacram in* memoriam P. Cornelii Saturnini magistralis Cornelia Prima uxor ex indulgentia colleg. signum Liberi, basem, caulas D. D. Ita *Schiass. ib.* mutilam ab initio hanc inscriptionem supplendam recte monuit, quam refert etiam *Malvas. Marm. Fels.* p. 41.

[MAGISTRAS, atis, m. idem ac magister, qui alicui collegio praeest. *Inscr.* ap. *Grut.* 73, 4. L. Silius Maximus Vet. Leg. Ad. P. F. magistras primus in cana*ba* D. D. Hujus inscriptionis initium v. in CANABENSIS. *F.*]

MAGISTRĀTĬO, onis, f. magisterium, praeceptio, institutio. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Quae solis disciplinis traduntur, et magistratione diseuntur. Al. leg. *magistra ratione.* ℙ In *Cod. Theod.* 14, 9, 3. publicae magistrationes sunt scholae publicae.

MAGISTRĀTUS, us, m. dignitas, et potestas alicujus, vel aliquorum, qui publica auctoritate curant ea, quae ad rempubl. pertinent: a *magister. Varr. L. L.* 4, 14. Magister equitum, quod summa potestas hujus in equites et accensos, ut est summa populi R. dictator: a quo is quoque magister populi appellatus. Reliqui, quod minores, quam hi, magistri, dicti magistratus, ut ab albo albatus. *Cic. Amic.* 17. Honores, magistratus, imperia, potestates amicitiae anteponere. *Id. Mur.* 35. Magistratus mandare. *Id. Agr.* 2, 10. dare. *Id. Planc.* 25. committere. *Id. Verr.* 2, 4, 61. *f.* Magistratum habere. *Caes. B. G.* 7, 33. obtinere. *Liv.* 5, 9. occipere. *Sall. Jug.* 47. ingredi. *Cic. Phil.* 5, 19. petere, capere, gerere. *Id. Verr.* 1, 10. inire; et *Leg.* 3, 20. Magistratu abire. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* se abdicare. V. ABDĪCO; et *ib.* Magistratum sibi prorogare. *Cic. Verr.* 2, 2, 57. abrogare alicui. *Ascon.* in *ib.* 3, 33. imminuere. V. IMMINUO. *Caes. B. G.* 7, 33. deponere. *Liv.* 5, 11. In magistratu manere; et *ib.* 28. esse. *Cic. Leg.* 3, 20. gerere aliquid. *Manil.* 5, 312. Perque magistratus, et publica jura feruntur. ℙ Magistratuum genera duo Romae fuere, extraordinarii, et ordinarii: in illis dictatura, et magisterium equitum praecipue numerantur: praeterea duumviri perduellionis, quaestores rerum capitalium, triumviri mensarii, decemviri legibus constituendis, etc. In his duae classes, majorum scilicet, ut consulum, praetorum, censorum: minorum, ut aedilium, quaestorum, tribunorum plebis, triumvirum, quatuorvirum, etc. curatorum alvei Tiberis, etc. praefectorum aerarii, etc. V. *Messal.* ap. *Gell.* 13, 15. Praeterea *patricii* magistratus dicti sunt, qui primum a patriciis familiis sumebantur: *plebeji*, qui a plebe: *curules*, qui curuli sella utebantur, *h. e.* consules, censores, praetores, aedilesque curules. Reliqui curulis sellae jus non habebant.

in provinciis quoque magistratus fuere, proconsulum, propraetorum, proquaestorum, qui ordinarii erant: item triumvirum, quinquevirum, etc. coloniis deducendis, curatorum viarum extra Urbem, etc. ℙ *Magistratus* nomen proprie iis tribuitur, qui urbanam ac civilem administrationem habent: nam qui militarem, horum *imperia* sunt appellata: tametsi hoc non semper. V. IMPERIUM. *Sall. Jug.* 3. Magistratus, et imperia minime mihi cupiunda videntur. *Suet. Caes.* 54. Abstinentiam neque in imperiis, neque in magistratibus praestitit. Adde *Aug.* 61. [*V. *Brem.* ad *Nep. Milt.* 2, 2. Loci, in quibus *magistratus* de militaribus administrationibus dicitur, hi sunto: *Nep. Chabr.* 4, 1. Erat in classe Chabrias privatus, sed omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat; et *Alc.* 7, 3. Ut absenti magistratum abrogarent, et alium in ejus locum substituerent.] ℙ Interdum urbani magistratus ita distinguuntur appellatione a provincialibus, ut illi quidem *magistratus*, hi *potestates* dicantur. *Suet. Claud.* 23. Jurisdictionem in urbe delegari magistratibus solitam, atque etiam per provincias potestatibus, etc. *In edicto Praetoris*, ap. *Ulp. Dig.* 2, 2, 1. Qui magistratum, potestatemve habebit. Adde ipsum *Ulp. ib.* 1, 13. ℙ Saepissime *magistratus* ipsum hominem significat, qui in magistratu est. *Cic. Off.* 1, 34. *med.* Est proprium munus magistratus intelligere, se gerere personam civitatis. *Sall. Jug.* 22. Oppida per magistratus administrare. *Liv.* 5, 17. Creare magistratus. *Nep. Ep.* 4. Magistratui quempiam tradere: sc. puniendum. *Id. Ann.* 7. His enim magistratibus legati Romam venerunt, *h. e.* his consulibus. *Gell.* 2, 2. Tum inter filium magistratum et patrem privatum publicos honores cessare, genuinos ac naturales exoriri, [*Ita Graeci etiam ἀρχὰι dicunt pro ἄρχοντες, ut nostr. *Obrigkeiten* i. q. *obrigkeitliche Personen.*]

*MAGISTRĪVUS, a, um, adj. i. q. magistralis. *Appul. Flor.* 4. p. 36. Pueritia apud magistrivos. Sed *Stewech.* p. 27. et *Elmenh.* p. 359. habent *Et pueritia apud vos, et magistrivos. B. A.*

MAGISTRO. V. MAGISTERO.

MAGMA, ătis, n. *μάγμα*, faex unguenti, ut *Plin.* 13, 2, 2. interpretatur. *Scrib. Comp.* 157. Cerae libram et trientem, magmatis P. bessem. Hinc *crocomagma:* quod V.

[MAGMĀTĀRĬUS, ii, m. qui magmata conficit, et vendit, unguentarius. *Gloss. Philox.* Magmatarius, *μυρεψός. Varr. L. L.* 4, 22. *extr.*, ut legit *Turneb. Adv.* 22, 6.; nam alii aliter omnino. *F.*]

MAGMENTĀRĬUS, a, um, adj. ut *Magmentarium canum*, quo sc. magmenta, vel exta sacra imposita inferebantur aras; etenim ita vocem interpretantur *Gloss. Philox.* Magmentarium, *ἐφ' οὗ τὰ σπλάγχνα ἀναιθέμενα τοῖς βωμοῖς προσφέρονται. Varr. L. L.* 4, 22. *extr.* Magmentum a magis: quod ad religionem magis pertinet. Ita propter hoc magmentaria cana, (*h. e.* canistra) constituta locis certis, quo id imponeretur. Ita recte legit *Turneb. Adv.* 22, 6. [*Multa h. l. immutavit *F.*, iis adscriptis, quae ad intelligendam vocis sententiam maxime facerent.]

MAGMENTUM, i, n. vox est sacrorum propria, et pro *magis augmentum* usurpatur, ut ait Festus. [*Contractum est ex *magimentum*, cujus origo ab obsol. *mago* deducenda.] V. MACTUS. *Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 229. Si quis hostia sacrum faxit, qui magmentum nec protollat, idcirco tamen probe factum esto, *h. e.*, ut recte interpretatur *Sigon. de ant. jur. prov.* 2, 6. *med.*, Si quis hostia sacrum fecerit, quod sacrum ob hostiae vitium non crescat, sive non adolescat, ut in legitimis accidit; nec majus augmentum proferat, idcirco tamen probe factum esto, ac triste nihil sacrificium portendat. Hactenus *Sig.* Eadem verba sunt in alia *Inscr.* ap. *eund.* 23, 12., quae nunc Patavii quidem exstat, sed mutila ex parte dimidia, ut videre est ap. *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 62. *ed. Patav.* Alia *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 635. *n.* 301. M. Ofentius Matri Deum Magnae taurobolium et criobolium magmentum fecit. V. v. praec. et *Pignor. Symbolic. epist. n.* 30. [*Plura in fine addidit *F.*]

[MAGNAEVUS, a, um, adj. qui magnae seu provectioris aetatis est, grandaevus. *Gloss. Phil.* Magnaevus, *ἀρχαιογέρων. F.*]

MAGNA GRAECIA. V. GRAECIA.

MAGNĀLĬA, ium, n. plur. *τα μεγαλεῖα*, res praeclarae et mirandae. *Tert. ad Uxor.* 2, 7. Sensit magnalia. *Id. adv. Marc.* 1, 54. Dat dextram mancus, loquitur magnalia mutus. Hinc in *V.* et *N. Testam.* saepe est *magnalia Dei.* ℙ *Magnalia arma* sunt ancilia in *Inscr.* ap. *Mur.* 481, 5. Mansiones Saliorum Palatinorum a veteribus ad armorum magnalium custodiam etc. *Dempster.* ad *Rosin. Antiq. Rom.* 2, 12. *extr.* perperam legit in eadem *magnatium.* At ap. *Grut.* 173. rectius habetur *annalium*, *h. e.* ancilium, quae quotannis XIV. K. Apr. a Saliis in comitio agitabantur. V. SALII. [*Et hujus loci probe curam gessit *F.*]

MAGNĀNĪMĬTAS, atis, f. *μεγαλοψυχία*, magnitudo animi, praestantia, magnificentia: virtus animi magna spectantis, praesertim circa honores. *Cic. Off.* 1, 43. Omnis honestas manat a partibus quatuor, quarum una est cognitionis, altera communitatis, tertia magnanimitatis, quarta moderationis. [**Plin. Pan.* 58, 6. Tuam vero magnanimitatem, an modestiam, an benignitatem prius mirer?]

MAGNĀNĬMUS, a, um, adj. *μεγαλόψυχος*, qui magni est animi, et magna conantis. *Cic. Off.* 1, 19. Itaque viros fortes, magnanimos, eosdem bonos et simplices esse volumus. *Virg. A.* 6, 649. Magnanimi heroes. *Id. ib.* 3, 704. magnanimum generator equorum. *Gell.* 7, 19. Liberale atque magnanimum factum. *Ov. Fast.* 4, 379. Haec, ait, illa dies, Libycis qua Caesar in oris Perfida magnanimi contudit arma Jubae.

MAGNĀRĬUS, ii, m. *μεγαλέμπορος*, magnis pecuniis negotians, magnus negotiator: opponitur autem tenuiario, vel minuscolario. *Appul. Met.* 1. *in.* Omne enim pridie Lupus negotiator magnarius coemerat. *Inscr.* ap. *Grut.* 283, 1. Corpus coriariorum magnariorum salaiariorum (lege *solearioriorum*). Alia ap. *Fea, Framm. cons.* p. 14. *n.* 49. Attio Instejo Tertullo correctori *Venetiae et Histriae* praeposito fabricae, *praefecto urbis* Romae Corpus magnariorum statuam aere insignem locavit, curantibus Flaviis Respecto et Florentio VV. PP. *Praepositis* Corporis *magnariorum.* Alia in *Giorn. di Fir. ann.* 1773. p. 636. Dis Manibus M. Junl Pudentis pistori magnario Persiano, *venditore indigrosso di pane ad uso di Persia.* Alia ap. *Mur.* 721, 1, 2. Corpus pistorum magnariorum, et castren*siariorum*; et 519. *Quin*Quennalis Corpor. magnar. tignariorum. [*Hunc locum *F.* ita immutavit atque ampliavit, ut totus fere ipsi jure meritoque vindicetur.]

MAGNĀTES. V. MAGNALIA.

MAGNĒ, adv. valde, *μάλα. Tac. A.* 11, 36. Sponte, an coactus tam magne peccavisset. Alii leg. *magna*, quod est multo rectius. Agnoscere tamen videtur etiam *Cledon.* p. 1920.

[MAGNENTĬĀNUS, a, um, adj. ad Magnentium Imp. pertinens. *Magnentiani, orum*, sunt illius asseclae ap. *Aurel. Vict. Caesar.* 42.

MAGNĒS, etis, m. *μάγνης*, lapis, qui ferrum trahit, al. lapis Heraclius, et sideritis: a Magnesia urbe Lydiae, quia circa eam provenit. *Lucr.* 6, 909, 1044. et 1062. Sed *Plinius* 36, 16, 25. scribit ex Nicandri sententia, repertum fuisse in Ida, et appellatum esse ab inventore, qui cum pecus pascens pedum forte haberet ferratum, et crepidas ferreis clavis compactas, animadvertit, lapidem hunc ferro adhaerescere. Ceterum ab antiquis bifariam magnes accipitur, interdum pro eo, qui ferrum trahit, interdum pro lapide argentei nitoris. [*Nostr. *Braunstein.*] Hinc quidam veterum dicunt, alium esse magnetem a lapide Heraclio. *Cic. Div.* 1, 39. Ut si magnetem lapidem esse dicam, qui ferrum ad se alliciat, et trahat, at rationem cur ita sit, afferre nequeam. *Claud.* habet *Idyllium* de magnete. ℙ Vox est adjectiva, et cum absolute ponitur, *lapis* subintelligitur. *Sil.* 3, 265. Venere Aethiopes, gens haud incognita Nilo, Qui magneta secant. *Lucr.* 6, 908. Quem magneta vocant. V. MAGNETES. In feminino *Magnetis, idis*, ut Magnetis Argo, ap. *Ov.* V. MAGNESIS.

MAGNĒSĬA, ae, f. *Μαγνησία*, provincia Macedoniae, Thessaliae adnexa, in ora maris Aegaei. *Plin.* 4, 9, 16. ℙ Magnesia fuit etiam urbs Lydiae ad montem Sipylum. *Liv.* 36, 43. ℙ Item urbs Asiae minoris in Ionia, vel Caria, Maeandri cognomine, ut est ap. *Plin.* 5, 29, 31. colonia ex Magnesia Graeciae deducta, una ex tribus, quas Themistocli exsuli apud se Artaxerxes dono dederat, quae panem praeberet, sicut Myuntem, quae obsonium, Lampsacum, quae vinum suppeditaret, uti narrat *Nep. Them.* 10. ℙ *Item oppidi nomen in monte Pelio siti, quod *Plinio* 5, 29. *Magnesia Thessalica* fortasse est. Verba *Plinii* sunt: Magnesia Maeandri cognomine insignis, a Thessalica Magnesia orta. Qui locus de provincia Macedoniae potest intelligi: sed illud vero similius. Oppidi mentio facta est apud *Pausan.* in *Achaic.* 7. ℙ Porro Magnesia fuit oppidum Lydiae, in monte Sipylo. *Liv.* 36, 43. et 37, 10. 11. 37. 44. et 56. Addatur *Plin.* 2, 91. Sipylum in Magnesia (*terra devoravit*): ubi *in Magnesia* idem fortasse valet quod *ad Magnesiam;* nam regioni circumjacenti nomen fuisse Magnesiae, nulla, quod sciam, suadet auctoritas. *B. A.*

MAGNĒSĬS, ĭdis, f. quae est ex Magnesia. *Ov. Her.* 12, 9. Cur unquam Colchi Magnesida vidimus Argo? *Magnesida* vocat, quia ex nemore facta est Pelii montis, qui ad Thessaliam pertinet, cujus pars Magnesia est. Al. leg. *Magnetida*, quod est fortasse rectius. [*Ita *Ruhnk.*]

MAGNĒSĬUS, a, um, adj. *Μαγνήσιος*, ad Magnesiam pertinens. *Lucr.* 6, 1062. Magnesi flumina saxi, *h. e.* magnetis.

MAGNESSĀ, ae, adj. f. quae est ex Magnesia. *Hor. Od.* 3, 7, 18. Magnessam Hippolyten tum fugit abstinens.

MAGNĒTARCHES, ae, m. *μαγνητάρχης*, princeps Magnetum, summus magistratus ap. Magnetas. *Liv.* 5, 35, 31.

MAGNĒTES, a, um, m. plur. Magnesii, *Μάγνητες*, pop. Magnesiae. *Lucr.* 6, 909. Magnetum quia sit patriis in finibus ortus. *Ov. Met.* 11, 408. Magnetas adit vagus exsul. *Lucan.* 6, 385. Et Magnetes equis, Minyae gens cognita remis. Adde *Liv.* 33, 32. et 34. et 35, 31. ℙ In singulari num. *Cic. Brut.* 91. Assiduissime mecum fuit Dionysius Magnes. *Val. Fl.* 2, 9. Magnes campus.

MAGNĒTĬCUS, a, um, adj. magnetem spectans. *Claud. carm de magnet.* 26. Venerem magnetica gemma figurat.

MAGNĒTIS. V. MAGNESIS.

*MAGNI, orum, oppidum Britanniae. *Anton. Itin. B. A.*

MAGNĪCĬES. V. MAGNITIES.

MAGNĪDĬCUS, a, um, adj. qui magna dicit, *μεγαλορρήμων. Pl. Rud.* 2, 6, 31. Dum tuis ausculto magnidicis mandaciis. *Id. Mil.* 3, 3, 48. qui noverim magnidicum, cincinnatum, Moechum unguentatum. *Ammian.* 23, 6. Persae magnidici et graves et tetri.

MAGNĪFĂCĬO, is, a. 3. *περὶ πολλοῦ ποιοῦμαι, θαυμάζω*, magni aestimo. *Ter. Hec.* 2, 2, 18. Quem intellexi illam haud minus, quam se ipsum magnifacere. Al. leg. *magnificare.* [**Bentl.* legi jubet *magni facere.*] *Pl. As.* 2, 4, 1. Quid hoc est negotii? neminem meum dictum magnifacere. *Id. Ps.* 2, 1, 4. Omnes res perinde sunt, ut agas, ut eas magnifacias. Sic cum superlat. maximifacere fidem, *Id. Cas. prol.* 2. ℙ Ceterum saepius divisum legitur *magni facio.* [*V. *Bentl.* l. l.]

MAGNĪFĪCĀTĬO, onis, f. actus magnificandi. *Macrob. Sat.* 5, 13. *f.* Personarum varia magnificatio.

MAGNĪFĪCĒ, adv. *μεγαλοπρεπῶς*, magnificenter, laute, splendide. *Cic. Brut.* 73. Amice et magnifice laudare. *Id. Quint.* 30. Ornare magnifice splendideque convivium. *Id. Verr.* 2, 1, 26. Magnifice et ornate convivium comparare; et *ib.* 6, 27. Exornare ample magnificeque triclinium. *Id. Dom.* 44. Habitare laxe et magnifice. *Id. Off.* 1, 26. *extr.* Magnifice, graviter, animoseque vivere. *Nep. Dat.* 3. Magnifice donare aliquem. *Pl. fr.* ap. *Charis.* 2, 187. Spectavi ludos magnifice atque opulenter. *Cic. Cat.* 2, 1. Perdidimus hominem, magnificeque vicimus. *Liv.* 2, 6. Magnifice incedere. Sic *Pl. Ps.* 4, 1, 7. inferre se. *Id. Cas.* 3, 6, 4. Magnificeque patriceque amiciri. *Auct. ad Her.* 4, 21. se jactare, atque ostentare. Sic *Ter. Heaut.* 4, 3, 31. efferre se. *Pl. Pers.* 2, 5, 7. Magnifice conscreabor, *h. e.* clare, et ut solent affectato graves. [**Vell.* 2, 29, 1. Magnificeque conata executus.] ℙ Refertur interdum ad magniloquentiam. *Tibull.* 2, 6, 11. Magna loquor: sed magnifice mihi magna locuto Excutiunt clausae fortia dicta fores. [*V. *Broukh.* ad h. l.] *Pl. Ps.* 2, 4, 11. Magnifice compellare, *h. e.* splendidis et magnificis verbis. ℙ Pro magnopere, valde. *Plin.* 24, 11, 58. Radicula ex melle prodest magnifice ad tussim, *h. e.* magnopere, valde. Sic 30, 14, 47. Magnifice juvat ovis cerebrum gingivis illitum. ℙ Comp. *Magnificius* est *Catonis*, teste *Festo.* Sup. *Magnificissime* est *Accii* ap. *Prisc.* 3, 603.

MAGNĪFĪCENTĔR, adv. magnifice. *Vitr.* 1, 6. Oppidum magnificenter aedificatum, et eleganter. *Cic. Or.* 34. Omnia excelsius, magnificentiusque et dicet, et sentiet. *Id. Fam.* 4, 7. Cum consulatum magnificentissime, atque optime gesseris. *Id. Att.* 14, 4. Gloriosissime et magnificentissime quippiam conficere.

MAGNĪFĪCENTĬĀ, ae, f. *μεγαλοπρέπεια*, est (ut inquit *Cic. Inv.* 2, 54.) rerum magnarum et excelsarum, cum animi ampla quadam et splendida propositione, agitatio, atque administratio. Adde *Off.* 1, 21. [**Ter. Ph.* 5, 8, 37. al. 5, 7, 37. I hinc in malam rem cum istac magnificentia.] ℙ Dicitur etiam de aliis rebus. *Id. Or.* 25. Magnificentia epularum; et *Off.* 1, 39. villarum. *Id. Leg.* 2, 26. funerum et sepulcrorum. *Id. Rosc. Com.* 8. liberalitatis. *Id. Off.* 1, 39. Cavendum est si aedifices, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas. [**Vell.* 2, 89, 1. et *ib.* 121, 3. Magnificentia munerum, triumphorum. *Suet. Aug.* 43. Magnificentia spectaculorum; et *Vit.* 2. coenarum. *Liv.* 1, 57. Exhaustus magnificentia publicorum operum. ℙ Ita magnificentia transfertur etiam ad res oratorias eamque signif. orationis virtutem, qua se supra modum tollit, definiente *Quint.* 4, 2, 61. ubi v.] ℙ In malam partem. *Id. fr.* ap. *Non.* 5, 35. Phoenices primi mercaturis et mercibus suis avaritiam, et magnificentiam, et inexplebiles cupiditates omnium rerum supportaverunt in Graeciam. [**Vell.* 2, 1, 2. Publicamque magnificentiam secuta privata luxuria est; et 1, 11, 5. vel magnificentiae vel luxuriae princeps fuit: ubi v. *Ruhnk.*] ℙ Translate. *Id. Amic.* 6. Jam virtutem ex consuetudine vitae, sermonisque nostri interpretemur: nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentia metiamur, [*i. e. magniloquentia.] ℙ Pro magnanimitate. *Id. Agr.* 2, 8. *extr.* Nam hoc quidem vix est liberi populi, vix vestrorum animorum ac

magnificentiae. ℙ Pro arte mira et magna faciendi. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 4. de Phidia: Haec sunt obiter dicta de artifice nunquam satis laudato: simul ut noscatur, illam magnificentiam aequalem fuisse et in parvis.

[MAGNĬFĬCĬUM, ii, n. magnum factum. *Gloss. Phil.* Magnificum, *μεγαλοεργία. F.*]

MAGNĬFĬCO, as, avi, atum, a. 1. magni facio, magni aestimo, *θαυμάζω. Ter. Hecyr.* 2, 2, 18. Quem ego intellexi illam haud minus, quam se ipsum, magnificare. Al. leg. *magnifacere.* [*Leg. *magni facere.* V. *Bentl.* ad h. l. qui et ap. *Plaut.* ubique divise scriptum exhiberi jubet. Ceterum *Ruhnk.* ad *Terent.* l. l. docet, non abhorrere a vero, librarios cadentis latinitatis verbum *magnificare*, quod ipsis fuisset familiarius e vulgata bibliorum versione, alteri passim substituisse.] *Pl. Stich.* 1, 2, 44. pudicitia est, pater, Eos magnificare, qui nos socias sumpserunt sibi. *Id. Men.* 2, 3, 19. te unum ex omnibus Venus voluit me magnificare. ℙ Metonymice est laudare, extollere, praeferre: quod sane faciunt, qui magni aestimant: *μεγαλύνω. Plin.* 35, 12, 45. et 36, 5, 4. *n.* 13. Arcesilaum quoque magnificat Varro, cujus se marmoream habuisse leaenam tradit; et *ib.* 12, 18. Magnificatur et alia turris, a rege facta in insula Pharo. *Id.* 17, 9, 6. Varro principatum dat turdorum fimo ex aviariis: quod etiam pabulo boum suumque magnificat.

MAGNĬFĬCUS, a, um, adj. *μεγαλοπρεπής*, magna faciens, qui in magnis cum dignitate sumptum facit, qui circa publicam administrationem impensas facit honorificas, veluti in ludis, in templis, in aedificiis, in epulo publico, et hujusmodi. *Nep. Att.* 13. Elegans, non magnificus; splendidus, non sumptuosus; omni diligentia munditiam non affluentem affectabat. *Sall. Cat.* 50. Rhodiorum civitas magna, atque magnifica. *Id. ib.* 9. Cives in supplicüis Deorum magnifici, domi parci. *Liv.* 1, 10. Vir factis magnificus. [**Ter. Heaut.* 2, 1, 15. Mea est potens, procax, magnifica, sumptuosa, nobilis. *Plin. Pan.* 51, 3. At quam magnificus in publicum s! i. e. quam magnifice opera publica construis! *Vell.* 2, 130, 1. Quam magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeji munera absumta igne restituit?] ℙ Item qui verbis se jactat, et ostentat, gloriosus. *Pl. Bacch.* 4, 9, 42. cum magnifico milite, urbes verbis qui inermus capit. *Id. As.* 2, 2, 84. Extemplo facio facetum me atque magnificum virum: Dico, me atriensem esse. ℙ [*Hinc ab hominibus transfertur ad ipsa verba et alia, cum jactatione, magniloquentia prolata. Huc pertinet locus, quem Noster iis exemplis adscripserat, quae de splendido, sublimi sermone posuerat, *Ter. Eun.* 4, 6, 3 Usque adeo ego illius ferre possum ineptias et magnifica verba, i. e. plene jactantia. Adde *Suet. Cal.* 44. Magnificae litterae, i. e. ostentationis plenae.] ℙ *Res magnificae* sunt lautae, splendidae, copiosae, magno sumptu factae, et cum dignitate. *Cic. Off.* 1, 8. Delectant etiam magnifici apparatus, vitaeque cultus cum elegantia et copia. *Id. Fam.* 9, 16. *f.* Nec tamen eas coenas quaero, ut magnae reliquiae fiant: quod erit, magnificum sit, et lautum. *Id. Verr.* 2, 1, 22. Forum adornatum magnifico ornatu. *Caes. B. G.* 6, 18. Funera magnifica et sumptuosa. *Sall. Cat.* 21. Belli spolia magnifica. *Id. Jug.* 4. Clari et magnifici honores. *Just.* 2, 1. Res gestae satis amplae, magnificaeque. [**Vell.* 2, 29, 1. Quem magnificentissimas res in consulatu gessisse, bello Marsico praediximus; et 2, 28, 1. Magnifica proelia; et 52, 5. Magnificentius nil illa victoria. Etiam ap. *Liv.* ita usurpatur. V. 26, 2. 29, 22.] *Cic. Tusc.* 5, 21. Stragulum magnificis operibus pictum. *Id. Fam.* 7, 1. Venationes binae per dies quinque magnificae. *Id. Leg.* 2, 1. Magnificae villae. *Plin.* 6, 19, 22. Magnificum oppidum. [**Vell.* 2, 40, 3. Magnificentissimus triumphus; et 120, 5. exercitus; et 93, 2. munus gladiatorium; et 56, 1. spectacula: observabis, hanc vocem Velleio peculiariter familiarem.] ℙ Nonnunquam refertur ad sermonem splendidum, grandem, sublimem. *Cic. Or.* 2, 21. Genus dicendi magnificum atque praeclarum. *Id. opt. gen. Or.* 4. Neque eos quidquam excelsum magnificumque delectat. *Plin.* 35, 4, 9. Magnifica oratio. [**Suet. Caes.* 55. Atque etiam magnificam et generosam quodammodo rationem dicendi tenere.] ℙ Est etiam magni ae stimabilis, dignus qui plurimi fiat, admirabilis. *Plin.* 19, 3, 15. Laser magnificum in usu, medicamentisque. *Id.* 24, 16, 95. Myriophyllon magnifici usus ad vulnera. ℙ *Magnificior*, et *magnificissimus* olim dicta sunt antiquis, ut est ap. *Festum.* Sed haec obsoleta: in usu autem sunt *magnificentior*, *magnificentissimus*, a *magnificens* orta, itidem obsoleto. *Cic. Brut.* 32. Magnificentius dicendi genus, et ornatius. *Id. Pis.* 2. Magnificentius est dicere, quemadmodum gesserimus consulatum, quam quemadmodum ceperimus. *Id. Off.* 2, 16. Crassus magnificentissima aedilitate functus. *Id. Dom.* 56. Italiae magnificentissimus ille motus, *h. e.* perhonorificus. *Nep. Thras.* 1. Magnificentissimum factum.

[MAGNILLA, ae, f. dimin. magnae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 377. *n.* XXIX. Sedes insontem Magnillam ducite vestras. *F.*]

*MAGNILOQUAX, acis, adj. *μεγαλολάλος Gloss. Gr. Lat. B. A.*

MAGNĬLŌQUENTĬA, ae, f. *μεγαληγορία*, granditas verborum, stili sublimitas. *Cic. Or.* 57. Dactylicus numerus hexametorum magniloquentiae est accommodatior. *Id. Fam.* 13, 15. Homeri magniloquentia. ℙ Accipitur et in malam partem pro jactatione et ostentatione loquentiae; atque ita usurpat *Gell.* 1, 2. [*Adde *Liv.* 44, 15. Qua audita re, principem legationis, cujus magniloquentiam vix curia paulo ante ceperat, corruisse.]

MAGNĬLŌQUUS, a, um, adj. *μεγαλορρήμων*, qui grandibus verbis utitur, magnidicus. *Stat. Silv.* 5, 3, 62. Fors et magniloquo non posthabuisset Homero. ℙ Item qui se jactat. *Tac. Agr.* 27. Atque illi modo cauti ac sapientes, prompti post eventum ac magniloqui erant. *Ov. Met.* 8, 396. Talia magniloquo tumidus memoraverat ore.

MAGNĬPENDO, is, a. 3. *περὶ πολλοῦ ποιοῦμαι*, magnifacio, magnifico, magni aestimo. *Pl. Stich.* 1, 2, 78. Vos ne mendicos homines magnipenditis? *Ter. Ad.* 5, 4, 25. Ego quoque a meis me amari et magnipendi postulo. *Pl. As.* 2, 4, 54. Non magnipendo, ne duit. Scribitur et divisim *magni pendo.*

MAGNISONANS, antis, adj. magna sonans, ut Saxa magnisonantia. *Accius* ap. *Non.* 6, 86. V. CACHINNO, as.

MAGNĪTAS, atis, f. magnitudo, ap. veteres. *Accius* ap. *Non.* 2, 523. Namque sat fingi, neque dici potest pro magnitate.

MAGNĪTĬES, ei, f. idem ac magnitudo, apud recentiores scriptores, ut etiam *pinguities* pro *pinguitudo* usurpatur ab *Appulejo*, et *Arnobio. Auct. carm. de Phoenic.* 145. Magnitiem, terris Arabum quae gignitur ales, Vix aequare potest, seu fera, seu sit avis, *h. e.* struthiocamelus, quae avis in Arabia gignitur, vix phoenicis magnitudinem aequare potest. *Heinsius* pro *magnitiem* non male putat legend. *magna etiam terris* etc. [*Plurima h. l. addidit *F.*]

MAGNĪTŪDO, inis, f. *μέγεθος*, amplitudo, moles rerum corporearum. *Cic. Off.* 1, 43. *f.* Mundi magnitudinem metiri. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Silvestres apes minores sunt magnitudine, scil. quam cicures *Plin.* 37, 10, 60. Lapillus in parva magnitudine multicolor. *Id.* 5, 9, 10. Insula magnitudinis vastae. *Cic. Phil.* 13, 3. Magnitudines regionum. *Id. Fin.* 3, 14. Magnitudo maris Aegaei. *Caes. B. G.* 3, 13. fluctuum et tempestatum; et *B. C.* 1, 49. fluminis; et *B. G.* 1, 39. ingens corporum; et *ib.* 6, 9. Silva magnitudinis infinitae. *Cels.* 5, 25. *n.* 4. Catapotia fiunt ad fabae magnitudinem. Sic *Plin.* 22, 23, 43. Urinam ciet laser, ciceris magnitudine dilutum. ℙ Refertur interdum ad copiam et numerum. *Nep. Dat.* 1. Magnitudo copiarum. *Cic. Agr.* 2, 35. fructuum, et bonitas agrorum. *Id. Rosc. Am.* 7. pecuniae. *Id. Verr.* 2, 5, 9. quaestus. ℙ Item ad qualitatem, et intensionem. *Cic. Fam.* 2, 7. Magnitudo et vis amoris. *Id. Dejot.* 11. acerbitatis, et odii. *Id. Or.* 1, 4. et varietas, multidoque causarum. *Nep. Iphicr.* 1. rerum gestarum. *Cic. Fam.* 1, 7. beneficii. *Id. Quint.* 2. periculi. *Id. Verr.* 2, 5, 10. frigoris. *Nep. Epam.* 2. virium. *Plin.* 25, 3, 7. doloris; et *ib.* 2, 3. ingenii. [**Vell.* 2, 100, 3. Magnitudinemque fo tunae suae peccandi licentia metiebatur. ℙ *Magnitudo* reperitur etiam in disciplina rhetorica, ubi de voce dicitur, quae robore naturali instructa est, *eine starke, kraftvolle Stimme.* Sic *Auct* ad *Her.* 3, 11. ubi figura vocis in tres partes dividitur, magnitudinem, firmitudinem, et mollitudinem: magnitudinem vocis, inquit, maxime comparat natura, nonnihil adauget, sed maxime conservat cura. Plura v. ap. *Ernest.* in *Lex. technol. Lat. rhet.* p. 251.] ℙ *Magnitudo animi* est magnanimitas, excelsus animus magna spectans, vilia despiciens, et qui nullo periculo aut difficultate deterretur. De ea *Cic. Part.* 22. *f.* Cujus est liberalitas in usu pecuniae, simulque altitudo animi in capiendis incommodis, et maxime injuriis. *Caes. B. G.* 2, 27. *extr.* Quae facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat. *Hirt. B. Alex.* 32. Dignum fructum virtutis et animi magnitudinis tulit. *Cic. Part.* 23. Magnitudinem animi superbia in animis extollendis, et despicientia in contemnendis honoribus imitatur. *Id. Fam.* 1, 7. *med.* Magnitudinem animi tui ne unquam inflectas cujusquam injuria. [**Vell.* 2, 41, 1. de C. Caesare: — magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio, neque iracundo, simillimus.] ℙ Absolute. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 3. Non fraudando magnitudine hac quoque sua Cn. Pompejo, qui nunquam agrum mercatus est conterminum. ℙ Ad tempus etiam referri potest. *Plin.* 36, 10, 25. Ad deprehendendas solis umbras, dierumque ac noctium magnitudines. ℙ Pro dignitate, excellentia. *Tac. A.* 16, 23. Imperatoria magnitudo. *Id. ib.* 14, 54. Invidia infra tuam magnitudinem jacet. [**Suet. Aug.* 94. Futura magnitudo ejus et perpetua felicitas. *Vell.* 2, 36, 1. divus Augustus — omnibus omnium gentium viris magnitudine sua inducturus caliginem. *Id.* 48, 2. et, quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos: ubi v. *Ruhnk.*] ℙ Fuit etiam sequioris Latinitatis temporibus titulus honoris, quo decorabatur magister militum per orientem. *Imp. Justinian. Cod.* 1, 27, 2. §. 3. In Sardinia autem jubemus ducem ordinari habentem milites pro custodia locorum, quantos et ibi tua magnitudo providerit. *Cass. Variar.* 9, 13. *ad Comitem patrimonii.* Magnitudini tuae praesenti auctoritate praecipimus, ut, etc.

MAGNOPĔRĔ, adv. *λίαν, πάνυ*, valde, vehementer: adverb. ex *magno opere* conflatum: et fere cum verbis jungitur. *Cic. Fam.* 15, 14. *med.* Ego tibi Romam properandum, magnopere censeo; et *ib.* 2, 6. Magnopere volo. *Id. Sen.* 13. desidero. *Pl. Pers.* 2, 2, 59. Edictum est magnopere mihi, ne cui quam crederem. *Cic. Leg.* 1, 20. L. Gellius philosophis magnopere auctor fuit, ut, etc. *Id. Verr.* 2, 5, 41. Quid, inquam, magnopere Cleomenes facere potuit? *Id. Or.* 2, 86. Juvenes stare ad januam duos, qui eum magnopere evocarent. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. Ut nunc est, nulla magnopere exspectatio est, *h. e.* nulla magna exspectatio. Sic *Liv.* 3, 26. Nulla magnopere clade accepta, *h. e.* nulla magna clade. *Cic. Rosc. Com.* 15. Quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro. *Plin.* 10, 2, 2. Phoenix non visus magnopere; et 35, 10, 37. Ideo non extant exempla alia magnopere, *h. e.* multa exempla. ℙ Etiam divisim usurpatur. [*Est haec ap. *Caes.* et reliquos historicos usitatissima dicendi ratio. V. *Moeb.* ad *Caes. B. G.* 1, 13. et quem laudat *Drakenb.* ad *Liv.* 1, 17. et 3, 18.] *Cic. Fam.* 13, 34. Magnoque opere abs te peto, cures, ut, etc. *Id. Inv.* 2, 1. Cum puerorum formas magno hic opere miraretur. *Id. Att.* 13, 28. *extr.* Dolabella magno opere arcessitus. ℙ Et inverso ordine. *Accius* ap. *Non.* 4, 330. Ite actutum, atque opere magno edicite, ut, etc. ℙ Comp. *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. Quo majore opero dico, suadeoque, uti, etc. Sup. est *maximopere*, quod et ipsum interdum dividitur. *Cic. Fam.* 3, 2. A te maximopere, etiam atque etiam quaeso, et peto, ut, etc. *Ter. Eun.* 3, 3, 26. Thais maximo te orabat opere, ut, etc. *Id. Ph.* 5, 1, 33. Nos ambo opere maximo dabamus operam, ut, etc. *Lib.* 42, 57. Maximopere indigne ferens. *Pl. Stich.* 1, 3, 94. Rogare jussit te opere maximo, ut, etc. *Ter. Heaut.* 4, 1, 13. Meministin' mihi te maximopere dicere? etc. ℙ Secundam licenter producit *Paul. Not. carm.* 27, 73. V. tamen l. in GENS. ℙ *Scriptura *magno opere* antiquitatem magis sapit quam *magnopere*, et in palimpsesto *Frontonis* non semel occurrit, notante *Angelo Maio* ad *Cic. de re publ.* 1, 8. *extr. B. A.*

*MAGNOPOLIS, is, f *Μαγνόπολις*, a Pompeio Magno sic dicta, urbs Ponti, ad Iris Lycique fluminum confluentes. *Plin.* 6, 3. *B. A.*

MAGNUS, a, um, adj. *μέγας*, grandis, amplus: cui *parvus* opponitur: videturque esse a voce Graeca allata, *n* inserto. [*Etymon est a *mago.* V. in MACTO.] Comp. habet *Major*, *jus*, Sup. *Maximus*, et antiquo more *Maxumus.* Primo dicitur de iis, quae corpoream magnitudinem habent. [*Quid differant *magnus*, *grandis* et *amplus*, aliaque ejusd. gen. synon. v. ap. *Doederl.* 3, 228. sqq.] *Cic. N. D.* 2, 6. Magna et pulcra domus. *Catull.* 64, 280. Magni montes. *Caes. B. G.* 2, 4. Magnae partis harum regionum imperium obtinent; et *ib.* 4, 29. Maximi aestus maritimi; et *ib.* 1, 23. Oppidum Aeduorum longe maximum. *Ov. Pont.* 4, 10, 57. quos inter maximus omnes Cedere Danubius se tibi, Nile, neget. *Liv.* 24, 9. Aquae magnae bis eo anno fuerunt. ℙ Item de iis, quae pondere, et numero constant, pro *multus.* *Cic. Verr.* 2, 2, 72. Maximum pondus auri, magnum numerum frumenti, vim mellis maximam exportasse. *Id. Att.* 11, 3. *f.* Cui magnam dedimus pecuniam mutuam. *Caes. B. G.* 1, 16. Pabuli magna copia; et *ib.* 4, 34. Magna multitudo peditatus. *Nep. Dion.* 1. Magnae divitiae. *Virg. A.* 1, 152. Magnus populus. *Nep. Dat.* 3. concursus. [*Adde *Phoc.* 1, 3. munera magnae pecuniae: ubi v. *Brem.*] ℙ Item de iis, quae virtute, non mole ampla sunt. *Cic. Caecin* 32. Magna voce confiteri. [*V. *Ernest.* l. in *Magnitudo* l.] *Nep. Timoth.* 3. Magna spes. [*Poteris hic conferre locum *Caes. B. G.* 6, 30. Magno accidit casu; et *paulo post:* magnae fuit fortunae. V. *Moeb.*] *Cic. Fam.* 1, 1. infamia; et *ib.* eloquentia, gravitas, studium, contentio. *Caes. B. G.* 1, 46. Multo major alacritas, studiumque pugnandi majus; et *ib.* 2, 15. Homines feri, et magnae virtutis. *Nep. Iphicr.* 3. Magno animo esse. ℙ Item de iis, quae solemnia sunt, et multo apparatu fiunt. Hinc *magni ludi*, de quibus *Ascon.* in *Verr.* 1, 10. Romani ludi, inquit, sub regibus instituti sunt, magnique appellati, quod magnis impensis dati sunt: tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum. Alii ideo magnos dictos putant, quod Conso, consiliorum secretorum Deo, idest Neptuno laticum regi, et rerum conditarum, et Diis magnis, idest Laribus urbis Romae dati sunt: quibus

ajunt raptas Sabinas esse: ut videatur propter hoc dicere Virgilius (*A.* 8, 636.) magnis circensibus actis: nam magni, et circenses iidem sunt. Hactenus *Ascon.* Horum mentio fit ap. *Cic. l. c.* (item *Verr.* 2, 5, 14., ubi Jovi, Junoni, Minervaeque dicatos dicit) *Liv.* 2, 36. etc. Iidem dicti sunt etiam *maximi*, ut est ap. *Cic. Har. resp.* 6. Horum alii erant stati, alii votivi, ut colligitur ex *Liv. ib.* et 7, 22. et alibi. *Maximos* etiam esse voluit Nero ludos, quos pro aeternitate imperii susceperat, ut narrat *Suet. Ner.* 11. ℙ *Magnus vir*, qui magno animo est, et magna facit, praestans ingenio, virtute, doctrina, artibus. *Cic. N. D.* 1, 43. Democritus vir magnus in primis. *Virg. A.* 1, 549. quo justior alter Nec pietate fuit, nec bello major et armis. *Nep. Them.* 6. Magnus hoc bello Themistocles fuit, nec minor in pace. ℙ [**Magnus* pertinet etiam ad potestatem, quam quis gratia, auctoritate comparavit. *Nep. Alc.* 3, 4. de Alcibiade: quod et potentior et major, quam privatus, existimabatur: ubi v. *Brem.* Adde *Ov. Her.* 9, 30. magno conjuge; et quem *Ruhnk. ib.* laud. *Hor. Epod.* 4, 15. Magnus imprimis eques. Contra parvus senator ap. *Auct. B. Afr.* 57. Huc debebat etiam referri locus, quem Noster paulo inferius laudaverat *Juv.* 6, 312. magnos visurus amicos: ubi divitiarum et nobilis generis imprimis habenda ratio est.] ℙ *Magnus homo* interdum est etiam stolidus. *Lucil.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Nequam et magnus homo, laniorum immani canes ut. *Mart.* in ambiguo ludit 9, 51. tu, bis denis grandia libris Qui scribis Priami proelia, magnus homo es. V. LONGUS. ℙ *Magna res* est gravis et magni momenti. *Nep. Pelop.* 2. Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae. Sic *Cic. Dom.* 1. Magna causa; et *Or.* 10. Magnum opus et arduum. Et absolute *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Quamquam id magnum, et arduum est. *Cic. N. D.* 2, 66. *f.* Magna Dii curant, parva negligunt. *Tibull.* 2, 6, 11. Magna loqui, *h. e.* magnifice. Hinc *magna lingua* ap. *Hor. Od.* 4, 6, 1. est superba, et elatius impieque locuta. Sic *Virg. A.* 10, 547. Dixerat ille aliquid magnum. ℙ Pertinet enim aliquando *magnus* ad superbiam, et jactantiam. *Id. ib.* 11, 381. non replenda est curia verbis, Quae frustra tibi magna volant. *Val. Fl.* 5, 600. magna superbo Dicta volant. [*Opp. *minora verba.* V. *Burm.* ad *Val. Fl.* 1, 262. *Broukh.* ad *Tibull.* 2, 6, 11. et *Koen.* in *praef.* ad *Greg. de Dial.* p. 9.] ℙ Nonnunquam ad venerationem, auctoritatem, potentiam refertur. *Virg. A.* 3, 697. Numina magna loci. [*Ita perpetuum est Deorum epitheton. V. *Spanh. de Us. et Pr. Num. Diss.* 7. p. 447. quem laud. *Ruhnk* ad *Ov. Her.* 19, 143.] ℙ Item ad tempus. *Petr. Sat.* 125. Dum haec magno tempore Grotone aguntur. Adde *Just.* 42, 5. ℙ Hinc *magnus natu*, [**Magnus natu* latine quidem non dicitur, sed *magno natu*, *maximo natu.* V. *Ramsh.* §. 141. p. 425. N. 3.] aut *annis*, qui diu vixit. *Cic. Tusc.* 1, 1. *extr.* Qui fuit major natu, quam Plautus. *Id. Off.* 1, 30. Audivi ex majoribus natu, hoc idem fuisse in P. Scipione. *Nep. Reg.* 2. Majorque annis sexaginta natus decessit. [*Eadem ratione dicitur etiam ap. *Cic. Rosc. Am.* 14, 39. Annos natus major quadraginta. *Nep. Reg.* 2, 3. Majorque annos sexaginta natus. *Fragm. legis Serv.* ap. *Grut.* 506, 13. In senatum legei non liceat queive minor anneis XXX majorve annos LX gnatus siet. — Utramque formulam *Ramsh. Gr. Lat.* §. 135. p. 401. ita recte explicuisse videtur, ut post *major*, eadem ratione qua post *plus*, *amplius*, *minus*, part. *quam* omissam dicat, his comparatis pleni dicendi generis exemplis: *Liv.* 45, 32. quos cum liberis, majoribus quam quindecim annos natis, praecedere in Italiam placeret; et *Gell.* 1, 12. Qui de Vestali virgine capienda scripserunt, minorem quam annos sex, majorem quam annos decem natam, negaverunt capi fas esse. *Brem.* ad *Nep. Reg.* 2, 3. docet, *major*, quum absolute provectum aetate significet, loco adverbii *amplius*, vel sim., per appositionem v. *natus* addi, ita ut duo dicendi genera in unum conjungantur. Eadem fere est ratio, quam *Matth.* ad *Cic. Rosc. Am.* dedit.] *Nep. Paus.* 5. et *Liv.* 2, 8. Mater Pausaniae jam magno natu. *Id. Dat.* 7. Ab hoc Scismas maximo natu filius desciit. [*V. *Brem.* ad h. l.] *Suet. Caes.* 42. Civis major annis viginti; et *Aug.* 38. Majores annorum quinque et triginta. *Liv.* 45, 15. Filius quinquenni major. *Capitol. Pert.* 4. Sexagenario major imperator factus est Pertinax. ℙ Absolute. *Liv.* 23, 30. Gelo, maximus stirpis. *Ter. Ph.* 1, 2, 13. Senis nostri frater major. [*Liv.* 6, 34. Fabii Ambusti filiae duae nuptae, Ser. Sulpicio major, minor Licinio Stoloni erat. *Caes. B. C.* 3, 108. In testamento Ptolemaei patris heredes erant scripti ex duobus filiis major, et ex duabus ea, quae aetate antecedebat.] ℙ Quoties *major* minori opponitur, et de pupillis sermo est, *major* eum significat, qui viginti quinque annos implevit. *Paul. Dig.* 4, 4, 24. Si minor negotiis majoris interveneri. ℙ Praeterea sunt *majores*, qui aetate superiore, et ante nos fuerunt: sive nostri generis fuerint, ut avus, abavus, tritavus, etc., sive alieni. Docet quidem *Paul. Dig.* 38, 10, 10. parentes usque ad tritavum proprio vocabulo nominari: ulteriores, quia non habent speciale nomen, *majores* appellari. Nihilominus etiam qui supra patrem, aut avum sunt, cum de iis universim sermo est, *majores* dicuntur. [*Cf. *Duk. de Lat. Vett. Ict.* 213. et 223.] *Cic. Phil.* 3, 10. L. Philippus, vir patre, avo, majoribus suis dignissimus. *Id. Div. Verr.* 22. Cujus instituti patres majoresque nostros non poenitebat. *Id. Att.* 1, 1. Prensat Galba sine fuco, ac fallaciis, more majorum; et *Fam.* 12, 22. Spes est, populum Romanum majorum similem fore. ℙ Hoc sensu additur raro v. *natu. Nep. Iphicr.* 1. Fuit enim talis dux, ut non solum aetatis suae cum primis compararetur, sed ne de majoribus quidem natu quispararetur, sed ne de majoribus quidem natu quispararetur, sed ne de majoribus quidem natu quispararetur, sed ne de majoribus quidem natu quis quam anteponeretur. ℙ [**Majores natu* dicuntur etiam pro senatu. V. *Liv.* 1, 32.] ℙ Huc pertinent appellationes illae cognationum, et affinitatum, in quarto gradu *patruus*, *avunculus magnus*, *amita*, *matertera magna*, etc., in quinto *patruus*, *avunculus major*, etc., in sexto *patruus*, *avunculus maximus*, etc. (de quibus V. ss. ll.), ut est ap. *Paul. Dig.* 38, 10, 10. ℙ Legitur et *magnus* pro longus. *Spart. Ael. Ver.* 2. Cum magnis crinibus est utero parentis effusus. ℙ *Magnus annus* quis sit, V. ANNUS. ℙ *Major morbus.* V. MORBUS. ℙ *Magnum est*, magna res est et difficilis. *Cic. Acad.* 1, 2. Magnum est efficere, ut quis intelligat, quid sit illud, etc. Sic *Hor. Sat.* 1, 10, 20. magnum fecit, quod verbis Graeca Latinis Miscuit; et *Cic. Amic.* 9. Probitatem vel in eis, quos nunquam vidimus, vel quod majus est, in hoste etiam diligimus. ℙ *Magnum* etiam dicitur id, quod vim habet magnam ad aliquid faciendum. *Cic. Fam.* 4, 3. Haec tibi ad levandas molestias magna esse debent. *Id. Agr.* 2, 2. Hoc ego tam insigne, tam singulare vestrum beneficium, Quirites, cum ad animi mei fructum atque laetitiam duco esse permagnum, tum ad curam sollicitudinemque multo magnum, tum ad curam sollicitudinemque multo magnum, tum ad curam sollicitudinemque multo mag

dixere amorem posse defigi malo. *August. C. D.* 18, 17. Circe maga famosissima.

MĂGUS, i, m. *μάγος*, dictio Persica, quae apud eos significat sapientem. Sapientes enim Persae magos vocant, ut Graeci philosophos. *Cic. Div.* 1, 23. Ei magos dixisse, quod genus sapientum et doctorum habebatur in Persis; et *infra ib.* 41. Et in Persis augurantur et divinant magi, qui congregantur in fano commentandi causa, atque inter se colloquendi. Nec quisquam rex Persarum potest esse, qui non ante magorum disciplinam scientiamque perceperit. ℙ Consuetudine, et sermone communi pro malefico, seu incantatore accipitur. Nam cum magi apud Persas potissimum Deorum cultui vacare solerent, in tantum postea aucta est eorum vanitas, ut non solum observatione siderum futura praedicere, sed artibus quibusdam, et maleficiis et scire se omnia, et facere posse profiterentur. V. *Appul. Apol.* et *Quint. decl.* 10. *f.*

*MAGŪSA, ae, f. Arabiae opp. *Plin.* 6, 28. ℙ Item aliud, in Aethiopia, vel fortasse Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Id. ib.* 29. *B. A.*

[MAGUSĀNUS, i, m. cogn. Herculis in nummo Postumi Aug. ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 444., et in duabus *Inscr.* ap. *Mur.* 64, 1. et 2., quod videtur esse a Mecusa, seu Magusa urbe Mosellae fluvio adsita. *F.*]

*MAGYDĂRIS. V. *Magudaris. B. A.*

MAJĂ, ae, f. *Maïa*, Atlantis filia, ex Pleione Nympha, ex qua Juppiter Mercurium suscepit. Huic Romani mense Majo sacrificabant. Sed quidam affirmant, teste *Macr. Sat.* 1, 12., quibus *Cornelius Labeo* consentit, hanc Majam, cui mense Majo res divina celebrabatur, terram esse, hoc adeptam nomen a magnitudine, sicut et Mater Magna in sacris vocatur. *Virg. A.* 1, 301. Maja genitum demittit ab alto. ℙ Fuit altera hoc nomine, Fauni filia, cui in mellario vase, non mel, sed vinum sacrificabant. *Macr. ib.* ℙ Praeterea Maja est una ex Plejadibus stellis. *Virg. G.* 1, 225. Multi ante occasum Majae coepere, etc. ℙ Denique sic appellatur cancrorum genus maximum. *Plin.* 9, 31, 51.

MAJĂLIS, is, m. *χοῖρος, τομίας*, sus castratus. *Isid.* in *Gloss.* dictum censet, quia Majae Deae sacrificabatur, matri Mercurii. *Varr. R. R.* 2, 4. *f.* Castrantur verres commodissime anniculi, quo facto nomen mutant, atque e verribus dicuntur majales. *Titin.* ap. *Non.* 2, 330. Nunc tecum obsecro, ut mihi subvenias, ego ne majalis fuam, *h. e.* ne castratus fiam. Adde *Cic. Pis.* 9. ut quidem legit *Isid. Orig.* 2, 30.; nam alii pro *majali* legunt *animali.*

[MAJĀNUS, a, um, adj. ad Majum aliquem pertinens. *Plin.* 25, 8, 33. Ea pictura cum peracta esset in Majanis hortis. In *Inscr.* ap. *Grut.* 589, 3. Pro*curator* hortorum Majanorum; et 602, 3. Villicus hortorum Majanorum. *F.*]

MAJESTĂ, ae, f. uxor Vulcani, ab antiquo positivo *majus* pro *magnus. Macr. Sat.* 1, 22. ex *Pisone.*

MAJESTAS, atis, f. *σεμνότης*, magnitudo, amplitudo, decus, dignitas. [**Hoheit, Erhabenheit.* Etymon v. est a *majus, a, um.* Fingunt poetae, Deam esse, natam ex Honore et Reverentia, et quae nullo unquam tempore parva fuerit, sed statim atque in lucem edita est, magna visa sit. V. *Ov. Fast.* 5, 20. et *Gierig.* in ind. ad *Ov. Fast.* s. v. *majestas.* Hinc recte primo loco videntur ea exempla collocari, in quibus Deorum est *majestas.* V. *Casaub.* ad *Treb. Poll. Gall. Duos* 14. Noster laudaverat *Cic. Div.* 1, 38. Dii non censent esse suae majestatis, praesignificare hominibus, quae sunt futura; et *Mil.* 30. *f.* Nec vero quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam majestatem esse ducit, numenve divinum: ubi tamen *Orell.* exhibet: nisi qui nullam vim esse ducit. Al. aliter leg. *Sen. ep.* 95. *med.* Primus est Deorum cultus Deos credere: deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est. *Suet. Tib.* 63. Vicina urbi oracula disjicere conatus est: sed majestate Praenestinarum sortium territus, destitit. *Just.* 24, 6. de templo Apollinis Delphici: Incertum est, utrum munimentum loci, an majestas Dei plus hic admirationis habeat. *Suet. Cal.* 22. Divinam ex eo majestatem asserere sibi coepit. ℙ A Diis translatum nomen est ad homines, quibus *majestas* tribuitur propter virtutis cujus rarae opinionem, propter imperium. Ita dicitur de regibus, imperatoribus, consulibus, senatu, judicibus et in universum de cujuscunque generis cum magna quadam hominum reverentia conjuncto principatu. *Phaedr.* 2, 5. Tum sic jocata est tanti majestas ducis. *Nep. Pelop.* 2. Spartanorum imperiosa majestas, ab hoc initio perculsa cecidit. *Liv.* 8, 34. Stabat cum eo senatus majestas, favor populi, etc. *Cic. Rosc. Am.* 19. Majestas judicum. *Id. Pis.* 11. consulis. *Caes. B. C.* 3, 106. In hoc omnis multitudo majestatem regiam minui praedicabat. ℙ *Majestas patria* est jus patriae potestatis, et paternae dignitatis excellentia. *Liv.* 8, 7. Neque imperium consulare, neque majestatem patriam veritus. *Just.* 10, 2. *f.* Dum patri insidias parat, deprehensus cum sociis, poenas parricidii Diis paternae majestatis ultoribus dedit. ℙ De majestate privatorum V. *Val. Max.* 2, 10. ℙ Ap. Romanos erat proprie populi: senatus enim *auctoritas* dicebatur. Nam populus sciscere solebat, et jubere: senatus censere, et auctor esse. *Cic. Phil.* 3, 5. Ut omnes ad auctoritatem hujus ordinis, majestatemque populi R. defendendam conspirasse videantur. *Id.* ap. *Quint.* 7, 3. *f.* Majestas est in imperio, atque in omni populi R. dignitate. *Sall. Jug.* 35. Majores vestri parandi juris, et majestatis constituendae gratia, bis per secessionem armati Aventinum occupavere; et *ib.* 17. *f.* Patres conscripti, per vos, per liberos, atque parentes vestros, per majestatem populi R. subvenite misero mihi. *Caes. B. G.* 7, 17. ℙ *Crimen majestatis* est, cum ea violantur, in quibus vel regis, vel magistratus, vel populi amplitudo et summa potestas versatur: et *majestatem laedere*, vel *minuere* est aliquid committere contra eorum dignitatem et amplitudinem: et *majestatis rei* dicuntur, qui de majestate laesa, seu imminuta accusantur. V. *Suet. Tib.* 2. *med.*, ubi de hac re exemplum. V. etiam *Dig.* 48, 4. *Cic. Part.* 30. Majestas est magnitudo quaedam populi R. in ejus potestate ac jure retinendo, etc. quam minuit is, qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocavit. *Id. Inv.* 2, 18. Majestatem minuere est aliquid de republ. cum potestatem non habeas, administrare; et *ib.* 17. Majestatem minuere est de dignitate, aut amplitudine, aut potestate populi, aut eorum, quibus populus potestatem dedit, aliquid derogare. *Id. Verr.* 2, 4, 41. Est crimen majestatis, quod imperii nostri gloriae, rerumque gestarum monumenta evertere, atque asportare ausus est. *Id. Cluent.* 35. Legionem sollicitare, res est, quae lege majestatis tenetur; et *ib.* Condemnatus majestatis. *Sen. Contr.* 4, 25. Populi R. majestatem laedere; et *ib.* Laesae majestatis accusari. *Quint.* 5, 10. *med.* Injuriam fecisti: sed quia magistratui, majestatis actio est. *Ulp. Dig.* 48, 24, 1. Majestatis causa damnatus. *Callistr. ib.* 2, 20. Majestatis judicium. ℙ Formula fuit in foederibus concipiendis, *imperium majestatemque populi R. conservato sine dolo malo*, quae habetur ap. *Cic. Balb.* 16. et *Liv.* 38, 11., quoties ille populus, qui foedere Romanis jungebatur, esset inferior opibus et potentia. ℙ Olim in judicium majestatis veniebant facta tantummodo, ut si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, denique male gesta republica, eam minuisset: dicta impune erant. Primus Augustus ea quoque in judicium adduxit, quem secuti alii. *Tac. A.* 1, 72. ℙ Tum sequi poterant ea, in quibus *majestas* etiam rerum cujusque generis significat amplitudinem, gravitatem, speciem honestam et insignem: respondet saepissime i. q. nos dicimus *das Ungemeine, die Pracht, Würde. Cic. Amic.* 25. Quanta illi fuit gravitas! quanta in oratione majestas! *Liv.* 1, 53. Majestas loci. *Lucr.* 5, 7. ut ipsa petit majestas cognita rerum; et 1136. subvorsa jacebat Pristina majestas soliorum. *Mart.* in *ep. praefixa l.* 8. nominis. *Gell.* 18, 3. aetatis et dignitatis. *Liv.* 34, 2. et pudor matronarum. Sic *Afran.* ap. *Non.* 2, 805. Tuam majestatem et nominis matronae sanctitudinem. *Varr. R. R.* 2, 5. Novi majestatem boum, et ab his dici pleraque magna, *βουσυχον, βούπαιδα, βούλιμον*, etc. *Plin.* 11, 17, 17. Rex apum nullum habeat aculeum, majestate sola armatus. *Id.* 9, 36, 50. praetextam *majestatem pueritiae* appellat. *Id.* 37. *in.* Gemmae supersunt, et in arctum coacta rerum naturae majestas. *Claud. Laud. Stil.* 1, 79. Tyria majestas, *h. e.* splendor et pulcritudo purpurae. ℙ *Majestas tua, vestra*, titulus R. imperatorum, legitur ap. *Symm. ep.* 10, 16. (al. 23.) *ad Theodos.* et *Eumen. Pan. ad Constant.* 21. etc. *Inscr.* ap. *Mur.* 1028, 1. Agathus jam liberorum IV. divina majestate consecutus, *h. e.* ab imperatore. Non est tamen eadem ratione dictum illud *Hor. Ep.* 2, 1, 257. ad August.: sed neque parvum Carmen majestas recipit tua.]

MAJOR. V. MAGNUS.

[MAJORĬĀRĬUS, a, um, adj. ad majorem pertinens, ut *Majoriarius*, scilicet conductor vectigalium: videtur fuisse, qui integra alicujus provinciae, vel civitatis, vectigalia conducit, cui opponitur *minuscularius*, qui minusculam eorum partem. *Inscr.* ap. *Grut.* 1069, 10. Herculi Aeliano sacrum, quem consecrarunt (lege *consecravit* ex *Lupuli Iter Venus.* p. 91. qui lapidem vidit) Samnius Tertullinus ex majoriario, *h. e.* qui fuit majorum vectigalium conductor. ℙ Est qui interpretandum putat, *qui fuit majorinae pecuniae collector*, sed hoc minime probandum videtur, tum quia haec inscriptio vel ad Hadrianum Aug. pertinet, qui obiit ann. a Chr. n. CXXXVIII., vel ad Commodum Aug., qui ann. CXCII. occisus est, cum e contrario majorinae pecuniae mentio primum fiat in *Cod. Theod.* 9, 21, 6., ann. scil. CCCXLIX.; tum quia illius pecuniae usum publicum vetuerunt: minime vero jusdem collectionem fieri jusserunt imperatores. *F.*]

MAJŌRĪNUS, a, um, adj. a *major. Majorinae olivae* dicuntur, quae sunt omnium maximae, alio nomine *regiae.* Eaedem tamen minimum olei habent: unde et phauliae dicuntur, *φαυλίαι*: a *φαῦλος*, vilis, vitiosus. *Plin.* 15, 3, 4. ℙ *Majorina pecunia* argentea erat, quae scilicet, majori forma cusa, in *Cod. Theod.* 9, 23, 2. *decargyrus* appellatur, quia decem numero ex qualibet argentei libra; cum plerumque ex eadem sexaginta, vel quatuor et octoginta cudi solerent: ea porro in usu publico versari vetita fuit, utpote quae imperiali largitione quibusdam tantum privatis praemii, minime vero pretii vel mercedis loco distribueretur: huic opponitur *centenionalis* itidem argentea, quae centum numero ex qualibet argenti libra erat. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 9, 21, 6. Comperimus, nonnullos flaturarios majorinam pecuniam non minus criminose, quam crebre, separato argento ab aere, purgare. *Impp. Constant. et Julian. Cod. Theod.* 9, 23, 1. Mercatores cuncta solita licentia mercabuntur, praeter pecunias, quas more solito majorinas, vel centenionales appellant, vel ceteras, quas vetitas esse cognoscunt. ℙ *Majorinus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 530. L. Pedius Majorinus. [*Plurima addidit *F.*]

MAJŪGĒNA, ae, m. Maja genitus, *h. e.* Mercurius. *Capell.* 1. *f. in carm.* Nostri Majugenam pignoris inclyti. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 67. *B. A.*

MAJŪMA, ae, f. ludi genus. Scribit *Suidas*, dictum esse a Majo mense, quod cives R. certo ejus mensis die ad Ostiam secundo Tiberi descenderent, ibique in marinis aquis natantes luderent. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 15, 6, 1. Placuit, ut majumae laetitia provincialibus redderetur, ita tamen, ut servetur honestas, etc.; et *ib.* 2. Majumam, foedum atque indecorum spectaculum, vindicamus. Hunc ludum *Suidas* ita describit: *Παντήγυρις ἐγένετο ἐν τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸν Μάϊον μῆνα. Τὴν παράλιον καταλαμβάνοντες πόλιν, τὴν λεγομένην Ὀστίαν, οἱ τὰ πρῶτα τῆς πόλεως τελοῦντες, ἡδυπαθεῖν ἠνείχοντο, ἐν τοῖς θαλαττίοις ὕδασιν ἀλλήλους ἐμβάλλοντες.* Hujusmodi ludus facile paulatim in obscenam exercitationem degenerare potuit. [V. *Gothofredum* ad *Cod. Theod. l. c.* multa de hoc ludo docte disserentem. *F.*]

MAJUS, a, um, adj. ap. veteres idem fuit, quod *magnus:* [*Etym. est a *mago, ere.* V. in MACTO.] unde *Majus Deus*, Juppiter, apud Tusculanos, a magnitudine scilicet, et majestate: et *Dea Maja*, cui mense Majo res divina celebrabatur: quam esse terram (unde et *magna mater* dicta est) adeptam nomen itidem a magnitudine, multi affirmant, ut est ap. *Macr. Sat.* 1, 12. ℙ Ab hoc etymologi ducunt *major*, et *majestas.*

MAJUS, ji, m. *Μάϊος*, mensis tertius a Martio, ita dictus a *majoribus*, quorum consilio gerebatur respubl. sicut sequens *Junius* a *junioribus*, qui rempubl. armis gerebant: vel a *majestate*, ut fabulatur *Ov. Fast.* 5. *in.:* vel a Maja matre Mercurii, cui hoc mense sacrificabant: vel a Majo Deo, *h. e.* Jove. V. v. praec. *Ov. l. c.* 185. Incipis Aprili, transis in tempora Maji. [*Cf. *Gierig.* in *ind. rerum* ad *Ov. Fast.* s. v. *Majus.*] ℙ Saepissime adjectiva forma effertur, *mensis Majus, Idus Majae, Calendis Majis*, etc. *Prop.* 4, 5, 36. Natalem Majis Idibus esse tuum. *Ov. Fast.* 4, 947. Exit et in Majas sacrum Florale calendas. ℙ Proverbium est ap. *eund. ib.* 5, 490. *Mense malas Majo nubere*, quia Lemuribus eo tempore justa ferebantur, et opinio erat vulgo, non diu vivere, quae his diebus nupsissent: quare passim abstinebant nuptiis celebrandis. Alias hujus rei causas congerit, et perpendit *Alexander Tassonus Cogitationem l.* 8. *quaest.* 2., inter quas illam quoque affert, quod is mensis asinorum connubiis frequens esse videatur.

MAJUSCŬLUS, a, um, adj. aliquanto major, grandiusculus: dimin. comparativi. *Plin.* 26, 6, 15. Folia sunt majuscula, quam hederae. *Ter. Eun.* 3, 3, 20. ea si vivit, annos nata est sedecim, Non major: Thais, quam ego sum, majuscula est. *Cic. Fam.* 9, 10. Cum mihi sit incertum, tranquillo ne sis animo, an, ut in bello, in aliqua majuscula cura negotiove versere.

MĂLA, ae, f. *σιαγών, γένυς*, vox per syncopen facta ex *maxilla*, fuga litterae vastioris, quemadmodum a *taxillo talus, vexillo velum, paxillo palus* contracta sunt, ut *Cic.* docet *Or.* 45. [*Vice versa *Lünem.* in *Lex.* Lat. s. h. v. *mala* non contractum ex *maxilla*, sed *maxilla* diminut. v. *mala* dicit, quod a *mando*, ut *scala* a *scando*, deduci jubet.] Significat autem os faciei superius immobile, inter oculum, nasum, et buccam, in quo dentes infixi sunt. *Cels.* 8, 1. *med.* Maxilla est mobile os, eaque una est: cujus eadem et media, et etiam ima pars mentum est: a quo utrinque procedit ad tempora: solaque ea movetur. Nam malae cum toto osse, quod superiores dentes excipit, immobiles sunt; et *mox:* Dentium pars maxillae, pars superiori ossi malarum haeret. Ex *Celso* itaque discrimen patet *malae* a *maxilla*, quia illa superior est, haec inferior. Adde *ib.* 7. *f.* Nihilominus in

plurali numero utramque significat. *Pacuv.* vel *Enn.* ap. *Cic. Or.* 3, 58. Ut meos malis miser manderem natos. Al. leg. *mandem.* Sic *Lucr.* 2, 637. Ne Saturnus eum malis mandaret adeptus. Al. leg. *mandĕret*, ut pro dactylo tribrachyn posuerit: al. *mandēret* paenult. prod. tanquam a *mandeo:* sed prior lectio retinenda. *Virg. A.* 3, 257. Ambesas subigat malis absumere mensas. ℙ Tribuitur et brutis animalibus. *Virg. A.* 12, 755. de cane: Increpuit malis, morsuque elusus inani est. *Id. G.* 3, 268. de equis: Glauci Potniades malis membra absumpsere quadrigae. *Id. A.* 11, 680. caput ingens oris hiatus, Et malae texere lupi, cum dentibus albis. *Hor. Od.* 2, 19, 23. leonis Unguibus, horribilique mala. ℙ Est etiam pars eadem faciei exterior, tum quae pudoris sedes, tum ubi barba emittitur, παρειά: et hominum solummodo est: fereque in plurali numero adhibetur. *Plin.* 11, 37, 58. Infra oculos malae homini tantum, quas prisci genas vocabant, XII. Tabularum interdicto radi a feminis eas vetante. Pudoris haec sedes: ibi maxime ostenditur rubor. *Virg. A.* 9, 751. Impubes malae; et *ib.* 10, 324. flavens prima lanugine malas. *Lucr.* 5, 886. pueris aevo florente juventas Occipit, et molli vestit lanugine malas. *Ov. Met.* 13, 753. octonis iterum natalibus actis, Signarat dubia teneras lanugine malas; et *ib.* 12, 391. prima tectus lanugine malas. *Pl. Mil.* 2, 5, 35. Mihi crepabunt manus, malae tibi.

MĂLĂBATHRON. V. MALOBATHRON.

[*MALACA, ae, et

MALACHA, ae, opp. Hisp. V. in MALACITANUS.]

MĂLACHĒ, es, f. μαλάχη, species malvae, ventrem emolliens: a voce Graeca allata, quae a μαλάσσω, mollio. *Plin.* 20, 21, 84. et *Colum.* 10, 247. Utrobique est qui legit *moloche*, a μολόχη, eod. sensu. *Sic ed. *Schneid. Plin.* 20, 4. Pastinacae simile hibiscum, quod molochen agriam vocant, *h. e.* malacham sylvestrem, μολόχην ἀγρίαν. *B. A.*

MĂLĂCĬA, ae, f. μαλακία, tranquillitas, cum maris fluctus omnino quiescunt et languent, neque ulla aura commoventur: ita ut naves, quae velis tantummodo aguntur, nullam in partem progredi possint: a μαλακὸς, mollis, languidus. *Caes. B. G.* 3, 15. Tanta subito malacia ac tranquillitas exstitit, ut se loco movere non possent. ℙ Translate sumitur pro mollitie animi, et languore. *Sen. ep.* 67. In otio inconcusso jacere, non est tranquillitas, malacia est. ℙ Dicitur etiam de languore stomachi cibum fastidientis, praecipue in mulieribus gravidis. *Plin.* 23, 6, 56. Semen citreorum edendum praecipiunt in malacia praegnantibus. *Id. ib.* 57. Malicorium expeditur gravidarum malaciae. *Id.* 27, 7, 28. Absinthium pellit malaciam stomachi.

*MALACĬON, μαλάκιον, genus quoddam ornamenti muliebris *Polluci* 7, 13. Idem quoque 5, 16. inter colli ornamenta numerat. Hujus fortasse (inquit *Gesnerus*) meminit *Naevius* poeta ap. *Non.* 14. *n.* 19 Pallis, patagiis, crocotis, malicis (sic *Mercer.*) mortualibus. Sed potest etiam adjectivum esse, ut legatur *malacis*, a *Malacus*, *a*, *um. B. A.*

MĂLĂCISSO, as, a. 1. μαλακίζω, mollio, subigo: s verbo Graeco allato, quod a μαλακὸς, mollis. *Pl. Bacch.* 1, 1, 31. Ah nimium ferus es, malacissandus es. *Sen. ep.* 66. *extr.* Malacissandos articulos exoletis meis porrigam? V. TRACTATOR.

[MĂLĂCĪTĀNUS, a, um, adj. ad Malacam seu Malacham pertinens, Hispaniae Baeticae urbem maritimam, nunc *Malaga*, quam alluit fluvius cognominis nunc *Guadalmedina* appellatus: nomen habet ab Hebr. Chald. et Arab. מָלַח *malach*, sale condivit, ob maximum salsamentorum commercium, teste *Strab. l.* 3. Μάλακα ἡ πόλις ἐμπορεῖον ἐστὶ, καὶ ταριχείας ἔχει μεγάλας. Hujus urbis, et fluvii *Plin.* 3, 1, 3. *n.* 2. meminit. *Avien. Ora marit.* 426. Malachaeque flumen urbe cum cognomine. *Inscr.* ap. *Grut.* 267, 6. Res publica Malac*itanorum*; et 647, 1. P. Clodius Athenio negocians salsarius Q*uin*Q*uennalis* corporis negociantium Malacitanorum. *F.*]

MĂLACTĪCUS, a, um, adj. molliendi vim habens, μαλακτικὸς. *Theod. Prisc. de diaeta* 15. Malacticam habet virtutem.

MĂLĂCUS, a, um, adj. μαλακὸς, mollis, tener, delicatus, laevis. *Pl. Mil.* 3, 1, 93. eme, mi vir, lanam, unde tibi pallium Malacum et calidum conficiatur, tunicaeque hibernae bonae, Ne algeas hac hieme, *h. e.* pallium ex lana molli et pretiosa. *Id. Bacch.* 1, 1, 37. Pro galea scaphium, pro insigni sit corolla plectilis, Pro hasta talus, pro lorica malacum capiam pallium. ℙ *Unctiones malacas* dicit *Id. Stich.* 1, 3, 74. quae deliciarum causa fiunt. *Id. Mil.* 3, 1, 74. Ad saltandum non cinaedus malacus aeque est, atque ego, *h. e.* flexibilis, enervis. V. EXOSSUS. *Id. Bacch.* 2, 3, 121. Hic nostra aetas augetur in malacum modum, *h. e.* jucunde, et multis deliciis.

*MALAGĪNUM, i, n. emplastrum quod sine igne conficitur. *Plin. Valer.* 3, 12. *B. A.*

MĂLAGMA, ătis, n. μάλαγμα, cataplasma, quod integrae cuti imponitur, molliendi vim habens. Quomodo ab emplastro, et pastillo differat, docet *Cels.* 5, 17. *n.* 2. V. EMPLASTRUM et PASTILLUS. *Id. ib.* Malagmata contusa abunde mollescunt: nam super integram cutem injiciuntur. *Colum.* 6, 17. Cuminum conteritur, eique adjicitur exiguum picis liquidae, et axungiae, ut lentorem malagmatis habeat. *Plin.* 22, 24, 56. Non fecit cerotum, malagmata, emplastra, collyria, antidota, parens illa ac divina rerum artifex: officinarum haec, imo verius avaritiae commenta sunt. *Id.* 25, 13, 95. Fit ex succo cicutae ad refrigerandum stomachum malagma. *Id.* 31, 6, 33. Aquam maris emplastris et malagmatis miscent: pro *malagmatibus.* V. EMBLEMA. ℙ *Malagma*, *ae*, f. saepe legitur ap. *Veg. Vet.*, ut 2, 48., 3, 20. et 21., 4, 20. 21. et 23. etc. V. SCHEMA.

MALANDRIA, orum, n. plur. pustulae elephantiasi similes, et equorum praecipue cervicem infestantes. *Veg. Vet.* 2, 42. ℙ *Malandria*, *ae*, f. dicitur a *Marcell. Empir.* 34. *med.*

MALANDRIOSUS, a, um, adj. malandriis laborans. *Marcell. Empir.* 19. *med.*

[MĂLĀRIUM, ii, n. idem ac pomarium. *Gloss. Isid. F.*]

*MALAS, ae, sculptor celebris. *Plin.* 35, 5. *B. A.*

MALAXĀTĬO, onis, f. actus emolliendi. *Theod. Prisc.* 1, 28. Malaxationes adhibendae.

MĂLĀXO, as, a. 1. μαλάσσω, malacisso, mollem reddo: a μαλακὸς, mollis. *Laberius*: Malas malaxavi. *Gell.* 16, 7. refert hoc inter ea, quae a *Laberio* praelicenter ficta sunt.

*MALCHA (pro Malchi) INSULA, prope Arabiam. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

[MALCHĬO, onis, m. dimin. malchi, sive regis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1547, 4. Q. Marcius Q. L. Malchio. *F.*]

[MALCHUS, i, m. rex: ab Hebr. מֶלֶךְ *mélech*, rex. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1108, 8. D. M. C. Julii Malchi. *Clem. Cardinali Iscriz. Velit. n.* 78. qui lapidem vidit, habet MALGHI: at *G* pro *C*, et *H* pro *H* facili negotio quadratarius exarasse videtur. [*Cf. *Schneid.*, qui in Gr. L. l. p. 209. et *Malcus*, sine aspiratione, ap. *Grut.* p. 317. *n.* 7. legi docet, originem vocis a μαλακὸς deducendam suspicans, coll. *Bentl.* animadvers. ad *Hor. Sat.* 1, 2, 25. ubi *Malchinus* contra *Malthinus* defenditur.] ℙ Fuit etiam hoc nomine rex Nabathaeorum, cujus meminit *Auct. B. Alex.* 1. *F.*]

MALDACON, i, n. gummi ex bdellio arbore. *Plin.* 12, 9, 19. **Locus est:* Vicina est Bactriana, in qua bdellium nominatissimum. Arbor nigra est — gummi alii brochon adpellant, alii malacham, alii maldacon. *B. A.*

MĂLĒ, adv. κακῶς, perperam, prave, vitiose, improbe. *Atticus* ad *Cic. Att.* 9, 10. Si iste Italiam relinquet, faciet omnino male; et, ut ego existimo, ἀλογίστως. *Pl. Poen.* 4, 2, 66. Dubitas, quin lubenter tuo hero meus, quod possiet facere, faciat male? *Cic. Fam.* 11, 21. Dii isti Segulio male faciant, homini nequissimo. *Id. Att.* 15, 1. O factum male de Alexione! Sic *Catull.* 3, 16. O factum male! o misselle passer, etc. *Caes. B. C.* 2, 15. Ubi tantos tuos labores male cecidisse viderunt. *Pl. Asin.* 5, 1, 13. Male velle alicui. *Cic. Sen.* 6. et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. Male cogitare de aliquo. *Cic. Rosc. Am.* 48. loqui: maledicere. *Ter. Ph.* 2, 3, 25. loqui alicui: quod et maledicere, et obtrectare dicimus: sed plerumque unitis vocibus, *maledicere*: nam divisis significat perperam dicere, contra rationem, et absurde loqui. *Id. Andr.* 4, 4, 14. verbum si mihi Unum, praeterquam quam te rogo, faxis, cave. *My.* Male dicis. *Cic. Mur.* 30. Errasti in aliqua re: male dici putat Cato. *Id. Verr.* 2, 1, 54. Male accipere verbis aliquem; et *Caes. B. C.* 1, 63. Equitatu agmen adversariorum male habere, *h. e.* vexare, infestare. Sic *Nep. Eum.* 8. Cum Antigono conflixit, eumque male acceptum in Mediam coegit redire. *Sall. Jug.* 58. *med.* Proelium male pugnatum, i. e. adverso Marte; et *Ter. Andr.* 2, 6, 5. Praeter spem evenit: scio: hoc male habet virum. Sic *Eun.* 4, 2, 6. Male se habere i. e. molestiae plenum esse. *Id. Ad.* 4, 5, 21. Animo male est; et refertur ad corpus, cum scil. virium deliquio laborat. Sic *Pl. Curc.* 2, 3, 33. animo male est. *Phae.* Vin' aquam? et *Rud.* 2, 6, 26. Animo male fit: contine quaeso caput: *de eo*, *qui vomitu laborat:* Ad haec *Donatus:* animo male fieri dicitur, cum ictu alicujus moeroris perculsus non sustinet corpus, sequiturque ruina membrorum. Rursus *Pl. Mil.* 4, 8, 21. postquam abs te abit, animo male Factum est huic repente miserae. ℙ *Male sit*, aut *vertat*, imprecandi formulae. *Cic. Att.* 15, 15. L. Antonio male sit, siquidem Buthrotiis molestus est. *Ter. Ad.* 2, 1, 37. Minis viginti illam emisti: quae res tibi vertat male. ℙ *Male esse alicui*, est aliquem laborare inopia, infamia, tristitia, rebus adversis quibuslibet, duram atque asperam vitam agere. *Sen. ep.* 82. *in.* Male tibi esse malo, quam molliter. Hoc sic excipe, quemadmodum a populo dici solet, dure, aspere, laboriose. Sic *Hor. Sat.* 1, 4, 109. Male vivere. ℙ *Male audire*, *mereri*, V. AUDIO. MEREOR. ℙ *Male rem gerere*, est improspere, infeliciter. *Nep. Milt.* 3. ℙ *Male credere*, est nulla ratione credere, seu peccare tum credendo, cum credendum non est: vel periculo suo credere. *Pl. Poen.* 4, 2, 56. et 67. Male credam, et credam tamen. ℙ *Male emere*, est nimis multo pretio. *Cic. Att.* 2, 4. et *Pl.* ℙ [**Male interpretari* ap. *Sen. Amph.* 1, 1, 132. *Ep.* 63. *med.* Fac ergo, mi Lucili, quod tuam aequitatem decet; desine beneficium fortunae male interpretari, i. e. malevolo, iniquo animo, *ungünstig.* Differt *perperam* ap. *Eund. ib.* 9. *med.* Se contentus est sapiens; hoc mi Lucili, perperam plerique interpretantur, i. e. non recte, vitiose. V. *Doederl.* 1, 66.] ℙ Interdum *male* vim habet v. valde; auget quidem certe. *Caes.* ap. *Cic. Att.* 14, 1. Non dubito, quin me male oderit. *Ter. Hec.* 3, 2, 2. Male metuo, ne morbus aggravescat. *Hor. Sat.* 1, 4, 66. Male rauci; et *ib.* 3, 31. Calceus male laxus. [*V. *Heindf.* Adde 1, 3, 25. male lippus: ubi *Bentl. male* pro vulg. mala restituit.] *Prud. praef. Cath.* 14. male pertinax Vincendi studium subjacuit casibus asperis, *h. e.* nimium, vel in suam perniciem pertinax. *Front. ep.* 2. ad *Anton. Imp.* ap. *Charis.* 2, 184. Male me, Marce, praeteritae vitae meae poenitet. *Charisius* hic perperam addit: Ceterum ineptum, male me poenitet. ℙ Contra vim habet minuendi ap. *Liv.* 35, 49. *med.* Videretis vix duarum male plenarum legiuncularum instar in castris regis. Huc pertinere videntur illa *Hor. Od.* 1, 9, 24. Digitus male pertinax; et *Petr. Sat.* 86. Male dormiens; et *ib.* 87. Male repugnans. Sed *male pertinax* ap. *Hor.* est ejus, qui simulat, se esse pertinacem, et vinci cupit. Idem dic de *male repugnanti* ap. *Petr. Sat.* 87. Similiter *male dormiens*, qui somnum fingit, et expergisci vult. [*Utrumque dicendi genus, et ubi augendi, et ubi minuendi vim part. *male* contineat, explicat *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 29.] ℙ Saepe etiam privativam significationem habet, ut ap. *Virg. A.* 2, 23. statio male fida carinis, *h. e.* infida. *Serv.* tamen, minus fidam, exponit, ut non negationem, sed minutionem habeat. *Hor. Sat.* 2, 5, 45. male validus filius, *h. e.* invalidus, infirmus. *Cic. Att.* 9, 15. *f.* Ego illum male sanum semper putavi, *h. e.* insanum. *Ov. Her.* 7, 27. Male gratus, *h. e.* ingratus. *Suet. Aug.* 21. Nationes male quietas ad obsequium redegit, *h. e.* inquietas. Est tamen in his, et aliis hujusmodi, aliquid minus, quam si *infidus*, *invalidus*, *insanus*, etc. dictum fuisset. [*Adde *Lucan.* 1, 87. o male concordes, i. e. quorum concordia non tuta est. V. *Cort.* et *Mart. Lag.* ad h. l. et ad 1, 101. *Ruhnk.* ad. *Ov. Her.* 3, 103. et ad *Vell.* 2, 47, 2. et 109, 2. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 6, 87.] *Ov. A. Am.* 1, 524. Et si quis male vir quaerit habere virum, *h. e.* cinaedus. *Catull.* 16, 13. male me marem putastis, *h. e.* malemarem, minus valentem. ℙ Reperitur ita substantivo conjunctum, ut in unam quodammodo vocem coalescat. *Arnob.* 4, 142. Et tolerari forsitan male-tractatio haec posset; et 149. Immunes a Deorum male-tractatione nec sic estis. V. TRACTATIO. *Sen. Thyest.* 3. Quis male-Deorum Tantalo vivas domus Ostendit iterum? *h. e.* quis malus Deus, κακοδαίμων. Sed v. male etiam ad *ostendit* referri potest.

MĂLĒA et Mălēă, ae, f. *capo Malio, o di Sant' Angelo*, Μαλέα et Μάλεια, promontorium Peloponnesi, in ora australi Laconiae, cum monte excelso, decem millia passuum in mare procurrens, ventosumque maxime, ac procellosum: unde ejus undas *sequaces* dixit *Virg. A.* 5, 193., quia navigiis infestae assiliunt, atque ea persequi videntur. Dictum tradunt a quodam Maleo Argivorum rege, qui in eo templum exstruxerit. Describitur animose a *Stat. Th.* 2, 32. et sqq. simul cum Taenaro. *Virg. l. c.* lonioque mari, Maleaeque sequacibus undis. *Stat. ib.* Qua formidatum Maleae spumantis in auras It caput: *Ov. Amor.* 2, 16, 24. Nec timeam vestros, curva Malea, sinus. *Prop.* 3, 17, 7. Et placidum Syrtes portum, et bona litora nautis Praebeat hospitio saeva Malea suo: *de re impossibili.*

*MALEBARBIS vel Malibarbis, σπανιοπώγων *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

*MALE-DEUS, κακοδαίμων. V. *Male* ad fi. *B. A.*

MĂLĔDĪCAX, ācis, adj. maledicus. *Pl. Curc.* 4, 2, 26. Maledicax es. *Macr. Sat.* 7, 3. *med.* Importuna urbanitas maledicacem luce privavit. ℙ Rectius divisim scribes *male dicax.*

MĂLĔDĪCĒ, adv. κακολόγως, contumeliose. *Cic. Off.* 1, 37. *med.* Cum de absentibus, detrahendi causa, maledice, contumelioseque dicitur. *Liv.* 45, 39. *f.* Maledice ac maligne loqui.

MĂLĔDĪCENS, entis, part. a *maledico*: maledicus. *Pl. Merc.* 2, 3, 75. Ut nunc sunt maledicentes homines; et 1, 2, 31. Maledicentiorem, quam te, novi neminem. *Cic. Fl.* 3. In maledicentissima civitate, in suspiciosissimo negotio, maledictum

omne, non modo crimen effugit. *Gell.* 3, 17. Maledicentissimum librum conscribere. *Suet. Caes.* 23. Carminibus maledicentissimis existimationem alicujus lacerare.

MĂLĔDĪCENTĬA, ae, f. *κακηγορία*, obtrectatio, convicium. *Gell.* 3, 3. *f.* Ob assiduam maledicentiam, et probra in principes civitatis. *Id.* 17, 14. Caesarem Laberii maledicentia et arrogantia offendebat.

MĂLĔDĪCO, is, ixi, ictum, a. 3. *κακολογέω*, in aliquem maledicta, idest convicia, contumelias, probra conjicio, maledictis incesso, obtrecto, allatro. *Cic. Coel.* 3. Aliud est maledicere, aliud accusare: accusatio crimen desiderat, rem ut definiat, *hominem* ut notet, etc. maledictio autem nihil habet propositi praeter contumeliam. *Id. Dejot.* 10. Non debebas optimo viro fugitivi ore maledicere. *Id. N. D.* 1, 33. Epicurus Phaedoni turpissime maledixit. *Id. Coel.* 3. *f.* Petulanter maledicere alicui. *Hor. Sat.* 2, 3, 140. maledicit utrique, vocando Hanc Furiam, hunc aliud, jussit quod splendida bilis. *Pl. Curc.* 4, 2, 27. Indignis si maledicitur, maledictum id esse dico. *Ter. Hec.* 4, 2, 14. Qui nobis, mater, maledictum velit. ℙ Scribi potest etiam divisim *male dico*. ℙ Cum accusativo apud sequioris temporis scriptores. *Petr. Sat.* 96. Si me amas, maledic illam versibus, ut habeat pudorem. *Id. fr. Trag.* 58. *Burm. extr.* Cave majorem maledicas; et *ib.* 74. Maledicere Trimalchionem coepit. [*V. *Heins.* ad h. l.] Adde *Tert. adv. Prax.* 29. Etiam *Prisc.* 18, 1189. hanc constructionem agnoscit. Eadem ratione effertur et *Benedico*, q. v. V.

MĂLĔDICTĬO, onis, f. *κακηγορία*, actus maledicendi, obtrectatio. *Cic. Coel.* 3. Maledictio nihil habet propositi praeter contumeliam. Adde *Arnob.* 4, 147.

[MĂLĔDICTĬOSUS, a, um, adj. qui maledicta jactat. *Not. Tir.* p. 10. Maledicus, maledictiosus. *F.*]

MĂLĔDICTĬTO, as, saepe maledico. *Pl. Trin.* 1, 2, 62. Maledictitatur tibi vulgo in sermonibus. ℙ Possis etiam divisim scribere *male dictito*.

MĂLĔDICTORES dicebantur ab antiquis, qui nunc maledici. *Fest.* ex *Cat.*

MĂLĔDICTUM, i, n. *λοιδορία*, convicium, probrum, contumelia. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. Cum omnia maledicta, versus denique etiam obscenissimi in Clodium, et Clodiam dicerentur. *Id. Planc.* 12. *extr.* Haec sunt conjecta maledicta in ejus vitam; et *ib.* 13. In homines nobilissimos maledicta aspere et ferociter dicta commemorem. *Id. N. D.* 1, 24. Zeno non eos solum figebat maledictis, etc. *Id. Phil.* 13, 19. Quem ego inustum verissimis maledictorum notis tradam hominum memoriae sempiternae. *Id. Fl.* 20. *f.* Quempiam probris omnibus, maledictisque vexare. *Id. Att.* 11, 8. Multa in aliquem maledicta conferre. *Id. Cluent.* 23. Quippiam in criminis, aut in maledicti loco objicere alicui. ℙ Est etiam imprecatio, exsecratio, qua quippiam avertimus. *Plin.* 11, 39, 95. Esse in maledictis jam antiquis strigem, convenit: sed quae sit avium, constare non arbitror. ℙ Latini rustici cum maledictis ac probris serendum ocimum putabant, ut laetius proveniret, teste *Plin.* 19, 7, 36., quod idem de ruta leges ap. *Pall.* 4, 9. *med.* ℙ De malis dictis, pravis rationibus, et suasionibus. *Sall. Or. ad Caes.* 1, 2. Maledictis iniquorum occupandae reipublicae in spem adducti homines.

MĂLĔDICTUS, a, um, part. a *maledico: ἐπικατάρατος. Spart. Get.* 3. Maledicte parricida, fratrem occidisti. [*Ita saepissime usurpatur a christianis scriptoribus.]

MĂLĔDĪCUS, a, um, adj. *βλάσφημος*, qui proclivis est ad maledicendum, obtrectator, mordax. *Cic. Fl.* 28. In tam suspiciosa ac maledica civitate locum sermoni obtrectatorum non reliquit. *Id. Mur.* 6. Conviciator maledicus. *Auct. ad Her.* 2, 8. Homines natura malevoli et maledici. *Quint.* 4, 1. Maledicum esse in aliquem. *Val. Max.* 8, 9. *n.* 2. *extr.* Maledica lingua; et 7, 2. *n.* 6. *extr.* Maledicus sermo.

MĂLĔFĂBER, abra, abrum, adj. male fabricatus, dolosus. *Prud. Hamart.* 716. de Eva: Respondit Domino, suadelis se malefabris Illectam suasisse viro.

MĂLĔFĂCĬO, acis, eci, actum, n. 3. *κακουργέω*, male ago, noceo. *Ter. Ad.* 2, 1, 10. Neque tu verbis solves unquam, quod mihi re malefeceris. *Pl. Mil.* 2, 2, 11. Nescio quid malefactum a nostra huic familia est. ℙ Saepe usurpatur disjunctum. V. MALE.

*MALEFACTĬO, onis, f. Subitam virium collapsionem sive animi deliquium, quam *λειποθυμίαν* Graeci vocant, a medicis *malefactionem* dici, ait *Macer. de Herb. carm.* 2, 4. *syncope, fainting or swooning. B. A.*

MĂLĔFACTOR, oris, m. *Pl. Bacch.* 3, 2, 11. Malefactorem amitti satius, quam relinqui beneficum, *h. e.* melius est malefactorem non ulcisci, quam benefico gratiam non referre.

MĂLĔFACTUM, i, n. *κακούργημα*, mala actio, peccatum. *Cic. Off.* 2, 18. ex *Ennio*: Benefacta male locata, malefacta arbitror. *Id. Inv.* 2, 36. Adversarius autem malefacta augebit: nihil imprudenter, sed omnia ex crudelitate et malitia facta dicet. ℙ Scribitur et divisim *male factum*.

MĂLĔFĪCE, adv. malefaciendo, nocenter, *κακούργως*. *Pl. Ps.* 4, 7, 113. Ego nec sycophantiose quidquam ago, nec malefice.

MĂLĔFĪCENTĬA, ae, f. actus malefaciendi, noxa, injuria, damnum. *Plin.* 9, 9, 11. Delphinorum similitudinem habent tursiones: distant tristitia aspectus: abest enim illa lascivia: maxime tamen rostris canicularum maleficentiae assimulati. *Lact. Ira D.* 1. Neque ex beneficentia (*Dei*) quidquam boni perveniat ad nos, neque ex maleficentia quidquam mali.

MĂLĔFĪCĬUM, ii, n. *κακούργημα*, quidquid male admissum est, malefactum, malum facinus. *Cic. Phil.* 5, 6. Scelerum magnitudo, conscientia maleficiorum. *Id. Rosc. Am.* 22. Maleficium committere; et *ib.* admittere. *Id. Caecin.* 34. *med.* exsilio multare. *Id. Rosc. Am.* 3. *extr.* Supplicia pro maleficiis metuere. [*Adde 40. improbum arguit maleficium.] *Plin.* 12, 25, 54. Adulteratur seminis succo: vixque maleficium deprehenditur, i. e. fraus. *Gell.* 20, 1. *f.* Acerbitas plerumque ulciscendi maleficii, bene atque caute vivendi disciplina est. [*Suet. Aug.* 32. Ne quod maleficium impunitate elaberetur. Huc pertinet etiam illud *Quint. Inst.* 7, 4, 36. Praeter haec finguntur in scholis et inscripti maleficii, in quibus aut hoc quaeritur, an inscriptum sit? aut hoc, an maleficium sit: ubi *actio inscripti maleficii* in schola, quod in foro stellionatus, i. e. fraudis quae propriam significationem non habet et in proprium delicti nomen non cadit. V. *Spald.*] ℙ Speciatim est noxa, damnum. *Cic. Coel.* 31. Cui misero praeclari in rempubl. beneficii memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficii cogitati. [*Cf. *ib.* 22. et *Planc.* 19.] *Caes. B. C.* 2, 20. Legio sese Hispalim recepit, atque in foro et porticibus sine maleficio consedit. *Id. B. G.* 2, 28. *extr.* Ut ab injuria et maleficio se suosque prohiberent. [*Utitur hac dicendi formula Caesar in rebus sine ullo hostilis animi sensu perficiendis. Adde 1, 9. ut sine maleficio et injuria transeant; et *ib.* 7. sine ullo maleficio iter per provinciam facere. *Ter. Ph.* 2, 2, 22. Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere. — Imprimis frequens est hujus vocabuli usus ap. *Liv.* V. 7, 20. 9, 12. et al.] ℙ Item incantamentum. *Tac. A.* 2, 69. Carmina et devotiones, aliaque maleficia, queis creditur animas numinibus infernis sacrari. *Appul. Met.* 9. Devotionibus et maleficiis quidvis efficere posse credebatur. Adde *Apol.* saepe. V. v. sq. [*Hinc translate *maleficia* dicuntur bestiolae noxam afferentes. *Plin.* 18, 30, 73. Urceis acetum habentibus leguminum acervos superingerunt, ita non nasci maleficia credentes, i. e. noxias bestiolas. Simili ratione locutus est 8, 59, 84. et 20, 13, 51. Ita melius collocasse locum videmur, quem Noster §. 2. adscripserat.]

MĂLĔFĬCUS, a, um, adj. *κακοῦργος*, qui male facit, improbus, sceleratus. *Pl. Cas.* 4, 2, 4. Novi hominum mores maleficos. *Cic. Tusc.* 5, 20. Homo natura maleficus, et injustus. *Id. Verr.* 2, 5, 55. In hominum maleficorum sceleratorumque, in praedonum hostiumque custodias tu tantum numerum civium R. includere ausus es? *Tac. A.* 4, 21. Homo sordidae originis, maleficae vitae. *Suet. Galb.* 15. Maleficentissimos incolumes praestitit: scil. a *maleficens* obsoleto. ℙ Item noxius, perniciosus. *Suet. Ner.* 16. Superstitio nova, ac malefica. *Plin.* 7, 49, 50. Malefica sidera. *Id.* 33, 4, 25. vis. *Id.* 12, 17, 35. Caprae, maleficum frondibus animal. *Id.* 9, 15, 20. Bestia piscibus malefica. ℙ Item malignus. *Nep. Ages.* 8. Ut naturam fautricem habuerat in tribuendis virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore: exiguus et claudus altero pede, etc. ℙ Item incantator, magus. *Impp. Constant. et Julian. Cod.* 9, *tit.* 18. qui est *De maleficis et mathematicis, leg.* 6. Multi magicis artibus usi elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant, et Manibus accitis audent ventilare, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos: hos, quoniam naturae peregrini sunt, feralis pestis absumat; et *leg.* 7. Magi, qui maleficii vulgi consuetudine nuncupantur. ℙ Legitur et *malificus* ut ap. *Pl. Mil.* 2, 2, 39. in quibusd. MSS. et *Ps.* 1, 2, 61. Sic *malivolus, benivolus.*

MĂLĔFĔRĬĀTUS,
MĂLĔFĪDUS,
MĂLĔFORTIS,
MĂLĔLŌQUAX,
MĂLĔNĀTUS,
MĂLĔOLENS,
MĂLĔSANUS,
MĂLĔSUĀDUS, a, um, adj. rectius duae voces habentur, ac divisim scribuntur: quamquam postrema saepius conjuncta legatur in illo *Virg. A.* 6, 276. Et metus, et malesuada fames, et turpis egestas; et *Pl. Most.* 1, 3, 56. Malesuada vitilena; et *Paul. Nol. carm.* 6, 69. de vino: evitans malesuadi pocula succi; et *Sidon. ep.* 7, 5. *f.* Si precibus malesuadus obstiterit interpres: quia *suadus* adjectiv. parum est in usu.

MĂLĔTRACTĀTĬO. V. MALE.

MĂLĔVENTUM. V. BENEVENTUM.

MĂLĔVOLENS et Malivolens, entis, adj. malevolus, inimicus. *Pl. Capt.* 3, 4, 51. Est miserorum, ut malevolentes sint, et invideant bonis. *Id. Bacch.* 4, 3, 4. Malevolente ingenio natus. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Malevolentissimae obtrectationes.

MĂLĔVOLENTĬA et Malivolentia, ae, f. *κακοθυμία*, est voluptas ex malo alterius sine emolumento suo, ut *Cic.* definit *Tusc.* 4, 9., item universum odium, invidia. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Animus nulla in ceteros malevolentia suffusus. *Id. ib.* 2, 17. *f.* Pusillus animus, et ipsa malevolentia jejunus atque inanis. *Id. Planc.* 9. Vicinitas non infuscata malevolentia. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 15. Judicium obtrectatione et malevolentia liberatum. *Sall. Cat.* 3, 2. Plerique, quae delicta reprehenderis, malevolentia et invidia dicta putant. [*Adde 12, 1. Innocentia pro malevolentia duci coepit, i. e. malevolum animum prodere, sive ad invidiam divitibus conflandam valere putabatur. Ceterum *Kritz.* ad l. *Sall.* a Nostro prius laud. non *malivolens*, sed *malevolens* scribi jubet; nulla enim ratione uti, qui I literam inferant, quum vox composita sit ex *male* et *velle*, quorum prius nunquam mutetur.]

MĂLĔVOLUS et Malivolus, a, um, adj. *κακόθυμος*, malevolens, invidus: vox conflata ex integro, et corrupto, ut *Quint.* 1, 5. *f.* docet. [*Discrimen inter h. v. et *malignus* v. in h. v.] *Cic. Fam.* 2, 17. *med.* Ille si omnibus est malevolus, minus offendor in me. *Cic. Att.* 7, 2. *med.* Cato in me turpiter fuit malevolus. [*Ad hunc locum jucundum est comparare mutuas Catonis et Ciceronis epistolas. *Fam.* 15, 5 et 6.] *Cic. Fam.* 3, 10. *med.* Malevoli sermones. *Gell.* 4, 15. Malevoli reprehensores. [*Ter. *Andr. prol.* 6. Sed qui malevoli Veteris poetae maledictis respondeat; et *Id. Heaut. prol.* 16. Nam quod rumores distulerunt malevoli. ℙ Substantive positum legitur ap. *Cic. Balb.* 25. Ut omnium malevolorum, iniquorum, invidorum animos frangeremus. *Id. ad Brut.* 1, 15. *med.* Cognovi paulo plures in senatu malevolos esse, quam gratos. *Pl. Poen.* 1, 2, 181. Hujus amica, mea inimica et malevola. *Trogus* ap. *Plin.* 11, 52, 114. Quibus supercilia in totum demissa malevolos et invidos significant.] ℙ *Malevolus Mercurius* dicebatur ejus Dei signum Romae positum proxime Janum in Turdellis, quod ita situm erat, ut nullius tabernam spectaret. Mercurius enim mercimoniis praeerat, et lucris. Putabant autem Deos iis favere, quos aspicerent. *Festus.*

MĂLĔUS et Mālius, a, um, adj. *Μάλειος*, ad Maleam promontorium pertinens. *Flor.* 2, 9. Inter Ceraunios montes, jugumque Maleum. *Catull.* 68, 54. Lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis.

MĂLĬĂCUS Sinus, *golfo del Volo*, sinus maris Aegaei inter Thessaliam et Achaiam. *Plin.* 4, 7, 12. et *Liv.* 27, 30. Sic *Lucan.* 6, 366. ferit amne citato Maliacas Sperchios aquas.

*MALICORDIS, e, adj. *πονηροκάρδιος Gloss. Gr. Lat. B. A.*

MĂLĬCORĬUM, ii, n. *αἴδιον*, cortex mali Punici: a *malum* et *corium*, quia corio similis est ob duritiem et crassitiem. *Plin.* 23, 6, 57. Hic cortex ex acerbis *(malis Punicis)* in magno usu: vulgus coria maxime perficere illo novit: ob id malicorium appellant medici. *Cels.* 2, 33. inter ea, quae reprimunt, malicorium recenset. Ap. *Petr.* vero *fr. Trag.* 47. *Burm.* narrat Trimalchio, sibi malicorium profuisse, cum multis jam diebus venter non respondisset, quod quidem absurde et ridicule omnino, ut decet inficetum nebulonem loqui.

[MĂLĬENSIS, e, adj. ad Maleam, seu Maliam promontorium pertinens, idem ac Malius. *Liv.* 42, 40. Per Thessaliam, et Maliensem agrum cum exercitu contra foedus Delphos isti. *F.*]

MĂLĬFER, a, um, adj. malorum ferax, *μηλοφόρος*. *Virg. A.* 7, 740. Et quos maliferae despectant moenia Abellae.

MĂLĬFĪCUS. V. MALEFICUS.

MĂLĪGNE, adv. *κακοηθῶς*, malitiose, cum invidia. *Plin. ep.* 1, 5. *med.* Respondi, nunc me intelligere, maligne dictum, quia ipse confiteretur: ceterum potuisse honorificum existimari. *Liv.* 45, 39. *f.* Maledice ac maligne loqui. *Curt.* 8, 1. Cum suspicaretur, malignius habitum esse sermonem. *Gell.* 4, 15. In quibus plura inscite, aut maligne vellicant. *Plin. ep.* 9, 38. Maligne legere librum aliquem. *Ov. Met.* 13, 270. neque enim bene facta maligne Detrectare, meum est. ℙ Saepius est parce, illiberaliter, avare, minus scilicet dando, quam oportet: quod invidentis est, atque inimici: cui opponitur benigne, large. *Liv.* 8, 12. *med.* Materiam praebebat criminibus ager maligne plebi divisus. *Just.* 5, 2. *extr.* Commeatus maligne praebere. *Catull.* 10, 18. Non mihi fuit tam maligne, ut, etc. *Sen. ep.* 18. *med.* Maligne famem exstinguere. *Id. Ira* 2, 19. *f.* Quibus exsangue corpus est, maligneque alitur, et deficit. *Id. Ben.* 6, 16. *f.* Nec quae sciebat, maligne dispensavit, quo diutius esset necessarius; sed cupiit, si posset universa transfun-

dere. *Hor. Ep.* 2, 1, 209. quippiam laudare maligne. *Sen. ep.* 44. Tu mihi te pusillum facis, et dicis, malignius tecum egisse naturam. *Petr. fragm. Trag.* 42. *Burm.* Maligne illum ploravit uxor. ℙ Sumitur et universim pro parum. *Sen. Ben.* 6, 34. Qui per fores maligne apertas non intrat, sed illabitur. *Plin.* 34, 11, 26. Aerugo maligne virens. *Mela* 2, 2. Terra eorum, quae seruntur, maligne admodum patiens.

MĂLIGNĪTAS, atis, f. [*Primum significat malam alicujus rei naturam. V. vocis originem in *malignus*. Hinc primo loco posuimus exemplum, quod Noster in f. adscripserat, *Colum.* 3, 10. *med.* Naturali quadam malignitate desciscunt interdum, quamvis diligenter probata semina. ℙ Hinc ad animum translatum, est] κακοήθεια, prava voluntas, malus animus, malevolentia, invidia. [*De discrimine inter *malignitas* et *livor*, dictum est in h. v. Quid differat *malevolentia*, v. in *malignus*.] *Tac. H.* 1, 1. Sed ambitionem scriptoris facile adverseris: obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur, quippe adulationi foedum crimen servitutis, malignitati falsa species libertatis inest. [*Liv. 5, 22. Malignitatis auctores quaerendo, i. e. malignos suasores.] *Plin. ep.* 5, 7. *extr.* Sermonem vultus, gestus, vox ipsa moderatur: epistola omnibus commendationibus destituta, malignitati interpretantium exponitur. *Auct. dial. de Or.* 18. Vitio malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio sunt. *Tac. Agr.* 41. Malignitas et livor. *Suet. Cal.* 34. Livor ac malignitas. *Id. Ner.* 23. *extr.* Taciturnitatem pudoremque quorundam pro tristitia ac malignitate arguens. *Sen. V. B.* 18. Nec malignitas me ista, multo veneno tincta, deterrebit ab optimis. *Val. Max.* 4, 7. *f.* Nulla tam modesta felicitas est, quae malignitatis dentes vitare possit. ℙ In plur. num. *Prud.* περὶ στεφ. 2, 259. purulenta et livida malignitatum vulnera. ℙ Item illiberalitas, parcitas, tenacitas. *Liv.* 34, 7. In purpura, quae teritur, aliquam causam tenacitatis video: in auro vero, in quo, praeter manus pretium, nihil intertrimenti fit, quae malignitas est? *Pl. Capt.* 3, 1, 4. Huic dici, si liceat, oculos effodiam libens: Ita malignitate oneravit omnes mortales mihi. *Liv.* 34, 34. *f.* Malignitas conferendi ex privato.

MĂLIGNO, as, a. [*et Malignor, aris, dep. 1. κακοηθεύομαι. *B. A.*] *Ammian.* 22, 15. *med.* Ibes occurrunt pinnatis agminibus anguium, qui ex Arabicis emergunt paludibus venena malignantes, *h. e.* maligne fundentes, et noxie. [*Vulg. Intp. Psalm.* 83, 3. Super populum tuum malignaverunt consilium. Et *Psalm.* 73, 3. Quanta malignatus est inimicus in sancto. *B. A.*]

*MĂLIGNOSUS, a, um, adj. κακεντρεχὴς *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

MĂLIGNUS, a, um, adj. κακόθυμος, malus, improbus, invidus, malevolens. [*Ortum habet ex *male genitus*, vel *malus gnatu*, *natura*. Differt a *malevolus*, quod eum significat, qui pravitate, malitia aliorum malo gaudet: *malignus* invidet aliis ob avaritiam et omnia in suam utilitatem conferendi cupiditatem. Aliud hh. vv. discrimen statuit *Non.* V. *Doederl.* 3, 69. Ap. *Cic.* non legitur.] *Sen. V. B.* 18. Malignissima capita, et optimo cuique inimicissima. *Hor. Sat.* 1, 5, 4. Maligni caupones. [*V. *Heindf.*] *Id. Od.* 2, 16, 40. malignum Spernere vulgus. *Catull.* 68, 37. mente maligna aliquid facere. *Manil.* 4, 573. Verba maligna. *Phaedr.* 3, 10. suspicio. *Suet. Aug.* 27. Factum alicujus maligno sermone carpere. *Mart.* 4, 87. Nec rhonchos metues malignorum. *Catull.* 67, 5. votum malignum, *h. e.* pravum, improbum. *Virg. A.* 5, 654. Malignis oculis spectare aliquid, *h. e.* invidis. *Ov. Trist.* 4, 1, 101. Maligna studia, *h. e.* noxia. *Id. Met.* 10, 329. Malignae leges, *h. e.* invidae, et inimicae libertatis. *Mart.* 8, 56. Maligna paupertas, *h. e.* invidens magnis animis, eosque res magnas aggredientes impediens. *Lucan.* 8, 565. Malignum litus, *h. e.* importuosum. Sic 5, 651. oraeque malignos Ambraciae portus. *Stat. Silv.* 4, 3, 29. Sorbebatque rotas maligna tellus, *h. e.* via lutosa, et voraginosa. [*Aliter intell. *maligna tellus* ap. *Plin. Pan.* 31, 6. Ita beneficio tuo nec maligna tellus, etc., i. e. nunquam recusabat, sed semper copiose suppeditabat ea, quae ad vitam essent sustentandam necessaria.] ℙ Item nimis parcus illiberalis, tenax: cui et benignus opponitur. *Pl. Bacch.* 3, 2, 17. Justus, injustus; malignus, largus; commodus, incommodus. ℙ Translate est parcus, frigidus in laudando, ut invidi solent. *Quint.* 2, 2. In laudandis discipulorum dictionibus nec malignus, nec effusus. Sic *Ov. Her.* 16, 143. minor est tua gloria vero: Famaque de forma paene maligna tua est. ℙ Et universim parvus, minutus, exilis. *Virg. A.* 6, 270. Quale sub incertam lunam sub luce maligna Est iter in silvis. *Mart.* 10, 96. tepet igne maligno Hic focus: ingenti lumine lucet ibi. *Plin.* 7, 50, 51. Malignum et breve naturae munus. *Lucan.* 9, 500. conspecta est parva maligna Unda procul vena. [*Sil. 3, 280. asper victu maligno.] ℙ Item sterilis, infecundus. *Virg. G.* 2, 179. Difficiles terrae, collesque maligni. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Quarum arborum illa vel maxime ferax est terra, malignior ceteris. ℙ Item difficilis, superbus. Ita enim exponit *Don.* illud *Ter. Hec.* 1, 2, 84. Maligna multo, et magis procax facta illico est. [*V. *Bentl.*, qui pro vulg. *multo*, *et magis* leg. conj. *magis et magis*.] ℙ Item angustus. *Virg. A.* 11, 524. tenuis qua semita ducit, Angustaeque ferunt fauces, aditusque maligni. *Servius* interpretatur obscuros, ut *sub luce maligna*. Simile est illud *Stat. Th.* 2, 498. gemini procul urbe malignis Faucibus urgentur colles; et *Sen. Q. N.* 3, 27. *med.* Major aquarum pars maligno ostio retenta, restagnat, *h. e.* angusto.

MĂLĪLŌQUAX, acis, adj. qui male loquitur. *P. Syrus* in *Mim.* Lingua est maliloquax mentis indicium malae. Exstat hic versus in Editione *Andr. Cloucquii*, *Lugd. Bat.* MDCXXVI., in qua Catonis Disticha primum locum tenent. In aliis quibusdam desideratur.

MĂLĪLŌQUĬUM, ii, n. malus sermo, et de re mala. *Tert. Spect.* 2. *med.* Non sumpsimus linguam ad maliloquium, et aures ad exceptaculum maliloquii. Adde *Apol.* 45. et *Sulp. Sev. ep.* 2, 29.

MĂLĪNUS, a, um, adj. μήλινος, ex mali arbore factus. *Colum.* 7, 8. *extr.* Caseus muria perduratus, atque ita malini ligni, vel culmi fumo coloratus. Al. leg. *maligno ligni fumo:* h. e. exiguo. *Plin.* 15, 13, 12. de prunis: Nuper in Baetica malina appellari coeperunt malis insita, et alia amygdalina amygdalis.

[MĂLISTUS, a, um, adj. maximus: est a μάλιστα, maxime. *Petr. fragm. Trag.* 57. *Burm.* Dedi tamen operam, ut domino satisfacerem, homini malisto et dignitoso. Alii leg. *megalosto*. *F.*]

MĂLĪTAS, atis, f. malum, ut *bonitas* a *bonum*. *Gloss. Philox.* Κακία, malitas. *Ulp. Dig.* 4, 2, 5. Metum accipiendum Labeo dicit non quemlibet timorem, sed majoris malitatis. Ita *Torrent.*, sed *Haloand.* et alii *majoris mali*. [*Male illi quidem! V. *Duk. de Lat. Ict. Vett.* 325.]

MĂLĪTĬA, ae, f. κακία, κακουργία, calliditas, fraus. *Cic. Tusc.* 4, 15. Virtutis contraria est vitiositas: sic enim malo, quam malitiam, appellare eam, quam Graeci κακίαν appellant: nam malitia certi cujusdam vitii nomen est: vitiositas omnium. *Id. N. D.* 3, 30. Est enim malitia, versuta et fallax nocendi ratio. *Id. Rosc. Com.* 16. Perfidia, et malitia, per quam insidiae tenduntur alicui; et *ib.* 7. Supercilia penitus rasa olere malitiam, et clamitare calliditatem videntur. *Id. Verr.* 2, 2, 27. A quo HS. C. millia per calumniam malitiamque petita sunt. *Id. Quint.* 18. Ista causa abs te tota per summam fraudem et malitiam ficta est. *Id. Cluent.* 26. Ad omnem malitiam et fraudem versare mentem suam coepit. *Id. Verr.* 2, 2, 54. Haec hujus erat ars, et malitia miranda. *Id. Fin.* 4, 19. Quia nulla sit in dolore nec fraus, nec improbitas, nec malitia, nec culpa, non esse illud malum. *Auct. ad Her.* 3, 6. Utile est, ab omnibus unicam malitiam atque nequitiam cognosci. (Discrimen inter haec duo, V. in NEQUITIA.) *Cic. Part.* 23. et *Off.* 3, 17. *med.* Malitia vult illa quidem videri, se esse prudentiam; sed abest ab ea plurimum. *Plin.* 17, 27, 44. Culices fucis apium similes ignavia malitiaque. ℙ Interdum accipitur universim pro vitiositate, quae scilicet est virtuti contraria. *Sen. ep.* 31. *med.* Si intellexeris bona esse, quibus admixta est virtus: turpia, quibus malitia conjuncta est. *Id. ep.* 106. *f.* Quidquid facimus, aut malitiae, aut virtutis gerimus imperio. *Sall. Jug.* 25. Virtute, non malitia, P. Scipioni placuisse. *Gell.* 2, 6. *med.* Inculpatus instar est absolutae virtutis: illaudatus finis est extremae malitiae. *Tac. A.* 13, 30. *extr.* Inoffensa tot imperatorum malitia, *h. e.* tot mali imperatores nihil offensi. ℙ Videtur etiam aliquando in bonam partem sumi pro solertia et calliditate, qua aliorum dolos deprehendimus, et ne decipiamur, cavemus. *Cic. Att.* 15, 26. *med.* Si mihi imposuisset aliquid, (quod paene fecit, nisi tua malitia affuisset) animo iniquo tulissem. [*Adde *Fam.* 9, 19. Tamen a malitia non discedis. Bene *Wielandus* ut plurima vertit: *Dass du doch deine Schalkheit nicht lassen kannst.*] *Plaut.* quoque *malam malitiam* dixit, quasi medium sit vocabulum, ut *dolus*, et bona etiam esse aliquando possit: *Aul.* 2, 2, 38. equidem te civem sine mala omni malitia Semper sum arbitratus. Haec observat etiam *Non.* 6, 38. ℙ In plur. num. *Pl. Mil.* 3, 3, 66. Ubi facta erit collatio nostrarum malitiarum, *h. e.* fallaciarum. *Cic. N. D.* 3, 30. Everriculum malitiarum omnium, judicium de dolo malo. *Cels. Dig.* 6, 1, 38. Neque malitiis indulgendum est. ℙ De rebus inanimis. *Pall.* 1, 6. *f.* Salsae terrae malitia hibernis imbribus eluitur; et *ib. med.* Viae malitia aeque et voluptati, et utilitati adversa est. *Id.* 11, 8. Malitia arboris, *h. e.* infecunditas.

MĂLĪTĬŌSE, adv. κακοτέχνως, callide, dolose, fraudulenter. *Cic. Off.* 3, 15. Agere quippiam dolose, aut malitiose. *Nep. Alcib.* 7. Aut negligenter, aut malitiose facere, [*i. e. perfidiose. V. *Brem.*] *Cic. Verr.* 2, 2, 53. Nihil sane vafre, nec malitiose facere conatus est. *Id. Caecin.* 7. Cum hoc novae litis genus tam malitiose intenderet. *Id. Rosc. Am.* 38. Rem mandatam malitiosius gerere, sui quaestus, aut commodi causa. *Pl. Mil.* 3, 3, 14. Male, atque malitiose aliquid facere, *h. e.* perperam, et fraudulenter.

MĂLĪTĬŌSĪTAS, atis, f. malitia, calliditas. *Tert. adv. Marc.* 3, 15. *f.* Aut diffidentiae, aut malitiositatis consilium est. Adde *ib.* 23. *extr.*

MĂLĪTĬOSUS, a, um, adj. πανοῦργος, versutus, dolosus, fallax. *Cic. Off.* 3, 13. *extr.* Hoc celandi genus non est hominis aperti, non simplicis, non ingenui, non justi, non viri boni: versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri; et *ib.* 1, 10. Malitiosa juris interpretatio. ℙ *Silva malitiosa*, cujus meminit *Liv.* 1, 30. *f.* fuit in agro Sabino. Ὕλη κακοῦργος dicitur a *Dionys. Halic. l.* 3. ℙ [Sup. *Malitiosissimus* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 3. Eos ajunt provenire malitiosissimos, qui in vestibulo artis *(philosophiae)* obversati, prius inde averterint, quam penetraverint. *F.*]

MĂLĪVOLENS. V. MALEVOLENS, etc.

*MĂLĬUS, a, um, adj. i. q. Maliensis. *Catull. carm.* 68, 54. Malia lympha. *B. A.*

MALLĔĀTOR, oris, m. ὁ σφύρᾳ ἐλαύνων, qui malleo operatur. *Mart.* 12, 57. Illinc ballucis malleator Hispanae. V. BALLUCA. *Inscr.* ap. *Grut.* 1066, 5. et 1070, 1. Felix Aug. L. optio, et exactor auri, arg. aeris, item signat. suppostores, malleatores monetae Caesaris N. Sequitur infra series artificum monetae: in qua signatorum, et suppostorum maxima pars liberti sunt: malleatorum vero servi. Ex quo intelligimus horum operam viliorem fuisse. In eo lapide *malliator* sculptum est. Porro *signatores* videntur fuisse, qui formam pecuniae cudendae signabant: iidem nempe ac scalptores: *suppostores*, qui ipsam pecuniam cudendam praebebant, et a *malleatoribus* percutiendam.

MALLĔĀTUS, a, um, part. ab inus. *malleo:* malleo contusus. Unde *malleati libri* dicuntur, qui malleo percussi, et complanati sunt, quod fere fieri solet, antequam libri compaginentur. *Ulp. Dig.* 32, 50. *med.* Sed et perscripti libri, nondum malleati, vel ornati continebuntur. *Colum.* 12, 19. Cola ex crudo, id est non malleato sparto praeparata habeat.

MALLĔŌLĀRIS, e, adj. μοσχευματικὸς, ad malleolum vitis spectans. *Colum. Arbor.* 3. Virgam malleolarem non amplius, quam sex gemmarum, esse convenit.

MALLĔŌLUS, i, m. σφύριον, parvus malleus. *Festus*, et *Colum.* mox afferendus. *Cels.* 8, 3. *med.* Tutius scalprum malleolo subinde medicus ferit. ℙ Item novus palmes vitis, aut alterius arboris, qui prioris anni flagello innatus est, et recisus, pro viviradice, terrae mandatur, ut in novam vitem succrescat. *Colum.* 3, 6. Malleolus novellus est palmes, innatus prioris anni flagello, cognominatusque a similitudine rei, quod in ea parte, quae deciditur, ex vetere sarmento prominens utrinque, malleoli speciem praebet. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 3. Solebat capitulatus utrinque e duro surculus seri, eoque argumento malleolus vocatur etiam nunc. *Colum.* 3, 3. *f.* Malleolos pangere; et *ib.* deponere; et *ib.* 14. *extr.* conserere; et *ib.* 18. demergere. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 8. serere sulco, vel scrobe. *Id.* 12, 25, 54. Balsami arbuscula malleolis seri dicitur, nuper vincta, ut vitis. ℙ Item teli genus missile, quo ignem in muros urbium, et tecta jaciebant. *Festus:* Malleoli vocantur non solum parvi mallei, sed etiam ii, qui ad incendium faciendum aptantur: videlicet ad similitudinem priorum dicti. *Ammian.* 23, 4. *f.* Malleoli, teli genus, figurantur hac specie: sagitta est cannea, inter spiculum, et arundinem multifido ferro coagmentata, quae in muliebris coli formam, quo nentur lintea stamina, concavatur ventre subtiliter, et plurifariam patens, atque in alveo ipso ignem cum aliquanto suscipit alimento: et si emissa lentius arcu invalido (ictu enim rapidiore exstinguitur) haeserit usquam, tenaciter cremat: aquisque conspersa acriores excitat aestus incendiorum: nec remedio ullo, quam superjacto pulvere, consopitur. Haec *Ammian.* Verba de his faciunt etiam *Non.* 18, 27. (sed hoc tantum dicit, esse manipulos sparteos, pice contectos) et *Veg. Mil.* 4, 18. Malleoli sunt velut sagittae, et ubi adhaeserint, universa conflagrant. Quod autem *Fest.* dictos docet ad similitudinem malleolorum, id ita intelligendum, ut qua parte concavi, et crassiores sunt, et ignis alimenta continent, caput mallei referre quodammodo videantur. Illustrat haec omnia *Lips. Poliorcet. l.* 5. *dial.* 5., quem consule. *Cic. Cat.* 1, 13. Malleolos et faces ad inflammandam urbem comparare. *Liv.* 42, 64. Faces, taedamque, et malleolos stuppae illitos pice parari jubet. *Hirt. B. Alex.* 14. Magnum scapharum numerum producunt cum malleolis, ignibusque. *Sisenn.* ap. *Non. l. c.* Partim malleolos, partim fasces sarmentorum incensos supra vallum, etc. *Vitr.* 10, 22. *med.* Naves malleolis confixae incendio sunt conflagratae. ℙ Anatomici malleolos vocant duos processus in imis ossibus cruris utrinque exstantes, imitatione Graecorum, qui σφυρὰ dicunt. Latinum scriptorem, qui

hac ratione usurpaverit, vidi adhuc neminem. ℙ [Fuit etiam cogn. R., quod non a serendis vitium malleolis derivatum est, ut censuit *Forcellinus*, sed a fabrili malleolo, qui in nummis G. Publiciae ap. *Morell. Fam. Rom. n.* 2. et 3. manifesto ad cognomen alludens repraesentatur; in *Fastis* vero *Capitol.* ap. *Grut.* 292. M. Poblicii Malleoli consulis ann. U. C. DXXII. mentio est. *F.*]

MALLĔUS, i, m. *σφῦρα*, fabrile instrumentum ad tundendum. *Pl. Men.* 2, 3, 52. Navis lignea, saepe trita, saepe fixa, saepe excussa malleo. *Plin.* 34, 14, 41. Ad densandas incudes, et malleorum rostra. *Id.* 16, 43, 84. Ex oleastro, buxo, ilice, ulmo, fraxino malleos fieri, majoresque e pinu, et ilice. *Id.* 34, 8, 20. Aes caldarium malleis fragile, quibus regulare obsequitur, ab aliis ductile appellatum. *Id.* 19, 1, 3. Virgae lini arefactae, in saxo tunduntur stupario malleo; et 13, 12, 26. Chartam malleo tenuare, et extendere. *Ov. Met.* 2, 624. Lactentis vituli dextra libratus ab aure Tempora discussit claro cava malleus ictu. *Suet. Cal.* 32. Elato alte malleo, cultrarium mactavit. ℙ *Malleum sapientiorem vidi excusso manubrio*, proverbium est ap. *Pl. Epid.* 3, 4. *extr.*, quod in omnib. ejusd. editionib. mancum et imperfectum, integrum vero legitur in *Pl. fr. edit.* ab *A. Maio* p. 20. ℙ Ap. *Veg. Vet.* 1, 2. malleus est generale vocabulum septem morborum, quibus jumenta vexantur: qui sunt humidus, aridus, subtercutaneus, articularis, elephantiasis, subrenalis, farciminosus: quae deinceps persequitur sequentib. capitib. Adde 3, 2. et 23. Porro *Id. c. l.* l. ab antiquis hanc appellationem fluxisse dicit, ipsam vim cladis periculumque testantibus. Graece dicitur *μαλίς*.

*MALLI, orum, populi Indiae, cis Gangem, a Mallo monte vicino sic dicti. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

*MALLĬUS, i, m. nomen proprium virorum Romanum, ut Mallius Glaucia, libertinus, cliens T. Roscii Magni. *Cic. Rosc. Amer.* 7, 34. *B. A.* [*Idem est, qui *Manlius*, q. v. v.]

MALLO, onis, m. *ἀπόδεσμος τῶν κρομμύων*, nexus caeparum ex ipsarum foliis exsiccatis et intextis dependentium: a *μαλλὸς*, cinnus, cincinnus. *Veg. Vet.* 1, 63. Mallonem caeparum, vel ipsas caepas, in ferventi aqua decoques, et calentes, quantum corium valet sustinere, tumori superimpones; et *ib.* 2, 60. Mallonem caeparum, id est calamos siccos, unde fasces dependent, in aquam, etc. Adde *Pelagon. Veter.* 9. *med.* ℙ Est etiam hoc nomine tuber inflatus in genibus vel articulis jumentorum, sine dolore, cujus meminit *Veg. Vet.* 2, 48. [*Plurima addidit *F.*]

*MALLOEA, ae, f. Thessaliae oppidum, in Perrhaebia. *Liv.* 31, 41. 36, 10. et 13. et 39, 25. *B. A.*

MALLŌTES et Malotes, ae, m. *Μαλλώτης* et *Μαλώτης*, qui est ex Mallo, Ciliciae urbe. *Plin.* 4, 12, 20. Philistides Mallotes. *Suet. Gram.* 2. Crates Mallotes. **Varr. R. R.* 1, 1. ed. *Schneid.* Antea legebatur *Maleotes:* et sic *Gesnerus*, quanquam rectius edendum putavit *Mallotes. B. A.*

[MALLUS, i, m. *μαλλὸς*, villus, cirrus lanae. *Cato R. R.* 157. *med.* Si polypus in naso introierit (lege *intro erit*) brassicam erraticam aridam tritam in malum (lege *mallum*) conjicito, et ad nasum admoveto. Ita legend. et interpretand. monet *Pontedera Op. post.* T. 1. p. 292., adprobante *Schneidero. Plin.* 20, 9, 36., qui rem eand. ex *Catone* docet, *olfactorium* pro *mallum* appellat. *F.*]

MALLŪVIA, ae, f. et Malluvium, ii, n. *χειρόνιπτρον*, vas, in quo manus lavantur: quasi *manuluvia:* et *pelluvium*, quo pedes: a *manus*, et *luo*, lavo. *Festus.*

MĂLO, mavis, mavult, n. anom. *αἱρέομαι*, antepono, praefero, magis volo, ut *Cic.* docet *Or.* 45. unde contracte *mavolo*, inde *malo.* Habet autem comparationis vim, quae vel exprimitur, vel facile subintelligitur. *Cic. Att.* 13, 22. Scripta nostra nusquam malo esse, quam apud te. *Id. ad Anton. ib. l.* 14. *post ep.* 13. Quod mecum per litteras agis, unam ob causam mallem coram egisse. Non enim solum, etc. *Tac. H.* 2, 86. Pro certis et olim partis nova, ambigua, ancipitia malebat. *Nep. Timol.* 3. Maluit se diligi, quam metui. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 4. Sed, ut spero, bonos et senatum malet. *Cic. Att.* 7, 15. Cato jam servire, quam pugnare mavult. *Id. Div.* 2, 57. *extr.* Evanuisse mavultis id, quod, etc. quam, etc. *Id. Quint.* 2. Judicium prius de probro, quam de re maluit fieri. *Caes. B. C.* 1, 72. Civibus salvis et incolumibus rem obtinere malebat. *Hieron. ep.* 108. *n.* 19. Malens eis stomachum dolere, quam mentem. [*Notari poterant etiam tales loci, in quibus *quam* omittitur. *Tac. A.* 12, 46. Ne dubitaret armis incruentas conditiones malle, i. e. malle incruentas conditiones, quam arma. Sic *malle* usurpatur ab *Hor. Sat.* 2, 8, 79. Nullos his mallem ludos spectasse. Adde *Appul. Apol.* p. 83. ed. *Pric.*] ℙ Pleonasmus est, non inelegans tamen, cum *potius*, aut *magis* adjungitur. [*Illustrat hoc Graecis usitatissimum loquendi genus *Vechner. Hellenol.* 1, 2, 6. ubi plura exempla adjecit *Heusing.* Sed observ., particulas *potius*, *magis* nunquam conjunctim cum v. *malle* poni.] *Cic. Div. Verr.* 6. Ab omnibus se desertos potius, quam abs te defensos esse malunt. *Id. Lig.* 2. An ille Uticae potius, quam Romae, cum alienis esse, quam cum suis maluisset? *Anton.* ad *Cic. post. ep.* 13. *l.* 14. *ad Att. f.* Arbitror, malle te quietam senectutem, et honorificam potius, quam sollicitam. *Cato* ad *Cic. Fam.* 15, 5. Casum potius, quam te, laudari mavis. [**Cic. Balb.* 7. Illud peto, ut hominis ipsius ornamenta adjumento causae potius, quam impedimento esse malitis: ubi v. *Ernest.*] *Liv.* 22, 34. *extr.* Qui magis vere vincere, quam diu imperare malit. [*V. *intpp.* ad h. l.] Adde *Ter. Ad.* 2, 2, 14. et *Pl. Stich.* 1, 2, 13. ℙ Cum conjunctivo. *Tibull.* 2, 3, 31. Fabula sit, mavult, quam sine amore Deus. *Catull.* 24, 4. Mallem divitias mihi dedisses, Quam, etc. *Calpurn. Ecl.* 6, 74. malim cantetis amores. ℙ Cum adverbiis comparativis. *Cic. Att.* 12, 22. *f.* Meo judicio multo stare malo, quam aliorum. *Id. Tusc.* 1, 42. Nae ego haud paulo hunc animum malim, quam eorum fortunas. ℙ *Malle alicui*, est magis velle omnia prospera alicui, magis omnia cupere alicujus causa. *Cic. Planc.* 24. Quamquam illi *(filio meo)* omnia malo, quam mihi. *Id. Att.* 2, 16. *f.* In hac re malo universae Asiae, et negotiatoribus. ℙ *Quod mallem* eleganter sermoni interseritur, et valet, quod utinam potius. *Ov. Her.* 21, 31. Si tibi deformis, quod mallem, visa fuissem. *Id. Trist.* 2, 239. Aut si, quod mallem, vacuus fortasse fuisses. ℙ Reperitur etiam *mavolo*, *mavolam*, *mavelim*, *mavellem*, pro *malo*, *malam*, *malim*, *mallem*, praesertim ap. *Pl.* ut *Poen.* 1, 2, 90. Bonam ego, quam beatam me esse, nimio dici mavolo; et *As.* 1, 1, 108. Moriri se misere mavolet, quam, etc. *Naev.* ap. *Fest.* in *Stuprum:* Ibidem perire mavolunt. *Pl. Truc.* 4, 2, 29. Mortuum hercle me, quam ut id patiar, mavelim; et *Mil.* 2, 2, 16. Haud multos homines convenire, quam te, mavellem. Sic *mavolui* pro *malui* ap. *Petr. fr. Trag.* 77. *Burm.* Cum huc venit, nusquam mavoluit hospitari. Al. leg. *mavolt.* ℙ *Futurum *malebit* pro MALET habes ap. *Jul. Valer. rer. gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 93. *extr.* In eo, quem malebit, loco, etc. *B. A.*

MĂLOBATHRĀRĬUS. V. MURRHOBATHRARIUS.

MĂLOBATHRĀTUS, a, um, adj. malobathro unctus. *Sidon. ep.* 8, 13. *f.* Satrapae pumicati, malobathrati.

MĂLOBATHRON, i, n. *μαλόβαθρον*, arbor Syriaca, de qua *Plin.* 12, 26, 59. Dat et malobathron Syria, arborem folio convoluto, arido colore: ex quo exprimitur oleum ad unguenta: fertiliore ejusdem Aegypto. Laudatius tamen ex India venit. In paludibus ibi gigni tradunt lentis modo: odoratius croco, nigricans scabrumque, quodam salis gustu. Minus probatur candidum. Celerrime situm in vetustate sentit. Sapor ejus nardo similis debet esse sub lingua. Odor vero in vino sufferve-facti antecedit alios. *Id.* 13, 1, 2. Singuli quoque succi nobilia unguenta faciunt: inprimis malobathrum. *Hor. Od.* 2, 7, 7. coronatus nitentes Malobathro Syrio capillos. ℙ Habet usum et in medicina. V. *Plin.* 23, 4, 48. et *Cels.* 5, 23. ℙ Scribitur et *malabathrum.*

MĂLOGRĂNĀTUM, i, n. malum granatum. Legitur ap. *Hieron. comment. ad Aggaeum c.* 2. *n.* 20. Addunt et *Plin.* 26, 8, 31., sed nihil certi inde colligi potest, ut neque 16, 22, 36., ubi similis locus habetur. Utroque enim loco *malo granato* in dativo, et ablativo legitur. *Isid.* tamen eas voces conjungit *Orig.* 17, 7. Arbor autem malogranata est generis feminini, pomum vero generis neutrius.

*MALŌPE, es, f. malva. *Plin.* 20, 21. In magnis laudibus malva est utraque et sativa et sylvestris. Duo genera eorum discernuntur: majorem Graeci malopem vocant in sativis. *B. A.*

*MALTECORAE, arum, m. populi Indiae. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

MALTHĂ, ae, f. *μάλθα*, et *μάλθη*, dicitur a Graecis pix cum cera mixta, ut *Fest.* docet: a *μαλάσσω*, et *μαλθάσσω*, mollio, subigo. ℙ Sic etiam vocatur genus tectorii, quod parietibus, aut pavimentis inducitur, ne coria eorum findantur, et ut, si quae sint rimae, obducantur. Fit autem variis modis, ex pice liquida, et axungia, vel sevo: ex pice, et cera, item testa, flore calcis: ex sanguine bubulo, flore calcis, scoria ferri: ex ficu, pice dura, et ostrei testa, ex sevo liquefacto, quod cineri cribellato admixtum sit, etc., quae omnia habes ap. *Pall.* 1, 41. et 17. *Plin.* quoque aliam malthae compositionem tradit 36, 24, 38. Maltha e calce fit recenti: gleba vino restinguitur: mox tunditur cum adipe suillo, et ficu, duplici linimento: quae res omnium tenacissima, et duritiam lapidis antecedens. ℙ Est etiam nativa maltha, nempe limus flagrans in stagno Samosatensi Commagenes: cum quid attigit solidi, adhaeret: praeterea tactu sequitur fugientes. Sic defendere muros oppugnante Lucullo, flagrabatque miles armis suis. Aquis etiam accenditur: terra tantum restingui, docuere experimenta. Haec *Id.* 2, 104, 108. Haec eadem est ac naphta, quam vocem vide suo loco. ℙ Translate dicitur de molli et effeminato, *μαλθακός*. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 167. Insanum vocant, quem maltham, ac feminam dici vident.

*MALTHĀCE, es, f. *Μαλθάκη*, insula maris Ionii, Corcyrae vicina. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

MALTHĪNUS, a, um, adj. effeminatus, mollis: a *maltha. Hor. Sat.* 1, 2, 25. Malthinus tunicis demissis ambulat. Ubi volunt nonnulli notari hic Maecenatem. Alii nomen proprium esse jajunt; quod sane veri est similius. Leg. etiam al. *Malchinus.* [*V. *Bentl.* ad h. l. et *Schneid. Gr. Lat.* l. p. 209.]

MALTHO, as, avi, atum, a. l. maltha solido et conglutino, maltham rei alicui induco: quod praecipue fiebat in iis monumentis, quae aeterna esse volebant. *Plin.* 36, 24, 58. Quod malthatur, oleo perfricatur ante. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 5, 48. Sulphure solent vitrum solidare, id est malthare.

MALVĂ, ae, f. *μαλάχη*, herbae species. *Plin.* 20, 21, 84. In magnis laudibus malva est utraque, et sativa, et silvestris. Duo genera earum amplitudine folii discernuntur: majorem Graeci molochen vocant in sativis. Alteram ab emolliendo ventre dictam putant malachen. E silvestribus, cui grande folium, et radices albae, althaea vocatur, ab excellentia effectus (ab *ἀλθαίνω*, medeor, sano) a quibusdam plystolycia. Haec *Plin. Mart.* 10, 48. Exoneraturas ventrem mihi villica malvas Attulit. Adde *Cic. Fam.* 7, 26. ℙ Tradunt auctores in Arabia malvas septimo mense arborescere, baculorumque usum praebere extemplo. Sed et arbor est malva in Mauritania, altitudinis pedum viginti, crassitudinis, quam circumplecti nemo possit. Haec *Plin.* 19, 4, 22.

MALVĂCĔUS, a, um, adj. qui est ex malva, vel malvae similis. *Plin.* 21, 4, 10. Rosae genus funditur e caule malvaceo, folia oleae habente. ℙ *Malvaceus, i*, m. substantivum est diminut. *malvae.* V. BETACEUS.

*MALVĂNA, ae, Africae fluvius, ex Atlante oriens, Mauretaniam Tingitanam a Caesariensi dividens. *Plin.* 5, 2. ℙ Hodie, aiunt, est *Muluya.* ℙ *Malua* est *Ant. Itin. Μαλοῦα Ptolemaeo. B. A.*

*MALVĂNUS, i, m. luporum exactor. *Lucil.* ap. *Non.* 2. *n.* 324 ubi tamen *Turneb. Adv.* 29, 3. legit *Martem Silvanum. B. A.*

[MALVĂTĬCUS, a, um, adj. idem ac malvaceus. *Not. Tir.* p. 176. Malva, malvaticus. *F.*]

*MALVAVISCUS, i, m. i. q. ibiscus. *Appul. de herb.* 38. *B. A.*

[MĂLŪGĪNENSIS, e, adj. est cogn. R. in gente Cornelia, ut M. Cornelius Maluginensis ap. *Liv.* 4, 21. et in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 290., quod antiquissimum quidem Romae fuit. *Glandorpius* in *Onomast.* p. 254. ab ignota patria derivatum putat: sed v. v. sq. *F.*]

[MĂLŪGĪNOSUS, a, um, adj. qui malum agit, malitiosus. *Gloss. Phil.* Maluginosus, *κακεντρεχής*. Hinc etiam *maluginensis* derivatum videtur. *F.*]

MĂLUM, i, n. *κακὸν*, infortunium, calamitas, labor, incommodum, pestis, uno verbo quidquid nocet cuipiam. *Cic. Or.* 1, 58. Ipsum quidem illud, etiam sine cognitione juris, quam sit bellum, cavere malum, scire possumus. *Id. Amic.* 3. Nihil enim mali accidisse Scipioni puto. *Pl. Bacch.* 3, 6, 25. Orarem, ut ei, quod posses mali facere, faceres. *Caes. B. C.* 2, 12. Hostes turris ruina commoti, inopinato malo turbati, etc. *Nep. Amilc.* 2. Diuturnitate externi mali, *h. e.* belli. *Cic. Verr.* 2, 3, 23. Vi, malo, plagis adductus est, ut frumenti daret, quantum cogeretur, *h. e.* supplicio servili, ut infra dicetur. *Virg. G.* 2, 168. Assuetumque malo Ligurem, *h. e.* laboribus et vitae miserae. *Id. A.* 6, 95. Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. *Cic. Phil.* 2, 18. Quo ego tempore tanta mala florentissimae familiae sedavi, vel potius sustuli; et *ib.* 44. Servitus est malorum omnium postremum. *Id. Planc.* 13. Libertas malis oppressa civilibus. *Id. Tusc.* 1, 32. Mors non est in malis, *h. e.* inter mala non connumeratur. *Cels.* 3, 15. *f.* Quartana neminem jugulat, sed si ex ea facta quotidiana est, in malis aeger est; et *ib.* Danda opera est, ne in quotidianam id malum vertat, *h. e.* febris. *Ov. Pont.* 1, 3, 18. Interdum docta plus valet arte malum, *h. e.* morbus. *Hor. Sat.* 1, 4, 30. per mala praeceps fertur, *h. e.* per incommoda, pericula. *Plin.* 18, 17, 44. *n.* 2. Coeleste frugum vinearumque malum est rubigo. ℙ Item vitium, malefactum, scelus. *Ov. Met.* 1, 140. Effodiuntur opes irritamenta malorum. *Pl. Cas.* 3, 5, 22. Malum pessimum exordiri. ℙ Item poena. *Liv.* 2, 54. *extr.* Malo domandam tribunitiam potestatem. *Sall. Jug.* 105. Pudore magis, quam malo exercitum coercebat. ℙ De plagis, cane, cruce, aliisque suppliciis, quae infliguntur servis. *Liv.* 4, 49. *med.* Malum quidem militibus meis, nisi quieverint; et *mox:* Auditis, Quirites, sicut servis, malum minitantem militibus? *Pl. Rud.* 4, 4, 81. Non ego te comprimere possum sine malo. *Ter. Eun.* 4, 4, 45. Non potest sine malo fateri, video. ℙ *Malo suo aliquid facere*, damno suo, in suam perniciem. *Enn.* ap. *Non.* 7, 55. Malo hercle suo magno convivat sine modo. *Pl. Amph.* 1, 1, 165. Olet homo quidam malo suo. Sic *As.* 1,

3, 3. Male merenti bona es: at malo cum tuo. ℙ *Malo esse alicui*, damno esse. *Pl. Men.* 2, 3, 5. Amanti amoenitas malo est: nobis lucro est. *Nep. Alcib.* 7. Huic maxime putamus malo fuisse nimiam opinionem ingenii atque virtutis. *Cic. Att.* 14, 22. Clementiam illi malo fuisse. ℙ *Malum* saepe interjectionis modo interseritur, ut *nefas, indignum*, et indignationem significat. *Cic. Verr.* 2, 1, 20. Quae, malum, est ista tanta audacia, atque amentia? et *Phil.* 10, 9. Quae, malum, est ista ratio, semper optimis causis veteranorum nomen opponere? *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 3. Quid tu, malum, me sequere? *Id. Truc. a.* 5. *v.* 38. Qui, malum, bella aut faceta es, quae ames hominem istimodi? *Ter. Phorm.* 5, 7, 55. Quid vos, malum, ergo me sic ludificamini? ℙ Adverbii loco pro *male. Hor. Sat.* 2, 4, 18. Ne gallina malum resonset dura palato.

MĂLUM, i, n. *μῆλον*, Aeolice, et Dorice *μᾶλον*, pomi genus, cujus varia genera, citreum, cydonium, Persicum, Medicum, Appianum, et alia plurima *Plin.* 15, 14, 14. et 15. *Colum.* 5, 10. *f.* et 12, 45. et *Macr. Sat.* 2, 15. enumerant, et suis locis in hoc opere memorantur. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 15. Malis orbiculatis pasci. *Virg. Ecl.* 3, 64. Malo me Galatea petit, lasciva puella. *Hor. Sat.* 1, 3, 7. ab ovo usque ad mala, *h. e.* a principio usque ad finem coenae, quia prima ova, mala postrema mensae inferri mos est. ℙ *Malum Discordiae.* V. DISCORDIA. ℙ Differunt *mala* a *pomis*, quia *poma* sunt generale nomen omnium paene fructuum, qui ex arboribus sunt, et nuces quoque comprehendunt. Porro *nuces* sunt quaecumque poma foris duro teguntur, et intus habent, quod esui est: contra *mala* foris habent, quod esui, et durum intus includunt. *Macr. l. c.* ℙ Interdum tamen a piris distinguuntur. *Plin.* 16, 26, 43. Messibus reddunt semen nuces, et mala, et pira. ℙ *Mala* translate sunt testiculi. V. BRACEUS.

*MALUM TERRAE, herba, cujus sunt genera quatuor, quae recensentur a *Plin.* 25, 8. *Scrib. Larg. passim*, Terrae malum. *Id. compos.* 202. Malum terrae, quod *ἀριστολοχίαν* Graeci dicunt; et *compos.* 206. (*Malum*) rotundum, quae *ἀριστολοχία στρογγύλη*; et *compos.* 220. et 237. Radix mali terrae. Cf. *Plin.* 26, 8. prope f. ℙ *Malum terrenum* vocat *Veg. de re vet.* 4, 13. *B. A.*

*MALUNDRUM, i, n. herbae genus, de qua *Plin.* 26, 7. ed. *Hard.* Antea legebatur *melandryum.* V. *Melandryum. B, A.*

MĂLUS, a, um, adj. *κακὸς*, contrarius bono, et probo: qui ignorantia, vel malitia laborat, qui caret bonitate quacumque vel naturali, vel morali: pravus, perversus, improbus, nocens, infestus. [*Differunt *malus* et *pravus:* hoc significat id, quod natura, illud quod forma contra bonitatem est. V. *Doederl.* 1, 62. sq.] *Juven.* 4, 8. Nemo malus felix. *Pl. Ps.* 4, 7, 1. Malus, et nequam homo; et 4, 6, 21. Malus, et scelestus, et perjurus. *Nep. Att.* 9. Odisse malos cives. *Cic. Off.* 3, 9. Philosophi minime mali illi quidem, sed non satis acuti. *Id. Pis.* 30. Notam apponere ad malum versum. *Id. Arch.* 10. *f.* Malus poeta. *Nep. Dat.* 6. Mala fide compositoque aliquid facere. *Cic. Verr.* 2, 3, 21. Malam opinionem habere de aliquo. *Hor. Sat.* 1, 3, 36. Mala consuetudo. *Quint.* 12, 1. conscientia; et *ib. f.* causa; et *ib.* Nihil tam occupatum, tot ac tam variis affectibus concisum atque laceratum, quam mala mens, *h. e.* mens male cogitans, pravus animus. *Sall. Cat.* 18. Mali mores. *Tibull.* 3, 5, 20. Et modo nata mala vellere poma manu, [*i. e. nocente, perniciosa. V. *Broukh.*] *Virg. Ecl.* 3, 11. mala vites incidere falce novellas. [*Burm. explicat *mala falce*, non acuta, obtusa, rubigine exesa, qualis falx ramis et vitibus tanto magis nocet. Doctissime ille quidem! Sed praeferenda Heynii ratio, simpl. *mala falce* pro *nociva, perniciosa* accipientis.] *Tibull.* 2, 4, 29. hinc Coa puellis Vestis, et a rubro lucida concha mari: Haec fecere malas, *h. e.* avaras, infidas, perjuras. *Id.* 1, 2, 51. Malae herbae; et *Virg. A.* 2, 471. mala gramina, *h. e.* noxia, venefica. *Stat. Th.* 6, 666. lux mala clypei, *h. e.* terribilis, et perstringens oculos. In *Leg. XII. Tab.* ap. *Plin.* 28, 2, 4. malum carmen, *h. e.* magicum. *Virg. Ecl.* 7, 28. Mala lingua, *h. e.* maledica, fascinatoria, ut *Serv.* loquitur. *Pl. Trin.* 1, 2, 30. Malis verbis objurgare aliquem. *Virg. A.* 2, 243. Malus ager, *h. e.* frugibus infelix. *Ter. Phorm.* 5, 8, 19. Facinus indignum et malum. *Id. Andr.* 2, 1, 17. Abi in malam rem. *Sall. Cat.* 21. Mala res, spes multo asperior, *h. e.* res angusta domi. *Quint.* 11, 3. vox. ℙ [*Notandum, v. *malus* adhiberi etiam talibus, quae per se quidem bonitate carent, ubi gravius epitheton exspectes. Ita ap. *Hor. Sat.* 1, 1, 77. *mali fures*; et 2, 3, 135. malae Furiae. *Virg. G.* 1, 129. malum virus. *Ecl.* 1, 51. mala contagia. *Hor. A. P.* 453. mala scabies. *Sat.* 2, 1, 56. Mala cicuta. *Liv.* 1, 57. Mala libido. Ita *Hom. Il.* 1, 10. *νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακὴν*, et al. *κακὸς θάνατος, μόρος.* Idem fortasse quod nos dicimus *heillos.* ℙ *Malus* ponitur etiam substantive. Ita *mali* ap. *Lucan.* 5, 773. Ut nolim servire malis: sunt Caesariani, injusti illi libertatis raptores. Adde *ib.* 8, 482. Sed melior suadere malis, etc. V. ad utrumque locum *Cort.*] ℙ *Τνῶμη* est illud *ejusdem* 3, 8. Nec enim est quis- quam tam malus, ut malus videri velit. ℙ Pro infelici, improspero, adverso. *Cic. Div.* 2, 25. Lacedaemoniorum mala pugna in Leuctris. *Sall. Jug.* 60. Oppidum post malam pugnam ab rege defecerat. *Hor. Od.* 1, 15, 5. mala ducis avi domum. *Pl. Aul.* 1, 1, 4. Malam aetatem exigere. Sed *mala aetas* dicitur etiam senectus. *Pl. Men.* 5, 2, 6. Ut mala aetas mala merx est tergo! Adde *Acc., Turpil., Pacuv.* et *Afran.* ap. *Non.* 1, 1. ℙ Est etiam non simplex, malitiosus, astutus, vafer. *Pl. Bacch.* 5, 2, 20. Oves stultae, atque haud malae videntur. *Id. Truc.* 2, 5, 4. Nimio minus perhibemur malae, quam sumus ingenio. *Id. Rud.* 2, 5, 9. Amat hercle me: delituit mala. ℙ Item deformis, invenustus. *Pl. Merc.* 2, 3, 78. Ancilla mala. *Id. Bacch.* 5, 2, 42. Haud mala est forma mulier. *Quint.* 6, 3. *med.* Mala facies. ℙ *Malum pondus* est leve pondus. *Pl. Amph.* 1, 1, 156. Haud malum huic est pondus pugno. ℙ Gradus *pejor, pessimus* V. ss. ll. ℙ [*Confund. *malorum, laborum, dolorum.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 317.]

MĂLUS, i, f. *μηλέα*, arbor, quae mala fert. *Virg. G.* 2, 70. Et steriles platani malos gessere valentes. *Varr. R. R.* 1, 7. Malus bifera in agro Consentino. ℙ *Malus*, m. *ἱστὸς*, arbor navis antennas sustinens, et vela. *Cic. Sen.* 6. Ut si qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhauriant. *Id. Verr.* 2, 5, 34. Malum erigi, vela fieri, praecidi ancoras imperavit. *Virg. A.* 5, 828. jubet ocius omnes Attolli malos, intendi brachia velis. *Ov. Her.* 5, 53. Aura levis rigido pendentia lintea malo Suscitat. *Lucan.* 5, 418. summi carchesia mali. *Hor. Od.* 1, 14, 5. malus celeri saucius Africo. *Val. Fl.* 1, 126. velifero quaerentem brachia malo; et *ib.* 312. celso cornua malo Expediunt; et *ib.* 620. Vela super tremulum subitus volitantia malum Turbo rapit. *Plin.* 7, 56, 57. *f.* Malum et antennam Daedalus invenit. ℙ A similitudine *malus* dicitur lignum in medio torcularis erectum. *Plin.* 18, 31, 74. Parvis prelis, et minori torculari, et malo in medio decreto. ℙ A similitudine est etiam illud *Lucr.* 6, 108. Carbasus ut quondam magnis intenta theatris Dat crepitum, malos inter jactata, trabesque.

*MAMA, oppidum Aethiopiae, vel fortasse Aethiopiae Aegyptoque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

[MĂMAS, antis, m. cupiens: a *μάμας, αντος* aor. 1. verbi *μαμάω* pro *μαμάω*, cupio. Est nomen servile R. in *Inscr.* ap. *Grut.* 1070, 1. *F.*]

*MAMELIA, oppidum Aethiopiae, vel fortasse in Aethiopiae Aegyptique confinibus. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

[MĂMERCĪNUS, i, m. ad Mamercum pertinens, cogn. R., ut L. Aemilius Mamercinus cos. ann. U. C. CCCLXXXVIII., ap. *Liv.* 7, 1. *F.*]

MĂMERCUS, i, m. praenomen est Oscum, eo quod hi Martem Mamertem appellant. *Festus.* Hinc fortasse Romani praenomen Marci passim usurparunt. ℙ *Mamercus* fuit etiam cogn. R., ut M. Aemilius Mamercus cos. ann. DCLXXVII., cujus meminit *Cic. Brut.* 47.

MĂMERS, Mamertis facit: id est lingua Osca Mars, Martis: unde et Mamertini in Sicilia dicti, qui Messanae habitant. Haec *Festus.* *Varro* autem *L. L.* 4, 10. *f.* Sabinam vocem esse tradit. Porro causam, cur Messanenses dicti sint Mamertini, tradit idem *Festus* ex *Alfio l.* 1. *Belli Carthag.*, scilicet Samnites olim auxilium tulisse Messanensibus, eosque ab hoste liberatos: ob id meritum in civitatem fuisse allectos, jactaque sorte duodecim Deorum nominibus, Mamertem exisse: inde omnes Mamertinos appellatos. *Plin.* 3, 8, 14. Oppidum Messana civium R., qui Mamertini vocantur.

MĂMERTES vel Mamers, ertis, m. vir Corinthius, qui filios fratris sui Sisaponis libidine regnandi interfecit, maximo suo malo. Nam ubi Sisapo factum rescivit, eum membratim discerpsit. *Ov. Ib.* 549., ubi alii aliter leg.

MĂMERTĪNUS, a, um, adj. ad Mamertinos pertinens. V. MAMERS. *Cic. Verr.* 2, 2, 5. Mamertina civitas. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 4. vina. *Mart.* 13, 117. Amphora Nestorea tibi Mamertina senecta Si detur, quodvis nomen habere potest. ℙ *Mamertinus* sub Juliano Aug. praefectus aerarii, et praetorio per Illyricum, demum consul ab eo factus ann. a Chr. n. CCCLXII., gratiarum actionem hac ipsa de re apud eum habuit, quae hodieque exstat: in qua labentem jam Latinae linguae majestatem agnoscere facile possis.

MAMILIA Turris, intra Suburae regionem a Mamilio nomen accepit. Porro Mamiliorum familia progenita fuit a Mamilia Telegoni filia, quam Tusculi procreaverat, cum illud oppidum condidit. *Festus.* Narrat *Liv.* 3, 29. L. Mamilio Tusculano civitatem datam ann. U. C. CCXCVI. De Octavio Mamilio, cui Tarquinius Superbus filiam nuptui dederat, ad conciliandos sibi animos et opes Latinorum, quia is Latini nominis longe princeps habebatur, habes ap. *eund.* 1, 49. *extr.* ℙ *Mamilia lex*, cujus meminit *Cic. Leg.* 1, 21. videtur fuisse de arbitris eligendis in controversiis de finibus agrorum. Ejus fragmenta tria habemus ap. *Goes.* p. 339. Lata est a C. Mamilio Turrino trib. plebis, qui ob id *Limetanus* cognominatus est, q. v. v. s. l.

MAMILIĀNUS, a, um, adj. ad Mamilium aliquem pertinens, ut *Mamiliana rogatio* ap. *Sall. Jug.* 44.

MĂMILLA et Mammilla, ae, f. *τιτθίον*, dimin. mammae, atque idem saepe significans, papilla. *Vell.* 2, 70. de Bruto: Cum mucronem gladii sinistrae admovisset mamillae, uno ictu transfixus exspiravit. *Juven.* 6, 400. Ipsa loqui recta facie, strictisque mamillis. *Id.* 12, 74. Scrofa triginta clara mamillis. ℙ *Mammilla* est etiam vox blandientis feminas praecipue. *Pl. Ps.* 1, 2, 47. Ubi isti (*viri*) sunt, quibus vitae, quibus deliciae, quibus savia, mammillae mellitae? scil. estis. ℙ A similitudine ita dicitur tubus mammae figura, per quem aqua emittitur. *Varr. R. R.* 3, 14. Si eduxeris fistulam, et in eam mamillas imposueris tenues, quae eructent aquas. Al leg. *papillas.* Sic *Plin.* 35, 12, 46. *mammata* dixit in balineis fictilia illa, per quae calor ex hypocausto in balineas transfunditur. ℙ In capris *mammillas pensiles* vocat *Varr. R. R.* 2, 3. verruculas duas parvae mammae forma, sub earum rostra pendentes. Al. tamen leg. *mammulas.*

MAMILLĀNUS, a, um, adj. ut Mamillanae ficus, ap. *Plin.* 15, 18, 19., sic appellatae a similitudine mammarum. Eadem de causa *Mammosa pira* memorantur ab *eod. ib.* 15, 16.

MAMILLĀRE, is, n. *ἐπιμαστίδιον*, strophium, fascia e pelle, qua mulieres mamillarum tumorem coercebant. Legitur in *lemmate* ap. *Mart.* 14, 66. Taurino poteras pectus constringere tergo: Nam pellis mammas non capit ista tuas.

MAMMĂ, ae, f. *τιτθὸς, μαστὸς*, receptaculum lactis in femina: est a *μάω*, quaero, cupio, cujus praet. perf. pass. *μέμαμαι*, unde prius *mama*, deinde *mamma* factum. Hinc *Etymol. M. Μαστὸς, ὃν ἐπιζητοῦσι τὰ βρέφη. Gell.* 12, 1. vocat fontem sanctissimum corporis, generis humani educatorem. *Pl. Truc.* 2, 5, 1. Puero isti date mammam. *Cic. Div.* 2, 41. Puer in gremio matris sedens, mammam appetens. *Plin.* 35, 10, 30. *n.* 19. Ad mammam adrepere infans. *Lucr.* 5, 883. puer Ubera mammarum insomnis lactantia quaerit. *Virg. A.* 1, 496. de Amazone: Aurea subnectens exsertae cingula mammae. ℙ Usurpatur etiam de bestiis. *Cic. N. D.* 2, 51. *f.* Quae multiplices fetus procreant, ut sues, ut canes, his mammarum data est multitudo: quas easdem paucas habent eae bestiae, quae pauca gignunt. *Plin.* 11, 40, 95. Balaenae, vitulique mammis nutriunt fetus. *Virg. G.* 3, 309. Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra; Laeta magis pressis manabunt flumina mammis. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Mammam sugere. *Plin.* 11, 40, 95. Mammas premere, *h. e.* exprimere sugendo. *Id. ib.* Mamma sterilescit, *h. e.* arescit. *Id. ib.* descendit, *h. e.* lacte manat. *Id. ib.* Equae anno prope toto mammas praebent. *Id.* 26, 15, 92. Mammas uberiores reddere. *Id.* 20, 33, 96. replere. *Id.* 23, 2, 32. exstinguere, *h. e.* siccare. ℙ Dicitur etiam de viris. *Id.* 11, 39, 95. Mammas homo solus e maribus habet: cetera animalia mammarum notas tantum. *Cic. Fin.* 3, 5. *med.* Viris ad ornatum donatae sunt a natura mammae, atque barba. *Just.* 12, 9. *f.* Sagitta sub mamma trajectus. ℙ In arboribus *mamma* dicitur parva illa extuberatio in cortice, unde germen, et rami erumpunt. *Plin.* 17, 16, 26. Exempta scutula cortici, imprimitur ex alia cortex par, cum sui germinis mamma. ℙ [Adhibetur et in blanditiis. *Pl. Most.* 1, 4, 7. Ecquid tibi videor, mamma, madere? At *Bothe* rectius edidit: Ecquid tibi videor ma-ma-madere. Loquitur enim ebrius. ℙ Ita etiam infantes matrem appellant, ut *tatam* patrem, *papam* cibum. *Varr.* ap. *Non.* 2, 97. Cum cibum ac potionem buas ac papas vocent, matrem mammam, patrem tatam. *Mart.* 1, 101. Mammas atque tatas habet Afra: sed ipsa tatarum Dici et mammarum maxima mamma potest. *Inscr.* ap. *Grut.* 663, 8. Zetho Corinthus tata ejus, et Nice mamma *fecit:* V. A. I. D. XVI. ℙ Est item avia. *Inscr.* ap. *Mur.* 1134, 3. Cn. Arrio Agapeto Arria Agapete mater, et Bostrychus pater, et Helpis mamma, et Fieie nutrix filio pientissimo. ℙ Est quoque nutrix. *Inscr.* ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 2. p. 82. ed. *Mediol.* Diis propitiis. Claudia Ti. F. Quinta C. Julio Hymeto paedagogo suo, item tutori a pupillatu ob redditam sibi ab eo fidelissime tutelam, et C. Julio Epitynchano fratri ejus, et Juliae Sporidi mammae suae *fecit. F.*]

MAMMAEA. V. v. sq.

MAMMAEĀNUS, a, um, adj. ad Mammaeam pertinens, quae fuit mater Alexandri Severi. *Lampr. Alex. Sev.* 57. *extr.* Puellas et pueros, quemadmodum Antonius Faustinianas instituerat, Mammaeanas et Mammaeanos instituit. V. FAUSTINIANUS.

MAMMĀLIS, e, adj. ad mammas pertinens. *Ap-*

pul. Herb. 26. herbam chamaepityn *mammalem* vocat, quia prodest in morbis mammarum.

MAMMĀTUS. V. MAMILLA.

MAMMĒĀTUS, a, um, adj. mammosus. *Pl. Poen.* 1, 2, 181. Hujus amica mammeata. Confirmat *Non.* 2, 529.

[MAMMENSIS, is, adj. ad Mammam pertinens, parvam urbem in Byzacena Asiae provincia, cujus meminit *Procop. B. Vand. l.* 2. *c.* 11. *Coripp. Johann.* 6, 283. Proelia dura petens, campis Mammensibus Austur Rustica funereis sternebat corpora telis. *F.*]

*MAMMISEA TETRARCHIA in Syria fuit, in Cyrrhestica. *Plin.* 5, 24. ubi tamen *Harduinus* mavult *Minnizeam*, a Minniza sc. Cyrrhesticae urbe. *B. A.*

*MAMMONAS vel Mammona, ae, m. (ὁ μαμωνᾶς vel μαμωρᾶς *Matth.* 6, 24. *Luc.* 16, 9. Chald. Mamon מָמוֹן et in statu emph. מְמוֹנָא i. e. pecunia, opes,) *wealth*, *riches*, *mammon*. V. in *Mammoneus*, *a*, *um*. *B. A.*

MAMMONĒUS, a, um, adj. ad mommonam pertinens. Est autem *mammona* Syriaca vox, qua significantur divitiae. *August.* docet *de serm. Domini in monte* 2, 14. Punice *mammon* idem esse, quod lucrum. [Hinc *mammonea fides* est perfida, et quae spe lucri et divitiarum solummodo constat, ap. *Prud. Hamart.* 429. Mammoneamque fidem pacis sub amore sequuntur. Hic *Prud.* licenter secundam syllabam corripit. *F.*]

MAMMOSUS, a, um, adj. μεγαλόμαστος, magnas habens mammas. *Laber.* ap. *Gell.* 3, 12. Non mammosa, non annosa, non bibosa, non procax. *Varr. R. R.* 2, 9. Canes feminas volunt esse mammosas, aequalibus papillis. Adde *Mart.* 14, 149. ℙ *Mammosa pira*, quae instar mammae turgescunt. *Plin.* 15, 15, 16. ℙ *Mammosum panici genus*, panum habens racemosum, et parvis paniculis constantem, cacumine gemino. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 3. ℙ *Mammosum tus*, cum haerente lacrima priore, consecuta alia miscuit se. *Id.* 12, 14, 32.

*MAMMOTHREPTUS, i, m. a nutrice educatus. *August. in Psalm. Conc.* 30. *B. A.*

MAMMŪLĀ, ae, f. dimin. mammae. *Varr. R. R.* 2, 3. Caprae sub rostra duas, ut mammulas pensiles habent. Alii leg. *mammillas*. V. VERRUCULA. *Cels.* 7, 26. *in.* Femina urinae iter mammulae simile habet. Ita in omnib. suis editionib. et Codd. MSS. vidit *Morgagnius*, atque ita edidit *Targa;* alii tamen minus recte *caruncula*e. ℙ ℙ Item avia, *avola*. *Inscr.* ap. *Grut.* 663, 2. Valerius Julianus Italico filio infelicissimo, et Honoratae mammulae hujus fecit. Haec namque emeritos bis quadraginta per annos Vixit, at hic terno consule natus erat. Al. leg. *obit.* ℙ Est etiam cogn. cujusdam M. Cornelii legati ad Ptolomaeum Aegypti regem, ap. *Liv.* 42, 6. [*Quaedam h. l. emendavit *F.*[

*MAMORTHA, Samariae oppidum, post capta Hierosolyma Neapolis dictum, olim vero Sichem. *Plin.* 5, 13. *B. A.*

MAMPHŪLA, ae, f. placenta seu collyra ex farina triticea, quam Hebraei, et ceteri orientales populi sacerdotibus, tanquam primitias, offerebant, quoties panis massa in qualibet domo subigeretur. Eadem in usu olim etiam apud Romanos fuisse videtur; hinc ap. nostrates etiamnum pueri ea placenta subcinericea donantur, quoties farina ad panem conficiendum subigitur; est a Syriac. ܡܦܠܬܐ *maphula* seu *mamphula*, casus, et Hebr. מַפֶּלֶת *mappalà*, seu *mamphalà*, deciduum, *h. e.* quod ex majori massa decidit, seu tollitur. V. *Num.* 15, 21. et *Ezech.* 44, 30. *Festus:* Mamphula appellatur panis Syriaci genus, quod, ut ait Verrius, in clibano antequam percoquatur, decidit in carbones, cineremque: cujus meminit Lucilius: Pistricem validam si nummi suppeditabunt, Addas empleuron, mamphulas quae sciat omnes. [*Plura adjecit *F.*]

MAMPHUR, μαννοφόρον, lignum rotundum mediocris longitudinis loro circumvolutum, quod circumagunt fabri in operibus tornandis. *Fest.* Est a voce Graeca allata, quae a μάννος, monile, et φέρω, porto, quia circumvolutum habet lorum, ut collum monile. *Scalig.*

*MAMŪDA, oppidum Aethiopiae, vel in confinio Aethiopiae atque Aegypti. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

MĂMURĬUS, ii, m. Μαμούριος, faber aerarius, qui tempore Numae floruit. De hoc sic scribit *Fest.* Mamurii Veturii nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant hac de causa. Numa Pompilio regnante, e coelo cecidisse fertur ancile, id est scutum breve, quod ideo sic appellatum est, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum infimumque ejus latus medio pateret: unaque edita vox est, omnium potentissimam fore civitatem, quamdiu id in ea mansisset. Itaque facta sunt ejusdem generis plura, quibus id misceretur, ne internosci coeleste posset. Probatum opus est Mamurii Veturii, qui praemii loco petiit, ut suum nomen Salii inter carmina canerent. *Ov. Fast.* 3, 391. Inde sacerdotes operi promissa vetusto Praemia persolvunt, Mamuriumque vocant. *Prop.* 4, 2, 61. At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae.

MAMURRĂ, ae, m. eques Romanus, Formiis natus, praefectus fabrorum C. Caesaris in Gallia, qui primus Romae in Coelio monte parietes domus suae marmore incrustavit, nullamque in aedibus columnam habuit, nisi e marmore, omnesque solidas e Carystio, aut Lunensi. Hic est ille Mamurra, *Catulli* carminibus proscissus, qui domum ejus dixit habere, quidquid habuisset Comata Gallia. Haec omnia *Plin.* 36, 6, 7. [*Catull.* 29, 3. Mamurram habere, quod Comata Gallia Habebat uncti, et ultima Britannia? Hic prima in *Mamurram* videtur esse brevis, nam totum carmen constat ex iambis puris. Longa tamen est ap. *Hor. Sat.* 1, 5, 37. In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus, *h. e.* Formiis, Mammurrarum patria. *F.* *V. *Heindf.* ad h. l.]

[MAMURRĀNUS, a, um, adj. ad Mamurram pertinens. *Inscr.* in *Giorn. Arcad. Decembr.* 1825. p. 346. Claudiae Priscae conjugi piissimae Eutyches Caes. N. ser. Tryphonianus, dispensator villae Mamurranae. *F.*]

MĀNĀ et Mānūānā, ae, f. nomina sunt Deorum praestitum, ap. *Capell.* 2, 40. V. PRAESTES.

MĀNĀBĬLIS, e, adj. facile manans, ut Manabile frigus, ap. *Lucr.* 1, 534., *h. e.* penetrans.

MĀNĀCHUS vel Manacus, i, m. circulus in horologio solari seu sciotherico, cujus ope, praeter horarum et dierum longitudinem ab aliis lineis praemonstratam, etiam menses seu XII. zodiaci signa ab umbra gnomonis quotidie indicatur: est autem μάναχος Dorice pro μήναχος, ἀπὸ τοῦ ἔχειν τοὺς μῆνας. [Hinc Itali suum habent *almanacco*, ab Arabibus nempe derivatum, qui articulum *al* ipsorum proprium voci *manacho* praefigunt. *Vitr.* 9, 8. e centro aequinoctiali intervallo aestivo circinatio circuli menstrui agatur, qui manacus dicitur. V. *Guattani Mem. Encyclop. Rom.* T. 5. p. 103. et ann. 1816. p. 128. *F.*]

MĀNAE Spongiae. V. MANON.

MĀNĀLIS, e, adj. ex quo aliquid manat. *Manalis fons*, ex quo perpetuo aqua fluit. Ab auguribus fons manalis puteus perennis vocabatur. *Fest.* ℙ *Manalis lapis*, ostium Orci, per quod Manes, idest animae Inferorum ad Superos manarent. *Paulus* ex *Festo*, qui deducere videtur a *manando*. Sed si manalis lapis erat Orci ostium, quis dubitet, quin id nomen sit a Diis *Manibus?* ℙ *Manalem lapidem* etiam vocabant petram quandam, quae erat extra portam Capenam juxta aedem Martis, quam cum propter nimiam siccitatem loco moverent, et in urbem protraherent, inde pluvia statim sequebatur: a *mano* quod aquis manaret. *Paulus* ex *Festo*. Meminit ejus lapidis et *Varro de vita P. R.* l. ap. *Non.* 15, 32. *et Fulgentius Planciades de prisco sermone*, ubi ex *Labeone* idem confirmat. ℙ Ap. *Varr. l. c.* urceolum *aquae manale* vocabant, quod eo aqua in trulleum effunderetur. Unde quidam *aquaemanale* conjunctim scribunt. V. AQUIMINARIUM. ℙ *Labeo* modo laudatus, in libris de Etrusca disciplina haec habet: Fibrae jocinoris sandaracei coloris dum fuerint, manales tum vertere opus est petras: h. e., ut subdit *Fulgent.*, quas antiqui solebant in modum cylindrorum per limites trahere pro pluviae immutanda inopia. Non ergo solum extra portam Capenam, sed alibi quoque hujusmodi manales lapides habebantur.

MĀNĀMEN, inis, n. manatio, fluxus. *Auson. Mosell.* 32. bivio refluus manamine pontus, *h. e.* mare fluxu et refluxu remeans.

*MANĀTES, um, m. populi Latii, qui Manam vel Manum fortasse oppidum sic dictum incolebant. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

MĀNĀTĬO, onis, f. aqua stillans, effusio aquae per rimas. *Front. Aquaed.* 65. Intercidit tamen aliquantum e ductus vitio, qui cum sit depressior, non facile manationes ostendit; et *ib.* 110. Aquae caducae, quae ex castellis effluunt, aut ex manationibus fistularum; et *ib.* 122. Tectoria corrumpuntur, unde fiunt manationes: quibus necesse est latera rivorum et substructiones vitiari.

MANCEPS, ĭpis, abj. qui proprio jure aliquid possidet: a *manus*, et *capio*, quasi aliquid initio ab aliis derelictum manu ceperit. *Tert. Apol.* 11. Necesse est, concedatis aliquem sublimiorem Deum, et mancipem quendam divinitatis, qui ex hominibus Deos fecerit. ℙ Speciatim sumitur pro eo, qui aliquid in auctione, aut extra emit, conducit, aut redimit, ἐργολάβος: quia et hic manu capit: nam manu sublata significabat, se pluris esse licitatum. Iis quippe publica locabantur, qui in licitatione majorem pecuniae summam, sublato digito, datis praedibus spopondissent. Haec *Festus. Cic. Verr.* 2, 1. 54. Locare incipit: accurrunt ad tempus tutores: digitum tollit Junius patruus. Isti color immutatus est: quid ageret, coepit cogitare: si opus pupillo redimeretur, si res abiret ab eo mancipe, quem ipse apposuisset, sibi nullam praedam esse, *h. e.* redemptore sartorum tectorum. *Id. Rosc. Am.* 8. Hominis studiosissimi nobilitatis manceps fit Chrysogonus. *Nep. Att.* 6. Nullius rei neque praes, neque manceps factus est. *Ascon.* in *Div. Verr.* 10. Mancipes sunt publicanorum principes, Romani homines: qui quaestus sui causa, si decumas redimunt, decumani appellantur; si portum aut pascua publica, portitores aut pecuarii: quorum ratio scriptura dicitur. Hi omnes exigenda a sociis suo periculo exigunt, et reipubl. repraesentant, providentes etiam in illa redemptione commodis suis. *Plin. ep.* 3, 19. Sunt ergo instruendi complures frugi mancipes, *h. e.* qui agros mercede conducunt. *Suet. Vesp.* 1. *f.* Petronii patrem fuisse mancipem operarum, quae ex Umbria in Sabinos ad culturam agrorum quotannis commeare solent, *h. e.* conductorem mercenariorum et operariorum servorum, ut opera eorum ad quaestum uteretur. *Plin.* 10, 43, 60. Manceps sutrinae, *h. e.* qui officinam conduxit, ut ibi sutrinam exerceat; et 33, 13, 57. Pretia rerum omnibus paene annis mutari, prout quisque mercatus sit, aut aliquis praevalens manceps annonam flagellet: qui minoris coemit, ut carius vendat. ℙ *Manceps viae* idem est ac redemptor, qui eam reficiendam quaestus sui causa redemit; ideo etiam redemptor appellatus. *Tac. A.* 3, 31. Idem plurima per Italiam itinera fraude mancipum, et incuria magistratuum interrupta et impervia suscepit. *Inscr.* ap. *Grut.* 622, 2. Cn. Cornelio Cn. F. Sab. Musaeo mancipi viae Appiae etc. ℙ Translate. *Plin. ep.* 2, 14. Sequuntur auditores actoribus similes, conducti et redemti mancipes, *h. e.* qui a causidicis pretio conducti, alios ad hoc conducunt, ut plausu ipsos causidicos prosequantur et laudibus. ℙ Accipitur interdum pro fidejussore. *Pl. Curc.* 4, 2, 29. Ego mancipem te nihil moror, nec lenonem alium quemquam.

[MANCĬA, ae, f. idem ac manus, et vox vulgi propria, cujus dimin. est manciola. Est cogn. R., ut Curtilius Mancia cos. ann. U. C. DCCCVIII. ex *Marin. Frat. Arv.* p. 88., et Q. Curtius Mancia ap. *Cic. Off.* 1, 30. *f.* Hinc derivatur Italorum *mancia*, donum scilicet, quod praeter operae mercedem operario quis manu sua offert. *F.*]

MANCĬNĬĀNUS, a, um, adj. ad Mancinum pertinens, ut Manciniana deditio, ap. *Flor.* 3, 14. h. e. qua C. Hostilius Mancinus Numantinis hostibus deditus est. V. *eund.* 2, 18. et *Cic. Or.* 1, 40.

MANCĪNUS, a, um, adj. a *mancus*, affertur a *Prisc.* 2, 592. sed sine exemplis. Fuit cogn. R. in gente Hostilia, ut A. Hostilius Mancinus, in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 293. ℙ Mancini fana appellabantur, quod Mancinus habuit insignem domum, quae publicata est eo interfecto. *Festus.*

MANCĬOLĂ, f. χειρίδιον, parva manus, dimin. manciae. *Naev.* ap. *Gell.* 19, 7. Manciolis tenellis.

*MANCIPARĬUS, i, m. Vocabulum ἅπαξ λεγόμενον, quod habet *Vet. Schol.* in *Juven. Sat.* 11, 147. si modo sana sit lectio. *B. A.*

MANCĬPĀTĬO et Mancupatio, onis, f. χείρωσις, ἀνδραποδισμός, actus abalienandi, et veluti simulacrum venditionis in iis rebus, quae *mancipi* dicebantur: a *mancipio*. [*Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 1. §. 121. Qui mancipio accipit, apprehendere id ipsum, quod ei mancipio datur, necesse sit: unde etiam mancipatio dicitur, quia manu res capitur. V. MANCĬPIUM. *F.*] ℙ Sumitur et pro vera venditione. *Plin.* 9, 35, 58. Lolliam Paulinam vidi smaragdis margaritisque opertam toto capite, manibus, digitisque; quae summa quadringenties HS. colligebat; ipsam confestim paratam mancipationem tabulis probare, *h. e.* ostendere tabulas, in quibus earum gemmarum venditio et pretium descriptum erat. Alii leg. *nuncupationem*, quos reprehendit *Hard.*

MANCĬPĀTUS et Mancupatus, a, um, part. a *mancipo*, mancipio traditus, venditus, alienatus, addictus. *Cic. Phil.* 2, 21. Tum iste venditum atque mancipatum tribunatum consiliis vestris opposuit. Al. leg. *emancipatum*. [*Ita *Orell.* nulla lectionis varietate indicata.] *Id. Sen.* 11. Ita enim senectus honesta est, si se ipsa defendit, si jus suum retinet, si nemini mancipata est. Hic quoque al. *emancipata*. [**Orell.*, q. v., legit *mancipata*. *Emancipata* defendit *Heusing.*] *Tac. H.* 2, 71. Luxu et saginae mancipatus emptusque.

MANCĬPĀTŬS, us, m. idem ac mancipatio. *Plin.* 9, 35, 60. In mancipatum venit, ut praedium aliquod: id est solemnitates eae adhibentur, quae solent in iis rebus, quae sunt mancipi. ℙ Est etiam functio, munus, et procuratio ipsa mancipis, *h. e.* ejus, qui aliquid conduxit a publico, puta vectigalia, cursum publicum, vias muniendas, etc. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theodos. Cod. Theod.* 8, 5, 36. Mancipibus supra lustrale tempus cura non immineat mancipatus. *Impp. Valentinian. et Valens ib.* 7, 9. Ad ejus, quod declinare tentarunt, muneris functionem, et ad necessitates constringantur mancipatus.

MANCĬPI. V. v. sq.

MANCĬPĬUM et Mancupium, ii, n. αὐριόνης, cujusvis rei dominium, seu jus proprietatis. Antiqui enim res, quarum dominium comparare volebant, manu capiebant, seu prehendebant. *Lucr.* 3, 985. Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu, *idest*, nulli ita datur, ut propriam ac perpetuam habeat. *Sen. ep.* 72. *med.* Fortuna nihil dat mancipio. *Curius* ad *Cic. Fam.* 7, 29. Sum χρήσει μὲν tuus, κτή-

σει δὲ Attici nostri. Ergo fructus est tuus, mancipium illius. ℙ Hinc *res mancipi*, vel (ut antiqui loquebantur) *res mancupi*, dicuntur, quae in nostro sunt mancipio, hoc est quae nostro dominio, juri, aut potestati sunt subjectae, quasque, quoties lubet, possumus alienare: quae autem in nullius sunt potestate, quaeque alienari non possunt, *res nec mancipi* dicuntur, quae scil. in nullius sunt mancipio. Est autem *mancupi* seu *mancipi* genitivus per apocopen pro *mancupii* seu *mancipii*. *Cic. Mur.* 2. Quod si in iis rebus repetendis, quae mancipi sunt, is periculum judicii praestare debet, qui se nexu obligavit. *Id. Top.* 5. *extr.* Abalienatio est ejus rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio. ℙ *Emptio eorum quae mancipii sunt*, ut ait *Plin.* 33, 3, 13., et *mancipatio* correlativa sunt. Nam respectu venditoris contractus hic dicitur *mancipatio*, seu venditio mancipii; contra respectu emptoris dicitur *emptio mancipii*. Hujusmodi vero contractus ita fieri docet *Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 1. §. 119. Est autem mancipatio (*h. e.* venditio eorum, quae mancipii sunt) imaginaria quaedam venditio, quae et ipsum jus proprium civium Romanorum est, eaque res ita agitur, adhibitis non minus quam quinque testibus, civibus Romanis puberibus, et praeterea alio ejusdem conditionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens: is qui mancipio accipit, rem tenens ita dicit: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo, isque mihi emptus est hoc aere aeneaque libra:* deinde aere percutit libram, idque aes dat ei, a quo mancipio accipit, quasi pretii loco. Eo modo et serviles et liberae personae mancipantur: animalia quoque, quae mancipi sunt, quo in numero habentur boves, equi, muli, asini; item praedia tam urbana, quam rustica, quae et ipsa mancipi sunt, qualia sunt Italica, eodem modo solent mancipari. In eo solo praediorum mancipatio a ceterorum mancipatione differt, quod personae serviles et liberae, item animalia, quae mancipi sunt, nisi in praesentia sint, mancipari non possunt: praedia vero absentia solent mancipari. ℙ *Sui mancipii esse*, est sui juris esse, nullius dominio subjectum esse. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* An ut esset sui juris et mancipii respublica. ℙ *Mancipio dare*, fere est rem ita dare, ut evictionem nos praestituros spondeamus. Et *mancipio accipere*, est ea lege emere, ut venditor praestet evictionem. *Pl. Curc.* 4, 2, 9. Memini, et mancipio tibi dabo. *C.* ego ne a lenone quidquam Mancupio accipiam, quibus sui nihil est, nisi una lingua? *Cic. Att.* 3, 50. Vestorius ad me scripsit, ut juberem mancipio dari servo suo fundum Brinnianum, ut ipse ei Puteolis recte mancipio dare posset. Adde *Top.* 10. ℙ *Jure mancipii* esse dicuntur ea, quae mancipi sunt, et emptione mancipi emuntur. *Cic. Har. resp.* 7. Multae sunt domus in hac urbe, jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi. ℙ *Esse in mancipio alicujus*, jure mancipi ab aliquo possideri. *Gell.* 18, 6. *f.* Matremfamiliam appellatam esse eam solam, quae in mariti manu mancipioque, aut in ejus, in cujus maritus manu mancipioque esset. ℙ Translate. *Cic. Top.* 26. *f.* Sic nos tibi ad id, quod quasi mancipio dare debuimus, ornamenta quaedam voluimus non debita accedere. ℙ Accipitur etiam pro ipsa venditione, seu mancipatione. *Cic. Off.* 3, 16. Hae aedes Sergio serviebant: sed hoc in mancipio Marius non dixerat. [*Recte *Schütz.* in *cl. Cic.* p. 354. sq., ubi v. *faciendo* intelligit. *Ernest. mancipium* pro formula, v. conditione accipit; quod latine quidem non dicitur. V. *Beier.* ad h. l.] Adde *Cic. Or.* 1, 39. ℙ Ipsa quoque res, quae mancipi jure possidetur, *mancipium* dicitur, cum de servo sermo est: sive jure belli, sive ex ancilla natus, sive quod aere emptus sit. *Id. Par.* 5, 1. Non enim ita dicunt, eos esse servos, ut mancipia, quae dominorum sunt facta nexu, aut aliquo jure civili. *Id. Att.* 8, 11. *med.* Conculcari miseram Italiam, et quati mancipiis ex omni genere collectis. *Hor. Ep.* 1, 6, 39. Mancipiis locuples eget aeris Cappadocum rex. *Sen. ep.* 70. *f.* Extrema mancipia. [*Liv. 41, 6 Mancipia argento parata: ἀργυρώνητοι. *Vell.* 2, 53, 2. imperio arbitrioque Aegyptii mancipii.] ℙ Urbane. *Ov. Pont.* 4, 5, 40. Pro quibus ut meritis referatur gratia, jurat, Se fore mancipium tempus in omne tuum. *Petr. fragm. Trag.* 68. *Burm.* Idem sutor est, idem cocus, idem pistor, omnis Musae mancipium. *Prud. Apoth.* 476. Mancipium Christi, fur corruptissime, vexas.

MANCĬPO et Mancupo, as, avi, atum, a. 1. ἀνδραποδίζω, mancipio trado, in alterius dominium et proprietatem transfero, vendo, alieno, addico. *Pl. Curc.* 4, 2, 10. de lenonibus: alienos mancupatis, Alienos manumittitis, alienisque imperatis. *Hor. Ep.* 2, 2, 159. Quaedam, si credis consultis, mancipat usus. *Plin. ep.* 7, 18. Pro quingentis millibus nummum, quae in alimenta ingenuorum promiseram, agrum ex meis, longe pluris actori publico mancipavi: eundem vectigali imposito, recepi, tricena millia annua daturus. *Tac. A.* 2, 30. Novi juris repertor Tiberius mancipari servos singulos actori publico jubet. *Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 2. §. 33. Cum in mancipanda proprietate ususfructus deducitur, eo fit, ut apud alium ususfructus, apud alium proprietas est. ℙ Translate est addicere, subjicere, obligare. *Appul. Met.* 9. Mero, et stupro corpus mancipare; et *ib.* 10. Mancipabatur potestas capitis in manum carnificis. *Imppp. Valentinian., Valens et Gratian. Cod. Theod.* 12, 1, 83. De ignaviae latebris retractus curiarum functionibus mancipetur. [*V. MANCIPATUS, a, um.] ℙ Pro prehendere, manu capere. *Solin.* 20. de alce: Ita capitur: alioqui difficile est eam mancipari.

*MANCUNĬUM, i, n. Britanniae oppidum, hodie forsan *Manchester. Ant. Itin. B. A.*

MANCUS, a, um, adj. πηρὸς, membro aliquo captus: et refertur ad manus, sicut *claudus* ad pedes. [*Martinius*, prob. *Doederl.* 3, 117., originem vocis vidit in *minus.*] *Ulp. Dig.* 21, 1, 12. Sciendum, scaevam non esse morbosum, praeterquam si, imbecillitate dextrae, validius sinistra utatur: sed hunc non scaevam, sed mancum esse dicimus. *Cic. Rabir. perduell.* 7. Q. Scaevola confectus senectute, perditus morbo, mancus, et membris omnibus captus ac debilis. *Ov. Fast.* 3, 825. Et licet antiquo manibus collatus Epeo Sit prior, irata Pallade, mancus erit. *Juven.* 3, 48. nulli comes exeo, tanquam Mancus, et exstinctae corpus non utile dextrae. *Liv.* 7, 13. De nobis ita desperasti, ut te mancorum ac debilium ducem judicares esse. *Pl. Merc.* 3, 4, 45. Ad mandata claudus, caecus, mutus, mancus, debilis. ℙ Translate est imperfectus, infirmus, inutilis. *Cic. Fin.* 3, 9. Mancam fore putaverunt sine aliqua accessione virtutem. *Id. Mil.* 9. Occurrebat, mancam ac debilem praeturam suam futuram consule Milone. *Id. Off.* 1, 43. Contemplatio naturae manca quodammodo atque inchoata est, si nulla actio rerum consequatur. [*Hor. Sat. 2, 7, 88. In quem manca ruit semper fortuna.] ℙ *Mancum* adverbii more. *Prud.* περὶ στεφ. 2, 23. Errorque mancum claudicat, Et caeca fraus nihil videt.

*MANDACADĒNI, orum, m. incolae Mandacadae, Mysiae oppidi. *Plin.* 5, 30. ed. *Hard.* Antea legebatur *Mandagadeni.* ℙ Oppidi mentio facta est in *Notit. Empisc. Hellesp. B. A.*

*MANDALUM, i, n. Africae lacus, in terra Troglodytica, non longe a sinu Arabico. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*MANDARĒI, orum, m. populi Asiatici, ultra Maeotim lacum. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

MANDĀTĀRĬUS, ii, m. cui quippiam mandatum est. Legitur a quibusd. ap. *Ulp. Dig.* 17, 1, 10. §. 11., sed alii rectius *mandatores* legunt.

MANDĀTĬO, onis, f. actus mandandi, mandatum. *Julian. Dig.* 41, 1, 37. Quia nec stipulatione, nec mandatione, nec ullo alio modo per servum quidquam ei acquiritur. Ita *Torrentin.*, alii *traditione* habent.

MANDĀTĪVUS, a, um, adj. ad mandandum pertinens. *Mandativus modus* apud quosdam grammaticos, teste *Diomed.* 1, 330., est in iis verborum inflexionibus, quibus aliquid in futurum fieri mandamus, ut *leges*, *docebis* etc., et sic ab imperativo distinguunt, quo aliquid statim fieri imperamus, ut *lege*, *doce.*

MANDĀTOR, oris, m. qui alteri mandatum aliquod injungit. *Paul. Dig.* 17, 1, 22. *f.* Mandatum renunciare, ut integrum jus mandatori reservetur. *Cajus Instit.* 17. *extr.* Et quod extra mandatum egit, non praejudicet mandatori. *Tert. adv. Marc.* 3, 2. Nec missus credetur, quem nunquam mandator designavit. ℙ *Mandatores* etiam dicuntur, qui auctores sunt delationum, et delatores instruunt, et subornant ad accusandum. *Suet. Tit.* 8. Et delatores mandatoresque erant ex licentia veteri: hos flagellis caesos venire imperavit. *Callistr. Dig.* 49, 14, 2. *med.* Delator compellitur edere mandatorem, ut mandator quoque, perinde atque ipse detulisset, puniretur. ℙ Item ii, quorum mandato, alii pecunia credita est: differuntque a fidejussoribus, quod auctores sunt negotii contrahendi, fidejussores accedunt negotio jam contracto. *Scaev. Dig.* 17, 1, 59 et 60., et alibi.

MANDĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad mandatorem pertinens, ut Mandatorio nomine aliquid facere, *Imp. Dioclet. Cod.* 8, 41, 19 et 22. et *ib.* 4, 29, 15.

MANDĀTRIX, icis, f. quae aliquid mandat. *Claudian. IV. cons. Honor.* 235. sinceram mentem mandatricem operum. Adde *Ov. Her.* 13, 13., ubi al. leg. *mandantis.*

MANDĀTUM, i, n. πρόσταγμα, ἐντολή, id quod mandatum est, jussio. *Cic. Fam.* 3, 1. *f.* Omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari a me voles, mandata des, velim. *Id. Phil.* 5, 9. *f.* Quamvis severa legatis mandata dederimus. *Id. Fam.* 3, 11. *f.* Dare mandata alicui ad aliquem. *Id. Phil.* 6, 3. Dare cuipiam mandata, ut, etc. *Id. Verr.* 2, 2, 64. Siculi veniunt cum mandatis, veniunt cum testimoniis publicis. *Id. Q. Fr.* 2, 14. Tua mandata persequar diligenter; et *mox:* Facies, ut mea mandata digeras, persequare, conficias. *Id. Att.* 6, 1, 3. Satisfacere mandatis alicujus. Al. aliter leg. [*Locus vexatissimus est. V. *Orell.*, qui exhibet quam, ut mandarat is, facere.] et *ib.* 5, 1. *f.* Mandata alicujus exhaurire. *Id. Phil.* 9, 4. exsequi. *Liv.* 1, 56. *med.* perficere. *Sall. Jug.* 62. efficere. *Curt.* 7, 9. *f.* facere. *Cic. Att.* 15, 2. alicujus deposcere, *h. e.* orare, ut mandet, si quid velit; et *ib.* 15, 19. *extr.* et *Caes. B. C.* 1, 8. habere ab aliquo ad aliquem. *Cic. Phil.* 8, 8. An ego ab eo mandata acciperem, qui senatus mandata contemneret? *Pompej.* ad *Domit.* 2. *f. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* afferre alicui. *Cic. Att.* 7, 14. deferre. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 5. perferre. *Nep. Con.* 3. edere. *Caes. B. G.* 1, 37. referre. *Plin.* 18, 3, 4. proferre. *Ov. Met.* 7, 502. peragere, *h. e.* enunciando referre. *Id. Pont.* 2, 2, 125. ferre ad aliquem. *Id. Her.* 16, 303. negligere; et *Met.* 9, 696. fallere. *Hor. Ep.* 1, 13, 19. frangere. *Tac. A.* 4, 15. spernere. *Cic. Fam.* 3, 3. Ea me ex tuis mandatis monuit, quae, etc. ℙ Graeca constructio est in illo *Ov. Her.* 13, 143. Producetque virum, dabit et mandata reverti, *h. e.* ut revertatur. ℙ In singulari num. *Cic. Att.* 5, 7. Ut mandatum scias me curasse. ℙ Ap. JCtos *mandatum* est contractus gratuitus, quo quis ex officio, aut amicitia rem alterius sibi demandatam sine ulla mercede curandam, conficiendamque suscipit, non secus ac si de re sua ageretur: quod si fallat, datur in eum actio, quae *Dig.* 17, 1. (qui *mandati* inscribitur) *actio mandati* appellatur. Quod si merces interveniat, in locationem, et conductionem transit. *Cic. Rosc. Am.* 38. In privatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset, sui quaestus aut commodi causa, verum etiam negligentius; eum majores summum admisisse dedecus existimabant: itaque mandati constitutum est judicium non minus turpe, quam furti; et *mox:* Quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? *Paul. l. c.* 20. Mandatum suscipere. *Id. ib.* 5. susceptum implere. *Cajus ib.* 27. explere; et *ib.* exsequi. *Paul. ib.* 22. *f.* consummare. *Julian. ib.* 30. Mandati agere. *Ulp. ib.* 12. *f.* teneri. *Id. ib.* 3, 2, 6. condemnari. *Id. ib.* 38, 5, 1. *med.* conveniri. *Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 3. §. 161. Cum is, cui recte mandaverim, egressus fuerit mandatum, ego quidem eatenus cum eo habeo mandati actionem, quatenus mea interest, implesse eum mandatum. ℙ *Mandata principum* sunt monita et praecepta, quae rectoribus provinciarum, aliisque magistratibus palam, vel arcano litteris dabantur. *Front. Aquaed.* 3. Quae id sanciant poenae, ex lege, senatusconsultis, et mandatis principum irrogatae; et *ib.* 109. Impetratam aquam alio duci, mandatis prohibetur.

MANDĀTUS, a, um, part. a *mando*, imperatus, traditus, commissus. *Cic. Rosc. Am.* 38. Rem mandatam malitiosius gerere. *Id. Man.* 16. Magnis imperatoribus saepius imperia mandata, atque exercitus commissi. *Nep. Att.* 15. In nitendo quod semel admisisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. *Ov. Met.* 7, 505. mandatam juvit facundia causam. *Id. Her.* 14, 50. mandatum dextra refugit opus. *Pl. Pers.* 4, 6, 12. Mandatas epistolas deferre. ℙ Translate. *Lucr.* 6, 600. Quamvis coelum terramque reantur Incorrupta fore, aeternae mandata saluti.

MANDĀTUS, us, m. idem quod mandatum. In sexto casu singulari. *Cic. Caecin.* 7. Mandatu Caesenniae. [*Ita primum *Lamb.*; antea leg. *mandato. Id. Fam.* 2, 11. (non 7. ut Noster h. l. laudaverat s. v. *mandatum*) agitur mandatu meo diligenter. Ita *Orell.* q. v. Adde *Sull.* 23. et id mandatu Sullae Q. Metellus praetor se loqui dixit.] *Suet. Caes.* 7. Mandatu praetoris. [*Cf. *Oudend.* ad h. l. et *Drakenb.* ad *Liv.* 3, 62.] *Julian. Dig.* 17, 1, 32. creditorum. *Paul. ib.* 45. meo. *Inscr.* ap. *Labus. Epigr. Lat. in Egitt.* p. 99. C. Minicio C. F. Vel. Italo procuratori provinciae Asiae, quam mandatu principis vice defuncti proconsulis rexit, etc. [*Inscr. ap. *Orell.* 4040. Mandatu nostro.]

*MANDĒI, orum, m. populi Indiae, Indo flumini Mallisque vicini. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

*MANDĒLA, ae, f. V. v. sq. *B. A.*

[MANDĒLĀNUS, a, um, adj. ad Mandelam pertinens, pagum in Sabinis prope Digentiam rivum, cujus meminit *Hor. Ep.* 1, 18, 105. Me quoties reficit gelidus Digentia rivus, Quem Mandela bibit rugosus frigore pagus. Hinc *Mandelana massa* in *Inscr.* quam v. in DOMNIPRAEDIUS. *F.*]

*MANDI, orum, m. populi Indiae. *Plin.* 7, 2. Mandorum. Sic ed. *Hard.* Vetus lectio *Mandrorum. B. A.*

MANDĪBŪLA, ae, f. vel potius *Mandibulum*, *i*, n. γνάθος, os faciei utrumque, qua parte infixos habet dentes: a *mando*, *is.* *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *med.* Post septem menses dentes incipiunt mandibulis emergere. *Id. Sat.* 7, 4. *med.* Cibaria confecta mandibulis. ℙ De genere non constat: neutrum tamen esse crediderim, quia hac positione neutra sunt multa, *infundibulum*, *nucifrangibulum*, *patibulum*, *vertibulum*, etc., quamquam *Isid.* femininum fecit *Orig.* 11, 1. *med.*

MANDO, as, avi, atum, a. 1. παραδίδωμι, ἐγχειρίζω, gerendum quippiam, exsequendumque committo, praescribo, impero, mandatum do, negotium impono: quasi *manu do.* [*Doederl.* 1, 165. cognationem vidit vv. *mandare* et *mens.*] *Ter. Ph.* 4, 4,

7. Si quid velis, huic mandes, quod quidem recte curatum velis. *Caes. B. C.* 2, 13. Caesar per litteras Trebonio magnopere mandaverat, ne per vim oppidum expugnari pateretur. *Id. B. G.* 3, 11. Huic mandat, Rhemos adeat, atque in officio contineat. *Ov. Met.* 14, 23. Nec, medeare mihi, sanesque haec vulnera, mando. *Id. Amor.* 1, 11, 17. Aspicias oculos, mando, frontemque legentis. *Caes. B. G.* 4, 21. Voluseno mandat, ut exploratis omnibus rebus, ad se quamprimum revertatur. *Cic. Fam.* 3, 4. Te L. Clodio mandasse, quae illum mecum loqui velles; et *ib.* 5. *f.* Tibi de nostris rebus nihil sum mandaturus per litteras. *Ov. Her.* 16, 314. Utere mandantis simplicitate viri. ℙ Cum accusativo rei est fieri jubere, demandare, curare faciendum. *Cic. Att.* 1, 10. Praeterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere, *h. e.* comparandos, coemendos. *Stat. Th.* 9, 168. Mandare opus alicui, *h. e.* faciendum. *Sen. Troad.* 316. preces, *h. e.* apud alterum adhibendas. *Suet. Oth.* 6. excusationem: scil. ab aliis afferendam. *Lucan.* 1, 489. decreta consulibus, *h. e.* exsequenda; et 6, 569. Arcanumque nefas Stygias mandavit ad umbras, *h. e.* perferendum; et 10, 482. Nec flammis mandatur opus, *h. e.* ut igni absumatur. [**Lucr.* 2, 638. Mandaret malisne puerum Saturnus, i. e. injiceret maxillis, devoraret.] *Papin. Dig.* 1, 20, 1. Mandare jurisdictionem, cognitionem, exercitionem judicii, i. e. ad alium transferre. ℙ Pro assignare, destinare. *Hor. Ep.* 1, 19, 8. Forum, putealque Libonis Mandabo siccis: adimam cantare severis. *Id. A. P.* 176. ne forte seniles Mandentur juveni partes, pueroque viriles. ℙ Saepe est verbum testamentorum. *Ov. Trist.* 1, 2, 55. Et mandare suis aliqua, et sperare sepulcrum. Adde *Ulp. Dig.* 11, 7, 14. *med.* et *Papin. ib.* 26, 2, 26. etc. Sic *Flor.* 3, 3. Consulentes, si quid ad uxores suas mandarent. ℙ Pro amandare, expellere. *Cic. Sull.* 20. Aliquem dimittere ab se, et mandare in ultimas terras. [**in optimis edd. leg. *amandare; mandare Orell.* recte ex Italicismo ortum dicit.] *Id. Quint.* 15. Infra etiam mortuos mandatur. Al. leg. *amandatur.* [**Ita *Orell.* ne indicata quidem lectionis varietate. In loco *Tusc.* 2, 16. *f.* pro vulg. *mandatam* optimae edd. exhibent *datam.* Hinc illud recte constitui posse videtur, *mandare* nusquam poni pro *amandare*, idque ipsum verbum, ubi res postulet, sine ulla haesitatione esse restituendum. V. *Garat.* ad *Cic. Sull. l. c.*] ℙ Cum infinito. *Mart.* 1, 89. Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos, Non aliter cineres mando jacere meos. ℙ *Mandare ad aliquem*, mandare dicendum alicui. *Suet. Cal.* 25. Tradunt, adhibitum coenae nuptiali mandasse ad Pisonem contra accubantem: noli uxorem meam premere. [**Perperam *Ernest.* miscuit hujus loci rationem cum iis modo laudatis exemplis, in quibus *mandare* pro *mittere*, *amandare*, *expellere* positum dicitur, coll. sim. loquendi genere, *mittere ad aliquem. Mandare ad aliquem* significat, mandatum, negotium, nuntium dare, edere alicui perferendum, eodemque modo dictum est, ut nos: *an einen etwas befehlen, etwas sagen lassen*, ubi neminem puto, qui *befehlen* vel *sagen* pro *schicken* usurpatum dicat. Non minus errant, qui *mandare* pro *scribere* positum propterea dicunt, quod mandatum literis traditum fuerit. Ita *Brem.* ad *Suet.* l. l. ubi *Wolf.* in suam rem citat, qui laud. *Duk.* ad *Hor.* 3, 3, 6. Alia exempla haec sunto: *Tac. A.* 14, 38. Mandabat in urbem, nullum proelio finem exspectarent. *Eutrop.* 5, 5. Senatuique mandavit, bellum se ei propter injurias, quas passus fuerat, illaturum.] ℙ Saepe significat tradere: in iis praecipue, in quibus spectatur fides. *Ter. Andr.* 1, 5, 61. Bona nostra haec tibi permitto, et tuae mando fidei. *Ov. Pont.* 4, 6, 13. Jam timeo cuiquam nostram mandare salutem; Ipsum morte tua concidit auxilium. *Virg. A.* 3, 49. Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno infelix Priamus furtim mandarat alendum Threicio regi. *Caes. B. C.* 3, 59. et *Cic. Verr.* 2, 5, 14. Mandare alicui magistratum. *Cic. ib.* 2, 4, 37. et *Liv.* 24, 8. honores. [***Mandare* genuinum est verbum populi ad suscipiendum, administrandum munus aliquod publicum eligentis, evocantis. V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 6, 20.] *Pl. Men.* 5, 2, 33. filiam viro, i. e. in matrimonium dare. *Cic. Cat.* 4, 5. *f.* aliquem aeternis tenebris, vinculisque. *Liv.* 29, 38. *f.* Quod tunc perrarum in mandandis sacerdotiis erat. ℙ Translate. *Caes. B. G.* 2, 24. et *ib.* 5, 18. *extr.* Mandare se fugae. *Cic. Cat.* 1, 8. fugae, et solitudini vitam suam. *Colum.* 1, 7. *f.* semen terrae. *Virg. Ecl.* 5, 36. hordea sulcis. *Id. A.* 9, 214. corpus humo. Eodem sensu dixit *Petr. Sat.* 112. Mandare cadaver supremo officio. *Cic. fr. poem.* ap. *Isid. Orig.* 19, 1. Tunc se fluctigero tradit, mandatque paroni. *Id. Cat.* 1, 11. Percipite, quaeso, diligenter, quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate; et *Fam.* 6, 13. et *Quint.* 6. Mandare memoriae; et *Or.* 2, 12. litteris. *Ov. Her.* 17, 143. verba libello. *Cic. Off.* 2, 1. *med.* scriptis; et *Div.* 2, 32. historiae. *Id. Arch.* 9. versibus; et *Dom.* 29. immortalitati; et *Acad.* 4, 1. *med.* monumentis. *Id. N. D.* 2, 60. fruges conditas vetustati, *h. e.* condere, ut veterascant. *Sen. Herc. Fur.* 1085. Clavaeque gravi lassum solitus Mandare caput, *h. e.* in clavam reclinare. *Id. Med.* 150. Sile obsecro, quaestusque secreto abditos Manda dolori, *h. e.* ut dolor occultus intra se questus contineat, nec prodat. *Flor.* 3, 1. Primum scelus mandat insidiis, *h. e.* per insidias peragit. ℙ Absolute. *Stat. Th.* 8, 267. Sic ubi per fluctus uno ratis obruta somno Conticuit, tantique maris secura juventus Mandavere animas; solus stat puppe magister Pervigil, *h. e.* commisere vel mari tranquillo, vel quieti et sopori. ℙ Inter *mandare* et *praecipere* hoc interest, quod illud est minus imperiosum, et erga aequales, aut etiam superiores exercetur: hoc totum est imperii, et potestatis. Illo quippiam edicimus ab alio saepe exsequendum, quam ei, cui mandamus: hoc ab ipso illo, cui praecipimus. *Suet. Ner.* 40. *extr.* Per octo dies non rescribere cuiquam, non mandare quid, aut praecipere conatus. ℙ *Mandare suspendium alicui* ap. *Appul. Met.* 9. est jubere in malam crucem abire. Sic *Juven.* 10, 52. cum Fortunae ipse minaci Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.

MANDO, is, di, sum, a. 3. *μασάομαι*, cibum conficio dentibus. [**Etymon esse dicunt a *Gr. μάω, μάσσω.*] *Cic. N. D.* 2, 47. *f.* Animalia alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt; et *ib.* 54. Dentibus in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur et molitur cibus. *Colum.* 6, 2. *f.* Mandere ex commodo, aut festinanter. *Plin.* 17, 9, 6. Asini lentissime mandunt. *Virg. A.* 7, 279. de equis: fulvum mandunt sub dentibus aurum, *h. e.* aureum frenum mordent. Sic *Ov. Met.* 15, 92. nil te nisi tristia mandere saevo Vulnera dente juvat, *h. e.* caesa animalia comedere. ℙ Item comedo. *Enn.* ap. *Prisc.* 6, 683. Vulturis in silvis miserum mandebat homonem. *Liv. Andr. Od.* ap. *eund.* 8. p. 817. Cum socios nostros mandisset impiu' Cyclops. *Virg. A.* 9, 340. Impastus ceu plena leo per ovilia turbans (Suadet enim vesana fames) manditque, trahitque Molle pecus. *Plin.* 8, 51, 78. Non tota quidem coena, sed in principio, bini ternique pariter manduntur apri. *Id.* 22, 22, 46. Inter ea, quae temere manduntur, et boletos merito posuerim. *Mela* 2, 2. Diomedes immanibus equis mandendos solitus objectare advenas. ℙ Ut *mordere humum*, sic et *mandere* dicuntur, qui vulnere prostrati, proni moriuntur. *Virg. A.* 11, 668. Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam Mandit humum. *Val. Fl.* 3, 106. compressaque mandens Aequora purpuream singultibus exspuit auram. ℙ Per catachresim *Matius* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. Corpora Grajorum moerebar mandier igni, *h. e.* consumi. Sic ignis edax, ap. *Virg. A.* 2, 758. ℙ Olim et *mandor* dictum fuit, passiva positione, significatione activa, teste *Prisc.* 6, 799. Quod idem de *manduco*, *as*, ibidem tradit. ℙ Quidam praeteritum *mandui*, alii *mandidi* esse voluerunt: sed neutrum obtinuit. *Id.* 8, 817.

MANDO, onis, m. *φάγος*, manduco, edax. *Luc.* et *Varro* ap. *Non.* 1, 58. Atque omnes mandonum gulae.

*MANDONĬUS, i, m. *Μανδόνιος*, dux Hispanus. Hic et Indibilis partes Romanorum cum Scipione Africano in Hispania juverant. Deinde Scipione aegrotante, seditionem agitavere, in Romanosque insurgere coeperunt. Quos cum Scipio morbo liberatus comprehendisset, veteris officii memor tantum castigatos verbis dimisit. V. *Liv.* 22, 21. 28, 31. 33. et 34. 26, 49. et 29, 3. *Sil.* 3, 376. *B. A.*

MANDRA, ae, f. claustrum, septum pecudum, stabulum: est a Chald. מְדָרָא *medâr*, habitaculum, unde Graecis *ν*, ut saepissime alias, inserto *μάνδρα* usurpatum est. Hinc vero *mandrae* dicuntur jumenta, et plaustra cum equisonibus, et mulionibus, quae in unum coacta vias occupant, et ita claudunt, ut transitus denegetur commeantibus. *Mart.* 5, 22. Vixque datur longas mulorum rumpere mandras. *Juven.* 3, 236. rhedarum transitus arcto Vicorum in flexu, et stantis convicia mandrae Eripient somnum Druso, vitulisque marinus. ℙ Cum in exercitu proelioque impedimenta in unum coacta, quasi vallum, objiciantur, tum lixae et calones, militesque secundarii ad ea custodienda relinquantur; hinc in latrunculorum ludo mandra viliorem latronum turbam significat. *Mart.* 7, 72. Sic vincas Noniumque, Publiumque, Mandris et vitreo latrone clausos, *h. e.* convicia et clamores, quibus agasones et muliones solent equos mulosque tarde progredientes increpare. *Auct. Pan. in Pis.* 190. hic ad majora movetur, Ut citus et fracta perrumpat in agmina mandra, Clausaque dejecto populetur moenia vallo. ℙ Hinc sequioris Latinitatis tempore monachorum princeps, sive abbas, appellatus est *archimandrita*, q. v. v. s. l. [**Plura adjecit *F.*]

*MANDRAGAEUS (fluvius) vel Mandragaeum (flumen), in Asia ulteriore, non longe ab amnibus Jaxarte atque Oxo. *Plin.* 6, 17. Nobilia apud eos (*populos*) flumina Mandragaeum et Caspasium. Legitur et *Mandagraeus. B. A.*

MANDRAGORAS, ae, m. *μανδραγόρας*, herba est alio nomine Circaeum, duorum generum, candida, quam marem credunt; et nigra, quam feminam, angustioribus foliis, quam lactucae, hirsutis et caulibus, radicibus binis ternisve rufulis, intus albis, carnosis, tenerisque, paene cubitalibus. Ferunt mala avellanarum nucum magnitudine, et in his semen ceu pirorum. *Plin.* 25, 13, 110. Stigmata in facie mandragoras illitus delet; et *ib.* 94. Aliqui et mandragora utebantur: postea abdicatus in hac curatione est. *Colum.* 10, 19. Quamvis semihominis vesano gramine feta Mandragorae pariat flores, moestamque cicutam: *semihominem* vocat, quia ejus radix inferiorem hominis partem repraesentat: *vesanum gramen*, quia vim habet amatoriam insaniam inducendi, et soporem lethargo similem, ejusque succus recens pestis est: unde et *Circaeum* dicta est, quasi venefica, a Circe. V. *Plin. l. c.* [**Est quod nos dicimus *Alraun*, Atropa mandragora, *L.*]

*MANDROPOLIS, is, f. *Μανδρόπολις*, urbs Phrygiae majoris. *Liv.* 38, 15. ℙ Incolae

*MANDROPOLITAE, arum, m. dicti, ut patet ex *numo Titi* ap. *Cellarium. B. A.*

*MANDRUĒNI, orum, m. populi Asiae ulterioris, in Bactriana. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

*MANDRUS (fluvius) vel Mandrum (flumen) in Asia ulteriore, np. in Bactriana. *Plin. ib.* Flumina, Mandrum *(casus rectus est)*, Gridinum, ultraque Chorasmii. *B. A.*

*MANDUBĬI, orum, m. *Μανδοίβιοι*, populi Galliae Celticae sive Lugdunensis, quorum caput Alesia vel Alexia. *Caes. B. G.* 7, 68. et 78. *B. A.*

MANDUCĀTĬO, onis, f. actus manducandi. *August. Tract. in Joann.* 27. *med.*

MANDUCĀTOR, oris, m. qui manducat. *August. Tract. in Joann.* 27. *f.*

MANDUCĀTUS, a, um, part. a *manduco:* dentibus comminutus, mansus. *Varr. R. R.* 3, 7. *med.* Qui solent saginare pullos columbinos, manducato candido farciunt pane. *Sen. ep.* 95. *med.* Exspecto jam, ut manducata ponantur.

MANDŪCO, as, avi, atum, a. 1. *μασάομαι*, mando, comedo. *Diomed.* 1, 361. Manduco proprie est, quod Graeci dicunt *μασῶμαι*, hoc est identidem mando. Ideoque Probus negat recte dici, piscem, vel aliud tenerum quid manduco, sed potius, edo, quod significat *ἐσθίω*: manducatur autem quod denti reluctatur: nam cum dicam, edo, quid faciam, ostendo: cum vero, manduco, non tantum, quid faciam, ostendo, sed et qualiter faciam. Haec *Diomed.* Unde *Pl. Mil.* 2, 6, 104. Occisam saepe sapere plus multo suem, Cum manducatur. ℙ Veteres tamen et in edendi significatione *manduco* dixerunt, inquit *Diomed. ib. August.* in *ep.* ad *Tib.* ap. *Suet. Aug.* 76. In balineo post horam primam noctis duas bucceas manducavi. [*Labeo* ap. *vet. Schol. Pers.* 1, 4. Crudum manduces Priamum, Priamique pisinnos. *F.*] ℙ Veteres dixere et *manducor*, teste *Prisc.* 6, 799., deponentium forma. *Pompon.* ap. *Non.* 7, 79. Quasi asinus, opertis oculis, simul manducatur, et molit. Adde *Lucil.* et *Afr. ib.*

MANDŪCO, onis, m. *ἀδδηφάγος*, edax, comedo. *Appul. Met.* 6. *f.* De isto asino semper pigro quidem, sed manducone summo.

MANDŪCUS, i, m. idem quod manduco, onis, a manducando. *Pompon.* ap. *Non.* 1, 58. Magnus camelus, manducus, cantherius. ℙ Larva quoque, seu Graece *μορμολύκειον*, quod in ludis, ac praesertim Atellanis, circumferebatur, a *mandendo* manducus dicebatur, propterea quod terriculamentis hujusmodi magnos dentes, ac voracitatem tribuerent. Erat enim manducus larvato capite humano, maxillas vasta magnitudine, vastisque armatas dentibus habens, qui oris hiatu, dentiumque crepitu sese in utramque partem viae dum flecteret, ridentem turbam vertebat in fugam. Haec ex *Festo.* Huc facit illud *Juven.* 3, 175. cum personae pallentis hiatum In gremio matris formidat rusticus infans. *Festus* addit illud *Pl. Rud.* 2, 6, 51. *Ch.* Quid, si aliquo ad ludos me pro manduco locem? *La.* Quapropter? *Ch.* quia pol clare crepito dentibus. ℙ Ap. *Varr. L. L.* 6, 5. *med.* in Atellanis obsonium vocant manducum. Sed pro *obsonium* fortasse legendum *personam.* V. *Scal.*

*MANDUESSĒDUM, i, n. Britanniae oppidum. *Anton. Itin. B. A.*

*MANDURĬA, ae, f. oppidum Italiae inferioris, in Sallentinis, medio inter Aletium et Tarentum loco. *Plin.* 2, 103. *Liv.* 27, 15. *B. A.*

MĀNĔ, neutr. indecl. *πρωΐ*, *ἐν τῷ ὄρθρῳ*, principium diei, cum plene diluxit, et sol ortus est: item aliquando totum illud spatium, quod post solis ortum ad meridiei vicinum tempus excurrit. *Censorin. de die nat.* 24. et *Macr. Sat.* 1, 3. *med.* Diluculum, cum, sole nondum orto, jam lucet: secundum diluculum vocatur mane, cum lux videtur solis. *Hor. Sat.* 1, 3, 18. noctes vigilabat ad ipsum Mane: diem totum stertebat. *Colum.* 11, 1. *med.* A primo mane opus aggredi. *Id.* 7, 12. Sub obscu-

ro mane, vel etiam crepusculo. *Id.* 9, 15. Postero mane. *Cic. Att.* 5, 4. Litteras multo mane mihi dedit. *Virg. G.* 3, 325. Mane novum. *Pers.* 3, 1. jam clarum mane fenestras Intrat, et angustas extendit lumine rimas. *Mart.* 1, 50. *f.* Non rumpet altum pallidus somnum reus, Sed mane totum dormies. *Ov. Fast.* 1, 547. Mane erat: excussus somno Tirynthius heros, etc. *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* Eas includere oportet, ut diem et noctem incubent, praeterquam a mane, et vespere, dum cibus his detur. *Hirt. B. Afr.* 42. *f.* Cum milites a mane diei jejuni sub armis stetissent. [**Suet. Aug.* 26. A mane usque ad vesperam.] ℙ Saepe absolute ponitur, more adverbii. *Caes. B. G.* 4, 13. et *ib.* 5, 10. Postridie ejus diei, mane. *Cic. Fam.* 7, 30. Quae erant futurae mane postridie. *Id. Att.* 13, 9. Hodie mane; et *ib.* 30. et *Ter. Ph.* 3, 2, 46. Cras mane. *Cic. Att.* 13, 31. V. cal. mane accepi a Demea litteras pridie datas. *Id. Cat.* 3, 9. Hodierno die, mane. ℙ Junguntur etiam ei adverbia. *Cic. Att.* 4, 9. *extr.* et *ib.* 14, 18. Bene mane haec scripsi. *Pl. Pers.* 1, 3, 33. Nimis paene mane est. *Ter. Heaut.* 1, 1, 15. Nunquam tam mane egredior, neque tam vesperi, quin, etc. *Plin. ep.* 1, 5. *med.* Rogo, mane videas Plinium domi, sed plane mane: neque enim diutius ferre sollicitudinem possum. ℙ Veteres dixere *mani*, ut *luci*, *vesperi*, teste *Donato* ad *Ter. Ph.* 1, 1, 2. Sic *Pl. Poen.* 3, 3, 37. Dudum a mani ut ad portum processimus. *Virg. Cyr.* 350. Et gelido veniens mani quatiebat ab Oeta. ℙ Alii ducunt a *manando*, quod tum manat dies ab oriente: unde *manare solem* dicebant antiqui, cum solis orientis radii splendorem jacere coepissent. Alii a *manus* bonus, ab omine boni nominis: ad quam religionem Graeci quoque, cum lumen affertur, solent dicere *φῶς ἀγαθόν*: maximum enim bonum lux est: et optima diei pars est matutinum tempus, et rebus agendis aptissima. Sic et Lanuvini *mane* pro bono dicunt, cui contrarium est *immane*. Alii a *Manibus*, quod ab inferis exordium lucis emergat. Alii denique a *μανὸς*, rarus, quia mane aer rarus est, et perspicuus. Haec habentur ap. *Varr. L. L.* 5, 2., *Festum*, *Macr. Sat.* 1, 3. *med.*, *Isid. Orig.* 5, 30. et *Non.* 1, 337., ubi *manum* non solum bonum, sed etiam clarum interpretatur.

MĀNĔO, es, nsi, nsum, a. 2. *μένω*, loco insisto, in loco me contineo, commoror, sto, resto, haereo: a voce Graeca allata. *Ter. Heaut.* 1, 2, 26. Utut erat, mansum tamen oportuit. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 108, 2. Hoc (pro *huc*) mansum veni. *Caes. B. G.* 5, 30. Facilem esse rem, seu maneant, seu proficiscantur. *Nep. Eum.* 5. Ne uno loco manens equos militares perderet. *Caes. B. C.* 3, 74. Manendum eo loco, et rem proelio committendam existimabant. *Id. B. G.* 4, 1. Quotannis singula millia suis ex finibus educunt: reliqui domi manent; et *B. C.* 2, 41. Manere in loco, ordinesque servare. *Cic. Off.* 3, 26. *f.* Manere in patria, esse domi suae. *Caes. B. G.* 5, 51. Totam hiemem ad exercitum manere decrevit. [*Aliter hoc dicendi genus intelligendum ap. *Liv.* 29, 20. Ut ad exercitum (Scipio) maneret, i. e. imperator maneret.] *Sen. Herc. Oet.* 1938. Vadis inermis, gnate, per umbras, Ad quas semper mansurus eris. ℙ Passive impersonaliter. *Caes. B. G.* 5, 31. Omnia excogitantur, quare nec sine periculo maneatur, etc. *Cic. Att* 3, 8. *f.* Id si est, in Italia fortasse manebitur. [**Vell.* 2, 16, 4. Utque ad saga iretur, diuque in eo habitu maneretur.] ℙ Frequenter est divertere, et morari, pernoctare. [**Gall. rester*, nostr. *bleiben.*] *Cic. Att.* 4, 18. Quo die ad me venies, si me amas, apud me cum tuis maneas; et *ib.* 7, 13. *f.* Pompejus ab Teano Larinum versus profectus est: eo die mansit Venafri; et *ib.* 5, 1. *med.* Scito, nos multis locis ne tectum quidem accipere, et in tabernaculo manere plerumque. *Hor. Od.* 1, 1, 25. manet sub Jove frigido Venator. [*Alia exempla adscribi haec poterant: *Liv.* 3, 45. Non manebit extra domum patris sponsa Icilii; cf. 44, 38. *Suet. Caes.* 39. ut plerique advenae aut inter vicos, aut inter vias tabernaculis positis manerent. *Aug.* 74. in cujus villa manerent. Eadem ratione usurpatum ab eodem h. v. est *Aug.* 78. *Claud.* 18. et *Cal.* 155. V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 5, 37. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 47.] Hinc *mansiones*. Sic *Capitol. M. Aurel.* 7. Nec praeter duas noctes, ab eo (*patre*) mansit diversis vicibus, *h. e.* extra domum paternam pernoctavit. [*V. *Salm.* ad h. l.] ℙ Translate est durare; et refertur ad res. *Caes. B. G.* 6, 31. Omnes superioris anni munitiones integrae manebant. *Nep. Them.* 10. Hujus ad nostram memoriam monumenta manserunt. *Colum.* 4, 33. de ridica: Quod genus fissilis adminiculi manet diutius, quam teres palus. *Virg. A.* 2, 22. Priami dum regna manebant. *Ter. Hec.* 4, 4, 101. Manere affinitatem hanc inter nos volo. *Cic. N. D.* 1, 12. Nihil semper suo statu manet. *Id. Att.* 8, 14. *med.* Elicere cupio sententiam tuam: si manet, ut firmior sim; si mutata est, ut tibi assentiar. *Id. Off.* 2, 12. *extr.* Dum memoria rerum Romanarum manebit. ℙ [*Exempla hujus verbi cum dativo constructi haec sunto: *Cic. Sen.* 7. Manent ingenia senibus. *Vell.* 1, 4, 2. Mansit illis custodia ritus. *Liv.* 1, 53. *med.* Manere his bellum, quod positum simuletur, i. e. porro iis gerendum esse bellum. *Virg. Ecl.* 4, 53. O mihi tam longae maneat pars ultima vitae, Spiritus et, quantum sat erit tua dicere facta. *Lucan.* 8, 865. quod non mansura futuris Ardua marmoreo surrexit pondere moles: ubi v. *Cort.* — Aliam hujus constructionis rationem v. infra.] ℙ Hinc illa JCtorum, *African. Dig.* 46, 3, 38. *f.* Quamvis ex fidejussoria causa non tenearis, pignus tamen obligatum manebit. *Ulp. ib.* 27, 3, 9. *f.* Si tutori curator sit adjunctus, tutor manet. *Paul. ib.* 41, 2, 3. *med.* Si rem apud te depositam furti faciendi causa contrectaveris, desino possidere: sed si eam loco non moveris, plerique responderunt, recte possessorem me manere. *Ulp. ib.* 44, 2, 23. Quamdiu manet contractus, current usurae. ℙ Hinc *mansurus*, duraturus, stabilis, perpetuus. *Virg. A.* 3, 85. da moenia fessis, Et genus, et mansuram urbem. *Ov. A. Am.* 2, 242. Curam mansuri quisquis amoris habes. *Claud. IV. cons. Honor.* 120. Mansura fides. *Id. Cons. Mall. Theod.* 27. mansurae voces. *Id. I. cons. Stilich.* 39. amicitias mansuro adamante ligat. [*Ita ap. *Tac.* maxime; v. *Böttich. Lex. Tac.* in *particip.* et *durare.* ℙ Dicitur *manere* de posteris, qui adhuc superstites sunt. *Eutrop.* 9, 13. Zenobia autem posteros, qui adhuc manent, Romae reliquit: ubi similem usum Gr. v. *μένειν* laudat *Tzschuck.*] ℙ Absolute. *Cic. Off.* 3, 12. Maneat ergo, quod turpe sit, id nunquam esse utile, *h. e.* inconcussum sit, et irrefutabile. *Id. Rabir. Post.* 9. Quamobrem illud maneat, et fixum sit, quod neque moveri, etc. ℙ Pro haerere, fixum esse. *Lepid.* ad *Cic. Fam.* 10, 34. *f.* Quae perpetuo animo meo fixa manebunt. *Virg. A.* 1, 30. manet alta mente repostum Judicium Paridis, spretaeque injuria formae. ℙ Saepe est perstare, constantem esse, *ἐμμένειν*, et ad personas refertur. *Virg. A.* 10, 770. manet imperterritus ille, Hostem magnanimum opperiens. *Caes. B. G.* 1, 36. Si in eo manerent, quod convenisset. *Cic. Fam.* 4, 13. Hoc ipsum quod maneam in vita, peccare me existimo; et *Cluent.* 63. Servi vi tormentorum adducti, in veritate manserunt. *Id. Verr.* 2, 5, 32. Civitates, quae in amicitia, fideque populi R. perpetuo manserant. *Id. Att.* 7, 15. Plerique negant, Caesarem in conditione mansurum; et *ib.* 9, 2. Manere in sententia; et *Fam.* 5, 2. *f.* in voluntate. *Id. Sext.* 27. in pristina mente. *Hirt. B. G.* 8, 47. in officio. *Nep. Con.* 2. in societate. *Id. Ages.* 2. summa fide in pactione. [**Vell.* 2, 77, 2. In quo tamen animus inquies manere non potuit, i. e. contentus esse, acquiescere. Ita dicitur *manere in foedere*, *victoria*, *induciis*, *pace*, *pertinacia*, *religione*, *statione*, etc.] *Virg. A.* 2, 160. promissis. Sic *ib.* 8, 643. at tu dictis, Albane, maneres. [**Manere* pro *in fide manere* absolute usurpavit *Tac. H.* 1, 76. ne Aquitania quidem, quamquam a Julio Cordo in verba Othonis adstricta, diu mansit. Cf. quae statim sequuntur: longinquae provinciae penes Othonem manebant. *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 300.] ℙ Frequenter accusat. post se habet, et significat morari, restare, exspectare, dum quippiam veniat. [*Differunt *manere* et *praestolari*, *opperiri*, *exspectare;* illa mentem, animum, hoc corpus spectat. V. *Doederl.* 3, 57.] *Ter. Ph.* 3, 1, 16. Mansurus patruum pater est, dum huc adveniat. *Liv.* 42, 66. Ipse hostium adventum, elatus successu, mansit. *Ter. Ph.* 4, 1, 4. non manebat aetas virginis Meam negligentiam. *Pl. Truc.* 4, 3, 69. Haud mansisti, dum ego darem illam: tute sumpsisti tibi; et *Stich.* 1, 2, 36. ego sedero in subsellio. *Pi.* Mane pulvinum; et *ib.* 1. Qui manet, ut moneatur servus officium suum, Nec voluntate id facere meminit, haud probus est. *Catull.* 10, 27. Mane me, inquit puellae. Al. aliter leg. [**Suet.* exempla v. ap. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 493.] ℙ Imperativum *mane* non solum significat morare, exspecta; sed interdum quiesce, cessa, aut quid simile. *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 10. mentitur: feri. *Py.* Mane, dum narro. *Id. Cas.* 2, 6, 32. Sed mane dum: num ista aut populna sors, aut abiegna est tua? *Id. Men.* 5, 5, 21. quid cessas dare Potionis aliquid, priusquam percipit insania? *Me.* Mane modo: etiam percontabor. ℙ *Manere* eleganter dicuntur, quae certo futura sunt, et quae imminent, praesertim in adversis. *Cic. Phil.* 2, 5. P. Clodius cujus quidem te fatum, sicuti Curionem, manet. [**Orell.* habet: Cujus idem tibi fatum sicut C. Curioni manet: quod praeferendum videtur.] *Virg. A.* 7, 596. te, Turne, nefas, te triste manebit Supplicium. *Prop.* 2, 21, 58. Longius, aut propius, mors sua quemque manet. *Liv.* 26, 13. *f.* Ea potio a videndis omnibus acerbis indignisque, quae manent victos, vindicabit. Est qui legit *victis:* nam et cum dativo effertur. [*V. de hac forma *Sanctii Minerv.* 2, 4. Praeter locum *Cic.* modo laud. exemplis a Nostro laudatis adjici possunt haec: *Virg. A.* 5, 348. Munera vobis Certa manent, pueri; et 1, 257. Manent immota tuorum fata tibi; et 9, 302. Haec eadem matrique tuae generique manebunt.] *Catull.* 8, 15. Quae tibi manet vita? *Liv.* 1, 53. *med.* Manere his bellum quod positum simuletur. Est qui legit *imminere*. *Claud. in Eutr.* 2, 479. unaque cuncte Poena manet generi. ℙ Etiam in bonis rebus. *Vet. Poeta* ap. *Lampr. Alex. Sev.* 14. Te manet imperium coeli, terraeque, marisque. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 195. Praemia digna manent (*te*). *Virg. A.* 3, 505. maneat nostros ea cura nepotes. *Virg. A.* 3, 505. maneat nostros ea cura nepotes. ℙ *Manem* pro *maneam* est qui legit ap. *Pl. Rud.* 2, 4, 5. nunc nihil est, qui te manem. Sed lectio valde variat. ℙ *Mansti* pro *mansisti* syncope ap. *Lucil.* Quando in eo numero mansti, quo in maxima nunc est Pars hominum. *Gell.* refert 18, 8.

MĀNES, ium, m. et f. plur. *οἱ νέκυες, αἱ ψυχαὶ τῶν νεκρῶν*, animae defunctorum. *Appul. de Deo Socrat.* scribit, fuisse species Lemurum: animum enim humanum exutum corpore, vetere Latina lingua Lemurem dictitatum esse: ex Lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus pacato et quieto nomine domum possideret, Larem dictum esse familiarem: qui propter adversa vitae merita, nullis bonis sedibus, in terra vagatione seu quodam exsilio puniretur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis, Larvam vocatum: cum incertum esset, quae cuique eorum sortitio evenisset, utrum Lar esset, an Larva, nomine Manem Deum nuncupatum, et honoris gratia Dei vocabulum additum fuisse. *August. C. D.* 9, 11. Dicit (*Plato*), animas hominum daemones esse, et ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sunt; Lemures, sive Larvas, si mali: Manes autem, cum incertum est, bonorum eos, seu malorum esse meritorum. *Serv.* ad *A.* 3, 63. ait, Manes esse animas hominum illo tempore, quo de aliis recedentes corporibus nec dum in alia, secundum fabulam Pythagoricam, transierunt. Alii putant, Manes eosdem ac Genios esse, duosque Manes corporibus ab ipsa statim conceptione assignatos fuisse, qui ne mortua quidem corpora deserant, consumptisque etiam corporibus sepulcra inhabitent. Quare qui sepulcra demoliebantur, Deos Manes violare putabantur. Plurimi, in quibus *Isid. Orig.* 8, 11. tradiderunt, Deos coelestes vivorum esse, Manes esse Deos mortuorum. Alii alios Manes, alios Deos infernos dicunt. Alii, in quibus *Festus*, censent, Deos esse, qui inter coelum et terram degunt, quibus plena sunt omnia inter lunarem et terrenum circulum. ℙ [**Manes* dicuntur etiam de unius defuncti hominis anima. *Virg. A.* 4, 427. Nec patris Anchisae cinerem manesve revelli; et *ib.* 6, 119. Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus. *Liv.* 3, 58. Manesque Virginiae — per tot domos ad petendas poenas vagati, nullo relicto sonte tandem quieverunt. *Suet. Oth.* 7. Manes Galbae. *Appul. Met.* 8. p. 535. ed. *Oud.* manes mariti.] ℙ Appellati sunt ab antiquo *manus*, bonus. Dixere igitur Deos Manes, quasi bonos Genios. Alii alias adducunt etymologias. *Virg. A.* 3, 303. Manesque vocabat Hectoreum ad tumulum. *Id. ib.* 4, 34. Id cinerem, aut Manes credis curare sepultos. *Cic. Leg.* 2, 9. *extr.* Deorum Manium jura sancta sunto. [**Quint. Inst.* 6. *prooem.* 10. Juro per mala mea, per infelicem conscientiam, per illos manes, numina mei doloris: ubi v. quae laud. in ed. *Burm.* p. 495. sq.] ℙ *D. M.* solemnes notae erant, quibus *Dii Manes* in sepulcrorum titulis significantur. In *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 292, 7. habetur *Diis Manibus Communibus*, quod ultima fata omnibus immineant, vel quod mortuis omnibus Dii Manes praesint. In alia, quam habes in V. MAMMA pro *Diis Manibus* habetur *Diis Propitiis*, quo probatur eorum sententia, qui Deos Manes dictos esse putant quasi bonos Genios. ℙ Metonymice accipitur pro Inferis, hoc est loco, quo animae continentur. *Virg. G.* 1, 243. Manesque profundi. *Id. A.* 4, 387. haec Manes veniat mihi fama sub imos. ℙ [Item pro cadavere. *Plin.* 11, 37, 55. Ea causa est, ut pleraeque alitum e Manibus hominum oculos potissimum appetant. *Id.* 16, 44, 85. Subest specus, in quo Manes Scipionis custodire draco traditur. *Liv.* 31, 30. Sepulcra diruta, omnium nudatos Manes, nullius ossa terra tegi. *F.* **Prop.* 2, 13, 32. Accipiat manes parvula testa meos. Cf. *Cerd.* ad *Virg. A.* 4, 34.] ℙ Item pro poenis, suppliciis, furiis. *Virg. A.* 6, 743. Quisque suos patimur Manes. Ubi *Serv.*, Manes, idest supplicia, quae sunt apud Manes: vel Genios dicit, quos cum vita sortimur. Adde *Stat. Th.* 8, 84. ℙ In singulari num. cujus rectus casus erit *Manis*. *Appul. l. c.* in §. 1. Nomine Manem Deum nuncupant. ℙ [*Manes* sunt etiam generis feminini. *Inscr.* non optimae tamen notae ap. *Fea*, *Var. di notiz.* p. 174. Mevia Sophe, impetra, si quae sunt Manes, ni tam scelestum discidium experiscar diutius. Sunt qui huc pertinere putant illud *Hor. Od.* 1, 4, 16. Jam te premet nox, fabulaeque Manes. Huic addas per me licet illud incerti *Auct. epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 473. *Burm.* Quae ad domus trahet invidas Averni, Fabulas Manes ubi rex coercet. Sed ap. *Hor.* alii rectius interpretantur, Manes, quae fabulae sunt et nugae merae; illud vero epigramma sublestae admodum fidei est, et scriptum videtur ex veterum imitatione a viro non in-

erudito post renatas Latinas litteras, saeculo nempe a Chr. n. XVI. *F.*]

*MANĒTHO, onis, vel Manethos, i, m. *Μανέθων* vel *ως*, genere Sebennitā, Heliopolitanus sacerdos, et notarius sacrorum penetralium per Aegyptum, vixit sub Ptolemaeo Philadelpho, paullo post Berosum. Scripsit Graece historiam Aegyptiacam, cujus epitomen dedit Julius Africanus. Fragmenta aliquot supersunt ap. *Josephum*, *Plutarchum*, *Tertullianum*, alios. ℙ Antepaenultimam casus patrii male produxit, paenultimam corripuit, *Claud. Mamert.* V. *Aratus* in Auctario. *B. A.*

MANGO, ōnis, m. *ἀνθρωποκάπηλος*, *σωματέμπορος*, venalicius, seu qui homines, praesertim pueros, puellasque, vendit: a *μάγγανον*, quod illud etiam artificium significat, quo quis alios decipit. Etenim mangones fuco, et pice, et aliis medicamentis mancipiorum corpora illinebant; et, teste *Galeno de meth. med.* 14, 16., graciliorum puerorum femora et nates alternis diebus leviter ferulis ideo percutiebant, ut illis intumescentibus eos *καλλιπύγους* carius venderent. *Mart.* 1, 59. Millia pro puero centum me mango poposcit. *Id.* 9, 7. Non puer avari sectus arte mangonis, Virilitatis damna moeret ereptae. *Plin.* 24, 6, 22. Resina illinitur totis corporibus, mangonum maxime cura, ad gracilitatem emendandam. *Id.* 30, 5, 13. Item mangonibus, ut lanugo tardior sit pubescentium, sanguis e testiculis agnorum, qui castrantur, praestat; qui evulsis pilis illitus et contra virus proficit. *Quint.* 2, 15. *med.* Mangones, qui colorem fuco, et verum robur inani sagina mentiuntur. ℙ Dicitur etiam de eo, qui merces polit, ut pluris vendat. *Plin.* 37, 13, 76. Efficacissimum experimento excusant mangones gemmarum. *Id.* 12, 20, 43. mangones dicit eos, qui circa unguenta laborant, ut gratiora fiant; et 23, 1, 22. qui circa vina. Narrat *Suet. Vesp.* 4. *mulionem* probri loco dictum fuisse Vespasianum, quod mangonicum quaestum exercuisset. Ex quo intelligimus, *mangones* dictos etiam, qui jumenta mercarentur, et venderent. Similiter vocari possunt, qui gallinarum saginam exercent, quia eorum artificium *Plin.* appellat *mangonium*, 10, 50, 71.

MANGONĬCUS, a, um, adj. *σωματεμπορικός*, ad mangonem pertinens. *Plin.* 21, 26, 97. Radix hyacinthi bulbacea mangonicis venaliciis pulcre nota. *Suet. Vesp.* 4. Ad mangonicos quaestus descendere.

MANGONĬUM, ii, n. *μαγγανεία*, artificium, quod ad res facilius vendendas adhibetur. *Plin.* 10, 50, 71. Nec tamen in hoc mangonio quicquam totum placet.

MANGONIZĀTUS, a, um, part. a *mangonizo:* mangonis artificio ornatus, fucatus, lenocinio politus. *Plin.* 9, 54, 79. Primus pensiles invenit balineas, ita mangonizatas villas subinde vendendo.

MANGONIZO, as, avi, atum, mangonico artificio polio, fuco, adorno, ut gratiam rei pretiumque conciliem. *Plin.* 32, 10, 47. Psilothrum est thynni sanguis: jecur etiam tritum, mixtaque cedria, plumbea pyxide asservatum. Ita pueros mangonizavit Salpe obstetrix. *Id.* 23, 1, 16. Succus illitus laetiore quodam colore, et cutis teneritate mangonizat corpora.

MĀNĪ. V. MANE.

MĀNĬA, ae, f. mater Larium, quam capitibus allii aut papaveris placabant, aut effigie suspensa, olim etiam pueri sanguine. *Varr. L. L.* 8, 38. et *Macr. Sat.* 1, 7 *f.* [Eam Maniam matrem fuisse appellatam ait *Arnob.* 3, 124., quod Lares etiam Manes dicerentur. *F.*] ℙ *Mānĭae* etiam dicuntur infantum terriculamenta, turpes deformesque personae, quibus nutrices pueris parvulis minitantur, ut ait *Fest.* Hoc sensu usurpat *Arnob.* 6. *f.* [Ut parvuli pusiones personarum monstruosissima torvitate sannis etiam constringerentur, et maniis. *F.*] *Mānĭă* est etiam praenomen muliebre. *Varr. l. c.* Declarant praenomina mulierum antiqua, Mania, Lucia, Postuma. V. MANIUS. ℙ Denique *Mānĭă* ap. *Veg. Vet.* 3, 2. *med.* est morbus boum, qui iis eripit sensum, ut nec audiant more solito, nec videant. [Alii tamen *ib.* leg. *insania. F.*] Porro *μανία* Graece furorem, insaniam significat. V. *Cic. Tusc.* 3, 5.

*MANĬA, ae, f. oppidum Parthiae. *Plin.* 6, 25. *B. A.*

[MĀNĬĂCUS, i, m. *μανιακός*, furiosus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 715, 5. C. Lucius C. F. Maniacus. *F.*]

MĀNĬCAE, arum, f. plur. *χειρίδες*, pars vestis, qua brachia et manus teguntur: a *manus. Virg. A.* 9, 616. Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae. *Tac. G.* 17. Feminae lineis amictibus velantur, partemque vestitus superioris in manicas non extendunt, nudae brachia ac lacertos. V. CHIRIDOTA. De operimentis manuum, *Plin. ep.* 3, 5. *med.* Ad latus notarius cum libro, et pugillaribus: cujus manus hieme manicis muniebantur, ut ne coeli quidem asperitas ullum studii tempus eriperet. Sic manicas de pellibus *Pall.* 1, 43. memorat inter ea, quae vel in silvis, vel in vepribus rustico operi, et venatorio apta sunt. Huc pertinere videtur illud *Cic. Phil.* 11, 11. Quamquam miror, tamdiu morari Antonium: solet enim accipere ipse manicas, nec diutius obsidionis metum sustinere: sc. itineris et fugae causa: manicae enim adhibitae fuerunt ab effeminatis ad manus et brachia contra coeli injurias munienda. De manicis militaribus, quibus brachia et manus contra tela et enses muniuntur. *Juven.* 6, 255. Balteus, et manicae, et cristae, crurisque sinistri Dimidium tegmen. ℙ Sunt etiam, quibus manus ligantur; sicut *pedicae*, quibus pedes. *Appul. Flor. n.* 17. Quid si manus manicis restringantur? quid si pedes pedicis coarctentur? *Pl. As.* 2, 2, 38. Ubi manus manicae complexae sunt, atque adductae ad trabem. *Virg. A.* 2, 146. manicas atque arcta levari Vincla jubet Priamus. *Hor. Ep.* 1, 16, 76. in manicis et Compedibus saevo te sub custode tenebo. *Virg. G.* 4, 439. manicisque jacentem Occupat. *Val. Fl.* 2, 462. truces manicae. *Pl. Capt.* 3, 5, 1. Injicere alicui manicas. *Id. Most.* 5, 1, 17. Manicas connectere. *Sil.* 17, 141. Addere alicui vincla et manicas. ℙ De ferreis manibus, quibus in navali proelio naves hostium captantur (V. HARPAGO, onis.) *Lucan.* 3, 565. Ast alias manicaeque ligant, teretesque catenae, Seque tenent remis. ℙ Translate. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 313. Si laqueis, manicis, pedicis mens irretita est.

[MĀNĪCĀRĬUS, ii, m. gladiator, qui et laquearius et laqueator est appellatus, is nempe fuisse videtur, qui manicis seu laqueis adversarium suum prehenderet, diversus tamen a retiario. V. LAQUEATOR. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12. Demosthenes manicarius Felicianus retiarius. *F.*]

MĀNĪCĀTUS, a, um, adj. manicas habens, manuleatus. *Cic. Cat.* 2, 10. Quos pexo capillo nitidos, manicatis et talaribus tunicis videtis. V. CHIRIDOTA. ℙ *Pelles manicatae* ap. *Colum.* 1, 8. *med.* et 11, 1. *med.* sunt manicae de pellibus (ut eas vocat *Pall.* 1, 43.), et una cum sagatis cucullis recensentur, ad arcendos ventos, frigora, et imbres.

*MANICHAEI, orum, m. plur. a Manete, sectatores ejus nominati sunt, quos in Graecia, vitandi insaniae nominis causa, *Manichaeos*, h. e. *Manna fundentes*, se dixisse *Augustinus haeres.* 46. *de morib. Manich.* scribit. Adde *Prud. Apoth.* 1025. et 1043. et *Coel. Rhodig.* 1, 14. et 18, 18. ℙ *Manichaeus* in numero singulari habet *Cod. Justin.* 1, 5, 4. ℙ Fuit autem *Manes*, *etis*, *Μάνης*, Persa genere, haereticus, daemoniacus et insanus, quorsum nomen ipsum deflectebant Patres. Temporibus vixit Aureliani et Probi Imperatorum A. C. 300. Auctor fuit insani dogmatis, de Deo bono et malo. Vivus excoriatus est arundine a rege Persarum, cum filio ejus gravi et desperato morbo laboranti, incantamentis fretus, liberationem promisisset, sed is inter manus ipsius fuisset exstinctus. Sed tam de nomine, quam de historia ac dogmate, si quis certiora edoceri cupiat, adeundi erunt scriptores magno numero laudati a *Selenio* ad *Burtoni λειψ. Vet. Ling. Pers.* h. v. *B. A.*

*MANĪCLEĀTUS, a, um, adj. i. q. manicatus. *Isid.* 19, 22. Tunica manicleata. *B. A.*

*MANĪCO, as, n. 1. *ὀρθρίζω*, mane advenio. *Vulg. Luc.* 21, 38. *P. Chrysol. serm.* 82. Adde *Vet. Schol.* in *Juven. sat.* 5, 79. ubi locum pessumdedit *Henninius. B. A.*

MĀNĪCON, i, n. *μανικόν*, cognominatus est genus trychni, fruticis, cujus succus insaniam facit: *μανία* enim insania est. *Plin.* 21, 31, 105.

MĀNĪCŪLA, ae, f. *χειρίον*, parva manus. *Pl. Rud.* 4, 4, 126. Duae connexae maniculae, et sucula est. Adde *Ps.* 5, 1, 16., ubi *Boxhornius* voluit legi *mammicula*, vel *mammillula.* ℙ Manicula item dicitur transversa regula in stiva aratri, ita dicta, quod manu bubulci teneatur: qui quasi est temo inter boves. Ita *Varr. L. L.* 4, 31., ubi alii leg. *manibula.*

MĀNĪFESTĀRĬUS, a, um, adj. idem quod manifestus, et qui negari non potest. *Pl. Aul.* 3, 4, 10. Capio fustem, obtrunco gallum, furem manifestarium. *Id. Mil.* 2, 5, 34. Manifestaria res est. *Id. Trin.* 4, 2, 50. Teneo hunc manifestarium. *Gell.* 1, 7. Ne, ut in Plauti comoedia (*Bacch.* 4, 8, 77.) moechus, ita in Ciceronis oratione soloecismus esset manifestarius.

MĀNĪFESTĀTĬO, onis, f. *δήλωσις*, actus manifestandi. *August. C. D.* 20, 30. *med.* Per suae praesentiae manifestationem. *Sulpic. Sever. Dial.* 3, 4. Tantae manifestatione virtutis.

MĀNĪFESTĀTOR, oris, m. qui manifestat. *Non.* 1, 46. Hujus rei manifestator est Lucretius libro VI.

MĀNĪFESTĀTUS, a, um, part. a *manifesto:* patefactus. *August. Doctr. Chr.* 4, 12. *f.* Per se ipsa, quoniam vera sunt, manifestata delectant.

MĀNĪFESTĒ. V. in v. sq.

MĀNĪFESTO, adv. *σαφῶς*, aperte, clare, palam, non obscure. *Cic. Cat.* 3, 2. Ut tota res a vobis manifesto deprehenderetur. *Id. Cluent.* 14. *extr.* Facinus manifesto compertum. *Id. Brut.* 80. Cum indicia mortis se comperisse manifesto, et manu tenere diceret. *Plin.* 36, 22, 45. Manifesto apparet. *Id.* 9, 45, 69. Manifesto ostendunt. *Pl. Cas.* 2, 3, 19. Perii! manifesto miser teneor. *Id. Poen.* 3, 5, 40. Manifesto fur es mihi, *h. e.* fur manifestus. *Id. As.* 5, 2, 26. Jam faxo, ipsum hominem manifesto opprimas. *Virg. A.* 8, 16. manifestius ipsi, Quam Turno regi, aut regi apparere Latino. *Tac. H.* 1, 88. Quanto magis occultare pavorem nitebantur, manifestius pavidi; et *ib.* 4, 23. Quo discreta virtus manifestius spectaretur. *Appul. Apol.* Ut omnibus manifestissime pateat. *Scaevola Dig.* 33, 2, 32. *f.* Manifestissime probare aliquid. ℙ In aliquo ex allatis ex *Cic.* locis alii leg. *manifeste:* quod et ap. *Appul. Met.* 6. bis legitur.

MĀNĪFESTO, as, avi, atum, a. 1. *φανερόω*, manifestum reddo, palam facio, prodo, ostendo, declaro. *Ov. Met.* 13, 105. Ipse nitor galeae, claro radiantis ab auro, Insidias prodet, manifestabitque latentem. *Just.* 24, 6. *f.* Multa ibi visuntur munera, quae reddentium vota gratam voluntatem manifestant. *Id.* 11, 3. Odium eos omnium populorum esse: quod vel ex eo manifestari, quod, etc.

MĀNĪFESTUS, a, um, adj. *φανερός*, clarus, patens, apertus, palam et in promptu positus, testatus, perspicuus: quasi *manu* teneatur, ita ut negari, aut dissimulari non possit: et saepius in malam partem sumitur. *Virg. A.* 3, 150. Penates visi ante oculos adstare jacentis Insomnis, multo manifesti lumine, qua se Plena per insertas fundebat luna fenestras. *Cic. Verr.* 1, 16. Ejusmodi res, ita notas, ita testatas, ita magnas, ita manifestas proferam, ut, etc. *Id. Rosc. Am.* 34. Res apertae et manifestae. *Id. Cat.* 3, 5. Scelus manifestum atque deprehensum. *Gell.* 11, 18. Manifestum furtum est, ut ait Massurius, quod deprehenditur dum fit: *αὐτόφωρον.* (V. *Ulp. Dig.* 47, 1, 3. et 5.) *Pl. Men.* 4, 2, 29. nec magis Manifestum ego hominem unquam ullum teneri vidi. Sic *Cic. Verr.* 2, 2, 73. Manifestis in rebus hominem jam teneri videbitis; et *ib.* 78. Teneri in manifesto peccato. *Quint.* 10, 3. Manifestus est etiam ex opere ipso labor; et 12, 2. *med.* Haec si ratione manifesta non essent, exemplis tamen crederemus. *Ov. de nuce* 3. Obruere ista solet manifestos poena nocentes. *Sall. Cat.* 42. [*41. ed. *Kritz.*] Legatis praecipit, ut dent operam, ut conjuratos quam maxume manifestos habeant. [**Cort.* explicat: certo scirent, qui essent. Melius, vocisque significationi convenienter *Kritz.*: manifesto teneant, i. e. talia conjurationis initae documenta sibi praeberi curent, ut conjuratis nulla negandi aut evadendi copia sit.] *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 98. Qui negaverit, se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit. *Plin.* 9, 49, 73. Aegrotare singulos, manifestum facit macies. *Id.* 2, 16, 13. Manifestum est, ab exordio matutino latitudines scandi. *Id.* 12, 25, 54. Manifestior fraus. *Id.* 37, 10, 60 Manifestissimum exemplum. *Quint. decl.* 14, 1. Manifestissimum scelus. *Liv.* 40, 9. *extr.* Habere aliquid pro manifesto. ℙ Qua in re quis manifesto tenetur, ea res eleganter in genitivo ponitur. *Pl. Truc.* 1, 2, 30. Manifestam mendacii, mala, te teneo; et *Sall. Jug.* 39. Manifestus sceleris; et *Cat.* 56. *extr.* [*52. ed. *Kritz.*] Manifesti rerum capitalium. *Tac. A.* 14, 29. ambitionis; et *ib.* 4, 53. Ne offensionis, aut metus manifestus foret. Sic *Ov. Fast.* 5, 313. per quod fierem manifesta doloris. *Tac. A.* 12, 51. Spirans, ac manifesta vitae; et *ib.* 15, 54. Ipse moestus et magnae cogitationis manifestus erat. *Sen. Q. N.* 4, 2. *med.* Manifestus novarum virium Nilus. ℙ Cum infinito. *Tac. A.* 2, 57. Atrox, ac dissentire manifestus. *Auct. dial. de Or.* 16. Ipse satis manifestus est, jamdudum in contrarium accingi. *Paul. Dig.* 30, 33. Nisi ipse testator ex scriptura manifestissimus esset, utrumque eorum solidum accipere voluisse.

*MANIFĪCAE ulcerationes *Coel. Aurel.* i. q. manufactae. V. *Reines. Var. Lect.* p. 667. *B. A.*

[MĀNĪFŌLĬUM, ii, n. herba eadem ac personata. *Appul. Herb.* 36. *F.*]

*MANILĬA, ae, f. meretrix famosa, mulier litigiosa, de qua *Juven. sat.* 6, 243. Adde *Gell.* 4, 14. ed. *Gronov.* ubi ed. *Longol.* habet *Mamilia. B. A.*

MĀNĪLĬĀNUS, a, um, et

MĀNĪLĬUS, a, um, adj. a Manilio nomine Romano. *Cic. Or.* 1, 58. Maniliana lex. Al. leg. *Manliana. Id. Or.* 29. Manilia lex, *h. e.* lata a C. Manilio trib. plebis de Cn. Pompejo ad bellum Mithridaticum deligendo: de qua ipsius *Cic.* exstat oratio.

MĀNĪLĬUS, ii, m. nomen propr. R. civis. M. Manilius, astronomus et poeta Romanus, vixit postrema Augusti aetate, scripsitque poema eruditum et jucundum *Astronomicon*, stiloque illorum temporum non indigno: quod tamen mutilum ad nos pervenit. Sunt, qui peregrinum fuisse dicunt, non Romanum: sunt etiam, qui ad Theodosii, et Arcadii Honoriique aetatem ejus vitam transferunt: sunt denique, quibus non *Marcus*, sed *Cajus*, non *Manilius*, sed *Manlius* dicitur. De quibus omnibus

V. *Jos. Scalig. prolegom. in Manil.* et *Fabric. Biblioth. Lat.* 1, 18.

MĂNĬŌLAE, arum, f. plur. parvae maniae, *h. e.* terriculamenta puerorum. *Festus* in *Maniae.* V. MANIA.

MĂNĬŌPOEOS, i, *μανιοποιὸς*, furiosum reddens: a *μανία*, furor, et *ποιέω*, facio. Hoc etiam nomen inter alia multa habet herba hyoscyamus, teste *Appul. Herb.* 4.

MĂNĬOSUS, a, um, adj. insanus, furiosus. *Ammian.* 28, 4. Quid faciat maniosus et nequam? Alii rectius leg. *malus*, *famosus.*

MĂNIPRĔTIUM. V. MANUPRETIUM.

MĂNĬPŭLĀRIS, (et per syncop. *Maniplaris*, ap. poetas) e, adj. ad manipulum pertinens. *Manipulares milites* sunt gregarii, qui ad eundem manipulum militarem pertinent. *Ov. Fast.* 3, 117. Pertica suspensos portabat longa maniplos: Unde maniplaris nomina miles habet. *Caes. B. G.* 7, 47. *f.* L. Fabius centurio, tres suos nactus manipulares, atque ab iis sublevatus, murum ascendit. *Id. B. C.* 3, 91. Crastinus evocatus, qui superiore anno primum pilum duxerat, sequimini me, inquit, manipulares mei qui fuistis; et *Tac. A.* 1, 21. Ciere modo nomina singulorum, modo centuriam quisque, cujus manipularis erat. *Cic. Att.* 9, 10. Me una haec res torquet, quod non Pompejum, tanquam unus manipularis, secutus sim; et *Tac. A.* 1, 20. Rufus diu manipularis, dein centurio, mox praefectus. *Id. H.* 1, 46. Plotius Firmus, e manipularibus quondam, tunc vigilibus praepositus. ℙ *Manipulares judices*, qui e manipulis, seu e gregariis militibus electi sunt. *Cic. Phil.* 1, 8. Addo etiam judices manipulares ex legione Alaudarum. Sic *manipularis imperator* dicitur a *Plin.* 33, 11, 53. C. Marius, quia e manipulari milite ad summum imperatorium gradum evectus fuerat.

MĂNĬPŭLĀRĬUS, a, um, adj. idem quod manipularis. *Suet. Cal.* 9. Manipulario habitu inter milites educabatur. *Not. Tir.* p. 75. Manipulus, manipularius.

MĂNĬPŭLĀTIM, adv. per manipulos. *Plin.* 12, 13, 28. Amomi frutex carpitur cum radice, manipulatim leniter componitur. ℙ In re militari. *Liv.* 8, 8. Manipulatim structa acies. *Tac. H.* 1, 82. Manipulatim allocuti sunt Licinius Proculus, et Plotius Firmus. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 561. Condensiores manipulatim resistere hostibus instituissent. [*Ita *Liv.* quoque, tribus locis 8, 8, 3; 2, 53, 1; 23, 42, 10.] ℙ Urbane *Pl. Ps.* 1, 2, 48. Manipulatim mihi munigeruli facite ante aedes hic adsint.

MĂNĬPŭLUS, et poet. per syncop. *Maniplus*, *i*, m. *δράγμα*, manualis herbarum fasciculus, quem manu quis apprehendit metendo: a *manus*, quod manum impleat; ut *Isid. Orig.* 18, 3. ait. *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 5. Alligarique manipulos mille ducentos. *Virg. G.* 3, 397. filicumque maniplis Sternere humum. *Varr. R. R.* 1, 49. Manipulos de herba facere. *Colum.* 2, 19. vincire; et 11, 2. *med.* obligare. *Plin.* 18, 30, 72. Culmum siccatum in manipulos convolvere. *Colum.* 10, 315. nexos deferre maniplos. ℙ *Manipulus* in re militari, *λόχος*, *σπεῖρα*, erat exiguum peditum agmen, quod unum signum sequebatur. Inde nomen habuit, quia Romulus coacta pastorum manu, eaque in centenos homines distributa, perticas manipulis foeni varie vinctas dedit, ut scribit *Aurel. Victor. de orig. pop. R.* 22. Hinc *Ov. Fast.* 3, 117. Pertica suspensos portabat longa maniplos: Inde maniplaris nomina miles habet. [*V. *Gierig.* ad h. l.] ℙ Constabant itaque tunc primum manipuli centenis militibus: deinde auctus est hic numerus ad ducentos. Scribit enim *Cincius* ap. *Gell.* 16, 4. in legione fuisse centurias sexaginta, manipulos autem triginta. *Caes. B. C.* 2, 28. Adeo ut, paucis mutatis centurionibus, iidem ordines, manipulique constarent. *Id. B. G.* 2, 25. Cohortatus milites, signa inferre, et manipulos laxare jussit; et *ib.* 6, 33. Continere ad signa manipulos. *Tac. A.* 12, 38. Praefectus, et octo centuriones, ac promptissimus quisque manipulus cecidere. *Lips.* leg. *e manipulis;* alii *manipularis.* Adde *Sisenn.* ap. *Non.* 18, 25. Urbane *Ter. Eun.* 4, 7, 6. Ubi centurio est Sanga, et manipulus furum? ℙ In illo *Virg. A.* 11, 870. Disjectique duces, desolatique manipli; *Serv.* signiferos ipsos *maniplos* intelligit, a militibus fugae deditis desertos. ℙ Videtur *manipulus* proprie dici de pedite; quare contra equitem ponitur in illo *Val. Fl.* 5, 591. Dives Aron: croceos sic illius omnis odores Jactat eques, unctis sic est coma culta maniplis. De equite tamen *Sil.* 4, 316. undique nudi Assiliunt frenis, infrenatique manipli. ℙ *Manipulum* neutr. g. habent quidam Codices *Spart. Hadrian.* 10. Inter manipula vitam, etc. teste *Salmasio.*

[MANISNAVĬUS, ii, m. ignotum sacerdotii genus. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 642. *n.* 360. L. Renodius Q. F. Planta flamen vovit, manisnavius posuit. Alia ap. *Gud.* 334, 7. P. Valerius P. F. Montanus flamen manisnavius posuit. *F.*]

MĂNĬUS, ii, m. *Μάνιος*, praenomen, quo Romanorum quidam appellati sunt, quod mane nati essent, ut Lucii dicebantur, qui prima luce nascebantur. Ita *Paul.* ex *Festo:* item *Varr. L. L.* 8, 38. ℙ Hoc praenomine appellatus est Martius quidam, qui (ut scribit *Plin.* 18, 3, 4.) in summa annonae caritate populo singulos frumenti modios singulis assibus vendidit. ℙ De alio Manio haec habet *Festus:* Manius agrum Nemorensem *(prope Ariciam)* Dianae consecravit: a quo multi, et clari viri orti sunt, et per multos annos fuerunt. Unde proverbium: Multi Manii Ariciae. Asinius Capito longe aliter sentit: ait enim turpes et deformes significari, quia maniae dicuntur deformes personae, *(quibus pueri terrentur.* V. MANIA); et Ariciae genus panis fieri, qui manici panes appellantur. Haec *Festus.* Huc pertinet illud *Pers.* 6, 55. accedo Bovillas, Clivumque ad Virbi: praesto est mihi Manius heres. Ubi *Manius* pro Aricino aliquo homine ponitur. ℙ *Manius* inscribitur una ex Satyris Menippeis *Varronis.*

MANLĬĀNUS, a, um, adj. ad Manlium pertinens, quod est nomen Romani hominis. Hinc *Manliana imperia*, de quibus V. in IMPERIOSUS. *Cic. Fin.* 2, 32. Vide, ne ista sint Manliana vestra, aut majora etiam, si imperes quod facere non possim. ℙ *Manliana mala* genus malorum, a quodam insitore Manlio, ut colligitur ex *Plin.* 15, 14, 15. ℙ *Manlianum* villa fuit Q. Ciceronis, ut Cumanum, Tusculanum fuit M. Ciceronis. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1.

[MANLĬŎLA, ae, f. dimin. Manliae: est cogn. R. ex *Manlius* nomine gentilicio. *Inscr.* ap. *Grut.* 344, 4. Aciliae M'. F. Manliolae *Claurissimae Feminae* M'. Acili Glabrion. sen. Cos. pronepti ordo decuriorum. *F.*]

MANLĬUS, a, um, adj. ad Manlios pertinens, ut *Manlia gens*, ap. *Fest.*

[*MANLIUS, i, m. nomen proprium multorum Romanorum hominum, quos maximam partem habes indicatos in *Schütz. ind. hist.* p. 259. sq. — Scribitur etiam *Mallius* pro *Manlius*, ex Graecorum more, quibus est *Μάλλιος.* Cf. *Drakenb.* ad *Liv. Ep.* 67. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 24. *Ernest.* ad *Tac. G.* 38.]

MANNĂ, ae, f. *μάννα*, mica turis. *Plin.* 12, 14, 32. de ture: Micas concussu elisas mannam vocamus. *Id.* 29, 6, 37. Viperam in fictili comburere, addito foeniculi succo, et turis manna una. ℙ *Mannam croci* non uno in loco memorat *Veg. Vet.* ut 2, 39., 3, 24. *med.* etc., et crocum siccatum, et in usus medicinae reconditum significat. ℙ De manna Hebraeorum (neutr. indeclin.), quod quidam *ἀερόμελι*, h. e. mel aeris vocant, *Tert. Car. Chr.* 6. *f.* Legimus, manna esui populo fuisse. [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 2. p. 19. sq.]

*MANNARICĬUM, i, n. oppidum Galliae Belgicae, in Batavorum insula. *Ant. Itin. B. A.*

MANNŬLUS, i, m. dimin. manni, sed idem fere significans. *Plin. ep.* 4, 2. Habebat puer mannulos multos et vinctos, et solutos. *Mart.* 12, 24. Nusquam est mulio: mannuli tacebunt.

MANNUS, i, m. animal ex equo et asina natum, idem ac hinnus, ginnus et burdo: differt a mulo, qui ex asino et equa nascitur: minor est mulo, et rubicundior, et maximae celeritatis, hinc ejus usus ad rhedas trahendas, et *burrichus* etiam dicitur: *mannus* fortasse est vox peregrina, et quidem Gallica; nisi quis derivandam putet a *μάω*, festino, hinc *μανὸς*, mox mannus. V. BURDO BURRICHUS, GINNUS et HINNUS. *Lucr.* 3, 1076. Currit agens mannos ad villam praecipitanter. *Prop.* 4, 8, 15. Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis. *Hor. Od.* 3, 27, 6. Rumpit et serpens iter institutum, Si per obliquum similis sagittae Terruit mannos. *Id. Epod.* 4, 14. Et Appiam mannis terit. *Id. Ep.* 1, 7, 76. Impositus mannis. *Ov. Am.* 2, 16, 49. rapientibus esseda mannis, Ipsa per admissas concute lora jubas. *Sen. ep.* 87. *med.* Ita non omnibus obesis mannis, et asturconibus, et tolutariis praeferres unicum illum equum a Catone defrictum? *Hieron. ep.* 66. *n.* 8. Ubi videris fumare patinas, ubi argenti pondus, ubi ferventes mannos, comatulos pueros etc. ℙ *Mannus* apud priscos Germanos nomen Dei ejus gentis fuit, et Tuisconis filius. *Tac. G.* 2.

MĂNO, as, avi, atum, n. 1. *βρύω*, *νάω*, stillo, fluo. Quidam ducunt a *νᾶμα*, scaturigo (per metath.) quod a *νάω*, fluo. Alii a *μανὸς*, rarus. Proprie enim, inquit *Fest.* dicitur manare, cum humor ex integro, sed non solido nimis, per minimas suas partes erumpit: quod ex Graeco trahitur, quia illi non satis solidum *μανὸν* dicunt. Ita *Festus.* [*Cf. *Doederl.* 2, 1. sqq. ubi, non improbata hac *Festi* explicatione, docet, v. *manare*, ut cognatum cum *effundi*, ita proprie dici, ut plenitudinem quandam et abundantiam spectet. Etymon non a Gr. deducit, sed cognationem v. *manare* cum *madere* demonstrat.] Sed universim usurpatur de humoribus utcumque fluentibus. Porro res, quae manat, tum in recto casu ponitur, tum in ablativo, tum Graeca ratione in accusativo. *Hor. Od.* 3, 11, 19. saniesque manat Ore trilingui. *Id. Ep.* 1, 17, 59. licet illi plurima manet Lacrima. *Virg. G.* 3, 310. Lacta magis pressis manabunt flumina mammis. *Ov. Met.* 9, 664. fons nigra sub ilice manat; et *ib.* 13, 887. Puniceus de mole cruor manabat; et *ib.* 10, 500. tepidae manant ex arbore guttae; et *Pont.* 1, 1, 68. mens tabida facta De nive manantis more liquescit aquae. *Lucr.* 5, 1254. Manabat venis ferventibus in loca terrae Concava conveniens argenti rivus, et auri; et 6, 944. Manat item nobis e toto corpore sudor. *Cic. Div.* 1, 34. Herculis simulacrum multo sudore manavit. [*Ita ap. *Ov. Her.* 10, 55. *manare lacrimis torus* dicitur, e quo lacrimae defluunt.] *Liv.* 1, 59. Cultrum manantem cruore prae se tenens. [*V. *Drakenb.*] *Hor. Ep.* 1, 19, 43. fidis enim, manare poetica mella Te solum. *Plin.* 14, 20, 25. Arbores succo manantes picem resinamque. *Id.* 37, 10, 61. Indica gemma in attritu sudorem purpureum manat. [*Peculiari modo usurp. a *Tac. A.* 2, 23. Equi, jumenta, sarcinae, etiam arma praecipitantur, quo levarentur alvei, manantes per latera et fluctu superurgente, i. e. aquam emittentes per latera. Ita recte *Doederl. l. l.* Nam *superurgente fluctu* non explicationi quasi inservit, sed novam prorsus addit sententiam. Contra *Rupert.* disputat, *Tac.* scripsisse *manante per s. super latera fluctu et superurgente: Oberl.* de aqua irrumpente per latera cogitavit.] ℙ Dicitur et de aliis rebus utcumque fluentibus, serpentibus, et se diffundentibus. *Cic. N. D.* 1, 15. Aer, qui per maria manat. *Lucr.* 6, 927. Nec varii cessant sonitus manare per aures. *Plin.* 35, 6, 14. Rubrica aegilopas manare prohibet. *Catull.* 65, 24. Huic manat tristi conscius ore rubor. *Cic. N. D.* 2, 19. *extr.* Multa a luna manant, et fluunt, quibus animantes alantur, augescantque. *Varr. L. L.* 5, 2. Manat dies ab oriente. *Festus:* Manare solem antiqui dicebant, cum solis orientis radii splendorem jacere coepissent. ℙ Translate est diffundi, disseminari, dispergi. *Cic. Phil.* 1, 2. Cum serpet in urbe infinitum malum, idque manaret in dies latius. *Id. Planc.* 23. *f.* Neque ego, si fontem maledicti reperietis, ut dissimuletis, unquam postulo: sed si quid sine capite manabit, etc. *h. e.* sine auctore spargetur. *Liv.* 2, 49. Manat tota urbe rumor. *Cic. Cat.* 4, 6. Latius opinione disseminatum est hoc malum: manavit non solum per Italiam, verum etiam transcendit Alpes, et obscure serpens, multas jam provincias occupavit. *Id. Tusc.* 5, 25. Disserendi ratio per omnes partes sapientiae manat et funditur; et *ib.* 3. Eorum nomen usque ad Pythagorae manavit aetatem. *Liv.* 24, 18. *f.* Manavit ea benignitas ex urbe etiam in castra. *Cic. Off.* 3, 17. Fidei bonae nomen manat latissime. ℙ Pro oriri, venire, descendere, proficisci. *Id. Phil.* 14, 6. Cum tristis a Mutina fama manaret. *Id. Off.* 1. 43. Omnis honestas manat a partibus quatuor. *Id. Par.* 3, 1. *extr.* Recte facta a virtutibus proficiscuntur, peccata ex vitiis manant. *Id. Or.* 3, 62. Ab Aristippo Cyrenaica philosophia manavit; et *ib.* 2, 27. A capite, quod velimus, arcessere; et unde omnia manant, videre. *Nemes. Cyn.* 127. de canibus: quorum proles de sanguine manat Ibero; et *ib.* 210. Est etiam canibus rabies, letale periclum, Quod seu coelesti corrupto sidere manat, etc. ℙ [*Confund. *manans*, *minans*, *natans.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 26.]

MĂNON, i, n. *μανὸν*, spongiae genus minus spissum, et mollius: a *μανὸς*, rarus. *Plin.* 9, 45, 69. ℙ *Est et *mana*, *ae*, f. *Plin. ib.* Maximae fiunt manae, sed mollissimae, circa Lyciam. *B. A.*

MANSĬO, onis, f. *διαμονή*, actus manendi in aliquo loco, mora. *Cic. Fam.* 4, 4. *f.* Is saepe mecum de tua mansione, aut decessione communicat. *Id. Att.* 8, 23. *med.* Cautior certe est mansio, honestior existimatur trajectio; et *ib.* 9, 5. Sunt ista difficillima, discessus Arpinum, mansio Formiis. *Ter. Ph.* 5, 8, 23. itiones crebrae, et mansiones diutinae Lemni. *Cic. Fin.* 3, 18. Excessus e vita, et in vita mansio. *Turpil.* ap. *Non.* 2, 488. An oblita, obsecro, es ejus crebras mansiones ad amicam, et sumpti largitatem? ℙ Item locus ubi manetur. *Pall.* 1, 9. de forma villae: Ut ad habitationem breviter collectas et aestati, et hiemi praebeat mansiones; et *sub f.* Si aestivae mansiones sunt, orientem aspiciant. *Plin.* 18, 23, 53. Sub dio retibus inclusa pecorum mansione. ℙ Hinc saepe *mansiones* sunt diversoria, seu loca, ubi iter facientes noctu quiescunt, *σταθμοὶ*, *ἀλλαγαί.* Unde itinera aliquando mansionibus distinguuntur, et *mansio* ponitur pro itinere unius diei, quod varia spatii mensura definiebatur, pro viarum aut facilitate, aut asperitate. *Suet. Tit.* 10. Sabinos petit aliquanto tristrior: deinde ad primam statim mansionem febrim nactus, etc. *Plin.* 12, 14, 32. Pagus Sabaeorum in monte excelso, a quo octo mansionibus distat regio eorum turifera. ℙ In re militari. *Lampr. Alex. Sev.* 45. Itinerum dies publice proponebantur, ita ut edictum penderet ante menses duos, in quo scriptum esset: *illa die, illa hora ab urbe sum exiturus, et in prima mansione mansurus:* deinde per ordinem mansiones, deinde stativae, etc. ℙ Sic *mansiones camelorum* sunt loca, in quibus cameli vehentes onera morantur in itinere. Haec distinguuntur aquationibus: nam in aridis et incultis locis putei erant, ad quos cum perventum erat, cameli aquabantur. *Plin.* 6, 23, 26. A copto camelis itur, aquationum ratione mansionibus dispositis. *Id.* 12, 14, 32. Abest a Gaza quadragies et quater

centena, ac triginta sex (*h. e.* 4436.) millia passuum, quod dividitur in mansiones camelorum sexaginta quinque. ℙ *Mansiones* sunt etiam appellata temporaria plerumque pomparum tabernacula, sive aediculae propter urbis vias excitatae, fortasse etiam cum stibadio, ubi sacris alicujus numinis operantes subsistebant, et pausabant, vel ut hymnos commodius canerent, et adoranda simulacra spectanti populo exhiberent, vel ut fessis ab onere sacerdotibus recentes succederent. Hinc *mansiones Saliorum* in *Inscr.* quam v. in MAGNALIA. V. et PAUSARIUS. ℙ *Mala mansio*, genus privatae coercitionis, qua servus, aut alius quispiam, in quem habenda esset quaestio, in tabula vinctus extendebatur, tum custodiae causa, tum poenae. *Ulp. Dig.* 47, 10, 15. *med.* Quaestionis verbo etiam ea, quam malam mansionem dicunt, continebitur. *Id. ib.* 16, 3, 7. Si hominem apud se depositum, ut quaestio de eo haberetur, ac propterea vinctum, vel ad malam mansionem extensum, sequester solverit.

[MANSĬONĀRĬUS, a, um, adj. ad mansionem pertinens. *Fulg. Myth.* 3, 6. Psyche ignoto atque mansionario utebatur conjugio, *h. e.* hospitali, non continuo, noctu enim tantum Cupido cum Psyche manebat ignotus. *F.*]

*MANSIONĀRĬUS, i, m. qui peregrinantes hospitio excipit, item, qui mansiones inter milites dispertit. V. *Voss.* de *Vit. L. L.* 3, 23. p. 511. *B. A.*

MANSĬTO, as, n. 1. frequent. a *maneo*, manto, conversor, habito, dego. *Plin.* 10, 3, 3. Pygargus in oppidis mansitat, et in campis, albicante cauda. *Tac. A.* 14, 42. Cum vetere ex more familiam omnem, quae sub eodem tecto mansitaverat, ad supplicium agi oporteret; et *ib.* 13, 44. Haud ambiguus percussor, quippe mansitasse una convincebatur. Adde locum in *Suppositis Amphitr. Plautini*, si qua illis in Latinitate auctoritas est, *scena*, *quae incipit*, Dii vostram fidem, *v.* 3. mutatos Atticos in Arcadia homines, Et saevas belluas mansitasse, nec unquam denuo parentibus cognitos, *h. e.* belluas remansisse. Simile quid narrat *Plin.* 8, 22, 34. de homine in lupum verso. Perperam autem quidam putarunt, hoc loco esse frequent. a *mando*, *is.*

*MANSIUNCŪLA, ae, f. (dimin. a *mansio*) οἰδίσκος, habitatiuncula. *Vulg. Genes.* 6, 14. Fac tibi arcam de lignis laevigatis: mansiunculas in arca facies, et bitumine linies. *B. A.*

MANSOR, oris, m. incola, habitator, hospes, qui alicubi manet. *Sedul.* 4, 294. Et faciat tenues tanto mansore capaces. Adde *Auctor. serm.* 171. de Temp. olim creditum August.

MANSTŪTOR, oris, m. qui manu tenet, et tuetur, ut *manceps* qui manu capit. Tribuitur *Plauto*, et quidem de muliere dictum, *Truc.* 4, 4, 6. Video eccum, qui manstutorem me adoptavit bonis. Alii leg. rectius *qui amans tutorem.*

MANSUCĬUM, edacem, a mandendo scilicet. *Festus.*

MANSUĒFĂCĬO, is, eci, actum, a. 3. πραΰνω, τιθασεύω, mansuetum facio, mitigo, placo. *Quint.* 9, 4. *in.* Mansuefacimus animalia? indomita nascuntur. ℙ Transfertur ad homines. *Liv.* 3, 14. *f.* Paulatim permulcendo tractandoque mansuefecerant plebem. *Appul. de Mundo.* Leges ad mansuefaciendos homines sunt inventae.

MANSUĒFACTUS, a, um, part. a *mansuefacio*, ἡμερωθείς, cicuratus, domitus, mitigatus. *Colum.* 7, 2. *med.* Arietes feros mansuefactos tectis ovibus admisit. *Plin.* 8, 17, 25. Augustus tigrim primus omnium Romae ostendit in cavea mansuefactum. *Id.* 10, 23, 30. Grues mansuefactae lasciviunt. ℙ Transfertur ad homines. *Cic. Tusc.* 1, 25. *med.* A quibus mansuefacti et exculti, a necessariis artificiis ad elegantiora defluximus. *Just.* 43, 5. Deposita et mansuefacta barbaria, usum vitae cultioris didicerunt. ℙ Metaphoricum est et illud *Plin.* 34, 9, 20. Aes attritu domitum, et consuetudine nitoris veluti mansuefactum.

MANSUĒFĬO, is, n. anom. προΰνομαι, ἡμερόομαι, mansuetus fio, cicuror, domor. *Caes. B. G.* 6, 27. Uri assuescere ad homines, et mansuefieri, ne parvuli quidem excepti, possunt. ℙ Transfertur ad homines. *Suet. Cal.* 11. Si per has mansuefieri posset ferum ejus ingenium.

MANSŪES, uis, adj. mansuetus, apud veteres. *Acc.* ap. *Non.* 8, 5. Si me matrem mansues misericordia capsit. *Varr. ib.* Quadrupedem adeo ferunt mansuem, ut tractarent manibus. Adde *Cat.* ap. *Festum.* Sic *Appul. Met.* 11. Vidi et ursam mansuem, quae cultu matronali, sella vehebatur. *Id. ib.* 7. Multos ego scio ferocissimos equos, adhibita tali detestatione, mansuetos ac mansues exinde factos. Est qui legit *ac mites*, illepidae geminationis vitandae causa: sed nihil mutandum, nam hic auctor hujusmodi locutionibus delectatur, ut *Id. ib.* 4. Solus ac solitarius. ℙ In obliquis est etiam *etis*, *ete*, *etem*, etc. *Pl. As.* 1, 2, 19. Reddam ego te ex fera fame mansuetem. Al. leg. *mansuetam.*

MANSUESCO, is, evi, n. 3. τιθασεύομαι, mansuetus fieri incipio, mitesco. *Colum.* 6, 2. *med.* Buculi per haec blandimenta triduo fere mansuescunt. *Lucan.* 4, 237. Sic ubi desuetae silvis, in carcere clauso Mansuevere ferae, et vultus posuere minaces, etc. ℙ Transfertur ad homines. *Virg. G.* 4, 469. manesque adiit, regemque tremendum, Nesciaque humanis precibus mansuescere corda. *Lucan.* 1, 331. nullus semel ore receptus Pollutas patitur sanguis mansuescere fauces. *Stat. Th.* 6, 315. multum mediis mansueverat annis. ℙ Item ad alia. *Lucr.* 2, 473. Humor dulcet, ubi per terras crebrius idem Percolatur, ut in foveam fluat, ac mansuescat; et 5, 1367. fructusque feros mansuescere terra Cernebant; indulgendo, blandeque colendo. *Virg. G.* 2, 239. Salsa autem tellus, ea nec mansuescit arando, etc. *Petr. Sat.* 122. non solis adusti Mansuescunt radii, non verni temporis aura. ℙ Junctum aliis verbis activis, activam et ipsum vim habet in illo *Varr. R. R.* 2, 1. Sic ex animalibus, cum propter eandem utilitatem, quae possent, silvestria deprehenderent, ac concluderent, et mansuescerent. ℙ Etiam sine aliis verbis. *Coripp. Johann.* 6, 253. Hic poterat rabidas verbis mansuescere tigres, Atque feros, facili mulcens sermone, leones. *Id. ib.* 484. Mansuescit gentes verbi virtute sacerdos. ℙ In illo *Statii Th.* 6, 723. victori tigrin inanem Ire jubet, fulvo quae circumfusa nitebat Margine, et extremos auro mansueverat ungues: *extremos ungues* accusativus est Graecus, partem significans: et est sensus: pellis illa tigridis ungues habens extremos auro praefixos, quodammodo illa parte mansueverat.

MANSUĒTĀRĬUS, ii, m. τιθασσευτής, qui feras cicurat, et mansuetas reddit, quos *Sen. ep.* 85. *f.* vocat *domitores ferarum*, *magistros*, *custodes. Lamprid. Elag.* 21. Habuit et leones, et leopardos exarmatos in deliciis: quos edoctos per mansuetarios subito ad secundam et tertiam mensam jubebat accumbere, ignorantibus cunctis, quod exarmati essent. Adde *Firmic.* 8, 17.

MANSUĒTĒ, adv. πράως, placide, leniter. *Cic. Marcell.* 3. Cum aliquid clementer, mansuete, juste, moderate factum legitur. *Liv.* 3, 29. Animus mansuete obediens imperio. *Auct. ad Her.* 4, 52. Ferre mansuete fortunam. *Sen. Ira* 3, 27. *f.* Mansuete immansueta tractanda sunt. *Appul. Met.* 9. Civilius, atque mansuetius versari.

[MANSUĒTĬLLA, ae, f. dimin. mansuetae. Est nomen propr. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 2060, 3. Mansuetae filiae dulcissimae, quae vix. ann. IIII. dieb. XVI. et Mansuetillae fil. amabiliss. V. A. I. M. III. D. VIII. Mansuetus, et Marcia Parthenis parentes fecerunt. *F.*]

[MANSUĒTĪNUS, i, m. ad mansuetum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 70. T. Aurelius Mansuetinus. *F.*]

*MANSUĒTO, as, a. 1. mansuefacio. *Vulg. Sapient.* 16, 18. Quodam tempore mansuetabatur ignis. *B. A.*

MANSUĒTŪDO, inis, f. πραότης, lenitas animi, qua irae moderatur. *Cic. Verr.* 2, 5, 44. Illam clementiam, mansuetudinemque nostri imperii in crudelitatem inhumanitatemque esse conversam. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 8. *extr.* Tuo toto imperio nihil acerbum esse, nihil crudele: atque omnia plena clementiae, mansuetudinis, humanitatis. *Id. Marcell.* 1. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum tacitus praeterire non possum. *Id. Or.* 2, 43. Facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis signa proferre; et *ib.* 49. Tunc admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum lenitatis et mansuetudinis coepit. *Id. Off.* 2, 9. Mansuetudo morum, et facilitas; et *ib.* 4. *f.* animorum. *Caes. B. G.* 2, 14. Uti clementia ac mansuetudine in aliquem. *Sall. Cat.* 35. Ea misericordia atque mansuetudine populum R. semper fuisse, ut nemo unquam ab eo frustra auxilium petiverit; et *ib.* 57. Caesar mansuetudine et misericordia clarus factus. *Tac. A.* 2, 72. Tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes. ℙ Cadente Latinitate, adulatione crescente, *mansuetudo tua* compellatio principis esse coepit. *Eutrop. praef. ad Valentem Imp.* Res Romanas ex voluntate mansuetudinis tuae brevi narratione collegi. ℙ Proprie dicitur de feris, quae domitae parere homini didicere. *Just.* 15, 31. Elephantus ferus infinitae magnitudinis ultro se obtulit, et veluti domita mansuetudine, eum tergo excepit.

MANSUĒTUS, a, um, adj. trisyllab. ἥμερος, πρᾶος, lenis, facilis, mitis: et proprie dicitur de feris, quae cicures, et placidae sunt, et inter homines versantur, eorumque parent imperio. *Festus:* Mansuetum, ad manum venire suetum: alii ajunt, mansuetum dictum neque ex misericordia moestum, neque ex crudelitate saevum, sed modestia temperatum. *Non.* 1, 294. Mansuetum dictum quasi manu assuetum: quod omnia, quae sunt natura fera, manuum permulsione mitescant. Unde *Virg. G.* 3, (186.) plausae sonitum cervicis amare; et *A.* 7, (490. de cervo) Ille manum patiens: quoniam supra dixerat (489.) pectebatque ferum. Haec *Non. Varr. R. R.* 1, 20. Juvenci diebus paucis erunt mansueti, et ad domandum proni. *Liv.* 35, 49. Condimentis ait varietatem illam et speciem ferinae carnis ex mansueto sue factam. *Plin.* 11, 5, 4. Cum sint apes neque mansueti generis, neque feri, tamen, etc. *Grat. Cyn.* 164. Mansueta stabula, *h. e.* mansuetarum pecudum. ℙ Translate refertur ad homines, qui iram cohibent, ac se lenes praebent, placidos, et mites. *Cic. Phil.* 3, 9. Illud quaero, cur tam subito mansuetus in senatu fuerit, cum in edictis tam fuisset ferus. *Id. Or.* 2, 49. *f.* Ut et acerrimus in Caepionis invidia renovanda, et in meis moribus erga meos necessarios declarandis mansuetissimus viderer. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Refero me ad mansuetiores musas. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 11. Mansuetissimum ingenium. *Asellio* ap. *Prisc.* 5, 668. Ut in victoria mitior mansuetiorque fiat. *Prop.* 1, 9, 12. Carmina mansuetus lenia quaerit Amor. *Id.* 3, 14, 10. In me mansuetas non habet illa manus. *Ov. Trist.* 3, 6, 23. Numinis ut laesi fiat mansuetior ira. ℙ Item ad alia. *Liv.* 3, 16. Tantum superantibus aliis, ac emergentibus malis, nemo tribunos, aut plebem timebat. Mansuetum id malum, tum esse peregrino terrore sopitum videbatur. *Prop.* 1, 17, 28. Mansuetis socio parcite litoribus, *h. e.* tutis a tempestate, et naufragio. ℙ [*Mansuetus* et *Mansueta* est nomen propr. R. V. MANSUETILLA. *F.*]

MANSUS, a, um, part. a *mando*, μασηθείς, dentibus contusus, et confectus, manducatus. *Cic. Or.* 2, 39. Qui omnes tenuissimas particulas, omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inserant. *Quint.* 10, 1. *med.* Cibos mansos, ac prope liquefactos demittimus, quo facilius digerantur. Adde *Varr.* et *Lucil.* ap. *Non.* 2, 551. ℙ *Mansum* a *Maneo.* V. in eo verbo.

*MANSUS, i, m. vel Mansum, i, n. vel Mansa, ae, f. (trino enim genere haec vox effertur) aliis definitur villa aut locus familiae; aliis, fundus cum certo agri modo; aliis, villula coloni unius habitationi propria; aliis, quantitas terrae, quae sufficit duobus bobus in anno ad laborandum; *Papiae* denique, *mansus* dictus a *manendo*, quod integrum sit duodecim jugeribus. Ex quibus conficitur, revera mansum fuisse certam agri portionem, quae et coleretur, et in qua coloni aedes esset. Unde mansus idem videtur quod *colonia* vel *curia*, ita ut pro ratione provinciarum nomenclatura saepe diversa fuerit. V. *Du Fresne Gloss.* et *Cujac. Feud.* 1, 1. *B. A.*

MANTEJUM et Mantēum, i, n. μαντεῖον, vox Graeca, qua significatur locus, in quo oracula, et responsa numinis alicujus reddebantur: a μάντις, vates. Legitur ap. *Plin.* 5, 29, 31. bis.

MANTĒLĒ, is, n. et Mantelium, ii, n. linteolum, quo manus in mensa tergentur, χειρόμακτρον: hunc enim ejus usum esse affirmant *Varr. L. L.* 5, 8. *extr. Festus* in *Manticularia*, *Serv.*, et *Phylarg.* ad *Virg. G.* 4, 377. et ad *A.* 1, 706. Hinc *Plin.* 7, 2, 2. Anthropophagos ossibus humanorum capitum bibere, cutibusque cum capillo pro mantelibus ante pectora uti. ℙ Dictum est a *manu*, vel simpliciter, vel quasi *manuterium*, ut *Varr.* placet *l. c.*, vel a *manus* et *tela.* Alii alia comminiscuntur. *Virg. l. c.* Cereremque canistris Expediunt, tonsisque ferunt mantelia villis. ℙ Differt a mappa, ut patet ex illo *Lucilii* ap. *Serv.* et *Phylarg. l. c.* mappas, mantela, merumque (ubi *mantela* dixit pro *mantelia*, a recto *mantelum*) et *Mart.* 12, 29. Attulerat mappam nemo, dum furta timentur: Mantele e mensa surripit Hermogenes. ℙ Unde patet discrimen: nam *mantelia* praebebat, qui et coenam: *mappas* secum quisque afferebat. *Mappa* manus tergebant: *mantele* mensam etiam tegebant. Hinc *Is. Orig.* 19, 26. Mantelia nunc pro operiendis mensis sunt: quae, ut nomen ipsum indicat, olim tergendis manibus praebebantur. Praeterea *mantele* fere erat villosum, *mappa* non item. *Id.* 14, 138. cujus lemma, *Gausapa villosa, vel mantele.* Nobilius villosa tegant tibi lintea citrum, etc. ℙ Usi sunt *mantelibus* etiam in sacris. Rem enim divinam facturus, mantele gestabat tergendis manibus post sacrificium. *Oc. Fast.* 4, 933. a dextra villis mantele solutis, Cumque meri patera turis acerra fuit. ℙ De luxu mantelium apud ditissimos, *Lamprid. Elag.* 27. Nonnunquam tot picta mantelia in mensam mittebat, his edulibus picta, quae apponerentur; et *Alex. Sev.* 37. Convivium nitoris summi fuit: ita tamen, ut pura mantelia mitterentur, saepius cocco clavata, aurata vero nunquam: cum haec Elagabalus jam recepisset, et ante Hadrianus habuisset. *Trebell. Gall.* 16. Poma ex arboribus recentia semper alienis mensibus praebuit: mantelibus aureis semper stravit. *Valerian. Aug.* in *ep.* ap. *Vopisc. Aurel.* 12. Mantelia Cypria, paria duo. ℙ *Mantelium* in recto casu habetur ap. *Varr. l. c.*, et *manteliorum* in patrio plur. ap *Fest.* in *Manticula.* ℙ Scribitur et *mantile*, *mantilium.*

MANTĒLUM, i, n. idem quod mantele. V. in v. praec. Ap. Graecos χειρόμακτρον (quod Latine est mantelum) exponitur etiam genus vestimenti: et μανδύλιον (ex Latina voce Graeca facta) a quibusdam dicitur. Unde translate est quodlibet tegmen ad occultandum dolum. *Pl. Capt.* 3, 3, 5. Nec mendaciis subdolis mihi usquam mantelum est meis: Nec sycophantiis, nec fucis ullum mantelum obviam

est. ℙ Scribitur et *mantellum*: unde et apud Italos *mantello*.

MANTĒUM. V. MANTEJUM.

[MANTIA, ae, f. *μαντεία*, divinatio. Hoc nomine vocatur rubus a Dacis, ut affirmat *Appul. Herb.* 87. *F.*]

*MANTIĀNI, orum, m. gens incognita, in Asia ulteriore. *Mela* 1, 2. *med.* ℙ Fortasse iidem populi, qui *Plin.* 6, 16. *Matiani* audiunt. *B. A.*

MANTĪCA, ae, f. *πήρα*, pera, sacculus: a *manus*, quia est ad manum, ut promi facile possint, quae in ea reconduntur. Unde est *manticula*, in qua pauperes pecuniam recondebant, ut *Fest.* docet. V. MANTICULA. *Manticam* vel gestabant ipsi, vel equo imponebant iter facientes. *Hor. Sat.* 1, 6, 104. nunc mihi curto Ire licet mulo, vel, si libet, usque Tarentum, Mantica cui lumbos onere ulceret, atque eques armos. *Appul. Met.* 1. Manticam meam humero exuo; caseum cum pane propere ei porrigo. *Pers.* 4, 23. Ut nemo in sese tentat descendere! nemo: Sed praecedenti spectatur mantica tergo. V. *Phaedr.* 4, 9. unde huic loco lux: cui simile est illud *Catulli* 22, 21. Sed non videmus, manticae quid in tergo est.

MANTICHORA, ae, f. *μαντιχώρα*, bellua Indica, triplici dentium ordine pectinatim coeuntium, facie et auriculis hominis, oculis glaucis, colore sanguineo, corpore leonis, cauda scorpionis modo spiculata infigens; vocis, ut si misceatur fistulae et tubae concentus; velocitatis magnae; humani corporis vel praecipue appetens. Haec ex *Ctesia Plin.* 8, 21, 30. ℙ [Ea tamen fabulosa videtur: eandem ac tigridem esse putat *Paus.* 9, 23., qui *μαρτιχοραν* vocat, ut alii plures Graeci scriptores. Hinc *Calp. Ecl.* 7, 58. Hic niveos lepores, et non sine cornibus apros, Mantichoram, silvis etiam, quibus editur, alcen Vidimus. *F.*]

MANTĪCŬLA, ae, f. *πηρίδιον*, parva mantica, perula. *Festus:* Manticularum usus pauperibus in nummis recondendis etiam nostro saeculo fuit.

MANTĪCŬLĀRIA, orum, n. plur. dicuntur ea, quae frequenter in usu habentur, et quasi manu tractantur. *Festus.*

MANTĪCŬLĀRĬUS, ii, m. *βαλαντιοτόμος*, crumeniseca, qui manticulas clam scrutatur, ut pecuniam auferat. *Tert. Apol.* 44. Quis illic sicarius? quis manticularius? quis sacrilegus, aut lavantium praedo?

MANTĪCŬLĀTOR, oris, m. manticularius. Legitur a quibusdam in fragmento *Pacuv.* ap. *Fest.* in *Manticula.*

MANTĪCŬLĀTUS, a, um, part. a *manticulor*, fraude compositus, dolose factus. *Pacuv.* ap. *Fest.* in *Manticula.* Machinam ordinis novam, manticulatam astu, etc. Al. aliter leg.

MANTĪCŬLOR, aris, dep. 1. furandi causa manticulas attrectare. *Festus.* Hinc *Appul. Apol.* Ut olim Ulyssis socii thesaurum reperisse arbitrati sunt, cum utrem ventosissimum manticularentur. ℙ Translate est clam, et dolose agere, ut *Id. Fest.* docet. *Pacuv. ib.* Ad manticulandum astu aggreditur.

MANTĪLĔ et MANTĪLĬUM. V. MANTELE.

MANTĪLIĀRĬUS. V. MANULEARIUS.

MANTINĒA, ae, f. nunc *Mandi*, *Mundi*, *Μαντίνεια*, urbs Peloponnesi, in Arcadia, Megalopoli proxima. Apud hanc urbem inter Lacedaemonios et Thebanos pugnatum acerrime fuit, in quo proelio Epaminondas Thebanorum dux victoria jam propemodum potitus cecidit. *Plin.* 4, 6, 10. et *Nep. Ep.* ℙ *Item loci nomen in Argolide. *Plin.* 4, 5. *B. A.*

MANTĪSA vel Mantissa, ae, f. additamentum dicitur lingua Tusca, quod ponderi adjicitur, sed deterius, et quod sine ullo usu est. Ita *Festus.* Vult tamen *Jos. Scalig.* vocem esse origine Latinam, pro *mantesa*, et dici, quasi *manu tensam*, pro eo, quod manu porrigitur praeter id, quod ad pondus exigitur: ut sit *mantisa caro*, *mantisa merx*: porrigi enim manu, non dari pondere. Ego a *Festo* starem. *Mantisa obsonia vincit* proverbium est *Lucilii* ap. *eund. Fest.*, quo significatur majus esse, quod inutile est, quam quod bonum et utile: *μεῖζον τοῦ ἔργου τὸ παρεργον.* ℙ *Mantissa* legitur in quibusdam veterib. editionib. teste *Scalig.*, magisque illi placet.

MANTISCINOR, aris, atus sum, vaticinor, divino: a *μάντις*, vates. *Pl. Capt.* 4, 2, 115. Nisi mantiscinatus probe ero, fusti pectito. Al. rectius leg. *manticulatus.* V. MANTICULOR.

MANTO, as, n. 1. frequent. a *maneo*, mansito. *Caecil.* ap. *Non.* 10, 9. In voltu eodem, in eadem mantat malitia. Adde ap. *Fest.* ℙ Pro exspectare, morari. *Pl. Poen.* 1, 2, 52. Herus nos apud aedem Veneris mantat; et *Ps.* 1, 3, 49. At dabit, parabit aliquid hos dies: manta modo. *Id. Most.* 1, 2, 34. si quid nummo sarciri potest, Usque mantant, neque id faciunt, donicum Parietes ruunt, *h. e.* cessant, differunt.

MANTO, us, f. contract. *Μαντώ*, mulier fatidica, Tiresiae Thebanorum vatis filia, quae cum post patris obitum Creontis et Thesei tyrannidem fugeret, primum in Asiam venit, ubi Apollinis Clarii templum condidit, deinde etiam in Italiam, ubi ex Tiberi fluvio, ut poetae fabulantur, vel ex Tiberino rege Ocnum peperit, qui postea urbem condidit, quam a nomine matris Mantuam appellavit. *Virg. A.* 10, 198. patriis agmen ciet Ocnus ab oris, Fatidicae Mantus et Tusci filius amnis. V. ibi *Serv. Ov. Met.* 6, 157. sata Tiresia, venturi praescia Manto.

MANTŪA, ae, f. *Mantova*, urbs Galliae Transpadanae, ad Mincium fluvium, olim Tuscorum caput. Nam Tusci etiam cis Apenninum ditionem suam protulere. *Virg. A.* 10, 201. Mantua dives avis: sed non genus omnibus unum. Gens illi triplex, populi sub gente quaterni. Ipsa caput populis: Tusco de sanguine vires. V. ad haec *Serv.* Porro *Virgilius* merito eam laudat: patria enim ejus fuit: ob id jure passim celebris. *Ov. Amor.* 3, 15, 7. Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo. *Sil.* 8, 595. Mantua Musarum domus, atque ad sidera cantu Evecta Aonio, et Smyrnaeis aemula plectris.

MANTŪĀNUS, a, um, adj. *Mantovano*, ad Mantuam pertinens, et saepe ad *Virgilium* refertur. *Stat. Silv.* 4, 7, 26. nostra Thebais multa cruciata lima, Tentat audaci fide Mantuanae Gaudia famae. *Solin.* 46. Mantuana carmina. *Minuc. Fel. Octav.* 19. Mantuanus Maro. *Macr. Sat.* 1, 16. *f.* Homerus, *h. e.* Virgilius; et *ib.* 5, 1. Facundia Mantuani multiplex et multiformis est.

[MANTŪĒLIS, e, adj. similis mantelo. *Trebell. Claud.* 17. Misi chlamydem Dardanicam mantuelem unam. *F.*]

[MANTUM, i, m. *μανδύη*, vestis ampla, quae paenulae similis fuisse videtur ex *Polluc. Onomast.* 7, 13. Haec tamen habet *Isid. Orig.* 19, 24. Mantum Hispani vocant, quod manus tegat tantum: est enim breve amictum. *F.*]

MANTURNA, ae, f. Dea conjugii, quae invocatur, ut conjuges inter se maneant. *August. C. D.* 6, 9.

*MANŪA, ae, f. Dragma, manipulus in *Gloss.* Cf. *Isidor.* it. *Salmas.* in *Solin.* p. 266. Hanc vocem *Vet. Schol.* in *Juven. sat.* 8, 153. feliciter restituit *Almelov.* Vulgo *mannas.* V. notam ejus ad l. in *Comment. Vetust.* in *Juven. sat.* p. 328. ed. *Cramer. B. A.*

MANŪĀLIS, e, adj. *γναλὸς*, ad manum pertinens. *Plin.* 18, 30, 72. Panicum, et milium pectine manuali legunt Galliae, *h. e.* quod una manu adhibetur. *Id.* 19, 1, 3. Linum in fasciculos manuales colligatum, *h. e.* qui manu capi possunt. *Id.* 24, 15, 80. Chamaedrys incipientibus hydropicis efficax, manualibus scopis ejus in tribus heminis aquae decoctae, etc. ℙ *Manualia saxa*, quae manu teneri, aut jaci possunt. *Sisenn.* ap. *Non.* 6, 5. Manuales lapides. *Tac. A.* 4, 51. Manualia saxa jacere. [**χερμάδια* sunt ap. *Homerum.*] *Calpurn. Ecl.* 3, 85. Qui sibi tum felix, tum fortunatus habetur Vilia cum subigit manualibus hordea saxis, *h. e.* molis trusatilibus. *Hieron.* in *Chron.* ad ann. CCCVIII. a Chr. n. Manualis mola. V. MANUARIUS. ℙ *Aqua manualis* ap. *Tert. Apol.* 39. *med.* est, qua lavantur ante coenam manus. Est tamen, qui aliter legat. ℙ *Manuale* absolute in *lemmate* ap. *Mart.* 14, 84. est veluti vagina lignea, in quam liber circumferendus includebatur, ne chartae attritu tererentur. Epigramma est. Ne toga barbatos faciat, vel paenula libros, Haec abies chartis tempora longa dabit.

MANŪĀRĬUS, a, um, adj. manualis. *Gell.* 18, 13. Hoc aere collecto, quasi manuario, coenula curabatur omnibus, qui eum lusum luseramus, *h. e.* quasi ex pluribus manibus collecto. Respicit autem ad vices ludendi, seu jactus, qui ab *Augusto* ap. *Suet. Aug.* 71. *manus* dicuntur. Si, inquit, quas manus remisi cuique, exegissem, vicissem vel quinquaginta millia. ℙ *Manuarium vas* ap. *Charis.* 1, 95. est vas manuale. ℙ *Manuaria mola*, quae manu versatur: sicut *asinaria*, quae jumento. *Jabolen. Dig.* 33, 7, 26. V. MANUALIS. ℙ *Manuarius*, *ii*, ap. *Laberium* est fur. Manuari, inquit, pudorem perdidisti. Improbat hoc *Gell.* 16, 7.

MANŪĀTUS, a, um, adj. Quidam leg. ap. *Plin.* 19, 2, 8. Vulsum spartum fascibus in acervo manuatum, *h. e.* manuales in fasciculos colligatum. Al. leg. *animatum.* De eo, qui manus habet, usurpatur a *Capell.* 4, 113., ut *dentatus*, qui dentes. ℙ *Manuatus est* pro *furatus est*, dixit *Laber.* in *Mimis*, sed praelicenter, ut ait *Gell.* 16, 7. Adde *Non.* 2, 555.

MĂNŬBALLISTA, ae, f. ballista minor, quae manu tractatur. *Veg. Mil.* 2, 15. Adde *ib.* 4, 22., ubi hujusmodi machinas, quas suo tempore *manuballistas* appellari ait, antea docet scorpiones dictos fuisse.

MĂNŬBALLISTĀRĬUS, ii, m. qui manuballistas tractat. *Veg. Mil.* 3, 14. et *ib.* 4, 21.

MĂNŬBĬAE, arum, f. plur. pecunia redacta ex venditione praedae devictis hostibus captae: a *manus*, et *vis*, quasi *manuviae. Gell.* 13, 24. *f.* Qui proprie atque signate locuti sunt, manubias pecuniam dixerunt: sc. quae ex praeda vendita, redacta est, ut ibidem pluribus docet, et *Non.* 5, 39. confirmat. [*Cato* ap. *Front. ad Antonin. Imp.* (ed. *A. Maio*) 1, 2. Nunquam ego praedam, neque quod de hostibus captum esset, neque manubias inter pauculos amicos meos divisi, ut illis eriperem, qui cepissent. *F.*] *Cic. Verr.* 2, 3, 80. Qua ex praeda, aut manubiis haec abs te donatio constituta est? In lege Rulli ap. *eund. Agr.* 1, 4. et *ib.* 2, 22. Quod ad quemque pervenerit ex praeda, ex manubiis, ex auro coronario. *Cic. fr.* ap. *Gell.* *l. c.* Praedam, manubias, sectionem decemviri vendent. *Id. Agr.* 2, 23. Si est aequum, praedas ac manubias suas imperatores, non in urbis ornamenta conferre, sed ad decemviros deportare. *Id. Verr.* 2, 1, 59. Dubitamus, quid iste in hostium praeda molitus sit, qui manubias sibi tantas ex L. Metelli manubiis fecerit? *h. e.* tantam pecuniam ex aede Castoris, quam, subactis Dalmatis, L. Metellus de manubiis exstruxerat, ut *Ascon.* explicat. *Plin.* 7, 26, 27. Delubrum Minervae ex manubiis dicavit. *Liv.* 10, 46. De reliquo aere aedem Fortis Fortunae de manubiis faciendam locavit. [**Tac. A.* 2, 53. Sacratas ab Augusto manubias, i. e. templum Apollinis ab Augusto exstructum ad Actii prom. cf. *Suet. Aug.* 18.] ℙ Si vim vocis spectemus, *manubiae* ipsam praedam significant, et spolia hostium, *τὰ λάφυρα*, *ἀκροθίνια. *Ascon. l. c.* Manubiae sunt praeda imperatoris, pro portione de hostibus capta; et in *c.* 6. *extr.* Spolia quaesita de vivo hoste nobili per deditionem, manubias veteres dicebant: et erat imperatorum haec praeda, ex qua, quod vellent, facerent. ℙ Universim de quacumque praeda, et spoliis. *Petr. Sat.* 79. *extr.* Postquam optima fide partiti manubias sumus. *Naev.* ap. *Non.* 2, 537. Manubias suppetat pro me. *Flor.* 2, 18. Cum hoc quoque foedus maluere, contenti armorum manubiis, cum ad internecionem saevire potuissent. ℙ Translate de signis, tabulis, pecuniis, quae a magistratibus ex provinciis expilatis, aut aliunde colliguntur. *Suet. Vesp.* 16. Sunt, qui opinentur, ad manubias et rapinas necessitate compulsum, summa aerarii fisciique inopia. *Id. Cal.* 41. Ne quod non manubiarum genus experiretur, lupanar in palatio constituit. ℙ Adjective *manubiam machaeram* dixisse videtur *Pl.*, quae hosti in pugna detracta sit, *Truc. a.* 5. *v.* 35. Nisi si te mea manubia machaera, et hunc vis emori. *Bothe* rectius ex *Codd.* legit *Nisi si te manu mea in machaera*, etc. *h. e.* nisi vis et te, et hunc manu mea discerpi machaera. ℙ Dicuntur *manubiae* (in Etruscorum libris, teste *Serv.* ad *A.* 1, 46.) etiam de fulminibus, quia manu, et vi Jovis jaciuntur. *Sen. Q. N.* 2, 41. Fulmina dicunt a Jove mitti, et tres illi manubias dant. Prima, ut ajunt, monet, et placata est, et ipsius consilio Jovis mittitur. Secundam mittit quidem Juppiter, sed ex consilii sententia: duodecim enim Deos advocat. Hoc fulmen boni aliquid aliquando facit: sed tunc quoque non aliter, quam ut noceat: ne prodest quidem impune. Tertiam manubiam idem Juppitter mittit: sed adhibitis in consilium Diis, quos superiores, et involutos vocant. Quae vastat, et includit, et mutat statum privatum utique, et publicum, quem invenit: ignis enim nihil esse, quod sit, patitur. Haec *Sen.* quibus similia habet *Festus*, qui horum meminit etiam in *Peremptalia.*

MĂNŬBĬĀLIS, e, adj. ad manubias pertinens. *Suet. Aug.* 30. Vias ex manubiali pecunia sternendas triumphalibus viris distribuit.

MĂNŬBĬĀRĬUS, a, um, adj. manubialis. *Pl. Truc.* 4, 4, 27. Saltem amicus mihi esto manubiarius, *h. e.* per quem manubias ego, seu praedam et lucrum ex aliis faciam.

[MĂNŬBĪNUS, i, m. ad manubias pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 115, 2. C. Fortunatus Manubinus. *F.*]

MĂNŬBĬUS, a, um, adj. *Machaera manubia* ap. *Plaut.* V. in MANUBIAE.

MĂNUBRĬĀTUS, a, um, adj. manubrium habens, ut Manubriatae serulae, *Pall.* 1, 43. Manubriati cultri, *Ammian.* 25, 1.

MĂNUBRĬŎLUM, i, n. parvum manubrium. *Cels.* 7, 6. *f.* Manubriolo scalpelli diducere.

MĂNUBRĬUM, ii, n. *λαβή*, gladii, vasis, securis, aut alterius cujusque rei pars ea, quae manu tenetur. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. *med.* Vas vinarium ex una gemma praegrandi, trulla excavata, manubrio aureo. *Juven.* 11, 133. quin ipsa manubria cultellorum Ossea. *Colum.* 11, 2. *f.* Per lucubrationem ferramenta acuere, et ad ea facere, vel facta manubria aptare: quorum optima sunt ilignea, deinde carpinea, post haec fraxinea. *Id.* 5, 10. Manubrium bidentis. *Vitr.* 10, 13. Manubria epistomiorum. ℙ *Eximere alicui e manu manubrium*, ap. *Pl. Aul.* 3, 4, 12. est alicui occasionem quippiam agendi praeripere.

MĂNŬCĬŎLUM vel Maniciolum, i, n. dimin. manucii, manipulus, fasciculus. *Petr. fr. Trag.* 63. *Burm.* Manuciolum de stramentis factum.

[MĂNŬCĬUM vel Manicium, ii, n. manuum involucrum seu tegumentum ad arcendum frigus; Itali *manichino*, et *manicotto*, nostrates vulgo *ma-*

nizza appellant. *Gloss. Philox.* Manicium, χειρίς. *F.*]

MĂNŬCLĂ, et

MĂNŬCŬLĂ. V. MANULEA.

MĂNŬCŬLĀTUS. V. MANULEATUS.

MĂNŪFACTUS, et rectius divisim Manu factus, a, um, adj. arte et manu factus, χειροποίητος. *Cic. Fin.* 3, 22. Quid enim aut in natura, aut in operibus manu factis tam compositum inveniri potest? *Id. Off.* 2, 4. Portus manu facti. *Vitr.* 9, 3. Is, ad tempus, opus manufactum subtiliter, regi approbavit. *Cels.* 3, 27. *n.* 1. Naturales, vel etiam manufactae natationes. *Ov. Ib.* 147. Sive ego, quod nolim, longis consumptus ab annis, Sive manu facta morte solutus ero, *h. e.* externa vi illata. *Quint.* 5, 14. *f.* Ut ea nasci, et ipsa provenire natura, non manu facta, et arte suscepta magistrum fateri, ubique videantur. V. *Manu facere* in MANUS.

*MANUINSPEX, icis, m. χειροσκόπος *Gloss. Vet. B. A.*

MĂNŪLĔA vel Manucula vel Manucla, ae, f. manubrium alicujus rei. *Vitr.* 10, 15. hoc nomine vocat partem in catapulta, quae nervum attractum continet.

MĂNŪLĔĀRĬUS, ii, m. qui manuleatas vestes conficit. *Pl. Aul.* 3, 5, 37. Aut manulearii, aut myrobrecharii. Alii minus recte leg. *mantiliarii*, h. e. qui mantilia efficiunt. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 83. et *Don. cl.* 8. *n.* 78. Sex. Antonius Sex. L. Aristus manulearius patagiar, *h. e.* qui tunicas manuleatas et patagiatas conficit. [*Hunc locum emendavit *F.*]

MĂNŪLĔĀTUS, a, um, adj. manicatus. *Pl. Ps.* 2, 4, 48. Manuleatam tunicam hominem habere decet. V. CHIRIDOTA. ℙ Manuleatum hominem dicimus, indutum tunicis manicatis. *Suet. Cal.* 52. Manuleatus, et armillatus in publicum processit. *Sen. ep.* 33. Apud me Epicurus est et fortis, licet manuleatus sit. V. MANICATUS. ℙ Quidam in allato *Plauti* loco legunt *manuculatus*, *maniculatus*, et *manuclatus*.

MĂNŪLĔUS, i, m. parva manica, manus ornamentum, seu tegumentum. *Accius* ap. *Non.* 3, 25. Actoribus manuleos, baltea, machaeras. *Pl. fr.* ap. *Vulg. Contin. Virg.* Quid tu amicam times, ne te manuleo cajet? [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 4, 3. *med.* Cum commemorares, cur Parthi manuleis laxioribus uterentur, ita, opinor, scripsisti, intervallis vestis aestum ut suspendi diceres; et *mox*: Namque manuleorum intervallis, quae interdum laxata videmus atque fluitantia, suspendi aestus non potest; potest aestus per vestis intervalla depelli, potest degi, potest eventilari. V. DEGO. *F.*]

MĂNŪMISSĬO, onis, f. ἀπελευθέρωσις, datio libertatis, a *manus*, et *mitto*, quia servi, cum liberarentur potestate, e manu solemni ritu emittebantur, quemadmodum cum servi facti sunt, manu capti fuere. *Festus. Cic. Coel.* 29. Quid habeat argumenti ista manumissio. ℙ In manumissione mos erat, ut dominus manum, aut caput, aut aliud membrum servi tenens ter diceret, *Hunc hominem liberum esse volo.* Et mittebat e manu. *Festus.* ℙ Manumissio tribus modis celebrata fuit, censu, vindicta, testamento: de quibus V. in VINDICTA. *Cic. Top.* 2. *f.* Si neque censu, neque testamento, neque vindicta liber factus est. ℙ Fuit et quartum manumissionis genus, non tamen justum ut illa, et legitimum, adeoque non plenam libertatem conferens, cum vel inter amicos, vel in convivio, vel per litteras quis manumittebatur. Hoc modo data libertas facilius amitti poterat, quam quae tribus modo dictis modis data esset. *Sen. V. B.* 24. Servi, liberine sint; ingenui, an libertini; justae libertatis, an inter amicos datae, quid refert? Adde *Ulp. regular. t.* 2. *med.*, et V., si lubet, *Lips.* ad *Tac. A.* 13, 27. et *Brisson. de V. S. l.* 9. Justa libertas; et *Plin. ep.* 7, 16.

MĂNŪMISSOR, oris, m. qui manumittit, ἀπελευθερωτής. *Marcell. Dig.* 37, 15, 3. et *Tert. adv. Marc.* 5, 4. *med.*

MĂNŪMISSUS, a, um, part. a *manumitto*, ἀπελευθερωθείς, liberatus a potestate domini. Nam quamdiu quis in servitute est, manui, hoc est potestati subditus est. *Cic. Coel.* 29. At sunt servi de cognatorum sententia manumissi. *Tac. A.* 13, 32. Qui testamento manumissi sub eodem tecto mansissent.

MĂNŪMITTO, is, isi, issum, a. 3. ἀπελευθερόω, de servo liberum facio. V. dicta in MANUMISSIO. *Cic. Mil.* 22. Nisi servos manumisisset. *Pl. Curc.* 4, 2, 11. Alienos mancupatis, alienos manumittitis. ℙ Ii etiam *manumitti* vel *emitti manu* dicebantur, qui, cum essent in alienam familiam, tanquam filii, assumpti, postea emancipabantur. Nam cum ipsa adoptio trina mancipatione fieret, ut docet *Gell.* 5, 15., etiam manumissione finem habebat. *Tac. A.* 15, 19. Percrebuerat ea tempestate pravissimus mos, cum propinqui comitiis, aut sorte provinciarum, plerique orbi fictis adoptionibus adsciscerent filios, praeturasque et provincias inter patres sortiti, statim emitterent manu, quos adoptaverant. ℙ Part. *Manumittendus* ap. *Liv.* 41, 9. Qui idem non juraret, eum manumittendum non censuerunt. ℙ Aliquando dividitur. *Cic. Mil.* 22. Manu vero cur miserit, etc. *Pl. Aul. a.* 5. *v.* 9. Orabo, ut manu me mittat.

[MĂNUPLĒNĂ, ae, f. quod una manu comprehenditur. V. MANUS. *F.*]

*MANUPLETĬUS, a, um, adj. χειροπληθής, Manupletium *Gloss. B. A.*

[MĂNUPRĔTĬOSUS, a, um, adj. qui pretiosus est non materia, sed artificis opere eximio. *Cato* ap. *Gell.* 13, 23. Neque mihi aedificatio, neque vasum, neque vestimentum ullum est manupretiosum, neque pretiosus servus, neque ancilla est. Alii divisim leg. *manu pretiosum.* *F.*]

MĂNUPRĔTĬUM, ii, n. ἐπίχειρον, pretium, seu merces, quae datur pro eo, quod ab artifice manu factum est. *Pl. Men.* 3, 3, 17. Amabo, mi Menaechme, inaures da mihi faciundas. *Me.* Fiat: cedo aurum, ego manupretium dabo. [*Front. de B. Parth.* (ed. *A. Maio*) *med.* Polycrates in aureo habebat anulo, manupretio summo, facie eximia, lapidem smaragdum. *F.*] ℙ Dicitur et *manus pretium*, et *manipretium. Liv.* 34, 7. In auro, praeter manus pretium, nihil intertrimenti fit. *Plin.* 34, 3, 17. Lysippus solitus ex manipretio cujusque signi denarios seponere aureos singulos. [*Inscr.* ap. *Morcell. de stil. inscr. Lat.* T. 2. p. 291. ed. *Patav.* Imp. Caes. Trajano Hadriano Aug. III. Cos. via nova strata lapide per medium forum pecuar. ex collatione manipretii possessorum circa forum, et negotiantium. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 24. Cum provincia tibi ista manupretium fuerit non eversae per te, sed perditae civitatis, *h. e.* tanquam merces hominis mercenarii, et praemium male administratae reipublicae. *Sen. ep.* 101. Castrensium laborum tarda manupretia. ℙ Est etiam ipsa res manu facta, seu artificium in re facienda adhibitum. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 56. Manupretium dicitur, ubi non tam materiae ratio, quam manus atque artis ducitur. *Cajus Dig.* 50, 16, 13. Res abesse videntur, quarum corpus manet, et forma mutata est: quia plerumque plus est in manus pretio, quam in re, *h. e.* materiam superat opus, ut *Ov. Met.* 2, 5. loquitur: et *Tassus: vinta la materia è dal lavoro.*

MĂNUS, us, f. χείρ, extrema brachii pars in volam, et digitos desinens. Volunt esse a μανὸς, laxus, quia proprie sic dicitur, cum aperta est, sicut *pugnus*, cum clausa. *Cic. N. D.* 2, 60. Quam vero aptas, quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! *Id. Verr.* 2, 4, 27. *f.* Vas in manus sumere. *Id. Coel.* 26. *f.* Pyxidem in manu tenere; et *ib.* Manum porrigere ad tradendum aliquid. *Id. Har. resp.* 11. Manibus aliquid accipere. *Just.* 1, 4. in manum. *Cic. Acad.* 1, 1. *med.* De manibus deponere; et *Q. Fr.* 1, 1, 8. ponere. *Id. Cat.* 1, 6. *f.* extorquere. *Id. Or.* 30. E manibus dimittere. *Id. Coel.* 27. *extr.* fugere. *Id. Q. Fr.* 1, 15. *med.* Quicumque calamus in manus meas venerit, eo sic utor, tanquam bono. *Petr. Sat.* 27. Aquam poscere ad manus. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. *f.* Manum ad os apponere: *quod est arcanum narrantis, et silentium indicentis.* Rursus *Cic. ad. Brut.* 1, 10. Excidere e manibus. *Id. Cat.* 1, 8. *f.* Continere alicujus manus ab aliquo. *Ter. Ad.* 5, 2, 6. Non manum abstines, mastigia? *Cic. Mil.* 3. Cum sua manu sororem interfectam esse fateretur. ℙ Saltantis sunt illa *Prop.* 4, 8, 42. de nano ad tibiae sonum saltante: Jactabat truncas ad cava buxa manus; et *Ov. Fast.* 3, 535. Et jactant faciles ad sua verba manus. Sic Graeci χειρονομεῖν et βάλλειν χεῖρας. V. SALTO. ℙ *Manu* est vi, et armis. *Flor.* 1, 10. Porsena Tarquinios manu reducebat; et 1, 1. *med.* Matrimonia quia non impetrabantur, manu capta sunt; et 4, 1. Conjurationem manu opprimere; et *Sall. Jug.* 35. Vindicandum in eos, qui, etc. non manu, neque vi, sed quaestionibus, etc. *Tac. Agr.* 9. Castrensis jurisdictio secura, et obtusior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exercet. Adde *Virg. A.* 12, 317. et 627. ℙ *Utraque manu*, libenter, studiose, cupide, prompte. *Mart.* 1, 16. Haec utraque manu, complexuque assere toto. ℙ *Manu tenere*, compertum habere. *Cic. Brut.* 80. Cum indicia mortis se comperisse manifesto, et manu tenere diceret. ℙ *Manu occidere* est gladio, in illo *Virg. A.* 9, 702. Tum Meropem, atque Erymantha manu, tum sternit Aphidnum. Ubi *Serv.*, idest gladio cominus: nam illi, de quibus superius dixit, non manu occisi sunt, sed misso jaculo. ℙ *In manu*, et *in manibus* esse dicuntur, quae in nostra sunt potestate. [*Illustrat hoc loquendi genus *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 2, 19.] *Liv.* 39, 18. *med.* Mulieres damnatas cognatis, aut in quorum manu essent, tradebant. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Quam velis eum obligare, in manu tua est. *Cic. Fam.* 14, 2. Haec non sunt in nostra manu. *Tac. H.* 2, 76. Juxta Deos, in tua manu positum est. [*Ita frequenter usurpat hanc vocem Tacitus. V. *Böttich. Lex. Tac.* p. 300.] *Ter. Hec.* 4, 4, 44. Uxor quid faciat, in manu non est mea. *Sall. Cat.* 20, 10. Victoria in manu nobis est. *Id. Jug.* 33. *extr.* In vestra manu situm est, etc. *Liv.* 34, 7. *f.* Vos in manu et tutela mulieres, non in servitio debetis habere. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. Attendere te volo, quae in manibus sunt; et *Virg. G.* 2, 44. primi lege litoris oram: In manibus terrae, *h. e.* in promptu. ℙ *In manibus esse* dicuntur etiam, quae edita sunt, et passim vulgata. *Cic. Amic.* 25. *f.* Sed affuistis: et est in manibus oratio; et *Sen.* 4. Est in manibus laudatio, quam cum legimus, etc. Item ea, circa quae in praesentia laboramus. *Cic. ib.* 11. Septimus mihi Originum liber est in manibus; et *Att.* 13, 47. Omnia, quae in manibus habebam, abjeci: quod jusseras, edolavi. ℙ *Habere in manibus* est etiam fovere, carum habere. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Inimicum meum sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant, sic me praesente osculabantur, ut, etc. ℙ *Ad manum habere*, in manu, in promptu. *Liv.* 9, 19. Adde, quod Romanis ad manum domi supplementum esse. *Quint.* 12, 5. Haec sunt instrumenta oratoris: haec arma habere ad manum, horum scientia debet esse succinctus. *Ad manum venire*, occurrere, venire sub manum, *Quint.* 2, 11. *f.* Sed abrupta quaedam, ut forte ad manum venere, jaculantur; et *Liv.* 38, 21. Quod cuique trepidanti ad manum venisset. ℙ De feris, quae mansuefiunt. *Varr. R. R.* 2, 7. Cum equuli ad manum accedere consuerint. *Quint. decl.* 260. *med.* Animalia, quae venire ad manum, et mansuescere queunt, alere. ℙ De pugnantibus. *Nep. Eum.* 5. Saepe in itineribus vexabatur, neque unquam ad manum accedere licebat. Sic *Cic. Verr.* 2, 5, 11. *f.* Nonnunquam etiam res ad manus, atque ad pugnam veniebat. [**Liv.* 2, 30. ubi ad manum venisset hostis. Pertinet huc etiam locus *Caes. B. G.* 2, 19. *f.* hostes in manibus nostris sunt: ubi *in manibus nostris esse* non signif. in potestate nostra sunt, sed pugnam, proelium cominus faciunt.] ℙ Hoc sensu dicitur etiam venire *in manus. Plin. Pan.* 17. Nec tibi opima defuerint, si quis regum venire in manus audeat. [**Sall. Jug.* 89, 2. In manus venire. *Liv.* 2, 46. Pugna jam in manus, jam ad gladios venerat. *Tac. A.* 2, 80. Ut venere in manus. *Id. H.* 4, 71. Ut ventum in manus; cp. 76. venturosque in manus.] ℙ *Ad manum cantare histrioni*, V. CANTO. *Ad manum intueri aliquid*, cominus, et quasi sumendo in manus id, quod inspicitur. *Plin.* 35, 10, 18. *n.* 18. Apelles absoluta opera atramento illinebat ita tenui, ut, etc. ad manum intuenti demum appareret. Sic *Vitr.* 6, 2. Alia ad manum species esse videtur, alia in excelso. ℙ *Servus ad manum*, amanuensis. *Cic. Or.* 3, 60. Quem servum ille habuit ad manum. Dicitur hic etiam *servus a manu*, ut est ap. *Suet. Caes.* 74. et *Vesp.* 3. et in multis antiq. Inscriptionib. Hinc derivata vox *Amanuensis*, q. V. ℙ *De manu dare*, manu ipsa praebere. *Suet. Tib.* 34. Consueverat et quadruplam strenam, et de manu reddere; et *Lampr. Alex. Sev.* 37. Nam semper de manu sua ministris convivii et panem, et partes olerum, aut carnis dabat. Sic *Cic. Verr.* 2, 4, 10. In quem scyphum de manu jacere conatus est, *h. e.* quem habebat in manu. ℙ Refertur etiam ad sumptum, et impensas. *Colum.* 7, 9. *med.* Suibus saepe de manu dandum est, cum foris deficit pabulum: quod scil. ipsi per se inveniant. Sic *Id.* 9, 1. Qui venationem voluptati suae claudunt, contenti sunt munire vivarium, semperque de manu cibos, et aquam praebere. ℙ *De manu in manum quippiam tradere*, quasi de nostra in alterius manum: quod in iis fit, quae cara sunt, et studiose servamus. *Cic. Fam.* 7, 5. *f.* totum denique hominem tibi ita trado de manu, ut ajunt, in manum tuam istam et victoria et fide praestantem. *Pl. Trin.* 4, 2, 57. Ab ipson' istas accepisti? *Sy.* e manibus dedit mihi ipse in manus. ℙ *E manu* est eminus in illo *Enn.* ap. *Fest.* in *Redhostire:* Quem mea cominus machaera, atque hasta hostivit e manu. Ita enim *Scal.* legit. ℙ *Plena manu*, copiose, large, ample. *Cic. Att.* 2, 25. Quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit! *Tibull.* 1, 6, 32. Janua sed plena est percutienda manu, *h. e.* summa vi pultanda, et validis ictibus. Hinc composita vox *Manuplena*, ae, f. ap. *Pelagon. Veter.* 16. Alii capitulum, rutae manipulum, stercoris asinini manuplenam, omnia conteris. ℙ [*Adscribi poterant hic et aliae ejusdem generis locutiones, ut *Caeca manus*, *docta* et *erudita manus*, et sim., in quibus, quod totius hominis est, partibus ejus tribuitur. Ita *Lucan.* 3, 722. Caeca tela manu — mittit. *Stat. Th.* 6, 717. Lucis egente manu Sic *Sen. ep.* 47. *erudita manus* de scissore ferculorum. *Günther.* 10, 385. Ille vacillantem fluctu jactante carinam Remigio doctaque manu sustentat. Porro *Lucan.* 3, 692. incertasque manus: ubi v. *Cort.*] ℙ *Manibus pedibusque*, omni conatu, omnibus viribus, velis remisque. Graeci dicunt λὰξ καὶ ὁδάξ. *Ter. Andr.* 1, 1, 134. Quem ego credo manibus pedibusque obnixe omnia facturum, ut, etc. ℙ *Per manus*, opera manuum. *Cic. Att.* 1,

12. *f.* P. Clodium per manus servulae servatum et eductum. *Caes. B. G.* 6, 37. Aegre per manus tractus servatur. *Hirt. B. G.* 8, 15. Fasces stramentorum, per manus inter se transditos, ante aciem collocaverunt. Hinc translate *per manus* aliquid traditum esse dicitur, quod non monumentis litterarum, sed verbo tantum a majoribus ad posteros transmittitur: qua ratione sacrorum mysteria olim tradi solebant. *Liv.* 5, 51. Si nobis cum urbe simul positae, traditaeque per manus religiones nullae essent. ℙ *Per manus* interdum est per vim. *Sall. Jug.* 36. Cum intelligetis, aut serviendum esse, aut per manus libertatem retinendam. ℙ *Prae manu*, aut *manibus*. V. PRAE. ℙ *Inter manus*, in manibus. *Virg. A.* 11, 311. Ante oculos, interque manus sunt omnia vestras: *πρόχειρά ἐστι. Cic. Fam.* 8, 3. *extr.* Et *διδασκαλίαν* quandam, ut versetur inter manus, habeat. *Val. Max.* 5, 1. *n.* 6. Locum, qui inter manus est, finiam. Alio sensu *Cic. Verr.* 2, 5, 11. *f.* Ut alius inter manus e convivio auferretur. Sic *Phaedr.* 5, 7. Inter manus sublatus, et multum gemens, Domum refertur. *Pl. Most.* 2, 1, 38. Abripite hunc intro actutum inter manus. *Caes. B. C.* 2, 2. Pedalibus lignis porticus integebatur: atque hac agger inter manus proferebatur, *h. e.* per manus militum comportantium. ℙ *Sub manu*, et *sub manum esse*, prope esse, et ad manum, *ὑπὸ χεῖρα.* [*et *ἐκ χειρός.*] *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. Adjunxi haec in loco eligendo, flumen oppositum ut haberem, Vocontii sub manu ut essent: [**h. e.* parati, si quid vellem, ad manum: nos: *bei der Hand wären.*] et *Suet Aug.* 49. Et quo celerius, ac sub manum annunciari cognoscique posset, quid in provincia quaque gereretur, juvenes modicis intervallis, dehinc vehicula disposuit. [*Hoc loco *sub manum* est prompte, sine mora. V. *B. Crus.*] *Sen. ep.* 71. Consilium sub die nasci debet: et hoc quoque tardum est nimis: sub manu, quod ajunt, sub manu nascatur. [*Nos: *unter der Hand.* Cf. *Gron.* ad h. l.] ℙ *Sub manus succedere*, feliciter evenire, ex sententia contingere. *Bl. Mil.* 3, 2. *f.* Lepide hoc succedit sub manus negotium. *Id. Pers.* 4, 1, 1. Si quam rem accures sobrie ac frugaliter, Solet illa recte sub manus succedere. ℙ *Hoc numerosas manus poscit*, h. e. multorum operam. *Plin. ep.* 9, 37. ℙ *Manu facere aliquid* refertur ad ea, quae artis sunt, industriae, et virium; et opponitur iis, quae natura et sponte sua eveniunt. *Caes. B. C.* 3, 44. Multa erant inter eum locum manu sata, *h. e.* frumenta, ut constat ex *c.* 58. et opponuntur herbis sponte nascentibus. *Sen. ep.* 89. *f.* Nec contenti solo, nisi quod manu feceritis, maria agetis introrsus, *Plin.* 18, 1, 1. Ne iis quidem venenis, quae nascuntur, contenti: quando plura eorum genera humana manu fiunt. Sic *Cic. Verr.* 2, 2, 2. Urbs cum manu munitissima, tum loci natura; et *Sen. ep.* 52. *med.* Quaedam ingenia facilia et expedita: quaedam manu quod ajunt; facienda sunt; et *Consol. ad Marc.* 19. Quidam liberos ejurant, et orbitatem manu faciunt, *h. e.* ipsi sibi parant. *Virg. A.* 6, 434. qui sibi letum Insontes peperere manu. *Sil.* 2, 705. Optabis cecidisse manu, *h. e.* morte ab alio illata. *Sen. Br. V.* 3. Morbi, quos manu fecimus, *h. e.* ipsi intemperanter vivendo arcessivimus. Sic *pestilentia manu facta*, h. e. venenis, et fraude illata, *Id. Ira* 2, 8. *f.* Hujus generis sunt et illa *Statii Th.* 1, 176. Partiti versant populorum fata, manuque Fortunam fecere levem, *h. e.* ultro ipsi reddidere sibi levem fortunam. *Sen. Ira* 3, 11. *extr.* Magna pars querelas manu fecit, aut falsa suspicando, aut levia aggravando, *h. e.* causas querendi, et irascendi; et *Ben.* 6, 41. Occasiones reddendorum observare, non manu facere. V. alia in MANUFACTUS. ℙ Refertur ad orationem. *Quint.* 5, 14. Ut ea nasci, et ipsa provenire natura, non manu facta, et arte suscepta magistrum fateri ubique videantur. *Sen. ep.* 115. Oratio vultus animi est: si circumtonsa est, et fucata, et manu facta, ostendit, illum quoque non esse sincerum. ℙ *Manu mederi* est chirurgiae. *Cels. praef. l.* 1. In tres partes medicina diducta est: ut una esset, quae victu; altera quae medicamentis; tertia quae manu mederetur: *χειρουργικὴν* Graeci nominaverunt. ℙ *Manu capere urbes*, h. e. bello et armis. *Sall. Jug.* 5. Populus R. quascumque urbes et agros manu ceperat, regi dono dedit. Sic *ib.* 61. Romani murum modo suffodere, modo scalis aggredi, cupere proelium manibus facere, *h. e.* cominus manus conserere. ℙ *Manibus aequis*, aequali sorte, aequo Marte. *Tac. A.* 1, 63. Caesar productas legiones instruxit: manibus aequis abscessum est. [**Sall. Cat.* 39. Aequa manu discedere: ubi v. *Cort. Liv.* 27, 13. Nempe aequis manibus hesterno die diremistis pugnam.] ℙ *Manus afferre*, et *inferre* est vim inferre, et ad necem vulnerare. V. AFFERO et INFERO. Translate. *Sen. Ben.* 2, 5. *med.* Qui aut diutius torqueri patitur, quem protinus potest liberare, aut gaudere tardius, beneficio suo manus affert, *h. e.* perdit, destruit. ℙ *Manus conserere.* V. CONSERO, crui. ℙ *Adire.* V. ADEO. ℙ *Injicere.* V. INJICIO et INJECTIO. [*Translate. *Cic. Rosc. Com.* 16. Ipsa mihi veritas manum injecit, et paulisper consistere et commorari cogit.] ℙ *Convenire in manum.* V. CONVENIO. ℙ *Manum dare*, praebere auxilii causa. *Quint.* 2, 3. *med.* Ut si velocissimus quisque, si forte iter cum parvulo faciat, det manum, et gradum suum minuat. *Ov. Trist.* 3, 1, 2. Da placidam fesso, lector amice, manum. ℙ *Manus dare*, et *dedere* est concedentis, aut se victum fatentis. *Nep. Amilc.* 1. *med.* Romanos armis persequi, donicum aut certe vicissent, aut victi manum dedissent. *Pl. Pers.* 5, 2, 72. fateor, manus vobis do. *Ov. Fast.* 3, 688. Evictas precibus vix dedit illa manus. *Id. Her.* 4, 14. dabit victas ferreus ille manus. *Virg. A.* 11, 568. neque ipse manus feritate dedisset. *Lucr.* 2, 1041. et si tibi vera videntur, Dede manus: aut si falsa est, accingere contra. Adde *Caes. B. G.* 5, 31. et *Cic. Att.* 2, 22. *med.* ℙ *Manum tollere* interdum idem valet. *Cic. fr.* ap. *Lact.* 3, 28. Cedo, et tollo manum. ℙ Interdum est admirantis, et in re, quae opportune admodum acciderit, veluti gratias Diis agentis. *Cic. Fam.* 7, 5. Sustulimus manus ego, et Balbus. *Id Acad.* 4, 19. Hortensius vehementer admirans, quod quidem perpetuo, Lucullo loquente, fecerat, ut etiam manus saepe tolleret. *Catull.* 53, 4. Admirans ait haec, manusque tollens. ℙ *Manus tendere* est opem poscentis, et supplicis. *Caes. B. G.* 2, 13. Manus ad Caesarem tendere. *Virg. A.* 3, 177. tendoque supinas Ad coelum cum voce manus. *Cic. Font.* 17. Tendit ad vos Vestalis manus supplices, easdem, quas pro vobis Diis immortalibus tendere consuevit. *Id. Cat.* 4, 9. Vobis supplex manus tendit patria communis. *Quint.* 6, 1. *med.* Tendit ad genua vestra supplices manus. ℙ Interdum *manus* refertur ad artem, et ad laborem artificis. *Quint.* 5, 11. Marmora deformata prima manu. *Cic. Brut.* 33. Manus extrema non accessit ejus operibus: praeclare inchoata multa, perfecta non plane. *Ov. A. Am.* 3, 225. Tu quoque dum coleris, nos te dormire putemus: Aptius a summa conspiciare manu, *h. e.* postquam ornatui tuo extremam manum imposueris. *Petr. Sat.* 118. *extr.* Carmen nondum recepit ultimam manum. *Sen. ep.* 12. Potatio extrema, quae ebrietate summam manum imponit. *Virg. A.* 7, 572. extremam Saturnia bello Imponit regina manum. Ubi *Serv.:* est translatio a pictura, quam manus complet, atque ornat extrema. ℙ Et ad jactum talorum in ludo. [*Ita *Gesner.* At signif., ut recte etiam *F.* interpretatus est, *manus* h. l. pecuniam post damnosum jactum in medium collatam, nostr. *Sätze*, *Gall. la bête.*] *Aug.* in *ep.* ap. *Suet. Aug.* 71. Nam si, quas manus remisi cuique, exegissem, aut retinuissem, quod cuique donavi, vicissem vel quinquaginta millia. [*Imperocchè se io avessi voluto tirar da ognuno quelle poste che io vinceva, o ritenutomi quelle che ho donate a ciascuno, ne avrei vinto più di cinquanta mille. F.*] ℙ Et ad locum. *Ter. Ad.* 4, 2, 31. Est ad hanc manum sacellum. Hac ratione dicimus *ad dexteram*, *ad sinistram.* ℙ In re gladiatoria est ictus, petitio. *Quint.* 9, 1, 20. In armorum certamine adversos ictus, et rectas ac simplices manus cum videre, tum etiam cavere ac propulsare facile est: aversae tectaeque minus sunt observabiles: et aliud ostendisse, quam petas, artis est. *Id.* 5, 13, 54. *f.* Ut gladiatorum manus, quae secundae vocantur, fiunt et tertiae, si prima ad evocandum adversarii ictum prolata erat: et quartae, si geminata captatio est, ut bis cavere, bis repetere oportuerit. [*V. *Spald.* ad h. l.] ℙ In illo *Virg. A.* 6, 683. recensebat Fataque, fortunasque virum, moresque, manusque: *manus* sunt res gestae, manu et virtute factae. ℙ Est etiam *manus* scribendi ratio, quae cuique propria est. *Cic. Att.* 8, 13. Lippitudinis meae signum tibi sit librarii manus; et *ib.* 16, 15. Noli putare, pigritia facere me, quod non mea manu scribam; et *Q. Fr.* 3, 1, 26. Haec inter coenam Tironi dictavi, ne mirere, alia manu esse. [*V. *Schütz. Cl. Cic.* s. h. v.] *Modest. Dig.* 22, 3, 15. Propter emissam ab eis manum. [*Laud. *Spald.* ad *Quint. Inst.* 1, 7, 20. *Polluc.* 2, 152. *Τπερίδης – τὸ ὑπὸ τῶν πολλῶν ὀνομαζόμενον χειρόγραφον χεῖρα ὠνόμασεν.*] ℙ Item pingendi, et sculpendi. *Petr. Sat.* 83. Zeuxidos manus vidi, nondum vetustatis injuria victas, *h. e.* picturas Zeuxidis adhuc intactas. *Mart.* 4, 39. Praxitelis manus, Scopaeque. ℙ Et universim quodcumque opus artificis. *Stat. Silv.* 1, 3, 47. Vidi artes, veterumque manus, variisque metalla Viva modis. *Id. Th.* 8, 305. Prometheasque manus. *Virg. A.* 1, 459. Artificumque manus miratur. ℙ Transfertur etiam ad significandam multitudinem hominum, praesertim militum. [*Gr. *πλῆθος.*] *Cic. Att.* 16, 11. *med.* Romam veniet cum magna manu. *Id. Fam.* 15, 4. Evocatorum firmam manum comparavi. *Id. Q. Fr.* 2, 3. *med.* Operas suas Clodius confirmat: manus ad Quirinalia paratur. *Id. Caecin.* 12. Manum facere, copias parare, multitudinem hominum cogere, armare, instruere. *Caes. B. G.* 1, 37. Si nova manus cum veteribus copiis se conjunxisset; et *ib.* 5, 27. Magnam manum conducere. *Liv.* 30, 7. *f.* Asdrubalem propediem affore cum manu haudquaquam contemnenda. [*Adde 44, 27. Quae manus — traducta — — agros nudare populando potuit: ante: *viginti millia.* Cf. 34, 22. ibique *annotatt. Kreyss.*] *Cic. Q. Fr.* 1, 2. *f.* Nostra antiqua manus bonorum ardet studio nostri atque amore. *Stat. Silv.* 5, 3, 262. Manus comitum. [**Liv.* 42, 51. Cum purpuratorum et satellitum manu. *Suet. Tib.* 1. Cum magna clientium manu. Cf. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 1. p. 136. sq. ed. *Frotsch.*] ℙ Item manicam ferream, harpagonem, quo utebantur praecipue in proeliis navalibus ad capiendas tenendasque hostiles naves. Ejus inventionem *Plin.* 7, 56, 57. *f.* tribuit Pericli Atheniensi: primum vero Romanorum usum fuisse C. Duilium primo bello Punico, *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 38. tradit. *Caes. B. C.* 1, 57. Manus ferreas, atque harpagones paraverant. *Lucan.* 3, 635. Ferrea dum puppi rapidos manus inserit uncos. *Liv.* 36, 44. *f.* Ferreas manus in advenientes hostium naves injicere. ℙ Transfertur ad bruta animalia. *Plin.* 8, 36, 54. Invalidissimum urso caput: ideo urgente vi, praecipitaturi se ex aliqua rupe, manibus eo operto jaciuntur, *h. e.* pedibus anterioribus, quos habent instar manus. *Cic. N. D.* 2, 47. *extr.* Manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habent ad pastum. *Curt.* 8, 14. de iisdem: Cum manu arma virosque corriperent, et super se regentibus traderent. Adde *Sil.* 9, 628. ℙ *Manus fraxineae* ap. *Pall. insit.* 60. sunt rami. Sic *Stat. Silv.* 2, 3, 39. *platanus*, cui larga propago, Innumeraeque manus, et iturus in aethera vertex. *Brachia* eadem metaphora arboribus tribuunt *Virg.*, *Colum.*, *Plin.* V. BRACHIUM. ℙ *Manus manum lavat* proverb. alter alteri opitulatur. *Sen. Apocol. med.* Si quid volueris, invicem faciam: manus manum lavat. ℙ *Naturale est*, *manum saepius ad id referre*, *quod dolet*, libenter, et saepe de iis loquimur, quae magnae nobis curae sunt. *Sen. Consol. ad Helv. f.* ℙ *Manum non verterim* proverbialis hyperbole, cum significamus, ne minimum quidem laborem susceпturos, ut quippiam, quod nihili facimus, acquiramus. *Cic. Fin.* 5, 31. Qui se fatentur virtutis causa ne manum quidem versuros fuisse. *Appul. Apol.* Quid de me Mezentius sentiat, manum non verterim: *ciccum non interduim* dixit *Pl. Rud.* 2, 7, 22. ℙ *Manum et mentum* proverb. ex Graeco dictum, quod est *πολλὰ μεταξὺ πέλει κύλικος, καὶ χείλεος ἄκρου*, *h. e.* inter os et offam multa cadunt (ut ajebat *Cato* ap. *Gell.* 13, 17.) *Festus.* ℙ *Manum* de re turpi quidam accipiunt ap. *Pl. Ps.* 3, 1, 18. et ap. *Claud. in Eutr.* 1, 367. ℙ *Manu* pro *manui*, ut *victu*, *concubitu*, *portu*, etc. *Prop.* 1, 11, 12. Alternae facilis cedere lympha manu; et 2, 1, 68. Tantaleae poterit tradere poma manu.

MĀNUS, adj. bonus. V. in CERUS, et MANE.

[MĀNUTERGĬUM, ii, n. mantile. *Isid. Orig.* 19, 26. Manutergium a tergendo manus vocatur. *F.*]

MĀNŪTĬGĬUM, ii, n. mollis frictio, quae fit suspensa manu, *χειραψία. Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *med.* Manutigio oculos relevare velle videtur.

*MANUTĬUS, i, m. Qui longas habet manus. *Gloss. Isid. B. A.*

MANZER, ĕris, adj. comm. gen. spurius, de scorto natus: est ab Hebr. מַמְזֵר *mamzèr*, spurius. *Sedul. carm.* 5, 256. Manzeribus populis in deterioria volutis. *Venant. carm.* 5, 5, 75. Christicolae ut cernunt tunc agmina manzera jungi. | Hinc *Vulg. interpr. Deuter.* 23, 2. Non ingredietur manzer, hoc est de scorto natus, in Ecclesiam Domini. *F.*]

MĂPĀLĬA, ium, n. plur. *καλύβαι*, idem ac magalia, idest, casae agrestium, Punica lingua. *Virg. G.* 3, 340. et raris habitata mapalia tectis. *Liv.* 29, 31. Familiae aliquot cum mapalibus pecoribusque suis prosecutae sunt regem. *Cato* ap. *Fest.* Mapalia vocantur, ubi habitant: eae quasi cohortes rotundae sunt. *Sall. Jug.* 21. Aedificia Numidarum agrestium, quae mapalia illi vocant, oblonga, incurvis lateribus tecta, quasi navium carinae sunt. *Hieron. in prol. Amos.* Agrestes quidem casas, et furnorum similes, quas Afri appellant mapalia. *Liv.* 30, 3. Hibernacula Carthaginiensium, congesta temere ex agris materia exaedificata, lignea ferme tota erant. Numidae praecipue arundine textis, storeaque pars maxima tectis, passim nullo ordine, quidam extra fossam etiam vallumque habitabant. *Id. ib.* 5. eadem *casas* vocat. *Sil.* 17, 88. Castra levi calamo, cannaque intexta palustri, Qualia Maurus amat dispersa mapalia pastor, Aggreditur, etc. V. plura huc pertinentia, ap. *Tzschuck.* adnotat. ad *Melam* 1, 8. ℙ Addit *Festus*, mapalia dici de iis, qui inordinate vivunt. Mapalia, inquit, casae Punicae appellantur; in quibus quia nihil est secreti, solet solute viventibus id vocabulum objici. Hinc *Sen. Apocol. med.* Ego, Patres conscripti, vobis interrogare permiseram: vos mera mapalia fecistis: volo servetis disciplinam curiae, *h. e.* vos, neglecta hujus curiae disciplina et dignitate, ex civitate rus fecistis. ℙ In sing. num. *Val. Fl.* 2, 460. coit e sparso concita mapali Agrestum manus. ℙ Inter *mapalia*, et *magalia* volunt quidam esse discrimen, ut illa sint casae

mobiles, quae a Numidis pastoribus circumferebantur, prout pascendi ratio postulabat: haec vero stabiles, ex quibus etiam vici, atque oppida muris cincta constituta sint. ℙ Illud certum est *mapalia* primam corripere, *magalia* producere.

MAPPA, ae, f. ὀθόνη, linteum, quo manuum atque oris sordes in mensa abstergimus. *Hor. Sat.* 2, 8, 63. Varius mappa compescere risum Vix poterat. *Petr. Sat.* 32. Circa oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam, [*h. e.* mappam clavatam, seu variegatam orbiculis, flosculis, aut stellulis, Itali dicunt *tessuta a opera*, vulgo nostrates *intovagiata*, Latini olim *tabulata*. *F.*] Hinc *Mart.* 4, 46. Et lato variata mappa clavo. V. LACULATUS. *Id.* 12, 29. Attulerat mappam nemo, dum furta timentur. V. MANTELE. ℙ Est vox Punica. *Quint.* 1, 5. *med.* Mappam, usitatum circo nomen, Poeni sibi vindicant. Quo loco respicit ad veterum morem, apud quos jam inde a Neronis tempore in circensibus editor mappae projectione signum dabat. [*V. *Spalding.* ad h. l.] *Suet. Ner.* 22. Aliquo liberto mittente mappam, unde magistratus solent. *Juven.* 11, 191. Interea Megalesiacae spectacula mappae. *Mart.* 12, 29. Cretatam praetor cum vellet mittere mappam. *Tert. Spectac.* 16. Deinde ad signum anxii pendent, unius dementiae una vox est: Misit, dicunt, et nunciant invicem, quod simul ab omnibus visum est. Teneo testimonium caecitatis, non vident missum quid sit, mappam putant. ℙ Mittendae mappae originem sic tradit *Cassiod. Variar.* 3, 51. Mappa, quae signum dare videtur circensibus, tali casu fluxit in morem. Cum Nero prandium protenderet, et celeritatem, ut assolet, avidus spectandi populus flagitaret, ille mappam, qua tergendis manibus utebatur, jussit abjici per fenestram, ut libertatem daret certaminis postulati. Hinc tractum est, ut, ostensa mappa, certa videatur esse promissio circensium futurorum. Haec *Cassiod.* Ceterum mos fuit multo antiquior, ut magistratus committendorum ludorum signum daret, sive mappa, sive alia re quapiam. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. Exspectant, veluti consul cum mittere signum Vult, omnes avidi spectant ad carceris oras, Quam mox emittat pictis e faucibu' currus. V. et *Liv.* 8, 40. et 45, 1. ℙ Aliam mappae notionem V. in LINTEUS. ℙ *A mappis* videtur fuisse officium servile in domo Augusta. *Inscr.* in *Nov. lett. di Firenze ann.* 1772. p. 694. D. M. Flaviae Grapt*ae* Imp. Aug. Dom. . . . mappis, etc. Videtur haec ita appellata fuisse, quod mappas custodiret, sive illae essent mappae circenses, sive potius lintea, quibus manuum atque oris sordes in mensa abstergebantur, vel quibus lotae manus siccari solebant, quaeque Graecis dicuntur χειρόμακτρα.

MAPPŬLA, ae, f. parva mappa, linteolum. *Hieron. ep.* 108. *n.* 28. Ipsa *(morientis)* assidere lectulo, flabellum tenere, aquam calidam temperare, mappulam apponere. Alii leg. *matulam.*

*MARACANDA, orum, n. urbs Asiae ulterioris, ultra mare Caspium, Sogdianae caput. *Curt.* 7, 6. et 9. *B. A.*

*MARĂCES, um, populi Aetoliae. *Plin.* 4, 2. *B. A.*

*MARANE, es, f. urbs Arabiae Felicis, ad mare rubrum, in Sabaeorum terra. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*MARATHE, es, f. Μαράθη, insula prope Corcyram. *Plin.* 4, 12. ubi *Harduinus* legerit *Marathusa.* ℙ V. v. sq. *B. A.*

MĂRATHĒNUS, a, um, adj. ad Marathen pertinens, ut Menelaus Marathenus, ap. *Cic. Brut.* 26. Est autem Marathe insula prope Corcyram, teste *Plin.* 4, 12, 19.

*MARATHESĬUM, i, n. *Μαραθήσιον*, Ioniae urbs, olim Ephesiorum. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

MĂRATHON, onis, f. *Μαραθών*, opp. Atticae, nunc parvus vicus, et ager inter Athenas, et oram litoream ad Or., ita appellatus propter copiam foeniculi, quam gignit; Graece enim μάραθον et μάραθρον est foeniculum. Celebre fuit morte Icari regis interfecti, victoria Thesei tauro Marathonio superato, et Miltiadis gloria, qui ibi centum millia ex Darii Persarum regis exercitu profligavit, ut *Just.* 2, 4. narrat. *Ov. Met.* 7, 433. te, maxime Theseu, Mirata est Marathon Cretaei sanguine tauri. Adde *Plin.* 35, 8, 34., *Mel.* 2, 3. et *Nep. Milt.* 4. et 5. ℙ Masculino gen. *Mela l. c.* Marathon Persica clade pernotus*:* *nempe* subintelligitur δῆμος, seu τόπος, alibi vero, ubi femin. genere est, πόλις. [*Hodie priscum nomen servat, sed paucas modo domos hortosque conplectitur.]

MĂRATHONIS, idis, f. *Μαραθωνίς*, Marathonia. *Stat. Th.* 12, 730. quercum Marathonida Theseus Extulit, *h. e.* hastam, qua Marathonio in agro contra taurum pugnaverat: vel simpliciter e silva Marathonia. *Id. ib.* 11, 644. qualis Marathonide silva Flebilis Erigone, etc. Adde *Sidon. carm.* 5, 193.

MĂRATHONĬUS, a, um, adj. *Μαραθώνιος*, ad Marathonem spectans, ut *Marathonius taurus*, qui apud Marathonem a Theseo interfectus est, quem aliqui dicunt taurum esse amatum a Pasiphae, ab Hercule ex Creta abactum in agrum Marathonium. Sed taurum Pasiphaes Theseus in labyrintho interfecit. *Cic. Tusc.* 4, 22. An etiam Theseus Marathonii tauri cornua comprehendit iratus? *Id. Att.* 9, 10. Marathonia pugna. *Nep. Them.* 5. Marathonium tropaeum. V. *Just.* 2, 9. ℙ Sumitur et pro Atheniensi. *Stat. Silv.* 5, 3, 74. nec enim Marathonia virgo Parcius exstinctum saevorum crimine agrestum Fleverit Icarium, *h. e.* Erigone. (Adde *Th.* 12, 196.) *Sil.* 14. de Syracusis loquens, 650. Armaque fixa Deis, aut quae Marathonius hostis Perdidit, aut Libya quae sunt advecta subacta. V. *Just.* 4, 4. et 5., ubi de clade Atheniensium in Sicilia.

*MARATHOS vel Marathus, i, *Μάραθος*, Syriae oppidum, in Phoenicia, in Seleucidis confinio, e regione Aradi insulae. *Mela* 1, 12. *Plin.* 5, 20. *Curt.* 4, 1. *B. A.*

MĂRATHRĪTES, ae, m. *μαραθρίτης*, marathrum infusum habens. *Colum.* 12, 35. Vinum absinthiten, et hyssopiten, et marathriten sic condire oportet. V. ABROTONITES.

MĂRATHRUM, i, n. *μάραθρον*, appellatio Graeca ejus herbae, quae Latine *foeniculum* dicitur. *Plin.* 8, 27, 41. Anguis visu obscurato marathro herbae sese affricans, oculos inungit, ac refovet. Adde 30, 4, 9. *Ov. de medic. fac.* 91. Profuit et marathrum: bene olentibus addere myrrhis. Alii leg. *marathos.*

[MĂRATHUS, i, m. nomen pueri a *Tibullo* adamati, de quo ille 1, 9, 49. Neu Marathum torque: puero quae gloria victo? ℙ Est etiam cogn. liberti, qui de rebus gestis Augusti scripsit. *Suet. Aug.* 79. et 94. hujus C. Julii Marathi meminit. *F.*] ℙ *Item oppidi nomen. V. *Marathos.* ℙ *Marathus, untis*, Syriae urbs. *Plin.* 12, 25. *B. A.*

*MARATHUS, untis. V. v. praec. *B. A.*

*MARATHUSA, ae, f. Cretae oppidum. *Mela* 2, 7. *Plin.* 4, 12. ℙ Item insula maris Aegaei, *Marathussa* appellata a *Plin.* 5, 31. *Μαράθουσα* est *Thucyd.* 8, 31. V. *Marathe. B. A.*

*MARATHUSSA. V. *Marathusa. B. A.*

*MARATIĀNI, orum, m. populi Asiae ulterioris, Indis vicini. *Plin.* 6, 18. *B. A.*

*MARAZANĬA, ae, Africae propriae oppidum, in Byzacena. *Anton. Itin. B. A.*

MARCELLĒA, orum, n. plur. festum Syracusanorum, in memoriam M. Claudii Marcelli, qui eos ab rebellibus liberayerat. *Cic. Verr.* 2, 2, 21. et 63.

MARCELLĬĀNUS, a, um, adj. ad Marcellum aliquem pertinens. Marcellianum theatrum, ap. *Suet. Vesp.* 19. est quod exstruxit Augustus, et a nomine Marcelli filii Octaviae sororis suae, quem sibi adoptaverat, nominavit: de quo *Id. Aug.* 29. et *Serv.* ad *A.* 6, 862.

MARCELLUS, i, m. cogn. familiae Romanae illustris, ex qua multi clarissimi viri exstitere. *Plutarch.* in *Marcell.* Marcellum interpretatur bellicosum, idest quasi Martialem; κληθῆναι πρῶτον Μάρκελλον, ὅπερ ἐστὶν ἀρήϊον, ὡς φησιν Ποσειδώνιος. V. MARCUS. Sed aliis videtur, esse diminutivum *Marculi*, quod V.

MARCENS, entis, part. a *marceo*, flaccidus, vietus, putrescenti similis. *Claud. Epithal. Pall. et Celer.* 96. marcentes cupio quassare coronas. *Lucan.* 6, 646. Marcentes tenebrae, *h. e.* situ et putrido aere obsitae. [*V. *Cort.* ad h. l.] *Mart.* 5, 78. Mensae munera si voles secundae, Marcentes tibi porrigentur uvae, *h. e.* passae. ℙ Item marcore plenus, marcidus, languidus, confectus. *Stat. Th.* 2, 630. fratris moribunda levabat Membra solo Periphas, laeva marcentia colla Sustentans, dextraque latus. *Ov. Met.* 7, 314. de sene: marcentia guttura cultro Fodit. Sic *Sil.* 15, 746. senex marcentibus annis. *Sen. Agam.* 788. Jam recipit diem marcente visu. *Suet. Cal.* 58. Marcente adhuc stomacho pridiani cibi onere. ℙ Dicitur saepe de crapula onusto, atque ebrio. *Hor. Sat.* 2, 4, 58. Tostis marcentem squillis recreabis, et Afra Potorem cochlea. *Petr. Sat.* 22. Ancillae super torum marcentis caput fregit. *Tac. H.* 3, 36. Vitellius deses et marcens. *Sen. Med.* 112. Candida thyrsigeri proles generosa Lyaei, Excute solemnem digitis marcentibus ignem. *Stat. Silv.* 4, 6, 56. Marcentia pocula, *h. e.* quae marcentes faciunt: metonymia. ℙ Transfertur ad animum. *Just.* 34, 2. Quotidiana luxuria ita marcens, ut etiam sensu hominis, nimia sagina, careret. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 3. Apud Athenienses inertia e latebris suis, languore marcens, in forum, perinde ac delictum aliquod, protrahitur. *Tac. G.* 36. Nimiam ac marcentem diu pacem illacessiti nutrierunt. *Sen. ep.* 89. *med.* Mores compesce, marcentia in te excita, soluta constringe, contumacia doma. ℙ *Comparat. *marcentior* habes ap. *Jul. Valer. rer. gest. Alex. M.* 3, 18. *extr.* ed. *A. Maio. B. A.*

MARCĔO, es, cui, n. 2. *εὐρωτιάω, σαπρίζω*, flaccidus, aut vietus sum, torpeo, langueo: et videtur proprie dici de iis, quae vetera sunt, et proxime ad putredinem accedunt: nam antequam plane putrescant, vigorem ac vim amittunt. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 244. cervix redimita jacebat, Et caligantes marcebant fronte coronae. *Stat. Silv.* 5, 5, 29. en taxea marcet Silva comis. *Lucr.* 3, 960. annis corpus jam marcet, et artus Confecti languent. *Ov. Amor.* 1, 14, 41. Cur ego plectar amans, si vir tibi marcet ab annis? ℙ Saepe de iis dicitur, qui somno, aut crapula graves fiunt: et saepe etiam transfertur ad animum. *Liv.* 23, 45. Marcent luxuria, vino, et epulis per totam hiemem confecti. *Claud. in Eutr.* 2, 44. Dum gravibus marcent epulis. *Stat. Th.* 8, 220. ipsaeque ad moenia marcent Excubiae, *h. e.* ebrietate et sopore languent. Sic *Petr. Sat.* 22. Alii parietibus appliciti, quidam in ipso limine conjunctis marcebant capitibus. *Just.* 30, 1. Otio ac desidia corrupti marcebant. *Curt.* 4, 13. Non somno quiescere, sed pavore marcere credebant. *Vell.* 2, 84. Vigebant in hac parte miles, et imperator: illa marcebant omnia. *Cels.* 2, 2. *med.* Si marcet animus: si loqui, et moveri piget: si corpus torpet. *Claud. Laud. Seren.* 226. nec deside cura Segnis marcet amor; et *Nupt. Honor. et Mar.* 205. quocumque vocaverit usus, Divisa properate manu, neu marceat ulla Segnities. *Nemes. Ecl.* 1, 60. Nec segnem passus nobis marcere juventam. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 17. Marcentem jam cupiditatis meae flammam spei bonae flatibus excitasti, *h. e.* paene exstinctam. ℙ Praeter. *marcui* firmatur ex composito *emarcui.* ℙ Part. *Marcens* V. in v. praec.

[MARCĔRO, as, a. 1. marcidum reddo. *Not. Tir.* p. 183. Marcet, marcescit, marcerat, marcescibilis. *F.*]

[MARCESCĬBĬLIS, e, adj. qui marcescere potest. V. v. praec. *F.*]

MARCESCO, is, n. 3. *μαραίνομαι*, flaccesco, vigorem amitto, ad putrefactionem accedo, putresco. *Plin.* 21, 1, 1. Quae spectatissime florent, celerrime marcescunt. *Id.* 10, 48, 68. Corpus occisae avis statim marcescit. *Id.* 16, 40, 79. Fagus et cerrus celeriter marcescunt. (Adde *Vitr.* 2, 9. *med.*) *Id.* 25, 8, 50. Chelidonia floret adventu hirundinum, discessu marcescit. *Id.* 17, 26, 39. Ficus arbor riguis alitur: pomum ejus marcescit. *Theophrast.* hac ipsa de re verba faciens, non putrescere ficus, sed deteriores nasci ait: *συκῆ δὲ εὐβλαστοτέρα μὲν ὑδρευομένη, τὸν δὲ καρπὸν ἴσχει χείρονα.* De colore *Plin.* 37, 9, 41. Ille emicans in amethysto fulgor violaceus, dilutus est in hyacintho: adeoque non implet oculos, ut paene non attingat, marcescens celerius nominis sui flore, *h. e.* evanescens, intermoriens. ℙ Translate est languescere, infirmum fieri. *Colum.* 7, 7. Alia genera pecorum, cum pestilentia vexantur, prius morbo et languoribus marcescunt: solae capellae subito concidunt. *Plin.* 22, 22, 38. Marcescentes senio vires excitare. ℙ De iis, qui crapula languescunt. *Ov. Pont.* 1, 5, 45. Nec juvat in lucem nimio marcescere vino. ℙ Transfertur ad animum. *Id. ib.* 2, 9, 61. Ne tua marcescant per inertes otia somnos, Lucida Pieria tendis in astra via. *Liv.* 28, 35. Equitem marcescere desidia.

*MARCHADAE, arum, m. gens oppidumve prope sinum Arabicum. *Plin.* 6, 29. Fuit et Cambysu (*oppidum*) inter Nelos et Marchadas. *B. A.*

*MARCHUBĬI, orum, populi Mauretaniae Caesariensis, Numidiae vicini. *Plin.* 5, 4. *B. A.*

MARCIA Aqua. V. MARCIUS.

*MARCIANOPŎLIS, is, oppidum Moesiae inferioris. *Trebell. Poll.* in *Claud.* 9. et *Tab. Peut.* ℙ Nomen habet a Marciana Caesaris Trajani sorore. *Ammian.* 27, 9. p. 364. ed. *Lindenbrog.* ℙ Scribitur et *Martianopolis. B. A.*

MARCIĀNUS, a, um, adj. ad Marcium pertinens, quod est nomen proprium Latini hominis. *Marciana carmina*, quae laudat *Liv.* 25, 12., dicta sunt a quodam Cn. Marcio, illustri vate, magnaeque apud Romanos fidei: de quo *Liv. ib.*, *Fest.* in *Negumate*, *Cic. Div.* 1, 50., *Plin.* 7, 33, 33. et *Macr. Sat.* 1, 17. Immo duos fratres hoc nomine fuisse, nobili loco natos, et divinandi vi praeditos, legimus ap. *Cic. Div.* 1, 40. et *ib.* 2, 55. et *Serv.* ad *A.* 6, 70. et 72. Horum carminibus moti Romani Apollinares ludos instituerunt. V. *Liv. l. c.* ℙ *Marciani sodales* fuerunt sacerdotes instituti in honorem M. Aurelii Antonini Aug. post ejus mortem, qui et *Marciani Aureliani* sunt appellati. *Capitol. Pertin.* 15. Marciani sodales, qui Divi Marci sacra curabant, Helviani sunt dicti propter Helvium Pertinacem. *Spart. Sever.* 7. Addito flamine, et sodalibus Helvianis, qui Marciani fuerant. *Inscr.* ap. *Grut.* 379, 7. C. Caerellio Fufidio sodali Marciano Aureliano, Commodiano, Helviano, Severiano. ℙ *Marcianus* fuit etiam cogn. a *Marcus* item cognomine derivatum. *Inscr.* ap. *Grut.* 372, 4. L. Aurelio Marciano Aug. Lib. Marcus Aug. Lib. pater, *h. e.* L. Aurelius Marcus. V. MARCUS. ℙ *Marcianum foedus*, a Marcio percussum. *Cic. Balb.* 17. ℙ *Sylva Marciana*, in Germania, hodie *Schwarzwald. Ammian.* 21, 8. (al. 15.) et *Tab. Peut.* ℙ Fuit et *Marcianus, i*, nomen proprium virorum Romanum, ut Tullius Marcianus, qui videtur cum Cicerone filio Athenis fuisse. *Cic. Att.* 12, 17. et 53. *B. A.*

*MARCĬDO, as, n. 1. *Gloss. Vet.* Marcidat, τήκει, τήκεται. *B. A.*

MARCĬDŬLUS, a, um, adj. dimin. marcidi. *Capell.* 7, 236. Tunc Voluptas marcidulis decenter paeta luminibus Majugenam conspĭcatur.

MARCĬDUS, a, um, adj. σαπρός, ῥωλος, marcens, flaccidus, vigore carens, putrefactus. *Vitr.* 2, 8. *f.* Asseres vetustate marcidi fiunt. *Ov. Met.* 10, 190. Ut si quis violas, riguove papaver in horto, Liliaque infringat, fulvis haerentia virgis; Marcida demittant subito caput illa gravatum, Nec se sustineant. *Plin.* 11, 37, 50. Aures in equis indicia animi praeferunt: fessis marcidae, micantes pavidis, subrectae furentibus, resolutae aegris. *Id. prooem.* 23. *med.* Omphacium confert cicatricibus marcidis, ossibus purulente limosis. *Val. Max.* 6, 9. *n.* 5. *extr.* de cruci affixo: Putres artus, et tabido cruore manantia membra, et laeva situ marcida. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 280. Stagnaque tranquillae potantes marcida Lethes. *Id. B. Gild.* 444. Umbratus dux ipse rosis, et marcidus ibit Unguentis. ℙ Item languens, infirmus, fractus viribus, praesertim vino, et somno. *Sen. Med.* 69. Huc incede gradu marcidus ebrio. *Stat. Th.* 4, 652. Marcidus Liber. *Plin. Pan.* 63. Alii marcidi somno, hesternaque coena redundantes. *Val. Max.* 7, 7. *n.* 4. *extr.* Marcida senectus. [*Tac. A.* 6, 4. Somno aut libidinosis vigiliis marcidus.] *Apul. Met.* 3. Oculi libidine marcidi. [*V. quae disputat de h. v. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 7. p. 156. sq. ed. *Frotsch.* ubi etiam *vina marcida.* (Al. frustra leg. *Massica*, aut *Marsica*) ap. *Stat.* 1, 6, 33. Illi marcida vina largiuntur: intell. *vetusta*, *languida:* coll. Gr. οἶνος σαπρός. Noster metonymice dictum acceperat v. *marcidus* pro *marcidos faciens.* Additur *ib.* alius *Statii* locus *Silv.* 4, 6, 56. tenet haec marcentia fratris Pocula: ubi jure *Markl.* explicatio: *pocula marcentis Bacchi*, *qui marcidus dicitur*: dura appellatur. *Marcida pocula* sunt pocula marcido, i. e. vetusto vino coronata.] ℙ Transfertur ad animum. *Claud. III. Cons. Honor.* 40. Non tibi desidias molles, nec marcida luxu Otia, nec somnos genitor permisit inertes. ℙ *Marcidum solem* dixit *vet. Poet.* ap. *Diom.* 2, 445. *h. e.* fuscum, languidum, pallidum.

*MARCION, onis, m. haeresiarcha Sinopensis, Ponticus saepe dictus, quod patria ejus olim ad Pontum pertineret, Stoicos primo secutus, dein secessum et paupertatem spontaneam amplexus est; sed vitii puellae illati convictus, a Patre Episcopo Ecclesia pulsus, Romam venit. Cum Cerdone ex Gentilismo errore hausto, duos fabulatus est deos, malum Mundi et Legis, et bonum, Evangelicae Redemptionis Auctorem. Jesum Christum se esse, ad legem abolendam missum, blaspheme docuit. De eo *Tertull. de praescr. adv. haeret.* 30. *Prud. Hamart.* 502. (al. 568.) Ipse Charon mundi, numen Marcionis ipse. *Id. ib.* v. 120 et 188. et *praef.* v. 36. quibus omnibus in locis *Prudentii* producitur syllaba secunda. ℙ Marcion Smyrnaeus scripsit de simplicium (sc. *medicamentorum*) affectibus. *Plin.* 28, 4. *B. A.*

[MARCIONENSIS, e, adj. ad Marcionem pertinens, quod est nomen proprium haeresiarchae. *Tert. Praescr. haeret.* 30. [Desertor continentiae Marcionensis. *F.*]

[MARCIONITA et

[MARCIONISTA, ae, m. idem ac Marcionensis, ad Marcionem pertinens. *Prud. Hamart.* 129. Marcionita Deus, tristis, ferus insidiator, *h. e.* Deus a Marcione effictus. Hic tertia syllaba licenter corripitur. *Impp. Theod. et Valent. Cod.* 1, 5, 5. Ariani, et Macedoniani, et Marcionistae nusquam in Romanum locum conveniendi, morandique habeant facultatem, *h. e.* haeretici Marcionis sectatores. *F.*]

MARCIPOR, oris, m. Marci puer, hoc est, famulus, sicut *Publipor*, *Lucipor*, et alia hujusmodi: a *Marcus*, et antiquo *por* pro *puer*, quo per metonymiam servus notatur. *Plin.* 33, 1, 6. Singuli Marcipores, Luciporesve dominorum gentiles victum in promiscuo habeant. Adde *Fest.* in *Quintipor.* ℙ *Marcipor* praeterea est titulus cujusdam *Varr.* satyrae, in qua, ut putat *Turneb. l.* 24. *c. ult.*, de servitute disserebat, et servili imperio.

MARCIUS, ii, m. celebris vates ap. Romanos. V. in MARCIANUS. ℙ Item cogn. Anci quarti Romanorum regis. Item nomen Q. Marcii Regis, qui praetor Romam adduxit aquam saluberrimam, et clarissimam, quae ab eo *Marcia* dicta est: de qua *Frontin. Aquaed.* 7. et *Plin.* 31, 3, 24. Hinc *Stat. Silv.* 1, 5, 25. praeceps Anien, atque exceptura natatus Virgo juvat, Marsasque nives, et frigora ducens Marcia. *Prop.* 3, 1, 52. Marcius liquor. *Tibull.* 3, 6, 58. Marcia lympha. ℙ Sunt qui scribunt *Martia:* sed *Marcia* est etiam in *Inscr.* ap. *Grut.* 177, 1. bis, 183, 4. et 601, 8.

*MARCODURUM, i, n. oppidum Ubiorum, in Germania, hodie *Deuren* vel *Duren* dictum. *Tac. Hist.* 4, 28. ℙ *Marcomagum* audit *Anton. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

*MARCOLICA, ae, f. Hispaniae oppidum. *Liv.* 45, 4. *B. A.*

MARCOMANI, orum, m. plur. populi Germaniae, quorum regio aliis est, quae nunc Bohemia, aliis Moravia. V. geographos. *Stat. Silv.* 3, 3, 170. Quae modo Marcomanos post horrida bella, vagosque Sauromatas, etc. Adde *Caes. B. G.* 1, 51. et *Vell.* 2, 108. et 109., ubi et *Marcomanni* legitur. [*Utrum in inscriptionibus ita prostet, non liquet. V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 423. qui de cdd. scriptura jubet adire *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 108. *in.* et *Passow.* ad *Tac. G.* 42. Ceterum cf. *Mannert.* 3. p. 282. sqq. et p. 110. sq. *Cell.* 2, 5. p. 386.]

MARCOMANIA et Marcomannia, ae, f. Marcomanorum provincia. *Capitol. M. Aurel.* 24.

MARCOMANICUS et Marcomannicus, a, um, adj. ad Marcomanos pertinens. *Imp. Caracalla* in *Inscr.* ap. *Mur.* 1021, 7. *Marcomannicus maximus* dicitur, quippe qui Marcomannos vicisset. *Capitol. M. Aurel.* 17. Marcomanicum bellum. Adde *Eutrop.* 8, 12. et 13.

MARCOR, oris, m. μαρασμός, putredo, tabes. *Plin.* 22, 22, 46. de boleto: Si caligaris clavus, ferrive aliqua rubigo, aut panni marcor affuerit nascenti: ῥάκος αεσηπὸς, inquit *Dioscor.* 4, 83. ℙ Item languor, torpor: ut esse solet in iis, qui somno, aut cibo gravantur, aut rebus ad putredinem accedentibus, νῶκαρ. *Sen. Q. N.* 3, 27. Inde vitium satis, et segetum sine fruge surgentium marcor. *Cels.* 3, 20. de lethargo: In hoc marcor, et inexpugnabilis dormiendi necessitas. *Stat. Th.* 10, 269. Cernitis expositas turpi marcore cohortes, *h. e.* somno. ℙ Transfertur ad animum. *Sen. Tranq.* 2. *med.* Inde moeror marcorque, et mille fluctus mentis incertae. *Vell.* 2, 119. Exercitus marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunae circumventus. *Stat. Th.* 8, 265. tum nimio voces marcore superbae, *h. e.* superba dicta ex nimio otio, et crapula: supra enim dixerat *v.* 220. ipsaeque ad moenia marcent Excubiae.

MARCULENTUS, a, um, adj. marcidus. *Fulg. Myth.* 2, 8. Marculenta foliorum calvities.

MARCŬLUS, i, m. parvus malleus. *Isid. Orig.* 19, 7. Malleus vocatur, quia dum quid calet, et molle est, caedit et producit: *marcus*, malleus major: et dictus *marcus*, quod major sit ad caedendum, et fortior: *marcellus* mediocris: *marculus* malleus pusillus. *Lucilius*: Et velut in fabrica fervens cum marculu' ferrum Magnis multorum ictibu' tundit. *Plin.* 7, 56, 57. Tegulas invenit Cinyra, et metalla aeris, item forcipem, marculum, vectem, incudem. *Mart.* 12, 57. negant vitam Ludimagistri mane, nocte pistores, Aerariorum marculi die toto. [*Front. ad Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 4, 3. *med.* Alii vecte et malleo silices moliuntur, alii autem caelo et marculo gemmulas exsculpunt. *F.*] *Petr. fragm. Trag.* 51. *Burm.* Faber marculum de sinu protulit, et phialam belle correxit. Al. leg. *martiolum*, vel *marteolum*: quod habetur et ap. *Sarisber. de nugis Curial. l.* 4. *c.* 5., ubi de re eadem, de qua *Petron.* verba facit. ℙ Quod de *marco* et *marcello* tradit *Isidor.*, indiget auctoritate probati Latini scriptoris. *Hard.* ad *Plin. l. c.* testatur, in omnibus MSS. *martulum* legi: quod probat etiam *Voss.* in *Etymol.;* videtur enim esse magis antiquum, et Latinum. *Caper* tamen *de Orthogr. f.* Martulus, inquit, est sacerdos a Marte, non marculus. Ap. *Fest.* haec habentur: Marculus diminutivum a marcus.

MARCUS, i, m. praenomen R., quod unica littera M. significari solet, ut *M. Tullius Cicero*, *M. Terentius Varro:* aliquando etiam integre scribitur, ut in *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 324. *n.* 450. et p. 342. *n.* 528. et al. ℙ [*Voss.* in *Etym.* ait, *marcum* mollem significare, a μαλχὸς pro μαλακὸς; *Isid. Orig.* 19, 7. malleum. V. v. praec. *Auct. epit. de nom. rat.* quae *Val. Maximo* tribui solet, haec habet: Marci, Martio mense geniti. ℙ Progressu temporis, ut alia etiam praenomina, in cognomen abiit. *Inscr.* ap. *Grut.* 986, 5. C. Pontius C. L. Marcus. V. MARCIANUS. Hinc videtur *Marcelli* cognomen derivatum fuisse. *F.*]

*MARDANI, orum, m. gens Arabica, in Mesopotamia degentes. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

*MARDI, orum, gens Asiae, de quorum dubio situ ad *Curt.* 5, 6. notavit *Cellarius.* Videntur hoc nomine latrones et fugitivi significari ab Ebr. מרד De iis V. *Plin.* 6, 5. 16. et 27. *Tac. A.* 14, 23. *Curt.* 6, 5. ℙ *Harduinus* supponit, non gentem fuisse certo loco degentem, sed latrones, fugitivos, atque id genus barbarorum Mardos audivisse. Fuere enim Mardi in Media, in Margiana, in Armenia, in Elymaide, etc. *B. A.*

*MARDONIUS, i, m. Μαρδόνιος, dux Persarum, a Pausania ad Plataeas victus. *Nep.* in *Pausan.* 1. *B. A.*

MARĔ, is, n. θάλασσα, congregatio aquarum salsi saporis. [*Ducunt ex Celtico *mor*, i. e. *mare.*] *Cic. Cluent.* 49. *extr.* Mare, quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitatur atque turbatur. *Id. Att.* 8, 3. *med.* Infero mari navigandum est. *Id. Pis.* 24. Mare vastissimum hieme transire. *Caes. B. G.* 3, 12. Summa erat vasto atque aperto mari, magnis aestibus, difficultas navigandi. *Virg. A.* 2, 780. vastum maris aequor arandum: et *ib.* 3, 144. ire mari: et *ib.* 1, 36. errare maria omnia circum: et *ib.* 10, 197. sulcare maria. *Hor. Ep.* 1, 11, 27. trans mare currere: in regiones Orientis. *Id. Sat.* 1, 1, 29. nautaeque, per omne Audaces mare qui currunt. *Id. Epod.* 9, 32. ferri incerto mari. *Ov. Met.* 9, 590. mari tuto decurrere. *Pl. Trin.* 4, 1, 13. Mare infidum. *Id. Rud.* 4, 2, 5. fluctuosum. *Hor. Od.* 3, 4, 45. ventosum: et *ib.* 1, 26. tumultuosum. *Id. Epod.* 2, 6. iratum. *Virg. A.* 8, 671. tumidum. *Id. Ecl.* 2, 26. Cum placidum ventis staret mare. *Pl. Poen.* 3, 1, 4. tranquillum. *Virg. A.* 3, 196. venti volvunt mare, magnaque surgunt Aequora: et *ib.* 7, 528. Fluctus uti primo coepit cum albescere vento, Paulatim sese tollit mare, et altius undas Erigit, inde imo consurgit ad aethera fundo. [*Lucan.* 5, 625. Nunc quoque tanta maris moles crevisset in astra: ubi v. *Cort.*, qui praeter alia laud. *Eurip. Hippol.* 1207. Κὺμ' οὐρανῷ σπήριζον: et *Mus.* 315. Αἰθέρι μίσγετο πόντος.] *Virg. A.* 6, 351. maria aspera. *Id. G.* 2, 479. maria alta tumescunt. *Cic. Planc.* 6. Mare profundum, et immensum. *Sen. Med.* 411. procellosum; et *ib.* 765. insanum. *Id. Troad.* 444. inquietum. [*Lucan.* 4, 459. Tectum mare, *i. e.* mare in cavernis et caecis antris latens, quod cum evomitur, raptas res, quas antea ibi fretum absconderat, restituit: ita *Cort.*] *Tac. H.* 4, 52. Celerrimas navium frumento onustas saevo adhuc mari committit. *Nep. Alc.* 1. Imperator fuit summus mari et terra. [*Ita saepius ap. *Nep.*, *Cic.* amat *terra marique.* V. *N. D.* 2, 19, 49. Quae terra marique gignuntur; ubi laud. *Heindf.* praeter locos infra collatos *Manil.* 16. Quantas ille res — terra marique — gesserit.] *Nep. Con.* 1. Res magnas mari gessit. ℙ [*Praegnanti vi ponitur *mare* ap. *Tac. Agr.* 18. Lectissimos auxiliarium — ita repente immisit, ut obstupefacti hostes, qui classem, qui naves, qui mare exspectabant, i. e. violentiam maris, mare turbidum, litus breve et intutum navigantibus. *Boettich. Lex. Tac. prol.* p. 75. ℙ *Misericors mare* ap. *Petr.* 114. Si nihil aliud, certe diutius junctos nos mare feret, vel si voluerit misericors ad idem litus expellere, etc.: ubi *misericors mare* est, quod non mergit naufragos, et ita sepultura privat, sed ad litus ejicit. Ita *Burm.* ad *Quint. Decl.* 6, 1. p. 128. ubi *misericordia* eodem sensu mari tribuitur.] ℙ *Nostrum mare* est mediterraneum. *Sall. Jug.* 20. et *Lucan.* 8, 293. [*Romani κατ' ἐξοχὴν pro *mari mediterraneo nostrum mare* dixerunt, ut Graeci, qui in Italia scripserunt, ἡ καθ' ἡμᾶς θάλασσα. *Mare mediterraneum* non nisi ap. seriores occurrit. Cf. *Mel.* 1, 1, 4. Id omne qua venit, quaque dispergitur, uno vocabulo Nostrum mare dicitur. — Contra *magnum mare* est *Oceanus Atlanticus.* Claris testimoniis comprobavit *Cort.* ad *Sall. Jug.* 18. *n.* 6. mare magnum et ignara lingua prohibebant. Adde *Lucan.* 5, 619. a magno venere mari: ubi *Merula* ad *Ennium* p. 594. mare mediterraneum exponit; eodemque errore tenetur etiam *Oros.* 1, 2., quos refutat *Cort.*] ℙ Item mare superum, et inferum circa Italiam. *Caes. B. G.* 5, 1. [*Etiam h. l. *nostrum mare* de *mari mediterraneo* intell. V. *Moeb.*] ℙ *Mare* interdum est regio maritima, et insulae maris. *Nep. Con.* 4. Ad mare missus est, ut Cypriis, et Phoenicibus naves longas imperaret. *Tac. H.* 1, 2. Plenum exsiliis mare. ℙ Aliquando ponitur pro aqua maris. *Virg. A.* 10, 377. Ecce maris magna claudit nos objice pontus. *Plin.* 14, 7, 9. Vinum mari condire. [*Huc pertinet etiam locus *Hor. Sat.* 2, (non 1, ut Noster supra laud.) 8, 18. Chium maris expers, i. e. aqua marina non conditum. V. *Heindf.* Noster interpr. *vinum arte imitans Chium, sed in Italia factum, atque adeo mari non transvectum.*] ℙ Item facies et color maris. *Plin.* 37, 6, 21. de opalis: Est in iis carbunculi tenuior ignis; est amethysti fulgens purpura; est smaragdi virens mare. ℙ *E mari natos* dicunt poetae, quos immisericordes significare volunt, et crudeles. V. *Tibull.* 3, 4, 85., *Catull.* 64, 155. et *Ov. Her.* 7, 38. ℙ *Mare coelo miscere* proverbiali locutione est omnia perturbare, nihilque non facere, ut quippiam consequare. Proprie *Virg. A.* 5, 790. maria omnia coelo Miscuit. Translate *Juven.* 6, 282. clames licet, et mare coelo Confundas, homo sum. ℙ *Terra marique aliquid quaerere*, est omni diligentia quippiam exquirere. *Vatin.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. *f.* Ego tamen, terra marique ut conquireretur, praemandavi. *Pl. Poen. prol.* 105. Filias pater mari terraque usquequaque quaeritat. *Sall. Cat.* 13. Vescendi causa terra marique omnia exquirere. ℙ *Maria et montes polliceri*, magna promittere illiciendi causa, ap. *Sall. Cat.* 23. ℙ *In mare fundere aquas*, habenti et abundanti dare. *Ov. Trist.* 5, 6, 43. His qui contentus non est, in litus arenas, In segetem spicas, in mare fundat aquas. ℙ *Viam qui nescit, qua deveniat ad mare, eum oportet amnem quaerere comitem sibi:* qui per se non sapit, aut valet, obtemperet alteri, et opem quaerat. *Pl. Poen.* 3, 3, 14. ℙ *Mare aeris* est vastum aeris corpus. *Lucr.* 5, 276. quodcumque fluit de rebus, id omne Aeris in magnum fertur mare. ℙ [*Conjunguntur *coelum*, *mare* et *terra* ab invocantibus: ita ap. *Ter. Ad.* 5,

3, 4. O coelum, o terra, o maria Neptuni! (Sic *maria Oceani* dixit *Flor.* 4, 12, p. 893. ubi v. *Duk.*) Adde *Ov. Trist.* 2, 53. *Quint. Decl.* 6. p. 132. V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 525.] ℙ In ablat. sing. *mari* habet, et *mare*. *Lucr.* 1, 161. E mare primum homines, e terra posset oriri, etc. *Ov. Trist.* 5, 2, 20. Exiguum pleno de mare demat aquae. *Id. Pont.* 4, 6, 46. Ister In caput Euxino de mare vertet iter. Adde *Varr. utrumque* ap. *Charis.* 1, 45. et 111. et *Prisc.* 7, 759., item *Pl. Rut.* 4, 3, 42., ut quidem *Prisc.* legit: nam *mari* alii: item *Cajum Dig.* 1, 8, 5., *Maetian. ib.* 32, 1, 17., *Jabolen. ib.* 41, 1, 58. et *Callistrat. ib.* 47, 9, 6., quibus locis *Torrent.* ex Pandectis *Florent.* edidit *mare*, alii *mari*. ℙ In plur. num. nec *marium*, nec *maribus* dici vult *Charis. ib.* p. 21., *marium* tamen agnoscit *Prisc.* 7, 770. pro quo *marum* dixit *Naev. ib.* Neptunum regnatorem marum. *Caesar* vero *B. G.* 5, 1. Naves paulo latiores, quam quibus in nostris utimur maribus.

*MARĒNE, es, f. regio Thraciae. *Liv.* 43, 67. *B. A.*

*MAREOTA, ae, f. urbs Aegypti, quae *Herodoto* 2, 18. *Μαρέη*, Marea, est, prope Alexandriam. *Edict. Justin.* 13. (post *Authent. Collat.* in *Corp. Jur.*) 9. §. 2. Si enim qui in utraque Aegypto (excepta Mareota et Menelaite urbe) etc. *Id. ib.* 1. Excepto oppido Menelaita dicto—et praeterea Mareota; et *ib.* §. 1. Non uni Alexandriae, verum etiam duabus—dictis Mareota Menelaitaque exceptis. Adde *ib.* 17. 18. 19. 20. 21. et 23. *B. A.*

MĂRĒOTĬCUS, a, um, adj. ad Mareotidem pertinens, et ponitur aliquando pro Aegyptio. *Hor. Od.* 1, 37, 14. Mareoticum vinum. *Colum.* 3, 2. *med.* Mareoticae vites. *Ov. Met.* 9, 733. Mareotica arva. *Lucan.* 10, 117. ebenus. *Mart.* 14, 209. cortex, *h. e.* papyrus, in qua scribitur. *Id.* 8, 36. Pars quota Parrhasiae labor est Mareoticus aulae, *h. e.* Aegypti pyramides. *Stat. Silv.* 4, 6, 103. saevae Mareoticus arbiter arae, *h. e.* Busiris Aegypti tyrannus.

MĂRĒOTIS, ĭdis, f. adj. *Μαρεῶτις*. *Mareotis Libya* pars est Libyae, Aegypto contermina, cujus populi Mareotae, *Μαρεῶται*. *Plin.* 5, 6, 6. *Martial.* 4, 42. Sit nive candidior: namque in Mareotide fusca Pulcrior est, quanto rarior iste color. ℙ *Mareotis palus* ibi est ingens, prope Alexandriam: de qua *Plin.* 5, 10, 11., ubi quod *Mareotis lacus* dicitur, respicitur ad Graecum *λίμνη*, quae feminina vox est. V. ABROTONITES. *Lucan.* 9, 354. Corpus Alexandri pigra Mareotide mergam. *Stat. Silv.* 3, 2, 103. puppim Mareotida, *h. e.* navim Alexandrinam. ℙ Hujus regionis vites inter peregrinas laudant. *Virg. G.* 2, 91., *Colum.* 3, 2. et *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7. Hinc *Lucan.* 10, 160. gemmaeque capaces Excepere merum, sed non Mareotidos uvae.

*MARĒU INSULAE, *Μαρέου νῆσοι*, in sinu Arabico fuere. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

MARGA, ae, f. genus terrae in modum cretae albae, qua rustici utuntur ad agros stercorandos. [**Märgel.*] Multa de ea *Plin.* 17, 6, 4. Videtur eadem fuisse ac fossicia creta, qua *Varr. R. R.* 1, 7. narrat in Gallia Rhenum stercorari agros.

MARGĂRĪDES, um, f. plur. *μαργαρίδες*, palmae: a margaritis, quoniam breves, candidae, et rotundae sunt, acinis, quam balanis similiores. *Plin.* 13, 4, 9.

[MARGĂRIS, ĭdis, f. *μαργαρίς*, dimin. a *μάργαρον*, parva margarita. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1468, 9. Julia Margaris. *F.*]

MARGĂRĪTA, ae, f. et Margaritum, i, n. *μαργαρίτης λίθος*, *μαργαρίτη*, unio, calculus candidus in conchis marinis nascens, in feminarum deliciis, et mundo muliebri praecipuus. V. *Plin.* 9, 35, 53., *Solin.* 53. et *Ammian.* 23. *f.*, ubi multa de his. *Varro* ap. *Non.* 3, 138. Altera exorat patrem libram ocellatorum, altera virum semodium margaritarum. *Id. ib.* gemmea ephippia, et arma margarito candicantia. *Scaev. Dig.* 35, 2, 26. Linea margaritarum. *Tac. Agr.* 12. Gignit et oceanus margarita, sed subfusca ac liventia. *Cic. Verr.* 2, 4, 1. Nego ullam gemmam fuisse, aut margaritam, quin abstulerit. *Id. Or.* 23. *f.* Removebitur omnis insignis ornatus, quasi margaritarum. Neutro genere habet etiam *Ulp. Dig.* 19, 5, 17. ℙ [Est etiam appellatio blandientis. *Aug.* enim ap. *Macr. Sat.* 2, 4. Maecenatem *Tiberinum margaritum* vocat. *F.*] ℙ Ap. *Petr. fragm. Trag.* 64. *Burm.* margarita est nomen catellae, vel dicitur de catella, tanquam de re valde cara. ℙ De quantitate. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 648. Jamjam silebo: margarita spargere Christi vetamur inter immundos sues. *Id. Psych.* 873. Margaritum ingens opibusque, et viribus hastae Mercata. Priore loco secundam corripit, quod et *Petr.* facit *Sat.* 55. Posteriore producit: quod facit etiam *Venantius.* V. MARGARITATUS. Sed corripere rectius est. *Gregor. Nazian. carm.* 40. etiam paenultimam corripuit: *Θησαυροῖο χάριν, καὶ μαργαρίτην πολύτιμον.*

MARGĂRĪTĂRĬUS, ii, m. *μαργαριτέμπορος*, negotiator, vel piscator margaritarum, vel custos. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 110. Margaritario de sacra via. Alia ap. *Mur.* 892, 2. Celeuthus, Liviae margaritarius, *h. e.* qui ejusd. margaritas custodiebat. Adde aliam ap. *Grut.* 1116, 9. et *Firm. Math.* 4, 6. ℙ Adjective etiam usurpatur, ut Porticus margaritaria, ap. *P. Victor. de regionib. Urbis R. reg.* 8. ℙ *Margaritaria, ae*, quae in margaritis negotiatur. *Inscr.* ap. *Mur.* 964, 1. Marcia T. F. Severa auraria, et margaritaria. ℙ In alia *Inscr.* ap. *Grut.* 340, 2. ponitur *margaritarius* inter ministeria equorum circensium: sed quodnam ejus officium fuerit, non constat. V. *Joann. Argol.* in *not. ad Panvin. de lud. Circensib.* 1, 15.

MARGĂRĪTĀTUS, a, um, adj. margaritis ornatus. *Venant. carm.* 8, 6, 266. Margaritato flexilis arte sinu. Hic licenter secunda syllaba producitur.

MARGĂRĪTĪFER, a, um, adj. margaritas ferens. *Plin.* 32, 11, 53. Concharum genera, inter quae et margaritiferae.

[MARGĂRĪTĬON, onis, m. dimin. margariti, adjectum legitur puello bimo, quia eum nutritores quasi parvum margaritum amarent, carumque haberent. V. MARGARITA. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 44. *n.* 253. Sex. Bruttidio Juveni margaritioni carissimo: vixit annis II., mens. VII., dieb. XVIII., fecit L. Virgil. Italicus, et Claudia Laudice. *F.*]

MARGĂRĪTUM. V. MARGARITA.

[MARGĂRUS, i, m. *μάργαρος*, concha margaritifera. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 73. Flavius Margarus. *F.*]

*MARGELLA, ae, f. *κοράλλιον Gloss. Gr. Lat. B. A.*

*MARGIĂNE, es, vel Margiana, ae, f. (sc. terra, regio), *Μαργιανὴ* sc. *γῆ*, regio Asiae ulterioris, ultra mare Caspium, inter Hyrcaniam atque Bactrianam. *Plin.* 6, 16. ℙ Nomen habet a Margo flumine. *B. A.*

*MARGIDŪNUM, i, n. Britanniae oppidum. *Anton. Itin. B. A.*

MARGĪNĀTUS, a, um, part. a *margino*, marginem habens. *Plin.* 35, 12, 45. Ex hac aede, cum reficeretur, crustas parietum excisas tabulis marginatis inclusas esse, *h. e.* quae marginem prominentiorem haberent, quo crustae includerentur et continerentur. *Sidon. ep.* 4, 20. Viridantia saga limbis marginata puniceis.

*MARGĪNĬA, ae, f. oppidum ultra mare Caspium situm, prope Oxum flumen. *Curt.* 7, 10. *pr. f.* si lectio certa. Alii enim *Margianen* volunt substituere in locum v. *Marginiam. B. A.*

MARGĪNO, as, avi, atum, a. 1. marginem circumdo et communio. *Liv.* 41, 27. Censores vias sternendas silice in urbe, glarea extra urbem substernendas, marginandasque, primi omnium locaverunt, *h. e.* extrema ora hinc et inde assurgente muniendas, vel crepidinibus ornandas.

*MARGIS, Moesiae amnis. *Plin.* 3, 26. ℙ *Margus* appellatur in *Tab. Peuting. B. A.*

MARGO, ĭnis, m. et f. *χράσπεδον*, extrema alicujus rei ora, ut libri, agri, viae, imperii, fluminis, crepido. [**Ora* in eo differt, quod latius patet. V. *Doederl.* 3, 212.] *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Flumen, quod per villam fluit, liquidum et altum, marginibus lapideis. *Plin.* 9, 36, 61. Margo conchae. *Id.* 30, 13, 39. ulceris. *Id.* 37, 2, 7. calicis; et *ib.* 8, 37. gemmae. *Lucan.* 9, 353. stagni; et *ib.* 609. et *Ov. Met.* 3, 162. fontis. *Id. Met.* 1, 729. et *ib.* 5, 598. ripae. *Val. Max.* 5, 6. *n.* 4. *extr.* agri. *Sil.* 6, 360. puppis. *Lucan.* 10, 486. Nec non et ratibus tentatur regia, qua se Protulit in medios audaci margine fluctus Ambitiosa domus. *Ov. Met.* 1, 13. nec brachia longo Margine terrarum porrexerat Amphitrite, *h. e.* ora, litore. *Stat. Th.* 3, 407. Solverat Hesperii devexo margine ponti Flagrantes sol pronus equos, *h. e.* ora occidua. *Vitr.* 5, 12. Margo, quae sustinet arenam. *Aemil. Macer* ap. *Charis.* 1, 49. fluviorum margine summa. *Rabir. ib.* Idaeos summa cum margine colles. *Juven.* 1, 7. summi plena jam margine libri. *Ov. Met.* 9, 563. Talia nequicquam perarantem plena reliquit Cera manum, summusque in margine versus adhaesit; et *Amor.* 1, 11, 22. Margine in extremo littera rasa. *Id. Trist.* 2, 199. Haec est Ausonio sub jure novissima, vixque Haeret in imperii margine terra tui. (Adde *Plin.* 12, 20, 43.) *Stat. Silv.* 2, 1, 44. Ingenuique super crines, mollisque decorae Margo comae; et *ib.* 3, 2, 53. Claudere suspensos oculorum margine fletus. *Plin.* 9, 10, 12. Dentes non sunt testudini, sed rostri margines acuti. *In vet. Inscr.* ap. *Grut.* p. 207. Tegulas primores omnes in antepagmento ferro figito, marginemque imponito; [*mox ib.:* Eum parietem cum margine altum facito pedes decem, *h. e. con un labbro superiormente posto. F.*] *Stat. Silv.* 4, 4, 54. Maroneique sedens in margine templi, *h. e.* in limine, in atrio.

*MARGOPOLIS. Titulus erat Satirae *Varronis*, insaniam ex professo civitatis in comitiis et magistratibus furentis, et honorum studio et ambitione luxuque et ingluvie perditae et insanae, acerrime notans. Ex ea citantur nonnulla in quibusdam auctoribus. Annotavit *Turnebus. B. A.*

*MARGUM, i, n. Moesiae superioris oppidum, ad Margim flumen. *Eutrop.* 9, 13. (al. 21.) Adde *Notit. Imper. Roman. B. A.*

*MARGUS, i, m. fluvius Margianae, ultra Caspium mare. *Plin.* 6, 16. V. *Margiane.* ℙ Margus, Moesiae fluvius. V. *Margis. B. A.*

MĂRĬA, ae, f. filia Joachim, et Annae, quae virgo Spiritus Sancti opera concepit, et peperit Salvatorem mundi JESUM CHRISTUM Deum verum, verumque hominem. ℙ Paenultima apud Christianos poetas anceps est. *Prud. Psych.* 88. Nec mea post Mariam potis est perfringere jura. *Sedul. in Luc.* 1, 2, 36. Angelus intactae cecinit properata Mariae. Sic *Arat. Act. Apost.* 1, 57. Porta Maria Dei, genitrix intacta creantis. *Id.* tamen *Sedul. ib.* 49. corripuit: quod et *Juvenc.* facit 1, 53, 91. etc. et *Paul. Nol. carm.* 6, 110. et *carm.* 22, 153. et *Claud.* tum *carm.* 95. et 99., ubi de Matre Dei loquitur, tum multis aliis in locis, in quibus de Honorii uxore. Quare satius erit corripere.

*MARIAEA, ae, oppidum Arabiae Felicis, in Sabaeorum regione, fortasse idem quod Saba dictum. *Plin.* 6, 28. ℙ Fuit et aliud hoc nomine ibi situm. *Plin. ib. B. A.*

[MARIAMMĪTĀNI, orum, m. plur. incolae urbis Mariammae in Syria. Horum meminit *Plin.* 5, 23, 19. *F.*]

MĂRĬANDYNUS, a, um, adj. ad Mariandynos pertinens, qui sunt populi Bithyniae in ora maris Euxini, inter Heracleam et Cytorum, *Μαριανδυνοί*. His locis Hercules Cerberum interfecisse dicitur. *Plin.* 6, 1, 1. Mariandyni sinus. *Val. Fl.* 4, 733. Jam Mariandynis advertit puppis arenis. *Id. ib.* 171. Et Mariandynum patrias penetravit ad urbes. ℙ Legitur et *Maryandinus.*

MĂRĬĀNUS, a, um, adj. ad Marium pertinens, quod est nomen nobilissimi civis R., cujus vitam *Plutarch.* scripsit. *Cic. Brut.* 47. *f.* Mariani consulatus. *Id. Or.* 2, 66. Marianum scutum Cimbricum. *Id. Agr.* 3, 2. Marianus tribunus plebis. *Id. Leg.* 1, 1. Mariana quercus. *Prop.* 3, 2, 43. Aut quibus in campis Mariano proelia signo Stent, etc. *Flor.* 3, 12. Mariana, et Sullana tempestas; et 2, 19. Mariana, et Sullana bella; et 4, 2. Mariana, et Cinnana rabies. V. *eund.* 3, 21. et *Vell.* 2, 18. et sqq. ℙ De mulis Marianis. V. MULUS. ℙ [*Mariani, orum*, sunt incolae coloniae Marianae nunc dirutae in Corsica, a C. Mario deductae, ut refert *Plin.* 3, 6, 12. *Inscr.* ap. *Mur.* 2004, 2. De controversia finium, quam habetis cum Marianis etc. *F.*]

MĂRĬCĂ, ae, f. Nympha litoris Minturnensium, ap. Lirim fluvium, Fauni uxor, Latini mater. *Virg. A.* 7, 47. ℙ *Lact.* scribit 1, 21. ita appellatam fuisse Circen mortuam et consecratam. ℙ Ab ea nomen habet Minturnensium palus, in qua Marius Sullam fugiens latitavit. *Vell.* 2, 19.

*MARICAS, ae, *Μαρικᾶς*, dictus est orator Hyperbolus. *Quint.* 1, 10. *B. A.*

*MARICI, orum, populi Liguriae, qui cum Laevis Ticinum condiderunt. *Plin.* 3, 17. *B. A.*

*MARICUS, i, m. e gente Boiorum, deum se et assertorem Galliarum simulavit, concitisque octo millibus hominum proximos Aeduorum pagos traxit: cum ea civitas, electa juventute, adjectis a Vitellio cohortibus fanaticam multitudinem disjecit. Captus in proelio, ac feris objectus, quia non laniabatur, vulgus inviolabilem credidit, at coram Vitellio interfectus est. *Tac. H.* 2, 61. *B. A.*

*MARIGĒRI, orum, Aethiopiae populi. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

MARĪNUS, a, um, adj. *θαλάσσιος*, ad mare pertinens. *Cic. N. D.* 2, 16. Marini terrenique humores. *Id. Div.* 2, 14. Marini aestus. *Virg. G.* 1, 362. Marinae fulicae; et *ib.* 2, 160. Marinus fremitus; et *ib.* 68. casus abies visura marinos. *Ulp. Dig.* 14, 1, 1. et *Scaev. ib.* 50, 5, 3. Marinae naves, *h. e.* quae mari decurrunt: et distinguuntur a fluvialibus. *Catull.* 64, 16. Nymphae marinae, *h. e.* quae mare incolunt. *Hor. Od.* 3, 26, 5. Marina Venus; et *ib.* 23, 15. Marinus ros, *h. e.* rosmarinum. *Plin.* 9, 5, 4. Visum ab his in Gaditano oceano marinum hominem, toto corpore absoluta similitudine: ascendere navigia nocturnis temporibus, statimque degravari, quas insederit. ℙ *Marinus morsus* ap. *eund.* 36, 26, 65. est acrimonia et mordacitas salsi saporis aquae marinae. ℙ De marinis Laribus V. in PERMARINUS. ℙ [*Marinus*, sive *equus Marinus* fuit etiam nomen propriùm triremis in Classe Ravennate. *Inscr.* ap. *Mur.* 824, 6. L. Julius Severinus armigerus III. Marin. *F.*]

[MĂRĬO, onis, m. dimin. maris, idem ac masculus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 126. *col.* 4. A. Egrilius Mario. *F.*]

MARISCA, ae, f. *βουνίκον*, ficus grandior, sed insipida: a *mas, maris*, quasi mascula, ob magnitudinem. *Mart.* 7, 25. Infanti melimela dato, fatuasque mariscas. *Cato R. R.* 8. et *Plin.* 15, 18, 19. Ficos mariscas in loco cretoso, et aperto serito: (*ficos mariscas* habet etiam *Varr. R. R.* 1, 6. et 9.) *Colum.* 10, 415. Purpureaeque chelidoniae, pinguesque mariscae. *Sen. Suas.* 2. *med.* Eo pervenit insaniae, ut ficos non esset, nisi mariscas. ℙ A fructus hujus similitudine etiam mariscae dicuntur tubercula ulcerosa, quae ex praepostera libidine circa podicem nascuntur. *Juven.* 2, 13. Caeduntur tumidae, medico ridente, mariscae.

MĂRISCUS, i, m. vel Mariscum, i, n. juncus marinus, unde tegetes texuntur: a *mas, maris. Plin.* 21, 18, 69.

[MĂRĪTĂ, ae, f. uxor. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 299. *n.* 268. Liciniae Acte C. Atilius Severinus maritae optimae. Adde tres alias *ib. n.* 269. 270. 271. V. MARITUS. *F.*]

MĂRĪTĂLIS, e, adj. *γαμικὸς*, conjugalis. *Colum. prooem. l.* 12. Maritale conjugium sic comparatum esse natura. *Ov. A. Am.* 2, 258. Maritalis vestis. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 9. fax; et 6, 3. *n.* 10. Maritale supercilium. *Juven.* 6, 43. maritali jam porrigit ora capistro, *h. e.* jugum subit matrimonii. *Sen. Oedip.* 956. Maritales oculi, *h. e.* quibus quis aliquam affectu mariti aspicit.

MĂRĪTĂTUS, a, um, part. a *marito. Hieron. ep.* 77. *n.* 12. Laudavimus saepe virgines, viduas, ac maritatas. *Pecunia maritata* ap. *Pl. Epid.* 2, 1, 11. quae cum uxore conjuncta est, *h. e.* cujus possessio est penes uxorem: seu quae habetur a marito ex dote, uxore vivente.

MĂRĪTĪMUS, a, um, adj. *ἐπιθαλάσσιος*, qui mare accolit, qui ad mare est, vel fit. *Caes. B. G.* 2, 34. Maritimae civitates. *Cic. Verr.* 2, 5, 27. Homines maritimi. *Id. Part.* 10. Loci maritimi, an remoti a mari, plani an montuosi. *Plin.* 6, 27, 31. Maritimus portus. *Hirt. B. Afr.* 85. Porta oppidi maritima; et *B. Alex.* 26. Aegyptus maritimo accessu Pharo, pedestri Pelusio munita. *Nep. Att.* 14. Villam habere suburbanam, aut maritimam. *Cic. Planc.* 40. *extr.* Maritimus cursus. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 5. Maritimo afflatu gaudent vites. *Cic. Tusc.* 5, 14. Ora maritima. *Id. Att.* 2, 16. *f.* Te hospitio agresti accipiemus, quoniam maritimum hoc contempsisti. *Cic. Verr.* 2, 5, 27. Homines a navigando, rebusque maritimis remotissimos. *Caes. B. G.* 3, 5. Praecerat Aegyptiis navibus Pompejus filius, Asiaticis Laelius, Achaicae classi Libo: toti tamen officio maritimo Bibulus praepositus cuncta administrabat. *Nep. Arist.* 2. Summa imperii maritimi. *Hirt. B. Alex.* 25. Dimicationem maritimam feliciter conficere. *Liv.* 21, 63. Maritimae naves, *h. e.* quae a fluvialibus distinguuntur. Sic *Jabol. Dig.* 33, 7, 11. Maritimae insulae. *Nep. Them.* 2. Praedones maritimi. *Flor.* 2, 2. Maritimus triumphus. Absolute *Cic. Fam.* 2, 16. *med.* In maritimis sum. *Plin.* 6, 34, 39. Maritima Africae. *Flor.* 4, 12. Hibernas in Tarraconis maritimis. ℙ Ponitur et pro marino. *Caes. B. G.* 4, 29. et *Cic. N. D.* 2, 53. Maritimi aestus. *Varr. R. R.* 1, 7. *med.* Sal maritimus. *Nep. Att.* 6. Maritimis fluctibus jactari. ℙ *Maritimae usurae* ap. *Paul. Dig.* 22, 2, 6. sunt, quae ex nauticis negotiis percipiuntur. ℙ *Maritimi mores* ap. *Pl. Cist.* 2, 1, 11. sunt incerti, inconstantes, instar maris. ℙ *Maritimae nuptiae* ap. *Cic. N. D.* 3, 18. sunt quibus Thetidem Peleus duxit: et *terrenis* opponuntur. ℙ Scribitur et *maritumus* prisco more. ℙ **Maritima avaticorum* locus fuit vel oppidum in Gallia Narbonensi, dictum et *Mastramela* a lacu cognomine vicino. *Mela* 2, 5. *Plin.* 3, 4. ℙ *Circus Maritimus.* V. *Circus. B. A.*

MĂRĪTO, as, avi, atum, a. 1. *συνοικίζω*, nuptui trado. *Suet. Vesp.* 14. Vitellii filiam splendidissime maritavit. ℙ Dicitur etiam de viris: et quidem magis proprie. *Tac. A.* 12, 6. Quando, maritandum principem, multi suaderent. Huc pertinet lex *De maritandis ordinibus*, quam vel sanxit, vel retractavit Augustus, ut est ap. *Suet. Aug.* 34., multa continens capita ad matrimonia civium R. pertinentia, quae magnam partem collegit *Hotoman.* in indice legum Romanarum. ℙ Item de bestiis. *Varr. R. R.* 2, 9. *med.* de canib.: Tunc dicuntur catulire, id est ostendere, se velle maritari. *Colum.* 8, 2. *med.* Gallinae ternae singulis maribus maritantur. ℙ Item de arboribus. *Hor. Epod.* 2, 9. adulta vitium propagine Altas maritat populos. *Colum.* 11, 2. *med.* Ulmi vitibus maritantur. Ubi v. *vitibus* est ablativus, ut *propagine* in loco *Horatii:* neque enim dicebant *maritare vitem*, sed *arborem*, puta *palmam*, *ulmum*, et hujusmodi, cum ei vitem sustinendam adjungebant. *Id.* 4, 2. Duos palos unius seminis flagellis maritari; et *ib.* 22. *med.* Ut vitis novellos caules transmittat, qui possint sua maritare statumina. *Id.* 5, 6. *med.* Si teneram ulmum maritaveris, novam vitem sufferet; si vetustam vitem applicueris, conjugem necabit. ℙ Est etiam gravidare, fecundare. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 89. Zephyrus glebas fecundo rore maritat. *Plin.* 16, 25, 39. Primus est conceptus, flare incipiente Favonio: hoc maritantur virescentia e terra: quippe cum etiam equae in Hispania. *Id.* 13, 4, 7. ait, *Marem palmae* afflatu visuque ipso, et pulvere etiam, reliquas *palmas feminas* maritare. *Solin.* 23. Equae adspirante Favonio concipiunt, et sitientes viros aurarum spiritu maritantur.

MĂRĪTUS, a, um, adj. ad conjugium pertinens, conjugio sociatus, maritalis. *Liv.* 27, 31. Vagabatur cum uno, aut altero comite per maritas domos dies noctesque. Al. leg. *maritimas. Ov. Her.* 2, 41. Junonemque, toris quae praesidet alma maritis; et *ib.* 12, 87. et *Prop.* 3, 19, 16. Juno, sacris quae praesidet alma maritis. *Hor. Carm. saecul.* 20. Lex marita, ferax prolis novae, *h. e.* de maritandis ordinibus: de qua V. in v. praec. *Ov. Her.* 16, 283. metuis Venerem temerare maritam; et *ib.* 11, 101. Tolle procul decepte faces Hymenaee maritas. *Id. Pont.* 3, 1, 73. socialis amor, foedusque maritum. *Avien. Perieg.* 339. de Nilo: inque jacentem Aegyptum fusus fluctu premit arva marito, *h. e.* fecundante. Sic in *Pervigil. Ven.* 4, 11. et 61. Mariti imbres. ℙ *Maritus* absolute interdum refertur ad utrumque conjugem. *Papin. Dig.* 24, 1, 52. *extr.* Quo casu inter exteros condictio nascitur, inter maritos nihil agitur. Saepissime est ipse vir, ut *marita* uxor. *Hor. Od.* 3, 14, 5. Unico gaudens mulier marito. *Cic. Inv.* 1, 31. *f.* Ut tu maritus sis quam optimae, et haec quam optimo viro nupta sit. *Hor. Od.* 3, 5, 6. Milesne Crassi conjuge barbara Turpis maritus vixit? *Ov. Her.* 4, 134. Et fas omne facit fratre marita soror, *h. e.* Juno, quae Jovis fratris sui uxor est. *Hor. Epod.* 8, 14. Nec sit marita, quae rotundioribus Onusta baccis ambulet. *Ov. Fast.* 2, 139. hic castas, duce se, jubet esse maritas. ℙ De sponso. *Val. Fl.* 8, 16. Haemonio nunquam spernenda marito, Condita letiferis promit medicamina cistis. *Tibull.* 3, 4, 31. Ut juveni primum virgo deducta marito. ℙ Dicitur interdum de bestiis. *Hor. Od.* 1, 17, 7. Olens maritus, *h. e.* hircus. Sic *Virg. Ecl.* 7, 7. Vir gregis ipse caper. *Colum.* 7, 6. Maritos gregum mutilos esse oportebit. *Id.* 8, 5. *f.* de gallinaceis: Rarior est in his avibus mariti bonitas. ℙ Item de arboribus, quae adjunctas vites habere possunt. *Cato R. R.* 32. Arbores facito uti bene maritae sint. *Colum.* 3, 11. Olivetum maritum. *Catull.* 62, 54. At si forte eadem *(vitis)* est ulmo conjuncta marito, etc.

MARITUS, i, m. V. v. praec.

**MARĬUM*, i, n. *Μάριον*, Cypri vetus oppidum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

MĂRĬUS, ii, m. civis Romanus Arpinas, qui septies consul fuit. Ejus vitam habes ap. *Plut.* De bello ejus civili cum Sulla et Cinna, V. *Flor.* 3, 21. ℙ Adjective *Maria lex* memoratur a *Cic. Leg.* 3, 17. Eam tulit ann. U. C. DCXXXIV. idem C. Marius trib. pleb., ut pontes, per quos transibant suffragium ferentes, angustiores fierent, ne quis in iis, praeter eum, qui suffragium ferret, consistere posset, rogandi et appellandi causa. V. PONS. ℙ **M. Marius Gratidianus*, M. Gratidii filius, adoptatus a C. Mario. *Cic. Off.* 3, 20. *Id. Leg.* 3, 16. et *Orat.* 2, 65. et *Petit. Cons.* 3. V. *Sen. Ira*, 3, 18. *Plin.* 33, 9. *extr. Lucan.* 2, 175. ℙ Marius, poeta Latinus. *Ov. Pont.* 4, 6, 24. ℙ Marius et Casprus, amicorum par fidelissimorum. *Sil.* 9, 401. ℙ *Marius Priscus*, proconsul, Africam provinc. spoliavit. *Juven. sat.* 1, 49. et *sat.* 8, 120. ℙ *Marius Victorinus* vixit in medio saeculi quarti, Africa ortus. Romae docuit artem rhetoricam, imperatore Constantio. Scripsit, inter alia plurima, Expositionem in libros duo Ciceronis de inventione, de orthographia, et ratione metrorum libr. IV. inter *Putschii* Grammaticos veteres. *B. A.*

**MARMA*, oppidum Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

MARMĂRĬCUS, a, um, adj. *Μαρμαρικὸς*, ad Marmaricam pertinens, quae est regio Africae inter Aegyptum et Cyrenem: et ponitur etiam pro Libyco, quia contermina est Libyae desertae: immo et *Mareotis Libya* appellatur: item universim pro Africano. *Plin.* 13, 23, 44. Marmaricum genus capparis. *Lucan.* 3, 292. non corniger Hammon Mittere Marmaricas cessavit in arma catervas. *Sil.* 7, 83. si pellere nostris Marmaricam terris nubem dabis, *h. e.* Poenorum arma. *Sidon carm.* 11, 103. Marmarica fera, *h. e.* elephas.

MARMĂRĬDES, ae, m. *Μαρμαρίδης*, qui est e Marmarica regione. *Ov. Met.* 5, 124. tentanti dextera fixa est Cuspide Marmaridae Corythi. *Sil.* 5, 437. Othrys Marmarides. ℙ *Marmaridae, arum*, ejus tractus incolae. *Plin.* 5, 5, 5. et *ib.* 6, 6. et *Lucan.* 4, 679. mixti Garamante perusto Marmaridae volucres. *Sil.* 5, 184. Marmaridum mediam penetrare phalangem: pro *Marmaridarum.* ℙ Hos incantandorum serpentium, et medendi venenis peritissimos facit *Sil.* 3, 300. Hinc *Lucan.* 9, 893. gens unica terras Incolit, a saevo serpentum innoxia morsu, Marmaridae Psylli.

[MARMĂRIS, ĭdis, f. marmoreus, marmoris more candens: a *μάρμαρον*, marmor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1005, 4. Hermes Aug. Lib. fecit conjugi suae Aeliae Marmaridi. *F.*]

MARMĂRĪTIS, ĭdis f. *μαρμαρῖτις*, herbae genus, al. aglaophotis, ob admirabilem colorem: a *marmor*, quia nascitur in marmoribus Arabiae. *Plin.* 24, 17, 17.

**MARMESSUS* vel Marmissus (os), vicus Troadis, in monte Ida. *Lact.* 1, 6. Vico Marmesso. Sic edd. *Bunemann.* et *Heum.* Olim lectum *Marpesso.* Cf. *Marpessius* et *Mermessius. B. A.*

MARMOR, oris, n. *μάρμαρος*, lapis durus ac solidus, praesertim qui in lapicidinis foditur, et scalpro elaboratur ad statuas, columnas, et varia opera aedificiorum: a voce Graeca allata, quae a *μαρμαίρω*, candico, resplendeo: ut proprie de iis dicatur, qui candidi sunt et nitentes. Quomodo a lapide differat, V. LAPIS. De variis marmorum generibus, et coloribus fuse *Plin.* 36, 7, 11. Celeberrima sunt Parium, Lacedaemonium viride, Augustum, et Tiberium, utrumque ex Aegypto, Numidicum, Phrygium, quod et Synnadicum, Proconnesium, Carystium, Chium, porphyrites, ophites, Memphites, Syenites, etc. *Cic. Arch.* 9. Ennius in sepulcro Scipionum putatur esse constitutus e marmore. *Virg. G.* 3, 13. templum de marmore ponam. *Id. A.* 6, 848. vivos ducent de marmore vultus. *Ov. A. Am.* 1, 70. externo marmore dives opus. *Plin.* 7, 38, 39. Praxiteles marmore nobilitatus est, Gnidiaque Venere, *h. e.* statua marmorea Veneris Gnidiae, quam sculpsit. *Id.* 36, 6, 6. Secare marmor in crustas. *Quint.* 2, 20. expolire. *Hor. Od.* 4, 8, 13. incisa notis marmora publicis. *Ov. Her.* 7, 194. Hoc tamen in tumuli marmore carmen erit. *Id. Met.* 15, 314. Flumen quod tactis inducit marmora rebus, *h. e.* in lapidem vertit. ℙ *Marmor* pro *lapis*, *h. e. milliarium*, usurpavit *Mart.* 7, 31. Rus marmore tertio notatum, *h. e.* ad tertium ab urbe lapidem. Adde 9, 65. ℙ *Servus a marmoribus* est, qui praeest marmoribus coemendis, secandis, elaborandis. *Inscr.* ap. *Grut.* 593, 7. M. Ulpius Martialis Aug. Lib. a marmoribus; et *ib.* 5. T. Flavius Successus Aug. L. tabularius marmorum Lunensium, *h. e.* a rationibus marmorum Lunensium, ut est *ib.* 4. ℙ Quod *Cato R. R.* 23. et *Colum.* 12, 20. *f.* marmor jubent in vinum indi, marmoris farinam intelligunt, et conditurae gratia faciunt: cujus meminit et *Plin.* 14, 19, 24. et 23, 1, 24. ℙ Poetae hoc nomen mari tribuunt, vel quia cum ventis commovetur, candescit, ut est ap. *Lucr.* 2, 763. et sq., vel quia aequum et planum est. *Virg. A.* 7, 28. lento luctantur marmore tonsae; et *ib.* 718. Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus; et 10, 208. spumant vada marmore verso. *Catull.* 63, 88. marmora pelagi. *Sil.* 14, 464. infidum marmor. ℙ In illo *Val. Fl.* 6, 568. jam non per curva volantem Stagna, nec in medio truncantem marmore cervos: *marmor* est mare glacie duratum. ℙ *Marmor* videtur usurpari pro metallo albi coloris; illud enim inter equorum Solis ornamenta commemorat, aerique inaurato, et orichalco interserit *Prud. in Symmach.* 1, 347. Et frenos phalerasque, et equorum pectora anhela Aeris inaurati, vel marmoris, aut orichalci Jusserunt nitido fulgere polita metallo. ℙ *Marmor* gen. masc. est ap. *Plin. Valer.* 3, 14. *med.* Super marmorem aqua lotum fundes medicamen.

MARMŎRĀRĬUS, a, um, adj. ad marmor pertinens, vel qui ex marmore est, ut *Marmorarium opus* in programmate officinae alicujus inscripto ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 693. *Diis Manibus* titulos scribendos, vel si quid operis marmorarii opus fuerit hic habes. *Sen. ep.* 90. *med.* Posse nos habitare sine marmorario fabro: posse nos vestitos esse sine commercio Serum. ℙ *Marmorarius, ii*, absolute est artifex elaborandi, et poliendi marmoris, *μαρμαροποιός*. *Id. ep.* 88. *med.* Non adducor, ut in numerum liberalium artium pictores recipiam, non magis quam statuarios, aut marmorarios, aut ceteros luxuriae ministros. *Inscr.* ap. *Grut.* 640, 6. C. Sempronio Felici marmorario. *Vitr.* 7, 6. Caementa marmorea, sive assulae, quae marmorarii ex operibus dejiciunt. [**Emendavit* h. l. *F.*]

MARMŎRĀTIO, onis, f. *μαρμάρωσις*, constructio ex marmore. *Appul. Flor. n.* 18. Pavimenti marmoratio, proscenii contabulatio, scenae columnatio.

MARMŎRĀTUM, i, n. tectorium ex marmore tuso et calce, quod pavimentis et parietibus inducitur: cujus faciendi rationem *Vitr.* 7, 6. docet. *Varr. R. R.* 1, 59. Camaras in oporothecis marmorato, et parietes, pavimentaque facere; et *ib.* 3, 7. Quam levissimo marmorato parietes, ac camaras oblinere. *Plin.* 36, 23, 55. Tectorium nisi ter arenato, et bis marmorato inductum est, non satis splendoris habet; et *mox:* Experimentum marmorati est in subigendo, donec rutro non cohaereat.

MARMŎRĀTUS, a, um, part. a *marmoro:* marmore stratus, aut incrustatus. *Stat. Silv.* 4, 3, 96. Ingenti plaga marmorata dorso, *h. e.* via silicibus strata. *Petr. fr. Trag.* 77. *Burm.* Domus habet quatuor coenationes, cubicula viginti, porticus marmoratas duas. *Varr. R. R.* 1, 59. Parietes, et solum opere tectorio marmorato loricare. [*Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 422, 4. Porticus lapideas marmoratas solo suo ludis scenicis impensa sua fecit, *h. e.* opere tectorio marmorato opertas, ut in basilica Pompejis nuper detecta videre est. V. v. praec. *F.*]

MARMŎRĔUS, a, um, adj. *μαρμάρεος*, qui est e marmore. *Cic. Verr.* 2, 4, 1. Signum aeneum, marmoreum, eburneum. *Id. Dom.* 24. marmoreae columnae. *Id. Par.* 1, 4. Tecta marmorea, ebore et auro fulgentia. *Virg. A.* 4, 392. Marmoreus thalamus, *h. e.* cubiculum pretiosis marmoribus ornatum. *Cic. Par.* 6, 3. et *Ov. Met.* 15, 672. Marmoreum solum, *h. e.* marmore stratum. *Virg.*

Ecl. 7, 35. Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu, Si fetura gregem suppleverit, aureus esto. Adde *Hor. Od.* 4, 1, 20. ℙ Poetice dicitur de membris, quae instar marmoris candent, et nitent, ut niveus. *Virg. G.* 4, 523. marmorea caput a cervice revulsum. *Ov. Met.* 13, 746. Marmoreus pollex; et *ib.* 3, 481. Marmoreae palmae. *Id. Am.* 2, 11, 15. Marmorei pedes. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 421. Hic corpus solidum invenies, hic stare papillas Pectore marmoreo. *Mart.* 8, 56. Marmorea fundens nigra Falerna manu. *Lucr.* 2, 763. quae nigro fuerint paulo ante colore, Marmoreo fieri possint candore repente. *Id. ib.* 774. in marmoreum migrare colorem, *h. e.* albentem. Hinc Marmoreum Paron dixit Ov. Met. 7, 463. quia cum marmore candidissimo abundet, procul aspicientibus candoris speciem praebet: unde *niveam* vocat *Virg. A.* 3, 126. ℙ Dicitur etiam de gelu, quod duritiem marmoris, et candorem refert. *Ov. Fast.* 4, 918. marmoreo pallet adusta gelu. *Id. Trist.* 3, 10, 10. Terraque marmoreo candida facta gelu. ℙ Refertur et ad mare, ut marmor. *Virg. A.* 6, 729. Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus. ℙ *Marmorea ars*, statuaria. *Vitr.* 4, 1. *med.* Callimachus, qui propter elegantiam et subtilitatem marmoreae artis, etc.

MARMŌRO, as, avi, atum, a. 1. marmore incrusto. *Lampr. Alex. Sever.* 25. Palatio exornato hoc genere marmorandi. *Inscr.* ap. *Grut.* 129, 1. Ex conlatione sua, et manipularium suorum aediculam marmoravit. [Alia ap. *eund.* 64, 9. Imperio Domini Silvani C. Cossutius C. L. Epaphroditus aram Silvano marmoravit. V. MARMORATUS. *F.*]

MARMŌROSUS, a, um, adj. marmoris naturam habens, lapidosus, ut Sil marmorosum, ap. *Plin.* 33, 12, 56. et 35, 6, 20.

[MARNAS, ae, m. Deus Gazae in Palaestina veneratus, qui idem fuit ac Juppiter Cretagenes, seu Cretensis, ut constat ex *Steph. Byzant.:* est autem vox Syriaca, qua *dominus hominum* significatur. *Hieronym. in Isaj.* 7, 17, 2. Serapium Alexandriae, et Marnae templum Gazae in ecclesias Domini surrexerunt. *Id.* in *vit. Hilar. n.* 14. Ingrediatur servus ejus Gazam, et idolum Marnas corruat. *Id. ep.* 107. *n.* 2. Jam Aegyptius Serapis factus est Christianus, Marnas Gazae luget inclusus, et eversionem templi jugiter extimescit. V. *Eckhel. D. N. V.* T. 3. p. 450. *F.*]

MĀRO, onis, m. *Μάρων, ωνος*, opifex quidam figulus, vel, ut alii putant, Magii cujusdam viatoris initio mercenarius, mox ob industriam gener: quem cum agricolationi, reique rusticae, et gregibus praefecisset socer, silvis coemendis et apibus curandis reculam auxit. Filium habuit toto litterario orbe, et apud omnem posteritatem celeberrimum, *P. Virgilium Maronem*, in cujus vitae initio haec *Donatus* tradit. Porro cum Maronem legimus, non patrem, sed filium intelligimus. *Mart.* 8, 56. Ingenium sacri miraris abesse Maronis, Nec quemquam tanta bella sonare tuba: Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones: et 14, 186. Quam brevis immensum cepit membrana Maronem! *Id.* 12, 4. Maro summus. *Juven.* 11, 178. Conditor Iliadis cantabitur, atque Maronis Altisoni dubiam facientia carmina palmam. *Rutil. Itin.* 1, 170. Et reges Rutulos, teste Marone, refert. ℙ Fuit etiam *Maro*, vel *Maron* Evanthei filius, Bacchi nepos, et Apollinis Ismarii sacerdos, a quo est Maronea, vel Maronia, *Μαρώνεια*, Thraciae maritimae oppidum, ap. *Plin.* 4, 11, 18. et *Melam* 2, 2. *med.* Hinc Maroneum vinum. ℙ Item fluvius Peloponnesi non longe ab Alpheo. *Paus.* 3, 12. ℙ Praeterea *Maro* nomen est collis in Sicilia. *Plin.* 3, 8, 14. **Cluverio* vulgo est *Madonia* vel *Maduma. B. A.* ℙ In illo versu *Prop.* 2, 23, 48. Flumina sopito quaeque Marone cadunt: videtur *Maro* signum esse sive poetae, sive fluminis, in aquaeductu positum silani loco, et dormientis habitu formatum.

*MARODŌDUS, i, m. Marcomannorum vel Suevorum rex, adolescens Romae benigne ab Augusto habitus. *Vell.* 2, 108 et 109. *Tac. A.* 2, 26. 44. 63. etc. *B. A.*

*MAROHAE, arum, populi Indiae. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*MARON, onis, m. *Μάρων*, Thraciae rex, Apollinis sacerdos. V. *Maro* et *Maroneus, a, um.* ℙ *Maron, i*, n. herba. V. MARUM. *B. A.*

*MARONĒA vel Maronīa, ae, f. *Μαρώνεια*, oppidum Thraciae. V. in MARONEUS: a, um. ℙ Fuit et Maronea Italiae oppidum, in Samnio. *Liv.* 27, 1. *B. A.*

MARONĒUS, a, um, adj. ad Maronem pertinens Thraciae regem, seu ad Maroneam urbem (V. v. praec.), circa quam nobile vinum nascebatur: quo cum ille rex Ulyssem donasset, hic Cyclopi dedit, sopitumque excaecavit. *Tibull.* 4, 1, 56. Cessit et Aetnaeae Neptunius incola rupis, Victa Maroneo foedatus lumina Baccho. *Plin.* 14, 4, 6. Vino antiquissima claritas Maroneo, in Thraciae maritima parte genito, ut auctor est Homerus. (*Odyss.* 9, 195.) ℙ Item ad P. Virgilium Maronem pertinens. *Stat. Silv.* 4, 4, 54. tenues ignavo pollice chordas Pulso, Maroneique sedens in margine templi Summo animum, et magni tumulis adcanto magistri.

MARONIĀNUS, a, um, adj. Maroneus, ad Virgilium Maronem pertinens. *Stat. Silv.* 2, 7, 74. Ante annos Culicis Maroniani. V. CULEX. *Sidon. ep.* 8, 1. *in carm.* stilus aut Maronianus, Aut quo tu Latium beas, Horati; et *carm.* 9, 222. Maronianum bustum.

MARONĪTES, ae, m. *Μαρωνίτης*, qui est ex Maronea Thraciae urbe, de qua in MARO dictum est. *Plin.* 35, 11, 11. *n.* 29. Athenion Maronites.

*MARONĪON, i, n. centaurea major. *Appul. de herb.* 34. *B. A.*

MARPĒSIUS, a, um, adj. *Μαρπήσσιος*, ad Marpesum, *Μάρπησσον* pertinens, qui mons est Pari insulae, ut *Serv.* docet ad illud *Virg. A.* 6, 470. Nec magis incepto vultum sermone movetur, Quam si dura silex, aut stet Marpesia cautes. V. MERMESSIUS. In proverbium abiit hoc *Virgilii* dictum de obstinato, aut stupido. Sic *Arnob.* 2, 60. Stipes ut aliquis, aut Marpesia, ut dictum est, rupes, stabit elinguis, et mutus. ℙ Scribitur et *Marpessius.*

*MARPESSĪUS. V. MARPESIUS. *B. A.*

*MARPĒSUS. V. in MARPESIUS. *B. A.*

MARRA, ae, f. instrumentum rusticum lato ferro radendae terrae, herbisque exscindendis aptum. *Colum.* 10, 70. curvi vomere dentis Jam virides lacerate comas, jam scindite amictus. Tu gravibus rastris cunctantia perfode terga: Tu penitus latis eradere viscera marris Ne dubita; et *ib.* 88. Mox bene cum glebis vivacem caespitis herbam Contundat marrae, vel fracti dente ligonis. *Juven.* 15, 166. cum rastra, et sarcula tantum Assueti coquere, et marris, ac vomere lassi Nescierint primi gladios excudere fabri. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 4. Solum apricum bidente pastinari debet, ternos pedes bipalio alto: marra rejici quaternum pedum fermento, *h. e.* versari, et evolvi. ℙ Aliud marrae officium est in illo *ejusd.* 9, 14, 17. de siluro, pisce ingenti: In Moeno Germaniae amne protelis boum, et in Danubio marris extrahitur, *h. e.* ferreis uncis marrae figura. Ita enim legit *Hard.*, alii aliter.

MARRŪBĬUM, ii, n. *πράσιον*, herba, de qua *Plin.* 20, 22, 89. Marrubium plerique inter primas herbas commendavere, quod Graeci pasion vocant, alii linostrophon, nonnulli philopaeda, aut philochares: notius quam ut indicandum sit. *Colum.* 10, 355. Profuit et plantis latices infundere amaros Marrubii. *Plin l. c.* persequitur varios ejus usus in medicina; et 14, 16, 19. *n.* 4. ex eo etiam vinum fieri ait, quod Graece *πρασίτης οἶνος* dicitur.

MARRŪBĬUS et Marruvius, a, um, adj. ad Marrubium pertinens, oppidum Marsorum, nunc *S. Benedetto*, ad Fucinum lacum, de quo ita *Sil.* 8, 507. Marrubium veteris celebratum nomine Marri. *Virg. A.* 7, 750. Quin et Marrubia venit de gente sacerdos. ℙ *Marruvii, orum*, sunt incolae illius oppidi. *Plin.* 3, 12, 17. Marsorum Anxantini, Atinates (corrige *Antinates*), Fucentes, Lucenses, Marruvii. [Emendavit multisque additamentis instruxit h. l. *F.*]

MARRŪCĪNUS, a, um, adj. ad Marrucinos pertinens, populos Italiae, ad mare Hadriaticum, prope Aternum fluvium, quorum caput fuit Teate Marrucinorum, nunc *Chieti. Sil.* 8, 521. Marrucina simul Frentanis aemula pubes Corfinl populos, magnumque Teate trahebat. *Stat. Silv.* 4, 4. Marrucini montes. *Plin.* 2, 83, 85. Marrucinus ager. ℙ *Marrucini, orum*, sunt incolae illius regionis. *Plin.* 3, 12, 17. Marrucinorum Teatini, Pelignorum Corfinienses. [*Totum hunc locum refinxit *F.*] **Liv.* 8, 29. et 26, 11. *Caes. B. C.* 1, 23. et 2, 34. *Cic. Cluent.* 69. *Tert. adv. Marc.* 5, 17. *f. B. A.*

MARS, artis, m. *Ἄρης*, Deus belli praeses: qui a poetis etiam *Mavors* dicitur. Filius est Jovis et Junonis, ut ait *Hyg. praef.*, vel, ut alii fabulantur, solius Junonis, sine patre. Cum enim vidisset, Jovem maritum percusso capite, sine muliere, procreasse Minervam, Florae monitu, cui doloris et invidiae suae causas ediderat, florem in Oleniis arvis nascentem tetigit, cujus tactu ipsa quoque sine viro concepit, et Martem peperit. Rem narrat *Ov. Fast.* 5, 229. et sqq. Sacra illi sunt, ex locis Thrace praecipue, et quae supra eam regiones sunt, quod in ea est in lucem editus; eamque sedem describit poetice *Stat. Th.* 7. *a v.* 40.: ex populis Romani, quod Romulum et Remum, auctores Urbis et imperii, ex Ilia genuerit: ex bestiis lupus, quod lupa eos pueros expositos lactaverit, vel ob vim, et voracitatem; item equus, cujus maximus est in bellis usus: ex avibus accipiter, qui alias aves persequitur, et conficit; vultur, qui cadaveribus pascitur; item picus, quia iisdem infantibus, Faustulo inspectante, pleno ore cibum ingerere visus est, ut est ap. *Ov. Fast.* 3, 54. et *Aurel. Vict. de orig. gent. R.* 20. Delectari dicitur bello, et caedibus, comitesque illi tribuuntur Impetus amens, caecumque Nefas, Iraeque rubentes, exsanguesque Metus, Insidiae, geminumque tenens Discordia ferrum; tristissima Virtus, laetusque Furor, vultuque cruento Mors armata, ut verbis utar *Statii l. c.* Ferunt, habentem cum Venere consuetudinem, Solis indicio deprehensum a Vulcano, rete aereo tenuissimo super lectulum strato, omniumque Deorum risui objectum, tandem Neptuno intercedente solutum fuisse: quae habes ap. *Ov. Met.* 4, 171. et sqq. Filios habuit ex Venere Harmoniam, et Formidinem, Oenomaum ex Asterope, Hippolyten, vel Penthesileam Amazonem ex Otrira, seu Otrera regina: praeterea ex aliis Lycum, Diomedem, Cycnum, Ascalaphum, etc. *Hyg. praef.* et *fab.* 30, 112. et 159. et alibi. *Virg. Ecl.* 10, 44. Mars durus. *Id. A.* 2, 440. indomitus. *Hor. Od.* 1, 28, 17. torvus; et *ib.* 2, 14, 13. cruentus. *Val. Fl.* 6, 28. saevus. *Ov. Her.* 7, 160. ferus; et *Met.* 13, 11. ferox; et *Rem. Am.* 153. sanguineus; et *Fast.* 3, 1. bellicus. *Mart. Spect.* 6. belliger. *Lucan.* 7, 335. funestus. *Prop.* 4, 1, 105. rapax. *Tibull.* 4, 1, 98. audax. *Sen. Troad.* 185. violentus. *Cic. Att.* 15, 11. Fortibus sane oculis Cassius (Martem spirare diceres) se in Siciliam non iturum. ℙ *Per Martem* jurabant milites. *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 21., *Bacch.* 4, 8, 6. ℙ Metonymice, ut *Bacchus* pro vino, pro frumento *Ceres*, sic pro bello et proeliis *Mars* ponitur. *Sen. Agam.* 921. Cecidit decenni Marte concussum Ilium. *Vell.* 2, 90. Hispaniae multo varioque Marte pacatae. *Plin.* 32, 1, 1. Echeneis fertur Actiaco Marte tenuisse navem Antonii. *Virg. A.* 6, 165. Aere ciere viros, Martemque accendere cantu; et *ib.* 12, 108. Aeneas acuit Martem, et se suscitat ira. *Cic. Marc.* 6. Quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoris. *Ov. Met.* 13, 27. urbis se moenibus hostes Continuere diu, nec aperti copia Martis Ulla fuit. *Sen. Oed.* 275. Aperto Marte, an insidiis jacet? ℙ Item belli aut proelii fortuna, et exitus. *Cic. Fam.* 6, 4. Cum omnis belli Mars communis, et cum semper incerti exitus proeliorum sint. *Liv.* 8, 11. Communem vere Martem belli utramque aciem pari caede prostravisse. *Caes. B. G.* 7, 19. Ut qui propinquitatem loci viderent, paratos prope aequo Marte ad dimicandum existimarent, *h. e.* paribus viribus, et aequo loco. *Liv.* 2, 8. *f.* et *ib.* 51. Ibi varia victoria, et velut aequo Marte pugnatum est. *Hirt. B. G.* 8, 19. et *Curt.* 6, 1. Cum proelium diutius pari Marte iniretur. *Liv.* 1, 25. *med.* Jamque aequato Marte singuli supererant, sed nec spe, nec viribus pares: alter intactus ferro, alter fessus vulnere. *Quint.* 8, 6. *med.* Vario Marte pugnatum est. *Tac. H.* 4, 35. Incerto Marte. *Liv.* 21, 1. Adeo varia belli fortuna, ancepsque Mars fuit, ut propius periculo fuerint, qui vicerunt. *Vell.* 2, 55. Nullum unquam periculosius ab eo initum est proelium, adeo ut plus quam dubio Marte descenderet equo, etc. ℙ *Marte nostro* quippiam facere dicimur, cum solis nostris viribus, nostra sponte, sine alieno auxilio facimus. *Cic. Off.* 3, 7. *f.* Hanc igitur partem relictam explebimus nullis adminiculis, sed ut dicitur, Marte nostro. *Id. Verr.* 2, 3, 4. *f.* Cum vos vestro Marte his rebus omnibus abundetis. *Id. Phil.* 2, 37. *med.* Rex ipse sua sponte nullis commentariis Caesaris, suo Marte res suas recuperavit. Proprie *Ov. Pont.* 2, 8, 49. Sic tibi Marte suo fraterni sanguinis ultor, Purpureus niveis filius instet equis, *h. e.* ipse bella gerens. Ap. *Liv.* 3, 62. *f.* equites *suo Marte* pugnare dicuntur, cum ex equis pugnant; *alieno*, cum ex equis desilientes vice peditum funguntur. [*Adscribamus hic et illud *Liv.* 24, 48. Habere hostem pedestri fidentem Marte, i. e. pedestribus copiis.] ℙ Pro spiritu, et furore bellico. *Plin.* 26, 4, 9. Cum Cimbri, Theutonique terribili Marte ulularent. ℙ Transfertur aliquando ad pugnas forenses. *Ov. Pont.* 4, 6, 29. Ut qui, quid valeas, ignoret, Marte forensi, etc. *Id. Fast.* 4, 188. Et fora Marte suo litigiosa vacent. ℙ Est etiam planetae nomen, de quo *Cic. N. D.* 2, 20. Jovis stellae proximum inferiorem orbem tenet *πυρόεις*, quae stella Martis appellatur: eaque quatuor et viginti mensibus, sex, ut opinor, diebus minus, eundem lustrat orbem, quem duae superiores. *Id. Somn. Scip.* 4. Fulgor rutilus, horribilisque terris, quem Martem dicitis. *Al. leg.* Martium. *Id. N. D.* 2, 46. Summa Saturni stella refrigerat, media Martis incendit: his interjecta Jovis illustrat et temperat. Adde *Plin.* 2, 8, 6., *Hyg. Astron.* 2, 42. et *Appul. de Mundo:* ubi addunt, ab aliis Herculis sidus appellari. Porro in fabulis est, quod cum Vulcanus Venerem duxisset, et propter diligentem custodiam mariti minime liceret Marti ad eam unquam accedere; id tantum assecutus est, ut sua stella Veneris sidus persequeretur. Quod vero ignita et ardens apparet, id amoris vehementiam significare. *Hyg. ib.* ℙ [*Dies Martis* fuit appellatus ille hebdomadae dies, quem nunc Itali *Martedì* vocant. V. DIES. *Inscr.* in *Giorn. de' Letter. di Pisa* T. 6. p. 3. Depositus est VX. Cal. Dec. D. Martis. Haec autem pertinet ad ann. a Chr. n. CCCLXVIII. *F.*] ℙ Veteres Romani agricolae Silvanum praesidem arvorum, nemorum, pecorum, et tutorem finium, *Martis* nomine invocabant, for-

tasse quia primus hic Deus erat, quem gentis auctorem agnoscebant, ut dictum est. Hinc *Cato R. R.* 141. lustrandi agri rationem, et suovetaurilia rusticos docens, Martem patrem in precibus invocandum proponit; et *ib.* 83. Votum, inquit, pro bobus, ut valeant, sic facito: Marti Silvano in silva, interdius, in capita singula boum votum facito, etc.

*MARSĂCI, orum, v. v. sq. *B. A.*

[MARSACII, orum, m. plur. populi Galliae Belgicae. *Plin.* 4, 15, 29. In Rheno ipso, prope centum M. passuum in longitudinem, nobilissima Batavorum insula, et Canenufactum, et aliae Frisiorum, Chaucorum, Frisiabonum, Sturiorum, Marsaciorum, quae sternuntur inter Helium, et Flevum. Iidem videntur ac *Marsaquei* in *Inscr.* ap. *Grut.* 518, 5. T. Hortesio Mucroni nat. Marsaqueo, etc. *F.* **Marsaci*, orum audiunt *Tac. H.* 4, 56. *B. A.*]

*MARSES, flumen Babyloniae. *Ammian.* 23, 21. (al. 6.) ubi tamen pleraeque edd. e. g. *Lindenbrog.* p. 271. et *Boxhorn.* p. 455. etc. habent *Marsias. B. A.*

MARSI, orum, m. plur. *Μαρσοί*, pop. Latii, sub Samnitibus, ubi nunc *l'Abruzzo ulteriore*, juxta lacum Fucinum. Dicti sunt a Marso Circes filio, a quo edocti sunt veneficia et incantationes serpentum, teste *Solin.* 2. *med.* et *Plin.* 7, 2, 2. ℙ Saliva sua serpentum morsibus medebantur, et cantionibus eas disrumpebant. *Plin. ib.*, *Lucil.* ap. *Non.* 3, 69. et *Mela ib.* 7. *n. ult.* ℙ Hinc *Marsi* dicti sunt, quicumque serpentes manu tractant, exarmant, et contra eorum venenum remedia venditant. *Firm. Math.* 8, 17. Quicumque sub hoc sidere nati fuerint, Marsi erunt, vel qui venenis ex herbarum pigmentis confectis, salutaria soleant hominibus remedia comparare. ℙ Fuerunt pauperrimi quidem, sed tamen fortissimi, ut qui acerbissimum Romanis bellum intulerint, ac fere funestius, quam civilia, ut scribit *Plin.* 2, 83, 85. Adde *Flor.* 3, 18. Uterque autem *sociale bellum* appellat: vere enim fuit Sociorum: sed *Marsicum* etiam dictum est, quia Marsi Popedio duce plura per loca Italiae circumtulerunt arma. ℙ Etiam augurio dediti fuere. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 58. et ipse *Cic. ib.* 2, 33. ℙ *Fuere et Marsi Germaniae populi, inter Rhenum, Luppiam, Amisiumque flumina. *Tac. A.* 1, 50. et 56. *B. A.*

*MARSĬAS, ae, m. V. MARSES. *B. A.*

MARSĬCUS, a, um, adj. a Marsis populis, ut Marsicum bellum, *Cic. Agr.* 2, 33. V. v. praec. *Sil.* 8, 497. Marsica pubes Et bellare manu, et chelydris cantare soporem, Vipereumque herbis hebetare, et carmine dentem. *Mart.* 13, 121. Marsica vina.

[MARSILLUS, i, m. dimin. Marsi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1263, 4. D. Laelius Marsillus. *F.*]

*MARSIGNI, orum, m. populi Germaniae australis, prope Boiohemum, Suevorum pars. *Tac. G.* 43. ℙ *Marsingi* audiunt *Cluverio*, qui in hodierna Silesia eos ponit. *B. A.*

MARSPĬTER, tris, m. *Ἄρης*, Mars pater, ut Juppiter, Jovis pater. *Gell.* 5, 12. et *Prisc.* 6, 695. et *sup.* 12. *vers. Aen.* p. 1281. Quidam leg. *Marspater* ap. *Cat. R. R.* 141. Monet *Prisc.* in genitivo esse *Marspitris*, et *Marspiteris.*

MARSŪPIUM, ii, n. *μάρσυπος, μαρσύπιον, μάρσιπος, μαρσίπιον, μάρσιππος*, sacculus nummorum: a secunda voce Graeca allata. *Varr.* ap. *Non.* 2, 563. Majorem curam habere nos marsupii quam vitae nostrae. *Pl. Rud.* 5, 2, 26. Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt. *Id. Epid.* 2, 2, 3. acutum cultrum habeo, qui senis exenterem Marsupium. *Prud. Psych.* tineis etiam marsupia crebris Exesa. *Alcim.* 6, 311. Defossis scrobibus marsupia mersa locavit.

MARSUS, a, um, adj. ad Marsos pertinens, Marsicus. *Enn.* ap. *Donat. de schemat.* p. 1774. et *Charis.* 4, 251. Marsa manus, Peligna cohors. *Colum.* 6, 5. Marsi montes. *Hor. Od.* 1, 1, 28. Marsus aper. *Lucan.* 9, 790. ager. *Hor. Od.* 3, 14, 18. Marsum duellum, *h. e.* bellum Marsicum. *Stat. Silv.* 1, 5, 26. Marsae nives. *Ov. A. Am.* 2, 102. et *Hor. Epod.* 17, 29. Marsa naenia, *h. e.* incantamentum. Sic *Id. ib.* 5, 76. Marsae voces; et *Ov. Med. fac.* 39. mediae Marsis finduntur cantibus angues. *Mart.* 14, 116. vina Marsis condita cellis. [*Front. de B. Partho* (ed. *A. Maio*) Si Marso quis patre natus viperas, lacertas, natrices timeret, nonne degenerare videretur? *F.*]

MARSUS, i, m. Domitius Marsus, civis R. poeta nobilis inprimis, floruit temporibus Augusti. Eum laudant *Ov. Pont.* 4, 16, 5., *Mart.* 2, 71. et 77., 5, 5., 7, 29. et 99., 8, 56. et *Sidon. carm.* 9, 261. Scripsit fere epigrammata, e quibus unum exstat in fine *Tibulli* carminum. Cetera perierunt omnia. Alius ab hoc videtur esse, quem *Mart.* memorat 4, 29. auctor *Amazonidis* poematis. Prioris meminit etiam *Suet. Gramm.* 9. et 16.

MARSYAS et Marsya, ae, m. *Μαρσύας*, Satyrus, filius Hiagnis, seu Hyagnis, tibicen e Phrygia, ea temeritate, ut Phoebum ad cantus certamen auderet provocare, a quo et victus, et excoriatus est. *Ov. Fast.* 6, 705. et *Met.* 6, 383. et *Appul. Flor. n.* 3. ℙ Ejus statua fuit Romae in foro, ubi causae agebantur. *Hor. Sat.* 1, 6, 120. non sollicitus, mihi quod cras Surgendum sit mane, obeundus Marsya, etc. Docet *Serv.* ad *A.* 4, 58. et *ib.* 3, 20. Marsyae statuam in urbium liberarum foro collocatam, altera manu erecta, libertatis indicium fuisse. Hoc autem ideo, quia fuisse dicitur minister Bacchi, qui libertatis Deus est. Ad hanc statuam noctu conveniebant etiam meretriculae, quaestum corpore facientes, et capiti ejus corollas imponebant. Testem habes *Sen. Ben.* 6, 32. et *Plin.* 21, 3, 6., quae notavit *Lips. antiquar. lect. l.* 3. *med.* Marsyae figuram, qualis in urbium foro erat, habes in nummo gentis Marciae apud *Morell. Fam. Rom. tab.* 1. *n.* 7. ℙ Ap. *Petr. Sat.* 36. in descriptione convivii repositorium est quatuor Marsyas circa angulos habens, ex quorum utriculis garum piperatum currebat super pisces, qui in euripo natabant, *h. e.* quatuor sigilla Marsyam referentia, cujusmodi erant in aquaeductibus silani, et tullii. ℙ Deum appellat *Plin.* 21, 3, 6. ℙ *Marsyas* item fluvius Phrygiae Magnae, haud procul a Meandro oriens, in quem apud Celaenas, et Apameam urb. quam circumfluit, excurrit. Poetae fabulantur, ortum esse ex lacrymis Nymphārum et Satyrorum Marsyam tibicinem ab Apolline ibi excoriatum flentium, et a Marsya appellatum fuisse. *Ov. Met.* 6, 400. et *Liv.* 38, 13. ℙ *Fuit et Marsyas nomen fluminum duorum Syriam lavantium; quorum unum in Orontem labitur, prope Apamaeam; alterum autem in Euphratem. Hujus meminit *Plin.* 5, 24. illius *Id. ib.* 23. *B. A.*

*MARTA, ae, flumen Hetruriae, in mare Hetruscum influens. *Anton. Itin.* ℙ Est et hodie *Marta. B. A.*

MARTENSIS, e, adj. a *Marte*, ut videtur. *Martenses sodales* in *Inscr.* ap. *Mur.* 525, 1. videntur esse milites certi sodalitii, seu collegii militaris, peculiari religione se Martis cultores profitentes: unde *Martense collegium* habetur in duab. *Inscr.* ap. *De-Vita Antiq. Benev. cl.* 6. *n.* 3. et 9. et *Martensium studium*, h. e. schola, *ib. n.* 1. Verum haec vox videtur esse Latinitatis labentis. V. *ib. Dissert.* 5. p. 169. [*Inscr.* ap. *Don. cl.* 9. *n.* 22. Inferat convibio (*h. e.* convivio, sive collegio) veteranorum X. C. *F.*]

MARTES, is, f. fera exigua ex genere mustelarum. Videtur esse a *Marte*, quod vi Martia mures, gallinas, aliasque aves necet. *Mart.* 10, 37. Venator capta marte superbus adest. Al. leg. *mele*, [et fortasse rectius; nam Latinis, ut et Graecis, *mártora* ignota fuisse putatur. *F.*]

MARTĬALIS, e, adj. ad Martem pertinens, *Ἄρειος. *Cic. Har. resp.* 6. Flamen Martialis. *Hor. Od.* 1, 17, 9. Nec Martiales haedilia lupos metuunt. V. LUPUS. ℙ *Martiales ludi* videntur fuisse, qui in circo calendis Augusti quotannis celebrabantur, quod eo die Martis aedes dedicata fuerat. *August.* in *ep. ad Liv.*, ap. *Suet. Claud.* 4. Quid nepoti tuo Tiberio faciendum esset ludis Martialibus; et *paulo post:* Curare eum ludis Martialibus triclinium sacerdotum, non displicet nobis. ℙ *Martiales*, h. e. milites legionis ejus, quae *Martia* cognominata est. *Cic. Phil.* 4, 2. ℙ *Martialis campus* dictus fuit locus in monte Coelio, in quo Equiria celebrabant, si quando aquae Tiberis Martium campum occupassent. *Ov. Fast.* 3, 519. et *Paul. in epit. Festi.* ℙ [Est quoque cogn. Junonis in nummis Treboniani Galli ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 358., cujus signum forficulas dextra tenet ad significandum, ut hae capillos tondent, et caput a sordibus purgant, ita Junonem aerem purgare. Cur vero haec Juno dicta fuerit Martialis, cum eodem *Eckhelio* nos ignorare fatemur. ℙ Item *Martiales* fuerunt appellati in aliquo oppido ministri publici Martis, qui plerumque e libertinorum genere erant, et tertium civium ordinem, inter Augustales nempe et plebem, in illis oppidis constituebant, ut Concordiales Patavii, Apollinares Mutinae, Mercuriales Beneventi, et alibi. *Cic. Cluent.* 15. Martiales quidam Larini appellabantur, ministri publici Martis, atque ei Deo veteribus institutis religionibusque Larinatium consecrati. V. MERCURIALIS. *F.* ℙ *Sacili, cognomine *Martialium*, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*]

MARTĬĂLIS, is, m. M. Valerius Martialis, Hispanus ex Bilbili Celtiberiae oppido, sed Romanus civis, scripsit libros epigrammatum, qui adhuc exstant, multis salibus aspersos, saepe etiam obscenitatibus, quas nimis aperte aliquando depingit. Vixit sub imperatoribus Domitiano, Nerva, et Trajano. Eum impense laudat *Plinius* junior (laudatus ab ipso prius *epigr.* 10, 19.) ut ingeniosum, acutum, acrem, et qui plurimum in scribendo et salis haberet, et fellis, nec candoris minus, *ep.* 3, 21. Sane ejus Latinitas longe purior est, et nitidior, quam ab homine Hispano exspectari potuisse, aut aetatem suam dedecere videatur.

MARTĬĀNUS, a, um, adj. ad Martem spectans. *Cic. Balb.* 17. Qui et veterem illam speciem foederis Martiani semper omni sanctiorem Marte duxerunt. Ita legit *Manut.*; alii aliter. [**Orell.*, quem v., legit: qui et veterem illam speciem foederis Marciani semper omni sanctiorem arce duxerunt.] *Martianus* etiam cognominatus est Icelus Galbae libertus, honoris causa, ut est ap. *Suet. Galb.* 14. Quamquam alii *Marcianus* scribunt: quod non a *Marte*, sed a *Marco* est. ℙ *Aelius Martianus* JCtus, cujus responsa saepe in Digestis afferuntur, vixit sub Alexandro Severo, fuitque Papiniani discipulus. *Lamprid. Alex. Sev.* 68.

MARTĬĀTĬCUS, a, um, adj. ad Martem pertinens. Unde Martiatica dicimus stipendia militum, inquit *Prisc. sup.* 12. *vers. Aen.* p. 1284.

MARTICHORA. V. MANTICHORA.

MARTĬCOLA, ae, m. qui Martem colit. *Ov. Trist.* 5, 3, 21. ad usque nivosum Strymona venisti, Marticolamque Geten. Adde *Pont.* 4, 14, 14.

MARTĬCULTOR, oris, m. Marticola. *Inscr.* ap. *Grut.* 55, 10. Deo Marti, et Victoriae contubernium Marticultorum posuerunt.

MARTĬGĔNA, ae, m. et f. Marte genitus. *Ov. Amor.* 3, 4, 39. Martigenae non sunt sine crimine nati, Romulus Iliades, Iliadesque Remus. *Id. Fast.* 1, 199. Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum. *Sil.* 16, 533. spectacula digna Martigena vulgo, *h. e.* populo bellicoso.

[MARTĪNUS, a, um, adj. ad Martem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 21, 2. Deo Aesculapio Septimius Martinus pro Septimia Martina alumna. *F.*]

MARTĬOBARBŬLUS, i, m. miles plumbeis glandibus armatus, quae et ipsae martiobarbuli appellantur, uti docet *Veg. Mil.* 1, 17. Vox tamen ipsa parum Latina videtur. *Turneb. Advers.* 24, 13. putat lascivia militari, et per jocum martiobarbulos dictas esse plumbeas glandes, quod cum pisces in deliciis essent, inter quos barbi, et barbuli numerantur, eae glandes, quasi cibus Martis, ita sint appellatae. *Stewech.* in quodam MS. *mattiobarbuli* legi testatur. V. MATERIARIUS.

[MARTĬOLA, ae, f. dimin. Martiae cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 411, 4. Flavio Martio Martiola filia et heres. *F.*]

MARTĬOLUS. V. MARCULUS.

*MARTISĬUM, i, n. genus escae, quod in mortario ex pisce fieri solet. *Isid.* 20, 2. *B. A.*

MARTĬUS, a, um, adj. *Ἄρειος*, ad Martem, et ad bellum pertinens. *Virg. A.* 9, 566. Martius lupus; et *ib.* 11, 661. cum se Martia curru Penthesilea refert. *Hor. Od.* 4, 14, 17. Martium certamen. *Id. A. P.* 402. Martia bella. *Mart.* 5, 24. Hermes Martia saeculi voluptas, *h. e.* armorum: erat enim gladiator celebris. *Virg. Ecl.* 9, 12. Martia tela. *Id. G.* 4, 71. Martius aeris rauci canor, *h. e.* bellicae tubae sonus. *Id. A.* 7, 182. Martia qui ob patriam pugnando vulnera passi. *Ov. Met.* 14, 798. Martius miles, *h. e.* Romanus: nam Romani *Martis genus* haberi volunt. Hinc *Ov. Fast.* 3, 59. Martia proles, *h. e.* Romulus et Remus Martis filii. *Id. Trist.* 3, 7, 52. Roma; *scil.* quod a Martis filiis condita, et quod maxime bellicosa. *Id. Amor.* 3, 6, 33. Thebe, *h. e.* ob multa bella ibi patrata. *Id. Met.* 3, 32. et *Stat. Th.* 10, 806. *Martium* vocant anguem occisum a Cadmo Thebarum conditore, quia ei loco custos a Marte fuerat appositus. *Appul. Met.* 10. Exemplo legis Atticae, Martiique judicii, *h. e.* Areopagitici, quod Athenis solemne erat. ℙ *Martia legio*, quam laudat *Cic. Phil.* 3, 3. et *ib.* 4, 2., quoniam Antonium deseruerat, a Marte itidem nomen habuit. V. LEGIO. ℙ De *Campo Martio* V. CAMPUS. Sic *Martia arena* dicitur ab *Ov. Trist.* 2, 282. et *Mart.* 2, 75. de circo Romae, ubi varia certamina, praesertim gladiatorum, et hominum cum feris, edebantur. Sic *Martium gramen* ap. *Hor. Od.* 3, 7, 26. ℙ De *Martia aqua* V. MARCIUS, ubi et de scriptione. ℙ *Martius mensis*, tertius a Januario, primus olim fuit ipsius anni, Marti parenti dicatus a Romulo, ut est ap. *Ov. Fast.* 3, 75. et *Tibull.* 3, 1, 1., et patet ex multis aliorum mensium nominibus, qui a numero appellantur, ut *Sextilis*, quia Sextus a Martio, *September*, quia septimus, etc. Nec desunt hodieque qui ab eo annum inchoant. *Hor. Od.* 3, 8, 1. Martiis coelebs quid agam calendis, etc. V. CALENDAE. ℙ Celebres fuere et Idus Martiae, quibus occisus est C. Jul. Caesar. *Cic. Att.* 14, 4. et 20. *f.*, *Fam.* 10, 28., *ib.* 12, 4. et *Phil.* 2, 36.

MARTŬLUS. V. MARCULUS.

MARTYR, yris, com. gen. *μάρτυς*, proprie testem notat. Sed a Christianis sic peculiariter dicitur, qui non ore tantum, sed et sanguine veritatem coelestem testatam facit. *Prud. Cath.* 12, 125. Salvete flores Martyrum, etc. Adde *Hieron. ep.* 119. *n.* 2. et *ep.* 85. *n.* 11. ℙ In femin. gen. *Prud. περὶ στεφ.* 14, 2. Fortis puellae, martyris inclytae. *Tert. Anim.* 55. Perpetua, fortissima martyr.

MARTYRĬUM, ii, n. *μαρτύριον*, testimonium, Christianis est testimonium de veritate coelesti, in quo quis sanguinem effudit, vel cruciatus letales perpessus est. *Tert. Spectac.* 29. Ad martyrii palmas gloriare. *Hieron. adv. Jov.* 1. In Patmos in-

sula, in qua fuerat a Domitiano ob Domini martyrium relegatus. V. *Apoc.* 1, 9. ℙ Item locus, ubi corpora Martyrum sepulta sunt. *Tert. adv. haer.* 46. *med.* Martyria negat esse facienda. In *Cod. Just.* 1, 2, 16. In integrum restituantur universa, quae de sanctissimarum Ecclesiarum, et Martyriorum statu firmiter obtinebant. Adde *ib.* 13. ubi al. leg. *martyrejum*, a Graeco *μαρτυρεῖον.* ℙ Item Ecclesia cuilibet Sancto dicata, licet martyr non sit. *Hieron. Vita Hilar. n.* 31. Causam occultandi fuisse referentes, ne Pergamius, sublato ad villam suam Sancti corpore, martyrium fabricaretur.

*MARUCAEI, orum, m. incolae Marucae, quae ulterioris Asiae urbs fuit, ultra mare Caspium, ad Oxum amnem, in Sogdiana. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

[MARULLĪNUS, i, m. dimin. Marulli. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 683, 11. Flavius Marullinus. *F.*]

[MARULLUS, a, um, dimin. maris, idem ac masculus. Est cognomen R., ut C. Epidius Marullus trib. pl. ann. U. C. DCCX. ap. *Val. Max.* 5, 7. *n.* 2. et L. Eggius Marullus cos. ann. U. C. DCCCCXXXVII. ap. *Fabr.* p. 367. *n.* 127. *Mart.* 10, 55. Quanto sit levior, Marulla dicit. *F.*]

MĂRUM et Maron, i, n. *μάρον*, herba surculosa, flore origani, sed odoratiore, foliisque multo candidioribus, quae circa Magnesiam, et Tralles copiosa gignitur. *Plin.* 12, 24, 53. [*Fortasse Teucrium Marum *L.*, *Katzenkraut.*]

*MARUS, i, m. Germaniae fluvius, qui nunc *March* vocatur, Moraviam hodiernam praeterlabens. *Tac. A.* 2, 63. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

MAS, mās, is, m. *ἄῤῥην*, *ἄρσην*, sexus vocabulum feminae oppositum: a fortitudine. Nam ut Graeci *ἄῤῥην*, ab *Ἄρης*, duplicata canina littera, sic Latini e *Mars* fecere *mas*, ejecta littera canina. *Cic. N. D.* 2, 51. Bestiae aliae mares, aliae feminae sunt; et *ib.* 1, 34. Et mares Deos, et feminas esse dicitis. *Pl. Poen.* 5, 5, 32. Mares homines. *Sen. Herc. Fur.* 878. Permixtae maribus nurus Solemnes agitent choros. *Ov. Fast.* 4, 101. Cum mare trux aries cornu decertat; et *ib.* 741. Ure mares oleas, taedamque, herbasque Sabinas. *Plin.* 16, 14, 25. In tilia mas et femina differunt omni modo: namque et materies mari dura, ac nodosa, etc. *Hor. Sat.* 2, 4, 14. Longa quibus facies ovis erit, illa memento Ponere: namque marem cohibent callosa vitellum, *h. e.* unde mas pullus nascatur. [*Suet. Claud.* 33. Marium expers, i. e. abstinens ab impudicitia; opp. libido in feminas. De genitivo *marum* pro *marium*, quae ubique fere codicum est varietas lectionis, v *Oudendorp.* ad *Suet. Aug.* 21.] ℙ Translate est fortis, durus, virilis, impavidus, sicut *femina* imbellis, mollis, timida. *Hor. Ep.* 1, 1, 64. Et maribus Curiis, et decantata Camillis. *Id. A. P.* 402. Tyrtaeusque mares animos in Martia bella Versibus exacuit. *Pers.* 6, 3. Mire opifex numeris veterum primordia vocum; Atque marem strepitum fidis intendisse Latinae, *h. e.* forte, et generosum carmen. ℙ Contra *male mas* ap. *Catull.* 16, 13. est fractus, languidus, mollis, effeminatus. Sic *male vir* ap. *Ov. A. Am.* 1, 524. Et *parum vir* ap. *Quint.* 5, 10. *f.* ℙ *Mare* neutro genere dixit *Appul. de Mundo:* Sic mare et femineum secus junguntur, ac diversus utriusque sexus ex dissimilibus simile animal facit.

*MASADA, castellum Judaeae. *Plin.* 5, 17. ℙ *Massada* est *Solin.* 35. *B. A.*

*MASATAT, fluvius Libyae interioris. *Plin.* 5, 1. *B. A.*

*MASATI, orum, populi Mauritaniae. *Plin. ib. B. A.*

MASCARPĬO, onis, m. qui virilia carpit, masturbator. *Petr. Sat.* 134.; ubi alii aliter legunt.

[MASCELLĪNUS, a, um, adj. ad Mascellum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 111, 2. Genio Noricorum Mascellus, Mascellinus, et Secundinius Vibianus. *F.*]

[MASCELLĬO, onis, m. dimin. mascelli. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 127. *col.* 6. A. Egrilius Mascellio. *F.*]

[MASCELLUS, i, m. dimin. masculi. V. MASCELLINUS. *F.*]

*MASCLIĀNAE, arum, opp. Africae Propriae, in Byzacena. *Anton. Itin. B. A.*

*MASCŪLA, oppidum Numidiae. *Anton. Itin.* ℙ Hinc *Masculitanus*, *a*, *um*, ap. *Optat. Milevitam. B. A.*

*MASCULĀTUS, a, um, adj. *Appul. Herb.* 82. Mercurialis masculata. *B. A.*

MASCŪLESCO, is, n. 3. masculus fio. *Plin.* 18, 13, 34. Raporum genera Graeci duo prima fecere, masculum, femininumque, et ea serendi modo ex eodem semine: densiorem enim satu masculescere, item in terra difficili.

MASCŪLĒTUM, i, n. locus, in quo plantae vinearum masculae consitae sunt: a *masculus*. Plantae autem masculae sunt, quae non subiguntur, ut palmites alios emittant, sed in altum surgere permittuntur. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 14. Ut faciant, quae masculeta appellant.

MASCŪLĪNE, adv. masculino genere, *ἀῤῥενικῶς*. *Arnob.* 1, 36. Res femininas masculine depromere. *Id. ib.* et *Charis.* 1, 55. Coelum masculine veteres dixerunt.

*MASCULINĪTAS, atis, f. *Constant. Afer.* 6, 1. *B. A.*

*MASCULINĪTER, adv. *Vet. Interpr. Iren.* 1, 1. *B. A.*

MASCŪLĪNUS, a, um, adj. *ἀῤῥενικὸς*, ad masculum pertinens. *Phaedr.* 4, 14. Masculina membra. *Appul. Met.* 7. Masculina facies. *Plin.* 19, 5, 25. Rapa rotunda masculini sexus. *Caesell. Vindex* ap. *Gell.* 7, 2. Masculino genere *cor* enunciavit Ennius. *Gell. ib. f. Cor* masculinum Caesellii defendi posse. ℙ Translate. *Quint.* 5, 12. *med.* Eloquentiam nullam esse existimabo, quae ne minimum quidem in se indicium masculini et incorrupti, ne dicam gravis et sancti viri, ostendet, *h. e.* masculi, virilis, acris. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Malvas. Marm. Felsin.* p. 253. C. Valerius C. F. Masculinus. *F.*]

*MASCULOFEMĪNA, ae, f. *Vet. Interpr. Iren.* 1, 1. *B. A.*

MASCŪLUS, a, um, adj. *ἀῤῥενικὸς*, *ἀνδρικὸς*, dimin. est a *mas*, sed pro eodem adhibetur. *Phaedr.* 4, 14. Masculum genus. *Liv.* 31, 12. Incertus infans natus, masculus, an femina esset. *Pl. Cist.* 4, 2, 39. Bona femina, et malus masculus volunt te. *Ov. Medic. fac.* 94. et *Virg. Ecl.* 8, 65. mascula tura. *Plin.* 12, 14, 32. de arbore turis: Quod ex eo rotunditate guttae pependit, masculum vocamus, cum alias non fere mas vocetur, ubi non sit femina. Masculum aliqui (ut *Serv.* ad *Virg. l. c.*) putant a specie testium dictum: qua ratione sabulonem masculum *Vitr.* 2, 3. dixisse videtur. *Mart.* 11, 44. de uxore: Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus. ℙ Translate est acer, fortis, virilis, impavidus. *Hor. Od.* 3, 6, 37. rusticorum mascula militum Proles. *Pers.* 5, 44. calido sub pectore mascula bilis Intumuit. *Appul. Met.* 7. Uxor aerumnas assiduas ingenio masculo sustinebat. *Id. ib.* 6. Quin Psyche masculum animum sumis? Adde *Varr.* ap. *Non.* 2, 557. ℙ Ap. *Vitr.* 9, 6. *med.* dicitur *cardo masculus*, qui in alterum cardinem ingreditur: et *cardo femina*, qui masculum recipit, et sustinet. Inquit enim: Tympanum includatur cardinibus ex torno, masculo et femina inter se coartatis, etc. ℙ *Mascula libido* ap. *Hor. Epod.* 5, 41. est mulieris *τριβάδος*, et virorum more *ὀχευόνης*. Quo refertur a nonnullis et *mascula Sappho* ap. *eund. Ep.* 1, 19, 28., nam alii audacem et impavidam intelligunt, quod se in mare praecipitare ausa sit. Unde *Stat. Silv.* 5, 3, 155. saltusque ingressa viriles Non formidata temeraria Leucade Sappho.

*MASEI, orum, m. populi Arabiae. *Plin.* 6, 26. Masei Arabes. *B. A.*

*MASGĂBA, ae, m. filius regis Masinissae. *Liv.* 44, 13. ℙ Item Caesaris Augusti amasius. *Suet. Aug.* 98. *B. A.*

*MASINISSA, ae, m. *Μασανάσσης Suidae*, Galae filius, rex Numidarum, Micipsae pater, avus Jugurthae, hostis primum capitalis populi Romani, deinde amicissimus ei factus ad finem usque vitae perseveravit. Multa de eo *Liv.* 24. 25. 28. 29. 30. 31. etc. Meminit etiam *Cic. Sen.* 10. et *Verr.* 2, 2, 46. *Sallust. B. J.* 5. *Ov. Fast.* 6, 769. *Sil.* 16, 117. ℙ Stemma ejus habes ap. *Sigon.* ad *Liv.* 29, 31. et *Spon.* in *Miscell. Ant.* p. 145. ℙ Scribitur et *Masanissa.* Verum de orthographia V. *Drakenb.* ad *Sil. l. c. B. A.* [*Cf. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 440.]

[MASO, onis, m. cogn. R.: videtur esse a *μάσσων*, major, longior, comparat. a *μακρὸς*, longus, cum nempe quis fratribus suis longior fuerit; *Maso* enim vetustiori scribendi modo, et *Masso* recentiori scriptum invenitur. In *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 229. C. Papirius Maso cos. ann. U. C. DXXIII. *Plin.* 15, 29, 38. de eod. L. Piso tradit, Papirium Masonem, qui primus in monte Albano triumphavit de Corsis, myrto coronatum ludos circenses spectare solitum. *F.*]

MASPĒTUM, i, n. folium laserpitii, apio simile. *Plin.* 19, 3, 15.

MASSĂ, ae, f. est a Graeco *μάζα*, ut *Prisc.* docet 1, 561. Porro *μάζα* significat farinam subactam, unde fit panis, sed *massa* Latine dicitur de quacumque materia subacta, et spissata ad modum farinae subactae. *Virg. G.* 1, 275. atrae massam picis urbe reportat. *Colum.* 12, 15. Cum totam massam comminutae fici permiscuerint. *Plin.* 31, 7, 39. Muros massis salis faciunt, aqua ferruminantes. *Id.* 12, 19, 42. Cinnamomum in massas condere. ℙ Speciatim dicitur de caseo. *Ov. Met.* 8, 666. lactis massa coacti. *Mart.* 8, 64. Et massam modo lactis alligati. *Id.* 11, 52. Et Velabrensi massa recocta foco. Adde 13, 31. ℙ Saepe de metallis rudibus, et infectis, quae ignita elaborantur. *Virg. G.* 4, 170. lentis Cyclopes fulmina massis Cum properant. *Id. A.* 8, 453. versantque tenaci forcipe massam. *Juven.* 10, 130. ardentis massae fuligine lippus. *Plin.* 34, 9, 20. Massam aeris prostare. *Id.* 36, 26, 66. Massa vitri candidi. *Id.* 2, 103, 106. *f.* Aes, et plumbum in massa mergi, dilatata fluitare. *Ov. Fast.* 4, 405. Massa chalybis. *Petr. Sat.* 88. *extr.* auri. Adde *Val. Fl.* 2, 339. et 4, 613., *Mart.* 8, 51., *Pers.* 5, 10. et *Ov. Amor.* 3, 8, 38. Absolute de massa auri, *Ov. Met.* 11, 112. de Mida tactu omnia in aurum vertente: Contigit et glebam: contactu gleba potenti Massa fit. In illo *Juven.* 6, 420. Cum lassata gravi ceciderunt brachia massa: *massa* est pondus ferri, aut plumbi, aut saxi, quod versabant, aut jaciebant in balneis sudaturi. ℙ *Massa marmoris* est grande marmoris frustum. *Plin.* 36, 6, 8. Hoc primum invecti Numidici marmoris vestigium invenio, non in columnis tamen, crustisve, sed in massa, ac vilissimo liminum usu. ℙ De congerie confusa elementorum, quae chaos dicitur, *Ov. Fast.* 1, 108. Inque novas abiit massa soluta domos. Adde *Met.* 1, 70. et *Val. Fl.* 1, 830. ℙ De pluribus tabellis simul compactis. *Mart.* 14, 192. cujus lemma est *Ovidii Metamorphosis in membranis:* Haec, tibi multiplici, quae structa est massa tabella, Carmina Nasonis quinque decemque gerit. ℙ In illo *Stat. Silv.* 1, 6, 18. Et massis Amerina non perustis, *Barth. Adv.* 24, 7. intelligit pira Amerina suo legitimo tempore soli exempta, dissecta, et in massam redacta, conditaque: eo modo, quo *massam ficorum* dixit *Colum. l. c. in.* ℙ Quae *massa* legitur in tribus Inscriptionibus sepulcralibus, ap. *Grut.* 663, 3. et 1108, 6. et ap. *Fabr.* p. 98. *n.* 220. videtur eidem *Fabretto* esse murus urnas in suis loculis complectens, et continens, quia ipsae urnae stare per se non possunt, cum acuminatae in fundo sint, [ut videre est in *Monum. seu Columb. Liviae Aug.* a *Donio* edito *tab.* XX. *F.*] ℙ *Colum.* 12, 34., ubi rationem tradit aceti scillitici faciendi, praecipit, ut *mustum*, quod in acetum converti debet, *de sub massa, et limpidum sit.* Sunt qui *mustum de sub massa* intelligunt, quod ex massa vinaceorum recens calcatorum primum profluit. Sic *ib.* 15. *massam ficorum* dixit, qui pedibus proculcati sunt. Ita *mustum de sub massa* est *mustum de sub pedibus raptum*, ut *Pall.* 11, 21. loquitur. Multo tamen rectius si legas, quod ex probato MS. *Morgagnius in Colum. ep.* 4. *sect.* 3. prodidit, *mustum de summo, et limpidum sit.* Illud enim loquendi genus *de sub massa* puritatem *Columellae* minime decet. [Hinc *Pontedera AA. Gr. et Lat.* p. 590. legend. putat: *mustum defluat massa*, etc. ℙ *Massa* etiam dicitur indefinitus agrorum modus, quem quis alicubi possidet. *Inscr.* quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCCLXXXV. ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 1. p. 34. *ed. Mediol.* Inter cetera civibus Praenestinis dari volo ex massa Praenestina casam, cui vocabulum est Fulgerita. V. MANDELANUS. *F.*] ℙ Ap. *Petr. fr. Trag.* 69. *Burm.* est nomen servi. Fuit et Baebius Massa civis Romanus, causidicus, cujus meminit *Plin. ep.* 3, 4. et *ep.* 7, 33., et L. Terentius Massa ap. *Liv.* 31, 50. et 40, 35.

MASSAESYLĪI, orum, m. plur. *Μασσαισύλιοι*, populi Africae, Numidis, Maurisque finitimi, sed nunc exstincti: quorum nunc loca Gaetuli tenent. *Prisc. Perieg.* 177. immensae Nomadum de semine gentes, Et Massaesylī, nec non Massylia proles. Adde *Plin.* 5, 2, 1. ℙ Eorum regio est Massaesylia. *Plin.* 10, 8, 9.

MASSĂGĒTAE, arum, m. plur. *Μασσαγέται*, populi Scythiae, intra Imaum montem: aliis juxta Euxinum pontum, et paludem Maeotidem. *Isidoro* hac in re si credis, *Orig.* 9, 2., dicti sunt, quasi graves Getae, a *massa* metalli pondere. Dicuntur, in fuga, si aquae desint, equorum suorum, sinistri pedis incisa vena, sanguinem bibere cum lacte, ut est ap. *Lucan.* 3, 283. et *Claud. in Ruf.* 1, 311., (quod de Gelonis affirmat *Virg. G.* 3, 463., de Sarmatis *Mart. Spectac.* 3., de Concanis *Hor. Od.* 3, 4, 34., sed nimirum conterminas gentes similibus esse moribus, veri simillimum est) senio confectos in frusta caedere, et ovilla admixta comedere, morbo absumptos feris objicere: uxores habere communes: solem unum Deum habere, eique facere equina victima, cetera numina spernere: hospitibus infestissimi esse, neque cum finitimis amicitiam inire. *Stat. Achill.* 1, 307. Lactea Massagetae veluti cum pocula fuscant Sanguine puniceo. *Hor. Od.* 1, 35, 40. o utinam nova Incude defingas retusum in Massagetas Arabasque ferrum. ℙ In sing. num. *Sil.* 3, 360. Nec qui Massageten monstrans feritate parentem, Cornipedis fusa satiaris, Concane, vena. *Lucan.* 3, 283. solvens jejunia belli Massagetes, quo fugit equo. [*Cf. *Cort.* ad *Eund.* 2, 50., ubi plura laudantur.]

*MASSALA, ae, opp. Arabiae Felicis, in Homeritarum terra. *Plin.* 6, 28. ℙ *Messalum* audit *ib.* 12, 16. *B. A.*

*MASSALIOTĬCUS, a, um, adj. *Μασσαλιωτικὸς*, i. q. Massiliensis. *Plin.* 3, 4. Ostium Rhodani Massalioticum. *B. A.*

MASSĀLIS, e, adj. ad massam pertinens. *Massalis moles* ap. *Tert. adv. Hermog.* 30. est massa informis chaos, ut in MASSA dictum est. Et *massalis summa* ap. *eund. adv. Marc.* 4, 18. *med.* est Christus Dominus, in quo est plenitudo divinitatis, et omnis fons Spiritus Sancti.

MASSĀLĪTER, adv. secundum massam, univer-

sim. *Tert. adv. Valent.* 16. Sed enim *(Christus)* exercitata vitia et usu viriosa confudit. Atque ita massaliter solidata defixit seorsum in materiae corporalem paraturam, etc.

MASSĀRIS, is, f. uva est, quae ex vite silvestri cum flore in Africa decerpitur, medicinae tantum, et odoramentis idonea. *Plin.* 12, 28, 61. et *prooem. l.* 23.

MASSĀTUS, a, um. V. MASSO.

*MASSĬA, ae, f. *Μασσία Steph. Byz.* opp. Hispaniae ulterioris, non procul a Tartesso, circa quod lateres fiebant ex terra pumicosa, qui siccati non mergebantur in aqua. *Plin.* 35, 14. ubi *Hard.* ex MSS. *Maxilua*, quod nomen restitui etiam vult *Vitr.* 2, 3. *B. A.*

*MASSĬCE, es, f. vicus Mesopotamiae III M. P. a Zeugmate Syriae distans. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

MASSĬCUS Mons, *Monte Masso*, vel *Massico*, vel *Marsico*, est in Campania, Falerno agro, et Gauro monte junctus, inter Suessam, Calenum, et Sinuessam, vel inter Minturnas, et Calenum, versus oram maris Tyrrheni. Ferax est optimi vini, quod et *Massicum* absolute dicitur, et a *Plin.* 14, 6, 8. tertia palma, seu tertio nobilitatis gradu inter vina donatur: cum primam vel Setino, vel Caecubo, secundam Falerno dederit. *Virg. A.* 7, 725. vertunt felicia Baccho Massica qui rastris, etc. *Id. G.* 2, 143. Bacchi Massicus humor; et *ib.* 3, 526. Massica Bacchi Munera. *Hor. Sat.* 2, 4, 51. vina. *Id. Od.* 1, 1, 19. veteris pocula Massici; et *ib.* 2, 7, 21. Oblivioso laevia Massico Ciboria exple. *Mart.* 1, 27. Egerit et nigros Massica cella cados. *Id.* 13, 111. De Sinuessanis venerunt Massica prelis.

MASSĪLĬA, ae, f. *Marsiglia, Μασσαλία*, urbs Galliae Narbonensis, in ora Provinciae, praeclara, et emporio, portuque nobilis. Paucis describitur a *Caes. B. C.* 2, 1. Condita est non a Phocensibus Graeciae, sed a Phocaeensibus ex Phocaea urbe Asiae in Ionia, (ut est ap. *Liv.* 5, 34. et 34, 9.) Graecis et ipsis tamen lingua, institutis, legibus. Ita *Strabo l.* 4. *Κείται δ' ἐστὶ Φωκαιέων ἡ Μασσαλία. Just.* 43, 3. Temporibus Tarquinii regis ex Asia Phocaeensium juventus, ostio Tiberis invecta, amicitiam cum Romanis junxit: inde in ultimos Galliae sinus navibus profecta, Massiliam inter Ligures, et feras gentes Gallorum condidit. *Plin.* 3, 4, 5. In ora Massilia Graecorum Phocaeensium, foederata. *Lucan.* non semel Phocaeenses cum Phocensibus confundit, atque his originem Massiliae tribuit, ut 3, 301. Phocais in dubiis ausa est servare juventus Non Graeca levitate fidem; et *ib.* 340. Et post translatas exustae Phocidos arces, etc.; et 5, 53. Massiliaeque suae donatur libera Phocis. P Ejus cives Graeci instituti, legumque, et studiorum tenacissimi fuere, quibus claruere apud omnes, nunquam se passi accolarum barbarorum contagione corrumpi. Itaque olim Massiliae studia ingenuarum artium adeo floruerunt, ut Romani (in quorum amicitia colenda constantissime perstitere) pro Attica peregrinatione Massiliense gymnasium peterent erudiendi gratia. Viguit etiam opibus, et armorum studio, obstinatamque C. Caesaris civili bello obsidionem diu pertulit. V. *Caes. B. C.* 1. et 2. et *Lucan. l. c.* Laudatur ob haec a *Cic. Off.* 2, 8. et *Fl.* 26., *Sil.* 15, 168., *Tac. Agr.* 4. et *Val. Max.* 2, 6. *n.* 7. V. etiam *Just.* 43. 3. 4. 5. et *Lucan. l. c.* Fuit tamen, cum luxus et deliciarum notaretur, ut colligitur ex *Pl. Cas.* 5, 4, 1. Unde Graecum prov. *πλεύσας εἰς Μασσαλίαν.* P De vino Massiliensi V. v. sq.

MASSĪLĬĀNUS, a, um, adj. ad Massiliam pertinens. *Massilianum vinum* legitur ap. *Mart.* 13, 123. *in lemmate*, sed tum ibi, tum 10, 36. damnatur, ut fumo imbutum. Sic 3, 82. Vel cocta fumis musta Massilianis. [Alii rectius, ut constet ratio carminis, leg. *Massilitanis. F.*]

MASSĪLĬENSIS, e, adj. *Μασσαλιώτης*, ad Massiliam pertinens. *Pl. Cas.* 5, 4, 1. Massilienses mores, *h. e.* effeminati et deliciarum pleni. V. MASSILIA. P *Massilienses, ium*, ejus oppidi cives. *Cic., Caes., Liv., Tac., Just., Plin., Val. Max.* etc.

MASSĪLĬOTĬCUS, a, um, adj. Massiliensis: a Graeco *Μασσαλιώτης*. Amplissimum Rhodani ostium *Massilioticum* (seu Graeco more *Massalioticum*, *Μασσαλιωτικὸν*) vocari docet *Plin.* 3, 4, 5., quia versus Massiliam est, in orientem.

MASSĪLĬTĀNUS, a, um, adj. Massiliensis. *Vitr.* 10, 22. *f.* Massilia cum oppugnaretur, Massilitani suspicati, etc. P Insolentem tmesim hujus vocis V. in CEREBRUM.

MASSO, as, a. 1. in massam redigo, conglobo, condenso. *Lucr.* 1, 666. Ignes in coetus stringi, massareque corpus. Alii leg. *mutare*, multo rectius. P Pro *masticare* usurpat *Theod. Prisc.* 1, 8. et massatus 2, 29., unde immassare, ap. *Isid. Orig.* 11, 1., dicuntur dentes molares, qui cibum a prioribus dentibus concisum et confractum subigunt, et veluti in massam redigunt. Sed haec ad lapsam Latinitatem pertinent.

*MASSO, onis. V. MASO. *B. A.*

MASSŪLA, ae, f. *μᾶζιον*, dimin. massae. *Colum.* 12, 38. Post haec complures ex ea massulae fiunt; et *ib.* 48. *med.* Massulae salis.

MASSŪRĬUS Sabinus, JCtus, tempore Tiberii in equestrem ordinem jam grandis natu receptus, publice primus respondit, postquam hoc beneficium (ut scilicet publice respondere posset) ab illo accepit, ut est ap. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *f.* Eum saepe laudat *Gellius* in suis Noctibus. Scripsit tres libros *Juris civilis*, duos *responsorum*, quinque *ad edictum Praetoris Urbani*, commentarios *de Indigenis*, et alia, quorum non semel fit mentio in Digestis, et Codice. P Scribitur et *Masurius:* unde *Pers.* 5, 90. Excepto si quid Masurl rubrica vetavit.

*MASSYCĪTES, ae, m. mons Lyciae. *Plin.* 5, 27. P Proprie est adj. subaudito *mons*, ut in multis aliis hujusmodi nominibus. *B. A.*

MASSYLAEUS vel Massylēus, a, um, adj. ad Massylos pertinens, *Μασυλαῖος* vel *Μασυλεῖος. Mart.* 9, 23. Et Massylaeum virga gubernet equum.

MASSYLI et Massylii, orum, m. plur. *Μασσύλιοι*, [*Μασυλῆες Dionysio* 187. vocantur. Laudat *Cort.* ad *Lucan.* 4, 682. ubi v.] gens Africae, quae in Numidia ab aliis, ab aliis in Libya prope Gaetulos ponitur. V. *Liv.* 24, 48. *f.* et *Plin.* 5, 4, 4. Aliquando a poetis pro Mauritanis ponuntur. Hi dicuntur neque ephippiis uti, neque frenis, sed sola virga equos regere. *Val. Fl.* 3, 728. simul et Massylus, et una Lyctius, et Calabris redit armentarius arvis. P Pro Massaesyliis ponuntur in illo *Silii* 16, 171. Massylis regnator erat ditissimus oris, Nec nudus virtute Syphax. Sic *ib.* 184. ad Tyrios Massylia signa trahebat.

MASSYLĬUS, et

MASSYLUS, a, um, adj. ad Massylos pertinens: qui cum Mauritanis confunduntur aliquando, et pro Afris etiam universim ponuntur. *Virg. A.* 4, 132. Massylique ruunt equites. *Id. ib.* 6, 60. penitusque repostas Massylum gentes: pro *Massylorum. Stat. Silv.* 3, 3, 94. Massyla robora, *h. e.* ligna citrea, et hujusmodi, quae ex Africa advehuntur; et *ib.* 2, 5, 8. Massylus grex, *h. e.* venatorum ex Massylia, qui leones insectantur. *Mart.* 9, 72. Massyli leo fama jugi. *Lucan.* 4, 682. Et gens, quae nudo residens Massylia dorso, Ora levi flectit, frenorum nescia, virga. *Mart.* 10, 94. Massylus serpens; et 13, 37. draco, *h. e.* draco custos horti Hesperidum. *Sil.* 16, 184. Massylia signa. V. MASSYLI.

MASTARNĂ, ae, m. primitivum nomen Coelii, montis in Urbe, quod Querquetulano respondere videtur. *Oratio Claudii Aug.* ap. *Grut.* 502. Servius Tullius montem Coelium occupavit, et a duce suo Coelio ita appellitatus, mutatoque nomine, nam Tusce Mastarna ei nomen erat, ita appellatus est. *F.*]

[MASTAURENSES, ium, m. plur. incolae Mastaurae, urbis Lydiae Cariam versus, nunc *Tiria. Plin.* 5, 29, 31. Mysomacedones, Mastaurenses, Briulitae. *F.*]

MASTĪCĀTĬO, onis, f. actus masticandi. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. *med.* Cibum masticatione exercere.

MASTĪCĀTUS, a, um, part. a *mastico*, dentibus comminutus. *Appul. Herb.* 79. Cum fuerit masticatum, fervorem commovens. *Theod. Prisc. de Diaeta* 10. Portulaca masticata stuporem dentium sanat.

MASTICHĀTUS, a, um, adj. mastiche conditus. *Lampr. Elag.* 19. Et mastichatum, et pulejatum, et omnia haec, quae nunc luxuria retinet, primus invenit, *h. e.* vinum mastichatum. Sic de Gordiano *Capitol. Gord.* 19. Fuit vini cupidior, semper tamen undecumque conditi, nunc rosa, nunc mastiche, nunc absinthio, ceterisque rebus, quibus gula maxime delectatur. P Legitur et *masticatum* sine aspiratione.

MASTICHĒ et Mastice, es, f. *μαστίχη*, lacrima, quae ex quibusdam peregrinis plantis gummi modo manat, ut ex duplici Indica spina, et ex herba folia in radice emittente, et carduum similem malo, seminis plenum, in Asia Graeciaque: quae et helxine dicitur. Nascitur et in Ponto, bituminis similior. Laudatissima est Chia e lentisco. *Plin.* 12, 17, 36. et 21, 16, 56. et 14, 20, 25., ubi intelligimus mastichen veram esse, quae sudat e lentisco. Hac condiebant vina, odoris gratia. V. v. praec. et MASTIX.

*MASTICHELAEON, i, n. oleum ex mastiche. *Constant. Afer.* 7, 6. *B. A.*

MASTICHĪNUS et Masticinus, a, um, adj. *μαστιχινος*, ad masticen pertinens. *Pall.* 4, 9. *in.* Semina madefacere laurino oleo, vel nardino, vel masticino.

MASTICHUM et Masticum, i, n. mastiche. *Pall.* 11, 14. *med.* Aloes uncias quatuor, mastici optimi unciam unam, etc.

[MASTĪCO, as, a. 1. dentibus comminuo. *Pelag. Veter.* 30. *med.* Folia de hedera masticato, et in oculum per triduum spuito. In *Cod.* perperam legitur *massucato. F.* *Adde *Macer de viribus Herb. carm.* 3. et 71. Fortasse est a *μασάομαι* vel *μαστάζω. B. A.*]

*MASTĪGEUS, i, m. *μαστιγεὺς*, i. q. mastigia. *Pl. Truc.* 4, 2, 121. Aggrediundus est hic homo Mastigeus: ubi *Gronov.*: Aggrediundu'st hic homo mihi astu: heus, pax, de tribus verbis volo. *B. A.*

MASTĪGĬA, ae, m. *μαστιγίας*, a *μάστιξ*, verber, idem est quod Latine *verbero, onis*, convicium nempe hominis digni flagris. *Pl. Curc.* 4, 4, 11. Reddin', an non, virginem, mastigia? *Ter. Ad.* 5, 2, 6. Non manum abstines, mastigia? *Pl. Capt.* 3, 4, 69. Crucior, lapidem non habere me, ut illi mastigiae Cerebrum excutiam. P Item fem. gen. ipsum verber. *Sulp. Sever. dial.* 2, 3. Consurgunt omnes pariter in verbera: consumit Gallicas mularum poena mastigias.

*MASTĪGO, as, a. 1. i. q. flagello. *Cyprian. Serm. de rat. circumcis.* p. 489. *B. A.*

MASTĪGOPHŌRUS, i, m. *μαστιγοφόρος*, servus agonothetae, qui eum in sacris certaminibus comitatur, ut ait *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. *med.* virgam praeferens ad summovendam turbam, et cohibendum strepitum, ac insolentiam spectatorum: a *μάστιξ* flagellum, et *φέρω* porto. *Prud. adv. Sym.* 2, 516. Nunc mastigophoris, oleoque, et gymnadis arte Unctis pugilibus, miles pugnabat Etruscus.

[MASTRIX, ĭchis, f. eadem ac mastiche, qua declinatione usi sunt auctores sequioris aevi. *Seren. Samm.* 447. Mastichis addentur fractae jam mollia farra; et 156. Rugarum sulcos lentisci mastiche tendes. *Isid. Orig.* 17, 8. Mastix arboris lentisci gutta est, melior autem in Chio insula gignitur. V. MASTICHE. *F.*]

MASTOS, i, m. *μαστὸς*, herba, quae illita pilos mammarum e partu nascentium aufert, ut est ap. *Plin.* 26, 15, 52. A re autem nomen habet, quia *μαστὸς* mammam significat.

*MASTRAMĒLA, ae, f. lacus Galliae Narbonensis, ubi Maritima Avaticorum, ab orientali ostio Rhodani, hodie *Mer de Martegues. Plin.* 3, 4. P Fuit et oppidi nomen ibi siti. *Fest. Avien.* in *Ora Maritima:* Oppidum Mastramelae Priscum paludis. Cf. et *Mela* 2, 5. *Steph. Byzant. Μαστραμέλη πόλις καὶ λιμνη.* Oppidi nomen hodiernum est *Martegue. B. A.*

MASTRŪCĂ et Mastruga, ae, f. *διφθέρα*, vox quidem peregrina, ac Phoenicum propria, ex quibus et Carthaginenses, et Sardi oriundi fuerunt; genus vero vestis est vilioris, ex duabus ferinis pellibus consutis composita, qua totum corpus, brachiis et cruribus exceptis, agrestes olim populi, ac praecipue Sardi tegebant; constat enim, etiamnum in Sardinia silvestres esse homines, quibus hujusmodi pelles, hieme quidem pilis introrsum, aestate vero extrorsum conversis, loco vestium habentur: his similes fuerunt Germanorum rhenones. V. RHENO. *Isid. Orig.* 19, 23. Mastruca, vestis Germanica ex pellibus ferarum, de qua Cicero pro Scauro: Quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum mastruca mutavit? Mastruca autem dicta, quasi monstruosa, eo quod qui ea induuntur, quasi in ferarum habitum transformentur. Haec *Isid.* Alii pro *Germanica* reponendum putant *Sardica*, sed nihil mutandum; eaedem enim vestes, ut ipse paulo supra dixit, *Germanis rhenones*, *Sardis mastrucae* appellantur. *Quint.* 1, 5. Mastrucam, quod Sardum est, illudens Cicero ex industria dixit. *Prud. in Sym.* 2, 695. de Alarico Gothor. rege: Tentavit Geticus nuper delere tyrannus Italiam, patrio veniens juratus ab Istro, Has arces aequare solo, tecta aurea flammis Solvere, mastrucis proceres vestire togatos. P Adhibetur et in conviciis. *Pl. Poen.* 5, 5, 33. Deglupta maena, sarapis, semicinctium, Mastruga, halagoras, hama. Haec convicia jaciuntur in Hannonem Carthagiensem.

MASTRŪCĀTUS, a, um, adj. Mastruca indutus. *Cic. Prov. cons.* 7. Mastrucati latrunculi in Sardinia.

*MASTRUM, i, n. oppidum Paphlagoniae. *Tab. Peuting. B. A.*

MASTURBĀTĬO, onis, f. actus masturbandi. *Inscr.* ap. *Mur.* 927, 15.

MASTURBĀTOR, oris, m. qui masturbat. *Mart.* 14, 203.

MASTURBĀTUS, a, um, part. a *masturbo*, contaminatus, pollutus. *Mart.* 9, 42.

MASTURBO, as, a. 1. est *χειρουργεῖν, δέφεσθαι*: est a *manu stupro:* verbum dictu factuque turpissimum, ap. *Mart.* 11, 104. quam rem vel ipse impense damnat, et scelus ingens esse dicit, 9, 42., quanto magis Christrianus homo aversari debet? P **Masturbat, δέφει, δέφεται Vet. Gloss. B. A.*

*MASTUSIA, ae, f. *Μαστουσία*, Thraciae promontorium, in Isthmo, e regione Sigei promontorii. *Mela* 2, 2. *med. Plin.* 4, 11. P Item Asiae oppidum, prope Smyrnam. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

*MASTYA, ae, f. oppidum Paphlagoniae, a Milesiis conditum, teste *Plin.* 6, 2. *B. A.*

[MASŪRĬĀNUS, a, um, adj. ad Masurium Sabinum pertinens, JCtum. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 2, 9. Sed quid ego deliramenta Masuriana congero? *F.*]

MASŪRĬUS. V. MASSURIUS.

MĂTAEUS, a, um, adj. *μάταιος*, vanus, ineptus. *Petr. fragm. Trag.* 41. *Burm.* Plane mataeus sum. Alii aliter leg. P [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap.

Fabrett. p. 622. *n.* 189. C. Fetanius C. F. Mataeus. *F.*]

*MATĂRA, ae, f. V. MATARIS. *B. A.*

MATĂRIS. V. MATERIS.

MATAXĂ, V. METAXA.

*MATELGAE, arum, m. oppidum Garamantum, in Libya interiore. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

MĂTELLA, ae, f. ἁμίς, ap. *Non.* 15, 2. est vas aquarium: aliis est vas, in quod urinam reddimus: dimin. matulae. Revera utrumque esse potest. [*Omnino!] *Pl. fragm.* ap. *Non. ib.* Ne tu postules matellam unam tibi aquae infundi in caput. *Varro ib.* Divitum apothecas Chias ad communem revocat matellam. *Id. ib.* Lecto strato matellam, ceteras res hujus, ubique prae se portant. *Mart.* 12, 32. Matella curto rupta latere mejebat. *Id.* 6, 89. Cum peteret seram media jam nocte matellam Arguto madidus pollice Panaretus: *arguto pollice*, h. e. digitis crepantibus qui mos erat domini servum matellam poscentis, ut *Id.* ostendit etiam 3, 82. et 14, 119. ℙ Inter vasa olearia et aquaria *matellam* enumerat etiam *Cato R. R.* 10 et 11. ℙ *Matellam cuipiam praebere* vilissimum omnium ministerium est. Hinc *Mart.* 10, 11. Nil aliud loqueris, quam Thesea, Pirithoumque, Teque putas Pyladi praestare matellam Dignus es, aut porcos pascere Pirithoi. ℙ *Mus in matella*, proverbium in satagentem, sollicitum, anxium, et frustra conantem: quia mus in matellam si incidit, discurrit quidem anxie, sed exitum non invenit. *Petr. fragm. Trag.* 58. *Burm.* Curris, stupes, satagis, tanquam mus in matella. ℙ [*Matellam* vocat *Petr. Sat.* 45. uxorem adulteram, utpote quae cujuslibet viri libidini se subdiderat, tanquam matella convivis. V. MATULA. *F.*]

MĂTELLIO, onis, m. vasis aquarii genus: quo nomine vas appellabatur, ubi a matulae figura longius recessisset, ut *Varro* scribit *L. L.* 4, 25. *Festus:* Matellio diminutivum a matula. *Varro* ap. *Non.* 15, 32. Postularet trulleum, matellionem, pelvim. *Cic. Par.* 5, 2. Si L. Mummius aliquem istorum videret matellionem Corinthium cupidissime tractantem. Adde *Cat. R. R.* 10. et 11.

MATĔOLĂ, ae, f. *Cato R. R.* 45., ubi de seminario olearum faciendo agit, et ex eo *Plin.* 17, 18, 29. Taleam demittito, deprimitoque pede: si parum deprimere poteris, malleo, aut mateola adigito. *Mateolam* dictam putat *Turneb. Advers.* 11, 13. pro *materiolam*, et ligneum fustem interpretatur: *Hard.* ligneum bipalii manubrium. ℙ *Mateola* alio sensu, V. MATTEOLA.

[MATĔOLĀNI, orum, m. plur. incolae Mateolae, urbis Appuliae Peucetiorum, seu Calabriae, nunc *Matera. Plin.* 3, 11, 16. Mateolani, Netini, Rubustini. *F.*]

MĀTER, tris, f. μήτηρ, parens, genitrix, quae quodvis animal partu edit. *Cic. Cluent.* 5. Sassia mater hujus Aviti: mater enim a me nominis causa, tametsi in hunc hostili odio et crudelitate est, mater, inquam, appellabitur. *Id. N. D.* 3, 18. Hecate, quae matre Asteria est, sorore Latonae, *h. e.* matrem habet Asteriam. *Ov. Fast.* 3, 799. Matre satus terra. *Id. Her.* 9, 48. Matrem esse de aliquo, *h. e.* ex conjugio alicujus parere. Sic *Met.* 3, 270. mater De Jove vult fieri. *Id. ib.* 11, 222. Matrem esse alicui: pro *alicujus;* et *ib.* 9, 491. facere aliquam matrem. *Cic. Div.* 2, 41. Juppiter lactens castissime colitur a matribus. *Virg. A.* 7, 813. Illam omnis tectis, agrisque effusa juventus, Turbaque miratur matrum; et *ib.* 11, 477. ad templum summasque ad Palladis arces Subvehitur magna matrum regina caterva. ℙ Est etiam honoris vocabulum (ut *pater*) quo seniores feminas compellamus. *Pl.* de mulieribus feminam sacerdotem salutantibus, *Rud.* 1, 5, 5. Jubemus te salvere, mater. *Sa.* salvete puellae. Sic *Vesta mater* ap. *Sen. Excerpt. controv.* 4, 2., *Ov. Fast.* 4, 828. et *Virg. G.* 1, 498. et *mater Matuta* ap. *Fest.* et *Flora mater* ap. *Lucr.* 5, 738. ℙ *Mater magna*, et *mater* absolute, est Cybele, mater omnium Deorum. *Cic. Sext.* 26. Matris magnae Pessinuntius ille sacerdos. *Virg. G.* 4, 64. Tinnitusque cie, et Matris quate cymbala circum; et *A.* 9, 108. cum Turni injuria Matrem Admonuit, ratibus sacris depellere taedas. ℙ Terra etiam *mater* dicitur, quia cuncta gignit. *Liv.* 8, 6. *med.* Exercitum Diis Manibus, matrique Terrae deberi. *Lucr.* 2, 991. Humorum guttas mater cum terra recepit. *Ov. Fast.* 2, 715. Brutus matri dedit oscula terrae. V. TERRA f. ℙ *Mater florum* ap. *Ov. Fast.* 5, 183. est Flora: *amorum* est Venus, *Her.* 16, 201. et *Val. Fl.* 7, 171. Sic *mater cupidinum*, ap. *Hor. Od.* 1, 19, 1. ℙ Universim *Matres* dicuntur omnes Deae, quae pepererunt, Cybele, Ceres, Hecate, Isis, Vesta, Matuta: item Minerva, et Diana honoris causa. Hinc in multis veteribus Inscriptionibus vota soluta leguntur *Matribus*, ap. *Grut.* 9, 7, 8. et 9., et ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 172. ℙ [*Mater castrorum* fuit appellata omnium prima Faustina junior, uxor M. Aurelii Antonini, de qua ita *Capitol. M. Aurel.* 26. Faustinam secum et in aestivis habuerat, ut matrem castrorum appellaret. Porro deinde aliae quoque Augustae, quae viros ad fortia hortabantur, aut sequebantur in bello, aut aliquid supra sexum ausae fuerant, eadem appellatione sunt honoratae. Hinc Faustinae nummus ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 79. Matri castrorum. *Inscr.* ap. *Grut.* 39, 3. Dianae pro salute Imp. L. Septimii Severi, et Juliae Aug. matri castrorum. Etiam *matres patriae*, et *matres senatus* eaedem Augustae sunt appellatae. Hinc Livia Augusti uxor in nummo ap. *eund.* T. 5. p. 155. *Augusta mater patriae;* et Julia Domna in alio ap. *eund.* T. 7. p. 196. *Mater Augustorum, mater senatus, mater patriae* dicuntur. V. CASTRA et FILIUS. ℙ Saepe dicitur de bestiis. *Varr. R. R.* 2, 4. Binis mensibus porcos sinunt cum matribus. *Virg. A.* 9, 628. juvencum Candentem, pariterque caput cum matre ferentem. *Id. G.* 3, 398. excretos prohibent a matribus hoedos. *Juven.* 11, 70. Grandia praeterea, tortoque calentia foeno Ova adsunt ipsis cum matribus, *h. e.* cum gallinis. Sic *Mart.* 3, 58. Et dona matrum vimineo ferunt texto. ℙ In arboribus est truncus, ex quo enascuntur ramorum propagines. *Virg. G.* 2, 23. plantas tenero abscindens de corpore matrum. *Colum.* 3, 17. Totum flagellum, sicut est matri detractum, etc. *Plin.* 12, 5, 11. Superiores rami in excelsum emicant silvosa multitudine, vasto matris corpore. ℙ In rebus aliis est causa, origo, effector alicujus rei. *Cic. Leg.* 1, 22. Mater omnium bonarum artium sapientia est. *Id. Acad.* 1, 10. *extr.* Immoderata intemperantia, omnium perturbationum mater. *Hor. Sat.* 1, 3, 98. utilitas justi prope mater et aequi. *Cic. Or.* 2, 40. *med.* Avaritiam tollere si vultis, mater ejus est tollenda luxuries. *Id. Inv.* 1, 41. Omnibus in rebus similitudo est satietatis mater. *Varr. R. R.* 2, 5. Apes mellis matres. Joculariter *Pl. Amph.* 1, 1, 274. Hirneam ego, ut matre fuerat natum, vini eduxi meri, *h. e.* sine admixtione aquae, ut ex vite, uvaque prodiit. ℙ De affectu materno in liberos. *Sen. Med.* 928. Ira discessit loco: materque, tota conjuge expulsa, redit. Sic *Claud. III. cons. Honor.* 157. Indue mente patrem. ℙ De partu, vel pariendi officio. *Sen. Herc. Oet.* 389. Materque multum rapuit ex illo mihi, *h. e.* partus multum detraxit de illa mea pulcritudine. ℙ Interdum dicitur de nutrice. *Pl. Men. prol.* 19. Ita forma simili pueri, ut mater sua Non internosse posset, quae mammam dabat; Neque adeo mater ipsa, quae illos pepererat. *Virg. A.* 8, 631. Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros, et lambere matrem. Hinc *Non.* 5, 9. discrimen assignat inter *genitricem*, et *matrem*, quod illa, quae genuerit; haec etiam quae lac dederit, nuncupetur. ℙ Eleganter dicitur de patria. *Claud. II. cons. Stil.* 175. de Roma: Protegis hanc clypeo matrem regumque ducumque. ℙ [*Mater* est quoque nomen sacerdotii feminei. *Inscr.* ap. *Mur.* 165, 5. et emendatior 1981, 2. Deae Semelae, et sororibus ejus Deabus ob honorem sacri matratus Regina Paterna mater nata et facta aram posuit sub sacerdot. A. Seranio Catullo patre. Haec vero *mater nata* vocatur, quod filia sacerdotis, ac propterea ipsi jus in sacerdotii successionem esset; *facta*, quod suo tempore sacerdotium inierit. Sorores autem Semelae sunt Ino, Agave, et Autonoe ex *Hyg. fab.* 179. Alia apud *Reines. cl.* 5. *n.* 14. Geminia Titulla Arausiensis mater sacrorum hic adquiescit. Haec videtur Mithrae cultui addicta, cujus sacerdotes *patres sacrorum* appellabantur. V. MATRATUS. ℙ *Matres* dicuntur quoque Deae regionum, vel urbium tutelares. *Inscr.* ap. *Grut.* 90, 10. Diis Deabusque omnibus matribus Vapthiabus, et Genio loci sacrum. Alia *ib.* 9. Matribus Gallaicis T. Fraternius V. S. L. M. V. aliam in AUFANIAE. V. etiam MATRAE. *in. F.* ℙ *De palude. *Mela* 2, 1. *med.* Ex grandi palude oritur *(Hypanis)*, quam matrem ejus accolae adpellant. *B. A.*]

MĀTERCŬLA, ae, f. dimin. *matris:* et dicitur vel blandiendi causa, vel de matre timida, et pusilli animi. *Pl. fragm.* ap. *Prisc.* 3, 601. Tu ne igitur mea matercula? *Cic. Fl.* 36. *extr.* Nunc denique materculae suae festivus filius, aniculae minime suspiciosae, purgat se per epistolam. *Hor. Ep.* 1, 7, 7. Dum pueris omnis puer, et matercula pallet.

*MATERENSE oppidum in Africa propria fuit, in Byzacena. *Plin.* 5, 4. ed. *Hard.* Antea legebatur *Madaurense. B. A.*

MĀTERFĀMĪLIAS, et Mater familias, item Materfamiliae, et Mater familiae, f. οἰκοδέσποινα. Et separatim, et conjunctim scripta legitur: vox autem *familias* antiquus genitivus est Graeca positione, ut *Monetas* pro *Monetae* ad normam secundae simplicium declinationis. *Gell.* 18, 6. ex idoneis vocum antiquarum enarratoribus docet, matremfamilias appellatam esse eam solam, quae in mariti manu mancipioque, aut in ejus, in cujus maritus manu mancipioque esset: quoniam non in matrimonium tantum (ut *matrona*), sed in familiam quoque mariti, et in sui heredis locum venisset. *Cic. Top.* 3. Uxoris duae formae: una matrumfamilias, eae sunt, quae in manum convenerunt: altera earum, quae tantummodo uxores habentur. V. COEMPTIO. ℙ *Materfamilias* intelligitur non tantum nupta, sed etiam vidua, ut diserte docet *Papin. Dig.* 48, 5, 10., quamvis *Festus* id neget, cujus haec sunt verba: Materfamiliae non ante dicebatur, quam vir ejus paterfamiliae dictus esset: nec possunt hoc nomine plures in una familia, praeter unam appellari: sed nec vidua hoc nomine, nec quae sine filiis est, appellari potest. Haec *Festus*, qui intelligendus est ad antiquorum loquendi morem respexisse, ut dicamus etiam a *Papiniano* vere scribi, quod paulatim etiam viduae *matresfamilias* appellari coeperint. Sane *Cic. Coel.* 13. Clodiam, quae vidua erat, *matremfamilias* vocat. Idem dicendum est de ea, quae sine liberis sit. Nam JCti aliter sentiunt. *Ulp. Dig.* 1, 6, 4. Patres familiarum sunt, qui suae potestatis sunt, sive puberes, sive impuberes: simili modo et matres familiarum. *Id. ib.* 50, 16, 46. Matremfamilias accipere debemus eam, quae non inhoneste vixit. Matrem enim familias a ceteris feminis mores discernunt: proinde nihil interierit, nupta sit, an vidua; ingenua sit, an libertina: nam neque nuptiae, neque natales faciunt matres familiarum, sed boni mores. Haec *Ulp.* Sic *Tert. Virg. vel.* 11. Materfamiliae vocatur, licet virgo; et paterfamiliae, licet investis. ℙ De quacumque uxore, etiam optimi scriptores, ante JCtos usurparunt. *Cic. Verr.* 2, 1, 24. Quam multis matribus familias vim attulisse existimatis? *Liv.* 34, 7. Cum tibi viro liceat purpura in veste stragula uti, matremfamilias tuam purpureum amiculum habere non sines? Alii leg. *matrem familiae. Id.* 39, 53. Hunc justa matrefamilias, illum pellice ortum esse. Alii leg. *matre familiae. Arnob.* transposuit 4, 152. et *familias matrum* dixit. ℙ Tota hac de re accurate *Manut.* ad *Cic. Fam.* 5, 10.

MĀTĒRIĀ, ae, f. et Materies, ei, f. ὕλη, id, ex quo fit aliud, ut materia libri charta est, et atramentum: domus lapides, ligna, calx, etc. Volunt esse a *mater*, ut a *luxu* luxuria, luxuries. *Ov. Met.* 2, 4. Argenti bifores radiabant lumine valvae: Materiam superabat opus. *Vitr.* 2, 8. *extr.* De parietibus, et apparatione generatim materiae eorum exposui. *Lucr.* 1, 191. Quaeque sua de materia grandescere, alique; et *ib.* 249. Haud igitur redit ad nihilum res ulla, sed omnes Discidio redeunt in corpora materiae. *Lucan.* 2, 8. Materia rudis, *h. e.* chaos et massa prima, ut *Val. Fl.* 1, 830. loquitur. *Cic. N. D.* 3, 39. Materia rerum, ex qua, et in qua sunt omnia. Adde *Acad.* 1, 6. et 7., ubi de Peripateticorum materia agit. ℙ Ut Graecis ὕλη, silvam, sic materies Latinis lignum significat. *Colum.* 5, 11. Resecta arbor inter librum et materiam semina admittit; et *mox:* Cuneum inter corticem et materiem demittito. *Plin.* 16, 28, 51. Tarde senescunt, quorum crispa materies, ut acer, palma, populus. *Colum. Arbor.* 1. Duo sunt genera surculorum: quorum alterum sua sponte gignitur, alterum cura mortalium procedit: illud materiae est magis aptum: hoc idoneum fructibus, *h. e.* vel ad comburendum, vel ad aedificandum: loquitur enim de arboribus universim. ℙ Speciatim lignei rami, qui ex arboribus enascuntur. *Colum.* 4, 24. *med.* Ipsius autem materiae, quam submittemus, longitudini modum difficile est imponere; et *ib. in.* Modus materiarum is erit, quem dictabit humi atque ipsius stirpis laetitia. *Id.* 3, 21. *med.* Multum interest, pluresne, an pauciores materias, pro natura cujusque stirpis vinitor submittat. *Id.* 4, 21. Vitis in materiam, frondemque effunditur. ℙ Speciatim iterum genus palmitis, quod de novello nascitur, et in tenero alligatum dependet, materiam vocamus, inquit *Id.* 5, 6. *f.* ℙ Item ipse truncus, unde sarmenta prodeunt. *Cic. Or.* 2, 21. Facilius, sicut in vitibus, revocantur ea, quae se nimium profuderunt, quam, si nihil valet materies, nova sarmenta cultura excitantur. ℙ Praecipue vero ligna, quae ad fabricandum utilia sunt, hoc nomine significantur, ut tigna, asseres, tabulae, etc. *Cic. Verr.* 2, 5, 18. *extr.* Dixit Hegius, navem tibi operis publicis Mamertinorum esse aedificatam. Reliqua est materies: hanc Rheginis publice, quod Mamertini materiem non habent, imperavisti. (Adde *Virg. A.* 11, 328.) *Id. Mil.* 27. Repente lintribus in eam insulam materiam, calcem, caementa, atque arma convexit. *Cato R. R.* 17. Materies pro ridica, ubi solstitium fuerit ad brumam, semper tempestiva est. *Colum.* 11, 2. Omnis materia sic caesa judicatur carie non infestari. Adde *Caes. B. G.* 4, 17. et 18., ubi de pontis; et *ib.* 31., ubi de navium; et 5, 39., ubi de munitionum et valli constructione agit, et alibi saepe. Hinc illud discrimen inter *lignum*, et *materiam* ap. *Ulp. Dig.* 32, 53, 1., ubi docet, *materiam* esse, quae ad aedificandum, fulciendumque necessaria est: lignum, quidquid comburendi causa paratum est. *Plin.* 16, 40, 76. *n.* 3. Cornus non potest videri materies propter exilitatem, sed lignum. [*Tac. A.* 1, 35. materiae, lignorum adgestus. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 301.]

℗ Accipitur etiam pro genere, seu stirpe. *Colum.* 6, 27. Summam sedulitatem desiderat equinum genus: est enim generosa materies, quae circo sacrisque certaminibus equos praebet: est mularis, quae pretio fetus sui comparatur generoso: est vulgaris, quae mediocres feminas maresque progenerat. *Id.* 7, 3. *med.* de ovib.: Quod ex vetere materia nascitur, plerumque congeneratum parentis senium refert. ℗ Transfertur etiam ad ciborum conditionem. *Cels.* 2, 18. In media vero materia numerari ex oleribus debere ea, quorum radices, vel bulbos assumimus: imbecillissimam vero materiam esse omnem caulem oleris, et quidquid in caule nascitur, qualis est cucurbita, et cucumis etc. ℗ [*Inde transfertur ad eas res, in quibus artes versantur, *der Stoff oder Gegenstand der Künste und Wissenschaften. Cic. Inv.* 1, 5. Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars et facultas, quae conficitur ex arte, versatur. Ut si medicinae materiam dicamus morbos ac vulnera, quod in his omnis medicina versetur; item quibus in rebus versatur ars et facultas oratoria, eas res materiam artis rhetoricae nominamus. *Off.* 1, 5. Sapientiae quasi materia, quam tractet, et in qua versetur, subjecta est veritas. *Or.* 1, 3. Quis musicis, quis huic studio literarum, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, penitus se dedidit, quin omnem illarum artium paene infinitam vim et materiam scientia et cogitatione comprehenderit. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] ℗ Est etiam argumentum sermonis, orationis, libri, seu res, de qua agitur. *Cic. Or.* 2, 59. Est etiam deformitatis, et corporis vitiorum satis bella materies ad jocandum. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 1. *extr.* Sic habeto, materiam omnem sermonum eorum, qui de te detrahere velint, Statium dedisse. *Id. Att.* 2, 12. Quod me, ut scribam aliquid, hortaris, crescit mihi quidem materies, ut dicis, sed, etc. *Id. Q. Fr.* 2, 1. Lupus egit causam agri Campani: materiam rei non ignoras. [*Plura v. ap. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Hor. A. P.* 38. Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam Viribus. *Ov. Amor.* 1, 3, 19. Te mihi materiem felicem in carmina praebe. *Phaedr. prol. l.* 1. Aesopus auctor quam materiam repperit, Hanc ego polivi versibus senariis. *Gell.* 17, 12. Infames materiae, sive quis mavult dicere inopinabiles, quas Graeci *ἀδόξους ὑποθέσεις* appellant. [*Adscribamus etiam locum *Suet. Rhet.* 5. Materia facilis, in te et in tuos dicere; (ubi *dicere* est nominat. subjecti.) Ita *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 498. Porro *Mela prooem.* 5. quem persequi, longa est magis quam benigna materia.] ℗ Item occasio, causa, facultas. *Ov. Trist.* 2, 32. Materiam veniae sors tibi nostra dedit. *Sall. Cat.* 10. Primo pecuniae, dein imperii cupido crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere. *Cic. Dom.* 5. Materiem subtrahere furori; et *paulo post:* Ne in hanc tantam materiam seditionis ista funesta fax adhaeresceret (ubi ad ligni materiam aperte respicit). [*Mil.* 13. Quid enim odisset Clodium, segetem ac materiem suae gloriae. *Liv.* 1, 39. Materiem ingentis publice privatimque decoris (Serv. Tullium) omni indulgentia nostra nutriamus.] *Cic. Phil.* 11, 9. invidiae dare. *Id. Or.* 2, 84. Ut opes et copiae non superbiae videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem et materiam dedisse. *Just.* 3, 2. *extr.* Materia scelerum. *Id.* 11, 5. seditionis. *Lucan.* 8, 76. laudis. *Plin. Pan.* 38. benefaciendi. *Vell.* 2, 62. Materiam belli praebere. *Ov. A. Am.* 1, 49. quaerere amori. *Tac. A.* 12, 22. sceleri detrahere. *Just.* 30, 1. quietis avide arripere. [*Plura si cupias, v. *Boettich. Lex. Tac.* p. 301. et *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 497. sq. ℗ Ponitur *materia* etiam absolute malo sensu pro *causa calumniandi.* Ita legitur ap. *Suet. Galb.* 9. Paulatim in desidiam segnitiemque conversus est, ne quid materiae praeberet Neroni, sc. eum calumniandi, et tanquam hominem perniciosum et res novas molientem tollendi.] ℗ Transfertur etiam ad animum, ejusque vim, indolem, ingeniumque significat, [*quod cultura excitatur et perficitur.] *Cic. Verr.* 2, 3, 68. *med.* Fac, fuisse in isto C. Laelii, M. Catonis materiem atque indolem. [*Adde *Inv.* 1, 2. Quae materia esset in animis humanis.] *Liv.* 1, 46. Angebatur ferox Tullia, nihil materiae in viro neque ad cupiditatem, neque ad audaciam esse. [*Quint. Inst.* 2, 8, 12. Si vero liberalior materia contigerit, etc. ubi v. *Spalding.*] *Ov. Her.* 4, 85. Tu modo duritiem silvis depone jugosis: „Non sum materia digna perire tua, *h. e.* ingenio tuo averso ab amore, et ad venandum omnino converso. ℗ [*Permut. *materia* et *maceria.* V. *Brem.* ad *Suet. Ner.* 33.]

MĂTĔRĬĂLIS, e, adj. *ὑλικός, ὕλινος,* qui est e materia. *Macr. Somn. Scip.* 1, 12. *med.* Priusquam materialis influxio in corpus venientes animas ebriaret.

MĂTĔRĬĂLĬTER, adv. *ὑλικῶς,* secundum materiam. *Sidon. ep.* 8, 11. *post carmen.* In pectore viri iracundia materialiter regnans.

MĂTĔRĬĂRĬUS, a, um, adj. ad materiam pertinens, qua lignum significat ad fabricandum utile. *Plin.* 7, 56, 57. Fabricam materiariam invenit Daedalus, et in ea serram, asciam, perpendiculum, terebram: *ὑλουργίαν δρυοτομικήν.* ℗ *Materiarius faber*, et absolute *materiarius*, qui materiariam fabricam exercet: *ξυλουργός, δρυοτόμος. Inscr.* ap. *Grut.* 642, 6. Fulvius L. F. Quintianus, faber materiarius, pius in suos, vixit ann. XLVI. etc. ℗ [*Materiarius negotians* est *mercante da legname*, mercator materiae. *Inscr.* ap. *Mur. per fabriche*, mercator materiae. *Inscr.* ap. *Mur.* 980, 8. Silvano Aug. sacrum L. Titius Eutychas negotians materiarius D. D. *F.*] ℗ Item absolute qui materiem in silva caedit ad aedificia. *Pl. Mil.* 3, 3, 45. Si non nos materiarius moratur, quod opus est qui det, Cito erit parata navis. ℗ Est etiam, qui materes facit. Sic enim legit *Voss.* in *Etym.* voce *Materis*, illud *Ammiani* 21, 13. *f.* Imperator Arbetionem iter suum praeire cum lanceariis, et materiariis, et catervis expeditorum praecepit. Similem locum habet 31, 13., sed utrobique al. leg. *mattiariis*, qui dicti videntur a quodam teli genere, quod *mattium* appellabatur, quo armati erant. Sane ap. *Ammian.* non de fabris, sed de militibus sermo est. Porro *mattium* et *mattiarius* peregrinae voces sunt. *Zosimus l.* 3. Graece *ματτιάριος* habet, ut adnotavit *Vales.* ad *citat. priorem* habet, ut adnotavit *Vales.* ad *citat. priorem loc. Ammiani.* ℗ *Haeretici materiarii* a *Tert.* dicuntur *adv. Hermog.* 25. qui materiam ab aeterno fuisse credebant.

MĂTĔRĬĀTĬO, onis, f. materies lignaria in aedificiis, ut trabes, tabulae, contignationes, etc. *Vitr.* 4, 2. In aedificiis collocatur materiatio, variis vocabulis nominata. Prosequitur deinde *Vitr.* nominando trabes, tigna, axes, transtra, capreolos, canterios, etc., quae omnia *materiationis* vocabulo continentur.

MĂTĔRĬĀTŪRĂ, ae, f. materiaria ars, quae circa materiationem versatur. *Vitr.* 4, 2. E quibus rebus, et a materiatura fabrili, in lapideis aedificationibus artifices dispositiones eorum scalpturis sunt imitati.

MĂTĔRĬĀTUS, a, um, part. a *materio:* materia praesertim lignaria, seu materiatione constructus. *Cic. Off.* 3, 13. Aedes pestilentes, male materiatae, ruinosae. Sunt qui leg. *malae materiae.* [*MATERIES. V. MATERIA.]

MĂTĔRĬNUS, a, um, adj. *Materina terra* ap. *Cato R. R.* 34. exponitur a *Turneb. Adv.* 21, 25. dura, solida, et prope lignea. Monet *Idem* ab aliquibus legi, *macerina*, h. e. *macra.* Alii *materinam* intelligunt, ubi materia sit, et rudus aedificiorum. *Plin.* 18, 17, 46. sententiam Catonis aliis verbis exprimens, In solo, inquit, rubricoso, vel pullo, vel arenoso, si non sit aquosum, lupinum seri. *Catonis* verba sunt: Ager rubricosus, et terra pulla, materina, rudecta, arenosa, item quae aquosa non erit, ibi lupinum bonum fiet. *Plin.* itaque *materinam terram*, vel eandem esse ac *rudectam* et *arenosam*, aut saltem similem putavit: vel ne ipse quidem intellexit, ideoque dissimulavit, ac praeteriit. [*Schneiderus* praefert legendum *tenerrima. F.*]

MĂTĔRĬŌ, as, a. 1. *Vitr.* 5, 12. *f.* Eaque aedificia minime] sunt materianda propter incendia, *h. e.* ex materia, seu ligno exstruenda.

MĂTĔRĬŎLA, ae, f. dimin. materiae. *Tert. Baptism.* 17. Superest ad concludendam materiolam, de observatione quoque dandi et accipiendi baptismum commonefacere.

MĂTĔRĬOR, aris, dep. 1. *ὑλοτομέω,* [*ξυλεύειν.] materiam caedo ad conficiendum vallum. *Caes. B. G.* 7, 73. Erat eo tempore et materiari, et frumentari, et tantas munitiones fieri necesse.

[MĂTĔRĬŌSUS, a, um, adj. qui multa materia abundat. *Gloss. Phil.* Materiosus, *πολύϋλος. F.*]

MĂTĔRIS vel Matăris, is, [*Scrib. et *matharis.* V. *Moeb.* ad *Caes.* l. l.] vel Matăra, ae, f. *ματεριός,* Celticum lanceae genus. Vox est Gallica: videtur autem esse, quam nunc Galli *matras*, Itali *bolzone* vocant. *Caes. B. G.* 1, 26. Nonnulli inter carros rotasque mataras, ac tragulas subjiciebant, nostrosque vulnerabant. *Turneb.* legit *materes.* Alii *mazaras. Liv.* 7, 24. Humero materi trajecto. *Auct. ad Her.* 4, 32. Materis transalpina. *Sisenn.* ap. *Non.* 18, 26. Galli materibus, Suevi lanceis configunt.

[MĂTERNĪNUS, a, um, adj. ad Maternum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 807, 9. Matronia Maternina. *F.*]

MĂTERNUS, a, um, adj. *μητρικός,* qui matris est. *Cic. Cluent.* 5. Quo enim est ipsum nomen amantius, indulgentiusque maternum, etc. *Ter. Heaut.* 4, 1, 24. Maternus animus. *Nemes. Cyn.* 19. Materni menses, *h. e.* quibus portatur fetus in utero. *Ov. Met.* 3, 312. de Baccho Jovis femori insuto: maternaque tempora complet. *Virg. G.* 1, 28. Caesar cingens materna tempora myrto, *h. e.* Veneris, quae Aeneae mater fuit, ex quo Caesarum genus. *Id. A.* 12, 107. Aeneas maternis saevus in armis, *h. e.* quae illi Venus mater ab Vulcano impetraverat; et *ib.* 6, 193. Maternas agnoscit aves, *h. e.* columbas, quae Veneris currum trahunt; et *ib.* 4, 258. Materno veniens ab avo Cyllenia proles, *h. e.* ab Atlante, qui pater fuit Majae, quae Mercurii mater; et *ib.* 144. Delum maternam invisit Apollo, *h. e.* ubi eum mater Latona peperit. *Ov. Fast.* 4, 131. de Venere: Vere monet curvas materna per aequora puppes Ire, *h. e.* ex quibus ipsa nata est. *Hor. Ep.* 1, 15, 26. rebus maternis atque paternis Fortiter absumptis. *Ov. Pont.* 3, 2, 105. Quos *(mores)* Volesus patrii cognoscat nominis auctor: Et Numa maternus non neget esse suos, *h. e.* unde genus ducis ex parte matris. Adde *ib.* 4, 16, 43. Sic *Virg. A.* 11, 340. genus huic materna superbum Nobilitas dabat. *Val. Fl.* 6, 564. materna velatus arundine Peucron, *h. e.* Marotidis paludis, cujus filius erat. ℗ *Maternae Idus* dicuntur a *Mart.* 7, 74. ubi Mercurium alloquitur, Idus Majae, quia ejus dies natalis erant: unde 12, 67. Majae Mercurium creastis Idus. ℗ De bestiis et avibus. *Plin.* 10, 33, 51. Perdix pavore libera, ac materna vacans cura. *Colum.* 7, 3. *med.* Ut agnus condiscat maternum trahere alimentum. Adde *ib.* 2. *f.* ℗ *Maternus* fuit etiam cogn. R. *Auct. dial. de orat.* 2. Postero die, quam Curiatius Maternus Catonem recitaverat. Hinc quoque *Jul. Firmicus Maternus*, qui sub Constantino M. vixit, et opus scripsit *de mathesi*, et aliud *de errore profanarum religionum.*

MĂTERTĔRĂ, ae, f. *τιτθίς, θεία, μητροκασιγνήτη,* matris meae soror, sic dicta, inquit *Festus,* quasi mater altera: vel potius a *mater* simpliciter, ut *tera* mera sit vocis productio. *Paul. Dig.* 38, 10, 10. §. 14. Amita: ea est patris soror. Matertera: ea est matris soror. Adde *Cajum ib.* §. 5. *Cic. Div.* 1, 46. Puellam defatigatam petiisse a matertera, ut, etc. *Ov. Met.* 3, 312. Furtim illum primis Ino matertera cunis Educat. ℗ *Matertera magna* est aviae meae soror. *Paul. ib.* 1. §. 15. et *Cajus ib.* 1. §. 6. Hinc *Festus:* Matertera patris et matris, mihi magna matertera est. ℗ *Matertera major* est soror proaviae meae, *sorella di mia bisnonna:* et dicitur etiam *promatertera*, ut docet *Paul. ib.* §. 16. et *Cajus l. c.* §. 7. ℗ *Matertera maxima* est abaviae meae soror: et dicitur etiam *abmatertera. Paul. ib.* §. 17. et *Cajus l. c.* 3. [*Emendavit h. l. *F.*]

*MĂTHĂTAEI, orum, m. populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

MĂTHĒMĂTĪCUS, a, um, adj. *μαθηματικός,* ad mathesin pertinens. *Vitr.* 1, 1. *med.* Musicen sciat, oportet, uti canonicam rationem et mathematicam notam habeat. *Plin.* 29, 1, 5. Ad siderum motus ex ephemeride mathematica cibos dare; et 30, 1, 1. Mathematicae artes. *Macr. Somn. Scip.* 2, 2. Corpora mathematicae cogitationi tantum subjicienda, non sensui. ℗ *Mathematicae disciplinae* sunt geometria, arithmetica, et quae inde proficiscuntur, astronomia, musica, geographia, optica, etc. a *μαθεῖν discere*, quia vere et proprie scientiae sunt, et per certam demonstrationem percipiuntur: unde vere discere dicuntur, qui illis dant operam. Veteres enim Graeci haec *μαθήματα* appellabant, ut *Gell.* 1, 9. docet. ℗ *Mathematicus*, i, absolute, qui eas disciplinas profitetur. *Cic. Or.* 1, 3. Ii qui mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum, et quam recondita in arte, et multiplici subtilique versantur! *Id. Acad.* 4, 36. *med.* Illa initia mathematicorum, quibus non concessis, digitum progredi non possunt. *Sen. ep.* 88. *med.* Magnum esse solem, philosophus probabit: quantus sit, mathematicus, qui usu quodam et exercitatione procedit: sed ut procedat, impetranda illi quaedam principia sunt. ℗ Vulgo, ut ait *Gell. l. c.*, mathematici dicuntur, quos gentilitio vocabulo Chaldaeos dicere oportet, scilicet qui ex ratiocinationibus astrorum, ut *Vitr.* loquitur 9, 7. *med.*, antefacta et futura explicare, et praevidere se arbitrantur: et praecipue quae eventura sint homini, ex positione stellarum in natali hora, praedicere profitentur. V. CHALDAEUS. *Tac. H.* 1, 22. Mathematici, genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper, et retinebitur. *Juven.* 14, 248. Nota mathematicis genesis tua: sed grave, tardas Exspectare colos. *Tert. Apol.* 43. Harioli, haruspices, mathematici. ℗ *Mathematica, ae*, absolute, *μαθηματική,* subaudi *ars*, mathesis. *Sen ep.* 88. *med.* Philosophia nihil ab alio petit, totum opus a solo excitat: mathematica, ut ita dicam, superficiaria est, in alieno aedificat, aliena accipit principia, quorum beneficio ad ulteriora perveniat. ℗ Item ars praedicendi futura ex astris. *Suet. Tib.* 69. Circa Deos ac religiones negligentior, quippe addictus mathematicae, persuasionisque plenus, cuncta fato agi.

MĂTHĒSIS, is, f. *μάθησις,* h. e. discendi actus, perceptio, cognitio: a *μανθάνω,* disco. Praecipue hoc nomine venit mathematica scientia, ut dictum est in v. praec. [*Cassiod. Variar.* 1, 45. Tu artem praedictam ex disciplinis nobilibus natam, per quadrifarias mathesis januas introisti. *F.*] ℗ Speciatim vero ea, quae ex astris futura praedicit, *Astrologie:* quam frustra ab errore et vanitate *Firm. Math.* 1. vindicare conatur. *Spart. Hadr.* 16. Mathesin sic scire sibi visus est, ut sero cal. Januariis scripserit, quid ei toto anno posset evenire.

Id. Ael. Ver. 3. *extr.* Fuisse Hadrianum peritum matheseos, etc. ℙ Secundam corripuit, non imitandus, *Prud. adv. Sym.* 2, 893. Involvit mathesi, magicas impellit in artes.

*MATHIOS, herbae nomen, quam cum serpentes comederunt, senium deponunt aetatis. Haec *Lact.* vel *Lutat.* ad *Stat. Th.* 4. *B. A.*

*MATHĪTAE, arum, m. populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

[MATHO, onis, m. *Μάθων*, qui didicit, edoctus: ab inusit. *μαθέω* pro *μανθάνω*, disco. Est cogn. R. in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 292. M. Pomponius M. F. Matho cos. ann. U. C. DXXI. *F.*]

*MATIĀNI, orum, populi ultra mare Caspium incolentes, np. in Media, Hyrcania, etc. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

MATIĀNUS, a, um, adj. *Matiana mala* ap. *Suet. Dom.* 21. et *Colum.* 5, 10. *f.* et 12, 47. dicta sunt a quodam Matio, ut *Plin.* 15, 14, 15. docet: et laudantur etiam a *Macr. Sat.* 2, 15., ubi al. leg. *Mattiana*, et *Mαττιανα* dicuntur ab *Athen. l.* 3. [Ap. *Front.* vero *de fer. Alsiens.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. *Mattia poma. F.*] Porro iste videtur esse C. Matius, vir equestris ordinis, Augusti amicus, quem primum tonsilia nemora invenisse, *Plin.* 12, 2, 6. narrat. Imo is idem, qui a *Colum.* inter scriptores rei culinariae laudatur 12, 4., quique *ib.* 44. scripsisse dicitur, tres libros, quos inscripsit nominibus coci, et cetarii, et salgamarii, cum illi propositum fuisset urbanas mensas, et lauta convivia instruere. ℙ *Matianum minutal*, in quo *Matiana mala* cum aliis condimentis sunt, memorat *Apic.* 4, 3.

[MATILĪCAS, atis, adj. com. gen. ad Matilicam pertinens, Umbriae urbem, nunc *Matelica*, a *Frontin. de colon.* p. 100. *Goes.* memoratam. ℙ *Matilicates, ium*, illius incolae. *Plin.* 3, 14, 19. *F.*]

MĀTĪNUS, a, um, adj. ad Matinum montem pertinens. *Hor. Od.* 4, 2, 27. ego apis Matinae More, etc. *Id. ib.* 1, 28, 3. Matinum litus. *Id. Epod.* 16, 28. Matina cacumina.

MATĪNUS, i, m. mons ad pedes Gargani in Apulia Daunia, nunc *Matinete*, qui buxetis abundat. *Lucan.* 9, 185. et calidi lucent buxeta Matini.

*MATISCO, onis, oppidum Galliae Lugdunensis vel Celticae, in Aeduorum agro, ad Ararim fluvium. *Caes. B. G.* 7, 90. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut.* Hodie est *Mascon* vel *Maçon. B. A.*

*MATĪUM, i, n. Cretae oppidum. *Plin.* 4, 12. ℙ Item oppidum Colchidis. *Plin.* 6, 4. ed. *Hard.* Vulgo *Marium* editur. *B. A.*

*MATĪUS, i, m. nomen proprium virorum Romanum; ut Cn. Matius, vetus poeta, cujus aliquot fragmenta adhuc supersunt. *Gell.* 9, 14. *med.* et 10, 24. *extr.* *Cn. Mattius* audit *ib.* 6, 6. edd. *Gron.* et *Longol.* Fuit et C. Matius, amicus Caesaris ac Ciceronis, de quo *Cic. Fam.* 6, 12. 7, 15. et 11, 28. item *Suet. Caes.* 52. *Tac. A.* 12, 60. Item amicus Caesaris Augusti. *Plin.* 12, 2. ed. *Hard.* ubi *C. Matius* editum. In ed. *Elzev.* est *Cn. Matius.* De eo V. quae *Facc.* et *Forc.* in *Matianus, a, um. B. A.*

[MATRAE, arum, f. plur. Matrae, vel Matres, saepius fortasse Matronae dictae, sunt Deae regionum, vel urbium, vel pagorum tutelares. *Inscr.* ap. *Grut.* 90, 1. Matris Augustis D. D. Alia *ib.* 2. Matris Aug. Mastonia Bella. Adde alias *ib.* 3. et 5. ℙ Etiam *Matrabus* pro *Matris* scribitur. V. FILIA. *Inscr.* ap. *Grut.* 92, 1. Dis Matrabus vicani vici Pacis. Alia ap. *Mur.* 94, 1. Matrabus Augg. Martialis Augg. *verna* ex dispensatore ex voto monitus. V. MATRONA. *F.*]

MATRĀLĬĀ, ium, n. plur. *μητρικά*, matris Matutae festa, tertio Idus Junii a matronis celebrari solita. *Fest. Ov. Fast.* 6, 475. Ite bonae matres, vestrum Matralia festum, etc. *Varr. L. L.* 4, 22. Testuatium, quod in testu caldo coquebatur: ut etiam nunc Matralibus id faciunt matronae. (V. *Ov. Fast.* 6, 533.) Adde *Vet. Calendar.* ap. *Grut.* 133., ubi ponitur hoc festum III. Id. Jun., ut dictum est.

[MATRĀTUS, us, m. dignitas sacerdotalis feminae, quae mater dicebatur. V. MATER. *F.*]

*MATREIUM, i, n. opp. Rhaetiae, hodie *Matrey. Tab. Peut. B. A.*

MATRESCO, is, n. 3. *μητρώζω*, est matri similem fieri. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 526. Utinam nunc matrescam ingenio, ut meum patrem ulcisci queam.

MATRĪCĀLIS, e, adj. ad matricem pertinens, ut Matricalis herba, *Appul. Herb.* 65. vena, *Veg. Vet.* 1, 10.

MATRĪCI. V. MATTICI.

MATRĪCĪDĀ, ae, com. gen. *μητροκτόνος*, qui matrem occidit. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Quem scribis certissimum matricidam. ℙ Per tmesin. *Auson. de XII. Caesarib.* 35. Matrique cida Nero proprii vim pertulit ensis. Al. tamen legunt *Matricida Nero*, ut secundam necessitate produxerit, ut in *parricida* fecit *Id. Tetrast. de Caesarib.* 21. Sic *Sidon. carm.* 5, 290. Matricida pius: sed ne sprevisse dolorem, etc.

MATRĪCĪDĬUM, ii, n. matris occisio. *Cic. Inv.* 1, 13. Orestes si accusetur matricidii.

MATRĪCŬLA, ae, f. album, seu charta, in qua certorum hominum nomina descripta sunt, ut militum, notariorum, advocatorum, agentium in rebus, etc. Est autem dimin. matricis, quae idem quandoque significat, quod ea, velut matrice, continentur milites. *Veg. Mil.* 1, 26. Producendi tirones sunt semper ad campum, et secundum matriculae ordinem in aciem dirigendi. Adde *ib.* 2, 2. et 5. et *Imp. Leon. Cod.* 12, 20, 3. et alibi.

*MATRICULARĬUS, i, m. Qui matriculam servat ap. *JCtos.* Item *Inops* in *Gloss. Isid. B. A.*

*MATRICŬLUS, i, m. genus piscis. *Appul. Apol.* 1. p. 162. *B. A.*

MATRĪMONĬALIS, e, adj. *γαμήλιος*, ad matrimonium pertinens. *Firm. Math.* 7, 17. Matrimoniales tabulae. *Quint. Decl.* 342. in lemmate: Misit ille matrimoniali habitu ancillam. Al. rectius leg. *matronali.*

MATRĪMONĬUM, ii, n. *συζυγία*, conjugium, viri et mulieris legitima conjugatio: a *mater*: nam *monium* mera vocis productio est, ut a *pater patrimonium*, a *sanctus sanctimonia*, etc. A matre autem nominatur, in omen et spem, quia cum prolis causa suscipiatur, summum votum est, ut ea quae ducitur, mater fiat. *Cic. Cluent.* 62. *med.* Jus illud matrimonii castum atque legitimum, damnatione viri sublatum arbitrabatur; et *ib.* 12. *extr.* Quae nuptiae non diuturnae fuerunt: erant enim non matrimonii dignitate, sed sceleris societate conjunctae. *Pl. Trin.* 3, 3, 4. Ire in matrimonium. *Caes. B. G.* 1, 3. dare cuipiam filiam suam; et *ib.* 9. et *Cic. Cluent.* 44. alicujus filiam ducere. *Suet. Dom.* 22. offerre alicui. *Id. Caes.* 27. et *Aug.* 63. petere sibi aliquam. *Just.* 1, 10. et 9, 5. *extr.* recipere; et 2, 4. *med.* assumere. *Cic. Div.* 1, 46. collocare. *Id. Phil.* 2, 18. Locare in matrimonio stabili et certo. [*Translatum hoc loco est v. *matrimonium* ad paederastarum consuetudinem cum amasiis.] *Id. Verr.* 2, 2, 36. et *Just.* 7, 6. habere aliquam. *Curt.* 6, 9. *med.* et 5, 1. et 8, 1. Quampiam matrimonio secum conjungere; et 8, 4. *f.* sibi aliquam adjungere; et *Tac. A.* 15, 71. tenere. Rursus *Curt.* 10, 3. Filiam secum jungere in matrimonio; et 8, 4. *f.* Jungi alicui jure matrimonii. *Suet. Tib.* 49. Dimittere aliquam e matrimonio. *Pl. Merc.* 4, 6, 6. Matrimonio uxorem exigere. *Tac. A.* 11, 12. exturbare; et *ib.* 13, 19. depellere. *Cic. Coel.* 14. Tenere matrimonium alicujus, *h. e.* esse alicujus conjugem. Sic *Tac. A.* 6, 47. Est mihi cum aliquo matrimonium, *h. e.* sum ejus conjux. *Id. ib.* 12, 5. Matrimonium pacisci inter aliquos. *Suet. Cal.* 25. contrahere, dimittere, tenere, *h. e.* inire, solvere, servare; et *ib.* 12. Polliceri alicui matrimonium suum, *h. e.* se conjugem fore. *Gell.* 1, 6. capessere. *Massur. Sabin.* ap. *eund.* 10, 15. dirimere. *Tac. A.* 15, 53. *extr.* Alii matrimonio se obstringere. *Just.* 10, 1. Filios justo matrimonio suscipere. *Cajus Dig.* 23, 2, 17. Matrimonio jungi. *Papin. ib.* 15. Convenire alicui in matrimonium. ℙ Per synecdochen dicitur de ipsa conjuge. *Just.* 3, 3. *med.* Severius matrimonia sua viri coercent. *Liv.* 10, 23. Convocatis plebejis matrimoniis conquesta injuriam patriciarum. Al. leg. *matronis.* Sic *conjugium* pro uxore ap. *Tac.* [*Recte se habet lectio *matrimoniis;* quae contra monuit *Drakenb.*, non modo in ipso Livio, sed ne in aequalibus quidem scriptoribus simile exemplum occurrere, nihil plane valent ap. *Liv.* quidem, certa MSS. auctoritate. *Suet. Caes.* 52. Ne provincialibus quidem matrimoniis abstinuisse: ubi v. *Burm.* Cf. *Duk.* ad *Flor.* 1, 1. *Graev.* ad *Just.* 41, 2. *Lips.* ad *Tac. A.* 12, 65. Multa exempla e Floro et Justino petita v. ap. *Drak.* ad *Liv.* l. l. Parum etiam differre videntur, quae Noster sq. §. adscripsit: ubi v. *Ernest.* et *Burm. Patruum* ad *Tac.* l. l.] ℙ De ipso genere, et conditione matrimonii, prout splendorem addit, divitias, opes, aliaque commoda. *Just.* 3, 5. Polliceri servis matrimonia interfectorum. *Tac. A.* 2, 13. Matrimonia, ac pecunias hostium praedae destinare. ℙ De bonis a matre relictis, ut *patrimonium* dicitur de relictis a patre, afferuntur loca ex *L. Sen. Ben.* 1, 3. *f.*, *M. Sen. Contr.* 2, 9., *Suet. Aug.* 40. et *Val. Max.* 7, 8. *n.* 2., quae docti viri partim admittunt, partim respuunt, tum ob dubiam lectionem, cum alii cod. *patrimonium* habeant, tum ob insolentiam hujusmodi notionis. V. *Casaub.* ad *Suet. l. c.*

MATRIMUS, a, um, adj. qui matrem habet superstitem: sicut *patrimus*, qui patrem. *Fest.* in *Pater:* Pater patrimus dicebatur apud antiquos, qui cum jam ipse pater esset, habebat etiam tum patrem. ℙ Habet praecipue locum in sacris, in quibus id servabatur, ut qui pueri, puellaeve adhibebantur, patrimi matrimique essent. *Cic. Har. resp.* 11., *Liv.* 37, 3., *Tac. H.* 4, 53., *Macr. Sat.* 1, 6., *Lampr. Elag.* 8., *Vopisc. Aurel.* 19. et *Gell.* 1, 12. ℙ In nuptiis quoque patrimi et matrimi pueri tres adhibebantur: unus qui facem praeferret ex spina alba, qui noctu nubebant: duo, qui nubentem tenebant. *Paul.* ex *Festo.* ℙ Ap. *eund.* est tertiae declin. Matrimes, inquit, et patrimes dicuntur, quibus matres, et patres adhuc vivunt. *Fest. Id.* in *Flaminia.* Flaminia dicebatur sacerdotula, quae flaminicae Diali praeministrabat, eaque patrimes, et matrimes erat, etc. Ubi *patrimes* et *matrimes* recti casus singulares sunt: dubitabitque fortassse quispiam, an *patrimis* et *matrimis* sit legendum. ℙ Lis est inter grammaticos de quantitate paenultimae, quae adhuc est sub judice, quia nihil certi afferri adhuc potuit.

*MATRĪNUS, i, m. *Ματρῖνος*, Italiae flumen, in Piceno, non procul ab Hadria urbe, in mare Hadriaticum influens. *Mela* 2, 4. *B. A.*

MATRIX, īcis, f. femina brutorum, quae fetus gratia alitur: quae et *mater* dicitur. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* Habeo tauros ad matrices septuaginta, duo, unum anniculum, alterum bimum. *Colum.* 7, 3. *med.* de ovib.: Ut eadem ratione matrices ineantur. *Id.* 8, 5. *med.* de gallinis: Ne incubantes matrices ab aliis avibus inquietentur. ℙ Dicitur et de arbore, quae stolones ex se gignit. *Suet. Aug.* 94. *med.* Ex palma enata soboles adeo in paucis diebus adolevit, ut non aequipararet modo matricem, verum etiam obtegeret. ℙ Translate est mater, origo, fons primus. *Tert. Virg. vel.* 5. Eva matrix generis feminini. *Id. adv. Jud.* 2. Primordialis lex data Adae, quasi matrix omnium praeceptorum Dei. *Id. adv. Haer.* 21. Ecclesiae Apostolicae, matrices et originales fidei. *Id. adv. Valent.* 7. Matrix et origo cunctorum. ℙ Est etiam receptaculum fetus in feminis, vulva, *μήτρα. Plin.* 27, 10, 60. Radix glycysides sanat matricem et stomachum, decocta in vino. *Hard.* ex MSS. legit *arteriam, et stomachum. Veg. Vet.* 1, 5. *f.* Ad matricis dolorem medicamen. ℙ Denique est album, seu catalogus certorum hominum: unde *matricula. Tert. Fuga in persec.* 12. In matricibus beneficiariorum, et curiosorum Christiani quoque vectigales continentur.

MATRŌNĀ, ae, f. *οἰκοδέσποινα*, mulier, quae in matrimonium cum viro convenit, quoad in matrimonio manet. Olim distinguebatur a *matrefamilias* ea ratione, qua in ea voce est dictum. Et appellata est *matrona* a *mater*, quia cum in spem prolis duceretur, omen ejus rei in ipso statim nomine esse voluerunt, ut *Gell.* 18, 6. docet. Ceterum *matronae* universim dictae uxores ingenuae, pudicae, honestae, sive filios haberent, sive non: eaeque stolis utebantur, sicut famosae feminae togis. Hinc *Hor. Sat.* 1, 2, 63. quid inter-Est, in matrona, ancilla, peccemve togata? *Id. Od.* 3, 2, 7. illum Matrona bellantis tyranni Prospiciens, et adulta virgo, etc. et *ib.* 4, 59. Matrona Juno. *Id. ib.* 4, 15, 27. Cum prole matronisque nostris Rite Deos prius apprecati. *Ov. Her.* 5, 85. Dignaque sum, et cupio fieri matrona potentis. *Cic. Coel.* 13. Petulanter facimus, si matremfamilias secus, quam matronarum sanctitas postulat, nominamus. *Pl. Cist.* 1, 1, 26. Ubi istas videas summo genere natas, summates matronas. *Cic. Fam.* 7, 6. Matronae opulentae, optimates. ℙ *Matronae* dicuntur etiam Deae regionum, vel urbium tutelares. *Inscr.* ap. *Grut.* 91, 1. Matronis Asericinehabus; et *ib.* 2. Matronis Hamavehis. Alia ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 106. Matronis Gabiabus. V. AUFANIAE et MATRAE. ℙ [*Matrŏnă* paenultima brevi nunc *la Marna*, fluvius Galliae, qui in Lingonum finibus oritur, et in Sequanam, paulo supra Lutetiam, influit. *Caes. B. G.* 1, 1. *Auson. Mosell.* 462. Matrona non Gallos, Belgasque intersita fines. Adde *Sid. carm.* 5, 208.

MATRŌNĀLIS, e, adj. ad matronam pertinens, uxorius. *Liv.* 26, 49. *f.* Quae ne in malis quidem oblitae decoris matronalis estis. *Plin.* 5, 16. Nondum annos quatuordecim impleverat, et jam illi anilis prudentia, matronalis gravitas erat. *Ulp. Dig.* 47, 10, 15. *med.* Si non matronali habitu femina fuerit, et quis eam appellaverit, injuriarum non tenetur: (*matronalem habitum* puto stolam. *Festus:* Matronas appellabant fere eas, quibus stolas habendi jus erat. *Tert.* quoque *Pall.* 4. *med.* nefas fuisse ait, matronam in publico sine stola.) *Colum. prooem. l.* 12. *med.* Apud Romanos fere domesticus labor matronalis fuit; et *mox:* Matronalis sedulitas. *Ov. Fast.* 2, 828. flevit, Et matronales erubuere genae. ℙ *Matronalia, um*, festa Romae a matronis celebrata cal. Mart. in honorem Martis, vel quod is fecundam de se Iliam fecerat, vel quod tempus illud rebus fecundandis aptum est, vel quod eo die Junoni templum dedicatum fuit in Esquiliis; vel denique, quod Sabinae matronae a Romanis raptae pugnam inter eos et parentes interventu diremissent. *Ov. Fast.* 3, 229. et sqq. V. CALENDAE. *Tert. Idol.* 14. *Matronales ferias* appellat.

MATRŌNĀLĬTER, adv. ut matronam decet. *Inscr. Christiana* ap. *Maff. Mus. Ver.* 464, 6. Pescennia Quodvultdeus H. M. F. bonis natalibus nata, matronaliter [nupta, uxor casta, mater pia genuit filios III. et filias II. etc. Ita *matronaliter nupta* pro *matronaliter nuper* legend. monet *Giovenazzi* in *Aveja* p. 71. fretus auctoritate loci *Act. S. Perpetuae* ap. *Ruinart.* Vivia Perpetua honeste nata, liberaliter instituta, matronaliter nupta, *h. e.* justo matrimonio nupta, non concubinae loco habita. *F.*]

MATRŌNĀTUS, us, m. matronalis habitus, et

conditio. *Appul. Met.* 4. Unicam virginem filo liberali, et, ut matronatus ejus indicabat, summatem ejus regionis advehebant. [*Oudend.* recte putat, vocem *matronatus* ex duabus *matronalis ornatus* per compendium scripturae esse contractam. *F.*]

*MATROUM, i, n. *Μητρῶον*, i. e. fanum Matris Deorum. *Plin.* 16, 27. Vitem fuisse Smyrnae apud Matroum biferam. *B. A.*

MATRŪĒLIS, is, m. filius materterae meae, sicut *patruelis* est filius patrui mei. *Aurel. Vict. de orig. gentis Rom.* 13. *extr.* Piso quidem, Turnum matruelem Amatae fuisse tradit. *Mart. Dig.* 48, 9, 1. Si quis patrem, matrem, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, etc. occiderit.

MATTĂ, ae, f. *ψιαθος*, storea, teges, quae fit ex cannabe crassiore, junco, scirpo, sparto, aut palma intextis. Alii exponunt culcitam stuppa, vel foeno, vel rudiore lana fartam: repetuntque ejus originem a lingua Hebraea. *Ov. Fast.* 6, 679. plaustroque morantes Sustulit: in plaustro scirpea matta fuit. ℙ Hinc *mattarius*, qui in matta dormit. *August. contra Faust.* 5, 5. Quia in mattis dormiunt, mattarii appellantur: a quorum stratis longe dissimiles fuerunt plumae Fausti, et caprinae lodices.

MATTĂRĬUS. V. in v. praec.

MATTĔA. V. MATTYA.

MATTĔOLĂ, ae, f. parva mattya. *Arnob.* 7, 231. Frustilla haec parvula pro suavibus matteolis sumunt. Alii scribunt *mateola* et *macteola.*

*MATTHAEUS, i, m. *Ματθαῖος*, Evangelista celebris, *Mattheus διονλλάβως* dictus *Prud. Apoth.* 982. (al. 1050.) Latranti obsistit Mattheus rabiemque refellit. *B. A.*

MATTĬĂCUS, a, um, adj. ad Mattiacum, vel Mattium pertinens, quod est opp. Germaniae in Veteravia, in ditione Moguntina; unde *Mattiacos fontes* calidos laudat *Plin.* 31, 2, 17. et *Mattiacas aquas* memorat *Ammian.* 29, 4. et *Mattiacas pilas* commendat *Mart.* tingendis capillis, et canitiei celandae aptas, 14, 27. Si mutare paras longaevos cana capillos, Accipe Mattiacas, (quo tibi calva?) pilas. *Turneb. Advers.* 9, 23. interpretatur saponis quoddam genus. Porro sapo Galliarum inventum est rutilandis capillis, apud Germanos majore in usu viris, quam feminis, ut *Plin.* docet 28, 12, 51. ℙ *Mattiaci oppidi* meminit *Tac. A.* 1, 56., ubi alii leg. *Mattium:* et *Mattiaci agri*, *ib.* 11, 20. et *Mattiacorum* ejus loci hominum, *H.* 4, 37. et *G.* 29. de quib. V. geographos.

MATTĬĀNUS. V. MATIANUS.

MATTĬĀRĬUS. V. MATERIARIUS.

MATTĬCI, cognominantur homines malarum magnarum, atque oris late patentis. *Festus.* Est autem vox Graecae originis: nam *μάττω* vel *μάσσω* est subigo: malis autem cibus subigitur: item *ματτύα, ας*, malam significat. *Hesych.: Ματτύαι, γνάθοι.* Quare ap. *Fest.* male alii leg. *matrici.*

MATTĬUM. V. MATERIARIUS et MATTIACUS et MATIANUS.

MATTUS et Matus, a, um, adj. in Glossis *Isidori* exponitur, humectus, emollitus, subactus, maceratus, a *μάσσω* seu *μάττω*, subigo. *Salm.* ad *Vopisc. Procul.* 13. et alii legunt ap. *Cic. Att.* 16, 13. Longulum sane iter, et via matta, *h. e.* lutosa. Sed mire hic lectio variat. [**Orell.* leg. *via inepta.*] Similiter ap. *Petr. fr. Trag.* 41. *Burm. extr.* Plane matus sum: vinum mihi in cerebrum abiit, *h. e.* madidus, vino subactus, et domitus. Alii leg. *mattus;* alii aliter.

MATTYA et Mattĕa, ae, f. *ματτύα*, omnis generis cupediae, et jucunda edulia, coquorum exquisito artificio facta. *Mart.* 10, 59. Dives, et ex omni posita est instructa macello Coena tibi: sed te mattya sola juvat. Alii leg. *juvant*, ut sit plurale neutrum. *Id.* 13, 92. Inter quadrupedes mattya prima lepus. Alii leg. *gloria. Sen. Controv.* 4, 27. *med.* Ego ad Caesarem non sum iturus cum mattea. *Petr. fr. Trag.* 65. *Burm.* Hanc humanitatem insecutae sunt matteae, quarum etiam recordatio me offendit. Singulae enim gallinae altiles pro turdis circumlatae sunt, et ova anserina pileata. (Ap. *Athen. l.* 14. *c. ult.* parandae mattyae ex gallina, aut perdice, aut columba, traditur ratio: quae aves variis condimentis imbutae, integrae, et cum suis plumis inferri possint.) *Suet. Cal.* 38. Multis venenatas matteas misit. Alii leg. *macteas.* Hinc *matteola* ap. *Arnob.* Improbant Critici si per *et* scribatur, ex origine Graeca, et MSS.

MĂTŪLĂ, ae, f. *ἀμίς*, vas, quo excipitur saccatus corporis humor: cujus *matella* diminutivum est. [*Proprie significat vas aquarium. V. MATELLA.] *Pl. Most.* 2, 1, 39. Jam hercle ego vos pro matula habebo, nisi mihi matulam datis. *Hieron. ep.* 117. *n.* 8. Matulam portare. ℙ Est convicium hominis nihili, meticulosi, inepti. *Pl. Pers.* 4, 3, 64. nunquam ego te tam esse matulam credidi. Quid metuis? ℙ *Est modus matulae* proverbialis dictio, qua inscripsit *Varro* unam e suis Satyris, in qua de ebrietate agebat. Ea nos monitos voluit, non ultra esse bibendum, quam vires ferre possint. Pauca ex ea fragmenta servavit *Non.* 1, 14 et 115., 2, 113. 597 et 794., 15, 12. ℙ [Significat etiam vas quodlibet ad mundum muliebrem pertinens. *Ulp. Dig.* 34, 2, 25. §. 10. Continentur mundo muliebri specula, matulae, unguenta, vasa unguentaria. *Paul. Sent.* 3, 6, 83. Mundo muliebri cedunt speculum, conchae, situli. Hinc videre est, *situlos*, et *matulas* idem esse. ℙ *Matula conspurcata* translate dicitur impudicus, cinaedus, qui muliebria passus est. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 2, 16. Archigallus cinaedus, quem magulum conspurcatum (*corrige* matulam conspurcatam) dicimus, qui publice impudicitiam perpessus est. V. MATELLA. *F.*]

MĂTŪRA, ae, f. Dea praeses frugibus maturandis. *August. C. D.* 14, 8., ubi alii leg. *Matuta.*

MĂTŪRĀTĒ, adv. mature, festinanter. *Pl. Mil.* 4, 2. *f.* Jube maturate illam exire huc. *Liv.* 32, 16. Jussis ceteris, quantum maxime possent, maturate sequi. *Pl. Ps.* 4, 7, 58. Maturate properare.

MĂTŪRĀTĬO, onis, f. actus maturandi, et cum debita maturitate perficiendi. *Auct. ad Her.* 3, 2. Dolus maturatione consumitur.

MĂTŪRĀTUS, a, um, part. a *maturo*, maturus factus, *πέπειρος*. *Cic. N. D.* 1, 2. Temporum varietates, quibus omnia, quae terra gignit, maturata pubescunt. *Id. Sen.* 15. Uva primo est peracerba gustatu, deinde maturata dulcescit. *Plin.* 16, 44, 93. de semine visci: Haec est natura, ut nisi maturatum in ventre avium, non proveniat, *h. e.* concoctum, confectumque. *Id.* 18, 11, 26. Mustum album triduo maturatum, *h. e.* purgatum: nam mustum recens pressum quodammodo crudum est. ℙ Translate est confectus, perfectus. *Plin.* 11 37, 80. Aves quaedam geminos sinus habent: unum, quo merguntur recentia, ut guttur: alterum, in quem ex eo demittunt concoctione maturata. ℙ Item acceleratus, mature susceptus. *Just.* 2, 13. Occupare transitum maturata fuga, jubet. ℙ *Maturato opus est*, opus est celeritate. *Liv.* 1, 58. Ita facto, maturatoque opus esse: rem atrocem incidisse. *Id.* 8, 13. *f.* Sed maturato opus est, quidquid statuere placet. Adde 24, 23. *f.*

MĂTŪRĒ, adv. *ὡρίως, εὐκαίρως*, tempestive, in tempore, hoc est neque cito, neque sero, sed medio quodam tempore, ut *Nigid.* bene ac proprie exponit, ap. *Gell.* 10, 11. Ut enim in frugibus, et in pomis *matura* dicuntur, quae neque cruda et immitia sunt, neque caduca et decocta, sed tempore suo adulta maturataque; ita *mature* fieri dicuntur, quae nec cito nimis, et propere, neque serius tardiusque fiunt, quam par est. Hanc vim, ac temperamentum exprimit illud proverbium, quod frequenter *Augustus* in ore habebat, *σπεῦδε βραδέως, festina lente*, ut est ap. *Suet. Aug.* 27., per quod monebat, ut ad rem agendam simul adhiberetur et industriae celeritas, et diligentiae tarditas: ex quibus duobus contrariis fit *maturitas.* Haec ex *Gell. l. c. Cic. Verr.* 2, 4, 44. Custodes mature sentiunt: signum buccina datur. *Caes. B. C.* 3, 7. Bibulus satis mature occurrit. *Sall. Cat.* 1. *extr.* Priusquam incipias, consulto; et ubi consulueris, mature facto opus est. ℙ Quia vero quod non segniter fit, *mature* fieri dicitur, ut *ib.* subdit *Gellius;* progressa significatio est: et non jam, quod non segnius, sed quod festinatius fit, id fieri *mature* dicitur; cui opponitur sero, tarde, lente. *Cic. Sen.* 10. Nec unquam sum assensus veteri illi, laudatoque proverbio, quod monet, mature fieri senem, si diu velis esse senex. Ego vero me minus diu senem esse mallem, quam esse senem ante, quam essem. *Id. Fam.* 3, 3. Tantus consensus senatus fuit, ut mature proficisceremur, parendum ut fuerit. *Caes. B. G.* 4, 6. Maturius, quam consueverat, ad exercitum proficiscitur. *Suet. Oth.* 1. Quo facto sicut gloriam auxit, ita gratiam minuit, quam tamen mature recuperavit. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 4. Balbum ais mature Romam bene comitatum esse venturum. *Caes. B. G.* 1, 33. *f.* Quibus rebus quam maturrime occurrendum putabat. *Cic. Caecin.* 2. *f.* Ut quaeque res est turpissima, sic maxime, et maturissime judicanda est: at ea, in qua existimationis periculum est, tardissime judicatur. *Id. Or.* 3, 20. Qui omnium maturrime ad publicas causas accesserim. *Nep. Att.* 2. Pater mature decessit, *h. e.* cito, et ante tempus. *Sall. Jug.* 21. Hique mature oppida habuere, *h. e.* ante alios circa populos, qui diutius sine illis agitavere. *Cato* ap. *Charis.* 2, 184. Maximos tumultus maturissime disjeci, atque consedavi, *h. e.* perbrevi tempore. *Suet. Aug.* 32. Judices a tricesimo aetatis anno allegit, id est quinquennio maturius, quam solebant. ℙ Significat etiam tarde, lente, ut poma lente diuque maturescunt, et post diutinum tempus ad maturitatem perveniunt. Hanc, et superiores significationes conjunxit *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 10. Qui homo mature quaesivit pecuniam, Nisi eam mature parsit, mature esurit, *h. e.* qui vix, et aegre quaesivit pecuniam, (ut et *Charis. ib.* exponit p. 183.) nisi in tempore parsit, cito, seu brevi esurit. [*Cf. *Brem.* ad *Suet. Caes.* 26. et ad *Nep. Att.* 2, 1. De superl. maturrime et maturissime V. *Ruddim.* 1, 172.]

MĂTŪRĔFĂCĬO, is, eci, actum, a. 1. ad maturitatem perduco. *Theod. Prisc. de Diaet.* 14. Aqua marina maturefacit duritiam.

MĂTŪRESCO, is, ui, n. 3. *πεπαίνομαι*, maturus fio. *Caes. B. G.* 6, 28. Cum maturescere frumenta inciperent. *Mart.* 11, 8. Poma quod hiberna (*redolent*) maturescentia capsa. *Plin.* 16, 26, 44. Pinus habet fructum maturescentem. Adde 15, 18, 19. ℙ Translate. *Ov. Met.* 14, 335. nubilibus (*puella*) maturuit annis. *Quint.* in *ep. ad Tryphon.* Libros opinabar nondum satis maturuisse. *Cic. N. D.* 2, 27. *f.* Partus maturescunt plerumque novem lunae cursibus. *Plin. ep.* 5, 9. *med.* In flore primo tantae indolis juvenis exstinctus est, summa consecuturus, si virtutes ejus maturuissent.

MĂTŪRĬTAS, atis, f. *πέπανσις*, perfecta coctio succi in fructibus. *Cic. Tusc.* 1, 28. Commutationesque temporum quadripartitas ad maturitatem frugum, et ad temperationem corporum aptas. *Quint. praef. l.* 6. Observatum fere est, celerius occidere festinatam maturitatem, *h. e.* senilem juventam praematurae mortis esse signum, ut ait *Cato* ap. *Plin.* 7, 51, 52. ℙ Item tempus maturum, tempestivitas. *Cic. N. D.* 2, 46. Graviditates, et partus afferat, maturitatesque gignendi. *Colum.* 4, 23. Auspicari amputationem, cum sarmenta justam maturitatem ceperint. *Plin.* 19, 3, 15. Ad maturitatem perducere. *Id.* 13, 4, 7. pervenire. *Id.* 19, 5, 23. Maturitatem adipisci. *Id.* 16, 26, 46. sentire. *Id.* 32, 1, 1. Maturitas partus, *h. e.* cum fetus apte est dispositus, et perfectus nascendo. *Colum.* 12, 6. muriae, *h. e.* cum perfecte salsa est. *Plin.* 12, 7, 14. Siliquae maturitate dehiscentes. ℙ Translate ponitur pro opportunitate, commoda et opportuna occasione. *Cic. Q. Fr.* 3, 8. Sed ejus rei maturitas neque dum venit, et tamen nunc appropinquat. ℙ Item pro perfectione. *Cic. Brut.* 92. Jam videbatur illud in me, quidquid esset, esse perfectum, et habere maturitatem quandam suam. ℙ Item pro processu, accessione, gravitate. *Cic. Fam.* 4, 4. *med.* Tamen hoc studium quotidie ingravescit, credo, et aetatis maturitate ad prudentiam, et his temporum vitiis. ℙ Item pro exacta peritia, et prudentia, quae rebus mature, et diligenter expendendis comparatur. *Tac. H.* 1, 87. Auctoritatem Paulini, vigorem Celsi, maturitatem Galli criminando. *Vell.* 2, 125. Sed haec omnia veteris imperatoris maturitas brevi sopiit, ac sustulit. [**Plin. Pan.* 4, 7. aetatis indeflexa maturitas: ubi v. *Gierig.*] ℙ Item celeritas. *Front. Aquaed.* 105. Maturitatem beneficio Caesaris praestare, *h. e.* efficere, ut beneficium Caesaris mature et cito perficiatur. *Suet. Tib.* 61. Precanti cuidam poenae maturitatem respondit, nondum tecum in gratiam redii. [*H. l. *maturitas* est quod nos dicimus *Beschleunigung.*] ℙ *Maturitates temporum* ap. *Cic. N. D.* 1, 36. sunt certae ordinataeque vices, quibus suo quaeque loco anni tempora invicem succedunt, et post hiemem ver tepidum, post ardores aestatis temperatum autumni frigus opportune et ordine consequitur. Ap. *Liv.* vero 22, 40. *extr. maturitas temporum* (alii leg. *temporis*) est ipsa frugum maturitas, quae suo tempore fit. ℙ *Maturitas orationis*, gravitas, et sedata vis, plenaque auctoritatis et prudentiae. *Auct. dial. de or.* 26. Malim hercule C. Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem, quam calamistros Maecenatis, aut tinnitus Gallionis. [*Bene hujus vocis in rebus oratoriis significationem exposuit *Ernest.* in *lex. technol. lat. rhet.* p. 252.] ℙ *Maturitas* pro fructu maturo. *Pall.* 3, 9. *med.* Nec parvo constabit, si legatur maturitas cum acerbitate, dispendium. V. ARIDITAS.

MĂTŪRO, as, avi, atum, a. 1. *πεπαίνω*, maturum facio, ad maturitatem perduco. *Tibull.* 1, 4, 15. Annus in apricis maturat collibus uvas. *Plin.* 16, 25, 41. Amygdala Martio mense pomum maturat. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 6. Frumenta maturantur cum plurimum diebus quadraginta. *Pall.* 4, 10. *med.* Locis frigidis praecoquas ficus seramus, calidis eas, quae sero maturant. [*De absoluta, s. intransitiva hujus verbi significatione cf. *Ruddim.* 2. p. 156, 4. ibique *Stallb.* et *Ramsh. Gr. Lat.* §. 74, A. a. 1. p. 163.] ℙ Ponitur et pro emollire, leniorem facere. *Plin.* 23, 1, 16. Vitis alba suppurationes incipientes discutit, veteres maturat et purgat. *Id.* 22, 25, 74. Lupini strumas minuunt, aut maturant. ℙ Ap. *Pall.* 12, 22. electas olivas muria maturare, *h. e.* macerare, condire, et esculentas reddere. ℙ Et pro perficere. *Plin.* 30, 14, 43. Partus conceptos maturat caninum lac potum. *Id.* 9, 57, 83. Ova in sicco maturari. *Id.* 35, 15, 52. Alumen aestivis solibus maturatur. ℙ Translate est perficere, ad exitum perducere. *Liv.* 24, 13. Domum ad coepta maturanda redire jubet. ℙ Saepe est festinare, properare, mature, h. e. cito ac celeriter quippiam facere, cum modo tamen, ut in MATURE dictum est. [*At pertinet *Maturare* non ad celerem consectandi motum, sed ad id ipsum, quod, ut quis celerrime accedat, ita maxime crescere, justam, qua fruitur, formam oculis praebere videtur. Cf. *Doederl.* 2, 138.] *Cic. Fam.* 2, 18. Successor tuus non potest ita matu-

rare, ut tu me in Asia convenire possis. *Liv.* 24, 12. Maturandum Annibal ratus, ne praevenirent Romani. *Caes. B. C.* 1, 63. Eo magis illi maturandum iter existimabant. *Virg. A.* 1, 141. Maturare fugam. *Cic. Cluent.* 61., *Hor. Od.* 3, 7, 16. et *Cels.* 7, 7. *n.* 7. necem alicui. *Suet. Caes.* 80. destinata negotia. *Id. Dom.* 15. sibi exitium. *Just.* 2, 15. opus. *Caes. B. G.* 1, 7. Cum id nunciatum esset, maturat ab urbe proficisci; et *ib.* 2, 5. Flumen exercitum transducere maturavit. *Cic. Att.* 4, 1. *f.* Te exspecto et oro, ut matures venire. *Sall. Jug.* 81. Maturavere iter pergere. *Hor. Od.* 2, 11, 23. eburna dic, age, cum lyra Maturet: *scil.* venire. [*Adde *Suet. Cal.* 49. Aditus ergo in itinere a legatis amplissimi ordinis, ut maturaret orantibus, i. e. redire. Cf. *Gronov.* ad *Liv.* 39, 45. *L. Iunius maturare est jussus*, de simplici usu verbi *maturare* et exemplis infinitivi *ire*, *venire* etc. additi.] ℙ Item ante tempus aliquid facere, praecipere, praeverti. *Virg. G.* 1, 260. Frigidus agricolam si quando continet imber, Multa forent quae mox coelo properanda sereno, Maturare datur. Ubi *Gell.* 10, 11. et ex eo *Macr. Sat.* 6, 8. Duo ista verba, maturare et properare, tanquam plane contraria, scitissime separavit: namque in praeparatu rei rusticae, per tempestates pluvias, quoniam ex necessitate otium est, maturari potest: per serenas vero, quoniam tempus instat, properari necesse est. *Plin.* 2, 8, 6. Lucifer, ut sol alter, diem maturans.

MĀTŪRUS, a, um, adj. *πέπειρος*, qui neque crudus, aut immitis est, neque decoctus, aut caducus, sed tempore suo adultus, et maturatus, ut *Gell.* 10, 11. loquitur: et fere de arborum, terraeque fructibus dicitur, qui legendo edendoque apti sunt. In notatione variant etymologi, et incerta omnia afferunt. [*Isidor.* 17. deducit a *manduco*. *Vet. Vocab.* a *mandurus*, ad mandendum aptus. *Caes. Scal.* a *mane*, *matuta*, h. e. aurora. *Nunnez.* a *πέπειρος*. *Doederl.* 2, 139., ubi haec laudantur, *maturus* non cum *manus*, quod Festus voluit, quem refutat, sed cum *magnus*, *mactus* cognatum dicit, proque *macturus* eadem ratione dici, ut *fortis* pro *forctis*, *fluctum* pro *flutum*. Hinc proprie significare *satis auctus*, i. q. ad justam magnitudinem pervenerit, eoque differre ab *adultus*, quod *maturus* finem, utilitatemque spectet, *adultus* absolute ponatur.] *Cic. Sen.* 19. *f.* Poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur; si matura et cocta, decidunt. *Virg. Ecl.* 10, 36. maturae vinitor uvae; et *ib.* 3, 80. Maturae fruges. *Colum.* 4, 29. *med.* Malleolos generosos, et fecundos, et quam maturissimos viti detrahere. *Id.* 12, 6. Matura muria; et *ib.* 17. Maturissimae ficus. ℙ Metonymice est maturans. *Virg. G.* 1, 65. glebasque jacentes Pulverulenta coquat maturis solibus aestas. [**Liv.* 22, 43. maturiora messibus Apuliae loca, i. e. ubi messes citius maturae fiunt.] ℙ Transfertur ad alia. *Virg. A.* 7, 53. Filia matura viro, *h. e.* apta nubendo. *Stat. Silv.* 3, 1, 176. hic sponsae maturus, et illa marito. Et absolute *Hor. Od.* 3, 6, 21. Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo. *Colum.* 7, 3. *med.* ovis, *h. e.* pariendo apta. *Mart. Spect.* 14. et *Ov. Met.* 11, 311. Maturus venter. Sic *Just.* 13, 2. (et *Ov. Met.* 9, 282.) Roxanes exspectari partum, quae exacto mense octavo, matura jam ex Alexandro erat. *Nemes. Ecl.* 3, 36. de fronte Bacchi pueri: Flavaque maturo tumuerunt tempora cornu; et *Ov. Met.* 7, 127. maturus infans. *Virg. A.* 12, 438. cum matura adoleverit aetas, *h. e.* apta rebus gerendis. *Val. Fl.* 1, 54. necdum mea proles Imperio, et belli rebus matura, marique. *Liv.* 42, 52. Progenies matura militiae. *Sil.* 14, 495. maturus laudum; et 16, 657. ad arma. *Vell.* 2, 99. L. Caesar viris, *h. e.* togae virili sumendae proximus. [*Frustra hunc locum VV. DD. tentarunt. *Heins.* corrigebat *curis*: *Vascos. veritus.* Sana est lectio, et *maturus* saepius simpliciter dicitur, qui ad virilem aetatem, s., ut *Censorin.* de *D. N.* 14. loquitur, ad viros pervenit. *Am. Marcell.* 16, 7. Quem si Constans imperator olim ex adulto jamque maturum audiret. Similiter immaturus ponitur. *Justin.* 24, 4. inclytum illud Macedoniae regnum brevi, immaturi juvenis temeritate casurum. *Sen. Ben.* 5, 16. Pompejus pro tot honoribus, quos ex maxima parte immaturus invaserat, hanc gratiam reip. reddidit.] *Virg. A.* 10, 257. revoluta ruebat Matura jam luce dies, *h. e.* plena, clara. *Sall. Jug.* 90. Omnia matura sunt, *h. e.* prona, facilia, captu proxima. [**Liv.* 35, 22. Satis matura causa belli.] ℙ Eleganter refertur ad animum, ad orationem, ad ingenium. *Cic. Brut.* 83. *extr.* Ipse Thucydides si posterius fuisset, multo maturior fuisset, et mitior. *Virg. A.* 9, 246. annis gravis, atque animi maturus Aletes, *h. e.* peritus rerum, et prudens. ℙ Item ad aetatem provectam. *Virg. A.* 5, 73. aevi maturus Acestes. *Ov. Met.* 14, 617. Remulus maturior annis; et *ib.* 8, 617. Lelex animo maturus, et aevo. *Hor. Od.* 4, 4, 55. Maturi patres. *Suet. Cal.* 44. centuriones, *h. e.* qui stipendia jam compleverunt. *Just.* 41, 5. Matura senectus. *Id.* 11, 5. Persis longa jam satis, et matura imperia contigisse, *h. e.* quae jam tempus sit deponi. ℙ Est etiam *maturus*, qui debito tempore fit, nec citius, nec tardius. V. MATURE. *Tibull.* 1, 1, 7. Ipse seram teneras maturo tempore vites. *Cic. Att.* 15, 4. Scribendi exspectandum tempus maturius; et *Fam.* 9, 6. Mihi vero ad nonas bene maturum videtur fore. *Id. Div.* 1, 18. *extr.* Maturam mortem oppetere. *Claud. B. Get.* 116. Maturum consilium, *h. e.* quod praecipiti opponitur. ℙ Item qui cito fit, aut qui cito est futurus, imminens. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 1. Ego tibi spem maturae decessionis afferebam. *Auct. ad Her.* 4, 17. *med.* Adolescentes maxime castigant, ut, quibus virtutibus omnem vitam tueri possunt, eas in aetate maturissima velint comparare. *Curt.* 7, 7. *med.* Milites, quibus matura erat missio. *Caes. B. G.* 4, 2. In his locis, quod omnis Gallia ad septentrionem vergit, maturae sunt hiemes. *Ov. Met.* 13, 300. Si mora pro culpa est, ego sum maturior illo. *Hor. Od.* 2, 17, 6. te meae si partem animae rapit Maturior vis. *Id. Ep.* 2, 1, 15. et *Ov. Pont.* 2, 1, 59. Maturi honores. *Tibull.* 4, 1, 205. Seu matura dies celerem properat mihi mortem. *Cic. Caecin.* 3. Maturo judicio condemnari, *h. e.* statim ac sine mora constituto. *Tac. A.* 12, 65. Amplecti Britannicum, robur aetatis quam maturrimum precari. *Colum.* 2, 10. *med.* Matura faba, *h. e.* quae opponitur serotinae; et *ib. med.* satio, *h. e.* quae opponitur seriori. *Id.* 7, 3. *med.* Maturum foenum, *h. e.* quod chordo opponitur. *Cato* ap. *Gell.* 3, 7. Maturum censeo faciundum, ut milites ad verrucam illam ire jubeas, *h. e.* mature, cito, sine mora. [*De superlat. *maturrimus* et *maturissimus* V. *Ruddim.* 1, 172.]

MĀTŪTĀ, ae, f. appellatio est Latina Inus filiae Cadmi, quae postquam Dea facta est, mutato nomine *Leucothee* a Graecis, *Matuta* a Latinis est appellata, ut *Cic.* docet *Tusc.* 1, 12. *f.*, et saepe etiam *Mater Matuta*. *Ov. Fast.* 6, 545. Leucothee Grajis, Matuta vocabere nostris; et *ib.* 479. Matuta parens. *Paul. in epit. Festi:* Matrem Matutam antiqui ob bonitatem appellabant. Adde *Lactant.* 1, 21. et V. INO, et LEUCOTHEE. ℙ Matris Matutae templum Romae, et Satrici memorat *Liv.* 5, 19. et 23. et 6, 33. et 7, 27. et 25, 7. ℙ In hujus honorem *Matralia* celebrabantur. V. MATRALIA. ℙ Eadem habetur ac Aurora (quamquam alii aliam Aurorae genealogiam tradunt), unde *matutinus:* ob id etiam *Leucothee* dicta, *λευκὴ θεά*, alba Dea, *aurora*, *alba*. *Lucr.* 5, 655. Tempore item certo roseam Matuta per oras Aetheris auroram defert, et lumina pandit. *Prisc.* 2, 591. Matutinus a Matuta, quae significat auroram, vel, ut quidam, *Λευκόθεαν*. V. LEUCOTHEE. ℙ De alia Matuta V. in RUNCINA.

MĀTŪTĪNĀLIS, e, adj. matutinus. *Auct. carm. Phil.* 15. Vere calente novos componit acredula cantus, Matutinali tempore tunc mitilans.

MĀTŪTĪNĒ et Matutino, adv. matutino tempore. Ut Latina agnoscuntur, illud a *Prisc.* 4, 635., hoc a *Diomed.* 1, 402. Exemplo esse potest illud *Plin.* 7, 53, 54. Obiere, dum calciantur matutino, duo Caesares. V. v. sq.

MĀTŪTĪNUS, a, um, adj. *ἑωθινὸς*, ad auroram, et mane pertinens. *Cic. Fam.* 7, 1. Neque dubito, quin per eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris. *Id. ad Brut.* 2, 4. Hoc paululum exaravi in ipsa turba matutinae salutationis. *Hor. Sat.* 2, 6, 45. Matutina parum cautos jam frigora mordent. [*Cf. *Curt.* 7, 5, 5. matutini frigoris.] *Colum.* 6, 2. et 9, 15. Matutinus dies, *h. e.* mane. *Ov. Fast.* 5, 160. Matutini equi, *h. e.* Aurorae. *Mart.* 14, 125. somni. *Virg. A.* 8, 456. cantus volucrum. *Ov. Met.* 1, 62. radiis juga subditā matutinis, *h. e.* quae primos solis radios vident; [*Lucr. 5, 463. matutina lumina solis.] *Ov. Met.* 11, 26. matutina cervus periturus arena, *h. e.* in venatione, quae mane fit in circo: nam mane ferarum vel inter se, vel cum hominibus certamina ibi exhibebantur (unde *matutinas feras* dixit *Mart.* 13, 95.), meridie gladiatorum, ut ex *Sen. ep.* 7. et *Suet. Claud.* 34. colligitur. *Ov. A. Am.* 1, 367. matutinos pectens ancilla capillos, *h. e.* herae mane surgentis. *Mart.* 12, 26. Matutinum lutum, *h. e.* quod colligitur mane per urbem discurrendo a salutatoribus: unde ap. *eund.* 1, 56. Matutinum ave; et 12, 68. Matutinus cliens. *Id.* 9, 30. magister, *h. e.* qui mane docet; et 4, 8. Juppiter, *h. e.* qui mane salutatur. Virg. *A.* 8, 465. Aeneas se matutinus agebat. ℙ *Matutinus pater* est Janus, ap. *Hor. Sat.* 2, 6, 20., quia cum sit temporis Deus, eum invocabant diei initio, ut auspicem operum. [*V. *Heindf.* ad h. l.] ℙ Matutina frons *Mart.* 13, 2. est seria et severa, quia mane homines impransi serii esse solent. ℙ *Matutinum* absolute, matutinum tempus. *Plin.* 20, 9, 33. Sumpta acetabulis duobus matutino. *Id.* 27, 4, 10. Pota matutino, vel a coena. *Id.* 4, 12, 26. Serere matutinis, meridie metere. *Id.* 18, 31, 74. Spica exoritur matutino, etesiaeque desinunt. ℙ *Matutinus occasus* est, cum stella mane occidit. *Rutil. Itin.* 1, 633. Et matutinis Hyades occasibus udae.

*MAVIN vel Mavis, oppidum Africae interioris, in Oecalicarum agro. *Plin.* 5, 8. *B. A.*

*MAVITANIA, ae, f. regio Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 3, 3. ed. *Hard.* ubi olim legebatur *Mauritania*. *B. A.*

*MAUMARUM, i, n. oppidum Aethiopiae, vel in Aegypti Aethiopiaeque confinibus. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

MĀVŌLO. V. MALO.

MĀVORS, ortis, m. *Ἄρης*, Deus belli: unde per syncopen *Mars* factum est. V. MARS. Vox poetica. *Cic. N. D.* 2, 26. *extr.* et *ib.* 3, 24. Mavors dictus, quia magna vertit. *Virg. A.* 6, 873. magnam Mavortis ad Urbem; et *ib.* 8, 630. Mavortis in antro. *Lucan.* 7, 569. Bistonas aut Mavors agitans. *Val. Fl.* 6, 178. Mavors pater. *Ov. Fast.* 4, 828. genitor. ℙ Metonymice est bellum ipsum. *Auson. Idyll.* 4, 64. Jam lego civili mixtum mavorte duellum.

*MAVORTE, *μαφόριον* s. *μαφόρτιον*, genus vestis muliebris. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 282. (al. 286.) Recinus autem dicitur, quod post tergum rejicitur, quod vulgo mavorte dicitur. *Isid. Orig.* 19, 25. Eadem *(stola)* et recinium Latino nomine adpellatur eo, quod dimidia ejus pars retro rejicitur, quod vulgo mavortem dicunt. V. *Cangii Gloss.* in *Mafors*, *Mafora*, etc. et Nostrum in *Recinium*. *B. A.*

MĀVORTĬUS, a, um, adj. Martius. Vox poetica. *Virg. G.* 4, 464. Mavortia tellus, *h. e.* Thracia. *Id. A.* 1, 280. moenia, *h. e.* Roma. *Val. Fl.* 2, 208. conjux, *h. e.* Venus. *Claud. III. cons. Honor.* 135. nudique seges Mavortia ferri; et *Nupt. Honor. et Mar.* 187. signa. ℙ Item bellicosus. *Ov. Met.* 3, 531. de Thebanis: Mavortia proles: *scil.* nati olim cum armis ex dentibus anguis, ut *Id. ib.* 102. et sqq. narrat. *Val. Fl.* 5, 90. Amazon. *Sil.* 1, 55. juvenem facta ad Mavortia flammat. *Stat. Achill.* 2, 201. studiis multum Mavortia Thrace. ℙ Mavortia vulnera ap. *Grat. Cyn.* 344., quae in proeliis accipiuntur. ℙ Ap. *Ov. Met.* 8, 437. Mavortius est Meleager, qui Martis filius est habitus. V. *Hyg. fab.* 171. ℙ Duae sunt *Inscriptiones* optimae notae, ap. *Grut.* 57, 1 et 2. quarum initium est, *Mavortio sacrum*, cum aliae plures circa illas incipiant, *Mavorti*, aut *Marti sacrum:* ex quo apparet: *Mavortius* ibi substantivi more usurpari.

[MAURĀRĬUS, a, um, adj. ad Mauros pertinens. *Inscr.* ap. *Don.* 315, 10. Ti. Claudius Docimus negotians salsamentarius, et vinarius Maurarius, *h. e.* negotians salsamentorum, et vini e Mauritania: etenim *Plin.* 14, 9, 11. passum Africum a Cretico probari ait. *F.*]

*MAURELLA, ae, f. herbae nomen, de qua *Macer carm.* 2, 34. *B. A.*

MAURI, orum, m. plur. *Μαῦροι*, populi Africae, quorum regio Mauritania. *Μαῦρος*, fuscum, nigrum significat, cujusmodi est gentis color. Aliquando tamen latiore usu pro Numidis, Libybus, Afris ponuntur. *Sall. Jug.* 22. Cetera loca usque ad Mauritaniam Numidae tenent: proxime Hispaniam Mauri sunt; et *ib.* 21. docet, Medos, et Armenios ex Asia navibus in extremam Africam transvectos, accedentibus Libyae populis, et nomen eorum corrumpentibus, barbara lingua Mauros pro Medis fuisse appellatos. *Plin.* 13, 15, 29. Confines Atlanti Mauri, quibus plurima arbor citri, etc. *Strabo l.* 17. ex aliorum sententia tradit, Mauros esse Indos, qui cum Hercule in haec loca transmigraverint. *Juven.* 14, 196. Dirue Maurorum attegias, castella Brigantum. *Val. Fl.* 3, 587. velut refugi quem contigit improba Mauri Lancea, sanguineus vasto leo murmure fertur. *Lucan.* 4, 678. Maurus concolor Indo. *Juven.* 5, 53. nigri manus ossea Mauri; et 11, 125. Et Mauri celeres, et Mauro obscurior Indus. *Nemes. Ecl.* 4, 40. Mauri truces.

MAURĪCĀTIM, adv. Maurice. *Laber.* ap. *Charis.* 2. p. 184. Non intellexi, te Mauricatim scire.

MAURĪCĒ, adv. Maurorum more. *Gell.* 2, 25. ex *Varr. L. L.* Cum dicamus ab Osco, Tusco, Graeco, Osce, Tusce, Graece; a Gallo tamen, et a Mauro Gallice, et Maurice dicimus.

[MAURĪCUS, a, um, adj. ad Mauros pertinens. *Coripp. Joann.* 2, 137. Crudaque sub nigra calcantur Maurica planta, *h. e.* coria, quibus Mauri utuntur. ℙ *Maurīcus, i*, est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 356, 1. M. Valerius Bradua Maurīcus, *h. e.* cos. ann. a Chr. n. CXCI., qui *Mauricus* fortasse est cognominatus, quia Mauros proelio vicit, in Africa enim proconsul fuit, ut probat *Marin. Frat. Arv.* p. 181. *Mart.* 5, 28. Pietate fratres Curtios licet vincas, Quiete Nervas, comitate Rusones, Probitate Macros, aequitate Mauricos. *F.*]

[MAURILLĀ, ae, f. dimin. Maurae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1396, 5. Roscia Cn. F. Maurilla. *F.*]

[MAURĪNUS, a, um, adj. ad Maurum pertinens. Est cogn. R. V. MAURUS. *F.*]

MAURĪTĀNĬA, ae, f. *Μαυρουσία*, regio Africae, ab ortu in occasum extensa, ubi nunc pars occi-

dentalis Barbariae: a *μαῦρος*, obscurus, niger, propter nigredinem populorum. *Manil.* 4, 727. et Mauritania nomen Oris habet, titulumque suo fert ipsa colore. ℙ Duplex fuit, Caesariensis, et Tingitana. *Tac. H.* 1, 11. et *ib.* 2, 58. et 59. et *Plin.* 5, 1, 2. et alibi. ℙ Scribitur et *Mauretania* etiam in nummis Hadriani, teste *Pier.* ad *Virg. A.* 4, 206. et *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 498. ℙ Multa de hac regione *Solin.* 25.

[MAURĪTĀNĬCUS et Mauretanicus, a, um, adj. ad Mauritaniam pertinens. In nummo Hadriani Aug. ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 498. Exercitus Mauretanicus. *F.*]

MAURUS, a, um, adj. *Μαῦρος*, ad Mauros pertinens: et interdum universim Africus. *Hor. Od.* 3, 10, 18. Mauri angues. (*Strabo l.* 17. venenatis serpentibus abundare Mauros tradit.) *Oc. Fast.* 6, 243. Maurae manus, *h. e.* Poenorum arma. *Juven.* 10, 148. Maurus oceanus. *Id.* 12, 4. Maura Gorgon. *Hor. Od.* 2, 6, 3. unda, *h. e.* Africum mare. *Mart.* 14, 90. de mensa acerna: Non sum crispa quidem, nec silvae filia Maurae, *h. e.* citro, qua arbore Mauri abundant. *Stat. Silv.* 1, 3, 35. postes Mauri, *h. e.* citrini. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1068, 8. Marti Augusto L. Junius Maurus Larum Aug. magister dedit, Junia Maurina F. dedicavit. *F.*]

MAURŪSĬĀCUS, a, um, adj. Maurusius, Maurus. *Mart.* 12, 66. Et Maurusiaci pondera rara citri.

[MAURŪSĪNUS, a, um, adj. ad Maurusios seu Maurusiam pertinens, populos seu regionem Africae, qui plerumque Mauritani, et Mauritania appellantur. *Not. Tir.* p. 137. Maurusia, Maurusinus. Perperam hic scribitur *Marusia*, *Marusinus*. *F.*]

MAURŪSĬUS, a, um, adj. *Μαυρούσιος*, idem quod Maurus: et aliquando pro Libye, Numida, Afro ponitur. *Strabo l.* 17. docet, *Maurusios* dici a Latinis, qui a Graecis *Mauri*. Sed et hoc usu Latinum factum est. *Coel.* ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 5, 206. Maurusii, qui juxta oceanum colunt. *Virg. ib.* Maurusia gens. *Nemes. Cyn.* 259. tellus. *Sil.* 11, 414. pubes. *Id.* 10, 402. arundo, *h. e.* jaculum. *Liv.* 24, 49. Syphax in Maurusios refugit. *Lucan.* 9, 426. tantum Maurusia genti Robora divitiae, quarum non noverat usum. ℙ Legitur et *Maurisius*, sed minus recte: nam in antiquis codicibus, teste *Pier.* ad *Virg. l. c.* per *u* scribitur.

MAUSOLĔUM, i, n. *Μαυσωλεῖον*, sepulcrum Mausoli regis Cariae. Hunc Artemisia uxor adeo dilexisse traditur, ut mortui crematique cineres vino dilutas ebiberet: et praeterea sepulcrum marmoreum exstruxit summa magnificentia et claritate. Attollebatur in altitudinem vigintiquinque cubitis, in circuitu habebat pedes quadringentos undecim, cingebatur columnis triginta sex. Caelavere in eo pariter Scopas, et aemuli ejus Bryaxis, Timotheus, Leochares: qui maxime fecere, ut id opus esset inter septem miracula. Accessit quintus, Pythis, qui in summo quadrigam marmoream sculpsit. V. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 9. et *Gell.* 10, 18., ubi alia multa hac de re. ℙ Etiam ipsius Mausoli regia domus Helicarnassi structurae celebris fuit: laudaturque a *Plin.* 35, 14, 49. et 36, 6, 6. ℙ Hinc quodlibet sumptuosius sepulcrum ac regium, *mausoleum* dicitur. *Mart.* 5, 64. Jam vicina jubent nos vivere mausolea, Cum doceant, ipsos posse perire Deos. *Flor.* 4, 11. *f.* de Cleopatra: Incautiorem nacta custodiam, in mausoleum se (sepulcra regum sic vocant) recipit. *Suet. Aug.* 100. et *alibi* de monumento usurpat, in quo sepultus est Romae Augustus. ℙ Adjective *Prop.* 3, 1, 59. Nec mausolei dives fortuna sepulcri.

*MAUSOLUS, i, m. *Μαύσωλος*, rex Cariae, Artemisiae maritus. V. in *Mausoleum*, et locis citatis adde *Melam* 1, 16. *Cic. Tusc.* 3, 31. *B. A.*

*MAXALA, oppidum Libyae interioris. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

[MAXENTĬĀNUS, a, um, adj. ad Maxentium Aug. pertinens. *Lact. Mort. persecut.* 44. Milites Maxentiani. *F.*]

*MAXENTĬUS, i, m. crudelissimus tyrannus, qui a Praetorianis Romae Augustus nuncupatus, omnibus exitiis in nobiles et Christianos saeviit, donec eum Constantinus signo in aere viso vicit, et ille fugiens in Tiberi periit. *Eutrop.* 10. *Aurel. Vict.* in *Epit.* 54 et 57. ℙ Hunc a vermibus corrosum plerique scribunt. *B. A.*

*MAXĔRAS, ae, m. *Μαξήρας*, Hyrcaniae fluvius. *Plin.* 6, 16. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Mazeras*. *B. A.*

MAXILLĂ, ae, f. *σιαγών*, [*Dimin. est a *mala*, q. v.] os, in quo infixi sunt dentes. Quid proprie sit, dictum est in MALA ex *Celso*. Sed eadem fere ratione, qua *mala* accipitur. *Plin.* 11, 37, 60. Maxillas crocodilus tantum superiores movet; et *ib.* 62. Camelus in superiore maxilla primores dentes non habet. *Id.* 32, 7, 26. Maxilla dolens. ℙ Translate. *Augustus* ap. *Suet. Tib.* 21. Miserum populum R., qui sub tam lentis maxillis erit, *h. e.* sub tam lenta saevitia. ℙ In illo *Persii* 4, 37. Tu cum maxillis balanatum gausape pectas, Inguinibus quare detonsis gurgulio exstat? *maxillas* quidam interpretantur pectinem, qui radios habet instar dentium infixos, *ὀδοντωτὸν κτένα*: et *balanatum gausape* comam intelligunt unguento balanino delibutam. [Alii melius *gausape* promissam barbam intelligunt, quam nonnulli ad severioris vitae ostentationem alere solebant, cum tamen circa virilia effeminatorum more vulsi essent. Huic porro simile est illud *Juven.* 2, 20. et de virtute locuti Clunem agitant. *F.*]

MAXILLĀRIS, e, adj. ad maxillam pertinens. *Maxillares dentes*, qui et molares, *χραντῆρες*, *mascellari*. V. DENS. *Cels.* 6, 9. *med.* et *Plin.* 11, 37, 63. et 32, 7, 26. et *ib.* 10, 50.

*MAXILLO, as, *στομοχοπῶ* *Gloss. Gr. Lat.* Fuerit itaque, maxillam alicujus verberare, malam percutere. *B. A.*

*MAXILŪA, ae, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 35, 14. ed. *Hard.* Antea legebatur *Massia*. *B. A.*

MAXĬMĔ, et antiquo more Maxume, *μάλιστα*, adv. superlat. a *magis;* summe, vehementissime, plurimum, maximopere, valde. Jungitur verbis, et adjectivis positivis. *Cic. Off.* 1, 15. *extr.* Ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari; et *ib.* 19. Ut quisque animi magnitudine maxime excellit, ita maxime vult princeps omnium esse. *Sall. Cat.* 56. Sed vos non timetis eam: immo vero maxime. *Cic. in Sen.* 2. Vir maxime fidelis, et minime timidus. *Caes. B. G.* 1, 3. Maxime plebi acceptus; et *ib.* 9. Loca maxime frumentaria; et *ib.* 2, 4. Nervii, qui maxime feri inter ipsos habentur. *Nep. Milt.* 1. et *Cim.* 3. Cum unus omnium maxime floreret. *Id. Alc.* 3. Hoc maxime convenire in Alcibiadem videbatur. ℙ *Ut cum maxime* ad tempus refertur: *ut qui*, et *quam qui maxime* ad personam. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *med.* Domus celebratur ita, ut cum maxime. V. CUM-MAXIME. *Id. Fam.* 5, 2. *med.* Tam sum amicus reipublicae, quam qui maxime; et *Liv.* 5, 25. *med.* Grata ea res, ut quae maxime senatui unquam fuit. ℙ Cum superlat. *Liv.* 41, 23. Ego maxime gravissimam omnium rem agi arbitror. Al. leg. *maximam, et gravissimam.* [*V. *Gronov.* ad h. l. et *Drak.* ad 40, 21.] *Cic. Att.* 12, 38. Aberratio a dolore, quae maxime liberalissima est. Al. leg. *liberalis*. [*Orell. leg. *liberalissima*. Adde *Verr.* 2, 2, 66. Tauromenitani maxime ab injuriis nostrorum magistratuum remotissimi consuerant esse: ubi tamen *maxime* rectius cum consuerant conjungi posse videtur: codd. aliq. habent remoti: cf. *Garat.* ad h. l.] *Gell.* 13, 16. Hi sunt vel maxime humanissimi. *Colum.* 9, 3. Quanto grandior apis, tanto pejor: si vero saevior, maxime pessima est. *Est qui suspecta haec verba habet.* [*Vides, quum neque codices, neque critici consentiant, jure meritoque hoc loquendi genus a *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 27, 1. non dicam ad sordes, ad ea tamen rejici, quae bonis scriptoribus parum conveniant. Cf. *Ruddim.* 2, 305. sq. et *Rumsh. Gr. Lat.* §. 155. 6. *n.* 1.] ℙ Praeponitur interdum *quam*, aut *vel* augendi gratia. *Cic. Or.* 1, 34. Versibus propositis quam maxime gravibus; et *mox:* Verbis, quam maxime possem, lectis; et *ib.* 33. Dicere quam maxime ad veritatem accommodate; et *Part.* 33. Quae quidem vel maxime suspicionem movent. ℙ Habet post se, cum gradatim descenditur, particulas *mox*, *deinde*, *post*, *tum*, et hujusmodi. *Colum.* 3, 12. *med.* Saserna maxime probat solis ortum, mox deinde meridiem, tum occasum. *Id. Arbor.* 16. Vitem maxime opulus alit, deinde ulmus, deinde fraxinus. *Cic. Rabir. Post.* 12. Me scilicet maxime, sed proxime illum quoque fefellissem. *Id. Caecin.* 9. Maxime fuit optandum Caecinae, ut controversiae nihil haberet: secundo loco, ut ne cum tam improbo homine: tertio, ut cum tam stulto. ℙ Cum adverbiis comparativorum. *Sall. Cat.* 37. Imperium multo maxime miserabile. [*Amat hanc dicendi rationem *Sall.* Ita *Jug.* 6. *in.* sed multo maxime ingenio validus.] ℙ Saepe est praecipue, cum primis, praesertim. *Cic. N. D.* 2, 66. Quae ratio poetas, maximeque Homerum impulit, ut, etc. *Id. Dom.* 18. Intuemini paulisper animis juventutem, et eos maxime, qui, etc. *Id. Att.* 7, 12. *med.* Scribe aliquid, et maxime, si Pompejus Italia cedit. *Id. Fin.* 5, 1. Constituimus, ut ambulationem conficeremus in Academia, maxime quod is locus a turba vacuus esset. *Nep. Iphicr.* 3. Quod cum in aliis rebus declaravit, tum maxime in Amyntae liberis tuendis. *Plin.* 25, 5, 21. Melampodion caput aggravans, maxime nisi praesumatur allium. *Colum.* 12, 53. *med.* Haec salsura luna decrescente, maxime per brumam, sed etiam mense Februario commode fiet. ℙ [*Ponitur et cum numeralibus, ex Graec. more. *Quint. Inst.* 5, 14, 5. Maxime quinque; et *ib.* 6, 3, 22. Usus autem maxime triplex: ita legend. ex emend. *Gesneri* pro vulg. *simplex*. V. *Spalding.*] ℙ In responsionibus est assentientis, concedentis, affirmantis. *Ter. Eun.* 1, 2, 109. Tu Parmeno fac illi adducantur. *Pa.* maxime; et 2, 3, 42. Nonne hoc monstri simile est? quod ais? *Pa.* maxime; et *Hec.* 4, 4, 86. Puerum, Phidippe, mihi cedo: ego alam. *Phi.* maxime. *Pl. Stich.* 4, 1, 32. Praesente te, huic apologum agere unum volo. *Epi.* maxime. Adde *eund. Curc.* 2, 3, 36. ℙ Pro Ut plurimum, *Gell.* 17, 8. Puer ad annos maxime natus octo. ℙ [*Differunt *potissimum* et *maxime:* hoc gradationem, illud eligendi notionem involvit. Ita *Ramsh. Gram. Lat.* §. 153. *n.* 1. ubi haec laudantur: *Cic. Fam.* 12, 25. De te audiebamus ea, quae maxime vellemus; et *N. D.* 1, 3. Multis mirabile videtur, eam potissimum probatum esse philosophiam, quae lucem eriperet.]

[MAXĬMĬĀNUS, i, m. ad maximum pertinens. Est cogn. R., ut M. Aurelius Valerius Maximianus Herculius, a Diocletiano consors imperii factus, saevus Christianorum persecutor, tandem a Constantino M. Massiliae obsessus sibi ipse fauces elisit laqueo. Ejus nummos illustrat *Eckhel. D. N. V.* T. 8. p. 15. et sqq., illius vero impia facinora narrat *Lact. Mort. persecut.* 8. 9. 18. 20. etc. *F.*]

[*MAXIMILIANUS, i, m. est cogn. R. in *inscr.* ap. *Grut.* 284, 1. et 471, 8. et 1055, 5. Adde *Symmach. ep.* 8, 48, 51. Scribitur et *Maximillianus* in *inscr.* ap. *Manut. orthogr.* s. v. ubi tamen *Grut.* 441, 5. *Maximilianus* exhibet, sine ulla lectionis varietate. Hinc quamquam a *Maximillus* oriundum, non, ut alii volunt a *Maxaemilianus*, simili commutatione *ae* in *i*, ut *aequus*, *iniquus;* *laedo*, *illido*, etc., praeferendum videtur, ut melius comprobatum, *Maximilianus*. V. *Schneid. Gr. Lat.* 2, 411.]

[MAXĬMILLUS, a, um, dimin. maximi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 882, 10. L. Oceaneolus Maximillus. Alia ap. *Fabr.* p. 14. *n.* 61. Modia Maximilla. *F.*]

[MAXĬMĬNUS, a, um, adj. ad maximum pertinens. Est cogn. R., ut C. Julius Verus Maximinus, Thrax natione, ex pastore miles, mox Augustus, ann. a Chr. n. CCXXXVIII. occisus est; ejus nummos illustrat *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 290. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 96. *n.* 216. Sergia Maximina. *F.*]

[MAXĬMĬŎLĂ, ae, f. dimin. maximae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 769, 6. Magnia Maximiola. *F.*]

MAXĬMĬTAS et Maxumitas, atis, f. magnitudo apud veteres. *Lucr.* 2, 497. Ne quaedam cogas immani maximitate. *Arnob.* 6, 204. Porrigere se longius, atque in maximitatem producere.

MAXĬMOPĔRE. V. MAGNOPERE.

MAXĬMUS. V. MAGNUS.

*MAXULLA, ae, f. opp. Africae propriae, in Zeugitana, medio inter Carthaginem Clupiamque loco. *Plin.* 5, 4. ℙ *Maxula* audit *Anton. Itin. B. A.*

MAZĂ, ae, f. *μάζα*, farina hordeacea, vel panis lacte, sero, aut aqua subactus, quem *Varr. R. R.* 2, 9. *med.* et *Colum.* 7, 12. *med.* canibus in cibum dari jubent. *Grat. Cyn.* 307. Lacte novam pubem, facilique tuebere maza. Sic *Nemes. Cyn.* 161. Interdumque cibo Cererem cum lacte ministra.

*MAZACA, ae, f. *Μάζακα*, civitas Cappadociae. *Hirt. B. Alex.* 66. *Plin.* 6, 3. ℙ *Caesarea* postea appellata est, teste *Plin. ib.* et *Eutr.* 7, 6. *B. A.*

MAZĂCES, um, m. plur. incolae Mazacae, urbis Numidiae, qui et *Mazacenses* sequiori tempore sunt appellati, ut probat *Morcell. Afr. Christ.* T. 1. p. 220. Hi equitandi arte olim noti fuerunt, quia his locis generosi equi alebantur: unde in comitatu principum R. saepe leguntur. V. NUMIDAE. *Suet. Ner.* 30. *extr.* [Fecisse iter traditur armillata et phalerata cum Maxacum turba, atque cursorum. ℙ Etiam singul. num. *Lucan.* 4, 681. tremulum cum torsit missile Mazax. *Claud. Laut. Stilich.* 1, 356. pavidus projectat missile Mazax. ℙ *Μαζακηνοὶ* vero Graece, et Latine *Mazaces* sunt appellati incolae urbis Mazacae in Cappadocia, quae a Tiberio in honorem Augusti Caesaris Caesarea est appellata, cujus meminit *Plin.* 6, 3, 3. et *Eutrop.* 7, 6. *F.*] ℙ *Mazices* audiunt *Ammian.* 29, 25. ℙ *Mazax*, num. sing. dixit *Claud. de laud. Stilich.* 1, 356. ℙ Fuere et *Mazaces* populi Asiatici, ultra Maeotidem paludem. *Plin.* 6, 7. ubi accusat. *Mazacas* est, ut sit fortasse *Mazacae*, *arum*, casus rectus num. plur. *B. A.*

MAZAEUS. V. MAEZEIUS.

*MAZAGAE, arum, Indiae oppidum. *Curt.* 8, 10. *B. A.*

MAZĂRĂ. V. MATERIS.

MAZŌNŌMUS, i, m. *μαζονόμος*, *μαζοφόρος*, lanx: a *μάζα*, maza. Primo enim sic dicebatur vas, in quo maza apponebatur, nempe quia solerent mazas *νέμειν*, h. e. distribuere. Sed postea usurpari coepit generatim pro omni lance rotunda. *Hor. Sat.* 2, 8, 86. Mazonomo pueri magno discerpta ferentes Membra gruis. [*Acro* ad *l. c.* mazonomum *magnum salsare*, et *Schol. Cruq.* vocat *magnam scutellam*. [*Cf. *Heindf.*] V. SALSARE. *F.*] *Varr. R. R.* 3, 4. Ut in eodem tecto ornithonis inclusum triclinium haberet, ubi delicate cenitaret: et alios videret in mazonomo positos coctos, alios volitare circum fenestras captos. [*Nemes. de aucup.* 16. Saepe ego nutantem sub iniquo pondere vidi Mazonomi puerum, portat cum prandia,

circo, Quae consul praetorve novus construxit, ovanti. *F.*]

ME

ME pro *miki*. V. EGO.

MĔĀBĬLIS, e, adj. *πόριμος*, qui facile meat, et quoquo penetrat. *Plin.* 2, 5, 4. Aer vitalis, et per cuncta rerum meabilis, totoque consertus. ℙ Item qui transiri facile potest. *Id.* 6, 1, 1. Transitus vel bubus meabilis.

[MĔĀCŬLUM, i, n. idem ac meatus. *Capell.* 8, 274. Apud vos, Superi coelestesque, qui vestra recensebitis meacula, non tacebo, *h. e.* qui cognoscetis vestros in coeli regionibus excursus; hic enim loquitur Astronomia. Alii minus recte leg. *metacula*. *F.*]

*MEARUS, i, m. Hispaniae Tarraconensis amnis. *Mela* 3, 1. *med. B. A.*

MĔĀTIM, adv. ponitur a grammaticis ut Latinum, a *meus* personam tantum significans: et exponunt meo more; sicut *tuatim* tuo more. *Prisc.* 12, 949., *Donat. ed.* II. p. 1759., *Serg. in Donat.* p. 1850., *Cledon.* p. 1919. et *August. Gramm.* p. 2010., sed nullo praeterea confirmant exemplo.

[MĔĀTOR, oris, m. viator, qui meat. *Inscr.* ap. *Guarin.* in *Prosod. Lat. fund.* p. 133. Dole, meator, quisquis hoc legis carmen. Alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 146. Interpres Divum, coeli terraeque meator, *h. e.* Mercurius, qui cum sit Jovis nuncius, e coelo ad terram saepius meare solet. *F.*]

MĔĀTUS, us, m. *πόρος, πορεία*, actus meandi, itio, progressus, motus. [*Poetica et ap. argenteae aetatis scriptores usitata vox est.] *Lucr.* 1, 128. solis lunaeque meatus Qua fiant ratione. [*Frequenter h. v. usurpat *Lucr.* Adde 2, 208. Nocturnasque faceis, — Nonne vides longos flammarum ducere tractus, In quas quemque dedit parteis natura meatum; V. in f.] *Virg. A.* 6, 850. Coeli meatus radio describere. *Tac. H.* 1, 62. Aquila leni meatu, velut dux viae, praevolavit. *Petr. Sat.* 122. de coelo Delphicus ales Omina laeta dedit, pepulitque meatibus auras. *Tac. A.* 6, 28. Ubi par oneri, par meatui sit. *Sil.* 12, 102. Nubivagus meatus. *Eum. Pan. ad Constant. Caes.* 8. Regionem obliquis meatibus Scaldis interfluit. *Quint.* 7, 10, 10. Pulsus venarum, caloris motus, spiritus meatum sentire. Sic *Plin. ep.* 6, 16. *med.* Meatus animae gravior et sonantior. *Plin. alter* 2, 16, 13. Flexuosus draconum meatus. *Id.* 3, 1, 1. Oceanus avido meatu terras demergens. [**Lucan.* 1, 418. at mihi semper Tu, quaecumque moves tam crebros causa meatus, Ut superi voluere, lates. Laud. *Cort.* ad h. l. *Mel.* 3, 1. An luna causas tantis meatibus praebeat.] *Claud. in Ruf.* 1, 5. Praescriptosque mari fines, annisque meatus. ℙ Ubi ait *Solin.* 30. *med.* Lupi in saliendo ita nisus habent alitis, ut non magis proficiant cursu, quam meatu: *Salmasius*, quid inquit, hic *meatum* vocet, sane nescio: illud scio, eum nugari. Fortasse *Solin.* illud *meatum* pro nisu saliendi posuit: quod si est, improprie certe est locutus. ℙ Item ipse locus, per quem itur, transitus, via. *Val. Fl.* 3, 403. specus, Umbrarumque meatus Subter. *Plin.* 19, 5, 26. *n.* 14. Meatum vomitionibus praeparare; et 28, 13, 55. laxare spirandi. *Tac. A.* 14, 51. impedire. [**Lucan.* 4, 327. nulloque humore rigatus Aeris alternos angustat pulmo meatus: ubi *Cort.* praeter alia laudat *Eurip. Hec.* 567. *Τέμνει σιδήρῳ πνεύματος διαβρόας:* ibique *Schol. τὰς ἀρτηρίας καὶ φλέβας τὰς τῆς ἀναπνοῆς.*] *Plin.* 20, 21, 84. Malvae decoctae succus pori meatus suaves facit. Ubi *Hard.* Urinae credo meatum intelligit. [**Lucan.* 1, 664. Cur signa meatus Deseruere suos. Similiter locutus est *Aristoph. Nub.* 584. *Ἡ σέληνη δ' ἐξέλιπέ γε τὰς ὁδοὺς;* quod de eclipsi et obscuratione lunae recte interpretatur *Schol.*] [*Tac. G.* 4. Danubius in Ponticum mare sex meatibus erumpit. *Claud. B. G.* 336. Bifido meatu divisus Rhenus. *F.*] ℙ [*Hinc *meatus*, ut alias *via* et Gr. *ὁδὸς*, dicitur pro ratione, methodo, qua aliquid fit. *Lucr.* 2, 957. Inque suos quidquid rursus revocare meatus; et 5, 194. et in taleis venere (primordia rerum) meatus, Qualibus haec rerum geritur nunc summa novando.]

MĔCASTOR, *νὴ τὸν Κάστορα*, juramentum muliebre. *Festus:* Mecastor, et mehercules jusjurandum erat: quasi diceretur, ita me Castor, ita me Hercules, ut subaudiatur, juvet. *Gell.* 11, 6. esse ait feminarum proprium, sicut *mehercules* virorum: quod et in ECASTOR adnotavimus, et fideliter *Ter.* et *Pl.* servare dicuntur. *Ter. Hec.* 1, 2, 8. Salve mecastor Parmeno. *Sy.* et tu edepol, Syra. *Pl. Aul.* 1, 1, 28. Nec nunc mecastor, quid hero dicam, queo comminisci. *Id. Stich.* 1, 3, 87. Certo mecastor id fuit nomen tibi. ℙ Nihilominus utuntur hoc juramento parasitus ap. *eund. Asin.* 5, 2, 46. et Argyrippus *ib.* 80. V. ECASTOR.

MECHĂNĒMA, ătis, n. *μηχάνημα*, ingeniosum manus artificium, artificiosum opus: a *μηχανή*, machina, inventum. *Sidon. ep.* 1, 9. Deus bone! quae ille digitis mechanemata facit!

MECHĂNĬCŌS, adv. Graeca positione, mechanico artificio: sic Organicῶς, organico. Utrumque legitur ap. *Vitr.* 10, 1. V. ORGANUM.

MECHĂNĬCUS, a, um, adj. *μηχανικός*, ad eas res pertinens, quae manu simul et ingenio fiunt, et fabrili artificio constant: a *μηχανή*, artificium, machina. *Gell.* 10, 12. Simulacrum columbae e ligno ab Archyta ratione quadam disciplinaque mechanica factum. *Lamprid. Alex. Sev.* 22. Mechanica opera Romae plurima instituit. *Firm. Math.* 6, 31. *med.* Artis mechanicae divinus repertor. *Rhemn. Fann. de ponderib.* 102. Quod tibi mechanica promptum est depromere musa, *h. e.* mechanicae artis instrumento, et ingenio. *Appul. Apol.* Me, cum apud eum multas geometricas formas e buxo vidissem affabre factas, invitatum ejus artificio, quaedam mechanica ut mihi elaboraret, petisse. ℙ *Mechanicus, i*, m. absolute. *Colum.* 3, 10. Sipho, quem diabeten vocant mechanici. *Suet. Vesp.* 18. Mechanico grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti, etc. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Petauristae:* Sicuti mechanici cum alto exsiluere petauro, *h. e.* qui in machinis mira edunt populi oblectandi gratia. ℙ [*Mechanica, ae*, f. absolute est ars mechanica. *Symmach. ep.* 10, 38. (al. 45.) Cyriades mechanicae professor super basilicae atque pontis immodico sumptu perstrictus est. *F.*]

[MECHĂNISMĂ, ătis, n. idem ac mechanema. *Cassiod. Var.* 1, 45. Mechanisma solum est, quod illam *(naturam)* ex contrariis appetit imitari. *F.*]

[MECHIR, iris, m. nomen mensis apud Aegyptios, qui maxime Romanorum Januario, et aliqua ex parte Februario respondebat. *Plin.* 6, 23, 26. Ex India renavigant Mechiris Aegyptii mensis intra diem sextum, quod fit intra idus Januarias nostras. De hoc mense plura habet *Jablonsk. Opusc.* T. 1. p. 143. *F.*]

*MECHOPANES, pictor, Pausiae pictoris discipulus. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

MĔCOENAS vel Mēcaenas. V. MAECENAS.

[MĔCON, onis, f. *μήκων*, papaver. *Plin.* 20, 19, 80. Tertium genus est tithymalon, mecona vocant, alii paralion, folio lini, albo, capite magnitudine fabae. Adde *Appul. H.* 53. et 91. *F.*]

MĔCONIS, idis, f. *μηκωνίς*, genus lactucae atrae, et amarae, quae lacte soporifero, instar papaveris, abundat: *μήκων* enim papaver significat. *Plin.* 19, 8, 38. et 20, 7, 26. V. FOLLICULOSUS.

MĔCONĪTES, ae, m. *μηκωνίτης*, gemma papaver exprimens, quod Graece *μήκων* est. *Plin.* 37, 10, 63.

MĔCONĬUM, ii, n. *μηκώνιον*, ap. *Plin.* 20, 18, 76. et 25, 12, 91. est succus expressus ex capitibus et foliis papaveris decoctis. ℙ Item herba, quae et *peplis* dicitur. *Plin.* 27, 12, 93. ℙ Item prima excrementa, quae infantes emittunt. *Id.* 28, 4, 13.

MĒCUM. V. EGO.

*MECYBERNA, ae, f. *Μηκυβέρνη*, oppidum Macedoniae. V. v. sq. *B. A.*

[MĔCYBERNAEUS, a, um, adj. *Μηκυβερναῖος*, ad Mecybernam pertinens, Macedoniae oppidum, in paeninsula Pallene. *Mela* 3, 3. Mecybernaeus flexus. *Plin.* 4, 10, 17. sinus. *F.*]

*MEDAMA, *Μέδαμα*, oppidum Italiae superioris, in Bruttiis. *Mela* 2, 4. *med.* ℙ *Medma* contracte audit *Plin.* 3, 5. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Medua. B. A.*

*MEDAMNE, es, vel Medamna, ae, f. i. q. Mesopotamia. *Prisc.* (vel *Rhemn. Fann.*) *Perieg.* 909. Indigenae populi pro re dixere Medamnam (Medamnen). *B. A.*

[MĔDĂMUS, i, m. *μηδαμὸς*, nullus, nemo. Est nomen proprium R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1058, 2. Medamus Acrisii F. *F.*]

[MEDAURĬĀNUS, a, um, adj. ad Medauram, seu Madauram pertinens, Numidiae urbem. *Inscr.* ap. *Grut.* 860, 12. Memoriae Aureliae Graphicianae Numida, et Catullus Medauriani. V. MADAURENSIS. *F.*]

MEDDIX, icis, m. nomen magistratus ap. Campanos: est pro *meddinx* ab Hebr. מִדִּין *middîn*, in judicio, seu qui judex est; olim enim apud orientales populos summus eorundem magistratus appellabatur judex, quia ejus erat praecipua judicandi cura, V. SUFES; vel est a *μέδων*, curator, imperans. *Festus:* Meddix apud Oscos nomen magistratus est. *Ennius:* Summus ibi capitur meddix, occiditur alter. V. v. sq. ℙ Sunt qui scribunt *medix.* [*Hunc locum, quem paucis *Forc.* absolverat, magnopere auxit *F.*]

MEDDIXTŪTĪCUS, i, m. summus apud Campanos magistratus: vox Osca composita ex duabus, *meddix*, et *tuticus*, q. v. s. l. *Liv.* 22, 19. Praerat Statius Metius, missus ab Cn. Magio Atellano, qui eo anno meddixtuticus erat. *Id.* 26, 6. Meddixtuticus, qui summus magistratus apud Campanos est, eo anno Seppius Lesius erat. *Inscr.* Herculanensis ap. *Rosin. Dissert. isagog.* p. 38. L. Labeo, L. Aquilius meddixtutici etc. Ex qua apparet, geminum fuisse magistratum, quorum alter alternatim imperium haberet in bello, ut Romae consules. V. *Lanzi Sagg. di ling. Etr.* T. 2. p. 609. ℙ Sunt qui scribunt *medixtuticus*, alii vero perperam *mediastuticus.*

MĒDĒA, ae, m. *Μήδεια*, insignis maga fuit, Aeetae Colchorum regis filia, quae cum Iasonis amore capta esset, facilem illi ad aureum vellus aditum praebuit, domitis tauris, et sopito pervigili dracone, qui noctes diesque illud asservabat: quo facto, patris iram metuens, Iasonem in Graeciam secuta est, patremque insequentem, discerptis Absyrti fratris membris, et per viam dispersis, retardavit. Repudiata deinde ab Iasone, filios suos, quos ex eo susceperat, occidit, Glaucamque Creontis filiam, cum qua Iason secundas contraxerat nuptias, incensa regia, vivam cremavit, ipsumque etiam Iasonem impatientia doloris manus sibi inferre coegit. *Sen. Med.*, *Val. Fl.* 6. et *deinceps*, *Ov. Met.* 7, 9. et sqq., *Hyg. fab.* 21, 22, 25. etc. *Hor. A. P.* 185. Ne pueros coram populo Medea trucidet. ℙ Est etiam hoc nomine gemma nigra, venis aurei coloris, sudorem reddens croci, saporem vini, quam a Medea inventam fabulantur. *Plin.* 37, 10, 63. ℙ **Medeam* tragoediam scripsit *Seneca*. V. supra. ℙ Item *Ovidius*, teste *Quint.* 8, 5. et 10, 1. et *Auctore Dialog. de Orator. (Quintiliano adscripti)* 12. Cf. et *Ov. Trist.* 2, 553. ℙ Fuit et Medea Asiae oppidum, fortasse in Media, a Medo vel Medio Medeae filio conditum. *Justin.* 42, 5. ℙ In *Cic. Coel.* 8. *Medea Palatina* est Clodia. *B. A.*

MĒDĒIS, idis, f. patronym. pro possessivo, a *Medea*. *Ov. A. Am.* 2, 101. Medeides herbae, *h. e.* magicae, qualibus Medea utebatur.

MĒDĒLA, ae, f. *ἄκεσμα, ἄκος*, medicina, remedium, curatio. *Just.* 11, 1. Queis rebus veluti medela quaedam interventus Alexandri fuit. *Gell.* 12, 5. Cum medicos arcessisset, collocutusque de facienda medela esset. *Appul. Met.* 8. Vulneribus medelas varias adhibere. *Gell.* 16, 11. Herbarum succis faciunt medelarum miracula; et 15, 1. Qua medela, quaque solertia ignem defenderes. *Id.* 5, 14. *f.* Mea opera et medela levatus. *Id.* 20, 1. Legum opportunitates et medelae. [*Quint. decl.* 13. Nobis habere medelam non liceat, vobis liceat habere venena? *Auson. Profess.* 15. Nostri medela, Nepotiane, pectoris. *F.*]

MĒDENS, entis, part. a *medeor: ἰατρὸς*, qui medetur, medicus. *Lucr.* 1, 934. Sed veluti pueris absinthia tetra medentes Cum dare conantur, etc. *Ov. Her.* 21, 14. Adjuvor et nulla fessa medentis ope. [*V. *Heins.* ad h. l.] *Id. Met.* 15, 629. nihil artes posse medentum. *Plin. Pan.* 22. Aegri quoque, neglecto medentum imperio, ad conspectum tui prorepere. *Tac. H.* 5, 6. Balsami humor in usu medentium est. *Plin.* 25, 8, 49. Democrates e primis medentium.

*MEDĔON, onis, *Μεδεών*, oppidum Dalmatiae, in agro Labeatium. *Liv.* 44, 23. et 32. ℙ Item aliud, in Boeotia. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

MĒDĔOR, eris, dep. 2. *ἰάομαι*, medelam et remedium afferro, medicor, curo: a *μέδω* seu *μεδέω*, impero: medicorum enim est imperare. V. IMPERO. *Cic. Or.* 2, 44. Medico non solum morbus ejus, cui mederi volet, sed etiam natura corporis cognoscenda est. *Id. Rosc. Am.* 44. Cum capiti mederi debeam, reduviam curo: (proverbialis locutio de eo, qui de minori malo est sollicitus, majore neglecto.) *Plin.* 8, 27, 41. Mederi oculis herba chelidonia. *Laurea Tull.* in *epigr.* ap. *eund.* 31, 2, 3. Sint plures, oculis quae medeantur, aquae. *Id. Plin.* 9, 31, 51. Cancri contra serpentium ictus medentur. *Id.* 20, 1, 2. Radix succo medetur dolori dentium. *Id.* 27, 13, 115. Mammis tragion unice medetur. *Id.* 24, 6, 22. Pinea resina capitis vulneribus optime medetur. *Id.* 27, 10, 64. praeclare. *Id.* 34, 18, 55. jucunde; et 29, 6, 38. eximie. *Vell.* 2, 25. Aquae salubritate, medendisque corporibus nobiles. *Suet. Vesp.* 8. Medendae valetudini, leniendisque morbis nullam opem non adhibuit. *Ov. A. Am.* 2, 735. et *Met.* 7, 526. Medendi ars. Adde *Sen. ep.* 87. ℙ Translate elegantes habet usus. *Cic. Agr.* 1, 9. Huic malo pro se quisque nostrum mederi, atque hoc omnes sanare velle debemus. *Id. Fam.* 7, 28. Dies stultis quoque mederi solet. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 10. *extr.* Mederi incommodis omnium. *Id. Sext.* 13. afflictae et perditae reipubl. *Id. Verr.* 2, 4, 51. *med.* religioni. *Sall. Jug.* 43. invidiae. *Ov. Met.* 7, 837. labori; et *ib.* 9, 774. timori. *Tac. A.* 6, 18. periculis fratris. *Caes. B. G.* 5, 24. inopiae rei frumentariae. *Nep. Pel.* 2. tum satietati, tum ignorantiae lectorum. *Tac. A.* 4, 16. rei alicui lege, aut decreto senatus. *Sen. Herc. Fur.* 1261. nemo polluto queat Animo mederi: morte sanandum est scelus. ℙ Cum accusativo, ut *medicor. Ter. Ph.* 5, 4, 2. Quam scitum est, ejusmodi parare in animo cupiditates, quas, cum res adversae sient, paulo mederi possis! Ita legit etiam *Prisc.* 8, 795. et 18, 1162. Sunt tamen duo MSS. ap. *Westerhov.* et quatuor ap. *Bentl.* et editio anni 1469, ubi legitur *quibus*. Addit *Voss. Gramm.* 7, 21. illud *Vitr.* 8, 3. *med.* Bituminosi fontes interioris corporis vitia potionibus purgando solent mederi. Sed hoc nihil conficit, si *vitia* ad *purgando* referas. Legi-

tur etiam ap. *Justin. Instit.* 2, 7. *f.*, sed hoc non est satis, ut imitari passim liceat. [*Huc etiam referri debebant exempla, quae Noster §. 1. laudaverat, *Vell.* 2, 25, 4. Aquae salubritate medendisque corporibus nobiles. *Suet. Vesp.* 8. Medendae valetudini, leniendisque moribus nullam opem non adhibuit. Adde *Liv.* 8, 36.] ℙ *Medendo* passive. *Virg. A.* 12, 46. haudquaquam dictis violentia Turni Flectitur: exsuperat magis, aegrescitque medendo, *h. e.* dum ei medicina adhibetur. ℙ Passive impersonaliter. *Vitr.* 6, 11. Ut huic vitio medeatur, sic erit faciendum. ℙ Personaliter. *Hieron. ep.* 22. *n.* 8. Vini potio concedatur, ut ex hoc stomachi dolor, et frequens medeatur infirmitas. ℙ Praeterito caret, vel a *medicor* sumit: quod et *Diomed.* 1, 376. admonuit. ℙ Part. *Medens* V. in v. praec.

MED ERGA. V. ERGA.

*MEDERIĀCUM, i, n. Galliae Belgicae locus. *Ant. Itin. B. A.*

MĒDĬA, ae, f. *Μηδία*, regio Asiae inter Armeniam, Parthiam, Hircaniam, et Assyriam: dicta a Medio seu Medo, Aegaei Atheniensium regis, et Medeae filio. Ejus populi *Medi*, caput Ecbatana sunt. *Plin.* 6, 26, 29., *Solin.* 55., *Virg. G.* 2, 126. Media fert tristes succos tardumque saporem Felicis mali. V. ASSYRIUS.

MĒDĬĀLIS, e, adj. *μέσος*, medianus, medius. Absolute *mediale* est media pars. *Solin.* 20. *med.* Arbor pinei generis, cujus mediale succino lacrymat; et 52. *med.* Lignum omne, atque mediale eadem ferme facie, et nitore. ℙ Alio sensu *Festus:* Medialem appellabant hostiam atram, quam meridie immolabant, *h. e.* quia *medio die.* Al. leg. *medidialem* a *medidie* pro *meridie.*

MĒDĬANS, antis, part. a *medio. Pall.* 4, 10. *f.* Inoculari ficus locis siccis Aprili, humidis Junio mediante poterit.

MĒDĬĀNUS, a, um, adj. *μέσος*, qui in medio est, medius. *Vitr.* 3, 1. *f.* Medianae columnae; et *ib.* 3. *f.* Acroteria mediana altiora, quam angularia; et *f.* Capita leonina mediana. *Veg. Vet.* 2, 40. Medianus digitus. ℙ [*Mediana porta*, urbis est, quae in via media, vel quae per mediam urbem introitum et exitum praebet. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 463. *n.* 95. Locus, qui est extra portam medianam. *F.*] ℙ *Medianum* absolute media pars. *Ulp. Dig.* 9, 3, 5. Oportebit praetorem dare actionem in eum, ex cujus cubiculo, vel exedra dejectum est: licet plures in eodem coenaculo habitent, quod si ex mediano coenaculi quid dejectum sit, verius est, omnes teneri. Al. leg. *menianum.* V. MAENIANUM.

*MEDIATĒNUS (ut *hactenus*, media tenus sc. *parte*), *up to the middle. Mart. Capell.* 6. *med.* p. 220. *Grot.* Mons Taurus, paene mediatenus Orientis conscius (*f.* constitutus). *Id.* 8. *med.* p. 283. *Grot.* Et quod mediatenus tertiave parte quaedam signa etc. ℙ V. *Tenus. B. A.*

MĒDĬASTĪNUS, i, m. *δοῦλος*, servus est infimi ordinis, nullo certo ministerio addictus, sed viliora quaeque munia obire solitus, quae non solum domini jusserint, sed etiam alii servi, qui peculiari officio sunt destinati, sive ruri, sive in urbe: a *medius*, quod inter servos veluti medius sit ad omnium imperia paratus. *Colum.* 2, 13. *med.* Posse agrum ducentorum jugerum subigi duobus jugis boum, totidemque bubulcis, et sex mediastinis. *Id.* 1, 9. Longissimum quemque aratorem faciemus: mediastinus qualiscumque status potest esse, dummodo perpetiendo labori sit idoneus. (His locis *Colum.* intelligit servum rusticum, qui neque villicus sit, neque arator, neque vinitor, neque bubulcus: horum enim sunt certa munia: sed qui sarriendo, occando, runcando, fodiendo, et similibus operam navat, et latiore vocabulo *opera*, et *operarius* dicitur.) *Id. ib.* Separandi sunt aratores a vinitoribus, iique a mediastinis. *Cic. Cat.* 2, 3. Exercitus collectus ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, ex rusticis mediastinis, decoctoribus, etc. *Hor. Ep.* 1, 14, 14. Tu mediastinus tacita prece rura petebas: Nunc urbem, et ludos, et balnea villicus optas. [*Acron.* ad *h. l.* Mediastinus, hoc est in civitate et in media urbe vivens: astu enim dicitur civitas. *Schol. Cruq. ib.* Mediastinus servus est, qui stat in medio, paratus omnium ministeriis, non in balneis tantum, sed ubique locorum, tam in urbe, quam ruri. *F.*] *Ulp. Dig.* 4, 9, 1. *med.* Si quis opera mediastini fungitur, non continetur (*editio praetoris de cauponib. et stabular.*) ut puta atriarii, et focarii, et his similes. *Cato* ap. *Non.* 2, 573. Ille imperator, tu illi ac ceteris mediastinus. *Lucil. ib.* Villicum Aristocratem, mediastinum, atque bubulcum. *Nonius* ibi, non solum balnearum, inquit, sed aedium quoque ministros, et curatores, mediastinos legimus. Quod puto, ideo adnotavit, ut falsum esse ostenderet, quod *Prisc. sup.* XII. *vers. Aen.* 5, 1244. scripserat, *mediastinum* dici, quod medias partes balnei tenet, hoc est in medio lavantium stat: quasi in solis balneis mediastino locus esset. Ap. *Grut.* 577. 3. 4. 5. tres sunt inscripti lapides, in quorum priore mediastinus balnearis commemoratur: secundus insculptum in pavimento habuit servum dextera canistrum, scopam sinistra tenentem, scriptumque *Cornelius servus mediastin.* Ap. *Plin.* 29, 1, 2. Prodicus instituens quam vocant iatralepticen, reunctoribus quoque medicorum, ac mediastinis vectigal invenit, *h. e.* infimis medicorum servis, qui in balneis, et alibi inserviunt.

MĒDĬASTŪTĪCUS. V. MEDDIXTUTICUS.

MĒDĬĀTOR, oris, m. *μεσίτης*, qui se medium inter aliquos dissidentes interponit ad lites componendas, conciliator, sequester. *Appul. Met.* 9. Adseverat parvi se pendere tot mediatorum praesentiam. Alii rectius leg. *metatorum.* ℙ A Christianis scriptoribus saepe dicitur de Christo Jesu. *Tert. Car. Chr.* 15. ex *Paul. ad Timoth.* 1, 2, 5. Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus. *Lact.* 4, 25. *med.* Idcirco mediator advenit, idest Deus in carne, ut caro eum sequi posset. *Prud. Cath.* 11, 13. Emerge dulcis pusio, Parens, et expers conjugis, Mediator, et duplex genus.

MĒDĬĀTRIX, icis, f. *μεσίτρια*, quae mediam se interponit. *Alcim.* de columna ignis, et nubis, qua duce Hebraei iter faciebant, 5, 564. nempe videtis, Ut mediatricis curet tutela columnae.

MĒDĬBĬLIS, e, adj. ap. *Fest.* est medicabilis. Est autem a *medeor*, ut illud a *medicor.*

MĒDĬCĀ, ae, f. *μηδική*, herba est principatum tenens inter pabula, a Medis advecta in Graeciam per bella Persarum, quae Darius intulit: tanta dote, ut ex uno satu amplius tricenis (denis, ap. *Colum.* 2, 10. et *Pall.* 5, 1.) annis duret. Similis est trifolio, caule, foliisque geniculata: quidquid in caule assurgit, folia contrahuntur. Secatur incipiens florere, et quoties refloruit: id sexies evenit per annos, cum minimum, quater. Haec *Plin.* 18, 16, 43. *Colum.* et *Pall. l. c.* et *Varr. R. R.* 1, 42., ubi etiam ejus serendae, excolendaeque rationem tradunt. *Virg. G.* 1, 215. Vere fabis satio; tum te quoque, Medica, putres Accipiunt sulci. [*Medicago sativa, *L. Lucerne.*] ℙ [*Medica*, arbor Assyria. V. MĒDĬCUS, a, um. *F.*]

MĒDĬCA, ae, f. *ἰάτρια*, mulier medendi artifex, et praecipue obstetrix, quae parientibus adest, et partum curat. *Appul. Met.* 5. Nec uxoris officiosam faciem, sed medicae laboriosam personam sustinens, *h. e.* quae marito podagra aegrotanti mederi cogeretur. *Inscr.* ap. *Grut.* 635, 9. D. M. Flaviae Hedones medicae ex T. Adde 636, 1. 2 et 3. et ap. *Fabr.* p. 497. *n.* 7. *Ambros. ep.* 5. (al. 64.) de obstetrice puellam inspiciente: Nam ut quisque voluerit, aut imperitam medicam aut redemptam asseret.

MĒDĬCĀBĬLIS, e, adj. *ἰάσιμος*, qui medendo sanari potest. *Ov. Met.* 1, 523. et *Her.* 5, 149. Hei mihi, quod nullis amor est medicabilis herbis! *Id. R. Am.* 135. Ergo ubi visus eris nostrae medicabilis arti. Al. leg. *nostra arte. Sil.* 10, 416. et non medicabile vulnus. ℙ Item qui medicari, et sanare potest. *Colum.* 7, 10. *f.* Ligni succus medicabilis epotus intestinum tumorem compescit. *Pall.* 2, 15. *f.* Ipsum mel ita medicabile fieri, ut ex eo facta potio arterias curet. *Val. Fl.* 4, 87. Secutum numeris agit, et medicabile carmen, *h. e.* luctum et laborem levans.

MĒDĬCĀBĬLĬTER, adv. medicando, et sanando. *Pall.* 3, 31. Hoc vinum solet limum dysentericae passionis medicabiliter asperare.

MĒDĬCĀBŬLUM, i, n. locus medicinae: ut *natabulum* locus ad natandum. *Appul. Flor. n.* 16. Contuli me ad Persianas aquas, gratissima prorsus et sanis natabula, et aegris medicabula.

MĒDĬCĀMEN, inis, n. *φάρμακον*, medicamentum, medicina, remedium. *Cic. Pis.* 6. Meministine, excusatione te uti valetudinis, quod diceres, violentis te quibusdam medicaminibus solere curari? *Pall.* 3, 28. Theriacae medicamen addere. *Tac. A.* 12, 51. Obligant vulnus, agrestia medicamina adhibent. *Ov. A. Am.* 2, 491. Illa Machaonios superant medicamina succos. *Id. Met.* 15, 533. valido medicamine reddita vita. *Juven.* 6, 661. Pontica ter victi cantus medicamina regis. ℙ [*Translate *Sil.* 15, 7. Anxia turba patrum quasso medicamina moesti Imperio circumspectant.] ℙ Item venenum. V. MĒDĬCĀMENTUM. *Tac. A.* 12, 67. Infusum delectabili cibo boletorum venenum, nec vim medicaminis statim intellectam; et *ib.* 14, 51. Illitum palatum noxio medicamine. *Flor.* 2, 20. Medicaminibus impuris Romana arma violare, *h. e.* fontes venenis inficiendo. *Juven.* 6, 594. tantum medicamina possunt, *h. e.* abigendo partui data. [*Eodem modo dictum est ap. *Ov. Her.* 11, 39.] ℙ Item veneficium. *Val. Fl.* 8, 17. de Medea: Condita letiferis prodit medicamina cistis. *Ov. Met.* 7, 211. Dux gregis inter oves agnus medicamine fiet. ℙ Item succus colorem inducens. *Plin.* 9, 38, 62. de purpura: Ad quingentenas medicaminis libras aequari. *Petr. Sat.* 102. *med.* Infecta medicamine facies. *Lucan.* 3, 238. tingentes croceo medicamine crinem. ℙ Item fucus. Hinc *Ovidii* carmen *de medicamine faciei*, de quo *Id. A. Am.* 3, 205. Est mihi, quo dixi vestrae medicamina formae, Parvus, sed cura grande libellus opus. *Petr. Sat.* 126. Facies medicamine attrita. Adde *Juven.* 6, 471. [*Poterat huc etiam, quem Noster supra laudaverat, referri locus *Tac. A.* 4, 57. Ulcerosa facies ac plerumque medicaminibus (i. e. emplastris) inhibitum, naturam ejus, cui adhibitum est, mutat, ut *Cajus Dig.* 50, 16, 236. docet. Hinc de coagulo. *Colum.* 7, 8. Optimus caseus est, qui exiguum medicaminis habet. *Id.* 12, 20. Vitioso medicamine fructus, qui perceptus est, vitiatur, *h. e.* condine staurare. Sic *Plin.* 14, 20, 25. Vina medicamine intura. *Id.* 17, 14, 22. fimum vocat medicamen seminum.

MĒDĬCĀMENTĀRĬUS, a, um, adj. ad medicamenta pertinens. *Medicamentaria* ars, quae ex variis rebus medicamenta componit, praeter ea, quae simplicia natura instituit. *Plin.* 7, 56, 57. Medicinam Aegyptii apud ipsos volunt repertam: herbariam, et medicamentariam a Chirone. ℙ *Medicamentarius, ii*, m. absolute, qui medicamenta componit, *φαρμακοποιός*. *Plin.* 19, 6, 33. Porrum herbaceum, quo utuntur medicamentarii. ℙ Item venena coquens, maleficus. *Constant. Imp. l. c.* Si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulcrorum dissolutorem virum suum esse probaverit. ℙ *Medicamentaria, ae*, f. mulier, quae medicamenta conficit: et speciatim venena coquens, malefica. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 3, 16, 1. Si moecham, vel medicamentariam, vel conciliatricem repudiare voluerit.

MĒDĬCĀMENTŌSUS, a, um, adj. *ἰατρικός*, medendi vim habens. *Cato R. R.* 157. De omnibus brassicis nulla est illiusmodi medicamentosior. Al. leg. *medicamento. Vitr.* 8, 3. *med.* Omnis aqua calida ideo est medicamentosa, quod, etc.

MĒDĬCĀMENTUM, i, n. *φάρμακον*, medicina, medicamen, remedium contra morbum. *Cic. Off.* 3, 24. Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem, si eo medicamento sanus factus fuerit, etc. *Id. Brut.* 60. Devinctus erat fasciis, et multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus. *Suet. Cal.* 23. *extr.* Medicamento uti; et *ib.* 29. praemuniri metu venenorum. *Curt.* 4, 6. *med.* supprimere sanguinem. *Plin.* 24, 19, 113. Medicamentum haurire. *Curt.* 6, 10. *f.* bibere; et 3, 6. sumere; et *ib.* diluere. *Colum.* 6, 5. potandum praebere. *Plin.* 32, 9, 34. componere. *Id.* 28, 4, 13. suppuratorium. *Id.* 23, 7, 64. exulceratorium; et 24, 13, 73. stypticum; et 37, 10, 57. somnificum. *Id.* 11, 42, 97. Medicamenti vim habens. *Id.* 28, 13, 57. Datur et equi lingua inveterata ex vino, praesentaneo medicamento. *Id.* 26, 3, 8. Medicamentorum potus stomacho inimici. *Liv.* 8, 18. Medicamenta salubria. *Cic. N. D.* 2, 53. salutaria. ℙ Ut Graecis *φάρμακον*, sic Latinis *medicamentum* media vox est, et quae in utramque partem sumi potest. Est enim (ut *Cajus* docet *Dig.* 50, 16, 236.) universim quidquid adhibitum, naturam ejus, seu statum mutat, cui adhibetur. Itaque et pro noxio medicamine, seu veneno sumitur, quod vel inferendo morbo, aut morti, vel alienandae menti datur. *Liv.* 8, 18. Coquentes quasdam medicamenta invenerunt. *Cic. Cluent.* 11. Medicamentis partum abigere. *Suet. Cal.* 50. Creditur potionatus a Caesonia uxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit. *Petr. Sat.* 20. Medicamentum ebibere, *h. e.* satyrion. *Plin.* 27, 11, 76. Medicamento sagittas tingere. *Id.* 28, 8, 27. malo laesus. Adde *Varr.* ap. *Non.* 4, 297. ℙ Item pro succo, quo lanis color inducitur. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 12, 13. Qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam quibusdam medicamentis. *Plin.* 35, 6, 26. Fervente aheno rudibus medicamentis inebriatum. *Sen. Q. N.* 1, 3. *f.* Interest quamdiu purpura macerata sit, crassius medicamentum, an aquatius traxerit. ℙ Item pro condimento vini, defruti, et hujusmodi. *Colum.* 12, 20. *med.* Plumbeum (*vas*) peragitabis, ut defrutum et medicamenta coeant. ℙ Item pro emplastro doliis sarciendis, quod quidem cera, resina, sulphure et gypso constare *Cato R. R.* 39. docet. *Id. ib.* Si in rimas medicamentum indideris, beneque picaveris, quodvis dolium vinarium facere poteris. ℙ Item pro fuco. V. MEDICAMEN. *Sen. Ben.* 7, 9. Ipsa illa, quae placet, varietas, subditis (al. *sublitis*) medicamentis, in similitudinem veri coloratur. ℙ Translate. *Cic. Or.* 23. *f.* Fucati vero medicamenta candoris, et ruboris, omnia repellentur: elegantia modo, et munditia remanebit. ℙ Remedium quodlibet. *Cic. Cluent.* 71. Non huic aerumnosissimo venenum illud fuisset, sed multorum medicamentum laborum. [*Addi poterant *Fin.* 2, 22. Jam doloris medicamenta illa Epicurea tamquam de narthecio promant: Si gravis brevis, si longus levis; et *Verr.* 2, 3, 65. ubi *panchrestum medicamentum* dicitur pecunia, qua Verres sibi amicos parabat. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Denique usurpatur pro veneficio. *Pl. Ps.* 3, 2, 80. Item ut Medea Peliam concoxit senem, Quem medicamento, et suis venenis dicitur Fecisse rursus ex sene adolescentulum. ℙ Pro glutine. *Vopisc. Firm.* 3. Vitreis quadraturis, bitumine, aliisque medicamentis insertis, domum induxisse perhibetur, *h. e.* parietes domus contegisse et ornasse.

MĒDĬCĀTĬO, onis, f. actus medicandi, medicamentum, *ἰάτρευσις*. *Colum.* 2, 10. *med.* de lente:

Potest tamen, etiam citra istam medicationem, cineri mixta commode servari.

MĔDĪCĀTOR, oris, m. qui medicat, *ἀκεστής*. *Tert. adv. Marc.* 3, 17. *extr.* Praedicatorem annunciari Christum per Esaiam, item medicatorem. *Avien. Arat.* 216. de Aesculapio: animae rursus tepefacta calore Viscera mundanas revocat medicator in oras.

MĔDĪCĀTUS, a, um, part. a *medico*: *φαρμακευθείς*, [**πεφαρμακευμένος*.] medicamento illitus, adhibito medicamine confectus. *Colum.* 1, 3. *f.* Si ante sationem semina succo herbae sedi macerata sunt: nihil enim sic medicatis nocent erucae. *Virg. A.* 6, 420. Melle soporatam, et medicatis frugibus offam. *Id. G.* 4, 65. de apibus: Ipsae considerent medicatis sedibus, *h. e.* gratis liquoribus illitis. *Plin. ep.* 8, 20. de lacu quodam: Sulphuris odor, saporque medicatus. *Colum.* 1, 6. *med.* Vina nimia suffitione medicata, *h. e.* condita. *Ov. Her.* 12, 107. medicatus somnus, *h. e.* medicamentis inductus. ℙ Item tinctus, coloratus. *Hor. Od.* 3, 5, 27. neque amissos colores Lana refert medicata fuco. *Ov. R. Am.* 707. Amyclaeis medicatum vellus ahenis. ℙ Item veneno infectus. *Suet. Claud.* 44. Quae boletum medicatum avidissimo ciborum talium obtulerat. *Sil.* 7, 453. Medicata veneno tela. *Id.* 13, 197. medicatae cuspidis ictus. ℙ Item ad medendum aptus. *Sen. Q. N.* 3, 25. Aquae medicatae. *Plin.* 28, 9, 33. Lac caprinum stomacho accommodatissimum, bubulum medicatius. *Id. ib.* 7, 23. Rutam, et hederas, res medicatissimas illico mori.

MĔDĪCĀTUS, us, m. medicatio, medicina, *ἰατρεία*. *Ov. Her.* 12, 165. Quaeque feros populi doctis medicatibus ignes, Non valeo flammas effugere ipsa meas.

MĔDĪCĪNA, ae, f. *ἰατρική*, ars medendi: a *medicus* fit *medicinus, a, um.* Hinc *Varr. L. L.* 4, 18. Ab arte medicina ut sit medicus, etc. *Hyg. fab.* 274. Ne quis servus artem medicinam disceret. *August. Confess.* 4, 3. Vir sagax medicinae artis peritissimus. ℙ Sed ut *grammatica*, et similia, ita et hoc sumitur substantive. *Cic. Fin.* 5, 6. Quoniam ut medicina valetudinis, navigationis gubernatio, sic vivendi ars est prudentia. *Cels. prooem. l.* 7. Tertiam esse partem medicinae, quae manu curet, vulgo notum est. *Id. ib.* et *praef. l.* 1. Medicinam excolere. *Cic. Cluent.* 63. *extr.* exercere. *Phaedr.* 1, 14. facere. *Quint.* 7, 2. *med.* factitare. *Ov. R. Am.* 795. Ecce cibos etiam (medicinae fungar ut omni Munere) quos fugias, quosve sequare, dabo. *Plin.* 25, 2, 5. Herophilus clarus medicina. ℙ Item ipsum remedium, quod medicina praebet, medicamentum. *Cic. Fam.* 14, 7. *χολὴν ἄχρατον* noctu ejeci: statim ita sum levatus, ut Deus mihi aliquis medicinam fecisse videatur. *Pl. Cist.* 1, 1, 76. Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam potest. *Cic. Att.* 15, 16. *med.* et *Or.* 2, 44. Adhibere medicinam desperatis. ℙ Translate est remedium quodlibet. *Cic. Cat.* 2, 8. Singulis medicinam consilii, atque orationis meae, si quam potero, afferam. *Id. Or.* 2, 83. His quatuor causis totidem medicinae opponuntur, tum objurgatio, si est auctoritas; tum admonitio, tum promissio, etc. *Id. Att.* 1, 15. *med.* Quamquam animus est praesens, tamen voluntas etiam atque etiam medicinam effugit. *Id. Amic.* 3. Sed non egeo medicina: me ipse consolor. *Id. Att.* 2, 1. *med.* Non minus esset probanda medicina, quae sanaret vitiosas partes reipubl., quam quae exsecaret. *Id. Tusc.* 3, 16. *f.* Est tarda illa quidem medicina, sed tamen magna, quam affert longinquitas et dies. *Id. Fam.* 5, 16. *f.* Exspectare medicinam temporis. *Id. Acad.* 1, 3. *med.* doloris a philosophia petere. *Id. Fin.* 5, 19. *f.* Somnus medicinam quandam laboris affert. *Id. Tusc.* 3, 22. *f.* Medicina calamitatis. *Id. Sext.* 23. periculorum. *Ov. Pont.* 1, 2, 43. curae. *Id. Trist.* 5, 1, 33. malorum. ℙ *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 19. vocat *medicinam* putationem vitium. ℙ Ut *medicamentum*, sic et *medicina* quandoque pro veneno ponitur. Sic intelligit *Non.* 1, 75. illud *Accii:* Sterilem esse illius opera medicinam autumans. ℙ Est etiam taberna medici: qualem emisse sibi, publica impensa, in compito Acilio, qui primus Romae medicinam facere instituit, circa ann. U. C. DXXXV. Archagathum Peloponnesium, *Plin.* 29, 1, 6. tradit. *Pl. Amph.* 4, 1, 5. et *Epid.* 2, 2, 13. per omnem urbem quem sum defessus quaerere, Per medicinas, per tonstrinas, in gymnasio, atque in foro, Per myropolia, et lanienas, circumque argentarias. *Donat.* ad *Ter. Ad.* 4, 2, 45. Veteres absolute dicebant *pistrinam*, ut *sutrinam*, et *medicinam*, ad tabernam referentes.

MĔDĪCĪNĀLIS, e, adj. *ἰατρικός*, ad artem medicinam, vel ad medicum pertinens. *Cels. praef. med.* Vix ulla perpetua praecepta medicinalis ars recipit. *Plin.* 32, 10, 42. Cucurbitulae medicinales; et 36, 22, 43. Lapides mortariorum medicinalium, *h. e.* in quibus medicinae teruntur. *Scrib. Compos.* 53. Medicinale scalprum. *Id. ep. ad C. Jul. Callist. med.* Medicinalia scripta. ℙ *Digitus medicinalis* est minimo proximus, in quo gestamus annulos: de quo in libris anatomicorum habetur, nervum quendam de corde natum priorsum pergere usque ad eum digitum, et illic desinere implicatum ceteris ejusdem digiti nervis: et ideo visum veteribus, ut ille digitus annulo, tanquam corona, circumdaretur. Haec *Macr. Sat.* 7, 13. V. MĔDĪCUS, a, um.

*MĔDĪCĪNĀLĪTER, adv. *Sarisb.* 4, 8. *B. A.*

MĔDĪCĪNĬUS, a, um, adj. medicinalis. *Auson. in ep. praefixa Gripho* (quod est *Idyll.* 11.) *f.* Totam grammaticam, et musicam, librosque medicinios. Al. leg. *medicinae.*

MĔDĪCĪNUS, a, um. V. MEDICINA.

MĔDĪCO, as, avi, atum, *ἰατρεύω*, medicinam affero, medeor, curo. *Virg. A.* 12, 418. hoc fusum labris splendentibus amnem Inficit occulte medicans. *Tibull.* 3, 6, 3. Aufer et ipse meum, pariter medicande, dolorem. [*V. *Heyn.*, qui corruptum et male ex litura restitutum versum dicit.] *Colum.* 9, 13. *med.* de apib. aegrotantib.: Galbanum etiam, ut ejus odore medicentur, incendi convenit. *Sil.* 6, 98. Maris instat vulneris aestus Expertis medicare modis. *Nemes. Ecl.* 2, 28. rabidos medicare furores. ℙ Item imbuere, illinere, tingere succis. [*Hac significatione deponentis forma *medicor* non usurpatur.] *Virg. G.* 1, 193. Semina vidi equidem multos medicare serentes, Et nitro prius, et nigra perfundere amurca. *Colum.* 11, 3. *med.* Thymo pinsito medicare aquam. *Pall.* 6, 8. Tonsas oves hoc unguine medicemur. *Plin.* 16, 27, 51. Ficus maturitatis causa medicatur. *Id.* 14, 21, 27. Sic opercula doliorum medicanda, addita mastiche, ac pice. ℙ Item inficio, coloro. *Ov. Am.* 1, 14, 1. Dicebam, medicare tuos desiste capillos. Tingere quam possis, jam tibi nulla coma est. *Id. Medic. fac.* 9. Vellera saepe eadem Tyrio medicantur aheno. ℙ Cum dativo. *Seren. Sammon.* 48, 902. *extr.* Febribus at longis galli nova jura vetusti Subveniunt, etiam tremulis medicantia membris.

[MĔDĪCO, onis, m. medicus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 463, 2. Q. Julius Lucanus Mediconis filius . . . hic medico semper. *F.*]

MĔDĪCOR, aris, atus sum, dep. l. *ἰατρεύω*, medico, medeor, curo. *Virg. G.* 2, 134. animas, et olentia Medi Ora fovent illo, et senibus medicantur anhelis. *Id. A.* 7, 756. Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum Evaluit. *Plin.* 11, 35, 41. Venenum hoc alae medicantur. ℙ Translate. *Ter. Andr.* 5, 1, 12. Ejus labore atque dolore gnato ut medicarer tuo; et 5, 4, 41. Cum ego possim in hac re medicari mihi. *Pl. Most.* 2, 1, 40. Habe bonum animum: ego istum lepide medicabor metum. [*V. *Medico*, *as.*]

[MĔDĪCOSUS, a, um, adj. idem ac medicatus. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. Medicosis quoque fomentationibus utendum probat. *F.*]

[MĔDĪCURRĬUS, ii, m. medius currens. *Arnob.* 3, 118. Mercurius etiam quasi quidam medicurrius dictus: et quod inter loquentes duo media currat, et reciprocetur oratio, nominis hujus concinnata est qualitas. Adde *August. C. D.* 7, 14. et *Isid. Orig.* 8, 11. *med. F.*]

MĔDĪCUS, a, um, adj. *Μηδικός*, ad Mediam Asiae regionem pertinens. *Nep. Paus.* 3. Utebatur veste Medica, *h. e.* Persica: ponuntur enim aliquando Medi pro Persis. *Lucan.* 2, 49. Achaemeniis decurrant Medica Susis Agmina; et 8, 368. rura. *Plin.* 15, 14, 14. mala, *h. e.* Assyria. *Id.* 12, 3, 7. Malus Assyria, quam alii vocant Medicam. V. ASSYRIUS. *Id.* 37, 5, 18. Medici smaragdi plurimum viriditatis habent. ℙ De Medica herba, V. MĔDĪCA. ℙ Dea Medica ap. *Auson. ep.* 24, 54. Grandia verba premens ultrix Dea Medica belli, *h. e.* Dea Nemesis simulacrum e Pario marmore, in pago Atticae Rhamnunte (unde *Rhamnusia* dicta est) constitutum. Medi enim, seu Persae (nam saepe confunduntur) sub Xerxe bellum Graeciae inferentes, marmor advexerant, ut ex eo statuerent tropaeum devictorum Graecorum: sed res contra cecidit. Et Phidias, vel, ut alii volunt, Agoracritus, ex eo Nemesim fecit, monumentum Graecae victoriae: quod haec Dea superbis maxime inimica esse creditur. *Auson. epigr.* 2. et *Paus. in Atticis.* ℙ De Medicis gallinis, V. MELICUS. ℙ Devicta Media, *Medici* nomen Vero Imp. datum est. *Capitol. Ver.* 7. et *Inscr.* ap. *Grut.* 253, 2. et ap. *Spon. Miscell.* p. 39. Item M. Aurelio Antonino. *Inscr.* ap. *Grut.* 457, 2. ℙ **Medicus* cognomen fuit Veri Imperatoris, ob debellatos Medos. *Capitol.* in *Vero c.* 7. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 253. *n.* 2. ℙ Et M. Aurelii Antonini cognomen. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 457. *n.* 2. ℙ *Medicus* i. q. Maedicus. V. MAEDICUS. *B. A.*

MĔDĪCUS, a, um, adj. *ἰατρικός*, ad medendum aptus. *Virg. G.* 3, 455. Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor Abnegat. *Ov. Trist.* 5, 6, 12. numquid Podalirius aegro Promissam medicae non tulit artis opem? *Id. Pont.* 1, 3, 6. Lenito medicam vulnere sensit opem. *Nemes. Cyn.* 222. Disce igitur potus medicos, curamque salubrem. *Plin.* 36, 27, 69. Est et ipsis ignibus medica vis. *Id.* 5, 16, 15. Fons calidus medicae salubritatis. *Id.* 22, 25, 71. Frugum quidem haec sunt in usu medico. *Id.* 11, 39, 93. Medica diligentia. *Id.* 30, 12, 34. Muscae impari numero infricatae digito medico, *h. e.* qui minimo est proximus. Adde *Auct. ad Her.* 3, 20., et V. MEDICINALIS. ℙ Minerva Medica in *Inscr.* ap. *Grut.* 1067, 3. et *Reines. cl.* 11. *n.* 81. est *Ἀθηνᾶ Ὑγιείας*. V. MINERVA. ℙ De incantantibus. *Sil.* 3, 300. Marmaridae, medicum vulgus . . . . . Ad quorum cantus serpens oblita veneni, Ad quorum tactum mites jacuere cerastae.

MĔDĪCUS, i, m. *ἰατρός*, qui medendi artem habet, et profitetur. *Cic. Cluent.* 21. In morbis corporis, ut quisque est difficillimus, ita medicus nobilissimus atque optimus quaeritur. *Id. Div.* 2, 3. *med.* Ad aegros non vates, aut hariolos, sed medicos solemus adducere. *Pl. Men.* 5, 2. *f.* arcessere; et 5, 3, 7. ducere. *Catull.* 41, 6. convocare. *Suet. Ner.* 37. admovere aegro. *Plin.* 29, 1, 8. Medico tantum hominem occidisse impunitas summa est. *Ov. Pont.* 1, 3, 17. Non est in medico semper relevetur ut aeger. *Cic. Leg.* 2, 5. *f.* Medicorum praecepta. *Id. Fam.* 16, 4. curationes. *Plin. Pan.* 22. imperium. V. IMPERO. *Suet. Tib.* 68. *extr.* Valetudinem regere sine adjumento consiliove medicorum. ℙ Romani diu medicis caruere. Nam qui primus Romae medicinam professus est, fuit Archagathus Lysaniae filius ann. U. C. DXXXV. eique jus Quiritium datum, et taberna publice empta, ut ex *Cassio Hemina* tradit *Plin.* 29. *c.* 1., ubi de medicis multa. Antea contenti fuerant simplicibus remediis, quae natura protulit e terra, et experientia probavit. Primi, qui Romae medicinam factitarunt, vel servi (V. *Suet. Cal.* 8. et *Ner.* 2. et *Sen. Ben.* 3, 24.), vel liberti fuere: aut si liberi, parvo in pretio habiti, nisi si excellens artis peritia commendavisset. Ipsi enim Romani *Plinii*, h. e. Vespasiani temporibus nondum eam artem exercere dignati erant, a Romana gravitate alienam putantes. Cato censorius, ad filium scribens, eos acerrime insectatur, ut ap. *Plin. l. c.* videre est. ℙ *Medici* autem dicti sunt etiam chirurgi, nondum in aliam classem, ut nunc rejecti. *Pl. Men.* 5, 3, 9. Medicus ait se obligasse crus fractum Aesculapio, Apollini autem brachium. *Juven.* 6, 46. o medici, mediam pertundite venam. *Inscr.* ap. *Grut.* 634, 2. Cn. Helvius Cn. L. Iolla, medicus ocularius; et 635, 3. Silicius medicus ab oculis; et 581, 3. P. Attius Atimetus Aug. medicus ab ocul. H. S. E. Adde *Cels.* 7, 7. *n.* 4. et 8, 10. *n.* 2. [*V. *Spald.* ad *Quint. Inst.* 4, 5, 5.] ℙ *Medici pecorum* sunt appellati, quos nunc Itali *veterinarj* vocant. *Varr. R. R.* 2, 7. *f.* In Graecia potissimum medici pecorum *ἱππίατροι* appellati. ℙ Qui alicui illustri familiae medici officio inserviebant, saepe in amicorum numerum adsciscebantur. Hinc *Crassus* ap. *Cic. Or.* 1, 14. *med.* Asclepiades is, quo nos medico, amicoque usi sumus. *Tac. A.* 4, 3. Sumitur in conscientiam Eudemus amicus, ac medicus Liviae. Sic *Plin. ep.* 10, 4. medico suo peregrinae conditionis, a peregrina manumisso, civitatem Romanam a Trajano petit. Adde *Sen. Ben.* 6, 16.

MĔDĬDĬES pro meridies. *Cic. Or.* 47. Ipsum meridiem cur non medidiem? credo, quod erat insuavius. Adde *Quint.* 1, 6. et *Prisc.* 1, 551. *Cf. *Varr. L. L.* 5, 2. *Perizon.* ad *Sanct. Minerv.* credit *meridies* esse *dies meri* (*i. e.* integri, solidi) *solis. B. A.*

MĔDĬĒ, adv. mediocriter. [*Praeter *Tacitum H.* 1, 19. Patrum favor aderat: multi voluntate effusius; qui noluerant, medie; ac plurimi obvio obsequio: ap. serioris tantum aevi scriptores legitur.] *Appul. Dogm. Plat.* 2. Nec plane optimi, nec oppido deterrimi sunt, sed quasi medie moratí. *Eutr.* 7, 13. de Claudio: Hic medie imperavit, multa gerens tranquille atque moderate, quaedam crudeliter atque insulse. [*V. *Tzschuck.* ad h. l. et ad 8, 1.] Adde *Firm. Math.* 2, 28. *Lact.* 6, 15. *extr.* Vitia, quoniam tolli non possunt, medie temperanda sunt. Sic *Id. ib.* 16. Mediocriter vitia temperare. *Victor Caesar.* 20. *med.* Ortus medie humilis.

MĔDĬĔTAS, atis, f. *μεσότης*, *ἥμισυ*, media pars, dimidium. *Cic. Univ.* 7. Partes ex toto desecans, intervallis ita locabat, ut in singulis essent bina media: vix enim audeo dicere medietates, quas Graeci *μεσότητας* appellant: sed quasi ita dixerim, intelligatur: erit enim planius. *Pall.* 6, 3. Sulci usque ad medietatem lapidibus minutis replentur. *Id.* 1, 12. Mensura haec servanda est in tricliniis, ut quanta latitudo, et longitudo fuerit, in unum computetur, et ejus medietas in altitudinem conferatur. *Id.* 4, 10. *med.* Coquere aliquid usque ad medietatem; et *med.* In principio germinis cacumina summa decutimus, vel illud tantum cacumen, quod ex arboris medietate procedit. *Id.* 7, 10. Chamaemeli herbae florentis auream medietatem: projectis albis foliis, quibus flos ambitur, in fundis. *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 4, 19, 1. Medietatem debiti inferre. [*Ita intell. etiam locus *Eutropii* 2. *f.* Ceteris pace concessa, agro tamen ex medietate sublato, i. e. ex parte dimidia. *Paeanius* vertit: *ἐφ' ἡμίσει τῆς γῆς*. Contra *Anna Fabri* explicat: *ager, qui me-*

dius est inter Falerios et Romam: quod quidem vocis admittit significatio propria: at refragatur nexus.] ℙ Translate. *Paul. Dig.* 5, 4, 3. *f.* Peritissimi juris auctores medietatem quandam secuti sunt; et *Appul. Dogm. Plat.* 2. Hinc etiam medietates, easdemque virtutes, et summitates vocat: quia Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum, ut *Hor. Ep.* 1, 18, 9. loquitur. *Arnob.* 2, 65. Medietas quaedam, et animarum anceps ambiguaque natura locum philosophiae peperit.

[MEDILITĀNUS, a, um, adj. ad Medilam, seu Midilam pertinens, Numidiae opp. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 679. *n.* 50. Ex decreto paganorum pagi Mercurialis veteranorum Medilitanorum. *F.*]

MĔDĬLŪNĬA, ae, f. dimidia luna. *Capell.* 7, 241.

*MEDIMNI, orum, populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

MĔDIMNUS, i, m. et Medimnum, i, n. *μέδιμνος*, mensura aridorum ap. Graecos, et praesertim Atticos, quae sex modios continebat. *Nep. Att.* 2. *f.* Universos frumento donavit, ita ut singulis sex modii tritici darentur: qui modus mensurae medimnus Athenis appellatur. *Rhemn. Fann. de ponderib. etc.* 64. Hujus (*amphorae*) dimidium fert urna, ut et ipsa medimni Amphora, terque capit modium. *Cic. Verr.* 2, 3, 47. In jugero agri Leontini medimnum fere tritici seritur, perpetua atque aequabili satione: et *mox:* Ut quot jugera sunt sata, totidem medimna decumae debeantur: et *mox:* Pluribus millibus medimnum venisse decumas agri Leontini: pro *medimnorum.* Sic *ib.* 37. et 39. et *Varr.* ap. *Non.* 9, 1. ℙ Ex citato *Fannii* loco colligitur, *medimnum* etiam liquidorum mensuram esse.

MĔDĬO, as, a. 1. medium divido. *Apic.* 3, 9. Coliculos elixatos mediabis. ℙ *Medians, antis,* V. supra s. l.

MĔDĬOCRĬCŬLUS, dimin. mediocris. *Festus:* Mediocriculo usus est in ea, quam dixit Cato in consulatu: Ridibundum magistratum gerere pauculos homines, mediocriculum exercitum obviam duci.

MĔDĬOCRIS, e, adj. *μέτριος*, medium tenens, neque excedens, neque deficiens, modicus. *Cic. Or.* 1, 2. Permultos excellentes in quoque genere videbis, non mediocrium artium, sed etiam maximarum. *Id. Tusc.* 3, 10. Omne malum, etiam mediocre, magnum est. *Id. Fam.* 5, 8. *f.* Velim ad me scribas de omnibus minimis, maximis, mediocribus rebus. *Caes. B. G.* 5, 43. Mediocri spatio relicto. *Id. B. C.* 3, 46. Fossa mediocri latitudine; et *ib.* 38. Cum mediocribus copiis. *Sall. Jug.* 97. Mediocre castellum. *Plin.* 9, 35, 58. Mediocrium sponsalium coena; et 13, 24, 47. Mediocre solum, *h. e.* neque valde fertile, neque sterile omnino. *Just.* 1, 2. Statura mediocris. *Nep. Att.* 13. Usus est familia, si utilitate judicandum est, optima; si forma, vix mediocri. *Cic. Or.* 1, 29. *f.* Mediocris eloquentia; et *ib.* 21. Satis acute et dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere, *h. e.* mediocri doctrina instructos; et *ib.* 2, 27. Mediocre ingenium. *Cic. Brut.* 37. Mediocris orator. *Hor. A. P.* 372. mediocribus esse poetis Non Dii, non homines, non concessere columnae. *Ov. Pont.* 1, 5, 83. Sed neque pervenio scriptis mediocribus istuc. ℙ De mediocri stilo, V. in v. sq. ℙ *Mediocris animus,* modicus, moderatus, modestus. *Sall. Jug.* 8. Fuere complures, qui Jugurthae non mediocrem animum pollicitando accendebant; et *ib.* 6. *f.* Opportunitas etiam mediocres viros spe praedae transvorsos agit. Adde *Caes. B. C.* 3, 20., ubi *mediocris animus* est, qui neque nimis demissus ac timidus, neque nimis imprudens et audax est. ℙ *Mediocris vir* est etiam mediocris conditionis, neque illustri, neque ignobili genere. *Just.* 1, 4. Filiam Cambysi mediocri viro in matrimonium tradidit. ℙ *Mediocris syllaba,* quae media est inter brevem et longam, h. e. anceps. *Gell.* 16, 18. Species geometriae, quae appellatur *μετρική*, per quam syllabarum longarum, et brevium, et mediocrium junctura et modus, congruens cum principiis geometriae, aurium mensurae examinatur. ℙ [**Non mediocris* solemni fere formula dicitur id, quod summa laude, summo honore, pretio dignum est. Huc pertinent ex iis, quae Noster laudaverat, *Caes. B. G.* 3, 20. Non mediocrem sibi diligentiam adhibendam intelligebat. *Ter. Ad.* 5, 9, 9. Non mediocris hominis haec sunt officia. Ita saepissime ap. *Suet.*, ut *Claud.* 3. Non mediocrem operam dedit; et *Ner.* 52. non mediocre studium; et *ib.* 19. non mediocri laude digna; et *Vesp.* 18. Praemium non mediocre; et *ib.* 23. Non mediocris summae statua; et *Hor.* Non mediocrem locum in amborum amicitia tenuit; et *Gr.* 24. Non mediocrem silvam observationum; et *Cal.* 51. Non mediocrem fore consternationem.]

MĔDĬOCRĬTAS, atis, f. *μετριότης, μέσον*, medium, modus neque defectum habens, neque excessum. *Cic. Off.* 1, 25. *f.* Nunquam enim, iratus qui accedet ad poenam, mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum. *Id. ad Brut.* 1, 15. Est scilicet utriusque rei modus, et quaedam in utroque genere mediocritas. *Id. Off.* 1, 39. Multi villarum magnificentiam imitati sunt: quarum quidem certe adhibendus est modus, ad mediocritatemque revocandus. Eadem mediocritas ad omnem usum cultumque vitae transferenda est. *Colum.* 3, 5. Mediocritas in electione loci maxime probatur, quoniam in confinio boni malique posita est. *Cic. Phil.* 2, 1. Mediocritas ingenii. *Id. Or.* 2, 25. in dicendo; et *Brut.* 66. dicendi. *Auct. ad Her.* 3, 15. Mediocritatem vultus ad sermonis sententias accommodare. *Gell.* 6, 15. Homo omnium rerum verecunda mediocritate. *Hor. Od.* 2, 10, 5. Auream quisquis mediocritatem Diligit. ℙ Refertur ad stilum. Cum enim tria rhetores dicendi genera faciant, *ἁδρὸν*, uber, *ἰσχνὸν*, gracile, *μέσον*, mediocre: et primo dignitas atque amplitudo tribuatur, altero venustas et subtilitas, tertius in confinio est, utriusque modi particeps. Uber *Varro* ap. *Gell.* 7, 14. tribuit Pacuvio, gracile Lucilio, mediocritatem Terentio: quod postremum ipse *Gell.* paulo post *mixtum, moderatumque* appellat. Quae autem a *Cic. ll. cc.* dicitur *mediocritas dicendi,* est media facultas, et vis in uno ex his tribus generibus: et universim ad eloquentiam, non ad stilum, pertinet. [*Disputat de hac v. *mediocris* in rebus oratoriis significatione *Ernest.* in *Lex. technol. lat. rhet.* p. 253.] ℙ Item ad conditionem et genus. *Vell.* 2, 111, 3. Habuit in hoc quoque bello mediocritas nostra speciosi ministri locum; et *ib.* 130, 3. Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, apud aures Deorum de his queri. Simile est illud *Gell.* 14, 2. *f.* Sed majus ego, altiusque id esse existimavi, quam quod meae aetati et mediocritati [**meiner Wenigkeit*] conveniret, ut cognovisse, et condemnasse de moribus viderer. [**Suet. Vesp.* 12. Mediocritatem pristinam neque dissimulavit unquam, etc.] ℙ Et ad rem familiarem. *Inscr.* ap. *Mur.* 229, 8. Imp. Caesari Trajano Aug. Julianus VIvir. Aug. de sua mediocritate testamento fieri, poniq. jussit. Adde aliam 1405, 5. ℙ In plur. numero. *Cic. Acad.* 4, 44. Mediocritates illi probabant, et in omni permotione naturalem volebant esse quendam modum. Adde *Tusc.* 3, 10.

MĔDĬOCRĬTER, adv. *μετρίως, μέσως*, modice, medio modo, neque nimis, neque parum. *Cic. Tusc.* 3, 10. Corpus etiam si mediocriter aegrum est, sanum non est. *Id. Fam.* 5, 12. *med.* Ordo annalium mediocriter nos retinet: at ancipites variique casus habent admirationem, exspectationem, etc. *Pl. Merc.* 2, 1, 13. Flagitium et damnum fecisse haud mediocriter. *Cic. Or.* 1, 20. Ne mediocriter quidem disertus. *Ter. Heaut.* 2, 3, 45. Mulier mediocriter vestita veste lugubri. *Id. Andr.* 1, 1, 32. Horum ille nihil egregie praeter cetera studebat: et tamen haec omnia mediocriter. *Cic. Verr.* 2, 3, 41. Quod mehercule, judices, mihi non mediocriter ferendum videtur; et *fragm. contra competitor.* ap. *Ascon.* Me ne aliorum quidem injurias mediocriter posse ferre. *Id. Att.* 1, 20. *med.* Hoc vellem mediocrius.

MĔDĬOLĀNENSIS, e, adj. ad Mediolanum pertinens, Insubriae urbem, ut Mediolanensis ager, ap. *Varr. R. R.* 1, 8. et Mediolanensis praeco, ap. *Cic. Pis.* 26. ℙ *Mediolanenses, ium,* absolute sunt illius urbis, et ejus regionis incolae. *Varr. l. c.* Ut Mediolanenses faciunt in arboribus. *Hieron.* in *Chron.* ad ann. U. C. DLXXVI. Statius Caecilius comoediarum scriptor clarus habetur, natione Insuber Gallus, et Ennii primum contubernalis. Quidam Mediolanensem faciunt.

MĔDĬOLĀNUM, i, n. nunc *Milano,* urbs ampla et praeclara Insubriae, non procul a Ticino amne, condita a Gallis, ut est ap. *Liv.* 5, 34. *extr.*, ubi in quibusdam libris *Mediolanium* legitur, et ap. *Strab. l.* 4. et 5. *Μεδιολάνιον. Auson. clar. urb.* 5. Et Mediolani mira omnia, copia rerum, Innumerae cultaeque domus, facunda virorum Ingenia, et mores laeti, etc. Origo nominis varie ducitur: ab aliis ab oppido cognomine in Santonicis relicto (quod *Ammian.* 15, 11. Mediolanum, nunc *Evreux,* appellat), ut est ap. *Strab. l.* 4.: ab aliis a *Medo,* et *Lano* conditoris populi ducibus: ab aliis ab invento eo loci sue lanato simul et setoso, cujus meminere *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 183., *Sidon. ep.* 7, 17. *in carm.* et *Isid. Orig.* 15. (V. SUS.): alii demum a Celtica lingua, *(Mitte* et *Land,)* quia nempe ea urbs in planitie posita est, media inter Ticinum, et Adduam fluvios. ℙ Ea urbs appellatur in *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 73. *n.* 72. Colonia Copia Augusta Felix Mediolanum. Vocata est etiam *Athenae novae.* V. ATHENAE. [*Plurima addidit *F.* ℙ *Fuit et Mediolanum aliud in Gallia Lugdunensi s. Celtica, in Aulercorum agro. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut.* ℙ Aliud in Gallia Belgica, in Gugernis, vulgo *Moyland,* teste *Cluverio. Anton. Itin.* ℙ Item aliud in Gallia Aquitanica, *Μεδιολάνιον Straboni* ac *Ptolemaeo,* hodie *Saintes* vel *Xaintes. Anton. Itin.* ℙ In Britannia aliud, *Ptolemaeo Μεδιολάνιον,* hodie forsan *Manchester. Anton. Itin.* V. MANCUNIUM. *B. A.*]

[MĔDĬOMATRĬCI, orum, n. plur. Galliae Belgicae populi, qui ad septentrionem Treviros, ad orientem Nemetes, et Triboccos, ad meridiem Leucos, ad occasum Verunos habuerunt, nunc *il paese Messin. Caes. B. G.* 4, 10. Per fines Mantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricorum, Triboccorum, Trevirorum citatus fertur. [*V. *Moeb.*] ℙ Etiam num. singul. *Inscr.* ap. *Grut.* 731, 12. Jumma Exobni fil. cive Mediomatrico. *F.*]

[MĔDĬON, ii, n. *μήδιον*, herba Mediae propia, foliis similis est iridi sativae. *Plin.* 37, 12, 79. ℙ *Medion, onis.* V. v. sq. *F.*]

[MĔDĬONĬUS, a, um, adj. *Μεδιώνιος*, ad Medionem pertinens, Acarnaniae urbem. *Liv.* 36, 12. Peterent ab eo, ut Medionios super tanta re consultare in concilio Acarnanum pateretur. *F.*]

MĔDĬOXĪMĒ et Medioxume, adv. mediocriter. Vox prisca. *Varr.* ap. *Non.* 2, 556. Quid est aliud, quod Delphice canat columna litteris suis, *μηδὲν ἄγαν*, quam nos facere ad mortalem modum medioxume, ut quondam patres nostri loquebantur?

MĔDĬOXĪMUS et Medioxumus, a, um, adj. medius. *Pl. Cist.* 2, 3, 67. Medioxumam quam dudixit uxorem, ex ea Nata est haec virgo, *h. e.* mediam inter duas alias uxores, vel inter fictas, et veras nuptias unius uxoris; et *ib.* 1, 35. Ita me Dii Deaeque, superi atque inferi, et medioxumi, Itaque me Juno regina, etc. *h. e.* medium tenentes locum inter superos et inferos, vel naturae mediae inter mortalem et divinam: quales sunt, qui ex hominibus Dii sunt facti. Paulo aliter *Appul. Dogm. Plat.* 1. Deorum trinas nuncupat species: quarum prima est unus et solus ille summus, quem patrem orbis superius ostendimus. Aliud genus est, quale astra habent, ceteraque numina, quos coelicolas vocamus. Tertium habent, quos medioximos Romani veteres appellant, quod et sui ratione, et loco, et potestate Diis summis sunt minores, hominum natura profecto majores. Quidam ap. *Serv. ad A.* 3, 134. marinos Deos interpretantur. Apud *Fest.* medioxumum est mediocre. *Scalig.* vult ap. *Plaut.* legi *mediotumus,* ut a *quotus quotumus.*

MĔDĬPONTUS, i, m. *Cato R. R.* 3. et 12. medipontos enumerat inter instrumenta torcularis: *ib.* 3. Fibulas duodenas, medipontos privos loreos, trochleas Graecanicas binas, etc. *ib.* 12. Funes loreos quinque, subductarios quinque, medipontos quinque, trochleas quinque, etc. Utroque loco funes intelligere videtur, et quidem crassiores, aut etiam plures simul junctos, ad prelum vehementer deprimendum. *Turneb. Advers.* 8, 6. ita dictos putat, quia *Medi,* h. e. Xerxis *pontem* imitabantur, quo Hellespontum conjunxerat crassissimis funibus extentis. Alii leg. *melipontos* eodem sensu: quia veteres *l,* et *d* saepe commutabant, ut *Fest.* monet in *Medius.*

MĔDĪTĂBUNDUS, a, um, adj. *σύννους*, valde meditans, cogitabundus. *Just.* 38, 3. *med.* de Mithridate: Nam omnes has gentes, Romanum meditabundus bellum, variis beneficiorum muneribus jam ante illexerat.

MĔDĪTĀMEN, inis, n. idem ac meditamentum, seu meditatio. *Sil.* 8, 326. lenti meditamina belli. *Prud. Psych.* 234. Desidiam pigro rerum meditamine palpent.

MĔDĪTĀMENTUM, i, n. *Tac. H.* 4, 26. Ibi struenda acie, muniendo vallandoque, et ceteris belli meditamentis militem firmabant, i. e. apparatibus et exercitationibus militaribus: nam *meditari* est non solum cogitatione complecti, sed etiam re, et factis se ad aliquid praeparare. Sic *A.* 15, 35. Quin eum nobiles habere, quos ab epistolis, et libellis, et rationibus appellet, nomina summae curae, et meditamenta. *Gell.* 8. *in lemmate* capitis 10., quod intercidit. Grammaticus quidam praestigiosus, tempora verborum, et meditamenta puerilia ignorans, *h. e.* rudimenta, quae pueri in scholis meditantur, et discunt.

MĔDĪTĀTĒ, adv. *ἐσκεμμένως*, cogitato, cum meditatione. *Pl. Bacch.* 3, 6, 16. Nae tu illorum mores perquam meditate tenes: *idest* probe nosti ex longa meditatione, usu, et experientia. *Sen. Const. Sap.* 11. *f.* Probra meditate effundere.

MĔDĪTĀTĬO, onis, f. *σκέμμα, μελέτη*, actus meditandi, cogitatio, commentatio. *Cic. Tusc.* 3, 15. Stultam esse meditationem futuri mali, aut fortasse ne futuri quidem. ℙ Item exercitatio, qua ad aliquid praeparamur, apud nos exercentes, et factitantes, quae in ipsa re postea facienda erunt. *Id. Or.* 2, 27. Quos quidem locos multa commentatione atque meditatione paratos atque expeditos habere debetis. *Id. Cluent.* 30. Anni octo sunt, cum ista causa in ista meditatione versatur: cum omnia et ex hujus, et ex aliorum tabulis agitatis, tractatis, inquiritis. *Id. Phil.* 9, 1. Servius in ipsa cura et meditatione obeundi sui muneris excessit e vita. *Id. Div.* 2, 46. Multi naturae vitium meditatione atque exercitatione sustulerunt, ut Demosthenes. *Id. Brut.* 37. Nulla meditationis suspicio: imparatus semper aggredi ad dicendum videbatur. *Sen. ep.* 54. Suspirium medici meditationem mortis vocant. *Plin. Pan.* 13. Cum in

illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium pulverem sudoremque misceres. *Plin. alter* 17, 19, 30. *n.* 7. Eum ramum omni interim tempore edomari meditatione curvandi, *h. e.* assuetudine: nam assuetudo frequenti usu atque exercitatione fit. ℙ [**Meditatio dicendi* est declamandi ratio, quae exercitationis causa in scholis rhetorum institui solebat. Ita legitur ap. *Quint. Inst.* 2, 10, 2. pauca mihi de ipsa declamandi ratione dicenda sunt: quae quidem, ut ex omnibus novissime inventa, ita multo est utilissima. Nam et cuncta illa, de quibus diximus, in se fere continet, etc. — Neque enim virtus ulla perpetuae duntaxat orationis reperiri potest, quae non sit cum hac dicendi meditatione communis.] ℙ *Rhetoricae meditationes* ap. *Gell.* 20, 5. sunt commentationes de praeceptis dicendi.

MĔDĪTĀTĪVUS, a, um, adj. ad meditandum pertinens. *Meditativa verba* dicuntur a grammaticis, quae non actum, sed apparatum ostendunt, ut *parturio*, *lecturio*, *amaturio*, *esurio*. Ita *Diomed.* 1, 336. Adde *Prisc.* 8, 825., *Serv.* in *art. secund. Donat.* p. 1789. *Cledon.* et alios.

MĔDĪTĀTOR, oris, m. qui meditatur. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 265. Haec ille versutus vafra meditator arte struxerat. Alii leg. *meditatus.*

[MĔDĪTĀTORĬUM, ii, n. *μελεητήριον*, locus praeparatorius, *Hieron. in Jovin.* 2. *n.* 12. Pridianis epulis distendimur, et guttur nostrum meditatorium efficitur latrinarum, *h. e.* locus, in quo praeparatur id, quod postea latrina suscipit ac devorat. (*Tert.* rem eandem *praemeditatorium* dixit, q. v. v. s. l.) *Id. ep.* 78. *f.* Succedit Deuteronomium, secunda lex, meditatorium Evangelii, *h. e.* quae Evangelii doctrinam quodammodo praeparavit. *F.*]

MĔDĪTĀTUS, a, um, part. a *meditor:* Active. *Cic. Verr.* 2, 2, 6. In Siciliam paratus ad praedam, meditatusque venire cupiebat; et *ib.* 3, 40. Qui meditati ad dicendum, paratique venimus. [**Meditatus venire* ex formula dicitur, qui dolis et fraudibus instructus venit. Ita *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2. §. 5. p. 145. ed. *Frotzsch.*, ubi haec laudantur: *Ter. Andr.* 2, 4, 3. Venit meditatus alicunde, ex solo loco; et *Cic. Quint.* 2. Cum paratus, meditatusque venisses. *Legg.* 1, 4, 12. Ad quam ego nunquam nisi paratus et meditatus accedo; et *Bünemann.* ad *Lact. Inst. Div.* 1, 5. §. 9. p. 30. adn.] *Cic. Phil.* 3, 14. *f.* Consules multos menses de populi R. libertate commentati, atque meditati. *Virg. G.* 3, 153. Inachiae Juno pestem meditata juvencae. ℙ Passive. *Cic. Har. resp.* 2. Nihil feci non diu consideratum, ac multo ante meditatum; et *ib.* 26. Nocturnis vigiliis justitium illud conceptum et meditatum est. *Id. Off.* 1, 8. *f.* Leviora sunt quae repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quae meditata et praeparata inferuntur. *Id. Phil.* 2, 34. Attuleras domo meditatum et cogitatum scelus; et *ib.* 10, 2. *extr.* Quod verbum tibi non excidit, ut saepe fit, fortuito: scriptum, meditatum, cogitatumque attulisti. *Id. Or.* 1, 60. *f.* Accuratae et meditatae commentationes. *Plin.* 26, 3, 7. Torrenti et meditata oratione blandiri. [**Lucr.* 4, 1178. Meditata diu querela cadat.] *Pl. Ps.* 4, 1, 31. teneo omnia: In pectore condita sunt: meditati sunt doli docte. *Ter. Ph.* 2, 1, 18. Meditata mihi sunt omnia mea incommoda, herus si redierit. *Ov. Met.* 7, 727. Ut vidi, obstupui, meditataque paene reliqui Tentamenta fide. *Gell.* 1, 7. Homo lectione multa exercitus, cui pleraque omnia veterum litterarum quaesita, meditata, evigilataque erant. [**Suet. Aug.* 84. Meditata et composita oratione; opp. *extemporalis facultas ad subita.* (Meditatum carmen ap. *Plin. Pan.* 3, 5., ubi v. *Schwarz.*)]

MĔDĪTĀTUS, us, m. meditatio, cogitatum. *Appul. Met.* 3. Porro meditatus innoxios casus incertus, vel etiam adversus culpae non potest addicere.

MĔDĪTĔRRĀNĔUS, a, um, adj. *μεσόγειος*, qui in medio terrarum positus est, et a mari procul: cui opponitur maritimus. *Cic. Verr.* 2, 5, 27. *f.* Ad homines a navigando, rebusque maritimis remotissimos, ad Centuripinos, homines maxime mediterraneos. (Adde *Liv.* 35, 26.) et *ib.* 5, 83. Enna mediterranea est maxime. *Id. N. D.* 1, 21. *f.* Mediterranei mare esse non credant. *Quint.* 5, 10. *med.* Locus montanus, an planus; maritimus, an mediterraneus; consitus, an incultus. *Plin.* 5, 10. 11. Mediterraneum commercium; et *ib.* 28, 29. Mediterraneae jurisdictiones. *Plin. alter ep.* 2, 17. *f.* Villa nostra etiam mediterraneas copias praestat, lac inprimis. ℙ *Mediterraneum mare* est, quod nunc *il Mediterraneo* absolute dicitur, et ex oceano per Gaditanum fretum se inferens, Africae septentrionalem oram, Europae meridionalem, occidentalem Asiae magno tractu, ingentibusque sinibus alluit. [*Ap. bonos scriptores, non dicitur. V. *Mare.*] *Isid. Orig.* 13, 16. *in.* Mare magnum est, quod ab occasu ex oceano fluit, et in meridiem vergit, deinde ad septentrionem tendit. Istud est et mediterraneum, quia per mediam terram usque ad orientem perfunditur, Europam, et Africam, Asiamque disterminans. ℙ *Mediterraneum* absolute, locus mediterraneus. *Plin.* 3, 1, 3. Inter Baetim, et Oceani oram in mediterraneo est Segeda. *Id.* 33, 12, 51. In mediterraneis Hispaniae.

MĔDĪTĔRRĔUS, a, um, mediterraneus. *Sisenna* ap. *Fest.* melius *mediterreum*, quam *mediterraneum* dici putat: sed contra est usus.

MĔDĪTOR, aris, atus sum, dep. 1. *μελετάω*, animo verso, mente cogito, commentor, considero, perpendo: a voce Graeca allata, quae a *μέλει*, curae est. Dicitur autem fere de iis rebus, quae a nobis faciendae sunt, et antequam fiant, versantur animo, atque expenduntur, ut recte fiant. *Cic. Fam.* 2, 5. *f.* Ea para, meditare, cogita, quae esse in eo viro debent, qui sit rempublicam in veterem dignitatem vindicaturus; et *ib.* 1, 7. *med.* Volo, ut hac multo ante meditere, huc te pares, haec cogites, ad haec te exerceas. *Id. Att.* 5, 11. Ego hanc *ἀνεξίαν* in unum annum meditatus sum. *Id. Agr.* 2, 5. *med.* Jam designatus, alio vultu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur. *Id. Or.* 1, 8. Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra, curiamque meditere, etc. *Id. Fam.* 2, 3. Quid sentiam, aut scribam ad te postea pluribus, aut, ne ad eam rem meditere, imparatum te offendam. *Id. ib.* 1, 8. *med.* Haec ob eam causam scribo, ut jam de tua quoque ratione meditere. *Nep. Ag.* 4. Cum animo meditaretur proficisci in Persas. *Cic. Phil.* 2, 45. *f.* Multos annos regnare meditatus, magno labore, multis periculis. ℙ Praecipue vero *meditari* dicuntur, dum se praeparant oratores verba facturi, et comici in scena acturi. *Pl. Pers.* 4, 2, 4. satin' estis meditati? *Sa.* tragici, atque comici Nunquam aeque sunt meditati. *Cic. Mur.* 21. Simulatque candidatus accusationem meditari visus est, honorem desperasse videtur; et *Att.* 5, 21. *f.* Meditare adversus Brutum causam meam; et *Off.* 1, 40. Si quis cum causam sit acturus, in itinere, aut in ambulatione secum ipse meditetur, etc. *Id. Brut.* 88. Nullum patiebatur esse diem, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum. *Id. Fl.* 5. Graecus testis cum ea voluntate processit, ut laedat, non jurisjurandi, sed laedendi verba meditatur. *Id. Att.* 9, 17. Ex ejus nuncio meditabor, quomodo cum illo loquar. *Id. N. D.* 3, 1. Ego, te disputante, quid contra dicerem, mecum ipse meditabar. *Id. Pis.* 25. Si ipse coram congredi poteris, meditare, quibus verbis incensam illius cupiditatem comprimas, atque restinguas. [**Liv.* 40, 15. Tempus ad meditandum, et componendam orationem, sumsissem: ubi al. *meditandam. Suet. Aug.* 85. Liber epigrammatum, quae fere tempore balnei meditabatur; et *Cal.* 53. Solebat magnorum in senatu reorum accusationes defensionesque meditari.] ℙ Sic Poetae *meditari* dicuntur, dum carmina pangunt, postea recitaturi. *Virg. Ecl.* 6, 82. Omnia, quae, Phoebo quondam meditante, beatus Audiit Eurotas, jussitque ediscere lauros. *Hor. Ep.* 2, 2, 76. versus tecum meditare canoros. ℙ Hinc meditari pro memorare. *Pl. Poen.* 4, 2, 18. Is quidem illi ut meditatur, verba facit emortuo. *Id. Ps.* 4, 7, 107. Sycophanta hic nequam est, nugis meditatur male. ℙ Universim *meditari aliquid* est non solum cogitando persequi, sed etiam agendo, et praeparando: atque adeo ponitur pro exercere. *Virg. Ecl.* 5, 60. Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis Ulla dolum meditantur. *Id. A.* 4, 171. Nec jam furtivum Dido meditatur amorem; et *ib.* 10, 455. et *Sil.* 17, 439. Stare procul campis meditantem in proelia taurum. *Id.* 12, 711. Intenditque arcum, et pugnas meditatur Apollo. *Id.* 14, 677. de Archimede: meditantem in pulvere formas. *Pl. Stich.* 2, 1, 34. Simulque ad cursuram meditabor me ad ludos Olympios. *Virg. Ecl.* 6, 8. Silvestrem tenui meditabor arundine Musam. [**Tibull.* 3, 5, 13. Nec nos, insanae meditantes jurgia linguae, Impia in adversos solvimus ora deos.] *Plin.* 8, 32, 50. Cervi editos partus exercent cursu, et fugam meditari docent. *Id.* 10, 29, 43. de lusciniis: Meditantur aliae juniores, versusque, quos imitentur, accipiunt; et *ib.* 42, 59. de picis: Meditantesque intra semet, cura atque cogitatione intentionem non occultant. *Id.* 11, 25, 30. de scorpione: Semper cauda in ictu est: nulloque momento meditari cessat, ne quando desit occasioni. *Prud. Cath.* 10, 132. semina meditantur aristas. *Suet. Ner.* 40. Meditari artem citharoedicam; et *Tib.* 65. fugam ad legiones; et *Claud.* 32. edictum; et *Ner.* 20. Paulatim et ipse meditari, exercerique coepit. ℙ Pro simplici considero, cogito. *Pl. Bacch.* 3, 2, 1. Multis modis meditatus egomet mecum sum, et ita esse arbitror: Homini amico nihil praestare. *Id. Truc. prol.* 5. Meditor equidem, vobis me ablaturum sine mora. ℙ Passiva significatione frequenter adhibetur in part. praet. V. MEDITATUS. Sed et in praesenti. *Minuc. Fel. Octav.* 25. *f.* Tractantur lenocinia, adulteria meditantur.

MĔDĪTRĪNA, ae, f. Dea medendi. V. v. sq.

MĔDĪTRĪNĀLĬA, ium, n. plur. festus dies ab Latinis celebratus quinto Id. Octobr., ut est in vet. Calendario ap. *Grut.* 193., dictus a medendo, quod, ut Flaccus flamen Martialis dicebat, hoc die solitum, vinum novum et vetus libari et degustari medicamenti causa. Quod facere solent etiamnunc multi cum dicunt: novum vetus vinum bibo: novo veteri morbo medeor. Haec *Varr. L. L.* 5, 3. *med.* De his etiam *Festus:* Meditrinalia dicta hac de causa. Mos erat Latinis populis, quo die quis primum gustaret mustum, dicere ominis gratia: vetus novum vinum bibo: veteri novo morbo medeor. A quibus verbis Meditrinae Deae nomen captum, ejusque sacra Meditrinalia dicta sunt. Haec *Fest.* Huc pertinet aliquo modo illud *Plin.* 28, 2, 5. Cur ad primitias pomorum haec vetera esse dicimus, alia nova optamus?

MĔDĪTULLĬUM, ii, n. *τὸ μέσον*, medium, medietas, medium spatium: a *medius:* nam *tullium* est extensio vocabuli, nihil significans, ut *Cic. Top.* 8. *f.* docet, non secus ac *timus* in *finitimus*, et *legitimus*, et *aeditimus. Festus* tamen dici putat a *medius*, et *tellus*: sed potior est *Ciceronis* auctoritas. *Appul. Met.* 10. In ipso meditullio scenae; et 5. *in.* Videt fontem medio luci meditullio. *Id. Doctr. Plat.* 2. Virtutes in meditullio quodam vitiorum sunt sitae. ℙ [Eodem sensu usurpatur et *medullium* pro *meditullium. Symmach.* in 2. *or. Valent. Aug.* 23. (ed. *A. Maio*). Dum orbis secreta rimaris, dum in medulliis barbarorum non tentoria, sed tecta constituis, triumphum pacis egisti. *F.*]

[MĔDĪTULLUS, a, um, adj. medius, intimus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 34. Vis meditulla daemonum. *F.*]

MĔDĬUM, ii, n. *μέσον*, locus medius, spatium inter aliqua interjectum. *Cic. Tusc.* 1, 17. Terra in medio mundi sita. Alii leg. *mundo.* [*Ita *Orell.*] *Virg. A.* 5, 401. In medium geminos immani pondere caestus Projecit. *Ov. Met.* 2, 136. Altius egressus coelestia tecta cremabis: Inferius terras: medio tutissimus ibis. *Liv.* 27, 48. *f.* et *Tac. A.* 11, 21. Et jam diei medium erat. *Sall. Jug.* 49. In agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse. *Virg. G.* 3, 488. medio stans hostia ad aras. *Tac. A.* 1, 64. Medio montium porrigitur planities; et *ib.* 13, 38. Auxilia pro cornibus, medio legionem constituit; et *ib.* 28. Medio temporis, i. e. inter haec, interea. ℙ Translate est locus apertus, et omnium oculis expositus, publicusque, lux publica, coetus hominum. *Ter. Phorm. prol.* 16. In medio omnibus palma est posita, qui artem tractant musicam. *Cic. Verr.* 2, 2, 42. *med.* Tabulae sunt in medio; et *Fam.* 15, 2. *med.* Se tamen eam rem nunquam in medium propter periculi metum protulisse; et *Verr.* 2, 1, 11. Cum rem totam in medio proposuissem; et *N. D.* 1, 6. Ponam in medio sententias philosophorum; et *Or.* 1, 3. *f.* Ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu, atque in hominum more et sermone versatur. *Id. Dom.* 54. Haec non sunt quaesita ex occulto aliquo genere litterarum, sed sumpta de medio, ex rebus palam actis, etc. ℙ *Verba e medio*, sunt usitata omnibus. *Ov. A. Am.* 3, 479. Munda sed e medio, consuetaque verba puellae Scribite: sermonis publica forma placet. ℙ *Vocare in medium*, in dubium, in disceptationem, in judicium: quia quae palam fiunt, aliter ab aliis judicantur. *Cic. Cluent.* 28. Incensi suspicione rem in medium vocare coeperunt, et causam illam totam deposcere. ℙ *In medio relinquere*, non decisum relinquere. *Cic. Coel.* 20. Mulierem nullam nominabo: tantum in medio relinquam. *Sall. Cat.* 19. Sunt, qui dicant, etc. alii autem, etc. nos eam rem in medio relinquimus. Adde *Vell.* 2, 48. ℙ *Pellere de*, vel *e medio*, extra consortium nostrum abigere. *Enn.* ap. *Cic. Mur.* 14. Pellitur e medio sapientia: vi geritur res; et *Cic. Off.* 3, 8. *med.* Hoc quidem deliberantium genus pellatur e medio: est enim totum sceleratum. ℙ *Tollere de*, vel *e medio*, est ex communi usu sumere. *Pomp. Dig.* 17, 2, 59. Quod in alea perdiderit socius, ex medio non est laturus, *h. e.* e re societatis. *Cic. Or.* 3, 45. Cum jacentia verba sustulimus e medio, ad nostrum arbitrium formamus, et fingimus. ℙ Item auferre. *Id. Verr.* 2, 2, 71. Decumani tollendas de medio litteras censuerunt. ℙ Item e mundo tollere, occidere. *Id. Rosc. Am.* 7. *extr.* Perfacile hunc hominem incautum, et rusticum, et Romae ignotum de medio tolli posse. ℙ *E medio excedere*, aut *abire*, mori. *Ter. Phorm.* 5, 7, 74. Cum e medio excessit, unde haec suscepta est tibi; et 5, 8, 30. Ea mortem obiit, e medio abiit. ℙ Contra *in medio esse* aliquando est vivere, esse. *Id. Ad.* 3, 5, 32. mater virginis in medio est, Ipsa virgo, res ipsa. ℙ *Recedere*, aut *excedere de medio*, abire, se subducere, facessere. *Cic. Rosc. Am.* 38. *f.* Cur te mihi offers? recede de medio: per alium transigam. *Ter. Hec.* 4, 3, 13. odiosa haec est aetas adolescentulis: E medio aequum excedere est. ℙ *Venire*, et *procedere in medium*, comparere, coram venire. *Cic. Verr.* 2, 2, 71. *f.* Venient in medium: dicent, quid statuerint; et urbane *Fin.* 1, 5. Prima veniat in medium Epicuri ratio; et *Inv.* 2, 14. Cum animus hac intentione

omnes negotii partes considerabit, tum illi ipsi in medium conservati loci procedent. ℙ *Per medium*, nec nimis, nec parum. *Quint.* 4, 2. *med.* Tanquam necesse sit, longam aut brevem esse expositionem, nec liceat ire per medium. ℙ *In medium*, saepe est in commune, in usum, et utilitatem omnium, *in commune*. *Cic. Off.* 1, 7. Communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiundo. *Virg. A.* 11, 335. Consulite in medium, et rebus succurrite fessis. *Id. G.* 1, 126. Nec signare quidem, aut partiri limite campum Fas erat: in medium quaerebant. *Tac. H.* 4, 64. Bona interfectorum in medium cedant. *Liv.* 6, 6. *f.* Laudem conferentes potius in medium, quam ex communi ad se trahentes. *Ov. Met.* 15, 66. Dare aliquid in medium. ℙ [*Hinc *in medium conferre* in aleae lusu, nostr. *setzen*. Ita *Suet. Aug.* 71.] ℙ *In medio*, sub dio. *Pall.* 1, 35. *med.* Scorpios fugari posse, si aliqui ex eis urantur in medio. ℙ *Medium* pro dimidium. *Varr. R. R.* 2, 7. *med.* Scillae medium conterunt cum aqua. *Colum. Arbor.* 4. *f.* Scrobem ad medium completo. ℙ [*Confunduntur *medio* et *medium*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 365. *Medium* et *idem*. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 18, 47.]

MĔDĬUS, a, um, adj. *μέσος*, qui mensuratus aequaliter distat ab extremis: item quicumque inter duo, vel plura est positus, quamvis non aequaliter distet ab omnibus: a voce Graeca allata: vel a *modus:* vel per syncopen a *μεσοΐδιος*, quod ap. *Hesych.* idem significat. *Cic. Or.* 3, 50. Versus aeque prima, et media, et extrema pars attenditur. *Id. Prov. cons.* 18. Ultimum, proximum, medium tempus. *Id. Q. Fr.* 2, 3. *med.* Dixi pro Bestia apud praetorem, in foro medio, maximo conventu. *Virg A.* 1, 701. aulaeis jam se regina superbis Aurea composuit sponda, mediamque locavit, *h. e.* in medio loco. V. ACCUMBO. Sic *Ov. Fast.* 3, 359. in solio medius consedit acerno. *Virg. Ecl.* 10, 65. Frigoribus mediis; et *A.* 12, 201. medios ignes, et numina testor, *h. e.* qui in medio positi sunt; et *ib.* 2, 508. et medium in penetralibus hostem, *h. e.* qui est in mediis penetralibus. *Id. ib.* 10, 116. solio tum Juppiter aureo Surgit, coelicolae medium quem ad limina ducunt. *Ov. Fast.* 6, 247. Aspicit instantes, mediis sex lucibus, Idus Illa dies. *Suet. Caes.* 76. et *Just.* 2, 4. et 3, 2. Medio tempore, i. e. inter haec, interea. *Varr.* ap. *Gell.* 13, 30. Vinum novum, vetus, medium, *h. e.* neque novum, neque vetus. ℙ Cum ablat. *Ov. Am.* 2, 16, 13. Non ego, si medius Polluce et Castore ponar, In coeli sine te parte fuisse velim. *Vell.* 1, 2. Peloponnesii Megaram, mediam Corintho Athenisque urbem condidere. ℙ Cum praepos. *inter*. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 701. Discubuit medius inter Tarquinium et Perpernam. *Cic. Phil.* 8, 1. Cum inter bellum et pacem medium nihil sit. [*Plura v. ap. *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. h. v.] ℙ Cum genitivo Graecorum more. *Caes. B. G.* 4, 19. Locum esse delectum, medium regionum earum, quas, etc. *Ov. Met.* 6, 409. Qui locus est medius juguli, summique lacerti. *Id. Fast.* 5, 67. Et medius juvenum, non indignantibus ipsis, Ibat, et interior, si comes unus erat. *Stat. Th.* 4, 683. mediusque silentum Incipit. *Ov. Met.* 5, 561. medius fratrisque sui, moestaeque sororis Juppiter. *Sil.* 1, 307. Concidit exacti medius per viscera teli, *h. e.* telum habens exactum per media viscera. ℙ *Media* res aliqua dicitur, in cujus medio fit aliquid. *Caes. B. G.* 1, 24. In colle medio aciem instruxit. *Ter. Andr.* 4, 4, 37. Provolvere aliquem in mediam viam. *Cic. Cluent.* 10. In media potione exclamavit; et *Virg. A.* 4, 76. Incipit effari, mediaque in voce resistit; et *ib.* 12, 452. It mare per medium. Rursus *Ter. Eun.* 4, 7, 4. In medium huc agmen cum vecti, Donax. *Id. Ad.* 3, 2, 18. Medium arripere aliquem; et *Virg. A.* 10, 815. exigit ensem Per medium Aeneas juvenem; et *ib.* 2, 218. angues Laocoonta medium amplexi; et *ib.* 10, 484. clypeum medium cuspis transverberat; et *ib.* 12, 477. medios Juturna per hostes Fertur equis; et *ib.* 10, 576. At non Evandrum potis est vis ulla tenere, Sed venit in medios. Sic *ib.* 10, 20. Turnusque feratur Per medios insignis equis. *Ov. Met.* 12, 484. Medio ense jugulare aliquem, *h. e.* media ensis acie, non mucrone. ℙ [**Medium tenere, arripere*, etc. ab arena petitae sunt locutiones. Ita *Ter. Ad.* 3, 2, 18. Medium arripere aliquem. *Lucan.* 4, 652. Alcides medium tenuit; et *v.* 627. et medium compressis ilibus arctat. Saepius ap. *Aristoph.* occurrit, ut *Nub.* 1043. *ἐυθὺς γάρ σε μέσον ἔχω λαβὼν ἄφυκτον*, ubi *Schol.: ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν παλαιστῶν λαμβανομένων εἰς τὸ μέσον καὶ ἡττωμένων.* Idem repetit ad *Ran.* 472. q. l. citavit *Bersm.* et ad *Equit.* 387., ubi comicus: *Νῦν γὰρ ἔχεται μέσος;* et al. Aliter *Theognis Gnom.* 265. *μέσην παρὰ παῖδα λαβὼν ἀγκῶνα.* Ita in obscoenis *medius vir*, *media mulier* ap. *Auson. Epigr.* 116, 2. et al. Laudat haec *Cort.* ad *Luc. l. c.*] ℙ Aliquando *medius* est dimidius. *Varr. R. R.* 3, 7. *med.* Hieme demunt cibum medium; et *Colum.* 11, 2. *med.* Prid. non. Majas Nepa medius occidit; et *Pall.* 2, 18. In eo vino medium croci scrupulum, et folii unum scrupulum mittis. *Capitol. M. Aurel.* 4. *extr.* Aurum coronarium Italicis totum, medium provincialibus reddidit. ℙ *Medium unguem ostendere* ap. *Juven.* 10, 53., vel *medium digitum porrigere* ap. *Mart.* 2, 28. is dicebatur, qui, ceteris contractis digitis, medium tantummodo, infamem et impudicum, et Graecis *κατάπυγον* appellatum, extendebat contumeliae causa in aliquem, cui catamiti patientia exprobrabatur. ℙ *Medius dies* est meridies. *Hor. Ep.* 1, 2, 30. Cui pulcrum fuit in medios dormire dies. *Virg. G.* 3, 303. stabula Ad medium conversa diem. ℙ Translate *medius* est anceps, ambiguus, et qui in utramque partem facile trahi potest. *Liv.* 39, 39. Medio responso spem ad voluntatem interpretantibus fecerat, cessurum patrum auctoritati esse. *Gell.* 12, 9. Vocabula media et communia, *h. e.* quae duas res contrarias significare possunt, ut *valetudo*, *facinus*, *venenum*, *medicamentum*. Similiter *medias artes* vocat *Quint.* 2, 20., quae neque laudari per se, neque vituperari possunt, sed utiles, aut secus secundum mores utentium sunt. ℙ Item mediocris. *Liv.* 5, 37. Delectum nihilo accuratiorem, quam ad media bella haberi solitus erat, habebant. *Vell.* 2, 29. de Pompejo: Innocentia eximius, sanctitate praecipuus, eloquentia medius. *Tac. H.* 1, 49. Galbae medium ingenium, magis extra vitia, quam cum virtutibus. *Vell.* 2, 67. Fuisse in proscriptos uxorum fidem summam, libertorum mediam, servorum aliquam, filiorum nullam. *Spart. Ver.* 3. Etsi non summi, medii tamen obtinuit ducis famam. *Phaedr.* 2, 2. Aetatis mediae vir, i. e. nec senex, nec juvenis. ℙ Item modicus, temperatus, moderatus. *Liv.* 2, 49. Nihil medium, nec spem, nec curam, sed immensa omnia volventes animo. *Id.* 27, 25. Aliis senatusconsulto notantibus, etc. aliis praemia decernentibus, etc. mediis ad censores notionem de eo pertinere dicentibus. *Plin. ep.* 4, 9. Medium quiddam tenere. ℙ Item qui ad duas res contrarias aeque aptus est. *Hor. Od.* 2, 19, 28. Pacis eras, mediusque belli. *Liv.* 1, 32. Medium erat in Anco ingenium, et Numae, et Remuli memor. *Vell.* 2, 114. Agebat medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis. ℙ Item qui duarum factionum neutri inclinat: [**οἱ ἐν μέσῳ καθήμενοι.*] *Liv.* 40, 20. Hos tanquam medios, nec in alterius favorem inclinatos, miserat rex. *Cic. Att.* 10, 8. *med.* In Italia nos sedentes quid erimus? nam medios esse jam non licebit. *Liv.* 2, 14. Ita medium se gerendo nec plebis vitavit odium, nec apud patres gratiam iniit. *Suet. Caes.* 75. Ipse medios et neutrius partis suorum sibi numero futuros, pronunciavit. *Id. Ner.* 2. Consultante Cn. Pompejo de mediis, ac neutram partem sequentibus, solus censuit hostium numero habendos. *Vell.* 1, 9. Eumenes in eo bello medius fuit animo; et 2, 21. Se dubium mediumque partibus praestitit. ℙ Item qui se interponit ad componendam litem. *Virg. A.* 7, 536. Dum paci medium sese offert. *Sil.* 16, 222. Haud deformis erit vobis ad foedera versis Pacator mediusque Syphax. *Ov. R. Am.* 678. Nunc mediis subeant irrita verba Deis, *h. e.* vana juramenta, in quibus Dii, tanquam medii, invocantur. ℙ Item qui nuptias conciliat. *Sidon. ep.* 7, 2. *med.* Adolescens, medio episcopo, quia lector, sponsa non despiciente personam, uxorem petit, impetrat, ducit. ℙ Et qui quocumque modo intervenit. *Virg. A.* 1, 686. Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit.

MĔDĬUS FĪDĬUS. V. FIDIUS.

MĔDIX. V. MEDDIX.

MĔDIXTŬTĬCUS. V. MEDDIXTUTICUS.

MĔDOACUS et Meduacus, i, m. duplex hoc nomine est fluvius Venetiae: alter major, postea Brentesia et Brinta, nunc *Brenta* appellatus, oritur in Tridentinis Alpibus, et prope Patavium decurrens in mare Adriaticum excipitur: alter minor, deinde Reteno, vel Retro, et Bacchilio, nunc *Bacchiglione* vocatus, Vicetiam prius, deinde Patavium alluit, et in idem mare influit. *Liv.* 10, 2. Medoacus amnis erat; eo invectam classem subire flumine adverso jussit. *Plin.* 3, 16, 20. Edronem portum Medoaci duo, ac fossa Clodia fecit.

*MEDOBRĔGA vel Medubriga, ae, f. Lusitaniae opp., medio inter Anam flumen Tagumque loco. *Hirt. B. Alex.* 48. ubi *Medobrega* appellatur. ℙ *Mundobriga* audit *Anton. Itin. B. A.*

*MEDOE, es, f. opp. Aethiopiae, non procul a Meroe. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

MĔDON, ontis, m. *Μέδων*, unus e Centauris, ap. *Ov. Met.* 12, 303. ℙ Item filius Codri Atheniensium regis, qui primus in patria archon fuit: a quo posteri ap. Atticos *Medontidae* dicti. *Vell.* 1, 2. ℙ Item unus e procis Penelopes, ap. *Sabin. ep. Ulyss. ad Penelop.* 47. Certe ego, cum Antinoum, Polybumque, Medontaque legi, etc.

MĔDONTĬDAE. V. in v. praec.

*MEDUĀNA, ae, Galliae Belgicae fluvius. *Lucan.* 1, 437. Nec ultra Instabiles Turones circumsita castra coercent, In ripis, Meduana, tuis marcere perosus, etc. Sed versus 436 — 440. in ed. *Cort.* habentur pro spuriis. ℙ Meduanae facta bis est mentio ap. *Theodulf. Aurelianens.*, saeculi noni poetam. *B. A.*

[MĔDUBRĪGENSIS, e, adj. ad Medubrigam pertinens, Lusitaniae municipium, cujus meminit *Hirt. B. Alex.* 48., et illud *Medobregam* appellat. ℙ *Medubrigenses*, seu *Meidubrigenses* (ut scribitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 162, 3.), *ium*, absolute sunt illius municipii incolae. *Plin.* 4, 22, 35. Medubrigenses, qui et Plumbarii. *Hirt. l. c.* Cum montem Herminium expugnasset, quo Medobregenses confugerant. *F.*]

MĔDŬLĪCUS. V. MEDULUS.

MĔDULLA, ae, f. *μυελός*, substantia illa, quae est in ossibus animalium: a *medius:* [*V. *Doederl.* 2, 225.] vel a voce Graeca allata, *d* inserta. *Hor. Epod.* 5, 37. Exesa uti medulla et aridum jecur Amoris esset poculum. *Ov. Met.* 14, 208. Visceraque et carnes, cumque albis ossa medullis. *Plin.* 11, 37, 67. Spina adnectitur lumbis, tereti structura, per media foramina a cerebro medulla descendente. ℙ De interiore plantarum parte, quae tenera est, et fungosa, et albescens. *Colum.* 3, 18. *f.* Per apertam vitis medullam nimius humor trahitur. *Plin.* 16, 25, 42. Sambuco medulla plurima, nulla corno. *Id.* 26, 11, 71. Medullam e caule eximere. ℙ Item de aliis rebus. *Plin.* 18, 9, 20. *n.* 1. Frumenta, quae salsa aqua sparsa moluntur, candidiorem medullam reddunt, *h. e.* farinam. *Id.* 37, 5, 20. Quidam putant, beryllos perforatos gratiores fieri, medulla candoris exempta. *Catull.* 68, 111. Medullis montis caesis. *Appul. Dogm. Plat.* 1. *f.* Venas per medullas renum commeare, *h. e.* per medios renes. ℙ Eleganter *medullas* ponimus, cum quid penitus in nobis fieri significamus. *Cic. Tusc.* 4, 10. Cum hic fervor animi inveteraverit, et tanquam in venis medullisque insederit. *Virg. A.* 4, 66. est mollis flamma medullas Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus. *Sen. ep.* 114. *f.* Cum magis ac magis vires morbus exedit, et in medullas nervosque descendere deliciae. *Hor. Ep.* 1, 10, 28. Certius accipiet damnum, propiusque medullis. *Ov. Trist.* 1, 5, 9. Haec mihi semper erunt imis infixa medullis. *Id. Amor.* 2, 19, 43. Mordeat ista tuas aliquando cura medullas. *Prop.* 1, 9, 21. pueri totis arcum sentire medullis. *Catull.* 35, 15. misellae Ignes interiorem edunt medullam. *Cic. Fam.* 15, 16. Qui mihi haeres in medullis; et *Att.* 15, 4. Quae mihi sunt inclusa medullis. ℙ Dicitur et de cujuspiam rei penitiore parte, et cariore. *Pl. Stich.* 2, 2, 17. Cum misero medullam ventris percepit fames. *Cic. Phil.* 1, 15. Aderant, et in medullis populi R. ac visceribus haerebant. *Quint.* 2, 1. *f.* Communes loci, qui in mediis litium medullis versantur. *Tibull.* 3, 1, 25. Teque suis jurat caram magis esse medullis. ℙ Item de eo, quod in quaque re est praecipuum, et omnem ejus rei vim continet. *Enn.* ap. *Gell.* 12, 2. Flos delibatus populi, et suada medulla. Ap. *Cic. Brut.* 15. habetur: suadaeque medulla. *Gell.* 18, 4. Neque primam tantum cutem ac speciem sententiarum, sed sanguinem quoque ipsum, ac medullam verborum eruere, atque introspicere.

MĔDULLĀRIS, e, adj. ad medullas pertinens. *Appul. Met.* 7. Fustium ictibus persaepe dedolabar, ut usque plagarum mihi medullaris insideret dolor.

MĔDULLĀTUS, a, um, adj. medulla, seu adipe plenus. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Medullati nimia cura artus. Alii leg. *medicati*. *Venant. carm.* 3, 6. *extr.* Adde medullata in templis holocausta sacerdos.

MĔDULLI, orum, m. plur. populi Alpini in Sabaudia. *Inscr. tropaei C. Jul. Caes.* ap. *Plin.* 3, 20, 24. et *Vitr.* 8, 3. *f.*

*MEDULLĬA, ae, f. Latii oppidum. V. v. sq. *B. A.*

MĔDULLĪNUS, a, um, adj. ad Medullos pertinens. *Auson. ep.* 5, 27. lintea veli Pande: Medullini te feret aura noti, *h. e.* venti e regione Medullorum flantis. ℙ Item ad Medulliam pertinens, Latii urbem, de qua *Liv.* 1, 33. et *Plin.* 3, 5, 9. Hinc est cogn. R., ut L. Furius Medullinus ap. *Liv.* 4, 25. et Livia Medullina ap. *Suet. Claud.* 26. ℙ Hinc *Medullini*, *orum*, absolute sunt incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Gor. Inscr. Etr.* T. 2. p. 237. *n.* 4. De Sabinis, et Medullinis triumphavit.

MĔDULLĬTUS, adv. *ἐν μυελοῖς*, *ἐκ μυελῶν:* in ipsis medullis, usque ad medullas. *Varr.* ap. *Non.* 2, 544. Medullitus aquiloniam intus servat frigedinem. ℙ Translate est penitus, imitus. *Enn.* ap. *Non. ib.* et 1, 140. Enni poeta salve, qui mortalibus Versus propinas flammeos medullitus. *Pl. Truc.* 2, 4, 85. Ostendit sese jam mihi medullitus, Se mihi infidelem nunquam, se viva, fore. *Id. Most.* 1, 3, 86. Amare medullitus aliquem. *Appul. Flor. n.* 18. *f.* Summis medullitus viribus contendere; et *Met.* 10. dolore commotus; et 4. *in.* ingemere. *Prud. Hamart.* 392. serit ille medullitus omnes Nequitias, spargitque suos per membra ministros.

MĔDULLĬUM. V. MEDITULLIUM.

MĔDULLO, as, a. 1. medulla impleo. *Augustin. Anim.* et ejus *Orig.* 4, 5. Quando ossa durari, quando incipiunt medullari.

MĔDULLOSUS, a, um, adj. *μυελόεις*, medullam

habens. *Cels.* 8, 1. *med.* Hinc humerus incipit, extremis utrinque capitibus tumidus, mollis, sine medulla: medius teres, durus, medullosus.

MĔDULLŬLĂ, ae, f. dimin. medullae. *Catull.* 25, 2. Mollior cuniculi capillo, vel anseris medullula.

*MEDULLUS, i, m. Hispaniae Tarraconensis mons, non procul a Minio amne. *Flor.* 4, 2. *B. A.*

MĔDŬLUS, a, um, adj. ad Medulos Galliae Aquitanicae populos pertinens, infra Burdigalam, inter Garumnam et oceanum. *Plin.* 32, 6, 21. Cyzicena ostrea suaviora Medulis. *Ita ed. *Hard.* Olim lectum *Edulis* pro *Medulis*. *B. A.* Haec ostrea laudat *Auson. ep.* 7, 1. Ostrea Bajanis certantia, quae Medulorum Dulcibus in stagnis reflui maris aestus opimat. Adde *ep.* 9, 18. ℙ Ap. *Sidon. ep.* 8, 12. *f. Medulica supellex* haec ipsa ostrea significat. ℙ *Meduli, orum,* absolute sunt incolae illius tractus, qui nunc *le Medoc* appellatur. *Auson. ep.* 4, 2. Paganum Medulis jubeo salvere Theonem. Adde *eund. l. c.* in §. 1.

MĒDUS, a, um, adj. *Μῆδος,* ad Mediam Asiae regionem pertinens: et saepe latiore usu ponitur pro Persico, Assyrio, Parthico. *Virg. G.* 4, 211. Medus Hydaspes. *Hor. Od.* 1, 27, 5. Vino et lucernis Madus acinaces Immane quantum discrepat. *Id. ib.* 2, 9, 21. Medum flumen, *h. e.* Euphrates. Alii volunt, *Medum* esse nomen proprium fluvii in Media. *Prop.* 3, 10, 11. Medae sagittae. ℙ *Medi, orum,* Mediae populi: et pro Parthis saepe ponuntur. *Hor. Od.* 1, 2, 51. Neu sinas Medos equitare inultos. *Lucan.* 8, 386. Medos proelia prima exarmant, vacuaeque jubent remeare pharetrae. *Pers.* 3, 53. Medi bracati. *Hor. Od.* 2, 16, 6. pharetra decori. ℙ In sing. num. *Hor. Od.* 4, 14, 42. Medusque, et Indus, te profugus Scythes Miratur. *Val. Fl.* 5, 604. Medus pervigil.

MĔDŪSĂ, ae, f. *Μέδουσα,* filia Phorci ex Ceto marina bellua, quae una cum duabus sororibus Euryale, et Sthenyone Gorgadas insulas in oceano Aethiopico tenuisse fertur. Unde et Gorgonis appellatur. Haec cum esset insigni forma, etiam habuit inter alia decoris spectabilia crines proxime ad auri colorem accedentes, quorum splendore captus Neptunus, in Minervae templum cum ea concubuit, unde postea natus est Pegasus equus. Quam injuriam Minerva gravi et iniquo animo ferens, Medusae crines, quibus maxime amatori suo placuerat, in angues mutavit, deditque, ut omnes eam aspicientes in lapides verterentur. Quamobrem cum nemo tam immane monstrum intueri posset, Perseus Jovis, et Danaes filius, Mercurii talaribus, et falcato ense accepto, Palladis item scuto, ut aere repercussam effigiem ejus videre impune posset, ex improviso, cum ipsa anguesque sopiti essent, adortus, uno validissimo ictu peremit. In patriam redeunte Perseo, cum Medusae caput secum deferret, contigit, ut guttae sanguinis decidentes per solitudines Africae mutarentur in serpentes. V. *Lucan.* 9, 624. et sqq. et *Ov. Met.* 4. *f.* et *v.* 614. et *Serv.* ad *A.* 2, 616. et ad *ib.* 6, 289. ℙ Ipsum autem Medusae caput Minervae gestamen est. V. in v. sq.

MĔDŪSAEUS, a, um, adj. *Μεδουσαῖος,* ad Medusam pertinens. *Ov. Met.* 10, 22. ut villosa colubris Terna Medusaei vincirem guttura monstri; et *ib.* 5, 249. Medusaeum os. *Id. Fast.* 5, 8. Medusaeus equus, *h. e.* Pegasus; et *Met.* 5, 312. fons, *h. e.* Pegasi ungula elicitus. *Mart.* 7, 1. Medusaea coma. Al. leg. *Dea*, et est Minerva, quae in clypeo, vel lorica Medusae caput gestare dicitur, ut est ap. *Virg. A.* 8, 435., *Sen. Herc. Fur.* 901. et *Sil.* 9, 441. et 10, 435.

MĔFANCĪLUM, i, n. teli missilis genus, ap. *Festum:* ubi critici corrigunt *mesancylum, μεσάγκυλον,* h. e. amentatum jaculum (a *μέσος,* medius, et *ἀγκύλη,* ansa, amentum) cujus meminit *Gell.* 10, 25.

*MEGABARI, orum, *Μεγάβαροι,* populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

[MĔGĂBOCCHUS, i, m. vox composita ex *μέγας,* magnus, et *Bocchus*, nomen proprium Mauritaniae regis, et Jugurthae soceri. Hoc autem nomine Cn. Pompejum Magnum festive designat *Cic. Att.* 2, 7., quod *Magni* cogn. ex Africana victoria jam reportaverat, ut *Plin.* 7, 26, 27. narrat. ℙ Est etiam cogn. R., ut C. Megabocchus Sardiniae praetor ap. *Cic. fr. Or. pro Scaur.* (ed. *A. Maio*) 9. *F.*]

MĔGĂBYZUS, i, *Μεγάβυζος,* nomen viri ap. Persas, nam ap. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 16. et *ib.* 40. *n.* 28. est nomen sacerdotis Dianae Ephesinae: ap. *Just.* 7, 3. ducis exercitus Darii regis. Videtur etiam esse nomen insignis cujuspiam eunuchi, distorti, et deformis inter effeminatos Persicorum regum ministros. *Quint.* 5, 12. An vero statuarum artifices, pictoresque clarissimi, cum corpora quam speciosissima fingendo pingendove efficere cuperent, nunquam in hunc inciderunt errorem, ut Bagoam, aut Megabyzum aliquem in exemplum operis sumerent sibi, sed Doryphorum illum aptum vel militiae, vel palaestrae, etc.

MĔGAERĂ, ae, f. *Μέγαιρα,* Furia infernalis, filia Acherontis, et Noctis: a *μεγαίρω,* odi, sive invideo. *Virg. A.* 12, 845. Dicuntur geminae pestes, cognomine Dirae, Quas, et Tartaream Nox intempesta Megaeram Uno eodemque tulit partu. V. FŪRIAE.

[MĔGĂLE, es, f. *μεγάλη,* magna: ita vocatur Cybele Magna Mater Deum in *Fast. Verrii Flacci* ap. *Fogginium*, *l. c.* in MEGALESIA. *F.*] ℙ *Est etiam insula maris Aegaei, prope Smyrnam. *Plin.* 5, 31. ℙ Item alia, in Propontide. *Id. ib.* 32. *B. A.*

MĔGĂLENSIS, e, adj. ad Megalesia pertinens: a *μεγαλήσιος,* inserta *n:* ut Megalenses ludi, ap. *Gell.* 2, 24. et *Tac. A.* 3, 6. *extr.* et Megalensia sacra, ap. *Plin.* 7, 37, 37. Absolute *Cic. Fam.* 2, 11. Scripsi haec ipsis Megalensibus, *h. e.* ipsis diebus, quibus Megalesia fiunt. Sic *Har. resp.* 12. Ludi, quos in Palatio nostri majores ante templum, in ipso Matris conspectu, Megalensibus fieri voluerunt. ℙ *Megalensis purpura* ap. *Mart.* 10, 41. est qua praetor amictus ludos Megalenses edebat.

MĔGĂLĒSĬA et Megalensia, orum, n. plur. *Μεγαλήσια,* dies dicatus Magnae Matri Deorum, et ludi, qui celebrabantur ante ejus templum. Alio nomine *Ludi Megalenses* dicebantur Latina terminatione: a *μεγάλη,* magna. Differunt a ludis magnis, seu Romanis, qui per excellentiam *Circenses* vocantur, et a *Virg. A.* 8, 636. conjunctim *magni Circenses.* Nam ludi magni fiebant Jovi, Junoni, et Minervae, ut constat ex *Cic. Verr.* 2, 5, 14.; at Megalenses fiebant Deum Matri, ut patet ex *Cic. Har. resp.* 11.; et diserte scribit *Fest.* in voce *Romani.* Deinde ludi magni instituti sunt a Tarquinio Prisco, cujus opus esse circum maximum, qui et antiquissimus et nobilissimus inter circos fuit, scribit *Dionys. Halic. l.* 4.; at Megalenses instituti sunt multo post, sub finem belli Punici secundi, M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Coss. ann. U. C. DL., ut est ap. *Liv.* 29, 14. et 36, 36., quibus locis agit de advectione ejus Deae. Praeterea ludi magni fiebant prid. Non. Sept., ut colligimus ex *Cic. Verr.* 1, 10.; Megalesia vero celebrabantur prid. Non. April., ut testatur *Ov. Fast.* 4, 179., quo nempe die primum Romae Dea advecta est, iterum etiam pridie Idus April., ut est ap. *Liv. ll. cc.*, et in *Kal. Praenest. Verrii Flacci* ap. *Fogginium*, quod eo die P. Cornel. Nasica, et NV. Acilio Glabrione Coss. ann. U. C. DLXIII. aedes ejus in Palatio dedicata est a M. Junio Bruto. Denique ludi magni, quamquam et scenici fuerint, quod ex *Liv.* 31, 4. et 7, 2. apparet, proprie tamen circenses erant; at Megalenses proprie erant scenici, ut *Ov. ib.* 187. et *Liv.* 36, 16. et 34, 54. indicant. Hinc ex *Terentii* sex comoediis quatuor Ludis Megalensibus actae dicuntur. *Kal. Praenest.* ap. *Foggin.* Pr. Non. April. Ludi M. D. M. I. Megalensia vocantur, quod ea Dea Megale appellatur: nobilium mutitationes cenarum solitae sunt frequenter fieri, quod Mater Magna ex libris Sibyllinis arcessita locum mutavit ex Phrygia Romam; et *mox:* Pr. Non. Ludi in circo M. D. M. I. in Palatio, quod eo die aedes ejus dedicata est. *Cic. Har. resp.* 12. Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri majores ante templum in ipso Matris conspectu Megalensibus fieri, celebrarique voluerunt? et *mox:* Qui ludi ne verbo quidem appellantur Latino, ut vocabulo ipso et appetita religio externa, et Matris Magnae nomine suscepta declaretur. *Id. ib.* 11. Ni tu Megalesia illo die spectare voluisses, etc. *Ov. Fast.* 4, 357. Instituram, quare primi Megalesia ludi Urbe forent nostra; cum Dea (h. e. *Erato*) (sensit enim) Illa (*Cybele*) Deos, inquit, peperit: cessere parenti: Principiumque dati Mater honoris habet, *h. e.* primi tum dignitate, quia Matri omnium Deorum sacri: tum ordine temporis, quia ab initio novi anni, quod a Martio mense ducebatur, statorum ludorum primi erant: ceterum *Romani* multo antiquiores Romae fuerunt. ℙ De conviviis, quae per Megalesia agitabantur, V. in MUTITO. ℙ Olim Latine dicebant *Ludi Megalesia* vel *Megalensia* pro *Ludi Megalenses:* quod faciem soloecismi habet: sic *Ludi Floralia*, teste *Quint.* 1, 5. *med.*

MĔGĂLĒSĬĂCUS, a, um, adj. a Megalesiis ludis. *Juven.* 11, 191. Megalesiacae spectacula mappae.

[MĔGĂLĬĂ, ae, f. parva olim insula Campaniae contra Neapolim, nunc *Castel dell' Ovo. Stat. Silv.* 2, 2, 80. Quaeque ferit curvos exserta Megalia fluctus. Hanc *Plin.* 3, 6, 12. *Megaridem* appellat. V. MEGARIS. *F.*]

MĔGĂLĬUM, ii, n. unguenti genus ex oleo balanino, balsamo, calamo, junco, xylobalsamo, casia, resina. Hujus proprietas, ut ventiletur in coquendo, donec desinat olere: rursus refrigeratum, odorem suum capit. Haec *Plin.* 13, 1, 2. ubi addit, propter gloriam ita esse appellatum, nempe *μεγαλεῖον,* a magnis viribus: alii aliunde appellationem arcessunt. Scribunt et *megallium.*

*MEGALLAE, arum, Indiae populi. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

MĔGĂLOGRAPHĬĂ, ae, *μεγαλογραφία,* a *μέγας,* magnus, et *γράφω,* pingo, picturae genus est, qua formantur grandia et magnifica, ut simulacra Deorum, fabularum explicationes, et hujusmodi: sicut *ὑπαρογραφία,* qua res sordidae et humiles. *Vitr.* 7, 4. et 5.

[MĔGĂLOPŌLĪTAE, arum, m. plur. V. v. sq. *F.*]

MĔGĂLOPOLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Megalopolim pertinens, quae est urbs Arcadiae in Peloponneso, Polybii patria, *Μεγαλόπολις. Liv.* 36, 13. Philippus Megalopolitanus. ℙ *Megalopolitani, orum,* ejus urbis cives. *Liv.* 32, 22. et *Plin.* 4, 6, 10. et 2, 106, 110. ℙ Iidem *Megalopolitae, arum,* dicuntur ap. *Liv.* 28, 8. et 35, 28.

MĔGĂLOSTUS. V. MALISTUS.

*MEGAPENTHES, is, f. *Μεγαπένθης,* Proeti filius. *Hyg. fab.* 244. *B. A.*

MĔGĂRĂ, ae, f. et Megara, orum, n. plur. *τὰ Μέγαρα,* urbs Achaiae in confinio Atticae, et Peloponnesi, prope intimum recessum sinus Saronici, patria Euclidis geometrae. *Plin.* 4, 7, 11. *Gell.* 6, 10. Qui Megaris civis esset. *Sen. Const. Sap.* 5. Megara Demetrius ceperat. *Ov. R. Am.* 797. Daunius, an Libycis bulbus tibi missus ab oris, An veniat Megaris, noxius omnis erit. *Pl. Merc.* 3, 4, 60. Sed quam capiam civitatem, cogito potissimum: Megara, Eretriam, Corinthum, Chalcidem, etc. *Cic. Div.* 1, 27. Cum duo Arcades iter facerent, et Megaram venissent. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Megaram versus navigare. ℙ *Megaribus* in ablat. plur. pro *Megaris* dixit *Pl. Pers.* 1, 3, 87. ℙ Est etiam opp. Siciliae in ora ejus orientali. *Serv.* ad *Ecl.* 1, 55. et ad *A.* 3, 689. V. MEGARIS. ℙ Fuit hoc nomine et uxor Herculis, Thebana, Creontis filia, quam maritus furens una cum filiis occidit. *Hyg. fab.* 31. et 241. et *Sen. Herc. Fur.* 1024. ℙ *Megara, ae,* m. est nomen viri fortissimi e Numantia ap. *Flor.* 2, 18.

MĔGĂRĒĬUS, a, um, adj. ad Megareum pertinens. *Ov. Met.* 10, 659. Megareius heros, *h. e.* Hippomenes Megarei Neptuni filii filius, ut est ap. *Hyg. fab.* 157. et 185. ℙ Item ad Megara urbem pertinens. *Stat. Th.* 12, 219. magno Megareia praeceps Arva rapit passu.

MĔGĂRENSIS, e, adj. ad Megara urbem pertinens. *Gell.* 6, 10. Tanto Athenienses odio flagrabant finitimorum hominum Megarensium. *Plin.* 7, 56, 57. Nicias Megarensis.

MĔGĂRĔUS, a, um, *Μεγαρεῖος,* Megarensis. *Cic. Acad.* 4, 42. Euclides Socratis discipulus, Megareus. ℙ *Megarea* in accus. plur. dicuntur ab *Ov.* de Megara Siciliae, *Fast.* 4, 471. Liquerat Ortygien, Megareaque, Pantagienque. Quod *Virg.* dixit *A.* 3, 688. vivo praetervehor ostia saxo Pantagiae, Megarosque sinus.

MĔGĂRĔUS, i, m. trisyllab. *Μεγαρεύς,* filius Neptuni, vel Onchesti Neptuni filii, et Oenopes Epopei filiae, pater Hippomenis ex Merope. *Hyg. fab.* 157. et 185. *Ov. Met.* 10, 605. Namque mihi genitor Megareus Onchestius: illi Est Neptunus avus: pronepos ego regis aquarum. Al. aliter leg.

*MEGĂRI, orum, populi Indiae, ad Indum flumen. *Plin.* 5, 20. *B. A.*

*MEGARĬCE, es, f. (*Μεγαρική* sc. *πόλις, urbs,*) oppidum in Chersoneso Taurica, postea *Heraclea Chersonesos* dictum. *Plin.* 4, 12. ℙ Item Bithyniae oppidulum. *Id.* 5, 32. *B. A.*

MĔGĂRĬCUS, a, um, adj. Megarensis. *Plin.* 17, 7, 4. Megaricus ager. *Id.* 31, 7, 41. sal. *Id.* 25, 13, 95. Megarica cicuta. ℙ *Megaricos bulbos* laudant *Cato R. R.* 8., *Ov. R. Am.* 798., *Colum.* 10, 106. et *Plin.* 19, 5, 30. et 20, 9, 40. ℙ *Megarici philosophi* dicti sunt ab Euclide Socratis discipulo, qui Megarensis fuit. Hi id bonum solum esse dicebant, quod esset unum, et simile, et idem semper. *Cic. Acad.* 4, 42. et *Or.* 3, 17. ℙ *Megaricus sinus* est pars sinus Saronici prope Megara. *Plin.* 4, 12, 19.

MĔGĂRĬS, idis, f. *Μεγαρίς,* regio Achaiae circa Megara ad sinum Saronicum, inter Phocidem, et Atticam. *Plin.* 4, 7, 11. ℙ Item insula maris Tyrrheni inter Pausilypum, et Neapolim, nunc *Castel dell' Ovo.* V. MEGALIA. *Id.* 3, 6, 12. ℙ Item opp. Siciliae, quae et *Megara. Id. ib.* 8, 14. V. MEGARA.

MĔGĂRUS, a, um, adj. Megarensis. De Megara Siciliae *Virg. A.* 3, 688. vivo praetervehor ostia saxo Pantagiae, Megarosque sinus.

[MĔGAS, ae, m. *μέγας,* magnus. Est cogn. R., ut Demetrius Megas, ap. *Cic. Fam.* 13, 36. *F.*]

*MEGASTHĒNES, is, m. *Μεγασθένης,* historiographus Graecus, vixit Ptolemaei Lagidae temporibus. *Ἰνδικὰ* scripsit, teste *Plin.* 6, 22. *B. A.*

*MEGATICHOS, n (*μέγα τεῖχος,* i. e. magnus murus,) oppidum inter Aegyptum atque Aethiopiam. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*MEGEDA, ae, f. oppidum Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

[MĔGELLUS, i, m. videtur dimin. a *μέγας,* magnus. Est cogn. R. In *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 292. L. Postumius L. F. Megellus censor ann. U. C. DI. *F.*]

*MEGES, etis, m. *Μέγης,* medicus quidam et chirurgus, de quo *Cels. praef.* 7. et 1, 5. bis, item *Plin.* 32, 7. ℙ Item Phylei filius, unus e procis

Helenae, qui ad Trojam ivit. *Hygin. fab.* 97. *Dict. Cret.* 3, 10. *B. A.*

*MEGISBA, ae, f. lacus magnus in Taprobane Indiae insula. *Plin.* 6, 22. *B. A.*

MĔGISTĀNES, um, m. plur. *μεγιστᾶνες*, proceres, primates regni, qui cum rege versari, et epulari solent: a *μέγιστος*, maximus. *Sen. ep.* 21. Omnes illos megistanas, et satrapas, et regem ipsum oblivio alta suppressit. *Suet. Cal.* 5. Regum etiam regem convictu megistanum abstinuisse: quod apud Parthos justitii instar est. *Tac. A.* 15, 27. Megistanas Armenios pellit sedibus, castella eorum exscindit.

[MĔGISTE, es, f. *μεγίστη*, maxima. Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 189. *n.* 433. Musa, et Megiste, et Onesimus domnae dulcissimae f. *F.*]

*MEGISTO, us vel onis, f. *Μεγιστώ*, Cetei filia, cujus mentio facta est apud Ariaethum historicum Callistonis vice, quacum Jupiter concubuit. *Hygin. Astron.* 2, 1. *extr. B. A.*

MEHE pro *me*, *ἀρχαϊκῶς*. V. EGO.

MEHERCŪLE et Mehercules, et per syncop. Mehercle, *νὴ τὸν Ἡρακλέα*, adv. jurandi per Herculem. V. MECASTOR. *Cic. Fam.* 2, 11. Mihi mehercule magnae curae est aedilitas tua. *Id. Att.* 5, 16. Mehercule etiam adventu nostro reviviscunt justitia, abstinentia, etc. *Ter. Eun.* 3, 1, 26. Pulcre mehercule dictum, et sapienter. ℙ *Mehercules* quamvis minus *Ciceroni* placeat, quam *mehercule*, ut est *Or.* 47., legitur tamen pro *Planc.* 26. Vere mehercules hoc dicam. [At in *Cod.* palimpsesto *Cic. de Rep.* 1, 9. 19. 38. ubique *mehercule* legitur, id testante *A. Maio. F.* *Orell. exhibet *mehercule* etiam *Planc.* 26. ℙ Jungitur his obtestandi vocabulis etiam tertia persona. *Suet. Cal.* 34. Se, mehercule, effecturum, ne, etc. V. *Oudendorp. B. Crus.* in *cl. Suet.* s. h. v. haec notat: Si valet sententia *Scheidii* ad *Sanct.* p. 266., qua *mehere.*, et similia non deducenda a Lat. *me*, sed a Gr. *μέδειν* s. *μέδεσθαι*, nulla est difficultas in ejusmodi locis, ubi tertia persona jungitur illis obtestationis vocabulis.] ℙ Est juramentum virorum proprium. Nusquam enim, inquit *Gell.* 11, 6., scriptum invenire est apud idoneos scriptores, aut *mehercle* feminam dicere, aut *mecastor* virum; idque ideo, quia Herculaneo sacrificio abstinebant. Ap. *Phaedr.* tamen sic Minerva loquitur (quae et virago est, et Herculis sacris, ut Dea, adesse non prohibetur) 3, 17. At mehercule narrabit, quod quis voluerit, Oliva nobis propter fructum est gratior. ℙ Scribitur et *me hercule* divisim.

MĔJO, is, a. 3. *οὐρέω*, urinam reddo. *Hor. Sat.* 2, 7, 52. Ditior, aut formae melioris mejat eodem: *αἰσχρόν τι* hic latet. *Colum.* 7, 5. *med.* Patiamurque super obrutam mejere totum gregem. Alii rectius leg. *meare. Pers.* 1, 113. Pinge duos angues: pueri, sacer est locus, extra Mejite. *Inscr.* ap. *Grut.* 792, 1. Hospes ad hunc tumulum ne mejas, visa precantur Tecta hominis. *Mart.* 12, 32. Matella curto rupta latere mejebat, *h. e.* urinam effundebat. V. COMMEJO. ℙ Caldum mejere, et frigidum potare, proverb. ap. *Petr. fragm. Trag.* 67. *Burm.*, cum plura sunt, quae eroganturr, quam quae accipiuntur. ℙ Praeterito caret: quo si sit opus, ad *mingo* confugiendum. *Mart.* 3, 78. Minxisti currente semel, Pauline, carina: Mejere vis iterum? jam Palinurus eris. *Val. Prob.* p. 1483. tribuit ei praeteritum *mexi:* et *Diomed.* 1, 366. ponit tanquam Latina *mejo, as, avi*, et *mio, is, it.* Neuter exemplo probat. ℙ [Part. *Mejens* ap. *Catull.* 97, 7. qualem rictum Mejentis mulae cunnus habere solet. *F.*]

MEIURUS. V. MIURUS.

MEL, mellis, n. *μέλι*, liquor ilie dulcis, qui conficitur ab apibus: a Graeca voce allata, per apocopen ultimae litterae. *Sen. Ep.* 85. Quibusdam placet, non faciendi mellis scientiam apibus esse, sed colligendi. *Cic. Sen.* 16. Villaque tota locuples est, abundat lacte, caseo, melle. *Virg. Ecl.* 4, 30. roscida mella. *Cels.* 6, 5. *f.* Quae omnia contrita, melle quam amarissimo coguntur. *Ov. Pont.* 4, 2, 8. Quis mel Aristeo, quis Baccho vina Falerno, Triptolemo fruges, poma det Alcinoo? ℙ De variis mellis generibus V. *Plin.* 11, 14, 14. Optimum est autem, quod sponte defluit sine ulla expressione, et Graece *ἄκητον* dicitur. V. ACETUM mel. Laudatissimum olim fuit, quod in Hymetto Atticae monte nascebatur, cujus sapor dulcis quidem erat, sed ita tamen, ut acritudinem quandam haberet permixtam, gustu apprime jucundam, qualem in optimo quoque melle requiri ait *Plin.* 11, 15, 15., nimirum *ut ex dulci acre sit, γλυκὺ καὶ δριμύ.* Hinc *Cic.* in *Hortens.* ap. *Non.* 4, 17. Alterius ingenium sic dulce, ut acetum Aegyptium, alterius sic acre, ut mel Hymettium dicimus. V. ACETUM. Primus, qui mellis colligendi usum invenerit, fuit quidam Gargoris, rex Cunetum in Hispania, ad ostia Anae fluvii, teste *Just.* 44, 4. In fabulis autem dicitur ejus inventor Bacchus. *Ov. Fast.* 3, 736 et 762. ℙ Translate *mel* vox est blandientium. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. Sempronium, mel ac delicias tuas. Adde *Pl. Poen.* 1, 2, 154. 170 et 175. et alibi. ℙ Usurpatur de qualibet re suavissima. *Hor. Ep.* 1, 19, 44. fidis enim, manare poetica mella Te solum. *Id. Sat.* 2, 6, 32. Hoc juvat, et melli est, *h. e.* cordi est, placet, dulce est. ℙ De suaviloquentia. *Auct. pan. ad Pison.* 64. Inclyta Nestorei cedit tibi grapan. ad Pison. 64. Inclyta Nestorei cedit tibi gratia mellis. Sic *Plin. ep.* 4, 3. Homerici senis mellia tibi profluunt. Adde *Sil.* 15, 459. ℙ *Mel mihi videor lingere*, proverbiali locutione, de eo, qui summam in aliqua re voluptatem capit. *Pl. Cas.* 2, 8, 21. [*Respondet nostr.: *Etwas für Zuckerlecken halten.*] ℙ *Mella petere in medio flumine*, proverb. ap. *Ov. A. Am.* 1, 748. de eo, qui frustra quaerit, nunquam inventurus. ℙ Mos fuisse ap. quasdam nationes, melle condire defunctorum corpora servandi causa, colliges vel ex *Colum.* 12, 45. et *Nep. Ages.* 8. ℙ In ablativo *melli* pro *melle*, ut *igni*, *classi*, legitur ap. *Pl. Truc.* 2, 4, 20. ℙ In plurali num. genitivus, et dativus nullo sunt in usu, nisi ap. vetustissimos, inquit *Prisc.* 7, 744.

MĔLA, ae, m. cogn. R. videtur esse a *μέλας*, niger. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 2. *n.* 73. L. Pontius Mela. Adde *Cic. Phil.* 13, 2. ℙ [*Pomponius Mela* geographus celebris, Hispanus, vixit sub Claudio Aug., tres *de situ orbis* libros scripsit perspicua brevitate, primus Romanorum Latinis litteris orbem terrarum illustrare ausus; ejus dictio licet non adeo elegans et florida sit, pura tamen, nec sordida. ℙ Est etiam nomen fluminis. V. MELLA. *F.*]

*MELAE, arum, Italiae oppidum, in Samnio. *Liv.* 23, 20. ℙ *Meles, ium*, audit *Liv.* 27, 1. *B. A.*

*MELAENA, ae, f. (*μελαίνα*, i. e. nigra,) aliud nomen Cephaleniae insulae. *Plin.* 4, 12. ℙ Corcyra, Melaena cognominata, insula maris Hadriatici, prope Dalmatiam, sic dicta a sylvis procerarum arborum, quibus prope contecta est, ut ab Ionii maris majore insula discernatur. *Id.* 3, 26. *B. A.*

*MELAENAE, arum, Arcadiae oppidum. *Plin.* 4, 6. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Melanaea. Pausaniae* est *Μελαινεαί.* ℙ Citat *Harduinus* ad *Plinii* locum *Stat. Th.* 12, 619. Viridesque Melaenae. Sed hoc oppidum, ut videtur, Atticae fuit, vel fortasse insula Atticae vicina. *B. A.*

[MĔLAENUS, a, um, adj. factus niger: a *μελαίνω*, nigrum reddo, vel niger fio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Schiassi*, *Guid. al Mus. Bol.* p. 88. C. Petronius C. L. Melaenus. Alia ap. *Grut.* 661, 11. Octavia C. L. Procine Melaenae delicatae. *F.*]

*MELAMBĬUM, i, n. locus Thessaliae, prope Scotussam. *Liv.* 33, 6. *extr. B. A.*

MĔLAMPHYLLON, i, n. *μελάμφυλλον*, herba urbana, et topiaria, crepidines marginum vestiens: a *μέλας*, niger, et *φύλλον*, folium, propter foliorum nigredinem. *Plin.* 22, 22, 34. Eadem dicitur acanthus, et paederos. V. ACANTHUS et PAEDEROS.

*MELAMPHYLLOS vel Melamphyllus, i, m. (*μελάμφυλλος*, i. e. habens nigra folia,) mons Thraciae. *Plin.* 4, 11. ℙ *Melamphyllus (os)* etiam olim dicta est Samos insula, teste *Plin.* 5, 31. *B. A.*

MĔLAMPODĬON, ii, n. *μελαμπόδιον*, veratrum, genus nigri hellebori, ita dictum a Melampode Amythaonis nato, ut eum *Ov. Met.* 15, 725. vocat, qui eo melancholicum humorem purgabat, Proetique Argivorum regis filias furore liberavit. Vel dicitur ita a nigra radice, a qua et veratrum nigrum vocatur. *Plin.* 25, 5, 21. [*Helleborus orientalis, *Willd.*, *schwarze Niesewurz.*]

*MELAMPRASĬON, i, n. herba quaedam apud *Plin.* 27, 8. *B. A.*

MĔLAMPSYTHĬUM, ii, n. *μελαμψύθιον*, genus passi colore nigro: a *μέλας*, niger, et *ψύθιον*, passum. *Plin.* 14, 9, 11.

MĔLAMPUS, ŏdis, m. *Μελάμπους*, Amythaonis Argivi, et Dorippes filius, a *μέλας*, niger, et *ποῦς*, pes, quia mater infantem exposuerat toto corpore tectum, praeterquam pedibus, qui a sole atrum colorem attraxerunt. Augurio claruit, et arte medendi. Biantem juvit in auferendis bobus Iphiclo, quas ille Neleo restituit, accepta ejusdem filia Pero nomine in uxorem. Filias quoque Proeti furiis agitatas sanitati mentis restituit, quarum unam, Iphianassam videlicet, in conjugem accepit. Filium reliquit Theodamantem. *Virg. G.* 3, 550., *Stat. Th.* 3, 452. ℙ Melampus item canis nomen est. *Ov. Met.* 3, 206. ℙ *Item Atrei filius. *Cic. N. D.* 3, 21. *B. A.*

MĔLĀNĂĒTOS, i, f. minima ex genere aquilarum, viribus praecipua, colore nigricans (unde nomen, a *μέλας*, *ανος*, niger, et *ἀετὸς*, aquila). Sola aquilarum fetus suos alit: ceterae fugant: sola sine clangore, sine murmuratione. *Plin.* 10, 3, 3. [*Falco Aquila, *L.*, *Schwarzadler.*]

MĔLANCHAETES, ae, m. *μελαγχαίτης*, nomen canis ap. *Ov. Met.* 3, 312.: a *μέλας*, *ανος*, niger, et *χαίτη*, coma, juba, nempe a nigro pilo.

*MELANCHION, locus Alexandriae. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 22. *B. A.*

MĔLANCHLAENI, orum, m. plur. *Μελαγχλαῖνοι*, populi feri incultique in Scythia, qui nigra veste utuntur: unde nomen: *μέλας* enim niger, *χλαῖνα* laena est. *Mela* 2, 1. et 1, 19. et *Plin.* 6, 5, 5.

MĔLANCHOLĬA, ae, f. *μελαγχολία*, atra bilis, nigra cholera, unus ex humoribus corporis animalium, qui saepe homines in furorem agit. *Cic. Tusc.* 3, 5. Graeci volunt illi quidem, sed parum valent verbo: quem nos furorem, *μελαγχολίαν* ipsi vocant: quasi vero atra bile solum mens, ac non saepe vel iracundia graviore, vel timore, vel dolore moveatur. *Gell.* 18, 7. Scitote, intemperiem istam, quae *μελαγχολία* dicitur, non parvis, nec abjectis ingeniis accidere. ℙ Uterque Graece scripsit, quia Graeca vox est et usu, et origine, a *μέλας*, niger, et *χολή*, bilis.

MĔLANCHOLĬCUS, a, um, adj. *μελαγχολικός*, qui nigra bile plurimum abundat. *Cic. Tusc.* 1, 33. Aristoteles quidem ait, omnes ingeniosos melancholicos esse, ut ego me tardiorem esse non moleste feram. *Id. Div.* 1, 37. Aristoteles eos etiam, qui valetudinis vitio furerent, et melancholici dicerentur, censebat habere aliquid in animo praesagiens, atque divinum. *Plin.* 22, 25, 64. Melancholica insania. *Id.* 27, 12, 105. Melancholicae vertigines.

MĔLANCORYPHOS. V. ATRICAPILLA.

MĔLANCRĀNIS, is, f. *μελάγκρανις*, genus junci semen nigrum ferentis. *Plin.* 21, 18, 69.: a *μέλας*, niger, et *κράνον*, caput, *h. e.* nigro capite.

MĔLANDRYUM, i, n. *μελάνδρυον*. *Plin.* 9, 15, 18. de thynnis: Hi membratim caesi, cervice et abdomine commendantur, atque clidio, recenti dumtaxat, et tum quoque gravi ructu: cetera parte plenis pulpamentis sale asservantur: melandrya vocantur, caesis quercus assulis simillima, *h. e.* ideo *melandrya* vocantur, quia quernis assulis similia sunt: nam *δρῦς*, quercum, *μέλας*, *ανος*, nigrum significat: et *μελάνδρυον* Graeci medullam, seu intimam partem quercus vocant. [Ea porro *Plinium* hausisse putavit *Schneiderus* ex his *Χειροκρατὶς de alim. ex aquat. c.* 35. *Αὐχὴν μὲν γὰρ θύννων γίνεται ὡμοτάριχος, κοιλία δὲ πρόσφατος μὲν ἐδώδιμος, τὰ δὲ λοιπὰ μέρη μελάνδρυα διὰ τὴν ἐμφέρειαν πρὸς τὰς μελανούσας τῆς δρυὸς σχίζας.* Ideoque idem voces *atque clidio*, quae ap. *Plin. l. c.* leguntur, pro glossa docti hominis habuit, cum eaedem potius a *Plinio* haustae videantur ab alio vetusto Graecco scriptore: nam etiam *Athenaeus l.* 7. p. 315. *Τὰ κλειδία* thynnorum memorat, quae scorsum salicbantur. V. CLIDION. *F.*] Inter viliores cibos enumerantur a *Mart.* 3, 77. Teque juvant gerres, et pelle melandrya cana. V. ELACATA.

*MELĀNE, es, f. insula prope Ephesum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

MĔLĀNEUS, i, m. *Μελανεύς*, nomen trisyllab. Centauri ap. *Ov. Met.* 12, 306. Item canis apud *eund. ib.* 3, 223. a colore scilicet, quia *μέλας*, *ανος*, niger est.

MĔLĀNĬA, ae, f. *μελανία*, nigritudo cutis, livor: species vitiliginis colore nigro, et umbrae simili, ut *Cels.* 5, 28. *n.* 19. describit, et *μέλας* Graece vocat: a *μέλας*, *ανος*, niger. *Plin.* 24, 8, 29. Pilulae platani et lentiginem, et carcinomata, melaniasque veteres emendant. Adde 26, 14, 88.

*MELANIPPE, es, f. Oenei filia, soror Meleagri. *Nicand.* ap. *Anton. Liber.* 2. ℙ Melanippen, Desmontis filiam, sive Aeoli, ut alii dicunt, formosissimam Neptunus compressit, ex qua procreavit filios duos, Baeotum et Aeolum, Baeotiae et Aeoliae conditores. *Hygin. fab.* 186. ℙ V. MELANIPPE. *B. A.*

[MĔLĀNĬUS, ii, m. nomen proprium R.: videtur esse a *μέλας*, niger. *Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 858, 5. et 1710, 4. emendata ap. *J. D. Coleti, Inscript. Hispell.* p. 7. Melanius mersum XIIII., dulcis amicis, carus suis. *F.*]

*MELĀNO, us, f. insula prope Cariam, in sinu Ceramico. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[MĔLĀNOPUS, i, m. *μελανωπός*, nigros oculos habens: a *μέλας*, niger, et *ὤψ*, oculus. Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Mur.* 620, 7. Melanopus agitator. *F.*]

MĔLANSPERMON, i, n. *μελάνσπερμον*, a Graecis dicitur gith, a nigritia seminis: a *μέλας*, *ανος*, niger, et *σπέρμα*, semen. *Plin.* 20, 17, 71.

MĔLANTERĬA, ae, f. est cera sutoria, a colore sic dicta: a *μέλας*, niger. *Scrib. Comp.* 208. Cerussae, aeruginis, melanterias, quae cera (al. *creta*) sutoria dicitur, quia gulae calceorum denigrantur. *Melanterias* genitivus est Graecae terminationis pro *melanteriae*, *μελαντηρίας.*

[MĔLANTHĔMUM, i, n. *μελάνθεμον*, herba eadem ac anthemis. *Plin.* 22, 21, 26. *F.*]

MĔLANTHĔUS, a, um, adj. ad Melanthum aliquem pertinens. *Ov. Ib.* 625. Utque Melanthea tenebris a caede latentem, etc.

MĔLANTHĬUM, ii, n. *μελάνθιον*, herba eadem, quae gith: ab *ἄνθος*, flos, et *μέλας*, *ανος*, niger. *Plin.* 20, 17, 71. Gith e Graecis alii melanthion, alii melanspermon vocant. *Colum.* 10, 245. graeque melanthia grata cumino: scil. quia gith nonnulli cumini speciem faciunt. ℙ [Aliud est melanthium, quod Smyrnion etiam dicitur, q. v. v. *F.*]

MĔLANTHĬUS, ii, m. *Μελάνθιος*, pastor caprarum Ulyssis, qui cum rem domini absumpsisset, a

Telemacho trucidatus est. *Ov. Her.* 1, 95. ℙ Item pictor quidam praecipuus. *Plin.* 35, 7, 32. et *ib.* 10, 36. *n.* 1. et *Quint.* 12, 10.

MĔLANTHO, us, f. *Μελανθώ*, contract. filia Protei, cui consuetudo fuit positis vestibus dorso delphini insidere, atque sic per maria patris vagari. Cum autem formosa esset, Neptunus ejus pulcritudine captus in delphinum se transformavit, atque illi applaudens, deceptam violavit, ex quo illa postea peperit Amycum. *Ov. Met.* 6, 120. Sed aliter sensit *Servius*, qui hunc Neptuni et Melies filium facit, ad *A.* 5, 373.

MĔLANTHUM, i, n. idem quod melanthium, seu gith. *Seren. Sam.* 30. Sumitur abrotonum, nec non et vile melanthum.

MĔLANTHUS, i, m. Sarmatiae fluvius, qui in Borysthenem influit. *Ov. Pont.* 4, 10, 54. Et tacite peragens lene Melanthus iter. ℙ *Fuit et Melanthus nomen unius ex nautis Hetruscis a Baccho in delphinos mutatis. *Ov. Met.* 3, 617. V. *Melas* in Auctario. ℙ Item pater Codri Atheniensium regis. *Vell.* 1, 2. *B. A.*

*MELANTIANA. V. v. sq. *B. A.*

*MELANTIAS, adis, f. *Μελαντιάς*, vicus Thraciae, medio inter Propontidem ac Pontum Euxinum loco. *Ammian.* 30, 11. (al. 31.) et *Anton. Itin.* ℙ *Melantiana* est in *Tab. Peut.* ubi *Melantiona* legitur mendose. *B. A.*

MĔLANURUS, i, m. *μελάνουρος*, piscis saxatilis, caudam nigram habens: a *μέλαινα*, nigra, et *οὐρά*, cauda, quod cauda, priusquam in rubescentes pinnas desinat, nigra notetur macula. *Enn.* ap. *Appul. Apol.* Melanurum, turdum, merulamque, umbramque marinam. Hic poeta priore loco usus est pede anapaesto pro dactylo, ut et *Virg. G.* 1, 482. Fluviorum rex Eridanus, camposque per omnes. *Ov. Hal.* 113. Quin laude insignis caudae melanurus, et ardens Auratis muraena notis. Meminere etiam *Colum.* 8, 16. *med.* et *Plin.* 32, 2, 8. et *ib.* 11, 53., qui addit, ad nullos eum cibos, quibus insit hamus, accedere.

MĔLAPIUM, ii, n. *μηλάπιον*, genus mali cognationem cum piro habentis: a *μῆλον*, pomum, et *ἄπιον*, pirum. *Plin.* 15, 14, 15. *In *Plinii* loco *melapia* habet ed. *Hard.* In ed. *Elzev.* impressum *melappia*. *B. A.*

MĔLAS, ānis, et lae, m. *Μέλας*, fluvius Boeotiae, a *μέλας*, niger, dictus, quia ejus aqua pota oves nigras facit. *Plin.* 2, 103, 106. et *Sen. Q. N.* 3, 25. ℙ Item Thraciae cum sinu maris cognomine, quia ob profunditatem nigrum colorem habet. *Plin.* 4, 11, 18. Circa quem locum fluvius Melas, a quo sinus appellatur; et *mox:* A Propontide ad Melanem sinum. ℙ Item Siciliae. *Ov. Fast.* 4, 476. Sacrorumque Melan pascua laeta boum. ℙ Item Cappadociae. *Plin.* 6, 4, 4. ℙ Item Ciliciae in confinio Pamphyliae. *Id.* 5, 27, 22. ℙ Quem ex his *Ov.* intelligat *Met.* 2, 247. Mygdoniusque Melas, etc., non satis constat: nec multum sane refert. Mygdonia et in Thracia est, et in Phrygia, et in Mesopotamia. Ceterum Graece *μέλας* videtur esse commune fluviorum nomen. *Hesych.: Μέλας, μελανὸς, βαθὺς, ἢ ποταμός.* ℙ Praeterea *Melas* dicitur aliquando, qui plerumque *Meles*, Smyrnam Ioniae praeterfluens. *Arnob.* 4, 143. *extr.* Melae fluminis filius, *h. e.* Homerus. V. MĔLES, etis. ℙ Denique *melas, anos*, species est vitiliginis nigri coloris ap. *Cels.* 5, 28. *n.* 19., ubi modo Graece, modo Latine scribit. V. MELANIA. ℙ *Fuit et Melas Phryxi filius. *Hygin. fab.* 3. ℙ Item unus ex Hetruscis nautis, in delphinos a Baccho transfiguratis, fortasse idem qui ab Ovidio *Melanthus* appellatur. *Hygin. fab.* 134. V. *Melanthus* in Auctario. *B. A.*

*MELCOMANI, orum, populi Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

[MELCŬLUM, i, n. dimin. mellis, vox blandientis. *Pl. Cas.* 4, 4, 14. Meum corculum, melculum, verculum. Ita legit etiam *Prisc.* 3, 610., quidam perperam *melliculum* pro *melculum* legunt. *Id. Curc.* 1, 1, 10. Egon' apicularum opera congestum non feram, Ex dulci oriundum, melculo dulci meo? Alii leg. *melliculo*. ℙ Est etiam *melculus, i*, gen. masc., si ad marem referas. *Augustus* in *ep. ad Maecenatem*, ap. *Macr. Sat.* 2, 4. *med.* Vale mel gentium, melcule, ebur ex Etruria, laser Aretinum, etc. *F.*]

*MELDI, orum, populi Galliae Celticae sive Lugdunensis, inter Sequanam ac Matronam. *Plin.* 4, 18. *Caes. B. G.* 5, 5. *B. A.*

MĔLĔ. V. MELOS.

MĔLĔAGER et melius Mĕlĕagros, gri, m. *Μελεάγρος*, Oenei Calydoniae regis filius ex Althaea conjuge, quo recenter nato, visa sibi est mater tres Parcas igni assidentes videre, manuque stipitem tenentes, aequalem puero cum stipite vitam assignare. Recedentibus itaque Parcis, Althaea extinctum stipitem diligentissime asservavit. Adulto deinde Meleagro, cum spreta ab Oeneo Diana immensae magnitudinis aprum immisisset, qui omnem regionem late vastabat, Meleager collecta robustissimorum juvenum manu, aprum interfecit, caputque ejus Atalantae Iasii Argivorum regis filiae, quae prima aprum vulneraverat, velut partem spolii dedit. Quod cum avunculi sui Pleusippus, et Toxeus vi puellae auferre conarentur, utrumque occidit. Nunciata itaque fratrum morte, Althaea doloris impatientia in furorem versa, fatalem illum stipitem in ignem conjecit, quo exusto, Meleager etiam, exustis intus intestinis omnibus, consumptus est. Ex Atalanta genuit Parthenopoeum. *Ov. Met.* 8, 299. et sqq., *Hyg. fab.* 171. 172. 173. 174. et 244. et *Serv.* ad *A.* 7, 306. ℙ Prima recti casus positio est ap. *Hyg., Appul. Met.* 7. *f.* et *Prisc.* 6, 692., secunda ap. *Ov. l. c.* Est autem vox composita a *μέλει*, curae est, et *ἄγρα*, venatio; maximus enim omnium fuit venator.

MĔLĔAGRĔUS, a, um, adj. *Μελεάγρειος*, ad Meleagrum pertinens. *Lucan.* 6, 365. Et Meleagream maculatus sanguine Nessi Evenos Colydona secat. *Rut. Itin.* 1, 626. Terribilisque cadit fulmine dentis aper, Quem Meleagrei vereantur adire lacerti.

MĔLĔAGRĪDES, um, f. plur. *Μελεαγρίδες*, in fabulis sunt sorores Meleagri, quae cum ejus mortem misere deflerent, in aves sui nominis conversae sunt, ut est ap. *Hyg. fab.* 174. et *Ov. Met.* 8, 532. et sqq. Porro hae aves sunt ex gallinaceo genere. De his *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* Gallinae Africanae sunt grandes, variae, gibberae, quas *μελεαγρίδας* Graeci. Hae novissimae in triclinium ganearium introierunt e culina, propter fastidium hominum. Venerunt propter penuriam magno. *Plin.* 10, 26, 38. Simili modo pugnant meleagrides in Boeotia. Africae hoc est gallinarum genus, gibberum, variis sparsum plumis: quae novissimae sunt peregrinarum avium in mensas receptae, propter ingratum virus. Verum Meleagri tumulus nobiles eas fecit. Ex his *Varr.* et *Plin.* verbis colligimus, meleagrides, et Africanas gallinas idem esse: et *Meleagrides* dictas, quod ad Meleagri tumulum pugnare visae sint. Idem facere aves quasdam Ilium ex Aethiopia quotannis advolantes, et ad Memnonis sepulcrum confligentes, ob id Memnonidas dictas, narrat *Plin. ib.* 37. Verum *Colum.* 8, 2. eas ab Africanis distinguit: Africana est, quam plerique Numidicam dicunt, meleagridi similis, nisi quod rutilam galeam, et cristam capite gerit: quae utraque sunt in meleagride caerulea. Propterea *Scalig.* ita distinguit verba *Varr.*: Gallinae Africanae sunt grandes, variae, gibberae: quas *μελεαγρίδες* Graeci, hae novissimae in triclinium, etc. Sed quaenam tandem sint *meleagrides*, magna est inter eruditos opinionum varietas. Certe negandum videtur, easdem esse ac gallinas Indicas, quae ad nos ex occidentali India, seu America primum allatae, veteribus prorsus incognitae fuerunt: [ideoque sunt qui probabiliter putant, meleagridem esse quam nunc Germani *Perlhuhn*, Galli *poule de Guinée*, Itali *meleagride*, et *gallina di Faraone* vocant. [*Numida Meleagris, *L.*] V. AFRICANUS. *F.*]

MĔLĔAGRĬUS, a, um, adj. *Μελεάγριος*, ad Meleagrum pertinens, Meleagreus, extrita priore vocali diphthongi. *Stat. Th.* 4, 103. Fletaque cognatis avibus Meleagria Pleuron. *Pleuron, onis*, Aetoliae opp. est, in qua et Calydon. *Plin.* 4, 2, 3. *Stat. Th.* 8, 484.

[MĔLĔMA, ae, f. *μέλημα*, cura. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 951, 10. Fulvia Melema. V. LALEMA. *F.*]

MĔLES, ētis, m. *Μέλης, ητος*, fluvius Ioniae Smyrnam alluens: ad cujus ripas Homerus natus esse fertur. Unde et filium ejus fuisse, quidam fabulati sunt. V. MELAS. *Plin.* 5, 29, 31. Smyrna amne Melete gaudens, non procul orto. *Stat. Silv.* 2, 7, 33. de Lucano: Attollat refluos in astra fontes Grajo nobilior Melete Baetis; et *ib.* 3, 3, 60. Smyrna tibi gentile solum, potusque verendo Fonte Meles.

MĔLES et Melis, is, f. animal quadrupes ex agrestium felium genere. *Varr. R. R.* 3, 12. Septa e maceriis ita esse oportere in leporario, ut tectorio tacta sint, ne feles, aut meles, aliave quae bestia introire possit. *Plin.* 8, 38, 58. Alia solertia in metu melibus: sufflatae cutis distentu ictus hominum, et morsus canum arcent. *Grat. Cyn.* 340. canaque e mele galeri; et *ib.* 402. collaribus ergo Sunt qui lucifugae cristas inducere melis Jussere. *Mart.* 10, 37. Venator capta mele superbus adest. *Seren. Sammon.* 48, 896. Nec spernendus adeps, dederit quem bestia melis. Al. leg. *meles.* Credunt multi, esse feram illam, quam nos *tasso*, (quia *δασὺς* pilosus est) vocamus, somniculosam, sub terra degentem, ut vulpes, vineisque inimicam, dentibus pugnacissimam, horrido pilo, et invicto pluviis. Scribitur et *maeles*, aut *maelis*. V. MILLUS.

MĔLĔSĪGĔNES, ae, m. *Μελησιγενὴς*, ap. Graecos est cogn. Homeri a Melete fluvio. V. MĔLES, etis.

*MELESSI, orum, populi Hispaniae Baeticae, quorum caput Oringis dictum. *Lic.* 28, 3. *B. A.*

MĔLĔTAEUS, a, um, adj. Homericus: a Melete fl. V. MĔLES, etis. *Tibull.* 4, 1, 200. Posse Meletaeas nec mallem vincere chartas. *Ed. *Heyn.* habet *Melesigenas* pro *Meletaeas*. *B. A.*

MĔLĔTE, es, f. *Μελέτη*, nomen unius ex quatuor Musis, Jovis secundi filiis, quas enumerat *Cic. N. D.* 3, 21. Graece curam, medicationemve significat: a *μέλει*, curae est. ℙ Item herba, quae et chamaeleon. *Appul. Herb.* 25. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 357, 7. Porcia Melete.

*MELETĬDES, ae, fatuus quidam homo, Atheniensis. *Appul. Apol. med.* p. 289. (26. *Elmenh.*) *B. A.*

[MĔLĔUS, i, m. *μέλεος*, inefficax, qui conari semper videtur, nec ad conatuum effectum unquam pervenit. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 569, 6. M. Ulpius Melei F. Longinus. *F.*]

[MĔLĬA, ae, f. *μελία*, fraxinus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 616, 7. Julia Melia. *F.*]

MĔLĪBOEA, ae, f. *Μελίβοια*, opp. Thessaliae maritimum, seu potius Magnesiae, quae est Thessaliae contermina, ad Ossae montis radices, patria Philoctetae, ubi optimae purpurae fiebant. *Plin.* 4, 9, 16., *Liv.* 44, 13., *Mela* 2, 3. ℙ Adjective. *Virg. A.* 5, 250. chlamys, quam plurima circum Purpura maeandro duplici Meliboea cucurrit. *Lucr.* 2, 499. barbaricae vestes, Meliboeaque fulgens Purpura, Thessalico concharum tincta colore. *Festus* docet Meliboeam purpuram dictam esse a nomine insulae, in qua tingitur. Verum Meliboea non est insula, neque unquam Thessalicae, aut Meliboeensis purpurae quisquam alius meminit. Quare *Virg.* et *Lucr.* videntur significasse Tyriam purpuram: et *Thessalicam* ideo appellasse, et *Meliboeam*, quia in Phoeniciam, ubi Tyrus est, aliquando Thessali et Macedones migrarunt, et multa ibi loca nominibus Thessalicis aut Macedonicis appellarunt: in his insulam quandam in ostiis Orontis fluvii (qui in Syria est, cujus pars est Phoenicia) Meliboeam. Ita *Creech.* in *Lucr.*

MĔLĪBOEENSIS, e, adj. ad Meliboeam pertinens. *Serv.* ad *A.* 5, 251.

[MĔLĪBOEUS, i, m. qui curam habet boum: a *μέλει*, curae est, et *βοῦς*, bos. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 636, 3. C. Cornelius Meliboeus. ℙ Est etiam nomen pastoris ap. *Virg. Ecl.* 1, 6. et *ib.* 7, 9. *F.*]

MĔLĪCAE Gallinae, grandiores ceteris, ex Media primum allatae sunt: et sic dictae etiam, quae ex iis generatae sunt, *l* littera pro *d* substituta. *Varr. R. R.* 3, 9. *f.*, *Colum.* 8, 2. et *Festus*. Sic *Plin.* 10, 21, 54. Melici galli. Porro exempla non desunt *l* pro *d* positae. Sic enim *Ulysses* ex *Ὀδυσσεύς*, *lacryma* a *δάκρυ*, *delicare* pro *dedicare*, *cassilam* pro *cassidam*, *impelimenta* pro *impedimenta*, ap. *eund. Fest.* Tamen *Colum. l. c.* imperiti vulgi esse ait, *Melicae* pro *Medicae* dicere. Itaque *ib. paulo post:* Medici generis gallinas dixit. V. MĔLĪCUS.

MELICEMBALIS. V. ACTINOPHORA.

MĔLĪCĔRIS, ĭdis, f. *μελιζηρίς*, favus, ut *Celsus* interpretatur: a *μέλι*, mel, et *κηρός*, cera. Sunt *melicerides* abscessus, et tubercula in cute, in quibus est pus crassum, et flavum instar mellis. *Plin.* 21, 20, 87. Melilotos contra meliceridas efficax. Habet et *Cels.* 5, 18. *n.* 18. et 7, 6., sed Graece. ℙ In sing. num. *Veg. Vet.* 2, 30. Meliceris est tuber, in quo caro inspissata, quomodo in verrucis, invenitur.

MĔLĪCĔRTA et Melicertes, ae, m. *Μελικέρτης*, Inus, et Athamantis Thebanorum regis filius, cum quo mater, cum virum videret furere, in mare se praecipitavit, amboque Deorum miseratione in numina marina sunt commutati, Ino quidem in Leucotheam, quam et Matutam matrem vocant, Melicerta vero in Palaemonem, quem Latini Portunum dicunt. *Ov. Met.* 4, 521. Teque ferens parvum nudis, Melicerta, lacertis. *Pers.* 5, 103. exclamet Melicerta, perisse Frontem de rebus. Adde *Virg. G.* 1, 437. et *Ov. Fast.* 6, 485. et sqq. Ex locis *Pers.* et *Virg.* citatis apparet, fuisse Deum praesidem portuum, et navigantium. V. PORTUNUS.

MĔLĪCHLŌROS, i, m. *μελίχλωρος*, gemma duplicem in se colorem habens, parte melleum, et parte flavum seu luteum: a *μέλι*, mel, et *χλωρός*, flavus. *Plin.* 37, 11, 73.

MĔLĪCHROS, ōtos, m. *μελίχρως, ῶτος*, gemma est mellei coloris: a *μέλι*, mel, et *χρόα*, color. *Plin.* 37, 11, 73. Colos appellavit chrysolithum aureus, chrysoprasum herbaceus, melleus melichrota.

MĔLĪCHRUS, *μελίχροος, ους*, mellis colorem habens: a *μέλι*, mel, et *χρόα*, color. *Lucr.* 4, 1153. Nigra melichrus est: immunda et foetida acosmos. Rectius autem Graece scribitur.

MĔLĪCHRYSOS, i, m. *μελίχρυσος*, gemma, quae ex India mittitur, ex chrysolithorum genere, quasi per aurum sincero melle translucente. *Plin.* 37, 9, 45.

MĔLĪCRĀTUM, i, n. *μελίκρατον*, aqua mulsa recens, et vel cruda, vel decocta: a *μέλι*, mel, et *κεράννυμι*, misceo. *Pelag. Vet.* 8. *med.* Foenum melicrato asperge. Adde *Veg. Vet.* 3, 15. *f.* *Isid.*

20, 3. ℙ *Mellicratium* appellat *Octav. Horat.* 1, 8. *B. A.*

MĔLĪCUS, a, um, adj. *μελικὸς*, ad cantum, et carmen pertinens: a *μέλος*, cantus, et carmen. *Lucr.* 5, 335. modo organici melicos peperere sonores, *h. e.* citharoedi, tibicines, fidicines, qui ad carmina tibiae, vel fidium sonos adhibent. Sic 2, 412. Ac musaea mele, per chordas organici quae Mobilibus digitis expergefacta figurant. ℙ Speciatim est lyricus; quia lyrici poetae ad lyrae sonum carmina sua canebant. *Cic. opt. gen. Or.* 1. Poematis tragici, comici, epici, melici etiam, ac dithyrambici suum est genus diversum a reliquis. *Plin.* 7, 24, 24. et *ib.* 56, 52. Simonides melicus, *h. e.* qui scripsit egregium melos, ut ait *Phaedr.* 4, 21. Erat autem natus in Ceo insula. Videtur *melicos* a lyricis distinguere *Ausonius*, ubi ait *Idyll.* 4, 53. soccos, aulaeaque regum, Et melicos, lyricosque modos praefando novabis. ℙ Mēlicum gallinarum genus laudant *Colum.* 8, 2. et *Plin.* 10, 21, 54., ita appellatum ab imperito vulgo, ut ait *ib. Colum.*, quia revera *Medicum* dicendum est, ut est ap. *Varr. R. R.* 3, 9., ubi *f.* haec habet: His *(gallinis)* quas Melicas appellant falso: quod antiqui ut *Thetin*, *Thelim* dicebant, sic *Medicam*, *Melicam*. Hae primo dicebantur, quia ex Media propter magnitudinem erant allatae, quaeque ex his generatae postea, propter similitudinem. Haec *Varro*. *Melicus* hac ratione primam producet. V. MELICAE Gallinae. ℙ *Varr.* in *Sat. Menip. quae inscribitur* Est modus matulae, *περὶ μέθης*, apud *Non.* 15, 14, 16. et 20. Dolia atque apothecas tricliniares, melicas, Calenas, obbas, et Cumanos calices. Al. leg. *melicas Calenas* sine commate interposito. *Melicae*, vel *melicae Calenae* sunt genus vasis vinarii vel poculi, fortasse in quo dulces potiones bibuntur, v. gr. mulsum: a *μέλι*, mel. Al. intelligunt *apothecas Calenas*, in quibus Calenum vinum servabatur.

*MELIE, es, vel Melia, ae, f. *Μελία*, Dryas fortasse, sic dicta a *μελία*, fraxinus. V. *Munker.* ad *Hyg. fab. praef.* p. 4. ℙ Item Nymphae marinae nomen, Ponti ac Maris filiae. *Hyg. fab. praef.* sub titulo *Oceanitides:* Hestyaea, Melie, Ianthe, etc. ℙ Fuit et hoc nomine Nympha Bithyna, ab Inacho fluvio adamata, fortasse eadem de qua supra. *Ov. Amor.* 3, 6, 25. *B. A.*

*MELIGONIS vel Meligunis, idis vel idos, f. insula Siciliae adjacens, una ex Aeoliis, notiore nomine Lipara dicta. *Plin.* 3, 9. ℙ *Μελιγουνὶς* est *Straboni* et *Callimacho*. *B. A.*

MĔLĪLOTOS, i, f. *μελίλωτος*, herba croco similis, quasi dulcis, et mellea lotos. Dicitur etiam sertula Campana, quod coronamentis adhiberi soleat, et in Campania frequentissima sit. *Plin.* 21, 11, 37. Melilotos ubique nascitur: laudatissima tamen in Attica: ubicumque vero recens, nec candicans, et croco quam simillima: quamquam in Italia odoratior candida. *Id.* 21, 7, 18. Aliqua arida diutius odorem continent, ut melilotos. *Ov. Fast.* 4, 440. Pars thyma, pars casiam, pars meliloton amant.

MĔLĪMĒLA, orum, n. plur. *μελίμηλα*, poma mustea, sive dulcia, quasi mellea mala: a *μέλι*, mel, et *μῆλον*, malum. *Varr. R. R.* 1, 59. Quae antea mustea vocabant, nunc melimela appellant. *Plin.* 15, 14, 15. Mustea a celeritate mitescendi, quae nunc melimela dicuntur a sapore melleo. *Hor. Sat.* 2, 8, 31. Post hoc me docuit, melimela rubere, minorem Ad lunam delecta. *Mart.* 7, 25. Infanti melimela dato, fatuasque mariscas. Meminit horum et *Colum.* 5, 10. *f.* et 12, 45., varia malorum genera enumerans. Ludit apte in nomine *Id. Mart.* 13, 24. Si tibi Cecropio saturata cydonia melle Ponentur; dicas haec melimela, licet. ℙ [Est et *melimelum* num. sing. ap. *Isid. Orig.* 17, 7. Melimelum a dulcedine appellatum, quod fructus ejus mellis saporem habeat, vel quod in melle servetur, unde et quidam *(Mart.* 13, 24.) Si tibi Cecropio, etc. Ex quo patet, *melimela* interdum esse cydonia melle condita, quorum succus vocatur *melomeli*. V. h. v. *F.*]

MĔLĪNA, ae, f. *μηλίνη*, crumena, sacculus, mantica scortea: a *μῆλον*, ovis, quia ex ovina pelle praecipue fiebat. *Pl. Epid.* 1, 1, 20. Nisi si in vidulo, Aut si in melina attulisti. ℙ Item *mĕlīna*, potio ex melle: a *μέλι*. *Pl. Ps.* 2, 4, 51. Murrhinam, passum, defrutum, melinam promere. Est qui scribit *mellinam*. Porro utraque vox adjectiva est.

MĔLĪNUM, i, n. *μήλινον*, oleum ex floribus mali cotonei: a *μῆλον*, malum. *Plin.* 23, 6, 54. ℙ Item unguentum ex ipsis malis cotoneis, admixto omphacio, cyprino, sesamino, balsamo, junco, casia, abrotano. *Id.* 13, 1, 2. ℙ [Item collyrium. *Inscr.* ap. *Tochon*, *cachets des ocul.* p. 61. *n.* 4. Q. Julii Murani melinum ad claritatem. *F.*] ℙ Item species coloris nativi candidi, a Melo insula *(Μῆλος)* una ex Sporadibus, ubi praestantissimum effoditur. In Samo quoque nascitur, sed eo non utuntur pictores propter nimiam pinguedinem. *Id.* 35, 6, 17. et *ib.* 7, 31. Addo *Vitr.* 7, 7., *Paul. Dig.* 32, 76. *med.* et *Cels.* 2, 33., nisi malis hunc de unguento, aut oleo loqui. Inter pigmenta mulierum recenset *Pl. Most.* 1, 3, 106. Non istanc aetatem oportet pigmentum ullum attingere, Neque cerussam, neque melinum, neque ullam aliam offuciam. ℙ Est etiam color flavus, vel luteus, qualis est in malis cotoneis maturis. *Pl. Epid.* 2, 2, 49. Cumatile, aut plumatile, cerinum, aut melinum, *h. e.* vestis eo colore tincta. Porro allata hactenus adjectiva sunt omnia. Hinc *melinum vinum* ap. *Varr.*, ut refert *Gell.* 13, 30., et *melinum alumen* memorat *Scrib. Comp.* 226., *h. e.* ab insula Melo. V. ALUMEN.

MĔLĪNUS, a, um, V. in duabus vv. praecedd.

MĔLĬOR, us, oris, adj. comparat. anom. a *bonus*, *κρείττων*, *ἀμείνων*, praestantior, aptior, potior, commodior. *Cic. Par.* 1. *f.* Quidquam bonum est, quod non eum, qui possidet, meliorem facit? *Id. Att.* 14, 17. *extr.* Puto, rem meliore loco esse debere; et *ib.* 22. *f.* Si tu melius quippiam speras; et *ib.* 15. Assentior tuis litteris, speroque meliora; et *ib.* 20. Nemo fuit poeta, aut orator, qui quemquam meliorem, quam se, arbitraretur. *Plin. Pan.* 44. Summa votorum erat, melior pessimo princeps. *Hor. Ep.* 1, 1, 88. melius nil coelibe vita. *Sil.* 2, 276. Et sperare juvat belli meliora, *h. e.* commoda, quae prosperum bellum sequuntur. *Caes. B. C.* 3, 49. Melius tempus. *Id. B. G.* 6, 11. *med.* Meliore conditione uti. *Sall. Jug.* 22. Silere, melius puto, quam parum dicere. *Id. in or. Macri Licin. ad pleb.:* Melius habent mercede delinquere, quam gratis recte facere. *Plin. ep.* 9, 39. Aedes Cereris reficere in melius, et in majus. *Phaedr. epil.* 2. Nec quicquam possunt, nisi meliores carpere. *Pl. Capt.* 5, 1, 19. ut mihi illum reddas servum, qui mihi melior, quam sibi semper fuit. *Hor. Epod.* 16, 15. communiter, aut melior pars Malis carere quaeritis laboribus. Sic *Virg. A.* 9, 156. melior pars acta diei. *Tac. A.* 12, 39. Legionum robore aequata pugna, dein nobis pro meliore fuit. ℙ Res, qua quis melior est, et praestat alteri, fere in ablativo ponitur. *Sall. Jug.* 13 et 53. Plures Atherbalem sequuntur: sed illum alterum bello meliores. *Hor. Od.* 3, 1, 11. hic generosior Descendat in campum petitor, Moribus hic meliorque fama. *Id. Ep.* 1, 10, 34. Melior pugna. *Id. Od.* 3, 6, 16. missilibus sagittis. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 24. Boethus argento melior. *Virg. A.* 9, 556. At pedibus longe melior Lycus. ℙ Et addita praepos. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 11. Praxiteles Calamidis quadrigae aurigam suum imposuit, ne melior in equorum effigie, defecisse in homine crederetur. ℙ Aliquando in genitivo more Graecorum. *Tac. A.* 3, 74. Ille robore exercitus impar, furandi melior. *Sil.* 5, 333. Nec fati melior Mamercus; et 7, 619. melior dextrae Torquatus. ℙ Cum infinito. *Val. Fl.* 1, 424. Oraque Thessalico melior contundere freno. *Pers.* 4, 16. Anticyras melior sorbere meracas. ℙ *Melior* absolute pro *fortior* ap. *Sall. in or. Philippi contra Lepid. f.* Fortuna meliores sequitur. *Just.* 9, 2. Neque vindicta Macedonum egere Scythas, quibus meliores forent. *Hor. Od.* 1, 15, 28. Tydides melior patre. ℙ *Tanto melior.* V. TANTO. ℙ *Melius est*, opportunius, utilius, commodius est, praestat. *Pl. Most.* 5, 1, 20. Nunc te videre melius est, quid agas, Tranio. *Cic. ad Brut.* 1, 18. An id tibi conducere putaremus, an commorari te melius esset. *Id. Att.* 14, 22. Millies mori melius huic praesertim aetati. *Ulp. Dig.* 5, 1, 61. Melius est dicere, id venire in judicium, de quo, etc. *Id. ib.* 11, 7, 14. Melius est legatarium non lucrari, quam emptorem damno affici. *Id. ib.* 42, 1, 15. *med.* Melius erit, si se non interponant. ℙ *Erit melius*, formula, qua magistratus utitur, cum non parenti iratus minitatur malum. *Liv.* 3, 41. Non erit melius, nisi de quo consulimus, vocem misisse: (*non* referri debet ad *misisse*, inquit *Gronovius*, quia sermo est irati, et turbate loquentis;) et *ib.* 48. Proinde quiesse erit melius. ℙ Usurpari potest et ab aliis, qui superiores aliqua re sint. *Ter. Ad.* 2, 1, 26. ante aedes non fecisse erit melius hic convicium. Nam si molestus pergis esse jam intro arripiere, atque ibi Usque ad necem operiere loris. *Pl. Men.* 5, 2, 51. Melius sanam est, mulier, mentem sumere. Urbane *Hor. Sat.* 2, 1, 41. Qui me commorit, (melius non tangere, clamo) Flebit. ℙ *Melior*, et *melius fit*, *est*, ad eos pertinent, qui convalescunt. *Cic. Tusc.* 1, 35. Pompejo, cum graviter aegrotaret Neapoli, melius est factum. *Cels.* 3, 20. de lethargico: Neque enim vigilando melior fit, sed per se, si melior est, vigilat. *Id.* 3, 6. Scire, quando aeger febricitet, quando melior sit, quando deficiat. V. MELIUSCULUS. Sic contra *pejor* et *pessimus fit* ap. *eund.* 3, 5. ℙ Item universim ad eos, qui meliore statu, aut fortuna utuntur. *Pl. Most.* 3, 2, 1. Melius anno hoc mihi non fuit domi. *Id. Curc.* 4, 2, 40. istas minas decem, qui me procurem, Dum melius fit mihi, des. *Ter. Andr.* 2, 5, 15. vulgo dici solet, Omnes sibi malle melius esse, quam alteri. Sic *melius habere* ap. *Cic. Att.* 11, 7. Ipsi se hoc melius habent, quam nos, quod, etc. ℙ *Melius*, adv. *Cic. Att.* 14, 15. Incipit res melius ire, quam putaram. *Ter. Ph.* 4, 3, 35. non potuit melius pervenirier Eo, quo nos volumus. *Hor. Od.* 4, 5, 8. Et soles melius nitent. *Petr. Sat.* 118. Quod longe melius historici faciunt. *Plin.* 17, 18, 29. Talea melius vivet. *Id.* 19, 8, 42. Asparagus melius provenit. *Cic.* ap. *Suet. Caes.* 50. Quo melius emptum sciatis, Tertia deducta est. V. DEDUCO.

MĔLĬORĀTĬO, onis, f. *βελτίωσις*, *ἐμπόνημα*, refectio in melius. *Imp. Just. Cod.* 4, 66, 2 et 3. et *ib.* 2, 19, 24.

MĔLĬORĀTUS, a, um, part. a *melioro*, melior factus, ut Melioratum praedium, *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 5, 71, 16. V. EMPHYTEUMA.

MĔLĬORESCO, is, n. 3. *βελτιόομαι*, melior fio. *Colum.* 2, 10. *f.* Atque glareosis, fabulosisque arvis meliorescit. Al. rectius leg. *melior exit.* [*Gloss. Philox.* Melioresco, *βελτιοῦμαι*. *F.*]

MĔLĬORO, as, a. 1. *βελτιόω*, meliorem reddo. *Ulp. Dig.* 7, 1, 13. Siquidem permittitur ei meliorare proprietatem.

[MĔLĬPHTHONGUS, i, m. *μελίφθογγος*, suaves sonos, seu mellitam vocem edens: a *μέλι*, mel, et *φθόγγος*, vox. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don.* 380, 8. C. Salvius Meliptongus. Omissis nempe aspirationibus, ut saepissime alias. *F.*]

MĔLIS. V. MĔLES, is.

MĔLIS, hasta a ligno mali dicta. Ita *Paul.* ap. *Fest.*, sed corrigunt eruditi ex *Hesychio:* melia, hasta: a *μελία*, fraxinus: illam autem notationem *a ligno mali* ridiculam esse, et cum *Paulo* missam faciendam. ℙ *Fuit et Melis tractus quidam sive oppidum in Aegypto. *Mela* 1, 9. *med.* Deinde — divisus *(Nilus)* ad Delta et ad Melin it per omnem Aegyptum. Al. leg. *Metelin:* alii *a Delta et Memphi. Is. Voss.* mavult *ad Deltae acumen. B. A.*

MĔLISPHYLLUM, i, n. *μελίσφυλλον*, herba, quam *Virg. G.* 4, 63. et *Pall.* 1, 37. enumerant inter eas, quarum sapor atque odor apibus est gratissimus. Hanc *apiastrum* vocat *Varro* (*R. R.* 3, 16. *med.*) teste *Serv.* ad illud *Virg. l. c.* Trita melisphylla, et cerinthae ignobile gramen. A *Plin.* 20, 11, 45. dicitur *melissophyllon*, a *μέλισσα*, apis, et *φύλλον*, folium, quasi herba apum: unde *melisphyllum* videtur per syncopen ab eo ductum. Addit autem 21, 9, 29. venire etiam in coronamenta. Vocatur et *citreago*. Porro quod *Id.* 21, 12, 41. et *Colum.* 9, 8. *f.* seri ajunt propter apes *apiastrum*, *rosam*, etc. *melissophyllon*, *cerinthen*, etc. per *apiastrum* his locis intelligunt agreste apium, quae ab hac, de qua agimus, herba longe diversa est, et ipsa tamen apibus grata. [*Melissa officinalis, *L.*, *Melisse.*]

MĔLISSA, ae, f. *Μέλισσα*, Nympha, quae mellificium prima invenit. Hinc data est occasio fabulandi, Melissam in apem fuisse conversam. Nam *μέλισσα* Graece apis est. *Colum.* 9, 2. ex *Hyg.* ℙ Item filia Melissi regis Cretae, quae una cum sorore Amalthea Jovem caprino lacte aluit. V. MELISSUS; et *Lact.* 1, 22., qui addit, eam a patre primam sacerdotem Matri Magnae fuisse constitutam: unde adhuc ejusdem Matris antistites, Melissas nuncupari. ℙ *Fuit et Melissa nomen mulieris, uxoris loco a Carneade philisopho habitae. *Val. Max.* 8, 7. *B. A.*

MĔLISSEUS. V. MELISSUS.

MĔLISSOPHYLLON. V. MELISPHYLLUM.

MĔLISSUS, i, et Melisseus, i, m. *Μελισσεύς*, et *Μελισσεύς*, Cretensium rex antiquissimus, qui primus Diis sacrificavit, ac ritus novos, sacrorumque pompas introduxit. Pater fuit Melissae, et Amaltheae, quae Jovem puerum caprino lacte ac melle nutrierunt. *Lact.* 1, 22. ℙ Item grammaticus quidam Spoletinus, qui Maecenati muneri datus, per eum ad Augusti amicitiam pervenit, et ordinandis ejus bibliothecis praepositus fuit. Scripsit fabulas Togatas, quas *Trabeatas* inscripsit, et Ineptiarum, seu jocorum libros. *Suet. Gramm.* 21. *Ov. Pont.* 4, 16, 30. Et tua cum socco Musa, Melisse, levi. *Plin. 28, 6. ed. *Hard.* ubi pro *Maecenatem Melissum* edd. priores (e. g. *Elzev.*) praebent *Maecenatem Messium*. ℙ Item philosophus Samius, de quo *Cic. Acad.* 4, 37. *B. A.*

MĔLĬTĀ, ae, vel Melitē, es, f. *Malta*, *Μελίτη*, ins. maris Africi, inter Siciliam, et Africam. *Cic. Verr.* 2, 4, 46., *Liv.* 21, 51. et *Plin.* 3, 8, 14. ℙ *Melita* item, *Meleda*, ins. maris Hadriatici, Dalmatiae adjacens, inter oram illius, et Corcȳram Melaenam: a qua Melitaei catuli dicti sunt, ut affirmat *Plin.* 3, 26, 30., [verum *Strabo l.* 6., *Steph. Bizant.* et *Etym. M.* eos a Melita maris Africi appellatos putant. *F.*] ℙ Paenultima brevis est. *Ov. Fast.* 3, 567. Fertilis est Melite sterili vicina Cosyrae Insula, quam Libyci verberat unda freti. *Sil.* 14, 250. telaque superba Lanigera Melite et litus piscosa Melacte. (*Cic.* quoque *l. c.* texendi artificio celebrem fuisse, innuit. V. MELITENSIS.) Produxit tamen non imitandus *Arator Act. Apost. f.* Mensibus hibernis tribus in regione Melite Multiplicem dat Paulus opem; et *supra:* Sicanio lateri remis vicina Melite. ℙ *Fuit et Melita nympha marina, Nerei Doridisque filia. *Virg. A.* 5, 825. *Hyg. fab. praef.* ℙ Item opp. Ioniae. *Vitr.* 4, 1. ℙ Et Cappadociae oppidum, in Melitena. *Plin.* 6, 3. *B. A.*

*MELITAEA, ae, f. Thessaliae opp., in Magnesia. *Plin.* 4, 9. *B. A.*

MĔLĪTAEUS, a, um, adj. *Μελιταῖος*, ad Melitam pertinens, ut Melitaei catuli, *Plin.* 30, 5, 14. et 3, 26, 30. V. MELITA.

[MĔLĪTANUS, a, um, adj. idem ac Melitensis. *Inscr.* ap. *Grut.* 751, 3. Aelia Flavia Melitana. *F.*]

[MĔLĪTĔ, es, f. *μέλιττα*, et Dorice *μελίτη*, apis, pro *μέλιττα*. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Labus. Decur. Bresc.* p. 47. Cornelia Melite. *F.*]

*MELITĒNE, es, f. Cappadociae tractus, ubi Melita oppidum situm. *Plin.* 6, 3. ℙ Item ipsius oppidi nomen aliud. *Id.* 5, 24. *Tac. A.* 15, 26. *B. A.*

MĔLĪTENSIS, e, adj. Melitaeus, ex Melita insula maris Africi, ut Melitensis vestis, *Cic. Verr.* 2, 2, 72. Nam textrinae operibus ea insula celebris fuit, eodem teste *ib.* 2, 4, 46. et *Sil.* 14, 250. Sic *Melitensis rosa*, qua fartus erat pulvinus Verris, *Verr.* 2, 5, 11. in pretio fuit vel ob pulcritudinem, ut Paestana: vel fortasse, quia temporius ceteris proveniebat, ut in calida regione. ℙ *Melitensem mitram* habet *Varro* ap. *Non.* 14, 16., et *Melitensia* absolute de Melitensi veste, *Lucr.* 4, 1123. et *Cic. Verr.* 2, 2, 74.

MĔLĪTĒSĬUS, a, um, adj. idem quod Melitensis, ut Melitesia coralia, *Grat. Cyn.* 404. Et vivum lapidem, et circa Melitesia nectunt Coralia. Alii leg. *Melitensia.*

[MĔLĪTĪNUS, a, um, adj. *μελίτινος*, melleus, melle mixtus. *Plin. Val.* 3, 26. Cerae pinguis melitinae libra una. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Visc. Op. Var.* T. 1. p. 182. P. Aelius Aug. Lib. Melitinus. Alia ap. *Fabr.* p. 45. *n.* 255. Terentia Melitina. *F.*]

MĔLĪTIS, idis, f. *μηλῖτις*, gemma colore mali cydonii: a *μῆλον*, malum. *Plin.* 37, 11, 73. *Sic ed. *Hard.* Ed. *Elzev. Melites*, more usitato. *B. A.*

MĔLĪTĪTES, ae, m. *μελιτίτης οἶνος* (V. ABROTONITES), genus potionis dulcis, ex melle, et musto, idest, ex congio mellis, et quinque congiis austeri musti, et cyatho salis una fervefactis. *Plin.* 14, 9, 11. ℙ Item lapis cinericii coloris, qui attritus, vel cum liquore contusus, liquorem dulcem emittit, mellitumque, et cerae mixtus eruptionibus, pituitae, maculis corporis medetur: *μελιτίτης λίθος*. *Plin.* 36, 19, 33.

*MELĪTO, as, n. 1. *μελετῶ*, verbum simpliciter fere e Graeco assumptum, si bene *Diomed.* 1. p. 373. Meditor et melito *(differunt)*, ut putat Plinius: meditantem esse secum cogitantem, melitantem voce dicentem. *B. A.*

*MELĪTON, i, n. genus vini ap. *Vitr.* 8, 3. V. *Philand. B. A.*

*MELITTAENA vel Melitaena, ae, f. *μελίτταινα*, herba quaedam, quae et marrubium. *Appul. Herb.* 45. ℙ Item alia, eadem quae et apiastrum et melissophyllon. V. *Melisphyllum. B. A.*

MĔLĪTTURGUS, i, m. *μελιτουργός*, mellarius, qui mellificium exercet: a *μέλιττα*, apis, et *ἔργον*, opus. *Varr. R. R.* 3, 16.

MELĪUM, ii, millus, *h. e.* collare canum. Ita legunt plerique ap. *Varr. R. R.* 2, 9. V. MILLUS.

MĔLĬUS. V. MELIOR.

[MELĬUS, a, um, adj. ad Melum pertinens, Graeciae insulam, unam e Sporadibus. *Cic. N. D.* 1, 1. Diagoras Melius, *h. e.* Meli insulae incola. *F.*] ℙ **Melius, i*, m. gentis Romanae nomen, e qua ille Spurius, largitionibus celebris. V. in *Maelianus, a, um, Liv.* 4, 13. sq. *Val. Max.* 6, 3. ℙ *Vicus melius* in Roma fuit. *Liv.* 33, 26. Tusco vico atque inde Melio. Sic ed. *Gronov.* ubi ed. *Drakenb.* omnino *Tusco vico atque Intemello* ex MStis. *B. A.*

MĔLĬUSCŬLĔ, adv. aliquanto melius. *Cic. Fam.* 16, 5. Volebam ad te Marionem remittere, quem, cum meliuscule tibi esset, ad me mitteres, *h. e.* cum convalescere aliquantum coepisses. *Front. ad M. Caes.* 4, 12. Meliuscule jam valere Faustinam nunciasti. *Pl. Most.* 4, 2, 51. Vide sis, ne meliuscule, quam sat fuerit, biberis.

MĔLĬUSCŬLUS, a, um, adj. aliquanto melior: dimin. a *melius. Varr.* ap. *Non.* 4, 425. Nunc de te meliusculam spem habeo, qui, etc. *Pl. Capt.* 5, 2, 6. Si eris verax, tua ex re facies: ex mala meliusculam. *Id. Curc.* 4, 2, 3. Meliusculum est monere. *Colum.* 9, 3. Apes coloris meliusculi. Est qui conjicit *melleusculi. Sen. Ben.* 1, 3. *med.* Gratias esse aetate minores, quam Horas, sed meliuscula facie. ℙ *Meliusculus* etiam dicitur, qui ex morbo aliquantulum convalescit. *Ter. Hec.* 3, 2, 19. salvan' Philumena est? *Pam.* meliuscula est. *Cels.* 3, 22. *f.* Qui meliusculus esse coepit, adjicere debet exercitationes, fricationes, cibos.

MĔLĬZOMUM, i, n. *μελίζωμον*, condimentum quoddam ex mellis despumati mixtura confectum, et reficiendis viatoribus aptum. *Apic.* 1, 2.

MELLA, ae, f. Extracto e ceris melle, ipsa cera minute resolvitur, et aqua fontana, vel coelesti maceratur: expressa deinde aqua colatur, et decoquitur, donec ad defruti crassitudinem perveniat; et bene picatis lagenis conditur. Haec mella appellatur, et adhibetur pro defruto in condituris olivarum. Haec *Colum.* 12, 11. Adde *ib.* 47.

MELLA vel Mĕlă, ae, m. fluvius Galliae Cisalpinae ex Brenno monte oriens, et prope Brixiam decurrens. *Catull.* 67, 33. Flavus quam molli percurrit flumine Mella, Brixia. *Virg. G.* 4, 278. curva legunt prope flumina Mellae. ℙ *Fuit et Mella cognomen Romanum, in gente Annaea, ex qua fuit M. Annaeus Mella, Lucani poetae pater. *B. A.* [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 411.]

MELLĀCĔUM, i, n. *Non.* 17, 14. ita vocari nunc ait, quam veteres sapam dixere.

*MELLARIA, ae, f. opp. V. v. sq. *B. A.*

[MELLĀRĬENSIS, e, adj. ad Mellariam pertinens, Hispaniae Baeticae urbem. *Inscr.* ap. *Grut.* 321, 10. Ordo Mellariensium; et 466, 9. Huic Mellarienses locum sepulturae decreverunt. *F.*]

MELLĀRĬUM, ii, n. locus, in quo apes nutriuntur, alvearium, *μελιττοτροφεῖον. Varr. R. R.* 3, 16. *Μελιττῶνας* ita facere oportet, quos alii *μελιττοτροφεῖα* appellant, eandem rem quidam mellaria. ℙ Item vas melli continendo. V. in BONA Dea.

MELLĀRĬUS, a, um, adj. ad mel pertinens. *Plin.* 21, 14, 49. Vasa mellaria, aut favos lavari aqua praecipiunt.

MELLĀRĬUS, ii, m. *μελιτουργός*, qui mellis opus exercet. *Varr. R. R.* 3, 16. Qua mellarii favum eximere possint.

MELLĀTĬO, onis, f. *μελίτωσις*, mellis vindemia, cum mel eximitur. *Colum.* 11, 2. *med.* Differenda est in mensem Octobrem mellatio. *Plin.* 11, 15, 15. Aestiva mellatio.

MELLĔUS, a, um, adj. *μελιτώδης*, qui ex melle est, vel mellis dulcedinem refert. *Plin.* 15, 14, 15. Melleus sapor. *Id.* 11, 16, 16. color. *Id.* 25, 9, 70. Mellea crassitudo. *Id.* 37, 6, 23. Melleae sardonyches, *h. e.* mellei coloris. *Auson. Ephem. parecb.* 12. Melleum crustum. ℙ Translate est dulcis, suavis. *Appul. Met.* 6. Aves melleis modulis suave resonantes. *Id. Flor. n.* 4. Tibicen omnis voculae melleus modulator. In *fragm. Petr.* 668. *Burm.* Mellea purpureum depromunt ora ruborem. *Auson. epist.* 19. *f.* Accessit tibi in artem poeticam mellea adulatio; et *epist.* 17. *in.* Modo intelligo, quam mellea res sit oratio; et *Grat. act. ad Grat.* 8. Melleum eloquium.

*MELLEUSCULUS. V. in *Meliusculus.* Lectionis auctor erat *Gesnerus. B. A.*

MELLĬCŬLUM, i, n. dimin. mellis. V. MELCULUM. ℙ Adjective. V. MELLITULUS.

MELLĪFER, ra, rum, adj. *μελιτοφόρος*, ferens mel. *Ov. Met.* 15, 383. Melliferarum apium sine membris corpora nasci. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 127. Mellifer electis exercitus obstrepit herbis.

MELLĪFĬCĬUM, ii, n. *μελιτουργία*, mellis opus. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Ad mellificium aptissimum est thymum. *Colum.* 9, 13. *f.* Apes magis mellificiis, quam fetibus student.

MELLĪFĬCO, as, a. 1. *μελιτουργέω*, *τιθαιβάσσω*, mel facio. In *quodam epigr. Virg.* ap. *Donat.* in *ejus Vita:* Sic vos non vobis mellificatis apes. *Plin.* 11, 18, 19. Apum genera duo: aliarum, quae in arboribus mellificant: aliarum, quae sub terra.

MELLĪFĬCUS, a, um, adj. ad mel conficiendum pertinens. *Colum.* 9, 13. *f.* Ut apes ab opere mellifico evocatae, etc.; et *ib.* 8. Mellifici saltus.

MELLĪFLŬENS, entis, adj. qui mel fluit, suavis. *Auson. epist.* 16, 14. Mellifluentem Nestora.

MELLĪFLŬUS, a, um, adj. mellifluens. *Avien. Perieg.* 468. Antra melliflua. *Boeth. metr.* 5, 2. Homerus melliflui oris. [*Vet. Poeta* ap. *August. de music.* 3, 7. Quae canitis sub antris Mellifluos sonores. *F.*]

MELLĪGĔNUS, a, um, adj. *μελιειδής*, qui est ejusdem generis ac mel. *Plin.* 16, 7, 10. de robore: Fert et aliam inutilem pilulam cum capillo, verno tamen tempore melligeni succi.

[MELLĪGĔRUS, a, um, adj. idem ac mellifer. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1329, 1. Ti. Claudius Melligerus. *F.*]

MELLĪGO, inis, f. *μελίτωμα*, *κήρωσις*, quod nondum mel est, sed ad mellis naturam accedit, succus e lacrimis arborum, sive florum, quem apes devorant, postea ad alvos regressae evomunt, operaque componunt. *Plin.* 11, 6, 5. Ceram ex floribus, melliginem e lacrimis arborum, quae glutinum pariunt, salicis, ulmi, arundinis succo, gummi, resina. ℙ Translate ponitur pro quocumque succo florescentis fructus adhuc, atque immaturi. *Plin.* 12, 27, 60. In prima lanugine demittitur uva, ejusque melligo. *Hard.* haec paulo aliter explicat.

MELLILLA, ae, f. dimin. melliniae. Adhibetur in blanditiis. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 47. Mea vita, mea mellilla, mea festivitas.

MELLĪNĬA, ae, f. potio ex melle: et translate res jucunda et dulcis. *Pl. Truc.* 4, 1, 6. Hoc nimio magnae melliniae est mihi. Alii leg. *mellinae.* V. MELINA.

MELLĪTŬLUS, a, um, dimin. melliti, dulciculus. *Pl. Cas.* 4, 4, 19. Corpusculum mellitulum! Alii perperam leg. *melliculum. Appul. Met.* 3. Mea mellitula. *Hieron. ep.* 79. *n.* 6. Puella ita suavis est, et mellitula, ut honor sit omnium propinquorum.

MELLĪTUS, a, um, adj. *μελιτώδης*, melleus, aut melle conditus. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Melliti favi. *Id.* ap. *Gell.* 13, 11. Mellita bellaria. *Appul. Met.* 10. edulia. *Suet. Ner.* 27. absorptio. V. MITELLITA. *Hor. Ep.* 1, 10, 11. Pane egeo, jam mellitis potiore placentis. *Plin.* 36, 19, 33. Succus dulcis, et mellitus. ℙ Translate est suavis, jucundus, dulcis. *Cic. Att.* 1, 18. Ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore, et filiola, et mellito Cicerone consumitur. *Catull.* 47, 1. Melliti oculi; et 3, 6. Mellitus passer. *Petr. Sat.* 1. *f.* Melliti verborum globuli. *Appul. Met.* 5. Mellita cantus dulcedo. [*M. Aurel.* ad *Front. ad Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 6. Valebis mihi Fronto, ubi ubi es mellitissime. *Id. ib.* 5. Mi mellite, mi marite; et *ib.* 2. Mellitissimum suavium. *F.*]

MELLO, as, mel facio, vel colligo. Legitur a quibusdam ap. *Pall.* 7, 7., sed incerta admodum ea lectio est.

MELLONA et Mellonĭa, ae, f. Dea apum praeses, et mellis. Primum est ap. *August. C. D.* 4, 24., alterum ap. *Arnob.* 4, 131.

MELLOPROXĬMI ab *Impp. Hon. et Theod. Cod.* 12, 19, 5. dicuntur, qui insequenti anno futuri sunt proximi scriniorum. Est autem vox hybrida ex Graeco *μέλλω*, futurus sum, et Latino *proximus. Inscr.* ap. *Mur.* 890, 1. M. Aurelio Aug. Lib. Isidoro melloproximo a rationibus.

MELLŌSUS, a, um, adj. melleus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 29. Mellosa dulcedo.

*MELLUS vel Mellum, sunt qui legunt ap. *Varr. R. R.* 2, 9. ubi vulgo *millus.* V. *Millus. B. A.*

MĔLO, onis, m. nomen est Nili fluvii, testibus *Festo*, et *Serv.* ad *G.* 4, 291., *A.* 1, 745. et *ib.* 4, 246. Ait *Serv.* esse vocem Latinam, ut *Nilus* Graecam, eaque usum *Ennium.* Putat *Festus* in *Alumento* sic dictum esse a veteribus Romanis, nec dum assuetis Graecae linguae, ut *Alumento* (al. *Laumento*) pro *Laomedonte*, *Catamitus* pro *Ganymede.* V. CATAMITUS. Ducunt eruditi a *μέλας*, *ανος*, niger, quia ob profunditatem nigro colore est, et quia viridem Aegyptum nigra fecundat arena, ut ait *Virg. G.* 4, 291. V. MELAS. *Auson. epist.* 4, 75. Melonis albam filiam, *h. e.* papyrum, quae circa Nilum plurima.

MĔLO, onis, m. genus cucumeris, rotunda, et mali cotonei figura [**Melone*]: a *μῆλον*, malum. *Pall.* 4, 9. *med.* Nunc melones serendi rarius: distent inter se semina pedibus duobus, etc. Semina mulso et lacte per triduum maceranda sunt: hinc suaves efficientur: odorati autem, si eorum semina multis diebus inter rosae folia sicca mergantur. *Capitol. Albin.* 11. Nam et quingentas ficus passarias jejunum comedisse, et centum persica Campana, et melones Ostienses decem, etc. *Vopisc. Carin.* 17. Vini plurimum effudit: inter poma et melones natavit. *Trebell. Gallien.* 16. Uvas triennio servavit: hieme summa melones exhibuit. Adde *Arnob.* 2, 85. Ex his apparet, *melones* in deliciis fuisse. An vero sint, quos Florentini vocant *poponi*, nos Patavini *meloni*, negat *Casaub.* ad *l. c. Capitol.:* ignotos enim hos toti antiquitati fuisse. Alii contra sentiunt, inter quos *Salm.* ad *Solin.* p. 958. Videntur autem iidem esse cum *melopeponibus*, de quibus mox.

[MĔLOCARPON, i, n. herba alias aristolochia. *Appul. Herb.* 19. *F.*]

MĔLODES, is, adj. *μελῳδής*, qui dulcia carmina cantat. *Sidon. ep.* 9, 15. *in carm.* Proculus melodes insonare pulsibus. Alii leg. *melodis*, ut sit a *melodus:* [at nihil mutandum. Usurpatur enim tanquam cogn. R. feminin. in *Inscr.* ap. *Grut.* 1157, 3. Mnemosyne Melodes. *F.*]

MĔLŌDĬA, ae, f. *μελῳδία*, concentus, melos. *Capell.* 9, 306.

MĔLŌDĪNA, orum, n. plur. melodiae, concentus. *Varr.* ap. *Non.* 1, 247. Si quis melodinis sit *ὄρος λύρας*, Praesepibus se retineat forensibus. Alii aliter leg.

*MELODŪNUM, i, n. Senonum opp., in insula a Sequana fluvio formata, hodie fortasse *Melun. Caes. B. G.* 7, 58. et 60. *B. A.*

MĔLŌDUS, a, um, adj. suaviter sonans, vel canens, *μελῳδός. Auson. Profess.* 15, 8. et *Prud. Cath.* 9, 2.

*MELOESSA (sc. insula, *μηλόεσσα*, a *μῆλον*, ovis), insula Italiae inferioris, Bruttiis adjacens, in sinu Scylaceo. *Plin.* 3, 10. *B. A.*

MĔLŌFŎLĬA, orum, n. plur. mala, quibus folium unum, aliquando et geminum erumpit e latere medio. *Plin.* 15, 14, 15.

MĔLŌMĔLI, n. *μηλόμελι*, liquor mulsei saporis ex cydoneis malis melle conditis, et in lagena servatis: cujus conficiendi rationem docet *Colum.* 12, 45. Alii leg. *melimeli* minus recte. V. MELIMELA.

MĔLŌPĔPŌNES, um, m. plur. *μελοπέπονες*, genus cucumeris: de quo ita *Plin.* 19, 5, 23. Cucumeres, in fistula flore demisso, mira longitudine crescunt. Ecce cum maxime nova forma eorum in Campania provenit, mali cotonei effigie. Forte primo natum ita audio unum: mox semine ex illo

genus factum: melopeponas vocant. Non pendent hi, sed humi rotundantur. Mirum in his, praeter figuram, et odorem, quod maturitatem adepti, quamquam non pendentes, statim a pediculo recedunt. Haec *Plin.* Porro dicti sunt a *μῆλον*, malum, propter figuram, et *πέπων, ονος*, maturus, a sole excoctus, a *πέπτω*, coquo, propter maturitatem.

[MĔLOPHĬLUS, i, m. amans cantus: a *μέλος*, cantus, et *φίλος*, amicus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 293, 2. Sex. Julius Sex. L. Melofilus. Hic *Melofilus* est pro *Melophilus*, ut saepe alias. *F.*]

[MĔLOPHYLLON, i, n. herba eadem ac millefolium. *Appul. Herb.* 88. *F.*]

MĔLOPOEĬA, ae, f. *μελοποιία*, est habitus modulationis effectae, ut definit *Capell.* 9, 326., ubi tres ejus species recenset. V. Est a *μέλος*, cantus, et *ποιέω*, facio.

MĔLOS, i, n. *μέλος*, suavis sonus, cantus, carmen. *Accius* ap. *Cic. N. D.* 2, 35. Silvani melo Consimilem ad aures cantum et auditum refert. *Cato* ap. *Non.* 2, 70. Melos alterum in cantibus est bipartitum: unum, quod est in assa voce: alterum, quod vocant organicon. *Hor. Od.* 3, 4, 1. dic, age, tibia Regina longum Calliope melos. *Pers. prol. extr.* Corvos poetas, et poetrias picas Cantare credas Pegaseium melos. *Terent. de metr.* p. 2412. Auctor et ductor melorum, qui duas breves habet, *h. e.* pes pyrrichius, nempe *hŏnŏr.* ℙ In plur. num. *mela* positione Latina, *Auson. Parental.* 27. Cui brevia mela modifica recino, *mele* positione Graeca, *τὰ μέλη*, *Lucr.* 2, 412. Ac Musea mele, per chordas organici quae Mobilibus digitis expergefacta figurant; et *ib.* 504. et cygnea mele. *Inscr.* ap. *Grut.* 654. docta sonare mele. ℙ In allato versu *Persii* prima syllaba produci videtur, imitatione Graecorum, qui vocalem brevem liquidae praepositam producunt. *Homer.* in hymno Mercurii, *v.* 498. corripuit, *Πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κατὰ μέλος· ἡ δ' ὑπὸ καλόν.* At versu statim sequenti produxit, *Ἱμερόεν κονάβησε· θεὸς δ' ὑπὸ μέλος ἄεισε.* [At ex *Vet. Schol.* ad *Pers. l. c.* in aliis est *nectar. F.*] Cave imiteris, et V. *Mart.* 9, 12. ℙ Masculino gen. *Cato* ap. *Non.* 3, 136. Omnes qui loquuntur, habere debent quosdam melos. *Pacuv. ib.* Fremitu concidi melum. Adde *Acc.* et *Varr. ib.*

*MELOS vel Melus, i, *Μῆλος*, maris Aegaei insula, inter Sicinum ac Siphnum, in Peloponnesum vergens, Sporadum una. *Mela* 2, 7. *med. Plin.* 4, 12. *B. A.*

*MELOSMOS, i, herba eadem cum polio. *Appul. H.* 57. *B. A.*

*MELOTA, ae, vel Melōte, es, f. (sc. pellis, *μηλωτή*,) pellis ovilla. *Vulg. Hebr.* 11, 37. Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis. ℙ Sed non tam pellem ovis significat, quam exuvium, hoc est pellem corpori detractam una cum lana. V. *Erasm.* in *Hebr. l. c. B. A.*

MĔLOTHRON, i, n. *μήλωθρον*, herba, quae et vitis alba dicitur, cujus foliis utebantur in coronamentis. *Plin.* 21, 9, 29. et 23, 1, 16.

[MĔLOTIS, idis, f. *μηλωτίς*, specillum, instrumentum chirurgicum. *Pelag. Vet.* 31. *med.* Quamcumque melotidem, vel spathomelem miseris, ibit per ipsam fistulam. *F.* *Melōtis (sc. terra), idis, regio Thessaliae. *Liv.* 32, 13. *in.* si lectio certa. *B. A.*]

*MĔLPES, ae, m. fluvius Lucaniae. *Plin.* 3, 5. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Melphes.* ℙ Hodie est *Melpa* vel *Molpa. B. A.*

*MELPHES. V. v. praec. *B. A.*

MELPOMĔNE, es, f. *Μελπομένη*, una ex Musis, tragoediarum inventrix, a *μέλπομαι*, cano. *Hor. Od.* 1, 24, 3. praecipe lugubres Cantus Melpomene, cui liquidam pater Vocem cum cithara dedit. *Auson. Idyll.* 20, 2. Melpomene tragico proclamat moesta boatu.

*MELSIĀGUM, i, n. palus magna in Germania, de qua *Mela* 3, 3. *med. B. A.*

MELTOM meliorem dicebant. *Festus:* ubi alii leg. *meliom.*

*MELUS insula. V. MELOS. *B. A.*

[MELZITĀNUS, a, um, adj. ad Melzitam pertinens, urbem Africae proconsularis, ultra Uticam sitam, quae eadem videtur esse ac *Μελδεῖτα* apud *Ptol.* 3, 3. *Plin.* 5, 4, 4. Oppida libera, Melzitanum, Medaurense, etc. *F.*]

*MEMACĒNI, orum, populi Asiae ulterioris, ultra mare Caspium, quorum meminit *Curt.* 7, 6. *B. A.*

MĔMAECYLON. V. MIMAECYLON.

MEMBRĀNA, ae, f. *ὑμήν, δέρρις*, pellis exterior, quae membra tegit, pellicula, tunica. *Cic. N. D.* 2, 57. Natura oculos membranis tenuissimis vestivit. *Lucan.* 9, 773. Dissiluit stringens uterum membrana, fluuntque Viscera. *Cels.* 8, 4. Membrana cerebri, *μήνιγξ*. *Plin.* 11, 28, 33. Membranis cicadae volant; et *ib.* 39. Membranis volant fragilibus insecta. ℙ De exuviis anguium. *Ov. Met.* 7, 272. Squamea Cinyphii tenuis membrana chelydri. *Lucan.* 6, 679. Libyci membrana cerastae. ℙ De pelle detracta animalibus, et arte polita in usum scribendi, aut pingendi, et compactos in volumen libros vestiendi. V. PERGAMENUS. *Quint.* 10, 3. *f.* Scribi optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget: quae ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, et cogitationis impetum frangunt. *Mart.* 14, 7. cujus lemma *Pugillares membranei:* Esse puta ceras, licet haec membrana vocetur: Delebis, quoties scripta novare voles. *Plin.* 7, 21, 21. In nuce inclusam Iliada, Homeri carmen in membrana scriptum, tradidit Cicero. *Hor. Sat.* 2, 3, 2. Sic raro scribis, ut toto non quater anno Membranam poscas. *Petr. Sat.* 115. Membranae ingenti versus ingerere. *Catull.* 22, 6. chartae regiae, novi libri, Novi umbilici, lora rubra, membrana Directa plumbo, et pumice omnia aequata. *Tibull.* 3, 1, 9. Lutea sed niveum involvat membrana libellum. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 5. de Parrhasio: Alia multa graphidis vestigia exstant in tabulis, ac membranis ejus, ex quibus proficere dicuntur artifices. ℙ De tenuioribus ligni lamellis, frugum et pomorum tunicis, etc. *Plin.* 15, 22, 24. de nuce juglande: Bifidae putaminum carinae, nucleorumque alia quadripartita distinctio, lignea intercursante membrana. *Id.* 16, 14, 25. de tilia: Inter corticem ac lignum tenues tunicae multiplici membrana. *Id.* 15, 23, 25. de castaneis: Proxima corpori membrana in his, et in nucibus saporem, ni detrahatur, infestat; et *ib.* 28, 34. Crusta teguntur glandes, cute uvae, corio et membrana Punica. *Id.* 29, 3, 11. Membrana putaminis ovi. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 3. Milium, et panicum indefensa membranis continentur. *Id.* 19, 6, 34. Tenuissimis membranis velatur allium. ℙ De qualibet superficie, membranae modo contegente. *Lucr.* 4, 93. tenuis summi membrana coloris Cum jacitur, etc.

MEMBRĀNĀCĔUS, et cius, a, um, adj. *ὑμενώδης*, membrana constans. *Plin.* 10, 61, 81. Vespertilio, cui membranaceae pinnae uni. *Inscr.* ap. *Grut.* 174, 7. Legavit pugillares membranaceos operculis eboreis. ℙ Item membranae similis. *Plin.* 16, 31, 55. Quibusdam cortex membranaceus, ut viti, arundini.

[MEMBRĀNĀRĬUS, ii, m. qui membranas parat. *Gloss. Philox.* Membranarius, *διφθεροποιός. Edict. Dioclet.* p. 20. Membranario in .... one pellis Pergamenae. *F.*]

MEMBRĀNĔUS, a, um, adj. membranaceus. *Ulp. Dig.* 32, 50. Codices membranei, vel chartacei, vel eborei. *Mart.* 14, 7. *in lemmate:* Pugillares membranei.

MEMBRĀNŬLA, ae, f. parva membrana. *Cels.* 8, 4. *med.* Ne quid ex ipsa membranula, quae sub cute calvariam cingit, super os relinquatur; et 7, 7. *n.* 13. *extr.* Membranula oculi. *Id. ib.* l. et 14. dixit *membranulas*, quas nunc anatomici *nervos* appellant, scil. ductus spirituum. ℙ De scriptoriis, et librariis *Scaev. Dig.* 32, 104. Quae membranulis mea manu scriptis continebuntur. *Cic. Att.* 4, 4. Librariolis imperes, ut sumant membranulam, ex qua indices fiant, *h. e.* pergamenam, in qua librorum tituli inscribantur, et exterius pittacii modo affigantur. ℙ *Membranulum, i,* n. *Appul. Met.* 6. Hirudinis tenue membranulum circumdedit. *Locus est *med.* p. 184. (20. *Elm.*) *B. A.*

*MEMBRANŪLUM. V. in *Membranula. B. A.*

MEMBRĀTIM, adv. *μεληδόν*, per membra singula, singillatim, per partes. *Lucr.* 3, 527. saepe hominem paulatim cernimus ire, Et membratim vitalem deperdere sensum. *Plin. praef.* 12. et 25, 11, 83. Animalium naturae generatim membratimque ita se habent; et 26, 11, 67. Nunc peractis malis, quae membratim sentiuntur, dicemus de his, quae totis corporibus grassantur; et 9, 15, 18. Thynni membratim caesi, cervice et abdomine commendantur; et 28, 7, 20. Divisi membratim abortus. *Cic. Part.* 35. *med.* Narratio accusatoris erit quasi membratim gesti negotii suspiciosa narratio. *Varr. R. R.* 1, 22. Membratim enumerare, *h. e.* singillatim. *Cic. Or.* 63. et 67. Incise membratimque dicere, *h. e.* per membra periodi. *Quint.* 9, 4. *med.* Ubicumque acriter erit, et instanter pugnaciterque dicendum, membratim caesimque dicemus.

MEMBRĀTŪRA, ae, f. membrorum conformatio. *Vitr.* 8, 5. Animo advertantur, qua membratura sint, qui circa eos fontes habitant, homines.

*MEMBRĒSA, ae, f. *Μέμβρησα*, opp. Africae Propriae, in Zeugitana. *August. adv. Donat.* 7, 26. ℙ *Membressa* est *Anton. Itin. Membrissa* autem *Tab. Peut. B. A.*

*MEMBRESSA et *MEMBRISSA. } V. v. praec. *B. A.*

MEMBROR, aris, dep. l. *διαρθρόομαι*, per membra formor. *Censor. de die nat.* 11. Quinque et triginta diebus infans membratur.

MEMBROSUS, a, um, adj. magno membro virili instructus. *Auct. Priap. prooem.* Sed ruber hortorum custos membrosior aequo.

MEMBRUM, i, n. *μέλος, κῶλον*, pars corporis animalis, ut pes, manus, caput, aures, nasus, etc. *Cic. Fin.* 3, 5. *med.* Jam membrorum, idest partium corporis, alia videntur propter eorum usum a natura esse donata, ut manus, crura, pedes, etc. alia quasi ad quendam ornatum, ut cauda pavoni, plumae versicolores columbis, viris mammae, atque barba. *Ter. Ad.* 4, 4, 3. Membra metu debilia sunt: animus timore obstupuit. *Pl. Amph.* 5, 1, 66. Mihi horror misero membra percipit dictis tuis. *Virg. G.* 4, 438. defessa membra componere; et *A.* 6, 642. in gramineis exercent membra palaestris. *Hor. Sat.* 2, 2, 81. dare membra sopori. *Suet. Vesp.* 20. Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris. *Hor. Sat.* 2, 8, 86. Mazonomo pueri magno discerpta ferentes Membra gruis. *Ov. Met.* 15, 383. Melliferarum apium sine membris corpora nasci. ℙ Differunt membra ab artubus, qui proprie commissuram nexumque membrorum significant: vel sunt ossa cum nervis: membra vero carnes, quibus artus conteguntur. *Pl. Men.* 5, 2, 102. ut ego hujus membra, atque ossa, atque artua Comminuam illo scipione. *Virg. A.* 5, 422. Et magnos membrorum artus. Promiscue tamen aliquando usurpantur. *Ov. Amor.* 1, 7, 53. Exanimes artus et membra trementia vidi. V. ARTUS. ℙ Differunt praeterea ipso usu, quia *membra* transferuntur ad significandas partes domus, navis, etc., *artus* non item. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Nec habere poterat adjuncta cubicula, et ejusmodi membra. *Plin. ep.* 2, 17. Adhaeret dormitorium membrum, transitu interjacente, etc. *Ov. Trist.* 1, 2, 12. Parcite quassatae solvere membra ratis; et *ib.* 4, 10, 47. Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambo, Dulcia convictus membra fuere mei. *Pall.* 1, 35. *f.* Totius vineae membra, *h. e.* vites. *Ammian.* 15, 7. Vulgus omne, paulo ante consertum, per varia urbis membra diffusum evanuit. *Suet. Aug.* 48. Reges socios non aliter universos, quam membra partesque imperii, curae habuit. *Colum. prooem. l.* 10. *f.* Multa sunt ejus quasi membra, de quibus aliquid possumus effari. Sic *Cic. N. D.* 1, 4. *extr.* Omnes philosophiae partes, atque omnia membra tum facillime noscuntur, cum, etc. ℙ De parte orationis, seu periodi longiore: nam brevior *incisum* dicitur. *Auct. ad Her.* 4, 19. Membrum orationis appellatur res breviter absoluta, sine totius sententiae demonstratione: quae denuo alio membro orationis excipitur. *Cic. Or.* 62. et 66. Quae Graeci *κόμματα*, et *κῶλα* nominant, nos recte incisa, et membra dicimus. *Id. Or.* 3, 49. *med.* Saepe carpenda membris minutioribus oratio est: quae tamen ipsa membra sunt numeris vincienda. [*V. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 254.] ℙ *Δὶ ἀντονομασίαν membrum* ponitur pro mentula. *Auct. Priap.* 70, 17. Hujus et Alcinoi mirata est filia membrum. ℙ *Membrum genitale* dicitur etiam unus e testiculis. *Colum.* 7, 11. Mediam cutem, quae intervenit duobus membris genitalibus, rescindito, *h. e.* duobus testiculis. ℙ [*Confund. *membris* et *nervis.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 715.]

*MEMECYLON, i, n. *μεμέκυλον, μιμαίκυλον*, fructus arboris unedonis sive arbuti. *Plin.* 15, 24. Pomum inhonorum duobus tamen hoc nominibus adpellant Graeci comaron et memecylon: quo adparet, totidem esse genera apud nos. *B. A.*

MĔMĪNENS, entis, part. a *memini*, exigui usus. *Liv. Andr.* ap. *Prisc.* 11, 922. Meminens *Varro* corde volutat. *Auson. Profess.* 2, 4. Vivis adhuc aevi, quod periit, meminens. *Sidon. ep.* 2, 10. *f.* Sisque oppido meminens, quod, etc. *Id. ep.* 4, 12. Naturae meminens, et professionis oblitus. Adde *ep.* 3. *f.* et *ep.* 6, 3. et *ep.* 7, 6.

MĔMĪNI, isti, defect. 3. *μέμνημαι*, recordor, memoria teneo, in memoriam redeo, et, ut ait *Sen. ep.* 33. *med.*, rem commissam memoria custodio. Volunt esse ab obsoleto *meno*, quod a *μνάω*, geminatione primae syllabae. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 72. p. 157. *Ruddim.* 1, 268. *n.* 15. *Lünemann.* in *Lex. Lat.* deducit ab obsoleto *memino.*] Pro praesenti, et imperfecto in omnibus modis habet praeterita, quae, ut in *novi, ŏdi, coepi*, pro praesentibus ponuntur, et explicantur. *Cic. Mur.* 20. Cui placet, obliviscitur: cui dolet, meminit. *Id. Manil.* 16. Meminisse, et commemorare. *Phaedr.* 4. *f.* Pulcre meminero. *Hor. Sat.* 1, 9, 68. Memini bene. ℙ [*Exempla, quae *memini* ipsa praeteriti significatione pro *memoriae infixi* positum referant, *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 2, 113. haec laudat: *Cic. Sen.* 9. Ego L. Metellum memini puer — ita bonis esse viribus extremo tempore aetatis, ut adolescentiam non requireret. *Quint. Inst.* 8, 3, 31. Nam memini juvenis admodum inter Pomponium ac Senecam etiam praefationibus esse transactum etc. *Plat. Charm.* §. 8. *Μέμνημαι δὲ ἔγωγε καὶ παῖς ὢν Κριτίᾳ τῷδε ξυνόντα σε.* Assentitur *Spald.* ad *Quint.* l. l. ℙ Hoc verbum saepe ab affirmantibus per parenthesin interjicitur. *Ov. Ep.* 5, 25. Populus est (memini) fluviali consita ripa. — Contra a dubitantibus inseritur: *si memini. Id. Amor.* 3, 1, 33. Altera (si memini) limis subrisit ocellis. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 3, 101.] ℙ Cum genit. *Cic. Fin.* 5, 1. *extr.* Vivorum memini, nec tamen Epicuri licet oblivisci. *Id. Fam.* 13, 75. Minus videbor meminisse constantiae tuae. [*Ita

ponitur interdum cum ulciscendi significatione. *Val. Fl.* 1, 773. leti meminisse paterni: ubi v. *Burm.* Oppos. *oblivisci*, i. e. deponere animum ulciscendi. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 20, 12.] ℙ Cum accusat. *Cic. Acad.* 4, 33. Omnia meminit Scyron Epicuri dogmata. *Id. Somn. Scip.* 1. Cum omnia ejus non facta solum, sed etiam dicta meminisset. *Id. Planc.* 33. Qui patriae beneficia meminerunt. *Pl. Merc.* 5, 4, 51. Suam quisque homo rem meminit: *γνώμη. Virg. Ecl.* 9, 45. numeros memini, si verba tenerem. *Cic. Phil.* 5, 6. Cinnam memini, vidi Sullam. *Id. Amic.* 2. *f.* Memineram Paulum, videram Gallum. *Id. Or.* 3, 50. Antipater ille Sidonius, quem tu probe meministi. Adde *Accium, Turpil., Varr.* et al. ap. *Non.* 8, 9. [*Exposuit de utroque dicendi genere *Zumpt. Gr. Lat.* §. 439. et 440. p. 368.] ℙ Cum ablat. et praeposit. *de. Pl. Asin.* 5, 2, 84. De palla memento, amabo. *Cic. Att.* 15, 27. *extr.* De Herode et Mettio meminero, et de omnibus, quae te velle suspicabor modo. ℙ Cum aliis orationis partibus. *Id. Amic.* 1. Meministi, quanta hominum esset admiratio. *Id. Fam.* 7, 38. Memini, cum mihi desipere videbare. *Phaedr.* 5, 7. Ludis, non satis memini, quibus; et 3, 2. Memini, qui panem dederint. *Ter. Phorm.* 1, 4, 47. Meministin', olim ut fuerit vestra oratio? *Hor. Epod.* 10, 3. Ut horridis utrumque verberet latus Auster, memento, fluctibus. ℙ In imperativo. *Pl. Epid.* 5, 1, 51. Memento mihi suppetias ferre. [*Suet. Cal.* 29. Memento omnia mihi et in omnes licere; et *Gr.* 10. Hylen nostram aliis memento commendare: nostr. *vergiss nicht.*] *Pl. Curc.* 1, 3, 54. Facito, ut memineris. *Id. Stich.* 1, 1, 46. et *Ter. Heaut.* 3, 2, 39. Fac, memineris. *Plin.* 18, 25, 57. Meminerint legentes. ℙ Cum infinito praesenti, etiamsi de re praeterita sermo sit. *Cic. Fam.* 9, 16. *f.* et *Verr.* 2, 4, 12. Memini, te mihi Phameae coenam narrare; et *Dejot.* 14. Memini, iisdem fere verbis ad me te scribere. *Id. Fam.* 3, 8. Non meminisse, ullum tempus laudandi, aut locum dari, *h. e.* datum esse. *Ter. Andr.* 2, 5, 17. Ego illam vidi virginem: forma bona Memini videre. *Virg. Ecl.* 9, 52. saepe ego longos Cantando puerum memini me condere soles. Adde *Pl. Epid.* 4, 1, 13. ℙ Cum infinito praeteriti, [*i. e. aoristi. V. *Sanct. Minerv.* p. 170. ed. *Scheid.* Laudat *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. h. v. — *Zumpt. Gr. Lat.* §. 589. p. 466. docet, v. *memini* ita cum infin. praet. conjungi, ut non rei perficiendae rationem, modum enarrent scriptores, sed effectum, exitum, eventum, summam operis alicujus transacti significent.] *Cic. Fam.* 13, 72. Peto, ut memineris, te omnia mihi cumulate recepisse. *Id. Rosc. Am.* 42. Meministis, me ita distribuisse initio causam, etc. *Virg. G.* 4, 125. memini . . . . . Corycium vidisse senem. ℙ Significat etiam mentionem facere, commemorare; metonymia. *Cic. Phil.* 2, 36. Meministi ipse de exsulibus: scis, de immunitate quid dixeris. *Quint.* 11, 2. Neque omnino hujus rei meminit usquam poeta ipse. Adde *Plin. ep.* 1, 5. *med.* [*Suet. Caes.* 9. meminerunt hujus conjurationis. — Disputat de hac v. *meminisse* significatione, et quid differat a *memorare, Doederl.* 1, 171.] ℙ *Meminisse* substantivi modo de ipsa memoria. *Lucr.* 4, 766. Praeterea meminisse jacet, languetque sopore. ℙ Transfertur ad res inanimas. *Lucr.* 4, 152. Nam neque, uti vestem, possunt transire, neque ante Scindi, quam meminit levor praestare salutem. [*Adde *Lucan.* 5, 109. Ut Salaminiacum meminit mare: ubi v. *Cort.*, qui laudat *Gronov.* ad *Sen. Herc. Oet.* 460. ℙ Discrimen inter *meminisse, reminisci, recordari* ita constituit: *meminisse* = memorem esse; *reminisci* = in memoriam revocare; *recordari*, revocata in memoriam contemplari.] ℙ Part. *Memineus* V. s. l.

*MEMINI, orum, populi Galliae Narbonensis, quorum caput Carpentoracte dictum. *Plin.* 3, 4. ℙ *Μημηνοὶ* sunt *Ptolemaeo. B. A.*

[MĔMĬNIA. V. MIMNERMIA. *F.*]

*MEMMIA GENS nomen habere putatur a Mnestheo Trojano, Aeneae comite. *Virg. A.* 5, 116. Velocem Mnestheus agit acri remige Pristim, Mox Italus Mnestheus, genus a quo nomine Memmi. Ubi *Servius:* Mox Italus, subaudi, Futurus. Ipse enim familiam Memmiorum constituit. Nobiles autem familias a Trojanis fuisse Juvenalis ostendit [*sat.* 1. *v.* 100.], jubet a praecone vocari Ipsos Trojugenas. A quo nomine, scilicet Mnesthei, ducunt Memmii genus. *B. A.*

MEMMĬADES, ae, m. patronymicum a Memmio. *Lucr.* 1, 26., *h. e.* ipse Memmius, ut *Scipiades* Scipio.

MEMMĬĀNUS, a, um, adj. ad Memmium aliquem pertinens (quod est nomen R. civis). *Cic. Att.* 5, 1. Memmiana praedia. De origine gentis Memmiae V. in MIMNERMIA.

MEMMĬUS. Memmia lex. V. REMMIUS.

MEMNON, ŏnis, m. *Μέμνων*, Tithoni et Aurorae filius, qui Trojanis ex oriente ferens auxilia, et fortiter pugnans, ab Achille, vel a Thessalis per insidias, ut alii ajunt, occisus est. *Virg. A.* 1, 493. et nigri Memnonis arma. ℙ Cum in rogo cremaretur, precibus Aurorae in avem mutatus esse dicitur, et ex ejus cineribus multae aliae aves evolasse, quas *Memnonias* vocarunt, sive *Memnonides.* Has ferunt singulis annis ex Aethiopia Ilium advolare, et confligere ad Memnonis sepulcrum, hoc idem quinto quoque anno in Aethiopia circa Memnonis regiam facere. Nimirum creditum vulgo, aves eas primum visas, postquam Memnon interiit, quemadmodum et fingunt, Diomedis aves demum conspectas post ejus mortem, quia tum socii Diomedis in eas sint conversi: item Meleagrides volunt originem habuisse post Meleagri excessum, mulieribus in has aves conversis, quae Meleagrum lugerent. *Ov. Met.* 13, 600., *Plin.* 10, 26, 37. ℙ Memnonis statua apud Aegyptios circa Thebas erat e nigro marmore, et forma hominis sedentis, quae solis orientis radiis percussa sonum edebat citharae similem, ideoque putabatur magica arte Memnon matrem suam Auroram ita salutare. Hinc *Juven.* 15, 5. Dimidio magicae resonant ubi Memnone chordae. ℙ Legitur et *Mennon.* ℙ *Memnon fortasse tragoedia Alpini. *Hor. Sat.* 1, 10, 36. Turgidus Alpinus jugulat dum Memnona. *B. A.*

*MEMNŌNES, um, *Μέμνονες*, populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*MEMNONĬA, ae, gemmae species, ita dicta ex colore nigro. *Plin.* 37, 10. *B. A.*

MEMNŌNIDES, um, f. plur. aves Memnonis, de quibus V. in v. praec. *Plin.* 10, 26, 37. et *Ov. Met.* 13, 619.

MEMNŌNĬUS, a, um, adj. ad Memnonem pertinens. *Ov. Pont.* 3, 3, 96. Memnonio cygnos esse colore putem, *h. e.* nigro. Memnon enim niger fuit: *scil.* ex Aethiopia, unde Aurora Graecis Latinisque poetis incipere creditur. *Lucan.* 3, 284. Memnoniis deducens agmina regnis Cyrus, *h. e.* orientalibus, unde Memnon fuit. *Propert.* 1, 6, 4. Ulteriusque domos vadere Memnonias, *h. e.* Aurorae, vel Orientis. *Solin.* 40. *med.* Memnoniae aves. V. MEMNON.

MĔMOR, ŏris, adj. *μνήμων*, qui meminit, animo retinens, non oblitus. *Caes. B. C.* 1, 13. *extr.* Se eorum facti memorem fore, pollicetur. *Nep. Ann.* 12. Memor pristinarum virtutum. *Id. Att.* 16. officii. [*Sic *memor generis, memor Romani nominis* et similia ab auctoribus proferuntur, ut memoriam virtutis, gloriae inferant. *Sall. Cat.* 60, 7. memor generis. *Jug.* 58, 3. memores nominis Romani locum cepere: ubi v. *Cort.* Adde *Lucan.* 8, 284. Namque memor generis, Carthaginis impia proles, Imminet Hesperiae.] *Cic. Brut.* 88. Memor et quae essent dicta contra, quaeque ipse dixisset. *Id. Fam.* 13, 25. et *Ter. Ad.* 2, 2, 43. Memorem et gratum esse. [*Usitatissima haec est dicendi ratio. *Nep. Att.* 9, 5. memorem gratumque cognosci. Ita etiam Graeci v. *μνήμων* usurpant: *Xenoph. Ages.* 11, 13. *οἱ δὲ ὑπουργήσαντές τι ἐκάλουν αὐτὸν μνήμονα.*] *Cic. Agr.* 2, 8. Gratum ac memorem esse beneficii. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. Malo praesens observantia, indulgentia, assiduitate memorem me tibi probare. *Virg. A.* 6, 664. Quique sui memores alios fecere merendo. *Plin.* 25, 3, 7. Memor Lucullum periisse. [*Suet. Aug.* 28. memor, objectum ab eo sibi saepius.] *Quint.* 11, 2. Memor, quo ordine quisque discubuerat. *Val. Fl.* 4, 396. Nec, qua valle, memor, nec, quo se vertice sistat. *Hor. Sat.* 2, 6, 97. Vive memor, quam sis aevi brevis. ℙ Translate. *Liv.* 1, 32. Medium erat in Anco ingenium, et Numae, et Romuli memor, *h. e.* particeps: metonymia. *Ov. Amor.* 3, 14, 48. Sit modo, non feci, dicere lingua memor. *Tibull.* 3, 2, 25. Et nostri memores lacrimae fundantur eodem. *Lucr.* 2, 582. memori mandatum mente tenere. *Ov. Her.* 13, 66. Signatum memori pectore nomen habe; et *ib.* 20, 98. Et vocem memori condidit aure tuam. *Id. Pont.* 4, 2, 7. Carmina non data sunt memorem testantia curam; et *ib.* 1, 4, 56. Turaque Diis memori debita ferre manu. *Virg. A.* 1, 8. et *Ov. Her.* 21, 9. Memor ira. *Liv.* 1, 28. *extr.* Supplicium exempli parum memoris rerum humanarum. *Ov. Trist.* 3, 12, 43. memori rumorem voce referre. ℙ De eo, qui memoriae facultate pollet. *Cic. Or.* 3, 50. Tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, ut, etc. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Hor. Od.* 3, 14, 18. Et cadum Marsi memorem duelli, *h. e.* qui bello Marsico repostus fuit, atque adeo ejus meminisse potest. ℙ De iis, quae in memoriam nos reducunt alicujus rei, seu quae cujuspiam rei memoriam servant. *Hor. Od.* 1, 13, 12. puer furens Impressit memorem dente labris notam. *Id. ib.* 3, 11, 51. nostri memorem sepulcro Scalpe querelam. *Val. Fl.* 4, 314. sic et memori noscere sepulcro. *Ov. Met.* 4, 190. Exigit indicii memorem Cythereia poenam; et *ib.* 8, 744. Tabellae memores. *Id. Pont.* 2, 7, 33. Perscribere aliquid memori versu. [*Ov. Her.* 20, 98. Vocem memori condidit aure tuam: ubi v. *Ruhnk.* Adde *Liv.* 3, 36. memor vox libertatis, i. e. oratio, quae, ut digna homine libero et nihil timente, servat libertatis dignitatem.] ℙ In multis votivis lapidib., qui in V. MINERVA indicantur, *memor* epitheton Minervae est. ℙ *Memor* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1128, 5. P. Albius P. F. Fab. Memor. ℙ *Hic*, et *haec memoris*, et *hoc memore* ab antiquis proferebatur, in quo testis est *Caper*, antiquitatis doctissimus inquisitor, inquit *Prisc.* 7, 772. *Id. Prisc.* 6, 699. testatur habuisse comparativum *memorior.* ℙ In genit. plur. *Virg. A.* 12, 533. hunc crebro super ungula pulsu Incita, nec domini memorum proculcat equorum.

MĔMŌRĀBĬLIS, e, adj. *ἀξιομνημόνευτος, λόγιμος*, memorari dignus, memorandus, commemorabilis. *Cic. Phil.* 13, 19. Cujus memorabilis ac divina virtus lucem affert reipublicae. *Id. ad Brut.* 2, 7. Res a te gesta memorabilis, et paene coelestis. *Id. Amic.* 1. Maxime memorabilis Laelii et Scipionis familiaritas. *Sall. Jug.* 81. Egregium atque memorabile facinus. *Ter. Heaut.* 2, 3, 73. Facinus magnum et memorabile. *Ov. Met.* 4, 416. Tum vero totis Bacchi memorabile Thebis Numen erat. *Liv.* 38, 53. Vir memorabilis, bellicis tamen magis, quam pacis artibus: memorabilior prima pars vitae, quam postrema fuit. *Colum.* 1, 1. Multos memorabiles auctores comperi persuasum habere, etc. *Plin.* 9, 60, 86. Multo memorabilius dixerim id, cujus, etc. ℙ Est etiam simpliciter dici dignus, vel qui dici potest. *Pl. Curc.* 1, 1, 8. Istuc quidem nec bellum est, nec memorabile. *Ter. Andr.* 4, 1, 1. Hoccine credibile est, aut memorabile, tanta vecordia innata cuiquam, ut siet, etc.

MĔMŌRĀCŬLUM, i, n. memoria, monumentum. *Appul. Apol.* Dixi, me sanctissime tot sacrorum signa, et memoracula custodire.

MĔMŌRĀLIS, e, memoriae inserviens. *Arnob.* 6, 196. Memoralia ut indicant scripta. Et *memoralia* absolute, *memorie. Paul. Dig.* 50, 16, 144. Massurius scribit libro memoralium, pellicem, etc. Utroque loco al. leg. *memorialis*, rectius. Sic *Gell.* 4, 20. Refert Sabinus Massurius in memoriali septimo; et 5, 5. Massurius in undecimo librorum memoriali. Adde 6, 7.

*MEMORALĬTER, adv. *Fortun. carm.* 4, 20. Annuat omnipotens longo memoraliter aevo. *B. A.*

*MEMORALĬUS, i, m. *Gloss. Gr. Lat. ὑπομνηματογράφος*, Actuarius, memoralius. *B. A.*

MĔMŌRANDUS, a, um, part. a *memoro:* memorari dignus. *Virg. G.* 4, 283. Praetereo, atque aliis post me memoranda relinquo. *Ov. Met.* 13, 13. Nec memoranda tamen vobis mea facta, Pelasgi, Esse reor: vidistis enim. ℙ Item *memorando*, memorabilis, memoria et laude dignus, celebrandus. *Pl. Epid.* 3, 3, 52. Pugnae memorandae meae. *Flor.* 2, 8. Thermopylae, locus Laconum caede memorandus. *Id.* 4, 2. *med.* Memorandum posteris exitum dedit. *Virg. G.* 4, 283. Tempus et Arcadii memoranda inventa magistri Pandere; et *A.* 10, 793. nec te, juvenis memorande silebo.

MĔMŌRĀTĬO, onis, f. *Corn. Gal.* 1, 291. Dura satis miseris memoratio prisca bonorum.

MĔMŌRĀTOR, oris, m. qui memorat. *Propert.* 3, 1, 33. Nec non ille tui casus memorator Homerus.

MĔMŌRĀTRIX, icis, f. quae memorat. *Val. Fl.* 6, 142. Eoae memoratrix tibia pugnae.

MĔMŌRĀTUS, a, um, part. a *memoro:* narratus, in memoriam narrando revocatus. *Pl. Mil.* 3, 3, 39. Quid istis nunc memoratis opus est, quae commeminere? *Tac. Agr.* 10. Britanniae populi multis scriptoribus memorati. *Hor. Ep.* 2, 2, 117. vocabula rerum, Quae priscis memorata Catonibus, atque Cethegis. ℙ Item *celebre*, memoria celebratus, memorabilis. *Gell.* 10, 18. Artemisiae sepulcrum illud memoratissimum. *Id.* 15, 21. Memoratissima illa imago Ialysi. *Id.* 19, 8. Memoratissimus liber.

MĔMŌRĀTUS, us, m. memoratio. *Pl. Bacch.* 1, 1, 28. Istaec lepida sunt memoratui. *Id. Cist.* 2, 1, 15. Est ne hoc miserum memoratu! *Plin.* 3, 10, 15. Flumen memoratu dignum. *Tac. A.* 4, 32. Parva, et levia memoratu. *Id. H.* 2, 73. Vix credibile memoratu est.

MĔMŌRĔ, adv. memoriter. *Pompon.* ap. *Non.* 11, 42. et ap. *Prisc.* 15, 1014. Cum ista memore meministi.

MĔMŌRĬĀ, ae, f. *μνήμη*, facultas mentis, qua res apprehendimus, et retinemus: item ipsa recordatio, quae vi ejus facultatis fit. *Cic. Brut.* 2. *extr.* Quorum memoria et recordatio jucunda sane fuit. *Quint.* 11, 2. Tardior, aut firmior memoria. *Id.* 1, 1. tenacissima. *Sen. ep.* 74. segnis ac lenta. *Cic. Att.* 8, 4. bona. *Petr. fr. Trag.* 4. *Burm. med.* mala. *Cic. Inv.* 1, 7. Memoria est firma animi rerum ac verborum ad inventionem perceptio. *Quint.* 1, 3. Memoriae duplex virtus, facile percipere, et fideliter continere. *Cic. Inv.* 2, 53. Memoria est, per quam animus repetit illa, quae fuerunt. *Id. Or.* 1, 5. Quid dicam de thesauro rerum omnium, memoria, quae nisi custos inventis cogitatisque rebus et verbis adhibeatur, etc. *Sen. Contr. praef.* 1. *in.* Memoria, res ex omnibus partibus animi delicata et fragilis. *Cic. Brut.* 88. Hortensius memoria tanta fuit, ut quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset.

Id. Or. 2, 28. Hoc in memoria mea penitus insedit. *Id. Fin.* 5, 1. Haec res affert mihi memoriam Platonis; et *Quint.* 11, 2. *med.* Reponere excidentes in memoriam. V EXCĬDO. *Cic. Sen.* 7. Nec sepulcra legens vereor, quod ajunt, ne memoriam perdam: his enim ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum; et *ib.* 11. *f.* Exercendae memoriae gratia, quid quoque die egerim, commemoro vesperi; et *Fam.* 1, 9. *med.* Quid sibi is de me recepisset, in memoriam redegit; et *Inv.* 1, 52. In memoriam reducere. *Just.* 1, 5. revocare. *Cic. Div.* 2, 71. Memoria complecti aliquid; et *Or.* 1, 34. comprehendere. *Quint.* 9, 4. *med.* continere. *Cic. Sen.* 4. *f.* tenere; et *Or.* 2, 2. Tenere vivam alicujus memoriam. *Id. Brut.* 93. *med.* retinere rerum Romanarum; et *Dejot.* 7. repetere temporis; et *Fam.* 4, 13. *extr.* conservare beneficiorum; (Sic *Auct. ad Her.* 3, 16. *f.* habere.) et *ib.* 5, 16. Memoria repetere eventus aliorum. *Id. Or.* 1, 28. Percipere animo, et memoria custodire. *Id. Quint.* 6. Memoriae mandare. *Quint.* 1, 8. *med.* Memoriam agitare, *h. e.* exercere. *Ter. Andr.* 1, 1, 13. Habere in memoria. *Cic. Sull.* 13. Hoc est mihi in memoria; et *ib.* 6. Deponere aliquid ex memoria. *Id. Phil.* 8, 11. Abjicere memoriam rei cujuspiam. *Id. ib.* 1, 1. delere; et *Coel.* 20. deponere. *Quint.* 11, 3. *med.* Si memoria fefellerit; et *Plin.* 10, 42, 19. Nisi subinde eadem audiant, memoria falluntur. *Colum.* 7, 9. *f.* defici; et *Cic. Phil.* 13, 5. dilabi; et *Att.* 12, 1. vacillare. *Colum.* 12, 50. *med.* Et siqua sunt alia, quae nunc memoriam meam refugiunt. *Liv.* 9, 44. Memoria fugit in annalibus digerendis. *Quint.* 4, 5. Hoc fugit memoriam meam. *Pl. Bacch.* 1, 1, 2. Ubi me fugiet memoria, ibi tu facito ut subvenias. *Cic. Att.* 13, 31. *f.* Ut mea memoria est; et *Cat.* 3, 6. Et quoniam nondum est perscriptum senatusconsultum, ex memoria vobis, quid senatus censuerit, exponam. [**Plaut. Capt.* 2, 3, 33. Facile memoria memini tamen: est haec sermonis abundantia ex quodam perspicuitatis studio orta, qua *Plautus*, ut communi dicendi formula propriae, saepissime utitur. V. *Lindem.* qui similia laudat, ut *honore honestare, laudibus laudare, iracundia irasci*, etc. ℙ Item fere abundantiae genus esse videtur, ubi v. *memoria* infinitivum *meminisse* secum habet. Ita ap. *Pl. Mil.* 3, 3, 15. Sibi immortalis memoria est meminisse et sempiterna: quod recte *Lindem.* probe explic. dicit per *ὥστε μεμνῆσθαι*, ut meminerit.] ℙ Passive. *Cic. Fin.* 5, 1. Loca, in quibus memoria dignos viros accepimus multum esse versatos. ℙ In plurali num. *Pl. Truc.* 2, 1, 10. Nos divitem eum meminimus, atque iste pauperes nos: Verterunt sese memoriae. ℙ Singularis memoriae exempla habes ap. *Sen. Contr. praef.* 1. *in., August. Anim.* 4, 7. et *Muret. var. lect.* 3, 1. ℙ Saepe refertur ad tempus, et ad res praeteritas, quarum memoria manet. *Cic. Arch.* 1. Pueritiae memoriam recordari ultimam. *Id. Balb.* 12. Multi superiori memoria se in alias civitates contulerunt; et *Off.* 3, 2. Cratippus princeps hujus memoriae philosophorum; et *Rabir. perduell.* 9. Causam suscepisti antiquiorem memoria tua; et *Font.* 7. Quod persaepe et nostra, et patrum memoria accidit. *Id. Manil.* 18. Usque ad nostram memoriam; et *Vat.* 14. Quod in omni memoria est omnino inauditum; et *Har. resp.* 17. Quod sacrificium nemo ante P. Clodium omni memoria violavit. *Id. Or.* 1, 4. *f.* Ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum. *Id. in Senat.* 3. Pompejus omnium gentium, omnium saeculorum, omnis memoriae facile princeps. *Id. Cat.* 1, 7. Hoc post hominum memoriam contigit nemini. ℙ Pro vetustate, vel diuturnitate, temporis. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 571. Per nostram egregiam unanimitatem, quam memoria dejugat. ℙ Item ad tempus futurum, cum posteritatis memoriae consulitur litteris, historia, monumentis, et hujusmodi. *Cic. Fam.* 8, 3. Aliquid exstare, quod nostrae amicitiae memoriam posteris prodat. *Id. Or.* 3, 4. Memoriae prodere sermonem alicujus. *Liv.* 5, 21. *f.* Convertentem se inter hanc venerationem, traditur memoriae, prolapsum cecidisse. *Vell.* 2, 66. Vivit, vivetque per omnium saeculorum memoriam. *Cic. Brut.* 3. *extr.* Liber, quo iste omnium rerum memoriam breviter complexus est; et *ib.* 5. Veterum annalium memoriam comprehendere. *Nep. Ann.* 8. De Magonis interitu duplex memoria est: namque alii naufragio: alii a servis interfectum, scriptum reliquerunt. *Scaevola Dig.* 34, 1, 17. Dare, praestare alicui quidpiam in memoriam alterius. ℙ De ipsis litteris, historiis, monumentis. *Gell.* 4, 6. In veteribus memoriis scriptum legimus; et 10, 12. *f.* Favorinus memoriarum veterum exsequentissimus. *Suet. Claud.* 1. *f.* Ejus vitae memoriam prosa oratione composuit. [*Adde *Aug.* 79. Julius Marathus in memoria ejus: Ita legend. videtur pro vulg. *in memoriam.* V. *Casaub.* et *B. Crus. Brem.* leg. censet *a memoria.*] *Inscr.* ap. *Grut.* 827, 8. Servilius Troilus se vivo comparavit memoriam sibi, et suis, etc. *h. e.* sepulcrum. (Adde aliam ap. *Don. cl.* 10. *n.* 40.) *August. C. D.* 22, 8. *n.* 11. Episcopus memoriam martyris, populo praecedente atque sequente, portabat; et *n.* 12. Per memoriam supradicti martyris, quam Possidius illo advexit episcopus. His locis *August.* intelligit conditorium, seu loculum reliquiarum S. Martyris; alibi Ecclesiam, sacellum, oratorium martyri dicatum, ut *contr. Faust. Manich.* 20, 21. In memoriis martyrum constituimus altaria. ℙ *Magister memoriae*, *προεστὼς μνήμης*, fuit inter officia domus Augustae. Hic praeerat illis, quibus perscribebantur, quaecumque memoria digna erant in imperii administratione: et commentarii de his rebus conficiebantur, quos proinde *memoriam* vocabant, et *sacram memoriam.* Dictabat itaque adnotationes omnes, et emittebat, et referebat responsa principis ad libellos supplices, ut est in *Notitia Imperii.* Ejus mentio fit in *Inscr.* ap. *Grut.* 28, 2. Magister memoriae. Qui vero ei inserviebant, dicebantur *a memoria. Inscr.* ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 13. Aurelio Symphoro Aug. Lib. officiali veteri a memoria, et a diplomatibus. *Spart. Pesc. Nigr.* 7. Cum unus ad memoriam, alter ad libellos paruisset, statim praefecti facti sunt. *Lampr. Alex. Sev.* 31. Post meridianas horas subscriptioni, et lectioni epistolarum semper dedit operam, ita ut ab epistolis et libellis, et a memoria semper assisterent. *Salmas.* putat h. l. de ipsis memoriae magistris sermonem esse. Huc pertinet alia *Inscr.* ap. *Mur.* 892, 11., ubi habetur *a memoria et cubiculo Aug.* ℙ [**Memoria* ponitur etiam praegnanti sensu. *Tac. A.* 1, 32. Cassius Chaerea, mox caede Caesaris memoriam apud posteros adeptus; et *ib.* 2, 3. ejus filius Artaxias, memoria patris nobis infensus, i. e. cum memor esset injuriarum, quibus patrem affeceramus. ℙ Significat *memoria* etiam *mentionem, commemorationem. Suet. Dom.* 5. Titulo tantum suo, ac sine ulla pristini auctoris memoria. ℙ Quid differat *memoria* et *recordatio*, intelligi poterit ex iis, quae de discrimine vv. *meminisse, recordari* et *reminisci* diximus in *memini.* Plura praebet *Doederl.* 1, 169.] ℙ *Memoria, *Μνημοσύνη*, mater Sapientiae est apud poetas. *Afran.* ap. *Gell.* 13, 8. Usus me genuit; mater peperit Memoria: Sophian vocant me Graii, vos Sapientiam. *B. A.*

MĔMŌRĬĀLIS, e, adj. ad memoriam firmandam inserviens. *Suet. Caes.* 56. *med.* Epistolae quoque ejus ad senatum exstant, quas primum videtur ad paginas, et formam memorialis libelli convertisse. ℙ *Memoriales libros*, et *libros memorialium* inscripsit *Massur. Sabinus*, quos de jure civili confecit, in quibus paucis verbis plura memoriae causa complexus est. V. MEMORALIS. ℙ *Memoriales* etiam dicti sunt, quos in dictione praec. *a memoria* vocatos fuisse diximus: itemque in aliis scriniis inservientes epistolarum, libellorum, sacrarumque dispositionum, ut *Imp. Constantinus* dicit *Cod.* 12, 29, 2.

MĔMŌRĬŌLA, ae, f. dimin. *Cic. Att.* 12, 1. *Γεροντικώτερον* est, memoriola vacillare. ℙ Item parvum sepulcrum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 85. *n.* 155. Aurel. Filocurius fecit sibi, et Ulpiae Eutropiae conjugi memoriolam cum hortulo, etc. Adde etiam ap. *Mur.* 994, 7.

MĔMŌRĬOSĔ. V. v. sq.

MĔMŌRĬOSUS, a, um, adj. *μνήμων*, qui memoria valet. Agnoscitur a *Festo*, tanquam Latinum. Sic enim habet: Memoriosus memoriosior, et memoriosius, et memoriosissime facit. Etiam *Corn. Fronto de differ. voc.* p. 2194. memoriosus, et memoriose, habet. [In *Gloss. Philox.* legitur *memorosus, ανημονικός. F.*]

MĔMŌRĬTER, adv. *μνημονικῶς*, *ἀπὸ μνήμης*, *ἀπὸ στόματος*, ex memoria. *Cic. Vat.* 4. Tum memoriter respondeto ad ea, quae de te ipso rogaro. *Id. Or.* 1, 19. Memoriter pronunciare multa ex orationibus Demosthenis. *Id. Acad.* 4, 19. Orationem memoriter habere. *Plin. ep.* 6, 33. *f.* Memoriter tenere. ℙ *Memoriter meminisse*, dixit *Pl. Capt.* 2, 1, 53. et *Amph.* 1, 1, 261. ℙ *Memoriter cognoscere* ap. *Ter. Eun.* 5, 3, 6. est in memoriam redeundo quippiam agnoscere. ℙ *Memoriter vocare* ap. *Pl. Asin.* 3, 2, 38. est nullo monente nomen alicujus meminisse, et per illud ipsum vocare. Sic *Suet. Ner.* 10. Memoriter salutare.

MĔMŌRO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπιμνάομαι*, commemoro, narro, dico. *Virg. A.* 10, 680. Haec memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc. *Sall. Cat.* 5. Quae utraque his artibus auxerat, quas supra memoravi. *Pl. Poen.* 5, 2, 103. Memora dum mihi, si sunt cognati mihi. *Id. Trin.* 4, 2, 41. Nomen tuum memora mihi. *Id. Truc.* 1, 1, 65. Quem infestum ac odiosum sibi esse, memorabat. *Id. Aul.* 3, 5, 50. Memorare mores mulierum. *Id. Amph.* 5, 1, 63. Mira memoras! *Cic. Verr.* 2, 1, 47. In plebem vero Romanam utrum superbiam prius memorem an crudelitatem? *Lex. XII. Tab.* ap. *Cic. Leg.* 2, 24. *f.* Honoratorum virorum laudes in concione memorentur. *Cic. Fin.* 2, 5. Heraclius, cognomento qui *οκοτεινὸς* perhibetur, quia de natura nimis obscure memoravit, *h. e.* disseruit. *Sall. Cat.* 7. Sed civitas, incredibile memoratu est, quantum brevi creverit. ℙ Significat etiam memoriae mandare, inquit *Fest.* ℙ [*Ponitur etiam praegnanti sensu pro: alicujus rei cum laude ita mentionem facere, ut fidem homines habeant. *Suet. Tib.* 32. Praetorem collaudavit, quod honore inito consuetudinem antiquam retulisset de majoribus suis pro concione memorandi: ubi v. *Brem. Tac. A.* 2, 58. Miserat amicitiam ac foedus memoraturos; et 4, 46. Antequam arma indus memoraturos; et 4, 46. Antequam arma inciperent, misere legatos amicitiam obsequiumque memoraturos. — Simili modo *memoria* praegn. fundit sensum. V.] ℙ Part. *Memorandus* V. supra s. l.

MEMPHĬDĬUS, a, um, adj. ad Memphim, seu Aegyptum pertinens. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 366. *Burm.* de Novembri: Carbaseo post hunc artus indutus amictu, Memphidos antiquae sacra, Deamque colit. A quo vix avidus sistro compescitur anser, Devotusque sacris incola Memphi-diis. [*Burm.* recte legend. putat *anser Devotus sacris incola, Memphi, tuis. F.*]

MEMPHIS, is et idos, f. urbs olim clara Aegypti, ad ripam occidentalem Nili, quam *Plin.* 5, 9, 9. arcem eorum regum vocat, fuit in loco, ubi nunc *Mokhnan*, et *Monieh-Rhaineh* sunt; in ejus locum in altera Nili ripa fere ex adverso excitata fuit, quae nunc *Alt Cairo*, deinde haud longe *Gross Cairo.* Celebris fuit pyramidibus, et sepulcris regum, quorum adhuc exstant vestigia. *Id.* 2, 85, 87. Herodoto si credimus, mare fuit supra Memphim usque ad Aethiopum montes, quae nunc *Cairo* vocatur. *Ov. Am.* 2, 13, 7. Isi, Paraetonium, geniaque arva Canopi. Quae colis, et Memphin, palmiferamque Pharon. *Mart. Spect.* 1. Barbara pyramidum sileat spectacula Memphis. *Prop.* 2, 9, 34. Et nostro toties, Memphi, cruenta malo. V. MEMPHIDIUS. ℙ Veneri sacram dicit *Hor. Od.* 3, 26, 10., tum propter loci amoenitatem, tum propter incolarum luxum ex affluentia omnium rerum. [*Plura emendavit *F.*]

MEMPHĪTES, ae, m. Aegyptiacus, ex Memphi urbe. *Tibull.* 1, 8, 28. pubes Barbara Memphitem plangere docta bovem. *Plin.* 36, 7, 11. Memphites lapis gemmantis naturae; et *ib.* 12, 16. Memphites nomos.

MEMPHĪTĬCUS, a, um, adj. ad Memphim spectans, Aegyptius. *Ov. A. Am.* 1, 77. Neu fuge linigerae Memphitica sacra juvencae. *Lucan.* 10, 5. Memphiticus ensis.

MEMPHĪTĬS, ĭdis, f. Aegyptia, quae pertinet ad Memphim. *Juven.* 15, 122. anne aliam terra Memphitide sicca Invidiam facerent nolenti surgere Nilo? *Ov. A. Am.* 3, 393. Visite turicremas vaccae Memphitidos aras, *h. e.* Ius. *Petr. fragm.* ap. *Terent. Maur.* p. 2438. Memphitides puellae. *Lucan.* 4, 136. Conscritur bibula Memphitis cymba papyro. *Prud. Hamart.* 463. Nonne fuit melius saevum Memphitidis aulae Imperium tolerasse patres?

[MEMPHĬUS, a, um, adj. ad Memphim pertinens, seu a Memphi oriundus. *Inscr.* ap. *Grut.* 313, 8. L. Aurelio Apolausto Memphio, etc. V. APOLAUSTUS. *F.*]

MĔNA, ae, f. *Μήνη*, filia Jovis, Dea, quae menstruis feminarum fluoribus praeesse putabatur, scilicet luna, quae Graece *μήνη* dicitur. *August. C. D.* 7, 2. et *ib.* 4, 11. [Privignam Junonis vocat *Id. l.* prius *cit.* V. FLUONIA. ℙ Est etiam Mena vel *Menas, ae*, m. *μηνᾶς*, cogn. R. *ὑποκοριστικῶς* pro *Menodorus. Inscr.* ap. *Grut.* 241. *col.* 2. D. Lallius Mena. *F.*]

MĔNAECHMI, orum, m. plur. *Μέναιχμοι*, comoedia *Plauti*, in qua fratres gemini introducuntur ejusdem nominis, qui indiscreta similitudine miros aspicientium errores excitant. Videtur vox ipsa duci a *μένος*, animus, vel animi vis, et *αἰχμή*, hasta, quasi *Menaechmus* sit animosus, belliger: quamquam haec notatio ad ipsam Fabulam nihil facit.

*MENAECHMUS, i, m. *Μέναιχμος*, scriptor quidam, Sicyonius, vixit temporibus Ptolemaei Lagi. Scripsit de rebus gestis Alexandri Magni, et *περὶ τεχνιτῶν* librum unum. *Plin.* 4, 12. ℙ Item statuarius, idem fortasse cum priore. *Id.* 34, 8. *B. A.*

[MĔNAENĬUS, a, um, adj. qui ex Menaeno est, urbe Siciliae, nunc *Mineo.* In ejus nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 1. p. 219. *MENAINΩN. Cic. Verr.* 2, 3, 22. Xenonis Menaenii fundus erat colono locatus; et 43. Pactiones Menaeniorum cum Venerio servo. *F.*]

*MENAEUS, a, um, adj. ad Menas spectans, Menenus. Fuit autem *Menae, arum*, *Μεναὶ*, opp. Siciliae, non procul a Syracusis. *Sil.* 14, 266. Comitata Menaeis *(viris).* Al. leg. *Nemaeis*, alii *Nomaeis.* ℙ *Menaeus* olim legebatur ap. *Vitr.* 9, 8. i. e. *μηναῖος*, menstruus; pro quo hodie legitur *manacus.* Locum V. in *Manacus. B. A.*

*MENAIS, idis, f. fons prope Syracusas, sic dictus a Menis oppido. *Vibid. Sequest.* ℙ Proprie est adjectivum, subaudito *κρήνη*, i. e. fons. ℙ V. MENAEUS, a, um. ℙ Menais, herba. V. *Minyas. B. A.*

*MENALCAS, ae, m. pastoris nomen ap. *Virg. Ecl.* 5, 4. *B. A.*

MĔNĂLIPPĔ, es, f. *Μενάλιππη*, Antiopes Amazonum reginae soror. Haec ab Hercule capta fuit in bello, quod contra Amazones gessit, quam cum Antiopae restitueret, accepit pretium arma reginae,

et balteum. Nam haec ex eo bello ab Eurystheo reportare jussus fuerat. *Just.* 2, 4., *Juven.* 8, 228. et *Hyg. fab.* 186. ℙ *Fuit et Menalippe tragoedia Accii. *Cic. Off.* 1, 31. *extr.* ℙ et Ennii. *Gell.* 5, 11. *f.* ℙ De confusione nominum *Menalippe* et *Melanippe* V. *Munk.* ad *Hyg. fab.* 186. ℙ Scribitur et *Menalippa*. V. v. sq. *B. A.*

*MENALIPPUS, i, m. Tydei fuit interfector, cui caput ante obitum corrosit Tydeus prae rabie, qui ap. *Stat. Th.* 8, 740. ita vociferatur: Caput O! caput, O! mihi si quis Adportet, Menalippe, tuum. ℙ In *Cic. Tusc.* 3, 9. *Menalippus* nomen est Accii fabulae: ubi *Bentl.* mavult legere *Melanippus*, *Bouhierius* autem *Menalippa*. *B. A.*

*MENALIUS, i, m. pater Vulcani ejus, a quo Vulcaniae nominantur. *Cic. N. D.* 3, 22. *B. A.*

MĒNANDER et Menandros et Menandrus, i, m. *Μένανδρος*, poeta comicus Atheniensis, Theophrasti discipulus, strabo, mente acutus, amore in mulieres insanus. Scripsit fabulas plurimas, et epistolam unam ad Ptolemaeum regem, aliaque nonnulla soluta oratione. Tanto fuit in pretio, ut etiam invitatus sit a regibus Aegypti, oblatis magnis honoribus, et divitiis. *Ov. Am.* 1, 15, 17. Dum fallax servus, durus pater, improba lena Vivent, dum meretrix blanda; Menandros erit. *Id. Trist.* 2, 369. Fabula jucundi nulla est sine amore Menandri. *Prop.* 3, 20, 28. Librorumque tuos, docte Menandre, sales. *Phaedr.* 5, 1. Menander nobilis comoediis. *Gell.* 2, 33. Postquam in manus Menander venit. Adde *Manil.* 5, 465., *Stat. Silv.* 2, 1, 114. et *ib.* 3, 5, 93. et *Quint.* 10, 1. *med.*, ubi eum laudat plurimum. ℙ *Menandrus* etiam, Latina positione, legitur ap. *Vell.* 1, 16. ℙ *Terentius*, quod summo studio *Menandrum* imitatus est, *dimidiatus Menander* dicitur a *C. Jul. Caesare* in *quodam carm.* ap. *Suet. Vit. Ter. f.*, *dimidiatus*, inquam, quia cum duo praecipua essent in Menandro, verborum lenitas, et vis, alterum assecutus fuisse dicitur, alterum non item. ℙ Quod legitur in frontibus trium *Terentii* comoediarum, Eun., Heaut. et Adelph., *Graeca est Menandru*, est illud *Menandru* genitivus Graecae positionis, *τοῦ Μενάνδρου*. ℙ *Item servus Ciceronis. *Cic. Fam.* 16, 13. Fortasse idem cum eo, quem *Andricum* appellat in *ep.* 14. ℙ Et libertus T. Ampii Balbi. *Id. ib.* 13, 70. *B. A.*

MĒNANDRĒUS, a, um, adj. ad Menandrum pertinens, *Μενάνδρειος*. *Prop.* 2, 5, 3. Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim Tanta, in qua populus lusit Erichthonius, *h. e.* quae a Menandro in suis comoediis multum celebrata fuit.

*MENANĪNI, orum, incolae Menarum, Siciliae oppidi, prope Syracusas, i. q. Menenii. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

[MĒNĂPĪCUS, a, um, adj. ad Menapios pertinens, Galliae Belgicae populos. *Edict. Diocl.* p. 14. Pernae optimae petasonis, sive Menapicae, sive Cerritanae: *presciutti di Westfalia*. *F.*]

MĒNĂPĪI, orum, m. plur. populi extremae Galliae Belgicae, ad Mosam et Rhenum fluv. Eburonibus, Morinis, et Batavis vicini: de quibus accuratius geographi. *Caes. B. G.* 4, 4. et al., *Plin.* 4, 17, 31., *Mart.* 13, 54. Menapiorum pernas laudat, ibique *MēnăpIs* pro *Menapiis* scribit. V. in *littera* I.

*MENAS, ae, m. *Μῆνας*, Sexti Pompeii libertus, eidemque legatus, ac classi piraticae praefectus, quam tamen postea majoris spe lucri Augusto proditorie tradidit. *Plin.* 35, 18. Cf. *Plutarch.* in *Anton. c.* 32. *Dio Cass. l.* 48. *B. A.*

MENCEPS, mente captus. Agnoscitur a *Prisc.* 5, 668.

MENDĂ, ae, f. idem quod mendum: sed dicitur saepe de vitio et defectu corporis, et praesertim de eo, quod sine morbo est, ut macula in cute, verruca, brachium aut crus altero brevius, oculi aut oris distortio, turpis color, enormis statura, et hujusmodi alia, quae *Ov. A. Am.* 2, 657. et sqq. et *ib.* 3, 263. enumerat. *Id. Am.* 1, 5, 18. In toto nusquam corpore menda fuit; et *A. Am.* 1, 249. Nocte latent mendae; et *ib.* 2, 653. Eximit ipsa dies omnes e corpore mendas; et *ib.* 3, 261. Rara tamen mendo facies caret: occule mendas, Quamque potes, vitium corporis abde tui. ℙ De mendo in libris. *Suet. Aug.* 87. Ne quis mendam magis, quam consuetudinem putet. *Gell.* 1, 7. Videbatur compluribus, in extremo verbo menda esse; et 20, 6. *extr.* In plures libros mendae istius indoles manavit.

[MENDĂCĬLŌQUĬUM, ii, n. mendacium. *Gloss. Philox.* Mendaciloquium, *ψευδολογία*. *F.*]

MENDĂCĬLŌQUUS, a, um, adj. *ψευδολόγος*, qui loquitur mendacium. *Pl. Trin.* 1, 2, 163. Nihil est profecto stultius, neque stolidius, Neque mendaciloquius, neque argutum magis. *Tert. adv. Psych.* 2. Mendaciloquorum doctrinae.

MENDĂCĬŌLUM. V. MENDACIUNCULUM.

MENDĂCĬTAS, atis, f. mendacium, vel mentiendi consuetudo. *Tert. Praescr.* 31.

MENDĂCĬTER, adv. cum mendacio, falso, *ψευδῶς*. *Solin.* 1. *med.* Nihil de se antiquitas mendaciter praedicavit. *Arnob.* 5, 166. Historia mendaciter composita. *August. Mor. Eccl.* 1, 17. Mendacissime dicere.

MENDĂCĬUM, ii, n. *ψεῦδος*, falsitas dicti, oratio-

nis vanitas. *Cic. Mur.* 30. Improbi hominis est, mendacio fallere. *Id. Cluent.* 26. *f.* Qui esset totus ex fraude et mendacio factus. *Nep. Att.* 15. Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. *Petr. Sat.* 82. Trepidatione mendacium prodere. *Caes. B. C.* 1, 11. Mendacii religione obstrictus. *Ov. Fast.* 2, 261. Culpae addere mendacia. *Pl. Bacch.* 4, 9, 33. Dicere alicui mendacium de re aliqua. *Id. Merc.* 1, 2, 96. proloqui. *Id. Ps.* 4, 1, 33. Mera mendacia fundere. *Id. Mil.* 4, 1, 20. Cave mendacium. *Plin.* 8, 22, 34. Imprudens mendacium. *Quint.* 5, 4. Aliis patientia *(tormentorum)* facile mendacium facit, aliis infirmitas necessarium. *Ov. Fast.* 6, 253. valeant mendacia vatum. ℙ Particula testamenti ap. *Paul. Dig.* 34, 2, 36. Titiae meae, cum qua sine mendacio vixi, etc. *h. e.* sincere, sine simulatione, et querela. ℙ De rebus inanimis. *Plin.* 37, 8, 33. de callaide gemma: Neque est imitabilior alia mendacio vitri. *Id.* 35, 6, 29. Viride Appianum vocatur, et chrysocollam mentitur: ceu parum multa sint mendacia ejus, *h. e.* parum multi sint colores, qui chrysocollam falso imitantur. ℙ *Mentiri*, et *mendacium dicere* interdum ita differunt, ut *mentiri* dicatur, qui non ipse fallitur, sed alterum fallere conatur: *mendacium dicere*, qui se credit verum dicere, atque adeo ipse fallitur. Haec *Nigid.* ap. *Gell.* 11, 11. et *Non.* 5, 80., ubi addit: Vir bonus praestare debet, ne mentiatur: prudens, ne mendacium dicat. [*Huc pertinent etiam *mendacia Stoicorum*, quae refutantur ap. *Sen. Q. N.* 7, 5.]

MENDĂCĬUNCŬLUM, i, n. parvum mendacium. *Cic. Or.* 2, 59. Quod tamen est mendaciunculis aspergendum. Al. leg. *mendaciolis*.

*MENDAE, arum. V. MENDE. *B. A.*

MENDAX, ācis, comm. gen. *ψευστής*, qui mendacium dicit. *Cic. Div.* 2, 71. Cum mendaci homini, ne verum quidem dicenti, credere soleamus. *Virg. A.* 2, 80. Vanus et mendax. *Cic. Agr.* 2, 35. Carthaginienses fraudulenti et mendaces. *Hor. Od.* 3, 11, 34. Mendacem esse in aliquem. *Pl. Poen.* 1, 2, 188. adversum aliquem. *Ov. Her.* 2, 11. alicui. *Pers.* 5, 77. esse in re aliqua. *Hor. Epod.* 17, 38. Paratus expiare, seu poposceris Centum juvencis, sive mendaci lyra Voles sonari. *Id. Ep.* 2, 1, 112. Invenior Parthis mendacior. *Pl. Rud.* 3, 4, 48. Ni offerumentas habebis plures in tergo tuo, Quam ulla navis longa clavos, tum ego ero mendacissimus. ℙ Cum genitivo. *Id. As.* 5, 2, 4. Neque divini, neque mi humani posthac quicquam accreduas, Si hujus rei me esse mendacem inveneris. ℙ De rebus inanimis. *Hor. Od.* 3, 1, 30. Non verberatae grandine vineae, Fundusque mendax, *h. e.* qui quos polliceri videbatur, fructus non dedit. (Adde *Petr. Sat.* 117.) *Ov. Trist.* 3, 7, 38. Et speculum mendax esse querere tuum. *Cic. Div.* 2, 62. Quid inscitius est, quam mentes mortalium falsis et mendacibus visis concitare? *Prop.* 2, 19, 67. Mendaces ludunt flatus in amore secundo. *Tibull.* 3, 4, 12. Mendaci somno credere. *Sen. Agam.* 558. Est humilis unda, scrupeis mendax vadis. ℙ Est etiam falsus, vanus. *Hor. Ep.* 1, 16, 39. Falsus honor juvat, et mendax infamia terret. *Ov. A. Am.* 1, 431. mendaci damno moestissima plorat. ℙ Item simulatus, fictus. *Tibull.* 3, 6, 35. Nec bene mendaci risus componitur ore. *Ov. Met.* 10, 159. percusso mendacibus aere pennis, *h. e.* non suis, sed assumptis: loquitur enim de Jove in aquilam verso. ℙ *Mendacem memorem esse oportet*, proverb. ap. *Quint.* 4, 2. *med.* quia solent excidere, quae falsa sunt.

*MENDE, es, f. *Μένδη*, Macedoniae oppidum, in paeninsula Pallene, inter sinum Thermaicum et Toronaeum, vino celebre. *Mela* 2, 2. *extr.* ℙ *Mendis*, *is*, f. audit *Liv.* 31, 45. ℙ et *Mendae*, *arum*, *Plin.* 4, 10. *B. A.*

MENDĒSĬCUS, et

MENDĒSĬUS, a, um, adj. ad Menden pertinens, urbem maritimam Aegypti, in medio delta, nunc *Schmoun*, seu *Erman*, unde nomen accepit unum ex septem Nili ostiis *Mendesicum* appellatum, et *nomos Mendesius*. *Plin.* 5, 10, 11. Oppida quae nomina dedere ostiis celeberrimis septem, Canopico, Bolbitino, Sebennytico, Phatnitico, Mendesico, Tanitico, ultimoque Pelusiaco. *Id. ib.* 9, 9. Reliqua regio nomos habet Xoiten, Mendesium, Sebennyten, etc. Nummus ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 4. p. 110. *NOMOC MENΔHCIOC*. *Ov. Met.* 5, 144. Occidit et Celadon Mendesius, occidit Astreus. *Plin.* 13, 1, 2. Mendesium unguentum. [*Plurima addidit *F.*]

MENDĪCĂBŬLUM, i, n. qui mendicat, et ostiatim victum quaeritat. *Pl. Aul.* 4, 8, 2. istos reges ceteros Memorare nolo, hominum mendicabula. (Peccat hic *Non.* 2, 541. mendicationem interpretando.) *Appul. Met.* 9. Cum crotalis et cymbalis circumforaneum mendicabulum producor ad viam. *Id. Apol.* et *Flor. n.* 9. vocat *mendicabula palliata* veteres philosophos Diogenem, Antisthenem, et hujusmodi, qui, ut divitiarum se contemptores ostenderent, pera et baculo omnem suam supellectillem definiebant.

MENDĪCĂBUNDUS, a, um, adj. mendicans. *August. ep.* 140. Mendicabunda prece stipem rogare.

MENDĪCĀTĬO, onis, f. *ἐπαίτησις*, actus mendicandi. *Sen. ep.* 101. *f.* Foeda vitae mendicatio.

MENDĪCĀTUS, a, um, part. a *mendico*: mendicando quaesitus. *Ov. Trist.* 5, 8, 13. Vilia qui quondam miseris alimenta negarat, Nunc mendicato pascitur ipse cibo. *Juven.* 10, 277. Mendicatus panis.

MENDĪCE, adv. *Sen. ep.* 33. *med.* Non tam mendice tecum agam, sed plena manu. *Tert. Pall.* 5. *f.* Ne mendicius patre coenaret.

MENDĪCĬMŌNĬUM, ii, n. *πτωχεία*, inopia. *Laber.* ap. *Non.* 2, 555. et ap. *Gell.* 16, 7.

MENDĪCĬTAS, atis, f. *πτωχεία*, inopia. [*Significat *mendicitas* summam eamque permanentem alicujus hominis paupertatem, *der Bettlerzustand*: differunt *inopia* et *egestas*, quibus temporarium penuriae statum denotare poteris. V. *Doederl.* 3, 116.] *Cic. Rosc. Am.* 31. Hunc in summa mendicitate esse. *Id. Fin.* 5, 11. Cum et mendicitatem multi perpetiantur, ut vivant. *Petr. Sat.* 125. Paupertatem nova mendicitate revocare.

MENDĪCĬUM. V. MENDICUM.

MENDĪCO, as, avi, atum, a. 1. et Mendicor, aris, atus sum, dep. 1. *ἐπαιτέω*, *πτωχεύω*, victum ostiatim quaerito. *Pl. Capt.* 2, 2, 73. Mendicantem vivere. *Id. ib. prol.* 13. Quando histrionem cogis mendicarier. [*V. *Lindem.* ad h. l., qui recte *mendicari* non *mendicare* simpliciter intelligit, sed *sibi mendicari*, plane ut Gr. *πτωχεύεσθαι*. Coll. *Radlos. de verbis irreg. et depon.* p. 64.] (Adde *fragm.* ap. *Non.* 2, 541.) *Juven.* 4, 117. Dignus, Aricinos qui mendicaret ad axes. *Id.* 6, 542. Arcanam Judaea tremens mendicat in aurem. ℙ Urbane *Pl. Amph.* 4, 2, 12. Prodigum te fuisse oportet olim in adolescentia, Quia senecta aetate a me mendicas malum. *Appul. Apol.* Animus avaritia egenus, semper aliquid, ante parta ut augeat, mendicabit, *h. e.* misere anquiret.

MENDĪCŬLA, ae, f. vestimenti genus, mendicorum proprii. *Pl. Epid.* 2, 2, 39. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam? Facetus comicus jocum captavit in his vocibus. Nam ad regum, et mendicorum contrariam sortem alludens, cum *regillam* nominasset, subjecit *mendiculam*.

MENDĪCŬLUS, i, m. dimin. mendici. *Cic. Cat.* 2, 3. Collectum ex senibus desperatis, ex agresti luxuria, ex rusticis mendiculis. Al. aliter leg.

MENDĪCUM, i, n. al. mendicium, velum, quod in prora ponitur. *Fest.*

MENDĪCUS, a, um, adj. *πτωχός*, pauper, egenus, et victum ostiatim quaeritans. [*Adject. est a *mendum*, eadem terminatione praeditum, qua *anticus*, *posticus* ab *ante*, *post*. Ita *Voss.* Originem vocis recte *Isidorus* hanc statuit: *Mendicus* dictus, quia *minus* habet, unde vivat. V. *Doederl.* 3, 116. sq.] *Pl. Bacch.* 3, 4, 16. Mendicum malim mendicando vincere, Quam, etc. *Cic. Mur.* 29. Solos sapientes esse, si distortissimi sint, formosos; si mendicissimi, divites. *Appul. Met.* 1. Habitu mendico semper incedit. *Mart.* 14, 81. Mendica prandia. ℙ [*Mendici ap. *Hor. Sat.* 1, 2, 2. Ambubaiarum collegia, pharmacopolae, Mendici, mimae, etc.: sunt Isiaci et Galli, sacerdotes Cybeles, stipem colligere soliti, Gr. *μητραγύρται*. V. *Heindf.*] ℙ Aliquando in malam partem sumitur pro eo, qui fraudulenter stipem quaeritat. *Ter. Andr.* 4, 5, 20. Clamitent me sycophantam, hereditates persequi, mendicum. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 24. Instrumentum autem hoc forense, litigiosum, acre, tractum ex vulgi opinionibus, exiguum sane, atque mendicum est.

MENDOSĒ, adj. *ἐξημαρτημένως*, cum mendis. *Cic. Q. Fr.* 3, 5. *extr.* Libri mendose et scribuntur, et veneunt. *Id. Inv.* 1, 7. *f.* Ejus ars, quam edidit, mihi mendosissime scripta videtur. ℙ Item male, perperam. *Pers.* 5, 85. mendose colligis, inquit. *Lucr.* 4, 505. Reddere mendose causas.

[MENDOSĪTAS, atis, f. idem fere ac mendum. *August. ep.* 71. (al. 10.) *n.* 5. Coactus est homo velut mendositatem corrigere. Adde *Retract.* 1, 1. *F.*]

MENDOSUS, a, um, adj. *πλημμελής*, mendis plenus. *Plin. ep.* 10, 75. *f.* Exemplar testamenti, quamquam mendosum, misi tibi. *Gell.* 18, 9. Nihil mendosum, sed recte atque integre scriptum. ℙ Item qui menda scribendo facit. *Cic. Verr.* 4, 77. Cur servus societatis, qui tabulas confecit, semper in Verrutii nomine mendosus esset. ℙ Item vitiosus, corruptus, depravatus. *Cic. Orat.* 2, 19. *extr.* In quo et deesse aliquam partem, et superare mendosum est. *Id. Brut.* 16. His laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. *Vitr.* 4, 3. Mendosae, et inconvenientes symmetriae. *Ov. Amor.* 2, 4, 1. Non ego mendosos ausim defendere mores. *Id. Met.* 12, 399. Mendosa et deterior facies. ℙ Item mendax. *Appul. Met.* 9. Sed mendoso risu cavillantes. ℙ *Mendosum* pro *mendose*, adverbii more. *Pers.* 5, 106. Ne qua subaerato mendosum tinniat auro.

MENDUM, i, n. *πταῖσμα*, error, qui scribendo fit. *Cic. Verr.* 2, 2, 42. *med.* Quod mendum ista litura correxit? *Id. Att.* 13, 23. Librariorum menda tollere. ℙ Item vitium. *Ov. A. Am.* 3, 261. Rara tamen mendo facies caret. ℙ Translate. *Cic. Att.* 14, 22. *f.* Itaque me Idus Martiae non

tam consolantur, quam antea: magnum enim mendum continent.

MENECLES. V. v. sq.

MĔNĔCLĬUS, a, um, adj. *Μενεκλεῖος*, ad Meneclem pertinens, quod est nomen proprium rhetoris Alabandei. *Cic. Brut.* 95. Meneclium illud studium crebrarum sententiarum. [*Adde *Or.* 2, 23. et *Or.* 69.]

[MĔNĔCRĂTES, is, m. praestans animo: a *μένος*, animus, et *κρατέω*, praesto. Est cognomen R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1044, 1. L. Lusius Menecrates. *F.* *Ita appellatus est Sexti Pompeji libertus. *Plin.* 35, 18. Cf. *Plut. Anton.* 32.]

*MENEDĔMUS, i, m. *Μενέδημος*, Eliacus, philosophus Eretricus, discipulus Phaedonis. *Cic. Acad.* 4, 42. Cf. *Laert.* 2, 125. seq. ℙ Item rhetor Atheniensis, tempore L. Crassi. *Cic. Orat.* 1, 19. ℙ Et Rhodius, philosophus peripateticus. *Gell.* 13, 5. ubi tamen legendum fortasse *Eudemus*, ut monuit *Vossius* in *Hist. Gr.* 3. p. 169. ℙ Item Graeculus quidam civitate donatus, et post securi percussus. *Cic. Att.* 15, 19. et *Phil.* 13, 16. ℙ Alius, praetor Alexandri Magni, a Dahis caesus. *Curt.* 7, 6 et 9. ℙ Est et senis nomen ap. *Ter.* in *Heaut. B. A.*

MĔNĔLĂĔUS, a, um, adj. ad Menelaum pertinens. *Prop.* 2, 12, 14. Cum Menelaeo surgeret e thalamo.

*MENELĂIS, idis et idos, f. Epiri oppidum, in Dolopia. *Liv.* 39, 26. *in. B. A.*

*MENELAĬTES, ae, m. ad Menelaum sive Portum Menelai pertinens, ut *Menelaites nomos* ap. *Plin.* 5, 9. V. MENELAUS. *B. A.*

*MENELAĬUS, i, m. mons Laconiae, ad Eurotam flumen, Spartae vicinus. *Liv.* 34, 28. ℙ *Polybio* est *τὸ Μενελάϊον ὄρος*, ut notavit *Sigonius. B. A.*

MĔNĔLĂUS, i, m. *Μενέλαος*, filius Atrei et Aeropes (ut Homerus tradit) Plisthenis vero (ut Hesiodus) et frater Agamemnonis, rex Spartae, qui Helenam Jovis et Ledae filiam uxorem habuit. Hanc Paris Trojanus cum abduxisset, bellum ei cum tota Graecia intulit, quo Troja eversa est. Eo confecto Helenam recepit, conscensaque navi post octavum erroris annum domum rediit. *Ov. Met.* 13, 203. Vix tenuere manus (scis hoc Menelae) nefandas. ℙ *Menelaus Marathenus (a Maratho antiqua Phoeniciae urbe), rhetor Graecus, cujus opera C. Gracchus in orationibus suis uti putabatur. *Cic. Brut.* 26. ℙ Alius, Entellinus, de quo *Cic. Verr.* 1, 2, 85. ℙ *Menelai portus*, oppidum cum portu cognomine, in litore maris Mediterranei, inter Cyrenaicam et Aegyptum. *Nep. Ages.* 8. *Menelaita urbs* vocatur in *Edict. Justin.* 13, 9. §. 2. In utraque Aegypto (excepta Marcota et Menelaita urbe) aut Alexandriae habitant. V. *ib.* 1, ubi fortasse locus de nomo Menelaita accipi potest. *Straboni* ac *Ptolemaeo* est *Μενέλαος. B. A.*

MĔNĔNĬĀNUS, et MĔNĒNĬUS, a, um, adj. ad Menenium pertinens, quod est nomen civis R. De lege Menenia V. ATERNIA. *Liv.* 2, 52. *f.* Menenianum judicium. ℙ *Menenia tribus* ab aliquo ex Menenia gente, quae primis reipublicae temporibus valde floruit, denominata videtur, et una esse ex antiquioribus rusticis, quae initio constitutae fuerunt. In veteribus monumentis fere per *Men.* designatur, ut ap. *Cic. Fam.* 13, 9. P. Rupilius P. filius Men. Adde *Inscr.* plurimas ap. *Grut.*, in quarum tamen una *Menen.* legitur, 409, 8. C. Firmio C. F. Menen. Rufino, et in alia ap. *Mur.* 5, 7. Oclatius Q. F. Menen. Rufus. ℙ Quod ap. *Joseph. antiq. Judaicar.* 13, 17. legitur *παρόντος Λουκίου Μανλίου Λουκίου υἱοῦ Μεντίνα*, quidam *Mentinam tribum* pro *Menenia* invexerunt: sed corruptum locum tum *Panvin.* putat *de civ. Rom. c.* 50., tum allatae inscriptiones satis ostendunt. V. *Zaccaria Istit. ant. lapid.* 1, 6. §. 5. ℙ *Meneniae stultitiae*, vel *ineptiae*, proverb. a quodam Menenio stulto, aut plebejo vilique homine, qui se jactabat de genere illius Menenii Agrippae, qui olim plebem R. cum patribus in gratiam reduxit, ut *Liv.* 2, 32. narrat. *Porphyr.* ad illud *Hor. Sat.* 2, 3, 286. hoc quoque vulgus Chrysippus ponit fecunda in gente Meneni.

*MENEPHRON, onis, m. *Μενέφρων*, nomen viri proprium, qui cum matre concubuit, ut referunt *Ov. Met.* 7, 386., *Hygin. fab.* 253. et cum filia, si credendus *Hygin. ib.* ubi vulgo *Menophrus*. Sed corrigendum *Menephron. B. A.*

MĔNERVA olim pro *Minerva* dictum est, teste *Quint.* 1, 4. *med.*, et ita in fragmento *Ennii* ap. *Fest.* in *Daedala* multi legunt.

MĔNERVĀRE, monere: prisca vox. V. PROMENERVAT.

*MENESTHEUS, ei et eos, m. *Μενεσθεύς*, Iphicratis Atheniensis filius. *Nep. Iphicr.* et *Timoth.* 3. ℙ Rex Atheniensis post Theseum. Alii Demophoonti postponunt. Atheniensium dux fuit in bello Trojano, teste *Homero* in Catalogo. *Justin.* 2, 6. ℙ Et auriga Diomedis. *Stat. Th.* 6, 712. ℙ I. q. Mnestheus. V. *Mnestheus. B. A.*

*MENESTRĀTUS, i, m. *Μενέστρατος*, sculptor praestantissimus, qui Ephesi in Dianae templo Hecaten tanta marmoris radiatione insculpsit, ut in ejus contemplatione aeditui admonerent oculis parcere. *Plin.* 36, 5. *B. A.*

MĒNĬA Columna. V. MAENIA.

MĒNĬĀNUM. V. MAENIANUM.

*MENINX, gis, *Μήνιγξ*, insula Africae adjacens, inter Cercinam ac Syrtim minorem. *Girba* medio aevo est dicta, sicut hodieque *Gerbi* et *Zarbi* vocatur. *Plin.* 5, 7. *Mela* 2, 7. *Liv.* 22, 31. *in.* Adde ubi ed. *Drak.* habet *Menige* pro *Meninge*. Adde *Sil.* 3, 318. ℙ Lotophagorum insula fuit, inde et *Lotophagitis* dicta ab *Eratosth.* ap. *Plin.* et *Ptolemaeo. B. A.*

[MĒNĬON, ii, n. herba eadem ac menogenion. *Appul. H.* 64. *F.*]

MĔNIPPĔUS, a, um. V. v. sq.

MĔNIPPUS, i, m. conditione servus, natione Phoenix, philosophus cynicus, scripsit quasdam epistolas, naenias, testamenta, et id genus nugas, erebris salibus et cynica mordacitate respersas, ad quarum imitationem M. Varro satyras conscripsit, quas *Menippeas* appellavit. *Macr. Sat.* 1, 11. *med.* Hinc ipsum Varronem *Menippeum* vocat *Arnob.* 6, 207. *f.* Varro ut dicit Menippeus. Alii tamen leg. *in Menippeis.* ℙ *Menippus Stratonicensis, princeps oratorum Asiaticorum tempore Ciceronis. *Cic. Brut.* 91. *B. A.*

MĒNIS, ĭdis, f. lunula, dimin. a *μήνη*, luna. Videntur antiqui initio operis lunulam apposuisse, ut coronam fini, inquit *Turneb. Adoers.* 22, 10. Hinc *Auson. Profess.* 25. Quos legis a prima deductos menide libri, Doctores patriae scito fuisse meae, *h. e.* a principio libri.

*MENISMĪNI, orum, populi Nomades, in Aethiopia. *Plin.* 7, 2. *B. A.*

*MENĪUS, i, m. *Μήνιος*, Lycaonis filius, qui quum, patre in lupum verso, et domo conflagrante, Jovem detestaretur, ab eodem fulmine percussus est. *Ov. Ib.* 472. *B. A.*

*MENNIS, Babyloniae opp., cujus solus meminit *Curt.* 5, 1. *B. A.*

*MENNONĬA, ae, f. gemmae nomen ap. *Plin.* 37, 10. *B. A.*

*MENOBA, ae, m. fluvius Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. ℙ Vulgo, ait *Harduinus*, est *Fiu Frio*, hoc est, frigidus amnis. ℙ Rectius, opinor, scribitur *Maenoba*, *Malvoβα Straboni. Ptolemaeo* est *Μάνοβα*, cui fortasse *Malvoβα* restituendum. ℙ Est et oppidi nomen. V. MAENOBA. *B. A.*

*MENOBARDI, orum, populi Asiae ulterioris, nec procul ab Armenia. *Plin.* 6, 9. *B. A.*

[MĒNODORUS, i, m. lunae donum: a *μήνη*, luna, et *δῶρον*, donum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 2002, 6. Q. Voltejos Q. L. Menodorus. *F.*]

[MĒNODŌTUS, i, m. a luna datus: a *μήνη*, luna, et *δοτὸς*, datus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 724, 3. Heraclides Menodoti F. *F.*]

MĒNOECĒUS, a, um, adj. ad Menoeceum pertinens, qui filius Creontis regis Thebani se pro patria occidit, et de muro praecipitem dedit, ut *Stat. Th.* 10. *a v.* 756. narrat. *Id. ib.* 846. Ire, Menoeceo qua lubrica sanguine turris. ℙ *Fuit et Menoeceus Creontis pater. *Hyg. fab.* 67. *B. A.*

*MENOETES, *Μενοίτης*, nomen unius ex sociis Aeneae, gubernatoris navis, cui Centauro nomen erat. *Virg. A.* 5, 161. Rectorem navis compellat voce Menoetem. *B. A.*

MĒNOETĬĀDES, ae, m. patron. *Μενοιτιάδης*, Patroclus, filius Menoetii (Actoris filii) et Philomelae, ut *Hyg. fab.* 97. et *Serv.* ad *A.* 1, 104. docent. Fuit Achillis amicissimus. *Prop.* 2, 1, 37. Theseus infernis, superis testatur Achilles, Hic Ixioniden, ille Menoetiaden. Adde *Ov. Trist.* 5, 4, 25. et *Stat. Silv.* 5, 2, 157.

[MĒNOGĒNES, is, m. lunae filius: a *μήνη*, luna, et *γείνομαι*, nascor. Est cogn. R. inditum M. Messalae cos. ann. U. C. DCXCIII. ob oris similitudinem cum hujusce nominis scenico, ut narrant *Val. Max.* 9, 14. *n.* 5. et *Plin.* 7, 12, 10. *F.* *Nomen parasiti ap. *Mart. epigr.* 12, 84, 2. ℙ Item statuarius insignis, de quo *Plin.* 34, 8. ℙ Item histrio, M. Messalae Censorio facie simillimus. *Solin.* 5. *B. A.*]

[MĒNOGĒNĬON, ii, n. herba eadem ac paeonia, lunaticis utilis: est a *μήνη*, luna, et *γένειον*, mentum. *Appul. H.* 64. *F.*]

MĒNOĪDES, *μηνοειδής*, dicitur luna primis diebus, cum quibusdam velut cornibus circulata apparet, ut *Capell.* 8. p. 292. loquitur. *Firm. praef. Math. l.* 4. *f.* Est a *μήνη* luna, et *εἶδος* species, quia forma est lunae inchoatae.

*MENON, onis, m. *Μένων*, Thessalus, ex Pharsalo, amicus Xenophontis, unus ex Cyri minoris ducibus in bello contra fratrem Artaxerxem gesto. De eo V. *Xenoph. Exped. Cyri* 1, 2. etc. *Laert.* 2, 50. ℙ Menon inscriptus est liber Platonis, sive *De Virtute*, in quo cum Menone quodam (fortasse Pharsalico) colloqui fingitur Socrates. *Cic. Tusc.* 1, 24. *B. A.*

[MĒNOPHANTUS, i, m. animum ostendens, strenuus: a *μένος*, animus, et *φαίνω*, ostendo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 202. Aurelius Menofantus. Hic *ph* in *f*, ut saepe alias, conversae sunt. *F.*]

[MĒNOPHĪLUS, i, m. lunam amans: a *μήνη*, luna, et *φιλέω*, amo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 58. *n.* 331. C. Laronius C. C. L. Menophilus. *F.*]

*MENOSCA, ae, opp. Hispaniae Tarraconensis, cis Iberum flumen, in Vardulorum terra. *Plin.* 4, 20. ℙ Hodie est in agro *Guipuzcoa*, non procul, ait *Mannertius*, ab hodierno vico *Zumaya. B. A.*

*MENOTHĂRUS, i, m. Asiae fluvius, ultra Maeotim paludem. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

MĒNOTYRANNUS, i, m. *Μηνοτύραννος*, h. e. arbiter, et gubernator mensium: a *μήν*, *μηνὸς*, mensis, et *τύραννος*, rex. Ita appellatus est Attis, seu Atys, qui colebatur a Phrygibus una cum Cybele, quia sicuti per hanc terram, ita per illum significabant solem, ut in ATYS dictum est. Est autem sol mensium, dierum, et totius temporis arbiter ac moderator. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 39. Matri Deum Magnae Ideae, et Attidi Menotyranno invicto, etc.; et *n.* 40. M. D. M. I. et Attidi sancto Menotyranno, etc. Adde aliam apud *Grut.* 28, 6. et emendatior. in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 51. *Burm.*

MENS, mentis, f. *νοῦς*, princeps animi facultas, pars animi potior, et sublimior, ratio, intelligentia, qua res etiam ab omni materia abstractas contemplamur, et percipimus: a *μένος*, quod ap. *Hesych.* est etiam *νοῦς*, *ψυχή*. *Cic. Tusc.* 3, 5. Mens, cui regnum totius animi a natura tributum est. *Id. Fin.* 5, 12. Animus ita est constitutus, ut et sensibus instructus sit, et habeat praestantiam mentis, in qua est mirabilis quaedam vis rationis, et cognitionis, et scientiae, virtutumque omnium. ℙ Haec aliquando *mens animi* dicitur, *ψυχῆς ὁ νοῦς*. *Catull.* 65, 3. Nec potis est dulces Musarum expromere fetus Mens animi. *Lucr.* 4, 758. cum somnus membra profudit, Mens animi vigilat. (Adde 3, 616. et 5, 150.) *Pl. Cist.* 2, 1, 6. differor, distrahor, deripior: ita nubilam mentem Animi habeo. *Id. Epid.* 4, 1, 4. paupertas, Pavor territat mentem animi. ℙ Aliquando *mens*, et *animus*, et *ratio* conjunguntur. *Pl. Trin.* 2, 4, 53. Satin' tu sanus mentis, aut animi tui, Qui conditionem hanc repudies? *Hor. Ep.* 1, 14, 8. tamen istuc Mens animusque fert. *Stat. Silv.* 2, 1, 103. et te jam fecerat illi Mens animusque patrem. *Virg. A.* 6, 11. magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates. *Cic. N. D.* 1, 2. Deorum mente atque ratione omnem mundum administrari, et regi. *Id. Sen.* 11. *med.* Nec corpori solum subveniendum est, sed menti atque animo multo magis. [*V. quae de hoc dicendi genere notata sunt ad v. *animus*; ubi plura exempla invenies.] ℙ In his interdum ad discrimen respiciunt auctores: interdum utrumque pro eodem accipiunt, atque *ἐν διὰ δυοῖν* exprimunt. V. ENDIADYS. ℙ Non raro *mens* de ipso animo dicitur. *Cic. Tusc.* 4, 24. *f.* Est igitur aliquid, quod perturbata mens melius possit facere, quam constans? *Id. Mil.* 31. Quasi nostram ipsam mentem, qua sapimus, qua providemus, qua haec ipsa agimus, et dicimus, videre, aut plane, qualis, aut ubi sit, sentire possimus. *Caes. B. G.* 3, 19. *f.* Ut ad bella suscipienda Gallorum alacer et promptus est animus, sic mollis, ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est. [*Eadem ratione *animus* pro *mente* ponitur. V. in h. v. ℙ *Mentes* ap. *Suet. Cal.* 60. Hominum erga se mentes: sunt i. q. animi, nostr. *Gesinnungen.*] ℙ Item de ipsa mentis cogitatione. *Cic. Tusc.* 1, 16. Mente complecti aliquid. *Id. Mil.* 31. Cui primum mentem injecit, ut vi irritare fortissimum virum auderet. ℙ Est etiam consilium, sententia, propositum. *Virg. A.* 1, 680. Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem. *Nep. Pelop.* 1. *f.* Hac mente amicis suis summas potestates dederant. *Id. Ann.* 2. *f.* Id jusjurandum usque ad hanc diem servavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente sim futurus. *Cic. Or.* 1, 39. *f.* Hac eum tum mente fuisse, qui testamentum fecisset, ut si filius non esset, Curius esset heres. *Quint.* 5, 10. *med.* Bona vel mala mente facere aliquid. *Cic. Fam.* 12, 14. Dolabella classem ea mente comparavit, ut, etc. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 2. *med.* Quae mens eum, aut quorum consilia a tanta gloria avocarint. *Ov. A. Am.* 3, 713. Quid tibi mentis erat, cum sic male sana lateres? *Id. Met.* 15, 136. Mentes Deorum scrutari in fibris. [**Sil.* 1, 124. Intrare mentes Superum; et 5, 59. Mentes Deorum explorare. Hinc vates *divinae mentis interpretes* vocantur. V. *Burm.* ad *Ov. Her.* 16, 128. et *Val. Fl.* 5, 2, 5.] *Sil.* 11, 326. At tu securis concede penatibus, et me Linque meae menti. *Petr. Sat.* 21. *extr.* In mente est mihi dormire. Sic *Tert. Habit. mul.* 1. Et adornari tibi in mente est? *Stat. Th.* 4, 753. nos ferro meritas exscindere Thebas Mens tulit. ℙ Item memoria. *Cic. Brut.* 61. Huic minime mirum est ex tempore dicenti solitam effluere mentem. *Id. Att.* 12, 36. Si quid in mentem veniet, quo modo eam effugere possimus, utemur; et *ib.* 37. Nunquam ea res tibi tam

belle in mentem venire potuisset. *Id. Quint.* 2. Non minus saepe ei venit in mentem potestatis, quam aequitatis tuae. *Id. Fam.* 7, 3. Solet mihi in mentem venire illius temporis. *Q. Cic. Petit. cons.* 14. Haec mihi veniebant in mentem de duabus illis, etc. *Cic. Fam.* 4, 10. Venit mihi in mentem subvereri, ne, etc. ℙ Item prudentia, consilium, solertia. *Cic. Har. resp.* 9. *med.* Quis est tam vecors, qui ea, quae tanta mente fiunt, casu putet posse fieri? ℙ Item ea pars animi, in qua ira sedet: quae et ipsa quandoque animus dicitur. *Hor. Ep.* 1, 2, 59. qui non moderabitur irae, Infectum volet esse, dolor quod suaserit, et mens. ℙ Item ea, in qua est vis, fortitudo, et praesentia. *Liv.* 6, 18. Vobis dent mentem oportet, ut prohibeatis, sicut mihi dederunt, ut vos a barbaris hostibus defenderem. *Hor. Ep.* 2, 2, 36. hortari coepit eundem Verbis, quae timido quoque possent addere mentem. *Virg. A.* 12, 609. Demittunt mentes. Ubi *Serv.* desperant: sicut e contra, sperantes aliquid erigunt mentes. ℙ Refertur et ad rectum rationis usum: unde *amentes*, et *dementes*, qui minus eo valent. *Cic. Pis.* 21. Hic si mentis esset suae, ausus esset educere exercitum? quod *Id.* dixit *ib.* 20. *extr.* Si tuae mentis compos fuisses. *Pl. Trin.* 2, 4, 53. Sanum mentis esse; et *Cic. Acad.* 4, 17. Captus mente. *Ov. Am.* 2, 8, 10. carere bona. *Id. Her.* 15, 139. et *A. Am.* 1, 465. Mentis inops; et *Trist.* 2, 395. et egentem mentis Orestem. *Suet. Aug.* 99. Alienatae mentis signum ostendere; et *ib.* diminutio. *Plin.* 14, 22, 28. Vinum homines mente mutat, ac furorem gignit. *Id.* 28, 8, 27. Mente alienari. *Suet. Aug.* 48. lapsus. *Ov. Met.* 9, 409. Attonitusque malis, exsul mentisque domusque. ℙ *Bona mens* est sana, recta, et justa, perfectus ratiionis usus. *Sen. ep.* 10. Votorum tuorum veterum licet Diis gratiam facias: alia de integro suscipe: roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis. *Pers.* 2, 8. Mens bona, fama, fides, haec clare *(petuntur)*, et ut audiat hospes. ℙ [**Bona mens* pertinet etiam ad eos, qui vitam degunt virtuti addictam. Ita ap. *Quint. Inst.* 12, 1, 41. Si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint; et *ib.* 7, 3. simultates provocare — ex fiducia bonae mentis. ℙ Dicitur *bona mens* porro de saniori in arte oratoria judicio. *Id. ib.* 2, 13, 12. Quae futura bonae mentis juvenibus arbitramur, nobis certe sint voluptati. Ita etiam ap. *Petron.* 3.] ℙ Contra *mens mala* insania, dementia. *Tibull.* 2, 5, 103. Nam ferus ille suae plorabit sobrius idem: Et se jurabit mente fuisse mala. *Sen. Ben.* 3, 27. Cum malam mentem habuisse se pridie, jurasset. Hinc collige, *malam mentem habuisse*, fuisse formulam, qua utebantur veniam petentes illatae injuriae. ℙ Est etiam *mens* ingenium, natura. *Ter. Andr.* 1, 1, 137. Mala mens, malus animus, *h. e.* qui pravae naturae est, non potest non esse simul male animatus, et paratus ad nocendum. ℙ Item propensa voluntas. *Virg. A.* 1, 307. regina quietum Accipit in Teucros animum, mentemque benignam. *Ov. Met.* 2, 368. Qui tibi materno quamvis a sanguine junctus, Mente tamen, Phaeton, propior fuit. ℙ [**Inservit mens* ap. poetas circumscribendo, ita quidem, ut cum eo ipso, quod circumscribitur, sive substantivo, s. adjectivo conjunctim ponatur. *Lucan.* 7, 203. si cuncta perito Augure mens hominum coeli nova signa notasset, i. e. si omnes homines per peritum augurem coeli nova signa notassent. Ita *Cort.*, qui laudat *Eund.* 2, 14. Sit caeca futuri mens hominum fati. Sic ap. *Ammian. superba mens* pro superbo, ap. *Aur. Vict. incesta mens* pro incesto. Coll. *Salm.* ad *Capitol. Marc.* 16. *Auson. Epigr.* 129. pr. Medeam vellet cum pingere Timomachi mens.] ℙ *Mens* Romanis Dea fuit, et templo culta. *Ov. Fast.* 6, 241. Mens quoque numen habet: Menti delubra videmus Vota metu belli, perfide Poene, tui; et *mox:* Spem metus abstulerat: cum Menti vota senatus Suscipit: et melior protinus illa venit. *Liv.* 22, 10. *extr.* Menti aedem T. Octacilius praetor vovit. Adde *Lact.* 1, 20. et *Liv.* 23, 31. ℙ Olim *mentis* dixere in recto casu singulari. *Enn.* ap. *Prisc.* 7, 764. Terra corpus est, at mentis ignis est. Adde *eund.* ap. *Varr. L. L.* 4, 10. ℙ *Menti* in ablat. *Cic. Planc.* 33. Meritam Diis immortalibus gratiam memori menti persolvunt. Ita leg. *Prisc.* 7, 764.; alii *mente.*

MENSA, ae, f. τράπεζα, ad quam discumbimus cibum capturi. De vocis origine alii alia, et fere nimis subtilia omnes. *Cic. Tusc.* 5, 21. Ad mensam eximia forma pueros jussit consistere; et *ib.* Manum ad mensam porrigere; et *ib.* Mensae conquisitissimis cibis exstruebantur. *Catull.* 64, 304. Largae multiplici constructae sunt dape mensae. *Virg. A.* 1, 710. Mensas onerare dapibus; et *ib.* 3, 230. instruere. *Pl. Pers.* 3, 1, 26. apponere alicui. *Virg. A.* 4, 603. dapes apponere mensis. *Ov. Met.* 11, 119. Mensam ponere alicui exstructam dapibus. *Id. Fast.* 4, 367. Moretum ponere in mensis alicujus; et *ib.* 2, 473. pisces imponere mensis. *Pl. Men.* 1, 3, 29. cibos in mensam alicui apponere. *Virg. A.* 7, 134. vina reponere mensis. *Id. ib.* 7, 176. considere. *Stat. Silv.* 4, 2, 33. discumbere mensae. *Pl. Ps.* 1, 3, 62. Surgunt a mensa saturi, poti. *Id. Truc.* 2, 4, 14. auferre mensam; et *Cic. Pis.* 27. *extr.* tollere; et *Virg. A.* 1, 220. removere. *Plin.* 33, 11, 50. Hoc argenti tota Carthago habuit, illa, terrarum aemula, quot mensarum postea apparatu victa! ℙ De ratione discumbendi V. ACCUMBO. ℙ De luxu, et pretiis citrearum mensarum multa *Plin.* 13, 15. ℙ *Apud et super mensam* est in ipsa mensa, vel ad mensam. *Flor.* 4, 2. *med., Gell.* 2, 22., 12, 8. et 19, 7. et *Curt.* 7, 4. Hinc proverb. ap. *Pl. Trin.* 2, 4, 77. Verecundari neminem apud mensam decet. ℙ Quod ait *Petr. Sat.* 34. Itaque jussit senex suam cuique mensam assignari: videtur *mensa* significare parvam aliquam tabulam, vel lancem, vel quid simile, singulis convivis appositum in mensa communi, ad reponendas dapes, quae divisae iis distribuebantur. Hinc *ib.* 68. Cum secundas mensas Trimalchio jussisset afferri, sustulerunt servi omnes mensas, et alias attulerunt. Ap. *Virg. A.* 3, 257. et 394. et *ib.* 7, 116. et 125. *mensae* sunt quadrae patulae e pane in crustum decocto, quas super mensa positas cibis onerabant: ipsas autem finita coena, in similem alium usum servabant. Majores enim, inquit *Servius*, has mensas habebant in honorem Deorum. ℙ Per synecdochen mensa sunt ipsi cibi. *Pl. Mil.* 1, 1, 51. Communicabo te semper mensa mea. *Colum.* 11, 1. *med.* Mensae suae adhibere aliquem. *Tac. A.* 13, 16. Parciore mensa uti. *Cic. Tusc.* 5, 35. Vita illa beata, plena Italicarum Syracusiarumque mensarum. [**V. Cort.* ad *Lucan.* 1, 163. Mensasque priores aspernata fames: ubi magnum exemplorum numerum et quosdam hujus generis etiam ex Graecis scriptoribus locos invenies.] ℙ *De mensa mittere alicui, h. e.* de ipsa coena, ἀπὸ τραπέζης. *Cic. Att.* 5, 1. Cui tamen Quintus de mensa misit: illa rejecit. ℙ *Prior, proxima mensa*, prior, proximus honor, et aestimatio in cibis, et conviviis. *Plin.* 14, 1, 3. Rhaeticis uvis prior mensa erat. *Id.* 9, 17, 29. Proxima est mensa jecinori dumtaxat mustelarum. ℙ *Secunda mensa*, fercula, quae ultimo loco inferuntur, pomis praecipue constans, et nucibus, et hujusmodi bellariis. [**Schol. Acr.* ad *Hor. Sat.* 2, 2, 121. *secundam mensam* dicit, in qua non editur, sed datur opera poculis.] *Cels.* 1, 2. *f.* Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit. *Cic. Att.* 14, 6. et 21. Haec ad te scripsi, apposita secunda mensa. *Virg. A.* 8, 283. mensae grata secundae Dona ferunt. *Nep. Ag.* 8. Qui cum regis verbis, quae attulerant, dedissent, ille praeter vitulina, et hujusmodi genera obsonii, nihil accepit: unguenta, coronas, secundamque mensam servis dispertiit. V. *Mart.* 5, 79. ℙ [**Mensa* dicitur etiam pro iis, qui accubant. Ita recte *Brem.* ap. *Suet. Aug.* 70. Quum primum istorum conduxit mensa choragum, i. e. isti in mensa accubantes: ita et nos: *ihre Tafel.* Aliter *Ernest.* locum intellexit, sed minus recte.] ℙ *Mensa vinaria*, in qua vinum reponebatur in usum coenae. Haec erat rotunda, et cilybathum dicebatur. Alia fuit, quae vocabatur cartibulum, lapidea, quadrata, oblonga, una columella. Haec, inquit *Varr. L. L.* 4, 26., in aedibus ad compluvium apud multos me puero ponebatur, et in ea, et cum ea aenea vasa. Fuit et tertia, urnarium dicta, quod urnas cum aqua positas ibi habebant in culina. *Id. ib.* 27. ℙ [**Cara mensa* ap. *Hor. Sat.* 2, 4, 37. Nec satis est, cara piscis avertere mensa Ignarum, quibus est jus aptius etc. *Heindf.* cum *Schol.* intelligitur *mensa piscatoria.* — *Bentl.* accipit pro *mensa* in coenaculo posita, sententiamque loci ita constituit: neque sufficit pisces impenso pretio coemtos in mensa sua exhibere, qui pro reliquiis averrantur, utpote quos nemo convivarum tangere velit, propterea quod aptum cuique condimentum desit. — *Gronov. Observ.* 4, 5. vv. *cara mensa* ad mensam hominum lautiorum et carius coenantium referenda censet.] ℙ Habet *mensa* locum in sacris, sive pro ara sumatur, sive pro repositorio vasorum sacrorum. *Festus:* Mensae in aedibus sacris ararum vicem obtinebant. *Virg. A.* 2, 764. mensaeque Deorum, Crateresque auro solidi, etc. *Petr. Sat.* 135. Mensam veterem posuit in medio altari, quam vivis implevit carbonibus. *Plin.* 25, 9, 59. Verbenaca Jovis mensa verritur. *Fest.* in *Curiales:* Curiales mensae, in quibus immolabatur Junoni, quae Curis est appellata. *Anclabres* proprio nomine hae sacrae mensae appellabantur, teste *eod.* in *Anclabris*, et in *Escariae.* Fuerunt aureae, argenteae, marmoreae. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 3. et 4, 1. *n.* 7. *extr.* et *Cic. N. D.* 3, 34. et *Verr.* 2, 4, 59. [**V. Cort.* ad *Lucan.* 6, 557. Extaque funereae poscunt trepidantia mensae.] ℙ *Mensa lanionia*, in qua lanii carnes concidunt. [**Henkertisch.*] *Suet. Claud.* 15. Proclamante quodam praecidendas falsario manus, carnificem statim acciri cum machaera, mensaque lanionia flagitavit. ℙ Item argentariorum, et rationum, in qua numerantur pecuniae, rationes confiunt: duplex vero fuit olim Romae pecuniae solvendae modus, prior *de mensae scriptura*, h. e. de mensa argentariorum, quorum tabernae in foro erant; alter *ex arca domoque*, h. e. ex arca, quam quisque domi habebat. *Donat.* ad *Ter. Ad.* 2, 4, 13. Tunc enim in foro, et de mensae scriptura magis, quam ex arca domoque vel cista pecunia numerabatur. *Hor. Sat.* 2, 3, 148. mensam poni jubet, atque Effundi saccos nummorum, accedere plures Ad numerandum. *Cic. Fl.* 19. Si praetor dedit, a quaestore numeravit: quaestor a mensa publica: mensa aut ex vectigali, aut ex tributo. *Id. Pis.* 36. Stipendium militibus per omnes annos a civitatibus, mensis palam propositis, numeratum. ℙ In catapultis et ballistis est pars plana, et oblonga: de qua *Vitr.* 10, 16. et *Bald. in Lex.* ℙ Denique sumitur pro catasta, vel lapide, in quo prostabant servi venales. *Appul. Met.* 8. Servus collaticia stipe de mensa paratus. *Id. Apol.* Jussisse duos pueros in foro de mensa emi. *Pollux* 7, 2, 11. Ἐφ' ὃ δὲ ἀναβαίνοντες οἱ δοῦλοι πιπράσκονται, τοῦτο τράπεζαν Ἀριστοφάνης καλεῖ. Huc pertinet quod *Cic.* dicit *Pis.* 15. de lapide emptus. V. LAPIS.

MENSĀLIS, e, adj. ad mensam pertinens. *Vopisc. Tac.* 10. Argentum mensale. *Valer. Aug.* in *ep.* ap. *Vopisc. Aurel.* 9. vinum.

MENSĀRIUS, a, um, adj. ad mensam pertinens, qua ad pecuniam refertur. *Viri mensarii* magistratus fuit custodiae deputatus pecuniae publicae sub quaestoribus. *Liv.* 7, 21. Quinqueviris creatis, quos mensarios ab dispensatione pecuniae appellarunt. *Id.* 23, 21. Romae propter penuriam argenti triumviri mensarii rogatione Minucii tribuni plebis facti; et 26, 36. Omne aurum, argentum, aes signatum ad triumviros mensarios deferamus. ℙ Iidem non modo Romae, sed in provinciis erant, nam de Temnitarum urbe Asiatica haec habet *Cic. Fl.* 19. Civitas, in qua nummus commoveri nullus potest sine quinque praetoribus, tribus quaestoribus, quatuor mensariis, qui apud illos a populo creantur. Differunt ab argentariis, qui magistratus non erant, et pecuniam solum privatam tractabant. V. TRIUMVIRI. ℙ Sed etiam de argentario mensarius usurpatur: etenim *Suet. Aug.* 4. proavum Augusti *mensarium* appellat, quem paulo ante *nummularium* dixerat. ℙ *Mensarium* absolute *Prisc.* 2, 590. Collarium, quod in collo est: plantarium, quod in planta: mensarium, quod in mensa est.

MENSĀTIM, adv. per mensas. *Juvenc.* 3, 214. Et cunctae curat mensatim tradere plebi.

MENSIO, onis, f. μέτρησις, mensura, actus metiendi. *Cic. Or.* 53. Naturalem quandam in se continet vocum omnium mensionem animus aurium nuncio.

MENSIS, is, m. μήν, spatium temporis ex multis diebus constans, ex. gr. ex triginta: a nomine Graeco allato, quod a μήνη, luna, quia est plus minus spatium illud, quo luna zodiacum percurrit. Ita *Varr. L. L.* 5, 2. At *Cic. N. D.* 2, 27. deducit a *melior*, his verbis: Qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur. *Id. Univ.* 9. Mensis autem, quando luna lustrato suo cursu solem consecuta est. ℙ Romulus annum in decem menses divisit. Numa Pompilius, cum Romuli annum nec solis, nec lunae cursui congruere cerneret, duos menses addidit, Januarium, et Februarium. *Ov. Fast.* 1. et 3. et *Macr. Sat.* 1, 12. et 13. C. Julius Caesar, qui ad solis cursum annum direxit, atque idcirco ex CCCLXV. diebus, et sex horis constituit, dierum numerum quibusdam mensibus auxit, ut v. gr. September, et November, qui antea habebant viginti novem, constarent ex triginta, et sic de reliquis. V. *Suet. Aug.* 40. et *Macr. Sat.* 1, 14. ℙ In illo *Virg. G.* 1, 335. Hoc metuens, coeli menses, et sidera serva: *Servius* adscribit, menses esse duodecim signa zodiaci, quae omnia uno mense luna pertingit, et quodammodo designat. ℙ *Ov. Met.* 8, 509. *mensum* dixit pro *mensium* illo carmine: Et quos sustinui bis mensum quinque labores. Adde *Fast.* 5, 187. et 424., *Sen. Phoeniss.* 535. et *Auson. Eclog. Quo mense quotae*, etc. *Censorin.* 22. et *Prisc.* 7, 771. Alii volunt, ubique *mensium* scribi, et synaeresim fieri. V. MELANIUS. ℙ *Menses* in plur. num. accipiuntur etiam pro mulierum menstruis, μῆνες. *Plin.* 21, 21, 89. Prodest mulierum mensibus retardatis. ℙ Interdum et in num. singulari, sed rarius. *Id.* 17, 28, 47. Privatim autem contra erucas ambiri arbores singulas a muliere incitati mensis, nudis pedibus, recincta. Adde 28, 7, 23. ℙ Improprie *menses* appellantur etiam profluvia eadem in quadrupedibus, quae tamen non menstrua, sed annua fere sunt, quaeque tempus coitui opportunum significant. *Varr. R. R.* 2, 7. *med.* Tum ea re naturam equae, cum menses ferunt, tangunt.

MENSOR, oris, m. μετρητής, qui aliquid metitur: speciatim vero mensores appellantur agrorum finitores. *Colum.* 6, 1. Ego non agricolae, sed mensoris officium esse dicebam. Adde *Ov. Met.* 1, 136. ℙ *Mensor* etiam dicebatur, qui singulis militibus, numeris, legionibus loca dimetiebatur, vel hospitia praeparabat. *Veg. Mil.* 2, 7. Mensores, qui in castris ad podismum dimetiuntur loca, in quibus milites tentoria figant; vel hospitia in civitatibus praestant. *Imppp. Theodos., Valentin. et Arcad. Cod.*

Theod. 7, 8, 4. Si quis mensorum nostrorum manum, qua deputatas singulis quibusque domus enotant, et postibus hospitaturi nomen adscribunt, delere non dubitaverit, ad instar falsi reus teneatur. ℙ *Coeli mensor* est astronomus, *terrae mensor* geometra. *Hor. Od.* 1, 28, 1. Te maris, et terrae, numeroque carentis arenae Mensorem cohibent, Archita, etc. ℙ Item qui viarum sternendarum curam suscipit. *Mart.* 10, 17. Mensorum longis sed nunc vacat ille libellis. Appia, quid facies, si legat ista Macer? *h. e.* vacat tabulis, in quibus viarum tractus sunt delineati. Quantum vero damni feres, Appia via, si Macer meis versibus legendis tempus terat? ℙ Item *mensor*, vel *mensor aedificiorum* est, qui aedificia, quorum diagramma architectus in chartis delineatum exhibuit, ex iisdem super soli faciem absolvenda curat. *Plin. ep.* 10, 28. Dispice, domine, an necessarium putes mittere huc mensorem; et *Trajan.* ad *Plin. ib. ep.* 29. Mensores vix etiam iis operibus, quae aut Romae, aut in proximo fiunt, sufficientes habeo. *Inscr.* ap. *Grut.* 623, 7. L. Caecilius Maximus mensor aedificiorum. Adde alias *ib.* 8., et ap. *Mur.* 924, 8. ℙ *Mensores* etiam fuerunt, qui annonam navibus adverso Tiberi in Urbem advectam, et in horrea publica inferendam metiebantur, quos *Paul. Dig.* 27, 1, 26. mensores frumentarios appellat. V. PORTUENSIS. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 731. *n.* 450. Cn. Sentio Cn. fil. Ter. Felici patrono mensor. frumentarior. Cereris Aug. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 319,7. Erucio Augusti Nostri adjutori tabularío a rationibus, mensorum frumentariorum Cereris. ℙ *Mensor machinarius.* V. MACHINARIUS.

MENSTRŪA, orum. V. MENSTRUUS.

MENSTRŪĀLIS, e, adj. μηνιαῖος, qui singulis mensibus fit, menstruus. *Pl. Capt.* 3, 1, 22. Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus, Quibus solebam menstruales epulas ante adipiscier: Nemo ridet. ℙ Item ad feminarum menstrua pertinens. *Plin.* 7, 15, 13. Solum autem animal menstruale mulier est. *Id.* 19, 10, 57. Hortensia omnia accessu mulieris menstrualis flavescunt. *Marcell. Emp.* 35. *f.* Pannus menstrualis.

MENSTRŪANS, antis, mulier, quae in menstruis est. *Pall.* 1, 35. Mulierem menstruantem contra erucas faciunt circumire. *Theod. Prisc.* 4. *in.* Mulieribus menstruantibus hoc vitio *(epilepseos)* laborantibus coire conveniet. **Colum.* 11, 3. *Octav. Hor.* 4. *B. A.*

*MENSTRUĀTUS, a, um, part. pass. *Vulg. Interpr. Es.* 64, 6. Pannus menstruatus. *B. A.*

MENSTRŪUM, i. V. v. sq.

MENSTRŪUS, a, um, adj. ἔμμηνος, qui singulis mensibus fit. *Plin.* 2, 47, 48. Menstrua ventorum ratio; et *ib.* 10, 7. Menstrui non sunt lunae defectus. *Tibull.* 1, 3, 34. Reddereque antiquo menstrua tura Lari. *Cic. Att.* 6, 1. Usura menstrua. *Varr. L. L.* 5, 3. Fecias menstruas edicere. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 8, 76. Duae mulieres ad menstrua solvenda montem ascendunt, *h. e.* menstrua sacra. *Mart.* 3, 10. Constituit, Philomuse, pater tibi millia bina Menstrua. *Plin. ep.* 10, 24. Nam menstruum meum Calend. Septembr. finitur, *h. e.* officium menstrui spatii, quod cum collega partitus sum. Mos enim erat, ut, ubi plures essent in uno magistratu, per mensem singuli rempubl. invicem curarent. ℙ Item ad feminarum menstrua pertineus. *Plin. alter* 32, 10, 46. Cancri menstruas purgationes expediunt, *h. e.* profluvium sanguinis, quo laborant singulis fere mensibus feminae, quae ad concipiendum sunt habiles. Sic *Id.* 11, 39, 94. Cum menstrui cursus stetere. Saepe *menstrua, orum,* dicuntur absolute. *Cels.* 6, 6. *n.* 38. Quod in feminam, bene respondentibus menstruis, non cadit. *Colum.* 11, 3. *f.* Mulier quae in menstruis est. *Plin.* 22, 21, 30. Menstrua ciere; et *ib.* 26. pellere; et 20, 14, 54. sedare; et *ib.* 22, 93. sistere; et 30, 14, 43. adjuvare; et 20, 22, 87. et *Lucr.* 6, 796. solvere. ℙ In sing. num. *Plin.* 28, 7, 23. Quocumque alio menstruo si segetem ambiant, etc. et *ib.* Tactis menstruo postibus. Adde *Sen. Ben.* 4, 31. ℙ *Menstrua femina*, quae in menstruis est. *Plin.* 29, 5, 32. Menstrua canis. ℙ Est etiam *menstruus*, qui mensem durat. *Cic. Fin.* 4, 12. Ut ei, qui jucunde vixerit annos decem, si aeque vita jucunda menstrua addatur, etc. *Id. N. D.* 1, 31. Solis lustrationem menstruo spatio luna complet. *Lucan.* 5, 399. Menstruus consul. *Liv.* 44, 2. Consul, menstruum jusso milite secum ferre, profectus, etc. *Cic. Verr.* 2, 3, 30. Menstrua cibaria dare alicui. *Id. Leg.* 2, 18. Textile ne operosius, quam mulieris opus menstruum; et *Rosc. Com.* 3. Menstruas rationes transferre in tabulas.

MENSŪLA, ae, f. τραπέζιον, parva mensa. *Pl. Most.* 1, 3, 150. Appone hic mensulam: vide, tali ubi sint. *Petr. Sat.* 136. Mensulae pedem extorsi. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 12. Scis, ut in omnibus argentariis mensulis, pergulis, tabernis ubique imagines vestrae sint vulgo propositae. *F.*]

MENSŪLĀRĬUS, ii, m. τραπεζίτης, nummularius, mensarius, trapezita. *Sen. Controv.* 4, 24. *med. Scaev. Dig.* 2, 14, 47., ubi alii aliter leg. et *Ulp. ib.* 42, 6, 8.

MENSŪRĀ, ae, f. μέτρον, instrumentum, quo quippiam metimur, seu quantitatem rei cujuspiam deprehendimus: item ipsa quantitas, modus, magnitudo cujusque rei. *Plin.* 7, 56, 57. Mensuras, et pondera invenit Phidon Argivus, aut Palamedes, ut maluit Gellius. *Nep. Att.* 2. *extr.* Ut singulis sex modii tritici darentur: qui modus mensurae medimnus Athenis appellatur. *Cic. Off.* 1, 15. Ea, quae utenda acceperis, majore mensura, si modo possis, jubet reddere Hesiodus. *Petr. Sat.* 97. Lectulum vestimentis implevi, uniusque hominis vestigium ad corporis mei mensuram figuravi. *Caes. B. G.* 5, 13. Certis ex aqua mensuris, breviores esse noctes, quam in continente, videbamus; et *ib.* 6, 24. Nosse mensuras itinerum. *Suet. Caes.* 26. Frumentum sine modo mensuraque praebere. *Juven.* 10, 100. de mensura jus dicere, *h. e.* de heminis et hujusmodi. (V. *Pers.* 1, 130.) *Plin.* 11, 41, 96. Cameli lac suavissimum existimatur, ad unam mensuram tribus aquae additis. *Id.* 35, 17, 57. Creta Umbrica pondere emitur, Sarda mensura; et *ib.* 10, 36. *n.* 15. Tabulae pretium accepit aureos mensura: non numero. *Id.* 12, 19, 43. Frutex mensura pedali; et 36, 12, 17. Mensuram deprehendere alicujus rei. *Id.* 2, 1, 1. et *Plin. alter ep.* 10, 28. agere. *Colum.* 5, 3. inire. *Ov. A. Am.* 3, 265. facere alicujus. *Juven.* 14, 316. mensura tamen quae Sufficiat census, si quis me consulat, edam. *Ov. Met.* 8, 748. trunci Circuiere modum, mensuraque roboris ulnas Quinque ter implebat; et *ib.* 15, 378. de ranarum crurib.: Posterior partes superat mensura priores; et *A. Am.* 1, 589. Dare alicui mensuram bibendi. *Tac. Agr.* 12. Dierum spatia ultra nostri orbis mensuram. *Juven.* 4, 74. Sed deerat pisci patinae mensura. ℙ In pictura est convenientia, et proportio partium. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 10. Apelles cedebat Amphioni de dispositione, Asclepiodoro de mensuris, hoc est quanto quid a quo distare deberet. ℙ Translate. *Cic. Or.* 20. Quidquid sub aurium mensuram aliquam cadit, numerus vocatur. *Plin. ep.* 10, 12. Beneficii mensuram intelligere. *Claud. II. cons. Stil.* 43. Est aliquod meriti spatium, quod nulla furentis Invidiae mensura capit. *Tac. A.* 14, 54. Uterque mensuram implevimus, et tu, quantum princeps tribuere amico posset, et ego, quantum amicus a principe accipere. *Ov. Pont.* 1, 2, 1. Maxime, qui tanti mensuram nominis imples, *h. e.* vim et significationem. *Id. Met.* 12, 57. de Fama: Hi narrata ferunt alio: mensuraque ficti Crescit. *Juven.* 11, 34. buccae Noscenda est mensura suae, *h. e.* vis propriae eloquentiae. *Sen. Herc. Oet.* 400. nuribus Argolicis fui Mensura voti, *h. e.* tantum illae optabant, quantum ego habebam. *Tac. H.* 1, 52. Nec consularis legati mensura, sed in majus omnia accipiebantur, *h. e.* pro modo conditionis et auctoritatis legati consularis. *Lucan.* 1, 175. mensuraque juris Vis erat. ℙ **Mensura* sic definitur, et exponitur ab iis, qui *de Limitibus* scripserunt: quorum haec sunt verba p. 290. *Goes. Mensura* est, quidquid pondere, capacitate, longitudine, altitudine, latitudine, animoque finitur. Majores itaque orbem in partes, partes in provincias, provincias in regiones, regiones in loca, loca in territoria, territoria in agros, agros in centurias, centurias in jugera, jugera in climata: deinde climata in actus, perticas, passus, gradus, cubitos, pedes, palmos, uncias, et digitos diviserunt; tanta enim fuit eorum solertia. *Digitus* est pars minima agrestium mensurarum; inde *uncia* habet digitos tres, *palmus* autem quatuor digitos habet, *pes* XVI, *passus* pedes V, *pertica* passus duos, id est pedes X. Pertica autem a portando dicta, quasi portica: omnes autem praecedentes mensurae in corpore sunt, ut palmus, pes, passus, et reliqua: sola pertica portatur: est enim X pedum, ad instar calami in Ezechiele templum mensurantis. *Actus minimus* est latitudine pedum quatuor, longitudine CXL; *climata* quoque undique versus pedes habent LX; ita,



Actus quadratus undique finitur pedibus CXX; ita,



Hunc Baetici *Arapennem* dicunt, ab arando scilicet. Actus duplicatus *jugerum* facit; ab eo quod est junctum, jugerum nomen accepit: jugerum autem constat longitudine pedum ducentorum XL, latitudine CXX; ita,



Actum provinciae Baeticae rustici *agnam* vocant; porcam iidem Baetici XXX pedum latitudine, et LXXX longitudine definiunt; ita,



Sed *Porca* est quod in arando exstat; quod defossum est, *lira.* Galli *candetum* appellant in areis urbanis spatium centum pedum, quasi centetum; in agrestibus autem, pedum CL quadratorum *justum candetum* vocant. Porro *stadialis ager* habet passus CXXV, id est pedes DCXXV, cujus mensura octies computata *milliarium* facit, qui constat quinque millibus pedum. *Centuria* autem ager est ducentorum jugerum, qui apud antiquos a centum jugeribus vocabatur. Sed postea duplicata, nomen pristinum retinuit. In numero enim centuriae multiplicatae sunt, sed nomen mutare non potuerunt. Sumta haec ex *Isid. Orig.* 15, 15. qui porro ea debet *Colum.* 5, 1. ubi ea diligenter (inquit *Gesner.*) a nobis tractata sunt. *Front.* autem sic p. 29. *Mensura* est complurium, et inter se aequalium intervallorum longitudo finita: finitur, ut pes per uncias, per pedem decempeda, per decempedam actus, (per actum passus,) per passus stadium, per stadium milliarium, et his similia. Mensurarum rationes, quibus utimur, sunt duodecim. Digitus, uncia, palmus, sextans, pes, cubitus, gradus, passus, decempeda, actus, stadium, milliarium. Minima mensurarum pars est *digitus;* si quid enim intra digitum metiamur, partibus respondemus, ut dimidiam aut tertiam. *Uncia* habet digitum unum, et tertiam partem digiti. *Palmus* habet digitos IIII uncias III. *Sextans*, quae eadem *dodrans* appellatur, habet uncias VIIII digitos XII. In *pede porrecto* semipedes duo, palm. IIII, unc. XII, dig. XVI. In *pede constrato* semipedes quatuor, palm. VIII, unc. CXLIIII. dig. CCLVI. Sed piget plura describere, cum praesertim quaedam videantur agrimensorum inferioris aevi propria: quaedam etiam corrupta. *B. A.*

MENSŪRĀBĬLIS, e, adj. qui mensura deprehendi potest. *Prud. Apoth.* 881. Spatium non mensurabile.

MENSŪRĀLIS, e, adj. ad mensuram pertinens, ut Mensuralis linea, ap. *Sicul. Fl. ed. Goes.* p. 19. et 23.

MENSŪRĀLĬTER, adv. per mensuram. *Hyg. de limit.* p. 167. *Goes.* Extremitas mensuraliter obligata est.

MENSŪRĀTĬO, onis, f. actus mensurandi, ap. *Var. Auct. de limit.* p. 264. *Goes.* De mensuratione jugeri.

*MENSŪRĀTOR, oris, m. i. q. mensor. *Veget. B. A.*

MENSURNUS, a, um, adj. menstruus. *Cic. Inv.* 1, 26. Annuum, mensurnum, diurnum, nocturnumve spatium. Ita legit *Prisc.* 2. *f.* Alii *menstruum.* Legitur etiam ap. *Novatian. de Trinit.* 1.

MENSŪRO, as, a. 1. metior. *Veg. Mil.* 1, 25. A centurionibus fossa inspicitur ac mensuratur.

MENSUS, a, um, part. a *metior:* Active. *Val. Fl.* 5, 476. tot casus, horrenda tot avia mensi. *Ov. Met.* 8, 564. Jamque duas lucis partes Hyperione menso. ℙ Passive. *Cic. N. D.* 2, 27. Mensa spatia conficere. *Curt.* 5, 1. *extr.* Ducenis stipendium pedestrium mensum est.

MENSUS, us, m. mensura. *In quodam fragm.* quod *tribuitur Varroni de Geometr.* Longitudines, et altitudines mensu certo distinguere. *Appul. de Mundo.* Cujus mensu appensuque distincta est naturae regio. ℙ Extra ablativum casum non usurpaverim, antequam exempla reperiam.

MENTA, ae, f. ἡδύοσμος, μίνθη, herba hortensis odorifera, ita dicta a *Menthe*, seu *Minthe* nympha, Cocyti filia, Plutonis pellice, quam Proserpina in hanc herbam mutasse dicitur: unde et *mentha* cum adspiratione a nonnullis scribitur. *Ov. Met.* 10, 728. an tibi quondam Femineos artus in olentes vertere mentas, Persephone, licuit? ℙ Postea ab odoris suavitate ἡδύοσμος appellata: ab

ἡδὺς, suavis, et ὀσμὴ, odor: ut *Plin.* 19, 8, 47. docet. *Id. ib.* Grato menta mensas odore percurrit in rusticis dapibus. *Colum.* 10, 119. serpentis gramina mentae. *Mart.* 10, 48. Menta ructatrix.

MENTAGRA, ae, f. ἄγριος λειχὴν, morbus, aliter lichen, qui mentum, deinde faciem, collum, pectus, manusque foedo quodam furfure occupat: a *mentum*, et ἄγρα, captura, quasi menti captura, quia a mento incipit. *Plin.* 26, 1, 2. Lichenas appellavere Graeco nomine: Latine, quoniam o mento fere oriebatur, joculari primum lascivia, (ut est procax natura multorum in alienis miseriis) mox et usurpato vocabulo, mentagram. [Hunc morbum aliis verbis describit *Mart.* 11, 98. Nec triste mentum, sordidique lichenes, etc. *F.*]

MENTASTRUM, i, n. ἡδύοσμος ἄγριος, menta silvestris. *Plin.* 19, 8, 47. Silvestre mentastrum dicit *Colum.* 11, 3. *med.*

[*MENTESA, ae, f. opp. V. v. sq.]

[MENTĒSĀNUS, a, um, adj. ad Mentesam pertinens, Hispaniae Baeticae urbem. *Inscr.* ap. *Grut.* 384, 2. Ordo Mentesanus. *Plin.* 3, 1, 3. Mentesani Bastuli. ℙ Alii fuere in Hispania Tarraconensi *Mentesani* Oretani, de quibus mentio ap. *eund. ib.* et *Liv.* 26, 17. *F.*]

MENTHA. V. MENTA.

MENTIENS, entis, part. a *mentior*, qui mentitur. *Mentientem* vertit *Cic. Div.* 2, 4. genus argumentationis captiosae, quam Graeci ψευδόμενον appellant: inde ducto nomine, quod ea saepe in exemplum formula afferri solet ex *Gell.* 18, 2. Cum mentior, et mentiri me dico, mentior, an verum dico.

MENTĪGO, inis, f. morbus agnorum, de quo ita *Colum.* 7, 5. *f.* Est etiam mentigo, quam pastores ostiginem vocant, mortifera lactentibus. Ea plerumque fit, si per imprudentiam pastoris emissi agni, vel etiam hoedi, roscidas herbas depaverint: quod minime committi oportet. Sed cum id factum est, velut ignis sacer os atque labra foedis ulceribus obsidet. Haec *Colum.*, ex quibus intelligimus, esse hunc morbum mentagrae speciem, a *mento* itidem dictum. V. OSTIGO.

MENTĪNA Tribus. V. MENENIUS.

MENTĬO, onis, f. μνήμη, commemoratio. [*Differunt *mentio* et *commemoratio:* hoc in universum cogitationem rei, sive primum sive iterum habitam denotat; illud semper ad ea pertinet, quorum jam antea notionem animo susceptam repetimus. Hinc *mentionem facere* = efficere, ut cogitationem rei alius habeat; *mentionem habere* = cogitationem habere et eloqui; *commemorare* = cogitationem prius susceptam verbis in medium proferre. *Doederl.* 1, 172.] *Cic. Verr.* 2, 5, 64. *extr.* Ne moram quidem mortis mentione atque usurpatione civitatis assequi potuit. *Id. Div. Verr.* 15. *extr.* Non consulto, sed casu in eorum mentionem incidi. *Id. Cluent.* 27. Manarat sermo, pecuniae quandam mentionem inter judices esse versatam. *Id. Att.* 5, 9. *extr.* Te amat, nec tui mentionem intermitti sinit. *Pl. Cist.* 1, 2, 15. Saepe mecum mentionem fecit, puerum, aut puellam alicunde ut reperirem sibi. *Id. Most.* 3, 2, 126. Noli facere mentionem, te has emisse. *Cic. Verr.* 2, 2, 39. In senatu consules faciunt mentionem, placere statui, ne absentes homines rei fierent. *Id. Rosc. Am.* 2. et *Pis.* 10. Mentionem facere alicujus rei. *Cajus Dig.* 34, 5, 6. habere testamento. *Cic. Leg.* 3, 6. *f.* de aliquo. *Id. Agr.* 3, 2. de aliqua re. *Liv.* 28, 11. movere alicujus rei. *Id.* 38, 56. Ne Gracchi quidem oratio aut accusatorum, aut diei dictae ullam mentionem habet. *Id.* 39, 11. Mentionem intulit, quid eo die faciendum esset. *Id.* 4, 1. Mentio sensim illata a tribunis, ut alterum ex plebe consulem liceret fieri, eo processit, ut, etc. *Vell.* 2, 65. Conditionum jacta mentio. *Hor. Sat.* 1, 4, 94. mentio si qua De Capitolini furtis injecta Petilli Te coram fuerit. *Plin.* 13, 14, 28. Insularum arbores in mentione earum dictae sunt. Sic 35, 4, 10. Tabulae, quas dicemus sub mentione artificum. *Id.* 22, 25, 82. Ad vini transire mentionem; et 33, 1, 4. Sine mentione annulorum; et 28, 2, 5. Cur ad mentionem defunctorum testamur, memoriam eorum a nobis non sollicitari? ℙ In plur. num. *Liv.* 3, 43. L. Siccium secessionis mentiones ad vulgus militum sermonibus occultis serentem, ad locum castris capiendum mittunt. ℙ *Mentionem facere* est etiam formula sponsaliorum, qua utitur, qui puellam in matrimonium sibi poscit: qui vero despondet, *promittere*, vel *repromittere* dicitur. *Pl. Aul.* 2, 2, 27. Credo edepol, ubi mentionem ego fecero de filia, Mihi ut despondeat, sese a me derideri rebitur. Adde *ib.* 4, 7, 3. Hinc *Flor. Dig.* 23, 1, 1. Sponsalia sunt mentio, et repromissio futurarum nuptiarum.

MENTĬOR, iris, itus sum, dep. 4. ψεύδομαι, contra id, quod in mente est, loquor, mendacium dico. *Nep. Epam.* 3. Adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. *Cic. Acad.* 4, 6. *med.* Aperte mentiri. *Ov. Ib.* 65. Haec tibi natali facito, Janique calendis Non mentituro quilibet ore legat. *Pl. Truc.* 1, 2, 89. Mentiri palam. *Cic. Att.* 12, 21. *med.* in re aliqua. *Id. N. D.* 3, 6. de re aliqua. *Pl. Aul.* 4, 7, 9. adversus aliquem. *Id. Amph.* 1, 2, 6. alicui. *Id. Poen.* 1, 1, 24. apud aliquem. *Gell.* 15, 22. Sertorius mentiebatur ad milites, si mendacium prodesset. *Prop.* 2, 20, 3. Et quaecumque in me fueras mentita, fateri. *Quint.* 5, 12. *med.* Non enim videtur in negando mentiturus fuisse. ℙ Cum infinito. *Ov. Trist.* 1, 3, 53. certam me sum mentitus habere Horam, propositae quae foret apta fugae. *Plin.* 12, 15, 34. Fuere, qui e turis arbore utrumque nasci mentirentur. *Lucan.* 7, 446. cum caeco rapiantur saecula casu, Mentimur regnare Jovem. ℙ *Mentior, nisi*, et *si mentior* formulae sunt quippiam serio constanterque affirmantis. *Sen. ep.* 106. Mentior, nisi et quae alunt illud, corpora sunt. (Adde *ep.* 118.) *Ov. Fast.* 4, 227. si mentiar, inquit, Ultima, quam fallam, sit Venus illa mihi. ℙ *Mentiri* et *mendacium dicere* interdum differunt. V. MENDACIUM. ℙ Urbane. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 6. Frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur, oratio vero saepissime. [*Referri huc posse videtur alius ejusdem locus *N. D.* 2, 5, 15. in quibus nihil unquam immensa et infinita vetustas mentita sit: ubi recte *Heindf.* (missa *Walkeri* conjectura, *mutavit* vel *mutaverit* vel *immutaverit* pro vulg. *mentita sit* legend. judicantis; itemque refutata *Ernestii* sententia vulgatum intelligere se negantis istamque mutationem probantis,) elegantem hanc dictionem hoc sensu positam docet: per infinitum temporis spatium nunquam decepta est hominum spes certas coeli conversiones tempestatumque mutationes exspectantium. Facit huc etiam *Sil.* 7, 160. Nunquam tellus mentita colono: ubi eleganter sic dici terram fertilem, observat *Drak.*, scil. quae nunquam spes mortalium eludit.] ℙ Frequenter cum accusativo ponitur pro fingere, simulare mendacii causa. *Sall. Cat.* 49. Nisi de eo indicaret, cujus consilio tantam rem esset mentitus. *Colum. praef.* 1. *med.* Sexum viris denegatum muliebri motu mentiri. *Just.* 35, 2. originem alicujus. [*Sil. 13, 166. Mentitur minas.] *Mart.* 6, 57. Mentiris fictos unguento, Phoebe, capillos. *Id.* 11, 52. Mentiar, ut venias, pisces, conchylia, sumen, Et cortis saturas, atque paludis aves. [*Liv. 10, 40. Pullarius auspicium mentiri ausus est. *Sil.* 4, 129. ni vano cassa volatu Mentitur superos praepes, i. e. non veram Deorum mentem monstrat. Plura laudat *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 21, 183. qui adire jubet *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 81.] ℙ De eo, qui alterum plane refert. *Sil.* 2, 636. Vos etiam primo, gemini, cecidistis in aevo, Eurymedon fratrem, et fratrem mentite, Lycorma: Cuncta pares. *Mart.* 3, 43. Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis. *Arnob.* 7, 250. de Aesculapio? In anguem convertisse se Deum, quo mentiri se posset, quisnam esset. ℙ De eo, qui non stat promissis. *Cic. Off.* 3, 24. *extr.* Sed quoniam promisit, si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur, si, etc. [*ψεύσεται. *Hotting.: wird sein Versprechen ableugnen:* quod refutat *Beier.*, recte *mentietur* accipiens pro *mentitus fuerit*, ἐψευκέναι μελλήσει. Verbi enim futurum probe poni in re praeterita, sed nondum explorata.] *Catull.* 110, 3. Tu, quod promisti mihi, quod mentita, inimica es. *Prop.* 2, 13, 57. Mentiri noctem, promissis ducere amantem. ℙ Tribuitur et rebus inanimis, et significat similitudinem alicujus rei habere, imitari, simulare, cum re vera sit aliud. *Virg. Ecl.* 4, 42. Nec varios discet mentiri lana colores. [*V. *Spald.* ad *Quint.* 8, 3, 6.] *Plin.* 35, 6, 29. Color, qui chrysocollam mentitur. *Claud. Laud. Stil.* 2, 248. oceanique aestum mentitur amictus. *Id. III. cons. Honor.* 140. de dracone picto: vivitque receptis Flatibus, et vario mentitur sibila tractu. *Mart.* 5, 39. semel fac illud, Mentitur tua quod subinde tussis, *h. e.* mor re, quod tussis tua, cito fore, pollicetur, sed nos fallit. *Claud. IV. cons. Honor.* 527. felix arcus, certique petitor Vulneris, et jussum mentiri nescius ictum, *h. e.* fallere. ℙ Part. *Mentiens* V. s. l. ℙ *Mentibor* pro *mentiar* (quod in verbis quartae non est infrequens) *Pl. Mil.* 1, 1, 35. Et assentandum est, quidquid hic mentibitur. ℙ Olim *mentio, is*, activa positione dictum fuit, teste *Prisc.* 8, 799. [*V. *Intpp.* ad *Grat. Cyn.* 91. et *Ov. Met.* 10, 28.] Hinc passive. *Modest. Dig.* 48, 10, 28. Si a debitore, praelato die, pignoris obligatio mentiatur, etc. [*V. *Duk. de Lat. Ict. Vett.* 382. Pertinet huc locus *Pl. Mil.* 2, 2, 101. vera ut esse credat, quae mentibitur: ubi *mentibitur* impers. passiva significatione positum, pro eo, quod est: in quibus mendacium fiet, quae mendacia hic proferentur; *quae* autem accusativus est ad graecam dicendi normam. Ita *Lindemannus.*]

MENTĪTĬO, onis, f. mendacium. *Auct. ad Her.* 3, 2. *med.* Dolus consumitur in pecunia, pollicitatione, dissimulatione, maturatione, mentitione. Al. leg. *mentione.*

MENTĪTUS, a, um, part. a *mentior:* qui mentitus est. Active. *Lucan.* 3, 198. populum Pholoe mentita biformem, *h. e.* fabulata centauros. *Ov. Amor.* 2, 19, 11. sani capitis mentita dolores; et *Met.* 11, 281. Mentitusque fugae causam. Adde *Prop.* 4, 7, 58. ℙ De eo, qui promissis non stetit. *Claud. Cons. Prob.* et *Olybr.* 108. geminisque fidem mentita tyrannis. V. MENTIOR. ℙ Ad inanima quoque transfertur, et significat fallere, imitari, simulare, cum re vera sit aliud. *Hor. Ep.* 1, 7, 87. Spem mentita seges. *Lucan.* 9, 820. virgas mentita Sabaeas Toxica. ℙ Passive est fictus, simulatus, falsus. *Virg. A.* 2, 422. primi clypeos mentitaque tela Agnoscunt. In *carm.* ap. *Suet. Oth.* 3. Cur Otho mentito sit, quaeritis, exsul honore. *Ov. Met.* 5, 326. Et se mentitis Superos celasse figuris. *Plin. ep.* 6, 20. *med.* Fictis mentitisque terroribus vera pericula augere. *Val. Fl.* 7, 155. Non jam mentitae vultum vocemque resumit Chalciopes. [*Plin. Pan.* 81, 3. mentita sagacitas: ubi *Gierig. mentita* neutrali sensu accipi posse dicit, quae imitatur, assimilat: quod parum videtur. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 11, 73. mentita sacra.]

MENTO, onis, m. μακρόγενυς, mentum habens solito majus. *Arnob.* 3, 108. Esse dicendum est quosdam capitones, silunculos, frontones: in his alios mentones, naevios atque nasicas. Hinc C. Julius Mento cos. ann. U. C. CCCXXIII. ap. *Liv.* 4, 26.

*MENTONŌMON, i, aestuarium quoddam, sive pars littoris Oceani Germanici. *Plin.* 37, 2. Pytheas Guttonibus Germaniae genti adcoli aestuarium Oceani, Mentonomon nomine, spatio stadiorum sex mille. *B. A.*

MENTOR, oris, m. nomen celeberrimi artificis in vasis argenteis caelandis. *Plin.* 33, 12, 53. et 7, 38, 39. scribit, quatuor omnino paria ab eo facta fuisse, atque in templo Dianae Ephesiae in Asia, et in Capitolio Romae consecrata, tutius ut asservarentur, utriusque templi incendio periisse. *Id.* 33, 11, 53. L. Crassus orator duos scyphos Mentoris artificis manu caelatos sestertiis C. emptos habuit, *h. e.* centum mill. ℙ Metonymice. *Juven.* 8, 104. rarae sine Mentore mensae. *Mart.* 11, 11. Te potare decet gemma, qui Mentora frangis.

*MENTORES, um, Μέντορες, populi Liburniae. *Plin.* 3, 21. *B. A.*

MENTOREUS, a, um, adj. ad Mentorem pertinens. *Prop.* 1, 14, 2. Lesbia Mentoreo vina bibas opere. *Mart.* 4, 39. Solus Mentoreos habes labores. *Id.* 9, 60. Pocula Mentorea nobilitata manu.

MENTŪLA, ae, f. πέος, membrum virile: [videtur esse dimin. menti, a motu enim nomen habet, unde Graecis σάθη dicitur a σάω, agito. *F.*] *Catull. Mart.* et *Auct. Priap.* ℙ Ap. *Catull.* est etiam non semel convicium in hominem impurum.

MENTŪLĀTUS, a, um, adj. mutoniatus, πεώδης. *Auct. Priap.* 37. *extr.* Deus Priapo mentulatior non est.

MENTUM, i, n. γένυς, γένειον, pars capitis ori subjecta, et prominens, seu malae inferioris media et ima pars, ut *Cels.* loquitur 8, 1. *med.*, unde barba nascitur. [A motu frequenti nomen habere videtur, illud enim movemus, quoties loquimur, aut edimus: μένος porro Graecis est impetus, unde μένομαι pro μαίνομαι, agitor. *F.*] *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Rictum Herculis ac mentum paulo attritius, quod in precibus id osculari solent. *Id. Or.* 2, 66. Mentum in dicendo intorquere. *Ov. Pont.* 2, 6, 14. Mento manum supponere. *Plin.* 31, 3, 27. Ex edito speculantur proni, terram mento attingente. *Id.* 11, 45, 103. Antiquis Graeciae in supplicando mentum attingere mos erat. *Virg. A.* 6, 809. nosco crines incanaque menta Regis Romani, *h. e.* barbam canam. Adde *Mart.* 11, 84. ℙ Urbane. *Petr. fragm. Trag.* 43. *Burm.* Et, quod ei mentum sustulit, hereditatem accepit. Sed phrasis est plebeja. ℙ Proprie uni homini est, ut ait *Plin.* 11, 37, 60., nihilominus et de brutis dicitur per similitudinem. *Id.* 8, 50, 76. Dependet caprarum mento villus. *Virg. G.* 3, 53. de bove: Et crurum tenus a mento palearia pendent; et *ib.* 311. barbas, incanaque menta Cinyphii tondent hirci. ℙ Transfertur in architectura ad eam partem coronae propendentem, per quam aqua defluit. *Vitr.* 4, 3. *med.* Ad ipsum mentum coronae incidatur linea, quae scotia dicitur. ℙ Prisci *mentum* dixere pro *commentum*, inquit *Paul.* ex *Festo:* nempe a *meniscor*, unde *comminiscor* factum est.

*MENUI, sic dicta ab Indis est gemma, quae a Graecis *xanthos* vocatur. *Plin.* 37, 10. *B. A.*

MĔO, as, avi, atum, n. 1. διαβαίνω, πορεύομαι, vado, transeo: et dicitur saepe de iis, quae eunt redeuntque. *Plin.* 6, 14, 17. Interruptis angusto transitu jugis, ita ut vix singula meent plaustra. *Lucr.* 2, 150. Vapor per inane meat vacuum. *Ov. Met.* 15, 71. qua sidera lege mearent. *Id. Pont.* 1, 2, 81. ubi frigore constitit Ister, Dura meant celeri terga per amnis equo. *Sen. Med.* 836. meet in pectus venasque calor. *Tac. A.* 4, 5. *extr.* Triremes huc illuc meant. *Claud. in Ruf.* 1, 185. Nereus par semper, similisque meat, *h. e.* mare, quamvis plura influant flumina, non crescit. *Curt.* 3, 5. et 8, 4. Liberius meare spiritus coeperat. *Lucan.* 3, 640. Discursusque animae diversa in membra meantis. ℙ Universim pro ire, proficisci. *Hor. Od.* 1, 4, 17. Manes, et domus Plutonia, quo simul mearis, etc. *Sen. Herc. Fur.* 211. aliud

jussus ad bellum meat. *Tac. A.* 3, 34. Quoties divum Augustum in occidentem, atque orientem meavisse comite Livia? *Claud. I. cons. Stil.* 10. Ordine vota meant, *h. e.* procedunt, et succedunt.

MĔOPTE. V. SUOPTE.

MĔPHĪTĬCUS, a, um, adj. foetidus. *Sidon. ep.* 3, 13. Mephiticus odor.

MEPHĪTIS, is, f. *θειώδης ἀποφορά*, terrae putor ex aquis maxime sulphuratis atque corruptis proveniens, et in nemoribus gravior ex densitate silvarum. *Serv.* in *A.* 7, 84. Aliqui, *Servio* teste loco citato, Mephitim Deum esse volunt, Leucotheae connexum, sicut est Veneri Adonis, Dianae Virbius. Alii Junonem intelligunt, quam aerem esse constat. Omnis autem putor ex corruptione aeris nascitur, sicut bonus odor ex aere incorrupto. Igitur Mephitis erit Dea avertens molestiam odoris gravissimi, id est graveolentiae. *Virg. ib.* saevamque exhalat opaca mephitim. *Pers.* 3, 99. Gutture sulphureas lente exhalante mephites. *Plin.* 2, 93, 95. docet, Mephitis aedem fuisse Amsancti in Hirpinis, ubi specus erat mortiferum spiritum exhalans. Etiam prope moenia Cremonae templum Mephitis fuit, teste *Tac. H.*, 3, 34. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 96, 10.

MĔRĂCĔ, adv. mere, pure. *Cels.* 1, 3. *f.* Per autumnum cibo jam paulo plenióre uti licet; minus, sed meracius bibere. *Scrib. Comp.* 170. Vini mixti meracius cyathi quatuor. *Sidon. ep.* 4, 1. Purius, fortius, meracius amat. *Solin.* 33. *med.* Superficies sardonychis probatur, si meracius rubeat.

MĔRĂCŬLUS, a, um, adj. dimin. meraci. *Plin.* 20, 19, 80. et *Cels.* 3, 19. Opium ex vino meraculo si protinus detur. Et per syncopen *Pl. Cas.* 3, 5, 15. Meraclo se percussit flore Libyco. Alii leg. *meraco.*

MĔRĂCUS, a, um, adj. *ἄκρατος*, merus, purus, solus: et fere de vino dicitur, cui nihil aquae admixtum sit. Sunt qui putant, dici de vino, cui parum admodum aquae insit, *merum* autem de eo, cui nihil. [*Ita constituit discrimen *Hard.* ad *Plin.* 23, 1, 23. Sed aliam eamque magis convenientem discrepantiam *Doederl.* 3, 206. vidit in eo, quod *merus* de cujuscunque generis fluido, *meracus* proprie de vino puro tantum dicatur: unde *meracus* non pro forma secundaria adject. *merus*, sed pro adjectivo v. *merum* esse accipiendum, quod usu *κατ' ἐξοχήν* substant. factum sit.] *Cic. N. D.* 3, 31. *f.* Si medicus sciat, eum aegrotum, qui jussus sit vinum sumere, meracius sumpturum. *Cels.* 1, 3. *med.* Cibum modicum, potiones meracas assumere; et *med.* Vinum austerum meracum; et *infra:* Vinum dilutius pueris, senibus meracius. *Prop.* 2, 24, 27. Ah pereat, quicumque meracas repperit uvas. ℙ Dicitur et de aliis rebus, quae purae sunt. [**Cic. Rep.* 1, 43. Cum populus . . . non modice temperatam, sed nimis meracam libertatem sitiens hauserit. — Imitatus est hunc locum *Liv.* 39, 26. Velut ex diutina siti nimis avide meram haurientes libertatem. Laudat *Doederl.* 3, 205. sq. ubi v.] *Hor. Ep.* 2, 2, 137. Expulit helleboro morbum bilemque meraco. *Pers.* 4, 16. Anticyras melior sorbere meracas. *Sidon. ep.* 3, 10. Meracissimus scientiae fons. **Cic. de re publ.* (ed. *A. Maio*) 1, 43. Meraca libertas. *B. A.*

*MĔRĀLIS, e, adj. ad merum pertinens. *Marcell. Empir.* 27. Meralem calicem jejuno dare. *B. A.*

MERCĂBĬLIS, e, adj. qui emi potest. *Ov. Amor.* 1, 10, 21. Stat meretrix certo cuivis mercabilis aere.

MERCĀLIS, e, adj. mercabilis. *Impp. Dioclet. et Maximian. Cod.* 4, 7, 6. Mercalem te habuisse uxorem proponis.

[MERCĀTILLĀ vel Mercantilla, ae, f. dimin. a *mercando*, parva negotiatrix. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 73. Flavia Mercatilla. Alia ap. *Mur.* 1691, 6. Julia Mercantilla. *F.*]

MERCĀTĬO, onis, f. emptio, et venditio, *ἐμπόρευσις*. *Gell.* 3, 3. *f.* Pecunia omni in mercationibus perdita. *Firm. Math.* 3, 8. *f.* Sua vendere assidua mercatione.

MERCĀTOR, oris, m. *ἔμπορος*, qui mercatur. [*Nostr. *Grosshändler.*] *Cic. Or.* 70. Neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos et Laelios multi venalicii mercatoresque superarunt. *Id. Off.* 1, 42. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant. *Caes. B. G.* 4, 3. Multi ad eos mercatores ventitant. [*Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 245. Mercator, omnis generis mercium transmarinarum. *F.*] [**Curt.* 10, 1, 85. Adjiciebant navigia, quae lixas mercatoresque vexissent. ℙ Translate. *Cic. in Sen.* 4. *med.* Non consules, sed mercatores provinciarum, ac venditores vestrae dignitatis.]

MERCATORĬUS, a, um, adj. *Pl. Bacch.* 2, 3, 2. ecquae advenerit In portum ex Epheso navis mercatoria.

MERCĀTŪRĂ, ae, f. *ἐμπορική*, negotiatio, ars, seu actus mercandi. *Cic. Off.* 1, 42. *f.* Mercatura autem, si tenuis est, sordida putanda est, sin magna et copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impertiens, non est admodum vituperanda. *Cic. Verr.* 2, 5, 28. Qui a praedonibus erant capti, cum mercaturas facerent. ℙ Item ipsae merces, quibus mercatura fit. *Pl. Trin.* 2, 2, 51. Mercaturamne, an venales habuit, ubi rem perdidit? ℙ Translate. *Cic. Off.* 3, 2. Suscepisti onus grave et Athenarum, et Cratippi, ad quos cum tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, etc. Ita legit etiam *Non.* 3, 134. et 5, 35. Alii tamen *ad mercatum.* [*Adde *Cic. N. D.* 1, 44. Non erit ista amicitia, sed mercatura quaedam utilitatum suarum.]

MERCĀTUS, a, um, part. a *mercor*, qui mercatus est. Active. *Hor. Sat.* 2, 6, 11. qui mercenarius agrum Illum ipsum mercatus aravit. ℙ Passive *ὠνησάμενος*, emptus. *Plin.* 37, 2, 10. Sestertiis centum quinquaginta millibus trullam unam non ante multos annos mercatam a matrefamilias, nec divite. *Prop.* 1, 2, 5. Naturaeque decus mercato perdere cultu. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 2, 535. Pars sua negotia sequebantur commeatibus mercatis.

MERCĀTUS, us, m. *ἐμπόρευμα*, mercandi actus. *Cic. Phil.* 2, 3. Cum domi tuae turpissimo mercatu omnia essent venalia. [*Nempe *Phil.* 3, 12. Antonius dicitur immunitates vendidisse, civitates liberasse, provincias et imperii populi Romani jura sustulisse etc. earumque rerum domesticum mercatum instituisse. Laudat haec *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Pro emporio, seu loco, ad quem mercatores emendi vendendique gratia conveniunt. *Liv.* 1, 30. Frequens mercatus. [**Suet. Ner.* 28. Circa conventus mercatusque Graeciae.] ℙ Item pro nundinis, quibus mercatores congregantur ad emendum et vendendum. *Cic. Verr.* 2, 2, 53. Tanto mercatu praetoris indicto, concurritur undique ad istum Syracusas. Sic *Id. Tusc.* 5, 3. Habere mercatum. ℙ Item pro quocumque conventu. *Just.* 13, 5. Litterae recitatae praesente universa Graecia, in mercatu Olympiaco.

[MERCĔDĀRĬUS. V. MERCEDONIUS. *F.*]

MERCĒDĬCIUS, mercenarius, quod mercede se tueatur. *Paul.* ex *Festo. Dacerius* mallet *mercedituus* propter illa *mercede tueatur.*

[MERCĒDĪNUS. V. v. sq. *F.*]

[*MERCĒDONĬUS vel Merkedonius, a, um, adj. *μερκηδόνιος*, ad mercedem solvendum pertinens. *Paulus* ex *Festo:* Mercedonias *(dies)* dixerunt a mercede solvenda. *Gloss. Isid.* Mercedonius, qui solvit mercedem. Mercedarius, qui dat mercedem pro labore sibi impenso. ℙ *Merk.* est nota in *Vet. Kalend. Rom.* ap. *Grut.* 133. addita *prid. Id. Julias*, et aliquot sqq. diebus, itemque *XII. Kal. Oct.* et sqq., denique *XIV. Kal. Dec.* et sqq. *Merkedinos*, vel *Merkedonios* dies interpretatur *Scalig. de emend. temp. l.* 2. p. 177. a Merkedona Dea dictos, quae praefuerit mercedibus, et pensionibus solvendis: id apparere, inquit, in mense Julio, quo inquilini *τὸ ἐνοίκιον*, mercedem pendebant, et migrabant ex aedibus in alias. Ceterum *merkedinus*, *μερκεδῖνος*, vel *mercedonius*, *μερκηδόνιος*, mensis dictus intercalaris ille Numae alternis biennii XXII. et XXIII. dierum, de quo nomine miratur *Scalig.*, nullam mentionem superesse, nisi ap. *Plutarch.* in *Numa* 18. et in *Caes.* 59. (Adde ap. *Lydum de mensib.*) Ad eundem tamen recte referenda sunt *Tert. Idol.* 13. verba, quae legesis ap. *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 74., ubi alia multa huc pertinentia. V. et *Danieli Numism. Capuana* p. 105. et sqq. Alia porro de hujus vocis interpretatione est sententia *Petr. Fr. Fogginii* in *Verr. Fl. Fast.* p. 124. et 135. *F.* et *B. A.*]

MERCĒDŬLĀ, ae, f. dimin. mercedis. *Cic. Or.* 1, 45. Itaque ut apud Graecos infimi homines mercedula adducti ministros se praebent in judiciis oratoribus. *Id. Att.* 13, 11. Constituere mercedulas praediorum, constituere, quantum solvere debeant, qui praedia locata conduxerunt. *Sen. Ben.* 6, 15. Medico mercedulam debere.

MERCĒNĀRĬUS, a, um, adj. *μισθοφόρος*, mercede conductus, pretio comparatus: cui *gratuitus* opponitur. *Cic. Leg.* 1, 18. Liberalitas gratuitane est, an mercenaria? si sine praemio, benigna est, gratuita: si cum mercede, conducta. *Id. Pis.* 21. Tribuit se mercenarium comitem regi Alexandrino. *Liv.* 24, 49. Mercenarium militem in castris neminem ante, quam tum Celtiberos, Romani habuerunt. [**Id.* 30, 8. Quem, bene meritum de se et gentesua, mercenariis armis in Africam oppugnatum venisset.] *Cic. Fam.* 3, 11. *med.* Mercenarii testes. [*i. e. pecunia corrupti.] *Id. Verr.* 2, 5, 21. Audite decretum mercenarii praetoris. [**Ib.* 1, 43. ubi agitur de edicto Verris, quo praeter jus et fas P. Annii secundis heredibus hereditatem liberis ereptam addixerat; dicitur caput ejus edicti multis verbis mercenario prooemio ornatum; nempe quia ob illud edictum magnam pecuniam a L. Annio, qui erat institutus heres secundum filiam, acceperat.] *Nep. Eum.* 1. Apud nos re vera, sicut sunt, mercenarii, scribae existimantur. *Plin.* 10, 63, 63. Ancilla mercenariae stipis. *Hor. Ep.* 1, 7, 67. ille Philippo Excusare laborem, et mercenaria vincla, *h. e.* officium et munus praeconis, quod mercedis et lucri gratia exercebat, eoque detinebatur. ℙ Absolute est opera mercede conducta, h. e. homo liber conducticius, ut *Varr. R. R.* 1, 17. loquitur. *Pl. Poen. a.* 2. *extr.* In hunc diem jam tuus sum mercenarius. *Cic. Off.* 1, 13. *f.* Non male praecipiunt, qui ita jubent uti servis, ut mercenariis: operam exigendam, et justa praebenda. [*Adde *ib.* 42, 150. Illiberales autem et sordidi quaestus mercenariorum omniumque, quorum operae, non artes, emuntur: est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis: ubi comparat *Degen Plat. Rep.* 2. p. 371. E. *οἱ πωλοῦντες τὴν τῆς ἰσχυος χρείαν, τὴν τιμὴν ταύτην μισθὸν καλοῦντες, κέκληνται — μισθωτοί.*] *Cic. Cluent.* 59. Ennius egens quidam, mercenarius Oppianici. *Petr. Sat.* 103. Mercenarius meus, ut ex novacula comperistis, tonsor est. *Sen. Ben.* 3, 22. Servus, ut placet Chrysippo, perpetuus mercenarius est.

MERCES, ēdis, f. *μισθός*, pretium, quod pro opera et labore alicui persolvitur. [*Nostr. *Tagelohn*, *Arbeitslohn.* In cdd. saepissime nom. *mercis* leg. pro *merces.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 344. et 5, 123. Etymon est a *mereo.*] *Sall. Cat.* 38. Juventus, quae manuum mercede inopiam tolerabat. [*Ex iis, quae Noster alieno loco laudaverat, huc pertinent ista: *Gell.* 5, 3. Protagoras victus quaerendi gratia in mercedem missus, ut mercenariam operam locaret; et *Cic. Div.* 1, 41. *f.* Ne ars tanta abduceretur ad mercedem atque quaestum. — Aliud exemplum hoc est. *Cic. Verr.* 2, 1, 56. Quantum paucae operae fabrorum mercedis tulerunt. Inde transfertur ad milites, significatque id, quod copiis auxiliariis stipendii loco datur. Noster laudaverat *Caes. B. G.* 1, 31. Uti ab Arvernis Sequanisque Germani mercede arcesserentur. Adde *Curt.* 6, 5, 7. Quo victo applicaverant se Graecis mercede apud Persas militantibus; et 7, 10, 11. et equites mille adduxerant mercede militaturos. ℙ Hinc i. q. honorarium, nostr. *Ehrensold.* A *Forc.* haec adscripta erant. *Cic. Acad.* 4, 30. *f.* Minam Diogenes reddet: ab eo enim Stoico dialecticam didicerat: haec autem merces erat dialecticorum. *Id. Phil.* 2, 4. Magister, qui te tanta mercede, nihil sapere docuit. Addenda nobis haec visa sunt: *Id. Or.* 1, 28. Apollonius quum mercede doceret. *Suet. Gr.* 7. (Gnipho grammaticus) nec unquam de mercedibus pactus; et *Rhet.* 5. Quanta merces rhetori est data. ℙ De praemio a litigatoribus patronis dato. *Suet. Ner.* 17. ut litigatores pro patrociniis certam justamque mercedem — darent; et *Caes.* 29. Aem. Paulum C.que Curionem — ingenti mercede defensores paravit. ℙ De stipendio histrionum. *Id. Tib.* 34. Mercedibus scenicorum recisis: ubi v. *Brem.* ℙ De lucro, quem quis contra jus fasque facit accepta pecunia in rebus contra rempublicam, contra morum probitatem perficiendis. *Bestechungslohn.* A Nostro haec in medium prolata exempla erant: *Cic. Verr.* 2, 5, 20. Pretio atque mercede minuere majestatem reipubl. *Liv.* 25, 33. Magna mercede pacisci cum aliquo, ut, etc. *Cic. Rosc. Am.* 29. mercedem accipere ab aliquo. *Verr.* 2, 3, 32. Mercedem alicui dare operae, pretiumque impudentiae. Adde *Att.* 1, 16. (in causa Clodii incesti crimine accusati) etiam noctes certarum mulierum atque adolescentulorum nobilium introductiones nonnullis judicibus pro mercedis cumulo fuerunt. *Pis.* 13. Quis nos non modo consules, sed liberos fuisse putet, quorum mens fuit oppressa praemio, lingua adstricta mercede. — Porro non dubitavimus hic adscribere ista: *Sall. Fragm.* p. 63. Eumenem, cujus amicitiam gloriose ostentant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem. *Vell.* 2, 23, 5. Et qui fuisset locuples, fieret nocens, sui quisque periculi merces; et *ib.* 28, 3. neque occisi hostis, quam civis, uberius foret praemium; fieretque quisque merces mortis suae, i. e. interfectus praemium percussoris est, quod occisorum bona percussoribus statim dividebantur. *Flor.* 3, 13, 7. Misera resp. in exitium suum sui merces erat: ubi in hac locutione illustranda copiosus est *Freinshem.* Eandem rem sic expressit *Sen. Cons.* ad *Marc.* 20. p. 280. nec vidisset divisa percussoribus occisorum bona, ut etiam de suo perirent: ubi v. *Lips. Liv.* 5, 49. priusquam infanda merces perficeretur, i. e. auri pondus, quod pro libertate et vita Romani promisissent, solveretur. ℙ Tum in universum de cujuscunque generis praemio dicitur et bono et malo sensu. Huc primum referri poterant hi loci: *Suet. Vesp.* 18. Praestantes poetas nec non et artifices — insigni congiario magnaque mercede donavit. *Cic. Fin.* 2, 31. Probitas praemiorum mercedibus evocata. Tum sequi debebant ista: *Id. Verr.* 2, 5, 51. mercedem alicujus rei constituere. *Id. Q. Fr.* 3, 3. *f.* alicui proponere; et *Amic.* 21. Exigere ab aliquo. *Juven.* 7, 157. Mercedem solvere.] ℙ Translate. *Hor. Od.* 1, 27, 13. Cessat voluntas? non alia bibam Mercede. *Cic. Rosc. Am.* 29. Una mercede duas res assequi velle. V. FIDELIA. *Hor. Od.* 3, 2, 25. Est et fideli tuta silentio Merces. *Sil.* 13, 663. Ipsa quidem virtus sibimet pulcherrima merces. ℙ [*Significat *merces* etiam id, quod quis parandi convivii causa pro parte sua in medium confert. *Nep. praef.* 5. Nulla Lacedaemoni tam est nobilis vidua, quae non

ad coenam eat mercede condictam: ita *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 2, 20, 64. emend. pro vulg., *quae non ad scenam eat, mercede conductam.* V. *Brem.*] P De poena, supplicio. *Liv.* 39, 55. Debuisse gravem temeritatis mercedem statui. [*Adde 2, 36. Merces spreti numinis. *Lucan.* 5, 286. usque adeo soli civilibus armis Nescimus cujus sceleris sit maxima merces?] P Saepe dicitur de pretio, quod acquirimus ex locatione agrorum, et domuum. *Cic. Att.* 12, 32. Ut sumptus hujus peregrinationis accommodet ad mercedes Argileti et Aventini; et *ib.* 15, 20. *med.* Mercedes dotalium praediorum. [*Plura *Cic.* exempla praebet *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Caes. B. C.* 3, 21. Mercedes habitationum annuas conductoribus donavit. [*Hauszins.] *Suet. Caes.* 20. Publicanos remissionem petentes tertia mercedum parte relevavit, *h. e.* pensionum, quas pro vectigalibus redemptis solvebant reipublicae. [*Nostr. *Pacht.* Laudat *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 504. *Polyb.* 6, 17, 5. ἀπολῦσαι τῆς ἐργωνίας; et *Dio.* 38, 7. ἐκδικίας τινὸς τυγχάνειν.] P Item de usuris pecuniae fenori datae. *Hor. Sat.* 1, 2, 14. Quinas hic capiti mercedes exsecat. [*Schol. *Porph.*: ad illud pertinet, quod avari feneratores, cum dent usurariam pecuniam, primi mensis usuras capiti ipsius sortis statim amovebant.] Adde *ib.* 3, 88. P Universim est fructus, lucrum. *Grat. Cyn.* 176. O quanta est merces, et quantum impendia supra! P Interdum merces data atque adeo impensa, detrimentum, damnum. *Cic. Fam.* 1, 9. Tamen in molestia gaudeo, te eam fidem cognoscere hominum non ita magna mercede, quam ego maximo dolore cognoram. *Id. Tusc.* 3, 6. Nam istuc nihil dolere non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] *Sil.* 7, 545. magna mercede piabunt Erroris rabiem, et nostrum violasse parentem, *h. e.* magno suo malo. *Sen. Tranq.* 11. Magna quidem res tuas mercede colui, *h. e.* magna mea impensa et cura. Adde *Plin. praef. l.* 7. P *Merces* rectus casus pro *merx* usurpatum est a *Sall. fragm.* ap. *Char.* 1, 27.

MERCĬMŌNIUM, ii, n. idem fere quod merx. *Pl. Amph. prol.* 1. Ut vos in vostris voltis mercimoniis Emundis vendundisque me laetum lucris Afficere. *Tac. A.* 15, 38. Ubi per tabernas, quibus id mercimonium inerat, quo flamma alitur, simul coeptus ignis, etc.

MERCOR, aris, atus sum, dep. 1. ἐμπορεύομαι, lucri causa merces commuto, mercaturam facio. *Pl. Merc. prol.* 82. Dico iturum esse me mercatum, si velit. P Speciatim saepissime est emere, seu vendendi causa, seu habendi, ὠνέομαι. *Hor. Sat.* 2, 3, 24. Hortos egregiasque domos mercarier unus Cum lucro noram. *Cic. Off.* 1, 42. Qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant. *Id. Flacc.* 20. Fundum mercatus est de pupillo Meculonio. *Id. Rosc. Am.* 46. Authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est. *Ter. Eun.* 3, 5, 21. quidam Eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi. *Plin.* 9, 18, 31. Quanti mercatura mullum luxuria, suburbanis litoribus inventum? *Pl. Capt.* 2, 2, 8. servi Quos tam grandi sum mercatus praesenti pecunia. P [*Metaphorice, largitione et corruptelis aliquid sibi parare. *Cic. Verr.* 2, 2, 49. *f.* Ab isto et praeco, qui volint, istum ordinem pretio mercatus est. *Liv.* 23, 28. Hannibalem transitus quosdam pretio mercatum. *Tac. H.* 3, 55. Stultissimus quisque pecuniis mercabatur. P Redimere. *Cic. Att.* 9, 4. Ego haec officia mercanda vita puto. *Prop.* 2, 34, 71. Pomis mercaris amorem; et 2, 16, 15. Ergo muneribus quivis mercatur amorem? P Pass. *Plin.* 34, 11, 25. Jam quidem facta emplastra mercantur.] P [Part. *Mercans* ap. *Suet. Aug.* 75. Solebat incerto casu spem mercantium vel frustrari, vel explere. *Mercandus* ap. *Cic. Att.* 9, 5. Haec officia mercanda vita puto. *F.*] P *Mercassitur*, antique, mercatus fuerit. *Inscr.* ap. *Grut.* 512. *lin.* 20. Qui eo nomine ab populo mercassitur.

MERCŪRĬĀLIS, is, adj. Ἑρμαῖος, ad Mercurium pertinens. *Appul. Met.* 11. Ibat tertius antistes attollens palmam auro subtiliter foliatam, nec non Mercurialem etiam caduceum. *Macr. Somn. Scip.* 2, 4. Cursus Mercurialis, *h. e.* Mercurii planetae. P *Mercurialis* item appellatus est, qui quaestui faciendo incumbit, quia Mercurius lucri et mercaturae Deus habebatur. *Hor. Sat.* 2, 3, 24. Hortos, egregiasque domos mercarier unus Cum lucro noram: unde frequentia Mercuriali Imposuere mihi cognomen compita. [*Heindf., q. v., leg. *Mercuriale*, intelligitque *cognomen Mercuriale* de ipso Mercurii nomine. Voss. vertit: *daher des Mercurius Liebling volle Versteigerungshallen mich zubenahmten.*] Hinc *Pers.* 5, 112. Nec gluto sorbere salivam Mercurialem? *h. e.* salivam, quam in ore movet lucri cupiditas. V. *Pl. Amph. prol.* P *Mercuriales* etiam dicti sunt, qui cooptati fuerunt in mercatorum collegium, quod Romae ann. U. C. CCLIX. institutum, et Mercurio aedem prope circum maximum Idibus Majis dedicatam fuisse narrat *Liv.* 2, 21. et 27., ad sedandas nempe, ut probabile videtur, civiles turbas, quae in Urbe propter foeneratorum acerbitatem, et propter nexos ob aes alienum inter patres plebemque excitatae fuerant. V. *Ov. Fast.* 2, 663. et sqq. *Cic. Q. Fr.* 2, 5. M. Furium Flaccum, equitem R., hominem nequam, Capitolini, et Mercuriales de collegio ejecerunt, ad pedes uniuscujusque jacentem. V. CAPITOLINUS. P Postea etiam Beneventi, et Rudiis, et alibi fortasse institutum fuit idem *Mercurialium* collegium, qui e libertino plerumque genere erant, et decurionibus, atque Augustalibus inferiores ante plebem censebantur, quemadmodum in Urbe equites R. inter senatores, et plebem: eodem item loco fuisse constat Apollinares Mutinae, ut multis nuper docuit *Cavedonius Ant. marm. Moden.* p. 187. et sqq., Concordiales Patavii, Martiales Larini, etc. Differunt tamen mercatores, et Mercuriales: hi enim in collegium cooptati fuerunt, illi vero mercaturam quidem exercebant nulli collegio adscripti. *Inscr.* ap. *De-Vita Ant. Benev.* p. 165. Cn. Rustius Cn. L. Festivos Mercuria*lis*, et mercator sibi, etc. Alia ap. *eund. ib.* L. Helvio L. L. Hilaro nummulario Mercuriali, L. Helvio L. L. Paeto nummulario. Ex harum priore appareret, Mercuriales fuisse etiam mercatores, ex altera vero non modo mercatores, sed etiam nummularios in Mercurialium collegium adscriptos esse. Alia Rudiis reperta ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 21. M. Tuccius Augazo ob cujus (*filii*) memoriam promisit municipib. Rudin. HS. $\overline{\text{LXXX}}$. $\overline{\text{N}}$., ut ex reditu eorum die natalis fill sui omnibus annis viscerationis nomine dividatur decur*ionibus* sing. HS. XX. $\overline{\text{N}}$., Augustalibus HS. XII. $\overline{\text{N}}$., Mercurialib. HS. X. $\overline{\text{N}}$., item populo viritim HS. VII. $\overline{\text{N}}$. P Item de viris eruditis, et lyricis poetis, qui in ejus Dei tutela esse dicuntur. *Hor. Od.* 2, 17, 27. Me truncus illapsus cerebro Sustulerat, nisi Faunus ictum Dextra levasset, Mercurialium Custos virorum. V. *Od.* 1, 10. ubi curvae lyrae parens Mercurius dicitur; et *Ov. Fast.* 5, 667. P *Mercurialis*, quam nos: *Bingelkraut*, herba est a Mercurio inventa, quae et linozostis, et parthenion dicitur, et Graece a multis Hermupoa, Ἑρμοῦ πόα. Duo ejus genera, masculus et femina, quae efficacior, caule cubitali, interdum ramoso in cacumine, ocimo angustioribus foliis, geniculis densis, alarum cavis multis, semine in geniculis dependente: feminae copioso, mari juxta genicula stante, rariori ac brevi contortoque: feminae soluto et candido: folia maribus nigriora, feminis candidiora: radix supervacua, praetenuis. Varios habet in medicina usus, praecipue solvendae alvo et conceptionibus juvandis. *Cato R. R.* 158. Herbae mercurialis, non multum. *Seren. Sam.* 33. Mercurialis item capitur communiter herba. V. *Plin.* 25, 5, 18. *n.* 1. *Cato R. R.* 158. *Appul. de herb.* 83. *Scribon. Larg. compos.* 13. Adde 135 et 184. P *Pagus Mercurialis* vicus fuit Africae Propriae, in Zeugitana. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. erud. antiq.* p. 191. *B. A.* [*Ceterum totum hunc locum probe refinxit atque emendavit *F.*]

MERCŪRĬŌLUS, i, m. parvus Mercurius, parvum sigillum ebeninum Mercurium repraesentans. *Appul. Apol.* bis.

MERCŪRĬUS, ii, m. Hermes, Ἑρμῆς, filius Jovis tertii, et Majae Atlantis filiae: dictus a mercibus, quia praeest lucro, rebus emendis, ac vendendis. P Mercurii plures a priscis theologis numerantur. Primus fuit filius Jovis primi, et Cylenes Nymphae Arcadicae. Secundus natus est ex Libero, et ex Proserpina. Tertius ex Coelo et Die. Quartus ex Nilo. Hic Trismegistus appellatus est, hoc est ter maximus, quod summus sacerdos esset, sapientissimus philosophus, rex potentissimus. Quintus ex Mercurio filio Nili. Sextus ex Jove tertio et ex Maja filia Atlantis. Paulo aliter *Cic. N. D.* 3, 22. P Quae a variis Mercuriis gesta fuere, uni filio Majae fere tribuuntur. Praeesse credebatur eloquentiae. Unde linguam ei sacravit antiquitas, teste *Athenaeo* l. Δειπνοσοφ. Apud *Arnob.* 3, 118. quasi *medicurrius* dictus est, et quod inter loquentes duos media currat, et reciprocetur oratio, nominis hujus concinnata est qualitas. Deorum nuncius dictus est. Nam per sermonem omnia cogitata enunciantur. Alas in capite, et pedibus Mercurii ponebant, ut significarent, sermonem velocem ferri per aerem. Habitus est etiam Deus mercatorum, possessionis, lucri. Hinc pingi interdum solet sinistra virgulam, dextera sacculum nummarium tenens. Deus etiam furum creditus est. Nam in loquendo furtive seducit. Palaestram, et lyram invenit, Argum interemit, Prometheum in Caucaso ligavit, Martem e duris carceribus liberavit. Hermaphroditum ex sorore Venere genuit. Functorum animas ad Inferos compellit, et, si opus sit, Orco evocat. *Hor. Od.* 1, 10., *Virg. A.* 4, 238. et sqq., *Ov. Fast.* 5, 663. et sqq., *Hyg. Astron.* 2, 7. etc. P Idem esse dicitur, qui sol, ut est ap. *Macr.* V. dicta in ARGIPHONTES. P Est etiam *Mercurius* unus ex septem planetis, cujus corpus cunctorum siderum minimum fere semper subest radiis solaribus. *Cic. N. D.* 2, 20. *f.* Infra hanc autem stella Mercurii est, ea στίλβων appellatur a Graecis, quae anno fere vertente signiferum lustrat orbem, neque a sole longius unquam unius signi intervallo discedit, tum antevertens, tum subsequens. P *Dies Mercurii*, seu *Mercuris* sequioris Latinitatis tempore dictus est ille hebdomatis dies, quem ideo nunc Itali *mercore*, et *mercordi*, et *mercoledì* appellant. *Inscr.* ap. *Mur.* 402, 7. D. pridie Idus Augustas die Mercuris DD. NN. Theudosio Aug. XI. et Valentiniano puero florentissimo Caesare, *h. e.* ann. a Chr. n. CCCCXXV. Adde aliam ap. *Grut.* 1054, 8. P *Mercurii* etiam dicuntur statuae quaedam, de quibus V. HERMA. P [*Mercurius* item vocatur prominentia illa in scapulis jumentorum inter cervicem et dorsum, quam Itali vulgo *guidalesco*, vel *garrese* dicunt: fortasse ita appellatur, quia Mercurius fuit ex arcadia asinorum feracissima; is autem locus in jumentis, dum mercibus ferendis incumbunt, sagmate saepe premitur atteriturque. V. SCAPULAE. *Veg. Veter.* 2, 59. Hic enim collisiones nascuntur, cum nimis locus inaequali premitur pondere, vel indecente stratura mercurius, aut spina deteritur. *Id. ib.* 4, 3. A cirro, ubi desinit cervix, usque ad mercurium continentur calculi octo. *Pelag. Vet.* 9. Item ad clavum de mercurio, vel de dorso: et *mox:* Item si laesus fuerit mercurius supra dorsum, utilissimum est cauteriari subtiliter. *F.*] P *Aqua Mercurii*, fons in via Appia, portae Capenae vicinus. *Ov. Fast.* 5, 673. P *Tumulus Mercurii* prope Carthaginem Novam fuit, teste *Liv.* 26, 44. P *Promontorium Mercurii* in Africa Propria fuit, in Zeugitana, Carthagini vicinum. Hodie est *Capo Bona. Liv.* 29, 27. *Mela* 1, 7. *Plin.* 3, 8. et 5, 4. P *Oppidum Mercurii* in Aegypto fuit inferiore, in Heptanomide. *Plin.* 5, 9. P *Mercurius* (dicta sunt *Gesneri*) in equi partibus quis sit, mihi non liquet. *Veg. Veter.* 4, 2. *B. A.*

MERDA, ae, f. σκώρ, stercus. *Hor. Sat.* 1, 8, 37. Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis Corvorum. *Mart.* 3, 17. Sed nemo potuit tangere: merda fuit. *Phaedr.* 4, 17. de canib.: Repente odorem mixtum cum merdis cacant. *Pelag. Vet.* 7. Merda leporina.

[MERDACĔUS, a, um, adj. qui merda inquinatur. *Auct. epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 607. *Burm.* Et non laudatur mentula, merdacea est. Licenter paenultima corripitur in hoc versu, cujus auctor ad sequiorem pertinet Latinitatem. V. SMERDALEUS. *F.*]

MĔRĔ, adv. *Pl. Truc.* 1, 1, 22. Si semel amoris poculum accepit mere, Eaque intra pectus se penetravit potio, Extemplo et ipsus periit, et res, et fides. *Plin.* 33, 1, 4. Mere ferreum id erat, ut bellicae virtutis insigne. *Sic ed. *Hard.* Olim legebatur *more ferreum id erat et virt.* etc. *B. A.*

MĔRENDA, ae, f. ἄριστον δειλινόν, ut in *Gloss. Philox.* habetur. *Paul.* ex *Festo* docet antiquis dictam pro prandio, quod medio die caperetur. *Non.* 1, 118. exponit cibum, qui post meridiem datur. A *meridie* ducit etiam *Isid. Orig.* 20, 2., sed *ib.* 3. derivari posse ait etiam a *merus*, quod pueris operariis merus panis daretur. Rectius *Scalig.* ad *Varr. R. R.* dici putat a *merendo*, quod sit proprie cibus, qui datur aere merentibus, *h. e.* mercenariis. Merendae tempus fuit circa meridiem, eaque vox vulgaris familiarisque idem significat ac prandium, quod stilo sublimiori convenit. V. PRANDIUM. *Pl. Most.* 4, 2, 49. puere, praeter speciem stultus es. Vide sis, ne forte ad merendam quopiam devorteris, Atque ibi meliuscule, quam sat fuerit, biberis. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 6. Ergo ab undecima noctis in tertiam diei partim legi ex agricultura Catonis, partim scripsi. Sed faucibus curatis abii ad patrem meum, et immolanti adstiti. Deinde ad merendam itum. Quid me censes prandisse? panis tantulum; cum conchim, caepas, et maenas bene praegnates alios vorantes viderem. Deinde uvis metendis operam dedimus, et consudavimus, et jubilavimus. Ab hora sexta domum redimus, etc. Hic vides, M. Aurelium multo ante horam sextam, seu ante meridiem, merendasse, quippe qui ruri tum degebat. *Calpurn. Ecl.* 5, 60. Verum ubi declivi jam nona tepescere sole Incipiet, seraeque videbitur hora merendae. Hic *sera* dicitur merenda, quia hora nona fiebat, *h. e.* tribus post meridiem horis, aestas enim erat. P Dicitur et de cibo, qui datur brutis animantibus. Unde *Cyprio bovi merendam* dixit *Cato* ap. *Festum.* V. CYPRIUS. P Fuit etiam cogn. R. antiquissimum, ut T. Antonius Merenda decemvir consul. pot. ann. U. C. CCCIV. ap. *Liv.* 3, 35. [*Plurimis iisque egregiis additamentis hunc locum exornavit *F.*]

MĔRENDĀRĬUS, ii, m. qui merendas colligit. *Sen. Contr.* 5, 33. *f.* Ostende nobis merendarios tuos, *h. e.* mendicos a te debilitatos, qui ostiatim quaeritando stipem, velut merendam tibi conficiunt. Alii rectius leg. *mercenarios.*

[MĔRENDO, as, n. 1. prandeo. *Isid. Orig.* 20, 2. Merenda est cibus, qui declinante die sumitur, quasi post meridiem edenda. Hinc merendare, quasi meridie edere. *F.*]

MĔRENS, entis, part. a *mereor*, qui meretur,

dignus, in utramque partem. *Sall. Jug.* 105. Consul apud omnes adesse, laudare, increpare merentes. *Virg. A.* 2, 229. scelus expendisse merentem Laocoonta ferunt; et *ib.* 585. Exstinxisse nefas tamen, et sumpsisse merentis Laudabor poenas, *h. e.* de merente. *Ov. Met.* 8, 116. cives odere merentem. *Id. Pont.* 2, 2, 91. laurea decreta merenti. ℙ De eo, qui beneficia contulit. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 296. Quem periisse, ita de republica merentem, doleo. *Inscr.* ap. *Grut.* 760, 3. Licinia Faustina marito sibi merentissimo sub asc. posuit; et 932, 7. Regius Hermes uxori merentissimae F. ℙ Cum adv. *bene* frequentissimum est in *Inscr.*, ut ap. *Grut.* 933, 4. L. Attio Successo fecit L. Attius Anicetus patrono bene de se merenti; et *ib.* 5. L. Attio Successo fecit Obulnia bene merenti de se; et 955, 9. Trebellia Tyche patrono optimo de se bene merenti; et 932, 7. Regius Aristius Primitivus Aristiae Fileteni patronae bene merentissimae; et ap. *Reines. cl.* 16. *n.* 8. Homini benemerentissimo. *Hirt. B. Afr.* 86. Praemia fortissimo cuique, ac bene merenti, pro suggestu tribuit. *Pl. Capt.* 2, 2, 65. Bene merenti bene profuerit, male merenti par erit. ℙ Cum dativo. *Pl. Men.* 4, 3, 19. Quando tu me bene merentem tibi habes despicatui. ℙ Legitur et *benemerens* conjuncte.

MĔRĔO, es, ui, itum, a. 2. et Mereor, eris, itus sum, dep. 2. *μισθοφορέω.* [*Lucrari, comparare, *verdienen;* de stipendio, quod quis pro labore exacto accipit. In praeteritis promiscua est activa positio, et passiva: in aliis temporibus *passiva* videtur esse frequentior. *Varr.* ap. *Non.* 4, 296. Iste, qui meret HS. vicenos. *Cic. Rosc. Com.* 10. Illa membra merere per se non amplius poterant duodecim aeris: disciplina locabat se non minus HS CCCIↃↃↃ. *Suet. Cal.* 40. Ex gerulorum diurnis quaestibus quantum quisque uno die mereret. Adde *Ner.* 20. Quorum duces quadragena millia HS. merebant: nos: *sie dienten sich, standen auf*, etc. *Hor. A. P.* 345. Hic meret aera liber Sosiis: hic et mare transit, Et longum noto scriptori prorogat aevum. ℙ Translate. *Pl. Most.* 1, 3, 124. Quibus anus domi uxores sunt, quae vos dote meruerunt. Huc pertinent illa *Cic. Verr.* 2, 4, 60. Quid arbitramini Rheginos merere velle, ut ab eis marmorea Venus illa auferatur? *h. e.* qua mercede induci posse putatis? et *Pl. Men.* 1, 3, 34. ego hercle vero te et servabo, et sequar: Neque hodie ut te perdam, meream Deûm divitias mihi; et *Bacch.* 5, 2, 65. Quem quidem ego ut non excruciem, Alterum tantum auri non meream. *Id. Stich.* 1, 1, 24. Neque ille sibi mereat Persarum Montes, qui esse aurei perhibentur, Ut istuc faciat, quod tu metuis. Adde *Cic. N. D.* 1, 24. et *Fin* 2, 22. *med.* V. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v. ℙ Tum est quippiam facio, propter quod praemio, vel poena dignus sum, promereor, commereo, lucror, *ἄξιός εἰμι.*] *Pl. Trin.* 3, 2, 33. tibi, proinde ac merere, summas habeo gratias. *Id. Epid.* 5, 2, 46. cum tu es liber, gaudeo. *Epid.* Merui, ut fierem. *Cic. Or.* 1, 54. Respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus decoraretur. *Plin.* 35, 2, 2. Mereri, ne quis, etc. *Liv.* 2, 38. Violaturi sumus ludos, piaculumque merituri. *Caes. B. G.* 7, 34. Mereri praemia; et *ib.* 1, 4. laudem. *Quint. prooem. l.* 6. *med.* amorem. *Id.* 9, 2. *f.* fidem. *Id.* 4, 1. *med.* favorem aut odium. *Ov. Met.* 5, 666. supplicium. *Plin. Pan.* 26. immortalitatem. *Val. Fl.* 5, 224. Soligena falli meritus, meritusque relinqui. *Ov. Trist.* 5, 11, 16. Quae merui vitio perdere cuncta meo. *Id. Pont.* 3, 2, 20. Sic appellari non meruere mali. *Val. Fl.* 1, 519. Quid Minyae meruere queri? *h. e.* potuere. ℙ *Si mereor*, formula est aliquid petentis, et se commendantis. *Cic. Fam.* 10, 17. *f.* Fac valeas, dignitatemque meam, si mereor, tuearis. *Suet. Aug.* 56. Nunquam filios suos populo commendavit, ut non adjiceret, si merebuntur. ℙ *Merere* etiam dicuntur, qui turpem corpore quaestum faciunt: unde *meretrix*. *Gell.* 2, 18. A lenone domino puer ad merendum coactus. V. §. sq. *f.* ℙ *Merere*, et *mereri stipendia*, et *merere* absolute ad militantes pertinet; et in hac significatione activa positione fere utimur. *Cic. Coel.* 5. Eademque erat, si statim mereri stipendia coeperamus, castrensis ratio, ac militaris. *Id. Mur.* 5. Meruit stipendia in eo bello, quod, etc. et *ib.* Adolescens patre suo imperatore meruit. *Liv.* 21, 4. *f.* Cum hac indole virtutum ac vitiorum triennio sub Asdrubale imperatore meruit. *Id.* 24, 18. Ut ii omnes, quos censores notassent, pedibus mererent. *Id.* 5, 7. [*Hic *equis suis* scrib. censet *Kreyss.*, q. v.] et *Cic. Phil.* 1, 8. Quicumque equo meruisset. *Varr.* ap. *Non.* 4, 296. Qui aere publico mererent. *Lucan.* 10, 409. Aere merent parvo. *Stat. Th.* 4, 236. non hi tibi solum, Amphiarae, merent, auget resupina manipios Elis. [**Suet. Tib.* 4. Tribunus militum et in Germania et in Britannia meruit; et *Vesp.* 2. Tribunus militum in Thracia meruit: ita e conject. *Torrent.* et *Duk.* leg. *Brem.* pro vulg. *tribunatum. Ernest.* e cdd. aliq. dedit *tribunatu*, quod latine dici posse negat *Brem. Sil.* 2, 320. Exsangues merendo senes.] Translate de militia amatoria. *Ov. Am.* 1, 9, 43. Impulit ignarum formosae cura puellae, Jussit et in castris aera merere suis. ℙ *Mereri aes militare*, de iis, qui militant, dixit *Varr.* ap. *Non. l. c.* ℙ *Mereri de aliquo* est conferre in quempiam aliquid boni, aut mali. *Ter. Hec.* 5, 1, 34. nam meritus de me est, quod queam, illi ut commodem. *Id. Heaut.* 1, 1, 30. quid istuc mali Quaeso? quid de te tantum meruisti? *Pl. As.* 1, 2, 22. Te ego, ut digna es, perdam, atque ut de me meres. *Id. Amph.* 5, 1, 49. jam istuc gaudeo, Utut erga me est merita. ℙ Cum adv. *bene, male, optime*, et similibus. *Cic. Fam.* 10, 5. Nec quidquam ex omnibus rebus humanis est praestantius, quam de republ. bene mereri. *Id. Brut.* 73. Dixit te bene meritum de populi R. nomine. *Id. Amic.* 24. *f.* Melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum saepe dicere, hos nunquam. *Id. Att.* 10, 4. Cum cogito me de republica meruisse optime. *Id. Leg.* 3, 14. Perniciosius de republica merentur vitiosi principes. *Id. Mil.* 34. Stet haec urbs praeclara, quoquo modo merita de me erit. ℙ Interdum per metonymiam est consequi. [*Ita posteriori maxime aevo saepe occurrit. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 8, 5., ubi praeter alia laudat *intpp.* ad *Plin. ep.* 1, 8, 14. et ad *Ruf.* cp. 26. *extr.* Adde *Spald.* ad *Quint.* 4, 2, 39. et 6, 4, 5.] *Plin. ep.* 8, 13. *med.* Sequi gloria, non appeti, debet: nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulcrum est. *Paul. Dig.* 35, 2, 21. Si pupillus legatum a creditore meruerit sub hac conditione, etc. ℙ Item committere, admittere. *Petr. Sat.* 139. Coepit dicere, te noxam meruisse, daturumque serviles poenas. Sic *Ter. Ph.* 5, 8, 25. Ego, esse in hac re culpam meritam, non nego. Alii leg. *meritum*, quod est clarius. [*Ita *Bentl.*, q. v.] et *Pl. Trin.* 1, 1, 1. Amicum castigare ob meritam noxiam. Sic *Merc.* 4, 6, 12. Quae in se culpam commerent. V. COMMEREO. ℙ Part. *Merens.* V. in v. praec.

MĔRĔTRĬCĬĒ, adv. in modum meretricis. *Pl. Mil.* 3, 2, 58. Quam digne ornata incedit, haud meretricie.

MĔRĔTRĬCĬUS, a, um, adj. *ἑταιρικός*, ad meretricem pertinens. *Cic. Coel.* 20. Meretricii amores. *Id. Phil.* 2, 18. Meretricius quaestus. *Id. Verr.* 2, 3, 3. Meretricia disciplina. *Ter. Eun.* 5, 5, 18. domus. *Id. Heaut.* 2, 1, 14. ars. *Pl. Truc.* 2, 2, 63. ornamenta. ℙ *Meretricium, ii*, absolute est ars meretricia. *Suet. Cal.* 40. *extr.* Et quae meretricium, et qui lenocinium fecissent.

MĔRĔTRĬCOR, aris, dep. 1. *ἑταιρίζομαι*, meretriciis amoribus deditus sum, scortor. *Colum.* 11, 1. *med.* Si operario meretricandi potestas fiat. Alii rectius leg. *mane tricandi.* [**Schneiderus* conjicit ex Cod. *Polit.* legendum *rure feriandi*, h. e. otiandi. *Gloss. Philox.* Meretricor, *ἑταιρεύω. B. A.* et *F.*]

MĔRĔTRĬCŬLA, ae, f. *πορνίδιον, ἑταιρίδιον*, vilis meretrix, scortillum. *Cic. N. D.* 1, 33. Meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa est. *Hor. Sat.* 2, 7, 46. Te conjux aliena rapit, meretricula Davum.

MĔRĔTRIX, īcis, f. *ἑταίρα, πόρνη*, femina, quae corpore quaestum facit, scortum: a *merendo*, quia prostando aera meret. *Ov. Am.* 1, 10, 21. Stat meretrix certo cuivis mercabilis aere. *Hor. Ep.* 1, 18, 3. Ut matrona meretrici dispar erit, atque Discolor, infido scurrae distabit amicus. *Fur. Bibac.* ap. *Schol.* ad *Juven.* 8, 16. Osce senex, Catinaeque puer, Cumana meretrix. *Juven.* 6, 118. Meretrix Augusta, *h. e.* Messalina. *Prop.* 3, 9, 39. et *Plin.* 9, 35, 58. regina, *h. e.* Cleopatra. ℙ In genitivo plur. est *meretricum. Pl. Epid.* 2, 2, 29., *Bacch.* 3, 6, 34. et al. *Ov. A. Am.* 1, 435. sacrilegas meretricum ut prosequar artes. ℙ Aliquando *meretricium. Pl. Cas.* 3, 3, 22. Non matronarum officium est, sed meretricium. ℙ *Non.* 14, 27. tradit, meretrices apud veteres succinctiore veste usas esse: additque in eam rem testimonium *Afranii.* Postea togas adhibuerunt. V. TOGATUS.

MERGAE, arum, f. plur. furculae, quibus acervi frugum fiunt: dictae a volucribus mergis, quia ut illi se in aquam mergunt, dum pisces persequuntur; sic messores eas in fruges demergunt, ut elevare possint manipulos. Ita *Paul.* ex *Festo.* Easdem mergas aliis verbis describit *Varr. R. R.* 1, 50. Altero modo ut in Piceno, ubi ligneum habent incurvum batillum (leg. *bacillum*), in quo sit extremo serrula ferrea: haec comprehendit fascem spicarum, desecat, et stramenta stantia in segete relinquit, ut postea desecentur. *Colum.* 2, 21. Sunt metendi genera complura: multi falcibus veruculatis, atque iis vel rostratis, vel denticulatis, medium culmum secant: multi mergis, alii pectinibus spicam ipsam legunt. *Pl. Poen.* 5, 2, 58. Palas vendundas sibi ait, et mergas datas, Ut hortum fodiat, atque ut frumentum metat. *Id. Rud.* 3, 4, 57. si attigeris ostium, Jam hercle tibi messis in ore fiet mergis pugneis. *Plin.* 18, 30, 72. Stipulae alibi mediae falce praeciduntur, atque inter duas mergites (lege *atque alibi inter duas mergas*) spica distringitur. Ex his *Pauli, Varronis, Columellae, Plauti* et *Plinii* locis satis apparet, mergas fuisse instrumentum ferreum bifurcum (hinc plur. num. semper affertur), quo in spicas immisso, eas resecatas serrula ferrea alteri cornu, vel intra cornua, adnexa messores in manipulos colligebant. Huc spectant verba *Hesychii: Καρφαμάτια, ἐν οἷς θερίζουσι τοὺς ξηροὺς στάχυας.* [*Huic loco refingendo atque emendando acrem quam maxime curam impendit *F.*]

*MERGENTĪNI, orum, populi Umbriae. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

MERGES, ĭtis, f. *οὐλοδέτης*, manipulus, seu fascis spicarum mergis comprehensus. *Virg. G.* 2, 516. pomis exuberet annus, Aut fetu pecorum, aut cerealis mergite culmi. *Serv.:* Manipulos spicarum mergites dicimus. *Philarg.:* Mergites, fasces culmorum spicas habentium, quas metentes brachiis sinistris complectuntur: quidam cavos (lege *covos*, unde Italorum *covoni*) dicunt. *Serv.* ad *A.* 11, 532. Quidam dicunt, Opin, et Hecaergen primas ex Hyperboreis sacra in insulam Deli occultata in fascibus mergitum pertulisse. Idem ita narrat *Herodot.* 4, 33. *Δήλιοι λέγουσι ἱρὰ ἐνδεδεμένα ἐν καλάμοις πυρῶν ἐξ Ὑπερβορέων φερόμενα.* [*Nonnulla addidit *F.*]

*MERGĪTO, as, a. 1. i. q. mersito. *Tert. de Cor. milit.* 3. Ter mergitamur, *h. e.* baptizamur. *Junius* mavult *mersitamur. B. A.*

MERGO, is, ersi, ersum, a. 3. *βάπτω*, in liquorem immitto, immergo, obruo. Volunt esse a *mari*, ut *jurgo* a *jure:* est ab *ἀμέργω*, premendo moveo. *Cic. N. D.* 2, 3. Cum cavea liberati pulli non pascerentur, eos mergi in aquam jussit; et *ib.* 49. Aves, quae se in mari mergunt. *Tibull.* 2, 5, 80. sed tu, jam mitis Apollo, Prodigia indomitis merge sub aequoribus. [*V. *intpp.* ad h. l.] *Virg. A.* 6, 348. nec me Deus aequore mersit. *Sen. Thyest.* 1007. non ad infernam Styga Te, nosque mergis? *Vell.* 2, 42. Partem classis fugavit, partem mersit. *Plin.* 2, 103, 106. Nihil in Asphaltite lacu mergi potest; et 6, 27, 31. Fluvius in Euphratem mergitur, *h. e.* influit. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 13. Palmitem per jugum mergere, et alligare, *h. e.* ita per jugum flectere, ut ne exstet. *Pall.* 1, 43. Acus per quas in pastinis sarmenta merguntur. *Ov. Met.* 3, 249. Canes mergunt rostra in corpore Actaeonis. *Lucr.* 6, 1072. Purpureusque colos conchyli mergitur una Corpore cum lanae, dirimi qui non queat unquam. *Catull.* 66, 68. Bootes, Qui vix sero alto mergitur Oceano. *Mart.* 3, 19. Mergere manum in ora usae. *Sen. Agam.* 972. et *Herc. Oet.* 992. ferrum jugulo. Sic *Claud.* in *Eutrop.* 1, 447. visceribus ferrum. ℙ Ipsa etiam aqua, quae obruit, *mergere* dicitur. *Ov. Ib.* 343. Utque ferox periit et fulmine, et aequore raptor, Sic te mersuras adjuvet ignis aquas. *Lucan.* 5, 75. fluctu terras mergente. [**Plin. Pan.* 30, 3. Hinc pars magna terrarum mergi repararique palanti amne consueta, alto pulvere incanduit.] ℙ *Mergere*, absolute pro mergere in aquam. *Sen. Troad.* 648. prorutus tumulo cinis Mergetur? ossa fluctibus spargi sinam? ℙ *Mergere diem*, et *lucem* dicitur sol, cum occidit, et diem condit. *Sen. Thyest.* 777. et *Hippol.* 679. item nox advéniens. *Id. Med.* 877. Mergat diem timendum Dux noctis Hesperugo. Sic Terra coelum mergens ap. *Lucan.* 4, 54. est occidentalis, quia ab ea parte videtur coelum in mare mergi. ℙ *Mergere terram, montes* dicuntur, qui mari navigant. Dum enim feruntur in altum terrarum conspectum, veluti se undis mergentium, amittunt. *Val. Fl.* 2, 6. Jamque fretis summas aequatum Pelion ornos, Templaque Tisaeae mergunt obliqua Dianae: Jam Sciathos subsedit aquis. [*Ita saepius de stellis dicitur, ubi non occasus, sed longior recessus, unde res occidere videntur, significatur. V. *Lucan.* 3, 251. Carmanosque duces, quorum jam flexus in Austrum Aether, non totam, mergi tamen adspicit Arcton. — Etiam de aliis ita usurpatur. *Id.* 9, 541. Mergi plaustra putas.] ℙ Pro condere. *Ov. Met.* 10, 498. mersitque suos in cortice vultus. *Sen. Herc. Oet.* 1348. ora quid flectis retro, Vultumque mergis? *Stat. Th.* 5, 502. Ille graves oculos, languentiaque ora comanti Mergit bumo, *h. e.* deprimit, et abscondit in herbis. *Lucan.* 7, 163. majori pondere pressum Signiferi mersere caput, *h. e.* inclinavere: quia quo gravius est pondus, eo magis se inclinat, qui vult tollere. V. MERSUS. [*Cf. quos *Cort.* ad *Lucan.* 7, 163. laudat *Gronov. Diatr. Stat.* 38. et *Drakenb.* ad *Sil.* 10, 78. et *Prisc.* 7. p. 767.] ℙ Translate est obruere, deprimere. *Virg. A.* 6, 511. Sed me fata mea et scelus exitiale Lacaenae His mersere malis; et *ib.* 11, 27. Abstulit atra dies, et funere mersit acerbo. *Plin.* 7, 40, 41. Quam multos bona perdidere, et ultimis mersere suppliciis! *Juven.* 10, 56. Quosdam praecipitat subjecta potentia magnae Invidiae, mergit longa, atque insignis honorum Pagina. *Curt.* 10, 3. Mergi in voluptates. [**Liv.* 23, 18. Quo avidius ex insolentia in eas (voluptates) se merserant. ℙ Etiam absolute pro opprimi, pessumdari. *Lucan.* 1, 159. belli Semina, quae populos semper mersere potentes: ubi laud. *Cort.* 8, 509. regesque timet, quorum omnia mersit: et alia ejusdem generis. Adde *Sil.* 8, 286. sqq. Cernebat Paulus — labi, mergente sinistro Consule, res, pessumque dari, i. e. concidente, pereunte.]

P Eleganter dicitur de iis, qui aere alieno censum obruunt, et patrimonium evertunt. *Plin.* 9, 17, 31. de cocorum pretiis: Nullus prope jam mortalis aestimatur pluris, quam qui peritissime censum domini mergit. *Ulp. Dig.* 27, 4, 3. Neque enim in hoc administrantur tutelae, ut mergantur pupilli. *Juven.* 13, 7. sed nec Tam tenuis census tibi contigit, ut mediocris Jacturae te mergat onus. Huc pertinet et illud *Liv.* 6, 14. Multiplici jam sorte exsoluta, mergentibus semper sortem usuris, obrutum fenore esse. [*i. e. ita superant, ut nunquam solvi possit.] P *Val. Fl.* 8, 65. Mergere lumina somno. *Quint. Decl.* 6, 2. aliquem in carcerem. *Phaedr.* 4, 5. alvo. P De potatione immodica. *Sen. ep.* 12. *med.* Deditos vino potatio extrema delectat, illa quae mergit, quae ebrietati summam manum imponit.

*MERGŪLUS, i, m. demin. a *mergus*, avis nomen. *Vulgat. Levitic.* 11, 17. *B. A.*

MERGUS, i, m. *αἰθυία*, avis quaedam, ita dicta, quod ut cibum captet, in aquam se mergit, ut *Varr. L. L.* 4, 13. docet. In fabulis est Aesacus filius Priami, et Alexirhoes Granici filiae, qui cum Hesperien Nympham persequeretur, illaque in fuga morsu calcati anguis periisset, ex desiderio se in mare projecit, et Tethyos miseratione in hanc avem versus est. *Ov. Met.* 11, 793. Fecit amor maciem: longa internodia crurum, Longa manet cervix, caput est a corpore longe: Aequor amat, nomenque tenet, quia mergitur illo; et *ib.* 753. spatiosus guttura mergus; et *ib.* 8, 625. Haud procul hinc stagnum: tellus habitabilis olim, Nunc celebres mergis fulicisque palustribus undae. *Id. Pont.* 1, 6, 51. Nam prius incipiant turres vitare columbae, Antra ferae, pecudes gramina, mergus aquas, Quam, etc. *Virg. A.* 5, 127. immota attolitur unda Campus, et apricis statio tutissima mergis. *Plin.* 18, 94, 87. Praesagiunt pluviam mergi maria, aut stagna fugientes. *Id.* 11, 37, 79. Insatiabilia animalium, quibus a ventre protinus recto intestino transeunt cibi, ut lupis cervariis, et inter aves mergis. *Hor. Epod.* 10, 21. Opima quod si praeda, curvo litore Projecta, mergos juveris, etc. P *Mergus* in vitibus est sarmentum e duro excitatum, quod deorsum curvatur, et in terram mergitur, ut cacumine exeat (Etrusci *capogatto*, nostrates vulgo dicunt *refosso*) pars vero, quae inter vitis truncum est, ac terram, in arcus morem inclinatur. *Colum.* 4, 15. Mergi genus est, ubi supra terram juxta adminiculum vitis curvatur, atque ex alto scrobe submersa perducitur ad vacantem palum: tum ex arcu vehementer citat materiam, etc. Adde *Pall.* 3, 16. Differt a dracone, quia mergus ab inferiore trunco ducitur, draco a summo, ubi brachia vitis sunt. Itaque differt, ut species a genere. P *Agrarius mergus* Luciliano dicterio dicitur, qui occupandis latissimis agris inhiat. *Capitol. Pertin.* 9.

*MERIABA, oppidum Arabiae Felicis, in Sabaeorum agro, quod *Mariaba* audit *Plin.* 6, 28. *B. A.*

MĔRĪBĪBŬLUS, a, um, adj. qui meri bibax est, merobibus. *August. Confess.* 9, 8. *f.* Puella meribibula.

MĔRĬDĬĀLIS, e, adj. meridianus. *Gell.* 2, 22. Meridialis ventus. Ita legit *Salmas.*, alii *meridionalis. Tert. Anim.* 25. *med.* Apud orientalem et meridialem (*aeris*) temperaturam. *Ammian.* 22, 15. A meridiali latere.

MĔRĪDĬĀNUS, a, um, *μεσημβρινός*, ad meridiem pertinens. *Cic. Or.* 3, 5. Meridianum tempus. *Mart.* 3, 67. Exarsitque dies, et hora lassos Interjungit equos meridiana. *Plin.* 12, 19, 42. Meridianus sol. P *Meridianus* etiam dicitur, qui meridie fit. *Plin. ep.* 9, 40. Meridianus somnus. *Suet. Claud.* 34. Bestiariis, meridianisque adeo delectabatur, ut, etc. *h. e.* gladiatoribus, qui meridie dabantur, inter se depugnantes, cum mane bestiarii dari solerent. V. MATUTINUS. *Tert. Apol.* 15. Inter ludicras meridianorum crudelitates. Observat *Lips. Saturn.* 2, 15. ex *Sen. ep.* 7. et 95. *med.*, non fuisse hos gladiatores legitimos, et pugnandi peritos, armisve munitos ad ictus arcendos; sed nudos, inermesque, solisque gladiis instructos, quo facilius invicem jugularentur. P *Meridiano* absolute, est meridiano tempore. *Plin.* 2, 26, 25. et 9, 8, 8. Fax, Germanico Caesare gladiatorum spectaculum edente, praeter ora populi meridiano transcucurrit. P Item ad partem coeli pertinens, in qua sol est meridie. *Sen. Q. N.* 5, 17. Meridianus circulus. Sic *Colum.* 1, 6. aequinoctialis; et *Vell.* 2, 126. Quidquid meridiano, aut septentrione finitur. *Plin.* 2, 11, 8. Meridiana plaga; et 5, 12, 13. Babylonia magis meridiana. *Id.* 13, 4, 9. Meridianus orbis. *Id.* 7, 2, 2. In meridianis Indiae. *Varr. R. R.* 1, 7. Ager spectet ad meridianam coeli partem.

MĔRĬDĬĀTĬO, onis, f. quies et somnus meridianus. *Cic. Div.* 2, 68. *f.* Nunc quidem, propter intermissionem forensis operae, et lucubrationes detraxi, et meridiationes addidi, quibus antea uti non solebam.

MĔRĪDĬES, ei, m. *μεσημβρία*, media diei pars, cum sol altissimus est, et matutinum a vespertino tempore dividit, a *medius*, et *dies*, quasi *medidies:* quod quia erat insuavius, primum *d* in *r* mutarunt, ut *Varr. L. L.* 5, 2. et *Cic. Or.* 47. docent. *Id. Tusc.* 2, 3. *f.* Cum ante meridiem dictioni operam dedissemus, post meridiem in Academiam descendimus. *Id. Att.* 4, 3. Milo media nocte in campum venit: permansit ad meridiem. *Pl. Most.* 3, 1, 52. redito huc circiter meridiem; et *ib.* 118. jam appetit meridies. *Hor. Od.* 3, 28, 5. Inclinare meridiem Sentis, ac veluti stet volucris dies, etc. *Ter. Ad.* 5, 3, 62. Meridie ipso faciam ut stipulam colligat. *Censorin. de die nat.* 24. Secundum diluculum vocatur mane, cum lux videtur solis; post hoc ad meridiem; tum meridies, quod est medii diei nomen; inde de meridie. P Item pars coeli, qua meridies notatur. *Cic. N. D.* 2, 19. Inflectens sol cursum tum ad septentriones, tum ad meridiem. *Id. fr.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Sol paulum a meridie devexus. *Colum.* 1, 6. Aestiva cubicula spectent meridiem aequinoctialem. *Tac. H.* 5, 6. A meridie Aegyptus objacet, ab occasu Phoenices. *Id. Agr.* 10. Britannia in occidentem Hispaniae obtenditur, Gallis in meridiem inspicitur. P *Meridie* neutro genere. *Varr. R. R.* 1, 2. Aestivo die si non diffinderem meo insiticio somno meridie, vivere non possem. Alii leg. *meridie diem.* Possis etiam ita interpretari, ut *diem* subintelligatur et *meridie* sit ablativus temporis. V. DIFFINDO. P Per catachresin de medio noctis tempore. *Varr.* ap. *Non.* 6, 16. Repente noctis circiter meridiem, Cum pictus aer fervidis late ignibus, Coeli choreas astricas ostenderet. P *Nonius ib.* aetatis meridiem dixit.

MĔRĪDĬŌ, ās, n. et Meridior, aris, atus sum, dep. 1. *ἐλιννύειν τὸ καῦμα, μεσημβρίζειν*, quietem, aut somnum meridie capio. *Catull.* 32, 3. Jube, ad te veniam meridiatum, *h. e.* libidinatum; veteres enim meridie praesertim libidini indulsisse, constat ex *eodem* 61, 117. et *Ov. Am.* 1, 5. *Cels.* 1, 2. *med.* Longis diebus meridiari potius ante cibum; sin minus post eum. *Suet. Cal.* 38. Gloriatusque est expergefactae Caesoniae, quantum egisset, dum ea meridiaret; et *Ner.* 6. Missos, qui eum meridiantem strangularent. V. MERIDIATIO, et DIFFINDO.

MĔRĪDĬŌNĀLIS, e, adj. *μεσημβρινός*, ad meridiem situs. *Lact.* 2, 9. Meridionalis plaga. *Firm. Math.* 2, 12. *med.* Meridionale signum. V. MERIDIALIS.

[MĔRĪDĬŌNĀRĬUS, a, um, adj. meridianus. *Titin.* ap. *Appul. de orthogr.* (ed. *A. Maio*) p. 130. Gladiator mi, gloria quojus lemulcatus (*lege* lemniscatus) meridionaria; nam erit haec septima laurus. V. LEMNISCUS et LEMNISCATUS. *F.*]

[MĔRĪNAS, atis, adj. ad Merinum pertinens, urbem excisam in Apulia Daunia quatuor mill. pass. a *Viesti* remotam, ubi nunc *S. Maria di Merino*, ad radices montis Gargani. *Plin.* 3, 11, 16. Merinates ex Gargano. *F.*]

MĔRĬŌNES, ae, m. *Μηριόνης*, auriga Idomenei, et dux navium, quae e Creta Trojam venerunt. *Ov. Met.* 13, 359. et *Hor. Od.* 1, 6. et 15.

[MĔRĬS, idis, f. *μερίς*, agri pars a fundo divisa, eidem tamen addita et subjecta: a *μείρω*, divido. *Tabula alim. Vell.* a *Delama* edita *col.* 7. *lin.* 15. Fundum Philetianum cum meride Vicriana in Placentino; et *col.* 4. *l.* 38. Fundum Metilianum cum casis, et silvis, et meridibus, et debelis; et *col.* 6. *l.* 86. Fundo Afriano Dextriano cum meridibus omnibus, et alluvionibus junctis praediis suprascriptis. *F.*]

MĔRĬTISSĬMO. V. MERITUM et MERITO.

MĔRĬTO, adv. *ἀξίως*, digne, jure. *Cic. Verr.* 2, 3, 68. Quamquam merito sum iratus Metello, tamen haec quae vera sunt, dicam. *Id. Or.* 1, 55. Quem omnes amare meritissimo pro ejus eximia suavitate debemus. (Adde *Turpil.* et *Caecil.* ap. *Non.* 2, 545.) *Id. Verr.* 2, 5, 67. Recte ac merito commovebamur. *Id. Cat.* 3, 6. Praetores merito ac jure laudantur. *Id. Dom.* 1. Consilium majorum jure ac merito laudare possumus. *Flor.* 2, 19., *Sen. Clem.* 1, 12. et *Curt.* 10, 9. Jure, meritoque fateatur. *Gell.* 1, 15. *med.* Neque non merito Homerus unum ex omnibus Thersiten *ἀκριτόμυθον* appellat. P Pleonasmus est in illo *Pl. Most.* 3, 2, 23. Nihil erit, quod Deorum ullum accusites: Te ipse jure optimo, merito incuses, licet. P *Merito* in formula solvendi vota, V. LIBENS. P *Merito*, exclamatio approbantis, si quid mali cuipiam digno evenit. *Ov. Am.* 2, 14, 40. Et clamant, merito, qui modo cumque vident; et *Met.* 6, 687. Et merito, dixit: quid enim mea tela reliqui? etc. P *Meritissime* pro *meritissimo* ap. *Solin.* 7. Hymetto meritissime, ac jure attribuitur principatus. In *vet. S. C.* ap. *Plin ep.* 8, 6. Ut Pallas singularis industriae fructum meritissime ferat. Alii rectius leg. *meritissimo.*

MĔRĪTO, as, avi, atum, a. 1. [*Frequentat. v. *mereo.*] *μισθαρνέω*, quaestum, seu lucrum labore atque industria capio. *Plin.* 7, 39, 40. Roscius histrio HS D. annua meritasse proditur. P Pro merere stipendia. *Cato* ap. *Fest.* Meritavere stipendia. Absolute *Sil.* 10, 656. tum terga dedisse Damnatis Siculas longe meritare per oras Impositum.

MĔRĬTŌRĬUS, a, um, adj. *μίσθιος*, ad merendum, seu lucrandum pertinens. *Sen. ep.* 88. Meritoria artificia. *Plin. ep.* 2, 17. *f.* balinea. *Suet. Vit.* 7. Tanta egestate rei familiaris, ut uxore et liberis meritorio coenaculo abditis, domum ablocaret; et *Cal.* 39. Comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis. *Cic. Phil.* 2, 41. Ingenui pueri cum meritoriis, scorta inter matresfamilias versabantur, [*ubi pueri meritorii sunt adolescentuli, quaestus causa infami aliorum libidini inservientes.] *Sen. Br. V.* 14. Cum per diversas domos meritoriam salutationem circumtulerint, *h. e.* non gratuitam, sed quae exspectat et sperat aliquid. P *Meritoria* absolute, aedes, vel coenacula, vel cellae, vel tabernae, quae pretio locantur. *Juven.* 3, 234. nam quae meritoria somnum Admittunt? magnis opibus dormitur in Urbe. *Ulp. Dig.* 50, 16, 198. Si forte stabula sunt vel alia meritoria in villis. Adde *Paul. Dig.* 32, 89. *med.* Hinc, meritoria facere differt a *locando*, quia locantur aedes in longum tempus, certisque personis: qui meritoria faciunt, fere in dies, et incertis personis locum concedunt. *Ulp. Dig.* 7, 1, 13. *f.* Si domus usus fructus legatus sit, meritoria illic facere fructuarius non debet, nec per coenacula dividere domum. Atquin locare potest, etc. et *mox:* Quod autem dicitur, meritoria non facturum, accipe quae diversoria, vel fullonica vulgo appellantur. P Speciatim *meritorium* est cella meretricis. *Vopisc. Tac.* 10. Meritoria intra urbem stare vetuit. (*Salmas.* non de loco, sed de persona accipiendum putat, quia *stare* dicit, quod meretricum est.) *Sever. Imp.* in *ep.* ap. *Spart. Pesc. Nigr.* 3. Milites pro tricliniis popinas habent, pro cubiculis meritoria. *Prud. Ham.* 763. Balnea, propolas, meritoria, templa, theatra. *Firm. Math.* 6, 31. *in.* Illustribus viris de meritorio detracta mulier conjugali gratia copulatur.

MĔRĪTUM, i, n. [*Primum significat mercedem, praemium pro eo, quod qui labore, opera qualicunque perfecerit, acceptum. *Ter. Phorm.* 2, 1, 75. Nihil suave meritum est, i. e. nulla est tam magna merces, nullum tantum pretium, quod libens capiam, si habendum sit ea conditione, ut illam patiar cum illo nuptam uno die. Ita h. l. explicat *Gronov.* quem laudat *Ruhnk.* ubi v. P Hinc ap. serioris aevi scriptores ponitur pro poena. Ita *Appul. Met.* 8. Specta denique, quale coelesti providentia meritum reportaverit. *Tert. Apol.* 21. Nec intelligerent, meritum fuit delictorum. P Tum est] quodvis nostrum factum vel rectum, vel pravum, quo alicujus animum, et voluntatem demeremur, vel offendimus. Est enim vocabulum medium, quod tam in bonam, quam in malam partem accipitur. In bonam. [*εὐεργέτημα.] *Cic. Phil.* 3, 6. Militibus exquirendi sunt honores novi, propter eorum divinum atque immortale meritum. *Id. Cat.* 3, 6. Supplicatio Diis immortalibus pro singulari eorum merito decreta est. *Suet. Aug.* 45. Pro merito certantium quemque honoravit. *Cic. Fam.* 14, 2. Pisonem nostrum merito ejus amo plurimum. *Id. Att.* 5, 11. Apud Patronem te in maxima gratia posui: et hercule merito tuo feci. (*Meritissimo* substantivi more dixit *Pl. As.* 3, 3, 147. Meritissimo ejus, quae volet faciemus. Sic *pessimo publico* dixere *Varr.* et *Liv.* V. PESSIMUS.) *Cic. Fam.* 1, 1. Magnitudo tuorum erga me meritorum. *Plin. ep.* 3, 11. Meritum meum, ut vera, ita supra meritum praedicatione circumfert. P Per metonymiam est ipsum beneficium. *Cic. Amic.* 8. Ut in dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus per se ipse posset, id acciperet ab alio, vicissimque redderet. *Liv.* 39, 28. Itaque ille vestrum meritum habet, non vos illius. *Cic. Fam.* 11, 17. Magna ejus sunt in me non dico officia, sed merita. *Ov. Amor.* 2, 3, 10. Sunt tibi cum domina signa ferenda tua. Hanc imple meritis: hujus tibi gratia prosit. P In malam partem, [*i. q. culpa, peccatum.] *Cic. Sext.* 17. *med.* Caesar, qui a me nullo meo merito alienus esse debebat. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. Mea fortuna, nescio quomodo, obtrectatores invenit, non meo quidem mehercules merito. *Liv.* 40, 15. *med.* Hodie me primum aperte frater accusat, nullo meo in se merito. *Ov. Her.* 5, 7. Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum est; et *Pont.* 3, 3, 76. Non gravior merito vindicis ira fuit. Adde *ib.* 6, 10. et *Amor.* 3, 3, 16. P Sumitur etiam pro dote, dignitate, virtute innata, qua quaelibet res censetur, et in pretio est. *Pall.* 1, 37. Primi saporis mella thymi succus effundit, secundi meriti thymbra, tertii meriti rosmarinus. *Id.* 4, 13. In admissario quatuor spectanda sunt, forma, color, meritum, pulcritudo; et 3, 9. *med.* Industrius vir vitium genera probata deligat, et terris talibus mandet, quae imitari eas possint, unde sumuntur: sic merita sua quaeque servabit. *Grat. Cyn.* 371. nec viribus ullis, Aut merito venia est, aut spes, exire precanti. *Mart.* 8, 65. Grande loci meritum testantur et altera dona. *Ov. Fast.* 1, 7. In-

venies illic et festa domestica vobis, Et quo sit merito quaeque notata dies. *Paul. Sent.* 5, 35. Meritum appellationis causae capitalis nonnisi per nosmetipsos prosequi possumus, *h. e.* ipsam causam, vim, et rationem. *Id. Dig.* 49, 1, 27. Post redditas rationes neque tutor, neque curator appellationis merita probare cogetur. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 8, 5, 2. Merita negotiorum, i. e. gravitas. *Imppp. Valentin., Theod. et Arcad. Cod. Theod.* 15, 1, 30. Aedificia majoris meriti, i. e. pretii.

MĔRĬTUS, a, um, part. a *mereor*. Active. *Caes. B. G.* 1, 40. Non minorem laudem exercitus, quam imperator meritus videbatur. *Plin.* 7, 30, 31. Salve, primus in toga triumphum, linguaeque lauream merite. *Virg. A.* 4, 547. Quin morere, ut merita es. ℙ Cum infinito. *Val. Fl.* 5, 224. falli meritus, meritusque relinqui. *Stat. Silv.* 2, 6, 97. meritus doleri, *h. e.* dignus, quem omnes doleant. ℙ De eo, qui beneficium contulit, qui profuit, qui operam, fidemque praestitit. *Caes. B. G.* 1, 11. Ita se omni tempore de populo R. meritos esse, ut, etc.; et *ib.* 3, 99. Optime eum de se meritum judicabat; et *B. C.* 1, 13. Caesarem imperatorem bene de republ. meritum. *Cic. Fam.* 12, 12. Milites mirifice de republ. meriti; et *in Sen.* 12. Homines de me divinitus meriti. *Virg. G.* 2, 515. armenta boum, meritosque juvencos. ℙ [*Dicitur etiam *meritus* is, qui stipendia meruit. *Tac. A.* 11, 18. Gannascus natione Canninefas, auxiliaris et diu meritus. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 303. qui laud. *Rup.*] ℙ Passive. *Plin.* 7, 28, 29. Quae Cannis corona merita? *Id.* 10, 51, 72. Quaestus opimi, et voce meriti. *Virg. A.* 5, 70. meritaeque exspectent praemia palmae. *Liv.* 8, 7. Ignarus, laus, an poena merita esset. ℙ Saepe in nomen transit, et est dignus, conveniens, congruus, justus, debitus, ἄξιος. *Cic. Or.* 2, 50. Illam iracundiam non injustam, sed meritam ac debitam fuisse. *Virg. A.* 5, 696. merita morte perire; et *ib.* 3, 118. meritos aris mactavit honores. *Plin. ep.* 5, 15. Fama optima, et meritissima frui. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 5. *n.* 35. Fulvius Inquilinus victimarius sibi, et Fulviae filiae meritissimae, etc. *h. e.* optime meritae. ℙ *Merito jure*, h. e. congruo, justo jure. *Tryphon. Dig.* 37, 4, 20. *f.* Sed nec adversus eum constituendae actionis legatorum ratio est, quia merito jure intestato heres exstitit. Al. leg. *mero.* ℙ *Meritis de causis*, justis de causis. *Paul. Dig.* 48, 20. Liberi, ne judicio quidem parentis, nisi meritis de causis, submoveri ab successione possunt.

[MERMĔROS, i, m. Μέρμερος (curiosus), est nomen unius ex Centauris, qui Pirithoi nuptiis interfuere. *Ov. Met.* 12, 305. *F.*]

MERMESSĬUS, a, um, adj. ad Mermessum pertinens, quod est oppidum seu vicus Phrygiae in Ida monte, Μερμησσός. *Tibull.* 2, 5, 67. Quidquid Amalthea, quidquid Mermessia dixit, *h. e.* Sibylla Hellespontica, in agro Trojano nata, vico Mermesso, circa oppidum Gergitium, quam scribit Heraclides Ponticus, Solonis, et Cyri fuisse temporibus, ut est ap. *Lact.* 1, 6., ubi al. leg. *Marmesso*, alii *Marpesso:* unde et ap. *Tibull.* alii *Marpessia.*

MERO. V. AERO, onis. ℙ *Mĕro*, per jocum dictus est Tiberius Caesar pro *Nero*, quod impendio vinosior esset. *Suet. Ner.* 42. In castris tiro etiam tum, propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio Biberius, pro Claudio Caldius, pro Nerone Mero vocabatur.

MĔRŌBĪBUS, a, um, adj. qui mero delectatur, meribibulus. *Pl. Curc.* 1, 1, 77. anus multibiba, atque merobiba.

[MEROBRĪGENSIS, e, adj. ad Merobrigam pertinens, Lusitaniae urbem, ad oram oceani, ubi nunc *Santiago de Cassera. Inscr.* ap. *Grut.* 257, 2. Merobrigensium municipium. Alia ap. *eund.* 442, 9. Permittente ordine Merobrig. *F.*]

MEROCTES. V. MOLOCHĪTIS.

MĔRŌĒ, es, f. per tres syllabas, *Gueguere*, al. *Neube*, Μερόη, insula magna Aethiopiae cum urbe cognomine, a Nilo, Astapo, et Astabora fluminibus effecta, clypei figura, metallis omnibus abundans. *Plin.* 2, 73, 75. et 5, 9, 10. *Lucan.* 10, 303. Ambitur nigris Meroe fecunda colonis, Laeta comis ebeni: quae quamvis arbore multa Frondeat, aestatem nulla sibi mitigat umbra: Linea tam rectum Mundi ferit illa Leonem. Ludit *Auson.* in hoc nomine *epigr.* 20. de anu ebriosa. V.

*MEROETĪCUS, a, um, adj. ad Meroen pertinens. *Lucan.* 10, 117. Ebenus Meroetica. Sic ed. *Cort.* Al. leg. *Mareotia. B. A.*

MĔRŌIS, idis, f. μεροΐς, herba in Meroe nascens, folio lactucae, hydropicis utilissima, e mulso pota. *Plin.* 24, 17, 102.

MĔRŌPĒ, es, f. Μερόπη, Atlantis et Pleiones filia, una Plejadum. Inter Plejades stellas obscurissima fingitur. Causa est, quod Sisypho regi Corinthiorum homini mortali nupserit, ex quo Creontem, Glaucum, et Laertem peperit. *Ov. Fast.* 4, 173. Septima mortali Merope tibi, Sisyphe, nupsit. Poenitet, et facti sola pudore latet. *Adde *Hyg. fab. praef.* et *fab.* 192. et *Astron.* 2, 21. ℙ Fuit et Merope Solis Clymenesque filia, soror Phaethontis. *Hyg. fab.* 152. ℙ *Hesiodo* Phaethon Clymeni Solis filii et Meropes nymphae, Oceanitidis, fuit filius. *Hyg. fab.* 154. ℙ Item uxor Megarei, ex qua Hippomenem suscepit. *Id. fab.* 185. ℙ Fuit et Merope vel Meropis, Μεροπίς, insula maris Aegaei, notiore nomine Cos. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

MĔROPS, ŏpis, f. μέροψ, avis pallido intus colore pennarum, superne cyaneo: primore subrutilo. Nidificat in specu, sex pedum defossa altitudine. Infesta inprimis est alveariis, apesque absumit. Unde *apiastra* a quibusdam appellatur, teste *Serv.* ad *G.* 4, 13. Pietate in parentes volucribus ceteris praestat. Nam ubi primum per aetatem volare potest, parentes in altissimis specubus reconditos alit. *Plin.* 10, 33, 51. *Virg. l. c.* Absint et picti squalentia terga lacerti Pinguibus a stabulis, meropesque, aliaeque volucres. [*Nostr. *Bienenfrass*, *Bienenspecht*, *Bienenwolf*, *Immenwolf*, Merops Apiaster, *L.*] ℙ [*Merops*, μέροψ, est etiam homo, articulatam vocem habens: a *μείρω*, divido, et ὄψ, ὀπός, vox. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 887, 5. T. Claudio Aug. L. Meropi procuratori a regionibus urb. *F.*] ℙ **Merops*, *opis*, m. Clymenes maritus, Phaethontis pater putativus. *Ov. Met.* 1, 763. *Id. Trist.* 3, 4, 30. Hinc *ib.* 2, 184. Jam Meropis *(filius)* dici cupiens *(Phaethon.).* ℙ Fuit et Merops rex Coi insulae, unde insulani Meropes olim nominati. *Quint.* 8, 6. *B. A.*

[MĔROSUS, a, um, adj. idem fere ac meracus. *Agroet. de orthogr.* p. 2273. Aquosum locum, qui ex se aquam fundit; ita et meracam potionem; merosum autem vinum appellabimus. *F.*]

[MERSĀTUS, a, um, part. a *merso*, idem ac mersus. *Sen. Q. N.* 4. *extr.* Boletos raptim condimento suo mersatos demittunt paene fumantes. *F.*]

[MERSĬO, onis, f. idem fere ac immersio. *Gloss. Philox.* Mersio, βύθιοις. *F.*]

MERSĬTO, as, a. 1. frequent. a *merso. Solin.* 45. *f.* Equus quo acrior fuerit, speique majoris, eo profundius nares mersitat in bibendo.

MERSO, as, avi, atum, a. 1. βάπτω, saepe mergo, frequent. a *mergo*, pro quo promiscue usurpatur. *Virg. G.* 1, 272. Balantumque gregem fluvio mersare salubri. *Hor. Sat.* 2, 4, 19. Vivam gallinam musto mersare Falerno. *Tac. A.* 15, 69. Vivens adhuc balneo infertur, calida aqua mersatur. ℙ Translate. *Lucr.* 5, 1005. Tum penuria deinde cibi languentia leto Membra dabat: contra nunc rerum copia mersat. *Hor. Ep.* 1, 1, 16. Nunc agilis fio, et mersor civilibus undis. *Catull.* 68, 13. mersor fortunae fluctibus.

MERSUS, a, um, part. a *mergo*, βαπτισθείς, liquore aliquo perfusus, aquis opertus, obrutus. *Ov. Fast.* 4, 48. in Tuscae gurgite mersus aquae; et *ib.* 2, 78. medii quoque terga Leonis In liquidas subito mersa notabit aquas. *Prud. Cath.* 5, 3. Mersus sol. *Phaedr.* 1, 2. Tigillum mersum limo. *Juven.* 14, 301. mersa rate naufragus assem Dum rogat. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 243. mersus fornix, *h. e.* depressus. ℙ Translate. *Liv.* 9, 18. Alexander mersus secundis rebus. *Virg. A.* 6, 267. Pandere res alta terra et caligine mersas. *Stat. Silv.* 5, 1, 201. mersumque in corde dolorem. *Sen. Oedip.* 798. Effare, mersus quis premat mentem timor. *Liv.* 41, 3. *extr.* Vino somnoque mersi jacent. *Stat. Th.* 6, 803. Sponte ruens, mersusque humeris, *h. e.* ita contracto collo, et adducto capite, ut mersum inter humeros, et absconditum videatur. (Sic *ib.* 850. Collaque demersere humeris.) *Sil.* 10, 77. Ut canis occultos agitat cum Belgicus apros, Erroresque ferae solers per devia, mersa Nare legit, *h. e.* humi pressa. Sic *Lucan.* 4, 443. canis presso vestigia rostro Colligit. *Id. ib.* 745. mersos aciem dejecit in agros, *h. e.* humiles, depressos. Al. leg. *medios. Quint. Decl.* 19, 4. Mersis dejectisque luminibus, omnes ictus excepit in faciem. ℙ De iis qui aere alieno, vel abliguriendo patrimonium evertunt. *Juven.* 11, 39. aere paterno Ac rebus mersis in ventrem. *Pl. Epid.* 1, 2, 16. Mersus foro. V. MERGO. ℙ [*Confund. *mersus* et *missus.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 748.]

[MERTHRYX, ygis, f. μερθρυξ, herba eadem ac geranion. *Plin.* 26, 11, 68. *F.*]

MERTO, as, a. 1. pro *merso*, *as*, dixere veteres, *t* in locum *s* succedente, ut in *pultare* pro *pulsare*, ut docent *Quint.* 1, 4. et *Festus:* atque ita usurpavit *Acc.* ap. *Non.* 2, 542. Fortassean sint, quos hic non mertet metus. *Id. ib.* Vel hic qui in ea parte effrenata impudentia Praesentem praesens dictis mertare institit.

*MERUCRA, ae, f. opp. Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

MĔRŬLA, ae, f. κόττυφος, avis genus, tum mas, tum femina (neque enim *merulus* Latine dicitur, ut *Varr.* monet *L. L.* 8, 38. et *Charis.* 1, 42.): a *merus* solus, uti *Fest.* in *Merum*, et *Varr. L. L.* 5, 11. docent, quia solivaga est, et solitaria pascitur. *Plin.* 10, 29, 42. Merula ex nigra rufescit, canit aestate, hieme balbutit, circa solstitium muta; et *ib.* 53, 74. Merulae bis anno pariunt; et *ib.* 30, 45. Merulae circa Cyllenem Arcadiae, nec usquam aliubi, candidae nascuntur: (raras esse albas merulas etiam *Varro* significat *R. R.* 3, 9. *med.) Cic. Fin.* 5, 15. Serpere anguiculos, nare anaticulas, evolare merulas, cornibus uti boves videmus. ℙ Est etiam genus piscis, inter saxatile laudati, ut ait *Plin.* 32, 11, 53. Adde 9, 15, 20., item *Varr. L. L.* 8, 22. et *Colum.* 8, 16. et 17. De hac etiam *Ov. Hal.* 114. Auratis muraena notis, merulaeque virentes. [**Meeramsel.*] ℙ Item genus machinulae hydraulicae, quae aquae pressione vocem merulae reddit: [cujusmodi in nostris sacrarum aedium organis dicimus *usignuolo. F.*] *Vitr.* 10, 12. *med.* ℙ [Est etiam cogn. R., ut Cn. Cornelius Merula ap. *Liv.* 33, 55. *F.*] ℙ *Fuit et Merula amnis Liguriae, prope Albium Ingaunum oppidum. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

[MĔRŬLĀTOR, oris, m. potator meri. *Inscr.* ap. *Mur.* 1442, 5. Hic situs ille ego sum merulator Publius, ipse Quod vocitatus eram Baebius cognomine patris, Roma mihi patria, nomen meu' Primus in aevom. Hinc apparet, P. Baebium Primum ob lusum nominis Baebii, quod cum Bibulo, seu Biberio convenire videtur, merulatorem a mero, vel merulento dictum fuisse. V. MERO. *F.*]

MĔRŬLENTUS, a, um, adj. vinolentus, meri bibax. V. in ABSTĔMIUS locum *Rubrii* poetae, ubi est qui legit *temulentus.* ℙ Translate madidus. *Fulg. Myth. praef.* Pierides praepetis ungulae rivo merulentae, *h. e.* aqua fontis Hippocrenes irroratae.

[MĔRŬLĪNUS, i, m. ad merulam pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ad. *Raym. Guarin. Comment.* 7. p. 41. A. Perennius Merulinus. *F.*]

MĔRŬLUS, i, m. Negat *Varr.* Latine dici, ut in MERULA adnotavimus. Nec multum auctoritatis habet *Auct. carm. Philom.* ubi ait 13. Et merulus modulans tam pulcris concinit odis.

MĔRUM, i, n. ἄκρατον, vinum purum, et nulla aqua mixtum. *Pl. Curc.* 1, 2, 35. hoc vide, ut Ingurgitat impura se in merum avariter. *Hor. Ep* 1, 19, 11. non cessavere poetae Nocturno certare mero, putere diurno. *Id. Od.* 1, 36, 13. multi Damalis meri, *h. e.* merobiba, ebriosa. *Ov. Fast.* 2, 539. Inque mero mollita Ceres. *Val. Fl.* 5, 595. profundo mero incumbens, *h. e.* alto somno, quod meri multum biberat. *Sen. Herc. Oet.* 572. Victus mero. *Plin.* 14, 22, 28. Ad merum pronior. *Id.* 23, 1, 23. Merum remedium est contra cicutas, aconitum, argentum vivum, vespas, etc. *Colum.* 10, 302. croceosque corymbos Sparge mero Bacchi: nam Bacchus condit odores.

MĔRUS, a, um, adj. ἄκρατος, solus, ab aliis divisus ac segregatus. Sunt qui putant esse a *μείρω*, divido. *Festus:* Merum antiqui dicebant solum: unde et avis merula, quod solivaga est, et solitaria pascitur: at nunc merum, purum appellamus. [*De differentia vv. *merus* et *meracus* in hac posteriori v. dictum est.] *Ter. Phorm.* 1, 2, 95. non multum habet, Quod det, fortasse. *Ge.* immo nihil, nisi spem meram. *Varr.* ap. *Non.* 4, 295. Diogenem postea pallium solum habuisse, et habere Ulyssem meram tunicam, pileum ideo non habere. *Appul. Apol.* Aliquantam pecuniam nullis tabulis, sed ut aequum erat, mera fide acceptam, filiis debebat. ℙ Saepissime est purus, liquidus, sincerus, cui nihil est admixtum. Sed haec notio cum priore facile confunditur. *Ov. Met.* 15, 323. Vina fugit, gaudetque meris abstemius undis. *Id. Fast.* 4, 369. Lacte mero veteres usi memorantur, et herbis. *Pl. As.* 1, 3, 3. Aurum, atque argentum merum. *Id. Truc.* 2, 2, 14. Rus merum hoc quidem est. *Colum.* 3, 21. *med.* Gustus cujusque generis *(uvarum)* non mixtus, sed vere merus. *Ulp. Dig.* 2, 1, 3. Imperium aut merum, aut mixtum est: merum imperium est habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines: quod etiam potestas appellatur: mixtum est imperium, cui etiam jurisdictio inest. *Pl. Most.* 3, 1, 111. Emit aedes speculo claras, clarorem merum. *Petr. fragm. Trag.* 37. *Burm.* Mero meridie si dixeris illi, tenebras esse, credet. *Varr. R. R.* 2, 2. Oves neque vetulae, neque merae agnae, *h. e.* quae nondum agni aetatem excessere. *Plin. ep.* 8, 24. Cogita, te missum in provinciam Achaiam, illam veram et meram Graeciam, in qua primum humanitas, litterae inventae, etc. *Cic. Att.* 4, 7. Chaerippus mera monstra nunciarat; et *ib.* 9, 11. Merae proscriptiones, meri Sullae; et *ib.* 12. *extr.* Mera scelera loquuntur; et *ib.* 13. *extr.* Dolabella suis litteris merum bellum loquitur; et *ib.* 6, 3. *med.* Merae nugae. *Hor. Ep.* 1, 18, 8. mera libertas. *Mera libertas* ap. *Liv.* 39, 26. in malam partem accipitur pro immoderata et effreni, et quae nihil civilis modestiae admixtum habeat. ℙ *Mero pede* est pede nudo, in illo *Juven.* 6, 158. Observant ubi festa mero pede sabbata reges. Sic *Prud. περὶ στεφ.* 6, 91. Stabat calce mera. ℙ Frequenter refertur ad vinum nulla aqua dilutum. *Varr.* ap. *Non.* 4, 295. Vino corpus corrumpis mero. *Ov. Met.* 13, 331. Haud aliter titubat, quam si mera vina bibisset. Adde *Pl. Amph.* 1, 1, 276. Hinc *merum* absolute. V. v. praec.

MĔRUS, i, m. *Μηρὸς*, mons Indiae prope Nysam. V. NYSA.

MERX, mercis, f. *τὰ ἀγοράσματα*, res ipsa, quae emitur, venditurve: a *mercor*. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 5, 35. Phoenices primi mercaturis, et mercibus suis avaritiam, et magnificentiam, et inexplebiles cupiditates omnium rerum supportaverunt in Graeciam. *Id. Rab. Post.* 14. Merces fallaces et fucosae, chartis, et linteis, et vitro delatae. *Pl. Poen.* 1, 2, 128. Invendibili merce oportet ultro emptorem adducere: Proba merx facile emptorem reperit, tametsi in abstruso sita est: [*al buon vino non bisogna frasca. F.*] *Plin. ep.* 4, 14. Ex aliqua peregrina et delicata merce. *Ov. Met.* 13, 165. Femineae merces. *Colum.* 11, 3. *med.* Cucurbitam esculentae merci praeparare. *Virg. Ecl.* 4, 38. nec nautica pinus Mutabit merces. *Plin.* 9, 55, 81. Permutare aliquid pretio, vel merce alia. *Hor. Sat.* 1, 2, 105. Ostendere mercem. *Ov. A. Am.* 1, 421. Expedit institor merces suas. *Plin.* 12, 25, 54. Sarmenta quoque in merce sunt, *h. e.* venalia sunt. *Id.* 29, 1, 8. Invehere merces peregrinas; et 19, 1, 2. Arabiae, et Indiae merces importare. *Id.* 14, 4, 6. Merces petitae in Rubrum litus. *Id.* 5, 9, 11. Indicarum mercium emporium. ℙ *Merx mala* translate de malo dicitur. *Pl. Men.* 5, 2, 6. ut aetas mala mala merx est tergo! ℙ Item de malo homine, astuto, callido. *Id. Cist.* 4, 2, 61. Mala merx haec, et callida est. Adde *Ps.* 4, 1, 44. et *Pers.* 2, 2, 56. ℙ Pro *merx* etiam *merces* dicitur in recto casu. V. MERCES.

MĔSĂ Cannabis, *μέση*, h. e. media. *Plin.* 19, 9, 56. de cannabi: Tria ejus genera: improbatur cortici proximum, aut medullae: laudatissima est e medio, quae mesa vocatur.

*MESABATĒNE, es, f. regionis nomen in Elymaide. *Plin.* 6, 27. *B. A.*

*MESAE, arum, populi Indiae, circa Indum flumen. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*MESAGEBES, ium, populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

MĔSANCŬLON, i, n. *μεσάγκυλον*, genus teli, in medio amentum habens. *Gell.* 10, 25., ubi notant interpretes, corrupte legi *mesanculae*, pro *mesancula*. Dictum est a *μέσος*, medius, et *ἀγκύλη*, amentum. Ap. *Fest.* corrupte legitur *mefancilum*.

MĔSĂPĬĂ et Messapia, ae, f. *terra d'Otranto*, regio Italiae, alias Apulia, a Mesapo rege sic dicta. *Festus.*

MĔSĂPĬUS et Messapius, a, um, adj. ad Mesapiam pertinens. *Ov. Met.* 14, 513. Mesapiaque arva relinquit.

MĔSĂPUS seu Messapus, i, m. filius Neptuni, qui in equis domandis excelluisse, et igni et ferro insuperabilis fuisse fingitur. *Serv.* idcirco Neptuni filium appellatum putat, quod per mare in Italiam fuerit vectus in auxilium Turni adversus Aeneam. *Virg. A.* 7, 691.

*MESĀTE, es, f. (*μεσάτη*, i. e. media,) insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. ℙ Proprie est adjectivum, subintellecto *insula;* quod saepius fit in insularum nominibus. *B. A.*

MĔSAULAE, arum, f. plur. *μέσαυλοι*, a *μέσος*, medius, et *αὐλή*, atrium, aula. *Vitr.* 6, 10. *med.* de Graecorum aedificiis. Inter haec peristylia, et hospitalia, itinera sunt, quae mesaulae dicuntur, quod inter duas aulas media sunt interposita. Nostri eas andronas appellant. V. ANDRON.

MĔSĔ, es, f. *μέση*, idest media, chordae nomen, quae nunc a musicis vocatur *A la mi re. Vitr.* 5, 4 et 5. ℙ Ita etiam vocatur digitus medius. V. HYPATE.

MĔSEMBRĬĂ, ae, f. urbs Thraciae, in ora Ponti Euxini, Megarensium colonia. *Plin.* 4, 11, 18. **Mela* 2, 2. *B. A.* [*In *Plin.* loco *Hard.* leg. *Messa.* Lectio, quam Noster dedit, est *ed. Bas.* 1530.]

MĔSEMBRĬĂCUS, a, um, adj. ut Mesembriacus portus, ap. *Ov. Trist.* 1, 10, 37.

*MESĒNE, es, f. (*Μεσήνη*, i. e. media,) insula a Tigre amne facta, in Babylonia. *Plin.* 5, 27. ℙ *Μέση τῆς Τίγριδος* est, ut ait *Steph. Byzant. B. A.*

MĔSES, ae, m. *Μέσης*, ventus flans inter Borean, et Caecian. *Plin.* 2, 47, 46.

*MESEUS, ei, m. flumen Persidis. *Ammian.* 23, 6. (al. 21.) p. 271. *Lindenbrog.* et p. 455. *Boxhorn. B. A.*

*MESIĀTES, ium, populi Rhaetiae. *Tab. Peutinger. B. A.*

MĔSOBRACHYS, *μεσοβραχὺς*, pes quinque syllabarum, brevi inter duas utrinque longas interjecta, ut *pulcherrimarum:* a *μέσος*, medius, et *βραχὺς*, brevis. *Diomed.* 3, 479.

MĔSOCHŌRUS, i, m. *μεσόχορος*, qui in medio turbae stans reliquis canendi, vel aliud agendi signum proponit: a *μέσος*, medius, et *χορὸς*, chorus. *Sidon. ep.* 1, 2. *f.* Nullus tibi lyristes, choraules, mesochorus. *Plin. ep.* 2, 14. Graece scripsit: Hoc infiniti clamores commoventur, cum *μεσόχορος* dedit signum. **Vet. Schol.* in *Juven. Sat.* 11, 170. *B. A.*

[MĔSŌGĪTES Vinum, quod capitis dolores facere, compertum est, ut ait *Plin.* 14, 7, 9. Est dictum a *μεσογείτης*, mediterraneus, quia ex uvis in Tmolo Lydiae monte collectis fiebat. *F.*]

[MĔSŌĪDES, is, f. *μεσοειδής*, modulatio quaedam musicalis. *Capell.* 9, 326. Mesoides, quae dithyrambica nominatur, quae tonos aequales, mediosque custodit. V. HYPATOIDES. *F.*]

[MĔSŌLĂBĬUM, ii, n. *μεσολάβιον*, instrumentum mathematicum, quo inter duas lineas alia, vel duae aliae, vel plures proportionales inveniuntur: est a *μέσος*, medius, et *λαμβάνω*, capio. *Vitr.* 9, 3. Eratosthenes organica mesolabii ratione idem explicavit. *F.*]

MĔSŌLEUCOS, i, m. *μεσόλευκος*, gemma nigra, quam mediam linea alba distinguit; a *μέσος*, medius, et *λευκὸς*, albus. *Plin.* 37, 10, 63. ℙ Est praeterea hoc nomine herba quaedam habens candidam lineam per folium discurrentem. *Id.* 27, 11, 73.

MĔSŌMACROS, i, m. *μεσόμακρος*, pes quinque syllabarum, longam habens syllabam duabus utrinque brevibus interpositam, ut *avidissimus:* a *μέσος*, medius, et *μακρὸς*, longus. *Diomed.* 3, 478.

MĔSŌMĒLAS, anos, f. *μεσομέλας*, gemma alba, quam linea nigra distinguit. *Plin.* 37, 10, 63. Mesomelas, nigra vena quemlibet colorem secante per mediam. Nam *μέλας* niger dicitur, *λευκὸς* albus.

MESON. V. MAESON. ℙ *Mĕson* genit. plur. Graecus *τῶν μέσων*, mediorum, aut mediarum. *Vitr.* 5, 4. et 5.

MĔSŌNAUTĀ, ae, m. *μεσοναύτης*, a *μέσος*, medius, et *ναύτης*, nauta: vox haec legitur ap. *Pompon.* teste *Ulp. Dig.* 4, 9, 1. Videtur autem esse medius inter summos nautas, ut gubernatores et proretas, et imos, ut remiges, et omnium jussa exsequens: ea ratione, qua mediastinus in domo. *Turneb. Adv.* 28, 31.

MĔSŌNYCTĬUM, ii, n. *μεσονύκτιον*, mediae noctis tempus. Haec vox legitur in Taurobolio Lugdun., seu *Inscr.* quae pertinet ad ann. a Chr. n. CLX. ap. *Mur.* 333. Cujus mesonyctium factum est V. Id. Dec. *h. e.* visio, seu apparitio Magnae Matris Deorum Idaeae medio noctis tempore facta est, ut censet *Philipp. a Turre* ap. *Sallengr. N. Thes. Antiqq. Rom.* T. 3. p. 863.; [nam *Hor. Sat.* 1, 10, 32. Quirinus Post mediam noctem visus, cum somnia vera. Adde *Isid. Orig.* 5, 30. *F.*]

*MESONPONDĬO, locus Alexandriae, de quo *Jul. Valer. rer. gest. Alex. M.* 1, 27. ed. *A. Maio. B. A.*

*MESOPOTAMĒNUS, a, um, adj. *Μεσοποταμηνὸς*, Mesopotamius. *Vet. Schol.* in *Juven. Sat.* 1, 104. Mesopotameni homines. *Spartian.* in *Adrian.* 21. A Mesopotamenis non exegit tributum. Sic in MS. vetustissimo. Vulg. *Mesopotamiis*, minus accurate. *B. A.*

MĔSŌPŌTĂMĬĂ, ae, f. *Μεσοποταμία*, regio Asiae inter Euphratem et Tigrim amnes sita: unde et nomen habet: a *μέσος*, medius, et *ποταμὸς*, amnis. *Plin.* 5, 12, 13. et 6, 26, 29. *Cic. N. D.* 2, 52. et *Solin.* 37., Latine diceres *Interamnam.*

MĔSŌPŌTĂMĬUS, a, um, adj. a Mesopotamia, ut Mesopotamii milites, *Valer. Imp.* in *ep.* ap. *Vopisc. Aurel.* 11.

[MĔSŌPYLUS, a, um, adj. qui januae mediae praeest: a *μέσος*, medius, et *πύλη*, porta. *Inscr.* ap. *Grut.* 32, 11. Soli aeterno sacr*um*, pro salute P. Valerii Crispi Septentrion*is* sacerd*otis* Dei invicti M. Antonius M. F. Liber mesopylus aedituus locavit. Erat hic igitur aedituus portae majoris in templo Solis. *F.*]

MĔSŌPHAERUM. V. HADROSPHAERUM.

*MESOTIMOLĪTAE, arum, m. populi quasi in medio Tmolo habitantes, quorum urbs fortasse Mesotimolos dicta. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

MESPĪLUM, i, n. *μέσπιλον*, fructus mespili arboris. *Plin.* 15, 20, 22. Malorum, pirorumque generi adnumerentur jure mespila atque sorba. *Pall.* 4, 10. *med.* Mespila ad servandum leguntur necdum mitia. ℙ Videtur et ipsa arbor mespilum dici. *Id. de Insit.* 69. Mespilaque exarmat pugnacibus horrida membris.

MESPĪLUS, i, f. *μεσπίλη*, arbor mespila ferens, cujus folia, antequam decidant, rubescunt: radices multae, atque altae, ideo inexstirpabiles. Non fuit haec arbor in Italia Catonis aevo, teste *Plin.* 15, 20, 22., ubi et tria ejus genera enumerat. *Pall.* 3, 25. *f.* Et mespilus inseretur, et ossa ponentur prunorum. *Id. de Insit.* 106. Mespilus admisso germine tuta subit. ℙ Item ipse fructus, ut videtur. *Id. ib.* 91. Mespilus huic (*malo*) paret, lapidosaque viscera mutans, Tenditur, et niveo plena liquore rubet.

*MESSA, ae, f. oppidum. V. in MESEMBRIA. *B. A.*

*MESSALLĪNUS, i, m. cogn. R. *Tac. A.* 2, 32. et 4, 20. Adde *Tibull.* 2, 5, 17. *Ov. Pont.* 1, 7, 1. ℙ Scribitur et *Messalinus. B. A.*

MESSALLĀ seu Messala, ae, m. [*Prior forma magis quidem in usu; sed posterior non minus comprobata exemplis. Ita *Schneid.* in *Gr. Lat.* 1, 411. ubi laudat *Drakenb.* ad *Liv.* 27, 5. *in.*] cogn. civis R. in gente Valeria. *Sen. B. V.* 13. Corvinus primus Messanam vicit, et primus ex familia Valeriorum, urbis captae in se translato nomine, Messana appellatus est: paulatimque vulgo permutante litteras, Messalla dictus. Eadem habet *Macr. Sat.* 1, 6. *f.*, nisi quod *Maximum*, non *Corvinum* cognominatum fuisse dicit. Idem confirmant Fasti Capitolini, in quibus legitur (ap. *Grut.* 292.) *M'.* Valerius M. F. M. N. Maximus, qui in hoc honore Messal. appell*atus est.* Sed haec ita conciliantur, ut *Maximus* cognomen fuerit familiae antiquum: cui post singulare *M'.* Valerii certamen cum Gallo hoste (de quo V. in CORVINUS.), alterum *Corvini* agnomen adhaeserit. ℙ Ex hac familia celebris fuit orator, cujus meminit *Hor. A. P.* 371. et *Plin.* 10, 22, 27. etc. ℙ *Pluralem numerum exhibet *Ov. Pont.* 4, 16, 43. Maternos Cottas cui Mesallasque paternos. *B. A.*

[MESSALLĪNĀ, ae, f. ad Messallam pertinens, quo cognomine vocata est prodigiosae libidinis femina, filia M. Valerii Messallae Barbati, consobrini Claudii Aug., quae adhuc adolescentula Claudio jam seni nupta est. *Suet. Claud.* 26. *Juven. Sat.* 6, 116. et 10, 333. et *Tac. A.* 11. 5. et alibi. *F.*]

*MESSĀLUM, i, n. oppidum Arabiae Felicis. *Plin.* 12, 16. *B. A.*

MESSĀNĀ, ae, f. *Messina, Μεσσήνη*, urbs clara Siciliae ad fretum Mamertinum, contra Calabriam. *Sil.* 14, 194. Incumbens Messana freto, minimumque revulsa Discreta Italia, atque Osco memorabilis ortu. ℙ *Messana* etiam pro *Messene* Peloponnesi legitur *Stat. Ach.* 1, 422. Murorum tormenta Pylos, Messanaque tendunt. V. MESSENIUS.

*MESSANĪCUS, i, unum ex Padi ostiis, alio nomine Padusa. *Plin.* 3, 16. ed. *Hard.* ubi vulgo legitur, e. g. in ed. *Basil.* (1530.), *Messanicius. B. A.*

MESSĒIS, idis, f. *Μεσσηΐς*, fons Thessaliae, teste *Plin.* 4, 8, 15. *Val. Fl.* 4, 374. Flevit Amymone, flerunt Messeides undae.

MESSĀPIĀ, etc. V. MESAPIA.

MESSĒNĒ, es, et Messena, ae, f. *Μεσσήνη*, urbs Peloponnesi, meridionalis, olim clara, et regionis ab ea dictae caput, ad sinum Messeniacum. *Ov. Met.* 6, 417, *Plin.* 4, 5, 7. et *Nep. Epam.* 8. et *Pelop.* 4. ℙ Legitur et *Messana.* V. MESSANA et v. sq.

*MESSENIĀNI, orum, populi ultra paludem Maeotim, Tanaim accolentes. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

MESSĒNĬUS, a, um, adj. *Μεσσήνιος*, ad Messenem pertinens. *Ov. Met.* 2, 679. Messenia arva; et *ib.* 12, 549. Messenia moenia. Utrobique alii leg. *Messania:* nam et *Messane* pro *Messene* legitur in multis opt. codicib. *Stat. Th.* 4, 179. Planaque Messane, montanaque nutrit Ithome. Alii leg. *Messene.* Nec mirum, si nomina confunduntur, cum Messana Siciliae ab incolis Messenes Peloponnesi condita dicatur: quibus tamen accessere etiam Mamertini ex Campania, quam Osci quondam incoluerunt. V. MAMERS. ℙ *Messenii, orum,* Messenes incolae. *Liv.* 36, 31. ℙ *Messenia, ae,* regio circa Messenem. *Plin.* 4, 5, 7.

[MESSĬĀ, ae, f. nomen Deae, quae et Segesta est appellata, cujus simulacrum columnae impositum erat in circo maximo: ita vero dicta est a messe, quod messioni praeesset. *Tert. Spect.* 8. Columnae Sessias a sementationibus, Messias a messibus, Tutelinas a tutela fructuum sustinent. Ante has tres arae trinis Diis parent, magnis, potentibus, valentibus. V. SEGESTA. *F.*]

*MESSĬAS Hebraice vel Syriace, Graece *Χριστὸς*, Latine Unctus dicitur. *Vulg. Joh.* 1, 42. *B. A.*

[MESSILLĀ, ae, f. dimin. messis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 622. *n.* 192. Pomponia Messilla. *F.*]

[MESSĪNĪENSIS, is, m. incola urbis Messanae in Sicilia, quae cum Graece *Μεσσήνη*, sequiori vero tempore et vulgari pronunciatione, qua Graecorum *η* per *i* efferebatur, *Messini* fuerit appellata: hinc Italis nunc *Messina* dicitur, ejusque incolae labente Latinitate *Messinienses* dicti sunt. *Not. Tir.* p. 136. Cumae, Cumanus; Messini, Messiniensis. *F.*]

MESSĬO, onis, f. actus metendi. *Varr. R. R.* 1, 50. Frumenti tria genera sunt messionis: unum, ubi falce secundum terram succidunt stramentum, alterum, ubi etc.

MESSIS, is, f. *θερισμὸς*, collectio frumenti, et aliarum segetum: a *meto. Varr. R. R.* 1, 50. Messis proprio nomine dicitur in iis, quae metuntur, maxime in frumento, et ab eo est vocabulo declinata; et *mox:* Stramentum medium subsecant, a quo medio messem dictam puto. *Cic. Or.* 1, 88. *med.* Quid sit sementis, ac messis, quid arborum putatio, ac vitium. *Plin.* 18, 18, 47. Messem peragere; et *ib.* 30, 72. facere. ℙ De ipsis frumentis jam collectis. *Just.* 24, 7. Prohibiti agrestes oraculis feruntur, messes vinaque villis efferre. *Virg. G.* 1, 49. Illius immensae ruperunt horrea messes. Adde *Prop.* 3, 11, 26. ℙ Item de tempore metendi. *Virg. Ecl.* 5, 70. Ante focum, si

frigus erit; si messis, in umbra. *Plin.* 24, 14, 74. Flos mori per messes colligitur. ℙ Item de collectione mellis, quae et *vindemia* dicitur. *Virg. G.* 4, 231. Bis gravidos cogunt fetus; duo tempora messis. ℙ Messis Cilicum, et Arabum est crocus, et tus. *Stat. Silv.* 3, 3, 34. ℙ Translate. *Cic. Par.* 6, 2. Qui illam Sullani temporis messem recordetur. *Pl. Ep.* 5, 2, 53. Pro benefactis mali messem metere. ℙ *Messis* cum proprio mox bellatura colono ap. *Claud. Laud. Stil.* 1, 321. est seges hominum ex dentibus serpentis a Cadmo satis. ℙ *Messes* metonymice anni. *Mart.* 4, 79. sexagesima messis; et 1, 102. Quarta tribus lustris addita messis erat. Adde 6, 28. et 12, 34. et *Petr. Sat.* 89. ℙ *Messes suas urere*, proverb. idem quod vineta sua caedere. Est *Tibulli* 1, 5. *extr.* ℙ In quarto casu etiam *messim* dicimus. *Pl. Most.* 1, 3, 5. Nihilo magis attinet, quam lavatio tua ad messim. *Varr. R. R.* 3, 2. Nec videt vindemiam in cella, neque in granario messim. ℙ *Magnum messem* masc. gen. dixit *Lucil. l.* 27. teste *Non.* 3, 139.

MESSOR, oris, m. *ἀμητήρ, θεριστής*, qui metit. *Cic. Or.* 3, 12. Non mihi oratores antiquos, sed messores videris imitari. *Ov. Met.* 14, 643. O quoties habitu duri messoris aristas Corbe tulit! *Virg. G.* 1, 316. cum flavis messorem induceret arvis Agricola. *Colum.* 2, 18. Messor foeniseca. ℙ Translate. *Pl. Capt.* 3, 5, 3. Sator scelerum et messor maxume. ℙ De messore Deo V. IMPORCITOR. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Amadutium Anecd. litter.* T. 3. p. 471. C. Valerius Messor. V. *Schiassi, Guid. al Mus. Bologna* p. 42. *F.*]

MESSORĬUS, a, um, adj. *θεριστικός*, ad messorem pertinens. *Cic. Sext.* 38. Messoria se corbe contexit. *Pall.* 1, 43. Falces messoriae vel foenariae. *Colum.* 2, 13. Hordei modii quinque bubulci operas tres exigunt, occatoriam unam, messoriam unam.

[MESSUĀRĬUS, a, um, adj. idem ac messorius. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 8, 82. Virgines Vestales alternis diebus spicas in corbibus messuariis ponunt. *F.*]

MESSŪRA, ae, f. messio. *Diomed.* 1, 374. Messuram dicimus, non metitionem.

MESSUS, a, um, part. a *meto:* metendo recisus. *Virg. A.* 4, 513. Herbae messae ad lunam falcibus. *Varr. R. R.* 1, 50. *extr.* Messas spicas corbibus in aream deferre.

*MESTRA, ae, f. Erisichthonis filia, uxor Autolyci, quacum Neptunus concubuit. *Ov. Met.* 8, 738. sq. ℙ Nobilis fuit meretrix, quae, nondum invento auro aut gemmarum usu, bobus, aut equis, aut alius generis pecoribus noctes suas locabat. Inde factus est locus fabulae, np. Mestram transformari in ea omnia, quae ab amatoribus accipiebat. *B. A.*

*MESTRES, is, m. *Μέστρης*, Aegypti antiquus rex, qui in Solis urbe regnavit. Is primus hominum obeliscum subrexit. *Plin.* 36, 8. ubi ed. *Hard.* habet *Mitres.* Adde *ib.* 9. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* praebet *Mesphees. B. A.*

[MESTRĬA, ae, f. perita, prudens; a *μήστωρ*, quod a *μήστωρ*, peritus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 621. *n.* 181. Faratuleja Mestria. *F.*]

[MESTRĬĀNUS, i, m. ad Mestrium, vel Mestriam pertinens. Est cogn. R *Inscr.* ap. *Malvas. Marm. Felsin.* p. 253. M. Aelius M. F. Mec. Mestrianus. *F.*]

*MESŪA, paeninsula Galliae, cujus meminit *Mela* 2, 7. Mesua collis incinctus mari paene undique, ac, nisi quod angusto aggere continenti annectitur, insula. *B. A.*

MET, syllabica adjectio, quae conjungitur cum pronom. *ego, tu, ipse, ille*, [**meus*,] et similibus, ut *egomet, ipsemet*, etc. Sed in pronomine *tu* nominativo singulari addi non solet, nisi si dictio syllabica *te* interponatur, ut *tutemet.* Significat discretionem, ut *ipsemet*, idest per se, et non per alios. *Ter. Ad.* 3, 2, 31. hisce oculis egomet vidi. *Lucr.* 4, 913. Tutemet in culpa cum sis. *Cic. Or.* 3, 20. Non de memet ipso, sed de oratore dico. *Id. N. D.* 3, 18. *extr.* Quae cogitatione nobismetipsis fingere possumus. *Pl. Truc.* 1, 1, 38. Cum rem, fidemque, nosque nosmet perdimus. [**Pl. Poen.* 1, 3, 37. Meamet culpa. Ubi *Meurs* ex *vett. cod.* Meapse. **Cic. Leg.* 1, 3. *med.* Incurret etiam in illummet memorabilem annum suum. *Ennius* ap. *eund. Acad.* 4, 27. *extr.* Iteradum eademmet ista mihi. *B. A.*] ℙ Cum tanquam. *Pl. Curc.* 5, 2, 29. Tanquammet genium meum. [**Sic edd. *Douz.* et *Camerar.* ubi edd. *Gron. Taubman.* et *Buchner.* habent *tanquam me et genium* meum. *B. A.*] ℙ Praeposita praenomini. *Tryphon. Dig.* 7, 1, 62. Si quas feras incluserit operis suis, vel si metipsae inciderint. [**Sic ed. *Haloand.* Aliae edd. v. g. *Gebauer.* (vel *Spangenb.*) *Heinecc.* etc. habent *vel simibet ipsae* cet. *Brenckmannus* mavult *ibimet ipsae* vel *ibi ipsaemet. B. A.*]

MĒTA, ae, f. *νίσσα, καμπτὴρ, τέρμα*, lapis erectus, et in acumen fastigiatus, figura pyramidis, aut coni, cujusmodi in circo signabant locum flectendi quadrigas: eratque in eo aurigae ars et virtus, ut neque propius accedens currum frangeret, gravissimo cum vitae periculo: neque longius abeundo discederet, et insequentibus praecedendi locum daret: cujus rei exemplum habes in navali certamine ap. *Virg. A.* 5, 159. et sqq. Est a *metiendo*, vel *metando*, ut nonnullis placet. *Ov. Amor.* 3, 2, 11. Et modo lora dabo, modo verbere terga notabo: Nunc stringam metas interiore rota. *Id. A. Am.* 3, 396. Metaque ferventi circumeunda rota. *Id. Trist.* 4, 8, 35. Nec procul a metis, quas paene tenere videbar, Curriculo gravis est facta ruina meo. *Hor. Od.* 1, 1, 5. metaque fervidis Evitata rotis. *Ov. Amor.* 3, 2, 69. Me miserum! metam spatioso circuit orbe. Quid facis? admoto proximus axe subi. *Prop.* 2, 19, 65. An prius infecto deposcit praemia cursu, Septima quam metam triverit ante rota? *Virg. l. c.* Jamque propinquabant scopulo, metamque tenebant. ℙ Translate. *Cic. Coel.* 31. In hoc flexu quasi aetatis fama adolescentis paulum haesit ad metas notitia nova mulieris, et infelici vicinitate, et insolentia voluptatum. ℙ Ponitur et pro quocumque termino. *Virg. A.* 1, 282. His ego nec metas rerum, nec tempora pono; et *ib.* 3, 714. Hic labor extremus, longarum haec meta viarum; et *ib.* 12, 546. Hic tibi mortis erant metae; et *ib.* 10, 472. metasque dati pervenit ad aevi. *Ov. Trist.* 1, 9, 1. vitae metam tangere. *Stat. Silv.* 5, 3, 255. Pylias aevi transcendere metas, *h. e.* Nestoris annos. *Ov. A. Am.* 2, 727. Properare ad metam. *Id. Amor.* 3, 15, 2. Raditur hic elegis ultima meta meis. *Hor. A. P.* 412. optatam cursu contingere metam. ℙ De termino agrorum. *Front. de colon.* p. 141. *Goes.* ℙ Et pro quacumque extremitate et fine. *Virg. A.* 3, 429. Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni. *Ov. Met.* 3, 144. Et sol ex aequo meta distabat utraque, *h. e.* meridies erat. *Lucr.* 5, 616. de sole: Canceris ut vertat metas ad solstitiales. *Pers.* 1, 131. *metas* vocat lineas, quibus mathematici suas figuras describunt. ℙ Figura metae aliis rebus tribuitur, quarum congeries conum refert, ut meta lignorum, foeni, lactis, sacchari, etc. *Ov. Met.* 10, 106. metas imitata cupressus, *h. e.* meta in fastigium convoluta, ut ait *Plin.* 16, 33, 60. de eadem re loquens. *Id. Plin. ib.* 16, 28. Buxus in metas emittitur; et 36, 5, 4. *n.* 9. Pyramis in metae cacumen se contrahens. *Liv.* 37, 27. *med.* Ipse collis est in modum metae, in acutum cacumen a fundo satis lato fastigatus. *Cic. Div.* 2, 6. *f.* Umbra terrae est meta noctis, *h. e.*, ut ait *Plin.* 2, 10, 7. Nil aliud est nox, quam terrae umbra: figura autem umbrae similis metae, aut turbini inverso. *Cato R. R.* 55. Ligna domino in tabulato condito, codicillos, radices in acervo sub dio metas facito. At *Pontedera* legend. putat *netas.* V. NETUS. *Colum.* 2, 19. de foeno: Quidquid siccatum erit, in metas exstrui conveniet, easque ipsas in angustissimos vertices exacui. *Mart.* 1, 44. Rustica lactantes nec misit fiscina metas. *Id.* 13, 28. Haec tibi quae torta venerunt cottana meta: dixit poeta *torta*, quia e tortis juncis contexta. Sic 3, 58. Fert ille ceris cana cum suis mella, Metamque lactis. *Colum.* 9, 15. *f.* Saligneus qualus, vel vimine contextus saccus, inversae metae similis. ℙ *Meta sudans* ob similitudinem vocatus est lapis coni specie prominens, ex quo aqua emanabat, unde populus sitim exstingueret. Ejus meminit *Sen. Ep.* 56. et *Sex. Rufus de reg. Urb.* 4. ℙ De *meta molendaria.* V. MOLA.

MĒTĂBĀSIS, is, f. *μεταβάσις*, transitio, interfatio: a *μεταβαίνω*, transgredior, transeo: figura rhetorum, qua ab iis, quae hactenus diximus, ad ea, quae dicturi sumus, brevi interfatione transitum facimus, ut illud *Cic. Man.* 8. Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. ℙ Est etiam metabasis, cum a loquentis persona ad aliam personam transitum facimus, ratione aliqua, vel affectu, ut illud *Virg. A.* 11, 51. Nos juvenem exanimum, etc. vano moesti comitamur honore: Infelix! nati funus crudele videbis. *Quint.* 9, 3. *med.* hyperbati figurae sententiarum speciem esse ait, et Graece scribit.

MĒTĂBOLE, es, f. *μεταβολή*, trajectio, figura est, quae fit contrariis ita dispositis, ut a priori posterius proficiscatur, ut *Ter. Andr.* 2, 1, 5. quoniam id fieri, quod vis, non potest, Id velis, quod possit. Est a *μεταβάλλω*, muto. Itaque dicitur etiam cum a periodo ad periodum, et a genere rhythmi ad genus aliud mutatio, et transitus fit, ut ait *Quint.* 9, 4. *med.* Illam autem priorem *Id. ib.* 3. *med.* inter varios repetitionis modos recenset. Semper autem Graece scribit.

*METABUS, i, m. rex vel ductor Volscorum, in Priverno regnans, pater Camillae. *Virg. A.* 11, 540. sq. *Hyg. fab.* 252. ℙ Alius, Sisyphi filius, Metaponti conditor, quam urbem etiam Barbari Metabum appellant. *Serv.* ad *Virg. l. c.* ℙ Ceterum notandum, *Just.* 2, 2. Epeum Metaponti conditorem fuisse. *B. A.*

MĒTĂCISMUS, i, m. *μετακισμός*, est cum verborum conjunctio M. litterae assiduitate colliditur, ut *Mammam ipsam amo, quasi meam animam.* Ita *Capell.* 5, 167. ℙ Alia ratione definit *Diomed.* 2, 448., nempe ut sit, cum in fine partis orationis invenitur *m* littera, et sequens a vocali incipit, ut *Quousque tandem abutere. Voss. Instit. orat.* 4, 2. vult legi *mytacismus*, *μυτακισμός*, a Graeca appellatione litterae *m*, quae est *μῦ.*

MĒTĂCŬLUM. V. MEACULUM.

MĒTĂGON, ontis, m. *μετάγων*, nomen canis, ex fera et cane geniti, et paulatim in diversum quoddam genus transeuntis: a *μετάγω*, qua transferre significat: vel qua sequi, persequi, et investigare: nam *Hesych. μετάγει* interpretatur *μεταδιώκει. Grat. Cyn.* 209. 221 et 264.

*METAGONĪTIS, idis, f. *Μεταγωνῖτις*, sc. *γῆ*, terra, nomen a Graecis Numidiae inditum, teste *Plin.* 5, 3. *B. A.*

*METAGONĪUM, i, n. *Μεταγώνιον*, promontorium Numidiae, ad Ampsagam flumen. *Mela* 1, 2. *B. A.*

*METALCES, ae, m, *Μεταλκῆς*, unus ex quinquaginta Aegypti filiis, a Cleopatra uxore necatus, *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

MĒTĂLEPSIS, is, f. *μετάληψις*, transumptio, tropus est, cum aliqua dictio aliud a propria sua significatione ex iis, quae praecesserunt, denotat: seu cum aliquid ponitur, ex quo gradatim in alterius rei consequentis cognitionem veniatur: a *μετά*, trans, et *λῆψις*, acceptio. *Virg. Ecl.* 1, 70. Post aliquot mea regna videns mirabor aristas, *h. e.* post aliquot annos: nam gradatim ab aristis ad spicas, a spicis ad messes, ab his ad aestates, ab aestatibus ad annos acceditur. *Quint.* 8, 6. *med.* Est haec in metalepsi natura, ut inter id, quod transfertur, sit medius quidam gradus, nihil ipse significans, sed praebens transitum; et *paulo sup.:* tropum esse dicit rarissimum, et maxime improprium, Graecis tamen frequentiorem, qui centaurum Chirona, et *νήους θοὰς ὀξείας* dicunt. Nos qui ferat, inquit, si Verrem suem, aut Laelium doctum nominemus?

MĒTĀLIS, e, adj. *κωνικός*, in modum metae, seu coni factus. *Fest.* in *Tutulum:* Pileus lanatus forma metali figuratus.

MĒTĀLĬTER, adv. *κωνικῶς*, in metae, seu coni modum. *Capell.* 8, 294. Luna in eadem linea solis umbra terrae metaliter infuscatur.

*METALLA, orum, opp. Sardiniae, medio inter Neapolim et Sulcos loco. *Ant. Itin. B. A.*

MĒTALLĀRĬA, ae, f. V. v. sq.

MĒTALLĀRĬUS, ii, m. *μεταλλεύς, μεταλλουργός*, qui in effodiendis metallis laborat. Est in *tit.* 6. *lib.* 11. *Cod.* qui est *De metallariis, et metallis*, etc., ubi *Imp. Theodos. leg.* 7. Metallarii, sive metallariae, qui, quaeve ea regione deserta, ex qua videntur oriundi, vel oriundae, ad externam migraverint, etc.

MĒTALLĬCUS, a, um, adj. *μεταλλικός*, ad metallum pertinens. *Plin.* 34, 18, 53. Molybdaenam metallicam vocant. *Id.* 27, 4, 5. Aloes natura metallica. ℙ *Metallicus* absolute, metallarius. *Id.* 34, 16, 47. Lavant eas arenas metallici, et quod subsidit, coquunt in fornacibus. ℙ *Marc. Dig.* 48, 19, 10. *metallicos* vocat in metalla damnatos.

MĒTALLĬFER, a, um, adj. metallum gignens, metalli ferax. *Sil.* 15, 500. Augebant animos argenti pondera et auri, Parta metalliferis longo discrimine terris.

*METALLĪNENSIS, e, adj. ad Metallinum spectans, ut *Metallinensis colonia* ap. *Plin.* 4, 21. (al. 22.) *B. A.*

*METALLĪNUM, i, n. vel Metallīna, ae, f. opp. Lusitaniae, *Metellinum* dictum in *Ant. Itin.* ℙ Hodie, aiunt, est *Medelin. B. A.*

MĒTALLUM, i, n. *μέταλλον*, materia illa dura, quae ex terrae visceribus effoditur, ut aurum, argentum, ferrum, aes, plumbum, etc. Rationem nominis hanc habes ex *Plin.* 33, 6, 31. Ubicumque una *(argenti)* inventa vena est, non procul invenitur alia. Hoc quidem et in omni fere materia: unde metalla Graeci videntur dixisse: sc. a *μετά*, simul vel post, et *ἄλλος*, alius, quia simul cum uno, vel post unum invenitur aliud. *Virg. G.* 2, 165. Haec eadem argenti rivos, aerisque metalla Ostendit venis, atque auro plurima fluxit. *Id. A.* 8, 445. fluit aes rivis, aurique metallum; et *ib.* 10, 174. Insula inexhaustis Chalybum generosa metallis. *Ov. Met.* 10, 220. Amathus fecunda metalli. *Hor. Ep.* 1, 10, 39. potiore metallis Libertate caret, *h. e.* auro, argento, divitiis. ℙ Dicitur et de marmore. *Stat. Silv.* 4, 3, 98. Arcus belligeri ducis tropaeis, Et totis Ligurum nitens metallis. Adde *ib.* 1, 5, 36. et *ib.* 3, 1, 5. et *Sil.* 8, 482. ℙ Et de gemmis. *Pacat. Pan.* 4. Adde auriferorum opes fluminum, adde radiantium metalla gemmarum. ℙ Et de creta Puteolana in colle Leucogaeo. *Plin.* 18, 5, 29. *n.* 2. Admiscetur creta, quae invenitur inter Puteolos, et Neapolim, in colle Leucogaeo appellato: Campani negant alicam confici sine eo metallo posse. ℙ Et de sulphure. *Appul. Met.* 7. Acerrimo odore sulphuris juvenis inescatus, atque obnubilatus intercluso spiritu diffluebat: utque est ingenium vivacis metalli, crebras ei sternutationes commovebat. ℙ *Metallum fragile* dixit *Prud.* massam salis, *Hamart.* 744. ℙ Translate. *Claud. III. cons. Hon.* 184. Saecula qui rursus forment meliore metallo, *h. e.* auream aetatem reducant; et *Cons.*

Mall. Theod. 137. Et ductos video mores meliore metallo. *Mart.* 4, 55. saevum metallum, *h. e.* ferrum. ℙ Est etiam ipsa fodina, unde metallum aliquod effoditur. *Sen. Q. N.* 5, 15. Demissos quamplurimos a Philippo in metallum antiquum, olim destitutum, ut exploraret, quae ubertas ejus esset, an aliquid futuris reliquisset vetus avaritia. *Plin.* 33, 7, 40. Miniarium metallum. *Id.* 18, 11, 29. *n.* 2. cretae. *Vitr.* 7, 7. *f.* sandaracae. *Lucan.* 3, 209. Metalla aurifera. *Id.* 4, 304. silicum, *h. e.* lapicidinae. (Adde 6, 34.) *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* facere in agro. *Liv.* 39, 24. Metalla vetera intermissa recoluit, et nova multis locis instituit. *Plin.* 21, 7, 20. Herba tantae suavitatis, ut metallum esse coeperit, *h. e.* ut ex ea vectigal publice exigatur, velut si fodina auri argentive sit. ℙ *Damnare in metallum* est ad metalla effodienda. *Plin. ep.* 2, 11. et *ep.* 10, 66. Crimine falsi damnatus in metallum. *Suet. Cal.* 27. Condemnare aliquem ad metalla. *Ulp. Dig.* 48, 19, 8. et *Modest. ib.* 23. et *Callistr. ib.* 28. Dare aliquem in metallum. *Ulp. ib.* 47, 11, 7. Metallo plecti. *Id. ib.* 48, 13, 6. puniri. ℙ **Metalla, orum*, opp. Sardiniae (quasi dicere*s The Mines*), V. s. l. *B. A.*

MĔTĂMĔLOS, i, m. *μετάμελος*, mutatio consilii, poenitentia. Vox Graeca. *Varr.* ap. *Non.* 2, 83. Metamelos inconstantiae filius me reprehendit. Al. aliter leg.

MĔTĂMORPHOSIS, is, f. *μεταμόρφωσις*, transfiguratio, transformatio: a *μετά*, trans, et *μορφόω*, formo. Hoc nomine *Ov.* opus suum inscripsit, de mutatis Deorum, hominum, aliarumque rerum formis, et *Appul.* (ut multi putant) suos libros, in quibus se in asinum conversum fingit. *Quint.* 4, 1. *f.* Ut Ovidius lascivire in Metamorphosi solet.

MĔTĂNOEĂ, ae, f. *μετάνοια*, poenitentia. Graeca vox a *μετά*, post, et *νοῦς*, mens, sententia, quia quem poenitet, mentem post peccatum mutat. Semel usurpat *Auson. epigr.* 12. Sum Dea, quae facti, non factique exigo poenas, Nempe ut poeniteat: sic Metanoea vocor.

MĔTAPHORĂ, ae, f. *μεταφορά*, tropus, per quem vocabula a suis rebus, quarum propria sunt, ad alias res diversi generis cum similitudine transferuntur: a *μετά*, trans, et *φέρω*, fero. *Translationem* vocant *Auct. ad Her.* 4, 34. et *Cic. Or.* 3, 38. et al. *Quint.* 8, 6. etiam *metaphoram*, modo Graece, modo Latine. Adde et *Fest.* et *Charis.* 4, 243. et *Diomed.* 2, 451.

[MĔTAPHORĬCĒ, adv. *μεταφορικῶς*. *Acron* ad *Hor. Ep.* 1, 20, 1. Hanc epistolam metaphorice inscripsit. *Hieron.* in *Isaj.* 2, 3, 15. Alii metaphorice de urbibus Judaeae dici arbitrantur. *F.*]

*METAPĪNUM (sc. ostium), i, n. unum ex ostiis Rhodani fluminis. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

MĔTAPLASMUS, i, m. *μεταπλασμός*, transformatio: a *μετά*, et *πλάσσω*, fingo, formo. Est apud grammaticos dictio, aliter quam debuit, figurata, metri, aut decoris causa, inquit *Charis.* 4, 248., ubi quatuordecim ejus species enumerat. Eadem fere habent *Valer. Prob.* 1, 1437. et *Diomed.* 2, 435. Locum habet in poetarum scriptis, in quibus quemadmodum qui soloecismi sunt *schemata*, et *schematismi*, ita qui barbarismi *metaplasmi* appellantur, ut *Id. ib.* 446 et 449. docet. *Serv.* tamen ad *A.* 5, 120. scribit, metaplasmum non esse proprie barbarismum, sed medium quid inter eum, et Latinam perfectamque locutionem. Porro species illae sunt, quae figurae grammaticae appellantur, prosthesis, parenthesis, paragoge, aphaeresis, syncope, apocope, ectasis, systole, diaeresis, synaloephe, episynaloephe, ecthlipsis, antithesis, metathesis: de quibus V. *ss. ll. Quint.* 1, 8. *med.* In praelegendo grammaticus deprehendat quae barbara, quae impropria, quae contra legem loquendi sunt posita: non ut ex his utique improbentur poetae, (quibus, quia plerumque metro servire coguntur, adeo ignoscitur, ut vitia ipsa aliis in carmine appellationibus nominentur: metaplasmos enim, et schematismos, et schemata vocamus, et laudem virtutis necessitati damus) sed ut commoneat artificialium, et memoriam agitet.

MĔTAPLASTĬCOS, adv. *μεταπλαστικῶς* dicitur apud poetas usurpari id, quod propter necessitatem metri mutare consueverunt: quod idem barbarismus dicitur in soluta oratione. *Festus.*

MĔTĂPONTĪNUS, a, um, adj. ad Metapontum pertinens (Graece *Μεταπόντιον*), quae est urbs Italiae in sinu Tarentino. *Liv.* 24, 20. *med.* Metapontinus ager. ℙ *Metapontini, orum*, ejus urbis incolae. *Id.* 22, 61. et 25, 15. ℙ *De Metaponto V. *Plin.* 3, 11. *Mela* 2, 4. *Liv.* 1, 18. 8, 24. 25, 11. 27, 1. *Cic. Fin.* 5, 2. *B. A.*

*METAPONTUM, i, n. V. v. praec. *B. A.*

MĔTĀRĬUS, a, um, adj. ad metam pertinens. *Arnob.* 2, 70. Animae corporei tactus, et metariae circumscriptionis expertes, *h. e.* nulla corporis meta circumscriptae. Al. aliter leg.

MĔTASTĀSIS, is, f. *μετάστασις*, figura rhetorum, qua crimen, quod defendere non possumus, in alium transferimus. *Quint.* 7, 4. *med.* sed Graece. ℙ Item qua imaginamur, quae futura fuere, nisi aliquid evenisset, quod impediret: ut cum *Cic. Mil.* 12. enarrat quae facturus fuit Clodius, si praeturam invasisset. *Quint.* 9, 2. *med.* itidem Graece. ℙ Item transitio: sed et hoc ap. Graecos: a *μεθίστημι*, aliud pro alio statuo, muto.

MĔTATHĔSIS, is, f. *μετάθεσις*, transpositio litterarum, a *μετά*, trans, et *τίθημι*, pono: ut *Thymbre* ap. *Virg. A.* 10, 394. pro *Thymber. Charis.* 2, 249., *Diomed.* 2, 437. *Val. Prob.* 2. *f.*, sed Graece. *Locus *Val. Prob.* est *in f.* 1, 1440. et vox ibi non Graece scribitur, sed Latine. *B. A.*

MĔTĀTIO, onis, f. *καταμέτρησις*, actus metandi, dispositio, descriptio. *Colum.* 3, 15. Haec in quincuncem vinearum metatio expeditissima ratione conficitur.

MĔTĀTOR, oris, m. *μετρητής*, qui metatur, et in certas partes locum aliquem distribuit, ac per mensuras describit: ut *metator castrorum*, qui agmen praegressus locum castris ponendis metitur: *agri*, qui agri mensuras agit, mensor, decempedator: *vineae, oliveti*, etc. qui loca disponit serendis vitibus, oleis, etc. *Cic. Phil.* 11, 5. Saxa nescio quis, castrorum antea metator, nunc, ut sperat, urbis; et *ib.* 14, 4. Urbs, quam jam peritus metator, et callidus decempeda sua Saxa diviserat. *Lucan.* 1, 381. Castra super Tusci si *(jubeas)* ponere Tibridis undas, Audax Hesperios veniam metator in agros. *Appul. Met.* 9. Agrestis verecundus amicos plurimos ad demonstrationem finium corrogarat: ille tamen vesanus adseverat, parvi se pendere tot metatorum praesentiam. *Plin.* 18, 33, 76. Hunc *(ventum)* oliveti metator caveat. *Lact.* 4, 11. Volens Deus metatorem templi sui mittere in terram. *Tert. adv. Marc.* 1, 8. *extr.* Tempus arbiter et metator initii et finis.

MĔTĀTORĬUS, a, um, adj. *Metatoriam paginam* dicit *Sidon. ep.* 8, 11. epistolam, quam parandi hospitii causa, quasi metandis castris, ad amicum, cum ad eum properaret, praemiserat.

MĔTĀTŪRĂ, ae, f. metatio. *Lact.* 4, 11. *med.* (ex *Jerem.* 8, 8.) Incassum facta est metatura.

MĔTĀTUS, a, um, part. a *meto, as*, dimensus, descriptus, dispositus. *Hor. Sat.* 2, 2, 114. videas metato in agello Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum. *Id. Od.* 2, 15, 14. nulla decempedis Metata privatis porticus. V. METO, as.

[MĔTAURENSIS, e, adj. ad Metaurum pertinens, Umbriae fluvium. *Inscr.* ap. *Oliv. Marm. Pisaur. n.* XXX. Ager Metaurensis, *h. e.* circa Metaurum. ℙ *Metaurenses, ium*, sunt illius tractus incolae. *Plin.* 3, 14, 19. Tifernates cognomine Tiberini, et alii Metaurenses. ℙ Alii fuerunt Metaurenses qui Urbinates sunt cognominati. *Plin. ib.* Urbinates cognomine Metaurenses. *Inscr.* ap. *Grut.* 463, 4. Curator reipubl. Urvinatium Mataurensium. Ita leg. pro *Metaurensium. F.*]

*METAURUM, i, n. opp. Brutiorum, ad Metaurum flumen. *Mela* 2, 4. *B. A.*

MĔTAURUS, i, m. nunc *Metauro, Marro, Μέταυρος*, fluvius Italiae in Brutiis, qui in mare Tyrrhenum influit. *Plin.* 5, 5, 10. ℙ Item fluvius in Umbria, nunc *Metauro*, in Adriaticum mare incurrens, qui inclaruit caede Asdrubalis ibidem devicti. *Plin.* 3, 14, 19. *Sil.* 8, 486. Multaque Asdrubalis fulgebit strage Metaurus. Adde *Hor. Od.* 4, 4, 38.

MĔTAXĂ, ae, f. videtur esse sericum rude, ac nondum tinctum, neque in fila diductum, ap. *Mart. Dig.* 39, 4, 16. *med.* et *Imppp. Arcad., Honor. et Theodos. Cod.* 11, 7, 10. ℙ Item funiculus, vel filum: quo sensu accipiunt illud *Lucilii* ap. *Fest.* in *Rodus*, et *Isid. Orig.* 19, 4. *f.* Plumbi pauxillum rodus, linique metaxam; et *Vitr.* 7, 3. Sin arundinis Graecae copia non erit, de paludibus tenues colligantur: et metaxae, et tomicae ad justam longitudinem una crassitudine alligationibus temperentur. Al. leg. *metaxatae tomicae*, h. e. in metaxae morem convolutae. Al. aliter. ℙ Alii his locis intelligunt filum glomeratum, et convolutum, quod nos *matassa* dicimus: quo sensu *Isid. l. c.* 29. metaxam ducit a circuitu filorum: nam meta, inquit, circuitus dicitur: vel quod transferatur: sc. *ἀπὸ τοῦ μετάγειν*. Alii a Syra lingua ejus originem trahunt. ℙ Legitur et *mataxa*. Unde in *Gloss.* legitur: Mataxa, *ἧνια, h. e.* lorum. Et alibi: Mataxa, *σειρά, h. e.* funis, restis.

MĔTAXĀRII, orum, m. plur. serici distractores. *Imp. Justin. Cod.* 8, 14, 27.

MĔTAXĀTUS. V. METAXA.

*METELĪTES NOMOS, praefectura Metelidis. Fuit autem Metelis, *Μέτηλις Ptolem.* et *Steph. Byz.* Aegypti oppidum, in Delta. *Plin.* 5, 9. ed. *Hard.* ubi olim, v. c. in ed. *Elzev.*, pro *Meteliten* legebatur *Nitriten. B. A.*

METELLĂ, ae, f. *Veg. Mil.* 4, 6. Inventum quoque remedium est, ut de ligno crates facerent, quas metellas vocaverunt, lapidibusque complerent: ea arte inter bina propugnacula constitutas, ut si per scalas ascendisset hostis, et partem aliquam ipsius contigisset, supra caput suum vergerent saxa. Ubi *Stewech.* mirum esset, inquit, ni variarent libri in vocabulo incognito: itaque alibi *metilas*, alibi *medullas* legitur. *Martinius* in *Lex.* conjicit legend. *mētūlas.* ℙ De lege Metella V. METILIUS. ℙ *Metella, mulier quaedam. V. *Perilla. B. A.*

MĔTELLI, orum, m. plur. familia Romana in gente Caecilia, plebeja quidem, sed illustribus viris quamplurimis clarissima. Dicti sunt, quasi mercenarii: hoc enim significat ipsa vox. Unde *Attius* ap. *Fest.* Calones, famulique, metellique, caculaeque. *Gloss. Philox.* Metellus, *μίσθιος*. ℙ Celeberrimus fuit in his L. Metellus L. F., cujus elogium habes ap. *Plin.* 7, 43, 45., item Q. Metellus, de quo *Id. ib.* 44, 45. et *Cic. Fin.* 5, 27., *Vell.* 1, 11., *Val. Max.* 7, 1. *n.* 1.

MĔTELLĪNUS, a, um, adj. ad Metellum aliquem pertinens. *Cic. Att.* 1, 13. *f.* In illam orationem Metellinam addidi quaedam, *h. e.* quam ipse habuit contra Q. Metelli concionem, cujus meminit *Gell.* 18, 7. ℙ *Aedes Metellina* ap. *Fest.* in *Tarpejae* exstructa fuit a Q. Metello Macedonico, qui, ut ait *Vell.* 1, 11. *med.*, primus omnium Romae aedem ex marmore molitus, vel magnificentiae, vel luxuriae princeps fuit. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 12. Pasiteles Jovem fecit eboreum in Metelli aede, qua Campus petitur.

MĔTEMPSYCHOSIS, is, f. *μετεμψύχωσις*, transmigratio animarum ex uno corpore in aliud: quod fuisse ajunt Pythagorae somnium: a *μετά*, trans, et *ἐμψυχόω*, animo. *Tert. Anim.* 31., sed Graece. *Quint. decl.* 10, 17. hac de re verba facit, sed voce ipsa abstinet.

MĔTENSOMĀTOSIS, is, f. *μετενσωμάτωσις*, transmutatio unius corporis in aliud: a *μετά*, trans, et *ἐνσωματόω*, corpus esse facio. *Tert. Anim.* 31 et 32.

[MĔTĔORĬĀ, ae, f. *μετεωρία*, oblivio. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 7. Cum, Diis juvantibus, ad Urbem veniemus, admone me, ut tibi aliquid de hac re narrem. Sed, quae tua et mea meteoria est, neque tu me admonebis, neque ego tibi narrabo. *Suet. Claud.* 39. In eo mirati sunt homines et oblivionem, et inconsiderantiam, vel, ut Graeci dicunt, *μετεωρίαν* et *ἀβλεψίαν. F.*]

*METERĀNA, ae, f. castaneae species. *Plin.* 15, 23. ed. *Elzev.* ubi tamen *Hard.* mavult *Etereiana* pro *Meterana* legere, ab Etereio liberto scilicet. Idem etiam *Plin.* 17, 17. *Etereius libertus* in textum induxit, ubi vulgo legebatur *heres ejus libertus.* V. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 678. *B. A.*

*METEREĬA TURBA ap. *Ov. Trist.* 2, 191. videtur fuisse gens quaedam Scythica, vel Sarmatica, Danubii ostia accolentes, ad Pontum Euxinum. *B. A.*

[METHĒ, es, f. *μέθη*, ebrietas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 2. *n.* XI. Fabia Sex. F. Methe. *F.*]

*METHĪON, onis, m. Phorbae pater. *Ov. Met.* 5, 74. *B. A.*

[METHODĬĀRĬUS, ii, m. qui in methodio, ludi theatralis genere, recitat, ut exodiarius, qui in exodio. *Not. Tir.* p. 173. Methodium, methodiarius. V. METHODIUM. *F.*]

METHODĪCĒ, es, f. *μεθοδική*: a *μέθοδος*, via, ratio docendi, ac discendi. *Quint.* 1, 9. Grammaticae partes duae, id est ratio loquendi, et enarratio auctorum: quarum illam methodicen, hanc historicen vocant.

METHODĪCUS, a, um, adj. *μεθοδικός*, ad methodum pertinens. *Methodici* sunt medici, quorum sententia est, medicinam esse viam quandam, quam *μέθοδον* Graeci nominant, eorumque, quae in morbis communia sunt, contemplatricem. Hi neque rationalibus se, neque experimenta tantum spectantibus annumerari volunt: cum ab illis eo nomine dissentiant, quod in conjectura rerum latentium nolunt esse medicinam: ab his eo, quod parum artis esse in observatione experimentorum credunt. *Cels. praef. med.* V. METHODUS.

METHODĬUM, ii, n. *μεθόδιον*, ludificatio. *Petr. fr. Trag.* 36. *Burm.* Damus omnes plausum a familia coeptum, et res electissimas ridentes aggredimur. Non minus et Trimalchio ejusmodi methodio laetus, Carpe, inquit, etc. Al. leg. *metōdium*, *μετωδεῖον*, h. e. canticum interjectum: sed *methodium* est retinendum; videtur enim fuisse genus quoddam ludi theatralis, quod ad oblectandos spectatores sub finem fabulae introducebatur in scenam, simile exodio. V. METHODIARIUS.

METHODUS et Methodos, i, f. *μέθοδος*, via et ratio docendi, et discendi. *Auson. Idyll.* 11, 67. triplex quoque forma medendi, Cui logos, et methodos, cuique experientia nomen. *Marcell. in carm. de medic.* 6. Quod logos, aut methodos, simplexque empirica pangit, Hoc liber iste tenet.

*METHONE, es, f. *Μεθώνη*, urbs Peloponnesi, in Messenia. *Plin.* 4, 5. *Mela* 2, 3. ℙ Item opp. Magnesiae. *Plin.* 4, 9. *B. A.*

*METHORA, orum, *Μέθορα*, opp. Indiae, in Surasenorum terra. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

*METHORĪCI, orum, populi Asiae ulterioris, in Indiam vergentes. *Plin.* 6, 23. Methoricorum desertum. ℙ *Harduinus* in Gedrosia hanc gentem ponit. *B. A.*

*METHURĪDES, um, insulae quatuor Atticae adjacentes, in sinu Megarico. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*METHYDRĪUM, i, n. *Μεθύδριον*, opp. Arcadiae. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

METHYMNAEUS, a, um, adj. *Μηθυμναῖος*, ad Methymnam pertinens, quae est urbs Lesbi insu-

lae, vino celebris, et patria Arionis citharoedi. *Ov. Met.* 11, 55. Et Methymnaeae potiuntur litore Lesbi. *Id. A. Am.* 1, 57. Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos. *Virg. G.* 2, 90. Methymnaeus palmes. *Prop.* 4, 8, 38. Et Methymnaei Graja saliva meri. *Stat. Silv.* 2, 2, 60. Jam Methymnaei vatis manus, et chelis una Thebais; et *Mart.* 8, 51. Sic Methymnaeo gavisus Arione delphin. Adde *Cic. Tusc.* 2, 27. ℙ *Methymnaei, orum,* sunt Methymnae incolae. *Curt.* 4, 5. Forte Aristonicus Metymnaeorum tyrannus cum piraticis navibus ad portus claustra successit.

METHYMNĬAS, adis, f. quae ad Methymnam pertinet: de qua in v. praec. *Ov. Her.* 15, 15. Pyrrhiades, Methymniadesve puellae.

METĬA Porta erat Romae inter Esquilinam, et Querquetulanam, ut probat *Nibbyus* in *Mura di Roma* p. 167. Illius meminit *Pl. Cas.* 2, 6, 2. et *Ps.* 1, 3, 96.

METĬCŬLOSUS, a, um, adj. ψοφοδεής, timidus. *Pl. Amph.* 1, 1, 137. Nullus est hoc meticulosus aeque. **Appul. Flor. in.* p. 341, 9. *Elmenh.* Meticulosum lepus. *B. A.* ℙ Item metum incutiens. *Pl. Most.* 5, 1, 52. Nescis tu, quam meticulosa res sit, ire ad judicem.

METILĬUS, a, um, adj. *Metilia lex* lata fuit a M. Metilio trib. pleb. ann. U. C. DXXXV. Spectabat autem ad fullones. *Plin.* 35, 17, 57., ubi al. leg. *Metella*, h. e. a quodam Metello lata.

*METĬNA, ae, f. insula maris Mediterranei, Galliae adjacens, ad Rhodani ostium. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

*METĬOCHA, ae, f. *Μετιόχη*, Orionis filia, soror Menippes. *Nicand.* ap. *Anton. Liber.* 25. *B. A.*

MĒTĬOR, iris, ensus (raro *metitus*) sum, dep. 4. *μετρέω*, explorare rei alicujus magnitudinem, definire modum, dimetiri, [*ut ipse cognoscas: differt *metari*, quod exploratam, cognitamque alicujus rei magnitudinem signis positis demonstrare aliis, i. q. metas statuere, significat. V. *Doederl.* 2, 169.] *Cic. Acad.* 4, 41. *f.* Nec magis affirmabunt, signum illud, si erunt mensi, sex pedum esse, quam solem, quem metiri non possunt, plus quam duodeviginti partibus majorem esse, quam terram. *Id. Fam.* 9, 17. Metiri agrum. *Id. Verr.* 2, 3, 83. 84 et 85. frumentum. *Hor. Sat.* 1, 1, 95. Ummidius tam dives, ut metiretur nummos, *h. e.* non numeraret pecuniam, sed modio metiretur, ut est ap. *Petr. Sat.* 37. ℙ Est etiam metiendo distribuere. *Caes. B. G.* 1, 16. Diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret. Adde *ib.* 23. et *ib.* 7, 71. Sic *Hor. Epod.* 9, 34. Aut Chia vina, aut Lesbia, Vel, quod fluentem nauseam coerceat, Metire nobis Caecubum. ℙ Translate. [**Eurip. Phoen.* 188. *ἄνω τε καὶ κάτω τείχη μετρῶν.*] *Cic. Or.* 68. Sonantia omnia, quae metiri auribus possumus. *Hor. Sat.* 1, 2, 103. Metiri oculo latus alicujus. *Ov. Met.* 2, 188. animo aliquid. *Id. Her.* 10, 28. Aequora prospectu metior alta meo. *Ulp. Dig.* 32, 50, 1. Quae quis ingenio suo metitus est. *Hor. Ep.* 1, 7, 98. Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est. *Juven.* 6, 357. nulla pudorem Paupertatis habet: nec se metitur ad illum, Quem dedit haec posuitque modum. *Sil.* 4, 294. Atque altum tota metitur cuspide pectus. ℙ Eleganter *metiri* dicuntur, qui locum aliquem eundo percurrunt. *Hor. Epod.* 4, 7. sacram metiente te viam Cum bis ter ulnarum toga. *Virg. G.* 4, 388. Caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor, Et juncto bipedum curru metitur equorum. *Ov. Met.* 9, 447. celerique carina Aegaeas metiris aquas. *Lucan.* 5, 556. Instabili gressu metitur litora cornix. *Pl. Ps.* 4, 4, 11. Quin hinc metimur gradibus militariis, *h. e.* viam ingredimur, imus, abimus. *Catull.* 34, 17. Tu cursu, Dea, menstruo Metiens iter annuum, *h. e.* conficiens, complens. [**Sophocl. Aiac.* 5. *μετρούμενον Ἰχῆ τὰ κείνου*, ubi *Schol. μετρούμενον, ἀριθμούντα, ζητοῦντα, ἀκολουθοῦντα.*] ℙ Translate est, aestimare, definire, ponderare. *Cic. Phil.* 2, 43. Nisi forte vis fateri, te omnia quaestu tuo, non illius dignitate metiri. *Id. opt. gen. Or.* 4. Vim eloquentiae sua facultate, non rei natura metiuntur. *Id. Tusc.* 1, 27. *extr.* Tanta caritas patriae est, ut eam non sensu nostro, sed salute ipsius metiamur. *Id. Or.* 1, 2. Clarorum hominum scientiam, rerum gestarum vel utilitate, vel magnitudine metiri. *Id. Fam.* 7, 12. et *Pis.* 28. omnia voluptate sua. *Tac. H.* 1, 8. Pari dolore commoda aliena, ac suas injurias metiebantur. *Liv.* 3, 54. Odium in se aliorum suo in eos metiens odio. *Sall. Cat.* 32. Suo quisque metu pericula metiri. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 4. Fidelitas, quam ego ex mea conscientia metior. *Mart.* 12, 99. Qui sua metitur pondera, ferre potest: *γνώμη. Quint.* 6, 1. *med.* Metiri ac diligenter aestimare vires suas. [*Adde *Vell.* 2, 100, 3. metiri fortunam licentia; et 2, 120, 1. Se magnitudine sua; et 2, 127, 4. infra aliorum aestimationes. *Lucan.* 8, 527. Metiri sua regna decet viresque fateri.] ℙ Passive. *Lact. Mort. persec.* 23. Agri glebatim metiebantur, vites et arbores numerabantur. *Arnob.* 2, 86. An sol pedis unius latitudine metiatur. [**Hyg. Astr.* 1, 6. *in.* Quinque (circuli) sic in sphaera metiuntur.] ℙ Part. *Metiendus* ap. *Cic. Or.* 57. *med.* Syllabis metiendos pedes, non intervallis existimat; et *Par.* 3. Peccata non rerum eventu, sed vitiis hominum metienda sunt. ℙ [*Confund. *metiri* et *metari*. V. *Cort.* et *Mart. Lag.* ad *Lucan.* 6, 32.]

*METIOSEDUM, i, n. opp. Galliae Lugdunensis sive Celticae, Parisiis propinquum. *Caes. B. G.* 7, 61. *B. A.*

*METISCUS, i, m. Turni auriga. *Virg. A.* 12, 469. *B. A.*

MĒTĬTIO. V. MESSURA.

MĒTĬTOR, oris, m. mensor. *Front. Aquaed.* 79. A metitoribus reliquae quinariae intra Urbem dividebantur.

MĒTĬTUS. V. METIOR.

*METĬUS, i, m. nomen proprium virorum Romanum, ut *Sp. Metius Tarpa*, judex et censor fabularum, de quo *Cic. Fam.* 7, 1. *Hor. A. P.* 385. et *Sat.* 1, 10, 38. ℙ Alii scribunt *Maecius.* ℙ De familiae Maeciae claritate sub Caesaribus V. *Periz. de num. Consul.* p. 277. ℙ *Metius Suffetius*, dux Albanus, Tulli Hostilii jussu necatus. *Liv.* 1, 23. etc. *Flor.* 1, 3. *Virg. A.* 8, 642. ℙ Notandum, ap. *Livium* habere ed. *Drakenb.* passim *Mettus Suffetius (Sufet.)* V. *Mettus. B. A.*

MĒTO, as, a. 1. idem quod metor, metior. *Virg. Cul.* 172. de angui: Metabat sese circum loca, *h. e.* modo contracto, modo porrecto corpore, spatia illa quodammodo metiebatur. ℙ Passive. *Caes. B. C.* 3, 13. Cum prope Dyrrhachium Pompejus constitisset, castraque metari jussisset. (Sed *metari* etiam active hic accipi potest, si *eos, ad quos pertinebat*, subintelligas.) [*Passiva hujus v. significatio in part. pract. usitatior.] *Sen. Thyest.* 462. nullus mihi Ultra Getas metatur, et Parthos ager. *Hirt. B. G.* 8, 15. Castris eo loco metatis, muniri jubet castra. *Liv.* 21, 25. An in triumviros *(coloniae deducendae)* agrum metantes impetus sit factus.

MĒTO, is, messui, messum, a. 3. *ἀμάω*, messem facio, h. e. maturas segetes seco. *Varr. R. R.* 1, 50. *f.* Cum est matura seges, metendum. *Colum.* 2, 21. Sunt autem metendi genera complura: multi falcibus medium culmum secant, multi mergis, etc. *Ov. Fast.* 2, 519. Metere farra. *Id. Her.* 6, 84. pabula falce. *Prop.* 4, 10, 30. arva. Et translate. *Virg. G.* 4, 54. de apib.: Purpureosque metunt flores, et flumina libant Summa leves. *Sen. Phoen.* 340. facibus petite penetrales Deos, Frugemque flamma metite natalis soli. ℙ Poetice per metonymiam *metere* dicuntur *regionem*, qui eam incolunt. Colunt enim, ac serunt, et fruges colligunt. *Sil.* 8, 566. Qui Batulum, Nucrasque metunt. Sic *Virg. A.* 3, 14. Thraces arant; et *Stat. Th.* 4, 50. oliviferae Sicyonis culta serunt; et *Virg. A.* 7, 715. Qui Tiberim, Fabarimque bibunt, *h. e.* ea flumina accolunt. ℙ Pro vindemiare. *Virg. G.* 2, 408. Primus humum fodito, primus devecta cremato Sarmenta, et vallos primus sub tecta referto, Postremus metito. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7. Uva conseminia post quindecim dies, quam ulla alia, metitur. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 15. Metere vindemiam. *Colum.* 10, 426. Ac metimus laeti tua munera, dulcis lacche. [M. *Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 6. Deinde uvis metendis operam dedimus, et consudavimus et jubilavimus. *F.*] ℙ *Ut sementem feceris, ita et metes*, proverb. ap. *Cic. Or.* 2, 65. h. e. talem habebis fructum, qualis fuerit opera et labor. ℙ *Mihi istic nec seritur, nec metitur*, aliud ap. *Pl. Epid.* 2, 2, 80., h. e. ad me ista res nihil pertinet, nullo meo neque periculo, neque emolumento fit. Quo pertinet illud *ejusd. Merc. prol.* 71. Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis. ℙ Universim ponitur pro secare, caedere, deruere. *Ov. Fast.* 2, 706. virga lilia summa metit. *Mart.* 7, 95. et *Juven.* 3, 186. Metere barbam forfice. *Mart.* 10, 83. capillos; et *ib.* 93. rosam pollice. *Calpurn. Ecl.* 2, 74. olus. *Grat. Cyn.* 314. Gangem nardiferum, *h. e.* nardum Indicum. *Ov. Amor.* 3, 10, 40. Et ferus in silva farra metebat aper. *Pall.* 7, 7. Cum murmuris sonus magnus et raucus est, agnoscimus, non esse idoneas ad metendum crates favorum. *Demetere, succidere, castrare, desecare*, ferramentis adhibitis, dixit *Colum.* 9, 15. hac ipsa de re verba faciens. ℙ Praecipue vero locum habet in caede militari, pro obtruncare. *Virg. A.* 10, 513. Proxima quaeque metit gladio. *Stat. Th.* 9, 223. necopinaque ferro Colla metens. *Sil.* 4, 464. metit agmina tectus Coelesti clypeo. *Hor. Od.* 4, 14, 31. Primosque et extremos metendo Stravit humum. Sic *Ep.* 2, 2, 178. metit Orcus Grandia cum parvis, non exorabilis auro. V. DEMETO. ℙ Praeteritum *messui* usurpant *Cato* ap. *Prisc.* 10, 903. et *Fest.* in *Sacrima:* et confirmatur ex composito *demessui:* et agnoscitur a *Diomed.* 1, 374. et *Prisc.* 8, 817. et 1251. Videtur tamen esse rarioris usus, quia *Charis.* 3, 222. integram huius verbi conjugationem exsequens, *messem feci* praeteritum ponit. *Prisc.* 8, 817. tradit, quosdam *messivi* usurpasse: sed improbat.

[MĒTON, onis, m. *Μέτων*, illustris astronomus Atheniensis, cujus celebre inventum fuit cyclus XIX. annorum, ab Italis nunc *Numero d'oro* appellatus, ad conciliandam nempe solaris, lunarisque cursus congruentiam. Hujus meminit *Avien. Prognost.* 48. Sed primaeva Meton exordia sumpsit ab anno, Torreret rutilo cum Phoebus sidere Cancrum, *h. e.* post solstitium aestivum. ℙ Hinc jocus Ciceronis de Metone quodam ejus debitore, qui cum ipsi pecuniam debitam se soluturum promitteret annua die, *h. e.* post annum, reponit ipse *Att.* 12, 3. Quando iste Metonis annus veniet? Adde *ib.* 51. *F.*]

MĒTOCHE, es, f. *μετοχή*, a *μετέχω*, particeps sum, apud grammaticos participium significat. *Auson. epigr.* 6. Vale, beatis nomen a Divis, Theon: Metoche sed ista saepe currentem indicat. Ludit in voce: nam *Θεὸς*, Deus est, et *θέον* particip. currens. *Scalig.* vult legi *methodus.* ℙ Alio sensu, sed satis obscuro, legitur ap. *Vitr.* 3, 3. *med.* et Graece: de qua V. *Bald.* in *Lex.* Sed alii *ib.* rectius legunt *μετόπη.*

MĒTODĬUM. V. METHODIUM.

MĒTOECUS, i, m. colonus, advena, qui de una in aliam civitatem migravit habitandi gratia, *μέτοικος.* Vox Graeca, qua utitur *Eumen. Pan. Flavensium nomine dicto* 4. *f.* Divus pater tuus civitatem Aeduorum voluit jacentem erigere, metoecis undique transferendis. *Frontin. de colon.* p. 134. *Goes.* Ager ejus militi modico (lege *metoeco*) est assignatus.

MĒTONYMĬA, ae, f. *μετωνυμία*, h. e. positio nominis pro nomine, ut ait *Quint.* 8, 6. *med.* (a *μετὰ* trans, et *ὄνυμα*, nomen) tropus est, de quo in DENOMINATIO satis diximus: sic enim Latine appellatur. Graece usurpat *Quint. l. c.* et alibi, *Charis.* 1, 244., *Diomed.* 2, 452. et *Donat. de Tropis*, p. 1776. Latine *Festus.*

MĒTOPA, ae, f. *μετόπη*, vox Graeca a *μετὰ*, inter, et *ὀπή*, foramen: spatium est inter duo foramina, vel cavaturas. *Vitr.* 4, 2. *med.* Inter denticulos, et inter triglyphos quae sunt intervalla, metopae nominantur: *ὀπὰς* enim Graeci tignorum cubilia, uti nostri ea cava, columbaria: ita quod inter duas opas est intertignium, id metopa est apud eos nominatum.

MĒTOPĬON, ii, n. *μετώπιον*, arbor in Africa Aethiopiae subjecta, ex qua lacrima in arenas decidit, quam nonnulli metopium, alii ammoniacum vocant. *Plin.* 12, 23, 49. ℙ Est et olei genus ex amaris amygdalis confectum. *Plin.* 15, 7, 7. ℙ Item genus unguenti, cui galbanum est admixtum. *Id.* 13, 1, 2.

MĒTOPOSCŌPOS, i, m. *μετωποσκόπος*, frontis inspector, qui scilicet ex frontis, et faciei lineamentis, quid cuique eventurum sit, divinat: a *μέτωπον*, frons, et *σκοπέω*, contemplor. *Suet. Tit.* 2. Quo quidem tempore ajunt metoposcopon a Narcisso Claudii liberto adhibitum, ut Britannicum inspiceret, etc. Adde *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 14.

*METOPS, i. q. metopion, sensu arboris, ap. *Solin.* 40. *B. A.*

MĒTOR, aris, atus sum, dep. 1. *μετρέω, ὁρίζω*, idem quod metior. [*Noli credere! Fefellit nostrum, quod in tanta notionum similitudine fere semper liberum scriptori permissum arbitrium est, utrum horum vocabulorum usurpare velit. — *Metari* semper non cognoscendi, explorandi, quae in v. *metiri* praevalet notio, sed statuendi fines, terminos, ut aliis quales sint pateat, significationem vindicat. V. *Doederl.* 2, 169. Hinc primo loco posuimus, quae Noster quarto et quinto frustra discrimine facto collocaverat. *Coel.* ap. *Non.* 2, 528. Castra metati signa statuunt, i. e. positis in universum castrorum finibus. *Sall. Jug.* 114. Sulla pariter cum ortu solis castra metabatur, i. e. terminos, inter quos castra poni a militibus deberent, demonstrabat. *Tac. A.* 2, 8. Metanti castra Caesari Angrivariorum defectio nunciatur. *Curt.* 3, 8. *med.* Itaque eo ipso loco metari suos castra jusserat. Neque differunt, quae tertio Noster posuerat. *Virg. G.* 2, 274. si pinguis agros metabere campi, Densa sere. *Plin.* 5, 10, 11. de Alexandria: Metatus est eam Dinochares architectus pluribus modis, memorabili ingenio. Adde 7, 37, 38. *Liv.* 1, 10. Juppiter Feretri, haec tibi victor Romulus rex regia arma fero, templumque iis regionibus, quas modo animo metatus sum, dedico. *Plin.* 6, 28, 32. Scenitae (*populi Arabiae*) vagi, a tabernaculis cognominati, quae ciliciis metantur, ubi libuit, *h. e.* ciliciis extentis tabernacula statuunt, ac disponunt. Ubi *metari* aeque ac in praecedentibus, nonnisi ad fines constituendos, sive signis positis id fiat, sive cogitatione, pertinet. Quam *Forc.* significationem inesse his locis voluerat, in partes distribuendi, ut omnia suis locis apte disposita appareant, istam recte *Doederl.* l. l. in v. *dimetari* vidit. — Jam recte sequantur ea, quae ap. Nostrum primum locum tenebant.] *Ov. Fast.* 1, 309. Nos quoque sub ducibus coelum metabimur illis. *Plin.* 6, 17, 20. Indiam Posidonius ab aestivo solis ortu ad hibernum exortum metatus est. *Gell.* 1, 1. Stadium Hercules pedibus suis metatus est, idque fecit longum pedes sexcentos. ℙ De eo, qui locum aliquem percurrit, ut metior:

poetice. *Sen. Hippol.* 505. Nunc ille ripam celeris Alphei legit: Nunc nemoris alti densa metatur loca. *Sil.* 6, 58. solos Per noctem metantur agros. P [*Confund. *metari* et *metiri*. V. *Cort.* et *Mart. Lag.* ad *Lucan.* 6, 32.]

METRĒTA, ae, f. *μετρητής*, genus vasis olearii, et vinarii, ut cadus, amphora: a *μετρέω*, metior. *Cato R. R.* 100. Oleum sic in metretam novam inditurus eris: amurca colluito, agitatoque diu, ut bene combibat. Id si feceris, metreta oleum non bibet, et firmior erit. *Colum.* 12, 47. *extr.* Huic conditurae vasa nova fictilia praeparantur: quae ne possint oleum sorbere, tanquam olivariae metretae, imbuuntur liquamine; et *ib.* 51. illud *vas olearium quam maximum*, quod *ib. in.* posuit, mox *metretam* vocat. *Mart.* 5, 16. Plurimus Hispanas mittet mihi nauta metretas. *Cajus Dig.* 18, 1, 35. *f.* Si ex doliario pars vini venierit, veluti metretae centum. *Juven.* 3, 245. ferit hic cubito, ferit assere duro Alter: at hic tignum capiti incutit, ille metretam. P Est etiam genus mensurae, quam decem congiorum esse quidam tradunt ex *Dioscor.* 5, 82., atque adeo pendere libras centum. Verum et *Dioscoridis* locus incertae lectionis est: cum alii octo legant, alii duodecim: et varia mensurarum ratio varias apud nationes. Ceterum metreta, amphora, cadus pro eodem mensurae genere saepe ponitur. *Pl. Merc. prol.* 74. Ea pecunia Navim, metretas quae trecentas tolleret, Parasse. *Colum.* 12, 22. Picis liquidae metretam adde in labrum, aut in alveum, et in eodem infundito cineris lixiviae congios duos.

[METRETES, is, m. *μετρητής*, metator. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* p. 876, 3. Centuria Metretis. *F.*]

METRĬCĒ, es, f. *μετρική*, species geometriae, per quam syllabarum longarum, et brevium, et mediocrium junctura, et modus congruens cum principiis geometriae aurium mensura examinatur. *Gell.* 16, 18. sed Graece.

METRĬCUS, a, um, adj. *μετρικός*, ad metrum pertinens, metro constans. *Quint.* 9, 4. *med.* Metrici pedes. *Plin.* 11, 37, 88. Arteriarum pulsus in modulos certos, legesque metricas descriptus. P *Metrici, orum*, qui de metris, et versibus tractant. *Gell.* 18, 15. In longis versibus, qui hexametri vocantur, item in senariis, animadverterunt metrici, duos primos pedes, item extremos duos, habere posse singulos integras partes orationis, medios haud unquam posse.

[METROBĀLĀNUS, i, m. glans matris, *h. e.* Cybeles, quae Mater magna Idaea dicebatur, eique quercus glandifera sacra erat: a *μήτηρ, τρός*, mater, et *βάλανος*, glans. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 1, 8. Fl. Verus Metrobalanus. *F.*]

[METROBĬUS, ii, m. matris vita: a *μήτηρ, τρός*, mater, et *βίος*, vita. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1468, 7. C. Truvius Metrobius. *F.*]

MĒTROCOMĬA, ae, f. *μητροκωμία*, matrix villa, vicus, vel pagus, unde in alios vicos ductae sunt coloniae: a *μήτηρ*, mater, et *κώμη*, pagus. *Justin. Cod.* 11, 55. et *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 11, 24, 6. Itali vulgo dicunt *capoluogo*.

[METRODORA, ae, f. et

[METRODORUS, i, m. matris donum: a *μήτηρ, τρός*, mater, et *δῶρον*, donum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 466, 7. Ulattia Metrodora. Alia ap. *eund.* 980, 1. C. Julius C. L. Metrodorus. *F.*] P **Metrodorus, i*, m. *Μητρόδωρος*, Lampsacenus, vel potius Atheniensis, Epicureus. *Cic. Tusc.* 5, 17. *Fin.* 2, 3. *med.* et 28. *Off.* 3, 33. et *N. D.* 1, 31. *in. Sen. Ep.* 79. *f.* et 199. *med.* P Quare is Lampsacenus dictus sit, cum Atheniensis esset, V. *Jonsium* 1, 2. §. 6. *Menag.* ad *Laert.* 10, 22. P Alius, Scepsius, Carneadis auditor. *Cic. Or.* 1, 11. et 2, 88. *Id. Tusc.* 1, 24. *Plin.* 7, 24. Idem *Plin.* 35, 11. excellentem eum pictorem fuisse, et L. Aemilii Paulli liberos erudivisse tradit. Sed tempus repugnat; et hoc facit potius ad Metrodorum Atheniensem. P Metrodorus Chius, Democriti discipulus fuit, Hippocratis magister. Libellum scripsit *De natura*. *Cic. Acad.* 4, 23. *B. A.*

METRŌPŎLIS, is, f. *μητρόπολις*, civitas matrix, urbs, ex qua coloniae deductae sunt: a *μήτηρ*, mater, et *πόλις*, urbs, quasi mater urbium aliarum, quia sic se habet metropolis ad coloniam, ut mater ad filiam. In nummis Septimii Severi Aug. ap. *Mionnet. Descr. des méd. ant.* T. 5. p. 428. Colonia Septimia Tyrus metropolis. In aliis Elagabali Aug. *ib.* p. 388. Colonia Aurelia Pia metropolis Sidon. In aliis Alexandri Sev. Aug. *ib.* p. 492. Colonia Prima Flavia Augusta Caesarensis metropolis. *Imp. Zeno Cod.* 1, 49. et *Imppp. Valens, Gratian. et Valent. Cod. Theod.* 13, 3, 11. Habet etiam *Ulp.*, sed Graece *Dig.* 1, 16, 4. P Translate. *Hieron. adv. Jovin.* 2, 8. Non potest ante metropolis et arx mentis capi, nisi, etc. P Est qui tribuit etiam *Floro* 2, 7. V. OPINATUS, a, um. P Metropolis est etiam nomen oppidi in Thessalia, in Phrygia, in Ionia, etc. ap. *Caes. B. C.* 3, 80. *extr.* et *Plin.* 5, 29, 29., quorum cives *Metropolitae* dicuntur. *Iidem ib.*

METRŌPŎLĪTAE, arum, m. plur. *μητροπολῖται*. V. v. praec. P De eo, qui metropoli praeest. *Venant. carm.* 3, 6, 20. Euphronius fulget metropolita sacer.

METRŌPŎLĪTĀNUS, a, um, adj. ad metropolim pertinens. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 11, 21. Propter multas justasque causas, metropolitano nomine, ac dignitate civitatum Berytum decernimus exornandam. P [Item qui ad Metropolim urbem pertinet. *Liv.* 38, 15. Metropolitanus campus. *F.*]

[METROTHĒA, ae, f. *μητροθέα*, quae habuit matrem Deam. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 623, 8. Sempronia Metrothea. *F.*]

METRUM, i, n. *μέτρον*, mensura, et speciatim mensura versuum. *Quint.* 9, 4. *med.* Omnis structura, ac dimensio, et copulatio vocum constat aut numeris (numeros *ῥυθμοὺς* accipi volo), aut *μέτρῳ*, id est, dimensione quadam. Quod etiam si constat utrumque pedibus, habet tamen non simplicem differentiam: nam rhythmi, idest numeri, spatio temporum constant: metra etiam ordine: ideoque alterum esse quantitatis videtur, alterum qualitatis. V. ibi reliqua. (V. etiam *Diom.* 3. *in.*) *Id.* 1, 6. Poetas metri necessitas excusat. *Gell.* 4, 17. *med.* In praepositionem metri causa protendere. *Mart.* 4, 6. Cum sis improbior, Malisiane, Quam qui compositos metro Tibulli In Stellae recitat domo libellos, *h. e.* elegiaco carmine. P Usurpatur et de ipso versu. *Colum.* 3, 10. *f.* Quamvis nullo alio sit scripto proditum, exceptis, quae retulimus, metris Virgilii. *Sic ed. *Gesner.* Ed. *Schneider.* (1794.) habet omnino *exceptis, quos retulimus numeros Virgilii. B. A.*

*METTIS, is (*Venant. Fortun.*), vel Metti, orum (*Notit. Imp.*), opp. vulgo appellatum *Metz*. V. *Mediomatrici. B. A.*

[METTUS, i, m. praenomen Sabinorum proprium, ut Mettus Curtius ap. *Liv.* 1, 12. P Item Albanorum, ut Mettus Fufetius ap. *eund.* 1, 23. et *Virg. A.* 8, 642. Haud procul inde citae Mettum in diversa quadrigae Distulerant. P Sunt qui ubique *Mettium* scribunt. *F.*]

*METUBARRIS, insula Pannoniae, in Savo flumine, amnicarum maxima, ut dictis utar *Plin.* 3, 25. P Locum V. in *Amnicus. B. A.*

MĔTŬENS, entis, part. a *metuo*. Saepe nomen fit, et cum gen. construitur. *Cic. in Senat.* 2. et *Dom.* 26. Nam consules modesti, legumque metuentes, impediebantur lege. *Hor. Ep.* 1, 16, 60. Labra movet metuens audiri. *Id. Sat.* 2, 2, 110. contentus parvo, metuensque futuri. *Juven.* 7, 210. metuens virgae jam grandis Achilles. *Ov. Fast.* 6, 259. Regis opus placidi, quo non metuentius ullum Numinis ingenium terra Sabina dedit. *Tac. A.* 13, 25. Nero metuentior in posterum, milites sibi circumdedit.

MĔTŬLĂ, ae, f. parva meta, dimin. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Alternis metulae surgunt.

MĔTŬO, is, ui, a. 3. *φοβέομαι*, metum habeo, in metu sum, timeo, formido, horreo. [*Intraus. significationes exempla *Forc.* mixta cum ceteris haec laudaverat.] *Cic. Att.* 10, 4. *med.* Jacet in moerore meus frater, neque tam de sua vita, quam de me metuit. [**Liv.* 23, 36. Metuens ab Hannibale: ubi v. *Drak.*] *Petr. Sat.* 123. Metuere pro aliquo. *Pl. Truc.* 4, 3, 35. matres duas habet, et avias duas: Jam metuo, patres quot fuerint; et *Ter. Heaut.* 3, 3, 8. metui, quid futurum denique esset. P *Non metuo, quin* est *non dubito, quin. Pl. Amph.* 4, 1, 54. Non metuo, quin meae uxori latae suppetiae sint. P Pro *dubito* est etiam in illo *Ter. Heaut.* 4, 3, 42. Metuo, quid agam. P [*Cum dativo signif. sollicitum esse, ne quid incommodi cuipiam accidat. Noster adscripserat ista:] *Pl. Asin.* 1, 1, 98. nemo est, quem jam dehinc metuam mihi, Ne quid nocere possit. *Id. Amph.* 5, 1, 60. Ego cunas recessim sursum vorsum trahere, Metuens pueris, mihi formidans. *Virg. G.* 1, 185. populatque ingentem farris acervum Curculio, atque inopi metuens formica senectae. P [*Transitive.] *Cic. Rosc. Am.* 3. Supplicia quae a vobis pro maleficiis suis metuere atque horrere debent. *Ter. Hec.* 5, 2, 6. Nec pol istae metuunt Deos. *Nep. Dion.* 9. Miseranda vita, qui se metui, quam amari malunt. *Pl. Merc.* 3, 1, 22. De lanificio neminem metuo, una aetate quae sit. *Cic. Fam.* 5, 6. Partim non credunt, et a me insidias metuunt. *Liv.* 1, 9. Tantam in medio crescentem molem sibi, ac posteris suis metuebant. *Sall. Cat.* 55. *extr.* Periculum metuere ex aliquo. *Pl. Poen.* 3, 1, 6. Sciebam senes aetate tardiores: metui amori meo moram. P *Metuo, ut*, in iis, quae fieri vellemus: contra *metuo, ne*, in iis, quae nollemus. *Id. Curc.* 4, 1, 3. Ornamenta, quae locavi, metuo, ut possim recipere. *Id. Ps.* 4, 1, 8. nimis metuebam male, ne abiisses. *Ter. Eun.* 3, 1, 59. Metuit semper, ne quando iratus tu alio conferas; et 3, 5, 62. Metuo fratrem, ne intus sit. [*V. *Lindem.* ad *Pl. Capt.* 2, 2, 42.] P *Metuo, ne non* pro *metuo, ut. Pl. Pers.* 4, 6, 4. Ne non sat esses leno, id metuebat miser. P Cum infinito. *Catull.* 64, 146. Nil metuunt jurare, nihil promittere parcunt. *Ov. Her.* 19, 185. Quod cupis, hoc nautae metuunt, Leandre, natare; et *ib.* 16, 283. metuis Venerem temerare maritam. [**Hor. Sat.* 2, 5, 65. Filia Nasicae metuentis reddere soldum, i. e. nolentis: v. *Heindf.*] P Tribuitur et rebus inanimis. *Hor. Od.* 2, 2, 7. Illum aget penna metuente solvi Fama superstes, *h. e.* quasi cavente, et solvi unquam nolente. Nam qui metuit aliquid, id certe non vult. [*Praeferenda est *Heindf.* ratio, qui ad *Sat.* 2, 5, 65. *metuere* in locis, qualis hic est, non pro *nolle*, sed pro *non posse*, accipit; coll. simili Graecorum more in v. *οὐ θέλειν* pro *οὐ δύνασθαι*. *Plat. Phaedr.* 10. *τὰ δένδρα οὐδέν με θέλει διδάσκειν.*] *Hor. Od.* 4, 5, 20. Culpari metuit fides. *Sen. Oedip.* 790. Purae, nec ulla scelera metuentes manus. *Varr. R. R.* 1, 22. *extr.* Quae res quotidie videntur, minus metuunt furem. P Inter *metuere*, et *vereri* interest, quod illud servorum est, hoc liberorum: illud percellit ac premit animum, hoc movet solummodo. *Cic. Sen.* 11. Metuebant eum servi, verebantur liberi. *Id. Quint.* 1. Summa gratia, et eloquentia: quarum alteram (*eloquentiam*) vereor, alteram metuo. [**Metuere* et *timere* ad periculum pertinent, *vereri* ignominiam spectat. Ita *Doederl.* 2, 191.] P *Metuere* pro *vereri* ap. *Ter. Phorm.* 1, 2, 69. Metuebat absentem patrem, ubi *Donat.* discrimen assignat inter *metuo*, et *timeo*. Metuimus, inquit, eos, qui nos amant: timemus etiam inimicos. Sed haec promiscue saepissime. *Sen. Agam.* 73. de tyrannis: Metui cupiunt, metuique timent; et *Oedip.* 705. Qui sceptra duro saevus imperio regit, Timet timentes. *Pl. Mil.* 4, 8, 38. Metuo, et timeo, ne hoc tandem propalam fiat nimis. [**Metuere* significat prudenter, caute sollicitum esse de re aliqua: *timere* propter ignaviam periculorum cogitatione angi. Ita non male discrimen constituisse videtur *Doederl.* 2, 191. sqq. ubi v.] P *Metuiri* pro *metutum iri* quidam leg. ap. *Modest. Dig.* 20, 1, 26. V. METUTUS. P Part. *Metuens* V. s. 1. *Metuendus* ap. *Cic. Har. resp.* 28. Cum quibusdam multis metuendisque rebus. P [*Confund. *metuit* et *vetuit*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 359.]

MĔTUS, us, m. *φόβος*, timor, formido, pavor. Volunt esse a *μόθος*, quod ap. *Hesych.* est etiam *φόβος*. [*Meliora praebet *Doederl.* 2, 194.] *Cic. Tusc.* 4, 37. definit, diffidentiam exspectati et impendentis mali: item mali exspectationem; et *ib.* 5, 18. futurae aegritudinis sollicitam exspectationem. [*Quid differant *metus* et *timor*, V. in v. praec.; quid *horror* et *formido* a v. *metus* discrepent, dictum est ap. *Doederl.* 2, 200. Cf. etiam *formido*.] Accipitur tum active, tum passive, *h. e.* quo timemus alios, et quo timemur. *Gell.* 9, 12. *med.* *Metus hostium* recte dicitur, et cum timent hostes, et cum timentur. Itaque Sallustius, in historia prima *metum Pompeji* dixit, non quod Pompejus metueret (quod est usitatius), sed quod metueretur. Verba haec Sallustii sunt (*Hist.* 1.): *Id bellum excitabat metus Pompeji victoris, Hiempsalem in regnum restituentis.* Item alio in loco (*ib.*): *Postquam, remoto metu Punico, simultates exercere vacuum fuit.* Haec *Gell.* Sic *Quint.* 6, 2. *med.* Metum duplicem intelligi volo, quem patimur, et quem facimus. Hinc *esse in metu* dicitur et qui timet, et res, quae metum affert. *Cic. Cat.* 1, 7. *f.* Me totam esse in metu propter te unum. *Id. Att.* 3, 9. Mihi etiam unum de malis in metu est, fratris miseri negotium; et *ib.* 14, 21. Quid autem absurdius, hoc metuere, alterum in metu non ponere? *h. e.* inter res metuendas. Huc pertinet illud *Stat. Th.* 12, 606. Ipsa metus Libycos, servatricemque Medusam Pectoris, incussa movit Tritonia parma, *h. e.* Medusae vultum, et angues quos gerit in pectore, quibus metum aliis incutit. *Sen. Hippol.* 28. Hic versatur metus agricolis, vulnere multo jam notus aper. *Val. Fl.* 1, 22. Haemoniam primis Pelias frenabat ab annis, Jam gravis et longus populis metus. P De formidine venatoria usurpant *Grat. Cyn.* 85. et 88., *Nemes. ib.* 311. et *Manil.* 4, 182. V. FORMIDO, inis, et LINEA. P Frequentius de aegritudine usurpatur, qua timemus aliquid. Nam, ut ait *Serv.* ad *A.* 11, 357., terror est proprie, qui aliis infertur, metus, quem habent timentes. *Cic. Fam.* 11, 21. Omni te, vir optime, de me metu libero; et *ib.* 9, 16. *f.* Volo abstergere animi tui metum. *Liv.* 2, 2. *med.* Exonera civitatem vano forsitan metu. *Ter. Heaut.* 2, 3, 100. Ademptum tibi jam faxo omnem metum. *Id. Andr.* 1, 2, 10. Amoto metu. *Liv. l. c.* Removere metum. *Cic. Tusc.* 2, 24. *f.* levare alicui. *Id. Verr.* 2, 5, 49. *f.* alicui dejicere. *Id. in Sen.* 8. depellere. *Sall. or. Philipp. contra Lepid.* detrahere. *Ov. Her.* 14, 43. et *Met.* 3, 690. excutere corde. *Virg. A.* 1, 467. solvere. *Caes. B. G.* 6, 28. tollere. *Hirt. B. Alex.* 65. deponere. *Sil.* 3, 131. lenire. *Ov. Fast.* 1, 485. concipere. *Liv.* 33, 27. *f.* capere. *Ter. Heaut.* 2, 3, 96. accipere, *h. e.* subire. *Cic. Fam.* 8, 10. habere. *Id. Cluent.* 70. A metu respirare. *Liv.* 2, 22. Volscis levatis metu suum rediit ingenium. *Lucr.* 3, 313. Metu tentari. *Cic. Mil.* 24. exanimari. *Virg. A.* 6, 491. ingenti trepidare. *Ov. Met.* 15, 517. turbari;

et *ib.* 13, 74. pallere. *Sall. Cat.* 6. perculsus. *Cic. Or.* 1, 26. *f.* frangi ac debilitari. *Sall. Jug.* 39. et 43. Metus me invadit. *Plin. ep.* 6, 20. Metum perferre; et *ep.* 8, 11. Redire in metum. *Quint.* 6, 2. *med.* Metum pati. *Id. ib.* et *Ov. Trist.* 5. 10, 28. et *Tac. A.* 6, 36. facere alicui. *Caes. B. G.* 4, 19. injicere. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 4. incutere. *Liv.* 26, 20. inferre. *Cic. Verr.* 2, 2, 54. afferre. *Id. Fam.* 15, 1. *f.* offerre. *Id. Tusc.* 2, 4. objicere. *Sen. Hippol.* 727. mortis intentare. *Caes. B. G.* 5, 6. Metu territare. *Sall. or. ad Caes.* 1. *med.* Semper in periculo, aut metu agitare; et *or.* 2. *med.* Itaque metu ne solus rerum potiretur, consilia disturbaverunt. *Ter. Phorm.* 3, 1, 18. Quantus metus est mihi, venire huc salvum nunc patruum! *h. e.* quam metuo adventum patrui. *Plin.* 7, 40, 41. Ut alia non sint, certe, ne lassescat fortuna, metus est. *Id.* 31, 6, 37. Est et in metu peregrinantium, ut tentent valetudinem aquae ignotae, *h. e.* inter ea, quae peregrinantes metuunt, est etiam illud, etc. ℙ *Infidelis recti magister est metus*, *γνώμη* ap. *Plin. Pan.* 45. *f.* Simile est illud *Cic. Off.* 2, 7. Malus custos diuturnitatis metus. ℙ De timore Deorum, quae est religio: quod et *Non.* 4, 307. adnotavit. *Virg. A.* 7, 59. Laurus erat tecti medio in penetralibus altis, Sacra comam, multosque metu servata per annos. V. FORMIDO, inis. ℙ Item de furore poetico. *Hor. Od.* 2, 19, 5. Evoe! recenti mens trepidat metu. ℙ Olim femin. gen. usurparunt. *Enn.* ap. *Fest.* Vivam, an moriar, nulla in me est metus, *h. e.* cura. *Id.* ap. *Non.* 3, 141. Ni metus ulla tenet. Adde *Fest.* in *Masculino*, et in *Recto.* ℙ **Metum*, quasi infernum deum, ante vestibulum inque primis Orci faucibus, cum ejusdemmodi aliis, posuit *Virg. A.* 6, 276. *B. A.*

MĔTŪTUS, a, um, part. antiquum ab obsoleto sup. *metutum* verbi *metuo. Lucr.* 5, 1139. Nam cupide conculcatur nimis ante metutum. V. METUO.

MĔVĀNAS, atis, omn. gen. qui est e Mevania. *Sil.* 4, 546. Mevanas Varenus. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7. Irtiola Mevanati et Piceno agro peculiaris. ℙ *Mevanates*, *ium*, Mevaniae incolae. *Plin.* 3, 14, 19.

MĔVĀNĬA, ae, f. opp. Umbriae ad Clitumnum amnem, nunc *Bevagna.* Creditur a multis patria fuisse *Propertii.* In ejus agro nobiles aluntur boves albi, et opimi: unde victimae a Romanis petebantur. *Colum.* 3, 8. Armentis sublimibus insignis Mevania est. *Lucan.* 1, 473. tauriferis ubi se Mevania campis Explicat. *Sil.* 6, 647. ingentem pascens Mevania taurum, Dona Jovi. *Prop.* 4, 1, 123. Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo. *Sil.* 8, 458. et latis Mevania pratis. V. CLITUMNUS, i.

[MĔVĀNĬENSIS, e, adj. ad Mevaniam pertinens. *Philargyr.* ad *Virg. G.* 2, 146. Significat autem boves Mevanienses, qui sunt albi. *F.*]

*MEVANIOLA. V. in voc. sq. *B. A.*

*MEVANIONENSES, um, populi Umbriae, quorum caput Mevanio vel Mevaniona fortasse dictum. *Plin.* 3, 14. Mevanates, Mevanionenses. ℙ *Mevaniola* occurrit in *Inscr.* ap. *Grut.* p. 483. *n.* 7. An Mevanionensium fuerit oppidum hoc, necne, plane nescio. *B. A.*

MĔUM, i, n. *μῆον*, herba duorum generum, quorum nobilius Athamanticum, vel ab Athamante inventum, vel quod laudatissimum in Athamante Phthiotidis monte invenitur: foliis aniso (al. *anetho*) simile, et caule aliquando bicubitali, radicibus multis, et obnigris, quibusdam altissimis. Minus rufum, quam illud, est alterum. Varios habet usus in medicina. V. *Plin.* 20, 23, 94. [*Aethusa Meum, *L.*, *Bärwurz.*]

MĔUS, a, um, pronom. possess. *ἐμός*, qui ad me pertinet, a me possidetur, a me agitur: item qui me possidet, vel in me agit. *Ter. Eun.* 1, 2, 116. Meus fac sis animus, quando ego sum tuus. *Cic. Sen.* 17. Ego omnia ista sum dimensus: mei sunt ordines, mea descriptio: multae etiam istarum arborum mea manu sunt satae. *Virg. A.* 9, 446. si quid mea carmina possunt. *Pl. Amph.* 1, 1, 304. Haec hero dicam meo. *Ter. Andr.* 4, 1, 27. meus carnifex. ℙ Refertur ad familiaritatem, amicitiam, benevolentiam. *Cic. Fam.* 13, 64. Nero meus mirificas apud me tibi gratias agit; et *ib.* 65. Ita et Hisponem meum per me ornaris. ℙ *Meum* subst. i. q. res mea. *Ter. Ad.* 1, 2, 37. Obsonat, potat, olet unguenta de meo. *Cic. Har. resp.* 19. Haruspicum verba sunt haec omnia, nihil addo de meo. ℙ *Meus sum*, sum apud me: cui opponitur, attonitus sum, extra me sum. *Ov. Met.* 3, 688. Restabam solus: pavidum gelidumque trementi Corpore, vixque meum firmat Deus, excute, dicens, Corde metum. ℙ Item mei juris sum, liber sum. *Pers.* 5, 88. Vindicta postquam meus a praetore recessi. ℙ Translate. *Cic. Leg.* 2, 7. Sententias interpretari perfacile est: quod quidem ego facerem, nisi plane esse vellem meus, *h. e.* plane liber in scribendo, et non solum verba, sed etiam res, et sententias de meo ponere. ℙ *Meus* etiam dicitur, qui mihi favet. *Ter. Ph.* 4, 1, 21. Nam ego meorum solus sum meus. ℙ *Mei*, *orum*, cives, familiares, propinqui mei. *Virg. A.* 2, 431. Iliaci cineres, et flamma extrema meorum. ℙ *Meum est*, mea natura est, aut consuetudo, aut officium. *Ter. Heaut.* 3, 2, 38. Non est mentiri meum; et 4, 5, 34. Non mea est simulatio. *Cic. Fam.* 6, 5. Puto esse meum, quid sentiam, exponere. *Id. Att.* 5, 13. Si intelligis, quam meum sit, scire et curare, quid in republica fiat, perscribe ad me omnia. *Id. Pis.* 30. *med.* Omitto, non fuisse meum, quem multis saepe orationibus decorassem, hunc uno violare versu. ℙ *Meus est*, captus est, habeo hominem. *Pl. Curc. a.* 3. *v.* 61. Meus hic est: hamum vorat. *Ov. Met.* 4, 356. Vicimus: en meus est, exclamat Nais. ℙ *Meus homo*, is, de quo ego loquor: habet autem commixtam irrisionem, et fictam stultitiae commiserationem, in illo *Phaedr.* 5, 7. Homo meus se in pulpito totum prosternit. *Petr. fragm. Trag.* 62. *Burm.* Homo meus coepit ad stellas facere. *Quint. decl.* 12, 18. *extr.* At legatus meus ad emendum modo proficiscitur. *Catull.* 17, 21. Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit, *h. e.* iste meus homo stupidissimus. ℙ *Mea*, et *mea tu* in colloquiis feminarum sunt, invicem blandientium, aut trepidantium. *Ter. Eun.* 4, 3, 14. An obsecro, mea Pythias, quid istuc nam monstri fuit? *Id. Ad.* 3, 1, 2. Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum. *Ov. Met.* 14, 761. quorum memor, o mea, lentos Pone, precor, fastus. ℙ In vocativo masculino est *mi*, quod saepe blandiendi vim habet. *Ter. Ad.* 2, 4, 4. O mi Aeschine, o mi germane! et 5, 7, 3. Hem mi pater, tu hic eras? ℙ Reperitur etiam cum femininis. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 25. Heus amica mi, quid agis? Al. omittunt *mi. Appul. Met.* 4. Parce, inquit, mi parens, *h. e.* mea mater; et *ib.* 5. mi soror; et *ib.* 9. De isto, mi herilis, tecum ipsa videris. *Hieron. ep.* 22. *n.* 1. Mi domina, Eustochium; et *ib. n.* 29. Istiusmodi *(virgines)* hortari solent, et dicere: Mi catella, etc. et *ib. n.* 38. Mi virgo. Tribuunt et *Tibullo* 1, 7, 69. Vive diu, mi dulcis anus: sed *Broukusio* plane invito, qui *mihi* reponit ex multis MSS. ℙ Et cum neutris. *Appul. Apol.* vertens *epigr. Plat.* Astra vides: utinam fiam, mi sidus, olympus. ℙ Item in plur. num. *Petr. Sat.* 116. O mi hospites, si negotiatores estis, mutate propositum. *Pl. Cist.* 4, 2, 8. mi homines, mi spectatores. *Diomed.* 1, 319. docet, dixisse veteres *mius* pro *meus:* unde vocativus *mi*, et *mii* in utroque numero. V. MIUS. ℙ *Meus* pro *mi. Virg. A.* 6, 836. Projice tela manu, sanguis meus. *Sidon. ep.* 1, 9. *med.* Eja, Solli meus; et *ep.* 4, 10. Erumpo in salutationem, licet seram, domine meus. ℙ *Meum* pro *meorum. Pl. Cas.* 2, 6, 66. Pietate factum est mea, et majorum meum. Adde *Pers.* 3, 1, 62. ℙ *Meapte*, *meopte* sunt *Terentii Heaut.* 4, 3, 8. et *Pl. Most.* 1, 2. *f.* et *meamet*, *Poen.* 1, 3, 37.

*MEZENTĬUS, i, m. pater Lausi, deorum contemtor. *Virg. A.* 7, 698. Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris Contemtor divum Mezentius. *Macr.* 3, 5. Adeo autem omnem pietatem in sacrificiis, quae diis exhibenda sunt, ponit *(Virgilius)*; ut propter contrariam causam Mezentium vocaverit Contemptorem Deorum: Neque enim, ut Aspro videtur, ideo contemptor divum dictus est, quod sine respectu Deorum in homines impius fuerit. Alioqui multo magis hoc de Busiride dixisset: quem longe crudeliorem, Illaudatum vocasse contentus est. Sed veram hujus contumacissimi nominis causam in primo libro Originum Catonis diligens lector inveniet. Ait enim, Mezentium Rutulis imperasse, ut sibi offerrent, quas Diis primitias offerebant: et Latinos omnes similis imperii metu ita vovisse: Jupiter. si. tibi. magis. cordi. est. nos. ea. tibi. dare. potius. quam. Mezentio. utei. nos. victores. facias. Ergo, quod divinos honores sibi exegerat, merito dictus est a Virgilio Contemptor Deorum. Hinc pia illa insultatio sacerdotis: Haec sunt spolia et de rege superbo Primitiae: ut nomine contumaciae, cujus poenas luit, raptas de eo notaret exuvias. *B. A.*

MI

MĪ. V. EGO et MEUS.

MĪĀ CHĂRĪTON. V. CHARITES.

MĪCA, ae, f. *ψίξ*, *ψιχός*, frustulum alicujus rei, v. gr. panis, item minutum granum salis, turis: item minutissimum auri ramentum, ut quae in arena refulgent. *Plin.* 12, 14, 32. Tus in micas friatur. *Id.* 33, 4, 21. Aurum marmoris glareae inhaerens, non illo modo, quo in gemmis scintillat, sed micas amplexum marmoris. *Id.* 22, 14, 16. Herba lamium medetur cum mica salis contusis, incussisque; (*micas* vulgo vocant etiam glebas salis magni ponderis, qui in Cappadocia e terra effoditur, teste *eod.* 31, 7, 41.) et *ib.* 17, 20. Medetur cum mica salis iisdem omnibus, quibus lamium. *Id.* 12, 18, 41. Mica amomi. *Tibull.* 4, 1, 14. Parvaque coelestes placavit mica: nec illis Semper inaurato taurus cadit hostia cornu, *h. e.* mica turis. *Hor. Od.* 3, 23, 19. Mollivit aversos Penates Farre pio, et saliente mica, *h. e.* mica salis. Sic *Tibull.* 3, 4, 10. Farre pio placant, et saliente sale. *Petr. fragm. Trag.* 42. *Burm.* Quinque dies aquam in os suum non conjecit, non micam panis. *Lucr.* 1, 838. Ex aurique putat micis consistere posse Aurum, et de terris terram concrescere parvis. *Sen. Ben.* 4, 19. de Epicuro: Sed te atomi, et istae micae tuae forte ac temere conglobaverunt. ℙ Translate. *Catull.* 86, 3. nulla venustas, Nulla in tam magno est corpore mica salis, *h. e.* particula leporis, argutiae, gratiae. (*Quint.* 6, 3. *in.* ubi docet, salsum in consuetudine pro ridiculo tantum accipi, negat tamen a *Catullo* hoc sensu hic usurpari.) *Mart.* 7, 25. Dulcia cum tantum scribas epigrammata semper, Et cerussata candidiora cute: Nullaque mica salis, nec amari fellis in illis Gutta sit; o demens, vis tamen illa legi. ℙ *Mica* nomen fuit cujusdam coenationis Romae in Coelimontio, et, ut quidam putant, in palatio Domitiani: ita dicta, quia parva erat, et paucis ad coenandum locum dabat: de qua *Mart.* 2, 59. Mica vocor: quid sim, cernis? coenatio parva. *P. Vict.* et *Sext. Rufus* vocant *micam auream.*

MĪCANS, antis, part. a *mico*, qui micat, et salit. *Ov. Met.* 9, 37. Et modo cervicem, modo crura micantia captat. *Id. Fast.* 6, 338. Et fert suspensos, corde micante, pedes. *Calpurn. Ecl.* 2, 26. manus jactate micantes. V. integrum locum in MICO. ℙ Item splendens, ardens, *στίλβων*. *Ov. Met.* 11, 522. praebentque micantia fulmina lumen; et *ib.* 2, 40. micantes radii; et *ib.* 7, 100. micantes stellae; et *ib.* 2, 1. Regia Solis erat, sublimibus alta columnis, Clara micante auro. *Virg. A.* 2, 734. Ardentes clypeos, atque aera micantia cerno. *Ov. Met.* 15, 674. oculos circumtulit igne micantes. *Liv.* 6, 13. vultum hostis ardore animi micantem ferre non potuit. *Prud. Cath.* 5, 44. radius sole micantior.

MĪCĀRĬUS, ii, m. qui micas panis colligit, et victum sibi parce comparat. *Petr. fr. Trag.* 73. *Burm.* Homo praefiscini, frugi, et micarius. Al. aliter leg.

[MĪCĀTĬO, onis, f. idem ac micatus. *Gloss. Philox.* Micatio, *λαχμός*. *F.*]

MĪCĀTUS, us, m. actus micandi. *Capell.* 4, 95. Anguis allambere feminam crebris linguarum micatibus attentat.

*MICCIĀDES, ae, m. nobilis sculptor, Malae filius *Plin.* 36, 5. *B. A.*

*MICCOTROGUS, quasi Paucirodus, a *μικκὸς* pro *μικρὸς*, parvus. Et epitheton parasiti ap. *Pl. Stich.* 1, 3, 89. ubi tamen *Pareus* habet *micotrogus*, ut sit vox hybrida, composita a Latino *mica* et Graeco *τρώγω*. *B. A.*

*MICĔO, es, de hirco dicitur ap. *Auct. Philom.* v. 58. si *Schotto* credendum, quem V. in *Hum. Observ.* 2, 52. Vulgo legitur *mutire. B. A.*

*MICHOE, es, sic dicta est olim terra Troglodytica. *Plin.* 36, 5. *B. A.*

*MICĬDUS, a, um, adj. tenuis, exilis. *Innocent.* in *Agrar. Goes.* p. 231. *B. A.*

[MĪCIPSĀ, ae, m. rex Numidiae, filius Masinissae, Adherbalis, Hiempsalisque pater. *Sall. Jug.* 5. et *Flor.* 3. 1. ℙ Ap. *Juven.* 5, 8. *Micipsarum* idem valet quod Afrorum. *F.*]

MĪCO, as, ui, n. 1. tremulum esse, coruscare, crebro celerique motu agitari, subsilire, vibrari, concuti. *Cic. N. D.* 2, 9. Venae et arteriae micare non desinunt, quasi quodam igneo motu. *Ov. Fast.* 3, 36. Terreor admonitu: corda timore micant; et *Her.* 1, 45. Usque metu micuere sinus. *Liv.* 6, 12. *f.* Cum hostes effusi stantibus vobis se intulerint, tum micent gladii. *Virg. G.* 3, 439. de angui: et linguis micat ore trisulcis; et *ib.* 84. de equo: Stare loco nescit: micat auribus, et tremit artus. *Plin.* 11, 37, 50. Equis fessis aures marcidae, micantes pavidis, subrectae furentibus. *Id.* 29, 6, 38. Noctuarum genus, quibus pluma aurium modo micat. *Sen. Oedip.* 376. Tremulo rigore debiles artus micant. *Virg. A.* 10, 396. de manu recisa: Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant. *Enn.* ap. *Serv. ib.* de capite abscisso: Semianimesque micant oculi, lucemque requirunt. *Lucan.* 4, 300. Aut micuere novi, percusso pumice, fontes; et *Lucil.* ap. *Non.* 4, 303. Omnia tum endo mari videas fervente micare, *h. e.* moveri, agitari. ℙ Speciatim *micare* est digitis sortiri, *λαγχάνειν*: cum porrectis invicem crebro digitis, certantium uterque numerum eorum divinat: item cum extensis subito digitis, ex eorum numero decernitur, uter ex duobus, aut quis ex pluribus in re quapiam habenda, aut facienda sit prior: quod Itali nunc *fare al tocco* dicunt. Graece *ἐπάλλαξις* dicitur. *Varr.* ap. *Non.* 4, 303. Micandum erit cum Graeco, utrum ego illius numerum, an ille meum sequatur. *Cic. N. D.* 2, 41. Quid enim sors est? item propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras. *Suet. Aug.* 13. Patrem et filium pro vita rogantes, sortiri, vel micare jussit, ut alterutri concederetur. *Calpurn. Ecl.* 2, 25. Et nunc, alternos magis ut distinguere cantus Possitis, ter quisque manus jactate micantes. Nec mora, decernunt digitis. ℙ Cum alicujus fidem boni-

tatemque laudant rustici homines, proverbio dicunt, *dignum esse, quicum in tenebris mices.* Nam, ut ait *August. Trin.* 8, 5. *f.*, cum quo micas in tenebris, ei liberum est, si velit, fallere. Habent hoc proverb. *Cic. Off.* 3, 19. *med.* et *Petr. fr. Trag.* 44. *Burm.* ℙ Secundo ex his ludendi modis utebantur in contractibus faciendis, ut si de pretio non conveniret, micando controversiam tollerent: quod in carnibus de lanio emendis factitatum ostendit edictum Turci Aproniani V. C. praefecti Urbis ann. a Chr. n. CCCLXII. ap. *Grut.* 647, 6., qui vetuit pecora in posterum micando distrahi, et sub exagio vendi jussit. Verba sunt: Ratio docuit, utilitate suadente, consuetudine micandi summota, sub exagio potius pecora vendere, quam digitis concludentibus tradere, etc. Ad eund. itidem micandi modum manifesto pertinet locus *Calpurn.* allatus, et probabilius etiam reliqui. V. *Casaub.* ad *l. Suet. c.* ℙ *Micare tribus digitis* ap. *August. l. c.* est more micantium tres digitos, reliquis complicatis, protendere. ℙ Quia vero ignis prae ceteris crebro agitatur, et coruscat, et ideo lucem, splendoremque emittit; hinc saepe *micare* ponitur pro fulgere, splendere, στίλβειν. *Hor. Od.* 1, 12, 46. micat inter omnes Julium sidus, velut inter ignes Luna minores. [*Ita proprie dicitur. V. *Doederl.* 2, 81.] *Virg. A.* 1, 94. crebris micat ignibus aether; et *ib.* 12, 102. oculis micat acribus ignis. *Ov. Trist.* 1, 2, 45. celeri micuerunt nubila flamma. *Virg. A.* 7, 743. Aerataeque micant peltae, micat aereus ensis. *Lucr.* 3, 290. de irato: ex oculis micat acrius ardor. ℙ Part. *Micans* V. suo loco. ℙ Docet *Prisc.* 9, 862. supinum *mictum* ideo non esse in usu, quia cum *mingo* commune est.

*MICON, onis, m. *Μίκων*, nomen duorum pictorum est, quorum hic Major, ille Minor audiebat. *Plin.* 35, 9. ℙ Miconis majoris meminit idem *Plin.* 33, 13. ℙ Miconis minoris filia Timarete et ipsa pictrix. *Id.* 35, 9 et 11. ℙ Fuit et insignis statuarius hoc nomine, teste *Plin.* 34, 8., qui idem fortasse fuit ac is, de quo *Pausan.* in *Eliac. poster.* p. 183. *med. Wechel. B. A.*

*MICROCOSMUS, i, *μικροκόσμος*, Latine *Parvus mundus* dicitur. *Isid.* 3. 22. *B. A.*

MICROSPHAERUM. V. HADROSPHAERUM.

MICROPSYCHUS, a, um, adj. *μικρόψυχος*, pusillanimis, timidus: a *μικρός*, parvus, et *ψυχή*, animus, *Plin.* 22, 24, 51. Item animi humilis, ac praeparci, quos illi dixere micropsychos.

MICTĪLIS, e, adj. dignus qui mingatur, vilis, contemptibilis, ut *merx mictilis* ap. *Luc.* teste *Non.* 2, 532., ut quidem emendat *Scal.* in *Catull.*

MICTIO. V. MINCTIO.

*MICTIS, is, insula maris Germanici, de qua sic *Plin.* 4, 16. Timaeus historicus a Britannia introrsus sex dierum navigatione abesse dicit insulam Mictim, in qua candidum plumbum proveniat. *B. A.*

*MICTON, onis, m. auctor qui rhizotomumena scripsit. *Plin.* 20, 23. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Miction. B. A.*

MICTŌRĬUS, a, um, adj. ad mingendum pertinens, ut Mictoria medicamenta, ap. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 8.

MICTŪĀLIS, e, adj. mictorius. *Appul. Herb.* 117. Herba virtutis mictualis.

MICTŪRĬO, is, n. 4. *οὐρητιάω*, mejere cupio, vel interdum mejo, simpliciter. *Juven.* 6, 308. Noctibus hic ponunt lecticas, micturiunt hic. *Id.* 16, 46. Fusco jam micturiente.

MICTUS, us, m. actus mingendi. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 3. Sanguinis mictus; et *ib.* 2, 1. Difficultas mictus.

MĪCŪLA, ae, f. dimin. micae. *Cels.* 2, 5. *extr.* Si urina quasdam quasi miculas repraesentat. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 5, 40. Post vesperam micularum minimum cum vino destillatum gluttivi. *F.*] *Arnob.* 7, 230. Arvina in exiguas miculas insecta; et 2, 77. Exiguae miculae, quibus colliquefactis nascitur aurum.

[MĪDAEI, orum, m. plur. incolae urbis, quae Midaeum est appellata, in Phrygia Epicteto, a Mida rege condita, et denominata, quaeque nunc *Seid-Gazi.* In ejus nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 3. p. 168. *ΜΙΔΑΙΩΝ. Plin.* 5, 29, 29. Dorylaei, Midaei, Julienses. *F.*]

[MĪDĀMUS, i, m. unus ex quinquaginta Aegypti filiis, ab uxore Amymone, una ex Danaidibus, obtruncatus. *Hyg. fab.* 170. Videtur esse a *μείδημα*, Dorice *μειδαμα*, lenis risus. *F.*]

MĪDAS et Mida, ae, m. *Μίδας*, Gordii filius, rex Phrygum, qui cunctos paene reges pecuniae abundantia antecessit. Huic (ut est in fabulis) propter Bacchum hospitio susceptum, concessum est, ut quicquid vellet, optaret, futurus voti compos. Optavit, ut quicquid corpore contigisset, in aurum verteretur. Quod annuente Baccho factum est. Sed cum cibus, et potus contacti etiam in aurum verterentur, sensit tandem stolidus, se stulte petiisse, et facti poenitens oravit Bacchum, ut hoc munus auferret. Tum Bacchus praecepit, ut in Pactolo flumine se lavaret, et sic liberaretur. Quod cum fecisset, coepit deinceps Pactolus aureas arenas trahere. Postea cum Phoebus, et Pan, seu Marsya carmine certarent, Midas judex electus est cum Tmolo monte. Tmolus Phoebum victorem pronunciavit, sed Midas secundum Pana judicium tulit. Iratus Apollo asininas ei auriculas indidit, quas tam scite occultavit, ut nemo sciret, praeter solum tonsorem: qui cum rem inauditam tacere non posset, fossam ingressus proclamavit: *Aures asininas habet rex Midas;* deinde fossam terra adoperuit. Successu temporis creverunt illic arundines, quae commotae vocem, quam tonsor infoderat, reddiderunt. Alii narrant, cum praeteriret aliquando Liberi Patris asinos, atque eos affecisset injuria, iratum Bacchum Midae auriculas asininas addidisse. Sunt qui dicant, huic aures natura praelongas fuisse, et asininarum instar prominentes, atque hinc fabulae jocum ortum esse. *Ov. Met.* 11, 85. et sqq., *Hyg. fab.* 191. et *Serv.* ad *A.* 10, 142., *Auson. ep.* 23. *a v.* 18., item vetus epigrammation *inter fragm. Petr.* 679. *Burm. Mart.* 6, 86. Qui mavult heres divitis esse Midae. *Claud. II. cons. Stil.* 230. Ditabat rutilo, quidquid Mida tangeret auro. *Val. Max.* 1, 6. *n.* 2. *extr.* Midas cunctorum paene regum opes abundantia pecuniae antecessit. ℙ *Plumbi inventor fuit, ut refert *Hygin. fab.* 274. Midas rex, Cybeles filius, Phryx, plumbum album et nigrum primus invenit. V. MIDACRUS. *B. A.*

*MIDEA, ae, f. *Μίδεια*, opp. Boeotiae. *Stat. Th.* 7, 331. Agmina, quos Midee, quos humida suggerit Arne. Ubi notandum, paenultimam correptam, quanquam produxit *Homerus* in loco, quem prae oculis habuisse videtur *Statius: Οἵ τε πολυστάφυλον Ἄρνην ἔχον, οἵ τε Μίδειαν.* ℙ Alcmenae patria fuit, notante *Lactantio* sive *Lutatio* ad *Statii* locum. ℙ Aliud, in Argolide, de quo sic *Steph. Byzant. Μίδεια πόλις ἐν Ἄργει, ἡ νῦν κώμη, ἡ πρότερον Περσέως πόλις, ἀπὸ Μιδείας τῆς Ἀλωέως θυγατρός. Λέγεται καὶ χωρὶς τοῦ ι Μίδεα· ὁ πολίτης Μιδεάτης· καὶ θηλυκὸν, Μιδεᾶτις· καὶ Μιδιᾶτος.* ℙ Aliud in Lycia. *Stat. Th.* 4, 45. Aptior armentis Midea, pecorosaque Phyllos. *B. A.*

*MIDĪAS, ae, m. Messenius, loricae inventor. *Plin.* 7, 56. ℙ Midias, *Μειδίας*, inimicus Demosthenis, homo locuples, a quo tum aliis malis affectus, tum in orchestra, in festo Bacchi, etiam pugnis caesus. V. *Demosth. Orat. in Midiam. B. A.*

[MIDIDĪTĀNI, orum, m. plur. incolae urbis, quae Mididi est appellata, in Africa Byzacena. *Inscr.* ap. *Mur.* 373, 2. Ordo Mididitanorum hospitium amicitiamque fecit cum Q. Aradio Val. Proculo. *F.*]

[MIDĪNUS, a, um, adj. ad Midam pertinens. *Capell.* 6, 189. Sed quia nunc Arcadicum, ac Midinum sapis, amisisse mihi videris et hujus matronae memoriam, *h. e.* quia asini in modum stupes: asinus enim est pecus Arcadicum, et Midas asini aures habuisse dictus est propter stultitiam. *F.*]

*MIDOE, es, f. sic sicta est olim terra Troglodytica, teste *Plin.* 6, 34. *B. A.*

*MIEZA, ae, f. *Μίεζα, Μύεζα*, opp. Macedoniae, in Emathia. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

MIGDĪLYBS, ybis, comm. gen. mixtus genere ex Libyco, et Tyrio, quales erant Carthaginienses: a *μιγδην*, mixtim, et *Λίψ*, Lybs, Afer. *Pl. Poen.* 5, 2, 73. huc advenisti nos captatum, migdilybs, Bisulcilingua.

*MIGMA, atis, n. *μίγμα*, mistura, farrago. *Vulg. Esai.* 30, 24. Et tauri tui — commistum migma comedent, sicut in area ventilatum est. *B. A.*

MIGRĀTĬO, onis, f. *μετοίκησις*, actus migrandi. *Liv.* 5, 53. Haec migratio nobis misera ac turpis, Gallis gloriosa est. *Cic. Tusc.* 1, 41. Migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui vita excesserunt, incolunt. [**Id. ib.* 12. et *Coel.* 8. Mortem non interitum esse, sed quandam quasi migrationem.] ℙ Translate. *Id. Fam.* 16, 17. Cui verbo *(fideliter)* domicilium est proprium in officio, migrationes in alienum multae, *h. e.* translationes, metaphorae.

*MIGRĀTOR, oris, m. *μεταναστης Gloss. Gr. Lat. B. A.*

MIGRO, as, avi, atum, n. 1. *μετοικέω*, alio me transfero habitandi causa, domicilium muto. [*Intensivum est v. *meare.* V. *Doederl.* 3, 133 et 285.] *Cic. Att.* 14, 9. Tabernae mihi duae corruerunt, reliquae rimas agunt: itaque non solum inquilini, sed etiam mures migraverunt. *Id. Verr.* 2, 2, 36. Ad generum Agathini migrare maluit. *Ter. Hec.* 4, 2, 13. Ex urbe rus habitatum migrare. *Liv.* 5, 53. Vastam incendiis ruinisque relinquere urbem, et ad integra omnia Vejos migrare. *Hor. A. P.* 229. Migrare in tabernas obscuras. *Ov. Met.* 15, 171. animam sic semper eandem Esse, sed in varias doceo migrare figuras. *Pl. Curc.* 2, 1, 1. Migrare e fano foras. *Plin.* 6, 17, 21. Indi, prope gentium soli, nunquam migravere finibus suis. *Suet. Caes.* 79. Fama percrebuit, migraturum Alexandriam, vel Ilium. Adde *Dig.* 43, 31. qui *De migrando* inscribitur. *Cic. Verr.* 2, 2, 36. Verres domo ejus emigrat, atque adeo exit; nam jam ante migrarat, *h. e.* exit solus, nihil secum vasorum ferens; nam jam ante migrarat, nempe supellectilem argentumque Sthenii ab hujus domo ad suam adsportaverat. Qui enim migrationem faciunt, et domicilium mutant, praemittunt ex domo, quam relinquunt, omnem supellectilem, unde ipsi postea, parato jam atque instructo novo domicilio, pedem efferunt, exeuntque. ℙ Passive impersonaliter. *Id. Tusc.* 1, 1. Necesse est, ut aut sensus omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. *Liv.* 1, 11. Romam inde migratum est a propinquis raptarum. *Id.* 5, 49. *f.* Cum prohibuit migrari Vejos. ℙ Translate. *Cic. Somn. Scip.* 1. Migrare ex hac vita. *Id. Fin.* 1, 19. de vita. [*Similis constructio est ap. *Vell.* 1, 11, 7.] *Pl. Ps.* 1, 5, 54. Fac, sis, vacivas, Pseudole, aedes aurium, Mea ut migrare dicta possint, quo volo. *Id. Trin.* 3, 2, 13. Scio ego, et sentio ipse, quid agam, neque a me officium migrat, *h. e.* discedit. Alii leg. *neque meum se officium migrat*, h. e. mutat, active: de quo mox. [**Lindemannus*, q. v., legit: *neque se a me officium migrat:* ex emendatione *Acidalii.*] *Hor. Ep.* 2, 1, 187. Verum equiti quoque jam migravit ab aure voluptas Omnis ad ingratos, et gaudia vana. *Plin.* 25, 2, 6. Haec erat antiqua medicina, quae tota migrabat in Graeciae linguas. *Lucr.* 5, 828. Nec manet ulla sui similis res: omnia migrant: Omnia commutat natura, et vertere cogit, *h. e.* mutantur, et in alium statum transeunt. Al. leg. *migrat*, *Omnia commutat natura*, etc. ut sit activum, ut mox dicam. [**Eichstadt. migrant* exhibet.] *Lucr.* 2, 774. caerula quae sint, Nunquam in marmoreum possunt migrare colorem, *h. e.* transire et mutari. *Plin.* 11, 37, 45. Cornua omnia in mucronem migrantia, *h. e.* desinentia. *Julian. Dig.* 24, 2, 6. Migrare ad aliud matrimonium; et *ib.* ad alias nuptias. ℙ Sumitur et active pro transferre. *Gell.* 2, 29. *f.* Atque ita cassita nidum migravit. ℙ Et passive. *Liv.* 10, 34. *f.* Paucos graves aetate, aut invalidos inveniunt, relictaque, quae migratu difficilia essent. *Sil.* 7, 431. num migrantur Rhoeteia regna In Libyam Superis? *h. e.* num Romanum imperium a Superis ad Carthaginienses transfertur? ℙ Translate est transilire, transgredi, *παραβαίνειν. Cic. Fin.* 3, 20. Qui jus civile conservaret, eum justum: qui migraret, injustum fore. *Id. Div.* 1, 5. Ne communia jura migrare videatur. Est qui legit *commūni jure.* [*V. *Orell.* ad h. l. qui vulg. exhibet.] *Id. Off.* 1, 10. Ut reddere depositum, promissum facere, quaeque pertinent ad veritatem, et ad fidem, ea migrare interdum, et non servare, sit justum. *Id. Leg.* 3, 4. *f.* Quod quis earum rerum migrassit, noxiae poena par esto.

MĪHI. V. EGO.

MĪHIPTĒ, pro mihi ipsi Cato posuit. *Festus.*

MĪLĀNĬON, onis, m. *Μειλανίων, ωνος*, vir Atalantae Arcadicae Iasii filiae. *Ov. A. Am.* 2, 188. Flesse sub arboribus Milaniona ferunt. *Milaniona* est accusativus Graecae positionis. Adde *Prop.* 1, 1, 10. V. ATALANTA.

[MILĔON, i, n. herba eadem ac scelerata, de qua V. SCELERATUS. Ita eam appellat *Appul. Herb.* 8. *F.*]

MĪLES, itis, m. et f. *στρατιώτης, ὁπλίτης*, quicumque militiam exercet. *Varr. L. L.* 4, 16. Milites, quod trium millium primo legio fiebat, ac singulae Tribus, Tatiensium, Ramnium, Lucerum, millia singula militum mittebant. *Festus:* Militem Aelius a mollitia *κατ' ἀντίφρασιν* dictum putat, eo quod nihil molle, sed potius asperum quid gerat. *Ulp. Dig.* 29, 1, 1. Miles appellatur vel a malitia, idest duritia, quam pro nobis sustinet: aut a multitudine: aut a malo, quod arcere milites solent: aut a Graeco verbo *χίλιοι.* Sed ex his *Varronis* sententia amplectenda. *Cic. Man.* 10. Qui extrema pueritia miles fuit summi imperatoris. *Id. Cluent.* 46. Miles, qui locum non tenuit, qui hostium impetum vimque pertimuit, potest idem postea miles esse melior. *Id. Phil.* 7, 9. Cohortatus est vicinos suos, ut milites fierent. *Pompej. ad Coss. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Legere milites; et *Sall. Jug.* 47. scribere. *Liv.* 29, 1. deligere; et *ib.* ordinare, *h. e.* in ordines describere; et *ib.* 5. mercede conducere. *Cic. Fam.* 3, 3. dimittere. ℙ *Miles ostensionalis.* V. h. v. s. l. ℙ Speciatim *miles* junctus cum *eques*, est qui pedibus militat, pedes, *πεζός. Caes. B. G.* 5, 10. Tripartito milites, equitesque in expeditionem misit. *Id. B. C.* 2, 41. Nec militibus quidem, neque equitibus studium ad pugnandum deerat. *Liv.* 22, 37. Milite atque equite, nisi Romano Latinique nominis, non uti populum R. Adde 30, 9., *Caes. B. C.* 3, 61. et *Vell.* 2, 15, 3. [*Cf. *Gronov.* ad *Liv.* 26, 19. *it.* 28, 1. *Duk.* ad 22, 27. *Adnotatt. Kreuss.* ad *Fragm. lib.* 91. p. 463. sq.] ℙ Per synecdochen in singulari num. pro collectione militum adhibetur. *Liv.* 22, 57. *extr.* Hic miles magis placuit: cum pretio minore redimendi captivos copia fieret. *Virg. A.* 2, 495. late loca milite complent. [*Adde *Vell.* 1, 15, 1. 2, 78, 2. 85, 3. 111, 1. et al. saepissime. Maxime *Tac.* hoc dicendi more usus est: ita *Ann.* 4, 18. suum militem in obsequio duravisse; cp. 25. infensus miles; et 1, 2. militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit. Etiam c. adjectivo: *Id. ib.* 1, 24. Miles nonanus; et 2, 17. Vitellianus miles; 3, 41. legionarius miles. Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex.*

Tac. p. 429. unde haec transscripsimus. ℙ *Miles* praegn. sign. nonnunquam *Romanum militem* indicat. *Tac. A.* 2, 21. Nec minor Germanis animus — ; contra miles cet. et 14, 37. et miles ne mulierum quidem neci temperabat. *Boettich. l. l.* p. 304. ℙ Opponitur saepissime eleganti loquendi genere *miles* et *dux*. Ita *Sall. Cat.* 60, 4. Strenui militis et boni imperatoris officia simul exsequebatur: ubi *Cort.* magnum exemplorum numerum congessit. *Vell.* 2, 18, 1. Consiliis dux, miles manu. Ad elegantem *Vell.* brevitatem proxime accedit *Pacat. Pan.* 10. dux consilio esse, miles exemplo.] ℙ *Milites* etiam dicti sunt, qui in sacro Palatio in aliquo officio domus Augustae inserviebant: quia cum in principe ipsum nomen supremae dignitatis militare esset, nempe *imperator;* etiam officiorum ipsi subjectorum nomina a militia sumebantur. *Impp. Theodos. et Valentin. Cod. Theod.* 11, 1, 34. Tunc militi debiti postulati delegandam esse rationem, *h. e.* exactori annonae. *Ulp. Dig.* 4, 6, 10. Qui a militibus, statoribusque, vel a municipalibus ministeriis asservantur, *h. e.* ab apparitoribus magistratuum. ℙ *Miles* etiam dicebatur, qui Mithrae sacris initiabatur. V. *Tert. Cor. mil.* 15. et *Hieron. ep.* 107. *n.* 2. ℙ Translate de femina, quae primitus puerpera est. *Ov. Her.* 11, 48. Et rudis ad partus, et nova miles eram. ℙ Item de Nympha venatrice, et comite Dianae. *Ov. Met.* 2, 414. Et modo laeve manu jaculum, modo sumpserat arcum, Miles erat Phoebes, nec Maenalon attigit ulla Gratior hac Triviae. ℙ In *vet. Inscr.* optimae notae ap. *Mur.* 582. pluries *meiles* scribitur. ℙ [*Permixta sunt *milites* et *inutiles*. V. *intpp.* ad *Curt.* 7, 3, 23.]

*MILESIUM, i, n. halcyonum genus, de quo *Plin.* 32, 8. *B. A.*

MILESIUS, a, um, adj. *Μιλήσιος*, ad Miletum urbem pertinens. *Cic. Cluent.* 11. Milesia mulier. ℙ Milesia vellera laudat *Virg. G.* 3, 306. et *ib.* 4, 334. et Milesiam lanam *Plin.* 29, 2, 9. Milesias oves *Tert. Pall.* 3., *Colum.* 7, 2. et *Plin.* 8, 48, 73., qui lanae Apulae primum locum, Tarentinae alterum, tertium Milesiae tribuit. *Id.* 21, 4, 10. etiam Milesiam rosam laudat, sero quidem provenientem, nec duodena folia excedentem, sed ardentissimi coloris. ℙ *Milesii, orum*, populi ejus urbis, et regionis, luxu et deliciis nobiles, *Milesiis carminibus* dedere nomen, nempe ludicris, amatoriis ac lascivis. *Ov. Trist.* 2, 413. Junxit Aristides Milesia carmina secum: Pulsus Aristides nec tamen urbe sua. Alii leg. *crimina*. Hinc *sermo Milesius* ap. *Appul. Met. in.* et *Milesiae* absolute, poemata, et narratiunculae hujusmodi. *Sev. Aug.* ap. *Capitol. Albin.* 12. Cum ille naeniis quibusdam anilibus occupatus, inter Milesias Punicas Appuleji sui, et ludicra litteraria consenesceret. *Id. Capitol. Albin.* 11. *extr.* Milesias nonnulli ejusdem esse dicunt: quarum fama non ignobilis habetur, quamvis mediocriter scriptae sint. ℙ *Milesius Deus* ap. *Appul. Met.* 4. *f.* est Apollo, qui Mileti templum et oraculum habuit: de quo et *Lact. Epit.* 10. ℙ *Milesiae Cereris* meminit *Id.* 2, 7. et *Val. Max.* 1, 1. *n.* 5. *extr.*, cujus templum cum milites Alexandri expilaturi intrassent, subito oculis capti fuisse dicuntur, flamma objecta. ℙ **Milesia* sc. urbs, i. q. Miletus. *Appul. Met.* 4. *f.* p. 157. 29. *Elmenh.* Propter Milesiae conditorem. *B. A.*

MILETIS, idis, f. Byblis, filia Mileti. *Ov. Met.* 9, 634. moestam tota Miletida mente. ℙ Est etiam adj. fem. *Ov. Trist.* 1, 9, 41. A quibus adveniat Miletida sospes ad urbem, *h. e.* Tomos, quae Milesiorum colonia fuit.

*MILETOPOLIS, is, f. *Μιλητόπολις*, opp. Sarmatiae Europaeae, a Milesiis conditum, unde nomen, ad Borysthenem situm, alias dictum Olbia Borysthenis vel Olbiopolis, hodie autem *Oczakow*. Meminit *Plin.* 4, 12. ℙ Item aliud, in Mysia parva, ad Rhyndacum flumen. V. v. sq. *B. A.*

[MILETOPOLITAE, arum, m. plur. incolae urbis mediterraneae, quae Miletopolis est appellata, in Mysia prope Cyzicum, nunc *Melte*, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 2. p. 458. *ΜΙΛΗΤΟΠΟΛΙΤΩΝ*. *Plin.* 5, 30, 32. Erezii, Miletopolitae. *F.*]

MILETUS, i, m. *Μίλητος*, filius Apollinis ex Argea Cleochi filia, vel secundum *Ovidium*, ex Deione. Nonnulli non Apollinis, sed Euxantii Miconis filii, alii Sarpedonis, qui fuit filius Jovis, filium faciunt. Hic cum Minoa Cretensium regem jam senem regno privare vellet, a Jove territus in Samum, deinde in Cariam Asiae regionem fugit, ibique oppidum condidit, quod de suo nomine Miletum appellavit. Ex Cyanee Maeandri filia genuit Caunum, et Byblida. *Ov. Met.* 9, 442. et sqq. ℙ Porro *Miletus, i*, f. nunc *Melasso*, totius est Ioniae caput, antea Lelegeis, et Pityussa, et Anactoria nominata, super octoginta (al. septuaginta) urbium per cuncta maria genetrix, ut est ap. *Plin.* 5, 29, 31. *(Sen. Consol. ad Helv.* 6. habet septuaginta quinque), nec fraudanda cive Cadmo, qui primus prosam orationem condere instituit (*Id. Plin.* 7, 56, 57. prosae orationis Pherecyden Syrium, historiae Cadmum hunc primum auctorem facit): nobilis fuit etiam lanis pretiosis. V. MILESIUS. *Mart.* 8, 28. Nec Miletus erat vellere digna tuo. ℙ Patria fuit etiam Thaletis, qui inter septem sapientes unus est: Anaximandri, et Anaximenis philosophorum, et Aeschinis oratoris, etc. ℙ *Fuit et Miletus Cretae oppidum. *Plin.* 4, 12. V. *Homer. Il.* B. v. 647. *Strab.* 14. *in. Schol.* in *Apoll. Rhod.* 1, 185. *B. A.*

*MILEVETĀNUS, a, um. V. v. sq. *B. A.*

*MILEVI vel

MILEUM, vel

MILEVUM, Numidiae oppidum. *August. adv. Donat.* 6, 20. *Ant. Itin.* et *Tab. Peut.* ℙ Hinc *Milevetanus, a, um*, ad illud oppidum spectans. *August. Ep.* 34. *f. B. A.*

MILIACEUS, a, um, adj. *κέγχρινος*, ut Miliacea puls. *Fest.* in *Forma.*

MILIĀRIUS, a, um, adj. ad milium pertinens. *Varr. L. L.* 4, 11. Ficedulae, et miliariae dictae a cibo, quod alterae fico, alterae milio fiant pingues; et *R. R.* 3, 5. Adjiciunt aves alias quoque, quae pingues veneunt care, ut miliariae, ac coturnices. *Plin.* 22, 25, 78. Miliaria appellatur herba, quae milium necat. ℙ De miliario vase, V. MILLIARIUS.

*MILICHIE, es, f. *Μειλιχίη*, (i. e. blanda, mitis, sc. *χρήνη* i. e. fons), fons Siciliae, Syracusis pertinens. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

*MILICHIUS (Milicus), i, m. rex Hispaniae, quem Nympha Myrice peperit ex Satyro quodam. *Sil.* 3, 104. *B. A.*

[MILIO, onis, m. idem ac milvus, Gallis *milan* dicitur. *Marcell. Emp.* 33. *med.* Testiculi milionis. *F.*]

*MILIONIA, ae, f. Italiae oppidum, in terra Marsorum vel Samnitum. *Liv.* 9, 3 et 34. ℙ *Μιλωνία* est *Steph. Byz. B. A.*

MILITĀRIE, adv. militariter. *Trebell. in* XXX. *Tyrann.* 22. de Aemil.: Servus militarie caesus, quod, etc. Al. aliter leg.

MILITĀRIS, e, adj. *στρατιωτικὸς*, ad militiam, vel milites pertinens. *Caes. B. C.* 3, 75. Ut militare institutum servaretur; et *ib.* 103. Aeris magno pondere ad militarem usum in naves imposito; et *ib.* 53. *extr.* Militaribus donis donare aliquem. *Id. B. G.* 1, 21. Rei militaris peritissimus. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 2. Militaris panis. *Liv.* 8, 34. disciplina. *Cic. Mur.* 5. labor. *Id. Verr.* 2, 4, 52. licentia; et *Cat.* 2, 6. Militaria signa. *Cato* ap. *Gell.* 7, 10. Aes militare. *Cic. Off.* 1, 18. *extr.* Statuae ornatu fere militari. *Id. Fl.* 32. Leges militares. *Id. Cluent.* 36. tribuni. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 16. pueri, *h. e.* filii militum. *Tac. A.* 1, 32. animi; et *ib.* Militaria odia. *Hor. Od.* 1, 8, 5. Cur neque militaris Inter aequales equitat? *h. e.* habitu et animo militari. [**Suet. Aug.* 18. fossas — militari opere detersit, i. q. per milites. *Sen. prov.* 4. Militares viri gloriantur vulneribus, i. e. milites. Hinc ap. *Tac. militares* absolute ponuntur pro *militibus*. Ita *Ann.* 14, 33. Barbari, omissis castellis praesidiisque militarium, quod uberrimum spolianti — petebant. ℙ *Militaris* saepissime belli peritiam virtutemque designat. Exempla hujus generis a Nostro sparsim laudata haec erant:] *Tac. H.* 2, 75. Militaris vir, *h. e.* militiae assuetus. *Hor. Od.* 1, 22, 13. Quale portentum neque militaris Daunia in latis alit aesculetis, *h. e.* bellicosa. Sic *Tert. Apol.* 11. *f.* Quis justior et militarior Scipione? [*Alia haec sunto: *Tac. A.* 15, 10. a viris militaribus adversus urgentes casus firmatus erat; cp. 26. multa auctoritate, quae viro militari pro facundia erat. *H.* 3, 73. Pauci militarium virorum — pugnam ausi obtruncantur. Cf. *Liv.* 30, 15. 35, 26. militaris vir; et 42, 33. militares homines. *Sall. Cat.* 45. homines militares; et cp. 59. Homo militaris. *Boettich. Lex. Tac.* p. 304.] ℙ *Militaris aetas*, est post annum decimumseptimum usque ad quadragesimum sextum: extra quod tempus, nonnisi necessitate cogente, milites scribebantur: quod colligitur ex *Liv.* 25, 5., *Nep. Cat.* 1. et *Gell.* 10, 28. V. etiam *Lips. de mil. Rom. l.* 1. *dial.* 2. et *Sigon. de ant. jure Civium R. l.* 1. *c.* 15., ubi plura. *Tac. A.* 2, 60. Referebat, habitasse quondam septingenta millia aetate militari. ℙ *Via militaris*, est amplior et directior ceteris, et quae ab oppido ad oppidum recta fert, atque adeo frequentior: ita dicta, quia per eam exercitus commeant: cujusmodi fuere Salaria, Flaminia, Appia, Aemilia, etc. *Liv.* 36, 15. *f.* In valle iter est non latius, quam sexaginta passus: haec una militaris via est, qua traduci exercitus possint. *Cic. Prov. cons.* 2. Via illa nostra, quae est usque ad Hellespontum militaris. *Colum.* 1, 5. Nec esse oportet aedificiis junctam militarem viam, quod praetereuntium viatorum populationibus, et assiduis diverterntium hospitiis infestat rem familiarem. ℙ *Militaris herba*, est millefolia. V. h. v. ℙ *Militaris* denique unus est ex multis Jovis epithetis apud haruspices, et Romanos veteres, teste *Appul. de Mundo f.*

MILITĀRITER, adv. *στρατιωτικῶς*, more militum, more militiae. *Liv.* 4, 41. Adversus haec Tempanii oratio incomposita fuisse dicitur, ceterum militariter gravis, non suis vana laudibus, etc. *Id.* 27, 3. Milites in portis, murisque sibimet ipsos tecta militariter coegerat aedificare. *Arrius Menand. Dig.* 49, 16, 4. Militariter punire. [**Tac. H.* 2, 80. militariter locutus.]

MILITĀRIUS, a, um, adj. idem ac militaris. *Pl. Ps.* 4, 4, 11. Quin hinc metimur gradibus militariis? *h. e.* incitatis, quales fere incedentium militum sunt.

MILITIA, ae, f. *στρατεία*, militare munus, militaris vita, seu disciplina, militaris ars. *Cic. Manil.* 10. Ad patris exercitum, atque in militiae disciplinam profectus est. *Id. Off.* 1, 11. *med.* Militiae sacramento obligare aliquem; et *ib.* 3, 26. Simulatione insaniae militiam subterfugere. *Ov. Met.* 13, 37. detrectavitque furore Militiam ficto. *Id. Fast.* 2, 508. Et patrias artes, militiamque colant. *Hor. Ep.* 1, 18, 55. saevam Militiam puer, et Cantabrica bella tulisti. *Virg. A.* 8, 516. assuescat sub te tolerare magistro Militiam, et grave Martis opus. *Tac. A.* 1, 20. Antiquam duramque militiam revocare. *Caes. B. G.* 6, 17. Munus militiae sustinere. *Plin.* 6, 19, 22. Militiam capessere. *Colum. praef. l.* 1. Vera illa Romuli proles militiam belli facile sustinuit, durata pacis laboribus. *Vell.* 2, 117. Otio magis castrorum, quam bellicae assuetus militiae. *Caes. B. G.* 6, 13. Militiae vacationem habere. *Hirt. B. Alex.* 56. Transmarina militia perterriti, *h. e.* quod trans mare militandum esset. *Sall. Jug.* 67. Aetas militiae patiens; et *ib.* Mario ad consulatum capiundum omnia abunde erant, industria, probitas, militiae magna scientia, etc. *Id. Cat.* 7. Per laborem usu militiam discere. *Just.* 11, 6. Veterani emeritae militiae. ℙ [**Militia Romana* ap. *Hor. Sat.* 2, 2, 10. si Romana fatigat militia adsuetum graecari; signif. exercitationes militares Romanae juventutis in campo Martio, praecipue venandi artem et equitandi. V. *Heindf.* ℙ Interdum signif. *militia* etiam expeditionem. Huc pertinet locus:] *Vell.* 2, 5. Praeclara in Hispania A. Bruti militia fuit, qui ingenti vi hominum, urbiumque potitus numero Gallaeci cognomen meruit: [*ubi Noster *militia* pro fortitudine positum dixerat. Adde *ib.* 116, 3. illa quoque militia eos, quos mox consecutus est, honores excellenti virtute meruit; et 40, 1. Secuta deinde Cn. Pompeji militia, gloriae, laborisne majoris, incertum est. Porro huc referri debent, quae Noster mox laud.], *Just.* 20, 1. Prima militia adversus Graecos fuit; [*et ubi plurali numero positum v. *militia* hanc signif. exhibet:] *Tibull.* 1, 3, 82. Optavit lentas et mihi militias, i. e. longas et tardas expeditiones: [*V. *Heyn.* ℙ Sumitur pro bello. Noster laudaverat:] *Just.* 7, 3. Ne ubique deformis militiae damnis haberetur; et *Vell.* 2, 120. Germani hostes Cimbricam, Teutonicamque militiam Italiae minabantur. [*Ap. *Ruhnk.* locus ita exhibetur: se magnitudine sua non fiducia metiens, qui Cimbricam Teutonicamque militiam Italiae minabatur: addita post *fiducia* voce *ducis*, i. e. Arminii, quam extrusam putat similitudine vicinae *fiducia*. *Lucr.* 1, 30. Effice, ut interea fera moenera militiai, Per maria ac terras omneis sopita quiescant. ℙ Porro hic sequi poterant ea, quae *Forc.* infra collocaverat, ubi genitivi *militiae* et *domi* conjunguntur.] *Cic. Tusc.* 5, 19. Quorum virtus fuerat domi militiaeque cognita. *Liv.* 7, 32. *f.* Semper ego plebem Romanam militiae domique colui. *Ter. Ad.* 3, 5, 49. Una semper militiae et domi fuimus. Adde *Cic. Or.* 3, 33. et *Sall. Cat.* 5, 6. et 9. ℙ [*Et pro virtute, scientia militari. Hic adscribendum exemplum est, quod *Forc.* supra laud.] *Sall. Jug.* 86. Fortissimum quemque, plerosque militia cognitos accire, [*i. e. scientia rei militaris cognitos, rerum militarium peritissimos.] *Flor.* 4, 5. Fulvia gladio cincta, virilis militiae uxor. ℙ De gradibus et emolumentis militiae. [*Huc referendus est locus, quem *Forc.* §. praeced. laud., *Suet. Claud.* 25. Equestres militias ita ordinavit, ut, etc. *h. e.* militiae ordines et gradus.] *Scaevola Dig.* 32, 1, 102. *f.* Sejo liberto meo militiam do, lego: illam militiam, quam et testator habuit. Adde *Cels. ib.* 31, 1, 22. ℙ Tria sunt genera militiae, inquit *Serv.* ad *A.* 7, 614. et ad *ib.* 2, 157. Primum est *sacramentum*, in quo jurat unusquisque miles, se non recessurum injussu consulis, nisi expleto militiae tempore: quod fere erat vigintiquinque annorum. Alterum est *conjuratio*, quae fit in tumultu, idest Italico bello et Gallico, quando vicinum Urbi periculum singulos jurare non patitur, ut inter Fabios fuit. Hi milites ad unum tantum bellum militare tenentur. Tertium est *evocatio*, cum ad subitum bellum evocabantur: unde etiam consul solebat dicere: *qui rempublicam salvam esse vult, me sequatur.* Hi non sunt proprie milites, sed *pro milite:* unde Sall. *Neu quis miles, neve pro milite.* Hinc milites *sacramento rogati, tumultuarii, evocati:* quos tangit *Virg. A.* 2, 157. et *ib.* 8, 5. et 9. ℙ *Militia imaginaria.* V. IMAGINARIUS. ℙ Interdum *militia* sunt ipsi milites, ut *servitium* ipsi servi. *Just.* 32, 2. Concursu insularium, cum omni militia interficitur. [**Tac. H.* 3, 18. Quos (auxiliares) militiae legionariis quamquam raptim ductos aequabant. Cf. *Plin. H. N.* 4, 27. Glessaria a succino

militiae (militibus nostris) appellata, a barbaris Austraria. Etiam e *Cicerone*, *Liv.*, aliis exempla congessit *Drakenb.* ad *Liv.* 4, 26, 3. Haec transscripsimus ex *Böttich. Lex. Tac.* p. 8. V. etiam *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 8, 46. ubi plurali numero v. *militia* ita usurpatur.] ℙ *Succinum militiae* ap. *Plin.* 4, 13, 27. est glessum. V. GLESSUM. ℙ Translate est quodcumque laboriosum munus, provincia. *Cic. Mur.* 9. Servius hic nobiscum hanc urbanam militiam respondendi, scribendi, cavendi, plenam sollicitudinis ac stomachi, secutus est. *Prop.* 1, 6, 3. Non ego sum laudi, non natus idoneus armis: Hanc me militiam fata subire volunt. *Ov. Fast.* 2, 9. Haec mea militia est: ferimus, quae possumus arma. *Plin.* de hirundinum labore in nidis faciendis, 10, 33, 49. Eaque militia illis cum anno redit semper. ℙ *Militia* est munus, seu officium aliquod in aula imperatorum. *Prud. prooem. Cath.* 19. Tandem militiae gradu Evectum pietas principis extulit. Assumptum propius stare jubens ordine proximo, *h. e.* praefectura praetorii, vel dignitate patriciatus, vel alia hujusmodi. Adde *Cod.* 3, 25, 1. et V. MILES. ℙ *A militiis* occurrit in antiquis lapidibus ap. *Reines. cl.* 14. *n.* 146., ap. *Grut.* 310, 5., 345, 10., 406, 9., 517, 12., 588, 7. et ap. *Mur.* 820, 7.; quae formula inter officia domus Augustae fortasse est annumeranda, et illum videtur significare, qui ad imperatorem ea referret, quae praesertim ad militares expeditiones pertinebant. Sed res est valde dubia.

[MĪLĪTĬĀTUS, i, m. militiae addictus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 596, 3. Julius Militiatus. *F.*]

MĪLĪTĬŎLĂ, ae, f. dimin. militiae. *Suet. Vit. Juven.* In pantomimum semestribus militiolis tumentem, *h. e.* gradibus, et honoribus militaribus.

MĪLĬTO, as, avi, atum, n. 1. στρατεύω, militiam exerceo, stipendia facio, mereo. *Cic. Off.* 1, 11. In cujus exercitu Catonis filius tiro militabat. *Liv.* 23, 42. *f.* Nostra juventus omnis sub signis militat tuis. *Sall. Jug.* 68. Is eo tempore contubernio patris ibidem militabat. *Just.* 8, 3. Civitates, quae sub auspiciis ejus militaverant. *Vell.* 2, 120. L. Asprenas sub Varo militans. *Suet. Caes.* 68. Militare adversus aliquem. *Curt.* 6, 5. apud aliquem; et *ib.* et 8, 8. cum aliquo. *Id.* 7, 10. Equites mille adduxerunt mercede militaturos. *Liv.* 10, 10. Militaturos tamen se dixerunt, si utique Etrusci velint. *Ter. Heaut.* 1, 1, 65. In Asiam ad regem militatum abiit. *Sen. Phoen.* 621. Frater arma comitatus tua, tibi militabit. ℙ Passive. *Hor. Epod.* 1, 23. Libenter hoc, et omne militabitur Bellum in tuae spem gratiae. ℙ Translate. *Pl. Pers.* 2, 2, 50. at confidentia Illa militia militatur multo magis, quam pondere. *Ov. Her.* 7, 31. durumque amplectere fratrem Frater Amor: castris militet ille tuis. *Id. Amor.* 1, 9, 1. Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido. *Hor. Od.* 3, 26, 1. Vixi puellis nuper idoneus, Et militavi non sine gloria. *Appul. Met.* 9. de muliere, et adolescente: Prima stipendia Veneri militabant nudi milites. *Hor. Ep.* 1, 2, 66. venaticus ex quo Tempore cervinam pellem latravit in aula, Militat in silvis catulus. *Appul. Doctr. Plat.* 2. *f.* Militare pro utilitate cunctorum. ℙ *Militare* dicuntur, qui in sacro Palatio funguntur munere aliquo, et imperatori in republica operam navant, ut in MILES et MILITIA dictum est. *August. Conf.* 8, 6. usurpat de Agentibus in rebus. Adde *Cod.* 10, 69, 1. et 3, 25, 1. et 12, 19, 2. 3. 7. etc. ℙ *Militare* pro conari, cum infinito. *Tert. Pall.* 1. *f.* Aries machina est, quae muros frangere militat.

MĪLĪTO, onis, m. miles. *Appul. Met.* 9. *f.* Militones illi, nec uspiam illum delitescere adjurantes. Sed plerique alii rectius leg. *commilitones.*

*MILITRUM, i, n. instrumenti genus ignotum, cujus meminit *Oct. Hor.* 1, 2. *B. A.*

MĪLĬUM, ii, n. κέγχρος, genus frugis, plerisque avium jucundissimae, rotundi minutique grani, et frumentorum omnium maxime durans: quippe quam ad centum usque annos servari, tradit *Plin.* 18, 30, 73. ex *Varr. R. R.* 1, 57. si ab humore custodiatur. Dictum est a maxima nummorum summa, quae est *mille* (quod *mile*, et *milia* etiam scribitur), ut ait *Festus.* Ex eo candida puls, et panis conficitur in Campania praecipue, ut *Plin. ib.* 10, 25. et *Colum.* 2, 9. *extr.* docent. *Virg. G.* 1, 216. et milio venit annua cura. *Colum. l. c.* inter legumina numerare mallet, simul cum panico: nam multis regionibus cibariis eorum colonos sustineri. [*Panicum italicum, *L.*, *Hirsen.*] ℙ De milio Indico V. INDICUS.

MILLĔ, χίλιοι, nomen numerale centum decies continens: a voce Graeca allata: vel a μύριοι, quod tamen diversam habet significationem. Et substantivi, et adjectivi more usurpatur. Substantive in num. singulari est indeclinabile (nec pro eo ponitur, quod Graece χίλιοι dicitur, sed quod χιλιάς: et sicuti una χιλιάς, et duae χιλιάδες; ita *unum mille*, et *duo millia*, certa, atque directa ratione dicitur: quae sunt verba *Gell.* 1, 16. et *Macr. Sat.* 1, 5.); in plurali declinatur *millia*, *millium*, *millibus:* semper autem genitivum regit. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell. ib.* Ibi occiditur mille hominum. *Cic. Mil.* 20. Quo in fundo, propter insanas illas substructiones, facile mille hominum versabatur valentium. [**Nep. Dat.* 8, 3. Quum de ipsius exercitu non amplius hominum mille cecidisset: ita leg. *Brem.*, qui adire jubet *Oudendorp.* ad *Caes. B. C.* 3, 84.] *Varr.* ap. *Gell. ib.* et *Macr. Sat.* 1, 5. Plus mille et centum annorum est. *Cic. Phil.* 6, 5. *extr.* Quis L. Antonio mille nummum ferret expensum? *Id. Rab. Post.* 11. *med.* Mille talentum accessionem esse factam. *Cato* ap. *Gell. l. c.* Inde est ferme mille passuum. *Pl. Mil.* 4, 2, 87. Mille annorum perpetuo vivunt. [*Nota, v. *mille* substantivi loco nonnisi nominativo et accusativo usurpari. Hinc ap. *Liv.* 23, 44. mille fere passuum inter urbem erant castraque: si lectio sana, *mille* adjectivum est, genitivum ex more numeralium secum habentis. *Zumpt. Gr. Gat.* §. 116. p. 107.] ℙ In sexto casu olim dixere *milli*, quasi *mille*, *is* declinaretur: vel metri causa. *Lucil.* 15. ap. *Gell. ib.* et *Macr. l. c.* Hunc milli passum qui vicerit, atque duobus, etc. et 9. Tu milli nummum potes uno quaerere centum, *h. e.* potes mille nummis acquirere centum millia. Ubi nota Unum mille. ℙ In plurali. *Cic. Phil.* 14, 5. Si quis Hispanorum, aut Thracum mille, aut duo millia occidisset. *Id. Rab.* 8. Decem millia talentum Gabinio esse promissa. *Liv.* 10, 20. Caesa ad sex millia hominum: duo millia et quingenti capti. *Just.* 11, 9. Caesa sunt peditum unum et sexaginta millia, equitum decem millia. *Cic. Cluent.* 32. Quadraginta istorum accessio millium quid valet? *Id. N. D.* 1, 34. *f.* Sexcenta millia mundorum. *Id. Dom.* 22. Illa tot virorum fortissimorum millia. *Liv.* 34, 52. *med.* Philippei nummi aurei quatuordecim millia, quingenti quatuordecim. (Eodem modo locutus est 39, 5. Adde *Colum.* 5, 1.) *Id.* 44, 14. Binum millium aeris singulis missum munus. *Virg. A.* 5, 75. Ille e concilio multis cum millibus ibat Ad tumulum. *Cic. Verr.* 2, 2, 22. Huic hereditas HS quingentorum millium venerat a muliere quadam. [**Millia* fere semper genitivum regere solet, exceptis iis locis, quales hi sunt: *Liv.* 35, 9. Censa sunt civium capita centum quadraginta tria millia septingenta quatuor; et 35, 40. Tria millia et septingenti pedites ierunt, trecenti equites; et 37, 40. duo millia et quingenti Mysi adjuncti erant. V. *Gronov.* ad *Liv.* 39, 7, 1. ℙ Interdum *millia* substantiva more appositionis secum habere solet. Exempla haec sunto: *Caes. B. C.* 2, 18. Varro cives Romanos sibi ad rempublicam administrandam argenti pondo viginti millia, tritici modios CXX millia polliceri coegit; et *ib.* 3, 4. Sagittarios ex Creta, Lacedaemone, Ponto atque Syria reliquisque civitatibus tria millia numero habebat. *Liv.* 21, 55. Duodeviginti millia, Romani, erant; et 37, 40. Armati duo millia missi. *Virg. A.* 9, 132. Tot millia, gentes arma ferunt Italae. V. *Ruddim.* 2, 83. ℙ *Millia* ponitur etiam cum numer. distribut: ita *bina millia*, *quina millia*, *dena millia*, *quadragena*, *sena millia.* V. *Seyffert. Gr. Lat.* §. 1582. Item ponitur absolute pro *singula millia.* Ita ap. *Liv.* 29, 15. Stipendium praeterea iis coloniis, in millia aeris asses singulos, imperari; ubi v. *Gronov.*; it. *Drakenb.* 30, 17. Adde *Suet. Caes.* 28. Aliis captivorum millia dono offerens.] ℙ *Mille passuum* spatium milliarii significat. *Cic. Att.* 4, 16. *f.* Septa cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur. *Id. Sext.* 12. *f.* Edixit ut ab urbe abesset millia passuum ducenta. ℙ Interdum vox *passuum* omittitur. *Cic. Att.* 3, 4. Ut mihi ultra quadringenta millia liceret esse. *Sall. Jug.* 114. Circiter duum millium intervallo. *Liv.* 9, 44. Hostes secutos, duo millia inde, locis munitis et ipsos consedisse. [**Suet. Ner.* 31. per centum sexaginta millia. Al. *milliaria.* V. *Oudendorp.*] ℙ Cum adjective adhibetur, semper est indeclinabile, et pluralis tantum numeri. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 9. Equites mille via breviore praemissi. *Auct. ad Her.* 3, 23. Mille verborum imagines comparare. *Caes. B. G.* 1, 22. Mille et quingentis passibus abesse. *Hor. Epod.* 9, 17. bis mille equos. *Id. Sat.* 2, 3, 61. Catienis mille ducentis clamantibus. [**Ruddim.* 1, 113. sq. *mille* adj. eo differre docet a *mille* substantivo in plurali, quod prius semper comitetur adverb. numerali; posterius vero adjectivum requirat.] ℙ Saepe pro numero indefinito, sed magno ponitur. *Virg. A.* 4, 701. de Iride: Mille trahens varios adverso sole colores. *Hor. Od.* 3, 7, 12. Tentat mille vafer modis. *Ov. Her.* 17, 104. Cum mea virginitas mille petita procis. Si te vidissem, primus de mille fuisses. *Ov. Amor.* 1, 3, 15. Non mihi mille placent, sc. puellae. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 689.] ℙ Negat *Gronov. de pecun. vet.* 1, 10. *mille* unquam substantivum esse, aut genitivum per se regere: multisque ea de re disputat. Semper itaque esse adjectivum, et plurale, et indeclinabile: sed neutrum duplex habere, *haec mille*, et *haec millia:* priori modo uti, cum hic numerus non exceditur: posteriori, cum plura sunt millia. *Catull.* 5, 7. Da mi basia mille, deinde centum: Dein mille altera, dein secunda centum: Dein cum millia multa fecerimus, etc. Cum vero dicimus *mille hominum*, *mille nummum*, ellipsin esse, et intelligi nominativum *multitudo*, *numerus*, *manus*, aut quid simile: et cum ait *Liv.* 23, 44. *f.* Mille fere passuum inter urbem erant, castraque: subaudiri posse, *mille fere passuum campi erant.* Et in illo *Pl. Mil.* 4, 2, 87. Mille annorum perpetuo vivunt: subaudiendum *tempus.* Et in illo *Lucil.* ap. *Gell.* 1, 16. Ad portam mille est: supplendum *passuum spatium*, vel *intervallum.* Porro integre locutum esse *Virg.* cum ait *A.* 10, 167. Sub quo mille manus juvenum; et *Pl. Mil.* 4, 2, 72. Plus mihi aûri mille est modiorum Philippei; et *Val. Max.* 8, 15. *n.* 1. *extr.* Senatus, qui mille hominum numero constabat. Similiter cum legimus, *sex millia hominum*, intelligi sine dubio *corpora:* cum *decem millia talentum*, intelligi *pondo:* cum *mille nummum*, intelligi *auri pondere* vel *auro:* cum *tria millia jugerum*, intelligi *spatia*, etc. Haec sane absurda non sunt, sed alicubi diuriuscula. ℙ *Mile*, et *milia* simplici *l* saepissime scriptum reperitur in veter. codicib. et monum., teste *Pier.* ad *Virg. G.* 4, 473. et *Broukhus.* ad *Prop.* 1, 5, 10. et confirmante *Cellar.* in *Orthograph.* ex *Inscr.* ap. *Grut.* 835, 8. X. milia numum; et 868, 11. XC. milia numorum. Sed et *millia* habet sua praesidia in lapide Ancyrano, et in usu frequenti. [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 412.]

MILLĔFŎLĬA, ae, f. herba est cubitali scapo, ramosa, minutioribus, quam foeniculi, foliis ab imo vestita. Utilissima habetur sanandis vulneribus: unde et *herba militaris* appellatur. *Plin.* 25, 5, 19. et 24, 18, 104. ℙ *Millefolium*, *ii*, n. ap. *eund.* 24, 16, 95. est caulis tener, similis foeniculo, plurimis foliis: unde et nomen accepit. Nascitur in palustribus, magnifici usus ad vulnera: Graece μυριόφυλλον, myriophyllon. Etruria hoc nomine appellat herbam in pratis tenuem, a lateribus capillamenti modo foliosam, eximii usus ad vulnera. Haec *Plin.* [*Achillea millefolium, *L.*, *Tausendblatt*, *Schafgarbe.*]

MILLĔFORMIS. V. MILLIFORMIS.

MILLĔNĀRĬUS, a, um, adj. mille continens. *August. C. D.* 20, 7. Millenarius numerus denarii numeri quadratum solidum reddit.

MILLĒNI, ae, a, adj χίλιοι, nomen numerale distributivum, quo et extra distributionem poetae utuntur. *Pl. Bacch.* 4, 9, 4. Atridae Priami patriam millenum numero navium decumo anno post subegerunt.

MILLĔPĔDĂ, ae, f. animal e vermibus terrae, ab aliis *centipeda*, et *multipeda* dictum, pilosum, multis pedibus arcuatim repens, tactuque contrahens se: oniscon (ὄνϊσκον) Graeci vocant, alii tylon (τύλον.) Illam autem, quae non arcuatur, sepa (σῆπα, a σήψ, σηπός, quod a σήπω, putrefacio) Graeci vocant, alii scolopendram minorem, perniciosamque. Haec ex *Plin.* 29, 6, 39. *Id.* 20, 2, 6. Folia peponum sanant morsus millepedae: sepa Graeci vocant, oblongam, pilosis pedibus, pecori praecipue nocivam: morsum tumor insequitur, et putrescit locus. *Hieron. in Jovin.* 2, 7. Coge Syrum, Afrum, Arabem, ut vermes Ponticos (*cossos*) glutiat, ita eos despiciet, ut muscas, millepedas, et lacertos. Sic *Marcell. Empir.* 32. Bestiolae multipedae, quae in locis humidis et sordidis nascuntur, quaeque contactae pilulam de se faciunt. [*Fortasse nostr. *Assel*, *Kellerwurm.*]

MILLĔSĬMUS, a, um, adj. χιλιοστός, nomen numerale ordinis: a *mille*. *Cic. Att.* 2, 4. Ex libro Serapionis millesimam partem vix intelligo. *Id. Fat.* 7. Quamquam id millesimo ante anno Apollinis oraculo editum esset. *Pers.* 3, 27. an deceat pulmonem rumpere ventis, Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis? *h. e.* tu millesimus, nempe DCCCCXCVIIII. ante te majores habens. *Ov. Her.* 13, 97. Inter mille rates tua sit millesima puppis, *h. e.* ultima. (Eodem modo locutus est *Sen. Agam.* 455.) *Gell.* 14, 1. *f.* Prae ceteris, quae mentiuntur, pars ea non est millesima. *Sen. Ira* 3, 33. Usura millesima, *h. e.* qua pro mille nummis unus quot mensibus penditur: quae pensio mille mensibus sortem aequat, et minimus fenoris modus est. *Petr. fr. Trag.* 67. *Burm.* Habeo decem pondo armillam, ex millesimis Mercurii factam, *h. e.* ex usuris millesimis, vel ex millesima cujuscumque lucri parte, Mercurio vota.

MILLIĀRĔ, is, n. idem ac milliarium: a *mille*. *Cic. Att.* 6, 1. *in.* Accepi tuas litteras ad quintum milliare Laodiceae, quas legi libentissime. Ita in aliquibus MSS. legit *Victorius:* critici reliqui *a. d. quintum Terminalia.*

MILLIĀRENSIS et Miliarensis, e, adj. milliarius, ut Milliarensis porticus, ap. *Vopisc. Aurel.* 49., sic dicta vel a mille columnis, quas haberet, vel quod mille passus, vel pedes longa esset. Sic enim varie exponunt interpretes, qui eodem modo accipiunt et *milliarias porticus*, quae leguntur in *Suet. Ner.* 31. [*Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 630. Militavit in cohorte miliarense, *h. e.* milliaria. *F.*]

MILLIĀRĬUS et Miliarius, a, um, adj. χιλιοστός, mille continens, millenarius. *Varr. L. L.* 8, 49. *f.*

Decuriae milliariae. *Id. R. R.* 2, 10. *f.* Greges ovium milliarios facere; et *ib.* 3, 1. *med.* Milliarius clivus, *h. e.* mille passuum. *Sen. ep.* 110. *med.* Apri milliarii, *h. e.* mille librarum pondere. *Plin.* 17, 12, 19. In Africa (fides penes auctores erit) milliarias vocari multas oleas, narrant, a pondere olei, quod ferant annuo proventu. *Plin. alter ep.* 7, 31. Praecerat alae milliariae, *h. e.* mille militum. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 482, 4. Sic Milliaria cohors, *Veg. Mil.* 2, 6., quam *Id. ib.* habuisse dicit pedites mille centum quinque, equites loricatos centum triginta duos. *Suet. Ner.* 31. Milliariae porticus, *h. e.* mille pedum. V. MILLIARENSIS. ℙ *Milliarium annorum* ap. *August. C. D.* 20, 7. est mille annorum spatium. Sic *milliarium aevum* ap. *Tert. Anim.* 31. ℙ *Milliarii, orum*, dicti sunt a *Hieronymo*, et *Augustino* haeretici, qui inter alia docebant, mille annos post resurrectionem in terreno regno Christi, secundum carnales ventris et libidinis voluptates, futuros, ut ait *August. Haeres. n.* 8. Adde *C. D.* 20, 7. et *Hieron. praef. l.* 18. in *Esaj.* 66, 33. *med.* ℙ Graeco vocabulo *Chiliastae*, *Χιλιασταὶ*, sunt appellati. *August. l. c.* ℙ *Milliarium* (et saepius *Miliarium*) *saeculum* praeferunt nummi Philippi Aug. ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 324.; cusi enim sunt ob ludos saeculares maxima pompa Romae celebratos ann. a Chr. n. CCXLVII., qui millesimus ab Urbe condita fuit. ℙ *Milliarium* absolute est columella, seu lapis erectus in viis, praesertim militaribus, inscriptas habens notas, quibus millia quaeque passuum significantur, ut et in LAPIS dictum est. Hos lapides milliarios omnium primum in viis posuisse C. Gracchum, *Plutarch.* in *Gracch.* 7. narrat. *Cic. Brut.* 14. Cum plebes prope ripam Anienis ad tertium milliarium consedisset. *Id. Att.* 8, 5. Postea audivi, a tertio milliario multa mala eum dixisse capiti suo. *Suet. Ner.* 48. Offerente Phaonte suburbanum suum circa quartum milliarium. *Front. Aquaed.* 6. Concipitur Anio vetus supra Tibur, vigesimo milliario extra portam; et *ib.* 5. Concipitur Appia via Praenestina inter milliarium septimum et octavum; et *ib.* 72. Ad septimum ab Urbe milliarium; et *ib.* 21. Citra quartum milliarium; et *ib.* Intra secundum milliarium. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 241, 1. Imp. Caes. L. Sept. Severus Aug. et Imp. Caes. M. Aur. Antoninus Aug. miliaria vetustate conlapsa restitui jusserunt. ℙ *Milliarium* vel *Milliarium aureum* appellata fuit columna ab Augusto in capite Rom. Fori prope aedem Saturni statuta, in qua omnes viae ab urbe Roma in Italiae provincias ferentes descriptae fuerunt: harum vero distantiae non ab ipso milliario, sed ab antiquis Romae portis incipiebant, ut pluribus probat *Marin. Frat. Arv.* p. 8., et affirmat his verbis *Macer Dig.* 50, 16, 154. Mille passus non a milliario Urbis, sed a continentibus aedificiis numerandi sunt. *Aureum* autem dictum est, quia columna illa auro lita, vel quia aureis litteris insculpta erat. V. *Plin.* 3, 5, 9. *f.*, *Suet. Oth.* 6. et *Tac. H.* 1, 27. ℙ Videtur et ipsum spatium *milliarium* dici posse. *Suet. Ner.* 31. Fossam inchoabat longitudinis per centum sexaginta milliaria. ℙ Denique *milliarium* (saepius *miliarium*, *θερμαντήρ*) vas fuit altum et angustum (ut colligitur ex *Pall.* 5, 8. *f.*) calefaciendae aquae in balneo positum, quod *Vitr.* 5, 10. *ahenum caldarium* vocat: ita vero est appellatum, quia miliario viarum simile est. *Pall.* 1, 40. Miliarium vero plumbeum, cui aerea patina subest, inter soliorum spatia forinsecus statuamus, fornace subjecta: ad quod fistula frigidaria dirigatur, et ab hoc ad solium similis magnitudinis fistula procedat, quae tantum calidae ducat interius, quantum fistula illi frigidi liquoris intulerit. ℙ Ex illius similitudine ita dictum etiam fuit parvum vas aeneum, vel argenteum, Graece *ἐπιολέβης*, ad aquam in privatorum usus calefaciendam, cujas figuram habes in *Mus. Borbon.* T. 3. *tab.* 63., quodque memorat *Sen. Q. N.* 3, 24. Facere solemus dracones, et miliaria, et complures formas, in quibus aere tenui fistulas struimus, per declive circumdatas, ut saepe eundem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatii, quantum efficiendo calori sat est: frigida itaque intrat, effluit calida. *Id. ib.* 4, 9. minora miliaria nominat, unde patet, variae magnitudinis fuisse. *Ulp. Dig.* 34, 2, 19. §. 12. etiam argenteum miliarium annumerat inter argentum escarium. ℙ *Miliarium* in trapeto est ejusdem pars media instar cylindri, quae miliariam columnam repraesentat, circa quam vertuntur orbes seu molae oleariae, et in cujus medio erigitur ferrea columella, Itali dicunt *perno di ferro*, quae cupam pertusam, et molas circumagentem dirigit. *Cato R. R.* 20. et 22. ℙ De ratione scribendi V. MILLE. [*Quaedam emendavit *F.*]

MILLĬES, adv. *χιλάκις*, mille vicibus: et ponitur etiam pro saepissime. *Cic. Rabir. perduell.* 5. Moreretur prius acerbissima morte millies Gracchus, quam, etc. *Ter. Eun.* 3, 1, 32. Plus millies audivi. *Catull.* 35, 8. Quamvis candida millies puella Euntem revocet. *Plin.* 2, 23, 21. Quinquies millies. *Val. Max.* 3, 7. *n.* 1. Bis millies. *Vitr.* 1, 6. Semel et tricies millies mille; et *mox:* Ter millies mille. ℙ [Quamvis *Caper* p. 2241. praecipiat sine *n* scribenda *millies*, *centies*, *decies*; tamen bis ap. *Cic. de Rep.* 3, 10. scriptum fuisse *milliens* in Cod. palimpsesto affirmat *ib. A. Maius.* V. TOTIES. *F.*]

MILLĬFORMIS, e, adj. mille formarum, multiformis. *Prud. Cath.* 9, 55. Pulsa pestis lubricorum milliformis daemonum. Al. leg. *milleformis.*

[MILLĬMODUS, a, um, adj. idem ac multimodus. *Venant. Vit. S. Martin.* 3, 303. Hic ubi millimodas animalis adegerat iras. *F.*]

*MILLĬO, onis, m. genus accipitris. *Marcell. Empir.* 33. *B. A.*

MILLUS, i, m. collare canum venaticorum, factum ex corio, confixumque clavis ferreis eminentibus, adversus impetum luporum. Scipio Aemilianus ad populum: Vobis, inquit, reique publicae praesidio erit is, quasi millus cani. Haec *Festus.* ℙ *Millum*, *i*, n. quidam leg. in illo *Varr. R. R.* 2, 9. *f.* Ne vulnerentur a bestiis, imponuntur his collaria, quae vocantur millum, idest cingulum, circa collum ex corio firmo, cum clavulis capitatis, quae intra capita insuitur pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri. Sed plerique al. leg. *maelium*, seu *melium.* V. MELES.

MĪLO et Milon, onis, m. *Μίλων*, athleta Crotoniensis. Tantae fortitudinis fuit, ut taurum in Olympico certamine ictu nudae dextrae occiderit, et sine fatigatione per stadii spatium supra humeros portaverit, totumque eo die comederit. Huic malum tementi digitis nemo poterat extorquere. Dum constitisset, nemo eum valebat vestigio educere. In senectute, cum nimia nervorum fiducia arborem in parte media hiantem diducere vellet, brachiis hinc inde constrictis, et deficiente conatu retentus, lupis fuit praeda. *Gell.* 15, 16., *Val. Max.* 9, 12. *f.*, *Plin.* 7, 20, 19. *Ov. Ib.* 611. Utque Milon, robur diducere fissile tentes, Nec possis captas inde referre manus. ℙ *Item rex Pisae, in Elide. *Ov. Ib.* 325. ℙ T. Annius Milo, Romanus, amicus Ciceronis, cujus causam, cum Clodium occidisset, ipse Cicero diligentissime quidem, sed infeliciter egit. *Cic. pro Milone*, *Juven. sat.* 2, 26. *Lucan.* 1, 323. ℙ Milo, vel Milus, mons Indiae. *Plin.* 7, 2. In monte, cui nomen est Milo, ubi ed. *Hard.* habet *Nulo. B. A.*

*MILOLĪTUM, i, n. Thraciae oppidum. *Anton. Itin. B. A.*

MĪLŌNĬĀNUS, a, um, adj. ad Milonem civem R. pertinens. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 7. *l.* 9. *ad Att.* Miloniana tempora, *h. e.* quibus T. Annius Milo accusatus est. Unde et oratio a Cicerone pro eo habita, Miloniana dicitur a *Capell.* 5, 172.

*MILŌNĬUS, i, m. scurra temulentus et saltare solitus, de quo *Hor. Sat.* 2, 1, 24. *B. A.*

*MILTĬĀDES, is, m. *Μιλτιάδης*, dux clarus Atheniensium, qui primus ducum Atticorum profligavit infinitam multitudinem Persarum in campis Marathoniis. *Nep.* in *Milt. Cic. Tusc.* 4, 19. *Gell.* 17, 21. *Just.* 2, 9. *Val. Max.* 5, 3. *B. A.*

MILTĪTES Lapis, *μιλτίτης λίθος*, genus lapidis haematitae, colore rubricae, vel minii: nam *μίλτος* minium est. *Plin* 36, 20, 38.

*MILTOPAE STATIO (sc. navium) locus vel portus fuit Calabriae. *Plin.* 3, 11. Statio Miltopae, Lupia. Sic ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *statio militum* etc. *B. A.*

MILTOS, i, f. *μίλτος*, Graeca appellatio coloris ejus, qui Latine *rubrica* dicitur. *Plin.* 33, 7, 38. Trojanis temporibus rubrica in honore erat. Milton vocant Graeci: minium quidam, cinnabari. Ita enim *Hard.* distinguit. V. CINNABARIS. ℙ Alii minium interpretantur ap. *Vitr.* 9, 3. Signans cera ex milto, quae esset expertus, *h. e.* miniata cerula, ut ait *Cic. Att.* 15, 14. *extr.*

MILVĀ, ae, f. a *milvus*, convicium est in feminam nimis avidam et rapacem. *Petr. fr. Trag.* 75. *Burm.* Suadeo, bonum tuum concoquas, milva.

MILVĀGO, inis, f. genus piscis, qui et milvus. *Plin.* 32, 2, 6. Milvago quoties cernatur extra aquam volitans, tempestates mutari. V. MILVUS.

MILVĪNUS, a, um, adj. ad milvum pertinens. *Plin.* 37, 10, 60. Milvinae plumae. ℙ Refertur ad rapacitatem. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Licinium plagiarium cum suo pullo milvino tributa exigere. *Pl. Ps.* 3, 2, 62. An invenire postulas quemquam coquum, Nisi milvinis, aut aquilinis ungulis? *Petr. fr. Trag.* 42. *Burm. f.* Mulier, quae mulier! milvinum genus. ℙ *Milvina fames* est vehemens orexis et rabida. *Pl. Men.* 1, 3, 29. Madida quae mihi apposita in mensam, milvinam suggerant. ℙ *Milvinus pes* ap. *Colum.* 12, 7. nomen est herbae milvi pedem referentis. Fortasse est catanance, quam *Plin.* 27, 8, 35. tradit, arescentem contrahere se ad speciem unguium milvi exanimati. ℙ *Milvinae tibiae* dicuntur, quae sunt acutissimi soni. *Festus* et *Solin.* 5. *med.* ℙ Scribi potest et *miluinus* quadrisyllabum.

MILVĪUS Pons. V. MULVIUS.

MILVĬUS, et Milvus, et Milŭus, i, m. *ἰκτῖνος*, avis ex genere accipitrum, sed major, rapacissima, et semper famelica. ['Falco Milvus, *L.*, *Weihe*, *Gabelweihe*, *Taubenfalke.*] Traditur a solstitiis affici podagra. Hibernis mensibus latet. Videtur artem gubernandi docuisse caudae flexibus. *Plin.* 10, 10, 12. *Cic. N. D.* 2, 49. Milvo est quoddam bellum quasi naturale cum corvo, ergo alter alterius, ubicumque nactus est, ova frangit. *Hor. Epod.* 16, 31. juvet ut tigres subsidere cervis, Adulteretur et columba milvio (de re impossibili). *Phaedr.* 1, 31. Columbae saepe cum fugissent milvium, Et celeritate pennae vitassent necem, etc. *Ov. Am.* 2, 6, 34. Vivit edax vultur, ducensque per aera gyros Milvius. *Id. Met.* 2, 716. Ut volucris visis rapidissima milvius extis, Flectitur in gyrum, etc. *Pl. Poen.* 5, 5, 13. male ego metuo miluos: Mala illa bestia est: ne forte me auferat pullum tuum. *Milŭus* legunt critici etiam in locis *Phaedri* et *Ovidii* allatis: hanc enim affirmant, esse veterem, probam, frequentioremque scripturam. ℙ Translate dicitur de homine rapaci atque avido. *Plaut. l. c.* ℙ De eo, qui ingentes possessiones habet, proverbiali locutione dicimus, tantum habere, quantum milvi volant. *Petr. fr. Trag.* 37. *Burm.* Trimalchio fundos habet, quam (*h. e.* quantum) milvi volant. *Pers.* 4, 26. Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret. *Juven.* 9, 55. tot praedia servas Appula, tot milvos intra tua pascua lassos. ℙ Est etiam piscis hoc nomine, saltu se supra mare attollens, summisque undis discurrens, volanti similis, praedae causa: [**Meerweihe.*] V. MILVAGO. *Ov. Halieut.* 95. Hippuri celeres, et nigro tergore milvi. *Hor. Ep.* 1, 16, 50. Cautus enim metuit foveam lupus, accipiterque Suspectos laqueos, et opertum miluus hamum. ℙ Item signum coeleste, quod vergit ad Ursam majorem, in parte inferiore. Cum terra monstrum mirabile edidisset, quod superiore parte taurus erat, inferiore serpens, Parcarum monitu inclusum statim fuit apud Stygiam paludem, in nigra silva, triplici murorum serie. Inde oraculum fuit, qui flammis viscera ejus monstri adolenda dedisset, eum posse aeternos Deos vincere. Igitur quando Saturnus a Jove filio ex regno expulsus fuit, Titanas, fratrem scilicet, ac nepotes, in arma adversus Jovem concitavit. In his Briareus facta ex adamante securi taurum interfecit. Flammis exta jamjam daturus erat, cum Juppiter avibus imperavit, ut illa exta raperent. Rapta a milvio fuere. Ita Juppiter Titanas vicit, et milvium immortalitate inter sidera donavit. *Ov. Fast.* 3, 793. et sqq. Nonnulli dicunt, milvium ideo inter stellas fuisse collocatum, quod Jovi elapsum annulum retulerit. ℙ *Milvius nomen proprium parasiti ap. *Hor. Sat.* 2, 7, 36. ubi *Bentl.* legit *Mulvius.* Permutantur *Mulvius* et *Milvius* ap. *Stat. Silv.* 2, 1, 176. *B. A.*

*MILYĀDUM COMMUNE, regiuncula et urbs in Lycia, ad Taurum montem. *Cic. Verr.* 1, 38. *B. A.*

*MILYAE, arum, m. *Μιλύαι* et *Μίλυες*, populi quidam super Pamphyliam degentes, e Thracia oriundi. *Plin.* 5, 27. A latere autem ejus super Pamphyliam veniunt Thracum soboles, Milyae, quorum Aricanda oppidum. *Id. ib. c. ult.* Attingit Galatia et Pamphyliae Cabaliam: et Milyas, qui circa Barin sunt. *B. A.*

MĪMĂ, ae, f. mulier gesticulatrix. *Cic. Phil.* 2, 24. Inter quos aperta lectica mima portabatur. Adde *Hor. Sat.* 1, 2, 56. [*V. *Heindf.*] ℙ Teste *Cledonio* p. 1863. in dat. et ablat. plur. habet *mimabus.* V. ASINA.

[MĪMAECYLON, i, n. *μιμαίκυλον*, fragum, fructus arboris unedonis, sive arbuti. *Plin.* 15, 24, 28. Duobus tamen hoc nominibus appellant Graeci, comaron, et mimaecylon. Alii leg. *memaecylon. F.*]

*MIMALLIS, idis vel idos, f. Sic a Callimacho dicta est insulula Melos, teste *Plin.* 4, 12. *B. A.*

MĪMALLŌNES, um, f. plur. *Μιμάλλονες*, mulieres sacerdotes Bacchi, al. Bacchae, Thyades: a Mimante Ioniae monte, vel a *μιμέομαι*, imitor, quod Liberum Patrem imitarentur, et ad ejus imitationem cornua ferrent. *Stat. Th.* 4, 660. Post exsultantes spolia armentalia portant, Seminecesque lupos, scissasque Mimallones ursas.

MĪMALLŌNĒUS, a, um, adj. ad Mimallones pertinens. *Pers.* 1, 99. Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.

MĪMALLŌNIS, idis, f. patron. a *Mimallones*, Baccha, sacerdos Bacchi. *Ov. A. Am.* 1, 541. Ecce Mimallonides sparsis in terga capillis.

MĪMĀRĬUS, a, um, adj. ad mimum pertinens, mimicus, ut *Mimarii scurrae* ap. *Capitol. Ver.* 8.

MĪMAS, antis, m. *Capo Stillari*, *Μίμας*, mons, et prom. Ioniae prope urbem Colophonem, quod contra Chium insulam porrigitur, intus Laodiceam urbem attingit. *Plin.* 5, 29, 31. et *Ov. Met.* 2, 222. ℙ Item Gigantis nomen, quem Juppiter fulmine percussit. *Hor. Od.* 3, 4, 53. Sed quid Typhoeus, et validus Mimas, etc. ℙ *Fuit et Mimas Trojanus Amyci et Theanus filius, a Mezentio obtruncatus. *Virg. A.* 10, 702. sq. *B. A.*

MĪMĒSIS, is, f. *μίμησις*, imitatio morum alienorum, figura cognata ironiae, quando non verba modo, verum etiam vocem, gestumque alicujus imitamur, quod fere deridentes improbantesque facimus. *Quint.* 9, 2. *med.*, sed Graece. Exemplum

hujus figurae habes ap. *Ter. Eun.* 1, 2, 75. et *Virg. A.* 4, 376.

MĪMĬAMBI, orum, m. plur. sunt mimicae fabulae, versibus plerumque iambicis conscriptae. Cn. Mattii, seu Matii Mimiambos laudant *Gell.* 10, 24., 15, 25. et 20, 9. etc. et *Terent. de metr.* p. 2437. Hoc mimiambos Mattius dedit metro. ℙ Item versus senarii iambici ad similitudinem eorum, quibus mimi utuntur. *Plin. ep.* 6, 21. Scripsit mimiambos tenuiter, argute, venuste, atque in hoc genere eloquentissime.

MĪMĬCĒ, adv. *μιμικῶς. Catull.* 42, 8. Turpe incedere mimice, ac moleste. *Tert. Apol.* 46. Mimice philosophi affectant veritatem.

MĪMĬCUS, a, um, adj. *μιμικός*, ad mimum pertinens. *Cic. Or.* 2, 59. Ne aut scurrilis jocus sit, aut mimicus. *Petr. Sat.* 94. *extr.* Nec Eumolpus interpellaverat mortem mimicam, *h. e.* fictam, simulatam, ut fit in mimis et comoediis. *Plin. ep.* 7, 29. Res mimicae et ineptae.

MIMITĬĀ. V. MINUCIA.

[MIMMŪLUS, i, m. herbae nomen, quae eadem videtur esse ac pedicularis. *Plin.* 18, 28, 67. Herba optima in prato trifolii, proxima graminis, pessima mimmuli, siliquas etiam diras ferentis. *F.*]

[MIMNERMĬĀ, ae, f. nomen Veneris. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 721. Alii Venerem Mimnermiam, vel Meminiam dicunt, quod meminerit omnium. Hinc fortasse in nummis gentis Memmiae, quae ex *Virg. A.* 5, 117. originem habuit a Mnestheo (*μνῆστις* autem memoriam significat), ap. *Morell. n.* 5 et 6. videre est Venerem in biga. *F.*]

MIMNERMUS, i, m. poeta Graecus septem Sapientibus antiquior, aut aequalis, elegiaco carmine valde concinnus ac suavis, et pentametri versus inventor habitus. *Prop.* 1, 9, 11. Plus in amore valet Mimnermi versus Homero.

[MĪMOFĂBŪLĂ, ae, f. idem ac mimus, q. v. *Jul. Val. de art. rhet.* (ed. *A. Maio*) 26. *f.* Multum ad sermonis elegantiam conferent comoediae veteres et togatae, et tabernariae, et Atellanae fabulae, et mimofabulae. *F.*]

MĪMOGRAPHUS, i, m. *μιμογράφος*, lascivi, seu ridiculi poematis scriptor, ut fuere Cn. Mattius, P. Syrus, P. Laberius. *Suet. Gramm.* 18. Circa scenam versatus est, dum mimographos adjuvat.

MĪMOLŌGUS, i, m. *μιμολόγος*, qui mimos recitat, mimus. *Firm. Math.* 8, 8. Pantomimos facit, aut mimologos.

MĪMŪLĂ, ae, f. dimin. mimae. *Cic. Phil.* 2, 25. Venisti Brundusium in sinum quidem et complexum tuae mimulae.

MĪMŪLUS, i, m. dimin. mimi. *Arnob.* 2, 69. *extr.* Quid pantomimos, quid mimulos, etc.

MĪMUS, i, m. *μῖμος*, gesticulator, imitator lascivus ac petulans factorum, dictorumque, ac morum alienorum, colligendi risus causa, in scena, vel extra. *Diomed.* 3, 488. Mimus dictus *παρὰ τὸ μιμεῖσθαι*, quasi solus imitetur, cum et alia poemata idem faciant: sed solus quasi privilegio quodam, quod fuit commune, possedit. ℙ Differt ab *histrione*, qui certae alicujus personae, et in scena tantum, et personatus in togatis fabulis imitationem peragit: *mimus* autem extra scenam, et sine larva quarumcumque personarum acta et dicta risus causa in palliatis fabulis persequitur: *pantomimus* vero solo gestu, omissa vocis pronunciatione, omnia in fabulis itidem palliatis repraesentat. Praeterea mimi est propria obscenitas, ut est ap. *Cic. Or.* 2, 59. *f.*, non item histrionum. *Diomed.* 3, 487. Quarta species fabularum est planipedis, qui Graece dicitur mimus, quia actores planis pedibus, idest nudis proscenium introirent, non, ut tragici actores, cum cothurnis, neque, ut comici, cum soccis: sive quod olim non in suggestu scenae, sed in plano orchestrae positis instrumentis mimicis actitabant. *Ov. A. Am.* 1, 501. Et plaudas, aliquam mimo saltante puellam. ℙ Item ipsum poema, et fabula, qua mimus aliorum mores imitatur. Differt a comoedia, quia in hac sunt certae partes seu actus, quibus connexio, et solutio alicujus negotii continetur: in mimo nulla est constitutio fabulae, nec certus exitus. *Cic. Coel.* 27. Mimi ergo est jam exitus, non fabulae, in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabilla concrepant, aulaeum tollitur. *Ov. Trist.* 2, 497. Quid, si scripsissem mimos obscena jocantes? et *ib.* 515. Scribere si fas est imitantes turpia mimos; et *ib.* 518. Quodque libet, mimis scena licere dedit. *Cic. Phil.* 11, 6. Commentari mimos. *Suet. Cal.* 57. Et cum in Laureolo mimo, in quo actor proripiens se ruina sanguinem vomuit, cruore scena abundavit. *Id. Caes.* 39. Ludis D. Laberius eques R. mimum suum egit. ℙ Sunt quidem in veterum mimis, qui hodieque exstant, pulcherrimae multae, gravissimaeque sententiae, quia eorum finis erat docere, castigare, mores corrigere. Sed quia illud item studebant, ut delectarent, ejusque rei causa nec verbis, nec gestibus obscenis abstinebant, immo haec data opera captabant, habiti sunt apud bene moratas urbes nullo in pretio, et alicubi etiam nunquam admissi; quod de Massiliensibus narrat *Val. Max.* 2, 6. *n.* 7. ℙ Celebres Romae fuere mimi P. Laberius, P. Syrus, Philistion Nicaenus, Cn. Mattius, Lentulus, M. Marullus, etc., de quibus *Voss. instit. Poeticar.* 2, 33. ℙ Translate *mimus* est quodvis ridiculum factum, et quasi fabula risu digna, praesertim quae ficta tota est, et simulata. Sic *Suet. Cal.* 45. de ficto Caligulae triumpho: In hoc quoque mimo praeter modum intemperans. *Id. Oth.* 3. de fictis et ridiculis nuptiis: Ne poena acrior mimum omnem divulgaret. [*Atque ita etiam leg. *impudentissimo mimo* ap. *eund. Tib.* 24. ex emendat. *Gronov.* pro vulg. *animo*. V. *B. Crus.* ad h. l. et *Duk.* ad *Flor.* 2, 14, 3.] *Plin.* 7, 12, 10. Antiocho regi Artemon in tantum similis fuit, ut Laodice conjux regia, necato jam Antiocho, mimum per eum commendationis, regnique successionis peregerit. *Sen. ep.* 80. *med.* Nec enim ullo exemplo efficacius exprimitur hic humanae vitae mimus, qui nobis partes has, quas male agamus, assignat; et *ep.* 26. Non timide componor ad illum diem *(mortis)*, quo de me judicaturus sum, numquid simulatio fuerit, et mimus, quidquid contra fortunam jactavi verborum contumacium.

MIN, legitur ap. *Auson. in monosyllabis* pro minio usurpatum. V. AL.

MIN'? hoc est, mihine? *Pers.* 1, 2. Min' tu istud ais?

MĪNĂ, ae, f. *μνᾶ*, libra, nummus, apud Graecos. Mina Attica continebat stateres vigintiquinque, sive, quod idem est, centum Atticas drachmas: eratque major Romana libra drachmis quatuor. Nam haec nonaginta sex tantum pendebat drachmas. Sed hoc de mina nova intelligi debet, quae et Solonis mina a quibusdam appellatur. Constat enim, minam Atticam antiquitus fuisse drachmarum tantum septuaginta quinque, quae, auctis postea a Solone ponderibus, mina vetus appellata est. *Plin.* 21, 34, 109. *Rhemn. Fann. de ponderib. et mensur.* sentire videtur, minam Atticam eam esse, quae constat septuaginta quinque drachmis, quam nos minam veterem vocavimus, alteram vero, quae centum constat drachmis, minam Graecam vocari. Scripsit enim *v.* 32. Accipe praeterea, parvo quam nomine Graji Mnam vocitant, nostrique minam dixere priores. Centum hae sunt drachmae: quod si modo dempseris illis Quattuor, efficies hanc nostram denique libram: Attica quae fiet, quartam si dempseris hinc, mna: *idest* si dempseris vigintiquinque drachmas, quae est quarta pars numeri centenarii. Demptis igitur 25. ex 100. remanent 75. ℙ Quoties autem apud scriptores minae mentio occurrit, de mina nova intelligendum est, quae epitriti proportionem habet ad minorem, seu veterem minam: quemadmodum et talentum majus ad talentum minus, idest quarta parte major est. ℙ *Mina* etiam mensurae genus est, qua agros metimur, qui et modius dicitur, et actus quadratus. Habet ex omni parte pedes centum viginti. *Varr. R. R.* 1, 10. ut quidam leg., nam plerique al. aliter. ℙ *Mina ovis* dicitur, quae ventre est glabro, ita dicta fortasse, quia minus habet lanae. *Varr. R. R.* 2, 2. Pecus ovillum recte sanum est extra luscam, surdam, minam, idest ventre glabro. *Pontedera* et *Schneider.* verba *idest ventre glabro* spuria existimant, et quidem recte. ℙ Item mamma, quae lacte deficit. *Festus:* Minam Aelius vocitatam ait mammam alteram lacte deficientem, quasi minorem factam. ℙ Denique *mina* singulari num. pro eo, quod pluraliter dicimus *minae, arum*, usurpata fuit a *Catone*, teste *Festo*.

[MĪNĂBĬLĬTER, adv. idem ac minaciter. *Gloss. Philox.* Minabiliter, *ἀπειλητικῶς. F.*]

MĪNĂCĬAE, arum, f. plur. minae, ap. veteres. *Pl. Rud.* 3, 5, 16. Minacias ego istas flocci non facio tuas. Adde *eund. Mil.* 2, 4, 21. et *Truc. a.* 5. *v.* 56.

MĪNĂCĬTER, adv. *ἀπειλητικῶς*, cum minis. *Cic. Or.* 1, 20. Et adversarios minaciter terrere possemus. *Id. Phil.* 5, 8. Num putatis, dixisse eum minacius, quam facturum fuisse? *Plin.* 8, 50, 76. Torrens rapidus pontem minaciter subterfluens.

MĪNAE, arum, f. plur. [*Etymon est a *minendo*, i. e. *eminendo*, et prima significatione denotat *eminentias murorum, pinnas*. *Virg. A.* 4, 88. pendent opera interrupta, minaeque Murorum ingentes. V. MINEO. Ita melius collocasse videmur locum, quem Noster in f. laudaverat. ℙ Tum est] *ἀπειλή*, metus incussio per verba et signa territantia. *Cic. Or.* 1, 58. Virtutem hominibus instituendo et persuadendo, non minis et vi ac metu tradi. *Id. Font.* 11. *med.* Eorum minis et terrore commoti esse videremini. *Id. Mur.* 21. Accusandi terrores et minae, quibus tu quotidie uti solebas. *Id. Cluent.* 8. Aliquem clamore ac minis insequi. *Id. Quint.* 14. *med.* Minas jactare, pericula intendere, formidines opponere. *Sall. Jug.* 27. *f.* Minas graves nunciare alicui senatus verbis. *Tac. A.* 3, 36. Probra et minas alicui intendere. *Ov. Met.* 6, 361. et convicia adjicere. *Id. Am.* 1, 7, 46. rigidas intonare. *Phaedr.* 3, 6. vanas exercere. *Paul. Dig.* 35, 3, 4. lusorias alicui facere. *Hirt. B. Afr.* 91. Nec minis, nec precibus moveri. *Stat. Th.* 1, 188. Quas gerit ore minas! quanto premit omnia fastu. ℙ Translate. *Flor.* 2, 8. Ad haec coelestes minae territabant, cum humore continuo Cumanus Apollo sudaret. *Prop.* 1, 17, 6. Aspice, quam saevas increpat aura minas; et 3, 8, 6. stent aere venti, Ponat et in sicco molliter unda minas. *Tibull.* 2, 6, 28. Hibernas minas negligere. *Ov. Her.* 12, 208. Adversumque minas frigoris arma parat, *h. e.* vestes frigori depellendo. *Id. Met.* 2, 857. de tauro: Nullae in fronte minae, nec formidabile lumen. *Virg. G.* 3, 421. de angue: Tollentemque minas, et sibila colla tumentem. ℙ De verbis, quibus utuntur bubulci bubus agendis. *Ov. Pont.* 1, 8, 55. Et discam Getici quae norunt verba juvenci: Adsuetas illis adjiciamque minas. V. MINO. ℙ In singul. num. V. MINA.

[MINAEI, orum, m. plur. Arabiae populi, apud quos myrrha, et tus gignitur. *Plin.* 6, 28, 32. Minaei, a rege Cretae Minoe, ut existimant, originem habentes. ℙ Hinc *Minaeus, a, um*, adj. ut Minaeum tus ap. *eund.* 12, 14, 30. et Minaea myrrha ap. *eund. ib.* 16, 35. ℙ Etiam *Minnaei* scribitur. *Prisc. Perieg.* 888. Minnaeique maris prope Rubri litora vivunt. *Avien. ib.* 1136. Rutuli contermina ponti Minnaei, Sabathaeque tenent. *F.*]

MĪNANTER, adv. idem ac minaciter. *Ov. A. Am.* 3, 582. Multaque submisse, multa minanter agant.

MĪNARRĬO. V. MINURIO.

MĪNĀTĬO, onis, f. *ἀπείλησις*, minae vel actus minandi. *Cic. Or.* 2, 71. Colliguntur a Graecis alia nonnulla, exsecrationes, admirationes, minationes. *Tiro Tullius* ap. *Gell.* 7, 3. Injuriis atque imperiosis minationibus confutare.

MĪNĀTOR, oris, m. qui minat, seu agit, ut pecora, armenta, etc. *Tert. ad Nat.* 2, 3. *f.* Animalia per se moventur, nullo apparente minatore. ℙ Pro eo qui minatur, caret exemplis.

MĪNĀTŌRĬUS, a, um, adj. *Ammian.* 17, 7. *extr.* Terrae motus sonitu audiuntur minatorio. Al. leg. *minaci.*

MĪNAX, acis, omn. gen. [*Primum significat *imminens, prominens*. Huc pertinet locus, quem *Forc.* cum cetris nullo discrimine facto miscuerat, *Virg. A.* 8, 668. minaci Pendentem scopulo, i. e. prominentem, tanquam ruiturum et ruina eum sua oppressurum. Adde *Luer.* 1, 880. Conveniebat enim, fruges quoque saepe, minaci Robore quam in saxi franguntur, mittere signum sanguinis. ℙ Tum pertinet ad eum, qui frequenter, aut valde, vehementer minatur, Gr. *ἀπειλητικός*.] *Cic. Font.* 12. Indutiomarus iste minax, atque arrogans. *Id. Fam.* 16, 11. Minaces et acerbae litterae. *Hor. Od.* 1, 10, 10. Minaci voce terrere. *Val. Fl.* 5, 520. vultu gravis ille minaci Jamdudum fremit. *Id.* 1, 722. furiis iraque minaci Terribilis; et 5, 260. auguriis monstrisque minacibus urbem Territat. *Sen. Med.* 751. Luna fronte minax. *Tac. A.* 1, 28. Noctem minacem, et in scelus erupturam sors lenivit, *h. e.* homines noctu seditionem minitantes. *Ov. Met.* 1, 91. minacia verba. *Id. Hal.* 44. de muraena: animos ponit captiva minaces. *Id. Her.* 19, 85. aequor saevum et minax. *Id. Trist.* 1, 2, 24. aer nubibus minax. *Id. Met.* 11, 37. boves cornu minaci. [*Praeferenda est vulgata lectio *minaces*. V. *Jahn.* ad h. l.] *Id. Amor.* 3, 13, 15. Et vituli nondum metuenda fronte minaces. *Virg. G.* 3, 77. fluvios tentare minaces. *Liv.* 4, 52. Pestilentia coorta minacior, quam perniciosior. *Suet. Cal.* 51. Adversus Barbaros minacissimus. [*Plin. Pan.* 56, 7. minaces ripae, i. e. in quibus hostes proelia minantes. ℙ Confund. saepissime *minaces, minantes, manantes, natantes*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 26.]

MINCĬĀDES, ae, m. Virgilius, a Mincio agri Mantuani fluvio. *Juvenc.* 1, 10. Illos Minciadae celebrat dulcedo Maronis.

MINCĬUS, ii, m. *Mincio*, fluvius Cenomanorum ex lacu Benaco oriens, Mantuam alluens, et in Padum influens. *Virg. G.* 3, 15., *Plin.* 2, 103, 106.

MINCTĬO, onis, f. actus mingendi. *Veg. Vet.* 1, 50. et *ib.* 3, 15.

MINCTŪRĂ, ae, f. minctio. *Veg. Vet.* 1, 33., ubi al. leg. *mictura*.

MĪNĔO, es, ui, n. 2. promineo, immineo. *Lucr.* 6, 561. Ad coelumque magis quanto sunt edita quaeque, Inclinata minent in eandem prodita partem. V. MINAE.

MĪNERRĪMUS, pro minimus, ap. veteres. *Fest.*

MĪNERVĂ, ae, f. *Ἀθηναία, Ἀθηνᾶ*, Dea ingeniorum et disciplinarum praeses, alio nomine Pallas. *Arnob.* 3, 118. scripsit, alios dixisse, Minervam esse summum aetherem, nonnullos Memoriam, inde nomen Minerva formatum esse, quasi quaedam Meminerva. Etymon hoc firmat, quod alii matrem ejus Memoriam faciunt. *Paulus* duo etyma adducit ex *Festo*, his verbis: Minerva dicta, quod bene moneat. Hanc enim pagani pro Sapientia ponebant. *Cornificius* vero, quod fingatur pingaturque minitans armis, eandem dictam putat. Ap. *Cic. N. D.* 3, 24. aliud quoque etymon legas. Sic enim inquit: Minerva, quia minuit, aut quia minatur. *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 2. p. 162. *ed. Mediol.* deducit a *μένος*, animi ardor, impetus animi concitati. Hinc in quibusdam monumentis veterum legitur *Menerva*. ℙ Poetae fabulantur, natam esse ex cerebro Jovis primi. Jovi febricitanti Vulcanum se-

curi cerebrum percussisse, inde Minervam exiisse. Quo commento significare volunt, litterarum disciplinas humani ingenii non esse inventum, sed ex Jovis cerebro, h. e. ex inexhausto divinae sapientiae fonte ad hominum usum esse depromptas. ℙ Haec prima olei, et lanificii inventrix creditur exstitisse: ob quae erga humanum genus beneficia divinos honores meruit. Hinc et pro ipso lanificio ponitur. Sapientiae, ut diximus, et bonarum omnium artium Dea habita est. Principem etiam et inventricem belli fuisse ferunt. *Cic. N. D.* 3, 21. ubi *c.* 23. Minervae quinque numerantur: prima, quam Apollinis matrem dicunt: secunda orta Nilo, quam Aegyptii Saitae colunt: tertia illa, quam Jove generatam supra diximus: quarta Jove (secundo) nata, et Coryphe Oceani filia, quam Arcades Coriam nominant, et quadrigarum inventricem ferunt: quinta Pallantis (al. Pallenis), quae patrem dicitur interemisse virginitatem suam violare conantem, cui pinnarum talaria affigunt. Hactenus *Cicero*. Secundum quosdam filia fuit Neptuni, et Tritonidos Africae paludis. *Sil.* 9, 297. V. ALUMNA. ℙ Tibiarum etiam inventrix fuit: sed cum buccas deformiter inflari in fonte conspiceret, abjecit, et satyris reliquit, ut est ap. *Ov. Fast.* 6, 697. et sqq. ℙ *Pingui*, seu *crassa Minerva aliquid facere* est simplicius, rudius, vel indoctius. *Hor. Sat.* 2, 2, 3. Rusticus crassa Minerva. [*V. *Heindf.*] *Colum. praef. l.* 1. *f.* Potest enim nec subtilissima, nec rursum (quod ajunt) pingui Minerva res agrestis administrari. ℙ *Invita Minerva aliquid facere*, idem est, quod repugnante ingenio, vel repugnante natura. *Hor. A. P.* 385. Tu nihil invita dices, facies-ve Minerva. *Cic. Off.* 1, 31. Ex quo magis emergit, quale sit decorum illud, ideo quia nihil decet invita, ut ajunt, Minerva, idest adversante et repugnante natura. ℙ *Sus Minervam*, subaudi *docet* vel *monet*, tritissimum proverbium. V. SUS. ℙ *Omnis Minervae homo*, h. e. valde ingeniosus. *Petr. fr. Trag.* 43. *Burm.* ℙ Metonymice est lanificium, quod ab ea inventum esse dicitur. *Virg. A.* 8, 409. tolerare colo vitam, tenuique Minerva. *Ov. Met.* 4, 32. solae Minyeides intus, Intempestiva turbantes festa Minerva, Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant. ℙ Minervae Medicae, *h. e.* medicinae, et bonae valetudinis praesidis, Ἀθηνᾶς Ὑγιείας, aedes fuit Romae in regione quinta. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 81. Cn. Vergilius Epaphroditus magister odorarius a Minerva Medica; et *n.* 98. P. Lucretius Primigenius flaturarius a M. M. fecit sibi, etc. Adde ap. *Grut.* 1067, 3. ℙ Illa duo M. M. possunt etiam legi *Minervae memori*, ut expresse habentur ap. *eund.* 81, 9. et 1067, 4. et ap. *Mur.* 53, 14 et 15. et 54, 1 et 2. et 1981, 12. Sunt autem hi Lapides omnes votivi, et fere circa Placentiam inventi.

MĬNERVAL, alis, n. διδακτρον, merces, quae a discipulis magistris persolvebatur, vel, ut *Vossio* minus recte placet, gratuitum munusculum, quo aliquis se in discipulum tradens novo commendabat magistro: a *Minerva* praeside ingeniorum et disciplinarum, cujus imago in scholis poni solebat. Ex *Hor. Sat.* 1, 6, 75. apparet, minerval datum fuisse magistris singulo mense Idibus. *Varr. R. R.* 3, 2. Quin simul ac promiseris minerval, incipiam, inquit. Adde *Tert. Idol.* 10., ubi quidam leg. *Minervale* in recto casu. V. MINERVALIS.

[MĬNERVĀLĬCĬUM, ii, n. videtur esse idem ac Minerval. *Gloss. Philox.* Minervalicium, συνταικόν. *F.*]

MĬNERVĀLIS, e, adj. ad Minervam pertinens. *Tert. Spect.* 11. *f.* Minervales artes. [*Hieron.* in *ep. ad* 3. *Ephes.* 6, 4. Et quod virgo, vel vidua, vel quilibet pauper obtulerat, hoc calendariam strenam, et Saturnaliciam sportulam, et Minervale munus grammaticus et orator aut in sumptus domesticos, aut in templi stipes, aut in sordida scorta convertit. V. MINERVAL. ℙ *Magister Minervalis* videtur fuisse primus collegii in Minervae honorem instituti. *Inscr.* ap. *Mur.* 190, 5. et 6. *F.*] ℙ *Minervalia*, *ium*, festa Minervae. *Sergius in Donati edit.* 2, 1846.

[MĬNERVĪNUS, a, um, adj. idem ac Minervius. Est nomen proprium servile. *Inscr.* ap. *Mur.* 479, 1. Minervinus *(servus)* fugitivus Italici militis. *F.*]

MĬNERVĬUS, a, um, adj. ad Minervam pertinens. Hinc Athenienses *Minervii* dicuntur, quod Athenis Minervae templum fuit, ejusque artes mire colebantur, *Arnob.* 5, 175. Et *Minervium* dictum fuit ipsum templum, *Id.* 6, 193. *Fest.* quoque in *Axamenta* docet, versus in honorem Minervae compositos *Minervios* appellari. Denique *Minervium nomen* ap. *eund. Arnob.* 4, 137. est ipsum Minervae nomen. ℙ *Minervia legio*, quam in honorem Minervae instituisse putatur Domitianus Aug., qui, teste *Suet. Dom.* 15., ipsam superstitiose colebat. *Inscr.* ap. *Grut.* 348, 1. L. Aemilio L. F. Pap. Arcano Trib. Mil. Leg. 1. Minerv. Adde 354, 6., 391, 4. et al. ℙ *Minervium*, *ii*, n. fuit urbs Campaniae prope promontorium Athenaeum. *Vell.* 1, 15. Cassio Longino, et Sex. Calvino Coss. Fabreteria deducta est, post annum Sylacium, Minervium, Tarentum. *F.*]

MINGO, is, inxi, et ixi, inctum, et ictum, a. 3. urinam facio, mejo, οὐρέω. *Hor. Sat.* 1, 8, 38. in me veniant mictum atque cacatum. *Id. A. P.* 471. Minxerit in patrios cineres. *Mart.* 3, 78. Minxisti currente semel, Pauline, carina, Mejere vis iterum? jam Palinurus eris. *C. Titius* ap. *Macr. Sat.* 2, 12. Judex testes poscit: ipsus it mictum. Al. leg. *minctum.* [*Inscr.* ap. *Fabr.* p. 110. *n.* 270. Qui hic mixerit, aut cacarit, habeat Deos superos et inferos iratos. ℙ Obscena metaphora est semen emittere, *h. e.* feminam stuprare. *Catull.* 67, 30. Qui ipse sui gnati minxerit in gremium, *h. e.* nurum suam constuprarit. V. IMMEJO. *F.*] ℙ Hactenus in praeteritis tantum: in aliis enim modis barbarum quidam esse voluerunt, et *mejo* pro eo usurpari; quod praecipue probat locus *Mart.* allatus: item composita, *circummingo*, *commingo*, *permingo*, quae in praeterito solum ab *Hor.*, *Catull.* et *Petr.* adhibentur. Habent tamen posterioris aevi scriptores. *Vopisc. Bonos.* 14. *extr.* Ut quantum bibisset, tantum mingeret. *Ammian.* 23, 6. *med.* Nec stando mingens. *Veg. Vet.* 1, 33. Naturam mincturo similis demittet ad terram. Adde *eund. ib.* 3, 12 et 15. Quin et *Celsum* ipsum, cujus verba sunt 4, 20. *f.* At cum urina super potionum modum mingitur, et jam sine dolore profluens maciem et periculum facit. Verum in Edit. Florent. 1478. quae princeps habetur, et in Plantiniana apud Oporinum 1552., et R. Constantini apud Rovill. 1566., quas consului, ita legitur: At cum urina super potionum modum, etiam sine dolore profluens, etc. [Atque ita edidit *Targa. F.*] [*Ruddim. haud recte *mingo* barbaris annumerari docet, quum *vett. Gram. Diom.*, *Prisc.* et *Eutyches* vocis latinitatem agnoscant.]

MĬNĬĂCĔUS, a, um, adj. μιλτώδης, qui est ex minio. *Vitr.* 7, 9. Si voluerit expolitionem miniaceam suum colorem retinere. *Id. ib.* 4. *med.* Miniacei cunei. Legitur et *miniaceus.*

MĬNĬĀNUS Juppiter dictus est, cujus statua minio illita erat. *Cic. Fam.* 9, 16. *f.* V. MINIO, as, et MINIUM.

MĬNĬĀRĬUS, a, um, adj. ad minium pertinens, ut Miniarium metallum ap. *Plin.* 37, 7, 40. ℙ Mĭnĭārĭa, ae, f. absolute est minii fodina. *Id. ib.* Sisaponensibus in Hispania Baetica miniariis suae venae arena sine argento excoquitur auri modo. [*Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 2044, 3. et emendata ap. *Fea Viagg. ad Ostia* p. 42. Vettia D. liberta Erotice Miniarii Atimeti *(uxor)*, C. Miniarius Atimetus procu*rator* sociorum miniariarum, etc. Unde apparet, Atimetum, quod manumissus fuerat a sociis miniariarum, *h. e.* a publicanorum societate, quae Romae in suis officinis minium in Hispania effossum perficiendum curabat, ut constat ex *Plin. l. c.* et *Vitr.* 7, 9., ideo nomen gentilicium *Miniarii* sibi adscivisse, quemadmodum qui a municipio aliquo manumittebatur, indidem nomen accipere solebat. V. AMITERNUM.

[MĬNĬASTRUM, i, n. minium non omnino defaecatum. *Not. Tir.* p. 160. Miniastrum, miniolum. *F.*]

MĬNĬĀTŪLUS, a, um, dimin. miniati. *Cic. Att.* 16, 11. Cerulas enim tuas miniatulas illas pertimescebam. V. v. sq.

MĬNĬĀTUS, a, um, part. a *minio*, minio tinctus, ruber. *Plin.* 10, 42, 58. de psittaco: India hanc avem mittit, viridem toto corpore, torque tantum miniato in vertice distinctam. ℙ Hinc *cera miniata*, vel *miniatula*, erat cera rubra, qua notabant, quae minus probarent, et corrigi vellent. *Cic. Att.* 15, 14. *extr.* Quae quidem, vereor, ne miniata cerula tua pluribus locis notandae sint.

MĬNĬCĬA. V. MINUCIA.

MĬNĬCŪLĀRĬUS. V. MINUSCULARIUS.

MĬNĬCŪLĀTOR, oris, m. qui minium inducit: legitur ab *Accurs.* ap. *Ulp. Dig.* 38, 1, 7., ubi alii fere omnes *nomenculator.*

MĬNĬMĒ, adv. ἐλάχιστα, minimum, minus quam ceteri: et non tam ad negandum, quam ad maxime minuendum pertinet: continet enim comparationem. *Virg. A.* 6, 96. via prima salutis, Quod minime reris, Graja pandetur ab urbe. *Cic. Brut.* 57. Mihi placebat Pomponius maxime, vel dicam, minime displicebat. *Id. Fam.* 14, 13. Quod in miserrimis rebus minime miserum putabis, id facies. *Id. Or.* 3, 79. Est id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam. *Sall. Cat.* 50. *med.* In maxuma fortuna minuma licentia est: neque studere, neque odisse, sed minume irasci decet. *Ter. Eun.* 2, 3, 39. Illum, liquet mihi dejerare, his mensibus Sex septem prorsum non vidisse proximis, Nisi nunc, cum minime vellem, minimeque opus. *Sen. Ben.* 1, 2. Nullius rei, minime beneficiorum, honesta largitio est. *Cic. N. D.* 1, 3. Cum minime videbamur, tum maxime philosophabamur. *Id. Or.* 66. Nihil tam debet esse numerosum, quam hoc, quod minime apparet, et valet plurimum. ℙ Cum genitivo *omnium*. *Cic. Rosc. Am.* 34. Ad te minime omnium pertinebat. ℙ Pro minimum, saltem. [*Cels.* 2, 8. *f.* Is morbus erit longissimus, minimeque annuus. Ita edidit *Targa* ex Mss. edition. antiquis, *Lindenius* habet *minimumque. F.*] *Colum.* 1, 6. Lata bubilia esse oportebit pedes decem, vel minime novem; et 5, 9. *med.* Sed id minime bis anno arari debet. *Id. Arbor.* 16. *med.* Patiere minime duobus mensibus eum tempestatibus verberari. ℙ Saepe ad negandum pertinet, et majorem habet vim, quam non, nequaquam. *Cic. N. D.* 1, 10. Aer, qui natura est maxime frigidus, minime est expers caloris. *Id. Fam.* 13, 1. *f.* Homo minime ambitiosus, minime in rogando molestus. *Ter. Heaut.* 3, 2, 14. Minime miror, Clinia hanc si deperit. *Pl. Most.* 1, 3, 115. Etiamne unguentis ungendam censes? *Sca.* minime feceris. *Caes. B. G.* 1, 1. Minime ad eos mercatores saepe commeant. *Cic. Verr.* 2, 3, 34. In hac quadriremi, propter honorem et gratiam Cleomenis, minime multi remiges et milites deerant. ℙ Additur interdum genitivus *gentium*, quod vim addit negationi. *Paul.* ap. *Fest.* dici putat pro eo, quod est, omnium gentium judicio minime esse faciendum. *Ter. Eun.* 4, 1, 10. Heus, inquit, puer, Pamphilam arcesse: illa exclamat, minime gentium. Adde *Adelph.* 3, 2, 44. ℙ In responsionibus. *Sall. Cat.* 52. Placet igitur eos dimitti, et augeri exercitum Catilinae? minume. *Ter. Ph.* 5, 8, 44. Merito hoc meo videtur factum? *De.* minime gentium. *Id. Hec.* 5, 3, 16. Sed cessas? *Par.* minime equidem. *Cic. Tusc.* 1, 6. An tu haec non credis? *A.* minime vero. *Id. Att.* 8, 9. Num igitur peccamus? minime vos quidem. *Pl. Trin.* 3, 3, 21. Ut ego adolescenti thesaurum indicem Indomito, pleno amoris ac lasciviae? Minime minime hercle vero.

MĬNĬMŌPĔRĔ, adv. ut maximopere. *Licin.* ap. *Prisc.* Non minimopere milites quietes volebant esse. Ita lexicographi: sed legendum *non minimo opere*, ut *Prisc.* refert 6, 704. h. e. magnopere volebant.

MĬNĬMUS, a, um, adj. superlat. a *minor*: ἐλάχιστος, is, quo minor nemo est alius. *Cic. Acad.* 1, 7. Cum sit nihil omnino in rerum natura minimum, quod dividi nequeat. *Id. Or.* 1, 37. Minimae tenuissimaeque res. *Caes. B. G.* 1, 8. Vadis Rhodani, qua minima altitudo fluminis erat. *Id. B. C.* 1, 70. Minima pars temporis. *Hor. Sat.* 1, 3, 68. vitiis nemo sine nascitur: optimus ille est, Qui minimis urgetur. *Pl. Rud.* 3, 4, 15. et *Plin.* 11, 45, 103. Minimus digitus. *Cic. Or.* 2, 14. Minimus natu horum omnium Timaeus, *h. e.* post hos omnes natus, recentior. *Id. Cluent.* 38. Ex his omnibus natu minimus P. Saturius. *Sen. Hippol.* 201. de Cupidine: Regnumque tantum minimus e Superis habet. Est qui leg. *in superis. Just.* 42, 5. Obsidem Caesari minimum filium Phraatis ferens. *Pl. Aul.* 2, 8, 14. Quam minimo sumptu filiam ut nuptum darem; et *Epid.* 2, 2, 110. Quanti emi potest minimo (*h. e.* pretio)? *Epid.* Ad quadraginta fortasse eam posse emi minimo minas. *Id. Ps.* 1, 3, 35. Aliquem minimi facere. *Id. Men.* 3, 2, 23. homo pessime, et nequissime, Flagitium hominis, subdole, ac minimi pretii. *Plin.* 11, 2, 1, Rerum natura nusquam magis, quam in minimis, tota est. ℙ Cum ablat. *Colum.* 8, 3. Tres exstruuntur cellae, etc. detur unus omnino aditus cellae mediae, quae ipsa tribus minima esse debet. ℙ *Minima de malis*, proverb. e duobus malis minus eligendum: e multis malis minimum. *Cic. Off.* 3, 29. [*τὰ ἐλάχιστα ληπτέον τῶν κακῶν.] ℙ Absolute. *Id. Amic.* 13. Ut quisque minimum firmitatis habeat, minimumque virium, ita amicitias appetere maxime. *Colum.* 11, 3. *med.* Stercus asini minimum herbarum creat. [*Liv. 44, 5. Minimum pedibus itineris confectum; cf. 27, 15.] *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Praemia apud me minimum valent. *Plin. ep.* 3, 5. Post solem frigida lavabatur: deinde gustabat, dormiebatque minimum. *Hor. Ep.* 2, 1, 72. Minimum distare; et *Od.* 1, 11, 8. Quam minimum credulus. *Plin.* 18, 16, 43. Medica secatur sexies per annos: cum minimum, quater. *Apul. Met.* 1. Minimo minus interii, *h. e.* haud multum abfuit, quin morerer. [*Liv. 6, 41. ut nihil, ne pro minimis quidem debeant: ubi v. *Bauer.* p. 250. ℙ *Minimus* cum negatione conjunctum ponitur saepissime pro *maximus*. Huc pertinet locus, quem Noster inter reliquos laudaverat, *Nep. Dion.* 1. Habuit magnam corporis dignitatem, quae non minimum commendat, i. e. maximopere. Similis locus est *Liv.* 33, 6. equestre proelium fuit: in quo non minimum Aetolorum opera regii fugati: quam lectionem bene defendit *Goell.* p. 83. contra *Gron.* qui legendum censuit *non minima*. Adde *Suet. Aug.* 25. non minimo discrimine, i. e. maximo; et 67. res non minimi periculi. ℙ *Minimo provocare* ap. *Hor. Sat.* 1, 4, 14. Crispinus minimo (sc. pretio) me provocat: pertinet ad eos, qui in responsione plus ipsi promittunt, quam exigunt ab adversario. Ita *Schol. Acron.* a *Fabr.* ed. prob. *Heindf.* Aliter *Schol. Porph.* et *Cruq.* itemque *Acr.* Minimo digito solent provocare qui volunt ostendere, plus esse virium in suo digito minimo, quam in alterius toto corpore. — *Bentl. nummo* leg. jubet. Utrumque refutavit *Heindf.* q. v.] ℙ *Minimum* pro saltem. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Ita fiunt omnes partes minimum octoginta et una; et *ib.* 3, 3. Harum singula genera minimum in binas species dividi possunt. *Cels.* 2, 8. *f.* Morbus erit longissimus, minimumque annuus. [*Quint. *Inst.* 5, 10, 5. qua significatur certa quaedam sententiae comprehensio,

quae ex tribus minimum partibus constat: ubi v. *Spald.*] V. MINIME. ℙ Sup. *Minimissimus* habet *Arnob.* 5, 160. et 166. Digitorum minimissimus. Sic Graeci a superlat. *ἐλάχιστος* formant comparat. *ἐλαχιστότερος*. ℙ *Minumus* antiquiores dixere.

MĬNĬO, as, a. 1. *μιλτόω*, minio tingo. *Plin.* 33, 7, 39. A censoribus in primis Jovem miniandum locari. *Id.* 35, 12, 45. Fictilem Jovem fuisse, ideoque miniari solitum.

MĪNĬO, onis, m. *Mugnone*, fluvius Etruriae parvus. *Virg. A.* 10, 183. Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis. Adde *Rutil. Itin.* 1, 279. ℙ *Item oppidi nomen ad ripam fluminis siti. *Mela* 2, 4. *f.* Utra Pyrgi, Minio, Castrum novum, Graviscae, etc. ℙ Potest autem fluvius esse supradictus; quanquam obstare videntur comitantia oppidorum nomina. *B. A.*

[MĬNĬOLUM, i, n. dimin. minii. V. MINIASTRUM. *F.*]

MĬNĬSCĬTUR pro reminiscitur, antiquitus dicebatur. *Festus.*

MĬNĬSTER, tri, m. *ὑπηρέτης*, homo liber, aut servus, qui alteri inservit, famulus, administer. [*Proprie est adjectivum: v. locos, quos Noster in f. laudavit.] Quidam volunt esse a *manus*, *a* in *i* verso, ut in *cominus*, *eminus*. *Cels.* 7, 16. Minister oras vulneris leniter diducere debet: medicus intestina condere. *Petr. Sat.* 123. non arma ministris, Non regimen prodest, *h. e.* nautis. *Virg. A.* 1, 709. Centum aliae *(famulae)*, totidemque pares aetate ministri. *Val. Fl.* 5, 694. et *Mart.* 12, 15. Minister Phrygius, *h. e.* Ganymedes pincerna Jovis. *Catull.* 27, 1. Minister veteris, puer, Falerni, Inger mi calices amariores, *h. e.* servus a cyatho. V. MINISTRATOR. ℙ Saepe dicitur de eo, qui in sacris inservit. [*Plerumque fere i. q. popae.] *Virg. G.* 3, 486. medio stans hostia ad aras, Inter cunctantes cecidit moribunda ministros. *Cic. Cluent.* 15. Martiales quidam Larini appellabantur, miñistri publici Martis. *Ov. Fast.* 1, 319. Nominis esse potes succinctus causa minister, Hostia coelitibus quo feriente cadit. *Stat. Silv.* 3, 1, 86. *ministrum* dixit in genit. multitudinis. ℙ De iis, qui summo magistratui inserviunt in administranda republica. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 3. Est circumspiciendum diligenter, ut in hac custodia provinciae non te unum, sed omnes ministros imperii tui, sociis et civibus et reipubl. praestare videare, *h. e.* legatos, quaestorem, accensos, lictores, etc. *Just.* 16, 1. Minister regni. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 45. Apud Graecos infimi homines, mercedula adducti, ministros se praebent in judiciis oratoribus, ii, qui apud illos *πραγματικοὶ* vocantur. *Id. Cluent.* 53. Legum ministri, magistratus: legum interpretes, judices. *Plin. ep.* 6, 9. Ego precum tuarum minister, adjutor, particeps ero. *Virg. A.* 2, 100. Nec requievit enim, donec Calchante ministro, etc. *h. e.* opera Calchantis. *Tac. H.* 2, 99. Minister sermonum. [*Nostr. *Mittelsperson, Unterhändler.* Simili fere modo dictum est ap. *Liv.* 33, 28. Totius internuntius et minister rei.] *Vell.* 2, 129. Consiliorum suorum ministro et adjutore usus Druso filio suo. [**Liv.* 34, 60. Hannibale ministro, i. e. consilia ad bellum parandum subministrante.] *Hor. Od.* 4, 4, 1. Ales minister fulminis, *h. e.* aquila. ℙ [*Ita saepissime in malam partem dicitur. Huc primum pertinet *Sall. Jug.* 29. Iidem illi ministri regis interpellando, interdum jurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant, quem locum recte quidem explicatum: *cives R. pecunia regis corrupti*, iis tamen supra exemplis adscripserat, ubi *minister* de iis dictum est, qui summo magistratui inserviunt in administranda republica. Porro *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Neque respublica consules haberet, sed mercatores provinciarum, et seditionum servos ac ministros; et *Verr.* 2, 3, 8. *f.* Ministri ac satellites cupiditatum; et *Amic.* 10. Ministri libidinis, aut adjutores ad injuriam; et *Cluent.* 22. Ministrum esse in maleficio. *Lucr.* 3, 61. Socios scelerum atque ministros. Adde *Cic. Off.* 2, 15. An tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et praebitorem sperent fore? — His verbis accusat Alexandrum filium Philippus, quod largitione benevolentiam Macedonum consectaretur; et *Vell.* 2, 33, 1. Minister alienae potentiae, i. q. alias satellites; et 83, 1. auctor et minister obscoenissimarum rerum; et 41, 2. Ministri Sullae, sc. dominationis. *Liv.* 3, 57. Minister cubiculi, i. q. paulo ante *minister libidinis*; et 24, 25. Non ferme desunt irarum indulgentes ministri, qui etc.] ℙ De rebus inanimis: et usurpatur etiam adjective. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 4. Si annulus tuus non minister alienae voluntatis, sed testis tuae. *Ov. Ib.* 261. trepidusque ministro Praetentes baculo, luminis orbus, iter. *Lucr.* 5, 298. Taedae, ardore ministro, suppeditant novum lumen. *Ov. Her.* 21, 114. Lumina propositi facta ministra tui.

[MĬNĬSTĔRĬĀRĬUS, a, um, adj. ad ministerium pertinens. *Gloss. Philox.* Ministeriarius, *ὑπηρετικός*. *F.*]

MĬNĬSTĔRĬUM, ii, n. *ὑπηρεσία*, opera et munus ministri, et famuli. *Sen. Ben.* 3, 18. Sunt qui ita distinguant: quaedam beneficia sse, quaedam officia, quaedam ministeria: beneficium esse, quod alienus det: officium esse filii, uxoris, etc.: ministerium esse servi, quem conditio sua eo loco posuit, ut nihil eorum, quae praestat, imputet superiori. *Id. ep.* 47. *med.* Servos non ministeriis aestimabo, sed moribus. *Just.* 2, 13. Carere omni servorum ministerio. *Hor. Ep.* 2, 2, 6. Verna ministeriis ad nutus aptus heriles. *Just.* 32, 3. *extr.* Ministerium facere alicui. Sic *Paul. Dig.* 13, 5, 15. praestare cuipiam; et *Papin. ib.* 50, 1, 17. exhibere. [**Quint. Decl.* 301. p. 583. quod in ministerio fuerit filia mea, i. e. ministraverit.] *Plin.* 8, 18, 26. Cameli jumentorum ministeriis dorso funguntur. *Id.* 10, 71, 91. Ministerium pedum. ℙ Universim est opera, munus, officium quodcumque. *Just.* 31, 5. Ministerium consilii sui offerre. *Plin.* 16, 43, 84. Sunt vero et parvi usus fabrilium ministeriorum insignes. *Ov. Met.* 11, 624. Somne, quies rerum ..... qui corda diurnis Fessa ministeriis mulces. *Petr. Sat.* 108. Gubernatore, relicturum se navis ministerium, denunciante. *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 9, 863. Implicatae rates ministeria prohibebant. *Cels.* 8, 4. In eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur, *h. e.* arte medendi. *Petr. Sat.* 118. Ministeriis forensibus exercitati. *Virg. A.* 6, 222. pars ingenti subiere feretro, Triste ministerium. ℙ [*Dicitur etiam in malam partem. Exempla haec sunto! *Ulp. Dig.* 47, 2, 51. Ministerium atque adjutorium ad surripiendas res praebere. *Suet. Cal.* 2. Germanicus Caesar obiit fraude Tiberii, ministerio et opera Pisonis; haec Noster laudaverat. Adde *Suet. Tib.* 55. Cujus ministerio ac fraudibus. *Liv.* 42, 15. Assuetos ministeriis talium facinorum.] ℙ De publicis muneribus, et officiis. *Virg. A.* 7, 618. Abstinuit tactu pater *(Latinus rex)* aversusque refugit Foeda ministeria, *h. e.* aperiendi Jani, bellique indicendi. *Tac. A.* 3, 48. Quirinius impiger militiae, et acribus ministeriis consulatum adeptus; et *ib.* 2, 78. Haud ignavus ad ministeria belli juvenis. *Id. H.* 1, 58. Ministeria principatus per libertos agi solita, in equites R. disponit. *Vell.* 2, 38. Cyprus ministerio Catonis facta provincia est. *Id.* 2, 116. In Germania, Illyrico, Africa splendidissimis defunctus ministeriis. [**Quint. Decl.* 1, 7. p. 12. Et frigescunt impetus mentium, quos non explicant ministeria membrorum.] ℙ Interdum sumitur pro ministris, sicut *servitium* pro servis. *Plin.* 12, 1, 5. Quindecim convivarum, ac ministerii capax triclinium. *Plin. alter ep.* 10, 36. Ex his *(militibus)* sicut inveneram, in ministerio ejus relinquendos existimavi. *Marcell. Dig.* 32, 67. P. Maevio omnes juvenes, quos in ministerio habeo, dari volo. *Tac. A.* 13, 27. Ministeria magistratibus et sacerdotibus conscribere, *h. e.* lictores, viatores, praecones, calatores, etc.; et *H.* 2, 59. Circumdare principi ministeria. [**Suet. Ner.* 12. Confectores ferarum et varia arenae ministeria. V. *Graev.* ad h. l. et *Oudendorp.*] *Lampr. Alex. Sev.* 41. Aulicum ministerium in id contraxit, ut essent tot homines in singulis officiis, quot necessitas postularet. [*Ita saepissime ap. *Quint.* in *Decl.* V. *Burm.* in *Ind.* ad *Quint.* Adde *Curt.* 9, 4, 10. subducere nautae vela coeperunt. Sed ministeria eorum hinc metu, hinc praerapida celeritate fluminum occupantur.] ℙ Interdum pro vasis escariis, et potoriis, quibus in mensa ministratur. *Lampr. Alex. Sev.* 34. Ducentarum librarum argenti pondus ministerium ejus nunquam transiit. *Paul. Sentent.* 3, 7. *f.* Vasis argenteis continentur tam potoria, quam escaria: item ministeria debebuntur, veluti urceoli, patinae, lances, calices, scyphi, trullae, etc.

MĬNĬSTRA, ae, f. *θεράπαινα, ὑπηρέτις*, famula, administra. *Ov. A. Am.* 3, 370. Accipiat missas apta ministra notas. [**Prop.* 3, 6, 15. et tristes sua pensa ministrae Carpebant.] ℙ De inservientibus in sacris. *Ov. Fast.* 3, 47. Ara Deae certe tremuit, pariente ministra, *h. e.* Silvia Vestali. Adde *ib.* 6, 283. et 441. Et de antiquis Christianorum Diaconissis, *Plin. ep.* 10, 98. *med.* Quo magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri, et per tormenta quaerere. V. si lubet *Cod. Just.* 1, 3, 20. ℙ De administris in publicis muneribus. *Virg. A.* 11, 655. At circum lectae comites Larinaque virgo, Tullaque, et aeratam quatiens Tarpeja securem, Italides: quas ipsa decus sibi dia Camilla Delegit, pacisque bonas, bellique ministras. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 17. Artes comites et ministrae oratoris. *Id. Tusc.* 1, 31. Res familiaris ministra et famula corporis. *Id. N. D.* 2, 60. Quam aptas, quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! *Ov. Trist.* 3, 7, 2. Littera, sermonis fida ministra mei. *Varr. R. R.* 1, 13. Cohors exterior, crebro operta stramentis, ac palea, occulcata pedibus pecudum, fit ministra fundo, ex ea quod evehatur, *h. e.* fimum stercorando suppeditat. ℙ [*In malam partem dicitur *ministra* his locis: *Cic. Fin.* 2, 12. Virtutes voluptatum satellites et ministras esse voluisti. *Id. Coel.* 21. Hinc facinori tanto tua mens liberalis, conscia; tua domus popularis, ministra; tua denique hospitalis illa Venus, adjutrix esse non debuit. *Ov. Amor.* 1, 7, 27. manus caedis scelerumque ministrae. *Just.* 17, 1. Filium suum perosus, ministra Arsinoe noverca, veneno interfecit.]

MĬNĬSTRĀTĬO, onis, f. actus ministrandi. *Vitr.* 6, 9. Torcular proximum sit culinae. Ita enim ad olearios fructus commoda erit ministratio.

MĬNĬSTRĀTOR, oris, m. *διάκονος*, idem quod minister. *Sen. ep.* 95. *med.* Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos, signo dato, ad inferendam coenam discurritur. *Suet. Vit.* 17. Alterum femur subdebile, impulsu olim quadrigae, cum auriganti Cajo ministratorem exhiberet. *Petr. Sat.* 31. Vinum dominicum ministratoris gratia est. Hoc sensu *Inscr.* ap. *Grut.* 601, 5. Paris Imp. Domitiani ser. ministrator. *Minister* dicitur ab *Hor. Od.* 1, 38, 6., *Catull.*, *Val. Fl.* et *Mart.* V. MINISTER. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. ant.* p. 91. Coelo aeterno, Terrae matri, Mercurio ministratori sacrum, etc. ℙ Speciatim dicitur de eo, qui oratori adest in causis, et subservit, ut patronus, advocatus, jurisperitus: de quibus *Cic. Or.* 1, 45. et 59. *f.* verba facit. *Id. ib.* 2, 75. *med.* Cum te ipsum, Sulpici, objurgabam, quod ministratorem peteres, non adversarium. *Id. Fl.* 22. Cum quidem hic mihi Maeandrius quasi ministrator aderat, subjiciens, quid in suos cives civitatemque, si vellem, dicerem.

MĬNĬSTRĀTORĬUS, a, um, adj. *ὑπηρετικὸς*, ad ministrationem pertinens. *Mart.* 14, 105. in lemmate: Ministratorii urceoli, V. locum *Pauli JCti* in MINISTERIUM.

MĬNĬSTRATRIX, icis, f. idem quod ministra. *Cic. Or.* 1, 17. Sed ut omnes comites ac ministratrices oratoris esse diceres. Ita legit *Non.* 2, 567. Alii *ministras*. [*Ita *Orell.* qui tamen *ministratrices* non improbat.]

MĬNĬSTRĀTUS, a, um, part. a *ministro:* ministrando praebitus. *Sen. Tranq.* 1. Placet cibus non ante multos imperatus dies, nec multorum manibus ministratus.

[MĬNĬSTRIX, icis, f. ministra. *Gloss. Philox.* Ministrix, *ὑπηρέτις*. *F.*]

MĬNĬSTRO, as, avi, atum, a. 1. *ὑπηρετέω*, ministerium exhibeo, inservio, serviendo praebeo, porrigo: et saepe de iis dicitur, qui convivis inserviunt. *Cic. Fam.* 16, 14. Acastum retine, quo commodius tibi ministretur. *Pl. Stich.* 5, 4, 7. Nosmet inter nos ministremus. *Tac. A.* 2, 33. Vasa auro solida ministrandis cibis facere. *Cic. Pis.* 27. *f.* Exstructa mensa multa carne subrancida: servi sordidati ministrant, etc. Graeci stipati, quini in lectulis: ipse solus, bibiturus quae eodem de solio ministrentur. *Id. N. D.* 1, 40. Ganymedes pocula ministrans. *Id. Verr.* 2, 3, 44. Cum in eis conviviis symphonia caneret, maximisque poculis ministraretur. *Hor. Sat.* 1, 6, 116. Coena ministratur pueris tribus. *Tac. H.* 1, 48. Ministrare alicui fictilibus. *Suet. Aug.* 45. Ut Stephanionem togatarium, cui in puerilem habitum circumtonsam matronam ministrasse compererat, per trina theatra virgis caesum relegaverit. Nam ex *Quint. Decl.* 301. constat, Romae puellas praecipue ingenuas ministrare in convivio solitas non fuisse, sed pueros, et quidem servos. *Ov. Her.* 20, 133. Me miserum! quod non medicorum jussa ministro, *h. e.* capesso, exsequor. ℙ Passive, serviri. *Colum.* 12, 1. *f.* Si quis ex familia coeperit adversa valetudine affici, videndum erit, ut is quam commodissime ministretur. *Pl. fr.* ap. *Non.* 2, 541. Boni ministrantur, illum nunc irrident mali. Al. hic aliter leg. *Sen.* dixit *Tranq.* 9. Paucioribus servis serviri. ℙ Saepissime ponitur pro praebere, dare, suppeditare. *Varr. R. R.* 3, 17. Ministrare victum alicui. *Tac. H.* 4, 12. viros et arma alicui. *Virg. A.* 9, 764. Juno vires animumque ministrat. *Id. ib.* 1, 154. furor arma ministrat; et *ib.* 207. Litore ahena locant alii, flammasque ministrant, *h. e.* subjiciunt. *Val. Fl.* 6, 216. Equus captiva terga ministrat, *h. e.* praebet insidenda hosti, a quo suus dominus occisus est. *Tibull.* 2, 2, 21. Ministrare prolem, *h. e.* donare, concedere. ℙ [*In malam partem dicitur. *Cic. Pis.* 11. *extr.* Ardentes faces furiis Clodianis paene ipse consul ministrabas. *Tac. H.* 2, 76. Ministrare nova semina bello.] ℙ *Ministrare velis* de gubernatore navis. *Virg. A.* 6, 302. Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat. Ubi *Serv.:* aut per vela; et est septimus: aut velis obsequitur; et est dativus. Sic *ib.* 10, 218. Ipse sedens clavumque regit, velisque ministrat. *Ministrare navem velis* est agere, regere. *Tac. G.* 44. Naves nec velis ministrantur, nec remos in ordinem lateribus adjungunt. *Lips.* mallet *ministrant*, ut esset Virgiliano simile. [*Praeferendum est *ministrantur*. V. *Boettich. Lex. Tac.* s. h. v.] *Val. Fl.* 3, 38. ipse ratem vento, stellisque ministrat. Ex hoc loco prior *Servii* interpretatio firmatur. Eodem modo de auriga *Stat. Th.* 7, 752. Ipse sedens telis, pariterque ministrat habenis. ℙ De rebus inanimis. *Varr. R. R.* 1, 31. Sarmentum colibus succum ministrat; et *ib.* 3, 17. Lympha aquam piscinis ministrat. *Virg. G.* 2,

431. taedas silva alta ministrat; et *ib.* 4, 146. ministrantem platanum potantibus umbras. *Hor. Ep.* 1, 15, 20. vinum verba ministrat. *Prop.* 2, 18, 35. Aspice, uti coelo modo sol, modo luna ministret, *h. e.* lumen afferat; et 3, 14, 15. Luna ministrat equis: demonstrant astra salebras, *h. e.* inservit equis euntibus, praelucendo. Al. pro *equis* leg. *iter.* ℙ Pro administrare, gerere. *Hor. A. P.* 171. de sene: rés omnes timide, gelideque ministrat.

MĪNĪTĂBĬLĬTER, adv. minaciter, ap. veteres. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 546. Minitabiliterque increpare dictis saevis incipit. Adde *Accium ib.*

MĪNĪTĂBUNDUS, a, um, adj. valde minans, plenus minarum. *Liv.* 39, 41. Tum quoque minitabundus petebat. Adde 2, 13.

MĪNĪTĬA. V. MINUCIA.

MĪNĪTO, as, a. 1. idem ac minitor. *Pl. Capt.* 3, 5, 85. Quae minitas mihi. *Id. fr.* ap. *Non.* 7, 51. Quae minitabas te facturum, si istas pepulissem fores? *Naev. ib.* Etiam minitas?

MĪNĪTOR, aris, atus sum, dep. 1. *ἀπειλέω*, saepe, aut valde minor. *Cic. Phil.* 6, 4. Dicitur mortem fratri esse minitatus. *Id. ib.* 11, 14. et *ib.* 13, 21. Huic urbi ferro ignique minitantur. Al. utroque loco (ut et *Cat.* 2, 1.) leg. *ignem ferrumque.* [**Orell. Phil.* 13, 21. et 11, 14. ablativum exhibet. Neque in loco *Cat.* 2, 1. ablat. eidem displicet, cum cdd. aliq. prob. *Oudendorp.* ad *Appul.* T. 1. p. 689. Et videtur *ferro ignique minitari* solemnis esse atque proverbialis quaedam dicendi ratio, idcoque semper ubi codicum auctoritas praevaleat, praeferenda.] *Sall. Cat.* 49. *med.* Ut egredienti ex senatu Caesari gladio minitarentur. *Pl. Curc.* 4, 4, 15. Mihin' malum minitare? *Cap.* atque edepol non minitabor, sed dabo. *Id. Bacch.* 4, 6, 16. etiamne, carnifex, Minitare? *Ov. Met.* 2, 199. de scorpio: Vulnera curvata minitantem cuspide vidit. *Pl. Amph.* 3, 4, 3. Minitari alicui, ni, etc. ℙ Cum infinito praesentis. *Ter. Hec.* 3, 4, 13. Quod nunc minitare facere, *h. e.* affirmas te facturum: et de promissione rei malae dicitur. ℙ Et futuri. *Pl. As.* 3, 3, 2. Cur ergo minitaris tibi te vitam esse amissurum? ℙ *Minitarier* paragoge pro *minitari* est ap. *Pl. Amph.* 3, 4, 3. *Bacch.* 1, 2, 44. etc.

MĪNĬUM, ii, n. *μίλτος*, genus coloris nativi laudatissimi, qui in argenti fodinis invenitur. Arena est, quae cocci colorem habet: ea teritur, dein lavatur farina: et quod subsidit, iterum lavatur. Differentia artis est, quod alii minium faciunt prima lotura: apud alios id est dilutius, sequentis autem loturae optimum. Celeberrimum est, quod in Hispania invenitur, praesertim Sisaponensi regione in Baetica. *Prop.* 2, 2, 21. Ut Maeotica nix minio si certet Ibero. *Just.* 44, 3. scribit, Minium amnem (qui nunc *Minho*, et Callaicos a Bracarensibus dividit) ab hujus coloris copia dictum esse. Ex quo apparet, vocem esse Hispanicam. Unde *Vitr.* 7, 9. *f.* Minium, inquit, et Indicum nominibus ipsis indicant, quibus in locis procreantur. ℙ Est alterum genus minii (quod nunc Itali *minio* dicunt) in omnibus fere argentariis, item plumbariis metallis, quod fit exusto lapide venis permixto. Hoc est secundarium minium, multum infra naturales illas arenas: quo prius illud minium adulteratur. Est et tertium, quod dicunt Syricum. (V. SYRICUS.) Sincero cocci nitor esse debet: secundarii splendor in parietibus sentit uliginem. Qui minium in officinis poliunt, faciem laxis vesicis illigant, ne in respirando pernicialem pulverem (est enim venenum) trahant, et tamen ut per illas spectent. Haec et alia plura *Plin.* 33, 7, 40. V., si lubet, etiam *Vitr.* 7, 8. et 9., ubi rationem docet temperaturae ejus, et quomodo tectoriis parietum inducatur. ℙ Plurimus minii usus est in picturis: praeterea in voluminibus clariores litteras illitum reddit, itemque in auro, et in marmore. Ad haec, Deorum statuas eo inficiebant, quia aetheris colorem refert: item triumphantes corpora, vel manus pingebant, quia Jovis insignia ipso habitu cultuque praeferebant: et rustici minio suffusi Bacchi laudes canebant: quarum rerum omnium testes habes *Plin. l. c.*, *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 6, 22., ipsum *Virg. Ecl.* 10, 27., *Ov. Trist.* 1, 1, 7., *Ar nob.* 6, 196. et *Tibull.* 2, 1, 55. ℙ Si quando usum minii legas in medicina, ut ap. *Cels.* 4, 15. *f.*, 5, 19. *n.* 25. et 6, 6. *n.* 22. terram Lemniam, vel sinopicam rubricam interpretantur. V. SINOPIS.

MĪNĬUS, a, um, adj. qui colorem habet minio similem. *Appul. Met.* 4. Fulgentium rosarum minius color renidebat. *Id. Flor.* 2. *n.* 12. de psittaco: Cervicula ejus circulo minio velut aurea torque, pari fulgoris circumactu cingitur et coronatur. **Minius* habet ed. *Oudend.* Sed *Mineus* reperitur in ed. *Pric.* et *Elmenh.* p. 143, 3. Lectio ed. *Vulcan.* est *niveus. Id. Flor.* 2. *med.* p. 248, 33. *Elmenh.* Enimvero cervicula ejus *(psittaci)* circulo mineo, velut aurea torque cingitur. Sic etiam ed. *Vulcan.* p. 418. *B. A.*

*MĪNĬUS, i, m. *Μίνιος*, fluvius Hispaniae Tarraconensis, in Lusitania, hodie *Minho* dictus. *Mela* 3, 1. *Plin.* 4, 20. et 21. (al. 22.) In posteriore loco *flumen Minium* appellatur. Cf. *Metaurus* itemque *Oceanus* ad f. V. et *Minium. B. A.*

*MINIZUS vel Mnizus, i, opp. Helvetiorum. *Anton. Itin. Cod. Theod.* 9, 45, 3. et 16, 2, 33. ℙ *Mnyzus* audit *Cod. Theod.* 9, 40, 16. *extr. B. A.*

MINNAEI. V. MINAEI.

*MINNIDĬUM, i, n. Helvetiorum opp., hodie *Milden* vel *Mondon. Ant. Itin.* ℙ *Minodum* (Minnodum) audit *Tab. Peut. B. A.*

*MINNIZA, ae, Syriae opp., in Cyrrhestica. *Anton. Itin. B. A.*

[MINNODŪNENSIS, e, adj. ad Minnodunum pertinens, Helvetiae opp., nunc *Moudon*, cujus mentio est in *Itin. Anton.* p. 352. *Inscr.* ap. *Mur.* 1102, 5. Item donavit vicanis Minnodunensibus ☩ DCCCL. *F.*]

MĪNO, as, a. 1. idem quod *minor* apud veteres, teste *Prisc.* 8, 799., sed nullum hujus significationis exemplum afferente. ℙ Posteriori aevo usurpatum est pro agere: unde Italorum *menare:* nam *minas* dicimus etiam voces, quibus bubulci increpant boves, et ad progrediendum hortantur. *Appul. Met.* 3. Asinos, et equum sarcinis onerant, et domo jam vacua, minantes baculis, exigunt; et 8. *f.* Me refertum sarcinis, planis gladiis minantes, etc. *Auson. epigr.* 67. Ageret juvencas cum domum pastor suas, Suam relinquens, me minabat, ut suam. *Paul.* ex *Fest.* in *Agasones:* Agasones equos agentes, idest minantes; et *mox:* Agere modo significat ante se pellere, id est minare. V. MINAE. **Vet. Schol.* in *Juven. sat.* 6, 527. Hanc igitur Io in tantum persecuta est Juno, ut per omnem mundum eam minaret. Quem ad locum *D. A. G. Cramerus:* Optime *Papias: Minare*, ducere, *de loco ad locum promovere.* Saepe ita in antiquissimis LL. German. usurpatur, imo jam ab *Appuleio.* V. *Voss. de Vit.* 4, 13. et *Cangium* h. v. Italis etiamnum *menare* in usu est. *B. A.*

MĪNOIS, idis, f. *Μινωΐς*, Ariadna, filia Minois. *Ov. Met.* 8, 174. Protinus Aegides rapta Minoide Diam Vela dedit. Adde *Her.* 16, 347. et in vocativo *Minoi* ap. *Tibull.* 3, 6, 41. ℙ Item quaecumque femina e familia Minois. *Sen. Hippol.* 127. Nulla Minois levi defuncta amore est. (V. PHAEDRA, ARIADNA, PASIPHAE). *Auson. Idyll. per interr. et resp.* 12, 7. Grex magis, an regnum Minoida sollicitat? *h. e.* Pasiphaen Minois uxorem. ℙ *Minois (insula) dicta est olim Paros, teste *Plin.* 4, 12. *B. A.*

MĪNOĬUS, a, um, adj. *Μινώϊος*, Cretensis: a Minos. *Virg. A.* 6, 14. Daedalus, ut fama est fugiens Minoia regna. *Lucan.* 3, 163. Minoia Creta. *Val. Fl.* 7, 279. et *Ov. Her.* 17, 193. virgo, *h. e.* Ariadna, filia Minois. *Ov. Ib.* 291. fata, *h. e.* Minois mors. V. COCALIDES. *Sil.* 2, 107. tela, *h. e.* sagittae Cretenses. *Id.* 14, 43. turba, *h. e.* Cretensis exercitus. Sic *Val. Fl.* 1, 706. manus. *Prop.* 4, 11, 21. sella, *h. e.* qua utitur Minos judex apud Inferos. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 332. urna, *h. e.* qua Minos suam cuique sedem apud Inferos sortitur. Unde *Virg. A.* 6, 431. Nec vero hae sine sorte datae, sine judice sedes: Quaesitor Minos urnam movet. *Lucan.* 5, 406. curvique tenens Minoia tecta Brundisii, *h. e.* Cretensibus condita.

MĪNOR, aris, atus sum, dep. 1. [*Primum significat eminere, prominere, *wohin ragen, emporragen.* Huc pertinent exempla, quae Noster perperam translatae significationis infra posuerat: *Virg. A.* 1, 166. Hinc atque hinc vastae rupes geminique minantur In coelum scopuli. *Sil.* 4, 2. Nubiferos montes, et saxa minantia coelo. ℙ Item quae excelso cacumine in hanc et illam partem inclinantur, et veluti minantur ruinam. *Virg. A.* 2, 626. Ac veluti summis antiquam in montibus ornum Cum ferro accisam, crebrisque bipennibus instant Eruere agricolae certatim: illa usque minatur, Et tremefacta comam concusso vertice nutat; et *ib.* 237. scandit fatalis machina muros Feta armis, etc. Illa subit, mediaeque minans illabitur urbi. ℙ Hinc translate quae quasi supra caput sunt, instant, imminent. *Sil.* 15, 592. quonam se fine minanti Servitio eripiat. ℙ Tum poterant sequi, quae Noster ab initio posuerat, in quibus *minari* est minas jactare, minis terrere, minitari, Gr. *ἀπειλέω.*] minas jacto, minis terreo, minitor. *Cic. Verr.* 2, 2, 29. *extr.* Iste iratus et gravius minari coepit; et *ib.* 2, 4, 66. *f.* Vehementius minari alicui. *Id. Div.* 2, 17. Quae inconstantia Deorum est, ut primis minentur extis, bene promittant secundis? *Id. Tusc.* 1, 43. Crucem minari alicui. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 237. Torrentes immane fremant, lassisque minentur Pontibus. *Pl. As.* 3, 3, 14. Ab hac minatur sese abire. *Ter. Heaut.* 3, 1, 80. Abiturum se abs te esse illico minabitur. *Cic. Planc.* 40. Cum domus mea ardore suo deflagrationem Urbi atque Italiae toti minabatur. *Virg. A.* 10, 196. de statua Centauri in prora navis: Instat aquae, saxumque undis immane minatur Arduus. Adde similem locum *Prop.* 4, 6, 49. ℙ Urbane est polliceri, parare, prae se ferre, profiteri. *Hor. Ep.* 1, 8, 3. et *Sat.* 2, 3, 9. Atqui vultus erat multa et praeclara minantis. *Phaedr.* 4, 22. Qui magna cum minaris, extricas nihil. *Pl. As.* 3, 3, 14. Ab hac minatur se abire.

MĪNOR, us, oris, adj. comparat. anom. a *parvus: ἐλάττων, μείων.* [*Etymon faciunt ab obsol. *μινύς*, parvus.] *Cic. Top.* 4. *med.* Quod in re majore valet, valeat in minore. *Id. Leg.* 2, 20. Si ea pecunia non minor esset facta. *Hirt. B. Alex.* 30. Id minori numero militum consequi. *Caes. B. G.* 5, 13. Hibernia dimidio minor, quam Britannia. *Liv.* 4, 51. Minus praedae, quam speraverant, fuit. *Id.* 41, 13. *extr.* Sociis dimidio minus, quam civibus datum. *Hor. Ep.* 1, 10, 43. calceus olim Si pede major erit, subvertet; si minor, uret; et *ib.* 106. sapiens uno minor est Jove; et *ib.* 2, 1, 183. numero plures, virtute et honore minores; et *ib.* 1, 12, 27. jus, imperiumque Phraates Caesaris accepit, genibus minor, *h. e.* ad genua Caesaris procumbens, et infra ea se submittens. *Id. A. P.* 189. Neve minor, neu sit quinto productior actu Fabula, *h. e.* neque plures habeat actus, quam quinque, neque pauciores. *Ov. Trist.* 2, 214. Et sunt notitia multa minora tua, *h. e.* leviora, atque adeo indigna, quae a te sciantur. *Id. Pont.* 2, 10, 37. Saepe dies sermone minor fuit, *h. e.* brevior, quia in noctem etiam sermo productus fuit. ℙ Refertur ad pretium. *Cic. Off.* 3, 12. Vendo meum non pluris, quam ceteri, fortasse etiam minoris. *Petr. Sat.* 14. Minoris pallium addicere placuit. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Omnia minoris aestimare. *Sall. Jug.* 37. Fidem suam non minoris, quam publicam ducebat. *Sen. ep.* 18. Quam durus sit fenerator Caecilius, a quo minoris centesimis propinqui nummum movere non possunt. Alludit ad illud *Cic. Att.* 1, 12. Nam a Caecilio propinqui minore centesimis nummum movere non possunt, *h. e.* minore usura, quam centesima. ℙ ad aetatem. *Caes. B. C.* 3, 112. Filia minor Ptolemaei regis. *Hor. Ep.* 2. 1, 40. minor uno mense, vel anno. *Ov. Met.* 7, 499. aetate minor. *Cic. Amic.* 9. *extr.* Pro hoc qui minor est natu, meo jure respondeo. *Id. Acad.* 4, 19. Te aliquot annis minorem natu non dubitabo monere. *Ulp. Dig.* 30, 99, 1. Minor viginti annis, *h. e.* qui nondum vigesimum aetatis annum attigit. *Papin. ib.* 50, 2, 6. Minores vigintiquinque annorum decuriones facti. *Julian. ib.* 38, 5, 8. et *Praetor* ap. *Ulp. ib.* 4, 4, 1. Si minori, quam vigintiquinque annorum, natu filiofamilias crediderit. *Labeo ib.* 36, 2, 30. Si pupilla minor, quam viripotens, nupserit. *Cajus Inst.* (ed. *Goesch.*) 1. §. 73. Si minor anniculo sit filius, filiave, causa probari non potest. ℙ Absolute. *Hor. A. P.* 174. de sene: censor, castigatorque minorum; et *Ep.* 2, 1, 106. Majores audire, minori dicere. *Ov. Trist.* 4, 10, 55. Utque ego majores, sic me coluere minores. ℙ *Minores* aliquando sunt pueri. *Sil.* 2, 490. Te matres, vincente fame, te moesta virorum Ora vocant, primaque sonant te voce minores. *Sen. Herc. Oet.* 1787. Si quis minor Busiris, aut si quis minor Antaeus, etc. *h. e.* filius Busiridis, aut Antaei. ℙ Ap. JCtos sunt minores vigintiquinque annis. *Ulp. Dig.* 42, 1, 57. Si minor praetor, vel consul jus dixerit, valebit. Adde *ib.* 4. *t.* 4. qui est *De Minoribus.* ℙ Interdum sunt posteri. *Virg. A.* 1, 537. nunc fama, minores Italiam dixisse; et *ib.* 736. Hunc laetum Tyriisque diem, Trojaque profectis Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores. ℙ *Minor* etiam dicitur, qui virtute, et viribus inferior est. *Hor. Ep.* 1, 10, 35. minor in certamine longo Imploravit opes hominis. ℙ Cum infinito. *Id. Sat.* 2, 3, 312. An, quodcumque facit Maecenas, te quoque verum est Tantum dissimilem, et tanto certare minorem? *h. e.* imparem ad certandum. *Sil.* 5, 76. heu Fatis Superi certare minores! ℙ Cum accusat. more Graecorum. *Val. Fl.* 1, 582. Nec scopulos, aut antra minor juxta altera tellus Cernitur. *Sil.* 3, 42. frontemque minor truncam amnis Acarnan, *h. e.* Achelous frontem habens truncam, mutilam, spoliatam cornu. Quo sensu *Juven.* 8, 4. Et Curios jam dimidios, humeroque minorem Corvinum. Alii leg. *humerosque:* alii *nasumque minorem Corvini. Lucan.* 2, 717. Argo rapta puppe minor. ℙ *Minor capitis* est capite deminutus. V. CAPUT. ℙ Minores magistratus qui sint, V. in MAGNUS. ℙ *Minorum gentium* cives V. in GENS.

*MINORĀTĬO, onis, f. statio minor. *Fulgent.* ad *Donat. B. A.*

MĪNORĀTUS, a, um, part. a *minoro. Scaev. Dig.* 18, 7, 10. Quos minorato pretio vendidit. Adde *Tert. adv. Jud.* 14.

MĪNORO, as, a. 1. *ἐλαττόω*, minorem facio. *Tert. Anim.* 43. Perit anima, si minoratur.

MĪNOS, ōtis, m. *Μίνως, ῶος*, filius Jovis et Europae, rex Cretae, qui primus Cretensibus leges dedit. Propter insignem justitiam, et clementiam fabulati sunt, post mortem apud Inferos judicem constitutum fuisse una cum Rhadamantho fratre, et Aeaco, ubi Plutonis iram et crudelitatem molliant, et ex justitiae lege irrogent poenas, ut est ap. *Stat. Th.* 8, 27. Porro Minos dicitur urna sortiri, quam quisque sedem, aut poenam habeat ex

merito vitae prioris. *Id. ib.* 101. Crimine non ullo subeo nova fata, nec alma Sic merui de luce rapi: scit judicis urna Dictaei, verumque potest deprendere Minos. *Prop.* 2, 23, 113. Uxorem quondam magni Minois, ut ajunt, etc. *Cic. Tusc.* 1, 41. Ad eos venire, qui vere judices appellentur Minoem, Rhadamanthum, etc. *Ov. Met.* 9, 439. nec sustinet ullus (Cum videant fessos Rhadamanthon, et Aeacon annis, Et Minoa) queri. ℙ Alter fuit Minos itidem rex Cretae, nepos hujus, nempe filius Lycastae Minois filii et Idae Corybantis filiae. Hic est, qui Megaram expugnavit, et Nisum vicit, ejusque filiam Scyllam proditionis paternae ream punivit. Sed a poetis cum priore interdum confunditur, ut ap. *Prop.* 3, 17, 22. ℙ *Minonis* in genitivo. *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 6, 710. Daedalum ex Sicilia profectum, quo Minonis iram atque opes fugeret.

MINOTAURUS, i, m. *Μινοταυρος*, monstrum capite taurino, parte inferiore humana, ex portentoso Pasiphaes cum tauro concubitu prognatum, quod jussu Minois labyrintho inclusum humanis carnibus alebatur. Huic quotannis Athenienses ex praescripto foederis septem ex suis liberis mittebant devorandos. Sed tertio anno Theseus filius Aegei, forte missus, Minotaurum occidit, et ab Ariadne accepto fili glomere fuga evasit. *Serv.* ad *A.* 6, 14. interpretatur, Taurum, scribam fuisse Minois, qui absente rege, cum Pasiphae concubuit in domo Daedali, et quia regina uno partu gemellos peperit, quorum alter Minoi, alter tauro esset similis, factum esse locum fabulae, ut Minotaurum biforme monstrum peperisse diceretur. *Virg. ib.* 24. Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto Pasiphae, mixtumque genus, prolesque biformis Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae. ℙ Veteres Minotauri signum in legionibus habuerunt, ut quemadmodum ille in intimo et secretissimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis consilium semper occultum esset: quae sunt verba *Veg. Mil.* 3, 6. Adde *Plin.* 10, 4, 5. et *Fest.* ℙ [Fuerunt olim eruditi, qui perperam putarunt, Minotaurum fuisse parte superiore humana, inferiore taurina; sed contrarium fuit, ut probat *Eckhel. D. N. V.* T. I. p. 130 et 154. ex Graecorum scriptorum locis, et vetustis monumentis aere, et marmore exsculptis, quibus adjici potest locus *Hyg. fab.* 40. Pasiphae Minotaurum peperit capite bubulo, parte inferiore humana. At contra Bacchus ap. Neapolitanos, et Siciliae populos saepissime capite humano, et reliquo corpore bubulo fingitur. V. HEBON. ℙ *Minotaurus* joculariter dicuntur a *Cic. Fam.* 12, 25. C. Calvisius Sabinus, et L. Statilius Taurus senatores, quorum prior ap. *eund. ib.* 10, 26. *homo magni judicii* dicitur, ideoque Minoi judici Inferorum comparatur; alteri vero Taurus cognomen erat. *Id. l.* prius *c.* Magna senatus approbatio consecuta est cum summo odio et offensione Minotauri, id est, Calvisii, et Tauri.

MINOUS, a, um, adj. ad Minoem pertinens: item Cretensis, quia Minos rex Cretae fuit. *Prop.* 3, 17, 21. Minoa venundata Scylla figura. *Auson. epigr.* 66. Pasiphae Minoa, *h. e.* Minois uxor. *Claud. B. Get.* 443. Minous puer, *h. e.* Glaucus Minois filius. *Stat. Silv.* 1, 2, 228. hic enthea lauro Tempora, Minoa crinem premit ille corona, *h. e.* Ariadnes Minois filiae. *Ov. Her.* 6, 114. En ego Minoo nata Thoante feror, *h. e.* filio Ariadnes. *Id. Ib.* 511. Si tua contigerit Minoas puppis arenas, *h. e.* litus Cretae.

MINTHA, ae, et Minthe, es, f. *μινθη*, Graecum nomen nymphae, et herbae. V. MENTA. *Plin.* 19, 8, 47. Mentae nomen suavitas odoris apud Graecos mutavit, cum alioqui mintha vocaretur, unde veteres nostri nomen declinaverunt.

MINTRIO, is, vel Mintro, as, n. 4. vel 1. verbum exprimens vocem murium. *Auct. carm. Philom.* 61. Mus avidus mintrit. Al. leg. *mintrat.*

MINTURNAE, arum, f. plur. urbs, et colonia Latii Novi, in Campaniae confinio, ad ostia Liris fl., et ab eodem divisa inter Formias, et Sinuessam, nunc excisa. In paludibus propinquis C. Marius delituit, fugiens persecutionem Sullae, et in ejus oppidi carcerem conjectus, ac inde dimissus, in Africam profugit. *Plin.* 3, 5, 9., *Vell.* 1, 14., *Val. Max.* 2, 10. *n.* 6. et 8, 2. *n.* 2.

MINTURNENSIS, e, adj. ad Minturnas pertinens. *Liv.* 27, 38. Minturnensis populus. *Cic. Att.* 5, 3. Minturnenses litterae, *h. e.* Minturnis scriptae. *Ulp. Dig.* 19, 2, 13. Minturnense flumen, *h. e.* Liris. *Vell.* 2, 19. In carcerem Minturnensium perductus. *Vib. Sequest.* de fluminib.: In ripa Liris Nymphae Maricae Minturnensis templum est.

MINUCIA, Gens plebeja Romae, in qua Augurinorum, Ruforum, Thermorum, etc. familiae fuerunt. *Sil.* 7, 386. Si factis nondum, Minuci, te cauta probare Erudiit Fortuna meis. Adde *Cic.* pluribus in locis. ℙ *Minucia lex* memoratur a *Festo* in *Osi sunt*, sed, quid illa caveret, non addit. ℙ *Minucia vetus*, et *Minucia frumentaria* fuerunt duo aedificia seu porticus, quae a *Sex. Rufo*, et *P. Victore* ponuntur in regione IX. urbis Romae ad circum Flaminium. Alii leg. *Minutia*, et *Minicia*, et *Mimitia;* sed postremum mendosum videtur. *Vell.* 2, 8. Per eadem tempora clarus ejus Minucii, qui porticus, quae hodieque celebres sunt, molitus est, e Scordiscis triumphus fuit. *Cic. Phil.* 2, 34. Quidlibet faciat, quod in porticu Minucia fecit. *Lampr. Commod.* 16. Herculis signum aeneum sudavit in Minucia per plures dies. Vetere, inquit *Casaub.*, nam alteri *frumentariae* cognomen fuit. *Appul. de Mundo f.* Decuriones ad concessum publicum commeabunt; et alius ad Minuciam frumentatum venit, etc. Hic tesserae frumentariae populo distribui solebant a procuratoribus annonae, ut suspicatur *Lips. Elect.* 1, 8.: quo pertinet *Inscr.* ap. *Grut.* 402, 4. L. Didio Marino Proc. Minuciae, Proc. alimentorum, etc. Prior vero *Minucia*, quae vetus fuit appellata, videtur fuisse in usus curatorum aquarum, nam *Miniciae* legitur in tribus *Inscr.* ap. *Grut.* 56, 6., 381, 1 et 3. ubi: *Curator aquarum, et Miniciae.* ℙ *Minucia porta* appellata est, quod proxima est sacello Minucii. *Festus.* Haec videtur fuisse prope montem Aventinum, haud longe a porta Tergemina, atque ita nuncupata ob monumenta in honorem L. vel P. Minucii Augurini praefecti annonae tempore Sp. Maelii, de quibus *Liv.* 4, 16. et *Plin.* 18, 3, 4. et 34, 5, 11. ℙ *Minucia via*, cujus meminit *Cic. Att.* 9, 6., fortasse ita denominata ab aliquo Minucio, cujus sternendae curam habuerit: sunt enim qui putant, dictam fuisse a Ti. Minucio, qui ann. U. C. CDXLIX. consul fuit cum L. Postumio, ut est ap. *Liv.* 9, 44. Ea ab urbe Corfinio per Sabinos Brundisium ferebat, et Appia brevior erat. *Hor. Ep.* 1, 18, 20. Brundisium Minucl melius via ducat, an Appl. Alii perperam scribunt *Mimicl*, vel *Numicl*, hinc *Mimicia*, vel *Numicia via* a quibusdam appellatur. [*Hunc locum novis curis refinxit, emendavit, ampliavit *F.*]

[MINUCIUS M. Felix, scriptor Christianus, Afer natione, tertio post Chr. n. saeculo vixit, et librum apologeticum Christianae religionis reliquit. *Lact.* 5, 1. Minucius Felix non ignobilis inter causidicos loci fuit. Hujus liber, cui Octavio titulus est, declarat, quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset. His similia habet *Hieron. Catal. scriptor. Eccles.* 58. *F.*] ℙ *M. Minucius Rufus, magister equitum fuit sub Dictatore Fabio Maximo Cunctatore. De eo *Liv.* 22, 8. 12. 14. sqq. *Nep. Hann.* 5. *Sil.* 7, 386 et 522. et 9, 564. ℙ Minucius Basilus. V. *Basilus.* ℙ Alius, de quo *Lucan.* 6, 126. Quam Minuti castella vocant, et confraga densis etc. ℙ Nobilissimus est Minucius Augurinus, is, qui post Maelianam caedem pretium farris ad assem redegit, vario honore propterea affectus. *Plin.* 18, 3. *Liv.* 4, 16. ℙ *Castella Minuci* prope Dyrrhachium fuit. *Lucan. l. c.* ℙ Scribitur et *Minutius*, quod jam vidimus. Ceterum de ratione orthographica V. *Heins.* et *Drakenb.* ad *Sil.* 7, 387. *B. A.*

MINUISCO, is, n. 3. minor fio. *Auson. Ephem. f.* profugi minuiscunt crimina somni. Al. aliter leg.

MINUO, is, ui, utum, a. 3. [*Festo* videtur esse a *μειόω*. Alii ducunt a *μινύω*, *μινύθω*. Primum significat, confringere, comminuere, minutatim frangere, nostr. *klein machen*, Gr. *κατακόπτω*, *συντρίβω*. Huc pertinent ista, quae Noster ad finem laudaverat. *Ov. Met.* 8, 645. Ramaliaque arida tecto Detulit, et minuit, parvoque admovit aeno. *Id. Fast.* 2, 647. Ligna senex minuit, concisaque construit alte. *Stat. Th.* 10, 526. Portarum objectus minuunt, et ferrea sudant Claustra remoliri; et 10, 47. de lupis ovile circumeuntibus: Quod superest, siccos minuunt in limine dentes. *Ov. Ib.* 573. Aut, ut Anaxarchus, pila minuaris in alta. ℙ Hinc in universum qualemcumque rem minorem reddo, extenuo, detraho, diminuo, Gr. *ἐλαττόω*, *μειόω.*] *Cic. Fam.* 3, 8. Minuere sumptus civitatum. *Hor. Sat.* 2, 3, 177. rem familiarem. *Id. Od.* 2, 16, 3. Longa Tithonum minuit senectus. *Colum.* 7, 5. Urinam subjectis ignibus quinta parte minuunt, *h. e.* decoquunt. *Ov. Met.* 7, 317. minuuntur corporis artus. *Plin.* 11, 54, 118. Minuuntur corpora siccis: et aridis, frigidisque cibis. *Caes. B. G.* 3, 12. Minuente aestu, *h. e.* minuente se. Sic *Pall.* 3, 24. Minuente luna. [*Adde *Veg. Mulom.* 1, 14, 1. Corpus collectiones plurimas facit, et aliis velut minuentibus aliae rursum nascuntur.] *Quint.* 2, 3. *med.* Minuere gradum. *Cic. Fl.* 12. gloriam alicujus. *Id. Fin.* 1, 16. molestias vitae; et *ib.* cupiditates. *Id. Agr.* 1, 5. invidiam. *Caes. B. G.* 5, 33. spem; et *B. C.* 3, 43. auctoritatem. *Ter. Heaut. prol.* 42. laborem. *Id. Ph.* 2, 3, 88. iram. *Hor. Ep.* 1, 18, 101. curas. *Ov. Met.* 15, 639. luctus, (V. LUCTUS.) *h. e.* tollere. *Hirt. B. Alex.* 8. timorem militum consolatione et ratione; et *ib.* 48. *extr.* militarem disciplinam, et severitatem. *Caes. B. G.* 6, 22. desidiam militum; et *ib.* 7, 53. ostentationem hostium. *Liv.* 4, 24. magistratum, censuram, *h. e.* modum ponere potestati. ℙ Pro dirimere, tollere. *Caes. B. G.* 5, 26. *extr.* et *ib.* 6, 22. Habere sese, quae de re communi dicere vellent, quibus controversias minui posse sperarent. Adde *Cic. Acad.* 4, 26. ℙ Pro evellere, convellere. *Cic. Att.* 10, 16. Ut minuerem suspicionem profectionis, profectus sum in Pompejanum. *Id. Off.* 1, 22. Cum plerique arbitrentur, res bellicas majores esse, quam urbanas, minuenda est haec opinio, [*i. e. restringenda, nempe quia non sit omnino vera et sine exceptione.] ℙ Pro remittere, omittere. *Ter. Ph.* 2, 3, 88. Minue vero iram. ℙ Pro violare. *Cic. Phil.* 1, 9. Majestatem populi R. per vim minuere. (V. MAJESTAS.) *Pl. As.* 3, 1, 6. matris imperium. *Nep. Ag.* 4. *extr.* religionem. ℙ Pro relinquere, desinere, mutare. *Ter. Andr.* 2, 3, 19. nec tu ea causa minueris Haec quae facis, ne is mutet suam sententiam. *Id. Hec.* 4, 3, 10. sed Non minuam meum consilium: ex usu quod est, id persequar. ℙ Cum infinito pro desinere, cessare. *Lucr.* 2, 1026. Nil adeo magnum, nec tam mirabile quicquam Principio, quod non minuant mirarier omnes Paulatim. Est qui leg. *quod non minus fiat mirabile cunctis.* Sed hoc pacto elidenda est *s* in *minus*, et *fiat* per synaeresin contrahenda, ut versus constet. [*Eichstadt.* recte *vulg.* retinuit.] ℙ Ap. *Veg. Vet.* 1, 23. *minuere* est sanguinem mittere; et plenius *ib.* 16. minuere sanguinem.

MINURIO vel Minurrio, is, n. 4. *μινυρίζω*, dicitur de cantu querulo avicularum. Nam *minuritiones* interpretatur *Festus* avium minorum cantus. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Philomelam inter frutices sibilantem, prognem inter asseres minurientem. ℙ De cantu submisso palumbium *Spart. Get.* 5. Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt. *Salmas.* hic vult legi *minarriunt* eod. sensu.

MINURITIO. V. in v. praec.

MINUS, adv. comp. *ἐλαττόνως*. *Ter. Ph.* 3, 3, 21. Ne quid plus minusve faxit, quod nos post pigeat. *Cic. Sext.* 50. Ne mea oratio, si minus de aliquo dixero, ingrata; si satis de omnibus, infinita esse videatur. *Id. Div.* 2, 72. Metus ipsi per se minus valerent, et magis contemnerentur, nisi, etc. *Plin.* 14, 22, 28. Minus diu vivunt. *Varr. R. R.* 1, 7. Ex arvo aeque magno, sed male consito, minus multum, et minus bonum faciebant vinum. ℙ Sequente *quam*, *ac*, *atque*. *Cic. Planc.* 30. Respondebo tibi minus fortasse vehementer, quam abs te sum provocatus: sed profecto nec considerate minus, nec minus amice. *Hor. Sat.* 2, 7, 96. Qui peccas minus atque ego? ℙ Interdum *quam* omittitur. *Cic. Div.* 1, 32. et *Nep. Them.* 5. Madefactum iri minus triginta diebus Graeciam sanguine. *Plin.* 15, 22, 24. Minus quinquennium est, quod prodiere. [*Sequitur ablativus, eodem modo, quo etiam al. post comparativum pro *quam* et nominat. poni solet. Huc pertinent exempla, quae *Forc.* supra laudaverat. *Nep. Att.* 13. Nemo illo minus fuit emax; et *Varr. R. R.* 22. Sarcula octo facere, dimidio minus palas.] ℙ Praecedente negatione. *Liv.* 42, 6. Cecidere duo millia haud minus peditum; et *ib.* 28. Cum centum et quinquaginta non minus adessent. *Varr. R. R.* 2, 2. *f.* Ne minus habeamus in centenas oves hirtas singulos homines; in pellitas binos. *Colum.* 12, 38. *med.* Ut antequam baccae legantur, ne minus triduum serenum fuerit. ℙ [*Non minus quam* duplici fere modo in comparationibus adhiberi solet: primum quidem pertinet ad res, quae pari prorsus vi sibi aequantur, ubi nos dicimus *eben so*, *eben so sehr*, *als.* *Cic. Sext.* 12. Examinatus evolat ex senatu, non minus perturbato animo atque vultu, quam si annis ante paucis in creditorum conventum incidisset. *Nep. Att.* 13. Neque vero minus ille vir bonus paterfamilias habitus est, quam civis. *Id. Ep.* 5. Fuit et disertus, ut nemo Thebanus ei par esset eloquentia: neque minus concinnus in brevitate respondendi. — Plerumque autem ita usurpatur, ut prius membrum, cui *non minus* adjungitur, majoris sit gravitatis, posterius minoris. Nos in simili re dicimus *mehr*, *noch mehr*, *als.* *Virg. A.* 3, 561. Haud minus ac jussi faciunt. *Cic. Fam.* 4, 7. Patria hominibus non minus cara esse debet, quam liberi. *Nep. Ep.* 3. Commissa celare interdum non minus prodest, quam diserte dicere. *Cic. Cat.* 3, 1. Non minus nobis jujundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quam illi, quibus nascimur. *Liv.* 2, 60. Laudibus haud minus, quam praemio gaudent militum animi; cf. *Tac. Agr.* 19. *Nep. Alc.* 5. Multas urbes Graecas expugnaverant; neque minus multas ad amicitiam adjunxerant.] ℙ *Nihil minus* in responsionibus vehementius negat: significat enim, nullam rem minus nos facere, quam id, de quo loquimur. *Ter. Eun.* 3, 1, 44. purgon' ego me de istac Thaidi? *Gna.* nihil minus: Imo magis auge suspicionem; et 3, 3, 28. at tu apud nos hic mane. *Chre.* nihil minus. ℙ *Plus minus* interdum est circiter. *Hirt. B. G.* 8, 20. Castra non longius abesse plus minus octo millibus passuum dicebantur. ℙ [*Nec tamen eo minus *Suet. Aug.* 45. Nec eo minus *Claud.* 8. *Oth.* 4. *Vesp.* 24. Gr. *οὐχ ἧττον δέ.*] ℙ Cum repetitur, significat rem usque decrescentem. *Ter. Heaut.* 3, 3, 33. Nam mihi jam minus minusque obtemperat. *Ov. Pont.* 2, 8, 73. Nam minus et minus est facies in imagine tristis. *Plin.* 11, 10, 10. Apes cum advesperascit, in alveo strepunt minus ac minus, donec, etc. [*Cf. de hac dicendi ratione *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 41.] ℙ Cum adverbiis comparativorum. *Claud. Quadr.* ap. *Gell.* 9, 1. Quare milites Metelli sauciabantur multo minus. *Suet. Tib.* 26. Civilem admodum inter initia,

ac paulo minus, quam privatum egit, *h. e.* paene privatum egit. (Et omisso *quam*, eodem sensu, *Id. ib.* 39. Quod paulo minus utrumque evenit, *h. e.* ex parte quidem evenit, non omne.) ὀλίγον δεῖν Graeci dicunt [*vel ὀλίγου.] *Quint. decl.* 12, 18. *f.* Quantulo minus quam congesti frumenti pulverem vidimus! *h. e.* quam parum abfuit, quin videremus. ℙ Cum comparativo. *Cels.* 6, 6. *n.* 29. Quanto minor generi huic impetus, tanto finis minus expeditior est. Al. plerique recte leg. *expeditus.* [*Quaeritur! V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 154. *B. N.* 4. p. 500. ubi laud. *Flor.* 4, 2, 47. Non minus admirabilior illius exitus belli.] ℙ Interdum vim habet excipiendi, atque excludendi. *Ov. Met.* 12, 554. Bis sex Herculeis ceciderunt, me minus uno, Viribus. *Manil.* 1, 776. Tarquinioque minus reges, *h. e.* reges omnes Romani, Tarquinio Superbo excepto. *Ov. A. Am.* 1, 643. Ludite, si sapitis, solas impune puellas: Hac minus est una fraude tuenda fides, *h. e.* excepta hac una fraude. Al. aliter leg. *Stat. Th.* 1, 533. cum protinus utraque virgo Arcano egressae thalamo (mirabile visu!) Pallados armisonae, pharetrataeque ora Dianae Aequa ferunt, terrore minus, *h. e.* similem Palladis, et Dianae faciem habent, et ostentant, excepto quod terrorem nullum praeferunt. V. etiam *Cic. Verr.* 2, 1, 57. et ibi *Ascon.* et *Gronov.* ℙ Frequenter accipitur pro non, *οὐ, οὐκ. Cic. Div.* 1, 14. Nonnunquam ea, quae praedicta sunt, minus eveniunt. *Ter. Eun.* 4, 5, 10. At nesciebam, id dicere illam: nisi quod correxit miles, quod intellexi minus. *Cic. Verr.* 2, 5, 27. Syracusis, si minus supplicio affici, at custodiri oportebat. *Id. Fam.* 7, 1. *f.* Quod si assecutus sum, gaudeo: sin minus, hoc me tamen consolor, quod, etc. et *Or.* 1, 22. *f.* Non intelligo, quamobrem non, si minus illa subtili definitione, at hac vulgari opinione ars esse videatur. [*Huc etiam pertinere videtur *Ter. Hec.* 4, 4, 25. Non tibi illud factum minus placet, quam mihi Laches: qui locus, quod *Bentl.* et *Ruhnk.* voluerunt, legentes *non mihi illud factum minus dolet quam tibi*, tantum abest, ut sensu careat, ut viri illi ne sensum quidem intellexisse sint putandi. Sc. *placere* pro *displicere* dici, id quidem dicere absurdum est: at *minus placere* usurpari pro *parum*, *non placere*, sc. *displicere*, et *magis* omitti ante *quam*, latinae linguae legibus non repugnat. Hinc recte quis eadem sententiae brevitate vernacule sic verterit: *Die That kann Dir nicht weniger gefallen, als mir*· sive plenius: *Die That kann Dir nicht mehr misfallen, als mir*, i. e. mihi majorem etiam causam improbandi excitat.] ℙ *Quo minus* (rectius, quam *quominus:* tametsi et hoc non raro legitur) est *ut non*, et saepe cum verbis jungitur impedimentum aliquod significantibus. *Cic. Fam.* 7, 1. Si te infirmitas valetudinis tenuit, quo minus ad ludos venires; et *f.* Me subinvitaras, ut aliquid ad te hujusmodi scriberem, quo minus te praetermisisse ludos poeniteret. *Caes. B. C.* 2, 13. *extr.* Stetisse per Trebonium, quo minus oppido potirentur, videbatur. *Nep. Cim.* 4. Ne quis impediretur, quo minus ejus rebus frueretur. *Id. Ep.* 8. Neque recusavit, quo minus legis poenam subiret. *Cic. Fam.* 12, 5. Hiemem credo prohibuisse, quo minus de te certum haberemus, quid ageres. *Id. Att.* 2, 4. *f.* Praeter quercum Dodonaeam nihil desideramus, quo minus Epirum ipsam possidere videamur. *Id. Tusc.* 1, 38. Deterrere aliquem, quo minus, etc. *Ter. Andr.* 1, 2, 25. Si sensero, quidquam in his te nuptiis Fallaciae conari, quo fiant minus. ℙ Inverso ordine. *Id. Hec.* 4, 4, 8. Ne vereatur, minus jam quo redeat domum. [*Adde *Pl. Tr. Arg.* 6. Minus quo cum invidia illi det dotem Callicles: ubi *Lindem.* insolentiorem hanc dicendi formulam soli fortasse acrostichorum necessitati deberi putat.]

MĪNUS, a, um. V. MINA.

MĪNUSCŪLĀRĬUS, a, um, adj. minusculus, minor. *Impp. Valent. et Valens Cod.* 1, 55, 1. De tenuioribus et minuscullariis rebus interpellare. *Imp. Zeno ib.* 11, 42, 10. Ne quid contra minuscularios aquaeductus pertentetur, *h. e.* tenuiores et diminutos. ℙ *Minuscularii* ap. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 11, 28, 3. putantur esse minorum vectigalium conductores, nempe ii, qui pro rei familiaris angustia, cum non possint integra reipubl. vectigalia conducere, minusculam eorum partem conducunt, atque exigunt: opponuntur autem magnariis. *August.* plene dixit *C. D.* 7, 4. Minusculos vectigalium conductores. Ubi al. leg. *minutularios.* Fortasse his similes sunt, qui ap. Italos dicuntur *esattori de' resti.* Male quidam leg. in Cod. *miniculariі*, quasi sint, qui minium inducunt.

MĪNUSCŪLUS, a, um, adj. μικρότερος, aliquanto minor: dimin. a *minus*, *oris. Varr. R. R.* 3, 5. Minusculum aviarium. *Cato R. R.* 12. Minusculae cupae. *Gell.* 4, 11. Porculis minusculis, et hoedis tenerioribus victitare. *Vitr.* 7, 5. *med.* Minusculum theatrum. *Pl. Trin.* 4, 2, 46. nomen, *h. e.* brevius. *Id. Poen. a.* 2. *v.* 50. Minuscula meretrix. *Cic. Att.* 14, 13. *med.* villa. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 4. Rescripsi epistolae maximae: audi nunc de minuscula. ℙ De minusculis Quinquatribus V. QUINQUATRUS.

MĪNŪTAL, alis, n. μυττωτόν, περίκομμα, genus edulii ex oleribus, aliisve cibis minutatim concisis, varieque conditis. Ejus specimina multa habes ap. *Apic.* 4, 3. *Juven.* 14, 129. Hesternum solitus medio servare minutal Septembri. *Mart.* 11, 31. Hinc exit varium coco minutal. ℙ Dicitur et de aliis quibuscumque minutis rebus. *Tert. Hab. mul.* 6. Lapillos istos, qui cum auro superbiam jungunt, quid aliud interpreter, quam lapillos, et calculos, ejusdem terrae minutalia? *Id. Anim.* 32. Culices, formicae, tineae, et hoc genus minutalia.

MĪNŪTĀLIS, e, adj. minutus, exiguus, ut Minutalia regna, *Tert. adv. Marc.* 1, 4. Sic *Hieron. prooem. ep. ad Ephes.* Taceo de ceteris minutalibus, qui mecum in libris suis garriunt, *h. e.* minutis scriptoribus.

MĪNŪTĀTIM, adv. κατ' ὀλίγον, εἰς λεπτότατα, in minutas partes, minute, minutim. *Varr. R. R.* 3, 10. *med.* Nasturtium viride consectum minutatim. *Colum.* 12, 57. Caseum minutatim concidere. *Plin.* 17, 11, 15. Terram minutatim cribrare. *Cic. Acad.* 4, 29. Minutatim interrogare, *h. e.* minutis interrogatiunculis, ut ipse ait *prooem. Par.* ℙ Item paulatim, sensim. *Cic. Acad.* 4, 16. Cum aliquid minutatim, aut gradatim additur, aut demitur. *Virg. G.* 3, 485. Ossa minutatim morbo collapsa trahebat. *Lucr.* 2, 1129. Inde minutatim vires et robur adultum Frangit; et 5, 1383. Minutatim dicere. *Varr. R. R.* 1, 20. assuefaciant. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. ex communibus proprii, ex fucosis firmi suffragatores evadunt. *Hirt. B. Afr.* 31. se recipere intra munitiones; et *ib.* 78. cedere. ℙ Item singillatim. *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. *med.* Minutatim singulos convenire, difficile ei est.

MĪNŪTĒ, adv. λεπτῶς, in minutas partes, minutim. *Colum.* 6, 17. *med.* Sal minute tritus; et *ib.* 31. Lens minute molita; et 12, 22. concidere aliquid; et *ib.* 28. Minutissime commolere. *Cato R. R.* 107. Quam minutissime contundere. ℙ Translate est tenuiter, exiliter, jejune. *Cic. Fin.* 4, 3. *extr.* Res enim fortasse verae, certe graves, non ita tractantur, ut debent, sed aliquanto minutius. *Id. Or.* 36. Nec satura jejune dicere, nec grandia minute. *Quint.* 5, 14. *med.* Minutius et scrupulosius scrutari omnia. *Gell.* 2, 9. Nimis minute, et probe subfrigide Plutarchus in Epicuro accusando λέξεις τερετῖ.

MĪNŪTĬA, ae, f. minutissima pars. *Sen. ep.* 90. *med.* Utriusque lapidis attritu grana franguntur, et saepius regeruntur, donec ad minutiam frequenter trita redigantur. *Lact. Ira D.* 10. Pulveris minutias videmus in sole, cum per fenestram radios immiserit.

MĪNŪTĬĀ gens, porticus, et via. V. MINUCIA.

MĪNŪTĬES, ei, f. minutia. *Appul. Met.* 9. Extremos digitos obliquata atque infesta ungula compressos, usque ad summam minutiem contero; et *ib.* 11. Dentes saxei redeunt ad humanam minutiem.

MĪNŪTĬLOQUĬUM, ii, n. *Tert. Anim.* 6. *med.* Micas de minutiloquio Aristotelis infersit, *h. e.* presso ac subtili dicendi genere: opponitur enim *eloquio*, ac flumini *Platonis.*

MĪNŪTĬM, adv. minute, minutatim. *Cato R. R.* 123. Materiam concidito minutim. *Colum.* 4, 14. Fossor crebris bidentibus aequaliter et minutim soli terga convertit. *Gell.* 17, 8. Cucurbitae minutim caesae. *Plin.* 34, 18, 51. Scoria plumbi lavatur in mortariis minutim fracta. *Lucil.* ap. *Non.* 11, 46. dic, quam cogat tussire minutim Per commissuras rimarum nocti' nigrore. V. VISIO, is.

MĪNŪTĬO, onis, f. μείωσις, detractio. *Quint.* 8, 4. *f.* Hoc si ad intellectum referas, minutio est; si ad obscuritatem, incrementum. *Gell.* 16, 5. Ve particula tum intensionem significat, tum minutionem. *Id.* 1, 12. Minutio capitis, *h. e.* diminutio. V. CAPUT. ℙ Ap. *Veg. Vet.* 1, 17. *med.* et *ib.* 28. minutio sanguinis est venae sectio. V. MINUO.

MĪNŪTŪLĀRĬUS. V. MINUSCULARIUS.

MĪNŪTŪLUS, a, um, adj. dimin. minuti. *Pl. Poen. prol.* 28. Nutrices pueros infantes minutulos Domi ut procurent. *Vopisc. Tac.* 11. *f.* Legit sane senex minutulas litteras ad stuporem. *Paul. Dig.* 50, 16, 192. Minutula pecuniae summa. *Macr. Sat.* 7, 3. *med.* Minutulae quaestiones, *h. e.* de rebus minutis, ac levioribus.

MĪNŪTUS, a, um, part. a *minuo*, ἐλαττωθείς, cui aliquid est detractum, minor factus, diminutus. *Tac. Agr.* 17. Ubi Vespasianus Britanniam reciperavit, minuta hostium spes; et *Ann.* 15, 39. Pretium frumenti minutum usque ad ternos nummos. *Liv.* 21, 52. Consul alter equestri proelio uno, et vulnere suo minutus, *h. e.* debilitatus, infirmior factus. *Ulp. Dig.* 4, 5, 2. Ait praetor: qui capite minuti, minutaeve esse dicentur. V. CAPUT. ℙ Saepissime est nomen, et ponitur pro parvo, exiguo, tenui, subtili. *Varr.* ap. *Non.* 2, 559. Pueros minutos vides libenter. *Lucr.* 1, 834. Pauxilla atque minuta ossa; et 4, 893. In minutas partes dispergi. *Plin.* 23, 7, 64. Ramenta minutissima ad scobis modum. *Cic. Acad.* 4, 38. Myrmecides minutorum opusculorum fabricator. *Pl. Cist.* 2, 1, 45. et *Cas.* 2, 5, 24. Dii omnes magni minutique. *Id. Bacch.* 4, 9, 68. Minutae litterae. *Plin.* 12, 24, 53. Folia brevia ac minuta; et 16, 31, 56. capillamenta. *Prop.* 2, 22, 3. Obvia nescio quot pueri mihi turba minuta Venerat. *Suet. Aug.* 82. Itinera lenta et minuta facere. *Hirt. B. Afr.* 29. Quotidie minutis proeliis pugnare. Adde *eund. ib.* 51. *extr. Catull.* 25, 12. velut minuta magno Deprensa navis in mari, vesaniente vento; et *Prop.* 1, 11, 9. Minuti remi, i. e. remuli, κώπια. *Lucr.* 4, 343. aer mobilior atque minutior. *Suet. Vit.* 17. *extr.* Minutissimis ictibus excarnificatus. ℙ *Minutae fruges*, quae sint, in FRUX dictum est. ℙ *Res minutae* sunt scruta. *Cic. Cluent.* 64. In auctione quadam vidisse in rebus minutis aduncam et tortuosam venire serrulam. ℙ Translate est levis, parvi momenti, frivolus, supervacuus. *Suet. Gramm.* 24. Nimis pauca et exigua de quibusdam minutis quaestiunculis scripsit. *Quint.* 8, 6. *med.* Quae singula persequi, minutioris est curae. *Cic. Part.* 17. Nec quidquam in amplificatione nimis enucleandum est: minuta est enim omnis diligentia: hic autem locus grandia requirit. *Quint.* 10, 1. *f.* de Seneca: Si rerum pondera minutissimis sententiis non fregisset. ℙ Item brevis, et subtilis. *Cic. prooem. Par.* Minutis interrogatiunculis, et quasi punctis, quod proposuit, efficit. ℙ *Vet. Poeta* ap. *Plin. ep.* 4, 27. Canto carmina versibus minutis, *h. e.* brevioribus, et simplici subtilique stilo factis, ut sunt hendecasyllabi. ℙ Item infimus, vilis. *Phaedr.* 4, 5. Periclitatur magnitudo principum: Minuta plebes facili praesidio latet. *Petr. fr. Trag.* 44. *Burm.* Itaque populus minutus laborat: nam isti majores maxillae semper Saturnalia agunt. ℙ Item vulgaris. *Cic. Div.* 1, 30. Socrates, et Plato, ut rationem non redderent, auctoritate tamen minutos philosophos vincerent. *Id. Brut.* 73. Multo magis orator praestat minutis imperatoribus. ℙ Transfertur etiam ad animum. *Cic. Or.* 3, 43. et *Or.* 27. Abutimur saepe verbo, ut cum grandem orationem pro magna, minutum animum pro parvo dicimus. *Id. Fin.* 1, 18. *med.* Ecce autem alii minuti et angusti, aut omnia desperantes, etc. ℙ Et ad orationem. *Id. Or.* 2, 38. Genus sermonis affert non liquidum, non fusum, ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum. *Id. Brut.* 83. At quid est tam fractum, tam minutum, tam in ipsa concinnitate puerile? [*V. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* p. 225. sq.]

MĪNYAE, arum, m. plur. *Μινύαι*, comites Iasonis in expeditione Argonautica: ita dicti vel quia eorum magna pars ex filiabus Minyae Iolchorum in Thessalia regis orti erant: vel quia ipsius Iasonis mater Clymeni et Minyae filia erat. Ita *Hyg. fab.* 14. *med.* et *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 4, 34., ubi addit et agrum Iolchorum, Minyae nomine dictum, appellationem eam tribuere potuisse. Porro rex Minyas fuit Orchomeni filius, Neptuni nepos. *Ov. Met.* 7, 1. Jamque fretum Minyae Pegasaea puppe secabant. *Lucan.* 6, 385. Minyae gens cognita remis. Adde *Prop.*, *Stat.*, *Sen. Trag.* et *Val. Fl.* saepissime.

MĪNYANTHES, eos, n. μινυανθὲς, genus trifolii majore folio. *Plin.* 21, 9, 30. et *ib.* 21, 88.

MĪNYAS, ae, m. V. MINYAE. ℙ *Minyas*, ădis, f. est herba quaedam, quam *Hard.* eandem esse putat, ac minyanthem, *h. e.* per breve tempus florens, a μινὺς, parvus, et ἄνθος, flos. *Plin.* 24, 17, 100. Idem (*Pythagoras*) minyada appellat, nomine alio corysidiam, cujus decocto in aqua succo protinus sanari ictus serpentium dicit.

MĪNYĒĬAS, ădis, f. *Μινυηΐὰς*, patronym. Minyae filia. *Ov. Met.* 4, 1. At non Alcithoe Minyeias Orgia censet Accipienda Dei.

MĪNYĒĬDES rectius quam Mineides, um, f. plur. *Μινυηΐδες*, Minyae filiae in vespertiliones transformatae, quod Bacchi sacra sprevissent. *Ov. Met.* 4, 32. solae Minyeides intus Intempestiva turbantes festa Minerva. Adde *ib.* 425.

MĪNYĒĬUS rectius quam Mineius, a, um, adj. *Μινυήϊος*, ad Minyam pertinens. *Ov. Met.* 4, 389. et adhuc Minyeia proles Urget opus.

*MĪNYEUS, ei et eos, *Μινυεὺς*, dicta est olim Orchomenus, Boeotiae urbs, quam tamen in Thessalia ponit *Plin.* 4, 8. In Thessalia autem Orchomenus, Minyeus antea dictus. ℙ *Thucyd.* 4, 76. Ἐς Ὀρχόμενον, τὸν Μινύειον πρότερον καλούμενον. V. et *Pausan.* in *Boeot.* 36. *B. A.*

[MĪO, as, a. 1. conspurco, mingo: est ab inus. μιάω, unde μιαίνω, contamino. *Inscr.* ap. *Zaccaria*, *Marm. Salonit.* p. 10. *n.* 15. Quisquis in hoc vico stercus non posuerit, aut non cacaverit, aut non miaverit, habeat illas (*h. e.* Furias, quae supra inscriptionem sunt sculptae) propitias; si neglexerit, viderit. Si legitima est haec inscriptio, unicum praebet hujus vocis exemplum. *F.*]

MĪRA pro moera. V. MOERA.

MĪRĀBĬLĬĀRĬUS, ii, m. qui mirabilia facit. *August. tract. in Joann.* 13. *f.* Contra istos, ut sic loquar, mirabiliarios cautum me fecit Deus.

MĪRĀBĬLIS, e, adj. θαυμαστὸς, admiratione dignus, admirandus. *Cic. Par.* 5, 1. *f.* Nec hoc est tam re, quam dictu inopinatum atque mirabile. *Id. Or.* 2, 46. Ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur. *Hor. Ep.* 1, 6, 23. Hic tibi sit potius, quam tu mirabilis illi. *Nep. Milt.* 5. Mirabili pugnandi cupiditate flagrare. *Ter. Heaut.* 2,

4, 7. vos esse istiusmodi, haud mirabile est. *Cic. Or.* 3, 51. Mirabile est, cum plurimum in faciendo intersit inter doctum et rudem, quam non multum differat in judicando. *Id. Div.* 2, 19. Nam esset mirabile, quomodo id Juppiter toties jaceret. *Ov. Her.* 20, 63. Hac ego compulsus, non est mirabile, forma, Si pignus volui vocis habere tuae. *Id. Pont.* 1, 5, 77. Finge legi, quodque est mirabile, finge placere. *Cic. Att.* 5, 13. Incredibilis multitudo mirabilem in modum mihi Ephesi praesto fuit. *Id. Or.* 2, 18. Quo ista majora ac mirabiliora fecisti, eo me major exspectatio tenet. *Colum.* 6, 36. Mirabilissima soboles. ℙ *Mirabile dictu!* aut *visu!* eleganter a poetis in re mira narranda interseritur. *Virg. G.* 2, 30. Quin et caudicibus sectis (mirabile dictu!) Truditur e sicco radix oleagina ligno. *Liv.* 7, 26. Dictu mirabile! tenuit non solum ales captam semel sedem, sed, etc. Adde *Virg. G.* 3, 275. et *A.* 1, 443. et *ib.* 12, 252. et al., et *Ov. Fast.* 3, 31. ℙ *Mirabile quantum*, mirum quantum. *Sil.* 6, 620. Fabius mirabile quantum Gaudebat.

MĪRĂBĬLĬTAS, atis, f. *θαυμασιότης*, admirabilitas. *Lactant.* 7, 4. Ut apparet ex mirabilitate operum suorum. *Non.* quoque 8, 53. agnoscit, sed comprobat verbis *Cic. Off.* 2, 11., ubi *admirabilitas* habetur.

MĪRĂBĬLĬTER, adv. *θαυμαστῶς*, mirandum in modum, vehementer, magnopere. *Nep. Dion.* 10. Mirabiliter vulgi mutata est voluntas. *Cic. Div.* 54. Quae mirabiliter a Socrate divinata sunt. *Id. Fam.* 4, 13. *med.* Omnes mirabiliter de te et loquuntur, et sentiunt; et *ib.* 13, 16. Mirabiliter cupere; et *ib.* 11, 14. laetari; et *Att.* 10, 4. excruciare. *Plin.* 29, 6, 38. mederi. *Gell.* 2, 23. *f.* Motus animi mirabiliter acres, et illustres. *Cic. Or.* 1, 21. Mirabilius et magnificentius augere atque ornare. [**Att.* 2, 25. Mirabiliter moratus est: *der Mann hat einen wunderlichen Charakter.*]

MĪRĂBUNDUS, a, um, adj. vehementer admirans. *Liv.* 3, 38. Nova res mirabundam plebem convertit, quidnam incidisset, cur, etc. *Id.* 25, 37. Poeni mirabundi, unde tot hostes tam subito exorti forent.

MĪRĂCŬLĂ, ae, f. meretrix deformi facie, et tanquam portentum aliquod, aut monstrum, pavorem videntibus incutiens. *Pl. fr.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Diobolares, sceniculae, miraculae. *Varr. ib.* Miraculae a miris, idest monstris. Porro verba *Plauti* sunt de meretricibus, quae ideo *miraculae* dicuntur, quia turpes et obscenae: nam miracula, inquit *Festus*, quae apud nos sunt res admiratione dignae, apud antiquos de rebus turpibus dicebantur. V. MIRIO.

*MĪRĂCŬLŌSE, adv. et

*MĪRĂCŬLŌSUS, a, um, adj. ap. *August. B. A.*

MĪRĂCŬLUM, i, n. *θαῦμα*, quidquid admirationem afferre potest, sive supra naturam sit, sive non, portentum, prodigium. [**abenteuerliche und wunderliche Meinungen.*] *Cic. N. D.* 1, 8. Portenta et miracula philosophorum somniantium. *Liv.* 2, 7. Adjiciunt miracula huic pugnae: silentio proximae noctis ex silva Arsia ingentem editam vocem, etc. *Phaedr.* 1, 11. hic auritulus Clamorem subito totis tollit viribus, Novoque turbat bestias miraculo. *Liv.* 25, 9. *med.* Miraculum magnitudinis: de grandi apro loquitur. *Id.* 25, 8. Minusque, iterum ac saepius id eos audere, miraculo fuit. Sic *Plin.* 7, 1, 1. Quid non miraculo est, cum primum in notitiam venit? *Id.* 9, 8, 8. Esse in miraculo, *h. e.* haberi pro re mira. *Id.* 32, 4, 15. Hoc est majoris miraculi, *h. e.* hoc magis homines admirantur. *Id.* 12, 1, 5. Arbor digna miraculo, *h. e.* quam admiremur. *Id.* 27, 11, 14. Nec quidquam inter herbas majore miraculo aspexi, *h. e.* mirabilius. *Id.* 9, 30, 48. Reliquiae asservatae miraculo. ℙ De miraculis inscriptum est *cap.* 8. *l.* 1. *Valerii Max.* ℙ Septem recensentur miracula, h. e. opera excellentis artificii, et insignis magnificentiae toto orbe celebratissima. Primo loco sunt muri Babylonis, de quibus *Plin.* 6, 26, 30. et *Curt.* 5, 1. secundo templum Dianae Ephesiae, de quo *Plin.* 36, 14, 21. tertio Jovis Olympii simulacrum, opus Phidiae ex ebore et auro, quo nullum (inquit *Val. Max.* 3, 7. *n.* 4. *extr.*) praestantius, aut admirabilius humanae fabricatae sunt manus: quarto Pyramides Aegyptiae, de quibus *Plin.* 36, 12, 17. et *Ammian.* 22, 15. quinto sepulcrum Mausoli, de quo *Id. ib.* 5, 4. *n.* 9. et *Gell.* 10, 18. sexto aeneus Colossus Solis in Rhodo insula, de quo *Plin.* 34, 7, 18. septimo regia Cyri domus, in qua lapides non ferro, sed auro illigatos fuisse tradunt: de qua *Cassiod. Variar.* 7, 15. Alii alia his accensent, labyrinthum Cretae, hortos pensiles Babylonis, muros, turrim Phari, etc. (V. *Cass. l. c.* et *Ampel.* 8.) Inter haec templum quoque Salomonis Hierosolymis enumerat *Sidon. ep.* 4, 18. *in carm.*, sed omnia longe superarunt Urbis Romae miracula, quae *Plin.* describit *c. l.* 36. *c.* 15. et sqq. *Sen. Consol. ad Polyb.* 1. Septem illa miracula, et si qua his multo mirabiliora sequentium annorum exstruxit ambitio, aliquando solo aequata visentur. ℙ Miracula, inquit *Festus*, quae sunt digna admiratione, dicimus: antiqui in rebus turpibus utebantur. *Ov. Met.* 3, 673. in quae miracula, dixit, Verteris? *Hor. Ep.* 2, 2, 108. Somnia, terrores magicos, miracula, sagas, Nocturnos lemures, portentaque Thessala rides? *Arnob.* 5, 174. Vertit Baubo artes, et quam serio non quibat allicere, ludibriorum statuit exhilarare miraculis. ℙ *Mira*, et *miracula*, inquit *Non.* 12, 15., Veteres pro monstris, vel horrendis ponebant. *Lucil. ib.* Miracula ciere. *Virg. G.* 4, 441. de Proteo: Omnia transformat sese in miracula rerum, Ignemque, horribilemque feram, etc.

MĪRANDUS, a, um, part. a *miror: θαυμάσιος*, admiratione dignus, mirabilis. *Cic. Verr.* 2, 5, 27. Opus totum ex saxo in mirandam altitudinem depresso. *Id. Att.* 9, 7. Mirandum in modum concupiscere. *Ov. Met.* 7, 758. mirandi novitate movebere facti. *Gell.* 2, 3. Liber mirandae vetustatis. *Plin.* 30, 13, 39. Vermium ipsorum genera mirandos usus habent. *Stat. Silv.* 1, 3, 20. miranda fides!

MĪRĀTĬO, onis, f. *θαυμασμὸς*, actus mirandi. *Cic. Div.* 2, 22. Causarum ignoratio in re nova mirationem facit.

MĪRĀTOR, oris, m. *θαυμαστὴς*, qui miratur. *Sen. V. B.* 8. Mirator tantum sui. *Plin.* 14, 4, 5. Minime mirator inanium. *Prop.* 2, 10, 9. formae honestae. *Ov. Met.* 4, 640. rerum. *Lucan.* 9, 961. famae. *Mart.* 10, 87. veterum senex avorum. *Lucan.* 9, 807. Magnanimo juveni miratorique Catonis, h. e. imitatori. V. MIROR.

MĪRĀTRIX, icis, f. quae miratur. *Sen. Hipp.* 742. Fama miratrix senioris aevi. *Juven.* 4, 62. Miratrix turba.

MĪRĀTUS, a, um, part. a *miror*. Active. *Caes. B. G.* 1, 32. Ejus rei quae causa esset, miratus, etc. *Virg. G.* 3, 49. Olympiacae miratus praemia palmae, Pascit equos. ℙ Passive. *Juvenc.* 3, 58. Ipse sed inprimis, mirata virginis arte, Attonitus stupuit.

MĪRĔ, adv. *θαυμαστῶς, θαυμαστικῶς*, mirabiliter, mirifice, mirum in modum. *Cic. Att.* 16, 11. Puero municipia mire favent. *Ter. Heaut.* 5, 1, 25. tuus Syrus mire finxit filium. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. Est in ea pictura canis mire factus. *Id.* 25, 12, 91. Chelidonia mire medetur. *Id.* 36, 13, 19. *n.* 3. Id opus invisum mire infestavere. *Sall. in or. Lep. ad pop. R. f.* Secundae res mire sunt vitiis obtentui. *Plin.* 14, 4, 5. Vanitas nota mire in illo fuit; et 29, 3, 12. Mire laudatur; et *ib.* 1, 6. Mire gratus; et 19, 5, 24. tenuis; et 31, 7, 39. similis. *Pers.* 6, 3. opifex, *h. e.* mire et valde peritus. ℙ *Mire quam*, mirum quantum. *Cic. Att.* 1, 11. *f.* Mire quam illius loci cogitatio delectat. Al. leg. *quantum.* [**Orell.* vulg. exhibet, propter analogiam partt. *sane quam.*]

MĪRĬFĪCĒ, adv. idem ac mire. *Cic. Acad.* 4, 2. Delectabantur autem mirifice lectione librorum. *Id. Att.* 6, 3. *f.* Mirifice conturbatum vidi puerum. *Hirt. B. Afr.* 71. Mirifice hostium levis armatura anxium exercitum nostrum atque sollicitum habebat. *Cic. Att.* 2, 19. Mirifice dolere. *Id. N. D.* 1, 21. diligere; et *Att.* 5, 17. *συμφιλοδοξεῖν* gloriae alicujus. *Id. Fam.* 3, 11. laudare; et *ib.* 12, 12. de republica meriti milites. *Plin.* 31, 8, 44. prodesse; et 24, 18, 105. sanguinem sistere.

*MĪRĪFĪCENTĬA, ae, f. admirabilitas. *Chrysolog. Serm.* 63. Mirabilium mirificentiam esse pervidemus. *B. A.*

MĪRĪFĪCO, as, a. 1. *θαυματοποιῶ*, mirabilem facio, miris laudibus extollo. *Pl. Amph.* 2, 2, 46. Quamque adeo cives Thebani modo miro mirificant. Ita quidam lexicographi, verum plerique MSS. et edd. habent *Thebani vero rumificant probam.* At *Non.* 2, 478. *rumiferant.*

MĪRĪFĪCUS, a, um, adj. *θαυμάσιος*, admirationem faciens, mirus, mirabilis, mirandus. *Caes. B. C.* 3, 112. Turris magna altitudine, mirificis operibus exstructa. *Petr. Sat.* 21. Gustatione mirifice initiati. *Hirt. B. Afr.* 40. Gallorum corpora mirifica specie, amplitudineque. *Cic. Att.* 1, 16. Mirificae pugnae; et *ib.* 1, 14. *med.* Convicium mirificum alicui facere. *Id. Fam.* 3, 11. *med.* Mirificam voluptatem capere. *Id. Sen.* 4. *f.* Mirificos fructus afferre. *Id. Att.* 14, 13. *med.* Mirificas gratias agere alicui. *Id. Fam.* 14, 3. Mirifico studio et officio esse in aliquem; et *ib.* 1, 9. *med.* Mirificus consensus senatus; et *ib.* 15, 10. animus erga quempiam; et *Att.* 4, 11. Dionysius, homo mirificus, *h. e.* vir optimus et doctissimus, ut eum *Atticus ep.* 7, 7. appellat. *Cic. ad Brut.* 1, 3. Pueri mirifica indoles virtutis. *Ov. Pont.* 4, 13, 5. Non quia mirifica est *(structura carminis)*, sed quod nec publica certe. *Gell.* 6, 15. Homo in doctrinis mirificus. *Ter. Phorm.* 5, 6, 32. Mirificissimum facinus. *August. C. D.* 18, 42. Alexandri mirificentissima potentia.

MĪRĬO, onis, m. *Accius* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* personas distortas, oribus deformes, miriones dici ait: a *miris*, id est monstris. V. MIRACULA. ℙ A *mirando* ducit etiam *Tert. Praescr.* 3., ubi ait: Solent quidem isti miriones etiam de quibusdam personis ab haeresi captis, aedificari in ruinam, *h. e.* isti, qui mirantur, esse haereses, et stupent, adeo valere adversus Catholicam veritatem.

MIRMILLO et Murmillo, onis, m. genus gladiatoris, qui cum Threce, et retiario committebatur. Prodibat autem galea, brevi tunica, et magno scuto tectus, cum sica in dextra, ut videre est Astyanactem ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 165, 1., in summa vero galea piscis effigiem habebat, qui *mormyrus*, *μόρμυρος* et *μορμυρίων* dicitur; unde *mirmillo* quibusdam factum videtur. Alii rectius a Myrmidonibus ducunt, Achillis militibus (quos immerito ridet *Lips. Saturn.* 2, 10.); vel a *μυρμὴξ*, seu *μύρμος*, formica, quia propter gravem armaturam non incedere, sed formicarum more repere potius videretur. *Cic. Phil.* 3, 12. Ille autem ex mirmillone dux, ex gladiatore imperator quas fecit strages, ubicumque posuit vestigia? *Id. ib.* 6, 5. Tantum sibi sumpsit, quia Mylasis mirmillo Threcem jugulavit, familiarem suum. *Juven.* 8, 200. nec mirmillonis in armis, Nec clypeo Gracchum pugnantem, falce supina, Nec galea frontem abscondit. *Cic. Dom.* 10. Patremfamilias, quod Threcem mirmilloni parem, munerario imparem dixerat, canibus objecit. *Ammian.* 23, 6. *f.* de Persis: Pedites in speciem mirmillonum contecti, jussa faciunt, ut calones. *Id.* 16, 12. *f.* Vulneribus declinandis intentus, seque in modum mirmillonis operiens, *h. e.* subsidens, et scuto se tegens, ut facere mos fuit mirmilloni pugnanti. *Inscr.* ap. *Grut.* 334, 3. M. Ulpius Felix mirmillo veteranus. Adde aliam ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12., quae pertinet ad ann. a Chr. n. CLXXVII., ubi inter varia gladiatorum genera *Mur. Vet.*, h. e. murmillo veteranus, quinquies legitur: et aliam in *Giorn. Arcad.* T. 28. p. 351. ubi *doctor Murm.* Alia mendosa ap. *Mur.* 2019, 6. emendata ap. *De-Lama Guida al Mus. Parm.* p. 106. A. Postumius Acoemetus doctor mirmillonum. ℙ Dicebatur etiam *Gallus* ab armorum genere. *Festus.* Retiario pugnanti adversus mirmillonem cantatur: *Non te peto, piscem peto, quid me fugis Galle?* Quia mirmillonicum genus armaturae Gallicum est, ipsique mirmillones ante Galli appellabantur, in quorum galeis piscis effigies inerat. Haec *Festus.* [*Multis hunc locum emendavit *F.*]

MIRMILLŌNĪCUS, a, um, adj. ad mirmillones pertinens. V. v. praec.

MĪRO, as, a. 1. idem quod miror. *Varr.* ap. *Non.* 7, 105. Hospes, quid miras nummo curare Serapim? *Id. ib.* Aut ambos mira, aut noli mirare de eodem. *Pompon. ib.* 56. Si studium mirabis diu.

[MIROBRĪGENSIS, e, adj. ad Mirobrigam pertinens. Duplex autem fuit hujus nominis urbs, una Hispaniae Baeticae, quae nunc *Capilla*, altera Lusitaniae. *Plin.* 4, 22, 35. Mirobrigenses, qui Celtici cognominantur. *F.*]

MĪROR, aris, atus sum, dep. 1. [*Primum intransitive ponitur de iis, qui animo, cogitatione aliquid novum, incognitum, inexspectatum contemplantur: nostr. *sich wundern, erstaunen, nicht begreifen können, befremdlich finden*: hinc ab initio collocavimus ista: *Cic. Div.* 2, 24. Mirari se ajebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset; et *ib.* 1, 7. Mirari licet, quae sint animadversa a medicis herbarum genera, quae radicum ad morbum bestiarum, ad vulnera, *(man muss erstaunen)*; et *Div. Verr.* 1. Si quis forte miratur, me ad accusandum descendere. *Suet. Claud.* 27. Quo magis miror fuisse, qui traderent, fraude a Sejano necatum. Hic elegans notanda dicendi ratio *miror si*, qua negamus, non putamus id fieri posse: nostr. *es sollte mich Wunder nehmen, wenn.* *Cic. Amic.* 15. Miror, in illa superbia, et importunitate, si quemquam amicum habere potuit. *Pl. Ps.* 1, 5, 27. Idne tu miraris, si patrissat filius? Adde *Curt.* 8, 7. Miraris si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus. *Calpur. Fl. Decl.* 14. Mirabor si quis tantum sceleris auderet. *Quint. Decl.* 262. p. 490. Sed miror, si in hac civitate diligentissima juris, ulla lex contra alteram scripta est: aut hoc prudentissimi constitutores juris non viderunt. — Jam sequi poterant ea, in quibus Noster verbo *miror* similem vim verbi *ignoro* vindicaverat, quia ipsum *mirari* ex quadam ignorantia nasceretur. *Cic. Att.* 1, 14. Ne miraretur, cur idem iterum facerem. *Pl. Amph. prol.* 86. Mirari nolim vos, quapropter Juppiter Nunc histriones curet. *Id. Aul. prol.* 1. Ne quis miretur, qui sim, paucis eloquar. *Ter. Eun.* 2, 2, 59. video, herilem filium huc advenire: Miror, quid ex Piraeeo abierit: nam ibi custos publice est nunc. *Cic. Rosc. Am.* 1. Credo, vos mirari, quid causae sit, quod, etc. *Id. Or.* 3. Mirabuntur, quid haec pertineant ad ea, quae quaerimus. *Id. Off.* 2, 16. Miror, quid in mentem venerit Theophrasto. *Id. Verr.* 2, 2, 54. Ne miremini, qua ratione hic tantum potuerit; et *N. D.* 1, 34. Satis mirari non possum, unde ad istas opiniones ille venerit. ℙ Transitive, sq. Accus. etc., est rem aliquam intuens, audiensve suspicio, admiror, demiror, admiratione afficior, obstupesco, *θαυμάζω.*] *Virg. G.* 4, 362. domum mirans genitricis, et humida regna. *Cic. Att.* 10, 5. Mirari satis hominis negligentiam non queo.

Id. Or. 2, 14. Illud jam mirari desino, quod ante mirabar, hunc, cum haec nesciret, in dicendo posse tantum. *Hor. Od.* 2, 13, 30. Utrumque sacro digna silentio Mirantur umbrae dicere, *h. e.* mirantur dicentem. *Cic. Har. resp.* 22. Hunc ego non miror: quid enim faciat aliud? illos homines sapientissimos miror, primum quod clarum hominem violari patiuntur, deinde quod existimant, etc. ℙ Est etiam cupide intueri, magni aestimare, amare, delectari. *Sall. Cat.* 11. Signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari: ea privatim et publice rapere. *Hor. Ep.* 1, 6, 18. cum gemmis Tyrios mirare colores; et *ib.* 1, 47. Stulte mirari, et optare aliquid. *Cic. Verr.* 2, 4, 56. Nimium forsitan haec illi mirantur atque efferunt. [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 5, 81.] ℙ Item probare, et imitari studere. *Virg. A.* 8, 516. tua cernere facta Assuescat, primis et te miretur ab annis. *Val. Fl.* 1, 268. te parvus lituos et bella loquentem Miretur. *Ov. Her.* 2, 77. Quod solum excusat, solum miraris in illo. *Stat. Silv.* 5, 2, 75. aequaevo cedere fratri, Mirarique patrem. ℙ *Res digna miratu*, h. e. contemplatione. *Sen. ep.* 94. *med.* Defectus solis et lunae: alia deinceps digna miratu. ℙ *Mirari se*, est sibi placere. *Catull.* 22, 17. Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur. *Mart.* 13, 2. qui se mirantur, in illos Virus habe: nos haec novimus esse nihil. [**Id. Spect.* 5, 3. Nec se miretur, Caesar, longaeva vetustas.] ℙ Cum genitivo per ellipsin. *Virg. A.* 11, 126. Justitiaene prius mirer, belline laborum? *h. e.* causa justitiae, etc. [*Cf. *Ruddim.* 2, 119. 121. 169.] V. in LĔVO. ℙ Pro cupiditatibus duci, *Hor. Ep.* 1, 6, 9. Qui timet his adversa, fere miratur eodem Quo cupiens pacto. ℙ Pro intueri simpliciter. *Trebell. Gall.* 9. Uniuscujusque vultum mira inhiatione mirantes. ℙ Poetice tribuitur et brutis, et rebus inanimis. *Virg. G.* 2, 81. Exiit in coelum ramis felicibus arbos, Miraturque novas frondes, et non sua poma. ℙ Part. *Miraturus* ap. *Ov. Met.* 7, 370. Miraturus erat nasci potuisse columbam. *Mirandus.* V. s. l.

*MIRTYLI, orum, opp. Lusitaniae, hodie *Mertola* dictum. *Mela* 3, 1. *med.* ℙ *Myrtilis* est *Plin.* 4, 21. (al. 22.) et *Anton. Itin. B. A.*

MIRUS, a, um, adj. *θαυμαστὸς, θαυμάσιος*, admiratione dignus. Docet *Fest.* et *Non.* 12, 15. mira, et miracula veteres dixisse prodigia, monstra, portenta, res deformes et horribiles aspectu. V. MIRACULUM. *Caes. B. G.* 1, 34. Sibi mirum videri, quid in sua Gallia populo R. negotii esset. *Pl. Ps.* 1, 5, 97. Mirum et magnum facinus. *Id. Amph.* 5, 1, 53. Nimia mira memoras! et *ib.* 5. Tanta mira in aedibus sunt facta. *Id. Men.* 2, 3, 11. Animule mi, mihi mira videntur, Hic te stare foris, fores cui pateant. *Ov. Fast.* 3, 503. Nec, quod nos uris, mirum facis: ortus in igne Diceris. *Cic. Fam.* 2, 11. Mirum me desiderium tenet urbis; et *ib.* De pantheris agitur mandato meo diligenter: sed mira paucitas est. *Vell.* 2, 115. Mira pugnandi scientia. *Caes. B. G.* 1, 41. Hac oratione habita, mirum in modum conversae sunt hominum mentes. *Ter. Hec.* 1, 2, 104. Miris modis odisse aliquem. ℙ *Mira fides!* V. FIDES. ℙ *Mirum quam*, aut *quantum*, *θαυμαστὸν ὅσον*, mirabile est, quantum, mirum in modum: ut immane quantum, nimium quantum. *Cic. Att.* 15, 40. Mirum quam inimicus ibat, ut ego objurgarem. *Tac. A.* 15, 54. Sed mirum, quam inter diversi generis, ordinis, aetatis, sexus, etc. *Liv.* 2, 1. *extr.* Id, mirum quantum profuit ad concordiam civitatis. ℙ *Mirum ut*, mirum quam. *Tac. H.* 1, 79. Mirum dictu, ut sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos. *Plin. ep.* 1, 6. Mirum est, ut animus agitatione motuque corporis excitetur. ℙ *Mirum ni*, et *nisi*, est affirmantis, et significat sine dubio: h. e. mira res est, nisi hoc, quod dico, fit. *Ter. Andr.* 3, 4, 19. ubi nunc est ipsus? *Da.* mirum, ni domi est. Sic *Pl. Capt.* 4, 2, 43. Eugepae! edictiones aedilicias hic habet quidem: Mirumque adeo est, ni hunc fecere sibi Aetoli agoranomum. Sic *Amph.* 1, 1, 127. Mira sunt, nisi invitavit sese in coena plusculum; et *ib.* 163. Mirum, nisi hic me quasi muraenam exossare cogitat; et *Poen.* 4, 2, 17. Omnia edepol mira sunt, nisi herus hunc heredem facit. ℙ *Id. Men.* 5, 7, 56. Socer, et medicus me insanire ajebant: quid sit, mira sunt, *h. e.* miror, quid hoc sit. ℙ *Mirum ni*, aut *quin* aliquando ironiam continet, et est stomachantis, seu indignantis. *Naev.* ap. *Cic. Or.* 2, 69. Quid ploras pater? mirum, ni cantem: condemnatus sum; et *Pl. Trin.* 4, 2, 125. Mirum, quin ab avo ejus, aut proavo acciperem, qui sunt mortui. Adde 2, 4, 94. et *Most.* 2, 2, 62. ℙ *Quid mirum?* quid est quod miremur? *Ov. A. Am.* 3, 110. Si fuit Andromache tunicas induta valentes, Quid mirum? duri militis uxor erat. *Hor. Od.* 2, 13, 33. Quid mirum? ubi illis carminibus stupens, etc. ℙ Comp. *Mirior* est vetustiorum. *Titin.* ap. *Fest.* Mirior inquam tibi videor. *Varr.* ap. *Non.* 2, 515. Numquid enim hoc mirius?

MIS, antiquus genitivus poeticus pro *mei*. Refertur a *Quint.* 8, 3. *med.* inter illa, quae parce usurpata aspergunt vetustatis inimitabilem arti auctoritatem. V. OLLUS. *Enn.* ap. *Prisc.* 13, 955. Ingens cura mis cum concordibus aequiparare. *Cura mis*, dactylus est extrito *s*. Alii leg. *mis est concordibus:* alii vero rectius leg. *Cura ingens mis cum concordibus;* ita ut *mis* scriptum fuerit pro *miis*. V. MIUS. Addi solent duo loca *Pl. Capt.* 3, 5, 107. et *Trin.* 4, 1, 3. sed dubia utrobique lectione. *Quint. l. c.* ita loquitur, quasi etiam *Virgil.* hac voce usus sit, quae tamen nunc ap. *eund.* non legitur.

*MISAGĒNES, filius Masinissae. *Liv.* 42, 29. 62. sq. *B. A.*

[MISARGYRĬDES, ae, m. ita per antiphrasin vocat joculariter danistam *Pl. Most.* 3, 1, 41. *Thran.* Salvere jubeo te, Misargyrides, bene. *Dan.* Salve et tu: quid de argento? *Thran.* abi sis, belua. Est autem a *μῖσος*, odium, et *ἄργυρος*, argentum.

MISCELLĀNĔUS, a, um, adj. *παμμιγὴς*, ex variis dissimilibusque rebus conflatus. *Appul. Met.* 3. *in.* Magistratibus, eorumque ministris, et turbae miscellaneae cuncta completa, *h. e.* omnis ordinis, aetatis, sexus. ℙ *Miscellanea, orum*, ludi, in quibus nullum certum genus spectaculi exhibetur, sed varia promiscue, et sine ordine: quos *miscellos* appellat *Suet. Cal.* 20. *Juven.* 11, 19. Et quadringentis nummis condire gulosum Fictile: sic veniunt ad miscellanea ludi, *h. e.* ludii facti veniunt in arenam in ludis miscellis. *Vet. Schol.* interpretatur *miscellanea* cibum gladiatorum, quia hi omnia, inquit, quae apponuntur eis, miscent, et sic manducant. Hac ratione tota *Juvenalis* sententia congruentior videtur. Dicit enim, parari cibos infinito sumptu, quo patrimonia una paene mensa comeduntur: deinde supervenientem inopiam cogere, vilioribus cibis nutriri, cujusmodi in ludo gladiatoribus praebebantur. ℙ *Miscellanea Ptolemaei*, quam memorat *Tert. adv. Valent.* 12., videtur fuisse opus alicujus scriptoris ex variis aliorum scriptis compositum.

MISCELLĬONES appellantur, qui non certae sunt sententiae, sed variorum mixtorumque judiciorum. *Fest.*

MISCELLUS, a, um, adj. mixtus, varius, promiscuus. *Cato R. R.* 23. Uvas miscellas ad vinum praeliganeum, quod operarii bibant, ubi tempus erit, legito. *Id. ib.* 6. *extr.* et *Plin.* 14, 4, 5. Ceterae vites, miscellae maxime, in quemvis agrum conveniunt. *Varr. R. R.* 1, 54. Uva praecox, et miscella, quam vocant nigram, multo ante coquitur: quo prior legenda. *Uva miscella* his locis videtur esse, quae legendi tempore non tota nigra est, sed albedinis retinet aliquid, et cruditatis. *Id. ib.* 3, 7. de columbis: Ex his duabus stirpibus fit miscellum tertium genus fructus causa, *h. e.* ex agresti genere, et domestico. *Suet. Cal.* 20. Edidit in Sicilia astycos ludos, et in Gallia miscellos. V. MISCELLANEUS. *Gell. praef.* Variam, et miscellam, et quasi confusaneam doctrinam conquisiverant. ℙ *Lex Julia miscella*, quam memorat *Justin.* in *Authent. de nupt.* 43. dicta est, non a *Julio Miscello*, qui eam tulerit, (neque enim *Miscellus* cogn. R. est) sed a varietate plurium rerum ac personarum, quas complectebatur. ℙ *Aes miscellum* ap. *Sicul. Fl. de condit. agror.* p. 23. *Goes.* est tabula aenea, in qua descripta erant nomina militum emeritorum, quibus agri ab imperatore assignabantur, et mixtim etiam eorum, qui postea in locum defunctorum successerant.

MISCĔO, es, miscui, mistum et mixtum, a. 2. *μίγνυμι*, confundo, tempero, permisceo, admisceo. *Pl. Ps.* 1, 1, 61. Dulce amarumque una nunc misces mihi. *Phaedr.* 1, 14. Miscere toxicum antidoto. *Hor. Sat.* 2, 4, 24. forti mella Falerno; et *ib.* 2, 73. elixa assis; et *ib.* 4, 55. vina Surrentina faece Falerna. *Colum.* 6, 4. largo sale pabula. *Ov. Her.* 16, 198. aquas nectare. *Id. Met.* 4, 140. fletum cruori. *Colum.* 7, 5. *med.* ad faecem et amurcam portione aequa detritum album helleborum. *Lucr.* 2, 804. Inter caeruleum virides miscere smaragdos. *Ov. Pont.* 1, 9, 20. Cumque meis lacrimis miscuit usque suas. *Id. Met.* 13, 549. postquam cum luctu miscuit iram. *Virg. A.* 12, 714. sors et virtus miscentur in unum. *Liv.* 30, 34. Pavidos fuga et vulneribus milites in integram aciem miscere. *Ov. Met.* 4, 307. Et tua cum duris venatibus otia misce. *Id. Trist.* 1, 3, 80. Miscuit haec lacrimis tristia dicta suis. *Id. Fast.* 6, 463. interdum miscentur tristia laetis. ℙ Pertinet aliquando ad amplexus, et *συνουσίαν*. *Cic. Div.* 1, 30. Cum matre corpus miscere. *Ov. Met.* 13, 867. sic se tibi misceat. *Appul. Met.* 9. Fullonis uxor cum illo juvene miscebatur in Venerem. ℙ Et ad connubia. *Liv.* 1, 9. Miscere sanguinem, et genus. ℙ Interdum *misceri*, est convenire, congregari. *Virg. G.* 4, 75. de apib.: Et circa regem, atque ipsa ad praetoria densae Miscentur. Adde *ib.* 311. ℙ Post invectum morem miscendi aquam vino, quia merum capiti inimicum senserant, qui primi ejus usum invenerunt, *miscere* pro bibendum praebere usurpari coeptum, licet minime dilutum vinum detur. *Cic. Fin.* 2, 5. *extr.* Qui alteri misceat mulsum, ipse non sitiens. *Ov. Amor.* 1, 4, 29. Quod tibi miscuerit, sapias, bibat ipse, jubeto. *Mart.* 3, 49. Vejentana mihi misces, tu Massica potas. *Ov. Met.* 1, 147. Lurida terribiles miscent aconita novercae; et *ib.* 10, 160. Miscere pocula alicui. *Mart.* 6, 78. Misceri sibi protinus deunces, Sed crebros, jubet. ℙ *Miscere manus, proelia*, est conserere. *Prop.* 2, 20, 66. Cum Mavors dubias miscet utrinque manus. *Id.* 4, 1, 28. Miscebant usta proelia dura sude. Adde *Virg. G.* 2, 282. et *ib.* 3, 220. etc. Sic *vulnera miscere* ap. *eund. A.* 12, 720. de his, qui pugnando se mutuis vulneribus conficiunt. ℙ Saepe significat perturbare, confundere, permiscere. *Virg. A.* 1, 137. Jam coelum terramque meo sine numine, venti, Miscere, et tantas audetis tollere moles; et *ib.* 128. magno misceri murmure pontus. *Id. ib.* 9, 714. Miscent se maria, et nigrae attolluntur arenae; et *ib.* 1, 194. tum vulgus, et omnem Miscet agens telis nemora inter frondea turbam, *h. e.* agmen cervorum disjicit. ℙ Translate. *Cic. Leg.* 3, 9. Omnia infima summis paria fecit, turbavit, miscuit. *Id. Or.* 1, 51. *med.* Animorum motus judicibus aut populo dicendo miscere atque agitare. *Id. Agr.* 2, 33. Malis concionibus, turbulentis senatusconsultis, iniquis imperiis miscere rempublicam. *Vell.* 2, 74. Omnia armis, tumultuque miscebat. *Phaedr.* 1, 2. Procax libertas civitatem miscuit. *Virg. A.* 2, 486. At domus interior gemitu, miseroque tumultu Miscetur; et *ib.* 12, 805. luctu miscere hymenaeos; et *ib.* 217. vario misceri pectora motu. ℙ Pro moliri, ciere, agitare, commovere. *Virg. A.* 4, 209. caecique in nubibus ignes Terrificant animos, et inania murmura miscent. *Id. ib.* 2, 329. victorque Sinon incendia miscet Insultans. *Tac. A.* 1, 16. Miscere coetus. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 22. Eas habet conciones, ea miscet ac turbat, ut, etc. *Nep. Paus.* 1. Qua victoria elatus plurima miscere coepit, etc. *Ter. Heaut.* 4, 5, 35. Ita tu istaec tua misceto, ne me admisceas. *Cic. Cat.* 4, 3. Ego magnum in republica versari furorem, et nova quaedam misceri et concitari mala, jampridem videbam. *Tac. H.* 4, 68. *extr.* Miscere seditiones. ℙ *Mare coelo miscere*, proverbiali locutione dicitur de iis, qui nihil non conantur, ac turbant, fremunt, indignantur, exclamant, ut quippiam obtineant: *τῇ γῇ τὸν οὐρανὸν ἀναμεμίχθαι. Liv.* 4, 3. Quid tandem est, cur coelum ac terras misceant? *Juven.* 2, 25. quis coelum terris non misceat, et mare coelo, Si fur displiceat Verri, homicida Miloni? *h. e.* non vehementer stomachetur, et exclamet. *Id.* 6, 282. clames licet, et mare coelo Confundas, homo sum. ℙ *Miscere se*, se immittere. *Virg. A.* 1, 443. Infert se septus nebula (mirabile dictu!) Per medios, miscetque viris, neque cernitur ulli. Translate. *Liv.* 39, 37. Cum concilii nostri eam civitatem fecerimus, nobisque miscuerimus. *Vell.* 2, 86. Miscere se partibus alicujus. *Callistr. Dig.* 27, 1, 17. *f.* administrationi. *Papin. ib.* 26, 7, 38. *med.* negotiis. *Ulp. ib.* 29, 2, 42. *f.* paternae hereditati. ℙ *Miscere curas cum aliquo*, partiri, communicare. *Sen. ep.* 3. Cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. ℙ Part. *Miscens* ap. *Phaedr.* 1, 28. Hosti dolorem damno miscens sanguinis. *Mixturus* ap. *Lucan.* 7, 814. rogus ossibus astra Mixturus. *Miscendus* ap. *Ov. Met.* 12, 321. miscendaque, dixit, Cum Styge vina bibas.

*MISCILLUS, a, um, adj. i. q. miscellus. *Mart. Capell.* 9. *med.* p. 309. *Grot.* Miscilla sacrae dum feruntur curiae. *B. A.*

[MISCĬPŬLO, as, n. 1. idem ac poppyzo. *Gloss. Philox.* Miscipulat, *ποππύζει. F.*]

*MISCIX, i. q. miscellio, *h. e.* inconstans, homo incertae sententiae. *Petr.* 45. ed. *Anton.* Al. leg. *mittix*, alii *mixias*, alii aliter. *B. A.*

MISELLUS, a, um, adj. dimin. miseri. *Cic. Att.* 3, 23. *f.* Meum Ciceronem, cui nihil misello relinquo praeter invidiam et ignominiam nominis mei, tuere quoad poteris. *Id. Fam.* 14, 4. Illius miselli et matrimonio et famae serviendum est. *Catull.* 3, 16. O factum male! o miselle passer! *Pl. Rud.* 2, 6, 65. redactus sum usque ad hanc unam tuniculam, Et ad hoc misellum pallium. *Lucr.* 4, 1089. Misella spes. ℙ *Misellos* appellabant defunctos. *Tert. Testim. anim.* 4. Cum alicujus defuncti recordaris, misellum vocas eum. *Petr. fragm. Trag.* 65. *Burm.* Sacrum novendiale servo suo misello faciebat. Sic *Inscrt.* ap. *Grut.* 715, 4. D. M. et memoriae miserrimorum, etc.

MISĒNĀTES, ium, m. plur. Miseni incolae. *Veg. Mil.* 4, 31. et *Inscrt.* ap. *Grut.* 521, 5. Misenatium classis.

MISĒNENSIS, e, adj. ad Misenum pertinens, ut Misenensis villa, *Phaedr.* 2, 5. Misenensis classis, *Tac. H.* 3, 57.

MISĒNUS, i, m. *Μισηνὸς*, mons et promont. Campaniae, ubi Misenum urbs a Miseno filio Aeoli, Aeneae tubicine, ibi sepulto. *Virg. A.* 6, 232. et sqq. et *Sil.* 12, 155. ℙ Neutr. gen. *Festus:* Misenum promontorium a Miseno tubicine Aeneae ibi sepulto est appellatum. ℙ **Promontorium Miseni* audit *Liv.* 24, 14. *B. A.*

MĪSER, a, um, adj. *ἄθλιος, δύστηνος, τάλας*, ae-

rumnosus, infelix, afflictus, calamitosus. *Varr. L. L.* 4, 17. ducit a *minus*, cui cum opus est, minus nullo est. [*Prob. *Doederl.* 3, 117.] Alii a Graeco derivant. [*Ita *Kärch.* a *αμνγερός — μογερός.*] *Cic. Part.* 17. Nihil est tam miserabile, quam ex beato miser. *Id. Fam.* 14, 7. et *Pl. Cist.* 2, 2, 2. Miserrimum habere aliquem, *h. e.* affligere, vexare, miserrimum reddere. [*L. Verus* ap. *Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2. Curae me dies noctesque miserrimum habuere. *F.*] *Cic. Planc.* 34. Miseris et laborantibus nihil negare possumus. *Id. Quint.* 30. Miser, atque infelix. *Id. Par.* 2, 1. Aerumnosus, infelix, miser. *Id. Tusc.* 4, 38. Miser, afflictus, aerumnosus, calamitosus. *Ter. Eun.* 3, 2, 33. Servus domini pauperis miserique. *Pl. Bacch.* 5, 1, 20. Homo miser, et infortunatus. *Cic. Cluent.* 3. Fortunae miserae atque jactatae alicujus portum ac perfugium esse. [**Hirt. B. G.* 8, 34. Miserrimaque Alesiae memoria solliciti.] *Cic. Phil.* 11, 4. O multo miserior Dolabella, quam ille, quem tu miserrimum esse voluisti. *Pl. Mil.* 4, 2, 76. quid illam miseram animi excrucias? *Id. Truc.* 2, 7, 36. Animo hercle homo suo est miser. *Id. Epid.* 4, 1, 1. et *Lucr.* 3, 110. Miserum esse ex animo. ℙ [**Miser* interdum est *nimius* cum notione ingrati, molestiam, commiserationem vel contemtum procreandi. *Virg. A.* 5, 655. At matres, primo ancipites, oculisque malignis Ambiguae, spectare rates, miserum inter amorem Praesentis terrae, fatisque vocantia regna. *Hor. Sat.* 2, 2, 66. atque In neutram partem cultus miser: ubi *Heindf.* laud. *ib.* 1, 3, 135. Miser — rumperis et latras. *Juv.* 14, 64. miser trepidas, ne — foeda — Atria displiceant oculis venientis amici. V. similem usum v. *misere* in h. v.] ℙ Eleganter sermoni interseritur. *Ter. Andr.* 5, 2, 10. anne est intus Pamphilus? crucior, miser. *Lucr.* 4, 1172. foribus, miser, oscula figit. *Pl. Capt.* 1, 2, 32. Ossa atque pellis sum, misera, macritudine. ℙ Dolentis et querentis exclamationes sunt ap. *Ter. Ad.* 3, 1, 4. Miseram me! neminem habeo: solae sumus; et 3, 2, 3. Vae misero mihi! et 3, 2, 12. Me miserum! vix sum compos animi; et *Phorm.* 1, 4, 10. Eheu me miserum! *Virg. A.* 6, 20. tum pendere poenas Cecropidae jussi (miserum!) septena quotannis Corpora. [*Pertinent huc et ista, in quibus est quoddam epiphonema. *Lucan.* 4, 382. Heu miseri, qui bella gerunt: ubi *Cort.* laudat *Sedul.* 1, 226. Heu miseri, qui vana colunt, qui corde sinistro etc.] ℙ Speciatim pro aegroto sumitur. *Petr. Sat.* 129. Homini misero non invideo medicinam. *Pl. Poen.* 5, 2, 43. miseram esse praedicat buccam sibi: Fortasse medicos nos esse arbitrarier. *Id. Truc.* 2, 6, 39. Quo nunc etiam morbo misera sum. *Veg. Vet.* 3, 18. Interdum jumentis misera fit coxa. *Ter. Eun.* 5, 2, 7. miserrimus Fui fugitando, ne quis me cognosceret, *h. e.* fatigatus, languidus, lassus, ut et *Donat.* exponit. ℙ [*Pro capitis damnato. *Liv.* 39, 43. Unum ex illis miseris attrahi jussum, securi percussisse; *paulo post:* mactatam victimam humanam.] ℙ *Hic annotanda erat vocis vis, qua pro scelesto et perdito, praesertim in convicio, dicitur. *Ter. Eun.* 3, 1, 28. Hominem perditum miserumque! *Id. ib.* 5, 5, 11. Eam iste vitiavit miser. Conveniunt Graeca *δύστηνος* et *κακοδαίμων. Soph. Electr.* 124. *Ὦ παῖ παῖ δυστανοτάτας Ἠλέκτρα ματρός:* ubi V. *Schol. Theocr. Idyl.* 15, 31. *Δυστανε, τί μεν τὸ χειρώνιον ἄρδεις;* Convenit etiam Gallicum *malheureux.* Haec *Ruhnk. B. A.* ℙ *Misera res*, quae miseros facit. *Cic. Fin.* 5, 28. *med.* Bonum liberi, misera orbitas: bonum patria, miserum exsilium. *Id. Rosc. Am.* 28. O Dii immortales! rem miseram et calamitosam! *Id. Cat.* 4, 6. Mihi videntur haec misera atque miseranda. *Id. fragm. pro Corn. majest. reo* ap. *Ascon.* Spectaculum miserum ac funestum. *Id. ad Pompej.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Supplicia miserrima, et crudelissima perferre. *Hor. Sat.* 1, 4, 26. Misera ambitione laborare. *Val. Fl.* 6, 418. Misera pestis. *Lucr.* 3, 1065. Miserae curae. *Cic. Att.* 8, 11. *med.* Nihil potest fieri miserius, nihil perditius, nihil foedius. *Hirt. B. G.* 8, 7. *med.* Ne miseriore ac duriore conditione cum toto exercitu decertare cogerentur. *Cic. Att.* 3, 7. *f.* Id est maximum, et miserrimum mearum omnium miseriarum. [**Plin.* 33, 3. Nemo e spectatore spectaculum factus, miseras voluptates unco et ignibus expiavit: ubi *miserae voluptates* sunt, quae ipsis verterunt in miseriam. Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 6, 129.] ℙ Interdum miser de innocente dicitur, et qui sine sua culpa infelix est, ut adnotavit *Ascon.* ad illud *Cic. Verr.* 2, 1, 15. *f.* Ille miser cum esset, tum proditione istius nefaria, tum improbo ejusdem testimonio, tum istius flagitiorum invidia conflagravit. *Id. Cat.* 2, 7. Et erunt, qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed miserum, me non diligentissimum consulem, sed crudelissimum tyrannum existimari velint. *Id. Phil.* 11, 4. Dolores Trebonius pertulit magnos: multi ex morbi gravitate majores: quos tamen non miseros, sed laboriosos dicere solemus. ℙ Cum genitivo. *Plin. Pan.* 58. *med.* Miseros ambitionis, qui ita consules semper, ut semper principes erant! *Stat. Th.* 4, 403. Ah miseri morum! [*Adde *Hor. Sat.* 2, 2, 66. atque In neutram partem cultus miser: ubi *Heindf.* praeter locos a *Forc.* laudatos comp. *Eurip. Hecub.* 651. *Herm. Τί δ', ὦ τάλαινα σῆς κακογλώσσου βοῆς; Ὡς οὔποθ' ἥνδει λυπρά σου κηρύγματα.* Poterat hic conferri etiam *Pl. Mil.* 3, 1, 204. cupiet miser, Qui, nisi adulterio, studiosus rei nullae aliae est, improbus: ubi *miser* pro adv. *misere* positum est.] ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Pall.* 9, 2. Si terra exilis in vinea est, et vinea ipsa miserior. *Id.* 2, 13. Locus, qui misera virgulta produxerit, *h. e.* male provenientia, retorrida, infelicia. Sic *Virg. Ecl.* 3, 27. Stridenti miserum stipula disperdere carmen, *h. e.* incomptum, male natum. *Cels.* 5, 26. *n.* 34. *extr.* Miserum, sed unicum remedium est, membrum, quod paulatim emoritur, abscindere. ℙ [Sup. *Miserissimus* in *Inscrt.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 177, 10. Aurelius Silvius centurio deputatus miserissimus conjugi. Hanc tamen inter spurias idem recenset. *F.*] ℙ [*Confund. *miser* et *ferus.* V. *Burm.* ad *Vell.* 2, 87, 1.]

MISĔRABĬLIS, e, adj. *ἐλεεινὸς*, miserationem movens, miseratione dignus, miserandus. *Ov. Ib.* 117. Sisque miser semper, nec sis miserabilis ulli. *Liv.* 1, 29. *f.* Voces etiam miserabiles exaudiebantur, mulierum praecipue. *Mart.* 6, 77. Cum sis tam pauper, quam nec miserabilis Irus. *Cic. Part.* 17. Nihil est tam miserabile, quam ex beato miser. *Id. Verr.* 2, 5, 63. Acerba imploratio, et vox miserabilis. *Id. Dom.* 23. Cum ejus moeror, squalor incredibilis et inauditus, omnibus mortalibus miserabilis videretur. *Id. Phil.* 2, 29. Auctionis miserabilis aspectus. *Hor. Od.* 1, 33, 2. Miserabiles elegos decantare, *h. e.* flebiles, miserationis plenos. *Liv.* 1, 59. Miserabilis caedes; et *mox:* Causa mortis indignior, et miserabilior. *Sall. Jug.* 57. Paene imprudentia admissum facinus miserabile. *Ov. Her.* 21, 214. Miserabile corpus, *h. e.* macie et morbo confectum. *Id. Met.* 13, 422. et *Virg. A.* 1, 114. tres Eurus ab alto In brevia et Syrtes urget (miserabile visu!) Illiditque vadis. ℙ *Miserabile* adverbii ritu. *Virg. ib.* 12, 338. miserabile caesis Hostibus insultans. Adde *Stat. Th.* 12, 55.

MISĔRABĬLĬTER, adv. *ἐλεεινῶς*, miserabilem in modum, miserationem movendo. *Cic. Tusc.* 1, 40. Quam me delectat Theramenes! quam elato animo est! etsi enim flemus, cum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur. *Id. Att.* 10, 9. et *Liv.* 26, 3. *extr.* Epistola scripta miserabiliter. *Cic. Att.* 14, 10. Caesar in foro combustus, laudatusque miserabiliter. *Liv.* 45, 42. Orbitatem suam miserabiliter deflere. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 29. Infans matri interfectae miserabiliter blandiens. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 11. Turpiter et miserabiliter perire; et 4, 1. *n.* 4. *extr.* Dispersam, et vagam vitam miserabiliter exigere. *Curt.* 4, 16. cadere. *Sen. Excerpt. controv. praef.* 4. *med.* Miserabilius dicere.

MISĔRAMEN, inis, n. miseratio. Legitur a quibusdam ap. *Juvenc.* 4, 285. parvi miseramina panis. Sed alii rectius leg. *mihi fragmina panis.*

MISĔRANDUS, a, um, part. a *miseror*, *ἐλεεινὸς*, miseratione dignus, miserabilis. *Cic. Or.* 1, 37. Hunc in minimis rebus ita labi, ut aliis miserandus, aliis irridendus esse videatur. *Id. Cat.* 4, 6. Haec mihi videntur misera atque miseranda. *Sall. Jug.* 15. Miseranda fortuna. *Ov. Met.* 6, 276. et *Virg. A.* 11, 259. manus; et *ib.* 3, 591. Ignoti nova forma viri, miserandaque cultu. *Cic. Prov. cons.* 3. Miserandum in modum milites capti, necati, deserti. ℙ Sermoni interseritur, ut miser. *Virg. A.* 5, 509. Ast ipsam miserandus avem contingere ferro Non valuit.

MISĔRANTER, adv. *ἐλεεινῶς*, cum miseratione. *Gell.* 10, 3. Quod aut ampliter, insigniterque, aut lacrymose, aut miseranter, etc.

MISĔRĀTĬO, onis, f. *οἰκτιρμός*, significatio, seu ostensio misericordiae, qua ex alicujus infelicitate movemur. *Cic. Fam.* 5, 12. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? *Quint.* 10, 1. *med.* Miserationem commovere. *Cic. Or.* 38. Miserationem mens judicum permovenda. *Plin.* 9, 8, 10. Miserationem petere, *h. e.* misericordiam et veniam. *Just.* 7, 2. Miseratio eos infantis tenebat. ℙ Oratio miserationem movens. *Cic. Brut.* 21. Miserationibus, et communibus locis uti. *Id. Phil.* 2, 36. Tua illa pulcra laudatio, tua miseratio, tua cohortatio. [**Caes. B. C.* 1, 85. Nulli omnium has partes vel querimoniae, vel miserationis, minus convenisse. *Suet. Ner.* 47. Proque rostris quanta maxima posset miseratione veniam praeteritorum precaretur. ℙ Confund. *miseratio* et *veneratio.* V. *Ernest.* ad l. *Suet.* modo l.]

MISĔRĀTOR, oris, m. is, quem alicujus miseret. *Juvenc.* 2, 295. peccantum largus miserator Iesus. Adde *Tert. contr. Marc.* 5, 11.

[MISĔRATRIX, icis, f. illa, quam alicujus miseret. *Prosper Aquit. de ingratis* 31. Et tamen ex istis miseratrix gratia Eligit.

MISĔRĀTUS, a, um, part. a *miseror*, qui miseratus est. *Virg. A.* 1, 601. O sola infandos Trojae miserata labores; et *ib.* 6, 332. sortemque animo miseratus iniquam. ℙ Cum genit. *Sil.* 11, 381. poenae juvenem indignae miseratus ab alto Juppiter. ℙ Cum dativo V. MISEROR. ℙ De eo qui verbis alicujus miseriam est persecutus. *Tac. A.* 3, 17. Etiam ipsius, quoquo modo meriti, casum miseratus.

MISĔRĒ, adv. *ἀθλίως*, infeliciter, miserum in modum. *Cic. Fin.* 3, 15. *med.* Beate, misereve vivere. *Just.* 11, 10. misere vitam exhibens. *Pl. As.* 1, 1, 108. moriri sese misere mavolet, Quam non perfectum reddat, quod promiserit. *Id. Aul.* 4, 10, 1. Ego sum miser, et misere perditus. *Id. Cist.* 4, 2, 21. Homines misere miseri. *Sen. Contr.* 5, 34. *med.* Nemo ex Olynthiis miserius servit, quam, etc. *Cass. ad Cic. Fam.* 12, 12. *med.* Bassus misere noluit mihi legionem tradere, *h. e.* nullo consilio, et suo malo. ℙ Pro miserabiliter. *Pl. Ps.* 1, 1, 72. Est misere scriptum, Pseudole! *Ps.* o miserrime. ℙ Pro cupide, et vehementer, et simul cum animi quodam cruciatu. *Ter. Ad.* 4, 5, 64. Quia tam misere hoc esse cupio verum, eo vereor magis. *Id. ib.* 4, 5, 33. et *Pl. Mil.* 4, 6, 32. Misere amare. *Pl. Cist.* 1, 2, 12. deperire. *Ter. Eun.* 3, 1, 22. invidere; et *Heaut.* 2, 3, 124. orare aliquid; et *Ad.* 4, 1, 6. nimis cupere. *Hor. Sat.* 1, 9, 8. discedere quaerens. [*V. MISER.]

MISĔRĔO, es, ui, itum, n. 2. idem quod misereor. [*Ita legitur tantummodo apud antiquissimos scriptores. De discrimine inter *misereor* et *miseror* v. in hoc posteriori verbo.] *Enn.* ap. *Non.* 7, 58. Miserete anuis, date ferrum, qui me anima privem. *Id.* ap. *Prisc.* 8, 824. Cogebant hostes lacrymantes, ut misererent. *Lucr.* 3, 895. Ipse sui miseret. ℙ Usitatissimum est impersonaliter: et eadem forma dicitur qua *piget*, *poenitet*, *taedet. Cic. Mil.* 34. Eorum nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quam illam efflagitant. *Pl. Ps.* 5, 2, 25. Neque te mei tergi misereret, si, etc. *Id. Trin.* 2, 2, 62. Ita te aliorum miserescat, ne tui alius misereat. *Ter. Heaut.* 4, 5, 2. Menedemi vicem miseret me; et 3, 1, 54. Me tuarum miseritum est fortunarum. *Appul. Met.* 8. *med.* Sic deprecantis totos quidem miseruit. [*Differunt *misereat me alicujus* et *misereor alicujus* non solum constructione, sed etiam sensu: illud significat misericordiam sponte, generositate, humanitate ortam; hoc virtute nihil adjuvante, alienae calamitatis magnitudine etiam invito excitatur, V. *Doederl.* 2, 171.]

MISĔRĔOR, eris, ertus et eritus sum, dep. 2. *ἐλεέω*, ob alicujus miseriam dolorem animo concipio, misericordia commoveor. [*Quid differat *miseror*, V. in h. v.] *Ov. Her.* 12, 81. O virgo miserere mei, miserere meorum. *Cic. Att.* 4, 5. Cum misereri mei debent, non desinunt invidere. *Id. Verr.* 2, 1, 28. *extr.* Audite, quaeso, judices, et aliquando miseremini sociorum. *Just.* 15, 3. Misertus tanti viri, venenum ei in remedium dedit. *Virg. Ecl.* 2, 7. Nil nostri miserere? *Id. A.* 2, 143. miserere laborum Tantorum. *Afran.* ap. *Gell.* 20, 6. Nescio qui nostri miseritus tandem Deus. Ap. *Livium* quoque 27, 33. *f.* et 34. habetur *misertus alicujus:* ubi al. leg. *miseritus.* Sic *Phaedr.* 3, 2. alii contra miseriti Misere panem. ℙ Impersonaliter. *L. Crassius* ap. *Prisc.* 8, 824. Neque me minus vestri, quam mei miserebitur. *Turpil.* ap. *Non.* 7, 80. Nunc patris me miseretur magis. *Pacuv. ib.* Miseretur tui. *Quadrig.* ap. *Gell.* 6, 20. Quando te nostrum et reipubl. miserebitur? *Cic. Ligar.* 5. Cave, ignoscas: cave te fratrum pro fratris salute deprecantium misereatur. Ita legit etiam *Prisc.* 8, 797. Alii *misereat. P. Scipio Africanus* ap. *Macr. Sat.* 2, 10. Quod me reipublicae maxime misertum est. *Pl. Trin.* 2, 4, 9. eum vidi miserum, et me ejus misertum est. ℙ Passive. *Cic. Inv.* 1, 30. *med.* Ut majoribus natu assurgatur, ut supplicum misereatur: *ζεῦγμα.* V. similem locum in ASSURGO. ℙ Cum dativo. *Sen. Contr.* 1, 2. Et ego misereor tibi, puella. Plerique omnes leg. *tui. Quint. decl.* 272. Cui misereri satis non possumus. [**Gronov.* praeferend. censet *cujus.*] *Hyg. fab.* 58. Cui Venus postea miserta est. *Diomed.* quoque 1, 294. *misereor tibi* ut Latinum agnoscit. [*V. *Munk.* ad *Hyg.* l. l. *Ruddim.* 2, 117. *n.* 8.] ℙ Cum accus. *Grat. Cyn.* 440. Tot miserere animas. Al. leg. *miscrare.* ℙ *Misererier* paragoge est ap. *Lucr.* 5, 1022. pro *misereri.*

MISĔRESCO, is, n. 3. *οἰκτίζω*, misericordia moveor, misereor. *Virg. A.* 2, 145. His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro; et *ib.* 8, 573. Arcadii quaeso miserescite regis. *Stat. Th.* 1, 280. Et generis miserescе tui. ℙ Impersonaliter. *Ter. Heaut.* 5, 4, 3. inopis nunc te miserescat mei. *Liv.* 2, 5. Miserescebat non poenae magis homines, quam sceleris. Plerique al. leg. *miserebat.* ℙ *Pl. Epid.* 4, 1, 1. Si quid est homini miseriarum, quod miserescat, miser ex animo est, *h. e.* propter quod angatur, et fiat miser.

MISĔRET. V. MISEREO.

[MISĔRĔVIVĪUM, ii, n. ita vocat *Appul. Herb.* 18. herbam, quae aliter proserpinaca dicitur. *F.*]

MISĔRIA, ae, f. *ταλαιπωρία*, aerumna, malum, calamitas, qua homo angitur, et fit miser. *Cic. Fin.* 5, 32. Ubi virtus est, ibi esse miseria, et aerumna non potest, tamen labor potest, et molestia. *Id. Fam.* 7, 3. Miseriae, in quibus tot annos ver-

samur. *Id. Phil.* 2, 10. In miserias incidere. *Id. Fin.* 3, 14. *extr.* In miseria esse. *Id. Tusc.* 1, 5. In miseriam nascimur sempiternam. *Id. Fam.* 3, 8. Levare aliquem miseriis; et *ib.* 9, 13. A miseria se eripere. *Id. Brut.* 96. A miseriis se vindicare. *Pl. Poen.* 5, 4, 93. Miserias voluptate sedare. *Sall. Cat.* 10. Iis otium, divitiae optandae aliis, oneri miseriaeque fuere. ℙ Speciatim dici videtur de malo paupertatis. *Liv.* 6, 34. In urbe vis patrum in dies, miseriaeque plebis crescebant, cum eo ipso, quod necesse erat solvi, facultas solvendi impediretur. *Plin.* 7, 32, 32. Comitem aeris alieni atque litis esse miseriam. ℙ Est etiam dolor, angor, molestia, quae ex malo et aerumna oritur. *Ter. Ad.* 5, 4, 22. Miseriam omnem ego capio: hic potitur gaudia. *Id. Eun.* 3, 1, 16. Exspuere omnem ex animo miseriam. *Cic. Div.* 2, 41. *med.* Stoici omnia superstitiosa sollicitudine et miseria credunt. ℙ Pro labore. *Quint.* 1, 8. *f.* Persequi quod quisque unquam vel contemptissimorum hominum dixerit, aut nimiae miseriae, aut inanis jactantiae est. ℙ In fabulis Miseria est Erebi et Noctis filia. *Cic. N. D.* 3, 17. *f.* et *Hyg. praef.*

MĬSĔRĬCORDĬA, ae, f. ἔλεος, miseratio. *Cic. Tusc.* 4, 8. Misericordia est aegritudo ex miseria alterius, injuria laborantis. Nemo enim parricidae, aut proditoris supplicio misericordia commovetur. *Id. Or.* 2, 47. Non prius sum conatus misericordiam aliis commovere, quam misericordia sum ipse captus. *Id. Or.* 1, 12. Mentes hominum ad lenitatem misericordiamque revocare *Id. in Sen.* 7. Vir clementia ac misericordia singulari. *Id. Planc.* 1. *f.* Petam a vobis, judices, ut cujus misericordia salus mea custodita sit, ei vos vestram misericordiam, me deprecante tribuatis. *Id. Rabir. perduell.* 2. Oro atque obsecro, adhibeatis in hominis fortunis misericordiam. *Id. ad Brut.* 1, 12. Misericordiam impartiri alicui. *Id. Mil.* 34. implorare et exposcere. *Id. Phil.* 2, 34. captare. *Id. Or.* 1, 53. populi concitare. *Ulp. Dig.* 16, 3, 7. exercere. *Cic. Rosc. Am.* 50. Praedia mea tu possides, ego aliena misericordia vivo. *Id. Att.* 7, 12. *med.* Frangor saepe misericordia puerorum; et *ib.* 10, 11. Filii mei misericordia languidiora adhuc consilia cepi. *Id. Cat.* 1, 7. Misericordia permotus. *Ulp. Dig.* 16, 3, 7. ductus. *Suet. Cal.* 12. *f.* correptus. *Cic. Brut.* 50. Ad misericordiam inducere. *Id. Quint.* 2. *med.* In fidem et misericordiam alicujus confugere. *Id. Mur.* 40. Misericordiam spoliatio consulatus magnam habere debet. ℙ [**Misericordia* significat etiam eam agendi rationem, qua quis miserationem aliorum commovet: ita ap. *Caes.* leg. Magna cum misericordia fletuque. ℙ Item ponitur pro rebus adversis, calamitate, infortunio. *Cic. Q. Fr.* 1, 3, 8. Nihil enim tam timeo, quam ne, quum intelligant homines, quantum misericordiae nobis tuae preces et tua salus allatura sit, oppugnent te vehementius: ubi *Ernest.* susp. *miseriae.*] ℙ In plur. num. *Pl. Most.* 2, 3, 115. Misericordias jam habere haud hominem oportet. ℙ Dea habita est, et celebrem Athenis aram habuit, (V. CLEMENTIA.) de qua *Claud. B. Gild.* 404. si flentibus aram, Et proprium miseris numen statuistis, Athenae. Fundata dicitur a nepotibus Herculis, iram veritis Atheniensium, quos avus afflixerat, ut docet *Serv.* ad *A.* 8, 342. vel, ut alii, quia ab Eurystheo pulsi, ab Atheniensibus benigne excepti sunt. *Appul. Met.* 11. Magnis exantlatis laboribus, et maximis actus procellis, ad portum quietis, et aram Misericordiae tandem venisti. [**Quint. Inst.* 5, 11, 38. Aut si misericordiam commendabo judici, nihil proderit, quod prudentissima civitas Atheniensium, non eam pro affectu, sed pro numine accepit? ubi v. *Spald.*]

MĬSĔRĬCORDĬTER, adv. ἐλεημόνως, clementer. *Claud. Quadrig.* ap. *Non.* 11, 11. Crudeliter illi, nos misericorditer: avariter illi, nos largiter. *Lact.* 6, 18. Iustus nunquam praetermittet, quo minus aliquid misericorditer faciat. *August. Doctr. Chr.* 1, 16. Quid liberalius et misericordius facere potuit?

MĬSĔRĬCORS, ordis, adj. ἐλεήμων, ad miserendum facilis, clemens. *Cic. Caecin.* 10. Testis in re misericordem se praebuit, et in testimonio religiosum. *Id. Inv.* 1, 55. Animum auditoris mitem et misericordem conficere. *Auct. ad Her.* 2, 17. Mansuetus et misericors. *Cic. Lig.* 5. *med.* Misericordem esse in aliquem. *Sall. Cat.* 52, 12. Sint misericordes in furibus aerarii. [*De hac constructione, varie agitata ab interpr., recte exposuit *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 9, 2. V. etiam IN.] *Pl. Rud.* 1, 5, 23. Misericordior nulla me est feminarum. *August. ep.* 48. *in.* et *Confess.* 1, 4. Quando utilissimus et misericordissimus exstitisset.

MĬSĔRĬMŌNĬUM, ii, n. miseria. *Laber.* ap. *Non.* 3, 144. Tibi relictum est miserimonium.

MĬSĔRĬTER, adv. idem ac miserabiliter, seu misericorditer. *Laber.* ap. *Non.* 11, 62. Mens incorrupta miseriter corrumpitur. *Catull.* 63, 49. Patriam allocuta est ita voce moesta miseriter. Adde *Enn.* ap. *Prisc.* 15, 1010.

MĬSĔRĬTŪDO, inis, f. idem ac miseria, et misericordia. *Accius* ap. *Non.* 2, 521. bis pro miseratione usurpat.

MĬSĔRĬTUS et Misertus. V. MISEREOR.

MĬSĔRO, as, a. 1. idem ac misereor. *Accius* ap. *Non.* 7, 18. Ut jure haec nunquam miserarent mala.

MĬSĔROR, aris, atus sum, dep. 1. οἰκτείρω, alienam miseriam doleo, commiseror, conqueror, verbis, aut lacrimis, aut re ostendo, mihi alterius mala acerba esse. Inter *miseror*, et *misereor* ita distinguit *Festus*, ut *miseretur* is, qui conqueritur aliena incommoda; *misereatur* is, qui miserum sublevat. Idem fere tradit *Non.* 5, 96. et *Incertus Auct. de different. vocum* p. 2206. Sed hoc discrimen non servatur. [**Doederl.* 2, 171. ita recte distinguit: pertinere *misereri* ad misericordiae sensum, *miserari* ad miseriae significationem.] *Pl. Epid.* 4, 1, 6. Quis illaec est mulier, quae ipsa se miseratur? *Cic. Mur.* 27. Non queo satis communem omnium nostrum conditionem, et hujus eventum fortunamque miserari. ℙ Absolute. *Virg. A.* 5, 451. accurrit Acestes, Aequaevumque ab humo miserans attollit amicum. ℙ Cum infinito. *Hirt. B. Afr.* 8. Ipse miserari, tanta homines esse dementia, ut, etc. ℙ Cum genitivo. *Acc.* ap. *Non. l. c.* Te commiserabar magis, quam miserabar mei. *Prud. Psych.* 580. miserando inopum, quos larga benigne Foverat. *Minuc. Fel. Octav.* 28. Nonnunquam etiam miserantes eorum. ℙ Cum dativo. *Coripp. Laud. Justin.* 2, 402. dominus servis miseratus egenis. ℙ *Miserari animi* pro *animo. Virg. A.* 10, 686. juvenemque animi miserata repressit. Ita *Serv.*, *Arus. Messus*, et *Codex Mediceus*, teste *Pierio*: estque longe elegantius, quam quod quidam leg. *animo.* ℙ Verbis ac dicendo miseriam cujuspiam persequi. *Sall. Jug.* 25. extr. Eos multa pollicendo, ac miserando casum suum confirmat. *Gell.* 10, 3. *med.* Haec M. Tullius atrociter, graviter, copiose, apteque miseratus est. ℙ Part. *Miserandus* V. s. l.

[MĬSERTOR, oris, m. per sync., idem ac miserator. *Venant. Vit. S. Mart.* 2, 478. Fer pietatis opem, misero, miserando misertor. *F.*]

MĬSĔRŬLUS, a, um, adj. misellus. *Catull.* (corrige *Serenus*) ap. *Non.* 11, 63. Animula miserula properiter abit. Corrige *abiit.* V. PROCELEUSMATICUS. *Liv. Andr.* ap. *Prisc.* 9, 869. Cupidius miserulo obito.

*MISION, onis, et MISIUS, i, nomen duorum fluminum, Picenum alluentium; quorum primum inter Anconam et Potentiam erat, alterum Anconam praeterfluebat. Utriusque mentio facta est in *Tab. Peut. B. A.*

[MISISŬLĂ, ae, f. panis in cochlearis formam excavatus ad jus, vel pulmentum hauriendum. *Not. Tir.* p. 167. Ofella, misisula. *Gloss. Philox.* Misisula, μυστίλη. *F.*]

*MISIUS. V. MISION. *B. A.*

[MISŌPOGON, ōnis, m. qui barbam odit, a μῖσος, odium, et πώγων, barba. Titulus est libelli a Juliano Aug. scripti adversus philosophos, cujus meminit *Ammian.* 22, 14. *F.*]

*MISSARIUM, i, n. V. MISSUM. *B. A.*

MISSĬBĬLĬĂ pro *missilia* dixit *Sidon. ep.* 4, 20.

MISSĬCIUS vel Missitius, a, um, adj. qui mittitur, vel mitti potest. Hinc missicius miles dicitur veteranus, qui missionem honestam impetravit, vel confectis stipendiis missione donandus est. *Suet. Ner.* 48. Agnitus a quodam missitio praetoriano. *Inscr.* ap. *Grut.* 1109, 5. Missicius leg. VI. Aug. Alia ap. *Mur.* 786, 4. C. Atinius C. F. Quirina adjutor annon. leg. XXX. Ulp. et missicius leg. ejusdem. Adde 809, 6. et 822, 2., quatuor item ap. *Spon. Miscell.* p. 243. ℙ In l. *Suetonii* quidam perperam putant nomen viri proprium.

MISSĬCŪLO, as, a. 1. πεμπάζω, idem quod missito, saepe mitto: est a *missus*, ut *pensiculo* a *pensus. Pl. Epid.* 1, 2, 29. quod tute ad me litteras Missiculabas.

MISSĬLIS, e, adj., βλήσιμος, ad mittendum, seu jaciendum aptus. *Propert.* 3, 12, 10. Missile nunc disci pondus in orbe rotat. *Liv.* 1, 43. Fundas, lapidesque missiles hi secum gerebant. *Virg. A.* 10, 421. et 773. Da nunc, Tibri pater, ferro, quod missile libro, Fortunam atque viam duri per pectus Halaesi. *Stat. Theb.* 8, 524. librans uni sibi missile ferrum, h. e. hastam adeo gravem, ut a se uno jaci posset. *Plin.* 8, 35, 53. Histrici longiores aculei, et cum intendit cutem, missiles. ℙ *Res missiles*, et *missilia* dicebantur dona variarum rerum, quae a principe spargebantur in populum ad diripiendum. [*Gr. ἀποφόρητα.] *Suet. Ner.* 11. Sparsa et populo missilia omnium rerum per omnes dies, singula quotidie millia. Avium cujusque generis multiplex penus, tesserae frumentariae, vestis, aurum, argentum, gemmae, margaritae, tabulae pictae, mancipia, jumenta, atque etiam mansuetae ferae: novissime naves, insulae, agri. *Id. Aug.* 98. Permissa licentia diripiendi pomorum, et obsoniorum, rerumque missilium. ℙ Translate. *Sen. ep.* 74. Qui aliquid virtute melius putat, ad haec, quae a fortuna sparguntur, sinum expandit, et sollicitus missilia ejus exspectat. ℙ Item *missilia* sunt arma, quae jaciuntur, ut hastae, sagittae, saxa, ἠ-μάτα, *tol. Liv.* 34, 39. Missilibus Lacedaemonii pugnabant, a quibus se magnitudine scuti perfacile Romanus tuebatur miles. *Virg. A.* 10, 715. Non ulli est animus stricto concurrere ferro: Missilibus longe, et vasto clamore lacessunt. *Lucan.* 7, 485. Spargitur innumerum diversis missile votis: Vulnera pars optat, pars terrae figere tela.

MISSĬO, onis, f. πομπή, ἀποστολή, actus mittendi. *Cic. Att.* 5, 5. Missio litterarum. *Id. Phil.* 7, 1. legatorum. *Cels.* 2, 10. *med.* Missio sanguinis. [**Aderlass;* adde *Suet. Cal.* 29.] V. MITTO. ℙ Item jactus. *Vitr.* 2, 9. *f.* Jussit extra telorum missionem eos circumvallari. ℙ Item dimissio. *Cic. Fam.* 5, 12. *f.* Cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur. *Suet. Caes.* 7. Cum mansionem datu praetoris jure dicundo conventus circumiret, missionem continuo efflagitavit. [*Cf. *Sall. Jug.* 64.] *Petr. fragm. Trag.* 52. *Burm.* Tandem exoratus a nobis missionem puero dedit. Ille dimissus circa mensam percucurrit, etc. *h. e.* puero, qui scyphum projecerat, poenae remissionem dedit. ℙ In re gladiatoria *missio* dicta, cum alteri gladiatori saucio, submittenti arma, ac supplici concedebatur a populo, aut a principe vita, et abeundi pro illa vice licentia: et gladiator *sine missione* est, qui ad certam mortem pugnat, sine spe, si gravius ictus fuerit, evadendi. *Mart.* 12, 29. Nuper cum Myrino peteretur missio laeso. *Liv.* 41, 20. *f.* Gladiatorium munus saepius dando, et modo vulneribus tenus, modo sine missione etiam. *Sen. Ben.* 2, 20. *extr.* Non enim servavit is, qui non interfecit: nec beneficium dedit, sed missionem. V. MISSUS. ℙ Translate. *Flor.* 3, 20. *extr.* Tandem eruptione facta, dignam viris obiere mortem: et, quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est. [**V. Freinshem.*] *Sen. ep.* 37. Quid prodest, paucos dies, aut annos lucrifacere? sine missione nascimur. V. BALAENARIUS. ℙ In re militari *missio* est liberatio a militia: est autem triplex, ut *Macer* docet *Dig.* 49, 16, 13. et *Ulp. ib.* 3, 2, 2. alia honesta, quae emeritis stipendiis datur: alia causaria, quae causa valetudinis: alia ignominiosa, (cujus exemplum habes ap. *Hirt. B. Afr.* 54., *Suet. Caes.* 69. et *Aug.* 24.) cum quis propter delictum a militia ejicitur. *Liv.* 26, 1. Ne quem militem legeret ex eo numero, quibus senatus missionem reditumque in patriam negasset ante belli finem. *Id.* 7, 39. Exercitum purgare missionibus turbulentorum hominum. [*Cf. *Lips. de milit. Rom.* 5, 19. — *Missio gratiosa* ap. *Liv.* 43, 14. quaenam sit, v. in GRATIOSUS. Cf. *Turneb. Adv.* 16, 21. *Lips. l. l. Salm. ad jus Attic.* cp. 21, 423.] ℙ Etiam de captivi liberatione usurpatur. *Cic. Tusc.* 1, 48. Silenus a Mida captus, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur.

MISSĬTĀTUS, a, um, part. a *missito:* saepe missus. *Plin.* 33, 1, 4. Codicillos missitatos, epistolarum gratia indicat.

MISSĬTĬUS. V. MISSICIUS.

MISSĬTO, as, avi, atum, a. 1. προςαναπέμπω, saepe mitto. *Liv.* 9, 45. Samniti auxilia missitaverant. [*Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) p. 234. Caesarum est per orbem terrae litteras missitare. *F.*]

MISSOR, oris, m. qui mittit. *Cic. in Arat.* 84. Hic missore vacans fulgens jacet una sagitta. Al. rectius leg. *Hic misso revocans*, etc. ℙ [Est et cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 365. n. 111. Publicius Missor. *F.*]

[MISSŌRĬUM, ii, n. discus, ferculum, quo cibi convivis mittuntur in mensam. *Venant. Vit. S. Germ.* 13. Incidens aurata missoria, argentea vasa comminuens. *Not. Tir.* p. 38. Missorium, submissorium. *Gloss. Isid.* Lances, missoria. *F.*]

*MISSUM, i, n. praemium certaminum. *Gloss. Gr. Lat.* ἆθλον, Missum. V. *Salm.* ad *Solin.* p. 693. ℙ Dicitur et *Missarium. Schol. Vet.* in *Juven.* 8, 227. *B. A.*

MISSUS, a, um, part. a *mitto:* πεμπτός. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1. 16. Particulam litterarum tuarum, quas misisti Octavio, legi missam ab Attico mihi. *Mart.* 10, 14. Selibra argenti missa; et *Plin.* 37, 5, 19. Missus munere smaragdus. *Virg. A.* 3, 595. patriis ad Trojam missus in armis; et *ib.* 12, 516. fratres Lycia missos, et Apollinis arvis; et *ib.* 9, 483. sub tanta pericula missus. *Ov. Fast.* 2, 236. de Fabiis: Ad bellum missos perdidit una dies; et *ib.* 5, 251. flos Oleniis mihi missus ab arvis. *Id. Trist.* 2, 189. Solus ad egressus missus septemplicis Istri; et *ib.* 4, 9, 9. extremum missus in orbem. *Hor. Sat.* 1, 5, 18. Mula missa pastum. *Virg. G.* 2, 385. Ausonii, Troja gens missa, coloni. *Plin.* 15, 30, 39. Laurus missa e coelo. *Ov. Met.* 9, 19. gener externis hospes tibi missus ab oris. *Val. Fl.* 1, 360. Hinc quoque missus adest, quamvis arcentibus Idmon Alitibus. ℙ Item immissus, injectus. *Virg. G.* 2, 451. torrentem undam levis innatat alnus Missa Pado; et *ib.* 3, 447. aries missus secundo defluit amni. *Pall.* 12, 7. *med.* Aliqui in vasculis servant, arena pariter missa. ℙ Item positus, appositus, oblatus. *Ov. Fast.* 6, 310. Fert missos Vestae pura patella cibos. ℙ Item sparsus. *Id. ib.* 5, 360. Accidere in mensas ut rosa missa solet. ℙ Item emissus.

Hor. A. P. 390. nescit vox missa reverti. *Lucr.* 2, 194. e nostro cum missus corpore sanguis Emicat. *Ov. Trist.* 5, 12, 26. Carceribus missi equi; et *Amor.* 3, 2, 9. equi de carcere missi. ℙ Item jactus. *Plin.* 10, 8, 9. Missus in sublime. *Virg. A.* 10, 799. missa manu sonitum dedit hasta per auras. *Ov. A. Am.* 2, 195. Pectora nec missis jubeo praebere sagittis. *Id. Her.* 3, 64. missi fulminis igne cremer. ℙ Item demissus. *Phaedr.* 5, 7. Aulaeo misso, devolutis tonitribus. ℙ Item dimissus, omissus. *Cic. Att.* 9, 1. Remotis, sive omnino missis lictoribus. *Virg. A.* 5, 286. et 545. misso certamine. *Inscr.* ap. *Dom. cl.* 6. *n.* 69. L. Cornelio Firmiano veterano, misso honesta missione, etc. ℙ Hinc *missum facere* est omittere, deserere, curam alicujus rei deponere. *Cic. Sext.* 66. Si qui voluptatibus ducuntur, missos faciant honores, ne attingant rempubl. *Ter. Hec.* 5, 2, 14. Missam iram facere; et 3, 3, 48. Consilio missum facere amorem. ℙ Item repudiare, abire jubere. *Suet. Cal.* 25. Lolliam Paullinam perductam a marito conjunxit sibi, brevique missam fecit. *Hirt. B. Afr.* 54. *f.* Indignos vos esse arbitror, qui in meo exercitu ordines ducatis, missosque facio, et quantum potest, abesse ex Africa jubeo. [**Suet. Caes.* 69. missam facere legionem, Gr. *ἀφιέναι.*] ℙ Item praetermittere. *Cic. Verr.* 2, 3, 44. Horum agrorum ego missos faciam quaestus triennii: unum annum eligam, quo, etc. *Id. Rosc. Am.* 45. *f.* Verum, ut haec missa faciam, quae jam facta sunt, etc. ℙ Denique est dimittere, abire sinere. *Caes.* ad *Opp. post. ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Cn. Magium Pompeji praefectum deprehendi, scilicet meo instituto usus sum, et eum statim missum feci. *Ter. Andr.* 5, 1, 14. Illam hinc civem esse ajunt: puer est natus: nos missos face. *Nep. Eum.* 11. Ut sic deuteretur victo, quin aut interfici, aut missum fieri juberet. ℙ Singularis est constructio in illo *Pompeji* ad *Dom.* 1. *post ep.* 2. *l.* 8. *ad Att.* Aequum est, me a te impetrare, ut cohortes, quae ex Piceno venerunt, quae fortunas suas reliquerunt, ad me missum facias. ℙ [Nec minus singularis est altera, et maxime ad illud Italorum accedens, *il messo*, ap. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 54. Quamvis Mazucus (lege *Mazaeus*) missus Darii interturbaret. ℙ *Missus* est etiam gladiator, qui missionem obtinuit. V. MISSIO. *Inscr.* ap. *Grut.* 334, 4. Flamma *secutor* pugnat XXXIIII., vicit XXI., stans VIIII., missus IIII. *h. e.* ex pugnis XXXIIII. vicit XXI., stetit victoriae anceps novies, superatus, sed tamen dimissus quater. *F.*] ℙ *Coelo missus.* V. COELUM. ℙ [*Confund. *missus* et *mersus.* V. h. v.]

MISSUS, us, m. missio. *Caes. B. G.* 5, 27. Qui jam ante missu Caesaris ad Ambiorigem ventitare consueverat. *Virg. A.* 7, 750. Marrubia venit de gente sacerdos, Archippi regis missu. *Liv.* 9, 19. Pilum, haud paulo, quam hasta, vehementius ictu missuque telum. *Lucr.* 4, 409. Vix absunt nobis missus bis mille sagittae. ℙ In circensibus, et aliis ludis *missus* dicebantur singulae procursiones equorum, postquam septem spatia confecerant, singulae ferarum immissiones, aut gladiatorum, etc., quos fere XXV. fuisse (si de equorum, aut quadrigarum cursibus sermo sit) notat *ex Varr. Serv.* ad *G.* 3, 18. ubi addit, ultimum missum dictum fuisse *aerarium.* V. AERARIUS. Ceterum et plures fuere, pro luxu et opibus eorum, qui ludos dabant. Hinc *Suet. Dom.* 4. scribit, Domitianum singulos missus ad quina spatia redegisse, quo facilius centum missus peragerentur, cum antea septeni absolvi solerent: non enim dabatur corona victori, antequam septem spatia currendo peregisset. V. OVUM. *Id. Ner.* 22. Spectaculum multiplicatis missibus in serum protraxit. ℙ Denique *missus* in coenis sunt singulae ferculorum illationes in mensam, *portata. Capitol. Pert.* 12. Novem libras carnis per tres missus ponebat. Adde *Lampr. Elag.* 30.

MISTĀRIUS seu Mixtarius, ii, m. *κίναθος*, vas, quo vinum aqua miscetur. *Lucil.* ap. *Non.* 15, 30. Urceus, aut gemina longus mistarius ansa.

[MISTĪCIUS seu Mixticius, a, um, adj. qui est ex parentibus natus variarum gentium. *Hieron.* 5. *in Jerem.* 25, 19. Qui non est Aegyptius, sed in ejus regionibus commoratur, quos Septuaginta vertere *συμμίκτους*, id est mixticios, vulgus non Aegyptiae regionis, sed peregrinum et adventicium. *F.*]

MISTIM seu Mixtim, adv. *μίγδην. Lucr.* 3, 567. per venas, et viscera mixtim.

MISTIO seu Mixtio, onis, f. actus miscendi. *Vitr.* 1, 4. Aliam mixtionem habet genus avium, aliam piscium. Adde *Pall.* 1, 34.

MISTŪRA seu Mixtura, ae, f. *μίξις*, confusio rerum mixtarum, temperatura. *Lucr.* 2, 976. Multaque de rerum mistura dicere callent. *Varr.* ap. *Non.* 8, 58. Propter talem misturam immoderatam ex aquis cunctis. *Plin.* 13, 1, 2. Mixtura et compositio unguentorum. *Petr. Sat.* 94. Raram facit misturam cum sapientia forma; et *ib.* 132. Misturam animarum facere. *Suet. Dom.* 3. Mistura aequabilis vitiorum atque virtutum. ℙ Item ipsae res mistae. *Colum.* 7, 5. *f.* Ea mistura palatum atque lingua, totumque os perfricatur. *Id.* 12, 10. Simili mistura vas suppleatur; et *ib.* 57. Hanc misturam cum in catillo composueris, oleum superfundito. ℙ De connubio. *Plin.* 8, 53, 79. In nullo genere aeque facilis mixtura cum fero, qualiter natos antiqui hybridas vocabant. *Lucan.* 9, 899. de Psyllis: in terram parvus cum decidit infans, Ne qua sit externae Veneris mistura, timentes, Letifica dubios explorant aspide partus.

[MISTURĀTUS seu Mixturatus, a, um, part. ab inusit. *mixturo. Pelag. Veter.* 6. *in.* Quos (*pastillos*) cum melle, et oleo, et passo, et ovis bene mixturatis jungis. *F.*]

MĪSTUS seu Mixtus, a, um, part. a *misceo*, *μικτὸς*, confusus, temperatus. *Cic. Off.* 2, 14. Si inest in oratione mista modestiae gravitas, nihil admirabilius fieri potest. *Hirt. B. Alex.* 56. Mistam dolori voluptatem capiebat. *Sen. ep.* 30. *med.* Alia genera mortis spei mista sunt. *Cic. N. D.* 1, 27. Ille fusus, et candore mistus rubor. *Id. Tusc.* 5, 15. *med.* Ea bona mista ex dissimilibus si erunt. *Ov. Her.* 10, 38. Verbera cum verbis mista fuere meis. *Val. Fl.* 6, 188. Hinc gemitus, mistaeque virum cum pulvere vitae, *h. e.* corpora saucia, sed adhuc viventia, strata humi, et pulvere foedata. *Plin.* 31, 9, 45. Mistus in vino sal. *Sall. Jug.* 61. Taeda mista pice et sulphure. *Hor. Od.* 1, 28, 19. Mista senum ac juvenum densentur funera. *Virg. A.* 7, 661. et *Val. Fl.* 4, 119. Nympha mista Tonanti, *h. e.* quae concubuit. *Id.* 6, 200. Mista perit virtus, *h. e.* in media pugna virtus cujusque non distinguitur, atque adeo latet sine laude; et 5, 100. mistoque sonantem Percutit ore lyram, *h. e.* adhibito cantu ad lyrae sonum. *Vell.* 2, 98. Esse mores ejus vigore ac lenitate mistissimos, *h. e.* maxime temperatos. ℙ De misto imperio. V. MERUS. ℙ De scriptione sic habeto, a grammaticis fere probari *st:* in antiquis autem codicib. *Virg.*, teste *Pier.* ad *A.* 1, 492., magno consensu *xt* legi, ut et in *Inscr.* ap. *Manut.* in *Orthogr.*, quicum *Dausquius* facit. *Cellar.* et *Voss. de Gramm.* 5, 22. neutram damnant, aut praeferunt.

MISTUS seu Mixtus, us, m. mistura, mistio. In ablat. sing. *Colum.* 6, 37. *med.* Ut avitus color primordii seminis mistu reddatur nepotibus.

[MISTYLLUS, i, m. coci nomen ap. *Mart.* 1, 51.: a *μιστύλλω*, in parva frusta seco, id enim est officium coci primarium, (V. COQUUS.) quemadmodum et ap. *Petr. Sat.* 36. *Carpus* vocatur carptor quidam. V. CARPO. *Mart. l. c.* Si tibi Mistyllus cocus, Aemiliane, vocatur, etc. V. TARATALLA. *F.*]

*MISŪA, ae, f. Africae Propriae opp., in Zeugitana, non longe a Carthagine. *Plin.* 5, 4. ℙ Hinc *Misuensis, e*, adj. ut *Misuensis Episcopus*, quod profert *Harduinus* e *Vict. Vitens.* et e *Concil. Carth. B. A.*

*MISUENSIS. V. in v. praec. *B. A.*

*MISULĀNI, orum, populi Numidiae. *Plin.* 5, 4. ℙ *Musulani* audiunt *Tac. A.* 2, 52. item *Musulami ib.* 4, 24. *B. A.*

*MISUS, i, m. Umbriae fluvius, in Senogallia. *Tab. Peut. B. A.*

MISY, yos, n. *τὸ μίσυ*, tuberis genus suavitate odoris et saporis praecipuum, quod in Cyrenaica provincia nascitur nostrate carnosius. *Plin.* 19, 3, 12. ℙ Item genus metalli, est ab Hebr. מָסָה *masà*, liquefecit, hinc part. מָסוּי *masúi*, et per sync. מָסָר *masà*, liquefactus: fit autem exusto lapide chalcitide, concretum natura discretumque: cujus notae sunt friati aureae scintillae, et cum teratur, arenosa natura, ut *Plin.* 34, 12, 29. docet. *Cels.* 5, 19. *n.* 8. Misyos crudi, aeruginis rasae, etc. et *n.* 27. Misyos cocti, aeris combusti, etc. Ap. *Scrib. Comp.* 34. et 240. legitur et *misys* in genitivo positione Latina: et fortasse etiam ap. *Cels.* alicubi. Quin et *misy* in genitivo legitur, ap. *eund.* 6, 7. *n.* 2., ut sit indeclinabile.

MĪTE, adv. *πράως*, placide, mansuete. *Appul. Met.* 10. Nunc mite conniventibus, nunc acre comminantibus gestire pupillis. *Ov. Pont.* 3, 7, 29. Mitius ille perit, subita qui mergitur unda. *Id. Met.* 15, 494. similes aliorum respice casus: Mitius ista feres, *h. e.* aequiore animo. *Caes. B. G.* 7, 45. Quam mitissime potest, legatos appellat.

MĪTELLA, f. *μιτρίον*, parva mitra, dimin. mitrae. *Virg. Cop.* Copa Syrisca caput Graja redimita mitella. *Cic. Rab. Post.* 10. Nobiles adolescentes Neapoli cum mitella saepe vidimus. V. MITRA. ℙ Item fascia. *Cels.* 8, 10. *n.* 3. *f.* Brachium involutum mitella commodissime excipitur, quae latitudine ipsa brachio, perangustis capitibus collo injicitur: atque ita commode brachium ex cervice suspensum est.

MĪTELLĪTA vel Mītellĭcă, ae, f. erogatio et distributio coronarum, in modum mitellae compactarum, quae ex nardi foliis, aut rosis, et serico factae, pretiosisque unguentis imbutae gestabantur a convivis in lautioribus coenis. [**V. Salm. Exerc. Plin.* p. 392.] *Suet. Ner.* 27. Indicebat et familiaribus coenas, quorum uni mitellita quadragies HS constitit, alteri aliquanto pluris absorptio rosaria. At rectius alii legunt *mellita*, sc. *absorptio.*

MITESCO, is, n. 3. *πέπτομαι, τελειοῦμαι*, mitis, seu tener, ac maturus fio, ac esui aptus. *Cic. Oecon.* ap. *Gell.* 15, 5. *extr.* et *Colum.* 3, 1. Uvae a sole mitescunt. *Plin.* 15, 14, 15. Mala mustea a celeritate mitescendi. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 358. et 4, 293. Nec grandiri posse frugum fetum, nec mitescere. *Colum.* 7, 9. *med.* Cornus, arbutus, prunus, piri diversis temporibus mitescunt. V. MITIGO et MITIS. ℙ Item universim tenerescere. *Plin.* 22, 25, 73. Ervum madefactum pluribus diebus, mitescit; et *mox:* Lupini mitescunt cinere, aut aqua calidis. *Ov. Met.* 15, 78. Sunt herbae dulces, sunt quae mitescere flamma, Mollirique queant. ℙ Translate est mansuescere, *τιθασεύομαι. Liv.* 33, 45. Ut ferae quaedam nunquam mitescunt, sic immitis, implacabilis ejus viri animus est. *Plin.* 10, 45, 62. In mari vituli, totque piscium genera mitescunt. *Pall.* 4, 14. de asino admissario: Si morsu furens laedit objectas, aliquatenus labore mitescat. ℙ Transfertur et ad animum. *Hor. Ep.* 1, 1, 39. Nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit, Si modo culturae patientem accommodet aurem. *Ov. Met.* 14, 696. tota referam notissima Cypro Facta, quibus flecti facile, et mitescere possis. *Id. Pont.* 2, 7, 79. Spes quoque, posse mora mitescere principis iram. *Liv.* 5, 17. *extr.* Mitescere discordiae intestinae metu communi coeptae. *Claud. in Eutrop.* 2, 322. Mitescere precibus. *Tac. H.* 2, 67. pace et otio; et *ib.* 18. Seditio mitescit. [**Vell.* 2, 118, 1. feritasque sua novitate incognita disciplinae mitescere ret.] ℙ Item ad inanima: praecipue ad vim frigoris. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 1, 28. Coelum mitescere, arbores frondescere. *Liv.* 23, 19. Mitescente jam hieme. *Sil.* 15, 505. hieme affecta, mitescere coeperat annus. *Hor. Od.* 4, 7, 9. Frigora mitescunt Zephyris. *Ov. Her.* 7, 179. freta mitescunt. *Lucan.* 10, 257. Aequoreosque sales longo mitescere tractu, *h. e.* salsum saporem amittere. *Plin.* 3, 25, 28. Mitescentia Alpium juga molli in dextra ac laeva devexitate considunt. *Claud. B. G.* 273. nec vanis mitescunt flamina votis; et *Rapt. Pros.* 2, 145. Insolitisque docet galeam mitescere sertis, *h. e.* horrorem deponere.

[MITHRĀDŌRUS, i, m. Mithrae donum: a *Mithras*, et *δῶρον*, donum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 622, 4. L. Annius Cassius Mithradorus. *F.*]

MITHRAS et Mithres, ae, m. *Μίθρας*, et *Μίθρης*, nomen Solis ap. Persas, qui ejus simulacrum in spelunca ita effingebant, ut humana esset figura, et Phrygio vestitu, sinistra autem manu tauri reluctantis os retineret, dextra cultro eundem immolaret: est a Persica voce *Mihr*, Sol, quam Graeci in *Μίθρας*, vel *Μίθρης*, commutarunt: iidem insuper, qui mysticum aliquid in eo nomine aucupari studebant, *Μείθρας* scribere coeperunt, quia nempe septem litterae, quibus illud nomen constat, numerica potestate efficiunt numerum CCCLXV., quot scilicet diebus definitur annuus solis cursus, quemadmodum et *Abraxas* est eadem de causa postea appellatus, q. v. v. s. l. Id in supposito schemate oculis repraesentandum esse putamus:

$$\underset{40.5.10.9.100.1.200.}{MEIΘPAΣ}\left(\text{CCCLXV.}\right)\underset{1.2.100.1.60.1.200.}{ABPAΞAΣ}$$

Lact. ad illud *Stat. Th.* 1, 717. seu te roseum Titana vocari Gentis Achaemeniae ritu, seu praestat Osirim Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri Indignata sequi torquentem cornua Mithram; *haec habet:* Persae in spelaeis Solem primi invenisse dicuntur: est in spelaeo Persico habitu cum tiara, utrisque manibus bovis cornua comprimens. *Claud.* 1. *in I. cons. Stil.* 63. de rege Persarum: Et vaga testatur volventem sidera Mithram. *Hieron. in Amos* 3, 3, 9. Basilides omnipotentem Deum portentoso nomine appellat *Abraxas*, et eundem secundum Graecas litteras, et annui cursus numerum dicit in solis circulo contineri, quem Ethnici sub eodem numero aliarum litterarum vocant Mithram. *Curt.* 4, 13. Solem Mithren, sacrumque ac aeternum invocans Darius ignem, etc. ℙ Ex Persia primum ap. Aegyptios, deinde etiam ap. Romanos piratici belli a Cn. Pompejo confecti tempore, *h. e.* ann. U. C. DCLXXXVII., illius numinis cultus celebrari coeptus est, ut refert *Plut.* in *Pomp.* 24., sed praecipue Commodo Aug. imperante tum scriptores Latini, tum vetusta monumenta Mithrae a Romanis exculti mentionem faciunt. Verum ann. a Chr. n. CCCLXXVIII. Gracchus praefectus urbis Romae, ut habent *Hieron. ep.* 107. *n.* 2. et *Prud. in Symm.* 1, 562., specum Mithrae, et omnia portentosa simulacra sustulit: ceterum ejus cultum usque ad ann. CCCXCI. perdurasse, affirmat *Zoega Bassiril. ant.* T. 2. p. 16., ubi multa hac de re docte disserit. Consule etiam *Reines. Inscr. cl.* 1. *n.* 45. et sqq. et *Philipp. a Turre de Monum. Antii* P. 2., ubi Mithrae figuras quatuor exhibet, sacra ejusdem narrat, mystica signa explicat, ac totam eam rationem accurate persequitur. ℙ In *Mithrae* spelaeis variae animalium effi-

gies, et symbolica simulacra erant, inter quae Aeonis imago, qua saeculum repraesentabatur, vultu quidem leonino, reliquo vero corpore humano, serpentis spiris involuto, et quatuor vespertilionis alis ornato, ut videre est ap. *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 2. *tab.* 19., *Zoega l. c. tab.* 59. et *Labus.* in *Bibliot. Ital.* T. 2. p. 210. *fig.* 1. Hinc *Vet. Schol.* ad *Stat. l. c.* ipsi Mithrae vultum leonis perperam tribuit. *Hieron. l. c.* Nonne specum Mithrae, et omnia portentosa simulacra, quibus Corax, Nymphus, Miles, Perses, Helios, Dromon, Pater initiantur, Gracchus subvertit, fregit, excussit! *Tert. Cor. mil.* 15. Aliquis Mithrae miles, cum initiatur in spelaeo, in castris vere tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam quasi mimum martyrii, deinc capiti suo accommodatam, monetur obvia manu a capite depellere, et in humerum, si forte, transferre, dicens, Mithram esse coronam suam. *Capell.* 2, 43. Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Osirin, Dissona sacra Mithram, Ditemque, ferumque Typhonem. *Inscr.* ap. *Grut.* 28, 6. Persidicique Mithrae antistes Babylonie templi. Alia ap. *Fabrett.* p. 698. *n.* 198. Soli invicto Mithrae T. Flavius Aug. Lib. Hyginus Ephoebianus; et p. 367. *n.* 127. M. Aurelius Aug. Lib. Euprepes Soli invicto Mithrae aram ex viso posuit. Plures vero ap. *Grut.* p. 33. et 34. leguntur inscriptiones, in quibus D. S. I. M., aut expresse *Deo Soli Invicto Mithrae* legitur. ℙ De simulacris ad Mithrae cultum pertinentibus actum est in V. CORACICUS, CRYPHII, HELIACUS, LEONTICUS, PERSICUS et SPELAEUM. ℙ *Mithras* fuit etiam nomen proprium viri; itaque sic appellatur ap. *Appul. Met.* 11. sacerdos quidam Isidis: Aegyptii enim saepissime Deorum nomina sibi tribuebant. Hinc etiam factum est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 384. *n.* XXXVIII. T. Saufejus Mithres. [*Plurima ex suis addidit *F.*]

MITHRAX vel Mitrax, acis, m. *μίθραξ*, gemma a Persis accepta, et rubri maris montibus, multicolor, contra solem varie refulgens. *Plin.* 37, 10, 63. ℙ Ap. *Solin.* 37. et *Isid. Orig.* 16, 12. legitur *mithridax*, fortasse corrupte pro *mithrax*.

MITHRIACUS, a, um, adj. ad Mithram pertinens. *Lamprid. Commod.* 9. Sacra Mithriaca homicidio vero polluit.

*MITHRIDATES, is, m. *Μιθριδάτης*, Ponti rex. V. in *Mithridaticus, a, um.* ℙ Mithridates, Phryx, testis in Flaccum. *Cic. Fl.* 17. ℙ Alius, Pergami rex, amicus Caesaris, et ab ipso Bosphori rex constitutus. *Hirt. B. Alex.* 26. 27. 28. et 78. ℙ Mithridates, cognomine Evergetes, Romanorum socius, iis contra Carthaginienses bellantibus navibus aliquot auxilio fuit. *Just.* 37. etc. V. et *Spanh. de us. num. diss.* 8. p. 481. ℙ Mithridates, Parthorum rex quintus, fratri Phraati successit. Imperium Parthicum ad summum fastigium perduxit. *Just.* 41. *ult.* ℙ Mithridates, Parthorum rex octavus, patrem Artabanum excepit. *Id.* 42, 2. ℙ Alius, Armeniae rex, de quo *Tac. A.* 11, 8. ℙ Alius etiam Mithridates, qui Bruti epistolas collegit, quae impressae sunt ab *Aldo;* de quibus, si modo illius sunt, his verbis indicium fecit. *Τὰς Βρούτου ἐπιστολὰς ἐθαύμασα πολλάκις, οὐ μόνον δεινότητος καὶ συντομίας χάριν, ἀλλὰ καὶ ὡς ἡγεμονικοῦ φρονήματος ἐχούσας χαρακτῆρα.* ℙ Mithridatem meminit *Nepos* in *Datame*, cui Aspis a Datame ad regem captivus ducendus traditus fuerat. Notat ibi *Lambinus*, in nummis antiquis *Mithradates*, non *Mithridates* scribi. V. et *Spanh. de us. num. diss.* 2. p. 125. *B. A.*

MITHRIDĀTĒUS, a, um, adj. Mithridaticus. *Ov. Met.* 15, 755. Mithridateisque tumentem Nominibus Pontum. *Manil.* 5, 510. Et Mithridateos vultus induta tropaea.

MITHRIDĀTĬCUS, a, um, adj. ad Mithridatem pertinens, qui fuit rex Ponti, acerrimus Romanorum hostis, quos contra bellum gessit per quadraginta annos, tandemque a Pompejo M. devictus est. V. *Vell.* 2, 18. et sqq., *Flor.* 3, 5., *Just.* 37. et 38. et *Cic. Manil.* Dicitur a *Plin.* 7, 24, 24. et *Gell.* 17, 17. duarum et viginti gentium rex, totidem linguis jura dixisse, pro concione singulas sine interprete affatus. Ab *eod. Plin.* 25, 2, 2. maximus sua aetate regum appellatur, et qui primus excogitaverit quotidie venenum bibere, praesumptis remediis, ut consuetudine ipsa innoxium fieret. Unde unum antidoti genus ab eo nomen accepit. Itaque consecutus est, ut in ultimo discrimine, ne volens quidem veneno mori potuerit, et ferrum adhibere coactus sit: quam rem praeter *Just.* 37, 2. et *Flor. l. c.*, testatur etiam *Mart.* 5, 76. Profecit poto Mithridates saepe veneno, Toxica ne possent saeva nocere sibi. *Cic. Manil.* 3. Mithridaticum bellum. *Flor.* 4, 2. *med.* regnum. *Plin.* 29, 1, 8. antidotum: (quod a *Celso* describitur 5, 23. *n.* 3. et *Scrib. Comp.* 170. V. etiam, si lubet, *Seren. Samm.* 61., *Aemil. Macr. c. de Ruta*, et *Plin.* 23, 8, 77.) *Id.* 15, 25, 30. Victoria Mithridatica, *h. e.* de Mithridate. Sic 12, 4, 9. Mithridaticus triumphus. ℙ *Mithridaticum crimen* ap. *Cic. Fl.* 17. est cujusdam Mithridatis, cui Flaccus insidias struere dicebatur.

MITHRĬDĀTĬOS antidotus (de qua in v. praec.) *Gell.* 17, 16. *extr.*

MĪTĬFĬCĀTUS, a, um, part. a *mitifico:* mitis factus. *Cic. Div.* 2, 26. In omne corpus diviso et mitificato cibo, *h. e.* concocto. Al. leg. *modificato.* [*Vulg. serv. *Orell.* — *Hotting.* susp. *mollificato* vel: *confecto.*]

MĪTĬFĬCO, as, avi, atum, a. 1. mitem facio, emollio, lenio. *Plin.* 9, 31, 50. de marinis locustis: Autumno et vere pinguescunt, et plenilunio magis, quia nocte sidus tepido fulgore mitificat. *Id.* 8, 7, 7. de elephantis: Capti celerrime mitificantur hordei succo, *h. e.* mansuescunt, mitescunt. *Gell.* 2, 12. *med.* Majoris auctoritatis viri suos, apud quos sunt, regunt atque mitificant, et adversarios sanatos magis cupiunt, quam perditos, *h. e.* placant, flectunt.

MĪTĬFĬCUS, a, um, adj. mitis, lenis, levis, mollis. *Sil.* 12, 474. Mitifica mens. Al. aliter leg., sed nihil mutandum. *Prud. Hamart.* 963. mitificos incendia lenta vapores Exhalent, aestuque calor languente tepescat. *Appul. de Mundo extr.* Eundem ultrix Necessitas semper et ubique comitatur: quam ille faciet mitificam, qui, etc.

MĪTĬGABĬLĬTER, et

MĪTĬGANTER, adv. mitigando, cum mitigatione. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 4. Partes mitigabiliter relaxandae. *Id. Tard.* 5, 1. Partes mitiganter emollire.

MĪTĬGĀTĬO, onis, f. *ἡμέρωσις, πραΰνσις*, actus mitigandi, delinitio. *Cic. Or.* 3, 30. Omnisque ad omnem animi motum et impulsio, et, si ita res feret, mitigatio. *Auct. ad Her.* 4, 37. Ejusmodi licentia, si nimium videbitur acrimoniae habere, multis mitigationibus lenietur.

MĪTĬGĀTĪVUS, a, um, et

MĪTĬGĀTŌRĬUS, a, um, adj. *πραϋντικὸς*, qui habet vim mitigandi. *Plin.* 28, 6, 17. Contra renum, et lumborum, vesicaeque cruciatus in balnearum soliis pronos urinam reddere, mitigatorium habetur. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 5. Laxativa et mitigativa curatio.

MĪTĬGĀTUS, a, um, part. a *mitigo*, mitior factus, mollitus, lenitus, placatus. *Plin.* 16, 12, 23. Arbor feritatis paulum mitigatae satu. *Id.* 15, 13, 23. de persicis: Falsum est, venenata in Persis gigni, et translata in Aegyptum, terra mitigata. *Id.* 8, 16, 19. Leonum impetus alloquio mitigatus. *Curt.* 8, 14. Aures (*elephantorum*) olim ad notum sonum (*tympanorum*) mitigatae. *Id.* 9, 10. Mitigata hiems. *Cic. Fam.* 6, 1. Magna signa dedit animi erga te mitigati. *Just.* 18, 4. Dissimulato odio, mitigatoque interim vultu. *Tac. H.* 1, 63. Mitigatus precibus.

MĪTĬGO, as, avi, atum, a. 1. *μαλακύνω*, mitem, *h. e.* mollem ac tenerum reddo, mollio: et proprie dicitur de frugibus, et de fetibus arborum, qui in maturitate tenerescunt, et edules fiunt. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 293. Cum fruges aestate ac maturitate alias mitigaverit, alias torruerit. ℙ Significat etiam plus aliquid, quam *maturare*, nempe qualitatem illam inducere, quam habent poma et fruges inter maturitatem et putredinem. *Auson. Idyll.* 8. 17. Discolor arboreos variet Pomona sapores: Mitiget autumnus, quod maturaverit aestas. Huc pertinet illud *Varr. R. R.* 1, 68. Sorbum prius domi maturitatem assequi vult, quam nequit in arbore, quam mitescat. ℙ Adhibetur etiam ubi de cibis sermo est, et significat coquere. *Cic. N. D.* 2, 60. Arborum consectione, igni adhibito, ad mitigandum cibum utimur. ℙ Facete *Turpil.* ap. *Non.* l. c. Misero mihi mitigabat sandalio caput, *h. e.* frangebat, atque adeo tenerum reddebat. Hoc modo et *Ter.* locutus est *Eun.* 5, 8, 4. [*Al. 5, 7, 4.] Hinc *mitis* dicitur ab *eod. Ad.* 2, 4, 12. et *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 31. qui verberibus et colaphis contusus est, quasi inde duritiam exuerit, et tener ac mansuetus factus siet. Sic *mollis fustibus* ap. *eund. Aul.* 3. 2, 8. ℙ Singulare est illud *Mart.* 9, 44. Hic, qui dura sedens porrecto saxa leone Mitigat, *h. e.* sessui molliora reddit, leonis pellem sternendo. ℙ Universim est vim, acrimoniam, asperitatem, feritatem rebus demere, lenire, sedare, levare, temperare. *Cic. Att.* 3, 15. Ceteri dolores mitigantur vetustate. *Id. Or.* 3, 4. Summi labores nostri, magna compensati gloria, mitigantur. *Tac. A.* 14, 24. Penuria aquae, fervida aestas, longinqua itinera, sola ducis patientia mitigabantur. *Quint.* 2, 17. Febrem quiete, et abstinentia mitigare. *Plin. ep.* 1, 12. *med.* morbum temperantia. *Plin. alter* 20, 23, 96. tormina; et *ib.* 15, 58. sugillata, et oculorum epiphoras; et *ib.* 22, 92. cervicum duritias; et *prooem. l.* 23. *med.* omphacii vim melle; et 14, 22, 29. vina diluendo. *Id.* 18, 16, 40. amaritudinem frugum. *Id.* 10, 63, 83. rabiem suum. *Id.* 35, 6, 19. pilos, *h. e.* extenuare; et 17, 10, 12. silvestres arbores. *Hor. Ep.* 2, 2, 186. silvestrem agrum ferro et flammis. Sic *Cic. N. D.* 2, 52. *f.* Indus (*fluvius*) non aqua solum agros laetificat et mitigat, sed eos etiam conserit, *h. e.* fertiles reddit. [*Sil. 6, 94. Torpentes mitigat artus, *i. e.* fovet, recreat.] ℙ Transfertur saepe ad affectus, mores, animum, pro minuere, lenire, placare, flectere. *Sen. Ben.* 1, 3. Nullum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget. *Plin.* 24, 17, 102. Mitigare feritatem animalium. *Id.* 8, 40, 61. impetus et saevitiam canum. *Tac. A.* 14, 22. spiritus alicujus. *Quint.* 12, 2. metus; et *ib.* 1. aures, *h. e.* aversas ab audiendo lenire. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 7. acerbam severitatem condimentis humanitatis. *Id. Or.* 2, 75. invidiam extenuando. *Cic. Balb.* 26. animum alicujus. *Colum. praef.* querimonias. *Ov. Trist.* 4, 6, 15. tempus paulatim mitigat iras. *Cic. Or.* 2, 58. *med.* Risus tristitiam, ac severitatem mitigat et relaxat. *Id. Mur.* 31. Te ipsum animi quodam impetu concitatum, et vi naturae atque ingenii elatum et recentibus praeceptorum studiis flagrantem, usus flectet, dies leniet, aetas mitigabit. *Id. Fam.* 1, 9. *extr.* Ut quibus rebus possis, eum tibi ordinem aut reconcilies, aut mitiges. *Id. Leg.* 2, 24. Ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem, et mitigati sumus. *Liv.* 38, 48. *med.* Gallorum animos, si possent mitigari a feritate insita, tentavi. *Tac. A.* 6, 38. Non enim Tiberium, quae ceteros mollire solent, tempus, preces, satias mitigabant, quin puniret, etc. *Id. H.* 1, 66. Mitigare aliquem pecunia. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Senatui licet et mitigare leges, et intendere; et *ep.* 8, 4. Nihil est, quod non arte curaque, si non potest vinci, mitigetur: *γνώμῃ.* [*Suet. *Tib.* 48. Ad mitigandum temporum atrocitatem. *Sil.* 9, 474. Germano, dic, Pallas mitiget iras, i. e. Marti. Sic *Heins.* ex Cod. pro *germanae*, quod servat *Cellar.* et expl. Junoni.]

MĪTĬLO, as, n. 1. verbum exprimens vocem acredulae. *Auct. carm. Philom.* 16. componit acredula cantus, Matutinali tempore tunc mitilans: ubi in quodam codice est *trutilans*, in al. *truculans.*

MĪTIS, e, adj. *μαλακὸς, πεπτὸς*, tener, mollis, maturus: et dicitur de frugibus, et pomis, et hujusmodi. *Virg. Ecl.* 1, 81. sunt nobis mitia poma, Castaneae molles, etc. *Id. G.* 1, 448. male tum mites defendit pampinus uvas; et *ib.* 2, 522. Mitis in apricis coquitur vindemia saxis. *Petr. Sat.* 135. Mitia sorba. ℙ Item lenis. *Virg. G.* 1, 344. Cui tu lacte favos, et miti dilue Baccho. *Ov. Met.* 14, 690. hortus alit cum succis mitibus herbas. ℙ Item qui maturandis fructibus favet. *Hor. Od.* 1, 18, 2. Circa mite solum Tiburis vitem serere, *h. e.* ubi boni fructus maturique, et lenes proveniunt. Adde *Stat. Silv.* 1, 1, 102. et *ib.* 3, 5, 79. ℙ Item tranquillus, placidus. *Sen. Thyest.* 589. Mitius stagno pelagus recumbit. *Virg. A.* 8, 88. Mitis fluvius in morem stagni, *h. e.* leni cursu fluens. Adde *Lucan.* 1, 403. et *Sil.* 4, 85. et 17, 642. ℙ Item innocuus, innoxius. *Sil.* 16, 120. coruscum Vertice fulsit apex, crispamque involvere visa est Mitis flamma comam. (*Virg. A.* 2, 683. tactuque innoxia molles Lambere flamma comas.) ℙ Translate refertur ad animum, *πρᾶος. Cic. Att.* 5, 1. Nihil tam vidi mite, nihil tam placatum, quam tum meus frater erat in sororem tuam. *Ov. Pont.* 2, 1, 48. Cum videam mites hostibus esse Deos. *Vell.* 2, 117. Vir ingenio mitis, moribus quietus. *Pl. Truc.* 4, 3, 2. Mitis tranquillusque homo. *Cic. Cat.* 4, 5. *f.* Homo mitissimus atque lenissimus. *Id. Inv.* 1, 2. Mites animi et mansueti; et *ib.* 55. Animus mitis et misericors. *Tac. Agr.* 16. Turpilianus delictis hostium novus, eoque poenitentiae mitior, *h. e.* erga poenitentiam, seu facilior erga poenitentes. *Val. Fl.* 2, 647. cultu mitia corda. *Quint.* 9, 2. et 10, 1. Affectus vel concitati, vel mitiores. *Hirt. B. Alex.* 70. Mitibus verbis monere aliquem. *Tibull.* 1, 9, 2. miti lenia verba sono. *Ov. Trist.* 1, 5, 5. Qui mihi consilium vivendi mite dedisti. *Cic. Mur.* 29. Doctrina non moderata, nec mitis, sed paulo asperior et durior. ℙ Cum accus. Graeco more. *Hor. Od.* 3, 10, 17. nec rigida mollior aesculo, Nec Mauris animum mitior anguibus. Al. leg. *animo.* ℙ *Mitis* urbane dicitur, qui verberibus contusus est. V. in MITIGO. ℙ Est etiam levis, lenis. *Cic. Tusc.* 2, 22. *extr.* Haec cogitatio dolorem mitiorem facit. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 293. mite malum, blandum atque dolosum. *Ov. Trist.* 2, 185. Mitius exsilium. *Prop.* 2, 16, 20. Mite servitium. *Quint.* 6, 4. Mitiorem poenam irrogare. ℙ *Mites opes* sunt pace longa partae. *Sil.* 14, 653. Hic mites Hieronis opes. ℙ Refertur et ad orationem, quae veluti matura est, lenis, suavis. *Cic. Brut.* 83. *extr.* Thucydides si posterius fuisset, multo maturior fuisset et mitior. *Id. Sen.* 9. Facit persaepe ipsa sibi audientiam diserti senis compta et mitis oratio, *h. e.* quieta, remissa, lenis, et sine vi et clamore. ℙ In genit. plur. habet *ium. Plin. ep.* 1, 4. Mitium dominorum apud servos ipsa consuetudine metus exolescit: *γνώμῃ.*

MĪTĬUSCŪLUS, a, um, adj. diminut. mitioris. *Coel. Aurel. Acut. praef.* Febres parvae et mitiusculae.

MITRĂ, ae, f. *ἀναδέσμη, μίτρα*, tegumentum capitis Lydorum, Phrygiorum, Syrorum, Arabum, Persarumque, et Aegyptiorum, Graecorum etiam, fascia longa constans obvoluta (nam *μίτρα* Graece fasciam significat.) Aliis est pileolus in angustum desinens, et in anteriorem partem incurvus, fascia

circumdatus, et redimiculis instructus, quibus a mento religaretur. Commune fuit apud hos populos viris, feminisque. *Claud. I. in cons. Stil.* 1, 156. Hic mitra velatus Arabs. ℙ Ap. Romanos barbararum mulierum gestamen erat, praesertim meretricum: item virorum effeminatorum, atque externum cultum affectantium. *Cic. Har. resp.* 21. P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, a strophio est factus repente popularis. *Claud. in Eutrop.* 2, 185. de Bellona Targibili uxorem mentita: Inque orbem tereti mitra redimente capillum Struxerat. *Sen. Herc. Oet.* 374. de Hercule: Nempe illa cervix spolia deposuit ferae, Crinemque mitra pressit, et famulus stetit Hirtam Sabaea marcidus myrrha comam. *Virg. A.* 4, 215. Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu Maeonia mentum mitra, crinemque madentem Subnixus, etc. Ubi *Serv.*: hoc est pileo incurvo, de quo pendebat etiam buccarum tegimen. *Id. ib.* 9, 616. juvat indulgere choreis: Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae. O vere Phrygiae: neque enim Phryges. *Stat. Th.* 9, 795. haud unquam deformes vertice mitras Induimus. *Mart.* 2, 36. Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum: Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum. *Lucr.* 4, 1122. Et bene parta patrum fiunt anademata mitrae, *h. e.* avita patrimonia profunduntur in sumptus deliciarum. [*Prud. Psych.* 358. Ut mitra caesariem cohibens aurata virilem Combibat infusum croceo religamine nardum. *F.*] ℙ De feminis, et praesertim meretricibus. *Plin.* 35, 9, 35. Polygnotus primus mulieres lucida veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit. *Juven.* 3, 66. Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra. *Serv.* ad *cit. A.* 4. Quibus effeminatio crimini dabatur, etiam mitra eis adscribebatur: multa enim lectio mitras proprie meretricum esse docet. ℙ *Scalig.* in *Copam Virg.* observat, fuisse propriam vetularum: unde colligit anum fuisse copam illam, quae dicitur *caput Graja redimita mitella.* Sic *Ov. Fast.* 4, 517. simularat anum, mitraque capillos Presserat; et *ib.* 3, 669. Illa levi mitra canos redimita capillos, Fingebat tremula rustica liba manu. *Id. Met.* 14, 654. Ille etiam picta redimitus tempora mitra, Innitens baculo, positis ad tempora canis, Adsimulavit anum. *Prop.* quoque in supellectili anus lenae, 4, 5, 70. et immundo pallida mitra situ. ℙ Est etiam gestamen proprium Bacchi, Deorum delicatissimi. *Prop.* 4, 2, 31. Cinge caput mitra; speciem furabor Iacchi: Furabor Phoebi, si modo plectra dabis. Adde *Sen. Hippol.* 756. et *Oedip.* 413., *Val. Fl.* 2, 271. et *Stat. Achill.* 1, 617. et *ib.* 2, 41. ℙ [Item funis, quo navis media vincitur, ut ait *Isid. Orig.* 19, 4. *Tertull. carm. de Jona et Ninive* 42. Nauticus interea geminus clamor omnia tentat Pro rate, proque anima, spiras mandare morantes, Oblaqueare mitram, clavorum stringere nisus. Alii perperam scribunt *mithram*, ut sit a *Mithras*, *ae*, q. v. V. s. l. *F.*]

MITRĀTUS, a, um, adj. mitra tectus, ornatus. *Prop.* 4, 7, 42. Mitratisque sonant Lydia plectra choris. V. v. praec. *Plin.* 6, 28, 32. Arabes mitrati degunt, aut intonso crine.

MITRULA, ae, f. parva mitra, dimin. *Solin.* 27. *med.* Alba mitrula lineatus serpens.

[MITTENDĀRĬUS, ii, m. publicus minister palatinus, qui ad exactionem tributorum urgendam in provincias saepius mittebatur. *Imppp. Gratian., Valent. et Theod. Cod. Theod.* 6, 30, 2. Idoneos itaque singulis annis e numero mittendariorum ad hoc eligere debebis, et mittere. Adde *eosd. ib.* 8. et 9. *F.*]

MITTO, is, misi, missum, a. 3. *πέμπω, στέλλω*, allegare quempiam ad aliquem, item rem ad alium perferendam curare, ire jubere. *Caes. B. C.* 1, 40. His pontibus pabulatum mittebat. *Ter. Heaut.* 4, 4, 14. quo mittis istanc, quaeso? Jube maneat. *Id. Phorm.* 5, 6, 42. missus sum, te ut requirerem, atque adducerem. *Id. Andr.* 3, 2, 34. Missa est ancilla obstetricem arcessitum. [*Virg. A.* 2, 114. Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phoebi Mittimus: ubi *Burm.*: Veteres praesertim de legatis fere semper dixisse *mittere rogatum, oratum* et sim. — Ponitur *mittere* eodem modo constructum etiam absolute. *Nep. Them.* 2, 6. Miserunt Delphos consultum. Ita etiam Graeci utuntur v. *πέμπειν.*] *Ov. Met.* 6, 41. vel me visendae mitte sorori, Vel soror huc veniat. *Ter. Hec.* 3, 2, 7. Non visas, ne mittas quidem visendi causa quemquam. *Id. Heaut.* 1, 2, 17. Nunc servulum ad eam in urbem misit. *Caes. B. G.* 1, 27. Legatos de deditione ad eum miserunt. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. Filium suum foras ad propinquum suum quendam mittit ad coenam. *Stat. Th.* 2, 115. Ipse Deum genitor tibi me miseratus ab alto Mittit. *Caes. B. G.* 1, 18. *extr.* Equitatum auxilio Caesari Aedui miserant; et *ib.* 2, 6. *extr.* Subsidium alicui mittere; et *ib.* 4, 16. Ad quos cum Caesar nuncios misisset, qui postularent, etc. *Cic. Phil.* 1, 5. Cum de via languerem, misi, pro amicitia, qui hoc diceret. *Id. Att.* 1, 3. Misimus, qui pro vectura solveret. *Id. Fam.* 15, 4. Dejotarus legatos ad me misit, se cum omnibus copiis esse venturum: subaudi *qui dicerent.* [*Nihil subaudiendum! Ita saepius etiam post formulam *litteras mittere* infinitivus sequitur. *Nep. Timoth.* 3, 4. Litteras — misit, sibi proclive fuisse: ubi nos quoque nihil subaudientes dicere solemus: *Er schickte einen Brief, es wäre ihm leicht gewesen.*] *Nep. Att.* 20. Nunquam ad suorum quemquam litteras misit, quin Attico mitteret, quid ageret. [*Plura exempla, quae v. *mittere* cum notione scribendi, s. mittendo litteras alicui aliquid significandi absolute positum referant, collegit *Gronov.* ad *Liv.* 34, 29. Similem usum habet Gr. *ἐπιστέλλειν.*] *Cic. Att.* 6, 5. Velim obvias mihi litteras de omnibus rebus crebro mittas; et *ib.* 7, 22. *f.* Caesaris litterarum exemplum tibi misi; et *ib.* 8, 12. *extr.* Librum, quem ad te misit de concordia, velim mihi mittas. [*Librum *ad aliquem mittere* praeter solitam verbi significationem saepe idem est, ac *librum alicui inscribere. Cic. Sen.* 1. Hunc librum de senectute ad te misimus. *Schütz. cl. Cic. s. h. v.*] Hinc absolute *mittere* est *epistolam mittere*, ap. *Ov. Her.* 14, 1. Mittit Hypermnestre de tot modo millibus uni. *Caes. B. G.* 5, 10. Milites in expeditionem mittere. *Cic. N. D.* 2, 40. Luna eam lucem, quam a sole accepit, mittit in terras. *Val. Fl.* 5, 262. reddi jubet exitiale sacerdos Vellus, et Haemoniis infaustum mittere terris. *Ov. Met.* 8, 545. Mittere aliquem per aera; et *ib.* 11, 670. sub Tartara. Sic *Fast.* 5, 385. aliquem leto; et *Pl. Capt.* 3, 5, 34. morti; et *Cic. Tusc.* 1, 41. ad mortem. *Stat. Th.* 6, 821. corpus sepulcro. *Cic. Quint.* 26. *extr.* in possessionem; et *Off.* 3, 30. sub jugum. V. JUGUM. *Virg. A.* 4, 231. totum sub leges mitteret orbem. ℙ Eleganter *mittere* dicuntur *aliquid* populi, regiones, etc., unde commercio petuntur ea, quibus nos indigemus, ipsi abundant. *Virg. G.* 1, 57. India mittit ebur, molles sua tura Sabaei. At Chalybes nudi ferrum, virosaque Pontus Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum. *Ov. Med. fac.* 53. Hordea, quae Libyci ratibus misere coloni. *Id. Amor.* 1, 12, 10. cera, quam Corsica misit apis. *Id. Met.* 2, 366. Padus electra mittit nuribus gestanda Latinis. Adde *Plin.* 37, 10, 59. et 10, 47, 66. et al. ℙ *Mittere in consilium* est dimittere judices ad sententiam dicendam, ubi, allegatis omnibus argumentis, orator dixerit, Dixi, ut *Ascon.* docet ad *Cic. Verr.* 2, 1, 9. *extr.* Pertinet autem ad eum, qui quaestioni praeest. *Id. ib.* Accusabo: respondebis: testibus editis, ita mittam in consilium, ut, etc. *h. e.* ita perorabo: metonymia. Adde *Cluent.* 30. Urbane *Plin. Pan.* 67. *med.* Omnibus annis in consilium de te Deos mittis, exigisque, ut sententiam suam mutent, si talis esse desieris, qualis electus es. *Sen. Ben.* 4, 11. *extr.* Ubi mors interclusit omnia, et ad ferendam sententiam incorruptum judicem misit, etc. ℙ *Mittere in suffragium* pertinet ad comitia. V. SUFFRAGIUM. ℙ Cum infinito. *Ter. Eun.* 3, 3, 22. Misit porro orare, ut venirem serio. *Pl. Cas.* 3, 5, 48. Ego huc missa sum ludere. *Id. Curc.* 1, 3, 50. Parasitum misi Cariam petere argentum. *Prop.* 2, 13, 17. Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas. Adde *Ov. Her.* 1, 37., *Stat. Achill.* 1, 210. (ubi alii aliter leg.) et *Coel. Antipatr.* ap. *Charis.* 2, 183. [*Etiam prosae orationis scriptores ita loquuntur. *Caes. B. C.* 3, 34. In Thessaliam ire misit: ita hunc locum laudat *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 37. secundum codd. aliq.; recentiores edd. infin. *ire* omittunt.] ℙ Est etiam mandare, jubere, sive per litteras, sive per nuncium. *Cic. Fam.* 16, 9. *med.* Curio misi, ut medico honos haberetur; et *Att.* 13, 10. Hodie Spintherem exspecto: misit enim Brutus ad me. ℙ Item renunciare, significare. *Cic. Fam.* 1, 8. Tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum compositiones, ut vadimonia dilata, ut Chresti compilationem mitteres? *Ov. Trist.* 5, 13, 1. Mittere salutem alicui. *Prop.* 4, 3, 1. mandata alicui. ℙ Item donare. *Nep. Paus.* 2. Quos Byzantii ceperat, tibi muneri misit. *Plin.* 37, 5, 19. Mittere munere smaragdum. Adde *Catull.* 12, 15. Absolute *Ter. Eun.* 3, 2, 27. Atque haec qui misit, non sibi soli postulat te vivere. *Virg. Ecl.* 9, 6. Hos illi (quod nec bene vertat) mittimus hoedos. *Mart.* 10, 14. Quando brevis gelidae missa est toga tempore brumae? ℙ Interdum est deponere, abjicere. *Virg. A.* 1, 206. revocate animos, moestumque timorem Mittite; et *ib.* 6, 85. mitte hanc de pectore curam. *Liv.* 40, 46. *f.* Mittere vere, ac finire odium. *Hor. Ep.* 1, 5, 9. Mitte leves spes, et certamina divitiarum. ℙ Item omittere, praetermittere, desinere. *Liv.* 34, 39. Quin mittimus ambages? *Cic. Mur.* 15. *f.* Mitto proelia, praetereo oppugnationes oppidorum, etc. *Ter. Ad.* 5, 3, 9. mitto maledicta omnia; et *ib.* 52. mitte jam istaec: da te hodie mihi. *Id. Andr.* 5, 3, 2. mitte male loqui. *Hor. Od.* 1, 38, 3. Mitte sectari, rosa quo locorum Sera moretur. *Ov. Met.* 3, 614. pro nobis mitte precari. *Cic. Fam.* 15, 4. *med.* Mitto, quod invidiam, quod pericula, quod omnes meas tempestates subire paratissimus fueris. *Id. Verr.* 2, 2, 74. *f.* Mitto de melle: sed tantumne Melitensium? subaudi *quaerere. Id. Pis.* 20. *med.* Mitto de amissa maxima parte exercitus: subaudi *dicere.* ℙ Item dimittere, missum facere. *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* Unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres. Carceres dicti, quod coercentur equi, ne inde exeant ante, quam magistratus misit. *Ov. Amor.* 3, 2, 66. Quadrijuges aequo carcere misit equos. [*Mitti proprie dicuntur equi, cum iis procurrendi signum datur. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 18, 166.] *Ter. Ad.* 5, 2, 5. Mitte me. *Pl. Poen. prol.* 100. Neque duxit unquam, neque ille voluit mittere. *Id. Truc.* 4, 2, 43. mittin' me intro? *Hor. A. P. f.* Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo. ℙ Hinc *mittere sanguinem*, viam aperire, ut exeat, *φλεβοτομεῖν. Cels.* 2, 10. Sanguinem incisa vena mitti, novum non est; et *ib.* Mittere sanguinem alicui. *Petr. Sat.* 91. cuipiam a capite. V. MISSIO. ℙ [*Mittere nomen suum in judicium* est efficere, ut de suo nomine, suique testimonii auctoritate judicium instituatur. *Cic.* in *fr. or. pro Fl.* (ed. *A. Peyronio*) p. 112. Si neque tota Asia, neque optima, neque incorrupta; si temere, si cupide, si inconstanter nomen suum misit in hoc judicium per egentissimos testes, etc. *F.*] ℙ Translate. *Cic. Att.* 6, 1. Appius cum *ἐξ ἀφωρέσεως* provinciam curarit, sanguinem miserit, quidquid potuit detraxerit, mihi tradiderit enectam, etc.; et *ib.* 1, 16. *med.* Missus est sanguis invidiae sine dolore. ℙ Item emittere, fundere. *Colum.* 3, 18. *f.* Sarmentum radices e capite, qua recisum est, aeque mittit. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 5. Folium quaedam ab radice mittunt, quaedam a cacumine. *Id.* 24, 9, 38. Vitex album florem mittit cum purpureo. *Id.* 25, 6, 32. Centauris succum sanguineum mittit. *Id.* 11, 37, 65. Ranae vocem mittunt. *Ov. Met.* 3, 38. Serpens horrenda sibila misit. *Enn.* ap. *Non.* 2, 625. prudens animam de corpore mitto. ℙ Hinc vocem mittere, loqui. *Lucr.* 3, 944. si vocem rerum natura repente Mittat. *Cic. Sext.* 19. Vocem pro me ac pro republica nemo mittit; et *Fl.* 3. Vox de quaestura nulla missa est. *Liv.* 35, 32. Qui vocem libram mittere adversus regis legatum auderent; et 30, 12. Si vocem supplicem mittere licet. *Caes. B. C.* 1, 2. Haec Scipionis oratio ex ipsius ore Pompeji mitti videbatur. ℙ [*Signum mittere*, i. q. edere, dare. *Lucr.* 1, 881. mittere signum Sanguinis, i. e. sanguinolentum videri. *Virg. G.* 1, 229. Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes. *Prop.* 3, 8, 3. Natalis nostrae signum misere puellae. *Caes. B. C.* 1, 71. Afranios contra multis rebus sui timoris signa misisse.] ℙ Item jaculari, jacere: unde *missilia. Ov. Met.* 11, 8. hastam Vatis Apollinei vocalia misit in ora. *Caes. B. C.* 3, 93. Renovato cursu, pila miserunt, celeriterque gladios strinxerunt. *Petr. Sat.* 90. Mittere lapides in aliquem. *Hor. Od.* 1, 12, 59. Mittere fulmina parum castis lucis. *Ov. Trist.* 3, 8, 2. Misit in ignotam qui rude semen humum. *Val. Fl.* 3, 313. Mittere aliquid igni. [*Ita ap. poetas saepissime v. *mittere* cum *dativo* pro *in* c. *accus.* construi solet. *Virg. A.* 9, 785. tot miserit Orco. *Stat. Th.* 12, 764. Hippomedonta neci, Capeneaque misimus umbris. *Claud. Ruf.* 1, 236. mittit letho.' *Virg. Cul.* 186. Obtritum morti misit. *Lucan.* 3, 290. Tot immensae comites missura ruinae Excivit populos; sim. 4, 199. Fluunt focis.] *Petr. Sat.* 115. *extr.* Mittere oculos longius, *h. e.* longius aspicere. *Auct. B. Hisp.* 15. Hospites de muro praecipites mittere coeperunt. *Catull.* 17, 23. eum volo de tuo ponte mittere pronum. *Ov. Fast.* 3, 583. nec longius abfuit inde, Quam quantum novies mittere funda potest. *Id. Fast.* 5, 621. Mittere roboreo ponte simulacra scirpea; et *Met.* 8, 250. Praecipitem aliquem ex arce mittere; et *ib.* 11, 340. Cum se Daedalion saxo misisset ab alto. *Id. ib.* 4, 528. Seque super pontum, nullo tardata timore, Mittit. *Id. Amor.* 3, 6, 80. Atque ita se in rapidas perdita misit aquas. *Quint.* 11, 1. *med.* Mittere se in medium. ℙ *Mittere se in aliquem*, immittere, aggredi. *Cic. Mil.* 28. Vota enim faceretis, ut in eos se potius mitteret, quam in vestras possessiones. ℙ Hac jaciendi notione pertinet ad talorum jactum. *Augustus* ap. *Suet. Aug.* 71. Talis enim jactatis, ut quisque canem, aut senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat. *Sen. Apocol. f.* Nam quoties missurus erat resonante fritillo, etc. *Hor. Sat.* 2, 17, 7. Mittere talos in pyrgum. ℙ Aliquando est injicere. *Val. Fl.* 7, 587. Incitat Aesonides dextram, inque ardentia mittit Cornua. ℙ Item immittere, agere. *Hor. Od.* 4, 14, 24. Frementem mittere equum medios per ignes. *Varr. L. L.* 4, 32. Ibi cum jaceret pater occisus, supra eum ut mitteret carpentum mulio, jussit. ℙ [*Item projicere. Exempla hujus notionis, quae *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 12, 123. laudat, comp. *Gronov.* ad *Sen. Consol.* ad *Marc.* 5., haec sunt: *Phaedr.* 1, 23, 3. Nocturnus cum fur panem misisset pani; et 2, 3, 2. Tinctum cruore panem misit malefica. *Sen. ep.* 27. Canem missa a domino frusta panis aperto ore captantem.] ℙ Translate est conjicere, immiscere, immittere. *Prop.* 3, 7, 3. Quid me scribendi tam vastum mittis in ae-

quor? *Cic. Rab. Post.* 2. Nec interea locupletare amicos suos destitit, mittere in negotium, dare partes. *Quint. decl.* 14, 8. et *ib.* 18, 5. Nos in fabulas, sermonesque misisti. *Ov. de nuce* 110. mittere aliquem in arma. [**Virg. A.* 2, 87. Illi me comitem — Pauper in arma pater primis huc misit ab annis. *Lucan.* 3, 292. Non corniger Hammon Mittere Marmaricas cessavit in arma catervas. *Lucan.* 8, 390. mittere in discrimina belli: ubi v. *Cort.*] *Vopisc. Tac.* 11. *f.* et *Lampr. Alex. Sev.* 48. *f.* Mittere aliquid in litteras, *h. e.* mandare litteris. *Virg. A.* 12, 190. paribus se legibus ambae Invictae gentes aeterna in foedera mittant. [**Hor. Od.* 1, 16, 25. Me quoque pectoris Fervor in celeres iambos Misit furentem, i. e. impulit. V. *Burm.* in add. ad *Ov. Her.* 4, 37. ubi sunt, qui pro vulg. *ignotas nitor in artes*, leg. *ignotas nitor in artes. Liv.* 37, 12. In incertam tempestatem miserunt, i. e. se miserunt. ℙ *Mittere in famam et saecula* ap. *Lucan.* 10, 533. potuit discrimine summo Caesaris una dies in famam et saecula mitti: est posteris tradere, V. in v. SAECULUM, et cf. *Barth.* ad *Claud. de Cons. Prob. et Olybr.* p. 120.] ℙ *Aedes mittere sub titulum* ap. *Ov. R. Am.* 302. est proscribere. Hinc *Tibull.* 2, 4, 54. Ite sub imperium, sub titulumque, Lares. ℙ Valet id, quod ponere, in his: *Sen. Ira* 2, 2. *extr.* Alexandrum ajunt, Xenophanto canente, manum ad arma misisse. *Pall.* 3, 25. *med.* Pira silvestria mittuntur in vasculo; et *ib.* 31. Myrti baccas tusas mittis in linteo; et 4, 10. *med.* Grana matura purgata in palmea fiscella mittis; et 11, 14. *med.* Cinis mittatur in dolio. Adde 8, 14.: quae omnia ad notionem injiciendi, et immittendi jam positam, reducuntur. ℙ *Misti* pro *misisti*, syncope est ap. *Catull.* 14, 14. ℙ [*Confunduntur *mittere* et *nutrire*. V. *Burm.* ad *Virg. G.* 1, 57. *Mittere* et *mergere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 748.]

MITŪLUS et Mytulus, i, m. *μύτυλος, μυτιχος*, piscis e genere concharum, molli testa instructus, sponte naturae in arenosis nascens, cujus usti cinis causticam vim habet. *Plin.* 9, 51, 71. et 32, 9, 31. [*Mytilus, *L., die Miesmuschel.*] ℙ *Mutulus* (versa Graeca *v* in Latinam *u*) legitur ap. *Cat. R. R.* 158. ℙ Vim habet molliendae alvi, teste *Cat. ib.* Hinc *Hor. Sat.* 2, 4, 27. si dura morabitur alvus, Mitulus, et viles pellent obstantia conchae. ℙ In cibis est vilioris pretii. *Mart.* 3, 60. Ostrea tu sumis stagno saturata Lucrino: Sugitur inciso mytulus ore mihi. ℙ Scribitur et *mytilus.*

MITYLĒNE seu Mytilene, es, f. et Mitylenae, arum, f. plur. *Metelino, Μιτυλήνη*, urbs primaria Lesbi insulae, a qua etiam insula Mitylene, et vulgo *Metelin* nominatur, juxta Methymnam: dicta a Mitylene filia Macharei Jovis filii, ut *Diodorus* 6, 16. scribit. Clara est Pittaco ex septem Sapientibus uno, Alcaeo poeta, Antimenide fratre ejus, Diophane oratore, et Theophane Pompejanarum rerum scriptore. *Hor. Od.* 1, 7, 1. Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen. *Cic. Fam.* 4, 31. An Mitylenis, aut Rhodi malles vivere. ℙ In nummis antiquis, teste *Eckhel. D. N. V.* T. 2. p. 303., est *ΜΙΤΤΙΛΗΝΑΙΩΝ*, cum in libris scriptis tum Graecis, tum Latinis littera *i* in prima sit syllaba.

MITYLĒNAEUS, seu Mytilenaeus, a, um, adj. *Μιτυληναῖος* et *Μυτιληναῖος*, ad Mitylenem pertinens. *Mart.* 7, 80. Mitylenaeus mango. *Claud. Nupt. Honor.* 235. Mitylenaeo modulatur pectine Sappho. *Lucan.* 8, 109. Mitylenaeum vulgus. ℙ *Mitylenaei, orum*, incolae. *Vell.* 2, 18. Mitylenaeorum perfidia. Adde *Nep. Thras.* 4.

MITYLĒNENSIS, e, adj. Mitylenaeus. *Tac. A.* 14, 53. Mitylenense secretum Agrippae permisit.

*MITYS, yos vel yis, fluvius Macedoniae, in Thessaliae confinio. *Liv.* 44, 7. *B. A.*

MIŪRUS et Meiūrus, a, um, adj. *μιοῦρος*, et *μειοῦρος*, ecaudis, qui cauda minor est: *ἀπὸ τοῦ μειοῦσθαι τὴν οὐρὰν*, qui veluti cauda mutilus est. Ita vocatur ap. grammaticos versus heroicus, in quo extremo iambus est pro spondeo: a *Diomed.* 3, 499. etiam *σκάζων* vocatur. *Terent. de metr.* 2425. Quem *μειοῦρον* Achaica gens vocitare solita est; et *mox:* 2426. Praemisso heroo subjungit namque *μιοῦρον. Serv. Centim.* 1824. Meiurum constat ita ut heroicum, sed pyrrichio clauditur, ut est hoc: *Mortem contemnunt laudato vulnere Getae.*

[MIUS, a, um, adj. antique pro *meus*, postea illud vulgo relictum, unde nunc Itali *mio* dicunt. V. MIS. *Diomed.* 1, 319. Sed veteres *mius* dicebant, ut *mi* sit vocativus secundum regulam. Adde *Vel. Long.* p. 2236. *Inscr.* optimae notae apud *Viscont. Monum. degli Scip.* T. 1. *tab.* 5. ed. *Mediol.* Virtutes generis mieis moribus accumulavi, Progeniem genui, facta patris petii. Hic *mieis* est monosyllabum, ut *miei* ap. Italos. *F.*]

MIXTĀRIUS, } V. MISTARIUS, etc.
MIXTIO, etc. }

*MIXTIX, icis, f. sociabilis. *Petr. fragm. Trag.* 17, 45. Non est mixtix. V. ibi *Reines. B. A.*

*MIZAEI, orum, gens Asiae ulterioris, de qua sic *Plin.* 6, 27. Susianis ad orientem versus junguntur Oxii latrones et Mizaeorum quadraginta populi liberae feritatis. *B. A.*

*MIZAGUS, i, Galatiae oppidum. *Tab. Peut. B. A.*

*MIZI, orum, duplex Arabiae populus, majores et minores. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

MN

MNĀ, ae, f. *μνᾶ, ᾶς*, eadem ap. Graecos, quae *mina* Latinis. *Plin.* 21, 34, 109. Mna, quam nostri minam vocant, pendet drachmas Atticas centum; et 35, 10, 36. *n.* 21. Pro duodecim Diis dedit in singulos mnas tricenas. Addunt et *Plauti* loca aliquot, in quibus tamen omnibus alii leg. *mina.* V. h. v.

*MNASĒAS, ae, m. *Μνασήας*, scripsit de re rustica, itemque Periplum. Patarensis fuit, e Lyciae civitate. *Varr. R. R.* 1, 1. *Colum.* 1, 1. *Plin.* 37, 2. *B. A.*

*MNASITĪMUS, i, m. insignis pictor. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

*MNASON, onis, m. Elatensium tyrannus, qui pro duodecim Diis Asclepiodoro pictori in singulos dedit minas trecentas, ac Theomnesto in singulas heroinas minas centum. *Plin.* 35, 10. *B. A.*

[MNĒMĒ, es, f. *μνήμη*, memoria. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 987, 1. Numisia L. L. Mneme. *F.*]

[MNĒMON, ōnis, m. *μνήμων*, memor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 819, 2. Herennius Mnemon. *F.*] ℙ *Cognomen Artaxerxis II. Persarum regis. *Nep. Reg.* 1. *B. A.*

MNĒMŌNICĀ, orum, n. plur. *μνημονικὰ*, praecepta, quae memoriam adjuvant. *Auct. ad Her.* 3, 17. Ita qui mnemonica didicerunt, possunt, quae audierunt, in locis collocare, et ex his memoriter pronunciare. Adde *ib.* 24. Sed utrobique optimi libri Graece scribunt. Graeca enim vox est, a *μνήμη*, memoria.

MNĒMŌNIDES, um, et arum, f. plur. Musae filiae Mnemosynes. V. v. sq.

MNĒMOSYNĒ, es, f. *Μνημοσύνη*, filia Jovis, et Clymenes, ex qua ipse Juppiter, pastoris sumpta figura (ut est ap. *Ov. Met.* 6, 114.) novem Musas suscepisse dicitur. *Sidon. carm.* 15, 175. serpentis specie illusisse ei, canit. Dicitur autem mater Musarum, quia *μνημοσύνη* memoria est, cujus beneficio scientiae et litterae acquiruntur, et conservantur. *Phaedr. prol.* 3. Pierium jugum, In quo tonanti sancta Mnemosyne Jovi Fecunda novies, artium peperit chorum. *Auson. ep.* 4, 63. An te carminibus juvat incestare canoras Mnemosynes natas, aut tres, aut octo sorores? ℙ *Mnemosynae, arum*, ipsae Musae. *Id. Idyll.* 11, 30. Et Lyrici vates numero sunt Mnemosynarum, *h. e.* novem sunt poetae Lyrici, ut Musae, nempe Pindarus, Simonides, Stesichorus, Ibycus, Alcman, Bacchilides, Anacreon, Alcaeus, Sappho. Al. leg. *Mnemonidarum* (eo modo, quo *Tyndaridarum* ab *Hor. Sat.* 1, 1, 100. dictum est). Sic *Ov. Met.* 5, 267. Felicesque vocat pariter studiique locique Mnemonidas. Al. leg. *Maeonidas.*

MNĒMOSYNON, i, n. *μνημόσυνον*, monumentum, memoria, pignus memoriae causa. *Catull.* 12, 13. Verum est mnemosynon mei sodalis. In multis *cod.* Graecis litteris scriptum legitur: nam Graeca vox est.

*MNESARCHUS, i, m. *Μνήσαρχος*, nomen fuit patris Pythagorae secundum *Appul. Flor.* 2. *med.* p. 351, 20. *Elmenh.* V. et *Laert.* 8, 1. Aliis Demaratus audiebat. ℙ Item Stoicus quidam philosophus. *Cic. Or.* 1, 11. et 17. *B. A.*

[MNĒSITHĒUS, i, m. *μνησίθεος*, Dei memor. Est cogn. R.: a *μνῆσις*, recordatio, et *Θεὸς*, Deus. *Inscr.* ap. *Mur.* 989, 5. P. Aelius Mnesitheus Aug. Lib. *F.* ℙ *Medicus quidam, de quo *Plin.* 21, 3. ed. *Hard.* ubi antea legebatur *Mnestheus.* ℙ Item insignis pictor, Sicyonius. *Id.* 35, 11. *B. A.*]

[MNESTAEUS, i, m. sponsalis, a *μνηστὴ*, sponsa. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 522, 2. Octavius Mnestaeus. *F.*]

[MNESTĒ, es, f. *μνηστὴ*, sponsa. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 750, 10. Aedia Mneste. *F.*]

MNESTER, ēris, m. *μνηστῆρ*, procus. Vox Graeca. *Hyg. fab.* 126. Quem cum Eumaeus ad mnesteras perduxisset, etc. *h. e.* procos Penelopes; et *mox:* Melanthius unus ex mnesteribus. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 55. C. Lucretius Mnester. *F.*]

*MNESTHEUS, ei et eos, m. *Μνησθεύς*, nomen proprium viri Trojani, de quo *Virg. A.* 4, 288. Mnesthea Sergestumque vocat, etc. Is ab Assaraco rege originem traxit, ut idem *Virg.* auctor est *A.* 12, 127. Et genus Assaraci Mnestheus. ℙ Nonnunquam vero causa metri additur *e* post *M*, ut sit *Menestheus. Id. A.* 10, 129. Nec Clytio genitore minor, nec fratre Menestheo. *Nec aliter potest stare versus*, ut annotavit *Servius. Menestheo* etiam edidit *Heynius;* quod tum habet codicum pars, tum etiam *Macr. Sat.* 5, 17. Est Homericum *Μενεσθεύς.* Potest autem esse versus spondaicus, si *Mnestheo* retineas, ut bona exemplaria legunt, teste *Pierio.* ℙ V. *Memmia gens.* ℙ Mnestheus, medicus. V. MNESITHEUS. *B. A.*

[MNEVIS, ĭdis, m. disyll. *Μνεῦις*, bos niger, Soli sacer, qui Heliopoli in Aegypto, ut Memphi Apis, pro Deo colebatur. *Plin.* 36, 8, 14. *n.* 2. Idem rex digressus inde, ubi fuit Mnevidis regia, posuit alium obeliscum. *Macr. Sat.* 1, 21. Taurum vero ad Solem referri, multiplici ratione Aegyptius cultus ostendit, vel quia apud Heliopolin taurum Soli consecratum, quem Mnevin cognominant, maxime colunt, vel quia bos Apis in civitate Memphi Solis instar excipitur. *Ammian.* 22, 14. Inter animalia antiquis observationibus consecrata Mnevis, et Apis sunt notiora: Mnevis Soli sacratur, super quo nihil dicitur memorabile; sequens Lunae. *F.*]

MO

MOBĪLIS, e, adj. *εὐκίνητος*, qui facile movetur, qui huc illuc facile vertitur, levis: a *moveo*, et producitur prima, licet in *moveo* corripiatur. *Hor. Sat.* 2, 7, 82. Duceris, ut nervis alienis mobile signum. [*Ita *Bentl.* ex conjectura: quod recte *Heindf.* frustra factum demonstrans vulgatam *lignum* servavit.] *Cic. N. D.* 2, 57. Oculi lubrici, et mobiles. [**Curt.* 8, 11, 32. mobiles turres.] *Plin.* 11, 37, 51. Supercilia homini et pariter, et alterne mobilia. *Id.* 21, 31, 105. Remedium ad dentium mobiles firmandos. *Cic. N. D.* 2, 11. *f.* Acerrimus et mobilissimus ardor, *h. e.* incitatissimus. *Lucr.* 4, 343. Mobilior aer. *Ov. Her.* 2, 128. Aequor mobile. *Id. A. Am.* 2, 62. Mobilis penna. *Id. Amor.* 3, 5, 35. Folia mobilia. [**Sil.* 9, 210. Mobilis agger, i. e. elephanti.] ℙ Apud JCtos *res mobiles*, et *bona mobilia* sunt, quae solo non continentur, et moveri, transferrique possunt. [**Mobilien.*] Sunt autem duplicis generis, animalia, quae et *se moventia* appellantur, ut servi, jumenta, altilia: et quae anima carent, ut pecunia, vestis, vasa, etc. *Ulp. Dig.* 6, 1, 1., *Labeo* ap. *eund. ib.* 21, 1, 1. et *Paul. ib.* 41, 2, 3. *med. Nep. Them.* 2. hoc idem exprimens, *quae moveri possunt* Latinius dixit. ℙ Est etiam *mobilis* celer. [*Huc primum pertinent ista, quae Noster §. 1. adscripserat. *Pl. Mil.* 3, 1, 36. Pernix sum manibus, pedibus mobilis: *flink auf den Füssen. Ov. Her.* 5, 110. Mobiles venti: *die flüchtigen Winde.* Adde *Lucr.* 6, 204. mobilis ille Devolet in terram liquidi color aureus ignis, i. e. fulmen. *Sil.* 4, 148. Boiorum ante alios Cryxo duce mobilis ala Arietat in primos, etc. *Curt.* 4, 14, 16. Nostrum mobile et expeditum agmen est; illud praeda grave.] *Sen. Hippol.* 446. Aetate fruere: mobili cursu fugit; et *ib.* 1141. Volat ambiguis Mobilis alis hora. [**Curt.* 9, 4, 22. Omnis multitudo, et maxime militaris, mobili impetu fertur. *Vell.* 1, 17, 7. Sequiturque, ut frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit.] ℙ Translate [*bono sensu est mutabilis, quod mutari potest. *Gell.* 2, 22. Exortus et occasus mobilia et varia sunt; meridies septemtrionesque statu perpetuo stant et manent. *Virg. G.* 1, 417. coeli mobilis humor. *Sen. Oedip.* 992. It cuique ratus, prece non ulla mobilis ordo. — Tum dicitur de aetate juvenum: *Virg. G.* 3, 165. Dum faciles animi juvenum, dum mobilis aetas, i. e. in qua corpus mobile, *εὐκίνητον*, flexile, agile, vegetum: ita recte *Heyn.* — Item de ingenio, quod celeriter arripit, quod docile, minime tardum aut stupidum est. Ita ap. *Vitr.* 5, 7. *f.* Si architectus erit usu peritus, praetereaque ingenio mobili, solertiaque non fuerit viduatus. Adde *Quint. Inst.* 10, 7, 22. Si qua tamen fortuna tam subitam fecerit agendi necessitatem, mobiliore quodam opus erit ingenio. — ℙ In malam partem i. q. varius, volubilis, inconstans. Primum quidem de rebus certo pretio, certa eaque durante forma carentibus. *Cic. Dom.* 58. Bona fortunae caduca semper et mobilia esse duxi. *Sall. Jug.* 96. Res humanae fluxae et mobiles. *Vell.* 2, 108, 2. Maroboduus genere nobilis, corpore praevalens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, et ex voluntate parentium constantem, inter suos occupavit. — Tum pertinet ad animum, ingenium, debilitate, perfidia, cet. propositi parum tenax, consilia sua qualicumque de causa facile mutans.] *Cic. Fam.* 5, 2. *f.* Nec in te, ut scribis, animo fui mobili, sed ita stabili, ut, etc. *Caes. B. G.* 4, 5. Galli sunt in consiliis capiendis mobiles, et novis plerumque rebus student. *Sall. Jug.* 50. et 70. Mobili ingenio esse; et *ib.* 120. Regiae voluntates mobiles; et *ib.* 96. *f.* et *Liv.* 29, 3. *f.* Gens ad omnem auram spei mobilis atque infida. *Sen. V. B.* 1. *extr.* Mobilis favor. *Liv.* 6, 6. Populus mobilior ad cupiditatem agri, *h. e.* inclinatior. *Tac. H.* 1, 24. Mobilissimus quisque ingenio. [*Citat hunc locum ad *Rut. Lup.* 1, 3. p. 91. ed. *Fr. Ruhnk.*, cui probatur acutissimum inventum viri docti in marg. *Ed. Rhen.* Non enim decet hominem genere nobilem, ingenio mobilem videri: contra vulg. hominem genere nobilem, mobilem videri.

— Multa ex Tacito aliisque scriptoribus exempla hujus generis collegit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 305. sq.]

MOBĪLĬTAS, atis, f. εὐκινησία, facilitas se movendi, agilitas. *Lucr.* 2, 931. sed mobilitate Ante aliqua tanquam partum, quam proditur extra. *Cic. N. D.* 2, 15. *f.* Animal sensu acerrimo, et mobilitate celerrima. *Plin.* 20, 21, 84. Sanare mobilitates dentium. *Id.* 9, 31, 51. Saevitiam maris correptis lapillis opperiuntur, mobilitatem pondere stabilientes. *Cic. Or.* 1, 28. Mobilitas linguae, celeritas verborum. ℙ [*Idem quod celeritas. *Lucr.* 6, 323. Mobilitas fit fulminis; et *ib.* v. 337. duplicatur; et 341. Mobilitatem sumere; et al. *Caes. B. G.* 4, 33. Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in proeliis praestant.] ℙ Translate est inconstantia, levitas. *Nep. Dion.* 6. Fortuna sua mobilitate, quem paulo ante extulerat, demergere est adorta. *Cic. Phil.* 7, 3. Quid est inconstantia, mobilitate, levitate, cum singulis hominibus, tum vero universo senatui, turpius? *Sall. Jug.* 61. Tanta mobilitate sese Numidae gerunt; et *ib.* 93. *extr.* Mobilitas ingenii; et *Cat.* 49. *med.* animi. *Tac. H.* 5, 8. vulgi. ℙ [*Confund. *mobilitas* et *nobilitas.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 520.]

MOBĪLĬTER, adv. cum facili motu, agiliter. *Cic. N. D.* 2, 9. Cor animantis alicujus evulsum ita mobiliter palpitare, ut imitetur igneam celeritatem. [*Lucr. 4, 747. Mobiliter quae feruntur; et 5, 635. Mobilius ad hoc signum quodque reverti; et al.]

MOBĪLĬTO, as, a. 1. εὐκίνητον ποιῶ, mobile facio, ap. veteres. *Lucr.* 3, 249. inde omnia mobilitantur. *Caecil.* ap. *Non.* 4, 300. Laetitia me mobilitat.

*MOCA, ae, opp. Arabiae Petraeae. *Num. Antonini Pii* ap. *Patin.* ℙ Μόκα est *Ptol. B. A.*

[MOCILLA, ae, m. cogn. R., ut L. Julius Mocilla ap. *Nep. Att.* 11., ubi pro *Mocilla* alii mallent legere *Motacilla. F.* [*Bremi* vulg. serv.]

MOCOSUS, a, um, adj. mimicus; et dicitur de iis, qui ore distorto, valgis labiis et sanna dridենt: a μῶκος, sanna: item subsannator, derisor. Restitutam volunt magni nominis critici *Cic. Att.* 1, 13. Consul ipse parvo animo, et pravo: tantum cavillator genere illo mocoso, quod etiam sine dicacitate ridetur. Ubi alii rectius leg. *moroso.* [*Ita *Orell.*] *Quint.* 11, 3, 183. Quare non immerito reprehenditur pronunciatio vultuosa, et gesticulationibus molesta, etc. Nec inutiliter ex Graecis veteres transtulerunt, hanc esse mocosam actionem. Alii leg. *jocosam*, al. *injocosam*, al. melius *inotiosam* etc. [*Ita leg. ap. *Spald.*] Haec pluribus disputat *Salmas.* ad *Trebell. Gall.* 8. [*Revictus idem ab *J. Fr. Gronov.* ad *Sen. Q. N.* 1, 1.]

MŌDĔRĂBĬLIS, e, adj. quem moderari possumus. *Ov. Amor.* 1, 6, 59. Nox, et amor, vinumque nihil moderabile suadent.

MŌDĔRĀMEN, inis, n. id quo quippiam moderamur, ut gubernaculum navis, habenae currus, et hujusmodi. *Ov. Met.* 15, 726. innixus moderamine navis, in alta Puppe caput posuit; et *ib.* 3, 644. Obstupui, capiatque alius moderamina, dixi: Meque ministerio scelerisque artisque removi; et *ib.* 2, 47. currus rogat ille paternos, Inque diem alipedum jus et moderamen equorum. ℙ Translate. *Id. ib.* 6, 677. Sceptra loci, rerumque capit moderamen Erechtheus. *Id. ib.* 13, 362. ingenium est, quod eget moderamine nostro. ℙ Item moderatio, temperamentum. *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 11, 30, 64. Verum serenitas nostra certum moderamen invenit.

MŌDĔRĀMENTUM, i, n. moderamen. *Gell.* 13, 6. Accentus moderamenta vocum.

MŌDĔRANTER, adv. idem ac moderate. *Lucr.* 2, 1093. quis habere profundi Endo manu validas potis est moderanter habenas? *Ov. Met.* 1, 510. moderantius, oro, Curre, fugamque inhibe, moderantius insequar ipse. Plerique tamen leg. *moderatius.*

MŌDĔRĀTĒ, adv. μετρίως, σωφρόνως, cum moderatione. *Cic. Font.* 10. Ab his quicquam sancte, aut moderate dictum putabitis? *Id. Off.* 2, 5. *med.* Uti iis, quibuscum congregamur, moderate, et scienter. *Id. Fam.* 6, 1. *med.* Omnia humana placate et moderate feramus. *Id. Or.* 52. *med.* Gorgias his festivitatibus insolentius abutitur, quas Isocrates moderatius temperavit. *Liv.* 30, 42. *med.* Rebus secundis uti modeste ac moderate. *Caes. B. C.* 3, 20. Clementer et moderate jus dicere. *Hirt. B. G.* 8, 12. *extr.* Moderatius cedentem insequi hostem. *Cic. Verr.* 2, 5, 68. Sensim atque moderate ad istius amicitiam adrepserat. *Stat. Th.* 10, 423. moderatius, oro, Ducite. *Cic. Fin.* 1, 1. Qui si maxime hoc placeat, moderatius tamen id volunt fieri. *Id. Leg.* 3, 5. Quae res cum sapientissime moderatissimeque constituta esset, etc.

MŌDĔRĀTIM, adv. idem ac moderate. *Lucret.* 1, 323. moderatim crescere cogens.

MŌDĔRĀTIO, onis, f. ἡνιοχεία, μετριότης, κοσμιότης, [*σωφροσύνη, ἐγκράτεια, *Appian. Civ.* 2, 63. μετριοπάθεια. Nos: *Maessigung.*] actus moderandi, temperatio, modus, modestia, mediocritas. [*Differunt *modus*, *modestia* et *moderatio*: hoc actum, *modestia* sensum moderandi subjective; *modus* Gr. μηδὲν ἄγαν objective significat. *Doederl.* 2, 203. sqq. Quid *moderatio* et *temperatio* discrepent v. in h. v. — *Continentia* a *moderatione* eo distat, quod in omni victu cultuque corporis tuendi causa et voluptatibus praetermittendis cernitur.] *Cic. Or.* 2, 9. Languentis populi incitatio, et effrenati moderatio. *Id. N. D.* 2, 35. *extr.* Conflagrare terras necesse est a tantis ardoribus, moderatione et temperatione sublata. *Id. Coel.* 18. Vincat aliquando cupiditas, voluptasque rationem, dummodo illa in hoc genere praescriptio moderatioque teneatur. *Id. Att.* 2, 6. Laetari te nostra moderatione et continentia video. *Id. Sext.* 33. *f.* Quae gravitas Lentuli consulis fuerit, quae collegae ejus moderatio de me. *Id. Agr.* 2, 1. Adhibere certam rationem moderationemque dicendi. *Cels.* 3, 18. *med.* Moderationem in cibo adhibere. *Cic. Sen.* 1. Novi moderationem animi tui, et aequitatem. *Id. Tusc.* 3, 8. Graeci eam virtutem σωφροσύνην appellant: quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modestiam; et *Off.* 3, 25. *extr.* Conformatio et moderatio continentiae et temperantiae. *Suet. Caes.* 75. Moderationem clementiamque exhibere. *Cic. Phil.* 2, 5. Si meam cum in omni vita, tum in dicendo moderationem modestiamque cognostis. *Id. Dom.* 58. Etenim ad nostrum usum propemodum jam est definita moderatio rei familiaris, *h. e.* modus et quantitas facultatum. [*Moderatio* non simpliciter pro *modo* et *mediocritate*, sed pro ipso actu fortunae positum est: ita recte *M. Gesner.* contra *Markl.* qui verum Ciceronem *definitus modus* scripturum fuisse contendit.] *Petr. Sat.* 93. *extr.* Multa moderationis verecundiaeque verba. [*Tac. *Agr.* 6. Ludos et inania honoris moderationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria, ita famae propior; quem vexatissmum locum *Boettich.* in *lex. Tac.* p. 306 sq., ubi v., ita recte explicat: Noluit Agricola praesertim cum longe esset a luxuria, per ludos, in quos tum plerique maximam impendebant pecuniam, qui praeturam affectabant, plebis gratiam captare, sed in iis edendis moderationem adhibendam esse censuit; atque ipsa *honoris inania* sprevit et abundantiae duxit, i. e. supervacua esse putavit, *famae*, i. e. verae solidaeque gloriae jam propior, quam, ut ipse Tacitus auguratur, hoc loco praecipiens, quae postero statim anno evenerunt, in Britannia sibi peperit.] ℙ De moderatione animi exempla veterum habemus a *Val. Max.* 1, 4. ℙ Gubernatio, regimen. *Cic. N. D.* 3, 35. *f.* Mundi divina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum et malorum.

MŌDĔRĀTOR, oris, m. ἐπιστάτης, σωφρονιστής, qui moderatur, gubernator, rector. *Cic. N. D.* 2, 35. *f.* Inesse aliquem non solum habitatorem in hac coelesti ac divina domo, sed etiam rectorem et moderatorem, et tanquam architectum tanti operis, tantique muneris. *Id. Tusc.* 1, 28. Sol moderator dierum, noctium, temporum. *Sall. or. Lepidi contra Sull. med.* Populus R. paulo ante gentium moderator, exutus imperio, etc. *Mart.* 2, 90. Quintiliane vagae moderator summe juventae. *Vell.* 2, 102. M. Lollius, quem veluti moderatorem juventae filii sui (*C. Caesaris*) Augustus esse voluerat. Hic idem a *Suet. Tib.* 12. dicitur *comes* et *rector C. Caesaris. Flor.* 4, 2. Pacis, bellique moderator. *Ov. Fast.* 3, 593. Vincitur ars vento, nec jam moderator habenis Utitur, at votis; et *Met.* 4, 245. moderator equorum. Sic *Tibull.* 4, 1, 114. velox celerem super edere corpus Gaudet equum, validusque sedet moderator habenis. *Ov. Met.* 8, 856. arundinis. *Lucr.* 6, 1251. curvi aratri. *Stat. Silv.* 1, 2, 151. Tyrii aheni. *Claud. in Eutrop.* 2, 381. doctissimus artis Quondam lanificae, moderator pectinis unci, *h. e.* carminator. *Plin. Pan.* 13. Cum spectator moderatorque ineuntium certamina virorum, arma componeres, tela tentares. *Eum. Grat. act.* 13. *extr.* Terra mater frugum, Juppiter moderator aurarum. *Nazar. Pan. ad Constant.* 15. Illi veteres laudati vitae moderatores.

MŌDĔRĀTRIX, icis, f. ἐπιστάτις, quae moderatur, rectrix, gubernatrix. *Cic. N. D.* 3, 39. Materiae universae fictricem et moderatricem divinam esse providentiam. *Id. Phil.* 5, 18. Caesar rempubl. sibi judicem constituit, et moderatricem omnium factorum. *Id. Tusc.* 5, 14. *f.* Temperantia est moderatrix omnium commotionum. *Id. Flacc.* 24. Speculatur, atque obsidet rostra vindex temeritatis, et moderatrix officii curia. *Stat. Th.* 10, 365. arcanae moderatrix Cynthia noctis. *Pl. Cist.* 2, 2, 3. ut illaec anus hodie quot modis Sibi moderatrix fuit!

MŌDĔRĀTUS, a, um, adj., qui sibi moderatur, qui modum servat, temperatus, modestus, μέτριος, εὔτακτος, σώφρων. *Cic. Sen.* 4. Moderati, et nec difficiles, nec inhumani senes tolerabilem agunt senectutem. *Id. Mur.* 30. Nostri illi a Platone et Aristotele moderati homines et temperati. *Id. Fam.* 12, 27. Est ita temperatis moderatisque moribus, ut summa severitas summa cum humanitate jungatur. *Id. Font.* 14. Frugi homo, et in omnibus vitae partibus moderatus ac temperans. *Id. Balb.* 4. Quem exterae gentes castiorem, moderatiorem, sanctiorem viderunt? *Id. Phil.* 3, 11. Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens; et *ib.* 2, 16. Moderatum esse in re aliqua. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. *med.* Caesar moderatissimi atque humanissimi fuit sensus. *Sall. Cat.* 12. Sua parvipendere, aliena cupere: pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi, neque moderati habere, *h. e.* nihil ducere, neque quicquam in iis se moderari. ℙ Item res, in qua ratio, modus, mediocritas servatur. *Cic. Mur.* 29. Doctrina non moderata, non mitis, sed paulo asperior et durior. *Id. Div.* 1, 29. *med.* Qui salubri et moderato cultu atque victu quieti se tradiderit. *Id. Brut.* 2. Otium moderatum atque honestum. *Id. Mur.* 6. Convivium moderatum atque honestum. *Id. Or.* 3, 25. Unguentis minus diu delectamur, summa et acerrima suavitate conditis, quam his moderatis; et 2, 8. *med.* Qui cantus moderatae orationis pronunciatione dulcior inveniri potest? *Ov. Trist.* 2, 4, 57. jactantur moderatis aequora ventis. *Vell* 2, 126. Quando annona moderatior? quando pax laetior? ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fea, Var. di notiz.* p. 87. C. Vedennius C. F. Qui. Moderatus. *F.*]

[MODERNUS, a, um, adj. recens, nuperus, hodiernus: est a *modo*, nuper. *Cass. Var.* 4, 51. Antiquorum diligentissimus imitator, modernorum nobilissimus institutor. *Id. praef. orthogr.* Veteres *quom*, moderni *cum* scribi rectius aestimarunt. *F.*]

MODĔRO, as, a. 1. idem quod moderor. *Pacuv.* ap. *Non.* 7, 23. et 36. et 4, 279. Neque tuum te ingenium moderat. *Acc. ib.* Viden', ut te impietas stimulat, nec moderat metus? *Pl. Mil.* 2, 2, 115. ego voci moderabo meae. ℙ Passive. *Paul. Dig.* 3, 5, 14. *extr.* Pro qualitate personarum et actio formatur, et condemnatio moderatur. *Ulp. ib.* 23, 3, 39. Ita res moderatur, ut, etc.

MODĔROR, aris, atus sum, dep. 1. ἡνιοχέω, εὐθύνω, ἐπιστατέω, modum adhibeo, rego, guberno, tempero. *Cic. Fam.* 2, 7. Te hortor, ut omnia gubernes et moderere prudentia tua. *Id. Acad.* 4, 27. *f.* Mens, quae omnia moderatur, movet, regit. *Id. Tusc.* 5, 36. Tibicines, iique, qui fidibus utuntur, suo, non multitudinis arbitrio, cantus numerosque moderantur. *Id. Inv.* 2, 51. Moderari navim. *Caes. B. G.* 4, 33. equos ac flectere. *Lucr.* 5, 1297. equum frenis moderarier. *Ov. Met.* 6, 223. habenas. *Cic. N. D.* 3, 39. Mens divina coelum versans, terram tuens, maria moderans. *Id. Or.* 1, 52. *extr.* Dare alicui potestatem moderandi et regendi sui. *Tac. A.* 1, 79. Ob moderandas exundationes Tiberis; et *ib.* 2, 70. Nec moratus ultra, naves solvit, moderabaturque cursui, quo propius regrederetur. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 9, 7. Sit censor, qui viros doceat moderari uxoribus; et *Tusc.* 5, 25. Causis ab aeterno tempore fluentibus ratio mensque moderatur. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. *med.* Moderari animo et orationi, cum sis iratus. *Hor. Ep.* 1, 2, 59. et *Liv.* 4, 7. irae. *Id.* 37, 35. fortunae suae. *Pl. Curc.* 4, 1. *f.* linguae, *h. e.* tacere. *Cic. Att.* 5, 20. *med.* alicui. *Pl. Truc.* 4, 3, 57. Non vinum hominibus moderari, sed vino homines solent, Qui quidem probi sunt. *Id. Curc.* 1, 3, 44. Hoccine fieri, ut immodestis te hic moderere moribus? *h. e.* immodeste te geras. *Cic. Verr.* 2, 3, 98. Res rusticae ejusmodi sunt, ut eas non ratio, neque labor, sed res incertissimae, venti, tempestatesque moderentur. *Id. Or.* 3, 48. Oratio sic est vere soluta, non ut fugiat tamen, aut erret, sed ut sine vinculis sibi ipsa moderetur. *Id. Fin.* 2, 25. *f.* Non voluptate, sed officio consilia moderari. *Tac. A.* 2, 75. Neque ipse gaudium moderans. *Suet. Claud.* 14. Moderari duritiam legum. *Id. Dom.* 7. pretia. ℙ In illo *Statii Th.* 10, 13. viduae moderantibus alni: *moderantes* sunt gubernatores.

MŌDESTĒ, adv. μετρίως, σωφρόνως, moderate, temperate, modice. *Cic. Agr.* 1, 6. Et, credo, qua in urbe homines copiam rerum moderate ferre non potuerunt, in ea isti vestri satellites modeste insolentiam suam continebunt. *Liv.* 30, 42. *med.* Rebus secundis modeste ac moderate uti. *Hor. Sat.* 1, 2, 50. Modeste munificum esse. *Ov. Fast.* 2, 607. Lingua non modeste uti. *Gell.* 9, 11. Hosti intrepide modesteque obviam ire, *h. e.* moderato gradu, non effuso cursu. *Sall. Jug.* 45. Ante Carthaginem deletam populus, et senatus R. placide modesteque inter se rempublicam tractabant. *Pl. Pers.* 3, 1, 18. Modice et modeste vitam vivere. *Id. Men.* 5, 6, 5. Tergum, quam gulam, crura, quam ventrem oportet Potiora esse, cui cor modeste situm est, *h. e.* qui animum habet moderate affectum: qui modum novit, quem in re qualibet servare oportet. *Varr.* ap. *Non.* 1, 274. Non eos optime vixisse, qui diutissime vixerint, sed qui modestissime. *Ter. Ph.* 1, 3, 18. palam Beatus, ni unum hoc desit, animus, qui modeste istaec ferat. ℙ Pudenter, verecunde. *C. Gracch.* ap. *Gell.* 15, 12. In convivio liberi vestri modestius erant, quam apud principia. *Cic. Leg.* 3, 2. Qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse. *Ter.*

Eun. 3, 5, 32. Terram intuens modeste. *Ov. Her.* 20, 53. Aut esses formosa minus: peterere modeste: Audaces facie cogimur esse tua; et *ib.* 15, 99. Si tam certus eras hinc ire, modestius isses: Et modo dixisses, Lesbi puella, vale, *h. e.* pudentius; et *Pont.* 1, 2, 67. tentare modeste pro aliquo. *Quint.* 4, 1. *med.* Parcius et modestius praetentare misericordiam judicis. [**Suet. Aug.* 64. Parum modeste fecisse eum: nostr. *unbescheiden*, *Gall. indiscretement. Intpr. Gall. Auguste, lui reprocha, d'avoir manqué à la decence. B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 513.]

MODESTIA, ae, f. μετριότης, modus, temperatio. *Tac. A.* 12, 43. Magna Deum benignitate, et modestia hiemis rebus extremis subventum. *Clementiam hiemis* simili ratione dixit *Colum.* 2, 9. [**Modestia hiemis* et *hiemis clementia*, oppon. *saevitiae hiemis*, ut *Plin. H. N.* 6, 23. ubi de flumine loquitur, cujus non rapidus est cursus, *modestiam* aquarum commemorat; nec unquam propterea quod nos dicimus *ein bescheidener Winter*, quisquam contenderit, in voce *Bescheidenheit* latere etiam mediocritatis notionem. Similiter *modestia vitae Tac. A.* 2, 52. est accipienda. Ita probe *Boettich.* in *lex. Tac.* p. 307. sq. coll. *Doederl.* 2, 205. et *Hess.* ad *Germ.* 36, 9.] ℙ Item mediocritas conditionis, fortunarum, animi ad magna minime apti, aut minime tendentis. *Tac. A.* 1, 11. Versae inde ad Tiberium preces: et ille varie disserebat, de magnitudine imperii, sua modestia; et *ib.* 3, 56. Simul modestiae Neronis, et suae magnitudini fidebat. [*His locis nullo prorsus modo *modestia* est *mediocritas*, ut cum *Mureto*, *Ernest.*, *Wolf.*, aliis *Forc.*, *Gesn.*, *Schell.* statuerunt; sed vulg. retinet significationem. V. *Boettich.* et *Doederl. ll. ll.*] ℙ Saepissime refertur ad animum, vitam, mores: et interdum ponitur pro temperantia. *Cic. Tusc.* 3, 8. Eam virtutem Graeci σωφροσυνην vocant: quam soleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modestiam. *Auct. ad Her.* 3, 2. Rectum dividitur in prudentiam, justitiam, fortitudinem, modestiam; et *mox:* Modestia est in animo continens moderatio cupiditatum. ℙ Saepius pro virtute subjecta temperantiae. *Cic. Inv.* 2, 54. Temperantiae partes sunt continentia, clementia, modestia; et *mox:* Modestia est, per quam pudor honestus claram et stabilem comparat auctoritatem. ℙ Itaque *modestia* est in eo, qui modum et pudorem servat in dictis factisque, cavetque, ut intra fines eorum, quae licent, se contineat, neve in jactantiam incidat et superbiam: κοσμιότης [**aidώς*, ut nostr. *Bescheidenheit.*] *Caes. B. G.* 7, 52. *extr.* Non minus se in milite modestiam et continentiam, quam virtutem et animi magnitudinem desiderare. *Cic. Phil.* 2, 5. Si meam cum in omni vita, tum in dicendo moderationem modestiamque cognostis. *Id. Pis.* 4. *f.* Severitas censoria, magistra pudoris et modestiae. *Id. Att.* 7, 5. Tironem propter humanitatem et modestiam malo salvum, quam propter usum meum. *Liv.* 8, 7. *f.* Exanimati tam atroci imperio, metu magis, quam modestia quievere. *Stat. Silv.* 2, 1, 39. Modestia, pudor, probitas. *Sall. Cat.* 11. Neque modum, neque modestiam victores habent; et *ib.* 39. Neque illis modestia, neque modus contentionis erat. *Id. Jug.* 89. Cum me vosque maledictis lacerent, non placuit reticere, ne quis modestiam in conscientiam duceret. *Nep. Ag.* 4. Tanta modestia dicto audiens fuit jussis absentium magistratuum, ut si privatus in comitio esset Spartae. *Quint.* 4, 1. *med.* Frequentissime prooemium decebit et sententiarum, et compositionis, et vocis, et vultus modestia. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 29. *f.* Vitae modestia valet contra falsos rumores. *Pacuv.* ap. *Cic. Div.* 1, 31. Virginalis modestia. ℙ Item in eo, qui demisse de se sentit, et laudem, honores, praemia, licet dignus sit, verecunde recusat. *Plin. Pan.* 5. Obstinatum tibi non suscipere imperium, nisi servandum fuisset. Quare illum motum castrensem reor exstitisse, quia magna vi modestia tua vincenda erat. ℙ De Modestia, ut Dea, loqui quidam putat *Tac.*, ubi ait *A.* 4, 7. Precandam post haec Modestiam, ut contentus esset. [**Modestia* h. l. minime deam designat e *Lipsii* interpretatione; sed *precandam post haec modestiam, ut contentus esset*, nihil aliud est, quam *precandam illi a diis modestiam*, ut recte cum *Gronovio Rup.* interpretatur.] ℙ Est etiam honestas, dignitas, fama, pudor, existimatio. *Sall. Cat.* 14. Neque sumptui, neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios, fidosque faceret. ℙ *Vacui modestia lecti* ap. *Stat. Silv.* 1, 2, 162. est vita coelebs, vel viduitas sancte custodita. ℙ Pro pudore. *Stat. Th.* 2, 232. primaeque modestia culpae Confundit vultus. ℙ Praeterea *modestia* dicitur, quae Graece εὐταξία, hoc est scientia earum rerum, quae agentur, aut dicentur, loco suo collocandarum, ut a Stoicis ap. *Cic. Off.* 1, 40. describitur. *Id. ib.* Modestia est scientia opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.

MODESTĪNUS, a, um, adj. ad modestum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* XXXVI. C. Catelius Modestinus. Alia ap. *Grut.* 712, 2. Valeria Modestina. ℙ *Herennius Modestinus* fuit JCtus, cujus in Pandectis multis in locis responsa referuntur; fuit unus ex iis, quorum consilio Alexander Severus uti solebat, ut est ap. *Lamprid. Alex. Sev.* 68. Multa sunt responsa ejus in Digestis: sed libros Excusationum Graece scripsit, ut ipse docet *Dig.* 27, 1, 1.

MODESTUS, a, um, adj. κόσμιος, σώφρων, [*ἐγκρατής,] qui animi elationi, ceterisque cupiditatibus moderatur, et in rebus omnibus modum servat: qui minimum sibi in quaque re licere putat: qui se intra fines recti honestique continet, moderatus, modicus, temperatus. [*Primum pertinet ad morum castitatem.] *Cic. Amic.* 13. *med.* Itaque videas, rebus injustis justos maxime dolere, imbecillibus fortes, flagitiosis modestos. [*H. l. *modesti* sunt, qui libidinibus abstinent. Porro hic sequi poterant *Ter. Ad.* 5, 8, 7. Mulier proba et modesta. *Cic. Planc.* 1. *med.* modestissimi mores. *Ov. Amor.* 2, 4, 11. oculos in se dejecta modestos; et *ib.* 1, 4, 15. Vultu modesto ire; et *Her.* 19, 63. *ib.* 1, 4, 15. Vultu modesto ire; et *Her.* 19, 63. *ib.* 1, 4, 15. Multaque praeterea linguae reticenda modestae. *Id. Amor.* 3, 14, 16. Verba modesta loqui — Tum *modestus* denotat, qui ultra eam, qua vitae conditione fruitur, non effertur. Ita de inferioribus erga superiores. *Cic. Att.* 13, 29. Vir modestus et frugi. *Id. Fam.* 13, 70. Homo frugi et modestus; et *ib.* 10. *med.* Modestum hominem cognosces et prudentem. Item de junioribus erga seniores. *Cic. Planc.* 11. Adolescentuli modestissimi pudor. *Id. Att.* 2, 1. *med.* Quid quaeris? hominem petulantem modestum reddo gravitate orationis. Adde *Ov. Trist.* 3, 8, 18. et *Lucan.* 5, 532. ubi *vota modesta* sunt, quae nimium non petunt. — Item de reverentia legibus, magistratibus praestanda. *Cic. Fam.* 3, 13. *extr.* Eo brevior est haec epistola, et ut adversus magistrum morum, modestior. *Id. Sen. p. R.* 2. Modesti consules, i. e. qui verentur contra leges facere. *Id. Agr.* 2, 31. Plebs optima et modestissima: opp. seditiosae. — Porro significat *modestus* regnandi, honorum cupiditate vacuum. *Cic. Att.* 10, 7. Modestior rex et probior et integrior. *Sall. fragm.* ap. *Don.* ad *Ter. Ph.* 1, 3, 18. Modestus ad omnia alia, nisi ad dominationem. *Vell.* 2, 29, 3. Civis in toga, nisi ubi vetetur, ne quem haberet parem, modestissimus. — Item qui aliorum rebus abstinet. *Cic. Arch.* 5. Homo sanctissimus modestissimusque omnium. *Suet. Dom.* 8. ut neque modestiores unquam, neque justiores exstiterint magistratus. — Tum in universum est i. q. mitis, lenis, qui benignum in rebus agendis animum exserit. *Cic. Att.* 10, 5. Modestior non ero. *Verr.* 2, 1, 47. o modestum ordinem, i. e. irae potentem. ℙ Tum transfertur etiam ad alia, quae placide, tranquille, illaesis, quos lex et natura constituit, terminis, fiunt, procedunt.] *Plin. Pan.* 20. Iter inde placidum ac modestum, ut plane a pace redeuntis, *h. e.* in quo abstinentia servatur, et coercetur licentia. (Eadem ratione *modestia* a *Liv.* 3, 54. adhibetur.) *Stat. Silv.* 2, 2, 27. Hic praeceps minus audet hiems, nulloque tumultu Stagna modesta jacent, dominique imitantia mores, *h. e.* tranquilla. *Pers.* 5, 149. nummis, quos hic quincunce modesto Nutrieras, *h. e.* moderatis ac licitis usuris. ℙ *Modestum esse alicui*, est modeste se erga aliquem gerere parcendo, non nocendo, abstinendo ab injuria. *Pl. Trin.* 4, 1, 12. hoc Diis dignum est, ut semper mendicis modesti sint. ℙ Paucus, modicus. *Tac. A.* 4, 7. Rari per Italiam Caesaris agri, modesta servitia, intra paucos libertos domus. [*Ita *Muretus Varr. Lectt.* 11, 4. At *modesta servitia* non sunt pauci servi, sed nondum, ut postea, immodesti nimisque arrogantes, insolentes, potentes, ut recte expl. *Freinsh.* coll. 4, 74; 6, 8. *Sen. ep.* 74. *Lampr. Comm.* 19. et *Spart. Hadr.* 21. V. *Quint.* 1, 2, 4. Nec tutior inter servos malos, quam ingenuos parum modestos conversatio est: ibique *Spalding. Boettich. Lex. Tac.* p. 308. *Doederl.* 2, 205.]

*MODIACUS, mons Galatiae. *Ruf. Fest.* 11. In Magabam montem, qui nunc Modiacus dicitur. *B. A.*

MODIĀLIS, e, adj. modium continens. *Pl. Capt.* 4, 4, 8. Aulas, calicesque omnes confregit, nisi quae modiales erant. [*Tert. ad nat.* 2, 8. Cujus (Serapidis, *h. e.* Josephi) suggestus modialis figura frumentationis memoriam obsignat, et curam frugum super caput ejus fuisse, ipsis spicis, quibus per ambitum notatur, apparet. *F.*]

MODIĀTIO, onis, f. mensura per modios exacta. *Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. Cod.* 11, 24, 2. et *Impp. Honor. et Theodos. ib.* 5, 6.

MODICE, adv. μετρίως, moderate, modeste, temperate, mediocriter. *Cic. Fam.* 4, 4. *med.* Quoniam effugi ejus offensionem, qui fortasse arbitraretur, me hanc rempubl. non putare, si perpetuo tacerem, modice hoc faciam, aut etiam intra modum. *Sall. Jug.* 119. Ad ea Sulla pro se breviter, et modice; de pace rebus multis disseruit. *Cic. Or.* 1, 29. Modice et scienter uti re aliqua, et ut ne dedeceat. *Id. Sull.* 29. Quamquam a me timide modiceque dicetur. *Pl. Pers.* 3, 1, 18. Modice et modeste vitam vivere. *Enn.* ap. *Non.* 4, 292. Verecunde et modice. *Turpil. ib.* Modice atque parce. *Cic. Phil.* 11, 3. *med.* Est sapientis, quidquid homini accidere possit, id praemeditari, ferendum modice esse, si evenerit. *Pl. Mil.* 4, 5, 15. modice decet Moderari animo: ne sis cupidus. *Cic. Att.* 2, 7. Minae Clodii modice me tangunt. *Suet. Aug.* 73. Ne toro quidem cubuisse ajunt, nisi humili, et modice instrato. *Liv.* 28, 15. Ab tergo esse colles, tutumque receptum, si modice se reciperent, *h. e.* modico gradu, ut *Pl. Poen.* 3, 1, 19. loquitur, non cursu praecipiti.

MODICELLUS, a, um, adj. dimin. *Suet. Ner.* 48. *f.* Decubuit super lectum, modicella culcita, vetere pallio strato instructum. Optimae editiones habent *modica culcita*, quod unice probandum. [*V. *Oudendorp.* ad h. l. et *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 79, 4.] Porro *Suet. Aug.* 73. dixit: toro humili, et modice instrato.

MODICO. V. v. sq.

MODICUS, a, um, adj. [*a *modus*, *a*) de rebus, in quibus modus servatur, quae certam rationem tenent, nimium non tangunt, Gr μέτριος. *Cic. Fam.* 5, 12. A principio conjurationis usque ad reditum nostrum, videtur mihi modicum quoddam corpus (historiae) confici posse. *Div.* 1, 51. Escae temperatae, modicaeque potiones. *Sen.* 13. Modicis conviviis delectari. *Pl. Poen.* 3, 1, 19. Per urbem modico gradu ire. Cui oppon. *ib. festinantem currere. Ov. A. Am.* 2, 645. Omnibus Andromache visa est spatiosior aequo: Unus, qui modicam diceret, Hector erat. *Tac. H.* 4, 40. Pauca et modica disseruit. — Etiam ad genus, fortunas, dignitatem spectat. *Id. A.* 1, 73. modici equites; 11, 7. modici senatores; etc. V. infra exempla, in quibus *modicus* cum genitivo construitur. Plura laudat *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 308. — *b*) Pertinet ad mores, Gr. μέτριος, κόσμιος.] *Sall. Jug.* 87. Primo industrios, supplices, modicos esse: dein per ignaviam, et superbiam aetatem agere; et *ib.* 67. de Mario: Animus belli ingens, domi modicus, lubidinis et divitiarum victor. [*Lucan.* 7, 267. Plebejaque toga modicum componere civem, i. e. communem, nihil singulare affectantem: V. *Cort.*] *Cic. Att.* 4, 5. Sed tamen modici fuimus ὑποθέσει: erimus uberiores, si ille libenter accipiet. *Id. Sen.* 18. *f.* Severitatem probo, sed modicam: acerbitatem nullo modo. *Tac. A.* 6, 30. Vir effusae clementiae, modicus severitate. *Plin. Pan.* 83. *f.* Uxor modica cultu, parca comitatu. ℙ Medius, mediocris. *Cic. Or.* 21. Genus dicendi subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo; et *ib.* 28. Medius ille, quem modicum et temperatum voco, non extimescit ancipites dicendi incertosque casus. *Colum.* 6, 2. *f.* Habilis et modica corporatura pecoris operarii debet esse. *Plin.* 11, 37, 53. Oculi in homine numerosissimae varietatis: grandiores, modici, parvi, prominentes, conditi. *Id.* 14, 1, 3. Modici hominis altitudo. ℙ Paucus, exiguus. *Cic. Or.* 2, 32. Ea, si ex reis numeres, et innumerabilia sunt, et obscura: si ex rebus, valde et modica, et illustria. *Id. Par.* 6, 2. Mea pecunia est ad vulgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica. *Petr. fragm.* p. 668. *Burm.* Planta decens modicos nescit calcare lapillos. ℙ *Modicum* absolute. *Juven.* 9, 9. certe modico contentus agebas. ℙ Item exiguus, parvus. *Hor. Ep.* 2, 2, 190. ex modico, quantum res poscet, acervo Tollam. *Ov. Met.* 8, 620. quercus modico circumdata muro. *Just.* 7, 1. Macedoniae sicut incrementa modica, ita termini perangusti fuere. ℙ [*Dicitur etiam de tempore, i. q. brevis.] *Quint.* 1, 2. *med.* Ergo modicum tempus est, quo in totum diem velut opus ordinetur. ℙ Cum genitivo. *Tac. A.* 6, 39. Sabinus modicus originis, principum amicitia consulatum adeptus; et *ib.* 4, 52. Domitius recens praetura, modicus dignationis, et quoquo facinore properus clarescere. *Pers.* 5, 109. et *Sil.* 5, 14. Modicus voti, *h. e.* moderata vota Diis faciens, modico contentus. *Vell.* 1, 12. Modicus virium; et *Tac. A.* 3, 72. pecuniae; et *ib.* 2, 73. voluptatum. ℙ *Modicum* est adverbium eadem significatione ac parum. *Appul. Met.* 6. Modicum te progressam textrices orabunt anus. ℙ Item *modico. Id. ib.* 1. Modico deinde regressa, *h. e.* post modicum tempus. *Id. ib.* Modico prius, quam Larissam accederem. *Id. Flor.* 3. *n.* 16. Dolor intestinorum modico ante sedatus est, quam me violentus exanimaret. *Id. Met.* 1. Polentae caseatae modico securius offulam grandiorem contruncare gestio. *Id. ib.* Modico secus progressus ostium accedo. *Capell.* 8, 299. Saturni sidus modico minus annis triginta circulum suum per longitudinem circumcurrit.

MODIFĪCĀTIO, onis, f. modus, mensura, ratio faciendi aliquid. *Sen. ep.* 88. *in.* Versuum lex ac modificatio. *Gell.* 10, 3. *med.* Quem lux ista, et amoenitas orationis, verborumque modificatio parum delectat, *h. e.* structura, compositio, numerus.

MODIFĪCĀTOR, oris, m. qui modificat, moderator. *Appul. Flor. n.* 4. Tibicen omnis voculae melleus modulator, et omnis modi peritus modificator.

MODIFĪCĀTUS, a, um, part. a *modifico:* a propria natura ad alium certum modum redactus et immutatus. *Cic. Div.* 2, 26. In omne corpus diviso, et modificato cibo. Alii leg. *mitificato.* [*l. a *Orell.*] *Id. Part.* 5. *f.* Verba ab oratore modifi-

cata, et inflexa quodammodo, *h. e.* per tropos immutata. *Id. Or.* 3, 48. *f.* Membra *(periodi)* modificata esse debent, *h. e.* certis, et variis intervallis distincta, ut numerum efficiant. *Appul. de Deo Socrat.* Corpora neque tam bruta, quam terrea, neque tam levia, quam aetheria, sed modificata utriusque rei participatione. *Sidon. ep.* 8, 12. Tuas laudes modificato celeumate inter transtra remiges canent. *Id. ep.* 9, 2. Modificatae lusciniarum querelae.

MODĬFĬCO, as. V. in v. sq.

MODĬFĬCOR, aris, atus sum, dep. 1. modum et mensuram ineo alicujus rei. *Gell.* 1, 1. Comprehensa mensura Herculanei pedis, quanta longinquitas corporis ei mensurae conveniret, secundum naturalem membrorum omnium inter se competentiam, modificatus est. ℙ Item moderari, modum imponere. Cum dativo. *Appul. Flor. n.* 15. *f.* Gravioribus viris brevi spatio satis videbatur taciturnitas modificata. *Id. Met.* 11. Solent parentes immaturis liberorum desideriis modificari. *Id. Flor. n.* 23. Orationi modificabor. ℙ Passive, ut videtur. *Id. Dogm. Plat.* 2. Qui tenuis est, si modificetur in sumptibus, nullam noxiam ex eo sentiet. Nam et *modifico, as*, invenitur usurpatum ab *August. Music.* 6, 17. et *Doctr. Chr.* 2, 9. [et *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4. *ep.* 3. Tibi vero nemo in ea re intercedere, aut modificare jure ullo poterit. *F.*]

MODĬFĬCUS, a, um, adj. certo modo, certaque mensura factus. *Auson. Parent.* 27. Cui brevia mela modifica recino.

MODIMPĔRĀTOR, oris, m. *συμποσιάρχης*, magister convivii, qui potandi modum praescribit. *Varr.* ap. *Non.* 2, 565. In conviviis qui sunt instituti, potandi modimperatores, magistri.

MODĬOLUS, i, m. parvus modius. *Pl. Cist.* 2, 2, 7. ei promisi modiolum vini dare. Plerique rectius leg. *dolium.* ℙ Item genus vasis potorii. *Scaev. Dig.* 34, 2, 37. Quaero, cum in hereditate non sint nisi trullae, scyphi, modioli, phialae; an Seja de his speciebus eligere possit? Respondi, cum omnia potui parata, pocula dicantur, posse eam ex his eligere. ℙ *Modioli* etiam vasa sunt figura modii, quo frumenta metimur, quae rotae aquariae infixa, cum ea in flumen deprimitur, aqua implentur, et versatione tollunt, ac defundunt in ligneum labrum, ex quo ad varios usus diducitur: de quibus *Vitr.* 10, 9. ℙ Sunt alii hujus generis modioli aerei in similibus machinis, quas describit *Id. ib.* 12, 13. 18. et *Cato R. R.* 20. in descriptione trapeti. ℙ In rota *modiolus* est lignum illud, cui radii infiguntur, *τόρμη, πλήμνη:* quod habet foramen in medio, qua axis immittitur. *Plin.* 9, 4, 3. ℙ Item simile lignum extra quadratum, intra rotundum, quod centro molarum seu orbium oleariorum inditur, quo facilius molae in trapeto circa cupam seu axem revolvantur. *Cato R. R.* 20. Modiolos in orbes oleaginos ex orchite olea facito, et eos circumplumbato; caveto, ne laxi sient. ℙ Denique est instrumentum chirurgicum, *χοινίκιον*: idest, describente *Celso* 8, 3., ferramentum concavum, teres, imis oris serratum, per quod medium clavus, ipse quoque interiore orbe cinctus, demittitur. Eo utuntur excidendis ossibus. Dictus videtur a similitudine modioli rotarum, quia sicut in eo est foramen, per quod transit axis; ita per medium illud ferramentum clavus.

MODĬUM, ii, n. et saepius Modius, ii, m. genus mensurae aridorum, et liquidorum, continens sextarios sexdecim, seu sextam partem medimni Attici, et Romanae amphorae tertiam, uti docent *Rhemn. Fann. de ponderib.* etc. 65. et *Nep. Att.* 2. *extr.* Non solum aridorum, sed etiam humidorum mensuram esse indicat *Fannius l. c.* Fere tamen de frugum mensura dicitur. Vini autem continet libras Romanas sex et viginti cum besse, ut est in veteri plebiscito ap. *Fest.* in *Publica pondera:* Sextarius aequus librae cum besse siet; sexdecimque sextarii in modio sient. At si tritico plenum sit, habet ponderis libras quatuor et viginti, ex supputatione *Romé de l'Isle, Métrolog.* p. 25. Unde patet, multo minorem esse, quam ea mensura, quae ab Etruscis nunc *moggio* dicitur, cum modius Romanus octava et quadragesima hujus pars sit. *Hor. Ep.* 1, 16, 55. Nam de mille fabae modiis cum subripis unum, etc. *Cic. Div. Verr.* 10. Cum esset tritici modius HS II., pro frumento, in modios singulos, duodenos sestertios exegisse. *Id. Off.* 2, 17. M. Sejus in caritate asse modium populo dedit. *Id. Amic.* 19. Verum illud est, quod dicitur, multos modios salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. *Sen. ep.* 80. *med.* Servus est: quinque modios accipit, et quinque denarios: *scilicet* dimensum, et cibarium in mensem. *Plin.* 18, 9, 10. *n.* 1. Siligineae farinae modius Gallicae XXII. libras panis reddit, Italicae duabus tribusve amplius. *Cato R. R.* 144. Omnem oleam puram metitur modio oleario. *Liv.* 23, 12, 43. Effundi in vestibulo curiae jussit annulos aureos: qui tantus acervus fuit, ut metientibus dimidium super tres modios explesse, sint quidam auctores. Fama tenuit, quae propior vero est, haud plus fuisse modio. Hoc idem confirmat his verbis *Front. de B. Parthico* (ed. *A. Maio*) p. 202. Post Cannensem cladem Poenus imperator annulorum aureorum, quos caesis equitibus Romanis Poeni detraxerant, tres modios cumulatos misit Carthaginem. Itali dicunt *a misura colma*, et opponitur alteri *a misura rasa.* ℙ In gen. plur. saepe habet *modium*, rarius *modiorum. Pl. Mil.* 4, 2, 72. Plus mihi auri mille est modiorum Philippei. *Cic. Verr.* 2, 1, 46. Agri Leontini decumae venierunt tritici medimnum XXXVI. hoc est tritici modium CCXVI. et *mox:* In hac una emptione lucri fieri tritici modium centum; et *paulo post:* Qui CCCC. millia modium lucri faciunt. Adde *ib.* 36. ℙ In neutro gen. *Cato R. R.* 58. Salis unicuique in anno modium satis est. *Plin.* 18, 16, 43. de Medica: Opus est densitate seminis omnia occupari: id praestant in jugera modia vicena. ℙ *Pleno modio* est large, abundanter. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Illa jam habent pleno modio, verborum honorem, invitationem crebram. ℙ *Modio nummos metiri* dicitur de valde pecunioso. *Petr. Sat.* 37. Hinc *Hor. Sat.* 1, 1, 95. qui tam dives, Ut metiretur nummos. ℙ Ap. *Varr. Auct. de limit.* p. 264. *Goes.* et p. 312. in re agraria modius est tertia pars jugeri: quemadmodum in mensura aridorum et liquidorum est tertia pars amphorae. ℙ Apud *Isid. Orig.* 19, 2. dicitur modius cavum illud in navi, cui arbor insistit, a similitudine ipsius mensurae. ℙ Quae *Varronis* Satyra *Modius* inscribebatur, cujus fragmenta aliquot servavit *Nonius*, videtur sic dicta, quia mensuram, et moderationem, et mediocritatem in omni vita servandam docebat, et nimium cultum ac delicias, sordidamque avaritiam reprehendebat. [*Plura adjecit *F.*]

MODO, adv. *ἄρτι*, significat paulo ante: et differt a *nuper*, quo antiquius tempus significatur. *Cic. Verr.* 2, 4, 3. Nuper homines nobiles ejusmodi: et quid dico nuper? immo vero modo, ac plane paulo ante vidimus, qui forum ac basilicas ornarent. *Pl. As.* 5, 2, 76. nunc uxorem me esse meministi tuam: Modo, cum dicta in me ingerebas, odium, non uxor eram. *Ter. Andr.* 1, 2, 2. Davum modo timere sensi, ubi nuptias Futuras esse audivit. *Cic. Fam.* 4, 13. *med.* In qua urbe modo gratia, aucturitate floruimus, in ea nunc iis omnibus caremus. *Id. Phil.* 2, 27. Exsultabat gaudio, persona de mimo, modo egens, repente dives. ℙ Interdum pro *nunc* ponitur. *Ascon. in Verr.* 2, 1, 3. De signis, et furtis tacet modo, quasi minus idoneis ad furorem avaritiae. *Ter. Ad.* 3, 1, 2. modo dolores occipiunt primulum. Ubi *Donat.* Evidenter hic *modo* temporis praesentis adverbium est. *Id. Hec.* 3, 5, 8. Advenis modo? *Pam.* admodum. Ubi *Donat.* Difficile invenitur praesentis temporis *modo.* Affinia sunt, quae subjicio, in quibus et v. *interim* vis est. *Phaedr.* 2, 8. Vos modo, inquit, parcite: Occasione rursus erumpam data; et *Ov. A. Am.* 1, 269. Prima tuae menti veniat fiducia, cunctas Posse capi: capies: tu modo tende plagas; et *Pl. Men.* 5, 5, 23. Mane modo: etiam percontabor. *Id. As.* 5, 2, 26. Sequere hac me modo: jam faxo, ipsum hominem manifesto opprimas. ℙ *Vide modo* est admonentis cum comminatione. *Cic. Div. Verr.* 14. Vide modo: etiam atque etiam considera: mihi enim videtur periculum fore, ne, etc. Adde *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 2. et *Petr. fragm. Trag.* 51. *Burm.* Sic *cave modo* ap. *Pl. As. prol.* 5. ℙ Refertur etiam ad tempus statim futurum. *Ter. Andr.* 3, 4, 15. Domum modo ibo: ut apparentur, dicam. ℙ *Modo* repetitum ponitur pro alias, interdum, nunc. *Id. Eun.* 4, 4, 46. modo ait, modo negat; et *Cic. Att.* 13, 25. *f.* O Academiam volaticam, et sui similem, modo huc, modo illuc! *Id. Font.* 1. Populi modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati, modo ab senatu agris multati. *Id. Div.* 2, 44. Coelum modo hoc, modo illo modo temperatur. ℙ Et sequente alia particula. *Ov. Met.* 13, 922. Nam modo ducebam ducentia retia pisces: Nunc in mole sedens moderabar arundine linum. *Sall. Jug.* 77. Modo advorsum hostes, interdum in solitudines pergere. *Cic. N. D.* 1, 12. *extr.* et 13. *f.* Modo menti divinum tribuit principatum, modo coelo, tum autem signis coelestibus. *Id.* 2, 40. Sol modo accedens, tum autem recedens, binas reversiones facit. *Tac. H.* 2, 74. Vespasianus modo in spem erectus, aliquando adversa reputabat. *Suet. Tib.* 66. Libellis diversissime afficiebatur, modo ut prae pudore celata cuncta cuperet, nonnunquam eadem contemneret. *Tac. A.* 11, 16. Modo temperantiam, saepius vinolentiam usurpans. *Id. H.* 4, 46. Modo Mucianum, modo absentem principem, postremum coelum, ac Deos obtestari. *Hor. Sat.* 2, 7, 8. saepe notatus Cum tribus anellis, modo laeva Priscus inani. ℙ Absolute. *Sall. Jug.* 108. Multi vulneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati: niti modo, ac statim concidere. ℙ Frequenter ponitur pro dumtaxat, tantum, solum. *Sall. Jug.* 93. Quae postquam gloriosa modo, neque belli patrandi cognovit, statuit, etc. *Cic. Fam.* 6, 12. *f.* Unum est perfugium doctrina et litterae, quae secundis rebus delectationem modo habere videbantur; nunc vero etiam salutem; et *ib.* 13. *f.* Ut non modo secunda sperare debeas, sed etiam adversa fortissimo animo ferre. *Id. Off.* 3, 19. *med.* Vir bonus, quem Fimbria etiam, non modo Socrates noverat; et *mox:* Non modo facere, sed ne cogitare quidem audebit, quod non audeat praedicare (pro *non modo non*, vel *nedum.* Sic locutus est *Att.* 10, 8. et *ib.* 11, 24. et *Fam.* 1, 9. *med.* aliisque in locis, quae jam congessere *Manut.* ad *Fam.* 1, 9. et *Muret. Var. lect.* 10, 7.) [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] *Id. Fam.* 10, 10. Cujus rei non modo non praeteriit tempus, sed ne maturum quidem etiam nunc fuit. *Tac. A.* 4, 35. Graeci, quorum non modo libertas, etiam libido impunita est. ℙ Item pro dummodo. *Brut.* inter *Cic. ad Brut.* 1, 17. *med.* Servitutem, honorificam modo, non aspernatur. *Cic. Div.* 1, 39. *f.* Nemo aliter philosophus sensit, in quo modo esset auctoritas. *Id. Fam.* 10, 10. Sit modo aliqua respublica, omnibus honoribus abundabis. *Id. Fl.* 27. Quis ignorat, qui modo unquam mediocriter res istas scire curaverit, quin tria sint, etc. et *ib.* 16, 12. *med.* Videtur, si insaniet, posse opprimi, modo ut Urbe salva; et *Amic.* 17. Declinandum est de via, modo ne summa turpitudo sequatur. ℙ *Si modo*, si tamen. *Id. Or.* 2, 38. In hac arte, si modo est haec ars, nullum est praeceptum, quo, etc. et *Att.* 12, 44. Contudi animum, et fortasse vici, si modo permansero. *Ov. Pont.* 4, 12, 44. Si modo, qui periit, ille perire potest. ℙ *Modo si* pro *dummodo* usurpatum legimus ab *Ulp. Dig.* 19, 2, 19. *extr.*, *Papin. ib.* 26, 2, 28., 31, 1, 78. *extr.* et 39, 1, 18. ℙ *Modo non*, tantum non, ferme, propemodum, *μονονουχί. Ter. Ph.* 1, 2, 17. is senem per epistolas Pellexit, modo non montes auri pollicens. ℙ *Modo non*, non modo, non solum. *Tibull.* 1, 1, 47. Jam modo non possum contentus vivere parvo, Nec semper longae deditus esse viae; Sed, etc. ℙ Quod ultimam produxit *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 42. Huic non una modo caput ornans stella relucet; caesurae beneficio fecisse videtur.

*MODOGALINGA, ae, f. opp. Indiae cisgangeticae. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

*MODUBAE, arum, populi Indiae. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

MODŬLĀBĬLIS, e, adj. qui cani potest. *Calpurn. Ecl.* 4, 63. Hyblaea modulabile carmen avena.

MODŬLĀMEN, inis, n. modulatio. *Gell.* 13, 20. Ciceroni mollius, teretiusque visum, in quinta in Verrem *(Verr.* 2, 5, 66.) *fretu* scribere, quam *freto.* Itidem in secunda *(Verr.* 2, 2, 78.) simili usus modulamine, *manifesto peccatu* inquit, non *peccato. Macr. Somn. Scip.* 2, 12. Coeli ac siderum naturam, motum, ac modulamen agnoscere. *Sidon. carm.* 1, 9. Castalidumque chorus vario modulamine plausit, Carminibus, cannis, pollice, voce, pede.

MODŬLĀMENTUM, i, n. modulamen. *Gell.* 1, 7. *f.* Sonus et positura ipsa verborum satis declarant, id potius *ἐπιμελείᾳ τῶν λέξεων* modulamentis orationis M. Tullii convenisse.

MODŬLĀTE, adv. concinne, et cum mensura. *Cic. N. D.* 2, 8. Si ex oliva modulate canentes tibiae nascerentur. *Ammian.* 16, 5. Ars modulatius incedendi concinentibus fistulis. *Gell.* 1, 11. *f.* hoc idem *modulationem incedendi* vocat: qua utebantur Lacedaemonii, quibus mos fuit ingrediendi proelium ad tibicinum modulos. *Id.* 11, 13. In ejus orationis *(C. Gracchi)* principio collocata verba sunt accuratius modulatiusque, quam veterum oratorum consuetudo fert.

MODŬLĀTĬO, onis, f. *μέτρησις, ἁρμονία*, actus modulandi, conformatio per modos, seu mensuras, mensuratio, harmonia. *Vitr.* 5, 9. Ceteri operis modulationes ita perficiantur, uti de aedibus sacris scriptum est. ℙ Saepe dicitur de mensura vocum, et sonorum. *Quint.* 1, 6. Poetas metri necessitas excusat, nisi si quando, nihil impediente in utroque modulatione pedum, alterum malunt: qualia sunt *(Virg. A.* 12, 208.) *imo de stirpe recisum;* et *(Ecl.* 1, 15.) *silice in nuda. Id.* 11, 3. *med.* Quodcumque ex his vitium magis tulerim, quam cantandi. Quid enim minus oratori convenit, quam modulatio scenica? et *mox:* Vocis modulationem fidibus ac tibiis adjuvare. *Auson. ep.* 25, 13. Est et arundineis modulatio musica ripis: Cumque suis loquitur tremulum coma pinea ventis. ℙ De *modulatione incedendi* ap. *Gell.* V. in v. praec.

MODŬLĀTOR, oris, m. qui per modulos metitur, praesertim voces et sonos, moderator, phonascus. *Hor. Sat.* 1, 3, 129. quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen, atque Optimus est modulator. *Colum. prooem. l.* 1. Vocis et cantus modulatorem scrupulosissime requirunt musicae rationis studiosi.

MODŬLĀTRIX, icis, f. *Tert. Baptism.* 3. Quid quod exinde dispositio mundi modulatricibus quo-

dammodo aquis, Deo constitit? *h. e.* modulum, et rationem quodammodo praebentibus.

MODŪLĀTUS, a, um, part. a *modulor*. Active. *Sen. Agam.* 670. mobile carmen Ramo cantat tristis aedon, Ityn in varios modulata sonos. ℙ Passive: modulo, seu mensura, certaque ratione conformatus. *Gell.* 1, 15. Linguae in promendo esse gratiam plurimam, si modesta et parca, et modulata sit. ℙ Saepe dicitur de sono et cantu ad musicam rationem dimenso. *Quint.* 9, 2. *med.* Incipit esse quodammodo *παρῳδή*: quod nomen ductum a canticis ad aliorum similitudinem modulatis. *Flor.* 2, 7. *f.* Nec aliter illa consulari sententia, quam modulatissimo aliquo tibiarum aut fidium cantu, fruebantur. *Ov. Met.* 14, 428. Illic cum lacrimis, ipso modulata dolore Verba, sono tenui moerens fundebat. *Suet. Aug.* 57. et *Ner.* 42. Modulata carmina. Sic *Plin.* 10, 29, 43. de cantu lusciniae: Modulatum sonum edere. *Gell.* 11, 13. *f.* Uti caveretis, ne vos facile perstringeret modulatus aliquis currentis facundiae sonitus, *h. e.* numerus verborum apte compositorum. Sic 13, 24. *med.* Orationem modulatiorem aptioremque reddit. *Id.* 1, 11. Lacedaemonios tibiarum modulis in proeliis usos esse, non ut excitarentur animi, quod cornua et litui moliuntur; sed contra ut moderatiores modulatioresque fierent, quod tibicinis numeris temperatur. ℙ *Barbitos modulatus*, pulsatus. *Hor. Od.* 1, 32, 3. age, dic Latinum, Barbite, carmen, Lesbio primum modulate civi.

MODŪLĀTUS, us, m. modulatio. *Sen. Herc. Fur.* 263. de Amphione: Canoro saxa modulatu trahens.

MODŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. *μετρέω*, modulis dimetior, cum mensura, et numerorum ratione compono, moderor. *Gell.* 1, 1. In reperienda, modulandaque status longitudinisque ejus (*Herculis*) praestantia, *h. e.* dimetienda. ℙ Fere dicitur de sono, voce, cantu certis modis, et musica ratione inflexo ac temperato. *Cic. Or.* 18. Ipsa natura, quasi modularetur hominum orationem, in omni verbo posuit acutam vocem. *Id. Or.* 3, 48. Hominum aures vocem natura modulantur ipsa. *Plin.* 2, 54, 55. Ictum, et sonitum congruere, ita modulante natura: sed sonitum profecti esse fulminis, non illati; et *ib.* 95, 96. Insulae saltuares dictae, quoniam in symphoniae cantu ad ictus modulantium pedum moventur. Sic *Liv.* 27, 37. *f.* Virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt. V. MODULATE. *Virg. Ecl.* 5, 14. Carmina descripsi, et modulans alterna notavi, [*i. e. per alterna, alternatim canens versiculum, et eundem mox incidens in corticem.] Sic *Ecl.* 10, 50. Chalcidico quae sunt mihi condita versu Carmina, pastoris Siculi modulabor avena. *Hor. Ep.* 2, 2, 143. verba sequi fidibus modulanda Latinis. *Tibull.* 3, 4, 39. Hanc (*lyram*) primum veniens plectro modulatus eburno. *Heynius* legend. putat *hac* pro *hanc*, scil. lyra. ℙ Etiam dativum regere potest, ut *medicor*, *moderor*, si *Servio* credimus ad *A.* 7, 756.

MODŪLUS, i, m. *ποσότης*, *μέτρον*, quantitas, magnitudo, mensura cujusque rei. *Hor. Sat.* 2, 3, 309. ab imo ad summum moduli bipedalis. *Suet. Ner.* 49. Scrobem coram fieri imperavit, dimensus ad corporis sui modulum. *Varr. R. R.* 2, 12. *f.* Relinquitur de numero, quem faciunt alii majorem, alii minorem: nulli enim hujus moduli naturales. *Hor. Sat.* 1, 3, 78. Ponderibus modulisque suis ratio utitur. *Id. Ep.* 1, 7, 98. Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est. ℙ In aquaeductibus est mensura et capacitas fistulae, unde erogatur aqua: qui et calix dicitur. *Front. Aquaed.* 36. Est autem calix modulus aeneus, qui rivo, vel castello induitur: huic fistulae applicantur. Longitudo ejus habere debet digitos non minus duodecim: lumen, id est capacitatem, quanta imperata fuerit. Adde *Ulp. Dig.* 39, 2, 30. ℙ Horum modulorum alii erant erogatorii, alii acceptorii: hi ad accipiendam impetratam aquam, illi ad dandam. *Front. Aquaed.* 34. ℙ Ap. architectos est parva mensura, ad cujus rationem totius operis conformatio perficitur. *Vitr.* 5, 9. Si Dorici generis erunt columnae, dimetiantur earum altitudines cum capitulis in partes quindecim, et ex eis partibus una constituatur, et fiat modulus: ad cujus moduli rationem omnis operis erit explicatio, et in imo columnae crassitudo fiat duorum modulorum, etc. ℙ In vocibus, et sonis est certa mensura et distributio varietatum et discriminum, unde musica ratio, et orationis numerus exsistit. *Plin.* 7, 56, 57. Lydios modulos invenit Amphion, Dorios Thamyras Thrax, Phrygios Marsyas Phryx. *Id.* 11, 37, 88. Arteriarum pulsus in modulos certos legesque metricas descriptus ab Herophilo, etc. *Gell.* 1, 4. Crispum sane agmen orationis, rotundumque, ac modulo ipso numerorum venustum. *Id.* 5, 1. Vocum festivitates, et moduli verborum. ℙ Translate. *Varr.* ap. *Non.* 2, 387. Ganeones, quibus modulus est vitae culina.

*MODUNDA, opp. Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

MODUS, i, m. *τρόπος*, ratio, via, forma, qua fit aliquid. *Cic. Inv.* 1, 27. Modus est, in quo, quemadmodum, et quo animo factum sit, quaeritur. Ejus partes sunt prudentia, et imprudentia. *Id. Quint.* 7. Modo et ratione aliquid facere; et *Or.* 35. Has partes quemadmodum tractet, difficile dictu est: nec enim semper tractantur uno modo. *Id. Att.* 2, 6. *med.* Omni modo egi cum rege, et ago quotidie. *Id. Verr.* 2, 2, 3. *f.* Si humano modo, si usitato more peccasset. *Hor. Od.* 3, 7, 12. Tentat mille vafer modis. *Ter. Hec.* 4, 4, 79. Omnibus modis miser sum. *Hor. Od.* 4, 2, 27. apis Matinae More modoque. *Nep. Att.* 21. Tali modo cum septem et septuaginta annos complesset, etc. *Id. Datam.* 10. Pari modo complura castella ei tradit. *Cic. Verr.* 2, 2, 76. Nullo modo. *Ter. Andr.* 1, 1, 126. Sine, meo me vivere modo. *Sall.* in *or. Macri Licin. ad pleb. med.* Gerant, habeantque suo modo imperia. *Liv.* 39, 26. Servorum modo, praeter spem manumissorum, licentiam linguae experiri. *Tac. A.* 4, 25. Pecorum modo trahi, occidi, capi. *Caes. B. G.* 5, 24. Ad hunc modum distributis legionibus; et *ib.* 2, 31. Ad hunc modum locuti sunt; et *ib.* 3, 13. Naves ad hunc modum factae. *Liv.* 37, 46. *f.* Intra vallum compulsi, et ad modum fugientium in agrum pacatum reducti. *Caes. B. G.* 1, 41. Mirum in modum. *Colum. Arbor.* 22. In modum ramorum alias radices emittit. *Tac. H.* 3, 25. Signa armaque in nostrum modum, desidiam, licentiamque Graecorum retinebant. *Cic. Verr.* 1, 5. Servilem in modum cruciari et necari. *Id. Q. Fr.* 2, 14. *f.* Commendo tibi majorem in modum hominem domi splendidum, etc. *Ter. Hec.* 2, 3, 7. filium multis modis jam exspecto, ut redeat domum, *h. e.* vehementer, ut exponit *Donat.* Alii leg. *multimodis.* ℙ Refertur ad statum, conditionem. *Claud. in Ruf.* 2, 316. Privati fugisse modum. ℙ Poetice cum infinito pro gerundio genitivi. *Virg. G.* 3, 73. Nec modus inserere, atque oculos imponere simplex. ℙ Est etiam mensura, quantitas, *μέγεθος*. *Cels.* 3, 27. Sevum miscere cum hyoscyami et urticae contritis seminibus, sic ut omnium par modus sit. V. ANA indecl. *Cic. Marcell.* 8. Modum vitae suae aequitate animi definire; et *Att.* 13, 33. Nihil scripsit, nisi de modo agri. *Varr. R. R.* 1, 10. Modos, quibus metirentur rura, alius alios constituit: nam in Hispania metiuntur jugis, in Campania versibus, apud nos jugeris. *Colum.* 11, 3. Modum altitudinis et latitudinis (*sulcorum*) abunde est esse bipedaneum. *Id. Arbor.* 1. Collis modum jugeri continens. *Id.* 12, 23. *f.* Salis contriti semunciam in eundem modum musti adjicere. *Vell.* 2, 73. Servitia fugitivosque recipiens, magnum modum legionum effecerat. *Front. Aquaed.* 10. Ingentem aquae modum invenerunt. Est titulus sextus libri undecimi Pandectarum, *Si mensor falsum modum dixerit.* ℙ Saepe dicitur de mensura sonorum et vocum, unde musica ratio, et carminum metra constant, *νόμος*. *Cic. Div.* 2, 3. Non potest surdus varietates vocum, aut modos noscere. *Ov. Met.* 10, 145. tentavit pollice chordas, Et sensit varios, quamvis diversa sonarent, Concordare modos. *Quint.* 1, 10. Musicis modis exercitus accendere. *Ov. Her.* 15, 6. Lyrici modi. *Stat. Silv.* 5, 5, 26. discordes. *Hor. Ep.* 1, 3, 12. fidibusque Latinis Thebanos aptare modos. *Id. A. P.* 404. gratia regum Pieriis tentata modis. *Cic. Tusc.* 1, 44. Pressis, et flebilibus modis concinere aliquid; et *ib.* 3, 19. Praeclarum carmen: est enim et rebus, et verbis, et modis lugubre. *Id. Or.* 1, 42. Quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa quondam fuerunt, ut in musicis numeri, et voces, et modi. *Liv.* 7, 2. Saltare ad tibicinis modos. ℙ Initio comoediarum *Terentii:* Modos fecit Flaccus Claudii F. tibiis paribus dextris, et sinistris. *Donat.* in *fr. de Com. et Trag.* docet, diverbia ab histrionibus fuisse pronunciata; cantica vero temperata fuisse modis, non a poeta, sed a perito artis musicae factis. Ubi vero nulla fuere cantica, probabile est, in fine cujusque actus modos a tibicine fuisse factos: quod significare videtur *Pl.* cum ait *f. a.* 1. *Ps.* Concedere aliquantisper me intro libet, Dum concenturio in corde sycophantias: Tibicen vos interea hic delectaverit. ℙ Est item finis, terminus, intra quem si consistas, mediocritas servatur. *Cic. Or.* 22. In omnibus rebus videndum est, quatenus: etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum. *Id. Off.* 1, 5. Omnium, quae fiunt, quaeque dicuntur, ordo et modus: in quo inest modestia et temperantia. *Id. Or.* 3, 11. Vox quasi extra modum absona; et *Div.* 1, 44. Cum lacus praeter modum crevisset. *Id. Mur.* 34. *f.* More et modo facere aliquid. *Id. Tusc.* 2, 19. *med.* Terminare magnitudinis et diuturnitatis modum. *Id. Leg.* 2, 26. finire. *Id. Verr.* 2, 2, 48. Modum aliquem et finem orationi, et criminibus facere; et *Off.* 1, 29. Finem et modum transire; et *ib.* Modum retinere. *Lucan.* 2, 38. servare. *Liv.* 4, 24. imponere alicui. *Virg. A.* 7, 129. ponere exitiis. *Cic. Fin.* 1, 1. alicui rei statuere; et *ib.* et *Verr.* 2, 2, 59. constituere; et *Marcell.* 8. definire. *Id. Tusc.* 5, 28. adhibere; et *Verr.* 2, 2, 59. alicujus rei habere; et *Leg.* 1, 20. aliquem controversiarum facere. *Id. Fam.* 5, 16. *f.* lugendi aliquando facere. *Ter. Heaut.* 4, 5, 7. facere sumptibus. *Liv.* 25, 40. *f.* alicui. Adde 9, 14. ℙ Jungitur cum *modestia*. *Sall. Jug.* 45. Ita cum potentia, avaritia sine modo modestiaque invadere, polluere, vastare omnia, *h. e.* sine fine et pudore. V. MODESTIA. ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 12, 573. Nam quis erit saevire modus? ℙ *Bono modo* aliquid facere est mediocritate et moderatione servata, temperate, modice, modeste. *Cato R. R.* 5. Villicus, si quis quid deliquerit, pro noxa bono modo vindicet. *Cic. Acad.* 4, 44. *extr.* Haec tibi tam sunt defendenda, quam moenia: mihi autem bono modo, tantum quantum videbitur. *Id. Q. Fr.* 2, 6. Bono modo desiderare aliquid. *Pl. Amph.* 3, 4, 12. animo obsequitur suo: Quod omnem hominem facere oportet, dum id modo fiat bono. Adde *Merc.* 4, 5, 61. [*Quid differant *modus*, *moderatio*, *modestia*, dictum est in v. *moderatio*.] ℙ Ap. grammaticos *modi verborum* sunt diversae eorum inclinationes, per quas varios animi affectus significamus, ut indicativus, imperativus, optativus, etc. *Quint.* 1, 5. *med.* In verbo fiunt soloecismi per genera, tempora, personas, modos, sive cui status eos dici, seu qualitates placet, vel sex, vel, ut alii volunt, octo. Adde *Gell.* 15, 13., *Prisc.* 8, 819., *Charis.* 2, 142. et *Diomed.* 1, 328.

*MODUSA, ae, f. Indiae oppidum, cis Gangem, in Pandionis (alii *Paridionis*) terra. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

MOECHĂ, ae, f. *μοιχή*, concubina, et speciatim adultera. *Hor. Sat.* 1, 4, 113. Ne sequerer moechas, concessa cum Venere uti Possem. *Mart.* 10, 13. Ad nocturna jacet fastosae limina moechae. ℙ Adjective. *Auson. epigr.* 10. Toxica zelotypo dedit uxor moecha marito.

MOECHĬA, ae, f. *μοιχεία*. *Tert. Pudic.* 5. et alibi.

MOECHĪLĔ, is, n. adulterium, vel locus, in quo adulteria committi solent. *Petr. Sat.* 113. *Burm.* Redierat in animum moechile. Alii aliter leg. *Ed. *Anton.* habet *cubile*. *B. A.*

*MOECHILLUS, i, m. i. fere q. moechus. *Catull. epigr.* 113. (al. 114.) Consule Pompejo primum duo, Cinna, solebant Moechilli, facto etc. Sic ed. *Graev.* ex lectione *Turnebi. Doering.* post *Vulpium* legit *Moechi: illo facto* etc. Alii aliter. *B. A.*

MOECHĪMŌNĬUM, ii, n. adulterium. *Laber.* ap. *Gell.* 16, 7.

*MOECHINDIRA, opp. Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

MOECHISSO, as, a. 1. adulterio mulierem polluo. *Pl. Cas.* 5, 4, 6. Quid fecisti scipione, aut, quod habuisti pallium? *An.* In adulterio dum moechissat Casinam, credo, perdidit: sc. pallium.

MOECHOCĪNAEDUS, i, m. *μοιχοκίναιδος*, qui adulter simul, et mollis cinaedus est. *Lucil.* ap. *Non.* 8, 84. Imberbi androgyni, barbato moechocinaedo, *h. e.* qui facit, et patitur, ut ait *Auson. epigr.* 119.

MOECHOR, aris, atus sum, dep. 1. *μοιχεύω*, cum scorto, vel cum conjuge alterius concumbo: est a praet. perf. *μέμοιχα* verbi *μείχω* pro *μίχω* ab *ὀμιχέω*, mejo. V. IMMEJO. *Catull.* 94, 1., *Hor. Sat.* 1, 2, 49. et *Mart.* 6, 91. etc.

MOECHUS, i, m. *μοιχός*, qui cum scorto cubat, et qui cum aliena uxore concumbit: a voce Graeca allata. *Pl. Mil.* 3, 1, 180. Herus meus ita magnus moechus mulierum est, ut, etc. Adde *Ter. Andr.* 2, 1, 16. et *Eun.* 5, 4, 35., *Hor.*, *Juven.*, *Mart.*

MOEDĬAE. V. HEMIOLIUS.

*MOENAENUM CASTRUM in Judaea fuit, prope Gazam, *Μηναῖς Eusebio. Cod. Theod.* 7, 4, 30. *B. A.*

MOENĔ. V. MOENIA.

MOENĔRĂ, n. plur. pro *munera*, antiqua scribendi ratione. *Lucr.* 1, 29. fera moenera militiai. *Afran.* ap. *Non.* 9, 5. Tandem ut possimus nostra fungi moenera.

MOENĬA, ium, ibus, n. plur. *τείχη*, muri, qui urbem cingunt: ab antiquo *moenio*, pro *munio*, ut docent *Varr. L. L.* 4, 32. et *Serv.* ad illud *A.* 11, 567. Non illum tectis ullae, non moenibus urbes Accepere. *Cic. Sext.* 42. Domicilia conjuncta, quas urbes dicimus, moenibus sepserunt. *Caes. B. C.* 3, 80. Oppidum altissimis moenibus oppugnare. *Nep. Them.* 6. Piraeeus moenibus circumdatus; et *ib.* 4. Moenibus se defendere. *Plin.* 7, 29, 30. Obsidere moenia. *Auct. B. Hisp.* 36. delere. *Hirt. B. G.* 8, 43. occupare. *Sen. Phoen.* 343. dejicere. *Sall. Cat.* 56. Intra moenia deprehensi hostes. ℙ Item quaecumque munitiones, propugnacula, aggeres, muniendi causa exstructi. Unde *Festus:* Moenia et muri, et alia muniendae urbis gratia facta. *Caes. B. C.* 2, 16. Ut ipsis consistendi in suis munitionibus locus non esset: cum paene inaedificata in muris ab exercitu nostro moenia viderentur, ac tela manu conjicerentur. ℙ In illo *Virg. A.* 2, 234. Dividimus muros, et moenia pandimus urbis: *Servius* putat, *moenia* esse urbis tecta, aedes, etc. [**Moenia* h. l. non sunt tecta urbis, sed munimenta, sensusque videtur ita recte posse constitui: dejecimus muros, istos quidem tot annis Trojanorum

urbi certo praesidio, munimento datos. — Singularum aedium notionem, ut probe *Serv.* interpretatur, habes *ib.* v. 252. fusi per moenia Teucri Conticuere; i. e. pro se quisque festo die per vinum et epulas acto, temere et sine ordine domicilium quaesiverat, ibique somno sepultus jacebat: ubi Noster *moenia* ita intelligi parum videri necessarium dixerat. Adde *Lucan.* 1, 24. At nunc semirutis pendent quod moenia tectis Urbibus Italiae: ubi tamen quae *Cort.* laudat, magis universi oppidi, quam singulorum aedificiorum involvere notionem videntur. Nimirum in universum pro urbis alicujus toto aedificiorum corpore, murorum ratione nulla habita, v. *moenia* ponitur ap. *Cic. Cat.* 2, 1. moenibus ipsis intra moenia nulla jam pernicies comparabitur, i. e. non amplius ipsa in se pestem, perniciem urbs continebit. (*Graev.* de singulis domibus intell.) Ita *Gronov. Observ.* 2, 12. *Media moenia* ap. *Curt.* mediam urbem et media tecta.] *Flor.* 1, 4. de Anco: Hic moenia muro amplexus est; et *Vitr.* 8, 4. Zama est civitas Afrorum, cujus moenia rex Juba duplici muro sepsit; et *Virg. A.* 6, 549. Moenia lata videt triplici circumdata muro. *Plin.* 6, 26, 30. de Babylone: Situm vero moenium aquilae pandentis alas. [*— *Moenia* absolute dicitur pro toto oppido, i. e. aedificiis cum muris. *Lucan.* 3, 373. Tum moenia clausa: ubi de Massilia loquitur; et 2, 99. Marius quo Moenia victor Corripuit: ubi de Roma sermo est. Ita *Cort.* ap. *Eund.* 6, 76., ubi v., pro Vulg. *Quoque modo Romae*, leg. jubet *quoque modo terrae praelapsus moenia Tibris in mare descendit.*] ℙ Translate *moenia mundi* ap. *Lucr.* 1, 73. et alibi, et *moenia coeli* ap. *Ov. Met.* 2, 401. est ipse ambitus, et quasi septum extremum. Eadem ratione *moenia navis* dixit *Id. ib.* 11, 532. quibus navis excludit undas, et ab insultibus fluctuum vectores defendit: et *moenia theatri* dixit *Lucr.* 4, 80. ipsos parietes, quibus inclusi spectatores sedent. ℙ [*Insolentior paulo est *Manil.*, qui *moenia* pro *corona murali* dixit 1, 778.] ℙ *Arce moeniorum* dixere veteres, teste *Cledonio* in *Arte* p. 1898., ut *anciliorum* pro *ancilium* dixit *Hor. Od.* 3, 5, 10. ℙ *Moeniis* pro *moenibus* habetur in *Inscr.* sub Antonino Pio ap. *Grut.* 408, 1. *lin.* 34. Universam R. P. N. (*h. e. Rem Publicam Nostram*) cum eo moeniis ampliavit. Alii rectius leg. *cum gregariis.* ℙ In singulari num. est *moene*, *is*, perrarum tamen. *Ennius* ap. *Fest.* Apud emporium in campo hostium per moene. ℙ *Moenia*, munia, officia; quemadmodum *moerus* pro *murus*, et *moenio* pro *munio* olim scriptum fuit. *Pl. fr.* ap. *Fest.* Prohibent, quin moenia aliunde ego fungar mea. *Lambinus* alio trahit, sed huc pertinere potest, illud *ejusd. Stich.* 5, 4, 13. nos tamen efficimus pro opibus nostra moenia. Sic *Trin.* 3, 2, 61. Sua moenia tolerare, *h. e.* onera, et sumptum quotidianum familiae.

MOENIANUM. V. MAENIANUM.

[MOENIENSES, ium, m. plur. incolae oppidi prope Albam Longam, ita appellati, quia, ubi olim militum castrum fuerat, oppidum postea conditum fuit. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 688. *n.* 102. Municipes castri Moeniensium; et *n.* 103. M. Aurelio Caesari Cos. II. Imp. Caes. Antonini Aug. Pii filio decuriones castri Moeniensium. Alia ap. *Riccy Mem. di Alba-longa* p. 156. L. Cornelius L. F. Falerina Pupillus flamen quinquennalis, patronus castri Moeniensium. *F.*]

MOENIO, is, ivi, itum, a. 4. idem quod munio, moenibus cingo: unde *circummoenitus* ap. *Pl. Capt.* 2, 2, 4. et *moenitus* ap. *eund. Bacch.* 4, 9, 2. Pergamum divina moenitum manu. *Enn.* ap. *Fest.* in *Quaeso.* Ostia moenita est, *h. e.* fossa circumdata. Al. leg. *munita. Inscr.* ap. *Cotugno*, *Mem. di Venafro* p. 267. L. Aclutius L. F. Ter. Gallus duovir urbis moeniundae. V. *Varr. l. c.* in V. DESABULO.

*MOENIS, is, fluvius nobilis Germaniae, hodie *the Main* vel *the Mayn. Mela* 3, 3. ℙ *Moenus* est *Eumen. Panegyr. ad Constantin.* 13. Sic accusativum *Moenum* habes in *Tac. G.* 28. ed. *Ernest.* ubi aliae edd. *Moenim* habent. Adde *Plin.* 9, 15. In Moeno. ℙ Scribitur et *Maenus* et *Menus*, nescio an recte. *B. A.*

MOENITUS. V. MOENIO.

*MOENUS. V. MOENIS. *B. A.*

MOERA, ae, f. pars, *μοῖρα*, Graeca vox a *μείρω*, divido. *Censorin. de die nat.* 8. docet, sic appellari a Graecis partem, seu gradum signi in Zodiaco, in quo est sol, quo tempore partus concipitur: et esse veluti fatum nascituri pueri. Unde *μοῖρα* etiam fatum significat. *Sidon. carm.* 15, 66. Ter denas tropico prope currere climate moeras. Adde *in ep. praefixa carmini* 14. Utroque autem loco etiam *mira* legitur: sed corrupte ex vitio saeculi, quo is auctor scripsit. ℙ Est etiam nomen Parcae. *Gell.* 3, 16. ℙ Alio sensu V. MORA.

MOERENS et Maerens, entis, part. a *moereo:* moestus. *Cic. Sull.* 26. *med.* Quis Sullam, nisi moerentem, demissum, afflictumque vidit? *Hor. Od.* 3, 5, 47. Interque moerentes amicos Egregius properaret exsul. *Virg. A.* 1, 201. dictis moerentia pectora mulcet. *Ov. Her.* 11, 93. Moerens vultus. *Cic. Tusc.* 1, 13. *f.* Lugubris lamentatio, fletusque moerens. *Sen. Herc. Oet.* 1063. Moerentem feriens chelyn. *Inscr.* ap. *Mur.* 1229, 7. Mater maerentissima.

MOERĔO et Maereo, es, n. 2. *λυπέομαι*, tristis sum, aegresco, in moestitia sum; ejusque aegritudinis signa do querendo, lamentando, lugendo: nec audiendus *Serv.*, qui ad *A.* 11, 211. moerere ait esse, cum silentio dolere; si *cum silentio* intelligit occulte, et in corde intus. [*V. in LUGEO. Ista, quam verbo *moerere Servius* significationem vindicat, pertinet ad *dolere. Doederl.* 3, 237.] *Cic. Tusc.* 1, 13. *f.* Nemo moeret suo incommodo: dolent fortasse, et anguntur: sed illa lugubris lamentatio, fletusque moerens ex eo est, quod eum, quem dileximus, vitae commodis privatum arbitramur, idque sentire. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *f.* Da hoc illi mortuae: da ceteris amicis, qui tuo dolore moerent. *Cic. Balb.* 25. Homines alienis bonis moerentes. *Id. Q. Fr.* 1, 3. *f.* Quin illud moereo, quod tibi non minorem dolorem illorum orbitas affert, quam mihi. *Id. Sext.* 11. Qui, patriam nimium tarde concidere, moererent. *Tibull.* 3, 2, 14. Moereat haec genero, moereat illa viro. *Ov. Fast.* 1, 487. Nec tamen ut primus moere mala talia passus. ℙ Cum accus. *Cic. Fam.* 14, 2. Moereo casum ejusmodi. *Id. Sext.* 17. Perditorum civium mortem moerere; et *ib.* 14. calamitatem reipubl. *Ov. Met.* 1, 664. talia moerens, *h. e.* has edens querelas. Adde *Val. Fl.* 8, 209. ℙ Moereor, eris, dep. 2. *Matius* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. Corpora Grajorum moerebar mandier igni. *Cic. Sext.* 39. Nos pulsi eramus: vos taciti moerebamini. Alii leg. *moerebatis*, al. *mirabamini.* [**Orell.* leg. *moerebatis.*] ℙ Passive impersonaliter *Appul. Met.* 4. Moeretur, fletur, lamentatur diebus plusculis. ℙ De praeterito ita *Prisc.* 8, 817. A *moereo*, unde *moeror*, *moerui* debuit facere: sed in usu non est. ℙ Diphthongum *oe* in *moereo*, *moeror*, et *moestus* retinent *Dausq.*, *Scalig.* et alii, itemque octo lapides ap. *Grut.*, quos affert *Noris. in Cenotaph. Pis. dissert.* 4. *c. ult.*, quibus adde alium ap. *Grut.* 658, 5., quem indicat *Cellar.* in *Orthogr.* Ipse tamen *Norisius* antiquiorem putat *ae*, quae constanter habetur in *Cod. Virg. Mediceo*, et in aliis lapidib. quinque ap. *Manut.* in *Orthogr.* Ex etymologis alii, quibus *ae* placet, cum *Varr. L. L.* 5, 6. *f.* a *marcere* deducunt, quia corpus maerendo marcescere videatur: alii, ut *oe* defendant, a Graeco *μοῖρα* (unde *moera*), ut *Dausq.*, quas ego notationes nihil moror. Porro neutram scriptionem vel improbarim, vel praetulerim.

*MOERĔOR, eris, dep. 2. V. in *Moereo. B. A.*

*MOERĪCA VITIS ap. *Plin.* 14, 2. quae fuerit, incertum est. ℙ *Colum.* 3, 2. est *merica. B. A.*

[MOERIS, idis, f. *Μοῖρις*, palus olim, sive lacus, nunc campus Aegypti, inter Memphim, et Arsinoem, prope labyrinthum viginti millia passuum in circuitu patens. *Mela* 1, 9. et *Plin.* 5, 9, 9. ℙ Est etiam viri nomen proprium ap. *Virg. Ecl.* 8, 96. *F.*]

MOERO, as, a, 1. *λυπέω*, moerentem facio, [Attius ap. *Non.* 2, 533. Quod si, ut decuit, stares mecum, aut meus te moeraret dolor, jamdiu inflammari tetre naves vidissent suas. Ita ex *Cod.* leg. *Bothe:* alii male *mertaret*, quasi significet merentem facere. *F.*]

MOEROR et Maeror, oris, m. *λύπη*, *ἀνία*, actus moerendi, luctus: cui *laetitia* ap. *Sall. Cat.* 61. opponitur. [*Neque aliter differunt *moeror et moestitia*, quam *laetitia* et *gaudium*. Nempe *moeror* actum significat, quo tristitiae signa, habitu corporis, vultu cet. edere solemus; *moestitia* ad animum pertinet, qui doloris sensum, affectum aliis non proditum continet. V. *Doederl.* 3, 237.] *Cic. Tusc.* 4, 8. Moeror est aegritudo flebilis, *h. e.* quae in fletum, gemitum, aliaque signa doloris facile erumpit. *Id. Fin.* 1, 18. Aegritudines, molestiae, moerores, qui animos exedunt, conficiuntque curis. *Sall. Jug.* 16. Clausi in tenebris cum moerore et luctu, morte graviorem vitam exigunt. *Cic. Att.* 12, 28. Quod me ipse per litteras consolatus sum, non poenitet me, quantum profecerim: moerorem minui: dolorem nec potui, nec, si possem, vellem. *Id. Tusc.* 3, 12. *med.* Est impudens luctus moerore se conficientis. *Id. Att.* 3, 8. Meus me moeror lacerat et conficit. *Ter. Andr.* 4, 2, 10. Esse in moerore. *Cic. Att.* 10, 4. jacere; et *ib.* 3, 8. *f.* Animum moerori dare; et *ib.* 11, 2. Moerore urgeri. *Pl. Capt.* 1, 2, 30. macerari. *Id. Stich.* 1, 3, 63. atque aegritudine consenescere. *Gell.* 3, 15. et luctu affectus. *Cic. Cat.* 2, 1. afflictus et profligatus. *Id. Att.* 12, 14. A moerore recreari. *Id. Phil.* 14, 13. Deponere moerorem atque luctum. *Just.* 38, 8. *f.* inferre alicui. *Pl. Cas.* 3, 5, 50. offerre alicui. *Id. Cist.* 4, 2, 60. afferre. *Id. Stich.* 2, 1, 31. Ex moerore eximere. *Plin.* 8, 12, 12. Moeroris tabe confecti.

MOERUS, i, m., idem quod murus, veteri scribendi more, V. MURUS. *Enn.* ap. *Fest.* in *Oscum.* de moeris res gerit Opscus. *Id.* ap. *Gell.* 16, 10. moeros, urbemque, forumque Excubiis curant. *Varr. L. L.* 5, 9. *moeris*, et *moeros* habet. *Virg. A.* 10, 24. atque ipsis proelia miscent Aggeribus moerorum. Ubi *Serv.* Antique pro *murorum*: nam veteres pleraque eorum, quae nos per *u* dicimus, per *oe* diphthongum pronunciabant. *Lucr.* 4, 219. aestus ab undis Aequoris, exesor moerorum littora circum. ℙ In omnibus allatis locis etiam *murus* legitur in optim. quoque libris.

*MOESA, ae, f. avia Heliogabali, nepotem ad imperium evexit. *Lamprid. Heliog.* 10. *B. A.*

[MOESI, orum, m. plur. iucolae Moesiae ap. *Plin.* 3, 26, 29. et 4, 11, 18. *F.*]

*MOESĬA, ae, f. Europae provincia, V. in *Moesicus*, *a*, *um.* ℙ Fuit et Moesia, *Μυσία Ptolemaeo*, oppidum Parthiae. *Ammian.* 23. *med.* p. 273. ed. *Lindenbrog.* Genonia, Moesia, Charax. *B. A.*

[MOESĬACUS, a, um, adj. idem ac Moesicus, ut *Maesiacus exercitus* in nummis Hadriani Aug. ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 499. et. ap. *Suet. Vesp.* 6. *Moesiacae copiae* ap. *Tac. H.* 2, 32. *F.*] ℙ **Moesiaci*, *orum*, peregrini, qui sunt in Moesia. *Vetus lapis:* Ex. Ordine. Moesiacorum. V. *Vales.* ad *Ammian.* 20, 1. *B. A.*

MOESĬCUS, a, um, adj. ad Moesiam pertinens, quae provincia est, inquit *Plin.* 3, 26, 29., Pannoniae juncta, et usque ad pontum Euxinum cum Danubio decurrens: ubi nunc *Bulgaria* et *Servia. Id.* 4, 1, 1. Moesicae gentes. *Inscr.* ap. *Mur.* 184, 2. Praefectus classis Moesicae. Haec eadem in *Inscr.* ap. *Grut.* 575, 1., quae pertinet ad ann. a Chr. n. XCII. imperante Domitiano Aug., ideo *Classis Flavia Moesica* dicitur, quia is e gente Flavia erat: Romani autem imperatores in Danubio classem habuere ad coercendos Barbarorum impetus.

*MOESILĒUM, i, n. *Front. de Limit. agror.* p. 43. *Goes.* Similiter locorum religiosorum, quibus secundum cautiones modus restituendus: habent enim et moesilea juris sui, hortorum modos circumjacentes, aut praescriptum agri finem. ℙ *Turnebus* interpretatur *Moesilia* per Sepulcra, quae ab aliis Mausolea sunt appellata: atque inde in *Frontini* l. *mausolea* scribendum putat pro *moesilea. B. A.*

*MOESOGŌTHI, orum, gens quaedam, Gothorum pars, in Moesia inferiore degentes et usque ad Pontum Euxinum tendentes. *Jornand. de reb. Getic. B. A.*

MOESTĒ et Maeste, adv. cum moerore, *λυπηρῶς. Auct. ad Her.* 3, 14. Acriter, clementer; moeste, hilariter.

MOESTĪFĪCĀTUS et Maestificatus, a, um, part. a *moestifico*, moestus, tristis. *Sidon. ep.* 3, 13. *med.* Facies umbris moestificata larvalibus. *Capell.* 9. *in.* Insuetis laedor moestificata modis.

MOESTĪFĪCO et Maestifico, as, a. 1., moestum facio. *August. ep.* 121. Si paupertas angit, si luctus moestificat.

MOESTĪTER et Maestiter, adv. moeste. *Pl. Rud.* 1, 5, 6. unde vos ire cum uvida Veste dicam, tam moestiter vestitas?

MOESTĪTIA et Maestitia, ae, f., idem quod moeror: cui opponitur hilaritas et laetitia. [*Quid differant *moestitia* et *moeror*, v. in h. v.] *Cic. Fin.* 1, 13. Sapientia est una, quae moestitiam pellat ex animis. *Id. Phil.* 2, 15. Esse in moestitia. *Tac. A.* 3, 16. Os in moestitiam flectere. ℙ Translate. *Cic. Or.* 16. *f.* Aliqui duritatem et severitatem quandam verbis, et orationis quasi moestitiam sequuntur. [*Cf. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* p. 257.] *Colum.* 7, 3. *med.* Ut totius autumni pabulo satiatus agnus, ante moestitiam frigorum, atque hiemis jejunium confirmetur. ℙ De orthographia V. in *Moereo.*

MOESTĪTŪDO et Maestitudo, inis, f. *Acc.* ap. *Non.* 2, 522. Ni vestitus teter, moestitudo, vastitudo praedicarent hominem esse. *Pl. Aul.* 4, 10, 1. ego sum miser, cui tanta moestitudo obtigit. *Pall.* 1, 26. de turdis: Claudantur cum aliis ante nutritis, quorum societate captivitatis moestitudinem consolentur.

MOESTO et Maesto, as, a. 1. moestum facio. *Laber.* ap. *Non.* 2, 531. Concitatam mobilitate moestas.

MOESTUS et Maestus, a, um, adj. *λυπηρός*, *ἀχθόμενος*, moerens, dolens, tristis, lugens. [**Moestus* et *tristis* in eo quidem conveniunt, quod uterque dolorem animo continet, non signis consilio datis prodit aliis: sed differunt ita, ut *moestus* dejectis oculis, caduco capite, tranquillius id, quod animum angit, ferat; *tristis* truci vultu, contractis superciliis vehementius, cum indignatione dolorem volvat. V. *Doederl.* 3, 234.] *Cic. Or.* 2, 47. Cum excitavi moestum ac sordidatum senem. *Id. in Sen.* 6. Incultus, horridus, moestus. *Hor. Sat.* 1, 2, 3. Moestus ac sollicitus morte alicujus. *Cic. Or.* 22 *med.* Cum tristis Calchas esset, moestior Ulysses. *Virg. A.* 2, 270. moestissimus Hector. [**Tac. H.* 1, 82. Rarus per vias populus; moesta plebs; dejecti in terram militum vultus, ac plus tristitiae, quam poenitentiae. — Atque ita quoque peculiari modo usurp. *Tac.*, translate, scil. de oratore, *Dial.* 24. Oratores moesti et inculti, h. e. in quorum oratione laetos nullos deprehendas locos. *Boettich. Lex. Tac.* p. 308. sq.] *Auct. ad Her.* 3, 15. *med.* Moestus et conturbatus vultus. *Just.* 18, 7. Moe-

sta ac lugentia castra. *Virg. G.* 4, 515. moestis late loca questibus implet. *Id. A.* 5, 47. ossa parentis Condidimus terra, moestasque sacravimus aras, *h. e.* funebres, et Diis Manibus sacras. *Ov. Fast.* 6, 660. moesta funera. *Id. ib.* 4, 454. Et feriunt moestae pectora nuda manus; et *ib.* 854. moestas Acca soluta comas. *Id. Am.* 2, 6, 5. moestos laniare capillos. *Id. Trist.* 3, 5, 15. Brachiaque accepi moesto pendentia collo. *Id. Fast.* 3, 641. ne dubita, moestum fuge, dicere, tectum, *h. e.* funestum, dirum, in quo insidiae parantur. *Id. Ib.* 128. a laeva moesta volavit avis, *h. e.* mali ominis. *Virg. G.* 1, 480. Et moestum illacrimat templis ebur. *Id. A.* 1, 206. moestus timor. *Prop.* 3, 4, 13. moesta vestis, *h. e.* atrata, signum luctus. Sic 4, 11, 9. moestae tubae. *Sen. Oed.* 2. Et nube moestum squalida exoritur jubar. [*Ita plerumque *Tac.* poetice h. v. ad res trahit. Exempla v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 309.] ℙ Cum inf. *Stat. Th.* 10, 774. insignemque animam mucrone corusco Dedignantem artus pridem, moestamque teneri, Arripit, etc. ℙ Aliquando est valde turbatus, et vultu ad tristitiam ac severitatem compositus. *Val. Fl.* 5, 568. tacita moestissimus ira. Sic in illo *Virg. A.* 12, 514. Ille neci moestum mittit Onytem: *Serv.*, severum, inquit, naturaliter tristem, quem Graeci *οχυθυμὸν* dicunt, *ἀγέλαστον:* aut imaginatus est exspirantem. ℙ Ventrem moestum fovere ex molito hordeo, ap. *Lucil.* exponit *Non.* 4, 314. enectum fame. ℙ De ratione scribendi V. in MOEREO.

*MOETA pro Meta ap. *Front. de Colon.* p. 141. *Goes.* et alibi. *B. A.*

*MOGETIANA, ae, f. opp. Pannoniae inferioris, inter Dravum flumen et Danubium. *Anton. Itin.* ℙ Dictum et *Mogetianae, arum, ib. B. A.*

*MOGONTIACUM, i, n. opp. *Mentz* in Germania. *Eutr.* 7, 8. (al. 13.) et 9, 7. (al. 9.) *Magontiacum* est *Tac. H.* 4. 15, 24, 33. cet. *Maguntiacum* autem *Anton. Itin.* Appellatur et *Magontiacus* fem. gen. ap. *Ammian.* 15, 27. et *Moguntia* ap. *Venant. Fortun.* et *carm.* 9. itemque *Mogontia* ap. *Günther. Ligur.* 1, 384. *B. A.*

MOLA, ae, f. *μύλη*, instrumentum, quo frumenta, aliaeque fruges conteruntur, et in farinam rediguntur: a Graeca voce allata. Constat autem duobus saxis, quorum inferius quadrata primum figura solo insistit, deinceps in conum desinit, et ob formae similitudinem *meta* dicitur: superius (Graeci *ὄρον* vocant) dupliciter est cavatum, et ex inferiore quidem parte metae superincumbit, superiore vero, quae catillus appellatur, grana conterenda continet, quae per medium foramen inter utrumque saxum decidunt, ibique facile commoluntur, cum superius saxum ab axe transverso, qui *mobile* nominatur, circumducitur. Hujus molae figuram, paucis abhinc annis Pompejis in Campania repertae, habes apud *Schneiderum* in adnot. ad *Cat. tab.* 11. *n.* 7. *Paul. Dig.* 33, 7, 18. §. 5. Idem Scaevola consultus de meta molendaria, respondit, si rusticis ejus fundi operariis moleretur, eam quoque deberi; est autem meta inferior pars molae, catillus superior. ℙ Molarum aliae sunt *trusatiles* aut *manuariae*, *χειρομύλαι*, quae manu hominum truduntur. *Gell.* 3, 3. *f.* de Plauto: Cum ob quaerendum victum, ad circumagendas molas, quae trusatiles appellantur, operam pistori locasset. V. MANUARIUS. ℙ Aliae *asinariae* aut *jumentariae*, quae ab asinis seu jumentis versantur. *Ov. Fast.* 6, 318. Et quae pumiceas versat asella molas. *Juven.* 8, 66. de caballis: triteque trahunt epirhedia collo Segnipedes, dignique molas versare Nepotis. V. ASINARIUS et JUMENTARIUS. ℙ Aliae *aquariae*, *ὑδρομύλαι*, quae impetu incurrentis aquae, et ope rotarum circumaguntur. *Pall.* 1, 42. Si aquae copia est, fusuras balnearum debent pistrina suscipere, ut ibi formatis aquariis molis sine hominum, vel animalium labore frumenta frangantur. Hinc *Plin.* 18, 10, 23. Major pars Italiae rotis utitur, quas aqua verset obiter, et far molat. Hujusmodi molas describit *Vitr.* 10, 10. V. et HYDRAULA. ℙ Ad alias etiam fruges, et res comminuendas molae adhibentur. *Ov. Medic. fac.* 72. de lupinis et faba: Utraque da nigris comminuenda molis, *h. e.* molis ex nigro lapide, quas *Id. Fast.* 6, 318. *pumiceas* vocat, quia plerumque fiebant ex lapide Pompejano, qui niger et pumici similis est. *Plin.* 18, 7, 14. Hordeum molis frangunt. *Petr. fragm. Trag.* 74. *Burm.* Mola buxea piper trivit. *Colum.* 12, 50. *med.* Oleo autem conficiendo molae utiliores sunt, quam trapetum. Molae quam facillime patiuntur administrationem; quoniam pro magnitudine baccarum vel submitti, vel etiam elevari possunt, ne nucleus, qui saporem olei vitiat, confringatur; et *ib.* 52. Suspensa mola olivam frangito. *Id.* 2, 11. *f.* Cicera suspensa mola divisa. *Varr. R. R.* 1, 55. Molae oleariae duro et aspero lapide. ℙ Quas memorat *Plin.* 36, 18, 20. molas versatiles, Volsiniis inventas, *Hard.* intelligit cotes acuendis ferramentis aptas. Easdem memorat *Liv.* 28, 45. *med.* ℙ Dicitur etiam *mola* ipsum far tostum, molitum, et sale sparsum (unde et *mola salsa* dicitur) *χριθὴ πεφρυγμένη*, qua in sacris utebantur, et vel solam offerebant, vel victimas ea spargebant, ut *Fest.* et *Val. Max.* 2, 5. *n.* 5. docent: unde *immolare. Virg. Ecl.* 8, 82. Sparge molam, et fragiles incende bitumine lauros. *Serv.* ad *h. l.* tradit rationem ejus conficiendae, quae Romae in more fuit. Virgines, inquit, Vestales ex Non. Majis ad prid. Id. Majas alternis diebus spicas adoreas in corbibus mensuariis ponunt: easque ipsae torrent, pinsunt, molunt, atque ita molitas condunt. Inde ter in anno molam faciunt, Lupercalibus, Vestalibus, Idib. Septembr. adjecto sale cocto, et sale duro. *Cic. Div.* 2, 16. Caput est in jecore, cor in extis: jam abscedet, simul ac molam et vinum insperseris. *Mart.* 7, 54. Consumpsi salsasque molas, et turis acervos. *Tibull.* 1, 5, 14. Ipse procuravi, ne possent saeva nocere Somnia, ter sancta deveneranda mola. *Sen. Thyest.* 688. Tangensque salsa victimam culter mola, etc. *Plin.* 18, 2, 2. Mola salsa supplicare. *Id. praef. med.* Rustici mola tantum salsa litant. *Pl. Amph.* 2, 2, 108. Prodigiali Jovi Aut mola salsa hodie, aut ture comprecatam oportuit. *Virg.* salsas fruges, *Ov.* salsa farra vocat. V. SALSUS. ℙ *Mola* pro maxilla legitur a quibusdam ap. *Appul. Dogm. Plat.* 3. *med.*, sed plerique alii rectius *mala.* ℙ Denique *mola* dicitur in uteris mulierum massa carnea sine ossibus ac visceribus, ex imperfecta conceptione loco fetus concrescens, *μύλη. Plin.* 7, 15, 13. Unius mulieris utero, quas appellarunt molas. Ea est caro informis, inanima, ferri ictum et aciem respuens: et, ut partus, alias letalis, alias una senescens, aliquando alvo citatiore excidens. Simile quiddam et in viris in ventre gignitur, quod vocant scirrhon. Adde 10, 64, 84.

MOLAE, arum, f. plur. In libro sacerdotum populi R. (ap. *Gell.* 13, 22.) in quo perscriptae sunt Comprecationes Deorum immortalium, inter varia Deorum nomina habetur *Heriem Junonis, Molas Martis, Nerienem Martis.* Putant quidam, *Molas* esse filias Martis, sic dictas a molimine et conatu in bellorum apparatu: alii a molis, quod ut molis fruges, sic bellis Mars homines frangat.

MOLARIS, e, adj. *μυλικὸς*, ad molam pertinens, ut *molaris lapis*, ex quo molae fiunt, *μυλίτης λίθος. Plin.* 36, 19, 30. et *ib.* 23, 53. ℙ *Molares* saepe dicuntur lapides praegrandes et asperrimi, quos vel manu vel ballistis jaciebant in hostes: vel a magnitudine, quasi apti sint molis faciendis: vel a duritie, aut scabritie. *Virg. A.* 8, 249. insueta rudentem *(Cacum)* Desuper Alcides telis premit, omniaque arma Advocat, et ramis, vastisque molaribus instat. *Ov. Met.* 3, 59. dextraque molarem Sustulit, et magnum magno conamine misit. Illius impulsu cum turribus ardua celsis Moenia mota forent. *Stat. Th.* 5, 560. quo turbine bellica quondam Librati saliunt portarum in claustra molares; et *Achill.* 2, 426. Excipere immissos curvato umbone molares. ℙ *Molares* dentes sunt in interiori maxilla utrinque post caninos siti, latiores ceteris, crassioresque: ita dicti, quod incisum ab aliis cibum ipsi comminuunt et veluti molunt, iidem *maxillares* appellantur, *μύλαι, μυλίται ὀδόντες. Juven.* 13, 212. interque molares Difficili crescente cibo; et 5, 60. ut per lacrimas effundere bilem Cogaris, pressoque diu stridere molari.

MOLARIUS, a, um, adj. ad molam pertinens, molaris, *μυλικός. Cato R. R.* 11. et *Varr. R. R.* 1, 19. Asinus molarius, *h. e.* qui molam circumagit.

[MOLAXO, as, a. 1. idem ac malaxo. *Pelag. Vet.* 5. *f.* Axungiam veterem cum olio purgato, et simul tunso diligenter molaxas. *F.*]

MOLE. V. MOLESTIA.

*MOLEMONIUM, i, n. herba, quae faciles vomitiones praestat. *Plin.* 26, 7. *B. A.*

MOLENDARIUS, a, um, adj. *μυλωθρικός*, ad molam, seu molendinum pertinens. *Paul. Dig.* 33, 7, 18. §. 2. Asinam molendariam, et molam negat Neratius instrumento fundi contineri; et *ib.* §. 5. Scaevola consultus de meta molendaria respondit, etc. Alii leg. *molendinaria.*

MOLENDINARIUS, a, um, adj. ad molendinum pertinens, idem ac molendarius, molaris. *Ammian.* 17, 4. *f.* Obeliscus diu pensilis, hominum millibus multis tanquam molendinarias rotantibus metas, cavea locatur in media. ℙ *Molendinarius, ii*, m. molitor, qui frumentum aliasque fruges molendas curat. *Inscr.*, quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCCCXC., ap. *Grut.* 1114, 6. et *Fabr.* p. 529. *n.* 382. Ut omnium molendinariorum fraudes amputentur, stateras fieri praecepimus, etc. *Gloss. Philox.* Molendinarius, *ἀλεστής*. [*Plura adjecit *F.*]

[MOLENDINUM, i, n. *μύλων*, moletrina, ubi molitur frumentum, ut pistrinum, ubi pinsitur: est a *molendo* dictum, quia illuc frumentum molendum fertur. *August.* in *Psalm.* 132. *n.* 4. ad *Matth.* 24, 40. Quare in molendino! quia in isto mundo versantur, ubi molendinum intelligitur; quia sic vertitur mundus iste, quomodo mola. Adde in *Psalm.* 36. *n.* 2. *F.*]

MOLES, is, f. *ὄγκος, κίνος, μέγεθος*, corpus ingens, res magna, et multi ponderis. *Ov. Met.* 1, 7. Chaos, rudis indigestaque moles. *Virg. A.* 3, 656. vasta se mole moventem Pastorem Polyphemum. *Colum.* 3, 8. India perhibetur molibus ferarum mirabilis. *Prop.* 4, 6, 19. stetit aequore moles Pinea, *h. e.* classis magnarum navium. *Lucan.* 4, 462. Opiterginis moles onerata colonis, *h. e.* navis. [*Adde *ib.* 453. tertia moles Haesit.] *Prop.* 4, 11, 23. Sisyphe, mole vaces, *h. e.* ingenti saxo. V. SISYPHUS. *Claud. in Ruf.* 1, 350. Hinc Stilicho turmas, illinc Gradivus agebat, Et clypeis, et mole pares, [*i. e. corporis magnitudine.] ℙ Saepe dicitur de magnis aedificiis, substructionibus, aggeribus, praesertim qui ex saxo, terra, aut materia in mare jaciuntur vel muniendis portubus, vel piscinis faciendis, vel aedificiis in ipso mari excitandis. *Hor. Od.* 3, 1, 33. Contracta pisces aequora sentiunt, Jactis in altum molibus. [*Vell. 2, 33, 4. Moles mari injectae.] *Tibull.* 2, 6, 27. Claudit et indomitum moles mare. *Caes. B. C.* 1, 25. Molem, atque aggerem ab utraque parte litoris jaciebat. *Cic. Verr.* 2, 4, 53. Fons fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum a mari disjunctus esset. *Id. Off.* 2, 4. Moles oppositae fluctibus. *Id. Att.* 4, 16. *med.* Aditus insulae muniti mirificis molibus. *Liv.* 23, 5. Pontibus ac molibus ex humanorum corporum strue faciendis. *Cic. Mil.* 31. Insanae substructionum moles. *Hor. Od.* 3, 29, 10. Molem propinquam nubibus arduis. *Cic. Phil.* 14, 12. *f.* Exstructa moles opere magnifico, incisaeque litterae, virtutis testes sempiternae. [*Tac. *A.* 14, 8. Hi molium objectus, hi proximas scaphas scandere conantur. *H.* 2, 21. Quod nulla in Italia moles tam capax foret (de amphitheatro). *Lucan.* 8, 865. Proderit hoc olim, quod non mansura sepulcri Ardua marmoreo surrexit pondere moles: laudat hunc locum cum multis aliis, in quibus *moles* de sepulcro positum est, *Cort.* ad *Lucan.* 8, 695. ubi pro vulg. *exstructo monte* egregiam sane dedit conjecturam *exstructa mole.*] ℙ *Moles aquarum*, immanis vis et copia. *Sil.* 3, 46. surgentis mole profundi Injectum terris subitum mare. Adde 14, 123. et *Solin.* 23. *med.* [*Adde *Lucan.* 5, 625. Nunc quoque tanta maris moles crevisset in astra: ubi *Cort.* laudat *Oros.* 1, 10. Refusis a tergo instantium aquarum molibus obruta est; et 5, 24. Commoti maris fluctus quamvis molibus magnis sequuntur.] ℙ Translate est magnitudo, aut multitudo cujuslibet rei. [*Vell. 2, 131. Et quidquid numinum hanc Romani imperii molem in amplissimum terrarum orbis fastigium extulit.] *Cic. Cat.* 1, 9. Vix molem istius invidiae, si in exsilium ieris, sustinebo; et *ib.* 3, 7. Non facile hanc tantam molem mali a cervicibus vestris depulissem. *Hor. Od.* 3, 4, 65. Vis consili expers mole ruit sua. *Tac. A.* 12, 66. In tanta curarum mole. *Id. H.* 1, 61. Vitellius suas copias supplevit, tota mole belli secuturus, [*i. e. omnibus copiis;] et *ib.* 2, 46. Non alias majore mole concursum, [*i. e. cum majori militum numero. Adde *Ann.* 6, 36. Artabanus tota mole regni ultum iit; et 15, 2. Vires intimas molemque belli ciet. V. *Drak.* ad *Liv.* 8, 13, 6.] et *Liv.* 26, 6. *med.* Apud alios nequaquam tantam molem pugnae invenio, [*i. e. tantae caedis proelium.] *Sil.* 12, 143. Herculea prostrati mole gigantes, *h. e.* magnis viribus Herculis: [*vel *βλῇ Ἡρακληείῃ;* ut *Herculeus labor* ap. *Hor.*] *Virg. A.* 12, 574. animis certantibus omnes Dant cuneum, densaque ad muros mole feruntur, *h. e.* denso agmine, et impetu urgente. Sic *Val. Fl.* 1, 757. leo cunctatus in arcta Mole virum, *h. e.* densa venantum turba. ℙ Item molimen, conatus, nisus, labor, [*difficultas, molestia.] *Tac. A.* 13, 35. Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum, quam contra perfidiam hostium erat: [*saepius, quam ap. ceteros scriptores v. *moles* hac significatione ap. *Tac.* leg. *A.* 1, 45. sic compositis praesentibus haud minor moles supererat; et 2, 78. Haud magna mole — in sententiam trahitur. Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 309. Adde *Vell.* 2, 114, 1. distractissimus ille tantorum onerum mole: ubi *Ruhnk.* leg. vult *operum* pro *onerum.*] et *Liv.* 25, 11. *med.* Plaustris transveham naves haud magna mole, *h. e.* haud magno molimine. [*Vell. 2, 95, 1. Reversum inde Neronem Caesar haud mediocris belli mole experiri statuit: ita ex certissima Heinsii emendatione dedit *Ruhnk.* pro vulg. *belli molem experiri.* Adde *ib.* 97, 4. Moles deinde ejus belli translata in Neronem est; et 115, 1. Caesar ad alteram belli Delmatici molem animam atque arma contulit; et 79, 1. Caesar molem belli ejus suscipere statuit; et 121, 1. Res Galliarum maximae molis. *Suet. Aug.* 84. in tanta mole rerum, i. e. in tam gravi et molesta multitudine laborum.] *Virg. A.* 1, 37. Tantae molis erat Romanam condere gentem. ℙ Item majestas, vis, pompa, potentia. [*Adjecta tamen molestiae, oneris significatione: unde parum differre hos locos dixerim ab antecedentibus.] *Val. Fl.* 6, 673. non illa levi turbata metallo, Sed facibus, sed mole Dei. *Tac. A.* 15, 52. Caesar balnea et epulas inibat omissis excubiis, et fortunae suae mole. ℙ [*Peculiari prorsus modo cum *exstructionem*, tum *demolitionem* designat, quam utramque significationem ap. priores etiam quibusdam locis *molitionis* vox habet (ubi v.). *Tac. A.* 1, 75. Mole publicae viae ductuque aquarum labefactas aedes suas. — *H.* 4, 28. Machinas molemque (i. e. demolitionem) operum Batavis delegat. Cf. *Curt.* 4, 3. *Boettich.*

Lex. Tac. p. 309.] ℙ Ultima in *mole* a vetustissimis producebatur, ut in *fame*, si *Prisciano* credimus 7, 768. ℙ [*Ex solita commutatione litterarum *e* et *i* saepissime in cdd. legitur *molis* pro *moles*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 344. et 4, 453. Latius de his exposuit *Schneid.* in *Gr. Lat.* 2. p. 468. sqq.]

*MOLESTATĬO, onis, f. *Constant. Afer.* 7, 6. Febris molestatio. *B. A.*

MOLESTĔ, adv. δυσχερῶς, cum molestia, molestiam exhibendo; [*nimia et odiosa diligentia. V. *Vulp.* ad *Catull.* mox laud.] *Catull.* 42, 7. illa, quam videtis Turpe incedere, mimice, ac moleste. *Cic. Att.* 1, 17. *extr.* Jam illud moleste rogo, quod maxime cupio, ut quamprimum venias. Plerique al. leg. *modeste*; [*ita *Orell.*, cui *moleste* non displicet.] *Augustus in ep.* ap. *Suet. Aug.* 86. *f.* Opus est, dare te operam, ne moleste scribas, aut loquaris, *h. e.* affectando obscuritatem, aut obsoleta verba sectando: hoc enim molestiam exhibet legentibus, aut audientibus. *Gell.* 3, 19. Superstitiose, et nimis moleste atque odiose confabricatus est originem vocabuli. *Quint.* 11. *f.* Nec in loquendo distinctionibus, temporibus, affectionibus moleste utemur. *Curt.* 3, 6. Animum sollicitudine intempestiva amici sane fideles, sed moleste seduli turbant. ℙ *Moleste ferre*, aegre, graviter, iniquo animo ferre; [*δυσχεραίνειν, i. q. χαλεπῶς φέρειν. Quid differat ab *offendi* v. in h. v.] *Cic. Att.* 13, 22. Te de praedio aviae exerceri, moleste fero; et *Caes. B. G.* 2, 1. Populi R. exercitum hiemare in Gallia, moleste ferebant. *Petr. Sat.* 100. Inquietatus ille moleste tulit. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 1. Quoniam ea molestissime ferre homines debent, quae ipsorum culpa contracta sunt; est quiddam in hac re mihi molestius ferendum. *Id. Fam.* 3, 6. *med.* Molestissime fero, quod, te ubi visurus sim, nescio. *Auct. B. Hisp.* 30. Moleste, et acerbe accipiebant, se impediri, quominus, etc. ℙ *Moleste fero*, formula est dolentis alterius calamitatem. *Sen. ep.* 67. *f.*

MOLESTĬA, ae, f. δυσχέρεια, ὄχλος, aegritudo, sollicitudo, cura, angor, negotium. *Cic. Fam.* 12, 30. Noli mihi molestiam exhibere, et a me litteras crebriores, cum tu mihi raras mittas, flagitare; et *ib.* 13, 23. Pergratum mihi feceris, si eum, quod sine molestia tua fiat, si qua in re opus ei fuerit, juveris; et *ib.* 16, 12. *med.* Habeo etiam illam molestiam, quod Dolabella noster apud Caesarem est. *Id. Att.* 8, 3. *med.* Sed in hoc ipso habent tamen iidem fasces molestiam; et *Sull.* 1. Ex hujus incommodis magnam animo molestiam capio. *Id. Fam.* 4, 3. Ex pernicie reip. molestiam trahere; et *ib.* 13. Esse in molestiis; et *ib.* 14, 7. Omnes molestias et sollicitudines deponere et ejicere; et *ib.* 2, 16. depellere. *Id. Q. Fr.* 3, 8. delere. *Id. Fin.* 1, 16. minuere, aut augere. *Id. Fam.* 4, 3. levare. *Id. Tusc.* 3, 16. extenuare et diluere; et *Q. Fr.* 2, 10. alicui aspergere. *Ter. Hec.* 3, 2, 9. afferre; et *Ad.* 5, 3, 33. demere. *Cic. Fam.* 5, 14. *f.* Molestiis se laxare; et *ib.* 4, 13. Abducere a molestiis; et *Or.* 3, 1. Acerba recordatio veterem animi curam molestiamque renovavit. *Id. Rosc. Com.* 12. Liberare quempiam molestia et cura. *Gell.* 1, 6. Molestia et incommodum rei uxoriae. *Plin.* 30, 3, 8. Ut dentes sine molestia cadant. *Pl. Amph.* 1, 2, 2. Amovi a foribus maximam molestiam; et *Poen. prol.* 35. Esse molestiae. *Cic. Fam.* 16, 11. Suscipere molestiam nauseae. *Suet. Cal.* 23. *f.* Vitare molestiam navigandi. *Cato R. R.* 154. Vinum emptoribus sine molestia quomodo admetiaris. ℙ Est et in scribendo *molestia*, cum exquisitius obscura, aut obsoleta, aut nimis elaborata sectamur: quod molestiam affert audientibus. *Cic. Brut.* 38. *f.* Latine loquendi accurata, et sine molestia diligens elegantia. ℙ Est etiam vitium corporis in cute, quod molestiam magis, quam malum, affert. *Plin.* 28, 8, 28. Crocodilea illita ex oleo cyprino molestias in facie enascentes tollit. ℙ *Mole* pro *molestia* dixerunt Romani. V. LABOR, oris.

MOLESTO, as, a. 1. λυπέω, τείρω, molestia afficio, vexo, infesto. *Petr. fr.* ap. *Fulg. de prisco serm.* in *Alucinari*, *n.* 54. Nam centum vernales me alucitae molestabant. *Id. fr. Trag.* 58. *Burm.* Aut tace, aut meliorem noli molestare. *Scrib. Comp.* 71. Uva raro valde molestat. *Appul. Herb.* 71. Neque bestiae, neque occursus mali molestabunt hunc. ℙ Deponentis forma, et cum dativo. *Modest. Dig.* 34, 3, 20. Aurelio Sempronio fratri meo neminem molestari volo nomine debiti, nec exigere aliquid ab eo. [Cum vero optimae editiones habeant *Aurelio Sempronio fratri meo. Neminem molestari volo*, etc., patet, *molestari* esse infinitivum verbi passivi *molestor*. ℙ Part. *Molestans* ap. *Jul. Obseq.* 42. Pestilentia utrumque exercitum molestante. *F.*]

MOLESTUS, a, um, adj. δυσαχθείς, δύσφορος, ἀνιώδης, gravis, laboriosus, odiosus, injucundus, negotiosus. Volunt esse a *moles*, licet quantitas primae syllabae sit dissimilis: vel potius est a *mola*, quae ingratiis a servis in pistrino movebatur. *Cic. Mur.* 8. *f.* Provincia negotiosa et molesta. *Id. N. D.* 2, 23. Operosus ac molestus labor. *Id. Leg.* 3, 8. Nihil erit his urbe, nihil domo sua dulcius: nec laboriosius, molestiusque provincia. *Id. Off.* 1, 21. Minus aliis gravis, aut molesta vita est otiosorum. *Id. Sen.* 14. Cupidis rerum talium odiosum et molestum est fortasse carere. *Id. Amic.* 6. *f.* Amicitia nunquam intempestiva, nunquam molesta est. *Id. Div. Verr.* 11. *f.* Cum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima. *Phaedr.* 4, 6. Noli molestus esse omnino litteris, Majorem exhibeant ne tibi molestiam. *Id.* 1, 22. Molestis muribus mustela purgat domum. *Ter. Ad.* 5, 3, 20. Ausculta paucis, nisi molestum est, Demea. Sic *Cic. Cluent.* 60. *f.* Tu autem, nisi molestum est, paulisper exsurge: (*officiose dictum.*) *Id. Or.* 2, 3. *extr.* Nos quidem, nisi forte molesti intervenimus, venisse delectat. ℙ *Molesta tunica*, fuit indumenti genus e cannabe, aut stuppa, aut sparto, aut hujusmodi materia contextum, et pice, bitumine, resina, aut cera illitum, quo induebantur ad ignem damnati, ut diutius ardentes lento calore urerentur. *Juven.* 8, 235. Ausi, quod liceat tunica punire molesta. *Mart.* 10, 25. Nam cum dicatur tunica praesente molesta, Ure manum; plus est dicere, non facio. *Sen. ep.* 14. *med.* Cogita illam tunicam, alimentis ignium et illitam, et intextam. ℙ Erant qui sponte se offerrent, in ludis, ut certo temporis spatio ea induti perstarent. *Tert. Mart.* 5. Jam et ad ignes quidam se auctoraverunt, ut certum spatium in tunica ardente conficerent. V. TUNICA. ℙ Eleganter *molestum* dicitur, quod exquisitiore, quam par est, studio et cura fit: molestiam enim exhibet, ut arrogantiae plenum, atque adeo ingratum. *Cic. Brut.* 30. *extr.* Volo, ut in scena, sic etiam in foro, non eos modo laudari, qui celeri motu et difficili utantur, sed eos etiam, quos statarios appellant, quorum sit illa simplex in agendo veritas, non molesta. *Ov. A. Am.* 1, 459. Disce bonas artes, moneo, Romana juventus, etc. Sed lateant vires, nec sis in fronte disertus: Effugiant cerae verba molesta tuae, *h. e.* nimis erudita, et a communi usu remota. *Quint.* 11, 3. *f.* Pronunciatio vultuosa, et gesticulationibus molesta. *Suet. Tib.* 56. Zenonem quendam exquisitius sermocinantem cum interrogasset, quaenam illa tam molesta dialectos esset, etc. [*V. *moleste.*] ℙ Laboriosus, difficilis. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. *med.* Alia species damni est, ipsum quid corrumpere, et mutare: alia, nulla ipsius mutatione, applicare aliud, cujus molesta separatio sit. ℙ Damnum afferens, perniciosus. *Catull.* 51, 12. Otium, Catulle, tibi molestum est. ℙ *Molestiora loca* ap. *Pall.* 1, 6. *med.* opponuntur *placidioribus*, et sunt, quae venti liberius ac vehementius perflant.

MOLETRĪNA, ae, f. μυλών, locus ubi molitur, pistrinum: a *molitus*, ut *sutrina* a *sutus*. *Cato* ap. *Non.* 1, 320. Nervo, carcere, moletrina.

MOLILE, is, n. ap. *Cat. R. R.* 10. et 11. videtur esse vel manubrium, quo mola versatur, vel helcium, quod servo, aut jumento molam versanti aptatur.

MOLĪMEN, inis, n. ἐπιχείρημα, molimentum, molitio, conatus: vox fere poetica. *Ov. Met.* 12, 356. solidoque revellere dumo Annosam pinum magno molimine tentat; et *ib.* 6, 693. Idem ego cum fratres coelo sum nactus operto (Nam mihi campus is est) tanto molimine luctor, Ut medius nostris concursibus intonet aether. *Lucr.* 4, 899. Quippe etenim ventus subtili corpore tenuis, Trudit agens magnam magno molimine navim. ℙ Item apparatus, machinatio, ubi multae vires, et magnum studium, contentio, impensae sunt opus. *Ov. Met.* 15, 808. intres licet ipsa Sororum Tecta trium: cernes illic molimine vasto Ex aere, et solido rerum tabularia ferro. *Hor. Ep.* 2, 2, 93. Quanto cum fastu, quanto molimine circum Spectemus vacuam Romanis vatibus aedem. *Val. Fl.* 6, 34. Musa mone, quanto Scythiam molimine Perses Concierit. *Ov. Met.* 6, 473. ipso sceleris molimine Tereus Creditur esse pius. *Liv.* 2, 56. Res tamen, suo ipsa molimine gravis, certaminibus in annum extrahitur. ℙ Item administratio, gubernatio, cura multarum magnarumque rerum. *Ov. Pont.* 1, 2, 75. Magna tenent illud rerum molimina numen (h. e. *Caesarem Aug.*): Haec est coelesti pectore cura minor. *Id. ib.* 15, 578. Magna quidem rerum molimina vidit in illis (*extis*). ℙ [*Confund. *molimen* et *nomen*. V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 120. b. ed. *Frotsch.*]

MOLĪMENTUM, i, n. idem quod molimen. *Liv.* 5, 22. de signo lapideo Junonis: Motam certe sede sua parvi molimenti adminiculis, sequentis modo, accepimus levem ac facilem translatu fuisse; et 37, 14. *f.* Eo minoris molimenti ea claustra esse, quod in fluminis modum, longum, et angustum, et vadosum ostium portus sit; et *ib.* 15. Minore molimento aperturi sunt hostes portum, quam obstruatur. *Caes. B. G.* 1, 34. Neque se exercitum sine magno commeatu atque molimento in unum locum contrahere posse. *Sen. Consol. ad Marc.* 11. *med.* Rex magni molimenti est. Adde *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 564.

MŌLĪNA, ae, f. moletrina, pistrinum. *Ammian.* 18, 8. *f.* Quem adscensum scissis collibus molinae ad calles artandas aedificatae densius constringebant.

[MOLĪNĀRĬUS, ii, m. molitor. *Gloss. Philox.* Molinarius, ὑδραλέτης. *F.*]

*MOLINDAE, arum, Indiae populi, de quibus *Plin.* 6, 19. *B. A.*

MŌLĪNUS, a, um, adj. molaris, ut Molinum saxum, mola, qua frumenta teruntur. *Tert. adv. Marc.* 4, 35. ex *Luc ae* 17, 2. Si molino saxo ad collum deligato praecipitatus esset in profundum. *Vulgatus interpres* habet *molaris lapis.*

MOLĬO, is, a. 4. idem quod molior. In *vet. S. C.* ap. *Front. Aquaed.* 129. Neque quis in eo loco quid opponit, molit, obsepit, figit, statuit, *h. e.* struit, aedificat. [*Prisc. 8, 5, 25. Neque quis in eo loco post hanc legem rogatam quid opponit, molit, obsepit, figit, statuit.]

MOLĬOR, iris, itus sum, dep. 4. ἐπιχειρέω, est conatu et viribus quippiam agere: molem, seu rem aliquam ingentem loco movere: a *moles*. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. *med.* Hora amplius jam in demoliendo signo permulti homines moliebantur. *Virg. G.* 4, 331. Ure sata, et validam in vites molire bipennem, *h. e.* impinge, illide magna vi in vites. *Id. ib.* 1, 329. Fulmina molitur dextra. *Val. Fl.* 6, 648. saxumque prehensum Concussa molitur humo. *Virg. A.* 10, 131. Moliri ignem, *h. e.* vel jaculari, vel accendere conari. *Liv.* 9, 3. montes sua sede. *Id.* 28, 17. *f.* ancoras; et 25, 36. *med.* onera objecta. [*Tac. A.* 11, 20. humum infra moliri. Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 309. sq.] *Calpurn. Ecl.* 4, 83. pondus, *h. e.* subire, portare. *Liv.* 36, 24. ex somno corpora affecta labore ac vigiliis. *Cic. Verr.* 2, 5, 34. Evolarat e conspectu quadriremis, cum etiam tunc ceterae naves suo in loco moliebantur. Sic *Liv.* 37, 11. *f.* Naves quaedam a Nicandro, dum moliuntur a terra, captae. *Colum.* 6, 17. Caeciliae morsus tumorem, suppurationemque molitur, *h. e.* promovet. *Cels.* 1, 3. de his, quae extenuant: Offensus eorum consuetudine, qui quotidie ejiciendo, vorandi facultatem moliuntur, *h. e.* per vim provocant. Sic 3, 18. *med.* Quidam somnum moliuntur potui dando aquam, in qua papaver, etc. *Colum.* 2, 17., *Liv.* 40, 29. et *Virg. G.* 1, 494. Moliri terram, i. e. subigere. Sic *Lucr.* 5, 932. ferro molirier arva: *paragoge. Cic. Or.* 2, 51. Apud judices oratione molienda sunt amor, odium, iracundia, invidia, misericordia, etc. ℙ Pro labefactare, demoliri. *Liv.* 25, 36. *med.* Turris igni circumdata, atque ita exustis foribus, qua nulla moliri potuerunt vi, capta. *Tac. A.* [illegible], 39. Concursu ad januam facto moliuntur fores: extractum cubili Caesarem tradere vexillum subigunt. Adde *ib.* 2, 82. [*Plura v. ap. *Boettich. l. l.*] et translate *Liv.* 6, 11. *med.* Non contentus agrariis legibus, fidem moliri coepit. Est qui aliter legit. ℙ Pro exstruere; praesertim ubi multis operis, impensisque opus est. *Virg. A.* 7, 127. et 290. Moliri aggere tecta; et *ib.* 3, 132. muros urbis; et *ib.* 6. et *ib.* 4, 309. classem. *Flor.* 1, 7. aedem. *Val. Fl.* 1, 94. navem. *Solin.* 15. *med.* pocula de capitibus hominum. [*Tac. H.* 2, 40. dispersos et vallum molientes aggrederetur.] ℙ Translate est machinari, struere, parare, cogitare; [*maxime dolo et malis artibus. Plura exempla v. ap. *Boettich. l. l.*] *Cic. Cluent.* 64. Struere et moliri aliquid calamitatis alicui; et *ib.* 63. et *Virg. G.* 1, 271. alicui insidias. *Id. Sext.* 1. periculum optimis civibus. *Flor.* 4, 4. palam arma ad opprimendum aliquem. *Val. Fl.* 5, 249. dolos opertos; et *ib.* 626. exitia in aliquem; et 6, 431. opem extremam alicui. *Ov. Met.* 14, 719. triumphos, *h. e.* parare, vel agere. *Tac. A.* 12, 22. crimina et accusatorem. *Vell.* 2, 46. bellum in animo. *Virg. A.* 2, 109. fugam; et *A.* 1, 418. moram. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 35. Sp. Cassium de occupando regno molientem quaestor accusavit. *F.*] ℙ Saepe est aggredi, tentare. [*Differunt *moliri*, *conari* et *niti*: hoc operis suscepti magnitudinem difficultatemque spectat: *conari* significat vim gravitatemque consilii, voluntatis: *niti* pertinet ad ipsas rei alicui perficiendae vires adhibitas. *Doederl.* 3, 295. Quaedam hujus verbi exempla absolute positi praebet *Böttich. l. l.*] *Cic. Univ.* 4. *f.* Mundum efficere moliens Deus. *Val. Fl.* 3, 491. Pallada fallere prima Molitur, caroque dolis avertere fratri; et 6, 625. si durae natum subducere sorti Moliar; et 3, 153. Glaucumque ruentem Occupat, et jugulo vulnus molitur aperto: Ille manu contra telum tenet. *Cic. Fam.* 6, 10. Agam per me ipse, et moliar. *Liv.* 23, 39. Movere ac moliri aliquid. ℙ Pro facere, sed magna cum vi, manu et conatu. *Cic. N. D.* 2, 23. Dii nec cessantes, nec ea, quae agunt, molientes cum labore operoso et molesto. *Virg. A.* 4, 567. Res dura et regni novitas me talia cogunt Moliri. ℙ De studio, apparatu, opera, impensis mulierum in ornando. *Ter. Heaut.* 2, 2, 11. nosti mores mulierum; Dum moliuntur, dum comuntur, annus est. ℙ *Moliri viam*, vi sibi viam facere. *Virg. A.* 10, 477. de hasta: viam clypei molita per oras,

Tandem etiam magno strinxit de corpore Turni. ℙ *iter*, peragere, studiosè, intentoque gradu pergere. *Virg. A.* 6, 477. Inde datum molitur iter. ℙ *gradus*, ire, pergere, sed cum labore et conatu. *Sen. Hippol.* 431. Quid huc seniles fessa moliris gradus? *Claud. Rapt. Pros.* 3, 438. prima gressus molitur ab Aetna. ℙ *habenas*, fortiter tenere, ac regere. *Virg. A.* 12, 327. Emicat in currum, et manibus molitur habenas. ℙ *locum*, parare, praeparare. *Id. ib.* 7, 157. humili designat moenia fossa, Moliturque locum. ℙ *sibi imperium*, parare variis artibus, magnoque studio, et conatu. *Tac. H.* 1, 5. et *Liv.* 1, 47. ℙ *nuptias*, conari, et aggredi ut fiant. *Id. A.* 12, 3. ℙ *gratiam*, captare, quaerere. *Petr. Sat.* 107. ℙ *laborem*, suscipere, exercere. *Virg. A.* 4, 233. et 273. Nec super ipse sua molitur laude laborem. ℙ *animum*, in certum statum studiose componere. *Ov. A. Am.* 2, 119. Jam molire animum qui duret, et adstrue formae: Solus ad extremos permanet ille rogos. ℙ *compita lucis aeriis* ap. *Grat. Cyn.* 483. est solemni apparatu in nemore Aricino excisis arboribus ad unum locum, quo compitum sit, coire, ubi venatores solebant idibus Augusti sacra Dianae facere. V. HECATEIUS. ℙ *Moliri* absolute est fugam difficili conatu aggredi. *Liv.* 28, 44. Audietis ardere bello Africam, et molientem hinc Annibalem. ℙ Passiva significatione. *Appul. Met.* 11. Sospitatricis Deae peculiaris pompa moliebatur. *Lucil.* quoque videri potest passive usurpasse in illo ap. *Non.* 4, 300. et 2, 543. Muginamur, molimur, subducimur. Ubi *Non.* interpretatur, retinere, morari, ac repigrare, addito illo *Caecilii:* Ita quod laetitia me mobilitat, moeror molitur metu. ℙ *Moliret* pro *moliretur*, quidam leg., sed perperam, ap. *Val. Max.* 5, 10. *n.* 2. *f.*

MOLĬTĬO, onis, f. actus moliendi, [*i. e. volvendi, subigendi. Haec prima vocis est significatio, et, quae Noster secundo collocaverat, primo loco posita sunt ista: *Colum. prooem. f.* Molitio agrorum, h. e. cultura, subactio; et 11, 2. *f.* Molitionem terrenam facere: differre usque in proximas idus, h. e. agri cultionem. ℙ Hinc i. q. demolitio. *Liv.* 33, 5. Facilis molitio eorum valli erat, i. e. evulsio. ℙ Tum in universum denotat machinationem, instructionem alicujus rei cum magna virium copia, cura, difficultate factam. *Cic. N. D.* 1, 8. (de creatione mundi:) Quae molitio, quae ferramenta, qui vectes, quae machinae, qui ministri tanti muneris fuerunt? Adde *ib.* c. 9. tanta rerum molitio; et *Univ.* 3. Quaeramus causam, quae eum impulerit, qui haec machinatus sit, ut originem rerum et molitionem novam quaereret. *Petr. Sat.* 95. Quid sibi vult tam furtiva molitio?]

MOLĬTOR, oris, m. *σκευαστής, μηχανητής*, fabricator, architectus, machinator: a moliendo. *Cic. Univ.* 5. *extr.* Effector mundi, molitorque Deus. *Ov. Met.* 8, 302. primaeque ratis molitor Iason. *Tac. A.* 11, 29. Appianae caedis molitor Narcissus. *Suet. Dom.* 10. Molitores rerum novarum. *Sen. Tranq.* 7. *f.* scelerum.

MOLĬTOR, oris, m. qui molit, *μυλωθρός*, idem ac molendinarius: a molendo. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. §. 15. Mulieres, quae panem coquant, item molitores, si ad usum rusticum parati sunt. *Gloss. Philox.* Molitor, *ἀλετής*. V. MOLO, is. ℙ Translato et obsceno sensu est subactor. *Auson. epigr.* 90, 3. Cum dabit uxori molitor tuus, et tibi adulter. ℙ Item mulierum stuprator. *Petr. fragm. Trag.* 43. *Burm.* Noveram hominem olim molitorem, et adhuc salax erat. Alii leg. *mulierarium.* V. MOLO, is.

MOLĬTRIX, icis, f. machinatrix: a moliendo. *Suet. Ner.* 35. Antoniam, quasi molitricem rerum novarum, interemit.

MOLĬTŪRA, ae, f. *ἄλετος*, actus molendi: et illud ipsum, quod molitum est. Tribui solet *Plinio* 15, 23, 25. Molitura etiam praestant, etc., sed mire lectio variat.

MOLĬTUS, a, um, part. a *molo: ἀλεσθείς*, mola comminutus. *Caes. B. G.* 1, 5. Trium mensium molita cibaria sibi quemque domo afferre jubent. *Vitr.* 7, 6. Micae marmoris contusae et molitae. *Colum.* 11, 3. Ervi moliti farina. *Plin.* 18, 7, 18. Molitum hordeum.

MOLĪTUS, a, um, part. a *molior. Ov. Amor.* 3, 6, 69. Ter molita fugam, ter restitit. *Virg. G.* 1, 494. Agricola incurvo terram molitus aratro. *Id. A.* 10, 477. hasta viam clypei molita per oras.

*MOLLĔO, es, n. 2. i. q. mollesco. *Theod. Prisc.* 1, 28. *B. A.*

MOLLESCO, is, n. 3. *μαλακύνομαι*, mollis fio. *Catull.* 64, 38. Rura colit nemo: mollescunt colla juvencis. *Ov. Met.* 10, 283. Tentatum mollescit ebur. *Plin.* 12, 17, 37. Ipsum visum aridum, tactu statim mollescere. ℙ Translate est mollem, et effeminatum fieri. *Ov. Met.* 4, 385. Quisquis in hos fontes vir venerit, exeat inde Semivir, et tactis subito mollescat in undis. *Vib. Sequest. de fontib.* Salmacis Cariae, ex quo qui bibit, mollescit. ℙ Item mansuetum fieri, mitem, humanum. *Ov. Pont.* 1, 6, 7. Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura est, Pectora mollescunt, asperitasque fugit. *Lucr.* 5, 1013. Tum genus humanum primum mollescere coepit.

MOLLESTRAS dicebant pelles oviles, quibus galeas extergebant. *Festus.* Videtur autem facta vox ex *μηλωτή*, melota, inde *melotra*, *moletra*, et inserto *s*, *molestra:* nisi malis ducere a *mollis.*

MOLLĬCELLUS, a, um, dimin. molliculi. *Catull.* 25, 10. Ne laneum latusculum, natesque mollicellas Inusta turpiter tibi flagella conscribillent.

MOLLĬCĪNĂ, ae, f. vestis a mollicie dicta, ut ait *Non.* 14, 23., mox addit: *Novius:* Mollicinam, crocotam, chirodotam, ricam, ricinium. [*Bothe* legend. putat *Molliculam crocotam*, etc., sed nihil mutandum; etenim legitur in *Gloss. Philox.* Mollicina, *μαλακὸν ἱμάτιον. F.*]

[MOLLĬCĬUS, ii, m. qui mollis est. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Sirmond.* ad *Sidon.* p. 160. M. Aurelius Mollicius auriga circensis. *F.*]

MOLLĬCŎMUS, a, um, adj. qui molles comas habet. *Avien. Perieg.* 1082. mollicomis tellus insternitur herbis.

MOLLĬCŬLUS, a, um, adj. *ἁβρός*, tenellus, delicatus, dimin. mollis. *Pl. Cas.* 2, 8, 58. sed lepide volo Molliculas escas, ut ipsa mollicula est. *Catull.* 16, 4. Qui me ex versiculis meis putastis, Quod sint molliculi, parum pudicum. ℙ Est etiam cogn. R., ut Ti. Minucius Molliculus. *Liv.* 40, 35.

*MOLLIFĬCO, as, a. 1. *ἁπαλύνω, μαλάσσω, Gloss. Lat. Gr. Macer de herbis carm.* 4, 14. Escis illius quia venter mollificatur. *B. A.*

[MOLLĬFĬCUS, a, um, adj. qui mollit. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 1. Phlebotomia est arifica carnis, atque mollifica corporis. *F.*]

*MOLLĪGO, inis, f. i. q. mollugo. *Marc. Empir.* 26. *B. A.*

MOLLĪMENTUM, i, n. lenimentum. *Sen. Tranq.* 10. Calamitatum mollimentum consuetudinem invenit.

MOLLĬO, is, ivi, et ii, itum, a. 4. *μαλαχίζω*, mollem reddo, tenerum facio. *Cic. N. D.* 2, 10. Frigoribus durescit humor, et idem vicissim mollitur tepefactus. *Hor. Sat.* 1, 4, 20. dum ferrum molliat ignis. *Ov. Met.* 8, 198. flavam modo pollice ceram Mollibat. *Id. ib.* 8, 123. Semina mollit humus; et *ib.* 6, 220. turba rotarum, Duraque mollierant subjectas ungula glebas; et *ib.* 4, 741. Mollit humum foliis, *h. e.* sternit, ne dura humus jacentem laedat. *Id. Her.* 3, 70. et *Met.* 2, 411. Mollire lanam, *h. e.* tractando, pectendo, nendo tenuiorem et molliorem reddere. Sic *Claud. IV. cons. Honor.* 592. Quae tantum digitis potuit mollire rigorem Ambitiosa colus? *Plin.* 20, 5, 20. et 22, 21, 29. Mollire alvum, *h. e.* adstrictam ac duram leniter solvere. *Id.* 22, 25, 68. Panis ex oleo mollit collectiones; et 28, 17, 70. duritias. [*Liv.* 21, 55. Oleoque per manipulos, ut mollirent artus, misso.] ℙ Translate. *Plin.* 2, 47, 47. Mollit ventos solis vapor, *h. e.* tepidiores facit. Sic *ib.* Favonii hibernum molliunt coelum. *Id.* 30, 8, 21. Gallinaceorum jus acria mollit; et 23, 4, 42. Oleum amygdalinum mollit corpora; et 34, 12, 31. Mollire vim alicujus rei; et 7, 16, 15. Dentes seriae structurae, atque magnitudine mutilantes, mollientes, aut hebetantes verba, *h. e.* molli lenique sono fundentes. Alio sensu *mollire verba* dixit *Cic. N. D.* 1, 34. Ista, sive beatitas, sive beatitudo dicenda est: utrumque durum: sed usu mollienda nobis verba sunt. *Id. Or.* 3, 41. Translationem paulo duriorem mollire. ℙ *Mollire clivum* est ejus arduitatem minuere, oblique ascendendo. *Caes. B. G.* 7, 46. Quidquid huic circuitus ad molliendum clivum accesserat, id spatium itineris augebat. Sic *Virg. Ecl.* 9, 8. qua se subducere colles Incipiunt, mollique jugum demittere clivo. ℙ Aliquando est sedare, mitigare, placare. *Acc.* ap. *Non.* 4, 301. Subter saxa ad laevam, qua mons mollibat mare, *h. e.* maris impetum frangebat. *Gell.* 19, 1. Cum molliti essent venti maris. *Vell.* 2, 121. Accensas plebis dissensiones coercitione magis, quam poena mollivit. *Just.* 2, 1. Locorum vitia quaesitis arte remediis mollire. *Virg. A.* 1, 61. mollitque animos, et temperat iras. *Liv.* 1, 9. Mollire iram. *Cic. Sen.* 4. [*Fabius] Annibalem juveniliter exsultantem patientia sua molliebat. *Liv.* 3, 35. Propalam obviam ire cupiditati parum ausi, obsecundando mollire impetum aggrediuntur, [*de ambitu impediendo.] *Claud. de magnete*, 44. Sic Venus horrificum belli compescere regem, Et vultu mollire solet. [*Ter. Ph.* 3, 2, 13. Adeon' ingenio te esse duro atque inexorabili, Ut neque misericordia neque precibus molliri queas? et 4, 3, 27. Postquam hominem his verbis sentio mollirier. *Sall. Jug.* 33. sedare motus et animos mollire. *Tac. A.* 6, 38. Quae ceteros mollire solent, tempus, preces cet. et 11, 25. ignominiam mollire; et 3, 8. mandatis, per quae principem molliret.] ℙ Item a feritate abducere, mansuefacere, cicurare. *Flor.* 2, 11. Illa genuina feritas eorum Asiatica amoenitate mollita est. *Plin.* 3, 5, 6. Italia numine Deum electa, quae sparsa congregaret imperia, ritusque molliret. *Virg. G.* 2, 36. fructusque feros mollite colendo. ℙ Item lenire, levare. *Ov. Trist.* 4, 1, 5. Hoc est, cur cantet vinctus quoque compede fossor, Indocili numero cum grave mollit opus; et *ib.* 3, 5, 53. ut molliat ipse Mutati poenam conditione loci. ℙ Item effeminare. *Cic. Phil.* 12, 3. Ipsa legio Martia hoc nuncio languescet et mollietur. *Id. Tusc.* 2, 11. Videsne, poetae quid mali afferant? lamentantes inducunt fortissimos viros, molliunt animos nostros, etc. [*Plin. Pan.* 33, 1. Visum est spectaculum inde non enerve, nec fluxum, nec quod animos virorum molliret et frangeret: ubi v. *Gierig.* et 82, 6. sed si his validior toto corpore animus imperitet, quem non fortunae indulgentia molliat, etc.] *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 86. Colla nec ornatu patitur mollire retorto, *h. e.* lasciviore torquis ornatu circumdari. *Quint.* 11, 3. Mollire vocem deliciis. ℙ Item castrare. *Stat. Silv.* 3, 4, 68. haud ulli puerum mollire potestas Credita. ℙ [*Intrans. i. q. *mollescere. Ammian. Marcell.* 29, 6. *extr.* At vero ubi tempestas mollivit. Laud. h. l. *Ramsh.* in *Gr. Lat.* 74. A, a, 4. p. 172.] ℙ *Mollibat* pro *molliebat.* V. Sup. Sic *mollibit* pro *molliet* ap. *Hor. Od.* 3, 22, 18.

MOLLĬPES, ĕdis, adj. molles pedes habens, *μαλακαλπους. Cic. Progn. Div.* 1, 9. Mollipedesque boves spectantes lumina coeli.

MOLLIS, e, adj. [*Contractum ex *movilis*, a *moveo*, proprie signif. id, quod facile movetur, flectitur. Huc pertinent exempla, quae *Forc.* tertio loco posuerat ista:] *Virg. Ecl.* 2, 72. Mollis juncus. *Id. G.* 4, 137. acanthus; et *A.* 10, 818. tunicam molli neverat auro, *h. e.* in tenuia fila tracto. *Ov. Met.* 10, 92. Tiliae molles. *Virg. G.* 3, 76. de pullo equino: Altius ingreditur, et mollia crura reponit, *h. e.* flexibilia, agilia, et molliter terram pulsantia: *ὑγρὰ σκέλη:* quod et de gruibus dixisse *Ennium*, testatur *Serv. ib.* Sic *Id. A.* 11, 622. Clamorem tollunt, et mollia colla reflectunt: *scil.* equorum facile frenis parentium. *Ov. A. Am.* 1, 595. Si vox est, canta: si mollia brachia, salta. ℙ Item pensilis, in illo *Virg. A.* 8, 666. castae ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus. Sic *oscilla mollia (G.* 2, 389.) et *molle feretrum (A.* 11, 64.) inquit *Serv.* Sed pilentum ac feretrum molle intelligi etiam potest molli materia stratum. [*Heyn. *mollia pilenta* propter mollem et lentum incessum, quem ipsa structura et situs editus ac celsus suasisse videatur, appellata putat. *Oscilla mollia Julius Sabinus* delicata exponit. *Heyn.* sic saltem accepturum se dicit, quae mollium et delicatorum hominum sint carpenta. ℙ Hinc, Gr. *μαλακὸς*, tactui cedens, tractabilis, tener: cui opponitur durus, rigidus.] *Caes. B. G.* 5, 9. Molle litus, *h. e.* ex molli arena, ut est ap. *Ov. Met.* 2, 577. [*imo molliter declivum, nullis collibus et scopulis invium. V. in MOLLIRE.] *Ov. A. Am.* 1, 476. Quid magis est saxo durum? quid mollius unda? Dura tamen molli saxa cavantur aqua. *Id. Met.* 13, 816. Mollia fraga. *Virg. Ecl.* 1, 82. Castaneae molles. *Cels.* 3, 12. *extr.* Mollis alvus, *h. e.* modice soluta. *Id.* 4, 4. *n.* 4. *extr.* cibus, *h. e.* non acer; et *ib. n.* 5. *f.* ovum molle potui dare. *Plin.* 13, 12, 26. Mollia panis. *Cic. Or.* 3, 45. Mollissima cera. *Virg. A.* 11, 69. Mollis viola. *Id. G.* 2, 384. Mollia prata. *Ov. Fast.* 6, 328. molli gramine membra levat. *Id. A. Am.* 3, 688. viridi caespite mollis humus. *Id. Fast.* 2, 742. Mollis lana. *Id. Amor.* 2, 4, 14. torus. *Id. Her.* 4, 92. arcus. *Id. Fast.* 4, 185. cervix; et *Amor.* 1, 4, 24. manus. *Id. Met.* 14, 709. posuitque in limine duro Molle latus. *Id. Her.* 10, 44. Molles genae; et *Pont.* 3, 3, 17. capilli. ℙ Item lenis, placidus, temperatus. *Id. A. Am.* 3, 728. Molles Zephyri. *Lucr.* 4, 988. Mollis quies. *Stat. Silv.* 3, 5, 83. hiems. *Virg. G.* 1, 312. Mollior aestas. *Flor.* 16, 4. Molle coelum. *Virg. A.* 8, 727. Euphrates ibat jam mollior undis. [*Lucan.* 8, 98. Quo sit tibi mollius aequor: ubi v. *Cort.*] ℙ Item ascensu facilis, clementer acclivis, non erectus, non arduus. *Virg. Ecl.* 9, 8. mollique jugum demittere clivo. *Caes. B. C.* 2, 10. Has trabes inter se capreolis molli fastigio conjungunt. Adde *Stat. Th.* 6, 260. et *Ov. Fast.* 3, 13. Hinc *molle* adverbii ritu pro molliter. *Stat. Th.* 1, 330. qua molle sedens in plana Cithaeron Porrigitur. ℙ *Mollia* appellantur piscium genera foris molli carne obducta, quae Italice *molluschi*, Graece *τὰ μαλάκια. Plin.* 9, 28, 44. Sanguine carent piscium genera, quae mollia appellantur, deinde contecta crustis tenuibus, postremo testis conclusa duris. Mollia sunt, loligo, sepia, polypus, et cetera ejus generis. *Id.* 11, 51, 112. Mollia, et crusta intecta nec vocem, nec sonum ullum habent. ℙ *Mollis* est etiam levis. *Ov. Pont.* 2, 7, 13. Membra reformidant mollem quoque saucia tactum. *Plin.* 12, 19, 43. Casia odoris mollissimi. *Cic. Att.* 2, 1. Molli brachio objurgare aliquem. [*Suet. Tib.* 68. molli digitorum gesticulatione; nos: *sanfte Bewegung:* ita *B. Crus.* in *Cl. Suet.* p. 513. Aliter *Brem.*, qui *mollis* positum h. l. vult sensu malo pro eo, quod

nos: *affectirt.*] ℙ Item laevis, et tactu jucundus. *Colum.* 6, 1. *f.* Boves novelli corpore denso, colore rubeo, tactu corporis mollissimo. ℙ *Mollis via* est minime salebrosa aut aspera, sed plana facilisque. *Quint.* 4, 2. *med.* Amoenum ac molle iter. *Id.* 1, 6. Recta est haec via: quis negat? sed adjacet et mollior, et magis trita. *Liv.* 34, 17. Volo id quam mollissima via consequi. ℙ *Mollia vina*, minime austera aut aspera, sed lenia, suavia. *Virg. G.* 1, 341., *Hor. Od.* 1, 7, 17. et *Juven.* 1, 69. ℙ In re statuaria *mollia* dicuntur, quae exquisita arte facta sunt, ita ut mollia esse et flexibilia videantur. *Quint.* 12, 10. Duriora Calon, atque Egesias: jam minus rigida Calamis, molliora adhuc supradictis Myron fecit. *Hor. A. P.* 33. molles imitabitur aere capillos. ℙ Saepe transfertur ad animum, et significat facilem, flexibilem, obsequentem. *Ov. Amor.* 2, 3, 5. Mollis in obsequium, facilisque rogantibus esses. *Prop.* 3, 13, 29. Et durum Zethum, et lacrimis Amphiona mollem. ℙ Item lenem, remissum. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. *med.* Tu quemadmodum me censes oportere esse in republica, et in nostris inimicitiis, ita et esse, et fore auricula infima scito molliorem. *Ov. Trist.* 1, 5, 84. et *ib.* 2, 28. Mollior ira. *Cic. Cat.* 1, 12. Qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt. *Tac. A.* 14, 39. Cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata, *h. e.* minuendo aut dissimulando. [*Plura *Tac.* exempla v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 310.] ℙ Item imbecillum, imbellem, non resistentem, minime fortem, inconstantem. *Caes. B. G.* 3, 19. Ut ad bella suscipienda Gallorum alacer et promptus est animus; sic mollis ac minime resistens ad calamitates perferendas mens eorum est. *Virg. A.* 9, 340. lupus manditque, trahitque Molle pecus. *Prop.* 2, 15, 23. Lepores molles excipere. ℙ Item delicate viventem, voluptuosum, effeminatum. *Cic. Or.* 1, 52. *f.* Philosophus tam mollis, tam languidus, tam enervatus, tam omnia ad voluptatem corporis referens, etc. *Id. Fin.* 1, 11. Voluptaria, delicata, mollis disciplina: cui opponitur *ib. gravis, continens, severa;* et *ib.* 5, 5. Haec mihi videtur delicatior, ut ita dicam, molliorque ratio, quam virtutis vis gravitasque postulat. *Ov. Trist.* 5, 3, 9. Mollis vita, et vacua laboribus. *Virg. G.* 1, 57. Molles Sabaei. *Cic. Off.* 1, 35. *med.* Ne quid effeminatum, aut molle, et ne quid durum, aut rusticum sit. *Quint.* 11, 3. Mollis teneraque vox. *Id.* 1, 2. Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes et mentis, et corporis frangit. *Id.* 11, 3. *med.* Longissime fugienda mollis actio, qualem in Titio Cicero dicit fuisse: unde etiam saltationis quoddam genus Titius sit appellatus. V. *Cic. Brut.* 62. *f.* ℙ Speciatim *molles* dicuntur pathici. *Phaedr.* 4, 14., *Catull.* 25, 1., *Petr. Sat.* 23. et *Mart.* 3, 73. ℙ *Molle aevum* est vita prospera, felix, tranquilla. *Ov. Fast.* 6, 416. valeas, anus optima, dixi: Quod superest aevi, molle sit omne tui. ℙ *Molles anni* sunt pueritiae. *Ov. Her.* 1, 111. Est tibi, sitque, precor, natus, qui mollibus annis In patrias artes erudiendus erat. [**Ruhnk.* ad h. l. laud. *Ov. A. Am.* 1, 10. Sed puer est, aetas mollis et apta regi: ibique *Burm.* coll. simili usu v. *tener:* ut *teneri anni* ap. *Eund. Ep.* 4, 25.] ℙ Refertur et ad orationem, quae flexibilis est, et fracta, et suavis, nihil duri asperique habens. *Cic. Brut.* 9. *f.* Hic primus inflexit orationem, et eam mollem teneramque reddidit. *Id. Or.* 16. Oratio mollis et tenera, et ita flexibilis, ut sequatur, quocumque torqueas. [**Hor. Sat.* 1, 9, 25. Nam quis me scribere plures Aut citius possit versus? quis membra movere Mollius? ubi v. *Heindf.*, qui etiam tales locos comparat, in quibus *mollis* de plastico artium genere dicitur.] ℙ *Preces*, aut *verba mollia*, submissa, blanda. *Tibull.* 3, 4, 76. Vincuntur molli pectora dura prece. *Hor. Epod.* 5, 83. Verbis mollibus lenire aliquem. Hinc frequenter *mollis* est amatorius, quoniam blanditiis amor alitur. *Hor. Od.* 2, 9, 17. desine mollium Tandem querelarum. *Ov. Trist.* 2, 307. Non tamen est facinus molles evolvere versus. ℙ *Mollis vultus, molle os*, facile ad ruborem: cui opponitur durum, impudens. *Ov. Trist.* 4, 3, 70. Purpureus molli fiat in ore pudor. (Eadem ratione *mollissimas aures* dixit *Plin. Pan.* 68. *f.* quae verecundae sunt, et suas laudes aversantur.) *Id. Met.* 10, 609. Molli vultu aspicere aliquem, *h. e.* ad favendum, et assentiendum composito. ℙ *Molle cor, molle pectus*, tenerum, ac facile ad affectus quoslibet. *Ov. Her.* 15, 79. et *ib.* 17, 111., *Trist.* 4, 10, 66. et *Pont.* 1, 3, 32. Sic *Cic. Att.* 1, 17. Mollis animus et ad accipiendam, et ad deponendam offensionem. ℙ *Mollia jussa*, levia, et quibus parere facile est. *Virg. G.* 3, 41. et *A.* 9, 804. et *Ov. A. Am.* 2, 196. ℙ *Molles aditus, mollia tempora*, quibus quis facile vacat, et aditur tuto, et cum spe impetrandi. *Virg. A.* 4, 423. Sola viri molles aditus, et tempora noras; et *ib.* 293. et quae mollissima fandi Tempora. Sic *Ov. Pont.* 3, 3, 84. Et veniet votis mollior hora tuis. [*Ita ap. *Ov. Her.* 3, 44. *mollior aura* dicitur prospera fortuna, translatione sumpta a navigantibus, quibus lenior aura accommodatior est vehementi. Haec *Ruhnk.*, qui laudat *Eund. Trist.* 4, 5, 20. Dum veniat placido mollior aura deo: ibique *Heins.*: Porro incertum poetam *Anthol. Lat.* 3, 202. p. 639. Ovidii verba sequentem.] ℙ *Mollis aditus*, extra metaphoram, est qua facile aditur. *Sil.* 4, 491. Dumque vada, et molles aditus per devia flexo Circuitu petit, etc. [*Laudat hunc locum *Cort.* ad *Lucan.* 1, 221. ubi *molle vadum* eodem modo intelligendum censet.] ℙ *Mollis*, gratus, jucundus. *Virg. G.* 3, 464. molli succedere saepius umbrae; et *ib.* 295. Mollia stabula, *h. e.* clementia, et aeris temperati, atque adeo grata pecori. *Id. ib.* 2, 470. molles sub arbore somni. ℙ *Ridere mollia* est blande ridere. *Ov. A. Am.* 3, 513. Spectantem specta: ridenti mollia ride. ℙ *In molli carne vermes nascuntur*, proverb. ap. *Petr. fragm. Trag.* 57. *Burm.*, in otiosa et delicata vita oboriuntur vitia: vel in vita voluptuosa morbi. ℙ *Molle* adverbii ritu, molliter. *Ov. Met.* 9, 221. nivibus quoque molle rotatis Adstringi, et spissa glomerari grandine corpus. At fortasse *molle* ad *corpus* pertinet. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 281. quod Dianam molle succinctam vident. V. et supra.

MOLLĬTER, adv., *μαλακῶς*, leniter, non dure. *Plin.* 15, 10, 9. Mira naturae cura molliter semina collocandi. *Cic. Or.* 3, 17. Recubans molliter et delicate. *Id. N. D.* 2, 52. Aves nidos mollissime substernunt. *Ov. Trist.* 3, 3, 75. ne sit grave quisquis amasti Dicere, Nasonis molliter ossa cubent. (Quae fuit mortuis bene precandi formula.) *Pl. Ps.* 5, 2, 7. Molliter siste nunc me; cave, ne cadam: non vides me, ut madide madeam? *Colum.* 1, 2. Colles ad orientem molliter devexi, *h. e.* paululum declives. *Virg. A.* 6, 847. Excudent alii spirantia mollius aera, *h. e.* artificiosius, et delicatius. ℙ Translate est delicate, effeminate. *Cic. Off.* 1, 30. Delicate et molliter vivere. *Ter. Ad.* 5, 1, 1. Aedepol te curasti molliter. *Tac. H.* 2, 96. Amici adulantes mollius interpretabantur. ℙ Imbecilliter, timide. *Liv.* 30, 7. Asdrubal Carthaginem contendit, ne quid per metum ex recenti clade mollius consuleretur. ℙ *Molliter ferre aliquid* est aegre, imbecilliter, infirme. *Sall. Jug.* 84. Vir egregius in aliis artibus, nimis molliter aegritudinem pati. ℙ Item leviter, facile, aequo animo. *Cic. Sen.* 2. Quod ferendum est molliter sapienti. ℙ Leviter est in illo *Fam.* 1, 9. *f.* Laedere aliquem parce et molliter. ℙ *Molliter abnuere*, mollibus verbis recusare. *Liv.* 30, 3. *med.* [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 311.]

MOLLĬTĬA, ae, f. et Mollities, ei, f. [*primum significat mobilitatem: *Gelenkigkeit, Biegsamheit.* V. *mollis.* Huc pertinet locus, quem *Forc.* parum attente sequentibus adscripserat; *Cic. Or.* 18. Mollitia cervicum, i. e. nimis vitiosus motus cervicis, quum, ut *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v. explicat, delicatior est, quam viros decet. ℙ Tum recte sequuntur loci, in quibus *mollitia s. mollities* eam rerum naturam, rationem denotat, qua facile tactui cedunt, Gr. *μαλακότης*:] teneritas, mollitudo. *Cic. Fin.* 5, 21. In primo ortu inest teneritas et mollities quaedam. *Id. Or.* 18. Mollitia cervicum. *Plin.* 36, 22, 45. lapidis. *Id.* 19, 3, 18. lanae. *Id.* 9, 17, 28. carnis. *Id.* 11, 37, 88. Auriculae ac nares flexili mollitia, naturae providentia, ne frangerentur. *Varr. R. R.* 1, 41. Feminea mollitia. ℙ *Mollities maris* est tranquillitas omni vento cessante, *μαλαχία*: ap. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 22., ubi tamen alii leg. *malacia*, al. *saevitia.* ℙ Saepe transfertur ad animum. [*ita ut *a)* bono sensu significet lenitatem quandam, mitem, benignam alicujus mentem. *Cic. Sull.* 6. Qua mollitia sum animi ac lenitate nunquam mehercule illius lacrimis ac precibus restitissem. *Att.* 1, 17. Agilitas mollitiesque naturae. *Ov. Am.* 3, 8, 18. heu! ubi mollities pectoris illa tui? — *b)* In malam partem denotat languorem, laborum et dolorum fugam virili animo indignam. *Cic. Att.* 12, 26. Nosti Niciae nostri imbecillitatem, mollitiam, consuetudinem victus. *Caes. B. G.* 7, 77. Animi est ista mollities, non virtus, inopiam paulisper ferre non posse. *Sall. Cat.* 56. Inertia et mollitia animi. *Id. Jug.* 73. Mollities et socordia. *Plin. ep.* 6, 29. Isocrates mollitie frontis, ne in publico diceret, impediebatur, i. e. pudore et timiditate, ut ait *Cic. Or.* 2, 3.— Hinc remissionem, lenitatem institutorum, legum, etc. nimiam, nocentem. *Sall. in or. Phil. contra Lep.* Neque intelligitis, mollitie decretorum vobis dignitatem, illis metum detrahi.] ℙ Item effeminationem, delicias. *Cic. Leg.* 2, 15. Civitatum mores lapsi ad mollitiam. *Vell.* 1, 88. Maecenas otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens. *Pl. Ps.* 1, 2, 40. Vos, quae in munditiis, mollitiis, deliciisque aetatulam agitis. *Just.* 1, 7. Gens quondam potens, et manu strenua, effeminata mollitie luxuriaque virtutem pristinam perdidit. *Claud. in Eutr.* 1, 441. Mollities vocis. ℙ Item turpem libidinem, ut in MOLLIS dictum est. *Plin.* 28, 8, 27. *f.*, *Sen. Const. Sap.* 18. et *Tac. A.* 11, 2. ℙ *Mollities* plur. num. usu caret. ℙ Scribitur et *mollicia et mollicies.*

*MOLLITĪVUS, a, um, adj. molliendi vim habens. *Constant. Afer* 4, 17. Mollitivum cataplasma. *B. A.*

MOLLĪTŪDO, inis, f. idem ac mollities [*i. e. flexibilitas, facilitas. *Auct. ad Her.* 3, 11. Mollitudo vocis est, cum eam torquere pro commodo nostro possumus, nos: *Geschmeidigkeit, Gewandheit der Stimme.* V. etiam *ib.* 13., ubi de hac re plura disserit. Cf. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* p. 257. sq. ℙ Tum significat mollem alicujus rei naturam, qua tactui facile cedit, omni caret asperitate, duritie.] *Cic. N. D.* 2, 55. In pulmonibus autem inest raritas quaedam, et assimilis spongiis mollitudo. *Id. Or.* 3, 25. In ipso tactu inest modus et mollitudinis, et laevitatis. *Pacuv.* ap. *Gell.* 2, 26. Mollitudo manuum; et *Vitr.* 10, 6. Campestris viarum mollitudo; et *Lact.* 5, 4. Infans liquore lactis et mollitudine alitur. ℙ *Mollitudo humanitatis* metaphora est ducta a sensu tactus: neque improbatur a *Cic. Or.* 3, 4. ℙ *Mollitudo vitiorum* est corruptela, et mollities, qua animus vitiis mollitur et enervatur. *Arnob.* 2, 64. Ne animus deliciis marceat, et corrumpatur mollitudine vitiorum.

MOLLĪTUS, a, um, part. a *mollio*, *μαλαχθείς*, mollis, seu tener factus. *Cic. N. D.* 2, 52. Nilus recedit, mollitosque et oblimatos agros ad serendum relinquit. *Plin.* 30, 13, 40. Mollita rosaceo cera. *Claud. B. Get.* 542. Chalybs mollitus flammis. ℙ Translate. *Sil.* 13, 118. mollitus amore. *Lucan.* 10, 133. infelix ferro mollita juventus, Atque exsecta virum. *Flor.* 2, 11. Feritas amoenitate mollita. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 150. de Tritone: vivo squalentia murice terga Purpureis mollita rosis, *h. e.* strata et temperata. *Gell.* 19, 1. Molliti venti maris. *Quint.* 10, 1. *med.* Lectio non cruda, sed multa iteratione mollita, et velut confecta, memoriae tradatur.

MOLLĬUSCŬLUS, a, um, adj. V. in LEVIUSCULUS.

MOLLŪGO, inis, f. species est lappaginis, similis anagallidi, nisi quod ramosior est, ac pluribus foliis. *Plin.* 26, 10, 65.

MOLLUSCA Nux et Mollusca absolute, genus est nucis juglandis, cortice adeo tenui, ut nullo negotio frangatur. *Plin.* 15, 22, 24. Praeterea molluscae putamen rumpentes. *Macr. Sat.* 2, 14. Nucem molluscam, licet hiemis nobis tempus invideat; tamen quia de nucibus loquimur, indictam non relinquamus. Plautus in Calceolo sic ejus meminit: *Molluscam nucem super ejus dixit impendere tegulas.* Est autem persicum quod vulgo vocatur: et mollusca nux dicitur, quod omnibus nucibus mollior sit. Haec *Macr.*, qui subdit carmina Latina *Suevii*, viri longe doctissimi, quibus significatur, hanc nucem a Graecis quibusdam, qui cum Alexandro in Persis militaverant, post expeditionem fuisse inde in Graeciam delatam.

MOLLUSCUM. V. BRUSCUM.

MOLO, is, ui, itum, a. 3. *ἀλέω, ἀλήθω, μύλλω*, mola tero: a *mola. Plin.* 7, 56, 57. Ceres frumenta invenit, cum antea glande vescerentur: eadem molere, etc. *Ter. Phorm.* 2, 1, 19. Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendae compedes. *Plin.* 18, 7, 14. Hordeum in subtilem farinam molere. [*Hieron.* 13. in *Isaj.* 47, 2. Quae quondam regina fuerat, molendae farinae operi serviat. *F.*] ℙ Translate et obsceno sensu idem est ac stupro polluere. *Auson. epigr.* 71, 7. Crispa tamen molitur per utramque cavernam. Adde 123, 2. et *Petr. Sat.* 23. ℙ Praeteritum *molui* habet *Petr. l. c.*, *Pomp.* ap. *Diomed.* 1, 370. et *Prisc.* 10, 902. [*Emendavit hunc locum *F.*]

[MOLO, onis, m. qui longo est corpore, et tardo conatu incedit: est a *μολῶν*, part. verbi *μολέω*, incedo. *Suidas* ex *Aristoph. Μικρὸς, ἡλίκος Μόλων:* ubi per ironiam pro *μακρὸς* dictum critici putant. Est cogn. R., ut L. Pomponius Molo ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 283. *F.*] [*V. MOLON.]

MOLOCHE. V. MALACHE.

MOLOCHĪNĀRĬUS, ii, m. molochini coloris infector. *Pl. Aul.* 3, 5, 40. astant molochinarii, Petunt fullones. *Inscr.* ap. *Mar.* 939, 6. [P. Auctius P. L. Lysander vestiarius tenuiarius molochinarius, h. e. venditor tenuiarius vestium colore molochino infectarum. *F.*]

MOLOCHĪNUS, a, um, adj. ad colorem malvae inclinans: a *μολόχη*, malva, quod malvae florum similitudinem habeat. *Caecil.* ap. *Non.* 16, 2. Carbasina, molochina, ampelina.

MOLOCHĪTES, ae, m. *μολοχίτης*, gemma non translucens, spissius virens et crassius, quam smaragdus, a colore malvae nomine accepto (nam *μολόχη* malva est), reddendis laudata signis, et infantium custodia quadam, innato contra pericula ipsorum medicamine. Nascitur in Arabia. *Plin.* 37, 8, 36.

*MOLON et Molo, onis, m. *Μόλων.* Apollonius Molon vel Molo, Alabandensis, mercede docuit rhetoricam, sed minus idoneos noluit docere. Ab eo rhetoricam didicit aliquando Cicero. Vixit in Rhodo insula. *Cic. Brut.* 90. *Id. Att.* 2, 1. *extr. Quint.* 3, 1. et 12, 6. ℙ Est et *molon, onis*, herba eadem quae et moly. *Plin.* 26, 7. Molon scapo est striato, foliis mollibus, parvis, radice qua-

tuor digitorum, in qua extrema allii caput est. *B. A.*

MOLORCHAEUS, a, um, adj. ad Molorchum pertinens. *Tibull.* 4, 1, 13. Alcides Deus ascensurus Olympum Laeta Molorchaeis posuit vestigia tectis.

MOLORCHUS, i, m. pauper quidam vinitor Arcadiae, in agro Cleonaeo, prope Nemeen, cujus filium leo Nemaeus interfecerat. Hic advenientem Herculem ejus occidendi causa hospitio excepit, docuitque, quemadmodum adversus feram venatio esset instituenda. Caeso leone Hercules omnem circa agrum Molorcho donavit, unde ille postea magnam vini copiam sua industria comparavit. *Stat. Silv.* 4, 6, 51. qualem parci domus admirata Molorchi. *Id. ib.* 3, 1, 29. pauperis arva Molorchi. *Id. Th.* 4, 16. Cleonaei vineta Molorchi. *Virg. G.* 3, 19. lucosque Molorchi, *h. e.* Nemeaeam silvam. Al. leg. *ludosque*, h. e. Nemeaeos. *Mart.* 4, 64. Credas Alcinoi pios Penates, Aut facti modo divitis Molorchi.

MOLORTHUS, i, m. perpendiculum, idest plumbum rectum filo et gnomone dependens: a *μόλυβδος*, plumbum, et *ὀρθός*, rectus. Afferunt nonnulli illud *Statii Silv.* 3, 2, 30. Sint quibus exploret rupes gravis ante molorthus. Ubi alii leg. *molybdus*, alii *molybdis*.

MOLOSSI, orum, m. plur. *Μολοσσοί*, populi Epiri, quorum urbs Dodona, ubi templum fuit Jovis Dodonaei oraculo celebre. *Plin. procem.* 4. et *ib.* 1, 1. ℙ Dicti sunt a Molosso Pyrrhi regis Epiri, et Andromaches filio. *Serv.* ad *A.* 3, 297., *Stat. Silv.* 2, 6, 29.

MOLOSSIA, ae, f. *Μολοσσία*, regio Epiri, in qua Molossus regnavit. *Serv.* ad *A.* 3, 297. V. v. praec.

MOLOSSIAMBOS, i, m. pes metricus molosso et iambo constans, h. e. tribus longis, brevi, et longa, ut *admirabiles*. *Diomed.* 3, 478.

MOLOSSICUS, a, um, adj. ad Molossos pertinens. *Pl. Capt.* 1, 1, 18. Parasiti Molossici, *h. e.* edaces tanquam canes Molossi. V. INVENATICUS. ℙ Molossicum carmen apud grammaticos est, quod Molossis pedibus constat. Durissimum genus carminis: cujus exemplum dat *Caesius Bassus* tale: Romani victores Germanis devictis. *Diomed.* 3, 513. V. MOLOSSUS.

[MOLOSSIS, idis, f. *Μολοσσίς*, regio Epiri, eadem ac Molossia, unde nomen habuerunt populi Molossi. *Liv.* 8, 24. Acheron amnis, quem ex Molosside fluentem in stagna Inferna accipit Thesprotius sinus. *F.*]

MOLOSSOPYRRHICHIUS, ii, m. pes metricus molosso, et pyrrhichio constans, h. e. tribus longis et duabus brevibus, ut *admirabilis*. *Diomed.* 3, 478.

MOLOSSOSPONDĒUS, i, m. pes metricus, molosso ac spondeo constans, seu quinque syllabis longis, ut *conturbatores*. *Diomed.* 3, 479.

MOLOSSUS, a, um, adj. *Μολοσσός*, ad Molossos populos, vel Molossum regem, vel Molossiam regionem pertinens. V. MOLOSSI. *Ov. Met.* 1, 226. missi de gente Molossa; et *ib.* 13, 717. nati rege Molosso. ℙ Celebres sunt Molossi canes, et venationibus aptissimi. *Hor. Sat.* 2, 6, 114. domus alta Molossis Personuit canibus. *Mart.* 12, 1. Retia dum cessant, latratoresque Molossi. *Stat. Ach.* 2, 72. velut ille cubilia praedae Indubitata tenens multo legit arva Molosso Venator. *Virg. G.* 3, 405. et *Sen. Hipp.* 32. Molossus acer. *Virg. Cul.* 330. Scylla rapax canibus succincta Molossis. *Lucan.* 4, 440. Venator tenet ora levis clamosa Molossi. *Prop.* 4, 8, 24. Atque armillatos colla Molossa canes. *Grat. Cyn.* 107. rure Molosso Nata canis. *Lucr.* 5, 1062. canum ricta Molossum: pro *Molossorum*. ℙ Molossus pes metricus trisyllabus constat tribus longis, ut *Arpinas, evertunt*. *Quint.* 9, 4. Ideo Molossus dictus est, inquit *Diomed.* 3, 475., quia Molossi, *h. e.* Thessali ad bellum procedentes hujus modulata compositione utebantur. Confirmant *Isid. Or.* 1, 16. et *Mar. Victor. Gramm.* 1, 2487. Alii inde dictum putant, quia inventus sit a Molosso Cretensi viro. *Mar. Plotius de Metr.* 2625.

[MOLPE, es, f. *μολπή*, cantio festiva cum tripudio. Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 998, 1. Claudia Molpe. *F.*]

MOLUCRUM, i, n. non solum, quo molae verruntur, dicitur, id quod Graeci *μύλικρον* (al. *μύλακρον*) appellant; sed etiam tumor ventris, qui etiam virginibus solet evenire: cujus meminit Afranius in Virgine: Ferme virgini, tanquam gravidae mulieri, crescit uterus: molucrum vocatur: transit sine doloribus. Cloatius etiam in libris sacrorum: Molucrum ajunt esse lignum quoddam quadratum, ubi immolatur. Idem Aelius in explanatione carminum Saliarium eodem nomine appellari ait, quod sub mola supponatur. Aurelius Opilius appellat, ubi molatur. Haec *Festus:* Porro *μύλικρον* seu *μύλακρον* est a *μύλη*, mola, tum quae grana terit, tum quae in uteris feminarum nascitur. Sunt qui in prioribus *Festi* verbis legunt, *quo molae verruntur*, et *μύλακρον* dictum ajunt a *μύλη* et *κορέω*, verro, quasi *μυλήκορον*. At *μύλακρον*, tumor, ducunt a *κρέας*, caro, quasi *μυλόκρεος*, h. e. massa carnis.

*MOLUS vel Molos, i, m. *Μόλος*, pater Merionis. *Hyg. fab.* 97. *B. A.*

MOLY, yos, n. *μῶλυ*, herba radice rotunda, et nigra, magnitudine caepae, folio scillae, flore lacteo, vel candido, ut Hom. scripsit *Od.* 10, 304., vim summam habens adversus omnia veneficia. Haec fere ex *Plin.* 25, 4, 8. [*Ov. Met.* 14, 291. Moly vocatur Superi, nigra radice tenetur. *F.*] Adde *Auct. Priap.* 70., qui tamen ejus herbae notionem ad turpiora trahit. [*Allium nigrum, *L.*]

MOLYBDAENA, ae, f. *μολύβδαινα*, vena communis plumbi, et argenti. *Plin.* 34, 18, 53. ℙ Item plumbago, genus herbae folio lapathi, radice crassa, hispidae: sic dictae, quod plumbum, idest oculorum vitium, commanducata tollat. *Plin.* 25, 13, 97. [*Bleiwurz, Flöhkraut.]

MOLYBDITIS, idis, f. *μολυβδῖτις*, plumbi spuma, sicut argyritis, spuma argenti. *Plin.* 33, 6, 35.

MOLYBDUS, i, m. et Molybdis, idis, f. *μόλυβδος* et *μολυβδίς*, plumbum: vox Graeca. Pro plumbo illo, quo aquae altitudinem nautae explorant, usurpari putant nonnulli a *Stat. Silv.* 3, 2, 30. Locum V. in MOLORTHUS.

*MOLYCRIA, ae, f. *Μολυκρία*, *Μολυκρεία*, opp. Aetoliae. *Plin.* 4, 2. *B. A.*

MOMAR, stultus, ap. Siculos. *Fest.*

MOMEN, inis, n. idem ac momentum, a supin. *motum* verbi *moveo*, ut *nomen* a *notum*. *Lucr.* 3, 189. Momine uti parvo possint impulsa moveri. *Id.* 6, 473. Posse quoque e salso consurgere momine ponti. *Arnob.* 2, 77. Non parvi, sed esse nullius existimandum est mominis, quod per omnia diffusum perit. *Manil.* 3, 675. Momina in adversum flectat rursumque resolvat, *h. e.* tempora.

MOMENTĀNĔUS, a, um, adj. *ὀλιγοχρόνιος*, qui momento temporis, vel brevi facile mutatur ac deficit. *Tert. adv. Marc.* 3, 17. Momentaneus ardor. Sunt qui et *Livio* tribuunt 2, 7. *f.*, sed plerique alii aliter legunt.

[MOMENTĀLĬTER, adv. momento temporis. *Fulg. Myth.* 2, 3. Iris ornatus varios pingens arcuato curvamine, momentaliter refugit. *F.*]

MOMENTĀRĬUS, a, um, adj. *ὀλιγοχρόνιος*, qui momentum temporis, vel brevi admodum durat. *Apul. Met.* 2. Momentaria vita; et *ib.* 9. *in.* salus; et *ib.* 10. Momentarium venenum, *h. e.* quod momento temporis conficit; et *ib.* 5. Momentarius maritus. *Papin. Dig.* 34, 1, 8. Ea res praesentem ac momentariam curam injungit.

MOMENTOSUS, a, um, adj. momentaneus. *Quint. decl.* 13, 12. [*p. 286.] de apib.: Nunc vero disserendum mihi est, quam momentosa sit hujus animalis rapina. Nescimus, qua pernicitate plerumque vix contactis floribus revolet, discurratque per singulos velox experimento: quam etiam ubi immorantur, libratis pendeant alis, etc. *h. e.* quam brevi tempore fiat. Alii interpretantur, quam parvi momenti, et damni sit. Alii lectionem sollicitant, et mallent *quam non damnosa* vel *quam non onerosa*. [*V. *Burm.*]

MOMENTUM, i, n. *ῥοπή*, dictum per sync. pro *movimentum* a *moveo*, significat motum, quo aliqua res impellitur. *Cic. N. D.* 2, 46. Astra se et nixu suo conglobata continent, et forma ipsa figuraque sua momenta sustentant. [*Schütz. in *cl. Cic.* s. h. v. *momenta sua* interpretatus est: *ihr Gleichgewicht.*] *Sen. ep.* 90. *med.* Pisces cauda reguntur, et levi ejus in utrumque momento velocitatem suam flectunt. ℙ Hinc translate est mutatio, perturbatio. *Vell.* 2, 78. Provincias magnis momentis Labienus concusserat. [**Vell. magnis molimentis* leg. censet.] *Lucan.* 7, 118. Si sine momento rerum, partisque ruina Casurum est, etc. ℙ Item metonymice causam ipsius motus, sc. pondus, quo premente res movetur. Quare praecipue locum habet in statera, quae, dum aequaliter pendet, ponderis alicujus vel levissimi accessione facile inclinatur. *Plin.* 30, 10, 27. Oesypum cum myrrhae momento, et vini cyathis duobus dilutum, *h. e.* perexigua quantitate. Sic *ib.* 11, 28. Sordes aurium denarii pondere cum myrrhae momento. *Id.* 31, 3, 21. Nullo paene momento ponderis aquae inter se distant. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 5, 10. Minimis momentis maximae inclinationes temporum fiunt, cum in omni casu reipubl., tum in bello, et maxime civili. *Id. Off.* 3, 3. Omnia ex altera parte collocata, vix minimi momenti instar habent. *Id. Font.* 6. Unamquamque rem aestimare, momentoque suo ponderare. *Caes. B. G.* 7, 39. *extr.* Levi momento aestimare aliquid. *Cic. Or.* 1, 31. Inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque judicio dispensare atque componere. *Ov. Met.* 10, 376. sic animus nutat Huc levis, atque illuc, momentaque sumit utroque. Sic *Ter. Andr.* 1, 5, 31. Dum in dubio est animus, paulo momento huc illuc impellitur. Ubi *Donat.* Translatio est haec a mole alicujus ponderis, quae, antequam in loco sederit, cum incerta pendet, facillime commovetur. *Liv.* 39, 5. Non pendere ex alterius vultu, ac nutu, nec alieni momentis animi circumagi. ℙ Pro additamento, accessione. *Just.* 7, 3. Mittit ad subigendam Thraciam, ceteraque ejus tractus regna: quibus pro ignobili momento erat accessura Macedonia. ℙ Dicitur etiam de quacumque parva re. *Plin.* 7, 1, 1. Naturae rerum vis atque majestas in omnibus momentis fide caret. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 4. de Phidia: In scuto Minervae Amazonum proelium caelavit intumescente ambitu parmae: ejusdem concava parte Deorum et gigantum dimicationem: in soleis vero Lapitharum et Centaurorum: adeo mosoleis vero Lapitharum et Centaurorum: adeo momenta omnia capacia artis illi fuere. *Id.* 18, 34, 67. *n.* 1. Sol quotidie ex alio coeli momento, quam pridie, oritur. *Quint.* 3, 11. *f.* Corpus orationis in parva momenta diducere. ℙ Translate *Cic. Mur.* 2. Cato diligentissime perpendens momenta officiorum omnium. ℙ Saepissime de exigua parte temporis. *Cic. Fam.* 6, 10. *f.* Quae quoniam in temporum inclinationibus saepe parvis posita sunt, omnia momenta observabimus, neque ullum praetermittemus tui juvandi et levandi locum. *Id. Div.* 1, 52. Parvis momentis multa natura aut affingit, aut mutat, aut detrahit. *Plin. ep.* 4, 30. Fons certis dimensisque momentis vel subtrahitur, vel assurgit, *h. e.* certis temporibus, statis horis. *Id. Pan.* 56. Quod momentum, quod immo temporis punctum aut beneficio sterile, aut vacuum laude? *Caes. B. C.* 2, 6. Sed tantum, re provisa, Brutus celeritate navis enisus est, ut parvo momento antecederet. *Petr. Sat.* 28., *Liv.* 21, 33. et *Tac. H.* 2, 86. Momento temporis. *Hor. Sat.* 1, 1, 7. horae Momento aut cita mors venit, aut victoria laeta. *Plin.* 7, 51, 52. Maecenati triennio supremo nullo horae momento contigit somnus. *Suet. Aug.* 50. Ad epistolas omnes horarum quoque momenta, quibus datae significarentur, addebat. *Just.* 2, 14. Tam brevi horarum momento. *Ov. Pont.* 3, 5, 47. te momentis video omnibus absens. *Plin.* 22, 22, 41. Sion illitum lentigini momento cutem emendat. Sic *Sen. Q. N.* 3, 27. Momento fit cinis, diu silva. *Sen. alter Hipp.* 770. fulgor, teneris qui radiat genis, Momento rapitur. *Petr. Sat.* 92. Ut solum hospitem vidi, momento recepi. *Plin.* 23, 7, 66. Pruna stomacho non utilissima, sed brevi momento, *h. e.* stomacho nocent, sed ad breve tempus. ℙ Ap. *Hor. Ep.* 1, 10, 16. *momenta Leonis* sunt ipsum tempus, quo sol in signo Leonis est, simulque pondus et vis caloris, quo terras urget. ℙ Frequenter admodum significat vim impellentem ad aliquid faciendum, pondus, robur, quo accedente quippiam facilius fit: ducta translatione a statera, ut dictum est. *Cic. Mur.* 30. Petunt aliquid publicani? cave quidquam habeat momenti gratia. *Just.* 11, 4. *extr.* Qui ad Darium profecti, non mediocre momentum Persarum viribus accessere. *Cic. Fin.* 5, 13. In iis esse ad bene vivendum momenta maxima. *Id. Mur.* 41. Si quid habet aut momenti commendatio, aut auctoritatis confirmatio mea. *Caes. B. C.* 3, 70. Ita parvae res magnum in utramque partem momentum habuerunt. *Cic. Inv.* 2, 26. Qui locus bene tractatus magno ad persuadendum momento futurus est. *Id. Fin.* 1, 17. Maximam animi aut voluptatem, aut molestiam plus aut ad beatam, aut ad miseram vitam afferre momenti, quam, etc. *Liv.* 29, 35. Quorum adventus hoc tamen momenti fecit, ut Scipio abscederet inde irrito incepto. *Id.* 1, 47. Nullum momentum in dando adimendoque regno facere; et 4, 12. *f.* Nullum momentum annonae facere, *h. e.* nihil conferre ad annonam levandam. *Sil.* 8, 252. Tantum in quassata bellis caput extulit urbe, Momentum ut rerum, et fati foret arbiter unus, *h. e.* ut ab eo rerum inclinatio mutatioque penderet. Sic *Liv.* 3, 12. Juvenis egregius, maximum momentum rerum ejus civitatis, in quamcumque venisset. [**Tac. H.* 1, 59. Octo Batavorum cohortes — prout inclinassent, grande momentum sociae aut adversae. *Germ.* 25. Libertini — raro aliquod momentum in domo: ubi v. *Hess.*] (Adde *Lucan.* 4, 818.) *Just.* 5, 4. Tantum in uno viro fuisse momenti, ut maximi imperii subversi, et rursum recepti auctor esset. ℙ *Momenta rationum*, quibus ad credendum impellimur. *Cic. Acad.* 1, 12. Cum in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur. Absolute *Ov. Met.* 11, 285. Adjicis huic animo momenta potentia, clarum Nomen, avumque Jovem. ℙ Ap. *Ov. Pont.* 4, 13, 49. praebet momenta saluti, *h. e.* adjumenta, quibus a Caesare detur Ovidio salus. ℙ *Magni, parvi, nullius momenti esse*, h. e. auctoritatis, ponderis, pretii. *Cic. Vat.* 1. Cujus testimonium propter turpitudinem vitae nullius momenti putaretur; et *ib.* 4. Id est maximi momenti et ponderis. *Id. Verr.* 2, 5, 69. In republica permagni momenti est ratio, atque inclinatio temporum. *Nep. Alc.* 8. Sentiebat, se, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurum. [*Adde *Suet. Dom.* 10. Neque apud ducem, neque apud milites, ullius momenti esse potuisse.]

MOMUS, i, m. *Μῶμος*, Deus quidam esse dicitur, Nocte ac Somno genitus, ut est ap. *Hesiod.* in *Θεογον. v.* 214., cui mos est ipsum quidem nihil agere, sed aliorum Deorum opera curiosis oculis contemplari, et per summam libertatem notare et carpere. Ipsa vox probrum, dedecus, reprehensionem significat. Dicitur et de quovis invido, irrisore et reprehensore. Graece *Cic. Att.* 5, 20. Ut etiam Ligurino *μώμῳ* satisfaciam.

*MONA, ae, f. insula Britanniae adjacens, *Μοναΐδα Ptolemaeo*, hodie autem *Man* dicta. *Caes. B. G.* 5, 13. *Plin.* 2, 75. ℙ Item alia, in eodem, quo prior, mari sita, hodie *Anglesea*. *Tac. A.* 14, 29. *Id. G.* 14 et 18. *Μόνα* est *Ptolemaeo*. ℙ Notandus locus est *Plin.* 4, 16. Mona, Monapia, etc. ubi *Hard.* credit Monam hodiernam esse *Anglesea*, Monapiam vero *Man. B. A.*

MONACHA, ae, f. solitariae vitae femina. *Hieron. ep.* 39. *n.* 4. Si parentem cogito, non reprehendo quod plangis; si Christianam et monacham, istis nominibus mater excluditur.

*MONACHANDUS, a, um, part. pass. *Sarisb. Ep.* 291. Pro monachandis pecuniam palam recipere. *B. A.*

MONACHICUS, a, um, adj. ad monachum pertinens. *Justin. Novell. constit.* 133, 5. Monachicum certamen.

MONACHIUM, ii, n. *μοναχεῖον*, locus, vel sodalitas monachorum. *Impp. Valent. et Marc. Cod.* 1, 2, 13.

MONACHUS, i, m. *μοναχὸς*, solitarius, qui vitam vivit solitariam: est a *μονάζω*, solus dego, unde praet. perf. *μεμόναχα*, hinc *μοναχός*. *Rutil. Itin.* 1, 441. Ipsi se monachos Grajo cognomine dicunt, Quod soli nullo vivere teste volunt. *Sidon. ep.* 5, 17. Cultu peracto vigiliarum, quas, alternante mulcedine, monachi clericique psalmicines concelebraverant. *Hieron. ep.* 22. *n.* 34. Tria sunt in Aegypto genera monachorum. Unum, coenobitae, quod nos *in commune viventes* possumus appellare. Secundum, anachoretae, qui soli habitant per deserta; et ab eo, quod procul ab hominibus recesserint, nuncupantur. Tertium genus est, quod *remoboth* dicunt, deterrimum atque neglectum: hi bini, vel terni, nec multo plures simul habitant, suo arbitratu ac ditione viventes; et de eo, quod laboraverint, in medium partes conferunt, ut habeant alimenta communia; habitant autem quam plurimum in urbibus et castellis.

*MONACOSMUS vel Monocosmus, i, m. genus rhedarum, ita dictum, quod uno plerumque equo trahitur, aut, si pluribus, ita tamen ut alter alterum praecedat. *Isid.* et *Papias.* V. *D. A. G. Cramer.* ad *Vet. Schol.* in *Juven.* 8, 66. *B. A.*

*MONADI, orum, populi Apuliae, quorum meminit *Plin.* 3, 11. *B. A.*

*MONAESES, is, m. Parthorum rex. *Hor. Od.* 3, 6, 9. Jam bis Monaeses et Pacori manus Non auspicatos contudit impetus Nostros. Ad quem locum sic *Acron Scholiasta:* Monaeses et Pacorus reges Persarum fuere, adversus quos Romani contra numinum voluntatem pugnaverunt infeliciter. Bis autem Parthos victoriam retulisse ob hoc dixit, quia ante Crassum, et post Didium Saxum cum exercitibus suis occiderunt. *B. A.*

MONALITER. V. MONAULITER.

[MONARCHA, ae, m. *μοναρχης*, qui solus imperat: a *μόνος*, solus, et *ἀρχή*, imperium. *Vet. Poeta* ap. *Mar. Victor.* 2551. Caeruli monarcha ponti, ratisque rectitator. *F.*]

MONARCHIA, ae, f. *μοναρχία*, unius principatus: a *μόνος*, solus, et *ἀρχή*, imperium. *Capitol. Max.* et *Balb.* 14. Sed Balbinus Maximum, quem putabat monarchiam velle, primum frustratus est. Adde *Tert. adv. Prax.* 14.

MONAS, adis, f. *μονὰς*, unitas, singularitas. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6., *Tert. adv. Valent.* 37. et *Praescript.* 49. *extr.* et *August. Confess.* 4, 15.

[MONASTERIALIS, e, adj. qui ad monasterium pertinet, in monasterio usurpatur. *Sidon. ep.* 7, 9. *in conc. med.* Monasterialibus disciplinis aegre subditur vel popularium cervicositas, vel licentia clericorum. *F.*]

[MONASTERIOLUM, ii, n. dimin. monasterii. *Not. Tir.* p. 192. Monasterium, monasteriolum. *F.*]

MONASTERIUM, ii, n. *μοναστήριον*, locus, in quo monachi degunt. *August. ad Casulan. ep.* 86. *Adde *Sidon ep.* 4, 25. 7, 17. et 9, 9. *Hieron. Ep.* 15. *Salvian. de Gub. Dei* 8. p. 190. *Vincent. Lirin.* p. 316. *B. A.*

MONASTRIAE, arum, f. plur. *μοναστριαι*, mulieres Deo dicatae, et solitariam vitam agentes: quarum fit mentio in *Just. Novell. constit.* 123, 27.

[MONAULES, ae, m. *μοναύλης*, qui unica tibia, seu monaulo canit. *Not. Tir.* p. 173. Monaules, ascaules, calamaules. V. MONAULOS. *F.*]

MONAULITER, adv. cum simplici tibia, quae monaulos dicitur. *Capell.* 9, 307. Puer monauliter sonabat. Ita recte *Grotius* legi oportere affirmat ex MS., cum *monaliter* in editis legatur, *h. e.* solitarie: solus puer sonabat.

MONAULOS et Monaulus, i, m. *μόναυλος*, tibia simplex, seu singularis: a *μόνος*, solus, et *αὐλὸς*, tibia. *Plin.* 7, 56, 57. Fistulam, et monaulum invenit Pan Mercurii, obliquam tibiam Midas, geminas tibias Marsyas. *Mart.* 14, 64. cujus lemma *Tibiae:* Ebria nos madidis rumpit tibicina buccis: Saepe tuas pariter, saepe monaulon habet.

MONAZONTES, *μοναζοντες*, ap. *Impp. Valent. et Valent. Cod.* 10, 31, 26. et *Cod. Theod.* 12, 1, 63. sunt monachi solitariam vitam agentes. Graeca vox: unde *Monachus* derivatur.

*MONDA, ae, fluvius Lusitaniae, inter Durium Tagumque flumina. *Mela* 2, 1. *med.* ℙ *Munda* est *Plin.* 4, 21. (al. 22.) ℙ Hodie vocatur *Mondego. B. A.*

*MONEDES, um, populi Indiae cisgangeticae. *Plin.* 6, 9. *B. A.*

MONEDULA, ae, f. *κολοιὸς*, avis ex genere graculorum: [*Corvus monedula, *L.*, *die Dohle.*] eadem et pica dicitur. V. PICA. *Plin.* 17, 14, 22. Monedula condens semina in thesauros cavernarum. *Id.* 10, 29, 41. Immensa finitimo Insubrium tractu examina graculorum, monedularumque, cui soli avi furacitas auri argentique praecipue mira est. *Cic. Fl.* 31. Re vera non plus aurum tibi, quam monedulae committebant: proverbium. ℙ Fabulantur, in hanc avem versam esse Arnem nympham, quod patriam auro capta et corrupta vendidisset. *Ov. Met.* 7, 465. quamque impia prodidit Arne Sithonis accepto, quod avara poposcerat, auro; Mutata est in avem, quae nunc quoque diligit aurum: Nigra pedem, nigris velata monedula pennis. ℙ Est vox blandientium, quia deliciarum est avis, sermonem hominum facile perdiscens. *Pl. Capt.* 5, 4, 5. patriciis pueris aut monedulae, Aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent. *Id. As.* 3, 3, 103. Dic me anaticulam, columbam, vel catellum, Hirundinem, monedulam, etc.

MONELA, ae, f. monitio. *Tert. Pat.* 8. et *adv. Marc.* 4, 34.

[MONEMERON, i, n. *μονήμερον*, collyrium in singulos dies compositum: a *μόνος*, solus, et *ἡμέρα*, dies. *Marc. Empir.* 8. *med.* Collyrium nomine monemeron facit ad impetus lippitudinis ex ovo inunctum. ℙ Idem vocatur etiam *authemerum:* ab *αὐτὸς*, ipse, et *ἡμέρα*, dies: quam vocem vide in ANTHEMERUM, quod in *authemerum* est mutandum. *F.*]

MONENDA, orum. V. MONEO.

MONEO, es, ui, et antiquitus moni, itum, a. 2. *παραγγέλλω*, *παραινέω*, admoneo, commoneo, praedico, suadeo. Volunt esse vel ab obsoleto *meneo*, a quo *memini*, (unde a memoria deducit *Varr. L. L.* 5, 6.) vel a *μηνύω*, significo, indico. [*De discrimine inter *monere* et *hortari*. V. *Doederl.* 1, 164. sqq. Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 1, 1.] *Cic. Fam.* 10, 1. Illud erat amoris mei, monere te atque hortari, ut in rempubl. incumberes. *Id. Verr.* 1, 12. Moneo, praedico, ante denuncio, abstineant manus. *Id. Fam.* 4, 3. Monere et denunciare. *Sall. Jug.* 10. Per hanc dexteram moneo obtestorque, ut, etc. *Id. ep. Pompeji ad Sen.* Quod ego vos moneo quaesoque, ut, etc. *Cic. Att.* 11, 16. *f.* Oro, ut Terentiam moneatis de testamento. *Id. Q. Fr.* 2, 3. *f.* Quod me de retinenda Sestii gratia litteris monuisti. *Hirt. B. G.* 8, 34. Monet rationem frumenti esse habendam. *Caes. B. G.* 1, 20. Monet, ut suspiciones vitet. *Ter. Eun. prol.* 16. Is ne erret, moneo. *Just.* 11, 13. Macedonas monebat, ne multitudine hostium moverentur. *Auct. ad Her.* 1, 1. Si te unum illud monuerimus, artem sine assiduitate dicendi non multum juvare. *Virg. A.* 10, 439. Interea soror alma monet succurrere Lauso Turnum. *Cic. Cat.* 2, 9. *extr.* Sed eos hoc moneo, desinant furere. [*Horum accusativorum alter plerumque aut pronomen est, ut: *hoc*, *id*, etc., aut ad numerum vel quantitatem pertinet, ut: *unum*, *pauca*, *nihil*. V. *Ruddim.* 2, 170.] *Ter. Ad.* 3, 4, 65. moneo, quid facto opus sit. *Cic. Fam.* 3, 3. Fabius ea me ex tuis mandatis monuit, quae universo senatui venerant in mentem. *Id. Att.* 14, 19. Id ipsum quod me mones, quatriduo ante ad eum scripseram. *Nep. Phoc.* 2. Cum Phocion moneretur, Nicanorem Piraeeo insidiari. *Cic. Amic.* 24. Obsurdescimus, nec ea, quae a natura monemur, audimus. *Prop.* 1, 15, 41. Queis ego nunc pereo, similes moniturus amantes. ℙ *Monere aliquid alicui*, dictum esse a *Plauto* quidam putant, *Truc.* 4, 1, 12. Unum animus monuit mihi, *h. e.* subjecit, suasit. Al. leg. *Unum animos movit mihi:* al. *Unum animus me movet.* ℙ Cum genitivo. *Tac. A.* 1, 67. Tunc contractos in principia, jussosque dicta cum silentio accipere, temporis ac necessitatis monuit. [*Adde *ib.* 2, 43. Plancinam haud dubie Augusta monuit muliebri aemulatione Agrippinam insectandi. Praecipue composita v. *monere* ita construi solent. V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 111. N. 1. 330. sq. *Ruddim.* 2. p. 171. *n.* 52.] ℙ Eleganter tribuitur rebus inanimis. *Hor. Sat.* 1, 2, 73. At quanto meliora monet, pugnantiaque istis Dives opis natura suae! *Id. Od.* 4, 7, 7. Immortalia ne speres, monet annus. *Plin.* 18, 25, 60. Natura monet festinare. *Virg. G.* 1, 464. sol caecos instare tumultus, Saepe monet. *Cic. Att.* 10, 8. Et res ipsa monebat, et tu ostenderas, et ego videbam, finem inter nos scribendi fieri tempus esse. *Pl. Mil.* 1, 1, 49. Edepol memoria est optima. *Artr.* offae me monent, *h. e.* memorem faciunt. *Phaedr. prol.* 1. Duplex libelli dos est, quod risum movet, Et quod prudenti vitam consilio monet, *h. e.* dirigit. ℙ Pro docere, *Val. Fl.* 1, 5. Phoebe mone. (Adde 6, 33.) *Virg. A.* 7, 42. Tu vatem tu, Diva, mone. *Plin. Pan.* 26. Labor erat parentibus parvulos adulantia verba edocere: reddebant illi, quae monebantur. ℙ Pro narrare. *Hor. Od.* 3, 7, 19. Et pecare docentes Fallax historias monet. Alii leg. *movet.* ℙ Pro castigare, punire. [*Ap. solum Tacitum, ut videtur.] *Ann.* 5, 9. Puerili verbere monere aliquem. V. ADMONEO. ℙ Pro praedicere; et refertur ad auguria, prodigia, et oracula. *Virg. Ecl.* 9, 14. nisi me quacumque novas incidere lites, Ante sinistra cava monuisset ab ilice cornix, etc. *Stat. Th.* 8, 33. et vera monentibus aris. *Sil.* 4, 120. et 5, 117. Quippe monent Superi. *Suet. Cal.* 57. Monuerunt et sortes Antiatinae, ut a Cassio caveret. *Cic. Har. resp.* 25. Cum Dii immortales monent de optimatium discordiis. *Virg. A.* 3, 712. vates Helenus cum multa horrenda moneret. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 631., (quem tamen *monetis* pro vulg. *movetis* legentem refutat *Mart. Lag. ib.* 615.) *Heins.* et *Drak.* ad *Sil.* 1, 138. Adde *Ammian.* 28, 1. Quid augurales alites vel cantus monerent.] ℙ Pro hortari, excitare. *Prop.* 2, 15, 19. Incipiam captare feras, et reddere pinu Cornua, et audaces ipse monere canes. *Sen. Agam.* 428. Et clara lentum remigem monuit tuba. ℙ *Pl. Curc. a.* 3. *f.* qui monet, quasi adjuvat: *γνώμη*. ℙ Ap. *eund. Ps.* 4, 1, 11. Monendus ne me moneat: proverb., quo significamus contemptum ejus, cujus monita aspernamur. Huic simile est *sus Minervam*. Proverbii speciem habet et illud *Capt.* 2, 3, 36. quae memini, mora mera est monerier. ℙ *Monenda*, *orum*, absolute, sunt sacrificia, per quae Dii monentur, ut succurrant mortalibus. Ita *Glossa* ad *Capell.* 1, 5. Jam pridem quippe offensus contamine monendorum Mercurius, dedignatur augur Pythius nuncupari. ℙ *Mŏnĕrim* pro *Mŏnŭĕrim* habet *Pacuv.* ap. *Non.* 10, 22. Dic, quid faciam: quod me moneris, effectum dabo. *Id. ib.* Dii monerint meliora. [*Hinc *mono*, *monĕre* pro *moneo* antiquis in usu fuisse conjicit *Cort.* ad *Lucan.* 4, 782. ℙ Confund. *monere* et *movere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 418. et 631.]

MONERIS, is, f. *μονήρης*, genus navigii, quod simplici remorum ordine agitur: Graeca vox a *μόνος*, solus, et *ἐρέσσω*, remigo. *Liv.* 38, 38. Neve plures quam decem naves actuarias habeto, neve monerem ex belli causa.

*MONESI, orum, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. *B. A.*

MONETA, ae, f. *νόμισμα*, pecunia signata forma publica, nummus: a Junone Moneta, in cujus aede Romae cudebatur, ut infra dicitur. *Ov. Fast.* 1, 221. Aera dabant olim: melius nunc omen in auro est: Victaque concedit prisca moneta novae. *Mart.* 1, 100. convivia sumptuosiora Nigrae sordibus expleas monetae, *h. e.* aereae. *Id.* 14, 12. cui titulus *Loculi eburnei:* Hos nisi de fulva loculos implere moneta Non decet: argentum vilia ligna ferant, *h. e.* aurea. *Lucan.* 6, 404. aurumque moneta Fregit, *h. e.* in monetas concidit. *Treb. Gall.* 12. et *in* XXX. *Tyr.* 26. Monetam cudere. *Paul. Sent.* 5. *tit.* 25. signare vultu principis. *Lamprid. Diadum.* 2. percutere. *Ulp. Dig.* 48, 13, 6. adulterinam exercere. *Plin.* 33, 9, 46. Falsae monetae aera miscere. ℙ Videtur etiam ipsam notam pecuniae significare. *Mart.* 12, 55. Aut libram petit illa Cosmiani, Aut binos quater a nova moneta. ℙ Translate. *Juven.* 7, 55. Communi feriat carmen triviale moneta. *Appul. Apol.* Ea tamen nomina labore meo et studio ita de Graecis provenire, ut tamen Latina moneta percussa sint, *h. e.* forma et positione. ℙ Est etiam locus, in quo moneta cuditur. *Ammian.* 22, 11. Dracontius monetae praepositus, aram in moneta, quam regebat, recens locatam evertit. *Sidon. carm.* 23, 41. Delubris, capitoliis, monetis. *Suet. Caes.* 76. Monetae, publicisque vectigalibus peculiares servos praeposuit, *h. e.* tum loco, tum universae procurationi pecuniae cudendae: cui praeesse antea consueverant triumviri auro, argento, aere flando, feriundo: qui et *monetales* dicti sunt. Pertinent huc illa *Cic. Phil.* 7, 1. Parvis de rebus, sed fortasse necessariis, consulimur, P. C., de Appia via, et de moneta, etc. et *Att.* 8, 7. *extr.* Ad Philotimum scripsi de viatico, sive a moneta, sive ab Oppiis, *h. e.* seu argentum infectum permutando cum pecunia signata, a moneta sumpta, seu ab Oppiis feneratoribus accipiendo pecuniam in viaticum. ℙ Translate. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *med.* Semine semel intra formandi hominis monetam locato, *h. e.* uterum. *Sen. Ben.* 3, 35. Jam tempus est quaedam ex nostra, ut ita dicam, moneta proferri, *h. e.* de nostra Stoica doctrina. ℙ Praeterea *Moneta* ap. *Hyg. praef.* est mater Musarum: a *monendo:* quae et *Mnemosyne* dicitur a memoria. *Gloss. Philox. Μνημοσύνη*, Moneta. *Liv. Andron.* in *Odyss.* ap. *Prisc.* 6, 679. Nam Diva Monetas filiam docuit. *Monetas* genitivus est antiquus, ut *Latonas*, *fortunas*, *familias*, etc. ℙ Fuit etiam cognomen Junonis, quia Romanos monuisse credita est, ut propter terrae motum sue plena rem divinam facerent, ut est ap. *Cic. Div.* 1, 45. et *ib.* 2, 32. Huic aedem vovit L. Furius Camillus Aurunco bello: cui senatus locum destinavit in arce Capitolii, ubi fuerat area aedium M. Manlii Capitolini, ut *Liv.* 7, 28. et *Ov. Fast.* 6, 183. narrant. De ea *Id. ib.* 1, 638. Qua fert sublimes alta Moneta gradus; et *Lucan.* 1, 380. Nu-

mina miscebit castrensis flamma Monetae. Porro *Suidas* aliam hujus appellationis causam affert in *Μονῆτα*, scilicet, quod cum Romani pecunia indigerent bello contra Pyrrhum et Tarentinos, Junonem oraverunt: quae respondit, si justitia in bellis uterentur, pecuniam eis non defuturam: quod cum illis successisset, Junonem Monetam, hoc est consultricem, colere coeperunt: simulque decrevere, monetam in ejus templo feriri. *Liv.* quoque 6, 20. Aedem et officinam Monetae juncta fuisse indicat. Ex quibus patet, nomen pecuniae a Junonis cognomine ductum esse, ut initio diximus. ℙ In nummis Commodi Aug. ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 122. in parte aversa legitur *Apollini Monetae*, quia hic in maxima, quae, teste *Dionel.* 72, 14., Romae ann. a Chr. n. CLXXXIX. grassata est pestilentia, consultus salutaria oraculo monuerit; ut recte putat *Vaillant. Num. praestant.* 2. p. 182. Hinc ap. *Hom. Iliad.* 1, 44. et seqq. ipse Apollo sagittis suis pestem in Graecorum exercitum immittens describitur, et *Belenus*, a *βέλος*, sagitta, est etiam appellatus. Hinc apparet, hanc vocem masculini quoque generis esse. [*Plura adjecit *F.*]

MONĒTĀLIS, e, adj. *νομισματικὸς*, ad monetam seu pecuniam pertinens. *Appul. Met.* 7. Auro monetali zonae refertae. ℙ *Triumviri monetales*, auri, argenti, aeris flatores, cudendae monetae provinciam curabant. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. *med.* et *Cic. Att.* 10, 11. *extr. Inscr.* ap. *Grut.* 379, 7. C. Caesellio Fufidio III. vir. monet. A. A. A. F. F. [*V. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.]

MONĒTĀRIUS, ii, m. *ἀργυροκόπος*, qui monetam cudit: qui in moneta publica operatur. Hujusmodi artificum corpus quoddam Romae fuit, tantaque aliquando copia, ut seditionem movere, et rebellare sub Aureliano Aug. potuerint, Felicissimo rationali, seu fisci procuratore rebellionis ejusdem auctore. *Aurel. Vict. Epit.* 35. *Eutrop.* 9, 14. et *Vopisc. Aurel.* 38. *Inscr.* ap. *Mur.* 968, 5. L. Paccio Hermetis Lib. monetario. V. FLATURARIUS. Adde *Firm. Math.* 8, 17. *med.* et *Imppp. Grat., Valent. et Theod. Cod.* 11, 7, 7. etc.

*MONETĪUM, i, n. opp. Liburniae. *Ant. Itin. B. A.*

MONĪLĔ, is, n. *ὑποδερὶς*, *ὅρμος*, ornamentum colli ex auro, aut margaritis, aut gemmis: proprium feminarum: cum *torquis* sit hominum: tametsi et pueris, praesertim delicatius ornatis, aliquando tribuitur: ita dictum fuit, quia virtutis admoneat; primo enim ob aliquod egregium factum ingenuis juvenibus tribui solitum videtur. *Cic. Verr.* 2, 4, 18. *f.* Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, ut cum vidisset monile, ut opinor, ex auro et gemmis, pulcritudine ejus incensa salutem viri proderet. (V. *Stat. Th.* 2, 265.) *Quint.* 11, 1. Monilibus, et margaritis, ac veste longa, quae sunt ornamenta feminarum, deformantur viri. *Virg. A.* 1, 658. colloque monile Baccatum. *Ov. Met.* 5, 52. de Athide puero: ornabant aurata monilia collum. *Id. Her.* 9, 57. Vidit in Herculeo suspensa monilia collo. *Val. Fl.* 6, 668. derepta monilia Divae Contrectat. *Plin.* 37, 3, 11. ℙ *n.* 2. Feminae monilium vice succina gestantes. ℙ In collis equorum, aliorumve animalium. *Virg. A.* 7, 277. Instratos ostro alipedes, pictisque tapetis: Aurea pectoribus demissa monilia pendent. *Ov. Met.* 10, 112. de cervo: Cornua fulgebant auro, demissaque in armos Pendebant tereti gemmata monilia collo. ℙ Producitur prima in illo *Petr. fr.* ap. *Burm.* p. 668. Guttura nunc aliae magnis monilibus ornent. [At *Burm.* nepos in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 680. recte edidit *magnisve monilibus. F.*] ℙ **Monilia*, vel *Ad monilia*, loci vel oppidi nomen in Liguria. *Tab. Peut.* Hodie vocatur *Moneglia. B. A.*

MŌNĪMENTUM. V. MONUMENTUM.

[MONĪMUS, i, m. et Monime, es, f. *μόνιμος*, stabilis, firmus: a *μένω*, maneo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 46, 9. Helius Monimus. Alia ap. *Melchiorri Syll. Inscr.* p. 108. Claudia Monime. *F.*]

MŌNĪTĬO, onis, f. *παραίνεσις*, actus monendi, monitus. *Festus:* Objurgatio, post turpe factum castigatio: monitio vero est ante commissum. *Cic. Amic.* 24. Monitio acerbitate, objurgatio contumelia careat. *Suet. Tib.* 18. Addita monitione, ut se interprete uteretur. *Id. Ner.* 56. Icunculam puellarem pro summo numine coluit: volebatque credi, monitione ejus futura praenoscere. *Colum.* 11, 1. Adolescentulos corporis robusti peritissimis agricolis commendemus, quorum monitionibus vel unus e multis rusticationis consequatur scientiam.

MŌNĪTO, as, a. 1. frequent. a *moneo. Venant. Vit. S. Mart.* 2, 387. Martinus monitat, cunctis talem esse sequendum. Adde *carm.* 5, 5, 23.

MŌNĪTOR, oris, m. *παραινέτης*, qui monet. *Ter. Heaut.* 1, 1, 119. Nil opus fuit monitore; et 5, 1, 2. Adjutor meus, et monitor, et praemonstrator Chremes. *Hor. Ep.* 1, 18, 67. monitoris egere. *Id. A. P.* 163. juvenis monitoribus asper. *Sall. Jug.* 87. *extr.* Sumat aliquem ex populo monitorem officii sui. *Sen. ep.* 94. *med.* Monitorem non desiderabit ad singula, qui dicat, sic incede, sic coena. ℙ Speciatim est qui in foro oratori adest, et dicenda agendaque monet, *πραγματικός*. *Cic. Div. Verr.* 16. Video mihi, non te, sed hunc librum esse responsurum, quem monitor tuus hic tebrum esse responsurum, quem monitor tuus hic tenet. Adde *Or.* 2, 24. et *Quint.* 6, 6. ℙ Item nomenclator. *Cic. Mur.* 36. Per monitorem appellandi sunt. *Plin. Pan.* 23. Gratum erat, quod equestris ordinis decora honore nominis sine monitore signares. ℙ Item qui pueritiam alicujus regit, paedagogus. *Stat. Silv.* 5, 3, 147. Hinc tibi vota patrum credi, generosaque pubes Te monitore regi. *Id. Th.* 12, 205. Olim hic virginei custos monitorque pudoris. ℙ Item qui in scena monet histrionem, *ὑποβολεύς*. *Festus. Inscr.* ap. *Morcell. Dissert. delle tessere*, etc. *con annot. del Dr. G. Labus* p. 46. Genio Collegii scaenicorum Felau Secundus monitor D. D. ℙ Item libri commentarii *monitores* dicuntur, quia in memoriam redire nos faciunt. *Festus.* ℙ Item qui praeibat verbis, dum sacerdos sacrificium, vel consecrationem templi peragereret, quique et praecentor dicebatur. *Tert. Apol.* 30. Capite nudo, quia non erubescimus, denique sine monitore, quia de pectore oramus, precantes sumus. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 1. *n.* 44. Marti Gradivo D. D. L. Plutius Pius aedilis, monitor augur*um*, praefe*ctus*, sacror*um*. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 111. ℙ Denique servi in agro operis praefecti, qui officii sui quemque admonent, et segniores castigant. *Colum.* 1, 9. *f.* Is numerus in opere commodissime custoditur, nec praeeuntis monitoris diligentiam multitudo confundit. *Ulp. Dig.* 33, 7, 8. Homines qui agrum colunt, praepositive sunt his: quorum in numero sunt villici, monitores.

MŌNĪTORĬUS, a, um, adj. aptus ad monendum. *Sen. Q. N.* 2, 39. et 49. Monitorium fulmen, *h. e.* quod de futuris moneat, et quid cavendum sit.

MŌNĪTUM, i, n. *παραίνεσις*, quod quis nos monet. *Cic. Fam.* 5, 8. Meis consiliis, monitis, studiis, actionibusque nituntur; et *ib.* 13. Tuis monitis praeceptisque omnis est abjiciendus dolor. *Id. Phil.* 14, 7. Meae aures omnium praeceptis monitisque patuerunt. ℙ Refertur ad vaticinationes, oracula, ostenta. *Id. Har. resp.* 25. Ad quem metum si Deorum monitis non duceremur, tamen, etc. *Virg. A.* 8, 336. matrisque egere tremenda Carmentis Nymphae monita.

MŌNĪTUS, a, um, part. a *moneo:* admonitus. *Caes. B. C.* 1, 28. Moniti a Brundisinis, ut vallum caecum caveant. *Pl. Ps.* 4, 7, 2. nihili est, suum Qui officium facere immemor est, nisi adeo monitus. *Id. Capt. prol.* 53. paucis vos monitos volo; et 2, 2, 59. hoc te monitum volueram. *Tac. A.* 1, 63. Arminius suos propinquare silvis monitos vertit repente. ℙ Refertur ad auguria, somnia, et oracula. *Suet. Aug.* 91. Egreditur tamen, amici somnio monitus. *Virg. A.* 3, 188. Cedamus Phoebo, et moniti meliora petamus.

MŌNĪTUS, us, m. monitio, monitum. In dativis, et ablat. plur. non est in usu propter asperitatem, ut et *Serv.* ad *A.* 10, 689. docet. *Ov. Her.* 18, 115. monitu nutricis amaro Frigida deserta litora turre peto. *Id. Met.* 2, 103. Finierat monitus: dictis tamen ille repugnat. *Val. Fl.* 1, 475. Monitus acres tradere. ℙ Saepissime refertur ad vaticinia, oracula, auguria. *Cic. Div.* 2, 41. Sortes, quae hodie Fortunae monitu tolluntur. *Plin. Pan.* 76. Consultare aves, revererique numinum monitus. *Plin. alter* 2, 7, 5. Fulgurum monitus, oraculorum praescita, haruspicum praedicta. *Val. Fl.* 1, 29. pecudumque per aras Terrifici monitus.

[MŌNĬUS, ii, m. *μόνιος*, solitarius, solivagus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Oderici Syllog.* p. 213. P. Aelius Monius. *F.*]

[MONNĪCUS, i, m. decore petulans. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 147. *n.* 183. L. Percennio Lascivo, qui et Monnicus, alumno carissimo et incomparabilissimo L. Percennius Pollio V. C. parens. V. MONNULA. *F.*]

[MONNĪNĂ, ae, f. cogn. R. *Inscr.* ap. *Visc. Iconogr. Gr.* T. 1. p. 373. ed. Mediol.: D. M. Aureliae Monninae filiae dulcissimae parentes fecerunt. V. v. sq. *F.*]

[MONNŬLĂ, ae, f. vox infantilis blanditiae, ut *issulus*, cui fortasse respondet Italorum *monella:* pro amica, sodali, *compagna* usurpari videtur. *Inscr.* ap. *Mur.* 2083, 2. Sulpicia Parthenopae Fructuosae alumnae suae, quae vixit annos VIII. M. II. D. XV., quae supra monnulam suam supravixit dies XXIII. *F.*]

MŌNŌBĒLI, *μονόβελοι* (a *μόνος*, solus, et *βέλος*, telum) dicebantur ab Elagabalo homines maximis conditionibus instructi: quasi toti telum essent, vel ea parte potissimum censerentur. *Lampr. Elag.* 8. *extr.*, ubi *Lips.* malebat *onobeli*, ab *ὄνος*, asinus.

*MONOBIBLĬON. V. v. sq. *B. A.*

*MONOBIBLOS vel Monobiblion, i, n. *μονόβιβλος* et *μονοβίβλιον*, liber singularis. *Justin. de Confirm. dig. Ep.* 2. §. 5. Tribus monobibliis congregare. ℙ Liber primus *Prop.* olim dictus *Monobiblos.* V. *Scalig.* not. ad *Prop.* p. 190. *B. A.*

[MŌNŌBŎLON, i, n. ludi genus, quo quis corpus arte quadam saltando jactat: a *μόνος*, solus, et *βόλος*, jactus. Differt a contomonobolo, in quo lusor conto suffultus saltabat. *Imp. Justin. Cod.* 3, 43, 3. Deinceps vero ordinent quinque ludos, monobolon, contomonobolon, Quintanum cordacem sine fibula, et perichyten, et hippicen, quibus sine dolo atque callidis machinationibus ludere permittimus. Sed nec permittimus etiam in his ludere ultra unum solidum, si multum dives sit; ut si quem vinci contigerit, casum gravem non sustineat. *F.*]

*MONOCALĒNI, orum, populi Alpini, de quibus *Plin.* 3, 20. *B. A.*

MŌNŌCĔROS, ōtis, m. *μονόκερως*, unicornis: a *μόνος*, solus, et *κέρας*, cornu. *Plin.* 8, 21, 31. Asperrimam autem feram monocerotem, reliquo corpore equo similem, capite cervo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu gravi, uno cornu nigro media fronte cubitorum duum eminente. Hanc feram vivam negant capi.

[MŌNOCHŌRĬUS, ii, m. qui solus, silente choro, saltat: a *μόνος*, solus, et *χόρος*, chorus. *Not. Tir.* p. 173. Symphoniacus, monochorius. *F.*]

MŌNOCHRŌMĂTA, n. plur. *μονοχρώματα*, picturae unius tantum coloris: a *μόνος*, solus, et *χρῶμα*, color. *Plin.* 33, 7, 39. Cinnabari veteres, quae etiam nunc vocant monochromata, pingebant. *Id.* 35, 9, 36. *n.* 2. de Zeuxi: Pinxit et monochromata ex albo.

MŌNOCHRŌMĂTĒUS, a, um, adj. uno colore constans, *μονοχρωματεῖος*. *Plin.* 35, 5, 11. Qui monochromatea genera picturae vocaverint, dicemus in mentione artificum.

MŌNOCHRŌMĂTOS Pictura, h. e. unius coloris, *μονοχρώματος γραφή*. *Plin.* 35, 3, 5. Picturam secundam singulis coloribus, et monochromaton dictam, etc.

MŌNOCHRŌNOS, *μονόχρονος*, unius temporis: a *μόνος*, solus, et *χρόνος*, tempus. *Capell.* 9. p. 331. Monochronon dicitur tempus, etiam cum longa syllaba ponitur, etc.

MŌNOCLŌNOS, *μονόκλωνος*, unicum ramum aut caulem habens: a *μόνος*, solus, et *κλών*, *ωνὸς*, ramulus. *Appul. Herb.* 10. Herba Artemisia monoclonos, *h. e.* simplici caule, ut est ap. *Plin.* 25, 7, 36.

*MONOCNĒMOS, i, *μονόκνημος*, qui unius cruris vel uno crure est. *Petr.* 83. *in.* Quam Graeci monocnemon appellant. Ita legit *Scaliger.* Alii aliter. *B. A.*

MŌNOCŌLUS, *μονόκωλος*, uno membro constans: a *μόνος*, solus, et *κῶλον*, membrum. *Plin.* 7, 2, 2. *med.* Hominum genus, qui monocoli vocarentur, singulis cruribus, mirae pernicitatis ad saltum: eosdemque sciapodas vocari (a *σκιὰ*, umbra, et *ποῦς*, pes), quod in majore aestu humi jacentes resupini, umbra se pedum protegant: non longe eos a Troglodytis abesse. Adde *Gell.* 9, 4. *med.* et *Solin.* 52. *med.*

MŌNOCRĔPIS, *μονοκρηπίς*, unam tantum crepidam habens, a *μόνος*, solus, et *κρηπίς*, crepida. *Hyg. fab.* 12. Si quis monocrepis, id est uno pede calceatus supervenisset, mortem appropinquare, responsum est. ℙ Graece est epitheton Mercurii, qui alterum calcem Perseo commodavit ad Gorgonas devolanti.

MŌNOCŬLUS, i, m. *μονόφθαλμος*, unoculus: vox hybrida, ex Graeco *μόνος*, solus, et Latino *oculus. Firm. Math.* 8, 19. Erunt surdi, monoculi, etc. Adde *ib.* 19, 22. et 27. *f.*

MŌNŌDĬĀRĬA, ae, f. quae in scena, silente choro, canit: est a *μονῳδία*, cantio solitaria, a *μόνος*, solus, et *ᾠδή*, cantio. *Inscr.* ap. *Grut.* 1035, 11. Heria Thisbe monodiaria *(uxor)* T. Claudii Glaphyri choraulae. V. de hac inscript. *Gutberlethi dissert.* in *Antiq. R. Poleni* T. IV. p. 350. ℙ *Monodiarius, ii*, m. qui solus in scena canit. *Not. Tir.* p. 173. Atellae, Atellanus, monodiarius. V. ATELLANUS.

MŌNŌDOS, (a *μόνος*, solus, et *ὀδοὺς*, dens) appellatus est Prusiae *(Bithyniae regis)* filius, qui unum os *(in superna parte oris)* habuit dentium loco. Similiter habuit et Pyrrhus rex Epirotarum. Haec *Festus:* quae confirmantur a *Plin.* 7, 16, 15. et *Val. Max.* 1, 8. *n.* 12. *extr.*

MŌNOECUS, i, m. *Monaco*, *Μόνοικος*, portus orae Ligusticae cum oppido, inter Nicaeam, et Albintimelium. Conditus dicitur ab Hercule: de quo *Ammian.* 15, 10. Monoeci arcam et portum ad perennem sui memoriam consecravit. Adde *Virg. A.* 6, 831. et *Lucan.* 1, 408. ℙ *Monoecus* revera est ipse Hercules ita cognominatus, vel quod pulsis omnibus illic solus habitavit, vel quod in ejus templo nunquam aliquis Deorum simul colitur, sicut in Jovis Minerva, et Juno, in Veneris Cupido: ut ait *Serv.* ad *Virg. l. c.* Est autem a *μόνος*, solus, et *οἶκος*, domus. *Plin.* 3, 5, 7. et *Tac. H.* 3, 42. Portus Herculis Monoeci.

MŌNOGĂMĬĀ, ae, f. *μονογαμία*, matrimonium cum una tantum uxore. *Hieron. I. in Jovinian.* 14. Rursum monogamiam digamiae comparat. Adde *Tert. Monog.* 2, 3, 4. etc.

MŌNOGĂMUS, i, m. *μονογάμος*, qui unam tan-

tum uxorem habuit. *Hieron. I. in Jovinian.* 15. Primus Adam monogamus: secundus agamus. *Id. ep.* 69. *n.* 3. Jubentur monogami in clerum eligi.

MŌNOGRAMMA, ătis, n. *μονόγραμμα*, simplex littera plures continens, ex quibus aliquod nomen significatur: v. gr.  Christus. *Paul. Nol. carm.* 26, 618. Nunc eadem Crux dissimili compacta paratu Eloquitur dominum, tanquam monogrammate, Christum.

MONOGRAMMUS, *μονόγραμμος*, solis lineis constans: a *μόνος*, solus, et *γραμμή*, linea. Dicitur proprie de pictura solis lineis informata, et sine colore, qualem initio ejus artis fuisse, tradit *Plin.* 35, 3, 5. Translate. *Cic. N. D.* 2, 23. Epicurus monogrammos Deos, et nihil agentes commentus est, *h. e.* tenues sine corpore vitas, ut ait *Virg. A.* 6, 292., gracillimis membris, et nihil concreti habentibus. Nam, ut est ap. *Cic. Div.* 2, 17., Deos induxit Epicurus perlucidos et perflabiles; et *N. D.* 1, 25. *extr.* negavit esse corpus Deorum, sed tanquam corpus; nec sanguinem, sed tanquam sanguinem. ℙ Item monogrammi dicti sunt homines macie pertenues ac decolores. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 168. Vix vivo homini, ac monogrammo. *Id. ib.* Monogrammi quinque adducti pietatem invocant.

*MONOLEUS LACUS in Africa fuit, in terra Troglodytica, prope Ptolemaidem, Epitheram (Epitheriam ed. *Basil.* 1530.) cognominatam. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

MŌNŌLĪNUM, i, n. *μονόλινον*, linea ex margaritis, uno filo constans. *Capitol. Maxim. jun.* 1., ubi alii leg. *monolium:* sed *Salm.* retinet *monolinum*, defenditque pluribus.

MŌNŌLITHUS, a, um, adj. *μονόλιθος*, uno saxo constans, ex uno lapide, ut ait *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 13.: a *μόνος*, solus, et *λίθος*, lapis. *Laber.* ap. *Non.* 15, 13. Columnae monolithae. *Ampel.* 8. Postes marmorei monolithi. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 10. Silvanum monolithum sanctum de suo dederunt. *Not. Tir.* p. 163. Monolithus, hololithus.

MŌNŌLĪUM. V. MONOLINUM.

MŌNŌLŌRIS. V. DILORIS.

[MŌNŌMĂCHĬĂ, ae, f. singulare certamen. *Cass. Variar.* 3, 24. Illud vos credimus admonendos, ut non in vos, sed in hostem saevire cupiatis. Cur ad monomachiam recurritis, qui venalem judicem non habetis? Quid opus est homini lingua, si causam manus agat armata? *F.*]

[MŌNŌMĂRĪTĂ, ae, f. univira, unicuba, quae uni marito nupsit: vox hybrida, a *μόνος*, solus, et *marita. Inscr.* ap. *Mur.* 1010, 10. Paezusa Caesaris serva momomarita. Vixit ann. XVIIII. M. IIX. Euchrestus conjugi suae B. M. *F.*]

MŌNŌPŌDĬUM, ii, n. *μονοπόδιον*, mensa uno tantum pede suffulta: a *μόνος*, solus, et *ποῦς, ποδός*, pes. *Liv.* 39, 6. *f.* Ii primum lectos aeratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, et alia textilia, et, quae tum magnificae supellectilis habebantur, monopodia, et abacos Romam advexerunt. *Plin.* 34, 3, 8. Triclinia aerata, abacosque, et monopodia Cn. Manlium Asia devicta primum invenisse (lege *invexisse*) triumpho suo, quem duxit Urbis anno DLXII., L. Piso auctor est.

MŌNŌPŌDĬUS, a, um, adj. qui unum tantum pedem habet: a *μόνος*, solus, et *ποῦς, ποδός*, pes. *Lampr. Commod.* 10. Monopodios eos, quibus singulos pedes fregisset, appellabat. ℙ Legitur et *Monopedius:* qua ratione vox hybrida est.

*MŌNŌPŌLA, ae, m. *μονοπώλης*, qui jus monopolii impetravit, qui monopolium sive jus monopolii habet. *Mart. Capell.* 3. p. 55. *B. A.*

MŌNŌPŌLĬUM, ii, n. *μονοπώλιον*, dicitur, cum penes unum aliquem speciei alicujus vendendae potestas est, quod fit, cum unus solus aliquid genus mercis universum emit, ut solus vendat, pretium suo modo statuens: a *μόνος*, solus, et *πωλέω*, vendo. *Suet. Tib.* 71. Monopolium nominaturus prius veniam postulavit, quod sibi verbo peregrino utendum esset. Adde *ib.* 30. et *Plin.* 8, 37, 56.

MŌNŌPTĔROS, i, m. unam tantum alam habens: a *μόνος*, solus, et *πτερά*, ala. A *Vitr.* 4, 7. aedes monopterae dicuntur, quae unum tantum porticum habent, vel ordinem columnarum. Adde *praef. l.* 7. *med.* V. DIPTEROS.

MŌNŌPTOTĂ. V. DIPTOTA.

[MŌNŌSŌLIS, e, adj. vox hybrida, a *μόνος*, solus, et *solea. Edict. Diocl.* Gallicae viriles monosoles par ✕ quinquaginta: taurinae muliebres bisoles par ✕ quinquaginta: taurinae muliebres monosoles par ✕ triginta. *F.*]

MŌNOSTICHĬUM, ii, n. idem ac monostichum. *Auson. Ecl. n.* 7. Non placitum Divis tolle monostichium.

MŌNOSTICHUM, i, n. *μονόστιχον*, carmen unius tantum versus: a *μόνος*, solus, et *στίχος*, versus. *Auson. de Caes. n.* 1. Accipe bis senos: sua quemque monosticha signant.

MŌNOSTROPHE. V. MONOTROPHUS.

MŌNOSYLLĂBUS, a, um, adj. *μονοσύλλαβος*, unius syllabae: a *μόνος*, solus, et *συλλαβή*, syllaba. *Quint.* 9, 4. Etiam monosyllaba, si plura sunt, male continuabuntur. *Auson. Idyll. de litter. monosyll.* 12, 13. Dividuum Betae monosyllabon Italicus B.

*MONOTŌNUS, a, um, adj. *μονότονος*, uno tenore procedens. V. *Isid. Gloss. B. A.*

MŌNOTRIGLYPHUS, a, um, adj. *μονοτρίγλυφος*, unius tantum triglyphi. *Monotriglyphum opus* ap. *Vitr.* 4, 3. *med.* est, cum propter columnarum crebritatem intercolumnia ita sunt angusta, ut unum tantum triglyphum capiant. V. *Bald.* in *Lex.*

MŌNOTRŌPE et Monotrophe. V. v. sq.

MŌNOTRŌPHUS, i, m. *μονότροφος*, qui solus vescitur, ministrum non habens, a quo sibi coena paretur. *Pl. Stich.* 5, 4, 7. Nosmet inter nos ministremus, monotrophe; hoc convivium est. Alii *monotrophe* ita accipiunt, ut sit adverb., *h. e.* more eorum, qui soli coenant. Est autem a *μόνος*, solus, et *τρέφω*, nutrio. Alii leg. *monostrophe hoc convivium est:* ut sit *monostrophe, es*, quo significetur unus poculorum ordo, non multiplex, ut fit cum plures convivantur, et pocula sibi invicem ministrant. Hoc ducitur a *στροφή*, conversio. *Bothe* legit *monotrope*, ut significet sumptu simplici, a *μονοτρόπως*, simpliciter.

MŌNOXYLUS, a, um, adj. *μονόξυλος*, ex uno ligno constans. *Plin.* 6, 23, 26. *f.* Regio, ex qua piper monoxylis lintribus convehunt. Adde *Solin.* eadem repetentem 54. V. SCAPHULA.

MONS, montis, m. *ὄρος*, terrae tumor altissimus. Fortasse est a *βουνός*, collis, tumulus. *Cic. N. D.* 2, 39. Impendentium montium altitudines; et *ib.* 53. Montes vestiti atque silvestres. *Caes. B. G.* 3, 1. Vicus positus in valle, altissimis montibus undique continetur. *Sall. Jug.* 97. Mons saxeus, immensum editus. *Nep. Milt.* 5. Sub montis radicibus acie instructa. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 383. ascendit fastigia montis anheli. *Stat. Th.* 11, 319. ad insani scandebat culmina montis. *Ov. Met.* 10, 172. per juga montis iniqui. *Plin.* 3, 16, 20. Padus gremio Vesuli montis profluens. *Id.* 33, 4, 21. In superciliis montium. *Ov. Met.* 1, 666. montis sublime cacumen; et *ib.* 316. Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus. *Phaedr.* 2, 5. Villa monte summo posita. *Virg. Ecl.* 8, 59. Praeceps aerii specula de montis in undas Deferar. *Hor. Od.* 1, 23, 2. Avii montes. *Sen. Troad.* 1084. mons praeruptus. *Id. Herc. Oet.* 1167. abruptus. *Colum.* 2, 2. non sublimis et asper, sed nemorosus et herbidus. *Plin.* 6, 28, 32. inaccessus. *Ov. Met.* 1, 44. lapidosos surgere montes. *Sil.* 4, 2. nubiferi; et 13, 219. umbriferi. *Ov. Met.* 6, 88. gelidi. *Plin.* 6, 17, 21. Montes assurgunt. ℙ Celebriora montium nomina sunt Athos, Taurus, Ossa, Olympus, Pelios, Othrys, Eryx, Rhodope, Mimas, Haemus, Caucasus, Alpes, Apenninus, Pindus, Pyrene, etc., quae congerit *Ov. Met.* 2. *a v.* 217., et V. ss. ll. ℙ Translate dicitur de magna mole, aut quantitate cujusque rei. *Virg. A.* 1, 109. insequitur cumulo praeruptus aquae mons; et *ib.* 2, 15. Instar montis equum aedificant. *Sil.* 10, 549. mons armorum ingenti constructus acervo. *Pl. Merc.* 3, 4, 32. Montes mali in me ardentes jamdudum jacis. *Id. Ps.* 1, 2, 55. Quibus montes maximi acervi frumenti sunt domi. *Id. Mil.* 4, 2, 73. argenti montes, non massas habet. *Ter. Ph.* 1, 2, 18. senem per epistolas Pellexit, modo non montes auri pollicens: *promettendo Roma e toma:* vel *mari e monti:* proverbium. Sic *Pers.* 3, 65. Et quid opus Cratero magnos promittere montes? ℙ Synecdoche est in illo *Virg. A.* 12, 687. Fertur in abruptum magno mons improbus actu, *h. e.* saxum ingens, pars montis. (Adde *Juven.* 3, 258.) *Stat. Th.* 1, 145. Montibus aut alte Grajis effulta nitebant Atria, *h. e.* Grajis marmoribus. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 310. consumant totos spectacula montes, *h. e.* omnes montanas feras. ℙ Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus; proverb. ap. *Hor. A. P.* 139. de iis, qui magna promittunt, jactant, prae se ferunt, minantur, ut ait *Phaedr.* 4, 22. extricant nihil. ℙ In ablat. habet *monte:* sed et *monti* dici potest, auctore *Varr. L. L.* 8, 64.

MONSTRĂBĬLIS, e, adj. qui monstrari potest, conspicuus, illustris. *Plin. ep.* 6, 21. Est enim probitate morum, ingenii elegantia, operum varietate monstrabilis.

MONSTRĀTĬO, onis, f. *δεῖξις*, actus monstrandi, ostensio. *Vitr.* 6, 1. *f.* Cum habeamus ab ipsa rerum natura solertem et expeditam monstrationem. *Ter.* de eo, qui iter monstravit, *Ad.* 4, 6, 1. Defessus sum ambulando: ut, Syre, te cum tua Monstratione magnus perdat Juppiter.

MONSTRĀTOR, oris, m. *δείκτης*, qui monstrat, ostensor. *Virg. G.* 1, 19. oleaeque Minerva Inventrix, uncique puer monstrator aratri, *h. e.* Triptolemus, vel Osiris, qui serendarum frugum rationem docuit. Sic *Ov. Ib.* 399. sacri monstrator iniqui, *h. e.* humanae victimae immolandae. *Lucan.* 9, 979. Herceas, monstrator ait, non respicis aras? *Tac. G.* 21. Qui modo hospes fuerat, monstrator hospitii et comes.

MONSTRĀTUS, a, um, part. a *monstro: πεφασμένος*, ostensus, indicatus. *Virg. A.* 4, 636. Et pecudes secum, et monstrata piacula ducat. *Id. G.* 4, 549. monstratas excitat aras. *Ov. Trist.* 3, 11, 53. de Perillo: monstratis crudeliter ignibus ustus. *Plin.* 22, 17, 20. Herba monstrata Pericli somnio a Minerva. *Lucan.* 8, 822. de sepulcro Pompeji: Quod nisi monstratum Romanus transeat hospes. *Tac. G.* 31. Hostibus simul suisque monstrati: conspicui, notabiles. ℙ Item delatus. *Tac. H.* 1, 88. Nullum ob crimen, sed vetusto nomine et propinquitate Galbae monstratus.

MONSTRĀTUS, us, m. monstratio. In sexto singul. *Appul. Met.* 1. Assidebat pedes uxor: cujus monstratu, en, inquit, hospitium. *Auson. Perioch. Iliad.* 3. Priamus spectat e muris, et monstratu Helenae de viris insignibus edocetur.

MONSTRĪFER, a, um, adj. *τερατουργός*, monstra ferens. *Val. Fl.* 5, 222. Impia monstriferis surgunt jam proelia campis; et *ib.* 43., ubi monstriferae par ille novercae, *h. e.* Hercules Junoni monstra alia super alia ei domanda objicienti; et 2, 498. Monstriferi mugire sinus, *h. e.* mare belluam ferens. *Lucan.* 2, 2. legesque et foedera rerum Praescia monstrifero vertit natura tumultu. *Claud. in Eutr.* 2, 4. monstriferi praesagia discitis anni; et *in I. cons. Stil.* 2, 110. monstriferis quae Tartarus edidit antris. ℙ Item monstruosus. *Plin.* 6, 30, 35. Animalium hominumque effigies monstriferas gigni. Adde 36, 13, 19. *n.* 2.

MONSTRĪFĪCĂBĪLIS, e, adj. monstrificus, monstruosus. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 540. Nunc ignobilitas his mirum, ac monstrificabile.

MONSTRĪFĪCĒ, adv. monstruose. *Plin.* 28, 11, 49. Equarum virus in lychnis accensum, Anaxilaus prodidit, equinorum capitum visus repraesentare monstrifice.

MONSTRĪFĪCUS, a, um, adj. *τερατουργός*, monstra faciens, monstruosus. *Val. Fl.* 6, 152. omnibus artes Monstrificae, *h. e.* magicae. *Plin.* 28, 8, 27. Monstrifica natura hyaenae. *Id.* 37, 11, 73. Monstrificae gemmae, *h. e.* monstruosos effectus reddentes. *Id.* 21, 5, 13. Monstrifica hominum ingenia, *h. e.* res miras, et monstruosas excogitantia. *Id.* 2, 3, 3. Monstrificae gignuntur effigies.

MONSTRĪGĔNĂ, ae, m. monstro genitus, monstruosus. *Avien. Perieg.* 799. monstrigenis hostem licet inferat aestus Fluctibus.

MONSTRO, as, avi, atum, a. 1. *δείκνυμι*, ostendo, doceo, commonstro. De notatione V. v. sq. *Ter. Ad.* 4, 2, 31. Scio, ubi sit, verum hodie nunquam monstrabo. *Pl. Men.* 5, 1, 42. Quaeso hercle, mulier, si scis, monstra quod bibam. *Virg. A.* 1, 325. heus, inquit, juvenes, monstrate, mearum Vidistis si quam hic errantem forte sororum. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 58. Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam. *Curt.* 5, 13. Nunciabant, ipsos brevius iter monstraturos. *Hor. Sat.* 2, 8, 25. qui, si quid forte lateret, Indice monstraret digito. Adde *Nep. Dat.* 11. *Virg. A.* 1, 422. Corripuere viam interea, qua semita monstrat. *Cic. Fam.* 16, 22. Tu istic, si quid librarii mea manu non intelligent, monstrabis. *Hor. A. P.* 73. Res gestae regumque, ducumque, et tristia bella Quo scribi possent numero, monstravit Homerus. *Id. Sat.* 2, 8, 51. inulas ego primus amaras Monstravi incoquere. *Ov. Amor.* 1, 6, 7. Ille per excubias custodum leniter ire Monstrat. *Ulp. Dig.* 11, 1, 1. *med.* Etsi malum hortatus est, vel malo servo monstravit, quemadmodum faceret. *Plin.* 27, 3, 2. Monstrare quale sit aconitum. ℙ Pro monere *Pl. Bacch.* 1, 2, 24. Perdidisti te, atque me, atque operam meam, Qui tibi nequicquam saepe monstravi bene. Sic *Curc.* 1, 3, 43. Bene monstrantem pugnis caedis. ℙ Pro stimulare, instigare. *Virg. A.* 9, 44. etsi conferre manum pudor, iraque monstrat, Objiciunt portas tamen. ℙ Pro deferre, accusare. *Tac. H.* 4, 1. Pessimi servorum prodere ultro dites dominos: alii ab amicis monstrabantur; et *ib.* 41. Tanquam Neroni Scribonios fratres ad exitium monstravisset. [*Plura *Tac.* exempla collegit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 311. sq.] ℙ Probare, demonstrare, indiciis, et rationibus ostendere. *Ulp. Dig.* 3, 1, 1. *med.* Qui adversus ea fecisse monstretur, postulatione repellitur. *Plin.* 22, 22, 44. Erasistratus calculos per urinam pelli eo monstrat.

MONSTRUM, i, n. *τέρας*, res naturae modum egrediens, sive sit deformis, sive non: a monendo, quasi monestrum, ut *Aelius Stilo* ait ap. *Fest.;* monet enim, quae sit circa futura Deorum voluntas: idque ex Gentilium superstitione, quibus futuri aliquid portendere videbatur, quidquid inusitatum, et praeter naturae ordinem fieret. Ab eo est *monstro, as. Cicero* tamen a *monstro monstrum* deducit, *Div.* 1, 42. Quorum quidem vim verba ipsa, prudenter a majoribus posita, declarant: quia enim ostendunt, portendunt, monstrant, praedicunt (al. *prodicunt*), ostenta, portenta, monstra, prodigia dicuntur. Haec *Cicero*, quibus similia habet *N. D.* 2, 3. Inter haec autem discrimen statuit *Corn. Fronto* 2192., ut *ostentum* sit, quod praeter consuetudinem offertur, ut si videatur terra ardere, vel coelum: *portentum*, quod porro et diu-

tius manet, futurumque postmodum aliquid significat: *monstrum*, quod est contra naturam, ut minotaurus: *prodigium*, quod mores faciunt, per quod detrimentum exspectatur. In *ostento* raritas admirationem facit: in *monstro* rectus naturae ordo vincitur: in *portento* differtur eventus: in *prodigio* detrimentum significatur. Haec *Fronto:* quibus diversa tradit *Non.* 5, 31. et 54. V. etiam PORTENTUM. Haec tamen passim scriptores non servant. *Virg. A.* 2, 171. Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris. Vix positum castris simulacrum, arsere coruscae Luminibus flammae arrectis, salsusque per artus Sudor iit, terque ipsa solo (mirabile dictu!) Emicuit. *Id. Ecl.* 6, 75. de Scylla: Candida succinctam latrantibus inguina monstris. *Id. A.* 3, 658. de Polyphemo: Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum. *Id. G.* 1, 184. Inventusque cavis bufo, et quae plurima terrae Monstra ferunt. ℙ *Monstrum hominis* convicium in hominem deformem, turpem, aut deterrimum. *Ter. Eun.* 4, 4, 29. taces? Monstrum hominis, non dicturus? et 5, 2, 21. monstrum! etiam ultro derisum advenit. *Pl. Poen.* 1, 2, 61. En monstrum mulieris. ℙ De homine pestifero, et perniciosissimo. *Cic. Cat.* 2, 1. Nulla jam pernicies a monstro illo atque prodigio comparabitur. *Val. Fl.* 6, 45. de Medea: Nescius, heu, quanti thalamos ascendere monstri Arserit. *Hor. Od.* 1, 37, 21. daret ut catenis Fatale monstrum, *h. e.* Cleopatram hostem infestissimam R. populi. *Cic. Pis.* 14. Tune etiam, immanissimum ac foedissimum monstrum, ausus es, etc. Adde *Ov. Met.* 8, 100. de Scylla Nisi: [*Adde *Lucan.* 8, 548. externaque monstra Pellite; et *ib.* 474. et 613. Regia monstra parant, i. e. regis ministri et satellites. *Gell.* 17, 1. Ut quidam fuerunt monstra hominum.] ℙ De re quacumque perniciosa. *Virg. G.* 3, 152. de oestro: Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras Inachiae Juno pestem meditata juvencae. *Id. A.* 2, 245. de equo durateo: Et monstrum infelix sacrata sistimus arce. *Id A.* 5, 849. de mari: mene huic considere monstro? *Val. Fl.* 6, 470. dedit acre decus, fecundaque monstris Cingula. *Id.* 3, 29. nova monstra viro, nova funera volvit, *h. e.* calamitates inusitatas, mala ingentia. [*Lucan.* 8, 541. Exiguam sociis monstri gladiisque carinam Instruit: ubi *monstrum* ipsum scelus, quod patraturi erant, notat, caedem Pompeji. Adde *ib.* 4, 245. Fecit monstra fides; et 7, 464. Facturi quae monstra forent. *Quint. Decl.* 12. Publice monstra commissa sunt: et in eadem *supra:* intra suas quisque latebras admisit hoc monstrum.] ℙ De quocumque viso inusitato, et mali aliquid monstrante. *Val. Fl.* 3, 355. sed quis non prima refellat Monstra Deum, longosque sibi non auguret annos? *Virg. A.* 3, 58. Delectos populi ad proceres, primumque parentem Monstra Deum refero. Ubi *Serv.* adnotat, vocabulum medium esse, et interdum etiam bonum monstrum dici. Hinc *Flor.* 1, 7. *f.* In fundamentis humanum repertum est caput: nec dubitavere cuncti, monstrum pulcherrimum imperii sedem, caputque terrarum promittere; et *ib.* 10. Tot tantisque virtutum exterritus monstris. Sic ap. *Virg.* de viso inusitato quidem, sed minime turpi aut terribili accipitur *A.* 9, 120. hinc virgineae (mirabile monstrum!) Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur. *Id. G.* 4, 554. Hic vero subitum, ac dictu mirabile monstrum Aspiciunt, liquefacta boum per viscera toto Stridere apes utero, etc. Adde *A.* 2, 680. et *ib.* 3, 307. et *ib.* 8, 81. et *Sil.* 16, 132. ℙ Universim de quacumque re mira, inusitata, incredibili. *Cic. Verr.* 2, 3, 73. Non mihi jam furtum, sed monstrum ac prodigium videbatur. *Catull.* 64, 15. Aequoreae monstrum Nereides admirantes, *h. e.* primam navem Argo. *Ov. Met.* 10, 553. veteris monstrum mirabere culpae. *Ter. Eun.* 2, 3, 42. Eho, nonne hoc monstri simile est? *Pl. As.* 2, 2, 23. pro monstro extemplo est, quando qui sudat, tremit. *Stat. Th.* 1, 234. immeritae gremium incestare parentis Appetiit, proprios monstro revolutus in ortus, *h. e.* monstruose, nomen pro adverbio. ℙ *Monstra dicere, loqui*, incredibilia narrare, jactare miracula. *Lucr.* 4, 591. Cetera de genere hoc monstra ac portenta loquuntur. *Cic. Tusc.* 4, 24. Remove perturbationes, maximeque iracundiam: jam videbuntur monstra dicere. *Id. Att.* 4, 7. Venerat horis duabus ante Chaerippus: mera monstra narrabat. ℙ [*Confund. *monstra* et *nostra.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 245.]

MONSTRŪOSĒ et Monstrose, adv. *τερατώδως*, praeter naturam, monstrifice. *Cic. Div.* 2, 71. Nihil tam praepostere, tam incondite, tam monstruose cogitari potest, quod non possimus somniare.

MONSTRŪOSUS et Monstrosus, a, um, adj. *τερατώδης, τερατικὸς*, monstrum referens, portentosus. Prius magis placet, quia frequentius est in opt. MSS., ut testantur *Scheffer., Heins., Goes.* et *Burm.* ad *Petr. fragm. Trag.* 69., item *Dausqu.* in *Ortograph.* Hinc *Prud. περὶ στεφ.* 2, 7. Nunc monstruosis idolis Imponis imperi jugum. Posterius tamen alii defendunt, tum quod et ipsum in probatis codicibus legitur, tum quod cauda illa *uosus* fere a nominibus quartae declinationis oritur, ut a *vultu, actu, saltu saltuosus, actuosus, vultuosus.* Quare usurpari tuto potest: praesertim a poetis in heroico carmine, nisi velint ad synaeresin confugere. Idem dicendum est de *montuosus* et *montosus. Lucan.* 1, 562. Monstrosique hominum partus numeroque, modoque. *Arnob.* 6. *f.* Personarum monstruosissima torvitas. *Suet. Gramm.* 15. Vita, scriptisque monstruosus. *Id. Cal.* 16. Monstruosae libidines. *Petr. l. c.* Ferculum longe monstruosius. *Cic. Div.* 2, 32. Monstruosissima bestia.

MONTĀNĬĀNUS, a, um, adj. ad Montanum Votienum pertinens, quod est nomen propr. oratoris R., de quo multa *Sen. Controv.* Sic *ib.* 28. *f.* Non multa referam, quae Montaniana Scaurus vocabat.

[MONTĀNILLĂ, ae, f. dimin. montanae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1146, 9. Cassia Montanilla. *F.*]

[MONTĀNĪNUS, i, m. ad montanum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 713, 2. M. Varius Montaninus. *F.*]

[MONTĀNĬOSUS, a, um, adj. idem ac montanus. *Auct. rei agrar.* p. 239. *Goes.* Si in loco montanioso fuerit. *F.*]

MONTĀNUS, a, um, adj. *ὄρειος, ὀρεινὸς*, ad montem pertinens. *Virg. A.* 2, 305. rapidus montano flumine torrens. *Ov. Met.* 1, 310. montana cacumina; et *ib.* 11, 147. antra; et *ib.* 1, 104. fraga; et *ib.* 2, 841. Montanum gramen. *Colum.* 6, 17. Montanus sal. *Varr. R. R.* 1, 6. ager. *Virg. A.* 5, 440. et *Plin.* 5, 27, 28. Montana oppida. ℙ *Montana* absolute, scil. loca. *Liv.* 21, 34. Perventum inde ad frequentem cultoribus alium, ut inter montana, populum. *Plin.* 6, 19, 22. Prasiorum gens, quorum in montanis Pygmaei traduntur. ℙ Item qui in montibus habitat, monticola. *Cic. Agr.* 2, 35. Ligures montani, duri, atque agrestes. *Id. Dom.* 28. Nulli pagani, aut montani. *Ov. Her.* 11, 90. lupi; et *ib.* 4, 171. montanaque numina Panes. *Id. A. Am.* 1, 305. armenta. ℙ Item montibus abundans, montuosus. *Id. Pont.* 2, 2, 78. Dalmatia montana. ℙ *Montanorum cohors I.* memoratur in *Inscr.* ap. *Grut.* 368, 5. et alibi, quae ideo fortasse est appellata, quia ejus milites ex monticolis primo eidem fuerunt adscripti.

MONTENSIS, e, adj. montanus, ut Dii montenses, *Inscr.* ap. *Grut.* 21, 3.

[MONTĬCĔLLUS, i, m. dimin. montis. *Auct. rei agrar.* p. 231. *Goes.* Inter vallem et vallem monticellus descendit, et de latere hujus monticelli alveus. Adde p. 243, 252. etc. *F.*]

MONTĬCOLA, ae, m. et f. *ὀρείτης*, montes incolens, montanus. *Ov. Met.* 1, 193. Faunique, Satyrique, et monticolae Silvani.

[MONTĬCŬLUS, i, m. dimin. montis. *Gloss. Philox.* Monticulus, *ὄριον, βουνός. F.*]

MONTĬFER, a, um, adj. montem ferens. *Montiferum Titana* dixit *Sen. Herc. Oet.* 1212. quia fingitur montibus superinjectis a Jove oppressus, et sepultus. Quidam tamen antiqui Codd. hab. *monstriferum.*

[MONTĬGĔNĂ, ae, comm. gen. qui in montibus genitus est. *Gloss. Philox.* Montigena, *ὀρεσιγενής. F.*]

MONTĪNUS, i, m. Deus, qui montibus praecst. *Arnob.* 4, 132.

MONTĪVĀGUS, a, um, adj. *ὀρεπλανὴς*, qui per montes vagatur. *Cic. Tusc.* 5, 27. *f.* Non frigus, non famem, non montivagos atque silvestres cursus, lustrationesque patiuntur? *Stat. Ach.* 1, 450. Diana montivaga. *Sen. Herc. Oet.* 137. Montivagum pecus. *Id. Hippol.* 784. Montivagi Panes.

MONTŪOSUS et Montosus, a, um, adj., *ὀρεινὸς*, montibus abundans. V. dicta in MONSTRUOSUS. *Cic. Planc.* 9. Regio aspera et montuosa. *Id. Part.* 10. Loci plani, an montuosi. *Virg. A.* 7, 744. Et te montosae misere in proelia Nursae. *Plin.* 11, 53, 116. Montuosa Ciliciae.

MŌNŪBĬLIS, e, adj. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Porticus magis rotundatis fulta coluriis, quam columnis invidiosa monubilibus, *h. e.* insignibus, quales in monumentis adhiberi solent. *Sirmond.* Al. leg. *munibilibus, h. e.* munientibus.

[MŌNŪMENTĀLIS, e, adj. ad monumentum pertinens. *Vet. Auct. de limit.* p. 305. *Goes.* Monumentalis lapis. *F.*]

MŌNŪMENTĀRĬUS, a, um, adj. ad monumentum, seu sepulcrum pertinens. *Appul. Flor. n.* 4. Ceraula monumentarius, *h. e.* qui ad defunctorum sepulcra canit, siticen.

MŌNŪMENTUM et Monimentum, i, n. *μνῆμα, μνημεῖον*, quicquid nos monet, sive monere potest rei alicujus praeteritae, ut libri, historiae, statuae, sepulcra, tituli, fana, porticus, ceteraque ejusmodi: a *moneo.* Pro *monumentum* dixere etiam *monimentum, u* in *i* converso, quomodo ex *optumus*, et *maxumus* facta *optimus*, et *maximus.* Utraque autem scribendi ratio proba est, suosque habet et auctores, et Lapides, teste *Cellar.* in *Orthogr.* Priorem probat *Manut.*, cui favet analogia in *documentum, nocumentum*, etc., posteriorem praefert *Dausqu.* ut leniorem, et usitatiorem. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 1, 136. Sed ego, quae monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor, ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quam ad praesentis temporis gratiam. *Id. Or.* 1, 46. Monumenta rerum gestarum, et vetustatis exempla oratori nota esse debent. *Caes. B. C.* 2, 21. Pecunias monumentaque, quae ex fano Herculis collata erant in privatam domum, referri in templum jubet, *h. e.* ornamenta publica, scil. simulacra, donaria, etc. *ἀναθήματα. Cic. Fam.* 5, 12. Commendare aliquid monumentis. *Id. Rab. Post.* 16. celebrare monumentis annalium. *Ter. Eun.* 4, 6, 16. Abi tu, cistellam, Pythias, domo effer cum monumentis, *h. e.* signis, quibuscum puella exposita erat, ut ex iis aliquando cognosci posset. *Id. ib.* 29. haec monumenta vocat *signa. Cic. Mil.* 38. Hujus vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulcrum esse patiemini? ℙ Translate. *Cic. Cat.* 3, 11. Insigne honoris et monumentum laudis. *Id. Dejot.* 14. Multa sunt tuae clementiae monumenta. *Id. Verr.* 2, 2, 72. Indicia ac monumenta furtorum. *Virg. A.* 5, 538. cratera impressum signis .... Ferre sui dederat monumentum et pignus amoris. *Cic. Off.* 3, 34. Tibi persuade, te multo fore cariorem, si talibus monimentis praeceptisque laetabere, *h. e.* monitis. ℙ Speciatim dicitur de sepulcris, et cenotaphiis, quibus memoria defunctorum conservatur. *Florent. Dig.* 11, 7, 42. Monumentum generaliter res est memoriae causa in posterum prodita: in qua si corpus, vel reliquiae inferantur, fiet sepulcrum: si vero nihil eorum, erit monumentum memoriae causa factum, quod Graeci *κενοτάφιον* appellant. *Festus:* Monimentum quamvis mortui causa sit factum, non tamen significat ibi sepultum. *Varr. L. L.* 5, 6. Monimenta, quae in sepulcris: et ideo secundum viam, quo praetereuntes admoneant, et se fuisse, et illos esse mortales. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. *f.* Ibi eum combussimus: posteaque curavimus, ut Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. *Ov. Met.* 13, 524. Condeturque tuum monumentis corpus avitis. *Plin.* 29, 1, 5. Cum monumento suo, quod est Appia via, latronicen se inscripserit. *Nep. Att.* 22. Sepultus est in monumento avunculi sui. *Hor. Sat.* 1, 8, 13. Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum Hic dabat, heredes monumentum ne sequeretur. *Nep. Dion.* 10. Sepulcri monumento donatus est. *Cic. Phil.* 14, 12. Placet mihi, militibus, qui pugnantes occiderunt, monumentum fieri quam amplissimum.

*MONUSTE, es, f. Danaidum una, quae maritum suum Euristhenem trucidavit. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

MONYCHUS, i, m. *Μώνυχος*, nomen unius ex Centauris: per syncopen a *μονόνυχος*, h. e. unam et solidam habens ungulam, qualis est in equis: a *μόνος*, solus, et *ὄνυξ*, ungula. *Lucan.* 6, 388. Aspera te Pholoes frangentem, Monyche, saxa. *Val. Fl.* 1, 146. Fert gravis invito victorem Nestora tergo Monychus. Adde *Juven.* 1, 11.

[MOPSĬĀNI, et

[MOPSĬI, orum, m. plur. dicti sunt factiosi homines a Mopso quodam, qui in urbe Compsa in Hirpinis a Romanis stabant, dum ea Annibal potitus est. *Liv.* 23, 1. *F.*]

*MOPSĬUM, i, n. *Μόψιον*, tumulus Thessaliae, medio inter Tempe ac Larissam loco. *Liv.* 42, 61. et 67. *extr. B. A.*

MOPSŌPĬUS, a, um, adj. *Μοψόπιος*, ad Mopsopiam pertinens, Atheniensis, Atticus. *Mopsopia* enim Attica regio dicta est. *Strabo l.* 9. *f. Ἄλλος δ' ἐστὶ Μόψος, ἀφ' οὗ ἡ Ἀττικὴ Μοψοπία. Ov. Met.* 5, 661. Mopsopius juvenis, *h. e.* Triptolemus; et *ib.* 6, 423. Mopsopii muri, *h. e.* Athenarum; et *Her.* 8, 72. Mopsopia urbs. *Sen. Hippol.* 121. Si ille remeet arte Mopsopia potens, *h. e.* Daedalus. Absolute *Id. ib. f.* Mopsopia claris tota lamentis sonet, *h. e.* totae Athenae, vel etiam tota Attica regio.

*MOPSOS, opp. Ciliciae. *Plin.* 5, 27. Mopsos liberum: sc. oppidum. ℙ V. *Mopsuhestia. B. A.*

*MOPSUCRĒNAE, arum, *Μόψου κρῆναι*, i. e. Mopsi fontes, Cappadociae oppidum, in Cataonia, in Ciliciae confinio. *Ammian.* 21, 15. (al. 29.) ℙ *Μόψου κρήνη Ptolemaeo* est. *B. A.*

*MOPSUHESTIA vel Mopsuestia, ae, f. *Μόψου* (regis Argivorum) *ἑστία*, oppidum Ciliciae, ad Pyramum amnem, prope mare. *Cic. Fam.* 3, 18. Cum castra haberem in agro Mopsuhestiae. ℙ Dicitur et *Mopsos. B. A.*

*MOPSUS, i. m. *Μόψος*, vates Argivus, cujus meminit *Cic. N. D.* 2, 3., *Div.* 1, 40. et *Leg.* 2, 13. ℙ Alius, augur Thessalus, Ampycis et Chloridis filiae Orchomeni filius, unus ex iis, qui ad aprum Calydonium venandum ierunt, Argonauta. *Ov. Met* 12, 456. *Hyg. fab.* 14, 128. et 173. ℙ Alius, Mantus filius, ut refert *Mela* 1, 17. qui cum Calchante, Apollinis filio, de peritia divinandi certavit. *Val. Fl.* 1, 207. ℙ Mopsus, deus Cilicum, cui divinos honores exhibebant, ut est apud *Orig. contra Cels. et Tert. de anima* 3, 46. ℙ Mopsus, cujus nomen in Pastorali olim carmine frequens, Argivorum dux fuit, de quo sic *Jul. Caes. Scalig.*

Poet. 1, 4. Antiphemi frater, Lacius Argivus, coloniam misit in montana Colophoniorum, Mopso duce. Is ibi terram emit a Cylabra pastore indigena: in qua oppidum condidit, nomine *Φασηλίν*. Antiphemus autem suis auspiciis cum sacris et Diis patriis in Siciliam coloniam duxit, ubi Gelam urbem aedificavit, Dianaeque ludos celebravit: quam in Mopsi memoriam ita cognominavit. Quare et Mopsi nomen in Pastorali carmine frequens est. Haec *J. C. Scalig. B. A.*

MORA, ae, f. *διατριβή, ἀναβολή*, cunctatio, tarditas, dilatio, tergiversatio. *Cic. Fam.* 10, 22. Propter tarditatem sententiarum, moramque rerum. *Liv.* 31, 48. *f.* Belli tempora moras et dilationes imperatorum non exspectant. *Cic. Inv.* 2, 49. Utrum statim fieri necesse sit, utrum habeat aliquam moram et sustentationem. *Id. Phil.* 5, 9. *f.* Ista legatio moram et tarditatem afferret bello. *Id. Mil.* 20. *extr.* Mora et tergiversatio. *Id. Inv.* 1, 9. Moram atque impedimentum rei cuipiam inferre. *Caes. B. C.* 3, 75. Neque vero Pompejus moram ullam ad insequendum intulit. *Val. Fl.* 2, 356. Deus ipse moras spatiumque indulget amori. *Tibull.* 1, 4, 32. Formae non ullam fata dedere moram. *Cic. Verr.* 2, 5, 64. Moram supplicio quaerere; et *ib.* Crudelissimi supplicii aliquam parvam moram afferre. *Sen. Med.* 1015. donare suppliciis. *Liv.* 6, 31. facere delectui. *Id.* 21, 32. facere dimicandi. *Cic. Sull.* 20. facere creditoribus, *h. e.* solutionem differendo. *Id. Att.* 16, 2. Moram facere. *Sen. Ira* 3, 39. et *Val. Fl.* 3, 375. Moras nectere. *Pl. Ps.* 1, 3, 16. offerre. *Id. Poen.* 1, 3, 37. objicere. *Sen. Med.* 281. serere. *Virg. A.* 10, 888. trahere; et *ib.* 1, 418. moliri. *Ter. Andr.* 3, 5, 9. producere malo alicui. *Quint.* 4, 2. *med.* ducere; et *ib.* 4. tollere. *Virg. A.* 4, 569. et *Val. Fl.* 1, 306. rumpere. *Virg. A.* 8, 443. et *ib.* 12, 699. praecipitare. *Ov. Met.* 10, 659. pellere; et *ib.* 9, 282. corripere. *Pl. Stich.* 2, 1, 37. removere. *Pomp. Dig.* 18, 6, 17. adhibere, *h. e.* differre. *Cic. Phil.* 10, 1. Ne minimam quidem moram interposuisti, quin quam primum gaudio maximo frueremur. *Id. Cat.* 1, 4. Dixisti, paululum tibi esse etiam tum morae, quod ego viverem. *Cassius* ad *Cic. Fam.* 12, 12. Habeo paululum morae, dum promissa militibus persolvo. *Vell.* 2, 51. Caesar nihil in mora habuit, quominus perveniret, *h. e.* nulla re impeditus, retardatusque est. *Cic. Att.* 13, 31. Non puto tam expeditum negotium futurum, ut non habeat aliquid morae. *Ter. Andr.* 5, 6, 7. Nec mora ulla est, quin eam uxorem ducam. [*Discrimen inter *mora* et *cunctatio* exponit *Doederl.* 3, 297.] ℙ *Esse in mora* dicitur, qui morae causa est. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. Saltus Castulonensis nequaquam tanta in mora est, etc. *h. e.* tam retardat tabellarios. *Ter. Andr.* 3, 1, 9. sequere me intro, ne in mora illi sis. ℙ *Per me nulla est mora*, nullam ego moram interpono, promptus sum. *Ter. Andr.* 3, 4, 14. et *Sen. Thyest.* 1122. ℙ *Nulla in me est mora*, idem. *Virg. Ecl.* 3, 52. ℙ *Nihil in me est mora*, idem. *Ter. Andr.* 2, 5, 9. Neque istic, neque alibi tibi usquam erit in me mora. ℙ *Esse morae*, esse in mora. *Pl. Amph.* 3, 3, 17. faxo, haud quicquam sit morae. *Ter. Ad.* 4, 5. *f.* ne morae meis nuptiis egomet siem. Al. leg. *mora.* ℙ *Est mora*, longum est. *Pl. Capt.* 4, 3, 6. Nam si alia memorem, mora est. ℙ *Inter moras*, interim, interea. *Plin. ep.* 9, 13. *med.* Inter moras consul, peracta discessione, mittit senatum. *Flor.* 3, 10. Cum inter moras Caesar, ponte rescisso, abstulisset fugam. Adde 4, 10. ℙ *Sine mora*, statim. *Cic. ad Brut.* 1, 18. Quod ego, ut debui, sine mora feci. Sic *Prop.* 1, 14, 2. Tibure me nulla jussit adesse mora. ℙ *Nec mora*, nulla mora fit. *Prop.* 4, 4, 82. Nec mora, vocales occupat ense canes. *Sil.* 9, 602. Nec jusso mora: collectis fumantia lucent Terga elephantorum flammis. *Prop.* 4, 10, 36. Nec mora fit: plano sistit uterque gradu. *Val. Fl.* 5, 60. Haud mora: relliquias socii, defletaque miscent Nomina. *Virg. A.* 5, 140. ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes (Haud mora) prosiluere suis. Adde *G.* 4, 548. ℙ Ap. *Petr. Sat.* 134. Aetatisque longae moram tremulis vocibus coepit accusare, *h. e.* quod tamdiu vitam finire tardaret. Sic *Sen. Troad.* 939. Abrumpere ense lucis invisae moras; et *ib.* 1169. Ubi hanc anilis exspuam leti moram? *Val. Fl.* 6, 733. Saeva quidem lucis miseris mora. [*Lucan. 4, 534. fieret captis si dulcior ipsa Mortis vita mora: ubi v. *Cort.*, qui plura hujus generis exempla laudat.] ℙ *Mora* in oratione. *Cic. Or.* 16. Flumen aliis verborum, volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam: distincta alios, et interpuncta intervalla, morae, respirationesque delectant. ℙ Pro intervallo, et spatio temporis. *Ov. Met.* 9, 734. Longa fuit medii mora temporis, actaque magni Herculis implerant terras. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 7. Opus maximum omnium, quae unquam fuere, non temporaria mora, verum etiam aeternitatis destinatione. ℙ Metonymice est res ipsa, quae aliquid retinet, sustinet, aut retardat, obex, vinculum. *Cels.* 8, 10. *n.* 5. Crus fractum in canalem conjiciendum est. Is canalis ab inferiori parte foramina habere debet, per quae, etc. et a planta moram, quae simul et sustineat eam, et delabi non patiatur: et a lateribus cava, per quae loris datis, morae quaedam crus detineant; et *ib.* 20. *med.* Fustium imas partes oppositae morae objicere. *Virg. A.* 10, 485. Loricaeque moras, et pectus perforat ingens. *Sil.* 5, 318. per tegmina velox Tunc, acrisque moras laevo stetit hasta lacerto. *Val. Fl.* 6, 97. quos crudi mora corticis armat. *Sil.* 9, 217. propulso munimine valli, Fossarum rapuere moras. *Stat. Th.* 11, 244. Portarumque moras frenis adsultat, et hastis. *Grat. Cyn.* 108. Ille etiam valido primus venabula dente Induit, et proni moderatus vulneris iram, Omne moris excepit onus, *h. e.* duabus quasi alis exstantibus prope summitatem venabuli, quibus exceptae ferae onus, atque impetus sisteretur. [*Lucan. 6, 217. Ille moras ferri, nervorum et vincula rumpit, i. e. hamos sive uncos arundinis. V. quae laudat *Cort.*] ℙ Hac ratione eleganter transfertur ad hominem. *Virg. A.* 10, 427. primus Abantem Oppositum interimit, pugnae nodumque, moramque. *Liv.* 23, 9. *f.* Restituendae Romanis Capuae mora atque impedimentum es. *Abronus Silo* ap. *Sen. Suasor.* 2. belli mora concidit Hector. *Sil.* 8, 33. de Fabio Max.: sola illa Latinos Sub juga mittendi mora. Adde *Lucan.* 1, 100. [*ubi v. *Cort.*] ℙ Quod scripsit *Nep. Iphicr.* 2. Hoc exercitu moram Lacedaemoniorum interfecit: *moram* significat certam partem ac numerum militum, a Lacedaemoniis ita dictum, ut *phalanx* ap. Macedones, constantem militibus vel trecentis, vel quingentis, vel septingentis. Est autem a *μείρω*, divido, unde *μοῖρα* pars, a quo *μόρα*. Quidam apud *Nepotem* scribi volunt *moeram*, Graecam diphthongum *οι* ut servent. [*V. *Brem.* ad h. l. Legitur haec vox ex *J. Fr. Gronovii* conjectura etiam ap. *Cic. Tusc.* 2, 16. Militiam vero — nostram dico, non Spartiatarum, quorum procedit mora ad tibiam, etc. Vulgo enim sine sensu legebatur: *Spartiatarum, quorum procedit ad modum ad tibiam.*]

MORACIAS Nuces, Titinius duras esse ait: unde fit diminutivum moracillum. *Festus.* Porro *moracius* videtur esse a *mora*, quia quae dura sunt, moram frangenti afferunt.

MORACILLUM. V. v. praec.

MORALIS, e, adj. *ἠθικός*, ad mores pertinens. *Cic. Fat.* 1. Quia pertinet ad mores, quos *ἤθη* Graeci vocant, nos eam partem philosophiae de moribus appellare solemus. Sed decet, augentem linguam Latinam, nominare moralem. *Sen. ep.* 89. Philosophiae tres partes esse dixerunt, moralem, naturalem, et rationalem. Prima componit animum, etc. Adde *Quint.* 6, 2. Sic *Epistolae morales* dicuntur, quibus mores philosophiae institutis formantur. *Gell.* 12, 2.

MORALITAS, atis, f. morum conditio. *Macr. Sat.* 5, 1. Sunt stili dicendi duo, dispari moralitate diversi.

MORALITER, adv. ex comicornm more. Est *Don.* ad *Ter. Ad.* 5, 8, 35. et ad *Phorm.* 1, 1, 2.

MORAMENTUM, i, n. moratio, mora. *Appul. Flor. n.* 21. Hisce igitur moramentis omnibus qui volunt, etc.

MORANS, antis, part. a *moror*, qui moratur, tardus, cunctans, cessans. *Plin.* 26, 15, 90. Secundas morantes radices panacis appositae extrahunt. *Virg. G.* 4, 70. namque morantes Martius ille aeris rauci canor increpat; et *ib.* 3, 565. nec longo deinde moranti Tempore, *h. e.* neque ita multo post. *Id. A.* 7, 620. regina Deum coelo delapsa morantes Impulit ipsa manu portas. *Hor. Od.* 2, 7, 6. Cum quo morantem saepe diem mero Fregi, *h. e.* longum. Sic *Virg. Ecl.* 9, 52. saepe ego longos Cantando puerum memini me condere soles.

[MORARIA, ae, f. herba, quam et statioron, et chamaeleonem vocant. *Appul. Herb.* 25. *F.*]

MORATIM, adv. cum mora, tarde. *Solin.* 3. Ut moratim insularum omnium oras legamus. V. ORATIM. *Sen. Q. N.* 6, 14. *med.* Neque enim in nobis febris alias partes moratius impellit, sed per omnes pari aequalitate discurrit. *Sic ed. *Gronov.* ubi ed. *Grut.* habet *moderatius.* ℙ V. *moratius* in loco *Senecae* ducunt alii a *morate. B. A.*

MORATIO, onis, f. idem ac mora. *Vitr.* 9, 4. *med.* Cum faciunt eae stellae regressus, et morationes; et *ib.* Morationibus impediri.

MORATOR, oris, m. qui moram affert. *Liv.* 2, 4. Quatuor tribunorum adversus unum moratorem publici commodi, auxilio delectum consules habent. [V. *Liv.* l. c. in MORATUS. *F.*] ℙ *Moratores* in ludis circensibus fuisse videntur, qui frontes aurigarum jamjam dimittendorum in carcere aequabant, detinebantque, ne ante datum signum transilirent lineas; [vel potius, qui canistra, aut ollas bigis vel quadrigis in circo currentibus subjiciebant; eos enim videre est in omnibus anaglyptis, qui circenses ludos repraesentant, ut animadvertit *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 5. p. 220. *ed. Mediol.* Hujusmodi moratores erant fortasse et pedites et equites: auriga enim quilibet suum equitem habebat, qui et sibi auxilio, et aliis impedimento esset. *Inscr.* ap. *Grut.* 339, 3. Q. Rapidio Q. F. Lem. Mulioni moratori ludi circensis. Adde aliam *ib.* 5. *F.*] ℙ In foro erant obturbatores quidam, sordidique causidici, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores advocati recrearentur, et se denuo compararent ad dicendum: quae sunt verba *Asconii* ad illud *Cic. Div. Verr.* 15. *f.* Quartum quem sit habiturus, non video, nisi quem forte ex illo grege moratorum, qui subscriptionem sibi postularunt, cuicumque vos delationem dedissetis.

MORATORIUS, a, um, adj. ad morandum pertinens, moram faciens. *Ulp. Dig.* 26, 7, 6. Partibus suis fungi, non quidem praecipiti festinatione, sed moratoria cunctatione. *Paul. Sent.* 5. *tit.* 35. Moratorias appellationes recipi non placuit, *h. e.* quae morae inferendae causa fiunt. *Justin. Cod.* 4, 31, 14. Moratoriis ambagibus spem condemnationis excludi.

MORATUS, a, um, part. a *moror*, qui moratus est. *Cic. Att.* 5, 16. Moratus triduum Laodiceae, totidem dies Synnade. *Liv.* 21, 47. Ad sexcentos moratorum in citeriore ripa, segniter ratem solventes, cepit; et *ib.* 48. Paucos moratorum occiderunt, citra flumen interceptos. [In his *Livii* ll. cc. fortasse *moratorum* est genit. plur. a nominat. *morator*, qui nempe postremus est in itinere faciendo. *F.* *V. *Gronov.* ad hh. ll. et *intpr.* ad *Curt.* 4, 10.] *Virg. A.* 3, 610. dextram Anchises, haud multa moratus, Dat juveni. *Val. Fl.* 4, 243. nec plura moratus. *Ov. Fast.* 1, 161. non multis ille moratus, Contulit in versus sic sua verba duos. *Id. Met.* 13, 125. oculos paulum tellure moratos Sustulit ad proceres. *Id. Am.* 1, 8, 82. Saepe simultates ira morata facit, *h. e.* quae diu sedit in animo.

MORATUS, a, um, adj. *εὐθιομένος*, moribus praeditus, sive bonis, sive malis. *Ter. Hec.* 4, 4, 22. Quid mulieris uxorem habes? aut quibus moratam moribus? *Cic. Part.* 23. Quemadmodum quisque educatus, quemadmodum institutus, moratusque fuerit. *Id. Fin.* 1, 19. Morati melius erimus, cum didicerimus, quae natura desideret. *Pl. Most.* 1, 3, 132. Nequicquam mulier exornata est bene, si morata est male. *Id. As.* 3, 1, 3. Ubi piem Pietatem, si isto more moratam tibi Postulem placere? *Cic. Brut.* 2. Bene morata, et bene constituta civitas. *Id. Or.* 2, 43. *extr.* Ut probi, ut bene morati, ut boni viri esse videantur. *Id. Agr.* 2, 31. Genus hominum optime moratum. *Colum.* 1, 8. *f.* Bene moratam disciplinam obtinere. ℙ *Morata oratio, ἠθοποιὸς λόγος*, est quae mores aptos, convenientesque affectus personis tribuit. *Quint.* 4, 2. *med.* Cicero narrationem vult esse evidentem, moratam, cum dignitate. Sed in oratione morata debent esse omnia; cum dignitate, quae poterunt. Locus *Cicer.*, quem hic designat *Quint.*, est in *Top.* 26. ubi pro *morata*, al. leg. *moderata. Hor. A. P.* 319. morataque recte Fabula. *Cic. Div.* 1, 31. O poema tenerum, moratum, atque molle! ℙ Transfertur ad alia. *Ov. Met.* 15, 94. placare voracis, Et male morati poteris jejunia ventris. *Pl. As.* 2, 3, 10. Ita haec morata est janua extemplo janitorem Clamat, procul si quem videt ire ad sese calcitronem.

*MORAX, acis, adj. qui moratur vel retinet. *Varr.* ap. *Non.* 6, 16. Moracium cogitationum turpitudo. *B. A.*

*MORBIDE, adv. *Hieron. B. A.*

MORBIDUS, a, um, adj. *νοσηρός*, morbosis humoribus plenus, morbo infectus, vel morbo proximus. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Cum sunt apes morbidae propter primores vernos pastus. *Plin.* 8, 26, 40. Profluvio sanguinis morbidum alias corpus exonerat. ℙ Item morbum inferens. *Lucr.* 6, 1222. Extorquebat enim vitam vis morbida membris; et *ib.* 1095. fit morbidus aer.

MORBIFER vel Morbiferus, a, um, adj. *νοσοποιός*, morbum afferens. *Paul. Nol. carm.* 25, 238. morbifera de labe cadaveris.

MORBONIA, ae, f. vox ficta a *morbus*, et vulgari sermone trita, qua utebantur, qui alicui male precari vellent; eum enim abire morboniam jubebant, h. e. in locum morbis plenum, in malam crucem. [Itali dicunt *andare alla mal' ora. F.*] *Suet. Vesp.* 14. Trepidum eum quidam abire morboniam jusserat. [*Brem. pro vulg. *morboniam* cum plurim. cdd. legit *morboviam.*] *Xiphil.* in *Dion.* compendio 66, 11. idem narrans dixit: *ἐς κόρακας ἀπελθεῖν.*

*MORBOSE, adv. morbide, ap. *Celsum. B. A.*

MORBOSUS, a, um, adj. *νοσώδης*, obnoxius morbo, valetudinarius. *Cato R. R.* 2. Ferramenta vetera, servum senem, servum morbosum, et si quid aliud supersit, vendat. *Cic. Tusc.* 4, 24. *extr.* Bene igitur nostri, cum omnia essent in morbis vitia, quod nullum erat iracundia foedius, iracundos solos morbosos nominaverunt. *Gell.* 4, 2. ex *Labeone:* Equus mordax, aut calcitro vitiosus, non morbosus est. *Masur. Sabin. ib.* Furiosus, mutusve morbosi sunt. ℙ *Morbosus* ap. *Catull.* 57, 6. est turpiter mollis, *παθικός*. *Auct. Priap.* 47. Morbosior omnibus cinaedis.

[MORBOSITAS, atis, f. conditio morbosa. *Pall.* 1, 16. Vitandum est autem, quod plerique fecerunt

aquae causa, villam in infimis vallibus mergere, et paucorum dierum voluptatem praeferre habitatorum saluti; quod etiam magis metuemus, si provincia, quam colimus, de morbis aestate suspecta est. *Cod. MS. Biblioth. Marcianae* pro *morbis aestate* habet *morbositate;* quod et sententiae maxime convenit, et Latinae linguae indolem servat, in qua et *morositas* et *mulierositas*, aliaque his similia invenire est. Ne quis vero putet, a nullo unquam ex Latinis scriptoribus usurpatam fuisse hanc vocem, cum plurima eorum scripta jam periisse constet, et in iis, quae remanent, oscitanter admodum verba hactenus sint investigata. *F.*]

[*MORBOVIA, ae, f. V. in MORBONIA.]

MORBUS, i, m. *νόσος*, adversa valetudo, aegrotatio, vitium, malum. Definitur a *Labeone* ap. *Gell.* 4, 2. habitus cujusque corporis contra naturam, qui usum ejus facit deteriorem. Dicitur differre a vitio, quod hoc perpetuum sit, ille temporalis, ut est ap. *Modest. Dig.* 50, 16, 101. Praeterea qui morbum habet, vitiosus, eo manente, appellatur: qui vitium, non continuo morbosus est. *Cic. Tusc.* 4, 13. Morbum appellant totius corporis corruptionem: aegrotationem morbum cum imbecillitate: vitium cum partes corporis inter se dissident: ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas: itaque illa duo, morbus, et aegrotatio, ex totius corporis conquassatione et perturbatione gignuntur: vitium autem integra valetudine ipsum ex se cernitur. *Id. ib.* 10. Cum sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis, in corpore morbi aegrotationesque nascuntur. *Id. Cat.* 1, 13. Homines aegri morbo gravi. *Id. Tusc.* 3, 4. *f.* In morbo esse; et *ib.* 1, 32. *extr.* In morbum cadere. *Id. Cluent.* 62. incidere. *Id. Att.* 7, 5. delabi. *Id. Div.* 1, 30. Morbo gravi et mortifero affectum esse; et *Fin.* 1, 18. laborare. *Suet. Caes.* 45. corripi; et *Cal.* 50. vexari. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 1. infestari. *Cic. Fat.* 9. urgeri; et *Pis.* 35. affligi. *Id. N. D.* 3, 35. misero diuturnoque tabescere. *Id. Tusc.* 4, 14. tentari. *Id. Fam.* 12, 30. levari. *Plin.* 28, 13, 57. liberari. *Lucr.* 6, 1219. languere. *Paul. Dig.* 3, 3, 54. teneri. *Hor. Sat.* 2, 3, 121. jactari. *Flor.* 4, 12. *med.* solvi. *Nep. Dion.* 2. conflictari. *Id. Reg.* 2. consumi; et *ib.* 3. perire. *Id. Them.* 10. mori. *Sall. Jug.* 5. absumi; et *ib.* 9. confici. *Just.* 10, 2. ex dolore contracto decedere. *Caes. B. C.* 3, 18. Graviore morbo ex frigore et labore implicitus. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. impeditus. *Id. Cluent.* 7. opprimi. *Id. Cat.* 1, 13. Morbus ingravescit. *Id. Fam.* 7, 26. Senescentis morbi remissio; et *ib.* 13, 29. Ex morbo convalescere. *Id. ad Quirit.* 1. *extr.* recreari. *Pl. Epid.* 1, 2, 26. A morbo valere. *Cic. Div.* 2, 5. Evadere e morbo. *Id. Off.* 1, 24. Curationem morbo adhibere; et *Or.* 2, 44. mederi. *Pl. Cist.* 1, 1, 76. Medicinam facere. *Cic. Fam.* 7, 26. Morbum depellere. *Plin.* 30, 8, 2. contrahere. *Pl. Capt.* 3, 3, 3. alicui afferre. *Id. Trin.* 1, 2, 38. incutere. *Id. Mil.* 4, 6, 57. levare. *Petr. Sat.* 17. Morbi impetum lenire. *Cels.* 3, 22. *med.* Morbus inveteravit. *Ter. Hec.* 3, 1, 50. amplior fit; et 3, 2, 2. aggravescit. *Suet. Caes.* 1. Morbo quartanae aggravante. *Plin.* 23, 1, 24. declinante; et *mox:* minuente se; et 34, 15, 44. praevalente. [*Lues, *contagium* et *pestilentia* a *morbus* ita differunt, ut hoc adversam quandam valetudinem, quae singulum afficiat, significet; illa mali cujusdam late diffusam vim, *(Krankheitsstoff, Seuche)* denotent. — *Aegrotatio* et *morbus* in eo discrepant, quod hoc objective, ut *malum* et *νόσος*, illud subjective, sicut *valetudo* et *ἀῤῥωστία* dicitur. *Doederl.* 2, 62.] ℙ *Morbus major*, est comitialis. *Cels.* 3, 23. Inter notissimos morbos est etiam is, qui comitialis, vel major nominatur. Adde *Fest.* in *Prohibere.* Idem dicitur et *sacer*, sive quia (ut ait *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4.) divinitus putatur immissus; sive quod sacram contaminet animam; sive quod in capite fiat, quod multorum philosophorum judicio sacrum templum est partis animae in corpore natae; sive ob magnitudinem passionis; majora enim vulgus sacra vocavit. Haec *Coelius.* Graeci *ἱερὰν νόσον* dicunt, et *Appul. Apol.* divinum morbum. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 96.] ℙ *Morbus regius*, arquatus. *Cels.* 3, 24. V. ARQUATUS. ℙ *Id mihi morbo est*, morbum affert. *Pl. Truc.* 2, 5, 12. quod mulier facere incepit, nisi id efficere perpetrat, Id illi morbo, id illi senio est. ℙ Translate morbi sunt vitia animi. *Sen. ep.* 75. item 85. *med.* Morbi sunt inveterata vitia, et dura, ut avaritia, ut ambitio nimia, etc. *Cic. Fin.* 1, 18. Animi morbi sunt cupiditates immensae, et inanes, divitiarum, gloriae, dominationis, etc. *Sen. Ben.* 1, 14. Numquid me dignum judicavit? minime: morbo suo morem gessit. [*V. *Gronov.* ad h. l.] *Cic. Verr.* 2, 4, 1. Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium, ut amici ejus, morbum et insaniam; ut Siculi, latrocinium. *Id. ib.* 3, 36. Nam ille quoque sodalis istius erat in hoc morbo et cupiditate. [*Id. *Cluent.* 65. Mulier non jam morbo, sed scelere furiosa. *Vell.* 2, 83, 1. Plancius non judicio recta legendi, neque amore reip. aut Caesaris, sed morbo proditor. *Hor. Sat.* 1, 6, 30. Ut, si qui aegrotet, quo morbo Barrus, etc. ubi *Heindf.* praeter alia comp. similem usum Gr. vv. *νόσος* et *νοσεῖν*, coll. *Wyttenb. Bibl. Crit.* P. 8. p. 73.] *Catull.* 76, 25. Ipse valere opto, et tetrum hunc deponere morbum, *h. e.* amorem. *Petr. Sat.* 90. Quid tibi vis cum isto morbo? *h. e.* cacoethe faciendi carmina. ℙ Videtur *Cic.* hanc translationem (tametsi tum *ll. cc.*, tum alibi saepissime est usus) non omnino probare, ut minus Latine usitatam. Haec enim habet *Tusc.* 3, 4. Perturbationes animi, quae Graeci *πάθη* appellant: ego poteram morbos, et id verbum esset e verbo: sed in consuetudinem nostram non caderet: nam misereri, invidere, gestire, laetari, haec omnia morbos Graeci appellant: nos recte, ut opinor, perturbationes dixerimus: morbos autem non satis usitate. Haec *Cic.*, qui videtur ita sentire, philosophum agens: contra oratorie loquens. [*Aliud translatae significationis exemplum habet ap. *Cic. Sull.* 27. Ex magnis et diuturnis et jam desperatis reip. morbis ista repente vis erupit, ut ea confecta et ejecta convalescere aliquando et sanari civitas posset: ubi de vitiis civitatum *morbus* intell.] ℙ In fabulis *Morbus* Deus est, Erebi, et Noctis filius, ut et ap. *Cic. N. D.* 3, 17. *extr.* et *Hyg. in praef. fab. Virg.* autem *A.* 6, 275. sedem ejus ponit vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci, una cum Luctu, Curis, Senectute, Metu, Fame, etc. ℙ *In morbo consumat*, videtur esse imprecatio in eum, qui pecuniam alienam injuria possidet, *Sen. Ben.* 4, 39. Quingenti denarii sunt: illud, quod dici solet, in morbo consumat. Potest etiam, inquit *Manut.*, ab amico dici, qui nolit deesse amico quod impendat, si morbus inciderit.

MORDĀCĬTAS, atis, f. vis mordendi, pungendive. *Plin.* 21, 15, 54. Urticarum foliis inest aculeata mordacitas; et *ib.* 18, 72. Juncus rotundus, vinosae mordacitatis ad linguam, *h. e.* sapore vini acri, et linguam gustantis vellicante. *Pall.* 2, 15. *med.* Amygdala antequam ponamus, pridie mulsa aqua, ita ut ne nimis, maceremus, ne germen exstinguat ex multo melle mordacitas.

MORDĀCĬTER, adv. *Macr. Sat.* 7, 3. Ait mimus ille mordaciter, etc. *Ov. Pont.* 1, 5, 19. Scilicet incipiam lima mordacius uti. *Lactant.* 5, 2. *med.* Alius eandem materiam mordacius scripsit.

MORDAX, ācis, omn. gen. *διαπρύσης, δηκτικός*, promptus, facilis ad mordendum. *Pl. Bacch.* 5, 2, 27. Mordax canis. *Labeo* ap. *Gell.* 4, 2. Equus mordax, aut calcitro. [*Cic. *Or.* 2, 59. Lacerat lacertum Largii mordax Memmius.] ℙ Item aculeatus, pungens. *Ov. Medic. fac.* 4. Mordaces rubi. *Id. A. Am.* 2, 417. Urtica mordax. *Plin.* 17, 8, 4. Mordacissima marga. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 7. Arista mordacior hordeo. ℙ Item caedens, acutus. *Hor. Od.* 4, 6, 9. Mordaci ferro icta pinus. ℙ Item qui abradendi vim habet. *Ov. A. Am.* 1, 506. Nec tu mordaci pumice crura teras. *Plin.* 15, 29, 37. Folia myrti siccantur in farinam, ad ulcerum remedia in corpore humano, leniter mordaci pulvere. ℙ Item qui acri et aspero gustu est, et linguam laedens. *Plin.* 25, 8, 50. Succus croci mordax. *Pers.* 5, 86. acetum. *Ov. Pont.* 3, 3, 106. fel. ℙ De fibula. *Sidon. carm.* 5, 18. pepli textus, quem fibula torto Mordax dente vorat. V. v. sq. ℙ Translate est maledicus. *Ov. Trist.* 2, 563. Non ego mordaci destrinxi carmine quemquam. *Hor. Ep.* 1, 17, 18. Mordacem Cynicum sic eludebat. *Id. Sat.* 1, 4, 93. Lividus et mordax. *Phaedr. prol.* 5. Invidia mordax. *Id.* 4, 7. Mordaciorem qui improbo dente appetit. *Pers.* 1, 107. Aures teneras mordaci radere vero. ℙ Item exedens, sollicitum habens. *Hor. Od.* 1, 18, 4. neque Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.

MORDĔO, es, momordi (olim *memordi*) morsum, a. 2. *δάκνω*, dente laedo, vulnero, arripio, mordicus apprehendo. *Cic. Rosc. Am.* 20. Canes latrare, et mordere possunt. *Mart.* 14, 83. mordente molesto Pulice. *Lucan.* 9, 737. Aulum Torta caput retro dipsas calcata momordit. *Ov. Met.* 3, 68. de angue vulnerato: Ille dolore ferox caput in sua terga retorsit, Vulneraque aspexit, fixumque hastile momordit. *Enn.* ap. *Gell.* 7, 9. et *Non.* 2, 553. Si me canis memorderit. *Ov. Met.* 13, 943. manuque Pabula decerpsi, decerptaque dente momordi. *Mart.* 9, 74. de sutore: Dentibus antiquas solitus producere pelles, Et mordere luto putre vetusque solum. *Id.* 1, 105. Mordent aurea quod lupata cervi: quod *Virg.* dixit *A.* 4, 135. frena mandere. ℙ *Mordere frenum*, proverbialis dictio. V. FRENUM. ℙ *Mordere terram* dicuntur, qui graviter icti, in faciem procumbunt morituri. *Virg. A.* 11, 418. Procubuit moriens, et humum semel ore momordit. Adde *Ov. Met.* 9, 61. et *Claud. B. G.* 588. Sic *Sil.* 5, 526. Labitur infelix, atque appetit ore cruento Tellurem exspirans; et 9, 383. Volvitur ille ruens, atque arva hostilia morsu Appetit, et mortis premit in tellure dolores. *Virg. A.* 11, 668. Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam Mandit humum. ℙ Pro arripere, et detinere, [*firmiter inhaerere.] *Celsus* 7, 4. *n.* 4. Id quod a lino mordetur, inciditur; et *ib.* 5. *n.* 4. In osse usque eo movendum est, donec laxetur is locus, qui mucronem (*teli*) momordit. Sic ap. *Stat. Th.* 9, 499. arbor dicitur radice mordere humum. [*Cort. ad *Lucan.* 3, 699. laud. *Ennod. Paneg.* 2, 16. Anchora quod proprium mordet obunca solum; et *Gualter. Alexandr.* 1, 399. p. 15. Momordit arenam Anchora. — Poterat huc referri etiam *Sil.* 10, 118. vix prima momordit tegmina cornus, i. e. vix adhaesit.] ℙ Pro mandere, comedere. *Pers.* 4, 30. tunicatum cum sale mordens Caepe, et farratam, pueris plaudentibus, ollam. *Juven.* 6, 301. Grandia quae mediis jam noctibus ostrea mordet; et 5, 11. et sordes farris mordere canini. ℙ Quod ait *Id.* 7, 18. nectit quicumque canoris Eloquium vocale modis, laurumque momordit: alludit ad *δαφνηφάγους*, h. e. laurum comedentes, quae credebatur vim vaticinandi, atque oestrum inspirare vescentibus, ut et in LAURUS dictum est. ℙ Pro consumere, absumere. *Laber.* ap. *Gell.* et *Non. ll.* sup. *cc.* De integro patrimonio meo centum millia nummum memordi. *Petr. fr. Trag.* 44. *Burm.* Interim nemo curat, quid annonam mordet. Al. aliter leg. ℙ Praeterea *mordere* poetice dicuntur fibulae, quarum altera ab altera recipitur, et quasi ore retinetur, vestemque adstringit. *Virg. A.* 12, 274. laterum juncturas fibula mordet. *Ov. Met.* 8, 318. Rasilis huic summam mordebat fibula vestem. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 88. laxumque coercens Mordet gemma sinum. *Sidon. carm.* 2, 325. perque lacertos Pendula gemmiferae mordebant suppara bullae. Adde *Ov. Met.* 14, 394., *Stat. Th.* 7, 659. et *Sil.* 7, 624. ℙ *Mordent* etiam, quae acri sapore sunt, et linguam laedente. *Plin.* 27, 13, 109. Radix smyrnii gustu acri mordet. *Id.* 29, 2, 9. Linguam adstringit leniter, nec mordet. *Id.* 28, 9, 40. Fellis vis excalfacere, mordere, scindere, etc. ℙ Item quae tactu aspera sunt, et pungunt. *Id.* 22, 14, 16. Urtica foliis non mordentibus. *Id.* 21, 6, 17. Croci probatio, si, manu prolata ad ora, leniter faciem oculosque mordeat. *Id.* 29, 2, 9. Lanae succidae plurima praestant remedia ex oleo, vinoque, aut aceto, prout quaeque mulceri, morderive opus sit, et adstringi, laxarive. ℙ Translate est perstringere, vellicare, urere, laedere. *Hor. Sat.* 2, 6, 45. Matutina parum cautos jam frigora mordent. *Id. Ep.* 1, 8, 5. quia grando Contuderit vites, oleamque momorderit aestus. *Mart.* 8, 14. Mordeat et tenerum fortior aura nemus. ℙ Item abradere. *Hor. Od.* 1, 31, 7. Non rura, quae Liris quieta Mordet aqua taciturnus amnis. *Plin.* 18, 18, 48. Culter futuris sulcis vestigia praescribens incisuris, quas resupinus in arando mordeat vomer. *Mart.* 5, 81. Quem *(libellum)* censoria cum meo Severo Docti lima momorderit Secundi. ℙ Saepe pertinet ad carpendum, detrectandum, maledicendum. *Ter. Eun.* 3, 1, 20. invidere omnes mihi, Mordere clanculum. *Ov. Trist.* 4, 10, 123. Nec, qui detrectat praesentia, livor iniquo Ullum de nostris dente momordit opus; et *ib.* 1, 1, 25. Tu cave, defendas, quamvis mordebere dictis. *Hor. Ep.* 1, 16, 38. Mordear opprobriis falsis. *Ov. Pont.* 4, 14, 46. Non mordenda mihi turba fidelis erat. *Juven.* 9, 10. convivia joco mordente facetus. ℙ Saepe etiam refertur ad animum, et ponitur pro pungere, ferire, irritare, affligere, angere, cruciare, laedere. *Ter. Eun.* 3, 1, 55. par pari referto, quod eam mordeat. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* Scribis, morderi te interdum, quod non simul sis; et *ib.* 13, 12. Valde me momorderunt epistolae tuae de Attica nostra: eaedem tamen sanaverunt. *Quint.* 1, 3. Hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit. *Ov. Amor.* 2, 19, 43. mordet cura medullas; et *Her.* 13, 30. Pectora legitimus casta momordit amor. *Sen. Troad.* 1011. Lentius luctus, lacrimaeque mordent. *Ov. Met.* 2, 805. Occulto dolore morderi. *Cic. Tusc.* 4, 20. conscientia; et *ib.* 3, 34. Si paupertas momordit, si ignominia pupugit. ℙ Pro ruminare, cogitare. *Sen. ep.* 78. *f.* Interim hoc tene, hoc morde, adversis non succumbere, laetis non credere. ℙ Praeterito *memordi* praeter *Enn.* et *Laber.* usi sunt etiam *Nigidius*, *Plaut.* et *Atta*, item *Cic.* et *Caesar*, teste *Gell. cit.* 7, 9. qua ratione et *peposci*, et *pepugi*, et *cecurri*, et *spepondi* dixere. Nunc omnes doctiores, inquit *Gell. ib.*, *poposci*, *momordi*, *pupugi*, etc. dicunt. [*Cf. *Ruddim.* 1, 209, *n.* 16.]

MORDĪCANS, antis, part. ab inusit. *mordico*, mordens, morsicans, pungens, vellicans, laedens. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 8. Est acerrimae, atque mordicantis qualitatis.

MORDĪCĀTĬO, onis, f. levis arrosio. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 20. Ventris mordicatio.

*MORDICATĪVUS, a, um, adj. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 1. Acetum mordicativum. *B. A.*

MORDĪCES. V. in sq. v.

MORDĪCĬTUS, adv. idem quod mordicus. *Pl. Aul.* 2, 2, 57. Asini me mordicitus scindant, boves incursent cornibus. Ita leg. *Grut.*, plures alii *mordicibus*, h. e. morsibus, ut sit a nominativo *mordices*, *icum.* Eadem lectionis diversitas est in illo *Appul. Met.* 3. Mordicitus appetens. Sunt etiam, qui *mordicus* ap. *Pl.* reponunt.

*MORDĪCO, as, a. 1. i. q. mordeo. Vetus au-

ctoritas desideratur. Recens enim homo est *Scrib. de Pass. Christ.* 8. Acriter mordicare. ℙ Part. *mordicans* V. s. l. *B. A.*

MORDĬCUS, adv. ὀδάξ, mordendo. *Cic. Q. Fr.* 3, 4. Auriculam fortasse mordicus abstulisset. *Pl. Curc.* 5, 1, 7. Mordicus arripere. *Suet. Caes.* 64. Paludamentum mordicus trahens. *Varr. R. R.* 2, 7. Equus prorigam mordicus interfecit. ℙ Translate est arcte, pertinaciter. *Cic. Acad.* 4, 16. *med.* Perspicuitatem, quam mordicus tenere debemus. Adde *Fin.* 4, 28. ℙ Proverb. est illud *Lucil.* ap. *Non.* 2, 539. Mordicus petere aurum e flamma expediat, e coeno cibum. ℙ **Colum.* 7, 12. *extr.* Is mordicus comprehensus: ubi edd. vett. habent *modice.* Exinde veram lectionem esse *mordice* conjicit *Oudendorpius*, a recto sc. *Mordex*, *icis*, i. q. morsus. *B. A.*

*MORDĬCUS, a, um, adj. *Hyg. fab.* 273. Quem equi mordici distraxerunt. Sed putatur vitiose sic legi, pro *mordicus* adverbio vel *mordicibus. B. A.*

*MORDOSUS, a, um, adj. δηκτικός. *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

MORĔ, adv. μωρῶς, stulte. *Pl. Stich.* 5, 1, 1. More hoc fit, atque stulte, mea sententia. Alii *ita interpretantur:* fit hoc quidem ex consuetudine, at, ut opinor, stulte tamen.

MORES. V. MOS.

MORĔTĀRĬUS, a, um, adj. ad moretum pertinens, ut Moretaria condimenta, *Apic.* 6, 4. ℙ *Moretarium* absolute, ipsum moretum. *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 2, 2, 4. et *Apic.* 1, 35. V. MORTARIUM.

MORĔTUM, i, n. τρῖμμα, genus cibi, idem ac intritum, et alliatum, quod ex his octo conficiebatur, allio, apio, ruta, coriandro, bulbo, caseo, oleo, aceto: est a μείρω, seu μορέω, divido, unde μορητός, divisus; etenim ex praedictis rebus edulibus sectis, et pistillo operose tritis, minutis, coactisque in mortario moretum conficitur. V. COCETUM. *Ov. Fast.* 4, 367. Non pudet herbosum, dixi, posuisse moretum In dominae mensis? ℙ Exstat incerti Auctoris poemation, inter *Virgilii* Catalecta, ubi fuse describitur. Item *Macr. Sat.* 2, 14. memorat Idyllium *Suevii* cujusdam poetae, in quo hortulanus moretum faciens describitur.

*MORGENTĪNUS, a, um, adj. V. v. sq. *B. A.*

*MORGENTĬA, ae, f. opp. Siciliae. *Sil.* 14, 265. ℙ *Murgantia* est *Liv.* 24, 27. et 26, 21. ℙ Hinc *Morgentinus* vel *Murgentinus*, *a*, *um*, ad id opp. spectans. *Cic. Verr.* 2, 1, 18. Ager Murgentinus, ubi ed. *Ernest.* habet *Morgantinus.* ℙ *Murgentini, orum*, ejus incolae. V. *Murgentinus*, *a*, *um.* ℙ Item opp. Italiae Samnitum agro vicinum, vel fortasse in ipso Samnio. *Liv.* 10, 17. ubi *Murgantia* audit. *B. A.*

*MORGES, etis, olim dicta est Ephesus, urbs Ioniae. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

*MORGĒTES, ium, populi Italiae antiqui, in Lucania. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

*MORGUS, i, m. fluvius ex Alpibus defluens, unus eorum, qui a Pado excipiuntur. *Plin.* 3, 16. ubi *Orgus* legit *Hard.* ex MStis. *B. A.*

MORĪBUNDUS, a, um, adj. ἀποθνήσκων, moriens. *Cic. Sext.* 39. Jacentem moribundumque vidistis. *Liv.* 26, 15. *extr.* Ante pedes imperatoris moribundus procubuit. *Virg. A.* 10, 590. Excussus curru moribundus volvitur arvis; et *ib.* 341. Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit; et *ib.* 6, 732. quantum non noxia corpora tardant, Terrenique hebetant artus, moribundaque membra. Ubi *Serv.* morienti similia, semper morientia: nunquam enim in eodem statu sunt, sed aut minuuntur, aut crescunt. *Ov. Trist.* 4, 5, 3. Cujus ab alloquiis anima haec moribunda revixit. *Stat. Th.* 8, 643. Moribunda vox. *Catull.* 81, 3. moribunda a sede Pisauri, *h. e.* mortifera propter aerem pestilentem, ex quo incolae ita pallidi sunt, ut moribundi esse videantur.

MORĪGĔRĀTĬO, onis, f. actus morigerandi. *Afran.* ap. *Non.* 1, 1. Aetas, et corpus tenerum, et morigeratio, Haec sunt venena formosarum mulierum.

*MORIGERĀTOR, oris, m. ap. *Sidon. B. A.*

MORĪGĔRO, as, n. l. idem ac morigeror, ap. veteres. *Pl. Amph.* 3, 3, 26. dum cum hac usuraria Uxore nunc mihi morigero.

MORĪGĔROR, aris, atus sum, dep. 1. χαρίζομαι, morem gero, obsequor, servio, satisfacio. *Ter. Ad.* 2, 2, 9. si nunc de tuo jure concessisses paulum, Atque adolescenti esses morigeratus. *Pl. Capt.* 2, 1, 4. Nunc si servitus evenit, ei vos morigerari mos bonus est. *Cic. Or.* 48. Voluptati aurium morigerari debet oratio. ℙ Turpem sensum habent loca *Afranii*, et *Plauti* in MORIGERATIO, et MORIGĔRO allata; turpissimum *Suetonii Tib.* 44. in quo *ore morigerari* idem est ac fellare. V. FELLO.

MORĪGĔRUS, a, um, adj. εὐπειθής, morem gerens, obediens, obsequens. *Pl. Amph.* 3, 4, 21. Meo me aequum est morigerum patri, ejus studio servire addecet. *Id. Cist.* 1, 3, 27. uxorem duxit: Ea diem suum obiit: facta morigera est viro; et *Epid.* 5, 1, 1. Male morigerus mihi est danista, qui de me argentum non petit. ℙ De obsequente in rebus obscenis. *Id. Cas.* 5, 2, 20. et alibi, *Lucr.* 4, 1275. etc. V. v. praec.

MORIMARŪSA, mare mortuum, Cimbrorum lingua. *Plin.* 4, 13, 27. V. MORTUUS.

*MORIMĒNE, es, f. (sc. terra,) regio Cappadociae, prope Galatiam. *Plin.* 6, 3. *B. A.*

MORĪNI, orum, m. plur. ultimi Galliae populi ad Oceanum, contra Britanniam, quorum navale fuit Gesoriacum, sub Constantino M. Bononia, nunc *Boulogne* appellatum. *Virg. A.* 8, 727. Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis. Adde *Plin.* 4, 17, 31. et *Melam* 3, 2. *f.* V. CASTRENSIS.

MORĬO, onis, m. homo qui naturali stoliditate et stultitia risum excitat: a μωρός, stultus, fatuus. *August. ep.* 26. *med.* Quidam tantae sunt fatuitatis, ut non multum a pecoribus differant: quos moriones vulgo vocant. *Mart.* 8, 13. Morio dictus erat: viginti millibus emi: Redde mihi nummos, Gargiliane: sapit. *Id.* 14, 210. cui lemma *Morio:* Non mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa. Quisquis plus justo non sapit, ille sapit. *Id.* 12, 94. Parvum basiat usque morionem. Adde *Plin. ep.* 9, 17.

MORĬOLA. V. LORIOLA.

*MORĬON vel Morĭo, onis, f. gemma quaedam, de qua sic *Plin.* 37, 10. Morion Indica, quae nigerrimo colore translucet, vocatur pramnion: in qua miscetur et carbunculi colos, Alexandrinum: ubi sardae, Cyprium. Nascitur et in Tyro et in Galatia. Xenocrates et sub Alpibus nasci tradit. Sic ed. *Elzer.* ubi ed. *Hard.* habet *morio. B. A.*

*MORĬON, i, n. herbae genus soporiferum, quae et strychnus seu trychnus appellatur. *Plin.* 21, 31. Quin et alterum genus (trychni), quod halicacabon vocant, soporiferum est, atque etiam opio velocius ad mortem: ab aliis morion, ab aliis moly adpellatum. ℙ Est etiam semen mandragorae. *Plin.* 25, 13. Album hoc (*genus*) alii arsena, alii morion — vocant. ℙ Μώριον est *Dioscor.* 4, 76. *B. A.*

MORĬOR, ĕris, mortuus sum, dep. 3. θνήσκω, extremum spiritum effundo, vita decedo. [*Quid *mori* differat a *demori*, *emori*, *intermori*, v. in *hh. vv.*] Videtur esse a μόρος, fatum, mors. [*Contra disputantem *Doederl.* v. in MORS.] *Cic. Sen.* 20. Moriendum certe est: et id incertum, an eo ipso die. *Id. Quint.* 4. Moritur in Gallia Quintius, et moritur repentino. *Id. Att.* 1, 3. Aviam tuam scito desiderio tui mortuam esse. *Pollio* ad *Cic. Fam.* 10, 33. Mori ex vulnere. *Lucan.* 2, 264. quis nolit in isto Ense mori? Alii leg. *ab isto.* [*Vulgatam teneas. V. *Cort.* ad h. l. Adde *Liv.* 40, 23. In tormentis mori.] *Val. Fl.* 7, 484. An me mox merita morituram patris ab ira Dissimulas? et 4, 243. Tune Amyci moriere manu? *Ov. Ib.* 307. jaculis moriaris adactis. *Id. Amor.* 2, 7, 10. alterius dicor amore mori. *Tibull.* 2, 7, 33. Mori curis. *Petr. Sat.* 10. fame. *Plin.* 14, 13, 14. inedia. *Stat. Theb.* 9, 787. leto moriere virorum. [**Vell.* 2, 119, 4. Mori supplicio.] *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *G.* 3, 482. Ne simplici quidem morte moriebantur. *Caes. B. C.* 3, 64. Hanc vivus defendi, moriens Caesari restituo. *Cic. Sen.* 20. Sensus morienti aliquis esse potest. *Virg. A.* 2, 550. Nunc morere. *Hor. Od.* 3, 19, 2. Codrus pro patria non timidus mori. *Cic. Coel.* 24. Significabat interruptis atque morientibus vocibus. ℙ *Moriar* formula jurantis, ut Dispeream. *Cic. Att.* 8, 6. *f.* Moriar, si magis gauderem, si id mihi accidisset. ℙ De plantis. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 218. de arundine: Quam neque fas Zephyris frangi, nec sole perustam Aestivo candore mori. *Plin.* 28, 7, 23. Rutam et hederas illico mori. *Stat. Th.* 5, 528. moriturque ad sibila campus. ℙ De igne, et lumine. *Ov. Amor.* 1, 2, 11. flammas Et vidi nullo concutiente mori. *Claud. B. Get.* 248. de comete: Donec in exiguum moriens vanesceret ignem. [*V. *Barth.* ad h. l. et *Burm.* ad *Petr.* 23. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 78. moriuntur fulgura nimbis: et ad *Eund.* 3, 682.] ℙ De rebus aliis vita, aut sensu carentibus. *Cels.* 7, 14. *med.* Id quod supra vinculum est, moritur. *Ov. Met.* 6, 228. frenisque manu moriente remissis. *Virg. A.* 9, 435. Purpureus veluti cum flos succisus aratro, Languescit moriens. *Plin.* 13, 3, 4. Unguenta illico exspirant, ac suis moriuntur horis. ℙ Joculariter *Pl. Capt.* 3, 4, 117. Vae illis virgis miseris, quae hodie in tergo morientur meo, *h. e.* frangentur. *Manil.* 4, 623. Donec in Aegyptum redeant curvata per undas Littora, Niliacis iterum morientia ripis, *h. e.* desinentia. Sic *Petr. Sat.* 122. nec vaga passim Flumina per notas ibant morientia ripas, *h. e.* passim vaga non continebant se inter ripas. Al. aliter interpretantur, aut legunt. ℙ Urbaniora, ac decentius translata sunt illa *Cic. in Sen.* 2. Quod tempus erit unquam, quo vestrorum in nos beneficiorum memoria ac fama moriatur? et *Coel.* 31. Ut iste interpositus sermo deliciarum desidiaeque moreretur. *Ov. Pont.* 3, 2, 27. Tunc igitur meriti morietur gratia vestri, Cum cinis absumpto corpore factus ero. [*Laudat hunc locum *Ruhnk.* ad *Her.* 4, 131. coll. *Oudendp.* ad Lucan. 4, 78.]

ℙ *Mori* dicuntur, qui cujuspiam rei studio ita tenentur, ut paene in eo vitam animumque ponere videantur. *Cic. Sen.* 14. Mori videbamus in studio dimetiundi paene coeli atque terrae C. Gallum. *Prop.* 1. 10, 5. Cum te complexa morientem, Galle, puella Vidimus, *h. e.* ita languentem prae gaudio, ut mori viderere. ℙ Si non aliqua nocuisses, mortuus esses [*i. e. ira, furor te perdidisset.] *Virg. Ecl.* 3, 15. ℙ *Dies mori* dicitur, cum in occasu sol est. *Pl. Men.* 1, 2, 45. Dies quidem jam ad umbilicum est dimidiatus mortuus. *Stat. Silv.* 4, 6, 3. Jam moriente die rapuit me coena benigni Vindicis. ℙ Olim in quibusdam tempori, bus quartae fuit conjugationis. *Enn.* ap. *Prisc.* 10-830. Nunc est ille dies, cum gloria maxima sese Ostendat nobis, si vivimu', sive morimur. *Pl. As.* 1, 1, 108. moriri sese misere mavolet, Quam, etc. *Ov. Met.* 14, 215. mortemque timens, cupidusque moriri. Adde *Pl. Rud.* 3, 3, 22. [*Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 59. III, 6, 1. p. 119. *Ruddim.* 1, 263. ℙ Confund. *moriturus* et *periturus.* V. *Burm.* ad *Virg. A.* 2, 408. — *Moriturus* et *moturus. Cort.* ad *Lucan.* 5, 367.]

*MORISĒNI, orum, Thraciae populi, circa Ponti Euxini littora incolentes. *Plin.* 4, 11. ℙ *Harduinus* provocans ad *Notit. Eccl. Hierocl.* censet nomen traxisse Morisenos a Morizo Thraciae oppido. *B. A.*

[MORITASGUS, i, m. Deus quidam ap. Senones cultus. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 176. Ti. Claudius Professus Niger Deo Moritasgo porticum testamento poni jussit, etc. ℙ Est etiam nomen viri proprium. *Caes. B. G.* 5, 54. Moritasgus adventu in Galliam Caesaris, et ejus majores (ap. *Senonas*) regnum obtinuerant. *F.*]

MORITŪRĬO, is, n. 4. mori cupio. Usurpasse *Ciceronem* testis est *August. de gramm.* 2006., ubi de verbis desiderativis agit.

MORMYR, yris, f. μόρμυρος, species piscis in Ponto. *Ov. Hal.* 110. et pictae mormyres, et auri Chrysophrys imitata decus. Adde *Plin.* 32, 11, 54.

MORO, as, a. l. idem quod moror. *Pacuv.* ap. *Diomed.* 1, 395. Paucis absolvit, ne moraret diutius. *Naev. ib.* Quid moras? Adde *Enn. ib.*

[MOROCHĪTIS, itidis, f. gemma porracei coloris, quae lacte sudat, de qua mentio est ap. *Plin.* 37, 10, 63. Eadem videtur esse ac galania: Graecis μόροχθος dicitur. *F.*]

MOROLŌGUS, i, m. μωρολόγος, stulte loquens: a μωρός, stultus, et λόγος, sermo. *Pl. Pers.* 1, 1, 50. Amoris vitio tibi morologus fio. *Id. Ps.* 5, 1, 20. Sermonibus morologis uti.

MOROR, aris, atus sum, dep. 1. διατρίβω, ἐπέχω, cunctor, tardo, moram interpono, cesso: a *mora. Ter. Eun.* 3, 2, 6. Eamus ergo ad coenam: quid stas? *Thr.* ubi vis: non moror. *Cic. Att.* 16, 5. *med.* Luccejus narravit, Brutum valde morari, non tergiversantem, sed exspectantem, si qui forte casus. *Id. Phil.* 5, 12. Hem cui bellum moremur inferre. *Ov. Her.* 12, 186. Nec moror ante tuos procubuisse pedes. *Liv.* 3, 54. Nihilne ego quidem moror, quo minus decemviratu abeam. *Val. Fl.* 7, 6. haud ipse morabor Quae petitis, *h. e.* cunctabor dare. *Hor. Od.* 2, 17, 5. Ah, te meae si partem animae rapit Maturior vis, quid moror altera? *h. e.* quid vitam traho? vel, quid mori cesso? *Ov. Fast.* 6, 679. At dominus, discedite, ait, plaustroque morantes Sustulit. V. MORANS. ℙ Est etiam manere, commorari. *Cic. Fam.* 15, 17. *f.* Tu quod adhuc Brundisii moratus es, valde probo. *Id. Att.* 7, 1. *med.* Quam vellem etiam nunc in provincia morari! *Virg. A.* 4, 235. qua spe inimica in gente moratur, *h. e.* inter hostes. *Cic. Pis.* 12. Non est passus, in republ. diutius vestrorum scelerum pestem morari. *Hor. Od.* 1, 38, 3. Mitte sectari, rosa quo locorum Sera moretur. ℙ *Morari cum aliquo*, versari, vivere, esse. *Sen. ep.* 2. Primum argumentum compositae mentis existimo, posse consistere, et secum morari; et *ep.* 32. Ab omnibus sciscitor, quid agas, ubi, et cum quibus moreris. ℙ Saepissime cum accusativo vim habet activam, pro detinere, retardare, moram et impedimentum afferre, sistere. [*Quid in his differat a *tardare*, v. in h. v.] *Cic. Fam.* 6, 20. Si aliqua res eum vel impediet, vel morabitur; et *ib.* 15, 11. *extr.* Si me navigatio non morabitur, propediem te videbo. *Id. Phil.* 5, 9. *extr.* Legatorum nomen belli celeritatem morabitur. *Planc.* ad *Coss. Fam.* 10, 8. *f.* Si modo meo casu aut confirmare patriae salutem, aut periculum possim morari. *Caes. B. C.* 2, 26. Impetum hostium sustinere ac morari; et *ib.* 39. Morari victoriam; et *ib.* 7, 40. iter, atque impedire. *Pl. Aul.* 4, 2, 5. ne affinem morer, Quin extemplo filiam ducat domum. *Cic. Fam.* 2, 16. *f.* Curtius noster dibaphum cogitat, sed eum infector moratur. *Hor. Od.* 3, 27, 50. Impudens Orcum moror. *Plin.* 9, 25, 41. Echeneis naves moratur, *h. e.* tardius ire facit, ut ipsemet *ib.* ait. *M. Ant.* in *ep.* ap. *Cic. Phil.* 13, 17. Nihil moror, eos salvos esse, et ire quo jubetis. [**Lucan.* 4, 351. nil fata moramur. *Cort.* ad h. l. laudat *ib.* 1, 393. neque languore moretur Fortunam. Adde *ib.* 7, 295. Sed mea fa-

ta moror. — *Ov. Her.* 18, 5. Cur mea vota morentur: ubi v. *Ruhnk.*, qui laud. *Ejusd. Ep.* 19, 95. Ventos timeo, mea vota morantes; et *Met.* 8, 71. Solus mea vota moratur.] ℙ *Nihil te moror* formula est reum dimittentis, et abire sinentis. *Liv.* 4, 42. *f.* C. Sempronium nihil moror, quando hoc est in imperio consecutus, ut tam carus esset militibus. *Id.* 8, 35. *med.* Cum se nihil morari magistrum equitum pronunciasset. *Id.* 43, 16. *extr.* Absoluto Claudio, tribunus plebis negavit, se Gracchum morari. Hinc *nihil vos moramur*, *P. C.*, vox erat consulis senatum dimittentis, ap. *Capitol. M. Aurel.* 10. Sic *Cic. Q. Fr.* 2, 1. Tum ille se negavit senatum tenere. ℙ *Nihil moror*, non curo, nihil aestimo. *Hor. Ep.* 1, 15, 16. nam vina nihil moror illius orae; et *ib.* 2, 1, 264. Nihil moror officium, quod me gravat. *Pl. Capt. prol.* 16. alieno uti nihil moror. *Id. Aul.* 2, 1, 44. Ego dives sum satis: Istas magnas factiones, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram Nihil moror. ℙ Item nolo, recuso, abnuo. *Accius* ap. *Non.* 5, 40. Tu pertinaciam esse, Antiloche, hanc praedicas: Ego pervicaciam ajo, et hac me uti volo. Nam pervivacem dici me esse, et vincere, Perfacile patior: pertinacem, nihil moror. *Ter. Eun.* 1, 2, 104. Profecto non plus biduum, aut. *Ph.* aut? nihil moror. ℙ *Ne multis morer*, ne plura dicam, vel ne pluribus verbis audientem detineam. *Cic. Verr.* 2, 4, 46. *extr.* Haec iste omnia, ne multis morer, uno impetu asportanda curavit. *Ter. Andr.* 1, 1, 87. quid multis moror? Egomet quoque ejus causa in funus prodeo. *Plin.* 7, 49, 50. Ne pluribus moremur in re confessa. Sic *Hor. Ep.* 2, 1, 3. in publica commoda peccem, Si longo sermone morer tua tempora, Caesar. ℙ *Morari* pro detinere delectando. *Id. ib.* 1, 13, 17. Carmina, quae possint oculos, auresque morari. *Id. A. P.* 321. Valdius oblectat populum, meliusque moratur. ℙ Passive impersonaliter. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 5. Sic multum ac diu ludetur, atque ita diu, ut plus biennium in his tricis moretur. ℙ In illo *Virg. A.* 5, 207. Consurgunt nautae, et magno clamore morantur: *Servius* explicat, retro agunt, scil. navem, quae in scopulum impegerat, et saxis in procurrentibus haeserat. Sed aptius dices *morantur*, cursum sistunt, et clamore ac viribus haerentem navem divellere conantes moram faciunt. ℙ Ludus est in ambiguo ap. *Suet. Ner.* 33. Omnibus contumeliis mortuum *(Claudium)* insectatus est, modo stultitiae, modo saevitiae arguens: nam et morari cum inter homines desiisse, producta prima syllaba, jocabatur, *h. e.* stulte agere, desipere, fatuum esse: a *μωρὸς*, stultus. Eadem ratione usurpasse videri potest *Pl. Truc.* 3, 1, 23. ibitur, Ne me morari censeas; et *Mil.* 2, 4, 17. ego stulta moror multum, Quae cum hoc insano fabulem. Alii leg. *stulta atque mora multum.* [*V. *Lindem.*] ℙ Part. *Morans* V. s. l. *Moraturus* ap. *Prop.* 3, 19, 3. Phoebe, moraturae contrahe lucis iter. *Morandus* ap. *Hor. A. P.* 223. Illecebris erat et grata novitate morandus Spectator.

MOROSĒ, adv. *δυσκόλως*, difficulter, fastidiose. *Cic. Brut.* 67. Hominum ineptias et stultitias non ferebat, iracundiasque respuebat, sive morose, ut putabatur, sive ingenuo liberoque fastidio. *Plin.* 18, 13, 74. Terram non morose eligit, paene ubi nihil aliud seri possit. *Tert. Pall.* 4. *f.* Pallium morosius ordinatum, *h. e.* curiosius, affectatius. *Suet. Aug.* 66. *med.* Amicorum suprema judicia morosissime pensitavit.

*MOROSGI, opp. Hispaniae Tarraconensis, cis Iberum flumen, ad montes Pyrenaeos, in terra Vardulorum. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

MOROSĪTAS, atis, f. *δυσκολία*, illa morum difficultas, cum nulla paene res, quantumvis exacta, animo alicujus satisfacit. *Cic. Off.* 1, 25. *med.* Ne in morositatem inutilem et odiosam incidamus. *Suet. Tib.* 70. Affectatione et morositate nimia obscurabat stilum. *Tert. Praescr.* 40. Nonne manifeste diabolus morositatem illam Judaicae legis imitatus est? *h. e.* morum ac rituum Judaicorum scrupulositatem. *Arnob.* 3, 105. Avet animus videre Deas gravidas, gliscentibusque per dies alvis intestini ponderis morositate cunctari.

MOROSUS, a, um, adj. *δυσάρεστος*, *δύσκολος*, qui nimis exacte omnia fieri postulat: cui non placet id, quod placere debet: cui nulla re satisfacimus, difficilis, fastidiosus, curiosus. [*Discrimen inter *difficilis*, *morosus* et *tetricus* *Doederl.* 3, 233. sq. hoc statuit, ut illud fere semper vituperantem, nostr. *Krittler*, eumque significet, qui ubique difficultates, impedimenta proferre malo consilio soleat: haec, *morosus* et *tetricus*, proprie ad eos pertineant, qui proba mente contra stent levitatem illam, quae ingenii solertiaeque significatione artium, decoris, morumque leges despiciat: hac quidem utriusque discrepantia interposita, ut *morosus* mente, consilio, moris cognitione atque observantia, quodcumque contra feceris, vituperet, ideoque liberum ingenii solertiaeque usum aut coerceat, aut coercere videatur: *tetricus* magis totam ipsius naturam, indolem, quam mentem sibi consciam] in castiganda levitate sequatur.] *Cic. Or.* 29. *f.* Usque eo difficiles ac morosi sumus, ut nobis non satisfaciat ipse Demosthenes. *Id. Sen.* 18. *med.* Morosi, et anxii, et iracundi, et difficiles senes. *Hor. Od.* 1, 9, 17. Morosa canities. *Mart.* 14, 105. Morosa sitis, *h. e.* quae vulgares potiones respuit. *Pl. Trin.* 3, 2, 43. Amor mores hominum moros et morosos facit. *Sen. Ira* 1, 4. Inter hos morosum ponas licet, delicatum iracundiae genus. *Suet. Caes.* 45, 45. Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter, ac raderetur, sed velleretur etiam. ℙ *Morosus* etiam dicitur, qui taedium ac fastidium affert. *Mart.* 14, 23. Si tibi morosa prurigine verminat auris. *Tert. Cor. mil.* 1. Speculatoriam morosissimam pedibus absolvit. ℙ Transfertur ad alia. *Plin.* 16, 33, 60. Cupressus natu morosa, *h. e.* difficillime nascens. *Ov. A. Am.* 2, 323. Morosus morbus, *h. e.* qui difficile curatur. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3. Vitis in eligendo solo morosa. *Id. prooem.* 35. Morosa caelandi, fingendique, ac tingendi subtilitas. ℙ Est a *mos*, *moris:* quare primam producit ap. *Mart.*, *Hor.*, *Ov.*, *Pers.* Corripuisse videtur *Capell.* 2. *extr. in carm.* Quae tam morosis implicata ductibus: quasi a *mora* duceretur.

[MORPHE, es, f. *μορφή*, forma, species. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1060, 4. Cloelia Morphe. *F.*]

MORPHEUS, i, m. disyll. *Μορφεύς*, Somni filius, vel minister: a *μορφή*, forma, quia varias formas in dormientium phantasia gignit, et, ut est in fabulis, jussu domini quoscumque vultus hominum fingit, verba ipsa, mores item, et gestus imitatur. *Ov. Met.* 11, 634. At pater e populo natorum mille suorum Excitat artificem simulatoremque figurae Morphea. ℙ Duos illi fratres adjungit *Ov. ib.* 640. Quorum primus est nomine apud Superos *Icelos*, apud homines *Phobetor* (*ἴκελος*, similis: *φοβήτωρ* a *φόβος*, metus, terror), qui Fit fera, fit volucris, fit longo corpore serpens: quae sunt terriculamenta dormientium. Alter est *Phantasos*, qui in humum, saxumque, undamque, trabemque, Quaeque vacant anima, feliciter omnia transit: a *φαντασία*, visum, imago menti obversans.

MORPHNOS, i, m. *μόρφνος*, aquilae genus, circa paludes et lacus vitam praecipue agens. *Plin.* 10, 3, 3.

[MORRĒNAS, atis, adj. omn. gen. ad Morrenam, seu Morenam pertinens Mysiae regionem, cujus meminit *Strabo l.* 12. *Inscr.* ap. *Grut.* 760, 4. T. Avillius Onesiphorus Morrenas. *F.*]

MORS, mortis, f. *μόρος*, *θάνατος*, animae separatio a corpore, interitus, letum, obitus, casus: a *μόρος*, fatum, mors. [*Verum hoc esse *Doederl.* 3, 172. propterea negat, quod ipsum quidem v. *μόρος*, deriv. a *μείρω*, nonnisi translate pro *θάνατος* dici queat, *mors* autem a *mori*, quod proprie leti notionem involvat, originem ducat. Maximam autem similitudinem veri esse in cognatione vocis *mors* cum *morbus*, *marcidus*, *mürbe*, *morsch* et *Mord.* Neque omnino rejici posse sententiam *Isid. Origg.* 11. p. 1105, 4. Mors dicta, quod sit amara, vel a Marte, quia est effector Mortium: quod *Mars*, *Mamers*, *Mavors* non solum *belli*, sed in universum *caedis*, *perniciei deus* fuerit. — Discrimen inter *mors*, *nex* et *letum* v. in h. v.] In fabulis est Dea, Erebi et Noctis filia, ut *Cic. N. D.* 3, 17, et *Hyg. praef.* docent. *Cic. Fam.* 6, 21. Omnium rerum mors est extremum (Sic *Hor. Ep.* 1, 16, 79. mors ultima linea rerum est). *Id. Verr.* 2, 3, 56. Mortem sibi consciscere; et *ib.* appetere; et *Phil.* 5, 17. obire. *Sen. Herc. Oet.* 1773. adire; et *Herc. Fur.* 486. pati; et *Troad.* 397. perpeti. *Cic. Tusc.* 1, 44. *extr.* occumbere. Al. leg. *morte*. *Virg. A.* 2, 62. certae occumbere morti. *Just.* 14, 6. succumbere. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Mortem commutare cum vita. *Pl. Amph.* 2, 2, 177. Aliquem ad mortem dare. *Hor. Sat.* 2, 3, 197. morti. *Cic. Vat.* 9. *f.* objicere. *Virg. A.* 12, 464. sternere; et *ib.* 5, 692. demittere; et *ib.* 11, 796. Subita morte sternere aliquem. *Cic. Mil.* 7. Mortem cuipiam inferre per scelus. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. afferre. *Colum.* 2, 2. Pestilens ager mortem facit. *Cic. Sext.* 21. *extr.* offerre. *Ter. Ad.* 1, 2, 9. Mulcare aliquem usque ad mortem. *Hor. Od.* 4, 2, 15. morte cadere. *Sulp.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. acerbissima affici. *Tibull.* 1, 3, 55. consumi. *Ov. Met.* 11, 583. fungi. *Cic. Har. resp.* 20. mactare. *Id. Or.* 1, 43. *f.* multare. *Sen. Herc. Oet.* 888. damnari. *Cic. Tusc.* 1, 42. Ad mortem duci. *Id. Phil.* 9, 1. *f.* Cui legatio ipsa morti fuit. *Prop.* 1, 19, 20. Mors amara. *Virg. G.* 3, 512. aegra. *Hor. Od.* 2, 16, 29. cita. *Sen. Herc. Fur.* 56. dira. *Virg. A.* 10, 791. dura. *Ov. Am.* 2, 9, 41. gelida. *Val. Fl.* 5, 26. frigida. *Cic. Cat.* 4, 2 turpis, immatura, misera. *Sen. Troad.* 143. miseranda; et *Herc. Fur.* 555. avidis pallida dentibus; et *Herc. Oet.* 1948. horrida. *Sil.* 13, 561. nigrum pandens lurida rictum. *Tibull.* 1, 3, 65. rapax. *Lucr.* 6, 1194. rigida. *Nemes. Ecl.* 1, 47. invida. *Virg. A.* 11, 839. tristis. *Plin. ep.* 2, 20. bona: *εὐθανασία*, placidus et facilis exitus. *Stat. Th.* 11, 582. imperfecta, *h. e.* caecitas. ℙ Mortis causa stipulatio existimatur fieri, ut ait Antistius Labeo, quae ita fit ut morte promissoris confirmetur, aut, ut quidam dixerunt, cujus stipulationis mors fuit causa. *Festus.* V. *Dig. lib.* 39. *tit.* 6. ℙ *Morte sua mori*, naturali ex morbo, aut senecta, non illata vi externa. *Sen. ep.* 69. *extr.* Bella res est, mori sua morte. *Suet. Caes.* 89. Percussorum Caesaris nemo sua morte defunctus est. ℙ In plurali num. *Cic. Fin.* 2, 30. Praeclarae mortes sunt imperatorum. *Virg. A.* 10, 854. Omnes per mortes animam sontem ipse dedissem. *Sen. Clem.* 1, 18. O hominem mille mortibus dignum! *Colum.* 9, 11. poenis ac mortibus affici. *Plin. ep.* 8, 16. Mortes meorum. *Tac. Stat. Th.* 9, 58. perdere mortes, *h. e.* caedes. *Tac. H.* 3, 28. *extr.* Omni imagine mortium. Adde *Ov. Met.* 11, 538., *Lucan.* 7, 848., *Val. Fl.* 7, 332., *Quint. decl.* 12, 9. *f.*, *Stat. Th.* 11, 174. ℙ Interdum *mortes* poetice sunt tela ipsa, vel ictus, unde mors est. *Stat. Th.* 6, 792. motu Spartanus acuto Mille cavet lapsas circum cava tempora mortes. *Sil.* 9, 368. dum vulnera tergo Bellator timet Ausonius, per pectora saevas Exceptat mortes. ℙ Transfertur ad inanima. *Plin.* 14, 22, 28. Mors memoriae. ℙ *Pl. Bacch.* 5, 2, 33. *mortem* appellat senem squalidum, macerrimum, semimortuum. ℙ Pro cadavere. *Cic. Mil.* 32. Non fuisse credo fas, ullo in loco potius mortem ejus *(Clodii)* lacerari, quam in quo vita esset damnata. *Prop.* 2, 10, 22. Nec sit in Attalico mors mea nixa toro. *Plin.* 14, 19, 23. Vitis, quam juxta hominis mors laqueo pependerit. *Accius* ap. *Non.* 2, 328. Morte campos contegi. ℙ [*Confund. *mors* et *sors*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 818.]

MORSĪCĀTIM, adv. *ὁδάξ*, mordendo. *Varr.* ap. *Non.* 2, 547. Labellis morsicatim lusitant.

MORSĪCO, as, frequent. a *mordeo*. *Appul. Met.* 7. Ore improbo compulsat, et morsicat; et *ib.* 2. Limis, et morsicantibus oculis, *h. e.* intente, avideque intuentibus, et quasi morsu arripientibus. [*Firenzuola* vertit *con occhi ladri*. *F.*]

MORSĪUNCULA, ae, f. *δηγμάτιον*, parvus morsus. *Pl. Ps.* 1, 1, 65. Teneris labellis molles morsiunculae. *Appul. Met.* 8. Formicae parvis quidem, sed numerosis et continuis morsiunculis inhaerentes membra *(hominis)* nudarunt.

MORSUM, i, n. res mordendo avulsa, particula cujuspiam rei morsu abstracta. *Catull.* 64, 316. de nente: Laneaque aridulis haerebant morsa labellis.

MORSUS, a, um, part. a *mordeo*, *δηχθείς*. *Plin.* 29, 5, 32. Datur morsis a cane rabioso, ne rabidi fiant. *Prop.* 3, 23, 24. Ungue meam morso saepe querere fidem.

MORSUS, us, m, *δῆγμα*, *δῆξις*, dentium, vel rostri ictus. *Cic. Sen.* 15. Contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum. *Id. Fat.* 16. Ulceratus serpentis morsu. *Id. Tusc.* 5, 27. Adolescentes incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique. *Val. Fl.* 2, 459. Taurus frangentem morsu super alta leonem Terga ferens. *Prop.* 4, 8, 65. Imponitque notam collo, morsuque cruentat. *Lucr.* 5, 132. leae Morsibus affixae validis, atque unguibus uncis. *Ov. Met.* 7, 785. de cane venante: similisque tenenti Non tenet, et vacuos exercet in aera morsus. (*Stat. Th.* 2, 680. vacuis ferit aera malis.) *Virg. A.* 12, 754. vividus Umber Haeret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti Increpuit malis, morsuque elusus inani est. *Plin.* 11, 24, 28. Morsu apprehendere; et 10, 40, 56. corripere. *Lucr.* 3, 664. premere. *Ov. Met.* 13, 568. morsibus insequi; et *ib.* 8, 877. artus divellere morsu; et *ib.* 11, 58. inferre morsus. *Tac. H.* 4, 42. Morsu appetere. *Virg. A.* 2, 215. serpens miseros morsu depascitur artus. *Id. ib.* 7, 755. morsus arte levare. *Nemes. Cyn.* 221. infigere. ℙ Dicitur et de comedentibus. [*Quod tum fere et quidem imprimis fieri a poetis solet, cum de dapibus foedis ac vilibus, et de vili miserorum et famelicorum victu sermo est. *Mart. Lag.* ad *Lucan.* 3, 348.] *Virg. A.* 3, 394. Nec tu mensarum morsus horresce futuros; et *ib.* 7, 112. vertere morsus Exiguam in Cererem penuria adegit edendi. *Juven.* 4, 141. an Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo Ostrea, callebat primo deprendere morsu. *Ov. Met.* 13, 926. herbae, Quas neque cornigerae morsu laesere juvencae. ℙ Translate est quidquid tenaciter arripit, stringit, ac detinet. *Virg. A.* 1, 173. unco non alligat ancora morsu; et *ib.* 12, 782. Viribus haud ullis valuit discludere morsus Roboris Aeneas. *Sil.* 7, 624. qua fibula morsus Loricae crebro laxata resolverat ictu. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 699. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 13, 30.] V. MORDĒO. ℙ Dicitur et de gustu acri, et vellicante. *Plin.* 36, 26, 65. Aquae marino creduntur adstringi morsu. *Mart.* 7, 25. Nec cibus ipse juvat morsu fraudatus aceti. ℙ De rubigine, qua ferrum exeditur. *Lucan.* 1, 243. Et scabros nigrae morsu rubiginis enses. ℙ [Item de torminibus. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 5, 54. Per noctem morsus ventris cum profluvio patior. *F.*] ℙ Saepe refertur ad animum, et tribuitur curis, et dolori. *Cic. Tusc.* 4, 7. Aegritudo quasi morsum aliquem doloris efficit. *Id. Off.* 2, 7. Acriores morsus sunt intermissae libertatis, quam retentae. *Sen. Consol. ad Marc.* 7. Ex discessu, non solum amissione carissimorum, necessarius morsus est. *Ov. Pont.* 1, 1, 73. Sic mea perpetuos curarum pectora

morsus, Fine quibus nullo conficiantur, habent. ℙ Item invidiae, ac maledicentiae. *Hor. Ep.* 1, 14, 37. Non istic obliquo oculo mea carmina quisquam Limat, non odio obscuro, morsuque venenat.

MORTA, ae, f. *μοῖρα*, Fatum, sive una ex Parcis, a *μορτή*, quod ap. *Hesych.* est idem ac *μοῖρα*, quatenus partem notat. *Liv.* ap. *Gell.* 3, 16. Quando dies adveniet, quem profata Morta est? *Caesell. ib.* Tria sunt nomina Parcarum, Nona, Decima, Morta. *Gell. ib.* Homo minime malus, Caesellius, Mortam quasi mortem accepit, cum accipere quasi moeram deberet. V. MOERA.

MORTĀLIS, e, adj. *θνητὸς*, morti et fini subjectus. *Cic. Leg.* 1, 23. Quid in iis mortale et caducum, quid divinum aeternumque sit. *Id. N. D.* 3, 13. Omne animal confitendum est esse mortale. *Id. Phil.* 14, 12. *extr.* Ita pro mortali conditione vitae immortalitatem estis consecuti. *Id. Sen.* 22. Mortalia corpora. *Id. N. D.* 1, 8. *extr.* Mundus mortalis. *Lucr.* 3, 882. vita. *Vell.* 2, 104. conditio; et *ib.* 97. natura. *Liv.* 1, 2. Secundum inde proelium Latinis, Aeneae etiam ultimum operum mortalium fuit. *Ov. Trist.* 1, 2, 97. acta Deos nunquam mortalia fallunt. *Virg. A.* 12, 740. Mortalis mucro, *h. e.* ensis mortali manu factus. Sic *ib.* 797. Mortale vulnus. *Quint.* 5, 12. In clarissimum solem mortale lumen inferre, *h. e.* quod facile et brevi exstinguitur. *Val. Fl.* 1, 838. Mortales curae. *Tac. Agr.* 46. Ut vultus hominum, ita simulacra vultus imbecilla ac mortalia sunt. *Cic. Rab. Post.* 12. Mortales inimicitias, sempiternas amicitias habere, *h. e.* breves. *Liv.* 34, 6. Si quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales, ut ita dicam, et temporibus ipsis mutabiles esse video. *Virg. A.* 6, 50. majorque videri, Nec mortale sonans. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 4. Ut aliquid ipso homine mortalius intelligant. ℙ *Mortales* absolute sunt homines, *οἱ θνητοί*. *Cic. Pis.* 40. Omnes mortales omnium generum, aetatum, ordinum. *Id. Div. Verr.* 2. Defendo multos mortales, multas civitates, Siciliam totam. *Hor. Od.* 1, 3, 37. Nil mortalibus arduum est. *Lucr.* 4, 1177. tribuisse quod illi Plus videat, quam mortali concedere par est. *Ov. Met.* 9, 16. turpe, Deum mortali cedere. *Id. Am.* 2, 17, 15. Creditur et Nymphe, mortalis amore, Calypso, Capta. *Pl. Truc. a.* 5. *v.* 57. Lepidus ecastor mortalis. *Id. Poen.* 5, 2, 147. hercle mortalem catum et subdolum. *Gell.* 13, 28. ex *M. Frontone* docet, *multos mortales ἐμφατικώτερον* esse, et majorem hominum magisque promiscuam multitudinem significare, quam *multos homines*. ℙ *Mortalia*, res, et facta hominum. *Virg. A.* 1, 466. mentem mortalia tangunt. *Tac. A.* 14, 54. Invidia quidem, ut omnia mortalia, infra tuam magnitudinem jacet. ℙ *Mortale crimen* ap. *Cyprian. de bono Patient. med.* est mortem afferens.

MORTĀLĬTAS, atis, f. *τὸ θνητὸν*, rei mortalis et caducae conditio, fragilitas: item ipsa mors. *Cic. N. D.* 1, 10. *extr.* Omne, quod ortum sit, mortalitas consequitur. *Just.* 12, 16. de matre Alexandri: Profecto majus humana mortalitate opus utero tulit. *Tac. A.* 6, 50. Mortalitatem explere, *h. e.* mori. *Papin. Dig.* 5, 2, 15. Turbato mortalitatis ordine: sc. cum filius ante patrem moritur. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 5. *n.* 35. Fulvius Inquilinus Fulviae filiae inverso mortalitatis ordine fecit. ℙ Transfertur ad inanima. *Plin.* 36, 22, 48. Tofus aedificiis inutilis est mortalitate mollitiae, *h. e.* quia propter mollitiam minime durat. ℙ Pro morte ipsa. *Ulp. Dig.* 48, 4, 11. Is, qui in reatu decedit, integri status decedit: extinguitur enim crimen mortalitate; et *ib.* 23, 4, 2. Cum mariti mortalitas intervenit. *Plin. ep.* 10, 50. *f.* Rex mortalitate interceptus. ℙ Pro ipsis hominibus. *Plin. alter* 2, 7, 5. Invenit tamen medium sibi ipsa mortalitas numen. *Curt.* 8, 4. *med.* Contra fortunam non satis cauta mortalitas est. *Quint. decl.* 8, 16. Publico mortalitatis contendo nomine, non debere, etc. Adde *Arnob.* 4, 152.

MORTĀLĬTER, adv. conditione mortali. *August. Enchir.* 64. Quamdiu mortaliter vivunt, cum morte confligunt. Adde *Tract. in Joann.* 110.

*MORTĀRE, is, n. i. q. mortarium. *Ov. Met.* 7, 276. edd. *Heins.* et *Burm.* Instruxit mortari barbara munus. Al. leg. *mortali*, i. e. Aesoni, ut sit dativus commodi. *B. A.* [*V. quae *Gierig.* et *Jahn.* ad h. l. animadverterunt.]

*MORTARIŎLUM, i, n. parvum mortarium. *Macer* 1, 8. Semen in mortariolo tritum. *B. A.*

MORTĀRĬUM, ii, n. *ὄλμος*, vas, in quo res, quae resolvendae sunt, pistillo, vecte, aut manibus teruntur, subigunturve: est per syncopen a *moretarium*, quod sit vas, in quo herbae moreto conficiendo aptae contunduntur. Porro mortarii forma modo lata est, et fundo plano, modo angusto, et cavo: materia marmor, lignum, testa, aes, etc. *Virg. Mor.* 96. *orbem cavum lapidis* appellat. *Colum.* 12, 55. Semen sinapis duabus horis in aqua sinito, postea tollito, et manibus expressum in mortarium novum conjicito, et pistillis conterito: cum contritum fuerit, totam intritam ad medium mortarium contrahito, et comprimito manu plana, etc. *Cato R. R.* 74. Panem depsiticium sic facito. Manus, mortariumque bene lavato: farinam in mortarium indito, aquae paulatim addito, subigitoque pulcre. *Plin.* 34, 18, 50. Plumbum se ipso teritur in mortariis plumbeis; et *mox:* Quidam in mortario lapideo, et maxime Thebaico, plumbeo pistillo terere malunt; et 33, 8, 41. Aereis mortariis pistillisque tritum minium ex aceto. *Scrib. Comp.* 111. Terunquod planum latumque habet fundum, sic dicitur tur haec fictili mortario. ℙ A similitudine ejus, cava area, seu lacus, in quo calx, arena, et hujusmodi maceratur, et subigitur. *Plin.* 36, 23, 55. In Graecia tectorii etiam arenatum, quod inducturi sunt, prius in mortario ligneis vectibus subigunt. *Vitr.* 7, 3. *f.* Mortario collocato, calce et arena ibi confusa. Adde 5, 12. et 8, 7. *f.* ℙ A similitudine etiam est illud *Pall.* 4, 8. Arbori mortarium statim faciunt, *h. e.* terram circa arborem excavant ad formam mortarii, ad excipiendum humorem. ℙ Per synecdochen videtur esse ipsa materia macerata, et subacta in illis verbis *Vitr.* 8, 7. Mortario caementum addatur. Sic 7, 1. *med.* Calcis duae partes ad quinque mortarii, etc. *h. e.* ruderis, seu caementi in mortario triti. ℙ *Mortarium* a *pila* ita distingui videtur, ut in eo res terantur, et subigantur, ut dictum est: in hac contundantur. Tametsi promiscue haec accipi solent. *Scrib. Comp.* 74. Pila, et pilo mundo contundere, et cetera trita mortario curiose admiscere; et *ib.* 75. Glycyrrhizam contusam et cribratam, mortarioque nihilominus tritam, etc. ℙ Mortariorum lapides habuere et in medicina usum. V. *Plin.* 36, 22, 43.

MORTĬCĪNUS, a, um, adj. *θνησιμαῖος*, non mactatus aut occisus, sed ab se mortuus. *Varr. R. R.* 2, 9. *med.* Morticinae ovis carne vesci; et *ib.* 3, 2. *f.* Morticinas volucres, aut pisces edere. *Id. L. L.* 6, 5. In sacris ne morticinum quid adsit. Adde *Sen. ep.* 122. ℙ *Serv.* ad *A.* 4, 518. Flaminicae non licebat neque calceos, neque soleas morticinas habere: morticinae autem dicuntur, quae de pecudibus sua sponte mortuis fiebant. *Fest.* in *Mortuae.* Mortuae pecudis corio calceos, aut soleas fieri flaminicis nefas habetur, sed aut occisae alioqui, aut immolatae: quoniam sua morte exstincta omnia funesta sunt. ℙ *Morticini clavi* vulgo dicuntur, vel quia morticinam carnem referunt, vel, ut putat *Hard.*, quia mortiferi sunt. *Plin.* 22, 23, 49. Laser imponitur clavis, qui vulgo morticini appellantur, nitro mixto. ℙ *Morticinus* convicium est in hominem pallidum, exsanguem, cadaverosum. *Pl. Pers.* 2, 4, 12. Non hercle, si os perciderim tibi, metuam, morticine. ℙ *Morticina urna* est sepulcrum, quo conduntur cadavera. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 384. Homines fuisse cum scias, quos consecras; Urnas reorum morticinas lambere? Al. leg. *urnas, reorum morticinas*, *h. e.* sepulcra et carnes mortuorum.

MORTĬFER et Mortiferus, a, um, adj. *θανατηφόρος*, qui mortem affert. *Cic. Acad.* 4, 38. Cur Deus mortifera tam multa terra marique disperserit. *Id. Tusc.* 1, 29. *f.* Cum paene in manu jam mortiferum illud teneret poculum. *Cels.* 5, 26. *n.* 22. Musculus percussus mortiferus est, praecisus sanitatem recipit. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 237. seu mortifer aestus, Seu mors ipsa fuit. *Colum.* 6, 17. Est etiam mortifer iis serpentis ictus; et *ib.* 32. Scabies mortifera. *Pall.* 9, 9. Locus, quem spiritus mortifer occupabit. *Cic. Div.* 1, 30. Morbo gravi et mortifero affectus. *Id. Sull.* 26. Vulnus vehemens et mortiferum. *Id. Leg.* 2, 5. *med.* Medicorum praecepta pro salutaribus mortifera. *Virg. A.* 6, 279. Bellum mortiferum. [*Adde *Lucr.* 6, 819. 1090. 1137. *Liv.* 6, 40; et 9, 19. ℙ Permutantur *mortiferum* et *monstriferum*. V. *Burm.* ad *Virg.* l. modo l.]

MORTĬFĒRĒ, adv. *Plin. ep.* 3, 16. Mortifere aegrotare. *Marc. Dig.* 9, 2, 36. vulnerare.

MORTĬFĬCĀTĬO, onis, f. mors. *Tert. adv. Marc.* 5, 9. In eadem substantia mortificationis in Adam vivificatio concurrit in Christo. V. MUNITIO.

MORTĬFĬCĀTUS, a, um, part. a *mortifico*, ad mortem datus. *Prud. Cath.* 10, 101. Sic corpora mortificata Redeunt melioribus annis.

MORTĬFĬCO, as, a. 1. ad mortem do, mortem affero. *Tert. Resurr.* 37. Caro nihil prodest: mortificatur enim.

MORTĬFĬCUS, a, um, adj. idem ac mortifer. *Tert. carm. adv. Marc.* 4, 5. Mortificus cibus. *Val. Max.* 5, 6. *n.* 1. Mortifico vulnere. Al. leg. *mortifero.*

MORTŬĀLĬA, ium, n. plur. quae ad mortuos pertinent. Speciatim sic dicuntur vestimenta, quae in luctu sumuntur. *Naev.* ap. *Non.* 16, 4. Pallis, patagiis, crocotis, malacis mortualibus. ℙ Item nenia, seu carmina praeficarum, quae nugis, ineptisque sententiis plena erant. *Pl. As.* 4, 1, 63. Haec sunt non nugae; non enim mortualia.

MORTŬĀRĬUS, a, um, adj. ad mortuos pertinens. *Cato* ap. *Gell.* 18, 7. mortuaria glossaria vocat philosophos, quod res tetricas, inanes, ac frivolas, et similia praeficarum carminibus, quae nudae voces essent, dissererent. Al. leg. *mortualia.*

MORTŬOSUS, a, um, adj. mortuo similis, squalidus, exsanguis. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 3. Vultus mortuosus.

MORTŬUS, a, um, adj. *τεθνεὼς, νεκρὸς*, vita functus. *Cic. Brut.* 11. Sanguine tauri poto mortuus concidit. *Id. Q. Fr.* 1, 3. Non enim vidisses fratrem tuum: ne vestigium quidem ejus, sed quandam effigiem spirantis mortui. *Id. Pis.* 36. Cum tu, quod tibi succederetur, exsanguis et mortuus concidisti. *Id. Mil.* 27. *f.* Ausus est dicere, mortuum se in domum ejus illaturum. *Id. Or.* 1, 57. Arripuisti defensionem testamentorum, ac voluntatis mortuorum; et *ib.* Patrem ejus dicendo a mortuis excitasses. *Id. Quint.* 15. Amandare aliquem infra mortuos. *Id. Sen.* 9. Lacerti mortui. *Plin.* 11, 8, 8. Apes mortuis ne floribus quidem, non modo corporibus insidunt. ℙ *Mortuo verba facere*, surdo narrare fabulam, *νεκρῷ μύθους λέγειν*, cum quis frustra vel suadet, vel orat. *Ter. Ph.* 5, 8, 26. et *Pl. Poen.* 4, 2, 18, ℙ *Cum mortuis non nisi larvae luctantur*, aliud proverb. ap. *Plin. praef. H. N. f. h. e* nobis cum iis, qui obierunt, nullam rem esse. ℙ Translate *mortuus* dicitur ineptus ad Venerem, inhabilis Veneri. *Mart.* 8, 75. Cui merito dici, mortue Galle, potest. ℙ Illa etiam translata sunt *Cic. Verr.* 2, 5, 18. Leges antiquae et mortuae. *Id. Att.* 2, 19. *med.* Caesar cum venisset mortuo plausu, Curio filius est insecutus: huic ita plausum est, ut salva republ. Pompejo plaudi solebat. *Mart.* 11, 42. Vivida cum poscas epigrammata, mortua ponis Lemmata: quid fieri, Caeciliane, potest? ℙ *Mortuum esse alicui*, est nihil velle rei habere cum aliquo. *Pl. Cist.* 3, 1, 15. *Mel.* Hau, voluisti istuc severum facere? *Alc.* nihil mecum tibi, Mortuus tibi sum. ℙ *Mortua re verba facere*, est dictum proverbiale. *Id. Ps.* 1, 3, 27. mortua re verba nunc facis. Stultus es, rem actam agis. ℙ *Mare mortuum*, vel congelatum vel pigrum, sine reciprocatione fluctuum. Quod *morimarusam* Cimbri vocant Oceanum septentrionalem Europae adjacentem, *mare mortuum* interpretatur *Plin.* 4, 13, 27. ℙ Ita dicitur etiam lacus Asphaltites in Judaea, in quo nihil vivum gigni, pestilentibus aquis omnia enecantibus, tradunt. *Just.* 36, 3.

[MORVINNĬCUS, a, um, adj. ad Morvinnum pertinens, pagum prope Augustodunum in Aeduis, ubi nunc *le Morvan*, olim memoratum a *Venant. Vit. S. Germ. n.* 29. et 32. *Inscr.* in *Giorn. Arcad.* T. 28. p. 351. Aemilius Morvinnicus Aeduus. *F.*]

MORŪLA, ae, f. parva mora. *August. Confess.* 11, 15. *f.* Tempus nulla morula extenditur; et *ib.* 23. Morula solis super terram. *Appul. fragm. Met.* 10. p. 71. *Oudend.* Modicum illud morulae, qua lustrum sterni mandaverat, anni sibi revolutionem autumabat.

MORŪLUS, a, um, dimin. a *morus* pro *maurus*, h. e. niger, *μαυρὸς*. *Pl. Poen.* 5, 5, 10. Jam pol ego illam pugnis totam faciam ut sit morula, Itaque replebo atritate, atrior multo ut siet, Quam Aegyptii. [At *Bothe* affirmat in MSS. et veterib. editionib. haberi *merulea*, ut nempe verberibus ita livida seu nigra sit, ac avis merula. *F.*]

MORUM, i, n. *μόρον* et *μῶρον*, fructus mori arboris: a *μαυρὸς*, maurus, niger. *Plin.* 15, 24, 27. Moris succus in carne vinosus: trini colores, candidus primo, mox rubens, maturis niger: in novissimis florent, inter prima maturescunt: tingunt manus succo matura, eluunt acerba; et *ib.* 28, 34. *med.* Carne et succo mora constant, cute, et succo cerasa; et *f.* Carne palmae placent, succo uvae, callo pira, mora cartilagine. *Cels.* 2, 24. Stomacho apta sunt ex pomis cerasum, morum, sorbum, etc. *Hor. Sat.* 2, 4, 21. ille salubres Aestates peraget, nigris qui prandia moris Finiet, ante gravem quae legerit arbore solem. *Virg. Ecl.* 6, 22. Sanguineis frontem moris, et tempora pingit. *Mart.* 1, 73. cadente moro nigrior. *Id.* 8, 64. Sit moro coma nigrior caduco. ℙ In fabulis est, haec poma olim candida fuisse: sed postquam sub ea arbore se Pyramus, Thisben putans a fera laceratam, gladio transfixit, nigrum colorem induisse. *Ov. Met.* 4, 126. madefactaque sanguine radix Puniceo tingit pendentia mora colore. Adde *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 6, 22. ℙ Etiam ruborum quoddam genus mora fert, *μόρα, βάτινα*. *Plin.* 24, 13, 73. Nec rubos ad maleficia tantum genuit natura: ideoque et mora his, hoc est vel hominibus cibos dedit; et *mox:* Mora, quae in his nascuntur, vel efficaciorem stomaticen praebuerint, quam sativa morus. *Id.* 15, 24, 27. Nascuntur mora et in rubis, multum differente callo. *Ov. Met.* 1, 105. et in duris haerentia mora rubetis. Adde *Fast.* 4, 509.

*MORŪNI, orum, populi Indiae. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

MORUS, a, um, adj. *μωρὸς*, stultus, fatuus. Vox Graeca. *Pl. Mil.* 2, 4, 17. ego stulta atque mora multum, Quae cum hoc insano fabulem; et 3, 1, 78. Morus es. *Id. Men.* 4, 2, 1. Ut hoc utimur maxime more moro, Molestoque multum! *Id. Trin.* 3, 2, 43. Amor mores hominum moros, et morosos facit.

[*MORUS, a, um, adj. i. q. niger. Latet haec vox in cd. Ms. *Virgilii*, cujus accuratam mentionem *Jo. Ge. Guil. Koehlero* debemus, qui libelli academici conscribendi hinc argumentum sumpsit, in *Disputatione philologica de codice Virgilii adhuc incognito*, Jenae vulgata a. 1771. 4to. Locus est

Ecl. 10, 39. ubi pro vulg. *Et nigrae violae sunt:* ed. modo laud. praebet: *Et morae violae sunt.* Quam lectionem contra *Heyn.* vocem *morus, a, um,* ut barbaram exulare jubentem, post *Koehl.* defendit *Osann.* in *Auct. Lex. Graec.* p. 185. ubi v.]

MORUS, i, f. *μορέα, συκάμινος,* arbor mora ferens. De notatione V. MORUM. *Plin.* 16, 25, 41. Serotino quaedam germinatu florent, maturantque celeriter, sicuti morus, quae novissima urbanarum germinat, nec nisi exacto frigore: ob id dicta sapientissima arborum. Sed cum coepit, in tantum universa germinatio erumpit, ut una nocte peragat, etiam cum strepitu. *Id.* 18, 27, 67. *n.* 1. Cum germinare videris morum, injuriam postea frigoris timere nolito. *Id.* 16, 38, 73. Tota ossea est ilex, cornus, robur, morus, ebenus; et *ib.* 28, 51. Morus tardissime senescit, fructu minime laborans; et *ib.* 40, 79. Morus vetustate etiam nigrescit. *Ov. Met.* 4, 89. arbor ibi, niveis uberrima pomis, Ardua morus erat, gelido contermina fonti. V. MORUM.

*MORYLLI, orum, incolae Morylli. Fuit autem Moryllos vel Moryllus opp. Macedoniae, in Chalcidica. *Plin.* 4, 19. *B. A.*

*MORZES, is vel ae, m. rex Paphlagoniae. *Liv.* 38, 26. *B. A.*

MOS, mōris, m. *ἦθος,* institutum consuetudine usuque firmatum, sive bonum sive malum sit. Est vel a *modus,* extritis mediis litteris, vel a *νόμος,* lex, etc. V. etymologos. *Festus* tradit, esse institutum patrium, pertinens maxime ad religiones caerimoniasque Deorum: et cum *ritu* confundit. Sed latius accipitur pro instituto quolibet. A consuetudine quid differat, V. in CONSUETUDO. *Ov. Met.* 2, 245. Illae more suo (nam morem fecerat usus) Plangorem dederant. *Cic. Brut.* 21. *f.* Mos est hominum, ut nolint eundem pluribus rebus excellere. *Virg. A.* 1, 340. Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram. [*Adde *Suet. Galb.* 1. Fuitque mos triumphantibus, illas — pangere. *Rh.* 6. ubi infinitivi sunt subjecta, quasi: v. pangere — mos fuit. Sequitur etiam *accus. c. inf. Id. Aug.* 97. Vota, quae in proximum lustrum suscipi mos est.] *Cic. Fam.* 13, 17. Quia mos est ita rogandi; et *Verr.* 2, 5, 11. Nam ut mos est Bithyniae regibus, lectica octophoro ferebatur. *Hor. Sat.* 1, 9, 1. Ibam forte via sacra, sicut meus est mos. [*De dictione *mos est* et *moris est* V. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 13, 3. et 82, 5.] *Cic. Off.* 1, 41. *med.* Contra morem consuetudinemque civilem aliquid facere; et *ib.* Quae more aguntur institutisque civilibus. *Id. Agr.* 2, 1. Est hoc in more positum institutoque majorum, ut, etc. *Id. Univ.* 11. Legi morique parendum est. *Pl. Trin.* 4, 3, 36. leges mori serviunt. *Cic. Att.* 10, 7. Pompejus Sullano more exemploque vincet. [*Adde *Caes. B. G.* 1, 8. negat, se more et exemplo populi Romani posse iter ulli per provinciam dare. *Tac. H.* 1, 18. More D. Augusti et exemplo militari: ubi *mos* in universum solitam alicujus agendi rationem: *exemplum* singulum aliquod factum, ad istam agendi consuetudinem comprobandam prolatum, significat.] *Cic. Verr.* 2, 1, 26. Negavit, moris esse Graecorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres. [*Raro ita priores: adde *Liv.* 36, 28. *Tac. A.* 1, 10. Id quoque morum Tiberii fuit. — Plerumque fere cum dativo personae poni solet. *Vell.* 2, 37, 5. Sicuti Pompejo moris erat; et 40, 3. quem semper illi trahere moris fuit: ita ex conjectura *Ruhnk.* leg. videtur. *Plin. ep.* 2, 19. illis erat moris; et *Pan.* 13. non tibi moris. Imprimis frequens est *Tacito* locutio *moris est; G.* 13. Arma sumere non ante cuiquam moris etc. *Agr.* 23. ut barbaris moris; et 39. ut Domitiano moris erat. Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 211.] *Cic. Univ.* 1. Multa sunt a nobis Carneadeo more, et modo disputata. *Id. Verr.* 2, 2, 3. Si humano modo, si usitato more peccasset. *Id. Fl.* 6. Quae accusatorio jure, et more sunt facta. *Id. ib.* 7. O praeclarum morem disciplinamque, quam a majoribus accepimus! *Id. Or.* 3, 24. prudentiam Graecorum ad nostrum usum moremque transferre. *Virg. A.* 12, 836. morem ritusque sacrorum Adjiciam. *Ter. Andr.* 5, 3, 9. praeter civium Morem, atque legem, et voluntatem patris. *Cic. Or.* 1, 23. Non gravabor breviter meo more quid sentiam, dicere. *Id. Verr.* 2, 1, 26. Graeco more bibere. *Id. Or.* 2, 28. Qui hoc primus in nostros mores induxit. *Id. Inv.* 2, 54. Perducere aliquid in morem. *Liv.* 42, 21. *f.* Quod jam in morem venerat. *Ov. Pont.* 2, 7, 39. Jam dolor in morem venit meus. ℙ *More, de more, ex more, in morem,* secundum morem. *Cic. Fam.* 11, 29. *f.* Etsi more magis hoc scribo, quam quo te admonendum putem. *Virg. A.* 11, 142. de more vetusto Funereas rapuere faces; et *ib.* 10, 832. comptos de more capillos. *Hor. Sat.* 2, 3, 280. Ex more imponens cognata vocabula rebus. *Virg. A.* 5, 556. Omnibus in morem tonsa coma pressa corona. *Pl. Trin.* 4, 3, 27. Petere honorem pro flagitio, more fit. Sic *Ter. Andr.* 5, 6, 3. more hominum evenit, ut, etc. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 584.] ℙ *More, ad morem, in morem,* in modum, [*tanquam, quasi.] *Virg. A.* 10, 604. torrentis aquae, vel turbinis atri More furens. *Hor. Od.* 4, 2, 27. apis Matinae More modoque. [*Suet. Aug.* 60. more clientium. *Rh.* 6. more concionantis. *Aug.* 15. hostiarum more mactatos. *Cal.* 27. bestiarum more quadrupedes cavea coercuit.] *Quint.* 6, 3. *med.* Neque illa obscura, quae Atellanae more captent. *Id.* 4, 1. *med.* Materias ipsi sibi fingunt, et ad morem actionum prosequuntur. *Virg. G.* 1, 245. in morem fluminis; et *ib.* 2, 256. picis in morem. *Id. A.* 8, 88. in morem stagni, placidaeque paludis. *Hor. Sat.* 2, 1, 62. cum est Lucilius ausus Primus in hunc operis componere carmina morem. *Virg. A.* 7, 616. Hoc tunc Aeneadis indicere bella Latinus More jubebatur; et *G.* 3, 461. Bisaltae quo more solent. ℙ *Sine more,* sine exemplo, sine ullo bono more, praeter aut contra morem ac leges. *Virg. A.* 8, 635. raptas sine more Sabinas; et *ib.* 7, 377. Immensam sine more furit lymphata per urbem. *Stat. Th.* 1, 238. facinus sine more; et *ib.* 11, 524. coeunt sine more, sine arte, Tantum animis iraque. ℙ *Nullo more* idem est. *Flor.* 4, 6. Nullo bono more triumviratus invaditur. Al. omitt. *bono. Stat. Th.* 7, 135. Arma, arma insani, sua quisque, ignotaque nullo More rapit. ℙ *Supra morem,* praeter consuetudinem. *Virg. G.* 2, 227. Terra supra morem densa. ℙ *Suo, alieno more vivere,* conformare vitam ad suum, aut aliorum morem. *Ter. Heaut.* 1, 2, 24. Huncine erat aequum ex illius more, an illum ex hujus vivere? *Id. Andr.* 1, 1, 125. Prope adest, cum alieno more vivendum est mihi: Sine nunc meo me vivere interea modo. ℙ [*More alicujus uti* ponitur interdum pro *imitari aliquem. Nep. Thras.* 3, 1. superioris more crudelitatis erant usi: ubi v. *Brem.*] ℙ *Morem alicui gerere,* suum morem ad alienum accommodare, morigerari, obsequi, assentiri. V. GERO. ℙ *Mos ingenii* est consuetudo, et natura cujusque. *Just.* 8, 3. *f.* Philippus more ingenii sui regno utrumque, non judicis more, sed fraude latronis, spoliavit; et 6, 1. Lacedaemonii, more ingenii humani, quo plura habent, eo ampliora cupientes. ℙ *Mos vestis,* modus, et forma. *Just.* 1, 2. Eodem ornatu populum vestiri jubet: quem morem vestis exinde gens universa tenet. *Id.* 41, 2. Parthis vestis olim sui moris: posteaquam accessere opes, ut Medis, perlucida ac fluida. ℙ Pro natura seu affectione cujusque rei. *Virg. G.* 1, 51. varium coeli praediscere morem. *Manil.* 4, 122. Nunc tibi Signorum mores ex ordine reddam. *Stat. Silv.* 3, 2, 87. Quos tibi currenti praeceps fert Adria mores. *Plin.* 18, 24, 56. Mores siderum. ℙ Pro lege. *Virg. A.* 1, 268. moresque viris, et praemia ponet; et *ib.* 6, 853. regere populos, pacisque imponere morem. *Nep. Amilc.* 3. Quod moribus eorum interdici non poterat. ℙ Et pro jure inveterato, populi consensu introducto, quod *jus non scriptum* appellant. *Cic. Top.* 5. *med.* Jus civile est, quod in legibus, senatusconsultis, rebus judicatis, jurisperitorum auctoritate, edictis magistratuum, more, aequitate consistit. *Tac. A.* 3, 28. Exin continua per viginti annos discordia: non mos, non jus. ℙ *Accipere,* aut *pati morem,* legi subjici. Translate. *Plin.* 36, 16, 25. Quid ferri duritia pugnacius? sed cedit, et patitur mores. *Stat. Achill.* 2, 183. Ut leo, materno cum raptus ab ubere, mores Accepit, pectique jubas, hominemque vereri Edidicit. ℙ Saepe *mores* sunt ratio vitae cujusque, sive bona, sive mala, *τὰ ἤθη. Cic. Fam.* 12, 27. Est ita temperatis moderatisque moribus, ut summa severitas summa cum humanitate jungatur. *Id. ad Planc.* 1. *f. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Tua singularis humanitas, suavissimique mores. *Id. fr.* ap. *Non.* 4, 57. Boni mores, et modestiores, et ad capienda praecepta molliores. *Id. Or.* 2, 43. Reorum exprimere oratione mores justos, integros, religiosos, timidos, perferentes injuriarum. *Plin.* 28, 8, 23. Severi et pudici mores. *Plin. alter ep.* 10, 20. *extr.* sanctissimi; et *ep.* 6, 20. Morum probitas. *Cic. Rosc. Am.* 13. *f.* Mores feri, immanisque natura. *Id. ib.* 38. Totam vitam, naturam, moresque alicujus cognoscere. [*Adde *Liv.* 40, 16. inquirendo in utriusque vitam et mores. *Ov. Trist.* 2, 89. Vitamque meam moresque probabas; et *Her.* 17, 172.] *Cic. Dejot.* 10. Imitari mores, disciplinamque alicujus. [*— *Mores* sunt etiam societatis adeoque civitatis: *Cic. Fam.* 2, 5. *extr.* Rempubl. afflictam, miseris temporibus, ac perditis moribus, in veterem dignitatem vindicare. *Suet. Tib.* 59. Specie morum corrigendorum. *Aug.* 27. recepit et morum legumque regimen. Fuit *ἐπιμελητὴς καὶ ἐπανορθωτὴς τῶν τρόπων. Dio* 54, 10. et 30. Adde *Suet. Dom.* 8. et *Caes.* 76. praefectura morum: *ἐπιμέλεια τῶν τρόπων. Dio* 43, 14.] ℙ Absolute] pro bonis moribus. *Manil.* 4, 18. artesque datae, moresque creati, Et vitia. *Prop.* 4, 11, 101. Moribus et coelum patuit. *Sen. Agam.* 112. Periere mores, jus, decus, pietas, fides. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 161.] ℙ Et pro pravis. *Tac. H.* 3, 72. Propitiis, si per mores nostros liceret, Diis. ℙ In singulari numero, ut videtur, *Cic. Off.* 1, 32. *f.* Plerumque parentum praeceptis imbuti, ad eorum consuetudinem, moremque deducimur. *Id. Acad.* 1, 10. Virtutes natura, aut more perfectae. ℙ In illo *Pl. Most.* 1, 3, 128. amator meretricis mores sibi emit auro et purpura: *mores* sunt morigeratio, facilitas obsequendi, et qui a *Lucr.* 4, 1275. dicuntur *morigeri modi.* ℙ [*Confund. *mores* et *modi.* V. *Ruhnk.* ad *Aquilae Rom. de fig. sent.* cet. p. 185. b. ed. *Frotsch.*]

*MOSA, ae, f. hod. *la Meuse,* fluv. insig. Gall. Belg. ex Vogeso Monte non procul a Lingonum finibus profluens, et, parte quadam Rheni recepta, quae appellatur Vahalis, insulam efficiens Batavorum. *Caes. B. G.* 4, 9. *Tac. A.* 2, 6. *H.* 4, 28. *Plin.* 4, 14. et 15. *Flor.* 4, 2. *med. Sidon. carm.* 5, 208. ubi prior syllaba corripitur. Et profecto *ὁ Μόσης* hic fluvius est *Metaphr. Jul. Caes. B. A.*

*MOSCHĒNI, orum, populi Asiae, Armeniae vicini. *Plin.* 6, 9. *B. A.*

*MOSCHI, orum, populi Asiae. V. in *Moschicus, a, um. B. A.*

MOSCHĪCUS, a, um, adj. ad Moschos pertinens. *Plin.* 5, 27, 27. Moschicus mons. ℙ Sunt autem *Moschi* populi Asiae, ubi Colchidis, Iberiae, et Armeniae pars, nunc *Georgien.* Horum meminit *Id.* 6, 4, 4. *Lucan.* 3, 270. saevisque affinis Sarmata Moschis. [*Adde *Mel.* 3, 5, 4. et *Strab.* 5. p. 344.]

[MOSCHĪLUS, i, m. dimin. moschi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 158, 1. Flavius Moschilus V. C. Isiacus. *F.*]

[MOSCHIS, idis, f. vitula tenera. Est cogn. R. V. v. sq. *F.*]

*MOSCHUS, a, um, adj. i. q. Moschicus. *Mela* 1, 9. Montes Moschi. *B. A.*

[MOSCHUS, i, m. *μόσχος,* vitulus tener. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 477, 5. Terentia Moschis porticum tectum D. D. permissu L. Terentii Moschi. *F.*] *Moschus, i,* m. Pergamenus, rhetor notissimus, reus veneficii, cujus causam egerunt Torquatus et Asinius Pollio. *Hor. Epist.* 1, 5, 9. ibique *Vet. Schol.* ℙ Moschus, poeta Graecus Bucolicus, Syracusis in Sicilia natus, Ptolemaeo Philometori coaetaneus, cujus aliquot hodieque Idyllia legimus. *B. A.*

MOSCŪLIS Cato pro parvis moribus dixit. *Festus.* Alii leg. *moscillis,* vel *mosillis.*

MOSĒIUS, a, um, adj. ad Mosen pertinens, Moseus. *Paul. Nol. carm.* 23, 354. Devorat ut magicos Moseia virga dracones.

MOSELLA, ae, m. et f. fluvius Galliae Belgicae, qui ex Vogeso monte ortus, per Mediomatricos, et Augustam Trevirorum in Rhenum influit: de cujus laudibus est bene longum Idyllium decimum *Ausonii.* De eo *Sym. ep.* 1, 8. (al. 14.) *ad Auson.* Volitat tuus Mosella per manus sinusque multorum, divinis a te versibus consecratus. *Auson. de clar. urbib.* 4. Largus tranquillo praelabitur amne Mosella. *Id. Idyll.* 10, 374. quod si tibi, dia Mosella, Smyrna suum vatem, vel Mantua clara dedisset; et *ib.* 73. placidae subter vada laeta Mosellae.

MOSELLĒUS, a, um, adj. ad Mosellam pertinens. *Sym. ep.* 1, 8. (al. 14.) *ad Auson.* Nequaquam tibi crederem, de Moselleo ortu, et meatu magna narranti.

MOSES et Moyses, si, m. *Μωσῆς,* et *Μωυσῆς, σῆ,* et *Μωσεὺς,* et *Μωυσεὺς, σέως,* heteroclit. nomen inclyti Hebraeorum ducis, qui Israelitas ex Aegypto et Pharaonis tyrannide eduxit. *Juven.* 14, 102. Tradidit arcano quodcumque volumine Moses. *Tac. H.* 5, 3. Mosen unum monuisse, ut, etc. *Tert. adv. Herm.* 19. Ad originale instrumentum Moysi provocabo. (Adde *adv. Marc.* 1, 10.) *Lactant.* 4, 14. Qui successor fuit Mosi. *Sedul.* 5, 274. lex velamine Mosi Tecta diu. *Juvenc.* 2, 698. Mosi quem scripta frequentant. *August. ep.* 203. *med.* Filium Moysi Angelus praefocasset. *Hieron. ep.* 109. *n.* 1. Ergo Moysi corpusculum immundum erit? *Prud. Cath.* 12, 143. Christi figuram praeferens Moyses receptor civium. *Moyses* hic habet duas primas breves, quamvis alii scribunt *Moses.* ℙ Pro *Moysi* in genitivo *Pamell.* legit *Moysei* ap. *Tert. adv. Marc.* 5, 11. in MSS. Vatic., ut *Achillei.* Porro *Mosi,* et *Moysi* sunt a *Μωσῆ,* et *Μωυσῆ,* quae habentur ap. LXX. Interpr. in *Exodo,* pro *Mose,* et *Moyse:* nam *η* saepe quidem in *e,* aliquando tamen et in *i* Latine mutatur. Possunt etiam esse contracta a *Mosei,* ut *Achilli* ab *Achillei.* Ideo autem plura congessi hujus genitivi exempla, quia alterum *Moysis,* et *Mosis,* qui a multis agnoscitur, inveni adhuc, qui usurparet, neminem. ℙ Primam syllabam corripiunt (nimia, ut videtur, licentia), secundam extendunt *Prud. Hamart.* 340. Vidit enim Deus, esse bonum, velut ipse Moyses (Adde *περὶ στεφ.* 6, 86.) Et *Sedul.* 3, 285. Quid quod et Heliam, et clarum videre Moysen?

MOSĒUS, a, um, adj. ad Mosen pertinens, Moseius. *Juvenc.* 2, 219. Moseis manibus summo sublatus honore.

[MOSSĪNI, orum, m. plur. populi Lydiae, in cujus nummis ap. *Mionnet Descript. des médaill. ant.* T. 4. p. 88. *ΜΟΣΣΙΝΩΝ ΑΓΑΩΝ. Plin.* 5, 30, 30. Thyatireni, Mygdones, Mossini. *F.*]

*MOSSYLĪCUM PROMONTORIUM, cum portu cognomine, in Aethiopia fuit, in sinu Avalita. *Plin.* 6, 29. ℙ *Μόσυλον ἄκρον* est *Ptolemaeo. B. A.*

*MOSSYNOECHI, (*Μοσσύνοικοι Apoll. Rhod.* 2, 379.) V. v. sq. *B. A.*

MOSTELLĀRIA, ae, f. comoedia *Plauti*, alio nomine *Phasma*, dicta est a *mostellum*, h. e. parvum monstrum, quod in ea, ut ipse *Pl.* ait, vel quisquis est is, qui argumentum scripsit, Senem, ut revenit, ludificatur Tranio: Terrifica monstra ait videri in aedibus. V. *a.* 2. *sc.* 2. Porro etiam *phasma*, *φάσμα*, visum, spectrum, monstrum significat. *Gloss. Φάσμα*, mostellum: et *Φάσματα*, spectra.

MOSTELLUM. V. v. praec.

*MOSTĒNI, orum, incolae Mostenae. Fuit autem Mostena vel Mostene opp. Lydiae. *Tac. A.* 2, 47. *B. A.*

*MOTABĪLIS, e, adj. *Vulgat. Interpr. Genes.* 1, 21. Animam viventem atque motabilem. *B. A.*

MOTACILLĀ, ae, f. *σεῖσουρα*, *σεισοπυγὶς*, avis, quae semper caudam agitat. [*Motacilla alba, *L.*] *Varr. L. L.* 4, 11. Motacilla, quod semper movet caudam. Adde *Plin.* 37, 10, 56. et *Arnob.* 7, 223. ℙ [Est etiam cogn. R., ut L. Julius Motacilla ap. *Nep. Att.* 11., ubi tamen alii leg. *mocilla*. *F.* *Ita *Brem.*]

MŌTĀCISMUS, i, m. quoties *m* litteram vocalis sequitur, ut *bonum aurum*, *justum amicum*. Sed hoc vitium aut suspensione *m* litterae, aut detractione vitamus. Haec *Isid. Orig.* 1, 32. Alii tamen scribunt *mytacismus*, vel *metacismus*, q. v. v. *s.* l.

[MŌTĀMEN, inis, n. idem ac motatio. *Paul. Petrocor.* 5, 682. de pisce: Rejectae applaudens signis motamine caudae. *F.*]

[MOTĀRIUM, ii, n. linteum carptum, quod vulneribus inditur. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. *med.* Post primam (*liquoris*) detractionem motarium aqua infusum apponimus. *F.*]

MŌTĀTIO, onis, f. frequens motio. *Tert. Anim.* 45. et *adv. Herm.* 41., sed ubique varia est lectio.

MŌTĀTOR, oris, m. qui frequenter movet, motor. *Tert. Anim.* 12. Universitatis motator animus. *Arnob.* 3, 118. Neptunus motator sali.

MŌTĀTUS, a, um, part. a *moto:* saepe motus, commotus. *Prud. Hamart.* 596. semine adulto, Incipiunt calidis corpuscula parva latebris Serpere, motatumque uterum vibrata ferire.

*MOTHERŪDES, is, rex Aegypti pervetustus, cujus meminit *Plin.* 36, 19. *B. A.*

MŌTĬO, onis, f. *κίνησις*, actus movendi, motus. *Cic. Fat.* 19. Qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit. *Id. N. D.* 2, 58. In corpum motione atque gestu cernunt oculi multa subtilius. ℙ De motu venarum ex febri. *Cels.* 3, 5. *med.* Si post alteram febrem motio manet, post alteram integrum corpus est. ℙ Translate *motiones animi* ap. *Cic. Acad.* 1, 8. sunt affectus. [*Adde *Tusc.* 1, 10.] ℙ Pro remotione. *Ulp. Dig.* 47, 20, 3. *f.* Ad tempus relegatio, vel ab ordine motio.

MOTĪTO, as, a. l. idem quod *moto*, *as*, saepe moveo. Agnoscitur ut Latinum a *Gell.* 9, 6. Quidam etiam leg. ap. *Pl. Truc.* 1, 2, 89. *motitamur ira:* sed al. aliter.

MŌTĪUNCŪLA, ae, f. levis motio. De motu levi febris *Sen. ep.* 53. et *Tranq.* 2. Levis aliquem motiuncula decipit: sed cum creverit, et vera febris exarserit, etc. *Suet. Vesp.* 24. Tentatus in Campania motiunculis levibus. Adde *Tert. adv. Valent.* 23.

MOTO, as, avi, atum, a. l. *κινέω*, frequent. a *moveo*. *Virg. Ecl.* 5, 5. sub incertas, Zephyris motantibus, umbras; et *ib.* 6, 28. rigidas motare cacumina quercus. *Ov. Met.* 11, 674. motatque lacertos Per somnum. ℙ [*Confund. *motare* et *mutare*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 217.]

MŌTOR, oris, m. *κινητής*, qui movet. *Mart.* 11, 39. Cunarum fueras motor, Charideme, mearum.

MOTORĬUS, a, um, adj. *κινητικός*, motum habens. *Tert. Anim.* 14. Non enim membra sunt substantiae animalis, sed ingenia, ut motorium, ut actorium, ut cogitatorium, *h. e.* vis movendi, agendi, cogitandi. ℙ *Motoria comoedia* ap. *Culpurn. Schol.* ad *Ter. Heaut. prol.* 36. est quae motibus, *h. e.* affectibus abundat, et tumultuose agitur, Clamore summo cum labore maximo, ut ait *Ter. ib.* 40., cui opponitur *stataria*. Agnoscit hanc vocem etiam *Prisc.* 2, 590., item *Donat.* ad *Ter. Ad. prol.* 24. et in *argum. Andr.*

MŌTUS, a, um, part. a *moveo: κινηθείς*, commotus, agitatus, impulsus. *Prop.* 4, 1, 101. si quis motas cornicis senserit alas. *Ov. Met.* 11, 600. moti flamine rami. *Virg. A.* 1, 139. motos praestat componere fluctus. *Cic. Caecin.* 13. Ne tuorum quidem quisquam loco motus. *Liv.* 39, 42. Ut censores motis senatu adscriberent notas. Al. leg. *e senatu*. *Tac. A.* 2, 43. Non posse motum Orientem nisi Germanici sapientia componi. *Liv.* 34, 54. Nihil motum ex antiquo probabile est: *γνώμη*. *Sen. ep.* 94. *med.* et *Q. N.* 6, 1. et *Ov. Trist.* 5, 6, 24. et 25. Mens mota. Sic *Hieron. adv. Vigilant. n.* 4. Homo moti capitis, atque Hippocratis vinculis alligandus. Alio sensu *Sen. Tranq.* 16. Non potest grande aliquid et supra ceteros loqui, nisi mota mens, *h. e.* oestro percita, numine afflata, enthea. Sic *Ov. Trist.* 4, 1, 43. Sic ubi mota calent viridi mea pectora thyrso, etc. *Prop.* 1, 15, 9. At non sic Ithaci digressu mota Calypso, *h. e.* turbata, dolore affecta. *Ov. Her.* 21, 77. Mota loci fama properabam visere Delon; et *Trist.* 4, 10, 23. Motus dictis. *Curt.* 6, 5. *med.* precibus. *Petr. Sat.* 18. Ex lacrimis in risum motus. ℙ *Confunditur saepe in MSS. cum *Totus. B. A.*

MOTUS, us, m. *κίνησις*, *κίνημα*, motio, agitatio. *Cic. N. D.* 3, 11. Natura omnia ciens et agitans motibus et mutationibus suis; et *ib.* 2, 9. Cieri et agi motu suo. *Id. Somn. Scip.* 4. Orbes, qui versantur contrario motu. *Id. Univ.* 6. Deus motum dedit coelo eum, qui figurae ejus sit aptissimus. *Curt.* 4, 4. *f.* Crebris motibus terrae fatigati. *Prop.* 3, 13, 31. magnos cum ponunt aequora motus. ℙ De gestu corporis, et saltatione. *Cic. Off.* 1, 36. Palaestrici motus saepe sunt odiosiores, et histrionum nonnulli gestus inepti non vacant offensione. [*Adde *Brut.* 30, 116. Volo enim, ut in scena, sic in foro, non eos modo laudari, qui celeri motu et difficili utantur, cet.] *Liv.* 7, 2. Ludiones ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant. *Virg. G.* 1, 350. Cereri, torta redimitus tempora quercu, Det motus incompositos, et carmina dicat. *Hor. Od.* 3, 6, 21. Motus doceri gaudet Ionicos Matura virgo. [**Nep. Iph.* 1, 4. Ille e contrario peltam pro parma fecit, ut ad motus concursusque essent leviores: ubi *motus* significat varia movendi genera, quibus milites utuntur, nostr. *Wendungen*. ℙ A corporibus transfertur ad animum. *Cic. Sen.* 21. Sic sentio, quum semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moveat, ne finem quidem habiturum esse motus, quia nunquam se ipse sit relicturus. ℙ Imprimis dicitur de animi sensibus vel cogitationibus, affectibus vel perturbationibus. Huc pertinent loci, quos *Forc.* inferius adscripserat:] *Cic. Off.* 1, 36. *f.* Motus animorum duplices sunt, alteri cogitationis, alteri appetitus; et *ib.* 38. Rectissime praecipitur, ut perturbationes fugiamus, id est motus animi nimios rationi non obtemperantes. *Id. Or.* 1, 51. Animorum motus dicendo miscere atque agitare. *Id. Att.* 3, 8. Ex epistolarum mearum inconstantia puto te meae mentis motum videre; et *Off.* 2, 5. *f.* Cohibere motus animi turbatos, quos Graeci *πάθη* nominant. *Virg. A.* 12, 217. vario misceri pectora motu. *Cic. Fin.* 2, 3. *f.* Cum vescimur iis rebus, quae dulcem motum afferunt sensibus. [**Lucan.* 7, 385. motus irarum. — Ita motus severitatis, censurae ap. *Prud.* et *Ictos;* v. *Lindenbr.* ad *Ammian.* 28, 2.] ℙ Pro instinctu numinis, oestro, *ἐνθουσιασμῷ*, qui vatibus immitti creditur. *Tibull.* 1, 7, 51. Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem Flammam, non amens verbera torta timet. *Ov. Met.* 6, 158. Manto, Per medias fuerat, divino concita motu, Vaticinata vias: et *ib.* 3, 711. insano concita motu. Al. leg. *cursu*. ℙ De germinatione atque incremento plantarum. *Colum.* 4, 28. Tres esse motus in vite, seu potius in omni surculo, naturales: unum, quo germinet; alterum, quo floreat; tertium, quo maturescat. V. MOVEO. ℙ [*Hinc *motus* in universum dicitur pro commotione, concursu: *a*) in bonam partem, cum magnus hominum numerus congregatur, ut obviam alicui procedat, ut rem aliquam spectet. Noster alieno loco laudaverat: *Cic. Dom.* 56. Italiae magnificentissimus ille motus. Adde *Virg. A.* 4, 297. At regina dolos — Prassentit, motusque excepit prima futuros, i. e. curas apparatusque itineris. — Porro huc pertinet *Cic. Att.* 3, 8. Motum in republ. non tantum ego impendere video, quantum tu ad me consolandum affers, i. e. mutationem praesentis rerum status indigni Romanis civibus. — *b*) In malam partem significat perturbationem rerum, turbam, tumultum. Exempla Noster haec laudaverat:] *Cic. Fl.* 37. *extr.* Videtis, in quo motu temporum, quanta in conversione rerum ac perturbatione versemur. *Id. Cat.* 2, 12. Mihi, ut urbi sine vestro motu, ac sine ullo tumultu satis esset praesidii, provisum est; et *mox:* Omnes Catilinae motus conatusque prohibere; et *ib.* 2. *f.* Motum afferre reipublicae. *Id. Or.* 2, 48. Si quis motus populi factus est. *Liv.* 39, 29. Magnus motus servilis eo anno in Apulia fuit. [**Vell.* 1, 3, 1. Motibus maximis concussa Graecia.] ℙ De tropis. *Quint.* 9. *in.* Plerique figuras tropos esse existimarunt, quia sive ex hoc duxerint nomen, quod sint formati quodam modo; sive ex eo, quod vertant orationem, unde et motus dicuntur; fatendum est, esse utrumque eorum etiam in figuris. *Id.* 8, 5. *f.* Tropi, quos motus clarissimi nostrorum auctores vocant. ℙ Pro causa. *Plin. ep.* 3, 4. *f.* Audisti consilii mei motus: superest alterutra ex parte judicium tuum. ℙ [*Confund. *motus* et *nutus*. V. *Burm.* ad *Virg. Ecl.* 1, 17.]

MŌVENS, entis, part. a *moveo: κινῶν*. Interdum absolute adhibetur pro *se movens*, vel *mobilis*. Hinc *res moventes* sunt bona mobilia. V. MOBILIS. *Liv.* 5, 25. Ex ea praeda, quae rerum moventium sit. *Gell.* 11, 18. Non hominum tantum, neque rerum moventium, quae afferri occulte et surripi possunt, sed fundi quoque et aedium fieri furtum. *Marcell. Dig.* 46, 3, 48. Reditus exegit, et moventia distraxit. Sic *voluptas movens* ap. *Cic. Fin.* 2, 10. est, quae in motu consistit, et *stanti* opponitur.

MOVĒO, es, ovi, otum, a. 2. *κινέω*, [*id, quod quietum vel tranquillum est, ad procedendum vel agendum excitare et impellere.] *Cic. Div.* 1, 35. Cum signifer signum non posset movere loco. *Cels.* 8, 2. Os aut frangitur, aut de loco movetur. *Ov. Met.* 5, 634. Quaque pedem movi, manat lacus. *Lucan.* 7, 861. nec terram quisquam movisset arator. *Sen. Thyest.* 420. Movere gradum, *h. e.* ire. ℙ *Movere se* est ire, ambulare, abire. *Ter. Andr.* 4, 3, 16. Move ocius te, ut, quid agam, porro intelligas. *Liv.* 34, 20. Praecepit eis, ne se ex eo loco moverent. *Caes. B. G.* 3, 15. Tanta subito malacia exstitit, ut se loco movere non possent. *Cic. Fam.* 5, 21. *f.* Fac, ut istinc te ne moveas tam infirma valetudine. *Catull.* 3, 8. Nec sese a gremio illius movebat. *Nep. Att.* 7. Usus est aetatis vacatione, neque se quoquam movit ex Urbe. [*V. *Brem.* ad h. l. et ad *Eum.* 6, 1.] ℙ *Movere se* dicitur etiam de plantis, cum germinant, aut crescunt. *Colum.* 11, 2. *med.* A cal. Martii eximia est vitium putatio, si tamen se gemmae nondum moveant. *Ov. Trist.* 3, 12, 13. de palmite gemma movetur. V. MOTUS, us. ℙ Aliquando est saltare. *Tibull.* 1, 8, 38. Movit et ad certos nescia membra modos. *Hor. A. P.* 232. Ut festis matrona moveri jussa diebus. *Id. Ep.* 2, 2, 125. Nunc Satyrum, nunc agrestem Cyclopa movetur. *Pers.* 5, 123. Tres tantum ad numeros Satyri moveare Bathylli. ℙ *Movere* pro *moveri*, neutrorum ritu. *Liv.* 35, 40. *f.* Terra dies duodequadraginta movit. Eodem modo *Suet. Claud.* 22. et *Gell.* 4, 6. locuti sunt. *Sen. Troad.* 1180. Classis movet. [*Gr. *ἄρειν*, nostr. *aufbrechen*. V. *Drakenb.* ad *Liv.* 10, 4, 9.] In veteri S. C. ap. *Gell. l. c.* Quod C. Julius L. F. pontifex nunciavit, in sacrario in regia hastas Martias movisse. V. aliud hujusmodi in MOVENS. ℙ Pertinet etiam ad sacra. De ancilibus movendis V. ANCILE. *Sen. Med.* 86. qui tripodas movet Frater virginis asperae, *h. e.* responsa ex tripode reddit. *Val. Fl.* 3, 540. Bacchum thyasos et sacra moventem; et 5, 399. Sacraque terrificae supplex movet irrita Nocti, *h. e.* facit. *Cato R. R.* 134. Ferctum Jovi moveto, et mactato sic: Juppiter te hoc fercto obmovendo bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, etc. *h. e.* admoveto, offerto. Simili ratione *commovere* usurpatur *ib.* ℙ Frequenter est removere, pellere. *Cic. Off.* 3, 19. Ut veros heredes moveat, in eorum locum ipse succedat. *Id. Or.* 2, 67. Censor tribu movit centurionem. *Id. Cluent.* 43. Movere aliquem senatu. *Liv.* 39, 42. senatorio loco. *Id.* 24, 18. tribu. *Id.* 30, 18. Hostem turbare, ac statu movere. *Cic. Verr.* 2, 1, 45. et *Agr.* 2, 21. Possessione movere. *Id. Fam.* 13, 5. ex agro. *Id. Fin.* 3, 22. Quid non sic aliud ex alio nectitur, ut non, si ullam litteram moveris, labent omnia? *Pl. Capt.* 4, 2, 10. Move abs te moram. ℙ Item provocare, promovere, excitare. *Cels.* 2, 17. Sole et exercitatione sudor movetur. *Id.* 3, 21. *med.* Potio, quae urinam movet; et 8, 16. Cubitus luxatus interdum febrem, vomitumque bilis movet. *Id.* 7, 4. *f.* Movere dolorem; et 8, 9. tussim, sternutamentum. *Cato R. R.* 115. alvum. ℙ Item afficere, labefactare. *Liv.* 25, 26. Intoleranda vis aestus per utraque castra omnium ferme corpora movit. ℙ *Movere castra*, et *movere* absolute, alio transferre exercitum. *Caes. B. G.* 1, 15. Postero die castra ex eo loco movent. *Liv.* 24, 44. Consules, legionibus scriptis, priusquam ab Urbe moverent, prodigia procurarunt. *Cic. Att.* 9, 1. Postquam ille Canusio moverat. [*V. supra.] ℙ Dicitur et de pulsante fides. *Hor. Ep.* 2, 2, 86. Verba lyrae motura sonum. *Ov. Met.* 10, 89. et fila sonantia movit; et *ib.* 5, 112. citharam cum voce movere. *Auct. Pan. ad Pison.* 161. Ipse fidem movisse ferox narratur Achilles. *Ov. Her.* 4, 48. Quaeque sub Idaeo tympana colle movent. ℙ *Movere nummum ab aliquo*, est eum cogere, ut nummum solvat. *Cic. Att.* 1, 12. de acerbissimo feneratore: A Caecilio propinqui minores centesimis nummum movere non possunt; eadem repetit *Sen. ep.* 118. ℙ Translate *movere quippiam* dicitur, qui aliquid aggreditur, suscipit, incipit. *Liv.* 23, 39. Movere ac moliri aliquid. *Ter. Andr.* 5, 4, 18. Ego istaec moveo, aut curo? *Ov. Fast.* 6, 622. solemni voce movere preces. *Virg. A.* 10, 163. Pandite nunc Helicona, Deae, cantusque movete. *Ov. Met.* 14, 21. carmen Ore move sacro. *Cic. Off.* 1, 11. *f.* et *Sall. Cat.* 31. Movere bellum. *Virg. A.* 12, 6. arma. *Liv.* 28, 11. mentionem cujuspiam rei. *Quint.* 3, 6. *med.* conjecturam. *Julian. Dig.* 37, 10, 4. controversiam. *Ulp. Dig.* 4, 3, 33. litem. *Id. ib.* 19, 1, 10. actionem. ℙ Est etiam excitare. *Cic. Or.* 71. Eloquens non approbationes solum, sed admirationes, clamores, plausus movere debet. *Id. Or.* 2, 62. et *Att.* 6, 3. *f.*

risum; et *ib.* 2, 14. alicui exspectationem de re quapiam. *Liv.* 4, 5. indignationem. *Cic. Or.* 2, 69. misericordiam. *Id. Part.* 33. suspicionem. *Quint.* 6, 1. *med.* lacrimas. *Cic. Or.* 1, 53. fletum populo. *Sall. Cat.* 26. jocum. ℙ Item turbare. *Sen. ep.* 36. Res est inquieta, felicitas: ipsa se exagitat, movet cerebrum, etc. *Sall. Cat.* 22. Quieta movere, magna merces videbatur. *Liv.* 35, 13. Filio misso ad custodiam ultimarum partium regni, ne quid, absente se, a tergo moveretur. ℙ Item removere, abducere. *Liv.* 3, 21. Nec ante moverunt de sententia consulem, quam, etc. Adde 39, 39. *f.* ℙ Item irritare, lacessere. *Hor. Epod.* 17, 3. Per et Dianae non movenda numina. ℙ Item incitare, hortari, impellere. *Liv.* 35, 12. Legatos censuit circa reges mittendos, qui non solum tentarent animos eorum, sed suis quemque stimulis moverent ad Romanum bellum. *Cic. Att.* 11, 5. Quae me causae moverint, quam acerbae, quam graves, non possum, etc. ℙ Item afficere, allicere, delectare. *Cic. Off.* 1, 28. Ut pulcritudo corporis movet oculos, et delectat; sic decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuscum vivitur. ℙ Item mutare, aut labefactare. *Cic. Att.* 7, 3. Tantum abest, ut meam ille sententiam moveat, ut valde ego ipsi, quod de sua sententia decesserit, poenitendum putem. ℙ *Movere animum*, et *movere* absolute est aliquo affectu percellere, flectere, agere. *Virg. G.* 3, 521. non mollia possunt Prata movere animum. *Quint.* 6, 2. Movere animos judicum, atque in eum, quem volumus, habitum formare. *Liv.* 39, 39. Quoniam Flaccum auctoritas patrum nihil movisset; et 3, 20. Moverat plebem oratio consulis. *Caes. ad Cic. post. ep.* 19. *l.* 9. *ad Att.* Neque illud me movet, quod ii, qui, etc. *Tibull.* 2, 7, 36. Moverit e votis pars quotacumque Deos. *Quint.* 6, 1. Athenis affectus movere, etiam per praeconem prohibebatur orator. ℙ *Moveri*, affici, aliquo affectu commoveri, flecti. *Virg. A.* 6, 399. Nullae hic insidiae tales: absiste moveri, *h. e.* turbari, timere. *Cic. Dejot.* 2. Moveor etiam ipsius loci insolentia; et *ib.* 11. Movebatur animo, et de salute populi R. extimescebat. *Prop.* 3, 23, 25. Nil moveor lacrimis. *Liv.* 39, 47. Cum senatus et tirocinio, et perturbatione juvenis moveretur. *Caes. B. C.* 1, 44. Fere fit, quibus quisque in locis miles inveteravit, uti multum earum regionum consuetudine moveatur. *Cic. Acad.* 4, 42. In his rebus neutram in partem moveri: quae ἀδιαφορία dicitur. ℙ *Moveri*, absolute dicitur etiam in obscenis. V. EQUITO. ℙ Est etiam mente agitare, versare animo, cogitare. *Virg. A.* 3, 34. Multa movens animo Nymphas venerabar agrestes. *Stat. Th.* 2, 145. at Inachio tenuis sub pectore regi Tracta quies, dum mente Deos, inceptaque versat Hospitia, et quae sint generis adscita repertis Fata, movet. ℙ Item numine afflare, oestro concitare, inspirare. *Lucan.* 1, 565. tum, quos sectis Bellona lacertis Saeva movet, cecinere Deos. (V. MOTUS, us.) Al. leg. *monet.* ℙ *Mostis* pro *movistis* syncope ap. *Mart.* 3, 67. Cessatis pueri, nihilque mostis. Alii leg. *nostis*, al. *postis* pro *potestis.* Et *morunt* pro *moverunt* ap. *Sil.* 14, 141., ubi alii *norunt.* ℙ [*Confund. *moveo* et *moneo.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 418. 631. — *Moturus* et *moriturus. Id. ib.* 5, 367. — *Movit* et *novit. Id. ib.* 6, 432. — *Movere* et *vomere. Id. ib.* 6, 24.]

MOX, adv. εὐθύς, αὐτίκα, statim, celeriter: et fere dicitur de tempore statim futuro. *Ter. Andr.* 3, 2, 4. Quod jussi ei dare bibere, Date: mox ego huc revertor. *Cic. Att.* 10, 4. Jussit mihi nunciari, mox se venturum. *Id. Div.* 1, 23. *f.* Discedo paruper a somniis, ad quae mox revertar. *Id. Or.* 49. De numero mox: nunc de sono quaerimus. *Plin.* 18, 35, 73. Paucis mox horis. *Cic. Inv.* 2, 28. Non necesse est, quin mox judicium fiat, exspectare. ℙ *Quam mox*, quanto post, quam cito. *Festus*: Quam mox significat quam cito: sed si per se ponas mox, significabit paulo post, vel postea. *Cic. Rosc. Com.* 1. Exspecto, quam mox Chaerea hac ratione utatur. *Ter. Eun.* 4, 7, 18. quam mox irruimus? *Pl. Rud.* 2, 3, 12. quam mox coctum est prandium? Adde *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. ℙ *Mox ubi*, statim ac. *Liv.* 3, 52., *Cotum.* 5, 5., *Hor. Od.* 2, 1, 10. etc. ℙ *Mox ut*, idem. *Flor.* 2, 4. Mox ut caluere pugna, statim in sudorem eunt. ℙ *Mox paulo*, paulo post. *Plin.* 4, 16, 30. De quibus mox paulo dicemus. *Id.* 21, 2, 3. Paulo mox subiere, quae vocantur Aegyptiae. ℙ *Mox quam*, simul atque. *Paul. Dig.* 7, 4, 13. Mox quam a solo separati sunt fructus. ℙ Jungitur et cum *deinde. Colum. praef.* 1. *med.* Mox deinde, ut apti veniamus ad ganeas, quotidianam eruditatem Laconicis excoquimus. (Adde 9, 14.) *Tibull.* 1, 7, 35. Et simulat transire domum, mox deinde recurrit. ℙ Refertur etiam ad ordinem temporis. *Vell.* 2, 14. Domus, quae quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennae est. *Tac. H.* 1, 72. Quia praemia virtutum velocius erat vitiis adeptus, crudelitatem mox, deinde avaritiam exercuit. *Liv.* 40, 48. *f.* Nam extemplo fusi, fugati: mox intra vallum compulsi: postremo exuuntur castris. [*Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 312.] ℙ Item situs, et loci. *Plin.* 6, 19, 22. Ab Albaniae confinio gentes Silvorum ferae, et infra Lubienorum, mox Diduri; et *ib.* 30, 35. Ultra eos Dochi, deinde Gymnetes, mox Anderae. ℙ Item dignitatis, aut pretii. *Plin.* 18, 7, 17. Post amylum Chium maxime laudatur Creticum, mox Aegyptium. ℙ De longo post tempore. *Suet. Ner.* 6. C. Caesar intuens Claudium patruum suum, a quo mox principe Nero adoptatus est, *h. e.* post undecim annos. Huc pertinere potest illud *Virg. G.* 1, 24. Tuque adeo, quem mox quae sint habitura Deorum Concilia, incertum est, etc. *Gnifo* ap. *Charis.* 2, 184. ait, pro *cito* positum esse: *Serv.* autem: potest, inquit, ad vitae humanae brevitatem referri. ℙ De tempore proxime praeterito, pro statim ante, modo. *Colum.* 3, 20. De altero, quod mox proposueram, nihil dubito, quin, etc. *Stat. Th.* 12, 818. Mox tibi, si quis adhuc praetendit nubila livor, Occidit. Alii rectius leg. *occidet.*

MOYSES. V. MOSES.

[MOYSITICUS, a, um, adj. ad Moysen pertinens. *Venant. Vit. S. Mart.* 2, 28. Israelitarum veluti Moysiticus alter Ne vapor excruciet, etc. *F.*]

MU

MU, μῦ, vox propria canum, unde et mutire dicuntur, inquit *Charis.* 2, 213. item *Scalig.* in *conjectan.* ad *Varr.* in ea verba *L. L.* 6, 5. *med.* Mussare dictum, quod muti non amplius quam mu (al. *μῦ*) dicunt: a quo *Ennius*, Quod minimum est, neque, ut ajunt, mu (al. *μῦ*) facere audent. *Lucil.* ap. *Charis. l. c.* Non laudare hominem quemquam, neque mu facere audet. Cum dixit *Pl. Stich.* 1, 3, 102. Negato esse quod dem, nec mu, nec mutuum: *mu*, rem minimam intellexit, simulque primam v. *mutuum* syllabam respexit. ℙ Videtur etiam esse vox dolentis, desperantis, exclamantis. *Id. fragm.* ap. *Charis. l. c.* Qui tu es, quid ducis me? mu! perii hercle: Afer est.

MUCCĒDO vel Mucedo, inis, f. mucus. *Appul. Apol.* Si perniciosa illa muccedo intus cohibita et bili atra sociata, etc. Alii leg. *dulcedo*, al. *albedo.*

MUCCĪNIUM vel Mucinium, ii, n. linteum, quo extergetur nasi mucus. *Arnob.* 2, 59. Mitra, strophium, fascia, muccinium.

MUCCUS. V. MUCUS.

MŪCĒO, es, mucui, n. 2. εὐρωτιάω, mucidus sum. *Cato R. R.* 148. Vini singulae urnae dabuntur, quod neque aceat, neque muceat.

MŪCESCO, is, n. 3. mucidus fio. *Plin.* 14, 20, 26. Proprium est vino mucescere, aut in acetum verti. *Id.* 18, 20, 23. Sesama macerata lurido colore mucescit.

*MUCĬA, ae, f. nomen proprium mulierum R. ℙ Mucia, Nepotis et Celeris Metellorum soror, Pompeji uxor, qui cum ea divortium fecit. *Cic. Fam.* 5, 2. et *Att.* 1, 12. Adde *Suet. Caes.* 50. ℙ Quare ita dicatur, disputat *Manutius* ad *Ciceronis* locum priorem citatum. ℙ Muciae etiam audiebant Laeliae C. F. filiae, L. Laelii neptes. *Cic. Brut.* 58. *B. A.*

MŪCĬĀNUS, a, um, adj. ad Mucium aliquem pertinens, v. gr. Publium, aut Quintum, qui celebres JCti fuere, ut Muciana cautio, aut satisdatio, ap. *Papin. Dig.* 35, 1, 99. *med.* et *Julian. ib.* 101. ℙ *Cic. Att.* 9, 13. Torqueor infelix, ut jam illum Mucianum exitum exoptem, *h. e.* crudelem, qualem habuit Q. Mucius Scaevola Pont. Max., qui jussu C. Marii consulis C. filii a Damasippo praetore in vestibulo aedis Vestae, ut est in *Epit. Liv.* 86., vel in curia Hostilia, ut scribit *Vell.* 2, 26., trucidatus est. Narrat hoc etiam *Cic. Or.* 3, 3. et *Flor.* 3, 21. ℙ Scribitur et *Mutianus.* V. MUCIUS.

MŪCĬDUS, a, um, adj. εὐρώδης, σαπρὸς, qui mucorem ex vetustate contraxit: a *muceo. Juven.* 14, 128. Mucida caerulei panis consumere frusta. *Mart.* 8, 6. Mucida vina. ℙ *Mucidus* et *Muccidus* est etiam mucosus, muco fluens, μυξώδης. *Pl. Epid.* 3, 4, 58. homo es, Qui me emunxisti mucidum. *Id. Mil.* 3, 1, 52. Senex mucidus.

MŪCĬUS, a, um, adj. ad Mucium pertinens, quod est nomen proprium R. hominis. *Festus*: Mucia prata trans Tiberim dicta a Mucio, cui a populo data fuerant, quod Porsenam Etruscorum regem sua constantia ab Urbe dimovit. *Mart.* 1, 22. Urere quam potuit contempto Mucius igne, Hanc spectare manum Porsena non potuit. Adde *Liv.* 2, 12. et 13. ℙ De lege Mucia V. in LICINIUS, a, um. ℙ *Mucia festa* ap. *Cic. Verr.* 2, 2, 21. fuerunt instituta ab Asianis in honorem Q. Mucii P. F. Scaevolae celebris JCti, qui fuit consul ann. U. C. DCLIX. cum L. Licinio Crasso oratore: quod provinciam Asiam praetor post consulatum mira abstinentia administraverat. ℙ Scribitur et *Mutius*: rectius tamen per *c*, testibus *Manut.* et *Cellar.* in *Orthogr.*

*MŪCĬUS, i, m. gentis Romanae nomen, e qua nobilis Cordus cognomine, qui Scaevola dictus est, quia in castris Porsenae regis sponte sibi dextram manum exussit, postquam in occidendo rege aberraverat. Quod nomen deinde familiae Muciorum haesit. *Liv.* 2, 12 et 13. *Flor.* 1, 10. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 12. *Mart.* 1, 22, 5. *Juven.* 8, 264. *Sil.* 8, 388. ℙ Q. Mucius Scaevola, P. Mucii Scaevolae filius, vir justus aequique observans. Hinc *Cic. Caecil.* 17. *f.* Est adhuc (*Verres propraetor Siciliae pessimus*), id quod omnes admirari video, non Verres (i. e. injustus), sed Q. Mucius (i. e. justus). ℙ V. MUCIANUS et MUCIUS, a, um. *B. A.*

MŪCOR, oris, m. εὐρώς, σαπρότης, lanugo diutino situ contracta, ut in pane, carne, vino, etc., unde et sapor corrumpitur. *Colum.* 12, 4. *med.* Locum esse debere quam siccissimum, ne situ penora mucorem contrahant; et *ib.* 17. Situm, aut mucorem contrahere. *Ulp. Dig.* 18, 6, 4. Periculum acoris, et mucoris (*vini*) praestare. ℙ De humore et lacrima coacta in vite. *Plin.* 17, 15, 25. Ut inde potius distillaret mucor, qui maxime vites infestat.

MŪCOSUS et Muccosus, a, um, adj. μυξώδης, muco abundans. *Colum.* 6, 7. Sequitur torminum vitium, quorum signum est cruenta, et mucosa ventris proluvies. *Cels.* 5, 28. *n.* 15. Exulceratio mucosa.

MŪCRO, onis, m. αἰχμὴ, ἀκὴ, κέντημα, summitas cujuscumque rei in acutum desinentis, cuspis, apex, acumen. *Colum.* 4, 25. Mucro falcis. *Plin.* 8, 3, 4. dentis; et *ib.* 15, 17. unguium. *Mart.* 4, 18. Tabuit in calido vulnere mucro (*stillicidii*) tener. *Plin.* 16, 10, 16. Folium mucrone aculeatum. *Id.* 2, 25, 22. Cometae in mucronem fastigiatae. *Id.* 9, 33, 52. Conchae margo in mucronem emissus. *Id.* 18, 18, 48. Cuspis vomeris acutior, in mucronem fastigiata. *Id.* 17, 10, 11. Amygdalas mucrone defigi, aciem lateris aquilonem spectare; ternas simul serendas, etc.; et 37, 4, 15. Adamas laterum sexangulo levore turbinatus in mucronem; et *ib.* 2, 9. Mucrones crystalli. *Nemes. fragm. de Aucup.* Mucro rostri. ℙ Saepissime dicitur de cuspide gladii, hastae, teli; et per synecdochen sumitur pro ense. *Ov. Met.* 12, 484. medio jugulaberis ense, Quandoquidem mucro est hebes, inquit. *Lucan.* 7, 139. Nec gladiis habuere fidem, nisi cautibus asper Exarsit mucro. *Virg. A.* 2, 333. stat fieri acies mucrone corusco; et *ib.* 10, 651. strictumque coruscat Mucronem. *Cic. Phil.* 14, 2. Nisi mucrones etiam nostrorum militum tremere vultis, et dubitare, utrum in cive, an in hoste figantur; et *Cat.* 3, 1. Gladios in rempublicam destrictos retudimus, mucronesque eorum a jugulis vestris rejecimus. *Virg. A.* 12, 740. Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu Dissiluit; et *ib.* 7, 665. tereti pugnant mucrone, veruque Sabello; et *ib.* 10, 681. Mucrone se induere. ℙ Videtur et pro acie ferri usurpari, in illo *Juven.* 14, 216. cum pectere barbam Coeperit, et longi mucronem admittere cultri. ℙ Metaphorice est auctoritas, vis, potentia. *Cic. Cluent.* 44. Ne censorium stilum, cujus mucronem multis remediis majores nostri retuderunt, aeque posthac, atque illum dictatorium gladium pertimescamus. *Id. Leg.* 3, 9. Mucronem tribunicium exacuere in aliquem. *Id. Caecin.* 29. Peracutum hoc tibi videtur: hic est mucro defensionis tuae: in eum ipsum causa tua incurrat, necesse est. *Sen. Contr. prooem.* 2. Deerat illi oratorium robur, et ille pugnatorius mucro. *Quint.* 10, 5. *med.* Ipse ille mucro ingenii quotidiana pugna retunditur. [*Adde *ib.* 6, 4, 4. nec alibi dixeris magis mucrone pugnari.] ℙ Pro fine, extremitate, quia mucro extremum est hastae, aut ensis. *Lucr.* 2, 518. Ergo finita distant ratione creata, Ancipiti quoniam mucrone utrinque notantur. ℙ Mucro faucium, loquendo de arctis faucibus, quibus olim credebatur Oceanus Scythicus irrumpere in mare Caspium. *Plin.* 6, 13, 11.

MŪCRONĀTUS, a, um, adj. in mucronem desinens. *Plin.* 32, 2, 6. Piscis mucronato rostro. *Id.* 25, 13, 104. Mucronata folia.

*MUCŪLA, ae, f. Persarum lingua appellatur gemma, cordis colorem habens: unde et telicardios appellatur. *Plin.* 37, 10. *B. A.*

MŪCŪLENTUS et Mucculentus, a, um, adj. mucosus. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 284. Muculentae nares. *Arnob.* 3, 107. Munctiones muculentae. [*M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) ep. 4, 5. Certe homo alioqui pituitosus, hodie tamen multo mucculentior mihi esse videor. *F.*]

MŪCUS et Muccus, i, m. μύξα, κόρυζα, narium humiditas, et crassior pituita. *Catull.* 23, 17. Mucusque, et mala pituita nasi. *Cels.* 4, 18. Descendunt pituitae, mucisque similia. [*Mucus* ex librorum MSS. testimonio praeferendum videtur, quae quidem forma cognationi cum *muceo* et *mucor*, originationique a *mungo*, cujus primitiva forma *mugo*, melius convenit. Cf. *Schneid. Lex. Gr.* s. vv. μύξα, μύσσω. Ferri tamen *muccus* potest, eodem modo, quo *succus* et *sucus* a *sugo*, adjecta auctoritate Italorum, qui *moccio* dicunt. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 402.]

MŪGER, dici solet a castrensium hominibus, quasi mucosus, is, qui talis male ludit. *Festus.* Dictum volunt a *mugo* pro *mungo.*

MŪGIL et Mūgĭlis, is, m. *μύζων, κέφαλος*, piscis marinus. *Plin.* 9, 17, 26. Mugilum natura ridetur, in metu capite abscondito, totos se occultari credentium. Iisdem tamen tanta salacitas, ut, etc. et *ib.* 42, 67. Mugil velocissimus omnium. Adde *ib.* 8, 9. *Id.* 10, 70, 79. Produntur clarissime audire mugil, lupus, salpa, etc. et 9, 62, 88. Mugil, et lupus mutuo odio flagrant. *Id.* 32, 2, 6. Scit et mugil esse in esca hamum, insidiasque non ignorat: aviditas tamen tanta est, ut cauda verberando excutiat cibum. ℙ Deprehensis olim moechis poena fuit immissus podici. *Juven.* 10, 317. quosdam moechos et mugilis intrat. Adde *Catull.* 15, 19. V. RAPHANUS. Fortasse huc pertinet illud *Lucilii* ap. *Non.* 1, 334. Natibu' natricem impressit crassam et capitatam. Sed V. NATRIX.

[MUGILLĀNUS, i, m. est cogn. R., ut L. Papirius Mugillanus Cos. ann. U. C. CCCXXVII. ap. *Liv.* 4, 30. *F.*]

*MUGINABUNDUS, a, um, adj. et

MUGINĀTOR, oris, *γογγυστής*, murmurator, in *Fragm. Poet. B. A.*

MŪGĪNOR, aris, dep. 1. cum mugitu moveo; etenim ponderosiora quaeque cum mugitu moliuntur, mugitus autem est murmur illud, quo molientes se invicem ad conatus conjungendos hortantur: porro, quae ita moventur, lente procedant, necesse est. Translate est nugas agere, causari, moras nectere, tergiversari, otiose ac tarde conari, quasique recusando agere, et contra voluntatem. *Cic. Att.* 16, 12. De Ocella, dum tu muginaris, nec mihi quidquam rescribis, cepi consilium domesticum. *Atta* ap. *Non.* 2, 543. Atque etiam muginamur hodie. *Festus*: Muginari est nugari, et quasi tarde conari. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Muginamur, molimur, subducimur, *h. e.* comici poetae fabulas usque adeo admiramur, ut, dum aguntur, admurmuremus primum, deinde attrahi nos lente sentiamus, et a subselliis sensim ad scenam attonitos impelli. *Plin. praef. H. N. med.* Vel hoc solo praemio contenti, quod, dum ista, ut ait M. Varro, muginamur, pluribus horis vivimus, *h. e.* otiose, et quasi nolentes commentamur. In quodam MS., teste *Hard.*, legitur *musinamur:* quod *Turn.* a Musis deducit.

MŪGIO, is, ivi et ii, itum, n. 4. *μυχάω*, mugitum edo: verbum exprimens vocem vitulorum (ut *Varr.* docet *L. L.* 6, 5. *med.*) et boum, quae est *μῦ*. *Liv.* 1, 7. Inde cum actae boves ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent, etc. *Prop.* 2, 21, 19. Io versa caput primos mugiverat annos. *Hor. Epod.* 2, 11. Aut in reducta valle mugientium Prospectat errantes greges. ℙ Transfertur ad tonitrua, ad terrae motum, tubam, et alia mugitus similem edentia sonum. *Virg. A.* 8, 526. Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor. *Lucr.* 4, 544. Cum tuba depresso graviter sub murmure mugit. *Virg. A.* 6, 256. Sub pedibus mugire solum. Adde *ib.* 4, 490. *Lucan.* 3, 418. Saepe cavas motu terrae mugire cavernas. *Hor. Od.* 3, 29, 57. si mugiat Africis Malus procellis. *Id. Ep.* 2, 1, 202. Garganum mugire putes nemus, aut mare Tuscum. *Virg. A.* 3, 92. mugire adytis cortina reclusis. *Sil.* 11, 521. pulsus mugit Olympus. *Minuc. Fel. Octav.* 5. et *Lactant.* 7, 6. Nimbis collidentibus mugire tonitrua, rutilare fulgura. *Sil.* 8, 631. fundoque imo mugivit anhelans Aufidus. *Quint.* 12, 10. *med.* Pleraque nos illa quasi mugiente littera cludimus M, qua nullum Graece verbum cadit. *Mart.* 3, 46. At tibi tergeminum mugiet ille sophos, *h. e.* euge, clamabit, belle, *ὀοφῶς*.

[MŪGIO, onis, m. qui mugit. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 339, 5. et 340, 3. M. Vipsanius Mugio. V. v. sq. *F.*]

MŪGIŌNIA seu Mugonia seu Mugionis porta fuit Romae antiquissima sub Romulo, quae, dilatatis postea Urbis moenibus, intra Urbem mansit, atque ab *Ov. Fast.* 3, 1, 31. et *Liv.* 1, 12. *vetus porta Palatii* dicitur, quia ad radices montis Palatini sita erat: ita porro est appellata, quia olim boves per eam in pascua exigebantur. *Varr. L. L.* 4, 34. Praeterea intra muros video portas dici; in Palatio, Mugionis, a mugitu, quod ea pecus exigebant. *Id.* ap. *Non.* 12, 51. In Palatio ad portam Mugionis. *Festus:* Mugionia porta dicta est a Mugio (lege *Mugione*) quodam, qui eidem tuendae praefuit. (Apage nugas auctoris sublestae fidei.) *Solin.* 1. *med.* Tarquinius Priscus *(habitavit)* ad Mugoniam portam supra summam Novam viam.

MŪGITOR, oris, m. qui mugit. *Val. Fl.* 3, 208. Ut magis Inarime, magis ut mugitor anhelat Vesvius, etc.

MŪGĪTUS, us, m. *μύκημα*, vox boum. *Virg. G.* 2, 470. Mugitusque boum. *Id. A.* 12, 103. Mugitus veluti cum prima in proelia taurus Terrificos ciet. *Ov. Met.* 3, 21. bos mugitibus impulit auras; et *ib.* 7, 597. mugitus victima diros Edidit. *Id. Fast.* 1, 560. Dare mugitus. *Virg. A.* 2, 223. tollere. ℙ Translate. *Plin.* 18, 35, 86. Montium sonitus, nemorumque mugitus. *Cic. Div.* 1, 18. terrae. *Stat. Th.* 10, 263. Ne gravis exclamet portae mugitus ahenae.

MŪLA, ae, f. *ἡμίονος*, quadrupes notum. Dicitur de utroque sexu, ubi discrimine opus non est: quod in CERVA adnotavimus. *Plin.* 8, 44, 69. Ex asino et equa mula gignitur mense tertio decimo, animal viribus in labores eximium; et *mox:* Equo et asina genitos mares hinnos (al. perperam *hinnulos*) antiqui vocabant: contraque mulos, quos asini et equae generarent; et *mox:* Gignitur etiam mula ex equo et asina, sed effrenis, et tarditatis indomitae; et *mox:* Generantur ex equa et onagris mansuefactis mulae veloces in cursu, duritia eximia pedum, verum strigoso corpore, indomito animo. (Eadem habet *Colum.* 6, 37.) *Juven.* 7, 181. hic munde nitet ungula mulae: sc. currum trahentis. Frequens est autem mentio mularum vehentium, vel currum trahentium. V. *Mart.* 9, 23., 8, 61., 11, 79., 14, 197., et *Suet. Ner.* 30. ℙ Femina non parit, quia e duobus diversis generibus nata, tertii generis fit, et neutri parentum est similis, ut ait *Plin. l. c.* Hinc in portentis est mulae partus. V. *Varr. R. R.* 2, 1. *f.*, *Suet. Galb.* 4. et *Juven.* 13, 66. ℙ *Cum mula pepererit* proverbiale dictum de re, quae nunquam fiet. *Suet. l. c.* ℙ In dativo plur. habet *mulis*, ubi a masculino distinguere non est necesse: item *mulabus.* V. quae in ASINA dicta sunt. *Capitol. Ver.* 5. Data et vehicula cum mulabus, ac mulionibus. Adde *Tert. ad Uxor.* 2, 8., *Prisc.* 7, 733. et *Rehmn. Palaem. in. Artis*, etc.

MŪLĀRIS, e, adj. *ἡμιόνειος*, mulinus. *Colum.* 6, 27. Est generosa materies, quae circo sacrisque certaminibus equos praebet: est mularis, quae pretio sui fetus comparatur generoso. ℙ *Mularis* vocata herba, quae et Exedum. V. h. v.

MULCĀTUS, a, um, part. a *mulco: τυφθείς*, verberatus, percussus, verberibus laesus. *Liv.* 3, 11. Qui obvius fuerat, mulcatus nudatusque abibat. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Male mulcati clavis et fustibus repelluntur. *Pl. Truc.* 4, 4, 3. mihi dividia est, tonstricem meam sic mulcatam male. *Liv.* 29, 9. Lictores indignum in modum mulcati. *Tac. A.* 1, 70. Pernoctavere sine utensilibus, sine igni, magna pars nudo aut mulcato corpore. *Liv.* 8, 24. *med.* Sperare, corpore regio utcumque mulcato se suos redempturam. ℙ Urbane, et translate. *Cic. Brut.* 22. *f.* Addebat etiam, scriptores illos male mulcatos exisse cum Galba. ℙ Sunt qui scribunt *multatus*, et *mulctatus*, sed adversantibus criticis fere omnibus, qui *mulcatus* volunt, et *mulco, as*, quoties de verberibus sermo est: *multo* vero, et *multatus*, cum de poena exsilii, pecuniae, et hujusmodi irroganda loquimur. Est enim, inquit *Voss.* in *Etymol.* diversa his origo: nam *multa*, et *multare* sunt a Sabinis, vel Oscis, ut *Varr.* et *Fest.* docent: *mulcare* vero est Latinum, a mulcendo, h. e. mitigando: unde *commitigare sandalio caput* dixit *Ter. Eun.* 5, 8, 4. V. MITIGO. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ter. Eun.* 4, 7, 4.]

*MULCEBRIS, e, adj. mulcendi vim habens. *Sarisb.* 1, 13. Duae virtutes ignis; altera edax et peremptoria, altera mulcebris et innexo (*f.* innoxio) lumine. V. *Voss. de Vit. L. L.* 3, 28. *B. A.*

MULCĒDO, inis, f. *θέλγητρον*, blandimentum, illecebra. *Gell.* 19, 9. Ejus linguae exercitationes doceret, quae nullam mulcedinem Veneris atque Musae haberet. Adde *Sidon. ep.* 5, 17.

MULCĒO, es, lsi, lsum, [*interdum etiam mulctum] a. 2. *θέλγω*, lenio, mollio, permulceo, mitigo, placo, delecto. Verbum est plerumque poeticum. *Festus* in *Mulciber:* Mulcere est mollire, sive lenire. ℙ Saepissime refertur ad animum. *Pacub. ib.* Quid me obtutu terres, mulces laudidus? *Hor. Od.* 3, 11, 22. stetit unda paulum Sicca, dum grato Danai puellas Carmine mulces. *Id. Ep.* 2, 1, 210. Ille per extentum funem mihi posse videtur Ire poeta, meum qui pectus inaniter angit, Irritat, mulcet, falsis terroribus implet. *Quint.* 1, 10. Rudes atque agrestes animos admiratione mulcere. *Vell.* 2, 117. Qui gladiis domari non poterant, posse jure mulceri. *Gell.* 20, 9. Delectari, mulcerique aures figmentis verborum novis. *Virg. G.* 4, 510. de Orpheo: Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus. *Id. A.* 5, 464. Mulcere aliquem dictis; et *ib.* 1, 70. fluctus; et *ib.* 7, 755. iras; et *ib.* 34. et *Ov. Fast.* 1, 155. aethera cantu. *Sil.* 12, 220. plectro labores. *Claud. II. cons. Stil.* 211. alicujus suspiria. *Sil.* 17, 46. cunctis spes pectora mulcet, Finem armis tandem, finemque venire periclis. *Prop.* 4, 7, 60. Mulcet ubi Elysias aura beata rosas. *Ov. Met.* 1, 108. placidique tepentibus auris Mulcebant Zephyri natos sine semine flores. ℙ Proprie dulcem facere. *Sil.* 7, 169. Pocula nec norant succis mulcere Lyaei. Alii leg. *miscere.* ℙ Et leni manu tractare, palpare, demulcere. *Ov. Met.* 7, 117. Pendulaque audaci mulcet palearia dextra. *Id. Fast.* 1, 259. Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam. Adde *Plin.* 28, 13, 56. *Quint.* 11, 3. *med.* Sunt quaedam non indecentes morae, caput mulcere, manum intueri, infringere articulos. *Ov. A. Am.* 2, 341. Quem taurum metuis, vitulum mulcere solebas. *Id. Met.* 10, 118. de cervo: mulcendaque colla Quamlibet ignotis manibus praebere solebat. ℙ Universim pro leviter tangere. *Id. ib.* 14, 295. conantem *(Circen)* virga mulcere capillos Reppulit, *h. e.* leviter tangere: supra dixerat *v.* 278. Et tetigit summos virga Dea dira capillos. Sic *Fast.* 5, 161. Frigidus Argestes summas mulcebit aristas, *h. e.* leviter agitabit, motabit. Alii leg. *miscebit.* Pertinet huc illud *Cic.* in *Arat.* 88. Igniferum mulcens tremebundis aethera pennis, *h. e.* concutiens, agitans; et *Lucr.* 4, 138. nubes concrescere in alto Cernimus, et mundi speciem violare serenam, Aera mulcentes motu, *h. e.* impellentes, agitantesque motu suo; et *Enn.* ap. *Prisc.* 9, 870. Mulserat huc navem compulsam fluctibu' pontus, *h. e.* impulerat. Sunt qui hoc a *mulgeo* trahunt, ut sit absorbere, ad se trahere: et ap. *Cic.* et *Lucr.* leg. *mulgens.* ℙ Pertinet etiam ad medicinam, et ad leniendos dolores. *Ov. Fast.* 5, 401. lectas Pagasaeis collibus herbas Temperat, et varia vulnera mulcet ope. *Plin.* 22, 24, 50. Mulcere dolores nervorum; et *ib.* 51. os, stomachumque. *Id.* 28, 11, 49. oris graveolentiam; et 21, 20, 81. ebrietatem; et 37, 5, 16. lassitudinem. ℙ Praeteritum *mulsi* commune cum *mulgeo* agnoscitur etiam a *Prisc.* 9. *f.* et *Diomed.* 1, 363.

*MULCĒTRA, ae, f. herba quae et heliotropium audit. *Appul. Herb.* 9. *B. A.*

MULCĪBER, ris, et ri, m. Vulcanus. *Festus:* Mulciber, Vulcanus, a molliendo scilicet ferro dictus: mulcere enim mollire, sive lenire est. *Macr. Sat.* 6, 5. Mulciber est Vulcanus, quod ignis sit, et omnia mulceat ac domet. *Actius ib.* heu Mulciber, arma Ignavo invicta es fabricatus manu. *Ov. Trist.* 1, 2, 5. Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo. *Id. A. Am.* 2, 562. Mulciberis capti Marsque Venusque dolis. Al. leg. *Mulciberi:* unde per syncopen *Mulcibri* ap. *Cic.* vertentem carmina *Aeschyli*, *Tusc.* 2, 10. Jovisque numen Mulcibri ascivit manus. *Prisc.* 6, 696. videtur praeferre *Mulciberi*, si est, inquit, a mulcendo, et imbri compositum, ut plerisque videtur: quam notationem, ut certam, jam proposuerat, 5, 646. Est enim ignis temperator humoris. Videtur tamen inepta esse. ℙ Pro igne. *Ov. Met.* 14, 533. Jamque picem, et ceras, alimentaque cetera flammae Mulciber urebat. (Adde *ib.* 9, 263.) *Capell.* 6, 189. Mulcibero devorante. ℙ Adjective. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 265. Volcano Mulcibero sacr. L. Vettius L. F. Stellat. Prosper, etc. Alia ap. *Mur.* 59, 6. Volk*ano* Miti, sive Mulcibero Lucii Vetii Telesphorus, et Chrysantus fra*tres*. Cum hic *Mitis*, et *Mulciber* idem significent, inde probatur etymon vocis a *Festo*, et *Macrobio* supra allatum.

MULCO, as, avi, atum, a. 1. *τύπτω*, percutio, verbero, caedo, pulso. De notatione V. in MULCATUS. *Pl. Most.* 4, 2, 23. cauto est Opus, ne huc exeat, qui me male mulcet. *Ter. Ad.* 1, 2, 9. ipsum dominum, atque omnem familiam Mulcavit usque ad mortem. *Petr. Sat.* 134. Arundinem ab ostio rapuit, iterumque nihil respondentem mulcavit. *Tac. A.* 1, 32. Prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos. ℙ Item universim male tractare, nocere, laedere. *Liv.* 28, 30. *extr.* Quinqueremis Romana praelata impetu, lateris alterius remos detersit: ceterasque, quas indepta esset, male mulcasset, nisi, etc. ℙ *Mulcassitis* antique, mulcaveritis. *Pl. Mil.* 2, 2, 8. ℙ Aliud est *multo*, seu *mulcto*: quod tamen legitur in *Inscr.* sub Domitiano ap. *Grut.* 155, 1. Ea gente male mulctata. V. dicta in MULCATUS.

MULCTĀ. V. MULTA.

MULCTO, as. V. MULTO.

MULCTRA, ae, f. *ἀμολγεύς*, vas, in quo lac mulgetur. *Virg. Ecl.* 3, 30. de vitula: Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus. ℙ Metonymice est ipsum lac. *Colum.* 7, 8. *in.* Casei faciendi non erit omittenda cura, utique longinquis regionibus, ubi mulctram devehere non expedit. ℙ *Mulctrum, i*, n. idem. *Hor. Epod.* 16, 49. Illic injussae veniunt ad mulctra capellae. *Nemes. Ecl.* 2, 35. scis, mille juvencas Esse mihi: nosti, nunquam mea mulctra vacare. *Calpurn. Ecl.* 4, 25. Duc ad mulctra greges.

MULCTRĀLE, is, n. idem quod mulctra, quodcumque vas lacti continendo aptum. *Virg. G.* 3, 177. nivea implebunt mulctralia vaccae. Al. leg. *mulctraria*, seu *multraria:* alii *mulgaria* eodem sensu: qua voce usus est et *Valgius* ap. *Serv.* et *Philargyr. ad h. l.* Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis, Et sinum vini cessamus fundere Baccho.

MULCTRUM. V. MULCTRA.

MULCTUS, us, m. actus mulgendi. In ablat. sing. *Varr. R. R.* 2, 11. Lactis sunt discrimina quaedam et a pastionibus, et a pecudum natura, et a mulctu.

*MULELACHA, oppidum Muretaniae Tingitanae. *Plin.* 5, 1. Oppidum in promontorio Mulelacha. *B. A.*

MULGĀRIĀ. V. MULCTRALE.

MULGĒO, es, ulsi, et ulxi, ulsum, et ulctum, a. 2. *ἀμέλγω*, lac e mammis manu exprimere: a voce Graeca allata. *Virg. Ecl.* 3, 5. Hic alienus oves custos bis mulget in hora. *Id. G.* 3, 400. Quod surgente die mulsere, horisque diurnis, Nocte premunt. *Plin.* 10, 40, 56. Caprisque caeci-

tas, quas ita mulsere, oboritur. ℙ *Mulgere hircos* proverbialiter de re absurda et impossibili. *Virg. Ecl.* 3, 91. Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos. ℙ *Mulgere aera motu*, h. e. absorbere, ad se trahere, ap. *Lucr.* etc. V. MULCEO. Eod. sensu videtur dixisse *Enn.* ap. *Prisc.* 9, 870. Mulserat huc navem compulsam fluctibu' pontus. ℙ Quod praeteritum *mulsi* commune huic verbo est cum *mulceo*, quidam discriminis gratia *mulxi*, *lctum* dixere, ut *Prisc. ib.* docet. Hinc *mulctus* ap. *Varr.* V. MULCTUS. [*Cf. *Ruddim.* 1, 221.]

[MULICURIUS, ii, m. qui mulos curat, seu qui mulos tondet; a *mulus*, et κουρεύς, tonsor. Vox hybrida. *Gloss. Phil.* Mulicurius, ἡμιονόκουρος. *F.*]

MULIEBRIS, e, adj. γυναικεῖος, ad mulieres pertinens, femineus. *Cic. Mil.* 10. Muliebris et delicatus ancillarum puerorumque comitatus. *Id. Or.* 3, 11. Muliebris vox. *Id. Off.* 1, 36. venustas. *Nep. Alc.* 10. vestis. *Tac. A.* 2, 71. fraus; et *ib.* 1, 4. impotentia. *Petr. Sat.* 9. Muliebris patientiae scortum, *h. e.* puer pathicus; et *ib.* 25. Nec puella muliebris patientiae legem posset accipere, *h. e.* nondum matura viro. *Cic. Coel.* 28. Muliebre bellum. *Pl. Truc.* 4, 3, 35. facinus. *Varr. L. L.* 4, 3. Loci muliebres, ubi nascendi initia consistunt. *Liv.* 1, 3. Tantisper tutela muliebri (tanta indoles in Lavinia erat) res Latina stetit. [*Adde 1, 57. Muliebre certamen, i. e. de mulieribus; et 34, 3. Muliebria jura, *h. e.* leges, quae ad mulieres spectant.] ℙ *Muliebria* absolute, loci muliebres. *Tac. A.* 14, 60. ℙ *Muliebria pati*, γυναικοπαθεῖν, ἀφροδισιάζεσθαι. *Id. ib.* 11, 36. ℙ Translate est mollis, effeminatus. *Enn.* ap. *Cic. Off.* 1, 18. Vos etenim, juvenes, animum geritis muliebrem, Illaque virgo viri. *Ov. Pont.* 1, 3, 31. Sive pium vis hoc, sive hoc muliebre vocari; Confiteor misero molle cor esse mihi. *Plin.* 37, 2, 6. Cajus princeps, qui super omnia muliebria soccculos induebat e margaritis. *Cic. Tusc.* 2, 6. Enervata muliebrisque sententia. ℙ *Fortuna muliebris*, Dea eadem atque Juno, quam colebant matronae (sicut Fortunam virginalem puellae innuptae), memoratur a *Festo* in *Pudicitiae:* ejusque simulacrum via Latina positum ad quartum milliarium nefas, inquit, erat attingi, nisi ab ea, quae semel nupsisset. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 4. Fortunae muliebris simulacrum, quod est via Latina ad quartum milliarium, eo tempore cum aede sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio Urbis maternae preces repulerunt, non semel, sed bis locutum constitit his paene verbis: Rite me, matronae, vidistis, riteque dedicastis. Adde *Liv.* 2, 40.

MULIEBRITAS, atis, f. status et conditio muliebris. *Tert. Virg. vel.* 14. usurpat de virgine corrupta, quae in mulierem transiit: et *virginitati* opponit. Porro *ib.* 12. *mulieritas* bis habetur eodem sensu, nisi sit scripturae mendum.

MULIEBRITER, adv. γυναικιστί, more muliebri: et translate molliter, effeminate. *Plin.* 35, 11, 44. *n.* 33. Juppiter Liberum parturiens, et muliebriter ingemiscens inter obstetricia Dearum. *Hor. Od.* 1, 37, 21. de Cleopatra: quae generosius Perire quaerens, nec muliebriter Expavit ensem, etc. *Cic. Tusc.* 2, 21. Si se lamentis muliebriter, lacrimisque dedet; et *ib.* 23. Hoc in dolore est maxime providendum, ne quid abjecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter muliebriterve faciamus. *Liv.* 38, 35. Muliebriter indignabunda. *Ammian.* 31, 2. Hunni equis muliebriter insidentes, *h. e.* more mulierum, quae equitare solent cruribus non divaricatis, sed in unum latus demissis: non περιβάδην, sed συμβάδην.

MULIEBROSUS, a, um, adj. idem ac mulierosus. *Pl. Poen.* 5, 5, 24. Sane genus hoc muliebrosum est tunicis demissitiis. Al. leg. *mulierosum.*

MULIER, ēris, f. γυνή, femina. *Isid. Or.* 11, 2. Mulier a mollitie, tamquam *mollier*, detracta littera et mutata, appellata est mulier. Hinc *Hor. Epod.* 11, 23. mulierculam Vincere mollitie. *Cic. Mur.* 12. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii, majores in tutorum potestate esse voluerunt. *Pl. Poen.* 1, 2, 36. mulieres sunt insulsae Admodum, atque invenustae sine munditia, et sumptu. ℙ Significat universim feminam omnis aetatis, et conditionis. *Cic. Fam.* 14, 18. Video omnes bonos abesse Roma, et eos mulieres suas secum habere. *Modest. Dig.* 32, 79, 1. Mulieribus legatis, etiam virgines debentur. *Ulp. ib.* 31, 2, 26. Mulieres, omnes dicuntur, quaecumque sexus feminini sunt. ℙ Interdum virgini opponitur. *Lact.* 1, 17. de Junone: Si adolevit, si virgo fuit primo, postea mulier. *Cicero* reprehensus quod Publiliam virginem sexagenarius duxisset, respondit ap. *Quint.* 6, 3. *med.* Cras mulier erit. Adde *Verr.* 2, 1, 24. *f.* et *Ulp. Dig.* 18, 1, 11. [*De hoc vocabuli significatu v. *Vallam Eleg.* 6, 38. indicante *Pseudo — Turnebo;* item *Gothofr.* ad *Dig.* 21, 1, 14, 7. et *Brisson. De V. S.* ubi citatur *Serv.* ad *A.* 11, 687.] ℙ De uxore videtur intelligendum illud *Scaevolae Dig.* 32, 91, 1. Semproniae mulieri meae reddi jubeo ab heredibus meis centum aureos, quos mutuo acceperam; et *Modest. ib.* 33, 10, 13. Nunquam ex eo, quod supellectilem legavit maritus testamento, habitationem, in qua supellex fuit, legasse videtur. Quare contra defuncti voluntatem habitationem sibi mulierem vindicare, procul dubio est; et *Hor. Epod.* 2, 39. Quod si pudica mulier in partem juvet Domum atque dulces liberos, Sabina qualis, aut perusta solibus Pernicis uxor Appuli, etc. *Suet. Vit.* 2. Cujus filius sectionibus et cognituris uberius compendium nactus, ex muliere vulgari equitem Romanum genuerit. ℙ Translate dicitur de ignavo et molli per convicium. *Pl. Bacch.* 4, 8, 4. Non me arbitratur militem, sed mulierem, Qui me meosque non queam defendere.

MULIERĀRIUS, a, um, adj. idem quod muliebris: item mulierosus. Utramque notionem amplectitur *Cic. Coel.* 28., ubi *mulierariam manum* appellat hominum multitudinem Clodiae amoribus deditam, et ab ea in insidiis collocatam. *Capitol. Albin.* 11. Fuit mulierarius inter primos amatores. *Jul. Aterian.* ap. *Trebell.* XXX. *Tyrann.* 6. Sed omnia haec libido et cupiditas mulierariae voluptatis perdidit.

MULIERCŬLA, ae, f. γυναικάριον, dimin. mulieris. *Cic. Tusc.* 5, 36. Qui illo susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculae. *Lucr.* 4, 1274. Deteriore fit ut forma muliercula ametur. *Hor. Epod.* 11, 23. Nunc gloriantis quamlibet mulierculam Vincere mollitie amor Lycisci me tenet.

MULIERCULĀRIUS, ii, m. a Constantino imperatore dictus est, qui uxores alienas, et mulieres impudicas amat; *Cod. Theod.* 3, 16, 1.

MULIERITAS. V. MULIEBRITAS.

MULIERO, as, a. l. γυναικίζω, effemino. *Varr.* ap. *Non.* 2, 552. Hic ephebatum mulieravit, *h. e.* stupro quasi mulierem polluit.

MULIEROSITAS, atis, f. φιλογυνεῖα, amor mulierum, propensio erga mulieres. *Cic. Tusc.* 4, 11. Ut gloriae cupiditas, ut mulierositas: ut ita appellem eam, quae Graece φιλογυνεῖα.

MULIEROSUS, a, um, adj. φιλογύναιος, qui nimium appetit mulieres. *Cic. Fat.* 5. Hunc scribunt ipsius familiares et ebriosum, et mulierosum fuisse. Adde *Afran.* ap. *Non.* 1, 116.

MULINUS, a, um, adj. ad mulum pertinens, ἡμιόνειος, ut Mulina ungula, ap. *Vitr.* 8, 3. *med.* Mulinae nares, *Plin.* 30, 4, 11. *Sic ed. *Hard.* Olim legebatur *murinae.* ℙ In illo *Juven.* 16, 23. *mulino corde*, est stolido, fatuo. Al. leg. *Mutinensis*, quo perit *sarcasmus. B. A.*

MULIO, onis, m. ὀρεωκόμος, ἀστραβηλάτης, qui mulos curat, et agit: item auriga, quia mulas currui jungere frequentissimus fuit usus: immo id genus quadrupedum primum putatur coeptum currui jungi, ut *Fest.* in *Mulis* tradit. *Varr. L. L.* 4, 32. *extr.* Ibi cum jaceret pater occisus, supra eum ut mitteret carpentum mulio, jussit. *Juven.* 3, 317. Nam mihi commota jamdudum mulio virga Innuit. *Suet. Ner.* 30. Nunquam carrucis minus mille fecisse iter traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus. ℙ Ap. *eund. Vesp.* 4. dicitur Vespasianus per convicium aliquando vocatus *mulio*, quia ob egestatem coactus fuerat ad mangonicos quaestus descendere. Mulionum autem professio servilis, aut institoria fuit. Unde muliones proprie institores appellari possunt, inquit *Ulp. Dig.* 14, 3, 5. ℙ *Infantior, quam meus est mulio*, prov. de homine infantissimo. *Varr.* ap. *Non.* 1, 275. ℙ Fuisse muliones inter officia domus Augustae, apparet ex *Inscr.* ap. *Mur.* 914, 14., in qua Livius Gratus Augusti mulio. Adde 925, 4. et 5. ℙ *Muliones* dicuntur etiam certi generis culices, κνῖπες: fortasse quia mulos aestate infestant. Hi sunt apibus inimici, ut est ap. *Plin.* 11, 18, 19. Creduntur autem non amplius, quam uno die vivere, teste *eod.* 30, 16, 53. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 339, 3. Q. Rapidius Q. F. Lem. Mulio. Ita etiam est cognominatus P. Ventidius Bassus, consul suffectus ann. U. C. DCCXI., quia, ut ait *Gell.* 15, 4., curandis mulis olim victitasset. Adde *Cic. Fam.* 10, 18. et *Plin.* 7, 43, 44. *F.*]

MULIONĪCUS et Mulionius, a, um, adj. ad mulionem pertinens. *Lampr. Elagab.* 32. *f.* Tectus cuculione mulionico, ne agnosceretur. *Cic. Sext.* 38. Mulioniam paenulam arripuit. Al. leg. *mulionicam.* [*Ita *Orell.*]

MULLĔOLUS, a, um, adj. dimin. mullei. *Tert. Pall.* 4. *f.* Impuro cruri purum, aut mulleolum inducit calceum.

MULLĔUS Calceus, et Mulleus, absolute, genus calcei, coloris purpurei, seu punicei, quem *Festus* primum a regibus Albanis gestatum tradit, deinde a patriciis Romanis: additque, putari esse ab obsoleto *mullare*, hoc est suere. Alii censent, mulleos, quia purpurei essent, nomen accepisse a rubro colore mulli piscis. Unde puniceos mullos dixit *Auson. Idyll.* 117. et *Ov. Hal.* 123. et tenui suffusum sanguine mullum. Sed contra *Fenestella* ap. *Plin.* 9, 17, 30. mullis nomen a colore mulleorum calceamentorum datum putat. Fuit gestamen patriciorum, non tamen omnium, sed eorum, qui curulem magistratum cepissent, ut diserte tradit *Cato* ap. *Fest.*, nam ceteris calcei erant ex nigra aluta. At sub Augustis, qui sibi solis mulleos vindicavere, magistratibus aurati sunt attributi. *Titin.* ap. *Fest.* Jam cum mulleis te ostendisti, quos tibiatim calceas. Ita *Scal.*, cum ap. *Fest.* legatur *quos tibiatis in calceos.* Est autem *tibiatim*, ad mediam usque tibiam, quia erant omnia ea genera calceamentorum, qualia Turcarum hodie, medio crure tenus. Unde *Tert. Pall.* 4. *f.* Impuro cruri purum, aut mulleolum inducit calceum. Sic *Hor. Sat.* 1, 6, 27. nigris medium impediit crus Pellibus. Plura de his *Salm.* ad illud *Vopisc. Aurel.* 49. Calceos mulleos, et cereos, et albos, et hederacios viris omnibus tulit, mulieribus reliquit.

MULLO, as, a. l. suo, consuo. V. in v. praec.

MULLŬLUS, i, m. dimin. mulli. *Cic. Par.* 5, 2. Et videat aliquem summis populi beneficiis usum barbatulos mullulos exceptantem de piscina. Al. leg. *mullos.* [*Ita *Orell.*, qui nimis fere ridicule hoc quidem loco duo jungi diminutiva dicit. Et grandes potius mullos, muraenas piscinarios istos quaesivisse.]

MULLUS, i, m. τρίγλη, piscis marinus, et fluviatilis: sed marinus praecipue in honore: dictus *barbatus* a *Cic. Att.* 2, 1. *med.* et *Varr. R. R.* 3, 17. quoniam, ut ait *Plin.* 9, 17, 30., barba gemina insigniter inferiore labro: coloris punicei, quia tenui sanguine suffusus est, ut est ap. *Ov. Hal.* 123., modicae magnitudinis, ut scribit *Plin. l. c.*, ut qui binas libras ponderis raro admodum excedit, nec in vivariis, piscinisque crescit. *Macr.* tamen *Sat.* 2, 12. majoris ponderis passim suo tempore visum esse tradit. *Hor.* quoque *Sat.* 2, 2, 33. trilibrem memorat: quadrilibrem *Mart.* 10, 31., quatuor vero librarum et selibrae, tanquam rari ponderis, donatum Tiberio Caesari, *Sen. ep.* 95. *med.*, ab eo in macellum missum, et quinque millibus HS emptum a P. Octavio. Ad sex libras pervenit ille, de quo *Juven.* 4, 15. mullum sex millibus emit, Aequantem sane paribus sestertia libris, Ut perhibent, qui de magnis majora loquuntur. Asinius Celer, Cajo principe, hoc pretium excessit, unum mercatus octo millibus nummum, teste *Plin. ib.* 18. 31., qui paulo post ex Licinio Muciano narrat, captum unum in mari Rubro octoginta librarum. Sed tam magni ponderis ignoti mulli Romanis fuere. Decrevere etiam paulatim pretia, ut *Macr.* ait *l. c.* Interim ex his fit palam, quanta olim gula fuerit, quantumque luxuria sibi licentiae sumpserit, quae majoris piscem modicum unius coenae causa, quam hominem emerit. *Mart.* reprehendens Calliodorum, qui servum vendiderat nummis mille ducentis, eaque pecunia quadrilibrem mullum emerat, *l. c.* Exclamare libet, non est hoc, improbe, non est Piscis: homo est: hominem, Calliodore, voras. ℙ Mullum exspirantem versicolori quadam, et numerosa varietate spectari, proceres gulae narrant, inquit *Plin. cit.* 9, 17, 30., rubentium squamarum multiplici mutatione pallescentem, utique si vitro spectetur inclusus. (*V. Sen. Q. N.* 3, 18.) *Id. ib.* mullorum plura genera facit, pro vario cibi genere, quo vescuntur, et vario sapore inde contracto: nam et alga vescuntur, et ostreis, et limo, et aliorum piscium carne. Lutarium ex iis vilissimi generis appellant: nec litoralibus gratia: laudatissimi conchylium sapiunt. ℙ Delicatiores divites in vivariis et piscinis eos alebant, se beatos praedicantes, si ita eorum aliquis mansuevisset, ut ad manum heri cibum capturus accederet. *Cic. Att.* 2, 1. *med.* et *Par.* 5, 2. *f.*

*MULOCISIARĬUS, i, m. *Gloss. Gr. Lat.* καρουχάριος, Mulocisiarius, carucarius. Est igitur qui cisio mulis juncto vehitur. *B. A.*

MULOMĔDĪCĪNA, ae, f. ἱππιάτρια, ars medendi mulis, ceterisque jumentis. *Veg. Vet. praef.* 1. et 2.

MULOMĔDĪCUS, i, m. ἱππίατρος, κτηνίατρος, medicus mulorum, ceterorumque jumentorum. *Veg. Vet. praef.* 1. et *Firm. Math.* 8, 13. V. APTATURA.

*MULON, Aethiopiae oppidum, vel Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. Mulon, quod oppidum Graeci Hypaton (ὕπατον, i. e. supremum, ultimum) vocarunt. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*MULSA, ae, f. aqua melle temperata. *Plin. Val.* 1, 1. Conilam in mellitissima mulsa macerare. *B. A.*

MULSĔUS, a, um, adj. μελιηδής, mulsi saporem referens, dulcis. *Colum.* 12, 45. Sed etiam liquorem mulsei saporis praebet. *Id.* 8, 7. *med.* Mulsea aqua, *h. e.* melle mixta. Adde *Plin.* 21, 19, 75.

[MULSŬLUS, a, um, dimin. mulsi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1352, 14. Hostilia Mulsula. *F.*]

MULSŪRA, ae, f. actus mulgendi. *Calp. Ecl.* 5, 34. rursusque premetur Mane, quod occiduae mulsura redegerit horae.

MULSUS, a, um, part. a *mulceo*: mel habens admixtum, vel mellis saporem. *Colum.* 12, 12. et *Plin.* 22, 24, 51. Mulsa aqua: ὑδρόμελι. *Plin.* 10, 22, 27. Lac mulsum. *Colum.* 5, 10. *f.* Mulsa pira. [*M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 6. Aqua mulsa sorbendo ad gulam, et rejectanda fauces fovi potius, quam dicerem gargarizavi. *F.*] ℙ *Mulsum* absolute est vinum melle admixtum, οἰνόμελι, μελίκρατον; quae potio fuit antiquis locupletibus et delicatioribus usitata, et in

deliciis. Ejus conficiendi rationem *Colum.* 12, 41., utilitates in medicina *Plin.* 22, 23, 49. et *ib.* 24, 53. tradit. *Pl. Pers.* 1, 3, 7. Commisce mulsum, struthea, colutheaque appara; et 5, 2, 40. Age, circumfer mulsum, bibere da usque plenis cantharis. *Cic. Or.* 2, 70. Cum vocem in dicendo obtudisset, suadebat Granius, ut mulsum frigidum biberet. *Id. Tusc.* 3, 19. Huic calix mulsi impingendus est, ut plorare desinat. *Varr. R. R.* 3, 16. Mulsum paene quotidie in convivio omnibus dare. *Hor. Sat.* 2, 4, 26. leni praecordia mulso Prolueris melius. *Mart.* 13, 6. Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives. ℙ Proverbium est gulonum, inquit *Macr. Sat.* 7, 12., mulsum, quod probe temperes, miscendum esse novo Hymettio, et vetulo Falerno. ℙ *Mulsum aceti* ap. *Seren. Samm.* 49, 914. est acetum mulsum, quod habet *Cato R. R.* 157. *med.* ℙ Translate *mulsus* est suavis, jucundus, dulcis. *Pl. Rud.* 2, 3, 34. Mea Ampelisca, ut dulcis est! ut mulsa dicta dicis! *Id. Poen.* 1, 2, 112. ut mulsa loquitur! ℙ *Mea mulsa*, appellatio est amatoria blandientis. *Pl. Stich.* 5, 5, 14. Age, mulsa mea, suavitudo, salta. Adde *Cas.* 2, 6, 20. ℙ *Mulsa* absolute in plur. num. barbarismus est, docente *Quint.* 1, 5,

MULTA et Mulcta, ae, f. *ζημίωμα*, poena pecuniaria, vel in pecore, quae pro delictis irrogatur. Inter multam, et poenam, inquit *Ulp. Dig*, 50, 16, 131., multum interest: cum poena generale nomen sit, omnium delictorum coercitio; multa specialis peccati, cujus animadversio hodie pecuniaria est: poena autem non tantum pecuniaria, verum capitis, et existimationis irrogari solet. Et multa quidem ex arbitrio ejus venit, qui multam dicit: poena non irrogatur, nisi quae qua lege, vel quo jure specialiter huic delicto imposita est. Hactenus *Ulp.* Haec tamen discrimina non sunt perpetua, nisi fortasse apud JCtos. *Cic. Balb.* 18. Hujus accusatorem multa et poena multavit. *Id. Leg.* 3, 3. Per populum multae, poenae certatio esto; et *Caec.* 33. *extr.* In colonias Latinas saepe cives nostri, aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent. [*Id. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 9. Romulus plebem multae dictione ovium et boum, non vi et suppliciis coercebat. *F.*] ℙ Vox est Sabinorum teste *Varr.* ap. *Gell.* 11, 1. vel Oscorum, ut est ap. *Fest.* Sed turba grammaticorum novicia, inquit *Gell.*, Latinam putat, et *κατ' ἀντίφρασιν* dici, quasi minime multa sit, aut esse debeat. Quod est plane frigidum. ℙ *Multa suprema* appellabatur primis reipubl. temporibus (quibus non nisi ovium, boumque impendio multatio constabat, ut ait *Plin.* 18, 3, 3. et *Cic.* supra, quia hae solae tum divitiae fuere) quae erat duarum ovium, boum triginta: pro copia scilicet boum, proque ovium penuria: *minima* erat ovis unius, ut *Gell. l. c.* docet. Postea lege Aternia constituti sunt in oves singulas aeris deni, in boves aeris centeni. In ea dicenda cautum fuit, ne bos prius, quam ovis nominaretur, ut ait *Plin. l. c.*, et ut ovis masculino genere efferretur: adeo ut in feminino negarent justam multam videri, ut *Gell. l. c.* tradit. De multae quantitate, et taxatione eadem ac *Gellius* habet *Festus.* Procedente tempore, et crescentibus divitiis, multae quoque taxatio crevit. *Varr.* ap. *Gell. l. c.* M. Terentius quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego si unum ovem multam dico. *Cato ib.* et ipse *Gell.* 7, 14. et *Macr. Sat.* 1, 5. Imperator noster, si quis extra ordinem depugnatum ivit, et multam facit: *τίμημα ποιεῖ. Varr. L. L.* 4, 19. Cum multa pecore diceretur. *Liv.* 10, 37. Multa praesens quingentum millium aeris in singulas civitates imposita. *Plin.* 18, 3, 3. Multam indicere. *Ov. Fast.* 5, 289. subire. *Cic. Cluent.* 37. committere; et *Fam.* 5, 20. depellere alicui. *Id. Phil.* 11, 8. remittere. *Varr. L. L.* 4, 36. exigere. ℙ *Dicere* et *irrogare multam* est tribuni plebis, vel alterius indicentis multam alicui, et ad populum disceptandam ferentis: *certare multam* est de ea apud populum utrinque verba facere: cujus suffragiis vel confirmabatur, vel tollebatur. V. CERTATIO. *Liv.* 25, 3. *med.* Duo tribuni plebis ducentum millium aeris multam M. Postumio dixerunt. Cui certandae cum dies advenisset, etc. *Cic. Mil.* 14. de Clodio: Diem mihi, credo, dixerat, multam irrogarat, actionem perduellionis intenderat. *Id. Phil.* 11, 8. Crassus consul et pontifex max. Flacco collegae flamini Martiali multam dixit, si a sacris discessisset: quam multam populus remisit. ℙ *Multam petere* dicebatur, qui multam irrogabat, postulans a populo, ut ea rata haberetur. *Cic. Cluent.* 37. ℙ De quacumque postea poena. *Pl. As.* 4, 1, 55. Nec ulli verbo maledicat: si dixerit, Haec ei multa esto: vino viginti dies Ut careat. ℙ Ad scriptionem quod attinet, *multa* magis placet *Manut.* et *Cellar.* quod in libris veteribus sic habeatur, et in *Inscr.* ap. *Grut.* 52, 12.: pluries vero in alia opt. notae ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 70. Accedit auctoritas *Festi*, apud quem eo loci est in serie litterarum, ut sine *c* scribi debeat: item *Scaligeri* ad *Varr.*, et *Vossii*, qui in *Etymol.* deducit a *multo, as*, quod olim pro numerare usurpatum fuit, et *Pierii* ad *A.* 11, 839. qui in pluribus codicib. *multare*, quam *mulctare* reperit. Et *mulcta* tamen 1. quam in MULCO attulimus.

MULTANGŪLUS, a, um, adj. *πολυγώνιος*, multos habens angulos. *Lucr.* 4, 655. Multa rotunda, modis aliis multangula quaedam. ℙ Scribitur et *multiangulus* ap. *Capell.* p. 35. Formae multiangulae.

[MULTĀNIMIS, e, adj. qui multum animi habet. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 690. Hermia multanimis hanc viam explicuit. *F.*]

*MULTANNUS, *πολυχρόνιος Gloss. Gr. Lat. B. A.*

MULTĀTICIUS et Mulctaticius, a, um, adj. *τετιμημένος*, ad multam pertinens, ut *multaticia pecunia*, quae multis irrogatis exigitur. *Liv.* 10, 23. *extr.* Ex multaticia pecunia, quam exegerunt pecuariis damnatis, ludi facti. *Id.* 30, 39. *f.* Cum signa tria ex multaticio argento facta in Capitolio posuissent. *Inscr.* ap. *Mur.* 610, 1. C. Titinius aedilis plebis multavit lanios, quod carnem vendidissent populo non inspectam; de pecunia multaticia cella exstructa ad Telluris Lavernae.

MULTĀTĪCUS et Mulctaticus, et antiquo more Moltaticus, a, um, adj. multaticius. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 469, 2. Quaistores aire moltaticod dederont. Alia ap. *Donat.* 263, 1. M. Scaudius C. F., C. Munatius T. F. aediles aere multatico.

MULTĀTIO et Mulctatio, onis, f. actus multandi, multa, *ζημίωσις*. *Cic. Rab. perd.* 5. Misera est ignominia judiciorum publicorum, misera multatio bonorum, miserum exsilium. *Plin.* 18, 3, 3. Multatio non nisi ovium, boumque impendio dicebatur. V. MULTA.

*MULTĀTOR, oris, m. qui multat. *JCt.* in *Digest. B. A.*

MULTĀTUS et Mulctatus, a, um, part. a *multo*, multa affectus, damnatus pecore, pecunia, exsilio, etc. *Cic. Caecin.* 34. *med.* Maleficium exsilio multatum. *Vell.* 2, 37. Servatus regi honos imperii, sed multato ingenti pecunia. *Suet. Caes.* 1. Sacerdotio, et uxoris dote, et gentiliciis hereditatibus multatus. Sic *Vell.* 8, 38. *f.* Creta Metelli ductu longissime libertatis fine multata. *Liv.* 10, 23. *med.* Feneratoribus diem dixerunt: quorum bonis multatis, ex eo, quod in publicum redactum est, aenea in Capitolio limina posuerunt. *Virg. A.* 11, 839. multatam morte Camillam. Al. leg. *mulcatam.* V. dicta in MULCATUS. De *mulctatus* vero V. MULTA. ℙ Translate. *Cic. Rab. Post.* 1. Cum ab ipsa fortuna crudelissime videat hujus consilia esse multata.

MULTĒSĪMUS, a, um, adj. *πολλοστημόριος*, ex multis unus, parvus: ut *millesimus* unus e mille. *Lucr.* 6, 650. Et videas coelum summai totius unum Quam sit parvula pars, et quam multesima constet, Et quota pars homo sit terrai totius unus.

MULTĪBARBUS, a, um, adj. *δασυπώγων*, multam barbam habens. *Appul. Flor. n.* 3. Marsyas hispidus, multibarbus, spinis et pilis obsitus. Alii rectius leg. *illutibarbus.*

MULTĪBIBUS, a, um, adj. *πολυπότης*, qui multum bibit. *Pl. Curc.* 1, 1, 77. lena multibiba, atque merobiba. *Id. Cist.* 1, 3, 1. et multiloqua, et multibiba est anus. *Macr. Sat.* 5, 21. Et Herculem multibibum heroa fuisse, argumentum est, etc.

MULTĪCĀVĀTUS, a, um, adj. multis locis cavatus. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Favus est, quem fingunt *(apes)* multicavatum ex cera.

MULTĪCAULIS, e, adj. multos caules emittens. *Plin.* 21, 16, 56. Quaedam in iis multicaulia ramosaque sunt, ut carduus.

MULTĪCĀVUS, a, um, adj. multicavatus. *Ov. Met.* 8, 561. Pumice multicavo, nec laevibus atria tophis Structa subit.

MULTĪCĪUS, a, um, adj. qui multis liciis textus est, per syncopen a *multilicius*, idem ac polymitus, Graece *πολύμιτος*, a *πολύς*, multus, et *μίτος*, licium. Hinc *Multicia tunica*, vel *synthesis*, et absolute *Multicia, orum*, sunt vestes molliores femininarum propriae, ut colligitur ex illo *Juven.* 11, 186. uxor Humida suspectis referens multicia rugis. Haec tamen etiam a viris luxu deditis gestabantur: quare ita reprehendit Creticum *Id.* 2, 66. sed quid Non facient alii, cum tu multicia sumas? et 76. quaero, an deceant multicia testem. *Valerian. Aug.* in *ep.* ap. *Vopisc. Aurel.* 12. Dabis Aureliano tunicas multicias viriles decem, lineas Aegyptias viginti. Alii leg. *multilicias. Tert. Pall.* 4. *med.* Ita et endromidis solocem aliqua multicia synthesi pugil Cleomachus extrusit. *Not. Tir.* p. 159. Babylonicum, polymitum, multicium, sericum, pseudosericum, holosericum. *Gloss. Philox.* Multicia, *πολύμιτα.* ℙ *Salmasius* putat, *multicius* esse a *multum*, et *icere*, quod genus panni sit pectine probe ictum seu pulsatum, et *levidensi* opponit. *Forcellinus* autem, quia *Juven. l. c.* ait, Creticum in ea veste pellucere, *Salmasii* etymon improbat, nec itidem nostrum supra allatum probat, quasi vero Latini pellucidum tantummodo appellaverint id, quod Itali nunc dicunt *trasparente*, qualis fuit Coa vestis, V. COUS; cum certo constet, illos ea voce id, quod valde lucet, etiam significasse. Videtur itaque *multicius* Latinorum idem esse ac *πολύμιτος* Graecorum, quod genus sericarum vestium instituisse Alexandriam Aegypti urbem celeberrimam, auctor est *Plin.* 8, 48, 74. [*Plurima adjecit *F.*]

*MULTICOLA, ae, m. qui multos colit. *Fulg. adv. Arianos.* Multicolae Pagena. *B. A.*

MULTĪCOLOR, oris, m. et f. *πολύχρους*, habens multos colores. *Plin.* 37, 10, 60. Hexecontalithos in parva magnitudine multicolor, hoc sibi nomen adoptavit. *Appul. de Mundo:* Iris multicolor est. ℙ Absolute. *Id. Met.* 11. [*p. 758. *Oudend.*] Multicolor bysso tenui pertexta, *h. e.* vestis multicolor.

MULTĪCOLORUS, a, um, adj. multicolor. *Gell.* 11, 16. Sicuti multijuga dicimus, et multicolora, et multiformia. *Prud. Cath.* 3, 104. Patraque multicolora latex Quadrifluo celer amne rigat.

MULTĪCŌMUS, a, um, adj. bene comatus, vel multas comas habens, *πολύκομος*. *Paul. Nol. carm.* 26, 418. Densaque multicomis imitantur sidera flammis.

MULTĪCŪPĬDUS, a, um, adj. qui multa cupit. *Varr.* ap. *Non.* 2, 418. et 5, 42. Quam dereliquit multicupida juvenilitas.

MULTĪFĀCIO, is, a. 3. magnifacio. *Paul.* ex *Festo:* Multifacere dicitur, sicut magnifacere, parvifacere. *Cato:* Neque fidem, neque jusjurandum, neque pudicitiam multifacit. **Pl. Rud.* 2, 3, 50. Verum ecastor ut multifecit, ita probe curavit Pleusidippus. Sed edd. *Gronov. Taubm. Buchner. Douz. Camerar.* etc. legunt *multi fecit* divise, quod fortasse melius. *B. A.*

MULTĪFĀRĬAM, adv. *πολλαχῆ*, multis in locis. *Paul.* ap. *Fest.* Multifariam dixerunt antiqui, quod videlicet in multis locis fari poterat, idest dici. V. BIFARIAM et BIFARIUS. *Cato* ap. *Gell.* 3, 7. Cum saucius multifariam ibi factus esset, tum vulnus capiti nullum evenit. *Cic. Or.* 2, 41. Si aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem, etc. *Id. Leg.* 1, 14. Judicia quondam nusquam erant, hodie multifariam nulla sunt. *Liv.* 3, 50. Togae multifariam in castris visae, majoris aliquanto, quam erat, speciem urbanae multitudinis fecerant. *Id.* 37, 5. Cum viri propugnarent, feminae tela omnis generis, saxaque in muros gererent, multifariam scalis appositis. *Id.* 33, 18. Omnibus ex praesidiis, quae multifariam disjecta erant, devocatis. *Plin.* 9, 57, 83. Multifariam in Ponto unum genus esse, quod, etc. *Id.* 30, 6, 15. Cochleae multifariam nascentes. *Id.* 25, 8, 53. Utramque nasci multifariam, sed deteriores in agris pinguibus. *Suet. Galb.* 19. Legionarii, qui multifariam, diverseque tendebant. Adde *Cal.* 18., *Gell.* 18, 2., *Liv.* 3, 5. et *Sisen.* ap. *Non.* 2, 562.

MULTĪFĀRĬĒ, adv. idem quod multifariam. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 3. Panis multifarie et e milio fit, e panico rarus. *Solin.* 11. *med.* de Delo: Eadem est Ortygia, quae clarissima in Cycladum numero multifarie traditur: nunc Asteria a cultura Apollinis: nunc a venatibus Lagia, vel Cynetho: Pyrpile etiam, etc. *h. e.* multis in locis multa habet nomina.

MULTĪFĀRĬUS, a, um, adj. *πολύτροπος*, multiplex, varius. *Gell.* 5, 6. Militares coronae multifariae sunt.

MULTĪFER, ra, rum, adj. *πολυφόρος*, fertilis. *Plin.* 16, 8, 11. Tam multifera sunt, tot res, praeter glandem, pariunt robora.

MULTĪFĪDUS, a, um, adj. qui in multas partes finditur. *Ov. Met.* 8, 644. Multifidasque faces, ramaliaque arida, etc. *Sen. Med.* 111. Multifidam jam tempus erat succendere pinum. Sic *Stat. Th.* 10, 843. Multifidam quercum flagranti lumine vibrat, *h. e.* facem e quercu. V. INSPICO. *Plin.* 11, 37, 45. Cornua ovium nulla, nec cervarum, nec quibus multifidi pedes, nec solidipedum ulli. *Mart.* 14, 25. Multifido buxus quae tibi dente datur, *h. e.* pecten e buxo. *Val. Fl.* 1, 6. Draco multifidas linguas vibrans, *h. e.* trisulcas. *Id.* 4, 93. multifidum jubar, *h. e.* solis radii. ℙ De crinibus in multos cirros divisis. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 15. de Venere: Illi multifidos crinis sinuatur in orbes, Idalia divisus acu. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 102. haec morsu numerosi dentis eburno Multifidum discrimen arat. ℙ *Multifida* dicuntur flumina, quae in multos divisa rivos in mare influunt. Unde multifidus Timavus, *Mart.* 8, 28. Multifidus Ister, *Lucan.* 3, 201. Multifidae undae, *Id.* 10, 311. de Nilo crescente, et extra ripas passim vagante. Sic *Claud. de Apono* 59. Multifidas dispergit opes, artemque secutus, Qua jussere manus, mobile torquet iter. ℙ Translate. *Val. Fl.* 4, 661. Sic ubi multifidus ruptis e nubibus horror Effugit, etc. *h. e.* fulmen, vel fulgur in multas partes se spargens, et horrorem incutiens. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 55. Non mihi centenis resonent si vocibus ora, Multifidusque ruat centum per pectora Phoebus, Acta Probi narrare queam, *h. e.* multiplex.

MULTĪFLŪUS, a, um, adj. multum fluens. *Juvenc.* 1, 586. Multifluisque diem verbis ducendo fatigant. *Arator* 2, 1065. cunctosque rigari Multifluo sermone jubet.

MULTĪFŌRĀBĬLIS, et

MULTĪFŌRĀTILIS, e, adj. multa habens foramina, multiforus. *Appul. Met.* 10. Jam tibiae multiforabiles cantus Lydios dulciter consonant. *Id.*

Flor. n. 3. Nec tam pluriformi modo, nec tam multiforatili tibia. Adde *Sidon. ep.* 8, 9.

MULTĪFŌRIS, e, adj. multas habens fores, seu aditus, exitusve. *Plin.* 8, 55, 81. Specus, qui sunt multifores in terra.

MULTĪFORMIS, e, adj. *πολύμορφος*, varius, quasi multiplicis formae ac variae. *Colum.* 7, 9. *med.* Ut per anni diversa tempora multiformes nuces, ac ficum praebeat. *Cic. Acad.* 1, 7. Qualitates principes sunt uniusmodi, et simplices: ex his autem ortae variae sunt, et quasi multiformes. *Gell.* 19, 14. Artes multiformes et variae. *Sen. ep.* 120. *f.* Praeter sapientem nemo unum agit: ceteri multiformes sumus. *Macr. Sat.* 7, 4. *f.* Multiformis alimonia deprehenditur causa morborum.

MULTĪFORMĪTER, adv. *πολυτρόπως*, variis modis. *Gell.* 9, 5. Plato ante hos omnes ita varie et multiformiter disseruit de voluptate. *Plin.* 36, 27, 69. Pestilentiae ignis suffitu multiformiter auxiliari.

MULTĪFŌRUS, a, um, adj. multa habens foramina, *πολύτρητος*. *Ov. Met.* 12, 157. Non illos citharae, non illos carmina vocum, Longave multifori delectat tibia buxi. *Sen. Agam.* 348. Tibi multifora tibia buxo Solemne canit.

MULTĪGĔNĔRIS, e, adj. *πολυγενής*, multorum generum. *Pl. Capt.* 1, 2, 56. Multis, et multigeneribus opus est tibi Militibus. ℙ *Multigenerum* absolute pro multorum generum. *Pl. Stich.* 2, 2, 59. Post haec unguenta multigenerum multa.

MULTĪGĔNUS, a, um, adj. *πολυγενής*, qui est multorum generum. *Lucr.* 2, 335. Percipe, multigenis quam sint variata figuris. *Plin.* 11, 1, 1. Multa haec et multigena terrestrium volucrumque vita. *Hard.* ex MSS. legit *multigenera*, quod est a recto *multigenerus*.

MULTIGRŪMUS, a, um, adj. multos habens grumos seu cumulos, aut acervos. Vox est prisca dicta a *Naevio* in *Alcesti*, de tumidis magnisque fluctibus: et recensetur a *Gell.* 19, 7. inter ea, quae nimium poetica sunt, et a prosae orationis usu alieniora.

MULTĪJŬGI, orum, et Multijuges, um, adj. a *multus* et *jugum*, ut *bijugi*, *quadrijugi*. Equi multijugi sunt plures equi multis jugis ad currum juncti. *Liv.* 28, 9. *med.* Itaque iret alter consul sublimis curru, multijugis, si vellet, equis: uno equo per urbem verum triumphum vehi. *Gell.* 19, 8. *med.* Quadrigae semper, etsi multijugae non sunt, multitudinis tamen numero tenentur. ℙ Translate est multiplex, varius. *Cic. Att.* 14, 9. De republica multa cognovi ex tuis litteris, quas quidem multijuges accepi uno tempore a Vestorii liberto. *Gell.* 2, 11. Spolia habuit multijuga: in his provocatoria pleraque. *Id.* 10, 2. Multijuga hominum partio. *Id.* 14, 2. Multijuga et sinuosa quaestio. *Appul. Apol.* Aristotelis multijuga volumina. [*Front. ad Verum* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. Historiam scripsit Cato verbis multijugis. *F.*]

[MULTĪLĀTĔRUS, a, um, adj. *πολύπλευρος*, plurilaterus, qui multis constat lateribus. *Auct. fragm.* operis, quod *Censorino* tribuitur, *c.* 7. Trigonum, trilaterum: tetragonum, quod quatuor; multilaterum, quod pluribus lineis continetur. *F.*]

MULTĪLAUDUS, a, um, adj. qui est multae laudis, *πολυέπαινος*. *Ammian.* 21, 10. [*al. 18.] Vir sobrietatis gratia multilaudus. Alii rectius leg. *aemulandus*.

MULTĪLĪCĬUS. V. MULTICIUS.

MULTĪLŌQUAX, acis, adj. omn. gen. multiloquus. *Pl. Aul.* 2, 1, 5. Multiloquaces mulieres. Al. leg. *multum loquaces*.

MULTĪLŌQUĬUM, ii, n. multus sermo. *Pl. Merc. prol.* 31. Amori accedunt etiam haec multiloquium, pauciloquium, etc.

MULTĪLŌQUUS, a, um, adj. *πολύλαλος*, *πολυλόγος*, qui multa loquitur. *Pl. Ps.* 3, 2, 5. coquum ducere Multiloquum, gloriosum, insulsum. *Id. Cist.* 1, 3, 1. multiloqua et multibiba anus.

MULTĪMAMMĬA, ae, f. *πολύμαστος*, multas habens mammas, mammosa. Epithetum est Dianae Ephesiae, quae mammis multis (ut loquitur *Minuc. Fel. Octav.* 21. *f.*) et uberibus exstructa colebatur. *Hieron. prooem. in ep. ad Ephes. med.* Ephesii Dianam colentes, non hanc venatricem, quae arcum tenet, atque succincta est, sed illam multimammiam, quam Graeci, etc. *Appul.* hanc eandem designat, cum ait *Met.* 11. *in.* Phoebi soror, quae partu fetarum medelis lenientibus recreato, populos tantos educasti, praeclarisque nunc veneraris delubris Ephesi.

MULTĪMĔTER, tri, m. abundans metris. *Sidon. ep.* 8, 11. *med.* Si poemata illius metiaris, multimeter, argutus, artifex erat.

MULTĪMŎDE. V. in v. sq.

MULTĪMŎDIS, adv. *πολυτρόπως*, multis modis, multipliciter. *Enn.* ap. *Cic. Or.* 3, 58. Multimodis sum circumventus, morbo, exsilio, atque inopia. *Lucr.* 1, 893. Verum semina multimodis immixta latere Multarum rerum in rebus communia debent. (Adde alibi saepe.) *Cic. Fin.* 2, 26. Hoc etsi multimodis reprehendi potest, tamen accipio. *Ter. Heaut.* 2, 3, 79. multimodis injurius, Clitipho, es. *Nep. Them.* 10. De cujus morte multimodis apud plerosque scriptum est. *Pl. Mil.* 4, 4, 53. multimodis sapis. ℙ In loco *Ennii* allato al. leg. *multi' modis:* quod et de locis *Lucr.* suspicari possumus (in quo saepissime lectio variat) et *Nepotis*, *Plauti* ac *Terentii*. Ap. *Cic.* alii leg. *multis modis:* et in quodam MS. etiam *multimode*.

MULTĪMŌDUS, a, um, adj. *πολύτροπος*, (ut *omnimodus*) multorum modorum, multiplex, varius. *Liv.* 21, 8. Oppidani multimoda arte distineri coepti sunt.

MULTĪNODUS, a, um, et Multinodis, e, adj. multos nodos habens. *Appul. Met.* 5. Moltinodis voluminibus serpens coluber. *Id. ib.* 8. Indidem sese multinodis commulcat ictibus. *Prud. Cath.* 7, 139. Tectus flagellis multinodi germinis. ℙ Translate. *Appul. Met.* 10. Discursus reciproci moltinodes ambages explicuit. Al. rectius leg. *multimodas*.

MULTĪNŌMĬNIS, e, adj. comm. gen. *πολυώνυμος*, qui multa habet nomina. *Appul. Met.* 11. Multinominis Deae divina imperia.

MULTĪNŪBENTĬA, ae, f. *πολυγαμία*. *Tert. adv. Psych.* 1. Multinubentiae pronus. *Adde *Pud.* 1. *B. A.*

[MULTĪNŪBUS, a, um, adj. qui multas uxores duxit, quae multis viris nupsit. *Hieron. adv. Jovin.* 1, 28. Nobis adversarius proposuerat Salomonem multinubum. *Id. ep.* 123. *n.* 10. Vidi unum, qui viginti sepelisset uxores, unam quae vicesimum secundum habuisset maritum, extremo sibi, ut ipsi putabant, matrimonio copulatos. Vicit maritus, et coronatus uxoris multinubae feretrum praecedebat. *F.*]

MULTĪNUMMUS, a, um, adj. qui multorum nummorum pretio emitur. *Varr. R. R.* 3, 17. Ego enim uno servulo, hordeo non multo, aqua domestica meos multinummos alo asinos. (De ingentib. asinorum pretiis V. *eund. ib.* 2, 1. et *ib.* 3, 2.) *Id.* ap. *Non.* 3, 152. Multinummus piscis, helops.

MULTĪPARTĪTUS, a, um, adj. divisus in multas partes, sive res. *Plin.* 6, 19, 22. Namque vita mitioribus populis Indorum multipartita degitur. Alii tellurem exercent, militiam alii capessunt, merces alii suas evehunt, etc.

MULTĪPĀTENS. V. MULTIPOTENS.

MULTĪPĒDA, ae, f. *ὀνίσκος*, genus insecti, de quo V. in MILLEPEDA.

MULTĪPES, ĕdis, adj. omn. gen. *πολύπους*, multos habens pedes. *Plin.* 11, 45, 103. Sunt autem crura his obliqua: sic et multipedibus. ℙ [Est etiam idem ac multipeda. *Isid. Orig.* 12, 5. Multipes vermis terrenus ac multitudine pedum vocatus, qui contra ictum contractus in globum complicatur: nascitur sub petris ex humore et terra. *F.*]

MULTĪPLEX, plicis, adj. omn. gen. *πολλαπλάσιος*, multus, copiosus, varius: cui *simplex* opponitur. *Plin.* 16, 31, 55. Cortex multiplex tunicis vitibus, tiliae, abieti: quibusdam simplex, ut fico, arundini. *Id.* 18, 12, 30. Fabae multiplex usus omnium quadrupedum generi, praecipue homini. *Cic. N. D.* 2, 51. *f.* Quae multiplices fetus procreant, ut sues, canes, his mammarum data est multitudo; et *ib.* 54. *f.* Alvus est multiplex et tortuosa, arcetque et continet, quod recipit. *Id. Sen.* 15. Vitis serpens multiplici lapsu et erratico. *Ov. Met.* 8, 158. Multiplici domo, et caecis includere tectis, *h. e.* labyrintho. *Cic. Or.* 3. *med.* Multiplices variique sermones. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 5. Multiplicia folia fabae, piso, *h. e.* multa. *Pl. Epid.* 4, 1, 3. multiplex aerumna me exercitam habet. *Auct. ad Her.* 4, 54. Verborum ancipites, aut multiplices potestates. *Virg. A.* 5, 264. Lorica multiplex. *Id. ib.* 259. consertam hamis auroque trilicem Donat. [*Sil.* 16, 583. Auri multiplicis thoraca tulit. *B. A.*] ℙ *Multiplex locus* ap. *Lucr.* est amplus, latus, spatiosus, magnus, 2, 162. et 4, 208. Multiplicisque loci spatium transcurrere eodem Tempore. Al. leg. *multiplexque loci spatium*, producta secunda syllaba. [*Ita *Eichstädt.*] ℙ *Multiplex domus* ap. *Sen. Hipp.* 523. est ampla, et pluribus constans membris: quam *multiplicatam* dicit *Cic. Off.* 1, 39. ℙ Translate. *Cic. Fl.* 3. Praeturae jurisdictio res varia, et multiplex ad suspiciones, et simultates. *Id. Or.* 1, 3. Ii, qui mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum, et quam recondita in arte, et multiplici subtilique versantur! et *ib.* 51. *med.* Quarum rerum fateor magnam multiplicemque esse disciplinam, et multas, copiosas, variasque rationes. *Id. Brut.* 31. Adhibere genus orationis vagum et fusum, et multiplex. *Id. Amic.* 18. Neque enim ullum potest esse multiplex et tortuosum ingenium, *h. e.* varium, duplex, inconstans. Sic *ib.* 25. Animus non unus et idem, sed varius, commutabilis, multiplex; et *Coel.* 6. de Catilina: Hac ille tam varia multiplicique natura, etc. *Vell.* 2, 105. Vir multiplex in virtutibus, navus, agilis, providus, militiariumque officiorum patiens, ac peritus. *Sil.* 5, 544. Vir multiplex proavis, *h. e.* qui multos proavos honoratos habuit, genere clarus.

MULTĪPLĪCĀBĪLIS, e, adj. qui multiplicari potest: item multiplex. *Cic.* vertens *Sophoclis* carmina, *Tusc.* 2, 9. *f.* Haec interemit tortu multiplicabili Draconem, auriferam obtutu observantem arborem.

MULTĪPLĪCĀTĬO, onis, f. *πολλαπλασιασμός*, actus multiplicandi. *Colum.* 3, 2. Ut multiplicatione frugum reditus augeatur. *Front. Aquaed.* 34. Multiplicatio quinariarum. *Sen. ep.* 12. Temporum multiplicatione vita componitur. ℙ In rationibus ducendis. *Colum.* 5, 2. Multiplicantur in se duo latera, et quae summa ex multiplicatione efficitur, etc. Adde *Vitr.* 9, 1. et 10, 16.

MULTĪPLĪCĀTOR, oris, m. qui multiplicat. *Paul. Nol. ep.* 44. (al. 31.) *med.* Herilium talentorum multiplicator.

MULTĪPLĪCĀTUS, a, um, part. a *multiplico*: multiplex factus, auctus. *Planc.* ad *Coss.* etc. *Fam.* 10, 8. Aucto exercitu, auxiliisque multiplicatis. *Cic. Q. Fr.* 1, 2. *f.* Tota Italia concurret, ut multiplicata gloria discedamus. *Ov. Trist.* 4, 6, 38. Et mala sunt longo multiplicata die. *Cic. Off.* 1, 39. Domus multiplicata; et *Liv.* 42, 61. Haec per se ampla: pleraque multiplicata verbis regis. ℙ De supputandis rationibus. *Colum.* 5, 1. Utraeque summae inter se multiplicatae faciunt, etc. et *mox*: Stadium habet passus CXXV., quae (summa) octies multiplicata efficit mille passus.

*MULTĪPLĪCĬTAS, atis, f. *Sarisb.* 3, 1. Multiplicitas partium. *B. A.*

MULTĪPLĪCĬTER, adv. *πολλαπλασίως*, multimodis. *Sall. or. ad Caes.* 2. *med.* Multipliciter animus curis atque laboribus fatigatur. *Flor.* 3, 2. Multo atrocius, et multipliciter magis a Septentrione saevitum. *Quint.* 7, 4. *med.* Locum multipliciter intueri. *Gell.* 14, 1. *med.* Tam saepe ac tam multipliciter. ℙ Comp. *Multiplicius* ap. *Plin.* 7, 14. in *clemmate*.

MULTĪPLĪCO, as, avi, atum, a. 1. *πολλαπλασιάζω*, multum seu multiplicem facio, augeo. *Caes. B. C.* 3, 32. Aes alienum provinciae eo biennio multiplicatum est. *Nep. Att* 2. Aes alienum multiplicandis usuris crescit. *Plin.* 36, 15, 23. Turres septem acceptas voces numerosiore repercussu multiplicant. *Ov. R. Am.* 98. Flumina collectis multiplicantur aquis. *Id. Pont.* 4, 9, 67. Multiplicat tamen hunc gravitas auctoris honorem. *Stat. Th.* 6, 790. geminatque rotatas, Multiplicatque manus, *h. e.* adeo celeriter vibrat, ut plures quam duas habere videatur. *Liv.* 37, 54. *med.* Lycaonia, et Phrygia, et Pisidia in vestra sunt potestate: quarum una quaelibet regi adjecta multiplicare regnum Eumenis potest. ℙ In supputandis rationibus. *Colum.* 5, 2. Multiplicantur in se duo latera: et *paulo post*: Latitudinis pedes cum longitudinis pedibus sic multiplicabis. ℙ Part. *Multiplicans* ap. *Macil.* 3, 486. atque hunc numerum revocabis in ipsum Multiplicans decies.

*MULTĪPLĪCUS, a, um, adj. multiplex, ex multis compositus. *Gell.* 19, 7. (de Laevio): Et quae multiplica ludens composuit, quale illud est, quod vituperones suos subducti supercilii carptores appellavit. Sic (ait *Gesnerus*) optimi quique libri, non *multiplicia*. Ed. *Venet.* 1494. habet *multiplici*. *B. A.*

MULTĪPŎTENS, entis, adj. omn. gen. *πολυκράτης*, qui multum potest. *Pl. Bacch.* 4, 4, 9. nisi habet Pectus multipotens. Al. leg. *multipatens*, h. e. amplum, et omnis doli capax. *Id. Trin.* 4, 1, 1. Salsipotenti, et multipotenti Jovis fratri laudes ago. *Id. Cas.* 4, 4, 17. Venus multipotens.

MULTĪRĀDIX, icis, adj. omn. gen. *πολύῤῥιζος*, multas habens radices. *Appul. Herb.* 35. Centaurea minor multiradix.

MULTĪRĀMIS, e, adj. *πολύζος*, multos habens ramos. *Appul. Herb.* 4. Hyoscyamus thyrso fruticoso, multirami.

MULTĪSCĬUS, a, um, adj. *πολυμαθής*, qui multa scit. *Appul. Met.* 9. Etsi minus prudentem, multiscium certe reddidit. *Id. Flor. n.* 9. [*al. *l.* 2.] Homo tam numerosa arte multiscius. *Eutych.* 2152.]

*MULTISONĀLIS. *Vet. Schol.* in *Juven.* 3, 134. Multisonalis, quae vulgo Batalaria. V. *Cramer.* ad l. *B. A.*

MULTĪSŌNORUS, a, um, adj. idem ac multisonus. *Claud. epigr.* 1, 18. Esseda concordes multisonora trahunt.

MULTĪSŌNUS, a, um, adj. qui est multi soni. *Mart.* 1, 54. Sic ubi multisona fervet sacer atthide lucus. V. ATTHIS. *Stat. Silv.* 3, 2, 103. Multisonum sistrum.

MULTĬTŪDO, inis, f. *πλῆθος*, ingens numerus, magna vis, copia, frequentia. *Cic. Or.* 1, 4. Magnitudo et varietas, multitudoque in omni genere causarum. *Id. Prov. cons.* 12. *f.* Nationes, quae numero hominum ac multitudine ipsa poterant in provincias nostras redundare. *Id. Verr.* 2, 2, 66. Quanta illuc multitudo, quanta vis hominum convenisse dicebatur, etc. *Id. ad Quirit.* 2. Vestrorum magnitudinem multitudinemque beneficiorum. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* In agro Faventino trecenariae appellantur vites, quod jugerum trecenas amphoras reddit, etc. in fundo suo Faventiae hanc multitudinem suas dicebat reddere vites. *Id.* ap. *Non.* 6, 100. Multitudo argenti facti. *Nep. Ann.* 10. Multitudo navium; et *ib.* serpentum; et 5. jumentorum. *Cic. Or.* 3, 19. *f.* sacrorum. *Suet. Caes.* 68. hostilium sagittarum. *Id. Tit.* 4. statuarum et imaginum. *Gell.* 19, 8. *med.* Multitudo et copia minimarum partium. ℙ Saepissime dicitur de magno hominum numero, populo, plebe, vulgo.

Cic. Verr. 1, 7. Hortensius consul designatus, domum reducebatur cum maxima frequentia a multitudine. Alii leg. *ac multitudine.* [*Ita *Orell.*] *Caes. B. G.* 2, 6. Tanta multitudo lapides ac tela conjiciebat, ut in muro consistendi potestas esset nulli. *Nep. Ann.* 12. Multitudine domum ejus circumdederunt. *Just.* 2, 8. *f.* Invidiosa oratione multitudo credula accenditur. *Cic. Off.* 1, 19. *f.* Qui ex errore imperitae multitudinis pendet, hic in magnis viris non est habendus. *Id. Tusc.* 2, 26. Fama, et multitudinis judicio moveri. [*Opponuntur *honesti* et *multitudo. Suet. Aug.* 46. Necubi aut honestorum deficeret copia, aut multitudinis soboles. ℙ Ponitur hac significatione etiam pluralis numerus, ita ut *multitudines* singulas plebis catervas sive factiones notet. *Sall. Cat.* 50, 1. Partim exquirebant duces multitudinum: quem pluralis numeri usum *Kritz.* ad *ib.* 15, 4. coll. *Heusing.* ad *Cic. Off.* 1, 22, 15. et 1, 32, 2. *Zumpt. Gr. Lat.* p. 77. ipsiusque dictt. ad *Sall. Cat.* 14, 5. in iis vocabulis potissimum frequentari docet, quae aliquem statum significent, eumque talem, qui non generatim cogitetur, sed aut multis vicibus repetitus, aut in multis rebus conspiciendus. ℙ *Multitudo* saepius etiam dicitur pro numero justo majori, praecipue in rebus bellicis. Ita intelligit *Herzog. Caes. B. G.* 2, 24. quum multitudine hostium castra nostra compleri — vidissent: ubi laudat *ib.* 4, 33. ut, si illi a multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant; et *B. C.* 2, 23. veritusque navium multitudinem. *Nep. Them.* 3, 2. ne multitudine circuiretur. Huc pertinet etiam locus, quem Noster supra laudaverat, *ejusd. Hann.* 10, 4. Superabatur navium multitudine. ℙ *Multitudo* ponitur etiam de senatu. *Liv.* 6, 15. Quum — discedere senatum ab se vetuisset, stipatus ea multitudine.] ℙ *Numerus multitudinis*, pluralis apud grammaticos: qui aliquando et *multitudo* absolute dicitur. *Gell.* 19, 8. *f.* Cur mel et vinum, atque id genus cetera numerum multitudinis capiunt, lac non capit? *Varr. L. L.* 7, 18. Omnia fere nostra liberalia et muliebria multitudinis; et *ib.* 8, 39. *extr.* Injuria postulant, si qua sint singularia, oportere habere multitudines.

MULTĪVĂGUS, a, um, adj. *πολυπλανής*, qui multum vagatur. *Sen. Herc. Fur.* 533. Intravit Scythiae multivagas domos. *Stat. Th.* 6, 1. Nuncia multivago Danaas perfertur ad urbes Fama gradu. *Plin.* 10, 37, 52. Ferunt non mutare sedem columbas, multivaga alioqui ave. *Id.* 2, 10, 7. Multivagus lunae flexus.

MULTĪVĬDUS, a, um, adj. multum vividus. *Capell.* 2, 27. Connubium sibi laetabunda alio mentis fluctu multivida concitavit.

MULTĪVĪRĂ, ae, f. quae multis viris nupsit. *Minuc. Fel. Octav.* 24. *med.* Alia sacra coronat univira, alia multivira; et magna religione conquiritur, quae plura possit adulteria numerare.

MULTĪVĬUS, a, um, adj. *Appul. Met.* 9. Multivii jumentorum circuitus. *Id. ib.* Multivia circumcursio.

MULTĪVŎLUS, a, um, adj. *πολύβουλος*, multa cupiens, qui multarum rerum desiderio tenetur. *Catull.* 68, 128. Multivola est mulier.

MULTĪVŌRANTĬĂ, ae, f. edacitas, ingluvies. *Tert. adv. Psych.* 1. Multivorantiae pronus.

MULTO, adv. *πολὺ*, *πολλῷ*, multum, valde, longe, multis partibus: et jungitur nominibus, et adverbiis comparativis, et superlativis. *Cic. Or.* 1, 3. *med.* Multo pauciores oratores, quam poetae boni reperientur. *Id. ad Pomp. post. ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Ea cognovi commodiora esse multo, quam ut erat nobis nunciatum. *Caes. B. G.* 1, 6. Iter multo facilius atque expeditius. *Pl. Bacch.* 2, 3, 76. et *Rud.* 2, 6, 37. Nae ille hercle mihi sit multo tanto carior, Si, etc.; et *Bacch.* 4, 4, 20. fortassis tu auri dempsisti parum. *Mnesil.* qui, malum, parum? immo vero nimio minus multo parum. *Nep. Them.* 9. Multo plura bona feci. *Id. Alc.* 1. Omnium aetatis suae multo formosissimus. *Id. Ages.* 3. Regio multo locupletissima. *Quint.* 9, 4. *med.* Verbo sensum cludere, multo optimum est. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 413. multo optimus hostis. *Cic. Manil.* 18. Magna, ac multo maxima pars. *Auct. ad Her.* 4, 44. *f.* et *Sall. Cat.* 37. Multo maxime. *Cic. Att.* 8, 9. *med.* Lepido nunquam placuit ex Italia exire, Tullo multo minus. *Id. Amic.* 19. *f.* Quod est multo profecto magis in veris patribus faciendum. ℙ Item cum adverbiis diversitatis, et dissimilitudinis. *Plin.* 19, 3, 15. Laser in Armenia nascitur large, sed multo infra Cyrenaicum. *Cic. Fam.* 4, 9. *med.* Quod non multo secus fieret, si, etc. *Ter. Andr. prol.* 4. Verum aliter evenire multo intelligit. *Nep. Amic.* 2. Multo aliter ac sperabat. ℙ Item cum *ante*, et *post. Cic. Att.* 12, 49. Non multo post, quam tu a me discessisti. *Id. Cat.* 1, 6. Neque enim sunt obscura, aut non multo postea commissa. *Nep. Paus.* 3. At ille post non multo ad exercitum rediit. *Id. Cim.* 3. Post neque ita multo in Cyprum missus. *Id. Eumen.* 3. Copiae non multo ante contractae. *Cic. Fam.* 4, 1. Mala multo ante providens. ℙ Item cum verbis praestantiam significantibus. *Nep. Reg.* 2. Duo multo ceteros gloria antecesserunt. *Cic. Fin.* 4, 18. Virtutem omnibus rebus multo anteponentes. *Tac. H.* 4, 13. Multo ceteros anteibant. *Sall. Cat.* 36. *f.* Multo praestat beneficii, quam maleficii immemorem esse. ℙ Et cum verbo *malo. Cic. Att.* 12, 21. *f.* Meo judicio multo stare malo, quam, etc. *Pl. Poen.* 1, 2, 88. Bono ingenio me esse ornatam, quam auro, multo mavolo. [*Cur non adjective, ut sit *multo auro? B. A.*] ℙ Cum positivo nomine rarum est. *Ter. Hec.* 1, 2, 83. postquam hunc alienum ab sese videt, Maligna multo, et magis procax facta illico est. Nisi velis v. *magis* etiam priore loco subintelligere.

MULTO et Mulcto, as, avi, atum, a. 1. *ζημιόω*, multam impono, poena afficio, punio: et saepe dicitur de poena, quae judicio infligitur. *Cic. Balb.* 18. Populus Gaditanus accusatorem hujus multa et poena multavit. *Id. Or.* 1, 43. *f.* Vitia hominum atque fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exsiliis, morte multantur. *Id. Prov. cons.* 15. *f.* Multari imperatorem deminutione provinciae, contumeliosum est. *Id. Balb.* 18. Multare populos stipendio. *Plin. Pan.* 40. *f.* Tarditatem solvendi, dupli vel etiam quadrupli irrogatione multare. ℙ *Multare aliqua re*, est poenae causa privare, spoliare in poenam cujuspiam delicti. *Cic. Tusc.* 5, 37. Multare exsules bonis. *Nep. Pel.* 1. Multare aliquem pecunia. *Hirt. B. Afr. f.* certo numero frumenti. *Cic. Agr.* 2, 13. *f.* agris. *Id. Sext.* 27. Antiochum majores nostri Asia multarunt. *Suet. Caes.* 1. Sacerdotio, et uxoris dote, et gentiliciis hereditatibus multari. ℙ Deponentis forma. *Suet. Aug.* 21. Neque rebellantes graviore unquam multatus est poena, quam ut, etc. Al. leg. *ultus est.* [*Deponentis formam multi defenderunt, in his *Burm.* et *Ernest.* Lectionem *ultus est* amplexi sunt *Graevius*, *Oudendorp.*, *B. Crus.*, *Brem.*] ℙ Adhibetur et extra judicium. *Pl. Amph.* 2, 2, 222. Numquid causam dicis, quin te hoc multem matrimonio? *h. e.* divortium faciam, ac te expellam. *Id. Stich.* 5, 4, 43. uter demutassit, poculo multabitur. *Id. Truc.* 4, 3, 70. hoc ego te multabo bolo: Sex talenta a dote demam. *Catull.* 64, 192. facta virum multantes vindice poena Eumenides. *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Stultitia fama multatur, *h. e.* punitur divulgando. *Colum.* 2, 4. *med.* Quo evenit, ut boves iniquitate operis maxime multentur. Al. leg. *mulcentur:* quod fortasse verius est propter ea, quae in MULCATUS dicta sunt. Idem dic de illo *Cat.* ap. *Colum.* 1, 2. Agrum pessime multari, cujus dominus, quid in eo faciendum sit, non docet, sed audit villicum. ℙ *Multare aliquem votis* dixit *Naevius* ap. *Non.* 6, 83. h. e. votorum compotem facere: ea ratione, qua dicimus *damnare votis.* ℙ Scribitur et *Mulcto:* sed V. dicta in voce MULTA. ℙ Olim *multare* significabat numerare. *Pl. Stich.* 3, 1, 19. scio, scire te, Quam multas tecum miserias multaverim: *ἐξηριθμησάμην.* Ita *Voss.* in *Etym.* et *Scal.* in *Conjectan. ad Varr.* cujus haec sunt verba *L. L.* 4, 36. Itaque cum in dolium aut culeum unum addunt rustici, prima urna addita, dicunt etiam nunc, multa, *h. e.* numera, ut lidem exponunt. Addunt etiam, proprie esse, polliceri in auctionibus, et plura liceri, quam ceteri. Sed hujus significationis nullum exemplum afferunt.

MULTŌPĔRE, adv. multum, valde. *Pl. Merc. prol.* 65. Multopere in mundo rustico se exercitum. Alii rectius leg. *Multo opere immundo rustico*, etc.

MULTOR, aris. V. MULTO, as.

MULTŌTĬĒS et Multotiens, adv. *πολλάκις*, saepe, saepenumero, multis vicibus. Habetur in *Epit. Livii* 57. Multotiens adversus eruptiones hostium feliciter pugnavit. Plerique alii leg. *Saepe adversus*, etc. *Justin. praef. Novellae* 29. Quae multoties cum ipsis etiam regiis certamen susceperit.

MULTUM, adv. *πολὺ*, valde. [*Retinet *multum* substantivi potestatem, modumque indicat, licet sensu non differat a *vehementer* aut *valde.* V. quae in hanc sententiam notavimus ad v. *multus, a, um.* Hinc ab initio posuimus exempla, quae multum cum genitivo conjunctum referunt: quorum nihil *Forc.* commemoraverat: *Lucan.* 4, 567. multumque cruoris Infudere mari; ubi laud. *Cort. Claud. Gigant.* 84. ubi pro vulg. multumque — cruorem, *Heins.* ex uno *Vatic.* et *h. Luc. l.* ed. *cruoris. Cic. Brut.* 89. Ego, juris civilis studio, multum operae dabam Q. Scaevolae. *Liv.* 27, 2. *extr.* Postero die Romani ab sole orto in multum diei stetere in acie. Adde 22, 45. ad multum diei; *it.* 10, 32. *Cicero* hoc dicendi genere abstinet. Huc pertinet etiam *Plin.* 10, 36, 52. Alioquin soluto volatu in multum velociores; et *Virg. G.* 2, 272. adeo in teneris consuescere multum est; quem utrumque locum in fine vocis *multus* laudaverat. Porro huc pertinent, quae de pluralis numeri usu dicta sunt *ib.*] *Cic. Leg.* 3, 15. Res difficilis, ac multum et saepe quaesita. *Id. Verr.* 2, 5, 44. Longe omnes, multumque superabit. *Id. Div.* 2, 1. Multum, et diu cogitans. *Id. Or.* 1, 33. *med.* Diu, multumque scriptitare. *Id. Brut.* 34. Non multum ille quidem, nec saepe dicebat, sed, etc. *Plin.* 9, 8, 7. Nisi multum infra rostrum os illi foret. *Pl. Trin.* 5, 2, 56. et *Ter. Hec.* 1, 2, 7. Salve multum, gnate mi. *Pl. Stich.* 3, 2, 40. Multum vale. *Cic. Fam.* 7, 23. *med.* Opinor, Cassium uti non ita multum sorore. *Id. Att.* 8, 13. Multum mecum municipales homines loquuntur. *Caes. B. G.* 3, 25. Auxiliares, quibus ad pugnam non multum Crassus confidebat; et *ib.* 4, 1. Neque multum frumento, sed maximam partem lacte atque pecore vivunt: multumque sunt in venationibus. *Cic. Fam.* 4, 13. Familiarissimi Caesaris me admodum diligunt, multumque mecum sunt. *Nep. Lys.* 3. Multum eum antistites Jovis fefellerunt. *Id. Con.* 2. Apud aliquem multum gratia valere. *Liv.* 42, 44. Haud multum abfuit, quin interficeretur. *Hor. A. P.* 114. Intererit multum, Davusne loquatur, an heros. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Tametsi non tum multum in istis rebus intelligo, quam multa vidi. *Id. Brut.* 90. Commentabar declamitans: idque faciebam multum etiam Latine, sed Graece saepius. [**Pl. Mil.* 3, 1, 121. multum vides, i. e. recte sapis, abunde intelligis. Oppon. *parum videre*, i. e. non satis intelligere.] ℙ Cum adjectivis positivis. *Pl. Aul.* 2, 1, 5. multum loquaces merito omnes habemur. *Virg. A.* 1, 7. multum ille terris jactatus, et alto. *Plin. ep.* 1, 9. *extr.* Multum inepti labores. *Hor. Sat.* 2, 3, 147. medicus multum celer, atque fidelis. *Id. Od.* 3, 27, 47. et *Epod.* 17, 20. Multum amatus. *Id. ib.* 1, 10, 3. dissimilis. *Pl. Stich.* 1, 3, 53. miseri. *Hor. Sat.* 2, 3, 67. tabulas multum Nasica negatas Accipiet tandem, *h. e.* diu. ℙ Cum comparativis, ap. poetas. *Pl. Most.* 3, 2, 139. multum improbiores sunt quam a primo credidi. *Stat. Th.* 9, 559. multumque aliis jactantior umbris. *Juven.* 19, 197. multum hic robustior illo. *Sil.* 13, 708. cujus spectavi Martia facta Multum uno majora viro. [**Lucan.* 2, 225. multumque coitur Humani generis majore in proelia damno: ubi largam hujus generis exemplorum copiam congessit *Cort.* Praeter *Sall.* et *Liv.* nonnisi poetae et sequioris aevi scriptores neutra *multum, quantum, tantum, aliquantum* conjungunt cum comp., cujus quidem ut praedicati notionem, non gradum constituere possunt. Ita *Ramsh. Gr. Lat.* §. 154. *B.* b.*) ubi laudat *Burm.* ad *Ov. Her.* 18, 71. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 85, 22. *Drak.* ad *Liv.* 5, 10, 5. et 44, 7, 6.] ℙ Ut multum, i. e. ad summum. *Mart.* 10, 11. Et lotam, ut multum, terque, quaterque togam. *Vopisc. Aurel.* 46. Concessit, ut blatteas matronae tunicas haberent, cum antea coloreas habuissent, et, ut multum, oxypaederotinas.

MULTUS, (olim Moltus) a, um, adj. *πολὺς*, multiplex, ingens numero, frequens, creber. In plurali refertur ad numerum, copiam, multitudinem. *Ter. Andr.* 5, 4, 28. Eadem haec multi alii in Andro tum audivere. *Cic. Fam.* 5, 17. Multis fortissimis viris tales casus incidisse. *Id. Or.* 1, 51. *f.* Multae, copiosae, variaeque rationes. *Plin.* 16, 25, 40. Multi hominum; et *ib.* 31, 56. Multae silvestrium arborum. *Cic. Fam.* 3, 8. Cum tu tam multis verbis ad me scripsisses. *Id. Verr.* 2, 2, 63. Non minus multas statuas istum posuisse Syracusis, quam abstulisse. *Id. Fam.* 4, 14. *med.* Sed de nostris rebus satis, etiam nimium multa. *Id. Fin.* 2, 18. *f.* Nimis multa. *Plin.* 5, 7, 7. Insulae non ita multae. *Auct. ad Her.* 1, 1. Ne parum multa scisse viderentur. *Pollio* ad *Cic. Fam.* 10, 33. *med.* Inermes bene multi. *Liv.* 31, 8. Jussus ex eo exercitu, quem consul habuisset, ut quisque minime multa stipendia haberet, legere, *h. e.* quam paucissima. Sic *Nep. Timol.* 3. Ut quam minime multa vestigia servitutis manerent. *Cic. Verr.* 2, 5, 34. In hac triremi minime multi remiges deerant. ℙ [**Multi* i. q. multi alii leg. ap. *Suet. Caes.* 50. Nam certe Pompejo, et a Curionibus patre et filio, et a multis exprobratum est: ubi v. *Brem.*] ℙ *Multus homo* est qui multorum hominum libidini inservit ap. *Catull.* 112. Multus homo es, Naso; nam tecum multus homo est, qui Descendit: Naso, multus es, et pathicus. ℙ *Multi* aliquando sunt mali, quia boni fere pauci. *Accius* ap. *Non.* 12, 4. Video ego te, mulier, more multarum utier. *Id. ib.* Probis probatus potius, quam multis forem. *Afran. ib.* Noli ex stultitia multarum credere esse animum meum. ℙ *Unus e multis* dicitur, qui nihil excellit, nulla re singularis est. [**Luciano* in *somnio* 9. dicitur *τῶν ἐκ τοῦ πολλοῦ δήμου εἷς*: quod observ. *Mich. Heus.* ad *Cic. Off.* mox laud. *f.* ubi v. *Beier.*] *Cic. Fin.* 2, 20. *f.* Tenuis L. Virginius, unusque e multis. *Id. Off.* 1, 30. *f.* Quamvis praepotens sit, efficit, ut unus de multis esse videatur. *Id. Brut.* 79. M. Calidius non fuit orator unus e multis: potius inter multos prope singularis fuit. Sic *ib. extr.* Si mihi accidisset, ut numerarer in multis. *Ov. R. Am.* 682. Jam facito, e multis una sit illa tibi. ℙ Ap. poetas etiam in singulari ponitur. *Hor. Epod.* 2, 31. Aut trudit acres hinc et hinc multa cane Apros in obstantes plagas. *Id. Od.* 4, 5, 33. Multa prece prosequi. *Virg. Ecl.* 1, 34. Quamvis multa meis exiret victima septis. *Ov. Fast.* 4, 772. in stabulo

multa sit agna meo. *Id. Amor.* 3, 5, 4. in ramis multa latebat avis. *Tibull.* 1, 3, 28. Picta docet templis multa tabella tuis. *Lucan.* 3, 707. multus sua vulnera puppi Affixit moriens, *h. e.* multi affixerunt. *Sil.* 2, 547. multus serpens circum colla micat. ℙ *Multa* in plurali aliquando est multa verba. *Hor. Sat.* 1, 5, 65. Multa Cicerrus ad haec. Hinc *ne multa*, *ne multis*, ne multis verbis rem persequar. *Cic. Cluent.* 64. Ne multa: perquiritur a coactoribus; et *ib.* 16. *f.* Ne multis: Diogenes emitur. *Ter. Andr.* 1, 1, 87. quid multis moror? Egomet quoque ejus causa in funus prodeo. ℙ Aliquando *multa* adverbii vicem praestat pro *multum*. *Virg. G.* 4, 301. Multa reluctari. *Id. A.* 3, 610. haud multa moratus; et *ib.* 5, 869. Multa gemens. ℙ His similia sunt illa *Cato* ap. *Gell.* 13, 23. Vitio vertunt, quia multa egeo. *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 7. Qui multa Deos venerati sunt contra ejus salutem. *Nep. Epam.* 6. Cum in oratione sua multa invectus esset in Thebanos. [*Idem docent *Serv.* ad *A.* 5, 869. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 27, 4. *Brem.* ad *Nep. Ep.* 6, 1. At *multa* neutiquam idem valet atque *multum*, neque nomen pro adverbio positum est: nam et substantivi et pluralis numeri potestas retinetur. Nimirum *multa* singulas alicujus rei partes continet; *multum* vero, quo non nisi modus indicatur, sensu non differt a *vehementer* aut *valde*. Ita rem explicat *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 27, 4. Postremo ubi multa agitanti nihil procedit. Adde *ib.* 44, 4. Volturcius multa Pomptinum obtestatus. *Cic. Fam.* 3, 3. *in.* multa nos quidem questi sumus. *Div.* 1, 20. Multa lacrimare.] ℙ Praeterea *multus* est magnus, vehemens, ingens. [*Exposuit de hoc dicendi genere *Brem.* ad *Nep. Phoc.* 1, 3.] *Cic. Sull.* 26. Multo labore quaerere aliquid. *Sall. Jug.* 7. Multa cura. *Plin.* 31, 7, 39. Multo sole. *Virg. A.* 3, 151. Penates multo manifesti lumine. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 20. Sermonem multum de te habitum esse. *Cic. Or.* 1, 60. *f.* Stilus tuus multi sudoris est. *Hor. Sat.* 1, 4, 5. multa cum libertate notabant. *Pl. Poen.* 1, 2, 194. Multam salutem dicere alicui. *Sall. Jug.* 13. Cum auro argentoque multo legatos Romam mittit. *Virg. A.* 1, 414. Et multo nebulae circum Dea fudit amictu, *h. e.* denso. *Cic. Fam.* 2, 10. Nomen nostrum multum est in his locis. [*Curt. 9, 6, 2. ea stirpe sum genitus, ut multam prius, quam longam vitam debeam optare, i. e. vitam multis magnisque rebus occupatam, cujus in parvo spatio ingens rerum gestarum cumulata memoria est: *longa* est, per longum temporis spatium sine gloria inaniter tractam. ℙ Saepius conjunguntur *multus* et *magnus*, plerumque fere copula addita: quod etiam ap. Graecos usitatissimum gravitatis causa tum fieri solet, quum auctor non appositionis vel explicationis loco alterum alteri addidit (ubi copula deest), sed pro se quodque spectandum voluit. Ita *Brem.* ad *Nep. Eum.* 2, 3. Hic multis magnisque pollicitationibus persuadere Eumeni studuit: coll. *Sall. Jug.* 62, 9. Multis magnisque praesidiis nequidquam perditis; et *Cort.* ad *Sall. Jug.* 18, 5. *Suet. Ner.* 6. Multa et formidolosa multis conjectantibus; et *ib.* 43. Multa et immania — creditur destinasse; et *Cal.* 54. Multaque et extrema metuentes: Gr. *πολλὰ καὶ ἴσχατα. Hor. Sat.* 2, 3, 9. Multa et praeclara: ubi recte quidem *Heindf.* comp. Gr. *πολλὰ καὶ καλὰ*, *πολλὰ καὶ κακά*: sed in eo falsus est, quod idem esse docet, ac *multa praeclara*. ℙ *Multus* est etiam id quod *nimius*. Ita *Brem.* coll. *Gronov.* ad *Liv.* 4, 13, 3. h. v. intelligendum censet ap. *Nep. Att.* 13, 5. Suppellex modica non multa. Adde *Cic. Or.* 2, 4. Qui in alio genere aut inconcinnus, aut multus est, is ineptus dicitur. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Dicitur *multus esse in re quapiam*, qui prolixus est, intentus, assiduus, diligens, quasi multorum solus vicem praestet: tum in bonam, tum in malam partem. *Cic. Or.* 2, 87. *f.* Ne in re nota et pervulgata multus et insolens sim. *Sall. Jug.* 101. In operibus, in agmine, atque ad vigilias multus adesse. *Flor.* 4, 2. *med.* Multus in eo proelio Caesar fuit, mediusque inter imperatorem, et militem. *Sall. Jug.* 86. Marius antea jam infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare, *h. e.* acer, et infestus. Sic *Pl. Men.* 2, 2, 41. Heu hercle hominem multum, et odiosum mihi! [*Hinc, quidquid *Walch.* contradixerit, minime rejicienda videtur lectio *multus*, quam *Ursinus* ex codice suo dedit in loco *Tac. Agr.* 20. pro eo, quod nunc edd. exhibent, *militum*. Verba sunt: Sed ubi aetas advenit, contracto exercitu, militum in agmine laudare modestiam, disjectos coercere: primum enim *codices* non addicunt, qui omnes, praeter Ursini librum, *multum* exhibent, scribarum quidem emendationem, ex *multus* factam, quod perperam ad *laudare* traxissent: tum non parva laus est imperatoris, quod *Sall. Jug.* 45. dicit, in primis modo, modo in postremis, saepius in medio esse: id quod *Tac.* uno verbo *multus* expressit, illaesis linguae legibus, eodemque modo, quo *carus* et *frequens* participii locum tenent, quum nihil impediat, quominus eorum sequamur sententiam, qui *multus* pro participio v. *molere*, i. e. augere accipiant.] ℙ Refertur etiam ad tempus. *Cic. Q. Fr.* 2, 9. Multa nocte veni ad Pompejum. Sic *Att.* 5, 4. Litteras multo mane mihi dedit; et *Caes. B. G.* 1, 22. Multo denique die per exploratores cognovit, etc. *Sall. Jug.* 55. Jam multum diei processerat. (Adde *Liv.* 27, 1. *med.*) *Cic. Att.* 13, 9. Multus sermo ad multum diem. *Tac. H.* 2, 44. Multo adhuc die vallum ingressus, *h. e.* cum superesset adhuc pars multa diei. [*V. in MULTUM.] ℙ *Multa opinio*, multorum, pervulgata, recepta. *Gell.* 3, 16. Et multa opinio est, eaque jam pro vero recepta. ℙ *Multa pace*, cum pax habetur passim. *Tac. H.* 4, 35. Missos Novesium frumentatores, datasque in praesidium cohortes, velut multa pace ingredi. ℙ [*Repetitae vocis exempla haec sunto: *Lucr.* 1, 814. Multimodis communia multis multarum rerum in rebus primordia multa; et 1023. Multa modis multis; et saepissime alibi. *Suet. Aug.* 29. Multa a multis exstructa sunt; et *Tib.* 2. Multa multorum Claud. egregia merita, multa etiam secus admissa. ℙ Confund. *multus* et *inultus*. V. *intpp.* ad *Curt.* 3, 11, 15.]

*MULUCHA, ae, flumen Africae, Mauritaniam a Numidia dividens. *Sall. B. J.* 92. (al. 97.) et 110. (al. 118.) *Mela* 1, 5. *Plin.* 5, 2. ℙ Et nomen oppidi ad fluminis ripam siti. *Flor.* 3, 1. *B. A.*

MULVIĀNUS, a, um, adj. ad Mulvium pertinens, quod est nomen propr. R., ut M. Mulvius ap. *Val. Max.* 8, 1. *f.* Hinc Mulviana controversia, *Cic. Att.* 2, 15. Mulviana cotonea, *Plin.* 15, 11, 10. *h. c.* a quodam Mulvio insitore sic dicta.

MULVIUS Pons, nunc *ponte Molle*, cujus meminit *Cic. Att.* 3, 33., ad initium fuit viae Flaminiae, Tiberi impositus extra portam Flumentanam, ad secundum lapidem. Factus est a M. Aemilio Scauro in censura, ut est ap. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 72. ℙ Scribitur et *Milvius. Stat. Silv.* 2, 1, 176. Agmina, Flaminio quae limite Milvius agger Transvehit, *h. e.* pons. [*Mulvius praeferendum est, probb. *Victor.* ad *Cic. Att.* 13, 33. *Bentl.* ad *Hor. Sat.* 2, 7, 36. *Gronov.* ad *Tac. A.* 13, 47. *Duk.* ad *Flor.* 3, 23, 6. *Graev.* ad *Cic. Cat.* 3, 2, 5. *Arntzen.* ad *Aurel. Vict. vv. ill.* 72. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 25. Adde *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 45, 1. *Heindf.* ad *Hor. l. l. Tzschuck.* ad *Eutrop.* 8, 17. Gr. etiam scribitur *Μουλβιος.*]

MULUS, i, m. *ἡμίονος*, animal quod ex asino et equa gignitur, vel ex equo et asina. V. MULA. *Cic. Top.* 8. Mulus clitellarius. *Hor. Sat.* 1, 6, 104. nunc mihi curto Ire licet mulo, vel, si libet, usque Tarentum. *Pl. Aul.* 3, 5, 21. Ego faxim, muli pretio qui superant equos, Ut sient viliores Gallicis canteriis. *Varr. R. R.* 3, 17. Rhedarii muli. ℙ Translate est convicium hominis stolidi, stupidi. *Catull.* 83, 3. Mule nihil sentis. *Pl. Cist.* 4, 2, 12. Mulo inscitior. Alii leg. *Non sum scitior.* ℙ *Muli Mariani* dicti sunt milites C. Marii, quos ille recidendorum impedimentorum gratia, sarcinas sibi suas furcis aptatas, et humeris impositas, mulorum vice portare coegerat. *Festus* hic, et in *Aerumnulae*: et *Front. Strat.* 4, 1. ℙ Mulis celebrabantur ludi in circo maximo, Consualibus: quia id genus quadrupedum putatur coeptum currui vehiculoque adjungi, *Festus.* ℙ Mulus vehiculo Lunae adhibetur, quod tam sterilis ea sit, quam mulus: vel quod, ut mulus non suo genere, sed equi creetur, sic ea solis, non suo fulgore luceat. *Idem.* ℙ *Mutuum muli scabunt*, prov. de iis, qui se mutuo laudant, mirantur, et praedicant, sibi invicem favent. Fuit titulus unius ex Satyris Menippeis *Varronis*, et adhibetur ab *Auson. Idyll. praef.* 12. *ad monosyll. in fine positos.* Huc pertinet epigrammation *Pomponii* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica, Casca Philotonis ipsa senex puerum. Dic tu illam pusam: sic fiet, mutua muli. Nam vere pusus tu, tua amica senex. ℙ *Mulum de asino pingere*, proverbio utimur, cum exemplar et res efficta non multum inter se distant: vel quando ineptiae ineptiis repraesentantur, aut mendacia mendaciis abstruuntur. *Tert. adv. Valent.* 19. *extr.*

*MUMMIA, ae, f. neptis Catuli, proneptis L. Mummii, Galbae uxor. *Suet. Galb.* 3. *B. A.*

MUMMIĀNUS, a, um, adj. ad Mummium pertinens, ut Mummiana aedificia, ap. *Fest.*

MUMMIUS, (Lucius) Achaicus dictus, novus homo, ad consulatum evectus ann. U. C. DCVIII., omnem armis Achaiam subegit, Corintho excisa: qui cum militari scientia valeret plurimum, adeo tamen in aliis rebus rudis fuit, ut cum Corinthiacas tabulas ac statuas eximiorum artificum Romam portandas locaret, juberet conductoribus praedici, nova ea reddituros, si apud eos periissent, ut est ap. *Vell.* 1, 13.

*MUNATIUS, i, m. nomen propr. virorum R. ut Munatius Plancus, de quo *Caes. B. G.* 5, 24. *Cic. Fam.* 10, 12. *extr.* et *Cat.* 2, 2. ℙ Munatium Gratum meminit *Tac. A.* 15, 15. ℙ Alii scribunt *Numatius:* minus recte. *B. A.*

MUNCTIO, onis, f. actus mungendi, ut Munctiones muculentae, ap. *Arnob.* 3, 107.

*MUNDA, ae, f. urbs Hispaniae Baeticae, quam Caesar una cum Cn. Pompeio Magni filio cepit. Hodie est *Monda. Liv.* 24, 42. *Auct. B. Hisp.* 32. *Flor.* 4, 2. *Lucan.* 1, 40. *Sil.* 3, 408. ℙ V. et MUNDENSIS. ℙ Fuit et Munda fluvius Lusitaniae, inter Tagum et Durium flumina, hodie *Mondego* dictus. *Plin.* 4, 21. (al. 22.) *Melae* 3, 1. est *Monda. B. A.*

MUNDĀNUS, a, um, adj. *κοσμικὸς*, ad mundum pertinens. *Cic. Tusc.* 5, 37. Socrates quidem, cum interrogaretur, cujatem se esse diceret: Mundanum, inquit; totius enim mundi se incolam, et civem arbitrabatur. ℙ *Avien. Arat.* 47. Mundanum pro coelesti dixit, quia mundus pro coelo aliquando ponitur. *Id. ib.* 216. *mundanas oras* dixit terrae plagas ratione Inferorum. ℙ *Mundanus annus* ap. *Macr. Somn. Scip.* 2, 11. est qui conversione plenae universitatis efficitur, cum scilicet stellae omnes, omniaque sidera a certo loco ad eundem locum remeaverint: quod quindecim millium annorum spatio fieri, physici volunt. V. plura *ib.* ℙ *Anima mundana* ap. *eund. ib.* 16. *f.* est anima mundi, quam falso putabant veteres causam esse motus siderum, sphaerarum coelestium, omnium uno verbo, quae in mundo moventur.

MUNDĀTIO, onis, f. actus mundandi, purgatio, *καθαρισμός. August. Confess.* 1, 11. Dilata est mundatio mea. *Octav. Hor. 1, 19. *Vulg. Interpr. Levit.* 16, 30. *B. A.*

MUNDĀTOR, oris, m. qui mundat. *Firm. Math.* 8, 19. *f.* Cloacarum mundator.

*MUNDATORIUS, a, um, adj. ut *mundatorium medicamentum* ap. *Plin. Val.* 2, 25. *B. A.*

MUNDĀTUS, a, um, part. a *mundo:* purgatus. *Colum.* 12, 50. *med.* Baccam diligenter mundatam in torcular deferre. *August. Conf.* 10, 37. Quam sim ab illa peste mundatior.

MUNDE, adv. *καθαρῶς*, pure, nitide. *Pl. Poen.* 5, 4, 5. Tanta ibi copia venustatum aderat, in suo quaeque loco sita munde. *Titin.* ap. *Charis.* 2, 183. Verrite aedes, spargite munde. *Pompon.* ap. *Non.* 4, 3. Heus, aptate, pueri, munde atque ampliter convivium. *Sen. ep.* 70. *med.* Parum munde, et parum decenter. *Gell.* 10, 17. Versus satis munde et graphice facti. *Cato R. R.* 66. Quam mundissime purissimeque fiat. *Colum.* 12, 51. Aromata in pila quam mundissime contundito.

MUNDENSIS, e, adj. ad Mundam pertinens, urbem Hispaniae Baeticae, quae una cum Cn. Pompejo Magni F. a C. Caesare capta est. V. *Flor.* 4, 2., *Auct. B. Hisp.* 27. et sqq., *Vell.* 2, 55. et *Epit. Livii* 115. Hinc Mundensis campus, *Auct. B. Hisp.* 27. Mundenses duces, *ib.* 36. Mundense proelium, *Suet. Caes.* 56.

MUNDIĀLIS, e, adj. *κοσμικὸς*, mundanus. *Tert. Spect.* 9. *extr.* Mundialia elementa. *Id. Anim.* 54. Mundiales sordes. *Prud. Cath.* 1, 90. Mundialis gloria. *Hieron. ep.* 43. *n.* 2. Mundialibus negotiis occupari. [*Sulpic. Sev. H.* 2, 14. *mundiales historicos* opponit *sacris;* Itali *profani* dicunt. *F.*] *Salvian. *de avar.* 1. *med.* p. 25. ed. *Rittersh.* Mundialis substantia. *B. A.*

MUNDIĀLITER, adv. more mundanorum. *Tert. Res. carn.* 46. *extr.* Vivere mundialiter.

MUNDĪCĪNA, ae, f. instrumentum, vel medicina ad mundandum. *Appul. Apol.* de dentifricio: Misi, ut petisti mundicinas dentium, Nitelas oris ex Arabicis frugibus, Tenuem, candificum, nobilem pulvisculum, etc.

MUNDĪCORS, ordis, adj. omn. gen. qui mundum habet cor. Quod est ap. *Matth.* 5, 8. Beati mundo corde, *August. serm.* 53. *de verb. Evang. (in ed. rec.)* habet: Beati mundicordes.

*MUNDIFICATĪVUS, a, um, adj. *Const. Afer.* 1, 6. Medicina mundificatius. *Id. ib.* 13. Mundificativis *(curari). B. A.*

*MUNDIFICĀTUS, a, um, part. *Const. Afer.* 1, 3. *B. A.*

*MUNDIFĪCO, as, a. 1. *καθαφαιτῶ*, mundum facio. *Macer* 3, 12. Mundificare stomachum. *B. A.*

[MUNDĪGER, a, um, adj. qui gerit mundum. *Auct.* incert. in *Anth. Lat.* T. 1. p. 16. *Burm.* volitabo per axem Mundigerum. *F.*]

MUNDĪPOTENS, entis, adj. com. gen. qui in mundo potest. *Tert. Anim.* 23. Virtus despectrix mundipotentium potestatum.

MUNDĪTĒNENS, entis, adj. omn. gen. mundum tenens, mundi dominus. *Tert. adv. Valent.* 22. Diabolum munditenentem appellant.

MUNDĪTER, adv. *καθαρίως*, cum munditie. *Pl. Poen.* 1, 2, 26. Nam cum sedulo munditer nos habeamus, Vix aegreque amatorculos invenimus. ℙ Translate. *Appul. Apol.* p. 296. *Elmenh.* Feminal nullo pacto reperiens munditer dicere, ad mea scripta confugit, *h. e.* polite et decenter.

MUNDĪTIA et Mundicia, ae, f. et Mundities, ei, f. *καθαριότης*, *εὐλουσία*, lautitia, nitor, elegantia in remotione sordium, et ornatu, cultuque delicato corporis. *Pl. Men.* 2, 3, 4. sternite lectos, incendite odores: Munditia illecebra animo est amantium. [*Suet. Caes.* 46. Munditiarum laetitiarumque studiosissimum multi prodiderunt.] *Gell.* 1, 5. Hortensius multa munditia, et circumspecte compositeque indutus. *Catull.* 23, 18. Hanc ad munditiem adde mundiorem Quod culus tibi purior salil-

lo est, Nec toto decies cacas in anno. *Pl. Cas.* 2, 3, 9. Postquam amo Casinam, magis initio munditiis munditiam antideo. Al. leg. *munditiem:* alii aliter. V. INITIO. *Cic. Off.* 1, 36. Adhibenda est praeterea munditia non odiosa, neque exquisita nimis. *Sall. Jug.* 67. [*al. 63.] de C. Mario: Ubi primum aetas militiae patiens fuit, stipendiis faciundis, non Graeca facundia, neque urbanis munditiis sese exercuit. *Ov. A. Am.* 3, 133. Munditiis capimur: non sint sine lege capilli, etc. et *ib.* 2, 677. Illae munditiis annorum damna rependunt: Et faciunt cura, ne videantur anus. *Pl. Ps.* 1, 2, 40. Vos quae in munditiis, molliciis, deliciisque aetatulam agitis. [*Adde *Sall. Jug.* 85. al. 90. Munditias mulieribus, viris laborem convenire. *Tac. A.* 3, 30. per cultum et munditias; et 4, 28. Praeparatus multis munditiis. *Suet. Oth.* 12. Munditiarum paene muliebrium.] ℙ *Munditias facere* dicebant, cum vasa mundabant, verrebant pavimenta, vestes, armaria, mensas detergebant, et omne genus sordium in aedibus tollebant. *Cato R. R.* 39. Per imbrem in villam quaerito, quid fieri possit: ne cessetur, munditias facito. *Pl. Stich.* 2, 2, 22. Munditias volo fieri: efferte huc scopas, simulque arundinem, Ut opera aranearum perdam. ℙ Transfertur ad orationem puram, elegantem. *Cic. Or.* 23. *extr.* de stilo subtili et submisso: Fucati vero medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur: elegantia modo, et munditia remanebit. *Hor. Ep.* 2, 1, 157. sic horridus ille Defluxit numerus Saturnius, et grave virus Munditiae pepulere, *h. e.* elegantia Graecorum pepulit Latinorum rusticitatem. *Quint.* 8, 3. *f.* Sunt quaedam velut e tenui diligentia circa proprietatem significationemque munditiae. *Gell.* 1, 23. Venustas, lux, munditia verborum. *Id.* 10, 3. Venustas et mundities orationis.

MUNDĬTIANS. V. INITIO. [*Cf. *Taubm.* ad loc. *Plaut.* ibi cit. p. 379. et *Parei Lex. Crit.* p. 760.]

[MUNDĬTĬĀRĬUS, a, um, adj. munditiem habens, et translate comis, numeris omnibus absolutus, *compitissimo* Itali dicunt. *Inscr.* ap. *Mur.* 158, 1. Huic statuam Flavius Moschilus V. C. Isiacus hujus loci, memor ejus sanctimoniae, castitat: testamento suo constitui ab heredib. suis jussit patrono munditiario. *F.*]

MUNDO, as, a. 1. *καθαρόω, καθαρίζω,* detergeo, purifico. *Plin.* 33, 6, 34. Mundatur nitro. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 9. *f.* Perlui, et mundari. *Colum.* 12, 3. Villica debebit praesepia mundanda curare. ℙ *Part. *mundans, antis. *Vulg. Interpr. Eph.* Mundans eam lavacro aquae. *B. A.*

*MUNDOBRIGA, ae, opp. Hispaniae Baeticae. *Ant. Itin. B. A.*

MUNDŪLE, adv. dimin. a *munde,* pure, nitide. *Appul. Met.* 2. Linea tunica mundule amicta.

MUNDŪLUS, a, um, adj. dimin. mundi, nimia munditia utens, delicatulus, molliculus. *Pl. Truc.* 3, 1, 13. Nunc ego istos mundulos urbanos amasios Hoc ictu exponam. Adde *Acc.* ap. *Non.* 2, 583.

MUNDUM, i, n. idem quod mundus, qua muliebre instrumentum significat. *Lucil.* ap. *Gell.* 4, 1. et *Non.* 3, 143. Legavit quidam uxori mundum omne, penumque.

MUNDUS, a, um, adj. *καθάριος,* purus, tersus, nitidus, lautus, elegans. [*Originem vocis *Lennep.* quaerit in *mungo,* ita ut *mundus* ex *munctus, emunctus* factum sit. *Doederl.* vice versa *mungo* ex *mundus* et *agere* eodem modo formatum putat, quo *purgare, castigare* ex *purus, castus* et *agere.* V. 3, 204.] *Colum.* 7, 3. *med.* Quala mundissima. *Gell.* 19, 12. Agrum mundum purumque facere. *Pall.* 2, 10. Mundae novales, *h. e.* sine silva, et stirpibus, et lapidibus. *Gell.* 19, 9. Mundissimum cubile. *Hor. Ep.* 1, 5, 7. munda supellex. *Ov. Fast.* 3, 668. Pauper, sed mundae sedulitatis anus. *Hor. Od.* 3, 29, 14. Mundaeque parvo sub lare pauperum Coenae. *Id. Ep.* 1, 20, 2. liber Sosiorum pumice mundus. *Sen. ep.* 70. *med.* Praeferendam esse spurcissimam mortem servituti mundissimae. *Edict. Diocl.* 27. Speltae mundae K. M. ℔. centum: scandulae, sive speltae K. M. ℔. triginta. ℙ *Mundus homo* dicitur, qui elegantiae studet in cultu corporis, qui munditias sectatur, comendo se, fucando, fricando, ungendo, exornando, et hujusmodi; tum in bonam, tum in malam partem. *Cic. Fin.* 2, 8. Nemo nostrum istius generis asotos jucunde putat vivere, mundos, elegantes, optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis, vitantes cruditatem. *Hor. Sat.* 1, 2, 123. munda hactenus, ut neque longa, Nec magis alba velit, quam fert natura, videri. [*Adde 2, 2, 65. ibique *Heindf.*] *Liv.* 8, 15. Vestalis suspecta propter mundiorem justo cultum. ℙ Transfertur ad orationem. *Ov. A. Am.* 3, 479. Munda, sed e medio, consuetaque verba, puellae, Scribite. *Gell.* 17, 2. *med.* *In Gallos* mundius subtiliusque est, quam *cum Gallis,* aut *contra Gallos;* et 19, 9. *med.* Versus, quibus mundius, venustius, limatius, pressius nihil reperiri puto. *Prop.* 4, 5, 43. mundi Thais pretiosa Menandri, *h. e.* munditia utentis, et elegantia orationis: nisi malis ad vitae cultum referre: nam a *Phaedr.* 5, 1. Menander describitur Unguento delibutus, vestitu affluens, gressu delicato et languido, ut adnotavit *Broukhus.* ℙ *Annonae mundae* ap. *Lampr. Alex. Sev.* 42. sunt panes siliginei, puri, non vulgares, non furfuracei, et mundis lautisque coenis apti. V. ANNONA. Sic *mundus panis. Id. ib.* Panis mundi pondo XXX., panis sequentis, ad donandum populo, quinquaginta. ℙ Est etiam *mundus,* ornatus, instructus. *Enn.* ap. *Fest.* in *Quaeso:* Ostia munita est: idem *(Ancus Martius)* loca navibu' pulcris Munda facit, nautisque mari praesentibu' vitam.

MUNDUS, i, m. *κόσμος.* Duo significat, universitatem rerum, et instrumentum ornatus muliebris. Utrumque a *munditia,* ut *Varr. L. L.* 4, 29. tradit: munditia autem ad ornatum elegantiamque refertur. Sic *Plin.* 2, 4, 3. Quem *κόσμον* Graeci nomine ornamenti appellavere, eum nos a perfecta absolutaque elegantia mundum. Sunt qui a *moveo* ducunt, quasi *movendus,* quia non alius est, quam quod moveri potest, ut ait *Festus.* [*De etymo v. in *mundus, a, um.* Ceterum prima vocis significatio est, quam *Forc.* secundo loco posuerat, scil. qua] instrumentum denotat, quo mulieres mundiores et cultiores fiunt; et fere usurpatur cum addito *muliebris, γυναικεῖος κόσμος.* Differunt autem *ornatus* et *mundus,* quia ut ait *Ulp. Dig.* 34, 2, 25. Ornamenta muliebria sunt, quibus mulier ornatur, veluti inaures, armillae, viriolae, annuli (praeter signatorios) et omnia, quae ad aliam rem nullam parantur, nisi corporis ornandi causa: quo ex numero etiam haec sunt, aurum, gemmae, lapilli, qui aliam nullam in se utilitatem habent. His adde vittas, mitras, semimitras, calvaticas, acus cum margarita, reticula, crocuphantia. Mundus vero muliebris est, quo mulier mundior fit: continentur eo specula, matulae, unguenta, vasa unguentaria, et si qua similia dici possunt, veluti lavatio, riscus, argentum balneare, sella balnearis. Haec *Ulp.* itemque *Paul. ib.* 33. *f.* et *Recept. sentent.* 3. *tit.* 7. *f.* Hinc formulae illae testamentorum ap. *Paul. cit. l.* 33. et *Jabol. ib.* 32, 98, 1. Uxori meae vestem, mundum muliebrem, ornamenta omnia, aurum, argentum, do, lego. *Phaedr.* quoque 4, 4. vestem a mundo muliebri secernit. *Tert.* alia ratione distinguit, *Hab. mul.* 4. Habitus, inquit, feminae duplicem speciem circumfert, cultum, et ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, et argento, et gemmis, et vestibus deputatur: iste in cura capilli, et cutis, et earum partium corporis, quae oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri prostitutionis. *Mundum muliebrem* dicit, quem JCti *ornamentum:* et *ornatum,* quem illi *mundum.* V. CULTUS. ℙ Haec tamen discrimina perpetua non sunt: et *mundi* nomine saepe quidquid ad muliebrem ornatum pertinet, significatur. *Liv.* 34, 7. Munditiae, et ornatus, et cultus, haec feminarum insignia sunt: hunc mundum muliebrem appellarunt majores nostri. *Appul. Met.* 2. Quamvis auro, veste, gemmis, omnique cetero mundo exornata mulier incedat; et *ib.* 4. Mundo nuptiali decenter ornare puellam. *Ib.* in *carm.* puellam Ornatam mundo funerei thalami; et *ib.* 11. Indutus serica veste, mundoque pretioso. *Atejus* ap. *Fest.* Virginalis mundus. ℙ Dicitur etiam de instrumento, et ornatu aliarum rerum. *Appul.* 6. *in.* Erant et falces, et operae messoriae mundus omnis. Afferunt et *Plauti* mundum rusticum, *Merc. prol.* 65., sed incerta ea lectio est. *Appul. Apol.* mundum Cereris vocat cistas arcanis Cereris plenas, in ejus sacris gestari solitas. ℙ *In mundo,* inquit *Festus,* dicebant antiqui, cum, aliquid in promptu esse, volebant intelligi. Videtur autem ductum a mundo muliebri, quia quae ad corporis cultum pertinent, omnia mulieres in promptu habent, conduntque diligenter, ut praesto ad usum semper sint. *Charis.* 2, 180. exponit, palam, in expedito, ac cito. *Enn. ib.* Seu ibi vita, seu mors in mundo est. *Pl. Ps.* 1, 5, 84. Pistrinum in mundo scibam, si id faxem, mihi. *Id. Cas.* 3, 3, 3. cui, quod amet, in mundo siet. *Id. Epid.* 5, 1, 12. cui libertas in mundo sita est. *Id. Pers.* 1, 1, 46. Nempe habeo in mundo. ℙ [*Tum sequi debebant ii loci, in quibus *mundus* de coelo stellis ornato, *οὐρανὸς,* dicitur, quos male Noster §. 3. adscripserat:] *Sen. Q. N.* 7, 2. Cometae manent mensibus senis, nec illos conversio mundi solvit, et velocitas; et *mox:* Utrum mundus, terra stante, circumeat, an mundo stante terra vertatur. *Lucr.* 5, 1435. mundi magnum et versatile templum. *Catull.* 64, 205. et tellus, atque horrida contremuerunt Aequora, concussitque micantia sidera mundus. *Virg. G.* 1, 240. Mundus ut ad Scythiam, Riphaeasque arduus arces, etc. Adde *Caesarem,* ut videtur, *B. G.* 6, 13. *f.*, *Stat. Th.* 3, 498., *Sen. Herc. Oet.* 1343., *Plin.* 2, 3, 3. et al., *Manil.* 1, 3. et alibi saepe. Etiam *Cic.* adhibuit, sed cum addito, *Univ.* 10. Ut hunc hac varietate distinctum bene Graeci *κόσμον,* nos lucentem mundum nominaremus. Sic *Tibull.* 3, 4, 17. Jam nox aetherium nigris emensa quadrigis Mundum, etc. [*Cf. *Cort.* et *Mart. Lag.* ad *Lucan.* 6, 463. *ed. Web.*] ℙ *Mundus coeli* dictus est ab *Ennio* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. *med.* Mundus coeli vastus constitit silentio. ℙ [*Hinc est ingens illud corpus, coelo terraque constans, *das Weltall,*] perfectum undique, itaque omnia in se complexus, ut ait *Cic. N. D.* 2, 14., ut nihil sit, quod non insit in eo. *Festus:* Mundus appellatur coelum, terra, mare, et aer. *Ov. Fast.* 5, 11. Post chaos ut primum data sunt tria corpora mundo, *h. e.* coelum, terra, aqua. *Vitr* 9, 4. Mundus est omnium naturae rerum conceptio summa, coelumque sideribus conformatum. *Cic. N. D.* 2, 62. Ipse mundus Deorum hominumque causa factus est, etc. Est enim mundus quasi communis Deorum atque hominum domus, aut urbs utrorumque. *Id. Div.* 2, 43. *f.* Coelum ipsum, quod extremum atque ultimum mundi est. *Id. Acad.* 4, 17. *f.* Democritus dicit, innumerabiles esse mundos. *Id. Leg.* 3, 1. *f.* Imperium sine quo nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. ℙ Quia vero olim non defuere, qui mundum animatum, sapientem, immo Deum, aeternumque crederent, interdum de eo ita sunt locuti, ut de Deo, providentia, fato, numine. *Sen. Q. N.* 2, 45. Vis illum *(Jovem)* vocare mundum? non falleris. Ipse enim est totum, quod vides, totus suis partibus inditus, et se sustinens vi sua; et *ib.* 3, 28. Quandocumque placuere res novae mundo, etc. *Paulo ante dixerat,* Cum Deo visum ordiri meliora. ℙ Non raro dicitur de terrarum orbe, et mortalibus. *Lucan.* 1, 160. ut opes nimias, mundo fortuna subacto, Intulit, etc. *Id.* 5, 469. miserique fuit spes irrita mundi. *Stat. Silv.* 3, 3, 87. partaeque per omnes Divitiae populos, magnique impendia mundi. *Sen. Herc. Oet.* 541. quem mundus, et superi timent. [*V. *Drak.* ad *Sil.* 3, 611. ℙ Ita *mundus* saepissime ponitur pro Romano imperio, eadem ratione, qua *orbis terrarum* hac signif. interdum poni solet. Cf. *Lucan.* 4, 393. 5, 329. 6, 6. quos locos indicavit *Web.* in *dissert. de eo quod summum est in Pharsalia:* in *ed. Luc.* T. 2. p. 578.] ℙ De inferis, et regno Plutonis intelligitur ap. *Fest.* et *Macr. Sat.* 1, 16. qui docent, putasse veteres, mundum patere ter in anno, scilicet postridie Vulcanalia, tertio Non. Octobr., et sexto Id. Novembr., quibus diebus non cum hoste manus conserebatur, non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, nec aliud quidquam in republica, nisi quod ultima necessitas admoneret, administrabatur. Uxorem quoque ducere, religiosum erat. Dicebatur autem *mundus* ab eo mundo, qui supra nos est, ut *Cato* ap. *Fest.* docet, similis nempe creditus in inferis, ac est in superis. Hunc itaque, veluti consecratum Diis Manibus, clausum esse omni tempore putabant, exceptis modo dictis diebus, quos religiosos habebant, quia eo tempore ea, quae occulta et abdita religionis Deorum Manium erant, velut in lucem quandam adducebantur, et patefiebant: eratque illud sacrum Diti patri, et Proserpinae. Haec illi. Fortasse iis diebus celebrabatur Proserpinae raptus, cum Plutoni terra patuit, et Manes coelum vidisse finguntur. Alii ad sacra Eleusinia referunt. *Varr.* ap. *Macrob.* Mundus cum patet, Deorum tristium atque inferum quasi janua patet. [**Mundus patens* ap. *Macrob. l. l.* fossa erat in media urbe recens condita, in quam primitiae frugum aliaque conjici solebant. Hanc ter in anno patere credebant, unde nomen traxit. Cf. *Plutarch. Rom.* 10, 3.]

MUNĔRĂBUNDUS, a, um, adj. qui muneratur. *Appul. Met.* 11. Quisque varie munerabundi ad meum festinant illico reducem ab inferis conspectum.

MUNĔRĀLIS, e, adj. ad munera pertinens. *Festus:* Muneralis lex vocata est, qua Cincius cavit, ne cui liceret munus accipere. *Pl. ib.* Neque muneralem legem, neque lenoniam roga: fuerit, nec ne, flocci aestimo: V. CINCIUS.

MUNĔRĀRĬUS, ii, m. Primus hac voce usus est *Augustus,* teste *Quint.* 8, 3. *med.* [*ubi v. *Spald.*] Est autem qui munus, seu spectaculum, ludumque gladiatorium edit, *ἀγωνοθέτης,* munerator: et sic adhibetur a *Sen. Excerpt. Controv. praef.* 4. *in.* et a *Quint. decl.* 9, 6, 7 et 8. eodemque sensu *Suet. Dom.* 10. Thracem mirmilloni parem, munerario imparem dixerat; et *Inscr.* ap. *Mur.* 654, 1. ℙ Adjective *libellus munerarius* est, in quo describuntur nomina gladiatorum, qui ludis exhibentur. *Trebell. Claud.* 5. Habuit proxime tuus libellus munerarius hoc nomen in indice ludorum.

MUNĔRĀTIO, onis, f. *δόσις,* actus munerandi, largitio. *Ulp. Dig.* 27, 3, 1. *med.* Si munus nuptiale matri pupilli miscrit, non eum pupillo imputaturum: nec enim tam necessaria est muneratio ista.

MUNĔRĀTOR, oris, m. idem ac munerarius. *Flor.* 3, 20. *med.* Quasi plane expiaturus omne praeteritum dedecus, si de gladiatore munerator fuisset.

*MUNERATRIX, icis, f. *JCt.* in *Dig. B. A.*

MUNĔRĀTUS, a, um, part. a *munero,* donatus. *Spart. Hadr.* 3. Ob hoc a Trajano locupletissime muneratus. *Ammian.* 14, 7. Mulier munerata, vehiculoque imposita. *Appul. Met.* [*10, 227. p. 721. *Oud.*] Liberto magnifice munerato.

MUNĔRĬGĔRŬLUS, i, m. qui munera et dona gestat. *Pl. Ps.* 1, 2, 48. Manipulatim mihi munerigeruli jam hic adsint.

MUNĔRO, as, avi, atum, a. 1. *δωρέομαι,* [*mu-

neri do, dono.] *Acc.* ap. *Non.* 9, 7. Cujus exuvias et coronam huic muneravit virgini. [**Turpil.* ap. *Non.* 7, 81. Dat ultro ac numerat, quod illi abstulit. *Pl. Capt.* 5, 1, 15. Ut beneficium bene merenti nostro merito muneres, i. e. rependas, gratiam referas pro beneficio. ℙ Hinc munere, dono adornare.] *Cic. Dejot.* 6. Locus erat quidam, in quo erant ea composita, quibus rex te munerare constituerat. Al. leg. *munerari.* [*Activum exhibet *Orell.*] *Sen. ep.* 119. *med.* Inani me, inquis, lance muneras. *Callistr. Dig.* 48, 20, 6. *f.* Barbaros munerare venientes ad se.

MUNĔROR, aris, atus sum, dep. 1. idem quod munero, [*i. e. muneri do. *Cic. Inv.* 2, 1. *extr.* Natura aliud alii muneratur. ℙ Tum est munere adorno.] *Ter. Heaut.* 2, 3, 59. disciplina est eisdem, munerarier Ancillas primum, ad dominas qui affectant viam. *Cic. Att.* 7, 2. *med.* Alexio me opipare muneratus est. *Hor. Epod.* 2, 20. Certantem et uvam purpurae, Qua muneretur te, Priape. [*Adde *Appul. Met.* 11, 258. p. 808. *Oud.* Veniam postulabam (a parente), quod eum, condigne tantis beneficiis munerari nequirem.]

MUNGO, is, nxi, nctum, a. 3. *μύσσω*, muccum, excusso per nares digitis compressas spiritu, expello: [est a *μύω* vel *μύζω*, premo, unde inusit. *μύγω*, hinc Latinorum *mugo*, dein *mungo* est derivatum. *F.*] *Gloss. Philox.* Mungo, *μύσσω*. Nullum praeterea, qui usurpaverit, Latinum scriptorem invenio. Nam pro eo utimur composito *emungo.* Quidam Lexicographi afferunt *Catonis* fragmentum hoc *de liberis educandis:* Neque mungentur libertatem, (alii *emungentur*) adduntque esse deponentis forma. Ap. nullum ego alium haec invenire adhuc potui.

*MUNIA, ae, oppidum. V. MUNIENSES. *B. A.*

MŪNIA, orum, n. plur *ἔργα*, officia, tum quae publice, tum quae privatim fiunt: a *munis. Cic. Mur.* 35. Omnia haec sunt officia necessariorum, commoda tenuiorum, munia candidatorum. *Liv.* 1, 42. Belli pacisque munia facere. [*Cf. *Drak.* ad 36, 31, 12.] *Sall. fragm.* ap. *Non.* 2, 527. Ac tum maxime, uti solet extremis in rebus, sibi quisque carissimum domi recordari, cunctique omnium ordinum extrema munia sequi. *Hor. Ep.* 2, 2, 131. Vitae munia servare. *Tac. A.* 2, 26. consulatus obire. *Id. H.* 1, 62. implere ducis. [*Plura Taciti, ap. quem frequent. h. v. usus est, exempla v. in *Boettich. Lex. Tac.* p. 146.] *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 36. plenior vero ap. *Amadut. Monum. Matthaej.* T. 3. p. 109. Huic igitur ob haec insignia genera muniorum statuam Saenensium ordo decrevit, etc. Dedic. Idus Aug. DD. NN. Arcadio III. et Honorio II. Augg. Conss. *h. e.* ann. a Chr. n. CCCLXXXXIV. ℙ Extra hos casus non facile reperies. V. MOENIA.

MŪNĪBĬLIS. V. MONUBILIS.

MŪNĪCAS pro communicas dicebant. *Festus.* Est a *munia, orum.*

MŪNĪCEPS, ipis, omn. gen. *πολίτης*, civis alicujus municipii. *Festus:* Municeps est, ut ait Aelius Gallus, qui in municipio liber natus est. *Gell.* 16, 13. Municipes sunt cives R. ex municipiis, legibus suis et suo jure utentes: muneris tantum cum populo R. honorarii participes: a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi R. lege adstricti, nisi, inquam, populus eorum fundus factus est. Primos autem municipes sine suffragii jure Caerites esse factos, accepimus: concessumque illis, ut civitatis R. honorem quidem caperent, sed negotiis tamen atque oneribus vacarent. Hactenus *Gell.* ℙ Proprie *municeps* est quivis homo, qui munus aliquod functus sit, ut ait *Festus.* Deinde idem est ac municipii civis. (*Just.* 2, 12. Patriam municipes esse, non moenia: civitatemque non in aedificiis, sed in civibus positam.) Tertio, qui civis cum sit, in civitatem R. admissus est. *Festus:* Municipes erant, qui ex aliis civitatibus Romam venissent. Horum autem tria fuere genera, uti docet *Paul.* ap. *Fest.* in *Municipium:* alii, qui cum Romam venissent, neque cives R. essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum civibus R., praeterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo: sic fuerunt Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani (*Liv.* 8, 14 et 17.), qui post aliquot annos cives R. effecti sunt (*Id.* 38, 36.) Alii, quorum civitas universa in civitatem R. venit, ut Aricini, Caerites, Anagnini. Alii, qui ad civitatem R. ita venerunt, uti municipes essent suae quisque civitatis, suisque uterentur legibus, simulque suffragium Romae haberent, et ibi magistratus capere possent, ut Tiburtes, Praenestini, Pisani, Arpinates, et alii. Haec *Paulus. Cic. Verr.* 2, 5, 62. Clamabat ille miser, se civem esse R., municipem Cosanum. ℙ Praeterea municipes, inquit *Paul. Dig.* 50, 16, 228., intelligendi sunt et ii, qui in eodem municipio sunt: item universim qui sunt ejusdem patriae; etiam si eorum patria municipium non sit: qui etiam *communicipes* appellati fuerunt. *Cic. Brut.* 70. M. Pontidius municeps noster. *Id. ad Quirit.* 8. Vidi fortissimum virum municipem meum, C. Marium. *Plin.* 35, 11, 40. Amavit Glyceram municipem suam. *Mart.* 10, 65. Cum te municipem Corinthiorum Jactes. *Id.* 12, 21. Municipem rigidi quis te, Marcella, Salonis, Et genitam nostris quis putet esse locis? *Salo* fluvius est Celtiberiae. ℙ Adjective et de rebus inanimis. *Juven.* 4, 33. magna qui voce solebat Vendere municipes fracta de merce siluros. *Id.* 14, 271. municipes Jovis advexisse lagenas, *h. e.* Cretenses. *Mart.* 14, 114. Testa municeps Sibyllae, *h. e.* Cumana. ℙ Hinc *Dii municipes* contemptim dicti sunt, qui nationum, aut civitatum quarundam erant proprii ac peculiares. *Minuc. Fel. Octav.* 6. Inde adeo per universa imperia, provincias, oppida videmus singulos sacrorum ritus Gentiles habere, et Deos colere municipes, ut Eleusinios Cererem, Phrygas Matrem, Epidaurios Aesculapium, etc. ℙ Praeterea municeps dicitur, qui in municipio a servitute se liberavit. *Festus.* Sic *Ulp. Dig.* 50, 1, 1. Municipem aut nativitas facit, aut manumissio, aut adoptio. *Hermogen. ib.* 23. Manumissi a municipe ejus municipii efficiuntur municipes, unde originem trahit. Adde *Ulp. ib.* 27. ℙ [In genit. plur. *municipium* pro *municipum* recte scribitur in *Tab. Heracl.* ap. *Mazoch. lin.* 71., cujus adnotat. vide p. 481. V. FRATER. *F.*]

MŪNĪCĬPĀLIS, e, adj. *πολιτικός*, ad municipem, vel municipium pertinens. *Cic. Sull.* 8. Est enim ipse, a materno genere, municipalis honestissimi ac nobilissimi generis. *Id. Att.* 8, 13. Multum mecum municipales homines loquuntur, multum rusticani. *Id. Leg.* 3, 16. *med.* Utinam isto animo in summa republica nobiscum versari, quam in municipali maluisses. *Juven.* 3, 34. Municipalis arena, *h. e.* theatrum in municipio. *Tac. A.* 4, 3. Seque, ac majores, et posteros municipali adultero foedabat. *Suet. Aug.* 2. Municipalia magisteria. *Cic. Att.* 7, 11. *med.* Ex dolore municipali, sermonibusque eorum, quos convenio, videtur, etc. *h. e.* ex dolore municipum. ℙ *Sacra municipalia* vocabantur, quae ab initio habuerunt municipes ante civitatem Romanam acceptam: quae observare eos voluerunt pontifices, et eo more facere, quo adsuessent antiquitus. *Festus.* ℙ [**Municipalia magisteria,* quae *Ernest.* de magisteriis vicorum, collegiorum, cet. intelligit, recte videtur *Brem.* in universum pro cujuscunque generis magisteriis accipere vilioribus, opposs. *magist. Urbis.*] ℙ *Municipalia prodigia* dixit *Flor.* 3, 18. homines sceleratos atque impios ex municipiis, qui arma contra Urbem ferebant. ℙ Aliquando *municipalis* in contemptu ponitur, quia municipia prae urbe Roma ignobilia et obscura erant. *Juven.* 8, 236. de Cicerone: Hic novus Arpinas, ignobilis, et modo Romae Municipalis eques. *Auson. Grat. act. ad Grat.* 13. Sed gloriosus ille municipalem scholam, variando, vilitate consenuit. *Sidon. ep.* 4, 3. *f.* Municipales, et cathedrarii oratores. *Id. carm.* 9, 310. Municipales poetae.

MŪNĪCĬPĀLĬTER, adv. municipis more, vel conditione. *Sidon. ep.* 1, 11. Non eminentius, quam municipaliter natus.

MŪNĪCĬPĀTIM, adv. per municipia, ut *oppidatim* per oppida. *Suet. Caes.* 14. Municipatim dividendos censuit.

MŪNĪCĬPĀTUS, us, m. jus municipii. Translate. *Tert. adv. Marc.* 3, 24. Apostolus *πολίτευμα* nostrum, id est municipatum in coelis esse pronuncians. Adde *Cor. Mil.* 13. *Hieron. ep.* 16. *n.* 2. Ita municipatum coeli cum Paulo consequaris.

MŪNĪCĬPĬOLUM, i, n. parvum municipium. *Sidon. ep.* 3, 1.

MŪNĪCĬPĬUM, ii, n. oppidum (in Italia praesertim) jure suo utens, et legibus, cujus incolae jure civium Romanorum gaudebant. V. MUNICEPS. Quomodo differat a colonia, V. COLONIA. *Cic. Rosc. Am.* 6. Genere et nobilitate sui municipii primus. ℙ Item genus ipsum hominum, qui municipes dicuntur, ut *mancipium, servitium* ipsi servi. *Paul.* ex *Festo.* V. MUNICEPS. ℙ Aliquando dicitur de colonia. *Cic. Fam.* 13, 13. L. Castronius longe princeps municipii Lucensis. (Ex *Vell.* 1, 15. constat multo ante Lucam coloniam deductam fuisse.) Adde *Gell.* 16, 13. *Ulp. Dig.* 50, 1, 1., et consule *De-Vita Dissert.* 1. *c.* 3. in *Antiquitatib. Benevent.*

MŪNĬCO, as, pro communico, dicebant veteres. *Fest.*

*MUNIENSES, ium, incolae oppidi cujusdam Latii, quod Munia fortasse vel Munium audiebat. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

[MŪNĬFER, a, um, adj. *Gloss. Isid.* Munifer, qui munera fert. *F.*]

MŪNĬFEX, icis, omn. gen. *λειτουργός*, qui munus facit. *Festus:* Beneficiarii dicebantur milites, qui vacabant muneris officio; e contrario munifices vocabantur, qui non vacabant, sed munus reipublicae faciebant. *Veg. Mil.* 2, 7. *f. Munifices*, milites, qui munera facere coguntur. V. MUNIFICUS et MUNUS. ℙ Metaphorice *munifex mamma* pro lactanti dicitur. *Plin.* 11, 40, 95. Uno vero ex omni turba relicto, sola munifex mamma, quae genito fuerat attributa, descendit.

MŪNĪFĬCE, adv. *δαπανηρῶς*, liberaliter, large, abundanter. *Cic. N. D.* 3, 27. Sic haud scio, an melius fuerit humano generi motum istum celerem cogitationis non dari omnino, quam tam munifice, et tam large dari. *Liv.* 22, 37. *med.* Munifice adjuvare rem alicujus. [*Adde 1, 54. 2, 2.]

MŪNĪFĬCENTĬA, ae, f. *μεγαλοδωρία, φιλοτιμία*, liberalitas ejus, qui in muniis faciendis, h. e. muneribus ludorum edendis large pecuniam insumit. *Sall. Cat.* 57. [*al. 54.] Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur. *Suet. Caes.* 10. Ita suam, Caesarisque munificentiam, unius Caesaris dici. (Adde *Vesp.* 7.) *Plin.* 8, 7, 7. Tanto populi dolore, ut oblitus imperatoris, ac munificentiae honori suo exquisitae, flens universus consurgeret, etc. ℙ Item liberalitas in aliis rebus quibuscumque. *Sall. Jug.* 111. Barbari et famam Romanorum avaritiae falsam, et Sullam, ob munificentiam in sese, amicum rati; et 7. *extr.* Huc accedebat munificentia animi, et ingenii solertia. *Just.* 25, 1. Quos Antigonus pro regali munificentia ingenti apparatu epularum ad coenam invitavit. *Vell.* 2, 130. Pia munificentia templum patri molitur. *Suet. Tib.* 48. Publice munificentiam bis omnino exhibuit, proposito millies HS gratuito in triennii tempus: et rursus quibusdam dominis insularum, quae deflagrarant, pretio restituto. *Plin.* 27, 1, 1. Naturae ipsius munificentia. *Julian. Dig.* 39, 5, 1. Liberalitatem et munificentiam exercere. [**Vell.* 2, 41, 1. Hic (C. Caesar) munificentia effusissimus: ita *Acidalius*, secundum *Vascosan.* et *ed. Basil.*, prob. *Ruhnk.*, legendum censet pro *vulg. munificentiae effusissimus. Id. ib.* 81, 3. templumque Apollinis, et circa porticus facturum promisit, quod ab eo singulari exstructum munificentia est. *Plin. Pan.* 25, 4. munificentiae ingenium, i. e. ingeniosa et sollers in excogitandis mediis munificentia. Adde *Liv.* 41, 20. coll. 26, 32.]

MŪNĪFĬCĬUM, ii, n. res non immunis, non libera a vectigalibus et portoriis. *Paul. Dig.* 39, 4, 4. Ut si quid amplius, quam mandatum est, transferat, id munificium sit. Alii melius leg. *munificum.* [*V. *Duk.* de *Lat. Ict. Vett.* p. 374.]

MŪNĪFĬCO, as, a. 1. munero, dono. *Lucr.* 2, 625. Munificat tacita mortales muta salute.

MŪNĪFĬCUS, a, um, adj. *μεγαλόδωρος, δωρητικός*, largus in sumptibus tum publicis, tum privatis, liberalis in dando. *Cic. Off.* 2, 18. Conveniet autem cum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum. *Id. Or.* 1, 8. Quid porro tam regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, etc. *Pl. Amph.* 2, 2, 212. ut munifica sim bonis, prosim probis. *Ov. Amor.* 3, 10, 5. de Cerere: Te, Dea, munificam gentes ubicumque loquuntur. *Id. Pont.* 4, 1, 24. Nec mihi munificas arca negavit opes. *Mart.* 8, 38. Vir de munifica profusus arca. *Claud. IV. Cons. Honor.* 499. Munificus largi, sed non et prodigus auri. [**Liv.* 4, 50. Ut nemo pro tam munifica patria, donec quidquam virium superesset, corpori aut sanguini suo parceret.] ℙ Est etiam *munificus*, qui munus facit, munifex. Munificos milites memorat *Paul. Dig.* 50, 16, 18., ubi alii leg. *munifices*; et *Isid. Orig.* 10. Munificus dictus, vel quia alicui munera multa dat, vel quia munus suum, idest officium, quod debet, adimplet. ℙ Comp. *Munificior* est *Cat.* ap. *Festum. Munificentissimus* est ab inus. *munificens. Cic. Rosc. Com.* 8. Semper liberalissimus, munificentissimus.

MŪNĪMEN, inis, n. munimentum, munitio. *Virg. G.* 2, 351. jamque reperti, Qui saxo super, atque ingentis pondere testae Urgerent: hoc effusos munimen ad imbres. *Ov. Met.* 4, 772. locus solidae tutus munimine molis; et *ib.* 13, 212. munimine cingere fossas. *Pall.* 3, 24. Munimen horti. [**Lucan.* 6, 22. Sed munimen habet nullo quassabile ferro: ubi v. *Cort.*]

MŪNĪMENTUM, i. n. *ἀσφάλισμα, παρατείχισμα*, quidquid ad muniendum et defendendum pertinet: et praecipue dicitur de castris, fossis, vallis, ceterisque, quibus se milites contra hostem muniunt. *Caes. B. G.* 2, 17. Ut, instar muri hae sepes munimenta praeberent, quo non modo non intrari, sed ne perspici quidem posset. *Liv.* 1, 33. *med.* Quiritium fossa, haud parvum munimentum a planioribus aditu locis, Anci regis opus est. *Plin.* 19, 5, 23. Munimenta specularium hibernis diebus. *Macer Dig.* 11, 7, 37. Munimentum sepulcri id esse, divus Hadrianus rescripsit, quod causa muniendi ejus loci factum sit, in quo corpus impositum sit. *Just.* 2, 15. Munimenta exstruere. *Tac. A.* 13, 36. Tenere se munimentis. *Id. H.* 5, 20. Munimentis se defendere; et *ib.* 2, 18. Coercere intra munimenta militem. *Id. A.* 12, 17. Munimenta perrumpere; et *ib.* 15, 12. imponere alicui loco; et 13. propugnare; et 15. ingredi; et 38. Neque enim domus munimentis septae, vel templa muris cincta, aut quid aliud morae interjacebat. *Plin.* 17, 14, 24. Casam cingere munimento sepis. [**Vell.* 2, 51, 2. mox etiam obsidione munimentisque eam complecteretur. *Liv.* 10, 9. Nec vi nec munimento capi poterat. *Curt.* 4, 5, 4. magna munimenta regni sui, i. e. flumina Euphratis, Tigris, cet.] ℙ De iis, quae tegunt corpus. *Just.* 41, 2. *extr.* Munimentum ipsis equisque loricae plu-

matae sunt, quae utrumque toto corpore tegunt. *Juven.* 9, 28. pingues aliquando lacernas, Munimenta togae. *Just.* 2, 2. Sine tecti munimento. [*Curt. 4, 13, 25. Tunc quoque munimento corporis sumpto processit ad milites.] ¶ Praesidium, subsidium. [*Huc pertinet locus, quem *Noster* supra laudaverat, *Sall. Jug.* 102. Rati, noctem sibi munimento fore. Adde *ib.* 14. Munimenta regni me habiturum in vestra amicitia; et 34. Caedem in vos fecisse pro munimento habent; et 54. Receptui ac post munimento foret. *Liv.* 2, 10. Id munimentum (Horatium Coclem) illo die fortuna urbis Romanae habuit; et 3, 37. Quonam modo tribuniciam potestatem, munimentum libertati, rem intermissam repararent; et 41, 2. Sine ullo terrestri aut maritimo munimento.] *Tac. H.* 4, 52. Non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum. *Val. Max.* 6, 3. Munimenta legum. *Id.* 2, 1. *n.* 5. Matronale decus verecundiae munimento tutius est.

MUNĬO, is, ivi et ii, itum, a. 4. [*Ordinem hujus loci, ut quem minus recte *Noster* instituisset, ita vertisse in melius videmur. Est a *moenio*, ut a *poena* est *punio*: cognationem quandam habet etiam cum Gr. ἀμύνω, a quo factum esse volunt, abjecto *a*, ut ab ἄρουρα, rura, ἀμέλγω, mulgeo. Significat proprie intransitive munimentum, murum, vallum cet. exstruere, Gr. τειχίζω. Huc pertinent loci, quos *Forc.* infra posuerat: *Nep. Them.* 6, 5. et undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congerent. *Hirt. B. Afr.* 31. Milites, qui muniendi gratia vallum petierant. Adde *Liv.* 1, 8. Crescebat interim urbs, munitionibus alia atque alia appetendo loca, quum in spem magis futurae multitudinis, quam ad id, quod tum hominum erat, munirent, i. e. aedificarent, habitationi aptas sedes redderent; et 21, 37. Muniendo fessi homines. ¶ Hinc transitive cum accusativo rei, quae muniendo fit, exstruitur. Ex iis, quae *Forc.* laudaverat, huc pertinet illud *Pl. Mil.* 2, 2, 75. *ed. Lindem.* magna munis moenia. — Porro ista: *Nep. Ann.* 3. Loca patefecit, itinera muniit, effecitque, ut ea elephantus ornatus ire posset, qua antea unus homo inermis vix poterat repere. *Liv.* 21, 37. Inde ad rupem muniendam, [*i. e. perfodiendam, atque ita viam muniendam] per quam via una esse poterat, milites ducti: cum caedendum esset saxum, etc. Alii leg. *minuendam.* Sed *mox*: Quies muniendo fessis hominibus data triduo. *Cic. Mil.* 7. Perinde quasi Appius ille Caecus viam munierit, non qua populus uteretur, sed ubi impune sui posteri latrocinarentur. Adde *Liv.* 9, 29. ¶ Translate est viam parare, aditum patefacere. *Cic. Mur.* 23. *med.* Haec omnia tibi accusandi viam muniebant, adipiscendi obsepiebant; et *Tusc.* 1, 14. *extr.* Hercules nunquam ad Deos abiisset, nisi, cum inter homines esset, eam sibi viam munivisset. *Id. Verr.* 2, 1, 25. Alia sibi ratione munire viam ad stuprum coepit. ¶ Nunc sequantur ea, in quibus *munire aliquid* est locum, sive aliud quid rebus ad defendendum, firmandum aptis, necessariis, ut fossa, vallo, muris, cet. cingere, circumdare, instruere. *Forc.* illud adscripserat. *Nep. Timol.* 3, 3. Arcem Syracusis, quam munierat Dionysius ad urbem obsidendam, a fundamentis disjecit. Adde *Liv.* 1, 7. Palatium primum muniit. *Curt.* 4, 12, 17. et 24. munire castra. *Caes. B. G.* 1, 24. montem munire. *Plin. Pan.* 14, 2. muniunt montes Germaniam. — Ejusdem generis etiam sunt ista: *Plin.* 16, 11, 21. Pix liquida coquitur navalibus muniendis. Sic *Id.* 17, 16, 26. Munire emplastrum luto et vinculo; et 34, 18, 50. foramina spiritus. ¶ Hinc translate usurpatur pro tueri, cavere, praesidio instruere. *Forc.* haec laudaverat: *Cic. Fam.* 9, 18. munio me ad haec tempora. *Nep. Reg.* 2. de Dionysio: Dum imperium studuit munire, nullius pepercit vitae, i. e. firmare, sibique perpetuum reddere. *Plin.* 37, 13, 76. Muniri adversus fraudes. *Tac. Agr.* 46. Saevus ille vultus et robur, a quo se contra pudorem muniebat, i. e. cujus auxilio. V. *Walch.* Adde *Sall. H.* 6, 48. Sulpicio hostium partes muniri. *Vell.* 2, 120, 1. Munire praesidia. *Cic. Sull.* 28. munite communem arcem bonorum (scil. vitae ante actae conscientiam), obstruite perfugia improborum. *Caes. B. G.* 1, 44. Quod multitudinem Germanorum in Galliam transducat, id se sui muniendi, non Galliae impugnandae causa facere. ¶ Plerumque additur ablativus rei, quae praesidii, munimenti, tutelae vicem praestat. *Forc.* haec laudaverat. *Cic. Prov. cons.* 14. Alpibus Italiam munierat ante natura. *Id. Sen.* 15. Spica contra avium minorum morsus munitur vallo aristarum. *Id. Att.* 4, 16. *med.* Aditus insulae munire mirificis molibus. *Caes. B. G.* 2, 29. Quem locum duplici altissimo muro munierant. [*Adde *ib.* 2, 5. *extr.* Castra in altitudinem pedum duodecim vallo fossaque duodeviginti pedum munire jubet.] *Cic. Cat.* 1, 4. Domum meam majoribus praesidiis munivi, atque firmavi. *Colum.* 11, 3. Non magna opera hortum ab incursu hominum pecudumque munimus. *Suet. Aug.* 82. Hieme quaternis cum pingui toga tunicis, et feminalibus, et tibialibus muniebatur. ¶ Translatae significationis exempla a Nostro allata haec erant: *Caes.* ad *Opp.* post *ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Haec nova sit ratio vincendi, ut misericordia et liberalitate nos muniamus. *Cic. Fin.* 2, 26. *f.* Multorum se benevolentia tueri et munire. *Id. Fam.* 4, 14. *med.* Novarum me necessitudinum fidelitate contra veterum perfidiam muniendum putavi. *Lucr.* 4, 1249. natis munire senectam. Adde *Liv.* 2, 2. Nimis undique eam (libertatem) minimis quoque rebus muniendo. *Vell.* 2, 127, 2. munire aliquid auctoritate. *Plin. Pan.* 48, 3. domum terrore munire. ¶ In illo *Pl. Truc.* 2, 2, 54. suam non enim ille meretriculis Muniendis rem coegit, verum parsimoniae Duritiaeque, *h. e.* victu vestituque instruendis, ornandis, alendis, quasique muniendis suo sumptu contra egestatem. Alii interpret. munerandis: quasi *munire* a *munus* sit; al. aliter leg. ¶ *Munire*, mandere. V. MUNITIO. ¶ Part. *Muniens* ap. *Liv.* 21, 7. Nec quidquam satis tutum munientibus pati. *Muniturus* ap. *Hirt. B. Alex.* 73. Intervallo castra muniturus. ¶ *Munibis*, pro *munies* est ap. *Veg. Vet.* 1, 10. ¶ Olim *moenio* scripsere. V. s. 1.

*MUNĬO, onis, pedis (aiunt) metrici nomen ap. *Cic. Or.* 1, 59. Hoc nos si facere velimus, ante condemnentur ii, quorum causas receperimus, quam toties, quoties perscribitur, Paeanem, aut Munionem citarimus. ¶ *Talaeus* conjicit *Nomionem*, probantibus, ut videtur, *Facc.* et *Forc.* in *Cito* et *Nomius.* ¶ *Ernest.* in *Cl. Cic.* v. *Munio*: *Munio* quid sit, ignorare se fatentur omnes. *Turnebus* correxit *minuritionem*, idque probatur in Lexico *Fabri*: quod mihi secus videtur. Nam quomodocunque *Cicero* scripserit, pedis certe alicujus nomen posuerit necesse est, ut paeanis (l. *paeanem*) verbum ostendit. In MS. fuit *munychionem*, de quo V. *Vict.* ad h. l. Mihi non displicebat conjectura *Ill. Bunavii, Domini in Kreypau,* doctae nobilitatis praecipui ornamenti, qui legendum censebat *monogenem.* Is pes est ex tribus longis et una brevi syllaba, notiori nomine epitritus quartus, contrarius paeani, qui est ex tribus brevibus et una longa, atque adeo aptus huic loco. Hujus pedis mentio est apud *Hephaestionem de metris* p. 11, quem librum Vir ill. Latine conversum, docto commentario illustraverat. *Gesnerus* autem ad *Quint.* 11, 3. §. 22. *quid si pro hoc monstro legamus* etiam ionem, *vel* ionium? Sed illud *etiam* languet et inculcatum esset a Cicerone. Haec *Ernestus.* Quod si recta sit ejus interpretatio, corrigendum saltem (id quod praetermisit vir doctissimus) *Paeonem*: etenim *Paean* hymnus est, *Paeon* vero pes metricus. Sed neque aptus huic loco vel *Paeon* videtur esse, sic generatim positus; nam *Paeon quartus* tantum (qui et ὑπορχηματικὸς et κρητικὸς) epitrito quarto, hoc est μονογενεῖ, contrarius est. Ceterum *Pearcius*, vulgatum retinens, *Paeanem* et *Munionem* de hymnis vel canticis intelligit; ut *citare Paeanem* vel *Munionem* tale quid sit, quale *citare Io Bacche!* ap. *Hor. Sat.* 1, 3, 7. *B. A.* [*Alii alia conj., v. *Orell.*, qui recte his omnibus longe praestare dicit conjecturam *nomum* Censoris *Jenensis* coll. *Phot.* p. 985. laud. *Hermanno* in *Aristot. Poët.* p. 90. ὁ δέ νόμος δοκεῖ μὲν ἀπὸ τοῦ παιᾶνος ῥυῆναι cet.]

MUNIS, e, adj. qui munus, sive officium facit: ut qui pro accepto beneficio gratiam, cum potest, refert. *Paul.* ex *Festo*: Munem significare certum est officiosum: unde e contrario immunis dicitur, qui nullo fungitur officio. *Non.* 1, 88. Munes apud veteres dicebantur non a largitione, quae ignota erat, sed consentientes ad ea, quae amici velint. *Lucil. ib.* Munifici, munesque viri videamur amicis. *Pl. Merc. prol.* 104. Dico, ejus pro meritis gratum me, *et* munem fore.

MUNĪTE, adv. tuto. *Varr. L. L.* 4, 32. Opere munibant moenia, quo munitius essent.

MUNĪTĬO, onis, f. περιτειχισμὸς, actus muniendi. *Caes. B. G.* 1, 49. Milites munitione prohibere, *h. e.* castris muniendis. *Suet. Galb.* 10. In munitione oppidi. *Tac. A.* 1, 56. Munitiones fluminum, *h. e.* riparum, ne inundatio fiat. *Cic. Font.* 4. Ex viarum munitione quaestum facere. [*Suet. Cal.* 27. Multos ad metalla, et munitiones viarum aut ad bestias condemnavit.] *Nep. Them.* 7. Cum audisset, non multum superesse munitionis, *h. e.* fabricationis moenium. *Suet. Caes.* 68. Dyrrachina munitio, i. e. obsessio, obsidio. ¶ [*Translate. *Cic. Or.* 2, 79. Aditus ad causam et munitio, sc. viae, a forma *munire viam.* *Ernest.* in *cl. Cic.*] ¶ Item ipsum munimentum, vallum, agger, fossa, etc. *Cic. Verr.* 2, 4, 53. Fons aquae dulcis, qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum a mari disjunctus esset. [*Vell. 2, 23, 3. Multiplices Piraeei portus munitiones.] *Id. Phil.* 13, 9. Urbem operibus munitionibusque sepire. Sic *Just.* 4, 4. Munitionibus circumdatis, hostes in urbe clausi. *Nep. Eum.* 5. *f.* In hac conclusione apparatum et munitiones Antigoni alias incendit, alias disjecit. *Sall. Jug.* 42. Per munitionem, quam uti defenderet, acceperat, locum hostibus introeundi dedit. *Id. fragm.* ap. *Non.* 2, 204. Pluteos rescindere, munitiones demoliri. [*Caes. B. G.* 1, 8. operis munitione — hoc conatu destiterunt, i. e. muro, fossa et castellis, quo locus munitus erat. *Vell.* 2, 112, 3. munitione se defendit. *Liv.* 5, 5. Munitiones non in urbem modo, sed in Etruriam etiam spectantes.] *Tac. A.* 3, 74. Castella et munitiones idoneis locis imponere. *Quint.* 3, 7. Loci positio ac munitio. *Pall.* 1, 34. Munitionis multa sunt genera, *h. e.* sepimenti hortorum. ¶ Munitio est mortificatio ciborum, inquit *Fest.*, ubi *Scal.* mallet legere *morsificatio*: alii *molitio.* Alii nihil mutant, quia censent *munire* dictum a priscis pro mandere cibum.

MUNĪTO, as, a. 1. frequent. a *munio.* *Cic. Rosc. Am.* 48. *med.* Quam viam munitet, quod iter affectet, videtis.

MUNĪTOR, oris, m. qui munit. *Liv.* 7, 23. *f.* Qui pro munitoribus intenti, armatique steterant. Alii leg. *munitionibus.* *Tac. A.* 1, 64. Barbari perfringere stationes, seque inferre munitoribus nisi. *Ov. Her.* 5, 139. Me fide conspicuus Trojae munitor amavit, *h. e.* Apollo, qui moenia Trojae exstruxisse dicitur. *Liv.* 5, 19. *f.* In partes sex munitorum numerum divisit, *h. e.* eorum qui terram effodiendo cuniculum in arcem hostium agebant.

MUNĪTORĬA. V. v. sq.

MUNĪTŪRA, ae, f. munimentum, munitio. *Inscr.* ap. *Grut.* 589, 7. Structuram cum munitura sarcophagi suis impensis fecit. ¶ Alio sensu *August.* in *Jul. Pelag.* 2, 6. Succinctoriis, vel praecinctoriis, quae Graece περιζώματα nuncupantur, lumbos hominum contegi, vel praecingi, quas vulgus etiam munituras vocat, *h. e.* campestre, subligar. In *Gloss. Isid.* appellantur *munitoria.*

MUNĪTUS, a, um, part. a *munio*: τετειχισμένος, septus, vallatus, firmatus, armatus, communitus. *Cic. Verr.* 2, 5, 15. Nullius res tuta, nullius domus clausa, nullius vita septa, nullius pudicitia munita contra tuam cupiditatem et audaciam posset esse. *Id. Q. Fr.* 2, 3. *med.* Dixitque se munitiorem ad tuendam vitam suam fore, quam Africanus fuisset. *Sall. Jug.* 50. Munito agmine incedere, late explorare omnia. *Prop.* 4, 3, 8. munito Sericus hostis equo, *h. e.* thoracum munito tegminibus, et limbis ferreis cincto, ut *Ammian.* 16, 10. loquitur, cataphracto. *Plin.* 17, 10, 14. Solum elapidatum, munitumque ad incursum etiam gallinacei generis; et 19, 8, 45. Ruta runcatur non sine difficultate, pruritivis ulceribus, ni munitis manibus id fiat, oleove defensis, *h. e.* velatis, ut *Colum.* loquitur 11, 3. *med.* hac eadem de re verba faciens. *Cic. N. D.* 2, 57. Munitae sunt palpebrae tanquam vallo pilorum. *Suet. Aug.* 35. Lorica sub veste munitus. *Plin.* 15, 22, 24. Nucum juglandium fetus tot modis munitus. *Caes. B. G.* 3, 23. Oppidum et natura loci, et manu munitum; et *ib.* 4, 55. Et loci natura et manu munitissima castra. *Sall. Jug.* 15, 79. Oppidum et operibus, et loco munitum. *Ov. Met.* 15, 690. incurvo munitos aggere portus. *Sall. Jug.* 94. Muniti advorsum hostes non moenibus modo, et armis, atque viris, sed multo magis locorum asperitate. *Liv.* 27, 39. Per munita pleraque transitu fratris, quae antea invia fuerunt, ducebat. *Sil.* 15, 516. qua munitum declivis ab alto Agger monstrat iter. ¶ *Collum munitum* est vestitum, ligatum, et quasi collari clausum adstrictumque. *Ammian.* 16, 10. Et velut collo munito rectam aciem luminum tendens, nec dextra vultum, nec laeva flectebat, tanquam figmentum hominis. ¶ Translate. *Cic. Mur.* 27. Cujus ingenio paterni omnes necessarii munitiores esse debebant. *Id. Att.* 2, 25. Firmissima benevolentia hominum munitus. *Sall. Jug.* 38. Cujus impudentia contra jus et injurias omnes munitus foret. *Q. Cic. Petit. cons.* 7. Partis et fundatis amicitiis fretum ac munitum esse. *Accius* ap. *Cic. Div.* 1, 22. Sapientia munitum pectus. *Cic. Fl.* 41. Omnium bonorum praesidio non modo munitus, sed etiam ornatus. *Id. Har. resp.* 7. *f.* Domus humano et divino jure munita. *Id. Mur.* 20. *f.* Munita ad consulatum via. *Prop.* 3, 10, 17. Quid facies nullo munita puella timore?

*MUNĬUM, oppidum. V. MUNIENSIS. *B. A.*

MŪNUS, ĕris, n. δῶρον, δώρημα. [*In restituendo hujus loci ordine, quem *Forc.* parum vocis significationi convenientem dederat, ita esse videmur recte versati. *Munus* i. q. officium, quod singulis vel pluribus adeoque civitati praestamus, unde venit, ut modo de officiis publicis, modo de privatis et donis, in alicujus gratiam exhibitis adhibeatur. Haec vocis notatio, quam e *B. Crus. cl. Suet.* p. 521. transscripsimus, praeferenda est ei, quam inversa ratione dedit. *Paul. Dig.* 50, 16, 18., quo duce Noster usus erat. Verba sunt: Tria *munus* signif.: primo donum: inde munera dari, mittive dicuntur: secundo onus, quod cum remittatur, vacationem militiae munerisque praestat: inde immunitas appellata: tertio officium: unde munera militaria, et quidam milites munifices vocantur. Igitur municipes dicuntur, quod munera civilia capiunt. — Hinc ab initio collocavimus eos locos, in quibus v. *munus* onus, officium, partes cujuscunque et publici et privati generis continet: *Pflicht, Amt, Verrichtung.* *Cic. Or.* 1, 25. Ma-

guum quoddam est onus atque munus, suscipere atque profiteri, se esse, omnibus silentibus, unum maxime audiendum: et *ib.* 3, 30. Meque ad meum munus pensumque revocabo. *Id. Leg.* 2, 3. Tanquam id habuerit operis ac muneris, ut etc. *Id. Font.* 7. *f.* Non surdus judex huic muneri atque officio praeest. *Id. Fin.* 4, 14. Omne officium munusque sapientiae. *Id. Or.* 1, 45. Honoribus et reipublicae muneribus perfunctus senex. *Id. Q. Fr.* 1, 1. *f.* Extrema pars et conclusio muneris ac negotii. *Id. Fam.* 6, 14. Nullum praetermittere officii studiique munus. *Id. Sen.* 11. Ita multi sunt imbecilli senes, ut nullum officii, aut omnino vitae munus exsequi possint. *Id. Part.* 38. Eo exposito munus promissi omne confecero. *Id. Somn. Scip.* 3. *med.* Ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamini. *Liv.* 24, 35. Inter se munera belli partiti sunt. *Cic. Brut.* 30. Magnum munus de jure respondendi sustinere. *Id. Leg.* 1, 3. *f.* Senectutis non inertis grato atque honesto munere fungi, consulentibus respondendo. *Id. Prov. cons.* 14. *f.* Explere susceptum reipublicae munus. *Liv.* 3, 6. *f.* Munus vigiliarum obire. *Pl. True.* 2, 4, 76. curare. *Cic. Leg.* 1, 5. Cujus muneris colendi efficiendique causa nati sumus. *Ter. Ad.* 5, 1, 2. Laute munus administrasti tuum. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. deferre alicui. *Cic. Sen.* 9. Adolescentulos ad omne officii munus instruere, *h. e.* ad functionem et executionem officii. [**Tac. Agr.* 19. Frumenti et tributorum auctionem aequalitate munerum mollire: ubi v. *Walch.*] ℙ *Meum, tuum munus est*, meae, tuae sunt partes, officium meum, tuum est. *Cic. Fam.* 11, 5. *med.* Tuum est hoc munus, tuae partes: a te hoc civitas exspectat. *Id. Fin.* 3, 2. *med.* Hoc proprium tuum munus est, ut erudiatur, etc. *Id. Mil.* 8. *f.* Principum munus est resistere levitati multitudinis. ℙ *Aliquid suum munus facere*, ad se, et in suum arbitrium trahere. *Tac. A.* 15, 52. Vestini quoque consulis acre ingenium vitavisse Pisonem crediderunt, ne, delecto imperatore alio, sui muneris rempublicam faceret. ℙ Per metonymiam *munus* est opus ipsum, quod in aliquo munere fit. *Cic. prooem. Par. f.* Accipies igitur hoc parvum opusculum, lucubratum his jam contractioribus noctibus: quoniam illud majorum vigiliarum munus in tuo nomine apparuit. *Id. Off.* 3, 1. *f.* Nulla ejus ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis munus exstat. ℙ Hinc *munus* dicitur de eo, quod quis grato, officioso, benefico erga aliquem animo facit: *Gefälligkeit, Dienst, Dienstleistung*, Gr. *χάρις*. Ita intelligendum in locis, quos *Noster* perperam iis nullo discrimine interposito adscripserat, in quibus *munus* pro dono usurpatur. *Sall. in or. Licinii ad pleb.* Huc ire licet atque illuc munere ditium dominorum. *Ov. Trist.* 1, 6, 6. Si quid adhuc ego sum, muneris omne tui est. *Hor. Od.* 4, 3, 21. Totum muneris est tui, Quod monstror digito praetereuntium. *Ov. Met.* 14, 124. Numinis instar eris semper mihi, meque fatebor Muneris esse tui. Adde *Cic. Fam.* 10, 11. Primae tuae sententiae infinitis cum muneribus; posteriores, ad tempus arbitriumque amicorum meorum compositae. — Porro huc referri possunt ista, in quibus *munus* pertinet ad ipsos homines, qui muneris alicujus sunt, qui gratum alicujus et beneficum animum sunt experti. Ita *Planc.* in *Cic. Fam.* 10, 11. Quod reliquum est, tuum munus tuere, i. e. clientem me, quem hucusque dignum muneribus, officiis tuis censebas. *Liv.* 45, 11. petentibusque, ut suum munus tueretur. Laudavit utrumque locum atque hac interpretatione illustravit *Burm.* ad *Quint. Decl.* 383. p. 781. Serves munus: nam, cet., i. e. serves me, qui sum tui muneris, cum me rapta optavisti. — Imprimis autem *munus* ita de supremo officio ponitur, quod defunctis sepultura, exsequiis, funere cet. praestatur: Gr. *γέρα, δῶρα ἐντάφια*. V. *Kirchmann. de fun. Rom.* 3, 5. *Forc.* haec laudaverat: *Nep. Eum.* 4. *extr.* Pro hominis dignitate, proque pristina amicitia amplo munere extulit. *Val. Max.* 8, 15. *n.* 2. Quotiescumque munus aliquod Corneliae genti celebrandum est. Plerique alii utroque loco leg. *funus.* Sed non desunt loca alia, in quibus *munus* de exsequiis dicitur. *Virg. A.* 11, 25. egregias animas decorate supremis Muneribus. *Catull.* 101, 3. Ut te supremo donarem munere mortis. *Val. Fl.* 5. 13. inter lacrimas, interque extrema virorum Munera; et 3, 312. date debita caesis Munera. *Ov. Met.* 13, 525. tibi munera matris Contingent fletus, peregrinaeque haustus arenae. *Stat. Silv.* 2, 1, 165. desunt in munera flammae. *Virg. A.* 6, 885. animamque nepotis His saltem accumulem donis, et fungar inani Munere. ℙ Jam recte sequuntur exempla, quae vocem *muneris* cum notione *doni* positam referunt: quae Noster ab initio posuerat. *Cic. Univ.* 14. *f.* Philosophiam adepti sumus, quo bono nullum optabilius datum est mortalium generi Deorum concessu atque munere. *Id. Div.* 2, 2. Quod enim munus reipublicae afferre majus meliusve possumus, quam si, etc.? *Id. Har. resp.* 4. Vir quasi divino munere donatus reipublicae. *Id. Verr.* 2, 4, 27. Mittit homini munera satis large. *Catull.* 12, 14. Nam sudaria Saetaba ex Ibera Miserunt mihi muneri Fabullus, Et Veranius. (Adde *Nep. Paus.* 2.) *Plin.* 37, 5, 19. Mittere aliquid alicui munere. *Ov. Am.* 2, 2, 15. Huic furtiva tuo libertas munere detur. *Tac. A.* 14, 31. Quasi totam regionem muneri accepissent. *Virg. A.* 5, 282. Sergestum Aeneas promisso munere donat. *Nep. Thras.* 4. Cum ei Mitylenaei multa millia jugerum agri muneri darent. *Hirt. B. Alex.* 36. Munera ferre alicui. *Virg. A.* 4, 217. templis ferre; et 5, 532. Magnis muneribus cumulare aliquem. *Hor. Sat.* 1, 9, 57. servos corrumpere. [**Sall. Jug.* 13. *ed. Haverc.* quis praecepit, uti primum veteres amicos muneribus expleant.] Porro huc pertinent ista. *Hor. Od.* 4, 15, 26. Munera Liberi, *h. e.* vinum; et *ib.* 2, 14, 10. Munus terrae, *h. e.* fruges; et *Ov. Met.* 10, 74. Cereris, *h. e.* cibus, panis. [*Adde *Lucan.* 3, 205. et quae tua munera, Pallas, Lugent damnatae Phoebo victore Celenae, i. e. inventas a Pallade tibias. Ita saepius occurrunt loci, ubi *munus* notionem inventionis dicunt involvere. *Cort.* ad *Lucan.* l. c. laudat *Minuc. Fel.* 20. *extr.* alicujus muneris vel artis repertorem venerabatur; et 21. *princ.* ob merita virtutis aut muneris deos habitos. *Lactant.* 1, 18. aut munerum, ut Cererem ac Liberum, et *paulo post:* nomen Deorum Cereri ac Libero traditio munerum fecit.] ℙ Ita praegnanti sensu dicitur de ludis, spectaculis, ut sunt venationes, naumachiae, gladiatorum pugnae, epulum publicum, et similia his, quae a magistratibus, praecipue ab aedilibus populi oblectandi causa et tanquam donum dabantur in remunerationem accepti honoris. *Cic. Vat.* 12. *extr.* Ita illud epulum est funebre, ut munus sit funeris, epulae quidem ipsae dignitatis. *Id. Sext.* 58. Maximum populi judicium universo concessu gladiatorio declaratum est: erat enim munus Scipionis, dignum et eo ipso, et illo Q. Metello, cui dabatur. *Id. Q. Fr.* 3, 8. *f.* Munus magnificum dare. *Id. Sull.* 19. praebere. *Id. Off.* 2, 16. *f.* Functus est aedilicio maximo munere; et *mox:* Magnificentissima nostri Pompeji munera secundo consulatu. *Id. Phil.* 2, 45. *f.* Muneribus, monumentis, congiariis, epulis multitudinem lenire. *Suet. Tit.* 7. Munus edidit apparatissimum largissimumque. *Mart.* de naumachia, *Spect.* 24. Cui lux prima sacri muneris ipsa fuit: *sacri* quia in honorem Neptuni: vel quia a Domitiano exhibita. *Lact.* 6, 20. *f.* Venationes, quae vocantur munera. *Plin.* 33, 3, 16. Caesar primus in aedilitate, munere patris funebri, omni apparatu arenae argenteo usus est. [*V. *Kirchmann. l. c.* 4, 8.] *Inscr.* ap. *Mur.* 181, 7. P. Acilio P. F. Men. Paullo Cur. muneris publici, etc. Alia ap. *Fabr.* p. 643. *n.* 368. L. Runtio L. F. Aem. Gemello, quod curam muneris publici splendide administraverit, etc. [**Ov. Fast.* 5, 190. Circi munus: coll. *Stat. Silv.* 5, 1, 21. ibique *Markl.* Adde *Lucan.* 4, 709. arenae munera; ad cujus loci illustrationem v. quae contulerunt *Heins., Barth.* et *Demster.* ad *Claud. Ruf.* 2, 395. quos laudat *Cort.* ad *Lucani l. c.*] ℙ *Munera* etiam vocantur publica aedificia ab aliquo exstructa in commodum populi. *Vell.* 2, 130. Pompeji munera absumpta igni, *h. e.* theatrum; et 48. Pompejus perfectis muneribus theatri et aliorum operum, quae ei circumdedit, etc. *Albin.* 1, 287. Nec sua conspiciet (miserum me!) munera Drusus, *h. e.* aedem Concordiae, quam, eo mortuo, Tiberius dedicavit, ut *Suet.* 20. narrat. *Ov. A. Am.* 1, 69. Aut ubi muneribus nati sua munera mater Addidit, externo marmore dives opus, *h. e.* theatro Marcelli porticum Octaviam: de quibus V. *Suet. Aug.* 29. Fuit autem Octavia Marcelli mater, Augusti soror. ℙ Olim *moenus* scripsere, ut *moenio* pro *munio*. V. MOENERA. ℙ [*Confund. *munus* et *funus*. V. h. v. in *f.* et *Cort.* ad *Lucan.* 8, 741.]

*MUNUSCULARĬUS, i, m. qui munuscula corradit. Laudatur *August.* V. *Sarisb.* 3, 11. et *Isid. Gloss.* 12. *B. A.*

MUNUSCŬLUM, i, n. *δωρημάτιον*, parvum munus. *Cic. Fam.* 9, 12. Hospiti veteri et amico munusculum mittere volui levidense, crasso filo. *Id. Off.* 3, 18. Alieni facinoris munusculum non repudiarunt. *Hor. Ep.* 1, 7, 17. Non invisa feres pueris munuscula parvis.

MUNYCHIA, ae, f. *Μουνυχία*, portus Atticae Piraeeo proximus, inter illum ad Occ. et Sunium prom. ad Or. apud Ilissi fl. ostium, a Munycho principe filio Panteucli, qui ibi templum Dianae extruxit, quae propterea Munychia cognominata est. *Paus.* 1, 4.

MUNYCHĬUS, a, um, adj. Atheniensis. *Ov. Met.* 2, 709. Munychiosque volans agros, gratamque Minervae Despiciebat humum. *Stat. Silv.* 5, 3, 107. Munychiae arces. *Id. Th.* 12, 616. qui rura lacessunt Munychia, et trepidis stabilem Pyraeea nautis; et *ib.* 2, 252. Munychia juga.

MURAENA, ae, f. *μύραινα*, piscis longitudine non dissimilis anguillae: a Graeco nomine allato. Feminini tantum sexus est. Nam masculus, teste *Plin.* 9, 23, 39., myrus vocatur, robustior quam muraena, et unicolor. *Pl. Aul.* 2, 9, 2. Congrum, muraenam exdorsua, quantum potes. ℙ Optimae inter muraenas habebantur, quae capiebantur in freto Siculo, quas *Macr. Sat.* 2, 11. ex *Varrone* flutas vocari ait, quod in summa aqua prae pinguedine flutent. *Mart.* 13, 80. Quae natat in Siculo grandis muraena profundo, Non vatat in Siculo grandis muraena profundo, Non valet exustam mergere sole cutem. ℙ Fuit hoc piscis genus apud veteres in maximis deliciis, partim ob praestantiam saporis, partim ob insignem vivacitatem, partim etiam quia dominum agnoscere ditatem, partim etiam quia dominum agnoscere discebant, et ad manum accedere. *Mart.* 10, 30. Natat ad magistrum delicata muraena: Nomenculator mugilem citat notum. *Plin.* 9, 55, 81. Hortensius orator muraenam adeo dilexit, ut exanimatam flesse credatur. Antonia Drusi, muraenae, quam diligebat, inaures addidit. ℙ Inter varia mensarum citrearum vitia enumerat *Plin.* 13, 15, 30. *muraenam nigro limite transcurrentem*, h. e. nigram longamque venam in muraenae modum. ℙ Fuit cogn. R. in gente Licinia, inde ductum, quia primus ejus familiae muraenis valde delectabatur. *Colum.* 8, 16. et *Varr. R. R.* 3, 10. *extr.* In quatuor nummis ejusdem gentis, apud *Morell. Num. fam. Rom. tab.* 1. et in *Fastis Capitol.* ap. *Grut.* 295. legitur *Murena* sine diphthongo. [*Eaque unice ferenda forma est. V. *Schneid. Gr. Lat.* 1, 55.]

MURAENĬANUS, a, um, adj. ad Muraenam pertinens, quod est nomen R. *Muraeniana oratio* ap. *Capell.* 5, 172. est, quam *Cicero* pro L. Licinio Muraena habuit.

MURAENŬLA, ae, f. parva muraena. *Hieron. praef. in Job.* Ut si velis anguillam, aut muraenulam strictis manibus tenere, quanto fortius presseris, tanto citius elabitur. ℙ In Sacris Litteris *Cant.* 1, 10. et alibi est catenula, torquis, colli ornamentum, ad muraenae figuram. *Id. Hieron. ep.* 24. *n.* 3. Aurum colli sui, quod quidem muraenulam vulgus vocat, quod, metallo in virgulas lentescente, quadam ordinis flexuosi catena contexitur, vendidit. *Id. in Isaj.* 2, 3, 18. Muraenulae, quae auri atque argenti texuntur virgulis.

MURĀLIS, e, adj. *τειχικός*, ad murum pertinens. *Cels.* 2, 33. et *Plin.* 21, 30, 104. Muralis herba. *Caes. B. G.* 5, 39. et *ib.* 7, 72. Muralia pila, *h. e.* quibus pugnatur e muris. *Virg. A.* 12, 921. Murale tormentum, *h. e.* muris quatiendis. Sic *Plin.* 7, 56, 57. Muralis machina. Sic *Sil.* 6, 269. Donec murali ballista coercuit ictu. *Id.* 8, 555. muralis fossa, *h. e.* quae sub muris est. ℙ *Murales falces* erant instrumenta diruendis muris idonea: quarum formam ita describit *Veg. Mil.* 4, 14. De materia, ac tabulatis testudo contexitur, etc. Haec intrinsecus accipit trabem, quae aut adunco praefigitur ferro, et falx vocatur, ab eo quod incurva est, ut de muro extrahat lapides: aut certe ipsius caput vestitur ferro, et appellatur aries, etc. *Caes. B. G.* 3, 14. Falces praeacutae, insertae affixaeque longuriis, non absimili forma muralium falcium. ℙ Ap. *Liv.* 23, 18. et *Plin.* 7, 28, 29. Muralis corona, *h. e.* qua donabatur is, qui primus obsessae urbis murum ascendisset, ut *Gell.* 5, 6. docet. Ap. *Lucr.* vero dicitur muralis corona, 2, 606. quae est in capite Magnae Deum Matris, quae turrita pingitur, quia Tellus, quam Dea ipsa significat, eximiis munita locis sustinet urbes. ℙ Muralis honos *Claud. Laud. Seren.* 182. est muralis coronae decus virtute partum.

*MURALĬUM, i, n. herba quae et parthenium et perdicium audit. *Plin.* 21, 30. *B. A.*

*MURĀNUM, i, n. Lucaniae oppidum. *Inscr.* ap. *Grut.* p. 150. *n.* 7. *B. A.*

*MURARĬUS, i, m. qui muros conficit. V. *Barth.* ad *Briton. Philip.* 7, 460. *B. A.*

MURĀTUS, a, um, part. ab inus. *muro*, muros habens, *τετειχισμένος*. *Veg. Mil.* 1, 21. de castrorum munitione: Muratam civitatem videntur secum ubique portare. Adde 3, 8. *f.*

*MURCĔUS, a, um, adj. ignavus, segnis. *Vet. Gloss.* Murcei, *νωθεῖς*. V. MURCUS.

MURCĬA, ae, f. Dea amoris, seu Venus, a myrto dicta: unde et *Murtia* legitur, et *Myrtea*, teste *Plin.* 15, 29, 36. et *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* Causa hujus appellationis est, quia, ut *Serv.* tradit ad *Ecl.* 7, 62., cum recens nata Venus exisset e mari, in myrto latuit, ne nuda conspiceretur. Paulo aliter *Ov. Fast.* 4, 141. Litore siccabat rorantes nuda capillos: Viderunt Satyri, turba proterva, Deam. Sensit, et apposita texit sua corpora myrto: Tuta fuit facto, etc. *Id. Serv.* ad *G.* 2, 64. alias duas addit causas, quia myrtus amat litora, quae sub Venere sunt de mari nata, et quia, ut medicorum indicant libri, haec arbor apta est mulierum necessitatibus plurimis. ℙ Eadem est Dea segnium, quaeque homines murcidos facit, ut ait *August. C. D.* 4, 16. Adde *Arnob.* 4, 132. ubi al. leg. *Murcida*. ℙ Hujus Deae templum fuit sub Aventino, qui antea Murcus vocabatur. *Festus*, et *Liv.* 1, 33. V. alia huc pertinentia in MURCIUS. *Scrib. et *Murcea. B. A.*

MURCĬDUS, a, um, adj. desidiosus, inactuosus, ignavus, stultus. *August. C. D.* 4, 16. Dea Murcia, quae praeter modum non moveret, ac faceret

hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est nimis desidiosum, et inactuosum. V. MURICIDUS.

*MURCINARĬUS, *Gloss. Isid.* Mutilus. Cf. quae *Facc.* et *Forc.* in *Murcus. B. A.*

MURCĬOLUS et Murceolus. V. MYRTEOLUS.

MURCIUS et Murtius, a, um, adj. Murciae seu Murtiae metae, Veneri sacrae, creduntur fuisse Romae in circo, quarum mentio est ap. *Appul. Met.* 6. Murtiam enim, ut ait *Tert. Spect.* 8., Deam amoris volunt: unde has metas idolum fecerunt. A *myrto* autem, quae Veneri est sacra, ratio nominis ducta est, ut in MURCIA diximus. Huc faciunt verba *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* Intimus circus ad Murtiam vocatus, ut Procilius ajebat, ab urceis, quod is locus esset inter figulos. Alii esse dicunt a murteto declinatum, quod ibi id fuerit: cujus vestigium manet, quod ibi sacellum etiam nunc Murtiae Veneris. Haec *Varro.* Hunc eundem locum designat *Claud. in I. cons. Stil.* 2, 404. Ad coelum quoties vallis tibi Murtia ducet Nomen, Aventino, Pallanteoque recessu.

MURCUS, i, m. ita per contemptum appellabatur in Italia, qui, ne militiae onus subiret, pollicem sibi praecidebat; quasi *murcidus;* [hinc translate a *pollice truncо* Itali nunc *poltrone* appellant desidiosum hominem et ignavum. *F.*] *Ammian.* 15, 12. [*al. 29.] Nec Gallorum aliquando quisquam, ut in Italia, munus Martium pertimescens, pollicem sibi praecidit, quos localiter murcos appellant. Sunt autem leges *Impp. Valent. et Valent.* in *Cod. Theod.* 7, 13, 4. et 5. et 10., item *Dig.* 49, 16, 4. §. 12., quibus graviter puniuntur, qui se, ne milites sint, hac ratione debilitaverint. V. POLLEX et TENEBRIO et TRUNCATIO. ℙ Est etiam cogn. R., ut L. Statius Murcus, ap. *Cic. Phil.* 11, 12.

*MURĒNA. V. MURAENA ad f. *B. A.*

MUREX, ĭcis, m. *κογχύλιον:* piscis ex genere concharum, qui et *bucinum* dicitur: qua in voce de notatione nominis dictum est. Erat gratus in cibis: et praeterea ex ejus contriti sanguine, seu sanie color purpureus olim fiebat: unde et pro purpura, et pro ipso colore accipitur. *Colum.* 8, 16. *med.* Limosa regio maxime idonea est conchyliis, muricibus, et ostreis. *Hor. Sat.* 2, 4, 32. Murice Bajano melior Lucrina peloris. *Mart.* 13, 87. cujus lemma *Murices:* Sanguine de nostro tinctas, ingrate, lacernas Induis: et non est hoc satis: esca sumus. *Virg. A.* 4, 262. Tyrioque ardebat murice laena. *Id. Ecl.* 4, 43. Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti Murice, jam croceo mutabit vellera luto. *Id. A.* 9, 614. picta croco, et fulgenti murice vestis. *Sil.* 4, 326. aurato praefulgens murice ductor Sidonius. *Mart.* 8, 72. Murice cultus libellus. Distinguit *Colum.* 8, 16. *med.* a conchyliis muricem. Sic *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 4, 44. Murex est cochlea similis conchyliis. Est enim uterque ex genere testaceorum: sed specie differunt tamen, item gustu, et colore saniei. Ceterum scriptores conchylium, muricem, purpuram passim confundunt. Muricem enim *Mart.* pro conchylio posuit 1, 50. Lunata nusquam pellis, et nusquam toga, Olidaeque vestes murice: *olidas* dicit, quia, ut *Plin.* docet 9, 39, 64., in conchyliata veste tingenda jus temperatur aqua, et, pro indiviso, humani potus excremento. De hoc odore rursus *Mart.* 4, 4. et 9, 63. ℙ Epitheta *muricis* a locis ducta sunt, Gaetulus, *Hor. Ep.* 2, 2, 181. (quia, ut ait *Plin.* 5, 1, 1. *med.* omnes Gaetuliae scopuli eo abundant) Afer, *Id. ib.* 2, 16, 36. Sidonius, *Tibull.* 3, 3, 18. Tyrius, *Id.* 2, 4, 28. Phocaicus, *Ov. Met.* 6, 9. Sarranus, *Sil.* 10, 205. [*Bajanus, *Hor. Sat.* 2, 4, 32. quod in sinu Bajano optimi nascuntur murices. V. *Heindf.* ad h. l.] ℙ Translate a testa hujus piscis *murex* dicitur concha, qua oleum, unguentum, aut hujusmodi quippiam servatur. *Mart.* 3, 82. Et Cosmianis ipse fusus ampullis Non erubescit murice aureo nobis Dividere moechae pauperis capillare. ℙ Item tuba, qua utuntur Tritones: quae et concha appellatur. Hujus quoque appellationis ratio in BUCINUM dicta est. *Val. Fl.* 3, 726. Dat procul interea toto pater aequore signum Phorcys, et immanes intorto murice phocas Contrahit antra petens. Quod *intorto* dicit, satis significat muricum testam intortam convolutamque fuisse, qualis est cochleis in cauda. Hinc *Plin.* 9, 33, 52. inter varia concharum et muricum genera ponit ea, quae sunt *vertice muricatim intorto.* ℙ Praeterea ponitur pro testa aspera, et acuminibus obsita, qualis in muricibus, aliisque marinis conchis cernitur. *Ov. Met.* 8, 563. Summa lacunabant alterno murice conchae; et *ib.* 1, 331. humeros innato murice tectum, Coeruleum Tritona vocat. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 150. de Venere Tritonem insidente: vivo squalentia murice terga Purpureis mollita rosis. ℙ Et pro asperitate, et acuminibus saxi. *Virg. A.* 5, 205. et acuto in murice remi Obnixi crepuere, illisaque prora pependit. *Sil.* 17, 277. tum murice acuto Dissiliens sonuit, illisaque prora pependit. *Plin.* 19, 1, 6. Cato sternendum forum muricibus censuerat, *h. e.* saxis minutis acutisque, ut litigantes rarius, ac minus libenter in eo versarentur. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 446. Scabri petrarum murices. ℙ Et pro freno asperiore, et acuminibus instructo, vel etiam ex testa muricis confecto. *Stat. Ach.* 1, 221. de Thetide: Elicit inde fretis, et acuto murice frenat Delphinas bijuges. ℙ Denique *murices*, *τρίβολοι*, sunt instrumenta, seu machinulae ferreis instructae cuspidibus, tetragona forma, quae in quamcumque partem inciderint, aculeos aliquos protendunt: unde in terram dolose conjici solent, ut iis hostilis equitatus ingruens induatur. [*Fussangeln.] *Val. Max.* 3, 7. *n.* 2. Ut circa moenia ferreos murices spargeret, etc. *Curt.* 4, 13. *f.* Murices ferreos in terram defodisse Darium, qua ló *Gell.* 6, 4. Captivos in armario muricibus praefixo destitutos, et insomnia cruciatos, etc. vel militares illi murices, vel aculeati quicumque stimuli ad pungendum et lacerandum intelliguntur.

[MURGANTĪUS, a, um, adj. ad Murgantiam pertinens, Samnii urbem ad fontes Frentonis fluvii: ejus meminit *Liv.* 10, 17., nunc *Baselice* dicitur a basilica ibidem aedificata, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Romanelli, Topogr. Napol.* T. 2. p. 481. Imp. Caesari L. Septimio Severo Pio Pertinaci Aug. etc., ordo populusque Murgantius, quod basilicam hanc sua impensa construendam curaverit. *F.*]

MURGENTĪNUS, a, um, adj. ad Murgentium pertinens, quod est Siciliae oppidum. Hinc *Murgentini, orum*, ejus cives, ap. *Plin.* 3, 8, 14. Murgentinus ager, *Cic. Verr.* 2, 3, 18. Murgentina vitis, aut uva, quae et Pompejana, *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 2. et *Colum.* 3, 2. *med.* et Murgentinum vinum, *Cato R. R.* 6. et *Plin.* 14, 4, 1. et 3, 8, 14.

*MURGER, inquit *Festus*, dici solet a castrensium ominibus, quasi mucosus, is qui talis male ludit. Locum non invenio. *B. A.*

*MURGILLUM, i, n. Pannoniae oppidum. *Cod. Theod.* 16, 8, 1. ubi *Gothofr.* pro *Murgillo* mavult legere *Mursillo*, ut sit idem quod *Mursella*, i. e. Mursa minor. *B. A.*

*MURGIS, is, opp. Hispaniae Baeticae, ad mare Mediterraneum. *Plin.* 3, 1. ℙ Hodie est *Muiacar. B. A.*

MURGĪSO, onis, m. callidus morator (al. *murmurator*), ut *Gloss. Isid.* explicant. Est a mora, et decisione, ut *Festus* docet, quasi *moriciso.*

MŪRIA, ae, f. *ἅλμη, ταρίχος*, salsugo, aqua salsa, liquor ex sale resolutus, quo aliquid maceratur, et servatur. Videtur esse per aphaeresim ab *ἁλμυρὸς*, salsus. Duplex est, dura, et soluta. Fit autem soluta, quae ad vini condituram paratur, ex aqua marina, vel etiam dulci, decocta ad tertias, et sale ac melle condita, ut pluribus *Colum.* 12, 25. et *Cato R. R.* 105. docent. Durae faciendae rationem *Colum. ib.* 6. tradit, ex aqua coelesti, vel fontana insolata diu, et candido sale tamdiu condita, donec ipsum sal liquescere desinat, et integer permaneat: tunc enim matura est, alioquin cruda. Ea condiuntur ac servantur multa, quae in usum ciborum reponuntur, ut cymae, capparis, caulis, oleae, etc. Hac utebantur etiam pro aegrotis. *Cels.* 4, 9. de lienosis: Edenda sunt salsamenta, vel oleae ex muria dura. *Id. ib.* 15. de torminibus: Portulacam vel coctam, vel ex dura muria edisse. *Colum. cit.* 12, 25. Quoniam quidam, imo etiam fere omnes Graeci, aqua salsa, vel muria mustum condiunt. *Cato R. R.* 7. Oleae conduntur vel virides in muria. *Cels.* 4, 15. Muria dura quam asperrima uti. *Colum.* 6, 30. *f.* de jumentis bile laborantibus: Alii marina aqua lavant alvum, alii recenti muria. ℙ Est item *muria* liquamen thynnorum, ut garum scombrorum: illud erat pauperum, hoc divitum. V. GARUM. Fit etiam ex maenis, ut ex *Plin.* 26, 4, 11. colligitur: item ex aliis piscibus. *Pers.* 6, 20. Tingit olus siccum muria vafer in calice empta. *Plin.* 31, 7, 40. E muria salsamentorum sal recoquere. ℙ De muria thynnorum est illud *Manil.* 5, 668. Altera fit caedis caedes: scinduntur in artus Corpora, et ex uno varius describitur usus. Illa datis melior succis pars: illa retentis. Hinc sanies pretiosa fluit, floremque cruoris Evomit, et mixto gustum sale temperat oris. ℙ *Quint.* 8, 2. reprehendit oratorem quendam, ex iis, qui omnia, quae sunt in usu reformidant: nam ut *salsamenta* vitaret, *duratos muria pisces* dixerat. ℙ Narrat *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 66. cum M. Livius Drusus Philippo consuli, legibus agrariis resistenti, ita collum in comitio obtorsisset, ut sanguis ei e naribus efflueret, dixisse, luxuriam exprobrando, illum sanguinem muriam de turdis esse, quia Philippus turdos saepissime esitabat.

MŪRIĀTĬCUS, a, um, adj. in muria conditus, *ἁλμενθείς*. *Pl. Poen.* 1, 2, 32. Soror, cogita, amabo, item nos perhiberi, Quasi salsa muriatica esse autumantur, Sine omni lepore, et sine suavitate: Nisi multa aqua usque et diu macerantur, Olent, salsa sunt, tangere ut non velis; et *ib.* 38. Coqua est haec, ut opinor: Scit, muriatica ut maceret.

MŪRĬCĀTIM, adv. convolutim, muricum instar. *Plin.* 9, 33, 52. Vertice muricatim intorto. V. in MUREX.

MŪRĬCĀTUS, a, um, adj. muricis modo factus. *Plin.* 20, 23, 99. de carduis: Utrique folia pauca, spinosa, muricatis cacuminibus. ℙ Translate *muricati gressus* pro formidolosis, seu timendis dicuntur, quasi per murices ferreos fiant. *Fulg. Myth.* 1. *in.* Muricatos, quod ajunt, sigillaverunt gressus.

MŪRĬCĒUS, a, um, adj. ad murices pertinens, vel asper, aculeatus, scruposus. *Auson. ep.* 9, 4. Ostrea muriceis scopulorum mersa lacunis.

[MŪRĬCĪDA, ae, comm. gen. qui muros furandi causa caedit, effractor. Videtur esse a *τοιχωρύχος*, parietum perfossor, ut ait *Pl. Ps.* 4, 2, 23., quod apud Graecos comicos est solemne convicium. *Id. Epid.* 3, 1, 12. Vae tibi, muricida homo. Ita edidit, et interpretatur *Bothe*, alii aliter. V. v. sq. *F.*]

MŪRĬCĪDUS, a, um, adj. ignavus, imbellis, stultus: quasi mures caedere valens, *μυοκτόνος*. *Pl. Epid.* 3, 1, 12. Vae tibi, muricide homo. Est qui legit *murcide.* V. MURCIDUS et MURCUS. ℙ Ap. *Fest.* scribitur *murricidus:* quod nollent critici. V. v. praec.

[MŪRĬCŬLUS, i, m. dimin. muricis. *Enn.* ap. *Appul. Apol.* Purpura, muriculi, murex, dulces quoque echini. *F.*]

MŪRĬES, ei, f. idem ac muria. *Cato R. R.* 88. Si natabit, ea muries erit, qua vel carnem, vel caseos, vel salsamenta condias. ℙ Muriem *Festus* ex Verannii sententia interpretatur salem in pilа tusum, et in ollam: fictilem conjectum, ibique opertum, gypsatumque, et in furno percoctum, quo Vestales serra ferrea secto, et in seriam conjecto, quae erat intus in aede Vestae, in penu exteriore, aquam jugem addentes, vel quamlibet, praeterquam quae per fistulas venit, in sacrificiis utebantur. V. EXFIT.

MŪRĬLĒGŬLUS, i, m. *κογχυλιευτὴς*, qui murices piscatur in usum purpurae. Est titulus septimus *l.* 11. *Cod. Justin.*, et vigesimus *l.* 10. *Cod. Theod.* inscriptus *De murilegulis, et gynaeciariis*, etc. ubi multa de his.

MŪRĪNUS, a, um, adj. *μυωτὸς*, ad mures pertinens. *Plin.* 30, 9, 23. Murinus sanguis. *Id.* 30, 13, 38. fimus. *Id.* 29, 6, 36. Murina pellis. *Seren. Samm.* 49, 910. Aut facilem jecoris murini ducere fibram. ℙ *Murinus color* qualis fere est in asinis. *Colum.* 6, 37. *med.* Murinus color cum sit in asino vulgaris, tum etiam non optime respondet in mula. Adde *Varr.* ap. *Non.* 2, 87. ℙ *Murinum hordeum* herba est, quae Graeco nomine herba Phoenicea dicitur. Haec trita, et in vino pota mensibus prodest. *Plin.* 22, 25, 65. ℙ Quod *Just.* 2, 2. *murinis pellibus, aut ferinis* uti Scythas tradit, intelligit pelles e majusculis animalibus, illius regionis propriis, ut sunt feles agrestes, vulpeculae, et quos mures Buticos et martes vocant, et hujusmodi: et fortasse hi habent et mures ejusdem speciei cum nostris, sed majores tamen, quorum pelles vestibus conficiendis aptae sint. *Ferinas* vero *pelles* intelligit majorum ferarum, ut luporum, tigrium, leonum, pantherarum, etc. V. MUS. ℙ *Auricula murina* ap. *Scrib. Comp.* 153. herba est, de qua V. in MYOSOTA. ℙ De murinis campis V. CAMPE.

MURMILLO. V. MIRMILLO.

MURMUR, ŭris, n. *ψόφος*, decurrentis aquae, vel maris et fluctuum strepitus, susurrus. Vox est a sono ficta, teste *Quint.* 8, 6. *med.*, ut *mugitus, sibilus:* a sono, inquam, non Latinae litterae *u*, sed Graecae *o*, et *v*. Est enim a *μορμύρω*, quod indidem fictum est. *Cic. Or.* 3, 40. Nam et odor urbanitatis, et mollitudo humanitatis, et murmur maris, et dulcedo orationis sunt ducta a ceteris sensibus. *Hor. Ep.* 1, 10, 21. aqua per pronum trepidat cum murmure rivum. *Virg. G.* 1, 109. unda cadens raucum per levia murmur Saxa ciet. *Ov. R. Am.* 177. jucundo labentes murmure rivos. *Lucr.* 6, 141. Sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur Dant infringendo graviter, quod item fit in altis Fluminibus, magnoque mari, cum frangitur aestu. *Prop.* 4, 7, 4. Murmur ad extremae nuper humata viae, *h. e.* ad ripam Anienis fluvii, cum murmure labentis. Alii leg. *marmor* minus recte. ℙ Translate dicitur de quocumque strepitu. *Virg. A.* 4, 160. magno misceri murmure coelum. *Id. Ecl.* 9, 58. ventosi ceciderunt murmuris aurae. *Suet. Cal.* 51. Aetnaei verticis fumo ac murmure pavefactus. *Plin.* 2, 80, 82. de terrae motu: Praecedit murmur similius mugitibus, aut clamori humano, armorumve pulsantium fragori. *Val. Fl.* 2, 338. clausae murmura flammae. *Plin.* 28, 7, 31. Lacte mulieris murmura aurium ejicere. *Mart.* 8, 55. Auditur quantum Massyla per avia murmur, Innumero quoties silva leone furit. *Sil.* 3, 698. alta sonoro, Collisis trabibus volvuntur murmura luco. *Stat. Th.* 12, 170. Tigridis Hircanae jejunum murmur. *Prop.* 4, 4, 59. tubicen fera murmura conde. *Lucan.* 9, 349. de Tritone: ventosa perflantem murmura concha. *Hor. Od.* 2, 1, 17. minaci murmure cornuum Perstringis aures. *Ov. Met.* 14, 537. Aera complere inflati murmure buxi. *Virg. A.* 6, 709. de apib.: strepit omnis murmure campus. *Id. ib.* 5, 369. magnoque virum se murmure tollit. *Mart.* 9, 70. de ludimagistro: Murmure jam saevo, verberibusque tonas. ℙ De submissa voce, aut inarticulata. *Pl. Rud.* 5, 3, 48. Palam age: nolo murmur ullum, neque susurrum

fieri. *Liv.* 45, 1. Murmur repente populi tota spectacula pervasit, devictum regem esse. [*Cf. *Lucan.* 1, 352. at dubium non claro murmure vulgus secum incerta fremit; et 8, 327. murmure sentit Consilium damnasse viros: ubi v. *Cort.*] *Stat. Th.* 10, 440. de moribundo: supremaque murmura volvens. [*V. plura hujus generis ap. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 682.] *Prop.* 2, 4, 29. contemnere murmura famae. *Virg. A.* 12, 239. serpitque per agmina murmur. ℙ Et praecipue de precibus submissa voce conceptis. Mos enim erat, ut qui cupide ardenterque aliquid a Diis peterent, praesertim si turpe esset votum, ut de forma, divitiis, ultione, et hujusmodi, submissius peterent, ne ab aliis exaudirentur. Unde *Sen. ep.* 10. *f.* Tunc scito te esse omnibus cupiditatibus solutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominum! turpissima vota Diis insusurrant: si quis admoverit aurem, conticescent: et quod scire homines nolunt, Deo narrant. *Pers.* 2, 6. Haud cuivis promptum est murmurque, humilesque susurros Tollere de templis, et aperto vivere voto. *Petr. Sat.* 85. Timidissimo murmure votum feci. *Ov. Met.* 7, 251. Placare Deos precibus et murmure longo. V. ENDIADYS. *Juven.* 10, 289. Formam optat modico pueris, majore puellis Murmure, cum Veneris fanum videt anxia mater. ℙ Idem servabatur in sacris arcanis, et nocturnis. *Val. Fl.* 7, 463. Carmina nunc totos volvit, figitque per artus Aesonidae, et totum septeno murmure fertur Per clypeum. *Sidon. carm.* 2, 85. Chaldaeus in extis Pontificum de more senex arcana peregit Murmura. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 448.] ℙ Masculino genere extulit *Varro* ap. *Non.* 3, 142. Acciti sumus, ut depontaremur: murmur fit verus.

MURMŪRĀBUNDUS, a, um, adj. valde murmurans. *Appul. Met.* 2. Qui cunctorum obstinatione confusus, indigna murmurabundus, cum vellet exsurgere, etc.

MURMŪRĀTĬO, onis, f. *μορμυρισμός*, actus murmurandi. *Plin.* 10, 3, 3. Murmuratio querula aquilarum. ℙ Item fremitus renuentis, et contradicentis. *Sen. ep.* 107. *med.* Optimum est, Deum sine murmuratione comitari; et *Ben.* 5, 15. Nec est, quod hanc tantum nostram murmurationem putes, pro pessimo pravoque numerantium, quidquid citra recti formulam cecidit.

MURMŪRĀTOR, oris, m. obtrectator. *Augusl. Retract.* 2, 20. Illi adversus Deum murmuratores, qui profecto alias escas non desiderarent, si hoc eis saperet manna, quod vellent. Adde *Fest.* in *Summussi*, ubi est submisse loquens.

MURMŪRĀTUS, a, um, part. a *murmuro*. *Appul. Apol.* Magia occulta non minus, quam tetra, plerumque noctibus vigilata, et carminibus murmurata.

MURMŪRILLO, as, n. 1. *ὑποτονθορύζω*, submurmuro. *Pl. fr.* ap. *Non.* 2, 572. Quid murmurillas tecum, et te discrucias?

MURMŪRILLUM, i, n. *ὑποτονθορυσμός*, submurmuratio. *Pl. Rud.* 5, 3, 48. nolo, murmurillum, neque susurrum fieri. Ita *Non.* legit 2, 572.; alii melius *murmur ullum.*

[MURMŪRĬOSUS, a, um, adj. *Gloss. Philox.* Murmuriosus, *γογγυσιής*. *F.*]

MURMŪRO, as, avi, atum, n. 1. *μορμύρω*, sonum confusum edo, strepo: et proprie dicitur de aquis. Factum est enim imitatione illius sonitus, ut in MURMUR dictum est, et *Auct. ad Her.* 4, 31. *med.* et *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* docent. *Cic. Tusc.* 5, 40. Fremitus murmurantis maris. *Varr. l. c.* Murmurantia litora. *Virg. A.* 10, 212. Spumea semifero sub pectore murmurat unda. *Stat. Silv.* 2, 7, 98. ripae murmurantis Hebri. *Nemes. Ecl.* 4, 47. Hic tibi lene fluens fons murmurat. ℙ Transfertur ad alios strepitus. *Plin.* 18, 35, 84. Ignes pallidi murmurantesque tempestatum nuncii sentiuntur. *Pl. Cas.* 4, 3, 6. mihi inanitate Jamdudum intestina murmurant. V. RUGIO. *Plin.* 10, 29, 43. de lusciniae cantu: Interdum et secum ipse murmurat. ℙ Est etiam submissa voce loqui. *Varr. l. c.* Qui murmurat, ita leviter loquitur, quod magis id sono facere, quam ut intelligatur, videatur. *Ov. Met.* 11, 52. flebile lingua Murmurat exanimis. ℙ Aliquando est quippiam recusantis, et submissis vocibus indignationem significantis. *Pl. Aul.* 1, 1, 13. At ut scelesta sola secum murmurat! Oculos hercle ego istos, scelus, effodiam tibi. *Id. Mil.* 3, 1, 149. Tametsi dominus non invitus patitur, servi murmurant.

MURMŪROR, aris, atus sum, dep. 1. idem quod murmuro. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Murmuratur, dictum a similitudine sonitus. *Id.* ap. *Non.* 7, 85. Romae in balneis plodere coepimus, et murmurari. *Id. ib.* Cum ventrem meum coerceam, nec murmurari patiar. Adde *Claud. Quadr. ib.* ℙ Pro obtrectare, carpere. *Appul. Flor.* [*3. *N.* 16. p. 65. *Oudend.*] Quidam tarditatem poetae murmurari, plures defendere.

*MURO, as, a. 1. muro claudo. *Guil. Brito* 7, 460. 10, 72. et 12, 503. *B. A.*

*MUROCINCTA, ae, villa quaedam Pannoniae inferioris. *Ammian.* 30. *extr. B. A.*

[MURRĀNUS, i, m. idem ac murrhinus. Est nomen propr. servile. *Inscr.* ap. *Mur.* 1379, 1. Murranus Sabinae conjugi. *F.*] ℙ *Priscus Latinorum rex, a quo postea Latini omnes reges Murrani sunt dicti. *Virg. A.* 12, 529. Murranum hic, atavos et avorum antiqua sonantem Nomina, per regesque actum genus omne Latinos. Ad quem locum *Servius:* Scimus enim solere plerumque fieri, ut primi regis, reliqui nomen ejus possideant, ut apud Romanos Augusti vocantur, apud Albanos Silvii, apud Persas Arsacidae, apud Aegyptios Ptolemaei, apud Athenienses Cecropidae. ℙ Alii nomen inde ductum volunt, quod *murra* unguentisque oblinerentur: vel quod oppidis *muro* clausis et cinctis praeessent, ut *murrani*, quasi *murani* dicantur. *B. A.*

MURRHA et Myrrha, ae, f. *μύρρα*, lapis quidam, ex quo pocula fiebant magni pretii: de quibus V. in MURRHINUS. Hinc per synecdochen de ipsis poculis dicitur. *Mart.* 4, 86. Nos bibimus vitro, tu myrrha, Pontice: quare? Prodat perspicuus ne duo vina calix. *Id.* 10, 80. maculosae pocula myrrhae. Adde 14, 113. et *Lucan.* 4, 380. [*ubi v. *Cort.*] ℙ Aliud est Myrrha, lacryma: de qua V. s. l. ℙ Sunt quibus placet *Murra* scribi sine adspiratione. Itaque in vet. marmore ap. *Grut.* 341. *Murra* nomen est equi circensis: fortasse quia maculosus. [*Cf. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 43.]

MURRHĀTUS. V. MYRRHATUS.

MURRHĔUS et Myrrheus, a, um, adj. ad murrham pertinens. *Prop.* 4, 5, 26. Murrheaque in Parthis pocula cocta focis. *Sen. ep.* 119. *med.* Utrum sit aureum poculum, an crystallinum, an murrheum, an Tiburtinus calix, an manus concava, nihil refert. V. v. sq. ℙ De myrrheo crine V. MYRRHEUS.

MURRHĪNUS et Myrrhinus, a, um, adj. ad murrham pertinens. *Murrhina* absolute sunt pocula, abaci, trullae ex murrha: de quibus haec habe ex *Plin.* 37, 2, 7. Oriens murrhina mittit. Inveniuntur enim ibi in pluribus locis, nec insignibus, maxime Parthici regni: praecipue tamen in Carmania. Humorem putant sub terra calore densari. Amplitudine nusquam parvos excedunt abacos: crassitudine vero, quanta dictum est vasi potorio. Splendor his sine viribus, nitorque verius, quam splendor. Sed in pretio varietas colorum, subinde circumcingentibus se maculis in purpuram, candoremque, et tertium ex utroque ignescentem, veluti per transitum coloris, in purpura, aut rubescente lacteo. Sunt qui maxime in his laudent extremitates, et quosdam colorum repercussus, quales in coelesti arcu spectantur. His maculae pingues placent: translucere, aut pallere quidquam, vitium est. Item sales, verrucaeque non eminentes, sed, ut in copore, etiam plerumque sessiles. Aliqua et in odore commendatio est. *Id. prooem. l.* 33. *f.* Murrhina et crystallina ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. *Hard.* ad haec verba adscribit, putasse aliquos, murrhina esse vasa porcellanica: [*A quorum partibus stant *Salm.* ad *Solin. c.* 15. *p. m.* 144. *Cardanus* et *Scalig.* in *Card. Exercitat.* 92. p. 327. *Anna Fabri* ad *Eutr.* 8, 13. *Ernest.* et *Oudendorp.* ad *Suet. Aug.* 71. et quos profert *Burm.* ad *Prop.* 4, 5, 20.] alios testam e concharum genere quopiam: alios induratam myrrham, et coloribus pictam; alios ipsum onychen. Sed nihil horum esse, verum lapidem sui generis, terra effossum, ut crystallum, ut ex *Plinio* apparet. [**a Veltheim* docet vasa fuisse ex Chinensium lapide, quem *Speckstein* appellamus; odorem, quem memorant veteres, artificiose allitum fuisse.] *Mart.* 3, 82. Opimianum morionibus nectar Crystallinisque, murrhinisque propinat. *Lampr. Elag.* 32. Onus ventris auro excepit: in myrrhinis et onychinis minxit. *Paul. Dig.* 33, 10, 3. *med.* De murrhinis, et crystallinis dubitari potest, an debeant adnumerari supellectili, propter eximium usum et pretium. *Plin.* 37, 2, 7. T. Petronius consularis moriturus, invidia Neronis principis, ut mensam ejus exheredaret, trullam murrhinam trecentis talentis emptam fregit; et *paulo sup.* Murrhinus calix septuaginta talentis emptus. ℙ Murrhinum vitrum est, quod picturae genere murrhina pocula imitatur. *Plin.* 36, 26, 67. ℙ De murrhina potione V. MYRRHINUS.

MURRHOBATHRĀRĬUS, ii, m. qui calceamenta muliebria variis odoramentis, et unguentis imbuit: a *μύρρα*, *myrrha*, seu *murrha*, et *βάθρον*, solum, solea. Legitur ap. *Pl. Aul.* 3, 5, 37. ubi alii *myrobathrarius*, a *μύρον*, unguentum: alii *malobathrarius*, *h. e.* qui malobathrum vendit: alii *myrobrecharius*, a *μύρον*, et *βρέχω*, tingo, ungo: [quod rectius videtur: nam ita legitur in *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 225. P. Junius P. L. Dionysius myrobrecharius. *F.*]

MURRĪCĪDUS. V. MURICIDUS.

*MURRĬO, is, n. 4. Clamare, proprie murium. *Gloss. Isid. B. A.*

*MURRO, as, n. 1. Murmurare *Gloss. Isidor. B. A.*

*MURSELLA, *Μυρσέλλα*. V. v. sq. *B. A.*

MURSENSIS et Mursiensis, e, adj. ad Mursam, seu Mursiam pertinens, quod est oppidum Pannoniae ad Dravum fluvium, circa ea loca, ubi nunc *Essek. Ammian.* 15, 5. Mursense proelium. *Hieron. adv. Lucifer. n.* 18. Valens Mursensis episcopus. Al. leg. *Mursiensis.* Ap. *Eutr.* 9, 8. et 10, 12. et ap. *Aurel. Vict. Epit.* 41. habetur *Mursia:* sed Graece est *Μύρσα*, Mursa. ℙ **Mursa major* in *Tab. Peut.* ℙ *Mursa minor* aliud opp. fuit, alteri vicinum. *Tab. Peut. Ptolemaeo Μυρσέλλα* est. V. *Murgillum. B. A.*

MURSĬA, Dea. V. NORTIA.

[MURSĪNUS, a, um, adj. idem ac Mursensis. *Aurel. Vict. Caesar.* 33. Gallienus Ingenuum Mursiae devicit, moxque Regalianum, qui receptis militibus, quos Mursina labes reliquos fecerat, bellum duplicaverat. *F.*]

MURTA.
MURTĀTUS.
MURTĔUS.
} V. MYRTUS, etc.

MURTĬUS, V. MURCIUS.

MŪRUS, i, m. *τεῖχος*, lapideus ambitus circa urbem, munimenti causa: a *moerus*, [nam antiquitus Latini *moirus* a *μοῖρα*, divisio, vel *μοιράω*, divido, deinde *moerus*, mox *murus*, ut prius *coiro*, dein *coero*, tandem *curo* scripserunt. *Inscr.* opt. notae ap. *Guarin. Ric. di Eclano* p. 93. Portas, turres, moiros, turresque aequas quum moiro faciundum coiraverunt. *F.*] Differt a *pariete*, qui est privatarum aedium. *Cic. N. D.* 3, 40. Muri urbis, quos vos, pontifices, sanctos esse dicitis. *Id. Cat.* 1, 5. Magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus intersit. *Id. Off.* 1, 11. Quamvis murum aries percusserit. *Caes. B. G.* 2, 12. Oppidum, propter latitudinem fossae, murique altitudinem, expugnare non potuit; et *ib.* 7, 65. Helvii intra oppida murosque compelluntur. *Nep. Them.* 6. Muros instruere. *Virg. A.* 1, 427. ducere. *Ov. Met.* 11, 204. aedificare. *Nep. Con.* 4. *extr.* dirutos reficere. *Id. Amilc.* 2. Hostes a muris removere. *Id. Them.* 7. Urbem muris sepire. *Virg. Ecl.* 4, 32. cingere oppida. *Just.* 14, 5. Praesidio murorum urbem includere. *Calp. Ecl.* 7, 48. ubi finis arenae, Proxima marmoreo peragit spectacula muro, *h. e.* podio. ℙ Dicitur etiam de privatis sepimentis. *Cic. Att.* 2, 4. *f.* De muro, imperavi Philotimo, ne impediret, quo minus id fieret, quod tibi videretur. *Tac. A.* 15, 43. Nec communione parietum, sed propriis quaeque muris ambirentur. In *vet. S. C.* ap. *Front. Aquaed.* 127. et 129. muri dicuntur ipsae aquaeductuum substructiones. ℙ *Muros* etiam vocabant quidam aggeres sine fossa. *Varr. R. R.* 1, 14. Aggeres qui faciunt sine fossa, eos quidam vocant muros, ut in agro Reatino. Adde *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 264. ℙ Ita etiam dici potest quodvis septum. *Juven.* 4, 132. testa alta paretur, Quae tenui muro spatiosum colligat orbem, *h. e.* ambitu, margine. *Plin.* 11, 37, 69. Cor munitum costarum et pectoris muro. ℙ *Muros* etiam dixit *Sil.* 9, 601. turres ligneas in tergis elephantorum. ℙ Translate est praesidium, munimentum, tutela. *Cic. Pis.* 4. Lex Aelia, et Fufia eversa est, propugnacula murique tranquillitatis atque otii. *Id. Cat.* 4, 11. Consulatus mei memoria dum erit vestris mentibus infixa, firmissimo me muro septum esse arbitrabor. *Just.* 14, 5. Murus urbi civium virtus. *Sall. Cat.* 61. *med.* Audacia pro muro habetur. *Ov. Met.* 13, 280. Grajum murus Achilles. *Claud. IV. cons. Honor.* 109. Non dabitis murum sceleri, *h. e.* perfugium et defensionem. Adde *Sil.* 16, 68. [*ibique *Drak.* Gr. *Ἕρκος Ἀχαιῶν. Il.* 1, 284. 3, 229. 6, 5.] ℙ Hinc murus etiam dicta legio Romana, ut a Graecis *τεῖχος* quoque dicebatur. *Veg. Mil.* 1, 20. Unde apud antiquos murus dicebatur pedestris exercitus, nisi quod pilatae legiones praeter scuta etiam cataphractis galeisque fulgebant? ℙ *Crinalem murum* vocat *Claud. in Eutr.* 2, 284. ornamentum capitis Cybeles matris Deum, quia turrita fingitur. ℙ **Murus, i*, opp. Rhaetiae. *Anton. Itin. B. A.*

MUS, muris, m. et f. *μῦς*, exiguum animal, incola domuum, penori, et vestibus, et chartis infestissimum, sed idem felium, et mustelarum insidiis ad necem semper quaesitum. *Cic. Att.* 14, 9. Tabernae mihi duae corruerunt, reliquae rimas agunt: itaque non solum inquilini, sed etiam mures migraverunt. *Id. Div.* 2, 27. *med.* Mures diem noctem aliquid rodentes. *Id. N. D.* 2, 63. Neque enim homines murium, aut formicarum causa frumentum condunt. *Charis.* 1, 110. hic legit *murum*, confirmatque auctoritate *Plinii l.* 6. de dub. serm.: Sed idem tamen *Plin. H. N.* pluribus in locis habet *murium:* quod sane est usitatius. *Virg. G.* 1, 181. saepe exiguus mus Sub terris posuitque domos, atque horrea fecit. *Hor. Sat.* 2, 6, 80. Rusticus urbanum murem mus paupere fertur Accepisse cavo. *Plin.* 10, 65, 85. Ex una mure genitos CXX. tradiderunt. *Pl. Pers.* 1, 2, 6. et *Capt.* 1, 1, 9. de parasitis: Quasi mures semper edimus alienum cibum. ℙ Creditur differre a sorice, quod

sorex major sit, clariusque strepat, et plus afferat detrimenti. *Plin.* 11, 50, 111. sorici tribuit caudam in ima parte setosam, ut bubus, et leoni; et 8, 57, 82. ex *Nigidio* tradit, sorices hieme condi: quae in nostros mures non conveniunt. Praeterea *ib.* docet, mures esse haud spernendum in ostentis etiam publicis animal: soricum occentu dirimi auspicia. *Colum.* 12, 31. Si quod animal in mustum ceciderit, et interierit, uti serpens, aut mus, sorexve. ℙ Multa sunt murium genera: domestici, agrestes, aranei, Pontici, Libyci, marini, etc. V. *Plin.* 8, 57, 82., 9, 19, 35., 10, 65, 85. et alibi. ℙ *Mures* interdum vocantur silvestres quaedam, feraeque bestiae minores, exterarum regionum, ut feles feri, vulpes, de quibus et in MURINUS dictum est: quorum pellibus ad vestes est usus. *Ammian.* 31, 2. de Hunnis: Indumentis operiuntur linteis, vel ex pellibus silvestrium murium consarcinatis. *Sen. ep.* 90. Hodieque magna Scytharum pars tergis vulpium induitur, ac murium, quae tactu mollia, et impenetrabilia ventis sunt. ℙ *Mus marinus*, piscis est ex iis, qui in mari quidem vivunt, sed in terram quoque aliquando exeunt. Is in terra effosso scrobe parit ova, et rursus terra obruit: tricesimo die refossa aperit, fetumque in aquam ducit. *Plin.* 9, 19, 35. et *ib.* 51, 76. ℙ *Mures Africani* Romanis olim dicebantur (ut opinatur *Lips. Elect. l.* 2. *c.* 4.) pantherae, cum primum iis visae, sicut elephanti Lucae boves. *Pl. Poen.* 5, 2, 51. mures Africanos praedicat In pompam ludis dare se velle aedilibus. Hoc tamen comice dictum putes; nam *Plin.* 30, 6, 14. mures Africanos intelligit simpliciter mures in Africa natos, quos decoctos, et in cibo sumptos pulmonum vitiis mederi, docet. ℙ Sunt et mures odorati, quorum pelliculas gestabant delicatiores, et bene olere cupientes. [*Moschus moschifer, *das Bisamthier.*] *Hieron. ep.* 127. *n.* 3. Rubri mari pretiosissima grana suspendere, fragrare mure. *Id. in Jovin.* 2. *n.* 8. Odoris suavitas, et diversa thymiamata, et amomum, et muscus, et peregrini muris pellicula, dissolutis et amatoribus convenit: μόσχος. ℙ Proverb. est illud *Sen. Apocol. med.* Venisti huc, ubi mures ferrum rodunt. Eo utimur, cum significare volumus, magnam loci ac rerum mutationem factam esse, et novas subito exortas esse difficultates, ut aliis omnino artibus ac moribus vivendum sit. (Mures aliquando ferrum rosisse, leges ap. *Plin.* 8, 57, 82. Et *Antigonus Carystius*, ut refert *Pier.* ad *A.* 3, 76., tradit, in Gyaro insula mures esse, qui ferrum abrodant.) *Id. ib. paulo post:* Romae mures molam lingunt: hic nobis curva corrigit. Aliud proverb. quo videtur significari, Romae omnia humano, et translaticio more fieri, nihilque agi, quod non et alibi usuveniat. Nam ubique mures molas lingunt, cum possunt: vel omnia Romae abundare, et deliciarum esse affluentiam: vel denique magnam ibi esse vivendi licentiam. ℙ Aliquando mus est convicium hominis vilioris ac sordidi. *Petr. fragm. Trag.* 58. *Burm.* Videbo te in publicum, mus, imo terrae tuber. ℙ Fuit etiam vox blandientis. *Mart.* 11, 29. Nam cum me murem, cum me tua lumina dicis, etc. Alii leg. *vitam.* ℙ Cur *murium pernicies* ab *Arnob.* 3. dictus sit Apollo, V. in SMINTHEUS. ℙ Fuit *Mus* cogn. R., ut P. Decius Mus ap. *Front. Aquaed.* 5., *Liv.* 10, 14. et *Plin.* 22, 5, 5.

MŪSA, ae, f. *Μοῦσα*, Dea, quae poeticae, et musicae, et ceteris liberalium artium disciplinis praeest. Varius est in fabulis Musarum numerus: sed plerumque novem feruntur. *Cic. N. D.* 3, 21. Jam Musae primae quatuor, natae Jove altero, Thelxiope, Aoede, Arche, Melete: secundae Jove tertio et Mnemosyne procreatae novem: tertiae Jove tertio Pierio natae, et Antiopa, quas Pieridas, et Pierias solent poetae appellare, iisdem nominibus, eodem numero, quo proxime superiores. Ap. *Auson. ep.* 4, 63. et tres, et octo, et novem memorantur. An te carminibus juvat incestare canoras Mnemosynes natas aut tres, aut octo sorores? (*Serv.* ad *A.* 1, 12. Musas multi novem, multi octo, multi septem dixerunt. Haec eadem habet *Arnob.* 3, 121.) *Id. Idyll.* 11, 30. Et Lyrici vates numero sunt Mnemosynarum, Tres solas quondam tenuit quas dextera Phoebi: Sed Citheron toties ternas ex aere sacravit Religione patrum, qui sex sprevisse timebant. Illustrat hunc *Ausonii* locum praeclare *August.* docens *Doctr. Chr.* 2, 17. ex *Varrone*, cum cujusdam oppidi cives locassent apud tres artifices terna simulacra Musarum, quod in templo Apollinis donum ponerent, ut quisquis artificum pulcriora formasset, ab illo potissimum electa emerent, factum esse, ut opera sua illi artifices aeque pulcra explicarent: et placuisse civitati omnes novem, et omnes esse emptas, ut in Apollinis templo dedicarentur: iis postea Hesiodum imposuisse vocabula. Ceterum tres tantum esse Musas, ex triplici sonorum genere. Aut enim assa voce sonum edi, ut in cantu; aut flatu, ut in tuba, et tibiis; aut pulsu, ut in citharis, et tympanis. ℙ Nihilominus novem celebrantur vulgo a poetis: quarum nomina, et officia complexus est *Auson. Idyll.* 20.

Clio gesta canens, transactis tempora reddit.
Melpomene tragico proclamat moesta boatu.
Comica lascivo gaudet sermone *Thalia.*
Dulciloquos calamos *Euterpe* flatibus urget.
Terpsichore affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens *Erato*, saltat pede, carmine, vultu.
Carmina *Calliope* libris heroica mandat.
Uranie coeli motus scrutatur, et astra.
Signat cuncta manu, loquitur *Polyhymnia* gestu.
Mentis Apollineae vis has movet undique Musas.
In medio residens complectitur omnia Phoebus.

[Ex his patet, *Clio* historiae, *Melpomenen* tragoediae, *Thaliam* comoediae, *Euterpen* tibiis, *Terpsichoren* lyricis cantibus sacra et heroica referentibus, *Erato* lyricis amatoriis, *Calliopen* epico carmini, *Uranien* astronomiae, *Polyhymniam* pantomimicis fabulis praeesse. Nomina Musarum primus recensuit *Hesiodus* in *Theogon. v.* 77.: earum vero figuras tabulis pictas videre est in *Pitture di Ercolano* T. 2. *tab.* 2. et sqq., marmore sculptas ap. *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 1. *tab.* 16. et sqq., aere incusas in nummis gentis Pomponiae apud *Morell. Num. Fam. R. tab.* 1, 2. et 3. quos docte illustravit *B. Borghesius* in *Dec. numism.* 6. *obs.* 1. *F.*] ℙ Haec tamen officia interdum a poetis confunduntur. *Virg. A.* 7, 37. Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum, etc. *Ov. Trist.* 2, 568. Quem mea Calliope laeserit, unus ego. ℙ A variis locis, in quibus habitare finguntur, dictae sunt Parnassides, Heliconides, Olympiades, Pierides, Thespiades, Hippocrenides, Pegasides, Castalides, Aonides, Pimplaeae, Libethrides, etc. de quibus V. ss. ll. ℙ Suum cuique locum in Coelo assignat *Capell.* 1, 11. Uranie sphaeram stellatam, Polyhymniae sphaeram Saturni, Euterpe Jovis, Erato Martis, Melpomene Solis, Terpsichore Veneris, Calliope Mercurii, Clio Lunae; Thaliam facit in Terra remanere, sed in campis virentibus, et multo flore conspicuis. ℙ A plerisque virgines dicuntur. Hinc *Juven.* 4, 36. narrate puellae Pierides: prosit mihi vos dixisse puellas. Sunt tamen qui matres faciunt, natosque iis tribuunt, Orpheum, Linum, Sirenas. *Serv.* ad *A.* 1, 12. ℙ Finguntur in Parnasso praecipue habitare, ibique simul choreis et cantu inter lauros exerceri, remotae a strepitu armorum et negotiorum, aeternam Phoebo praeside pacem tuente, et poeticum spiritum afflante. Habuere Romae templum una cum Hercule in circo Flaminio. V. MUSAGETES. [*Plut.* vero in *Quaest. Rom. c.* 9. perperam refert, primum Evandrum illud excitasse, edoctum ab Hercule litteras; eo nempe deceptus, quia in foro boario alia Herculis ara fuit, Maxima appellata, cum signo, quod ab Evandro sacratum fuisse narrat *Plin.* 34, 7, 16. *F.*] ℙ Metonymice *Musa* pro cantu et carmine ponitur. *Virg. Ecl.* 8, 5. Damonis Musam dicemus, et Alphesiboei. *Hor. Od.* 2, 1, 37. Musa procax. ℙ Item pro quavis disciplina liberali. *Cic. Tusc.* 5, 23. Quis est omnium, qui modo cum Musis, id est cum humanitate et cum doctrina habeat aliquod commercium, qui se non hunc mathematicum malit, quam illum tyrannum? *Id. Or.* 3. Forenses causas agrestioribus Musis reliquerunt. *Id. Fam.* 1, 9. *f.* Ab oratoribus disjungo me fere, referoque ad mansuetiores Musas, *h. e.* ad studia philosophica. ℙ [*Musarum volucres* appellat apes *Varr. R. R.* 3, 16. *med.*, quia cymbalis et plausibus reducuntur in locum unum. *F.*] ℙ *Crassiore Musa*, crassa Minerva, et sermone, qui ab omnibus intelligatur, nihil subtile habens, aut abstrusum. *Quint.* 1, 10. Libet, propter quosdam imperitiores, etiam crassiore, ut vocant, Musa dubitationem hujus utilitatis eximere. Sic *Musa pedestris* ap. *Hor.* est genus carminis tenui stilo, ac veluti domestico et translaticio, quale est Satyrarum: *Sat.* 2, 6, 17. Quem prius illustrem Satyris, Musaque pedestri? ℙ *Nulla Musa*, invita Musa, sine gratia, sine ingenio, sine doctrina. *Varr.* ap. *Non.* 6, 1. Cum tot comoedias sine ulla fecerit Musa, ego unum libellum non edolem? [*Mart.* 2, 89. Musis, et Apolline nullo. ℙ Est etiam cogn. R., ut Q. Pomponius Musa in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 283., et Pomponia Musa in *Inscr.* ap. *B. Borghesium Dec. numism.* 6. *obs.* 2. *F.*] ℙ *Antonius Musa, Augusti medicus, cujus meminere *Suet. Aug.* 59. et 81. *Hor. ep.* 1, 15, 3. *Plin.* 18, 8. et 19, 1. ℙ V. *Torrent.* ad priorem *Suet.* l. *B. A.*

MUSAEUM. V. MUSEUM.

MUSAEUS, i, n. poeta antiquissimus Orphei tempore, quem alii Lini filium, alii Orphei faciunt, cujus certe fuit discipulus, teste *Serv.* ad illud *A.* 6, 667. Musaeum ante omnes, etc. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 701, 3. M. Poblicius Musaeus.

MUSĀGĒTES, ae, m. *Μουσαγέτης*, a *Μοῦσα*, Musa, et *ἄγω*, duco, dux et comes Musarum. Est epitheton Graecum non solum Apollinis, sed etiam Herculis, qui ideo sic dictus est, quod et Musarum quies defensione Herculis, et virtus Herculis voce Musarum indiget, qua praedicetur. Fuit Romae aedes Herculis in circo Flaminio, in quam a M. Fulvio Nobiliore Musarum signa, quae Ambracia capta asportaverat, illata fuere: indeque *aedes Herculis Musarum* dicta est: quam postea L. Marcius Philippus Augusti vitricus instauravit, refecitque. Vocem *Musagetes* habes ap. *Eumen. Restaur. schol.* 7. rem ipsam *ib.* et ap. *Suet. Aug.* 29., *Ov. Fast.* 6, 799., *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 4. etc.

*MUSAGŌRES. V. v. sq. *B. A.*

*MUSAGŌRI, orum, insulae tres maris Aegaei, Cretae adjacentes. *Mela* 2, 7. *med.* ℙ *Musagores* audiunt *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[MUSĀNUS, i, m. ad Musas pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1333, 7. Q. Cejonius Musanus. *F.*]

MUSCA, ae, f. *μυῖα*, parvum animal volatile: a Graeca voce allata, *s* inserto, more antiquo. [**Lünemannus* a *μυΐσκα*, dimin. v. *μυῖα*, deducendum censet.] *Varr. R. R.* 3, 16. Non ut muscae liguriunt. *Mart.* 3, 82. Fugatque muscas myrtea puer virga. ℙ *Puer abige muscas*, ap. *Cic. Or.* 2, 60. dictum de homine importuno, et molesto. Simile est illud *Catulli* 116, 4. neu conarere Infestum telis icere, musca, caput. ℙ *Ne musca quidem*, respondit Vibius Crispus cuidam interroganti, solusne esset in cubiculo Domitianus, quod ille imperator soleret arcu per otium muscas venari; quod in proverbium transiit. *Suet. Dom.* 3. ℙ Muscam *Pl. Merc.* 2, 3, 26. vocat curiosum hominem, et hac illac discurrentem; et *Poen.* 3, 3, 76. muscas pro parasitis posuit, qui ad aliorum coenas non vocati advolant. ℙ Fuit cogn. R., ut T. Sempronius Musca ap. *Liv.* 45, 13.

MUSCĀRIUM, ii, n. *σόβη*, flabellum, quo muscae abiguntur. *Mart.* 14, 67. cui lemma *Muscaria pavonina:* Lambere quae turpes prohibet tua prandia muscas, Alitis eximiae cauda superba fuit. ℙ Item peniculus ad detergendum pulverem. *Id. ib.* 71. cui titulus *Muscarium bubulum:* Sordida si flavo fuerit tibi pulvere vestis, Colligat hunc tenui verbere cauda levis. *Muscarium bubulum* est cauda bovis, quae in extremo villosa et hirta est, ideo muscis abigendis, et detergendo pulveri idonea. *Veg. Vet.* 4, 1. 2. 3. et 4. sic vocat caudam ipsam equinam. ℙ Ab horum similitudine sic etiam appellatur coma quarundam herbarum, ut foeniculi, ferulae, florum sambuci, etc. *σκιάδιον. Plin.* 12, 26, 57. Semine in muscariis dependente. ℙ [*Muscarium* videtur quoque esse armarium, in quo tabulae publicae membranaceae, aut chartaceae condebantur, ne a muscis inquinarentur, quemadmodum nunc Itali *moscojuola* dicunt repositorium illud, in quo cibi eadem de causa reconduntur. *Inscr.* ap. *Romanelli Viagg. a Pompei* p. 168. Tabulae positae in muscario CCCVIIII. *F.*]

MUSCĀRIUS, a, um, adj. ad muscas pertinens. *Plin.* 29, 6, 38. Aranei muscarii tela, *h. e.* muscarum venatoris. ℙ *Muscarii clavi* dicuntur a *Vitr.* 7, 3. *f.* qui sunt capite latiore, et in modum umbellae, cujusmodi sunt comae quarundam herbarum, quae ideo *muscaria* appellantur. V. v. praec.

[MUSCELLĀRIUM, ii, n. idem ac muscipula. *Gloss. Philox.* Muscellarium, viverrarium, *γαλεάγρα. F.*]

MUSCERDA, ae, f. *μυοκόδον*, murium stercus. *Plin.* 29, 6, 34. Praeterea, ut *Varro* noster tradit, murinum fimum, quod item muscerdas appellat. Adde *Festum*: *Muscerdas prima syllaba producta stercus murum adpellant. *B. A.*

MUSCIDUS, a, um, adj. musco obsitus, muscosus. *Sidon. ep.* 8, 16. Muscidi pumices.

MUSCIPŪLA, ae, f. et Muscipulum, i, n. *μυόφονον*, instrumentum ad capiendos mures. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 868. et 4, 404. Muscipula contenta; et *Varr. R. R.* 1, 8. *med.* Si parit humus mures, minor fit vindemia, nisi totas vineas oppleris muscipulis: quod in insula Pandataria faciunt. *Phaedr.* 4, 1. Qui saepe laqueos, et muscipula effugerat. *Sen. ep.* 48. Verendum est, ne quando in muscipula syllabas capiam, aut ne caseum liber comedat. *Gloss. Philox.* Muscipulum, *μυάγρα.* Et in plur. Muscipula, *παγίδες.*

[MUSCIPŪLĀTOR, oris, m. qui mures muscipula captat. Translate. *Gloss. Isid.* Muscipulator, deceptor, alterplex. *F.*]

MUSCO, as. V. EMUSCO.

*MUSCŌSE, adv. *Sidon. Carm.* 2. *B. A.*

MUSCOSUS, a, um, adj. *μυώδης, βρυώδης*, musco abundans, musco obsitus. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. *f.* *Ἀποδυτηρίῳ* nihil alsius, nihil muscosius. *Virg. Ecl.* 7, 45. Muscosi fontes, et somno mollior herba. *Varr. R. R.* 1, 9. *med.* Prata retorrida, et muscosa. *Plin.* 12, 1, 5. Saxeae crepidinis corona muscosus complexa pumices. *Id.* 16, 8, 13. E glandiferis sola aegilops fert panos arentes, muscoso villo canos.

MUSCŪLA, ae, f. parva musca. *August. Trin.* 7, 3. Scyniphes musculae sunt brevissimae, qua tertia plaga superbus populus Aegyptiorum caedebatur. *Arnob.* 2, 74. Ut ferarum paterentur aliae laniatus, muscularum aliae ut interirent veneno, [*h. e.* cantharidum. *F.*]

MUSCŪLOSUS, a, um, adj. *μυώδης*, musculis instructus. *Cels.* 4, 1. Cor natura musculosum; et

5, 20. Si nervosus, aut musculosus is locus est. ℙ Item torosus. *Colum.* 8, 2. *med.* de gallis gallinaceis: Lata et musculosa pectora, lacertosaeque similes brachiis alae. *Id.* 6, 37. *med.* de asino admissario: Sit amplissimi corporis, pectore musculoso et vasto, feminibus lacertosis. ℙ [*Musclosus* pro *musculosus* est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 337. Pompejus Musclosus agitator circensis. *F.*]

MUSCŬLUS, i, m. *μυῶν*, parvus mus. *Cic. Div.* 2, 14. Musculorum jecuscula bruma dicuntur augeri. *Plin.* 27, 7, 28. Absinthium litteras a musculis tuetur. ℙ Est et nomen piscis (a similitudine figurae) balaenae amicitia nobilis, quando praegravi superciliorum pondere obrutis ejus oculis, infestantia magnitudinem vada praenatans demonstrat, oculorumque vice fungitur: quae sunt verba *Plinii* 9, 62, 88. Hoc idem, tacito nomine, versibus persequitur *Claud. in Eutr.* 2, 425. ℙ Etiam concharum cuidam generi nomen musculi est. *Cels.* 3, 6. *f.* Uti cibo exiguo, maximeque oleribus, vel jure etiam concharum, musculorumve, aut locustarum. *Id.* 2, 29. inter ea, quae alvum movent, recenset ostrea, pelorides, echinos, musculos, et omnes fere conchulas. Adde *Pl. Rud.* 2, 1, 9., ubi alii leg. *mytilus:* videtur autem *musculus* idem esse ac *mytilus.* ℙ In corpore animalis vocatur *musculus* instrumentum motus, [**Die Maus, das Mäuschen*] scil. membrum constans fibris nervosis intertextis, vena, arteria, et membrana sepiente. In illud immittitur nervus, qui spiritum deferat, quo musculus intumescit, et alterutram e duabus partibus movet, quibus infixus est. Infigitur autem fere in ipsa ossa. Ex una parte caput habere dicitur, ex altera caudam, seu tendinem, ut vocant: itaque conformatus alicubi est, ut parvum murem quodammodo referat. Sunt autem musculi in corpore animalis ubicumque movere membra debent, ac paene totidem, quot sunt ejus motus. *Cels.* 5, 26. *n.* 3. *extr.* et 22. Inflammatio timeri potest, ubi laesum est vel os, vel nervus, vel cartilago, vel musculus; et 8, 1. Maxillae alter processus sub osse jugali subit, et super id temporum musculis illigatur. ℙ Aliquando latiore significatione accipitur pro toro, et carne. *Lucan.* 9, 771. de tabescente ex veneno: sine ullo Tegmine poples erat: femorum quoque musculus omnis Liquitur. ℙ Translate *Plin. ep.* 5, 8. *med.* Hanc *(historiam)* saepius ossa, musculi, nervi: illam *(orationem)* tori quidam, et quasi jubae decent. ℙ Est etiam hoc nomine machina militaris, obsidendis urbibus adhibita, qua tecti milites, aut materia apportata fossas complebant, aut vectibus muri fundamenta convellebant. Tradit *Veg. Mil.* 4, 16., ejus usum fuisse etiam, ut sub ea milites terram solidarent, munirentque viam turribus ambulatoriis, dum muros accederent: unde nomen ei factum a marinis musculis, qui balaenis praenatant, et vada demonstrant. Majoris musculi formam ita describit *Caes. B. C.* 2, 10. Duae primum trabes in solo, aeque longae, distantes inter se pedes IV. collocantur, inque eis columellae pedum in altitudinem V. defiguntur. Has inter se capreolis molli fastigio conjungunt, ubi tigna, quae musculi tegendi causa ponant, collocentur. Eo super tigna bipedalia injiciunt, eaque laminis clavisque religant. Ad extremum musculi tectum, trabesque extremas, quadratas regulas IV. patentes digitos defigunt, quae lateres, qui super musculo struantur, contineant. Ita fastigiato, atque ordinatim structo, ut trabes erant in capreolis collocatae, lateribus lutoque musculus, ut ab igne, qui ex muro jaceretur, tutus esset, contegitur. Supra lateres coria inducuntur, ne canalibus aqua immissa lateres diluere posset. Coria autem, ne rursus igni, ac lapidibus corrumpantur, centonibus conteguntur. Examinat haec omnia, atque illustrat *Lips. Poliorc. l.* 1. *dial.* 9. [Musculi vero figuram *Guischardus* (*Mémoir. milit.* T. 2. p. 58. *tab.* 2.) exhibuit Caesarianae descriptioni maxime congruam. ℙ Item nomen parvae navis, quam Veneti nunc vulgo *topo* vocant. *Isid. Orig.* 19, 1. Longae naves sunt, quas dromones vocamus: dictae eo quod longiores sint ceteris: quibus contrarius musculus, curtum navigium. *Not. Tir.* p. 178. Cymbula, musculus, lembus. *F.*]

MUSCUS, i, m. *βρύον*, villosa illa lanugo, quae in arboribus ac saxis provenit, qualem videmus circa fontes et loca humida, qualis etiam est illa, quae in mari petris innascitur, ac mari innatat, unde et in litus evolvitur, ac projicitur, quae alter *alga* dicitur. [*Etymon ducunt a Gr. *μόσχος.*] *Cato R. R.* 6. Arbori muscus ruber molestus erit. *Colum.* 5, 9. Plerumque locis siccis, et humidis arbores musco infestantur. *Ov. Met.* 8, 563. molli tellus erat humida musco. *Sil.* 15, 778. antra virentia musco. *Hor. Ep.* 1, 10, 7. musco circumlita saxa. *Virg. Ecl.* 6, 62. Phaethontiadas musco circumdat amarae Corticis, *h. e.* cortice muscoso et amaro. ℙ *Muscum*, qui a *Hieron. in Jovin.* 2. *n.* 8. inter odoramenta recensetur, quidam putant esse illum, quem ex cujusdam animalis Indici vomica erui, *Actius* tradit, *μόσχος.* [V. *Hieron. l. c.* in MUS. *F.*]

MŪSAEĀRĬUS et Museiarius, ii, m. idem ac musivarius. *Edit. Diocl.* p. 19. Marmorarius, musaearius, albarius. *Inscr.* ap. *Grut.* 586, 3. T. (corrige *Ti.*) Julius Aug. Lib. Nicephor*us* museiar*ius* fecit, etc. V. MUSIVARIUS.

MŪSEĬUS, i, m. idem ac Museus. Est cogn. R. V. *Inscr.* in FACIO.

MŪSĒUM, i, n. (rectius quam Musaeum, est enim Graece *Μουσεῖον*) sacrarium Musarum, locus ubi Musae colebantur, et responsa reddebant: cujusmodi fuisse in Macedonia ad Olympum montem scribit *Philostrat. in vita Apollon.* Accipitur pro loco, seu aedificio, quo litterarum et studiorum causa homines conveniunt, quale fuit celeberrimum Alexandriae, in quo publico sumptu viri docti quamplures alebantur, ut litteris vacarent. *Suet. Claud.* 42. et *Spart. Hadr.* 20. ℙ *Varr. R. R.* 3, 5. narrat, habere se sub oppido Casino, in insula fluminis, Museum; quemadmodum *Cic. Leg.* 2, 1. narrat sibi fuisse villam Arpinatem in insula, quae est in Fibreno, ubi ille solebat disputare. ℙ Latinam consuetudinem sequuntur ii, qui ita appellant ea loca, in quibus reponuntur et asservantur veterum monumenta, litterata marmora, et quaecumque ad rem nummariam, et naturae historiam spectant, et alia hujusmodi *κειμήλια* artium, studiorum ac litterarum causa collecta. Museum enim est quasi Musarum sedes; Musae vero nusquam alibi habitare libentius splendidiusque possunt, cum doctrinarum velut antistitae, et artium praesides habeantur, ut ait *Morcell. Inscr. comment. subject.* p. 242. *ed. Patav.* ℙ Musea item in aedificiis appellantur opera ex pumicibus, et saxis erosis construeta, ad specus imaginem arte reddendam. *Plin.* 36, 21, 42. ℙ In quibusdam libris legitur *Musium* pro *Museum.* Et quia *Musion* invenitur etiam pro *Musivo*, hinc fit, ut *Museum* aequivaleat utrique, et in unam saepe significationem coalescant. V. MUSIVUM.

MŪSĒUS, a, um, adj. *Μουσεῖος*, ad Musas pertinens. *Lucr.* 2, 412. Ac Musea mele, per chordas organici quae Mobilibus digitis expergefacta figurant; et 1, 932. Museo contingere cuncta lepore. Etiam *Appul. Met.* 2. Orpheum *Museum valem* dixisse videtur.

MŪSĬA, ae, f. Mysia, vetere usitatoque Latinis more, Graecam *v* in *u* vertendi, ut *Suria* pro *Syria*, *Sulla* pro *Sylla*, et sexcenta alia. *Donat.* ad *Ter. Hec.* 1, 2, 8.

*MŪSĬAE, arum, Soricum nidi. *Gloss. Isid. B. A.*

MŪSĬCA, ae, et Musice, es, f. *μουσική*, scientia, quae modum canendi demonstrat: a *Musis.* Antiquis signabat universe humanitatis studia, idque ex vi nominis. V. MUSICUS. Sed posteriores modulationi numerorum speciatim id nomen tribuerunt. *Cic. Or.* 3, 33. Num geometriam Euclide, aut Archimede, num musicam Damone, aut Aristoxeno tractante, etc.? *Auson. epist.* 10, 43. Socci, et cothurni musica, *h. e.* poesis comica, et tragica. ℙ Ap. Graecos antiquos tantae venerationis fuit, ut iidem musici et vates, et sapientes judicarentur. Cujus scientiae cum se imperitum Themistocles confessus esset, ut ait *Cic. Tusc.* 1, 2., habitus est indoctior. *Quint.* 1, 10. Musice antiquis temporibus tantum venerationis habuit, ut, etc. ℙ *Occultae musicae nullus est respectus*, Graecum proverb. usurpatum a Nerone, causas prodeundi in scenam quaerente, ut est ap. *Suet. Ner.* 20. *Τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος*: vel *Οὐδὲν ὄφελος ἀποῤῥήτου καὶ ἀφανοῦς τῆς μουσικῆς.* Significat autem, animi dotes si non proferas, perinde esse, quasi non habeas. Etiam *Eccli.* 20, 32. Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quae utilitas in utrisque? *Gell.* 13, 30. Nosti verbum illud in Graecia vetus, musicam, quae sit abscondita, eam esse nulli rei. Adde *Ov. A. Am.* 3, 397. ℙ Musicae inventor fuit Amphion juxta *Plin.* 7, 56, 57. [At multo rectius *Lucr.* 5, 1378. et sqq. ex avium imitatione musicam ortam fuisse putat, quod his verbis confirmat *Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) p. 235. Vocis modulatae amatores primas audisse feruntur aves vernas luco opaco. *F.*]

*MUSĪCĀNI, orum, populi Indiae, ad Indum flumen. *Curt.* 9, 8. ℙ Hinc *Musicanus*, *a*, *um*, adj. *Id. ib.* Finibus Musicanis in ditionem receptis. *B. A.*

MŪSĬCĀRĬUS, ii, m. musicorum instrumentorum artifex. *Inscr.* ap. *Grut.* 654, 1. Colocasio vernae dulciss. et musicario ingeniosissimo, etc.

MŪSĬCĀTUS, a, um, adj. ad musicae artis regulas factus. *Appul. Trismeg.* Ut Dii musicatis hominum cantilenis concelebrarentur laudibus. Al. leg. *inusitatis.*

MŪSĬCĒ, adv. *μουσικῶς.* Musice aetatem agere, *h. e.* concinne et eleganter, alii interpretantur splendide, delicate, laute, et alienis sumptibus. *Pl. Most.* 3, 2, 40. Musice hercle aetatem agitis, ita ut vos decet; Vino, et victu, piscatu probo, electili Vitam colitis. Huc pertinet Graecum proverb. *Ἀκαινα ἀοιδοὶ θύομεν*, nos cantores sacrificamus sine fumo. Et aliud *Αὐλητοῦ βίον ζῇς*, tibicinis vitam vivis. Nam musici, cum alios oblectent arte sua, opipare haberi ab iis solent: et tibicines, cum in sacrificiis canant, de pontificum mensa laute vivunt, atque adeo sine fumo, seu impensa coenam coquunt.

MŪSĬCE, es. V. MUSICA.

MŪSĬCUS, a, um, adj. *μουσικὸς*, ad musicam pertinens. *Cic. Leg.* 2, 15. *med.* Plato negat mutari posse leges musicas sine mutatione legum putari posse leges musicas sine mutatione legum publicarum. *Phaedr.* 4, 19. Qui tristis audis musicum citharae sonum. *Quint.* 1, 12. *med.* Musicis modis cantica excipere. *Gell.* 19, 9. Ingenium facile ac libens ad rem musicam. *Plin.* 29, 1, 5. Herophilus in musicos pedes venarum pulsus descripsit. ℙ *Musica*, *orum*, musica ars. *Cic. Or.* 1, 42. In musicis numeri, et voces, et modi: in geometria lineamenta, formae, intervalla: in astrologia coeli conversio, etc. et *ib.* 30. Dedere se musicis. *Id. Tusc.* 5, 22. Musicorum perstudiosus. ℙ *Musicus*, *i*, musicae artis peritus. *Cic. Off.* 1, 41. In fidibus musicorum aures minima sentiunt. *Id. Tusc.* 2, 4. *f.* Si absurde canat is, qui se haberi velit musicum. ℙ Est etiam *musicus*, ad litteras, humanitatem, et praesertim ad poeticam pertinens. Musae enim his omnibus praeesse dicuntur. *Cic. Or.* 3, 44. Namque haec duo, musici, qui erant quondam iidem poetae, machinati ad voluptatem sunt versum, atque cantum. *(Musicum* de poeta usurpat *Auson. epist.* 11. et *epist.* 21. *f.*) *Ter. Heaut. prol.* 23. Applicare se ad studium musicum, *h. e.* comicam poesim. Sic *Phorm. prol.* 18. Artem musicam tractare. *Gell. praef. f.* Ut haeç commentaria ne attingat, neve adeat profestum et profanum vulgus, a ludo musico diversum, *h. e.* studio litterarum, aversum a Musis. ℙ *Musicus pes* a *Diomed.* 3, 478. enumeratur inter pentasyllabos, constans longa, brevi, longa, et duabus brevibus, ut *temperantia.*

MŪSĬGĒNA, ae, comm. gen. Musa genitus, Musae filius. *Rufin. de compos. et metr. orat. in.* Musigenae numeros vates, et metra sequuntur.

MŪSĬMO et Musmo, onis, m. *μούσμων*, animal ex duobus animalibus diversae speciei procreatum. *Non.* 2, 530. Musimones, asini, muli, aut equi breves. *Cato ib.* Asinum, aut musimonem, aut arietem. *Lucil. ib.* Pretium emit, qui vendit equum musimonem. *Plin.* 8, 49, 75. Est et in Hispania, sed maxime Corsica, non maxime absimile pecori genus musmonum, caprino villo, quam pecoris velleri propius. *Eugen. Toletan. carm.* 22. dicit, musimonem esse ex capra et ariete; quod verbis *Plinii* valde congruit. ℙ Ad illud *Virg. G.* 3, 446. udisque aries in gurgite villis, etc. adscribit *Servius:* Musimonem dicit ducem gregis, quem ita et Varro commemorat. [*Isid. Orig.* 12, 1. *f.* Musmo ex capra et ariete: est autem dux gregis. *F.*]

MŪSĬNOR. V. MUGINOR. *f.*

MŪSĬVĀRĬUS, ii, m. artifex musivi operis. *Imp. Constant. Cod. Just.* 10, 64, 1. et *Cod. Theod.* 13, 4, 2. Intestinarii, statuarii, musivarii. V. GYPSOPLASTES et MUSAEARIUS.

MŪSĬUM, ii. V. MUSEUM.

MŪSĬVUM, i, n. opus lapidibus concinne contextum, varieque picturatum, cujusmodi videre est Venetiis in aede Divi Marci: ita appellatum videtur, quod esset quasi Musarum manibus elaboratum, vel quod sic saepe exornarentur Musea, seu aedes Musis dicatae, in quas viri litterati conveniebant. V. MUSEUM: est autem a *Musium*, digammate Aeolico, seu consona *v*, ut saepissime alias, duabus vocalibus interjecta. V. MUSEUM. Musivum porro dixere generatim veteres omne opus, quod sive marmoreis, sive vitreis lapillis summa arte consertis picturam imitatur vel ad pavimenta, vel ad parietes, vel ad cameras exornandas: ejus species multiplex; *tessellatum*, quod tessellis, lapillis scilicet quadratis vel quadrangulis constat; *vermiculatum*, cum iidem ea sunt figura, ut vermiculos imitentur; *sectile*, Itali dicunt *a commesso*, *a compartimento*, cum e crustis modo trigonis, modo quadratis, modo hexagonis inter se junctis pro figurarum varietate componitur; *musivum* autem proprie dicitur, cum pro marmoreis vitrei sunt lapilli, hique aliquando una cum illis mixtim adhibiti, varieque ita colorati, ut picturae speciem prorsus referant: hujusmodi musivum circa Vespasiani Aug. tempora Romae usitatum fuisse ex *Plin.* 36, 25, 64. constat. *Spart. Pesc.* 6. Hinc in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de musivo videmus, sacra Isidis ferentem. *Treb.* XXX. *Tyr.* 24. Accipiens ab his coronam civicam picturatam de musivo: hic alii leg. *museo. August. C. D.* 16, 8. Hominum genera, quae in maritima platea Carthaginis musivo picta sunt. ℙ Adjective. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 39. Et hoc amplius pro sua liberalitate cameram superposuit, et opere museo exornavit. [*Hujus loci amplificandi atque emendandi egregie curam gessit *F.*]

MUSMO. V. MUSIMO.

[MŪSŌGĒNES, is, m. a Musis genitus: ex *Μοῦσα* et *γένομαι*, nascor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 281. Q. Junius Musogenes. *F.*]

*MUSONIĀNUS, a, um, adj. ad Musonium spectans. *Ammian.* 15, 13. *B. A.*

*MUSONĬUS, i, m. philosophus fuit non incelebris, cujus hoc luculente vereque dictum refert *Gell.* 16, 1. Ἂν τι πράξῃς καλὸν μετὰ πόνου, ὁ μὲν πόνος οἴχεται, τὸ δὲ καλὸν μένει. Ἂν τι ποιήσῃς αἰσχρὸν μετὰ ἡδονῆς, τὸ μὲν ἡδὺ οἴχεται, τὸ δὲ αἰσχρὸν μένει. Adde 9, 2. et 18, 2. *in. B. A.*

MUSSĀTĬO, onis, f. mussitatio, actus mussandi. *Ammian.* 20, 8. Salutem mussatione quaeritabam, et latebris. Alii leg. *simulatione.*

*MUSSĪNI, orum, populi Numidiae. *Plin.* 5, 4. *B. A.*

*MUSSITABUNDUS, a, um, adj. *μύζων Onomast. Vet. B. A.*

MUSSĪTĀTĬO, onis, f. actus mussitandi. *Appul. Met.* 8. *p. in.* de canibus venaticis: Tacitaque prius servata mussitatione, signo sibi repentino reddito, latratibus miscent omnia. *Hieron. in Isaj. praef.* 9. Invidorum livorem et mussitationem garrulam contemnentes. *Adde *Tert. de pudic.* 7. et 9. *B. A.*

*MUSSITĀTOR, oris, m. *Vet. Gloss.* Mussitator, ὀπογογγυστής. Cf. *Vulg. Iesai.* 29, 24. *B. A.*

MUSSĪTO, as, n. 1. *μύζω*, frequent. a *musso.* [*Primo loco ea poni debebant exempla, in quibus intransitive dictum est. Noster secundo collocaverat.] *Pl. Mil.* 2, 5, 65. quid propius fuit, Quam ut perirem, si locutus fuissem hero! *P.* ergo, si sapis, Mussitabis. *Pl. Cas.* 3, 5, 33. insectatur omnes domi per aedes, nec quemquam Prope ad se sinit adire: ita omnes sub arcis, sub lectis Latentes metu mussitant. Adde *Truc.* 2, 2, 57. P [*Transitive cum accus. Noster laudaverat:] *Ter. Ad.* 2, 1, 53. Accipienda et mussitanda injuria adolescentium est. Ubi *Donatus* notat, proprie *mussitare* esse dissimulandi causa tacere. *Pl. Mil.* 3, 1, 119. Illi inter se certant donis, ego haec mecum mussito: Bona mea inhiant, etc. *Id. Ps.* 1, 5, 85. Non a me scibas pistrinum in mundo tibi, Cum ea mussitabas? *Appul. Apol.* Hunc illa timorem mussitabat, adversari propalam non audebat. *Liv.* 1, 50. Jam enim ita clam quidam mussitantes, vulgo tamen eum appellabant.

MUSSO, as, avi, atum, a. 1. *μύζω*, submissa voce loquor, clam murmuro: a *mutio.* [*nostr. *mucken*, *mucksen.*] *Varr. L. L.* 6, 5. *f.* ducit ex eo, quod muti non amplius quam *μῦ* dicunt: *μῦ* autem Latine *mu* vertitur. *Liv.* 33, 31. Soli Aetoli id decretum clam mussantes carpebant. *Id.* 7, 25. Mussantes inter se rogitabant, num, etc. *Pl. Merc. prol.* 49. Summo haec clamore, interdum mussans. *Virg. A.* 11, 454. Flent moesti, mussantque patres. *Stat. Th.* 3, 92. Excussae procerum mentes, turbataque mussant Concilia. P Dicitur interdum de haerentibus et dubitantibus. Qui enim dubitat, secum ipse tacitus loquitur, nec rem clare aperit. Item de iis, qui timent, neque se explicare audent, sed dissimulant. Unde fit, ut et pro tacere accipiatur. *Virg. A.* 12, 657. mussat rex ipse Latinus, Quos generos vocet, aut quae se ad foedera flectat. *Lucr.* 6, 1177. mussabat tacito medicina timore, *h. e.* haerebat dubia, quodnam inusitato morbo remedium afferret. *Plin. ep.* 7, 1. Cum mussantes medicos repente vidissem. *Virg. A.* 11, 344. cuncti se scire fatentur, Quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant. *Sall. in or. Licin. ad pleb.* L. Sicinius, primus de potestate tribun. loqui ausus, mussantibus vobis circumventus erat. *Caecil.* ap. *Fest.* in *Summussi.* Quod potes, sile, cela, occulta, tege, taee, mussa, mane. *Virg.* commode transtulit ad boves, *A.* 12, 718. Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencae, Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur. P Passive. *Pl. Aul.* 2, 1, 12. Aequum non est occultum id haberi, neque per metum mussari, Quin participem pariter ego te, et tu me ut facias. P Pro tacere est etiam illud *Ennii* ap. *Fest.* Non decet mussare bonos. Corrigunt *critici:* Non decet hic mussare bonos: *vel*, Namque decet, etc. *Servius* et *Philargyr.* alium *Ennii* locum referunt ad *G.* 4, 188. Non possunt mussare boni, qui facta (al. *tanta*) labore Nixi militiae peperere. P Quod addit *Serv.* ad *A.* 12, 657. ex *Clodio Tusco:* Mussare est ex Graeco, comprimere oculos: Graeci *μύσαι* dicunt: Corrigendum est *comprimere labia*: id enim valet Graecum verbum. P Pro murmurare, bombum edere. *Virg. G.* 4, 188. de apib.: Fit sonitus, mussantque oras et limina circum. P In illo *Varr.* ap. *Non.* 4, 125. et 306. Discumbimus mussati, dominus matura ova ad coenam committit: *musati* videtur esse participium a *mussor, aris*, dep.

MUSTĀCE, es, f. lauri genus maximo folio, ita dictum, quod mustaceis subjiceretur. *Plin.* 15, 30, 39.

MUSTĀCĔUM, i, n. et Mustaceus, i, m. *οἰνοῦτα*, edulii genus, forma oblonga, et ad lauri folia, quibus imponebatur, composita, quod convivis post coenam discedentibus pro apophoretis distribuebatur, cujusque conficiendi rationem docet his verbis *Cato R. R.* 121. Mustaceos sic facito: farinae siligineae modium unum musto conspergito: anisum, cyminum, adipis pondo duo, casei libram, et de virga lauri deradito, eodem addito: et ubi definxeris, lauri folia subtus addito, dum concoques. *Juven.* 6, 200. Si tibi legitimis pactam, junctamque tabellis Non es amaturus, ducendi nulla videtur Causa, nec est, quare coenam, et mustacea perdas, Labente officio, crudis donanda. *Cic. Att.* 5, 20. *med.* Laureolam in mustaceo quaerere: *proverb.* V. LAUREOLA.

MUSTĀRĬUS, a, um, adj. ad mustum pertinens. *Cato R. R.* 11. Urceos mustarios decem.

[MUSTECŪLA, ae, f. dimin. mustelae. *Auct. carm. Phil.* 61. Mus avidus mintrit, velox mustecula dintrit. Alii leg. *velox mustelaque dinfrit. F.*]

MUSTĒLA, ae, f. *γαλῆ*, animal quadrupes parvum, sed oblongum, flavi coloris, muribus, columbis, gallinis infestum. Duo autem, inquit *Plin.* 29, 4, 16., sunt genera: alterum domesticum, quod in domibus nostris oberrat, et catulos suos, ut auctor est Cicero, quotidie transfert, mutatque sedem, serpentes persequitur: alterum silvestre, distans magnitudine, Graeci *ἰκτίδα* vocant. *Pl. Stich.* 3, 2, 43. Certum est mustelae posthac nunquam credere. Nam incertiorem nullam novi bestiam. Quaene et ipsa decies in die mutat locum. V. GALANTHIS. Lepidas de ea fabellas habet *Phaedr.* 1. 22., 4. 1. et 5. P Est etiam genus piscis marini, et fluviatilis, cujus meminit *Plin.* 9, 17, 29. et 32, 9. 37., item *Enn.* ap. *Appul. Apol.* et *Col.* 8, 17. Fluviatilem quidam esse putant quam Itali *lampreda* vocant, et sequioris Latinitatis auctores *lampetram.* [*A lambendis petris, nunc lampetras nominant. *Spontin.* ap. *Gesner.* Petromyzon marinus, L. Alii dicunt, esse, quem nos dicimus *Bricke*, *Neunauge*, Petromyzon fluviatilis, L. Alii accipiunt pro *Aalraupe*, Gadus Lota, L.] P Legitur et *Mustella.* [*Inscr.* ap. *Reines. cl.* 20. *n.* 368. Hic requiescit dulcis mustella Gordianus filius. *F.*]

MUSTĒLĀTUS, a, um, adj. a mustela, ut Mustelatum peplum, *h. e.* colore mustelino tinctum, ap *Appul. Met.* 2, ut quidem nonnulli legunt. Sed alii omnino aliter.

MUSTĒLĪNUS, a, um, adj. *γαλεώδης*, ad mustelas pertinens. *Plin.* 30, 14, 43. Utriculus mustelinus. *Ter. Eun.* 4, 4, 22. vetus, victus, veternosus senex, Colore mustelino, *h. e.* sublivido. V. hic *Donat.* [*Bentl., prob. *Ruhnk.*, leg. *colore stellionino*, i. e. instar stellionis. Rationes apud ipsum v.] P Legitur et *mustellinus.*

[MUSTELLĀGO, inis, f. *Appul. Herb.* 58. Mustellago terrestris herba eadem ac laurago, chamaedaphne. *F.*]

MUSTELLĀRĬUS vicus Romae, qui memoratur a *Varr. L. L.* 4, 8. *f.*, ponitur ab *Onuphr. Panvin.* in regione Urbis sexta, et antiquus extra ordinem fuisse dicitur.

MUSTĔUS, a, um, adj. *γλεύκιος*, succo abundans, et sapore musti: item recens, quia recentia teneriora, et succosiora esse solent. V. MUSTUS. *Cato R. R.* 7. et *Varr. R. R.* 1, 59. Mala, quae antea mustea vocabant, nunc melimela appellant. *Plin.* 15, 14, 15. Mala mustea, a celeritate mitescendi: quae nunc melimela dicuntur, a sapore melleo. *Colum.* 9, 15. *f.* Ubi liquatum mel in subjectum alveum defluxit, transfertur in vasa fictilia, quae paucis diebus aperta sint, dum musteus fructus defervescat. *Mart.* 13, 55. Musteus petaso. *Plin.* 11, 42, 97. caseus. *Id.* 12, 7, 14. Musteum piper, *h. e.* recens decerptum. *Id.* 13, 4, 9. Musteae palmae. *Id.* 37, 3, 11. *n.* 2. Succinum liquidum primo destillare, argumento sunt quaedam intus translucentia, ut formicae, aut culices, lacertaeque, quas adhaesisse musteo, non est dubium, et inclusas indurescenti. P Quod *Varro* dicit ap. *Non.* 4, 438. Pueri in aedibus saepius pedibus offensant, dum recentes musteos in carnario fluitare suspiciunt: *musteos recentes* videtur intelligere petasones, vel farcimina, vel larida recentia, aut hujusmodi: et fortasse v. *recentia* glossema est. *Plin. ep.* 8, 21. *f.* Non dubito cupere te pro cetera mei caritate, quam maturissime legere hunc adhuc musteum librum, *h. e.* novum, recentem. P *Naev.* ap. *Non.* 2, 518. Utrum est melius, virginemne, an viduam uxorem ducere? virginem, si mustea est, *h. e.* adolescens, et succi plena. Alii leg. *musta.*

*MUSTI, orum, populi Africae Propriae, in Zeugitana, non longe a Bagrada flumine, adeoque in confinio Numidiae. *Anton. Itin.* et *Vibid. Seq.* P Hinc *Musitanus, a, um*, adj. ut Antonianus Musitanus, Episcopus. *Notit. B. A.*

[MUSTĪCENSIS, e, adj. ad Mustim pertinens, Africae proconsularis oppidum juxta Bagradam fluvium, a *Vib. Sequestri* memoratum. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 458, 3. Musticensium Decurionum Decreto. *F.*]

MUSTĪCUS. V. MYSTICUS.

[MUSTĬO, onis, m. idem ac bibio, q. v. v. s. l. *F.*]

MUSTRĪCŌLA, ae, f. est machinula ex regulis, in qua calceus novus suitur. Afranius, Mustricolam in dentes impingam tibi. Haec *Fest.* P Legitur et *mustricula*, quae in *Gloss. Isid.* dicitur esse machina ad stringendos mures.

MUSTŪLENTUS, a, um, adj. musto abundans, musteus. *Pl. fr.* ap. *Non.* 1, 322. et 4, 476. Nam ita mustulentus aestus nares attigit. *Non.* altero loco *ventus* habet pro *aestus*, et *obtigit* pro *attigit. Appul. Met.* 2. Mustulentus autumnus; et *ib.* 9. Mustulentae autumni deliciae.

MUSTUM. V. in v. sq.

MUSTUS, a, um, adj. *νέος*, novus, recens, novellus: fortasse a *μόσχος*, tener. *Cato* ap. *Prisc.* 6, 711. De agna musta pascenda. *Id. R. R.* 115. In vinum mustum veratri manipulum conjicito. *Mart.* 13, 120. et *Prud. adv. Sym.* 1, 127. Mustum Falernum. V. MUSTEUS. P *Mustum* absolute est vinum novum, nondum purgatum, *γλεῦκος. Cato R. R.* 120. Mustum si voles totum annum habere, in amphoram mustum indito, et corticem oppicato, demittito in piscinam, post XXX. diem eximito: totum annum mustum erit. *Virg. G.* 1, 295. Dulcis musti humor. *Plin. ep.* 9, 16. Mustum novum. *Id. alter* 23, 1, 18. Musta differentias habent naturales has, etc. *Mart.* 1, 19. In Vaticanis condita musta cadis. *Tibull.* 1, 1, 6. pleno pinguia musta lacu. *Ov. Am.* 1, 15, 11. mustis uva tumebit. *Id. Met.* 14, 146. Tercentum messes, tercentum musta videre, *h. e.* tercentum aestates, totidem autumnos, uno verbo tercentum annos: metalepsis. P *Musta olei*, est recens oleum. *Plin.* 15, 1, 2. Consequens olearum vindemia est, arsque vel major olei musta temperandi. Ita *Hard.* ex MSS.; alii leg. *olei*, *quam musta.* P [*Translate. *Cic. Brut.* 83. quasi de musto ac lacu fervidam orationem fugiendam. V. in LACUS.]

MŪTA, ae, f. Dea, quae et Lara, et Larunda, Larium mater, una ex Najadibus, quam ob intemperantiam linguae Juppiter usu loquendi privavit. *Ov. Fast.* 2, 583., *Lact.* 1, 20. *med.*

MŪTĂBĬLIS, e, adj. *μεταβλητικός*, *εὐμετάβολος*, qui facile mutatur. *Virg. A.* 4, 569. varium et mutabile semper Femina. *Hor. Ep.* 2, 2, 189. Vultu mutabilis. *Cic. N. D.* 3, 12. Omne corpus mutabile est. *Liv.* 2, 7. Mutabilis vulgi animus. *Val. Max.* 6, 9. *n.* 14. Quid hujus conditione inconstantius, aut mutabilius? *Porcius Latro decl. in Cat.* 16. Mutabilissimae sunt Deorum voluntates.

MŪTĂBĬLĬTAS, atis, f. *ἀστασία*, *εὐκινησία*, mobilitas. *Cic. Tusc.* 4, 35. Haec inconstantia mutabilitasque mentis quem non ipsa pravitate deterreat?

MŪTĂBĬLĬTER, adv. *Varr.* ap. *Non.* 2, 548. Instabilis animus ardens mutabiliter avet habere, et non habere.

MŪTĀTĬO, onis, f. *μεταβολή*, actus mutandi, conversio, motus. *Cic. Phil.* 12, 2. *extr.* Consilii mutatio optimus est portus poenitenti. *Id. Acad.* 4, 38. Ut nulla vis tantos queat motus mutationesque moliri. *Id. Off.* 1, 33. Mutationem facere. *Plin.* 28, 8, 29. de chamaeleone: Nullum animal pavidius existimatur, et ideo versicoloris esse mutationis, *h. e.* in varios colores mutari. *Cic. Att.* 8, 3. *med.* Multi mutationis rerum cupidi. Sic *Tac. A.* 3, 44. Cupido mutationis. (Adde *Just.* 40, 2. et *Suet. Galb.* 8.) P [*Item permutatio, commutatio, vicissitudo, vices: nostr. *Wechsel*, *Tausch.* Huc pertinet locus, quem Noster supra laud., *Ter. Eun.* 4, 4, 4. Mutatio vestis. Item *Plin.* 13, 4, 8. sedis. Adde *Hirt. B. G.* 8, 52. mutatio locorum; et *Plin. ep.* 3, 19, 4. Habet multum jucunditatis soli coelique mutatio ipsaque illa peregrinatio intersita. *Cic. Tusc.* 4, 35. Loci mutatione, tanquam aegroti non convalescentes, saepe curandus est (sc. homo). *Vell.* 2, 75, 2. Fortunae mutationes. *Suet. Aug.* 34. Matrimoniorum crebra mutatione.] *Cic. Off.* 1, 7. Communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, *h. e.* permutatione, vicissim officia tribuendo, ut in mercatura et mercibus fieri solet. *Lambin.* leg. *mutuatione.* [*Non improb. *Orell.*] P Hinc in cursu publico *mutatio* est locus, ubi equi evectionis mutantur. *Impp. Arcad.* et *Hon. Cod. Theod.* 8, 5, 53. et *Cod. Just.* 12, 51, 15. Videtur etiam esse ipse veredus, qui mutatur. *Ammian.* 21, 9. Praefectus praetorio vectus mutatione celeri cursus publici, transitis Alpibus, etc. P [*Voce mutationis *Quint. Inst.* 9, 3, 92. interpretatur, quam *Rutil.* p. 7. *Pith. ἀλλοίωσιν* vocat, figuram elocutionis, qua dissimilitudo hominum, rerum, factorumque ostendatur; eamque, si latius fiat, figuram non esse, si angustius, in *ἀντίθετον* cadere, judicat. *Ernest.* in *Lex. techn. Lat. rhet.* p. 258.]

MŪTĀTOR, oris, m. qui mutat, *μεταποιητής*. *Val. Fl.* 6, 161. comitumque celer mutator equorum Moesus, *h. e.* desultor. *Lucan.* 10, 202. mutator circulus anni, *h. e.* Zodiacus, quia per eum sol decurrens mutationes temporum facit. *Stat. Silv.* 5, 2, 135. mutatoresque domorum Sauromatas. *Lucan.* 8, 854. mercis mutator Eoae, *h. e.* mercator. *Arnob.* 3, 119. Mercium commerciorumque mutator.

MŪTĀTORĬUS, a, um, adj. ad mutandum pertinens. *Tert. Resurr. carn.* 56. Mutatorium indumentum. P [*Mutatoria tussis* ap. *Pelag. Veter.* 6. Ad tussem mutatoriam (*equorum*) Pelagonii. *Sarchianius* Italus interpres ita vertit: *Ricetta di Pelagonio per la tosse de' cavalli di cambiatura.* P

Mutatorium, absolute est vestis mutatoria. *Hieron. in Isaj.* 2, 3, 22. Mutatoria, quae significantius Symmachus transtulit *ἀναβόλαια*, ornamenta sunt vestium muliebrium, quibus humeri et pectora proteguntur. *F.*] ℙ *Mutatorium Caesaris*, locus fuit Romae in regione prima, apud *Sext. Ruf.* et *Publ. Victor.* Quidam putant fuisse privatas aedes ad secessum, et delicias, quas pro anni tempore mutaret Caesar. Alii locum, ubi Caesar iturus ad bellum, togam sago mutaret. *Inscr.* ap. *Gud.* 199, 7. C. Julio Psebio (lege *Psefio* pro *Psephio*) C. L. procur. mutatorii Caesaris.

MŪTĀTUS, a, um, part. a *muto*, *ἀλλαχθείς*, conversus, immutatus. *Cic. Rosc. Am.* 36. Videte nunc, quam versa et mutata in pejorem partem sint omnia. *Id. Fam.* 5, 21. Cum alii interierint, alii absint, alii mutati voluntate sint. *Id. Div. Verr.* 1. Mutata voluntate ad accusandum descendere. *Stat. Th.* 2, 655. ille nihil vultum mutatus. *Virg. A.* 2, 274. Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis! *Ov. Met.* 15, 46. e nigro color est mutatus in album. *Hor. Sat.* 2, 2, 58. Ac, nisi mutatum, parcit defundere vinum: *ἐκχεοπίαν οἶνον*. [*Nostr. *umgeschlagen*. V. *Turneb. Advers.* 7, 9.] *Plin.* 12, 25, 54. Balsamum melle mutatum, [*i. e. corruptum, depravatum.] ℙ Translatus. *Virg. G.* 2, 50. tamen haec quoque si quis Inserat et scrobibus mandet mutata subactis, Exuerint silvestrem animum. [*Adde *ib. v.* 33. Mutatamque insita mala Ferre pirum. — Utrumque locum varie tentarunt; sed frustra.] ℙ Mutata verba, inquit *Cic. Or.* 27., ea dico, in quibus pro verbo proprio subjicitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti, *h. e.* per metonymiam immutata, ut cum Africam pro Afris *Ennius* posuit, ut *ib.* subjicitur. Distinguuntur autem a *translatis*, quae *Cic. ib.* ita vocat, cum per metaphoram efferuntur. Ap. *eund. Part.* 5 et 7. genus dicendi *versum*, seu *conversum atque mutatum* opponitur *sua sponte fuso:* explicaturque *ib.* accurate. ℙ Transformatus. *Virg. A.* 1, 662. ut faciem mutatus, et ora Cupido Pro dulci Ascanio veniat. *Id. Ecl.* 6, 78. Aut ut mutatos Terei narraverit artus. *Ov. Met.* 1, 1. In nova fert animus mutatas dicere formas Corpora; et *ib.* 6, 115. et *ib.* 9, 81. Te quoque mutatum torvo, Neptune, juvenco Virgine in Aeolia posuit. ℙ Motus. *Lucr.* 1, 909. Atque eadem paulo inter se mutata creare Ignes e lignis. *Petr. Sat.* 124. Sentit terra Deos, mutataque sidera pondus Quaesivere suum. Haec *Gronov. Observ.* 3, 1.

MŪTĀTUS, us, m. idem ac mutatio. *Tert. Pall.* 4. *med.* Incredibili mutatu.

*MUTĒNUM, i, opp. Pannoniae inferioris. *Ant. Itin. B. A.*

MŪTESCO, is, n. 3. *κωφάομαι*, mutus fio, obmutesco. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 9, 40, 17. Omnia mutescant tempora. *Paul. Nol. carm.* 24, 407. vaniloquas docuit mutescere linguas. *Appul. Trismeg.* p. 91. *Elmenh.* Omnis vox divina necessaria taciturnitate mutescet. *Capell.* 9, 308. Cuncta illa, quae dissona suavitas commendarat, velut mutescentia tacuerunt.

*MUTGO, onis, rex Tyri, pater Pygmalionis et Elissae vel Didonis. *Just.* 18, 4. ℙ *Belum* eum appellat *Virg. A.* 1, 621. (al. 625.) *B. A.*

*MUTHUL, fluvius Numidiae. *Sall. B. J.* 48. (al. 51.) *B. A.*

MŪTĬCUS, a, um, adj. mutilus. Spica mutica, inquit *Varr. R. R.* 1, 48., dicitur, quae non habet aristam: eae enim quasi cornua sunt spicarum.

*MUTĬLA, ae, f. Istriae oppidum. *Liv.* 41, 11. *B. A.*

[MŪTĬLĀGO, inis, f. herba eadem ac tithymalus. *Appul. Herb.* 108. *F.*]

MŪTĬLĀTĬO, onis, f. *ἀκρωτηριασμὸς*, *κολόβωσις*, actus mutilandi. *Cels.* 7, 9. Quod etsi in levi mutilatione fallere oculum potest, in magna non potest. Hic *Targa* tum in prima, tum in altera *Celsi* editione adnotat, vocem *mutilatio* nulla Codd. auctoritate fretum induxisse *Lindenium*, ideoque ipse ex antiquis editionibus habet *mutatione*. Ceterum legitur ea vox in *Gloss. Philox.* Mutilatio, *ἀκρωτηρίασις*. [*Emendavit hunc locum *F.*]

*MŪTILĀTOR, oris, m. ap. *Celsum. B. A.*

MŪTĬLĀTUS, a, um, part. a *mutilo*, *κολοβωθείς*, truncatus, abscissus. *Ov. de nuce* 37. At mihi saeva nocent mutilatis vulnera ramis. *Id. Met.* 6, 559. mutilatae cauda colubrae Palpitat. *Plin.* 8, 5, 5. Elephas altero dente mutilato. *Liv.* 29, 9. Ipsum hostiliter lacerant, naso auribusque mutilatis. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 3, 12. *med.* In Galliam mutilatum duxit exercitum, *h. e.* diminutum. Sic *Imp. Gord. Cod.* 11, 33, 1. Mutilatum patrimonium.

MŪTĬLO, as, avi, atum, a. 1. *κολοβόω*, *ἀκρωτηριάζω*, trunco, abscindo, partem detraho, abrumpo, deminuo. *Curt.* 9, 2. *med.* Corpora securibus falcibusque mutilare; et 7, 5. *f.* Mutilare alicui aures et nares. *Spart. Hadr.* 14. Moverunt ea tempestate et Judaei bellum, quod vetabantur mutilare genitalia, *h. e.* praeputium praecidere. ℙ Translate. *Ter. Hec.* 1, 1, 7. Te moneo et hortor, ne cujusquam misereat, Quin spolies, mutiles, laceres, quemque nacta sis. V. ADMUTILO. ℙ *Mutilare verba*, trunca efferre. *Plin.* 7, 16, 15. Dentes serie structurae atque magnitudine mutilantes mollientesve, aut hebetantes verba. ℙ Pro deminuere. *Imppp. Valent. Theodos. et Arcad. Cod.* 11, 42, 2. Si quis florentissimae urbis commoda voluerit mutilare, aquam ad suum fundum ex aquaeductu publico derivando. *Impp. Constant. et Licin. ib.* 7, 22, 2. Sola temporis longinquitate libertatis jura minime mutilari oportet.

*MUTĬLUM, i, n. opp. Galliae cispadanae, cum castro, inter Gabellum et Scultennam flumina. *Liv.* 31, 2. et 33, 37. ubi *Castrum Mutilum* appellatur. ℙ *Cellario* vulgo est *Medolo;* aliis *Modigliana. B. A.*

MŪTĬLUS, a, um, adj. *κολοβός*, *κόλος*, truncatus, mancus, curtus, aliqua sui parte carens, sine qua recte esse non potest: a *μίτυλος* seu *μυτίλος*, quod idem significat: et proprie dicitur de quadrupedibus cornuti generis, sed cornu carentibus, ut capris, etc. *Colum.* 7, 6. Mutila capella; et *ib.* 3. Mutilus aries. *Varr. L. L.* 8, 26. bos. *Caes. B. G.* 6, 26. Alces mutilae sunt cornibus. *Hor. Sat.* 1, 5, 6. o, tua cornu Ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, cum Sic mutilus miniteris? ℙ De aliis rebus. *Liv.* 37, 24. Claudae mutilaeque naves. Al. leg. *mutilataeque. Gell.* 17, 9. Truncae atque mutilae litterae. *Appul. Met.* 1. Grabatulus uno pede mutilus. ℙ Mutilum caput Sileni, ap. *Nemes. Ecl.* 3, 33. est calvum, depilatum, glabrum. Hinc *admutilare* tondere ad cutem, et translate emungere, spoliare, V. ℙ *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 7, 13, 10. mutilos appellant, qui sibi digitos amputarunt ad declinandum onus militiae. V. MURCUS. ℙ Translate. *Cic. Or.* 53. Animus aurium nuncio naturalem quandam in se continet vocum omnium mensionem. Itaque et longiora, et breviora judicat, et perfecta et moderata semper exspectat: mutila sentit quaedam, et quasi decurtata, etc. *Id. ib.* 9. *f.* Mutila quaedam et hiantia loqui. ℙ *Mutilus* substant. V. MITULUS.

*MUTĪNA. V. in MUTINENSIS. *B. A.*

MŪTĪNENSIS, e, adj. ad Mutinam pertinens, quae est urbs Galliae togatae in Aemilia via, quondam Tuscorum colonia. In ea M. Antonius D. Brutum obsedit: quem Octavianus liberavit. *Juven.* 16, 23. Declamatoris Mutinensis corde Vagelli. *Ov. Fast.* 4, 627. tamen hac Mutinensia Caesar Grandine militia contudit arma sua.

MŪTĪNUS seu Mutunus, i, m. Deus idem qui Priapus, cujus conditionibus insidere nova nupta jubebatur, suam illi pudicitiam veluti delibandam praebens. Haec ex *Lactant.* 1, 20. *f.*, *Arnob.* 4, 131., *August. C. D.* 4, 11., *ib.* 6, 9. et *ib.* 7, 24. et *Tert. Apol.* 25.: ita fortasse est appellatus a frequenti penis mutatione, seu motitatione. ℙ Ejus sacellum Romae fuisse in Veliis, docet *Festus* in *Mutini Tinini Sacellum;* inde postea translatum ad vicesimum sextum lapidem: ubi mulieres ei faciebant, togis praetextis velatae. Ipse autem *Festus* Mutinum Titinum vocat, quia etiam *Titinus* seu *Tutinus* aut *Tutunus* ejus Dei nomen erat. ℙ Item ipsum fascinum. *Auct. Priap.* 74. rubro, Priape, furibus minare mutino. ℙ Ad illud *Lucil.* ap. *Non.* 1, 34. Nam quid Mutino (al. *Moetino*, al. *Mutuno*) subrectoque huic opu' signo, Ut lurcaretur lardum, et carnaria furtim? etc. *Scalig.* in *Priapej.* adscribit, Mutinum *Lucilio* esse *σφαγίδα* vel *φυλακτήριον:* nam pudenda pro amuletis suspendi e collo pueris, auctorem Varronem esse. Ex *Lucilio* vero nos cognoscere, etiam signis notam veretri apponi, velut *προβασκάνιον* quoddam. Haec *Scal.* ℙ Alia ad h. v. pertinentia habet *Voss.* in *Etym.* in *Muto.*

MŪTĬO et Muttio, is, ivi, n. 4. verbum exprimens sonum syllabae *mu* vel *mut.* Unde videtur proprium infantium, mutorum, canum, etc. syllabas non explanantium, et pro iis eum sonum edentium. *Auct. carm. Philom.* 58. At mutire capris, hirce petulce, soles. ℙ Fere ponitur pro submissa voce loqui, timide dicere, mussare, vel minimam vocem emittere, vel unum verbum proferre. *Pl. Amph.* 1, 1, 225. Etiam muttis? *So.* jam tacebo. *Id. Bacch.* 4, 7, 2. impinge pugnum, si muttiverit. *Id. Men.* 5, 1, 11. Muttire unum verbum audes, aut mecum loqui? *Ter. Andr.* 3, 2, 25. nihil jam mutire audeo. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Enn.* ap. *Fest.* et ap. *Phaedr.* 4. *f.* Palam mutire, plebejo piaculum (al. *periculum*) est. *Pers.* 1, 119. Men' mutire nefas nec clam, nec cum scrobe? *Petr. fragm. Trag.* 61. *Burm.* Solebas suavius esse in convictu: nunc taces, nec mutis. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 1, 176. et 4, 46.

*MŪTISTRATĀNUS vel Mutustratanus, a, um, adj. ad Mutistratum vel Mutustratum pertinens, quod oppidum fuit Siciliae, *Μουτίστρατος Zenarae*, *Μυτίστρατος Polybio*, hodie autem *Mistretta*. Hinc *Mutustratani, orum*, dicti sunt incolae. *Plin.* 3, 8. ℙ *Amestratus* est *Cic. Verr.* 2, 1, 43. V. AMESTRATUS. *B. A.*

*MŪTISTRĀTUS, i, V. in v. praec. *B. A.*

*MŪTĪTAS, atis, f. *Gloss. Gr. Lat. ἀφωνία*, mutitas. *B. A.*

[MŪTĪTĀTĬO, onis, f. mutua, vel alterna conviviorum agitatio. *Verr. Flacc.* in *Kalend. Praenest.* ad prid. Non. April. (ed. *Fogginio*) Ludi M. D. M. I. Megalensia vocantur, quod ea Dea Megale appellatur. Nobilium mutitationes censarum solitae sunt frequenter fieri, quod Mater Magna ex Libris Sibullinis arcessita locum mutavit ex Phrygia Romam. V. MUTITO. *F.*]

MŪTĪTĬO et Muttitio, onis, f. actus mutiendi. *Pl. Amph.* 1, 3, 21. Quid tibi hanc curatio est rem, verbero, aut mutitio? *h. e.* quid curas, aut mutis?

MŪTĪTO, as, a. 1. frequent. a *muto*, vetus verbum, quod significat, mutua agitare convivia, epulas vicissim commutare. V. MUTITATIO. *Gell.* 2, 24. Principes civitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent, id est, mutua inter se convivia (al. *dominia*) agitarent. *Id.* 18, 2. *f.* Quam ob causam patricii Megalensibus mutitare soliti sunt, plebes Cerealibus? Hinc *Ov. Fast.* 4, 353. Cur vicibus factis ineant convivia, quaero, Tum magis, indictas concelebrentque dapes. Quod bene mutarit sedem Berecynthia, dixit, Captant mutatis sedibus omen idem.

MŪTĪTUS, a, um, part. a *mutio*. *Ter. Hec.* 5, 4, 26. neque opus est Adeo mutito, *h. e.* vel tenui dicto, ut exponit *Donat.* Al. leg. neque opus est: adeo mutito, *h. e.* taceto.

MŪTĬUS. V. MUCIUS.

MŪTO, as, avi, atum, a. 1. [*Hujus loci ordinem, ut quem minus recte Noster instituisset, novum prorsus eumque meliorem hunc fecisse videmur. *Mutare* frequentativa forma est verbi *movere*, scil. contractum ex *movitare*. V. *Doederl.* 3, 268. Hinc primum significat loco movere, aliquo transferre: cujus notionis exempla *Forc.* partim §§. 2. et 3., partim cum ceteris mixta haec laudaverat: Primum quidem *Lucil.*, qui ap. *Non.* 4, 313. dixit: mutare aliquid aliquo, *h. e.* transferre in aliquem locum. Tum sequi debebat alius locus *ejusdem. ib.* Mihi quidem non persuadetur, publice ut mutem meos. Alii pro *publice* legunt *pulices:* Quae paratim adscripta erant §. 11. ita ut *mutare* pro *derelinquere* positum *Forc.* dixisset. Quod falsum est: *mutare* signif. h. l. abigere, missum facere, *fortschicken.* Hinc *mutare se*, i. e. se movere de loco ad locum. *Pl. Amph.* 1, 1, 117. neque se septentriones quoquam in coelo commovent, Neque se luna quoquam mutat. *Hor. Sat.* 2, 7, 64. illa tamen se Non habitu mutatve loco: ubi v. *Heindf.* — Ita etiam passive dicitur. *Cic. Balb.* 13. Ne quis invitus civitate mutetur, i. e. transportetur ex una in alteram. *Ov. Pont.* 1, 1, 79. Inque locum Scythico vacuum mutabor ab arcu; et *Trist.* 5, 2, 73. Hinc ego dum muter, vel me Zanclaea Charybdis Devoret. *Liv.* 5, 46. *extr.* Mutari finibus. V. in MUTATUS, *a, um*. Disputat de hoc dicendi genere *Gronov.* in *Observv.* p. 213. sq. *ed. Frotsch.* ℙ Ex movendi, amovendi, abigendi notione descendit permutandi, vicissitudinis significatio, scil. movere rem loco, et aliud quid in vicem ejus substituere. Huc primum pertinent ea, in quibus *mutare* de mercatura usurpatum, quae ante invectam pecuniam, mercium commutatione constabat, Gr. *μεταβάλλειν*, *μεταλλάττειν*, *μεταμείβειν τι*. *Forc.* haec laudaverat: *Virg. Ecl.* 4, 38. nec nautica pinus Mutabit merces: omnis feret omnia tellus. *Hor. Sat.* 1, 4, 29. Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo Vespertina tepet regio. [*V. *Heindf.* qui recte *mutare* h. l. de mercatore, i. e. *Grosshändler*, dictum accipit: coll. *Juven.* 5, 54. Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti Rugosum piper et pallentis grana cumini: Gr. *διαλλάττεται*. V. *Plat. Soph.* 19.] et *ib.* 2, 7, 109. puer uvam Furtiva mutat strigili. *Sall. Jug.* 48. Pecoris et mancipiorum praedas agere, eaque mutare cum mercatoribus vino advecticio; et *ib.* 21. Mutare res inter se instituerant. [*V. *Cort.* ad h. l. Adde *Ov. Trist.* 1, 2, 76. Latum mutandis mercibus aequor aro.] *Colum.* 7, 9. Lactens porcus aere mutandus est; et *Pall.* 8, 4. *f.* Debiles quaeque oves pretio mutentur. *Pl. Capt. Prol.* 27. Coepit captivos commercari hic Alios, Si quem reperire posset, cum quo mutet suum Illum captivum; at *Lindem.*, q. v., legit: *qui mutet suum*, cet. ℙ Tum poterant ea sequi, ubi *mutare* de migrantibus, domicilium quacumque de causa permutantibus dictum. Huc ex iis, quae *Forc.* collegerat, pertinent ista: *Cic. Balb.* 11. tum vero jus omne noster iste magister mutandae civitatis ignorat; quod est, judices, non solum in legibus publicis positum, sed etiam in privatorum voluntate. Jure enim nostro neque mutare civitatem quisquam invitus potest, neque si velit, mutare non potest, modo adsciscatur ab ea civitate, cujus esse se civitatis velit. *Hor. Od.* 1, 17, 1. Velox amoenum saepe Lucretilem Mutat Lascaeo Faunus. *Plin.* 2, 48, 49. Typhon locum ex loco mutans rapida vertigine; et *ib.* Volucres sedem ex sede mutantes. *Hor. Od.* 2, 16, 18. quid terras alio calentes Sole mutamus? *Id. Carm. saec.* 39. Justa pars mutare lares, et urbem Sospite cursu. *Ov. Fast.* 6, 665. Exsilio mutant urbem, Tiburque recedunt. *Curt.* 3, 7. *med.* Sisines exsilium patria sede mutaverat. *Cic. Par.* 4. *med.* Omnes impii, quos exilio affici

volunt, exsules sunt, etiamsi solum non mutarunt. [*Adde *Lucan.* 8, 217. Et totum mutare diem, i. e. ex alia coeli plaga in aliam ire. V. *Cort.*] ℙ Porro huc trahi debent ista: [**Suet. Tib.* 41. Tribunos mil., Praefectos, provinc. praesides mutare, i. e. alios summittere, alios instituere.] *Cic. in Sen.* 5. *f.* Cum vestem mutandam censuissetis, cunctique mutassetis: [*ubi de iis loquitur, qui in luctu sunt.] V. VESTIS. [**Suet. Tib.* 2. mutare vestes: ubi de reo sermo est.] *Ter. Eun.* 3, 5. 24. Vestem cum aliquo. [**Suet. Tib.* 14. et 58. mutare vestimenta.] *Caes. B. C.* 3, 11. Jumenta ad celeritatem. V. MUTATIO. *Quint. Inst.* 12, 5. *f.* mutari colore: quod fieri solet in metu. [**Buttmann.* legit mutare colorem; in confirmationem alterius formulae *mutari colore* laudat *Tac. A.* 4, 54. vultu et sermone flecti.] *Prop.* 2, 12, 7. (al. 15, 9.) Quam vario amplexu mutamus brachia: proprium hoc est eorum, qui se mutuo amplexantur. Hinc ap. *Lucr.* 4, 790. pro vulg. mollia membra movere Mollia mobiliter cum alternis brachia mittant: al. leg. *mutant*, fortasse rectius. — *Mutare nomina* amicarum solebant amatores, ne invidi eorum amori possent nocere. *Prop.* 2, 15, 31. Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua, Absenti nemo ne nocuisse velit. — *Mutare orationem* ap. *Cic. Or.* 31. est ita dicere, ut modo simplici dicendi genere, modo temperato, modo gravi, pro re utamur. Alio sensu v. MUTATUS. — *Sen. ep.* 58. *med.* Una syllaba est, quam mutare non possum: quae haec sit, quaeris? *τὸ ὄν.* ℙ Hinc in universum significat formam, statum, rationem cet. alicujus rei ita missam facere, ut aliud quid pro eo appareat, omnino quidem non, sed parte modo quadam diversum. Quo differt a *vertere*, quod mutationis penitus factae notionem continet. V. *Doederl.* 3, 268. Gr. *μεταποιέω.* Ita et in bonam et in malam partem usurpatur.] *Cic. Or.* 18. Ergo ille princeps mutabit, variabit, omnes sonorum persequetur gradus. *Id. Or.* 3, 45. Oratio ad omnem rationem mutatur et vertitur. *Plin. Pan.* 24. Nihil in ipso te fortuna mutavit. [**Schwarz.* et qui eum secutus est *Gierig.*, q. v., leg. nihil ipsa te fortuna mutavit.] *Tac. A.* 14, 23. Facilis mutatu gens. *Phaedr.* 4, 16. Faciem ad serenam subito mutatur dies. *Quint.* 1, 1. Bona facile mutantur in pejus. *Plin.* 7, 4, 3. Ex feminis mutari in mares. *Quint.* 1, 5. Negat, quidquam ex Latina ratione mutandum. *Ter. Andr.* 5, 4, 46. De uxore, ita ut possedi, nihil mutat Chremes. *Cic. Mur.* 29. et 30. Mutare sententiam. *Id. Fam.* 4, 4. consilium. *Id. Brut.* 91. consuetudinem dicendi. *Id. Prov. cons.* 10. *extr.* mentem et voluntatem. *Id. Cluent.* 11. testamentum. *Petr. Sat.* 116. et *Phaedr.* 3. *prol.* propositum. [**Vell.* 2, 82, 2. Cum fortunam non animum mutasset: ubi v. *Ruhnk.* qui laud. *Sall. fr.* p. 999. Malae secundaeque res opes, non ingenium mihi mutabant.] *Plin. ep.* 5, 16. gaudium moerore. *Hor. Ep.* 1, 1, 100. quadrata rotundis. *Id. Od.* 1, 16, 26. tristia mitibus; et *ib.* 34, 12. ima summis. *Liv.* 1, 36. *f.* quippiam de re aliqua. *Sall. Jug.* 85. incerta pro certis. *Ter. Phorm.* 3, 2, 27. et *Pl. Mil.* 4, 1, 36. fidem cum aliquo, [*i. e. perdere. Ceterum in *Plauti* loco simpliciter legitur *fidem mutare.* Ad *Ter. l. c. Ruhnk.* docte exposuit dicendi genus *fidem mutare cum aliquo. Suet. Claud.* 13. *Galb.* 10. de militibus desciscentibus ab imperatore, in cujus verba jurarunt, ad alium: mutare sacramentum.] *Sen. Tranq.* 2. *med.* latus. *Virg. Ecl.* 4, 43. aries jam suave rubenti Murice, jam croceo mutabit vellera luto. [*Ad colorem pertinent etiam ista: *Lucan.* 7, 537. non alio mutentur sanguine fontes: et quem *Cort.* ad h. l. laud. *Claud. Honor.* 6, 209. Jonios Athesis mutavit sanguine fluctus; et *Lucan.* 1, 684. Qua mare Lagaei mutatur gurgite Nili.] *Ter. Ad.* 4, 7, 19. Placet tibi factum, Micio? *Mi.* non, si queam Mutare, i. e. emendare. *Stat. Silv.* 3, 5, 27. Et semel insertas non mutaturus habenas. *Quint. decl.* 321. *med.* Mutaturus testamentum. [**Hor. Sat.* 2, 8, 50. pipere albo non sine aceto, quod Methymnaeam vitio mutaverit uvam: ubi v. *Heindf.*] ℙ *Non mutare* dicuntur, qui aliquid ab alio dictum, factumve laudant, probant. *Varr. R. R.* 2. *f.* Illi hoc: neque ab hoc, quod mutaret, Cossinius. *Cic. Att.* 13, 52. Tum audivit de Mamurra, non mutavit. Alii leg. *vultum non mutavit. Id. Phil.* 3, 10. *f.* O felicem utramque *(sortem)!* nihil enim mutaverunt. Alii leg. *maluerunt*, al. *metuerunt.* ℙ Translate *Lucil.* ap. *Non.* 4, 315. Publicanus vero ut Asiae fiam scripturarius pro Lucilio, id ego nolo: et uno hoc non muto omnia; et *Ov. Amor.* 3, 8, 65. O si neglecti quisquam Deus ultor amantis Tam male quaesitas pulvere mutet opes! ℙ Nonnunquam absolute ponitur, ita tamen ut accusativus aliquis subintelligatur. [*nihil intelligendum!] *Liv.* 39, 51. Mores populi R. quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit. *Id.* 5, 13. Annona ex ante convecta copia nihil mutavit; et 9, 12. Adeo animi mutaverant, ut, etc.; et 3, 10. Sparsum ita jacuisse per aliquot dies, ut nihil odor mutaret. [*Adde 2, 52, 8. adeo mutaverant animi: ubi v. *Drakenb.* et 29, 3. tantum fortunam mutasse: *Sall. Jug.* 104. res mutant. *Plin. H. N.* 9, 68. urticae noctu vagantur noctuque mutant.] *Lucr.* 1, 786. Nec cessant haec inter se mutare, meare De coelo, ad terram, de terra ad sidera mundi. *Varr. R. R.* 2, 2. Pastiones hiberno ac verno tempore hoc mutant, quod, etc. *h. e.* hoc differunt. *Gell.* 2, 23. Quantum mutare a Menandro Caecilius visus est! *h. e.* differre, degenerare, deficere. *Id.* 13, 3. Plerique grammaticorum asseverant, *necessitudinem*, et *necessitatem* mutare longe, longeque differre, *h. e.* habere diversam significationem. *Id.* 18, 12. hujusmodi alia recitat ex *Caton. Varr.* et aliis. ℙ *Non mutat*, non obest, non movet, non refert, ad rem non facit. *Papin. Dig.* 46, 1, 52. Nec mutat, confestim, an interjecto tempore fidem suam adstrinxerint. *Id. ib.* 50, 8, 3. Nec mutat, quod in eum pater partem bonorum donationis causa contulit. *Ulp. ib.* 15, 1, 3. *extr.* Nec quidquam mutare arbitror, an voluntate patris decurio factus sit: *non mutat* scil. speciem facti, vel responsum, seu decisionem. ℙ [*Confund. *mutare* et *mutuare.* V. *Beierum* ad *Cic. Off.* 2, 4, 15. et *motare.* V. h. v. in *f. Mutare* et *movere.* V. *Burm.* ad *Virg. A.* 3, 581. *Mutare* et *mutilare nomen. Id. ib.* 11, 543.]

MŪTO, onis, m. *πέος*, penis, ut interpretantur *Gloss. Philox.* Hinc *Hor. Sat.* 1, 2, 68. Huic si, mutonis verbis, mala tanta videntis, etc. *Lucil.* ap. *Porphyr.* ad *Hor. l. c.* A laeva lacrimas mutoni absterget amica. *Id.* ap. *Festum* in *Tagax:* Et mutoni' manum perscribere posse tagacem. ℙ Quamvis et *Glossae Philox.* et *Porphyr.* et *Acro* ad *Hor. l. c.*, aliique plurimi recentiores *mutonem* ita interpretentur, ut mentulam significet, tamen ex *Ciceronis* locis mox afferendis patet, *Muto*, vel *Mutto* esse cognomen virile, fortasse a *Mutinus* derivatum, ad indicandum hominem sordidae libidinis. *Cic. fr. or. pro Fundanio.* Non modo hoc a Villio Annale, sed mehercule a Q. Mutone factum probare potest. *Id. fr. or. pro Scauro* (ed. *A. Maio*) 3. et (ed. *A. Peyronio*) 23. Audisse videor, L. Aelium, cum ulcisceretur patroni injurias, nomen Titii Q. Muttonis hominis sordidissimi detulisse. [*Recte quidem! At vocabulum *muto*, quod penem significat, non a *muto*, quod nomen virile denotat, sed vice versa originem duxit.]

MŪTŌNĬĀTUS, a, um, adj. *λάσιαυρος, σάθων*, grandi peculio, magnis conditionibus instructus, ap. *Mart.* 3, 73. et 11, 63. et *Auct. Priap.* 53., in quibus locis, fortasse propter metri necessitatem, quod est Phalaecium endecasyllabum, prima syllaba brevis est, licet longa sit in MUTO, onis.

*MUTOSUS, a, um, adj. *Veg. de re veter.* 3, 3. Mutosus venter. *B. A.*

*MUTTUM *γρὺ* interpretantur *Gloss. Vet. B. A.*

MŪTŪĀRĬUS, a, um, adj. idem quod mutuus. *Appul. Apol.* Mutuarias operas cambire cum vicinis.

MŪTŪĀTĬCĬUS, a, um, adj. *δανειστὸς*, qui mutuo datur. *Gell.* 20, 1. *med.* Maximeque in pecuniae mutuaticiae usu, atque commercio. Al. leg. *mutuaticae.*

MŪTŪĀTĬO, onis, f. acceptio mutui. *Cic. Tusc.* 1, 42. Qui me ea poena mulctaverit, quam sine mutuatione, et sine versura possem dissolvere. *Id. Or.* 3, 38. *f.* Translationes quasi mutuationes sunt, cum quod non habeas, aliunde sumas. *Id. Fl.* 20. Cum multos minutis mutuationibus defraudasset.

MŪTŪĀTUS, a, um, part. a *mutuo. Val. Max.* 6, 2. *n.* 1. *extr.* Mulier praesidium ab innocentia mutuata. *Caes. B. C.* 3, 60. Quam maximas potuerunt pecunias mutuati. *Suet. Aug.* 39. Notavit aliquos, quod pecunias levioribus usuris mutuati, graviori fenore collocassent. ℙ Passive. *Plin.* 2, 9, 6. Luna in totum mutuata a sole luce fulget. *Appul. Met.* 6. De solis flagrantia mutuato calore.

*MUTUCUMENSES, ium, incolae oppidi cujusdam Latii, quod fortasse Mutucuma audiebat. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

MŪTŬĒ, adv. idem ac mutuo. *Cic. Fam.* 5, 7. Quibus si quando non mutue respondetur. Alii leg. *mutuo.* Adde *ib.* 2., ubi eadem est lectionis varietas.

MŪTŬĬTER, adv. mutuo. *Varr.* ap. *Non.* 11, 30. Vive, meque ama mutuiter.

MŪTŬĬTO, as, n. 1. mutuari cupio, mutuum rogito. *Pl. Merc. prol.* 52. Mutuitanti credere.

MŪTŬLUS, i, m. lignum, vel lapis extra parietem prominens, ad fulciendas coronas, aut tignorum capita, vel ad quippiam aliquid sustinendum: porro ita videtur appellatum, quia mutilum; est enim quasi mutila trabs. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Mutuli crebri omnibus columnis impositi, sedilia avium. *Colum.* 8, 9. Receptacula turdorum non, tanquam columbis, loculamenta, vel cellulae cavatae efficiuntur, sed ad lineam mutuli per parietem defixi, tegeticulas cannabinas accipiunt, etc. *Vitr.* 4, 2. Uti e tignorum dispositionibus triglyphi; ita e canteriorum projecturis mutulorum sub coronis ratio est inventa. ℙ De *mutulo* pisce. V. MITULUS.

MŪTŪNUS. V. MUTINUS.

MŪTŪO, adv. *πρὸς ἀλλήλους, ἀμοιβαίως*, invicem, vicissim. *Lepid.* ad *Cic. Fam.* 10, 34. Etsi omni tempore summa studia officii mutuo inter nos certatim constiterunt. *Suet. Aug.* 53. Officia cum multis mutuo exercuit. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 15. *extr.* Fac valeas, meque mutuo diligas. *Id. ib.* 9. *extr.* Te, ut diligas me, si mutuo me facturum scis, rogo. Alii leg. *te facturum*, *h. e.* te amaturum amantem te. ℙ In malam partem. *Hirt. B. Alex.* 48. Quod vel ex conscientia sua, cum de se mutuo sentire provinciam crederet, vel multis signis eorum, qui difficulter odia dissimulant, animadvertere poterat. *Suet. Tib.* 44. Mutuo flagitia exprobrabant. Adde ipsius *Cic.* duo loca, sed dubiae lectionis, quae in MUTUE allata sunt. ℙ *Mutuo petere.* V. in *Mutuus.*

MŪTŪO, as, avi, atum, a. 1. *δανείζομαι*, mutuum sumo, mutuor. *Caecil.* ap. *Non.* 7, 48. Ad amicum currat mutuatum, mutuet mea causa. ℙ Translate ab alio sumere. *Val. Max.* 3, 4. *n.* 2. Effecit, ne haec civitas poenitentiam ageret, quod regem a finitimis potius mutuasset, quam de suis elegisset. ℙ [*Permut. *mutuare* et *mutare.* V. h. v. in f.]

MŪTŪOR, aris, atus sum, dep. 1. *δανείζομαι*, mutuum accipio, utendum sumo, sive gratis, sive cum usuris: et dicitur fere de pecunia, frumento, et hujusmodi, quae non redduntur eadem. *Cic. Att.* 15, 15. Profectionem meam Erotis dispensatio impedit: nam cum ex reliquis vel abundare debeam, cogor mutuari. *Id. Att.* 7, 3. *f.* Solvamus, inquis: age, a Coelio mutuabimur. *Id. ib.* 8, 6. *f.* Mutuari ab aliquo in sumptum. *Tac. A.* 6, 17. Facta mutuandi copia sine usuris per triennium. *Caes. B. C.* 3, 60. et *Suet. Aug.* 39. Mutuari pecunias. V. MUTUATUS. *Appul. Met.* 1. Sub qua specie mutuari cupis? an tu solus ignoras, praeter aurum argentumque, nullum nos pignus admittere? *Sen. ep.* 81. *med.* Quanto hilarior est qui solvit, quam qui mutuatur; tanto etc. ℙ Significat etiam commodatum sumere. *Auct. dial. de Or.* 9. de poeta recitaturo: Rogare cogitur, ut sint, qui dignentur audire: et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur, et auditorium exstruit, et subsellia conducit, etc. et *ib.* 32. Aliter utimur propriis, aliter commodatis: longeque interesse manifestum est, possideat quis quae profert, an mutuetur. ℙ Translate est universim quippiam ab alio sumere utendi gratia. *Cic. Fat.* 3. Orator subtilitatem ab Academia mutuatur, et ei vicissim reddit ubertatem orationis. *Id. Or.* 62. *extr.* Necessitas cogit aut novum verbum facere, aut a simili mutuari. *Quint.* 6, 3. *med.* Subtilior illa translatio, cum quod in alia re fieri solet, in aliam mutuamur. *Hirt. B. G.* 8, 21. A Germanis ad id bellum auxilia mutuatus erat. *Liv.* 30, 12. *f.* Ab amore temerarium atque impudens consilium mutuatur. *Tac. A.* 1, 38. Mutuari praesidium ab audacia. *Just.* 9, 1. pecuniae commercium de piratica. *Cic. Tusc.* 2, 18. *extr.* A viris virtus nomen est mutuata.

MŪTUS, a, um, adj. *κωφὸς, ἄφωνος*, qui linguae usu in loquendo caret, elinguis, tacitus: a *μῦ*, seu *mu* sono, quem muti edunt. *Non.* 1, 29. Mutus onomatopoeia est incertae vocis. Nam mutus sonus est proprie, qui intellectum non habet. *Cic. Phil.* 3, 9. Nonne satius est mutum esse, quam, quod nemo intelligat, dicere? *Id. Leg.* 3, 1. *med.* Vere dici potest, magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum magistratum. *Ter. Eun.* 3, 1, 27. papae! Jugularas hominem: quid ille? *Thr.* mutus illico. *Id. Heaut.* 4, 4. *f.* Tu nescis id, quod scis, Dromo, si sapies. *Dro.* mutum dices. *Pl. Merc.* 2, 4, 26. quin taces? *Eu.* muto imperas, *h. e.* taceo hercle. ℙ Translate *Ov. Pont.* 2, 7, 52. Omnis pro nobis gratia muta fuit, *h. e.* amicorum favor vocem non habuit, qua pro me deprecaretur. *Id. Her.* 15, 198. Plectra dolore tacent, muta dolore lyra est. *Quint.* 6, 1. *med.* Miserorum etiam mutus aspectus lacrimas movet. *Ov. Met.* 11, 602. de sede Somni: Muta quies habitat. *Id. Trist.* 5, 14, 17. nunquam vox est de te mea muta, *h. e.* nunquam taceo laudes tuas. ℙ Est epitheton brutorum animalium. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 8. Praeesse mutis pecudibus. *Id. Fin.* 1, 21. Mutae bestiae. *Naev.* ap. *Non. l. c.* quadrupedes. *Stat. Th.* 5, 334. Muta armenta. *Hor. Sat.* 2, 3, 219. agna. ℙ *Mutae res* sunt irrationabilia, et inanima. *Cic. N. D.* 1, 14. Res inanimae atque mutae. *Id. Verr.* 2, 5, 67. Omnia muta atque inanima. *Quint.* 6, 1. *med.* Mutae tamen res movent, aut cum ipsis loquimur, aut cum ipsas loqui fingimus. ℙ Commode etiam *muta* dicuntur, quae nullum sonum edunt. *Pl. Trin.* 4, 2, 163. Mutum tintinnabulum. *Prud. in Sym.* 2, 949. mola muta. *Quint.* 6, 2. *med.* de tabula picta: effigies. *Cic. Cat.* 3, 5. Imago avi tui te a tanto scelere etiam muta revocare debuit; et *ib.* 11. Nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum, *h. e.* nulla statua, vel imago. *Sil.* 8, 127. Oscula bis terque mutae infixit arenae. *Hor. Od.* 4, 3, 19. Muti pisces. *Virg. A.* 9, 341. leo manditque, trahitque Molle pecus, mutumque metu. *Pl. Mil.* 3, 1, 69. et *Sen. Herc. Fur.* 536. Mutum

mare, *h. e.* tranquillum. *Quint.* 1, 4. Consonantes in semivocalium numerum, mutarumque partiri, *h. e.* quae sine auxilio vocalium enunciari non possunt, ut ait *Diomed.* 2, 417. Sunt autem octo *b*, *c*, *d*, *g*, *k*, *p*, *q*, *t*. Hae a semivocalibus quomodo differant, V. in SEMIVOCALIS. ℙ Mutum fundi instrumentum *Varr. R. R.* 1, 17. vocat plaustra, semivocale boves, vocale servos. ℙ *Muta* item dicuntur loca, in quibus siletur. *Cic. in Sen.* 3. Mutum forum, elinguem curiam, tacitam et fractam civitatem videbatis. *Id. Mil.* 19. Muta solitudo. *Stat. Achill.* 1, 239. speluncaque docti Muta senis. *Id. Silv.* 4, 5, 20. unique canenti Mutus ager domino reclamat. ℙ Et tempora. *Cic. Att.* 8, 14. Nullum fuit tempus, quod magis debuerit mutum esse a litteris. *Stat. Th.* 4, 183. mutos Thamyris damnatus in annos, *h. e.* spoliatus facultate poetica. *Ov. Met.* 7, 184. mediae per muta silentia noctis. ℙ Et ea, de quibus tacetur, quae praedicari non solent, ingloria, ignobilia, obscura. *Stat. Th.* 11, 284. mutus, et e grege sanguis. *Sil.* 3, 579. mutum volvens inglorius aevum. ℙ *Muta exta* ap. *Fest.* sunt, ex quibus nihil divinationis, aut responsi elicitur. ℙ *Mutae artes* sunt omnes praeter musicam, poeticam, divinandi artem, et augurium, quae sunt artes Apollineae, et cantu ac versibus perficiuntur: poetae autem jactant, sibi solis veram aeternamque gloriam licere carminibus comparare: *Virg. A.* 12, 396. Scire potestates herbarum, usumque medendi Maluit, et mutas agitare inglorius artes. Alia ratione *mutas artes* dixit *Cicero*, quae sine eloquentia exercentur, *Or.* 3, 7. Si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum, quanto admirabilius in oratione, atque in lingua? *Quint.* 5, 10. *f.* Mutam quandam scientiam consequi, *h. e.* cognitionem locorum, ex quibus ducuntur argumenta, sine vi et facultate dicendi. Hoc sensu intelligi possunt etiam *mutae artes* ap. *Virg.*, quia morbi non eloquentia, sed remediis curantur, ut ait *Cels. praef. med.* ℙ *Muti magistri* sunt libri. *Gell.* 14, 2. ℙ *Muti lapides*, quibus nihil est inscriptum. *Hyg. de lim.* p. 156. *Goes.* ℙ *Mutae personae* in comoediis, et tragoediis sunt, quae prodeunt quidem, sed nunquam loquuntur, licet cum iis loquantur alii. V. *Ter. Andr.* 3, 2. et *Ad.* 1, 1., *Sen. Thyest. a.* 3. etc.

MŪTUSCAEUS, a, um, adj. ad Trebulam Mutuscam pertinens, opp. oliviferum Sabinorum, ut appellat *Virg. A.* 7, 711. Altera vero fuit in Sabinis Trebula, cui Suffenatis cognomen. Hinc *Mutuscaei*, *orum*, ejus oppidi cives. *Plin.* 3, 12, 17. Trebulani, qui cognominantur Mutuscaei.

MŪTŬUS, a, um, adj. *πρὸς ἀλλήλους*, *ἀμοιβαῖος*, vicissim habitus, reciprocus, pariter respondens. *Cic. ad Planc. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Ad paternas necessitudines magnam attulit accessionem tua voluntas erga me, meaque erga te par atque mutua. *Id. Fam.* 5, 2. Multum in amicitia hoc arbitror, cum par voluntas accipitur et redditur; et *ib.* 13, 65. Multa et magna inter nos officia paria et mutua intercedunt. *Id. Amic.* 6. In amici mutua benevolentia conquiescere. *Nep. Dat.* 10. Mutua beneficia. *Catull.* 45, 20. Mutuis animis amant, amantur. *Virg. G.* 1, 301. Mutuaque inter se laeti convivia curant. *Sen. Agam.* 268. Mutuam veniam pacisci. *Justin.* 22, 4. *extr.* Ratus, exaequata utriusque ordinis conditione, mutuam inter eos virtutis aemulationem futuram. *Id.* 18, 5. Mutuarum rerum commercio gaudentes. *Liv.* 4, 41. Nox omnia erroris mutui implevit, *h. e.* tam ex parte Romanorum, quam hostium. *Ov. Met.* 1, 655. retices, nec mutua nostris Dicta refers. *Plin.* 10, 23, 31. Olores mutua carne vescuntur inter se. *Virg. A.* 10, 755. Jam gravis aequabat luctus, et mutua Mavors Funera. *Sen. Med.* 470. Terrigena miles mutua caede occidit. *Justin.* 13, 8. Cum Eumene congressus, diu, mutuis vulneribus acceptis, colluctatus est. *Tac. G.* 1. Germania a Sarmatis Dacisque mutuo metu, aut montibus separatur. *Id. Ann.* 14, 3. Anicetus mutuis odiis Agrippinae invisus; et *ib.* 6, 4. Mutuam accusationem intendere; et *H.* 3, 33. Praeda ipsos direptores in mutuam perniciem agebat. ℙ *Mutuum facere*, respondere ex aequo, par pari referre. *Pl. Curt.* 1, 1, 47. ea me deperit. Ego autem cum illa facere nolo mutuum; et *Trin.* 2, 4, 37. Bene tibi vult. *Lesb.* edepol mutuum mecum facit. *Id. Mil.* 4, 6, 38. Ut amore perdita est haec misera! *Pyr.* mutuum fit. *Non.* 2, 538. adverbii ritu *mutuum* accipit in illo *Lucilii:* Et si maxime, quod spero, mutuum hoc mecum facis. Sed potest referri ad modo dicta. ℙ *Mutua* pro mutuo adv. vicissim. *Vet. Poeta* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Dic tu illam pusam: sic fiet mutua muli: supple *scabunt.* V. MULUS. *Lucret.* 2, 75. inter se mortales mutua vivunt; et 4, 301. hic idem Nunc sit laevus, et e laevo sit mutua dexter; et 5, 1099. Mutua dum inter se rami stirpesque tenentur. *Propert.* 1, 5, 30. Alter in alterius mutua flere sinu. *Catull.* 50, 6. Reddens mutua per jocum atque vinum. ℙ *Per mutua*, mutuo, vicissim. *Virg. A.* 7, 66. pedibus per mutua nexis Examen subito ramo frondente pependit. ℙ *Dare, accipere mutuum* est ita utendum dare, aut accipere, ut tantundem, non tamen idem, reddatur: et dicitur de pecunia, frumento, et hujusmodi, quae numero, pondere, mensura constant, quae non redduntur eadem, sed idem genus: nam si eadem reddantur, *commodare*, et *commodatum accipere* dicimus, *δανείζω*, *χράω*, *ἐν δάνει λαμβάνω*. *Varr. L. L.* 4, 36. *med.* ducit a Siculo *μοῖτον*, quod est *χάρις*, gratia. *Paul. Dig.* 12, 1, 2. et *Cajus Instit.* 3. (ed. *Goeschenio*) §. 93. ex eo, quod ex *meo tuum* fit. Alii a *muto*, *as*, quia in his, quae mutuo fiunt, mutatio, et alternatio est. Atque hae duae posteriores notationes omnem hujus vocis vim et usum complectuntur. *Pl. As.* 1, 3, 95. Si viginti minas mutuas non potero, certum est, sumam fenore. (*Non.* 5, 70. legit *mutuo.*) *Id. Pers.* 1, 3, 37. ut nummos sexcentos mihi Dares utendos mutuos; et 1, 1, 5. miser fio quaerendo argento mutuo. *Id. Trin.* 4, 3, 48. nam ego talentum mutuum Quod dederam, talento inimicum mihi emi, amicum vendidi. *Id. Ps.* 1, 3, 60. nullus est tibi, quem roges mutuum Argentum; et *Pers.* 1, 1, 44. Argentum mutuum alicunde exorare. *Cic. Phil.* 10, 11. Pecunias a quibus videatur, ad rem militarem mutuas sumat. *Id. Agr.* 2, 30. *f.* Siciliae civitatibus M.' Aquillius etiam mutuum frumentum dedit. ℙ Translate. *Pl. Amph.* 2, 2, 187. Saltem tute, si pudoris egeas, sumas mutuum. ℙ *Mutuum* absolute, pecunia, aut alia res mutua, item ipse contractus. *Paul. Dig.* 12, 1, 2. Mutuum damus, recepturi non eandem speciem, etc. et *paulo post:* Mutui datio; et *mox:* Creditum a mutuo differt, quo genus a specie; et *mox:* Mutuum non potest esse, nisi proficiscatur pecunia. ℙ Dicimus etiam *mutuo petere. Justin.* 17, 2. *med.* Ab Antigono naves, ad exercitum in Italiam deportandum, mutuo petit; ab Antiocho pecuniam; a Ptolemaeo militum auxilia.

[MUTYCENSIS, e, adj. ad Mutycen, seu Muticam pertinens, Siciliae urbem propeP achynum promontorium, nunc *Modica.* [**Μότυκα Ptolemaeo.*] *Cic. Verr.* 2, 3, 43. Theomnastus Syracusanus in agrum Mutycensem cur abs te immissus est? *F.*]

*MUZA, ae, f. portus Arabiae Felicis cum emporio. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

*MUZIRIS, is, *Μούσιρις*, Indiae emporium, cujus meminit *Plin.* 6, 23. ℙ Paludem ejusdem nominis in vicinia memorat *Tab. Peut. B. A.*

MY

MYĂ, ae, f. *μύα*, genus conchae, sive margaritae in freto circa Bosphorum Thracium, uniones rufos, ac parvos gignens. *Plin.* 9, 35, 56. ℙ *Fuit et Mya insula, in sinu Ceramico. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[MYACANTHOS, i, f. vel Myacanthon, i, n. herba, quae alio nomine corruda dicitur. [**Mäusedorn.*] *Plin.* 19, 8, 42. Hunc intelligo terrestrem asparagum, quem Graeci hormenum, aut myacanthon vocant. *F.*]

MYĂCES, um, m. plur. *μύακες*, pisces ex concharum genere, qui muricum modo coacervantur, vivuntque in locis algosis, et ubi dulcis aqua copiosa mari miscetur. *Plin.* 32, 9, 31.

MYAGROS, i, m. *μύαγρος*, *πελάμπυρον*, herba ferulacea, foliis similibus rubiae, tripedanea, semine oleoso. Fit enim ex eo oleum, quod oris ulceribus eo perunctis medetur. *Plin.* 27, 12, 81.

*MYAGRUS, i, m. statuarius quidam, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*MYANDRA, oppidum Ciliciae. *Plin.* 5, 27. ℙ Legitur et *Myarida. B. A.*

*MYARĪDA. V. v. praec. *B. A.*

MYCĂLAEUS, a, um, adj. Mycalensis. *Claud. in Eutrop.* 2, 264. Icarium pelagus, Mycalaeaque litora.

*MYCĂLE, opp. V. in *Mycalensis.* ℙ Mycale, mulier venefica, de qua *Ov. Met.* 12, 26. Adde *Sen. Herc. Oet.* v. 525. *B. A.*

MYCĂLENSIS, e, adj. ad Mycalem pertinens. *Val. Max.* 6, 9. *n.* 5. *extr.* Excelsissimus Mycalensis montis vertex. Est autem *Mycale* mons et oppidum Cariae, inter Maeandrum et Caystrum fluvios, non procul ab Epheso, e regione Sami insulae. **Ov. Met.* 2, 223. *Just.* 2, 14. ℙ In *Nep. Cim.* 2. ap. *Mycalen* per errorem positum credunt docti pro ap. *Eurymedonta. B. A.*

MYCĂLĒSĬUS, a, um, adj. Mycalensis. *Stat. Th.* 9, 281. Induit a tergo Mycalesia cuspis Agyrten.

MYCĂLESSOS, i, m. *Μυκαλησσός*, mons et oppidum Boeotiae. *Plin.* 4, 7, 12. *Stat. Th.* 7, 272. quos pinigeris Mycalessos in agris Nutrit. ℙ Scribitur et *Mycalesos.*

MYCĒMĂTĬAS, ae, m. *μυκηματίας*, genus terrae motus cum sonitu minaci, cum dissolutis elementa compagibus ultro adsiliunt, vel relabuntur, considentibus terris. Tunc enim necesse est velut taurinis reboare mugitibus fragores fremitusque terrenos. Ita describit *Ammian.* 17, 7. *f.* Est autem *ἀπὸ τοῦ μυκήματος*, mugitus, a *μυκάω*, mugio. V. MYCETIAS.

*MYCĒNA, ae, et *MYCĒNE, es, f. } V. *Mycenae, arum. B. A.*

MYCĒNAE, arum, et Mycene, es, et Mycena, ae, f. *Μυκῆναι*, opp. Peloponnesi, in Argia regione, conditum a Lacedaemone Semelas filio, teste *Is. Or.* 15, 1. (al. a Perseo Danaes filio), manibus et arte Cyclopum, ut colligitur ex *Sen. Herc. Fur.* 997. et denominatum a Mycena Nympha: in quo Agamemnon regnavit. *Virg. A.* 6, 838. Agamemnoniaeque Mycenae. *Ov. Fast.* 3, 83. Junonem Sparte, Pelopeiadesque Mycenae; quoniam *scil.* ibi Pelops habitavit: a cujus filio Thyeste Thyesteas etiam vocat *Lucan.* 1, 544., malas vocat *Mart.* 14, 1. propter scelera Atrei, et Thyestis. ℙ In singulari numero. *Sil.* 1, 27. Ante Agamemnoniam gratissima tecta Mycenen. *Virg. A.* 5, 52. Argolicove mari deprensus, et urbe Mycenae. Alii leg. *Mycenis. Auct. Priap.* 77. Dodona est tibi, Jupiter, sacrata, Junoni Samos, et Mycena Diti. *Sil. l. c.* confirmat, hanc urbem Junoni sacram fuisse. ℙ *Fuit et Mycenae nomen oppidi Cretae, ab Agamemnone conditi. *Vell.* 1, 1. In Cretam insulam rejectus, tres ibi urbes statuit, duas a patriae nomine, unam a victoriae memoria, Mycenas. V. MYRINA. *B. A.*

MYCĒNAEUS, a, um, adj. ad Mycenas pertinens. *Ov. Trist.* 2, 400. Teque, Mycenaeo, Phoebas, amata duci, *h. e.* Cassandra amata ab Agamemnone Mycenarum rege. *Lucan.* 7, 74. Mycenaea Diana, *h. e.* quae Mycenis colebatur. *Ov. Her.* 5, 2. Mycenaea littera facta manu, *h. e.* Agamemnonis. *Propert.* 2, 18, 32. Mycenaeae rates, *h. e.* classis Graecorum duce Agamemnone. Sic *Val. Fl.* 1, 381. Mycenaea vela. *Stat. Silv.* 3, 3, 189. flamma, *h. e.* ignis Graecorum, quo Troja arsit; et *ib.* 5, 1, 59. Mycenaeum aurum, *h. e.* quo Thyestes uxorem Atrei fratris Mycenarum regis corrupit.

MYCĒNENSIS, e, adj. Mycenaeus. *Cic. Fin.* 2, 6. ex poeta: Omnes Danai, aut Mycenenses, Attica pubes.

*MYCENĪCA, ae, f. locus Argis vicinus in Peloponneso. *Liv.* 32, 39. *B. A.*

MYCĒNIS, idis, f. Iphigenia Agamemnonis Mycenarum regis filia. *Ov. Met.* 12, 34. Supposita fertur mutasse Mycenida cerva.

MYCĒTĬAS, ae, m. *μυκητίας*, species terrae motus, eadem, quae mycematias, et ab eadem origine. *Appul. de Mundo*: V. h. v.

MYCŌNĬUS, a, um, adj. *Μυκώνιος* et *Μυκόνιος*, ad Myconum, seu Myconen pertinens, quae est insula maris Aegaei, una Cycladum, inter Tenon et Icariam. *Plin.* 14, 7, 9. Myconium vinum. ℙ *Myconii*, *orum*, ejus incolae, quos omnes calvos nasci scribit *Plin.* 11, 37, 47. Unde *Lucil.* ap. *Donat.* ad *Ter. Hec.* 3, 4, 26. Myconi omnis calva juventus. Hinc proverb. *Μυκώνιος φαλακρός.*

[MYCTER, ēris, m. *μυκτήρ*, nasus. Est nomen proprium servile. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 39. *n.* 203. Mycter Ofilii. *F.*]

*MYDON, onis, m. pictor insignis, Solis in Cilicia natus. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

MYDRĬĂSIS, is, f. *μυδρίασις*, oculorum morbus, quo pupilla effunditur, et dilatatur, aciesque ejus hebescit, ut describit *Cels.* 6, 6. *n.* 37., ubi semel Graecis litteris, et semel Latinis hanc vocem scribit.

MYGDŌNES, um, m. plur. *Μύγδονες*, populi Mygdoniae in Macedonia. *Plin.* 4, 10, 17. item in Phrygia. *Id.* 5, 30, 33.

MYGDŌNĬA, ae, f. *Μυγδονία*, regio litoralis Macedoniae, in qua Niobe in saxum versa est, inter Axium et Strymonem fl. ac juxta sinum Toronaicum. *Plin.* 4, 10, 17. ℙ Mygdonia item Asiae regio, in ea Phrygiae parte, quae Troadi superjacet. *Plin.* 5, 32, 41., *Solin.* 40. V. MYGDONIS. ℙ Mygdonia item regio Mesopotamiae ap. Mygdonium fl., dicta a Mygdone rege, vel a Mygdonibus pop. Macedoniae, teste *Plinio* 6, 13, 16. ℙ Etiam Bithynia olim Mygdonia dicta est, teste *Solin.* 42.

MYGDŌNĪDES, ae, m. patronym. filius Mygdonis. *Virg. A.* 2, 341. juvenisque Choroebus Mygdonides. Ubi *Servius:* hic filius Mygdonis, et Anaximenae fuit.

MYGDŌNIS, idis, f. quae est ex Mygdonia. *Ov. Met.* 6, 45. Mygdonidesque nurus, *h. e.* Lydiae. Porro Lydia est Phrygiae magnae contermina. Adde quod Mygdonum, Phrygum, Troumque fines inter se distinguere, haud facile esse, *Strabo* monet *l.* 12. et poetis haec miscere jamdiu licet. *Vet. epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 264. *Burm.* hoc tumulo Mygdonis umbra tegor. Adde *Val. Fl.* 3, 320.

MYGDŌNĬUS, a, um, adj. ad Mygdoniam pertinens, *Μυγδόνιος*. Saepe pro Phrygia ponitur. *Hor. Od.* 2, 12, 22. Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes; et *ib.* 3, 16, 41. si Mygdoniis regnum Alyatei Campis continuem. *Ov. Her.* 20, 106. de Niobe: Nunc quoque Mygdonia flebilis exstat humo; et *ib.* 15, 142. Mygdonium marmor, *h. e.* Phrygium, [et Synnadicum, nunc vulgo *pavonazzetto. F.*] *Claud. in Eutr.* 2, 408. Mygdoniae volucres; et *ib.* 1. Mygdonii cineres. *Val. Fl.* 8, 230. planctus, *h. e.* Phrygum sacerdotum Cybeles, quos *Stat. Silv.* 5, 3, 245. dicit Mygdonios dolores. *Val. Fl.* 3, 47. Mygdonia mater, *h. e.* ipsa Cybele mater Deum.

Prop. 4, 6, 7. carmenque recentibus aris Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis, *h. e.* modis Phrygiis. *Cados* volunt esse urbem Phrygiae. V. *Scalig. Stat. Silv.* 2, 2, 108. Mygdonius senex, *h. e.* Tithonus Aurorae maritus, filius Laomedontis regis Phrygiae. *Id. Th.* 2, 134. Et jam Mygdoniis elata cubilibus alto Impulerat coelo gelidas Aurora tenebras, *h. e.* orientalibus. Nam Asia et Phrygia Graeciae est ad orientem. *Sidon. carm.* 22, 174. Quantum Mygdonio committunt Gargara sulco: sc. quia Gargara in Troade sunt, quae ad Phrygiam pertinet. P [Est etiam cogn. R. *Inscr.* in *Giorn. Arcad.* T. 28. p. 361. C. Julius Mygdonius. *F.*]

MYIAGRUS, i, m. *Μυΐαγρος* et *Μυΐαγρος*, muscarum venator: a *μυῖα*, musca, et *ἄγρα*, captura. Cogn. est ridiculi numinis, cui datum muscas interimere. *Plin.* 10, 28, 40. Invocant et Aegyptii ibes suas contra serpentium adventum: et Elei Myiagron Deum, muscarum multitudine pestilentiam afferente: quae protinus intereunt, quam litatum est ei Deo. *Solin.* 1. *in.* narrat, in sacello Herculis, in foro boario, muscas non intrare, quia Hercules cum viscerationem sacricolis daret, Myiagrum Deum dicitur imprecatus. P Idem etiam *Myodes* seu *Myiodes* dicitur, *Μυιώδης*. *Plin.* 29, 6, 34.

MYISCAE, arum, f. plur. *μυΐσκαι*, species myacum, rotunditate differentes, minores aliquanto, atque hirtae, tenuioribus testis, et carne duriores. *Plin.* 32, 9, 31.

MYISCUS, i, m. idem quod myiscae. *Plin.* 32, 9, 31. V. v. praec.

*MYLAE, arum, *Μύλαι*, opp. Siciliae. V. MYLAEUS et MYLASENUS. P Fuit et Mylae nomen duarum insularum, Cretae adjacentium. *Plin.* 4, 12. P Mylae, opp. Thessaliae. *Liv.* 42, 54. *B. A.*

MYLAEUS. V. MYLASENUS.

*MYLAS, vel fortasse Myla, ae, m. fluvius Siciliae, medio inter Megaram et Leontinos (vel Leontium) loco. *Liv.* 24, 30. *in.* et 31. *extr. B. A.*

*MYLASA, orum, *τὰ Μύλασα Pausan. τὰ Μύλασσα Strab.* et *Herod.* Cariae oppidum. *Plin.* 5, 29. P Nomen traxit, si *Steph. Byz.* credamus, a Mylaso Aeoli abnepote. *B. A.*

*MYLASĒA, ae, f. cannabis species. *Plin.* 19, 9. *B. A.*

[MYLĂSENSIS, e, et Mylasius, a, um, adj. ad Mylasam seu Mylasa pertinens, illustrem Cariae urbem, nunc *Milaso*. *Liv.* 45, 25. Mylasenses, Alabandenosque acie vicerunt. *Cic. Fam.* 13, 56. Ut ecdici Mylasii Romam mitterentur. *F.*]

MYLĂSĒNUS, a, um, adj. ad Mylas pertinens. Sunt autem Mylae opp. Siciliae, nunc *Melazzo*, in ora occidentali, non procul a Peloro: de quo *Plin.* 3, 8, 14., 2, 98, 101., 31, 4, 28. et *Sen. Q. N.* 3, 26. Apud hoc oppidum Caesar Augustus navali proelio Sex. Pompejum Cn. filium, ductu M. Agrippae superavit, ut *Suet. Aug.* 16., *Vell.* 2, 79. et *Flor.* 4, 8. narrant. Hinc *Auson.* 215. Aut Pompejani Mylasena pericula belli. Alii leg. *Mylaea*. P *Mylaseni, i. q. Mylassenses. *Liv.* 38, 39. ed. *Drak.* ubi ed. *Gronov.* habet *Milesiis*. *B. A.*

*MYLASĬI et

*MYLĂSEIS (trisyll.) *Μυλασεῖς*, i. q. Mylassenses. *Cic. Fam.* 13, 56. ubi utraque occurrit vox. *B. A.*

*MYLASSENSES, ium, incolae Mylasorum. *Liv.* 44, 25. *extr. Cic. Phil.* 5, 7. P V. MYLASA. *B. A.*

*MYLE, es, f. opp. Ciliciae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

MYLOECOS, i, m. *μυλοικός*, genus vermiculi ex blattis: a *μύλη*, mola, et *οἰκέω*, habito, quod circa molas fere soleat nasci. *Plin.* 29, 6, 39.

[MYNDENSIS, e, adj. ad Myndum pertinens, maritimam Cariae urbem a Cassii victoria de Rhodianis nobilitata. *Cic. Fam.* 3, 8. Myndensium testimonium. *F.*]

*MYNEUS, i, opp. Thessaliae, de quo *Plin.* 4, 8. *B. A.*

[MYOBARBUM Liberi Patris, titulus est epigrammatis 30. *Ausonii*, quod cantharum interpretatur *Scal. lection. Auson.* 2, 27., ita vero dici putat a Graeca voce *μῦς*, et Latina *barba*. Sed nihil certi affert, nec dum ab ullo erudito allatum est. *F.*]

MYOCTŌNOS, i, m. *μυοκτόνος*, aconitum herba, seu radix aconiti, ita dicta, quod e longinquo mures interficiat: a *μῦς*, mus, et *κτείνω*, occido. *Plin.* 27, 3, 2.

MYODES. V. in MYIAGRUS.

*MYONNĒSUS vel Myonnesos, *Μυόννησος Strab. Μυόνησος Thucyd.* promontorium Ioniae, cum oppido cognomine, inter Teum, Lebedum Samumque insulas. *Liv.* 37, 13. 27. 28. 29. 30 et 33. P Item insula Epheso adjacens, una ex iis quae *Pisistrati Insulae* audiebant. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

MYOPĂRO, ōnis, m. genus navigii forma angusta et oblonga: cujusmodi piratae uti solent. *Festus:* Myoparo genus navigii ex duobus dissimilibus formatum: nam midion (corrige *myon*) et paron per se sunt. *Scalig.* putat dictum esse a Paro insula, et *μύων*, adstrictus, quod a *μύω*, claudo. *Isid. Or.* 19, 1. Myoparo, quasi minimus paro. Est enim scapha ex vimine facta, quae contecta crudo corio genus navigii praebet, qualibus utuntur Germanorum piratae in Oceani litoribus, vel paludibus ob agilitatem. V. PARO et PARUNCULUS. *Non.* 13, 6. Myoparo est navicula piratarum. *Cic. Verr.* 2, 3, 80. Te praetore, paucorum adventu myoparonum classis pulcherrima piratarum manibus incensa est. *Id. fragm.* ap. *Non. ib.* Cum quaereretur ex eo, quo scelere impulsus mare haberet infestum uno myoparone; eodem, inquit, quo tu orbem terrae. *Sall. ib.* Mari placido a duobus praedonum myoparonibus circumventa. P Non soli piratae eo utuntur. *Cic. Verr.* 2, 1, 34. Milesios navem poposcit, quae eum praesidii causa Myndum prosequeretur. Illi statim myoparonem de sua classe, ornatum atque armatum dederunt. Ubi *Ascon.* Habent Milesii praesidiariam classem, ex foedere praebendam populo R. maritimis necessitatibus.

MYOPHŌNON, i, n. *μυόφονον*, herba muribus exitialis, fortasse eadem, quae myoctonos, et aconiton: a *μῦς*, mus, et *φόνος*, caedes. *Plin.* 21, 9, 30.

MYOPS, ōpis, comm. gen. *μύωψ, ωπος*, qui adeo infirma est oculorum acie, ut nisi proxime admotas oculis res cernat; cernat autem, etiamsi minima sint: longe autem posita non cernat, quamvis grandiora: quasi *μύων ὤπας*, claudens oculos, quia hujusmodi prope connivere solent, ut videant. *Ulp. Dig.* 21, 1, 10. De hydropico quaesitum est, an sanus esset; et puto redhiberi posse: sed quid de myope? morbosum esse constat. P Vox Graeca est, cui Latina *luscitiosus* aeque respondet, ut docet *Gell.* 4, 2.

*MYOSHORMOS, i, (*μυὸς ὅρμος*, i. e. muris statio), portus Arabici sinus, in litore Aegyptio. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

MYOSŌTA sive Myosotis, laevis herba, caulibus pluribus ab una radice, aliquatenus rubentibus, concavis, ab imo foliis angustis, oblongis, dorso acuto, nigris per intervalla, assidue geminatis, tenuibus cauliculis ex alis prodeuntibus, flore caeruleo, radice digitali crassitudine, multis capillamentis fimbriata. [*Mäuseöhrchen*, Myosotis scorpioides, *L.*] Ita *Plin.* 27, 12, 80. Est autem *μυὸς ὠτα* vel *ὠτις*, muris auris vel auricula: et *murina auricula* dicitur a *Scrib. Comp.* 153. P *Myosōtos* etiam dicitur herba alsine, quia cum prorepit, musculorum aures imitatur foliis. *Plin.* 27, 4, 8.

*MYRA, orum, *Μύρα* plur. *Strab. Ptolem.* et *Act. Apost.* 27, 5. urbs Lyciae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

MYRĂPIA pira, ita dicta sunt ab odore: nam *μύρον* unguentum, et *ἄπιον*, pirum est. *Cels.* 4, 19. *f.* et *Plin.* 15, 15, 16. Alii scribunt *myrrhapia*, quasi myrrhae odorem habeant. Ap. *Colum.* 12, 10. legitur etiam *myrappia:* [at *Schneiderus* leg. *myrapia*. *F.*]

*MYRIANDROS vel Myriandrus, i, f. *Μυρίανδρος*, Syriae oppidum, in Seleucide, in confinio Ciliciae, ad sinum Issicum. *Plin.* 2, 108. et 5, 22. *Mela* 1, 22. *extr. B. A.*

MYRĪCE, es, et Myrica, ae, f. *μυρίκη*, genus humilis virgulti: de quo *Plin.* 13, 21, 37. Myricen fert et Italia, quam alii tamaricen vocant: Achaja autem bryam silvestrem. Insigne in ea quod sativa tantum ferat gallae similem fructum. *Id.* 24, 9, 41. Myricen Lenaeus similem scopis Amerinis dicit; et *paulo post:* Vulgus infelicem arborem eam appellat, quoniam nihil ferat, nec seratur unquam. *Virg. Ecl.* 4, 2. Non omnes arbusta juvant, humilesque myricae. *Ov. A. Am.* 3, 691. fragiles; et *Met.* 10, 97. tenues. P De re impossibili. *Virg. Ecl.* 8, 54. Pinguia corticibus sudent electra myricae. *Ov. A. Am.* 1, 747. Si quis idem sperat, jacturas poma myricas Speret, et in medio flumine mella petat. P *Fuit et Myrice nympha, mater Milichi, a qua genus duxisse fertur Imilce, uxor Hannibalis. *Sil.* 3, 103. *B. A.*

*MYRINA, ae, f. urbs in Aeolia, quae et Sebastopolis dicta. Condita ab Amazonibus. *Cic. Fam.* 5, 20. *Mela* 1, 18. *Liv.* 33, 30. *Plin.* 5, 30. *Tac. A.* 2, 47. P Huc fortasse referendum illud *Mart.* 9, 43, 1. Campis Myrinis: ubi al. leg. *marinis*. V. MYRINUS. P Fuit et Myrina opp. Lemni insulae. *Plin.* 4, 12. P Item Cretae opp. *Id. ib.* ubi tamen *Mycenae* mavult legere *Harduinus. B. A.*

[MYRĪNE, es, f. *μυρίνη*, idem ac myrrhina, myrrhea. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 299. *n.* XXV. Rutilia Myrine. *F.*]

[MYRĪNEPHŌRUS, i, m. ferens myrtum: a *μυρίνη*, myrtus, et *φέρω*, fero. Est nomen proprium servile. *Inscr.* ap. *Grut.* 947, 10. Myrinephoro dulci, qui vix. An. III. Mes. VIII. D. XXX. P. Lucretius Fortunatus fecit vernae suo. *F.*]

[MYRĪNUS, i, m. *μυρῖνος*, piscis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 240. *col.* 3. M. Licinius Myrinus. P Est etiam *Myrinus, a, um.* De campis Myrinis ap. *Mart.* V. in CAMPE. *F.*]

MYRĪONYMĂ, ae, f. *μυριώνυμος*, innumera habens nomina, a *μυρίος*, innumerus, et *ὄνυμα*, nomen. Est epitheton Isidis in *Inscr.* ap. *Grut.* 83, 11. et in altera ap. *Fabr.* p. 469. *n.* 108. et *Mur.* 73, 5. Dicta est enim Ceres, Venus, Juno, Eleusina, Lucina, Proserpina, Diana, Luna, etc., ut est ap. *Appul. Met.* 11. *in.* Eadem ab *eod. ib. mox* dicitur Dea multi nominis.

MYRĪOPHYLLON, i, n. idem ac millefolium: a *μυρίος*, innumerus, et *φύλλον*, folium. *Plin.* 24, 16, 95.

[MYRISMUS, i, m. *μυρισμός*, unguenti unctio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 361. *n.* 98. C. Valerius Myrismus. *F.*]

*MYRLEA, ae, f. *Μύρλεια*, opp. Bithyniae, in Mysiae confinio, a Myrlo Colophoniorum duce, vel a Myrlea Amazone, sic dictum. Nicomedes autem Epiphanes, Prusiae regis filius, de matris nomine Apames, Apameam vocari voluit. Haec *Plin.* 5, 32. *B. A.*

*MYRMĒCES SCOPULI in mari fuere Smyrnam alluente. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

MYRMĒCĪAS, ae, m. *μυρμηκίας λίθος*, genus lapidis: a myrmecio, verruca. *Plin.* 37, 10, 63. Myrmecias nigras habet eminentias similes verrucis.

*MYRMĒCĪDES, ae, m. *Μυρμηκίδης*, insignis statuarius vel sculptor. *Cic. Acad.* 4, 38. Ut etiam inter deos Myrmecides aliquis minutorum opusculorum fabricator fuisse videatur. *Plin.* 7, 21. Callicrates ex ebore formicas et alia tam parva fecit animalia, ut partes earum a caeteris cerni non possent. Myrmecides quidam in eodem genere inclaruit, a quo quadrigam ex eadem materia quam musca integeret alis fabricatam, et navem quam apicula pinnis absconderet. Adde *Plin.* 36, 3. et Cf. *Aelian. V. H.* 1, 17. qui eum Milesium appellat. *B. A.*

*MYRMĒCĬON vel Myrmecium, i, n. *Μυρμήκιον*, opp. Scythiae, in Bosporo Cimmerio. *Mela* 2, 1. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

MYRMĒCĪTIS, gemma dicta est a *μύρμηξ*, formica, quia innatam repentis formicae effigiem habet, ut *Plin.* docet 37, 11, 72. *Sic ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev. Myrmecites* sc. lapis. *B. A.*

MYRMĒCĬUM, ii, n. *μυρμήκιον*, verruca lupini amplitudine, fere in palmis manuum, et plantis pedum nascens: a *μύρμηξ*, formica, quod formicae in morem pungat. Contrarium est acrochordoni, quae verruca pensilis dicitur, myrmecium verruca sessilis. *Cels.* 5, 20. *n.* 14. Myrmecia radices altius exigunt, majoremque dolorem movent; et *mox:* Myrmecia, et clavi sine curatione vix unquam desinunt; et *infra:* Myrmecia latissimis radicibus inhaerent: ideoque ne excidi quidem sine magna exulceratione possunt. P Est etiam genus aranei capite formicae simili, alvo nigra, guttis albis distinguentibus, describente *Plinio* 29, 4, 29.

[MYRMEX, ēcis, m. *μύρμηξ*, formica. Est nomen proprium servile. *Inscr.* ap. *Gud.* 326, 8. Myrmex sibi. *F.*]

MYRMĪCĒ, adv. more formicarum: a *μύρμηξ*, formica. Itaque *myrmice incedere* est, ut ait *Pl. Men.* 5, 3, 12., formicino gradu, *h. e.* paulatim, sensim. *Catull.* 42, 8. Turpe incedere, myrmice, ac moleste. Alii leg. *mimice*, rectius.

*MYRMIDŌNE, es, f. *Μυρμιδόνη*, una ex quinquaginta Danai filiabus, qui Mineum maritum suum obtruncavit. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

MYRMIDŌNES, um, m. plur. *Μυρμιδόνες*, Thessaliae populi, quorum majores ex Aegina insula ortum trahebant, sed Peleum patria profugum secuti, in Thessalia sedes fixerant: a *μυρμηδών*, formicarum domicilium, quod a *μύρμος*, formica. Nominis rationem ad hujusmodi fabulam poetae referunt. Cum pestilentia in Aegina crudelissime esset grassata, eamque insulam viris propemodum exhausisset, Acacus cum ad radicem quercus infinitum paene formicarum numerum conspexisset, Jovem traditur orasse, ut sibi parem virorum numerum concederet, precibusque ejus vix absolutis, formicae in viros commutatae fuerunt. *Ov. Met.* 7, 523. et sqq. Sed alii deducunt a Myrmidone rege. P Achillem ad bellum Trojanum secuti sunt. *Virg. A.* 2, 7. et ibi *Serv.:* qui ad *ib.* 4, 402. aliam huic fabulam adtexit, de Myrmice virgine Attica in formicam a Minerva conversa. P In singul. num. et femin. gen. *Stat. Th.* 5, 223. Gyan vidi lapsare cruentae Vulnere Myrmidonis.

[MYRO, onis, m. unguentis delibutus: a *μύρω*, fluo, stillo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 957, 9. L. Veturius Myro. *F.*]

MYROBĂLĂNUM, i, n. *μυροβάλανον*, glans unguentaria, glans Aegyptia, hoc est fructus cujusdam arboris heliotropio similis, magnitudine nucis avellanae. *Plin.* 12, 21, 46. Ex ea fiebat unguentum quoddam odoratum, quo capilli ungebantur. Eodem id nomine vocatur, et legitur ap. *Mart.* 14, 57. *in lemmate:* Quoniam vero heroicum carmen ingredi non potest, sic explicat *Mart. ib.* Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus Hoc ex unguento constat, et ex balano. *Cels.* 4, 9. Graecis litteris scribit. V. BALANUS. P *Masculino genere *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 38. Quod genus arbores myrobalanos habent. Cf. *J. Rhodii Lex. Scribon. B. A.*

MYROBRECHĂRIUS. V. MURRHOBATHRARIUS.

MYRON, ōnis, m. *Μύρων*, statuarius insignis, Eleutheris Boeotiae oppido natus, Ageladae discipulus, bucula aerea maxime laudatus est, celebrata multis Graecorum Latinorumque versibus. Fecit et alia multa eximio artificio, quae *Plin.* enumerat *l.* 34. *c.* 8. De bucula exstant epigrammata multa in *Anth. Graeca*, et ap. *Auson.*, *Ov. Pont.* 4, 1. *f.* Ut similis verae vacca, Myronis opus. P

Myron vel *Myrum*, *i*, n. *μύρον*, unguentum. Graeca vox. *Hieron. praef. in l. Reg. f.* Quae Domini discumbentis pretiosissimo Fidei myro ungitis caput.

[MYROPNUS, i, m. *μυρόπνους*, unguentum spirans. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 677, 1. Ti. Claudio Myropno Ti. Claudius Taurus. *F.*]

MYROPOLA, ae, m. *μυροπώλης*, unguentorum venditor, unguentarius: a *μύρον*, unguentum, oleum odoratum, et *πωλέω*, vendo. *Pl. Cas.* 2, 3, 10. Myropolas sollicito omnes: ubicumque est lepidum unguentum, ungor. Adde *Trin.* 2, 4, 7. et *Naev.* ap. *Fulg. Planc.* in *Exposit. serm. antiq. n.* 43.

MYROPOLIUM, ii, n. *μυροπώλιον*, *μυροπωλεῖον*, officina unguentaria. *Pl. Epid.* 2, 2, 15. Per medicinas, per tonstrinas, per myropolia, et lanienas. Adde *Amph.* 4, 1, 3.

MYROTHĒCIUM, ii, n. *μυροθήκιον*, vas, aut arcula, in qua unguenta asservantur: a *μύρον*, unguentum, et *θήκη*, theca, repositorium. Graece scribit *Cic. Att.* 2, 1. Meus liber totum Isocratis *μυροθήκιον*, atque omnes ejus discipulorum arculas, ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit, *h. e.* oratoria ornamenta.

MYRRHA et Murrha, ae, f. *μύῤῥα*, *στακτή*, [est ab Hebr. מֹר *mor*, quod idem significat, מָרַר autem *marar*, amarum fuit *F.*] arbor altitudinem habens ad quinque cubita, nec sine spina, caudice duro et intorto, crassiore, quam turis, et ab radice etiam, quam reliqua sui parte: cortice laevi, et unedonis simili: folio olivae, verum crispiore, et aculeato. Gignitur in multis Arabiae locis, et in insulis adjacentibus, aut non longe dissitis. Inciditur a radice usque ad ramos, qui valent: manatque ex vulnere humor albicans et tabescens, qui in minutas glebas, nec rotundas concrescit, (quae optima myrrha est) fractaque candidos veluti ungues habet, gustu leniter amara. Adhibetur in unguentis, odoris gratia, et pinguedinis. Antequam incidatur, sponte sudat humorem, qui et stacte dicitur, cui nulla myrrha praefertur. Haec ex *Plin.* 12, 15. et 16., ubi etiam varia ejus genera, et varias adulterandi rationes persequitur. *Catull.* 66, 78. murrhae millia multa bibi. *Tac. A.* 6, 28. Sublato murrhae pondere. *Ov. Met.* 10, 499. stillataque cortice myrrha; et *ib.* 5, 53. Crines myrrha madidi. *Mart.* 11, 54. Unguenta, et casias, et olentem funera myrrham, *h. e.* raptam e rogo, in quem injecta fuerat. *Plin.* 13, 1, 2. *f.* Myrrha et per se unguentum facit sine oleo, stacte dumtaxat: alioqui nimiam amaritudinem affert. *Id.* 14, 13, 15. Lautissima apud priscos vina erant, myrrhae odore condita; et *ib.* 21, 27. Dolia myrrha suffire. ℙ In plur. num. *Ov. Medic. fac.* 88. Et modicum e myrrhis pinguibus adde cubum. Al. aliter leg. ℙ Scribitur etiam *murrha*, et *murra* ex consuetudine Latinorum vertendi in *u* Graecam *υ*. ℙ In fabulis Myrrha fuit Cinyrae Cypriorum regis filia, quae spreti Solis (al. Veneris) ira, incesto patris amore capta, atque imprudentis amplexu potita, et gravida facta, agnita demum, et ad necem ab eo quaesita, profugit in Arabiam, ibique in arborem cognominem versa est. Sed completis pariendi mensibus, agente rimas arbore, et findente se cortice, Adonim peperit. *Ov. Met.* 10, 298. et sqq., *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 10, 18. et ad *A.* 5, 72. et *Hyg. fab.* 58. et 164. Eadem dicitur etiam Smyrna, vel Smyrne, *Σμύρνη*. *Hyg. ib.* et *fab.* 242. ℙ Aliud est *myrrha* lapis et poculum: de quo V. MURRHINUS. ℙ Est etiam *myrrha*, seu *myrrhis*, *μυῤῥίς*, herba simillima cicutae caule, foliisque, et flore, minor tantum et exilior, cibo non insuavis. *Plin.* 24, 16, 9. Eadem et *smyrrhiza* dicitur. *Idem ib.*

[MYRRHACOPUM, i, n. medicamentum ex myrrha ad levandam lassitudinem: a *μύῤῥα*, myrrha, et *ἄκοπον*, V. ACOPUM. *Not. Tir.* p. 160. Acopum myrrhacopum. *F.*]

MYRRHAPIA. V. MYRAPIA.

MYRRHĀTUS et Murrhatus seu Murratus, a, um, adj. myrrha conditus. *Festus:* Murrata potione usos antiquos, indicio est, quod etiam nunc aediles per supplicationes Diis addunt ad pulvinaria, et quod duodecim tabulis cavetur, ne mortuo indatur, ut ait Varro in Antiquitatum libro primo. Haec *Festus*, qui videtur intelligere vinum myrrha conditum. V. MYRRHINUS. Alii intelligunt potionem unguento quolibet temperatam, *μύρῳ κεχραμένην*. *Sid. ep.* 8, 3. *f.* Satrapae myrrhati, *h. e.* unguentis delibuti.

MYRRHĔUS et Murrheus seu Murreus, a, um, adj. ad myrrham pertinens. *Hor. Od.* 3, 14, 22. Murreum nodo cohibere crinem, *h. e.* myrrha delibutum. ℙ *Murrheum onychen*, ap. *Prop.* 3, 8, 22. interpretantur coloris flavi, qui in eo lapide probatissimus est, ut *Plin.* docet 36, 8, 12. Porro myrrha maxime laudatur, si eum colorem habeat: unde *fulvam* dixit *Ov. Met.* 15, 399. et *Plin.* 12, 16, 35. albicantem commendat. *Broukusius.*

MYRRHĪNUS et Murrhinus seu Murrinus, a, um, adj. ad myrrham pertinens, myrrheus. *Myrrhina seu murrhina potio* est vinum myrrhae odore conditum: de qua haec habet *Plin.* 14, 13, 15. Lautissima apud priscos vina erant, myrrhae odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quae Persa inscribitur: quamquam in ea et calamum addi jubet. Ideo quidam aromatite delectatos maxime credunt. Sed Fabius Dossennus his versibus decernit: Mittebam vinum pulcrum, myrrhinam. Et in Acharistione: Panem, et polentam, vinum, murrhinam. Scaevolam quoque, et Laelium, et Atteium Capitonem in eadem sententia fuisse video, quoniam in Pseudolo sit (2, 4, 50.) Quid, si opus siet, ut dulce promat indidem, ecquid habet? *Char.* rogas? Murrhinam, passum, defrutum, etc. Quibus apparet, non inter vina modo murrhinam, sed inter dulcia quoque nominatam. Haec *Plin.*, qui quod ex *Persa*, Plautina fabula, affert, in ea, quae hodie exstat, non reperitur. *Gell.* 10, 23. Mulieres Romae bibere solitas ferunt loream passam (al. *passum*), murrinam, et quae id genus sapiant, potu dulcia. Ex his *Gellii* verbis dubitare quis possit, an ex vino murrhina constaret, quia ut *Gell. ib.* tradit, vino semper feminae olim Romae, et in Latio abstinuerunt. Sed dicendum, ita temperatam fuisse, ut inebriare non posset. *Varro* ap. *Non.* 18, 13. quorundam opinionem affert, qui putarunt, murrhinam ap. *Plaut.* idem fuisse, quod passum. Sed *Pl.* in *Ps. l. c.* aperte a passo distinguit. Sic *Varr.* ap. *Non. ib.* 10. Non modo vinum dare, sed etiam, ut Plautus ait, murrhinam, passum, defrutum. *Paul.* ex *Fest.* haec habet: Murrina genus potionis, quae Graece dicitur nectar. Hanc mulieres vocabant murriolam: quidam murratum vinum: quidam id dici putant ex uvae genere murrinae nomine. Haec *Paul.* V. omnino *Voss.* in *Etym.* in v. *Murrina.* Ceterum myrrhinum, seu myrrhatum vinum ad levandam lassitudinem dari consuevisse, patet ex V. FORTIUSCULUS et MYRRHACOPUM. ℙ Aliud sunt *murrhina*, seu *myrrhina*, pocula: de quib. V. MURRHINUS.

MYRRHIS, herba, de qua V. MYRRHA.

MYRRHĪTES, ae, m. *μυῤῥίτης*. *Plin.* 37, 10, 63. Myrrhites myrrhae colorem habet, facie minima gemma: odorem attrita etiam nardi.

*MYRSĪLUS, i, m. *Μυρσῖλος*, Myrsi filius ultimus, ex Heraclidarum genere, Lydiae rex, alio nomine Cundaules appellatus. *Plin.* 35, 8. ℙ Item historicus Lesbius, de quo *Plin.* 3, 7. et 4, 12. *Myrtilus* audit *Arnob.* l. 3. *med.* p. 153. *Herald. B. A.*

[MYRSĪNE, es, f. *μυρσίνη*, myrtus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 161, 2. Tampia D. L. Myrsine. *F.*]

*MYRSINĒUM, i, n. herba eadem quae foeniculum sylvestre vocatur. *Plin.* 20, 23. *B. A.*

MYRSĪNITES, ae, m. *μυρσινίτης*, species tithymali, foliis myrti acutis, et pungentibus, sed mollioribus. *Plin.* 26, 8, 40. ℙ Item gemma mellis nigricantis colore, myrti odore. *Plin.* 37, 10, 63. ℙ *Μύρσινος* idem est quod *μυρτὸς*.

*MYRSOS, i, opp. inter Aegyptum atque Aethiopiam. *Plin.* 6, 29. Oppidum in monte Megatichos inter Aegyptum atque Aethiopiam, quod Arabes Myrson vocavere. *B. A.*

MYRTA et Murta, ae, f. V. MYRTUS.

MYRTĀCĔUS, a, um, adj. a myrto. *Cels.* 7, 17. Ad similitudinem myrtacei folii.

*MYRTALE, es, f. liberta, amica Horatii poetae. *Hor. Od.* 1, 33, 14. *B. A.*

MYRTĀTUS et Murtatus, a, um, adj. myrto conditus. *Murtatum* absolute est genus quoddam farciminis myrto conditum: [unde ap. nostrates vulgo *mortadella*, Italice *tomasella* nominata est, *F.*] quamvis aliud esse videatur. *Varr. L. L.* 4, 22. *med.* Murtatum a myrto, quod eo large fartum intestinum crassum. *Plin.* 15, 29, 35. Alius usus baccae myrti fuit apud antiquos, antequam piper reperiretur, illius obtinens vicem, quodam etiam generosi obsonii nomine inde tracto, quod etiam nunc myrtatum vocamus.

MYRTĔOLUS et Murteolus, a, um, adj. dimin. myrtei. *Colum.* 10, 237. de cinara: Haec modo purpureo surgit glomerata corymbo, Myrteolo modo crine viret, *h. e.* colore floris myrti. Al. leg. *myrtiolo*, eodem sensu: alii *murceolo*, vel *murciolo*, h. e. languidulo, et inflexo, a *murcius.* V. MURCIA.

MYRTĔTA. V. v. sq.

MYRTĔTUM et Murtetum, i, n. *μυρσινῶν*, locus myrtis consitus. *Sall. Jug.* 52. Collis vestitus oleastro ac murtetis. *Virg. G.* 2, 112. Litora myrtetis laetissima. *Mart.* 3, 58. villa Non otiosis ordinata myrtetis, Sed rure vero. *Pl. Rud.* 3, 4, 27. Quasi murteta juncis, item ego vos virgis circumvinciam. ℙ Dicitur et *myrteta*, *ae*, f. *Pl.* in *Vidular.* ap. *Prisc.* 4, 625. Nescio qui servus e myrteta prosiluit. ℙ Ap. Bajas locus fuit, *in myrtetis*, nunc *le stufe di Tritoli* dictus, ubi sudatoria erant medicinae causa, calido terrae vapore in aedificiis incluso. *Cels.* 2, 17. et 3, 21. et *Hor. Ep.* 1, 15, 5.

MYRTĔUS et Murteus, a, um, adj. *μύρσινος*, ad myrtum pertinens. *Virg. A.* 6, 443. Myrtea silva. *Ov. Amor.* 3, 1, 34. et *Mart.* 3, 82. virga. *Tibull.* 1, 3, 66. serta. *Festus* et *Val. Max.* 3, 6. *n.* 5. Myrtea corona Papirius usus est, quod Sardos in campis myrteis superasset, *h. e.* myrto consitis. ℙ *Myrtea coma*, myrto coronata, [vel colore inter flavum et nigrum, Itali dicunt *castagno.* V. infra *F.*] *Tibull.* 3, 4, 28. Stillabat Syrio myrtea rore coma. ℙ *Myrteum* absolute, ap. *Cels.* 2, 33. *med.* est oleum e myrto: cujus conficiendi rationem *Plin.* 15, 7, 7. tradit. *Myrteum oleum* plene vocat *Id.* 28, 14, 56. et *Scrib. Comp.* 219. ℙ *Myrteum vinum* ap. *Plin.* 26, 11, 74. est myrto conditum. Ejus confectionem docent *Cato R. R.* 125., *Colum.* 12, 38. et *Pall.* 2, 18. Negat *Plin.* 23, 9, 81. eo vino quemquam inebriari. ℙ *Myrteus* refertur etiam ad colorem. *Petr. Sat.* 21. Myrtea subornatus gausapila. *Pall.* 4, 13. de equis: Colores hi praecipui, badius, aureus, albineus, russeus, murteus, cervinus, etc. *Isid. Orig.* 12, 1. murteum colorem dicit esse qui est pressus in purpura, *h. e.* subniger, aut fuscus sine splendore. ℙ De Venere myrtea V. MURCIA. ℙ Inter varia olearum genera *murteam* recenset *Colum.* 5, 8. Quaenam ea sit, ignoratur.

MYRTĪDĀNUM, i, n. vinum e silvestris myrti baccis factum, quod manus tingit. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 3. qui 23, 9, 82. monstrat varios ejus usus in medicina.

[MYRTĪLUS, i, m. dimin. myrti, sed terminatione Graecanica. Est cogn. R. *Liv.* 38, 42. L. Minucius Myrtilus. *F.*] ℙ **Myrtilus*, *i*, m. *Μυρτίλος*, Mercurii filius, Oenomai auriga, a Pelope interfectus. *Cic. N. D.* 3, 38. *Hyg. fab.* 84. et 224. *Claud.* in *Laud. Serenae reginae* 168. V. MYRTOUS, a, um. ℙ Myrtilus, historicus. V. MYRSILUS. *B. A.*

MYRTĪNUS et Murtinus, a, um, adj. *μύρσινος*, idem quod myrteus. *Appul. Herb.* 121. et *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. Myrtinum oleum.

MYRTĬOLUS. V. MYRTEOLUS.

MYRTĪTES, ae, m. *μυρτίνης οἶνος*, vinum myrto conditum. *Colum.* 12, 38. Vinum myrtiten ad tormina, et ad alvi proluviem sic facito, etc. *Pall.* 2, 18. et 3, 27. et 31. Vinum myrtite sic facies, etc. *Colum.* Graeca ratione locutus est, de qua V. ABROTONITES: Latina, et adjectivi more *Pallad.*

[MYRTOPĔTĂLON, i, n. herba eadem ac polygonon: ita appellata propter foliorum similitudinem cum myrto: a *μύρτος*, myrtus, et *πέταλον*, folium. *Plin.* 27, 12, 91. *F.*]

*MYRTOS, i, f. insula parva maris Aegaei, Euboeae adjacens, non procul a Delo. *Plin.* 4, 11. V. v. sq. *B. A.*

MYRTOUS, a, um, adj. Myrtoum pelagus, *mare di Mandria*, *Μυρτῶον πέλαγος*, pars maris Aegaei, quae est inter Aegaeum, et Ionium, inter Peloponnesum, et Atticam, ac Euboeam. Incipit a Megarico sinu, Cretamque alluit, et Atticam, occiduamque Cariae oram, habetque insulas plurimas, Cytheram, Calauriam, et quae Aeginam cingunt, et Salaminem, et ex Cycladibus plerasque. Dictum est a Myrtilo Mercurii filio, qui in id projectus fertur a Pelope, quia Hippodamen ejus uxorem turpius interpellaverat. V. *Serv.* ad *Virg. G.* 3, 7., ubi rem pluribus narrat. Adde *Sen. Thyest.* 140. Hinc *Ov. Ib.* 371. Proditor ut saevi periit auriga tyranni, Qui nova Myrtoae nomina fecit aquae. *Plin.* tamen verius 4, 11, 18. Aegaei pars Myrtoo datur: appelletur ab insula parva, quae cernitur Macedoniam a Geraesto petentibus, haud procul Euboeae Carysto. *Id. ib.* 5, 18. Myrtoum esse dicit, quod a Megarico incipiens sinu, totam Atticam alluit. *Hor. Od.* 1, 1, 13. ut trabe Cypria Myrtoum pavidus nauta secet mare.

MYRTUM, i, n. *μύρτον*, fructus, h. e. bacca myrti. *Virg. G.* 1, 306. Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta, *h. e.* matura, quia tunc cruoris imitantur colorem. *Cels.* 2, 30. Oleae, myrta, palmulae, etc. *Plin.* 15, 29, 35. Aprorum sapor commendatur, ad intinctus additis myrtis.

MYRTŪOSUS, a, um, adj. myrti similis. *Plin.* 12, 13, 28. Amomi uva frutice myrtuoso, palmi altitudine.

MYRTUS, i, et us, f. *μύρτος*, *μυρσίνη*, arbor baccas ferens saporis praecipui, et gratissimi odoris, ex quibus et vinum, et oleum fit: veteres etiam condiendis cibis usi sunt, ante inventum piper. Cato, inquit *Plin.* 15, 29, 37., tria myrti genera prodidit, nigram, candidam, conjugulam. (V. CONJUGULUS.) Nunc alia distinctio, sativae, aut silvestris, et in utraque latifoliae. In silvestri propria oxymyrsine. Sativarum genera topiarii faciunt: Tarentinam folio minuto, nostratem patulo, hexasticham densissimo, senis foliorum versibus: haec non est in usu: ramosa utraque alia. Odoratissima est in Aegypto. Cato docuit vinum fieri e nigra, siccata usque in ariditatem in umbra, atque ita musto indita: si non siccentur baccae, oleum gigni. Postea compertum, et ex alba vinum fieri album, duobus sextariis myrti tusae in vini tribus heminis maceratae expressaeque. Quinimo oleo quoque inest quidam vini sapor, simulque pinguis liquor, praecipua vi ad corrigenda vina, saccis ante perfusis, retinet

quippe faecem, nec praeter purum liquorem transire, patitur, datque se comitem praecipua commendatione liquato. Bellicis quoque rebus se inseruit, coronantibus se ea quibusdam in ovationibus. Masurius auctor est, curru quoque triumphantes myrtea corona usos. Veneri sacra habetur (V. MURCIA): unde ara vetus Romae fuit Veneri myrteae. Haec ex *Plinio*, qui 23. *c.* 9. persequitur myrti vires in medicina: idemque tradit 35, 12, 46. multos se defunctos condi voluisse fictilibus doliis, in myrti, atque oleae, et populi nigrae foliis, ut M. Varronem, Pythagorico modo. In sacris etiam locum habuisse *Id.* tradit 15, 29, 36., adhibitam suffimentis, et lustrationibus. Myrto coronabantur in conviviis, in nuptiis: poetae etiam, praesertim amatorii, myrteas coronas amabant. Ovantes quoque coronam e myrto gestarunt, ut *Id.* 15, 29, 38. tradit. *Hor. Od.* 1, 4, 9. viridi caput impedire myrto. *Virg. Ecl.* 7, 61. Populus Alcidae gratissima, vitis Iaccho, Formosae myrtus Veneri, sua laurea Phoebo. *Hor. Od.* 1, 38, 5. Simplici myrto nihil adlabores Sedulus, cura: neque te ministrum Dedecet myrtus, neque me sub arcta Vite bibentem. *Ov. A. Am.* 2, 733. Finis adest operi, palmam date, grata juventus, Sertaque odoratae myrtea ferte comae. *Claud. de Magnete* 27. Connubium celebrat: festa frondentia myrto Limina cinguntur. ℙ *Virg. G.* 2, 447. myrtum bonam esse ait validis hastilibus. Unde per synecdochen pro hasta ponitur ap. *eund. A.* 7, 817. Et pastoralem praefixa cuspide myrtum. Ap. *Val. Fl.* 3, 524. stricta myrtus habena, videtur esse scutica, seu virga myrtea loro pendente. ℙ Mascul. gen. extulit *Cato R. R.* 8. et 133. Myrtum conjugulum, et album, et nigrum. ℙ Declinatur etiam *myrtus, us. Virg. G.* 2, 63. Sed truncis oleae melius, propagine vites Respondent, solido Paphiae de robore myrtus. *Catull.* 64, 89. Quales Eurotae progignunt flumina myrtus. ℙ Olim dixere etiam *myrta*, seu potius *murta, ae*, ex consuetudine vertendi in *u* Graecam *v. Cato R. R.* 125. Murtam nigram arfacito in umbra. ℙ **Murtus* pro Myrtus. *Scribon. Larg. compos.* 109. et 115. Murti nigrae baccae; et 142. Murti ramuli. *B. A.*

MYRUS, i, m. *μῦρος*, dicitur mas muraenae. *Plin.* 9, 23, 39. *Locus *Plinii* est: Aristoteles myrum vocat marem, qui generat: discrimen esse, quod muraena varia et infirma sit, myrus unicolor et robustus dentesque extra os habeat. ℙ *Smyrus, σμύρος*, audit *Plin.* 32, 11. *B. A.*

MYS, yos, m. *μῦς*, piscis marinus, quem et murem marinum appellant. *Plin.* 32, 11, 53. [**Die Miesmuschel*, mytilus margaritifera, *L.*] ℙ Fuit etiam nomen caelatoris, qui claruit argento caelando. *Mart.* 8, 51. Quis labor in phiala, docti Myos, anne Myronis? Adde *ib.* 34. et *Prop.* 3, 7, 14.

*MYSCĔLOS vel Myscelus, i, m. conditor Crotonis urbis in Italia, Alemonis filius. *Ov. Met.* 15, 20. *B. A.*

*MYSECROS, Arabiae fluvius. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

MYSIA, ae, f. *Μυσία*, regio Asiae min. ad Occ. extensa. Duplex est: major, et minor. Minor est versus Hellespontum, inter Propontidem ad Bor. et Troadem ad Austr. Major est orientalior, inter Mysiam min. ad Occ., Phrygiam magnam ad Or., Bithyniam ad Bor., mare Aegaeum ad Mer. *Plin.* 5, 32, 40., *Cic. Or.* 8., *Lucan.* 3, 203. Mysiaque, et gelido tellus perfusa Cayco. *Val. Fl.* 3, 484. quosque dabat densos trabe Mysia montes.

MYSĬACUS, a, um, adj. Mysius, ut Mysiacus exercitus, in *Inscr.* ap. *Mur. prolegom.* T. 1. p. 146. *h. e.* bellum gerens in Mysia.

MYSĬUS, a, um, adj. *Μύσιος*, ad Mysiam pertinens, Mysus. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 6. *f.* Hominis ne Graeci quidem, at Mysii, aut Phrygis potius querelae. *Plin.* 26, 8, 38. Mysicum scammonium.

*MYSOMACEDŌNES, um, m. *Μυσομακεδόνες*, populi Asiae, in tractu majoris Mysiae, a Macedonibus oriundi; unde et nomen habent. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

MYSTA vel Mystes, ae, m. *μυστής*, sacrorum, seu mysteriorum peritus, sacris initiatus, sacerdos: Graeca vox a *μυέω*, sacra doceo, sacris imbuo, initio. *Ov. Fast.* 4, 536. Tempus habent mystae sidera visa cibi. *Sen. Herc. Fur.* 845. Turba secretam Cererem frequentant, Et citi tectis properant relictis Attici noctem celebrare mystae. *Id. Oedip.* 431. Condita lascivi deducunt orgia mystae. Adde *Auson. Idyll.* 1, 2.

MYSTAGOGUS, i, m. *μυσταγωγός*, rerum sacrarum custodiae praefectus, quique hospitibus sacra solet ostendere. *Cic. Verr.* 2, 4, 59. Qui hospites ad ea, quae visenda sunt, ducere solent, et unumquidque ostendere, quos illi mystagogos vocant. Adde *Varr.* ap. *Non.* 4, 487. Hos vulgo nostrates *Ciceroni* vocant.

*MYSTERIALITER, adv. *Vulg. Interpr. Iren.* 1, 1. Mysterialiter a Servatore per parabolas ostensa. *B. A.*

MYSTĒRĬARCHES, ae, m. *μυστηριάρχης*, sacrorum custos, vel princeps. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 349. Bene est, quod ipse ex omnibus Mysteriarches incidit.

MYSTĒRĬUM, ii, n. *μυστήριον*, res arcana, praesertim sacra, a *μύω*, claudo, quia decet, res sacras non temere evulgari, ne a vulgo contemnantur: vel a *mysta*. Hoc nomine nationes appellarunt Orgia Samothracia, et Cabirorum (de quibus *Pausanias in Boeoticis*, et *Apollonii Interpres*), aut Liberi Patris, et in primis initia Eleusinia (de quibus *Clemens Alexandrinus*, et *Euseb. de Praep. Evang.*), quae duplicia dicuntur fuisse, magna, quae Cereri sacra erant, et parva, quae Proserpinae. *Cic. N. D.* 2, 24. Hunc dico Liberum Semele natum, non eum, quem nostri majores auguste sancteque Liberum cum Cerere, et Libera consecraverunt, quod quale sit, ex mysteriis intelligi potest. *Id. Leg.* 2, 14. Quid ergo aget Iacchus, Eumolpidaeque vestri, et augusta illa mysteria, si quidem sacra nocturna tollimus? et *mox:* Nam mihi cum multa eximia, divinaque videntur Athenae tuae peperisse, atque in vitam hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem, et mitigati sumus. ℙ Sumitur etiam pro ipsis festis, quae e. g. in honorem Cereris celebrabantur et ab Atheniensibus, et a Romanis. V. infra. *Cic. Att.* 6, 1. *f.* In quem diem Romana incidant mysteria. Adde *ib.* 5, 21. *extr.* et *ib.* 15, 25. Sunt autem, qui rectius putant, his a *Cic.* intelligi sacrum Bonae Deae. *Pontedera* tamen *Antiquit. Gr.* et *Lat.* p. 332. et *Op. postum.* T. 2. p. 270. ita appellatum fuisse conjicit diem intercalarem, qui singulis lustris ex quadrantibus computatur. ℙ Transfertur et ad alia. *Cic. Tusc.* 4, 25. Ne rhetorum aperiamus mysteria. *Id. Att.* 4, 18. Epistolae nostrae tantum habent mysteriorum, ut eas ne librariis quidem fere committamus. *Auson. ep.* 4, 67. Accipe congestas, mysteria frivola, nugas. ℙ *Mysteria facere*, sacra Cereris facere. *Nep. Alc.* 3. *f.* Aspergebatur etiam infamia, quod in domo sua facere mysteria dicebatur: quod nefas erat more Atheniensium. *Just.* hoc idem narrans, 5, 1. Alcibiades insimulatur mysteria Cereris initiorum sacra, nullo magis quam silentio solemnia, enunciavisse.

*MYSTĬA, ae. V. v. sq. *B. A.*

*MYSTĬAE, arum, Italiae oppidum, in Bruttiis. *Mela* 2, 4. *med.* ℙ *Mystia* audit *Plin.* 3, 10. *Μυσία Steph. Byzant. B. A.*

MYSTĬCE, adv. arcane, cum mysterio, *μυστικῶς*. *Solin.* 32. *med.* de Aegypto: Delubra mystice thalamos nominant.

MYSTĬCUS, a, um, adj. *μυστικός*, qui in arcanis Deorum sacris fiebat, ut Mystica sacra, idest arcana sacra. *Mart.* 8, 81. Non per mystica sacra Dindymenes. *Virg. G.* 1, 166. et mystica vannus Iacchi, *h. e.* quae in Bacchi sacris adhibetur, et arcanum aliquid significat. *Tibull.* 3, 6, 1. Candide Liber, ades: sic sit tibi mystica vitis, etc. *Lamprid. Alex. Sev.* 26. Isium, et Serapium decenter ornavit, additis signis, et deliacis, et omnibus mysticis, *h. e.* omni sacrorum instrumento. ℙ Speciatim dicitur de mysteriis Cereris. *Fest.* in *Religiosus:* Adversus mystica legem ad populum ferre. ℙ *Pier.* ad *Virg. l. c.* in Romano codice invenit *mustieus:* cujusmodi sunt *Corcura, Sulla, Purrus, Phruges*, et sexcenta alia, in quibus Graeca *v* in *u* Latinum vertitur. ℙ *Item ad Mystum insulam spectans. *Plin.* 14, 7. Mysticum vinum. *B. A.*

[MYSTIS, ĭdis, f. *μυστίς*, mysteriorum perita, sacris initiata. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 941, 6. Popilia Mystis. *F.*]

MYSTRUM, i, n. *μύστρον*, mensura liquidorum, ita appellata, quia plerumque fiebat ex concha mituli, qui ab *Aristotele μῦς* vocatur; erat autem cyathi quarta pars. *Rhemn. Fann. de ponderib. et mens.* 77.

[*MYSTUS, i, m. piscis ex lacertorum genere. *Plin.* 32, 11. ℙ Item insulae nomen Aeoliae adjacentis. *Plin.* 4, 12. ubi *Hard.* mavult *Nisyros* legere. *B. A.*]

MYSUS, a, um, adj. *Μύσος*, ad Mysiam pertinens, Mysius. *Prop.* 2, 1, 65. Mysus, et Aemonia juvenis qua cuspide vulnus Senserat, *h. e.* Telephus, qui in Mysia regnavit, et Mysus dux dicitur ab *Ov. Pont.* 2, 2, 26. ℙ *Mysi, orum*, Mysiae populi. *Hor. Epod.* 17, 9. In quem superbus ordinarat agmina Mysorum. ℙ Ap. Romanos abjectissimi omnium gentium habebantur. Hinc *Flor.* 4, 12. Mysos vocat Barbaros Barbarorum; et *Cic.* Mysium, aut Phrygium hominem pro contemptissimo quoque posuit, *Q. Fr.* 1, 1, 6. *f.* Nisi forte me Paconii nescio cujus, hominis ne Graeci quidem, at Mysii, aut Phrygis potius querelis moveri putas. *Id. Fl.* 27. Quid porro in Graeco sermone tam tritum atque celebratum est, quam, si quis despicatui ducitur, ut Mysorum ultimus esse dicatur?

MYTĂCISMUS. V. METACISMUS.

MYTHĬCUS, a, um, adj. *μυθικός*, fabulosus, fabulas continens: a *μῦθος*, fabula: ut Pantomimus mythicus, ap. *Plin.* 7, 53, 54. V. PANTOMIMUS. ℙ *Mythicus, i*, qui fabulas scribit. *Macr. Sat.* 1, 8. Saturnum mythici fictionibus distrahunt, physici ad quandam similitudinem revocant.

MYTHISTORĬA, ae, f. narratio fabulosa, et frivola, *μυθιστορία:* a *μῦθος*, fabula, et *ἱστορία*, historia. *Capitol. Macr.* 1. Libros mythistoriis replevit.

MYTHISTORĬCUS, a, um, adj. *μυθιστορικός*, fabulosus, mixtus ex historia, et fabulis, ut Mythistorica volumina, ap. *Vopisc. Firm.* 1.

[MYTHOLOGIA, ae, f. *μυθολογία*, narratio fabularum: a *μῦθος*, fabula, et *λόγος*, sermo. *Mythologiarum liber* est titulus operis *Fabii Fulgentii Planciadis*, in quo fabularum origines explicantur. *F.*]

[MYTHOLOGĬCUS, a, um, adj. *μυθολογικός*, ad fabularum narrationem pertinens. *Mythologicŏn liber* est titulus operis *Fabii Fulgentii Planciadis*, qui et *Mythologiarum* dicitur. V. v. praec. *F.*]

*MYTHOS, i, m. *μῦθος*, fabula. *Auson.* in *Professor. carm.* 21, (al. 22.) 26. Callentes mython (genitiv. *μύθων*) plasmata et historiam. *B. A.*

MYTĬLENE etc. V. MITYLENE.

MYTĬLUS. } V. MITULUS.
MYTŪLUS. }

*MYUS, untis, f. *Μυοῦς*, oppidum Ioniae. *Nep. Them.* 10. *Plin.* 5, 29. *Vitr.* 4, 1. qui in Caria ponit, quod et facit *Herodotus. B. A.*

MYXA, ae, f. *μύξα*, Graecis est mucus, seu pituita e naribus effluens. ℙ Ap. *Plin.* 13, 5, 10., 15, 13, 12. et 17, 10, 14. genus est pruni, exiguos ferens fructus, et gustu suaves, ex quibus in Aegypto et vina fiunt, ita dictum ob mucosum lentorem.

MYXO vel Myxon, onis, m. *μύξων*, (h. e. mucosus) piscis est ex genere mugilum, alio nomine bacchus, ita dictus, quia suo sibi muco pascitur. *Plin.* 32, 7, 25. et 35, 12, 46.

MYXOS vel Myxus, i, m. *μύξος*, prominens pars lucernae, ex qua profertur ellychnium, quemadmodum ex naribus mucus: a *μύξα*, mucus. *Mart.* 14, 41. cujus lemma est *Lucerna polymyxos:* Illustrem cum tota meis convivia flammis, Totque geram myxos, una lucerna vocor.

MYXUM, i, n. fructus myxae arboris. *Pall.* 3, 25. *f.* Nunc seruntur myxa ex nucleis in aliquo vase positis, donec plantae induant firmitatem.

N

N Littera, una semivocalium, ab antiquis inter liquidas connumerata. ℙ Si primum in dictione locum teneat, aliquando sumit ante se *g*, ut *Narus, gnarus*, unde *ignarus, Navus, gnavus*, unde *ignavus*. ℙ In notis addita L significat *non liquet*, quo signo utebantur in tabellis judicialibus. V. LIQUET. Est etiam *nepos*, ut M. Tullius M. F. M. N. [*Item *natus*. V. *Orell. corp. inscrr. Lat.* 4474. — *niger, ib.* 2593. — *nomine* (al. *numine*), *ib.* 206. — *novum, ib.* 4406. — *Numerius, ib.* 58. — *numero, ib.* 5008. — *numine, ib.* 2478. — *numini, ib.* 2026. — *nullum, ib.* 4640. — *nobilis, ib.* 1069. — Lineola superscripta N̄ denotat *natione, ib.* 2578. 3037. al. — *nautae, ib.* 809. 4110. — *nostrae, ib.* 1331. 2417. — *nostri, ib.* 32, 817. — *nostro*, 1930. — *numero, ib.* 80. cet. — *numerus, ib.* 206. 1627.] — ℙ *N* in fastis significat nefastum diem. ℙ Quandoque mutatur in *l*, ut *Messana Messala*, ut est ap. *Sen. Br. V.* 13., in *m* sequente *p*, ut ab *in*, et *pono impono:* in *l* et *r*, si eae ipsae sequantur, ut ab *in* et *lacio*, et *rogo, illicio, irrogo*. Quod tamen non est necessarium, cum et *inpono*, et *inlicio*, et *inrogo* recte scribatur. ℙ *N'* cum apostrophi nota est *ne* interrogativum, ut *min', tun', vin', nemon'* pro *mine*, seu *mihine, tune, visne, nemone*, etc. ℙ [Saepissime deest in vocibus Latinis, quandocumque praecedit litteram *s*, ut *meses* pro *menses, praegnas* pro *praegnans;* hinc etiam *Cos.* pro *consul, Ces.* pro *Censor. F.*] [*Non solum deest, sed inserta etiam legitur littera *n*. Saepissime ante *s*. V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 456 — 463. ℙ Insertur et eliditur *n* ante *c*, ut *cincinnus* a *κλιννος; nactus* pro *nanctus*. V. *Schneid. l. l.* p. 463. ℙ Insertur et eliditur *n* ante *g*, ut *frago frango; clago clango; pago pango; tago tango; ligula* pro *lingula; strigilis* a *stringo, mucus* a *mungo*. V. *Schneid. l. c.* p. 464. — Item ante *d* et *t*, ut in *findo, fundo* cet., quorum primitiva forma *fido* cet. comprobatur perfectt. *fidi, scidi* cet. Porro *Lanterna* pro *Laterna; Linternum* pro *Liternum*. V. *Schneid. l. c.* p. 464 et 465. — Eliditur *n* etiam post *m* et *g*. V. *Schneid. l. l.* p. 465 et 466. ℙ Confund. in cdd. *n* et *m; n* et *v*. V. *Gronov. Observ.* 1, 15. p. 126. p. 68. *ed. Frotsch.* — *n* et *r*. Sic ap. *August. ep.* 110. *Hipponensium regionum* pro *regiorum*.]

NA

*NAARMALCHA vel Naarmalca. V. ARMALCHAR. *B. A.*

*NABADES, um, populi Mauretaniae Caesariensis. *Plin.* 5, 2. *B. A.*

*NABAR, Mauritaniae Caesariensis fluvius. *Plin.* 5, 2. *B. A.*

NABATHAEUS, a, um, adj. Ναβαθαῖος, ad Nabathaeam pertinens, quae est regio Arabiae desertae, seu Petraeae, in confinio Felicis: cujus oppidum est Petra, in convalle positum, et circumdatum montibus inaccessis, amne interfluente, ut *Plin.* 6, 28, 32. tradit. *Juven.* 11, 126. Et quos deposuit Nabathaeo bellua saltu. ℙ Ponitur et pro Arabico, et pro orientali. *Ov. Met.* 1, 61. Eurus ad Auroram, Nabathaeaque regna recessit. *Sen. Agam.* 482. Eurus orientem movet, Nabathaea quatiens regna, et Eoos sinus. *Lucan.* 4, 63. Nabathaei flatus Euri. ℙ Secundam syllabam produxit *Sidon. carm.* 5, 284. Texta Nabathaeum pro Rheno sulcat Hydaspem. ℙ *Nabathaei, orum*, populi. *Plin. l. c.* Horum pars aliquando in Africam migravit, et Nabathaei Troglodytae vocantur. *Id.* 12, 20, 44. ℙ Scribitur et *Nabataeus*, Ναβαταῖος.

NABATHES, ae, m. Ναβάθης, Nabathaeus. *Sen. Herc. Oet.* 160. Vicino Nabathae vulnera dirigit Parthus.

NABIS, vel Nabun, lingua Aethiopum est camelopardalis, quod V. *Plin.* 8, 18. 27., ubi *nabun* habetur. Sic ap. *Solin.* 30. *med.* [*(al. 43.) In *Plin.* l. *ed. Hard.* leg. *Nabem. Ed. Elzev. Nabin.*] ℙ *Fuit et Nabis Lacedaemoniorum tyrannus. *Liv.* 29, 12. cet. *B. A.*

NABLIA, orum, n. plur. ναύλια, νάβλια, et νάβλα, [Hebr. נֵבֶל *nebel, F.*] instrumentum musicum, de quo *Ov. A. Am.* 3, 327. Disce etiam duplici genialia nablia palma Verrere: conveniunt dulcibus illa jocis. Alii leg. *naulia*, et *vertere.* Quid porro hoc instrumentum sit, utrum psalterii, aut cymbali genus, qua figura, qua ratione pulsetur, ignoratur adhuc. *Polit.* in *Misc.* 14. putat esse psalterium. ℙ [Scribitur etiam *nablum* in *Not. Tir.* p. 172. Nablum, organum, tympanum. *F.*]

[NABLIO, onis, m. qui nablium pulsat. *Gloss. Phil.* Nablio, ψάλτης. *F.*]

[NABLIZO, as, n. 1. nablium pulso. *Gloss. Phil.* Nablizo, ψάλλω. *F.*]

*NABRISSA pro Nebrissa, oppidum Hispaniae, legitur in *Num. Claud.* ap. *Ligor. B. A.*

*NABRUM, i, n. flumen Gedrosiae. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

NACCA vel Nacta vel Natta, ae, m. νάκτης, homo sordidam artem exercens, ut fullo. *Festus*: Naccae appellantur vulgo fullones, ut ait Curiatius, quod nauci non sint, idest nullius pretii. Idem sentit et Cincius. Quidam ajunt, quod omnia fere opera ex lana nacae dicantur a Graecis. Haec *Fest.* Νάκη Graece est pellis cum suo villo. *Appul. Met.* 9. Maritus apud naccam proximum coenitabat. ℙ Translate de quovis sordidissimo et vilissimo homine dicitur. Itaque huc pertinere quidam putant illud *Pers.* 3, 21. Non pudet ad morem discincti vivere Nattae? et illud *Hor. Sat.* 1, 6, 124. ungor olivo, Non quo fraudatis immundus Natta lucernis. Melius tamen his locis tanquam nomen proprium accipitur. *Natta* enim fuit cogn. R. in gente Pinaria ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 272.

[NACCINUS vel Nactinus, a, um, adj. ad naccam vel nactam pertinens, fullonicus. *Appul. Met.* 9. Nec ad exemplum naccinae truculentiae sulphuris te letali fumo necabo, *h. e.* ad exemplum naccae seu fullonis hospitis mei, qui nuper deprehensum adulterum truculenter sulphuris fumo necare tentavit. *F.*]

*NACOLEA, vel Nacolia, vel Nacolia, ae, f. Ναχόλεια, Ναχολία, Phrygiae majoris oppidum. *Ammian.* 26, 27. *B. A.*

NACTUS, a, um, part. a *nanciscor.* Active. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 18, 7. Unam epistolam forte cum servo nacti praedatores, etc. ℙ [Saepe de eo, qui in rem gratam incidit. *Caes. B. G.* 5, 9. Repulsi ab equitatu, se in silvas abdiderunt, locum nacti egregie et natura et opere munitum. *Nep. Cat.* 2. Sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem. Adde *Hirt. B. Afr.* 34. [**Vell.* 2, 13, 2. quippe eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus.] ℙ Aliquando et de eo, qui in malum incidit. *Suet. Tit.* 10. Ad primam statim mansionem febrim nactus. [**Wolf.* comp. nostr. *das Fieber kriegen.*] ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Ov. Fast.* 1, 475. Dixerat haec nato motus instare, sibique, Multaque praeterea tempore nacta fidem, *h. e.* quae tempus et eventus vera fuisse monstravit. *F.*] ℙ Passive. *Hyg. fab.* 8. Ea occasione nacta, fugae se mandavit. Adde *fab.* 1 et 120. ℙ [*Nanctus* pro *nactus* est in optimis MSS. ap. *Liv.* 23, 2., 24, 36., 25, 30. et 28, 31., *Pl. Poen.* 5, 5, 8., *Val. Max.* 4, 4. *n.* 6. et *Ulp. Dig.* 48, 22, 7. et in *Cod.* palimpsesto *Cic. de Rep.* 1, 10., ubi vide adnotationem *A. Mai*, editoris diligentissimi. *F.* *V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 463. ℙ Confund. *nactus* et *natus.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 33, 119.]

NAE, adv. ναὶ, νὴ, vero, certe, profecto, sane, hercle, adverbium graviter et serio affirmantis. A *Cicerone* fere jungitur pronomini, ut *Cat.* 2, 3. *extr.* Nae illi vehementer errant, si illam meam pristinam lenitatem perpetuam sperant futuram. *Id. Brut.* 71. Nae ego, si ita est, velim tibi eum placere quam maxime. *Id. Tusc.* 3, 4. Nae ista gloriosa sapientia non magno aestimanda est, siquidem non multum differt ab insania. *Id. Phil.* 2, 2. Nae tu, si id fecisses, melius famae tuae consuluisses. *Pl. Trin.* 3, 2, 7. *Lesb.* Qui mihi male facis, male consulis. *Lys.* Egone? *Lesb.* tu nae. Adde *eund.* alibi, et *Terent.* saepe, et *Sall.* [*loci sunt *Cat.* 52, 27. *Jug.* 14, 21. et 85, 20.] ℙ Ab aliis id non servatur. *Liv.* 34, 4. *med.* Nae, simul pudere, quod non oportet, coeperit; quod oportet, non pudebit. (Adde 30, 14. et 26, 31. *f.*) *Pl. As.* 2, 2, 106. Nae hodie malo cum auspicio nomen commutaveris. *Id. Rud.* 4, 3, 38. nae impudenter impudens! *Sen. Ben.* 1, 14. *f.* Nae perperam monitiones nostras exaudit. *Ter. Andr. prol.* 17. Faciunt nae intelligendo, ut nihil intelligant. Ubi *Donat. Ne* quidam corripiunt, et cum interrogatione pronunciant: quidam producunt: quorum alii *ne* pro *nec* accipiunt, idest non. Alii *ne* pro valde, nimis, multum, plurimum, ut (*Adelph.* 4, 2, 1.) Ne ego homo sum infelix. Et hoc melius. [*Negant a Cicerone part. *nae* sine pronomine usurpari (V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 1, 20, 52.): at si novissimas *Jac. Gronovii* (cujus notarum indicem v.) emendationes sequimur, *nae* etiam sine pronomine non semel et ipse Cicero adhibuit. *Ruddim.* 2, 312. *n.* 29. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 360. *n. nae* ap. optimum quemque scriptorem nonnisi cum pronomine poni docet.] ℙ Jungitur et aliis particulis affirmantibus. *Ter. Hec.* 5, 3, 1. Edepol nae meam herus esse operam deputat parvi pretî. *Cic. Att.* 4, 4. Medius Fidius nae tu emisti locum praeclarum. *Pl. Amph.* 2, 2, 213. Nae ista edepol examussim est optima. *As.* 2, 4, 6. Nae tu hercle cum magno malo mihi obviam occessisti. *Men.* 4, 2, 40. Nae illam mecastor fenerato abstulisti. ℙ Ex allatis verbis *Donati* disces, etiam *ne* sine diphthongo scribi posse, ex Graeco νὴ particula item affirmante: quod ex libris optimis, et veterrimis *Cic.* et *Terentii* confirmant critici non uni, ut videre est ap. *Burm.* ad *Quint. decl.* 7, 9. V. etiam *Bentl.* ad *Ter. Andr. prol.* 17. [*Adde *Parei Lex. crit.* p. 776. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 52, 27. ℙ Confund. *nae* et *ne.* V. *Spalding.* ad *Quint.* 6, 3, 20.]

NAENIA. V. NENIA.

NAEVIA Porta, Romae antiquitus fuit dicta a nemore Naevio. *Varr. L. L.* 4, 34. Sequitur porta Naevia, quod in nemoribus Naeviis. Naevius enim loca, ubi ea sic dicta, coluit. *Fest.* quoque a nemore Naevio dictam tradit. *Liv.* 2, 11. Lucretius porta Naevia cum aliquot manipulis militum egressus. ℙ Quidam putant esse eam, quae nunc *Porta maggiore* dicitur: alii negant. [At *A. Nibbus, Mura di Roma* p. 196. probat, eam fuisse inter portas Capenam, et Rauduscularam, quae Honorio imperante ad Appiam, et Ardeatinam translatae fuerunt. *F.*]

NAEVIANUS, a, um, adj. ad Naevium poetam pertinens, ut Naevianus Hector, *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* h. e. qui a Naevio inducitur. Naeviana scripta, *Id. Brut.* 15. Naeviani modi, *Id. Leg.* 2, 15. ℙ Naeviana pira laudat *Colum.* 5, 10. *med.* et 12, 10. item *Cels.* 2, 24., dicta opinor a quodam Naevio, qui ea primus intulerit.

NAEVIUS, praenomine Cnaeus, natione Campanus, poeta Latinus, Ennio aliquanto antiquior, stipendia fecit bello Punico primo, ipsumque bellum carmine descripsit: aliquot praeterea fabulas apud populum dedit (quorum omnium pauca tantum fragmenta exstant) circa ann. U. C. DXIX. Cum ob assiduam maledicentiam, et probra in principes civitatis, in vincula Romae a triumviris conjectus esset, eo loci duas fabulas, Hariolum, et Leontem scripsit: quibus ipsis fabulis cum delicta sua, et petulantias dictorum diluisset, a tribunis plebis exemptus est. Hujus dicacitatis exemplum habes ap. *Gell.* 6, 8. Mortuus dicitur bello Punico altero, M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano Coss., h. e. ann. U. C. DL., quamquam Varro vitam ejus producit longius. Dicitur ipse sibi vivens fecisse epigramma, incidendum sepulcro, plenum Campanae superbiae, his versibus: Mortales Immortales flere si foret fas, Divae Camenae flerent Naevium poetam. Ita, postquam est Orcino traditus thesauro, Obliti sunt Romae loquier Latina lingua. Haec ex *Cic. Brut.* 15., *Gell.* 1, 24., 3, 3. et 17, 21. Tertiam ei palmam in comica facultate tribuit *Volcatius Sedigitus* ap. *Gell.* 15, 24., sc. post Caecil., Stat. et Plaut. Ejus tragoediam Hesionae memorat *Id.* 10, 25.

NAEVIUS, a, um, adj. ad Naevium vel poetam, vel alium quemvis pertinens. *Naevia silva* denominata a quodam Naevio, cujus domus ibi fuerat, memoratur a *Festo*, a qua Naevia porta dicta est. V. NAEVIA. In ea silva morari solebant perditi homines, teste *Catone* ap. *Fest.* Unde opprobrii loco objici solebat alicui, eum a domo Naevia esse. ℙ Naeviam oleam commemorat *Colum.* 12, 48. et 5, 8. ℙ *Naevius* praeterea dicitur, qui naevos in cute habet. *Arnob.* 3, 108. Ergo esse dicendum est quosdam *(Deos)* capitones, silunculos, frontones, labeones: in his alios mentones, naevios, atque nasicas, etc.

NAEVULUS, i, m. dimin. naevi. *Gell.* 12, 1. An tu quoque putas, naturam feminis mammarum ubera, quasi quosdam naevulos venustiores, non liberum alendorum, sed ornandi pectoris causa dedisse? *Appul. de Mundo:* Minores aliae insulae, ut naevuli quidam, per apertas Ponti sunt sparsae regiones. [*Front. ad M. Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) 1, 2. *med.* Ut quisque amore quempiam deperit, ejus etiam naevolos saviatur. *F.*]

NAEVUS, i, m. ἡ κηλὶς συμπεφυκυῖα, corporis insigne, verruca, genitiva macula: olim gnaevus et gnaeus. *Festus:* Gnaeus corporis insigne, et praenomen, a generando dicta esse, et ea ipsa ex Graeco γίγνεσθαι, apparet. *Cic. N. D.* 1, 28. Naevus in articulo pueri delectabat Alcaeum: at est corporis macula naevus: illi tamen hoc lumen videbatur. *Plin.* 22, 25, 67. Farina decocta in aceto tollit naevos. *Id.* 28, 4, 6. Naevos in facie tondere, religiosum habent multi. *Hor. Sat.* 1, 6, 67. Egregio inspersos reprendas corpore naevos. [*Ov. Trist.* 5, 13, 14. Nullus in egregio corpore naevus erit. *F.*] [*Apud sequioris aetatis scriptores, inprimis ecclesiasticos usurpatur sensu transl. pro eo, quod injustum, indecorum est. Ita *Hegesip.* 4, 33. Et quia absens erat Vespasianus, quasi ad interregni vicem Domitianum publicis Mutianus praefecit negotiis, ne qui naevus deesset rebus secundis. Ita *Gronov.* in *observv. in eccl.* 21. p. 667. *ed. Frotsch.*, ubi comparat *Eund.* 5, 46. Latrocinium hoc, quasi naevum in corpore, diu dissimulandum putavimus; et *Symmach.* 3, 34. Naevi instar est, ut frater meus Magnillus, vicaria potestate per Africam functus, testimonio omnium publice privatimque conspicuus variis in eam provinciam retardetur obstaculis.]

*NAGIA, ae, f. Arabiae Felicis oppidum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*NAGIDOS vel Nagidus, i, f. Νάγιδος, Ciliciae oppidum, in Pamphyliam vergens, Samiorum colonia. *Mela* 1, 13. *B. A.*

*NAHARVALI, orum, populi Germaniae, Lygiorum pars. *Tac. G.* 43. *B. A.*

NAIAS. V. NAIS.

NAICUS, a, um, adj. ad Naiades pertinens. *Prop.* 2, 23, 95. [*al. 2, 32, 40.] Supposita excipiens Naica dona manu. [Alii rectius leg. *Supposita excipiens, Nai, caduca manu, h. e.* Oenone. [*Est a *Scalig.*, probantibus *Passerat.*, *Livin.*, *Broukh.*, *Vulp.* Solus *Nic. Heins.* intercedit, et vult *cadiva* eodem sensu e *Plin.* 15, 16, 17. vel *Naica diva.*] ℙ Naicē, es, f. et Naicus, i, m. est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 650. *n.* 433. Tiridia Naice. Alia ap. *Grut.* 241. *col.* 2. T. Manlius Naicus. *F.*]

NAIS, idis, et Naias, iadis, et in plur. Naides et Naiades, dum, f. Νηΐς et Ναΐας, Nympha fontis, vel fluminis: a ναίω, habito, vel a νάω, fluo, mano. *Ov. Met.* 14, 326. Ille suos Dryadas Latiis in montibus ortas Verterat in vultus: illum fontana petebant Numina, Naiades. *Virg. Ecl.* 6, 21. Aegle Naiadum pulcherrima. *Ov. Fast.* 5, 115. Nais Amalthea, Cretaea nobilis Ida. *Tibull.* 3, 6, 57. Naida Bacchus amat. *Stat. Ach.* 1, 294. humeris quantum Diana relinquit Naides. Alii leg. *Najades* trisyllab. Sic ap. *eund. Silv.* 2, 6, 101. Forsan Avernales alludunt undique mixtae Naides. *Sen. Hipp.* 780. te nemore abdito Cinget turba licens, Naides improbae, Formosos solitae claudere fontibus. *Naiades* recte scribitur, cum est quadrisyll. *Naides* rectius, ac tutius, cum trisyll. ut adnotarunt *Pier.*, *Gronov.*, *Heins.* et alii. ℙ Adjective. *Virg. Ecl.* 10, 10. Puellae Naides. *Ov. Fast.* 2, 606. Naida Juturnam vir tuus, inquit, amat. ℙ *Nai* in vocativo V. in v. praec. ℙ Aliquando cum Hamadryadibus confunduntur, et Nereidibus. *Ov. Fast.* 4, 231. Naida vulneribus succidit in arbore factis. Illa perit: fatum Naidos arbor erat. *Id. Met.* 1, 690. Inter Hamadryadas celeberrima Nonacrinas Naias una fuit; et *ib.* 14, 556. Illas virgineis exercent lusibus undas Naides aequoreae. ℙ [Est etiam cogn. R., ut Servilia Nais, ap. *Suet. Ner.* 3. *F.*]

*NAISSUS vel Naisus, i, opp. Moesiae superioris. *Jornand. de reb. Get.* 56. ℙ In Thracia ponit *Tab. Peut. B. A.*

NAM, γὰρ, enim, etenim, conjunctio causalis. [**Nam* ponitur, cum dicto vel placito alicui, quod cognoscatur, aliquid accuratius, diligentius explicandi, exponendi, docendi causa additur; *enim*, cum ad veritatem rei perspiciendam nova causa opus est; hinc *nam* in oratione primum tantum locum sortitur; *enim* semper ponitur post vocabulum, quod vim causae continet. Ita *Ramsh. Gr. Lat.* §. 191. p. 845. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 345. p. 299. *nam* et *enim* ita usu differre dicit, ut prior vox primum orationis locum, *enim* secundum teneat; unde *nam* causam praecedentium indicare videatur, quatenus tota enuntiatione contineatur; *enim*, quatenus unius vocabuli notione sistat.] *Cic. Cat.* 3, 10. Quamobrem, Quirites, celebratote illos dies cum conjugibus ac liberis vestris. Nam multi saepe honores Diis immortalibus justi habiti sunt, sed profecto justiores nunquam. ℙ [*Ponitur *nam* pro relativo post demonstrativa,

more Graecorum, qui demonstrativum sententia nova cum partic. γὰρ explicare solent. V. *Math. Gram. Gr.* §. 615. p. 1243. sq. *Cic. Rosc. Am.* 6, 15. Itaque ex suis omnibus commodis hoc solum filio reliquit: nam patrimonium domestici praedones vi ereptum possident, fama et vita innocentis ab hospitibus amicisque paternis defenditur, i. e. hoc solum filio reliquit, quod, quum patr. dom. praed. possideant, fama et vita cet. *Id. Manil.* 7, 19. id quidem certe calamitate docti memoria retinere debemus: nam tum, quum in Asia res magnas cet., ubi post *id quidem certe — mem. ret. debemus* sequi debebat, *quod tum, quum* cet. Plura v. ap. *Matth.* ad *Cic. Manil.* 7, 19.] ℙ Accipitur etiam pro *vero, autem*, [*nostr. *nun, aber, hingegen.*] vel simili discretiva particula, et habet him transeundi ab una re ad aliam, simulque subjiciendi, quod quis requirere posset. *Cic. Att.* 9, 2. Nam quod negas te dubitare, quin in magna offensa sim apud Pompejum, non video, etc. *Id. Top.* 11. Nam alia quoque sunt contrariorum genera: velut ea, quae cum aliquo conferuntur, etc. V. integrum loc. [**Fam.* 1, 9, 49. nam de Appio quod scribis, i. e. Appium commemorare non opus est; nam quod de eo scribis cet. Cf. *Off.* 2, 13, 47. *Cluent.* 45, 127. *Arch.* 10, 23. *Brut.* 64, 228. *Fam.* 15, 1, 12. et *Manut.* ad *Fam.* 3, 11, 12. et 5, 20, 16. Plura exempla eaque bene exposita praebet *Ramsh. Gr. Lat.* §. 191. p. 846. ubi etiam sententiam eorum, ut *Garat.* ad *Cic. Verr.* 2, 1, 49. *Duk.* ad *Flor. praef.* 2. *Drak.* ad *Sil.* 9, 242. ad *Liv.* 5, 51, 6. (adde *Ernest.* ad *Cic. N. D.* 1, 12, 30. *Graev.* ad *Phil.* 2, 31. *in.*,) qui male in his *nam* et *jam* sine discrimine poni contenderunt, ita refutat, ut utrumque inservire quidem transitioni concedat, sed *jam* in justa enumeratione, sine causae notione illud significare, quod prae ceteris eximium, *nam* argumentum, rationem docendi, explicandi in transcursu, perfunctorie additam, spectare demonstret; ita auxilium vocatis *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 1, 12, 31. et *Ellendt.* ad *Brut.* 43, 159.] ℙ Aliquando praeponitur. *Ter. Ph.* 5, 1, 5. Nam quae haec anus est exanimata, a fratre quae egressa est meo? *h. e.* quaenam. *Virg. G.* 4, 445. Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras Jussit adire domos? ℙ Adhibetur in interrogationibus, et commotum loquentis animum fere significat. [*Fortius interrogat, certamque rei enarrationem, expositionem postulat, quemadmodum ap. Gr. τίς γὰρ, τίς ποτε, nostr. *denn, doch.* V. *Voss.* ad *Virg. G.* 4, 445. — Ad positionem quod attinet, *nam* in interrogationibus modo conjungitur cum vv. interrog., modo sejunctim aut praeponitur, id quod ap. veteres usitatissimum, aut postponitur, interdum etiam uno aut pluribus verbis interjectis.] *Pl. Epid.* 1, 2, 29. perdidisti omnem operam? *Ep.* nam qui perdidi? *h. e.* quare? [*Gr. πῶς γὰρ.] *Virg. A.* 12, 637. Nam quid ago? aut quae jam spondet Fortuna salutem? *h. e.* quidnam? *Ter. Eun.* 5, 2, 57. quam tu rem actura, obsecro, es? *Th.* Nam quid ita? *h. e.* cur ita interrogas? [*Huc pertinent etiam duo Plauti exempla, quae Noster separatim supra collocaverat, *Pers.* 2, 5, 13. Quando istaec innata est nam tibi? *Bacch.* 5, 1, 26. quid tibi ex filio nam aegre est. Plura exempla habes ap. *Ramsh.* §. 191. p. 850. *n.* 1.] ℙ Extra interrogationem interdum post aliam vocem collocatur, ut *enim:* non tamen in prosa oratione, quod sciam. *Hor. Sat.* 2, 3, 20. olim nam quaerere amabam, quo, etc. et *ib.* 41. Primum nam inquiram, etc. et *ib.* 302. ego nam videor mihi sanus. Adde *Ep.* 2, 1, 186. [*Multa de hujus part. usu congessit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 313. ℙ Confund. *nam* et *jam* V. *intpp.* ad *Suet. Caes.* 44. *in.* — et *quam.* V. *ib. Dom.* 1.]

NĂMĂ, ătis, n. *νᾶμα*, liquor, scaturigo. Vox haec legitur insculpta in duobus monumentis Mithriacis prope fluentum sanguinis, qui ex vulnere tauri a Mithra mactati effluit. *Inscr.* ap. *Mur.* 138, 1. et 918, 9. Soli invicto Mithrae, sicut ipse se in visu jussit reffici, Victorinus Caes. N. verna dispensator numini praesenti suis impendiis reficiendum curavit, dedicavitque nama cunctis. Alia ap. *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 7. p. 39. ed. Mediol. Nama Sebesio, *h. e. νᾶμα σεβαζίου*, liquor venerabilis *(Dei). F.*]

*NAMARE, locus Norici. *Tab. Peut.* ℙ *Cluverio* aliisque vulgo est *Melk. B. A.*

*NAMARĪNI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis, ubi nunc *Gallicia. Plin.* 4, 20. *B. A.*

NAMQUE. V. NANQUE.

NĂNĂ, ae, f. V. NANUS. ℙ [Fuit etiam hoc nomine Nympha, filia Sangarii regis, vel fluminis, quae Atydem peperit, cujus meminit *Arnob.* 5. p. 158. V. ATYS. *F.*]

NANCIO, is, a. 4. idem ac nanciscor, ap. veteres. *Gracchus* ap. *Prisc.* 10, 888. Si nanciam populi desiderium, comprobabo reipublicae commoda. ℙ Dixerunt etiam *nancior, iris.* Hinc in Foedere Latino ap. *Fest.* Pecuniam quis nancitor, habeto: et si quid pignoris nancitor, sibi habeto: *nancitor* est pro *nancitur. Festus* interpretatur, nactus erit, praedatus erit.

NANCISCOR, eris, nactus et nanctus sum, dep. 3. *τυγχάνω*, forte invenio, casu incido in aliquid: a *nancio.* Fere usurpatur in praeterito. [*Cf. de h. v. et ejus synon. *Doederl.* 3, 145 — 149.] *Cic. Or.* 9. *f.* Nactus sum etiam, qui Xenophontis similem esse se cuperet. *Ter. Hec.* 5, 3, 27. unde annulum istum nactus? ℙ Saepe dicitur de eo, qui fortuito quidem aliquid invenit, ac praeter opinionem, sed optatum tamen, quique adipiscitur, quod volebat, in rem gratam incidit. *Donat.* ad *Ter. Hec.* 4, 4, 59. Nancisci proprie dicitur, qui paratus ad tenendum, antequam possit reperire quod teneat, statim, quod occurrerit, prehendit. *Cic. Fam.* 3, 7. Pluribus verbis ad te scribam, cum plus otii nactus ero. *Id. N. D.* 3, 36. Si aliud quippiam nacti sumus fortuiti boni; et *ib.* 2, 64. Immanes beluas nanciscimur venando. *Id. Fam.* 13, 7. Majorem spem impetrandi nactus sum, posteaquam, etc. *Caes. B. G.* 6, 34. *extr.* Germani, quam nacti erant praedam in occulto relinquunt. *Hor. A. P.* 299. Nanciscetur enim pretium nomenque poetae. ℙ De rebus inanimis. *Pl. Rud.* 4, 3, 46. Meum quod rete atque hami nacti sunt, meum potissimum est. *Cic. Sen.* 15. Vitis, ut se erigat, claviculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur. ℙ Aliquando dicitur de eo, qui in malum incidit. *Ter. Ph.* 3, 3, 10. si ex nuptiis tuis nihil nanciscor mali. *Nep. Ages.* 8. Ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore. *Id. Att.* 21. Nactus est morbum. ℙ *Ut nactus es, habe*, est formula malum cuiquam contigisse gaudentis. *Pl. Rud.* 3, 6, 33. et *Trin.* 1, 2, 25. ℙ **Cic. de re publ.* (ed. *A. Maio*) 1, 10. Philolai commentarios esse nanctum. V. MAIUM ad l. *B. A.*

NANCĬTOR. V. NANCIO.

NANCTUS. V. NACTUS.

[NĂNIS, idis, f. dimin. nanae, a *νάνος*, nanus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 48. *n.* 269. Venuleja D. L. Nanis. *F.*]

*NANNĒTES vel Namnētes, um, *Ναννῆτες Metaphrast. Caes.*, populi Galliae Celticae sive Lugdunensis. *Caes. B. G.* 3, 9. *extr. Plin.* 4, 18. ℙ Eorum metropolis, hodie *Nantes*, vocatur *civitas Namnetum* in *Notit. provinc. Lugd.* et *civitas Namnetica* ap. *Gregor. Tur.* 6, 16. ℙ Est et *Nanetes* sive *Namnetae* oppidi ipsius nomen, ut patet ex *eod.* 8, 43. Namnetas adcessit. Adde *Venant. Fort. Ep.* 3. *ad Episcop. Namnet. Felicem:* Namnetas occurrissem. *B. A.*

*NANNĬUM, i, f. meretriculae cujusdam nomen, quae, ut scribit *Athenaeus* 13. p. 587. ed. *Casaub. προσκήνιον* est cognominata, quoniam extrinsecus formosissima videretur instar prosceniorum theatralium, cum alias foedissima esset. *Προσκήνιον ἐπεκαλεῖτο ἡ Νάννιον, ὅτι πρόσωπόν τε ἀστεῖον εἶχε, καὶ ἐχρῆτο χρυσέοις καὶ ἱματίοις πολυτελέσι, ἐκδῦσα δὲ ἦν αἰσχροτάτη.* V. *Franc. Philelph. Epist. ad Saxol. Pratens.* (quam exhibet *Goldast. Centur. Philol. Epist.* p. 24.) et *Coel. Rhodig.* 8. (al. 5.) 8. f. 413. Atque inde emendare voluerunt illud *Plautinum prolog. Amph.* 91. Etiam histriones *Nannio in proscenio* hic Jovem invocarunt. Neque aliter *Meursius.* Vulgo legitur *anno cum in proscenio* cet. quod defendit *Gronovius* post *Taubmannum.* Ceterum, quod mireris, hanc VV. DD. emendationem jam olim praeripuerat ed. *Juntin.* (1514), quae pro oculis nobis est, nisi quod in ea a litera minuscula incipit v. *nannio. B. A.*

NANQUE et Namque, *γὰρ*, [**καὶ γὰρ*] idem quod nam, enim, siquidem. *Caes. B. G.* 1, 38. Id ne accideret, magnopere praecavendum sibi Caesar existimabat: namque omnium rerum, quae ad bellum usi erant, summa erat in eo oppido facultas. *Nep. Milt.* 5. Namque arbores multis locis erant rarae, etc. *Cic. Or.* 1, 22. Namque quod tu non poteris, quis nostrum tam impudens est, qui se scire, aut posse postulet? *Hor. Sat.* 1, 5, 49. Namque pila lippis inimicum et ludere crudis; et *ib.* 6, 41. Namque est ille, pater quod erat meus. [**Zumpt. Gr. Lat.* §. 345. p. 299. docet, *namque* a *nam* significatione quidem nihil differre, et copulam *que* in hac voce eodem modo abundare, ut in *neque enim:* sed de positione utriusque vocabuli hoc tenendum, quod *namque*, sicut *atque*, plerumque (ap. *Nep.* fere semper) ante vocabula cum vocali incipientia (excepto *et*) poni solitum. Contra *Brem.* ad *Nep. Alc.* 1, 2. discrimen ita statuit, ut *namque* a *Nep.* usurpetur, ubi res vel factum accuratius describatur, enarretur; *nam*, ubi ipsa alicujus rei causa indicetur. Ceterum usu parum confirmari, quod *namque* ap. *Nep.* plerumque ante vocalem collocari docuerint.] ℙ Interdum uni verbo postponitur, ut *enim. Varr.* ap. *Gell.* 3, 10. Is nanque numerus, etc. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 8. Vera namque confitentibus, etc. et 25, 2, 4. Pinxere namque effigies herbarum, etc. *Flor.* 1, 5. Duodecim namque populos, etc. [*Docet *Ramsh. l. l.* §. 191. p. 846. *namque* nonnisi ap. *Liv.* et seriores hac positione usurpari, idque largo exemplorum numero confirmat. *Zumpt.* contra *l. l.* contendit, *namque* non magis primum, quam secundum orationis locum vindicare: quod secus videtur. De part. *namque* v. etiam largam exemplorum copiam collectam a *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 313. sq.]

NANS, nantis. V. NO.

*NANTUĀNI. V. v. sq. *B. A.*

*NANTUĀTES, um, populi Galliae Narbonensis, ad Alpes siti. *Caes. B. G.* 3, 1. et 4, 10. *Plin.* 3, 20. ℙ *Nantuani* audiunt *Tab. Peut.* ℙ Legitur et *Antuates. B. A.*

NĂNUS, i, m. *νάνος*, et *νάννος*, vox Graecae originis, qua significatur homo brevi atque humili corpore paulum supra terram exstans, ut *Gell.* 19, 13. definit: qui et *pumilio* Latine dicitur. *Prop.* 4, 8, 41. Nanus et ipse suos breviter concretus in artus Jactabat truncas ad cava buxa manus. *Juven.* 8, 32. nanum cujusdam Atlanta vocamus, Aethiopem cygnum, parvam extortamque puellam Europen. Etiam *Laber.* in *Mimis* hanc vocem usurpavit: qua in re a *Gellio* 16, 7. reprehenditur, ut voce usus obsoleta et sordidiore. Sed enim idem postea *loc. sup. cit.* admittit, et probat: cujus judicium *Propertii*, et *Juvenalis*, et aliorum auctoritas confirmat. ℙ *Nana* de femella. *Lampr. Alex. Sev.* 34. Nanos et nanas, et moriones populo donavit. ℙ Hujusmodi homulos in deliciis habere mos fuit, ut colligitur ex *Suet. Tib.* 61. ℙ Transfertur etiam ad animalia brevioris corporaturae. *Helv. Cinna* ap. *Gell.* 19, 13. At nunc me Geniana per salicta Binis rheda rapit citata nanis, *h. e.* hinnulis, aut equulis. ℙ Item teste *Festo*, ad genus vasis aquarii humilis et concavi, quod vulgo vocant situlum barbatum. *Varr. L. L.* 4, 25. Vas aquarium vocant futum, quo in triclinio allatam aquam infundebant: quo postea accessit nanus cum Graeco nomine, et cum Latino nomine Graeca figura barbatus. *Gloss. Philox. Νάννος, τὸ ὀχεῖος*, barbatus. Ita haec legit *Scalig.* in *Varr.* et *Glossis.* Quod vero *Festus* videtur appellationem hujus vasis transferre ad homulum, non homuli ad vas, neque ipsi, neque aliis probatur: putantque verba *Festi* esse a *Paulo* aut confusa, aut mutilata.

NAOFYLAX. V. NAUPHYLAX.

NĂPAEAE, arum, f. plur. *Ναπαῖαι*, Nymphae saltuum, et nemorum, Dryades: a *ναπαῖος*, saltuosus, quod a *νάπος*, et *νάπη*, saltus, silva. *Virg. G.* 4, 535. faciles venerare Napaeas. Adde *Stat. Th.* 4, 255. ℙ Distinguit a Dryadibus *Colum.*, nam hae proprie in quercubus natae: Napaeae in silvis agentes, 10, 264. Maenalidumque choros Dryadum, Nymphasque Napaeas. Sic *Nemes. Ecl.* 2, 20. Quae colitis silvas, Dryades, quaeque antra, Napaeae, Et quae marmoreo pede, Naides, uda secatis.

*NAPAEI, orum, populi Scythiae Asiaticae. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

*NAPATA, Aethiopiae opp. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

[NĂPE, es, f. *νάπη*, saltus, silva. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1119, 8. Flavia Nape. ℙ Est etiam nomen canis ap. *Ov. Met.* 3, 214. Deque lupo concepta Nape. *F.*]

NAPHTHAS, ae, m. *νάφθας*, genus bituminis, circa Babylonem copiosissime proveniens, cui tanta est cum igne cognatio, ut flamma transiliat in eam undecumque visam. Ita ferunt a Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona igne rapta. Haec ex *Plin.* 2, 105. 109. *Ammian.* 23, 6. *med.* eadem fere habet, et naphtham oleum Medicum appellat. *Veg. Mil.* 4, 8. et 18. oleum incendiarium. *Grat. Cyn.* 435. oleum vivum. Est autem vox ex duabus Aegyptiis composita, nempe ex *na*, oleum, et *Phthas*, Vulcanus, *h. e.* oleum igneum. V. *Jablonsk. Opusc.* T. 1. p. 158. et 381. [*Quaedam adjecit *F.*]

NĂPĪNA, ae, f. locus ubi seruntur napi. *Colum.* 11, 2. *med.* Napinae, itemque rapinae siccaneis locis per hos dies fiunt. V. RĂPĪNA.

*NAPĪTAE, arum, populi Asiatici, ultra Maeotim paludem. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

*NAPOCA, opp. Daciae, hodiernum *Clausenburg*, ut *Reinesio* ac *Sponio* placet. *Tab. Peut.* ℙ Hinc

*NAPOCENSIS, e, adj. ut *Napocensis colonia* ap. *Ulpian. Pandect.* 5. tit. 15. leg. 1. *B. A.*

NAPURAS Nectito, cum dixit pontifex, funiculi ex stramentis fiunt. *Festus:* qui in *Nectere* aliquanto plenius de hac re sic habet: Nectere ligare significat, et est apud plurimos auctores frequens. Quin etiam in commentario sacrorum usurpatur hoc modo: Pontifex minor ex stramentis napuras nectito, idest funiculos facito, quibus sues adnectantur.

NĂPUS, i, m. *βουνιάς*, genus raporum oblongius, et exilius. *Colum.* 2, 10. *f.* Rapa campis, et locis humidis laetantur: napus devexam amat et siccam, tenuique propiorem terram. Itaque glareosis, sabulosisque arvis melior exit: locique proprietas utriusque semen commutat: namque in alio solo rapa biennio sata convertuntur in napum: in alio napus raporum accipit speciem. Adde *Pall.* 8, 2. Amiterninos commendant *Plin.* 18, 13, 35. et 19, 5, 25. et *Mart.* 13, 20. Eorum condiendorum rationem docet *Colum.* 12, 54.

[NĂPY, yos, n. *νᾶπυ*, idem ac sinapi: vocis etymon vide in SINAPI. *Plin.* 19, 8, 54. Sinapi Athenienses napy appellaverunt. *Id.* 27, 13, 113. Alterum thlapsi aliqui Persicum napy vocant. *F.*]

NAR, aris, m. *la Nera*, *Νάρος*, fluv. Italiae, qui oritur ex Apennino monte in ipso confinio Pi-

ceni et Umbriae, per quam deinde fluens recipit Velinum fluv., hinc Interamnam rigans, et Narniam, panlo infra juxta Hortam Tiberi miscetur. *Tac. A.* 3, 9. Nare, mox Tiberi devectus. *Virg. A.* 7, 517. audiit amnis Sulphurea Nar albus aqua. *Cic. Att.* 4, 15. Lacus Velinus in Narem defluit. Al. leg. *in Nar*, ut sit neutr. gen. ℙ *Nar, Nartis*, ea loca accolens. *Inscr.* ap. *Grut.* 407, 1. Curator R. P. Nicomedensium, Interamnatium, Nartium, item Graviscanorum. Videtur legendum *sine interpunctione* Interamnatium Nartium. V. INTERAMNAS. ℙ *Fuit et Nar Illyridis fluvius, teste *Mela* 2, 3. *extr.*, ubi *Pintianus* legere mavult *Naro*. *B. A.*

*NARACUSTOMA dictum est secundum Danubii ostium. *Plin.* 4, 12. *Ammian.* 22, 19. ℙ *Ναράχου στόμα* dicitur ab *Auct. Peripli Pont. Euxini*. *B. A.*

NARBO, onis, m. *Narbonne*, colonia et urbs Galliae Narbonensis, ampla, et munita, olim emporium celeberrimum in ora maris mediterranei, apud Atacis fluvii ostia. Cognominata est *Narbo Marcius* a Q. Marcio cos. ann. U. C. DCXXXVI., sub quo colonia deducta est: vel *Martius*, quod eo Caesar ex Martia legione colonos deduxerit. *Cic. Font.* 1., *Vell.* 1, 15. et 2, 8., *Plin.* 3, 4, 5., *Mela* 2, 5. ℙ In quibusdam libris ap. *Suet. Tib.* 4. legitur *Narbona, ae*. ℙ *Narbonem pulcherrimam* dixit *Mart.* 8, 72., sed *urbem* subintellige.

NARBONENSIS, e, adj. ad Narbonem pertinens. *Cic. Font.* 2. Narbonenses coloni. ℙ *Narbonensis Gallia*, una ex quatuor Galliae partibus, a Narbone Martio dicta, a Pyrenaeis montibus ad Alpes extenditur, et interno mari alluitur. *Plin.* 4, 17, 31. *Mela* 2, 5.

NARBONĬCUS, a, um, adj. ad Narbonem, vel Narbonensem Galliam pertinens, ut Narbonica vitis, *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9.

NARCE, es, f. *νάρκη*, torpor. Vox Graeca. *Plin.* 21, 19, 75. A narce narcissus dictus, non a fabuloso puero.

[NARCISSĬĀNUS, a, um, adj. ad Narcissum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 902, 5. T. Flavius Aug. Lib. Narcissus fecit sibi, etc. T. Flavius Aug. Lib. Firmus Narcissianus monumentum refecit, etc. Hinc patet, Narcissum, Titi Aug. servum ordinarium, habuisse in peculio Firmum servum suum vicarium; quorum uterque, cum a T. Flavio Augusto libertate donatus esset, ejusdem praenomen et nomen ex more sibi adscivit, posterior vero alterum *Narcissiani* cognomen sibi adjunxit, ut, quaenam fuerit ejus in servitute conditio, manifeste ostenderet. *F.*]

NARCISSĪNUS, a, um, adj. *ναρκίσσινος*, qui ex narcisso fit, ut Oleum narcissinum, Unguentum narcissinum. *Plin.* 21, 19, 75. Ex hoc flore fit narcissinum oleum ad emolliendas duritias. *Id.* 13, 1, 2. Narcissinum unguentum ex flore narcisso desiit componi.

NARCISSĪTES, ae, m. *ναρκισσίτης*, gemma narcissi venis, et odore distincta. *Plin.* 37, 11, 73.

NARCISSUS, i, m. *νάρκισσος*, lilii genus, radice carnosa, atque odora, flore purpureo, folia in radice habens ad similitudinem foliorum arundinis, sed aliquanto crassiora: a *νάρκη*, torpor, quia gravis ejus odor torporem affert. *Plin.* 21, 5, 12. et *ib.* 19, 75. ℙ In fabulis est puer, Cephisi amnis et Lyriopes Nymphae filius, tanta formae praestantia, ut cum aliquando ad fontem bibiturus accessisset, conspectae suae imaginis amore captus sit, cumque nulla potiundi amoris spes esset, nimio desiderio contabescens, in florem sui nominis commutatus fuerit. *Ov. Met.* 3, 407. et sq. *Paus.* 9, 31. narrat, Narcissum sororem suam sibi simillimam amavisse, quam, cum praemortua esset, in imagine propria adamare non desiit. ℙ Fuit etiam cogn. R. V. NARCISSIANUS.

NARDĬFER, a, um, adj. nardum ferens. *Grat. Cyn.* 314. Nardiferumque metunt Gangem.

[NARDĬFOLIUM, ii, n. folium nardi, quod etiam absolute folium dicitur; conjunctim vero recte scribitur, nam in nardo, teste *Plin.* 12, 12, 25. et 26., duo in pretio sunt, radix, quae et *spica nardi*, et *nardostachyon* appellatur, et folium, quod etiam *nardifolium* dicitur in *Not. Tir.* p. 160. Nardus, nardifolium. *F.*]

NARDĪNUS, a, um, adj. *νάρδινος*, qui est ex nardo, ut Nardinum unguentum, alio nomine foliatum, cujus conficiendi rationem docet *Plin.* 13, 1, 2. ℙ *Nardina pira* dicuntur, quae nardi odorem habent. *Id.* 15, 15, 16. ℙ *Nardinum vinum* ap. *Pl. Mil.* 3, 2, 11. est vel nardo, vel unguento nardino conditum.

NARDOSTACHYON, ii, n. *ναρδόσταχυς*, nardi spica. *Apic.* 7, 6. Piper, nardostachyon, folium, etc., *h. e.* nardi spica, nardifolium.

*NARDOSTATĬUS, i, m. i. q. nardostachyon. *Theod. Prisc. de diaeta* 15. *B. A.*

NARDUS, i, f. et Nardum, i, n. *νάρδος*, Hebr. נֵרְדְּ *nerd*, frutex est gravi et crassa radice, sed brevi ac nigra, fragilique, quamvis pingui, situm redolente, ut cyperi, aspero sapore, folio parvo densoque, cacuminibus in aristas sese spargentibus: unde gemina dote nardi spicas, et folia concelebrant. *Plin.* 12, 12, 26. ℙ Est praeterea herba huic non dissimilis, quam ob id pseudonardum vocant, folio crassiore, carnoso, angusto, colore languido in candidum vergente, frequentibus spicis in aristas sparsis, flosculis purpureis, gaudens petrosis locis, et apricis, tanta suavitatis fragrantia, ut omnes flores odoris suavitate provocet, qua dote in vestibus inseritur. *Id. ib.* ℙ Nardus Gallica, sive Celtica, herba est, a pseudonardi speciebus diversa, folia habens longiuscula, et flavescentia, floremque luteum. *Id. ib.* Baccharis vocatur nardum rusticum, de quo, etc. *Id. ib.* ℙ *Nardus* pro unguento nardino ponitur. *Hor. Od.* 2, 11, 16. Assyriaque nardo Potamus uncti. *Tibull.* 3, 6, 63. Syrio madefactus tempora nardo. ℙ Neutro genere praeter *Plin.* et *Tibull.* allatos, usurpat etiam *Cels.* 3, 21. *med.* Iris, nardum, crocum, cassia, myrrha. Adde 5, 3. et *Colum.* 12, 20.

*NAREAE, arum, populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

NĀRES, ium, ibus, f. plur. *ῥῖνες*, nasi foramina, per quas et odor, et spiritus ducitur: a voce Graeca allata, per metathesin. *Lact. Opif. D.* 11. vult ita dici, quia per eas spiritus nare non desinit: *Festus*, quia per eas nari sumus odorum. *Cic. N. D.* 2, 56. Itemque nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt; et *ib.* 57. *f.* Nares, quae semper propter necessarias utilitates patent, contractiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit pervadere: humoremque semper habent, ad pulverem multaque alia depellanda non inutilem. *Quint.* 11, 3. *med.* Corrugare nares, et inflare, et movere, et digito inquietare, et impulsu subito spiritum excutere, et diducere saepius, et plana manu resupinare, indecorum est. *Cic. Tusc.* 3, 18. *f.* Fasciculum ad nares admovere. *Hor. Ep.* 1, 5, 22. ne turpe toral, ne sordida mappa Corruget nares. *Id. Od.* 4, 1, 21. Illic plurima naribus Duces tura; et *ib.* 2, 15, 6. omnis copia narium, *h. e.* florum odoratorum: metonymia. *Virg. G.* 1, 375. aut bucula coelum Suspiciens, patulis captavit naribus auras. *Colum.* 6, 1. Boves naribus resimis, patulisque. *Virg. A.* 12, 114. alto se gurgite tollunt Solis equi, lucemque elatis naribus efflant. *Ov. Met.* 7, 806. naribus acres Ire canes. *Hieron. ep.* 133. *n.* 7. Duobus digitulis narium purgamenta decutere. ℙ In singulari num. *Macer* ap. *Charis.* 1, 82. Saucia naris. [*Appul. Met.* 8. p. 577. *Oud.* Nare detorta, magistrum suum varie cavillantur. *F.*] *Ov. Met.* 12, 253. disjectis ossibus oris, Acta retro naris, medioque infixa palato est; et *ib.* 3, 674. panda loquenti Naris erat. *Grat. Cyn.* 172. fides et solertia naris, *h. e.* sagacitas in cane venatorio. *Ov. A. Am.* 1, 520. Inque cava nullus stet tibi nare pilus. *Pers.* 1, 33. balba de nare loqui. *Tert. adv. Marc.* 1, 13. Narem contrahere, *h. e.* corrugare irridendi causa. ℙ Translate refertur ad judicium, censuram, sagacitatem intelligendi, irridendi acrimoniam: qua ratione et *nasutum hominem* dicimus, et *naso suspendere*, etc. *Hor. Ep.* 1, 19, 45. ad haec ego naribus uti Formido. *Id. Sat.* 1, 4, 8. Emuncta naris. V. EMUNCTUS. *Epod.* 12, 3. obesa. V. OBESUS. *Pers.* 1, 41. rides, et nimis uncis Naribus indulges. [*Hor. Sat.* 1, 3, 30. acutae nares: ubi v. *Heindf.*] ℙ Huc pertinent illa *Lucilii* ap. *Non.* 5, 24. Calpurni saevam legem Pisoni' reprendi, Eduxique animam in primoribu' naribus, *h. e.* vehementer et irate insectatus sum; et *Afranii ib.* Apage sis clientum animum: in naribus primoribus vix pertuli edepol. ℙ A similitudine dicuntur *nares* extremae canalium partes, per quas humor egeritur. *Vitr.* 7, 4. Inter duos parietes canalis ducatur, habens nares ad locum patentem. *Id.* 7, 10. Fit fornacula habens in laconicum nares, i. e. foramina fumum emittentia. *Vopisc. Prob.* 21. Ingentem parans fossam, qua, dejectis in salum naribus, loca siccaret. Ita legit *Salmas.*, alii aliter. *Pall.* 9, 9. Puteos fodiemus, et ab his foramina hinc inde patefacta, velut nares, intus agemus, qua nocens spiritus evaporet.

*NĀRESII, orum, populi Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

*NARIANDUS, i, oppidum Cariae. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

NĀRINOSUS, a, um, adj. qui latis naribus est. *Lact.* 5, 12. *f.* Cum Diis suis narinosis relinquantur. Ita quidam Codices MSS. Alii leg. *varicosis*, alii *cariosis*, et *curiosis*.

NĀRIS. V. NARES.

*NARISCI, orum, populi Germaniae, quibus fines *Cluverius* adsignat ab Aeni confluente ad usque urbem Ingolstadium. *Tac. Germ.* 42. *Capitol.* in *M. Antonio philos.* 22. *B. A.*

NĀRĪTA est genus piscis minuti. *Plautus:* Muriatica autem video in vasis stagneis, Bonam naritam, etc. Haec *Festus: Νηρίτης* autem genus est marinae conchae.

*NARĪTAS, atis, f. quasi gnaritas, intelligentia, notitia, a *narus*, i. q. gnarus. *Donat.* ad *Ter. Ad.* 3, 3, 43. Nam ideo *nares* a *naritate* dictae sunt, cet. *B. A.*

*NARNĬA, ae, f. urbs Umbriae. V. in NARNIENSIS. *B. A.*

NARNIENSIS, e, adj. ad Narniam pertinens, quae est urbs Umbriae, colonia Romanorum, ad Narem fluvium (qui et ipse Narnia dicitur, *Liv.* 10, 10.), a quo nomen habet. *Plin.* 31, 4, 28. Narniensis ager. V. NEQUINATES. ℙ *Narnienses, ium*, ejus cives. *Id.* 3, 14, 19. ℙ De Narniensi tribu V. ARNIENSIS.

*NARO vel Naron, onis, m. *Νάρων*, fluvius Dalmatiae, Naronam praeterfluens. *Plin.* 3, 22. ℙ Hodie est *Narenta* vel *Narona*. ℙ V. NAR in f. *B. A.*

*NARONA, ae, f. vetus Dalmatiae oppidum. *Plin.* 3, 22. *Mela* 2, 3. *extr. Vat.* in. *Cic. Fam.* 5, 9. et 10. ℙ *Narenta* recentius dictum. ℙ In utroque *Ciceronis* loco Cod. *Graev.* habebat *Narbona*: et in MSS. confundi haec verba docet *Burm.* ad *Suet. Tib.* 4. V. *Wesseling.* ad *Anton. Itin.* p. 338. *B. A.*

NARRĀBĬLIS, e, adj. qui narrari potest. *Ov. Pont.* 2, 2, 61. Lingua sile: non est ultra narrabile quidquam.

*NARRAGA, ae, fluminis, vel excursus potius Euphratis nomen, in Babylonia. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

NARRĀTĬO, onis, f. *ἀφήγησις, διήγησις*, actus narrandi, rei gestae expositio: item res ipsa narrata. *Cic. Or.* 36. Narrationes credibiles, nec historico, sed prope quotidiano sermone explicatae dilucide. *Id. Or.* 2, 19. Rem narrare, ita ut verisimilis narratio sit, ut aperta, ut brevis. *Id. Or.* 62. Si exponenda est narratio, quae plus dignitatis desiderat, quam doloris. *Phaedr.* 4, 4. Plus esse in uno saepe, quam in turba, boni, Narratione posteris tradam brevi. *Suet. Rhet.* 1. *med.* Narrationes tum breviter et presse, tum latius et uberius explicare. ℙ De narratione oratoria V. *Auct.* ad *Her.* 1, 8., *Cic. Inv.* 1, 19., 2, 19. et 80. et *Part.* 9., *Quint.* 4, 2., *Capell.* 5, 180. et *Prisc. de praeexercitam. rhet.* 1331.

NARRĀTĪVĒ, adv. narrando. *Donat.* in *argum. Andr.* Ut a novissimis rebus incipiens, initium Fabulae narrative reddat spectatoribus.

NARRĀTĬUNCŪLA, ae, f. *διηγημάτιον*, brevis narratio. *Quint.* 1, 10. Narratiunculas a poetis celebratas tractare. Adde *Plin. ep.* 6, 33. *med.*

NARRĀTOR, oris, m. *ἀφηγητής*, qui narrat. *Cic. Or.* 54. Natura fingit homines, et creat imitatores, et narratores facetos; et *ib.* 12. *extr.* Non exornatores rerum, sed tantummodo narratores. [*Tac. *Ann.* 16, 2. a narratoribus oratoribusque praecipua materia in laudem principis assumpta est.]

NARRĀTUS, a, um, part. a *narro*: *διηγηθείς*, expositus, explicatus, dictus. *Hor. Sat.* 2, 5, 1. Hoc quoque, Tiresia, praeter narrata, petenti Responde. *Plin.* 6, 23, 26. Circumvectus in mediterranea Persidis, narrata proxime a Juba. *Id.* 8, 15, 16. Belua nunquam visa in hoc orbe, multis tamen narrata, *h. e.* a multis; et 11, 52, 114. Frivola haec, ut reor, et vulgo tamen narrata; et *ib.* 37, 79. In ventre hirundinum pullis lapilli, qui chelidonii vocantur, magicis narrati artibus, reperiuntur. *Id.* 5, 1, 1. *in.* Nec praeter oleastros, aliud exstat ex narrato illo aurifero nemore.

NARRĀTUS, us, m. narratio. *Ov. Met.* 5, 498. Mota loco cur sim, tantique per aequoris undas Advehar Ortygiam, veniet narratibus hora Tempestiva meis. *Appul. Met.* 9. [*p. 650. *Oudend.*] Lector reprehendens narratum meum.

NARRO, as, avi, atum, a. 1. *διηγέομαι*, dico, expono, recito, rem gestam sermone explico. Videtur esse a *gnaruris*, gnarus. Ab eo enim factum fuit *gnaruro*, quod in *Gloss. Phil.* legitur: et inde *narro*. V. alia huc pertinentia ap. *Voss.* in *Etymol.* in *Gnari*. *Cic. Fam.* 9, 6. *extr.* Ego tibi ea narro, quae tu melius scis, quam ipse, qui narro; et *ib.* 3, 1. Si respubl. tibi narrare posset, quomodo sese haberet; et *ib.* Jucunda mihi ejus oratio fuit, cum de animo tuo, de sermonibus, quos de me haberes quotidie, mihi narraret; et *ib.* 6, 1. *f.* Mihi Philargyrus tuus fidelissimo animo narravit, te interdum sollicitum esse vehementius. *Ter. Hec.* 1, 2, 70. Narratque, ut virgo integra etiam tum siet. *Id. Adelph.* 3, 2, 53. cognato rem omnem narrato ordine; et 4, 1, 20. Narrare virtutes alicujus. *Plin.* 6, 22, 24. Percontanti narravit Romanos et Caesarem. [*Vell. 2, 29, 2. Cujus viri magnitudo multorum voluminum instar exigit: sed operis modus paucis eum narrari jubet.] *Id.* 20. *praef.* Narrabimus homini cibos suos, *h. e.* ostendemus, explicabimus. *Pl. Pers.* 4, 3, 29. quid istaec tabellae narrant? *Mart.* 3, 87. Rumor narrat. *Cic. Fam.* 2, 10. *med.* Quo loco Clitarchus tibi narravit, Darium ab Alexandro esse superatum, *h. e.* Clitarchus in historia sua a te lecta. ℙ *Narrari*, in sermone omnium esse, fabulam fieri. *Quint. decl.* 14. *f.* Rideor ubique, narror, ostendor. *Mart.* 12, 52. Dulcis in Elysio narraris fabula campo. ℙ *Male, bene narrare*, tristem, bonum nuncium afferre. *Cic. Att.* 16, 14. Male narras de Nepotis filio; et *ib.* 13, 33. Othonem

quod speras posse vinci, sane bene narras. ℙ Pro dicere, loqui. [*Pertinet haec ad communis vitae usum dicendi ratio.] *Hor. Sat.* 2, 7, 4. libertate Decembri (Quando ita majores voluerunt) utere, narra. *Ter. Andr.* 2, 2, 30. Non opinor, Dave. *Da.* opinor, narras? non recte accipis: Certa res est. *Pl. Poen.* 5, 2, 67. narra, quid est? quid ait? *Ter. Andr.* 3, 1, 19. ego quid narres, nescio. *Id. Ph.* 2, 3, 54. filium narras mihi? Cujus de stultitia, etc. Adde *Phaedr.* 3, 17. ℙ *Narro tibi*, vere loquor, verum tibi dico. *Cic. Att.* 2, 11. Narro tibi: plane relegatus mihi videor, postea quam in Formiano sum: (Adde *ib.* 15, 16. et 21.) et *ib.* 7. Narra mihi: reges Armeniae patricios salutare non solent? *Petr. Sat.* 129. Narrabo tibi adolescens: paralysin cave. ℙ *Narratur*, fertur, dicitur. *Hor. Ep.* 1, 2, 6. propter Paridis narratur amorem Graecia Barbariae lento collisa duello. *Mart.* 3, 9. Versiculos in me narratur scribere Cinna. *Ov. Her.* 6, 19. Barbara narratur venisse venefica tecum. ℙ *Narrant*, dicunt, ferunt. *Plin.* 2, 47, 48. Narrant, et in Ponto Caecian in se trahere nubes. Adde *ib.* 106. 110. et 32, 7, 24. ℙ Pro disputare, disserere. *Prop.* 2, 1, 43. Navita de ventis, de tauris narrat arator. ℙ Part. *Narrans* ap. *Catull.* 9, 6. audiamque Hiberum Narrantem loca, facta, nationes. *Narraturus* ap. *Stat. Silv. 3, 3,* 207. Verbaque dilectae fert narraturus Etruscae. *Narrandus* ap. *Just.* 17, 3. De origine regni ejus pauca narranda sunt. ℙ *Narramus*, syncop. pro *narravimus* habet *Prop.* 2, 12, 9. Quam multa apposita narramus verba lucerna!

NARTHĒCIA, ae, f. *ναρθηκία*, species ferulae humilioris, quae ad justam altitudinem narthecis non assurgit, folia habens maxima, ut quaeque terrae proxima. Dicta videtur per diminutionem, a fruticis humilitate. Quare etiam a quibusdam ferula minor, et ab aliis ferulago appellatur. *Plin.* 13, 22, 42. de ferula: Duo ejus sunt genera; narthecа Graeci vocant assurgentem in altitudinem, narthecіam vero semper humilem. *Ed. *Hard.* habet *narthecyam*, *ναρθηκίνην Theophrasto.* Antea legebatur *narthechiam.* *B. A.*

NARTHĒCIUM, ii, n. *ναρθήκιον*, repositorium medicamentorum, vasculum, in quo reponebant medicamenta: a *νάρθηξ*, ferula. Primo enim narthecia appellata sunt vasa medicamentaria, quae ex narthece conficiebantur, quia narthecis lignum ad medicamenta asservanda accommodatissimum est, quippe cum ejus caulis medulla exempta sit vacuus, postea vero quaevis vasa in hunc usum comparata, quamvis ex ferula confecta non essent, hoc nomine dici coeperunt. *Cic. Fin.* 2, 7. *extr.* Jam doloris medicamenta illa Epicurea tanquam de narthecio promant. *Mart.* 14, 78. cujus lemma *Narthecium:* Artis ebur medicae narthecia cernis habere Munera, quae cuperet Pactius esse sua.

*NARTHECŪSA (*ναρθηκόεσσα, ναρθηκοῦσσα, h. e.* ferulae plena, np. a *νάρθηξ*, ferula), ae, f. insula in mari Carpathio, Rhodo adjacens. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

NARTHEX, ēcis, f. *νάρθηξ*, arbuscula, al. ferula, lignum foris corticis loco habens, intus ligni loco fungosam medullam. *Plin.* 13, 22, 42.

*NARUS, a, um, adj. i. q. gnarus. *Cic. Or.* 47. *Noti* erant, et *navi*, et *nari*, quibus cum IN praeponi oporteret, dulcius visum est, *ignoti*, *ignavi*, *ignari* dicere, quam ut veritas postulabat. ℙ V. NURITAS. *B. A.*

*NARYCĬA, ae, f. vel

*NARYCĬUM, i, n. urbs Graeciae, in Boeotia. V. in *Narycius*, *a*, *um*. *B. A.*

NĀRYCĬUS, a, um, adj. ad Naryciam, seu Narycium pertinens, urbem Graeciae, in Boeotia, quae Locrorum Epicnemidiorum fuit. Hi cum in Italiam transmigrassent, et Locros in Magna Graecia condidissent, Narycii dicti sunt. Circa hos laudatissima pix fiebat. *Virg. A.* 3, 399. Hic et Narycii posuerunt moenia Locri. *Id. G.* 2, 438. Naryciaeque picis lucos. ℙ *Narycia*, *ae*, ipsa urbs Locri. *Ov. Met.* 15, 705. Romechiumque legit, Caulonaque, Naryciamque. Al. leg. *Naryciumque.* ℙ *Narycius heros* ap. *eund. ib.* 14, 468. est Ajax Oilei filius, quo duce Locri in Italiam venere. ℙ *Narycius* etiam ab *eod. ib.* 8, 312. dicitur Lelex Locrensium rex. V. LELEGES.

NĀSĀMONES, um, m. plur. *Νασαμῶνες*, pop. Libyae in Africa ad Syrtim magnam. Item alii in Marmarica, Garamantibus finitimi, quorum regio Nasamonitis. *Plin.* 5, 5, 5. et 7, 2, 2. et 13, 17, 32. ℙ De Nasamonibus Libyae populis *Lucan.* 9, 443. toto commercia mundo Naufragiis Nasamones habent: quia scil. miseros spoliant, quotcumque in Syrtibus naufragium patiuntur. ℙ In sing. numero. *Id. ib.* 439. Quas *(herbas)* Nasamon, gens dura, legit, qui proxima ponto Nudus rura tenet, quem mundi barbara damnis Syrtis alit. *Sil.* 6, 44. Exanimum Nasamona Tyren super ipse jacebat.

NĀSĀMONĬĀCUS, a, um, adj. Nasamonius. *Sil.* 16, 630. tum tende remotos In Garamantas iter, Nasamoniacosque triumphos Molire. Adde *Ov. Met.* 5, 129. ℙ Item universim Africanus. *Stat. Silv.* 4, 6, 75. Mox Nasamoniaco decus admirabile regi Possessum, *h. e.* Annibali.

NĀSĀMONĬAS, adis, f. Nasamonia. *Sil.* 2, 117. Opposito procul insidiis Nasamonias Harpe Corpore, praeripuit letum. Al. aliter leg.

NĀSĀMONĪTES, ae, m. *νασαμωνίτης*, gemma sanguinea, nigricantibus venis. *Plin.* 37, 10, 64. ℙ *Nomen traxit haec gemma a Nasamonibus, cujus in terra proveniebat, teste *Sol.* 27. ℙ Legitur et *nasamonitis*, *Νασαμωνῖτις*, *scil. λίθος*. *B. A.*

NĀSĀMONĬUS, a, um, adj. ad Nasamones pertinens, Afer, Libycus. *Stat. Silv.* 2, 7, 93. Sic natum Nasamonii Tonantis Augusto Babylon premit sepulcro, *h. e.* Alexandrum, qui se filium Jovis Ammonis credi volebat. *Nasamonium* dicit, quia Jovis Ammonis templum in Africa fuit. *Sid. carm.* 9, 257. Et vinctum Nasamonium Jugurtham.

*NASANDUA, ae, Aethiopiae oppidum, vel fortasse in confinio Aethiopiae atque Aegypti. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*NASĀTUS, a, um, adj. i. q. nasutus. *Lampr.* in *Heliog.* 5. Bene nasatos perquirere, *h. e.* mutoniatos. Eadem locutio reperitur *ib.* 8. 9. et 31. Sed alii legunt *bene vasatos.* ℙ *Coel.* 27, 26. inquit, a *naso* ita inflecti posse *Nasatus*, ut ab oculo Oculatus. *B. A.*

*NASCĀLE, is, n. pessus ad uterum mulierum medicatus. *Const. Afer* 5, 12. Nascale Paulli ad calidam vulvam. V. *Reines.* ad *Petr. fr.* p. 109. *Burm.* p. 362. *Morg. Ep.* in *Cels.* p. 19. ad 5, 21. *extr.* *B. A.*

NASCENS, entis, part. a *nascor;* qui nascitur. *Virg. Ecl.* 4, 8. Nascenti puero fave, Lucina; et *ib.* 3, 92. humi nascentia fraga. *Id. G.* 3, 389. ne maculis infuscet vellera pullis Nascentum, *h. e.* fetus; et *ib.* 1, 441. Sol ubi nascentem maculis variaverit ortum, *h. e.* cum oriens faciem habuerit maculosam. *Hor. Od.* 3, 23, 2. Nascens luna. ℙ Translate dicitur de rebus quibuscumque recens ortis. *Cic. Cat.* 1, 12. Conjuratio nascens. *Id. Brut.* 7. Non nascentibus Athenis, sed jam adultis. *Colum.* 11, 3. *med.* Nascens annus, *h. e.* vernum tempus. *Hor. Sat.* 2, 4, 30. nascentes implent conchylia lunae, *h. e.* novae, et crescentes. *Flor.* 2, 6. *f.* In ipsas nascentis Italiae fauces, *h. e.* Alpes, ubi Italia incipit. ℙ [*Confund. *nascens* et *crescens.* V. *intpp.* ad *Virg. E.* 7, 25. *nascentes* et *pascentes.* V. *Burm.* ad *Eund. ib.* 4, 45.]

NASCENTĬA, ae, f. *γένεσις*, nativitas. *Vitruv.* 9, 7. *med.* Non e nascentia, sed ex conceptione genethliologiae rationes explicatas reliquit.

NASCĪBĬLIS, e, adj. qui nasci potest. *Tert. adv. Marc.* 3, 19. *f.* Mortalem negat, quem nascibilem profitetur. Adde *ib.* 11.

NASCOR, eris, natus sum, dep. 3. *φύομαι*, *γίγνομαι*, orior, in vitam venio, in lucem edor. Volunt esse a *γεννάω*, unde *γεννάσκω*. Est etiam, cui placet a *nanciscor* ducere per syncopen, quasi vitam adipiscor. *Cic. Or.* 3. Ideas Plato gigni negat, et ait semper esse: cetera nasci, occidere, fluere. *Ter. Andr.* 3, 2, 6. scitus puer est natus Pamphilo. *Pall.* 7, 7. Ubi signum nasciturі regis *(apum)* inveneris. *Cic. Tusc.* 1, 5. Quoniam mortui miseri sunt, in miseriam nascimur sempiternam. *Id. Rosc. Am.* 16. Si tibi fortuna non dedit, ut patre certo nascerere. [*Comparari cum his possunt ista: *Lucan.* 7, 643. aut quid meruere nepotes In regnum nasci: ubi v. quae laud. *Cort.*] *Virg. A.* 3, 98. Et nati natorum, et qui nascentur ab illis. [**Tac. H.* 1, 16. Generari et nasci a Principibus fortuitum est.] *Virg. A.* 1, 290. Nascetur pulcra Trojanus origine Caesar. *Ter. Heaut.* 5, 4, 7. Ita mihi atque huic sis superstes, ut ex me atque hoc natus es. *Ov. Met.* 11, 312. Alipedis de stirpe Dei versuta propago Nascitur Autolycus. *Plin.* 10, 53, 74. Aves omnes in pedes nascuntur, contra quam reliqua animalia. *Virg. G.* 2, 110. Fluminibus salices, crassisque paludibus alni Nascuntur. *Hor. Od.* 2, 20, 11. nascunturque leves Per digitos, humerosque plumae. ℙ Translate dicitur de mineralibus, lapillis, fluminibus, de stellis orientibus, de ventis surgentibus, etc. *Caes. B. G.* 5, 12. Nascitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus. *Plin.* 36, 8, 12. Onyx nascitur circa Thebas Aegyptias. *Id.* 6, 18, 22. Ganges in Scythicis montibus nascitur; et 36, 26, 65. Ex palude nascitur amnis. *Hor. Od.* 3, 23, 1. Coelo supinas si tuleris manus Nascente luna. *Virg. Ecl.* 8, 17. Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, almum; et *G.* 1, 434. Totus et ille dies, et qui nascentur ab illo; et *ib.* 3, 278. unde nigerrimus Auster Nascitur. *Petr. fr. Trag.* 38. *Burm.* Parum illi bona lana nascebatur: arietes a Tarento emit. Mel Atticum ut domi nasceretur, apes ab Athenis jussit afferri. ℙ Translate est etiam initium ducere, proficisci, provenire. *Cic. Fam.* 16, 22. Scribes ad me, ut mihi nascatur epistolae argumentum. *Virg. A.* 3, 44. major rerum mihi nascitur ordo. *Hirt. B. G.* 8, 48. Postulatio ab justo timore nascitur. *Cic. Off.* 2, 5. Nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur. [**Liv.* 42, 40. De Argis disceptatio ab Attalo rege est nata: ubi *Kreyssig.* pro *nata* scrib. censet *mota.*] *Catull.* 64, 188. Querelae verae nascuntur pectore ab imo. ℙ Pro exsurgere, exsistere, erumpere. *Sil.* 3, 530. de scandentibus Alpes: ardua supra Sese aperit fessis, et nascitur altera moles. [*Eadem surgendi, exsistendi notio praevalet in loco, quem, a Nostro supra laud., huc retulimus. *Caes. B. G.* 2, 18. Ab eo flumine collis nascebatur.] ℙ *Nascentia templa* ap. *Mart.* 6, 4. sunt recens exstructa, nova. ℙ *Natu* supinum. *Plin.* 6, 33, 60. Cupressus natu morosa. ℙ Part. *Nascens* V. sup. s. l. *Nascendus* ap. *Gell.* 3, 10. Ad homines quoque nascendos vim numeri hujus *(septenarii)* pertinere ait, *h. e.* ad homines in utero matris formandos; docet enim totum hominem in utero septem hebdomadis absolvi. Ita etiam usurpatur *senescendus*, q. v. in SENESCO. ℙ *Nascere* in infinito pro *nasci*, a *nasco*, *is*, quidam confirmant verbis *Cat. R. R.* 151. *extr.* Ubi germen nascere coepit. Sed ea lectio certa non est.

*NASCUS, i, *Νάσκος*, oppidum Arabiae Felicis, in Sabaeorum terra. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

NĀSĪCĀ, ae, m. et f. qui naso est acuto, subtili, et contracto. *Arnob.* 6, 196. Potest fieri, ut barbatus in coelo sit, qui esse a vobis effingitur levis: displosas ut gestitet nares, quem vos esse facitis, figuratisque nasicam. Adde 3, 108. ℙ Ita cognominatus fuit P. ille Cornelius Scipio, qui adolescens nondum quaestorius, in tota civitate vir bonorum optimus judicatus est, jussusque obviam ire signo Matris Idaeae excipiendo, et Romam deducendo. V. *Liv.* 24, 14. Quanta fuerit fiducia sui, quantaque apud omnes cives auctoritate, satis argumento est quod narrat *Val. Max.* 3, 7. *n.* 3. V.

NĀSĪDĬĀNUS, a, um, adj. ad Nasidium pertinens, quod est nomen propr. R. hominis. *Caes. B. C.* 2, 7. Nasidianae naves, *h. e.* quae ducem L. Nasidium habebant.

[NASĪENSIS, e, adj. ad Nasium pertinens, oppidum Leucorum in Gallia Belgica, nunc *Nas*, memoratum a *Ptolem.* 2, 9. et in *Itin. Ant. Inscr.* ap. *Mur.* 1062, 1. Fabricius Nasiensis. *F.*]

*NASIDIĒNUS, i, m. nomen proprium virorum R. ℙ Nasidienus Rufus, convivator vapide garrulus, homo ridiculus, Maecenatem in convivium excepit. Ridet stultitiam ejus et ineptam jactationem *Hor. Sat.* 2, 8, 1. seq. ℙ Alius, de quo *Mart.* 7, 53. *B. A.*

NĀSĪTERNA, ae, f. *ὑδρία*, est genus vasis aquarii ansati et patentis, quale est, quo equi perfundi solent. Plautus in Bacchid. Ecquis evocat cum nasiterna, et cum aqua istum impurissimum? Et in Nervolaria. Ecquis effert nasiternam cum aqua sine suffragio? Et Cato in Q. Sulpicium. Quotiens vidi trulleos, nasiternas, pertusos aquales, matellas sine ansis. Haec *Festus*, qui *nassiterna* scribit duplici *ss.* Alii unico, quia a ternis nasis, seu ansis, vel potius tabulis exstantibus, per quos liquor effunditur, dictam putant, quemadmodum *Juven.* 5, 46. Vatinianos calices nasorum quatuor fuisse, ait. V. NASUS. *Cato R. R.* 11. in instrumento vineae enumerat amphoram, nassiternam, pelvim, matellionem, trulleum, etc. Adde *Varr.* ap. *Non.* 15, 25. Quod autem affert *Fest.* ex Nervolaria *Plauti*, habetur *Stich.* 2, 2, 28. hoc modo: Ecquis huc effert nasiternam cum aqua? *Ge.* sine suffragio Populi tamen aedilitatem hic quidem gerit. ℙ In allato *Cat.* loco est qui legit *amphoram nassiternam*, sine nota distinctionis, ut *nassiternam* sit adjectivum: quod sane absurdum non videtur.

NĀSĪTERNĀTUS, a, um, adj. nasiterna instructus. *Calpurn.* ap. *Fulg.* in *Expos. serm. antiq.* Ubi tu nasiternatus aquam petas.

*NASĪUM, i, n. oppidum Galliae Belgicae, in terra Leucorum. *Anton. Itin. B. A.*

NĀSO, onis, m. cogn. P. Ovidii poetae celeberrimi, a nasi magnitudine, ut *Fronto* a *fronte*, *Capito* a *capite*, etc. *Ov. Trist.* 3, 3, 74. Ingenio perii Naso poeta meo. Adde al. saepe. ℙ *Q. Naso, praetor Asiae. *Cic. Cluent.* 53. et *Fl.* 21. ℙ P. Naso provinciam a M. Antonio assignatam recusavit. *Id. Att.* 12, 17. ℙ Nasonum catalogum congessit *Heins.* ad *Ov. Her. ep.* 1. *B. A.*

*NASOTĬĀNI, orum, populi Asiae ulterioris, circa mare Caspium. *Plin.* 6, 16. Nasotiani, Aorsi, Getae, quos Graeci Cadusios adpellavere. *B. A.*

*NASPERCENĪTES, ae, m. ad Ponti oppidum quoddam spectans, cui nomen fortasse Naspercenae. *Plin.* 14, 7. Apollodorus medicus in volumine, quo suasit Ptolemaeo regi quae vina biberet, Italicis etiam tum ignotis, laudavit in Ponto nasperceniten (subintellige *οἶνον*), mox etc. *B. A.*

NASSA, ae, f. *κύφινος*, vel *κύφινη*, piscatorii vasis genus, quo cum intravit piscis, exire non potest. Ita *Festus.* *Sil.* 5, 47. vitreas solers piscator ad undas, Ore levem patulo texens de vimine nassam, Cautius interiora ligat, mediamque per alvum, Sensim fastigans, compressa cacumina nectit: Ac fraude arctati remeare foraminis arcet Introitu facilem, quem traxit ab aequore piscem. *Plin.* 9, 37, 61. Capiuntur purpurae parvulis, rarisque textu veluti nassis in alto jactis: et *ib.* 30, 48. Polypus mire expetens odorem salsamentorum: qua de causa

et nassis illinuntur. *Id.* 21, 18, 59. Junci usus ad nassas marinas. *Id.* 32, 2, 5. Scarus inclusus nassis non fronte erumpit, nec infestis viminibus caput inserit, sed aversus, etc. ℙ Translate. *Pl. Mil.* 2, 6, 98. Nunquam hercle ex ista nassa ego hodie escam petam. (Unde proverb. e nassa escam petere, *h. e.* utilitatem inde quaerere, ubi majus periculum est.) *Cic. Att.* 15, 20. Ex hac nassa (al. *naxa*, ita *Orell.*) exire constitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris.

*NASSĬCUS, a, um, adj. Calagurris cognomento Nassica, oppidum Hispaniae, hodie *Calahorra. Inscr.* ap. *Ambros.* (V. *Hard.* ad *Plin.* locum mox citandum et *Cellar.* in *Not. Orb. Ant.*) ℙ Hinc Calagurritani Nassici dicti sunt oppidani. *Plin.* 3, 3. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Nascici. B. A.*

NASSĬTERNA. V. NASITERNA.

NASTURTĬUM, ii, n. *κάρδαμον*, herba hortensis, ita dicta, quod nasum torqueat, ut ait *Varr.* ap. *Non.* 1, 41.; [*quasi *nasitortium*, a naso torquendo, Lepidium latifolium. *L.*] est enim acerrimi odoris, et caustica vi praeditum: Venerem inhibet, torporem excitat, animum exacuit. Habet etiam vim contra serpentes, maxime si ustum sit. *Plin.* 19, 8, 44. Nasturtium nomen accepit a narium tormento: et inde vigoris significatio proverbio id vocabulum usurpavit, veluti torporem excitantis. (Adde 20, 13, 50.) *Virg. Mor.* 84. Quaeque trahunt acri vultus nasturtia morsu. *Colum.* 10, 230. parvo discrimine sulci Spargantur caecis nasturtia dira colubris. *Cic. Tusc.* 5, 34. Persas negat Xenophon ad panem adhibere quidquam, praeter nasturtium. ℙ Proverb. quod innuit *Plin. l. c.* Graece est *κάρδαμον ἔσθιε*, nasturtium comede, dictum in socordem, ignavum, hebetem. ℙ Scribitur et *nasturcium.*

NĀSUS, i, m. et Nasum, i, n. *ῥίν, μυκτήρ*, prominens membrum in facie hominis, inter utrumque oculum, gemino foramine, unde spiritus, ore clauso, ducitur et emittitur, et odorum vis sentitur. *Cic. N. D.* 2, 57. Nasus ita locatus est, ut quasi murus oculis interjectus esse videatur. *Plin.* 11, 37, 59. Altior homini tantum, quem novi mores subdolae irrisioni dicavere, nasus. Non alii animalium nares eminent. Avibus, serpentibus, piscibus foramina tantum ad olfactus sine naribus. Et hinc cognomina Simorum, Silonum. *Mart.* 7, 37. Exprimere rorantem frigore nasum, *h. e.* stiria fluentem emungere; et *ib.* Turpis ab inviso pendebat stiria naso; et 11, 98. Congelati gutta nasi. *Juven.* 10, 199. madidique infantia nasi, *h. e.* mucus et pituita defluens e naso senum, non secus atque infantium. Contra *Id.* 6, 147. sicco venit altera naso. *Sen. Ira* 3, 22. *med.* Collisus nasus. *Ter. Heaut. f.* aduncus. *Pl. Capt.* 3, 4, 115. acutus. *Mart.* 2, 11. indecens. *Hor. A. P.* 36. pravus. *Catull.* 69, 9. nasorum pestem vocat tetrum odorem alarum, qui caper et hircus vocatur. *Pers.* 3, 87. Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos. *Juven.* 1, 57. ad calicem vigilanti stertere naso, *h. e.* stertere quidem, sed somnum simulando. *Pl. Mil.* 3, 2, 9. Naso clamare magnum, *h. e.* vehementer stertere. *Id. Men.* 1, 3, 12. Abripere alicui nasum mordicus. *Id. Capt.* 4, 2, 37. Naso exhibere molestiam, *scil.* tetros odores admovendo. *Hor. Sat.* 2, 2, 89. Rancidum aprum antiqui laudabant, non quia nasus Illis nullus erat, etc. ℙ Translate dicitur sedes irae, et bilis, quia iratis cum contractione vultus rugat et nasus. *Pl.* in *suppos. Amph. scena*, Dii vostram fid. *v.* 42. Fames et mora bilem in nasum conciunt. *Pers.* 5, 91. Disce, sed ira cadat naso, rugosaque sanna. *Mart.* 6, 64. rabido nec perditus ore Fumantem nasum vivi *tentaveris ursi. ℙ Refertur etiam ad sagacitatem, acrimoniam in deprehendendis aliorum vitiis, et acri irrisione, salsaque dicacitate insectandis: ducta metaphora a sagacitate canum, abstrusa quaeque olfactu inquirentium. *Hor. Sat.* 1, 6, 5. naso suspendis adunco Ignotos, ut me libertino patre natum, *μυκτηρίζεις*: qua ratione et *Pers.* 1, 118. locutus est. *Plin. praef. H. N. med.* Lucilius, qui primus condidit stili nasum, *h. e.* satyram. *Mart.* 1, 42. Non cuicumque datum est habere nasum; et *ib.* 4. Et pueri nasum rhinocerotis habent; et 5, 19. tacito rides, Germanice, naso. *Sen. Suasor.* 1. *med.* Et bene illis cesserat, si nasus Atticus ibi substitisset, *h. e.* adulatoria irrisio, *μυκτηρισμός*. Idem adulandi sensus est etiam in illo *Hor. Sat.* 2, 8, 64. Balatro suspendens omnia naso, etc., ut sequentia indicant. [*Non adulandi, sed deridendi notionem habet *nasus* in *Hor.* et *Sen.* locis modo laud., Gr. *σιμὰ γελᾶν, διασιμοῦν, σιλλαίνειν.* V. *Hemsterh.* ad *Poll.* 9, 148. *Intpp. Hesych.* v. *διασιμοῦν.*] *Tert. Pud.* 2. Deus naso non deridetur adulantium scilicet bonitati ejus. ℙ A similitudine dicitur de ansa vasis, vel de rostro, unde liquor e vase effunditur. V. NASITERNA. *Juven.* 5, 46. Tu Beneventani sutoris nomen habentem Siccabis calicem nasorum quatuor, ac jam Quassatum, et rupto poscentem sulphura vitro. *Beneventanus sutor* est ille Vatinius, a quo Vatinii calices dicti sunt, qui hujusmodi nasis instructi erant: de quibus *Mart.* 14, 96. Vilia sutoris calicem monumenta Vatini Accipe: sed nasus longior ille fuit, *h. e.* habet quidem calix hic nasos suos: sed longior fuit nasus Vatinio artifici, sive quod fuit nasutissimus, sive potius quod valde irrisor fuit et maledicus. Dicitur enim a *Tac. Ann.* 15, 34. facetiis scurrilibus abundasse. ℙ Neutro genere *Lucil.* ap. *Non.* 3, 146. Queis oculi non sunt, neque nasum. *Id. ib.* Nasum rectius nunc homini est. *Pl. Mil.* 4, 6, 4. Nam odore nasum sentiat, si intus siet; et *Amph.* 1, 1, 288. Oculi, nasum, dens, labra. Adde *Curc.* 1, 2, 18. et *Men.* 1, 2, 57.

*NASUS vel Nasos, i, (*νῆσος*, i. e. insula), Syracusarum pars, ponte ad reliquam urbem adjuncta. *Liv.* 35, 30. et 31. ℙ *Insulam* vocat *Cic. Verr.* 2, 2, 53. et accusativum *Nason* habet *Liv.* 25, 24. ℙ Item oppidum Acarnaniae. *Liv.* 26, 24. Cf. *Polyb.* 9, 33. *B. A.*

NĀSŪTĒ, adv. *Sen. Ben.* 5, 6. *f.* Maluit illi nasute negare, quam contumaciter ac superbe, *h. e.* astute. Est qui leg. *vafre*, invito *Lipsio.* V. v. sq.

*NASUTŬLUS, a, um, adj. dimin. *μυκτηροδέστερος. *Appul.* Nasutula mulier atque dicacula. *B. A.*

NĀSŪTUS, a, um, adj. *εὔρις, ἐπίρινος*, magnum habens nasum. *Hor. Sat.* 1, 2, 93. Depygis, nasuta, brevi latere, ac pede longo est. ℙ Translate est sagax, acutus in deprehendendis aliorum vitiis, irrisor, dicax. *Mart.* 12, 37. in scurram ineptum: Nasutus nimium cupis videri: Nasutum volo, nolo polyposum; et 13, 2. in detractorem: Nasutus sis usque licet, sis denique nasus. *Id.* 2, 54. Nil nasutius hac, maligniusque est. *Sen. Suas.* 7. *med.* Cestius homo nasutissimus, dissimulavit exaudivisse, etc. ℙ In illo *Phaedri* 4, 6. Tu qui nasute scripta destringis mea: *nasute* potest esse adverbium, i. q. acriter, vehementer.

NĀTĀ, ae. V. NATUS.

NĀTĀBĬLIS, e, adj. idem quod natatilis. *Coripp. Laud. Just.* 4, 43. Cedrus olens, solidum nunquamque natabile robur.

*NATABŪDES, populi Numidiae, quorum meminit *Plin.* 5, 4. *B. A.*

NĀTĀBŬLUM. V. MEDICABULUM.

[NĀTABUNDUS, a, um, adj. natans. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 31. Una cum armis praecipitat ponte, ac natabundus exit. *F.*]

*NATAL, nomen unius ex Laberii mimis. *Gell.* 16, 7. Item in mimo, qui inscribitur *Natal, ciplum* dicit, et *obbam*, etc. Sed incertus videtur locus esse: si probae notae sit vox *natal*, vetus forma potest esse v. *natalis*, nec diversa significatione. Ed. *Venet.* (per *Bonetum Locatellum*, A. C. 1494) legit *Item in mimo: qui inscribitur: nata. L. Cippum dicit:* cet. *B. A.*

NĀTĀLĬCĬUS et Natalitius, a, um, adj. *γενεθλιακός*, ad natalem diem pertinens, natalis. *Cic. Div.* 2, 42. Qui haec Chaldaeorum natalicia praedicta defendunt; et *ib.* 43. Natalicia sidera. *Mart.* 7, 86. Natalitiae dapes. *Juven.* 11, 84. Et natalitium cognatis ponere lardum, *h. e.* natalitio convivio servatum, quando delicatioribus cibis mensa instruebatur: vel antiquum et rancidum, quasi eo anno conditum sale, quo dominus natus est. Sic *Petr. Sat.* 136. Dum coaequale natalium suorum sinciput in carnarium furca reponit. *Pers.* 1, 16. Et natalitia tandem cum sardonyche albus, *h. e.* dono data natali die: vel natali die gestata. ℙ *Natalitia, orum*, celebritas, convivium, munera pro die natali. *Cic. Phil.* 2, 6. Hodie non descendit Antonius: cur? dat natalitia in hortis: cui? neminem nominabo: putatote eum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum Ballioni. [*Faërnus* et *Lamb.* praeferunt lectionem *ed. Vatic. nataliciam*, ut subaudiatur *coenam*, *er giebt einen Geburtstagsschmauss.*] ℙ In singul. num. *Censor. de die nat.* 1. Quodcumque hoc libri est, meis opibus comparatum, Natalitii titulo tibi misi, *h. e.* natalitii muneris.

NĀTĀLIS, e, adj. *γενέθλιος*, ad nativitatem pertinens. *Cic. Att.* 9, 4. Natali die tuo scripsisti epistolam ad me plenam consilii. *Id. Fl.* 40. *extr.* Quem ego diem vere natalem hujus urbis appellare possum. *Hor. Ep.* 2, 2, 187. Scit Genius, natale comes qui temperat astrum. *Ov. Fast.* 797. Natale tempus. *Id. Ib.* 219. Natalis lux. *Hor. Od.* 2, 17, 18. hora. *Ov. Pont.* 2, 9, 78. humus. Sic *Id. ib.* 1, 3, 35. Natale solum; et *Ov. Fast.* 4, 685. Pelignos, natalia rura, petebam. *Hor. Od.* 1, 21, 10. Delos natalis Apollinis. *Val. Fl.* 3, 321. Natalis domus. *Manil.* 3, 613. morbus, *h. e.* nascendo contractus. *Tibull.* 4, 6, 1. Juno, *h. e.* quae praecst feminis nascentibus, quae et Lucina. Sic *Id. ib.* 5. *f.* Natalem vocat Genium, qui nativitatis virorum praeses est. ℙ Natalem diem reditus sui *Cic. Att.* 3, 20. vocat eum diem, quo die ab exsilio in patriam fuit revocatus: est enim civilis mors exsilium: et exsilii finis nova quaedam nativitas. ℙ Item nativus, congenitus, insitus, ipsa nativitate contractus, [*imo signif. id, quo quis inde a nativitate praeditus est.] *Colum.* 3, 7. Vites natali et ingenita sterilitate laborantes. *Val. Fl.* 6, 61. cui candidus olim Crinis inest natale decus. ℙ *Natalis*, absolute, dies, quo die quis nascitur, *τὰ γενέσια. Cic. Att.* 7, 5. Ad urbem *(veni)* tertio Non. natali meo. *Hor. Ep.* 2, 2, 210. Natales grate numeras. *Juven.* 5, 36. Quale coronati Thrasea, Helvidiusque bibebant, Brutorum et Cassi natalibus. *Virg. Ecl.* 3, 76. Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola. *Ov. Her.* 15, 61. Sex mihi natales ierant. *Marcell. Dig.* 23, 1, 22. et *Ulp. ib.* 4, 4, 3. Die natalis sui. [*De voce *natalis* absolute dicta v. *Burm.* ad *Suet. Tib.* 53. et *Cal.* 49.] ℙ Hunc diem celebrabant sacrificiis, viri quidem Genio, feminae Junoni: item conviviis, et munera ab amicis accipiebant. Testimonia passim occurrunt. De muneribus lepidum est *epigr.* 64. *Mart. l.* 8. V. etiam *Ov. Trist.* 3, 13. et *ib.* 5, 5., ubi ritus celebrandi Natalis commemorat. ℙ Etiam annus, quo condita est urbs, *natalis* dicitur. *Plin.* 14, 4, 6. Ea coeli temperies fulsit, quam cocturam vocant, solis opere, natali Urbis DCXXXII. ℙ Natalem alicui eripere, *h. e.* facultatem nascendi. *Lucan.* 7, 390. gentes Mars iste futuras Obruet, et populos aevi venientis in orbem, Erepto natale, feret. ℙ *Natales* sunt ipsa nativitas, item conditio generis, origo familiae, nobilitas, vel ignobilitas, *γένος. Tac. H.* 2, 86. Cornelius Fuscus, vitas gens aetate, claris natalibus. *Juven.* 8, 231. Quis, Catilina, tuis natalibus, atque Cethegi Inveniet quicquam sublimius? *Plin. ep.* 10, 3. et 7. Natalium splendor. *Tac. H.* 1, 49. claritas; et *A.* 11, 21. dedecus. [*Adde *Plin. ep.* 5, 20, 6. natales competitoris; et 8, 18, 8. mulier natalibus clara; et *Suet. Aug.* 5. praeter aetatem atque natales.] ℙ *Natalibus suis restitui* dicebantur libertini hominis, sive servi nati essent, sive non, qui principis beneficio ad ingenuitatis statum restituebantur, perinde ac si nunquam servi fuissent. Dicebatur autem *natalibus suis*, ut ait *Marcell. Dig.* 40. *t.* 11. qui est *De natalibus restituendis*, *leg.* 2., hoc est in illo originis statu, in quo omnes homines initio fuerunt: *εἰς τῆς παλιγγενεσίας δίκαιον. Plin. ep.* 10, 77. Postulantibus quibusdam, ut de agnoscendis liberis, restituendisque natalibus ipse cognoscerem. *Ulp. Dig.* 38, 2, 3. Libertus natalibus redditus. ℙ Translate *natalis* dicitur de rebus inanimis. *Plin.* 37, 4, 15. Adamanti pallor argenti, et in auro non nisi excellentissimo natales, *h. e.* in auro, seu aurariis metallis gignitur. *Tert. Pat.* 5. Natales impatientiae in ipso diabolo deprehendo, *h. e.* originem, initium. *Id. adv. Marc.* 1, 10. A Pentateucho natales agnitionis supputabuntur. ℙ *Natalem arborum* dicit *Plin.* 17, 10, 14. ipsum semen, ex quo arbor gignitur. ℙ *Natalium periti* ap. *Sen. Q. N.* 2, 32. *med.* sunt genethliaci. ℙ *Natalis* est etiam cogn. R., ut Antonius Natalis, ap. *Tac. A.* 15, 50.

NĀTANS, antis, part. a *nato:* qui natat. *Lucr.* 2, 558. Disjectare solet magnum mare transtra, guberna, Antemnas, proram, malos, tonsasque natantes, *h. e.* remos fluctuantes. ℙ *Natantes* sunt pisces. *Virg. G.* 3, 541. Jam maris immensi prolem et genus omne natantum. ℙ *Campi natantes* ap. *Lucr.* 6, 1140. et 5, 489. sunt maria et lacus; *Virgilio* autem *G.* 3, 198. translate sunt arva maturis messibus, quae instar aquarum, vento agitante, fluctuant. ℙ *Natantes* eleganter dicuntur oculi dormitantium. *Virg. A.* 5, 856. cunctantique natantia lumina solvit. Adde *ib.* 5, 856. Sic *Stat. Silv.* 5, 5, 84. natantes genae. ℙ Item morientium. *Id. Th.* 2, 638. oculos etiam num in luce natantes. *Sil.* 2, 122. labentia virgo Membra levat, parvaque oculos jam luce natantes. *Ov. Met.* 5, 71. Jam moriens oculis sub nocte natantibus atra. Adde *Virg. G.* 4, 496.

[NĀTĀTĬCĬUS, a, um, adj. idem ac natatilis. *Gloss. Philox.* Nataticius, *νηκτικός. F.*]

NĀTĀTĬLIS, e, adj. *νηκτικός*, qui natat, vel natare potest. *Tert. adv. Herm.* 33. Ex aquis natatiles et volatiles animae. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 332. Feras, volucres, reptiles, natatiles. ℙ *Natatilia*, locum ad natandum, ap. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.*, jam critici mutaverunt in *navalia* ex MSS.

NĀTĀTĬO, onis, f. *νῆξις*, actus natandi, natatus: a *nato, as. Cic. Sen.* 16. *f.* Sibi habeant arma, sibi equos, pilam, natationes, et cursus. Al. leg. *nationes*, quod esset a *no*, *nas.* [*Ed. *Ven.* 1487. habet *venationes.* — Vulg. *Orell.* servat.] *Cels.* 3, 24. *f.* Utendum est, si hiems est, balneo; si aestas, frigidis natationibus. ℙ Item locus ipse natationi aptus. *Id. ib.* 27. *n.* 1. Si quo loco vel naturales, vel etiam manufactae natationes sunt, iis potissimum utendum. [*Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. *med.* Natationes vero sub divo fieri reprobamus. Ceteris enim corporis partibus aqua complexis, solum supernatans remanet caput, quod necessario perfrigescens inaequalitatem corporis facit. *F.*]

NĀTĀTOR, oris, m. *νεκτής*, qui natat. *Ov. R. Am.* 122. Pugnat in adversas ire natator aquas. *Id. Her.* 19, 70. Cur toties a me, lente natator, abes? Adde *Varr. L. L.* 4, 18. et *Stat. Th.* 10, 497.

NĀTĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad natandum pertinens, ut Natatorius cortex, *Festus.* V. SUBERIES. ℙ *Natatoria* absolute, *κολυμβήθρα*, locus ad natandum, piscina, lavacrum. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* In hanc piscinam fluvium de supercilio montis elicitum,

canalibusque circumactis per exteriora natatoriae latera curvatum, sex fistulae effundunt. **Ambros. de iis qui myst. in.* 4. *Vulg. Interpr. Joh.* 9, 7. et 11. coll. 5, 4. et 7. *B. A.*

[NATATURA, ae, f. locus natationis, baptisterium. *Gloss. Philox.* Natatura, *κολυμβήθρα. F.*]

NATĀTUS, a, um, part. a *nato: νηχθείς*, natando decursus. *Stat. Th.* 4, 703. deceptum margine ripae Stat pecus, atque amnes quaerunt armenta natatos. *Lucan.* 9, 954. Threiciasque legit fauces, et amore natatum Aequor, *h. e.* a Leandro ob Heronem. Al. leg. *notatum.* [*Ita *Cort.* in ed. *Web.*]

NĀTĀTUS, us, m. *νῆξις*, natatio. *Stat. Silv.* 1, 5, 25. Nymphae, Quas praeceps Anien, atque exceptura natatus Virgo juvat. *Pall.* 1, 17. Anguillas piscesque fluviales mitti in his *(cisternis)* conveniet, ut horum natatu aqua stans agilitatem currentis imitetur. *Claud. IV. cons. Honor.* 347. Fluvios natatu scindere; et *Rapt. Pros.* 3, 333. fontem secare.

NĀTES, ium, f. plur. *γλουτοὶ*, clunes, carnosae prominentiae in imo dorso, quibus homo sedens insistit. *Mart.* 14, 18. Alea parva nuces, et non damnosa videtur: Saepe tamen pueris abstulit illa nates, *h. e.* dedit occasionem, ut caederentur. *Juven.* 6, 611. solea pulsare nates. V. MOLLICELLUS. ℙ De brutis animalibus. *Mart.* 3, 82. Nates turturum donare alicui. ℙ In singulari num. *Hor. Sat.* 1, 8, 46. Nam, displosa sonat, quantum vesica, pepedi Diffissa nate ficus. *Fest.* in *Pullus.* Quod ejus natis fulmine icta erat. ℙ *Nates*, et *clunes* idem sunt. *Martialis* utramque vocem conjunxit non discriminis causa, sed contemptus et irrisionis, 3, 53. Et vultu poteram tuo carere, Et collo, manibusque, cruribusque, Et mammis, natibusque, clunibusque.

*NATHABUS, Libyae interioris fluvius. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

[NĀTĬCĬDĬUM vel Gnaticidium, ii, n. nati, seu filii caedes. *Gloss. Philox.* Gnaticidium, *τεκνοκτονία. F.*]

NĀTĬNĀTĬO dicebatur negotiatio: et

NĀTĬNĀTORES, ex eo seditiosi. *Festus.*

NĀTĬNOR, aris, dep. 1. negotiari, et, ut ait *Scal.*, quasi in negotiis natare, fluctuare. *Cato* ap. *Fest.* Lucanos inter se natinari, atque factiones esse.

NĀTĬO, onis, f. actus nandi. V. NATATIO.

NĀTĬO, onis, f. *γένεσις*, actus nascendi, nativitas. Hinc *Natio* Dea est habita: de qua *Cic. N. D.* 3, 18. Quod si tales Dii sunt, ut rebus humanis intersint, Natio quoque Dea putanda est, cui cum fana circuimus in agro Ardeati, rem divinam facere solemus: quae quia partus matronarum tueatur, a nascentibus Natio nominata est. [*Cf. quae ad h. l. animadv. *Creuz.*, cum iis, quae *id.* disput. in *symbol.* et *mythol. cet.* 2. p. 6. sqq.] ℙ Item genus, origo, procreatio. *Hirt. B. Alex.* 7. Cum et natio eorum, et natura cognoscatur, aptissimum esse hoc genus ad proditionem, nemo dubitare potest. *Varr. R. R.* 2, 6. de asinis: Praegnantes opere levant: venter enim labore nationem reddit deteriorem, *h. e.* pullum ex iis natum. *Id. L. L.* 8, 52. Sic equos eadem facie nonnullos negamus esse similes, in nationes ex procreante dissimiles. *Festus:* In pecoribus quoque bonus proventus feturae, bona natio dicitur. ℙ De rebus inanimis. *Plin.* 22, 24, 50. Mellis causas, atque differentias, nationesque in apium natura diximus. *Id. ib.* 55. et 21, 14, 41. Cera natione Pontica. *Id.* 12, 25, 55. Styracis color in quacumque natione praefertur rufus. ℙ Saepissime sumitur pro hominum genere, ut ait *Cincius* ap. *Fest.*, qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt, ubi incolunt, *γένος, ἔθνος. Cic. Prov. cons.* 5. Publicanos tradidit in servitutem Judaeis, et Syris, nationibus natis servituti. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 9. Si te fors Afris, aut Hispanis, aut Gallis praefecisset, immanibus ac barbaris nationibus. *Nep. Dat.* 1. Patre natione Care, matre Scythissa natus. ℙ A *gente* aliquando ita differt, ut genus a specie: *gens* enim latius patet, et plures nationes complectitur, ut gens Graeca habet Atticos, Boeotos, Thebanos, qui ejusdem gentis nationes sunt. *Cic. Font.* 11. *extr.* Non modo vestris civibus, verum etiam exteris nationibus ac gentibus ostendere, etc. *Tac. G.* 38. Nunc de Suevis dicendum est, quorum non una, ut Cattorum, Tencterorumque gens: majorem enim Germaniae partem obtinent, propriis adhuc nationibus, nominibusque discreti. V. in GENS alia huc pertinentia. ℙ In vetustis inscriptionibus natio saepe ad regionem pertinet, ut in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 495. *n.* 189. Nat*ione* Cilix; et ap. *Grut.* 552, 3. Nat*ione* Dacus. Aliquando ad urbem spectat, ut in *Inscr.* ap. *Don. cl.* 6. *n.* 181. Nat*ione* Arretio; et ap. *Mur.* 817, 5. Nat*ione* Foro Voconii; et 1023, 5. Nat*ione* Anava. ℙ *Ad nationes* appellata est Romae porticus ab Augusto exstructa, ut *Servius* docet ad *A.* 8, 721., quia in ea omnium gentium simulacra collocaverat. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 12. Hercules humi stans, ante aditus porticus Ad nationes. ℙ Translate dicitur de certo ordine, societate, secta. *Cic. Sext.* 44. Natio optimatium. [*Adde 63.] *Id. Pis.* 23. officiosissima candidatorum. *Phaedr.* 2, 5. ardelionum. ℙ In malam partem, h. e. in contemptum. In *Catalect. Virg.* 7. Scholasticorum natio madens pingui. *Cic. N. D.* 2, 29. Ita salem istum, quo caret vestra natio *(Epicureorum)*, in irridendis nobis nolitote consumere. *Id. Har. resp.* 26. *f.* Deteriores cavete, quorum quidem magna est natio. [*V. quae laud. *Matth.* ad *Cic. Mur.* 33, 69.] ℙ Ap. *Tert.* passim *nationes* sumuntur pro Ethnicis, qui scil. Christianam religionem non profitentur, ut *de Idol.* 22. Benedici per Deos nationum, Christo initiatus non sustinebit. ℙ [*Confund. *natio* et *nascio.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 3, 18, 47.]

*NATISO, onis, m. *Νατίσων*, Venetorum fluvius, juxta Aquileiam, hodie *Nadisone. Mela* 2, 4. *med. Plin.* 3, 18. *Jornand. de reb. Get.* 42. *B. A.*

NĀTĪVĪTAS, atis, f. *γενεή, γένεσις*, ortus, origo. *Ulp. Dig.* 50, 1, 1. Municipem aut nativitas, aut adoptio facit. *Inscr.* ap. *Grut.* 712, 11. Variae Jucundae defunctae anno nativitatis XVIII. *Tert. Anim.* 39. Ab ipsa etiam janua nativitatis. Adde *Arnob.* 1, 22. ℙ In plur. num. *Tert. Spect.* 30.

NĀTĪVĪTUS, adv. a nativitate. *Tert. Anim.* 39. Quae omnia nativitus animae collata sunt. Adde *ib.* 12.

[NĀTĪUNCŬLĂ, ae, f. dimin. nationis. *Not. Tir.* p. 79. Natio, natiuncula. *F.*]

NĀTĪVUS, a, um, adj. qui nascitur, qui ortum habet. *Cic. N. D.* 1, 10. Anaximandri opinio est, nativos esse Deos, longis intervallis orientes occidentesque. Sed nos Deum, nisi sempiternum, intelligere qui possumus? *Lucr.* 5, 66. mortali consistere corpore mundum, Nativumque esse. *Id.* 3, 418. nativos animantibus, et mortales Esse animos. ℙ Item nullo artificio constans, sed talis, qualis est natus, germanus, sincerus, simplex, *γνήσιος. Cic. N. D.* 2, 39. *med.* Beluae partim fluitantes, partim ad saxa nativis testis inhaerentes. *Plin.* 8, 48, 73. Nativae oves, *h. e.* quarum lanis utimur in veste, nullo colore infectis, sed eo, quo natae sunt. *Id.* 32, 7, 24. Nativi coloris pannus; et 31, 7, 39. Montes nativi salis. *Id.* 33, 5, 26. Nativa chrysocolla. *Ov. Amor.* 1, 14, 55. Nativa coma. *Id. Her.* 5, 61. moles. *Id. Met.* 3, 158. de antro: simulaverat artem Ingenio natura suo, nam pumice vivo, Et levibus tophis nativum duxerat arcum. Sic *Tac. A.* 4, 59. Nativus specus. ℙ *Nativa verba* sunt, quae primae positionis dicuntur a grammaticis, ut a *Prisc.* 8, 824. *Varro* autem *L. L.* 5, 5. primigenia appellat: quibus opponuntur *reperta*, id est derivata. *Cic. Part.* 5. Simplicia verba partim nativa sunt, partim reperta: nativa ea, quae significata sunt sensu (*h. e.* primitiva, et ipso sensu olim primum monstrata loquentibus. *Quint.* 8, 3. *med.* habet *quae significata sunt primo sensu); reperta*, quae ex his facta sunt, et novata aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adjunctione verborum. *Coscon.* ap. *Varr. l. c.* scripsit ea esse ad mille in Latina lingua. *Quint. ib.* nobis jam ponere alia, quam quae illi rudes homines primique fecerunt, fas non esse: at derivare, flectere, conjungere, quod natis postea concessum est, nunquam licere desiisse. ℙ Innatus, insitus, nobiscum natus. *Cic. Dom.* 5. Major fuit adhibenda medicina, quae et illud nativum, et hoc delatum malum sanare posset. *Id. Har. resp.* 9. *extr.* Nec denique hoc ipso hujus gentis ac terrae domestico nativoque sensu, Italos ipsos ac Latinos superavimus. *Gell.* 4, 2. *med.* Mulier si nativa sterilitate sit. *Nep. Att.* 4. Tanta erat suavitas sermonis Latini, ut appareret, in eo nativum quendam leporem esse, non adscitum.

NĀTO, as, avi, atum, a. 1. *νήχομαι*, in aqua volvi, et excurrere: frequent. a *no, nas:* et pro ipso saepe ponitur. *Cic. Fam.* 7, 10. Qui neque in oceano natare volueris, studiosissimus homo natandi. *Virg. G.* 3, 259. Natare freta turbata procellis. *Mart.* 14, 196. aquas. *Ov. Pont.* 2, 7, 28. natant aequore pisces. *Virg. A.* 4, 398. natat uncta carina. ℙ Dicitur de naufragantibus. *Prop.* 4, 1, 115. Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes: Et natat exuviis Graecia pressa tuis; et 2, 19, 64. Cum saepe in portu fracta carina natet. ℙ Et de iis, qui tempestate agitantur. *Prop.* 3, 10, 32. de Ulysse: Totque hiemis noctes, totque natasse dies. ℙ Passive. *Ov. Trist.* 5, 2, 25. et *A. Am.* 1, 48. Silva feras quot habet, quot piscibus unda natatur. ℙ Pro fluere, diffluere, vagari. *Ov. Fast.* 4, 291. qua se Tiberinus in altum Dividit, et campo liberiore natat. *Prop.* 2, 12, 51. Ac veluti folia arentes liquere corollas, Quae passim calathis strata natare vides. *Stat. Th.* 2, 42. ingens medio natat umbra profundo. ℙ Translate. *Id. Ach.* 1, 161. niveo natat ignis in ore. ℙ Pro madere, manare, redundare, inundari. *Virg. G.* 1, 372. omnia plenis Rura natant fossis. *Ov. Am.* 2, 16, 34. amnibus arva natant. *Cic. Phil.* 2, 41. Natabant pavimenta vino, madebant parietes. [*V. *Abram.* ad h. l. Ciceronem imitatur *Salvian. adv. Avarit.* 4. p. 269. Natant tricliniorum redundantium pavimenta vino, cet.] *Virg. A.* 3, 625. sanieque aspersa natarent Limina. *Stat. Th.* 2, 337. Fletibus ora natant. [*Lucan.* 7, 728. arva natare sanguine. *Sidon. carm.* 7, 277. natat obruta tellus Sanguine. *Sen. Agam.* 44. Jamjam natabit sanguine alterno domus. Adde *Lucan.* 7, 294. populos in caede natantes, i. e. in sanguine per caedem effuso. Laud. *Cort.* ad h. l. *Papin. Theb.* 5, 255. epulasque in caede natantes. — Porro *Lucan.* 4, 330. Exspectant imbres, quorum modo cuncta natabant Impulsu. *Sil.* 4, 751. Plana natant, i. e. sunt inundata. *Homero* frequens est *ῥέειν* hoc sensu, ut *ῥέε δ' ἅιματι γαῖα μέλαινα. Eurip. Troad.* 15. *Ἔρημα δ' ἅλοη καὶ Θεῶν ἀνάκτορα Φόνῳ κατάῤῥει. Helena* 1618. *Φόνῳ δὲ ναῦς ἐῤῥεῖτο.*] ℙ Eleganter *natare* dicuntur oculi ebriorum. *Ov. Fast.* 6, 673. Nox erat, et vinis oculique, animique natabant. ℙ [*De morientibus. *Sil.* 2, 122. parva oculos jam luce natantes. *Ov. Met.* 5, 71. At ille Jam moriens, oculis sub nocte natantibus atra Circumspexit Athin. V. quae laudat *Cort.* ad *Lucan.* 2, 26. oculosque in morte natantes.] ℙ *Natant* etiam quae laxa sunt. *Ov. A. Am.* 1, 516. Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet. [**Aristoph. Eqq.* 321. *ἔνεον ἐν ταῖς ἐμβάσιν.*] *Calp. Ecl.* 6, 43. rutiloque monilia collo Extrema cervice natant. *Nemes. Cyn.* 170. Infirmosque pedes, et crura natantia ponunt, *h. e.* titubantia, vacillantia, quasi laxata, remissa, lenta. ℙ Item quae serpunt. *Colum. Arbor.* 6. Summa parte terrae natantibus radicibus. ℙ [*Dicitur *natare* etiam de volatu. *Lucan.* 5, 554. quodque ausa volare Ardea sublimis, pennae confisa natanti: ubi *Cort.* laud. *Sil.* 12, 94. media inter nubila corpus Enavit, etc. ibique *Drak.* et *intpp.* ad *Virg. A.* 10, 265.] ℙ Est etiam nutare, vacillare, huc illuc ferri. *Tibull.* 4, 1, 41. Justa pari premitur veluti cum pondere libra, Prona nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa: Qualis, inaequatum si quando onus urget utrinque, Instabilis natat alterno depressior orbe. ℙ Et translate fluctuare animo, instabilem, inconstantem esse. *Hor. Sat.* 2, 7, 6. Pars hominum vitiis gaudet constanter, et urget Propositum: pars multa natat, modo recta capessens, Interdum pravis obnoxia. *Manil.* 4, 256. Hinc est mobilitas rerum, mutataque saepe Mens natat. *Cic. N. D.* 1, 43. Democritus natare videtur in natura Deorum. Plerique alii leg. *nutare. Sil.* 7, 725. Torpebant dextrae, et sese meruisse negabant Servari, subitisque bonis mens aegra natabat, *h. e.* fluctuabat, ambigebat, turbabatur. *Sen. ep.* 35. *f.* Mutatio voluntatis indicat animum natare, aliubi atque aliubi apparere, prout tulit ventus. [*Adde *Cic. N. D.* 3, 24.] ℙ Part. *Natans* V. supra *s.* l. *Nataturus* ap. *Ov. Her.* 18, 212. Triste nataturo nec querar esse fretum. ℙ [*Confunf. *natans*, *manans* et *minans.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 26.]

NATRIX, icis, f. *ὕδρος*, genus anguis venenati, in aqua viventis: a *nando. Cic. Acad.* 4, 38. Cur Deus omnia nostra causa cum faceret, tantam vim natricum viperarumque fecerit? ℙ Translate *natricem* vocabat Tiberius Caligulam, h. e. pestiferum hominem. *Suet. Cal.* 11. Ut aliquoties praedicaret exitio suo omniumque Cajum vivere, et se natricem populo R. Phaethontem orbi terrarum educare. ℙ Ap. *Lucil. l.* 2. virgam, seu scuticam significat, quae serpentis instar curvatur, et mordet. Sic ille ap. *Non.* 1, 334. Natibu' natricem impressit crassam et capitatam. Nam *Isid. Or.* 5, 27. Anguilla est, qua coercentur in scholis pueri, quae vulgo scutica dicitur. Alii tamen interpretantur de mentula paediconis; alii de mugile in moechi podicem immisso. V. MUGIL. ℙ Quod *Lucan.* dixit 9, 720. Et natrix violator aquae, *Prisc.* 5, 656. et *Phocas* 1700. masculini generis esse putant. Verum si est a *nando*, masculinum esse non potest: hujusmodi enim verbalia in *ix* semper feminina sunt: et *natrix violator* erit dictum figurate, vel respiciendo ad *serpens*, vel potius ut Juno loquitur ap. *Virg. A.* 12, 159. Auctor ego audendi. V. AUCTOR, ubi similia congessimus. [*Cf. *Ruddim.* 1, 38.] ℙ Est etiam hoc nomine herba, cujus radix evulsa virus hirci redolet. *Plin.* 27, 12, 83. [*Ononis Natrix, *L.*]

NATTĀ. V. NACCA.

NĀTU, ablat. sing. nominis defectivi *natus, us*, quod idem est ac nativitas. Hic solus casus in usu est: et conjungitur fere eum adjectivis *magnus, parvus*, etc., et cum eorum comparativis, et superlativis. *Liv.* 3, 71. Consurgit P. Scaptius de plebe, magno natu, *h. e.* valde provectus aetate. *Nep. Dat.* 7. Ab hoc tamen viro Scismas, maximo natu filius, desciit. *Cic. Sen.* 4. Quamquam eum colere coepi non admodum grandem natu. *Id. Tusc.* 1, 1. *extr.* Qui fuit major natu, quam Plautus et Naevius. *Id. Cluent.* 38. *f.* Ex his omnibus natu minimus Q. Saturius est. *Liv.* 21, 19. *med.* Ita enim maximus natu ex iis in concilio respondit. *Cic. Off.* 1, 30. *f.* Audivi ex majoribus natu, hoc idem fuisse in P. Scipione Nasica. *Pl. Aul.* 2, 1, 37. Sed est grandior natu. *Id. Bacch.* 1, 2, 16. Qui tantus natu Deorum nescis nomina. *Ter. Heaut.* 4, 1, 32. Quanto tuus est animus natu gravior.

[NĀTŪLĂ, ae, f. dimin. natae, filiola. *Inscr.* ap. *Gud.* 335, 12. et natula Tyche. *F.*]

NĀTŪRĂ, ae, f. *φυσις*, est principium et causa

efficiens omnium rerum naturalium, quo sensu a veteribus philosophis cum Deo confundebatur. V. *Cic. N. D.* 1, 8. et sqq. et *ib.* 2, 22 et 32., ubi varia eorum placita refert. ℙ Sumitur etiam pro mundo, seu pro rerum universitate. *Cic. N. D.* 1, 14. Cleanthes autem tum ipsum mundum Deum dicit esse, tum totius naturae menti atque animo hoc nomen tribuit. ℙ Speciatim accipitur pro eo, ex quo aliqua res intrinsecus, et essentialiter constat, idest pro essentia, ut philosophi loquuntur. *Lucr.* 2, 232. Natura tenuis aeris. ℙ Item pro re, seu substantia, ut philosophi loquuntur. *Cic. Tusc.* 1, 10. Aristoteles cum quatuor genera illa principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens. ℙ Item pro proprietate, seu pro vi et ingenita rei alicui virtute et potentia. *Cic. Somn. Scip.* 9. Quod autem animal est, id motu cietur interiore, et suo. Nam haec est natura propria animae, et vis. *Virg. G.* 4, 149. Nunc age, naturas apibus, quas Juppiter ipse Addidit, expediam. ℙ Item pro constitutione, situ. *Cic. Q. Fr.* 2, 16. *med.* Quos tu situs, quas naturas rerum et locorum, quos mores, etc. *Caes. B. G.* 1, 21. Qualis esset natura montis, qui cognoscerent, misit. [**Id. ib.* 1, 2. natura loci, i. e. fines regni natura constituti.] ℙ Item pro indole, habitudine, ingenio, moribus, insita inclinatione. *Cic. Div.* 2, 45. Uno et eodem temporis puncto nati dissimiles et naturas, et vitas, et casus habent. *Cic. Fam.* 13, 78. Cognitum per te ipsum, quae tua natura est, dignum tua amicitia judicabis. *Liv.* 22, 59. *f.* Si ipse in nos mitis Annibal contra naturam suam esse velit. *Hor. Ep.* 1, 10, 24. Naturam expellas furca, tamen usque recurret. *Cic. Fam.* 3, 8. *f.* De tua prolixa beneficaque natura limavit aliquid posterior annus. *Nep. Att.* 5. Homo dives, difficillima natura. *Prop.* 2, 16, 27. tu me una petisti. Possum ego naturae non meminisse tuae? ℙ Item pro naturali substantia, et complexu cujusque corporis. *Cic. N. D.* 2, 57. *med.* Aures duros et quasi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur sonus. *Ter. Eun.* 2, 3, 24. Tametsi bona est natura, reddunt curatura junceas. ℙ Item pro genitalibus tam masculinis, quam femininis, quae a Graecis item *φύσις* dicuntur. *Cic. N. D.* 3, 22. de Mercurio ithyphallico: Cujus obscenius excitata natura traditur, quod aspectu Proserpinae commotus sit. *Id. Div.* 2, 70. Parere quaedam matrona cupiens, dubitans, esset ne praegnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam. ℙ Item pro lege divina et humana. *Cic. Off.* 3, 5. Atque hoc multo magis exigit ipsa naturae ratio, quae est lex divina, et humana, cui parere qui velit, nunquam committet, ut alienum appetat, etc. ℙ *Naturae satisfacere*, et *naturae cedere* vel *concedere*, est mori. *Cic. Cluent.* 10. De eo, qui et naturae, et legibus satisfecit. *Sall. Jug.* 16. Pater, uti necesse erat, naturae concessit. ℙ Ut fert natura. *Ter. Andr.* 4, 4. *extr.* Paulum interesse censes, ex animo omnia, ut fert natura, facias, an de industria? ℙ Natura insitum est. *Cic. Sull.* 30. Hoc natura insitum est, ut quem timueris, semper oderis. ℙ Ita natura comparatum est. V. COMPARO. ℙ Praeter naturam. *Ter. Ad.* 5, 5, 4. jam nunc haec tria primum addidi Praeter naturam: O noster, quid fit? quid agitur? ℙ Secundum naturam vivere. *Cic. Fin.* 5, 9. ℙ Verti in naturam. *Sall. Jug.* 87. Mihi benefacere jam ex consuetudine in naturam vertit. ℙ Rerum natura. *Cic. Acad.* 4, 17. *med.* Quod rerum natura non patitur. *Cels.* 7, 2. *med.* Est etiam in rerum natura, ut cutis laxius excidenda sit, *h. e.* evenit aliquando. Sic *Quint.* 2, 17. *med.* In rerum naturam cadere, *h. e.* evenire, accidere. *Cic. Fam.* 6, 10. *f.* Ipse, qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad aequitatem, et ad rerum naturam videtur, *h. e.* ad humanitatem, et ad id quod inter homines rerum natura fert. ℙ Facere sibi naturam alicujus rei, ap. *Quint.* 2, 4 *med.* est *rendersi qualche cosa come naturale.* ℙ *Natura*, ablat. absolute positus. *Plin.* 7, 19, 18. Quibus natura concreta sunt ossa. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. Deinde id, quod natura non habes, induc in animum, ita simulandum esse, ut natura facere videare. ℙ Natura sua. *Tac. H.* 4, 14. Delectum suapte natura gravem onerabant ministri avaritia ac luxu. ℙ *In MSS. saepe miscentur *natura* et *fortuna*. V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 9, 16. p. 204. *B. A.*

NĀTŪRĀBĪLIS, e, adj. naturalis. *Appul. Flor. n.* 15. et *Dogm. Plat.* 2. ℙ *In *Cic. Tusc.* 3, 6. *in.* ubi olim legebatur *naturabile*, lectio edd. *Davis.* et *Ernest.* est *natura fere. B. A.*

NĀTŪRĀLIS, e, adj. *φυσικὸς*, qui secundum naturam est, a natura profectus, naturae conveniens, conjunctus, innatus, insitus. *Cic. Fin.* 1, 6. Ille motus naturalis omnium ponderum e regione inferiorem locum petentium. *Id. N. D.* 2, 47. Anates cum primum aquam, quasi naturalem domum, videre, etc. *Id. Off.* 1, 16. Naturalis societas. *Id. N. D.* 1, 14. lex. *Id. Fin.* 1, 9. *f.* Ajunt, hanc quasi naturalem atque insitam in animis nostris inesse notionem. *Id. Brut.* 9. Naturalis, non fucatus nitor. *Id. Coel.* 5. Qui se ipse cum domestica disciplina, tum etiam naturali quodam bono defenderat. Sic *Nep. Att.* 9. Si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, quae nullis casibus augetur, neque diminuitur. *Ov. Met.* 10, 117. de cervo: Ipse metu vacuus, naturalique pavore Deposito. *Cic. Part.* 18. *f.* Naturales quaestiones, *h. e.* de natura tractantes. *Colum.* 6, 24 et 27. de jumentis: In id fere tempus naturalia congruunt desideria: scil. coeundi; et *ib.* 30. *med.* Naturales exitus: scil. excrementorum. Sic 8, 7. et *Cels.* 7, 26. Loca naturalia. Hinc *naturalia* absolute, pudenda, tum in hominibus, tum in bestiis. *Colum.* 6, 27. *med.*, *Just.* 4, 2. et *Cels.* 2, 7. et 1, 9. et in sing. numero *Id. Cels.* 7, 26. *n.* 1. Inter imas oras super naturale. ℙ *Naturalis philosophia* dicitur ab *Isid. Or.* 2, 24., ubi uniuscujusque rei natura discutitur, quia nihil contra naturam generatur in vita, sed unumquodque iis usibus deputatur, quibus a creatore definitum est, nisi forte cum voluntate Dei aliquod miraculum provenire monstratur. V. quae allata sunt in INSPECTIVUS. ℙ *Naturales historiae libri* ap. *Plin. H. N. in.* ℙ *Naturalis dies.* V. CIVILIS. ℙ *Naturalis pater*, aut *filius* opponitur adoptivo. *Cic. Phil.* 3, 6., *Liv.* 42, 52. et 44, 44. et *Suet. Tib.* 52. Sic *naturalis avus* ap. *Ulp. Dig.* 37, 8, 1. *med.* ℙ Interdum *naturalis pater* aut *filius* opponitur justo, seu legitimo, *h. e.* qui filium ex non justa uxore, vel serva procreat, et qui ita procreatus est. *Ulp. Dig.* 40, 5, 40. et alibi, et *August. Conf.* 6, 15., item *Inscr.* ap. *Grut.* 945, 3. ℙ Interdum *naturalis* est verus, et fabuloso opponitur. *Lactant.* 1, 11. *med.* Philosophi duos Joves fecerunt, unum naturalem, alterum fabulosum. ℙ Item violento, ut naturalis mors, *Plin.* 7, 53, 54. ℙ Item arte facto. *Colum.* 7, 6. *med.* Caprile vel naturali saxo, vel manu constratum eligi debet. *Just.* 12, 7. Mons naturalibus bonis, vite, hederaque non aliter vestitus, quam si manu cultus, colentiumque industria exornatus esset. ℙ Item extraordinario, et praeter consuetum naturae cursum facto. *Plin.* 12, 14, 32. Prior, atque naturalis vindemia turis ante Canis ortum. ℙ *Naturale est*, est ex natura. *Id.* 17, 2, 2. Arbores fetu exinanitas, naturale est avide esurire. *Id.* 11, 37, 54. Plerisque naturale, ut nictare non cessent. ℙ *Naturalis ratio*, communis sensus, ap. *Cajum Instit.* (ed. *Goesch.*) 1. §. 189. Quia id naturali rationi conveniens est.

NĀTŪRĀLĪTAS, atis, f. natura. *Tert. Anim.* 43. Qui de somni naturalitate dubitabit, habet quidem, etc. Adde *ib.* 16.

NĀTŪRĀLĪTER, adv. *κατὰ φύσιν*, a natura, vel secundum naturam. *Cic. Sen.* 9. Quod enim homini naturaliter insitum est, eo uti decet. Plerique saniores critici leg. *Quod est, eo decet uti. Caes. B. C.* 3, 92. Est quaedam animi incitatio atque alacritas naturaliter innata omnibus. *Hirt. B. Alex.* 8. Omnia litora naturaliter aquae dulcis venas habent. *Vell.* 2, 60. *extr.* Inter naturaliter dissimillimos, ac diversa volentes crescebat odium. *Plin.* 11, 37, 47. Quaedam animalium naturaliter calvent.

NĀTŪRĀLĬTUS, adv. idem quod naturaliter. *Sidon. ep.* 9, 11. Mortalium mentibus vis haec naturalitus inest.

NĀTŪRĪFĪCĀTUS, a, um, adj. in rerum naturam inductus, vel natura factus. Vox est *Tert. adv. Valent.* 29.

NĀTUS, a, um, part. a *nascor*: *γεγονὼς*, in lucem editus, ortus. *Cic. Brut.* 72. Longe post natos homines improbissimus Glaucia. *C. Gracch.* ap. *Gell.* 15, 12. Si ulla meretrix domum meam introivit, omnium natorum postremissimum nequissimumque existimatote. *Caes. B. G.* 7, 37. Amplissima familia nati adolescentes. *Cic. Tusc.* 3, 12. Ille Tantalo prognatus, Pelope natus. *Id. N. D.* 3, 18. Orpheus, et Rhesus, matre Musa natus; et *ib.* 19. Circe, et Pasiphae e Perseide natae, patre Sole. *Id. Amic.* 8. Bestiae ex se natos amant ad quoddam tempus, et ab iis amantur. *Ov. Met.* 4, 422. de pellice natus. *Cic. ad Quirit.* 2. A parentibus parvus sum procreatus: a vobis natus sum consularis. *Id. Or.* 3, 32. *f.* Tu in alia lingua ac moribus natus, occupatissima in civitate, etc. et *mox*: Graeci nati in litteris. *Just.* 6, 8. Homo inter litteras natus. *Cic. Brut.* 64. Undeviginti annos natus erat eo tempore. *Id. Verr.* 2, 3, 25. Prope annos nonaginta natus. *Id. Cluent.* 40. Cum annos ad quinquaginta natus esses. ℙ *Natus*, profectus, ortus, causam seu originem habens. *Caes. B. G.* 7, 43. *f.* Ne profectio nata a timore defectionis, similis fugae videretur. ℙ *Natus alicui rei*, vel *ad aliquam rem* dicitur, qui aptus et idoneus est, quasi in hoc sit in lucem editus. *Cic. Prov. cons.* 5. Judaei et Syri nationes natae servituti. *Id. Pis.* 17. *f.* Ille gurges natus abdomini suo, non laudi atque gloriae. *Ter. Ad.* 4, 2, 6. me credo huic esse natum rei, ferundis miseriis. *Cic. Fin.* 2, 14. Non sibi se soli natum meminerit, sed patriae, sed suis. *Id. Coel.* 24. Ille vir, qui se natum huic imperio putavit. *Id. Or.* 28. Si ad hoc unum natus est, aut in hoc solo se exercuit, aut huic generi studet uni. *Id. Har. resp.* 4. Ut P. ille Scipio natus mihi videtur ad interitum exitiumque Carthaginis, etc. sic T. Annius ad illam pestem comprimendam, exstinguendam, funditus delendam natus esse videtur. *Id. Brut.* 68. Vir ad omnia summa natus. *Id. Phil.* 12, 4. C. Caesar Deorum beneficio natus ad haec tempora. *Id. Or.* 1, 22. Cum te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum aptumque cognossem. *Id. Fin.* 5, 22. Ad laudem, et ad decus nati, suscepti, instituti sumus; et *ib.* 2, 13. Ut ad cursum equus, ad arandum bos, ad indagandum canis, sic homo ad intelligendum, et agendum natus est. *Just.* 27, 2. Quasi ad ludibrium tantum fortunae natus esset. ℙ Cum infinito. *Ov. de nuce* 113. At rubus et sentes tantummodo laedere natae. *Id. Met.* 15, 120. Quid meruere boves, animal sine fraude dolisque, Innocuum, simplex, natum tolerare labores? ℙ Iterum mihi natus videor, est impense laetantis, et bonum aliquod insperato consecuti. *Pl. Poen.* 5, 2, 117. et *Capt.* 4, 2, 111. ℙ *Nemo natus*, nemo mortalium, nullus. *Pl. Most.* 2, 2, 21. nemo natus in aedibus Servat. Sic 2, 1, 55. Tanquam si intus natus nemo in aedibus habitet. ℙ De rebus inanimis, ortus, profectus. *Cic. Quint.* 28. Ex quo uno haec omnia nata et profecta esse concedit. *Caes. B. G.* 7, 43. *extr.* Profectio nata a timore defectionis. V. supra. *Hirt. B. Alex.* 58. Ne dissensionis initium natum seditiosa militum, suaque videretur natura. *Plin.* 16, 4, 4. Inde natum, ut etiam triumphaturis, etc. *Id.* 17, 14, 23. Hinc nata inoculatio. *Petr. Sat.* 25. Hinc puto proverbium natum, etc. ℙ *Male natus*, de re malae naturae. *Varr. R. R.* 1, 6. Alius ager bene natus, alius male; et *Colum.* 4, 24. *med.* Sarmenta vetera, male nata, contorta, deorsum spectantia recidito. *Hor. Ep.* 2, 1, 233. Inculti versus, et male nati. ℙ *Natus*, natura conformatus, factus, constitutus. *Liv.* 9, 2. Ita natus locus est: saltus duo alti, angusti silvosique sunt, etc. ℙ *E re natus* est subito, vel ex ipsa re natus. *Quint.* 4, 1. *med.* Multum gratiae exordio est, quod ab actione diversae partis materiam trahit, hoc ipso, quod non compositum domi, sed ibi, atque e re natum, etc. ℙ *E re nata*, ex eo, quod casu, aut praeter nostram voluntatem accidit. *Ter. Ad.* 3, 1, 8. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est. *Appul. Met.* 4. E re nata subtile consilium tale comminiscimur, *h. e.* ex occasione. ℙ *Pro re nata*, pro praesenti rerum statu. *Cic. Att.* 7, 14. *f.* Velim eas cohortere, ut exeant: praesertim cum ea praedia in ora maritima habeamus, cui ego praesum, ut in his pro re nata non incommode possint esse; et *ib.* 14, 6. Antonii colloquium cum heroibus nostris pro re nata non incommodum. Adde *ib.* 7, 8. ℙ Natus, i, et Nata, ae, et saepius in plur. num. Nati, orum, sunt filii, liberi. Fere tamen tunc adhibetur, cum parentum simul mentio fit: et perraro a prosae scriptoribus. *Cic. Amic.* 8. Caritas, quae est inter natos et parentes. *Quint. prooem. l.* 1. *med.* Erudiendo nato tuo non inutiles fore libri videbantur. *Colum.* 6, 27. *f.* Id genus pecudis (*equini*) amore natorum, nisi fiat potestas, noxam trahit. *Phaedr.* 1, 28. Aquila, ut periculo mortis eriperet suos, Incolumes natos supplex vulpi tradidit. *Virg.* A. 7, 518. Et trepidae matres pressere ad pectora natos. *Hor. Sat.* 2, 3, 199. Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam Ante aras, etc. *Virg. A.* 1, 658. Ilione, maxima natarum Priami. ℙ *Nata* in dat. plurali habet *natis*, non *natabus*, ubi distinctione opus non est. *Ov. Met.* 13, 660. Euboea duabus, Et totidem natis Andros fraterna petita est. Adde *Prisc.* 7, 733. Ad vitandam autem sexus ambiguitatem *natabus* dici poterit, ut a viris peritis, inquit *Phocas* 1707., usurpatum est. V. dicta in ASĪNA. ℙ Saepius dicitur *Gnatus*, *gnata*.

NĀTUS, i. V. v. praec.

NĀTUS, us. V. NATU.

*NAVA, ae, m. fluvius augens Rhenum, in quem exoneratur infra Moguntiacum ad Bingium oppidum. Ab accolis vocatur *Nahe. Tac. H.* 4, 70. *Aus.* in *Mosell.* 1. *B. A.*

[NĀVĀCŬLUM, i, n. idem ac navale. *Gloss. Philox.* Navaculum, *ναυσταθμον. F.*]

NĀVĀLĒ, is, et Navalia, ium, n. *ναυσταθμὸς*, *νεὼν*, *νεώριον*, locus in quo naves fiunt, reficiuntur, servantur. Quidam ap. *Serv.* ad *A.* 11, 326. volebant, dici tantummodo de loco, ubi asservantur subductae naves, quod Graece *νεώριον*, non ubi fiunt, quod *ναυπήγιον* dicitur. *Cic. Off.* 2, 17. *med.* Atque illae impensae meliores, muri, navalia, portus, aquarum ductus. *Id. Or.* 1, 14. *med.* Si M. Antonio pro Hermodoro fuisset de navalium opere dicendum. *Vitr.* 5, 12. Navaliorum ea erit ratio ut, etc. *Virg. A.* 4, 593. Diripientque rates alii navalibus. *Ov. Her.* 18, 207. Illic est aptum nostrae navale carinae. *Id. Met.* 3, 660. stetit aequore puppis Haud aliter, quam si siccum navale teneret. ℙ *Navalia*, locus Romae fuit trans Tiberim, cujus mentio ap. *Varr. L. L.* 4, 35., *Liv.* 3, 26. et 40, 51. Ibi et novae naves fiebant, et veteres subducebantur, etiam ab hostibus captae, ac servabantur. *Liv.* 8, 14. et 42, 27. etc. Hinc na-

valis porta ab horum navalium vicinia dicta, *Festus.* ℙ Ob similitudinem *navalia* etiam vocantur loca intus cavata, ubi anates ex stagno avolantes resident: hoc nomine nunc Venetiis appellantur stationes cymbularum, quae *gondole* Italice dicuntur. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Circum falere uti navalia sunt excavata anatium stabula.

NĀVĀLIS, e, adj. *ναυτικὸς*, ad naves pertinens. *Cic. Sen.* 5. Pedestres, navalesve pugnae. *Id. Att.* 10, 8. Navalis apparatus. *Caes. B. G.* 5, 22. Castra navalia, *h. e.* quibus naves subductae defenduntur. *Plin.* 7, 45, 46. Navalis fuga, *h. e.* quae fit navibus. *Ov. Fast.* 1, 229. forma, *h. e.* figura navis. *Plin.* 13, 9, 17. arbor, *h. e.* apta navibus faciendis. *Ammian.* 21, 7. *extr.* pons. *Val. Fl.* 8, 298. uncus, *h. e.* quo hostilem navem in pugna arripiunt. *Liv.* 26, 47. *f.* materia ad classem aedificandam. *Inscr.* ap. *Grut.* 640, 1. P. Longidienus P. F. Faber navalis, *h. e.* navium fabricator. *Tac. A.* 4, 15. Navale stagnum, *h. e.* ad naumachiam edendam. *Cic. Manil.* 10. bellum; et *ib.* 18. Disciplina et gloria navalis. *Plin.* 5, 12, 13. Navales artes. *Virg. A.* 5, 493. navali certamine victor; et *ib.* 8, 684. navalis corona, *h. e.* ob victoriam navalem, quae et *classica*, et *rostrata* dicta est. Sic *Ov. A. Am.* 3, 392. navali cinctus honore caput. Est etiam, ut *Gell.* docet 5, 6. et *Fest.*, navalis corona, quae datur ei, qui primus navali proelio in hostium navem armatus vi transilivit. *Virg. G.* 3, 29. navali surgentes aere columnae, *h. e.* conflato ex rostris captarum bello navium. ℙ *Navalis Phoebus* ap. *Prop.* 4, 1, 3. est Actiacus Apollo, cui Augustus templum Romae dicavit ob devictum M. Antonium navali pugna. V. ACTIACUS et ACTIUS. ℙ *Navales socii* sunt classiarii, et remiges: non tamen, ut nunc, catenati et coacti, sed volentes et liberi: iique non solum remos, sed et arma tractabant interdum. Eligebantur autem saepe vel ex libertinis colonorum, aut sociorum, vel ex sociis ipsis civibus R., qui aliquando servitutem servissent, ut est ap. *Liv.* 36, 2. *extr.* et 40, 18. Habebant etiam longius praefinitum tempus stipendiis finiendis, quam ceteri milites, ut est ap. *Lips. l.* 5. *de Mil. R. dial.* 19. His de causis fiebat, ut haec navalis militia vilior esset multo, quam legionaria, ut adnotavit *Id. ib. l.* 1. *dial.* 2. *med.* et *de magnitud. R.* 1, 5. Iidem dicuntur etiam *classici*, ut ex *Liv.* 26, 48. apparet: ubi etiam aperte colligitur, pugnas ab iis initas, et victum etiam aliquando hostem. His qui praeerant, *magistri* dicebantur, ut ex *eod.* 43, 8. *f.* constat. V. MAGISTER. *Id.* 21, 50. Ut sociis navalibus instructam classem, ita inopem milite habebat; et 26, 48. Postero die militibus, navalibusque sociis convocatis, etc.; et *ib.* 17. Cum expositis ibi copiis, socios quoque navales, multitudinis augendae causa, armasset. *Id.* 32, 23. Navales socii, relictis nuper classibus, ad spem honoratioris militiae transgressi. ℙ Quamvis autem navales socii sint idem cum remigibus, et nautis, quod vel ex *Liv.* 26, 35. et 24, 11. *extr.* clare cognoscitur; tamen interdum a remigibus distinguuntur. *Id.* 37, 10. *med.* Non remigem, non socios navales ad classem frequentes habiturum. Loquitur de Polyxenida praefecto classis Antiochi. ℙ *Navalis scriba*, qui in nave apparebat, inter aliud genus scribarum minimae dignitatis habebatur, quod periculis quoque ejus ministerium esset objectum. Plautus: non ego te novi, navalis scriba? etc. *Festus.* ℙ *Navales pedes* per contemptum sunt ipsi remiges, quia in navi loco pedum sunt: qua ratione et portitores, qui Venetiis mercede vehunt quoslibet, dici solent per convicium. *Pl. Men.* 2, 2, 75. Asservatote hoc sultis, navales pedes. Sunt qui *pedes* intelligant pueros seu ministros, a Graeco *παῖδες*. *Non.* 4, 393. ipsos remos navales pedes appellat. ℙ *Duumviri navales*, classis ornandae et reficiendae causa, item ducendae, aliquando Romae creati leguntur ap. *Liv.* 9, 30. et 40, 18. et 26. ℙ De *navali porta*, V. v. praec. ℙ *Navalia* absolute, navigia, et navigiorum instrumenta. *Plin.* 16, 11, 21. Pix e taeda coquitur navalibus muniendis. Ita *Hard.* ex MSS.

NĀVARCHUS, i, m. *ναύαρχος*, qui in una navi imperat: vox Graeca a *ναῦς*, navis, et *ἀρχὸς*, princeps. *Cic.* usurpat, de rebus Siculorum agens, *Verr.* 2, 5, 24. Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, ceterisque rebus navarcho suo quaeque civitas semper dare solebat; et *ib.* 32. Harum civitatum militibus, navibus, navarchis Syracusanus Cleomenes jussus est imperare. *Veg. Mil.* 5, 2. Singulae Liburnae singulos navarchos habebant, qui, exceptis ceteris nautarum officiis, gubernatoribus atque remigibus et militibus exercendis quotidianam curam, et jugem adhibebant industriam.

NĀVĀTUS, a, um, part. a *navo*. *Liv.* 24, 14. *extr.* Quibus merces navatae in unum diem operae libertas futura erat. *Id.* 2, 43. *f.* Exsecrantes nunc imperatorem, nunc navatam ab equite operam, redeunt in castra. *Gell.* 7, 20. Est adeo invenire apud nobiles poetas hujuscemodi suavitatis multa, quae apparet navata esse, non fortuita, *h. e.* studiose et de industria facta, arte conquisita.

*NAUBARUM, i, n. opp. Sarmatiae Europaeae, non procul a Chersoneso Taurica. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

NAUBŌLIDES, ae, m. *Ναυβολίδης*, Nauboli filius. *Val. Fl.* 1, 362. Hic et Naubolides tortas consurgit in undas Iphitus. *Stat. Th.* 7, 354. Iphitus acer agit, genitor cui nuper ademptus Nauboli Hippasides.

*NAUBŌLUS, i, m. *Ναύβολος*, Phocidis rex, pater Iphiti. *Stat. Th.* 7, 355. *Hyg. fab.* 14. *B. A.*

*NAUCERUS, i, m. nobilis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

NAUCI. V. NAUCUM.

NAUCLĒRĬCUS, a, um, et

NAUCLĒRĬUS, a, um, adj. ad nauclerum pertinens. *Pl. As.* 1, 1, 54. qui causa mea Nauclerio ipse ornatu per fallaciam abduxit ab lenone mulierem. *Id. Mil.* 4, 4, 41. Facito, ut venias huc ornatus ornatu nauclerico.

NAUCLĒRUS, i, m. *ναυκλῆρος*, navicularius, navis dominus, a *ναῦς*, navis, et *κλῆρος*, sors, quod navis in sorte ejus sit. Alius est a gubernatore. Gubernator enim est, qui ad clavum sedet; at nauclerus est navis dominus. *Isid. Orig.* 19, 1. Differt etiam a navarcho. Navarchus enim est praefectus navis. *Pl. Mil.* 4, 3, 16. Cubare in navi lippam, atque oculis turgidis Nauclerus dixit. ℙ Est hoc nomine et Caecilii comoedia. *Non.* 1, 42. et alibi.

*NAUCRĀTES, is, m. *Ναυκράτης*, Erythraeus, Isocratis discipulus, historicus. *Cic. Or.* 2, 23. et 3, 44. *Quint.* 3, 6. *B. A.*

[NAUCRĀTĬCUS, a, um, adj. ad Naucratidem pertinens, urbem Aegypti, nunc *Samocrat*, ad ripam orientalem ostii Canopici sitam. in qua tantummodo, teste *Herodot.* 2, 179., olim ante regem Amasin Graecis permissum fuerat commercii causa sedem collocare: est autem appellata a *ναυκρατέω*, navibus polleo. *Plin.* 5, 10, 11. Urbs Naucratis, unde ostium quidam Naucraticum nominant. *F.*]

[NAUCRĀTĪTES, ae, m. *Ναυκρατίνης*, idem ac Naucraticus. *Plin.* 5, 9, 9. Naucratites nomos. *F.*]

NAUCŬLA, ae, f. per syncop. pro *navicula:* diminut. navis. *Paulin. carm.* 21, 247. Saliens in illam decidisset nauculam. *Not. Tir.* p. 177. Naucula, navicella, navicula.

NAUCŬLOR. V. NAVICULOR.

NAUCUM vel Naucus. Naucum, Attejus Philologus ait, poni pro nugis: Cincius pro nucleo nucis, aut oleae: Aclius Stilo pro omnium rerum putamine: glossematorum autem scriptores pro hilo, quod est in fabae grano: alii pro medio dissepimento nucis juglandis: quidam denique factum putant ex Graeco *ναὶ*, et *οὐχὶ*, et levem hominem, et nihili significare. Haec omnia refert *Festus.* Videtur autem proprie esse putamen, aut nucleus, aut hilum (unde quidam ducunt a *nucus*, quod idem significet, a quo fiat *nuculus*, *nuculeus*, et per syncop. *nucleus*); translate autem dici de nugis, et de re nullius pretii aut momenti. *Naevius* ap. *Fest.* Ejus noctem nauco ducere, *h. e.* nihili ducere. *Bothe* rectius edidit *nauci.* ℙ Usurpatur fere in secundo casu, et cum verbis aestimandi. *Charis.* 2, 185. recenset inter adverbia; et *Prisc.* 6, 682. inter aptota. Utcumque sit, *hominem non nauci* dixerunt hominem nihili, non flocci, *h. e.* qui ne naucum quidem valeat. *Enn.* ap. *Fest.* Ille nugator est nihili, non nauci homo. *Id.* ap. *Cic. Div.* 1, 58. Non nauci facio Marsum augurem. *Pl. fragm.* ap. *Fest.* Ambo magna laude lauti: postremo ambo sumus non nauci. *Id. Most.* 5, 1, 1. Qui homo timidus erit in rebus dubiis, nauci non erit. *Id. Truc.* 2, 7, 50. tympanotribam Amas, hominem non nauci? *Id. Bacch.* 5, 1, 16. hoc servum meum non nauci facere esse ausum?

*NAUCYDES, is, insignis caelator vel statuarius. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

NĀVĒ, adv. idem quod naviter. *Pl.* ap. *Fest.* in *Navus.* Nave agere oportet quod agas, non ductarie. V. DUCTĀRIE. Agnoscitur etiam a *Charis.* 1, 88. et *Diomed.* 1, 402.

*NAVECTABE, opp. Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

NAUFRĀGĀLIS, e, adj. naufragiosus, ut Capraria naufragalis, ap. *Capell.* 6, 206. quam insulam naufragiis insidiosam dicit *Plin.* 3, 5, 11.

NAUFRĀGĬOSUS, a, um, adj. naufragiis frequens, procellosus. *Sidon. ep.* 4, 12. Naufragioso pelago conformis est motus animorum.

NAUFRĀGĬUM, ii, n. *ναυαγία*, fractio, vel submersio navis. *Cic. Fam.* 16, 9. Qui cupide profecti sunt, multi naufragia fecerunt. *Id. Dejot.* 9. Cum esset ei nunciatum, Domitium naufragio periisse. *Caes. B. C.* 3, 27. Tempestas naves affiixit, ita ut ad unam omnes eliderentur, et naufragio interirent. *Sen. Herc. Oet.* 118. naufragium pati. *Sall.* in *ep. Mithrid. med.* Naufragiis militum optimos cum classibus amisi. *Suet. Ner.* 34. Solutilem navem, cujus vel naufragio, vel camerae ruina periret, commentus est. *Petr. Sat.* 115. Cibis naufragio corruptis utcumque curati. *Tac. A.* 14, 3. Naufragio interceptus. *Flor.* 3, 10. *med.* Improbam classem naufragio castigavit Oceanus. *Plin.* 3, 5, 11. Capraria insidiosa naufragiis. ℙ Item ipsa tempestas, unde naufragium fit. *Lucr.* 2, 552. naufragiis magnis multisque coortis, Disjectare solet magnum mare transtra, guberna, Antemnas, proram, etc. ℙ Metaphorice est ruina, calamitas, clades, exitium, damnum, jactura, eversio fortunarum. *Cic. Rab. perd.* 9. Nec tuas unquam rationes ad eos scopulos appulisses, ad quos Sex. Titii afflictam navem, et in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. *Plin. Pan.* 66. Erant sub oculis naufragia multorum, quos, insidiosa tranquillitate provectos, improvisus turbo perculerat. *Val. Max.* 8, 1. *n.* 12. Inter maximos et gravissimos infamiae fluctus emersit, tanquam fragmentum naufragii, leve admodum genus defensionis amplexus. *Cic. Phil.* 12, 8. Qui ex naufragio luculenti patrimonii ad haec Antoniana saxa projectus est. *Id. Fam.* 1, 9. *in.* Naufragia rei familiaris. *Flor.* 1, 13. *f.* Cum Gallica gens per Italiam naufragia sua latius traheret, *h. e.* clades et ruinas, a Camillo fusa et fugata. *Id.* 4, 11. Immensa classis, naufragio belli facto, toto mari ferebatur. *Firm. Math.* 6, 12. Pudoris existimationisque naufragium. ℙ De ipso homine naufrago, et de ipsis rebus naufragio disjectis. *Cic. Phil.* 13, 2. Addite illa naufragia Caesaris amicorum, Barbas Cassios, Barbatios, Polliones: addite Antonii collusores, et sodales, etc. *Id. Sex.* 6. *f.* Colligere naufragium reipublicae. *Ov. Pont.* 1, 2, 62. Cum subit, Augusti quae sit clementia, credo, Mollia naufragiis litora posse dari; et *ib.* 2, 9, 9. Excipe naufragium non duro litore nostrum. *Sil.* 10, 323. Sic ratis, illisit scopulis ubi nubifer Eurus, Naufragium spargens operit freta. ℙ *Naufragii tabula*, metaphorice est perfugium, solatium in calamitate. *Cic. Att.* 4, 18. Perspice aequitatem animi mei, et cum Caesare suavissimam conjunctionem: haec enim me una ex hoc naufragio tabula delectat. ℙ *Aliorum naufragia ex terra intueri*, proverbii speciem habet ap. *eund. Att.* 2, 7. *f.* h. e. in tuto positum videre aliorum pericula. Sic *Luer.* 2, 1. Suave, mari magno, turbantibus aequora ventis, E terra magnum alterius spectare laborem. ℙ Illud quoque proverbium est, *naufragium in portu facere*, ap. *Quint. decl.* 12, 23.

NAUFRĀGO, as, n. 1. *ναυαγέω*, naufragium facio. *Petr. fragm. Trag.* 76. *Burm.* Omnes naves naufragarunt. *Sidon. ep.* 4, 21. Quo plus industrius quisque aequor frequentat, hoc minus naufragat.

NAUFRĀGUS, a, um, adj. *ναυαγὸς*, qui navem fregit, ut *Ter.* loquitur *Andr.* 1, 3, 17. et naufragium passus est. Est per syncopen a *navifragus*, quo utuntur poetae. *Cic. Pis.* 19. Marium Africa devicta expulsum et naufragum vidit. *Virg. G.* 3, 541. genus omne natantum Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus Proluit. *Ov. Her.* 2, 16. Mersa foret cana naufraga puppis aqua. *Sen. Troad.* 1031. tabulaque litus Naufraga spargi. *Tac. A.* 14, 11. Mulier naufraga. ℙ Absolute. *Cic. Inv.* 2, 51. Naufragum quendam natantem, et manus ad se tendentem animadverterunt. *Sen. Ben.* 3, 9. Dare naufrago tabulam. *Juven.* 14, 301. mersa rate naufragus assem Dum rogat, et picta se tempestate tuetur. ℙ Translate est qui honorum jacturam fecit, qui decoxit, calamitosus, perditus. *Cic. Cat.* 2, 11. Contra illam naufragorum ejectam ac debilitatam manum, florem totius Italiae, ac robur educite; et *Sull.* 14. Ut aliquis patrimonio naufragus. ℙ Active est navem frangens, naufragium inferens. *Hor. Od.* 1, 16, 10. Mare naufragum. *Ov. Fast.* 4, 500. Et vos Nisaei, naufraga monstra, canes. *Val. Fl.* 1, 584. naufraga tempestas. *Tibull.* 2, 4, 10. unda. *Sil.* 17, 635. Syrtis.

NAUFŪLAX, et

NAUFYLAX. V. NAUPHYLAX.

NĀVĬĀ, ae, f. alveus ex uno ligno exsculpto in modum navis, quo utuntur in vindemia. *Festus. Mela* 3, 7. *med.* Arundinum fissa internodia, velut navia, binos, et quaedam ternos etiam vehunt. ℙ Item scapha, linter. V. CAPUT. ℙ Adjective *Navia ficus* Romae fuit in comitio eo loci, ubi Attius Navius augur, cum cotem novacula secuisset, defossis cote et novacula, ficum sevit, quae, complures alias germinando, diu duravit, promissumque est ab haruspicibus, tamdiu libertatem populi R. mansuram, quamdi illa viruisset. *Festus.* V. et *Plin.* 15, 18, 20.

NĀVĬCELLA, ae, f. dimin. navis. *Mart. Dig.* 33, 7, 17. Instrumento piscatorio contineri Aristo ait navicellas, quae piscium capiendorum causa paratae sunt. In ed. *Torrent.* est *naucellas.* V. tamen NAUCULA.

NĀVĬCŬLA, ae, f. *πλοιάριον*, parva navis, qua vel in mari, vel in flumine circumvehimur. *Cic. Acad.* 4, 48. Nos ad naviculas nostras descendimus. *Id. ad Quir.* 8. Parva navicula trajectus in Africam.

NĀVĬCŪLĀRĬA, ae, f. *ναυτιλία*, ars negotiandi, et quaestum faciendi ex navigatione, vel navem

locando. *Cic. Verr.* 2, 5, 18. Navicularium te, cum Romam venisses, esse facturum.

NĀVĬCŪLĀRIS, e, adj. ad navicularium pertinens. *Hermog. Dig.* 50, 4, 1. Munerum civilium quaedam sunt patrimonii, alia personarum. Patrimonii sunt munera rei vehicularis, item navicularis, etc.

NĀVĬCŪLĀRĬUS, a, um, adj. ad navicularium pertinens. *Impp. Valent. et Valens Cod. Theod.* 13, 5, 12. Navicularii oneris munus. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 11, 2, 3. Navicularia functio. *Inscr.* ap. *Mur.* 984, 1. Navicularius portitor.

NĀVĬCŪLĀRĬUS, ii, m. *ναυκληρος*, idem qui nauclerus. *Cic. Fam.* 16, 9. *f.* Si poteris, cum Mescinio: si minus, cum honesto aliquo homine, cujus auctoritate navicularius moveatur. *Id. Att.* 9, 3. *f.* Audita navicularii hominis liberalitas est. *Id. Verr.* 2, 2, 55. Aratores, mercatores, navicularii, *h. e.* qui navi mercaturam exercent, vel navim ad transferendas merces locant; item qui publicas species, et annonam mercede convehunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 449, 6. Collegium navicularium. [**Tac. A.* 12, 55. Vim in mercatores et navicularios audebant.]

NĀVĬCŪLĀTOR, oris, m. idem ac navicularius. *Cic. Manil.* 5. Majores vestri saepe, mercatoribus ac naviculatoribus injuriosius tractatis, bella gesserunt.

NĀVĬCŪLOR, aris, dep. 1. *πλέω*, navicula vehor. Per syncop. est *naviclor*, quo usus *Mart.* 3, 20. Piger Lucrino naviclatur in stagno. Al. leg. *nauculatur*.

NĀVĬFRĀGUS, a, um, adj. *ναυαγὸς*, navem frangens, naufragium inferens. Vox poetica. *Virg. A.* 3, 553. navifragum Scylaceum. *Ov. Met.* 14, 6. fretum. *Stat. Th.* 5, 415. dextrasque obtorquet in undas Proram, navifragis avidam concurrere saxis.

NĀVĬGĀBĬLIS, e, adj. *πλωΐμος, πλωτὸς*, qui navigari potest. *Liv.* 38, 3. *f.* Navigabilem amnem opportunum ad comportanda, quae usui sint. *Id.* 35, 44. Simul primum anni tempus navigabile praebuisset mare. *Tac. A.* 15, 42. Fossa navigabilis; et 13, 53. Sublatisque itinerum difficultatibus, navigabilia inter se occidentis, septentrionisque litora fierent. Adde *Plin.* 6, 29, 33.

NĀVĬGANS, antis, part. a *navigo:* navigator, *πλώτωρ*. *Cic. Off.* 3, 23. Quod perventum sit eo, quo sumpta navis est, non domini est navis, sed navigantium. *Petr. Sat.* 107. Nec omen, nec legem navigantium noverant. *Plin.* 6, 29, 34. Fons expetitus navigantibus. *Mart.* 3, 64. Sirenas, hilarem navigantium poenam.

NĀVĬGĀTĬO, onis, f. *πλεύσις, πλόος, πλοῦς*, actus navigandi, cursus maritimus, navis vectio. *Cic. Fam.* 13, 68. Ex tuis litteris cognovi cursus navigationum tuarum. *Id. Sen.* 19. *extr.* Aliquando in portum ex longa navigatione venire. *Id. Q. Fr.* 2, 6. Primam navigationem, dummodo idonea tempestas sit, ne omiseris; et *ib. f.* Ajebant, te prima navigatione transmissurum. *Id. Fam.* 16, 4. Te neque navigationi, neque viae committas, quod plane valeas. *Hirt. B. Alex.* 69. Difficultas itinerum ac navigationum; et *ib.* 28. Celeriore fluminis navigatione usus est. *Tac. H.* 2, 81. Celeri navigatione properare. *Id. A.* 2, 8. Secunda navigatio; et *H.* 4, 49. Prospera navigatione praevenire aliquem. *Id. A.* 2, 53. Adversam maris navigationem perpessus. *Just.* 36, 3. Lacus navigationis patiens. *Plin.* 37, 8, 32. Insulam a continente diei navigatione abesse. *Id.* 24, 6, 19. Navigatio Aegyptia, *h. e.* qua Aegyptus petitur. *Id.* 2, 67, 67. Circumvectus a Gadibus ad finem Arabiae, navigationem eam prodidit scripto.

NĀVĬGĀTOR, oris, m. nauta, qui navigat. *Quint.* 5, 10. *med.* Rusticus, forensis, negotiator, miles, navigator, medicus aliud atque aliud efficiunt. *Id. decl.* 12, 23. Infelix navigator es, et cujus votis aurae non respondent.

NĀVĬGĀTUS, a, um, part. a *navigo: πεπλευσμένος*, navi decursus. *Tac. G.* 34. Lacus immensi Romanis classibus navigati. *Plin.* 2, 67, 67. Oceanus majore ex parte navigatus. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 2. de Roma: Urbs pensilis, subterque navigata.

NĀVĬGER, a, um, adj. *πλοιοφόρος*, naves gerens, navigabilis. *Lucr.* 1, 3. Quae mare navigerum, quae terras frugiferentes Concelebras. *Mart.* 12, 99. de Baeti: cui rector aquarum Albula navigerum per freta pandit iter. ℙ *Navigera similitudo*, species piscis navium modo vehentis aliquid. *Plin.* 9, 30, 49. Navigeram similitudinem et aliam (praeter eam, quam descripsit *in fin. cap. praeced.*, de nautilo verba faciens) in Propontide visam sibi prodidit Mucianus: concham esse acatii modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata: in hac condi nauplium, animal sepiae simile, etc. V. NAUPLIUS.

NĀVĬGĬŎLUM, i, n. *πλοιάριον*, parvum navigium, navicula. *Lentulus* ad *Coss. Praett. etc. Fam.* 12, 15. *med.* Nos vix ipsi singulis cum navigiolis reciperemur. *Hirt. B. Afr.* 63. Ipse navigiolum parvum conscendit.

NĀVĬGĬUM, ii, n. *πλοῖον*, omne genus navis, quo aqua iter facimus. *Cic. N. D.* 2, 60. *med.* Magnos usus affert arborum confectio ad navigia facienda. *Id. Or.* 3, 46. Quid tam in navigio necessarium, quam latera, carinae, prora, puppis, antemnae, vela, mali? *Id. Att.* 15, 11. *f.* Navigium dissolutum, vel potius dissipatum. *Id. Acad.* 4, 31. *med.* Proficisci probo navigio, bono gubernatore, ac tranquillitate; et *Att.* 16, 4. *f.* Navigium luculentum; et *ib.* 1. Navigia minuta. *Virg. G.* 2, 107. Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus. ℙ Prov. est illud *Livii* 44, 22. *med.* Qui in eodem velut navigio participes sunt periculi. V. NAVIS. ℙ *Navigii* appellatione etiam rates continentur, teste *Ulp. Dig.* 43, 11, 1. *med.* ℙ Significat etiam ipsam navigationem; est enim a *navigo*, h. e. *navim ago. Scaev. Dig.* 45, 1, 122. In omnes navigii dies; et *paulo post:* Quasi perfecto navigio. *Ulp. l. c.* Ait praetor *iterque navigio:* hoc pro navigatione positum est. *Rutil. Itin.* 1, 541. Tempora navigii clarus reparaverat Eurus. Al. leg. *navigiis. Lucr.* 5, 1004. Improba navigii ratio tum caeca jacebat.

NĀVĬGO, as, avi, atum, a. 1. proprie significat *navim agere. Ulp. Dig.* 4, 9, 1. Nautae appellantur omnes, qui navis navigandae causa in navi sunt. ℙ Hanc vim universim habet, quandocumque refertur ad nautas, naucleros, navarchos, gubernatores. Hi enim dicuntur navem agere, vel agi jubere. Saepissime tamen refertur ad eos omnes, qui navi vehuntur, *πλέω*. *Cic. Dom.* 10. Cum ipse plenissimis velis navigares. *Id. Fam.* 16, 7. Cum per anni tempus navigare poteris, ad nos veni. *Caes. B. G.* 4, 23. Nactus idoneam ad navigandum tempestatem. *Suet. Tib.* 13. Rhodum navigaturus. *Lucan.* 4, 134. Sic Venetus stagnante Pado, fusoque Britannus Navigat Oceano. *Cic. Fl.* 14. Hac classe Crassus ab Aeno in Asiam, his navibus Flaccus ex Asia in Macedoniam navigavit. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Cum ab Aegina Megaram versus navigarem. *Hor. Sat.* 2, 3, 166. Naviget Anticyram. *Cic. N. D.* 3, 34. Dionysius navigabat Syracusas. *Plin.* 26, 8, 28. Navigare ad Phasin. *Quint.* 4, 2. *med.* e portu, *h. e.* solvere. *Cic. Inv.* 2, 51. in alto. *Quint.* 10, 2. ratibus. *Sall. or. Cottae ad pop.* classe minore, quam antea. [*Cum his recte videntur conjungi ista, quae Noster infra sejunctim posuerat:] *Cic. Verr.* 2, 5, 31. Quo tempore ceteri praetores obire provinciam consueverunt, aut etiam in tanto praedonum metu et periculo ipsi navigare, i. e. navim conscendere, classem ducere. *Ter. Andr.* 3, 1. *f.* Nunc hujus periclo fit: ego in portu navigo, i. e. absum a periculo, in tuto sum. [*Comp. *Ruhnk. Pl. Merc.* 4, 8, 49. res est in portu: coll. *Erasmi adag.*] ℙ Non raro ipsa navis *navigare* dicitur. *Cic. Fl.* 14. Utrum ista classis cursu et remis, an sumptu tantum et litteris navigarit; et *ib.* 13. Pompejo auctore decrevimus, ut classis in Italia navigaret; et *Ov. A. Am.* 2, 9. mediis tua pinus in undis Navigat. *Id. Fast.* 2, 864. Naviget hinc alia jam mihi linter aqua. *Ulp. Dig.* 47, 5, 1. Qui adhibentur, ut navis naviget, hoc est nautae. ℙ Item ipsae merces, quae navi feruntur. *Id. ib.* 22, 2, 1. Interest, utrum etiam ipsae merces periculo creditoris navigent. ℙ Commode *navigare bellum* dicitur, cum classis navigat bellum illatura. *Cic. Manil.* 12. Quam celeriter, Cn. Pompejo duce, belli impetus navigavit. *Flor.* 2, 2. *med.* Regulo duce, jam in Africam navigabat bellum. Sic *ib.* 8. Ut cum terrarum orbis situ ipse victoriarum ordo navigaret. ℙ Pro natare. *Ov. Her.* 19, 47. jam certe navigat, inquam: Lentaque dimotis brachia jactat aquis. ℙ De ipso mari. *Manil.* 5, 583. de bellua marina: circumsonat aequor Dentibus, inque ipso rapidum mare navigat ore, *h. e.* exundat, fluctuat: tanta aquarum vis latum illum rictum intrat, et exit. ℙ [*Transitivae significationis exempla, quae *Forc.* ceteris immiscuerat, sunt ista:] *Cic. Fin.* 2, 34. Cum Xerxes, Hellesponto juncto, Athone perfosso, maria ambulavisset, terramque navigasset. Haec quidem expressa sunt ex illis *Isocr. Pan.* 21. *ὥστε πλεῦσαι μὲν διὰ τῆς ἠπείρου, πεζεῦσαι δὲ διὰ τῆς θαλάττης, τὸν μὲν Ἑλλέσποντον ζεύξας, τὸν δὲ Ἄθω διορύξας. Virg. A.* 1, 71. Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor. *Suet. Claud.* 1. Oceanum septentrionalem primus Romanorum ducum navigavit. [*Adde *Ov. Met.* 15, 50. ventisque favent ibus aequor Navigat Jonium.] ℙ Passive. *Plin.* 2, 67, 67. Totus hodie navigatur occidens: septentrionalis vero oceanus magna ex parte navigatus est. ℙ Impersonaliter. *Cic. Fam.* 16, 7. Iis enim ventis istinc navigatur. (Adde *ib.* 13. *f.*) *Plin.* 6, 26, 30. Si Tigri navigetur. ℙ In illo *Sall. Cat.* 2. Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent: v. *navigant* est navigando, et merces mari convehendo comparant. [*V. *Kritz.* ad h. l.]

*NĀVĬLUBĬO, fluvius Hispaniae Tarraconensis, in Gallicia. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

NĀVIS, is, f. *ναῦς*, machina e ligno, qua per mare, flumen, lacumve iter facimus: a voce Graeca allata. Dicitur fere de navigio majori, interdum etiam de cymba, lintre, scapha, et hujusmodi. *Cic. Att.* 4, 20. E Pompejano navi advectus sum in Luculli nostri hospitium. ℙ Multas navium appellationes collegerunt *Gell.* 10, 25. et *Non.* 13. ℙ Earum aliae sunt apertae, aliae tectae, seu constratae, sunt longae, onerariae, bellicae, rostratae, maritimae, fluviatiles, tabellariae, speculatoriae, praedatoriae, actuariae, piscatoriae, vectoriae, etc. de quib. V. ss. ll. ℙ Nave primus in Graeciam ex Aegypto Danaus advenit: antea ratibus navigabatur, inventis in mari Rubro. Reperiuntur, qui, Mysos et Trojanos priores excogitasse in Hellesponto, putent. *Plin.* 7, 56, 57. *f.* ℙ *Navium tutela* erat picta, vel ficta Dei, vel herois alicujus imago, in puppi collocata, nautarum et vectorum praecipua religio, cui supplicabant, cujus opem auxiliumque tempestatum procellis jactati implorabant, quamque, si quid mali ominis esset commissum, variis ritibus expiabant. *Val. Fl.* 1, 301. Visa coronatae fulgens tutela carinae Vocibus his instare duci. *Id.* 8, 202. de ead.: Puppe procul summa vigilis post terga magistri Haeserat auratae genibus Medea Minervae. *Ov. Trist.* 1, 10, 1. Est mihi, sitque precor, flavae tutela Minervae Navis, et a picta casside nomen habet. *Id. Her.* 16, 112. Accipit et pictos puppis aduncа Deos. *Pers.* 6, 29. jacet ipse in litore, et una Ingentes de puppe Dei. ℙ Earundem vero insigne, *παράσημον*, erat simulacrum sive Dei, sive herois, seu virtutis alicujus, vel animalis, *πρῳρμή*, vel cujuscumque tandem rei imago, in prora semper constituta, unde naves nomen accipiebant. *Prop.* 4, 6, 49. Quodque vehunt prorae Centauros saxa minantes. *Virg. A.* 10, 157. Aeneia puppis Prima tenet, rostro Phrygios subjuncta leones. *Inscr.* ap. *Mur.* 780, 5. Trireme Marte; et 834, 5. Trireme Venere; et 876, 3. Trireme Spe; et 862, 3. Trireme Tauro; et 870, 7. Quadrireme Pado; et 841, 4. Trireme Athenis. ℙ Ap. Phoenices tamen, et Graecos Deorum simulacra, quae et navium insignia erant, in prora collocata fuisse, ostendit *Dav. Ruhnk.* in *Dissert. de tutel. et insign. navium* 3. ℙ Locutiones huc pertinentes sunt hae praecipue. *Cic. Verr.* 2, 5, 17. Navem maximam, triremis instar, palam aedificatam sumptu publico, etc. *Tac. A.* 14, 29. Naves fabricatur plano alveo adversus breve litus et incertum. *Cic. Sen.* 20. Navem construere. *Caes. B. C.* 1, 26. adornare. *Id. B. G.* 5, 1. armare; et *ib.* 4, 31. reficere. *Colum.* 4, 3. instruere armamentis. *Virg. A.* 4, 398. deducere litore: et absolute eod. sensu 3, 71. et *Caes. B. G.* 5, 23. deducere. *Liv.* 28, 17. *extr.* deducere in aquam. *Id. ib.* 7. moliri ab terra. *Caes. B. C.* 1, 57. ex portu educere. *Virg. A.* 1, 555 et 577. et *Caes. B. G.* 5, 11. subducere. *Petr. Sat.* 101. deducere in portum. *Caes. B. G.* 4, 29. subducere in aridum. *Hor. Ep.* 2, 1, 114. Navem agere ignarus navis timet: *γνώμη*. *Ov. R. Am.* 285. et *Caes. B. C.* 3, 6. Navem solvere. (Ap. *eund. Caes. B. G.* 4, 28. ipsa etiam navis solvere dicitur, cum discedit a litore.) *Nep. Ann.* 7. conscendere. *Phaedr.* 4, 21. ascendere. *Cic. Att.* 13, 21. appellere ad aliquem locum. *Curt.* 4, 2. appellere litori. *Liv.* 28, 17. applicare terrae. *Ter. Andr.* 1, 3, 17. frangere. *Quint.* 4, 1. *med.* impingere. *Tac. H.* 4, 79. deprimere; et *Cic. Or.* 1, 38. in portu evertere. *Id. ib.* et *Pis.* 9. gubernare, et salvam in portu collocare. *Caes. B. G.* 4, 25. remis incitare. *Pl. Bacch.* 2, 3, 57. statuere, *h. e.* sistere. *Ter. Heaut.* 1, 2, 9. et *Caes. B. G.* 4, 26 et 27. E navi egredi. *Caes. ib.* 25. desilire; et *ib.* se projicere. *Hor. Ep.* 2, 2, 200. Nave ferri. *Cic. N. D.* 3, 37. In navi vehi. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. Navi Piraeeum advectus sum. *Caes. B. G.* 4, 25. transportare aliquid; et *ib.* 37. Ex navibus milites exponere. *Hor. Od.* 1, 6, 3. Navibus rem gerere, *h. e.* maritimis expeditionibus. *Cic. Planc.* 39. Navis secundis ventis cursum suum tenens. *Phaedr.* 4, 21. de Simonide: Ascendit navem, quam tempestas horrida Simul et vetustas medio dissolvit mari. ℙ Interdum navis est in obscenis, pars nempe, qua feminae sunt. *Pl. Men.* 2, 3, 51., *Mil.* 3, 3, 46. et *Rud.* 2, 3, 24. et *Macr. Sat.* 2, 5. *f.* *κῆπος Ἀφροδίτης*. V. *Lips. epistolic. quaest.* 5, 3. ℙ Allegorice. *Cic. Fam.* 12, 24. Quamobrem, mi Quinte, conscende nobiscum, et quidem ad puppim. Una navis est jam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus: utinam prospero cursu. Sed quicumque venti erunt, ars nostra certe non aberit. [**Id. Sext.* 20. navis reip. fluctuans in alto tempestatibus seditionum ac discordiarum.] ℙ *In eadem navi esse*, prov. in eodem cum aliis periculo versari. *Cic. Fam.* 12, 5. Tibi, etsi ubicumque es, in eadem es navi, tamen, etc. V. NAVIGIUM. ℙ *Navem perforare, qua ipse naviget*, proverbio item dicitur is, qui, ut aliis malum creet, se ipse laedit. V. l. *Cic.* ap. *Quint.* in PERFORO. ℙ *Navem mortuo applicare*, aliud prov. de sero auxilio, ap. *Quint. decl.* 12, 23. Etrusci dicunt *il soccorso di Pisa*. Simile est illud *ib.* Medicina mortuorum sera est. ℙ *Navibus et quadrigis petere aliquid*, aliud prov. omni conatu et studio, velis remisque, manibus pedibusque. *Hor. Ep.* 1, 11, 28. navibus atque Quadrigis petimus bene vivere. ℙ Ap. *Apic.* 6, 9. *navis* est venter pullorum gallinaceorum, navis, aut carinae figura similis. ℙ In quarto et sexto casu duplicem habet positionem, in *e*, et in *i:* et quidem in *i* fre-

quentius praesertim in ablativo, ut ex allatis exemplis videre est, et alibi in Latinis scriptoribus passim occurrit. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 25, 30, 7.]

[NĂVĬSALVĬĂ, ae, f. hoc nomine fuit appellata, et quasi Dea Romae culta, Claudia Quinta virgo Vestalis, Appii Claudii neptis, quae ann. U. C. DXLIX. navim simulacrum Matris Deum e Pessinunte translatum vehentem, per adversum Tiberim sola adduxit, ut narrat *Liv.* 29, 14., utque patet ex insigni marmore anaglyptico et litterato ap. *Maff. Mus. Ver.* 252, 4., et ex nummo Faustinae senioris ap. *Venut. Mus. num. Alban.* T. 1. tab. 27. *n.* 3. Hujus virginis Vestalis statua, in vestibulo templi Matris Deum posita et consecrata, bis ea aede incendio consumpta, in sua basi flammis intacta stetit, ut constat ex *Tac. A.* 4, 64. et *Val. Max.* 1, 8. *n.* 11., quamque sedentem, velatam, et simpulum dextra porrigentem videre est in nummo ap. *Morell. Num. fam. Rom.* in *G. Claudia tab.* 2. *n.* 3. *Inscr.* ap. *Maff. l. c.* Matri Deum, et Navisalviae voto suscepto Claudia Syntyche DD. Alia ap. *Clem. Cardinal. Iscriz. Velit.* p. 5. Matri Deum, et Navisalviae Q. Nunnius Telephus magister collegii cultorum ejus de suo DD. Consule et *Ov. Fast.* 4, 305. et sqq., *Cic. Har. resp.* 13. et *Coel.* 14., *Sil.* 17, 33. et *Lactant.* 2, 7. *F.*]

NĂVĬTĂ, ae, m. *ναύτης*, idem quod *nauta:* et est fere poeticum. *Festus* docet, dici secundum incorruptam consuetudinem: et ex eo factum *nauta* per syncopen, quo nunc utimur. Alii dicunt, *nauta* esse primitivum, a Graeco *ναύτης:* ex eo per epenthesin factum esse *navita,* quo fere poetae utuntur. *Pl. Men.* 2, 1, 1. Nulla est voluptas navitis major, quam quando ex alto procul terram conspiciunt. *Petr. Sat.* 121. vix navita Porthmeus Sufficiet simulacra virum traducere cymba. *Prop.* 2, 1, 43. Navita de ventis, de tauris narrat arator. Adde *Virg., Hor., Catull., Ov., Tibull.* etc. Adde etiam *Gell.*, qui prosa oratione non semel usurpat 16, 19. et *Appul. Met.* 6., item *Cat.* ap. *Fest.* Navitae quod secum portaverant vinum atque oleum, usus tantum eo sum.

NĂVĬTAS, atis, f. *σπουδή, ἐπιμέλεια,* auxilium, diligentia in adjuvando. *Cic. Fam.* 10, 25. Istam operam tuam, navitatem, animum in rempubl. celeritati praeturae anteponendam censeo. Est qui legit *operam tuam navatam.*

NĂVĬTER, adv. *ἐπιμελῶς, σπουδαίως,* diligenter, strenue, nave, gnaviter: a *navus. Cic. Fam.* 5, 12. Qui semel verecundiae fines transierit, eum bene et naviter oportet esse impudentem. *Gell.* 15, 4. In provincia naviter versari. *Sisenn.* ap. *Charis.* 2, 185. Quid nunc os tuum scalpis? quid tergiversaris, nec bene naviter is? ℙ Pro omnino, perfecte. *Lucr.* 1, 524. Alternis igitur nimirum corpus inani Distinctum est, quoniam nec plenum naviter exstat, Nec porro vacuum.

[NĂVĬTĬES, ei, f. industria, diligentia. *Gloss. Philox.* Navities, *ἀρετή. F.*]

*NAVĬUS, i, m. nomen proprium virorum R. ℙ Attus Navius, augur. *Liv.* 1, 36. ed. *Drak.* ubi ed. *Gronov.* habet *Accius Nav. Attius Navius* est *Cic. N. D.* 2, 3. et *Div.* 1, 17. ed. *Ernest.* itemque *Val. Max.* 1, 4. ed. *Torrent. Attus Navius* audit *Plin.* 15, 18. ed. *Hard.* Is est, qui novacula cotem praecidit. ℙ *Navius, a, um,* V. NAVIA, ae, f. *B. A.*

NAULĬĂ. V. NABLIA.

*NAULOCHA. V. v. sq. *B. A.*

*NAULOCHUS vel Naulochum, i, n. (i. e. portus, Gr. *ναύλοχος* et *ναύλοχον,*) opp. Locridis. *Plin.* 4, 3. ℙ Aliud, in Sicilia, prope Pelorum promontorium. *Suet. Aug.* 116. *Naulocha* audit *Sil.* 14, 265. ℙ Fuit et Naulochos (us) insula Cretae adjacens. *Plin.* 4, 12. ℙ Denique Naulochum promontorium fuit in Bithynia. *Id.* 5, 32. *B. A.*

NAULUM, i, n. *ναῦλον,* merces, quae a vectore solvitur ei, qui navem exercet. *Juven.* 8, 97. furor est, post omnia perdere naulum. *Paul. Dig.* 30, 39, 1. Idem in operis servorum, vel vecturis jumentorum, vel naulis navium dicendum. *Ulp. ib.* 20, 4, 6. Ut merces salvae fiant, vel ut naulum exsolvatur.

*NAUMACHAEI, orum, populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. ed. *Hard.* ubi pro *Naumachaeorum* in ed. *Elzev.* reperitur *Macae; horum. B. A.*

NAUMACHĬĂ, ae, f. *ναυμαχία,* pugna navalis: a *ναῦς,* navis, et *μάχη,* pugna. Dicitur fere de ludicris pugnis, quae aut arte collecta aqua, aut in stagno lacuve aliquo, spectaculi loco edebantur. *Suet. Claud.* 21. *med.* Emissurus Fucinum lacum, naumachiam ante commisit. *Id. Ner.* 12. Exhibuit et naumachiam, marina aqua innantibus belluis. *Id. Caes.* 44. Naumachiae spectaculum edere. *Mart. Spect.* 28. *extr.* Hanc norint unam saecula naumachiam. ℙ Metonymice est ipse locus, in quo navalis pugna editur. *Suet. Tit.* 7. Edidit et navale proelium in veteri naumachia. Adde *Tib.* 72. et *Dom.* 5. et *Front. Aquaed.* 22. Hujusmodi naumachiae quinque vel sex Romae fuere in regione XIV. Transtiberina, ut est ap. *Publ. Victor.* ℙ *Serv.* ad *A.* 5, 114. docet, Romanos Punico bello primo naumachiam ad exercitium instituisse, postquam cognoverant, exteras gentes etiam navali certamine plurimum posse.

NAUMACHĬĂRĬUS, a, um, adj. ad naumachiam pertinens. *Plin.* 16, 39, 74. et *ib.* 75. *n.* 2. Naumachiarius pons. *Hard.* videtur ille, quo plures simul jungebantur naves, naumachiam editurae. ℙ *Naumachiarius, ii,* qui in naumachia pugnat. *Suet. Claud.* 21. *f.* Proclamantibus naumachiariis, ave imperator: morituri te salutant.

*NAUMACHOS vel Naumachus, i, f. *Ναύμαχος,* maris Aegaei insula. *Mela* 2, 7. *med. B. A.*

[NAUMACHUS, i, m. *ναυμάχος,* idem ac naumachiarius, qui in naumachia pugnat. *Not. Tir.* p. 77. Nauta, nauticus, naumachus, naumachia. *F.*]

NĂVO, as, avi, atum, a. 1. *σπουδάζω, προσέχω, διαπράττομαι,* strenue et diligenter ago: a *navus.* Alii ducunt a *navis,* et proprie dici ajunt de nautis, qui aliis auxilium praebent in navi vel e navali deducenda, vel in mari gubernanda: quo in ministerio multorum manibus, et magno labore opus est. *Cic. Fam.* 6, 1. *f.* Nemo est tam afflictus, qui si nihil aliud studeat, nisi id quod agit, non possit navare aliquid, et efficere. ℙ *Navare operam alicui (personae,* non *rei)* est praestare, exhibere, auxilium dare, adjuvare, operam conferre. *Cic. Fam.* 15, 12. Utinam potuissem, pro tuis amplissimis erga me studiis, tibi operam meam studiumque navare; et *ib.* 10, 25. Navare operam reipubl. *Id. Brut.* 81. *f.* Qui quia navarat miles operam imperatori, imperatorem se statim esse cupiebat. *Liv.* 7, 16. Fortiter in acie navare operam. *Id.* 28, 35. Cupere se, illi, populoque R. operam navare, ita ut nemo unus externus magis enixe adjuverit rem Romanam. *Cic. Or.* 2, 7. Jam mihi videor navasse operam, quod huc venerim. *Tac. A.* 3, 42. Navandae operae avidior. *Liv.* 9, 16. Ut ad reconciliandam pacem consuli opera navaretur. *Cic. Coel.* 28. *f.* Si me audiant, navent aliam operam, aliam ineant gratiam, in aliis se rebus ostentent. *Curt.* 7, 5. Ceteris gratiae actae, quod ad reliqua belli navaturos operam pollicebantur. [*Doederl. 1, 112. inter *operam dare* et *navare* hoc interesse docet, quod *navare op.* idem sit, ac gnaviter op. dare, sive, ut *Vell.* 2, 120., gnavam operam dare: illud autem pro interesse alicui rei dicatur.] ℙ *Navare opus* idem est. *Val. Fl.* 3, 144. ferro potius mihi dextera, ferro Navet opus. *Cic. Att.* 9, 11. Utinam aliquod in hac miseria reipubl. *πολιτικὸν* opus efficere, et navare mihi liceat. ℙ *Navare studium,* exhibere, praestare, adhibere. *Q. Cic. Petit. cons.* 5. Instituendi sunt cujusque generis amici, qui etiam si suffragandi studia non navant, tamen, etc. *Cic. Att.* 15, 4. *f.* Quam vellem, Bruto studium tuum navare potuisses! Sic *navare benevolentiam. Id. Fam.* 3, 10. *med.* Ut cum hic tibi satisfecerimus, istic quoque nostram in te benevolentiam navare possimus. ℙ *Navare rem publicam,* opera sua adjuvare. *Id. ib.* 9, 2. *f.* Si minus in curia atque in foro, at in litteris et libris, ut doctissimi veteres fecerunt, navare rem publicam, et de moribus ac legibus quaerere. Alii leg. *gnavare:* alii *juvare:* alii *reipublicae.* ℙ *Navare bellum,* strenue bellum gerere. *Tac. H.* 3, 25. Si Vespasiano bellum navaverint, Vespasianum rerum potiri. Sic *navare flagitium,* strenue perpetrare. *Id. ib.* 4, 59. Ceteros, ut quisque flagitium navaverat, praemiis attollit.

*NAVOS, opp. Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

NAUPACTOUS, a, um, adj. (ut *Myrtous, Lesbous, Arctous*) ad Naupactum pertinens, quae est urbs Aetoliae in ora sinus Corinthiaci, nunc *Lepanto. Ov. Fast.* 2, 43. Amphiaraides Naupactoo Acheloo. Al. leg. *Naupacteo,* aut *Naupactaeo.* Porro Achelous non ideo *Naupactous* denominatur, quia prope Naupactum sit, sed latiore quadam significatione, et a poetis saepe usurpata licentia. Est enim in Acarnaniae fine, qua Aetoliam tangit, in qua Naupactum situm est.

NAUPĒGĬĂRĬUS, ii, m. idem ac naupegus. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell.* p. 67. Dianae collegium naupegiariorum.

NAUPĒGUS, i, m. *ναυπηγός,* qui naves fabricatur: a *ναῦς,* navis, et *πήγνυμι,* compingo. *Edict. Diocl.* p. 19. Naupego in navi maritima diurni Ж sexaginta: in navi amnica diurni Ж quinquaginta. Adde *Arcad. Aurel. Dig.* 50, 6, 6. et *Firm. Math.* 4, 7. *med.*

[NAUPHYLAX vel Naufylax vel Naufulax, ăcis, m. *ναυφύλαξ,* qui eas res custodiendas recipit, quas vectores secum afferunt, et in aliqua navis parte deponunt: differt a *diaetario,* qui eas tantum res asservandas curat, quae in navis cubiculo reponuntur. *Ulp. Dig.* 4, 9, 1. §. 3. Et sunt quidam in navibus, qui custodiae gratia navibus praeponuntur, ut *ναυφύλακες,* et diaetarii. Si quis igitur ex his receperit (*aliquod cujusquam salvum fore*), puto, in exercitorem dandam actionem, quia is, qui eos hujusmodi officio praeponit, committi iis permisit. *Inscr.* ap. *Donat.* 278, 5. L. Baebio Silvano veterano ex nauphylace Cl. Pr. Rav. N. Syr., etc. Alia ap. *Mur.* 831, 6. . . . Macer natione Bessus nauphylax IIII. Fortuna, etc.; et 851, 7. Aurelius Vitellius Mil. Cl. Pr. Mis. Nau. Fel. (lege *naufyl.*) IIII. Minerva.; et 1063, 6. . . . ex naufylace sibi, etc. Alia ap. *Donat.* 273, 2. Aurelio Marullo naufylaci IIII. Victoria, natione Cilix, etc. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 349, 3. Antiherax nauf. IIII. Aug., etc. Alia ap. *Mur.* 2031, 6. Aur. Martinus naufular (lege *naufulax*) V. Victoria, etc. ℙ Scribitur et *năŏfylax,* quamvis *ναοφύλαξ* aliud significet; est enim a *ναός,* templum, et *φύλαξ,* custos, cum *ναυφύλαξ* sit a *ναῦς,* navis, et *φύλαξ,* custos. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 125, 3. C. Julio Maximo veterano ex naophylace, etc. Alia ap. *Labus. Diss. int. due epitaff.* etc. p. 11. L. Crespio Alexandro IIII. Tauro naofylaci, etc. *F.*]

*NAUPĬDĂME, es, f. *Ναυπιδάμη,* filia Amphidamantis, mater Augeae ex Sole. *Hyg. fab.* 14. *B. A.*

NAUPLĬĂDES, ae, m. Palamedes Nauplii filius. *Ov. Met.* 13, 310. Sed neque Naupliades facinus defendere tantum, Tamque patens valuit. *Id. Ib.* 261. Naupliadaeve modo, ficto pro crimine poenas Morte luas.

NAUPLĬUS, ii, m. filius Neptuni, et Amymones filiae Danai, Palamedis pater, rex Euboeae insulae. Ut mortem filii falsa Ulyssis accusatione oppressi ulcisceretur, decem illis annis, quibus Graeci in Troade immorati sunt, Graeciam universam peragrans, omnes fere uxores Graecorum principum adulterio polluit. Ita enim et familiis labem turpissimam inurebat, et futurum sperabat, ut principes illi in sua regna reversi cum adulteris decertarent, illorumque armis opprimerentur. Hinc adulterium Clytaemnestrae cum Aegistho, unde primo mors Agamemnonis, deinde ipsorum adulterorum: hinc quoque adulteria Aegiales uxoris Diomedis, etc. Multi igitur Graeciae principes, qui eo dedecore affecti fuerant, relicta patria, alii in alias regiones exsulatum abierunt. Cum vero Graeci eversa Troja in patriam redirent, illis tempestate laborantibus, ex Caphareo monte ignem ostendit, magnamque classis partem ad ignem, tanquam ad vicinum portum, adnavigantem in asperrimos scopulos pellexit, miserandoque perdidit naufragio. Sed cum intellexisset, Ulyssem, et Diomedem, quibus eas insidias potissimum struxerat, incolumes evasisse, doloris impatientia se ipsum in mare praecipitem dedit. *Prop.* 4, 1, 115. Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes, Et natat exuviis Graecia pressa suis. *Serv.* ad *A.* 11, 260., *Hyg. fab.* 116. ℙ Est etiam hoc nomine piscis sepiae similis, qui in concham, ludendi societate, se condit, et in ea veluti navigat. *Plin.* 9, 30, 49. Ita est appellatus a *ναῦς,* navis, et *πλέω,* navigo. V. NAVIGER.

*NAUPORTUM, i, n. opp. Pannoniae superioris. *Tac. A.* 1, 20. *Vell.* 2, 110. ℙ Fuit et fluvius, nomine *Nauportus,* oppido vicinus, cujus meminit *Plin.* 3, 18. ℙ Utrumque hodie audit *Laybach. B. A.*

*NAUPORTUS, i, m. V. v. praec. *B. A.*

*NAURA, orum, regio Asiae, ultra Hyrcanium mare. *Curt.* 8, 2. *B. A.*

NAUSCIT (quasi *naviscit*) de grano fabae dicitur, cum non dissimile navis formae sese aperit. *Festus.*

NAUSĔĂ, ae, f. *ναυτία,* Ionice *ναυσία, ναυτίησις,* stomachi ad vomitum ex gravi odore perturbatio et concitatio, quae navigantibus praecipue evenire solet. V. NAUSEO. *Cic. Fam.* 16, 11. Festinare te nolo, ne nauseae molestiam suscipias aeger. *Id. Att.* 5, 13. Navigavimus sine timore et nausea. *Sen. ep.* 53. Nausea me, segnis haec, et sine exitu, torquebat, quae bilem movet, nec effundit. *Cels.* 1, 3. Qui navigavit, et nausea pressus est. *Petr. Sat.* 103. Acclinatus lateri navis exonerabat stomachum nausea gravem. *Ov. R. Am.* 355. Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas: Non semel hinc stomacho nausea facta meo. *Plin.* 26, 11, 69. Cruditates, quae nauseam faciunt. *Id.* 20, 21, 84. Liberare a nauseis; et *ib.* 23, 96. Nauseam sedare. *Id.* 27, 7, 28. arcere. *Id.* 8, 27, 41. restinguere. *Hor. Epod.* 9, 35. fluentem coercere. *Colum.* 6, 31. discutere. *Plin.* 20, 14, 54. Nauseas inhibere; et *ib.* 15, 57. sistere. *Id.* 23, 4, 50. Elaeomeli, sapore melleo, non sine nausea, alvum solvit. *Cato R. R.* 156. Ubi libido veniet nauseae, eumque apprehendet, decumbat, purgetque sese. ℙ Translate. *Mart.* 4, 37. Numeres oportet aliquid, ut pati possim. Quotidianam refice nauseam nummis. Audire gratis, Afer, ista non possum.

NAUSĔĂBĬLIS, e, adj. nauseam afferrens. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 2. Oris humectatio nauseabilis.

NAUSĔĂBUNDUS, a, um, adj. nausea plenus. *Sen. ep.* 108. *f.* Gubernator in tempestate nauseabundus. Adde *ep.* 47. *med.*

NAUSĔĀTOR, oris, m. qui nauseat. *Sen. ep.* 53. Ulysses nauseator erat.

NAUSĔO, as, n. 1. *ναυτιάω,* nauseam habeo, vomo. Proprie is *nauseare* dicitur, qui navigando stomachum sibi turbari sentit, et ad vomitum provocari, ex agitatione navigii, ex sentinae graveolentia, etc. *Hor. Ep.* 1, 1, 93. conducto navigio aeque Nauseat, ac loculpes, quem ducit priva triremis. *Cels.* 1, 3. Si sine vomitu nauseavit, etc. *Cic.*

Fam. 12, 25. Antonium ructantem et nauseantem conjeci, etc. *Id. Phil.* 2, 34. Sudat, pallet: quidlibet, modo ne nauseet, faciat. ℙ Translate adhibetur in illo *Cic. N. D.* 1, 30. Quam bellum erat, Vellei, confiteri potius nescire, quod nescires, quam ista effutientem nauseare, atque ipsum sibi displicere! (*Manut.* mallet *tibi*,) *h. e.* effundere, eructare, evomere, ea nimirum dicendo, quae et audientibus et dicenti ipsi displiceant. Simile est illud *Phil.* 5, 7. In me absentem orationem ore impurissimo evomuit; et *Fam.* 12, 25. Ut omnem suum vinolentum furorem in me unum effunderet. ℙ Pro fastidire. *Phaedr.* 4, 6. *extr.* Hoc illis dictum est, si qui stulti nauseant, Et, ut putentur sapere, coelum vituperant. Al. leg. *qui stultitiam nauseant.*

NAUSĔOLA, ae, f. *μικρὰ ναυτία*, dimin. nauseae sensu proprio. *Cic. Att.* 14, 8. Nauseolam tibi tuam causam otii dedisse, facile patiebar.

NAUSĔOSUS, a, um, adj. *ναυτιώδης*, qui nauseam inducit. *Plin.* 26, 20, 38. Radice crassa, madida, nauseosa.

NAUSĪCAA, ae, et Nausicae, es, f. *Ναυσικάη*, filia Alcinoi Phaeacum regis, et Aretes, quae cum urbe exisset cum pedissequis suis, ivissetque ad flumen lotura vestes, vidit Ulyssem naufragum in litore sedentem nudum, arborum ramis circumtectum, cui oranti vestes dedit, et in regiam patris sui venire jussit, ut *Auson. Perioch. Odyss.* 6. narrat. *Gell.* 9, 9. *med.* Virgo Nausicaa ludibunda inter familiares puellas in locis solis, etc. *Mart.* 12, 31. Si mihi Nausicae patrios concederet hortos.

*NAUSIFĪCUS, a, um, adj. *Guil. Brito Phil.* 10, 448. Nausificus paedoris odor. *B. A.*

*NAUSIPHĀNES, is, m. *Ναυσιφάνης*, Teius, Democrati discipulus, Epicuri magister. *Cic. N. D.* 1, 26. ℙ Pyrrhonis auditorem vocat *Sext. Empir. adv. math. in.* V. *Laert.* 9, 69. et *Menag.* ad *Laert.* 10, 8. *B. A.*

*NAUSIPHŎUS, i, m. Ulyssis filius ex Circe. *Hyg. fab.* 125. *B. A.*

*NAUSTATHMOS vel Naustathmus, i, (*ναύσταθμος, ναύσταθμον*, portus,) Siciliae oppidum cum portu, medio inter Syracusas et Pachynum loco. *Plin.* 3, 8. ℙ Item portus Ioniae, juxta Phocaeam. *Liv.* 37, 31. *extr.* ℙ Et promontorium Cyrenaicae. *Mela* 1, 8. *B. A.*

NAUSTĪBŬLUM vocabant antiqui vas alvei simile: videlicet a navis similitudine. *Festus.* Putat autem *Scalig.* potius eo *ναύσταθμον*, h. e. navale, quasi navium stabulum, significari.

[NAUSUM, i, n. genus navigii Gallici. *Auson. ep.* 22. Ut nauso, aliave quavis navi usque ad oppidum praebita, frugis aliquantulum nostrae advehi possit; et *mox in carm.* Ut inde nauso devehat. *F.*]

NAUTĀ, ae, m. *ναύτης*, quicumque in navi adhibetur, ut eam agat. V. NAVITA. *Caes. B. G.* 3, 9. Naves aedificari in flumine Ligeri, remiges ex Provincia institui, nautas, gubernatoresque comparari jubet. *Id. B. C.* 3, 8. Eodem igne nautas, dominosque navium interfecit. *Cic. Fam.* 16, 9. *f.* Solent nautae festinare quaestus sui causa. *Hor. Sat.* 1, 1, 30. nautaeque, per omne Audaces mare qui currunt. *Ov. A. Am.* 1, 723. Candidus in nauta turpis color: aequoris unda Debet, et a radiis sideris esse niger.

NAUTĀLIS, e, adj. ad nautam pertinens. *Auson. Idyll.* 10, 223. Reddit nautales vitreo sub gurgite formas.

NAUTĒA, ae, f. *Opilius Aurelius* ap. *Fest.* dicit esse herbam granis nigris, qua coriarii utuntur. Ejus videri a nausea ductum nomen, quia nauseam facit. *Labeo* in *comment. jur. pontif.* ap. *eund.* ait esse rubidum quiddam, quo pontificum vestimenta quaedam colorant. *Non.* 1, 25. Nautea, inquit, est aqua de coriis, vel, quod est verius, aqua de sentina. *Pl. As.* 5, 2, 44. nauteam Bibere malim, si necessum est, quam illanc oculari er. *Id. Curc.* 1, 2, 5. omnium unguentum odor prae tuo nautea est. *Id. Cas. f.* hircus unctus nautea. ℙ Videtur etiam idem esse quod nausea, quae Graece *ναυτία*. *Paulus* in *Artemone* ap. *Fest.* Unguentum, quod naribus mulionum nauteam fecisset.

[NAUTICĀRIUS, ii, m. idem ac navicularius. *Inscr.* ap. *Fea, Fast. cons. n.* 40. L. Hortensius Gallus Quin*Quennalis* nauticariorum. *F.*]

NAUTĬCUS, a, um, adj. *ναυτικός*, ad nautas pertinens, et ad naves agendas, et ad rem navalem administrandam. *Cic. Att.* 13, 21. Inhibere est verbum totum nauticum. *Virg. A.* 3, 128. Nauticus exoritur vario certamine clamor; et *Ecl.* 4, 38. nec nautica pinus Mutabit merces. *Hirt. B. Alex.* 12. Nautici homines. *Auson. Idyll.* 10, 228. Nautica pubes. *Caes. B. G.* 3, 8. et *Cic. N. D.* 2, 60. Scientia et usus nauticarum rerum. *Id. Manil.* 18. *extr.* Locus exuviis nauticis, et classium spoliis ornatus. *Modest. Dig.* 22, 2, 3. et *Scaevola ib.* 45, 1, 122. Nautica pecunia, *h. e.* quae maritimo fenore occupatur. *Plin.* 22, 25, 68. Panis nauticus. *Nep. Alc.* 8. Castra nautica juxta hostes habere, *h. e.* classem. ℙ *Nautici, orum,* omnes qui in navi inserviunt, nautae, remiges, gubernatores, navales socii, etc. *Liv.* 37, 28. Macrin nautici vocant. *Id.* 28, 7. Philippus supervenit, tumultumque etiam ex terra nauticis praebuit. *Id.* 41, 3. Nautici tabernacula detendunt, commeatumque in litore expositum in naves rapiunt. *Plin.* 16, 37, 70. Velificant in Pado nautici.

NAUTĬLUS, i, m. *ναυτίλος*, piscis genus, qui navis ritu velis actae, per summa aequora fertur: quod graphice describit *Plin.* 9, 29, 47. V. NAVIGER.

NAUTĬORUM familia a Trojanis dicitur oriunda, inquit *Festus:* nempe a Naute Trojano, cujus meminit *Virg. A.* 5, 704. et 728., ubi *Serv.* addit (et *Fest.* confirmat), hunc fuisse, qui Romam Palladium detulit: unde Nautiorum familia Minervae sacra retinebat: quod et Varro docuit in lib. de Fam. Rom. Quare et ipsa Minerva *Dea Nautia* vocabatur.

*NAUTĬUS, i, m. nomen propr. virorum R. ut Nautius Rutilus, de quo *Liv.* 4, 35. et 44. cet. ℙ V. NAUTIORUM, quae vox, suo ordine, post NAUTĬLUS poni debet. *B. A.*

NĀVUS, a, um, adj. *σπουδαῖος, ἐνεργὴς*, celer ac strenuus, industrius, diligens, attentus, actuosus. A navium velocitate dictum *Festus* putat. Pro eo et *gnavus* dicitur: cui *ignavus* opponitur. [*V. quae in GNAVUS de etymo vocis ex *Doederl.* notavimus.] *Cic. Verr.* 2, 3, 21. Homo navus et industrius; et *ib.* 51. Magni et navi aratores; et *ib.* 69. Navus, et prudens, et probus filius. *Vell.* 2, 105. Vir navus, agilis, providus. *Colum.* 11, 1. *med.* In agresti negotio dici vix potest, quid navus operarius ignavo et cessatore praestet. *Id.* 7, 9. Sit autem (*custos porcorum*) vigilans, impiger, industrius, navus: omnium, quas pascit, et matricum et juniorum meminisse debet, ut, etc. Alii legebant: *navus omnium, quas pascit: et matricum*, etc., et v. *navus* in *gnarus* mutari volebant. *Sil.* 1, 549. Nava rudimenta, et primos in Marte labores. *Vell.* 2, 120. Nava virilisque opera. *Sil.* 7, 349. stimulatque ruentes Navus abire timor, *h. e.* qui navos et celeres facit, quia pedibus timor addidit alas, ut ait *Virg. A.* 8, 224.

NAXĬUM, ii, n. Ap. *Plin.* 36, 7, 10. naxia vocantur cotes in insula Cypro genitae, sed a Naxo Cretae oppido, ut constat ex *Suida*, ubi eas cinnari mos erat, Romam advectae, ad marmora polienda, et scalpendas atque limandas gemmas accommodatae. Adde 37, 8, 32.

NAXĬUS, a, um, adj. ad Naxum insulam spectans. *Prop.* 3, 15, 28. Unde tuum potant Naxia turba merum. ℙ *Naxius ardor* a *Colum.* 10, 52. dicitur sidus coronae Ariadnes. Est enim in fabulis, Ariadnem in Naxo insula Baccho nupsisse, coronamque ejus, quam a Venere dono acceperat, inter sidera ab eodem Baccho relatam. Alii leg. *noxius:* al. rectius *Gnosius.* ℙ *Naxius juncus*, qui in ea insula nascitur. *Plin.* 21, 18, 69. ℙ Item *Naxii, orum*, incolae Naxi, Siciliae urbis, nunc *Schiso*, ex cujus ruinis postea haud procul crevit Tauromenium, nunc *Taormina. Plin.* 3, 8, 14. ℙ Item *Naxius, a, um*, ad Naxum pertinens, Cretae insulae urbem. *Id.* 36, 22, 47. Naxiae cotes. V. NAXIUM.

NAXOS seu Naxus, i, f. *Nicsia*, *Νάξος*, insula maris Aegaei, una Cycladum, cum urbe cognom., vino, et marmore serpentino, et fontibus celebris. *Plin.* 4, 12, 22. ℙ De Naxo Siciliae oppido V. NAXIUS. ℙ De altero Naxo Cretae oppido V. NAXIUS.

NAZARĒNUS, a, um, et
NAZARĒUS, a, um, et
[NAZĀRUS, a, um, adj. *Ναζαρᾶος*, ad Nazareth, vel Nazaram pertinens, quae est urbs Galilaeae, in qua conceptus est IESUS CHRISTUS, et post reditum ex Aegypto, diu habitavit. Unde *Nazarenus* dictus est, et *Nazareni* Christiani. *Prud. Cath.* 7, 1. O Nazarene, lux Bethleem, verbum Patris. *Id. περὶ στεφ.* 10, 45. Ni disciplinam Nazarenam respuat. *Id. in Sym.* 1, 550. Ad sincera virum penetralia Nazareorum. Hic licenter *Nazareorum* pro *Nazaraeorum* scribitur ob metri necessitatem. *Juvenc.* 3, 29. Nazara sic plebes. ℙ *Nazara, ae*, f. absolute pro Nazareth. *Id.* 2, 107. Nazara cui felix patria est, et nomen Iesus. *F.*]

*NAZERĪNI, orum, populi Syriae, in Seleucide. *Plin.* 5, 23. *B. A.*

NE

NĒ, *μὴ*, adverbium est, ut *Quint.* 1, 5. *med.* vocat, frequentissimi usus, inserviens ad vetandum, vel dehortandum: et subjunctivum fere postulat. *Ter. Eun.* 2, 3, 96. si certum est facere, facias: verum ne post conferas Culpam in me. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Ut quot vellet, praefecturas sumeret, dum ne negotiarentur. *Liv.* 28, 39. *f.* Muneris ergo in singulos dari ne minus dena millia aeris; et 38, 24. Quo duo, ne plus, necessarii captivae venirent. Al. leg. *nec. Ter. Ph.* 1, 3, 5. quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset. ℙ Ne vivam: formula jurandi. *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Quid poteris, inquies, pro iis dicere? ne vivam, si scio. Sic *ib.* 16, 13. Ne sim salvus, si aliter scribo, ac sentio. ℙ Habet post se et imperativum, praesertim apud poetas, item in formulis praeceptorum, aut legum. *Cic. Leg.* 2, 9. *med.* Impius ne audeto placare donis iram Deum; et *ib.* 22. Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito. *Plin.* 18, 35, 76. Frondem media die ne caedito; et *ib.* 34, 77. *n.* 1. Semen ne jacito. *Virg. A.* 6, 833. Ne, pueri, ne tanta animis assuescite bella. *Stat. Th.* 4, 512. Ne tenues annos, nubemque hanc frontis opacae Spernite, ne, moneo. *Pl. Pers.* 4, 3, 20. Abi, ne jura: satis creado. *Ter. Eun.* 1, 2, 15. Ne crucia te, obsecro. *Id. Andr.* 5, 2, 27. ah ne saevi tantopere. ℙ Inservit etiam deprecando, aut detestando. *Liv.* 4, 2. et 28, 28. Ne id Juppiter opt. max. sineret, regiae majestatis imperium eo recidere. *Curt.* 4, 10. *extr.* Precor, ne quis rex Asiae sit, quam iste, etc. ℙ Saepe est conjunctio finalis, et valet ut non, quominus, *ἵνα μή*. *Cic. Fam.* 4, 7. Neque tu multum interfuisti rebus gerendis, et ego id semper egi, ne interessem. *Id. Off.* 3, 27. Sententiam ne diceret, recusavit; et *Verr.* 2, 4, 66. Ne tamen istum omnino sine amicis, plane nudum esse ac desertum putetis, retinere coepit tabulas Theomnastus quidam. *Id. Fl.* 9. Ne corrumpi tabulae facile possint, idcirco lex obsignatas in publico poni voluit. *Id. Fam* 15, 14. Considera, ne in alienissimum tempus cadat adventus tuus. *Liv.* 1, 2. *med.* Aeneas, adversus tanti belli terrorem ut animos Aboriginum sibi conciliaret, ne sub eodem jure solum, sed etiam nomine omnes essent, Latinos utramque gentem appellavit. *Cic. Att.* 12, 18. Coccejus, vide, ne frustretur. *Caes. B. G.* 1, 20. Caesarem complexus obsecrare coepit, ne quid gravius in fratrem statueret. ℙ *Sic ne* est ita ut non. *Colum.* 4, 29. *med.* Terebram longe habiliorem comperimus: nam sic excavat truncum, ne foramen inurat. ℙ *Ne nisi*, ut non nisi. *Cels.* 4, 4. *n.* 2. Cum accessit id quoque, ne, nisi recta cervice, spiritus trahatur, *ὀρθόπνοια* appellatur. ℙ Interdum *ne* ponitur pro *ut*, sequente particula negativa. *Cic. Fam.* 9, 26. *f.* Quotidie aliquid legitur, aut scribitur: dein ne amicis nihil tribuamus, epulamur una, *h. e.* ut aliquid amicis tribuamus. ℙ *Ne dicam*, ut non dicam, correctio nolentis gravius dicere, dicentis tamen. *Cic. Dejot.* 1. Crudelem Castorem, ne dicam sceleratum, et impium. Alii leg. *Crudelis Castor, ne*, etc. *Id. Fam.* 12, 30. Non esse me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut, etc. *Ov. Her.* 16, 285. Ah nimium simplex, Helene, ne, rustica, dicam. ℙ *Ne multis, ne pluribus, ne longum sit, ne te diutius teneam* formulae sunt, quibus brevitatem sermonis pollicemur. V. ss. ll. ℙ Post verba timendi, cum conjunctivo, locum habet in iis, quae fieri nollemus: nam in iis, quae vellemus, *ut* ponitur. *Ter. Andr.* 1, 1, 46. vereor, ne quid Andria apportet mali. *Cic. Mil.* 21. *f.* Cur igitur eos manumisit? metuebat scilicet, ne indicarent. *Id. Mur.* 41. Mater cruciatur, et sollicita est, ne filium spoliatum omni dignitate conspiciat. *Id. Att.* 5, 21. Hic, ne quid mihi prorogetur, horreo. *Balb.* ad *Cic. post. ep.* 13. *l.* 9. *ad Att.* Quomodo me nunc putas torqueri, ne qua res eorum compositionem impediat? *Liv.* 24, 42. Pavor ceperat milites, ne mortiferum esset vulnus. *Nep. Alc.* 8. *f.* Periculum est, ne occasio detur Lysandro nostri opprimendi exercitus. ℙ In iis quae vellemus, *ut* pro *ne* ponitur. *Ter. Andr.* 2, 2, 12. Id paves, ne ducas tu illam, tu autem ut ducas. *Id. Ph.* 5, 7, 72. vereor, ut placari possit. *Cic. Fam.* 12, 19. Non dubitabam, quin meas litteras libenter lecturus esses: verebar, ut redderentur. Est qui legit *ne*, sed invitis criticis, et lib. meliorib. *Id. Marcell.* 4. Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, etc. Al. leg. *non perinde*: al. *vereor ne:* sed prior lectio firmatur etiam auctoritate *Ascon.* in *Div. Verr.* 5. ℙ Reperiri tamen videtur positum *ne* etiam in iis, quae vellemus. *Cic. Fam.* 6, 1. *med.* Tamen vereor, ne consolatio ulla possit vera reperiri. Ita libri omnes, quos *Manut.* vidit, et *Graev.* Ille tamen, et *Camerar.* mallent *nulla:* vel *vereor ut ulla:* quod *Lambin.* in quibusdam lib. se reperisse ait. *Stewechius* affert et illud *Att.* 6, 4. Vereor, ne satis diligenter actum in senatu sit de litteris meis. Sed probatae quaeque editiones habent *ut satis.* ℙ *Ne non* est *ut non*, cum iisdem verbis timendi, in iis, quae vellemus. *Cic. Att.* 9, 6. *med.* Timeo, ne non impetrem; et *ib.* 7, 12. Vereor, ne exercitum firmum habere non possit; et *ib.* 5, 18. Unum vereor, ne senatus Pompejum nolit dimittere. *Id. Tusc.* 1, 31. Tantum abest, ut malum mors sit, ut verear, ne homini nihil sit non malum aliud certe, sed nihil bonum aliud potius. ℙ Et cum verbis alius generis. *Id. Att.* 12, 18. Tibi ad me venire, vide, ne non sit facile: est enim longum iter. ℙ Si negans particula ipsi verbo praeponatur, omnem timorem aut dubitationem excludit. *Cic. Fam.* 2, 7. Non vereor, ne quid temere, ne quid stulte facias; et *Verr.* 2, 5, 67. Timere non debeo, ne non iste

illa cruce dignus judicetur. ℙ Interdum pro *ne* dicimus *ut ne:* et v. *ut* redundat: vel *ne* valet *non.* [*Docet *Zumpt. Gr. Lat.* §. 347. p. 301. formulam *ut ne* parum diversam a simpl. *ne*, (*Ramsh. Gr. Lat.* §. 182. p. 754. a. *ut ne* tum poni demonstrat, cum non tota enuntiatio, sed singulum aliquod dictum sensu prohibitivo accipiatur): imprimis solenni sermonis generi, ut legibus, adhiberi; maxime quidem ap. *Cic.*, sed minus frequenter ap. sequiores, ita ut *Liv.* nonnisi duobus locis, *Val. Max.* nusquam usurpaverit. Coll. *Drakenb.* ad *Liv.* 10, 27.] *Cic. Off.* 1, 7. Primum justitiae munus est, ut ne cui quis noceat. *Id. Amic.* 21. Omnium horum incommodorum una cautio est, ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve indignos. *Id. in Sen.* 5. Legem tribunus pleb. tulit, ut lex Aelia et Fufia *ne* valerent. ℙ *Ne* pro *non* est etiam in illo *Ennii* ap. *Auct. ad Her.* 2, 22. Utinam ne in nemore Pelio securibus Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes; et *Catull.* 64, 82. potius quam talia Cretam Funera Cecropiae ne funera portarentur. (Simili sententia *Manil.* 5, 548. Virginis et vivae rapitur sine funere funus); et *Pl. Trin.* 2, 2, 85. Eo ne multa, quae nevolt, eveniunt, nisi fictor malus est. *Id. Rud.* 3, 4, 25. Ita hinc ego te ornatum amittam, tu ipsus te ut non noveris: Vos adeo, ubi ego innuero vobis, si ne ei caput exoculassitis, Vos virgis circumvinciam. Etiam *nec* hac ratione usurpatur. [*Ne* pro *non* et vice versa *non* pro *ne* poni eodem prorsus nullo modo fieri posse videtur, quo Gr. μὴ et οὐ nusquam promiscue usurpantur: *ne* enim semper vim vetandi, prohibendi, *non* negandi servat. V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 173. p. 692. †] ℙ Saepe vim habet v. *neque*, sequente *quidem*, cum negando aliquid augemus: ita tamen, ut semper verbum aliquod interponatur. *Cic. Tusc.* 5, 6. *med.* Maris tranquillitas intelligitur, nulla ne minima quidem aura fluctus commovente. *Id. Mil.* 29. Non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum, etc. *Id. Verr.* 2, 1, 60. Non enim praetereundum est ne id quidem. *Liv.* 29, 2. Neque enim ne ipsius quidem regis abhorrebat animus. *Cic. Verr.* 2, 4, 1. Nihil in aedibus cujusquam, ne in oppidis quidem: nihil in locis communibus, ne in fanis quidem istum reliquisse. *Caes. B. G.* 7, 47. Matresfamilias obtestabantur Romanos, ut sibi parcerent, neu, sicut Avarici fecissent, ne mulieribus quidem, atque infantibus abstinerent. *Cic. Caecin.* 25. *f.* Qui ausus est dicere, fecisse videri eum, de quo ne cujus rei argueretur quidem, scire potuisset. *Colum.* 7, 12. de cane villatico: Ut ne visus quidem, horribili fremitu suo fuget insidiantem. ℙ Sequuntur *ne quidem* eleganter aliae particulae. *Cic. Div.* 2, 55. Nunquam ne mediocri quidem cuiquam, non modo prudenti, probata sunt. *Id. Phil.* 1, 7. Chirographis ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis. *Liv.* 3, 10. *med.* Jam ne virtute quidem premi libertatem populi, sed arte eludi. *Cic. Fam.* 9, 8. Munus flagitare ne populus quidem solet, nisi concitatus. *Id. Mil.* 1. Ne non timere quidem sine aliquo timore possimus, *h. e.* ne esse quidem possimus sine timore aliquo. ℙ Qui docent, *ne quidem* etiam nullo interjecto verbo usurpari, afferunt loca *Cic. N. D.* 1, 24., *Phil.* 5, 9., *Att.* 2, 16. *f.*, *Caecin.* 13. et *Tusc.* 3, 33., item *Liv.* 38, 25. *f.* Verum omnium horum locorum ne unus quidem est, qui certo rem conficiat, si probatos libros consulas. ℙ Interdum *quidem* subticetur. *Cic. Cat.* 2, 4. *f.* Non modo Romae, sed ne ullo in angulo totius Italiae. Alii leg. *nec.* [*Ita *Orell.*] *Pompej.* ad *Domit.* 3. *extr. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Quod inter se ne noti sunt. Al. leg. *ne noti quidem:* al. *nec noti. Petr. Sat.* 9. Cujus ne spiritus purus est. *Liv.* 44, 36. Neque enim ne his cunctationem aperuerat suam. *Suet. Aug.* 35. Ne admissum tum quemquam senatorem, nisi, etc. Al. leg. *ne admissum quidem. Petr. fragm. Trag.* 47. *Burm.* Hoc solum vetare ne Jovis potest. Al. leg. *nec. Colum.* 8, 11. Sed ne haec tamen aliena est agricolae. *Just.* 38, 7. *f.* Justitiae atque liberalitatis suae ne ipsos milites testes refugere. Al. leg. *nec.* ℙ In concessionibus. *Cic. Or.* 29. Nemo is, inquies, unquam fuit. Ne fuerit: ego enim, etc. (Adde *Acad.* 4, 26. et 32.) *Liv.* 31, 7. Ne aequaveritis Annibali Philippum, ne Carthaginiensibus Macedonas: Pyrrho certe aequabitis. ℙ Pro *nedum. Liv.* 3, 52. *f.* Novam, inexpertamque eam potestatem eripuere patribus nostris: ne nunc, dulcedine semel capti, ferant desiderium. *Sall. Cat.* 11. *extr.* Secundae res sapientium animos fatigant: ne illi corruptis moribus victoriae temperarent. [*Kritz. *nedum* leg. auctoritate *Prisc.*, qui in *lib.* de XII. verss. *Aen.* c. X, 181. p. 342. *ed. Kr.* de vario usu et significatione *dum* particulae agens, nostrum locum affert.] *Cic. Fam.* 9, 26. Me vero nihil istorum ne juvenem quidem movit unquam: ne nunc senem. [*Simplex *ne* pro *nedum* dici, *Cort.* demonstravit ad *Sall. l. l. Gronov.* ad *Liv. l. l.* et ad *Pl. Cas.* 5, 4, 23. *Ramsh.* in *Gr. Lat.* §. 173, I. *n.* 2. p. 485.] ℙ Pro *etiam si non. Cic. Tusc.* 4, 17. Nec porro malum, quo aut oppressus jaceas, aut ne opprimare, mente vix constes. ℙ Pro *dummodo non. Sall. Cat.* 55. Sint sane liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerarii; ne illis sanguinem nostrum largiantur, et dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant. *Liv.* 36, 1. Permissum, ut, si res postulasset, auxilia ab sociis, ne supra quinque millium numerum acciperet. *Cic. Leg.* 2, 26. *extr.* Super terrae tumulum noluit quid statui, nisi columellam, tribus cubitis ne altiorem, aut mensam, aut labellum. ℙ Pro *nae*, profecto, sane, νή. V. NAE.

NĔ, particula enclitica, interrogationi serviens, et vim habens v. an, utrum, num. Semper autem alicui verbo postponitur. *Cic. Pis.* 1. Jamne vides, bellua, jamne sentis, quae sit hominum querela frontis tuae? *Id. Q. Fr.* 1, 3. Tune id veritus es, ne ego, etc.? *Id. Fam.* 2, 11. Putaresne, unquam accidere posse, ut, etc.? *Ter. Andr.* 2, 1, 1. Daturne illa hodie Pamphilo nuptum? *Pl. Bacch.* 2, 3, 22. *Chry.* Scelestiorem nullum illuxere alterum. *Ni.* Quamne Archidemidem? *Chry.* quam, inquam, Archidemidem. *Virg. A.* 4, 538. quiane auxilio juvat ante levatos, Et bene apud memores veteris stat gratia facti? ℙ Item dubitationi. *Cato R. R.* 1. Ad villam cum venies, videto vasa, torcula, et dolia multane sient. Ubi non erunt, scito, pro ratione fructuum esse. *Cic. Att.* 12, 24. Publilius iturusne sit in Africam, et quando, ex Aledio scire poteris; et *Acad.* 1, 12. Ut videamus, satisne ista sit justa defectio. *Id. N. D.* 1, 22. Quaeritur, sintne Dii, nec ne; et *ib.* 29. Quid si etiam falsum illud omnino est? tamenne ista jam absurda defendes? et *Rosc. Am.* 15. Quid, si constat, hunc non modo colendis praediis praefuisse, sed certis fundis, patre vivo, frui solitum esse? tamenne haec attenta vita et rusticana, amandatio appellabitur? ℙ Cum plura sunt interrogationis, aut dubitationis membra, post *ne* sequitur *an. Cic. Att.* 16, 8. *extr.* Romamne venio, an hic maneo, an Arpinum fugiam? *Id. Off.* 1, 3. Honestumne factu sit, an turpe, dubitant. *Id. Cluent.* 34. *med.* Quid? conferam Sullamne cum Junio? an hunc tribunum plebis cum Quintio? an vero tempus cum tempore? ℙ Interdum *ne* ipsum repetitur, apud poetas. *Tibull.* 4, 5, 20. quid refert, clamne, palamne roget? *Virg. A.* 11, 126. Justitiaene prius mirer, belline laborum? *Ov. Met.* 13, 912. monstrumne, Deusne Ille sit, ignorans. [*Zumpt. *Gr. Lat.* §. 554. p. 447. *ne ne* nonnisi ap. poetas et minus bonos prosae orationis scriptores usurpari docet. At locus est ap. *Caes. B. G.* 7, 14. ipsosne interficiant, impedimentisne exuant: quem citat *Ramsh. Gr. L.* §. 174. III. p. 718. ubi demonstrat, *ne ne* et *an an* non opposita interrogandi genera significare, sed esse repetitiones ejusdem particulae in diversis interrogationibus.] ℙ Aliquando vocalis *e* per apostrophum abjicitur. *Virg. A.* 3, 319. Hectoris, Andromache, Pyrrhin' connubia servas? *Ter. Eun.* 5, 6, 22. pro Eunuchon'? et 2, 3, 88. pergin'? *h. e.* pergisne? ℙ Reperitur etiam in principio positum. *Liv.* 40, 49. Quaesivit ab eo, ne sibi liceret ac suis vivere? cum praetor victurum respondisset, quaesivit iterum, si cum Romanis militare liceret? *Sigon.* et *Gronov.* mutant ex conjectura. Huic affine videtur esse illud *Cic. Tusc.* 5, 15. *med.* Videamus, ne, ut acervus ex sui generis granis, sic beata vita ex sui similibus partibus effici debeat. Quod si ita est, ex bonis, quae sola honesta sunt, efficiendum est beatum, *h. e.* an effici debeat: quod postea *Cic.* concedit. Sunt qui huc pertinere putant etiam haec: *Varr. R. R.* 2, 9. *extr.* Cum circumspiceret Atticus, ne quid praeterisset; et *Colum.* 8, 5. *med.* Singuli pulli tentandi, ne quid hesterni habeant in gutture; et *Pall.* 1, 39. Speculemur, ne omne januas suas egrediatur examen: hoc enim signo fugam meditantur assumere; et *Calpurn. Ecl.* 5, 72. Sed tibi cum vacuas posito velamine costas Denudabit ovis, circumspice, ne sit acuta Forfice laesa cutis, tacitum ne pustula virus Texerit occulto sub vulnere. His locis *ne* et in principio collocatum est, et pro *an* poni videtur: neque corrumperetur sententia, si hoc pro illo substitueretur. Nihilominus non est dubitativum, sed negativum, tum quia ellipsis est in his, et similibus loquendi formis, quod scilicet cum integrum sit *an*, *necne*, secundum exprimitur, prius reticetur: tum quia quod post *ne* subjicitur, semper est aliquid, quod respuitur. Recte itaque *Calpurn. l. c.* produxit, cum, si dubitativum esset, corripere debuisset. ℙ Aliquando omittitur. *Cic. Off.* 1, 9. *f.* Vetant, quidquam agere, quod dubites, aequum sit, an iniquum. *Plin. ep.* 7, 27. Velim scire, esse aliquid phantasmata putes, an inania et vana ex metu nostro imaginem accipere. ℙ Interdum subjicitur pro *an. Liv.* 5, 28. Ut in incerto fuerit, vicissent, victine essent. *Nep. Att.* 9. Experiri voluit, verum, falsumne esset relatum. *Id. Iphicr.* 3. Cum interrogaretur, utrum pluris patrem, matremne faceret. *Hor. Ep.* 1, 11, 3. Smyrna quid, et Colophon? majora, minorane fama? ℙ Nonnunquam in interrogatione redundat. *Hor. Sat.* 2, 2, 107. uterne Ad casus dubios fidet sibi certius? et *ib.* 3, 295. Quone malo mentem concussa? timore Deorum. Adde *ib.* 317. quantane? *Anne* quoque hujus generis est: de quo V. in AN. ℙ *Prisc.* 16, 1032. docet, aliquando *ne* nec interrogativam, nec dubitativam esse, sed confirmativam pro *utique.* Affert autem illud *Hor. Sat.* 1, 10, 21. o seri studiorum, quine putetis Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti Contigit! (Alii leg. *o seri studiorum! quine putetis Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti Contigit? h. e.* vosne estis, qui putetis, etc.? vel, ergone vos putatis, etc.? et simile est illi *Catull.* 64, 180. An patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui, Respersum juvenem fraterna caede secuta? Conjugis an fido consoler memet amore? Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?) Item illud *Sat.* 2, 3, 97. Clarus erit, fortis, justus, sapiensne etiam, et rex (Alii leg. *sapiensne? etiam et rex:* alii omittunt *ne*). Item illud *Ter. Andr.* 5, 3, 14. Nuncne demum istud verbum in te incidit. (Libri omnes nunc hab. *Eodem die istuc verbum vere in te accidit);* et *Virg. A.* 10, 847. Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas, Ut pro me hostili paterer succumbere dextrae Quem genui. Al. omnes interrogationis notam appingunt: et vero sententia postulat.

[NĔĀ, ae, f. νέα, nova, recens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1439, 4. Aurelia Nea. *F.*] ℙ *Nea, ae, (νέα, i. e. nova,) f. insula maris Aegaei, et regione sinus Thermaici. *Plin.* 4, 12. ℙ Nea vel Nee, oppidum Troadis. *Plin.* 2, 96. ℙ *Nea Paphos* oppidum fuit in Cypro insula. *Plin.* 5, 31. ed. *Hard. B. A.*

NĔAERĀ, ae, f. Νέαιρα, nomen Nymphae, seu puellae cujuslibet: est a νεαρὸς, recens, juvenis. Ita appellarunt amicam *Tibull.* 3, 1, 6. et alibi, *Hor. Od.* 3, 14, 21. et *Virg. Ecl.* 3, 3. *Prud.* vero περὶ στεφ. 10, 240. sic vocat Iolen Herculis amicam, et *in Sym.* 1, 139. Ariadnen Bacchi.

*NEAETHUS, i, m. Νέαιθος, fluvius Calabriae, in Bruttiis, hodie *Nieto. Ov. Met.* 15, 51. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

*NEALCES, is, Νεάλκης, insignis pictor, de quo *Plin.* 35, 10. et 11. *B. A.*

*NEANDROS, i, Troadis oppidum, postea Perperenne nominatum. *Plin.* 5, 30. ℙ Νεανδρία est *Straboni*, Νεανδρεία autem *Scylaci* et *Steph. Byz. B. A.*

*NEANICOLŌGUS. V. v. sq. *B. A.*

[NĔĀNISCOLŌGUS, i, m. vox composita a νεανίσκος, juvenis, et λόγος, sermo. *Vet. Schol.* ad illud *Juven.* 8, 190. Planipedes audit Fabios; haec adnotat: Nobiles neaniscologos. *F.*] *Cf. *Salm. de Pallio*, p. 335. qui *Neanicologos* legit. *B. A.*

NĔĀPŌLIS, is, f. Νεάπολις, h. e. nova urbs: a νέος, novus, et πόλις, urbs. Nomen est aliquot oppidorum in Campania, Galatia, Thracia, Africa, Samaria, et alibi. Celeberrima est, quae in Campania, alio nomine Parthenope, nunc *Napoli*, maritima, ampla, frequens, amoena, regni caput. *Plin.* 3, 5, 9. etc. *Mart.* 5, 78. Et quas docta Neapolis creavit, Lento castaneae vapore tostae. *Doctam* dicit, quia olim studia litterarum in ea maxime floruerunt: unde *Sil.* 12, 31. dicitur hospita Musis. ℙ *Neapolis urbs in Macedonia, adjecta olim Thraciae, inter Strymonem Nessumque flumina. *Plin.* 4, 11. ℙ Neapolis, oppidum Sardiniae. *Anton. Itin.* ℙ Aliud, in Caria. *Mela* 1, 16. ℙ Aliud, in Samaria, olim Sichem et Mamortha dictum. *Plin.* 5, 13. ℙ In Africa Propria aliud, in Zeugitana, medio inter Clupeam et Aphrodisium loco. *Plin.* 5, 4. *Mela* 1, 7. *Auct. B. Afr.* 2. ℙ Aliud in Africa, ad Syrtim majorem, hodie *Tripoli. Plin.* 5, 4. ℙ Porro Neapolis pars Syracusarum dicta est novissima. *Cic. Verr.* 2, 2, 53. *Liv.* 25, 25. ℙ Neapolis, oppidum Pisidiae, vel, ut alii volunt, Galatiae. V. NEAPOLITANUS in f. *B. A.*

NĔĀPŌLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Neapolin pertinens, ut Neapolitanus ager, *Plin.* 17, 17, 26. Neapolitana mala cotonea, *Id.* 15, 11, 10. Neapolitanae piscinae, *Varr.* ap. *Non.* 15, 5. ℙ *Neapolitani, orum*, Neapolis incolae. *Cic. Fam.* 13, 30. ℙ *Item Neapolis Pisidiae vel Galatiae oppidi incolae. *Plin.* 5, 32. ℙ Item Neapolis Sardiniae oppidi incolae. *Plin.* 3, 7. *B. A.*

NĔĀPŌLĪTIS, is, f. Neapolitana. *Afran.* ap. *Non.* 4, 226. Meretrix Neapolitis.

*NEARCHUS, i, m. Νέαρχος, Alexandri navium gubernator, cum eo militavit, ac de verbis ab eo gestis scripsit historiam. *Plin.* 6, 23. *Curt.* 9, 10. *in.* V. *Voss. de Hist. Graec.* 1, 10. p. 60. qui hunc esse illum censet Nearchum, cui post Alexandri obitum Lyciae et Pamphyliae praefectura obtigit, ut scribit *Justin.* 13, 4. ℙ Nearchi cujusdam Tarentini mentio fit ap. *Cic. Sen.* 12. ℙ Nearchus, juvenis eximiae pulcritudinis, cujus meminit *Hor. Od.* 3, 20, 6. *B. A.*

*NEBIODUNUM, i, n. pro *Noviodunum*, oppidum Moesiae inferioris. *Cod. Theod.* 10, 21, 1. ubi genitivus *Nebioduni* occurrit. Ed. *Ritt.* habet *Nebiodumi.* Al. leg. *Novioduni. B. A.*

*NEBIS, fluvius Hispaniae Tarraconensis. *Mela* 3, 1. *med. B. A.*

[NEBRĬDAE, arum, m. plur. *νεβριζόμενοι*, nebride tecti, Cereris ministri in sacris Eleusinis, ita appellati, quia hinnulea pellicula cingebantur. *Arnob.* 5, 185. Nonne Ceres oras ut venit Atticas, nebridarum familiam pellicula cohonestavit hinnulae? V. *Orellii* adnot. ad *l. c. F.*]

NEBRIS, idis, f. *νεβρίς*, pellis hinnuli, h. e. pulli cervini, item damae: quam gestare solebat Bacchus, et qui Bacchi orgia celebrabant: a *νεβρός*, pullus cervi: item dama, ut in *Gloss. Philox.* habetur. Ratio, cur in orgiis hujusmodi pelles gestarentur, esse potest, quia per silvas montesque discurrere mos erat, atque in iis etiam aliquando pernoctare. Cervinas itaque pelles adhibebant, quia, ut *Plin.* docet 28, 9, 42., substratae securos praestant somnos a morsu serpentum. *Stat. Th.* 2, 664. Nebridas, et fragiles thyrsos portare putastis Imbellem ad sonitum. *Id. Achill.* 1, 609. a tereti demisit nebrida collo, Errantesque sinus hedera collegit. *Claud. IV. cons. Honor.* 605. Talis Erythraeis intextus nebrida gemmis Liber agit currus. ℙ Etiam venantes nebride uti consuevisse, docet *Serv.* ad illud *Virg. G.* 4, 342. Ambae auro, pictis incinctae pellibus ambae. Et fortasse huc pertinent illa *ejusd. A.* 1, 279. Inde lupae fulvo nutricis tegmine laetus Romulus; et 327. Succinctam pharetra, et maculosae tegmine lyncis: ut nebris non de sola cervina, sed de quacumque ferarum pelle, quae amiculum praebeat, dicatur. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 476, 8. C. Turcio C. F. Pom. Nebro Allidia C. L. Nebris mater filio piissimo fecit.

*NEBRISSA, ae, f. *Νέβρισσα*, oppidum Hispaniae Baeticae, ad Baetis fluvii ostium, medio inter Hispalim et mare loco, hodie vero *Lebrixa. Plin.* 3, 1. *Sil.* 3, 393. ℙ *Veneria* est cognominatum, teste *Plin. l. c. B. A.*

NEBRITES, ae, m. *νεβρίτης*, gemmae species, Libero Patri sacra: a nebridum pellium similitudine, quibus in Liberi sacris utebantur. *Plin.* 37, 10, 64. *Ed. *Hard.* habet *nebritis. B. A.*

*NEBRODES, mons Siciliae. *Solin.* 5. *Sil.* 14, 237. *B. A.*

[NEBROPHŌNĒ, es, f. *νεβροφόνη*, et *F.*]

NEBROPHŌNOS, i, m. *νεβροφόνος*, quae, et qui cervos occidit: a *νεβρός*, pullus cervinus, et *φένω*, occido. Est nomen unius ex Dianae Nymphis ap. *Claud. Laud. Stil.* 3, 249. sequitur nutrita Lyceo Nebrophone. ℙ Item canis venatici ap. *Ov. Met.* 3, 211. Nebrophonosque valens.

NEBRUNDĪNES Lanuvini appellant testiculos, Praenestini nefrones, inquit *Fest.* in *Nefrendes.* Et in *Rien* docet: renes quoque ab antiquis dictos esse nefrundines: scilicet quia magna est renes inter et testiculos similitudo. Haec autem omnia sunt a *νεφρός*, qua voce tum testiculus, tum ren significatur.

[NEBRUS, i, m. *νεβρός*, pullus cervi. Est cogn. R. V. NEBRIS. *F.*]

NĔBŪLA, ae, f. *νεφέλη*, vapor e terra atque aquis surgens, qui vel statim evanescit, vel in altum sublatus convertitur in nubem: a Graeca voce allata. Differt a nube, quia ex ea nubes formatur: deinde nubes fere semper alta petit, nebula terram obsidet: haec rarior esse videtur, nubes densior: item nubes quocumque tempore fit, nebula nec aestate, inquit *Plin.* 2, 60, 61., nec maximo frigore exsistit. *Lucret.* 6, 475. fluviis ex omnibus, et simul ipsa Surgere de terra nebulas, aestumque videmus, Quae velut halitus, hinc ita sursum expressa feruntur, Suffunduntque sua coelum caligine, et altas Sufficiunt nubes paulatim conveniundo. *Virg. G.* 2, 217. Quae tenuem exhalat nebulam, fumosque volucres. *Id. A.* 8, 258. nebulaque ingens specus (*Caci*) aestuat atra. *Auct. B. Hisp.* 6. Incidit ut matutino tempore nebula esset crassissima. ℙ Interdum pro nube ponitur. Quam enim *Virg. A.* 1, 416. et 439. nebulam dixerat, qua Venus Aeneam circumdederat, ne conspiceretur; eandem *ib.* 584. et 591. nubem vocat. *Hor. Od.* 3, 3, 54. visere gestiens Qua parte debacchentur ignes, Qua nebulae, pluviique rores. ℙ De fumo ex igne. *Ov. Trist.* 5, 5, 31. Sensus inest igitur nebulis, quas exigit ignis. ℙ Translate. *Lucr.* 5, 253. terra multa pulsata pedum vi Pulveris exhalat nebulam. *Pers.* 5, 181. pinguem nebulam vomuere lucernae. *Sil.* 6, 281. de angue moriente: tandem exhalavit in auras Liventem nebulam fugientis ab ore veneni. *Ov. Fast.* 5, 269. Vina quoque in magnis operose condita cellis Florent, et nebulae dolia summa tegunt. ℙ De tenui veste et pellucida, quae male corpus tegit. *Laber.* ap. *Petr. Sat.* 55. *extr.* Aequum est, induere nuptam ventum textilem, Palam prostare nudam in nebula linea. Sic *Ov. Met.* 6, 20. repetitaque longo Vellera mollibat nebulas aequantia tractu. ℙ *Mart.* 8, 33. nebulam appellat tenuissimam bracteam. ℙ Refertur ad animum. *Juven.* 10, 2. pauci dignoscere possunt Vera bona, atque illis multum diversa, remota Erroris nebula. ℙ *Per nebulam* audire, aut scire aliquid. *Pl. Ps.* 1, 5, 47. Sunt quae te volumus percontari, quae quasi per nebulam nosmet scimus, atque audivimus. Adde *eund. Capt.* 5, 4, 26. Sic *Cic. Phil.* 12, 2. Quod videbam equidem, sed quasi per caliginem. ℙ *Nebula* de re specie magna, reapse levi. *Pers.* 5, 7. Grande locuturi nebulas Helicone legunto. ℙ *Nebulae cyathus* proverbiali locutione dicitur de re vilissima, ac nullius omnino pretii. *Pl. Poen.* 1, 2, 62. Simili ratione Itali dicunt *imbottar nebbia*, dare operam rei nullius pretii, atque adeo ipsam oleumque perdere. ℙ De re mollissima, et laevissima. *Pl. Cas.* 4, 4, 21. Nebula haud est mollis, atque cutis hujus est. ℙ *Stellis nebulam spargere candidis*, ap. *Hor. Od.* 3, 15, 6. allegoria est, qua significatur, vetulam deformem versari inter puellas nitidas ac formosas, et cum illis ludere. ℙ *Nebulae quaestionum* ap. *Gell.* 8, 10. *in lemmate* sunt ambages, praestigiae, offuciae, tricae quaestionibus propositae ad fallendum.

NĔBŪLO, as, a. 1. fuliginem offundo. *Tert. Apol.* 35. Clarissimis lucernis vestibula nebulabant. Alii rectius leg. *enubilabant.*

NĔBŪLO, onis, m. *οὐδενὸς ἄξιος, οὐτιδανός, πλάνος*, homo vanus, et nihili, ut nebula: item fallax, fraudulentus, et qui dolis et fallaciis quasi nebulam ac tenebras offundere conatur, ea tamen calliditate et versutia, ut facile deprehendas. *Festus:* Nebulo dictus est, ut ait Aelius Stilo, qui non pluris est, quam nebula, aut qui non facile perspici potest, qualis sit, nequam, nugator. *Donat.* ad illud *Ter. Eun.* 2, 2, 38. Nebulonem hunc certum est ludere: Vel furem, inquit, quia nebulas objiciat: vel mollem, ut nebulam: vel inanem et vanum, ut nebula est. *Non.* 1, 67. Nebulones et tenebriones dicti sunt, quia mendaciis et astutiis suis nebulam quandam et tenebras objiciant. *Gloss. Phil.* Nebulo, *μάλθων, ὁ τὰ ἴδια λάθρα καταφαγών, εἰκαῖος, λάθρα ἄσωτος, h. e.* mollis, qui bona sua clam comedit, futilis, occulte intemperans. *Charis.* 1, 25. Nebulo, *ακαιός, h. e.* tenebrosus, tectus. Hae sunt fere antiquorum de hujus vocis significatione sententiae. [**Doederl.* 1, 54. docet, *nebulo* ejusdem originis esse ac *nequam*, q. v. Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 104. qui *nebulo* pro *nevulo* ex *ne* (non) *valere* ortum dicit.] *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Lucifugus nebulo. *Id. ib.* Nugator quidam, ac nebulo sit maximu' multo. *Hor. Ep.* 1, 2, 27. Nos numerus sumus, et fruges consumere nati, Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoique In cute curanda plus aequo operata juventus. Sic *Ter. Eun.* 4, 7, 15. Sane quod tibi nunc vir videatur esse hic, nebulo magnus est. [**Pro* vulg. *Bentl.*, prob. *Ruhnk.*, e Mss. revocavit: qui tibi nunc vir videtur esse, hic nebulo magnus est.] *Cic. Rosc. Am.* 44. Nos ab isto nebulone facetius eludimur, quam putamus. *Hor. Sat.* 1, 1, 104. non ego, avarum Cum veto te fieri, vappam jubeo, ac nebulonem. Adde *ib.* 2, 12. ℙ Adjective *Gell.* 1, 2. Vulgus nebulonum hominum, qui se Stoicos nuncupant, atraque verborum et argutiarum fuligine ob oculos audientium jacta, sanctissimae disciplinae nomen ementiuntur; et 16, 6. Facetias nebulonis hominis risi, et reliqui. ℙ *Acron* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 12. docet, *nebulones* dici etiam obscuro loco natos: unde a comicis servos nebulones vocari.

[NĔBŪLOR, aris, dep. 1. nebulo sum, ut nebulonem me gero. *Gloss. Phil.* Nebulor, *ἀχρηστεύω. F.*]

NĔBŪLOSĪTAS, atis, f. caligo, fuligo. *Arn.* 7, 234. Coelum vaporum nebulositate clauditur.

NĔBŪLOSUS, a, um, adj. *ὁμιχλώδης*, nebulis abundans, nebulis obductus. *Cic. Tusc.* 1, 25. Nebulosum et caliginosum coelum. *Cato R. R.* 6. Ager si nebulosus est, *h. e.* frequentibus nebularum humoribus objectus; et *f.* Qui locus crassus erit, aut nebulosior. *Cels.* 2, 1. Meliores dies pluvii, quam tantum nebulosi nubilive. *Plin.* 31, 3, 27. Nebulosa exhalatio. *Id.* 21, 7, 18. Nebulosus et roscidus aer. *Sen. Med.* 583. auster. ℙ Translate obscurus, intellectu difficilis. *Gell.* 20, 3. L. Accius poeta in Pragmaticis appellari sicinnistas ait nebuloso nomine: credo propterea, nebuloso, quod sicinnium cur diceretur, ei obscurum esset.

NEC, [* et NEQUE, nam unum idemque vocabulum est, Gr. *οὔτε, οὐδέ, μηδέ*, adverbium negandi, vel potius conjunctio disjunctiva, quae significat *et non.* Sunt qui dicant, utramque formam positione ita quidem differre, ut ap. bonos scriptores *nec* ante consonantes, *neque* ante vocales locum teneat: sed longe praeferenda est, quam usus dicendi confirmat, eorum sententia, qui *nec* et *neque* ap. optimum quemque scriptorem sine discrimine secundum euphoniae leges, et ante vocalem et ante consonantem usurpari docent. Exempla haec sunto. a) *Nec* ante cons. *Cic. Leg.* 2, 10. *f.* Patrum delubra esse in urbibus censeo: nec sequor magos Persarum. *Nep. Att.* 13. *f.* Nec hoc praeteribo, quamquam nonnullis leve visum iri putem. *Caes. B. G.* 1, 20. Scire se, illa esse vera, nec quemquam ex eo plus, quam se, doloris capere. *Hor. Epod.* 12, 2. Munera quid mihi, quidve tabellas Mittis nec firmo juveni, neque naris obesae? *Ter. Ad.* 1, 2, 61. Nec nihil, neque omnia haec sunt, quae dicit. *Colum.* 3, 3. *med.* Cum ea res, si omissa sit, plurimas operas, nec minus arcam patrisfamilias semper exhauriat. b) *Neque* ante conson. *Cic. N. D.* 1, 29. Neque solum facie, sed etiam ornatu. c) *Nec* ante vocalem. *Cic. Leg.* 1, 17. Illa, quae aliis sic, aliis secus, nec iisdem semper uno modo videntur, ficta esse dicimus. *Id. Quint.* 4. Quo mortuo, nec ita multo post in Galliam proficiscitur Quintius. *Cic. Off.* 3, 27. Neque eum caritas patriae retinuit. *Id. Top.* 2. Neque est ulla earum rerum. V. alia in sequentibus passim obvia. ℙ Repetitae vocis exempla haec sunto. a) *Nec — nec. Cic. Tusc.* 1, 38. mors nec ad vivos pertineat, nec ad mortuos. *Liv.* 32, 21. Nec saepe, nec diu eadem occasio erit. *Cic. Leg.* 3, 1. Sine imperio nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest. b) *Neque — neque. Cic. Att.* 8, 12. Nam certe neque tum peccavi, cum, cet., neque cum post conditiones, etc. *Hor. Sat.* 1, 5, 41. animae, quales neque candidiores Terra tulit, neque queis me sit devinctior alter. *Caes. B. G.* 4, 20. Caesar, evocatis undique ad se mercatoribus, neque quanta esset Britanniae magnitudo, neque quae aut quantae nationes incolerent, neque quem usum belli haberent, aut quibus institutis uterentur, neque qui essent ad majorum navium multitudinem idonei portus, reperire poterat. ℙ *Nec — neque. Cic. Par.* 6. Virtus nec eripi, nec surripi potest unquam: neque naufragio, neque incendio amittitur; et al. saepissime. ℙ *Neque — nec. Cic. Off.* 3, 29. Neque irasci Jupiter solet, nec nocere. *Id. Fin.* 4, 26. Aristoteles bonum esse divitias fatebatur: sed neque magnum bonum, et prae rectis honestisque contemnendum ac despiciendum, nec magnopere expetendum. Ita *Hor.* fere semper in *carm.* quidem et *epod. neque — nec* vel *nec — neque* usurpare solet. Item *Virg.*, ap. quem *nec — nec* vel iis in locis legitur, ubi metrum vim afferre nullam videtur. Cf. *Garat.* ad *Cic. Pis.* 22. *in.* p. 356. *Drakenb.* ad *Liv.* 9, 9, 14. ℙ Interdum in altero membro *et* sequitur nostr.: *nicht nur nicht — sondern auch*, vel: *nicht — auch.* Ita Graeci dicunt *οὔτε — τε, μήτε — τε* a) *nec — et. Cic. Sen.* 15. Voluptates agricolarum nec ulla impediuntur senectute, et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere. *Id. Fam.* 4, 6. *f.* Homo nec a me alienus, et tibi amicissimus. *Id. Off.* 2, 12. *extr.* Ejus filii nec vivi probabantur bonis, et mortui numerum obtinent jure caesorum. *Id. Fam.* 10, 1. *f.* nec miror, et gaudeo. Cf. *Brut.* 25, 97. 64, 228. *Inv.* 2, 22, 67. *Or.* 1, 39, 179. 2, 7, 28. *Passov.* ad *Tac. G.* 2. — b) *Neque — et. Cic. Att.* 1, 20. Id neque amoris mediocris, et ingenii summi, et sapientiae judico. *Id. N. D.* 3, 13. Animal nullum inveniri potest, quod neque natum unquam sit, et semper sit futurum. *Caes. B. G.* 7, 26. Galli consilium ceperunt ex Avarico profugere, propterea quod neque longe ab oppido castra Vercingetorigis aberant, et palus perpetua, quae cet. *Tac. H.* 4, 74. Vitia erunt, donec homines: sed neque haec continua, et meliorum interventu pensantur. Adde *ib. c.* 73. Neque ego unquam facundiam exercui, et populi Rom. virtutem armis affirmavi. ℙ *Neque — et haud. Tac. A.* 3, 35. sed neque eadem asseveratione, et consensu adulantium haud jutus est. ℙ *Neque — que. Cic. Cat.* 2, 13. Perficiam, ut neque bonus quisquam intereat, paucorumque poena vos omnes jam salvi esse possitis. Cf. *Caes. B. C.* 3, 28. 74. V. *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 1, 14, 48. — Etiam ubi *que* pro *sed* ponitur. *Cic. Amic.* 27. Sed nec illa exstincta sunt, alunturque potius et augentur cogitatione et memoria. *Ov. Met.* 2, 811. Spinosae herbae neque dant flammas, lenique tepore cremantur, i. e. nullas dant flammas, sed, etc. V. *Heusing.* ad *Cic. Off.* 1, 19, 9. p. 161. sq. *Beier. ib.* 1, 21. p. 169. — *Neque — ac. Tac. Agr.* 10. Naturam Oceani atque aestus neque quaerere hujus operis est, ac multi retulere: sed argenteae tantum aetatis esse contendit *Hand. Tursell.* 1. p. 511. ℙ Pro *nec — nec* ponitur etiam *nec — non. Tibull.* 1, 6, 45., al. 1, 7, 51. Haec ubi Bellonae motu est agitata, nec acrem Flammam, non amens verbera torta timet. ℙ Vice versa et saepius quidem *non — nec* s. *neque. Cic. Or.* 3, 32. Gorgias aut non est victus a Socrate, neque sermo ille Platonis verus est: aut, si est verus; et *ib.* 3, 30. Non solum acuenda nobis neque procudenda lingua est, sed onerandum etc. ℙ Conjungitur cum particulis *vero, enim, tamen, autem*, in transitionibus. a) *Nec. Cic. N. D.* 1, 12. Nec vero Protagoras quidquam videtur de natura Deorum suspicari. *Id. Amic.* 2. Nec enim melior vir fuit Africano quisquam, nec clarior. *Id. Off.* 3, 10. Nec tamen nostrae nobis utilitates omittendae sunt. *Quint.* 4, 1. *med.* Nec argumentis autem, nec locis, nec narrationi similis esse in prooemio debet oratio. b) *Neque. Cic. Or.* 1, 53. Neque vero hoc solum dixit, sed ipse et sensit, et fecit. *Id. Amic.* 13. Neque enim est consentaneum, ullam honestam rem, ne sollicitus sis, non suscipere. *Tac. Agr.* 33. Neque enim nobis etc. *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* Neque au-

tem ego. *Cels.* 2, 17. Neque terrere autem ea res debet. *Id.* 7, 9. Neque senile autem cet. ℙ Vocabula negativa, cum antecedunt formulae *nec — nec*, vim negativam non minuunt, sed augent. a) *Nec — nec. Cic. Att.* 9, 12. Non medius fidius prae lacrimis possum reliqua nec cogitare, nec scribere. *Id. Cluent.* 1. Ut omnes intelligant, nihil me nec subterfugere voluisse reticendo, nec obscurare dicendo. *Mart.* 12, 21, 5. Nulla nec in media certabit nata Suburra, Nec Capitolini collis alumna tibi. *Id.* 11, 33. nulla est ancilla, nec infans, Nec sera, nec clavis, nec canis, atque calix. Adde *Liv.* 7, 26. *f.* b) *Neque — neque. Cic. Off.* 1, 2. Nulla vitae pars neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, vacare officio potest. *Nep. Att.* 6. Nullius rei (Atticus) neque praes, neque manceps factus est. Cf. *Cic. Planc.* 32, 77. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 3. p. 579. *Nep. Timol.* 4. Nihil unquam neque insolens, neque gloriosum ex ore Timoleontis exiit. *Cic. Att.* 14, 20. Nemo unquam neque poeta, neque orator fuit, qui quemque meliorem, quam se arbitraretur. ℙ Quando per *nec — nec* duae vel plures personae conjunguntur, verbum plurali numero ponitur. Ita *Zumpt. Gr. Lat.* §. 374. coll. *Bentl.* ad *Hor. Od.* 1, 13, 6. Pluralem habet *Plin. Pan.* 75. erant enim (acclamationes) quibus nec senatus gloriari, nec princeps possent. — Pluralis verbi numerus usurpatur, cum duo nomina non tertiae personae, sed primae et secundae promiscue subjecti locum tenent. *Ter. Ad.* 1, 2, 23. Haec si neque ego neque tu fecimus. *Cic. Fam.* 11, 20. quod in Decemviris neque ego neque Caesar habiti essemus. ℙ In his prius *nec* s. *neque* abesse etiam potest, cum *nec — nec* locum oppositorum non tenent. *Cic. Acad.* 2, 25. Tu te negas infracto remo, neque columbae collo commoveri. *Ib.* 2, 47. Tu nunc, Catule, lucere nescis; nec tu, Hortensi, in tua villa nos esse. *Id. Fin.* 1, 9. Epicurus negat opus esse ratione, neque disputatione, quamobrem cet. *Caes. B. C.* 3, 12. Staberius obsides ab Apolloniatibus exigere coepit. Illi vero daturos se negare, neque portas Consuli praeclusuros. ℙ Idem fieri solet, cum posterius membrum communis praedicati vocab. sequitur: sed rarior est haec dicendi ratio. *Liv.* 5, 12. In Faliscis et in Capenate agro praedae actae, incendiisque villarum ac frugum vastati fines: oppida oppugnata, nec obsessa sunt, i. e. nec oppugnata, nec. — *Caes. B. C.* 3, 71. Pompejus eo proelio imperator est appellatus, atque ita se postea salutari passus est; sed in literis, quas scribere est solitus, neque in fascibus insignia laureae praetulit: V. *Held.* ad h. l. ℙ *Nec* et *neque* Graecorum more augent vim sequentis vocis negativae. *Liv.* 29, 2. Neque enim ne ipsius quidem regis abhorrebat animus; et 30, 30. Neque enim ne nobis quidem Sicilia, et Sardinia, etc. — Porro *Pl. Epid.* 4, 1, 6. Neque ea nunc ubi sit, nescio. *Id. Bacch.* 4, 9, 114. Neque ego haud committam, ut si quid peccatum siet, Fecisse dicas de mea sententia. *Id. Epid.* 5, 1. *f.* neque ille haud objiciet mihi, Pedibus sese provocatum. *Ter. Andr.* 1, 2. *extr.* Neque tu haud dicas tibi non praedictum. *Id. Eun.* 5, 8, 47. nec magis ex usu tuo nemo est. *Prop.* 2, 15, 5. Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras; ubi v. *Broukhus.* Adde *Duk.* ad *Flor.* 3, 17. p. 636. et *Bentl.* ad *Ter. Andr. l. l.* ℙ Ceterum *nec* s. *neque* junctum c. alia negativa affirmat. *Pl. Curc.* 4, 4, 23. tua magnifica verba, neque istas tuas magnas minas Non pluris facio, quam ancillam meam, quae latrinam lavat. *Cic. Fam.* 11, 20. Neque tamen non te cautum esse volo. ℙ *Nec non, neque non.* V. s. l. ℙ *Nec dum, neque dum.* V. s. l. ℙ *Nec quidem, neque quidem* pro *et ne quidem. Cic. Acad.* 4, 26. Epicurus autem posse putat etiam minorem esse eum, quam videatur, sed non multo; nec majorem quidem multo putat esse, cet. *Sen. ep.* 3. Admones me, ne omnia cum eo communicem, quia nec soleas ipse quidem hoc facere. Al. leg. *non soleas ne ipse quidem. Plin. Pan.* 27. Pauperiorem esse factum principem tantum: quamquam nec hunc quidem. *Petr. Sat.* 110. Quem alloquio dignum nec Lycas quidem crederet; et *ib.* 132. Nam nec nominare quidem te inter res serias fas est. *Plin.* 8, 36, 54. Nec somno quidem saginaris. *Id. ep.* 6, 27. sed non omnibus eadem placent, nec conveniunt quidem. *Tac. Dial.* 29. nec praeceptores quidem. *G.* 7. Ceterum neque animadvertere, neque vincire, nec verberare quidem nisi sacerdotibus permissum: ubi *Cl. Passovius:* Insigni infortunio usu est haec verbb. structura *nec — quidem*, quam utpote barbaram ubique exstirparunt viri praestantissimi, in his *Drak.* ad *Liv.* 1, 10. *Ernest.* ad *Tac. A.* 4, 35. *H.* 2, 76. *Schwarz.* ad *Tursell. de part.* p. 444. *Facciol.* ad *Cic. Off.* 3, 4. Civitate redonarunt *J. H. Voss.* ad *Virg. G.* 1, 390. *Goerenz.* ad *Cic. Acad.* 2, 82. *Heinrich* ad *Cic. Tull.* p. 80. Cf. quae his addidit *Hess.* ad eundem loc. V. etiam *Osann.* ad *Dial.* 18., ubi tamen *ne* praeferendum est; et *Ramsh. Gr. Lat.* §. 194. p. 885. ℙ *Nec — neque* absolute, pro *et ne quidem. Cic. Acad.* 1, 2. Quod bonum quale sit, negat Epicurus, sine voluptatibus sensum moventibus nec suspicari. Al. leg. *vel. Durandi* suspicio est: *ne suspicari quidem:* prob. *Orell. Id. Tusc.* 1, 26. Quid est enim memoria rerum et verborum? profecto id, quod nec in Deo quidquam majus intelligi potest. *Id. Agr.* 3, 2. Caput est legis, de quo ego consulto, Quirites, neque apud vos ante feci mentionem, ne viderer, etc. *Quint. Inst.* 1, 6. *f.* Qui nec ipsi jam dicerent. *Just.* 12, 16. Tantam fiduciam sui militibus fecit, ut, illo praesente, nullius hostis arma, nec inermes timuerint. *Id.* 11, 8. Ut non spes modo remedii, sed nec dilatio periculi inveniretur. Adde *Flor.* 2, 8. *med. Mart.* 5, 70. et *Pall.* 1, 1. *Tac. A.* 3, 17. *Ramsh. Gr. Lat.* 188. p. 822. *N.* 2. hanc dicendi rationem ita explicat, ut alterum duorum membrorum sermonis excidisse, idque tum fieri dicat, cum posterius vi atque significationis praestantia tantum valeret, ut illaesa orationis perspicuitate carere priori membro facile possemus. ℙ *Nec, neque*, ponitur etiam pro *nec* s. *neque tamen. Sall. Cat.* 24, 3. Post, ubi aetas tantummodo quaestui neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant: ubi v. *Cort. Nep. Ages.* 1, 4. Is de honore regni cum Agesilao suo patruo contendit: neque id, quod petivit, consecutus est: ubi v. quae laud. *Brem. Tac. A.* 3, 24. Fuit posthac in urbe, neque honores adeptus est; 4, 45. sequentes frustratus est, neque diu fefellit. *H.* 4, 71. nec deterruere ea munimenta Romanum ducem. *Agr.* 8. extra invidiam, nec extra gloriam erat: ubi v. *Walch.* ℙ Usurpatur *nec* s. *neque* etiam in conclusionibus, inservit transitioni. *Cic. N. D.* 3, 13. Nihil est, quod sensum habeat, quin intereat; etenim necesse est, ea ipsa, quae sentiuntur, ut frigus, cet. — cum amplificata sint, interimant; nec nullum animal est sine sensu: nullum igitur animal aeternum est. — *Liv.* 2, 22. Sine certamine inde abductae legiones. Nec ita multo post Volscis levatis metu suum rediit ingenium: ita saepissime *nec* s. *neque* ab initio periodi ponitur, quae latine cum antecedd. conjungitur, ubi nos copula plerumque fere non utimur. ℙ Item *nec, neque* legitur, ubi alias *non* usurpari solet. Quae vett. imprimis Latt. dicendi ratio, propagata vv. *nec opinans, nec opinatus, nec invitus, nec obediens*, etc. q. v. s. l., ap. argenteae aetatis scriptores in solitum loquendi morem transiit. V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 22, 7. *Cic. Leg.* 3, 3. Magistratus nec obedientem, et noxium civem multa coerceto; et *ib.* 4. Senatori, qui nec aderit, aut causa, aut culpa esto. (Adde quae ex XII. Tab. affert *Fest.* in *Nec.*) *Catull.* 30, 4. Nec facta impia coelicolis placent. *Liv.* 1, 25. *med.* Prius quam alter, qui nec procul aderat, consequi posset. *Pl. Bacch.* 1, 2, 11. Tu Diis nec recte dicis: non aequum facis, *h. e.* maledicis. Eodem modo locutus est *As.* 2, 4, 65. et *Most.* 1, 3, 83., item *Turpil.* ap. *Fest. Cat. R. R.* 141. Si quid tibi illisce suovetaurilibus neque satisfactum est. *Vell.* 2, 57, 2. et libelli conjurationem nunciantes dati, ab eo neque protinus lecti erant: ubi *Ruhnk.* legendum susp. et libelli, conjurationem nuntiantes, delati ad eum, neque protinus lecti erant. ℙ Item pro *ne, et ne. Sall. Jug.* 14. Tamen erat majestatis Romani populi prohibere injuriam, neque cujusquam regnum per scelus cresceret. Al. leg. *neque pati cujusquam r. p. s. crescere:* sed *Cort.* fuse et acriter eam lectionem tuetur *excursu* 2. *in Jug. Virg. E.* 9, 5. Nunc victi, tristes, quoniam Fors omnia versat, has illi, quod nec vortat bene, mittimus hoedos. *Id. ib.* 10, 46. Tu, procul a patria, (nec sit mihi credere!) tantum. *Id. G.* 2, 95. et quo te carmine dicam, Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis, h. e. ne tamen ideo contendas. *Tac. A.* 6, 12. De carminibus Sibyllae sanxit Augustus, quem intra diem ad Praetorem Urbanum deferrentur, neque haberi privatim liceret. ℙ Confund. *nec* et *ne. Cort.* ad *Lucan.* 2, 344. 8, 450. — *nec* et *non. Id. ib.* 2, 106. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 196. — *nec* et *neve. Id. ib.* 2. p. 194.]

*NECANĪDAE, arum, populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 23. Alius utilior portus gentis Necanidon (*genit. plur.*), qui vocatur Borace. *B. A.*

NĔCĀTOR, oris, m. *ἀναιρετής, φονεύς*, qui necat. *Lampr. Commod.* 18. Necator civium. *Macr. Sat.* 1, 12. *med.* Marti dicatus, Deo plerumque hominum necatori.

NĔCĀTRIX, icis, f. interfectrix, *ὀλέτειρα. August. de consens. Evang.* 13. *med.* Necatrix Domini lingua Judaeorum.

NĔCĀTUS, a, um, part. a *neco: φονευθείς*, occisus, neci datus. *Sall. Jug.* 50. Uti Jugurtham maxume vivum, sin id parum procedat, necatum sibi traderent. *Suet. Ner.* 36. *extr.* Quosdam cum paedagogis et capsariis uno prandio pariter necatos. *Ov. Fast.* 1, 363. apes cum stirpe necatae; et *ib.* 38. fervent examina putri De bove: mille animas una necata dedit. V. NECO.

NECDUM et Nec dum et Neque dum, adv. *οὔτε που, οὐδέπω*, nondum, neque dum. *Virg. Ecl.* 9, 26. Immo haec quae Varro, nec dum perfecta, canebat. *Id. G.* 2, 539. Necdum etiam audierant inflari classica, necdum Impositos duris crepitare incudibus enses. *Id. A.* 11, 70. Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit. *Cic. Att.* 14, 10. *extr.* Ille quid agat, si scis, neque dum Roma es profectus, scribas ad me velim; et *ib.* 6, 3. *med.* Necdum ego tamen Quintum conveneram.

*NECEPHYLLON, i, n. laurus victoriae folium. *Appul. Herb.* 58. ℙ Legendum videtur *nicephyllon. B. A.*

*NECEPSO. V. v. sq. *B. A.*

*NECEPSUS, i, m. astrologus Aegyptius, artem suam ab Aesculapio et Anubi, quorum magister Mercurius Trismegistus fuit, edoctus. *Auson. ep.* 19, 18. Quique magos docuit mysteria vana Necepsus. ℙ *Necepso* audit *Jul. Firm.* 8. Hunc locum divinus ille Necepso, ut etc. ℙ Plura de eo V. ap. *Petr. Crinit. de Hon. Disc.* 19, 12. *B. A.*

NĔCĔRIM, nec eum. *Festus.* Est autem pro *nec im*, h. e. nec eum, inquit *Scalig.* V. IM.

NĔCES. V. NEX.

NĔCESSĀRĬE et

NĔCESSĀRĬO, adv. *ἐξ ἀνάγκης, ἀναγκαίως*, ex necessitate. Hoc illo est multo usitatius. *Cic. Inv.* 1, 29. Necessarie demonstrantur ea, quae aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari possunt. *Id. Fam.* 6, 10. *f.* Ut jam simul cum republica necessario reviviscat; et *ib.* 5, 21. Plerique eorum, quibuscum vivo necessario. *Nep. Alc.* 8. Necessario classe conflicturus. *Caes. B. G.* 1, 17. Quod necessario rem Caesari enunciarit. *Sall. Jug.* 24. Necessario copias parat. *Val. Max.* 7, 6. *n.* 3. Care quidem, verum necessarie comparato cibo. *Hirt. B. Alex.* 5. Plebes ac multitudo ea *(aqua)* contenta est necessario, quod fons urbe tota nullus est.

NĔCESSĀRĬUS, a, um, adj. *ἀναγκαῖος*, is, sine quo aliquid fieri non potest, necessitatem conjunctam habens. Necessarium, inquit *Opilius Aurel.* ap. *Fest.*, in quo non sit cessandum: aut sine quo vivi non possit: aut sine quo non bene vivatur: aut quod non possit prohiberi, quin fiat. V. NECESSE. *Cic. Phil.* 10, 9. *f.* Cum illum necessarium et fatalem paene casum non tulerimus, hunc feremus voluntarium? *Id. Univ.* 12. Commonstravit leges fatales et necessarias. *Id. Inv.* 2, 49. Id quod imperatur, necessarium; illud quod permittitur, voluntarium est. *Id. Top.* 16. Cum erit talis causa, ut in ea non sit efficiendi necessitas, necessaria conclusio non sequitur. *Caes. B. C.* 1, 40. Necessaria re coactus locum capit superiorem; et *ib.* 3, 96. Cui semper omnia ad necessarium usum defuissent. *Cic. Fam.* 2, 6. Res maxime necessaria. *Id. Inv.* 2, 49. Res utiliores, honestiores, magis necessariae. *Id. Off.* 1, 4. Omnia, quaecumque sunt ad vitam necessaria, anquirere. *Id. Leg.* 3, 18. Senatori necessarium est, nosse rempublicam. *Quint.* 12, 11. Philosophorum quoque opiniones velimus legere, necessarium est. *Caes. B. G.* 1, 16. Quod tam necessario tempore, tam propinquis hostibus, ab iis non sublevetur: quo tempore tam necessarium est habere frumentum. *Sall. Jug.* 76. Plebs sic accensa, uti opifices agrestesque, relictis operibus, frequentarent Marium, et sua necessaria post illius honorem ducerent. ℙ *Necessariae partes* sunt pudenda virilia, nam, ut ait *Artemidor. Onirocrit.* 1, 47. *Τὸ αἰδοῖον ἀναγκαῖόν τε καλεῖται, καὶ τῆς ἀνάγκης ἐστὶ σύμβολον.* V. *Caji l. c.* in CONSUTUS. ℙ *Necessarius* absolute, et *Necessaria* est cognatus, affinis, *ἀναγκαῖος.* Necessarii sunt, ut Gallus Aelius ait ap. *Fest.*, qui aut cognati, aut affines sunt, in quos necessaria officia conferuntur praeter ceteros. Adde *Non.* 4, 322. Neque tamen solum de cognatis, et affinibus, sed de amicis quoque, et familiaribus dicitur. *Gell.* 13, 3. Qui ob hoc ipsum jus affinitatis, familiaritatisve conjuncti sunt, necessarii dicuntur. *Cic. Mur.* 35. Virgo Vestalis, hujus propinqua et necessaria. *Id. Sull.* 1. L. Torquatus meus familiaris ac necessarius. *Id. Fam.* 13, 29. In iis necessariis, qui tibi a patre relicti sunt, me tibi esse vel conjunctissimum; et *ib.* 72. Cerelliae, necessariae meae rem, nomina, possessiones commendavi tibi. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 6. *extr.* Noli pati, a necessariis tuis necessario meo injuriam fieri. *Balb.* et *Opp.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Ut contra alterutrum, cum utrique sis maxime necessarius, arma feras. ℙ *Necessarius angustus*, est qui maxima cognatione vel affinitate cum aliquo est conjunctus. [*Fragm. jur. civ.* (ed. *A. Maio*) p. 86. Divus Titus Antoninus parens noster necessariis angustis ratione ejus consortii, quod nascendi tempore liberis et parentibus datur, cogitans, non admitti scrupulosam inquisitionem statuit: nec idcirco patris indignatione posse donationem justam umquam rescindi, summa cum ratione placuit. *F.*] ℙ Adjective *Nep. Dat.* 6. Ab homine tam necessario se relictum, *h. e.* a socero. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. Mortem hominis necessarii graviter fero, *h. e.* amici. *Ulp. Dig.* 24, 3, 21. Si ideo maritus ex dote expendit, ut a latronibus redimeret necessarias mulieri personas. ℙ *Heres necessarius*, et *Heres suus et necessarius.* V. HERES. ℙ Caret gradibus, et pro iis dicimus *magis, minus, maxime necessarius. Tert.* tamen dixit *Test. anim.* 4. necessariorem sententiam: *Patient.* 11. necessarior

medela: *Hab. mul.* 5. necessariores operas: *Car. Chr.* 7. *med.* quasi necessarius aliquid afferrent: *Resurr. carn.* 31. necessarioris restitutionis.

NĔCESSĔ, adj. n. indecl. ἀναγκαῖον, quod vi aliqua cogente fieri opus est, necessarium. *Cic. Fat.* 9. Nihil fit, quod necesse non fuerit. *Cato* ap. *Sen. ep.* 94. *med.* Emas, non quod opus est, sed quod necesse est. *Cic. Part.* 13. *extr.* Non habebimus necesse semper concludere. *Id. Att.* 10, 1. *extr.* Eo minus habeo necesse scribere, aut etiam cogitare, quid sim facturus. *Id. Sull.* 7. At hic etiam, quod tibi necesse minime fuit, facetus esse voluisti. *Id. Fat.* 9. Homini necesse est mori. *Id. Fam.* 7, 31. Acilio non fuisse necesse meas dari litteras, facile patior. *Id. Or.* 1, 12. Haec oratio aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur. *Nep. Ep.* 10. Leuctrica pugna non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit, necesse est. ℙ Cum particula *ut* perrarum est. *Gell.* 2, 29. Neque necesse est, hodie uti vos auferam. ℙ Olim, teste *Donato* ad *Ter. Eun.* 5, 6, 27., declinabatur *necessis*, *necesse*, et *necessus*, *a*, *um*. Unde *necessum* non raro reperitur. *Afran.* ap. *Charis.* 2, 186. Quod sit necessum scire. *Pl. Stich.* 1, 3, 66. Foras necessum est, quidquid habeo, vendere. *Id. Mil.* 4, 3, 25. Dicas, uxorem tibi necessum esse ducere. (Adde *Cas.* 2, 3, 36. et *As.* 5, 2, 45.) *Lucr.* 2, 467. nec tamen haec retineri hamata, necessum. (Adde 4, 119. et 1000. et 5, 377.) *Liv.* 34, 5. Necessum est paucis respondere. Alii leg. *necesse*. *Mart.* 6, 57. Tonsorem capiti non est adhibere necessum. ℙ Derivant alii a *ne*, et *cesso*, quia ubi est necesse, minime est cessandum: alii a *nec esse*: alii per aphaeresin ab ἀνάγκη.

NĔCESSĬTAS, atis, f. ἀνάγκη, vis, qua cogimur aliquid facere, aut omittere, fatum, necessitudo. *Cic. N. D.* 1, 20. Hinc exsistit illa fatalis necessitas, quam εἱμαρμένην dicitis, ut quidquid accidat, id ex aeterna veritate, causarumque continuatione fluxisse dicatis. *Id. Fam.* 4, 9. Ut etiamsi natura tales non sint, necessitate esse cogantur. *Id. ib.* Tempori cedere, id est necessitati parere, semper sapientis est habitum. *Id. Off.* 2, 16. Veniam necessitati dare. *Id. Or.* 69. servire. *Id. Quint.* 16. Vi ac necessitate coactus. *Id. N. D.* 1, 7. *extr.* Nulla necessitate adstrictus. *Caes. B. G.* 6, 11. adductus. *Cic. Phil.* 10, 1. Necessitatem alicui afferre. *Id. Att.* 4, 5. et *Liv.* 21, 43. imponere. *Hirt. B. Alex.* 44. injungere. *Cic. Rosc. Am.* 34. *f.* Quae necessitas eum tanta premebat, ut, etc. *Id. Mil.* 17. Miloni exeundi non causa solum, sed etiam necessitas fuit. *Id. Off.* 2, 21. Necessitas mihi obvenit cujuspiam rei. *Tac. A.* 6, 10. ingruit. *Hirt. B. Afr.* 79. Ad necessitatem adductus dimicandi. *Tac. H.* 3, 62. Ex necessitate aliquid facere. *Liv.* 21, 43. Ac nescio an majora vincula, majoresque necessitates vobis, quam captivis vestris, fortuna circumdederit. Dextra laevaque duo maria claudunt, etc. ℙ *Extrema*, et *ultima*, et *suprema necessitas* est mors. *Sall. in Or. Lepidi contra Sull. med.* et *Tac. A.* 15, 61. *extr.* et *H.* 1, 72. ℙ De summa vi, qua in tormentis quis fateri cogitur. *Tac. A.* 15, 57. Clariore exemplo libertina mulier, in tanta necessitate alienos ac prope ignotos protegendo, cum ingenui et viri, et equites R. senatoresque intacti tormentis, carissima suorum quisque pignorum proderent. ℙ Facere de necessitate virtutem, ap. *Hieron. in Ruf.* 3. *n.* 2. et *ep.* 54. *n.* 6. ℙ *Necessitates* sunt res necessariae, necessaria negotia. *Cic. Off.* 1, 5. *med.* Reliquis autem tribus necessitates propositae sunt ad eas res parandas, quibus actio vitae continetur. *Caes. B. G.* 7, 89. Id se bellum succepisse, non suarum necessitatum, sed communis libertatis causa, demonstrat. ℙ Item onera, et impensae necessariae et inevitabiles, quibus opponuntur largitiones, ap. *Tac. A.* 1, 11. ℙ Item inopia, et indigentia rerum ad vitam necessariarum. *Suet. Caes.* 68. Famem et ceteras necessitates tantopere tolerabant, ut, etc. *Id. Tib.* 47. Paucorum senatorum inopia sustentata, negavit se aliis subventurum, nisi senatui justas necessitatum causas probassent. *Plin. ep.* 5, 19. *f.* Est enim tam parcus et continens, ut non solum delicias, verum etiam necessitates valetudinis frugalitate restringat. ℙ Est etiam *necessitas* vinculum affinitatis, cognationis, amicitiae, necessitudo. *Cic. Rosc. Am.* 24. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis. *Id. Sull.* 1. Si nostram accusatione sua necessitatem familiaritatemque violasset. *C. Caes.* ap. *Gell.* 13, 3. et *Non.* 4, 323. Equidem mihi videor, pro nostra necessitate non labore, non opera, non studio defuisse. ℙ *Necessitas* quasi Dea a Romanis est habita. *Hor. Od.* 1, 35, 17. Te *(Fortuna)* semper anteit saeva Necessitas. V. CLAVUS.

NĔCESSĬTŪDO, inis, f. ἀνάγκη, idem quod necessitas. *Cic. Inv.* 2, 57. Puto hanc esse necessitudinem, cui nulla vi resisti potest: quae neque mutari, neque leniri potest. *Sall. Cat.* 61. Necessitudo etiam timidos fortes facit. *Id. Jug.* 52. Coactus rerum necessitudine, statuit armis certare. *Id. Cat.* 17. In unum omnes convocat, quibus maxuma necessitudo, et plurimum audaciae, *h. e.* vis aliqua calamitatis, quae conjurare cogebat. *Tac. A.* 3, 64. Juliae valetudo atrox necessitudinem principi fecit festinati in Urbem reditus. *Vell.* 2, 50. Miserrima necessitudo. Adde *Sisenn.* ap. *Non.* 4, 322. et *Sempron. Asellionem* ap. *Gell.* 13, 3. *f.* ℙ Frequentius sumitur pro vinculo cognationis, affinitatis, amicitiae, et familiaritatis. *Sall. Jug.* 82. Etiam antea Jugurthae filia Bocchi nupserat: verum ea necessitudo apud Numidas levis ducitur. *Cic. Fam.* 13, 10. Mos majorum hanc quaesturae liberorum necessitudini proximam voluit esse. *Id. Cluent.* 70. Atque etiam nomina necessitudinum, non solum naturae nomen et jura, mutavit, uxor generi, noverca filii, filiae pellex. *Hirt.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 6. Ex nostra necessitudine, quae ad summam benevolentiam pervenit. *Cic. Amic.* 20. Qui sunt in amicitiae conjunctionisque necessitudine superiores, exaequare se cum inferioribus debent; et *Quint.* 4. Necessitudo et affinitas. *Id. Mur.* 3. Familiaritatis, necessitudinisque oblitus. *Id. Fam.* 13, 27. Summa necessitudine et summa conjunctione adductus. *Q. Cic. Petit. cons.* 7. Aliqua necessitudine adjunctus alicui. *Cic. Or.* 56. Habere cum quopiam aliquam necessitudinem, aut cognationem. *Id. Fam.* 13, 11. Bonos viros ad necessitudinem suam adjungere; et *ib.* 19. Recipere aliquem in suam necessitudinem; et *ib.* Necessitudinem sancte colere. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 1. *f.* Summa necessitudine aliquem attingere. *Id. Verr.* 2, 4, 65. Necessitudinem cum aliquo conjungere. *Suet. Aug.* 62. Jungi necessitudine alicui. *Hirt. B. G.* 8, 53. Necessitudines parare. *Cic. Sext.* 17. Sunt mihi cum illo omnes amicitiae necessitudines. *Id. Fam.* 13, 39. Cum familia Titurnia necessitudo mihi intercedit vetus. *Plin. ep.* 7, 16. Calestrium Tironem familiarissime diligo, et privatis mihi et publicis necessitudinibus implicitum. ℙ *Necessitudines regni* dicit *Caesar* vincula tutelae, atque hospitii, quae erant Pompejo cum Aegypti rege, *B. C.* 3, 106. ℙ *Necessitudines* sunt etiam ipsi affines, aut amici. *Suet. Tib.* 11. *f.* Petiit, ut sibi permitteretur revisere necessitudines, quarum desiderio teneretur. *Id. Aug.* 17. Remisit tamen hosti judicato necessitudines, amicosque omnes. *Tac. H.* 3, 59. *extr.* Vitellius, respectu suarum necessitudinum, nihil in Domitianum atrox parabat. *Curt.* 4, 10. *med.* Crederes Alexandrum inter suas necessitudines flere. *Festus* in *Rapi*: Rapi simulatur virgo ex gremio matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur.

NĔCESSO, as, a. 1. necessitatem afferro, cogo. *Venant. Vit. S. Mart.* 2, 412. Nam cibus et somnus, nisi quod natura necessat, etc. Cave usurpes.

NĔCESSUM. V. NECESSE.

*NECHON, i, n. genus aromatis ideo admixtum, ut dulcia diu durent. *Apic.* 1, 14. ℙ Apud. *eund.* in 7, 6. legitur *enechi flores*, ubi *Humelb.* emendat *cnici flores*. *B. A*

NĔCNĔ et Nec ne, an ne, particula interrogativa, dubitativa, quae secundo loco ponitur. [*Nonnisi in directis interrogationibus et plerumque fere sine verbo adhibetur. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 554. p. 447. — *Ramsh. Gr. L.* §. 174. III. p. 717. docet: posterius membrum cum negationem prioris contineat, tum id, quod absit, utpote in cogitatione positum, per *necne* significari. —] *Caes. B. G.* 1, 50. Utrum proelium committi, ex usu esset, nec ne. *Cic. Rosc. Com.* 17. Quaero, potueritne Roscius ex societate partem suam petere, necne? *Nep. Eum.* 11. Nondum enim statuerat, eum conservaret, necne. *Ter. Heaut.* 1, 1, 43. Nunc, habeam, necne, incertum est. ℙ [*Cum verbo:] *Cic. N. D.* 1, 14. Aristo dubitat omnino, Deus animans, necne sit. *Id. Tusc.* 2, 12. *f.* Hoc doce, doleam, necne doleam, nihil interesse. [*Adde *Eund. Div.* 1, 39. fiat, necne fiat, id quaeritur. Porro *N. D.* 1, 22, 61. quaeritur, sintne dii, necne sint; et *ib.* 3, 7. dii utrum sint, necne sint, quaeritur. ℙ In directa interrogatione ponitur ap. *Cic. Tusc.* 3, 18. Sunt haec tua verba, necne? ℙ *An* ante *necne* positum nusquam recte legitur. V. *Ramsh. l. l.*] ℙ Pro *an*, ap. *Hor. Sat.* 1, 4, 45. Idcirco quidam, comoedia necne poema Esset, quaesivere, *h. e.* an comoedia esset poema. Subintelligitur tamen: *an comoedia esset poema, necne.*

NECNON et Nec non et Neque non, conjunct. [*et tamen, et profecto, *und auch*, *und doch*, *und in der That*. Ap. probatissimum quemque aureae aetatis scriptorem semper sententias, nunquam verba conjungit. Hinc ab initio enunciationis interposito plerumque verbo collocatur. Exempla haec sunto: *Cic. Mil.* 32. Nec vero non eadem ira Deorum hanc ejus satellitibus injecit amentiam. *Id. Cat.* 4, 2. Neque meam mentem non domum saepe revocat exanimata uxor. *Id. Or.* 2, 85. Neque tamen illa non ornant, habiti honores, decreta virtutis praemia, etc. *Id. N. D.* 2, 16. Sidera ipsa sua sponte moventur. Nec vero Aristoteles non laudandus in eo, quod omnia, quae moventur, aut natura moveri censuit, etc. *Nep. Att.* 25, 13. Nemo Attico minus fuit aedificator. Neque tamen non imprimis bene habitavit. *Varr. R. R.* 1, 4. Nec haec non diminuitur scientia. — Neque aliter intelligendum *nec non* in his est: *Cic. Fam.* 3, 12. Neque tristius dicere quidquam debeo hac de re, neque non me tamen mordet aliquid; et *Fin.* 2, 5. Epicurus, ut opinor, nec non vult, si possit, plane et aperte loqui; nec de re obscura, ut physici, aut artificiosa, ut mathematici; sed de illustri et facili loquitur. ℙ Tum nullo vocabulo interposito pro simplici *et*, *etiam*, nostr. *ingleichen*, *auch*, nectendis nominibus inservit. At praeter *Varr.* ita nonnisi ap. poetas et sequiores scriptores ponitur. V. *Tursell. de partic.* p. 453. sq. (*ed.* 5.) *Arntzen.* ad *Aurel. Vict.* p. 18. a. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 95, 2. *Müller* ad *Cic. Or.* 1, 35. §. 164.] *Varr. R. R.* 1, 1. Quibus propitiis, neque rubigo frumenta atque arbores corrumpit, neque non tempestive florent; et *ib.* 3, 2. *med.* Ibi vidi greges magnos anserum, gallinarum, gruum, pavonum, necnon glirium, piscium, aprorum. *Colum.* 3, 2. Vitis habilis arbori, nec non jugo. *Ov. Her.* 4, 69. Tunc mihi praecipue (nec non tamen ante) placebas. *Varr. R. R.* 1, 13. *f.* Orcae in Hispania fervore musti ruptae, neque non et dolia in Italia. *Colum.* 8, 15. *med.* Gratissima est et esca panicum, et milium, nec non hordeum. *Plin.* 13, 22, 38. Intus granum spissum, letale animalibus: nec non et in folio eadem vis. *Virg. A.* 1, 707. Necnon et Tyrii per limina laeta frequentes Convenere. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Laborant propter aestus, aut propter frigora, nec non etiam propter nimium laborem. *Suet. Gr.* 23. Nec non etiam poemata faciebat ex tempore. *Virg. G.* 2, 449. Nec tiliae leves, aut torno rasile buxum Non formam accipiunt, ferroque cavantur acuto: Nec non et torrentem undam levis innatat alnus Missa Pado. *Varr. R. R.* 1, 1. Nec non etiam precor Lympham, et Bonum Eventum; et *ib.* 2. *f.* Neque non quaedam nationes caprarum pellibus sunt vestitae. *Plin.* 29, 1, 1. Necnon et hodie multifariam ab oraculis medicina petitur. *Varr. R. R.* 2, 5. Neque non praeterea. [*Plura v. ap. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 188, 8. p. 818.]

NĔCO, as, avi, atum, frequentius quam cui, ctum, a. 1. φονεύω, κτείνω, necem afferro, occido, interimo: a νέκυς, mortuus: unde et *nex*. [*Aliam vocis originem, quam *Schneid.* susp., v. in NEGO.] Volunt proprie usurpari, cum de morte illata sine vulnere et ictu sermo est, ut veneno, fame, igne, praefocando, etc. *Festus:* Neci datus proprie dicitur, qui sine vulnere interfectus est, ut veneno, aut fame. *Id.* in *Occisum:* Occisum a necato distingui quidam volunt, quod alterum a caedendo, atque ictu fieri dicunt, alterum sine ictu. *Prisc.* 9, 861. hoc discrimen agnoscit in praeteritis. Proprie, inquit, *necatus* ferro, *nectus* vero alia vi peremptus dicitur. Eadem habet *Diomed.* 1, 362. Hoc tamen discrimen non est perpetuum; nam *Coripp. Johann.* 4, 361. *necuisse*, non *necavisse* usurpat de morte ferro illata. *Just.* dicit *occisum* eum (17, 1.), qui veneno sublatus fuerat. *Ennius* ap. *Prisc.* Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis. *Cic. Manil.* 5. Legatum populi R. vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit. *Phaedr.* 4, 18. Colubra ut refecta est, necuit hominem protinus. *Suet. Caes.* 81. Consanguineorum manu necari. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. Plebem fame necare. *Sall. Jug.* 46. *Petr. Sat.* 117. et *Hor. Sat.* 2, 7, 58. ferro aliquem. *Lucr.* 6, 787. odore tetro. *Ov. R. Am.* 421. morsu. *Caes. B. G.* 1, 52. *f.* igni, atque omnibus tormentis. *Plin.* 8, 37, 56. suspendio. *Suet. Ner.* 43. veneno. *Gell.* 17, 21. securi. *Virg. A.* 8, 488. sanie taboque fluentes Complexu in misero longa sic morte necabat. *Paul. Dig.* 25, 3, 4. Necare videtur non tantum is, qui partum praefocat, sed et is, qui abjicit, et alimoniam denegat, et qui exponit. *Plin.* 20, 7, 26. Venena, quae strangulando necant. *Id.* 27, 13, 113. Thlaspi menses ciet, sed partus necat. *Ov. Trist.* 1, 2, 36. Ore necaturas accipiemus aquas. *Pl. Curc.* 2, 1, 21. lien necat, renes dolent, Pulmones distrahuntur, cruciatur jecur. ℙ Refertur ad plantas. *Colum.* 2, 4. Radices herbarum vomere perruptae necantur. *Plin.* 31, 4, 29. Salsi imbres necant frumenta. *Id.* 16, 44, 92. et *Laber.* ap. *Macr. Sat.* 2, 7. Hedera serpens vires arboreas necat. *Plin.* 17, 12, 18. Necat gramina pinus. ℙ Et ad alia. *Id.* 31, 1, 1. Aquae flammas necant. ℙ Translate. *Sen. Hippol.* 454. Quid te coerces, et necas rectam indolem? ℙ A *Pl. Bacch.* 5, 2, 44. adhibetur eo sensu, quo *Id.* dixit *Merc.* 1, 2, 45. Lassitudinem verba tua mihi addunt: enicas; et *Hor. Epod.* 14, 5. occidis saepe rogando. [*Recte videtur *Doederl.* 3, 187. sq. verbi *necare* eam vim constituisse, ut prae ceteris quidem de morte, quam quis veneno, fame, igne cet. inferat, usurpetur, sed proprie de ea dicatur, quae vi et severitate, nec non injuria et crudelitate fiat. Hinc differt ab *interficere*, quod de quovis mortis genere ponitur.] ℙ [Part. *Necans* ap. *Ov. Am.* 2, 14, 22. Vidissem nullos, matre necante, dies. *Necandus* ap. *Juven.* 6, 596. Quae steriles facit, atque homines in ventre necandos Conducit. *F.*]

NĔCOPĪNANS, rectius quam Nec opinans, et Neque opinans, non opinans, nihil tale cogitans:

nec et *neque* pro non. [*V. in NEC.] *Phaedr.* 5, 7. Dum pegma rapitur, concidit gravi casu Necopinans, et sinistram fregit tibiam. *Cic. Fam.* 15, 4. *med.* Ariobarzanem praesentibus insidiis necopinantem liberavi. *Hirt. B. Alex.* 63. Auxilia regis in id castellum, neque opinantibus omnibus, impetum fecerunt; et *B. Afr.* 66. Atque equitibus praemissis, neque opinantes insidiatores levi armatura concidit. *Lucr.* 3, 972. Imperfecta tibi elapsa est, ingrataque vita, Et necopinanti mors ad caput accidit. *Ter. Heaut.* 1, 2, 12. Ut hanc laetitiam necopinanti primus objicerem domi. *Hirt. B. Alex.* 75. Caesar neque opinans, imparatusque oppressus.

[NĔCOPĪNANTER et Nec opinanter, adv. idem ac necopinato. *Gloss. Philox.* Nec opinanter, *ἀπροσδοκήτως. F.*]

NĔCOPĪNĀTO, adv. rectius quam Nec opinato, praeter exspectationem, de improviso, *ἀδοκήτως. Cic. Tusc.* 3, 22. Tum aegritudinem exsistere, si necopinato quid evenerit. *Id. Phil.* 2, 31. Ut te catamitum, necopinato cum ostendisses, praeter spem mulier aspiceret. *Liv.* 3, 15. Propiusque novum malum necopinato exortum. Alii leg. *nec opinatum.*

NĔCOPĪNĀTUS et Nec opinatus, a, um, adj. non praevisus, non exspectatus, *ἀδόκητος. Cic. Off.* 3, 10. Admirantur si perspiciunt necopinata quaedam bona. *Liv.* 26, 51. Nec opinato adventu, ac prope furto unius diei urbem interceptam. *Id.* 27, 33. *f.* In necopinatam fraudem labi. *Id.* 39, 49. Vix sibimet ipsis prae necopinato gaudio credentes; et 4, 27. *med.* Locum secretum ab tumultu petit, unde ex necopinato aversum hostem invadat. *Flor.* 3, 5. *med.* Italiam necopinatus invadere cogitavit.

NĔCOPĪNUS, rectius quam Nec opinus, a, um, adj. necopinatus, inopinus. *Ov. Met.* 1, 224. Nocte gravem somno necopina perdere morte Me parat. *Phaedr.* 1, 10. ipsum accipiter necopinum rapit. *Stat. Th.* 6, 778. necopinum interserit ictum Callidus. *Sil.* 14, 789. Et struit arcana necopina pericula cura. *Auson. Grat. act. ad Grat.* 12. Tu, indulgentissime Gratiane, ut ad benefaciendum subito es necopinus ingenio, adhuc aliquid invenis, *h. e.* ea excogitans, quae nemo opinatur.

NEC RECTE. V. NEC.

NECROMANTIA, ae, f. *νεκρομαντεία*, divinatio per cadavera, et umbras mortuorum evocatas ad sua cadavera. *Cic. Tusc.* 1, 16. Graecis litteris scripsit. Graeca enim est a *νεκρὸς*, mortuus, et *μαντεία*, vaticinatio. At Latinis *Lact.* 2, 16. et *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 28., ubi ait, de Nicia pictore loquens: Opera ejus, Nemea, Hyacinthus, Liber pater, Necromantia Homeri. Ubi intelligit eam Odysseae partem, in qua inducitur Ulysses ad inferos descendens, et cum mortuorum umbris verba faciens. Sunt qui hic leg. *necyomantia*, quod idem est: nam *νέκυς* idem sonat ac *νεκρός*. *Necyomantia* inscriptus fuit unus ex Mimis *Laberii*, ut constat ex *Gell.* 16, 7. et 20, 6. †*Vet. Gloss. Νεκυομαντεία*, inferorum consultatio. *B. A.*

*NECROMANTĬCI, orum, m. qui necromantiam exercent. *Isid. Or.* 8, 9. Necromantici sunt, quorum praecantationibus videntur resuscitati mortui divinare et ad interrogata respondere. *B. A.*

[NECROMANTĬUS, ii, m. qui necromantiam exercet. *Isid. Or.* 8, 9. Necromantii sunt, quorum praecantationibus videntur resuscitati mortui divinare, et ad interrogata respondere. *F.*]

*NECRON (*νεκρῶν* i. e. mortuorum) INSULA in mari rubro fuit. *Plin.* 37, 2. In quadam insula rubri maris ante Arabiam sita nasci, quae Necron vocetur. Sic ed. *Hard.* ubi antea (e. g. in ed. *Elzev.*) legebatur *Neron. B. A.*

NECROTHYTUS, a, um, adj. *νεκρόθυτος*, umbris inferorum dicatus, oblatus per sacrificium: a *νεκρὸς*, mortuus, et *θύω*, sacrifico. *Tert. Spect.* 13. Ab idolothytis, et necrothytis voluptatibus abstinere.

*NECTĂBIS. V. v. sq. *B. A.*

*NECTANĂBIS, is vel idis, Aegypti rex. *Nep. Ages.* 8. A rege Nectanabe, ubi ed. *Heusing.* habet *Nectanabide.* ℙ *Nectanebus* audit *ib. Chabr.* 2. Nam Nectanebum cet., ubi *Heusing.* legit *Nectanabin.* ℙ *Nectabis*, ut videtur, est *Plin.* 36, 9. et *Tert. anim.* 57. V. *Bos.* ad *Nep. l.* utrumque *c. B. A.*

*NECTANĔBUS. V. v. praec. *B. A.*

NECTAR, āris, n. *νέκταρ*, potus Deorum, ut ambrosia cibus est. Graeci promiscue et ambrosiam pro nectare, et nectar pro ambrosia ponunt, ut Anaxandridis, Sapphus, et Alcmanis locis *Athen.* 2, 2. comprobat. *Cic. Tusc.* 1, 26. Non enim ambrosia Deos, aut nectare, aut Juventute pocula ministrante laetari arbitror. *Prud. in Sym.* 1, 276. Nectaris ambrosii sacrum potare lyaeum. ℙ Per translationem usurpatur pro quovis vino dulciore, et pro ipso etiam melle, aut lacte. *Virg. G.* 4, 164. et dulci distendunt nectare cellas. *Stat. Silv.* 2, 2, 99. Bacchaeum nectar. *Ov. Met.* 15, 116. Quid meruistis oves, etc. pleno quae fertis in ubere nectar? Sic *Mart.* 13, 47. Picentina Ceres niveo sic nectare crescit, *h. e.* panis ex alica agri Picentini, qui lacte mulso madefactus commendabatur in cibo, ut *Plin.* docet 18, 11, 27. ℙ *Lucr.* de grato odore, 2, 847. nectar qui naribus halant. ℙ De poetico melle. V. *Persii l. c.* in MELOS.

NECTĂRĔUS et Nectarius, a, um, adj. *νεκτάρεος*, nectaris saporem, vel odorem habens. *Ov. Met.* 7, 707. Nectareis quod alatur aquis. *Mart.* 13, 108. Falernum nectareum. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 209. pars nectareis aspergite tecta Fontibus. Est qui legit *Floribus.* ℙ Translate est suavissimus. *Appul. Met.* 2. Occursantis linguae illisu nectareo; et *ib.* 5. Nectareum vinum. ℙ *Nectarea* est herba, aliis nominibus helenion, medica, symphyton, etc., ex qua conditur vinum, quod *nectarites* appellatur, radice ponderis XL. in sextarios sex musti addita in linteo. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 5. [*Alant.*]

NECTĂRĪTES. V. in v. praec.

NECTO, is, xui et xi, xum, a. 3. *πλέκω*, simul ligo, jungo, plecto, innecto, circumdo, cingo. [*Ita quidem, ut coercendi, impediendi notionem proprie contineat. Quid differant *jungere* et *copulare*, v. in hh. vv.] *Virg. Ecl.* 8, 77. Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores. In *commentar. sacror.* ap. *Fest.* Pontifex minor ex stramentis napuras nectito, *h. e.* funiculos facito. *Hor. Od.* 1, 29, 4. horribilique Medo Nectis catenas; et *ib.* 4, 11, 2. est in horto, Phylli, nectendis apium coronis. *Id. ib.* 26, 7. apricos necte flores, Necte meo Lamiae coronam. *Ov. Fast.* 6, 329. Ili ludunt, hos somnus habet, pars brachia nectit, Et viridem celeri ter pede pulsat humum, *h. e.* ut ait *Stat. Achill.* 1, 319. simulare choros, et brachia ludo Nectere. *Hor. Ep.* 1, 19, 31. Nectere cuipiam laqueum. *Virg. A.* 4, 239. talaria pedibus. *Plin. ep.* 9, 28. *med.* alicui compedes. *Mart.* 14, 206. vinculum collo. *Id.* 7, 89. comas sertis. *Ov. Am.* 1, 2, 23. comam myrto. *Val. Fl.* 5, 79. cornua vitta; et 6, 297. tempora ramo. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 18, 14. ex viminibus vasa agrestia. *Sen. Herc. Oet.* 1098. stamina colo. *Prop.* 3, 6, 37. nostro nexisti retia lecto. (Ita legit etiam *Diomed.* 1, 366., item *Prisc.* 10. p. 903. *Lucil. ib.* Et cum id mihi visus est facere, tum retia nexit.) Al. leg. *tendisti. Sall. fragm. ib.* Nexuit catenae modo. *Virg. A.* 5, 309. flavaque caput nectentur oliva. *Prop.* 4, 3, 48. Africus in glaciem frigore nectit aquas. ℙ Pro simplici *ligo*, *as. Liv.* 8, 28. *extr.* Ita nexi soluti: cautumque in posterum, ne necterentur. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 34. Cum sunt propter unius libidinem omnia nexa civium liberata, nectierque postea desitum. V. NEXUS, a, um. *F.*] ℙ Translate. *Cic. Leg.* 1, 19. *extr.* Videtisne, quanta series rerum sententiarumque sit, atque ut ex alio alia nectantur? *Id. Top.* 15. Ex hoc genere causarum ex aeternitate pendentium fatum a Stoicis nectitur. [*Adde *Fin.* 3, 22.] *Sen. Oed.* 92. Sphinx nectens verba caecis modis. *Ov. Pont.* 4, 2, 30. Numeris verba nectere. (Sic *Stat. Silv.* 2, 2, 115. carmina.) *Id. Am.* 2, 2, 35. jurgia cum aliquo; et *Liv.* 27, 28. dolum. Sic *Sen. Troad.* 523. pectore astus callidos; et *ib.* 928. scelera. *Val. Max.* 3, 8. *n.* 5. *extr.* insidias. *Sil.* 6, 326. fraudem. *Virg. A.* 9, 219. causas inanes; et *Val. Fl.* 3, 374., *Sen. Ira* 3, 39., *Tac. A.* 12, 14. et *Sen. alter Herc. Oet.* 10. moras; et *ib.* 367. choros, *i. e.* brachia invicem nectendo saltare. *Val. Fl.* 3, 593. foedera. Et absolute *Stat. Th.* 8, 637. Talia nectebant, *h. e.* colloquebantur.

NECTUS, a, um, part. a *neco*, pro *necatus* agnoscitur a *Diomed.* 1, 362. et *Prisc.* 9, 861. cum eo discrimine, de quo in NECO dictum est. Quidam legunt etiam ap. *Cic. Leg.* 3, 10. Quin per ipsum Ti. Gracchum non solum nectus, sed etiam sublatus intercessor fuerat. Sed alii aliter. Locus est enim varie vexatus. [*Orell.* locum difficillimum ita constituit: Quin ipsum Ti. Gracchum non solum neglectus, sed etiam sublatus intercessor servaverat: sententiamque talem exposuit: Non periisset ipse Ti. Gracchus, si intercedenti Octavio paruisset; sed non solum eum neglexit, verum etiam sustulit, idque facinus ipsi postea fuit perniciosum. — Rationes v. ap. ipsum.] Idem dic de loco altero *Sereni Sammon.* 33, 627., apud quem nonnulli leg. Pulegio admixto venit embryo nectus aceto. Alii repon. *Pulegii quoque purgati tunc convenit imber. Morgagnus* priorem versum retinere videtur.

NĔCŬBI, adv. ne in aliquo loco. Est a *ne*, et *alicubi*, non a *nec*, et *ubi*. Quare producit primam. *Varr. R. R.* 2, 2. *f.* Itaque faciunt lapide strata, ut urina necubi in stabulo consistat. *Caes. B. G.* 7, 35. Dispositis exploratoribus, necubi Romani copias transducerent. *Liv.* 22, 2. Hispanos et Afros, necubi consistere coactis necessaria ad usus deessent, primos ire jussit. *Colum.* 2, 18. Grumos dissipabimus, ita ut necubi ferramentum foenisecae possit offendere. *Lucan.* 9, 1058. Scilicet hoc animo terras, atque aequora lustras, Necubi suppressus pereat gener?

NĔCUNDĔ, adv. ne alicunde. *Liv.* 22, 23. *extr.* Circumspectans, necunde impetus in frumentatores fieret. *Id.* 28, 1. *extr.* Signa quam maxime ad laevam jubebat ferri, necunde ab stationibus Punicis conspiceretur.

NĔCUNQUEM, nec unquam quenquam. *Fest.*

[NĔCŪTER, tra, trum, adj. idem ac neuter. *Inscr.* optimae notae ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 139. *lin.* 8. In necutro mihi consto repetens pristinos casus meos. *F.*]

NĔCYDĂLUS, i, m. *νεκύδαλος*, genus vermiculi, de quo *Plin.* 11, 22, 26. E grandiore vermiculo, gemina protendente sui generis cornua, primum eruca fit, deinde quod vocatur bombylius, ex eo necydalus, ex hoc in sex mensibus bombyx. V. BOMBYX.

NĔCYOMANTĬA. V. NECROMANTIA.

*NEDĪNĀTES, ium, incolae Nedini, quod Liburniae oppidum fuit, teste *Ptolemaeo. Plin.* 3, 19. *B. A.*

[NĔDĪTĂ, ae, comm. gen. et

[NĔDĪTĀNUS, a, um, adj. ad Nedinum, *Νήδινον*, pertinens, mediterraneam Liburniae urbem, cujus meminit *Ptolem.* 2, 17. *Inscr.* ap. *Gud.* 129, 4. C. Lartio Sabiniano officiali Neditarum rarissimo, etc. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 453. Q. Publicius Macedo Neditanus. *F.*]

NĔDUM, conj. *οὐχ ὅσον, οὐχ ὡς*, [*non dicam, multo minus. Subjicitur sententiae negativae ita, ut praecedente negatione vel expressa vel tacita, vim negandi magis etiam augeat.] Expressa, ut *Cic. Cluent.* 35. Optimis temporibus nec P. Popillius, nec Q. Metellus vim tribuniciam sustinere potuerunt, nedum his temporibus, his moribus, sine vestra sapientia salvi esse possimus. *Ter. Heaut.* 3, 1, 43. satrapes si siet Amator, nunquam sufferre ejus sumptus queat; Nedum tu possis. *Liv.* 3, 14. *f.* Nec voce quidem incommoda, nedum ut ulla vis fieret. ℙ Tacita, ut *Cic. Fam.* 16, 8. Vix in ipsis tectis frigus vitatur; nedum in mari, et in via sit facile abesse ab injuria temporis. *Liv.* 24, 4. Puer vix dum libertatem, nedum dominationem modice laturus. *Id.* 6, 7. Aegre inermem tantam multitudinem, nedum armatam, sustineri posse. ℙ Tacitam negationem continent illa quoque *Cic. Fam.* 7, 28. Erat enim multo domicilium hujus urbis aptius humanitati tuae, quam tota Peloponnesus, nedum Patrae. *Liv.* 9, 18. Adulationes etiam victis Macedonibus graves, nedum victoribus. *Id.* 7, 40. Quintius, quem armorum etiam pro patria satietas teneret, nedum adversus patriam. *Suet. Claud.* 40. *f.* Multaque talia, etiam privatis deformia, nedum principi. *Prop.* 1, 9, 31. Illis et silices, et possunt cedere quercus; Nedum tu possis, spiritus iste levis. *Hor. A. P.* 68. mortalia facta peribunt, Nedum sermonum stet honos, et gratia vivax. ℙ Interdum tacita illa negatio, non quidem in verbis est, sed in rebus, cum scilicet prius membrum posteriori aliquo modo contrarium est. Hac ratione habet interdum eam vim, quam *multo magis. Liv.* 45, 29. Insueta omnia oculis auribusque, quae vel socios, nedum hostes victos terrere possent. *Id.* 26, 26. *extr.* Consules bellicosi, qui vel in pace tranquilla bellum excitare possent, nedum in bello respirare civitatem forent passuri. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 26. *extr.* Ornamenta etiam legioni, nedum militi, satis multa. *Sen. ep.* 99. Mehercules satis mihi jam videbaris animi habere etiam adversus solida mala, nedum ad istas umbras malorum, quibus ingemiscunt homines moris causa. *Quint.* 12, 1. Concedant mihi omnes oportet, facturum aliquando bonum virum, ut mendacium dicat, et quidem nonnunquam levioribus causis, uti pueris aegrotantibus, utilitatis eorum gratia, multa non facturi promittimus; nedum si ab homine occidendo grassator avertendus sit, aut hostis pro salute patriae fallendus. ℙ Raro ponitur priore loco, ut *non solum. Balb. et Opp.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Nedum hominum humilium, ut nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate, a plerisque probari solent.

[NĒDYMĒ, es, f. *νηδύμη*, et

[NĒDYMUS, i, m. *νήδυμος*, ex quo quis non facile surgit, somni epithet., a particula *νη*, in compositione privativa, et *δύω* vel *δύνω*, subeo: hinc dulcis, suavis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 696, 5. Donatus et Nedyme filio pio. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 448. C. Cornelius Nedymus. *F.*]

*NEE, es, f. opp. Troadis. *Plin.* 5, 30. ℙ Dicitur et Nea. V. NEA. *B. A.*

[NĔFANDĀRĬUS, a, um, adj. qui ex nefando constat, vel nefanda perpetrat. *Not. Tir.* p. 74. Nefas, nefandus, nefandarius. *F.*]

NĔFANDĔ, adv. nefarie, *ἀῤῥήτως*. *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 14, 993. Ubi multa nefande ausi atque passi.

NĔFANDUS, a, um, adj. *ἄῤῥητος*, qui non est fandus, nefarius, infandus. [*Quid *nefandus* et *infandus* differant, V. in h. v. Quid *nefarius*, dictum est in h. v. Ceterum nota, *nefandus* ante *Quint.* de hominibus dictum nusquam legi.] *Cic. Har. resp.* 20. Per nefandum scelus. *Virg. A.* 1, 547. At sperate Deos memores fandi atque nefandi. *Just.* 16, 4. Nefandissima quaeque tyrannicae crudelitatis exercuit. [*Liv.* 1, 59. nefandum vehiculum, i.

e. per quod nefandum scelus commissum est; quod nefando insidentis scelere actum est per parentis corpus.] *Quint.* 1, 3. *f.* Nefandi homines. *Cic. ad Brut.* 1, 6. *med.* Nefanda arma. *Plin.* 28, 1, 2. Etiam cum obscenus vixeris, aut nefandus. *Quint. decl.* 18, 11. Nefandissime senex. *Just.* 18, 7. Nefandissimum caput. ℙ [*Commutantur *nefanda* et *non fanda*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 634.]

NĔFANS, antis, adj. idem ac nefandus, ap. veteres. *Lucil.* ap. *Non.* 8, 47. Tantalu', qui poenas ob facta nefantia luvit. Adde *Varr. ib.*

NĔFĀRIĒ, adv. *ἀνοσίως*, nefande, scelerate, impie. *Cic. Verr.* 1, 13. Quae in rebus judicandis nefarie flagitioseque facta sunt; et *ib.* 3, 2. *extr.* Impie nefarieque committere aliquid; et *Div. Verr.* 12. Quae ille libidinose, quae nefarie, quae crudeliter fecerit. *Id. Cat.* 2, 1. Pestem patriae nefarie moliri. *Id. Rosc. Am.* 11. Pater occisus nefarie. *Hirt. B. Afr.* 44. Cives et optimum quemque nefarie consectari.

NĔFĀRĬUS, a, um, adj. *ἀῤῥητος*, *ἀνόσιος*, *ἀθέμιστος*, nefandus, sceleratus, impius, pessimus: a *ne* et *fari*, quod de eo ne fari quidem decet. *Varr.* ap. *Non.* 1, 290. ducit a *far*, quo scelerati viri uti non debent: unde significatur, quod qui indigni sunt qui vivant, nefarii vocantur. *Ascon.* quoque *Verr.* 2, 1, 2. indidem trahit, et sacrilegum proprie esse docet, quasi sacra polluentem, in quibus far adhibetur. [*Nefarius* originem proxime ducit a *nefas*: ita recte *Doederl.* 2, 150. ubi coll. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 51. p. 300. *nefarius* et *nefandus* saepius quidem promiscue fere poni, (ut *nefandum scelus* ap. *Cic. Har. resp.* 20. *nefarium scelus* ap. *Eund. Or.* 1, 51.) sed eo differre dicit, quod *nefarius* proprie ad eum, qui scelus fecerit, *nefandus* ad scelus ipsum pertineat.] *Cic. Off.* 2, 14. Homo nefarius et impius. *Id. Sull.* 9. *f.* Voluntates consceleratae ac nefariae. *Id. Rosc. Am.* 13. Scelestum ac nefarium facinus. *Id. Off.* 2, 8. Multa commemorare nefaria in socios. *Caes. B. C.* 2, 32. Nefario scelere se obstringere. *Id. B. G.* 7, 77. Singularis et nefaria crudelitas. *Hor. A. P.* 186. Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus. *Quint.* 8, 3. *med.* Nec parricidam, nequam dixeris hominem, nec deditum forte meretrici, nefarium: quod alterum parum, alterum nimium est. ℙ *Nefarium, ii*, substantive positum pro nefario scelere. *Liv.* 9, 34. *med.* Nisi universam rempublicam eo nefario obstrinxeris, quod ominari etiam reformidat animus.

NĔFAS, n. indecl. *ἀθέμιστον*, quod non est fas. [*Recte *Voss. Anal.* 1, 41. p. 185. *ed. Opp. nefas* ortum dicit ex *nefans*, eodem modo quo *praegnas* ex *praegnans*. V. *Doederl.* 2, 148.] *Cic. Fam.* 15, 21. *extr.* Officia tua, quae cum tibi liceat, mihi nefas est oblivisci. *Id. N. D.* 3, 22. Mercurius, quem Aegyptii nefas habent nominare. *Caes. B. G.* 7, 40. *extr.* Quibus nefas more Gallorum est, etiam in extrema fortuna deserere patronos. *Nep. Epam.* 7. Patriae irasci nefas esse ducebat. *Virg. A.* 6, 391. Corpora viva nefas Stygia vectare carina. *Cic. Mil.* 27. Eum, cui nihil unquam nefas fuit nec in facinore, nec in libidine. *Id. Sen.* 5. Nefas est dictu, miseram fuisse talem senectutem. ℙ Scelus, nefandum facinus. [*Docet *Doederl. l. l.* esse nostr. *Frevel*, *Sünde*, utpote quod proprie scelus maxime contra Deos resque sacras factum significet. Quid *scelus* et *flagitium* discrepent, V. in hh. vv.] *Juven.* 13, 54. Credebant hoc grande nefas, et morte piandum, Si, etc. *Virg. A.* 2, 184. Nefas triste piare; et *ib.* 4, 563. Illa dolos, dirumque nefas in pectore versat, Certa mori; et *ib.* 6, 624. Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti. *Hor. Od.* 4, 5, 22. Lex maculosum edomuit nefas, *h. e.* adulteria compescuit. *Just.* 24, 3. Magnum nefas contrahere. *Ov. Met.* 6, 613. in omne nefas ego me, germana, paravi. [*Lucan. 2, 507. nefas belli; et 4, 519. Bellorum fecere nefas: ita dicit poeta bellum civile, in quo cives, fratres, parentes invicem sibi mortem parant. — Hinc *nefas* absolute etiam de bello civ. ponitur ap. *Eund.* 7, 432. Quod fugiens civile nefas: V. *Barth.* ad *Claud. Ruf.* 2, 26. p. 1194. — Porro de scelere occisorum in pugna civium. *Id.* 7, 123. Omne nefas victoris erit.] ℙ Aliquando interseritur sermoni, more interjectionis, ut *malum*, *indignum*. [*Exposuit de hoc dicendi genere *Ruddim.* 1, 320, 7.] *Virg. A.* 10, 673. Quosne (nefas!) omnes infanda in morte reliqui? et *ib.* 8, 688. sequiturque (nefas!) Aegyptia conjux. Sic *Hor. Od.* 3, 24, 30. quatenus (heu nefas!) Virtutem incolumem odimus, etc. et *ib.* 4, 6, 17. heu nefas, heu! ℙ *Fas et nefas*, aequum et iniquum, jus et injuria. *Virg. G.* 1, 505. ubi fas versum, atque nefas. V. FAS. ℙ *Per fas, et nefas*, quacumque ratione sive aequa, sive iniqua. *Liv.* 6, 14. *med.* Id vero ita accendit animos, ut per omne fas ac nefas secuturi vindicem libertatis viderentur. ℙ *Nefas est*, pro fieri non potest. [*Gr. *ἀδύνατον*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 238. sq. ubi hanc vocis notionem satis quidem firmatam intelliges.] *Hor. Od.* 1, 24, 20. levius fit patientia Quidquid corrigere est nefas. ℙ *Nefas* pro homine nefario. *Virg. A.* 2, 585. Exstinxisse nefas tamen, et sumpsisse merentis Laudabor poenas, *h. e.* Helenam, exitium Trojae. ℙ Et pro monstro, prodigio, re insolita inauditaque. *Virg. A.* 7, 73. Lavinia virgo Visa (nefas!) longis comprendere crinibus ignem; et *Stat. Th.* 6, 942. penitus latet exitus ingens, Monstratumque nefas. Adde *ib.* 498. [*Adde *Lucan.* 1, 626. Quodque nefas nullis impune apparuit extis etc. ubi v. *Cort.*, qui laudat *Sen. Oed.* 313. Scrutemur unde tantus hic extis rigor; Quod hoc nefas? — Porro huc pertinent ista *Lucan.* 6, 195. Eumenides, stygiumque nefas: ubi laud. *Cort.* sim. loc. *Sen. Med.* 7. sqq.; et *Lucan.* 7, 170. Infernumque nefas: ubi cit. *Barth.* ad *Claud. Ruf.* 1. p. 856.]

NĔFASTUS, a, um, adj. cum voce *dies* junctum dicitur de iis diebus, qui dies *fasti* non sunt, h. e. in quibus non licebat praetori jus publice dicere, tria illa solemnia verba usurpando, *Do*, *Dico*, *Addico*. V. FASTUS, a, um. Ne magistratus quidem licebat his diebus cum populo agere. *Liv.* 1, 19. *f.* de Numa: Ille nefastos dies, fastosque fecit, quia aliquando nihil cum populo agi, utile futurum erat. ℙ Est item nefarius, nefandus, iniquus, impius, sceleratus. [*Ita nos quoque voce *unsäglich* utimur pro *heillos*, *entsetzlich*.] *Hor. Od.* 1, 35, 36. quid intactum nefasti Liquimus? unde manum juventus Metu Deorum continuit? *Plin.* 4, 11, 18. Arx regum Thraciae, a Terei nefasto crimine invisa hirundinibus. *Cic. Leg.* 2, 8. *extr.* Quae augur injusta, nefasta, vitiosa, dira defixerit, irrita, infectaque sunto. [*Nefastus* h. l. non mores spectat minus probatos, sed ceremonias non rite perfectas. Perperam igitur *Forc.* hunc l. huc retulit. V. *Doederl.* 2, 150.] *Plin.* 14, 19, 23. Prolibare Diis nefastum habetur vina vitis fulmine tactae, *h. e.* nefas habetur. ℙ [*Hinc *nefastus* dicitur de eo, quod noxam, damnum, perniciem affert.] *Plin.* 20, 11, 44. Apium inter nefastos frutices damnare, *h. e.* infelices, noxios. *Liv.* 6, 28. *f.* Ne qua terra sit nefasta victoriae suae, *h. e.* inauspicata, tristis, mali ominis; [*quasi nefas sit inde victoriam reportare. V. *Intt.* it *Stroth.* ad h. l. Cf. etiam 1, 19.] *Stat. Th.* 1, 273. Arcades hic tua (nec pudor est?) delubra nefastis Imposuere locis, *h. e.* conceleratis, inauspicatis. Sic *ib.* 4, 456. Acheron nefastus; et *ib.* 630. Sacra nefasta. *Sen. Oed.* 1027. Morere, et nefastum spiritum ferro exige. ℙ *Nefastus dies* interdum est religione contactus, ominosus, funestus, ater; ea ratione, qua *nefasta loca* et *nefastam terram* dixere *Stat.* et *Liv.* Et quidem *Gell.* 4, 9. et 5, 17. multitudinem ait imperitorum prave, et perperam religiosos dies appellare *nefastos:* fortasse quia credidit ad praetorem respicere jus dicentem. *Hor. Od.* 2, 13, 1. Ille et nefasto te posuit die, etc. *Suet. Tib.* 53. Cum diem quoque natalem ejus inter nefastos referendum suasisset, [*i. e. ut tristem, ad ignominiam defunctae.]

[NĔFĔLA. V. NEPHELA. *F.*]

NEFRENDES, dicebantur, ut *Attejus Capito* scripsit, infantes nondum frendentes, idest frangentes, vel, ut *Q. Mutius Scaevola*, arietes, vel (ut *Varr. R. R.* 2, 4.) porci, primo illo tempore, postquam a lacte amoti sunt: a *ne* et *frendens*, idest sonum edens dentibus collisis, et metonymice frangens dentibus, quia nondum solidum cibum, ut fabam, frendere, seu frangere possunt. Alii dicunt, *nefrendes* renes esse, alii testiculos, quos Lanuvini appellant nebrundines, Graeci *νεφρούς*, Praenestini nefrones. Haec *Festus.* Huc pertinet illud *Mart.* 3, 47. Nondumque victa lacteus faba porcus. V. INFRENDIS. ℙ In sing. numero. *Liv.* ap. *Fest.* Quem ego nefrendem alui, lacteam immulgens opem. [*Fulgent. de prisc. serm. n.* 5. Coeperunt efferre porcum castratum, quem nefrendem vocabant, quasi sine *νεφροῖς*, id est renibus. *F.*]

[NEFRENDĪTĬUM, ii, n. *Gloss. Isid.* Nefrenditium, annuale tributum, quod certo tempore rustici dominis, vel discipuli doctoribus afferre solent, dumtaxat sit carneum, ut porcellus. *F.*]

NEFRONES. } V. NEBRUNDINES.
NEFRUNDINES. }

*NEFUNUS vel Ne-funus, eris, i. e. non funus. *Catull.* 64, 81. Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis Projicere optavit potius, quam talia Cretam Funera Cecropiae nefunera portarentur. Vulgo legitur *nec funera*. *Heinsius* conjicit *seu* vel *ceu funera*. Alii aliter. Simile est Graecum illud *ταφος ἄταφος*, et alia plura. V. *Vulp.* et quos citat *Doering.* ad l. *Hemsterhus.* ad *Lucian.* T. 1. p. 698. *Rittersh.* ad *Oppian.* p. 29. sq. *Alberti* ad *Hesych.* T. 1. p. 275. n. 4. *B. A.*

NĔGABUNDUM. V. NEGIBUNDUM.

NĔGANS, antis, part. a *nego*. *Cic. Top.* 11. Sunt etiam valde contraria alia, quae appellantur negantia: ea *ἀποφατικὰ* Graeci, contraria ajentibus, ut, Si hoc est, illud non est. *Cajus Dig.* 50, 16, 237. Duobus negantibus verbis quasi permittit lex magis, quam prohibet. *Torrent.* habet *negativis.*

NĔGANTĬA, ae, f. idem ac negatio. *Cic. Top.* 14. Deinde addunt conjunctionum negantiam [*Verneinung des Beisammenseins zweier Begriffe*] sic: Non et hoc, et illud: hoc autem: non igitur illud.

[NĔGANTĪNUMMĬUS, a, um, adj. nummos dare negans, ut Negantinummia basiola, ap. *Appul. Met.* 10. Tunc exosculat pressule, non qualia in lupanari solent basiola jactari vel meretricum poscinummia, vel adventorum negantinummia: scil. meretrices per basia nummos poscunt, adventores vero eadem ingerunt, ut nummos minime dent. Alii perperam leg. *negotinummia*. *F.*]

NĔGĀTĬO, onis, f. *ἀρνησις*, *ἀπόφασις*, inficiatio, et est magis facti, vel dicti, quam petitionis, vel postulationis. *Cic. Part.* 29. Negatio, inficiatioque facti. *Id. Sull.* 13. *f.* Eandem vim esse negationis hujus. ℙ Metonymice accipitur pro particula negativa. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Propositio si assumat in principio negativam particulam, etc., si ei negatio praeponatur, etc.

NĔGĀTĪVUS, a, um, adj. *ἀρνητικὸς*, negans. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Negativa particula. V. NEGANS et NEGATIO. ℙ Duae negativae particulae simul positae affirmant. *Cic. Planc.* 9. Nemo Arpinas non Plancio studuit. *Cajus Dig.* 50, 16, 237. Duobus negativis verbis quasi permittit lex magis, quam prohibet. ℙ Interdum magis negant. *Varr.* ap. *Non.* 12, 54. Quorum a rege munera eorum noluerit nemo accipere. *Id. ib.* 46. Me omnino omnes heroas negat nescisse.

NĔGĀTOR, oris, m. qui negat. *Tert. adv. haer.* 11. Fidem meam deserens, negator invenior. *Prud. Cath.* 1, 57. Flevit negator denique. *Sidon. ep.* 9, 16. *in carm.* Negator Jovis ac Minervae.

NĔGĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad negandum inserviens, negativus, ut Negatoria actio, qua libertatem praediorum defendimus, negantes, aliquam ab his servitutem deberi. *Ulp. Dig.* 7, 6, 5. Quamquam actio negatoria domino competit adversus fructuarium. *Torrent.* habet *negativa;* et *ib. f.* Si negatoria actione utatur. Adde *ib.* 8, 5, 2 et 4. Hujus actionis formulas habes *ib.* 8, 13 et 14.

NĔGĀTRIX, icis, f. quae negat. *Prud. Apoth.* 617. Christum confessa triumphat Gens infida prius, Christi sed victa negatrix Subditur imperio. *Tert. Idol.* 23. *extr.* Litterae negatrices.

NĔGĀTUS, a, um, part. a *nego*, *ἀποφαθείς*. *Ov. Am.* 3, 4, 17. Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. *Pers. prol.* 10. Magister artis, ingenique largitor Ventor, negatas artifex sequi voces, *h. e.* quas natura negavit.

NĔGĬBUNDUM (pro *negabundum*) negantem dixit *Cato* ap. *Fest.*

NĔGĪTO, as, a. l. frequent. a *nego*. *Pl. Merc. prol.* 50. negitare adeo me natum suum. *Lucr.* 4, 911. Ne fieri negites, quae dicam, posse. *Sall. Jug.* 119. Rex primum negitare.

NĔGLECTĒ, adv. negligenter. *Hieron. ep.* 39. *n.* 1. Neglectius incedebat, *h. e.* cultu ornatuque contempto.

NEGLECTIM, adv. neglecte. *Vet. epigr.* in *Anth. Lat.* T. 1. p. 637. *Burm.* neglectim mihi se quae comit amica, Haec et inornata simplicitate valet.

NEGLECTĬO, onis, f. idem ac neglectus. *Cic. Mur.* 4. Neglectio amicorum improbitatem coarguit.

NEGLECTOR, oris, m. qui negligit. *August. serm. de divers.* 45, 9. *med.* Non neglector, sed effector praeceptorum Dei.

NEGLECTUS, a, um, part. a *negligo*, *καταφρονούμενος*, *ὀλιγωρηθείς*, non curatus, desertus, contemptus. *Cic. Fin.* 3, 20. Minime autem convenit, cum ipsi inter nos abjecti neglectique simus, postulare, ut Diis immortalibus cari simus. *Liv.* 28, 1. *f.* Castra soluta neglectaque, ut barbarorum, et tironum, et minus timentium, quod in sua terra essent. *Caes. B. G.* 6, 16. Neglecta religio. *Phaedr.* 4, 4. Neglectum jus. *Hor. Od.* 3, 6, 7. Dii multa neglecti dederunt Hesperiae mala luctuosae. *Id. Sat.* 1, 3, 37. Neglectis urenda filix innascitur agris. *Sen. Agam.* 424. Neglecta summas scuta per puppes jacent, *h. e.* a militibus deposita et abjecta. *Ov. A. Am.* 3, 153. Et neglecta decet multas coma. Sic *ib.* 1, 509. Forma viros neglecta decet; et *ib.* 3, 105. Cura dabit faciem: facies neglecta peribit. *Stat. Th.* 7, 164. Scilicet e cunctis ego neglectissima natis Progenies. *Lucan.* 10, 176. O sacris devote senex, quodque arguit aetas, Non neglecte Deis. ℙ Pro negligenti. *Cic. in Sen.* 6. Cum hoc homine, an cum stipite Aethiope, si in foro constitisses, nihil crederes interesse: sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanum, neglectum. Al. leg. *negotium*. [*Orell. leg. *inhumanum negotium*. *Wolf.* leg. conj. *neglectum negotium*.]

NEGLECTUS, us, m. neglectio, negligentia. *Plin.* 7, 51, 52. Signa letalia, fimbriarum curam, et stragulae vestis plicaturas, a somno moventium neglectum, praefandi humoris e corpore effluvium. *Ter. Heaut.* 2, 3, 116. haec res neutiquam neglectui est mihi. Al. leg. *neglectu.*

NEGLĪGENS et Neglegens, entis, part. a *negligo*, *ἀμελὴς*, *ὀλίγωρος*, non curans, incuriosus, socors, indormiens, indiligens. *Festus:* Neglegens dictus est non legens, neque dilectum habens, quid facere debeat, omissa ratione officii sui. *Cic. Brut.* 68. Socors negligensque natura. *Id. Att.* 7, 20. Improvidi et negligentes duces. *Id. Verr.* 2, 3, 69. *f.* Negligens ac dissolutus; et *ib.* 62. Legum, officii, reipubl. sociorum, atque amicorum negligentior. *Id. Amic.* 17. In amicis eligendis negligentes

esse. *Id. Fam.* 13, 2. *f.* Non te in me liberalem, sed me in se negligentem putabit. *Just.* 32, 3. Non negligentior tantum in patrem, verum etiam contumacior erat. *Suet. Aug.* 79. Forma fuit eximia, quamquam et omnis lenocinii negligens, et in capite comendo tam incuriosus, ut, etc. *Pl. Most.* 1, 2, 60. Postilla med obtegere neglegens fui. *Suet. Tib.* 69. Circa Deos ac religiones negligentior. *Pacat. Pan. Theod.* 31. Ille quondam domus tuae negligentissimus vernula. [**Sen. ep* 100. *med.* Fabianus non erat negligens in oratione, sed securus.] ℙ De *eo*, qui in re sua servanda minime diligens est. *Catull.* 12, 3. de fure: Tollis lintea negligentiorum; et 19, 20. Vicinus prope dives est, negligensque Priapus: Inde sumite. *Plin. ep.* 14, 13. *med.* Nam qui fortasse de alieno negligentes, certe de suo diligentes erunt. ℙ Profusus, prodigus. *Cic. Fam.* 3, 8. *med.* Non potui in illo sumptu non necessario negligens esse. *Suet. Galb.* 14. Modo acerbior parciorque, modo remissior ac negligentior. [**Liv.* 27, 8. Adolescentia negligens luxuriosaque. *Quint. Inst.* 7, 2, 29. Sunt enim pleraque non solum dissimilia, sed etiam aliquando contraria: ut, si reus furti prodigus dicatur, aut negligens. V. *Graev.* ad *Cic. l.* modo *laud.*] ℙ Oscitans, et incautus in loquendo. *Catull.* 10, 33. Sed tu insulsa male, et molesta vivis, Per quam non licet esse negligentem. ℙ Passive. *Petr. Sat.* 128. Quid est? numquid te osculum meum offendit? numquid spiritus jejunio macer? numquid alarum negligens sudor? *h. e.* ex neglecto corporis cultu proveniens. Simile est illud *Quint.* 11, 3. *med.* Cum vero magna pars est exhausta orationis, paene omnia decent, sudor ipse et fatigatio, et negligentior amictus, et soluta ac veluti labens undique toga. [**Adde ib.* 10, 7, 28. — Ciceroni placet, nullum nostrum usquam negligentem esse sermonem, quidquid loquemur, ubicumque sit pro sua scilicet portione perfectum.]

NEGLĬGENTER et Neglegenter, adv. *ἀμελῶς*, non curando, indiligenter, incuriose. *Phaedr.* 4, 1. mustela Involvit se farina, et obscuro loco Abjecit negligenter: sic Temere *Hor. Od.* 2, 11, 14. dixit. *Hirt. B. Afr.* 18. Languide negligenterque tela mittere. *Tac. G.* 17. Gerunt et ferarum pelles, proximi ripae negligenter, ulteriores exquisitius. *Suet. Gr.* 9. Librum etiam edidit continentem querelas de injuriis, quas professores negligenter ab ambitione parentum acciperent. Al. rectius leg. *negligentia, et ambitione*, h. e. ex contemptu. *Cic. Rosc. Com.* 2. Negligenter scribere adversaria, et diligenter conficere tabulas. *Id. Caecin.* 26. Negligentius adservare aliquid. *Sen. ep.* 63. *med.* Negligentissime amicos habere.

NEGLĬGENTIA et Neglegentia, ae, f. *ἀμέλεια*, incuria, socordia, indiligentia, pigritia. *Cic. Off.* 1, 9. Aut negligentia, pigritia, inertia, aut suis studiis occupationibusve sic impediuntur, ut, etc. *Id. Rosc. Am.* 21. Operae pretium erat negligentiam ejus in accusando considerare. *Id. Off.* 1, 36. Adhibenda est praeterea munditia non odiosa, neque exquisita nimis: tantum quae fugiat agrestem et inhumanam negligentiam. *Id. Att.* 1, 6. Accusare quempiam de litterarum negligentia, *h. e.* quod raro scribat. *Id. ib.* 8, 11. *f.* Epistolarum duarum, quas ad me misit, negligentiam, meamque in rescribendo diligentiam volui tibi notam esse, *h. e.* brevitatem, languorem, et quasi frigus. *Id. Or.* 23. *f.* Quaedam etiam negligentia est diligens: nam ut mulieres esse dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipsum deceat; sic haec subtilis oratio etiam incompta delectat. *Ter. Ph.* 5, 8, 27. Nam neque negligentia tua, neque odio id fecit tuo, *h. e.* quod te negligeret, parvi faceret, posthaberet. [*— Refertur ad Deos resque sacras. *Liv.* 22, 9. Plus negligentia caerimoniarum auspiciorumque, quam cet. i. e. omittendis, praetermittendis; et 43, 13. Ab eadem negligentia, qua nihil deos portendere vulgo nunc credant: ubi dictum est pro levitate, improbitate. Porro *Id.* 5, 51. Gentium jus — a nobis — negligentia deorum praetermissum.]

NEGLĪGO et Neglego, is, exi, ectum, a. 3. *ἀμελέω, ὀλιγωρέω*, non curo, praetermitto, contemno: a *nec* non, et *lego* eligo. *Cic. Fam.* 14, 4. Qui periculum fortunarum, et capitis sui pro mea salute neglexit. *Id. Verr.* 2, 3, 62. Dissimulare et negligere aliquid. *Id. Cluent.* 47. Quippiam praetermittere et negligere. *Sen. V. B.* 27. *med.* Negligere pecuniam. *Nep. Them.* 1. rem familiarem, [*i. e. prodigum esse.] *Prop.* 2, 13, 48. preces aure surda. *Cic. Rosc. Am.* 38. mandatum. *Id. Vat.* 2. legem. *Id. Quint.* 30. minas. *Tac. A.* 12, 45. vim, *h. e.* contemnere, non timere. *Caes. B. G.* 5, 7. imperium alicujus. *Id. ib.* 1, 36. Quod sibi Caesar denunciaret, se Aeduorum injurias non neglecturum; et *ib.* 5, 28. Etsi ab hoste ea dicebantur, non tamen negligenda existimabant. *Ter. Ad.* 4, 3, 16. Propter suam impotentiam se semper credunt negligi, *h. e.* contemni. ℙ Cum infinito. *Cic. Phil.* 3, 8. Diem edicti obire neglexit. *Id. Or.* 23. Verba verbis quasi coagmentare negligat. *Tibull.* 2, 6, 27. Claudit et indomitum moles mare, lentus ut intra Negligat hibernas piscis adesse minas. (Sic *Pall.* 1, 34. Altius tribus pedibus fodies hortulum, qui sic cultus negligat siccitates.) *Hor. Od.* 1, 28, 30. Negligis immeritis nocituram Postmodo te natis fraudem committere? *h. e.* parvi pendis, nihil vereris? Eodem modo loquitur *Catull.* 30, 5. Rursus *Hor. Od.* 3, 8, 25. Negligens, ne qua populus laboret, Parce privatus nimium cavere, *h. e.* cum minime sis sollicitus, cum sis securus, nihilque timeas, ne, etc. *Anton.* in *ep.* ad *Hirt.* ap. *Cic. Phil.* 13, 16. Theopompum confugere Alexandriam neglexistis, *h. e.* parvi fecistis, non laborastis, et quasi permisistis. ℙ *Neglegi* pro *neglexi. Aemil. Macer* ap. *Diomed.* 1, 366. et *Prisc.* 10, 895. Omnium nostrum neglegerit auctoritatem.

NĔGO, as, avi, atum, a. 1. [*Proprie significat *dicere, aliquid non esse, non factum*, v. *fore;* a *ne* et *ago*, i. e. dico. (*Schneid., Gr. Lat.* 1. p. 239., conjectura ad suspicandum ductus est, vv. *nego* et *neco*, *verneinen* et *vernichten*, ut eandem sententiam nonnisi forma varie exprimerent, ita ad unam etiam eamque communem utriusque verbi originem *nec* ut *vernichten* ad *nicht*) posse referri. Gr. *οὔ φημι, ich sage, behaupte, nicht*, etc. *Cic. Or.* 9. Demosthenes negat, in eo positas esse fortunas Graeciae, hoc an illud verbum dixerit, huc an illuc manum porrexerit, i. e. Demosth. contendit, non in eo etc. — *Thuc.* 8, 52. *ἐπηλήθενσεν ὁ Ἀλχας, οὐ φάσκων ἀνεκτὸν εἶναι:* ubi v. *interpp.* — *Id. Fin.* 2, 21. Stoici negant quidquam esse bonum, nisi quod honestum sit, i. e. docent, nihil cet. *Id. Or.* 3, 14. Qui ita dicerent, eos negavit adhuc se vidisse Antonius. *Har. resp.* 8. Nego ullo de opere publico tot senatus exstare consulta, quot de mea domo; et *Verr.* 2, 4, 1. Nego, in ilia tota ullum argenteum vas, nego, ullam picturam fuisse, quin abstulerit. *Caes. B. G.* 6, 31. Si ita fecissent, fines eorum se violaturum negavit, i. e. promisit se non viol. cet. *Tibull.* 1, 2, 38. Perque Deos omnes se meminisse neget, i. e. juret, se non meminisse. ℙ Huc pertinent maxime ii loci, in quibus post *nego* duo membra sequuntur, quorum posterius per ellips. v. *dicendi*, vel similis cujusdam a praecedente *nego* repetendae vocis explicare solent. Quos, qui *nego* per *dico non*, vel aliud simile interpretetur, facillime expediet. Disputat de hoc dicendi genere per ellipsin exponendo *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 197. *Cic. Att.* 7, 15. *med.* Plerique negant, Caesarem in conditione mansurum: postulataque haec ab eo interposita esse, quo minus quod opus esset ad bellum, a nobis pararetur. *Sall. Jug.* 114. Negat, se toties fusum Numidam pertimescere: virtuti suorum satis credere. *Cic. Off.* 3, 2, 9. qui negant, eum locum a Panaetio praetermissum, sed consulto relictum. *Vell.* 2, 118, 5. Negat itaque se credere, spemque in se benevolentiae ex marito aestimare profitetur; ubi v. *Ruhnk. Liv.* 35, 1. Negabat cessandum, et utique prius confligendum, quam etc. ℙ Porro huc faciunt ista, in quibus *nec nec* sequitur. *Ter. Phorm.* 2, 3, 6. Hanc Demipho negat esse cognatam? Neque ejus patrem se scire qui fuerit? Nec Stilponem ipsum scire qui fuerit? — Etiam illud *Varr.* ap. *Non.* 12, 46. Quae non modo ignorasse me clamat, sed omnes omnino heroas negat nescire: ubi Noster *nego* sensu affirmativo positum dixerat. ℙ Passive. *Colum.* 8, 14. *med.* Negatur anser aliena excludere ova. *Ov. Fast.* 4, 321. Casta negor; et *Mart.* 2, 5. Saepe domi non es: cum sis quoque, saepe negaris; et *Plin.* 29, 6, 38. *med.* Ciconiae pullum qui ederit, negatur annis continuis lippiturus. *Id.* 20, 5, 15. Habentes eam (*radicem*) negantur feriri a serpentibus. *Suet. Aug.* 94. Ex eo negantur ibi ranae coaxare. V. *Ruhnk.* ad *Albinov.* 152. ℙ Hinc *negare* dicitur de iis, qui quae vera sunt et sibi nota optime, tamen infitiantur: nostr. *leugnen. Cic. Brut.* 19. Qui a Naevio vel sumpsisti multa, si fateris, vel, si negas, surripuisti. *Ter. Eun.* 2, 2, 20. Quidquid dicunt, laudo: id rursum si negant, laudo id quoque: Negat quis, nego: ait, ajo. *Id. Phorm.* 3, 2, 39. num ego istuc nego? *Id. Ad.* 5, 3, 12. factum est: non nego. *Liv.* 38, 43. Negaturum aut me pro M. Fulvio, aut ipsum M. Fulvium censetis? *Cic. Att.* 5, 20. *med.* Pro certo negare. *Suet. Caes.* 66. Negando minuendove. ℙ Tum est recusare, abnuere, renuere, Gr. *ἀπειπεῖν, ἀπολέγειν, ἀποφάναι, ἀρνεῖσθαι*, nostr. *abschlagen, verweigern, sich weigern. Ov. Met.* 15, 648. parsque negandum Non putat auxilium. *Cic. Att.* 8, 4. *med.* Nunquam reo cuiquam tam praecise negavi, quam hic mihi. *Caes. B. G.* 5, 6. Postquam id obstinate sibi negare vidit. *Ov. Met.* 13, 741. Impune negare alicui. *Id. Her.* 3, 96. Negare opem patriae. *Id. Trist.* 5, 8, 13. alimenta miseris. *Suet. Aug.* 40. civitatem alicui. *Id. Tit.* 8. quidquam petenti. *Tibull.* 2, 3, 79. Non ego me vinclis verberibusque nego, i. e. me subtraho. *Lucan.* 8, 3. Cornipedem exhaustum cursu, stimulisque negantem magnus exhaustum cursu, stimulisque negantem magnus agit, i. e. se subtrahentem, non obedientem. Sic *Stat. Th.* 2, 668. ast tamen illi membra negant: nostr. *versagen. Cic. Q. Fr.* 2, 1. Causa sero perorata, sententias se rogaturum negavit, ne quod onus simultatis nobis imponeret. *Sil.* 9, 532. Non Teucros delere aderam, sed lumen alumnae Annibalem Libyae, pelli florentibus annis Vita, atque exstingui primordia tanta negabam, h. e. nolebam. ℙ Porro huc recte trahi posse videntur ista, quibus Noster ellipsin inesse dixerat, quae parum videtur necessaria. *Ter. Hec.* 1, 2, 41. pater, uxorem ut ducat, orare occipit, etc. Ille primo se negare: sed postquam acrius Pater instat, etc.; et *Phorm.* 1, 2, 63. obsecrat, Ut sibi ejus faciat copiam: illa enim se negat: Neque eum aequum ait facere. ℙ Ponitur id, quod negatur, etiam in dativo. *Mart.* 13, 7. Si spumet conchis rubra tibi pallida testa, Lautorum coenis saepe negare potes. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Stat. Silv.* 3, 1, 124. exscindere dextra Oppositas cautes, et saxa negantia ferro, i. e. resistentia; et *Id.* de agilitate currendi, *Th.* 6, 552. nec inutile bellis Subsidium, si dextra neget. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 179. cum Thessaliam scopulis inclusa teneret, Peneo stagnante, palus, et mersa negarent arva coli. *Ov. Trist.* 2, 10, 73. Poma negat regio; et *ib.* 2, 321. Nec mihi materiam bellatrix Roma negabat. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 59. et 8, 3., et quem ibi laud. *Heins.* ad *Claud. Rapt.* 2, 180. et *Gronov. Diatr. ad Stat. Silv.* p. 298.] ℙ *Negassim* pro *negaverim* est *Pl. As.* 2, 4, 96.

NĔGOTĬĀLIS, e, adj. ad negotia, actiones, causas forenses, et civiles pertinens, *πραγματικός. Cic. Inv.* 1, 11. Haec constitutio, quam generalem nominamus, partes nobis videtur duas habere, juridicialem, et negotialem. Juridicialis est, in qua aequi, et iniqui natura, aut praemii, aut poenae ratio quaeritur. Negotialis est, in qua quid juris ex civili more et aequitate sit, consideratur: cui diligentiae praeesse apud nos jurisconsulti existimantur. Adde *ib.* 2, 21., ubi et exemplum subjicit. *Quint.* 3, 6. *med.* tradit, negotialem partem esse, in qua de rebus ipsis quaeritur, remoto personarum complexu. V. *ib.* [*Jul. Val. ars rhet.* (ed. *A. Maio*) 27. *in.* Epistolarum species duplex est: sunt enim aut negotiales, aut familiares. Negotiales sunt argumento negotioso et gravi, etc. *F.*]

NĔGOTĬANS, antis, part. a *negotior:* negotiator. *Cic. Att.* 5, 20. *med.* Praefecturam petivit: negavi me cuipiam negotianti dare. *Inscr.* ap. *Grut.* 645, 8. et 12. Q. Ovilio Venustiano negotianti, etc. Alia *ib.* 640, 4. Ti. Claudius Ti. filius, negotians ferrarius. *Appul. Met.* 5. Magnis pecuniis negotians. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 3. *n.* 88. *ann. a Chr. n.* CCLI. Negotiantes vini Supernates et Ariminenses.

NĔGOTĬĀTĬO, onis, f. *ἐμπορία*, actus negotiandi, mercatura. *Cic. Fam.* 6, 8. Ut ad reliquias Asiaticae negotiationis proficiscare. [**Id. ib.* 13, 66. Caecinam in reliquiis veteris negotiationis colligendis juves. De significatione hujus v. Ciceronis tempore v. in *negotiator.* ℙ Inde ab Augusto *negotiatio* idem fere est quod *mercatura.*] *Suet. Vesp.* 16. Negotiationes quoque vel privato pudendas palam exercuit. *Ulp. Dig.* 14, 4, 5. *med.* Negotiatio sagaria, et lintearia. *Colum.* 8, 1. pecuaria. *Plin.* 6, 28, 32. Oppidum, in quo omnis negotiatio convenit. [**Val. Max.* 4, 8. de Confidio: Jam qui nunc praecipue negotiatione delectantur, etc. *Salmas.* ad *Capit. Part.* 9. legi volebat *necatione*, sed vindicarunt VV. DD. vulg., inprimis *Gronov. Obss.* 4, 24. qui etiam ex libris juris civilis demonstrat, *negotiationem* esse in iis interdum argentariam, et e *Jul. Firm.* 4, 7. commemorat *foenorum negotiationes.*]

NĔGOTĬĀTOR, oris, m. *ἔμπορος*, qui negotiatur, mercator. [*Distinguenda hujus vocabuli tanquam tempora sunt: nam Ciceronis tempore *negotiatores* erant cives Romani, qui aut pecunias mutuas dabant provincialibus ac fenus exercebant, *Bankiers*; aut magnis redemtionibus, ut frumenti ab integris provinciis, quod lucri causa Romam aut quorsum questus juberet, veherent, occupabantur, quos fortasse recte Gallico vocabulo dicere possemus *Entrepreneurs.*] *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 2. Improbus negotiator, paulo cupidior publicanus. [*Plura exempla v. in *Ernestii cl. Cic.* ℙ Distinguuntur a *mercatoribus*, non, ut Noster dixerat, ita ut *negotiatores* essent, qui eodem loco haerentes compararent, et coemerent merces, quas pluris distraherent: *mercatores*, qui nullo certo loco consisterent, et merces coemptas hinc inde exportarent, atque huc illuc importarent: sed eo, quod *negotiatores* liberae reipubl. temporibus nonnisi cives Romani: *mercatores* vile hominum genus, e faece plebis, libertini erant. Eam rem luculenter exposuit *Ernest.* in *Opusc. philoll. et critt.* p. 1 — 20. et in *cl. Cic.* s. h. v. Cf. *Heindorf.* ad *Hor. Sat.* 1, 7, 4. *Matth.* ad *Cic. Manil.* 7, 18. *Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 14, 58.] *Verr.* 2, 2, 77. Postulo mihi respondeat, qui sit iste Verrutius: mercator, an negotiator, an arator, an pecuarius. *Id. Planc.* 26. *med.* Negotiatoribus comis, mercatoribus justus, municipibus liberalis, sociis abstinens. *Id. Vat.* 5. Cum homines negotia gerentes judiciis iniquissimis irretires, mercatores e navi egredientes terreres, conscendentes morarere, etc. ℙ [*Sub Caesaribus et *negotiationis* et *mercaturae* vocabulum

idem significat, unde discrimen inter *negotiatores* et *mercatores* ap. hujus aevi scriptores non amplius valet. *Vell.* 2, 110, 6. Oppressi cives Romani, trucidati negotiatores, i. q. mercatores. *Suet. Ner.* 32. Praeclusit cunctos negotiatores.] *Quint.* 1, 12. *med.* Mercis sordidae negotiator. *Scaev. Dig.* 38, 1, 45. vestiarius. *Paul. ib.* 50, 5, 9. frumentarius. *Appul. Met.* 2. Cerdo negotiatur. *Quint.* 5, 12, 17. Mancipiorum negotiatores formae puerorum, virilitate excisa, lenocinantur, *h. e.* mangones. ℙ Item qui aliorum negotia exercet, praefectus negotiationi. *Labeo* ap. *Mart.* Dig. 32, 63. Negotiatores servi videntur, qui praepositi sunt negotii exercendi causa, veluti qui ad emendum, aut locandum, et conducendum praepositi sunt. ℙ Cognomen fuit Mercurii, qui mercaturis praeest. *Inscr.* ap. *Grut.* 55, 1. Mercurio negotiatori sacrum Numisius Albinus ex voto. Hinc *Ov. Fast.* 5, 671. Te, quicumque suas profitetur vendere merces. Ture dato, tribuas ut sibi lucra, rogat.

NĔGOTIĀTORĬUS, a, um, adj. ad negotiatorem, vel ad negotium pertinens. *Vopisc. Firm.* 3. Navesque quoque ad Indos negotiatorias misit. *Lampr. Alex. Sev.* 32. *extr.* Aurum negotiatorium et coronarium Romae remisit, *h. e.* quod a negotiatoribus pendebatur.

NĔGOTIĀTRIX, icis, f. quae negotiatur. *Inscr.* ap. *Mur.* 935, 3. Negotiatrix frumentaria, et leguminaria. *Tert. adv. Marc.* 2, 3. Bonitas apparituri boni negotiatrix. *Paul. Dig.* 34, 2, 32. §. 4. Cum testatrix negotiatrix fuerit.

NĔGOTĬNUMMĬUS, a, um, adj. nummos acquirens, lucrum afferrens. *Appul. Met.* 10. Adventorum negotinummia basiola. Alii rectius leg. *negantinummia.* V. NEGANTINUMMIUS.

NĔGOTĬOLUM, i, n. exiguum negotium. *Cic. Q. Fr.* 3, 4. *f.* Erit nescio quid negotioli. Adde *Plaut. fragm.* ap. *Prisc.* 3, 616.

NĔGOTĬOR, aris, atus sum, dep. 1. *πραγματεύομαι, ἐμπορεύω*, negotia exerceo, mercaturae operam do. *Cic. Off.* 3, 14. Cum se Syracusas otiandi causa, non negotiandi contulisset. *Id. Fam.* 13, 17. Curius, qui Patris negotiatur. [**Sall. Cat.* 40, 2. Umbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, cet. ℙ Caesarum tempore *negotiari* de quocunque mercaturae genere dicitur.] *Colum. praef.* 12. Negotiari aliquo genere mercaturae. [**Vell.* 2, 11, 2. Negotiantes in Africa. *Liv.* 33, 29. Negotiandi ferme causa argentum in zonis habentes in commeatibus (milites) erant.] ℙ Negotiari animas. *Plin.* 29, 2, 5. de medicis: Nec dubium est, omnes istos famam novitate aliqua aucupantes, animas statim nostras negotiari, *h. e.* anima et vita nostra ad quaestum et negotiationem suam abuti. *Hard.* ex MSS. legit *anima nostra.* ℙ [Part. *Negotians* V. s. *Negotiaturus* ap. *Sen. ep.* 119. *med.* Circumspiciebam in quod me mare negotiaturus immitterem. *F.*]

NĔGOTĬOSĬTAS, atis, f. negotiorum, seu rerum agendarum multitudo. Ita vertit *Gell.* 11, 16. Graecam vocem *πολυπραγμοσύνη.*

NĔGOTĬOSUS, a, um, adj. *πραγματώδης*, negotii plenus. *Cic. Mur.* 8. Provinciam Ostiensem non tam gratiosam et illustrem, quam negotiosam et molestam. *Sall. Cat.* 8. Prudentissimus quisque negotiosus maxime erat, *h. e.* in gerenda republica occupatus. [**Kritz. interpr.* rebus strenue gerendis intentus: quod praeferendum videtur.] *Pl. Merc.* 1, 2, 79. Quia negotiosi eramus nos nostris negotiis, Armamentis complicandis, et componendis studuimus. *Sen. Ira* 2, 13. *f.* Quid clementia remissius, quid crudelitate negotiosius? *August. ep.* 54. Vir negotiosissimus. ℙ *Negotiosa cogitatio*, est quae in negotiis suis considerandis occupatur. *Cels.* 4, 32. Qui convalescit, ambulare debet, circumcisa omni negotiosa cogitatione. ℙ *Negotiosi dies*, profesti, diebus sacris oppositi. *Tac. A.* 13, 41. *extr.* Eoque oportere dividi sacros, et negotiosos dies. [**Werkeltage.*] ℙ *Negotiosum tergum*, a *Pl.* dicitur *Mil.* 2, 5, 37. quod plagis exercetur.

NĔGOTĬUM, ii, n. *πρᾶγμα.* [*Compositum est, ut *Festus* docet, ex *nec* et *otium*, cujus contrarium significat, i. e. occupationem, laborem. *Front. de fer. Als. ep.* 3. *med.* (ed. *A. Majo.*) Jovem patrem ferunt nocti otium, diei negotium tradidisse. *Cic. Off.* 3, 28, 102. At hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo, qui deum nihil habere ipsum negotii, nihil exhibere alteri, sed eorum etiam, qui deum semper agere aliquid et moliri volunt, nunquam nec irasci deum nec nocere: ubi v. *Beier.*, qui praeter alia multa laudat *Epicuri κυρίαν δόξαν* ap. *Diog. Laert.* 10, 139. *Τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε ἀυτὸ πράγματα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει· ὥστε οὔτε ὀργαῖς, οὔτε χαρισι συνέχεται.* Adde *N. D.* 1, 20. et *Div.* 2, 17. ℙ Quoniam vero labor sine difficultate, molestia quadam esse non solet, factum, ut *negotium* multis in locis hanc notionem sibi vindicet. *Cic. Att.* 5, 17. *f.* Satis habeo negotii in sanandis vulneribus, quae sunt imposita provinciae; et *ib.* 12. Magnum negotium est navigare, atque id mense Quintili. *Id. Fam.* 3, 10. Alicui negotium facessere, *h. e.* molestiam creare. [Graeci item *παρέχειν πράγματα* dicunt. *F.*] *Id. N. D.* 1, 30. *extr.* et *Off.* 3, 31. cuipiam exhibere. *Quint.* 5, 12. facere innocenti. *Nep. Eum.* 12. Ut quoad ille viveret, ipsi securi esse non possent: interfecto nihil habituri negotii essent. *Cic. Fam.* 12, 2. Nihil est negotii libertatem recuperare. *Nep. Ag.* 5. *extr.* Sine negotio, cum voluerint, nos oppriment; et *Cic. Att.* 10, 16. Cato Siciliam tenere nullo negotio potuit. *Plin.* 21, 10, 34. Abrotonum seritur semine non sine negotio. *Cels.* 7, 5. Tela, quae illata corporibus intus haeserunt, magno negotio saepe ejiciuntur; et *Cic. Fam.* 2, 10. *f.* Oppugnabam oppidum munitissimum tantis operibus, tanto negotio, ut, etc. *Id. Tusc.* 1, 6. Quid negotii est, haec poetarum et pictorum portenta convincere? *Sall. Cat.* 2, 2. periculo atque negotiis compertum est, i. e., *intpr. Kritz.*, rebus gravioribus iisque implicatioribus. ℙ Tum *negotium* prae ceteris dicitur de universa reipublicae administratione, utpote quae cive Romano dignissima fuerit occupatio. *Cic. Off.* 3, 1. Nostrum otium negotii inopia, non requiescendi studio, constitutum est. ℙ Hinc *negotia* in universum ponuntur pro rei publicae muneribus. *Cic. Off.* 1, 21. In omnibus autem negotiis prius, quam aggrediare, adhibenda est praeparatio diligens. *Sall. Jug.* 95. Sulla otio luxurioso; tamen ab negotiis nunquam voluptas remorata. *Vell.* 2, 105, 2. ubi negotia fecissent locum otio. *Id.* 2, 1, 1. a negotiis in otium conversa civitas. *Id.* 2, 98, 3. et vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, i. e. rebus gerendis; et 2, 88, 2. de Maecenate: vir, ubi res vigiliam exigeret, sane exsomnis, providens, atque agendi sciens; simul vero aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis paene ultra feminam fluens. ℙ Tum de quocumque munere, officio, incepto publico vel privato *negotium* dicitur: ubi *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 3, 15. ita differre docet *res* et *negotium*, ut hoc magis ad eum, qui susceperit, cui mandatum sit, illud ad id, quod suscipiatur, cujus cura mandetur, pertineat. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 36. Te oro, et hortor, ut in extrema parte muneris ac negotii tui (i. e. provinciae regendae) diligentissimus sis. *Id. Or.* 2, 6. forensia negotia. *Fam.* 1, 6. Quae gerantur, accipies ex Pollione, qui omnibus negotiis non interfuit solum, sed praefuit; et *ib.* 13, 11. Negotium municipii quam commodissime administrare et quamprimum conficere; et *ib.* 26. explicare et expedire negotia, i. e. hereditatis. *Par.* 5, 2. Videat M. Curius — aliquem summis populi Romani beneficiis usum, barbatulos nullos exceptantem de piscina et pertractantem — nonne hunc hominem ita servum judicet, ut ne in familia quidem dignum majore aliquo negotio putet? *Verr.* 2, 3, 64. procurare negotium. *Cat.* 3, 2. suscipere. *Quint. Inst.* 4, 1. subire. *Cic. Or.* 2, 6. agere negotium etc. In vet. S. C. ap. *Front. Aquaed.* 104. imperare alicui, ut inspiciat, etc. *Cic. Dom.* 20. dare alicui de re aliqua. *Id. Fam.* 13, 26. mandare. *Att.* 5, 10. versari in; et *ib.* emergere ex. *Q. Fr.* 1, 1, 1. Obrui magnitudine negotii. *Auct. ad Her.* 3, 24. Negotio detineri. *Cic. Har. resp.* 8. dare negotium magistratibus, ut, etc. i. e. mandatum. *Liv.* 3, 4. ut negotium daretur, videre ne, etc. i. e. videndi. *Suet. Tib.* 34. dato Aedilibus negotio inhibendi. *Ner.* 34. dato negotio trierarchis, qui Liburnicam confringerent. *Aug.* 40. Negotium Aedilibus dedit, ne. — Sine dativo personae. *Suet. Cal.* 22. dato negotio, ut simulacra numinum — apportarentur. — Sine addito objecto. *Id. Aug.* 3. Negotio sibi in senatu extra ordinem dato. Ap. *Nep. Alc.* 10, 4. eandem dicendi formulam *Brem.* interpretatur: persuadere alicui, ut. *Cic. Phil.* 2, 9. Quidnam homines putarent, si tum occisus esses, cum tu illum in foro gladio stricto insecutus es? negotiumque transegisses, nisi ille se in scalas tabernae librariae conjecisset. *Caes. B. G.* 1, 45. desistere, h. e. sociis defendendis. Adde *ib.* 3, 15. ibique *Herzog. Suet. Galb.* 19. Transactum negotium, oppressos, qui tumultuarentur; et *Oth.* 5. in ipso negotio plures affuturos (*ἐν αὐτῷ τῷ πράγματι*). *Id. Caes.* 23. In magno negotio habere aliquid, i. e. existimare rem magni momenti. Gr. *ἐν μεγάλῳ τίθεσθαι, ποιεῖσθαι. Casaub.* deletum voluit *negotio:* sed sine cdd. nihil mutandum. Simili ratione omittitur a quibusdam *negotia* ap. *eund. Caes.* 80. Causa maturandi destinata negotia: sed magna cautione opus est in expungendis, quae omitti possunt, sed non minus saepe adduntur. V. *Gronov. observv.* 2, 24. p. 206. *ed. Frotsch.* et *Oudend.* ad *Suet. l. l.* De ellipsi vv. *res*, *negotium*, sim. disp. *Zumpt. Gram. Lat.* §. 448. sq. — Huc pertinent et ista: *Cic. Fam.* 8, 8. *f.* His vocibus, ut existimarent homines, Pompejo cum Caesare esse negotium, effecit, i. e. dissidium, inimicitiam. *Nep. Dat.* 7, 1. Artaxerxes commotus est, quod intelligebat, sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse. *Ter. Ad.* 4, 5, 8. mirabar, quid hic negotii esset tibi. ℙ *Negotium* ponitur etiam de administratione rei domesticae, familiaris. Hinc rem male gerere ap. *Cic. Cat.* 2, 10. et ap. *Eund. Rosc. Com.* 12. Praeclare suum negotium gessit Roscius; et *Off.* 1, 9, 29. Sunt etiam, qui aut studio rei familiaris tuendae aut odio quodam hominum, suum se negotium agere, dicant; et *ib.* 34, 125. Peregrini autem atque incolae officium est — nihil praeter suum negotium agere; et *Amic.* 23, 3. ii, qui suum negotium gerunt otiosi, i. e. interprete *Wetzelio*, rem familiarem, non publicam administrant, ut Gr. *τὰ ἑαυτοῦ πράττειν*, quod tamen rectius de iis accipi posse videtur, qui res suas curant, lites fugiunt, vitam quietam et commodam agunt, opp. *πολυπραγμονεῖν.* V. *Schneid.* ad *Xenoph. Memor.* 2, 9, 1. *Hor. Sat.* 2, 3, 19. aliena negotia curo. V. *Plutarch. περὶ πολυπραγμοσύνης.* ℙ Tum in universum de omni genere quaestus dicitur, sed imprimis de eo, quod ex fenore redit: unde negotiari, negotiator, etc. *Cic. Fam.* 1, 3. Trebonius ampla et expedita negotia in tua provincia habet: ubi recte *Ernest.* in *cl. Cic.* de re pecuniaria intelligi vult, contra *Graev.*, qui *negotia* ad h. l. de praediis interpretatur, atque adeo de tota re familiari ad *Cat.* 2, 10. Hujusmodi negotia sunt etiam *Fam.* 13, 30. 33. 53. — *Sext.* 45. Sunt maximorum hominum ordines, quibus curia patet; sunt municipales rusticique Romani; sunt negotia gerentes, sunt etiam libertini optimates. *Hor. Ep.* 1, 6, 33. Ne Cibyratica, ne Bithyna negotia perdas. *Cic. Cluent.* 69. *extr.* Qui in agro Larinati praedia, qui negotia, qui res pecuarias habent; *negotia* ad tractationem pertinent. *Ernest. cl. Cic.* ℙ Significat *negotium* etiam res rationesque cum aliquo contractas. Ita recte explicat *Kritz. Sall. Cat.* 48, 5. Plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii: ubi *negotia Cort.* de beneficiis intell. ℙ In re forensi et rhetorica *negotium*, definiente *Apollodoro* ap. *Quint.* 3, 5. *f.*, est congregatio personarum, locorum, temporum, causarum, modorum, casuum, factorum, sermonum, scriptorum, et non scriptorum. Subdit *Quint.* Causam nunc intelligimus *ὑπόθεσιν*, negotium *περίστασιν* (h. e. *circumstantiam*). Sed ipsam causam quidam similiter finierunt, ut Apollodorus, negotium. ℙ Hinc *negotium facessere*, *exhibere* et *facere* ap. *Cic.* et *Quint. ll. cc.* de eo, qui accusat, dicuntur. Imprimis ap. *Suet.* v. *negotium* de rebus judiciariis poni solet. Ita *Aug.* 32. Ne quod autem maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur. *Cal.* 40. Si quis composuisse vel donasse negotium convinceretur, i. e. causam, de qua litigabatur. *Rhet.* 6. negotium afflixit, i. q. causam perdidit. *Vesp.* 21. Post decisa, quaecumque obvenissent, negotia: et al. ℙ Item rem, factum. *Cic. Tusc.* 1, 35. Pompejo cum graviter aegrotaret Neapoli, melius est factum. Coronati Neapolitani fuerunt: nimirum etiam Puteolani vulgo ex oppidis publice gratulabantur. Ineptum sane negotium, et Graeculum: sed tamen fortunatum. *Id. Q. Fr.* 2, 13. *f.* Ad Callisthenem, et Philistum redeo, in quibus te video volutatum. Callisthenes quidem vulgare et notum negotium, quemadmodum Graeci aliquot locuti sunt: Siculus ille capitalis, creber, acutus, etc. Loquitur de horum auctorum scriptis. *Id. in Sen.* 6. Cum hoc homine, an cum stipite Aethiope si in foro constitisses, nihil crederes interesse: sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanum negotium. Ita legit *Orell.* V. in NEGLECTUS. *Id. Att.* 1, 12. Teucris illa lentum negotium (*ein langsames Wesen*). Ita etiam Graecis *πρᾶγμα, χρῆμα* persaepe et eleganter de personis usurpantur. V. *Gronov. observv.* 4, 15. p. 464. *ed. Frotsch. Pl. Most.* 3, 2, 53. quid est negotii? *Tra.* herus peregre venit. ℙ Negotia humana, ap. *Arnob.* 1, 3 et 7. sunt res humanae. Sic 6, 198. negotia Thespiaca, res Thespiacae. ℙ Pro causa. *Pl. Capt.* 3, 3, 10. neque de hac re negotium est, quin male Occidam; et 3, 5, 11. quid negotii est, quamobrem succenses mihi?

*NEGRA, ae, f. Arabiae opp. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

NEGRITU, in auguriis significat aegritudo. *Festus.*

NEGUMĀTE, in carmine Cn. Marcii vatis significat negate, cum dixit: Quamvis moventium duonum negumate. *Festus:* ubi alii mallent *neginate* vel *negunate.* Verba *Marcii* ita legit *Scal.* Quamvis induitium duonum, negunate, *h. e.* quamvis initium bonum sit, tamen negate semper futurum.

[NĒHALENĬĀ, ae, f. Dea culta a populis circa Rheni ostia habitantibus, ac una ex aquatilibus numinibus habita: videtur esse ab Hebr. נַהַל *náhal*, torrens. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 177. Deae Nehalenniae ob merces rite conservatas M. Secundius Silvanus negotiator cretarius Britannicianus V. S. L. M. Adde alias *ib. n.* 178. 179. 180. et sqq. *F.*] ℙ *Est dea navigantium. V. *J. C. Keysler. Dissert. de Nehalennia numine veterum Walachiorum*, in *Select. Antiq. Septentr. et Celt.* In Expulsis perperam impressum *Nehallema. B. A.*

[NEICĒ, es, f. disyll. *νεῖκη*, rixa, contentio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 612. Maria C. L. Neice. *F.*]

[NEICO, onis, m. disyll. rixator: a *νεῖκος*, rixa. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 33. *n.* 160. Sex. Egnatius Sex. L. Neico. *F.*]

[NĒITH, indecl. disyll. *Νηΐθ*, nomen Minervae ap. Aegyptios. *Arnob.* 4, 137. Quod si fidem inquiris facti, Aegyptios et ego testes dabo, quo-

rum Neith lingua dicor, Platonis testificante Timaeo. *F.*]

NĔLĒĬUS, et

NĔLĒUS, a, um, adj. *Νηλεῖος*, ad Neleum pertinens. *Ov. Met.* 12, 577. Haec postquam dulci Neleius edidit ore, *h. e.* Nestor Nelei filius. *Id. Her.* 1, 63. Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva. *Sil.* 15, 459. Aequabat Pyliae Neleia mella senectae, *h. e.* Nestoris suaviloquentiam. *Ov. Met.* 6, 418. Et Nelea Pylos; et *ib.* 12, 558. Neptunus dederat, Nelei sanguinis auctor.

NĔLĔUS, i, m. disyll. *Νηλεύς*, Neptuni filius ex Tyro Nympha Salmonei filia, qui a Pelia fratre pulsus ex Thessalia in Laconiam venit, ubi Pylon urbem condidit, cujus rex fuit. Huic uxor fuit Chloris, Amphionis Orchomeni regis filia, ex qua duodecim filios suscepit, quos postea omnes una cum patre, praeter unicum Nestorem tum forte ablegatum, Hercules, eversa Pylo, interfecit. *Ov. Met.* 12, 553. et *ib.* 2, 689. ℙ *Fuit et Neleus fontis nomen in Hestiaeotide. *Plin.* 31, 2. ed. *Hard.* ubi pro *Nelea* (accusat.) *Melam* habet ed. *Elzev.* *B. A.*

*NELI, orum, populi Arabiae Petraeae. *Plin.* 6, 29. Fuit et Cambysu *(oppidum)* inter Nelos et Marchadas. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

NĔLĬDES, ae, m. *Νηλείδης*, filius, vel nepos Nelei, qui fuit pater Nestoris. *Ov. Met.* 12, 553. Bis sex Nelidae fuimus, conspecta juventus. *Val. Fl.* 1, 388. Nelidesque Periclymenus.

*NELO, onis, fluvius Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

NĒMĂ, ătis, n. *νῆμα*, filum, stamen: a *νέω*, neo. *Mart. Dig.* 39, 4, 16. §. 7. Vela tincta, carbasea, nema sericum. V. NEMEN.

NĒMAEUS et Neměus, a, um, adj. *Νεμαῖος* et *Νέμεος*, ad Nemeam pertinens, Nemaeus. *Hieron. in Vigil.* 1. Aprum Erymanthium, et leonem Nemaeum narrant fabulae poetarum. *Fest.* in *Perihodos*, et *Hyg. fab.* 273. Pithia, Isthmia, Nemea, Olympia vicit. ℙ *Nemeaeus* usurpare tutius est.

*NEMAUSIĂCUS, a, um, adj. i. q. Nemausiensis. *Theodulf. carm.* 1, 131. Inde Nemausiacas sensim proferamus ad arces. *B. A.*

NĔMAUSĬENSIS et Nemausensis, e, adj. ad Nemausum pertinens, quod est oppidum Galliae Narbonensis trans Rhodanum, nunc *Nimes*. *Plin.* 9, 8, 9. Nemausiensis ager. *Id.* 11, 42, 97. Nemausensis caseus. ℙ *Nemausienses* et *Nemausenses*, *ium* sunt incolae illius oppidi. *Id.* 3, 4, 5. Oppida Nemausiensibus attributa. *Inscr.* ap. *Grut.* 423, 6. et 496, 5. IIIIII. Viri corporati Nemausenses patrono. [*Nonnulla addidit *F.*]

*NEMAUSUS vel Nemausum, i, *Νέμαυσος*, Galliae Narbonensis oppidum. V. in NEMAUSIENSIS. Priore forma utitur *Mela* 2, 7. posteriore *Plin.* 3, 4. ℙ Fuit et nomen vicini fluminis. *Auson. de clar. urb.* 13, 33. Non Aponus potu, vitrea non luce Nemausus Purior: aequoreo non plenior amne Timavus. *B. A.*

[NĔMAUSUS, i, m. Nemausiensium Deus, eorum urbis conditor, quem Herculis filium quidam fuisse ferunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 1074, 9. Deo Nemauso Marius Paternus V. S. L. M. Alia ap. *Spon. Miscell. ant.* p. 111. Deo Silvano, et Libero patri, et Nemauso. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 413, 1. Laribus Aug. sacrum, et Nemauso. *F.*]

NĔMĔĂ, ae, et Nemee, es, f. *Νεμέη*, opp. Peloponnesi, in Argia, Cleonis proximum, inter Cleonas et Phliuntem, medium inter Sicyonem et sinum Argolicum, quo nomine etiam tota regio appellata est. Eodem nomine est juxta oppidum silva, et rupes, ubi Hercules leonem immanis magnitudinis interfecit. In cujus rei memoriam ludi postea in honorem Herculis instituti sunt, *Nemeaei* dicti. *Plin.* 19, 8, 46. Hinc *Virg. A.* 8, 295. et vastum Nemeae sub rupe leonem. *Mart. Spect.* 27. Non Marathon taurum, Nemee frondosa leonem, etc. *Stat. Silv.* 1, 3, 5. Illum nec calido latravit Sirius astro, Nec gravis aspexit Nemees frondentis alumnus, *h. e.* signum Leonis. *Id. Theb.* 4, 664. pulverea Nemeen effervere nube. ℙ Eum leonem *Claud. Laud. Herc.* 76. dicit fuisse filium Chimaerae: *Serv.* ad *A.* 8, 295. Lunae filium, et invulnerabilem: *Hyg. fab.* 30. Lunae alumnum, *h. e.* ab ea nutritum.

NĔMĔAEUS, a, um, adj. *Νεμεαῖος*, ad Nemeam pertinens. *Ov. Met.* 9, 235. de Hercule: Congeriem silvae Nemeaeo vellere summam Sternis, *h. e.* pelle leonis Nemeae interfecti; et *ib.* 197. His elisa jacet moles Nemeaea lacertis; et *Her.* 9, 61. Nempe sub his animam pestis Nemeaea lacertis Edidit. *Stat. Silv.* 5, 2, 48. Nemeaea arma. *Id. Theb.* 3, 421. rura. ℙ De sidere Leonis. *Mart.* 4, 57. Horrida sed fervent Nemeaei pectora monstri. Adde *Lucan.* 1, 655. [*ubi v. *Cort.*] ℙ Nemeaea certamina instituta sunt in honorem Archemori (de quo V. in LANGIA), et ab Argivis ad Thebas oppugnandas proficiscentibus celebrata. Horum meminit *Fest.* in *Perihodos*, et *Hyg. fab.* 273.; ea descripsit *Stat. Theb.* 6. *in.*

[NĔMEN, inis, n. filum, stamen: a *νῆμα*, stamen. *Inscr.* ap. *Grut.* 690, 5. Sic etenim duxere olim primordia Parcae, et nevere super vobis vitalia fata: Nobis porro alia est trino de nemine fati Dicta dies leti. V. NEMA. *F.*]

*NEMENTURI, orum, populi Alpini, in Liguria. *Plin.* 3, 20. *ex inscript. tropaei Alpium. B. A.*

[NĔMĔONĪCES, ae, m. *Νεμεονίκης*, victor in ludis Nemeaeis: a *Νέμεος*, Nemeus, et *νίκη*, victoria, ut *Isthmionices*, qui victor fuit in ludis Isthmiis. *Not. Tir.* p. 174. Nemea, Nemeonices. *F.*]

*NEMĔSA, ae, fluvius Galliae Belgicae, hodie *Nims* vel *Nyms* dictus. *Auson.* in *Mosell.* 354. *B. A.*

NĔMĔSĬĂCI, orum, m. plur. Hi in *Cod. Theod.* 14, 7, 2. a Nemesi Dea ita appellati, cum signiferis, et cantabrariis conjunguntur, superstitiosi homines fuisse dicuntur, vanique futurorum divinatores, qui simulacra Deorum circumferentes, falsam divinationem venditabant. Ita *Gothofred.*

NĔMĔSĬĀNUS, i, m. M. Aurelius Olympius Nemesianus, Carthaginiensis, poeta elegantissimus scripsit halieutica, cynegetica, nautica, et bucolica, versibus plane nitidis, stiloque puro ac Latino, quo se prae ceteris Afris scriptoribus commendavit: floruitque temporibus Cari, Numeriani, et Carini, et omnibus coronis illustratus emicuit, ut ait *Vopisc.* initio vitae Numeriani. Exstant ejus Cynegeticon carmen, quod Cari filiis inscripsit, et Eclogae quatuor, quas quidem non desunt, qui illi abjudicent, et *Calpurnii* esse contendant, ut est in praefatione *Burmanni* in suos Poetas Latinos minores.

NĔMĔSIS, is et ios, f. *Νέμεσις*, Dea Graecorum. Ipsa vox indignationem significat: unde *νεμεσάω*, indignor. Quare habetur Dea ultrix male factorum, et praecipue superbiae, et pervicaciae eorum, qui ex prospera fortuna insolescunt, et humanae imbecillitatis immemores despicere alios solent, et aspernari. *Catull.* 50, 18. Nunc audax cave sis, precesque nostras, Oramus, cave despuas, ocelle, Ne poenas Nemesis reposcat a te. Est vehemens Dea: laedere hanc caveto. *Plin.* 28, 2, 4. Cur et fascinationibus adoratione peculiari occurrimus alii, Graecam Nemesin invocantes? cujus ob id Romae simulacrum in Capitolio est, quamvis Latinum nomen non sit. *Id.* 11, 45, 103. Est in aure ima memoriae locus, quem tangentes antestamur: est post aurem aeque dextram Nemesios (quae Dea Latinum nomen ne in Capitolio quidem invenit), quo referimus tactum ore proximum a minimo digitum, veniam sermonis a Diis ibi recondentes, *h. e.* veniam taciti exposcentes, digito post aurem condito, si quis imprudentibus nobis sermo exciderit. ℙ Dicitur etiam *Adrastea* et *Rhamnusia*. V. ss. ll., et dicta in MĔDĬCUS, a, um. ℙ Habita est eadem ac Fortuna, quia bona et mala distribuit. Unde putant quidam esse a *νέμω*. *Inscr.* ap. *Grut.* 80, 1. Deae Nemesi, sive Fortunae, etc. ℙ Aliis epithet. appellatur *ib.* 3. Sanctissimae Nemesi L. Avinius L. F. etc. *ib.* 5. Virgini Victrici Sanctae Deae Nemesi M. Aurelius, etc. ℙ Scribit *Lactant.* 1, 21. hanc fuisse Ledam, et post mortem inter Deas relatam, mutato nomine Nemesin dictam. V. *Hyg. Astron.* 2, 8., ubi Nemesin diversam ab Leda facit. ℙ *Macr. Sat.* 1, 22. Nemesis, quae contra superbiam colitur, quid aliud est, quam solis potestas? cujus ista natura est, ut fulgentia obscuret, et conspectui auferat, quaeque sunt in obscuro, illuminet, offeratque conspectui. ℙ Fuit hoc nomine amica *Tibulli*, de qua *Id.* 2, 4, 59. et alibi, et *Mart.* 8, 73. etc.

NĔMĔSTRĪNUS, Deus nemorum. *Arnob.* 4, 131.

*NEMETĂCUM, i, opp. Galliae Belgicae. *Ant. Itin.* et *Tab. Peut.* ℙ Fortasse idem quod et *Nemetocenna* audit, quae sententia est *Cellarii. B. A.*

[NĔMĔTENSIS, e, adj. ad Nemetes pertinens, incolas regionis Galliae Belgicae, quorum urbs primaria nunc *Speier* vocatur: ap. *Caes. B. G.* 1, 51. et *Tac. G.* 28. eorum mentio est. *Symmach. or. ad Valent.* (ed. *A. Maio*) 2, 21. Qua regio Nemetensis extenditur, recessum fluminis murorum ambitus vindicavit. [*V. *Mannert.* 3. p. 236. et *Dilth.* ad *Tac. G.* 28.] ℙ Sunt qui secundam in *Nemetensis* longam esse putant, quia ap. *Ptolem.* 2, 9. *Νέμητες* scriptum est. *F.*]

*NEMETOCENNA, ae, opp. Galliae Belgicae, in terra Atrebatum, ubi nunc fere *Arras* est. *Hirt. B. G.* 8, 47 et 52. ℙ V. NEMETACUM. *B. A.*

NEMETURĪCUS, a, um, adj. Nemeturicam picem laudat *Colum.* 12, 20. 22 et 24. et in Liguria confici tradit: unde videtur dicta a Nementuribus, seu Nementuris, qui inter Alpinos populos recensentur in inscriptione tropaei Alpium, ap. *Plin.* 3, 20, 24. Sed haec valde incerta sunt.

NĔMĔUS, a, um. V. NEMAEUS.

*NEMINĬE, es (ed. *Hard.*), vel Neminia, ae (ed. *Elzev.*), f. fons in agro Reatino, vario ortu annonae mutationem significans. *Plin.* 2, 103. *B. A.*

NĔMO, inis, m. et f. *οὐδείς*, nullus. *Festus:* Nemo compositum videtur ex *ne*, et *homo:* quod confirmatur magis, quia in persona semper ponitur (*h. e.* de homine dicitur), nec pluraliter formari solet, quia intelligitur pro nullo. V. infra. Hinc differt a *nullus*, quod de re, et de homine dicitur. *Caes. B. G.* 1, 18. Illo licente, contra liceri audet nemo. *Pl. Cas.* 2, 2, 12. vicinam neminem amo magis, quam te. *Ter. Andr.* 3, 2, 26. Hoc scio unum, neminem peperisse hic. *Id.* ad *Caes. post ep.* 11. *l.* 9. *ad Att.* Magis idoneum, quam ego sum, ad eam causam, profecto reperies neminem. *Id. Att.* 8, 2. *med.* Pro Pompejo lubenter emori possum: facio pluris omnium hominum neminem. *Id. Fam.* 6, 6. *f.* Me amicissime quotidie magis Caesar amplectitur: familiares quidem ejus, sicuti neminem; et *ib.* 1, 5. *f.* Amicum ex consularibus neminem tibi esse video, praeter, etc. *Id. Leg.* 3, 10. Quod est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit? *Id. Font.* 2. *extr.* Nemo ex tanto numero est, quin, etc. *Id. Or.* 1, 43. Ut ei nemo de iis, qui peritissimi sunt, anteponatur. *Id. Verr.* 2, 2, 43. *f.* Omnium mortalium Sthenio nemo inimicior, quam, etc. ℙ [*Post *nemo est, reperitur*, etc. *qui*, sequitur conjunct. *Cic. Verr.* 1, 16. Nulla est laus, ibi esse integrum, ubi nemo est, qui aut possit, aut conetur corrumpere. *Id. Opt.* 2. Nemo est orator, qui se Demosthenis similem esse nolit. *Id. Font.* in *Fragm.* 2, 3. Nemo reperietur, qui unum se in quaestura M. Fontejo nummum dedisse dicat.] ℙ De homine nullius momenti, aut pretii. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Sed me moverat nemo magis, quam is, quem tu neminem putas. ℙ *Nemo non*, omnes: *non nemo*, aliquis. *Cic. Amic.* 26. *med.* Aperte adulantem nemo non videt, nisi qui admodum est excors. [*Fortius dictum, quam: omnes vident.] et *Planc.* 9. Nemo Arpinas non Plancio studuit, nemo Soranus, nemo Casinas, nemo Aquinas, [*i. e. nullus, ne unus quidem ex omni Arpinat. numero fuit, qui non etc. Adde *Fam.* 4, 7. Tuum consilium nemo potest non maxime laudare; et *Par.* 2. Nemo potest non beatissimus esse.] *Id. Pis.* 5. Quas leges ausus est non nemo improbus, potuit quidem nemo convellere. *Id. Cat.* 4, 5. Video, de istis abesse non neminem. ℙ [*Auget sequentes negationes in enunciatis, quorum membra id, quod primo loco positum est, non sejungunt sed explicant. Atque utuntur hac dicendi ratione, cum statim ab initio negativam alicujus loci sententiam cum vi quadam significent.] *Cic. N. D.* 1, 43. *f.* Neminem Deo nec Deum, nec hominem carum esse vultis. [*Adde *Att.* 14, 20. Nemo unquam neque poeta, neque orator fuit, qui etc. Cf. *Fam.* 1, 9, 13.] *Ter. Eun.* 1, 2, 67. habeo hic neminem Neque amicum, neque cognatum. *Liv.* 3, 11. Ut nemo, non lingua, non manu promptior in civitate haberetur. ℙ [*Graecorum more ponitur in istis:] *Tibull.* 4, 7, 8. Ne legat id nemo, quam meus, ante, velim. *Enn.* ap. *Fest.* Quos non miseret neminis. *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 18. Jura te non nociturum esse homini nunc hac de re nemini. Al. omitt. *non.* [*male! *Lindem.* probe retinet. *Prop.* 2, 15, 32. Absenti nemo ne nocuisse velit. ℙ Tenet *nemo* etiam adjectivi locum, ita tamen, ut fortius neget, quam *nullus*. Huc pertinent exempla, quae Noster parum provide iis immiscuerat, in quibus *nemo* substantivi locum tenet. *Cic. Dom.* 42. Civis est nemo in tanto populo, qui non, etc. *Or.* 1, 28. Cum ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem. *Leg.* 2, 16. Vir nemo bonus ab improbo se donari vult: cf. *Drak.* ad *Liv.* 3, 60, 3. *Cic. N. D.* 2, 32. Naturae sollertiam nemo opifex consequi potest imitando. *Nep. Att.* 19. Caesari fortuna conciliavit, quod nemo adhuc civis Romanus quivit consequi.] ℙ Aliquando additur *homo*. *Cic. N. D.* 2, 38. Ut per biduum nemo hominem homo agnosceret. *Id. Fam.* 13, 55. Ut hominem neminem pluris faciam. *Ter. Ad.* 2, 3, 6. Fratrem homini nemini, etc. Ubi *Don.* Nove auribus nostris, sed veterum consuetudine locutus est: nam cum *nemini* hominem significet, quid opus fuit dicere *homini nemini?* Sed, ut diximus, figura est *ἀρχαϊσμός*. *Pl. Pers.* 2, 2, 29. Nemo homo unquam ita arbitratus est. ℙ Item *alius*, *alter*, *quisquam*, *unus*. *Cic. Att.* 11, 9. *f.* Alium enim, cui illam commendem, habeo neminem. *Id. Mil.* 17. Ut neminem alium, nisi T. Patinam, rogasset. *Plin.* 2, 25, 23. Nemini compertum alteri, quod sciam. *Ter. Ad.* 3, 2, 55. Nam hercle alius nemo respicit nos. *Id. Eun.* 5, 9, 1. ecquis me vivit hodie fortunatior? Nemo hercle quisquam. *Gell.* 2, 6. *med.* Nemo quisquam tam efflictis est moribus, quin faciat, etc. *Liv.* 28, 35. *med.* Ita ut nemo unus externus magis enixe adjuverit rem Romanam. [*Adde 2, 6. eos inter se, quia nemo unus satis dignus regno visus sit, partes regni rapuisse; et 3, 12. neminem unum esse, cujus magis opera putet rem restitutam. *Tac. A.* 14, 45. Nemo unus contra ire ausus est; et *H.* 1, 82. neminem unum destinare irae poterant.] ℙ Genitivus *neminis* infrequentis est usus. *Pl. Capt.* 3, 5, 107. neminis Misereri certum est, quia mei miseret neminem. Adde *Cat.* et *Enn.* ap. *Fest.* et *Lucil.* ap. *Non.* 2, 575. [*Cic. *Att.* 14, 1. in sermonem se post Idus Mart. praeterquam Lepidi venisse neminis: ita *Orell.*] ℙ Infrequentius est adjunctum rebus. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 744. Mandavit annos, neminem excepit diem.

[NĔMON, ontis, m. *νέμων*, distribuens, pascens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 2032, 2. M. Herennius M. F. Nemon. *F.*]

NĔMORĀLIS, e, adj. *ὑλαῖος*, ad nemus pertinens,

nemorensis. *Ov. Am.* 3, 1, 5. Hic ego dum spatior tectus nemoralibus umbris. *Id. A. Am.* 1, 259. suburbanae templum nemorale Dianae, *h. e.* quae in loco prope Ariciam colebatur. Sic *Stat. Silv.* 1, 3, 76. Aegeriae nemoralem abjungere Phoeben. (V. v. sq.) *Ov. Met.* 3, 157. nemorale antrum. *Id. Fast.* 6, 59. et *Mart.* 13, 19. Aricia nemoralis, *h. e.* nemori apposita.

NĔMORENSIS, e, adj. nemoralis, silvestris. *Colum.* 9, 4. *f.* Sed ex omnibus deterrimae notae mel habetur nemorense, quod ex sparto atque arbuto provenit. ℙ Saepe refertur ad nemus juxta Ariciam, cum lacu sacro, ubi Diana colebatur, quae ideo Nemoralis, et Nemorensis est appellata: et ipse locus, veluti per antonomasiam, *nemus Dianae* dictus est ap. *Plin.* 35, 7, 33., *Ov. Fast.* 3, 261. et *Vitr.* 4, 7. *f.* Sic *Strabo l.* 5. *med.* *Τὸ δ' Ἀρτεμίσιον, ὃ καλοῦσι Νέμος.* *Serv.* ad *A.* 7, 516. hunc lacum *speculum Dianae* dictum ait. *Inscr.* ap. *Grut.* 41, 7. Dianae Nemorensi Vestae sacr., etc. et *ib.* 8. Dianae Opifer. Nemorensi L. Appulejus, etc. *Prop.* 3, 21, 25. Albanusque lacus socii Nemorensis ab unda. ℙ *Rex Nemorensis*, rex sacrorum Dianae Nemorensis. *Suet. Cal.* 35. Nemorensi regi, quod multos jam annos potiretur sacerdotio, validiorem adversarium subornavit. ℙ *Nemorense*, villa Caesaris ad illud Ariciae nemus. *Cic. Att.* 6, 1. *f.* Caesarem in Nemorensi aedificando diligentiorem fore. *Id. ib.* 15, 4. *f.* L. Caesar, ut veniam ad se, rogat, in Nemus. *Suet. Caes.* 46. Villam in Nemorensi a fundamentis inchoatam, magnoque sumptu absolutam, quia non tota ad animum ei responderat, totam diruisse, quamquam tenuem adhuc et obaeratum.

NĔMORĪCULTRIX, icis, f. quae nemora incolit. *Phaedr.* 2, 4. Sus nemoricultrix, *h. e.* aper.

NĔMORĪVĂGUS, a, um, adj. vagans in nemoribus. *Catull.* 63, 72. Ubi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus.

NĔMOROSUS, a, um, adj. *ὑλώδης*, nemoribus abundans. *Virg. A.* 3, 270. Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos. *Plin.* 35, 11, 38. Nemorosum hospitium. *Id.* 4, 8, 15. Nemorosa convallis. *Id.* 5, 1, 1. et *Ov. A. Am.* 3, 427. Atlas opacus, nemorosus. *Plin. alter ep.* 8, 8. Collis antiqua cupressu opacus, nemorosus. *Colum.* 2, 2. *med.* Nemorosus arboribus locus. *Plin. senior* 12, 1, 5. Cupressus nemorosa vertice, et se vastis protegens ramis. *Sil.* 13, 595. vasta comas, nemorosaque brachia fundit Taxus.

*NEMOSSUS, i, *Νεμωσσός*, urbs Galliae Aquitanicae, ad Ligerim amnem, metropolis Arvernorum. *Lucan.* 1, 419. ℙ *Augustonemetum* audit *Tab. Peut.*, astipulante *Ptolemaeo.* ℙ Dicta est et serius *Arverni*, teste *Sidon. ep.* 7, 7. Item *urbs Arvĕrna. Id. ep.* 3, 12. ℙ Hodie, aiunt, est *Clermont. B. A.*

NEMPĔ, adv. *δηλαδή*, videlicet, scilicet, nimirum, quippe: [*Ex *nam — pe.* V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 86. II. 7. et §. 172. p. 691. — Continet semper interrogandi quoddam genus cum levi quadam dissentionis, repugnantiae, dissimulationis, acerbitatis, etiam ironiae significatione, ita quidem, ut affirmando, asseverando, declarando et insultando inserviat tum, cum quis fretus rei veritate colligat, etiam alterum esse concessurum: nostr. *doch wohl, doch; das heisst doch; du meinst doch;* etc. Nunquam est concedentis et explicantis, nostr. *nämlich.* V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 172. p. 691. *Zumpt. Gr. L.* §. 278 et 345. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 10, 1. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 8, 1. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 13, 37. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 806. et al.] *Pl. Merc.* 4, 4, 36. *Co.* scio jam, quid velis: Nempe hinc me abire vis. *Ly.* volo, inquam. *Co.* abibitur. *Cic. Mil.* 6. Quid ergo tulit? nempe ut quaereretur. *Ter. Andr.* 1, 1, 2. Adesdum: paucis te volo. *So.* dictum puta: Nempe ut curentur recte haec. *Cic. Tusc.* 5, 5. Nempe negas, ad beate vivendum satis posse virtutem. *A.* prorsus nego. *Pl. Trin.* 2, 2, 47. *Ly.* Bene volo ego illi facere, si tu non nevis. *Phil.* nempe de tuo. *Ly.* De meo. *Id. As.* 2, 2, 72. Ita enimvero: sed tamen tu nempe eos asinos praedicas Vetulos, claudos, etc. *Ter. Andr.* 5, 4, 47. *Chre.* causa optima est: Nisi quid pater ait aliud. *Pam.* nempe. *Si.* id scilicet; et 1, 2, 24. Nempe ergo aperte vis, quae restant, me loqui. *Pers.* 3, 1. Nempe haec assidue? Et *Val. Fl.* 3, 512. Phrygiis concurrere monstris Nempe virum, et pulcro reserantem Pergama ponto Vidimus.

NĔMUS, ŏris, n. *νέμος, ὕλη*, silva, lucus, locus pascuus. *Festus* ait significare silvam amoenam: item locum, qui campos et pascua habeat: a *νέμω*, pasco. Hoc sensu *Ov. Met.* 1, 568 Est nemus Haemoniae, praerupta quod undique claudit Silva: vocant Tempe. *Virg. Ecl.* 6, 56. nemorum jam claudite saltus. *Sen. Herc. Oet.* 137. gratum pecori montivago nemus. ℙ Discrimina inter *nemus*, *lucum*, et *silvam* attulimus in LUCUS. Latini saepe promiscue utuntur. *Cic. Har. resp.* 11. *extr.* Matrem magnam accepimus agros et nemora cum quodam strepitu fremituque peragrare. *Id. Div.* 1, 50. Multos nemora silvaeque, multos amnes aut maria commovent. *Hor. Od.* 1, 1, 30. Nemus gelidum. *Ov. Her.* 12, 67. et piceis, et frondibus ilicis atrum. *Id. Fast.* 6, 9. densum arboribus. *Id. Met.* 2, 418. quod nulla ceciderat aetas; et *ib.* 1, 479. nemorum avia lustrat. ℙ De nemore Aricino Dianae sacro, V. NĔMORENSIS. ℙ Regina nemorum est ipsa Diana. *Sen. Hipp.* 406. ℙ Per synecdochen, ligna nemoris. *Id. Herc. Fur.* 1216. structum acervans nemore congesto aggerem. [*Ita saepius poetae *nemora* pro singulis arboribus, etiam frondibus arborum usurpant. V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 453. et 2, 409.] ℙ De una platano *Mart.* 9, 62. Auctorem dominumque nemus sentire videtur. Alii leg. *dominumque suum.*

NEMUT, nisi etiam, vel nempe. *Cato* ap. *Festum.*

NĔNIA et Naenia, ae, f. *ὀλοφυρμός, ἐπικήδειον, νηνία*, lessus, carmen funebre, praecipue ultimum illud, quod in funere laudandi gratia cantabatur ad tibiam ante cadaver sepultum, ut *Festus* docet. Cujus moris rationem affert *Macr. Somn. Scip.* 2, 3., quia animae post corpus ad originem dulcedinis musicae, id est ad coelum redire credantur. *Scalig.* in *conjectan. Varr.* docet ex *Polluce*, esse vocem Phrygum, quorum etiam inventum esse canendi ad tibiam laudes mortuorum, et ab iis praeficas coepisse. *Diomed.* 3, 482. Apud Romanos id carmen *(elegia)*, quod cum lamentatione extremum atque ultimum mortuo accinitur, nenia dicitur, *παρὰ τὸ νέατον, h. e. ἔσχατον. Cic. Leg.* 2, 24. Honoratorum virorum laudes in concione memorentur, easque etiam cantu ad tibicinem prosequantur, cui nomen nenia: quo vocabulo etiam Graeci cantus lugubres nominant. *Hor. Od.* 2, 20, 21. Absint inani funere neniae. *Suet. Aug.* 100. Funus triumphali porta ducendum, canentibus neniam principum liberis. ℙ Dicitur de aliis carminibus moestis, ut ap. *Hor. Od.* 2, 1, 37. Ceae retractes munera neniae; et *ib.* 3, 28, 16. Dicetur merita Nox quoque naenia. ℙ *Soricina nenia*, est stridor, et questus, et quasi nenia soricis deprehensi in muscipula, ubi constrictus, et veru, stimulo, stilove confossus moritur. *Pl. Bacch.* 4, 8, 46. Si tibi est machaera, et nobis veruina est domi: Qua quidem te faciam, si tu me irritaveris, Confossiorem soricina nenia. Eodem fere modo *Donat.* interpretatur ad *Ter. Eun.* 5, 7. *f.* ℙ Joculariter *Pl. Ps.* 5, 1, 32. id fuit nenia ludo, *h. e.* ludum in luctum mutavit. *Id. Truc.* 2, 1, 3. Huic homini amanti mea hera dixit neniam de bonis. Nam fundi, et aedes obligatae sunt ob amoris prandium. ℙ Dicitur item de incantamentis, quia in his mortuorum, maniumque mentio fit. *Hor. Epod.* 17, 28. Sabella pectus increpare carmina, Caputque Marsa dissilire nenia. ℙ Et quia funebres illi versus a praeficis conductis cantari coepti sunt, quae multa incondita, atque inepta, bonarum litterarum rudes admiscere consueverunt, ut *Non.* 2, 594. tradit; *nenia* interdum dicitur quodlibet carmen vulgare, translaticium, nugatorium, ineptum. *Phaedr. prol.* 3. legesne potius viles nenias? *Hor. Ep.* 1, 1, 62. Roscia, dic, sodes, melior lex, an puerorum Nenia, quae regnum recte facientibus offert? *Arnob.* 7, 237. Somni quiete Dii solvuntur, occuparique ut hoc possint, lenes audiendae sunt neniae, *h. e.* nugatorii cantus, quibus nutrices sopiunt infantes: Itali *cantar la ninna nanna* dicunt. *Id.* 6, 197. Cum plectro et fidibus Delius citharista, gestus servans cantaturi, et nenias histrionis. ℙ Res quoque ipsae nugatoriae *neniae* appellari videntur. *Arnob.* enim *l.* 7. postquam irrisit carnem strebulam, rumam, hiras, et hujusmodi, quae diis offeruntur in sacris, inquit p. 231. Neque prius iras Dii, atque animos ponunt, nisi sibi adoleri paratas conspexerint naenias, offasque penitas. Adde p. 229. *extr.* Sed rectius alii utroque loco leg. *taenias*, h. e. exta taeniarum more prosecta. ℙ Denique *Nenia* nomen est Deae funerum praesidis. *Id.* 4, 131. In tutela sunt Orbonae orbati liberis parentes: in Neniae, quibus extrema sunt tempora. Adde *August. C. D.* 6, 9. *f.* ex *Varr.* Ejus sacellum fuit Romae ultra portam Viminalem, teste *Festo.* ℙ Scribitur et *Naenia:* et ita ex ordine litterarum habetur ap. *Fest.* Diphthongum abjiciunt *Voss.*, *Dausqu.*, *Cellar.*

NĔNŬ, non, ap. veteres. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 580. Nenu molestum est. *Varr. ib.* Si hodie nenu venis. *Lucr.* 4, 713. Nenu queunt rapidi contra constare leones. Adde 3, 200. ℙ Etiam *neno* dixisse videntur. *Ter. Eun.* 1, 1, 7. Atque ubi pati non poteris, cum neno expetet. Plerique omnes leg. *nemo.* ℙ *Reperitur et *naenu.* Alii *nenum* scribunt. *B. A.*

*NENUM. V. NENU. f. *B. A.*

NĔO, es, evi, etum, a. 2. *νέω, νήθω, κλώθω*, filum torqueo, vel duco. *Plin.* 33, 3, 19. Superque omnia netur ac texitur lanae modo, et sine lana. *Ov. Medic. fac.* 14. Assiduo durum pollice nebat opus. *Id. Fast.* 2, 771. Sic sedit, sic culta fuit, sic stamina nevit. *Id. Pont.* 1, 8, 64. Nerunt fatales fortia fila Deae. *Tibull.* 1, 8, 1. Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes Stamina. *Just.* 1, 3. Invenit eum purpuram colo nentem. *Mart.* 6, 3. Et totam Phryxi Julia nebit ovem. *Pl. Merc.* 3, 1, 20. Subtemen tenue nere. *Claud. in Eutrop.* 1, 274. stamine nesse. ℙ Nentis feminae descriptionem habes ap. *Catull.* 64. a *v.* 311. ℙ In illo *Tibulli* 3, 3, 36. Stamina qui ducunt, quaeque futura neunt: *Scal.* v. *neunt* ducit a *neeo:* alii a *neo*, *is.* Sed multo rectius alii leg. *canunt.* [*Est haec emendatio *Heinsii* ad *Ov. Ep.* 17, 194. ubi v.] ℙ Sidatio *Heinsii* ad *Ov. Ep.* 17, 194. ubi v.] ℙ Significat etiam implectere. *Virg. A.* 10, 818. Et tunicam *(transiit)*, molli mater quam neverat auro. *Plin.* 17, 20, 33. Inter se radices serpunt, mutuoque discursu nentur.

*NEO vel Neon, onis, m. nomen proprium virorum. Neonem Boeotium memorat *Liv.* 44, 43. Thebanum *Id.* 45, 31. *B. A.*

*NEOBŬLE, es, f. *Νεοβούλη*, Lycambis filia, Archilocho poetae promissa, postea negata. V. ARCHILOCHUS. ℙ Neobule, Hebri adolescentis Liparei amore capta. De ea *Hor. Od.* 3, 12, 6. *B. A.*

[NĔOCAESARIENSIS, e, adj. ad Neocaesaream pertinens, Ponti Polemoniaci olim nobilissimam urbem, cujus meminit *Plin.* 6, 3, 3., [*Adde *Tab. Peut.* Gr. *Νεοκαισάρεια.*] nunc *Niksà* vel *Nixaria. Inscr.* ap. *Mur.* 1062, 7. Herenniae Palaestrae Neocaesariensi, etc. *F.*]

*NEOCLES, is et i, m. *Νεοκλῆς*, pater Themistoclis. *Nep. Them.* 1. V. NEOCLIDES. ℙ Item Epicuri philosophi pater. *Cic. N. D.* 1, 26. Cf. *Laert.* 10, 1. *Aelian. V. H.* 2, 12. ℙ Et pictor quidam, de quo *Plin.* 35, 11. *B. A.*

NĔOCLĪDES, ae, m. *Νεοκλίδης*, filius Neoclis, vel nepos. *Ov. Pont.* 1, 3, 69. Arma Neoclides qui Persica contudit armis, *h. e.* Themistocles.

NĔOCORUS, i, m. *νεωκόρος*, aedituus, qui verrendi, purgandi, ornandique templi curam habet: a *νεώς*, Attice pro *ναός*, templum, et *κορέω*, verro, purgo, orno. Neocori officium, suppresso nomine, memorat his verbis *Firm. Math.* 3, 7. *n.* 9. In nono loco Venus ex horoscopo constituta faciet etiam in templis manere sordide. *Id. de err. prof. relig. med.* Hic *(Serapis)* in Aegypto colitur, hic adoratur, hujus simulacrum neocororum turba custodit. ℙ *Neocorus* postea dictus etiam est templi antistes, qui nempe caeremoniis, et sacrificiis rite celebrandis praecrat. *Inscr.* ap. *Grut.* 1102, 2. Vettio Agorio Praetextato V. C., pontifici Vestae, neocoro, hierophantae, patri sacrorum, etc. ℙ Aliquando ipsi populi et civitates suorum numinum, et nonnunquam etiam alicujus Augusti neocoros se appellabant, ut publice pietatem suam testarentur. Ita porro Ephesii se vocare dicuntur propter templum Dianae ap. *D. Lucam Act. Ap.* 19, 35. *Τίς ἐστιν ἄνθρωπος, ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης Θεᾶς Ἀρτέμιδος, καὶ τοῦ Διοπετοῦς;* sic urbs Neapolis in regione Samaritide neocorum Philipporum Augg. se appellat in nummis ap. *Mionnet Descript. des méd. ant.* T. 5. p. 508. Col. Neapol. neocoro. Consule *Eckhel. D. N. V.* T. 4. p. 288 — 306. [*Hunc locum multis auxit atque emendavit *F.*]

[NĔOCRĀTES, is, m. nuper potens: a *νέος*, novus, et *κρατέω*, potens sum. Est nomen servile R. in *Inscr.* ap. *Grut.* 1131, 8. *F.*]

*NEOCRĒTES, um, *Νεοκρῆτες, h. e.* novi Cretes, pars exercitus Antiochi regis, sic dicti quod Cretensium in morem armati sunt. *Liv.* 37, 40. *extr. B. A.*

NĔOMĒNĬA, ae, f. *νεομηνία*, nova luna, vel prima dies lunae, aut mensis. Graeci enim suos menses ad lunae cursum dirigebant, et a primo novae lunae die menses suos auspicabantur: a *νέος*, novus, et *μήνη*, luna. *Tert. Idol.* 14. ex *Isai.* 1, 13. et *adv. Marc.* 1, 20. ex *Osee* 2, 11.

[NĔON, onis, m. juvenculus, dimin. a *νέος*, juvenis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 296. *n.* 257. Neon ver*na* liber*tus.* Alia ap. *Mur.* 1507, 9. Memoriae G. Vecticii Neonis. ℙ Est etiam nomen proprium ap. Graecos. *Liv.* enim 44, 43. Neonem Boeotium, et 45, 31. Thebanum memorat. *F.*]

*NEONTICHOS, n. *Νεοντεῖχος Herod.* 1, 49. et *Straboni*, i. e. novus murus, oppidum in Aeolide. *Plin.* 5, 30. *Nep. Alcib.* 7. *B. A.*

NĔOPHYTUS, a, um, adj. *νεόφυτος, h. e.* nuper plantatus: a *νέος*, novus, et *φυτός*, plantatus. Translate ita dicitur, qui recens ad Christianam religionem accessit. *Tert. Praescr. haeret.* 4. Nunc neophytos collocant, nunc, etc. ℙ [In antiquis Christianorum monumentis saepissime *neofitus* et *neofita* insculptum legitur. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 20. *n.* 64. Q. Peticio Habentio neofito, etc. et *ib. n.* 50. *Flavia* Jovina neofita. *F.*]

NĔOPTŌLĔMUS, i, m. *Νεοπτόλεμος*, cognomen Pyrrhi filii Achillis: a *νέος*, novus, et *πολεμέω*, bello, quod admodum puer ad bellum Trojanum ductus fuerit. *Cic. Or.* 2, 63. et *Tusc.* 2, 1. et *Serv.* in *A.* 2, 263. ℙ Item rex Molossorum, pater Olympiadis, quae Alexandrum M. genuit. *Just.* 7, 6. ℙ *Item dux Graecus, de quo *Nep. Eum.* 4. ℙ Et tragoediographus, Macedo, qui temporibus Philippi regis vixit. *Suet. Cal.* 57. *extr.* ℙ Neoptolemus tragoedia Ennii. *Cic. de re publ.* 1, 18. ed. *A. Maio. B. A.* ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Malvas. Marm. Fels.* p. 253. Q. Vibius Q. F. Cla. Neoptolemus. *F.*]

*NEORIS, Asiae oppidum insigne, in Iberia, juxta Harmastim fluvium. *Plin.* 6, 10. *B. A.*

NĔOSSOTROPHĪUM. V. NESSOTROPHIUM.

NĔŌTĔRĬCĒ, adv. nove, recens. *Ascon.* in *Div. Verr.* 4. *f.* Hoc leviter a Cicerone dictum, et neoterice putant.

NĔŌTĔRĬCUS, a, um, adj. *νεωτερικὸς*, juvenis, recens: a *νεώτερος*, junior, ut Scriptores neoterici, quibus antiqui opponuntur. *Aurel. Vict. de orig. Gentis R. in.* Ut quisque neotericorum asseveravit. **Claud. Mamert. de statu anim.* 1, 3. Neotericus scriptor. *B. A.*

NĔPĂ et Nepas, ae, m. *σκορπίος*, Afrorum lingua est animal venenatum, cauda feriens, alio nomine *scorpius*, cujus natura est, ut in parietum latibulis delitescat, et cum aliquid senserit, retrocedat. *Festus* dubitat, num cancer sit, an scorpius, nempe quia utroque modo veteres usi, pro cancro *Plautus*, ut videtur, pro scorpio *Tullius* in *Arateis.* [Quod confirmat etiam *Lydus de magistrat. Rom.* 1, 42. *Τὸν σκορπίον οἱ Ῥωμαῖοι πατρίως νέπαν καλοῦσιν, οἱονεὶ ἄποδα κατὰ στέρησιν;* et *Schol. Cod. Palat.* ad *Odyss.* 4, 404. *Νέποδες, ἢ ἄποδες τοῖς ποσὶν νηχόμενοι. F.*] *Pl. Cas.* 2, 8, 7. Recessim cedam ad parietem, imitabor nepam. *Cic. Fin.* 5, 15. Cornibus uti videas boves, nepas aculeis. ℙ Verius est esse scorpionem, ut et *Non.* docet 2, 592., unde pro signo illo coelesti *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 42. de Ophiucho: Atque oculos urget pedibus, pectusque Nepai: ubi *Aratus* habet *Σκορπίος ὀφθαλμῶν τε*, etc. *Colum.* 11, 2. *med.* Pridie Non. Maji Nepas medius occidit. *Id.* 10, 56. trepidus profugit chelas, et spicula Phoebus Dira Nepae. Adde *Cic.* in *Arat.* 418 et 438. et *Manil.* 2, 32. et 4, 356. Porro *Nepai* supra allato *Cicer.* loco genitivus est antiquus, ut *terrai frugiferai.* ℙ Pro cancro est etiam in illo *Sereni Samm.* 13. de oculorum dolore mitigando: seu *v.* 199. Viventisque nepae lumen gestatur amicum. *Plin.* 32, 7, 24. Cancri oculos adalligatos collo mederi lippitudini dicunt.

NĔPARCUS, a, um, adj. non parcus. *Pl. Ps.* 1, 1, 77. id quidem tibi neparcus dabo. Ita leg. *Acidalius.* Alii melius *ne parsis*, h. e. ne peperceris.

*NEPENSIS, e, adj. i. q. Nepesinus, ut *Nepensis colonia* ap. *Front. de colon. B. A.*

NĒPENTHES, n. indecl. *νηπενθὲς*, h. e. tristitiam et dolorem fugans: a *νή*, particula privativa, et *πένθος*, luctus. Hoc nomine vocatur herba, quam quidam eandem ac buglosson esse putant, quod vino injecta hilaritatem inducat. *Plin.* 21, 21, 91. et 25, 2, 5. ℙ Vox est ab *Homero* primum usurpata *Odyss.* 4, 221., ubi consule ejus interpretes. *Macr. Sat.* 7, 1. Si Homeri latentem prudentiam scruteris altius, delenimentum illud, quod Helena vino miscuit (*Odyss. l. c.*) *Νηπενθές τ', ἀχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων*, non herba fuit, non ex India succus, sed narrandi opportunitas, quae hospitem moeroris oblitum flexit ad gaudium.

NĔPĔSĪNUS, a, um, adj. ad Nepet pertinens, quod est oppidum Etruriae, nunc *Nepi*, non longe a Soracte monte: ut Nepesinus ager, *Liv.* 5, 19. ℙ *Nepesini, orum*, ejus oppidi cives. *Id.* 6, 9. et 10.

NĔPET, n. indecl. *Νέπετα*, opp. Etruriae, de quo V. in v. praec. *Plin.* 3, 5, 8. ℙ Dicitur et *Nepete*, paenult. br., *Nepte*, et *Nepe*, n. *Liv.* 6, 21. et 27, 9. et *Vell.* 1, 14.

NĔPĔTĀ, ae, f. herba hortensis, quam inter eas, quae mali succi sunt, *Cels.* 2, 21. recenset. [**Italiänische Katzenmüntze*, Nepeta Italica, *Willd.*] Ex ea vinum fieri *Plin.* tradit 14, 16, 19. *n.* 4.

[NEPHĔLĀ et Nefela, ae, f. genus quoddam dulciorum ita tenue, ut nebulae, quam Graeci *νεφέλην* dicunt, simile sit. *Not. Tir.* p. 176. Nefela, nuculus, favus, subitillum. ℙ Est item cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 359, 2. Aponia Nephela. *F.*]

NEPHĔLAEUS, a, um, adj, ad Nephelen pertinens, ut Nephelaeum pecus, idest aries aurei velleris, qui Phryxum, et Hellen Nepheles filios per mare vexit. *Val. Fl.* 1, 56. I decus, et pecoris Nephelaei vellera Grajo Redde tholo.

NEPHĔLĒ, es, f. *Νεφέλη*, vox Graeca, nubem significans. *Sen. Herc. Oet.* 491. Nessus, quem gravida Nephele Thessalo genuit duei, *h. e.* Ixioni. V. IXION. ℙ Est hoc nomine uxor Athamantis, mater Phryxi, et Helles. Hinc

NEPHĔLĒĬAS, ădis, f. patronym. filia Nepheles. *Lucan.* 9, 956. Qua pelago nomen Nepheleias abstulit Helle.

NEPHĔLĒĬS, ĭdos, f, Nepheleias. *Ov. Met.* 11, 195. Angustum citra pontum Nepheleidos Helles.

[NEPHĔLĬON, ii, n. *νεφέλιον*, herba eadem ac personata, ap. *Appul. Herb.* 36. *F.*]

*NEPHĔLIS, idis, f. *Νεφελὶς*, promontorium Ciliciae Tracheae s. Asperae. *Liv.* 33, 20. *B. A.*

*NEPHĔRIS, is, *Νέφερις*, Africae Propriae oppidum, in Zeugitana, non procul a Carthagine. *Liv. epit.* 51. *B. A.*

[NEPHRĪTIS, idis, f. *νεφρῖτις*, morbus renum. *Isid. Or.* 4, 7. Nephritis a renum languore nomen accepit: renes enim Graeci *νεφρούς* dicunt. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 3. eundem morbum vocat renalem passionem, ejusque remedia ibidem enumerat. *F.*]

[NEPHŌSĂ, ae, f. *νήφουσα*, vigilans, sobria, part. verbi *νήφω*, vigilo, sobrius sum. Est cogn. libert. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 416, 15. L. Arruntius Apollonius Nephusae L. suae carissimae. *F.*]

NĔPOS, otis, m. perraro f. *ἔγγονος, υἱωνός*, filius filii, vel filiae meae: et refertur ad avum, et aviam. *Festus* ab eo compositum dicit, quod natus post sit patri, quam filius. Alii ducunt a *νέπους*, quia non sit *ποῦς*, h. e. pes, seu fundamentum generis: alii a *νέος παῖς*, novus puer: alii a *νέος*, cum digammate Aeolico *νέϜος*, novus enim est filius filii. *Cic. Dejot.* 1. Qui nepos avum in discrimen capitis adduxerit. *Id. Tusc.* 1, 35. Metellum multi filii, filiae, nepotes, neptes in rogum imposuerunt. *Paul. Dig.* 38, 10, 10. §. 2. Nepos quoque dupliciter intelligitur, ex filio, vel filia natus: idem est et in nepte. *Cajus ib.* 1. Secundo gradu sunt supra avus, avia: infra nepos, neptis. ℙ *Nepos ex filio*, vel *filia* idem est ac *nepos* absolute: sed tunc ita loquimur, cum significare volumus, ex qua parte sit nepos. *Cic. Brut.* 76. C. Sicinnius Q. Pompeji ex filia nepos. *Cels. Dig.* 2, 14, 33. Avus neptis nomine, quam ex filio habebat, dotem promisit. *Scaev. ib.* 44, 4, 18. Avus nepotibus ex filia legavit singulis centena. *Gell.* 13, 19. M. Cato M. Catonis censorii ex filio nepos. Adde *Modest. ib.* 37, 9, 4. et *Cajum ib.* 26, 4, 7. ℙ *Nepos fratris*, aut *sororis*, vel *ex fratre*, aut *sorore* non est mei fratris, aut sororis filius, sed filius filii fratris mei, aut sororis. *Suet. Caes.* 27. Octaviam sororis suae neptem, conditione ei detulit, *h. e.* filiam Atiae, cujus mater erat Julia Caesaris soror. *Tac. A.* 4, 44. Hunc admodum adolescentulum sororis nepotem seposuit Augustus in civitatem Massiliensem, *h. e.* filium Marcellae, quae matrem habuerat Octaviam sororem Augusti. *Quint. prooem. l.* 4. Cum mihi Domitianus Augustus sororis suae nepotum delegaverit curam, *h. e.* filiorum Flaviae Domitillae, quae erat filia Domitillae sororis Domitiani. ℙ Aliquando per *nepotem fratris*, aut *sororis*, vel *ex fratre* aut *sorore* intelligimus filium fratris, vel sororis, qui Italice vulgo dicitur *nipote*, [**Neveu, Neffe*] Graece *ἀδελφιδοῦς*, et *ἀδελφιδῆ*: et refertur ad patruum, avunculum, et amitam, materteram: cum enim fratris, vel sororis meae filius propria appellatione careat, facile ad proximam *nepotis* confugimus, qua filius filii filiaeve meae nominatur. In *Suppositis Plautinis Amphitr. scena*, quae incipit, *Quis tam vasto*, *v.* 49. Ego idem ille sum Amphitruo, Gorgophones nepos, *h. e.* quae fuit soror patris mei, atque adeo amita mea. *Spart. Hadr.* 2. *f.* Nepte per sororem Trajani uxore accepta, *h. e.* Sabina filia Matidiae, quae fuit Marcianae Trajani sororis filia, atque adeo ejusdem Trajani *pronipote*, id est neptis sororis Trajani: qua ratione *Eutr.* 7, 1. Octavianum, seu Octavium vocat nepotem C. Caesaris, quia filius erat Atiae, cujus mater Julia C. Caesaris soror. *Inscr. sub Gallieno* ap. *Reines. cl.* 8. *n.* 37. Avunculus nepoti bene merenti. *Venant. carm.* 6, 4, 16. Non cecidit patruus, dum stat in urbe nepos. *Hieron. in Chron. Euseb. f.* et *Oros.* 7, 28. Licinius adolescens Licinii Augusti filius, Constantini autem ex sorore nepos, *h. e.* filius Constantiae sororis Constantini. *Hieron. ep.* 60. *n.* 9. Ut primum, si fieri posset, sororem cum parvulo viduam; deinde, si consilium illa respueret, saltem nepotem dulcissimum conservares. Adde his *Suet.*, cujus haec sunt verba, *Caes.* 83. Tres instituit heredes sororum nepotes, C. Octavium, L. Pinarium, Q. Pedium. Sed *Suet.* per figuram *ζεῦγμα* locutus videtur, et Pedium Pinariumque, qui Juliae sororis Caesaris filii erant, conjunxisse cum Octavio, qui natus erat ex Atia filia Juliae minoris, quae itidem Caesaris soror fuit. Itaque Octavius vere nepos erat sororis Caesaris (et ita appellatur a *Vell.* 2, 59. et *Ep. Livii* 116., tametsi hoc posteriore loco al. leg. *ex sorore nepos*), Pedius autem, et Pinarius sororis filii, sed tamen a *Suet.* eadem cognationis appellatione comprehensi. Antiquiores his Latinos scriptores, qui fratris sororisve filium *nepotem* dixerint, non facile invenies. ℙ Quandoque *nepotes* dicuntur posteri, proprie quidem qui recta linea per patrem et matrem descendunt; improprie qui etiam obliqua per fratres, et sorores, *ἀπόγονοι*. *Virg. A.* 6, 865. Filius anne aliquis magna de stirpe nepotum? et *ib.* 885. de Marcello: animamque nepotis His saltem accumulem donis. *Hor. Od.* 2, 13, 3. in nepotum Perniciem, opprobriumque pagi. *Ov.* Cupidinem alloquens *Pont.* 3, 3, 62. Caesar, ab Aenea qui tibi fratre nepos. *Sidon. carm.* 11, 52. Ommatius majorum major avorum, Patriciaeque nepos gentis. *Catull.* 58, 5. Glubit magnanimos Remi nepotes. [**Lucan.* 7, 207. Haec et apud seras gentes, populosque nepotum, cet., cf. *ib.* 8. *extr.*] ℙ De bestiis. *Colum.* 6, 37. de mulis: Ejusmodi admissarius nepotibus, quam filiis, utilior est. Adde 7, 2. *f.* ℙ De arboribus. *Virg. G.* 2, 58. arbos Tarda venit, seris factura nepotibus umbram, *h. e.* arbusculis, quae ex ea oriuntur. Ita *Serv.*: sed rectius intelliges de nepotibus et posteris hominum. [*V. *Burm.*] ℙ In vitibus *nepos* est palmes novus e palmite egrediens in alis foliorum, quia flagellum gignit pampinum, hic alium pampinum, qui flagelli veluti nepos est. *Colum.* 4, 10. Semina, ut materiam educaverint, abradenda, et nepotibus, quos pampinator in superiore parte omiserat, liberanda censemus; et *ib.* 6. *med.* Omnes intra id spatium nepotes enatos saepius decerpemus. ℙ Praeterea *nepos* translate dicitur, qui prodigus est, et rem familiarem absumit. *Festus* inde ducit, quod prodigis non magis res sua familiaris curae est, quam iis, quibus pater, avusque vivunt. Alii, quod pueri parentibus orbati, si in avorum potestate sint, qui solent esse indulgentiores, fere patrimonium dissipent, metu parentum sublato. Alii, quod frugalitas propria antiquorum virtus fuerit: eorum, qui post eos venere, *h. e.* nepotum, luxus et prodigentia vitium sit fere commune. *Cic. Cat.* 2, 4. Quis ganeo, quis nepos, quis adulter? *Id. Agr.* 1, 1. Ut non sit minus in populi R. patrimonio nepos, quam in suo. *Id. Quint.* 12. Quis tam perditus ac profusus nepos, non adesa jam, sed abundanti etiam pecunia sic dissolutus fuisset, ut fuit Sex. Naevius? *Hor. Ep.* 1, 32. haud paravero, Quod aut avarus, ut Chremes, terra premam, Discinctus aut perdam, ut nepos. ℙ Feminino genere pro *neptis*. *Enn.* ap. *Non.* 3, 147. et ap. *Fest.* in *Recto*, et *Charis.* 1, 70. Ilia dia nepos, quas aerumnas retulisti? *Inscr.* ap. *Grut.* 477, 5. Flavia Valeriana nepos; et 678, 11. Etereja Fortunata nepoti suae. V. NEPTIS. ℙ *Nepos* fuit etiam cogn. R. in gente Cornelia, Licinia, Pompeja, Caecilia, etc., in qua quidem postrema Q. Caecilius Metellus consul ann. U. C. DCLVI. alterum Nepotis cogn. est consecutus, quia, ut constat ex *Ascon.* in *Or. pro C. Cornel.*, avum habuerit Q. Caecilium Metellum, cui ob res strenue gestas Macedonici etiam cogn. inditum est. E contrario Q. Caecilius Metellus consul ann. U. C. DCLXXXXVII., ut ait *Val. Max.* 9, 14. *n.* 4., idem cogn. a nepotalibus moribus accepit. Hujusmodi autem cogn. quandoque nomini gentilicio ita praemittitur, ut *Nepos Cornelius*, *Nepos Licinius*, quod aliis cogn. accidisse, ostendimus pluribus allatis exemplis in V. COGNOMEN. ℙ *C. Cornelius Nepos*, scriptor Latinus aureae aetatis vere aureus, patria fuit Veronensis, ex vico Hostilia ad Padi ripas: floruit temporibus Ciceronis, Caesaris, Catulli, etc., Latinamque linguam plurimis scriptis illustravit: ex quibus unus tantum liber, et ne hic quidem integer aetatem tulit, de Vitis excellentium imperatorum, item de Vita T. Pomponii Attici: qui sub nomine Aemilii Probi, per summam sui auctoris injuriam, aliquandiu prodiit. Ejus nitorem, elegantiam, et puritatem qui laudare velit, actum egerit, cum vel unius pagellae lectio Romani sermonis amatorem satis superque alliciat, et in sui admirationem trahat.

NĒPOTĀLIS, e. adj. luxu abundans, profusus. *Ammian.* 31, 5. In nepotali mensa diu discumbens, vino marcebat, et somno. *Appul. Met.* 2. *in.* Nepotalis luxus.

NĒPOTĀTUS, us, m. [**ἀσωτία.*] luxus, prodigentia. *Plin.* 9, 35, 56. Subeunt luxuriae ejus nomina, et taedia, exquisita perdito nepotatu. *Id.* 14, 4, 6. Nec nisi in nepotatu, singulis testis millia nummum.

[NĒPOTĬĀNUS, i, m. ad nepotem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 423, 4. Q. Julius Nepotianus. *F.*]

[NĒPOTILLĀ, ae, f. dimin. neptis, nepticula. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 31. *n.* 148. L. Septimiae Patabinianae nepotillae Odaenathianae, etc. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 916, 1. Julia Nepotilla. *F.*]

NĒPOTĪNUS, a, um, adj. luxuriosus, immoderatus. *Suet. Cal.* 37. Nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superavit. Alii leg. *nepotatus.* ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 351, 1. Papius Nepotinus. *F.*]

NĒPOTOR, aris, atus sum, dep. 1. *ἀκολασταίνω*, luxuriose et prodige vivo. *Sen. Ben.* 1, 15. Veto liberalitatem nepotari, *h. e.* in prodigalitatem verti. Alii explicant, Beneficium non dandum esse ei, qui nequiter profusurus sit. *Tert. Apol.* 46. *f.* Aristippus in purpura nepotatur.

NĒPOTŪLĀ, ae, f. dimin. parva neptis. *Inscr.* ap. *Mur.* 1445, 9. Apule Nepotula.

NĒPOTŪLUS, i, m. dimin. parvus nepos. *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 20. Si te salvum hinc mittemus Venereum nepotulum.

NEPTĬCŪLĀ, ae, f. dimin. parva neptis. *Symmach. ep.* 6, 33. (al. 32.) Nepticulae meae infirmitas. Adde *Not. Tir.* p. 80.

NEPTIS, is, f. *υἱωνή, θυγατριδῆ*, quae ex filio, filiave nata est. *Cic. Brut.* 58. Et filias ejus Mucias ambas, et neptes Licinias. *Suet. Aug.* 73. Vestis ab uxore, et filia, neptibusque confecta; et *ib.* 31. Si cujusquam neptium suarum competeret aetas. V. NEPOS. ℙ [Masculino genere pro *nepote*. *Inscr.* ap. *Mur.* 692, 2. et *De-Lama Guida al Mus. di Parma* p. 96. M. Coelius Vot. Verus L. Coelio Vero F., C. Coelio Vero nepti. *F.*]

NEPTŪNĀLIS, e, adj. *Ποσειδώνιος*, ad Neptunum pertinens, ut Neptunales ludi, ap. *Tert. Spect.* 6., qui absolute Neptunalia, *τὰ Ποσειδώνια* dicun-

tur a *Varr. L. L.* 5, 3., *Charis.* p. 21., *Diomed.* p. 315., *Prisc.* p. 663. et *Auson. Ecl. de fer. R.* 19. Celebrabantur autem X. Kal. Aug. frondeis casis in ripa Tiberis excitatis, et tauro immolato. *Festus* in *Umbrae.* Umbrae vocabantur Neptunalibus casae frondeae pro tabernaculis. *Inscr.* ap. *Grut.* 376, 5. Quotannis per Neptunalia oleum in campo, et in thermis et balineis populo praeberetur; et 460, 3. Die Neptunaliorum praesentibus sportulae bini ℵ dividerentur. [*Quaedam adjecit *F.*]

*NEPTUNIA, ae, f. herba, de qua *Appul. Herb.* 57. *B. A.*

NEPTUNICOLA, ae, comm. gen. Neptunum colens. *Sil.* 14, 443. Et Neptunicolae transverberat ora Telonis.

NEPTUNINE, es, f. patronym. Neptuni filia, vel neptis. Hanc patronymicorum positionem in femininis agnoscit *Prisc.* 2, 585., sic *Nerine, Adrastine* ab Adrastus et Nereus. *Catull.* 64, 28. Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine? *h. e.* filiae Nerei Neptuni filii.

NEPTUNIUS, a, um, adj. ad Neptunum pertinens, Ποσειδώνιος. *Virg. A.* 8, 695. Neptunia arva, *h. e.* mare. (prata dixit eod. sensu *Cic.* in *Arat.* 129., et Neptunias lacunas *Auct. ad Her.* 4, 10. *f.* in prosa non imitandus.) *Id. ib.* 2, 625. Troja, *h. e.* a Neptuno una cum Apolline muris cincta. *Id. ib.* 7, 691. Messapus, Neptunia proles, *h. e.* Neptuni filius. Sic *Val. Fl.* 1, 363. Euphemus Neptunius. *Sen. Troad.* 183. juvenis, *h. e.* Cycnus Neptuni filius. *Ov. Her.* 4, 109. et *ib.* 17, 21. et *Met.* 9, 1. et *Stat. Th.* 12, 588. heros, *h. e.* Theseus Neptuni filius. *Hor. Ep.* 9, 7. dux, *h. e.* Sex. Pompejus Magni filius, qui se a Neptuno adoptatum jactabat. V. *Plin.* 9, 16, 22. *Tibull.* 1, 1, 56. Aetnaeae Neptunius incola rupis, *h. e.* Cyclops Neptuni filius, ut *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 2, 24. et *Hyg. fab.* 157. tradunt. *Cic.* in *Arat.* 440. Neptunia Pistrix, *h. e.* marina. *Pl. Mil.* 2, 5, 3. loca, *h. e.* mare. *Val. Fl.* 2, 618. et *Lucan.* 7, 147. cuspis, *h. e.* tridens, Neptuni gestamen. [*Quaedam probe immutavit *F.*] P **Neptuniae aquae* fortasse oppidum fuit Campaniae maritimum. *Liv.* 39, 44. *B. A.*

NEPTUNUS, i, m. Ποσειδών, filius Saturni, et Opis, Jovis et Plutonis frater, Deus maris et aquarum ceterarum, ut *Serv.* ad *G.* 1, 12. docet. *Cic. N. D.* 2, 2. Ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando, paulum primis litteris immutatis; et *ib.* 3, 25. Quoniam Neptunum a nando appellatum putas. Al. leg. utroque loco *nubendo*, propterea quia *Varr. L. L.* 4, 10. et *Arnob.* 3, 118. dictum docent, quod aquis terram obnubat. [**Orell.* lectionis varietatem nullam notat. **Isid.* 8, 11. Neptunus quasi nubitonans. *Scal.* ducit a νίπτω. Sic a *verto*, *augeo* veniunt *Vertumnus, Auctumnus.* Vetus forma fuit *Neptumnus.* V. infra. Alii Tuscum volunt esse Neptunum. *Bailey.*] In divisione universi aquarum regnum ei obtigit: diciturque in imo mari regiam habere: unde toto Oceano, et fluminibus, fontibus et lacubus praeest, tridentem pro sceptro gerens. Habitus est etiam equorum sator, cum percussa trident tellure, equus exstitit, ut est ap. *Virg. G.* 1, 12. Unde a Thessalis, in quorum finibus hoc factum esse dicitur, Neptuno equestre certamen est institutum: et is Ἵππιος Ποσειδών, Neptunus equester appellatus, ut *Serv.* ad *h. l.* docet. V. CONSUS, HIPPIUS. Sacra ei tauro fiebant. V. NEPTUNALIS. Trojae moenia una cum Phoebo exstruxisse dicitur, eademque, mercede fraudatus, diruisse, super alias poenas, quas a Laomedonte perjuro expetiit. Uxorem habuit Amphitriten, et ex ea prolem plurimam marinarum Nympharum: alios praeterea filios ex aliis matribus, quos *Hyg. fab.* 157. recenset, itemque *Ov. Met.* 6. a *v.* 115., ubi etiam varias ejus metamorphoses enumerat. *Pl. Trin.* 4, 1, 1. Neptunus salsipotens et multipotens. *Virg. A.* 3, 74. Nereidum matri, et Neptuno Aegaeo. *Lucan.* 4, 110. Sic, o summe pater mundi, sic sorte secunda Aequorei rector facias Neptune tridentis. *Cic. N. D.* 1, 30. Caeruleos oculos esse Neptuni. P Frequenter a poetis pro mari, et pro quavis aqua per metonymiam ponitur. [*Dixit *Miltonus: the ebbing Neptune. Bailey.*] *Lucr.* 2, 470. mixta putes magis aspera levibus esse Principiis, unde est Neptuni corpus acerbum. *Virg. G.* 4, 28. si forte morantes *(apes)* Sparserit, aut praeceps Neptuno immiserit Eurus. *Pl. Rud.* 2, 6, 2. Credere se Neptuno. P *Uterque Neptunus* ap. *Catull.* 31, 3. est qui salsis et dulcibus aquis praeest. P Pro piscibus *Naev.* ap. *Fest.* in *Coquum:* Coquus edit Neptunum, Venerem, Cererem. P *Neptunuspater* olim conjuncte dictum est, ut *Marspiter, Januspater*, etc. *Gell.* 5, 12. P In *Inscr.* ap. *Grut.* 460, 3. et alibi *Neptumnus*, et *Neptumnalia* insculptum est. Sic *Portunus*, et *Portumnus.* P **Neptuni specus* in Laconia fuit, prope Taenarum promontorium. *Mela* 1, 19. P *Neptuni fanum* in Bithynia fuit, in promontorio sinus Olbiani situm. *Mela* 1, 19. qui 2, 3. *med.* etiam aliud meminit in Peloponneso, Corintho Cenchreisque vicinum. *B. A.*

*NEPTUNUSPATER. V. NEPTUNUS f. *B. A.*

*NEPURUS, non purus, ut Nevolt, Nefunus, etc. V. in NEPUS. V. et NERECTE. *B. A.*

NEPUS, non purus. *Fest.* ubi *Scal.* vult legi *nepurus.*

NE QUA, adj. f. V. in NEQUIS. P Adverb. ne per aliquem locum, μήπη: pro quo *Ter.* dicit *ne aliqua*, in *Ad.* 2, 4, 18. ne, si magis irritatus siet, Aliqua ad patrem hoc permanet. P Item ne aliqua ratione. *Virg. A.* 1, 686. Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit. *Pl. Cas.* 3, 2, 4. ne qua ignavissumis Liberi loci potestas sit vetulis vervecibus.

NEQUALIA, detrimenta. *Paul.* ex *Festo.*

NEQUAM, adj. indecl. comm. gen. Est ex *ne* et *quidquam. Varr. L. L.* 9, 5. Ut ex non et volo, nolo: sic ex ne et quidquam, media extrita syllaba, coactum est nequam. Itaque ut eum, quem putamus esse non hili, dicimus nihili; sic in quo putamus esse nequidquam, dicimus nequam. Haec *Varro.* [*Rectius videtur *Doederl.* 1, 54. *nequam* accipere pro fem. gen. accusativo obsoleti v. *nequis, nequa, nequid*, i. e. haud quis, nullus. Proprie significat id, quod inutile, nihili est, nunquam ad mores pertinet, sive malam, perditam alicujus hominis indolem notat.] *Fl. Caper de Orthogr.* p. 2246. Nequam non malum significat, sed inutilem. *Festus*: Nequam, qui ne tanti quidem est, quam quod habetur minimi. *Gell.* 7, 11. Qui proprie atque integre locuti sunt, dixerunt nequam hominem, nulli rei, neque frugis bonae: quod genus Graeci fere ἄωστον, ἢ ἀχόλαστον, ἢ ἄχρειον, ἢ ἀχρηστον, ἢ κακότροπον, ἢ μιαρόν. [*Duo haec vocabula, ultimo loco posita, κακότροπον et μιαρόν, significationi v. *nequam* minus conveniunt. *Doederl.* l. l.] et *mox:* Cum Cicero in eundem Antonium probra quaedam ludibriosa, et turpia ingessisset, ad extremum hoc addidit *(Phil.* 2, 31.) O hominem nequam! quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere. (Adde *ib.* 7, 1. *f.*) *Quint.* 8, 3. *med.* Nec parricidam, nequam dixeris hominem: nec deditum forte meretrici, nefarium: quod alterum parum, alterum nimium est. *Cic. Att.* 1, 12. quem *nequam* hominem dixerat, mox *nebulonem* appellat. P [*Adverbii more usurpatur, ut *bifariam, perperam, clam. Pl. Trin.* 4, 4, 29. *ed. Lindem.* ST. Strenuos praeterire more fit. CH. nequam quidem, i. e. more inutili et pernicioso. P Saepius autem adjectivi locum tenet, de quo dicendi genere disputat *Doederl. l. l.*, discrimine inter *nequam*, et *nihil esse* hoc quidem posito, ut hoc posterius inertiam atque inutilitatem significet ratione subjecti et negotii habita: *nequam* autem praeter suum ipsius etiam ad aliud subjectum relationem quandam involvat, a quo id, quod nequam sit, vel possideatur, vel, quale sit, dijudicetur. Hinc proprie per *nequam* servi, per *nihil esse* liberi hominis pretium abrogari.] *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Carminari dicitur lana, cum caret eo, quod in ea est nequam. *Colum.* 3, 10. *f.* Nisi tamen crediderunt flagellum destitutum materno alimento, frugiferum, quod in ipsa matre nequam fuisset. *Cato R. R.* 6. Nequam hostus. V. HOSTUS. *Pl. As.* 1, 3, 26. piscis nequam est, nisi recens. *Id. Trin.* 2, 4, 38. Nequam illud verbum est, *bene vult*, nisi qui bene facit. *Gell.* 7, 3. *med.* Enthymema nequam, est vitiosum. *Lucil.* ap. *Fest.* Nequam aurum est, aures quodvis vehementius ambit. Hoc versu, inquit *Fest.*, significare videtur, nequam esse aurum, quod aures laedat vel pondere inaurium, cum mollissima pars auris inciditur: vel etiam cupiditatem pecuniae voluit significare. *Scal.* suspicatur Lucilianum versum ita corrigendum: Nequam est aurum aures quojus vehementius ambit, *h. e.* nequam est is homo, cujus aures aurum ambit. Male enim audiebant ap. Romanos Barbari, qui aures perforatas habebant, et inauribus instructas. P *Cic. Rosc. Am.* 45. Liberti nequam, et improbi. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Quartarios*: Porro homines nequam, malus ut quartariu', cippos Collisere omnes. *Sen. Const. sap.* 13. Nequam mancipia emere, et vendere. *Pl. As.* 2, 2, 39. Malus et nequam es. *Id. Most.* 1, 2, 23. nequam homo, et indiligens, Cum pigra familia, immundus, instrenuus. *Hor. Sat.* 2, 7, 10. nequam, et cessator Davus. *Pl. Cist.* 4, 2, 62. Imitatur nequam bestiam et damnificam. *Cic. Pis.* 27. Nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil posterius, nihil nequius. *Id. Tusc.* 3, 17. Quid est nequius, aut turpius effeminato viro? *Id. Verr.* 2, 2, 78. Hominem flagitiosissimum, libidinosissimum, nequissimumque defendere. [**Vell.* 2, 48, 3. homo ingeniosissime nequam; cf. *ib.* 2, 68, 1.] *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 1. Nequam esse agricolam, quisquis emeret, quod praestare ei fundus posset; et 19, 4, 19. *n.* 3. Nequam esse in domo matremfamilias, ubi indiligens esset hortus. P Opponitur homini frugi. *Pl. Ps.* 1, 5, 53. Cupis, me esse nequam, tamen ero frugi bonae. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Cum accusator, tanquam censor bonus, homines nequissimos rejiceret; reus, tanquam clemens lanista, frugalissimum quemque secerneret. *Id. Font.* 13. L. Piso tanta virtute atque integritate fuit, ut etiam illis optimis temporibus, cum hominem invenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur. P Speciatim dicitur de eo, qui in turpibus est lascivior. *Mart.* 3, 69. Haec igitur juvenes nequam, facilesque puellae, Haec senior, sed quem torquet scivior. *Mart.* 3, 69. Haec igitur juvenes nequam, facilesque puellae, Haec senior, sed quem torquet amica, legat. Adde 11, 15. et V. NEQUITIA. P Substantive. *Pl. Poen.* 1, 1, 31. Vin' tu illi nequam dare? me dato, *h. e.* malum dare: et *mox:* Utrumque saxo habebit, et nequam, et malum; et *ib.* 44. Item 3, 3, 44. Locum sibi velle liberum praeberier, Ubi nequam faciat, ne quis sit arbiter, *h. e.* nequiter faciat.

NEQUANDO, adv. μήποτε, ne ullo tempore, sicut *siquando*, si aliquo tempore. *Cic. Att.* 10, 12. Tu tamen eas epistolas, quibus asperius de eo scripsi, aliquando concerpito, nequando quid emanet. *Id. Amic.* 16. *extr.* Ut nequando amare incipere-mus eum, quem aliquando odisse possemus!

NEQUAQUAM, μηδαμῶς, neutiquam, non, minime: particula vehementer negans. *Caes. B. G.* 4, 23. Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum arbitratus locum. *Cic. Cluent.* 64. *med.* Strato in vincula conjectus est: atque etiam in taberna ejus nummi nequaquam omnes reperiuntur. *Id. Amic.* 19. Q. Maximum, egregium virum, omnino sibi nequaquam parem, tanquam superiorem colebat. *Id. Verr.* 1, 12. Illud mihi nequaquam dignum industria mea videbatur. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Fin.* 3, 25. *extr.* Nequaquam istuc istac ibit. *Hor. Ep.* 2, 1, 20. Cetera nequaquam simili ratione modoque Aestimat.

NEQUE. V. NEC.

NEQUEDUM, necdum et nondum. *Cels.* 5, 26. *n.* 33. Si nigrities est, nequedum serpit, imponenda sunt quae carnem exedant. Si magis putre est, jamque procedit ac serpit, opus est, etc. [Ita edidit *Targa*, at *Lindenius*, quae nequedum, etc. *F.*]

NEQUEO, is, ivi, et ii, itum, n. anom. ἀδυνατέω, ἀσθενέω, non queo, non possum. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 67. p. 152. *Boettich. Lex. Tac.* p. 396.] *Cic. Or.* 45. Libenter etiam copulando verba jungebant, ut sodes pro si audes, nequire pro non quire, malle pro magis velle. *Sall. Or. Macri Licin. ad pleb.* Quod ego nequeo satis mirari, Quirites. *Hor. A. P.* 87. Cur ego, si nequeo, ignoroque, poeta salutor? *Ter. Hec.* 3, 3, 25. nequeo quin lacrimem, *h. e.* non possum facere, quin, etc. *Pl. Merc.* 3, 4, 51. Ubi habitaret, invenires saltem, si nomen nequis. *Cic. Somn. Scip.* 5. *f.* Solem adversum intueri nequitis. *Id. Or.* 65. *f.* Ut ea, cum velimus, laxare nequeamus. *Lucr.* 3, 673. actam aetatem meminisse nequimus. *Hor. Sat.* 1, 4, 84. commissa tacere Qui nequit, hic niger est. *Cic. Or.* 2, 75. Ea, quae sanare nequeunt, exulcerant. *Virg. A.* 6, 507. te, amice, nequivi Conspicere, et patria decedens ponere terra. *Titin.* ap. *Non.* 1, 3. Inter decem annos nequisti unam togam detexere. *Hor. Sat.* 2, 5, 78. Quam nequiere proci recto depellere cursu. *Lucr.* 4, 1248. fecundae saepe nequissent Uxores parere. *Cic. Div.* 2, 46. Cum Demosthenes *rho* dicere nequiret. *Lucr.* 1, 380. Quo poterunt undae, cum pisces ire nequibunt? *Sall. Cat.* 62. Quod proelio adesse nequibat. *Id. Jug.* 18. Quod injuriam facere nequisset. *Colum. in. praef.* Existimant, effetum solum nequire praebere mortalibus alimenta. P Passive, seu deponentis forma. *Sall. Jug.* 34. Quidquid sine sanguine civium ulcisci nequitur, jure factum sit. *Pl. Rud.* 4, 4, 20. ut nequitur comprimi! *Id. fragm.* ap. *Fest.* Retrahi nequitur, quoquo progressa est semel. *Pacuv. ib.* Sed cum contendi nequitum vi, clam tendenda est plaga. *Cato ib.* Fana in eo loco compluria fuere: ea exauguravit, praeterquam quod Termino fanum fuit: id nequitum exaugurari. Omnib. his loc. activa positio eandem haberet sententiam, cum passivo infinito jungatur: nam et *ulcisci* ap. *Sall.* passive accipiendum est. [*Part. *nequitus* penultimam brevem vult *Prisc.* p. 899. V. *Queo ad f. Bailey.*] P Part. *Nequiens, euntis* est *Sall. fragm.* ap. *Andr. Schot.* (habentur in fine fragmentor. *Sall.*) Spartacus nequiens prohibere. *Appul. Met.* 8. Nequiens idoneum exitium praesenti cladi reddere. *Auson. Profess.* 2. *f.* digna nequiens promere. *Ammian.* 15, 10. *med.* Annibalem assequi nequiens. *Sall. fragm. H.* 3. ap. *Arus. Mess.* Sustinere corpora plerique nequeuntes. *Arnob.* 1, 13. Nequeuntes videre; et 7, 239. Nequeuntes scire. P *Nequinont* pro *nequeunt* antiquum est. Usurpavit *Liv. Andron.* in *Odyss.* ap. *Fest.* P Nequeunt *Id. Fest.* interpretatur non eunt: ubi *Scal.* mallet legi *neceunt*, ubi *nec* sit pro *non* ut in *necopinus.* P [*Corrumpitur *nequeo* ex *non queo* etc. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 237.]

NEQUEUNT, non eunt. *Festus.* V. v. praec.

NEQUE OPINANS. V. NECOPINANS.

NEQUICQUAM et Nequidquam, adv. μάτην, frustra, [*nostr. *umsonst und um nichts, für nichts und wider nichts.* Est accusativus a *nequisquam*, sicut *nequam* a *nequis.* V. *Doederl.* 1, 54. Differunt *frustra* et *nequidquam*, ita ut hoc ad eventum rei susceptae, illud ad spem exspectationemque suscipientis pertineat. V. *Doederl.* 2, 100. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 275. p. 249.] *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Ne-

quicquam perierit ille. *Cic. Quint.* 25. *f.* Et sero, et nequicquam pudet. *Caes. B. C.* 1, 1. *extr.* Nequidquam alicujus auxilium implorare. *Virg. A.* 9, 219. causas nequidquam nectis inanes. *Hirt. B. G.* 8, 19. Hostes itineribus diversis fugam quaerunt: nequidquam: nam, etc. [**Lucan.* 7, 674. Caesaris aut oculis voluit subducere mortem. Frustra: etc. ubi v. *Cort.* plura laudantem.] ℙ Aliquando alia negans particula praecedit. *Virg. G.* 1, 95. neque illum Flava Ceres alto nequidquam spectat Olympo. *Caes. B. G.* 2, 27. Ut non nequidquam tantae virtutis homines judicari deberet ausos esse transire latissimum flumen, subire iniquissimum locum, etc., *h. e.* non temere. ℙ Pro *nihil*, vel non. *Virg. G.* 1, 403. Nequidquam seros exercet noctua cantus. *Id. A.* 2, 544. telumque imbelle sine ictu Conjecit, rauco quod protinus aere repulsum, Et summo clypei nequidquam umbone pependit. Ita *Servius*, qui trahit huc illud *Persii* 2, 50. donec deceptus et exspes Nequicquam fundo suspiret nummus ab imo. Sed haec rectius aliter ab aliis explicantur. *Cic. Tusc.* 1, 31. Secernere a corpore animum, nequidquam aliud est, quam emori discere. Alii leg. *nec quidquam* eodem sensu, posito *nec* pro *non*: alii *nihil quidquam*. [**Adde Fam.* 7, 6. Qui ipse sibi sapiens prodesse non quit, nequidquam sapit, i. e. eum sapientia nihil juvat.] ℙ Ap. *Fest.* habetur *nequiquam*, atque ita in multis MSS. *Virgilii*, *Prop.*, *Val. Fl.*, et aliis repertum est, teste *Voss.* in *Etym.* in *Quis*, *Pier.* ad *A.* 2, 102., *Broukhus* ad *Prop.* 2, 3, 5. et *Dausq.* in *Orthogr.* Volunt enim esse a sexto casu *quiquam* masculino, ut *nequaquam* a feminino. [**Scripturam nequiquam* pro *nequidquam* prorsus nullo modo ferri posse docet *Doederl.* 2, 101.] ℙ Pleonasmus est in illo *Appul. Met.* 8. [**p.* 176. *ed. Bip.*] Sed nequidquam frustra timorem illum satis inanem perfuncti, longe pejores inhaesimus laqueos. [**Pleonasmus non est.* V. quae de discrimine utriusque vocabuli diximus ab initio hujus loci. Adde *Catull.* 77, 1. Rufe mihi frustra ac nequidquam credite amice.]

NEQUĪNATES, um, m. plur. Narnienses, quorum oppidum olim *Nequinum*, postea *Narnia* dictum est. *Liv.* 10, 9. In Umbria Nequinum oppidum, ubi nunc Narnia sita est; et *ib.* 10. Ita Nequinum in ditionem populi R. venit. Colonia eo missa a flumine Narnia appellata. Ejusdem meminit *Plin.* 3, 14, 19. Hinc *Nequinates* in *Fast. Triumph.* ap. *Grut.* 296. *col.* 2. M. Fulvius Paetinus cos. (ann. U. C. CDLV.) de Samnitibus, Nequinatibusque. Adde *Cat.* ap. *Fest.* [*Longe plurima adjecit *F.*]

NEQUĪNONT. V. NEQUEO.

NEQUĪQUAM. V. NEQUICQUAM.

NEQUIS et Ne quis, a, od, et id, *μήτις*, ne aliquis. *Cic. opt. gen. Or.* 7. Cum esset lex Athenis, nequis populi scitum faceret. *Id. Div. Verr.* 10. *med.* Nequa deductio fieret, tua potestas erat. *Nep. Att.* 10. Nequod periculum incideret. *Ter. Phorm.* 4, 5, 1. curabo, ne quid verborum duint. *Virg. A.* 1, 417. Cernere ne quis eos, neu quis contingere posset. *Cic. Cluent.* 60. *extr.* Uti necui innocenti moeror tuus calamitatem afferret. *Id. Off.* 2, 19. *f.* Animadvertant, cum alios juvare velint, nequos offendant. *Plin.* 28, 2, 4. Ne qui hostium simili modo agerent. ℙ *Ne quid nimis*, *μηδὲν ἄγαν*, dictum septem Sapientum, quo modus in rebus omnibus commendatur. *Ter. Andr.* 1, 1, 34. ℙ In recto masculino est etiam *ne qui* pro *ne quis*, et *ne quae* pro *ne qua*. *Cic. Sull.* 12. Nequi forte incipiat improbus subito te amare, Torquate; et *ib.* 15. Nequi posset tantum de reipublicae periculo meminisse, quantum vellet; et *Att.* 7, 10. Nequi conspectus fieret, aut sermo. *Varr. R. R.* 2, 4. Ne qui porcellus a matre opprimatur. *Id. ib.* 3, 9. *med.* Circum caveas incendendum cornu cervinum, ne quae serpens accedat. *Cic. Att.* 16, 9. Metuo, ne quae *ἀριστεῖα* me absente. [*V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 137. p. 126.]

[NEQUĪTO, as, *n.* 1. et

[NEQUĪTOR, aris, dep. 1. nequam sum. Agnoscit *Prisc.* 8, 799., sed nullum affert Latini scriptoris exemplum. *Aug.* tamen *Krehlius* edidit *nequit*, et *nequitur* pro *nequito*, et *nequitor*. *F.*]

NEQUĪTER, adv. *ἀχολάστως*, inutiliter, dissolute, profuse: cui opponitur frugaliter. [*V. quae diximus in NEQUAM: unde intelliges, varias hic a Nostro notatas hujus v. significationes ad unam facile omnes eamque inutilitatis notionem posse referri, nihilque esse in v. *nequiter* de animi morumque pravitate cogitandum.] *Cic. Tusc.* 3, 17. Aderit temperantia, quae est eadem moderatio, a me quidem paulo ante appellata frugalitas, quae te turpiter et nequiter facere nihil patiatur. *Id. Fin.* 2, 8. *extr.* Ille porro male, prave, nequiter, turpiter coenabat. ℙ Ponitur et pro male, prave, *κακῶς*. *Liv.* 41, 7. Utrum bellum susceptum sit nequius, an inconsultius gestum, dici non potest. ℙ Item remisse, languide. *Pl. As.* 3, 3, 88. Nunquam hercle facerem, genua ni tam nequiter fricares. ℙ Item infeliciter, misere. *Pl. Amph.* 1, 3, 23. Nequiter paene expedivit prima parasitatio. ℙ Item male, perperam, injuste. *Mart.* 10, 77. Nequius a Caro nihil unquam, Maxime, factum est, Quam quod febre perit. ℙ Item dolose. *Plin.* 12, 25, 54. de balsamo: Vitiatur oleo rosae, resina, galbano, etc. nequissime autem gummi, quoniam ipsum quoque inhaerescit manu inversa, et in aqua sidit: quae probatio gemina est. ℙ Item lascive, incontinenter. *Cato* ap. *Gell.* 16, 1. Si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit. *Mart.* 2, 27. Effete, graviter, cito, nequiter, euge, beate, *h. e.* ingeniose in nequitiis explicandis. Voces sunt, quibus applaudebant recitantibus, aut causas agentibus.

NEQUĪTIA, ae, f. et Nequities, ei, f. *ἀχρειότης*, [*proprie eam alicujus rei perversam naturam rationemque significat, qua cum fructu inque rectum usum adhiberi nequit: nostr. *Unbrauchbarkeit*, *Verdorbenheit*, *Nutzlosigkeit*. Ita de vino in acetum verso dicitur ap. *Plin.* 14, 20, 25. Aceti nequitiae inest virtus magnos ad usus, et sine queis vita mitior degi non possit: quem locum Noster in f. collocaverat. ℙ Hinc ad hominem translata varie quidem, sed ita semper usurpari vox *nequitiae* solet, ut talem denotare videatur, qui in cujuscunque generis rebus gerendis aut prorsus nullam, (i. saepissime q. periculum, damnum), aut saltem non eam, quam proprie vel possit, vel debeat, utilitatem afferat, pareat, consequi studeat, in quo nihil sit, quo recte uti liceat, qui nullius pretii hominem se praebeat: nostr. *Nichtswürdigkeit*, *Verworfenheit*. V. NEQUAM. Quod cum multis ex causis et variis rerum eventibus fieri possit, factum est, ut missa propria vi tot voci *nequitiae* significationes tribuerentur, quot nequiter agendi rationis causas eventusque indicare verborum contextus videretur. Ita accipitur pro:] ignavia, inertia. *Cic. Tusc.* 3, 8. *f.* Frugalitas, ut opinor, a fruge: nequitia ab eo (etsi hoc erit fortasse durius) quod nec quicquam est in tali homine: ex quo idem nihili dicitur. *Id. Cat.* 1, 2. Cupio, me esse clementem: cupio in tantis reipubl. periculis non dissolutum videri: sed jam me ipsum inertiae nequitiaeque condemno; et *ib.* 11. *f.* Si quis est invidiae metus, num est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia, quam inertiae ac nequitiae pertimescenda? *Id. Fin.* 5, 20. Inertissimi homines, nescio qua singulari nequitia praediti. *Auson. Idyll.* 12. *praef. monosyllab. f. positor.* Similium nugarum subtexo nequitiam. ℙ Item de profusione, prodigentia: vitio ejus, qui frugalitate caret, et in luxu vivit. V. FRUGALITAS. *Cic. Cluent.* 51. Brutum autem, hominem sapientem, quod filii nequitiam videret, quae praedia ei relinqueret, testificari voluisse. *Paul. Sent.* 3. *tit.* 4. Moribus per praetorem bonis interdicitur hoc modo: Quando tibi bona paterna avitaque nequitia tua dispердis, liberosque tuos ad egestatem perducis, etc. *Hor. Sat.* 2, 2, 131. Illum aut nequities, aut vafri inscitia juris, Postremum expellet certe vivacior heres. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 7, 11. Luxuria et nequitia pecuniam magnam consumpserat. ℙ Et quia profusio praecipue versatur in quaeritandis turpibus corporis voluptatibus, quarum gratia saepissime homines bona sua comedunt; *nequitia* accipitur pro turpi incontinentia, flagitiosa cupiditate, probrosa libidine. *Donat.* ad *Ter. Ad.* 3, 3, 4. Nequitia proprie libidinosa inertia dicta est. *Hor. Od.* 3, 15, 1. Uxor pauperis Ibyci Tandem nequitiae pone modum tuae, Famosisque laboribus; et *ib.* 4, 77. Incontinentis nec Tityi jecur Relinquit ales, nequitiae additus Custos: scil. quia in Latonam petulans fuit. *Mart.* 4, 42. Nequitias tellus scit dare nulla magis. Adde *Petr. Sat.* 87. et *Ov. Fast.* 1, 414. et *Phaedr.* 3, 8. ℙ Discrimen inter malitiam, et nequitiam cognoscimus ex illis P. *Africani* verbis ap. *Gell. l. c.* Omnia mala, probra, flagitia, quae homines faciunt, in duabus rebus sunt, malitia, atque nequitia. Si nequitiam defendere vis, licet. Sed tu in uno scorto majorem pecuniam absumpsisti, quam quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicavisti. Non vis nequitiam: age, malitiam saltem defende. Sed tu verbis conceptis conjuravisti sciens sciente animo tuo, etc. *Auct. ad Her.* 3, 6. Utile putamus, ab omnibus unicam malitiam, atque nequitiam cognosci. ℙ Est etiam universim malitia, improbitas, vitiositas. *Cic. Rosc. Am.* 46. Si domus haec habenda est potius, quam officina nequitiae, et diversorium flagitiorum omnium. *Id. Verr.* 2, 5, 33. *extr.* Qui alterum se Verrem cum luxuria atque nequitia, tum etiam imperio putaret. [**Id. Pis.* 6. Qui istius insignem nequitiam, frontis involutam integumentis, nondum cernat. *Vell.* 2, 100, 5. Singularem nequitiam supercilio truci protegens.] *Sen. Ira* 2, 8. Certatur ingenti quodam nequitiae certamine: major quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia est. *Phaedr.* 2, 6. Vis, et nequitia quidquid oppugnant, ruit. *Ulp. Dig.* 21, 1, 23. Dolo malo, et per nequitiam. ℙ Item flagitium, scelus. *Prop.* 1, 15, 38. Nec tremis admissae conscia nequitiae?

NĒQUO et Ne quo, adv. ne in aliquem locum, *μήποι*. *Cato R. R.* 143. Villica ad coenam nequo eat, neque ambulatrix siet.

NERĀTIUS Priscus JCtus, vir fuit tantae non solum peritiae in jure, sed morum probitatis, ut Trajanus imperator aliquando habuerit in animo eum pro Hadriano successorem sibi relinquere: ipse vero Hadrianus, cum judicaret, eum cum paucis aliis JCtis, in consilio habuerit. *Spart. Hadr.* 4. et 18.

*NERĒAE, arum, populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*NERECTE, adv. *non recte*, ap. Veteres, quemadmodum *nepurus* pro *non purus*, *nequeo* pro *non queo*. Multa ex *Plauto* exempla congessit *Pareus Lex. Crit.* unum etiam ex *Cic. Amic.* Ubique tamen varia est lectio. *B. A.*

NĒREIS, ĭdis, f. patron. *Νηρηΐς* et *Νηρείς*, filia Nerei. Nereides sunt Nymphae maris, filiae Nerei et Doridis, numero quinquaginta, quarum omnium nomina habes ap. *Hyg. praef.*, aliquarum ap. *Virg. G.* 4. a *v.* 336. et *A.* 5, 825. Sed *Prop.* 3, 5, 33. centum facit. Solent autem interdum a poetis omnes Nymphae maris hoc nomine appellari. *Tibull.* 1, 6, 9. Talis ad Haemonium Nereis Pelea quondam Vecta est frenato caerula pisce Thetis. *Stat. Ach.* 1, 24. Fluctibus invisis jam Nereis imperat Helle; et *ib.* 526. Quo rapis ingentem magni Chironis alumnum Femineis, Nerei, dolis? *Ov. Met.* 13, 858. Nerei, te vereor: tua fulmine saevior ira. *Catull.* 64, 15. Aequoreae monstrum Nereides admirantes. *Ov. Her.* 5, 57. Utque celer venias, virides Nereidas oro. *Id. Met.* 11, 380. Sed memor admissi Nereida colligit orbam. *Sen. Hipp.* 336. Caerulus undis grex Nereidum. ℙ De Nereidibus, marinis monstris, pube tenus humana effigie, hispido corpore squamarum more, cetera piscibus, verba facit *Plin.* 9, 5, 4. ℙ *Fuit et Nereis nomen filiae Pyrrhi Epiri regis, quam Gelo Syracusanus duxit. *Just.* 28, 3. ℙ Item Priami regis filiarum una. *Hyg. fab.* 90. *B. A.*

NĒRĒIUS, a, um, adj. ad Nereum pertinens. *Ov. Met.* 13, 162. Praescia venturi genitrix Nereia leti, *h. e.* Thetis Nympha marina. *Id. ib.* 7, 685. Nereius juvenis, *h. e.* Phocus Nerei nepos. *Virg. A.* 9, 102. Nereia Doto, *h. e.* Nerei filia. *Sil.* 7, 416. turba, *h. e.* Nereides. *Seren. Sam.* 36, 687. lympha, *h. e.* aqua marina. *Claud. IV. cons. Honor.* 591. bacca, *h. e.* margarita.

*NERETĪNI, orum, incolae Nereti, quod opp. fuit Calabriae, hodie *Nardo* appellatum. *Plin.* 3, 11. Basterbini, Neretini, cet. *B. A.*

NĒREUS, i et eos, m. disyll. *Νηρεύς*, Oceani et Tethyos filius, Deus maris: quasi *νηρὸς*, humidus, a *νέω* vel *νάω*, fluo. Hunc *Orpheus Arg.* 338. Deorum antiquissimum appellat. Unde et grandaevus a *Virg.* dicitur *G.* 4, 392. Ex Doride uxore, eademque sorore maximam Nympharum turbam suscepit, quae a nomine patris Nereides appellantur. V. NEREIS. *Prop.* 3, 5, 33. O centum aequoreae Nereo genitore puellae. *Enn.* in *Andromeda*, ap. *Prisc.* 7, 733. Filiis propter te objecta sum innocens Nerei, *h. e.* marinis monstris. ℙ Pro Neptuno est in illo *Virg. A.* 2, 418. saevitque tridenti Spumeus, atque imo Nereus ciet aequora fundo; et *Ov. Am.* 2, 11, 39. Tum mare in haec magnus proclinet litora Nereus; et *Petr. Sat.* 139. Me quoque per terras, per cani Nereos aequor, etc. ℙ Metonymice est ipsum mare. *Tibull.* 4, 1, 58. de Ulysse: Vexit et Aeolios placidum per Nerea ventos. *Val. Fl.* 1, 450. Insurgit transtris, et remo Nerea versat. *Ov. Met.* 1, 187. qua totum Nereus circumsonat orbem. *Lucan.* 2, 713. Hic primum rubuit civili sanguine Nereus.

NERIA. } V. NERIO.
NERIENE. }

*NERIGOS, i, insula Germaniae septentrionalis, ut placet *Plin.* 4, 16. ℙ Probabile est paeninsulam fuisse, quae nunc *Norway* vocatur. *B. A.*

NĒRĪNE, es, f. *Νηρίνη*, patron. eadem quae Nereis. *Virg. E.* 7, 37. Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblae.

NĒRĪNUS, a, um, adj. ad Nereum pertinens. *Nemes. Ecl.* 4, 52. Nerinas potabit aquas, *h. e.* marinas. *Auson. ep.* 4, 55. Nodosas vestes (al. *pestes*) animantum Nerinorum, *h. e.* piscium.

NERIO, enis, (ut Anio, enis) et Nerienes, is, et Neriene, es, et Neria, ae, f. Sabinum verbum, quo significatur virtus et fortitudo. Unde ex Claudiis, quos a Sabinis oriundos accepimus, qui erat egregia atque praestanti fortitudine, *Nero* appellatus est. Id autem Sabini accepisse videntur a Graecis, qui vincula et firmamenta membrorum *νεῦρα* dicunt: unde nos quoque Latine *nervos* appellamus. In libris sacerdotum populi R. Neriene Martis est vis, et potentia, et majestas Martis: vel, ut fabulatur Plautus in Trucul., conjux Martis. Sic enim sub persona Militis (2, 6, 34.) Mars peregre adveniens salutat Nerienem uxorem suam. Similiter in Cn. Gellii Annali tertio legitur: Neria Martis, te obsecro pacem dare, uti liceat nuptiis propriis et prosperis uti, quod de tui conjugis consilio contigit, uti nos itidem integras raperent, etc. Sic Licinius Imbrex: Nolo ego, Neaeram te vocent, sed

Nerienem: Cum quidem Marti es in connubium data. Hoc autem versu paenultima syllaba corripitur, quod et fecisse illo videtur Ennius: Nerienem Mavortis, et Herclem. Ceteri qui probe locuti sunt, produxerunt. Primam autem nonnulli intenderunt, ut in *Νηρεΐδες:* alii rectius correptam protulerunt. *Nerienes* in recto dixit Varro: Nerio in aliis libris veterum scriptum est. Haec omnia ex *Gellio* 13, 22. ℙ [*C. Cavedonius* in *Saggio di osserv. numism.* p. 49. probat, in nummo G. Gelliae ap. *Morell. Fam. Rom. n.* 1. repraesentari Nerienem, quae a Marte in citis quadrigis rapitur. *F.*]

NĔRĬON, ii, n. *νήριον*, planta, quae et rhododendron, et rhododaphne dicitur, caretque appellatione Latina, fronde sempiterna, rosae similitudine, caulibus fruticosa. Jumentis, caprisque, et ovibus venenum est: eadem homini contra serpentium venena remedio. *Plin.* 16, 20, 33. et 24, 11, 53. [* *Oleander*, *Lorberrose.*]

[NĔRĪTA, ae, m. *νηρίτης*, concha marina nautilo, ut videtur similis. *Plin.* 9, 33, 52. Navigant ex his neritae, praebentesque concavam sui partem, et aurae opponentes, per summa aequorum velificant. *Hard.* pro *neritae* edidit *Veneriae*, minus recte; nam *νηρίτης* legitur ap. *Arist. H. A.* 4, 4. et *Ael. Nat. an.* 14, 28. *F.*]

[NĔRĪTĪNI, orum, m. plur. incolae urbis Salentinorum in Calabria, quae olim *Νήριτον* a *Ptol.* 3, 1., nunc *Nardò* appellatur. *Plin.* 3, 11, 16. Salentinorum Neritini, Uxentini, Veretini. *Inscr.* ap. *Mur.* 1120, 11. Q. Fabio Balbo V. P. IV. Viro I. D. Lupienses, Hydren. et Neritini patrono. Adde aliam ap. *eund.* 1113, 5. *F.*]

NĔRĪTĬUS, a, um, adj. *Νηρίτιος*, ad Neriton pertinens. Et dicitur de rebus ad Ulyssem pertinentibus. *Ov. Fast.* 4, 69. Neritius dux, *h. e.* ipse Ulysses; et *Met.* 14, 563. Neritia ratis, *h. e.* qua vectus Ulysses; (Adde *eund. R. Am.* 264.) et *ib.* 13, 712. Neritiasque domos, regnum fallacis Ulyssei; et *ib.* 14, 159. Neritius Macareus, comes experientis Ulyssei. ℙ Neritiam prolem *Sil.* 2, 317. vocat Saguntinos, qui partim ex insulis, in quibus Ulysses regnavit (quarum una est Neritos), in Hispaniam transmigrasse dicuntur: partim a Zacyntho insula, quae non procul sita est, ut est ap. *Liv.* 21, 7. ℙ Scribitur et *Naritius* a Dorico *Νάριτος* pro *Νήριτος:* item *Nericius* et *Naricius*, sed minus recte. Aliud vero est *Narycius*, quod V. s. l.

NĔRĪTOS et Neritus, i, m. *Νήριτος*, mons Ithacae insulae, in qua Ulysses regnavit, ut *Plin.* 4, 12, 19. et *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 271. docent. Item insula parva non longe ab Ithaca, quae et ipsa ad Ulyssis regnum pertinuit. *Virg. l. c.* Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos, Dulichiumque, Sameque, et Neritos ardua saxis. Effugimus scopulos Ithacae, Laertia regna, etc. *Sen. Tro.* 856. Neritos parva brevior Zacyntho, Et nocens saxis Ithace dolosis. *Mela* 2, 7. In Ionio Cephalenia, Neritos, Same, et Ulyssis nomine Ithaca illustris. ℙ ℙ [*Neritus* a *νήριτος*, immensus, est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 654, 1. Cornelius Neritus. *F.*]

*NERĪI, orum, gens Celtica, Hispaniam Tarraconensem incolens, ubi nunc *Gallicia*. *Mela* 3, 1. *med.* ℙ *Neriae* audiunt *Plin.* 4, 20. ℙ Inde appellatum *Nerium* promontorium, *Νήριον Straboni*, hodie *Capo Finisterra.* V. ARTABRUM. *B. A.*

*NERĬPHUS, i, insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*NERĬPI, orum, populi Asiae, ultra Maeotim paludem. *Plin.* 5, 7. *B. A.*

*NERĬS, idis, montis Argivi nomen. *Stat. Theb.* 4, 47. *B. A.*

*NERĪTIS, idis, Leucadiae paeninsulae nomen antiquum. *Plin.* 4, 1. *B. A.*

*NERĬUS, i, m. foenerator quidam, de quo *Hor. Sat.* 2, 3, 69. *B. A.*

NĔRO, onis, m. cogn. familiae Romanae praenobilis in gente Claudia, voce a Sabinis ducta, de qua in NERIO dictum est. Illustres ex ea cives exstitere in primis C. Claudius Nero, qui consul Asdrubalem, fratri Annibali suppetias ferentem, junctis mira celeritate cum M. Livio Salinatore collega copiis, superavit, ipsumque Annibalem post eam cladem in extrema Italiae se recipere coegit. Lege *Liv.* 27, 43. et sqq. ℙ *Nero Claudius*, ex gente Domitia in Claudiam a Claudio Aug. adoptatus, sextus Romanorum imperator, monstrum fuit teterrimum crudelitatis, et omnis turpitudinis. In eo, ut et in aliis quibusdam, *Nero*, licet cognomen, praenominis loco positum fuit. Vitam ejus enarrat *Suetonius*, qui initio vitae Claudii docet, hujus patrem olim praenomine Decimum, mox Neronem quoque fuisse; cum potius illi dicendum esset, omisso priore Decimi praenomine, Neronis cognomen loco praenominis aliis ejusdem nominibus praepositum fuisse, ita ut *Nero Claudius Drusus* pro *Decimus Claudius Nero Drusus* appellaretur, ex more illius temporis. V. COGNOMEN. [*Ultima addidit *F.*] ℙ **Nerones* num. plural. *Hor. Od.* 4, 4, 28 et 37. *Suet. Tib.* 4. *f. Plin.* 36, 15. ℙ *Forum Neronis.* V. FORUM in Auctario. ℙ *Fossa Neronis.* V. FOSSA in Auctario. *B. A.*

NĔRONĔUS, a, um. V. NERONIANUS.

*NERONĬA, ae, f. opp. Venetorum, medio inter Ravennam Pataviumque loco. *Tab. Peut.* ℙ *Neronia*, *orum.* V. NERONIUS, a, um. *B. A.*

NĔRONIĀNUS, a, um, adj. ad Neronem aliquem pertinens. *Suet. Ner.* 55. Mensem quoque Aprilem Neroneum appellavit. *Stat. Silv.* 1, 5, 6. fas sit componere magnis Parva, Neronea nec qui modo lotus in unda, etc. *h. e.* thermis Neronianis. *Suet. Vit.* 4. Praesidens certamini Neroneo, *h. e.* quod more Graeco triplex instituit Nero, musicum, gymnicum, equestre, et *Neronia*, *Νερώνεια*, appellavit, ut *Id. Ner.* 12. narrat. *Id. ib.* 21. Neroneum agona ante praestitutam diem revocavit. *Mart.* 7, 34. Quid thermis melius Neronianis? *Suet. Vit.* 11. *f.* Neroniana cantica. *Cic. Or.* 2, 61. Neronianum dictum, *h. e.* Neronis cujusdam. ℙ *Neroniana piscina* in thermis Aponensibus memoratur a *Cassiod. Variar.* 2, 39., quae ita fortasse est appellata, quia magnificam illam Bajanam piscinam aemulabatur, quam Bajis inchoasse Neronem, narrat *Suet. Ner.* 31. ℙ *Neroniana saecula* quaenam sint, V. in GEMMEUS. [*Multis hunc locum auxit *F.*]

*NERONIĀNUS, i, m. cogn. R., ut Patrobius Neronianus, de quo *Suet. Galb.* 20. *B. A.*

*NERONĬUS, a, um, adj. i. q. Neroneus. *Suet. Ner.* 12. Certamen triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod adpellavit Neronia. *B. A.*

[NĔRŌPŌLIS, is, f. Neronis civitas: a *Νέρων*, Nero, et *πόλις*, civitas. *Suet. Ner.* 55. Destinaverat et Romam Neropolin nuncupare. *F.*]

*NERSAE, arum, opp. Italiae, in Aequorum terra. *Virg. A.* 7, 744. *B. A.*

NERSIA. V. NORTIA.

[NERTOBRĪGENSIS, e, adj. ad Nertobrigam pertinens Hispaniae Baeticae urbem, nunc *Valera la vieja:* ejus meminit *Plin.* 3, 1, 3. Nertobriga, quae et Concordia Julia. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 105. *n.* 247. Ex Hispania ulteriore, provincia Baetica, municipium Concordia Julia Nertobrigensis. *F.*]

NERVA, ae, m. cogn. fuit Liciniorum, Coccejorum, et Siliorum, famil. Romanarum: dictum a *nervo*, hoc est robore. M. Coccejus Nerva imperator Rom. XIII. Flav. Domitiani successor dissimillimus, de quo *Eutrop.* et *Aurel. Vict. Caesar.*

NERVĀLIS, e, adj. *Scrib. Comp.* 12. Herbam, quam Graeci *πολύνευρον*, nos nervalem appellamus. ℙ In *Inscr.* ap. *Mur.* 1113, 4. *flamen Nervalis* est sacerdos Nervae Imp. R. in Deos relati.

*NERVESIA, ae, f. vicus Italiae, in Aequorum terra. *Plin.* 25, 8. Nascitur *(herba)* et in Aequicolis circa vicum Nervesiae: vocatur consiligo. *B. A.*

NERVĬAE, arum, f. plur. et Nervia, orum, n. plur. *τὰ νεύρια*, fidiculae ex nervis concinnatae, chordae citharae, vel alius musici instrumenti. *Varr.* ap. *Non.* 3, 149. In psalterio tendamus nervias. *Id. ib.* Quae ejus nervia tractare solebat. *Gell.* 9, 7. Nervias in fidibus brumali die alias digitis pelli, alias sonare. ℙ Pro nervis. *Petr. fragm. Trag.* 45. *Burm.* Gladiator, qui habuit nervia praecisa. In secundo *Varr.* loco aptius *nervia* de nervis, quam de fidibus intelliges.

*NERVICĔUS, a, um, adj. ut *nervicei funes* ap. *Vulgat. Jud.* 16, 7. *B. A.*

NERVĪCUS, a, um, adj. nervorum vitio laborans, *νευρικός*. *Vitr.* 8, 3. *med.* Ita aut nervicos, aut podagricos efficiunt homines. Al. leg. *neuricos* a Graeco, et fortasse rectius. ℙ Item ad Nervios pertinens, ut Nervicum proelium. *Caes. B. G.* 3, 5.

NERVĬI, orum, m. plur. populi Galliae Belgicae, ubi nunc Com. Hannoniae, quorum urbs primaria Bagacum. Terminabantur ab Or. Aduaticis, ab Occ. Atrebatibus, et Pleumosiis. *Caes. B. G.* 2, 15. et sqq. ℙ Etiam in singul. num. *Lucan.* 1, 428. nimiumque rebellis Nervius. ℙ [*Nervius*, *a*, *um*, adjective. *Inscr.* ap. *Grut.* 874, 1. Cirata Julia Annai F. natione Nerviorum. *F.*]

NERVĪNUS, a, um, adj. e nervo factus, ut Nervini funes. *Veg. Mil.* 4, 9.

*NERVĬUM, i, n. i. q. nervus. *Varr.* ap. *Non.* 3, 149. et *Petr.* 45. *B. A.*

NERVĬUS, a, um, adj. Nervius miles ap. *Claud. B. Gild.* 421. est miles legionis a Nerva Imp. institutae. [*Inscr.* ap. *Donat.* 349, 8. Imp. Caes. T. Aelius Adrianus Antoninus Aug. Pius coloniae Minerviae Nerviae Aug. Scolacio aquam dat. In *Novell. lett. di Firenze* T. 23. p. 288. legitur *Hadrianus* pro *Adrianus*, et *Sculacio* pro *Scolacio*, quod quidem rectius. V. SCYLACEUM. ℙ *Nervius*, *a*, *um*, ad Nervios pertinens, V. NERVII. *F.*]

*NERULĀNI, orum, populi Latii, juxta Romam, quorum meminit *Plin.* 3, 5. *B. A.*

[NERULĪNUS, a, um, adj. ad Nerulum pertineus, mediterraneum in Lucania oppidum, cujus meminit *Liv.* 9, 20. Inde *Nerulinus* cogn. R., ut M. Suillius Nerulinus cos. ann. a Chr. n. DCCCIII., cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Mur. praef.* p. 91. et in nummo G. Suilliae ap. *Morell. Fam. Rom. n.* 3. *F.*]

[NERULŌNENSIS, e, adj. ad Nerulum pertinens, Lucaniae urbem, de qua vide in voce praeced. Avus Augusti per contemptum *Nerulonensis* appellatur ap. *Suet. Aug.* 4., ipse vero Thurinus, teste *eod. ib.* 7., Thurii enim urbs haud procul a Nerulo aberat. V. THURINUS. *F.*]

NERVOLĀRIA, ae, f. nomen comoediae Plautinae, ex qua pauca admodum fragmenta servarunt nobis *Varr.*, *Gell.* 3, 3., *Non.* et *Fest.* Neque tamen certum est eam *Plauti* fuisse, fortasse quia nervi seu vincula servi cujuspiam argumento fuissent.

NERVOSĒ, adv. *ἰσχυρῶς*, enixe, fortiter, valide. Translate *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. *med.* Tu, mi Cicero, quod adhuc fecisti, idem praesta, ut vigilanter nervoseque nos, qui stamus in acie, subnervosius. *Id. Off.* 3, 29. Itaque nervo-quanto vius qui ista disserunt, solum audent malum dicere id, quod turpe sit, qui autem remissius, etc.

NERVOSĪTAS, atis, f. robur, firmitas. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 1. Nervositas filo aequalior paene, quam araneis.

NERVOSUS, a, um, adj. *νευρώδης*, multos, vel validos habens nervos. *Cels.* 5, 28. *n.* 12. et 7, 5. Nervosus locus. *Lucr.* 4, 1153. Nigra, melichrus est; immunda, et foetida, acosmos; Caesia, Palladion; nervosa et lignea, dorcas. *Ov. Met.* 6, 255. qua crus esse incipit, et qua Mollia nervosus facit internodia poples. *Plin.* 11, 37, 77. de diaphragmate: Nulla est ei caro, sed nervosa exilitas; et *ib.* 86. Medulla nervosa, et in spina tantum dorsi, ossa non habentibus. *Id.* 23, 3, 34. Decoctum olearum profluvium sanguinis e nervosis partibus cohibet. ℙ *Nervosius illud* ap. *Catull.* 67, 27. est *τὸ ἀνδρεῖον αἰδοῖον.* ℙ Per similitudinem dicitur de partibus plantarum exilioribus ac firmioribus. *Plin.* 21, 9, 30. Nervosi cauliculi quibusdam, ut marathro. *Id.* 27, 12, 97. Posterion radices habet nervosas, candidas, firmas. ℙ Pro forti. *Prud. in Sym.* 2, 320. Sanguine praecalido fervet nervosa juventus. *Val. Max.* 8, 13. *n.* 4. *extr.* Nervosa vivacitas. ℙ Eleganter transfertur ad vim, et efficaciam dicendi. *Cic. Brut.* 31. *f.* Quis uberior in dicendo Platone? quis Aristotele nervosior?

NERVŬLUS, i, m. *νεῦρον*, parvus nervus. *Not. Tir.* p. 108. Nervus, nervulus. ℙ Translate. *Cic. ad Capit.* 1. *f. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Quod certe facies, si tu nervulos tuos, mihi saepe cognitos, suavitatemque, qua nemo tibi par est, adhibueris, *h. e.* vim tuam in dicendo.

NERVUS, i, m. *νεῦρον*. *Plin.* 11, 37, 88. Nervi orsi a corde, bubuloque etiam curcumvoluti, in omnibus lubricis applicati ossibus, nodosque corporum, qui vocantur articuli, aliubi interventu, aliubi ambitu, aliubi transitu ligantes: hic teretes, illic lati, uti in unoquoque poscit figuratio. Neque ii solidantur incisi: mirumque, vulneratis summus dolor, praesectis nullus. Sine nervis sunt quaedam animalia, ut pisces: arteriis enim constant. Ubi sunt nervi, interiores conducunt membra, superiores revocant. Inter hos latent arteriae, idest spiritus semitae. Haec *Plin. Cels.* 2, 10. *med.* Juncta est vena arteriis, his nervi. Ita si nervum scalpellus attigit, sequetur nervorum distentio. *Cic. N. D.* 2, 55. *extr.* His adde nervos, a quibus artus continentur; eorumque implicationem toto corpore pertinentem: qui, sicut venae et arteriae a corde tractae et profectae, in corpus omne ducuntur. *Cels.* 8, 1. *med.* Cervix ne sustinere quidem caput posset, nisi utrinque recti valentesque nervi collum continerent, quos *τένοντας* Graeci appellant: siquidem horum inter omnes flexus alter semper intentus, ultra prolabi superiora non patitur; et *mox:* Vertebrae multis nervis, et multa cartilagine continentur; et *post:* Ossa validis musculis nervisque constricta. *Plin.* 26, 8, 58. Nervus, qui platys appellatur. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 4. de Pythagora pictore: Hic primus nervos, et venas expressit, capillumque diligentius. *Caes. B. G.* 6, 20. Hoc ali staturam, ali vires, nervosque confirmari putant. *Cels.* 2, 10. *med.* Nervorum dissolutio, et rigor, et distentio. *Sen. ep.* 66. contractio. *Cels.* 2, 8. et 3, 27. resolutio; *ib. n.* 3. tremor. *Plin.* 20, 22, 92. Lini semen musculorum, nervorum, articulorum, cervicum duritias mitigat. *Id.* 28, 6, 17. Pedes in humo deponi prodest, si nervi in his cruribusve tendantur in lectulo. ℙ [*Ex his patet, nervos esse, quae hodie ligamenta et musculi vocentur. In iis autem quum membrorum motus, vires corporis, firmitas, robur maxime constet, factum est, ut translata significatione de universa virium intentione, robore, virtute animi dicantur. *Cic. Verr.* 1, 12. Magnum fortasse onus, et mihi periculosum: verumtamen dignum, in quo omnes nervos aetatis industriaeque meae contenderem. Sic *Ter. Eun.* 2, 3, 20. digna res est, ubi tu nervos intendas tuos. *Cic. Verr.* 2, 3, 56. Omnibus nervis mihi contendendum est, atque in hoc elaborandum, ut, etc. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Saepe enim *nervi* translate sunt id, quo maxime quaeque res sustinetur, et valet, vires, robur, vigor, firmitas. *Q. Cic. Petit. cons.* 10. Nervos atque artus esse sapientiae, non temere credere. *Caes. B. G.* 1, 20. Opibus ac nervis ad perniciem suam uti. [*V. *Herzog.* ad h. l.] *Cic. Phil.* 5

12. Experietur consentientis senatus nervos atque vires. *Id. Fam.* 6, 1. Vereor, ne consolatio nulla possit vera reperiri praeter illam, quae tanta est, quantum in cujusque animo roboris est, atque nervorum. *Id. Phil.* 5, 2. Nervi belli pecunia. *Id. Manil.* 7. Vectigalia nervos esse reipubl. semper duximus. *Quint. prooem. l.* 8. *med.* Qui omissa rerum (qui nervi sunt in causis) diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt. *Liv.* 7, 39. Nervi conjurationis. *Cic. Phil.* 12, 3. Legionum nostrarum nervos nonne his consiliis incidimus? et *Tusc.* 2, 11. Poetae molliunt animos, nervos omnis virtutis elidunt. *Id. Fam.* 3, 10. Plane video fore nervis opus, sapientiaque tua, ut, etc. [*V. *Ruhnk.* ad *Albinov.* 48. et quos ibi laudat *intpp.* ad *Liv.* 7, 39. Commemorari hic etiam poterat locus *Cic. Or.* 3, 27. illi loci, qui quamquam proprii causarum et inhaerentes in earum nervis esse debent, i. e. ex ipso causae argumento petiti, et cum eo conjuncti. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ De vi vehementiaque orationis. *Cic. Or.* 19. Quamquam enim et philosophi quidam ornate locuti sunt, tamen horum oratio neque nervos, neque aculeos oratorios ac forenses habet. *Hor. A. P.* 26. sectantem lenia nervi Deficiunt, animique. [*Disputat *Ernest.* in *Lex. techn. lat. rhet.* p. 261. sq. de orationis nervis, quorum simile quid cogitarunt Graeci, ubi τόνον, ῥώμην, ἰσχύν, πνεῦμα oratoribus tribuunt, de quibus v. *Ejusd. Lex. Gr. techn.*] ℙ Dicuntur etiam *nervi* de fidibus. [**Darmsaiten.*] *Cic. Or.* 3, 57. Omnes voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae. *Id. Rosc. Am.* 46. Quotidiano cantu vocum, et nervorum, et tibiarum tota vicinitas personat. *Virg. A.* 9, 776. cui carmina semper, Et citharae cordi, numerosque intendere nervis. *Hor. Od.* 3, 11, 3. testudo resonare septem Callida nervis. ℙ *Nervus* est etiam τὸ αἰδοῖον ἀῤῥενικὸν, fascinum. *Id. Ep.* 12, 19., *Petr. Sat.* 131., *Ov.* et alii. ℙ Item chorda arcus, quia saepe e nervo est. *Acc.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. Reciproca tendens nervo equino concita tela. *Virg. A.* 9, 622. nervoque obversus equino Intendit telum; et *ib.* 10, 131. nervo aptare sagittas; et *G.* 4, 313. erumpit nervo pulsante sagitta. *Val. Fl.* 6, 376. levi ducere cornua nervo; et 1, 437. certus Aethalides subitas nervo redeunte sagittas Cogere. [**Lucan.* 7, 141. tendunt nervis melioribus arcus: ubi *Cort.* laudat *Claud. Idyll.* 2, 38. Intendunt taurino viscere nervos.] ℙ Per synecdochen est ipse arcus. *Id.* 3, 182. At diversa Sagen turbantem fallere nervo Tum primum puer ausus Hylas. ℙ Item genus vinculi, quo servorum, et obaeratorum cervices, aut potius pedes constringuntur. In *Glossis* enim *Philox.* Graece dicitur ξυλοπέδη; et *Tert. ad Mart.* 2. *f.* Nihil crus sentit in nervo, cum animus in coelo est; et *Cult. fem.* 13. Nescio, an crus de periscelio in nervum se patiatur artari. Huc facit etiam, quod nexos ob aes alienum *Hesych.* docet ἐγκαλοσκελεῖς vocari. Quod etiam e ferro esset, eoque cervices colligarentur, docet *Festus* his verbis: Nervum appellamus etiam ferreum vinculum, quo pedes impediuntur: quamquam Plautus eo etiam cervices vinciri ait (in *fragm.*): Perfidiose captus, eo edepol nervo cervices probat. Haec *Fest.* Ceterum ipsa vox vinculum e nervo significat: et veri simile est, olim tale fuisse, deinde mutatum in ligneum, aut ferreum, servato nomine. A compedibus, et pedicis distinguit *Pl.* servorum poenas enumerans *As.* 3, 2, 5. advorsum stimulos, laminas, crucesque, compedesque, Nervos, catenas, carceres, numellas, pedicas, boias; et in *Leg. XII. Tab.* ap. *Gell.* 20, 1. *med.* Secum ducito, vincito aut nervo, aut compedibus quindecim pondo ne minoribus; et *Cato* ap. *Gell.* 11, 18. *med.* Fures privatorum furtorum in nervo atque in compedibus aetatem agunt: fures publici in auro atque in purpura. ℙ Vinculum e nervo aperte esse videtur in illo *Pl. Curc.* 5, 3, 11. ex te hodie faciam pilum catapultarium: Atque ita te nervo torquebo, itidem uti catapultae solent. *Veg. Mil.* 4, 9. Nervorum quoque copiam summo studio expedit colligi, quia onagri, vel balistae, ceteraque tormenta, nisi funibus nervinis intenta, nihil prosunt. *Vitr.* quoque funes e nervo tortos memorat 1, 1., 10, 15 et 16. ℙ Ceterum universim sumitur pro carcere et vinculis. *Pl. Capt.* 5, 3, 45. Ego te in nervum, haud ad praetorem, hinc rapiam. *Id. Curc.* 5, 3, 40. in nervo jacebis, nisi mihi argentum redditur. *Id. Capt.* 3, 5, 71. noctu nervo vinctus custodibitur. *Liv.* 6, 15. Eximere de nervo aliquem. ℙ Urbane *Ter. Phorm.* 2, 2, 10. O vir fortis, atque amicus! verum hoc saepe, Phormio, Vereor, ne istaec fortitudo in nervum erumpat denique. [*h. e. ne propter istam fortitudinem in vincula conjiciaris. Ita *Ruhnk.* qui laudat *ib.* 4, 4, 15. nostra causa in nervum ibit.] Alludit ad nervos pro viribus et robore. [*Al. proverb. putant a sagittariis natum; quod immoderatae plerumque vires, adducendo arcu non telum incitant, sed nervum rumpunt. *Bailey.*] Festive *Pl. Poen.* 5, 4, 99. Condamus alter alterum in nervum brachialem, *h. e.* invicem amplectamur. ℙ *Nervus* pro corio. *Tac. A.* 2, 14. Ne scuta quidem ferro, nervove firmata, sed viminum textus, etc. *Sil.* 4, 293. subtextaque tegmina nervis. [*i. e. scutum pelle taurina. Interdum enim nervos sic intelligendos docent *Heins.* et *Drakenb. Heins.* tamen conj. *tergis.* ℙ Confund. *nervis* et *membris.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 715.]

*NERUSI, orum, populi Galliae Narbonensis, ad Alpes siti. *Plin.* 3, 20. *B. A.*

*NESACTIUM, i, n. opp. Istriae. *Plin.* 3, 19. ℙ *Nesatrium* est *Liv.* 41, 11. ed. *Drakenb.* ubi ed. *Gronov.* habet *Nesartium*, errore forsan typographico. ℙ Νέσακτον est *Ptolemaeo. B. A.*

NĒSAEE, es, f. Νησαίη, Nympha, una Nereidum: a νῆσος, insula. *Virg. G.* 4, 338. et *A.* 5, 826.

NĒSĂPIUS, a, um, adj. non sapiens, insipiens. *Petr. fr. Trag.* 50. *Burm.* Ne me putetis nesapium esse. *Q. Ter. Scaurus de Orthogr.* p. 2251. Ne pro non positum apud antiquos: sic nefrendes porci, qui sine dentibus sunt, idest qui fabam frendere non possunt: sic nesapius, qui non sapit.

*NESCA, ae, f. Arabiae oppidum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

[NESCĂNIENSIS, e, adj. ad Nescaniam pertinens, Hispaniae Baeticae urbem nunc excisam. *Inscr.* ap. *Grut.* 110, 9. Genio municipii Nescaniensis L. Postumius Stilicon Nescaniensis signum aereum pecunia sua ex HS. CIↃ. N. fieri, et Nescaniae in foro poni jussit; et 247, 2. Imp. Caes. Nervae Trajano Aug. Nescanienses. *F.*]

NESCIENS, entis, part. a *nescio*, nescius, ignarus. *Ter. Heaut.* 3, 1, 59. Ut nescientem sentiat te id sibi dare. *Appul. Apol.* Confinxere, puerum quempiam carmine cantatum corruisse, postea nescientem sui excitatum.

NESCIENTER, adv. inscienter. *August. Doctr. Chr.* 2, 40. Ipsis Aegyptiis nescienter commodantibus ea, quibus non bene utebantur. *Prud. Apoth.* 2. *praef.* 4. Et nescienter labimur. Al. leg. *nescientes.*

[NESCIENTIA, ae, f. ignorantia. *Claud. Mamert.* de statu animae 1, 21. *f.* Agnosce, te nobis quaerentibus veritatem pro una, qua polliceris, scientia multorum nescientias attulisse. *F.*]

NESCIO, is, ivi, et ii, itum, a. 4. [*Hunc locum, ut quem minus apte Noster disposuisset, ita magis in ordinem redegisse videmur. Primum significat *nescio* i. q. non scio, ignoro, ἀγνοέω. Exempla, quae Noster passim laudaverat, haec sunt:] *Cic. Tusc.* 1, 25. Nec me pudet, ut istos, fateri, nescire quod nesciam. *Id. Att.* 12, 23. De Oropo opinor, sed certum nescio. *Pl. Merc.* 2, 3, 48. hunc nescire sat scio De illa amica. *Cic. Att.* 7, 12. Sin discedet, quo, aut qua, aut quid nobis agendum sit, nescio: [*de quo loco v. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 553. p. 446.] *Id. Tusc.* 1, 25. Anima sit animus, ignisve, nescio. *Varr.* ap. *Gell.* 1, 22. Nescis, quid vesper serus vehat. *Ter. Eun.* 4, 7, 29. nescis, cui maledicas nunc viro? *Petr. Sat.* 137. Nescis, quam magnum flagitium admiseris. *Nep. Dion.* 8. Cum, quemadmodum sedaret, nesciret. *Pallad. de Insit. prooem.* Nescio, si tuum ad has minutias inclinetur ingenium. ℙ [*Repetitae vocis exempla haec sunto: *Ov. Met.* 1, 514. Nescis, temeraria, nescis Quem fugias: ideoque fugis. *Lucan.* 8, 557. nescis, puer improbe, nescis Quo tua sit fortuna loco: ubi *Cort.* laudat *Stat. Th.* 3, 701. nescis, pater optime, nescis, Quantus amor cet. *Gunther.* 5, 470. nescis, o perdita, nescis, Quem stimules peritura virum. *Iscan.* 2, 262. nescis, saevissima, nescis, In chalybe horror inest. Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 521. ubi de hoc repetitionum genere, ut affectus denotante et certius quid inferente, disputat.] ℙ Impersonaliter. *Cic. Att.* 7, 12. Utrum consistere uspiam velit, an mare transire, nescitur. ℙ [**Nescis* interdum idem fere valet, quod *vix credas*, vel *mirum est*: quod loquendi genus nostra quoque lingua eodem frequentat modo. Ita *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 3, 1, 2. Hic Vellejus, Nescis, inquit, Cotta, quanta cum exspectatione, sim te auditurus.] ℙ *Si nescis*, [*i. e. ut hoc scias, ne hoc ignores,] formula, qua utimur, cum quippiam vehementius inculcamus. *Ov. Her.* 17, 197. nobis omnia de te Quaerere, si nescis, maxima cura fuit; et *ib.* 20, 150. Si nescis, dominum res habet ista suum. *Id. Pont.* 3, 3, 28. Quae sint, si nescis, invidiosa tibi. [*Adde *Virg. E.* 3, 23. Si nescis, meus ille caper fugit. *Ov. Fast.* 5, 229. Mars quoque, si nescis, per nostras editus artes.] ℙ *Quod scis, nescis*, formula, qua silentium alicui et fidem in arcano custodiendo commendamus: quasi id, quod scit, perinde continere debeat, ac si prorsus nesciat. *Ter. Eun.* 4, 4, 55. tu pol, si sapis, Quod scis, nescis neque de eunucho, neque de vitio virginis. *Id. Heaut.* 4, 4, 26. Tu nescis id, quod scis, Dromo, si sapies. *Pl. Mil.* 2, 6, 89. [*91. *ed. Lindem.*] Nae tu hercle linguam comprimes Posthac: etiam illud quod scies, nesciveris: Ne videris, quod videris. ℙ [**Nescio quis, nescio quid* cet. ita dicendi usu in unius quasi vocabuli notionem coaluerunt, ut eadem fere ratione usurpentur, qua *aliquis, quidam. Zumpt. Gr. Lat.* §. 553. p. 446. Plerumque fere hoc dicendi genere utuntur per contemptum quendam in iis, quibus non satis attendimus, aut quorum consulto obliviscimur. *Pl. Pers.* 1, 3, 9. Prope me hic nescio quis loquitur. *Ov. Her.* 5, 127. Helenam de patria Theseus, nisi nomine fallor, nescio quis Theseus abstulit arte sua. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 6. Nisi forte me Paconii nescio cujus querelis moveri putes, h. e. vilis hominis. *Fl.* 17. O pastores nescio quos, cupidos litterarum! *Sall. Fragm.* 3, 11. *f.* Occupavit vos nescio quae torpedo. *Cic. Fam.* 15, 4. Fortasse non jejunum hoc nescio quid, quod ego gessi, et contemnendum videbitur. *N. D.* 1, 33. Quia nescio quid in philosophia dissentiret. *Rosc. Am.* 39. non paulum nescio quid, sed cet. *Att.* 15, 4. nescio quid litterarum. *Ib.* 16, 5. rumoris nescio quid afflavit. *Ib.* 13, 28. nescio quid e quercu exsculpseram, quod videretur simile simulacri. *Id. Or.* 24. Sententiae nescio unde ex abdito erutae. *Id. N. D.* 3, 5. *in.* nescio quid etiam de Locrorum apud Sagram proelio: ubi *dicebas*, vel simile quid intelligendum, ut recte monuit *Ernest.*, quod tamen durius paulo hic deesse censet *Heindf.* — Sed est tamen etiam de re excellenti et ejusmodi, ut ejus magnitudinem et praestantiam mens nostra vix videatur assequi posse, quanquam interdum levis ironiae significatio inesse videtur. *Cic. Arch.* 7. Tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere exsistere. *Fam.* 7, 5. Illud nescio quod non fortuitum, sed divinum videbatur: intelligit verba quaedam ex epistola Caesaris, exoptatissima quidem Ciceroni, quibus amicum commendaret imperatori. *Ter. Heaut.* 2, 2, 7. Nescio quid profecto mihi animus praesagit mali; et *Hec.* 3, 1, 39. nescio quid magnum malum profecto me celant; et *Phorm.* 1, 4, 16. nescio quod magnum hoc nuntio exspecto malum. *Ov. Am.* 3, 4, 28. Nescio quid, quod te ceperit esse putant. *Plin. Pan.* 58, 2. Onerosum nescio quid verecundiae tuae consensus noster indixerat: ubi v. *Gierig. Quint. Inst.* 1, 2, 9. Ante omnia nihil prohibet esse istum, nescio quem: ubi v. *Spald.* et *Zumpt. supplem.* p. 15. — Innuunt etiam tristitiam, atrocitatem aut indignitatem rei. *Cic. Coel.* 15, 35. Quae te, quoniam mente, nescio qua, effrenata atque praecipiti, in forum deferri judiciumque voluisti, etc. *Id. Fin.* 5, 20, 56. Quin etiam inertissimos homines, nescio qua singulari nequitia praeditos, videmus tamen et corpore, et animo moveri semper. *Sen. prooem. ad Controv.* 1. p. 61. *ed. Bip.* ut possitis aestimare, quantum quotidie ingenia decrescant et, nescio, qua iniquitate naturae, eloquentia se retro tulerit. Similiter Graeci. *Plato Gorg.* 69. *in.* Οὐκ οἶδ' ὅντινα τρόπον. *Lucian. Hermot.* 70. *f.* — ℙ Formula *nescio quo modo*, quanquam etiam in re bona usurpatur, saepius tamen quasi dolentis et non sine suspiratione quadam ferentis, quidquid corrigere nefas, frequentaturque de iis, quae odiosa aut molesta sunt, quae aliter ut se habeant, optabile est: ut fere idem valeat, q. *secius, quam fieri debet; temere; inconsulto. Cic. Off.* 1, 41, 146. Fit enim, nescio, quo modo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur. *Att.* 10, 14. de consolatione ex libris: id quidem domi est; sed nescio, quo modo (i. e. pro dolor!) imbecillior est medicina, quam morbus. *Id. ep. ad Brut.* 1, 15. Sed, nescio, quo modo facilius in timore benigni, quam in victoria grati reperiuntur. *Id. Fam.* 5, 15. Nescio quomodo ipsae illae litterae excludere me a portu et perfugio videntur. — Eadem vis est formulae *nescio quo pacto. Cic. Fam.* 5, 15. Alii nescio quo pacto obduruerunt. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 6. Sed, nescio, quo pacto, ad praecipiendi rationem delapsa est oratio mea (nempe, quod non debebat,) cum id mihi propositum initio non fuisset. — Explicatius dicitur *fato nescio quo. Cic. Fam.* 15, 13. Sed ita fato nescio quo contigisse arbitror, ut etc. Adde *ib.* 5, 15. Casu nescio quo in ea tempora aetas nostra incidit. Plura eaque aptissima exempla v. ap. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 41, 146. cujus verba hic sumus secuti. ℙ Jam oratio nostra devenit ad notissimum illud quidem, sed difficilius genus dicendi *nescio an*, i. e. *nescio an non*, cujus rationem Noster vix exemplo explicuit. Est autem modeste concedentis, affirmantis, et quasi adverbii instar verisimilitudinem notat, ita ut eadem fere ratione usurpari soleat, qua *fortasse*. Ita *Zumpt. Gr. Lat.* §. 721. p. 542. sq. Contra disputat *Ramsh. Gr. Lat.* §. 174. II. p. 709. sq. *Cic. Lig.* 9. Quae fuit unquam in ullo homine tanta constantia? constantiam dico? nescio an melius patientiam possim dicere. *Id. Cat.* 4, 5, 9. sin illam alteram, nescio, an amplius mihi negotii contrahatur. *Liv.* 23, 16. Ingens eo die res, ac nescio an maxima illo bello gesta sit. *Id.* 2, 2. ac nescio an modum excesserint. V. quos de hac formula egisse docuit ad *Ruddim.* 2. p. 23. *f. Stallb.*, qui quidem probe distinguendum censuit inter *nescio* et *haud scio an;* (quod cum plerique omnes neglexissent, in varios errores incidisse): sed nihil exemplis probavit. At neque *Ramsh.*, neque *Zumpt.* discrimen agnoscunt, idque veri esse videtur similius, quod scriptores unam vel alteram harum dicendi rationum unice fere usurpare solent, ut *Cic.* longe plurimis in lo-

cis *haud scio an: Liv.*, exceptis duobus exemplis, semper *nescio an.* Hinc eorum praeferenda videtur sententia, qui formulas *nescio an* et *haud scio an* ap. bonos scriptores nonnisi pro *fortasse:* cum *negandi* autem *significatione* tantum ap. argenteae aetatis auctores poni docent. Ita *Zumpt. l. l.* cl. *Spalding.* ad *Quint.* 8, 6, 22. Qui contra disputant, ut *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 18, 71., coll. *Duk.* ad *Flor.* 3, 12. *Heusing.* ad *Off.* 1, 11. et imprimis *Buttm.* ad *Quint.* 12, 10, 2., isti quidem non vidisse videntur in locis, quos ad firmandam suam sententiam ex aureae aetatis scriptoribus adduxerint, formulae *nescio an* vel *haud scio an* semper praecedere part. *atque, ac, et, sim.*, quae se ipsum corrigentis sunt, idemque valent quod *imo potius.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 11, 33. Quae cum ita sint, etiam illud stare videtur, quod semper *nescio an nullus, nunquam, nemo* cet. dici latine debeat. V. *Zumpt.* l. l. et quos ibi in auxilium vocavit *Lamb., Ernest., Goerenz.* Contra est *Ramsh.* l. l. — At omnino tenendum, quod *Herrmannus* circumspecte cavet, ne in negativa sententia statim corrigatur *nullus* etc.; cum frequentetur *nescio, an quisquam, nescio an ullus*, ut perinde sit ac *nescio, an nemo.* Quippe eam esse interrogativorum *quisquam, ullus, usquam, unquam* etc. naturam, ut in iis lateat negatio: cui alibi solent adjungi. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 338. ubi haec laudantur. ℙ Tum *nescio* est i. q. non novi, incognitum aliquid habeo.] *Sen. Clem.* 2, 1. et *Suet. Ner.* 10. Nescire litteras. *Ter. Ad.* 4, 2, 32. nomen alicujus. *Lucan.* 1, 453. Deos. *Virg. G.* 1, 290. Nec nocturna quidem carpentes pensa puellae Nescivere hiemem. *Stat. Th.* 7, 674. sua vulnera nescit. *Pl. Aul. prol.* 30. Illa illum nescit. *Ter. Heaut.* 2, 4, 16. Nescio alias: me quidem semper scio fecisse sedulo, Ut, etc. Sic *ib.* 5, 4, 15. *So.* Dii istaec prohibeant. *Chr.* Deos nescio: ego quod potero, enitar sedulo. *Juven.* 7, 97. vinum toto nescire Decembri, *h. e.* vino abstinere. *Arnob.* 2, 59. Ipsum sese est ante omnia nesciturus. ℙ Passive. *Pallad.* 11, 4. Talibus locis pruinarum vis et natura nescitur. ℙ [*Item non possum, non calleo.] *Cic. Or.* 3, 18. Stoici omnino irasci nesciunt. *Virg. G.* 3, 84. de equo: Stare loco nescit. Sic *Stat. Th.* 9, 743. Liber amat campos, et nescit in antra reverti, *h. e.* non vult. *Hor. A. P.* 390. nescit vox missa reverti. [*Huc pertinet etiam locus, quem Noster ab initio posuerat, *Cic. Brut.* 37. Non tam praeclarum est scire latine, quam turpe nescire.] ℙ **Nescio* (inquit *Ruhnkenius*) a poetis exquisite usurpatur pro *non sentio. Lucan.* 7, 173. Sua quisque pericula nescit. *B. A.* ℙ *Nescisse* trisyllab. *Ov. A. Am.* 2, 555. Sed melius nescisse fuit: *synaeresis* est, nam olim duo *ii* nunquam scribebantur. ℙ [*Confund. *nescio* et *ne scio.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 665.]

NESCĬTUS, a, um, part. a *nescio:* ignoratus. *Sidon. ep.* 8, 6. *med.* Litem intra Gallias ante nescitam primus edidit.

NESCĬUS, a, um, adj. *ἀνεπιστήμων*, nesciens, ignorans. *Plin. ep.* 8, 23. *f.* Impendentis mali nescius. *Virg. A.* 10, 501. Nescia mens hominum fati sortisque futurae. *Quint.* 1, 3. *med.* Aetas simulandi nescia. *Hor. Od.* 4, 6, 18. Pueri fari nescii. *Val. Fl.* 4, 708. Imperio fixos Jovis, aeternumque revinctos, Nescius. *Tibull.* 1, 9, 76. Nescius, ultorem post caput esse Deum. *Ov. Her.* 16, 140. Nullaque de facie nescia terra tua est, *h. e.* nulla regio pulcritudinem tuam ignorat. *Id. Met.* 14, 2. Arvaque Cyclopum, quid rastra, quid usus aratri, Nescia. *Val. Fl.* 6, 45. Nescius, heu! quanti thalamos ascendere monstri Arserit. *Ov. Her.* 11, 47. Nescia, quae faceret subitos mihi causa dolores. ℙ Interdum *nescius* dicitur qui non potest aliquid facere, aut non vult, aut non solet. *Virg. G.* 2, 465. At secura quies, et nescia fallere vita; et *ib.* 4, 470. Nesciaque humanis precibus mansuescere corda. *Hor. Od.* 1, 6, 6. Pelides cedere nescius. *Ov. Pont.* 2, 9, 45. vinci nescius armis. *Id. Her.* 12, 49. Lumina custodis succumbere nescia somno. ℙ Eleganter usurpatur praecedente negatione. *Cic. Fam.* 5, 12. Neque tamen, cum haec scribebam, eram nescius, quantis oneribus promerere susceptarum rerum. *Id. Or.* 1, 11. Non sum nescius, Scaevola, ista inter Graecos dici. *Id. Fin.* 1, 1. Non eram nescius, fore, etc. *Id. Att.* 15, 11. *med.* Heus tu, ne forte sis nescius, Dolabella me sibi legavit. *Virg. A.* 9, 552. Contra tela furit, seseque haud nescia morti Injicit. ℙ O nescii. *Arnob.* 1, 32. Desistite, o nescii, in maledicta convertere res tantas; et 2. p. 44. Quid dicitis, o nescii, etiam fletu et miseratione dignissimi? ℙ Inter *inscium*, et *nescium* ita distinguit *Fronto de differ. voc.* p. 2198., ut *inscius* aliquid nesciat, *nescius* nil noverit: ille in parte erret, hic in toto. ℙ Usurpatur etiam passive (ut *ignarus*) pro ignorato, incognito. *Pl. Rud.* 1, 5, 17. Quae in locis nesciis nescia spe sumus. *Id. Capt.* 2, 2, 15. si quid nescivi, id nescium tradam tibi. *Tac. A.* 1, 59. Aliis gentibus inexperta esse supplicia, nescia tributa; et *ib.* 16, 14. Neque nescium habebat, Antejum invisum Neroni. [*V. quos laudat *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 10, 4.]

*NESEI, orum, populi Indiae. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

NESI pro *sine* positum est in lege dedicationis arae Dianae Aventinensis. *Festus.*

*NESIMACHUS, i, m. pater Hippomedontis, ex Mythidice Talai filia, Argivus. *Hyg. fab.* 70. ℙ Forsan legendum Mnesimachus. *Ἀριστόμαχος* est *Apollodoro. B. A.*

*NESIOTAE, arum, populi Cephaleniae, fortasse incolae oppidi cujusdam, quod Nesis, Nesia, vel Nesium audiebat. *Liv.* 38, 28. *B. A.*

NĒSIS, ĭdis, f. *Nisita, Νῆσις*, insula parva Campaniae, proxima continenti, inter Neapolim, et Puteolos, ante Pausilypum promontorium, asparago herba celebris, ut *Plin.* 19, 8, 42. tradit. *Cic. Att.* 16, 1. Postridie iens ad Brutum in Nesidem haec scripsi. *Sen. ep.* 55. Protinus per altum ad Nesida direxi. *Stat. Silv.* 3, 1, 148. Silvaque, quae fixam pelago Nesida coronat. *Lucan.* 6, 90. tali spiramine Nesis Emittit Stygium nebulosis aera saxis.

*NESOS, i, opp. Euboeae. *Mela* 2, 7. Adde *Plin.* 4, 12. ubi pro *Neso*, quae ed. *Hard.* lectio est, ed. *Elzev.* habet *Meso. B. A.*

*NESSA, ae, f. Arabiae oppidum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

NESSĒUS, a, um, adj. *Νεσσεῖος*, ad Nessum spectans. *Ov. Her.* 9, 163. Illita Nesseo misi tibi texta veneno. *Sen. Herc. Oet.* 716. Palla tabe Nessea illita.

*NESSĬON, i, n. centaurium majus. *Appul. H.* 24. *B. A.*

NESSOTROPHĪUM et Nessotrophēum, i, n. *νησσοτροφεῖον*, locus, in quo inclusae anates aluntur: a *νῆσσα*, anas, et *τρέφω*, nutrio. *Varr. R. R.* 3, 11. Qui volunt greges anatum habere, ac constituere nessotrophium. *Colum.* 8, 15. Nessotrophii cura similis, sed major impensa est. Al. leg. *neossotrophium*, quod est aviarium: a *νεοσσός*, pullus avium. Sed *Varr.* et *Colum.* non de avibus in universum, sed de anatibus disputant. ℙ *In *Varronis* loco edd. *Gesner.* et *Schneider.* Graece scribunt *νησσοτροφεῖον*; quod et factum in *Colum.* 8, 15. *f.* non autem ad capitis init. *B. A.*

NESSUS, i, m. *Νεσσός*, Centaurus, filius Ixionis et Nubis, qui cum Deianiram rapere vellet, ab Hercule sagitta confixus est. *Ov. Met.* 9. a v. 101. ℙ Est etiam hoc nomine Thraciae fluvius, in Haemo monte nascens, et in mare Aegaeum excurrens. *Plin.* 4, 11, 18., ubi *Hard.* legit *Nestus.* **Nestos Melae* 2, 2. ℙ Item celebris pictor, de quo *Plin.* 35, 11. *B. A.*

*NESTOCLES, is, insignis statuarius. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

NESTOR, ŏris, m. *Νέστωρ*, filius Nelei, et Chloridis, rex Pyli in Elide, qui adhuc adolescens bellum gessit, vivo patre, adversum Epeos Peloponnesi populos in Achaia, deinde, cum Pirithoi nuptiis interesset, adversus Centauros, qui Hippodamiam rapere conabantur, strenue pugnavit. Postremo jam senior, quinquaginta navibus cum reliquis Graecis principibus ad Trojam venit, cum natus ducentos annos jam tertiam hominis aetatem viveret. *Ov. Met.* 12, 188. vixi Annos bis centum: nunc tertia vivitur aetas. *Prop.* 2, 10, 46. Nestoris est visus post tria saecla cinis. Adde *Tibull.* 4, 1, 50. Etiam *Cic. Sen.* 10. tertiam aetatem vixisse affirmat, et *Hor. Od.* 2, 9, 13. ter aevo functum fuisse: verum aetatem hanc, et saeculum alii non centum, sed triginta annorum spatio definiendum putant, ut Nestoris vitae summa nonaginta annorum fuerit: quod et *Serv.* tangit ad illud *A.* 8, 508. Sed mihi tarda gelu, saeclisque effeta senectus. Plures doctos viros, qui de hac re verba fecerunt, congessit *Broukhus.* ad *Tibull.* 4, 1, 50. Consilii dexteritate tantum Graecorum rebus profuit, ut Agamemnon non dubitaret, brevi se Ilium fuisse expugnaturum, si decem sibi contigissent Nestores. Nam praeter summam prudentiam aetatis diuturnitate collectam, tanta praeterea eloquentia excelluit, ut ex ejus ore melle dulcior fluere diceretur oratio, ut *Cic. Sen.* 10. loquitur. *Ov. Met.* 13, 63. licet eloquio fidum quoque Nestora vincat. *Cic. Fam.* 9, 14. Non alienum a dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni regi regum fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiendis Nestorem. ℙ *Nestoris aetas* vel *anni* proverbio dicuntur de longissimo vitae spatio. *Mart.* 2, 64., 5, 58., 6, 70. etc. Ita 7, 96. Sic ad Lethaeas, nisi Nestore serior, undas Non eat, optabis quem superesse tibi; et *Juven.* 12, 128. Vivat Pacuvius, quaeso, vel Nestora totum.

NESTORĔUS, a, um, adj. ad Nestorem pertinens, ut Nestorea senecta, *Mart.* 9, 30. et *Stat. Silv.* 1, 3, 110.

NESTORĬANUS, a, um, adj. Nestorianum genus coloris memorari putant a *Plin.* 33, 13, 57., sed *Vestorianum* contendit legendum *Hard.* ℙ *Nestoriani* haeretici a Nestorio duce, qui negabat, B. Mariam Virginem fuisse Dei matrem, damnatus in Concilio Ephesino Oecum. III. ann. a Chr. n. CCCCXXXI.

NESTORĪDES, ae, m. patron. *Νεστορίδης*, Nestoris filius. Afferebant olim lexicographi locum *Ov. Pont.* 2, 4, 22., ubi aliter est omnino legendum.

*NESŪA, ae, f. Hispaniae Tarraconensis fluvius, cis Iberum, in agro Autrigonum. *Mela* 3, 1. *extr. B. A.*

NĒTĒ, es, f. *νήτη* pro *νεάτη*, ultima: nomen est chordae musicae. *Diomed.* 3, 482. Unde et in chorda extremus nervus appellatus est *νήτη*. Adde *Vitr.* 5, 4. V. *Balb.* in *Lex. Vitr.* ℙ Translate ita appellatur digitus in manibus minimus. V. HYPATE.

[NĒTĪNENSES, ium, m. plur. et

[NĒTĪNI, orum, m. plur. incolae urbis in Sicilia inter Acrillas, et Elorum, quae Netum, Graece *Νέητον*, nunc *Noto* vocatur, cujus mentio est ap. *Sil.* 14, 268. Et Netum, et Mutyce, pubesque liquentis Achaeti. *Cic. Verr.* 2, 2, 65. Agyrinenses, Netinenses, Segestani. *Id. ib.* 7, 22. Pronuncias, Netinos frumentum dare non oportere. *Plin.* 3, 8, 14. Netinos appellant. *F.*]

[NĒTOĪDES, is, m. *νητοειδής*, modulatio quaedam musicalis. *Capell.* 9, 326. Netoides, quae et *νομικὸς* consuevit vocari, quae plures sonos ex ultimis recipit. V. HYPATOIDES. *F.*]

*NETRIOLUM, i, n. vetus opp. Umbriae, alio nomine Turocelum. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

NĒTUS, a, um, part. a *neo: Ulp. Dig. leg.* 32, 70. Quaesitum est, utrum lanae appellatione ea sola contineatur, quae neta non est: an et ea, quae neta est, ut puta stamen, et subtemen. *Arcim.* 6, 36. vestis neto quae fulgurat auro. *Paul. Nol. carm.* 22, 106. netum vellus. Adde *Hieron. ep.* 130. *n.* 15. ℙ Est etiam implexus, ut ap. *Plin.* 17, 20, 33. Radices inter se mutuo discursu nentur. *Cato R. R.* 55. Ligna domino in tabulato condito, codicillos oleagineos, radices in acervo sub dio metas (lege ex *Pontedera Op. posth.* T. 1. p. 227. *netas*) facito.

[NĒTUS, us, m. filamen, nemen. *Capell.* 2, 28. Peplum ex candentis byssi netibus videbatur. *F.*]

NEVĒ, et per apocopen Neu, *μήτε*, et ne, neque, vel ne: a *ne*, et *vel.* Praeceditur ab *ut*, vel *ne. Cic. Q. Fr.* 1, 1, 1. Hoc te rogo, ne contrahas, aut demittas animum, neve te obrui magnitudine negotii sinas. *Ter. Eun.* 2, 2, 47. Ne sursum deorsum cursites, neve usque ad lucem vigiles. *Caes. B. G.* 2, 21. Cohortatus est, uti suae pristinae virtutis memoriam retinerent, neu perturbarentur animo; et *ib.* 4, 17. *extr.* Ut earum rerum vis minueretur, neu ponti nocerent. *Ter. Ph.* 1, 3, 6. quod utinam ne Phormioni id suadere in mentem incidisset, Neu me cupidum eo impulisset. *Brut.* ad *Cic.* 1. ad *Brut.* 16. *f.* Te rogo atque hortor, ne defatigere, neu diffidas. *Cic. Leg.* 2, 27. Ut eam ne quis nobis minuat, neve vivus, neve mortuus. *Cato R. R.* 37. Caveto, ne quam materiam doles, neu caedas, neu tangas, nisi siccam; neu gelidam, neu rorulentam. ℙ Pro simplici *ne, nec*, aut *neque*, nulla alia praecedente particula. *Virg. G.* 2, 298. Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem, Neve inter vites corylum sere, neve flagella Summa pete; et *ib.* 4, 47. Neu propius tectis taxum sine, neve rubentes Ure foco cancros, altae neu crede paludi. *Hor. Od.* 1, 2, 50. Hic ames dici pater atque princeps, Neu sinas Medos equitare inultos. ℙ [*Confund. *neve, ne, neque, nec, non.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 194. et *ib.* p. 140.]

NEVERĪTĀ, ae, f. reverentiae Dea, ut in *Gloss.* exponitur. *Capell.* 1, 16., ubi alii aliter leg.

NEVĬANUS et NEVĬUS. V. NAEVIANUS et NAEVIUS.

*NEVIRNUM vel Nivernum, i, n. opp. Galliae Celticae *s.* Lugdunensis in Aeduorum terra. *Anton. Itin.* ℙ Fortasse i. q. Noviodunum, hodie *Nevers*, ad Ligerim amnem. *B. A.*

[NEUMĀ, ae, f. *νεῦμα*, nutus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 154, 3. Curtia L. L. Neuma. ℙ De Latina hujus nominis declinatione, V. SCHEMA. *F.*]

NEUNQUAM, antique pro nunquam. Vetus lapis ap. *Dausquium* in *Nunquam.* Ita neunquam de nomine familiae nostrae.

NĔVŎLO, nevis, nevult, n. anom. idem ac *nolo* ap. veteres: a *ne*, et *volo. Pl. Trin.* 5, 2, 32. Filiam meam tibi desponsatam esse audio, nisi tu nevis. *Id. ib.* 2, 2, 80. multa eveniunt homini, quae vult, quae nevolt. Adde *Titin.* ap. *Non.* 2, 581. ℙ Praeter has duas personas non est, quod sciam, in usu.

[NEVRAS, ădis, f. *νευράς*, ita appellata herba, quae ex genere trychni, quia nervos excitat: a *νεῦρον*, nervus. *Plin.* 21, 31, 105. Qui parcius (*eam*) insectabantur, manicon cognominavere; qui nequiter, erythron, aut nevrada. ℙ Est etiam eadem ac poterion. *Id.* 27, 12, 97. Poterion, aut, ut alii vocant, phrynion, vel nevrada, large frutticat. *F.*]

[NEURI, orum, m. plur. populi Scythiae Europaeae, ad Tyrae fluvii fontes, quorum meminere *Mela* 2, 1. et *Plin.* 4, 12, 26. ℙ In singul. num. *Val. Fl.* 6, 121. et raptor agrorum Neurus. *F.*]

NEURĪCUS. V. NERVICUS.

*NEURIS, idis, f. *Νευρίς*, insula Propontidis, Cyzico adjacens, aliis nominibus Elaphonnesos et Proconnesus dicta. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

NEURŌBĀTA, ae, m. *νευροβάτης*, super nervum, seu funem ambulans. Differt a *funambulo*, qui super crassum funem incedit: hic vero super tenue filum e nervo, seu fidiculam, ita ut procul spectantibus in aere consistere videatur. *Firm. Math.* 8, 17. Erunt funambuli, oribatae, neurobatae. *Vopisc. Carin.* 19. Nam et neurobaten, qui velut in ventis cothurnatus ferretur, exhibuit. V. CATADROMUS.

NEURŌIDES, n. *νευροειδὲς*, genus betae silvestris, multum minoribus, tenuioribusque, ac densioribus foliis, undecim saepe, caule lilii. *Plin.* 20, 8, 28.

NEUROSPASTON, i, n. *νευρόσπαστον*, imaguncula quaedam tali artificio intus compacta, ut si occultum nervum, seu fidiculam trahas, ad speciem hominis vivi movere membra, et totum corpus videatur: a *νεῦρον*, nervus, et *σπάω*, traho. *Gell.* 14, 1. *med.* Ut plane homines non, quod dicitur, *λογικὰ ζῶα*, sed ludicra et ridenda quaedam neurospasta esse videantur, si nihil sua sponte, nihil arbitratu suo faciunt, sed ducentibus stellis, et aurigantibus. *Appul. de Mundo:* Qui in ligneolis hominum figuris gestus movent, quando filum membri, quod agitari solet, traxerint, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad omne ministerium praesto erunt, nec invenuste totus videbitur vivere. *Petr. fr. Trag.* 34. *Burm.* Larvam argenteam attulit servus sic aptatam, ut articuli ejus, vertebraeque laxatae in omnem partem verterentur. Hinc *Hor. Sat.* 2, 7, 82. Duceris, ut nervis alienis mobile lignum. Ap. *Gell.* multi scribunt Graecis litteris.

NEUROSPASTOS, *νευρόσπαστος*, herba folium habens vestigio hominis simile, et uvam nigram ferens, in cujus acino nervus conspicitur; unde et nomen habet. *Plin.* 24, 14, 74. V. v. praec.

NĔŪTER, tra, trum, adj. trisyl. *μηδέτερος, οὐδέτερος*, neque hic, neque ille: a *ne*, et *uter:* [hinc etiam *necuter* usurpatum invenitur. *F.*] In genit. habet *neutrius*, in dativo *neutri:* sed et *neutri* et *neutrae* in genit. legitur. [*Consentius de barbar. et metapl.* (ed. *A. G. Cramero*) 6. Si aliquis dicat neutrum disyllabo, quod trisyllabum nuntiamus, barbarismum faciet. Poetica vero licentia usus videtur *Virg. Cir.* 68. Sive est neutra parens. [*Nusquam *neuter* trisyll. legitur; neque in locis, ubi metrum utrumque et *neuter* et *nĕŭter* concesserit, synaeresis, sed diaeresis accipienda. Omnino illud videtur proxime ad veritatem accedere, primam vocis *neuter* syllabam ita fuisse a veteribus pronuntiatam, ut accuratius quidem ejus ex *ne* et *uter* originem intelligeres, literae tamen *e* et *u* in unam syllabam coalescerent. V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 73. sqq. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 1. Ceterum *Schneid. l. l.* de forma *necuter* haec quidem habet: ea ad vitandum hiatum usuros fuisse, nisi statim ab initio *ne uter* in *neuter* contraxissent: sed vere hanc formulam usurpari, nihil commemorat.] *Cic. Att.* 7, 1. Feci igitur, ut neutri illorum quisquam esset me carior. *Id. Off.* 1, 21. Alteri se adipisci id posse arbitrantur, si opes magnas habeant; alteri si contenti sint et suo, et parvo: in quo neutrorum contemnenda est sententia. *Cels.* 1, 2. *med.* Ex his vero neutrum semper fieri oportet; sed saepius alterutrum, pro corporis natura. *Quint.* 1, 1. *med.* Ita fiet, ut quam aequali cura linguam utramque tueri coeperimus, neutra alteri officiat. *Cic. Acad.* 4, 42. Huic summum bonum est; in his rebus in neutram partem moveri: quae *ἀδιαφορία* ab ipso dicitur. *Id. Off.* 2, 6. Haec sine hominum opibus et studiis neutram in partem effici possunt. *Id. Div.* 2, 4. Quid bonum sit, quid malum, quid neutrum. *Ov. Met.* 4, 378. de Hermaphrod.: nec femina dici, Nec puer ut possint, neutrumque, et utrumque videntur. *Suet. Caes.* 75. Medios et neutrius partis, suorum sibi numero futuros pronunciavit; et *Ner.* 2. Medii, et neutram partem sequentes. *Ov. Trist.* 2, 114. in neutrum conspiciendus eques, *h. e.* neque paupertate, neque divitiis insignis. ℙ Cum verbis pluralis numeri. *Pl. Men.* 5, 2, 34. quoties edixi tibi, Ut caveres, neuter ad me iretis cum querimonia? ℙ In plurali num. *Tac. H.* 1, 1. Ita neutris cura posteritatis. *Sen. Ira* 2, 23. In neutris partibus esse. *Just.* 6, 7. Neutris quicquam hostile facientibus. ℙ *Neutra nomina* dicuntur a grammaticis, quae neque masculina sunt, neque feminina: *neutra verba*, quae neque activa, neque passiva. *Varr. L. L.* 8, 38., *Cic. Or.* 46., *Gell.* 1, 7., *Charis.*, *Diomed.*, *Prisc.* ℙ *Neutri* pro *neutrius. Varr. l. c. f.* In declinationibus maris, et feminae, et neutri. Adde *Auson. epigr.* 50. Etiam *neutrae* in genit. et dat. feminino dictum fuit, teste *Prisc.* 6, 678.

NĔŪTĬQUAM, adv. *μηδαμῶς*, nequaquam, nullo modo, [*utique non.] *Cic. Univ.* 11. Indissolubiles vos quidem esse potestis, neutiquam tamen dissolvemini. *Att.* ad *Cic. Att.* 9, 10. Cui te socium neutiquam puto esse oportere. *Pl. Capt.* 3, 4, 54. id neutiquam mihi placet. *Ter. Hec.* 3, 3, 45. id vero neutiquam honestum esse arbitror. ℙ [*Absolute positum negationi subjicitur. *Cic. Off.* 2, 10, 36. Nam, quos improbos, maleficos, fraudulentos putant, et ad faciendam injuriam instructos, eos haud contemnunt quidem: neutiquam; sed de his male existimant: ubi v. *Beier.* ℙ Pro *neutiquam* ap *Plaut.* et *Terent. nutiquam*, corrupta prima syllaba, legendum. V. *Bentl.* ad *Ter. Hec.* 1, 2, 50. Eandem formam postulat versus, quem *Cic.* laudat in *Acad.* 2, 17, 52. Sed mihi nutiquam cor consentit cum oculorum adspectu. V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 75.]

[NĔŪTĬQUĔ, adv. idem ac neutiquam. *Imppp. Grat.*, *Valent.* et *Theodos. Cod. Theod.* 15, 2, 3. Supra ternas aquae uncias neutique possidere decernimus. *F.*]

NĔŪTRĀLIS, e, adj. neuter, *οὐδέτερος*, eo sensu, quo dicitur a grammaticis. *Quint.* 1, 4. *med.* Quae feminina positione mares, neutrali feminas significant, ut Muraena, Glycerium; et *ib.* 5. *med.* Neutralia nomina.

NĔŪTRĀLĬTER, adv. *οὐδετέρως*, vox est grammaticorum, cum *neutro genere* significare volunt. *Charis.* 1, 55. Gellius fora navium neutraliter dixit.

[NĔŪTRĔ, adv. idem ac neutraliter. *Gloss. Phil.* Neutre, *οὐδετέρως. F.*]

NĔŪTRO, adv. neutram in partem, *οὐδετέρωσε. Liv.* 5, 26. *f.* Teri tempus, neutro inclinata spe. *Tac. H.* 3, 23. Neutro inclinaverat fortuna. *Quint.* 7, 2. *med.* Si neutro litis conditio praeponderet.

NĔŪTRŬBI, adv. neutro in loco. *Pl. Aul.* 2, 2, 56. Neutrubi habeam stabile stabulum, si quid divortii fuat. ℙ Item neutro. *Ammian.* 19, 2. A diei principio ad usque lucem obscuram neutrubi proelio inclinato.

NEX, nĕcis, f. *φόνος*, mors quae aliqua externa vi alteri infertur. *Festus:* Necem a Graeco dici, certum est: *νέκυν* enim mortuum dicunt. *Id.* docet, proprie de ea dici, quae sine vulnere infertur: sed hoc usu non servatur. V. NECO. [*Discrimen inter *nex*, *mors* ét *letum* v. in h. v.] *Cic. Mil.* 4. Insidiatori et latroni quae potest afferri injusta nex? *Id. N. D.* 2, 3. Necem sibi consciscere. *Suet. Caes.* 14. comminari alicui. *Tac. A.* 13, 1. cuipiam moliri. *Ov. A. Am.* 1, 73. alicui parare. *Tac. A.* 2, 88. patrare. *Ov. Met.* 10, 627. indignam pati; et *ib.* 15, 499. neci occumbere. *Id. Her.* 14, 12. nece cadere. *Virg. G.* 4, 90. neci dedere. *Id. A.* 2, 85. demittere; et *ib.* 12, 513. mittere; et *ib.* 341. dare. *Caes. B. G.* 1, 16. et *ib.* 6, 18. Vitae, necisque potestatem habere in aliquem. *Stat. Th.* 3, 69. Eripere necem alicui, *h. e.* nece liberare. *Sen. Herc. Oet.* 1833. Gravi nece urgere aliquem. *Val. Fl.* 3, 381. miscere neces, *h. e.* caedem facere. *Ov. A. Am.* 2, 714. Manus nece Phrygia imbutae, *h. e.* sanguine caesorum Phrygum. *Sen. Thyest.* 693. devotus neci, *h. e.* morti destinatus. ℙ De morte naturali. *Just.* 42, 1. Post necem Mithridatis, *h. e.* qui adversa valetudine decesserat, ut *Id.* ait 41, 6. Sic *Suet. Caes.* 5. Post necem consulis, *h. e.* Lepidi, qui morbo et poenitentia interierat, ut *Flor.* 3, 23. narrat. *Sen. Cons. ad Marc.* 20. *f.* Fata nobis sensum nostrae necis auferunt. ℙ *In necem alicujus* aliquando significat in perniciem, fraudem, damnum; ea opinor ratione, qua *causa capitis* dicitur, cum de gravi jactura bonorum agitur. *Ulp. Dig.* 38, 5, 1. *med.* Si libertus rem suam pro alio pignori dedit in necem patroni. *Id. ib.* 36, 4, 5. *med.* Dolus, qui in necem legatariorum, et fideicommissariorum factus est; et *ib.* 15, 1, 21. Sed etsi eum intricare peculium in necem creditorum passus est, etc. ℙ Olim *necis*, aut *neces* in recto dictum fuisse creditur. *Aurel. Vict. Caes.* 35. *f.* Ut ejus neces auctoribus exitio esset. Al. leg. *necis:* al. aliter. *Quint. decl.* 8, 13. Quando quaesita neces est alteri ex geminis. Plerique alii aliter leg.

[NEXĀBUNDĒ, adv. astricte. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 2. Quicumque ea *(fortuna)* victitant nexabundius. *F.*]

NEXĪBĬLIS, e, adj. nexilis. *Ammian.* 29, 2. Nexibili adseveratione, *h. e.* callide mendaciis connexis. *Lact.* 7, 5. Nexibilia membra.

NEXĬLIS, e, adj. *πλεκτὸς*, qui nectitur. *Lucr.* 5, 1349. Nexilis ante fuit vestis, quam textile tegmen. *Ov. Met.* 6, 128. Nexilibus flores hederis habet intertextos; et *ib.* 2, 499. Nexilibusque plagis silvas Erymantidas ambit.

NEXĬO, onis, f. actus nectendi, connexio, *πλοκή. Arnob.* 5, 156. Vinculorum nexiones. Adde *Capell.* 1, 12 et 23.

NEXO, as, a. 1. *προσαναπλέκω*, freq. a *necto. Lucr.* 2, 98. Pars etiam brevibus spatiis nexantur ab ictu. Al. leg. *vexantur.* [*Eichstadt.* vulg. habet.] *Virg. A.* 5, 279. Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem. [*V. *intpp.* ad h. l.] *Liv.* ap. *Prisc.* 10, 904. Nexabant multa inter se flexu nodorum dubio. Adde *Diomed.* 1, 366. ℙ [*Confund. *nexare* et *nixare.* V. *intpp.* ad *Virg.* l. modo laud.]

NEXO, is, a. 3. idem quod *nexo*, *as. Accius* ap. *Prisc.* 10, 904. Nos continuo ferrum eripimus, omnibus manicas neximus. ℙ Praeteritum est *nexui*, vel *nexi* eodem teste *ib.* et 9, 860. et *Diomed.* 1, 366., sed haec etiam ad *Necto* pertinent.

NEXUM, i, n. idem ac nexus. *Cic. Caecin.* 35. Ut non sustulerit horum nexa, atque hereditates. Adde *Har. resp.* 7. et *Or.* 3, 40. *Adde *Cic. de re publ.* 1, 17. et 2, 34. *B. A.* V. NEXUS, us.

NEXUS, a, um, part. a *necto*: *πεπλεγμένος, πλεκτὸς*, ligatus, connexus, aptus, conjunctus. *Hor. Od.* 1, 38, 2. Nexae philyra coronae. *Virg. A.* 1, 452. nexae Aere trabes; et *ib.* 7, 66. apes pedibus per mutua nexis. *Ov. Met.* 4, 490. Nexaque vipereis distendens brachia nodis. *Id. Her.* 5, 48. brachia nexa collo. *Id. Fast.* 1, 412. pinu tempora nexa, *h. e.* coronata. *Suet. Ner.* 30. Funes nexae purpura et cocco. *Plin.* 19, 8, 42. Nexis inter se radicibus. ℙ *Nexi* dicuntur, quos ob aes alienum sibi servire creditor cogebat, sive vinctos, sive solutos, donec debitum solvissent. *Varr. L. L.* 6, 5. *f.* Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debet, dat, nexus vocatur. Hoc, C. Popilio rogante, Sulla dictatore sublatum, ne fieret, et omnes, qui bonam copiam jurarent, ne essent nexi, dissoluti. *Liv.* 2, 27. Et qui ante nexi fuerant, creditoribus tradebantur, et nectebantur alii; et *ib.* 23. Nexi vincti, solutique se undique in publicum proripiunt. Alii leg. *nexu vincti.* V. *Liv.* his locis, et 8, 28. V. v. sq. ℙ Item universim qui in carcere, aut vinculis sunt. *Just.* 21, 1. Nexorum tria millia e carcere dimittit; et *ib.* 2. Nec carcerem nexis, sed caedibus civitatem replet. ℙ Translate. *Id.* 20, 4. Cum sodalitii jure, sacramento quodam nexi separatam a ceteris civibus vitam exercerent. *Mart. Dig.* 48, 21, 3. Crimine aliquo nexus, *h. e.* obstrictus. *Id. ib.* 49, 14, 22. Res pignori nexas distrahere. *Cic. Or.* 41. Sed haec, nisi collocata, et quasi structa et nexa verbis, ad eam laudem, quam volumus, adspirare non possunt. *Id. Tusc.* 5, 25. Rerum causae aliae ex aliis aptae, et necessitate nexae; et *ib.* 3, 8. Omnes virtutes inter se nexae et jugatae sunt. ℙ *Nexum aes*, pecunia, quae per nexum obligatur. *Festus.* V. v. sq.

NEXUS, us, m. *πλοκή, συμπλοκή*, nexio, connexio, conjunctio, ligamen. *Tac. A.* 4, 62. Neque firmis nexibus ligneam compagem superstruxit. [*Curt.* 4, 2, 8. nec ulla tam firma moles est, quam non exedant undae et per nexus operum manantes: ita *Zumpt.* Ceterum cf. *Freinsh.*] *Plin.* 16, 37, 69. Salix solido ligat nexu. *Ov. Met.* 15, 459. serpens, baculum qui nexibus ambit. *Plin.* 8, 11, 11. Dracones nexu nodi praestringunt elephantos. *Ov. Met.* 6, 242. de luctantib.: Et jam contulerant arcto luctantia nexu Pectora pectoribus. *Suet. Ner.* 53. Brachiorum nexibus aliquem elidere. [*Saepissime de luctantibus hoc vocabulum dicitur. V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 2, 12. p. 168. ubi tamen de *nexu* non cogitandum esse recte docet *Spald.* collata ipsius animadversione ad *ib.* 2, 9, 13. ubi *Gesnerum* citat, qui proprium palaestrae vocabulum nominat *nexus.* Adde *Cort.* ad *Lucan.* 4, 617. qui laudat *Vales.* ad *Ammian.* 15, 3. et *Drak.* ad *Sil.* 3, 33.] *Mart. Spect.* 26. Fuscina dente minax, curvo fuit ancora nexu, *h. e.* unco, quo infixa arenae nectit ac sistit naves. ℙ Translate. *Tac. A.* 3, 28. Exsoluti legis nexus. ℙ *Nexus*, et *nexum* in Jure est obligatio civilis, qua quippiam, sine traditione, aut sine cessione, alterius dominio subjicitur, ejusque temporariae potestati quodammodo nectitur. *Festus:* Nexum est, ait Aelius Gallus, quodcumque per aes et libram geritur: idque necti dicitur: quo in genere sunt haec, testamenti factio, nexi datio, nexi liberatio. Nexum aes apud antiquos dicebatur pecunia, quae per nexum obligatur. Haec *Festus.* Magis ad rem *Varro L. L.* 6, 5. *f.* Nexum, Manilius scribit, omne, quod per libram et aes geritur, in quo sint mancipi: Mucius Scaevola, quae per aes et libram fiant, ut obligentur, praeterquam quae mancipio dentur. Hoc verius esse, ipsum verbum ostendit, de quo quaeritur: nam idem, quod obligatur per libram, neque suum sit, inde nexum dicitur. Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debeat, dat, dum solveret, nexus vocatur. Haec *Varr. Cic. Top.* 5. *f.* Abalienatio est ejus rei, quae mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio. *Id. Har. resp.* 7. *f.* Multae sunt domus in hac urbe jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipi, jure nexi. *Id. Mur.* 2. In iis rebus repetendis, quae mancipi sunt, is periculum judicii praestare debet, qui se nexu obligavit. *Lex. XII. Tab.* ap. *Fest.* in *Nuncupata.* Cum nexum faciet, mancipiumque, uti lingua nuncupassit, ita jus esto. *Cic. Caecin.* 35. Sulla ita tulit de civitate, ut non sustulerit horum nexa atque hereditates. Adnotant hic interpretes, solos cives R. jure nexi usos fuisse, cum, quibus Romanam civitatem ademisse Sulla dicitur, his nexa tamen, atque hereditates reliquerit. ℙ Solemnitates in nexu celebrando eaedem fuere, quae in MANCIPIUM ex *Cajo Institut. tit.* 6. descriptae sunt. ℙ Speciatim obligatio nexi locum habet in debitoribus, qui cum solvendo non essent, addicebant se creditoribus, ut in v. praec.

dictum est. *Liv.* 7, 19. Etsi unciario fenore facto, levata usura erat, sorte ipsa obruebantur inopes, nexumque inibant [*i. e. operas in servitute pro pecunia, quam debebant, praestabant]; et 8, 28. L. Papirius is fuit, cui cum se C. Publilius, ob aes alienum paternum, in nexum dedisset, etc. Al. omitt. *in* rectius. *Colum. f.* Agros occupatos nexu civium, aut ergastulis tenent. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 7, 30. *ad Curion.* Atticus noster, cujus cum proprium te esse scribis mancipio et nexu; meum autem usu et fructu; contentus isto sum. Scripserat *Curio ep. praec.* Sum enim χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici nostri. Hinc discimus, tam nexu, quam mancipio justam rei possessionem acquiri. Est tamen discrimen, quod mancipio perpetua, nexu temporaria acquirebatur: quod idem usu venit in venditione, et in pignore. ℙ *Nexus* de cujusque obligationis vinculo. *Modest. Dig.* 46, 4, 1. Acceptilatio est liberatio per mutuam interrogationem, qua utriusque contingit ab eodem nexu absolutio. *Papin. ib.* 10, 2, 33. Partem hereditatis a nexu pignoris liberam consequi. ℙ [*Confund. *nexus* et *nixus*. V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 2, 12. p. 168.]

NI

NĪ, *εἰ μή*, si non: a *nisi* per apocopen. *Ter. Andr.* 3, 4, 19. mirum, ni domi est. [*cf. *Drak.* ad *Liv.* 3, 28, 5.] *Hor. Sat.* 2, 7, 118. ocius hinc te Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino. *Cic. Fam.* 7, 13. Moriar, ni puto, te malle a Caesare consuli, quam inaurari. *Pl. Rud.* 3, 4, 48. Ni offerumentas habebis plures in tergo tuo, Quam ulla navis longa clavos, tum ero mendacissimus. *Cic. Verr.* 2, 3, 96. Rempubl. sistere negat posse, ni ad equestrem ordinem judicia referantur. *Naevius* ap. *Cic. Or.* 2, 69. Quid ploras pater? Mirum, ni cantem: [**Nun, ich soll wohl gar singen*?] condemnatus sum. *Id. Fin.* 3, 20. Quod ni ita se haberet, nec justitiae ullus esset, nec bonitati locus. ℙ Habet locum praecipue in sponsionibus, et in judiciis. *Cic. Off.* 3, 19. Cum is sponsionem fecisset, ni vir bonus esset. *Liv.* 3, 57. Sic se judicem illi ferre, ni vindicias ab libertate in servitutem dederit. *Pl. Rud.* 5, 3, 24. cedo quicum habeam judicem, Ni dolo malo instipulatus sis, nive etiam dum siem Quinque et viginti natus annos: *nive* est *et ne*, et *sive*, *et si*, ut *neve* est *et ne*: habetque locum, quando in judicio aut sponsione de pluribus rebus agitur. *Cic. Caecin.* 23. Tum illud, quod dicitur, sive, nive, irridenti. *Pl. Rud.* 3, 4, 8. ergo dato quemvis arbitrium, Si tuas esse oportet, nive eas esse oportet liberas, Nive te in carcerem compingi est aequum. [*V. *Rostii progr. de usu vocalarum* si *et* ni in sponsionibus: cujus summam *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 326. sqq. ita delibavit, ut semper in provocando ad sponsionem pignoris vel ad judicem aut arbitrum usi essent vocula *ni:* stipulatio et sponsio ipsa facta esset cum particula *si*, restipulatio et responsio cum opposita *ni*. Adde *Ramsh. Gr. Lat.* §. 193. p. 874.] ℙ *Ni quis scivit* ap. *Fest.* nomen est centuriae, quae dicitur a Ser. Tullio rege constituta, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua. Idque factum ab eo est, ne quis civis suffragio privaretur. Sed in ea centuria neque censetur quisquam, neque centurio praeficitur, neque centurialis potest esse, quia nemo certus est ejus centuriae. Haec *Festus.* ℙ Est etiam *ni* pro *ne* prohibente, aut dehortante. Docet hoc *Serv.* ad illud *A.* 3, 686. Contra jussa monent Heleni, etc. Ni teneant cursum. Ubi ait: Antiqui *ni* pro *ne* ponebant, qua particula plenus est Plautus: *Ni mala*, *ni stulta sis.* Haec *Serv.*: quibus similia habet *Donat.* ad *Ter. Eun.* 2, 3, 36. et 3, 3, 2. (Sed in verbis *Plauti*, quae sumpta sunt ex *Men.* 1, 2, 1. commode potest *ni* etiam pro *nisi* accipi.) Confirmat *Prisc. in. l.* 15. afferens eund. *Virg.* versum. *Cass. Hemina* ap. *Plin.* 32, 2, 10. Numa constituit ut pisces, qui squamosi non essent, ni pollucerent. *Varr.* ap. *Non.* 4, 125. Dominum convivii, vinum, aliudve quid ni laudato. *Inscr.* ap. *Grut.* 207. *col.* 3. Dum ni minus viginti adsient. In *vet. decreto* ap. *eund.* 629. Dum ni quem in iis viatoribus, etc. legant. In *vet. epitaph. ib.* 996, 12. Rogo per Deos, ni velitis ossa mea violare. In *Cenotaph. Pis. C. Caesaris*: Caverique, ne quod sacrificium, neve quae supplicationes, nive sponsalia, nive convivia in eum diem fiant. Adde *Prop.* 2, 6, 3. ut quidem in omnibus libris scriptis, et editionibus vetustis legi testatur *Broukhus.*, nam alii *ne* edidere: quae mutatio et in *Silio* 1, 374. facta est, teste *Drakemborchio*: item in *Lucr.* 2, 734 et 887. ℙ Scribebant etiam *nei*, et *neive*. V., si placet, *Noris. dissert.* in *Cenotaph. Pis.* 4, 5. ℙ *Ni* pro *nisi quod*. *Ammian.* 22, 11. *f.* Poterant miserandi homines Christianorum auxilio defendi, ni Georgii odio omnes indiscrete flagrabant. ℙ [*Confund. *ni* et *ne*. V. *intpp.* ad *Curt.* 10, 8, 1.]

[NĪCĀ, *νῖκα* contracte pro *νῖκαε*, 2. pers. praes. imperat. verbi *νικάω*, vinco. Hac voce *Nica*, et quandoque etiam Latine *Vincas*, sedens in circo populus, factionis quisque suae agitatori sive aurigae, elata voce, acclamare consueverat. Hinc *Ov. Am.* 3, 2, 1. Non ego nobilium sedeo studiosus equorum: Cui tamen ipsa faves, vincat ut ille, precor. *Inscr.* ap. *Grut.* 338, 2. Garamanti nica: Genti nica. Alia ap. *Fabr.* p. 573. *n.* LIV. Leaeni nica. In nummo ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 8. p. 297. Urse vincas. *F.*]

*NICAEA, ae, f. *Νίκαια*, urbs Bithyniae, olim Antigonia dicta, in lacu Ascanio, hodie *Isnick. Plin.* 5, 32. *Cic. Planc.* 34. *Catull.* 46, 5. ℙ *Nicea* est *Plin. alt. ep.* 10, 48. edd. *Cort.* et *Gesner.* ℙ Fuit et alia hoc nomine, minus celebris, ibi sita, quae olim Olbia audiebat. *Plin. ib.* ℙ Item opp. Liguriae, in confinio Italiae ac Galliae Narbonensis, Massiliensium colonia, hodie autem *Nizza. Plin.* 3, 5. In Gallia Narbonensi ponit *Mela* 2, 5. ℙ Item opp. Locridis, in sinu Maliaco, prope Thermopylas. *Liv.* 28, 5. et 32, 32 et 35. ℙ Et Indiae urbs, ad Hydaspem fluvium, ab Alexandro M. condita. *Curt.* 9, 3. *Just.* 12, 8. ℙ Et nomen feminae ap. *Liv.* 35, 26. *B. A.*

[NĪCANDER, ri, m. virorum victor, idem ac Andronicus: a *νίκη*, victoria, et *ἀνήρ*, *ἀνδρός*, vir. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 274, 4. L. Numerius Nicander. *F.*] ℙ *Colophonius, poeta, grammaticus, medicus, scripsit Theriaca, Alexipharmaca (quae hodieque exstant), Georgica, et alia quaedam. *Cic. Or.* 1, 16. *Macr. Sat.* 5, 21. V. *Fabr. B. G.* 3, 26. ℙ Alius, Alexandrinus; alius, Chalcedonius: de quibus V. *Voss. de Hist. Graec. B. A.*

[NĪCĀNOR, ōris, m. *νικάνωρ*, vir victoriae: a *νίκη*, victoria, et *ἀνήρ*, vir. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 26, 3. M. Ulpius Nicanor. *F.*] ℙ *Grammaticus. *Suet. Gr.* 5. ℙ Alius, pictor celebris, de quo *Plin.* 35, 11. ℙ Confunduntur interdum inter se voces *Nicanor* et *Nicator. B. A.*

[NĪCARCHUS, i, m. victorum princeps, vel princeps victor: a *νίκη*, victoria, et *ἄρχος*, princeps. Est cogn. libert. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 650, 4. Q. Caecilius Sp. F. Nicarcho L. *F.*]

[NĪCĀRIUM, ii, n. *νικάριον*, dimin. a *νίκη*, victoria. Est cogn. muliebre R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 133, 3. Claudia Ti. L. Nicarium. *F.*]

[NĪCĀTOR, ōris, m. *νικάτωρ*, Dorice pro *νικητωρ*, victor. Ita cognominati sunt quidam milites Persei Macedoniae regis. *Liv.* 43, 19. Cohors regia, quos nicatoras appellant, transcendit. *Nicatoras* est accusativus plur. Graecae positionis pro *Nicatores. F.*]

NĪCAEENSIS, e, adj. ad Nicaeam pertinens, quae est urbs Bithyniae ad Ascanium lacum. *Plin.* 5, 32, 43. et 7, 2, 2. et *Cic. Fam.* 13, 61. ℙ Ap. alterum *Plin. ep.* 10, 48 et 49. scribitur *Nicenses.*

[NĪCAENUS, a, um, adj. idem ac Nicaeensis. *Imppp. Grat., Valent.* et *Theod. Cod.* 1, 1, 2. Is autem Nicaenae adsertor fidei, et Catholicae religionis verus cultor accipiendus est, qui, etc., *h. e.* quae constituta est in primo concilio oecumenico Nicaeae habito. *F.*]

[NĪCAEUS, a, um, adj. *νικαῖος*, victoriae largitor. Cogn. Jovis ap. *Liv.* 43, 21. Altero die ad templum Jovis, quem Nicaeum vocant, posuit castra. *F.*]

*NICASIA, ae, f. insula maris Aegaei, Sporadum una. *Plin.* 4, 12. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Phaecasia. B. A.*

*NICĀTOR, oris, m. *Νικήτωρ*, i. e. victor, cognomen Seleucidarum, Syriae regum. *Plin.* 6, 11. ℙ Reperitur interdum scriptum *Nicanor.* ℙ V. *Spanhem. de Num. diss.* 7. *B. A.*

[NĪCE, es, f. *νίκη*, victoria. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 9, 5. Terentia Nice. *F.*] ℙ *Nice, es, f. Thraciae oppidum, inter Hadrianopolim et Byzantium. *Ammian.* 38, 31. ℙ *Nicae* est *Itin. Hierosol.* ℙ Item uxor Cleomenis Syracusani, Verris meretrix. *Cic. Verr.* 2, 3, 31. *B. A.*

*NICEANTUS, i, m. insignis pictor, cujus meminit *Plin.* 37, 11. *B. A.*

[NĪCEPHORĪANUS, a, um, adj. ad Nicephorum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 519, 4. Claudius Nicephorianus. *F.*]

*NICEPHORĪON, i, n. V. v. sq. ℙ *Nicephorĭon, onis.* V. NICEPHORIUS. *B. A.*

*NICEPHORĪUM vel Nicephorion, i, n. *Νικηφόριον*, opp. Mesopotamiae, ad Euphratem, ab Alexandro M. conditum. *Plin.* 5, 24. et 6, 26. ℙ Item lucus Pergamo adjacens. *Liv.* 32, 33 et 34. *Straboni* est *ἄλσος Νικηφόριον. B. A.*

*NICEPHORĪUS, i, m. fluvius Armeniae, prope Tigranocertam. *Tac. A.* 15, 4. ℙ *Nicephorion* est *Plin.* 6, 27. ed. *Hard.* qui in Tigrim eum se exonerare inquit. *B. A.*

[NĪCEPHORUS, i, m. *νικηφόρος*, victoriam ferens: a *νίκη*, victoria, et *φέρω*, porto. Ita appellatus est Juppiter sedens cum parva Victoria in dextra, quemadmodum Phidias statuam Jovis Olympici sculpserat: quem videre est in nummis ap. *Viscont. Iconogr. Gr.* T. 2. *tab.* 20. *n.* 3. 4. 5. 6. cum inscriptione *Νικηφόρον. Spart. Hadr.* 2. Ex fano quoque Nicephori Jovis manante responso. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 83, 3. L. Mucius Nicephorus. *F.*] **Cic. Q. Fr.* 3, 1. *B. A.*

*NICER, cri, m. hodie *Neckar*, fluvius Germaniae. *Eum.* in *Pan. Constant.* 19. *Auson.* in *Mosell.* 423. *Sidon.* 7, 324. ubi accusativum *Nicrum* habes, ut rectus casus possit esse *Nicrus. B. A.*

*NICERĀTUS, i, m. *Νικήρατος*, insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

NĪCĒROS, otis, m. nomen est myropolae cujusdam, seu unguentarii. *Mart.* 12, 65. Utrumne Cosmi, Nicerotis an libram. *Hinc Nicĕros, otis, m. *Νικέρως*, insignis pictor, de quo *Plin.* 35, 10. *B. A.*

NĪCĒROTĪĀNUS, a, um, adj. a Nicerote praestanti unguentorum, et odoramentorum confectore. *Mart.* 6, 55. Flagras plumbea Nicerotiana. *Id.* 10, 38. Nimbis ebria Nicerotianis. Adde *Sidon. carm.* 9, 324.

[NĪCĒTAS, ae, m. *νικητής*, victor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 312, 3. Cu*rante* Aurelio Niceta. *F.*]

NĪCĒTĒRĬA, orum, n. plur. *νικητήρια*, praemia victoriae, ut torques, aut hujusmodi: a *νίκη*, victoria. *Juven.* 3, 67. Rusticus ille tuus sumit trechedipna, Quirine, Et ceromatico fert niceteria collo, *h. e.* insignia victoriae in gymnicis certaminibus, e collo pendentia. V. PHYLACTERIUM.

NĪCĒTĪĀNUS, a, um, adj. ad Nicetium pertinens, quod est nomen viri proprium. *Sidon. ep.* 3, 1. *med.* Nicetiana hereditas.

[NĪCĒTĪCUS, i, m. *νικητικός*, victoriosus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 129. Julius Niceticus. *F.*]

*NICĪAS vel Nicia, ae, Galliae cispadanae fluvius, in Padum influens, ubi Brixellum oppidum, hodie *Lenza* dictus. *Plin.* 3, 16. ℙ Item dux Atheniensis, de quo *Nep. Alcib.* 3. ℙ Et insignis pictor, temporibus Alexandri Magni. *Plin.* 35, 4 et 11. ℙ Et grammaticus. *Suet. Gr.* 14. ℙ Et Pyrrhi Epiri regis medicus, qui olim ad Fabricium veniens, ei promisit, Pyrrhum se veneno necaturum. At ille aversatus facinus, Pyrrho rescripsit, ut a Nicia sibi caveret. *Quadrig.* ap. *Gell.* 3, 8. ubi *Gellius* eadem refert de Timochare, regis Pyrrhi amico. ℙ Nicias Curtius, grammaticus, quem Cicero in Cilicia secum habuit. *Cic. Fam.* 9, 10. *Id. Att.* 7, 3. et alibi. Idem fortasse fuit cum eo, cujus meminit *Suet.* supra citatus; quem tamen ad locum V. quae *Broukhus.* ℙ Nicias, Nicerati filius, homo clarus Atheniensis, reipublicae post Periclem gubernator primarius. Is post pugnam infelicem contra Syracusanos captus, et in carcerem conjectus, manus sibi intulit. *B. A.*

[NĪCĪENSIS, e, adj. ad Niciam, seu Nicaeam pertinens, urbem in Italiae et Galliae confinio ad Varum fluvium, quae nunc *Nizza* vocatur: ejus meminit *Plin.* 3, 5, 7. ℙ *Nicienses, ium*, absolute sunt illius urbis incolae. *Inscr.* ap. *Mur.* 626, 1. C. Memmio Macrino agonothetae, episcopo Nicienssium amici. *F.*]

NĪCO, is, ci, a. 3. signum facio, moveo, ut Nicere manu. *Pl. Truc.* 2, 7, 63. emoriere ocius, si manu niceris. *G.* Quin manu nicerim? *Turneb. Adcers.* 24, 17. hinc deduci putat verbum *nicto, as.* [*Idem verbum restituere vult *Christ* ap. *Lucan.* 2, 25. ed. *Web.*, ubi pro vulgata *oculosque in morte natantes* leg. censet *oculosque in morte nicentes.*]

NĪCO, onis, nomen proprium, v. in *Nicon.*

*NICOCLES, is, m. *Νικοκλῆς*, tyrannus Sicyonius, ab Arato oppressus. *Cic. Off.* 2, 23. *B. A.*

[NĪCODĒMUS, i, m. victor populi: a *νῖκος*, victoria, et *δῆμος*, populus. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 911, 2. Nicodemus Sponsian*us* de*curio* cubicularior*um*. *F.*]

[NĪCODRŌMUS, i, m. *νικόδρομος*, victor in cursu: a *νῖκος*, victoria, et *δρόμος*, cursus. Est cogn. serv. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 448. *n.* XII. Mercurius, Nicodromus, Barginna. *F.*]

[NĪCOLĀIS, ĭdis, f. victrix populi: a *νῖκος*, victoria, et *λαός*, populus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 806, 1. Aelia Nicolai (corrige *Nicolais* ex *Gor. Inscr. Etr.* T. 3. p. 61.) *F.*]

[NĪCOLĀUS, a, um, adj. ad Nicolaum pertinens, genus dactylorum ita appellatum a Nicolao Damasceno Augusti familiarissimo, ut tradunt *Plut. Sympos.* 8, 4. et *Athenaeus* 14, 18. Hinc *Plin.* 13, 4, 9. Sicciores in hoc genere Nicolai, sed amplitudinis praecipuae, quaterni cubitorum longitudinem efficiunt. *Edict. Dioclet.* p. 18. Dactylos Nicolaos optimos octo ✕ quattuor. *F.*]

*NICOLĀUS, i, m. *Νικόλαος*, Damascenus, Peripateticus, Caesari Augusto familiaris. *Plin.* 13, 4. apud quem mentio fit *palmarum Nicolai*, np. generis cujusdam palmarum grandioris. Cf. *Spanhem. de Num. diss.* 6. *B. A.*

[NĪCOMACHUS, i, m. victor pugnae: a *νῖκος*, victoria, et *μάχη*, pugna. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 277, 1. L. Attius Nicomachus. *F.*] ℙ **Nicomachus, i*, m. *Νικόμαχος*, pictor insignis, de quo *Plin.* 35, 10. et *Cic. Brut.* 18. *B. A.*

NĪCOMĒDENSIS, e, adj. ad Nicomediam, *Νικομήδειαν*, pertinens, quae est urbs Bithyniae maxima, condita a Nicomede rege, in intimo sinu Astaceno, ut est ap. *Plin.* 5, 32, 43. *Plin. alter ep.* 10, 46. In aquaeductum Nicomedenses impenderunt, etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 389, 2. Logistae ci-

vitatis splendidissimae Nicomedensium. Alia *ib.* 407. Cur. R. P. Nicomedensium. Adde *Callistrat. Dig.* 50, 9, 5.

[NĪCŌMĒDES, is, m. curam gerens victoriae: a νῖκος, victoria, et μῆδος, cura. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 669, 7. P. Aemilius P. F. Nicomedes. *F.*] ℙ **Nicomedes*, *is*, m. Νικομήδης, rex Bithyniae, Prusiae filius et parricida. *Cic. Verr.* 1, 24. ℙ Alius rex Bithyniae, prioris filius, Romanorum amicus, qui olim raso capite sumpsit pileum, et se Romanorum libertum vocavit. *Just.* 34, 4. *et* 38, 5. *Suet. Caes.* 2. *B. A.*

[NĪCON, ōnis, m. νικῶν, part. verbi νικάω, vinco. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 656, 5. L. Claudius *Nicon. F.*] ℙ **Nico* vel *Nicon*, *onis*, m. medicus quidam, qui περὶ πολυφαγίας scripsit. *Cic. Fam.* 7, 20. ℙ Item nobilissimus pirata, a P. Servilio captus. *Id. Verr.* 2, 3, 30. ℙ Et asini nomen ap. *Suet. Aug.* 96. *extr. B. A.*

*NICOPHĀNES, is, m. pictor nobilis, de quo *Plin.* 35, 10. *B. A.*

[NĪCOPHŌROS, i, m. smilacis genus. *Plin.* 24, 10, 49. Smilax quoque, qui et nicophoros cognominatur; coronam ex eo factam impari foliorum numero, ajunt capitis doloribus mederi. *F.*]

NICOPOLIS. V. v. sq.

NĪCOPOLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Nicopolin pertinens. Hoc nomine plures fuerunt urbes, una in Bithynia, de qua *Plin.* 5, 32, 43.; altera in Armenia minore a Cn. Pompejo M. condita, de qua *Id.* 6, 9, 6. verba facit; tertia in Epiro ad Actium promontorium, de qua *Tac. A.* 2, 53., quaeque a *Plin.* 4, 1, 2. Nicopolitana civitas dicitur; quarta in Moesia inferiore ad Jatrum fluvium a Trajano Aug. condita, de qua *Jornand. de reb. Get.* 18. *Inscr.* ap. *Grut.* 527, 7. Natus ex provincia Moesia, regione Nicopolitana, vico Saprisara. ℙ *Nicopolitani*, *orum*, absolute sunt illius urbis incolae. *Inscr.* ap. *Grut.* 472, 4. Princeps civitatis Nicopolitanorum.

NICOSTRATĒGUS. V. NYCTOSTRATEGUS.

[NĪCOSTRĀTUS, i, m. victor exercitus: a νῖκος, victoria, et στρατὸς, exercitus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 519, 4. Ti. Claudius Nicostratus. *F.*]

*NICOTERA, ae, opp. Italiae inferioris, in Bruttiis. *Anton. Itin. B. A.*

[NĪCŌTYCHE, es, f. victrix fortunae: a νῖκος, victoria, et τύχη, fortuna. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 312, 7. Aelia Nicotyche. *F.*]

NICTĀTĬO, onis, f. actus nictandi. *Plin.* 11, 37, 57. Nec genae quidem omnibus: ideo neque nictationes iis, quae animal generant. Columbae, et similia utraque gena connivent. At quadrupedes, quae ova pariunt, ut testudines, crocodili, inferiore tantum, sine ulla nictatione, propter praeduros oculos.

NICTO, as, avi, atum, n. 1. et Nictor, aris, atus sum, dep. 1. σκαρδαμύττω, oculos subinde claudo genas movendo: quod semper facimus vigilantes, etiam sine sensu. Volunt esse a *niveo* inusitato: unde *conniveo.* [**Turneb.* deducit a *nico:* ubi v. Item *Doederl.* 2, 127. qui a v. *nuere* ejusque secundaria forma *nicere* communem frequentativorum, quae dicit, *niti*, *nictari* et *nixari* originem ducit.] *Plin.* 11, 37, 54. Plerisque naturale, ut nictari non cessent: quos pavidiores accepimus. Al. leg. *nictare;* et *ib.* 57. Graviores alitum inferiore gena connivent: eaedem nictantur, ab angulis membrana obeunte. ℙ Item oculis signum dare, vel utrumque, vel alterutrum claudendo. *Pl. As.* 4, 1, 39. Neque illa ulli homini nutet, nictet, adnuat. *Non.* 5, 71. hunc ipsum *Plauti* locum afferens *nutare*, inquit, capitis; *adnuere* narium vel labiorum; *nictare* oculorum significantiam esse veteres decreverunt. *Pl. Men.* 4, 2, 49. Non hercle ergo quidem unquam quicquam nuto, neque nicto tibi. Adde *Merc.* 2, 3, 72. ℙ Est etiam saepe aliquid conari, quasi sit a *nictum* pro *nixum* a verbo *nitor.* Atque haec fortasse prima et propria est ejus significatio. [**Neutiquam!*] *Festus:* Nictare, et oculorum, et aliorum membrorum nisu saepe aliquid conari, dictum est ab antiquis, ut Lucretius in libro quarto: Hic ubi nictari nequeunt, insistereque alis. Caecilius in Hymnide: Garrulis medentes jactent, sine nictentur perticis. Novius in Macchoco: Pone actutum scibis, cum in nervo nictabere. Unde quidam nictationem, quidam nictum, ut Caecilius in Pugile: Tum inter laudandum hunc timidum tremulis palpebris percutere nictu: hic gaudere, et mirarier. Hactenus *Festus.* Verba *Lucretii* habes 6, 836., ubi al. leg. *nixari*, a *nixum* v. *nitor*, *eris.* Illa *Caecilii* priora sic legit *Scal.* Garruli sine dentes jactent, sine nictentur perticis. Locum *Novii* ita emendat *Idem:* Novius in Macco copone: Actutum scibis, cum, etc. ℙ Part. *Nictans* ap. *Lucr.* 6, 180. ardoris Semina, quae faciunt nictantia fulgura flammae. ℙ Est etiam

NICTO, is, n. 3. *Festus* post verba allata in voce praec. statim subdit: Nictit canis in odorandis ferarum vestigiis leviter ganniens, ut Ennius in libro X. Veluti siquando vinculis venatica venenox apta solet, si forte ex nare sagaci sensit, voce sua nictit, ululatque ibi acuta est. Haec *Fest.* Verba *Ennii* ita legunt critici: Veluti si quando vinclis venatica velox Apta silet cani'; forte feram si ex nare sagaci Sensit, voce sua nictit, ululatque ibi acute. Al. hic quoque leg. *nictat.*

NICTUS, us, m. nictatio, nisus. [*Proprie dicitur de amantibus, cum blande se invicem intuentes oculos movent osque diducunt ad subridendum, Graecis est σκαρδαμυγμός.] *Caecil.* ap. *Fest.* V. NICTO. *Ov. Met.* 3, 460. lacrimas quoque saepe notavi, Me lacrimante, tuas: nictu quoque signa remittis. Alii leg. *nutu.* Adde *A. Am.* 1, 138. et *Fast.* 1, 418. et *Claud. Cons. Mall. Theod.* 312., sed ubique al. *nutu* reponunt.

NĪDĀMENTUM, i, n. nidus. *Arnob.* 6, 202. Non videtis sub istorum simulacrorum cavis sorices, mures, blattas nidamenta ponere? *Pl. Rud.* 3, 6, 51. In nervum ille hodie nidamenta congeret, *h. e.* muscum, paleas, tomentum, et id genus alia, ex quibus aves nidos construunt suos. Est autem ibi allegoria, qua significatur, lenonem (de quo est sermo) nidum parare, ex quo nascatur nervus, *h. e.* ea facere, propter quae brevi nervo plectendus sit, vel compedibus vinciendus. Ita *Turneb. Adv.* 26, 2. V. integrum *Plauti* locum.

*NIDAPANTIS barbarum et corruptum epitheton *cassiae*, ap. *Veg. Vet.* 4, 13. pro *daphnitae* vel *daphnitidis.* Legitur et *nidafantis. B. A.*

NĪDĬCUS, a, um, adj. ad nidum pertinens. *Varr.* ap. *Non.* 4, 278. Ad quos tum volucres venit pusillos Usque ad limina nidica esca vilis. Alii *nitida* legunt, alii aliter. Est enim locus varie vexatus, nec quidquam certi inde colligi potest.

NĪDĪFĬCĬUM, ii, n. nidi constructio. *Appul. Met.* 8. In carioso stipite inhabitantium formicarum nidificia burriebant.

NĪDĪFĬCO, as, n. 1. νεοττεύω, nidum facio. *Colum.* 8, 15. Pedalia in quadratum cubilia, quibus nidificent aves. *Plin.* 9, 26, 42. Nidificare ex alga. *Id.* 10, 53, 74. Turdi luto nidificantes. [*Virg.* ap. *Donat. Vit. Virg.* 17. Sic vos non vobis nidificatis aves. *F.*]

NĪDĪFĬCUS, a, um, adj. nidum faciens. *Sen. Med.* 714. Quodcumque tellus vere nidifico creat.

NĪDOR, oris, m. κνίσσα, [*vapor, *(Dunst, Qualm, Brodem, Dampf,)* quem coctus cibus vel alia res ambusta emittit. Differt ab *odore*, quod *nidor* proprie *odor* non est, sed odorem habet atque emittit.] *Lucr.* 6, 986. Nam penetrare alio sonitus, alioque sapores Cernimus e succis, alio nidoris odores. *Plin.* 24, 15, 85. Chamaeleuces radix imponitur carbonibus cupressi, atque is nidor per infumibulum imbibitur in vetere tussi. *Mart.* 7, 26. de apro cocto: Pinguescant madidi laeto nidore Penates. *Virg. G.* 3, 415. Galbaneoque agitare graves nidore chelydros. *Id. A.* 12, 300. Occupat os flammis: illi ingens barba reluxit, Nidoremque ambusta dedit. *Liv.* 38, 7. *extr.* Foedus quidam nidor ex adusta pluma. *Plin.* 28, 17, 67. Lethargicos excitat caprini cornus nidor, aut pilorum. *Id.* 35, 15, 50. Nidor sulphuris igni impositi. *Juv.* 5, 162. Captum te nidore suae putat ille culinae. *Mart.* 1, 93. Pasceris et nigrae solo nidore culinae. — Hinc saepissime *nidor* dicitur de carne cremata in sacrificiis, ut ap. *Ov. Met.* 12, 153. *Tert. Apol.* 22. et *Idol.* 6. *Minuc. Fel. Octav.* 34. *med.* Corpus omne sive arescit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur. ℙ Quoniam vero *nidor* maxime nares vehementer afficit, factum est, ut pro cujuscunque generis nimio, acri, gravi odore, foetore ponatur. *Plin.* 13, 1, 1. Cedri tantum, et citri in sacris fumo convolutum nidorem verius, quam odorem noverant. *Hard.* illa verba *verius quam odorem* omittit ex MSS. [*Quod parum circumspecte factum videtur.] *Lucr.* 6, 791. Nocturnumque recens exstinctum lumen, ubi acri Nidore offendit nares, etc. *Cic. Pis.* 6. Paulisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo. *Appul. Met.* 1. p. 112. *Elm.* In cujus hospitio nec fumi, nec nidoris nebulam vererer. *Id. ib.* 4. Putore nidoris foetidi abigere aliquem, *h. e.* egesti stercoris; et *ib.* 8. Formicae dulcem ac mellitum corporis nidorem persentiscunt. ℙ *Nidor e culina* convicium in servum, qui in culina est assiduus, ejusque maxime nidore capitur: possetque et in parasitum aptari. *Pl. Most.* 1, 1, 5. Exi, inquam, nidor e culina, quid lates? [**Aschenbrödel.*]

[NĪDŌRO, as, n. 1. nidorem exhalo. *Not. Tir.* p. 167. Olefacit, nidorat, redolet. *F.*]

NĪDŌROSUS, a, um, adj. nidorem multum exhalans. *Tert. adv. Marc.* 5, 5. *f.* Holocaustomata nidorosa.

NĪDŪLOR, aris, dep. 1. νεοττοποιῶ, nidifico. *Varr.* ap. *Non.* 2, 589. et *Gell.* 3, 10. Halcyones hieme in aqua nidulantur. *Gell.* 2, 29. Cassita nidulatur in segetibus. ℙ *Plin.* 11, 28, 34. Aliud *(insectorum)* genus, qui e fimo ingentes pilas aversis pedibus volutant, parvosque in iis contra rigorem hiemis vermiculos fetus sui nidulantur, *h. e.* in nido fovent, vel excubando excludunt.

NĪDŪLUS, i, m. dimin. νεοττίδιον, parvus nidus. *Gell.* 2, 29. De aviculae nidulo lepide atque jucunde praemonet. *Cic. Or.* 1, 44. Ithacam illam, in asperrimis saxulis, tanquam nidulum, affixam. ℙ Translate de domicilio. *Plin. ep.* 6, 10. Hunc incolere secessum, atque etiam senectutis suae nidulum vocare consueverat. V. v. sq.

NĪDUS, i, m. καλιὰ, avium domicilium. *Quint.* 2, 16. *med.* Texere nidum. *Cic. Or.* 2, 6. Quemadmodum volucres videmus procreationis, atque utilitatis suae causa fingere et construere nidos. *Virg. G.* 4, 307. nidum tignis suspendit hirundo. *Ov. Met.* 8, 257. Nec facit in ramis, altoque cacumine nidos. *Plin.* 10, 33, 49. Nidum intexere; et *ib.* confingere. *Tac. A.* 6, 28. struere. *Hor. Od.* 4, 12, 5. ponere. *Ov. Met.* 11, 746. Incubat alcyone pendentibus aequore nidis. ℙ Per metonymiam accipitur pro fetu avium, quasi continens pro contento. *Virg. A.* 12, 475. Pabula parva legens, nidisque loquacibus escas. Adde *G.* 4, 17. *Sen. Herc. Fur.* 148. Nidi queruli. *Colum.* 7, 9. *f.* Et in cubili suam quisque matrem nidus exspectat. Ubi de scrofae fetu loquitur. ℙ Translate *nidi* dicuntur loculi, in quibus libri in tabernis servantur, οἰκίσκοι. *Mart.* 1, 118. De primo dabit alterove nido Rasum pumice, purpuraque cultum. *Id.* 7, 17. Hos nido licet inseras vel imo Septem, quos tibi mittimus, libellos. ℙ Et de quovis cujusque domicilio. *Hor. Ep.* 1, 10, 6. Tu nidum servas, ego laudo ruris amoeni Rivos. *Id. Od.* 3, 4, 14. celsae nidum Acherontiae, *h. e.* Acherontiam oppidum in edito monte situm, tanquam nidum altis saxis affixum, ut de Ithaca dixit *Cic. Or.* 1, 44. V. v. praec. ℙ Pro poculo nidi figura, *Varr.* ap. *Non.* 2, 22. et 588. Cape hanc caducam Liberi mollem dapem De fronde Bromiae autumnitatis uvidam, Quam, lympha melius e lacuna fontium Allata, nido potili permisceat. ℙ *Majores pennas nido extendisse*, proverb. ap. *Hor. Ep.* 1, 20, 21. de iis dictum, qui supra fortunam, et genus suum se extulerunt: quod si bonis artibus fiat, laudabile est. Simili sententia Itali dicunt *distendersi più, che'l lenzuol non è lungo.*

*NĪGELLA, ae, Italiae fluvius, fortasse i. q. Nicias. *Tab. Peut. B. A.*

[NĪGELLĬO, onis, m. dimin. nigelli. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 310, 7. L. Sextius L. F. Nigellio. *F.*]

NĪGELLUS, a, um, adj. dimin. nigri. *Varr.* ap. *Non.* 16, 14. Propinquae adolescentulae etiam anthracinis, proximae amiculo nigello, capillo demisso sequerentur. *Id. ib.* 6, 43. Oculi suppaetuli nigellis pupulis. *Pall.* 3, 25. *med.* Nigella vina. *Auson. ep.* 4, 74. Cadmi nigellas filias, *h. e.* litteras. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 226, 8. L. Aimilius L. F. Nigellus. Alia ap. *Fabr.* p. 4. *n.* XX. Plaetoria T. L. Nigella. *F.*]

NĪGER, gra, grum, adj. μέλας, μέλαινα, μέλαν, qui coloris est albo contrarii, pullus, ater, fuscus, obscurus. *Jul. Scal.* ducit a νεκρὸς, mortuus, quia mortui nigri sunt, et niger color proprius est mortuorum, et Manium. [**Martinius* contractum esse vult ex *nubiger*; quod ut minus probandum negans *Doederl.* 3, 196. docet, *niger* cognatum esse cum *nox*, *νύξ*, *nubes*, *nimbus*, *nidor.* De discrimine inter *niger* et *ater* dictum est in h. v. Simili fere modo, quo *ater*, differt etiam *pullus.* V. *Doederl.* 3, 207.] *Ov. Met.* 4, 438. nigri fera regia Ditis. *Virg. G.* 4, 547. Et nigram mactabis ovem, *scil.* inferiis mittendis. *Hor. Od.* 4, 12, 26. Nigrorumque memor, dum licet, ignium, *h. e.* rogi, et mortis. *Tibull.* 3, 5, 5. At mihi Persephone nigram denunciat horam. *Prop.* 2, 19, 19. At me non aetas mutabit tota Sibyllae, Non labor Alcidae, non niger ille dies. *Id.* 4, 11, 2. Panditur ad nullas janua nigra preces. *Sen. Herc. Oet.* 1705. Juppiter niger, *h. e.* Pluto. ℙ De colore in universum haec habeto. *Cic. Div.* 2, 3. Nescio, qui ille divinus, si oculis captus sit, possit, quae alba sint, quae nigra, dicere. *Virg. Ecl.* 2, 16. Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses; et *G.* 4, 468. Et caligantem nigra formidine lucum. *Hor. Od.* 1, 21, 7. nigrae silvae. *Id. ib.* 4, 12, 11. Nigrae colles Arcadiae, *h. e.* silvis frequentis. *Virg. Ecl.* 6, 54. Ilice sub nigra; et *G.* 2, 258. nigrae hederae. *Ov. A. Am.* 3, 690. nigra myrtus. *Id. Met.* 15, 187. nox. *Id. Her.* 18, 7. coelum pice nigrius, et freta ventis Turbida. *Id. Met.* 10, 449. nigrae nubes. *Lucret.* 4, 341. umbrae. *Stat. Silv.* 4, 4, 62. nigrae litora Thules, *h. e.* caligantis, obscurae. *Virg. G.* 3, 278. nigerrimus Auster Nascitur, et pluvio contristat frigore coelum; et *ib.* 4, 126. niger fluvius, *h. e.* profundus, quia tales nigri apparent. *Hor. Od.* 3, 27, 23. Aequoris nigri fremitus. *Mart.* 8, 56. nigra Falerna. *Juven.* 1, 71. Per famam et populum nigros efferre maritos, *h. e.* colore luridos, quia veneno sublati. Sic *Propert.* 2, 20, 68. Pocula nigra, *h. e.* venenata. Tetra venena dixit *Id. ib.* 13, 70., lurida aconita *Ov. Met.* 1, 147. ℙ *Nigrum* absolute, nigra nota. *Ov. A. Am.* 1, 291. de tauro: Signatus tenui media inter cornua nigro. ℙ Translate est malus, improbus, dolosus, duplex, vafer. *Cic. Caecin.* 10. Argentarius Sex. Clodius, cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus.

(V. *Ter. Ph. a* 2. *sc.* 2. et 3.) *Hor. Sat.* 1, 4, 81. absentem qui rodit amicum; Qui non defendit, alio culpante; solutos Qui captat risus hominum, famamque dicacis; Fingere qui non visa potest; commissa tacere Qui nequit, hic niger est: hunc tu, Romane, caveto. ℙ *Nigra in candida vertere* proverbio dicitur, qui recta prava facit, ut *Ter. Ph.* loquitur 5, 2, 6., et vitia ipsa obtegit simulatione virtutis. *Juven.* 3, 29. Cedamus patria: vivant Arturius istic, Et Catulus: maneant, qui nigra in candida vertunt. *Ov. Met.* 11, 312. Alipedis de stirpe Dei versuta propago Nascitur Autolycus, furtum ingeniosus ad omne, Qui facere adsuerat, patriae non degener artis, Candida de nigris, et de candentibus atra. ℙ *Sen. Hippol.* 493. niger livor. ℙ *Niger* pro infausto, ominoso. *Hor. Sat.* 1, 9, 72. hunccine solem Tam nigrum surrexe mihi? *Propert.* 2, 21, 38. Nigraque funestum concinit omen avis. Hinc *niger lapis* ap. *Fest.* locus in comitio, ubi Romulus occisus, et Faustulus nutricius ejus sepultus, vel Quintilius quidam, qui a Romulo steterat. ℙ Pro moesto, tristi, in luctu jacenti. *Stat. Silv.* 5, 1, 18. Sed cum plaga recens, et adhuc in vulnere primo Nigra domus questu, etc. *Val. Fl.* 3, 404. arvaque nigro Vasta metu. ℙ Est etiam cogn. R., ut Q. Pomponius Niger ap. *Hirt. B. Hisp.* 6. ℙ *Nigrai* pro *nigrae* more suo dixit *Lucret.* 4, 538. nigrai noctis ad umbram. ℙ *Niger; mons Africae. *Plin.* 5, 5. ℙ *Niger pullus*, locus in Gallia Belgica. *Tab. Peut.* ℙ Fuit et Niger cogn. Rom., ut Aquilius Niger, de quo *Suet. Aug.* 11. Pontium Nigrum meminit *Id. Tib.* 73. ed. *Graev.*, ubi ed. *Ernest.* habet *Pontius Nigrinus. Trebius Niger.* V. *Trebius. B. A.*

NĪGIDIĀNUS, a, um, adj. ad Nigidium pertinens, ut Nigidiani libri. *Gell.* 18, 4. *f.* Nigidianae commentationes. *Id.* 19, 14.

NĪGĬDĬUS, ii, m. fuit nomen P. Nigidii Figuli, philosophi Pythagorici, qui floruit Romae, Caesaris, et Ciceronis tempore. Multa scripsit praesertim de re grammatica, ut testatur *Gellius*, qui proinde saepe de eo mentionem facit, ut 19, 14. Aetas M. Ciceronis, et C. Caesaris praestanti facundia viros paucos habuit: doctrinarum autem multiformium, variarumque artium, quibus humanitas erudita est, columina habuit M. Varronem, et P. Nigidium; et 4, 9. Nigidius Figulus, homo, ut ego arbitror, juxta M. Varronem doctissimus; et 6, 6. Nigidius Figulus in libro primo augurii privati dicit, etc. V. FIGULUS.

NĪGĪNĀ, ae, f. herba tribus foliis longis intubaceis, quae illita cicatrices ad colorem reducit. *Plin.* 27, 12, 82.

NIGRANS, antis, part. a *nigro:* idem quod fuscus, niger. *Varr. R. R.* 2, 5. et *Colum.* 6, 1. Nigrantia boum cornua. *Colum.* 8, 2. *med.* de gallinaceis maribus: Ravidi, vel nigrantes oculi. *Virg. A.* 5, 97. nigrantes terga juvenci. *Lucr.* 2, 792. Nigrans color. *Sil.* 9, 225. Corpora ab immodico servans nigrantia Phoebo. *Ov. Met.* 2, 535. Corvus nigrantes versus in alas. *Stat. Th.* 12, 254. nigrantes laxabant astra tenebras. *Prop.* 3, 10, 33. Nigrantesque domos animarum intrasse silentum. *Sil.* 17, 258. nigrante profundo, *h. e.* mari. *Val. Fl.* 1, 13. Solymo nigrantem pulvere fratrem, *h. e.* pulvere conspersum et sordidatum. (Sic *Hor. Od.* 1, 6, 14. pulvere Troico Nigrum Merionem.) *Val. Fl.* 4, 697. nigrantia litora, *h. e.* quae sunt ad promontorium, quod *nigrum* vocatur, silva et arboribus umbrosum. *Virg. A.* 8, 353. Credunt se vidisse Jovem, cum saepe nigrantem Aegida concuteret dextra, nimbosque cieret, *h. e.* nubes, et tempestates commoventem.

NIGRĀTUS, a, um, part. a *nigro:* niger factus. Translate *Tert. adv. Marc.* 4, 8. Nigrati ignorantiae tenebris.

NIGRĔDO, inis, f. *μελανία*, color niger, nigrities. *Appul. Met.* 2. Capilli corvina nigredine caerulos columbarum colli flosculos aemulantur. *Capell.* 2, 35. Libri sacra nigredine colorati.

*NIGREFACIO, is, a. 3. *μελανοποιῶ*, nigrum facio. *Onomast.* Nigrefacio, *μελαίνω. B. A.*

*NIGREFIO, is, *μελανοποιοῦμαι*, nigresco. *Octav. Hor.* 1, 5. Quamdiu oleum pinguescat et nigrefiat. *B. A.*

NIGRĔO, es, grui, n. 2. niger sum, vel fio, *μελαίνομαι. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 582. Solis exortu capessit splendorem, occasu nigret. *Accius ib.* Nimbis interdum nigret. *Colum.* 12, 48. Baccae cum jam nigruerint, nec adhuc tamen permaturae fuerint.

NIGRESCO, is, n. 3. *μελαίνομαι*, niger, vel obscurus fio. *Virg. A.* 4, 454. latices nigrescere sacros, Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem; et *ib.* 11, 824. tenebris nigrescunt omnia circum. *Ov. A. Am.* 3, 503. Ora tument ita: nigrescunt sanguine venae. *Plin.* 15, 1, 2. Bacca incipiens nigrescere. *Id.* 26, 1, 5. Nigrescens cutis. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 4. Nigrescentes dentes.

NIGRĬĀNUS, a, um, adj. ita appellatus, quicumque C. Pescennii Nigri partibus contra Septimium Severum favebat. *Tert. ad Scap.* 2.

NIGRICANS, antis, part. a *nigrico: μελανίζων*, ad nigrum colorem accedens, nigrescens, nigrans. *Plin.* 9, 38, 62. Tyrius color nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens. *Id.* 36, 26, 66. Massae colore pingui nigricantes.

[NIGRĪCO, as, n. 1. nigreo. *Plin.* 37, 10, 58. Epimelas fit, cum candida gemma superne nigricat colos. *Not. Tir.* p. 128. Niger, nigricat, nigrescit, nigridius. ℙ Part. *Nigricans* V. in v. praec.

NIGRĪCŌLOR, oris, comm. gen. nigrum colorem habens. *Solin.* 2. *f.* Nigricolor facies.

NIGRĪDĬUS, a, um, adj. nígricans. V. NIGRICO.

NIGRĪFĪCO, as, a. 1. ut Nigrificare dentes ap. *Marcell. Empir.* 35. *med.*

[NIGRĪNUS, a, um, adj. ad nigrum pertinens. Est cogn. R., ut C. Pontius Nigrinus, consul. ann. U. C. DCCXC. ap. *Suet. Tib.* 73. et in *Inscr.* ap. *Grut.* 430, 3. Porcia C. F. Nigrina. *F.*]

*NIGRIS, is, Libyae interioris fluvius, Africam ab Aethiopiae disterminans, ejusdem cum Nilo naturae, calamum enim et papyrum, ejusdemque gignit animantes, et iisdem temporibus augescit. Haec *Plin.* 5, 4 et 8. ℙ *Ptolemaeo* est *ὁ Νίγειρ*, *Agathemero ὁ Νίγιρ*. Hodie, ut geographiae recentiori placet, *Ioliba* appellatur, ab occidente orientem versus fluens. Nequit ergo is esse fluvius, quem hodie *the Niger* vocant. *B. A.* ℙ Hinc

[NIGRĪTAE, arum, m. plur. pop. habitantes ad Nigrim fl. *Plin.* 5, 8, 8. et *Mela* 1, 4. *F.*]

NIGRĪTIA, ae, f. et

NIGRĪTIES, ei, f. et

NIGRĪTŪDO, inis, f. *μελανία*, nigror, nigredo. *Plin.* 9, 38, 62. de purpura: Buccinum pelagio admodum alligatur, nimiaeque ejus nigritiae dat austeritatem illam nitoremque, qui quaeritur, cocci. *Id.* 29, 6, 34. Corvi ovum nigritiam capilli affert. *Cels.* 8, 2. *med.* Sin autem nigrities est, aut si caries ad alteram partem ossis transit, etc. *Plin.* 10, 36, 52. Nulla apparet nigritudo in rostro.

NIGRO, as, avi, atum, n. 1. nigresco, niger sum. *Lucr.* 2, 732. ne forte haec albis ex alba rearis Principiis esse, ante oculos quae candida cernis; Aut ea, quae nigrant, nigro de semine nata. V. NIGRANS. ℙ Active pro nigrum facere, seu lividum. *Stat. Silv.* 2, 6, 83. non saevius atros Nigrasset planctu genitris sibi saeva lacertos.

*NIGROE (disyllab.), *Νίγροι*, populi Africae. *Plin.* 6, 30. ℙ *Hard.* censet, eundem populum esse qui et *Nigritae* audiunt: minus probabiliter. *B. A.*

NIGROR, oris, m. idem ac nigredo. *Cic. Div.* 1, 14. et *Or.* 3, 39. *ex Pacuv.* Noctisque, et nimbum occaecat nigror. *Cels.* 2, 1. *med.* Nigrorem in ulceribus excitat. *Lucr.* 3, 39. Omnia suffundens mortis nigrore. *Gell.* 2, 26. *med.* Rubidus est rufus, atrore et nigrore multo mixtus. *Lucil.* ap. *Non.* 11, 46. nigror noctis.

NIHIL, n. indecl. *οὐδὲν*, idem quod *nihilum*, a quo per apocopen factum est. *Cic. Sen.* 6. Nihil ergo agebat Q. Maximus? nihil L. Paulus? ceteri senes nihil agebant? *Id. Off.* 1, 42. Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius; [*Agit de v. *nihil* per anaphoram repetita *Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 198. *a.*] et *Q. Fr.* 3, 9. De Gabinio nihil fuit faciendum istorum, quae cogitata sunt; et *ib.* 8. Aliud hoc tempore de republ. nihil loquebantur; et *ad Quirit.* 5. Kal. Jan. consul nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agendum judicavit. *Nep. Alc.* 1. Nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis, vel in virtutibus, *h. e.* neminem; [**Nihil* de personis dictum non insolens est. V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 47, 1. nihil amplius scire quam legatos, i. e. se, praeterquam quod legatos sciat conjurationis participes esse, nullum plane ex conjuratis nosse: ita recte hunc locum expl. *Herzog. Kritz.* haec laudat: *Cic. Fam.* 4, 4. *med.* victor, quo nihil erat moderatius. *Id. ib.* 14, 3. *extr.* ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil fuisse. Adde *Part. Or.* 17. Nihil est tam miserabile, quam ex beato miser. *Tac. H.* 1, 79. Nihil tam ignavum, i. e. neminem: plura v. ap. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 203. II. p. 956. sq.] *Nep. Milt.* 5. Qua pugna nihil adhuc est nobilius, *h. e.* nulla pugna. *Liv.* 41, 20. Rhodiis ut nihil unum insigne, ita omnis generis dona dedit, *h. e.* nullum donum. *Cic. Or.* 1, 30. Sine studio nihil quicquam egregium nemo unquam assequetur. ℙ Absolute, et quasi adverbialiter, [*ut Graeci *οὐδὲν* pro *οὐ*. Tenendum autem *nihil*, ubi pro *non* positum videatur, nunquam propriam substantivi potestatem abjicere, sed vi accusativi, quem dicunt, Graeci illud significare, quo id, quod praedicatur, pertineat. V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 677. p. 520. sq. qui monet, *nihil* gravius negare quam *non*, quum sit germanice *in keiner Hinsicht.* Cf. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 2, 20. V. *Cort.* ad *Sall.* 1. mox 1., *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 1, 9, 30. et *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 1, 2, 31 et 33. qui laud. *Drak.* ad *Liv.* 22, 45, 5. et *Perizon.* ad *Sanct. Minerv.* 4, 4. *not.* 83.] *Cic. Leg.* 1, 2. In hoc genere Graeciae nihil cedimus, *h. e.* nulla in re. *Ter. Andr.* 4, 1, 14. illic, ubi nihil opus est, ibi verentur. *Cic. Agr.* 2, 23. Beneficio isto legis nihil utitur, *h. e.* nulla in re. [**Id. Fam.* 14, 1. De Q. Fratre nihil ego te accusavi. *Liv.* 42, 46. Thebani nihil moti sunt: quanquam nonnihil succensebant Romanis. — Ejusdem generis etiam sunt, quae Noster, nescio qua causa, inferius paulo ita laudaverat:] *Nihil* pro non omnino. *Liv.* 6, 38. Sic C. Licinius, et L. Sextius intercessioni collegarum cedunt, nihil patricium magistratum inseram concilio plebis. *Id.* 3, 65. Nihil magnopere ad patrum, aut plebis causam inclinati. *Cic. Phil.* 1, 6. Ut decernerentur supplicationes mortuo? nihil dico, cui. ℙ *Nihil* pro frustra. *Pl. Mil.* 4, 2, 16. hercle hanc quidem Nihil tu amassis: mihi haec desponsata est. ℙ Pro nulla de causa. *Cic. Leg.* 1, 1. *med.* Quorsum tandem, aut cur ista quaeris? *M.* nihil sane, nisi ne nimis diligenter anquiras, etc. [* — Etiam cum adjectivis. *Liv.* 4, 9. Nihil Romanae plebis similis; *Sall. Cat.* 16. Senatus nihil sane intentus.] *Stat. Th.* 9, 610. More nihil Grajo. [* — Imprimis ap. *Tac. nihil* intendit vim *non* particulae. Exempla v. in *Boettich. Lex. Tac.* p. 318.] ℙ Quamvis post *nihil* sequatur *nec*, non affirmat tamen. *Cic. Cluent.* 1. Nihil me nec subterfugere voluisse reticendo, nec obscurare dicendo. Pro *nec* posset subjici *aut*, eademque esset sententia: ut *Just.* 8, 2. *f.* Nihil sine majestate numinis ejus aut privatae unquam, aut publicae rei gesserant. ℙ *Nihil non*, omnia. *Cic. Brut.* 37. *f.* Nihil non ad rationem dirigebat; et *Nep. Att.* 19. Tanta prosperitas Caesarem est consecuta, ut nihil ei non tribueret fortuna. ℙ *Non nihil*, aliquid. *Cic. Fam.* 12, 2. Non nihil, ut in tantis malis, est profectum; et *ib.* 4, 14. Quo in periculo non nihil me consolatur, cum recordor, etc. Scribunt et conjunctim *nonnihil.* ℙ Cum genitivo. *Nep. Ann.* 13. Non nihil temporis tribuit litteris. *Cic. Att.* 8, 4. *f.* Nihil cognovi ingratius: in quo vitio nihil mali non inest. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 29, 17. *Vell.* 2, 117, 3. qui nihil praeter vocem membraque haberent hominum. ℙ Etiam cum genitivis adject. neut. secundae declinationis, substantivorum loco positis. Tertiae declinationis neutra adj., nisi aliud secundae declin. additum fuerit, pari tantummodo casu cum v. *nihil* conjungi solent. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 104. p. 304. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 433. p. 363. *Ter. Heaut.* 1, 1, 25. Homo sum; humani nihil a me alienum puto. *Cic. Fam.* 2, 14. Jam diu nihil novi ad nos afferebatur. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 2, 57, 3. *Cic. Fin.* 1, 17. Si nihil tale metuamus. ℙ Porro notandum, *nihil* etiam neutra adjectt. secundae declin. pari casu secum habere, cum alius casus additus sit, qui ab istis pendeat. *Zumpt.* l. modo l. *Cic. Or.* 1, 31. Nihil exspectatione vestra dignum dico.] ℙ *Nihil nisi*, *nihil aliud nisi*, aut *quam*, *praeter*, *praeterquam. Ter. Ad.* 3, 4, 30. Tu, quantus quantus, nihil nisi sapientia es. *Cic. Amic.* 27. Amare nihil aliud est, nisi eum ipsum diligere, quem ames; et *Rosc. Am.* 37. *med.* Si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt; et *Q. Fr.* 2, 10. Nihil aliud dicam, nisi verebor, nequando, etc.; et *Manil.* 22. Ut nihil aliud, quam de hoste cogitet. *Id. Fam.* 4, 7. Nihil tibi deest praeter voluntatem. *Id. Har. resp.* 19. Nihil ut a patris virtute, praeterquam quod a senatu desciverat, deflexisset. *Hirt. B. Alex.* 8. Qui nihil, praeterquam de vita, cogitarent. Sic *Suet. Galb.* 19. Nihil amplius, quam continere se, statuit. *Appul. Met.* 6. Nihil ergo superest, quam edicere. ℙ In his aliquando ellipsis est commoda. *Liv.* 3, 26. *extr.* Illa quidem nocte nihil praeterquam vigilatum est in urbe; et *Suet. Aug.* 83. Mox nihil aliud quam vectabatur, et deambulabat. [*V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 771. p. 570. sq. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 205. p. 984. Cf. etiam quae dicta sunt s. v. *facio.* — Notanda hic etiam alia dicendi formula, *nihil per*, intell. *agere* vel *actum.* Quam ap. *Tac. Agr.* 19. Nihil per libertos servos publicae rei, etc. varie tentatam frustraque emendatam *Walch.* egregie firmavit exemplo praeter multa alia, imprimis hoc posito: *Cic. Phil.* 1, 2. Ecce enim Calendis Juniis, quibus ut adessemus edixerat, mutata omnia Nihil per Senatum, multa et magna per populum, et absente populo et invito.] ℙ Post *nihil* sequitur etiam *quin*, *quominus.* [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 180. p. 749.] *Cic. Phil.* 2, 10. Nihil praetermisi, quantum facere enitique potui, quin Pompejum a Caesaris conjunctione avocarem. *Liv.* 3, 54. Nihil moror, quominus decemviratu abeam. *Cels.* 3. *f.* Nihil facere oportet, quominus, quidquid est puris, exeat. ℙ *Nihil est quod*, *cur*, *quamobrem*, nulla est causa, cur, etc. *Cic. Q. Fr.* 3, 8. Superiori epistolae quod respondeam, nihil est; et *Fam.* 9, 26. *extr.* Nihil est, quod adventum nostrum extimescas; et *ib.* 6, 20. Nihil est cur advenientibus te offerre gestias. *Id. Cluent.* 26. Nihil excogitem, quamobrem Oppianico damnari necesse sit? *Id. Dom.* 32. Nihil poterat dicere, quare rata non essent. [*V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 562. p. 450. et *Ramsh. Gr. Lat.* §. 177. p. 737. ℙ Eodem sensu dicitur etiam *nihil est*, *ut. Cic. Off.* 1, 37. Nihil fuit in Catulis, ut eos exquisito judi-

cio putares uti literarum, ubi v. *Beier.* ℙ *Nihil est*, non interrogandi formula, sed ad sequentia pertinet hac fere sententia: nugae sunt, frustra causas nectis. Ita *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 6. incipe: nil est: (*Voss. Es will nicht? Wieland. Es will nicht gehen?*) *Heindf.* laudat *Pl. Truc.* 4, 3, 76. At ego ab hac puerum reposcam, ne mox infitias eat. Nihil est. Nam ipsa haec ultro, ut factum est, fecit omnem rem palam. — Legitur etiam conjunctum cum sequentibus: *Pl. Capt.* 2, 2, 94. At nihil est, ignotum ad illum mittere: operam luseris. Cf. *Ter. Heaut.* 4, 2, 5. et *Hor. Sat.* 2, 5, 116.] ℙ *Nihil ad me*, subaudi *pertinet*, aut *facit. Cic. Pis.* 28. Recte, an secus, nihil ad nos: aut *si* ad nos, nihil ad hoc tempus. *Ter. Andr.* 1, 2, 16. quod antehac fecit, nihil ad me attinet. ℙ *Nihil minus*, negat vehementius. *Cic. Off.* 3, 20. *f.* Cadit ergo in virum bonum, mentiri, fallere? nihil minus. [*Beier.* ad h. l. hanc dicendi formulam cum ellipsi e praecedd. supplenda positam dicit, ita ut *nihil profecto minus* idem sit, ac si *Cic.* scripserit: nihil prof. minus, quam hoc, cadit in virum bonum, i. e. nihil magis abhorret a specie, forma et notione viri boni. *Id. Font.* 11. An Gallos existimatis hic versari animo demisso atque humili? Nihil vero minus. — *Nihil minus* pro *nihilo minus*, etc. v. in *nihilum.*] ℙ *Nihil dum*, et *nihildum*, nihil adhuc, nondum quidquam. *Cic. Fam.* 12, 7. Quamquam nihil dum audieramus, nec ubi esses, nec, etc. Adde *Att.* 9, 2. et *Cat.* 3, 3. ℙ Nihil mihi cum illo est. [**ich habe nichts mit ihm zu schaffen.*] *Ov. Fast.* 2, 308. Nil mihi vobiscum est. *Ter. Phorm.* 2, 3, 74. tecum nihil rei nobis, Demipho, est. ℙ *Nihil es*, nihil potes, nihil vales. [*Gr. οὐδεὶς εἰμι, οὐδὲν εἰμι, τὸ μηδὲν εἰμι. V. *Doederl.* 1, 58. sq.] *Cic. Fam.* 7, 27. Haec tibi scripsi, ut isto ipso in genere, in quo aliquid posse vis, te nihil esse cognosceres; et *ib.* 33. Nos plane aut nihil sumus, aut nobis quidem ipsis displicemus. *Id. Div. Verr.* 14. *extr.* Sin mecum in hac prolusione nihil fueris, quem te in ipsa pugna cum acerrimo adversario fore putemus? et *ib.* 15. Esto: nihil est, nihil potest: at venit paratus, etc. [*De synon. dictionum *nihil esse* et *nequam esse*, item, quid differant, v. notata ad v. *nequam.* — *Nullus esse* et *nihil esse* ita discrepant, ut hoc signif. *nullius momenti*, *nullius pretii esse*; illud pro *non existere*, *non adesse*, *non amplius inter vivos versari* accipiatur. ℙ *Nihil agere* legitima formula est de inani opera. *Cic. Tusc.* 2, 25. §. 61. Nihil agis dolor! quamvis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum. *Id. Rosc. Am.* 45. *Ter. Ad.* 5, 8, 12. *Prop.* 2, 23, 69. *Lucan.* 7, 809. *Hor. Sat.* 1, 9, 15. *Vell.* 2, 66, 3. *Nihil agere autem* ap. *Cic. Off.* 2, 1, 4. signif. *plane cessare.* Quidam transponunt: *Nihil autem agere:* quod foret, *inanem operam sumere.* Ita *Beier.* ad h. l. coll. *Gesn. Thes.* 3. p. 438, 36. sqq.] ℙ *Nihil* pro *aliquid. Ulp. Dig.* 39, 2, 24. Cum, nemine nihil faciente, locus ipse damnum inferat sui natura. *Petr. fragm. Trag.* 42. *Burm.* Neminem nihil boni facere oportet. ℙ Primam produxisse videtur *Lucr.* 1, 647. Nihil prodesset calidum denserier ignem. Nisi dicas, iambum pro spondeo posuisse: aut legas cum aliis: *Nil prodesset enim calidum*, etc. V. NIHILUM.

NIHIL DUM. V. v. praec.

NIHILI. V. NIHILUM.

*NIHILO, onis, m. nihili homo, sive nulla re aestimandus. *Vet. Gloss.* οὐδαμινὸς, Nihilo, nugatorius, gerra. Cf. *Arbitrio. B. A.*

NIHILOMINUS. V. v. sq.

NIHILUM, i, n. *οὐδὲν*, nulla res, nihil, nil: quasi *ne hilum.* V. HILUM. *Lucr.* 1, 265. docui, nil posse creari De nihilo, neque item genita ad nihilum revocari. *Cic. Div.* 2, 16. Erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat. *Id. Fat.* 9. Ut de nihilo quippiam fiat. *Pers.* 3, 83. gigni De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti. In *quadam lege Sullae* ap. *Cic. Caecin.* 33. Si quid jus non esset rogari, ejus ea lege nihilum rogatum. *Cic. Acad.* 1, 7. Interire in nihilum. *Lucr.* 1, 790. redigi ad nihilum. *Cic. Fam.* 11, 12. venire. *Id. Phil.* 7, 8. recidere. *Hor. Sat.* 2, 3, 53. nihilum metuenda timere. *Cic. Marcell.* 9. Pro nihilo esse. *Id. Att.* 14, 9. Dii immortales, quam mihi ista pro nihilo! (*h. e.* videntur, ut *Id. Fin.* 2, 13. *med.* loquitur.) et *Div. Verr.* 7. *extr.* Contemnere aliquid, ac pro nihilo putare; et *ib.* 2, 2, 16. Pro nihilo ducere. *Liv.* 33, 46. habere. *Cic. Phil.* 2, 23. Quoniam condemnatum esse, pro nihilo est. ℙ *Nihili* absolute, nullius pretii, cum verbis aestimandi. *Varr. L. L.* 9, 5. Quem putamus esse non hili, dicimus nihili; et *ib.* 8, 36. *f.* Dicimus enim, hic homo nihili, et hujus hominis nihili, et hunc hominem nihili. *Pl. Cas.* 2, 3, 29. Unde is nihili? ubi fuisti? *Id. Ps.* 4, 7, 1. nequam est homo, qui nihili imperium heri Sui servus facit: nihili est autem, suum Qui officium facere immemor est. *Ter. Andr.* 3, 5, 6. Pater nihili pendit. [*V. quae dicta sunt ad *f.* vocis *nihil.*] ℙ *Homo nihili factus* dicitur a *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 16. qui castratus est. ℙ *Nihilo aestimare* pro *nihili. Cic. Fin.* 4, 23. Non quia sit bonum valere, sed quia sit non nihilo aestimandum. *Lambin.* leg. *nihili.* [*V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 445. p. 371.] ℙ *De nihilo*, sine causa. *Pl. Curc.* 4, 1, 17. Qui alteri de nihilo audacter dicunt contumeliam. *Liv.* 34, 61. *med.* Mali rem exempli esse, de nihilo hospites corripi. ℙ *Non de nihilo*, non sine causa. *Liv.* 39, 29. Maxime hostis fiducia, quae non de nihilo profecto concepta est, perculsus; et *Ter. Hec.* 5, 1, 1. Non hoc de nihilo est, quod Laches me nunc conventam esse expetit. *Prop.* 3, 16, 52. Nec sic de nihilo fulminis ira cadit. ℙ *Nihilo* cum comparat. *Cic. Fam.* 3, 12. *f.* Benevolentior tibi, quam fui, nihilo sum factus; et *ib.* 6, 3. Nihilo te nunc majore in discrimine esse; et *ib.* nihilo magis. *Ter. Eun.* 1, 1, 17. nihilo plus. *Id. Andr.* 3, 2, 27. secius. *Caes. B. G.* 5, 4 et 7. tamen secius. *Liv.* 6, 38. *med.* segnius. [*De discrimine inter *nihilo segnius* et *nihilo secius* ita disputat *Brem.* ad *Nep. Dat.* 2, 5. ut illud fortius, gravius significet assiduitatem, sedulitatem, diligentiam, qua quis in opere perficiendo pergat.] *Pl. Bacch.* 3, 4, 21. pluris, quam si, etc. *Ter. Phorm.* 3, 3, 1. unde ego argentum inveniam miser, Cui minus nihilo est? *Pl. Men.* 5, 5, 49. quot homines sunt satis? *Med.* quatuor: nihilo minus. ℙ *Nihilo minus*, et copulatis vocibus *nihilominus*, aeque, non minus, tamen, *οὐδὲν ἧττον. Cic. Off.* 1, 21. *med.* Capessentibus rempubl. nihilo minus quam philosophis, haud scio an magis etiam et magnificentia, et despicientia adhibenda sit rerum humanarum. *Plin. ep.* 7, 27. *med.* Percontatus, omnia docetur: ac nihilo minus, immo tanto magis conducit. *Cic. ad Pompej.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att. med.* Neque enim eos solos arbitrabamur capi, qui, etc. sed eos nihilo minus, qui, etc. *Id. Mil.* 7. *f.* Minus dolendum fuit, re non perfecta, sed puniendum certe nihilominus. *Ter. Phorm.* 4, 2, 7. Ubi Phaedriae se ostenderet nihilo minus Amicum esse, quam Antiphoni. *Lucr.* 3, 96. Primum animum dico, mentem quam saepe vocamus, Esse hominis partem nihilo minus, ac manus et pes. *Cic. Fam.* 13, 15. Ait posse eundem *ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω* videre, et tamen nihilominus *Αἴαν ἀριστεύειν*, etc. *Caes. B. C.* 3, 17. Nihilominus tamen agi posse de compositione, ut haec non remitterentur. Sic *Cic. Fam.* 10, 2. In iis rebus, quae nihilo minus, ut ego absim, confici possunt. *Id. Inv.* 1, 4. Nihilo minus eloquentiae studendum est, etsi ea quidam perverse abutuntur. [*Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 9., ubi pro *nihilo plus F. Heusing. nihil plus* e plerisque libris recepit, docet, se non credere, *nihil minus*, *nihil plus* pro *nihilo minus*, cet. ne latinum quidem esse. Graecis certe familiare, accusativum mensurae comparativis addere. V., quos laudat, *Math. Gr. Gr.* §. 424, l. 455. n. 3. et de Atticismo *οὐδὲν μᾶλλον* et, quod paulo alia vi usurpatur, *οὐδέν τι μᾶλλον Fisch.* in *Ind.* l. ad *Aesch. Socr. dialogg.* s. v.; item *Koen.* et *Schaef.* ad *Greg. Corinth.* p. 60.] ℙ Omisso *minus*, *Pl. Most.* 1, 3, 43. Nihilo ego, quam nunc tu, amata sum. ℙ *Nihilo aliter*, nihil dissimiliter. *Ter. Phorm.* 3, 2, 45. ego isti nihilo sum aliter, ac sui. ℙ *Nihilum*, et *nihil* a *Lucr.* saepe contrahuntur (ut *vehemens* ab *eod.* 3, 153. et a *Catull.* 50, 21.) ut 1, 205. Nihil igitur fieri de nihilo posse, fatendum est. Adde *ib.* 160. 237. 265. 544. et alibi. Sic *Hor. Sat.* 1, 5, 67. Nihilo deterius dominae jus esse rogabat. Quibus locis alii *nil* pro *nihil* (quod usitatum est) et *nilum* pro *nihilum* (quod minus placet) reposuerunt. V. *Voss. de Gramm.* 2, 18. *f.*

NIL, *οὐδὲν*, idem quod *nihil*, et ab eo factum per sync. *Nep. Thras.* 2. *f.* Nil attigit nisi arma, quibus indigebat. Al. leg. *nihil. Hirt. B. Afr.* 57. Nil attinere, eum cum adversariis colloqui. *Caes. B. G.* 5, 29. Si nil sit durius. Al. leg. *nihil. Hor. Ep.* 2, 1, 31. Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri. *Id. Od.* 1, 14, 14. Nil pictis timidus navita puppibus Fidit. *Id. ib.* 4, 4, 73. Nil Claudiae non perficient manus. *Petr. Sat.* 34. Heu heu nos miseros! quam totus homuncio nil est! *Lucr.* 5, 264. Nil opus est verbis. Al. leg. *nihil.* V. dicta in NIHILUM. ℙ Tam nil. *Pers.* 1, 122. Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo Iliade. [*De forma *nil* disputat *Beier.* ad *Cic. fragm.* p. 84. b.]

[NILEUS, ei, m. disyll. unus fuit ex Persei inimicis. *Ov. Met.* 5, 187. At Nileus, qui se genitum septemplice Nilo Ementitus erat, clypeo quoque flumina septem Argento partim, partim caelaverat auro, Adspice, ait, Perseu, nostrae primordia gentis. *F.*]

NILIACUS, a, um, adj. ad Nilum pertinens. *Lucan.* 10, 192. spes sit mihi certa videndi Niliacos fontes; et 9, 1023. Niliacus gurges. *Mart.* 3, 93. Niliacus crocodilus, quem *Id.* 5, 65. Niliacam feram vocat. *Id.* 13, 57. Niliacum olus, *h. e.* colocasia, quam e Nilo metunt, caule, cum cocta est, araneoso in mandendo, ut est ap. *Plin.* 21, 15, 51. ℙ Item Aegyptius. *Ov. A. Am.* 3, 318. Niliacis carmina lusa modis. *Lucan.* 8, 281. Niliacus tyrannus. *Juven.* 1, 26. Niliaca plebs. *Mart.* 14, 150. victa est Pectine Niliaco jam Babylonis acus. *Lucan.* 10, 80. Tempore Niliaco turpis dependit amori, *h. e.* Cleopatrae reginae Aegypti. *Stat. Th.* 3, 478. Niliacum pecus, *h. e.* bos Apis, Aegyptiorum Deus. *Mart.* 8, 81. Non per Niliacae bovem juvencae, *h. e.* Ius, seu Isidis Aegyptiorum Deae. ℙ *Niliaca serpens* ap. *Lucan.* 9, 816. est aspis: de qua *Ammian.* 22, 15. Magnitudine et decore aspis facile supereminens, nunquam sponte sua fluenta egreditur Nili. Verius tamen *Lucan. ib.* 704. Ipsa caloris egens gelidum non transit in orbem Sponte sua, Niloque tenus metitur arenas, *h. e.* intra Aegypti, et Africae fines se continet. ℙ *Niliacam lentem* laudat *Mart.* 13, 9., quam Pelusiacam dicit *Virg. G.* 1, 228. Meminit et *Gell.* 17, 8. Duo ejus genera in Aegypto nascentis memorat *Plin.* 18, 12, 30. ℙ Similiter Niliacum acetum *Id. Mart.* commendat 13, 122. Pharium cognominatum a *Juven.* 13, 85. V. ACETUM.

NILICOLA, ae, comm. gen. ad Nilum incolens, Aegyptius. *Prud.* in *Sym.* 2, 493. Isis Nilicolas, Rhodios Cytherea reliquit.

NILIGENA, ae, comm. gen. Nilo genitus, Aegyptius. *Macr. Sat.* 1, 16. *med.* Argutus Niligena, et gentis accola numerorum potentis. *Ov. A. Am.* 1, 77. Niligenae Memphitica sacrae juvencae, *h. e.* Isidis. Al. rectius leg. *linigerae.*

NILIOS, ii, f. *νείλιος*, gemma colorem habens umidae topazii, aut aliquando melleae. *Plin.* 37, 8, 25. India et has generat, et nilion fulgore hebeti et brevi, et cum intueare, fallaci.

[NILIS, idis, f. lacus inferioris Mauretaniae, non procul ab Oceano, quem Nili aquae stagnantes efficere credebantur. *Plin.* 5, 9, 10. *F.*]

NILOTICUS, a, um, adj. *Νειλωτικὸς*, Niliacus, ut Nilotica tellus, *Mart.* 6, 80. rura, *Lucan.* 9, 130. aqua, *Sen. Q. N.* 3, 25. *med.*

NILOTIS, idis, f. adj. *Νειλῶτις*, Aegyptia. *Mart.* 10, 6. picti tunica Nilotide Mauri. *Lucan.* 10, 142. Quod Nilotis acus percussum pectine, etc. *Sidon. ep.* 8, 12. Nilotidis aquae stagna.

NILUM, idem ac nihilum. *Lucr.* 1, 237. Haud igitur possunt ad nilum quaeque reverti. V. NIHILUM.

NILUS, i, m. *Νεῖλος*, fluvius maximus Africae, in Aethiopia et Aegypto. *Serv.* ad *G.* 4, 291. Nilum dici existimat, quasi *νέαν ἴλὺν*, hoc est, novum trahentem limum, quia sua inundatione in Aegypti agros novum infert lutum, et oblimando feraces reddit. [At *Jablonsk.* in *Panth. Aegypt.* 4, 1. p. 157. statuit, Nilum esse a voce Aegyptiaca *neialéi* ex duabus *nei* et *alei* composita, quae *stato-tempore ascendere* significant. *F.*] A poetis fingitur filius Oceani et Terrae, multosque filios genuisse, Minervam, Vulcanum, Dionysium, Mercurium quartum, Herculem. *Cic. N. D.* 3, 16, 22 et 23. ℙ Quotannis certis diebus, praecipue circa solstitium aestivum, auctu magno per totam spatiatus Aegyptum, terram pluviis omnibus destitutam aquis suis irrigat, limo tegit, et fecundissimam efficit. Unde unica spes Aegyptiis in Nilo posita est, quia fertilis, aut sterilis annus est, prout ille magnus, aut parcior influxit. V. *Cic. N. D.* 1, 52., *Vitr.* 8, 2., *Lucr.* 6, 712., *Lucan.* 10. a v. 199., *Sen. Q. N.* 4, 2. et *Plin.* 5, 9, 10. et 18, 18, 47., ubi de Nilo multa. ℙ Unde revera ortum habeat, quaeque causae incrementi ejus, veteribus ignotum fuit: qua de re V. *Sen. Q. N.* 6, 8. et *Lucan. c. l.* 10. ℙ In Aegyptium mare septem ostiis se exonerat: unde *Juven.* 13, 26. Rari quippe boni, vix sunt numero totidem, quot Thebarum portae, vel divitis ostia Nili. *Ov. Met.* 5, 187. genitus septemplice Nilo; et *ib.* 1, 422. Nilus septemfluus. *Phaedr.* 1, 25. Canes currentes bibere in Nilo flumine. ℙ *Nili* quoque apud veteres accipiuntur pro fossis, seu canalibus, quibus aqua in locum aliquem deducitur; cujus generis erant ii, qui aquam in privatas domos derivabant, et qui spectaculis circumdari solebant. *Cic. Q. Fr.* 3, 9. *f.* Imagines istae, et palaestra, et piscina, et nilus, multorum Philotimorum est, etc. *Id. Leg.* 2, 1. Ductus vero aquarum, quos isti nilos et euripos vocant, quis non, cum haec videat, irriserit? ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Murr.* 1562, 9. C. Terentius Nilus. *F.*]

NIMBATUS, a, um, adj. nimbo similis. *Pl. Poen.* 1, 2, 135. de meretrice: Quam magis adspecto, tam magis est nimbata, et nugae merae, *h. e.* ventosa et arrogans.

NIMBIFER, ra, rum, adj. *ὀμβροφόρος*, ferens nimbos. *Avien.* in *Arat.* 858. Inter nimbiferas nubes spectabilis exstet. *Ov. Pont.* 4, 8, 60. Ad styga nimbifero vindicis igne datos. Ita legit *Scal.* et *Heins.* ex MSS. Alii *nubifero.*

NIMBOSUS, a, um, adj. *ὀμβρώδης*, pluviosus, gravis nimbis, afferens nimbos. *Virg. A.* 1, 539. Fluctu nimbosus Orion. *Plin.* 18, 11, 29. campus est montibus subjacens nimbosis. *Ov. Pont.* 2, 3, 27. nimboso tumuerunt aequora vento. *Stat. Silv.* 1, 3, 89. nimbosa bruma. *Lucan.* 5, 631. nimbosus aer.

NIMBUS, i, m. *ὀμβρία*, pluvia repentina, praeceps, et brevior: in quo differt a *pluvia*, quae jugis est, et lentior. Ita *Serv.* ad *A.* 1, 55. et *Ap-*

pul. de Mundo, *med.* docent. [*Plura de discrimine vv. *nimbus*, *pluvia*, et *imber* v. in h. v. *Voss.* deducit *nimbus* a *nympha*; quam originationem ideo *Doederl.* 2, 88. ferri posse negat, quod *nympha* cum *lympha* nihil cognationis habeat. V. in h. v. Verius habet *Orig.* 13. p. 1146, 17. Nimbus est densitas nubis intempesta et obscura; et inde *nimbus* a *nube*; sive potius, interprete *Doederl.* l. l., a *nebula*, *νέφος*. Hinc ea exempla primam vocis significationem continere atque ab initio poni debere videntur, in quibus *nimbus* est vapor densatus in aere et obumbrans. V. quae *Doederl.* in suam hanc sententiam plura laudat *l. c.* Quid *nimbus*, *nubes*, *nubila* discrepent, v. in *hh. vv.*] *Virg. A.* 4, 120. nigrans commixta grandine nimbus. *Cic. N. D.* 2, 5. Terrere animos fulminibus, tempestatibus, nimbis, nivibus, grandinibus. *Liv.* 1, 16. Subito coorta tempestas cum magno fragore tonitribusque, tam denso regem operuit nimbo, ut conspectum ejus concioni abstulerit. *Lucr.* 3, 19. Quas neque concutiunt venti, nec nubila nimbis Aspergunt. *Plin.* 31, 4, 30. Detracta collibus silva, continere nimbos, ac digerere consueta. *Ov. Met.* 1, 269. densi funduntur ab aethere nimbi. ℙ Translate dicitur de subita et densa sparsione cujusque rei, quae in modum nimbi ingruit. *Flor.* 3, 8. Ingenti lapidum saxorumque nimbo classem operuerunt. *Sil.* 5, 215. pilorum in Poenos nimbus funditur; et 9, 311 et 580. et *Lucan.* 4, 776. telorum. *Colum.* 10, 364. Non aliter quam decussa pluit arbore nimbus Vel teretis mali, vel tectae cortice glandis. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 298. purpureoque ducem perfundere nimbo, *h. e.* florum copia. *Mart. Spect.* 3. Et Cilices nimbis hic maduere suis, *h. e.* sparsione croci, quam 5, 25. rubrum, et 9, 39. Corycium nimbum vocat. *Stat. Th.* 10, 535. exundant saevo fastigia nimbo, *h. e.* missilium multitudine. *Claud. in I. cons. Stil.* 1, 353. et *Prud.* in *Sym.* 2, 702. nimbos equitum, *h. e.* ingentem equitum numerum. *Virg. A.* 7, 793. Insequitur nimbus peditum. *Mart.* 10, 38. lucerna Nimbis ebria Nicreotianis, *h. e.* plena unguentis odoratis. ℙ Item de subita calamitate. *Cic. Att.* 15, 9. Quid autem iste in domo tua casus armorum? Sed hunc quidem nimbum cito transisse laetor. ℙ Praeterea *nimbus* dicitur ipsa aqua nimbo cadens. Unde *nimbos legatos* dixit *Petr. Sat.* 123. aquam pluviam humi concretam glacie. ℙ Item nubes praesertim glomeratae et obscurae, unde fere nimbi exsistunt. *Virg. A.* 3, 198. Involvere diem nimbi; et *ib.* 587. Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat. *Stat. Th.* 1, 97. piceo nox obvia nimbo Lucentes turbavit equos. *Pacuv.* ap. *Cic. Div.* 1, 14. et *Or.* 3, 39. noctisque et nimbum occaecat nigror: pro *nimborum*. ℙ De nube lucida, et splendore, qui circa caput, et corpus Deorum esse fingitur. *Virg. A.* 10, 634. coelo se protinus alto Misit, agens hiemem nimbo succincta per auras; et *ib.* 2, 615. Jam summas arces Tritonia (respice) Pallas Insedit, nimbo effulgens. *Serv.* ad *h. l.* Nube divina: est enim fulgidum lumen, quo Deorum capita cinguntur: sic etiam pingi solet. *Id.* ad *A.* 3, 585. Proprie nimbus est, qui Deorum, vel imperantium capita, quasi clara nebula, ambire fingitur. *Mamert. Pan. Maxim.* 3. Trabeae vestrae triumphales, et fasces consulares, et sellae curules, et fulgor, et illa lux divinum verticem claro orbe complectens, vestrorum sunt ornamenta meritorum pulcherrima. ℙ De fumo ex incendio. *Virg. A.* 5, 666. Respiciunt atram in nimbo volitare favillam. ℙ De globo pulveris. *Claud. in Ruf.* 2, 176. Pulveris extolli nimbos, lateque videres, etc. Sic *Virg. G.* 3, 110. fulvae nimbus arenae Tollitur. ℙ Usurpatur item de vento, quia nimbos adducit, impellitque. *Id. A.* 1, 55. Nimborum in patriam, loca feta furentibus austris, Aeoliam venit. ℙ Et de tempore nimboso et pluvio. *Val. Fl.* 2, 371. nimbosque educere luxu, *h. e.* traducere. V. EDŪCO. ℙ *Nimbus vitreus* ap. *Mart.* 14, 112. *in lemmate* est poculi vitrei genus. Distichon autem tale est: Ab Jove qui veniet, miscenda ad pocula largas Fundet nimbus aquas: hic tibi vina dabit. ℙ Denique ita dicitur fasciola transversa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte feminarum. Ita definit *Isid. Orig.* 19, 31. Alii intelligunt ipsum linteum fronti praetentum. Ideo autem illud gestabant mulieres, ut frontis spatium imminuerent, quia frons parva, ut est ap. *Petr. Sat.* 126., inter formae decora reputabatur. *Arnob.* 2, 72. Laminas pertunderent aurium, conficiendis quaererent corporibus fucos, imminuerent frontem nimbis, fuligine oculos obumbrarent. Al. rectius leg. *limbis.*

NĪMIĒ, adv. *σφόδρα*, nimis, aut valde. *Pall.* 4, 10. *med.* In locis nimie frigidis praecoquas ficus seramus. *Macr. Sat.* 6, 6. ad illud *Virg. A.* 7, 417. Et frontem obscenam rugis arat: haec habet: *Arat* non nimie, sed pulcre dictum. *Capitol. Gord.* 6. Cupide, aut immodeste, aut nimie aliquid facere.

NĪMIĒTAS, atis, f. *περισσεία*, superfluitas, redundantia, nimia copia. *Colum.* 6, 24. Nimietate verni pabuli pecudes exhilaratae lasciviunt. [*Auxilio optimorum codicum vox *nimietas*, utpote nonnisi sequiorum scriptis frequentata, dudum a Schneidero e Columellae libris expulsa est.] *Pall.* 6, 7. Sanguinis nimietatem prohibet. *Id.* 2, 13. *med.* Inter omnes nimietates temperamentum tenere. *Apul. Met.* 9. Rei nimietate commotus, *h. e.* nimia frequentia. *Arnob.* 4, 133. Quae vel cursim perstrinximus, vel nimietatis non attigimus taedio. [*Adde *Eutr.* 10, 18.]

NĪMIO. V. NIMIUS.

NĪMIŌPĒRE, adv. idem ac nimis, vel admodum nimis. *Cic. Par.* 5, 2. Quos aedificia magnifica nimiopere delectant. Sed alii legunt disjunctim *nimio opere*, multo rectius. Idem dic de alio loco *Verr.* 2, 4, 59.

NĪMĪRUM, adv. [*Ortum est ex *ni* et *mirum*, i. q. alias *mirum ni* pro haud dubie, sine dubio, utique, Gr. *δηλονότι*, *ohne Zweifel*, *unstreitig*. V. *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 3, 4, 19. *Matth.* ad *Cic. Mur.* 15, 32. *Herzog.* ad *B. G.* 8, 1. *Tursell.* p. 733. *ed. Schw. Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 20, 71. Sed si res in contentionem veniet, nimirum Themistocles est auctor adhibendus; et *ib.* §. 69. Nimirum enim inops ille, si bonus est vir, etiamsi referre gratiam non potest, habere certe potest. *Id. Mur.* 22, 45. Non parva res, sed nimirum omnium maxima. *Brut.* 21, 82. et nimirum is princeps ex Latinis, etc. *Hor. Ep.* 1, 14, 11. cui placet alterius, sua nimirum est odio sors. *Vell.* 2, 23, 4. Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenae oppugnatae a Sulla sunt, imputat Atheniensibus, nimirum veri vetustatisque ignarus est. *Quint. Inst.* 12, 1, 9. uter melior dicetur orator? Nimirum qui homo quoque melior. ℙ Tunc *nimirum* est i. q. ne mirum sit, ne mireris, poniturque cum docendo, explicando, exponendo efficere studemus, ne quis rem aliquam, ut male intellectam, ut novam atque inauditam, rejiciat, sed pro vera atque indubitata accipiat: nostr. *allerdings*, *nämlich*, *freilich*. *Cic. Verr.* 2, 2, 63. Verrem etiam Sotera inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est! ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum Soter, qui salutem dedit. *Id. Leg.* 2, 1, 3. Sed nimirum me alia quoque causa delectat, quae te non attingit ita. *Id. Or.* 1, 4. Quis non jure miretur, ex omni memoria aetatum tam exiguum oratorum numerum inveniri? Sed nimirum majus est hoc quiddam, quam homines opinantur, et pluribus ex artibus studiisque collectum. *Id. ib.* 23, 75. Magnum opus, et arduum, ut saepe jam diximus: sed ingredientibus considerandum fuit, quid ageremus: nunc quidem jam, quocunque feremur, danda nimirum vela sunt. *Liv.* 22, 51. Hannibali Maharbal, Non omnia nimirum eidem dii dedere. Vincere scis, Hannibal; victoria uti nescis: nostr. *leider*! ℙ Saepius cum ironia usurpatur. *Hor. Sat.* 2, 2, 106. Uni nimirum tibi recte semper erunt res; et *ib.* 2, 3, 120. Nimirum insanus paucis videatur eo, quod maxima pars hominum morbo jactatur eodem. Cf. *Juv.* 2, 104. *Liv.* 40, 9. Aperienda nimirum nocte janua fuit, et armati commissatores accipiendi. *Tac. A.* 2, 82. Erumpebant questus: ideo nimirum (Gr. *δή*, nostr. *doch wohl*) in extremas terras relegatum (Germanicum), ideo Pisoni permissam provinciam; et 6, 2. Crediderat nimirum (*καὶ ἀντίφρασιν*, pro mirum dictu, nemo sane crediderit, tantam ejus fuisse credulitatem) epistolae subsidio sibi alterum ex consulibus poscentis, ut tutus a Capreis urbem peteret; *H.* 1, 33. Non exspectandum, ut compositis castris forum invadat et prospectante Galba Capitolium adeat, dum egregius imperator cum fortibus amicis janua ac limine tenus domum cludit, obsidionem nimirum toleraturus.]

NĪMIS, adv. *σφόδρα*, *ἄγαν*, plus satis, ultra modum, plus aequo. *Ter. Andr.* 1, 1, 34. id arbitror Apprime in vita esse utile, ut ne quid nimis: *μηδὲν ἄγαν*, dictum Pittaci, unius ex septem Sapientibus, quo monemur excessum vitare in omnibus. *Cic. Leg.* 3, 1. Tu eum nec nimis valde unquam, nec nimis saepe laudaveris. *Ter. Heaut.* 5, 5, 1. Chremes nimis graviter cruciat adolescentulum, nimisque inhumane. *Nep. Iphicr.* 3. In labore remissus nimis, parumque patiens. *Cic. Arch.* 11. De meo quodam amore gloriae, Nimis acri fortasse, veruntamen honesto, vobis confitebor. *Plin. Pan.* 45. Nimis dixi. *Ter. Eun.* 2, 1, 16. nimis me indulgeo. *Cic. Brut.* 92. Nimis multa de me. *Naev.* ap. *Non.* 5, 2. Aedepol, Cupido, cum tam pusillus sis, nimis multum vales. *Auct.* ad *Her.* 4, 19. *f.* Magnam nimis dominationem habere. *Cels.* 1, 3. *med.* Somnus plenus, et non multum nimis longus. ℙ Cum genitivo. *Cic. Or.* 51. Nimis insidiarum ad capiendas aures adhiberi videtur. *Ov. Fast.* 6, 115. Haec loca lucis habent nimis, et cum luce pudoris. ℙ Nonnunquam ponitur pro valde, magnopere, maxime, *λίαν*: et *ὑπερβολὴν* quandam continet. *Ter. Eun.* 4, 7, 16. fundam tibi nunc nimis vellem dari, ut tu illos procul caederes. *Pl. Most.* 1, 3, 119. Nimis velim lapidem, qui ego illi speculo diminuam caput. *Id. Rud.* 4, 2, 15. Nimis id genus ego odi male. *Id. Amph.* 1, 1, 63. Legiones nimis pulcris armis praeditae. [*V. *Cort.* ad *Lucan. l.* mox *l.* et ad *Eund.* 8, 157.] ℙ Praecedente negatione [**nicht sonderlich*]. *Caes. B. G.* 7, 36. Is locus praesidio ab iis non nimis firmo tenebatur; et *Cic. Att.* 7, 24. Philotimi litterae me quidem non nimis, sed eos admodum delectarunt. *Liv.* 8, 4. Est quidem nobis hoc per se haud nimis exemplum. *Cic. Or.* 1, 29. *extr.* Quae a natura expetenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis. [**Id. Div. Verr.* 22. Caecilium non nimis hanc causam severe, non nimis accurate, nonnimis diligenter acturum. *Lucan.* 4, 696. Et quod Caesareis nunquam devota juventus Illa nimis castris: *niemals allzusehr*, *niemals sonderlich*.] ℙ *Nimis quam* augendi causa dicitur. *Pl. Most.* 2, 2, 79. Nimis quam formido, ne manifesto hic me opprimat, *h. e.* quam formido, ne manifesto hic me opprimat, *h. e.* mirum quam. ℙ [*Confund. *nimis*, *animi* et *animum*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 227.]

NĪMĬUM, adv. idem omnino, quod nimis. *Cic. Cat.* 1, 5. Nimium diu te imperatorem illa tua Manliana castra desiderant. *Ter. Andr.* 2, 6, 19. nimium parce facere sumptum. *Ov. Trist.* 3, 1, 8. nimium sero. *Cic. Or.* 2, 21. Verba effervescentia, et paulo nimium redundantia. *Id. Att.* 12, 18. Tempus nimium longum. *Id. Cluent.* 46. Ne nimium multi poenam capitis subirent. *Tibull.* 3, 6, 21. iratus nimium nimiumque severis. *Ov. Her.* 1, 41. o nimium nimiumque oblite tuorum. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Virg. Ecl.* 2, 17. nimium ne crede colori. *Cic. Cluent.* 58. *f.* Pro Cluentii voluntate nimium, pro reipubl. dignitate parum dixisse videor. *Hor. Ep.* 1, 7, 48. foro nimium distare carinas. ℙ Pro valde, maxime, per hyperbolen. *Ter. Eun.* 3, 5, 49. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem. *Virg. G.* 2, 458. O fortunatos nimium, sua si bona norint, Agricolas! *Pl. Mil.* 4, 2, 8. Homo nimium lepidus. *Id. Aul.* 3, 6, 1. nimium lubenter. *Id. Trin.* 4, 2, 86. loci nimium miris modis mirabiles. *Claud. III. cons. Honor.* 96. O nimium dilecte Deo. [*Lucan. 8, 139. Heu nimium felix aeterno nomine Lesbos! *Stat. Silv.* 3, 3, 25. Felix, et nimium felix!] ℙ *Nimium quantum*, maximopere, plurimum, nimis quam, mirum quantum. *Cic. Fin.* 4, 25. *med.* Differt inter honestum et turpe, nimium quantum. *Id. Or.* 26. Sales in dicendo nimium quantum valent. *Gell.* 16, 6. Ille nihil cunctatus, sed nimium quantum audacter; Oves, inquit, etc. Adde 15, 1. et 18, 3., ubi al. leg. *nimium quanto praestabilis*. ℙ *Nimium quam* idem est. *Pl. Bacch.* 1, 2, 13. nimium quam, o Lyde, es barbarus. *Quint.* 4, 2. *med.* Pecunia nimium quam in animis hominum potest. [*Dubitat *Spald.* h. quidem in l. de dictione *nimium quam*, pro qua *nimium quantum* scribi debuisset, quod hic pronominis accusativus desideraretur. Hinc parum huc facere posse locum *Plauti*, ubi *nimium quam* potestate adverbii esset. Sed non video, quid sit, quod impediat, quominus *nimium quam* hic etiam adverbii potestate esse possit, quidve tam severe accus. pronom. postulet.] ℙ *Nimium multum* idem valet. *Pl. Merc.* 2, 4, 11. nimium multum scis. ℙ [*Conjunguntur etiam *nimium* et *satis*. *Sen. Herc. Oet.* 1121. An quod dividit aethera A terris spatium, sat est Et mundi nimium malis? *Stat. Silv.* 1, 2, 169. satis, o, nimiumque, priores Despexisse procos. Laudat *hh. ll. Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 1. p. 85. *ed. Frotsch.* si nihil accidit mali, satis ac nimium boni videtur.] ℙ *Non nimium*, non multum. *Cic. Fam.* 12, 30. *f.* Illud non nimium probo, quod scribis, etc. ℙ [*Nimium* pro *nimio* cum comparativo v. in *nimius*, *a*, *um. f.* ℙ Confund. *nimium* et *minimum*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 557. et 5, 741.]

NĪMĬUS, a, um, adj. *ὁ ἄγαν*, *περισσὸς*, qui modum excedit, nimis magnus, nimis multus. *Cic. Off.* 1, 25. *f.* Nunquam enim, iratus qui accedet ad poenam, mediocritatem illam tenebit, quae est inter nimium et parum; et *ib.* 36. *med.* Ne in festinationibus suscipiamus nimias celeritates. *Caes. B. C.* 1, 85. Nimia pertinacia, atque arrogantia. *Cic. Sen.* 15. Vitem ferro amputans coercet ars agricolarum, ne silvescat sarmentis, et in omnes partes nimia fundatur. *Ov. Met.* 5, 484. Et modo sol nimius, nimius modo corripit imber. *Mart. Spect.* 7. in Scythica religatus rupe Prometheus Assiduam nimio pectore pavit avem, *h. e.* nimis feraci. Fingitur enim viscera rursus producere, postquam ea vultur absumpserit. [*Lucan. 6, 508. nimiae pietatis Erichtho, i. e. quae non vulgari isto modo commercia cum diis colebat, sed longe ampliore cultu eos habebat: ita *Cort.*, q. v.] ℙ *Nimius homo*, qui modum non servat. [*Illustrarunt elegantissimam hanc dicendi rationem *intpp.* ad *Liv.* 6, 4. et quos laudat *Burm.* ad *Vell.* 2, 32, 1. *Acron.* ad *Hor. Od.* 11, 12. *Salm.* ad *Vopisc. Aur.* 32. *Gron.* ad *Sen. Agam.* 84. *Heins.* ad *Claud. Bell. Get.* 118. Plura etiam *Taciti*, qui saepius quam alii de hominibus usurpat, exempla habes in *Boettich. Lex. Tac.* p. 319.] *Cic. ad Brut.* 1, 15. Quod in honoribus decernendis essem nimius, et tanquam prodigus. *Sall. fragm.* ap. *Arus. Mess.* Post, ubi fiducia nimius, etc. *Tac. H.* 4, 23. Praeferoces initio, et rebus secundis nimii. *Vell.* 2, 32. Esse quidem praeclarum vi-

rum Cn. Pompejum, sed nimium jam liberae reipubl., *h. e.* onerosum, gravem, [*intolerabilem, Gr. *ὑπερέχων.*] *Flor.* 3, 15. Jam nimius et potens altero tribunatu. *Tac. Agr.* 7. Legio legatis quoque consularibus nimia ac formidolosa erat. *Hor. Od.* 2, 12, 5. Nec saevos Lapithas, et nimium mero Hylaeum. *Hieron. adv. Jovin.* 1, 6. Nimius fortasse fuerim in expositione propositionum ejus, *h. e.* nimio sermone usus fuerim. ℙ De re molesta, et gravi. *Val. Fl.* 7, 21. Tum jactata toro, nimiumque experta cubile. [*Est hoc eorum, qui propter curas qualescumque conquiescere et dormire non possunt. V. *Gronov. observv.* 4, 21. p. 505. *ed. Frotzsch.* Ceterum pertinet hic locus ad v. *nimium* pro *adv.* positum.] *Claud. Laud. Stil.* 1, 250. Et quos interior nimio plaga Sole relegat. ℙ Cum genitivo. *Liv.* 6, 11. et *Sall. fragm.* ap. *Arus.* Impotens, et nimius animi est. *Liv.* 3, 26. *extr.* Nimius imperii. *Tac. H.* 3, 75. sermonis. *Sil.* 6, 81. vitae; et 5, 232. pugnae, nimiusque cruoris. [*V. de hac dicendi forma *Gronov.* ad *Liv.* 6, 11. Cui assentitur *Walch.* ad *Tac. Agr.* 7.] ℙ *Nimium*, absolute, quod nimium est. *Cic. Or.* 22. Magis offendit nimium, quam parum. [*Huc pertinet locus *Cic. Off.* 1, 25. *f.* a Nostro ab initio laudatus.] *Enn.* ap. *eund. Fin.* 2, 13. Nimium boni est, cui nihil est mali. *Ov. Amor.* 2, 17, 11. nimium regni. Al. leg. *regnum. Plin. prooem. l.* 33. *f.* Auri argentique nimium fuit. *Sil.* 14, 670. nimium juris. ℙ Saepe *nimius* per hyperbolen est multus, plurimus, maximus. *Pl. Mil.* 4, 2, 8. Homo nimia pulcritudine. *Id. Amph.* 2, 1, 69. et 5, 1, 52. Nimia memoras mira. *Mart.* 5, 64. Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo. ℙ Ablativus *nimio* adverbii ritu, valde, magnopere, maxime. *Pl. Truc.* 4, 1, 6. tum hoc nimio magnae melliniae mihi est. ℙ Cum comparativis. *Id. Poen.* 1, 2, 90. Bonam ego, quam beatam me esse nimio dici mavolo. *Id. Pers.* 1, 3, 31. Nimio melius, *h. e.* longe, aut multo melius. *Plin.* 24, 12, 17. Semen colligitur autumno: ante collectum nimio validius; et *Anton.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Quia te nimio plus diligo; et *Ov. Trist.* 2, 209. Nam non sum tanti, ut renovem tua vulnera, Caesar: Quem nimio plus est indoluisse semel; et *Hor. Od.* 1, 33, 1. Albi, ne doleas plus nimio. [*Sunt, qui dicant, posse in his pro *nimio* etiam dici *nimium.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 225. ubi laudat *Pl. Ps.* 1, 3, 47. Nimium id, quod pudet, facilius. Cf. quae notavimus in simili re ad v. *nihil.*]

NINGIT et Ninguit, ebat, nxit, n. 3. *νίφω*, nive pluit. *Colum.* 11, 2. *med.* X. Cal. April. pluvius dies: interdum ningit. *Acc.* ap. *Prisc.* 10, 882. Cum ninxerit coelestium molem mihi. *Virg. G.* 3, 367. Interea toto non secius aere ningit. *Pier.* in antiquioribus libris omnibus *ninguit* reperisse testatur: unde *ninguor*, *ninguis*, *ninguidus*, quod probat *Prisc. l. c.* Contra *Caper de verb. dub.* 2249. mavult *ningit.* ℙ Passive impersonaliter. *Appul. Flor. n.* 2. Totum illud spatium, qua pluitur, et ningitur. ℙ Translate. *Lucr.* 2, 627. ninguntque rosarum Floribus. Est qui leg. *pingunt.*

NINGOR, oris, m. nivis copia decidens. *Appul. de Mundo.* Eam tempestatem nos ningorem vocamus.

NINGUĬDUS, a, um, adj. *νιφόεις*, nivosus, nivalis, nivibus abundans. *Auson. ep.* 24, 68. bimaris juga ninguida Pyrenaei; et *ib.* 124. jam ninguida linquit Oppida Iberorum. *Prud. Apoth.* 729. Ninguidus Boreas. ℙ Cibus ninguidus dicitur ab *eod. Cath.* 5, 97. manna Hebraeorum, quia nivis instar cadebat.

NINGUIS, is, f. idem quod nix apud veteres. *Lucr.* 6, 736. Albas decedere ningues; et *ib.* 964. sol exstructas ningues radiis tabescere cogit. *Appul.* ap. *Prisc.* 6, 724. Aspera hiems erat, omnia ningue canebant. Adde *Lucil.* ap. *Charis.* 1, 71.

NINGUIT. V. NINGIT.

NINGŬLUS, a, um, adj. nullus, nemo. *Enn.* ap. *Fest.* Qui ferro minitere, atque in te ningulus mederi queat. Al. ita leg. Qui ferro minitaris, ut in te ningulu' modo Ire queat.

*NINGUM, i, n. Istriae opp. *Ant. Itin. B. A.*

NĪNĪVĪTAE, arum, m. plur. cives Ninives, quae fuit urbs maxima Assyriae ad Tigrim fluvium: quae a *Plin.* 6, 13, 16. Ninus dicitur: scilicet a conditore, vel instauratore. *Prud. Cath.* 7, 131. In Ninivitas se coactus percito Gressu reflectit. ℙ [Quantitas primae et secundae syllabae in hac voce varia est; nam *Nīnīvē* est ap. *Paul. Nol. carm.* 23, 168. cujus Babylon, et opima Ninive Regnum erat. *Nĭnīvă* ap. *Alc.* 4, 357. Ninivae contra populis terrore salubri Praevaluit pro pace metus. *F.*]

[NĪNĪVĪTĬCUS, a, um, adj. ad Ninivem pertinens. *Hieron. in Isaj.* 3, 7, 16. Niniviticus puer. *F.*]

NINNĬUS, ii, m. parvus equus, qui et hinnus dicebatur, ex Graeco *γίννος*, ut docet *Scal.* ad *Manil.* 5. *Maecenas* ap. *Suet.* in *Vita Hor.* tu tuum sodalem Ninnio videas strigosiorem. Al. aliter leg. V. HINNUS.

*NINUS, i, m. *Νίνος*, Beli filius, primus Assyriorum rex, Semiramidis maritus. *Justin.* 1, 1. Adde *Ov. Met.* 4, 88. ℙ Alius, junior, Assyriae rex, de quo *Herodotus* et *Strabo.* ℙ Ninus, urbs, i. q. Ninive. ℙ Et alia hoc nomine urbs, Hierapolis etiam et Bambyce dicta. *Ammian.* 14, 26. *B. A.*

NĬOBAEUS, a, um, adj. ad Nioben spectans. *Hor. Od.* 4, 6, 1. quem proles Niobaea magnae Vindicem linguae, Tityosque raptor Sensit.

NĬOBĒ, es, et Nioba, ae, f. *Νιόβη*, filia Tantali regis Argi, et Lydiae, qui Juppiter dictus fuit, ex Taygete, al. ex Penelope, al. ex Dione, uxorque Amphionis regis Thebarum, cui septem filios, totidemque filias peperit. Cum Thebanae mulieres (ut est ap. *Ov. Met.* 6. a *v.* 155.) jussu Mantus filiae Tiresiae rem divinam Latonae facerent, eas reprehendit multis verbis, sese Deae anteferens, illisque persuasit, ut illis sacris abstinerent. Latona irata filios Appollinem et Dianam in vertice Cynthi montis admonuit, ut injuriam ulciscerentur, qui Ismenum et Sipylum sagittis confixere, cum se exercerent in equestri certamine in campo extra urbem: reliquos pueros in palaestra, feceruntque, ut septem virgines, cum fratres exstinctos una cum matre flerent, repentina morte concciderent. Niobe ex dolore in lapidem versa est, qui in Sipylum Lydiae montem in Phrygiae Magnae confinio, ubi illa nata fuerat, turbine venti raptus est, et fixus in cacumine montis liquitur, et lacrymis etiam nunc manat. Hinc a poetis Sipyleia mater Niobe dicitur. *Cic. Tusc.* 3, 26. Nioba fingitur lapidea propter aeternum, credo, in luctu silentium. *Ov. l. c.* et felicissima matrum Dicta foret Niobe, si non sibi visa fuisset. *Prop.* 3, 8, 8. Et Niobae lacrymas supprimat ipse lapis. *Id.* 2, 16, 7. Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba, etc. ex *Homeri* sententia *Iliad.* 24, 603. duodecim filios Niobae tribuit, cum alii quatuordecim, alii duodeviginti, alii viginti: quidam etiam solos tres, ut refert *Gell.* 20, 7. Est tamen qui legit ap. *Propert. bis septem ad busta.* ℙ Alia fuit Nioba filia Phoronei regis Argivorum, et Cinnae, soror Apidis, ex qua Juppiter prima mortalium Argum suscepit. *Hyg. fab.* 145. ℙ *Item fons Peloponnesi, in Argolide. *Plin.* 4, 5. *B. A.*

[NĬOBĬDES, ae, m. filius Niobes. In lemmate *fab.* 11. ap. *Hyg.* legitur *Niobidae*, h. e. filii Niobes. *F.*]

*NIPHAEUS, i, m. nomen viri proprium, ab equis interfecti. De eo V. *Virg. A.* 10, 570. *B. A.*

[NIPHAS, ădis, f. *νιφάς*, nix confertim cadens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 728, 10. Philetus F. cum Niphade matre fecit. *F.*]

NIPHĀTES, ae, m. *Νιφάτης*, pars Tauri montis inter Armeniam majorem, et Mesopotamiam: item fluvius, qui profluit ex Niphate monte, et Armenios, Medos, ac Mesopotamios attingit, ac in Tigrim influit. *Virg. G.* 3, 30., *Serv. ib.*, *Plin.* 5, 27., 27. et *Lucan.* 3, 245.

*NIPHE, es, f. *Νίφη*, una ex comitibus Dianae, a niveo candore appellata. *Ov. Met.* 3, 171. *B. A.*

[NIPHĒTUS, i, m. *νιφετὸς*, nimbus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 516. *n.* 243. C. Hostilius Niphetus. *F.*]

NIPTRĂ, orum, n. plur. *νίπτρα*, lavacra: a *νίπτω*, lavo. Hoc nomine dicta est tragoedia Pacuvii. *Cic. Tusc.* 2, 21., *Gell.* 13, 29.

NI QUIS SCIVIT. V. in NI.

NĪREUS, i, m. *Νιρεύς*, disyllab. filius Charopi et Aglaiae, Graecorum omnium, qui ad Trojam navigaverunt, fortissimus. *Ov. Pont.* 4, 13, 15. Tam mala Thersitem prohibebat forma latere, Quam pulcra Nireus conspiciendus erat. *Prop.* 3, 16, 27. Nirea non facies, non vis exemit Achillem. *Hor. Epod.* 15, 22. Formaque vincas Nirea. *Nirea* est accusat. Graecae positionis.

NIS, dat. plur. pro *nobis* ap. veteres. *Fest.* in *Calim.*

*NISA, ae, f. nomen puellae, de qua *Virg. Ecl.* 8, 26. *B. A.*

*NISAEA, ae, f. Parthiae regio, cujus caput Alexandropolis, ab Alexandro conditore ita appellata. *Plin.* 6, 25. *B. A.*

NĪSAEUS, a, um, adj. ad Nisum pertinens. *Ov. Fast.* 4, 500. et te Zanclaea Charybdis, Et vos, Nisaei, naufraga monstra, canes, *h. e.* Scylla filia Nisi, in monstrum marinum navibus infestum versa, cujus inferior pars canum figuram referebat. Revera in Fabulis filia Nisi in avem conversa est: alia Phorci filia in marinum monstrum. V. SCYLLA et 2. et *Ov. A. Am.* 1, 331. Sed poetis haec licet confundere. Sic *Sabin.* 1, 33. Illum non avidis canibus Niseia virgo Fregit, non tumidis torta Charybdis aquis. Et ipse *Ov. R. Am.* 737. Praeterita cautus Niseide navita gaudet. V. et *Virg. Cir.* 44. ℙ De Baccho Nisaeo V. NYSAEUS.

NĪSĒIS, idis, f. patronymicum, filia Nisi, vel neptis. V. v. praec. ℙ De Nymphis Niseidibus V. NYSEIS.

NĪSĒĬUS, a, um, adj. ad Nisum Scyllae patrem pertinens. *Virg. Cir.* 390. Per mare caeruleum trahitur Niseia virgo. Adde *Ov. Met.* 8, 35.

NĪSI, *εἰ μή*, si non. *Cic. Att.* 7, 10. Nisi ego insanio, stulte omnia et incaute. *Caes. B. G.* 1, 31. *f.* Non posse ejus imperia diutius sustineri, nisi quid in Caesare sit auxilii. *Hor. Sat.* 1, 5, 79. Nunquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici Villa recepisset. *Pl. Aul.* 3, 2, 15. quid tu, malum, curas, Utrum crudum, an coctum edim? nisi tu mihi es tutor. *Nep. Ages.* 6. Ut omnibus apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse. *Cic. Cluent.* 66. *f.* Quod nisi esset, certe postea non discessisset. [*Haud erit absonum, hic statim ab initio commemorare loquendi genus, quo *nisi* c. plusquamperf. conjunct. post imperf. vel perfectum indicativi ponitur, ut Gr. aoristus cum v. *ἄν*, sequente *εἰ μή*. *Suet. Caes.* 52. Paene Aethiopia tenus Aegyptum penetravit, nisi exercitus sequi recusasset; et *ib.* 58. Neque in Britanniam transvexit, nisi explorasset; et *Galb.* 10. paene interemerunt, nisi expressa cruciatu confessio esset. Ceterum *nisi* et *si non* ita differre dicuntur, ut hoc totas enunciationes cum exceptione positas jungat: *si non* in singulis notionibus invicem se excipientibus usurpetur. V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 343. p. 297. et *Ramsh. Gr. Lat.* §. 193. p. 873. At bene notandum, non deesse locos, in quibus hoc discrimen parum severe observatum videatur. V. *Zumpt.* l. modo l. et *Brem.* ad *Nep. Con.* 2, 3. ℙ Negativis enuntiatis interrogationibusque praecedentibus signif. saepius i. q. nostr. *ausser*, *ausser dass. Caes. B. G.* 1, 30. *extr.* Ne quis enuntiaret, nisi quibus mandatum esset. *Nep. Dion.* 5. Nullum imperium est tutum, nisi benevolentia munitum. *Cic. Lael.* 5. Hoc sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse. *Brut.* 6, 23. Etenim dicere bene nemo potest, nisi qui prudenter intelligit. *Plin. H. N.* 15, 1. Oleam Theophrastus negavit, nisi intra XL millia passuum a mari nasci. Ita saepius post verba, quae negationem continent, ap. *Suet.*, ut *Tib.* 71. *Aug.* 31. et al. V. *B. Crus. cl. Suet.* p. 531. Adde *ib. Aug.* 6. Huc (i. e. in locum nutrimentorum) introire, nisi necessario et caste, religio est, i. e. nefas est. ℙ Porro in explicationibus atque interpretationibus, maxime post *nihil aliud*, *quid aliud*, significat *praeter*, *quam. Cic. Fin.* 2, 12. Nihil possumus judicare, nisi quod est nostri judicii. Cf. *Garat.* ad *Cic. Mil.* 8, 22. p. 94. 21, 55. p. 147. *Id. Planc.* 33. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? *Tusc.* 1, 26. Philosophia, omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donum, ut ego, inventum deorum? *Or.* 2, 12. Erat historia nihil aliud, nisi annalium confectio. Plura suppeditat, unde haec transscripsimus. *Ramsh. Gr. L.* §. 193. p. 875. qui in his *nisi*, *praeter* et *quam*, ita differre dicit, ut *nisi* cum exceptione factam conditionem significet; *praeter* omittendi, praetermittendi notionem involvat; *quam* comparandi quoddam genus vindicet. Cf. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 732. p. 548. sq.] ℙ *Nisi si*, idem fere quod nisi. [*nostr. *ausser wenn*, *ausgenommen wenn*, *doch wofern nicht*, *nur im Falle dass.* Ponitur, (ut alias *nisi ut*, *nisi ne*, *nisi quod*) quando id ipsum, quod excipias, lege quadam conditionis per totum aliquod enuntiatum effertur maxime quidem ante vv. *quis*, *quid*, *quo*, *quando.* V. *Ramsh. Gr. L.* §. 193. p. 875. ubi plura exempla invenies. Cf. *Burm.* ad *Quint. Inst.* 3, 10. p. 290. *Drakenb.* ad *Liv.* 6, 26, 5. *Oudend.* ad *Caes. B. G.* 1, 31, 14. *Walch.* ad *Tac. Agr.* 32.] *Varr. R. R.* 2, 9. Nisi si etiam illuc pervenerint, ut, etc. *Ov. Her.* 4, 111. nisi si manifesta negemus. *Cic. Fam.* 14, 2. Noli putare, me ad quemquam longiores epistolas scribere, nisi si qui ad me plura scripsit, cui puto rescribi oportere. *Id. Cat.* 2, 4. Nisi vero si quis est, qui etc. *Colum.* 4, 16. *extr.* Binae materiae submittendae erunt: nisi si tamen gracilitas vitis alicujus angustiorem putationem desiderabit. *Id.* 3, 13. *med.* Praestat non conserere, quam in summa terra suspendere: nisi tamen si scaturigo palustris prohibeat infodere. ℙ *Nisi ut*, idem. *Suet. Claud.* 35. Neque convivia inire ausus est, nisi ut spiculatores cum lanceis circumstarent. ℙ Nisi quod. [*nostr. *ausser dass*, *nur dass*, *ausgenommen dass.* Elliptica dicendi ratio, de qua exposuit *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 86, 5. Adde *intpp.* ad *Suet. Vitell.* 7. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 18, 11. — *Walch.* ad *Tac. Agr.* 6. docet, inesse huic formulae, quam ita supplendam censet: *nisi quod dici potest*, *quod dicendum*, post enuntiationes affirmativas affirmationem, post negativas negationem, lectoris saepius arbitrio supplendam.] *Cic. Fam.* 13, 1. Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt communia; nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio. [*Alia exempla haec sunto: *Id. Tusc.* 3, 24, 58. Et mihi quidem videtur idem fere accidere iis, qui ante meditantur, quod iis, quibus medetur dies; nisi quod ratio quaedam sanat illos cet. *Id. Att.* 2, 1. Praedia me valde delectant, nisi quod illum aere alieno obruerunt. *Sall. Jug.* 95. Ab negotiis nunquam voluptas remorata est, nisi quod de uxore potuit honestius consuli. *Plin. Pan.* 86, 5. et fecisset, nisi quod paene ipso contubernio Principis felicius jucundiusque est, desiderare principem desiderantem. *Suet. Vit.* 7. Adjutum putant T. Vinii suffragio, tunc poten-

tissimi —: nisi quod Galba prae se tulit; et al. *Tac. A.* 14, 14. notos quoque equites Romanos operas arenae promittere subegit donis ingentibus, nisi quod merces ab eo, qui jubere potest, vim necessitatis affert. *H.* 3, 28. Hormine id ingenium — an potior auctor sit C. Plinius — haud facile discreverim, nisi quod neque Antonius, neque Hormus a fama vitaque sua degeneravere. *G.* 9. unde causa et origo peregrino sacro parum comperi, nisi quod signum ipsum — docet advectam religionem. *Agr.* 6. vixerunt mira concordia per mutuam caritatem et invicem se anteponendo; nisi quod in bona uxore tanto major laus, quanto in mala plus culpae est; et c. 16. eadem inertia erga hostes, similis petulantia castrorum; nisi quod innocens Bolanus — caritatem paraverat loco auctoritatis.] ℙ *Nisi quia*, nisi quod. *Ter. Eun.* 4, 5, 10. at nesciebam, id dicere illam, nisi quia Correxit miles, quod intellexi minus. ℙ *Nisi vero*, *nisi forte* serviunt transitionibus. [*Adde *nisi tamen*, *nisi si*, interdum etiam simplex *nisi*, plerumque cum indicativo. Formulae sunt, quibus id, quod contra dici possit, absurdum esse significatur. Ita sunt corrigentis, certe mitigantis ea, quae indefinitius aut confidentius affirmata videantur; aut quoquo modo de iis addubitantis quasi per occupationem omninoque exceptionem quandam, vel serio concedentis, vel concedere se assimilantis: unde ironiae inserviunt. Docuerunt hoc *Manut.* ad *Cic. Rosc. Am.* 29, 82. *Gesn.* in *Thes.* et *Tursell.* Secuti sunt *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 33. p. 254. ad *or. pro Tull.* p. 44., cujus verba hic potissimum sequimur; *Goerenz.* ad *Leg.* 1, 1, 2. *Fin.* 1, 17, 56. *Math.* ad *Rosc. Am.* 29, 82. *Buttm.* ad *Quint. Inst.* 12, 9, 11. Exempla, exceptis iis quae VV. DD. modo laudati collegerunt, plura suppeditat *Ramsh. Gr. Lat.* §. 193. p. 876.] *Cic. Fat.* 16. Nisi forte volumus Epicureorum opinionem sequi, qui, etc. *Id. Mil.* 3. Nisi vero existimatis, dementem P. Africanum fuisse, qui, etc. ℙ *Nisi* in asseverationibus. *Cic. Att.* 16, 11. Moriar, nisi facete. *Ov. Met.* 2, 514. Mentiar, obscurum nisi nox cum fecerit orbem, Videritis, etc. *Augustus in quadam ep.* ap. *Suet. Claud.* 4. *f.* Peream, nisi admiror. *Pl. Most.* 1, 3, 36. Dii me interficiant, Nisi illam anum interfecero. ℙ Pro praeterquam. *Cic. Rosc. Am.* 12. Homo longe audacissimus, C. Fimbria, et quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimus. *Sen. Suas.* 2. *med.* Taygeti montis difficilia, nisi Laconibus, juga. *Colum.* 3, 1. Vitis omni paene regione, nisi tamen glaciali vel praefervida, curae mortalium respondet. *Ov. Trist.* 4, 10, 85. Si tamen exstinctis aliquid, nisi nomina, restat. *Aurel. Vict. Caes.* 1. Pacata externarum gentium ferocia, nisi Germaniae. ℙ Pro sed, ita tamen ut et adversativam, et exceptivam simul vim habeat. [*V. *Matth.* ad *Cic. Rosc. Am.* 35, 99. et quem ibi laudat *Drak.* ad *Liv.* 24, 10.] *Cato R. R.* 77. Spiram sic facito: Quantum voles pro ratione, ita uti placenta fit, eadem omnia facito, nisi alio modo fingito. *Cic. Fam.* 13, 76. De re nihil possum judicare: Nisi illud miki certe persuadeo, te talem virum nihil temere fecisse. *Ter. Hec.* 1, 2, 117. Quid egerint inter se, nondum etiam scio: Nisi sane curae est, quorsum eventurum hoc siet. *Id. Ad.* 1, 2. *f.* ecce autem de integro: nisi, quidquid est, Volo scire. Adde *Eun.* 3, 4, 10. et 5, 1, 10. His autem locis potest reddi etiam per *quamquam*, aut *nisi quia.* ℙ Insolens loquendi ratio est in illo *Pl. Men. prol.* 59. Ei liberorum, nisi divitiae, nihil erat. *Nisi* enim similia, et ejusdem generis solet excipere: hic dissimilia. Vult autem dicere, liberis caruisse, divitiis abundasse. ℙ Pro *non nisi.* [*nostr. *nur, nicht anders als.* Plerumque hac significatione ponitur, sequente negatione. *Caes. B. C.* 3, 87. Labienus juravit, se, nisi victorem, in castra non reversurum. *Cic. Or.* 2, 83, 338. ut quemadmodum tibicen sine tibiis canere, sic orator, nisi multitudine audiente, eloquens esse non possit. *Plin. Pan.* 31, 2. urbem nostram, nisi opibus Aegypti ali sustentarique non posse; cf. 42, 2. *Suet. Caes.* 13. domum se nisi Pontificem non reversurum; et *ib.* 79. Parthos nisi a rege non posse vinci. — Omittitur negatio, cum facile, utpote contenta orationis contextu, intelligitur. Cf. de hoc dicendi genere *Oudend.* ad *Suet. Caes.* 13., *Duk.* ad *Flor.* 1, 12., *Drakenb.* ad *Liv.* 34, 16.] *Liv.* 34, 16. Circumducto exercitu, procul navibus suis castrisque, ubi spem nisi in virtute, haberent, inter medios hostes proelium commisit. [*cf. *Gronov.* ad h. l. Adde *Sall. Jug.* 54, 5. Metellus videbat bellum renovari, quod nisi ex illius (Jugurthae regis) lubidine geri possit.] *Colum.* 7, 3. *med.* Quo magis etiam propter hos casus, nisi validissima *(ovis submittenda est)*, quae non comprehendatur hieme, etc. *Cic. Leg.* 1, 20. *f.* Zeno nisi quod honestum esset, putavit bonum. Al. leg. *nihil putavit bonum.* Al. *nihil nisi quod*, etc. [*Orell. leg. nihil putarit bonum.] *Solin.* 37. Carinis ita tenaciter adcorporatur, ut nisi abrasa parte ligni separetur. Al. leg. *aegre separetur.* ℙ Pro etiamsi non. *Cic. Mil.* 19. Quod nisi sciret Milo, illum Arciciae fuisse, suspicari tamen debuit, etc. Al. aliter leg. [*Orell. cum recentt. legit: Quod ut sciret Milo cet.] ℙ Utraque in *nisi* syllaba passim a poetis corripitur. Produxisse alteram putant *Sid. carm.* 15, 104. cum denique saxa Sint tantum, penitusque nisi nihil esse probentur. Sed leg. alii: *nihil nisi esse probentur*, ita ut synaloephe non fiat. ℙ [*Confund. *nisi* et *num.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 202. item *nisi* et *ubi. Id. ib.* p. 264.]

NĪSIADES, um, f. plur. patronym. *Ov. Her.* 15, 54. Nisiades matres, Nisiadesque nurus, *h. e.* Siculae Megarenses. Est enim *Megaris* in Sicilia oppidum, teste *Plin.* 3, 8, 14. et *Mela* 2, 7., conditum a Megarensibus Graeciae, quorum rex Nisus fuit.

NĪSIBĒNUS, a, um, adj. ad urbem pertinens, quae apud scriptores Nisibis, in nummis vero ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 3. p. 517. semper *Νέσιβις* scribitur: est autem urbs primaria Mesopotamiae, ut *Strabo l.* 11 et 16. et *Stephan.* docent. *Ammian.* 25, 8. Nisibenos acerbo dolore perculsit.

*NISĪBIS, is, f. *Νίσιβις*, oppidum Mesopotamiae, in Mygdonia, hodie *Nisibin. Plin.* 6, 13. *Ammian.* 25, 31. V. et *Nisibenus*, *a*, *um.* ℙ Et aliud, in Aria regione. *Ammian.* 1, 23. *extr. B. A.*

*NISĪCASTAE, arum, Aethiopiae populi, de quibus *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*NISITAE, arum, populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*NISIVES, um, populi Numidiae orientalis. *Plin.* 5, 4. ℙ V. *Nisuetae. B. A.*

*NISUĒTAE, arum, populi Africae, quorum urbs *Νίσουα Ptolemaeo*, Misua autem *Plinio. Liv.* 33, 18. ℙ Fortasse i. q. Nisives. *B. A.*

NĪSUS, a, um. V. NIXUS.

NĪSUS, i, m. *Νῖσος*, rex Megarensium, pater Scyllae, contra quos dum pugnaret Minos, devictis Atheniensibus, propter filii Androgei interitum, quem Athenienses, et Megarenses dolo necaverant, amatus est a Scylla, quae ut hosti placeret, comam purpuream parenti abscissam ei obtulit, quam Nisus ita habuerat consecratam, ut tamdiu regno potiretur, quamdiu illam habuisset intactam. Sed Scylla a Minoe contempta fuit. Nisus exstinctus Deorum miseratione in halyaeeti avis mutatus est formam: Scylla etiam, dum Minoem in Cretam renavigantem sequitur, in avem cirim conversa est: quae aves hodie magna inter se flagrant discordia. *Ov. Met.* 8, 6. et sqq., *Virg. Cir.* et *Serv.* ad *Ecl.* 6, 74. ℙ Nisus itaque est avis genus, ex hac fabula nomen ducens, ut *Ov.* narrat *l. c.* Sunt qui putant halyaeetum esse, ut dictum est: alii accipitrem minorem vocant: alii cirim. V. CIRIS. *Virg. G.* 1, 404. Apparet liquido sublimis in aere nisus, Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo. ℙ *Fuit et Nisus pater quinti Dionysi sive Bacchi, teste *Cic. N. D.* 3, 23. ℙ Et juvenis Trojanus, Euryali amicus, cursu velocissimus. *Virg. A.* 5, 310. Adde 9, 176. cet. ℙ Nisus, nomen sideris. V. *Engonasi* in Auctario. *B. A.*

NĪSUS, us, m. conamen, conatus: a *nitor*, *eris. Pacuv.* ap. *Cic. Tusc.* 2, 21. Pedetentim, et sedato nisu, ne succussu arripiat major dolor. *Virg. A.* 11, 852. Hic Dea se primum rapido pulcherrima nisu Sistit, *h. e.* volatu: quo sensu et *Hor. Od.* 4, 4, 8. Insolitos docuere nisus; et *Lucr.* 6, 834. pinnarum nisus inanis. *Virg. A.* 5, 437. Stat gravis Entellus, nisuque immotus eodem Corpore tela modo, atque oculis vigilantibus exit. [*V. quae laudat *Cort.* ad *Lucan.* 3, 606.] *Ov. Fast.* 5, 171. Hunc stirps Oceani maturis nisibus Aethra Edidit, *h. e.* partu. V. NIXUS, us. [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 4, 126. ℙ Confund. *nisus*, *nixus* et *nexus.* V. *Burm.* ad *Virg. G.* 4, 200.]

*NISYROS vel Nisyrus, i, f. insula maris Aegaei, Cariae adjacens, olim Porphyris. *Mela* 2, 7. *Plin.* 5, 31. ℙ Item oppidum Calydnes insulae. *Id. ib. B. A.*

*NITAL vel potius Amida vel Amital, idolum Indicum inter magica coli solitum. V. *Mart. Capell.* 2. p. 42. cum not. *Grot. B. A.*

NĪTĔDŪLA, ae, f. muris exigui genus: dimin. nitelae: quod V. *Cic. Sext.* 33. Id etiam fatum civitatis fuit, ut illa ex vepreculis extracta nitedula rempubl. conaretur arrodere. Adde *Arnob.* 2, 75., item *Hor. Ep.* 1, 7, 29., ut quidem *Bentlejo* placet, quem legisse non poenitebit.

NĪTĔFĂCIO, is, a. 3. nitentem facio et splendidum. *Gell.* 18, 11. Ventus mare caeruleum crispicans nitefacit.

NĪTĔFĂCTUS, a, um, part. a *nitefacio:* nitens factus, nitidus. *Juvenc.* 1, 607. grato crinem nitefactus olivo.

NĪTĒLA, ae, f. verbale a *niteo*, ut *suadela* a *suadeo*, et *monela* a *moneo.* Primo significat nitorem, splendorem. *Solin.* 22. Praecipua viris gloria est in armorum nitela. ℙ Item id, quo quippiam nitefacimus. *Appul. Apol.* Misi, ut petisti, mundicinas dentium, Nitelas oris ex Arabicis frugibus, *h. e.* dentifricium. ℙ Deinde ap. *Solin.* 23. *nitelae pulveris* sunt micae pulveris nitentes. Depurgant, inquit, in minium nitelas pulveris.

NĪTĒLA, ae, f. genus est muris agrestis, frumenta corrodentis, colore rubro, ut *Serv.* loquitur, putans describi a *Virg. G.* 1, 181. saepe exitus, putans describi a *Virg. G.* 1, 181. saepe exitguus mus Sub terris posuitque domos, atque horguus mus Sub terris posuitque domos, atque horrea fecit. *Plin.* 8, 57, 72. de gliribus: Conditi et hi cubant: rursus aestate juvenescunt: simili et nihi cubant: rursus aestate juvenescunt: simili et nitelis quiete. *Mart.* 5, 37. Quae crine vincit Baetici gregis vellus, Rhenique nodos, aureamque nitelam ris. [*Salmas.* ad *Sol.* p. 223. ostendit, *nitelam* esse sciurum et habere nomen a nitendo, quod nitatur in arboribus scandendis.] ℙ Scribitur et *nitella* in *Not. Tir.* p. 176.

NĪTĒLĪNUS, a, um, adj. ad nitelam, *h. e.* murem pertinens, ut Nitelinus color, rufus, aut flavus. *Plin.* 16, 37, 69. Vimineam salicem vocant eandemque purpuream: alteram nitelinam a colore, quae sit tenuior: tertiam Gallicam, quae tenuissima.

NĪTENS, entis, part. a *niteo: διειδής*, *στίλβων*, *φαεινός*, splendens, lucens, nitidus, mundus, comptus, pulcher. *Tibull.* 1, 3, 93. Lucifer nitens. *Liv.* 9, 40. Arma nitentia ante rem, deformia inter sanguinem et vulnera. *Ov. Met.* 4, 636. Arboreae frondes auro radiante nitentes. *Virg. A.* 1, 226. lacrimis oculos suffusa nitentes. *Hor. Od.* 2, 7, 7. coronatus nitentes Malobathro Syrio capillos. *Ov. Met.* 14, 262. pallamque induta nitentem. *Id. Fast.* 5, 543. astra nitentia. *Lucan.* 9, 669. clypeus aere nitens. *Hor. Sat.* 2, 2, 4. inter lances mensasque nitentes, *h. e.* aureo, argenteove instrumento oneratas. *Ov. Met*, 10, 211. Tyrioque nitentior ostro Flos oritur. *Val. Fl.* 5, 413. nitentes Solis equi. *Virg. A.* 3, 20. nitens taurus, *h. e.* opimus, nitent enim quae pinguia sunt. V. NITEO et NITIDUS. *Ov. Hal.* 101. nitentes spumae. Sic *Plin.* 33, 6, 33. Summa candida et nitens; et *Hor. Od.* 1, 14, 19. Cyclades nitentes. *Catull.* 61, 193. Uxor ore floridolo nitens, *h. e.* forma splendens. *Id.* 2, 5. desiderio meo nitenti, *h. e.* puellae meae formosae. *Ov. Met.* 12, 405. Hylonome, qua nulla nitentior inter Semiferos altis habitavit femina silvis; et *ib.* 15, 202. herba nitens. Alii leg. *virens*, al. *recens. Gell.* 12, 1. *med.* Arbor laeta et nitens. *Virg. G.* 1, 153. nitentia culta. [*Sil.* 6, 65. flore nitens primo. ℙ Hinc translate illustris, clarus. *Id.* 6, 19. non patre nitens, linguave, i. e. non clarus familia et eloquentia. *Liv.* 3, 12. Lucretius recenti gloria nitens.] ℙ Transfertur et ad orationem. *Cic. Brut.* 67. Non valde nitens, non plane horrida oratio. ℙ Et ad animum. *Stat. Silv.* 1, 5, 63. macte, oro, nitenti Ingenio, curaque puer. ℙ *Nitentes res.* V. CENTURIO, onis.

NĪTENS, entis, part. a *nitor. Gell.* 5, 9. Diduxit adolescens os, clamore nitens. *Ov. Hal.* 60. Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri. *Virg. G.* 3, 172. valido nitens sub pondere faginus axis Instrepat, *h. e.* obnitens, sustentans. *Suet. Vesp.* 20. Statura fuit quadrata, vultu veluti nitentis, *h. e.* cacare conantis (*a guisa d' uom che ponta*, inquit *Petrarca* in capitulo, cujus initium *Nel cor pien d' amarissima*, etc. Sic *Mart.* 3, 89. faciem duram, Phoebe, cacantis habes.) *Gell.* 20, 1. Quadrigis in diversa nitentibus, *h. e.* cum conatu tendentibus. *Id.* 14, 1. *f.* Lubrica conjectatione nitentes. *Tac. H.* 1, 55. Nullo tribunorum pro Galba nitente. *Id. A.* 1, 11. Nitens, ut sensus suos penitus abderet.

*NITENTER, adv. splendide: unde compar. *nitentius* ap. *Mart. Capell. B. A.*

NĪTĔO, es, ui, n. 2. *στίλβω*, *ἀγλαΐζομαι*, *ἀνθέω*, luceo, fulgeo, splendeo, politus sum. [*Etymon est a *nix:* ita auct. *Vocab. Vet. Niteo*, quasi nivem teneo: unde *Martinius quasi niviteo* fecit. — *Doederl.* 2, 74. *niteo* ortum putat a *niveo*, eadem ratione, qua *scateo*, *pateo*, *fateor* a *scando*, *pando*, *fari*, extrita nimirum ultima radicis litera. — *Voss.* a Gr. *νίπτω*, *νίζω* derivat. Quid differant *nitere*, et *renitere*, v. in h. v. V. *Doederl.* l. l.] *Cic. Cat.* 2, 3. Qui nitent unguentis, fulgent purpura. *Auct. dial. de Or.* 20. *extr.* Templa marmore nitent, et auro radiantur: *Lucr.* 1, 9. Placatumque nitet diffuso lumine coelum; et 5, 703. Luna potest solis radiis percussa nitere. *Tibull.* 1, 4, 58. Ex humero Pelopis non nituisset ebur. *Ov. Met.* 6, 65. diversi niteant cum mille colores. *Mart.* 9, 58. Nec qui litoribus nitent lapilli. *Ov. Fast.* 4, 126. Vere nitent terrae. *Hor. Ep.* 1, 10, 19. Deterior Libycis olet, aut nitet herba lapillis? ℙ De lapidibus, et metallis, quae usu atteruntur, et splendidiora fiunt. *Ov. Amor.* 1, 8, 51. Aera nitent usu. *Tibull.* 1, 11, 49. Pace bidens, vomerque nitent. *Mart.* 8, 6. Pollice de Pylio trita columba nitet. ℙ De formosis, et ornatis. *Hor. Od.* 1, 5, 12. miseri, quibus Intentata nites! *Mart.* 10, 89. Ore nitet tanto, quanto superasset in Ida Judice convictas non dubitante Deas. *Stat. Achill.* 2, 148. nitet ante alias regina, comesque Pelides. *Mart.* 5, 23. Nonnisi vel cocco madithro nitet. Al. leg. *viret.* ℙ De agris bene cultis, et pinguibus. *Petr. Sat.* 99. Incultis asperis-

que regionibus diutius nives haerent: ast ubi ea aratro domefacta tellus nitet, dum loqueris, levis pruina dilabitur. *Virg. A.* 6, 677. camposque nitentes Desuper ostentat. Sic *Cic. Verr.* 2, 3, 18. *med.* Campi collesque nitidissimi viridissimique. ℙ Ipsae etiam plantae, et sata *nitere* dicuntur. V. NITIDUS. *Ov. Met.* 15, 202. tunc herba nitens, et roboris expers Turget. *Plin.* 17, 4, 3. Non utique laetum solum est, in quo procerae arbores nitent. ℙ De bene habitis, bene pastis, et pinguibus. *Id.* 18, 5, 6. Cato in conterminis hoc amplius aestimari jubet, quo pacto niteant: In bona enim, inquit (*R. R.* 1.), regione bene nitent. *Phaedr.* 3, 7. unde sic quaeso, nites? Aut quo cibo fecisti tantum corporis? Adde *Hor. Sat.* 2, 2, 128. [*V. *intpp.* ad *Petr. Sat.* 2. p. 13.] ℙ Refertur etiam ad copiam, et opes, quia divitiae splendidae sunt. *Hor. Sat.* 2, 5, 12. devolet illuc, Res ubi magna nitet domino sene. *Tibull.* 4, 1, 183. cum magnis opibus domus alta niteret. *Cic. Agr.* 1, 7. Vectigal in pace niteat, in bello non obsolescat, *h. e.* vigeat, abundet. ℙ Translate est cultum et politum esse, illustrem, splendidum, conspicuum. *Cic. Fin.* 4, 3. Sed vos squalidius: illorum vides quam niteat oratio. *Plin.* 3, 5, 7. Ab altero ejus latere ad Padum amnem Italiae ditissimum, omnia nobilibus oppidis nitent. ℙ Item florere, celebrem esse. *Vell.* 2, 9. Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio, Laeliusque; et 1, 17. Dulces Latini leporis facetiae per Caecilium, Terentium, Afranium sub pari aetate nituerunt. ℙ [*Confund. *nitere* et *virere*. V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 12, 13. p. 254.]

NĪTESCO, is, n. 3. *ἀγλαΐζομαι*, nitere incipio, splendidus, nitens fio; et adhibetur etiam pro *niteo*. *Cic. Arat.* 174. Exiguo qui stellarum candore nitescit. *Virg. A.* 5, 134. juventus Nudatos humeros oleo perfusa nitescit. *Plin.* 37, 12, 74. Omnes gemmae mellis decoctu nitescunt. *Id.* 8, 1, 1. Nitescente nova luna. *Id.* 17, 5, 3. Terra post vomerem nitescens, *h. e.* post vomeris proscissionem splendescens ex pinguitudine. *Manil.* 5, 687. tum pontus per solem humore nitescit, *h. e.* candescit. ℙ De bene pastis, et pinguibus. *Plin. ep.* 2, 17. *in.* Equorum, boumque armenta, quae herbis et tepore verno nitescunt. V. NITEO. ℙ De plantis, quae laete proveniunt. *Plin. alter* 12, 25, 54. de balsami arbore: Tondetur similiter fruticans, ac rastris nitescit, properatque nasci, etc. V. NITIDUS. ℙ Translate est splendescere, cultiorem fieri. *Auct. ad Her.* 3, 16. Ingenio, doctrina, praeceptione natura nitescit. ℙ Item illustrem, clarum fieri. *Tac. A.* 12, 58. Studiis honestis, et eloquentiae gloria nitescere.

*NĪTIBRUM, i, n. Africae oppidum, Cyrenaicae vel Syrtibus adjacens. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

NĪTĪBUNDUS, a, um, adj. *Gell.* 1, 11. Achaeos Homerus pugnam indipisci ait non tibiarum concentu, sed mentium conspiratu tacito nitibundos, *h. e.* nitentes, contendentes. *Solin.* 25. *med.* Elephanti arboribus se, vel saxis applicant, ut pondere nitibundo attritos necent angues.

NĪTĬDĒ, adv. *στιλβηδὸν, λαμπρῶς, καθαρῶς, λιπαρῶς*, lucide, splendide, luculenter. *Pl. Truc.* 2, 4, 3. Ut tota floret! ut olet! ut nitide nitet! ℙ Item splendide, copiose. *Id. Cas.* 3, 6, 19. Coenare lepide, nitideque volo. Adde *Cist.* 1, 1, 12.

NĪTĬDĬTAS, atis, f. nitor, splendor, pulcritudo. *Acc.* ap. *Non.* 2, 578. Formae, figurae nititditate hospes regis.

NĪTĬDĬUSCŪLĒ, adv. *διειδῶς*, aliquantum nitide, dimin. adverbii *nitide*, a compar. *nitidius*. *Pl. Ps.* 3, 1, 8. Neque ego amatorem mihi invenire ullum queo, Qui amet me, ut curer tandem nitidiuscule, *h. e.* laute aliquantum, et copiose, ut nitidus et pinguis fiam.

NĪTĬDĬUSCŪLUS, a, um, adj. dimin. comparativ. *nitidius*. *Pl. Ps.* 1, 2, 82. En excetra tu, quae tibi tot amicos habes, tam probe oleo onustos: Num cuipiam est hodie tua tuorum opera conservorum Nitidiusculum caput? *h. e.* aliquantum unctum, et nitens.

NĪTĬDO, as, avi, atum, a. 1. *ἀγλαΐζω*, nitidum et lucidum reddo. *Colum.* 12, 3. *f.* Ferramenta detersa nitidentur, atque rubigine liberentur. ℙ Item levigare, polire. *Pall.* 3, 17. Arborem serra recidemus: post serraturam, plagam ferramentis acutis nitidamus. Al. aliter leg. ℙ Item lavare. *Enn.* ap. *Non.* 2, 583. Secum advocant, eunt ad fontem, nitidant corpora. Adde *Acc. ib.*

NĪTĬDŪLUS, a, um, adj. dimin. nitidi, nitidiusculus. *Sulpic. Sev. dial.* 2, 8. Quandam viduam vagam, nitidulam, sumptuosam objurgare.

NĪTĬDUS, a, um, adj. *ἀγλαὸς, λαμπρὸς*, nitens, splendens, lucens, clarus. [*De discrimine inter *nitidus* et *splendidus* v. quae dicta sunt ad v. *nitor*.] *Virg. G.* 1, 467. Sol caput obscura nitidum ferrugine texit. *Ov. Fast.* 3, 867. aries nitidissimus auro. *Id. Met.* 2, 3. Ebur nitidum. *Pl. Stich.* 1, 2, 8. Facite, sultis, nitidae ut aedes meae sint, cum redeam domum. *Virg. G.* 3, 437. de angue: Cum positis novus exuviis, nitidusque juventa, etc. *Id. ib.* 4, 337. Nitida caesaries. *Val. Fl.* 3, 467. Nitidus aether; et *ib.* 553. fons. *Quint.* 11, 3. *med.* Nitida et curata vox. *Cic. Or.* 11. In picturis alios horrida, inculta, abdita, et opaca: contra alios nitida, laeta, collustrata delectant. ℙ *Nitidi* dicuntur unguentis delibuti: unguenta enim nitent. *Ov. A. Am.* 3, 443. Coma nitidissima nardo. Hinc nitidus annus ap. *Ov.* qui oleo abundat: *Fast.* 5, 263. Si bene floruerint segetes, erit area dives: Si bene floruerit vinea, Bacchus erit: Si bene floruerint oleae, nitidissimus annus. *Mart.* 4, 8. Nitidae palaestrae. [*V. quae laudat *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 16, 149.] ℙ Itidem universim qui formae student, quique exquisito ornatu, cultuque corporis utuntur. *Cic. Cat.* 2, 10. Quos pexo capillo nitidos videtis. *Pl. Mil.* 4, 2, 12. illa est nimium lepida, nimisque nitida femina. *Id. Aul.* 3, 6, 4. aliquanto facias rectius, Si nitidior sis filiae nuptiis. ℙ Item qui sano solidoque corpore sunt, bene habiti, bene pasti, pingues. [*Quid differat *laetus*, v. in h. v.] *Hor. Ep.* 1, 4, 15. Me pinguem et nitidum bene curata cute vises. *Liv.* 28, 35. Aetas in medio virium robore, quod plenius nitidiusque ex morbo, velut renovatus flos juventae faciebat. *Nep. Eum.* 5. Ut jumenta aeque nitida ex castello educeret, ac si campestribus ea locis habuisset. [*V. *Brem.* ad h. l.] V. NITEO. ℙ Dicitur et de locis bene cultis, uberibus, fertilibus. *Cic. Verr.* 2, 3, 18. Quos ego campos antea, collesque nitidissimos, viridissimosque vidissem, hos ita vastatos ac desertos videbam, ut, etc. *Hor. Ep.* 1, 15, 45. nitidis fundata pecunia villis, *h. e.* sumptuosis, amplis, marmore ceteroque ornatu ditiore aedificatis. ℙ Transfertur ad cultum animi, et vitae urbanitatem atque elegantiam: item ad liberalitatem, et lautitiam. *Id. ib.* 1, 7, 83. ex nitido fit rusticus, atque Sulcos et vineta crepat mera. *Plin.* 13, 15, 30. Inter pauca nitidioris vitae instrumenta. *Juven.* 11, 175. haec eadem illi Cum faciant, hilares nitidique vocantur. *Mart.* 4, 54. Lautior et nitido sis Meliore licet. ℙ Item ad ornatum cultumque orationis. *Cic. Or.* 1, 18. Nitidum quoddam genus verborum, et laetum. *Id. Part.* 5. Verba consonantiora, graviora, leviora, et quodammodo nitidiora. *Quint.* 10, 1. *med.* Isocrates nitidus et comptus, et palaestrae, quam pugnae, magis accommodatus. [*V. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 262. sq.] ℙ Ap. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 193. nitidis sensibus haurire aliquid, est, integris, puris, nulloque pravo affectu corruptis. ℙ Quam *Plinius*, de insitione verba faciens, 17. *c.* 14 et 16. vocat nitidissimam arboris partem, intelligit eam, qua viridior est arbor, formosior, ac laetior, et, ut ita dicam, habitior, sine asperitate nodorum, et corticis. Nam et plantae *nitere* dicuntur, ut in NITEO adnotavimus. Sic *Colum.* 5, 6. *med.* Ulmus decacuminanda est juxta ramulum, qui videbitur esse nitidissimus; et *Plin.* 5, 1, 1. *med.* Arborum proceritas spectabilis enodi nitore. *Lucr.* 2, 594. nitidae fruges, arbustaque laeta, *h. e.* opimae, uberes. ℙ *Nitidum opus* ap. *eund.* 6, 795. est delicatum ac tenue, qualia sunt mulierum lanam trahentium, texentium, acu pingentium.

*NĪTIOBRĪGES, um, *Νιτιόβριγες*, populi Galliae Aquitanicae, ad Garumnam flumen. *Caes. B. G.* 7, 7. 31 et 75. *B. A.*

NĪTOR, eris, sus, et xus sum, dep. 3. *πειράομαι*, conor, contendo, laboro, operam do, sive corpore, sive animo. Est qui putat esse per metathesin a *τείνομαι*, intendor. [*Doederl. 2, 127. docet, esse *niti* una cum *nictari* et *nixari* frequentativi genus v. *nuere*. De discrimine vv. *conari*, *moliri* et *niti* *Doederl.* 3, 295. haec disserit, ut *conari* consilium et voluntatem, *niti* vires animi vel corporis, *moliri* magnitudinem et difficultatem operis alicujus suscipiendi significet.] *Vet. poeta* ap. *Cic. Tusc.* 1, 5. Sisyphu' versat Saxum sudans nitendo, neque proficit hilum. *Cic. Sen.* 10. Moderatio modo virium adsit, et tantum, quantum potest, quisque nitatur. *Sall. Cat.* 13. *extr.* Singulos ex senatu ambiundo nitebantur, ne gravius in eum consuleretur; et *ib.* 39. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas. [*Est haec dictio Sallustio et Livio familiaris. V. quae laudat *Kritz.* ad h. l.] *Caes. B. C.* 2, 37. Nihil contra se regem nisurum existimabat. *Nep. Milt.* 4. Unus Miltiades maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent. *Id. Att.* 15. Idem in nitendo quod semel admisisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. ℙ Cum infinito. *Id. Pelop.* 2. Ut patriam recuperare niterentur. *Sall. Jug.* 27. Summa vi Cirtam irrumpere nititur. *Ov. Pont.* 3, 5, 34. Ingenio nitor non periisse meo. ℙ Niti pro aliquo. *Liv.* 35, 10. *med.* Ne in plebejo quidem consule, cum pro C. Laelio niteretur, Africanus valuit. *Sall. Jug.* 35. Pro libertate nonne summa ope nitemini? ℙ *Niti* est parturientium: unde *enitor*. *Plin.* 9, 35, 54. Conchas impleri roscido conceptu tradunt: gravidas postea niti. ℙ Item cacaturientium. V. NITENS. ℙ Est etiam cum conatu ire, ferri, tendere. *Cic. N. D.* 2, 48. Quaedam serpentes ortae extra aquam, simul ac primum niti possunt, aquam persequuntur. *Plin.* 2, 43, 43. Si in nube luctetur vapor, tonitrua edi; si erumpat ardens, fulmina; si longiore tractu nitatur, fulgetra; et *ib.* 65, 65. Aquae in interiora nituntur. *Ov. Pont.* 2, 7, 27. aves motis nituntur in aera pennis. *Id. Met.* 2, 72. Nitor in adversum. *Virg. G.* 2, 427. ad sidera raptim Vi propria nituntur. *Quint. prooem. l.* 1. *med.* Niti ad summa. *Ov. Am.* 3, 4, 17. Nitimur in vetitum semper. *Cic. Sen.* 23. Optimi cujusque animus maxime ad immortalem gloriam nititur. *Virg. A.* 2, 433. postesque sub ipsos Nituntur gradibus, *h. e.* ascendunt. *Lucan.* 4, 37. miles rupes oneratus in altas Nititur. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 320. Ardua per loca agresti ac trepidante gradu nititur. *Luer.* 1, 1056. omnia pondera sursum Nitier. ℙ Saepe est incumbere, inniti, fulciri. [*Sunt, qui primam hanc vocis significationem dicant. Gr. *ἐρείδομαι*. Differt a *fulcire*, quo cavemus ne labamur: hoc est ejus, qui incumbendo progredi studet. *Doederl.* 2, 127.] *Virg. A.* 6, 760. Ille, vides, pura juvenis qui nititur hasta. *Id. ib.* 4, 252. paribus nitens Cyllenius alis. *Cic. Tusc.* 5, 13. Quod ita ortum est e terra, ut stirpibus suis nitatur. *Virg. A.* 2, 380. Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem Pressit, humi nitens. ℙ Translate. *Cic. Div.* 2, 26. Conjectura omnis, in qua nititur divinatio. *Id. Coel.* 10. *extr.* Ea, in quibus causa nititur. *Id. Mil.* 7. Cujus in vita nitebatur salus civitatis. *Id. Fam.* 1, 5. Cum maxime consilio, studio, labore, gratia, de causa regia niteremur. *Id. Att.* 3, 9. *med.* Sustinebimus nos, et spe, qua jubes, nitemur. *Id. Off.* 1, 34. Est adolescentis majores natu vereri, exque his deligere optimos, et probatissimos, quorum consilio atque auctoritate nitatur. *Nep. Phoc.* 3. Niti patrociniis alicujus. *Caes. B. C.* 3, 43. auctoritate apud exteras nationes. *Cic. Cluent.* 1. Niti, et magnopere confidere invidia judicii; et *ib.* 40. Si quis hoc uno nititur, quod sit ignobilis. *Id. Verr.* 2, 2, 64. Quid te futurum est? quo confugies? ubi nitere? *Id. Acad.* 4, 21. *extr.* Nitamur igitur, nihil posse percipi.

NĪTOR, oris, m. *στίλβη, ἀγλαΐα*, splendor, fulgor, claritas ex munditia, laevitate, aut pinguedine, cujuscumque coloris sit: a *niteo*. *Catull.* 66, 3. Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur. *Lucr.* 4, 539. Nitor exoriens aurorae. *Ov. Her.* 18, 78. diurnus, *h. e.* lux diei. *Id. Pont.* 3, 4, 23. argenti et auri. *Auct. ad Her.* 4, 50. gemmae. *Vitr.* 10, 1. olei. *Plin.* 7, 15, 13. eboris. *Id.* 12, 1, 5. marmorum. *Id.* 16, 40, 79. materiae, *h. e.* ligni, v. gr. cupressi; et 37, 9, 40. roseus; et 12, 9, 19. siccus; et 11, 37, 64. speculi; et 2, 25, 22. gladii; et 37, 10, 69. nigerrimus gemmae. *Lucr.* 5, 781. herbarum viridis. ℙ In arboribus est soliditas ligni, et robur, et laevitas sine asperitate corticis, aut nodorum. V. NITIDUS. ℙ Aliquando sumitur pro candore. *Plin.* 24, 8, 33. Cuti nitorem inducere; *Id.* 31, 7, 41. Nitorem cutis facit sal. ℙ Interdum pro colore. *Lucr.* 2, 817. omnia principiorum Formamenta queunt in quovis esse nitore. *Prop.* 2, 14, 26. Ludis et externo tincta nitore caput, *h. e.* colore adsciticio, fuco. ℙ *Nitor corporis*, interdum est soliditas carnis, et sana pinguedo. V. NITEO et NITIDUS. *Ter. Eun.* 2, 2, 10. Viden' me ex eodem ortum loco? qui color, nitor, vestitus, quae habitudo est corporis? *Plin.* 11, 18, 20. Apum sanitas hilaritate et nitore aestimatur. ℙ Interdum ipsa corporis pulcritudo. *Hor. Od.* 1, 19, 5. Urit me Glycerae nitor, Splendentis Pario marmore purius; et *ib.* 3, 12, 5. Liparaei nitor Hebri. V. LIPARAEUS. ℙ Interdum cultus, et ornatus corporis elegans. *Cic. Coel.* 31. *f.* Si quem offendit purpurae genus, si amicorum catervae, si splendor, si nitor. Adde *Plin. ep.* 6, 32. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 2, 9, 17. Nitor generis; et *ib.* 5, 29. Obruit audentem rerum gravitasque, nitorque. ℙ Est etiam elegans, nitidusque vitae cultus, et morum elegantia, atque urbanitas. *Plin.* 4, 12, 26. Megarice, oppidum praecipui nitoris in toto eo tractu, custoditis Graeciae moribus. *Just.* 43, 4. Adeo magnus et hominibus, et rebus impositus est nitor, ut Gallia in Graeciam translata videretur. ℙ Item liberalitas, splendor rei familiaris. *Stat. Silv.* 3, 3, 149. Testis adhuc largi nitor inde assuetus Etrusci. ℙ Saepe refertur ad splendorem, et puritatem verborum et orationis. *Cic. Or.* 32. *extr.* Sed quia sua sponte squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor. *Ov. Pont.* 2, 2, 51. Nunc tibi et eloquii nitor ille domesticus adsit, Quo poteras trepidis utilis esse reis. *Auct. dial. de Or.* 20. Nitor et cultus descriptionum; et *ib.* 23. Summus nitor et cultus verborum. *Quint.* 10, 1. *med.* In digressionibus historico nonnunquam nitore uti; et 12, 10. *med.* Orationem translationum nitore illuminare. [*V. in NITIDUS.] ℙ Differunt proprie *nitor* et *splendor*. *Plin.* 37, 2, 8. de murrhinis: Splendor his sine viribus, nitorque verius, quam splendor, *h. e.* laevitas quidem, et munditia, sed non transmittens, aut remittens lucem. [*De discrimine vv. *nitor* et *splendor* *Doederl.* 2, 75. sq. haec disputat: *splendor*, opp. *sordes*, spectare grande quoddam atque amplum a rerum copia, divitiisque profectum candoris genus; *nitor*, opp. *squalor*, pulchritudinis atque amoenitatis rationem involvere

laevitate, atque arte oriundae. Porro *splendor* de quovis colore, etiam nigro dici posse, *nitor* autem proprium esse albi cognomentum.]

NITRĀRIA, ae, f. *νιτρική*, locus, ubi nitrum invenitur. *Plin.* 31, 10, 46. Salinis mare infundunt, Nilum autem nitrariis. *Ib.* Nitrariae calceamenta protinus consumunt. *Ib.* In nitrariis non lippiunt.

NITRĀTUS, a, um, adj. cui nitrum admistum est. *Colum.* 12, 55. Nitratam aquam suffundito. *Mart.* 13, 17. Nitrata viridis brassica fiat aqua.

*NITRĪAE, arum, *Νιτρίαι*, locus sive emporium Indiae, cis Gangem, ad Piratarum littus. *Plin.* 6, 23. ed. *Hard.* ubi *Hydras* pro *Nitrias* impressum in ed. *Elzev.* *B. A.*

[NITRION, ii, n. herba eadem quae et daphnoides. *Appul. Herb.* 58. *F.*]

*NITRITES Nomos, *Νιτριώτης* (-*ώνης*) *νόμος Straboni l.* 17. p. 1155. ed. *Almelov.* praefectura in ea parte Aegypti, quae est supra Memphim, nomen habens a duabus nitrariis, quae plurimum ferebant nitri. Meminit *Plin.* 4, 9. *B. A.*

NITROSUS, a, um, adj. *νιτρώδης*, qui nitrum habet, vel nitri saporem. *Vitr.* 8, 3. Aquae frigidae genus nitrosum. *Plin.* 31, 10, 46. Lacus est nitrosus, exsiliente e medio dulci fonticulo; et *ib.* Aquae vero nitrosae pluribus locis reperiuntur, sed sine viribus densandi.

NITRUM, i, n. *νίτρον*, succus quidam concretus, salis genus, de quo multa *Plin.* 31, 10, 46., ubi docet, colligi apud Medos, canescentibus siccitate convallibus: in Thracia quoque, sed terra sordidum: fieri etiam ex quercu cremata: item in quodam lacu Macedoniae gigni certis temporibus, *h. e.* circa Canis ortum: in Aegypto etiam fieri paene eodem modo, quo sal, infuso Nilo in nitrarias, etc. Persequitur inde varios ejus usus in medicina. Habet enim vim calfaciendi, extenuandi, mordendi, spissandi, siccandi, exulcerandi. Nitrum est etiam, quod nos e parietibus, et pavimentis colligimus, *sal petrae* quibusdam dictum. [*Nusquam hanc significationem habet.] Ipsa vox Graeca est, quam a *νίζω*, lavo, ducunt: fortasse illud respicientes, quod aqua immissa fit. ℙ Ejus usus ad vestes eluendas fuit apud veteres. *Isid. Or.* 16, 2. Ex nitro et sordes corporum vestiumque lavantur. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 14. Persuasum est ei (*Appio* censori) censuram lomentum, et nitrum esse. Errare mihi videtur: nam sordes eluere vult. ℙ Dicitur et *sal nitrum. Plin. l. c.* Sal nitrum sulphuri concoctum in lapidem vertitur.

NIVĀLIS, e, adj. *νιφετώδης*, *νιφόεις*, *χιονώδης*, ad nivem pertinens, nivosus. *Liv.* 21, 54. *med.* Erat forte brumae tempus, et nivalis dies. *Sen. Q. N.* 4, 4. *extr.* Dicimus nivalem diem, cum altum frigus, et triste coelum est. (Sic *Flor.* diem pugnae ad Trasimenum *nivalem* dicit 2, 6. *med.*, quem *Liv.* 22, 4. orta ex lacu nebula obscurum fuisse tradit.) *Plin.* 26, 8, 29. Nivalia loca. *Id.* 2, 47, 48. Nivales venti. *Virg. A.* 3, 538. equi candore nivali. *Val. Fl.* 5, 225. Nivalis axis, *h. e.* septentrionalis plaga. *Hor. Ep.* 1, 3, 3. Hebrusque nivali compede vinctus, *h. e.* glacie. *Mart.* 14, 118. Nivales undae, *h. e.* aqua nive refrigerata. *Gell.* 19, 5. Aqua nivalis, *h. e.* ex nive diluta. *Ulp. Dig.* 34, 2, 19. §. 12. Vasa vinalia, et nivalia. Alii perperam leg. *navalia.* V. NIVARIUS et *Mart.* 2, 7, 95. Nivale osculum, *h. e.* frigidum, nivali tempore datum. ℙ Translate. *Prud. in Sym.* 2, 249. Templum mentis amo, non marmoris: aurea in illo Fundamenta manent Fidei: structura nivali Consurgit Pietate nitens.

NIVĀRIUS, a, um, adj. ad nivem pertinens. *Nivarium colum*, saccus vinarius, nive repletus, qua transmittitur vinum, ut mitius sit. *Mart.* 14, 103. quod *Colum nivarium* inscribitur: Setinos, moneo, nostra nive frange trientes: Pauperiore mero tingere lina potes. Sensus est: *vinum nobile, quale est Setinum, colo nivario per nivem transmitte: ignobile, et quod pauperes bibere solent, simplici sacco vinario lineo, et sine nive percolato.* ℙ *Nivarius saccus*, quo nix injecta colatur, et bibitur deliciarum causa. *Id. ib.* 105. cui titulus *Saccus nivarius:* Attenuare nives norunt et lintea nostra. Frigidior colo non salit unda tuo. ℙ *Nivaria* dicta est una ex Fortunatis insulis, a perpetua nive, teste *Plin.* 6, 32, 37.; [eadem vocatur *Convallis*, nunc *Teneriffa.* *F.*]

NIVĀTUS, a, um, adj. nive refrigeratus. *Suet. Ner.* 27. Refotus saepe calidis piscinis, ac tempore aestivo nivatis. *Sen. Q. N.* 4. *f.* Nivatae potiones. *Petr. Sat.* 31. Nivata aqua.

NIVĔ. V. NI.

*NIVĔO, es, n. 2. verbum vetus aiunt, cujus participio usus sit *Petr.* 115. Niventibus oculis maris fidem inspicere. Al. leg. *uventibus*, probante *Burmanno.* ℙ *Niveo*, si verum sit, simplex fuerit, unde *conniveo.* *B. A.*

NIVESCO, is, n. 3. nivis instar albesco. *Tert. Pall.* 3. *med.* Lini herbida post virorem lavacro nivescunt. *Vet. epigr.* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 406. *Burm.* Ut mersa indigenis unda nivescat aquis.

NIVĔUS, a, um, adj. *νιφόεις*, qui est ex nive. *Virg. G.* 3, 354. Sed jacet aggeribus niveis informis, et alto Terra gelu late. *Catull.* 64, 240. Niveus mons, *h. e.* nive tectus. ℙ *Mart.* 12, 17. *niveam aquam* dixit nive refrigeratam: qua utebantur frangendis vini viribus, et in frigidis potionibus. Qua de re *Id.* 14, 117. cujus lemma *Nives:* Non potare nivem, sed aquam potare rigentem De nive, commenta est ingeniosa sitis. V. DECOCTA. Ad frangenda vina pertinent epigrammata *ejusd. ib.* 103. 104. et 116. ℙ Item qui colore est nivis, candidus. *Auct. ad Her.* 4, 33. Niveus candor. *Val. Fl.* 1, 219. Nivei artus. *Ov. Her.* 20, 120. subest niveo laetus in ore rubor. *Virg. A.* 8, 387. Nivei lacerti. *Hor. Od.* 2, 4, 3. Serva Briseis niveo colore Movit Achillem. *Virg. Ecl.* 6, 53. de Tauro: Ille latus niveum molli fultus hyacintho; et *ib.* 2, 20. dives pecoris nivei. *Ov. Met.* 10, 432. nivea velatae corpora veste; et *ib.* 13, 789. Candidior nivei folio, Galatea, ligustri. *Calpurn. Ecl.* 7, 29. nivei loca densavere tribuni, *h. e.* albis togis induti. Sic *Juven.* 10, 45. niveosque ad frena Quirites. *Ov. Her.* 18, 18. Niveus dens. *Sen. Oedip.* 495. Niveum lac. *Id. ib.* 427. et *Hippol.* 504. flumen, *h. e.* aquis perspicuis fluens, et spumis inter saxa candicans. *Niveas undas* dixit etiam *Mart.* 7, 32. claras, puras, perspicuas. *Auson. epist.* 4, 44. Sic certe crinem flavus niveusque lacertos Caesariem rutilam per candida colla refundis. [*Eadem ratione saepissime *nitidus* ponitur, hoc tamen discrimine, ut *nitidus* latius pateat et laevitatis simul ac coloris notionem contineat; *niveus* nonnisi ad colorem spectet. *Doederl.* 2, 72. sq.]

[NIVIFER, a, um, adj. qui nives fert. *Salv. Gub. D.* 6, 2. Conscenduntur nubiferae Alpes, penetrantur niviferae valles. *F.*]

NIVO, is, n. 3. idem quod ningo. Translate *Pacuv.* ap. *Non.* 10, 23. Sagittis, plumbo, et saxis grandinat, nivit.

*NIVOMAGUS, i, opp. Treverorum. i. q. Noviomagus. *Auson.* in *Mosell.* 11. *B. A.*

NIVOSUS, a, um, adj. *χιονώδης*, *νιφετώδης*, nive abundans, nivalis. *Liv.* 5, 13. Insignis annus hieme gelida ac nivosa fuit. *Colum.* 2, 9. Loca praegelida, ac nivosa. *Liv.* 21, 53. Nivosa grando. *Ov. Her.* 12, 29. Scythia. *Stat. Silv.* 1, 3, 95. Pliadumque nivosum sidus. *Ov. Trist.* 5, 3, 21. Strymon nivosus.

NIX, nivis, f. *χιών*, *νιφετός*, aquarum coelestium spuma, ut *Plin.* 17, 2, 2. definit. *Id.* 2, 60, 61. docet, grandinem conglaciato imbre gigni, nivem eodem humore mollius coacto, pruinam ex rore gelido. Secundum *Prisc.* 10, 882. est a *ninguo*, *ninxi*, extrito *n*, ut a *duxi dux*, a *rexi rex.* De usu nivis in deliciis coenarum, V. dicta in NIVEUS. *Cic. Acad.* 4, 23. Anaxagoras nivem nigram dixit esse: ferres me, si ego idem dicerem? *Id. N. D.* 1, 10. Pars terrarum obriguit nive pruinaque. *Liv.* 5, 2. Miles nivibus pruinisque obrutus. *Plin.* 17, 2, 2. Vota arborum frugumque communia sunt, nives diutinas sedere. *Val. Fl.* 5, 175. Litora discussa sterni nive. *Plin.* 2, 103, 106. Nives in alto mari non cadere; et *ib.* 49, 50. Nive jacente; et 8, 55, 81. liquescente. *Petr. Sat.* 137. *in carm.* et *Ov. Fast.* 3, 236. Pereunt nives. *Virg. G.* 1, 310. Nix alta. *Val. Fl.* 6, 306. horrifera. *Lucr.* 3, 20. cana, acri concreta pruina; et 6, 106. nives gelidae. *Hor. Od.* 3, 24, 39. duratae gelu. *Ov. Amor.* 3, 6, 93. solutae. *Id. Her.* 16, 249. purae. *Hor. Od.* 4, 12, 4. Fluvii hiberna nive turgidi. ℙ Metaphorice. *Id. ib.* 13, 12. te quia rugae Turpant, et capitis nives. *Quint.* hanc metaphoram reprehendit, 8, 6. *med.*, ut duram, id est a longinqua similitudine ductam. Vitiosam quidem in prosa oratione, sed in versu probam defendit *Voss. inst. Or.* 4, 6, 7. *Horatium* imitatus est *Prud. praef. Cath.* 25. Sub quo prima dies mihi Quam multas hiemes volverit, et rosas Pratis post glaciem reddiderit, nix capitis probat. *Appul. de Mundo.* Tecta fulgebant eboris nive, argenti luce, flammea auri claritate, *h. e.* candore. V. CONSPUO. ℙ Olim in obliquis *ninguis*, *ningues*, dixere. *Appul.* ap. *Prisc.* 6, 724. Aspera hiems erat, omnia ningue canebant. *Lucr.* 6, 736. in campos albas decedere ningues. Adde *ib.* 964. et *Lucil.* ap. *Charis.* 1, 71. et *Serv.* ad *A.* 4, 250. V. CHIONE.

*NIXE, adv. in *Gloss. Isid.* explicatur per *Munite.* *B. A.*

NIXI DII appellantur tria signa in Capitolio, ante cellam Minervae, genibus nixa, velut praesidentes parientium nixibus: quae signa sunt qui memoriae prodiderunt, Antiocho rege Syriae superato, M.' Acilium subtracta populo R. adportasse, atque ubi sunt posuisse. Sunt etiam, qui dicant, capta Corintho advecta huc: quae ibi subjecta fuerint mensae. *Festus.* Al. leg. *Nixii.* *Ov. Met.* 9, 294. Lucinam, Nixosque pares clamore vocabam. Al. aliter leg. [*V. quae *Gierig.* et imprimis *Jahn.* ad h. l. animadv., quorum unam huc *Boettig.* ingeniosam loci interpretationem transscribere liceat: nimirum, quod nostrae etiam obstetrices opinentur, nonnisi *pares nixus*, parem nixuum numerum, felicem partum efficere, hinc fortasse antiquam lectionem *nixusque pares* praeferendam esse.]

NIXOR, aris, dep. 1. idem quod *nitor.* [*ubi v.] *Lucr.* 3, 1014. adverso nixantem trudere monte Saxum. *Id.* 6, 836. Hic ubi nixari nequeunt, insistereque alis, etc. Al. aliter leg. V. NICTO, as. Rursus *Lucr.* 4, 508. Fundamenta, quibus nixatur vita, salusque, *h. e.* fulcitur, sustinetur, stat.

NIXŪRIO, is, a. 4. *φιλονεικέω*, niti volo, seu cupio, conor facere. *Nig.* ap. *Non.* 2, 584. Nixurit, qui niti vult, et in conatu saepius aliqua re perpellitur. ℙ [Item parere cupio, parturio. *Gloss. Phil.* Nixurio, *φιλονεικέω.* *F.*]

NIXUS et Nisus, a, um, part. a *nitor*, *ἐρεισάμενος*, innixus, incumbens, fultus. *Cic. Verr.* 2, 5, 33. Stetit soleatus praetor populi R. cum pallio purpureo, tunicaque talari, muliercula nixus, in litore. *Id. Rab. perd.* 7. Scaevola membris omnibus captus, hastili nixus. *Ov. Pont.* 1, 8, 52. baculo. *Id. Met.* 8, 727. cubito; et *ib.* 4, 732. scopulo; et *Fast.* 3, 751. Constitit ipse super ramoso stipite nixus. *Virg. A.* 12, 398. Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam. *Cic. Sen.* 15. Herbescens viriditas, quae nixa fibris stirpium sensim adolescit. *Sen. Thyest.* 600. Quem genu nixae tremuere gentes. *Pl. Rud.* 3, 3, 33. ambae te obsecramus genibus nixae. Adde *Liv.* 26, 9. *Virg. A.* 10, 736. super abjectum posito pede nixus, et hasta. *Ov. Her.* 21, 100. Et de qua pariens arbore nixa Dea est, *h. e.* Latona, quam ferunt in Delo insula, palmae et oleae innixam, Apollinem et Dianam peperisse, ut est ap. *eund. Met.* 6, 335. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 7. *extr.* Res, quae mendacio nixa est. *Id. Balb.* 15. Cum praepotens Carthago, nixa duabus Hispaniis, huic imperio immineret. *Id. Cluent.* 57. Si obtinuerit causam Cluentius, sicuti vestra aequitate nixi confidimus. Al. leg. *nisi.* *Lucr.* 5, 907. Nixus in hoc uno novitatis nomine inani. *Ov. Pont.* 3, 4, 15. Cunctaque cum mea (*scripta* seu *carmina*) sint propenso nixa favore, etc. ℙ *Nixus*, *i*, nomen est sideris, de quo V. in ENGONASI. ℙ De *Diis Nixis*, V. NIXI. ℙ *Ad nixas* dicebatur Romae locus, in quo tres ciconiae rostro nixae seu conjunctae erant. V. CICONIA. ℙ In MSS. saepe *nisus* legitur, et in compositis omnibus, *adnisus*, *connisus*, *enisus*, *innisus*, *obnisus*, *subnisus.* *Diomed.* 1, 371. et *Prisc.* 10, 903. docent melius per *s*, quam per *x* scribi. Sane in ipso verbo *nitor* nulla est littera, ex qua duplex illa *x* nasci possit. *Serv.* ad *A.* 1, 148. *Adnixus* antiquum est, ut *connixus:* sed et multa alia usus contra antiquitatem vindicavit. In MSS. *Livii* saepius *nisus* scribi, quam *nixus*, jam adnotarunt viri docti. Sunt qui haec ita distinguunt, ut *nixus* ad conatum corporis referatur, *nisus* ad animi. Sed hoc discrimen nulla probabili ratione fulcitur.

NIXUS, us, m. actus nitendi et incumbendi. *Cic. N. D.* 2, 46. In aethere astra volvuntur, quae se et nixu suo conglobata continent, et forma ipsa figuraque sua momenta sustentant. ℙ Item conatus, nisus. *Quint.* 8, 4. *med.* Hic in sublime etiam currit, et ad summum pervenit, non nixu, sed impetu, *h. e.* non paulatim gradatimque nitendo, et ascendendo, sed uno impetu, et quasi saltu. *Id.* 2, 12. Luctatur, qui totius corporis nixu in id, quod semel invasit, incumbit. Al. leg. *nisu:* quod idem est: neque enim audiendi, qui *nisum* ad animum, *nixum* ad corpus referunt. ℙ De conatu parturientium. *Ov. Her.* 4, 125. O utinam nocitura tibi, pulcherrime rerum, In medio nixu viscera rupta forent! Al. leg. *nisu.* *Virg. G.* 4, 199. aut fetus nixibus edunt. *Gell.* 12, 1. Quam diutinum puerperium, et quam laboriosi nixus fuissent. ℙ [*Permut. *nixus*, *nexus* et *nisus.* V. in h. v.]

NO

NO, nas, navi, n. 1. *νέω*, *νήχομαι*, per aquam excurro: proprium piscium, quos etiam homines, et alia animalia imitantur: tribuitur et aliis, quae leviora cum sint, super aquam fluitant, ut ligna. *Festus:* Nare a nave ductum Cornificius ait, quod aqua feratur natans, ut navis. Ennius libro septimo: Alter nare cupit, alter pugnare paratu' st. Plautus in Aululari (4, 1, 9.) Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea induitur ratis. Haec *Fest.* Alii aptius ducunt vel ab allato *νέω*, *νῶ*, vel potius a *νάω*, *νῶ*, fluo. *Ov. Met.* 1, 304. Nat lupus inter oves; et *ib.* 11, 358. Nant alii, celsoque exstant super aequora collo. *Catull.* 64, 1. Peliaco quondam prognatae vertice pinus Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas. *Tibull.* 1, 7, 38. in liquida nat tibi linter aqua. *Ov. Met.* 6, 334. de Delo: tunc cum levis insula nabat; et *ib.* 15, 336. tempusque fuit, quo navit in undis, Nunc sedet Ortygie. *Id. Her.* 20, 199. nantem delphina per undas. *Lucan.* 8, 374. nando violenti vorticis amnem Frangere. *Ov. Her.* 18, 210. piger ad nandum. *Id. Trist.* 2, 486. ars nandi. ℙ Pro navigare *Catull.* 66, 45. Cum Medi peperere novum mare, cumque juventus Per medium classi barbara navit Athon. ℙ Pro fluctuare, agitari. *Id.* 64, 274. de undis maris: Post, vento crescente magis magis increbrescunt, Purpureaque procul nantes a luce refulgent. *Sil.* 14, 550. et pelago repetuntur nantia tela. ℙ

Per catachresin refertur ad volatum. *Virg. G.* 4, 59. de apib.: Nare per aestatem liquidam suspexeris agmen. ℙ *Greges nantium* ap. *Colum.* 8, 14. sunt anatum, anserum, et hujusmodi in aqua degentium. ℙ *Nare sine cortice.* V. CORTEX. ℙ *Nant oculi* ebriorum, ap. *Lucr.* 3, 481. V. NATO.

*NO, Aegypti urbs, notiore nomine Alexandria. *Hieron.* ad *Ezech.* 30, 14. De Thebis Aegyptiis intelligit *Bochartus. B. A.*

*NOA, ae, m. *Νῶε*, pater Shem, Japhet, etc. a diluvio cum familia sua Dei beneficio servatus. *Sedul. carm.* 1, 158. ubi genitivus *Noae* occurrit. ℙ *Noa, ae,* f. urbs Aethiopiae, vel fortasse Aegypto Aethiopiaeque contermina. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*NOAEI, orum, incolae Noarum. Fuit autem Noae, *Νόαι*, opp. Siciliae, medio inter Messanam et montem Aetnam loco, hodie, ut credibile est, *Noara. Plin.* 3, 8. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Noaeni. B. A.*

NOBĬLIS, e, adj. *γνωτὸς*, cognitus, notus, sive in bonam, sive in malam partem: a *nosco*, quasi *noscibilis*, ut a *moveo mobilis*, a *labor labilis. Festus:* Nobilem antiqui pro noto ponebant. *Acc.* ap. *Non.* 4, 318. Me Argos referam, nam hic fuam nobilis: ne cui cognoscar nota. *Pl. Ps.* 4, 7, 9. cum his mihi nec locus, nec sermo Convenit, neque his unquam nobilis fui. *Tac. H.* 3, 39. Addidit facinori fidem nobili gaudio, Blaesum visendo, *h. e.* palam gaudens. V. GNOBILIS. ℙ Item insignis, famosus, excellens, eximius, celebris, conspicuus, in quacumque re, sive bona, sive mala, *λόγιμος, ἐπίσημος, ἀοίδιμος*, [**δύσφημος.*] *Cic. Inv.* 2, 2. *f.* Fuit tempore eodem, quo Aristoteles, magnus et nobilis rhetor Isocrates. *Id. Verr.* 2, 4, 33. *f.* Ille nobilis taurus, quem crudelissimus omnium tyrannorum Phalaris habuisse dicitur. *Id. ib.* 2, 5, 16. Illustre et nobile municipium; et *ib.* 1, 2, 24. Oppidum inprimis clarum, et nobile. *Id. Rabir. Post.* 9. Demetrius ex doctrina nobilis et clarus. *Ov. Met.* 6, 416. et nobilis aere Corinthus. *Cic. opt. gen. Or.* 6. Gladiatorum par nobilissimum. *Aurel. Vict. Epit.* 28. Nobilissimus latronum dux. *Liv.* 39, 9. Scortum nobile libertina Hispala Fecenia. *Pl. Rud.* 3, 2, 5. qui se scelere nolunt fieri nobiles. *Ov. Trist.* 2, 384. Nobilis est Canace fratris amore sui; et *Amor.* 3, 18, 37. Et Paris est illic, et adultera, nobile crimen. *Cic. Or.* 1, 11. Multi in philosophia praeclari et nobiles. *Hor. Od.* 1, 12, 25. puerosque Ledae, Hunc equis, illum superare pugnis Nobilem, [**πὺξ ἀγαθὸν, Bailey.*] *Prop.* 4, 10, 42. Nobilis e tectis fundere gaesa rotis. *Sil.* 11, 73. Torquatus avum fronte aequavisse severa Nobilis. *Cic. Brut.* 32. Nobilis oratio. *Mart.* 7, 97. Nobiles libelli. *Hor. Od.* 1, 1, 5. Palma nobilis; et *ib.* 14, 11. Pontica pinus Silvae filia nobilis; et *ib.* 12, 36. Catonis nobile letum. *Quint.* 1, 5. *med.* epigramma Catulli. *Cic. Verr.* 2, 2, 34. facinus, et multis locis saepe commemoratum. *Id. Rosc. Am.* 35. Tres nobilissimi fundi. *Vell.* 2, 25. Aquae salubritate, et medendis corporibus nobiles. [**Vell.* 1, 4, 3. nobilissimam partem regionis maritimae occupavere. *Thucyd.* 1, 2. *Πελοποννήσου τε τὰ πολλὰ, πλὴν Ἀρκαδίας, τῆς τε ἄλλης ὅσα ἦν κράτιστα.* Ceterum omnino frequentatur haec vox Vellejo: ita 2, 10, 3. appellat Domitium nobilissimae simplicitatis juvenem; et 2, 34, 3. Ciceronem virum nobilissimae novitatis; et Cn. Domitium, patrem L. Domitii, eminentissimae ac nobilissimae simplicitatis virum; et 2, 79, 1. M. Agrippam, virum nobilissimae virtutis. Adde 2, 128, 1. Neque novus hic mos senatus populique Ro. est, putandi, quod optimum sit, esse nobilissimum: ubi *Ruhnk.* comp. *Sall. Jug.* 85. ego naturam unam et communem omnium existimo, sed fortissimum quemque generosissimum.] *Pl. Poen.* 3, 5, 13. Die festo celebri nobilique, Aphrodisiis. *Cels.* 5, 19. *n.* 12. Sunt quaedam emplastra nobilia ad extrahendum. Sic *Plin.* 11, 37, 75. Vitulis marinis ad multa nobile fel. *Cic. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 2, 12. Acipenser, piscis inprimis nobilis. *Liv.* 2, 5. *f.* Ut arcendis sceleribus exemplum nobile esset. [*Plura hujus vocabuli in malam partem adhibiti, ita ut idem signif., quod famosus, exempla laud. *Boettich.* in *Lex. technol. lat. rhet.* p. 320.] ℙ Saepe est claro genere ortus, *εὐγενής, εὐπάτωρ:* quia illustri sanguine geniti notiores sunt quam plebeji, tum ob divitias, tum quia potior illis pars committi solet reipublicae. *Cic. Flacc.* 22. Homines apud nos noti, inter suos nobiles. *Id. Coel.* 13. Clodia, mulier non solum nobilis, sed etiam nota. *Id. Verr.* 2, 5, 70. Qui nobili genere nati sunt. *Ov. Fast.* 1, 471. Evander, qui quamquam clarus utroque, Nobilior sacrae sanguine matris erat. ℙ *Nobilis,* absolute, homo nobilis. *Plin. ep.* 5, 17. *f.* Cupio, ne nobiles nostri nihil in domibus suis pulcrum, nisi imagines, habeant. *Liv.* 22, 58. Missus cum his Carthalo, nobilis Carthaginiensis. ℙ Romae *nobiles* praecipue habebantur, qui avorum imagines ostendere poterant, quorum essent res praeclarae gestae in republ. sive patricio, sive equestri, sive plebejo sanguine orti essent. [*Accuratius ita rem constituit *Schütz.* in *cl. Cic.*, ut *nobiles* diceret eos, qui orti essent ex familia sive plebeja, sive patricia, cujus multi majores magistratus inde ab aedilitate curuli adepti essent. Ceterum cf. doctissimam de vv. *nobilis* et *nobilitas* disputationem *Manutii* ad *Cic. Fam.* 1, 7.] Contra *ignobiles*, et *novi* dicebantur, qui nullas majorum imagines habebant. *Cic. Verr.* 2, 5, 71. Quanta sit in invidia apud quosdam homines nobiles novorum hominum virtus et industria. *Sen. ep.* 44. *med.* Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, nemo ad nostram gloriam vixit. Adde *Ben.* 3, 38. et *Juven.* 8. *in.* et V. IGNOBILIS. Patriciorum tamen nemo fere *ignobilis* dicebatur, quia saltem ejus imaginem ostendere poterant, qui primus inter patricios lectus fuerat. Quin totus eorum ordo *nobilitatis* nomine significari solet. V. NOBILITAS. ℙ *Nobilis* cum de jumentis dicitur, generosum significat. *Ov. Met.* 2, 690. Nobiliumque greges custos servabat equarum. ℙ *Nobiliorum* familia Romae fuit in gente Fulvia: ex qua M. Fulvius Nobilior, qui fuit consul, triumphavit de Aetolis, et censuram gessit, teste *Liv.* 37, 47., 39, 5. et 40, 45. Aedem Herculis Musarum ex pecunia censoria fecit in circo Flaminio, et in ea novem signa earum ex Ambraciensi oppido translata posuit, ut est ap. *Eum. Restaur. schol.* 7. Alium M. Fulvium Nobiliorem, ex equestri ordine inter conjuratos Catilinae enumerat *Sall.* 17. ℙ *Nobilis*, et *nobilissimus*, temporibus imperatorum titulus fuit Caesarum, filiorum, fratrum, sororum imperatoris, etc., qui *nobilissimatus* dignitate gaudere dicti sunt. V. de his *Briss. de verb. Jur. signif.* ubi plura ex Codice loca profert. ℙ In ablativo fere in *i* desinit: reperitur et in *e. Cic. fragm.* ap. *Charis.* 1, 111. Aliquo excellente ac nobile viro. *Charis. ib. paulo sup.* docet *nobili* de re dici, *nobile* de homine: sed cave credideris.

NOBILISSĬMĀTUS, us, m. dignitas *nobilissimi*, ut *egregiatus* egregii. V. v. praec.

NOBĬLĬTAS, atis, f. *γνώρισμα*, notitia, fama, qua res aliqua nota est pluribus. *Cic. Arch.* 11. In eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque fugiunt, praedicari de se, ac nominari volunt. ℙ Item excellentia, dignitas, pretium, *τιμιότης. Cic. Or.* 3, 31. Cum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret. *Ov. Pont.* 2, 5, 56. Eloquio tantum nobilitatis inest. *Plin.* 14, 15, 17. Postea alia omnia (*vina*) in nobilitatem dederunt. *Id.* 21, 5, 11. Lilium rosae nobilitate proximum est; et *ib.* 6, 17. Nobilitas prima croco Cilicio. *Id.* 3, 5, 6. Nobilitas locorum. *Id.* 10, 47, 67. In ceteris (*alitibus*) nihil, praeter nobilitatem longinquitate factam, memorandum occurrit. [**Vell.* 1, 4, 2. Utriusque urbis eximia semper in Romanos fides facit eas nobilitate atque amoenitate sua dignissimas.] ℙ Item generositas, fecunditas. *Id. ib.* 37, 53. de columbis: Nobilitatem singularum, et origines narrant. ℙ Item claritas generis, *εὐγένεια. Cic. Brut.* 16. Ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam. *Id. Rosc. Am.* 6. Genere et nobilitate sui municipii facile primus. *Ov. Pont.* 4, 16, 43. Maternos Cottas cui, Messalasque paternos Maxima nobilitas ingeminata dedit. *Juven.* 8, 20. nobilitas sola est atque unica virtus. ℙ Item metonymice altitudo et firmitas animi, fiducia, confidentia, superbia, quae ex nobilitate oriri solet, nobiles enim viri, si cum minoribus et plebejis agant, confidentiores superbioresque esse consueverunt. *Tac. A.* 1, 29. Drusus vocata concione, quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita incusat priora, probat praesentia. *Pl. Mil.* 4, 8, 14. Et quia tecum eram, propterea animo eram ferocior: Eam nobilitatem amittendam video. [*Adde *Tac. H.* 1, 30. Nihil arrogabo mihi nobilitatis aut modestiae: neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est. *Liv.* 38, 54. Nobilitatem et regnum in senatu Scipionum accusabant.] ℙ Pro ipsis nobilibus, et praesertim pro patricio ordine, qua plebi opponitur. *Cic. Rosc. Am.* 6. Cum omni tempore nobilitatis fautor fuisset. *Ov. Fast.* 2, 225. ad Fabios: Quo nutis generosa domus? male creditur hosti: Simplex nobilitas perfida tela cave. *Caes. B. G.* 7, 38. Omnis noster equitatus, nobilitas omnis interiit. *Liv.* 26, 12. Nobilitas rempubl. deseruerat, neque in senatum cogi poterat. *Id.* 6, 42. Concessumque ab nobilitate plebi de consule plebejo. Adde 7, 1. et 39, 40. [**Vell.* 2, 43, 4. et restituta in aedilitate, adversante quidem nobilitate, monumenta C. Marii. *Id. ib.* 11, 2. criminatus Metelli lentitudinem, trahentis jam in tertium annum bellum, et naturalem nobilitatis superbiam: ubi ante oculos habuisse videtur *Sall. Jug.* 64. superbia, commune nobilitatis malum. V. quae perquam apprime de hac nobilitatis indole disputat *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 280.] *Aur. Vict. Caes.* 23, 27 et 29., ubi *nobilitas* est senatus R. [`V. quae notavimus ad v. *nobilis.*] ℙ *Plin.* 28, 6, 18. Obstetricum nobilitas non alio succo efficacius curari pronunciavit corporum pruritus, *h. e.* nobilissimae et peritissimae obstetrices. ℙ In plurali num. *Tac. A.* 12, 20. Claudius nobilitatibus externis mitis. *Vitr.* 9, 3. Athletarum nobilitates brevi spatio cum suis corporibus senescunt.

NOBĬLĬTĀTUS, a, um, part. a *nobilito: λαμπρυνθείς*, nobilis et insignis factus, in utramque partem. *Mart.* 9, 60. Pocula Mentorea nobilitata manu. *Cic. Fl.* 26. Cujus civitatis spectata ac nobilitata virtus, etc. *Id. Sen.* 9. Neque enim ex te unquam es nobilitatus, sed ex lateribus et lacertis tuis. *Nep. Iph.* 1. Non tam magnitudine rerum gestarum, quam disciplina militari nobilitatus est. *Plin.* 16, 13, 24. Fraxinus multum Homeri praeconio, et Achillis hasta nobilitata. *Cic. Off.* 2, 7. *f.* Phalaris, cujus est praeter ceteros nobilitata crudelitas. *Plin.* 29, 1, 5. Vectius Valens adulterio Messalinae nobilitatus.

NOBĬLĬTER, adv. *ὀνομαστῶς*, insigniter, celebriter, praeclare. *Vitr. praef. l.* 7. *med.* Columnarum collocationem Cossutius nobiliter est architectatus. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 34. Posidonius argentum caelavit nobiliter. *Id. praef.* 23. Pomona delicias, et odores, atque unguenta nobiliter instruxit. *Sidon. ep.* 9, 9. *med.* Nobilius philosophari. In *Epit. Liv.* 54. Ab exercitu nobilissime tumulatus.

NOBĬLĬTO, as, avi, atum, a. 1. *γνωρίζω, λαμπρύνω*, notum facio, celebrem et famosum reddo, illustro: in utramque partem. *Cic. Tusc.* 1, 15. Poetae post mortem nobilitari volunt. *Liv.* 1, 17. Manavit haec quoque, sed perobscura fama: illam alteram admiratio viri, et praesens pavor nobilitavit. *Ter. Eun.* 5, 7, 20. stultum adolescentulum nobilitas Flagitiis, et eundem indicas. *Titin.* ap. *Non.* 4, 318. Ne eam malefactis nobilitarent. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 5. Illo signo Praxiteles nobilitavit Gnidum. Adde 7, 38, 39. *Pall.* 1, 6. *med.* Aquilo vites sibi objectas fecundat, Auster nobilitat, *h. e.* famam addit, et pretium. *Liv.* 23, 47. Cum jam ante ferocibus dictis rem nobilitassent, infestis hastis concitarunt equos, *h. e.* palam fecissent, praedicassentque, quanta invicem aemulatione, invidiaque exardescerent. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 7. Venus nuda Scopae quemcumque alium locum nobilitatura. [**Vell.* 2, 96, 1. de Agrippa: qui novitatem suam multis rebus nobilitaverat.]

NOBISCUM. V. EGO.

*NOBUNDAE, arum, populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

NOCENS, entis, part. a *nocco: βλαπτικὸς*, nocuus, noxius, perniciosus, nocivus, inutilis. *Hor. Epod.* 3, 3. Edat cicutis allium nocentius. *Cic. N. D.* 2, 47. Vites a caulibus, ut a pestiferis et nocentibus, refugere dicuntur. *Claud. III. cons. Honor.* 166. flamma nocens Gradivi, *h. e.* sidus noxium Martis. ℙ Item malus, maleficus, reus, *κακοποιὸς*, qui injuriam, aut maleficium committit, vel commisit. *Cic. Off.* 2, 14. *med.* Ita esse habendum religioni, nocentem aliquando, et nefarium, impiumque defendere. (Ex his verbis *Nonius* recte colligit, 5, 64. *nocens* levius esse quam *nefarius, impius.*) *Id. Divin. Verr.* 3. In hac libidine hominum nocentissimorum. *Id. ib.* 1, 14. Se avarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimae victoriae non posse. *Quint.* 2, 15. *f.* Nocentissimi mores. *Ov. Pont.* 1, 8, 19. Nec prius abscessit, merita quam caede nocentum Se nimis ulciscens exstitit ipse nocens. *Juven.* 13, 3. se judice nemo nocens absolvitur. [*P. Syr.* Judex damnatur, cum nocens absolvitur. *Bailey.*] *Sen. Phoen.* 538. Parens scelere nullo nocens, *h. e.* nullius sceleris reus; et *Oed.* 235. Regis caede nocens. *Ov. A. Am.* 1, 260. Partaque per gladios regna nocente manu.

NOCENTER, adv. *βλαβερῶς*, noxie, damnose. *Colum.* 8, 2. *med.* Sed infestis velut subibus nocenter armata. *Cels.* 5, 28. *n.* 11. Abscessus nocenter adolescit, et sitim vigiliamque exprimit. *Tert. Apol.* 14. Aesculapium avaritiae merito, qua medicinam nocenter exercebat, fulmine vindicatum. Qui *nolenter* leg., male leg.

NOCENTĬA, ae, f. contrarium innocentiae. *Tert. Apol.* 40. Deus innocentiae magister, nocentiae judex. Adde *adv. Marc.* 2, 13.

NOCĔO, es, ui, itum, a. 1. *βλάπτω*, officio, damnum infero, fraudi sum. [**Voss. nocere* derivat a *nex*, non improb. *Doederl.* q. v. 3. p. 175.] *Cic. Off.* 1, 4. Ut declinet ea, quae nocitura videantur; et *Caecin.* 21. Arma alia ad tegendum, alia ad nocendum. *Id. Att.* 12, 47. De quo nihil nocuerit, si aliquid cum Balbo eris locutus. *Id. Off.* 3, 5. Non licet sui commodi causa nocere alteri. *Caes. B. C.* 3, 28. Jurejurando accepto, nihil iis nocituros hostes. ℙ Cum accusativo. *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 18. Jura te nociturum esse hominem hac de re neminem. Al. leg. *homini nemini*, praesertim cum *v.* 21. repetat, *juro me nociturum nemini.* [*ita *Lindem.*] *Salmas.* in *Spart. Hadrian.* 20. addit illud *Phaedri* 4, 18. Namque ut refecta est (*colubra*) nocuit hominem protinus, *h. e.* momordit. Sed plerique al. leg. *necuit.* Item illud *Seren. Sam.* 46. Quem nocuit serpens. Sed alii leg. *quum.* Item illud *Hadr. Aug.* in *epitaph. Borysthenis equi* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 289. *Burm.* Pannonicos, nec ullus Apros cum insequentem Dente aper albicanti Ausus fuit nocere.

Sed hic quoque suspecta lectio. Utcumque sit, eleganter regere potest aliquem ex accusativis communibus. *Cic. N. D.* 3, 35. Si uredo, aut grando quippiam nocuit. [*Cf. *Ruddim.* 2, 145, 48. et *Ramsh. Gr. Lat.* §. 74. p. 173. ubi comparetur Gr. *βλάπτειν τινά.*] ℙ Dicimus etiam *nocere noxam*, ut *currere cursum*, etc. *Liv.* 9, 10. *in formula dedition. Fecial.* Quandoque hice homines injussu populi R. Quiritium foedus ictum iri spoponderunt, atque ob eam rem noxam nocuerunt. Est qui leg. *noxa*. ℙ Passive impersonaliter. *Caes. B. G.* 5, 19. Relinquebatur ut tantum in agris vastandis, incendiisque faciendis hostibus noceretur; et *ib.* 36. Ipsi vero nihil nocitum iri. *Cic. Off.* 1, 10. Ut ne cui noceatur. *Id. Cat.* 3, 12. Mihi nihil ab istis noceri potest. *Ulp. Dig.* 9, 3, 1. *in Edicto Praet.* Si vivet nocitumque ei esse dicetur. *Pl. Curc.* 2, 3, 73. Neque diem decet me morari, neque nocti nocerier: *nocetur nocti*, cum non tempori reditur domum coenandi causa. ℙ Personaliter. *Vitr.* 2, 9. *med.* Larix ab carie, aut a tinea non nocetur. *Solin.* 40. *extr.* de ciconiis: Noceri eas, omnibus quidem locis nefas ducunt, sed in Thessalia vel maxime, ubi serpentum immanis copia est. ℙ *Noxim, is, it*, pro *nocuerim*, vel *noceam*, ut *faxim. Lucil.* ap. *Fest.* in *Tama.* Inguen exsistat, papulae, tama, ne boa noxit. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 3, 13. *med.* Ne fluctus, ne vadus, ne piscis aliquo noxsit. *F.*]

*NOCHETI, orum, gens Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

NOCĪVUS, a, um, adj. *βλαβερός*, qui nocet. *Plin.* 20, 2, 6. Pecori praecipue nociva. *Phaedr.* 1, 29. Et sibi nocivum concitant periculum.

NOCTESCIT, ebat, imp. 3. *συνοχοάζει*, tenebrae incipiunt, aer obtenebratur. *Furius* ap. *Non.* 2, 591. et ap. *Gell.* 18, 11. Omnia noctescunt tenebris caliginis atrae. *Caesell. Vindex* hoc verbum improbat; *Gell.* probat; *Non.* Furium poetam esse ait auctoritatis incertae.

NOCTĪCŌLĀ, ae, m. et f. qui noctem colit, ut Nocticola Indus ap. *Prud. Ham.* 636., quia scilicet ob diurnos nimios calores noctem amat, qua refrigeratur.

NOCTĪCŌLOR, oris, adj. noctis colorem habens, h. e. atrum, ut Nocticolor Styx, ap. *Auson. Monos. de Diis* 11. Sic, Memnonem nocticolorem, dixit *Laevius* ap. *Gell.* 19, 7., quia Aethiops fuit.

NOCTĪCŪLUS, i, m. *Varr. L. L.* 4, 19. *extr.* Catulus a sagaci sensu et acuto: hinc canis: nisi quod, tuba et cornu signum cum dant, canere dicuntur: quod hic item, et nocticulus in custodia, et venando signum voce dat, canis dictus. *Nocticulus* hic dici videtur nocte vigilans: sed totus hic locus corruptus videtur *Vossio* in *Etym.* in *Canis.*

NOCTĪFER, a, um, adj. *νυκτοφόρος*, noctem afferens: epithetum Hesperi stellae: a *nocte*, et *fero*, ea forma, qua mane *Lucifer* vocatur. *Catull.* 62, 7. Jam dudum Oetaeos ostendit Noctifer ignes. Adde *Calp. Ecl.* 5. *extr.*

NOCTĪLŪCĀ, ae, f. noctu lucens, *νυκτιλαμπής*, epitheton lunae. *Varr. L. L.* 4, 10. Luna, quod sola lucet noctu: itaque ea dicta noctiluca in Palatio: nam ibi noctu lucet templum. *Hor. Od.* 4, 6, 38. canentes Rite crescentem face noctilucam. ℙ Item lucerna, ob eandem causam. *Varro* in *Margopol.* ap. *Non.* 4, 2. Noctilucam tollo, ad focum fero, inflo, anima reviviscit. Alii leg. *noctilugam*, alii *nocticulam*, alii *noctu lucam*, idest bovem. ℙ *Festus:* Noctilucam Lucilius cum dixit, obscenum significat. Al. leg. *noctilucum* vel *noctilugum*, et dici putant de re mali ominis, ut sunt bubones et hujusmodi noctu lugentes. Alii melius *noctipugam*, h. e. *τὸ κέντρον αἰδοῖον.* V. PUNCTULUM.

NOCTĪPŪGĀ. V. in v. praec.

NOCTĪSURGĪUM, ii, n. noctu surgere. *Paul.* ex *Festo* in *Egretus:* Nyctegresia, quasi noctisurgium.

NOCTĪVĀGUS, a, um, adj. *νυκτοπόρος*, qui nocte vagatur. *Virg. A.* 10, 216. almaque curru Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum. *Lucr.* 5, 1190. Noctivagae faces coeli. *Val. Fl.* 2, 44. Noctivagum iter. *Stat. Theb.* 10, 158. Noctivagus Deus, *h. e.* Somnus.

NOCTĪVĪDUS, a, um, adj. qui noctu videt, ut *noctividales*, h. e. noctua, ap. *Capell. in. l.* 6. in *carm.*

NOCTĪVĪGĪLUS, a, um, adj. qui noctu vigilat. Noctivigilam Venerem dixit *Pl. Curc.* 1, 3, 40., quia nox amatoribus amica est, et ipsi noctes insomnes ducere solent. In quibusdam codicib. legitur *noctuvigila.*

NOCTU, adv. *νύκτωρ, διὰ νυκτὸς*, nocte, noctis tempore: proprie est nomen ablativi casus, ut *diu, natu, sponte*, etc. *Caes. B. G.* 1, 8. Nonnunquam interdiu, saepius noctu. *Sall. Jug.* 42. Diu noctuque exercitum tentabat. *Id. fragm.* ap. *Charis.* 2, 185. noctu diuque stationes et vigilias tentare. *Cic. Fam.* 14, 7. *Χολὴν ἄχραντον* noctu ejeci. *Nep. Eum.* 2. *extr.* Nisi ille clam noctu ex praesidiis ejus effugisset. *Hor. Ep.* 2, 2, 27. lassus dum noctu stertit. ℙ Usurpatur etiam pro ablat. *nocte.* [*Haec signo interposito ab antecedd. recte sejunxit *F.* Ceterum cf. *Ruddim.* 1, 119, 48.] *Pl. Mil.* 2, 4, 28. noctu hac somniavi. *Id. Amph.* 1, 1, 116. Credo ego, hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 1, 4. Qua Galli furtim noctu summa arcis adorti Moenia concubia. Ubi *Macrob.* Animadvertendum est, non solum quod *noctu concubia*, sed quod etiam *qua noctu* dixerit: et hoc posuit in annalium septimo: in quorum tertio clarius idem dixit: Hac noctu filo pendebit Etruria tota. *Claud. Quadrig. ib.* Senatus de noctu convenire, noctu multa domum dimitti. *Macrob.* ipse 1, 3. *f.* Ergo noctu futura, cum media esse coeperit, auspicium Saturnaliorum erit.

NOCTUA, ae, f. *γλαῦξ*, avis carnivorae genus, inde nomen habentis, quod noctu canit, et vigilat, ut ait *Varr. L. L.* 4, 11. Differre ajunt a bubone, quod caret pennis in capite auriculas referentibus. V. BUBO. *Plin.* 10, 17, 19. Noctuarum contra aves solers dimicatio. Majore circumdatae multitudine, resupinae pedibus repugnant, collectaeque in arctum, rostro et unguibus totae teguntur. *Id.* 18, 35, 87. Noctua in imbre garrula. *Id.* 10, 29, 41. Noctuarum genus in Creta insula non est. *Virg. G.* 1, 404. seros exercet noctua cantus. *Pl. Men.* 4, 2, 90. Egon' dedi? *Pe.* tu, tu, inquam: vin' afferri noctuam, Quae, tu, tu, usque dicat tibi? nam nos jam defessi sumus. ℙ *Noctuas Athenas mittere, γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας*, proverbium de iis, qui eo quippiam afferunt, cujus ibi maxima est copia. Cum enim noctua sacra sit Palladi Athenarum praesidi ob vigilantiam in litterarum studiis; noctuarum in ea urbe mira copia erat, tum vivarum, tum pictarum, fictarumque, et in numis insculptarum. Utitur eo Graece *Cic. Fam.* 6, 3. et *ib.* 9, 3. et *Q. Fr.* 2, 16., atque postremo hoc loco Latine etiam legitur in quibusdam libris. V. LIGNUM. ℙ Fabulam de Noctua habes in NYCTIMENE. ℙ Est cogn. R., ut Q. Caedicius Noctua, qui consul fuit cum M. Valerio Corvino U. C. ann. CCCCLXV. V. *Glandorp. Onomast.*

NOCTŪĀBUNDUS, a, um, adj. noctu vagans, vel iter faciens. *Cic. Att.* 12, 1. Cum complicarem hanc epistolam, noctuabundus ad me venit cum epistola tua tabellarius.

NOCTŪĪNUS, a, um, adj. ut Noctuini oculi, h. e. glauci, quales noctuae sunt. *Pl. Curc.* 1, 3, 35. Tun' etiam cum noctuinis oculis odium me vocas?

[NOCTŪLĪUS, ii, m. Deus Brixianorum, qui noctu et somno praefuisse videtur. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 115. Deo Noctulio, etc. Adde aliam ap. *Mur.* 98, 4. *F.*]

NOCTURNĀLIS, e, adj. idem quod nocturnus. *Sidon. ep.* 7, 16. Per quos nocturnalem cucullum transmisi. *Alcim. ep.* 33. Nocturnalis habitatio.

NOCTURNĪNUS. V. in v. sq.

NOCTURNUS, a, um, adj. *νύκτιος, νυκτερινός*, ad noctem pertinens. *Cic. Rosc. Am.* 7. Decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit. *Id. Sen.* 23. Labores diurnos nocturnosque suscipere. *Id. Mil.* 3. *f.* Nocturnum furem quoquo modo, diurnum, si se telo defenderit, impune interficere. *Id. Cat.* 1, 1. Nocturnum praesidium Palatii. *Id. Leg.* 2, 15. Nocturna sacra. *Hor. Od.* 4, 1, 37. Nocturna somnia. *Id. Ep.* 1, 19, 11. non cessavere poetae Nocturno certare mero, putere diurno. *Id. Sat.* 1, 5, 85. Nocturna vestis. *Sen. Hipp.* 420. Luna regens frena nocturni aetheris. *Virg. A.* 11, 736. At non in Venerem segnes, nocturnaque bella, *h. e.* coitus. [*Id. ib.* 5, 868. nocturnis rexit in undis. *Lucan.* 3, 499. armisque coruscas Nocturnis tenere faces. — *Sil.* 1, 580. nocturnae turres, i. e. noctu excitatae.] ℙ *Nocturna ora* ap. *Pl. Poen.* 1, 2, 107. habere dicuntur feminae deformes. ℙ *Nocturnus* dicitur, qui noctu quippiam facit. *Virg. G.* 3, 538. lupus gregibus nocturnus obambulat. *Hor. Sat.* 1, 3, 117. Et qui nocturnus sacra Divum legerit; et *ib.* 2, 6, 100. urbis aventes Moenia nocturni subrepere. *Calp. Ecl.* 5, 73. Ut mala nocturni religavit brachia Mopsi Tityrus, et medio furem suspendit ovili, *h. e.* noctu vagantis furandi causa. *Petr. Sat.* 15. Advocati jam paene nocturni, qui volebant pallium lucrifacere, [*i. e. advocati tamen, quum jam paene nox esset. Male *Turneb.* et *Scal.* persuaserunt commentantibus *nocturnos* et *nocturnos advocatos* dici pro furibus. V. *Gronov. observv.* 1, 1. p. 17. *ed. Frotsch.*] Adde *Mart.* 10, 70. ℙ *Nocturnus, i*, Deus noctis. *Pl. Amph.* 1, 1, 116. Credo ego, hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium. Est qui legit *Nocturninum.* Porro hic Deus videtur esse Lucifer, qui vespere oriens noctem fert, (sicut mane diem) unde *noctifer* dicitur a *Catull.* et *Calpurn.* V. NOCTIFER. Quo pertinet illud *Statii Theb.* 6, 238. Roscida jam novies coelo dimiserat astra Lucifer, et totidem Lunae praevenerat ignes, Mutato nocturnus equo.

NOCTŪVĪGĪLUS. V. NOCTIVIGILUS.

NŌCŪUS, a, um, adj. *βλαβερός*, nocens, noxius. *Ov. Hal.* 128. Lubricus, et spina nocuus non gobius ulla. *Scrib. Comp.* 114. A quibusdam ignorantibus ejus usus accusatur, quasi nocuus.

NŌDĀMEN, inis, n. ligamen, nodus. *Paul. Not. carm.* 26, 593. proprii captus nodamine lori.

NŌDĀTĬO, onis, f. nodorum in ligno frequentia, nodositas. *Vitr.* 2, 9. *med.* Quae pars est proxima terrae, enodis efficitur: quae vero est superior, propter nodationis duritiem dicitur esse fusterna.

NODĀTUS, a, um, part. a *nodo*: nodo vinctus. *Ov. R. Am.* 17. collum laqueo nodatus ab arcto. *Lact. Op. D.* 7. Solidamenta corporis, quae ossa dicuntur, nodata et adjuncta invicem nervis alligavit. ℙ Item nodos habens, nodosus, *ὀζώδης.* *Plin.* 13, 22, 43. Ferula geniculatis nodata scapis. *Id.* 16, 38, 73. Cornus incisuris nodata. ℙ Translate. *Stat. Th.* 9, 276. Surgentem dextra Chaletum, vulnusque minantem Sorbebat rapidus nodato gurgite vortex, *h. e.* in morem nodi contorto.

NODĬĀ, ae, f. herba alio nomine mularis, quae nomas curat, et efficacissima est adversus scorpiones pota in vino, aut posca. *Plin.* 24, 19, 115.

*NODĪNUS, deus. V. *Nodutus.* ℙ Item fluvius Latii. *Cic. N. D.* 3, 20. *extr. B. A.*

NODO, as, a. 1. *πλέκω*, nodos facio, ligo in nodos. *Cato R. R.* 32. Vites bene nodentur per omnes ramos. *Virg. A.* 4, 138. crines nodantur in aurum. *Plin.* 37, 3, 11. *n.* 2. Ut retia arcendis feris podium protegentia succinis nodarentur. *Claud. in Ruf.* 1, 118. caeruleo vestes connexuit angue, Nodavitque adamante comas. [*Nodare* verb. proprium de fibula. V. *Gron. observv.* in *eccles.* 18, 194. p. 649. *ed. Fr.*] *Stat. Achill.* 2, 440. Oebalios in nubila condere discos, Et liquidam nodare palen, *h. e.* luctando implicare crura et brachia. Al. leg. *nudare.* Eadem lectionis varietas est in illo *ejusd. Silv.* 3, 1, 157. ad Herc.: Seu tibi dulce manu Libycas nodare palaestras.

[NODOSĒ, adv. involute. *Tert. Res. carn.* 46. Et quid ego nodosius, cum Apostolus absolutius (*loquatur*)! *F.*]

NODOSĪTAS, atis, f. nodorum multitudo, durities. Translate. *August. Conf.* 2, 10. Quis exaperit istam tortuosissimam et implicatissimam nodositatem.

NODOSUS, a, um, adj. *ὀζώδης*, multos habens nodos. *Ov. Her.* 10, 101. Nodoso stipite mactare aliquem. *Val. Fl.* 8, 298. nodosi roboris uncus. *Pers.* 3, 11. nodosa arundo. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 8. Nodosi ictus, *h. e.* nodosa virga, seu bacillo inflicti. *Ov. Met.* 3, 153. Nodosa lina, *h. e.* retia. Sic *Fast.* 6, 110. nodosas tendere plagas. *Lucan.* 8, 672. Nodosa ossa frangere. [*i. e. colli vertebras.] ℙ *Nodosa* in plantis sunt nimis dura, aspera, inutilia fructui. *Sen. ep.* 12. Nodosi et retorridi rami. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 11. Fructus retorridus et nodosus. *Colum.* 4, 24. *med.* Nodosam et scabram plagam (*in vite*) relinquere. ℙ *Nodosa* dicitur podagra, quia nodos et articulos infestat: et quia ipsi nodi tument et indurescunt. *Hor. Ep.* 1, 1, 31. et *Ov. Pont.* 1, 3, 23. ℙ Translate est solutu difficilis, implicatus. *Sen. Oedip.* 101. Nodosa sortis verba, et implexos dolos solvere. *Macr. Sat.* 7, 1. *med.* Nec nodosas et anxias, sed utiles quidem, faciles tamen quaestiones movere. *August. Conf.* 4, 16. Nodosissimi libri enodati. ℙ Translata sunt et illa *Hor. Sat.* 2, 3, 69. Scribe decem a Nerio: non est satis: adde Cicutae Nodosi tabulas centum, mille adde catenas: Effugiet tamen, etc. Dicitur *Cicuta* scriba callidissimus fuisse, qui juris formulas omnes, et quasi nodos in tabulis adhibebat, quibus alligarentur debitores, ne quando possent acceptae pecuniae reddendae obligationem effugere. *Val. Max.* 2, 9. *n.* 1. Nodosam exsolvite stipem, *h. e.* quam persolvere multis obligationibus, et quasi nodis tenemini. Supra dixerat: Parentes, vos alendo, nepotum nutriendorum debito alligaverunt. [*V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 99.]

NODŌTUS, i, m. a *nodus.* Hoc nomine Deum agnoverunt, quem praeficerent geniculis nodisque culmorum in frumentis. *August. C. D.* 4, 8. V. NODUTUS.

NODŪLUS, i, m. dimin. parvus nodus. *Plin.* 21, 5, 13. de serendis liliis: Lilia suspenduntur in fumo: dein nudantibus se nodulis, in faece vini macerantur. *Appul. Met.* 3. Per istum capilli tui nodulum, quo meum vinxisti spiritum. V. DEVASTUS.

NODUS, i, m. *ἅμμα*, ligatura, nexus, vinculum, quod non facile dissolvitur. *Cic. Univ.* 4. *f.* Omnia autem duo, ad cohaerendum, tertium aliquid requirunt, et quasi nodum vinculumque desiderant. *Virg. Ecl.* 8, 77. Necte tribus nodis ternos, Amarylli, colores. *Id. A.* 1, 300. centum vinctus aenis Post tergum nodis; et *ib.* 11, 775. tum croceam chlamydemque sinusque crepantes Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro; et 12, 603. Et nodum informis leti trabe nectit ab alta. *Petr. Sat.* 94. Cervices nodo condere. *Ov. Met.* 2, 560. nodos manu diducere. *Virg. A.* 8, 260. Cacum Corripit in nodum complexus, *h. e.* brachiis circumdatis: veluti nodo constringens. [*Manil.* 1, 333. de serpente: corpus Explicat, et nodos, sinuataque terga per orbem: quem locum Noster perperam infra laudaverat in iis, ubi *nodus* de junctura et vinculo membrorum intelligi debet. Simili ratione ponitur ap. *Sen. Med.* 688. Tumidumque nodis corpus adgestis plicat; et 696. Major minorque sentiunt nodos fe-

rae, i. e. volumina, spiras; cf. *Virg. A.* 2, 220. Ita etiam ap. *Ov. Her.* 9, 86. pro *cunis*, vel, ut alii Mss. habent, *caudis* emendat *nodis Heins.*, vehementer prob. *Ruhnk.* — *Sil.* 1, 318. impulsa lancea nodo, i. e. amento.] ℙ *Nodus Herculeus* genus est vinculi arctissimi, et solutu difficillimi, quod inventum ferunt ab Hercule: ob id in religione habitum, occultamque vim ad multa habere creditum. *Macr. Sat.* 1, 19. *f.* docet, dracones, qui in caduceo Mercurii finguntur, media parte voluminis sui invicem hoc Herculis nodo obligari. *Plin.* 28, 6, 17. Vulnera nodo Herculis praeligare, mirum quantum ocior medicina est. Atque etiam quotidiani cinctus tali nodo, vim quandam habere utilem dicuntur: quippe cum Hercules eum prodiderit. *Festus* in *Cingulo:* Cingulum Herculaneo nodo vinctum novae nuptae vir solvit ominis gratia, ut sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui septuaginta liberos reliquit. V. *Sen. ep.* 87. *f.* ℙ De nodo Gordii, quem Alexander cum alia ratione non posset, ense expedivit, V. GORDIUS. ℙ In coelo *Nodus* est stella inter utrumque Piscem, in ipso aequatore posita, quasi vinculum, quo caudis invicem colligantur. *Cic.* in *Arat.* 14. Atque horum e caudis duplices velut esse catenae Dicuntur, sua diversae per lumina serpunt, Atque una tandem in stella communiter haerent, Quam veteres soliti coelestem dicere Nodum. *Caes. German.* in *Arat.* 243. Non illis liber cursus, sed vincula caudа Singula utrumque tenent, uno coeuntia nodo: Nodum stella premit. ℙ Per synecdochen *nodus* est cingulum. *Virg. A.* 1, 324. nodoque sinus collecta fluentes. *Mart.* 6, 13. Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo, Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo. *Lucr.* 5, 687. hac ratione *nodum* pro circulo aequatoris posuit. ℙ Synecdoche est et in illo *Mart.* 5, 37. Quae crine vicit Baetici gregis vellus, Rhenique nodos, *h. e.* crines Germanorum in nodum collectos. *Tac. G.* 38. de Suevis: Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. Item in illo *Manil.* 5, 664. de thynnis captis: luctantur corpora nodis, *h. e.* retibus. ℙ Metaphorice est quodvis vinculum, et conjunctio, qua quippiam continetur. *Cic. Or.* 66. His igitur singulis versibus quasi nodi apparent continuationis. *Id. Amic.* 14. Amabilissimum nodum amicitiae tollere. [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 4, 136.] *Lucr.* 4, 7. Exsolvere animos nodis religionum. *Ov. Her.* 20, 39. Dii faciant, possim plures imponere nodos, Ut tua sit nulla libera parte fides. [**Nodus* h. l. est jusjurandum. *Ruhnk.*] ℙ Item saepe quaevis res difficultatem habens, quae remoratur, et retinet: et praesertim aenigma, obscura quaestio, interrogatio, cui difficile est satisfacere, et hujusmodi. *Cic. Att.* 5, 21. Dum hic nodus expediatur, non putet senatus, nos oportere decedere. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 11. Acriter nos tuae supplicationes torserunt: incideramus enim in difficilem nodum. *Cic. ad Brut.* 1, 18. *med.* Maximus in republica nodus est, inopia rei pecuniariae. *Juven.* 8, 50. Qui juris nodos, et legum aenigmata solvat. *Sen. ep.* 87. *f.* Bonum animum habe: unus tibi nodus, sed Herculaneus, restat, *h. e.* unum argumentum solvendum, sed ceterorum difficillimum. *Gell.* 5, 9. Nodus linguae. *Flor.* 4, 9. Nondum ad pacis stabilitatem profecerat Caesar, cum scopulus, et nodus, et mora publicae securitatis superesset Antonius. *Virg. A.* 10, 428. primus Abantem oppositum interimit, pugnae nodumque, moramque. *Serv.* hic aliam hujus vocis significationem aperit. *Nodus*, inquit, proprie est densa peditum multitudo, sicut *turma* equitum, ut lectum est in disciplina militari. Eadem habet *Isid. Orig.* 9, 3. *f.*, additque, ita dici a difficultate, quia vix resolvi, et fundi potest. [**Servii* interpretatio non ferenda. *Nodus* dicitur h. l. is, qui fortunam belli diutissime sustinet, longissime resistit et sero victoriam virtute sua concedit.] ℙ Est etiam *nodus* in corpore animalis junctura et vinculum, quo artus, et ossa inter se connectuntur. *Plin.* 11, 37, 88. Nervi orsi a corde nodos corporis, qui vocantur articuli, aliubi interventu, aliubi ambitu, aliubi transitu ligantes. *Caes. B. G.* 6, 26. Alces crura sine nodis, articulisque habent. *Plin.* 11, 37, 67. Cervix vertebratis orbiculatim ossibus flexilis, articulorum nodis jungitur. [†*Appul. Met.* 5. p. 82. *Ed. Colv.* noxii serpentis nodum cervicis et capitis abscide. *Lucan.* 6, 672. non durae nodus hyaenae defuit, i. e. spina, vertebrarum seu articulorum dorsi compages. V. *Cort.* ad h. l. Adde *ib.* 4, 499. Viperei coeunt, abrupto corpore, nodi, i. e. singuli articuli eorumque commissurae: ita *Cort.* q. v.] ℙ Dicuntur etiam *nodi* quatuor coeli partes, seu loca, quibus quatuor anni tempora incipiunt, ac desinunt: quia sunt quasi junctura, et articuli, per quos una tempestas anni desinens cum alia incipiente jungitur. *Manil.* 5, 618. Quae Tropica appellant, quod in illis quatuor anni Tempora vertuntur Signis, nodosque resolvunt. *Articulos* alibi vocat, ut 2, 430. ℙ In arboribus ceterisque plantis est eminens et durior ille callus, unde rami exeunt: quia juncturam in corpore imitatur, vel quia lignum eo loco in morem nodi contortum est, ὄζος. *Colum. Arbor.* 3. Virgae malleolaris imam partem juxta nodum, sic ne gemmam laedas, amputato. *Liv.* 1, 18. Baculum sine nodo adunco tenens. *Virg. A.* 7, 507. Stipes gravidus nodis; et *ib.* 11, 553. telum solidum nodis, et robore cocto. *Id. Ecl.* 5, 90. Pedum formosum paribus nodis. *Sen. Ben.* 7, 9. Lignum eo pretiosius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torsit. *Plin.* 16, 36, 64. Gracilitas arundinis distincta nodis. *Id.* 13, 5, 11. Cedrus ramosa, et nodis infesta. ℙ Hinc per synecdochen *nodus* dicitur clava Herculis, quia tota nodosa est. *Sen. Herc. Oet.* 1661. Hic nodus, inquit, nulla quem capiet manus, mecum per ignem flagret. ℙ *Nodum in scirpo quaerere.* V. SCIRPUS. ℙ In metallis *nodus* est materia durior. *Plin.* 34, 13, 37. Ipsum vero non percoqui, nisi translatum in alias fornaces, et esse nodum quendam materiae. ℙ In gemmis quoque durior pars, et minus pellucida. V. CENTRUM. *Id.* 37, 10, 55. Baroptenus nigra, sanguineis et albis nodis. Est qui malit *notis.* ℙ *Nodus articuli*, aut *nervi* est contractio, tumor, et durities ex ictu aut alia causa, qua articulus moveri nequit, *γάγγλιον. Plin.* 24, 5, 13. Galbanum imponitur ischiadicis, strumis, articulorum nodis. *Id.* 30, 12, 36. Nervorum nodis capitis viperini cinis ex oleo cyprino.

NODUTERENSIS Dea, quae praeerat frugibus terendis. *Arnob.* 4, 131., ubi alii melius leg. *Terensis.* **Locus est:* Nodutis dicitur deus —: et, quae praeest frugibus terendis Noduterensis. *B. A.*

*NODŪTIS. V. NODUTUS et NODUTERENSIS. *B. A.*

NODŪTUS, i, m. Deus, qui ad nodos perducebat res satas. *Arnob.* 4, 131. In vulgatis ap. *Arnob.* est *Nodutis*, quae terminatio magis Deae convenit. Sed *Nodutus*, sive *Nodotus* legendum est. *August. C. D.* 4, 8. Praefecerant Proserpinam frumentis germinantibus, geniculis nodisque culmorum Deum Nodotum. *Alii leg. *Nodinus. B. A.*

[NOĒ, m. indecl. *Νῶε* (ab Hebr. נֹחַ *nóah*, quies) filius Lamech, et pater Sem, Cham et Japhet, qui a diluvio una cum familia sua Dei beneficio servatus est. *Sedul.* 1, 158. corvus Nunc bonus Heliae, qui perfidus antea Noe. *Cl. Mar. Victor.* 2, 286. Unus erat Noe justus, quem propter in iras Differret prodire Deus. In nummo Apamensi Alex. Severi Aug. videre est arcam, ex qua Noe columbam olivae ramusculum ore ferentem excipit. V. *Eckhel. D. N. V.* T. 3. p. 134. et sqq.; itidemque in lapide ap. *Moff. Mus. Ver.* p. 279, 1., in quo etiam legitur inscriptio Christiana. *F.*]

*NOĒGA, ae, f. *Νοίγα*, Hispaniae Tarraconensis oppidum, in tractu Asturum, in paeninsula Pesici. *Mela* 3, 1. *Plin.* 4, 20. ℙ Hodie forsan est *Navia. B. A.*

NOEGEUM, i, n. quidam dicunt amiculi genus praetextum purpura, quidam candidum, ac perlucidum: quasi a nauco, quod putamen quorundam pomorum est tenuissimum, non sine candore, ut *Livius Andron.* ait in *Odyssea:* Simul ac lacrimas de ore noegeo detersit, id est candido. Haec *Festus. Dacerius* monet, male *Festum* interpretari *noegeo, id est candido:* dicendum fuisse, *id est* amiculo. Verti enim a *Livio* illud *Homeri Odyss.* 8, 88. *Δάκρυ' ὁμορξάμενος κεφαλῆς ἀπὸ φάρος ἔλεσκεν;* quod et *Scaliger* viderat.

*NOĒLA, ae, f. opp. Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

NOĒMA, ătis, n. *νόημα*, figura est sententiarum, cum quibusdam prolatis, aliud quidpiam intelligi volumus. Eam describit *Quint.* 8, 5. Graecis tamen litteris scribit *νόημα*, non Latinis.

*NOĒRUS, a, um, adj. *νοερός*, i. e. intelligendi vi praeditus. *Tert. adv. Valent.* 20. Coelos autem noeros deputant, et interdum angelos eos faciunt. *B. A.*

[NOĒTUS, i, m. *νοητός*, intelligibilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Romanelli*, *Topogr. Nap.* T. 3. p. 391. P. Pomponius Noetus. *F.*]

NOLA, ae, f. *Quint.* 8, 6. In triclinio choa, in cubiculo nola. Est autem vox nove conficta ad aenigma conficiendum, quod expedivit adhuc nemo. V. CHOA. [†V. *Spalding.* ad h. l.] A recentioribus adhibetur ad significandum tintinnabulum, vulgo *campana*, quod haec primum usurpata fuerit Nolae a S. Paulino episcopo. Quod tamen falsum esse arguit *Fr. Cancellerius* in opere, cui titulus *Le campane di Campidoglio* p. 1. et 11. Est autem Nola urbs Campaniae, Romanorum colonia, a Chalcidensibus condita. *Plin.* 3, 5, 9. *Sil.* 12, 161. Hinc ad Chalcidicam transfer citus agmina Nolam. Campo Nola sedet crebris circumdata in orbem Turribus, etc. *Vell.* 1, 7. a Tuscis una cum Capua conditam fuisse tradit. ℙ De *nola* tintinnabulo *Avien.* (qui *Paulini Nolani* fere aequalis fuit) *fab.* 7. Hunc *(canem)* dominus, ne quem probitas simulata lateret, Jusserat in rabido gutture ferre nolam. Al. rectius leg. *notam.*

NOLĀNUS, a, um, adj. ad Nolam, *Νῶλαν*, urbem pertinens. *Sil.* 12, 293. Nolana moenia. *Liv.* 23, 14. Nolanus ager; et 24, 13. Nolana plebs. ℙ *Nolani, orum*, Nolae cives. *Liv.* 8, 25 et 26. etc. ℙ Primam male corripit *Prud. περὶ στεφ.* 11, 308. Campanus Capuae, jamque Nolanus adest.

NOLENS, entis, part. a *nolo:* invitus. *Flor.* 2, 6. Aquilae prodire nolentes. *Sen. Phoen.* 99. Qui cogit mori nolentem, in aequo est, quique properantem impedit. *Id. Thyest.* 420. Moveo nolentem gradum. *Lucan.* 1, 274. quamvis nolente senatu, Traximus imperium; et 2, 175. forsan nolentibus umbris. Adde *Mart.* 8, 30.

NOLENSIS, e, adj. Nolanus. Est *August. C. D.* 1, 10. Paulinus noster, Nolensis episcopus.

NOLENTER. V. NOCENTER.

NOLENTIA, ae, f. noluntas. *Tert. adv. Marc.* 1, 25. *f.* Indignatio, bilis, nolentia, offensa.

*NOLĪBA, ae, f. opp. Hispaniae Tarraconensis, in tractu Oretanorum. *Liv.* 35, 22. *B. A.*

NOLO, non vis, non vult, etc. nolui, nolle, anom. *ἀβουλέω, οὐ δέχομαι, οὐ θέλω*, non volo: a *non*, et *volo*, ea ratione, qua ex *ne*, et *quidquam* factum est *nequam*, ut *Varr. L. L.* 9, 5. docet. Non omnes tamen verbi *volo* personae sic componuntur, quia *non vis*, *non vult*, *non vultis* divisa adhuc usurpantur. Obsoletum est enim illud *Lucilii* ap. *Diomed.* 1, 381. Vultis, empta est: noltis, non empta est. *Cic. Or.* 45. Libenter etiam copulando verba jungebant, ut sodes, pro, si audes; sis, pro, si vis; nolle, pro, non velle. *Nep. Thras.* 4. Ex istis nolo amplius, quam centum jugera. *Ter. Heaut.* 4, 3, 23. nolo mentiare. *Id. Eun.* 5, 2, 67. nolo, me in via Cum hac veste videat. *Id. Hec.* 5, 1, 32. nolo, falsa fama esse gnatum suspectum tuum. *Pl. Stich.* 1, 2, 85. nam quo dedisti nuptum, abire nolumus. *Ter. Eun.* 4, 7, 43. novi ingenium mulierum: Nolunt, ubi velis: ubi nolis, cupiunt ultro. *Caes. B. G.* 1, 18. Pluribus praesentibus eas res jactari, nolebat. *Hor. Sat.* 1, 6, 72. Noluit in Flavi ludum me mittere. *Pl. Epid.* 4, 2, 25. Ubi voles pater esse, ibi esto: ubi noles, ne fueris. *Lex XII. Tab.* ap. *Gell.* 20, 1. Si nolet, arceram ne sternito. *Cic. Brut.* 33. Noli putare, quemquam uberiorem ad dicendum fuisse. *Lucil.* ap. *Non.* 10, 6. et *Hor. A. P.* 427. Nolito, tibi me male dicere posse, putare. *Petr. Sat.* 88. *f.* Nolito mirari, si, etc. *Cic. Fl.* 42. Nolite, judices, existimare, eos, qui, etc. *Id. Agr.* 2, 6. *f.* et *Sisenn.* ap. *Non.* 7, 106. Nolitote dubitare. [*Monet *Ellendt.* ad *Brut.* 41, 148. *noli existimare*, *putare* etc. non esse vetantis, ne quid fiat, *(ne putate, existimate)* sed praecaventis ex suspicione, posse fieri. Deinde comparat similem differentiam Gr. *μὴ νόμιζε* et *μὴ νομίσῃς*, de quibus primus exposuit *Herm.* ad *Vig. n.* 458. p. 809. et in *dissert. de praeceptis Atticist.* p. 4. sqq.] *Pl. Amph.* 2, 2, 74. certa res Est hanc objurgare, quae me noluerit salutare. *Ter. Eun.* 2, 2, 41. Numquidnam hic, quod nolis, vides? *Nep. Epam.* 4. Quod delatum accipere noluissem. *Liv.* 2, 45. Miles nolle inultos hostes, nolle successum, non patribus, non consulibus. ℙ [**Noli, nolite*, cet., ut augeatur eorum vis et gravitas, pleonasmi quodam genere conjunguntur cum v. *velle. Nep. Att.* 4, 2. Noli adversum eos me velle ducere, cum quibus, cet. ubi v. *Brem.*, qui laudat *Cic. Coel.* 32. Nolite, judices, — hunc jam natura ipsa occidentem velle maturius exstingui vulnere vestro, quam suo fato; et *Markl.* ad *Cic. Dom.* 57. *f.* plura ejusmodi exempla laudantem. Adde *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 21, 58. qui praeter alia conferri jubet *Gesn.* in *Thes. L. L.* v. *Volo* et *Heus.* ad *Nep. l. l.*] ℙ *Nollem factum*, cum displicet quippiam factum esse. *Ter. Phorm.* 5, 3, 13. *Chre.* Jam illi datum est argentum? *Dem.* curavi illico. *Chre.* nollem datum. *Id. Ad.* 2, 1, 11. nollem factum. *Cic. Off.* 1, 11. Carthaginem, et Numantiam funditus sustulerunt: nollem Corinthum: sed credo aliquid secutos, etc. *Pl. Amph.* 3, 2, 8. adjuret insuper, Nolle esse dicta, quae in me insontem protulit. ℙ *Quod nolim* interseritur, ut *quod abominor*, ad omen avertendum. *Cic. Att.* 7, 18. Videbis, si erit, quod nolim, arcessendus, ne, etc. *Ov. Her.* 20, 100. Cum sua, quod nolim, numina laesa videt. [†V. h. l. *Ruhnk.*] ℙ *Nolle alicui*, non favere, aversari. *Cic. Fam.* 1, 1. *med.* Cui qui nolunt, iidem tibi, quod eum ornasti, non sunt amici. [*Ita nos quoque *Einem nicht wollen.*] ℙ *Non nolle*, non recusare, non invitum esse. *Cic. Or.* 2, 18. Cum invitatus esset, ut eum, si vellet, audiret; cumque se non nolle dixisset, etc. *Id. Sull.* 26. Quos ego nominarem: neque ipsi nolunt: sed, etc. ℙ Non negat in illo *Varr.* ap. *Non.* 12, 54. Quod a rege munera eorum noluerit nemo accipere. ℙ]**Nolo*, ut alias *nego*, ubi v., *non videtur*, Gr. *οὐ φημὶ, οὐ δοκεῖ*, ex constanti et Gr. et Lat. loquendi more, quo negatio statim cum verbo ab initio posito coalescit, cum nostrae linguae in sequentibus demum verbis negationem inferant, ponitur non semel cum ellipsi verbi *velle. Cic. N. D.* 1, 7, 17. Tu autem nolo existimes, me adjutorem huic venisse, sed auditorem, et quidem aequum. — Loquendi autem hoc genus satis illustrarunt *Manut.* ad *Cic. Quint.* 26. *Gronov. Obss.* 4, 2. p. 258. *ed. Fr. Heusing.* ad *Nep. Dat.* 6. *Ruhnk. Rut. Lup.* 1, 13. p. 116. *ed. Fr. Beier.* ad *Cic.*

Off. 2. p. 197. *Heindf.* ad *N. D.* p. 17. et ad *Plat. Gorg.* §. 29.] ℙ Part. *Nolens* V. s. l.

NOLUNTAS, atis, f. *Enn.* ap. *Calpurn. Pison.* Vim tua noluntas facit imperiosa, vetando, Quem consul meruit, cum res bene gesta, triumphum. *Paul. Merula*, qui haec affert, et *Calpurnii* librum se vidisse testatur, addit, reperiri aliquoties in Glossariis Gallorum, et usurpari etiam ab *August. C. D.* 14, 6., sed ibi in opt. lib. *voluntas* legitur. Suspectus praeterea est eruditis *Ennii* versus, ut *Vossio de vitiis serm.* 3, 29., et liber *Calpurnii* adhuc MS. in biblioth. latet.

NŌMĀDES, um, m. plur. *Νομάδες*, populi Africae, iidem Graece, qui Latinis *Numidae*, *o* in *u* mutato, qui stabiles sedes non habuere: a *νέμω*, pasco, quia saepe loca alia, atque alia petentes permutant pabulum, quod Graece *νομή*. *Sall. Jug.* 21. et *Plin.* 5, 3, 2. *Festus* sic scripsit, Numidas dicimus, quos Graeci *Νομάδας*, sive quod id genus hominum pecoribus negotiatur, sive quod herbis, ut pecora, aluntur. *Virg. A.* 4, 320. Libycae gentes, Nomadumque tyranni. ℙ *Nomades* etiam dicti sunt pop. in Scythia Europae, qui nunc *Tartari*, quorum vita omnis in pascendis gregibus habebatur. *Plin.* 4, 12, 26. ℙ *Nomades etiam dicti sunt populi in Arabia, teste *Plin.* 5, 6. ℙ Item in India. *Id.* 6, 17. ℙ Et in Aethiopia. *Id. ib.* 30. *B. A.* ℙ In singulari *Sil.* 5, 194. Erumpunt multusque Maces, Garamasque, Nomasque.

NŌMAE, arum, f. plur. *νομαὶ*, ulcera serpentia, et carnem depascentia: a *νέμω*, pasco. *Plin.* 20, 9, 36. Compescere mala corporis, quae serpunt: nomas vocant. *Id.* 26, 8, 33. Folia contra ulcerum nomas, cum melle; et *ib.* 40. Ad nomas oris folium cum melle estur; et *ib.* 14, 87. Cohibere nomas. *Id.* 24, 19, 115. curare. *Id.* 23, 4, 46. repurgare. *Id.* 30, 13, 39. sanare. *Id.* 24, 16, 94. sistere. ℙ In singul. num. est *nome*, *es*, *νομή*. *Id.* 31, 8, 44. Dysentericis utilis est, etiamsi nome intestina corripit.

*NOMAEUS, a, um, adj. ad Nomas spectans, quae fuit urbs Siciliae, cujus meminit *Diodorus. Sil.* 14, 266. Comitata Nomaeis Venit Amastra viris. Vulgo male legitur *Nemaeis*. Al. leg. *Menaeis. B. A.*

[NOMAEUS, i, m. *νόμαιος*, pascualis, item legitimus. Est nomen propr. libert. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1013, 11. Nomaeus Neronis Aug. L. tabularius. *F.*]

NŌMAS, ădis, m. et f. *Νομάς*, Numida. V. NOMADES. *Nomas versuta* ap. *Prop.* 4, 7, 45. est saga ex Numidia. ℙ Item Numidia. *Mart.* 8, 55. marmore picta Nomas; et 9, 76. De marmore omni, quod Carystos invenit, Quod Phrygia Synnas, Afra quod Nomas mittit.

*NOMASUS, i, oppidum Carnorum. *Paul. Diac.* 4, 38. *B. A.*

[NŌMĒ, es, f. *νομή*, pabulum, item distributio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 731, 5. Julia Nome. ℙ *Nome* est etiam ulcer. V. NOMAE. *F.*]

NŌMEN, inis, n. *ὄνομα*, vocabulum, quo singulae res appellantur, et noscuntur: a *nosco*, *novi*, ut *Fest.* docet. Sicut enim a *moveo*, *movi* est *movimen* inusit., unde *momen* per syncopen; ita a *nosco*, *novi* est *novimen*, et per syncop. *nomen. Cic. Inv.* 1, 24. Nomen est, quod unicuique personae datur, quo suo quaeque proprio et certo vocabulo appellatur. *Id. Fin.* 3, 1. Imponere nova novis rebus nomina. *Id. Tusc.* 3, 5. Qui haec rebus nomina posuerunt. (Adde *Virg. A.* 7, 63.) *Liv.* 1, 3., *Virg. A.* 1, 252. et *Quint.* 2, 1. Nomen alicui dare. *Pl. Stich.* 1, 2, 20. indere. *Ov. Met.* 5, 525. et *ib.* 9, 357. addere. *Gell.* 3, 16. facere alicui, *h. e.* imponere. *Cic. Or.* 1, 56. Appellare aliquem nomine. Sic *Colum.* 11, 1. *med.* Mancipia vincta per nomina quotidie citare debebit; et *Virg. A.* 11, 731. Nomine quemque vocans; et *ib.* 4, 674. morientem nomine clamat; et *G.* 4, 355. Stat lacrimans, et te crudelem nomine dicit. *Tac. A.* 1, 21. Ciere nomina singulorum. *Cic. Or.* 19. Theophrastus divinitate loquendi nomen invenit. *Id. Div.* 1, 17. Lituus ab ejus litui, quo canitur, similitudine nomen invenit; et *ib.* 2, 32. Ajus iste Loquens ajebat, et loquebatur, et ex eo nomen invenit; et *ib.* 1, 10. Aristolochia nomen ex inventore reperit. *Id. Phil.* 4, 2. Legio Martia ab eo Deo nomen traxit. *Caes. B. G.* 1, 13. Ut is locus ex calamitate populi R. nomen caperet. *Cic. Brut.* 62. Cui saltationi Titius nomen est. *Id. Tusc.* 4, 11. Eique morbo nomen est avaritia. *Id. Leg.* 2, 24. *extr.* Cantus, cui nomen neniae. *Ov. Fast.* 6, 139. Est illis Strigibus nomen. *Liv.* 1, 34. Puero ab inopia Egerio inditum nomen. *Id.* 1, 1. *f.* Cui parentes Ascanium dixere nomen. *Pl. Men.* 1, 1, 1. Juventus nomen fecit Peniculo mihi. *Id. Cist.* 1, 3, 6. Nam mihi est Auxilio nomen. *Id. Rud. prol.* 5. nomen Arcturo est mihi. (*Gell.* 15, 29. duos esse ait loquendi modos satis usitatos, *mihi nomen est Julio* (al. *Julius*) et *mihi nomen est Julii.* Tertium addit inusitatiorem ex *Pisone:* L. Tarquinium collegam suum, quia Tarquinium nomen esset, metuere. Hoc, inquit *Gell.*, proinde est, ac si dicas, *mihi nomen est Julium.* Sed *Julium*, et *Tarquinium* adjectiva sunt: et praeterea ap. *Gell.* in quibusd. MSS. habetur *Tarquinio.*) *Ov. Met.* 1, 168. Est via sublimis, etc. Lactea nomen habet. *Hor. Sat.* 1, 9, 3. quidam notus mihi nomine tantum; et *ib.*, 1, 7, 55. Voltejum nomine Menam; et *Virg. A.* 2, 166. minores Italiam dixisse, ducis de nomine, gentem; et *ib.* 210. Strophades Grajo stant nomine dictae. *Ov. Met.* 15, 96. At vetus illa aetas, cui fecimus aurea nomen. *Liv.* 1, 34. *med.* Urbem ingressi sunt, domicilioque ibi comparato, L. Tarquinium edidere nomen. *Auson. Idyll.* 2, 1. Nomen ego Ausonius, non ultimus arte medendi. Est qui leg. *nomine. Quint. prooem. l.* 1. *med.* Duo jam sub nomine meo libri ferebantur artis rhetoricae. ℙ [*Elegans hic commemorandum est dicendi genus idque frequens de fluviis, qui minores in majorem decurrentes, nomen amittunt, in nomen alterius perveniunt. *Lucan.* 1, 401. Hi vada liquerunt Isarae, qui gurgite ductus Per tam multa suo, famae majoris in amnem Lapsus, ad aequoreas nomen non pertulit undas. *Id.* 4, 23. Aufert tibi nomen Iberus; et 6, 375. Solus in alterius nomen cum venerit undae Defendit Titaresos aquas: quibus in locis omnibus v. quae laudavit *Cort.* ℙ Ejusdem generis sunt, quae de victis usurpantur, qui in nomen victoris, cui admiscentur, concedunt. *Tac. H.* 4, 64. Redisse vos in corpus nomenque Germaniae. V. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 18. *extr.*] ℙ Aliquando refertur ad familiam, quia in ea unum nomen commune est multis. *Suet. Caes.* 83. C. Octavium in familiam nomenque adoptavit. *Plin. ep.* 8, 18. Domitius Afer, qui illos in nomen assumpsit; et *Tac. A.* 3, 30. Crispum C. Sallustius in nomen adscivit. ℙ Aliquando ad militiam: nam *dare*, *edere*, *profiteri nomen* est militiae onus subire, cum magistratui delectum habenti nomen suum edit citata juventus. *Liv.* 2, 24. Alius alium confirmare, ne nomina darent: patres militarent, patres arma caperent; et *infra:* Ne quis civem R. vinctum teneret, quo minus ei nominis edendi apud consules potestas fieret; et *mox:* Et qui aderant nexi, profiteri extemplo nomina. *Id.* 7, 4. Virgis caesi, qui ad nomina non respondissent, *h. e.* qui citati nomine, ut militiam capesserent, non apparuissent. *Quint. decl.* 3, 5. Festinarunt parentes ad nomen liberos mittere, *h. e.* ad militiam. *Tac. A.* 15, 48. Dare nomen in conjurationem. ℙ Translate. *Ter. Eun. prol. in.* Si quisquam est, qui placere se studeat bonis, In his poeta nomen profitetur suum. *Cic. Dom.* 44. *extr.* Quem in numerum ex multis Clodiis nemo nomen dedit, nisi aut egestate, aut scelere perditus. *Liv.* 1, 11. Plures inventi, qui propter ubertatem terrae, in Crustuminum nomina darent, *h. e.* colonos Crustumini se fieri vellent. ℙ Pertinet etiam ad forum, et accusationes. Nam *deferre nomen alicujus* dicitur, qui ad magistratum accedit, et rei cujuspiam nomen accusandi gratia defert: ipse vero magistratus *recipere*, cum accusationem admittit. *Cic. Verr.* 2, 2, 38. Pacilius quidam accedit: ait, si liceret, nomen absentis deferre se velle. Iste vero, et licere, et fieri solere, et se recepturum: itaque defertur. *Id. Rosc. Am.* 10. Nomen alicujus de parricidio deferre: ad eam rem aliquem accusatorem veterem comparare. ℙ Saepe dicitur de capite rationum, sive debita pecunia sit, sive credita, quia in tabulis rationum perscribitur nomen ejus, qui pecuniam accepit. Et *nomen* dicitur etiam ipsa pecunia credita. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 10. Tituli debitorum nomina dicuntur, praesertim in iis debitis, in quibus hominum nomina scripta sunt, quibus pecuniae commodatae sunt. *Cic. Rosc. Com.* 1. *med.* Non conficit tabulas? immo diligentissime. Non refert parva nomina in codicem? immo omnes summas. Leve et tenue hoc nomen? HS CCCIↃↃↃ sunt. *Id. Quint.* 11. Qui tibi, ut ais, certis nominibus grandem pecuniam debuit; et *Verr.* 2, 1, 39. Hinc illae extraordinariae pecuniae redundarunt: hinc ratio cum Postumiis, multis nominibus: quorum in tabulis jus habet nullum; et *ib. f.* Si neque in tuas tabulas ullum nomen referres, cum tot ibi nominibus acceptum Curtii referrent. *Id. Att.* 6, 2. *med.* Nomen solvere; et *ib.* 16, 6. *f.* expedire, exsolvere. *Id. Planc.* 28. Hoc nomen, quod urget, nunc, cum petitur, dissolvere. *Id. Verr.* 2, 1, 10. Nomina sua exigere. *Liv.* 35, 7. Nomen transcribere in alium. *Pl. Cist.* 1, 3, 40. volo persolvere, Ut expungatur nomen, ne quid debeam. *Cic. Verr.* 2, 5, 7. *f.* Pecuniam sibi esse in nominibus: numeratam in praesentia non habere. *Petr. Sat.* 117. Habere in Africa trecenties sestertium, fundis, nominibusque depositum. ℙ *Nomina facere* est creditoris, qui pecuniam aut mercem alteri dat in diem soluturo, et debitorem sibi facit. *Cic. Fam.* 7, 23. Accepi Avianii litteras, in quibus hoc inerat liberalissimum, nomina se facturum, qua ego vellem die. *Sen. Ben.* 1, 1. Nomina facturi diligenter in patrimonium et vasa debitoris inquirimus. *Id. V. B.* 24. Nunquam magis nomina facio, quam cum dono. [*V. *Salmas. de Usuris* 6. p. 123 — 156. *de modo usur.* 10. p. 426 — 429. et 11. p. 472 — 475. *Miscell. Defens. pro Cl. Salmasio de variis obss. ad jus Att.* et *Rom. pertinentibus* 29. p. 751 — 759.] ℙ Aliquando est debitoris. *Cic. Off.* 3, 14. Emit homo cupidus tanti, quanti Pythius voluit, et emit homo cupidus tanti, quanti Pythius voluit, et emit instructos: nomina facit, negotium conficit. [*Ita *I. M. Heusing.* cum multis aliis ab ipso laudatis ad h. l.] Sunt qui putant vocem *Pythius* excidisse, legendumque *Pythius nomina facit:* qua ratione ad creditorem pertineret. [*Ita *Gronov.*, prob. *Graevio;* quorum sententiae accedunt *I. F. Heus.* et *Gernh.*, sed ita, ut in vv. *nomina facit*, *negotium conficit*, Pythii nomen intelligatur, non inculcetur. *Schütz.* leg. *ille* (npe Pythius) nomina facit: sed de hac familiaris sermonis negligentia, quam *F. Heus.* excusat exemplo *Caes. B. G.* 1, 18, 2., monitum est jam a *Schellero* in *Obss.*, pronomen person. interdum solere omitti. — Omnino sanus locus est, et ad creditorem vv. *nomina facit*, *negotium conficit*, referenda: at non propterea, quod *nomina facere* nonnisi de creditore dici possit, de quo v. infra, sed propter ipsam loci naturam, quae ita comparata est, ut neque sententia, quam continet, neque res, quae circumstant, neque sermonis elegantioris leges ad debitorem ista verba referri permittant, V. *Beier.*] ℙ Ceterum *nomina facere* per se significat nomina in codice perscribere, sive debiti sint, sive crediti. *Pompon. D.* 15, 1, 4. Ut etiam si nuda voluntate remiserit dominus, quod debuit, desinat servus debitor esse: si vero nomina ita fecerit dominus, ut quasi debitorem se servo faceret, cum debitor non esset, contra puto. [*Aliud exemplum laudat *Beier. l.* modo *c.* ex *Cic. Verr.* 2, 1, 36. ubi *nomen fecisse* dicitur, qui se debitorem fecit eo, quod in suo codice rationum nomine aliquo acceptum retulit; coll. *ib.* 39. *extr.* Similiter dicitur *scribere.* — Omnino hoc notandum, formulam *nomina facere*, ut recte *Ernest.* in *cl. Cic.*, nihil esse proprie, quam *nomina scribere*, *ponere.* Sic *Att.* 13, 14. Placeatne tibi, mitti ad Varronem, quod scripsimus. Etsi etiam ad te aliquid pertinet. Nam scito te in dialogo adjunctum esse tertium. Opinor igitur consideremus, etsi nomina jam facta sunt, sed vel induci vel mutari possunt. Usu vero, ut in multis aliis, ad unam partem esse flexam hanc formam et saepius usitatiusque de creditore dictam.] ℙ *Nomen locare* est pecuniam accipientis, et ad solvendum se obligantis. *Phaedr.* 1, 16. Fraudator nomen cum locat sponsu improbo, Non rem expedire, sed mala videre expetit. Sed hic locus ab interpretib. mire vexatur. ℙ *Nomen* interdum ipsum debitorem significat. *Cic. Fam.* 5, 6. *f.* Meis rebus gestis hoc sum assecutus, ut bonum nomen existimer, *h. e.* debitor fidelis; et *Sen. Ben.* 5, 22. Lenta nomina, non mala, *h. e.* qui tarde solvunt, solvunt tamen. *Colum.* 1, 7. Optima nomina non appellando fieri mala, foenerator Alphius dixisse verissime fertur, *h. e.* etiamsi optimi sint debitores, si tamen diutius debitum exigere distuleris, negligentia pessimos fieri. *Sen. Ben.* 7, 29. Quaedam nomina bona lentus ac sapiens creditor fecit, qui sustinuit ac mora fovit. ℙ *Tria nomina habere* proprium est Romani hominis ingenui, et liberi: ut M. Terentius Varro, P. Claudius Pulcher, M. Numisius M. L. Agathopus, etc., nam servi unum tantum habebant, ut Tiro, Sosia, Stichus. *Juven.* 5, 126. si quid tentaveris unquam Hiscere, tanquam (al. *quamquam*) habeas tria nomina. Horum primum *praenomen*, alterum *nomen*, tertium *cognomen* dicebatur. Sed *nomen* cum dicimus, cognomen quoque intelligatur, oportet, inquit *Cic. Inv.* 2, 9. Praenomen distinguebat unum ab altero in eadem familia, ut *M. Tullius Cicero*, *Q. Tullius Cicero* fratres: nomen discernebat gentem a gente: cognomen familiam a familia. Nam *Ti. Claudius Nero* cum dicitur, significatur, Tiberium hunc fuisse e gente Claudia, et e familia Neronum. V. singula suis locis. Si qui convenirent in iisdem nominibus, addebatur ante cognomen ad discrimen, praenomen patris, et si opus esset etiam avi, et proavi, ut *C. Julius C. F. Caesar: L. Munatius L. F., L. N., L. Pron. Plancus* (ap. *Grut.* 439, 8.); quae leguntur *Cajus Julius Caji filius Caesar: Lucius Munatius Lucii filius*, *Lucii nepos*, *Lucii pronepos Plancus.* Addebatur aliquando agnomen ex rebus gestis, ut ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 33. *P. Cornelius P. F. Scipio Africanus.* Aliquando ex adoptione, ut *P. Cornelius Scipio Africanus Aemilianus*, ap. *Vell.* 2, 4. et *Aurel. Vict. Vir. Illustr.* 58. h. e. filius L. Aemilii Pauli, in adoptionem genti Corneliae Scipionum datus, et ab Africani majoris filio adoptatus, quod et *Flor.* docet 2, 15., item *Q. Fabius Maximus Aemilianus*, qui cum item filius esset ejusdem Pauli, in gentem Fabiam adoptione transierat, quod *Liv.* tradit 45, 41. *extr.* et 44, 35. ℙ In appellando, et scribendo modo solum praenomen usurpabatur, ut *O Tite, si quid ego adjuro*, alloquitur *Ennius* T. Quintium Flamininum, ap. *Cic. Sen.* 1. Modo solum cognomen, ut *Cic. Lig.* 6. Scelus tu illud vocas, Tubero? Aliquando utrumque, ut *Cic. ib.* 1. Novum crimen, C. Caesar, etc., prout magis minusque notus erat is, de quo agebatur. Tria simul vel quatuor locum habent praecipue in inscri-

ptionibus, et historia, ubi ad notitiam distinctius designari homines opus est. Nonnunquam eorum ordo invertitur, et cognomen ante nomen ponitur, ut *C. Crispus Sallustius*, *Agrippa Menenius*, *Crassus Licinius*, *Nepos Cornelius*, *Cato Porcius*, et alia, quae congessit *Cortius* ad *in. Cat. Sall.* V. COGNOMEN. ℙ Nomen interdum dicitur de praenomine. *Cic. Mur.* 12. Quia in alicujus libris id nomen invenerant, putarunt, omnes mulieres, quae coemptionem facerent, Cajas vocari. ℙ Item de cognomine. *Id. Caecin.* 10. Sex. Clodius, cui nomen est Phormio. ℙ Metonymice ponitur pro persona. *Val. Fl.* 5, 118. nova dux accedere gaudet Nomina. *Sil.* 17, 492. Jamque ardore truci lustrans fortissima quaeque Nomina obit ferro. *Ov. Trist.* 2, 441. Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Servi Carmina; quis dubitet nomina tanta sequi? ℙ Ap. *Sil.* 13, 44. *nomen Ledae* est Helena Ledae filia. ℙ [*Ita saepius inservit *nomen* circumscribendo; ut ap. *Cic. N. D.* 3, 31, 78. Non enim ignoro, quanti ejus nomen putetis, i. e. quam carum vobis sanctumque sit providentiae nomen, i. e. providentia. Laud. *Heindf. Eurip. Phoen.* 1696. ubi Antigone, *ὦ φίλτατον δῆτ'*, inquit, *ὄνομα Πολυνείκους ἐμοί.* Huc pertinet etiam illud, quod *Forc.* ad f. laudaverat, ita ut *nomen* pro re positum dixisset *Val. Cat. Dir.* 90. Dulcia rura valete, et Lydia dulcior illis, Et casti fontes, et felix nomen agelli. Adde *Sil.* 5, 161. Nomen Iberi, i. e. Iberus. ℙ Huc pertinet etiam solennis dicendi ratio, qua vocem *nomen* id, cujus est, per appositionis quoddam genus sequitur. *Virg. A.* 7, 717. infaustum interluit Allia nomen. *Sil.* 2, 177. et nobile nomen Eyrydamas. *Lucan.* 1, 311. sqq. Veniat longa dux pace solutus milite cum subito, partesque in bella togatae, Marcellusque loquax, et nomina vana Catones. *Id.* 6, 795. popularia nomina Drusos. *Sil.* 8, 255. sacrataque nomina Marti Scipiadas. *Lucan.* 9, 727. cunctis innoxia nomina terris — Dracones. *Auson. Epigr.* 17, 1. Laidas et Glyceras, lascivae nomina famae. *Sil.* 4, 186. celeberrima nomina bello Tiburtes Magios, Hispellatemque Metaurum. — Neque differt, quod Noster infra laudaverat, *Tib.* 3, 4, 61. nec fidum femina nomen: ubi *nomen* pro *re* positum dixit.] ℙ Pro familia, stirpe, gente. *Virg. A.* 6, 758. Illustres animas, nostrumque in nomen ituras. *Nomen Latinum, Romanum*, etc. est ipsa gens Latina, Romana. *Cic., Liv., Nep., Sall., Just.* etc. [*Saepius tamen singulari cum gravitate poni solet. V. *Brem.* ad *Nep. Hann.* 7, 3. inimicissimum nomini Romano Hannibalem, i. e. tanto odio Rom. populi impletum, quod nonnisi deleto etiam nomine Romano saturatum foret. Porro huc pertinent ista: *Lucan.* 7, 584. Caedunt Lepidos caeduntque Metellos, Corvinosque simul, Torquataque nomina, regum saepe duces, summosque hominum te, Magne, remoto. *Ov. Her.* 2, 112. femineum nomen, i. e. femina; ubi v. *Ruhnk.* et *ib.* 17, 60. a nostro nomine, h. e. a me ipsa. *Sil.* 14, 70. Quid referam Aeolio regnatas nomine terras? ubi v. *Drakenb.*] ℙ Saepe ponitur pro existimatione, fama. *Cic. Brut.* 67. Hujus magnum nomen in patronis fuit; et *ib.* 69. *extr.* Memoria quidem dignos perpaucos; verum qui omnino nomen habuerint, non ita multos fuisse. *Virg. A.* 2, 89. et nos aliquod nomenque decusque Gessimus. *Sil.* 13, 722. Mereri nomen immortale. *Ov. Met.* 3, 512. nomenque erat Auguris ingens. *Hor. Od.* 3, 9, 7. Multi Lydia nominis Romana vigui clarior Ilia. *Quint.* 6, 2. *extr.* Pervenire ad aliquod nomen ingenii. *Ov. Trist.* 2, 350. Nomen alicujus stringere, *h. e.* famam laedere. *Liv. prooem. l.* 1. Officere nomini alicujus. *Vell.* 2, 94. *extr.* Tanti nominis fama territus. [*Ita saepissime *nomen* cum significatu et respectu celebritatis dicitur ap. *Vell.* 2, 34, 4. clari nominis vir; et 2, 100, 5. nominis minoris vir; et 2, 112, 2. nominis celeberrimi viri; et 2, 103, 1. spes magni nominis: et al.] *Plin. ep.* 7, 20. Homines non nullius in litteris nominis. *Flor.* 3, 16. C. Gracchus homo sine tribu, sine nomine, *h. e.* ignobilis, ignotus, obscurus. *Virg. A.* 9, 343. multam sine nomine plebem. ℙ Hac ratione transfertur ad inanima. *Virg. G.* 2, 239. Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat, *h. e.* suum saporem, et pretium. Sic *Cato R. R.* 25. Ne vinum nomen perdat. ℙ Saepe etiam pro causa, titulo, praetextu. *Cic. Verr.* 2, 5, 5. Nomine sceleris conjurationisque damnati, ad supplicium traditi. *Id. Fam.* 2, 1. Nomine negligentiae alicui esse suspectum. In *Epit. Livii* 47. *extr.* Praetores avaritiae nomine accusati. *Cic. Rosc. Com.* 14. An alio nomine, et alia de causa abstulisse? *Id. Agr.* 2, 6. Orbis terrarum domini constituerentur legis agrariae simulatione atque nomine. *Tac. A.* 14, 59. Decretae eo nomine supplicationes. *Vell.* 1, 5. Quo nomine non est mirandum, quod saepe illud usurpat, etc. *Cels.* 7, 26. *n.* 2. *med.* Idque eo nomine opus est, ne cum adduci uncus coeperit, calculus effugiat. *Cass.* ad *Cic. Fam.* 12, 12. *med.* Haec a te peto amicitiae nostrae nomine. *Cic. Fl.* 12. Classis nomine pecuniam imperatam queruntur. *Id. Att.* 6, 2. *med.* Is multis nominibus Graecos in eo reprehendit, quod mare tam secuti sunt. [*Plura suppeditat *Boettich. Lex. Tac.* p. 320.] ℙ *Meo, tuo nomine*, vilis viri nomine rogatos; et *ib.* 26. Cum epulum Q. Maximus patrui sui nomine populo daret. *Caes. B. G.* 1, 18. *med.* Odisse suo nomine Caesarem, et Romanos, quod eorum adventu potentia ejus diminuta sit. Sic *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 4. Cicero, vir optime, mihique merito et meo nomine, et reipublicae carissime. *Cic. Phil.* 1, 12. *med.* Mihi etiam, quo auctore te in iis rebus uti arbitrabantur, et gratias boni viri agebant, et tuo nomine gratulabantur. *Id. Cat.* 2, 6. *extr.* Manlius iste, credo, bellum populo R. suo nomine indixit. *Nep. Att.* 6. Neminem neque suo nomine, neque subscribens accusavit. *Cic. Mur.* 38. Neque isti me meo nomine interfici, sed vigilantem consulem de reipubl. praesidio demovere volunt. ℙ Nonnunquam nomen opponitur rei. [*Sic Gr. *ὄνομα* et *ἔργον* opponuntur, ut *Eurip.* 512. *Bailey.*] *Liv.* 7, 29. *med.* Campani magis nomen ad praesidium sociorum, quam vires, cum attulissent, etc. *Nep. Ages.* 1. Ut duos haberent semper reges, nomine magis, quam imperio. *Cic. Att.* 5, 15. Tantum me nomen habere duarum legionum exsilium. *Ov. A. Am.* 1, 740. Nomen amicitia est, nomen inane fides. ℙ [**Nomina* dicuntur etiam de affectibus, qui animum hominis commovent. Ita *Ov. Met.* 8, 464. In diversa trahunt unum duo nomina pectus, i. e. affectus maternus et sororius; et *Id. Her.* 8, 30. Instant officio nomina bina, i. e. quod vir es, et quod frater patruelis. — Venustum hoc loquendi genus ex utriusque linguae scriptoribus illustrarunt *Bentl.* ad *Hor. Od.* 3, 27, 34. et *Valken.* ad *Eurip. Phoen.* 415.] ℙ *Nomen commune* ap. *Cels.* 7, 18. et *generale* ap. *eund.* 5, 28. *n.* 11. est illud quod pluribus morbis convenit; quemadmodum hernia ap. Latinos significat eos omnes morbos, quos Graeci distinctis nominibus *ἐντεροκήλην, ἐπιπλοκήλην, ὑδροκήλην* appellant. ℙ Ap. grammaticos *nomen* est pars orationis, quae declinatur in casus. *Quint.* 1, 4 et 5., *Charis., Prisc.*, etc. ℙ Antiquitus *nominus* pro *nominis* usurpatum in *vet. S. C.* ap. *Fabr.* p. 427. V. VENUS. ℙ [*Confund. *nomen* et *numen*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 405. et 5, 344. *Burm.* ad *Virg. A.* 4, 94. et 5, 768. *Snakenb.* ad *Curt.* 7, 8, 13. — *Nomen* et *omen*. V. *Drakenb* ad *Liv.* 5, 34. et *Burm.* ad *Ov. Met.* 6, 448. — *Nomina* et *omnia*. V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 8. p. 166. *ed. Fr.* — *Nomini* et *homini*. V. *Snakenb.* ad *Curt.* 10, 6, 7.]

NOMENCLĀTĬO, onis, f. *ὀνόμασμα*, appellatio nominatim facta, recitatio nominis. *Q. Cic. Petit. cons.* 11. Illa altera pars petitionis, quae in populari ratione versatur, desiderat nomenclationem, blanditiam, assiduitatem, etc. *Colum.* 3, 2. *f.* Prudentis magistri est, ejusmodi nomenclationis aucupio, quo potiri nequeant, studiosos non demorari, *h. e.* recitatione nominum, quibus vites appellantur.

NOMENCLĀTOR, oris, m. *ὀνοματολόγος*, qui memoriter unumquemque nominatim vocare didicit: a *nomine calando*, id est vocando. *Cic. Att.* 4, 1. *med.* Ut nemo ullius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui mihi obviam non venerit. *Sen. Ben.* 1, 3. *f.* Nomenclatori memoriae loco audacia est. *Id. ep.* 27. Nemo vetulus nomenclator, qui nomina non reddit, sed imponit, tam perperam tribus, quam ille Trojanos et Achivos, persalutabat; et *ep.* 1, 19. *f.* Habebis convivas, quos ex turba salutantium nomenclator digesserit. *Id. Ben.* 6, 33. *f.* Quid? tu istos libros, quos vix nomenclatorum complectitur aut memoria, aut manus, amicorum existimas esse? V. FODIO. ℙ Ex his patet, duo praecipua fuisse nomenclatorum ministeria. Nam extra domum inserviebant prensationibus, ut candidati, iis suggerentibus, nomina civium scirent, quos nominatim in prensando compellare vellent: domi in compellandis nominatim iis, qui mane salutatum advenirent. ℙ Legitur et *nomenculator*, quod integrum est. *Mart.* 10, 30. Nomenculator mugilem citat notum. *Suet. Aug.* 19. Telephi servi nomenculatoris. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 599, 2. [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 171.]

NOMENCLĀTŪRA, ae, f. nomenclatio, appellatio. *Plin. prooem.* 3. Sit quaedam in his nomenclatura quidem, sed mundi rerumque naturae, *h. e.* recitatio nominum locorum, oppidorum, fluminum, etc., quae in terra sunt. *Id.* 21, 9, 28. Sunt et alia genera, nominibus Graecis indicanda, quia nostris hujus nomenclaturae defuit cura.

NOMENTĀNUS, a, um, adj. ad Nomentum pertinens, quod est opp. in Sabinis supra Alliam fluvium, non longe ab Ereto: cujus meminere *Virg. A.* 6, 773., *Liv.* 1, 38. etc. Hinc *Nomentani, orum*, ejus cives, *Plin.* 3, 5, 9. et *Liv.* 8, 14. Nomentanus ager, *Plin.* 14, 4, 5. celebris ubertate vini, ut est ap. *Colum.* 3, 3. Nomentana vina, *Mart.* 13, 119. Eo loco villam habuere Atticus, Seneca, Martialis, ut est ap. *Colum. l. c.* et *Mart.* 6, 43. et alibi. ℙ *Nomentana via*, quae ab urbe Roma Nomentum, et Sabinos versus per Collinam portam ferebat. *Liv.* 3, 52. Via Nomentana, cui tunc Ficulensi nomen fuit, profecti, castra in monte Sacro locavere. *In *Liv.* 6, 20. ubi *portam Nomentanam* habet ed. *Drak.*, lectio edd. *Gronov.* et *Crevier.* est *Flumentanam*. *B. A.* ℙ *Nomentanus* fuit etiam cogn. R. a patria Nomento inditum, ut L. Cassius Nomentanus, cujus meminit *Hor. Sat.* 1, 1, 102. et 8, 11. et al. ℙ Scribitur et *Numentanus* et *Numentum*.

[NŌMĬMUS, i, m. *νόμιμος*, legitimus. *Inscr.* nuperrime reperta Venetiis, quae nunc ibidem servatur in *Mus. Lapid. Semin. Patriarch.* Soli sacrum Q. Bajenus Proculus pater nomimus. V. PATER. *F.*]

*NOMINABĬLIS, e, adj. qui nominari potest. *Ammian.* 28, 4. *B. A.*

NOMĬNĀLIS, e, adj. ad nomen pertinens. *Varr. L. L.* 7, 2. Ut enim ab Aemilio homines orti Aemilii, ac gentiles; sic ab Aemilii nomine declinatae voces in gentilitate nominali. ℙ *Nominalia, ium*, dies solemnis, quo puero imponebatur nomen. *Tert. Idol.* 16. Officia privatarum, et communium solemnitatum, ut togae purae, ut sponsalium, ut nuptialium, ut nominalium. V. LUSTRICUS.

NOMĬNĀLĬTER, adv. nominatim, nominando. *Arnob.* 2, 80. Nominaliter annuere.

NOMĬNĀTIM, adv. *ὀνομαστί*, nomen enunciando, nominando. *Cic. Att.* 11, 7. Ille edixit ita, ut me exciperet, et Laelium nominatim: quod sane nollem. Poterat enim sine nomine, re ipsa excipi; et *ib.* 7, 17. De quo senatus nominatim decrevit, ut statim mitteretur in Siciliam; et *ib.* 11, 6. Ut non nominatim, sed generatim proscriptio esset informata. *Id. N. D.* 1, 40. Obscenas voluptates non erubescens, persequitur omnes nominatim. *Id. Off.* 3, 16. Quidquid esset in praedio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, praestari oportere. *Nep. Milt.* 1. His consulentibus nominatim Pythia praecepit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent.

NOMĬNĀTĬO, onis, f. *ὀνομασία*, actus nominandi, appellatio. *Vitr.* 6. *extr.* Nec tamen ego, ut mutetur consuetudo nominationum aut sermonis, ideo haec proposui, sed ut ea non sint ignota, philologis exponenda judicavi. ℙ Saepe dicitur de ea, qua quis ad sacerdotium, aut auguratum nominatur. *Cic. Phil.* 13, 5. *f.* Paternum auguratus locum, in quem ego eum mea nominatione cooptabo. *Liv.* 26, 23. *extr.* Pontifex quia exacto anno mortuus erat, ideo nominatio in locum ejus non est facta. *Plin. ep.* 8, 3. Successi Julio Frontino principi viro, qui me nominationis die, per hos continuos annos, inter sacerdotes nominabat, tanquam in locum suum cooptaret. *Tac. A.* 6, 45. Aestimando cujusque detrimento quatuor progeneri Caesaris delecti, additusque nominatione consulum P. Petronius. ℙ Ap. *Varr. L. L.* 8, 52. *extr.* nominationes sunt vocabula, seu nomina, quibus res singulae nominantur. ℙ Apud rhetores *nominatio* est figura verborum, quae nos admonet, ut cui rei nomen aut non sit, aut satis idoneum non sit, eam nosmet idoneo verbo nominemus, aut imitationis, aut significationis causa: Imitationis hoc modo, ut majores rudere, et vagire, et mugire, et murmurare, et sibilare appellaverunt: Significandae rei causa, sic: postquam iste in rempubl. fecit impetum, fragor civitatis inprimis est auditus. Haec *Auct. ad Her.* 4, 31.

NOMĬNĀTĪVUS, a, um, adj., ut Nominativus casus ap. grammaticos, qui et *rectus* dicitur. Usus est hac voce, praeter ceteros, *Varr.* l. 7. 8 et 9. *de L. L.* et *Petr. fragm.* p. 886. *Burm.* ℙ Idem *Varr.* nominativum pro nomine posuisse videtur, cum inquit *L. L.* 7, 33. Dicunt, debuisse omnes nominativos, et articulos habere totidem casus. Adde *ib.* 29.

NOMĬNĀTOR, oris, m. qui nominat. *Ulp. Dig.* 27, 8, 1. Nec nominatores magistratuum ex hac causa tenebuntur, sed soli magistratus. Adde *lemma tit.* 7. *ejusd. lib.* quod est *De fidejussoribus, et nominatoribus, et heredib. tutor. et curat.*, h. e. qui nomina dederint, ex quibus tutores eligerentur.

[NOMĬNĀTORĬUS, a, um, adj. qui ad nomina pertinet, vel nomina continet. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 11, 28, 3. Ordinarii judices nominatorios breves absque ulla conscriptos fraude transmittant, *h. e.* quibus nomina continentur eorum, qui reliqua aerario debent. *F.*]

NOMĬNĀTUS, a, um, part. a *nomino*, *ὠνομασμένος*, appellatus. *Cic. Off.* 3, 33. Atqui ab Aristippo Cyrenaici, atque Annicerii philosophi nominati omne bonum in voluptate posuerunt. ℙ Sumitur etiam pro celebrato. *Cic. Verr.* 2, 4, 12. Quid? illa Attalica, tota Sicilia nominata, ab eodem Hejo peripetasmata emere oblitus es? *Tert. Anim.* 13. Nominatiora pericula. *Plin.* 12, 9, 19. Vicina est Bactriana, in qua bdellium nominatissimum. ℙ *Nominatus* est etiam accusatus, delatus ad magistratum. *Suet. Caes.* 17. Inter socios Catilinae nominatus.

NOMĬNĀTUS, us, m. idem ac nomen, seu res nominata. *Varr. L. L.* 9, 1. *med.* Ad nominatuum similitudines animadvertendas; et *paulo ante:* Quod inter se dissimiles habeant analogias nominatus. Ut similis sit nominatus, etc.

NOMĬNĪTĀTUS, a, um, part. a *nominito*, saepe nominatus, *Inscr.* ap. *Mur.* 1522, 2. Viva Philema-

tium sum Aurelia nominitata, Casta, pudens, volgei nescia, feida viro.

NOMINĬTO, as, a. 1. frequent. a *nomino:* saepe nomino. *Lucr.* 3, 353. Suscipere hunc motum, quem sensum nominitamus. *Id.* 4, 48. Quae quasi membrana est, vel cortex nominitanda.

NOMĬNO, as, a. 1. ὀνομάζω, nomen impono, suo nomine appello, voco, nuncupo. *Cic. Amic.* 8. Amor enim, ex quo amicitia est nominata. *Pl. Most.* 3, 2, 97. quis nominat me? *Ter. Ph.* 5, 1, 12. meum nomen nominat. *Cic. Coel.* 18. Quorum partim nimia libertas in adolescentia, partim profusa luxuries, magnitudo aeris alieni, sumptus, libidines nominarentur; et *Caecin.* 18. Res ut omnes suis certis, ac propriis vocabulis nominentur. *Appul. Apol.* Nominate, quis ille fuerit, quem, etc. ℙ Interdum est, aliquem ad aliquem honorem deligere, seu praesentem sistere, nominare designandum. *Plin. ep.* 2, 1. Illo die, quo sacerdotes solent nominare, quos dignissimos sacerdotio judicant, me semper nominabat. *Suet. Claud.* 22. In cooptandis per collegia sacerdotibus, neminem nisi juratus nominavit. V. NOMINATIO. ℙ Item pro deferre ad magistratum, accusare. *Liv.* 39, 17. Si quisquam ad se deduxisset, nomenve absentis detulisset, qui nominatus profugisset, diem certum definituros, ad quem nisi citatus respondisset, absens damnaretur. Si quis eorum, qui tum extra terram Italiam esset, nominaretur, ei laxiorem diem laturos. ℙ Item pro celebrare, praedicare. *Cic. Arch.* 11. Praedicari de se, et nominari volunt omnes. ℙ *Nominare honoris causa*, formula est, qua utimur, cum honestos viros nominamus. *Cic. Rosc. Am.* 2. Sulla, quem honoris causa nomino. Eam autem usurpabant, ut docet *Manut.*, cum nesciebant, nominari, necne, aliquis vellet, ne nominando offenderetur. *Id. ib.* 6. Quas, ut aequum est, familias honestatis amplitudinisque gratia nomino. ℙ *Nominandi casus* idem est ac nominativus, ap. *Quint.*, *Varr.*, *Gell.*, etc. ℙ Part. *Nominans* ap. *Curt.* 6, 10. Num hodie dicerem causam, nullo me nominante? *Nominaturus* ap. *Suet. Tib.* 71. Monopolium nominaturus. *Nominandus* ap. *Curt.* 6, 10. Cum quaerenti socios vel falso fuerim nominandus.

NOMISMA. V. NUMISMA.

NOMIUS et Nomios, ii, et Nomion, onis, m. Νόμιος, et Νομιών, dictus est Apollo, a νέμω, pasco, juxta physicos, quia Sol, quaecumque terris nascuntur, pascit, seu vegetat: juxta poetas, quia coelo exsulans pavit pecus regis Admeti ad Amphrysum amnem, unde *Virg. G.* 3, 2. *Pastor ab Amphryso* dicitur. Sed *Cic. N. D.* 3, 23. scripsit, hunc Apollinem quartum fuisse, dictumque Nomionem a νόμος, lex. V. APOLLO. *Just.* 13, 7. narrat, Nomium filium fuisse Apollinis ex Cyrene filia Hypsei regis Thessaliae: Cyrenen ab Apolline raptam, perlatamque in Africam, in Cyram montem, ibi quatuor filios peperisse, Nomium, Aristaeum, Autochum, Argaeum.

NOMOS et Nomus, i, m. νομὸς, praefectura: videtur esse a νέμω, rego, praesum. *Plin.* 5, 9, 9. de Aegypto: Summa pars contermina Aethiopiae Thebais vocatur, dividitur in praefecturas oppidorum, quas nomos vocant, duodecim. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 23. Tu, ex quo nomo sit, notum mihi facere debes. Hic quoque de Aegypto loquitur. *Plin.* 5, 9, 9. Substituunt alios nomos, ut Heroopoliten. ℙ In musicis nomus est idem ac cantilena, seu modus certa lege compositus, νόμος enim Graece etiam legem Latine significat. *Suet. Ner.* 20. Nec ante cantare destitit, quam inchoatum absolveret nomon. Pleraeque editiones habent νόμον Graecis litteris.

NON, οὐ, οὐκ, adv. negandi, haud, minime, nequaquam. Omnibus verborum modis jungi solet, excepto imperativo, cui *ne* apponitur. [*Jungitur etiam imperativo. V. infra.] *Ter. Andr.* 1, 2, 15. Hoccine agis, an non? *Cic. Brut.* 67. Non erat abundans, non inops tamen: non valde nitens, non plane horrida oratio. *Quint.* 9, 1. In dicendo irasci, dolere, misereri, timere, non sunt figurae, non magis, quam suadere, minari, rogare. *Cic. Fl.* 22. Non est ita, judices, non est profecto. *Catull.* 14, 16. Non non hoc tibi, salse, sic abibit. *Ter. Ph.* 2, 1, 73. non non sic futurum est: non potest. *Cic. Har. resp.* 18. Non ignovit, mihi crede, non: nisi forte tibi ignotum putas, quod, etc. *Id. Att.* 8, 3. *med.* Eum si nunc sequor, quonam? cum illo non. *Sen. ep.* 102. *med.* Fama utique vocem desiderat: claritas non. *Id. Ben.* 7, 25. Non est ista admonitio; non: convicium est. *Virg. Cir.* 18. Non ego te talem venerarer munere tali: Non equidem. *Cic. Off.* 1, 11. Conservandi ii, qui non crudeles in bello, non immanes fuerunt. Al. leg. *nec immanes.* ℙ Si negationi praeponatur, affirmat, sed leviter, ut *nonnihil*, aliquid, *nonnullus*, *non nemo*, aliquis. Sic *Cic. Fam.* 2, 16. Moveo nonnullis suspicionem, velle me navigare: quod tamen fortasse non nollem, si possem ad otium. ℙ Si postponatur, plane, et omnino affirmat, ut *nihil non*, omnia. *Ov. Fast.* 3, 623. Multa tibi memores, nil non debemus Elisae. V. NIHIL. ℙ Sequente negatione una et altera, adhuc negat. [*V. quae de hoc loquendi genere dicta sunt in *nego*, *nemo*, cet.] *Cic. Att.* 9, 12. Non medius fidius prae lacrimis possum reliqua nec cogitare, nec scribere. Simile est illud *ejusd. Fam.* 5, 17. *extr.* Nullo loco deero neque ad consolandum, neque ad levandum fortunam tuam. ℙ *Unus non*, ne unus quidem. *Flor.* 2, 18. *extr.* Unus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur. ℙ Cum superlativis negantibus, aut vituperium, laudemve significantibus, interdum, per quandam urbanitatem, contrariam vim habere videtur. [*Quod cum vi quadam recte fieri docet *Gesn.* ad *Quint.* 1, 12, 18. quem laudat *ib. Spalding.*, coll. *Drak.* ad *Liv.* 30, 45, 5.] *Cic. Verr.* 2, 4, 66. Vidi enim vos in hoc non minime, cum testes dicerent, commoveri, *h. e.* valde. *Id. Par.* 5, 3. Cethegus, homo non probatissimus, *h. e.* valde improbatus. *Id. N. D.* 2, 17. Hic quam volet, jocetur Epicurus, homo non aptissimus ad jocandum, *h. e.* parum aptus. *Nep. Ages.* 8. Vestitu humili atque obsoleto, ut hominis non beatissimi suspicionem praeberet, *h. e.* pauperis. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. Etsi scio, non jucundissimum nuncium me vobis allaturum, *h. e.* tristissimum. ℙ Hac ratione inservit modestiae, et verecundiae. *Cic. Fam.* 1, 9. *in.* Et ego te auctore amicissimo et sapientissimo, et tu me consiliario fortasse non imperitissimo, fideli quidem, et benivolo certe, usus esses. *Id. Div. Verr.* 22. Sociorum querimoniae delatae ad hominem non inertissimum. ℙ Conjungitur eleganter cum quibusdam dictionibus *quod*, *quo*, *ut*, *nisi*, *vero*, *solum*, *modo*, *ita*, *fere*, *si*. *Cic. Or.* 39. Non quod sola ornent, sed quod excellant. *Id. Att.* 16, 15. *med.* Me non sane movet respublica; non quo sit mihi quidquam carius: sed desperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam. *Id. Caecin.* 20. *f.* Non quo sit servulus unus idem quod familia, verum quia, etc. *Id. Or.* 2, 87. Non ut aliquid pariat, verum ut ea, quae sunt orta et procreata, educet. *Cels.* 6, 1. Ad ea veniam, quae nonnisi in singulis partibus incidere consueverunt. *Ov. Trist.* 3, 12, 36. Nonnisi vicinas tutus ararit aquas. [*Plura v. in *Nisi.*] *Cic. Sen.* 9. Non vero tam isti, quam tu ipse nugator. *Id. Amic.* 15. Non enim solum ipsa fortuna caeca est, sed eos etiam plerumque efficit caecos, quos complexa est. [*Omittitur *etiam*, ut ap. Gr. *οὐ μόνον ἀλλὰ*, ap. *Tac. G.* 10. non solum apud plebem, sed apud proceres: cf. ap. *Liv.* 21, 59. 28, 19. 42. 32, 29. 37, 53. Omittitur etiam *sed*. *Tac. H.* 2, 27. Nec solum apud Caecinam, Fabii quoque Valentis cet. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 22, 25, 7. 36, 35, 13. (*Boettich. Lex. Tac.* p. 321.) — Porro tenendum, *non solum* dici etiam pro *non solum non*. *Quint. Inst.* 11, 1, 56. in quibus non solum cantare, quod vitium pervasit, aut lascivire, sed ne argumentari quidem nisi mixtis: ubi, ne recentioris latinitatis nota agnosceretur, laudavit *Spalding*. *Cic. Or.* 1, 46. neque solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem; et *Liv.* 5, 42. non mentibus solum consipere, sed ne auribus quidem.] *Cic. Att.* 16, 7. Tu id non modo non prohibebas, verum etiam approbabas. V. MODO. [*Nimirum *non* omitti non potest, ubi singula verba sibi opponuntur, ad quae particulae *non — sed* proprie pertinent. Ita *Matth.* ad *Cic. Mur.* 3, 8. Atque hoc non modo non laudari, sed ne concedi quidem potest; ubi v. quae plura laudantur. De formula *non modo* pro *non modo non*, quae ap. *Cic.* quidem fere semper ante *sed nequidem* adhiberi solet, V. *Spald.* ad *Quint.* 11, 1, 2. et *Zumpt.* in *Supplem.* p. 213. *Heindf.* ad *N. D.* p. 348. et quos laudat *Stalib.* ad *Ruddim.* 2. p. 361. *n.* 8. Hic notanda est etiam alia ellipsis, quam duriorem dicit *Boettich. l. l.*, qua *non — sed* (coll. *Drak.* ad *Liv.* 10, 6, 4. 28, 26, 7. 38, 22, 9.) et simpliciter *sed* positum est pro *non modo sed etiam*. *Tac. G.* 41. Hermundurorum civitas, fida Romanis: eoque solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Rhaetiae provinciae colonia. *Ann.* 15, 58. ubi dicendam ad causam introissent *(non modo)* laetatum erga conjuratos, sed *(etiam)* fortuitus sermo et subiti occursus — pro crimine accipi. V. *Cort.* ad *Sall. Jug.* 10, 4. 21, 2. 33, 4. *Cat.* 18, 7. et quos laudat *Hess.* ad *Tac. G.* 15. At in his omnino notandum, quod Romani ita usu distinxerunt inter *sed etiam* et simplex *sed*, ut illud ponerent, si utrumque membrum pari esse vi vellent, hoc, si posteriori membro majorem quandam vim tribuerent, ita ut prae altero quasi emineret; hoc autem imprimis fiebat, si latius pateret, quam antegressum, idque eo contineretur. Ita *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 18, 7. coll. *Heusing.* ad *Cic. Off.* 1, 44. *Brem.* ad *Nep. Cim.* 4, 1. *Goerenz.* ad *Cic. Leg.* 3, 11, 25. et ad 1, 14, 41. *Matth.* ad *Cat.* 3, 10, 24. et *Pass.* ad *Tac. G.* 15. *extr.*] *Cic. Verr.* 2, 4, 49. *f.* Simulacra perampla, sed non ita antiqua. [**Id. Brut.* 36, 137. Non ita multum dicendi laude procedere; et *mox*: non ita diserti homines; cf. *Leg.* 3, 11, 26. Pompejum — non ita valde probas. — Eodem modo dicitur *non tam*. *Cic. Brut.* 15, 58. quae nunc quidem non tam est in plerisque. *Fin.* 1, 1, 1. ibique *Goerenz.* Ceterum *non ita*, *non tam* idem est, quod *non sane*, *non admodum*, nostr. *nicht eben.*] *Id. Verr.* 2, 5, 71. Hominum nobilium non fere quisquam nostrae industriae favet. *Id. Or.* 2, 40. Non si Opimium defendisti, idcirco te isti bonum civem putabunt. [*Adde *Quint. Inst.* 4, 1, 5. *non quia* ista non per totam actionem sint custodienda, sed etc. ubi v. *Spalding.*] ℙ *Non si* adhibetur etiam, cum de obstinato cujuspiam animo sermo est, qui nulla conditione flecti possit: et valet *non*, *etiamsi*. *Liv.* 7, 10. Injussu tuo, imperator, extra ordinem nunquam pugnaverim, non si certam victoriam videam. *Sen. ep.* 59. *med.* Sapiens ad omnem incursum munitus et intentus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet. *Hor. Od.* 2, 14, 5. Non si tricenis, quotquot eunt dies, Amice, places illacrimabilem Plutona tauris. ℙ *Non* in illo *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* Gallinae rusticae similes facie non his villaticis nostris, sed Africanis, etc. *Scal.* vult esse pro *non solum*, quia *Colum.* 8, 2. rusticam gallinam ait esse villaticae non dissimilem. Sic *Ulp. Dig.* 8, 2, 4. Invitum in servitutibus accipere debemus non eum, qui contradicit, sed eum, qui non consentit. Ita *Torrent.* ap. quem est *lex* 5., sed *Haloander* habet *non solum qui contradicit*, *sed et qui*, etc. ℙ Pro *nedum* esse videtur in illo *Cic. Agr.* 2, 9. Vix mehercule servis hoc eum suis, non vobis omnium gentium dominis, probaturum arbitrarer. ℙ Non possum non, non possum quin. *Cic. Or.* 2, 10. Non possum, quin exclamem. *Id. Att.* 8, 2. Non potui non dare. ℙ Aliquando *non* interrogando adhibemus pro *nonne?* [*ubi v.] *Cic. Quint.* 26. Quid haec amentia significat? non vim? non scelus? non latrocinium? non denique omnia potius, quam jus, quam officium, quam pudorem? *Id. Rosc. Com.* 2. Suarum perscriptionum adversaria proferre non amentia est? Adde *Verr.* 2, 4, 23. [*et *Quint. Inst.* 10, 1, 48. ubi *Spalding.* laudat *Goerenz.* ad *Cic. Leg.* p. 243. 285. Adde *Spald.* ad *Quint.* 11, 1, 50. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 9, 89. *Walch.* ad *Tac. Agr.* 32. qui laud. *Ernest.* docentem, *non* ita poni in progressione a minori ad majus. Hinc post *nonne*, quando rogatio pluribus membris constat, semper *non* ponitur. V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 174. p. 704. *n.* 2. — Utrum conjunctivus an futurum sequatur, id quidem non a particula *non*, sed ex universa loci sententia pendet.] ℙ Raro pro *ne* in vetando utimur. *Pl. As.* 4, 1, 29. Suspiciones omnes abs se segreget: Neque illaec ulli pede pedem homini premat, Cum surgat; non in lectum inscendat proximum, Neque, etc. Alii plures pro *non in lectum* leg. *neque in lectum*. *Quint.* 1, 5, 50. hunc loquendi modum inter soloecismos enumerat. [*Hinc sunt, qui dicant, nusquam *non* pro *ne* dici posse. Ita *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 9. p. 167. *ed. Fr.* et quos ibi laudat. At non desunt loci, in quibus *non* pro *ne* positum legitur, hoc quidem discrimine interposito, quod *non* semper sensu negativo, in rebus, de quibus certum est, ponitur; *ne* vetantis notionem involvit, atque ad cogitationem, consilium pertinet. V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 166. p. 616. sq., coll. §. 173. p. 697. sq. *Hor. Sat.* 2, 5, 91. Non etiam sileas: ubi *Heindf.* haec laudat: *A. P.* 460. Non sit, qui tollere curet; et *Ep.* 1, 18, 72. Non ancilla tuum jecur ulceret ulla puerve. — Etiam cum imperativo: *Ov. A. Am.* 3, 129. Vos quoque non caris aures onerate lapillis, Quos legit in viridi decolor Indus aqua, Nec prodite graves insuto vestibus auro — Munditiis capimur; non sint sine lege capilli. *Id. Pont.* 1, 2, 105. At tu tam placido, quam nos quoque sensimus illum, Judice pro lacrimis ora resolve meis. Non petito, ut bene sit, sed ut male tutius. Cf. *Frotsch.* ad *Rut. Lup.* l. supra l. qui praeter *Heindf.* adire jubet *Schmid.* ad *Hor. Ep.* 1, 18, 72. p. 401.] ℙ Redundat in illo *Liv.* 2, 45. Nolle inultos hostes, nolle successum non patribus, non consulibus. [*Noli credere!] ℙ Quamvis *inhonestus*, *indignus*, *infrequens*, *indebitus*, etc. optime dicantur, interdum tamen optimi scriptores pro his *non honestus*, *non dignus*, *non frequens* maluerunt. *Cic. Off.* 3, 25. Sic multa, quae honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta. *Virg. A.* 2, 144. miserere animi non digna ferentis. *Pollio* ad *Cic. Fam.* 10, 33. *f.* Duas non frequentes legiones Brutum habere audio. *Cic. Top.* 26. Sic tibi nos ad id, quod quasi mancipio dare debuimus, ornamenta quaedam voluimus non debita accedere. [*V. *Ruhnk.* ad *Albin.* 145. — Hic commemorari posse videntur etiam ii loci, in quibus *non* in unum verbum cum sequenti quasi coalescere dicitur. *Spalding.* ad *Quint.* 11, 3, 12. In hoc igitur non contumaciter consentio; coll. 4, 2, 86. et 12, 1, 20.] ℙ Non adjectivis solum, sed et substantivis aliquando apponitur. *Cic. Acad.* 1, 11. Nec vero aut quod efficeret aliquid, aut quod efficeretur, posse esse non tute praedii non possessori relicta. *Paul. ib.* 43, 15, 7. Fulcinius dicebat, vi possideri, quoties vel

non dominus vi dejectus est. ℙ [*Confund. *nón* et *ne*. V. *Spald.* ad *Quint. Inst.* 2, 14, 4. qui laudat *Drak.* ad *Liv.* 38, 38, 10. Adde *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 196. 387. — Ceterum saepe haec particula turbata est a librariis in Mss., ita ut male modo omitterent, modo adjicerent. V. *Spald.* ad *Quint. Inst.* 4, 2, 29. — Corrumpuntur etiam inter se *non* et *num*. V. *Gronov. obss.* 4, 11, 178. sq. p. 429. *ed. Fr.* et *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 321. Porro conf. videntur *non* et *novo*. V. *Wund. Varr. Lectt. praef.* p. 43. — Permut. *non* et *in*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 156. 4, 366. 5, 121. — *Non* et *con. Id. ib.* 7, 598. — *Non* et *nec. Id. ib.* 2, 106. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 196. 387. — *Non* et *neve. Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 194. — *Non juste* et *injuste. Id. ib.* 2. p. 342. — *Non*, *quidquid* et *numquid*, *quod. Id. ib.* 2. p. 275.]

NONĂ, ae, f. *Νῶνα*, una ex Parcis. Latini *Nonam*, *Decimam*, et *Mortam* Parcas dixere, quod tempestivum tempus partus sit nono, et decimo mense, qui vero ante hoc tempus in lucem prodeunt, aut mortui nascantur, aut paulo post moriantur. *Gell.* 3, 16. ex *Varrone*, et *Caesellio*. V. MORTA.

NONACRĪNUS, a, um, adj. Arcadicus, a Nonacre monte. *Ov. Met.* 2, 409. in virgine Nonacrina Haesit, *idest* Callisto.

NONACRIS, is, f. *Νώνακρις*, mons Arcadiae, in Peloponneso, cum oppido olim cognomine, ex quo Styx aqua frigidissima, teste *Vitr.* 8, 3., emanat, quam Inferorum paludem fabulantur, ubi etiam Nonacrinum nemus. Adde *Plin.* 2, 103, 106. et 4, 6, 10. et *Sen. Q. N.* 3, 25.

NONACRĪUS, a, um, adj. ex Nonacre monte, vel ex Arcadia. *Ov. Fast.* 5, 97. Et matri, et vati paret Nonacrius heros, *h. e.* Evander. ℙ *Nonacria*, absolute est ipsa Atalanta. *Id. Met.* 8, 426. sume mei spolium, Nonacria, juris.

NONAE, arum, f. plur. *πέμπτη, ἑβδόμη*, dies quintus, vel septimus mensis. Erant dies septimus in Martio, Majo, Julio, Octobri, quintus in reliquis. Priores Nonae septimanae dicuntur a *Varr. L. L.* 5, 4., posteriores quintanae. ℙ Dictae sunt a *nonus*, quia a die V, vel VII inclusive, usque ad Idus, idest diem XIII, vel XV inclusive novem dies numerantur. Quidam putarunt, dictas esse a *novus*, quasi novae initium observationis, quia post novam lunam Nonarum die populares, qui in agris erant, confluebant in Urbem, accepturi causas feriarum a rege Sacrorum, scripturique, quid esset eo mense faciendum. Utrumque etymon adducit *Varro l. c.*, *Fest.* in *Nonae*, et *Macr. Sat.* 1, 15. *Cic. Fl.* 40. O Nonae illae Decembres, quae me consule fuistis! *Id. Quint.* 18. Nonis Februar. si Romae fuit. *Id. Fam.* 5, 2. A. d. tertium Non. Januar. cum agere coepisset, etc. ℙ Nonis conventus universae multitudinis vitandus existimabatur, quoniam populus Romanus exactis etiam regibus, diem hunc maxime celebrabant, quem natalem Servii Tullii existimabant: quia cum incertum esset, quo mense natus fuisset, omnes Nonas celebrabant. Veriti ergo, ne quid nundinis collecta universitas, ob regis desiderium, moveret, caverunt, ut a Nonis nundinae segregarentur. *Macr. Sat.* 1, 13. ℙ Aliam vero vitandarum Nonarum causam, eamque valde superstitiosam habuit Augustus, ut narrat *Suet. Aug.* 92. Observabat et dies quosdam, ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur, aut Nonis quidquam rei seriae inchoaret; nihil in hoc quidem aliud devitans, ut ad Tiberium scribit, quam *δυσφημίαν* nominis: sc. dissecta voce *non is* oritur, quo ire et omnino aliquid agere se prohibitum esse putabat. V. CAUNEUS. ℙ Nonarum, sicut calendarum, et iduum, dies copulendis nuptiis religiosi habebantur, idest devitandi; quia cum postridie eorum dierum dies ater esset, novam autem nuptam postridie, quam in domum viri venisset, rem divinam facere mos esset; cavendum erat, ne atro die id faceret. *Macr. cit. Sat.* 1, 16. *f.*

NONĂGENĀRIUS, a, um, adj. qui nonaginta continet. *Plin.* 2, 15, 12. Motus stellae Martis nonagenarius, *h. e.* cum stella movetur nonaginta partibus, seu gradibus a sole distans. *Front. Aquaed.* 60. Nonagenaria fistula, *h. e.* quae facta est ex lamina habente nonaginta digitos latitudinis, antequam in rotundationem flecteretur. ℙ *Nonagenarius* in re militari videtur esse, qui nonagesimum locum obtinet, quasi proximus ut centurio sit, vel qui nonaginta militibus praeest. *Inscr.* ap. *Mur.* 806, 1. Ti. Cl*audius* Marinus nonage*narius* Classis p*raetoriae* Mis*enatis*, etc. [*V. *Veget.* 2, 8.]

NONĂGENI, ae, a, *ἐννηκοσιοστός*, adj. numerale distributivum, quod tamen et pro cardinali *nonaginta* adhiberi potest. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Porticus ascenduntur nonagenis gradibus omnes. *Front. Aquaed.* 61. Fistula nonagenum quinum digitorum.

NONĂGĒSĪMUS, a, um, adj. *ἐννηκοστός*, primus post octoginta et novem. *Cic. Sen.* 5. Isocrates quarto et nonagesimo anno scripsisse dicitur.

NONĂGIES, adv. *ἐννηκοντάκις*, nonaginta vices. *Cic. Verr.* 2, 3, 70. In alteras decumas ferme ad nonagies, etc.

NONĂGINTĂ, *ἐννενήκοντα*, nomen numerale cardinale, indeclinabile. *Cic. Sen.* 10. Hospes tuus Masinissa nonaginta annos natus. *Auson. ep.* 5, 5. Nonaginta dies sine te, carissime, traxi. Adde *Ecl. de ratione dier. ann.* 1. et 16. et *ep.* 7, 18.

*NONAGRIA, ae, f. vetus nomen Andri insulae. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

NONĀLIĀ sacra, quae Nonis fiebant in arce; quibus ferias primas menstruas, quae futurae essent eo mense, rex sacrorum praedicebat populo. *Varr. L. L.* 5, 4.

NONĀNUS, a, um, adj. *Nonani milites*, qui in nona legione erant, ut *vicesimani*, qui in vicesima. *Tac. A.* 14, 38. Quorum adventu nonani legionario milite suppleti sunt; et *ib.* 1, 23. *extr.* Ni miles nonanus minas interjecisset.

NONĀRIUS, a, um, adj. qui fit nona hora, vel die, vel mense, etc. a *nonus*. Hinc *Nonaria meretrix*, quae circa nonam horam cellam aperit, et prostat. Hoc enim Romae usuvenisse testatur *vet. Schol.* ad illud *Persii* 1. *f.* Si Cynico barbam petulans nonaria vellat. Id autem ideo factitatum scribit, ne, si ante illud tempus ad eas accedi posset, matutina officia ab adolescentibus omitterentur.

NONDUM, adv. *μήπου*, adhuc non. *Pl. Pers.* 1, 3, 57. hic leno nondum sex menses Megaribus Huc est cum commigravit. *Cic. Off.* 2, 21. *f.* Nondum centum et decem anni sunt, cum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata est lex. *Id. Fam.* 11, 28. Nondum satis constitui, molestiaene plus, an voluptatis attulerit. *Id. Div.* 2, 6. Nondum dico, quam haec signa nulla sint. *Caes. B. G.* 1, 12. Ad eam partem pervenit, quae nondum flumen transierat. ℙ In Cenotaph. Pisano C. Caesaris legitur *non dum* disjunctim: quod etiam *Manutio* placet.

NONGENTĒSĪMUS. V. NONINGENTESIMUS.

NONGENTI, ae, a, adj. *ἐννεακόσιοι*, novies centum. *Cic. Fl.* 37. Falcidius emerat sestertiis nongentis millibus. *Colum.* 5, 2. Quatuor millia et nongenti pedes. Al. leg. *noningenti*. *Varr. R. R.* 8, 49. Actus primus ab uno ad nongenta: secundus a mille ad nongenta millia. ℙ Etiam *nongentus*, *i*, qui ex nongentis est. *Plin.* 33, 2, 7. Decuriae quoque ipsae (*judicum*) pluribus discretae nominibus fuere, tribunorum aeris, et selectorum, et judicum. Praeter hos etiamnum nongenti vocabantur (*a numero opinor*) ex omnibus selecti ad custodiendas cistas suffragiorum in comitiis. Et divisus hic quoque ordo erat superba usurpatione nominum: cum alius se nongentum, alius selectum, alius tribunum appellaret.

NONGĒSĪMUS. V. NONIGESIMUS.

NONIES, adv. novem vicibus: a *nonus*, ut *novies* a *novem*. *Inscr.* in Hadriani Aug. honorem ap. *Don. cl.* 2. *n.* 82. et *Mur.* 451, 1. Quod remisit decies novies centena millia N., etc. Verum cum eadem quaedam alia insolentiora admodum contineat, nullius videtur esse auctoritatis; praecipue cum in alia apud *Grut.* 10, 6., in qua de eodem eadem remittente sermo est, haec legantur: Remittendo sestertium novies millies centena millia N., et in nummo ejusd. Hadriani ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 478. Reliqua vetera HS. novies mill. abolita. Fatendum tamen est, *nonies* legi in *Not. Tir.* p. 100. Quinquies, sexies, septies, octies, nonies, decies. Quae quidem adverbia cum ex nomine numerali *quinque*, *sex*, *septem*, etc., minime vero ex ordinali *quintus*, *sextus*, *septimus*, etc. deriventur, apparet etiam *novies* a *novem*, non *nonies* a *nonus* esse derivandum.

NONĪGĒSĪMUS et Nongesimus, syncope pro nongentesimus (ut *octigesimus* pro *octingentesimus*) agnoscuntur a *Prisc.* in *Lib. de ponderib.* p. 1353.

NONINGENTĒSĪMUS et Nongentesimus, a, um, adj. novies centum continens. Agnoscuntur a *Prisc. l. c. in v. praec.*

NONINGENTI. V. NONGENTI.

NONINGENTIES et Nongenties, adv. novies centies. *Vitr.* 1, 6. *med.* Hujus octava pars est ter millies mille, et noningenties trigesies septies mille, et passus quingenti, *h. e.* 3,937,500.

NONIUS Marcellus grammaticus scripsit opus de varia significatione verborum, distinctum in XIX. capita. Posterior *Appulejo* est: ipsum enim non semel affert inter ceteros Latinos scriptores. Sub exitum secundi a Chr. n. saeculi obiisse videtur; cum neminem scriptorum, qui postea vixerit, in opere suo laudet. Ceterum plerumque antiqua sectatur, delectaturque plurimum *Accio*, *Pacuvio*, *Naevio*, *Plauto*, et his similibus. Saepe tamen delirat in vocum interpretationibus: quod jam viri docti observarunt. ℙ Alius et multo antiquior est *Nonius*, poeta comicus, qui ob similitudinem litterarum cum *Novio* commutatur. ℙ *M. Nonius Suffenas, Cretae et Cyrenarum pròpraetor, cum Cicero in Cilicia esset. *Cic. Att.* 6, 1. ℙ Nonium Asprenatem meminit *Suet. Aug.* 43. Nonium Strumam *Catull.* 52, 2. *Plin.* 37, 6. *B. A.*

NONNĀ. V. NONNUS.

NONNĔ, [*particula affirmativis, quae dicuntur, interrogationibus inserviens. V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 352. p. 305. Cf. etiam *Ramsh. Gr. Lat.* §. 174. 2. et *n.* 1. 2. Ponitur et in directa, et in indirecta oratione.] *Cic. Tusc.* 5, 12. Cum esset ex eo quaesitum, Archelaum Perdiccae filium nonne beatum putaret. *Id. N. D.* 3, 37. Nonne animadvertis, quam multi salvi pervenerint? *Id. Caecin.* 13. Te dejectum debeo intelligere, etiamsi tactus non fueris: nonne? et *Coel.* 14. *med.* Nonne te, si nostrae imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia, aemulam domesticae laudis in gloria muliebri esse admonebat? *Prop.* 2, 25, 9. Lynceu, tune meam potuisti tangere curam? Perfide, nonne tuae tunc cecidere manus? *Gell.* 17, 8. Verbero, nonne is curriculo, atque oleum petis? *h. e.* quare non, quin.

NONNĪHIL. V. NIHIL.

*NONNŪLA, ae, f. rete ad capiendas aves. V. *Gloss. Isid. B. A.*

NONNULLUS, a, um, adj. aliquis, quidam. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 159. p. 574. sq. coll. *ib.* §. 205. p. 981.] *Ter. Ad.* 1, 2, 68. Aeschinus Nonnullam in hac re nobis facit injuriam. *Cic. Mur.* 20. Tuum consilium nonnulla in re emendare possum. *Id. Acad.* 4, 22. Sunt inter illos nonnulla communia. *Caes. B. G.* 7, 37. Esse nonnullo se Caesaris beneficio affectum. *Pl. Capt.* 1, 1, 23. Quod mihi ne eveniat, nonnullum periculum est. *Plin. ep.* 7, 20. Homines nonnullius in litteris nominis. *Nep. Ages.* 8. Quae res nonnullam afferebat deformitatem. *Id. Cim.* 2. Nonnullae insulae defecerant. *Caes. B. C.* 1, 13. Nonnulla pars militum domum discedit, reliqui ad Caesarem perveniunt; et *ib.* 24. Nonnullae cohortes in agmen Caesaris, aliae in equites incidunt. *Hirt. B. Alex.* 62. Nonnullae civitates rebus Cassii studebant, plures Marcello favebant. ℙ *Nonnulli*, quidam, *ἔνιοι*. *Nep. Paus.* 5. Cum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo, etc. *Caes. B. G.* 1, 26. Nonnulli inter carros tragulas subjiciebant. *Sall. Cat.* 23. Nonnulli ficta haec existumabant. ℙ Scribitur et *non nullus* divisim.

NONNUNQUAM, adv. *ἐνίοτε, ποτὲ*, interdum, aliquando. *Cic. Vat.* 2. Cum in hac civitate oppugnari. *Caes. B. G.* 1, 8. *extr.* Nonnunquam interdiu, saepius noctu, si perrumpere possent, conati. *Cic. Fam.* 5, 8. Quaedam pestes hominum et te nonnunquam a me alienarunt, et me aliquando immutarunt tibi.

NONNUS, i, m. et Nonna, ae, f. nomen est reverentiae et gravitatis, quo majores, et praecipue monachi et monachae cadente Latinitate vocati sunt; hinc etiamnum Itali *nonno* et *nonna* dicunt avum et aviam: vocem Aegyptiacam putat *Jablonskius* in *Lex. Aegypt. Hieron. ep.* 117. *n.* 6. Quae in adulationem tui, sanctum et nonnum coram te vocant; cum se paululum averterint, portentuosum ridebunt maritum. *Id. ep.* 22. *n.* 16. Quia maritorum expertae dominatum, viduitatis praeferunt libertatem, castae vocantur, et nonnae, et post coenam dubiam Apostolos somniant. ℙ Est etiam idem ac nutritor, educator. *Inscr.* ap. *Zaccaria Stor. lett. d' Italia* T. 9. p. 492. D. M. S. Aureliae Justinae alumnae fecerunt nonni sui. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 252. P. Pescinnius Chrestio Alumnus Clodiae Asthiochae (lege *Astiochae*) nonnae suae fecit. ℙ Est item cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 527, 2. et 533, 2. Julia nonna. [*Hunc locum, quem Noster paucissimis absolvisset, plurimis auxit atque emendavit *F.*] ℙ *Nonnus, Panapolites, poeta Christianus, scripsit carmine Graeco paraphrasin Evangelii Johannis, itemque Dionysiaca; quorum utrumque hodie exstat. Sub Theodosio Imperatore eum floruisse arbitratur *Voss. de Poet. Graec.* p. 791. *B. A.*

NONNUSQUAM, adv. in aliquo loco. *Plin.* 14, 19, 24. Nonnusquam vini facce, acetove condiunt. *Id.* 36, 22, 49. Silices quibusdam in locis rubentes, nonnusquam vero et albi.

NONOEOLAE vocantur papillae, quae ex fauci-cibus caprarum dependent. Ita *Festus*. At *Scal.* legend. putat *naevolae*.

NON PRĪDEM, aeque et recte, et frequenter dicitur, ut jam pridem, quam pridem. *Festus*.

NONUNCIUM, novem unciae, ut *teruncium* tres. *Festus*.

NONUS, a, um, adj. *ἔνατος*, primus ordine ab octavo. *Cic. Somn. Scip.* 5. Summus coeli stellifer cursus acuto et excitato movetur sono: gravissimo autem hic lunaris atque infimus: nam terra, nona, immobilis manens, etc. *Hor. Sat.* 2, 7, 118. accedes opera agro nona Sabino. ℙ *Nona*, nempe *hora*, est tertia ante occasum solis, erat finis ferme actionum forensium, et laborum urbanorum, tempus balnei, vel coenae, aut coenae proximum. *Mart.* 4, 8. Imperat exstructos frangere nona toros. *Hor. Ep.* 1, 7, 70. ignovisse putato Me tibi, si coenas hodie mecum. Ut libet. Ergo Post nonam venies.

NONUSDĒCĪMUS, a, um, adj. decimusnonus. *Tac. A.* 13, 6. Nonodecimo aetatis anno. Adde *Auct. dial. de Or.* 34. *extr.* et *Inscr.* ap. *Grut.* 449, 7.

NONUSSIS, is, m. nummus, qui novem asses valebat: pro *nonassis*, ut *decussis*, qui decem. *Varr.*

L. L. 4, 36. Ab tribus assibus tressis, et sic proportione usque ad nonussis.

*NORA, orum, *Νῶρα, Νῶρα*, Sardiniae oppidum, hodie *Nori*. *Ant. Itin.* V. *Norensis*, ubi pro *Noram* legendum *Nora*, pluraliter. ℙ Item opp. Phrygiae, cum castello, Lycaoniae Cappadociaeque conterminum. *Nep. Eum.* 5. Castellum Phrygiae, quod Nora adpellatur: ubi v. *Nora* potest esse nominativus singularis, obstantibus tamen *Strabone* atque *Plutarcho*. *B. A.*

*NORBA, ae, f. opp. Lusitaniae, cujus meminit *Ptolemaeus*, dictum *colonia Norbensis*, cognomento *Caesariana*, a *Plin.* 4, 21. (al. 22.) qui situm id inter Tagum Anamque flumina narrat. ℙ Item aliud, in Latio, quod et *Norbe* audit *Plin.* 3, 5. V. in *Norbanus, a, um*. *B. A.*

[NORBĀNENSES, ium, m. plur. incolae urbis in Calabria, quae Norba vocabatur. *Plin.* 3, 4, 16. Calabrorum mediterranei Norbanenses, etc. *F.*]

NORBĀNUS, a, um, adj. ad Norbam pertinens, quod fuit oppidum Latii, colonia Romanorum, in Volscis, inter Signiam, Setiam, et Coram, ad radices montium: cujus populi Norbani *Plinio* 3, 5, 9. et *Liv.* 8, 1. et 27, 10. et Norbanus ager, *Id.* 8, 19. Ipsius oppidi mentio fit ab *eod.* 2, 34. et 7, 42. et 32, 2. ℙ Fuit etiam cogn. R. [in gente Vibia, ut probat *B. Borghesius Dec. num.* 10. *n.* 10., a patria Norba fortasse deductum, *F.*] ut C. Norbanus ap. *Cic. Or.* 2, 21. etc.

[NORBENSIS, e, adj. ad Norbam pertinens, Lusitaniae urbem ad Tagum fluv., ubi nunc *Brozas*. *Plin.* 4, 22, 35. Colonia Norbensis Caesariana cognomine. *Inscr.* ap. *Mur.* 1064, 5. Cocceja Celsi filia Severa Norbensis. *F.*]

*NOREIA, ae, f. *Νορήια*, opp. Carnorum. *Plin.* 3, 19. ℙ Aliud, in Norico. *Caes. B. G.* 1, 5. ubi *Metaphrast. Graec. Νορῆια* vertit. Adde *Tab. Peut.* ℙ Non desunt qui arbitrantur, utrumque unum idemque oppidum fuisse. *B. A.*

[NORENSIS, e, adj. ad Noram pertinens, Sardiniae urbem, nunc *Nori*. *Cic. fr. or. pro Scauro* ap. *Severian.* de *syntom. rhet.* Bostarem igitur quendam Norensem fugientem e Sardinia Scauri adventum. ℙ *Norenses, ium*, absolute sunt incolae illius urbis. *Cic. fr. or. pro Scauro* (ed. *A. Maio*) 13. Cum agerent parentalia Norenses omnes. Adde *Plin.* 3, 7, 13. *F.*]

NORĪCUM, i, n. Noricorum regio. *Tac. H.* 1, 70. Paulum cunctatus, num Rhaeticis jugis in Noricum flecteret. V. v. sq.

NORĪCUS, a; um, adj. ad Noricum pertinens. *Tac. A.* 2, 63. Transgressus Danubium, qua Noricam provinciam alluit. *Caes. B. G.* 1, 5. Noricus ager. ℙ *Noricum ferrum* laudatur a *Plin.* 34, 14, 41. Hinc *Hor. Epod.* 17, 70. ense pectus Norico recludere. *Rut. Itin.* 1, 351. Occurrit chalybum memorabilis Ilva metallis, Qua nihil uberius Norica terra tulit. *Ov. Met.* 14, 712. Durior et ferro, quod Noricus excoquit ignis. *Mart.* 4, 55. Saevo Bilbilin optimam metallo, Quae vincit Chalybasque, Noricosque. ℙ *Norici, orum*, populi, quorum regio Danubium fluv. a septentrione, Aenum fluv. ab occidente, Alpes Noricas a meridie, et montes Cetios ab oriente habet. De ea sic *Plin.* 3, 24, 27. A tergo Carnorum, et Iapydum, qua se fert magnus Ister Rhaetis junguntur Norici. Oppida eorum Virunum, Celeja, Teurnia, Aguntum, Vianiomina, Claudia, Flavium Solvense. Noricis junguntur lacus Peiso, deserta Bojorum: jam tamen colonia D. Claudii Sabaria, et oppido Scarabantia Julia habitantur.

NORMA, ae, f. *κανών, γνώμων, πῆχυς*, instrumentum fabrorum duabus regulis constans, inter se ab uno capite coagmentatis, Latinae litterae L. figuram, vel Graecae Γ, et rectum angulum referentibus. Ea exiguntur anguli, an recti sint. Fuit inventum Theodori Samii, ut *Plin.* 7, 56, 57. docet. *Vitr.* 7, 3. *med.* Uti longitudines ad regulam et lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam respondentes exigantur. *Plin.* 36, 22, 51. Structuram *(parietis)* ad normam et libellam fieri, et ad perpendiculum respondere oportet. V. LIBELLA. Rationem normae deformandae, a Pythagora inventam, tradit *Vitr.* 9, 2. Si sumantur, inquit, regulae tres, e quibus una sit pedes tres, altera pedes quatuor, tertia pedes quinque; haeque regulae inter se compositae tangant alia aliam suis cacuminibus extremis, schema habentes trigoni, deformabunt normam emendatam. ℙ Metaphorice est regula, praescriptio, ratio, lex. *Cic. Or.* 3, 49. Nec sunt haec rhythmicorum, aut musicorum acerrima norma dirigenda. *Id. Mur.* 2. Cato vitam ad certam rationis normam dirigens, et diligentissime perpendens momenta officiorum omnium. *Id. Amic.* 5. Nunquam ego dicam, Fabricium, Curtium, Coruncanium ad istorum (*Stoicorum*) normam fuisse sapientes. *Id. Leg.* 2, 24. Natura norma legis est. *Id. Acad.* 4, 46. Fontem omnium bonorum in corpore esse: hanc normam, hanc regulam, hanc praescriptionem esse naturae. *Id. Or.* 2, 42. Norma juris. *Hor. A. P.* 72. loquendi. *Gell.* 3, 3. judicii. *Val. Max.* 4, 3. *n.* 5. M'. Curius exactissima norma Romanae frugalitatis. *Plin. ep.* 9, 26. *med.* Demosthenes ipse, illa norma oratoris et regula, num se cohibet?

NORMĀLIS, e, adj. *κανονικός*, ad normam directus. *Quint.* 11, 3. *med.* Sinistrum brachium eo usque allevandum est, ut quasi normalem angulum faciat. *Manil.* 2, 289. Normalis virgula, *h. e.* norma ipsa. *Aggen.* in *comment. in Frontin.* p. 53. *Goes.* Normales rigores.

NORMĀLĪTER, adv. *κανονικῶς*, ad normam. *Hyg. de limit.* p. 168. et 176. *Goes.* ℙ *Ammian.* 20, 3. *f.* de luna: E regione vero cum normaliter steterit contra, lumine pleno fulgebit, i. e. ad regulam, ad libellam.

NORMĀTIO, onis, f. ad normam directio. In *fr. de limit.* p. 217. *Goesii.*

NORMATURA, ae, f. normatio. *Innoc. de casis litter.* p. 221. *Goesii.*

NORMĀTUS, a, um, part. ab inus. *normo:* ad normam directus. *Colum.* 3, 13. *f.* Mediae parti, qua regulae committuntur, illam ciconiam infiximus, ut tanquam suppositae basi, ad perpendiculum normata insisteret.

[NORMŪLA, ae, f. dimin. normae. *Not. Tir.* p. 119. Norma, normula. *F.*]

NORTIA, ae, f. Volsiniorum Etruriae urbis Dea, quae eadem fuit ac Tyche, seu Fortuna. *Capell.* 1, 21. Quam alii Sortem asserunt, Nemesimque nonnulli, Tychenque quamplures, aut Nortiam. *Liv.* 7, 3. Volsiniis quoque clavi indices numeri annorum fixi in templo Nortiae Etruscae Deae. *Tert. Apol.* 24. Faesulanorum Ancharia, Volsiniensium Nortia, Ocriculanorum Valentia, etc. *Juven.* 10, 74. si Nortia Tusco Favisset, *h. e.* Sejano Volsiniensi. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. ant.* p. 90. Nortia, te veneror, lare cretus Vulsiniensi. Alia ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 131. Magnae Deae Nortiae. Alia ap. *Don. cl.* 1. *n.* 150. Primitivus Deae Nortiae servus actor. ℙ Ap. *Tert. l. c.* quidam perperam leg. *Mursia*, vel *Nersia*, vel *Nurtia*. [*Plurima adjecit *F.*]

NOS, nostrum, etc. V. EGO.

NOSCENTIA, ae, f. cognitio, notitia. Quidam tribuunt *Symmacho ep.* 4, 9. et 6, 11. Sed utroque loco alii leg. *notitia.*

NOSCĪBILIS, e, adj. *γνωστός*, qui nosci potest. *Tert. ad Scapul.* 2. *extr.* et *August. Trin.* 9, 5. et 12.

NOSCITĀBUNDUS, a, um, adj. noscitans, agnoscens. *Gell.* 5, 14. Deinde sensim atque placide, tanquam noscitabundus, ad hominem accedit.

NOSCĪTO, as, avi, atum, a. l. *διαγινώσκω*, frequent. a *nosco*, et idem ferme valens. *Liv.* 3, 38. *med.* Circumspectare omnibus fori partibus senatorem, raroque usquam noscitare. *Id.* 22, 6. Facie quoque noscitans. *Plin. ep.* 6, 20. *med.* Alii parentes, alii liberos, alii conjuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant; et *Catull.* 61, 221. Sit suo similis patri Manlio, et facile insciis Noscitetur ab omnibus. [*Tac. *H.* 2, 12. Primo impetu caesi disjectique montani, ut quibus temere collectis, non castra, non ducem noscitantibus, neque in victoria decus esset, neque in fuga flagitium.] ℙ In illo *Pl. Trin.* 4, 2, 21. Loca contemplat, circumspectat sese, atque aedes noscitat: *noscitare* est explorare, noscere conari. Simile est illud *Virg. A.* 7, 283. Supposita de matre nothos furata creavit, *h. e.* creari fecit, ut et *Macr.* interpretatur *Sat.* 6, 6. Geminum vero illud *ejusd. Cist.* 4, 2, 14. Nunc vestigia, si qua sunt, noscitabo.

NOSCO, is, ovi, otum, a. 3. *γινώσκω*, cognosco, cognitum habeo, notitiam alicujus rei habeo, scio: a verbo Graeco allato. Praeteritum *novi* saepe pro praesenti usurpatur, ut *odi, memini.* Saepe etiam syncopen patitur, ut *nosti, noram, nosse, norim*, etc. Quin et *nomus* pro *novimus* dixisse *Ennium*, testatur *Diomed.* 1, 382., quod et *Voss. de Gramm.* 5, 39. *extr.* observat. Pertinet autem tum ad mentem, tum ad omnes sensus corporis. *Cic. Tusc.* 1, 22. Hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat. Cum igitur, nosce te, dicit, hoc dicit, nosce animum tuum. *Ter. Ad.* 5, 4, 8. Id esse verum, ex me, atque ex fratre cuivis facile est noscere. *Id. Andr.* 4, 4, 50. Novi rem omnem. *Id. Hec.* 3, 4, 25. At non novi hominis faciem. *Pam.* faciam ut noveris. *Id. Heaut.* 2, 3, 7. vespérascit, et non noverunt viam. *Id. Andr.* 5, 4, 32. Phania illic frater meus fuit. *Si.* noram, et scio. *Catull.* 68, 140. Noscens omnivoli plurima furta Jovis. *Cic. Pis.* 13. *f.* Quisquam vos consules putet, qui non leges, non instituta, non jura noritis? *Plin.* 23, 6, 57. Vulgus novit perficere coria. *Id.* 13, 4, 9. Pomum sapore ferino, quem ferme in apris novimus, *h. e.* sentimus. *Cic. Fam.* 7, 28. Ut ibi esses, *ubi nec Pelopidarum*, nosti cetera. (Formula qua utimur, cum quippiam reticemus, quod notum est. Adde *Fin.* 2, 22. et *Plin. ep.* 3, 9. *med.*) *Id. Rosc. Am.* 20. *f.* et *Balb.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Si ego hos bene novi. *Virg. G.* 2, 108. Nosse quot Ionii veniant ad litora fluctus. *Tac. Agr.* 5. Noscere provinciam, nosci exercitui, *h. e.* ab exercitu. [*V. *Walch.* ad h. l.] Sic *Ov. Trist.* 1, 5, 29. nec noscitur ulli, Agminibus comitum qui modo cinctus erat. *Id. Met.* 14, 153. nullique videnda, Voce tamen noscar. *Stat. Th.* 9, 357. miserae nimium noscenda parenti Parma natat. *Tac. G.* 30. Audire praepositos, nosse ordines. *Pl. Amph. prol.* 104. vos novisse credo, ut sit pater meus. *Ter. Ph.* 2, 1, 35. Unum cognoris, omnes noris. ℙ Nosse de facie. *Cic. Pis.* 82. *extr.* Virtutem tu ne de facie quidem nosti. ℙ Nosse animum alicujus. *Ter. Heaut.* 3, 3, 9. novi ego Amantium animum: advertunt graviter quae non censeas. ℙ *Nosse causam, excusationem*, est interdum probare, et admittere, agnoscere. *Pl. Truc.* 2, 1, 18. Nunquam amatoris meretricem oportet causam noscere, Quin, ubi nil det, pro infrequente eum mittas militia domum. *Cic. Att.* 11, 7. *med.* Quod te excusas, ego vero et tuas causas nosco, etc. *Id. Fam.* 4, 4. Illam partem excusationis nec nosco, nec probo. Adde *Leg.* 1, 4. [**Hor. Sat.* 2, 7, 89. Potesne ex his ut proprium quid noscere? ubi v. *Heindf. Tac. H.* 1, 90. In rebus urbanis Galerii Trachali ingenio Othonem uti credebatur: et erant, qui genus ipsum orandi noscerent.] ℙ *Nostin*? novistine? *Ter. Eun.* 3, 5, 15. Nostin' hanc, quam frater amat? *Ant.* novi. ℙ Interdum valet audin'? *Id. Andr.* 2, 6, 9. bidui est, aut tridui Haec sollicitudo: nosti? deinde desinet. *Id. Eun.* 3, 1, 15. Requiescere ubi volebat, quasi: nostin'? *Gn.* scio. *Sil.* 6, 519. Ultima vox duras haec tunc penetravit ad aures: Cetera percussi vetuerunt noscere remi. ℙ Olim dictum fuit *gnosco, gnovi, gnotus*, ut *Prisc.* 2, 569. docet.

*NOSCOPIUM, i, n. Lyciae opp. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

NOSOCŌMĪUM, ii, n. *νοσοκομεῖον*, locus, in quo recipiuntur, curanturque pauperes aegroti, valetudinarium: a *νόσος*, morbus, et *κομέω*, curo. *Imp. Justin. Cod.* 1, 2, 19 et 22. Item *Hieron. ep.* 77. *n.* 6., sed Graece.

NOSOCŌMUS, i, m. *νοσοκόμος*, qui in nosocomio aegros curat. *Imp. Justin. Cod.* 1, 3, 42., sed Graece.

NOSTER, stra, strum, pronom. possess. *ἡμέτερος*, ad nos pertinens, a nobis possessus. *Caes. B. G.* 1, 2. Rhodanus, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit. *Sall. Cat.* 1. Nostra omnis vis in animo et corpore sita est. *Caes. B. G.* 1, 12. Patrum nostrorum memoria. *Pl. Cas.* 2, 8, 75. Nostra omnis lis est, *h. e.* vicimus. *Id. Mil.* 2, 5, 20. perscrutari hic volo, nos nostri, an alieni simus: ne dum quispiam Nos vicinorum imprudententes immutaverit. *Sc.* Certe equidem noster sum. Sic *Amph.* 1, 1, 243. Certe tu me alienabis nunquam, quin noster siem. ℙ [*Oppon. *nostra* et *externa*. *Cic. Off.* 3, 26, 99. Sed omittamus et fabulas et externa; ad rem factam nostraque veniamus: ubi v. *Beier.* ℙ *Liv.* 9, 19. utique nunquam nostris locis laboravimus, i. e. opportunis. V. *Bauer.* ad h. l. p. 298. *Sil.* 12, 193. hora nostra est, i. e. opportuna et qua est utendum: ubi v. *Drakenb.* Adde *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 3, 125. et cf. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 157. 3. c. p. 535. ℙ *Liv.* 39, 36. nostrum est — vestrum est, i. q. nostra culpa est cet. ℙ Porro notandus usus, quo *noster* saepius pronominis person. locum tenere solet. *Pl. Mil.* 2, 1, 2. Si ad auscultandum vestra erit benignitas, i. e. si vobis erit, si habebitis; et *ib.* 3, 1, 4. inimicus ne quis nostra spolia capiat auribus, i. e. de nobis. *Liv.* 5, 51. Secunda nostra fortuna: ubi v. *Drakenb.*; et 31, 31. Tempore nostro adverso. *Hor. Sat.* 2, 6, 48. Per totum hoc tempus subjectior in diem et horam Invidiae noster: ubi *noster* pro *ego* positum docet *Heindf.* coll. *Pl. Rud.* 4, 7, 19. Egone ut, quod ad me allatum esse alienum sciam, Celem? Minime istuc faciet noster Daemones; et *Epid.* 1, 2, 44. Facile tu istuc sine periclo et cura, corde libero Fabulare; novi ego nostros; mihi dolet, cum ego vapulo. — una cum Maecenate. V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 157. 3. d. p. 535. et *n.* 1.] ℙ Cum adjectione syllabica *Ter. Phorm.* 5, 2, 1. nostrapte culpa facimus, ut, etc. ℙ *Nostri* dicuntur consanguinei, affines, domestici, conterranei, amici, fautores: quibus opponuntur externi, et alieni. *Ter. Ad.* 5, 8, 28. pro patre huic est, bonus est, noster est; recte datur. *Val. Fl.* 2, 561. Noster ades, junctusque veni. *Liv.* in *fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 2, 148. Quisquis es, noster eris. (Formula imperatoris transfugam recipientis in fidem.) *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 3. Alienus autem noster est cum animo et benevolentia, tum vero etiam imitatione vivendi: et *ib.* 3. *f.* Ciceronem nostrum quid tibi commendem? *Caes. B. G.* 1, 26. Diu cum esset pugnatum, impedimentis castrisque nostri potiti sunt. *Liv.* 8, 9. in *formula devotionis:* Divi, quorum est potestas nostrorum, hostiumque. *Plin.* 12, 25, 54. Balsami in totum alia natura, quam nostri externique prodiderant. *Ter. Eun.* 2, 3, 21. Haud similis virgo est virginum nostrarum. *Cic. Pis.* 8. O noster misericors, quid facis? quod nulla in barbaria quisquam tyrannus. ℙ Adhibetur in blanditiis. *Ter. Ad.* 5, 5, 2. *De.* Quis homo? o Syre noster, salve: quid fit? quid agitur? *Sy.* Recte. *De.* optime est, jam nunc haec tria primum addidi Praeter naturam: o noster, quid fit, quid agitur. ℙ *Noster esto* est laudantis, probantis, am-

plectentis ob dictum factumve, quod placeat. *Pl. Mil.* 3, 3, 25. hem tibi adsunt, Quas me jussisti adducere, et quo ornatu. *Pa.* noster esto. *Id. Bacch.* 3, 3, 39. Noster esto, dum te poteris defensare injuria. ℙ Genitivus pluralis *nostrum* pertinet ad *nos:* de quo V. EGO. Differunt etiam usu, quia *nostrum* refertur solummodo ad nos ipsos, *nostrorum* ad alios etiam, qui nostrae sunt familiae, patriae, etc. *Pl. Poen.* 4, 2, 39. *Sy.* Dii omnes, Deaeque ament. *Mi.* quemnam hominem? *Sy.* nec te, nec me, Neque herum meum adeo. *Mi.* quem ament igitur? *Sy.* alium quemlibet, Nam nostrorum nemo dignus est. Si *herum meum* non addidisset, *nostrum nemo* dicendum erat. ℙ Reperitur tamen *nostrum* pro *nostrorum*, ut *meum* pro *meorum*. *Pl. Men.* 1, 2, 25. Averti praedam ab hostibus, nostrum salute socium. Quod et *Prisc.* adnotavit 7, 743. ℙ Et *nostrorum* pro *nostrum* est *Plauti* in *fragm.* ap. *Non.* 4, 133. Qui nequeas, nostrorum uter sit Amphitruo, decernere. ℙ [*Inde ab *Apoll. Sulpicio* usque ad nostra tempora, v. *Forc.* in EGO, *nostri* pro genitivo plurali pronom. *ego* acceperunt: de quo primus, quod scio, *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 33, 2. ita recte exposuit, ut non pluralis, sed singularis numeri, neque ab *ego*, sed a neutro pronominis possessivi descendentem genitivum demonstret.] ℙ *Nostrai* pro *nostrae* in genit. singul., ut *terrai*, *pictai*, antiquum est *Vel. Long. de Orthogr.* p. 2222. ℙ [*Confund. *Noster* et *vester*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 200. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 331. — *Noster* et *nunc*. *Id. ib.* 2. p. 163. — *Nostra* et *natura*. *Id. ib.* 1. p. 236. sq. — *Nostra* et *monstra*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 245.]

NOSTĬMUS, i, m. *νόστιμος*, redux. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 427, 18. Thetidi contubernali carissimae Nostimus fecit. *F.*]

*NOSTĬUS, i, m. nomen propr. R. L. Nostium Zoilum, L. Nostii libertum, meminit *Cic. Fam.* 13, 46. *B. A.*

NOSTRAS, atis, adj. omn. gen. qui est a nostra patria, vel regione, vel gente, *ἡμεδαπός*. *Cic. Fam.* 2, 11. Verba non solum vestra oratoria, sed etiam levia nostratia; et *ib.* 9, 15. Mirifice capior facetiis, maxime nostratibus. *Id. Tusc.* 5, 32. Nostrates philosophi. *Plin.* 16, 16, 28. Tertium genus nostrates vocant silvestre. *Colum.* 9, 4. *f.* Nostras cunila, quam saturejam rustici vocant. *Id.* 8, 2. *f.* Nostrates gallinae. *Plin.* 15, 11, 10. Cotonea candidiora, nostratia appellata. *Cato* ap. *Prisc.* 12, 943. Rex Seleucus arma nostratia facit. ℙ *Nostratis* in recto singulari. *Cassius Hemina* ap. *Prisc. ib.* Hos libros si quis nostratis sapiens.

NOSTRĀTIM, adv. nostro more, ut *tuatim*, tuo more. *Charis.* 2, 196. Tuatim. Plaut. in Amphit. (2, 1, 4.) Jam tuatim facis: ubi Sisenna, ut nostratim. Significat autem, tuo more. Haec *Charis.* Adde *Non.* 2, 853.

NOSTRĀTIS. V. NOSTRAS.

[NOSTUS, i, m. *νόστος*, reditus. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 194. *n.* XLI. Nostus Mam*ilii* Scauri L. *F.*]

NŌTA, ae, f. *χαρακτὴρ*, *σύμβολον*, *σημεῖον*, *στίγμα*, signum, quod alicui rei apponitur, vel per se inest, dignoscendi causa, insigne, vestigium, indicium. Est a *nosco*, quod in supinis compositorum *agnitum*, et *cognitum* paenultimam corripit, quamvis in *ignotum* producat. [*Discrimen inter *nota*, *macula* et *labes*, v. in h. v.] *Liv.* 37, 31. *f.* Inde in altum lingua mille passuum excurrens, medium ferme sinum velut nota distinguit. *Cic. Or.* 2, 41. Si aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa et notas ostenderem locorum. *Hor. Od.* 1, 13, 11. sive puer furens Impressit memorem dente labris notam. *Id. Ep.* 2, 1, 235. tractata notam labemque remittunt Atramenta. *Colum.* 7, 9. *f.* Pice liquida notam porcis imponere. *Virg. A.* 5, 87. de angue: Caeruleae cui terga notae, maculosus et auro Squamam incendebat fulgor. *Cic. Fam.* 13, 6. Reliquis epistolis tantum faciam, ut notam apponam eam, quae mihi tecum convenit. *Liv.* 34, 61. Instruit etiam secretis notis, per quas haud dubie agnoscerent, sua mandata esse. *Suet. Ner.* 25. Posuit statuas suas citharoedico habitu: qua nota etiam nummum percussit. [*Hic *nota* est, quod nos dicimus, *Gepräg*. Adde *Ejusd. Aug.* 75. Nummos omnis notae, etiam veteres regios ac peregrinos; et *ib.* 94. ut nummum argent. nota sideris Capricorni — percusserit. — Unde de animo, Gr. *χαρακτὴρ*, *τύπος*. *Id. Tib.* 54. patefacta interiore animi sui nota.] *Quint.* 1, 4. Nota aspirationis; et *ib.* 12. *med.* Nec moduletur, aut musicis notis cantica excipiat. Plerique al. leg. *modis expediat.* [*Ita *Spalding.*, qui tamen praeferendum censet notis in *praef.* ad Vol. I. p. 80.] *Sen. Troad.* 1112. Signa clari corporis, Et ora, et illas nobiles patris notas Confudit imam pondus ad terram datum. [*Ita saepissime notae dicuntur pro lineamentorum qualitate, V. *Burm.* ad *Val. Fl.* 2, 466. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 167.] ℙ Saepe dicitur de signis, quibus formantur litterae. *Cic. Tusc.* 1, 25. Qui primus sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis litterarum notis terminavit. *Id. Div.* 2, 41. Sortes in robore insculptae priscarum litterarum notis. ℙ Et poetice per synecdochen de scripto, epistola. *Hor. Od.* 4, 8, 13. incisa notis marmora publicis. *Ov. Her.* 4, 6. Inspicit acceptas hostis ab hoste notas; et *ib.* 20, 209. Postmodo nescio qua venisse volubile malum, Verba ferens doctis insidiosa notis. ℙ Item de nutibus. *Ov. A. Am.* 3, 514. Innuet: acceptas tu quoque redde notas. *Id. Met.* 11, 565. stantemque in puppe recurva Concussaque manu dantem sibi signa maritum Prima videt, redditque notas. ℙ Item de signis, quibus utuntur, qui scribendi compendia celeritatis causa sectantur, unde postea *notarii* dicti. Ea sunt triplicis generis: primo enim littera una, vel duae, vel tres integram vocem significant, ut nempe P. *Publius*, S. P. Q. R. *senatus populusque Romanus*, Eq. R. *eques Romanus*, Cos. *consul*, etc. Hujusmodi notae *singulariae* dicuntur, a recentioribus *siglae*, a Graecis *σίγλαι*, quod scilicet singulae verbum exprimant. Hinc ita *Val. Probus de notis Rom.* p. 1494. Veteres scribendi facultatem ut celeriter comprehenderent, quaedam verba ex communi consensu primis litteris notabant, et singulae quid significarent, in promptu erat. Earum porro usus praecipuus est in antiquis monumentis marmore vel aere expressis, quarum longam seriem exhibent *Id. l. c.*, *Sert. Ursatus de not. Rom.* et *J. D. Coletius* in *Not. et sigl. quae in numm. et lapidib. apud Rom. obtinebant.* Haec tamen vocum compendia *Imp. Justinian.* in *epist. ad Tribonian.* §. 13., in alia *ad antecessores* §. 8. et *ad senatum* § 22., quae Digestorum libris praemittuntur, sub gravi interminatione in legibus a librario describendis usurpari vetuit: quod item confirmat *Isid. Or.* 1, 23. ℙ Huc pertinet illud *Cic. Mur.* 11. *extr. de JCtis.* Itaque irati, quod sunt veriti, ne, dierum ratione pervulgata et cognita, sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuerunt, ut omnibus in rebus ipsi interessent: scil. patricii, quibus solis jurisprudentiae studium permittebatur, postquam Cn. Flavius Appii Claudii scriba ann. ab U. C. CCCCXLIX. legis actionum formulas cum fastis in plebem evulgasset (V. FLAVIANUS.), novas juris formulas subtilissime notis expressas composuerunt, ita ut pro singulis verbis singulariae litterae ponerentur, ne earum significatio plebi innotesceret. ℙ Secundo una littera pro alia ponitur, ut *d* pro *a*, etc. *Suet. Caes.* 56. Exstant epistolae ad familiares domesticis de rebus, in quibus, si qua occultius perferenda essent, per notas scripsit, id est sic structo litterarum ordine, ut nullum verbum effici posset: quae si quis investigare et persequi vellet, quartam elementorum litteram, id est D pro A, et perinde reliquas commutet. *Id. Aug.* 88. Quoties per notas scribit, B pro A, C pro B, ac deinceps eadem ratione sequentes litteras ponit: pro X autem duplex A A. Adde *Gell.* 17, 9. *in.* et *Isid. Orig.* 1, 25. Haec scribendi ratio Graece *σεσιγανογραφία* dicitur. ℙ Tertio est signum confictum ad litteras et vocem significandam, ut ff pro Digestis, etc. Signorum hujusmodi confictorum characteres, licet litterae proprie non sint, ad litteras tamen proxime accedunt, ut apertum erit cuipiam, qui eorum praelongam seriem investigandam suscipiat, quae exstat ap. *Grut.* extremo Tom. IV. *Inscr.*, quae *Notae Tironis et Senecae* appellantur. Haec autem scribendi ratio Graece *ταχυγραφία* dicitur, et a *Cic. Att.* 13, 32. *διὰ σημείων*. Huc spectant loca *Manil.* 4, 197. Hic et scriptor erit velox, cui littera verbum est (V. supra), Quique notis linguam superet, cursimque loquentis Excipiat longas nova per compendia voces. *Sen. ep.* 90. *med.* Quid verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, et celeritatem linguae manus sequitur? *Suet. Tit.* 3. E pluribus comperi, notis quoque excipere velocissime solitum, cum amanuensibus suis per lusum jocumque certantem. *Paul. Dig.* 37, 1, 6. *extr.* Notis scriptae tabulae non continentur edicto, quia, notas litteras non esse Pedius scripsit. *Id. ib.* 29, 1, 40. L. Titius miles notario testamentum scribendum notis dictavit, et antequam litteris perscriberetur, vita defunctus est. Respondi, militibus quomodo volunt, et quomodo possunt testamentum facere concessum esse. *Ulp. ib.* 50, 13, 1. §. 7. Sed ceterarum artium opificibus sive artificibus, quae sunt extra litteras, vel notas positae, nequaquam extra ordinem jus dicere praeses debebit. *Prud. περὶ στεφ.* 9, 23. Verba notis brevibus comprendere cuncta peritus, Raptimque punctis dicta praepetibus sequi. *Sidon. ep.* 9, 9. *med.* Tribuit et quoddam dictare celeranti scribarum sequacitas saltuosa compendium, qui comprehendebant signis, quod litteris non tenebant. V. NOTARIUS et EXCEPTOR. ℙ Sunt etiam *notae* signa, quae appingebantur libris, dum in legendo probaretur quid, aut improbaretur: qua de re aliquid dictum est in CERA: eratque hoc praecipue grammaticorum munus. *Cic. Pis.* 30. Quoniam te non Aristarchum, sed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum versum, sed poetam armis persequare, etc. *Sen. ep.* 6. Mittam ipsos tibi libros, et ne multum operae impendas, dum passim profutura sectaris, imponam notas, ut ad ea ipsa protinus, quae probo et miror, accedas. *Isid.* vigint sex profert notarum figuras, *Orig.* 1, 21., quas sententiarum notas appellat, quae apponerentur ad demonstrandam unamquamque verbi sententiarumque ac versuum rationem. In his sunt obeli, asterisci, etc. sua quodque vi, ac significatione praeditum: de quorum aetate, et auctoritate alii viderint. ℙ Neque solum signa, sed quae scribuntur in auctorem aliquem, aut confirmandi, aut improbandi, aut illustrandi causa, *notae* dici possunt. *Impp. Theodos. et Valent. Cod. Theod.* 1, 4, 1. Notas etiam Pauli, atque Ulpiani in Papiniani corpus factas, sicut dudum statutum est, praecipimus infirmari. *Pompon. Dig.* 49, 17, 10. Ex nota Marcelli constat, nec patribus aliquid ex castrensibus bonis filiorum deberi. ℙ Item de signis, quae imponebantur cadis et amphoris, ad significandum vini tempus, et praestantiam. *Hor. Od.* 2, 3, 6. Seu te in remoto gramine per dies Festos reclinatum bearis Interiore nota Falerni; et *Sat.* 1, 10, 24. ut Chio nota ei commixta Falerni est. ℙ Item de stigmatibus, quae inurebantur fronti, aut humero improborum servorum, et fugacium. *Suet. Cal.* 27. Multos honesti ordinis, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla condemnavit. *Cic.* Thracum morem fuisse indicat, ut se notis compungerent, *Off.* 2, 7. Barbarum compunctum notis Threiciis destricto gladio jubebat anteire. ℙ Item de naevis, tuberculis, et maculis, quae corpori innascuntur. *Plin.* 11, 39, 96. Mammas homo solus e maribus habet: cetera animalia mammarum notas tantum. *Suet. Aug.* 80. Corpore traditur maculoso dispersis per pectus atque alvum genitivis notis. *Hor. Od.* 4, 2, 59. de vitulo: Qua notam duxit, niveus videri, Cetera fulvus. ℙ *Nota virilis* est mentula. *Auct. Priap.* 67. Tu, quae ne videas notam virilem, Hinc averteris, ut decet pudicam. ℙ Translate est indicium, signum. *Cic. Verr.* 2, 4, 47. Ut multis in locis notas ac vestigia scelerum suorum relinqui velint. *Cels.* 2, 6. *med.* In vicino saepe quaedam notae positae imperitos medicos decipiunt; et *f.* In acutis morbis fallaces magis notas esse et salutis, et mortis. *Stat. Silv.* 1, 1, 15. juvat ora *(Domitiani)* tueri Mixta notis belli, placidamque gerentia pacem. *Plin. ep.* 3, 11. Mihi quoque impendere idem exitium, certis quibusdam notis augurabar. *Cic. Div.* 2, 21. Romulus lactens fulmine ictus; urbi igitur periculum ostenditur, ei, quam ille condidit: quam scite per notas nos certiores facit Juppiter! *h. e.* per signa coelo missa. [*Suet. Caes.* 37. Pontico triumpho inter pompae fercula trium verborum praetulit titulum, Veni, Vidi, Vici, non acta belli significantem, sicut ceteri, sed celeriter confecti notam, i. e. quo notaret, indicaret, bellum celeriter confectum. — *Id. Cal.* 49. nomina et notae morti destinatorum, i. e. crimina notis significata. Ita *B. Crus.* in *cl. Suet.* cum *Oudendorp.* et *Brem.* — *Burm.* ad *Virg. A.* 3, 444. docet *notas* h. l. respicere discrimen, quod inter duos ejusdem nominis intercedat, ut titulos fortasse honorum, aetatem, corporis notas, cet. *Brem. das Charakteristische.* Verba in loco *Virg.* modo laud. sunt: foliisque notas et nomina mandat, i. e. characteres, signa. Adde *G.* 3, 158. Continuoque notas et nomina gentis inurunt.] ℙ Translate a nota cadorum est genus. *Colum.* 9, 15. *extr.* Secundae notae mel. *Id.* 12, 17. Primae notae acerrimum acetum; et *ib.* 57. Caseus Gallicus, vel cujuscumque notae; et *ib.* 37. Vini nota parum firma; et *ib.* 38. Hic liquor utilior est ad valetudinem, quam alterius myrteae notae compositio. *Sen. Q. N.* 2, 2. *extr.* Ex hac nota corporum est aer. ℙ Huc pertinent illa *Curii* ad *Cic. Fam.* 7, 29. Persevera nos conservare, et Sulpicii successori nos de meliore nota commenda. *Sen. Med.* 906. Levia scelera et vulgaris notae. *Sen. alter Ben.* 3, 9. Quaedam beneficia non sunt ex hac vulgari nota, sed majora. *Petr. Sat.* 83. Eum ex hac nota litteratorum esse, quos odisse divites solent. ℙ Item quidquid inservit ad rem aliquam discernendam: ducta metaphora a notis, quae imponuntur pecoribus et jumentis. *Cic. Or.* 23. Sequitur, ut cujusque generis *(dicendi)* nota quaeratur et formula. *Phaedr.* 4, 23. Tabella talis hominum discernit notas Eorum, qui se falsis ornant laudibus, Et quorum virtus exhibet solidum decus ℙ Translate a nota servorum, vel a macula est nota censoria, h. e. judicium ignominiosum, quo censores afficiebant aliquem ob delictum, senatu, aut tribu movendo, equo publico spoliando, in aerarios referendo, etc. quarum rerum exempla habes ap. *Liv.* 4, 24. et 39, 42 et 44., *Gell.* 4, 20. et *Val. Max.* 9, 9. etc. *Cic. Cluent.* 46. Qui pretio adductus eripuerit patriam civi innocenti, is censoriae severitatis nota non inuretur? ℙ Hinc saepissime ignominiam significat, infamiam, probrum, dedecus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 325. Quem scis scire tuas omnes maculasque notasque. *Cic. Cat.* 1, 6. Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? quod privatarum rerum dedecus non haeret infamiae? *Id. Prov. cons.* 10. Gabinii litteras insigni quadam nota, atque ignominia nova condemnastis.

Id. Rabir. perduell. 9. Homo omnibus notis turpitudinis insignis. *Id. Off.* 3, 18. O turpem notam temporum illorum! *Id. Pis.* 18. Sempiternas foedissimae turpitudinis notas subire. *Sen. Herc. Fur.* 634. Hanc ferat virtus notam? *Gell.* 4, 20. Notae aliquem eximere. *Ulp. Dig.* 3, 2, 2. Nota laborare. *Plin. ep.* 2, 6. Eadem omnibus pono: ad coenam enim, non ad notam invito. *Tert. Poen. f.* Peccator omnium notarum, *h. e.* qui omnia scelera admisit, quae notam merentur. [*Suet. Tib.* 45. Nota in Attellanico exodio, i. e. versus, quo mores Tiberii notabantur. Alii locum aliter mutandum censuerunt. V. *Oudendorp.* et *Brem.*] ℙ Aliquando etiam in bonam partem accipitur. *Cic. fragm. pro Rabirio perduell.* (ed. *B. G. Niebuhrio*) *n.* 36. Qui hasce ore adverso pro republica cicatrices, ac notas virtutis accepit. ℙ Translate a naevis corporis est insigne, monumentum. *Ov. Fast.* 1, 595. Hunc Numidae faciunt, illum Messana superbum, Ille Numantina traxit ab urbe notam, *h. e.* cognomen Numantini. [*Plura adjecit *F.*]

NŌTĂBĬLIS, e, adj. *ἐπίσημος*, qui notari potest, observari dignus, insignis, conspiciendus, conspicuus in utramque partem. *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* Viri excellentis ancipites variique casus habent admirationem, exspectationem, etc., si vero exitu notabili concluduntur, expletur animus jucundissima lectionis voluptate. *Ov. Met.* 1, 169. Lactea nomen habet; candore notabilis ipso. *Sen. Ira* 1, 2. Aspice nobilissimarum civitatum fundamenta vix notabilia; has ira disjecit. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. Hipponacti notabilis foeditas vultus erat. *Plin. alter ep.* 9, 13. *med.* Adjecit etiam: notabilem te futuris principibus fecisti. Esto, inquam, dum malis. *Id. ep.* 7, 6. Rara et notabilis res contigit Vareno. *Ulp. Dig.* 3, 1, 1. Personae turpitudine notabiles. *Quint.* 1, 3. Et si quid in pejus notabile est. *Id.* 9, 4. *med.* Quae imperitis quoque ad reprehensionem notabilia videntur. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 9, 8, 5. Jubemus, eos notabiles esse sine venia, *h. e.* infamia notatos. *Tac. H.* 3, 25. Eo notabilior caedes fuit, quia filius patrem interfecit. [*Maxime frequentatur haec vox ap. *Tac.* V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 322. ℙ Confund. *notabilis* et *nobilis.* V. *Spalding.* ad *Quint.* 11, 2, 18.]

NŌTĂBĬLĬTER, adv. *ἐπισήμως*, notabilem in modum, insigniter. *Quint. decl.* 17, 6. *extr.* Pater, qui me tam notabiliter odit. *Plin. ep.* 1, 5. *med.* Expalluit notabiliter, quamvis palleat semper. *Suet. Aug.* 87. Quotidiano sermone quaedam frequentius et notabiliter usurpavit. *Tac. H.* 1, 55. Quibusdam, ut in tumultu, notabilius turbantibus.

NŌTĂCŬLUM, i, n. nota, signum. *Minuc. Fel. Octav.* 31. *f.* Nos non notaculo corporis, sed innocentiae ac modestiae signo facile dignoscimus.

NŌTĂRĬA, ae, f. scriptura, qua aliquid notum fit: praesertim deferendi et accusandi causa: quae et notoria dicitur. *August. ep.* 169. et *collat. cum Donatist.* 3. *c.* 2. *ἀναφορά.* ℙ *Est etiam ars tachygraphiae. *Fulgent. B. A.*

NŌTĂRĬUS, a, um, adj. ad notas pertinens, quibus in scribendo utimur. *Fulg. Myth.* 3, 10. In puerilibus litteris prima abecedaria, secunda notaria. V. ABECEDARIUS.

NŌTĂRĬUS, ii, m. *ταχυγράφος, σημειογράφος*, qui notis quibusdam brevibus (de quibus in NOTA est dictum) citissime excipit, et exscribit quae quis dictaverit. Erant servi, aut liberti, qui studiis heri aderant, excipientes, quae ille meditatus exscribi vellet: item qui actiones oratorum in foro, dum agerent, excipiebant: item qui causidicis inserviebant, perscribendis actis forensibus. Horum ars nunc omnino periit: quod dolet etiam *Lips. centur. ad Belg. ep.* 1, 27., ubi tota hac de re multa. [*V. *Eschenbach. ΣΗΜΕΙΩΣΕΙΣ Vett. Critt.* p. 291. sq. *Brodaei Misc.* 4, 9. *Bailey.*] *Mart.* 14, 208. cujus lemma *Notarius.* Currant verba licet, manus est velocior illis. Nondum lingua, suum dextra peregit opus. *Auson. epigr.* 146. Puer notarum praepetum Solers minister, advola: Bipatens pugillar expedi, Cui multa fandi copia, Punctis peracta singulis, Ut una vox absolvitur. *Plin. ep.* 9, 36. Notarium voco, et die admisso, quae formaveram, dicto. *Quint.* 7, 2. Ceterae actiones, quae sub nomine meo feruntur, negligentia excipientium in quaestum notariorum corruptae. *Mart.* 5, 31. de causidico: Hic qui libellis praegravem gerit laevam, Notariorum quem premit chorus laevis, etc. *Sen. Apocol. med.* Is multa diserte dixit, quae notarius persequi non potuit. *Lamprid. Alex. Sev.* 28. Eum notarium, qui falsum causae brevem in consilio imperatorio retulisset, incisis digitorum nervis, ita ut nunquam posset scribere, deportavit. ℙ Differt a tabellione, scriba, librario, quod hi non per notas, et signa, sed per litteras, et integras voces scribebant. *Paul. Dig.* 29, 1, 40. L. Titius miles notario testamentum scribendum notis dictavit, et antequam litteris perscriberetur, vita defunctus est. ℙ Paulatim tamen *notarius* aliquem ex his significare coepit. Porro notarii fuere etiam servi publici, qui magistratibus inserviebant: quorum mentio fit in *ep. Valeriani* ap. *Trebell. Claud.* 14. et alibi. Tria notariorum genera notantur in officiis domus Augustae: tribuni, et notarii principis, qui et tribuni notariorum dicti sunt (*Ammian.* 17, 5. *f.*); tribuni et notarii praetoriani (*Cassiod. Var.* 6, 3. et *ib.* 11, 18 et 20.); domestici et notarii. V. *Cod. Theod.* 6. *lit.* 10. qui est *De primicerio et notariis*, etc. et *Guther. de officiis domus Aug.* 3, 9.

NŌTĀTĬO, onis, f. *σημείωσις*, actus notandi. [*Cic. Cluent.* 47. Paucis postea mensibus alia vehemens erat in judiciis ex notatione tabularum invidia versata: ubi *notatio tabularum* fit, quum tabellae judicum diversicoloribus ceris notantur, ut quis condemnaverit, quis absolverit intelligi possit, cf. *Caecil.* 7. et ibi *Ascon.* Ita *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v. ℙ Hinc descriptio, quae verbis fit: *Schilderung, Charakterisirung. Auct. ad Her.* 4, 50. Notatio est, quum alicujus natura certis describitur signis, quae sicuti notae quaedam, naturae sunt attributae. ℙ Tunc observatio, animadversio, quae de aliqua re, sive in aliquam rem, proprie nota quadam adscripta, vel in bonam vel in malam partem fieri solet.] *Cic. Div.* 2, 42. Chaldaeis in praedictione, et in notatione cujusque vitae ex natali die, minime esse credendum. *Or.* 55. Notatio naturae et animadversio peperit artem. *Brut.* 17. Licet ex his eligant ea, quae notatione et laude digna sint; et *ib.* 19. Ego vero delector ista quasi notatione temporum, i. e. distinctione. — Ita usurpatur etiam de castigatione atque animadversione censoria. V. NOTIO. ℙ Item examen, ac judicium, quod fit de aliquo. *Cic. Phil.* 5, 5. Delectus autem et notatio judicum etiam in nostris civibus haberi solet. ℙ Item propria cujusque verbi vis et significatio, quae habetur notando atque observando, unde verbum illud ortum habeat: [*Etymologie.] *Cic. Top.* 2. *extr.* Tum notatio, cum ex vi verbi argumentum aliquod elicitur; et *ib.* 8. Multa etiam ex notatione sumuntur. Ea est autem, cum ex vi nominis argumentnm elicitur: quam Graeci *ἐτυμολογίαν* vocant, id est, verbum e verbo, veriloquium. Nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes, genus hoc notationem appellamus, quia sunt verba rerum notae. Itaque hoc idem Aristoteles *σύμβολον* appellat, quod Latine est nota. Sed cum intelligitur, quid significetur, minus laborandum est de nomine. Hactenus *Cic.*, cui adde *Quint.* 1, 6. *med.* ℙ [*Confund. *notationes* et *notiones.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 395.]

NŌTĀTUS, a, um, part. a *noto*: *σημειωθείς*, signatus. *Cic. in Senat.* 7. Frons calamistri notata vestigiis. *Id. Prov. cons.* 2. Via illa castris Threiciis distincta ac notata. *Mart.* 10, 38. O nox omnis et hora, quae notata est Caris litoris Indici lapillis. *Lucr.* 6, 611. ignis nullo fulgore notatus, *h. e.* ignis sine splendore. *Ov. Amor.* 3, 6, 48. Ungue notata comas, ungue notata genas. *Mart.* 3, 21. famulus fronte notatus. ℙ Item notis litterarum inscriptus, *γεγραμμένος. Ov. Amor.* 1, 4, 20. Verba notata mero. *Id. Pont.* 4, 3, 26. verbis charta notata tribus. *Id. Her.* 3, 1. a rapta Briseide littera venit Vix bene barbarica Graeca notata manu; et *ib.* 5, 21. Incisae servant a te mea nomina fagi, Et legor Oenone falce notata tua. *Mart.* 7, 17. mittimus libellos Auctoris calamo sui notatos. ℙ Item per *notas*, non per litteras signatus. *Suet. Galb.* 5. HS. quingenties, quia notata, non perscripta erat summa, herede Tiberio ad quingenta revocante, ne haec quidem accepit. ℙ Item animadversus, observatus. *Hor. Sat.* 2, 7, 8. saepe notatus Cum tribus anellis, modo laeva Priscus inani. *Cic. Div.* 1, 18. Ratione aut conjectura observata ac notata signa. *Id. Top.* 2. Demonstratus et notatus locus. *Id. Div.* 1, 7. Animadversus et notatus. *Auct. ad Her.* 3, 22. Si aliqua re exornabimus, quo notatior sit similitudo. Alii leg. *notabilior:* al. *notior.* ℙ Item descriptus, explicatus, illustratus. *Cic. Tusc.* 3, 5. Multo melius haec notata sunt verbis Latinis, quam Graecis. *Id. Fam.* 7, 32. Equidem sperabam, ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, ut cognosci sua sponte possent. *Nep. Att.* 18. Nulla res illustris est populo R., quae non in eo volumine suo tempore sit notata. ℙ Item castigatus, ignominia affectus, infamiae nota inustus, turpis, infamis, *ἄδοξος. Plin.* 33, 11, 50. Propter quinque pondo notatum a censoribus triumphalem senem, fabulosum jam habetur. *Id. Cluent.* 22. Judicia senatoria insigni turpitudine notata, atque operta dedecore et infamia. *Id. Fam.* 6, 6. *med.* Boni cives nulla ignominia notati. *Id. Dom.* 9. Homo teterrimus, omnium scelerum libidinumque maculis notatissimus. *Id. Font.* 1. Galli modo bello domiti, modo triumphis ac monumentis notati, modo agris multati. *Plin.* 7, 34, 34. Nasica in toga candida bis repulsa notatus a populo. *Cic. Dom.* 26. Hominis scelere ac furore notato, similis a republica labes in posterum demovebatur.

NOTESCO, is, tui, n. 3. *γνωρίζομαι*, notus fio. *Prop.* 2, 10, 37. Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri. *Lucan.* 10, 197. coelicolis gratum reor, ire per omnes Hoc opus, et sacras populis notescere leges. *Tac. A.* 1, 73. Quae ubi Tiberio notuere, scripsit consulibus; et *ib.* 12, 8. At Agrippina, ne malis tantum facinoribus notesceret, veniam exsilii pro Seneca impetrat.

NOTHUS, a, um, adj. *νόθος*, non legitimus, non ejusdem generis, aut originis: a voce Graeca allata. In hominibus *nothus* est, qui habet patrem quidem certum et nobilem, sed matre concubina et ignobili est progenitus: *spurius* est, qui ex ignobili vel incerto patre, matre autem nobili, quasi *sine patre*, nascitur. Haec fere ex *Isid. Orig.* 9, 5. At *Festus:* Nothum Graeci natum ex uxore non legitima vocant: qui apud nos spurio patre natus dicitur. *Quint.* 3, 6. *f. Νόθον*, qui non sit legitimus, Graeci vocant: Latinum rei nomen, ut Catonto quoque in oratione quadam testatus est, non habemus: ideoque utimur peregrino. *Virg. A.* 9, 697. Antiphaten Thebana de matre nothum Sarpedonis alti. ℙ De bestiis etiam dicitur, quae ex diversi generis, aut regionis parentibus procreantur. *Colum.* 8, 2. *f.* Omnium horum generum nothi sunt optimi pulli, quos conceptos ex peregrinis maribus nostrates ediderunt. *Virg. A.* 7, 282. de equis: Semine ab aetherio, spirantes naribus ignem, Illorum de gente, patri quos daedala Circe Supposita de matre nothos furata creavit, *h. e.* filios equorum Solis immortalium, et equae mortalis. *Plin.* 8, 1, 1. nothos dici ait elephantorum genus, qui ceteris minores sunt. ℙ Translate. *Catull.* 63, 27. Simul haec comitibus Atys cecinit notha mulier, *h. e.* non vera mulier, sed vir exsectus. Al. leg. *nova. Lucr.* 5, 575. Lunaque, sive notho fertur loca lumine lustrans, Sive etc., *h. e.* non suo, sed alieno. Adde *Catull.* 34, 15. *Arnob.* 5, 182. Nothae atque adulterae lectiones.

NŌTĬA, ae, f. *Νοτία*, gemma, quae cum imbribus cadere dicitur: nempe a *Noto*, qui ventus est humidissimus, et maxime imbrifer. Eadem dicitur et *ombria*, ab *ὄμβρος*, imber. *Plin.* 37, 10, 65. V. OMBRIA.

NŌTĬĀLIS, e, adj. ad Notum pertinens, australis. *Avien. Arat.* 550. Troicus haurit aquas funditque ubi Ephebus ab urna Pone avidus, jacet in Notialia nubila pronus. V. AQUARIUS.

[NŌTĬFĬCĀTUS, a, um, part. a *notifico*, monstratus, indicatus. *Auct. carm. de pulice* (ed. *Wernsdorfio* inter *Poet. Lat. min.* T. 6. p. 383 — 387.) 24. res est notificata satis. *F.*]

NŌTĬFĬCO, as, avi, atum, a. 1. *γνωρίζω*, notum facio, indico, monstro. *Pompon.* ap. *Non.* 2, 585. Nunc te obsecro, stirpem ut evolvas, meorumque genus notifices mihi. *Gell.* 9, 3. Philippi vim toti Graeciae cavendam, Demosthenis orationes notificant. Al. leg. *vocificant. Ov. Pont.* 1, 2, 12. Atque modum culpae (al. *poenae*) notificare meae. Sed hic versus merito a criticis suspectus habetur, et *Ovidio* indignus.

NŌTĬO, onis, f. [*actus cognoscendi, *das Kennenlernen, das sich Bekanntmachen mit etwas. Pl. Truc.* 2, 7, 62. Quid tibi hanc aditio est? quid tibi hanc notio est, inquam, Amicam meam. De constructione cf. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 681. p. 523. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 120. *n.* 3. p. 353. §. 126. *n.* 2. p. 377. et §. 145. *n.* 1. p. 444. ℙ Hinc *notio* dicitur de cognitione causae, quae fit a magistratu cum jurisdictione, et de ipsa jurisdictione: *das obrigkeitliche Einsehen, Untersuchung. Cic. Dom.* 13. Quae omnis notio Pontificum esse debuit. *Id. Agr.* 2, 21. Notio populi Romani. *Id. Att.* 11, 20. Notionem ejus differre. *Liv.* 27, 15. mediis ad censores, non ad senatum, notionem de eo pertinere dicentibus. *Tac. Ann.* 3, 59. Dilata notione de jure flaminis; et *Id. ib.* 6, 12. Tunc quoque notioni quindecimvirum is liber subjicitur. *Ulp. Dig.* 50, 16, 99. Notionem accipere debemus, et cognitionem, et jurisdictionem. *Id. ib.* 42, 1, 5. Praetor ait: cujus de ea re jurisdictio est: melius scripsisset: cujus de ea re notio est: etenim notionis nomen etiam ad eos pertinet, qui jurisdictionem non habent, sed habent de quavis alia causa notionem. *Id. ib.* 49, 1, 10. Si quis pluribus summis sit condemnatus, quarum singulae notionem principis non faciunt, omnes autem conjunctae faciunt; poterit ad principem appellare. ℙ Tunc notio significat rerum notitiam, formam, speciem, *(Begriff, Kenntniss)*, quam quis animo, mente continet: *ἔννοια, νόησις. Cic. Fin.* 3, 10. Quumque rerum notiones in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit, aut conjunctione, aut similitudine, aut collatione rationis, hoc quarto, quod extremum posui, boni notio facta est. Quum enim ab iis rebus, quae sunt secundum naturam, ascendit animus collatione rationis, tum ad notionem boni pervenit. *Id. N. D.* 1, 11. aperta simplexque mens, nulla re adjuncta qua sentire possit, fugere intelligentiae nostrae vim et notionem videtur, i. e. non cadere in intelligentiae nostrae naturam, abhorrere ab, non concordare, non comparari posse videtur cum intelligentiae, qualis est in nobismet ipsis, vi et notione: quam praestantissimam hujus l. interpretationem debemus *Beiero*, q. v. Noster v. *notio* pro vi et facultate cognoscendi intellexerat. Adde *Tusc.* 5, 39. Sine varietate colorum licebat vivere beate, sine notione rerum non licebat. *Acad.* 4, 41. Veniamus nunc ad bonorum et malorum notionem.

— Ita maxime usurpari solet de iis rerum in animo formis, quae natura abque omni opera mentis insitae sunt, (Platonis illa ἀνάμνησις, de qua v. *Stallb. Prolegg.* in *Phileb.* p. 26 et 73.) Nobis dicitur *Ahnung*, *Urbegriff*.] *Cic. Top.* 7. Genus et formam definiunt hoc modo: Genus est notio ad plures differentias pertinens: Forma est notio, cujus differentia ad caput generis, et quasi fontem referri potest. Notionem appello, quod Graeci tum ἔννοιαν, tum προλήψιν dicunt. Ea est insita, et ante percepta cujusque formae cognitio, enodationis indigens. *Id. Tusc.* 1, 24. Nec fieri posse, ut a pueris tot rerum atque tantarum insitas, et quasi consignatas in animis notiones, quas ἐννοίας vocant, haberemus, nisi animus, antequam in corpus intravisset, in rerum cognitione viguisset. *Id. Fin.* 3, 6. Simulac homo cepit intelligentiam, vel notionem potius, viditque, etc. *Id. N. D.* 1, 16. In omnium animis Deorum notionem impressit natura; et *ib.* 2, 5. In animis hominum informatas Deorum esse notiones. *Id. Off.* 3, 20. Excute intelligentiam tuam, ut videas, quae sit in ea species, forma, et notio viri boni. ℙ Item vis et significatio. *Cic. Tusc.* 5, 10. Neque alia huic verbo, cum beatum dicimus, subjecta notio est, nisi, secretis malis omnibus, cumulata bonorum complexio. ℙ Speciatim dicitur de judicio, et punitione censoria. *Cic. Sext.* 25. Ut censoria notio, et gravissimum judicium sanctissimi magistratus tolleretur. *Id. Off.* 3, 31. Notiones, animadversionesque censoriae. *Id. Prov. cons.* 19. et *Pis.* 5. Censorium judicium ac notio. Adde *Gell.* 17, 18. Sunt qui his locis *notationem* substituunt. [*De discrimine inter *notio* et *notatio*, cum de morum magisterio dicuntur, v. *Schütz.* ad *Cic. Sext.* 25. unde intelliges, errare, qui utrumque vocabulum eodem sensu dici putent. ℙ Confund. *notiones* et *notationes*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 395.]

[NOTION, ii, n. ita etiam appellatur cucumis silvaticus ap. *Appul. Herb.* 113.: a νότιος, uvidus. *F.*]

*NOTĬTAE, arum, populi Mesopotamiae. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

NOTĬTIA, ae, f. [*primum significat eam alicujus hominis cet. conditionem, qua ab aliis noscitur, *das Bekanntseyn.*] *Nep. Dion.* 9, 4. Hi propter notitiam sunt intromissi, i. e. quia noti et familiares. *Sen. ep.* 19. Tanta notitia te invasit. *Ov. Pont.* 3, 1, 49. Exposuit mea me populo fortuna videndum, Et plus notitiae, quam fuit ante, dedit. [*Adde *Liv.* 1, 34. notitiamque eam brevi — in familiaris amicitiae adduxerat jura, *h. e.* effecit, ut ex noto familiaris fieret. Siquidem sanus locus. Sunt qui leg. conj. *notitiaque eum brevi* etc. ℙ Hinc *cognitionem*, *das Wissen*, *die Kenntniss*, ἔννοια, γνῶσις, adjecto plerumque genitivo rei, quae cognoscitur.] *Cic. Leg.* 1, 8. Itaque, ex tot generibus nullum est animal, quod habeat notitiam aliquam Dei. *Id. Off.* 2, 24. *med.* Valetudo conservatur notitia sui corporis. *Lucr.* 5, 125. Notitiam praebere. *Ov. Pont.* 2, 10, 5. eripere. *Quint.* 6, 4. habere alicujus rei. *Cels.* 6, 6. *n.* 14. *extr.* Quippiam notitiae subtrahere. *Quint.* 4, 2. *med.* instruere judicem notitia rerum. *Ov. de nuce* 29. Hoc in notitiam veniat maloque viroque. *Plin.* 7, 1, 1. Hoc venit mihi in notitiam. *Id.* 3, 5, 9. Tradere aliquid notitiae hominum. *Plin. alter* 10. *ep.* 15. et 18. Perferre in notitiam alicujus. *Vell.* 2, 7, 4. Rei tantae parum ad notitiam pertinens interponetur. [*Adde *Lucr.* 2, 744. sq. Scire licet, menti quoque nostrae corpora posse Vorti in notitiam, nullo circumlita fuco. — Etiam cum genitivo ejus, qui habet. Huc pertinet locus *Ov. Pont.* 4, 8, 48. virtus Notitiam serae posteritatis habet, i. e. noscit virtutem posteritas: ubi perperam *Forc. notitia* passive positum dixerat. — Illud notandum: dicitur *notitia*, eadem ratione, qua *notio*, ubi v., de innatis, ante perceptis cujusque formae cognitionibus, i. q. *al.* ap. *Cic.* anticipatio.] *Cic. Ac.* 4, 10. Notitiae rerum, quas Graeci tum ἐννοίας, tum προλήψεις vocant. *Id. Fin.* 5, 21. Natura ingenuit sine doctrina notitias parvas rerum maximarum. [*Huc pertinet etiam locus *Lucretii* infra laud. 2, 123. ℙ Tum transfertur ad consuetudinem, familiaritatemque in rebus amatoriis, ut nostr. *Bekanntschaft*, interdum etiam malo sensu.] *Ov. Met.* 4, 59. Notitiam primosque gradus vicinia fecit: ubi v. *intpp.* [*Adde *Ter. Heaut.* 1, 1, 1. Quamquam haec, inter nos nupera admodum notitia est. *Cic. Coel.* 31. fama adolescentis paulum haesit ad metas notitia nova mulieris, etc. ℙ Hinc] *Notitiam feminae habere*, est cum ea concumbere. *Caes. B. G.* 6, 20. Intra annum vigesimum feminae notitiam habuisse in turpissimis habent rebus: γινώσκειν γυναῖκα. [*Cf. *Moeb.* ad h. l.] V. COGNITUS et COGNOSCO. ℙ *Notitiai* antiquum pro notitiae. *Lucr.* 2, 123. Exemplare dare, et vestigia notitiai. ℙ In variis locis *Codicis Justin.*, ut 1, 27, 1. §. 4. et 12, 60, 10. etc., notitia est libellus, in quo descripti sunt officiales, qui publice inserviunt, et ratio omnis administrationis eorum, et annonae, quae unicuique ab imperatore praestatur, etc. Exemplum habes priore *l. c. Cod.*

NOTĬTIES, ei, f. idem ac notitia. *Vitr. prooem. l.* 6. *med.* Ideo notities parum est assecuta. *Lucr.* 5, 1046. unde insita notities est Utilitatis? Adde *ib.* 183.

*NOTIUM, i, sc. oppidum (proprie enim est neutrum genus v. *Notius, a, um*), in Ionia situm erat, ad mare, prope Colophonem. *Plin.* 5, 29. *Liv.* 37, 26. ℙ Et forte nomen promontorii, oppido supradicto vicini. *Liv.* 38, 29. ℙ Item oppidum Calydnes insulae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

NOTĬUS, a, um, adj. Νότιος, australis, a Noto vento. *Manil.* 1, 436. Quae Notia antiqui dixerunt sidera vates; et *ib.* 427. Tum Notius piscis, venti de nomine dictus, Exsurgit de parte Noti. ℙ Graecorum aliqui, teste *Plin.* 3, 5, 10., Notium mare vocant, quod alii Tyrrhenum, et Latini Inferum. Sic Notius polus est australis, ap. *Hyg. Astron.* 1, 5. et 6. et *ib.* 4, 11. ℙ *Notia gemma.* V. NOTIA.

NOTO, as, avi, atum, a. 1. σημειόω, notam, signum appono, distinguo: a *nota*. *Cic. Verr.* 2, 2, 32. *extr.* Notare tabellam cera, aut sanguine. *Colum.* 8, 11. *med.* ova atramento. *Pall.* 3, 9. *med.* lineam candidis signis. *Ov. Amor.* 1, 7, 50. ungue genas; et *ib.* 3, 2, 11. equorum terga verbere. *Id. de nuce* 155. fusco succo digitos. *Id. Met.* 4, 329. pueri rubor ora notavit. *Petr. Sat.* 89. Reducta cuspide uterum (*equi lignei*) notavit, *h. e.* feriendo signavit. *Mart.* 7, 18. corpus nulla litura notat, *h. e.* nulla ruga, aut macula deformat. Sic *Ov. A. Am.* 3, 785. cui rugis uterum Lucina notavit. ℙ De scribente. *Id. Met.* 9, 522. Incipit, et dubitat: scribit, damnatque tabellas: Et notat, et delet. ℙ Et de iis qui compendiose, ac per notas scribunt. *Quint. prooem. l.* 1. *med.* Alterum, quantum notando consequi poterant boni iuvenes, temerario editionis honore vulgaverant. ℙ [*Item de iis, qui dicendo res non longo verborum ordine persequuntur, sed breviter, paucis tangunt. *Quint. Inst.* 1, 5, 17. Sed hoc quoque notare contentus sum, etc.; et *ib.* 9, 4, 15. Illud notasse satis habeo; et 11, 1, 4. satis habet partem hanc velut notare inter agnoscentes; et, addita v. *breviter*, *ib.* 2, 2, 15. notanda breviter. Alias eadem ratione usurpat *signare:* v. *ib.* 1, 4, 17. ℙ Hinc designare, significare, quasi notis alicui rei adscriptis docere, demonstrare qualis sit, vel qualem ab aliis judicari velimus.] *Cic. Fin.* 3, 2. Agricultura eas res, in quibus versatur, nominibus notavit novis. *Or.* 2, 58. Haec ridentur vel maxime, quae notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter. *Part.* 11. Insunt etiam in temporibus illa, quae temporis quasi naturam notant, ut hiems, ver, aestas, autumnus. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 16. Quae genera vitium, et in quali solo coeloque essent conserenda, cum enumeraremus naturas earum, notavimus. *Suet. Ner.* 39. Histrio in novissima clausula senatum gestu notavit, i. e. denotavit, indigitavit, demonstravit. ℙ [*Unde translatum est ad ea, quae libris aliorum adscribuntur vel arguendi, vel confirmandi, vel explicandi causa.] *Ulp. Dig.* 3, 5, 9. Idque et Labeo probat: sed Proculus apud eum notat, non semper debere dari. *Id. ib.* 35, 1, 19. *extr.* Marcellus apud Julianum libro vicesimoseptimo Digestorum notat: Non dubitamus, quin, etc. *Arcad. ib.* 50, 4, 18. §. 26. Mixta munera sunt δεκαπρωτείαι, εἰκοσαπρωτείαι, ut Herennius Modestinus, et notando, et disputando, bene et optima ratione decrevit. ℙ Est etiam videndo observare, animadvertere, videre: idque non videndi causa solum, sed memoriae, et doctrinae, et operis gratia [*sich merken, anmerken.*] *Cic. Or.* 3, 48. *med.* Numerum in cadentibus guttis notare possumus, in amne praecipitante non possumus. *Id. Div.* 1, 42. *f.* Arabes et Phryges, campos et montes peragrantes facilius cantus avium, et volatus notaverunt; et *ib.* 2, 43. Animadvertere, et notare sidera. *Ov. Fast.* 3, 108. Helicen Graja carina notat. *Petr. Sat.* 6. Dum haec diligentius audio, non notavi mihi Ascylti fugam. *Virg. Ecl.* 3, 68. Parta meae Veneri sunt munera: namque notavi Ipse locum, aeriae quo congessere palumbes. *Cic. Fam.* 7, 22. Id caput, ubi haec controversia est, notavi, et descriptum tibi misi; et *Verr.* 2, 5, 10. *f.* Veris initium iste non a Favonio notabat, sed cum rosam viderat, etc. *Plin.* 2, 8, 6. Apud nos quoque id liquore olei notamus accidere. *Ov. Fast.* 5, 10. silent aliae, dictaque mente notant. *Quint.* 3, 2. Notare aliquid ad imitandum, vitandumque. [*Plin. 8, 36, 54. Annalibus notatum est, Domitium ursos Numidicos centum in circo dedisse.] *Val. Fl.* 2, 311. Ecce procul validis Lemnon tendentia remis Arma notant. *Mart.* 5, 49. Nudum est in medio caput, nec ullus In longa pilus area notatur. ℙ [*Illud autem observandum, dici verbum *notandi* saepissime de judicibus, imprimis de censoribus, morum magisterio fungentibus. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 2, 86. et *ib.* 9, 20.] *Cic. Cluent.* 42. *extr.* Quos censores furti, et captarum pecuniarum nomine notaverunt. *Id. Mil.* 11. *extr.* Ita senatus rem, non hominem notavit. *Id. Cluent.* 47. Homines, quos ceteris vitiis, atque omni dedecore infames videbant, eos hac quoque subscriptione notare voluerunt. *Id. Phil.* 7, 9. Ignominia notandos censuerunt eos, si qui militiam subterfugissent. *Mart.* 6, 22. Ne lex Julia te notare possit. *Arnob.* 4, 142. Notare aliquem probri. ℙ Hinc accipitur universim pro reprehendere, arguere, improbare, damnare, tanquam ignominiosum et infamem observare, infamare. *Cic. Balb.* 25. Luxuria Cornelii non crimine aliquo libidinis, sed communi maledicto notabatur. *Id. Quint.* 31. *f.* Ne is dedecore, macula, turpissimaque ignominia notetur. *Id. Brut.* 62. *f.* Cujus improbitatem veteres Atticorum comoediae notaverunt. *Id. Or.* 2, 85. *f.* Nec bonum virum proprie et copiose laudari sine virtutum, nec improbum notari ac vituperari sine vitiorum cognitione posse. *Hor. Sat.* 1, 3, 24. Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari. *Suet. Ner.* 5. Notare aliquem joco. *Id. Dom.* 8. scriptis famosis. ℙ Part. *Notans* ap. *Hor. Sat.* 1, 6, 14. Notante judice, quae nosti, populo.

NOTOR, oris, m. γνωστής, qui notitiam dat alterius: idem qui *cognitor:* quod vide. *Petr. Sat.* 92. Ne mea quidem vestimenta ab officioso recepissem, nisi notorem dedissem. *Sen. Apocol. med.* Si quis a me notorem petiisset, te fui nominaturus, qui me optime nosti; et *ep.* 39. Qui notorem dat, ignotus est.

NOTORĬUS, a, um, adj. notus, vel notum faciens. *Notoria epistola*, et *notoria* absolute, est, qua notitiam rei cujuspiam alteri damus. *Gallien.* in *ep.* ap. *Trebell. Claud.* 17. Nihil me gravius accepit, quam quod notoria tua intimasti, Claudium graviter irasci. ℙ Speciatim *notoria* et *notorium* est delatio, et denunciatio, qua crimen ad judicem defertur. *Paul. Dig.* 48, 16, 6. Nunciatores, qui per notoria, indicia produnt, notoriis suis adsistere jubentur. *Imp. Gord. Cod.* 9, 2, 7. Si falsis, nec ne, notoriis insimulatus sit, perpenso judicio inspici debet. *Appul. Met.* 7. Ille, qui falsam de me notoriam pertulerat. V. NOTARIA. *Symmach.* 10, 4. Quocirca impatienter fero, apparitorum notoriis Senatui nuntiari. Al. leg. *notariis*. *Vet. Gloss.* μήνυσις, notoria, indicium. *Al. Gloss.* Notoria, ἀναφορά. V. *Salmas.* in *Trebell. Poll. Claud.* 17. *Wow. de Polym.* 6, 11. *B. A.*

NOTRIX pro *nutrix* olim dictum fuit, teste *Quint.* 1, 4.

NOTŬLA, ae, f. parva nota. *Capell.* 1, 17. *extr.* Multicoloribus notulis variata pictura.

NOTUS, a, um, part. a *nosco: γνωτός, γνώριμος*, cognitus, manifestus, patens. *Cic. Verr.* 1, 16. Ejusmodi res, ita notas, ita testatas, ita manifestas proferam, ut, etc.; et *ib.* 2, 2, 34. Cupiditas nota, atque apud omnes pervulgata; et *ib.* 2, 3, 58. Res nota et manifesta omnibus; et *ib.* 2, 5, 13. *med.* Unum illud, quod ita fuit illustre notumque omnibus, ut, etc. *Id. Mil.* 28. Fingi haec putatis, quae patent, quae nota sunt omnibus, quae tenentur? *Id. Phil.* 11, 5. Noti atque insignes latrones. *Id. Or.* 33. *f.* Habere omnes philosophiae notos et tractatos locos. *Hor. Sat.* 1, 9, 3. notus mihi nomine tantum. *Virg. A.* 1, 383. fama super aethera notus. *Tibull.* 2, 6, 41. Nota loquor. *Cic. Fam.* 5, 12. et *Prov. cons.* 13. Facere aliquid alicui notum. *Id. Mur.* 7. Tua nobilitas hominibus litteratis est notior, populo obscurior. *Id. Sull.* 26. Vita P. Sullae vobis populoque R. notissima. *Caes. B. C.* 2, 19. Nullus fuit civis R. paulo notior, quin ad diem conveniret. ℙ Cum genit. *Hor. Od.* 2, 2, 6. Notus in fratres animi paterni. *Stat. Th.* 2, 274. laborant Cyclopes, notique operum Telchines amica Certatim juvere manu. *Sil.* 17, 148. notusque fugarum Vertit terga. ℙ Cum infinito. *Id.* 12, 330. Delius avertet propiora pericula vates, Trojanos notus semper minuisse labores. ℙ *Noti, orum*, sunt amici, domestici, vicini, familiares, qui nobis noti sunt, nosque noverunt. *Cic. Coel.* 2. De dignitate Coelius notis ac majoribus natu facile respondet: quibus autem non aeque est cognitus, hi sic habeant, etc. *Hor. Sat.* 1, 1, 84. Non uxor salvum te vult, non filius: omnes Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellae. *Virg. Cir.* 260. Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus. ℙ Interdum etiam *notus* in malam partem sumitur pro infami. *Cic. Coel.* 13. Clodia, mulier non solum nobilis, sed etiam nota. *Id. Verr.* 1, 6. Qui non tam me impediunt, quod nobiles sunt, quam adjuvant, quod noti sunt. ℙ Active sumitur pro eo, qui novit, ut *ignotus*, qui non cognoscit. *Pl. Ps.* 4, 2, 39. herus meus est imperiosus. *Ba.* novi, notis praedicas. V. IGNOTUS. ℙ [*Confund. *nota* et *nata*. V. *Burm.* ad *Virg. G.* 3, 130. — *Notus* et *inventus*. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 183. sq.]

NOTUS et Notos, i, m. νότος, Graeco nomine est ventus idem, qui auster Latino: a νοτίς, humor, humiditas, ut *Gell.* docet 2, 22. Est enim fere nebulosus atque humectus. *Virg. A.* 6, 355. Tres Notus hibernas immensa per aequora noctes

Vexit me violentus aqua. *Hor. Epod.* 10, 19. Ionius udo cum remugiens sinus Noto carinam ruperit. *Ov. Met.* 1, 264. madidis Notus evolat alis. *Id. Her.* 3, 58. et *Val. Fl.* 2, 506. nubifer. *Sen. Agam.* 481. nimbis gravis. *Ov. Her.* 2, 12. procellosus. *Id. Amor.* 1, 4, 12. tepidus. ℙ *Notus albus* est *Leuconotus*, quam vocem vide suo loco. ℙ Graeca positione. *Lucan.* 7, 363. Quidquid signiferi compressum limite coeli Sub Noton, et Borean hominum sumus. Adde 10, 243. ℙ Per synecdochen est ventus quilibet. [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 10, 30.] *Virg. A.* 3, 268. Tendunt vela Noti.

NŌVĀCŪLA, ae, f. ξυρὸς, culter acuta acie, et ad radendum apta, qualis est tonsorius. Dicta videtur, quia membra, quae raduntur, quodammodo novantur. V. loca *Arnob.* in NOVATIO et *Val. Fl.* in NOVO. *Petr. Sat.* 103. Mercenarius meus, ut ex novacula comperistis, tonsor est. *Mart.* 2, 66. Novacula nudare caput; et 11, 58. Quid si me tonsor, cum stricta novacula supra est, etc.? *Cels.* 6, 4. Aream *(capitis)* novacula quotidie radere. *Lamprid. Elag.* 31. Rasit et virilia subactoribus suis novacula manu sua, qua postea barbam fecit. *Plin.* 29, 6, 34. Alopecias praeparari oportet novacula, et sinapi, *h. e.* caput radendo, et sinapi confricando. *Tert. Spect.* 23. Vultus suos novacula mutare. *Suet. Cal.* 23. Novacula secare fauces. *Colum.* 12, 54. Raporum summam cutem novacula decerpito. *Plin.* 22, 23, 47. Fungos praeparare succineis novaculis, *h. e.* manubrium e succino habentibus. ℙ De cote discissa novacula verba faciunt *Cic. Div.* 1, 17., *Liv.* 1, 36. et *Val. Max.* 1, 4. *n.* 1. ℙ [*Tum in universum ponitur pro gladio, sica, pugione ad confodiendos homines. *Mart.* 7, 61. Stringitur in densa nec caeca novacula turba.] ℙ Est et piscis hoc nomine, quo tacta quae sunt, ferrum olent. *Plin.* 32, 2, 5.

*NOVA AUGUSTA, oppidum Hispaniae Tarraconensis, in Arevacorum terra, trans Iberum flumen. *Plin.* 3, 3. *B. A.*

*NOVAE vel Ad Novas, locus Moesiae superioris. *Tab. Peut. B. A.*

NŌVĀLIS, e, adj. νεαιός. *Novalis ager*, et *novalis*, aut *novale* absolute est ager aratro post cessationem renovatus. Et primo ac proprie dicitur de agro novo, cui nunc primum immissum est aratrum, cum antea aut silva esset, aut terra nunquam proscissa et culta in segetem. [*Neubruch.] *Quint. decl.* 3, 4. Humum scindere, segnem futuris novalibus eruere silvam. *Plin.* 17, 5, 3. Talis fere est in novalibus, caesa vetere silva. Adde *Callistr. Dig.* 47, 21, 3. *f.* ℙ Deinde de agro, qui alternis cessat, et renovatur, νέωμα. [*Brachacker, *Brachfeld.*] *Varr. L. L.* 4, 4. *f.* Ager restibilis, qui restituitur, ac reseritur quotquot annis: contra qui intermittitur, a novando novalis ager. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Quod vere semel aratum est, a temporis argumento vervactum vocatur. Hoc in novali aeque necessarium est. Novale est, quod alternis annis seritur. *Colum.* 2, 2. *med.* Expediendi rudis agri rationem sequitur cultorum novalium cura. ℙ Femin. genere. *Virg. G.* 1, 71. Alternis idem tonsas cessare novales, Et segnem patiere situ durescere campum: subaudi *terras*. *Pall.* 2, 10. Terra tota debet effodi, ubi ager immundus est: ubi autem mundae sunt novales, scrobibus pastinemus, aut sulcis; et 1, 6. *med.* Si tibi ager est silvis inutilibus tectus, ita eum divide, ut loca pinguia puras reddas novales, loca sterilia silvis tecta esse patiaris. ℙ Interdum universim accipitur pro agro culto. *Virg. Ecl.* 1, 71. Impius haec tam culta novalia miles habebit? Barbarus has segetes? *Stat. Th.* 3, 644. miseri quid pulcrum sanguine victo Aoniam, et diri saturare novalia Cadmi? ℙ Item pro solo nunquam arato, et herboso. *Colum. praef. l.* 6. Agricola quam maxime subacto et puro solo gaudet, pastor novali graminosoque.

NŌVĀMEN, inis, n. res nova, novatio. *Tert. adv. Marc.* 1, 20. *med.* Sistens hoc novamen, illas quoque caerimonias dissuadebat.

*NOVĀNA, ae, f. Italiae oppidum, in Piceno. *Plin.* 3, 13. *B. A.*

[NŌVĀNENSIS Vicus, in Campania ad viam Appiam prope stationem, quae in *Tab. Peut.* et *Itin. Hieros.* dicitur *ad Novas*, nunc *S. Maria a Vico*, haud longe ab urbe Calatia. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 390. L. Pompejo Felicissimo immuni dendr. Suessul., et Sacerd. M. D., XV. vir in vico Novanensi, etc. *F.*]

*NOVĀNUS, i, m. Italiae fluvius, in Piceno, qui aestivis solstitiis supra modum augetur, et circa brumam siccatur. *Plin.* 2, 103. ubi *Harduinus* mavult *Vomanus*. *B. A.*

NŌVĀRIENSIS, e, adj. ad Novariam pertinens, quae est urbs Insubriae, nunc *Novara:* ut Novariensis agricola, *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 27. *Suet. Rhet.* 6. C. Albucius Silus Novariensis.

NŌVĀTIĀNUS, i, m. Romanae urbis presbyter, vixit medio fere saeculo Christi tertio, primo Catholicus, deinde Novati Carthaginiensis haeresim amplexus. Scripsit varia, ex quibus exstant liber de Trinitate, et epistola de cibis Judaicis (quae cum Operibus *Tertulliani* edi solent) stilo non illitterato, neque insuavi.

[NŌVĀTILLA, ae, f. dimin. Ita cognominata est Annaea filia M. Annaei Novati, qui fuit frater Senecae philosophi. *Sen. Consol. ad Helv.* 16. Tene in gremio tuo cito tibi daturam pronepotes Novatillam. *F.*]

NŌVĀTIO, onis, f. νέωσις, actus novandi, renovatio, innovatio. *Tert. adv. Marc.* 4, 1. *med.* Cum manifestius novatio praedicetur a creatore. *Paul. Nol. carm.* 25, 181. bis eam *(cellam)* geminata novatio comit. *Arnob.* 5, 182. Novatio pudendorum, *h. e.* rasura, et levigatio, quae, ut ait *Id. ib.* p. 174., fecerat sumere habitum puriorem. ℙ Ap. JCtos est prioris debiti in aliam obligationem, vel civilem, vel naturalem transfusio atque translatio: hoc est, cum ex praecedenti causa ita nova constituitur, ut prior perimatur. Ita *Ulp. Dig.* 46. *tit.* 2 qui est *De novationib. et delegationib. l.* 1. Adde *Scaev. ib.* 34, 3, 31. et 33, 1, 21. *med.*

NŌVĀTOR, oris, m. νεῶν, qui novat, in usum revocat quae obsoleverant. *Gell.* 1, 15. *f.* Quod *loquentia* novatori verborum Sallustio maxime congrueret. *Auson. ep.* 16, 32. Stirpis novator Anniae. Dicitur *Sall.* novator verborum, quia maxime delectatus est priscis atque obsoletis verbis *Catonis:* unde vetus poeta ap. *Quint.* 8, 3. Et verba antiqui multum furate Catonis, Crispe Jugurthinae conditor historiae.

NŌVĀTRIX, icis, f. quae novat. *Ov. Met.* 15, 252. rerumque novatrix Ex aliis alias reparat natura figuras.

NŌVĀTUS, a, um, part. a *novo:* νεωθείς, factus, nove inventus. *Cic. Or.* 3, 38. Verbum aut inusitatum, aut novatum, aut translatum. ℙ Item in novum mutatus. *Ov. Met.* 2, 674. utque vagi crines per colla jacebant, In dextras abiere jubas: pariterque novata est Et vox, et facies, *h. e.* in novam mutata; et *ib.* 4, 279. Nec loquor, ut quondam, naturae jure novato, Ambiguus fuerit, modo vir, modo femina, Scython. ℙ Item instauratus, renovatus. *Tac. H.* 2, 51. In funere ejus novata luctu ac dolore militum seditio. *Ov. Her.* 1, 20. Tlepolemi leto cura novata mea est. *Id. R. Am.* 729. Admonitu renovatur amor, vulnusque novatum Scinditur. ℙ *Novatus ager* est novale, vel universim iterum aratus cultusque in sementem. *Cic. Or.* 2, 30. Subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato et iterato, quo meliores fetus possit et grandiores edere. *Ov. Pont.* 4, 2, 44. Oblectat cultu terra novata suo. ℙ Est etiam cogn. R. V. NOVATILLA.

NŌVĀTUS, us, m. novatio, mutatio. *Auson. Idyll.* 14, 39. Tot species, tantosque ortus, variosque novatus Una dies aperit, conficit una dies.

NŌVĒ, adv. καινῶς, νεωτέρως, novo modo, noviter. *Pl. Epid.* 2, 2, 38. ornata ut lepide! ut concinne! ut nove! *Auct. ad Her.* 1, 9. Ne quid perturbate, ne quid ambigue, ne quid nove dicamus. *Sen. Contr.* 1, 4. *f.* Pulcre dixit, et nove sumpsit ab omnibus bene dicta. *Gell.* 17, 2. *med. Magnum viaticum* pro magna facultate, et paratu magno, nove positum est; et 19, 7. Verba nove, aut insigniter dicta. ℙ Sup. *novissime* est nuper, ultimo loco, postremo, προσφάτως. *Val. Antias* ap. *Charis.* 2, 186. Mater cum novissime aegrotasset, vovisse fertur; et *ib.* Quod novissime nobiscum foedus fecissent. *Sall. Cat.* 34. Novissume memoria nostra argentum aere solutum est. *Plin. ep.* 4, 30. Annulum ponis in sicco: alluitur sensim, ac novissime operitur; et *ep.* 8, 3. Liber, quem novissime tibi misi. *Quint.* 2, 10. Declamandi ratio, ut ex omnibus novissime inventa, ita multo est utilissima. Adde *Hirt. B. G.* 8, 1 et 48. ℙ In enumerationibus, et distributionibus. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. Milites ornari volui a senatu, primum quod ita meritos judicabam: deinde quod conjunctiores reipubl. esse volebam: novissime ut tales vobis praestare possem, quales, etc. *Sen. Ira* 3, 5. Dicam primum, quemadmodum in iram non incidamus: deinde quemadmodum nos ab illa liberemus: novissime quemadmodum irascentem placemus. *Pall.* 12, 22. *f.* Lectas baccas condies: rutam et petroselinum sternes: subinde salis aspersione cumulabis: postremum mel superfundes: novissime optimi olei quantumcumque miscebis.

[NŌVELLĀ, ae, f. vitis nove plantata. *Coripp. Johann.* 3, 327. Cultor in omni parte suas plantare novellas Coeperat. *Virg. Ecl.* 3, 11. *novellas vites dixit. F.*]

NŌVELLASTER, a, um, adj. novellus, novus. *Marcell. Empir.* 8. Vinum optimum, sed novellastrum.

NŌVELLĒ, adv. nove. In *supposit. Plauti Poen.* 8. Utrum is est novelle novellicus, etc.

NŌVELLĒTUM, i, n. locus novellis arboribus, v. gr. vitibus consitus, ubi nulla antea plantatio fuit. *Paul. Dig.* 25, 1, 6. Veluti si novelletum in fundo factum sit. *Gloss. Philox.* Novelletum, νεόφυτον, νεοφυτεῖον.

NŌVELLĪCUS, a, um, adj. novellus. V. in NOVELLE.

NŌVELLĪTAS, atis, f. novitas, res nova. *Tert. Anim.* 28. Neque veritas desiderat vetustatem, neque mendacium devitat novellitatem. Adde *adv. Prax.* 2.

NŌVELLO, as, avi, atum, a. 1. νεάω, νεάζω, novum agrum colo, seu novas vites pango. *Suet. Dom.* 7. Existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit, ne quis in Italia novellaret. *Paul. Nol. carm.* 21, 695. In castitate liberos enutriens Vitam novellantes Deo.

NŌVELLUS, a, um, adj. νεόφυτος, νέος, dimin. novi. *Cic. Fin.* 5, 14. Itaque et vivere vitem, et mori dicimus, arboremque et novellam, et vetulam, et vigere, et senescere. *Varr. R. R.* 2, 3. de caprarum aetate: Novella, quam vetus, utilior; et *ib.* 1, 20. et *Colum.* 6, 1. Novelli juvenci. *Id. Colum.* 8, 5. Novellae gallinae, *h. e.* quae semel tantum excubarunt. *Plin.* 11, 37, 84. sues. *Tibull.* 2, 2, 22. Novella turba, *h. e.* nova proles, infantuli. *Varr. R. R.* 1, 31. Vineas novellas fodere. *Virg. Ecl.* 3, 11. Novellae vites. *Plin.* 28, 9, 33. Novella prata. *Ov. Pont.* 4, 12, 24. Cum regerem tenera frena novella manu; et *ib.* 3, 7, 16. Ductus ab armento taurus detrectat aratrum, Subtrahit et duro colla novella jugo. *Liv.* 41, 5. Cn. et L. Gavilii, novelli Aquilejenses, *h. e.* novi coloni Aquilejam deducti (nempe triennio ante, ut est ap. *eund.* 40, 34.) *Vopisc. Tac.* 1. Post excessum Romuli, novello adhuc Romanae urbis imperio. ℙ *Novellius Torquatus, Mediolanensis, quidam fuit temporibus Tiberii Caesaris, qui gestis honoribus a Praetura ad Proconsulatum usque pervenit, et Tricongius cognominatus est, quod tres congios vini uno impetu epotaverit. *Plin.* 14, 22. ℙ Novellae, intell. *Constitutiones*, νεαραὶ, ap. *JCtos. B. A.*

NŌVEM, ἐννέα, numerus decimum inter, et octavum. *Cic. Q. Fr.* 3, 5. Sermo in novem et dies, et libros distributus. *Virg. A.* 1, 249. Unde per ora novem magno cum murmure montis It mare proruptum. *Caes. B. G.* 1, 8. Decem novem, *h. e.* novendecim, undeviginti. ℙ *Novem pagi*, locus Etruriae, circa superiorem partem Minionis, ut putat *Lucas Holstenius* p. 7. Meminit *Plin.* 3, 5. *B. A.*

NŌVEMBER et Novembris, bris, nonus mensis a Martio. Quare *November* sit dictus, V. in DECEMBER, et iis, quae ibi afferuntur lucem praeferat *Cass. Variar.* 1, 35. Quod ab ipsis quoque mensibus datur intelligi, quando ex numero imbrium futurorum competenter nomina susceperunt. Sumitur et absolute, et adjective. *Colum.* 11, 2. *med.* Calend. Novembribus, et postridie caput Tauri occidit: pluviam significat. Tert. Non. Novembris Fidicula mane exoritur: hiemat, et pluit. *Cato* ap. *Prisc.* 6, 696. Mense Octobri fecimus: Novembris reliquus erat. *Auson. Eclogar. de dieb. sing. mens.* Implent tricenas per singula menstrua luces Junius, Aprilisque, et cum Septembre November. *Mart.* 3, 58. Hic post Novembres, imminente jam bruma, Seras putator horridus refert uvas. *Calp. Ecl.* 2, 82. cum sole Novembri Maturis nucibus virides rumpentur echini. ℙ [Est etiam nomen propr. serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 691, 1. *F.*]

[NŌVEMPŌPŪLĀNUS, a, um, adj. ad Novempopuloniam pertinens, unam ex tribus provinciis, in quas Aquitania dividitur. *Inscr.*, quae tamen spuria quibusd. merito videtur, ap. *Grut.* 667, 10. Gallia quem genuit de gente Novempopulana, Itala terra tegit. *F.*]

[NŌVEMVIR, iri, m. unus ex magistratu novem virorum. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 189. C. Attius C. L. Januarius VI. vir *Sacris Faciundis*, VIIII. vir Valetudinarius. V. *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 2. p. 151. *ed. Patav. F.*]

NŌVĒNĀRĬUS, a, um, adj. ἐννεαδικὸς, novem continens. *Varr. L. L.* 2, 49. *med.* Novenaria regula, novenarius numerus, novenaria natura. *Plin.* 17, 11, 15. Novenarius sulcus, *h. e.* scrobs altitudine pedum trium, latitudine pari, ut ipsemet exponit. ℙ De novenario, et ternario numero multa subtiliter *Auson. Idyll.* 11. V. et *Macr. Somn. Scip.* 2, 2.

NŌVENDĔCIM et Novemdecim, ἐννέα καὶ δέκα, undeviginti. In *Epit. Liv.* 119. Cum annos novendecim haberet. Al. leg. *decem et novem:* alii aliter. *Prisc. de ponderib.* 1351. *decem et novem* agnoscit. *Id.* tamen 18, 1170. docet a *Livio* usurpatum *septemdecim*, quod ejusdem est formae.

NŌVENDĬĀLIS, e, adj. qui novem diebus fit, ἐννατιαῖος. *Novendiale sacrificium* et *Novendiales feriae* dicebantur, quae novem diebus continuis fieri solebant ad expiationem prodigiorum, *Liv.* 1, 31. Nunciatum regi, patribusque est, in monte Albano lapidibus pluisse. Romanis quoque ab eodem prodigio novendiale sacrum publice susceptum est, seu voce coelesti ex Albano monte missa, (nam id quoque traditur) seu haruspicum monitu. Mansit certe solemne, ut quandocumque idem prodigium nunciaretur, feriae per novem dies agerentur. Haec *Liv.* ap. quem rursus 21, 62., 25, 7., 26, 23., 27, 37., 29, 14. et alibi saepe legimus novendiale sacrum factum esse, quod de coelo esset lapidatum.

Cic. Q. Fr. 3, 5. Novendiales feriae. ℙ Aliud fuit sacrum novendiale, quod privatim fiebat nono die, postquam defuncti cineres in sepulcrum illatae fuerant: eo enim claudebantur, et complebantur justa solemnia defuncti: quae ideo et *novendialia* dicta sunt. *Gloss. Philox.* Novendialia, ἔνναια ἐπὶ νεκροῦ ἀγόμενα. Legitur *Novendial* ap. *August. Quaest. in Heptateuch.* l. *quaest.* 172. Nescio, utrum inveniatur, alicui Sanctorum in Scripturis celebratum esse luctum novem dies, quod apud Latinos novendial appellant. *Servius* ad illud *Virg. A.* 5, 64. Praeterea si nona diem mortalibus almum Aurora extulerit, etc. Sciendum, quia apud majores, ubicumque quis fuisset exstinctus, ad domum suam referebatur: unde est illud (*A.* 6, 152.) Sedibus hunc refer ante suis, et conde sepulcro; et illic erat septem diebus: octavo incendebatur: nono sepeliebatur: unde *Hor.* (*Epod.* 17, 47.) in sepulcris pauperum prudens anus Novendiales dissipare pulveres. Unde etiam ludi, qui in honorem mortuorum celebrabantur, novendiales dicuntur. Haec *Serv.*, qui tamen minus recte interpretatur illud *Sedibus hunc refer ante suis.* ℙ *Novendialis coena* est feralis, funebris. *Tac. A.* 6, 5. ℙ *Exstincto populo, etiam novendialis tarde venit*, prov. ap. *Quint. decl.* 12, 23. de eo, qui nimis sero, et frustra opem fert. Quamvis enim post nonum mortis diem adhuc novendiale sacrum, vel coena fiat in tempore, tamen si populus omnis exstinctus sit, sera est, quia, nullo superstite, fieri nequit. ℙ Plura V. ap. *Kirchmann. de funerib.* 4, 1. ℙ Scribitur et *novemdialis.* ℙ De novendiali coquo V. NUNDINALIS.

[NOVENNIĀNUS, a, um, adj. ad novennium, seu spatium novem annorum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1021, 8. P. Metilio P. F. Fab. Tertivinio Novenniano etc. *F.*]

[NOVENNIS, e, adj. qui novem annos habet. *Lactant. Mort. persecut.* 20. Maximianus substituto Caesare filio suo, qui tunc erat novennis, etc. *Inscr.*, quam *B. Borghesius* nuper Romae vidit in cavaedio S. Laurentii extra muros, quaeque pertinet ad ann. a Chr. n. CCCXLV. Novennem puerum eripuit tum mensibus octo, etc. Hic licenter prima in *novennem* vitio saeculi producitur. *F.*]

*NOVENSES, ium, incolae loci cujusdam, qui Novae vel Ad Novas appellabatur. *Notit. Imper.* V. NOVAE. *B. A.*

NOVENSĪLES DII, seu, ut alii malunt, Novensides, ium, m. plur. iidem fortasse sunt, ac Indigetes, qui hoc praeterea epitheto gaudeant, quod novissime in Deorum sedes recepti sint. Nihil tamen certi afferri potest. Quidam enim ita putant appellatas novem Musas, a numero. *Varro* dicit, esse numerum novenarium: quasi in eo divina quaedam sit vis, et praesens numen. *Cornificius* credit, eos fuisse Deos novitatum praesides: quasi eorum cura et patrocinio res novarentur, et instaurarentur. *Cincius* ait, sic appellata numina omnia peregrina in Urbem recepta, ex ipsa cultus novitate. Denique alii alia, ut in re omnino dubia. V. *Arnob.* 3, 122. unde haec sumpta sunt. *Varr. L. L.* 4, 10. a Sabinis venire ait: quod et *Piso* affirmat ap. *Arnob. l. c.* Meminit et *Liv.* 8, 9. recitans formulam devotionis Decii, in qua Novensiles ab Indigetibus distinguuntur: item *Capell.* 1, 16. ℙ Genitivus *Novensilium* usurpatur ab *Arnob. ib.* Urbium victarum Deos potestate afficit Novensilium numinum.

NŌVĒNUS, a, um, adj. ἔννατος, nomen numerale distributivum, a *novem.* Fere usurpatur num. plur. ut cetera distributiva: et etiam extra distributionem. *Liv.* 27, 37. Ut virgines ter novenae per urbem euntes carmen canerent. *Ov. Met.* 12, 97. Terga novena boum. *Plin.* 3, 5, 9. Novenorum conceptu dierum. ℙ In sing. numero. *Stat. Silv.* 1, 2, 4. Demigrant Helicone Deae, quatiuntque novena Lampade solemnem thalamis coeuntibus ignem.

NOVERCĂ, ae, f. μητρυιά, nova uxor ducta post mortem prioris, quae liberos reliquit superstites: cui respondet *privignus.* Dicta est a *novus*, et *arceo*, quia ducitur arcendae familiae gratia, id est coercendae, ut ait *Fest.* Porro novercae infestae esse solent prioris uxoris filiis: praesertim si suos sibi ipsae pepererint. *Cic. Cluent.* 70. Nomina necessitudinum, non solum naturae nomen, et jura mutavit; uxor generi, noverca filii, filiae pellex. *Hor. Epod.* 5, 9. Quid ut noverca me intueris? *Virg. Ecl.* 3, 33. injusta noverca. *Id. G.* 2, 128. saeva; et *ib.* 3, 282. mala. *Ov. Fast.* 3, 853. sceleratae fraude novercae. *Id. Her.* 12, 188. Saeviat in partus dira noverca meos. *Id. Met.* 1, 147. Lurida terribiles miscent aconita novercae. *Val. Fl.* 3, 506. insidias astusque novercae sentire. *Plin. ep.* 6, 33. Novercam filiae, amore captus, induxerat. *Capitol. M. Aurel. f.* Ne tot liberis superduceret novercam. ℙ Translate. *Vell.* 2, 4. Hostium armatorum totiens clamore non territus, qui possum vestro moveri, quorum noverca est Italia? *h. e.* non mater, cujus sitis indigenae, et vere Itali, sed advenae, et convenae. Dictum est P. Scipionis Africani minoris in concionem plebis R. tumultuantem. Simile est illud Caesaris ap. *Petr. Sat.* 22. mercedibus emptae, Ac viles animae, quorum est mea Roma noverca. ℙ *Ap. novercam queri*, prov. *Pl. Ps.* 1, 3, 80. *h. e.* lamentari apud eum, qui vel nullam opem feret, vel etiam calamitate nostra gaudebit. Itali dicunt, *dire le sue ragioni a' birri.* ℙ In re agraria *novercae* videntur esse canales aquam ex agris transmittentes, sed non quantum satis est ad eos exhauriendos et exsiccandos, at exigue, et, ut ita dicam, maligne: vel quod exiles sint, vel quod facile obstruantur. Ap. *Goes.* p. 119. 142. 143. etc. semper cum canabulis junguntur.

NOVERCĀLIS, e, adj. μητρυιώδης, ad novercam pertinens: item inimicus, infestus, quia ferme oderunt novercae privignos. *Stat. Silv.* 5, 2, 118. Gaetulo sic pulcher equo, Trojanaque quassans Tela, novercales ibat venator in agros Ascanius, *h. e.* Didonis. *Juven.* 12, 71. Atque novercali sedes praelata Lavino, *h. e.* Lavinio, quod fuit oppidum ab Aenea conditum, et a Lavinia Iuli noverca appellatum. Sic Bacchus ap. *Stat. Th.* 7, 177. novercales appellat Mycenas, inimicas Thebis, quia sub tutela Junonis erant (*Ov. Fast.* 6, 47.) ejus noverca. *Tac. A.* 12, 2. Novercalia odia; et *ib.* 1, 33. Novercales Liviae in Agrippinam stimuli. *Sen. Excerpt. contr.* 4, 6. Quid alterum novercalibus oculis intueris? *Trebell. XXX. Tyr.* 16. Erat circa illum Zenobia novercali animo.

NOVERCOR, aris, dep. 1. novercam ago, saevio ut noverca. *Sidon. ep.* 7, 14. *med.* Quorum imbecillitati quodammodo novercaretur.

*NOVESĬUM, i, n. Germaniae opp. (olim in Gallia Belgica), ad Rhenum flumen. *Tac. H.* 4, 26, 33, 35, 62, 70 et 77. Adde 5, 22. Hodie est *Neutz. B. A.*

*NOVĬA, ae, f. uxor Oppianici. *Cic. Cluent.* 9. *B. A.*

NOVĬĀNUS, a, um, adj. ad Novium poetam comicum pertinens, qui inter alias comoedias, quae Atellanae dicuntur, unam scripsit, cui nomen *Fullones.* [Unde *Tert. Pall.* 4. *med.* Inter fullones Novianos coronandus. V. FULLO. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2, 13. Sed cum leges, inibi sunt et Novianae, et Atellaniolae, et Scipionis oratiunculae; ne tu numerum nimis expavescas. V. NOVIUS. *F.*]

NOVĬCIŎLUS, a, um, adj. dimin. novicii. *Tert. Apol.* 47. et *Poen.* 6.

NOVĬCĬUS et Novitius, a, um, adj. νεαρός, novus, novellus, recens. *Alfen.* ap. *Gell.* 6, 5. Novum novicium dicimus, et proprium propicium (al. leg. *propricium*), augere atque intendere volentes novi et proprii significationem. *Gell.* hoc improbat: quam merito, alii viderint. *Pl. Most.* 3, 2, 92. Novicium mihi quaestum institui non malum. *Gell.* 11, 1. Novicia turba grammaticorum; et 1, 9. *f.* Novicios philosophorum sectatores cum veteribus Pythagoricis comparans. *Plin.* 23, 1, 23. Vinum jejunos bibere, novitio invento, inutilissimum est; et *mox:* Vinum novitium resinatum nulli conducit. *Id.* 34, 5, 10. Statuae Lupercorum habitu factae tam novitiae sunt, quam quae nuper prodiere paenulis indutae. *Id.* 35, 6, 29. Novitii colores. ℙ Saepe dicitur de servis, qui nuper in servitutem inciderunt, novique sunt in ministeriis, et imperiti. *Mart. Dig.* 39, 4, 16. Veterana mancipia sunt, quae anno continuo in urbe servierunt: novitia autem intelliguntur, quae anno nondum servierint. *Varr. L. L.* 7, 2. Etiam novitii servi empti in magna familia, cito conservorum nomina, recto casu accepto, in obliquos declinant. *Pl. Capt.* 3, 5, 60. Recens captus homo, nuperus, et novitius. *Ter. Eun.* 3, 5, 34. paucae, quae circum illam essent, manent Novitiae puellae. *Cic. Pis.* 1. Syrum nescio quem, de grege novitiorum, factum esse consulem. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 157, 6. *Vivus Fecit* Novicius Rabutiorum sibi, et P. Rabutio Glago sodali. Adde *Quint.* 8, 2. ℙ Translate. *Juven.* 3, 265. Jam sedet in ripa, tetrumque novitius horret Porthmea.

NOVĬES, adv. ἐννεάκις, novem vicibus. *Varr. R. R.* 1, 2. *f.* Hoc ter novies cantare jubet. *Virg. G.* 4, 480. Novies Styx interfusa. *Sen. ep.* 58. *f.* Perfectissimus numerus, quem novem novies multiplicata componunt: sc. LXXXI. V. NONIES.

*NOVIODŪNUM, i, n. Νοιόδουνον, opp. Aeduorum. *Caes. B. G.* 7, 55. ℙ Aliud, Biturigum. *Id. ib.* 12. ℙ Aliud, Suessionum, alias Augusta Suessionum dictum, hodie *Soissons. Id. ib.* 2, 12. V. SUESSIONES. ℙ Item opp. Pannoniae inferioris, vulgo *Gurkfeld*, quia Corcoras fluvius hodie *Gurk* appellatur. *Anton. Itin.* ℙ Et oppidum Moesiae inferioris. *Anton. Itin.* et *Tab. Peut.* ℙ V. NEBIODUNUM et NEVIRNUM. *B. A.*

*NOVIOMĂGUS vel Noviomagum, i, n. opp. Nemetum, hodie *Speyer. Anton. Itin.* ℙ Aliud, in Treveris, teste eodem *Anton.* in *Itin.*, quod *Novomagum* et *Nivomagum* audit *Auson.* in *Mossell.* 11. *B. A.*

[NOVISSĪMĀLIS, e, adj. ad novissimum pertinens. *Mar. Victorin.* 2, 2519. Quas particulas *(versuum)*, si necesse sit, ausim dicere finales, seu novissimales, ut *Odrysio lyra carmine cantat. F.*]

NŌVISSĪMĒ. V. NOVE.

NŌVISSĪMUS. V. NOVUS.

NŌVĪTAS, atis, f. καινότης. *Cic. Div.* 2, 28. Quem tibi rei novitas attulerit. *Id. Amic.* 19. Novitates si spem afferunt, non sunt repudiandae. *Ov. Fast.* 1, 160. Anni novitas, *h. e.* ver. ℙ Ponitur et pro generis ignobilitate. *Vell.* 2, 127. Quibus novitas familiae haud obstitit, quominus ad consulatus eniterentur. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Putabam novitati esse invisum meae. Adde *Sall. Jug.* 88. ℙ In illo *Ov. Pont.* 4, 13, 23. laudes de Caesare dixi: Adjuta est novitas numine nostra Dei: *novitas* est novus *Ov.* conatus. Sic in *Inscr.* ap. *Grut.* 337. *med.* His novitatibus duplici ornatus est gloria, etc. Sermo est de agitatore circensi, qui et septem equis simul junctis, et sine flagello (quod novum erat) vicerat.

NŌVĪTER, adv. nove. *Pl.* in *suppos. Aul. sc.* 5. Quid hic: Nisi fodiam noviter. *Inscr.* ap. *Grut.* 171, 7. (quam ann. a Chr. n. CCCLXXVII. positam fuisse probat *Ed. Corsinius de praef. Urb.* p. 265.) Basilicae Juliae noviter a se reparatae. *Fulg. Myth.* 3, 1. *med.* Amor noviter venit.

[NŌVĪTĬO, adv. noviter, nuper. *Serv.* ad *Virg. A.* 11, 316. Luci qui sunt in agris, qui concilio *(Marin. Frat. Arv.* p. 309. legit *novitio)* capti sunt, hos lucos eadem cerimonia, moreque coinquiri haberique oportet, ut etc. *F.*]

Q. NŌVĬUS, poeta Latinus, Atellanarum scriptor, videtur fuisse aequalis Lucretii. De eo *Macr. Sat.* 1, 10. Novius probatissimus Atellanarum scriptor ait: Olim exspectata veniunt septem Saturnalia. Ejus meminit etiam *Gell.* 15, 13. et 17, 2., item *Nonius* saepe. Facile autem a librariis ejus nomen cum *Naevio*, et *Nonio* commutatum est. V. NOVIANUS. ℙ *Novium Nigrum, quaestorem, meminit *Suet. Caes.* 17. Al. leg. *Nonium.* ℙ Novius Calavius, Campanus. *Liv.* 9, 26. ℙ Novium quendam memorat *Hor. Sat.* 1, 6, 40. et plural. *Noviorum* occurrit ap. *eund. ib.* 121. Occurrit et nomen ap. *Juven.* 12, 111. *B. A.*

NŌVO, as, avi, atum, a. l. νεόω, καινόω. [*Primo loco ea exempla poni poterant, in quibus *novare* dicitur de iis, qui instaurando, reficiendo aliquid in locum alius rei minus aptae vel depravatae vel esse omnino desinentis substituant. V. NOVUS. *Noster* in fine collocaverat.] *Virg. A.* 5, 752 Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt Robora navigiis. *Ov. Pont.* 4, 11, 19. cum longa dies sedavit vulnera mentis, Intempestive qui fovet illa, novat. *Id. Fast.* 1, 621. matronaque destinat omnis Ingratos nulla prole novare viros, *h. e.* nullam prolem parere, per quam patres quodammodo renovantur. Sic *Stat. Th.* 10, 229. Cui fetura gregem pecoroso vere novavit. *Ov. Her.* 4, 90. Haec reparat vires, fessaque membra novat, *h. e.* reficit, recreat. *Val. Fl.* 3, 422. Hic sale purpureo, vivaque nitentia lympha Membra novat, *h. e.* exterget, mundat, quasique renovat. [*Adde *Liv.* 26, 19, 2. ut ardorem eum, qui resederat, excitaret rursus novaretque: ubi v. *Drak.* coll. 4, 33, 7. V. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 226. b. ℙ Tunc idem est quod mutare.] *Cic. Leg.* 3, 5. Nihil habui, sane non multum, quod putarem novandum in legibus. *Ov. Met.* 4, 540. nomenque simul, faciemque novavit. ℙ *Novare res*, est mutare statum civitatis, rebus novis studere, novi aliquid moliri, νεωτερίζειν. *Sall. Cat.* 40. [*39, 4. *ed. Kritz.*] Ubi primum dubiis rebus novandis spes oblata est. [*Recte *Kritz.* pro vulg. *novandis* legit *novandi*, quod rempublicam turbare, ejusque statum immutare Romanis semper est, *res* vel *aliquid novare*, vel *novare* absolute.] *Liv.* 24, 23. Tanquam novandi res aliquam occasionem quaerentes. *Id.* 35, 34. Multitudinem, et quorum res non ex sententia ipsorum esset, omnia novari velle. *Sall. Cat.* 58. [*55, 1. *ed. Kritz.*] Optimum factu ratus, noctem, quae instabat, antecapere; ne quid eo spatio novaretur. *Liv.* 32, 38. Duae faces novantibus res ad plebem in optimates accendendam. *Curt.* 10, 8. Monere non destitit, ni occupetur impotens animus, res novaturum. ℙ [*Hinc in universum ponitur pro excogitare, invenire, quam significationem *Forc.* ab initio posuerat.] *Cic. Or.* 3, 37. Verba, quae novamus et facimus ipsi; et *ib.* 38. Novantur autem verba, quae ab eo, qui dicit, ipso gignuntur et fiunt. *Ov. A. Am.* 3, 346. Ignotum hoc aliis ipse novavit opus.

NŌVOCOMENSIS, e, adj. ad Novum Comum pertinens, de quo V. in COMENSIS. *Suet. Vit. Plin.* Plinius Secundus Novocomensis. ℙ *Novocomenses, ium*, incolae illius urbis. *Cic. Fam.* 13, 35. C. Avianum Philoxenum Caesar meo beneficio in Novocomenses retulit.

NŌVUS, a, um, adj. νέος, καινός, qui nuper factus est, qui nunc primum accidit, recens, inauditus, inusitatus. [*Primum quidem de iis locis dicendum, in quibus, quae est propria v. significatio, *novus* de hominibus et rebus usurpatur, proxime in aliorum locum substitutis: *neu, frisch. Sall. Cat.* 54, 4. novum bellum exoptabat: ubi re-

cte *Kritz. novum* non pro *magnum, mirandum* accepit, ut *Cort.* et *Müll.*, sed de studio bella ex bellis serendi, et ab uno ad alterum properandi intellexit. *Liv.* 7, 7. novus veteri exercitus jungitur; et 2, 1. novus senatus; et 22, 14. novus Camillus, i. e. alter sospitator; et 24, 16. novum de integro proelium. *Vell.* 2, 20, 2. novi cives; et 2, 82, 4. novus Liber Pater: ubi v. *Ruhnk. Suet. Caes.* 15. novi consules; et *ib.* 20. nova vectigalia, *h. e.* non omnino nova, sed quorum nova locatio esset, ut nos: *neue Zollpachtung.* V. *B. Crus.* ad h. l. et *ib.* 30. novi milites: opp. veteranis. *Id. Aug.* 29. nova monumenta: opp. refectis et excultis. — *Ov. Met.* 9, 266. novus serpens, i. e. renovatus: saepius ita de serpente usurpatur *novus*, v. *Gierig.* ad h. l. *Id. ib.* 13, 119. novus est successor habendus: ubi *Bothius* frustra *περισσολογίαν* reprehendere videtur, quum *novus* verbis *mille patet plagis* oppositum talem successorem clypeum, significet, qui ab omni parte integritate gaudeat. ℙ *Novae tabernae* ap. *Liv.* 26, 27. et 44, 17. ubi v. *Drak.* et *novae* absolute, ut ap. *Cic. Or.* 2, 66. *sub novis:* sunt porticus, loca in foro Romano, ubi argentarii rem facerent, propterea ita appellatae, quod a. U. 543. incendio magnam partem deletae atque postea instauratae iis, quas intactas ignis reliquisset, ut *veteribus* opponerentur. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 170. V. etiam in VETUS.] ℙ *Novae tabulae, χρεῶν ἀποκοπαί*, pertinent ad oppressos aere alieno: quorum erat unicum votum, ut abolitis prioribus debitis, novae tabulae creditorum conficerentur, et ipsi a persolvendis usuris et capite liberarentur. Itaque quoties a seditiosis civibus rerum novarum molitio facta est, legem de novis tabulis conficiendis plebi polliceri mos fuit, quo eam ad se traherent facilius. *Sall. Cat.* 22. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletium, etc. *Cic. Off.* 2, 23. *extr.* Tabulae vero novae quid habent argumenti, nisi ut emas mea pecunia fundum, cum tu habeas, ego non habeam pecuniam? Adde *Att.* 5, 21., *Caes. B. C.* 3, 1., *Liv.* 42, 13. et *Suet. Caes.* 42. — Urbane, et translate. *Sen. Ben.* 1, 4. *f.* Prohiberi posse rem perniciosissimam, beneficiorum novas tabulas, *h. e.* oblivionem, aut ut pro beneficio accepto nihil debeatur. ℙ [*Hinc i. q. recens repertus, v. institutus, factus: opp. saepius noto, cognito, usitato. V. *Walch.* ad *Tac. Agr.* p. 288.] *Cic. Or.* 1, 31. Nihil dicam reconditum, nihil aut inauditum vobis, aut cuiquam novum. *Id. Arch.* 2. Uti prope novo quodam, et inusitato genere dicendi. *Id. Verr.* 2, 2, 8. Nova tibi haec sunt, et inopinata? *Id. Att.* 6, 1. *med.* Quod video tibi etiam novum accidisse. [*Liv. 2, 13. novam in femina virtutem novo genere honoris donavere.] *Cic. Fam.* 7, 18. *extr.* novae res: *Neuigkeiten.* [*Ita saepius *novum* absolute ponitur pro re nova.] *Cic.* ad *Brut.* 1, 2. Si quid habes novi. *Id. Or.* 2, 3. num quidnam, inquit, novi? *Pl. Cas. Prol.* 70. Novum attulerint, quod fit nusquam gentium. [*Alibi *res novae* fere in malam partem *(Neuerungen)* accipiuntur de mutatione status civitatis, cum quis, ut ait] *Vell.* 2, 125., novum ducem, novum statum, novam rempublicam quaerit. *Cic. Cat.* 1, 1. Q. Servilius Ahala Sp. Maelium novis rebus studentem manu sua occidit. *Id. Agr.* 2, 33. Rerum novarum causam quaerere. *Sall. Cat.* 29. Manlius in Etruria plebem sollicitare egestate simul, ac dolore injuriae novarum rerum cupidam. *Suet. Caes.* 9. Pactumque, ut simul foris ille, ipse Romae, ad res novas consurgerent. Sic *Vell.* 2, 129. Quam celeriter Libonem ingratum, et nova molientem oppressit! [*Pl. Ps. 2, 4, 9. istic Pseudolus Novus mihi est, i. e. ignotus. In republica *novus* homo est, qui primus e familia sua ad magistratum curulem pervenit. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 279. et *Wund. Varr. Lectt. praef.* p. 43.] *Cic. Fam.* 5, 18. Adeptus es, quod non multi homines novi; amisisti, quae plurimi homines nobilissimi. Adde *Mur.* 8. ℙ Ad illud *Cic. Fam.* 11, 21. Segulium negligamus, qui res novas quaerit: non quo veterem comederit: nullam enim habuit: sed hanc ipsam recentem novam devoravit; *Manut.* discrimen affert inter *novum*, et *recens:* nempe idem, inquit, est, quod inter *vetus* et *antiquum.* Potest enim recens aliquid esse, quod novum non sit, ut recens hereditas, quae alicui nuper obtigit; non tamen nova, cum aliae possint hereditates eidem antea contigisse: *novum* est enim, non quod nuper, sed quod nunc primum habemus; *recens* vero, non quod nunc primum, sed quod nuper: et *novum* ad rem, *recens* ad tempus refertur. Propterea ut simul utrumque significetur, conjunguntur, ut pro Flacco *(c.* 6.) Memineritis, quarum rerum invidia, lege hac recenti ac nova, certus est inquisitioni comitum numerus constitutus. Et hic de Segulio, *Hanc ipsam recentem novam devoravit*, ideo dictum, quia nec illam habuisset eo tempore, cum illam accepit, nec unquam antea: nam *recentem* spectat illud, *non quo veterem comederit:* nullam enim habuit: *novam* autem perpetuam vitae superioris egestatem designat. Haec *Manut.* Interdum tamen promiscue usurpantur. *Juven.* 2, 102. Res memoranda novis annalibus, atque recenti Historia. ℙ Tunc *novus* dicitur, qui rei cuipiam non est assuetus, atque adeo imperitus et rudis. *Ov. Her.* 11, 48. Et rudis ad partus, et nova miles eram. *Tac. Agr.* 16. Petronius tanquam exorabilior, et delictis hostium novus, eoque poenitentiae mitior. *Cic.* eodem sensu dixit *Amic.* 19. Nemo est, qui non equo eo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo. *Sil.* 6, 254. Terrigena impatiens dare terga, novusque dolori, Et chalybem longo tum primum passus in aevo. Est qui mallet *doloris:* nam et *vetus* cum genitivo jungitur. [*Frustra sunt, qui dativum ferri posse, negent. V. *Walch.* ad *Tac.* l. modo l.] ℙ Cum infinito. *Id.* 16, 332. equi cervix nova ferre jugum. ℙ Aliquando dicitur de rebus admirandis, et quae gravius percellunt animum. *Virg. Ecl.* 3, 86. Pollio et ipse facit nova carmina. Ubi *Serv.* magna, miranda. *Ter. Ad.* 4, 7, 3. flagitia ingentia, nova, capitalia. *Virg. A.* 3, 591. Ignoti nova forma viri, miserandaque cultu. *Hor. Od.* 1, 2, 6. nova monstra. *Val. Fl.* 8, 237. Tum novus implevit vultus honor. *Nep. Eum.* 8. Statuit aliquid sibi novi consilii esse capiendum. [*V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 51, 8. et quos ibi laudat.] ℙ Comp. *Novior* non est in usu, quamquam agnoscitur a *Varr. L. L.* 5, 7. Sup. *Novissimus* significat extremum, ultimum, quia quae ultima evenere, nova maxime sunt. *Varr. l. c.* scribit, memoria sua hoc superlativum, ut nimium novum, ab aliquibus vitatum fuisse; et *Gell.* 10, 21. ait, Ciceronem eo semper abstinuisse: sed falsus est. Nam *Id. Rosc. Com.* 11. Qui ne in novissimis quidem erat histrionibus, ad primos pervenit comoedos. (Adde *Galb.* ad *Cic. Fam.* 10, 30. *f.* et *Cass. ad eund. ib.* 12, 13.) *Sall. Jug.* 74. Omnium consiliorum, nisi novissimi, particeps. *Caes. B. G.* 7, 54. Quo omnes armati convenire coguntur: et qui ex iis novissimus venit, necatur; et *ib.* 1, 15. Ex novissimo agmine proelio nostros lacessere coeperunt; et *ib.* 2, 11. Hi novissimos adorti, magnam multitudinem conciderunt. *Virg. A.* 4, 650. dixitque novissima verba. *Nep. Eum.* 1. *extr.* Novissimo tempore praefuit alteri equitum alae. *Ov. Trist.* 2, 199. Haec est Ausonio sub jure novissima, vixque Haeret in imperii margine terra tui. *Id. Met.* 3, 681. falcata novissima cauda est, *h. e.* extrema caudae pars. Sic *ib.* 13, 693. Cruraque pinnigero curvata novissima pisce. *Plin.* 2, 13, 10. Novissima luna. ℙ *Novissima exempla, novissima poena*, ultimum supplicium. [*Apud solum, ut videtur, *Tacitum.* Plura exempla v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 323.] *Tac. A.* 12, 20. Meritum quidem novissima exempla Mithridaten; et *ib.* 15, 44. *extr.* Quamquam adversus sontes, et novissima exempla meritos; et *ib.* 6, 50. A summa spe novissima exspectabat; et *ib.* 12, 33. Novissimum casum experitur, *h. e.* ultimum proelii discrimen. ℙ [*Confund. *novis* et *nobis.* V. *Brem.* ad *Suet. Caes.* 40. — *Novo* et *non.* V. *Wund. Varr. Lectt. praef.* p. 43.]

NOX, noctis, f. *νὺξ, νυκτὸς*, tempus inter occasum ortumque solis, quo tenebris terra obtegitur: a Graeca voce allata. Ejus partes V. in CONCUBIUS. *Cic. N. D.* 2, 19. Ipsa umbra terrae soli officiens noctem efficit. *Id. Att.* 4, 3. Milo media nocte in campum venit: et *mox:* In comitium Milo de nocte venit. (Et videtur significare illud tempus, quod est a media nocte ad gallicinium: quod dicitur etiam *de media nocte*, ut *Censorin. de die nat.* 24. docet. Sic *Cic. Mur.* 33. Infimorum hominum filios prope de nocte ex ultima saepe urbe deductum venire solemus; et *ib.* 9. *f.* Vigilare de nocte. *Suet. Vesp.* 21. Maturius semper, et de nocte evigilabat.) *Cic. Att.* 7, 4. Multa de nocte profectus est. Sic *Q. Fr.* 2, 9. Multa nocte veni ad Pompejum. *Tac. H.* 3, 23. Adulta nocte; et *A.* 13, 20. Provecta nox erat, et Neroni per vinolentiam trahebatur. *Caes. B. G.* 1, 26. Ad multam noctem pugnatum est. *Id. B. C.* 1, 28. Sub noctem naves solvit; et *B. G.* 1, 40. Proxima nocte de quarta vigilia castra moturum; et *ib.* 26. Tota nocte continenter ierunt. *Sall. Cat.* 28. Intempesta nocte conjurationis principes convocat. *Nep. Eum.* 9. Prima nocte ignes faciant: hos secunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant. *Cic. Att.* 13, 26. Credibile non est, quantum scribam die, quin etiam noctibus. *Ter. Andr.* 4, 1, 53. et *Eun.* 5, 9, 49. stertit noctesque et dies. *Cic. Fin.* 1, 16. Sollicitudines, quibus eorum animi noctes atque dies exeduntur; et *Rosc. Am.* 2. *f.* Scrupulus, qui dies noctesque stimulat. *Id. Or.* 1, 61. Noctes et dies urgeri. [*Ita et Graeci promiscue *ἡμέρας καὶ νύκτας* et *νύκτας καὶ ἡμέρας* dicunt. — *Noctes coenaeque* ap. *Hor. Sat.* 2, 6, 65. sunt *coenae in multam noctem productae.* V. *Heindf.* ad h. l. — *Lucan.* 5, 627. Nox coeli non illa fuit, i. e. nubibus et nimbis orta: ita *Cort.* q. v. Adde *ib.* 7, 770. et Stygia superam formidine noctem, infectam coeli nostri noctem omnibus horroribus infernalibus.] ℙ Epitheta noctis poetica sunt, *nigra, alta, humida, densa, atra, caeca, opaca, pruinosa, silens, tacita, frigida, languida, latebrosa, sopora, siderea, aurea* propter astra, *arcana, horrenda, serena, alma*, quia somnus alit vires, etc. *Virg., Ov., Lucan., Sen. Trag., Val. Fl.*, etc. ℙ *Nocte*, noctis tempore, noctu. *Cic. Att.* 4, 3. *med.* Nihil esse, quod in campum nocte veniretur. *Liv.* 8, 34. *f.* Nec discernatur, interdiu, nocte: aequo, iniquo loco: jussu, injussu imperatoris pugnent. ℙ Antiquum est hoc sensu *nox* pro *nocte. Lex XII. Tab.* ap. *Macr. Sat.* 1, 4. *med.* et ap. *Gell.* 8, 1. in lemmate: Sei nox furtum factum esit, sei im occisit, joure caisus esto. *Enn.* ap. *Prisc.* 6, 724. Si luci, si nox, si mox, si jam data sit frux. *Pl. Rud.* 2, 4, 4. accipiam hospitio, si nox advenis. ℙ Et *nocti* pro *nocte. Lucr.* 6, 1218. nec nocti saecla ferarum Exibant silvis. Al. leg. *noctibu'*, [*ita *Eichstadt.*] al. *noxia.* ℙ *Nocte* idem ac *una nocte* significat. *Hor. Epod.* 12, 15. Inachiam ter nocte potes. Ita etiam *Cels.* 1, 1. Bis die cibum assumit. ℙ Poetice *Nox* Dea est, filia Terrae, patre incerto, vel ex patre Chao, vel Erebo, matre Caligine, ut est ap. *Hyg. fab. prooem.* Dicitur et soror Terrae, ut *Serv.* habet ad *A.* 6, 250., mater Furiarum et Siderum, nutrix Somni et Mortis. Alas ei tribuunt fuscas, pullum ornatum, nigros equos currum trahentes (qui quadriga est *Tibullo* 3, 4, 17., biga aliis), cujus auriga est Sopor. Agnam ei sacrificabant fusci velleris, item gallum gallinaceum. V. si vacat, *Virg. l. c.* et *A.* 5, 721. et *ib.* 8, 369., *Val. Fl.* 3, 211., *Stat. Th.* 2, 59., *Tibull.* 2, 1, 87., *Ov. Fast.* 1, 455. etc. ℙ Metonymice dicitur de iis, quae nocte fiunt. *Stat. Th.* 10, 219. Talia vociferans noctem exturbabat, *h. e.* somnum, quietem, silentium. *Prop.* 4, 8, 60. Omnis et insana semita nocte sonat, *h. e.* nocturnis insanis clamoribus: alii tamen rectius *voce* legunt, [*nocte tuentur *Broukh.* et *Vulp.* tanquam magis poeticum: *voce* emendat *Heins. Adv.* p. 24. accedente *Heynio Observv.* in *Tibull.* 1, 3, 29. p. 181.] *Mart.* 10, 47. Nox non ebria, sed soluta curis. Hinc *noctes Atticas* inscripsit *Gellius* commentarios suos variae eruditionis, quia in agro terrae Atticae per hiemem noctibus eos composuit, ut ipse in *praef.* testatur. ℙ Speciatim de somno, et somniis. *Virg. A.* 4, 530. neque unquam Solvitur in somnos, oculisve, aut pectore noctem Accipit. *Stat. Th.* 9, 599. Dum gemit et planctu circumdat pectus inani, Abrupere oculi noctem. *Sil.* 3, 216. Promissa evolvit somni, noctemque retractat. ℙ Item de *ονονοιᾳ* mulierum, quia plerumque ea noctu fit. *Cic. Att.* 1, 16. *med.*, *Hor. Epod.* 15, 13., *Just.* 12, 3., *Stat. Th.* 1, 69., *Ov.*, *Plaut.*, *Ter.*, etc. ℙ *Nox* vero *vidua* ap. *Catull.* 6, 7. et *Ov. Her.* 19, 60. est caste, seu sine compare transacta. ℙ Metaphorice est mors: tum quia perpetuo somno videntur alligari corpora: tum quia privantur luce oculi: tum quia itur ad Inferos, quae tenebrarum sedes est. *Hor. Od.* 1, 28, 15. omnes una manet nox; et *ib.* 4, 16. Jam te premet nox, fabulaeque Manes, Et domus exilis Plutonia. *Virg. A.* 10, 746. in aeternam clauduntur lumina noctem. Adde *Catull.*, *Ov.*, *Mart.* etc. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 735.] ℙ Item obscuritas. *Cic. N. D.* 1, 3. Quae lucem eriperet, et quasi noctem quandam rebus offunderet. *Ov. Ib.* 63. mei versus aliquantum noctis habebunt. ℙ Item tempestas, et procella, quae ferme tenebras affert, et noctu gravior esse solet. *Cic.* vertens *Aeschili* carmina *Tusc.* 2, 10. navem ut horrisono freto Noctem paventes timidi adnectunt navitae. *Virg. A.* 3, 194. Tum mihi caeruleus supra caput astitit imber, Noctem hiememque ferens. *Prop.* 3, 9, 5. Venturam melius praesagit navita noctem. *Lucr.* 4, 172. tetra nimborum nocte coorta. ℙ [*Transfertur etiam ad alia. Ita *Lucan.* 7, 520. Noxque super campos telis conserta pependit: ubi v. *Cort.*] ℙ Item calamitas, perturbatio, confusio. *Cic. Rosc. Am.* 32. Qui, tanquam si offusa reipublicae sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant. [*Cic. *Brut.* 96. Doleo, me in hanc reipublicae noctem incidisse. V. CALIGO, NUBES et TENEBRAE. *Bailey. Lucan.* 4, 244. et quae Fortuna, deorum Invidia, caeca bellorum in nocte tulisset, Fecit monstra fides, i. e. in confusione proelii, ubi caedis auctores non distinguuntur. Ita *Id.* 7, 571. Nox ingens scelerum.] ℙ Item caecitas, ignorantia. *Ov. Met.* 6, 472. quantum mortalia pectora caecae Noctis habent! [*Gierig. *nox* h. l. accipit pro studiis occultis, sensibus profunde latentibus in pectore humano: coll. *Cic. Marc.* 7. et *Plin. Ep.* 3, 3, 6.] *Ov. Met.* 6, 652. Tantaque nox animi est. ℙ De caecitate oculorum. *Id. ib.* 7, 2. Perpetuaque trahens inopem sub nocte senectam Phineus visus erat. *Sen. Phoen.* 144. nam sceleri haec meo Parum alta nox est. *Quint. decl.* 1, 6. Vultus perpetua nocte coopertus. ℙ De umbra, et tenebris. *Val. Fl.* 1, 774. veteris sub nocte cupressi Sordidus, et multa pallens ferrugine taurus Stabat adhuc. *Virg. Cul.* 273. Tartara nocte cruenta obsita. *Sen. ep.* 82. *med.* Carcer infernus, et perpetua nocte oppressa regio. *Val. Fl.* 7, 598. Jamque propinquanti noctem implicat, *h. e.* offundit fumum ac tenebras. ℙ Hinc saepe de locis Inferorum. *Sen. Herc. Fur.* 610. noctis aeternae

chaos, Et nocte quiddam gravius, et tristes Deos, etc. *Sil.* 13, 708. descendere nocti, Atque habitanda semel subigit quis visere regna? *Claud. Rapt. Pros.* 1, 55. o maxime noctis Arbiter, umbrarumque potens, *h. e.* Pluto. ℙ *Noctu* pro *nocte*. V. s. l., ubi pro accusat. corr. ablat.

NOXA, ae, f. *βλάβη*, nocumentum, fraus: a *noceo*. [*Discrimen inter *noxa* et *noxia* v. in h. v.] *Liv.* 34, 19. Si domos abire velint, nihil eam rem noxae futuram, quod hostibus se Romanorum junxissent. [*i. e. damno fore.] *Suet. Caes.* 81. Spurinnam, ut falsum, argueus, quod sine ulla noxa Idus Martiae adessent. *Liv.* 9, 10. *f.* in formula deditionis Fecialis: Quandoquidem hice homines injussu populi R. foedus fecerunt, atque ob eam rem noxam nocuerunt. *Ulp. Dig.* 9, 4, 2. *f.* Si servus furtum fecit, noxamque nocuit. *Manil.* 2, 480. noxas bellumque movere. *Colum.* 12, 3. *med.* Praestat opere fatigatum requiescere unum aut alterum diem, quam pressum nimio opere veram noxam concipere, *h. e.* morbum. *Id.* 6, 2. Ne juvenci pavidi aut arboribus, aut objacenti cuilibet rei se implicent, noxamque capiant. *Plin.* 2, 63, 63. Terra ad noxam genuit aliqua. *Ov. Fast.* 6, 129. Tristes noxas a foribus pellere. *Colum.* 1, 6. *med.* Ea res ab noxa curculionum conditas fruges defendit. *Cels.* 7, 26. *n.* 4. Calculus unco sine ulla noxa educitur. *Plin.* 2, 82, 84. Latere terreno facti parietes minore noxa quatiuntur. *Sall. or. Phil. contra Lep.* Prava incepta consultoribus noxae esse. ℙ Item metonymice delictum, culpa, *αἰτία*. *Cajus Dig.* 50, 16, 238. Noxae appellatione omne delictum continetur. *Ter. Phorm.* 2, 1, 36. Hic in noxa est. *Liv.* 32, 26. *f.* De hominibus, qui in ea noxa erant, supplicium sumpsit. [*Utroque et *Terentii*, et *Livii* loco *noxia* legendum: nam *in noxa esse*, *teneri* non dicitur. V. *Doederl.* 3. 154. qui comp. *Bentl.* ad *Ter.* l. modo l.] *Liv.* 7, 4. Filium domo, luce, congressu aequalium prohibitum: quam ob noxam? quia infacundior sit. *Id.* 3, 55. Neve ea caedes capitalis noxae haberetur. *Ov. Pont.* 2, 9, 72. Graviorem noxam fateri. *Liv.* 8, 35. Noxae damnatus. *Caes. B. G.* 6, 15. In furto, aut latrocinio, aut aliqua noxa comprehensus. *Quint.* 5, 12. *med.* Noxam admittere. *Callistr. Dig.* 9, 4, 32. committere. *Petr. Sat.* 139. mereri. V. MEREO. ℙ Item poena, quae ob culpam debetur, [*ζημία. *Doederl.* 3. p. 153. docet, *poena* et *noxa* ita differre, ut hoc doloris, illud piaculi notionem maxime involvat.] Hinc *noxae dedere aliquem*, est puniendum exhibere, ad poenam dare. Dicitur autem ferme de servo, qui noxam admisit, et supplicio afficiendus traditur ei, in quem injurius fuit. Apud JCtos saepe hoc legitur: quorum loca plurima ex Pandectis congessit *Brisson. de V. S.* Sic *Liv.* 26, 29. Mergi freto, satius Siciliae esse, quam velut dedi noxae inimico. *Ulp. Dig.* 4, 3, 9. Si servum pignoratum noxae mihi dederis, de dolo teneris. *Paul. ib.* 9, 4, 19. *f.* Ut de peculio servi tui ad noxam dedere vicarium damneris. ℙ Translate. *Colum. prooem.* 1. Rem rusticam pessimo cuique servorum, ut carnifici, noxae dedimus, *h. e.* perdendam dedimus. ℙ *Servus noxa solutus* in *Vet. edicto aedil.* ap. *Gell.* 4, 2. intelligitur, non qui nullam unquam noxam commiserit, sed qui noxali judicio subjectus non sit. Ergo si noxam commisit, nec permanet, noxa solutus videtur. Ita *Ulp. Dig.* 21, 1, 17. *f.* ℙ *Eximere aliquem noxae* ap. *Liv.* 8, 35. est a poena ob noxam debita. ℙ Etiam animalia noxae deduntur ei, cui nocuerint: actio autem datur in dominum. *Ulp. Dig.* 9, 1, 1. Hinc *Ov. Fast.* 1, 359. noxae tibi deditus hostis (*caper*) Spargitur affuso cornua, Bacche, mero. ℙ *Noxae accipere*, est ejus, cui servus noxae deditur. *Ulp. Dig.* 7, 1, 17. ℙ Interdum *noxa* dicitur ipse servus, qui noxae reus est: vel animal, quod noxam nocuit. *Just. Instit.* 4. *tit.* 8. Noxa est ipsum corpus, quod nocuit, idest servus: noxia ipsum maleficium, veluti furtum, damnum. *Ulp. Dig.* 9, 1, 1. *med.* Aut noxiam sarcire, aut noxam dedere oportet; et *mox*: Quod noxae dedendae facultatem dominus amiserit. *Paul. ib.* 4, 4. Noxae deditio. ℙ De noxa pro rixa. V. NOXIA. ℙ *Ἡρώων παῖδες λώβαι*, Heroum filii noxae, Graecum proverb. quo docemur, saepe ex bonis malos nasci filios, ex doctioribus rudes, ex sapientibus stultos. Illustratur luculenter a *Spart. Sever.* 20 et 21., cui adde *Val. Max.* 3, 5.

NOXĀLIS, e, adj. ad noxam pertinens. *Noxalis actio*, quae instituitur in eum, cujus servus, aut animal noxam nocuit. *Cajus Dig.* 9. *tit.* 4. qui est *De noxalibus actionibus l.* 1. Sic Noxalis causa, *Paul. ib.* 4. *f.* et Noxale judicium, *Ulp. ib.* 2. et 8. et *Cajus ib.* 27. ℙ Absolute *noxali agere* est noxali judicio, seu actione experiri. *Africanus ib.* 28. Sic *Ulp. Dig.* 47, 7, 7. Sabinus ait competere noxalem. Al. leg. *noxale*; et 42, 1, 4. *extr.* noxali condemnatus; et 9, 4, 21. *f.* noxali experiri.

NOXIA, ae, f. idem quod noxa, culpa, offensa, maleficium. *Ter. Phorm.* 1, 4, 48. In re incipiunda ad defendendam noxiam. Ubi *Donat.*: Noxiam, nunc culpam: alias poenam. Et est *ἐπένθεσις* ab eo quod est *noxa*: et hoc factum est propter iambum. [*Neque *Gesn.* in *Thes.* discrimen agnoscit; et *Pareus* in *Lex. L. L. noxa* Latinum magis et oratorium: *noxia* poetis tantum usitatum, qui metri causa *τὸ i* interposuissent. Est vero discrimen, quod teneri apud optimum quemque scriptorem non sine severitate quadam videtur. *Noxia* enim adject. forma est, subintell. v. *conditio*, (male alii *culpa*, *res* substituunt) significatque *culpam*, quam quis inferendo damno, facta injuria contrahit: *noxa* denotat calamitatem, quam quis et patitur et affert, hincque, ut gr *ζημία*, etiam poenam. V. *Doederl.* 3. p. 153. Sed hoc discrimen non ubique observari, neque observari posse, quod *damnum*, *crimen* et *culpa* persaepe non satis discernuntur, jam dudum ab aliis ostensum est.] *Cic. Rosc. Am.* 22. quod in minimis noxiis, et in his levioribus peccatis primum quaeritur, quae causa maleficii fuerit. *Liv.* 10, 19. Si qua clades incidisset, desertori magis, quam deserto, noxiae fore, [*i. e. imputatum iri.] Al. leg. *noxae*. *Ter. Hec.* 3, 1, 30. Pueri inter sese quam pro levibus noxiis iras gerunt! et 2, 3, 3. quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam. *Id. Eun.* 5, 2, 13. unam hanc noxiam Dimitte: si aliam admisero unquam, occidito. *Pl. Most.* 5, 2, 47. Tranioni remitte, quaeso, hanc noxiam causa mea. *Id. Bacch.* 4, 9, 81. Noxia carere. *Id. Merc.* 5, 4, 23. Noxiis vacuum esse; et 4, 3, 30. In noxia esse. [*i. e. participem esse mali facinoris. Differt *in culpa esse*, i. e. vituperatione dignum esse. Etenim hoc discrepant *noxia* et *culpa*, quod hoc postremum significat conditionem ejus, qui satisfacere de re aliqua male facta debet: unde non dicitur, nisi ubi imputandi facultas est, in eo, quod exprobratione cellitur, vel percelli potest: oppon. *casus*. *Cic. Att.* 11, 9. Nihil mihi mali casus attulit; omnia culpa contraxit. — *Noxia*, ut supra diximus, inferendae tantum injuriae rationem continet, dicique potest in omnibus, quibus in universum agendi quaedam vis convenit: opp. *innocentia*. *Doederl.* 3, 152.] ℙ Item damnum. *Festus:* Noxia, ut Ser. Sulpicius Rufus ait, damnum significat. Apud poetas autem, et oratores ponitur pro culpa. *Lex XII. Tab.* ap. *Plin.* 18, 3, 3. et *Gell.* 11, 18. Impuberes praetoris arbitratu verberari voluerunt, noxiamque ab his factam sarciri. *Ulp. Dig.* 9, 1, 1. Aut dari quod nocuit, idest id animal, quod noxiam commisit, aut aestimationem noxiae afferre. *Cels. ib.* 17, 1, 48. Non oportet esse noxiae fidejussori, si ipse pepercit pudori suo. ℙ Item maleficium, vis nocendi, veneficium. *Plin.* 21, 17, 68. Remedio est contra veneficiorum noxiam. *Id.* 20, 13, 51. Succus rutae copiosior datus veneni noxiam obtinet. *Id.* 14, 16, 19. *n.* 1. Aegris vini noxiam timent. *Id.* 28, 19, 77. Etiam contra illatas noxias valet. ℙ Est qui putat aliquando esse dissidium, jurgium, rixam. *Auson. Idyll.* 13. de monosyll. inconn.: Saepe in conjugiis fit noxia, si nimia est dos. *Petr. Sat.* 96. A duobus lecticariis in mediam noxiam perfertur. Alii id negant: nam ap. *Petr.* legunt *rixam*: ap. *Auson.* ita distinguunt: *Saepe in conjugiis fit noxia, si nimia est, dos.*

NOXIALIS, e, adj. noxius. *Prud. Cath.* 9, 18. Lex noxialis; et *ib.* 14, 1107. carcer.

*NOXIĒTAS, atis, f. noxia, offensa, delictum. *Tert. Apol.* 2. *B. A.*

NOXIOSUS, a, um, adj. idem ac noxius. *Sen. Clem.* 1, 26. Si noxiosissimo cuique animali in nos daretur potestas. Al. leg. *noxissimo*, vel *noxiissimo*, ut sit a *noxius*. *Id. Ben.* 7, 10. Noxiosae res, ac malo gentium in medium produtae. ℙ Item qui in noxia est, reus, nocens, culpae obnoxius, vitiosus. *Petr. Sat.* 130. Curavi diligentius noxiosissimum corpus. *Sen. ep.* 70. *f.* Animi perditi, noxiosique.

NOXITUDO, inis, f. idem ac noxia. *Accius* ap. *Non.* 2, 576. Noxitudo oblitteretur Pelopidarum.

NOXIUS, a, um, adj. *βλαβερὸς*, qui nocet, damnosus, perniciosus. *Cic. Leg.* 3, 3. Magistratus nec obedientem, et noxium civem coerceto. *Plin.* 9, 48, 72. Araneus aculeo noxius. *Id.* 17, 4, 2. Quibusdam locis afflatus maris noxii, in plurimis iidem utiles. *Ov. Trist.* 5, 10, 22. noxia tela. *Virg. A.* 7, 326. crimina. *Mart.* 2, 61. lingua; et 10, 5. Noxiae aves, *h. e.* cadaverum avidae, et mali ominis. ℙ Item noxae reus, culpae obnoxius, malus. [*Differunt *noxius* et *nocens:* hoc postremum significat eum, qui ob singulum aliquod in certa quadem re male factum in culpa est: *noxius* omnino pravam mentem, perditos mores habet. *Doederl.* 3, 155. *Id. ib.* p. 156. de discrimine inter *sons* et *noxius* haec suspicatus est: simili modo inter has voces distinguendum videri, quo inter *noxia* et *culpa:* ita ut *sons*, Gr. *θῶος*, morum atque imprimis rei judicialis ratione habita, damnatum vel dignum, qui damnetur, significet: *noxius* nonnisi auctorem vel causam calamitatis, injuriae indicet.] *Liv.* 39, 41. *extr.* Multos, qui citati non adfuerant, noxios judicavit. *Ov. Met.* 10, 349. Nec metues atro crinitas angue sorores, Quas, facibus saevis oculos atque ora petentes, Noxia corda vident? *Colum.* 1, 9. Nec malim per noxios, quam per innocentes rura colere. *Suet. Vit.* 17. Reducto coma capite, ceu noxii solent. ℙ [*Noxii* proprie dicuntur, qui bestiis objiciuntur. V. *Gronov. Observatt.* 1, 8, 78. et 79. p. 44. sq. *ed. Fr.* — *Id. ib.* 80. et 81. p. 45. sq. *mercenarium noxium* intelligit *bestiarum mercede noxium.*] ℙ Cum genit. *Tac. A.* 5, 11. Ut noxium conjurationis ad disquisitionem trahebat. *Ulp. Dig.* 29, 5, 3. Noxius facinoris. ℙ Comp. *Noxior* quidam leg. ap. *Sen. Clem.* 1, 13. al. *obnoxior*. Sup. *Noxissimus*, V. in NOXIOSUS.

NU

*NUBA, ae, m. V. v. sq. *B. A.*

*NUBAE, arum, *Νοῦβαι*, populi Africae, ad sinum Arabicum, partim Libyam, partim Aethiopiam occupantes. *Sil.* 3, 269. ibique *Drakenb.* Adde 7, 664. ℙ *Nubei* sunt *Plin.* 6, 28. et plenius *Nubei Aethiopes ib.* 30. ℙ *Nuba*, num. sing. reperitur ap. *Claud. Stil.* 1, 252. *B. A.*

NUBĔCŬLA, ae, f. *νεφέλιον*, parva nubes. *Plin.* 18, 35, 82. Nubecula quamvis parva ventum procellosum dabit. ℙ Per similitudinem dicitur de aliis rebus. *Id.* 28, 6, 19. Mala urina, in qua veluti furfures atque nubeculae apparent. *Id.* 37, 5, 18. Smaragdi varia nubecula improbati. Aliud est hoc, quam umbra. Nubecula enim albicantis est vitium, cum viridis non pertransit aspectus, sed aut intus occurrit, aut excipit in fine visum candor. *Id.* 34, 18, 54. Plumbum derasum lavatur dulci aqua, donec nubeculae omnes eluantur. *Id.* 29, 6, 38. Nubeculae, et caligationes, suffusionesque oculorum. *Id.* 28, 8, 24. Ramentis eboris nubeculae in facie tolluntur. *Id.* 20, 7, 26. Nubeculas oculorum sanare. *Id.* 22, 21, 27. discutere. ℙ Translate est torvitas, tristitia supercilii, severitas vultus. *Cic. Pis.* 9. Neque tam fui timidus, ut, qui in maximis turbinibus reipubl. navem gubernassem, frontis tuae nubeculam, tum collegae tui contaminatum spiritum perhorrescerem.

*NUBECULOSUS, a, um, adj. nubigosus. *Sarisb. Ep.* 184. Ratio haec nubeculosior est. *B. A.*

NUBES, is, f. *νεφέλη*, vapor densatus in aere, et obumbrans. *Sen. Q. N.* 2, 30. *extr.* Est autem nubes spissitudo aeris crassi. *Cic. N. D.* 2, 39. *f.* Aer concretus in nubes cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus. *Id. Acad.* 4, 22. Qui sub nube solem non ferunt. *Virg. A.* 1, 92. Eripiunt subito nubes coelumque diemque. *Hor. Od.* 2, 16, 2. atra nubes condidit lunam. *Petr. Sat.* 114. Nubes undique adductae obruunt tenebris diem. *Virg. G.* 1, 323. foedam glomerant tempestatem imbribus atris Collectae ex alto nubes; et *ib.* 4, 312. effusus aestivis nubibus imber. *Ov. Met.* 8, 339. excussis elisi nubibus ignes. *Id. Trist.* 2, 142. Nube solet pulsa candidus ire dies. *Virg. A.* 1, 147. Collectasque fugat nubes, solemque reducit. *Plin.* 18, 35, 82. Nubes globantur. *Id.* 2, 47, 48. Venti nubes abigunt; et *ib.* 43, 43. Fulgetris nubes finditur, fulminibus perrumpitur. ℙ *Sabaeae nubes* ap. *Stat. Silv.* 4, 8, 2. sunt fumi ex ture incenso. ℙ Nubis epitheta sunt ferme, nigra, atra, umbrosa, picea, fusca, rubens, opaca, aquosa, gravida, bibula, cacca, cava, tenuis, densa, spissa, fulva, obscura, aetheria, sicca, glauca, accensa, volucris, gelida, etc. *Virg.*, *Ov.*, *Hor.*, *Val. Fl.*, *Sen. Trag.*, *Plin.*, *Lucan.* etc. ℙ *Nube deprendere volucrem jaculis* ap. *Sil.* 16, 566. est in nube, sub nube, alte volantem. Sic *Manil.* 5, 291. Pendentemque suo volucrem deprendere coelo; et *Virg. A.* 5, 516. Plaudentem nigra figit sub nube columbam. Ponitur enim *nubes* ad significandam altitudinem. *Sil.* 6, 272. de angue ingenti: et solitum in nubes tolli caput. *Hor. Od.* 3, 29, 10. Molem propinquam nubibus arduis. ℙ *Nubes et inania captare* ap. *Hor. A. P.* 230. proverbialis locutio de eo, qui inutilia dicit, vana, et nimis elata, inflata, futilia. Nihil enim tenet, qui nubem captat. ℙ Translate dicitur de macula, umbra, et fuscitate in rebus splendidis. *Plin.* 33, 8, 44. Est aliud experimentum politi argenti in halitu hominis, si sudet protinus, nubemque discutiat. *Id.* 37, 2, 10. Crystalla infestantur plurimis vitiis, scabro ferrumine, maculosa nube, etc. *Petr. Sat.* 108. Liquefactum per totum os atramentum omnia lineamenta fuliginea nube confuderat. ℙ Transfertur etiam ad significandam vim, et multitudinem instar nubis densam, et obumbrantem, ut *nimbus*. *Liv.* 42, 10. Nubes locustarum. *Plin.* 29, 6, 34. muscarum. *Virg. A.* 12, 254. volucrum. *Liv.* 38, 26. *f.* Velut nubes levium telorum conjecta obruit aciem Gallorum. *Val. Fl.* 2, 521. Occupat Alcides arcum, totaque pharetrae Nube premit. *Sil.* 6, 336. nubes densa Laconum, *h. e.* cohors. *Liv.* 35, 49. Rex peditum, equitumque nubes jactat. *Virg. A.* 9, 33. nigro glomeratur pulvere nubes. *Val. Fl.* 4, 495. Cocytia nubes, *h. e.* Harpyiarum coetus mensis involitans. *Stat. Th.* 2, 321. talem sub pectore nubem Consilio volvens, *h. e.* cogitationum, et curarum multitudinem. *Ser. Sam.* 3, 34. farrea nubes, *h. e.* porrigo capitis, furfures. ℙ *Nubes belli* est belli moles, et vis in-

gruens. *Just.* 29, 3. Videre se ait consurgentem in Italia nubem illam trucis et cruenti belli. *Virg. A.* 10, 808. sic obrutus undique telis Aeneas nubem belli, dum detonet, omnem Sustinet. ℙ Eleganter dicitur de ebrietate, et sopore, quibus mens quasi nube obruitur. *Val. Fl.* 3, 65. Rhoetus iniqui Nube meri geminam Pholoen, majoraque cernens Astra. *Stat. Achill.* 1, 646. Bacchi comites, discussa nube soporis, etc. *Id. Th.* 10, 280. ut quemque ligatum Infelix tellure sopor, supremaque nubes Obruerat. *Id. Silv.* 4, 6, 72. jam mortis opacae Nube gravis. ℙ De caecitate. *Stat. Th.* 4, 512. Ne tenues annos, nubemque hanc frontis opacae Spernite. ℙ De tristitia, et cura, calamitate, infortunio. *Stat. Silv.* 1, 3, 109. omni detersus pectora nube; et *ib.* 3, 3, 146. Dextra bis octonis fluxerunt saecula lustris, Atque aevi sine nube tenor. *Ov. Trist.* 3, 5, 22. Pars vitae tristi cetera nube vacet. *Cic. Dom.* 10. Illis reipubl. tenebris, caecisque nubibus, et procellis, cum senatum a gubernaculis dejecisses, etc. V. NOX. ℙ De tristi severitate. *Hor. Ep.* 1, 18, 94. Deme supercilio nubem. *Sil.* 8, 612. non ille rigoris Ingratas laudes, nec nubem frontis amabat. ℙ De umbra. *Stat. Th.* 6, 586. Deserpitque genis, nec se lanugo fatetur Intonsae sub nube comae. ℙ De obscuritate, tenebris, silentio, arcano. *Hor. Ep.* 1, 16, 60. Labra movet metuens audiri; Pulcra Laverna, Da mihi fallere, da justo sanctoque videri: Noctem peccatis, et fraudibus objice nubem, *h. e.* effice, ut peccata mea, et fraudes lateant, ut impune sit mihi fraudibus utenti. ℙ In illo *Quint. Decl.* 1, 17. Quae obsoletam protinus nubem, et tempori accommodata lugubria flameo revertente mutabis: *nubem* intellige tenuissimam vestem, aut velum pellucidum. Quo facit illud *P. Syri* ap. *Petr.* 55. *Burm.* Aequum est induere nuptam ventum textilem, Palam prostare nudam in nebula linea. Alii vestem pullam interpretantur. ℙ *Nubis* in recto singulari, et mascul. gen. *Pl.* est *Merc.* 5, 2, 38. Nubis ater, imberque instat. Al. leg. *nubis atra.* Est etiam qui leg. *nubs ater.* Nam et *Auson. Idyll. de monosyll. histor.* 12, 4. Perjurum Lapitham Junonia ludificat nubs. Adde *Liv. Andron.* ap. *Serv.* ad *A.* 10, 636., sed improbat ipse *Serv.* tum hic, tum ad *ib.* 1, 591.

[NUBESCO, is, n. 3. nubilus fio. V. *Auctoris incerti l. c.* in LYCHNITES. *F.*]

NŪBĬFER, a, um, adj. *περινέφελος, νεφώδης,* nubes sustinens, aut afferens. *Ov. Met.* 2, 226. Aeriaeque Alpes, et nubifer Apenninus, *h. e.* adeo excelsus, ut verticem inserens nubibus eas portare videatur. Sic *Val. Fl.* 4, 599. nubifera surgentem rupe Carambin. *Ov. Her.* 3, 58. dare nubiferis linea vela Notis. *Sil.* 10, 323. nubifer Eurus. *Lucan.* 5, 415. Perfida nubiferi vetat inconstantia veris.

NŪBĬFŪGUS, a, um, adj. qui nubes fugat. *Colum.* 10, 288. Nec tam nubifugo Borea Latonia Phoebe Purpureo radiat vultu.

NŪBĬGĔNA, ae, comm. gen. *νεφελογενής,* genitus ex nube. *Colum.* 10, 115. Mox ubi nubigenae Phryxi, nec portitor Helles, etc., *h. e.* filius Nepheles, quae *Nebula* dicitur ab *Hyg. fab.* 1, 2 et 3. Nam *νεφέλη* nubem, nebulamve significat. V. NEPHELE. *Stat. Theb.* 1, 365. Amnes nubigenae; et *Prud. Hamart.* 486. nimbi. ℙ Speciatim *nubigenae* dicuntur Centauri, quod ex nube nati sint. Cum enim Ixion Junonem deperiret, oblata est illi nubes, quae faciem Junonis repraesentaret, cum qua congressus genuit Centauros. *Stat. Theb.* 5, 263. si quando profundo Nubigenae caluere mero. Adde *Ov. Met.* 12, 211 et 541. ℙ *Nubigenas clypeos, διοπετεῖς, Stat.* vocat ancilia, *Silv.* 5, 2, 131. quia coelo lapsi sunt, ut ait *Virg. A.* 8, 664. Al. leg. *nubigeros.*

NŪBĬGER. V. in v. praec.

*NUBIGOSUS, a, um, adj. i. q. nubilosus. *Claud. Mamert. de statu anim.* 1, 7. ℙ Hunc procellosum aerem et naturaliter nubigosum, *h. e.* nubilum, caliginosum. Codd. est *nubigenum*, ut videre in ed. *Barth.* Ed. *Paris.* habet *nubilosum. B. A.*

NŪBĬLAR, aris, et

NŪBĬLĀRE, is, n. 3. V. v. sq.

NŪBĬLĀRĬUM, ii, n. locus in villa, in quo messis trituranda reponitur, cum nubilum fit coelum, et pluvia timetur. *Varr. R. R.* 1, 13. Aedificium facere oportet, sub quod tectum totam fundi subjicere possis messem: quod vocant quidam nubilarium. Id secundum aream faciundum, ubi triturus sis frumentum, magnitudine pro modo fundi, ex una parte apertum, et id ab area, quo et in trituram proruere facile possis, et si nubilare coeperit, inde ut rursus celeriter rejicere. *Colum.* 1, 6. *f.* Areae nubilarium applicari debet, propter inconstantiam coeli, quo collata semitrita frumenta protegantur, si subitaneus imber incesserit. *Id.* 2, 21. Si seges cum parte culmi demessa sit, in nubilarium congeritur, et subinde opportunis solibus torrefacta proteritur. Quidam *nubilar* hic leg. *Inscr.* reperta in villa Pinciana, quae legitur ap. *Zaccaria Istituz. antiq. lapid.* p. 340. Locus sepulcri continet per cippos dispositos jugera quatuor, et nubilare, locus habitationis tutela monumenti.

NŪBĬLIS, e, adj. *ἀνδρὸς ὡραῖα, ἐπίγαμος,* quae est apta, ut viro in matrimonium jungatur. *Cic. Cluent.* 5. Reliquit grandem, et nubilem filiam. *Virg. A.* 7, 53. Jam matura viro, jam plenis nubilis annis. *Ov. Met.* 14, 335. Haec ubi nubilibus primus maturuit annis, etc.

NŪBĬLO, as, a. 1. *νεφόω,* nubilum facio, nubes induco. Absolute ut *hiemat, pluit,* et hujusmodi. *Varr. R. R.* 1, 13. Si nubilare coeperit. ℙ Passive. *Cato R. R.* 88. Usque adeo in sole habeto, donec concreverit: ubi nubilabitur, noctu sub tecto ponito. ℙ Translate. *Plin.* 37, 7, 25. Fulgorem carbunculi debere candidum esse positi, extremo visu nubilantem: si attollatur, exardescentem. *Paul. Nol. carm.* 10, 37. Quam *(lucem Dei)* vis sophorum callida, arsque rhetorum, et Figmenta vatum nubilant.

NŪBĬLŌSUS, a, um, adj nubilus. *Appul. Met.* 11. Coelum, nubilosa caligine disjecta, splendore candebat.

NŪBĬLUS, a, um, adj. *νεφώδης,* nubibus obductus. *Plin.* 16, 26, 45. Nubilum coelum. *Id.* 2, 35, 35. Nubilus dies. *Tibull.* 2, 5, 76. annūs. *Plin.* 18, 25, 61. occasus sideris. ℙ *Nubilum, i,* est coelum, tempus nubilum, vel nubes in aere collectae. *Plin. ep.* 2, 17. Ibi omnes silent venti, exceptis qui nubilum inducunt. *Suet. Ner.* 13. Cum Armeniae regem destinato per edictum die ostensurus populo, propter nubilum distulisset. *Quint.* 11, 3. *med.* Vitare soles atque ventos, et nubila etiam ac siccitates. Hinc ablativus *nubilo*, nubilo die, tempore, aere. *Plin.* 7, 60, 70. Etiam tum tamen nubilo incertae fuere horae. *Id.* 11, 24, 28. Aranei sereno texunt, nubilo texunt. ℙ *Nubila, orum,* sunt ipsae nubes: idque fere ap. poetas. *Plin.* 2, 62, 62. Rhodi nunquam tanta nubila obduci, ut non aliqua hora sol cernatur. *Hor. Od.* 1, 7, 15. Albus ut obscuro deterget nubila coelo Saepe Notus; et *ib.* 34, 5. Diespiter Igni corusco nubila dividens. *Virg. A.* 4, 177. Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit. *Ov. Met.* 1, 328. Disjicere nubila; et *ib.* 572. conducere; et *ib.* 7, 202. inducere et pellere; et *ib.* 11, 435. venti vexant. *Id. Am.* 1, 8, 9. toto coelo glomerantur. ℙ Est etiam *nubilus,* nubifer. *Ov. Pont.* 2, 1, 26. et *Prop.* 2, 13, 56. Nubilus Auster. *Plin.* 2, 47, 48. Auster Africae serenus, Aquilo nubilus. *Claud. Laud. Stil.* 1, 287. Nubilus Orion. ℙ Item tenebrosus, umbrosus. *Ov. Fast.* 3, 322. Nubila Styx. *Id. Met.* 4, 432. Est via declivis, funesta nubila taxo; et *ib.* 14, 447. lucosque petunt, ubi nubilus umbra In mare cum flava perrumpit Tibris arena; et *ib.* 514. antra nubila multa silva. *Stat. Theb.* 4, 483. Nubilus Arcas, *h. e.* in Inferis degens luce carentibus. ℙ Item obscurus, fuscus. *Plin.* 9, 35, 54. Nubilus color margaritae. *Mart.* 8, 51. de phiala: nec odit Exploratores nubila massa focos. ℙ Item turbatus. *Pl. Cist.* 2, 1, 5. ita nubilam mentem Animi habeo: ubi sum, ibi non sum. *Stat. Theb.* 3, 230. Mars nubilus ira. ℙ Item tristis. *Ov. Met.* 5, 512. de Cerere: toto nubila vultu Ante Jovem passis stetit invidiosa capillis. *Stat. Silv.* 5, 3, 12. Frigida damnatae produxit nubila menti. *Plin.* 2, 6, 4. Sol coeli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat. *Quint.* 11, 3. *med.* Oculi hilaritate mitescunt, et tristitia quoddam nubilum ducunt. ℙ Item calamitosus. *Ov. Trist.* 1, 1, 39. Carmina proveniunt animo deducta sereno: Nubila sunt subitis tempora nostra malis. Adde *ib.* 9, 6. ℙ Item infaustus, adversus. *Ov. Trist.* 5, 3, 14. Nubila nascenti seu mihi Parca fuit.

NŪBĬVĀGUS, a, um, adj. inter nubes vagans. *Sil.* 12, 102. de Daedalo: Hic pro nubivago gratus pia templa meatu Instituit Phoebo.

NŪBO, is, psi, et nuptus sum, ptum, a. 3. *καλύπτω,* tego, operio, velo: unde *obnubo. Arnob.* 3, 118. Quod aqua nubat terram, appellatus est, inquiunt, cognominatusque Neptunus. *Auct. Pervigil. Ven.* 22. Ipsa *(Venus)* jubet, mane ut udae virgines nubant rosae. ℙ Quoniam vero sponsae apud veteres, cum viro tradebantur, flameo nubere, idest velare capita solebant: factum est, ut per metonymiam usurpetur pro in matrimonium collocari, *γαμίζομαι, νυμφεύομαι:* et de sponsa solum dicatur. *Pl. Aul.* 3, 5, 15. quo illae nubent divites Dotatae, si istud jus pauperibus ponitur? Quo lubeat, nubant, dum dos ne fiat comes. *Ov. Her.* 9, 32. Si qua voles apte nubere, nube pari. *Id. ib.* 21, 156. Nupturae toties languida membra cadunt. *Cic. Div.* 1, 46. Virgo nupsit ei, cui Caecilia nupta fuerat. *Id. Fam.* 15, 3. Regis Parthorum filius, quocum esset nupta regis Armeniorum soror. *Id. Coel.* 14. Cum ex amplissimo genere in familiam clarissimam nupsisses. *Id. Cluent.* 66. Tum denique in familiae luctum, atque in privignorum funus nupsit. *Tac. A.* 4, 40. Posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum, aut in penatibus iisdem tolerandum haberet. *Gell.* 1, 23. Unus ne ut tuas uxores haberet, an ut una apud duos nupta esset. *Terent. Dig.* 35, 1, 60. *f.* Cum vir uxori, si a liberis non nupserit, in annos singulos aliquid legavit, *h. e.* nubendo non discesserit. ℙ Supinum *nuptum* cum aliis verbis eleganter conjungitur. *Nep. Paus.* 2. Des ei filiam tuam nuptum. *Pl. Stich.* 1, 2, 83. Hostis est uxor, invita quae ad virum nuptum datur; et *ib.* 85. nam quo dedisti nuptum, abire nolumus. *Ter. Ph.* 5, 1, 25. nuptum virginem locavi huic adolescenti. *Caes. B. G.* 1, 18. Propinquas suas nuptum in alias civitates collocasse. *Sall. fragm.* ap. *Arus. Mess.* Neque virgines nuptum a parentibus mittebantur. *Pl. Cas. prol.* 86. Ultro ibit nuptum. ℙ Aliquando de viro dicitur: sed vel cum praeposteras nuptias significamus. *Juven.* 2, 135. nubit amicus, Nec multos adhibet. Liceat modo vivere: fient, Fient ista palam, cupient et in acta referri. Adde *Mart.* 12, 42., *Lamprid. Elag.* 10. et *Impp. Constant. et Constant. Cod.* 9, 9, 31. Hac sententia *Suet. Ner.* 29. et *Tac. A.* 15, 37. verbo *denubo* usi sunt. ℙ Vel cum vir uxori subjicitur, servitque aut propter dotem, aut propter nobilitatem. *Pompon.* ap. *Non.* 2, 577. Meus frater nupsit posterius dotatae vetulae, varicosae, vafrae. *Mart.* 8, 12. Uxorem quare locupletem ducere nolim, Quaeritis? uxori nubere nolo meae. ℙ Reperitur etiam simpliciter de viro dictum. *Tert. ad Uxor.* 1, 7. *f.* Pontificem max. rursus nubere nefas est; et *ib.* 2, 11. Nec filii sine consensu patrum rite et jure nubent. *Hieron. ep.* 22. *n.* 19. Nubat, et nubatur ille, qui in sudore faciei comedit panem suum. Hinc *viri nupti*, matrimonio juncti. *Varr.* ap. *Non.* 7, 98. Viris nuptis, sacrificabantur in cubiculo viduae. ℙ Joculariter ap. *Pl.* est concumbere, *Cist.* 1, 1, 45. Haec quidem ecastor cotidie viro nubit, nupsitque hodie, Nubet mox noctu: nunquam ego hanc viduam cubare sivi. Nam si haec non nubat, lugubre fame familia pereat. ℙ Passive impersonaliter. *Id. Pers.* 3, 1, 58. Cujusmodi hic cum fama facile nubitur. *Tert. c. Marc.* 4, 38. *med.* Praestruxit, hic quidem nubi, ubi sit et mori. ℙ Transfertur ad plantas, ut *marito, as. Plin.* 14, 1, 3. Vites in Campano agro populis nubunt, maritasque complexae, atque per ramos earum scandentes, etc. (Sic *Hor. Epod.* 2, 9. adulta vitium propagine Altas maritat populos.) *Manil.* 5, 238. Et te, Bacche, tuas nubentem jungent ad ulmos. *Colum.* de terra veris tempore parturiente, 10, 157. Alma sinum tellus jam pandet, adultaque poscens Semina, depositis cupiet se nubere plantis. ℙ *Prisc.* 8, 789. docet, antiquissimos etiam *nubo te* dixisse activa ratione pro *nubo tibi.* Unde est Nuptus, a, um. ℙ *Valer. Prob. Cathol.* 1485. ponit etiam praeteritum *nubui* pro *nupsi:* sed hoc est obsoletum.

NUBS, is, f. nubes. Negat quidem *Serv.* ad *A.* 1, 591. Latine dici. *Ausonius* tamen usurpavit. V. NUBES.

NŪCĀLIS, e, adj. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37. *med.* Palmulae nucales, quas caryotas appellant.

NŪCĀMENTĀ, orum, n. plur. *κνιτάροι,* paniculae squamatim compactae, quae pendent ex ramis piceae, et aliarum arborum nuces ferentium. *Plin.* 16, 10, 19. E ramis generum horum panicularum modo nucamenta squamatim compacta dependent, praeterquam larici; et *mox:* Nucamenta compressiora.

*NUCARĬA, ae, duorum fluminum nomen, Hispaniam Tarraconensem permeantium, inque Sicorim semet exonerantium. Orientalior *Nucaria Palliarensis,* vulgo *Noguera Palleresa:* occidentalior *Nucaria Ripacurtia,* vulgo *Noguera Ribargorçana.* V. *Cellar.* in *Orb. Antiq. B. A.*

NŪCELLĀ, ae, f. parva nux, ut Nucella cocta, *Apicius* ap. *Barth. Adv.* 34, 18. (qui tamen *Apicii* locum non indicat) et praeterea Auctor admodum exiguae est, et fortasse nullius auctoritatis.

*NUCERĬA, ae, f. *Νουκερία,* oppidum Galliae cispadanae, ad Padum flumen, hodie *Luzara.* Meminit *Ptolemaeus.* ℙ Aliud, in Umbria, Camellaria cognominatum, ad Tiniam amnem, hodie *Nocera.* Incolae Nucerini Favonienses dicti, teste *Plin.* 3, 14. ℙ In Campania aliud, cognomine Alfaterna. *Liv.* 9, 41. Nuceria nude audit *Liv.* 23, 15, 27, 3. *Cic. in Rull.* 2, 31. *extr. Plin.* 3, 5. *Sil.* 8, 533. et 12, 424. Hodie et hoc *Nocera* est. ℙ Item Apuliae oppidum. *Tab. Peut. B. A.*

NŪCĔRĪNUS, a, um, adj. ad Nuceriam urbem pertinens. Est autem duplex eo nomine, altera in Campania ad Sarnum fluv., nunc *Nocera de' Pagani,* Graece *Νουκερία,* quae et Alafaterna, vel Alfaterna est dicta, cujus meminit *Liv.* 9, 41. et *Sil.* 8, 534. Illic Nuceria, et Gaurus. Haec postquam colonia deducta est, Constantia est cognominata, teste *Front. de colon.* p. 135. *Goes.* Nuceria Constantia colonia deducta jussu imperatoris Augusti. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 333. Q. Modius Celsus Nuc. Con. Hinc *Nucerinus ager* ap. *Liv.* 9, 38. et *Plin.* 3, 5, 9. et *Nucerini, orum,* incolae illius urbis, ap. *Liv.* 27, 3. ℙ Altera fuit in Umbria ad radices Apennini in via Flaminia, quae et Favoniensis, et Camelaria est cognominata, nunc *Nocera.* Hinc *Plin.* 3, 14, 19. Nucerini cognomine Favonienses, et Camelani. Fortasse leg. *Camelarii. Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 481. Nucer. Came . . . .

NŪCĒTUM, i, n. locus nucibus consitus, ea ratione, qua *olivetum,* et *lauretum* dicitur. *Stat. Silv.* 1, 6, 12. Quicquid nobile Ponticis nucetis, Fecun-

dis cadit aut jugis Idumes. *Tert. adv. Valent.* 20. Adam diversatus illic inter nuculas et arbusculas. Satis meminerat Ptolomaeus puerilium dicibulorum, in mari poma nasci, et in arbore pisces, sic et in coelestibus nuceta praesumpsit.

NUCĒUS, a, um, adj. *καρυΐνος*, qui est ex nuce. *Cato R. R.* 31. et *Plin.* 16, 39, 75. Ulmeam, pineam, nuceam, hanc, atque aliam materiam omnem cum effodies. *Hieron. ep.* 53. *n.* 8. *med.* Secundus (*Jeremias*) videtur texere virgam nuceam et ollam succensam a facie Aquilonis, etc.

*NUCHUL, fons Aethiopiae, quem Nili originem fuisse putarunt qui illic incoluere. *Mela* 3, 9. *B. A.*

NŪCIFRANGĪBŬLUM, i, n. dens, quia dentibus nuces solent confringi. *Pl. Bacch.* 4, 2, 16. mihi cautio est, Ne nucifrangibula excussit ex malis meis.

NŪCĪNUS, a, um, adj. qui ex nuce, ut Nucinae mensae, quae fuere in pretio prius, quam citreae essent cognitae. *Vet. Schol.* ad illud *Juven.* 11, 117. nostraque ex arbore mensas: haec habet: Ut mensae fierent nucinae.

NŪCĪPERSĪCUM, i, n. persici genus, oritur autem ex arbore persica pruno insita, atque ita appellatur, quod a nuce aegre solvitur. Legitur in *lemmate* ap. *Mart.* 13, 46. Persica nucipersica. Vilia maternis fueramus praecoqua ramis, Nunc in adoptivis persica cara sumus. Opponuntur autem praecoquibus, quia haec aestiva, illa vero autumnalia sunt; *Propertius* enim 4, 2, 15. *autumnalia pruna* dicit, et *Calpurn. Ecl.* 2, 42. et modo cogit Insita praecoquibus subrepere persica prunis.

NŪCIPRŪNUM, i, n. *καρυοκοκκύμηλον*, prunum insitum nuci. *Plin.* 15, 13, 12. Appellata ab utroque nucipruna.

NUCLĒĀTUS, a, um, part. a *nucleo*, id cui nucleus ademptus est. *Scrib. Comp.* 233. Uva passa nucleata, contusa, ac mista. *Rhodius* maliet *enucleata.*

[NUCLĔO, as, n. 1. nuclei formam accipio, duritiem contraho. *Theod. Prisc.* 4, 2. *med.* Septimo anno infanti dentes cadere, bis septenis pubescere, et nucleantibus mammillis semen generare. *F.*]

NUCLĒUS, i, m. *πυρήν*, quod durum, et osseum in quibusdam pomis includitur, ut in olea. *Plin.* 37, 11, 73. et *Ulp. Dig.* 32, 53. Nuclei olivarum. *Plin.* 23, 7, 67. persicorum; et *ib.* 72. cerasorum; et 13, 17, 32. Nucleus osseus loti; et *ib.* 19, 34. Malum Punicum, cui lignosus nucleus abest. *Pall.* 10, 14. Tuberes seremus sobole, vel nucleis. ℙ Nucleus acini, vinaceum. *Plin.* 23, 1, 9. et 31, 10, 46. *n.* 4. ℙ Quod *Cato R. R.* 37. et ex eo *Plin.* 17, 9, 7. praecipit, nucleos in segetem ne indamus, significat, non esse spargendos in agro nucleos integros oleae, sed comburendos, et cinerem spargendam. ℙ Per similitudinem dicitur nucleus in pavimentis media et interior eorum pars resistens ac durior: quam vulgus Italorum *anima* vocat. *Plin.* 36, 25, 62. Ruderi novo tertiam partem testae tusae addi, deinde rudus, in quo duae quintae calcis misceantur, pedali crassitudine fistucari: tum nucleo crasso sex digitos induci, etc. *Vitr.* 7, 1. Insuper ex testa nucleus inducatur, etc. ℙ Nucleus corporis conchae ap. *Plin.* 9, 35, 55. est ipse unio, seu margaritum. ℙ Nucleus ferri, pars ferri durior, qua utimur ad indurandam aciem, ut ait *Plin.* 34, 14, 41. ℙ Est etiam *nucleus* tenerum illud edule, quod invenitur in nucibus, ut in juglande, avellana, amygdala, nuce pinea, etc. Est autem haec prima hujus vocis notio, a *nuce* dictae, quasi *nuculeus.* Hinc proverb. ap. *Pl. Curc.* 1, 1, 55. quod refertur etiam a *Macr. Sat.* 2, 14. *extr.* Qui nucleum e nuce esse vult, frangit nucem, *h. e.* qui commodum appetit, laborem subit: ital. *e' non si può pigliar pesce senza immollarsi:* et *e' non si può avere il mele senza le pecchie.* Aliud proverb. ap. *eund. Capt.* 3, 4, 122. Nucleum amisi: reliquit pignori putamina. Verba sunt Hegionis querentis, amisisse se eum captivum, qui, cum herus esset, magno sibi lucro esse poterat, si redimeretur: relictum autem sibi esse pignori servum viliorem, ex quo parum sibi emolumenti obventurum sit. His *Plauti* locis quidam MSS. *nuculeus* habent; ut etiam ap. *Gargil. de re hortensi* (ed. *A. A. Scottio*) 4. *n.* 2. Cum ossibus exterius tempore resolutis, totam germinis sani vitam nuculeus experitur. *Plin.* 15, 13, 10. Nucleus amygdalae; et 37, 4, 15. avellanae; et 15, 10, 9. exilis pinearum nucum; quem ita describit *Id. ib.* Grandissimus fructus pineis nucibus, altissimeque suspensus, intus exiles nucleos lacunatis includit toris, vestitos alia ferruginis tunica: mira naturae cura molliter semina collocandi. *Cels.* vocat 2, 22. nucleum pineum. *Plin.* 15, 28, 34. Carne palmae placent, crusta Thebaicae, succo uvae, callo pira, corpore melimela, mora cartilagine, nuclei grano. ℙ Gallae nucleus est, quod intus est in galla. *Plin.* 24, 4, 5. Nucleus gallae commanducatus dentium dolorem sedat. ℙ Nucleus myrrhae, est myrrhae granum excussum. *Id.* 12, 16, 35. ℙ Nucleus terrae est crassior et lentior glutinosiorque terrae pars veluti in nucleum coalescens. *Plin.* 17, 6, 4. Est quidam terrae adeps, ac velut glandia in corporibus, ibi densante se pinguitudinis nucleo. ℙ Nucleus allii. *Id.* 19, 6, 34. Allium tenuissimis in universum velatur membranis, mox pluribus coagmentatur nucleis, et his separatim vestitis. ℙ Quoties ap. *Apic.* legimus *nucleos* in condimentis, pīneos intelligere debemus, ut 7, 11. et 2, 1. etc.

*NUCRAE, arum, Italiae oppidum, in Samnio vel Campania, vel fortasse in Hirpinorum confinio. *Sil.* 8, 566. *B. A.*

NŪCŪLA, ae, f. *καρυάριον*, minuta nux. *Plin.* 15, 22, 24. de nuce juglande: Tinguntur cortice earum lanae, et rufatur capillus primum prodeuntibus nuculis. *Festus:* Nuculas Praenestinos appellabant, quod inclusi a Poenis Casilini famem nucibus sustentarunt (V. *Liv.* 23, 19.); vel quod in eorum regione plurima nux minuta nascitur. V. PRAENESTINUS.

NŪCŪLĒUS. V. NUCLEUS.

[NŪCUNCŪLUS, i, m. genus dulciorum, ita fortasse appellatum a parvae nucis forma. V. NEPHELA. *F.*]

NŪDĀTIO, onis, f. vestium detractio. *Plin.* 28, 6, 19. Hesiodus juxta obstantia (*urinam*) reddi suadet, ne Deum aliquem nudatio offendat. *Hieron. ep.* 22. *n.* 8. Post ebrietatem nudatio femorum subsequuta est, libido juncta luxuriae.

NŪDĀTUS, a, um, part. a *nudo: γυμνωθείς*, vestibus spoliatus, detectus, nudus. *Virg. A.* 5, 134. populea velatur fronde juventus, Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit. *Id. G.* 2, 7. crura dereptis nudata cothurnis. *Id. A.* 12, 313. Aeneas dextram tendebat inermem Nudato capite. *Val. Fl.* 5, 136. Quae pelta latus, atque humeros nudata pharetris Fugerit. *Hor. Ep.* 1, 3, 19. moveat cornicula risum Furtivis nudata coloribus. *Nep. Dat.* 11. Telum nudatum vagina, veste texit. ℙ Translate est detectus, privatus, carens. *Cic. Or.* 3, 86. Libenter enim te cognitum jam artificem, aliquandoque evolutum illis integumentis dissimulationis tuae, nudatumque perspicio. *Ov. Met.* 1, 345. crescunt loca decrescentibus undis, Postque diem longam nudata cacumina silvae Ostendunt, *h. e.* libera ab aquis. *Val. Fl.* 3, 332. nudati montes. *Liv.* 27, 4. *med.* Jovis aedis culmen prope omni tecto nudatum. *Caes. B. C.* 1, 7. Nudata omnibus rebus tribunicia potestas. *Hirt. B. Alex.* 11. Naves omnes epibatis nudatae. *Caes. B. G.* 2, 6. Murus nudatus defensoribus. [*Frequens est hujus vocabuli in rebus bellicis usus. Simili ratione Graeci usurpant *γυμνός.* V. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 7, 44. animadvertit collem, nudatum hominibus.] *Sall. Jug.* 93. Jugurtha praesidiis nudatus. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 17. Acerbissimo interitu consulum nudata respublica. *Cic. Or.* 1, 38. Vis ingenii scientia juris nudata. [**Suet. Caes.* 41. nudatos opere censorio — restituit, i. e. nota censoria ornamentis ordinis sui privatos: al. leg. *notatos.* V. *B. Crus.*]

NŪDĒ, adv. *Lact.* 3, 1. *med.* Quae quidem tradita sunt breviter ac unde, *h. e.* aperte, et simpliciter.

NŪDĬPĔDĀLĬA, ium, n. plur. *γυμνοπόδια*, sacra, quae nudis pedibus peragebantur. Porro multa fuere apud veteres tum Romanos, tum Graecos, ac Barbaros, in quibus hic ritus servabatur, ad ostendendam majorem animi demissionem, atque erga Deos reverentiam. *Tert.* tamen peculiari sacro eum tribuere videtur, videlicet cum pluvia in siccitate petenda erat, *de Jejun.* 16. *med.* Cum stupet coelum, et aret annus, nudipedalia denunciantur, magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, precem indigitant, hostiam instaurant. *Id. Apol.* 40. *f.* Aquilicia Jovi immolatis, nudipedalia populo denunciatis. *Hieron.* in *ep. ad Galat.* 4, 8. Paulus, ut Judaeos lucrifaceret, et in Cenchris ex voto comam totondit, et nudipedalia, atque calvitium Hierosolymis in templo exercuit. [Eadem sacra memorat his verbis *Petr. fragm. Trag.* 44. *Burm.* Antea stolatae matronae ibant nudis pedibus in clivum, passis capillis, mentibus puris, et Jovem aquam exorabant; itaque statim urceatim pluebat. *Sil.* 3, 28. Pes nudus, tonsaeque comae, castumque cubile. V. PLUVIUS. *F.*]

NŪDĬPES, edis, m. et f. pedes nudos habens. *Tert. Pall.* 5. Non expedit in algore, et ardore rigere nudipedem.

*NUDITĀNUM, i, n. Hispaniae Baeticae opp. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

NŪDĬTAS, atis, f. *γυμνότης.* Translate ponitur pro inopia. *Quint.* 10, 2. *f.* Si tenuitas, aut nuditas in asperis gravibusque causis ponderi rerum parum respondeant.

NŪDĬUS, vox ex *nunc* et *dies* conflata, ut *Fest.* docet, [vel pro *novidius*, h. e. novus dies, ut *nuper* pro *noviper: F.*] jungitur cum nominibus numeralibus, tertius, quartus, quintus, etc. Itaque nudius tertius significat ante duos dies, h. e. nunc dies tertius est: sic nudius quartus, nunc dies quartus, etc. *Cic. Att.* 14, 11. Nudius tertius dedi ad te epistolam longiorem. *Id. Phil.* 5, 1. Recordamini, qui dies nudius tertiusdecimus fuerit. *Pl. Truc.* 2, 6, 28. Heri nudius quintus natus ille est. *Id. Most.* 4, 2, 40. heri, et nudius tertius, Quartus, quintus, sextusque, postquam hinc peregre Abivit, nunquam desitum est, etc.

[NŪDĬUSTERTĬĀNUS, vel divisim Nudius tertianus, a, um, adj. qui nudio tertio factus est. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 5, 59. Misi tamen tibi hodiernam *γνώμην*, et nudiustertianum locum communem. *Gloss. Philox.* Nudius tertianus, *τριθημερινός. F.*]

NŪDO, as, avi, atum, a. 1. *γυμνόω*, vestibus spolio, detracta veste detego, aperio. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 4, 33. Flagitii principium est, nudare inter cives corpora. *Cic. Verr.* 2, 5, 62. Hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, et virgas expediri jubet. [**Lucr.* 5, 969. Membra nudabant terrae, i. e. nudi in terra jacebant.] ℙ Item universim detegere, aperire. *Virg. A.* 1, 215. Tergora deripiunt costis, et viscera nudant; et *ib.* 5, 585. pugnaeque cient simulacra sub armis: Et nunc terga fuga nudant, nunc spicula vertunt Infesti. [**Liv.* 1, 27. Nudari latera sua sociorum degressu.] *Ov. Fast.* 2, 693. et *Liv.* 28, 33. Nudare gladios. [**Lucr.* 5, 1063. Duros nudantia dentes. *Tibull.* 4, 1, 75. Vel si interrupto nudaret gurgite pontum: i. q. *Virg.* dixit *A.* 1, 106. his nuda debiscens Terram inter fluctus aperit.] ℙ Et privare, spoliare. [**Ov. Met.* 12, 439. dum parat hunc armis nudare jacentem.] *Petr. Sat.* 107. Nudare crine caput. *Ov. Fast.* 3, 557. messes, *h. e.* terere, excutere, folliculis spoliare. *Sil.* 8, 503. silvis montem. *Plin.* 16, 22, 34. Nudantur arbores foliis. *Sen. Hippol.* 966. canae frigora brumae Nudant silvas. [**Liv.* 44, 27. non agros tantum nudare populando potuit, ne quos inde Romani commeatus exspectarent.] *Stat. Silv.* 3, 4, 87. humerosque manu nudare nitentes: *scil.* comam tonsorio opere tondendo. *Caes. B. C.* 3, 15. Neque sibi nudanda litora, et relinquendos portus existimabant, *h. e.* praesidiis spolianda; et *B. G.* 7, 70. Jubet portas claudi, ne castra nudentur. [*V. quae de hoc hujus v. usu diximus ad v. NUDATUS.] *Hor. Ep.* 1, 18, 21. quem praeceps alea nudat; et *Ov. Trist.* 1, 6, 7. Tu facis, ut spolium ne sim, neu nuder ab illis, Naufragii tabulas qui petiere mei; et *Cic. Verr.* 1, 5. Quae victores civitatibus Siculis aut dederunt, aut reddiderunt, spoliavit, nudavitque omnia. *Id. Dom.* 1. Utrum amentes ac perditos magistratus improborum ac sceleratorum civium praesidio nudare, an etiam Deorum immortalium religione armare malitis. ℙ *Nudari* dicuntur loca, unde aqua discedit. *Tac. A.* 6, 33 Brevia litorum nudantur. *Liv.* 36, 45. *f.* Ventus nudaverat vada. *Plin.* 36, 6, 9. Aestus nudans arenas. ℙ Arcana, et latentia detegere, patefacere. *Virg. A.* 1, 350. Crudeles aras, trajectaque pectora ferro Nudavit, caecumque domus scelus omne retexit. *Hor. Sat.* 2, 5, 47. ne manifestum Coelibis obsequium nudet te, *h. e.* te prodat; et *ib.* 8, 74. ingenium res Adversae nudare solent, celare secundae. *Liv.* 35, 32. Jam enim, et id magis in dies, Aetoli defectionem nudabant [*i. e. prae se ferebant.]. *Id.* 24, 27. Nec illi primo statim creati nudare, quid vellent. *Id.* 42, 63. Fama equestris pugnae nudavit voluntates hominum. [**Quint. Decl.* 2, 3. p. 42. Et quia mendacium facile poterat nudari: ubi *Burm.* laud. *Gronov.* ad *Liv.* 44, 38. et suam ipsius notam ad *Phaedr. prol.* 3. *Tibull.* 4, 7, 2. nudare alicui amorem, i. e. palam praedicare. ℙ Explorare. *Liv.* 34, 24. magis, ut nudaret animos — quam spe, impetrari posse.]

NŪDŬLUS, a, um, adj. dimin. nudi. *Hadr. Imp.* in *carm.* ap. *Spart. Hadr.* 25. Animula vagula, blandula, Quae nunc abibis in loca Pallidula, rigida, nudula.

NŪDUS, a, um, adj. *γυμνός, ἀνείμων*, qui sine veste est, aut tegmine quocumque. *Cic. Or.* 2, 66. Tanquam nudus nuces legeret, in ventrem abstulisse. *Hor. Sat.* 1, 8, 24. nudis pedibus, passoque capillo. *Virg. A.* 8, 425. nudus membra Pyracmon. *Ov. Met.* 7, 183. Nuda pedem. *Virg. A.* 11, 642. nudo cui vertice fulva Caesaries. *Sil.* 5, 449. Costae nudae tegmine. ℙ *Nudi* etiam dicuntur, qui togas tantum deposuere, et in solis tunicis sunt. Toga enim proprie vestis dicitur, et togati vestiti. Hoc multis conatur ostendere *Burm.* ad illud *Petr. Sat.* 92. Ex altera parte juvenis nudus, qui vestimenta perdiderat, etc. [Hinc *Virg. G.* 2, 299. Nudus ara, sere nudus. [**Hesiod. E.* 391. *γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δὲ βοωτεῖν.*] *Aur. Vict. Vir. illustr.* 17. Ad quem (*Quinctium*) missi legati nudum eum arantem trans Tiberim offenderunt; qui, insignibus sumptis, etc. *F.*] ℙ *Nudo vestimenta detrahere*, proverb. h. e. commodum sperare ab eo, qui nihil habet: aquam a pumice postulare. *Pl. As.* 1, 1, 79. Nudo detrahere vestimenta me jubes. ℙ Transfertur ad alia. *Catull.* 62, 49. Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo, Nunquam se extollit, *h. e.* sine pedamentis. *Virg. Ecl.* 1, 15. silice in nuda, *h. e.* nullo gramine vestita. Sic *Ov. Met.* 4, 261. Sedit humo nuda. [**Lucan.* 6, 550. Et quodcumque jacet nuda tel-

lure cadaver: ubi *nuda tellus* est non exstructa, neque adgesta tellus, ita ut neque bustum, neque tumulus, multo minus monimentum habeat. V. *Cort.*] (Et cum gen. *Sall. Jug.* 81. Per loca inaequalia, et nuda gignentium; et *Ov. Met.* 12, 512. parvoque in tempore nudus Arboris Othrys erat.) *Sen. Herc. Oet.* 281. nudum nemus, *h. e.* sine foliis et frondibus. *Id. Oedip.* 43. nuda vada, *h. e.* sicca, sine aqua. [**Virg. E.* 1, 61. Et freta destituent nudos in litore pisces, i. e. in sicco viventes.] *Ov. Med. fac.* 56. hordea, *h. e.* sine folliculis, et fresa. Contra *Petr. Sat.* 135. grana putaminibus vestita. *Val. Fl.* 2, 170. nudisque sub astris Condensae fletus acuunt i. e. sub dio. *Virg. A.* 12, 306. Nudus ensis. [* — Ita *nudus* saepissime usurpatur de iis, quae insepulta jacent, quae funere carent. *Lucan.* 8, 434. nuda umbra. *Stat. Th.* 8, 73. manibus Aethera nudis Commaculet; et *ib.* 12, 192. quam quae de sanguine campi Nuda venit, poscitque rogos. V. *Cort.* ad h. l. et ad 6, 550.] ¶ Est saepe universim spoliatus, privatus, carens. *Hor. Sat.* 5, 3, 184. Nudus agris, nudus nummis. *Id. Od.* 1, 14, 4. Navis latus nudum remigio. *Cic. Att.* 7, 13. Urbs nuda praesidio. *Sil.* 16, 46. Cantaber ingenio membrorum, et mole timeri Vel nudus telis poterat. [*V. *Beier.* ad *Cic. fragm.* p. 91. a.] ¶ Cum genit. *Sil.* 4, 607. Namque inhonoratam Fibrenus perdere mortem, Et famae nudam impatiens, etc. ¶ Et cum ablat. et praeposit. *a*, vel *ab*. *Cic. Verr.* 2, 4, 2. Messana ab his rebus, quibus iste delectatur, sane vacua, atque nuda est. Sic *ib.* 4, 34. Domum ejus exornatam, atque instructam, fere jam iste reddiderit nudam atque inanem. *Id. ad Quir.* 6. Nudus a propinquis, nulla cognatione munitus. *Id. Dom.* 22. *med.* Respublica nuda a magistratibus. ¶ In his fere egestatem, inopiam, paupertatem significat. *Id. Fl.* 21. Quem tu semper nudum esse voluisti. *Ov. Her.* 9, 154. Oenea desertum nuda senecta premit. *Juven.* 7, 35. facunda, et nuda senectus. ¶ Saepe est solus. *Ov. Trist.* 3, 11, 17. Ut mala nulla feram, nisi nudam Caesaris iram, Nuda parum nobis Caesaris ira mali est? *Mart.* 1, 44. Nudus aper, sed et hic minimus: *sc.* mensae illatus est. *Plin. praef.* 3. Locorum nuda nomina, et quanta dabitur brevitate, ponentur. *Cic. Par.* 3, 2. Nuda ista si ponas, judicari, qualia sint, non facile possunt. *Petr. Sat.* 88. Priscis temporibus, cum adhuc nuda virtus placeret, *h. e.* sine aliis bonis, puta divitiis, honoribus. *Sen. Ben.* 3, 18. Virtus non eligit domum, nec censum: nudo homine contenta est. *Sen. alter Hippol.* 519. Quam juvat nuda manu captasse fontem! *h. e.* nullo poculo instructa. *Vell.* 2, 61. *f.* Antonius turpi et nuda fuga coactus deserere Italiam, *h. e.* solus, et sine exercitu comitante. Adde *Sil.* 1, 219. et 13, 198. et *Ov. Trist.* 2, 408. ¶ Apud JCtos saepe hoc sensu adhibetur. *Paul. Sent.* 5. *tit.* 2. Possessionem acquirimus et animo, et corpore. Sed nudo animo adipisci quidem possessionem non posumus: retinere tamen nudo animo possumus. *Modest. Dig.* 44, 7, 51. *extr.* Etiam nudus consensus sufficit obligationi: quamvis verbis hoc exprimi possit. *Cajus ib.* 7, 8, 1. Constituitur enim et nudus usus, idest sine fructu: Sic *pactum nudum, nuda proprietas, traditio, voluntas*, etc. ¶ Aliquando est simplex, sine fuco. *Cic. Brut.* 75. Commentarios quosdam scripsit rerum suarum, valde quidem probandos: nudi enim sunt, recti, et venusti, omni ornatu orationis, tanquam veste, detracto. *Ov. A. Am.* 3, 747. nudis mihi rebus agendum est. ¶ *Nuda verba*, aperta, et intellectu facilia, qualia sunt fere obscena. *Plin. ep.* 4, 14. Summos illos et gravissimos viros, qui talia scripserunt, non modo lascivia rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuisse. ¶ *Nudi capilli*, nullo nexu, aut ornatu compositi. *Ov. Met.* 4, 261. Sedit humo nuda, nudis incompta capillis; et *ib.* 7, 183. nudos humeris infusa capillos. ¶ *Nudus sudor* ap. *Quint.* 11, 3. *med.* est, qui a nudis elicitur, ut fit in gymnasiis, et palaestra. ¶ Comp. *Nudior* ap. *Cic. Leg.* 1, 2. Annales pontificum, quibus nihil potest esse nudius. Al. leg. *jucundius*, al. *jejunius*, al. *juncidius*, aut *ejuncidius*. [At legendum esse *jucundius* probat locus *Cic. Or.* 1, 43. in quo pontificum libros memorat. *F.*] [*Ita etiam *Orell.*, q. v. ¶ Confund. *nudus* et *crudus*. V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* 10, 8. p. 220. et *nullus*. *Id. ib.* 6, 12. p. 139. et 312. p. 616.]

NŪGĀCĪTAS, atis, f. nugarum studium. *August. ep.* 67. *f.* Omnis ab eo deleta est nugacitas; et *de Musica* 6. *in.* Nugacitatem excuset officiosus labor.

NŪGAE, arum, f. plur. φλυαρία, λῆρος, proprie sunt naenia, sive carmina a praeficis cani solita in laudem mortuorum. Hinc *Pl. As.* 4, 1, 63. Haec sunt non nugae: non enim mortualia. ¶ Per synecdochen dicuntur sermones levium rerum, scurriles, nullius pretii. Hinc *Catull.* 1, 4. et *Mart.* 9, 1. et 13, 2. etc. poemata sua nugas vocant. *Cic. Div.* 2, 13. Hunccine hominem tantis delectatum esse nugis? *Hor. Sat.* 1, 9, 2. Nescio quid meditans nugarum. [*V. *Heindf.* ad h. l.] *Ter. Heaut.* 4, 1, 8. Nae ista hercle magno jam conatu magnas nugas dixerit. ¶ Universim tricae, gerrae, ineptiae, res nihili. [*Discrimen inter *nugae* et *gerrae* ita constitui posse videtur *Doederl.* 3, 87., ut *gerrae* semper cum vituperatione quadam de eo dicantur, qui ipsas agat: *nugae* ad ipsius rei pretio carentis vanitatem pertineant.] *Pl. Truc.* 4, 4, 7. quid agitur, voluptas mea? *Di.* Non voluptas: aufer nugas; et 2, 1, 20. Nec unquam quisquam probus erit amator, nisi qui rei inimicus est suae. Nugae sunt, nisi quod modo cum dederit, dare jam lubeat denuo. *Id. Trin.* 2, 4, 40. Hic postulet frugi esse; nugas postulet. *Id. Merc.* 2, 4, 1. Pentheum diripuisse ajunt Bacchas: nugas maximas Fuisse credo, praeut quo pacto ego divorsus distrahor. ¶ *Nugas agere*, est nugari, ineptire. *Pl. Men. prol.* 54. nisi qui argentum dederit, nugas egerit; Qui dederit, magis majores egerit. *Id. As.* 1, 1, 78. maximas nugas agis. ¶ Et omisso verbo per ellipsin. *Id. Pers.* 4, 7, 7. quo illum sequar? In Persas? nugas. *Id. Most.* 5, 1, 38. *Tra.* quid ait? *Theu.* servos pollicitus est dare Suos mihi omnes quaestioni. *Tra.* nugas: nunquam edepol dabit. ¶ *Nugae* etiam dicuntur leves homines, et nugatores. *Cic. Att.* 6, 3. Amicos habet meras nugas, Matinium, Scaptium. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. Ego Apamensem Hephaestum, ego levissimum hominem Megaristum Antandrium, ego Niciam Smyrnaeum, ego nugas maximas omni mea comitate sum complexus. *Id. Mil.* 21. Semper ille antea cum uxore; tum sine ea: nunquam non in rheda; tum in equo: comites Graeculi, etiam cum in castra Etrusca properabat; tum nugarum in comitatu nihil. ¶ Item mendacia, et dolosa verba ad fallendum, fraudandumque. *Pl. Trin.* 4, 2, 13. nunc adeo si quid addidero amplius, Eo conductor melius de me nugas conciliaverit. ¶ *Non.* 2, 587. tradit, omnia, quibus matronae utuntur, nugas *Plautum* voluisse appellari. Hinc *nugivendos* dici omnes eos, qui aliquid mulieribus vendunt: *Aul.* 3, 5, 51. Ubi nugivendis res soluta est omnibus. Al. leg. *nugigerulis*. Hujusmodi homines nos hodie diceremus *Galanterichändler*. V. LERIA.

NŪGĀLIS, e, adj. φλυαρώδης, nugatorius, futilis, vanus. *Gell.* 1, 2. Se in theorematibus tantum nugalibus, et puerilium isagogarum commentationibus oblectantes. *Id.* 4, 1. Ostentabat quispiam grammaticae rei doctor scholica quaedam nugalia, de generibus et casibus vocabulorum disserens. *Id.* 7, 17. Quin potius haec mittis nugalia, et affers ea, quae digna quaeri tractarique sint. [*Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. *med.* Illa olim nugalia conscripsi, *h. e.* laudes fumi et pulveris, item negligentiae. *F.*]

[NŪGĀLĬTAS, atis, f. idem ac nugacitas. *Gloss. Philox.* Nugalitas, σαπρότης. *F.*]

NŪGĀMENTA, orum, n. plur. idem ac nugae. *Appul. Met.* 1. *f.* A quo istorum nugamenta haec comparasti? De pisciculis quibusdam vilibus loquitur.

NŪGĀRĬUS, a, um, adj. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Nugarium unguentum. Ubi *Scalig.* in *Conjectan.* interpretatur eo sensu dictum, quo veteres omnia, quae ad mulierum ornatum pertinebant, *nugas* vocabant, ut in NUGAE dictum est. Monet etiam a *Petro Vict.* legi *nugatorium*, h. e. futile, et vilis pretii.

NŪGAS, adj. V. NUGAX.

NŪGĀTOR, oris, m. φλύαρος, qui nugas, et inania dicit, nugax, stultiloquus, vaniloquus. *Cic. Sen.* 9. Milo adspexisse lacertos suos dicitur, illacrimansque dixisse: at hi quidem jam mortui sunt. Non vero tam isti, quam tu ipse, nugator, *h. e.* non tam isti lacerti mortui sunt, quam tu, stulte; et *Fl.* 16. Neque in istum nugatorem, tanquam in aliquem testem, invehar. *Gell.* 11, 8. Eam orationem cum legisset M. Cato, nae tu, inquit, Aule, nimium nugator es, cum maluisti culpam deprecari, quam culpa vacare. *Auson.* nugatorem libellum vocat Idyllium suum undecimum, qui est *Griphus*, ubi multa ludit de ternario numero. *Gell.* 12, 2. Senecam *nugatorem* appellat, quod Ciceronis errores deprecatur. *Id.* 15, 1. Homo nihili et nugator, atque in Graecae facundiae gloria jactabundus. *Pers.* 5, 127. cessas, nugator? dictum est heri servum increpantis. Ap. *Auson.* quoque *Ephem.* 17. est convicium in somniculosum, et tarde mane surgentem. ¶ Est etiam *nugator*, qui mendacia congerit ad fallendum, sycophanta. *Pl. Trin.* 4, 2, 91. Nimium graphicum hunc nugatorem. *Id. Mil.* 4, 2, 86. Et pueri annos octingentos vivunt. *Milph.* vae tibi, nugator; et *Curc.* 4, 1, 1. Edepol nugatorem lepidum hunc nactus est. Halophantam, an sycophantam hunc magis esse dicam, nescio. ¶ De scortatore etiam dici videtur, in illo *Prud. Cath.* 2, 29. Quis mane sumptis nequiter Non erubescit poculis? Cum fit libido temperans, Castumque nugator sapit?

NŪGĀTŌRĬE, adv. per nugas, leviter, inaniter. *Auct. ad Her.* 4, 36. Non apertissimae res erant crimini datae? non omnes testibus comprobatae? non contra tenuiter et nugatorie responsum?

NŪGĀTŌRĬUS, a, um, adj. φλυαρώδης, nugis plenus, levis, inanis, futilis, vanus. *Cic. Caecin.* 23. Omnino ad probandum utramque rem video infirmam nugatoriamque esse. *Id. Fam.* 11, 2. *f.* Illud valde leve est, ac nugatorium. *Id. Rosc. Am.* 15. Quod Erucio accidebat in mala nugatoriaque accusatione, idem mihi usuvenit in causa optima. *Auct. ad Her.* 2, 20. Genus argumentationis nugatorium, *h. e.* quod nihil pertinet ad causam. *Pl. Trin.* 4, 2, 2. Nugatoriae artes, *h. e.* mendacia et doli, quibus aliquem quis capere studet. ¶ Nugatorios esse boves Ligusticos, dicit *Varr. R. R.* 2, 5. *h. e.* infirmiores, et parvi pretii; opponitque Gallicis, quos ait esse boni generis ad opus. Etiam *Colum.* 3, 8. in Liguria parvos boves nasci, scribit.

NŪGĀTRĪX, icis, f. *Prud. Psych.* 433. nugatricem aciem dixit de luxuriae copiis, et apparatu.

NŪGAX, ācis, adj. omn. gen. φλύαρος, nugator, putidus, ineptus, molestus. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 15. Ecquando tu hominem ineptiorem, quam tuum Cn. Pompejum vidisti, qui tantas turbas, qui tam nugax esset, commorit? *Petr. fragm. Trag.* 52. *Burm.* Haec dum refert, puer calicem projecit, ad quem respiciens Trimalchio, Cito, inquit, te ipsum caede, quia nugax es; et *mox:* Suadeo, a te impetres, ne sis nugax. ¶ Veteres dixere *hic, haec, hoc nugas* indeclin. ut *fas, nequam, frugi*, etc., ut testantur *Charis.* 1, 15, 22. et 120., *Diomed.* 1, 286., *Prisc.* 5, 649. et 6, 701. et *Valer. Prob. in Cathol.* 1464. et 1478. et alii. *Varr.* ap. *Non.* 4, 328. Quod si Actaeon occupasset, et ipse prius suos canes comedisset, non nugas saltatoribus in theatro fieret. Al. leg. *nugax:* alii aliter. Magis etiam incerta lectio est in loco *Pl. Trin.* 3, 3. *f.*, de quo V. *Taubman.*, si lubet. [**Lindem.* cum *Hermanno* legit: Actum reddam nugacissime: *du Schwätzer und kein Ende!*] In *Gloss.* quoque *Philox.* legimus: Nugas, σαπρός, *h. e.* putidus.

*NŪGĬDĬCUS, a, um, adj. nugiloquus. *Sarisb. Met.* 2, 7. *B. A.*

NŪGĬGĔRŬLUS. V. NUGAE.

*NŪGĬLŎQUUS, a, um, adj. *Sarisb. Ep.* 200. Nugiloqui detractores. *B. A.*

[NŪGĬPĂRUS, i, m. *Gloss. Isid.* Nugiparus, qui parit nugas. *F.*]

NŪGĬPŎLYLŎQUĪDES, vox hybrida, ex *nugae*, πολύ, et *loquor* jlocaliter conflata a *Pl. Pers.* 4, 6, 21. *h. e.* multas nugas loquens. Alii leg. *nugidoliloquides*, h. e. nugas, et dolos loquens: [alii fortasse rectius *nugipalamloquides*. *F.*]

NŪGĬVENDUS. V. NUGAE.

NŪGO, onis, m. nugator, nugax. *Appul. Met.* 5. *f.* Sed utique praesumis nugo, et corruptor; et *paulo post:* Quae castiget asperrime nugonem istum. Intelligit autem adolescentulum amoribus deditum.

NŪGOR, aris, atus sum, dep. 1. φλυαρέω, nugas ago, vana loquor, ludo. *Cic. Div.* 1, 13. Democritus non inscite nugatur, ut physicus. *Hor. Ep.* 2, 1, 93. Ut primum positis nugari Graecia bellis Coepit, et in vitium fortuna labier aequa, Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum. *Id. Sat.* 2, 1, 73. Nugari cum illo, et discincti ludere, donec Decoqueretur olus, soliti. ¶ Item mentiri, imponere, fallere. *Pl. Cas.* 5, 4, 11. Nugatur sciens, nam ecastor nunc Bacchae nullae ludunt. *Id. Trin.* 4, 2, 55. Mihi quoque edepol, quoniam hic nugatur, contra nugari lubet. *Id. Epid.* 3, 4, 42. non mihi nugari potes.

NŪGŬLAE, arum, f. plur. parvae ac leves nugae. *Capell.* 1. *in.* Nugulas ineptas aggarrire non perferens. At vox haec toto Latio eliminanda videtur, quia parum firma nititur auctoritate. Nam *Codex* opt. notae in *Biblioth. D. Marci Venetiar.* habet diserte nugales ineptias, quod itidem *Just. Zinzerlingius* in *Cod. MS.* reperit (*Promulsid. crit.* c. 19.), *Barthius* vero *Adv.* 8, 23. et *Arntzenius Miscell.* p. 197. probavit. Haec ex *Biblioth. MS. Jac. Morellii* T. 1. p. 327.

*NUITHŌNES, um, populi Germaniae inferioris, juxta Albim flumen. *Tac. G.* 40. *B. A.*

NULLĀTĒNUS, adv. μηδαμῶς, nullo modo, minime. *Capell.* 2, 35. Immortalitatis sedem nullatenus obtinebis. *Imp. Zeno Cod.* 8, 10, 12. §. 3. Nullatenus competens aedificantibus.

NULLĪBI, adv. μηδαμοῦ, nullo in loco. *Vitr.* 7, 1. *med.* Si tesseris structum erit, ut eae omnes angulos habeant aequales, nullibique a fricatura exstantes. Sed primae quaeque edition. et opt. Cod. MSS., teste *Jo. Poleno*, non habent illa verba *nullibique*, etc.

NULLĪFĬCĀMEN, inis, n. et

NULLĪFĬCĀTĬO, onis, f. contemptus. *Tert. adv. Marc.* 4, 14. *f.* Quae ignominia? quae nullificatio? et *ib.* 3, 7. et 17. ex *Psalm.* 21, 7. Ignominia hominis, et nullificamen populi.

NULLĬFĬCO. V. ANNIHILARE.

NULLUS, a, um, adj. οὐδείς, non aliquis, ne unus quidem: ex *ne*, et *ullus*, ut *nemo* ex *ne*, et *homo*. Dicitur autem fere de rebus, ut *nemo* de personis. V. NEMO. *Cic. Fam.* 13, 1. Id, quod mea intelliges, tua nullam in partem multum interesse. *Id. ad Brut.* 1, 15. *med.* Nullum bellum civile fuit, in quo non, etc. *Id. Off.* 1, 37. Con-

tentionis praecepta rhetorum sunt; nulla sermonis. *Id. Or.* 1, 26. Nullae lites, neque controversiae sunt, quae, etc. *Id. N. D.* 1, 35. Elephanto belluarum nulla prudentior. *Plin.* 19, 10, 58. Olera nulli animalium obnoxia. *Id.* 8, 22, 34. Nullum omnium praestantius. *Cic. Fin.* 5, 13. Ei de virtutibus nulla desit. *Id. Marc.* 7. Nulli supersunt de inimicis; et *Mur.* 13. Nullo pacto. *Caes. B. G.* 2, 11. Nullo certo ordine neque imperio. *Hirt. B. Alex.* 10. Nullos milites in navibus habebat. *Liv. praef. f.* Nulla unquam respublicâ nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit. *Cic. Fam.* 3, 12. Nullam, ne in tabellae quidem latebra, fuisse absconditam malivolentiam. *Pl. Mil.* 4, 8, 59. Nulla fide esse. *Plin. ep.* 6, 29. Homo nullis litteris; et *Cic. Phil.* 3, 6. *f.* Homo nullo numero. [**Sall. Cat.* 29, 3. aliter sine populi jussu nulli earum rerum Consuli jus est, i. e. *keinem Consul steht das Recht zu.* Ita *Kritz.* recte locum intellexisse videtur, q. v. ℙ Graviter postponitur *nullo modo. Cic. Off.* 2, 16, 57. Judicio certo ponderanti probari posse nullo modo: ubi *Beier.* laud. *Fam.* 2, 8. *in.*] ℙ *Nullus dum*, nullus adhuc. *Liv.* 5, 34. Alpes inexsuperabiles, nulla dum via superatas. Adde 29, 11. ℙ *Nulli rei esse*, nihili, nequam, inutilem esse. *Gell.* 7, 11. Nequam hominem dixerunt, nulli rei, neque frugis bonae. *Id.* 9, 2. Cum erraticum hominem esse dicerent, et nulli rei. *Id.* 13, 30. Musicam, quae sit abscondita, eam esse nulli rei. Adde 15, 9. *extr.* Contrarium est alicui rei esse, ap. *Ter. Ad.* 3, 3, 4. ℙ Absolute de personis pro *remo. Sall. Jug.* 101. Beneficia properantius reddere: ipse ab nullo repetere; et *ib.* 117. Nullo, aut quam paucissumis praesentibus. *Cic. Off.* 1, 37. Discentium studiis inveniuntur magistri: huic autem qui studeant, sunt nulli. *Nep. Cim.* 4. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit. *Id. Them.* 4. Idque, nullis defendentibus, incendio delevit. *Tac. G.* 43. *med.* Nullo hostium sustinente novum, ac velut infernum aspectum. *Plin.* 18, 28, 69. A nullo ante nos prodita. *Pl. Bacch.* 2, 2, 12. *Chry.* Istuc volebam ego ex te percunctarier. *Pist.* Qui scire possum? *Chry.* nullus plus. Adde *Aul.* 3, 5, 24., *Ter. Heaut.* 5, 3, 20., *Prop.* 2, 3, 1. et 3, 24, 41., *Ov. R. Am.* 747. et *Just.* 28, 4., quibus locis in feminino usurpatur. ℙ *Nulli duo*, ex multis duo non sunt [**keine zwei.*]. *Plin.* 7, 1, 1. Nullas duas in tot millibus hominum indiscretas effigies exsistere. *Id.* 3, 1, 3. Ita fit, ut nulli duo concinant. ℙ *Nullus alter, nullus ullus, nullus unus* ad magis negandum pertinent, ut *nemo alter, nemo unus*, etc. *Pl. Bacch.* 2, 3, 22. Scelestiorem nullum illuxere alterum. *Gell.* 1, 2. Asseverabat, nulli esse ulli magis ea omnia explorata. Al. omitt. v. *ulli. Cic. Brut.* 59. *extr.* Nulla re una magis oratorem commendari, quam verborum splendore et copia. *Id. Prov. cons.* 4. Nisi C. Virginius intervenisset, unum signum Byzantii ex maximo numero nullum haberent. ℙ *Nullum* absolute, nulla res. *Hor. A. P.* 324. Graji, praeter laudem, nullius avari. *Sen. Ben.* 2, 25. Nullo magis Caesaris amicitiam demeruit Furnius, quam quod, etc. *Just.* 5, 1.. Sacra Cereris Initiorum nullo magis, quam silentio, solemnia. *Quint.* 2, 4, 23. Nullo magis studia, quam spe gaudent. [**V. Burm.* et *Spalding.* ad h. l.] *Lucan.* 3, 364. perit magnus, nullis obstantibus, ignis. *Flor.* 1, 26. Nullius acrior custos, quam libertatis fuit. Sic *ullus* usurpatur a *Liv.* 2, 59. *med.* Nemo ullius, nisi fugae memor. ℙ Item *alius. Quint.* 1, 5. *Scala* et *scopa*, contraque *hordea* et *mulsa*, non alio vitiosa sunt, quam quod pluralia singulariter, et singularia pluraliter efferuntur. ℙ *Nullo* pro Nullo loco. *Liv.* 22, 53. *med.* Nullo verius, quam ubi ea cogitentur, hostium castra esse. ℙ *Nullus non*, omnis. *Liv.* 8, 26. Nulla rerum suarum non relicta inter hostes. *Sen. ep.* 12. *f.* Nullo non se die extulit. *Suet. Caes.* 76. Nullos non honores cepit. ℙ *Non nullus*, aliquis. V. NONNULLUS. ℙ Post se habet interdum *nisi, praeter, quin.* [*v. in hh. vv.*] *Cic. Fam.* 5, 5. Statueram nullas ad te litteras mittere, nisi commendaticias. *Caes. B. G.* 7, 77. Si nullam, praeter quam vitae nostrae, jacturam fieri viderem; et *B. C.* 3, 87. Nulla Thessaliae fuit civitas, praeter Larissaeos, quin Caesari pateret. ℙ Saepe est irritus, nullius momenti, inanis, levis. *Ter. Hec.* 5, 3, 1. Edepol nae meam herus esse operam deputat parvi pretI, Qui ob rem nullam misit, frustra ubi totum desedi diem. *Cic. Q. Fr.* 3, 4. Sed vides nullam esse rempubl., nullum senatum, nulla judicia, nullam in ullo nostrum dignitatem. *Id. Leg.* 2, 6. Igitur tu Titias, et Appulejas leges nullas putas? *Id. Tusc.* 2, 5. Nullum vero id quidem argumentum est. *Id. Fam.* 7, 3. *med.* Ex eo tempore vir ille summus, nullus imperator fuit. *Q. Cic. Pet. cons.* 7. In petitione nisi id agas, nullus petitor esse videare. ℙ [**Interdum *nullus* etiam leniori quadam significatione usurpari solet, ut nostr. *unbedeutend, gering*, et Gr. *οὐδείς*, cf. *Heindf.* ad *Plat. Hipp. maj.* §. 25. V. *Brem.* ad *Nep. Phoc.* 1, 2. Itaque hujus memoria est nulla. ℙ Item pro *non justus, non verus.* Ita *Cort.* ad *Lucan.* 1, 589. Monstra jubet primum, nullo quae semine discors Protulerat natura: coll. *Cic. Or.* 2, 5. nulla vita, i. e. insuavi: et *Duk.* ad *Flor.* 1, 4. *n.* 1. nulla aetas, i. e. non idonea.] ℙ Frequenter ponitur loco negativae *non.* [**Cf. Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 286. *Ruhnk.* ad *Albinov.* 432.] *Ter. Eun.* 2, 1, 10. Memini, tametsi nullus moneas. [***Nullus moneas* et praesertim *nullus dubito* pertinent ad colloquentes, maxime quidem ap. comicos; ita ut minus recte facere videantur, qui has dicendi formulas nimio in prosam orationem usu transtulerint.] *Cic. Att.* 11, 24. Philotimus non modo nullus venit, sed, etc.; et *ib.* 15, 22. Sextus ab armis nullus discedit; et *ib.* 29. Ad M. Aelium nullus tu quidem domum, sed sicubi inciderit. *Ter. Hec.* 1, 2, 3. si quaeret me, uti Tum dicas: si non quaeret, nullus dixeris. *Pl. Rud.* 4, 4, 91. tu mihi Nullus ostenderis. *Id. Trin.* 3, 1, 5. at tu edepol nullus creduas. *Virg. Cir.* 177. Nulla colum novit, carum nec respicit aurum. *Propert.* 1, 17, 11. An poteris siccis mea fata reponere ocellis, Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu? *h. e.* non tenere ossa nostra sinu tuo. Al. aliter interpret. ℙ *Nullum esse*, non esse, nihil esse. [**V. in* NIHIL, et cf. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 203. 1. p. 148.] *Cic. Sen.* 22. Nolite arbitrari, me, cum a vobis discessero, nusquam, aut nullum fore. *Plin.* 36, 27, 69. Adeo in rebus damnatis quoque, ac jam nullis sunt aliqua remedia, ut in carbone, ecce, et cinere. ℙ Hinc *nullum esse*, mortuum esse: ex opinione eorum, qui animam simul cum corpore interire putabant. *Pl. Bacch.* 2, 2, 16. Anima est amica amanti: si abest, nullus est. In *Catal. Virg.* 14. Sed tu nullus eris. *Plin.* 2, 63, 63. Cujus (*terrae*) numen ultimum jam nullis precamur irati grave. ℙ Hinc etiam formula illa desperationis comicae, *nullus sum*, perii, actum est de me. *Ter. Hec.* 4, 1, 6. ostium concrepuit: credo, ipsum ad me exire: nulla sum. *Id. Andr.* 3, 4, 20. nullus sum, Quid causae est, quin hinc in pistrinum recta proficiscar via? *Id. Phorm.* 1, 4, 1. Nullus es, Geta, nisi jam aliquod tibi consilium celere reperis: Ita tanta te impendent mala. Adde *Pl. Most.* 2, 1, 41. et *Merc.* 1, 2, 52. et 104. Sic *Id. Cas.* 2, 4, 26. si id factum est, ecce me nullum senem. ℙ *Tam nullus*, tam exiguus, et quasi nihil. *Plin.* 11, 2, 2. de insectis: In his tam parvis, atque tam nullis quae ratio! quanta vis! quam inextricabilis perfectio! ℙ *Nulli*, et *nullae* pro *nullius*, et *nulli*, antiqua sunt. *Ter. Andr.* 3, 5, 2. quandoquidem tam iners, tam nulli consilii sum. *Pl. Mil.* 3, 1, 207. Qui, nisi adulterio, studiosus rei nullae aliae est. *Lucr.* 6, 392. nullae sibi turpis consciu' rei. Adde *Cat.* ap. *Prisc.* 6, 694., *Caecil. ib.* 678. et *Prop.* 1, 20, 35. ℙ [**Confund. *nullus* et *ullus.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 111. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* p. 219.]

NUM, adv. *μῶν, ἆρα*, an, numquid, adv. interrogandi. [***Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 336. *num* eadem ratione ortum putat ex *nunc*, qua *tum* ex *tunc.* — *Lindem.* ad *Pl. Capt.* 1, 2, 71. *num* et *nunc* particulas demonstrativas praesentis esse temporis dicit. — *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 537. haec laudat: *Scheid.* ad *Sanct. Min.* p. 269. sq. deducendum putat a *Gr. νεύω, nuo*, ut sit: *nutune significas? adnuisne?* Contra verba *νεύειν, nuere* sunt a particula affirmandi et negandi, quae proprie sono pronunciantis distinguebatur. Manifesta est cognatio voc. *nai* affirm. et *νή* negat. in compositionibus, et *μή, μῶν* pro *μὴ οὖν, Hebr.* לֹא, *Lat. ne, Germ. nein* et *nicht*, ubi non negligenda vulgi pronunciatio *ne* et *nen.* Liquidae in omnibus linguis confunduntur. Itaque si etymologiam sectari placet, facillime manere videtur, qua *num* dictum putamus pro *Gr. μῶν.* — Ceterum nota, particulam *num* c. indicativo interrogationibus directis semper cum negativa sententia adhiberi, sive ita, ut respondentis negatio exspectari possit, *nostr. doch wohl nicht? etwa?* V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 174. 1. 2. p. 701. sq. *Zumpt.* §. 351. p. 303. sq. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* p. 52. *Wolf.* ad *Cic. pro Domo* §. 14.] *Cic. Div.* 1, 14. Num igitur tot ducum naufragium sustulit artem gubernandi? aut num imperatorum scientia nihil est, quia, etc.? *Ter. Andr.* 5, 3, 6. Num cogitat, quid dicat? num facti piget? Num ejus color pudoris signum usquam indicat? *Cic. Verr.* 2, 3, 53. Num exspectatis, dum L. Metellus testimonium dicat? *Hor. Sat.* 2, 5, 58. Num furis, an prudens ludis me? *Virg. A.* 4, 370. Num lacrimas victus dedit, aut miseratus amantem est? ℙ Jungitur cum *nam*, et *ne. Ter. Eun.* 2, 2, 55. eho numnam hic relictus custos? *Pl. Truc.* 2, 6, 65. numne vis, me ire ad coenam? *Cic. N. D.* 1, 31. *f.* Deum ipsum numne vidisti? ℙ [**Interrogationibus indirectis post vv. *quaero, dubito*, etc. et sequente *quis, quae, quod*, (v. *nunquis*) et ubi pro *utrum an* posita est, particula *num* c. conjunctivo tanquam signum interrogationis adjicitur, interdum etiam vim loci affirmativam quandam adjuvans. V. quos supra laudavimus.] *Cic. Fat.* 3. *extr.* Quaero, num aliter, ac nunc eveniunt, evenirent. *Id. Cat.* 1, 5. *extr.* Interrogas me, num in exsilium? non jubeo, sed si me consulis, suadeo. *Id. Manil.* 7. *f.* Videte, num dubitandum vobis sit, omni studio ad id bellum incumbere. *Nep. Ann.* 12. Ut sibi renunciaret, num eodem modo undique obsideretur. *Liv.* 42, 19. *extr.* Jusserunt speculari, num sollicitati animi sociorum essent. *Ulp. Dig.* 4, 4, 16. Num forte aliqua actio possit competere. [***Quint. Inst.* 4, 2, 79. Videamus ergo, num expositio haec longior demum esse debeat: nos: *Ueberlegen wir also, ob nicht diese Aufstellung nur noch länger seyn müsse. Suet. Aug.* 18. Consultus, num et vellet: *ob er nicht auch.* ℙ Confund. *num* et *nunc.* V. *Spalding.* ad *Quint.* 5, 10, 102. — *Num* et *non. Id. ib.* 10, 1, 5. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 321. et 378. *Gronov. Observv.* 4, 11, 178. 179. p. 429. *ed. Fr.* — *Num* et *dum.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 202. *b.*] ℙ *Num quando.* V. NUNQUANDO.

NUMA POMPILIUS, m. *Νουμᾶς Πομπίλιος*, Pomponis filius, secundus rex Romanorum, ex Curibus Sabinorum urbe ortus, XL. annos regnavit, justitia et pietate insignis, qui pacatis finitimorum odiis, truces efferatosque longa militia pop. R. animos ad pacis artes traducere conatus est. *Liv.* 1, 18. et sqq. *Ov. Fast.* 6, 264. Tunc erat intonsi regia magna Numae. ℙ De libris Numae V. *Liv.* 40, 29., *Plin.* 13, 13, 27. et *Val. Max.* 1, 1. *n.* 12. ℙ Scribit *Serv.* ad *Virg. A.* 6, 809. fuisse canum a prima aetate: propterea dixisse *Virg.* crines, incanaque menta Regis Romani. Et dictum esse *ἀπὸ τῶν νόμων*, quia leges Romanis dedit.

*NUMĀNA, ae, f. *Νουμᾶνα*, Italiae opp. V. v. sq. *B. A.*

[NUMĀNAS, atis, adj. ad Numanam pertinens, dirutum Piceni oppidum maritimum, nunc *Umana*, prope Anconam, cujus *Plin.* 3, 13, 18. meminit, *Sil.* 8, 431. scopulosae rura Numanae. *Inscr.* ap. *Grut.* 446, 1. et 2. Patronus municipii Numanatis. Alia ap. *Don. el.* 5. *n.* 1. Curator municipii Numanatis. *F.*]

NUMANTĬA, ae, f. *Νουμαντία*, urbs Hispaniae Tarraconensis, inter Celtiberos, et Arevacos, ad Durium fl. haud longe orientem, ad radices montium. Excisa est a Scipione Africano minore post diutinam obsidionem XX. annorum, cum se, filios, et uxores occidissent cives. *Flor.* 2, 18. et *Epit. Livii* 47. 54. 55. 57. et 59.

NUMANTĪNUS, a, um, adj. ad Numantiam spectans. Numantinus speciatim cognomen fuit P. Scipionis Africani Aemiliani, seu minoris, qui Numantiam urbem evertit. *Ov. Fast.* 1, 596. Ille Numantina traxit ab urbe notam. *Juven.* 8, 10. si luditur alea pernox Ante Numantinos.

[NUMĀNUS, i, m. cogn. Remuli, qui natione Rutulus, fortasse a Numana urbe oriundus erat. *Virg. A.* 9, 592. fortemque manu fudisse Numanum, Cui Remulo cognomen erat. *F.*]

NUMELLA, ae, f. genus machinae ligneae ad discruciandos noxios, in quam collum et pedes immittuntur, ut describit *Non.* 2, 586. Hinc inter servorum tormenta enumerat *Pl. As.* 3, 2, 5. stimulos, laminas, cruces, compedes, Nervos, catenas, numellas, pedicas, boias. ℙ *Festus* interpretatur genus vinculi, quo deligantur quadrupedes, ex nervo, aut corio crudo bovis ut plurimum factum. Atque hoc sensu usurpat et *Colum.*, sed mascul. genere, 6, 19. ubi ait: Ubi possunt etiam numelli (al. leg. *numellae*) fabricari, ut inserto capite, descendentibus per foramina regulis cervix teneatur. *Id.* 7, 8. *f.* Numellis pecus inducere. Al. leg. *induere.* Intelligit autem *Colum.* vinculum ex ligneis regulis factum. ℙ [Videtur esse a *νομεύς*, unde *οἱ νομεῖς* ap. *Herodot.* 1, 194. sunt trabes in navium lateribus. *F.*]

NUMELLUS, i, m. V. v. praec.

NŪMEN, inis, n. nutus, *νεῦμα*: a *nuo*, ut *flumen* a *fluo.* [**Cf. de h. v. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 6, 16.] *Lucr.* 2, 631. de Curetibus: in numerum exsultant, sanguine fleti, Terrificas capitum quatientes numine cristas. ℙ Item inclinatio, quia in nutu caput inclinatur. *Id.* 4, 179. In quem quaeque locum diverso numine tendunt. ℙ Translate est voluntas, quia nutu significamus, quod volumus. *Id.* 3, 144. Cetera pars animae per totum dissita corpus Paret, et ad numen mentis, momenque movetur. *Virg. A.* 1, 137. Jam coelum terramque meo sine numine, venti, Miscere, et tantas audetis tollere moles? ℙ Fere dicitur de voluntate, vi, et potentia Deorum, quia solo nutu efficere putantur quaecumque libuerit, *θεῖον, θειότης. Varr. L. L.* 6, 5. Numen dicunt esse imperium, dictum ab nutu. Omnia sunt ejus, cujus imperium maximum esse videatur. Itaque in Jove hoc et Homerus, et aliquotiens Livius. *Cic. Div.* 1, 53. Quanto id Deo est facilius, cujus numini parent omnia. *Nep. Ages.* 2. *f.* Cum animadverteret, Deorum numen facere secum; et *Timol.* 4. *extr.* Nihil rerum humanarum sine Deorum numine agi. *Cic. Verr.* 2, 4, 49. Multa saepe prodigia vim ejus (*Cereris*) numenque declarant. *Id. Cat.* 2, 13. Dii immortales hic praesentes suo numine atque auxilio urbis tecta defendunt. *Id. Pis.* 21. Numen in-

terdictumque Deorum immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem senatus regi Aegyptio vendidit. *Hor. Od.* 4, 5, 53. Nox, et Diana Nunc nunc adeste, nunc in hostiles domos Iram atque numen vertite. *Ov. Trist.* 5, 3, 45. flectere tenta Caesareum numen numine, Bacche, tuo. *Id. A. Am.* 1, 203. Marsque pater, Caesarque pater, date numen eunti. *Id. Pont.* 4, 13, 24. Adjuta est novitas numine nostra Dei. *Caes. B. G.* 6, 15. Numen Deorum placare. ℙ Speciatim *numen Jovis* est ejus vis et potentia in aere, in illo *Hor. Od.* 3, 10, 7. Sentis et, positas ut glaciet nives Puro numine Juppiter? *Bentl.* mallet *duro numine.* Sic de mari *Virg. A.* 5, 767. quibus aspera quondam Visa maris facies, et non tolerabile numen. ℙ In illo *Virg. A.* 2, 396. Vadimus immixti Danais haud numine nostro: intellige *Diis non propitiis ac faventibus, sed adversis.* ℙ Tribuitur aliquando et hominibus, qui potentia, dignitate, dominatu, Deorum quodammodo vim in terris habent. *Cic. Phil.* 3, 13. Magna vis est, magnum numen unum et idem sentientis senatus. Al. leg. *nomen.* [*Ita *Orell.*, qui *numen* esse dicit ex errore librarii, vel potius ex sapientia Grammatici, cui *nomen senatus* non suffecerit.] *Id. ad Quir.* 8. Numenque vestrum aeque mihi grave et sanctum, ac Deorum immortalium in omni vita futurum. *Liv.* 7, 30. *f.* Annuite, P. C., nutum numenque vestrum invictum Campanis, et jubete sperare, incolumem Capuam futuram. *Ov.* saepissime Augusto *numen* tribuit: qua appellatione posterioribus temporibus imperatores R. honorare mos fuit. Hinc illa in vet. *Inscr.* D. N. M. Q. E. *h. e.* Devotus Numini MajestatiQue Ejus: quae expressa habentur ap. *Grut.* 272, 1. 2. 5. 6. 7. et al. Ita *Sym. ep.* 10, 21. (al. 26.) Praecipua beneficia numinis vestri populus R. exspectat. ℙ In plur. numero de uno tantum Deo, per synecdochen: ap. *Virg.* Venus Cupidinem alloquens, *A.* 1, 670. supplex tua numina posco; et *ib.* 3, 543. numina sancta precamur Palladis armisonae. *Sil.* 1, 93. Ennaeae numina divae. *Ov. Met.* 6, 44. Palladaque exhibuit: venerantur numina nymphae, Mygdonidesque nurus. *Hor. Epod.* 17, 3. Per et Dianae non movenda numina. ℙ Saepe etiam dicitur de ipsis Diis, praesertim a poetis. *Virg. G.* 4, 7. si quem Numina laeva sinunt, auditque vocatus Apollo. *Ov. Met.* 1, 320. Corycidas nymphas, et numina montis adorant. *Virg. A.* 3, 634. nos magna precati Numina. *Stat. Achill.* 1, 504. Belligerum numen. *Ov. Met.* 10, 430. promissaque numine firmat, *h. e.* Deo per juramentum teste vocato. ℙ [*Confund. *numen* et *nomen.* V. *intpp.* ad *Curt.* 7, 8, 12. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 405. et 5, 344.]

NŪMENTĀNUS. V. NOMENTANUS.

NŪMĔRĂBILIS, e, adj. *εὐαρίθμητος*, qui numerari potest. *Ov. Met.* 5, 587. Invenio sine vortice aquas, sine murmure euntes, Perspicuas imo, per quas numerabilis alte Calculus omnis erat. ℙ *Populus numerabilis* apud *Hor. A. P.* 206. est parvo numero: quia quae pauca sunt, facilius numerantur.

NŪMĔRĀLIS, e, adj. *ἀριθμητικὸς*, ad numerum pertinens, ut Numerale nomen, quod numerum significat, ap. *Prisc.* 2, 579 et 581.

NŪMĔRĀRĬUS, ii, m. *ἀριθμητής*, qui numeros conficit, et computat. *August. in Psalm.* 146. *sect.* 11. et *Lib. arbitr.* 2, 11. ℙ *Numerarii* fuere in officio praefectorum praetorio, consularium, praesidum, ducum, magistri officiorum, qui rationes conficiebant, quos nunc dicimus [**Rechnungsführer, Rechnungsbeamte.*] *Ammian.* 19, 9. Jacobus et Caesius numerarii apparitionis magistri equitum. Adde *Sidon. ep.* 1, 11. et *ep.* 2, 1. et *ep.* 5, 7. et V. *Cod. Theod.* 8. *tit.* 1. et *Cod. Justin.* 12. *tit.* 50. qui *De numerariis, actuariis*, etc. inscribitur. Ap. *Isid.* ita definiuntur *Orig.* 9, 4. Numerarii vocati sunt, qui publicum nummum aerariis inferunt, [*h. e.* qui rationes militarium numerorum tractant; ut ait *Ammian.* 26, 1. *med.*, quique etiam *rationarii* dicuntur ab *eod.* 15, 5. *f. F.*]

NŪMĔRĀTĬO, onis, f. *ἀριθμησις. Sen. ep.* 18. Ab isto fiet numeratio, *h. e.* numeratio pecuniae. Quo sensu *Id. ep.* 26. *f.* Exspecta pusillum, et de domo fiet numeratio. *Colum.* autem expresse 1, 1. *med.* Ubi aeris numeratio exigitur, rem pro nummis ostendit.

NŪMĔRĀTOR, oris, m. *ἀριθμητής*, qui numerat. *August. Confess.* 5, 4. Mensor coeli, et numerator siderum.

NŪMĔRĀTUS, a, um, part. a *numero, ἀριθμηθείς*, is de quo numerus initus est, recensitus. *Lucan.* 3, 285. et *Sil.* 7, 730. Numeratus miles. *Plin.* 29, 1, 5. Numeratae domus. ℙ Saepe refertur ad pecuniam. *Pl. Pers.* 4, 3, 57. Probum et numeratum argentum ut accipiat, face. ℙ Hinc *numerata pecunia*, h. e. in nummis. *Pl. Ps.* 4, 7, 50. hic sunt quinque argenti lectae numeratae minae. *Id. As.* 1, 3, 41. Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum. *Cic. Caecin.* 4. Cum uteretur dote uxoris numerata. ℙ Absolute. *Cic. Fam.* 5, 20. *f.* Quae tua est suavitas, nolles a me hoc tempore aestimationem accipere; nam numeratum, si cuperem, non haberem. *Id. Att.* 12, 25. Mihi res et conditio placet: sed ita, ut numerato malim, quam aestimatione. V. AESTIMATIO. *Hor. Ep.* 2, 2, 166. Quid refert, vivas numerato nuper, an olim? Adde *Liv.* 36, 21. *f.* ℙ *In numerato*, in nummis, in pecunia. *Plin.* 33, 10, 47. Testamento edixit, relinquere in numerato HS. DC.; et *ib.* 3, 17. Ex aerario protulit laterum aureorum XXV. M., argenteorum XXXV. et in numerato HS. CCCC. ℙ Hinc translate *in numerato habere*, in promptu habere, praesens paratumque habere. *Quint.* 6, 3. *f.* Dictum est de actore facile dicente ex tempore, ingenium eum in numerato habere. *Sen. Controv.* 2, 13. *f.* hoc dictum fuisse tradit ab Augusto de L. Vinicio, quo nemo civis R. in agendis causis praesentius habuit ingenium. Quidquid longa cogitatio illi praestitura erat, prima intentio animi dabat: ex tempore causas agebat, etc. ℙ *Numeratus*, positus, habitus. V. NUMERO, as.

NŪMĔRĔ. V. NUMERO, adv.

NŪMĔRĬĂ, ae, f. Dea praeses numeris addiscendis. *August. C. D.* 4, 11. Strenua Dea sit, strenuum faciendo: Numeria, quae numerare doceat; Camena, quae canere. ℙ Docent quidam, fuisse Deam, quae partus celeritati praeesset, afferuntque *Varr.* loc. ap. *Non.* 4, 319. his verbis: Ut qui contra celeriter erant nati, fere Numerios praenominabant: quod qui cito facturum quid se, ostendere volebat, dicebat numero id fore: quod etiam in partu precabantur Numeriam: quam Deam solent indigitare etiam pontifices. (Sunt tamen in his verbis multa incerta.)

*NUMERĬUS, a, um, adj. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 58. Illic et effigies plurimae tum e marmore vario, tum e metallo cujuscumque modi rennuebant numeriam aestimationem, quae omnis curiosi diligentiam vinceret. *B. A.*

NŪMĔRĬUS, ii, m. praenomen est Latinum, ut Numerius Fabius Buteo, ap. *Liv.* 41, 28. Sola, vel prima gens Fabia patricia usa eo dicitur, quia Fabius ille, qui unus post sex et trecentos ab Etruscis interfectos superfuit, inductus magnitudine divitiarum, uxorem duxit Otacilii Maleventani, ut tum dicebantur, filiam, ea conditione, ut qui primus natus esset, praenomine avi materni Numerius appellaretur. Ita *Festus:* quae habentur etiam in *lib. de nominib. et praenom. R.*, qui post *Val. Max.* edi solet. Porro qui primus ita dictus est, ita appellatus creditur a celeritate nascendi. V. verba *Varr.* in v. praec.

NŪMĔRO, as, avi, atum, a. 1. *ἀριθμέω*, per numeros renseo, metior, dinumero. *Cic. Or.* 2, 32. Ea, si ex reis numeres, innumerabilia sunt; si ex rebus, modica. *Suet. Claud.* 21. Aureos voce digitisque numerare. *Ov. Fast.* 3, 123. Numerare per digitos. *Juven.* 8, 131. Tum licet a Pico numeres genus, *h. e.* deducas, numerando Picum primum inter majores tuos. *Tibull.* 4, 4, 18. Votaque pro domina vix numeranda facit, *h. e.* paene innumerabilia. ℙ Cum de pecunia sermo est, non solum significat nummorum inire numerum, sed etiam pecuniam praesentem alteri tradere. *Caes. B. C.* 3, 3. Magnam pecuniam societates earum provinciarum, quas ipse obtinebat, sibi numerare coegerat. *Cic. ad Planc.* 1. *post ep.* 16. *Att.* 16. Atticus pecuniam numeravit de suo; et *Flacc.* 19. Si praetor dedit, a quaestore numeravit; et *Pis.* 36. Stipendium numerare militibus. *Vell.* 2, 66. alicui mercedem. *Ov. Her.* 12, 199. dotem. *Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 4. §. 116. Pecuniam numeraturus. ℙ *Numera senatum*, ait quivis senator consuli, cum impedimento vult esse, quominus faciat senatusconsultum: postulatque, ut aut res, quae referuntur, dividantur, aut singuli consulantur; aut numerentur senatores, si tot sint numero, quot esse oportet, ut liceat senatusconsultum perscribi. Ita *Fest.* Hinc *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 11. Sed cum de hostiis ageretur, et posset rem impedire, si ut numerarentur, postularet, tacuit. *Plin. Pan.* 76. Consulti omnes, atque etiam dinumerati sumus: vicitque sententia non prima, sed melior. *Cic. Att.* 5, 4. Hactenus ne quid ad senatum, consule, aut numera. Ita legit *Turneb. Adv.* 28, 27., alii aliter. ℙ Per metonymiam est habere, possidere. *Ov. Trist.* 1, 9, 5. Donec eris felix, multos numerabis amicos: Tempora si fuerint nubila, solus eris. *Tac. A.* 1, 35. Veterani tricena, aut supra stipendia numerantes. ℙ Item censere, aestimare. *Cic. Mur.* 24. *extr.* Sulpicium accusatorem suum numerabat, non competitorem. *Id. Phil.* 13, 4. Maximum ejus beneficium numero, quod hoc animo in rempubl. est. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Sapientes cives, qualem me et esse, et numerari volo. *Id. Verr.* 2, 2, 70. Is prope alter Timarchides numeratur. *Id. Rosc. Am.* 13. Tam singulare maleficium, quod ita raro exsistit, ut si quando auditum sit, portenti ac prodigii simile numeretur. *Id. Fam.* 2, 6. Ne id, quod petit, exigere magis, quam rogare, et in mercedis potius, quam beneficii loco numerare videatur. *Id. Phil.* 11, 1. *extr.* Mors in beneficii parte numeretur. Al. leg. *partem. Id. Fin.* 2, 28. Voluptatem nullo loco numerat; et *Leg.* 2, 5. Id estne numerandum in bonis? *Sall. in or. Lepid. contr. Sull. med.* Quorum adeo Sullam non poenitet, ut et facta in gloria numeret. *Cic. Phil.* 1, 8. Nisi forte, si quid memoriae causa retulit in libellum, id numerabitur in actis. *Id. Rosc. Am.* 6. Ipse honestissimus inter suos numerabatur. *Tac. G.* 30. Fortunam inter dubia, virtutem inter certa numerare. *Id. H.* 2, 77. Nihil nobis ultra arrogabo, quam ne post Valentem ac Caecinam numeremur, *h. e.* Valenti ac Caecinae postponamur. *Sil.* 15, 750. ante omnes bello numerandus Amilcar. Alii aliter leg. ℙ Item ponere, collocare, habere. *Cic. Or.* 9. Thucydides nunquam est numeratus orator. *Id. Brut.* 45. M. Herennius in mediocribus oratoribus numeratus est. ℙ *Numerare pectine chordas*, ap. *Juven.* 6, 381. est percurrere, et quasi aliam post aliam pulsando numerare, vel in numerum pulsare.

NŪMĔRO et Numere, adv. nimis cito. Antiqua loquendi ratio ducta ex eo, ut quidam putant, quod unum, quod est principium numeri, punctum putatur, ut loquitur *Macr. Somn. Scip.* 2, 2. Itaque *numero* dicimus, quasi puncto temporis. *Festus* docere videtur, *numero* dici de praesenti et futuro tempore, *numere* de praeterito. Verum ejus verba maximam partem incerta sunt: neque id discrimen a scriptoribus servatur: nisi quod *numere* minus est in usu. *Naev.* ap. *Fest.* Neminem vidi, qui numero sciret, quod scito est opus. *Pl. Men.* 2, 2, 13. numero huc advenis ad prandium. Nunc obsonatu redeo; et *Mil. a.* 5. *v.* 7. Perii. *Ca.* haud etiam, numero hoc dicis. *Id. Poen.* 5, 4, 101. o Apella, numero hoc dicis. *Id. Poen.* 5, 4, 101. o Apella, o Zeuxis pictor, Cur numero estis mortui? Adde *Merc.* 4, 3, 37. ℙ Significat etiam cito, celeriter. *Varr. R. R.* 3, 16. Apes siquando displicatae sunt, cymbalis et plausibus numero reducunt in locum unum. *Id.* ap. *Non.* 4, 319. Qui, cito facturum quid se, ostendere volebat, dicebat, numero id fore. ℙ Unde cum *nimis* aliquando jungitur. *Turpil.* ap. *Non. ib.* Nunquam nimis numero quemquam vidi facere, cum facto est opus. Adde *Acc.* et *Afran. ib.*

NŪMĔRŌSĔ, adv. magno numero. *Colum.* 4, 21. Nec tamen licebit numerosius onerare, quam ut una vitis octo serviat palmitibus. *Plin.* 33, 3, 19. de auro: Nec aliud laxius dilatatur, aut numerosius dividitur. *Appul. de Deo Socrat. f.* Villas opipare exstruunt, et domos ditissime exornant, et familias numerosissime comparant. ℙ Ap. *Tert. adv. Prax.* 12. numerose loqui, est loqui in plurali numero. ℙ Item per numeros, id est mensuras musicas. *Cic. N. D.* 2, 8. *f.* Quid, si platani fidiculas ferrent numerose sonantes? ℙ Item per numeros orationis, concinne, apte, suaviter. *Cic. Brut.* 8. Sententia aptis constricta verbis, cadit etiam plerumque numerose. *Id. Or.* 66. Raro in veris causis circumscripte numeroseque dicendum est; et *ib.* 62. In amplificanda re funditur numerose et volubiliter oratio; et *ib.* 65. Apte numeroseque dicere. *Gell.* 7, 3. *f.* Ea omnia distinctius, numerosiusque ac comptius fortasse dici potuerunt: fortius atque vividius potuisse dici non videntur. *Quint.* 10, 5. *med.* Ut ex industria sumamus sententias quasdam, easque versemus quam numerosissime.

[NŪMĔRŌSĬTER, adv. idem ac numerose, q. v. v. *Arnob.* 2, 73. Ut inflandis bucculas distenderent tibiis, cantionibus ut praeirent obscenis numerositer, et scabillorum concrepationibus sonoris. Alii ita locum minus recte mutant: *obscenis, numerosos iterarent scabillorum concrepationibus sonores. F.*]

NŪMĔRŌSĪTAS, atis, f. magnus numerus, multitudo, copia. *Macr. Sat.* 5, 20. *med.* Ad significationem numerositatis innumerae. *Tert. Monog.* 4. Filiarum numerositas. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 12, 5, 3. curialium. *Sidon. carm.* 23, 150. Et te multimoda satis verendum Scriptorum numerositate, Varro.

NŪMĔRŌSUS, a, um, adj. *πολυπληθής*, qui magno constat numero, multiplex, multus, varius. *Val. Fl.* 5, 40. Magna comitum, numerosaque pubes. *Tac. Agr.* 17. Brigantum civitas, quae numerosissima provinciae totius perhibetur. *Plin.* 11, 40, 95. Animalia numeroso fecunda partu. *Id.* 7, 28, 29. Numerosissima suffragia habere; et 21, 24, 95. Herba radice magna, numerosa. *Id.* 35, 11, 40. Numerosissima florum varietas. *Plin. alter ep.* 4, 15. Copiosa et numerosa domus, *h. e.* familia. *Nemes. Cyn.* 15. Niobe numeroso funere moesta. *Mart.* 3, 31. Et servit dominae numerosus debitor arcae; et 4, 1. Caesaris alma dies, etc. Longa, precor, Pylioque veni numerosior aevo. *Colum.* 10, 6. Principio sedem numeroso praebeat horto Pinguis ager, *h. e.* in quo seruntur multorum generum olera, flores, poma. Alii exponunt amplo, laxo, et multa capiente. *Plin. ep.* 2, 14. *med.* Hoc pretio quamlibet numerosa subsellia implentur, *h. e.* numero plurima subsellia; et *ep.* 10, 48. Gymnasium incendio amissum restituere coeperunt, longe numerosius laxiusque, quam fuerat, *h. e.* pluribus membris instructum. *Colum.* 6, 29. Pullus equinus lato et musculorum toris numeroso pectore, *h. e.* multos habente musculorum toros; et *mox:* Feminibus torosis ac numerosis. (Sic *Virg.*

G. 3, 81. Luxuriatque toris animosum pectus.) *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 28. Pictor diligentior, quam numerosior, *h. e.* qui plurimas tabulas pinxerit: vel qui varietati magis studuerit. Sic 34, 8, 19. *n.* 4. Myron numerosior in arte, quam Polycletus. *Id.* 35, 11, 40. *n.* 32. Numerosa tabula, *h. e.* in qua multi depicti sunt. *Quint.* 5, 10. Numerosum opus, *h. e.* multiplex, varium. V. ARGUMENTOSUS, et *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Hic numerosissimae causae terminus, quibusdam absolutis, pluribus damnatis, atque etiam relegatis, etc. ℙ Numerosa etiam dicuntur, quae ad numerum fiunt, ut saltatio, gestus, sonus, versus. *Ov. Amor.* 2, 4, 29. Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit. *Id. Pont.* 4, 2, 33. in tenebris numerosos ponere gressus (al. *gestus*), Quodque legas nulli, scribere carmen, idem est. *Id. Trist.* 4, 10, 49. Et tenuit nostras numerosus Horatius aures: sc. propter tot carminum genera, quibus usus est. ℙ *Numerosa oratio*, quae numeri versuum quid simile habet, et apte, concinne, atque aequabiliter fluit. *Cic. Or.* 48. Si numerosum est id in omnibus sonis atque vocibus, quod habet quasdam impressiones, et quod metiri possumus intervallis aequalibus; recte hoc genus numerorum, dummodo ne continuum sit, in orationis laude ponetur. *Id. Or.* 50. et 52. Apta et numerosa oratio. ℙ *Numerosa res* dicitur adolescens multarum rerum peritus, et pluribus aptus. *Inscr.* ap. *Grut.* 655, 3. Ille ego, qui magni parvus cognominis heres, Corpore in exiguo res numerosa fui. Flectere doctus equos, nitida certare palaestra, Ferre jocos, astu fallere, nosse fidem, etc. [*— Poterat hic commemorari locus *Lucani* ad *Pis.* 121. sq. sed virtus numerosa juvat: cujus *Ernest.* in *Lex. technol. lat. rhet.* p. 268. sq. hanc elegantissimam quidem interpretationem exhibuit, ut per *virtutem numerosam* significari genus hominum diceret, in quibus virtus simul cum doctrina et elegantia, qualem artes et litterae efficerent, conjuncta esset: coll. *Ov. Amor.* 2, 4, 29. de femina eleganti: Illa placet gestu, numerosaque brachia ducit, et tenerum molli torquet ab arte latus.]

NŪMĔRUS, i, m. ἀριθμός, [*Zahl,] discretae quantitatis mensura, ratio, qua multitudinis cujuspiam summa concipitur. Minervae inventum esse creditum est, ut *Liv.* 7, 3. scribit. *Sen. ep.* 58. *med.* Consummare perfectissimum numerum, quem novem novies multiplicata componunt. *Virg. G.* 2, 104. Sed neque quam multae species, nec, nomina quae sint, Est numerus, neque enim numero comprendere refert: [*ubi v. *Heyn.*] *Caes. B. G.* 7, 76. Haec in Aeduorum finibus recensebantur, numerusque inibatur. *Pl. Aul.* 4, 10, 68. capere. *Catull.* 61, 208. subducere. *Cic. Verr.* 2, 4, 9. Haec tibi laudatio procedat in numerum, *h. e.* jungatur numero aliarum laudationum, et te juvet. *Id. Fam.* 8, 8, 8. Quoad is numerus effectus esset. ℙ *Numerus singularis*, et *singulus* ap. grammaticos in verbis, et nominibus unam rem: *pluralis*, *plurativus*, et *multitudinis* plures significat. *Varr., Quint., Gell.* etc. ℙ [*Ita ablat. *numero* saepissime additur ad summam alicujus copiae acrius significandam; ubi nos dicere solemus *an der Zahl*, *im Ganzen*, *in Summa.*] *Cic. Or.* 2, 28. Haec enim sunt tria numero. *Sall. Jug.* 57. Reliqui omnes, numero quadraginta, interfecti; et *ib.* 98. Ex copia tubicinum numero quinque quam velocissimos delegit. *Cic. Verr.* 2, 3, 18. Cum Persae mille numero navium classem ad Delum appulissent. *Id. fragm. or. pro Font.* ap. *Aquilam de figur. sententiar.* Equites numero plurimi e Gallia. *Caes. B. G.* 1, 5. Oppida sua omnia, numero ad duodecim, vicos ad quadringentos incendunt. *Id. B. C.* 3, 53. Ad duorum millium numero cecidisse reperiebantur. Plerique MSS. habent, *ad duo millia numero.* [*Held.*, prob. *Moeb.*, lect. *ad duorum millium numero* rejecit, quod *ad* recte quidem sine casu pro adverbio, sed genitivi *duorum millium*, ut, quo referrentur, non haberent, vix latine dici possent.] *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 88. Ad binum millium numero sauciis utrinque factis. Hic ellipsis est, pro *ad binum millium summam. Plin.* 9, 10, 12. Pariunt ova ad centena numero. *Juven.* 13, 26. Rari quippe boni: numero vix sunt totidem, quot Thebarum portae. *Auct. ad Her.* 1, 10. *f.* Enumeratione utemur, cum dicemus numero, quot de rebus dicturi sumus. [*Simili ratione etiam Graeci dicunt, ut πολλοὶ ἀριθμῷ, *Hdt.* 3, 6. ἓν ἀριθμῷ, *Xenoph.* etc., etiam ἀριθμὸν et εἰς ἀριθμὸν, *Schaef. Dion. de comp.* p. 160. ℙ *Ad numerum* est justo, certo constituto numero, nos: *in gehöriger Anzahl*, *vollständig.*] *Cic. Fam.* 8, 8, 7. Si ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur. [*Id. Q. Fr.* 3, 13. Ad numerum judices habere. *Suet. Vesp.* 20. Fauces ceteraque membra sibi ad numerum defricare, i. e. certo definitoque numero. V. *Cels.* 2, 14.] ℙ *Esse in numero*, numerari cum aliis, esse inter homines. *Lucr.* 5, 180. Qui nunquam vero vitae gustavit amorem, Nec fuit in numero, quid obest non esse creatum. [*Ita et Gr. ἀριθμὸν ποιεῖν, ἐν ἀριθμῷ εἶναι: saepius etiam cum negatione. ℙ Huc pertinet etiam *Plautinum* illud: *extra numerum es*, i. e. tu huc non pertines: nos: *dich rechne ich nicht.* — Porro *Horatiana* locutio *Ep.* 1, 2, 27. *Nos numerus sumus*, i. e. homines ad vulgus pertinentes, nullius pretii, quibus nil nisi numerus convenit. Sic *Aristoph. Nub.* 1204. ὄντες λίθοι, ἀριθμὸς, πρόβατα, etc. ℙ *Numeri* dicuntur tesserae vel tali, utpote numerorum notis inscripti.] *Ov. A. Am.* 2, 203. Seu ludet, numerosque manu jactabit eburnos; Tu male jactato, tu male jacta dato. *Id. ib.* 3, 355. Et modo tres jactet numeros, *h. e.* tres tesseras, nam tribus olim tesseris, deinde duabus Romani ludebant, quae simillimae erant iis, quas Itali nunc *dadi* vocant. ℙ [*Numerus* et *numeri*, dicuntur etiam pro universa mathematicae scientia, imprimis quatenus astronomiam spectat. (De simili usu gr. v. ἀριθμὸς v. *Heindf.* ad *Plat. Theaet.* p. 157. D.) *Cic. Fin.* 5, 29. Cur Plato Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros et coelestia acciperet? Laudat hunc locum *Cort.* ad *Lucan.* 1, 641. At Figulus, — quem non stellarum Aegyptia Memphis Aequaret visu, numerisque moventibus astra: coll. *Claud. Cons. Mall.* 130. quis tenebras solis, causisque meantem Defectum videat numerus. *Stat. Th.* 4, 411. numerisque sequentibus astra. *Boet. I. Metr.* 2, 12. Comprensum in numeris victor habebat. *Id. III. Metr.* 9, 10. Tu numeris elementa ligas. *Sidon.* 15, 79. Thales hoc etiam numeris inquirit et astris, Defectum ut Phoebi, nec non lunaeque laborem Nunciet anterius. ℙ Hinc *numerus* significat certam aliquam copiam, cujus numerando inventa vel constituta ratio est: *Zahl*, *Anzahl.*] *Cic. Verr.* 2, 5, 28. Cum maximus piratarum numerus deesset. *Nep. Iph.* 2. Exercitus conductus, cujus numerus duodecim millium fuit. *Plin.* 3, 3, 4. *f.* Numerus omnis multitudinis ad ducenta quadraginta millia liberorum capitum. *Liv.* 3, 5. *f.* Caesorum numerum subtiliter exsequi. *Cic. Verr.* 2, 5, 28. Habere rationem et numerum piratarum, *h. e.* scire, quot fuerint piratae. *Stat. Th.* 6, 263. Metiri numerum, vultusque, habitusque suorum. *Inscr.* ap. *Grut.* 300, 1. Adlectus ad numerum ex S. C.; et *mox:* Super numerum cooptatus ex S. C., *h. e.* supernumerarius augurum. *Cic. Verr.* 2, 5, 28. *f.* in paratarum locum, et ad eorum numerum cives Romani hostiliter necati. [*Pertinet huc etiam illud *Cic. Verr.* 2, 5, 56. si naves suum numerum haberent, i. e. rectores remiges, quorum certus numerus requiritur. Sic *Ov. Her.* 10, 36. flecte ratem, numerum non habet illa suum. ℙ Interdum de iis etiam dicitur, quae non numero, sed mensura constant.] *Cic. Verr.* 2, 2, 72. *Planc.* 26. Magnum numerum frumenti, vim mellis maximam; et *Phil.* 2, 27. Maximus vini numerus fuit: [*ubi *numerus* non ad mensurarum numerum respicere videtur, ut *Forc.* dixerat, sed in universum copiae, multitudinis in unum coactae notionem continet. Quod maxime in sqq. constat.] *Cic. Font.* 1. Est in eadem provincia numerus civium R. atque hominum honestissimorum. *Nep. Milt.* 5. Numero copiarum fretus. *Juven.* 2, 46. sed illos Defendit numerus. *Sil.* 1, 312. Clara nec in numero virtus latet. *Tac. A.* 14, 49. Plures numero tuti. ℙ [*Tunc in universum *numerus* significat ordinem, conjunctionem, classem etc. hominum, vel aliarum naturarum, ad quam aliquis refertur.] *Nep. Att.* 12. In proscriptorum numerum relatus. *Quint.* 10, 1. *med.* Redigere aliquem in numerum poetarum. *Ov. Amor.* 3, 9, 66. Auxisti numeros, culte Tibulle, pios. *Nep. Lys.* 1. Horum in numerum nemo admittebatur. *Juven.* 6, 384. Quaedam de numero Lamiarum. *Cic. Brut.* 31. Q. Aelius Tubero fuit illo tempore, nullo in oratorum numero. *Sall. Cat.* 34. Mallius ex suo numero legatos ad Marcium misit. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 5. Quo ex genere si quem tui cognosti amantiorem, hunc vero ad tuum numerum libenter adscribito. *Id. Phil.* 2, 13. *extr.* Tu vero adscribe me talem in numerum. *Id. N. D.* 3, 19. Erechtheus, filiaeque ejus in numero Deorum sunt. *Id. Arch.* 12. Quique est eo numero, qui semper apud omnes sancti sunt habiti. *Id. Verr.* 2, 3, 90. Tanta auctoritate sunt, ut in illo antiquorum hominum numero reponantur. *Hor. Od.* 2, 2, 18. Numero beatorum eximere aliquem. *Quint.* 1, 4. Scriptores alios redigere in ordinem, alios omnino eximere numero, *h. e.* nullo modo inter scriptores habendos esse, censere. ℙ Hoc sensu eandem vim habet atque elegantiam, quam *locus:* et aestimationem significat. *Cic. Inv.* 2, 50. *med.* Si, quo in numero illud, quod per similitudinem affertur, et quo in loco illud, cujus causa affertur, haberi conveniat, ostendetur. *Id. Verr.* 2, 2, 54. Ut istius nequitiam, qui illum secum habuerit, eo praesertim numero ac loco, cognoscatis. *Id. Div. Verr.* 19. Cum is tibi parentis numero fuisset. *Caes. B. G.* 1, 28. Reductos in hostium numero habuit. *Cic. Brut.* 47. Dicebat etiam L. Scipio non imperite: Cnejusque Pompejus Sex. F. aliquem numerum obtinebat. *Id. Phil.* 3, 6. *med.* Tuae conjugis Bambalio quidam pater, homo nullo numero: nihil illo contemptius. ℙ [*Non solum autem summam eorum, quae ad complendum, perficiendum, formandum aliquid requirantur, sed singulas etiam partes, singula membra, quibus, ut plenum, perfectum, absolutum quid constet, opus sit, *numerus* denotat. *Noster* a Graecis, imo a Stoicis hanc dicendi rationem esse docuerat, coll. *Cic. Off.* 3, 3. *med.*, indeque ductam videri, quod res unaquaeque suis certo numero partibus constaret, quarum una si deesset, mancam illam et curtam esse necesse esse: si adessent omnes, perfecta esse diceretur. Fortasse ductam etiam esse ab eorum philosophorum opinione, qui omnia ex numeris constare docuissent, aut omnium rerum perfectiones ex numerorum proportione pendere: coll. *Macr. Somn. Scip.* 2, 1. et 2. *Cic. Off.* 3, 3. *med.*] Illud autem officium, quod rectum Stoici appellant, perfectum, atque absolutum est, et, ut iidem dicunt, omnes numeros habet. [*V. quae *Beier.* ad h. l. larga satis disputatione exposuit.] *Id. Fin.* 3, 7. Omnes numeros virtutis continet. *Id. Acad.* 1, 3. Varium et elegans omni fere numero poema. *Id. N. D.* 2, 13. *extr.* Mundus undique aptus atque perfectus, expletusque omnibus suis numeris et partibus. *Quint.* 10, 1. Quid ipsis ejus operibus sublimius, doctius, omnibus denique numeris praestantius? *Plin. ep.* 9, 38. Liber numeris omnibus absolutus. *Id. Pan.* 71. Omnes comitatis numeros obire; et *Albin.* 1, 285. principis implere *Val. Max.* 8, 3. *n.* 1. Partes omnes ac numeros defensionis diligenter exsequi. *Auct. dial. de Or.* 32. Ire per omnes numeros eloquentiae. *Plin. ep.* 4, 11. Omnibus numeris pudoris πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως ποιεῖν. [*Adde *Ov. Met.* 1, 427. animalia imperfecta, suisque Trunca vident numeris. *Ib.* 7, 126. atque hominis speciem materna sumit in alvo Perque suos intus numeros componitur infans. *Lucan.* 1, 562. Monstrosique hominum partus, numeroque modoque.] ℙ *Omnium numerorum esse* est omnes habere numeros, [*i. e. ab omni parte esse perfectum.] *Petr. fragm. Trag.* 68. *Burm.* Duo tamen vitia habet, quae si non haberet, esset omnium numerorum. *Id. ib.* 63. Puer ominum numerum: pro *numerorum.* ℙ Contra imperfecta quae sunt, his deesse numeros dicimus. *Ov. Amor.* 3, 7, 17. Quae mihi ventura est (siquidem ventura) senectus? Cum desit numeris ipsa juventa suis? ℙ Simili quadam ratione *numeros* dies dixit *Plin.*, quibus perfectus lunae cursus concluditur, 18, 32, 75. Alternis mensibus triginta implebit numeros, alternis detrahet singulos. ℙ [*Unde alius usus dicendi originem duxisse videtur, quo *numerus* in rebus militaribus adhiberi solet, ordines, cohortes, legionem etc. significans.] *Tac. H.* 1, 87. Reliquos in numeros legiones composuerat. *Id. Agr.* 18. Sparsi per provinciam numeri: [*ubi v. *Walch.*] *Ulp. Dig.* 3, 3, 8. Miles, qui communem causam omnis sui numeri suscipit. Porro *Vop. Prob.* 14. Accepit sedecim millia tironum, quos omnes per diversas provincias sparsit, ita ut numeris, vel limitaneis militibus quinquagenos et sexagenos intersereret: *Salm.* docet *numeros* proprie esse legionum, et distingui a limitaneis, qui non erant legionarii. [*Etiam latiori sensu pro manu, agmine, exercitu. Huc pertinent:] *Vell.* 2, 73, 3. servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens, [*i. e. in ordines: cf. *Tac. A.* 2, 80. Auxilia Cilicum in numerum legionis composuerat, i. e. ita ut legionis saltem numerus legitimus expleretur.] *Id. H.* 1, 6. Plena urbs exercitu insolito: multi ad hoc numeri e Germania ac Britannia: [*nos: *Schaaren.*] *Claud. Epith. Pall. et Celer.* 86. Regnorum tractat numeros, constringit in unum Sparsas imperii vires, cuneosque recenset. *Inscr.* ap. *Grut.* 1096. Praepositus numerorum tendentium in Ponto ab Saro. — *Suet. Claud.* 25. Instituit imaginariae militiae genus, quod vocatur super numerum, quo absentes, et titulo tenus fungerentur. [*Adde *Suet. Vesp.* 6. ibique not. *B. Crusii*, coll. ejusdem *ind. Suet.* p. 538. — Dicitur *numerus* etiam pro catalago s. breviculo militum, quam alias matriculam dicunt. Hinc illa: *Ulp. Dig.* 29, 1, 43. in numeris esse; et *ib.* 4. in numeris manere; et *Paul. ib.* 38. Desinere in numeris esse. *Plin. ep.* 3, 8, 4. neque enim adhuc nomen in numeros relatum est. — Sunt qui hunc dicendi morem etiam Ciceroni tribuant. Ita *Graev.* ad *Fam.* 11, 10. et 12, 13. probb. *Ernest.* in *cl. Cic.* et *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 8, 24. Sed nusquam lectio certa. V. etiam *Orell.* ad *Cic. ll. ll.* — Potius illud tenendum videtur, quod *Walch.* ad *Tac. Agr.* 18. docet, esse fortasse haec ex iis, quae multa Augustus in rebus bellicis nova dicendi genera constituisset.] ℙ Interdum de quovis ordine dicitur. *Virg. A.* 3, 445. Quaecumque in foliis descripsit carmina virgo, Digerit in numerum, atque antro seclusa relinquit. ℙ *Numerus* translate, Graece ῥυθμὸς, est proportio quaedam inter duos, pluresve motus, quorum cum alii sint longiores, breviores alii, et similia habeant intervalla, efficiunt concentum quendam, qui vel gratus est, si proportio illa conveniens sit, apteque respondens; vel ingratus, si minus apte conveniat. Dicitur *numerus*, quia illa distinctio brevium et longorum, illaque varia intervalla nu-

merari possunt, continuatio indistincta non potest: quemadmodum in cadentibus guttis, ut ait *Cic. Or.* 3, 48., quod intervallis distinguuntur, numerum notare possumus, in amni praecipitante non possumus. Apparet autem primo in musicis sonis, et cantu, dicitur Italice *aria*, *tempo*, *battuta*, *andamento*. *Quint.* 9, 4. *in.* Quod si numeris et modis inest quaedam tacita vis, in oratione est vehementissima. *Cic. Or.* 1, 42. Omnia, quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt, ut in musicis numeri, et voces, et modi; in geometria lineamenta, formae, etc. *Ov. Fast.* 2, 109. Flebilibus veluti numeris canentia dura Trajectus penna tempora cantat olor. ℙ Deinde in saltatione, et gestu, quod Itali dicunt *muoversi in cadenza*, *ballare a battuta:* sive id fiat ad sonum tibiae aut lyrae, sive certa quadam lege ac mensura motuum sine sono. *Lucr.* 2, 630. de Curetibus: inter se forte catenas Ludunt, in numerumque exsultant. *Sen. Tranq.* 15. Scipio triumphale illud, et militare corpus movit ad numeros. *Virg.* de Cyclopibus ferrum exercentibus, *G.* 4, 174. Illi inter sese magna vi brachia tollunt In numerum. ℙ Item in exercitationibus palaestricis, in quibus multi motus certa lege et artificio, et in numerum edendi dictabantur a magistris. *Quint.* 12, 2. *med.* Ut palaestrici illos, quos numeros vocant, non idcirco discentibus tradunt, ut his omnibus in ipso luctandi certamine utantur. *Sen. Ben.* 7, 1. Quemadmodum magnus luctator est, non qui omnes numeros, nexusque perdidicit, sed qui in uno se, aut altero bene et diligenter exercuit. *Juven.* 6, 246. quis non vidit vulnera pali? Quem cavat assiduis sudibus, scutoque lacessit, Atque omnes implet numeros, *h. e.* peragit dictata magistri Omnia, ut *Id.* loquitur 5, 122. de eadem ferme re verba faciens. *Cic. Par.* 3. *f.* Histrio si paulum se movit extra numerum, aut si versus pronunciatus est syllaba una brevior, aut longior, exsibilatur et exploditur. Et translate *Hor. Ep.* 1, 18, 59. Quamvis nil extra numerum fecisse, modumque Curas, *h. e.* nihil absurdum, absonum, inconveniens. ℙ In carmine *numeri* sunt pedes, et tota ratio dimetiendi carminis, unde poeticus concentus exsistit. *Cic. Or.* 47. Nam cum sint numeri plures, iambum et trochaeum frequenter segregat ab oratore Aristoteles; et *ib.* 48. Ex illis modis, quibus hic usitatus versus efficitur, post anapaestus, procerior quidam numerus, effloruit. *Ov. Pont.* 4, 2, 3. Nectere verba numeris. *Pers.* 1, 64. Carmina molli numero fluunt. ℙ Non sunt tamen pedes proprie *numeri*, sed ex quibus efficitur numerus: nam ex plurium collocatione et nexu exsistit versus numerosus. *Cic. Or.* 64. *f.* Jam paeon, quod plures habeat syllabas, quam tres, numerus a quibusdam, non pes habetur. *Quint.* 9, 4. Quamquam Cicero paeone, dochmioque, quorum prior in quatuor, secundus in quinque excurrit, utitur: nec tamen ipse dissimulat, quibusdam numeros videri, non pedes. *Virg. Ecl.* 9, 45. numeros memini, si verba tenerem, i. e. dimensionem, metrum, rhythmum: ut intelligit etiam *Quint.* 9, 4. Huc spectat, quod de Pindaro canit *Hor. Od.* 4, 2, 11. numerisque fertur Lege solutis, *h. e.* genere metri utitur liberiore, neque adstricto legibus carminis severioris. Graeci enim lyrici ita conficiebant versus suos, ut pedem pro pede aliquando ponerent, et solutae orationi simile carmen efficerent. *Cic. Or.* 55. Maximeque id in optimo quoque eorum poetarum, qui *λυρικοὶ* a Graecis nominantur, quos cum cantu spoliaveris, nuda paene remanet oratio. Quorum similia sunt etiam apud nostros: velut illa in Thyeste: *Quemnam te esse dicam? qui tarda in senectute:* et quae sequuntur: quae, nisi cum tibicen accessit, orationi sunt solutae simillima. Haec *Cic.* ℙ Interdum *numeri* dicuntur ipsi versus. *Virg. A.* 6, 645. Threicius longa cum veste sacerdos Obloquitur numeris septem discrimina vocum. V. OBLOQUOR. *Ov. Amor.* 1, 1, 1. Arma gravi numero, violentaque bella parabam Edere, *h. e.* heroico carmine. *Plaut. in epitaph. suo:* Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt. V. INNUMERUS. *Ov. Amor.* 3, 1, 37. Impares numeri, *h. e.* elegiaci versus. ℙ Est autem duplex in versu *numerus:* alter metro constans, alter rhythmo. Prior habet rationem pedum certo numero, atque ordine positorum, ut in versu heroico, elegiaco, etc., alter solum habet rationem numeri syllabarum, quibus constat versus, nihil sollicitus de earum quantitate, aut de pedum dispositione. Alia sunt etiam discrimina: de quibus V. in RHYTHMUS. Exemplum sit ap. *Vopisc. Aurel.* 6. Mille, mille, mille decollavimus. Unus homo mille decollavimus. Mille vivat, qui mille occidit. Tantum vini habet nemo, quantum fudit sanguinis. V. *Salmas. in h. l.*, ubi hoc totum accurate persequitur. Sed hoc genus numerorum a gravitate Latini carminis alienum est, neque est a veteribus usurpatum. ℙ Denique in soluta oratione *numerus* maxime locum habet, in qua varii pedes, modo brevibus vocibus, modo longis, et periodi in clausula circumscripte et apte cadentes numerosam orationem suavemque reddunt. Qua de re legendus *Cic. Or.* 3, 48. et sq., *Or.* 49. et sq. et *Quint.* 9, 4. Legi potest etiam *Varchius* in *Herculano*, *quaest.* 9. ubi universam numerorum rem subtiliter et luculenter tractat. *Cic. Or.* 56. *extr.* Sit igitur hoc cognitum, in solutis etiam verbis inesse numeros, eosdemque esse oratorios, qui sint poetici; et *ib.* 52. Isocrates verbis solutis numeros primus adjunxit. *Id. Brut.* 8. Ante Isocratem verborum quasi structura, et quaedam ad numerum conclusio nulla erat. *Id. Or.* 61. Redigere omnes fere in quadrum numerumque sententias; et *ib.* 65. *extr.* Multum interest, utrum numerosa sit, idest similis numerorum, an plane e numeris constet oratio: alterum si fit, intolerabile vitium est: alterum nisi fit, dissipata, et inculta, et fluens est oratio.

NŪMĬCĬA Via. V. MINUCIA.

NŪMĬCĬUS et Numicus, *Rio Torto*, fluvius parvus Latii in Laurenti agro, prope Lavinium labens, et in mare inferum confluens. In eo Aeneas submersus traditur. Hic, ut aliqui scribunt, postea decrevit, et in fontem redactus fuit, qui et ipse postea exsiccatus est, sacris etiam Vestae (cui nonnisi ex hoc fluvio libari fas erat) una interceptis, ut docet *Serv.* ad illud *Virg. A.* 7, 150. haec fontis stagna Numici. *Ov. Fast.* 3, 647. Corniger hanc tumidis rapuisse Numicius undis Creditur. *Tibull.* 2, 5, 45. de Aenea: Illic sanctus eris, cum te veneranda Numici Unda Deum coelo miserit Indigetem. *Sil.* 8, 180. Haud procul hinc parvo descendens fonte Numicus. ℙ *Fuit et Numicius nomen propr. virorum R., ut T. Numicius Priscus, consul, de quo *Liv.* 2, 63. et Numicius Thermus, cujus meminit *Tac. A.* 16, 20. Numicium, amicum suum, meminit *Hor. Ep.* 1, 6, 1. *B. A.*

NŪMĬDAE, arum, m. plur. Numidiae incolae, quasi *nomades*. V. NOMADES. Eorum in equitatu maxima laus fuit. *Virg. A.* 4, 41. Infreni Numidae. ℙ Antiqui Numidas vocarunt non incolas modo Numidiae, sed alios quoque, qui pecuariam exercentes vagi huc illuc mearent. Hinc Numidarum in Arabia mentio fit ap. *Vitr.* 8, 3. Etiam ap. *Plin.* 5, 16, 15. Arabia Nomadum. ℙ In sing. numero. *Sall. Jug.* 12. Numida mandata brevi conficit. ℙ *Numidum* pro *Numidarum*. *Mart.* 12, 26. Aut Numidum gentes, Cappadocumque petas. ℙ De Numidarum moribus quaedam *Sall. Jug.* 21. et *Plin.* 5, 3, 2. ℙ Adjective. *Ov. Pont.* 4, 9, 28. Et totum Numidae sculptile dentis opus, *h. e.* eboris: multi enim elephanti in Numidia. *Id. A. Am.* 2, 183. Obsequium tigresque domat, Numidasque leones. ℙ *Numida* est etiam famulus plerumque ex Numidia, qui equo vectus viris lautioribus ditioribusque iter facientibus praecurrebat. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 691. D. M. C. Bruttl Telesphorionis, C. Bruttl Praesentis *Clarissimae Memoriae Viri* II. Cos. *liberti*, Numidae ipsius. *Tac. H.* 2, 40. Aderat sane citus equo Numida cum atrocibus mandatis, quibus Otho, increpita ducum segnitia, rem in discrimen mitti jubebat. V. *Lipsii* adnot. ad h. locum, qui alia veterum testimonia hac de re congessit. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 357, 9. L. Antonius L. F. Gal. Numida.

NŪMĬDĬA, ae, f. *Μεταγωνῖτις*, regio Africae mediterranea in Libyae interioris, et Mauritaniae confinio, leonibus ferocissimis, atque elephantis abundans. *Plin.* 5, 3, 2., *Mela* 1, 6.

NŪMĬDĬĀNUS, a, um, adj. Numidiana pira, quae *Plin.* 15, 15, 16. recenset inter ea, quae patriae nomina habent, et ex Numidia advecta sunt.

NŪMĬDĬCUS, a, um, adj. *Νομαδικὸς*, ad Numidiam, et Numidas pertinens. *Liv.* 30, 6. Equi Numidici. *Plin.* 16, 40, 79. Numidicarum cedrorum trabes. *Sall. Jug.* 99. Numidica scuta. *Colum.* 8, 2. Africana gallina, quam plerique Numidicam dicunt, Meleagridi similis, nisi quod rutilam galeam, et cristam capite gerit: quae utraque sunt in Meleagride caerulea. *Mart.* has appellat, 3, 58., Numidicas guttatas. (V. GUTTATUS.) *Plin.* nomine generis, 10, 48, 67. Numidicas aves. V. AFRICANUS. ℙ *Numidicum* marmor est idem ac Libycum, et Poenum, eburnei coloris; ejus meminit *Plin.* 5, 3, 2. et 36, 6, 8. et *Sen. ep.* 86. Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta. Hinc *Stat. Silv.* 2, 2, 92. Hic Nomadum lucent flaventia saxa. *Sidon. carm.* 5, 37. Nomadum lapis additur istic Antiquum mentitus ebur. *Id. Carm.* 22, 138. Nomadum qui portat eburnea saxa Collis. ℙ *Numidicus* a devictis Numidis, et Jugurtha eorum rege bis acie fuso, cognominatus est Q. Caecilius Metellus. *Vell.* 2, 11. et *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 62. ℙ De ursis Numidicis V. URSUS.

*NUMINIENSES, ium, incolae oppidi cujusdam Latii, quod Numinia fortasse vel Numinium audiebat. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

*NUMINĬUS, i, m. Ennensis senator. *Cic. Verr.* 2, 2, 51. *B. A.*

NUMISĬĀNUS, a, um, adj. *Numisiana vitis*, et *uva* ap. *Colum.* 3, 2. et 12, 43. et *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 6. aptissima ollis fuit, *h. e.* in ollis condita facile servabatur in mensas. A quodam Numisio nomen habere videtur. ℙ **Numesiana* est *Isid. Or.* 17, 5. *B. A.*

*NUMISĬUS, i, m. nomen Romanum et Latinum; ut T. Numisius, praetor, cujus meminit *Liv.* 41, 8. item T. Numisius Tarquiniensis, Numisius Lupus, et Numisius Rufus, de quibus V. *Liv.* 45, 17. *Tac. H.* 1, 22. et 79. Porro, Numisium quendam, ductorem Latinorum, memorat *Liv.* 8, 3. et 11. Numisium Mustelam, Anagninum, de sicariis M Antonii triumviri *Cic. Phil.* 2, 4. et *Phil.* 5, 6. Numisium Tironem denique *Id. Phil.* 2, 4. *B. A.*

NŪMĬSMA, et rectius Nomisma, ătis, n. *νόμισμα*, pecunia signata, nummus. Graeca vox a *νομίζω*, lege sancio, moribus instituo: quia nummi tum pretio suo, tum institutis legum, et recepto hominum more valent. Primam syllabam alii scribunt per *u*, per *o* alii: quod receptius videtur; congruit enim cum Graeco vocabulo et etymo. *Hor. Ep.* 2, 1, 233. incultis qui versibus, et male natis Rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos. *Mart.* 1, 12. Cum data sint equiti bis quina nomismata, quare Bis decies solus, Sextiliane, bibis? *Seren. Sam.* 28, 525. frustraque immensa nomismata fundes. ℙ *Eckhel. D. N. V.* T. I. p. III. putat, ap. inferioris aevi scriptores *nomismata* esse appellatos nummos veteres, et fere peregrinos, qui jam Romae in mercis potius, quam in monetae usu haberentur. Hinc *Ulp. Dig.* 34, 2, 27. *f.* Si aurum, vel argentum signatum legatum est, id paterfamilias videtur testamento legasse, quod ejus aliqua forma est expressum, veluti quae Philippi sunt, itemque nomismata, et similia. *Paul. ib.* 7, 1, 28. Nomismata aurea, vel argentea vetera, quibus pro gemmis uti solent. ℙ Interdum sumitur pro imagine in nummo impressa. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 95. En Caesar agnoscit suum Nomisma nummis inditum. ℙ *Nummisma* duplici *m* licenter scripsit ad primam syllabam producendam *Venant. Vit. S. Martin.* 2, 338. Inde crucis trutina pretii nummismata pensans.

[NŪMISTRĀNI, orum, m. plur. incolae urbis mediterraneae in Lucania inter Compsam et Potentiam, quae a *Plutarch.* in *Marcell.* 24. *Νομίστρων*, a *Ptolem.* 3, 1. *Νουμίστρων*, a *Liv.* 27, 2. Numistro, nunc *Muro* appellatur. *Plin.* 3, 11, 15. Lucanorum Atinates, Grumentini, Potentini, quibus Numistrani junguntur. *F.*]

*NUMĪTOR, oris, m. *Νομήτωρ*, rex Albanus, Procae filius, frater Amulii. Rheam Silviam filiam habuit, quam Amulius, pulso Numitore fratre, Vestalem virginem fecit, ne tandem sobolem haberet, quae patruum ulcisceretur. *Liv.* 1, 3. sq. *Ov. Met.* 14, 773. *Id. Fast.* 4, 53. et 809. et 5, 75. *Virg. A.* 6, 768. Adde *Auct. ad Her.* 4, 34. ℙ Item Rutulus quidam, de quo *Virg. A.* 10, 342. ℙ In *Cic. Fin.* 5, 22. pro *Numitorem*, legendum (id quod vidit *Ernestus*), *Numitorium;* ut patet ex *Cic. Inv.* 2, 34. V. et NUMITORIUS. *B. A.*

*NUMITORĬA, ae, f. V. v. sq. *B. A.*

*NUMITORĬUS, i, m. nomen Romanum; ut Q. Numitorius Pullus, Fregellanorum proditor, de quo *Cic. Fin.* 5, 22. Quis Pullum Numitorium, Fregellanum, proditorem, quamquam reipublicae nostrae profuit, non odit? ubi bene (ait *Ernestus*) *Davisius* malebat *Fregellarum proditorem;* sine causa, opinor. Deleverim tantum comma post *Numitorium.* Cf. l. *Cic. Phil.* 3. mox citandum. ℙ C. Numitorius, eques Romanus, in agro Tauromenitano. *Cic. Verr.* 2, 5, 63. ℙ Numitoria Fregellana, uxor patris M. Antonii. *Cic. Phil.* 3, 6. Quae porro amentia est, eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cujus pater Numitoriam Fregellanam, proditoris filiam, habuerit uxorem? *B. A.*

NUMMĀRĬUS, a, um, adj. *χρηματικὸς*, ad nummos et pecuniam pertinens. *Cic. Verr.* 2, 2, 28. *f.* In summa difficultate esse nummaria; et *ib.* 2, 4, 6. Tanta difficultas eum rei nummariae, tanta egestas oppressit. *Id. Off.* 3, 20. Ut res nummaria de communi sententia constitueretur; et *Att.* 4, 7. Nummaria theca; et *Novius* ap. *Non.* 9, 1. arca. *Ulp. Dig.* 4, 8, 11. poena. Rursus *Cic. Verr.* 2, 1, 42. Lex Cornelia nummaria, *h. e.* quae sanxit, ne quis privatus pecuniam faceret, ut ait *Asconius. Callistr. Dig.* 40, 15, 4. quaestio. ℙ *Nummarius* dicitur, qui pecunia accepta corrumpi se patitur, mercenarius. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Insectari, et exagitare nummarios judices. *Id. Verr.* 2, 3, 57. Ecquod judicium Romae tam dissolutum, tam perditum, tam nummarium fore putasti, etc.? *Id. Cluent.* 36. *med.* Nummarius interpres pacis et concordiae non probabatur. *Sen. Ben.* 1, 9. *extr.* Provincias spoliari, et nummarium tribunal, audita utrinque licitatione, alteri addici.

NUMMĀTĬO, onis, f. *πολυχρηματία*, nummorum abundantia, affluentia. *Cic. Phil.* 2, 45. Confer eum cum nummatione tua, tuorumque. Al. rectius leg. *nundinatione.*

NUMMĀTUS, a, um, adj. *πολυχρήματος*, nummis abundans. *Cic. Agr.* 2, 22. Volitat enim ante oculos istorum Jubae regis filius adolescens, non minus bene nummatus, quam bene capillatus. *Hor. Ep.* 1, 6, 38. Ac bene nummatum decorat Suade-

la, Venusque. *Appul. Met.* 1. *in.* Nummatior revertor.

[NUMMORUMEXPALPONĪDES, ae, m. qui blandiendo palpandoque nummis alios emungit; nomen fictum a *Pl. Pers.* 4, 6, 22. V. NUNQUAMPOSTEAERIPIDES. *F.*]

NUMMOSUS, a, um, adj. bene nummatus. *Nigid.* ap. *Gell.* 4, 9. Hoc inclinamentum hujuscemodi verborum, ut vinosus, mulierosus, religiosus, nummosus, signat copiam quandam immodicam rei, super qua dicitur.

NUMMŬLĀRĬŌLUS, i, m. dimin. parvus, vel vilis nummularius. *Sen. Apocol. med.* Designatus consul nummulariolus.

NUMMŬLĀRĬUS, ii, m. *κολλυβιστὴς, τραπεζίτης,* mensarius, argentarius. *Suet. Galb.* 9. Nummulario, non ex fide versanti pecunias, manus amputavit, mensaeque ejus affixit. *Ulp. Dig.* 16, 3, 7. Quoties foro cedunt nummularii, solet primo loco ratio haberi depositariorum, hoc est eorum, qui depositas pecunias habuerint, non quas fenore apud nummularios, vel cum nummulariis, vel per ipsos exercebant. ℙ Differunt tamen aliquid argentarius, et nummularius; hic enim illius minister esse videtur. *Paul. Dig.* 2, 13, 9. *med.* Nummularios quoque non est iniquum rationes edere, quia et hi, sicut argentarii, rationes conficiunt: et quia accipiunt pecuniam, et erogant per partes: quarum probatio scriptura codicibusque eorum maxime continetur: ideo frequentissime ad fidem eorum decurritur. ℙ Discrimen esse videtur, quod *nummularii* proprie sunt, qui pecuniam tractant, versant, probant, appendunt, numerant: ut *argentarii* latius patet munus, et nobilius officium est. *Mart.* 12, 57. Hinc otiosus sordidam quatit mensam Neroniana nummularius massa. *Petr. fragm. Trag.* 56. *Burm.* Quod putamus difficillimum esse artificium? Ego puto medicum, et nummularium: medicus, qui scit, quid homunciones intra praecordia sua habeant, et quando febris veniat: nummularius, qui per argentum aes videt. *Appul. Met.* 10. Ne forte aliquis istorum quos offers, aureorum nequam vel adulter reperiatur, in hoc ipso saeculo conditos eos annulo tuo praenota, donec altera die nummulario praesente comprobentur. *Africanus Dig.* 46, 3, 39. Si soluturus pecuniam tibi, jussu tuo signatam, eam apud nummularium, quoad probaretur, deposuerim, tui periculi eam fore, Mela libro decimo scribit. ℙ *Nummularius* fuit etiam in officinis monetariis argentariis, cujus erat argentum antequam cuderetur, probare, qui aliquando et *nummularius officinator* appellatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 45, 3. Officinatores, et nummularii officinarum argentariarum; et 638, 2. P. Lollio Maximo nummulario primo officinae monetariae argentariae; et *ib.* 3. M. Ulpio Secundo nummulario officinatori monetae. ℙ Adjective etiam usurpatur. *Scaev. Dig.* 14, 3, 20. Lucius Titius mensae nummulariae, quam exercebat, habuit libertum praepositum, etc.

NUMMŬLUS, i, m. *νομισμάτιον,* dimin. nummi. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Si judicium est, triginta homines populi R. levissimos ac nequissimos, nummulis acceptis, jus ac fas omne delere; et *ib.* 19. *f.* Si tuis blanditiis a Sicyoniis nummulorum aliquid expresseris. *Id. Att.* 8, 13. Multum mecum municipales homines loquuntur, multum rusticani: nihil prorsus aliud curant, nisi agros, nisi villulas, nisi nummulos suos. Loquitur *Cic.* de turbis a bello civili inter Caesarem, Pompejumque excitatis in Italia ann. U. C. 705.

NUMMUS et Numus, i, m. *νόμισμα,* pecunia signata, moneta, numisma. *Varr. L. L.* 4, 36. videtur significare esse Siculam vocem. In argento, inquit, nummi: id a Siculis. *Festus* ducit a *νόμισμα.* Plura V. ap. *Voss.* De scriptione sic habeto, in antiquis monumentis et simplici, et duplici *m* exaratum legi: *Manutium* tamen, *Dausq., Voss.* duplicem praeferre. Ex allatis *Varronis* verbis colligi videtur, *nummum* primo et proprie dici de pecunia argentea. Passim tamen de quocumque dicitur. *Cic. Off.* 3, 20. Jactabatur enim temporibus illis nummus, sic ut nemo posset scire, quid haberet, *h. e.* mutabatur in dies monetarum pretium; et *ib.* 23. Si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis. *Id. Att.* 5, 21. *med.* Assident, subducunt: ad nummum convenit; et *Inv.* 2, 4. Ad mercatum proficiscens, et secum aliquantum nummorum ferens. *Id. Att.* 6, 1. *med.* Putat, suos nummos vos comedisse. *Id. Phil.* 12, 8. Cum aquilae primi pili nummos aureos daret. *Id. Att.* 8, 10. Habere in nummis, *h. e.* in pecunia numerata. Al. leg. *in nominibus.* Sic *Valer.* in *ep.* ap. *Trebell. Claud.* 14. *f.* In nummo exigere. ℙ Speciatim dicitur de pecunia usitatissima Romanis, quae alio nomine *sestertius,* vel conjuncte *nummus sestertius* appellatur. *Cic. Verr.* 2, 3, 58. *extr.* Facta est sponsio HS. quinque millium; et *ib.* 60. *f.* Cogit Scandilium quinque illa millia nummum dare, atque adnumerare Apronio; et *ib.* 61. Cogit Scandilium Apronio ob singularem improbitatem HS. quinque millia mercedis nomine ac praemii dare. ℙ Item de nummo aureo Graecorum. *Pl. Ps.* 3, 2, 19. Illi drachmis iissent miseri: me nemo potest minoris quisquam nummo, ut surgam, subigere. *Id. Men.* 2, 2, 16. Quibus hic pretiis porci veneunt sacres sinceri? *Cyl.* nummo. ℙ Item de denario ap. Graecos. *Id. Ep.* 1, 1, 50. Eam emit quadraginta minis. Id adeo argentum ab danista sumpsit fenore, in dies, minasque argenti singulas, nummis. ℙ *Nummus plumbeus.* V. PLUMBEUS. ℙ *Esse,* aut *versari in nummis,* pecuniam habere. *Cic. Verr.* 2, 4, 6. Hominem video non modo in aere alieno nullo, sed in suis nummis multis esse, ac semper fuisse. *Id. Rosc. Com.* 8. Debebat? immo in suis nummis versabatur. ℙ *Nummo,* et *nummo sestertio addicere, aestimare, vendere,* etc. Latine est nullo, aut vilissimo pretio. *Cic. Rabir. Post.* 17. Ecquis est ex tanto populo, qui bona C. Rabirii nummo sestertio sibi addici velit? *Vitr.* 1, 4. *f.* Mercatus est possessionem loco salubri, constituit moenia, et areas divisit, nummoque sestertio singulis municipibus mancipio dedit. *Epit. Liv.* 55. Damnatus sub furca diu virgis caesus est, et sestertio nummo veniit. *Sen. ep.* 95. *med.* Quae maxima inter vos habentur, divitiae, gratia, potentia, sestertio nummo aestimanda sunt. *Suet. Caes.* 50. Amplissima praedia ex auctionibus hastae ei nummo addixit. Al. leg. *minimo. Pl. Most.* 1, 2, 34. si quid nummo sarciri potest, Usque mantant, neque id faciunt, donicum Parietes ruunt. ℙ Nummo, aut nummis conducere, locare, colere, annua pecuniae pensione, cui opponitur *partibus,* h. e. fructus, aut lucrum dividendo. *Plin. ep.* 9, 37. Medendi una ratio, si non nummo, sed partibus locem. *Paul. Dig.* 47, 2, 26. Colonus qui nummis colit. *Cajus* conducere ad pecuniam numeratam, *ib.* 19, 2, 25. *med.* dixit. ℙ In genitivo plur. si cum *sestertium* jungatur, *nummum* dicimus, ita usu postulante: si cum adjectivis numeralibus *nummum* saepius, quam *nummorum. Cic. Or.* 46. *extr.* Alias loquor, ut necesse est, cum *triumvirum,* non *virorum,* cum *sestertium nummum,* non *nummorum,* quod in his consuetudo varia non est. *Naevius* ap. *eund. Or.* 2, 63. et *Ter. Heaut.* 3, 3, 45. Quanti addictus? mille nummum. *Hirt. B. G.* 8, 4. Duo millia nummum pollicetur. *Plin.* 17, 1, 1. Multarum arborum fructus addictus binis millibus nummum. *Pl. Trin.* 1, 2, 115. nummorum Philippeum ad tria millia. *Id. Men.* 3, 3, 18. inaures da mihi Faciundas pondo duum nummum. *Hor. Ep.* 2, 2, 5. Fiet, eritque tuus nummorum millibus octo. *Suet. Aug.* 46. *extr.* Singula nummorum millia pro singulis dividebat. *Id. Dom.* 4. *f.* Congiarium populo nummorum trecentorum ter dedit. *Plin.* 8, 43, 68. Quadringentena millia nummorum. In his *nummus sestertius* intelligitur, ut supra dictum est.

NUMNAM. V. NUM.

NUNC, *νῦν,* adv. quod praesens hoc tempus significat, hoc tempore, in praesentia. *Cic. Phil.* 7, 5. Erat tunc excusatio oppressis, nunc nulla est. *Ter. Andr.* 3, 3, 13. Alium esse censes nunc me, atque olim, cum dabam? et 5, 4, 33. postilla nunc primum audio, Quid illo sit factum. *Id. Ad.* 2, 1, 2. nunc jam illico hic consiste (quod *Virg.* dixit *A.* 5, 189. nunc nunc insurgite remis); et *ib.* 14. I intro nunc jam; et 2, 2, 25. nunc demum venis? *Ov. Her.* 10, 135. Nunc quoque non oculis, sed, qua potes, aspice mente. *Suet. Claud.* 1. Fossas immensi operis effecit, quae nunc adhuc Drusinae vocantur. *Cic. Inv.* 1, 33. *extr.* De inductione satis in praesentia dictum: nunc deinceps ratiocinationis naturam consideremus. *Id. Prov. cons.* 13. *f.* Nunc denique est perfectum, ut, etc. ℙ *Nunc ipsum,* substantivi more, hoc ipso tempore. *Cic. Att.* 7, 3. Quin nunc ipsum non dubitabo rem tantam abjicere; et *ib.* 12, 40. Nunc ipsum ea lego, ea scribo, ut ii, qui mecum sint, difficilius otium ferant, quam ego laborem. Adde *ib.* 8, 9. ℙ Interrogando, pro *nuncne* dicimus *nunccine* inserto *ci* euphoniae causa, ut *hiccine, siccine. Ter. Andr.* 4, 1. *f.* hem, nunccine demum? ℙ Jungitur interdum cum verbis praeteriti, et futuri temporis, et designat tempus, quod circa nos est. *Cic. Att.* 2, 24. *med.* Nunc reus erat apud Crassum Divitem Vettius de vi. *Petr. Sat.* 126. Nunc erat a tenera submittere cornua fronte, *h. e.* nunc erat tempus; *ἔλλειψις. Hor.* plene *Od.* 1, 37, 2. nunc Saliaribus Ornare pulvinar Deorum Tempus erat dapibus, sodales. *Cic. Planc.* 23. Illud crimen de nummis caluit re recenti, nunc in causa refrixit. *Pl. Most.* 2, 2, 46. id adeo nos nunc factum invenimus. *Ter. Eun. prol.* 9. Item Menandri Phasma nunc nuper dedit: *νῦν ἄρτι. Catull.* 8, 16. Quis nunc te adibit? cui videberis bella? Quem nunc amabis? ℙ Post verbum praeteriti temporis aliquando vertitur ut *tunc. Nep. Timol.* 5. Dixit, nunc demum se voti esse damnatum. Huc spectant illa, in quibus *nunc* pro *tunc* ponitur, tempus praeteritum, ut praesens, fingendo. *Ov. R. Am.* 773. Quid, Menelae, doles? ibas sine conjuge Creten: Et poteras nupta lentus abesse tua. Ut Paris hanc rapuit, nunc demum uxore carere Non potes. *Id. Met.* 1, 321. Fatidicamque Themin, quae nunc oracla tenebat. Adde alia, quae congessit *Burm.* ad *Her.* 18, 95., in quibus librarios accusat, quod male *tunc* reposuerint. ℙ Geminatur interdum pro *modo. Virg. A.* 5, 441. Nunc hos, nunc illos aditus, omnemque pererrat Arte locum; et *Ov. Her.* 10, 19. Nunc huc, nunc illuc, et utroque sine ordine curro; et *Liv.* 4, 12. Tribuni pleb. nunc fraudem, nunc negligentiam consulum accusabant. *Just.* 4, 1. Frequenter, et compluribus locis nunc flammas, nunc vaporem, nunc fumum eructat. ℙ Interdum alterum *nunc* omittitur. *Virg. A.* 5, 830. pariterque sinistros, Nunc dextros solvere sinus. ℙ Pro *modo* est etiam in illo *Vell.* 2, 63. Plancus nunc adjutor Bruti: mox ejusdem proditor. ℙ Nonnunquam vim habet particulae adversativae, *at, sed, verum,* nectitque orationem. [*Nostr. *so aber, so aber vollends.* Plerumque absolute quidem positum, pro Gr. *νῦν δὲ*: interdum tamen et *nunc autem.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 204. a.] *Cic. Div.* 1, 30. Quae quidem multo plura evenirent, si ad quietem integri iremus: nunc onusti cibo et vino perturbata et confusa cernimus. *Pl. Bacch.* 3, 3, 8. absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum: Nunc propter te pravus factus est. *Cic. Verr.* 2, 5, 67. Si haec non ad cives R., si non ad homines, verum ad bestias conqueri vellem; tamen tanta rerum atrocitate commoverentur. Nunc vero cum loquar apud senatores populi R. etc. *Quint.* 1, 1. Nam bona facile mutantur in pejus: num quando in bonum verteris vitia? [**Tac. A.* 16, 16.] ℙ Pro ergo, igitur. *Prop.* 4, 9, 73. Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem, etc.; et 2, 7, 75. Nunc quoniam ista tibi placuit sententia, cedam. *Broukhus.* ℙ *Nunc homines* per *ὑφὲν,* qui nunc sunt homines, ut *ante malorum* ap. *Virg. A.* 1, 202. malorum praetoritorum. *Pl. Pers.* 3, 1, 57. Tace, stulta: non tu nunc hominum mores vides? *τῶν νῦν ὄντων.* Plene autem *Plin.* 22, 25, 71. Nostri, qui nunc sunt, herbarii Latine salviam vocant. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 15. Non est tibi his solis utendum existimationibus, aut judiciis, qui nunc sunt, hominum, sed iis etiam, qui futuri sint. ℙ *Ut nunc est,* pro praesenti rerum statu. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. *f.* Constitui, ut nunc est, cum exercitu proficisci. *Cic. Att.* 12, 29. Quae causae si manebunt, quaerenda erit excusatio: et, ut nunc est, mansurae videntur. ℙ [*Confund. *nunc* et *tunc.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 368. — *Nunc* et *noster.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 163.]

NUNCCĪNĒ. V. v. praec.

NUNCĬO, etc. V. NUNTIO, etc.

NUNCIONUS. V. EPIDIUS.

*NUNCOREUS (trisyllab.), ei et eos, Sesostridis filius, qui obeliscum illum, qui postea Romae situs fuit in Vaticano, curavit excidendum. *Plin.* 36, 11. *B. A.*

NUNCŬBĪ, adv. num in aliquo loco: ex *num,* et *alicubi. Varr. R. R.* 3, 2. Nuncubi hic vides citrum, aut aurum? num minium, aut armenium? numquod emblema, aut lithostrotum? quae illic omnia contra; et *ib.* 2, 5. Ut si quis quid ignorat, discat: si quis scit, nuncubi labar, observet. Alii leg. *nunc, ubi labar, observet.* ℙ Significat etiam numquo tempore, numqua in re. *Ter. Eun.* 1, 2, 83. nuncubi meam Benignitatem sensisti in te claudier?

NUNCŬPĀTIM, adv. nominatim. *Sidon. ep.* 9, 16. *in carm.* Singulos, quos nunc pia nuncupatim Non valent versu cohibere verba. Adde *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 9. *f.*

NUNCŬPĀTĬO, onis, f. *ἐκφώνησις,* actus nominandi, appellatio. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Hanc ille justitiam modo nominat, modo universae virtutis nuncupatione complectitur, et item fidelitatis vocabulo nuncupat. *Id. de Mundo.* Nomen Dei regum nuncupatione praedicari, *h. e.* appellando eum regem. ℙ De ea, qua quis aliquem in testamento nominat heredem faciens. *Suet. Cal.* 38. Quo metu injecto, cum jam et ab ignotis inter familiares, et a parentibus inter liberos palam heres nuncuparetur, derisores vocabat, quod post nuncupationem vivere perseverarent. *Ulp. Regul. tit.* 20. §. 9. Nuncupatur testamentum in hunc modum: Tabulas testamenti testator tenens ita dicit: haec, ut in his tabulis cerisve scripta sunt, ita do, ita lego, ita testor: itaque vos, Quirites, testimonium praebitote; quae nuncupatio, et testatio vocatur. (Haec eadem nunc habentur ap. *Cajum Instit.* 2. §. 104. (ed. *Goesch.*) ubi tamen *testimonium mihi perhibetote* rectius pro *testimonium praebitote* legitur.) *Id. Dig.* 28, 6, 18. Si pater sibi per scripturam, filio per nuncupationem, vel contra, fecerit testamentum, valebit. ℙ Item de ea, qua quis alteri quid nuncupat, *h. e.* inscribit, nomine enim suo appellat, ipsumque nomen operi praefigit. *Plin. praef. H. N.* Sed haec ego mihi nunc patrocinia ademi nuncupatione. ℙ *Nuncupatio votorum* est eorum conceptio et susceptio, nominantur enim ea, quae in votis petimus. *Suet. Ner.* 46. Votorum nuncupatione, magna jam ordinum frequentia, vix repertae Capitolii claves. *Tac. A.* 16, 22. Votorum nuncupationibus non adesse. *Val. Max.* 5, 10. *n.* 1. Cum aedem pontifex dedicaret, interque nuncupationem solemnium verborum postem tenens, etc. V. NUNCUPO.

NUNCŪPĀTOR, oris, m. nominator. *Appul. Flor. n.* 15. Pythagoras primus philosophiae nuncupator et conditor.

NUNCŪPĀTUS, a, um, part. a *nuncupo:* nominatus. *Varr. L. L.* 5, 7. Nuncupare, nominare valere, apparet in legibus, ubi nuncupatae pecuniae sunt scriptae. *Festus:* Nuncupata pecunia est, ut ait Cincius, nomina certa, nominibus propriis pronunciata. *Liv.* 8, 11. Haec haud ab re duxi, verbis quoque ipsis, ut tradita nuncupataque sunt, referre. Loquitur de vetere formula, et lege se devoventis. *Cic. N. D.* 1, 15. Res utiles et salutares Deorum vocabulis nuncupatae. ℙ *Nuncupatus heres*, qui voce, non scripto a testatore est depignatus coram idoneis testibus. *Julian. Dig.* 37, 11, 8. *extr.* Quemadmodum scripto herede filio sesaratim ab heredibus patris, ita nuncupato potest videri separatim a scriptis patris heredibus bonorum possessio dari. *Justin.* 12, 15. *f.* Nam etsi non voce nuncupatus heres, judicio tamen electus esse videbatur. *Plin. ep.* 8, 18. Reliqui testamentum ante octo et decem annos nuncupatum, *h. e.* pronunciatum, verbis expressum coram testibus, non scriptum tantummodo. V. v. sq. ℙ *Vota nuncupata* dicuntur, quae consules, praetores cum in provincias proficiscuntur, faciunt: ea in tabulas, praesentibus multis, referuntur. Ita *Festus.* Dicuntur autem *nuncupata*, quia certis solemnibusque verbis palam concipiuntur, et voce exprimuntur. *Liv.* 41, 10. Cum consul more majorum, secundum vota in Capitolio nuncupata, cum lictoribus paludatus profectus ab Urbe esset. *Val. Max.* 1, 1. *f.* Solvere vota nuncupata pro incolumitate exercitus. V. v. sq.

NUNCŪPO, as, avi, atum, a. 1. ὀνομάζω, προσαγορεύω, nomino, appello, nomine voco, verbis exprimo. *Vossius* putat esse factum ex *nomen* et *capio. Varr. L. L.* 5, 7. Nuncupare, nominare valere, apparet in legibus, ubi nuncupatae pecuniae sunt scriptae. Item in choro, in quo est: Aeneas quis est qui meum nomen nuncupat? (*Diomed.* 2, 447. haec verba *Ennio* tribuit.) Item in Medea: Quis tu es mulier, quae me insueto nuncupasti nomine? Haec *Varro. Cic. N. D.* 2, 23. Quod erat a Deo natum, nomine ipsius Dei nuncupabant. *Suet. Aug.* 31. Sextilem mensem e suo cognomine nuncupavit. *Ov. Met.* 14, 607. quem turba Quirini Nuncupat Indigetem. *Enn.* ap. *Non.* 2, 165. Extemplo Aegisthi fidem nuncupantes, conciebant populum, *h. e.* inclamantes, invocantes. *Cic. Off.* 3, 16. Cum ex XII. Tabulis satis esset ea praestari, quae essent lingua nuncupata. *Lex XII. Tab.* ap. *Fest.* Cum nexum faciet, mancipiumque, uti lingua nuncupassit, (ita uti nominarit, locutusve erit) ita jus esto. Verba illa *ita uti nominarit; locutusve erit* sunt *Festi* illud *nuncupassit* (quod antiquum est pro *nuncupaverit*) explicantis. *Just.* 24, 2. Adjurat, nuncupaturum se eam reginam. *Liv.* 1, 10. *f.* Nec irritam conditoris templi vocem esse, qua laturos eo spolia posteros, nuncupavit. *Plin.* 4, 12, 27. Reliqua hujus sinus dicantur: et maria quidem ejus nuncupavimus, *h. e.* nomine suo indicavimus, recensuimus, enumeravimus. *Id.* 7, 26, 27. Ad decus imperii R. pertinet, Pompeji M. titulos omnes, triumphosque hoc in loco nuncupari. *Id. ib.* 45, 46. Divus Augustus, quem universa mortalitas in hac censura nuncupat, *h. e.* ponit in hoc albo et numero hominum felicium. ℙ *Nuncupare vota*, est conceptis solemnibus verbis palam, claraque voce pronunciare, quae a Diis in posterum optamus. Id fiebat maxime a consulibus in Capitolio calendis Januariis; aut ab iisdem, vel a praetoribus, cum in provincias exirent, ut dictum est in NUNCUPATUS. *Liv.* 21, 63. Consulem Capitolium, et solemnem votorum nuncupationem fugisse, ne die iniți magistratus Jovis Opt. M. templum adiret, ne auspicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus inde cum lictoribus ad provinciam iret. V. al. *ejusd.* loc. in NUNCUPATUS. ℙ Imperio vero R. unius potestati permisso, votis pro totius reipublicae incolumitate susceptis accessere alia tum Romae, tum in provinciis pro salute ac prosperitate Augustorum, quae nuncupabantur III. Non. Jan., nam dies postriduanus ater erat. Hinc *Cajus Dig.* 50, 16, 233. Post calendas Januarias die tertio pro salute principis vota suscipimus. *Vopisc. Tac.* 9. Ita ut iisdem (*principibus*) natalibus suis, et Parilibus, et calendis Januariis, et votis, libamina ponerentur. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 5, 30. Annum novum faustum tibi, et prosperum cum tibi et domino nostro patri tuo precor. Si Dii juvabunt, perendie vos vota nuncupantes videbo. *F.*] *Trajanus* ad *Plin. ep.* 10, 45. Et solvisse vos cum provincialibus Diis immortalibus vota pro mea salute et incolumitate, et nuncupasse, libenter, mi Secunde carissime, cognovi ex litteris tuis. ℙ *Nuncupare heredem*, est heredem in testamento nominare, *h. e.* voce palam, coram testibus, edere nomen ejus, quem heredem nobis esse volumus post mortem. Sic *nuncupare testamentum*, voce coram testibus facere. His opponitur *heredem*, aut *testamentum scribere*, cum non voce, sed scripto conficitur: de quibus subtilius JCti. V. NUNCUPATIO. *Ulp. Dig.* 28, 1, 21. Heredes palam, ita ut exaudiri possint, nuncupandi sunt. Licebit ergo testanti vel nuncupare, vel scribere: sed si nuncupat, palam debet. Quid est palam? non utique in publicum, sed ut exaudiri possit; exaudiri autem non ab omnibus, sed a testibus, etc. ℙ Universim est heredem instituere. *Suet. Claud.* 4. *extr.* Ac ne heredem quidem, nisi inter tertios, ac paene extraneos, e parte sexta nuncupavit. *Id. Cal.* 38. Cum a parentibus inter liberos palam heres nuncuparetur. *Plin.* 14, 22, 28. de ebriis: Alii testamenta sua nuncupant: alii mortifera loquuntur, *h. e.* probant, manifestant. Absolute *Plin. alter Pan.* 43. Nec quia offendit alius, nuncuparis, sed quia ipse meruisti. ℙ De hoc verbo ita loquuntur *Cic. Or.* 3, 38. et *Quint.* 8, 3. *med.*, ut inter prisca ponant, et minoris usus, atque ab oratoribus, aut necessitate, aut praeparce usurpanda. ℙ *Nuncupassit* pro *nuncupaverit.*

NUNCUSQUE, vel Nunc usque, adv. usque ad hoc tempus. *Ammian.* 14, 2. Ubi conduntur nuncusque commeatus, distribui militibus assueti.

NUNDINA, ae, f. Romanorum Dea, praeses ejus lustrationis, qua infantes mares die nono, feminae die octavo lustrabantur. *Macr. Sat.* 1, 16. *f.*

NUNDINAE, arum, f. plur. πανήγυρις, παντοπωλεῖον, ἀγοραὶ, mercatus, seu feriae rusticorum, quibus Romam proficiscebantur, negotiis domesticis provisuri: quasi *novendinae*, quia nono quoque die fiebant, ita tamen ut inter dies nundinales essent septem tantum intermedii; hinc in singulis vetustis Kalendariis apud *Fogginium* in *Fastis A. Verrii Flacci* videre est octo litteras ab A ad H a primo ad ultimum anni diem perpetuo recurrentes, nempe ad nundinas indicandas, quemadmodum in nostris etiam Kalendariis ad hebdomadas signandas septem tantummodo praemitti solent. *Macr. Sat.* 1, 16. *med.* Rutilius scribit, Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die intermisso rure, ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent, et ut scita atque consulta frequentiore populo referrentur, quae trinundino die proposita a singulis, atque universis facile noscebantur. V. *ib.* hac de re plura. *Festus:* Nundinas feriarum diem esse voluerunt antiqui, ut rustici convenirent mercandi vendendique causa: eumque nefastum, ne, si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores. *Plin.* 18, 3, 3. Nundinis urbem revisitabant: et ideo comitia nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica avocaretur. *Varr. R. R.* 2. *prooem.* Annum ita diviserunt, ut nonis modo diebus urbanas res usurparent, reliquis VII. ut rura colerent. *Cic. Att.* 1, 14. Res agebatur in circo Flaminio: et erat in eo ipso loco die nundinarum πανήγυρις. *Plin.* 28, 2, 5. Ungues resecari nundinis Romanis tacenti, atque a digito indice, multorum pecuniae religiosum est. *Id.* 18, 3, 4. Minucius Augurinus farris pretium in trinis nundinis ad assem redegit. ℙ Transfertur etiam ad celebres mercatorum conventus immunes liberosque. *Cic. Agr.* 2, 33. Illi Capuam nundinas rusticorum, horreum Campani agri esse voluerunt. Adde *Colum. praef. l.* 1. ℙ Immo dicitur de quacumque negotiatione. *Cic. Phil.* 5, 4. In interiore aedium parte totius reipubl. nundinae erant. Adde *ib.* 2, 14. ℙ *Nundinas instituere. Plin. ep.* 5, 4. Vir praetorius a senatu petiit, ut sibi institu re in agris suis nundinas permitteretur. ℙ In singulari num. *Sidon. ep.* 7, 5. In nundinam et auctionem mitti, si emptor inveniatur. ℙ Legitur et *nundinum, i*, n. cum numerale adjectivum adjungitur. *Cic. Dom.* 16. Si, quod in ceteris legibus trinum nundinum esse oportet, id adoptione satis est, trium horarum, non reprehendo. *Liv.* 3, 35. Comitia decemviris creandis in trinum nundinum indicta sunt, *h. e.* post trium nundinarum tempus, εἰς τρίτην ἀγοράν. Al. leg. *in trinundinum. Quint.* 2, 4. *f.* Rogatio sive non trino forte nundino promulgata, sive non idoneo die. *Lampr. Alex. Sev.* 28. Primo nundino sibi alios semper suffecit. ℙ Et absolute. *Varr.* ap. *Non.* 2, 490. Pueri exspectant nundinum, ut magister dimittat lusum. *Id. Non.* 2, 490. haec eadem verba referens, *nundinam*, vel *nundinus* habet. ℙ *Inter nundinum*, tempore, quod inter duas nundinas intercedit. *Varr.* ap. *Non.* 3, 145. Rusticus Romanus inter nundinum barbam radebat. *Lucil. ib.* Si nihil gustat inter nundinum. ℙ Scribunt et junctis vocibus *internundinum.*

NUNDINĀLIS, e, adj. ἀγοραῖος, novendialis. *Pl. Aul.* 2, 4, 45. Cocus ille nundinalis est: in nonum diem Solet ire coctum. Ubi significatur cocus bustuarii ordinis, quique magis nosset coquere coenam feralem, quae nono die fiebat, quam iis, quorum ingeniosa esset gula. Alii interpretantur cocum vulgarem et vilem, qui nonnisi nundinis conducitur, cum plebs ex agris convenit. Firmat priorem interpretationem illud *ejusd. Ps.* 3, 2, 6. Quin ob eam rem Orcus recipere ad se noluit, Ut esset hic, qui mortuis coenam coquat. Nam hic solum illis coquere, quod placet, potest.

NUNDINĀRIUS, a, um, adj. πανηγυρικὸς, ad nundinas pertinens, vel nundinis assignatus. *Plin.* 8, 51, 77. Nundinarium forum, ἐμπόριον. *Id.* 12, 17, 40. His commerciis Carrhas oppidum aperuere, quod est illis nundinarium. ℙ *Nundinariae epulae*, cibi, qui dantur ad nundinas itantibus. *Ulp. Dig.* 17, 2, 69. Cum societas ad emendum coiretur, et conveniret, ut unus reliquis nundinarias epulas praestaret.

NUNDINĀTĪCIUS, a, um, adj. *Tert. Virg. veland.* 3. capita nundinaticia vocat virginum non velatarum, *h. e.* exposita procorum et amatorum oculis, et veluti venalia.

NUNDINĀTĬO, onis, f. ἀγόρασμα, nundinandi actus, mercatura. Fere in malam partem usurpatur de corruptione legum pecunia pacta. *Cic. Verr.* 2, 5, 5. Tum potuit a Leonida nummorum aliquid auferre, cum denunciavit, ut adesset, fuit nundinatio aliqua, et isti non nova, ne causam diceret; et *ib.* 3, 46. *med.* Redite in memoriam, judices, quae libido istius in jure dicundo fuerit, quae varietas decretorum, quae nundinatio. *Id. Agr.* 1, 3. *extr.* Nundinatio juris et fortunarum. V. NUMMATIO. ℙ In bonam. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 7, 4, 32. Etiam pretium his dependsurus juxta nundinationem, quae foro rerum venalium continetur, *h. e.* aestimationem.

NUNDINĀTOR, oris, m. ἀγορασιὴς, καπηλευτὴς, qui nundinas frequentat. *Fest.* in voce *Nundinas:* Ne interpellarentur nundinatores. ℙ Translate. *Quint. decl.* 12, 3. Dum tu salutis publicae nundinator proximum quemque emptorem dimittis. ℙ In *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 80. est epitheton Mercurii, utpote qui nundinis praeesse solet.

NUNDĪNĀTUS, a, um, part. a *nundino:* venditus, addictus, ut Nundinatus pudor, *Firm. Math.* 6, 31. *med.* h. e. quaestus causa prostitutus. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 969. Nundfnatum arguit, *h. e.* pecunia corruptum.

[NUNDĪNĪNUS et Nundinus, i, m. est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 30, 1, 3 et 4. Trajanius Nundinius: leg. *Nundininus.* Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 334. Q. Salvius Q. F. Cl. Nundinus. *F.*]

NUNDĪNO, as, a. 1. idem ac nundinor. *Firm. Math.* 6, 31. *f.* Quaestus et libidinis causa pudorem duobus fratribus nundinabit. *Misith. in ep.* ap. *Capitol. Gord.* 24. *extr.* Delectat sane, boni esse principis socerum, et qui pepulerit homines, per quos antea, velut in auctione positus, nundinatus est. Adde *Tert. Virg. vel.* 13.

NUNDĪNOR, aris, atus sum, dep. 1. καπηλεύω, palam emo, aut vendo, sicut in nundinis fit. Fere adhibetur in malam partem de iis, qui pecunia accepta vendunt, quae vendere est nefas, vel data emunt. *Cic. Verr.* 2, 2, 49. *f.* Pueri annorum senum, septenumque denum senatorium nomen nundinati sunt; et *ib.* 2, 1, 46. Qui ab isto jus ad utilitatem suam nundinarentur. *Id. Phil.* 3, 4. Una in domo omnes, quorum intererat, totum imperium populi R. nundinabantur. *Suet. Tit.* 7. Constabat, in cognitionibus patriis nundinari, praemiarique solitum. *Appul. Met.* 10. Judices sententias suas pretio nundinantur. ℙ Jocus est, et fortasse subfrigidus in illo *Cic. Div.* 2, 31. Ut in cunis fuerit anguis, non tam est mirum, in Solonio praesertim, ubi ad focum angues nundinari solent, *h. e.* adeo in eo agro abundant angues, ut vel in foco plurimi conveniant, velut homines in nundinis. Simili ratione *nundinas* de formicis dixit *Plin.* 11, 30, 36. ℙ Part. *Nundinans* ap. *Liv.* 22, 56. Poenum sedere ad Cannas in captivorum pretiis praedaque alia, nec victoris animo, nec magni ducis more nundinantem.

NUNDĪNUM. V. NUNDINAE.

[NŪNECHES, is, m. νουνεχὴς, cordatus: a νοῦς, mens, et ἔχω, habeo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 241. *col.* 3. Cn. Domitius Nuneches. *F.*]

NUNQUĀ. V. in v. sq.

NUNQUAM et Numquam, adv. οὐδέποτε, nullo tempore: ex *ne*, et *unquam. Ter. Andr.* 2, 3, 9. *Da.* dic te ducturum. *Pam.* Egone dicam? *Da.* cur non? *Pam.* nunquam faciam. *Id. Ad.* 4, 1, 12. nihilne in mentem? *Cte.* nunquam quidquam. *Cic. Att.* 14, 13. *extr.* Quae Caesar nunquam neque fecisset, neque passus esset; et *ib.* 7, 1. Videre mihi videor tantam dimicationem, quanta nunquam fuit. *Liv.* 38, 33. Nunquam alias exsules Achaei secum adduxerant. *Id.* 42, 49. Persei nunquam, ex quo regnum accepisset, desitum celebrari nomen. *Caes. B. G.* 1, 44. Nunquam ante hoc tempus. *Sall. Jug.* 15. Nunquamne ergo familia nostra quieta erit? *Cic. Sext.* 63. *f.* Illum nunquam, dum haec natio viveret, sine cura futurum. *Liv.* 34, 23. Nunquam, donec Demetrias, Chalcisque tenerentur, liberam Graeciam fore. *Ter. Eun. f.* Nunquam fui usquam, quin me omnes amarent plurimum. *Cic. Fam.* 6, 6. *med.* Numquam, nisi honorificentissime, Pompejum appellat. ℙ *Nunquam non*, semper. *Cic. Or.* 1, 24. *extr.* Cum idipsum dicere, nunquam non sit ineptum, nisi cum est necessarium. Adde *Cels.* 2, 2. *f.* ℙ Pro non. *Pl. As.* 3, 3, 40. Qui hodie nunquam ad vesperum vivam. ℙ Pro num aliquando. *Id. Men.* 1, 2, 34. Dic mihi, nunquam tu vidisti

tabulam pictam in pariete, Ubi, etc? Al. leg. *nunqua*, h. e. nuncubi. ℙ *Manut.* in *Orthogr.* monet, *numquam*, *numquis*, *numquid*, et similia in veteribus monum. scribi per *m* ante *q*, quemadmodum *quamquam*, *tamquam*, *utrumque*, *quemquam*, *namque*, etc. Fatetur tamen, et *nunquam*, et *tanquam* etiam per *n* legi: quod et usus retinere videtur, cum *m* non facile eo loco pronunciari posse videatur: praesertim cum hoc tempore ratio Latine pronunciandi fere omnis perierit. *Dausquius* praefert *m:* neutrum *Cellarius* improbat.

[NUNQUAMPOSTĔAĔRĬPĬDES, ae, m. is, cui nunquam possis eripere, quod ille semel arripuerit; vox joculariter efficta a *Pl. Pers.* 4, 6, 22. nummorum expalponides; Quodsemelarripides, Nunquamposteaeripides. *F.*]

NUNQUANDO et Numquando, adv. num aliquando. *Cic. Amic.* 19. Exsistit hoc loco quaestio, numquando amici novi veteribus sint anteponendi. *Id. Phil.* 5, 11. Si Romam redierit, numquando perditis civibus vexillum, quo concurrant, defuturum putatis? Adde *Vat.* 6. ℙ Scribitur et divisim *num quando*.

NUNQUID et Numquid, adv. ἆρα μὴ, num, an, utrum: et servit interrogationi. *Cic. Att.* 12, 8. Scire velim, nunquid necesse sit comitiis esse Romae; et *Leg.* 2, 2. Nunquid duas habetis patrias? et *Ter. Eun.* 3, 1, 31. quid illud, Gnatho, Numquid dixi tibi? et *Andr.* 5, 4, 40. Numquid meministi? et *Eun.* 5, 9, 13. Numquid, Gnatho, tu dubitas, quin ego perierim? *Quint.* 7, 1. *med.* Nunquid non? hoc cogitet, necesse est, nisi qui sit plane hebes? *h. e.* cur non? quidni? *Arnob.* addit *an*, 2, 88. An nunquid orandus es, ut beneficium a Deo digneris accipere? Adde 3, 108. ℙ Item dubitationi. *Pl.* in *suppos. Merc. scena*, quae incipit *Syra non redit*, 19. rure esse autumant: Atque, numquid redeat, incertum hodie. *Ulp. Dig.* 38, 15, 2. Si dubitare coeperit, nunquid testatus decesserit, vel nunquid vivat. ℙ *Numquid*, et divisim *num quid*, h. e. num aliquid, pertinet ad *Nunquis*. ℙ De scriptione V. in NUNQUAM.

NUNQUIS et Numquis, et divisim Num quis, quae, quod et quid, μή τις, utrum aliquis, an num aliquis: et interrogationi, ac dubitationi servit. *Cic. Agr.* 3, 4. *f.* Nunquis vestrum ad vim, ad facinus accommodatus est? *Id. Dejot.* 7. Num quae trepidatio? num qui tumultus? num quid, nisi moderate, nisi quiete? *Ter. Eun.* 2, 2, 52. Nunquem evocari hinc vis foras? *Pl. Bacch.* 4, 4, 17. nunqui nummi exciderunt, here, tibi, quod sic terram Obtuere? *Cic. Att.* 13, 8. Velim, des alicui negotium, qui quaerat, fundus num quis in Pompejano venalis sit. *Id. Cluent.* 38. Si interrogarentur, num quo crimine is esset accusatus, negarent. *Id. Off.* 1, 3. Quaestio est, num quod officium aliud alio majus sit. *Hor. Sat.* 1, 3, 34. denique teipsum Concute, numqua tibi vitiorum inseverit olim Natura. ℙ *Numquid vis?* formula, qua discedentes se abire significant, et officiose faciunt cum iis, a quibus discedunt. Habetur ap. *Plaut.* saepe, ut *Amph.* 1, 3, 44 et 46. et 3, 3, 15., *Aul.* 2, 2, 88., *Curc.* 4, 2, 30. 36 et 39. etc. Sic *Id. Cist.* 1, 1, 119. Nunquid me vis, mater, intro quin eam? *Id. Mil.* 2, 6, 92. Nunquid nunc aliud me vis? et *Pers.* 4, 6, 10 et 26. nunquid ceterum Voltis? *Ter. Eun.* 2, 3, 49. Dum haec dicit, abiit hora: rogo, nunquid velit: Recte, inquit: abeo. Ubi *Donatus:* Hoc est, significo, me abire: nam abituri, ne id dure facerent, *nunquid vis?* dicebant, quibuscum constitissent. *Cic. Att.* 6, 3. *med.* Nec, cum postea in castra venisset, atque inde discederet, numquid vellem, rogavit: et fuit aperte mihi, nescio quare, non amicus. Adde *ib.* 5, 2. et *Liv.* 6, 34. ℙ Omisso verbo. *Pl. Poen.* 3, 6, 6. Nunquid me? ℙ Si addatur *nam*, vim addit interrogationi. *Cic. Or.* 2, 3. Quid vos tandem? Crassus, numquidnam, inquit, novi? *Id. Rosc. Am.* 37. Qui sunt in istis bonis? duo Roscii: nunquisnam praeterea? nemo. Al. leg. *numquisquam*. [*V. quae laudat *Matth.* ad h. l.] *Ter. Eun.* 2, 2, 41. Nunquidnam hic, quod nolis, vides? *Par.* te. ℙ De scriptione V. in NUNQUAM.

NUNQUO et Num quo, num in aliquem locum. *Pl. Capt.* 1, 2, 69. nunquo foras Vocatus ad coenam?

NUNTĬĂ et Nuncia, ae, f. V. in NUNTIUS, a, um.

NUNTĬĂTĬO et Nunciatio, onis, f. ἐξαγγελία, actus nuntiandi: et sumitur in re augurali, pro manifestatione eorum, quae augur viderit. *Cic. Phil.* 2, 32. Nos nuntiationem solum habemus: consules, et reliqui magistratus etiam spectionem; et *ib.* 5, 3. *extr.* Cum eo collega, quem ipse fecit sua nuntiatione vitiosum. V. SPECTIO. ℙ *Novi operis nuntiatio* ap. *Ulp. Dig.* 39. *tit.* 1. qui sic inscribitur *l.* 1. 3. 5. 8. etc. est denuntiatio de novo opere, quod quis facere molitur vel in nostro solo, vel cum damno rerum nostrarum, aut publicarum, inhibendi causa. ℙ Item delatio bonorum vacantium, caducorum, vel ex aliis causis in fiscum cadentium. *Callistr. Dig.* 49, 14, 1.

NUNTĬĂTOR et Nunciator, oris, m. ἄγγελος, qui nuntiat, delator. *Ulp. Dig.* 39, 1, 20. *f.* Si aliquando stetit per nuntiatorem, quominus satisdetur, *h. e.* qui novi operis nuntiationem fecit. *Paul. ib.* 48, 16, 6. Nuntiatores, qui per notoria indicia produnt. *Arnob.* 1. *f.* Apparuit Christus rei maximae nuntiator. Adde *Tert. Car. Christ.* 7.

NUNTĬATRIX, icis, f. nuntia. *Cass. Var.* 2, 14. Ciconia redeuntis anni nuntiatrix.

NUNTĬĀTUS et Nunciatus, a, um, part. a *nuntio:* delatus. *Caes. B. G.* 2, 29. Hac pugna nuntiata; et *ib.* 32. Re nuntiata ad suos. *Tac. A.* 1, 52. Nuntiata ea Tiberium laetitia affecere. *Suet. Claud.* 37. Irrumpere Appius nuntiatus, arcessi statim, ac mori jussus est. *Plin.* 12, 19, 42. Alexandri classibus Arabia odore primum nuntiata in altum.

NUNTĬO et Nuncio, as, avi, atum, a. 1. ἀγγέλλω, renuntio, per nuntium significo, nuntium fero, apporto, moneo. *Caes. B. G.* 5, 10. Equites ad Caesarem venerunt, qui nuntiarent, prope omnes naves afflictas esse; et *ib.* 4, 11. *extr.* Ad praefectos mittit, qui nuntiarent, ne hostes proelio lacesserent. *Nep. Them.* 4. Misit ad regem, ut ei nuntiaret suis verbis, adversarios in fuga esse. *Ter. Heaut.* 4, 1, 5. Abi intro, atque illa si jam laverit, mihi nuntia. *Id. Phorm.* 5, 7, 13. Id ad vos venio nuntiatum, Paratum esse me. *Cic. Att.* 1, 15. Non dubito, quin celerius tibi hoc rumor, quam illius nostrum litterae nuntiarint. *Ter. Hec.* 4, 4, 20. Bene nuntias; et *Heaut.* 1, 2, 10. voluptatem magnam nuntias. *Pl. Stich.* 2, 2, 67. Nuntiare nuntium exoptabilem. *Cic. Acad.* 4, 25. Quid est quod percipi possit, si ne sensus quidem vera nuntiant? *Tac. A.* 16, 11. Ergo nuntiat patri, abjicere spem, et uti necessitate. *Cic. Pis.* 19. Hujus unius litteris nuntiantibus non crederet? *Liv.* 29, 22. Tanquam victoriam nuntiaturi Romam essent. ℙ Passive, et impersonaliter. *Caes. B. G.* 3, 36. Hoc adeo celeriter fecit, ut simul adesse, et venire nuntiaretur; et *ib.* 1, 14. Jamjam adesse ejus equites nuntiabantur. *Pl. Most.* 1, 3, 76. Utinam meus nunc mortuus pater ad me nuntietur. *Plin. ep.* 3, 7. Modo nuntiatus est Silius Italicus inedia vitam finisse. *Cic. Acad.* 1, 1. Nuntiatum est nobis a M. Varrone, venisse eum Roma; et *Fam.* 11, 12. Ita Romam erat nuntiatum, fugisse Antonium. *Id. Verr.* 2, 5, 16. Cum paulo esset de hoc incommodo nuntiatum. *Tac. A.* 2, 64. Simul nuntiato, regem Artaxiam Armeniis a Germanico datum, decrevere patres, ut, etc. *h. e.* cum nuntiatum esset. ℙ Nuntiare salutem. *Pl. Curc.* 4, 2, 38. Salutem multam dicito patrono. *Curc.* nuntiabo. *Cic. Att.* 4, 10. Misit ad me statim, qui salutem nuntiaret. ℙ *Nuntiare horas*, quota hora sit, docere. *Mart.* 8, 67. Horas quinque puer nondum tibi nuntiat. *Id.* 10, 48. Nuntiat octavam Phariae sua turba juvencae. *Tac. A.* 15, 30. Initia vigiliarum per centurionem nuntiari. ℙ Est etiam denuntiare, indicere, jubere. *Id. ib.* 2, 65. Deligit centurionem, qui nuntiaret regibus, ne armis disceptarent; et *ib.* 79., item *ib.* 11, 37. Jubet nuntiari miserae, dicendam ad causam postero die adesset. ℙ Item deferre, manifestare. *Paul. Dig.* 49, 14, 44. Delator non est, qui protegendae causae suae gratia, aliquid ad fiscum nuntiat. Ita *Torrent.*, at *Haloand.* habet *denuntiat*; et *Papin. ib.* 39. Causam pecuniae fisco nuntiare. *Paul. ib.* 29, 5, 22. Cum heres decessisset, exstitit qui bona nuntiaret. ℙ *Nuntiare novum opus*, est denuntiare, ne quid novi operis fiat. V. NUNTIATIO. *Ulp. Dig.* 4, 7, 3. Opus novum si tibi nuntiaverim, tuque eum locum alienaveris, et emptor opus fecerit. *Pomp. ib.* 11, 8, 3. Si propius aedes tuas quis aedificet sepulcrum, opus novum nuntiare poteris. Rursus *Ulp. ib.* 43, 20, 3. *f.* Si quis rivum reficienti opus novum nuntiat. ℙ De ratione scribendi V. in NUNTIUS, ii.

NUNTĬUM et Nuncium, ii, n. V. in NUNTIUS, a, um.

NUNTĬUS, a, um. V. in v. praec.

[*NUNTĬUS et Nuncius, a, um, adj., (esse dicunt pro *novumcius*, a *novus* et *cio* s. *cieo*), i. q. nuntians, notitiam referens. *Ov. Her.* 16, 68. Nuntius ales, i. e. Mercurius.] *Tibull.* 2, 1, 25. viden', ut felicibus extis Significet placidos nuntia fibra Deos? *Ov. Her.* 6, 9. Cur mihi fama prior, quam nuntia litera venit? *Mart.* 8, 32. Fratre reverso, nuntia venit avis. ℙ [*Plerumque vero substantive usurpatur: a) Nuntius, i, m. i. e. qui nuntiat, qui certiorem facit alium de aliqua re, ἄγγελος.] *Pl. Stich.* 2, 1, 1. Mercurius, Jovis qui nuntius perhibetur, nunquam aeque patri Suo nuntium lepidum attulit, quam ego nunc meae herae nuntiabo. *Cic. Quint.* 25. *extr.* O hominem fortunatum, qui ejusmodi nuntios, seu potius Pegasos habet! *Id. Fam.* 12, 10. Nos de Dolabella quotidie quae volumus, audimus, sed adhuc sine capite, sine auctore, rumore nuntio. *Virg. A.* 2, 547. referes ergo haec, et nuntius ibis Pelidae genitori. *Cic. Phil.* 14, 7. *f.* Litteris, nuntiis, cohortationibus omnes ad patriae praesidium excitare. *Caes. B. G.* 1, 26. Litteras et nuntios mittere ad aliquem; et *ib.* 4, 19. dimittere in omnes partes. *Cic. Att.* 11, 24. Facere aliquem certiorem per nuntium, quid actum sit. *Paul. Dig.* 18, 1, 1. *extr.* Emptio et inter absentes contrahi potest, et per nuntium, et per litteras, i. e. per internuntium. ℙ *Nuntius* de femina, ut *dux*, *auctor. Val. Fl.* 2, 141. Huic Dea cum lacrimis, et nota veste Neaerae, Icta genas: utinam non hic tibi nuntius essem, O soror. ℙ [*Hinc de ipsa re nunciata dicitur, ἄγγελμα, ἀγγελία, quae significatio cum priore ita cohaeret, ut saepius vix ad species revocare exempla queas.] *Cic. Balb.* 28. Nolite, hunc illi acerbum nuncium velle perferri, ut, etc. *Id. Att.* 3, 17. De Q. Fratre nuntii nobis tristes, nec varii venerunt. *Virg. A.* 11, 896. Interea Turnum in silvis saevissimus implet Nuntius, et juveni ingentem fert Acca tumultum. *Cic. Rosc. Am.* 7. Exoptatum nuntium alicui afferre. *Id. Fam.* 2, 19. optatissimum accipere. *Ter. Heaut.* 3, 1, 18. apportare alicui. *Pl. Stich.* 2, 2, 67. exoptabilem nuntiare. *Cic. Lig.* 3. perferre. *Liv.* 4, 41. ferre ad aliquem. *Id.* 3, 6. Pro tristi nuntio tristiorem domum referentes. *Appul. Met.* 7. *in.* Talem collegio suo nuntium fecit. ℙ Item mandatum, jussum. *Nep. Chabr.* 3. Athenienses certam diem Chabriae praestituerunt, quam ante, etc. Hoc ille nuntio, etc. *Cic. Fam.* 12, 24. Quos senatus ad denuntiandum bellum miserat, nisi legatorum nuntio paruisset. ℙ *Nuntium uxori remittere* ap. *Cic. Or.* 1, 40. et 56. et *Att.* 1, 13. est uxorem dimittere, et cum ea divortium facere. Porro *remittere* pro simplici *mittere* hic ponitur: et ipsum *mittere* usurpatur ab *Ulp. Dig.* 24, 2, 4. et *ib.* 3, 22. *med.* Dicitur etiam de uxore a viro per divortium discedente, ut est ap. *Cic. Top.* 4. Praeterea *nuntium* intelligimus ipsum divortii libellum, in quo perscribebatur, *res tuas tibi habeto*, ut in DIVORTIUM adnotavimus. Unde *Papin. Dig.* 24, 2, 7. Si poenituit eum, qui libellum divortii tradendum dedit. ℙ Etiam in sponsalibus locum habet, cum dissolvuntur, perscripta formula, *conditione tua non utor*, quam *Cajus Dig.* 24, 2, 2. recitat. *Ulp. ib.* 23, 2, 45. Si invito patrono nuntium sponsa liberta remiserit. ℙ Denique etiam parentes, ac tutores dicuntur nuntium remittere, cum nuptialem contractum dirimunt. *Pl. Truc.* 4, 3, 74. Ego adeo jam illi remittam nuntium affini meo: Dicam, ut aliam conditionem filio inveniat suo. *Ulp. Dig.* 23, 1, 6. Si puellae tutores ad infringenda sponsalia nuntium miserint. *Id. ib.* 24, 1, 32. *med.* Si socer nurui nuntium miserit. [* — b) Nuntia, ae, f. quae denuntiat, ἀγγελιώτις.] *Vet. Poeta* ap. *Cic. Leg.* 1, 1. Nuntia fulva Jovis, miranda visa figura, i. e. aquila. *Virg. A.* 4, 188. de Fama: Tam ficti pravique tenax, quam nuntia veri. *Cic. Or.* 2, 9. Historia nuntia vetustatis. *Ov. A. Am.* 1, 437. Cera vadum tentet, rasis infusa tabellis, Cera tuae primum nuntia mentis eat. [**Liv.* 1, 34. ejus dei nuntiam (aquilam) venisse; et 5, 50. quae (vox) nuntia cladis ante bellum Gallicum audita neglectaque esset. ℙ Ap. *Lucretium nuntia* legitur etiam pro *indicio*. — c) *Nuntium*, i, n. i. q. nuntiat, notitiam alicujus rei affert.] *Pl. Merc.* 5, 2, 66. opta ergo ob istuc nuntium quidvis tibi. Al. leg. *istunc. Lucr.* 6, 75. simulacra feruntur In meutes hominum divinae nuntia formae. Adde 4, 705 et 1030. *Tibull.* 3, 4, 5. venturae nuntia sortis, Vera monent Tuscis exta probata viris. *Ov. Her.* 16, 10. Habes animi nuntia verba mei. *Sedul.* 2, 474. saevumque tyrannum Grandia sollicitis perturbant nuntia dictis. ℙ [*Notitia, *indicium.*] *Varro L. L.* 5, 9. ubi noctu in templum censura auspicatur, atque de coelo nuntium erit. Al. leg. *nuntiatum. Catull.* 63, 75. Geminos Deorum ad aures nuntia referens. *Serv.* ad *A.* 11, 896. Nuntius est, qui nuntiat, nuntium, quod nuntiatur. [*At multi sunt (in his *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 16, 10. ubi v. quos laud.), qui adjective in his sumendam vocem *nuntium* docent.] ℙ Ad scriptionem quod attinet, *Manut.* et *Dausq.* per *c* scribi volunt, ita praeferentibus lapidibus aliquot: sed non desunt qui per *t*, et *Virgilius Carpensis* et antiquissimum horum *Cenotaph. Pisanum C. Caesaris*, quod orthographiam aureae aetatis demonstrat. Quare *t* retinent *Norisius*, et *Cellar.* [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 250.]

NŪPER, adv. νεωστί, πρώην, ἄρτι, non longo ante tempore, paucis ante diebus: quasi *noviper*, inquit *Festus:* vel quasi *novo opere*, ut *topper*, toto opere, ut *Scal.* placet. *Cic. Verr.* 2, 4, 3. Nuper: et quid dico, nuper? immo vero modo, ac plane paulo ante vidimus. *Id. Att.* 14, 7. De quo sum nuper tecum locutus. *Id. Or.* 1, 19. Is, qui nuper Romae fuit, Menedemus hospes meus. *Id. Ligar.* 12. Fac quod fecisti nuper in curia, nunc idem in foro. *Id. Div. Verr.* 20. Nuper, cum in Gabinium Piso delationem nominis postularet. *Id. Inv.* 1, 17. *med.* Ab adversarii dicto exordiri, et ab eo potissimum, quod ille nuperrime dixerit. *Hor. Od.* 1, 14, 17. Nuper sollicitum quae mihi taedium, Nunc desiderium, curaque non levis. *Gell.* 2, 23. Nuper adeo usus hujus rei nobis venit. *Pl. Truc.* 2, 4, 43. Nunc huc remisit nuper ad me epistolam. *Appul. Met.* 9. Istud, quod nunc nuper commentus est. *Sym. ep.* 1, 6. (*al.* 3.) Nunc nuper ad vos praedium lege venit: *nunc nuper* idem

fere est quod *nuper*. ℙ De longiori ante tempore. *Cic. Div.* 1, 39. *f.* Neque ante philosophiam patefactam, quae nuper inventa est. *Id. N. D.* 2, 50. Ea, quae nuper, id est paucis ante saeculis reperta sunt. [*V. *Ernest.* in *cl. Cic.* in v. *Eundemque* et *Lips.* ad *Tac. Germ.* 2.] ℙ Antea, et usque ad hoc tempus. *Hor. Od.* 1, 26, 1. Vixi puellis nuper idoneus, Et militavi non sine gloria: Nunc, etc. ℙ [*Confund. *nuper indulgens* et *perindulgens*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 400.]

NŪPĔRUS, a, um, adj. *νέος*, qui nuper fuit, recens. *Pl. Capt.* 3, 5, 60. Recens captum hominem nuperum et novitium Te perdocere. *Ter. Heaut.* 1, 1, 1. Quamquam haec inter nos nupera notitia admodum est. Al. leg. *nuper*; et *Flor.* 4, 2. *med.* Elephanti bellorum rudes, et nuperi a silva. Al. leg. *nuper*. ℙ De superlativo haec *Prisc.* 3, 606. Nuperrimus etiam proferebant antiquissimi: unde adverbium posuit Cicero, nuperrime, qui superlativus magis ab adverbio in *er* desinente videtur nasci.

*NUPSIA, ae, f. opp. Aethiopiae, vel in Aegypti Aethiopiaeque confinio. *Plin.* 6, 29. ℙ *Nupsis* audit *Plin.* 6, 100. *B. A.*

*NUPSIS. V. v. praec. *B. A.*

NUPTĂ, ae, f. *νύμφη*, quae nupsit. *Ter. Ad.* 4, 7, 33. et nova nupta eadem haec discet. *Ov. Fast.* 2, 794. Et venit in thalamos, nupta pudica, tuos. *Id. A. Am.* 3, 613. Nupta virum timeat: rata sit custodia nuptae. *Id. R. Am.* 773. Quid, Menelae doles? ibas sine conjuge Creten, Et poteras nupta lentus abesse tua.

NUPTĂLĬCIUS. V. NUPTIARIUS.

[NUPTĬĂBĬLIS, e, adj. quae nuptiis idonea est. *Not. Tir.* p. 131. Nupta, nubilis, nuptiabilis. *F.*]

NUPTĬAE, arum, f. plur. *γάμος*, festus matrimonii dies, ritus et hilaritas in uxore ducenda: a *nubo*. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. *f.* Eo die apud Pomponium in ejus nuptiis eram coenaturus. *Pl. Aul.* 4, 10, 54. renuntiare Repudium, rebus paratis, atque exornatis nuptiis; et 2, 1, 35. Nuptias adornare; et 2, 2, 83. et 2, 4, 9. facere. *Ter. Ph.* 4, 4, 20. apparare. *Pl. Aul.* 3, 2, 15. Coquere coenam ad nuptias. *Cic. Cluent.* 12. *extr.* Quae nuptiae non diuturnae fuerunt, erant enim non matrimonii dignitate, sed sceleris societate conjunctae. *Id. Att.* 13, 29. Cornificia vetula sane, et multarum nuptiarum. *Hor. Od.* 3, 11, 11. Nuptiarum expers. *Nep. Att.* 5. Conciliare nuptias. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 9. Nuptiis inter se jungi. *Ter. Andr.* 3, 4, 23. In nuptias aliquem conjicere; et *ib.* 16. Nuptias alicui efficere, *h. e.* conciliare. *Id. Ph.* 2, 1, 28. conficere. ℙ De concubitu. *Auct. ad Her.* 4, 34. Cujus mater quotidianis nuptiis delectabatur. Adde *Just.* 31, 6. et *Petr. Sat.* 26.

[NUPTĬĂLĬCUS, i, m. qui res nuptiales curat. Est nomen unius ex septem testibus in testamento M. Grunnii Corocottae Porcelli, de quo V. in BUBULARIUS. *F.*]

NUPTĬĂLIS, e, adj. *γαμικός*, ad nuptias pertinens. *Cic. Cluent.* 9. Nuptialia dona; et *ib.* 6. et *Hor. Od.* 3, 11, 33. Nuptiales faces. *Auct. ad Her.* 4, 33. tibiae, *h. e.* quibus in nuptiis canitur. *Pl. Cas.* 5, 1, 2. ludi. *Id. Curc.* 5, 2, 61. et *Suet. Cal.* 25. Nuptialis coena. *Sen. Med.* 986. dies. *Catull.* 61, 12. Nuptialia carmina. *Quint.* 1, 7. *med.* sacra. *Plin.* 21, 8, 22. flamea.

NUPTĬĂLĬTER, adv. *νυμφικῶς*, more nuptiarum. *Capell.* 6, 227. Venus nuptialiter laeta.

NUPTĬĂRĬUS, a, um, adj. nuptialis. *Paul. Dig.* 50, 16, 194. Donum natalitium, nuptiarium. *Torrent.* ed. hab. *nuptalicium*, al. *nuptialicium*.

NUPTĬĂTOR, oris, m. nuptiarum amator. *Hieron. adv. Jov.* 1. *n.* 38. Dicam et ego nuptiatoribus meis, qui post castitatem, et diuturnam continentiam subant ad coitum, etc. *Gloss. Philox.* Nuptiatores, *γαμοστόλοι*.

NUPTO, as, frequentat. a *nubo*. *Tert. Sodom.* 45. Quo nullae nuptant animae.

NUPTŪLĂ, ae, f. parva nupta. *Varr.* ap. *Non.* 4, 330. Pueri obscenis verbis novae nuptulae aures returant. Al. leg. *nuptae*, et ipse *Non.* ita refert 2, 749.

NUPTŪRĬO, is, n. 4. nubere cupio, *γαμησείω*. *Mart.* 3, 93. Gaudes ducentas nupturire post mortes. *Appul. Apol.* Sponte eam diceres jam olim nupturisse.

NUPTUS, a, um, part. a *nubo:* matrimonio junctus: et dicitur de feminis. *Cic. Sext.* 3. Ex qua hic est puer, et nupta jam filia. *Id. Verr.* 2, 4, 61. Viri quibuscum illae nuptae erant; et *ib.* 7, 13. *extr.* Mulier nupta uni, proposita omnibus. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *med.* Filiam tuam adolescentibus primariis nuptam fuisse. ℙ De arboribus. *Plin.* 18, 28, 68. Populus alba vitibus nupta, *h. e.* juncta. ℙ Substantive V. NUPTA. ℙ *Novus nuptus* ap. *Pl. Cas.* 5, 1, 6. est vir sub specie feminae ductus in ludicris nuptiis. Affertur hic locus etiam a *Prisc.* 8, 789. ℙ *Verba nupta*, inquit *Festus*, dicebantur ab antiquis, quae virginem dicere non licebat, ut Plautus in Dyscolo: Virgo sum, nondum didici nupta verba dicere.

NUPTUS, us, m. nuptiae, matrimonium. *Stat. Silv.* 5, 1, 45. Illa quidem nuptumque prior, taedasque marito Passa alio. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 59. Eo die Numantini forte solemni nuptu filias locabant. ℙ *Nuptum dare, mittere, collocare*, est in matrimonium dare. *Ter. Hec.* 4, 1, 15., *Sall. fragm.* 2. *Hist.* ap. *Arus. Mess.* et *Caes. B. G.* 1, 18. Sed hac forma supinum dicitur a grammaticis. V. NUBO. [*Hinc falsum est, quod docere quidam perstiterunt, posse etiam aeque bene dici *nuptui dare*, etc. coll. *Colum.* 4, 3. *f. Val. Max.* 4, 4. *n.* 10. et 7, 1. *n.* 1. V. *Drak.* ad *Liv.* 1, 49.]

[NŪRĬCŬLA, ae, f. dimin. nurus, parva nurus. *Inscr.* ap. *De-Vita Inscr. Benev.* 53, 136. Satriae Vert. . . . Betitius Callistus, Isena noriculae B. M. F. Hic perperam littera *v* in *o* permutatur. *F.*]

NURSĪNUS, a, um, adj. ad Nursiam pertinens, quod est Sabinorum oppidum, cujus ager raporum, et naporum optimorum ferax. Frigida Nursia dicitur a *Virg. A.* 7, 715. Nursina rapa laudant *Plin.* 18, 13, 34. et *Colum.* 10, 421., item napa *Id. Plin.* 19, 5, 25. post Amiterna. Hinc *Mart.* 13, 20., cujus lemma *Napi*. Hos Amiternus ager felicibus educat hortis. Nursinas poteris parcius esse pilas. ℙ *Nursini, orum*, populi. *Plin.* 3, 12, 17.

NURTĬA. V. NORTIA.

NŪRUS, us, f. *νυὸς, ἐννὸς*, uxor filii: cui respondet socer, et socrus. *Ter. Hec.* 2, 1, 4. uno animo omnes socrus oderunt nurus. *Cic. Phil.* 2, 24. Rejecta mater amicam impuri filii, tamquam nurum, sequebatur. *Ov. Ib.* 351. Qua poterat Tydeus erubuisse nuru. *Id. Fast.* 6, 729. Jam tua, Laomedon, oritur nurus, *h. e.* Aurora uxor Tithoni Laomedontis filii, ut est ap. *Hyg. fab.* 270. *Id. Met.* 12, 216. Cinctaque adest virgo matrum, nuruumque caterva. ℙ Improprie sic dicitur etiam sponsa filii, nondum uxor, ut docet *Ulp. Dig.* 23, 2, 12. et *ib.* 38, 10, 6. ℙ Latiore significatione non tantum uxor filii, sed et nepotis, et pronepotis hac appellatione continetur: licet alii has *pronurus* appellent. *Paul. Dig.* 23, 2, 14. *f.* et *ib.* 50, 16, 50. et *Ulp. ib.* 2, 8, 2., 3, 1, 3. *ex Pomponio*, et *ib.* 37, 5, 8. *f.* ℙ Poetis universim quascumque nuptas significat, et quascumque feminas, ut et *Serv.* ad *A.* 2, 501. docet. *Ov. Met.* 2, 365. De ramis electra novis, quae lucidus amnis Excipit, et nuribus mittit gestanda Latinis. *Id. A. Am.* 3, 248. Inque nurus Parthas dedecus illud eat. *Mart.* 4, 75. O felix animo, felix Nigrina marito, Atque inter Latias gloria prima nurus. *Lucan.* 1, 164. cultus gestare decoros Vix nuribus rapuere mares. [*V. *Cort.* ad h. l.] *Stat. Th.* 5, 200. vigilant nuptaeque, nurusque In scelus, *h. e.* virgines aliquando nurus futurae.

NUS, *νοῦς*, h. e. mens, unus ex aeonibus Valentiniani. *Tert. adv. Valent.* 7. et 9. ℙ Item sapientia. *Capell.* 2, 33. Per vos vigil decensque Nus mentis ima complet. ℙ *Item rivus Ciliciae, ap. opp. Cescum. *Plin.* 31, 2. In Cilicia ap. opp. Cescum rivus fluit Nus, ex quo bibentium subtiliores sensus fieri M. Varro tradit. Sic ed. *Hard.* ubi, mira discrepantia, totum locum sic legit ed. *Basil. (Froben.)* 1530. *In Sicilia apud oppidum Jusgum rivus fluit unus, e. q. b. s. s. f. Varro tradit.* Quam lectionem ne novisse quidem videtur *Hard.* Pro *Cescum* alii etiam *Crescum* legunt. *Cascum* habet *Gesnerus* in *Nus*, nescio unde. ℙ Rivum hunc Pactolis omnibus et Tagis praeferendum censet idem *Gesnerus ib.*, joco frigido. *B. A.*

NUSCĬCĬO, onis, f. V. in v. sq.

NUSCĬCĬOSUM Atejus Philologus ait appellari solitum, qui propter oculorum vitium parum videret. At P. Opilius Aurelius, nusciciones esse caecitudines nocturnas: Aelius Stilo, qui plus videret vesperi, quam meridie, nec cognosceret, nisi quod usque ad oculos admovisset. *Festus.* V. LUSCIOSUS et NYCTALOPS.

NUSPĬAM, adv. nullo in loco: a *ne*, et *uspiam*. *Gell.* 5, 4. Librarius in quodvis pignus vocabat, ni in una nuspiam littera delictum esset. Alii leg. *si in una uspiam*, aut *usquam*.

NUSQUAM, adv. *οὐδαμοῦ*, nullo in loco: a *ne*, et *usquam*. *Cic. Leg.* 1, 15. Sive est illa scripta uspiam, sive nusquam. *Id. Sen.* 22. Nolite arbitrari, me, cum a vobis discessero, nusquam, aut nullum fore. *Id. Acad.* 4, 32. Illud sit disputatum, non inesse in his propriam, quae nusquam alibi esset, veri et certi notam. *Ter. Ad.* 4, 2, 1. fratrem nusquam invenio gentium. ℙ *Nusquam non* est ubique. *Plin.* 24, 1, 5. Parente rerum omnium nusquam non remedia disponente homini. ℙ Cum verbis motus. *Ter. Eun.* 2, 2, 50. profecturus alio fueras. *P.* Nusquam. *Id. Ad.* 2, 2, 38. nusquam abeo. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. *f.* Finibus meae provinciae nusquam excessi. *Auct. ad Her.* 2, 2. Nusquam ventum, aut abitum sine causa putetur. ℙ *Nusquam esse*, nullum esse, non esse. *Paul. Dig.* 47, 2, 38. Liberarum personarum nomine licet furti actio sit, condictio tamen nusquam est. *Hor. Sat.* 2, 5, 101. ergo nunc Dama sodalis Nusquam est, *h. e.* mortuus est. ℙ Pro nulla in re. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Praestabo, sumptum nusquam melius posse poni. *Pl. Men.* 5, 2, 30. Nusquam equidem quidquam deliqui. ℙ Pro nullam ad rem. *Cic. Fin.* 1, 9. Ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam. *Liv.* 7, 18. Plebem nusquam alio natam, quam ad serviendum.

NŪTĂBĬLIS, e, adj. nutans, vacillans. *Appul. de Deo Socrat.* Regni nutabilis suggestus.

NŪTĂBUNDUS, a, um, adj. nutans. *Solin.* 27. *med.* Capite utrinque secus nutabundo serpit. Al. leg. *nitibundo*. *Appul. Met.* 9. Miles nutabundus, et tot plagarum dolore saucius. *Salvian. Gub. D.* 6, 13. Infirmi ad ambulandum, robusti ad bibendum, ad gressum nutabundi, ad saltandum expediti. Adde *Lactant.* 6, 3.

NŪTĂMEN, inis, n. nutatio. *Sil.* 2, 399. Albentes niveae tremulo nutamine pennae.

NŪTANS, antis, part. a *nuto: νεύων*, vacillans, huc illuc vergens, titubans. *Sen. Oed.* 403. Effusam redimite comam nutante corymbo. *Mart.* 5, 12. Quod nutantia fronte pertinaci Gestat pondera Masclion superbus. *Ov. Met.* 11, 619. de Somno: Vix oculos tollens, iterumque iterumque relabens Summaque percutiens nutanti pectora mento. *Lucan.* 8, 48. nutantia vela carinae; et 1, 495. quatiente ruina Nutantes pendere domos; et 4, 393. Felix qui potuit, mundi nutante ruina, Quo jaceat, jam scire, loco. *Tac. H.* 4, 30. Suspensum et nutans machinamentum. *Catull.* 66, 53. impellens nutantibus aera pennis. ℙ Translate. *Tac. H.* 3, 40. Nutantem hostem praevenire; et *ib.* 18. Nutantem aciem victor equitatus incursat; et *ib.* 1, 2. Turbatum Illyricum, Galliae nutantes, *h. e.* dubiae fidei. *Val. Fl.* 7, 153. nutantem Colchida curis. *Juven.* 15, 156. protegere armis Lapsum, aut ingenti nutantem vulnere civem. *Suet. Vesp.* 8. Nutantem rempublicam stabilire, [*i. e. ruinam minantem. V. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 5, 6. Adde *Suet. Caes.* 4. nutantes ac dubiae civitates, i. e. quae incertae fidei essent, ad defectionem declinarent.]

NŪTĀTĬO, onis, f. actus nutandi, *νεῦσις*. *Plin.* 11, 37, 49. A cerebro proficiscitur somnus: hinc capitis nutatio. ℙ Translate. *Plin. alter Pan.* 5. Cogi porro non poteras, nisi periculo patriae, et nutatione reipublicae.

[*NŪTĬQUAM. V. NEUTIQUAM.]

NŪTO, as, avi, atum, n. l. *νευστάζω*, capitis inclinatione aliquid significo: frequent. a *nuo* inusitato: quod a *νεύω*. *Pl. Asin.* 4, 1, 39. Neque illa ulli homini nutet, nictet, annuat. *Id. Mil.* 2, 2, 52. Eccere autem capite nutat: non placet, quod reperit. *Hor. Sat.* 1, 9, 64. Nutans, distorquens oculos. *Suet. Cal.* 38. Crebro capitis motu nutans. *Pl. Men.* 4, 2, 49. nutat, ne loquar. ℙ Est etiam huc illuc inclinari, agitari, vacillare, casum minari. *Virg. A.* 2, 629. de orno: Et tremefacta comam concusso vertice nutat. *Lucan.* 6, 136. Tum quassae nutant turres, lapsumque minantur. *Liv.* 4, 37. *f.* Nutant circumspectantibus galeae, et incerti trepidant. *Lucan.* 7, 244. Casuram fatis sensit nutare ruinam. ℙ Translate est titubare, incertum esse, dubitare. *Cic. N. D.* 1, 43. Etiam Democritus nutare videtur in natura Deorum. *Stat. Th.* 8, 614. Nutat utroque timor, quemnam hoc certamine victum, Quem vicisse velint. *Ov. Met.* 10, 375. Sic animus vario labefactus vulnere nutat. *Tac. H.* 2, 98. Ac primo Festus legatus studia provincialium cum fide juvit: mox nutabat, palam Vitellium, occultis nunciis Vespasianum fovens, et haec, illave defensurus, prout invaluissent; et *ib.* 4, 52. Tanto discrimine urbs nutabat, ut decem, haud amplius, dierum frumentum in horreis fuerit, cum a Vespasiano commeatus subvenere. ℙ Pro inclinari, propendere. *Ov. A. Am.* 2, 263. dum rami pondere nutant. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 15. de vite per se stante: Huic vineae trium pedum altitudo excelsior nutat, *h. e.* si ultra tres pedes protendatur, non stat recta amplius, sed flectitur, et curvatur. ℙ Translate. *Stat. Th.* 4, 196. nam regum animos, et pondera belli Hac nutare videt, pariter ni providus heros Militet. *Flor.* 3, 10. Nutante in fugam exercitu. V. alia in NUTANS. ℙ Part. *Nutans.* V. s. l.

NUTRĪBĬLIS, e, adj. qui nutrire potest, ut Cibi nutribiles, ap. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. *f.* et Nutribiliores succi, *ib.* 5, 10. *f.*

[NUTRĪBĬLĬTER, adv. ita, ut nutritioni locus sit. *Theod. Prisc.* 4, 2. *med.* Septimo mense fetus, si fuerit perfectus, rumpens membranas nutribiliter excluditur. Etenim ex *Plin.* 7, 5, 4. Ante septimum mensem homo haud unquam vitalis est. *Censorin. de die nat.* 8. *med.* septemmestrem appellat. *F.*]

NUTRĪCĀTĬO, onis, f. actus nutricandi. *Gell.* 12, 1. Ne ad dolores, quos in enitendo tulisset, manus quoque nutricationis grave ac difficile accederet. *Appul. Dogm. Plat.* 2. *f.* Puerorum nutricationes.

NUTRĪCĀTUS, us, m. nutricatio. *Varr. R. R.* 1, 47. Non modo non evellanda in nutricatu, sed etiam non calcanda. *Pl. Mil.* 3, 1, 55. plane eductus in nutricatu Venereo.

[NUTRĪCĬO, onis, m. idem ac nutricius, cujus vocis vide §. 2. *Inscr.* non opt. notae ap. *Mur.*

1891, 8. Juliae Gaudentiae filiae dulcissimae nutriciones contra votum suo fecerunt. *F.*]

NUTRĪCĬUS et Nutritius, a, um, adj. ad nutriendum, seu nutricandum, vel ad officium nutricis pertinens. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Quis Faustulum nescit pastorem fuisse nutricium, qui Romulum et Remum educavit? *Colum.* 3, 13. *med.* Humus radices tenero velut nutricio sinu recipit. *Arnob.* 2, 58. Nutriciae curae. ℙ *Nutricius, ii,* qui nutricatur, educator. *Caes. B. C.* 3, 107. *extr.* Erat in procuratione regni, propter aetatem pueri, nutritius ejus eunuchus, nomine Pothinus. ℙ De eo, qui plantas nutrit. *Plin.* 18, 34, 67. *n.* 2. Favonius afflatu nutritium exercebit. ℙ *Nutritia, ae,* quae nutrit, educatrix. *Hieron. ep.* 108. *n.* 30. Omnis inopum multitudo matrem et nutriciam se perdidisse clamabat. ℙ *Nutricium, ii,* nutricatus, nutricatio. *Sen. Consol. ad Helv.* 17. Illius pio maternoque nutricio per longum tempus aeger convalui. *Manil.* 3, 133. Omniaque infantum mixta nutritia turba. *Arnob.* 5, 163. Nutricia ducere ab aliquo. [*V. *Gronov. Observv.* 1, 11, 101 — 102. p. 56. *ed. Fr.*] ℙ *Nutricia, orum,* merces nutricis, *τὰ θρεπτήρια. Ulp. Dig.* 50, 13, 1. *f.* Nutricia eousque producemus, quoad infantes uberibus aluntur.

NUTRĪCO, as, avi, atum, a. 1. et

NUTRĪCOR, aris, atus sum, dep. 1. *τρέφω, τιθηνέω,* nutrio, educo. *Pl. Merc.* 3, 1, 11. Nec pecua ruri pascere, nec pueros nutricare. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Scrofae nutricare octonos porcos parvulos primo possunt; et *ib.* 2. *med.* Et sic nutricantur agni, quoad facti sunt quadrimestres; et *ib.* 1, 23. Et apricis locis, ut ibi seras violam, et hortos facias: quod ea sole nutricantur. *Cic. N. D.* 2, 34. Omnium rerum parens, ut ita dicam, atque educator est mundus: omniaque, sicut membra, et partes suas, nutricatur et continet. *Appul. Apol.* Eum paupertas nutricata est. *Varr. R. R.* 2, 8. Cum peperit equa mulum, aut mulam, nutricantes educamus.

NUTRĪCŬLA, ae, f. *τιτθή,* dimin. nutricis, parva nutrix. *Hor. Ep.* 1, 4, 8. Quid voveat dulci nutricula majus alumno? *Suet. Aug.* 94. Repositus in cunas a nutricula. ℙ Translate. *Juven.* 7, 148. Gallia, vel potius nutricula causidicorum Africa. *Dom. Marsus* ap. *Suet. Gramm.* 16. Epirota tenellorum nutricula vatum. *Cic. Phil.* 11, 5. Ut haberent aliquorum nutriculas praediorum. *Id. Vat.* 2. Gellius nutricula seditiosorum. *Quint. decl.* 13, 4. Volui relinquere avitos lares, et conscios natalium parietes, et ipsam nutriculam casam.

NUTRĪMEN, inis, n. idem ac nutrimentum. *Ov. Met.* 15, 354. Naturaeque suum nutrimen deerit edaci.

*NUTRIMENTĀLIS, e, adj. *Const. Afer de N. H.* Nutrimentalia membra. *B. A.*

NUTRĪMENTUM, i, n. *τροφή,* alimentum, educatio nutriendis parvulis et crescentibus. *Suet. Aug.* 6. Nutrimentorum ejus locus ostenditur in avito suburbano juxta Velitras permodicus. *Id. Cal.* 9. Inter milites educabatur: per hanc nutrimentorum consuetudinem, etc. *Plin.* 17, 23, 36. *n.* 28. de vitib.: Pro nutrimento omni est raritas vulneris. ℙ Translate. *Cic. Or.* 13. *f.* Educata hujus nutrimentis eloquentia, ipsa se postea colorat, et roborat. *Virg. A.* 1, 179. Suscepitque ignem foliis, atque arida circum Nutrimenta dedit. *Appul. Met.* 9. Iste sermo truculentiae hominis nutrimento fuit. *Val. Max.* 2, 1. *f.* Ingredientes actuosam vitam favoris nutrimentis prosequi.

NUTRĬO, is, ivi et ii, itum, a. 4. *τρέφω,* alo, educo: et proprie est eorum, quae parva sunt, et crescunt: [*maxime de hominibus et animalibus. Differunt *alere* et *nutrire,* ita quidem, ut hoc nonnisi *sustentandi,* illud etiam *augendi* notionem contineat. V. *Doederl.* coll. iis, quae dicta sunt ad v. *alo.*] *Ov. Fast.* 2, 415. quos *(pueros)* lupa nutrit. *Plin.* 11, 40, 95. Balaenae, vitulique mammis nutriunt fetus. *Juven.* 14, 75. serpente ciconia pullos Nutrit. *Sen. Troad.* 225. et quae pascuo Fecunda pingui Thracios nutrit greges Syros. [*— Tunc transfertur etiam ad alia.] *Ov. R. Am.* 45. Terra salutares herbas, eademque nocentes Nutrit. *Id. Met.* 8, 643. ignes Suscitat hesternos, foliisque et cortice sicco Nutrit. [*V. NUTRITUS.] ℙ Refertur ad curam medendi. *Liv.* 4, 52. Pestilentia cogitationes hominum ad curam corporum nutriendorum avertit. *Cels.* 3, 23. Aegrum nutrire per eos cibos, quos, etc. et *mox:* Nutrire vires. *Id.* 5, 26. *n.* 33. repurgatum ulcus, *h. e.* implere, ut carnem, et cicatricem ducat. *Id.* 6, 6. *n.* 16. Oculorum morbi, qui lenibus medicamentis nutriuntur, *h. e.* foventur, et sanantur. *Plin.* 22, 22, 39. Nutrire capillum; et 21, 21, 91. Cutem in facie reliquoque corpore nutrit incorruptam. ℙ De plantis. *Catull.* 61, 25. Myrtum roscido humore nutrire. *Plin.* 19, 8, 45. Nutriri cinere vult ruta; et *ib.* 6, 33. Nutrire porrum in capita, *h. e.* ut capitatum sit. *Curt.* 8, 10. Pomorum quoque varii salubresque succi sunt, sua sponte fortuitorum seminum fruges humo nutriente. ℙ Translate. *Ov. Fast.* 1, 704. Pax Cererem nutrit: pacis alumna Ceres. *Id. A. Am.* 3, 579. Nutrire amorem. *Sil.* 7, 497. Pascere ac nutrire furorem. *Sen. Hipp.* 134. Qui blandiendo dulce nutrivit malum. *Val. Max.* 6, 5. *n.* 2. *extr.* Nutrire opes; et 5, 2. *f.* beneficentiam exemplis, atque augere. *Ov. Pont.* 3, 4, 25. Sed loca, sed gentes formatae mille figuris Nutrissent carmen, proeliaque ipsa meum; et *ib.* 4, 2, 25. Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit. *Pers.* 5, 149. Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto Nutrieras, pergant avidos sudare deunces? *h. e.* moderato lucro auxeras. ℙ Significat interdum a corruptione servare. *Plin.* 13, 15, 30. de mensis citreis: Nutriuntur optime, splendescuntque, manu sicca fricatae, a balineis maxime. ℙ Item fovere, defendere. *Catull.* 19, 1. de Priapo: Hunc ego, juvenes, locum, villulamque palustrem Tectam vimine junceo, caricisque maniplis, Quercus arida, rustica conformata securi, Nutrivi, magis et magis ut beata quotannis. ℙ *Nutrire vinum* est curare, et condire medicamentis inditis, ut servetur. *Colum.* 12, 19. et sqq. eam rationem docet. *Id. ib.* 30. Quanto major aestus erit, eo saepius convenit vinum nutriri, refrigerarique, et ventilari. Hoc aliis verbis *Plin.* ita enarrat 14, 21, 27. Dolia nunquam implenda, et quod supersit, passo aut defruto perungendum, admixto croco, pice veteri cum sapa: sic opercula doliorum medicanda, addita mastiche ac pice. ℙ *Nutribam* pro *nutriebam* (quae positio frequens in quarta conjugatione est.) *Virg. A.* 7, 484. cervus, Tyrrhidae pueri quem matris ab ubere raptum Nutribant. Adde *ib.* 11, 572. Etiam *nutribo* pro *nutriam* dictum est, teste *Rhemn. Palaem.* 1383. et *Cledon.* 1914. ℙ *Nutrimus* syncope pro *nutrivimus. Nemes. Ecl.* 3, 26. Nos etiam Nysae viridi nutrimus in antro. Al. aliter leg. ℙ *Nutritor* deponentis forma pro *nutrito* in imperativo. *Virg. G.* 2, 425. Hoc pinguem, et placitam Paci nutritor olivam. *Prisc.* 8, 798. docet, veteres, ut *bellor* pro *bello,* et *comperior* pro *comperio,* etc., sic etiam *nutrior* pro *nutrio* dixisse.

NUTRĪTOR, oris, m. *τροφεύς,* qui nutrit. *Stat. Theb.* 10, 228. volucrum nutritor equorum. *Suet. Gramm.* 7. M. Antonius Gnypho, ingenuus, in Gallia natus, sed expositus, a nutritore suo manumissus, [*i. e. qui expositum infantem educaverat.] *Lamprid. Alex. Sev.* 13. Nutritor Alexandri Severi.

NUTRĪTORĬUS, a, um, adj. qui nutrit. *Theod. Prisc. de diaet.* 3. Lac omne nutritorium est. *August. Confess.* 12, 27. *f.* Nutritoriae cunae.

NUTRĪTUS, a, um, part. a *nutrio: θρεπτός,* altus, educatus. *Hor. Sat.* 2, 4, 40. iligna nutritus glande. *Ov. Trist.* 3, 11, 3. lacte ferino. *Juven.* 12, 12. taurus finitima nutritus in herba. *Plin.* 17, 22, 36. *n.* 11. Radix vitis nutrita, *h. e.* culta. *Ov. Met.* 5, 590. nutritaque populus unda. *Petr. Sat.* 120. *extr.* Ex quo Sullanus bibit ensis, horrida tellus Extulit in lucem nutritas sanguine fruges. *Hor. Od.* 4, 4, 25. Sensere, quid mens rite, quid indoles Nutrita faustis sub penetralibus Possit. *Colum.* 12, 21. Nutritum vinum, *h. e.* curatum, conditum. V. NUTRIO. *Val. Fl.* 6, 340. Edonis nutritum missile ventis, *h. e.* hasta, cujus lignum ventosis locis crevit, et duratum est: *ἀνεμοτρεφὲς ἔγχος,* dixit *Homer. Iliad.* 11, 256. Sunt autem ligna eo validiora, quo frigidioribus et ventosioribus locis crevere. ℙ Absolute est qui a parentibus suis derelictus, ab aliquo, vel ab aliqua tanquam filius nutritur. *Inscr.* ap. *Lupoli Iter Venus.* p. 352. *n.* 5. Cascia Capriola Silvano suo nutrito, et vernacio suo B. M. F. V. NUTRICIUS.

NUTRĪTUS, us, m. idem ac nutrimentum. *Plin.* 22, 24, 53. Multi senectam longam mulsi tantum nutritu toleravere.

NUTRIX, icis, f. *τιθήνη,* quae lac praebet, nutrit, educat. *Cic. Or.* 2, 39. Omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inserant. *Id. Tusc.* 3, 1. Ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. *Colum.* 8, 11. *f.* Gallina nutrix. *Ov. Fast.* 5, 127. capra nutrix Jovis. *Prop.* 4, 1, 55. Optima nutricum lupa Martia. *Hor. Od.* 1, 22, 15. Jubae tellus leonum arida nutrix. *Arnob.* 4, 151. Virgines perpetui nutrices et conservatrices ignis. ℙ *Mater nutrix* dicitur, quae, ut legitur in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 188. *n.* 428., filios suos propriis uberibus educavit: qua de re optime disputat *Favorinus* philosophus ap. *Gell.* 12, 1. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 187. *n.* XXXVIII. Liciniae Processae matri piae, nutrici dulcissimae Crescens fecit. Alia ap. *Mur.* 2055, 3. Aur. Castae filiae, quae vix. ann. VIII. M. VII., Aurel. Fortunata mater nutrix ann. II. D. . . . . Alia ap. *Guarin. Ric. di Eclano* p. 83. Cantriae Paullae Cn. Ennius Dexter matri et nutrici suae fecit. ℙ Translate. *Cic. Or.* 11. *extr.* Est enim quasi nutrix ejus oratoris, quem informare volumus. *Ov. Met.* 8, 81. curarum maxima nutrix Nox. *Claud. in Ruf.* 1, 30. nutrix Discordia belli. ℙ *Nutrices,* mammae, quibus pueri nutriuntur. *Catull.* 64, 18. Nymphae Nutricum tenus extantes e gurgite vasto. *Appul. Met.* 2. Ex familia Plutarchi ambae prognatae sumus, et eandem nutricem simul bibimus. ℙ *Plin.* 17, 10, 12. loquens de arborum satione, *nutricem* vocat eam terram, in quam tenella germina deponuntur, alio deinde transferenda, cum adoleverint. *Pl.* quoque *Trin.* 2, 4, 111. *nutricem* appellat agrum, unde familiae alimenta suppetunt. ℙ Proverbii genus est in illo *ejusd. Bacch.* 3, 3, 29. si unam peccavisses syllabam, Fieret corium tam maculosum, quam est nutricis pallium: scil. nutrices dum assidue gestant puellos et lavant, ab iis varie conspurcantur, et commaculantur.

NŪTUS, us, m. *νεῦμα,* motus capitis, quo quippiam significamus. *Virg. A.* 9, 106. et *ib.* 10, 115. Annuit, et totum nutu tremefecit Olympum. *Plin.* 6, 30, 35. Quibusdam pro sermone nutus motusque membrorum est. *Lucan.* 4, 173. tantum nutu, motuque salutant Ense suos. *Ov. Am.* 2, 5, 16. Multa supercilio vidi vibrante loquentes: Nutibus in vestris pars bona vocis erat. *Id. Trist.* 2, 453. digitis saepe est, nutuque locutus; et *A. Am.* 1, 138. Nec tibi per nutus accipienda nota est. *Tibull.* 1, 2, 21. Illa viro coram nutus conferre loquaces. *Liv.* 34, 62. Unus Scipio vel notitia rei, vel auctoritate, finire nutu disceptationem potuisset. *Cic. Fam.* 12, 22. Nutus tuus potest hominem in civitate retinere. *Suet. Vesp.* 8. Adolescentulum fragrantem unguento nutu aspernatus, voce etiam gravissima increpuit. *Tert. adv. Herm.* 27. Nutus digiti, *h. e.* quo supputamus. ℙ Metonymice est voluntas, quae nutu declaratur, sive negando, sive affirmando. *Cic. Quint.* 30. Si fas est respirare Quintium contra nutum ditionemque Naevii. *Id. Or.* 8. Ad arbitrium et nutum alicujus totum se fingere et accommodare. *Id. Verr.* 2, 5, 13. *f.* Jura omnia praetoris nutu atque arbitrio meretriculae gubernari. *Id. Fam.* 3, 10. *f.* Totum se ad alicujus voluntatem nutumque convertere. *Id. Cat.* 3, 9. Haec omnia Deorum nutu atque potestate administrari. *Id. Or.* 1, 43. *extr.* Auctoritate nutuque legum domitas habere libidines. *Id. Verr.* 2, 2, 27. et *Agr.* 2, 36. Ad nutum cujuspiam aliquid facere. *Id. Phil.* 7, 6. Paratum esse ad nutum. *Id. Verr.* 2, 1, 31. Ad nutum praesto esse. *Lucr.* 4, 115. alterius sub nutu degitur aetas. *Virg. A.* 7, 592. saevae nutu Junonis eunt res. *Sil.* 4, 714. ac sub nutu castra fuere, *h. e.* sub potestate. ℙ Est etiam inclinatio, motusque rei pondere vergentis deorsum. *Cic. Tusc.* 1, 17. Terrena et humida suopte nutu et suo pondere ad pares angulos in terram, et in mare ferri. *Id. Or.* 3, 45. *med.* Terra media est, eaque sua vi nutuque tenetur. *Val. Fl.* 6, 381. ille diu conjectis sufficit hastis: Queis gravior, nutuque cadens exterruit Idam. ℙ *Nutu* pro *nutui* V. in JUSSUS, us.

NUX, nŭcis, f. *καρύα, κάρυον,* nomen generale est omnium pomorum, quae operimentum, seu corticem durum habent, ut sunt juglandes, avellanae, castaneae, amygdalae, nuces pineae, etc., item arbores, quae tales fructus ferunt. *Macr. Sat.* 2, 14. varia earum genera enumerat. Quomodo a *malo* differat, et a *pomo* V. in MĀLUM. *Virg. Ecl.* 2, 52. Castaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat. *Plin.* 13, 5, 10. In nucum genere pistacia nota. *Id.* 16, 25, 41. Inter primas germinant populus, ulmus, salix, nuces. ℙ Interdum a castaneis distinguuntur. *Plin.* 15, 28, 34. Putamine clauduntur nuces, corio castaneae. ℙ A similitudine *nux* dicitur fructus tithymali cognomine caryitae. *Plin.* 26, 8, 40. ℙ *Nux amara* est amygdala amara. *Cels.* 3, 10., *Colum.* 7, 13. et *Plin.* 15, 7, 7. ℙ Saepe dicitur de juglande. De hac enim intelligendus est mos spargendi per pavimentum nuces in veterum nuptiis: de quo *Virg. Ecl.* 8, 30. Sparge, marite, nuces, etc. Cujus rationem hanc reddit *Varr.* ap. *Serv. ib.*, ut Jovis omine matrimonium celebretur, et nupta matrona sit, sicut Juno. Nam nuces in tutela Jovis sunt, ideo juglandes dictae, quasi Jovis glandes. Alii tradunt, ideo spargi nuces, ut eo strepitu puellae vox non exaudiatur, virginitatem deponentis. Alii (in quibus est etiam *Festus*) quod projectae in terram tripudium solistimum faciant, quod optimum ad rem ordiendam auspicium est. Alii quod earum esca Venerem incitet. Haec *Serv. ib.*, ubi addit fabulam de Carya Dionis regis Laconiae filia, quam Liber cum adamaret, et custoditam a sororibus habere nequiret, ipsas quidem in saxa convertit, Caryam vero in arborem sui nominis. Aliam ejus moris causam affert *Plin.* 15, 22, 24. his verbis: Honor his *(juglandibus)* naturae peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primum calycis, mox lignei putaminis. Quae causa eas nuptiis fecit religiosas, tot modis fetu munito: quod est verisimilius, quam quia cadendo tripudium sonivium faciant. ℙ Nucis juglandis cortex inter fucos olim fuit, quo cani crines flavescerent. *Tibull.* 1, 9, 43. ut annos Dissimulet viridi cortice tincta nucis. Hinc *Plin.* 15, 22, 24. Rufatur capillus primum prodeuntibus nuculis. ℙ Quod olim Cerealibus nuces mittere mos fuerit, *Sinnius Capito* ap. *Fest. in fin. litt.* N. omnia missilium genera nucum nomine in eo festo significari ait, parte totum significante; nuces autem illas ustas seu tostas mitti consuevisse, quod supra alia missilia a populo diligerentur. Haec *Fest.* Fortasse *Sinnius* castaneas nuces intelligit. ℙ *Nuces relinquere* est omittere studia nugasque pueriles et ad graviora, viroque digna converti. Pueri enim

nucum lusibus delectantur. *Pers.* 1, 10. nucibus facimus quaecumque relictis. *Suet. Aug.* 83. Modo talis, aut ocellatis, nucibusque ludebat cum pueris minutis. ℙ *Nux cassa*, quaevis res minima, et nullius pretii. *Hor. Sat.* 2, 5, 35. Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te Contemptum cassa nuce pauperet. V. CASSUS. ℙ *Nuce vitiosa non emam*, prov. de quo V. in CICCUM. ℙ *Nil extra est in nuce duri*, aliud prov. de quo V. in OLEA. ℙ *Nucerum* in genit. plur. pro *nucum* dixit *Coelius* ap. *Charis.* 1, 40.

NY

[NYCHĬUS, ii, m. *νύχιος*, nocturnus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 634. *n.* 292. P. Sallustius Nychius. *F.*]

*NYCTALOPĬA, ae, f. *νυκταλωπία*, nyctalopum morbus. Cf. *Isid.* 4, 8. *B. A.*

NYCTĂLOPS, ōpis, adj. *νυκτάλωψ, ωπος*, qui vespere, et noctu parum, aut nihil videt: *ὁ τῆς νυκτὸς ἀλαὸς*, ut ait *Galenus.* Est autem vox Graeca, a *νὺξ, νυκτὸς*, nox, et *ὤψ, ὠπὸς*, oculus. Latine *lusciosus* dicitur. *Plin.* 8, 50, 76. de capris: Tradunt et noctu non minus cernere, quam interdiu: ideo si caprinum jecur vescantur, restitui vespertinam aciem his, quos nyctalopas vocant; et 28, 11, 47. de iisd.: Et quoniam caprae noctu aeque quoque cernant, sanguine hircino sanari lusciosos putant, nyctalopas a Graecis dictos: caprae vero jocinore in vino austero decocto. *Ulp. Dig.* 21, 1, 10. *med.* Ubi homo neque matutino tempore videt, neque vespertino: quod genus Graeci *νυκτάλωπας* vocant. ℙ Est etiam contraria significatione, qui interdiu parum, noctu magis cernit. Utramque notionem agnoscit *Galen.* in *Isagog. c.* 15. *f.*, et utroque modo accipitur etiam Latinum *lusciosus*, ut ibi dictum est. *Theod. Prisc.* 1, 10. *f.* Nyctalopes vero, qui per noctem vident, et per diem obscuritatem patiuntur, sic curandi sunt. ℙ *Nyctălōpă, ae*, f. est morbus nyctalopis. *Marc. Empir.* 8. *f.* Ad nyctalopas abolendas lychniten lapidem, etc. ℙ Est etiam *nyctalops* nomen herbae. V. CHENOMYCHON. [**Caesalpina pulcherrima.*]

NYCTEGRĔSĬA. V. EGRETUS.

NYCTEGRĔTON, i, n. *νυκτέγρετον*, herba, quae noctu lucet. *Plin.* 21, 11, 57. V. CHENOMYCHON.

NYCTĒIS, idis, f. *Νυκτηΐς*, Antiopa Nyctei filia, quam violasse Juppiter dicitur sub imagine Satyri, ex eaque Zethum et Amphionem sustulisse. *Hyg. fab.* 7 et 155. Hinc *Ov. Met.* 6, 110. ut Satyri celatus imagine pulcram Juppiter implerit gemino Nycteida fetu. *Stat. Th.* 7, 190. noctes Herculeae, placitusque vagae Nycteidos ardor.

NYCTĔLĬUS, a, um, adj. *Νυκτέλιος*, cognomen Bacchi: a *νὺξ*, nox, et *τελέω*, perficio, quod noctu sacra ejus peragebantur. *Ov. A. Am.* 1, 567. Nycteliumque patrem, nocturnaque sacra precare. ℙ *Nyctelius latex* pro vino, ap. *Sen. Oed.* 492. ℙ *Nyctelia sacra*, orgia, Bacchanalia, quae Romani sustulerunt ob turpitudinem. *Serv.* ad *A.* 4, 303. V. *Liv.* 39, 8. et sqq.

NYCTEUS, i, m. *Νυκτεύς*, disyllab. filius Neptuni ex Celaeno Ergei filia, pater Antiopae. *Prop.* 3, 13, 12. Nycteos Antiopen accubuisse Lyco. *Nycteos* est genit. Graecae positionis pro *Nyctei.* V. NICTEIS. ℙ Item unus ex equis Plutonis. V. ALASTOR.

[NYCTĬCORAX, ăcis, m. *νυκτικόραξ*, corvus nocturnus, bubo: a *νὺξ, νυκτὸς*, nox, et *κόραξ*, corvus. Hanc avem memorant *Hieron. ep.* 106. n. 86. et *Isid. Orig.* 12, 7., at eandem *noctuam* perperam interpretantur. *F.*]

NYCTOSTRĂTĒGUS, i, m. *νυκτοστράτηγος*, vox Graeca, a *νὺξ*, nox, et *στραιηγὸς*, dux militum: in municipiis fuit idem qui Romae praefectus vigilum, h. e. qui cum militibus, vel familia noctu oppidum obibat arcendis incendiis, furibus terrendis, rixis dirimendis, etc. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. §. 12., ubi minus recte alii *nicostrategus.*

NYCTYMĒNĔ, es, f. *Νυκτυμένη*, filia Epopei regis Lesbiorum, quae, quoniam cum patre concubuerat, facinus recognoscens, in silvas aufugit, et Minervae miseratione in avem conversa est, quae a Graecis etiam *γλαὺξ*, a Latinis *noctua* dicitur: a *νὺξ*, nox, et *μένω*, maneo, quasi noctem manens. *Ov. Met.* 2, 591. patrium temerasse cubile Nyctymenen: avis illa quidem: sed conscia culpae Conmenen: avis illa quidem: sed conscia culpae Conspectum lucemque fugit. Adde *Serv.* ad *G.* 1, 403. et *Hyg. fab.* 204 et 253. *Vet. Stat. Schol.* ad *Th.* 3, 507. dicit, fuisse filiam Nyctei Aegyptiorum regis.

NYMPHĂ, ae, et Nymphe, es, f. *νύμφη*, Graeca vox sponsam, vel etiam uxorem significans. *Festus:* Nuptam Graeci appellant *νύμφην.* [**Doederl.* 2, 15. docet, v. *nympha* ejus esse originis cum *nubere.*] *Ov. Her.* 1, 27. Grata ferunt nymphae pro salvis dona maritis. Addi solet et *Tibulli* locus 3, 1, 21. Sed primum nympham longa donate salute, *h. e.* amicam, dominam. Sed jampridem critici *meritam* reposuere. *Broukhus.* autem contendit, *nuptae* ap. *Ov.* legi debere: quod et *Heinsio* placebat. *Burm.* monet, etiam *Fast.* 2, 605. et *ib.* 3, 205. et *ib.* 5, 205. *nympham* pro *nuptam* lectum a quibusdam fuisse. Sed haec omnia incerta: eaque significatio Graecis relinquenda est, dum certior Latina auctoritas appareat. ℙ Etymon est, *ὅτι νέα φαίνεται*, quia nuptae tunc primum se conspiciendas praebent, novoque ornatu, cum nubunt. Hinc *nymphae* dicuntur a *Plin.* 11, 16, 16. apes cum formam capere coeperunt. Sic de vespis *ib.* 21, 24. Fetus ipse inaequalis, ut barbaris: alius evolat, alius in nympha est, alius in vermiculo. ℙ A poetis *Nymphae* vocantur Deae, ex genere eorum, qui post longum aevum aliquando moriuntur, ut Fauni Panesque, ut *Servius* docet ad *A.* 1, 376. ex *Aristotele*, praesides maris, fluminum, fontium, silvarum, arborum, montium: peculiaribus etiam nominibus appellatae, Nereides, Napeae vel Naiades, Dryades, Oreades: quae V. suis locis. Hae Diis concumbere dicuntur, et heroibus: quarum filii mortales fere sunt. Dicuntur, quae praesunt aquis, filiae Oceani, vel Nerei, et Doridis, item Amnium eorum, in quibus degunt. Finguntur esse in potestate Junonis, quia, ut ait *Serv.* ad *A.* 1, 75., haec est aer, in qao creantur nubes, unde est aqua. Nympharum aquaticarum decem et octo nomina *Virg.* recitat *G.* 4, 221. et sqq. *Ov. Met.* 5, 540. Ascalaphus, quem dicitur Orphne, Inter Avernales haud ignotissima Nymphas, Ex Acheronte suo furvis peperisse sub antris. *Virg. A.* 8, 71. Nymphae, Laurentes Nymphae, genus amnibus unde est; et *ib.* 10, 551. Silvicolae Fauno Dryope quem Nympha crearat. *Stat.* de silva antiquissima *Th.* 6, 94. stat sacra senectae Numine, nec solos hominum transgressa veterno Fertur avos, Nymphas etiam mutasse superstes, Faunorumque greges. *Ov. Fast.* 1, 634. Nympha Maenalis, *h. e.* Carmenta mater Evandri. *Virg. Ecl.* 7, 21. Nymphae, noster amor, Libethrides, *h. e.* Musae. *Ov. Fast.* 3, 659. Invenies, qui te Nymphen Atlantida dicant; et *ib.* 6, 107. Inde sata est Nymphe: Granen dixere priores. *Id. Met.* 3, 357. vocalis Nymphe, *h. e.* Echo. ℙ Nympharum templa fuerunt publice vota et dedicata, ut ait *Cic. N. D.* 3, 17. Hujusmodi Nymphae muliebri figura erant, et aquis praeesse, et medicinam aegrotis tribuere putabantur. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 307, 2. Nymphis sanct. novis repertis in villam Sardinianam deductis, etc. Alia ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 187. Pro salute domini nostri sanctissimi Antonini Pii Nymphis novis sacrum Rufinus Leg. XIII. G. ℙ Aliquando Nymphis simul ac Lymphis vota nuncupabantur et solvebantur ob aquarum inventionem, vel reditum. *Inscr.* ap. *Mur.* 87, 3. quae nunc Vicetiae exstat, atque ita legitur: Nymphis, Lymphisq. Augustis ob reditum aquarum P. Pomponius Cornelianus C. V. ut vovit. ℙ Alia ap. *Fabr.* p. 744. *n.* 528. Nymphis Geminis sacrum C. Fufius Gemini F. (corrige *L.*) Politicus, idem aquam perduxit. Hic C. Fufius Nymphas *Geminas* vocat de cognomine patroni sui. ℙ De puellis nobilioribus. *Ov. Her.* 5, 125. ventisque ferentibus usus Applicor in terras, Oebali Nympha, tuas, *h. e.* Helena. ℙ Metonymice ut Ceres pro pane, Liber pro vino, sic Nympha pro aqua ponitur. *Prop.* 3, 14, 4. Et cadit in patulos Nympha Aniena lacus. Al. leg. *lympha. Broukhus.* defendit *nympha*, et ex MS. ita legit etiam cum *Bentlejo* ap. *Hor. Od.* 3, 13, 15. unde loquaces Nymphae desiliunt tuae. Sic *Mart.* 6, 43. Canaque sulphureis nympha natatur aquis. ℙ In dat. plural. *Nymphabus* legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 93, 8. Ti. Claudius Asclepiades, et Caecilius Asclepiades ex voto Nymphabus D. D. Adde aliam ap. *Don. cl.* 1. *n.* 7. De hac positione V. in ASINA. ℙ [**Confund. *nymphae* et *nuptae.* V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 27.]

NYMPHAEĂ, ae, f. *νυμφαία*, herba, de qua *Plin.* 25, 7, 37. Nymphaea nata traditur Nympha zelotypia erga Herculem mortua. Quare heracleon vocant aliqui, alii rhopalon a radice clavae simili. Nascitur in aquosis, foliis magnis in summa aqua, et aliis ex radice prodeuntibus, flore lilio simili, et cum defloruit capite papaveris, tenui caule. Est et alia in Thessalia, amne Peneo, radice alba, capite luteo, rosae magnitudine. Haec *Plin.* ℙ *Item insula Samo adjacens. *Plin.* 5, 31. ℙ Et vetus nomen Coi insulae. *Id. ib. B. A.*

*NYMPHAEUM, i, n. opp. in Chersoneso Taurica, inter Theodosiam et Panticapaeum. *Plin.* 4, 12. ℙ Nymphaeum, i. q. Nympheum. V. NYMPHEUM. *B. A.*

[NYMPHAEUS, i, m. ad Nymphas pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Delphico Interamna Praet.* p. 138. P. Arruntius P. L. Nymphaeus sibi, et P. Arruntio Nymphio patri, etc. *F.*] **Nymphaeus, i*, fluvius Latii, inter Circeios et Asturam. *Plin.* 3, 5. ℙ Alius, in Mesopotamia, in Tigrim influens. *Ammian.* 18, 9. (al. 22.) ℙ Item mons, ignem emittens, in Illyride Graeca sive Macedonia, prope Apolloniam. De eo sic *Plin.* 2, 106. Nymphaei crater dira Apolloniatis suis portendit, ut Theopompus tradidit. Augetur imbribus, egeritque bitumen, temperandum fonte illo ingustabili: alias omni bitumine dilutius. Adde 107. *B. A.*

*NYMPHAIS, idis, f. *Νυμφαΐς*, insula maris Mediterranei, Libyae adjacens. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*NYMPHĂLIS, is, adj. fontanus. *Octav. Hor.* 4. Decoquere aliquid in aqua nymphali. *B. A.*

[NYMPHARĒNA, ae, f. gemmae nomen ap. *Plin.* 37, 10, 64. Nympharena urbis et gentis Persicae nomen habet similis hippopotami dentibus. *F.*]

[NYMPHĒROS, ōtis, m. sponsae amor: a *νύμφη*, sponsa, et *ἔρως*, amor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 15, 3. L. Caecilius Nympheros. Hic perperam legitur *Nympherosus. F.*]

NYMPHĒUM, i, n. *ὑδρεῖον, νυμφεῖον*, fons manu exstructus e lapide, cum salientibus, unde aqua effluit, ad ornatum urbis praecipue factus: a nympha pro aqua. Alii interpretantur aedes Nymphis sacras, marmorum varietate, pictis tabulis, et aquarum copia spectabiles. *Plin.* 35, 12, 43. Eumque typum servatum in nympheo, donec Corinthum Mummius everteret, tradunt. *Capitol. Gord.* 32. Opera Gordiani Romae nulla exstant, praeter quaedam nymphea, et balneas. *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 11, 42, 5. *med.* Quid in publicis thermis, quid in nympheis pro abundantia civium conveniat deputari; et *ib.* 6. Malumus aquaeductum nostri palatii publicarum thermarum ac nympheorum commoditatibus inservire. *Salm.* ad *l. Capitol. c.* reprehendit *Cujac.*, qui putarit esse aedes publicas, in quibus nuptias celebrarent, qui carebant aedibus ad choreas capacibus. V. si vacat *Vales.* et *Gronov.* ad *Ammiani* 15, 7. ℙ Est etiam hoc nomine promontorium, et portus in ora Liburniae, non longe a Lysso oppido. *Plin.* 3, 22, 26. et *Lucan.* 5, 720. *Adde *Caes. B. C.* 3, 26. ℙ Item opp. in Chersoneso Taurica. V. NYMPHAEUM. ℙ Et locus, cum portu, Apolloniae adjacens, in Illyride Graeca (postea Macedoniae parte), ad mare situs. *Liv.* 42, 36. 49. et 53. ℙ Item Armeniae opp., ad Tigrim flumen. *Plin.* 5, 27. *B. A.* ℙ *Nympheum* fuit etiam in Lydia in lacu, qui dictus est Calaminus ob calamorum multitudinem. *Plin.* 2, 95, 96. Sunt et in Nympheo parvae *(insulae)* Saltuares dictae. V. CALAMINUS. ℙ Scribitur et Nymphaeum, *νυμφαῖον*, sed *Salm. l. c.* praefert *Nympheum.*

[NYMPHĬAS, ădis, f. patronym. a Nympha, filia Nymphae, sive sponsae. *Inscr.* ap. *Gud.* 344, 5. Furiae Nymphiadi Furia Apta patronae. *F.*]

[NYMPHĬCUS, a, um, adj. *νυμφικὸς*, sponsalis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 117. C. Pompejus Nymphicus. Alia ap. *Mur.* 1143, 9. Caesennia Nymphice. *F.*]

[NYMPHĬDĬUS, a, um, adj. *νυμφίδιος*, sponsalis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 902, 7. T. Flavius Nymphidius. Alia ap. *Fabr.* p. 337. *n.* 507. Gellia Nymphidia. *F.*] ℙ *Nymphidius Sabinus, praefectus, de quo *Suet. Galb.* 11. *Tac. H.* 1, 5. *B. A.*

[NYMPHĬGĔNĂ, ae, comm. gen. qui ex Nympha genitus est. *Vet. epigr.* in *Anth. Lat.* T. 1. p. 84. *Burm.* Sors nova nymphigenae votum post fata meretur: Quam pepigit thalamis, hanc habet in tumulis, *h. e.* Achillis e Peleo, et Nympha Thetide nati, ad cujus tumulum jugulata est Polyxena, quam uxorem ducturus erat, nisi a Paride interfectus fuisset. *F.*]

[NYMPHĬUS, ii, m. *νύμφιος*, sponsus. Est cogn. R. V. in NYMPHAEUS. *F.*] **Liv.* 8, 25. et 26. *B. A.*

[NYMPHŌDŌRUS, i, m. sponsae donum: a *νύμφη*, sponsa, et *δῶρον*, donum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1599, 5. L. Saenius L. L. Nymphodorus. *F.*] *NYMPHODŌRUS Syracusius, scripsit inter alia de Siciliae et Sardiniae rebus admirandis. *Plin.* 7, 2. *B. A.*

[NYMPHŌDŌTUS, i, m. a sponsa datus: a *νύμφη*, sponsa, et *δοτὸς*, datus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 109, 1. L. Vibius Visci L. Nymphodotus. *F.*]

NYMPHON, onis, m. *νυμφὼν*, conclave, seu thalamus sponsi et sponsae. *Tert. adv. Valent.* 32. *med.*

NYSĂ, ae, f. *Νύσα* et *Νύσσα*, nomen est multarum urbium variis locis, de quibus V. geographos. Clarissima et maxima est in India cum monte proximo, Jovi sacro, cui *Meru* nomen, famam hinc praecipue habens, quod in illa genitum, et in hujus specu Liberum patrem arbitrantur esse nutritum: unde Graecis auctoribus *(quia μηρὸς femur* significat*)*, ut femori Jovis insutum dicerent, aut materia ingessit, aut error. Haec *Mela* 3, 7. Sic *Plin.* 6, 21, 23. Necnon et Nysam urbem plerique Indiae adscribunt, montemque Merum Libero patri sacrum: unde origo fabulae, Jovis femine editum. Eadem habet *Curt.* 8, 10. Alii tamen Bacchum alibi natum educatumque tradunt, hoc est in Nysa Arabiae Aegypto contermina, vel Thebis Boeotiae, ut est ap. *Plin.* 4, 7, 12., et cum postea ad Indos subigendos profectus esset, eam urbem condidisse, et nomine patriae suae appellasse. Certe *Just.* 12, 7. Bacchum Nysae conditorem appellat, montem vero (quem Nysum alii vocant) vite et hedera non aliter vestiri tradit, quam si manu cultus esset,

quod et *Curt.* docet *l. c. Mart.* 4, 44. Haec juga, quam Nysae colles, plus Bacchus amavit. ℙ *Acron* ad *Hor. Od.* 2, 1. *extr.* et *Lactant.* ad *Stat. Th.* 7, 347. docent, duo esse Parnassi juga, Cirrham, et Nysam: alterum Musis, alterum Baccho sacrum: de quo fortasse *Juven.* 7, 63. cum se carmine solo Vexant, et dominis Cirrhae, Nysaeque feruntur, etc. V. CIRRHA. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 65.] ℙ *Nysa, urbs Cappadociae. *Ant. Itin.* In Caria ponit *Plin.* 5, 29. ℙ Dicta etiam olim Nysa est Scythopolis, urbs Samariae vel regionis Decapolitanae, teste *Plin.* 5, 18. ℙ Et nomen Nymphae, Aristaei filiae, quae Bacchum in Nysa monte educavit. *Hyg. fab.* 182. V. et *Diod.* 3, 70. Ab ea, ibi sepulta, nomen traxisse Nysam urbem, quae et Scythopolis (V. supra), testatur *Plin.* 5, 18. Cf. et *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 6, 15. Dionysus alius est *is*, qui Nysam dicitur interemisse a *Cic. N. D.* 3, 23. ℙ Denique Nysa nomen fuit filiae Nicomedis Bithyniae regis. *Suet. Caes.* 49. *B. A.*

NYSAEUS, a, um, adj. *Νυσαῖος*, ad Nysam, et Bacchum pertinens. *Prop.* 3, 15, 22. Indica Nysaeis arma fugata choris. *Sil.* 7, 198. Festas Nysaeo redimivit palmite mensas. *Sen. Oedip.* 405. Mollia Nysaeis armatae brachia thyrsis. *Lucan.* 8, 227. Nysaeus Hydaspes, *h. e.* Nysam alluens. *Sil.* 12, 160. Nysaea cacumina Gauri, *h. e.* Gaurum montem vini fertilem. ℙ *Nysaei, orum*, sunt incolae urbis Nysae ad Maeandrum, quam *Strabo l.* 14. Lydiae, *Plin.* 5, 29, 29. et *Ptolem.* 5, 2. Cariae attribuunt. *Cic. Fam.* 13, 64. Nysaeos habeas tibi commendatissimos, ut intelligat illa civitas, etc. ℙ *Fuit et Nysaeus nomen filii Dionysii senioris, Syracusii, ex Aristomacha. *Nep. Dion.* 1. *B. A.*

[NYSĔ, es, f. clauda: a *νῦσος, η, ον*, claudus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 577, 5. Julia Nyse. *F.*]

NYSĔIS, idis, f. adj. a Nyseo, *Νυσηΐς. Ov. Met.* 3, 314. de Baccho: inde datum Nymphae Nyseides antris Occuluere suis.

NYSĔĬUS, a, um, adj. Nysaeus, *Νυσηΐος. Lucan.* 8, 801. Et juga tota vacant Bromio Nyseia.

NYSEUS, i, m. disyll. *Νυσεύς*, cogn. Bacchi, a Nysa urbe. *Ov. Met.* 4, 13. Additur his Nyseus, indetonsusque Thyoneus.

NYSĬĂCUS, a, um, adj. ad Nyseum, seu Bacchum pertinens. *Capell.* 2. *in.* Hoc quoque Nysiacis quod sparsum floribus ardet, Multiplici ambitum redimitur lumine sertum, *h. e.* corona Ariadnae a Baccho in coelum translata.

NYSĬAS, ădis, f. patronymicum a Nyseo, hoc est Baccho, *Νυσιάς. Ov. Fast.* 3, 769. Nysiades Nymphae, puerum quaerente noverca, Hanc frondem cunis opposuere novis.

NYSĬGĔNA, ae, m. Nysae natus, ut Nysigenae Sileni, qui una cum Baccho Nysae educati. *Catull.* 64, 252. Cum thyaso Satyrorum, et Nysigenis Silenis.

NYSĬON, ii, n. *νύσιον*, hedera, a Nyseo, seu Baccho. *Appul. Herb.* 98.

NYSĬUS, a, um, adj. Nysaeus. *Arnob.* 5, 176. Cum inter homines esset adhuc Nysius et Semeleius Liber. *Plin.* de genere quodam hederae verba faciens, 16, 34, 62. Quam quidam Nysiam, alii Bacchicam vocant, maximis inter nigras corymbis.

*NYSSOS, i, opp. Macedoniae, in paeninsula Pallene. *Plin.* 3, 10. *ed. Hard.* ubi antea legebatur *Nissos. B. A.*

[NYSUS, i, m. Bacchi nutricius, cui, cum in Indiam exercitum duceret, dum ipse inde rediret, regni Thebani potestatem tradidit: sed posteaquam inde reversus est Liber, Nysus regno cedere noluit. Post annum tertium simulat Bacchus in regno se sacra facere velle, quae Trieterica dicuntur, militesque muliebri ornatu pro Bacchis introduxit, et Nysum cepit, regnumque suum recuperavit. Haec *Hyg. fab.* 131. Adde *fab.* 167. *F.*]

O

O, quarta Latinorum vocalis, rotundae figurae, et rotundo ore proferenda, sonum plenissimum habens supra ceteras. De ejus mutationibus multa *Prisc.* 1, 553 et 554. Praecipue vero pro *u*, et *e* ponitur, ut *Davos, voltis, vorsus, voster*, etc., quae tamen nunc antiqua habentur: item pro *au*, ut *coda, plodo*, etc. V. et *Quint.* 1, 4 et 7. [*De hujus literae natura ejusque cum aliis permutatione accuratissime exposuit *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 26 — 33. ℙ In notis inscriptionum varie usurpatur: ita pro *omnibus*. V. ap. *Orell.* 1218. pro *omnium: ib.* 4415. pro *omni* (vel *optima*): *ib.* 3700. pro *ossa*. V. *ib.* 4489. *O. E. B. Q. C.* Ossa ejus bene quiescant condita; et 4483. 4490. *OIBQ.* Ossa illius bene quiescant; pro *ollam: ib.* 4653. pro *optimi: ib.* 5037. *optimo* 4135.]

O, *ὀ, ὦ*, adv. vocandi. Construitur cum vocativo. *Cic. Fam.* 10, 26. O mi Furni, quam tu cavisse, cum non sit Atheniensis, sed Thebanus, et *Cretae Oaxem*, cum in Scythia sit. *Hard.* ad *Plin.* 6, 16, 18. aliam Virgiliani versus interpretationem affert: Oaxem eundem esse, atque Oxum, qui fluvius est Scythiae Asiaticae, et per Margianam ejus regionem fluit: Margianae regioni nomen esse, vel creditum esse, a *marga*, quae genus est cretae, qua laetificantur agri. Rusticum illum, qui a Virgilio inducitur, cum margam nosset, *Oaxum Cretae* per imperitiam dixisse: atque talis loci ob id praecipue fecisse mentionem, quod recens erat memoria cladis Crassianae, post quam Romani milites captivi a Parthis victoribus in ea loca ducti fuerant.

OAXIS, idis, f. adj. ut Oaxis terra, *Varr. Atacin.*, h. e. quae amne Oaxe alluitur. V. v. praec.

OB

[*OB, praep. accus. regens, significat proprie, ut Gr. *ἐπὶ*, (a quo ortum ducere fertur eodem modo, quo *ab* ab *ἀπὸ*, et *sub* ab *ὑπὸ*) super, ad, contra, ut recte *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 3, 2, 22. Semper enim spectat aliquid, quod coram quasi extenditur, obviam est, obest, prostat etc. Nostr. *ob, auf, ver, vor, für* etc. Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 137, 3. p. 408. sq. *Pl. Mil.* 2, 5, 51. Nunc demum experior, prius ob oculos mihi caliginem obstitisse.] *Id. ib.* 5, 37. Ille qui lanam ob oculum habebat, nauta non erat. *Cic. Rab.* 14. Mors ob oculos saepe versata est. [*Huc pertinet etiam] *Pl. Aul.* 2, 4, 23. Quin cum it dormitum, follem obstringit ob gulam, ne quid animae forte amittat dormiens [*i. e. in, circum. Porro: quae *Festus* affert ex *Ennio:*] Ob Romam noctu legiones ducere coepit, [*i. e. ad. Simili ratione dictum *ob* etiam in his, quae *Id.* al. profert ex *eodem:*] Acheruntem obibo, ubi mortis thesauri objacent: et *paulo post:* Ob os, ad os significat, quibus verbis fortasse respicit illud *Vet. Poet.* ap. *Cic. Tusc.* 3, 18. etc. *Fam.* 9, 26. Quem aspectabant? cujus ob os Graji ora obvertebant sua? *Plaut. fragm.* ap. *Non.* 4, 429. Intro ad uxorem: sufferamque meum tergum ob injuriam. V. alia huc pertinentia in OBEO. — [*Porro ea, in quibus *ob* usurpatur ad significandum pretium, vel id, quod pretii loco datur.] *Ter. Phorm.* 4, 3, 56. Ager oppositus est pignori ob Decem minas. *Pl. Asin.* 2, 2, 80. Ob asinos ferre argentum. *Id. Rud.* 3, 6, 23. arrhabonem a me accepisti ob mulierem. *C. Gracch.* ap. *Gell.* 11, 10. *f.* Talentum magnum ob unam fabulam datum esse. *Festus:* Ob vos sacro, in quibusdam precationibus est, pro vobis obsecro. [*A quibus parum differt loquendi genus, quo vv. *ob rem* (oppon. *frustra*) adhibentur, cum aliquid in rem, cum lucro, utilitate fieri dicitur.] *Ter. Phorm.* 3, 2, 41. Non pudet Vanitatis? *Dom.* minime, dum ob rem; et *Sall. Jug.* 33. Verum id frustra an ob rem faciam, in vestra manu situm. ℙ [*Hinc factum est, ut *ob* in universum causam, consilium, finem, quem quis consequi studeat, etc. designet, eademque fere ratione ponatur, qua alias *gratia, causa, propter, ad* etc., Gr. *ἕνεκα, διά, ἐπί*. Qui longe frequentissimus est hujus verbi usus. Hic prae ceteris commemorari poterant ista: *ob hoc, ob haec, ob id, ob ea* pro *propterea*, apud omnes quidem latini sermonis scriptores usitatissima.] *Caes. B. G.* 1, 13. Ne ob eam rem ipsos despiceret. *Cic. Fat.* 10. *f.* Hanc rationem Epicurus induxit ob eam rem, quod veritus est, ne, etc. *Id. Font.* 8. Qui ob aliquod emolumentum suum cupidius aliquid dicere videntur. *Id. Verr.* 2, 2, 32. Si est flagitiosum, ob rem judicandam pecuniam accipere, quanto illud flagitiosius, eum, a quo pecuniam ob absolvendum acceperis, condemnare? [*V. *Matth.* ad *Mur.* 1.] *Virg. A.* 1, 255. Navibus (infandum!) amissis, unius ob iram Prodimur. [*Huc pertinet etiam illud, quod Noster, in suo scil. hujus loci ordine, tanquam ab his alienum separatim collocaverat.] *Pl. Cas.* 4, 3, 6. Quid illaec nunc Tamdiu intus remoratur, quasi ob industriam? h. e. de industria. Eodem modo locutus est 2, 3, 58.; [*et *Men.* 1, 2, 14. *Bailey.* Adde *Tac. A.* 1, 68. Raro super milite, et quasi ob metum defixo, i. e. prae metu; et *ib.* 2, 83. Germanicum — mortem ob rempublicam obiisse, i. e. pro republ.; et 6, 5. cum quibus ob rem pecuniariam disceptabat, i. e. de re p.] ℙ In compositione suam consonantem retinet sequente vocali, aut liquida, item *b, d, s, t*, et *v* consonante: ut *obba, obduco, obloquor, obmutesco, obnubo, obruo, observo, obtundo, obverto:* cum aliis aut mutat, aut retinet, ut *obcaeco*, et *occaeco, officio*, et *obficio, oggannio*, et *obgannio, oppeto*, et *obpeto*, etc., quamquam frequentius mutare videatur. ℙ [*Confund. *ob* et *ad*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 362.]

OBĂCERBAT, exacerbat. *Festus.*

OBĂCĔRO, as, a. 1. Obacerare, obloqui, atque alterius sermonem moleste impedire: quod sumptum videtur a paleis, quas Graeci *ἄχυρα* vocant. Haec *Paul.* ex *Festo.* Sunt qui suspicantur legendum *Obacerbare.* Addunt in veteribus libr. legi etiam

obacorare, ab *acore* ductum, ut sit acorem, h. e. molestiam exhibere.

OBAEMŪLOR, aris, dep. 1. contra aemulor, irrito, provoco. *Tert. adv. Marc.* 4, 31. *med.* ex *Deuter.* 32, 21. Illi obaemulati sunt me in non Deo: et ego obaemulabor eos in non natione. Ubi *Vulgata* verbo *provocare* utitur.

[OBAERĀRIUS, ii, m. qui aere alieno obstrictus, operam suam agriculturae praestare cogitur. *Varr. R. R.* 1, 17. Liberi colunt agros cum iis, quos obaerarios nostri vocitarunt. Quidam Codd. habent *obaeratos*, sed praestantiores *obaerarios*: alii tamen legendum putant *operarios*. *F.*]

OBAERĀTUS, a, um, adj. [*χρεωφειλέτης.] aere alieno ita obstrictus, ut cum solvendo non sit, corpore et opera servire cogatur, addictus, nexus. [*V. *Herz.* ad *Caes.* l. mox l.] *Varr. L. L.* 6, 5. *f.* Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debeat, dat, dum solveret, nexus vocatur, ut ab aere obaeratus. *Caes. B. G.* 1, 4. Orgetorix ad judicium omnem suam familiam undique coegit, et omnes clientes, obaeratosque suos eodem conduxit. *Liv.* 26, 40. *f.* Exsules, obaerati, capitalia ausi plerique. ℙ Item simpliciter aere alieno obstrictus. [*Verschuldet.] *Suet. Caes.* 46. Villam magno sumptu absolutam, quia non tota ad animum ei responderat, totam diruit, quamquam tenuis adhuc, et obaeratus. *Tac. A.* 6, 17. Quanto quis obaeratior, aegrius distrahebant.

OBAGITO, as, a. 1. agito, exagito. *Enn.* ap. *Non.* 2, 605. Restitant, occurrunt, obstant, obstrigillant, obagitant. Al. minus recte leg. *obganniunt*. Ap. *Fest.* habetur *obigitat*, mutata vocali, qui mos est in compositis frequens, ut *subigitat*. Obigitat, inquit, ante agitat, ut obambulat. [*Quaedam emendavit *F.*]

OBAMBŪLĀTIO, onis, f. *περιόδευσις*, actus obambulandi, discursus. *Auct. ad Her.* 3, 19. Commodius est in derelicta, quam in celebri regione locos (*memoriae*) comparare, propterea quod frequentia et obambulatio hominum conturbat, et infirmat imaginum notas. [*Cf. *obambulo*.]

OBAMBŪLO, as, avi, atum, n. 1. *περιοδεύω, περιπατέω*, circum ambulo, circumeo, obeo, ultro citroque discurro, perambulo. [*Cf. *Doederl.* 3, 50.] *Ov. Trist.* 2, 459. Scit, cui latretur, cum solus obambulet ipse, [*ubi recte *Doederl.* l. l. p. 51. *solum* per oxymoron quasi suum ipsius comitem significari dicit.] *Liv.* 25, 39. Milites obambulantes ante vallum portasque. *Ov. Met.* 2, 851. Mugit, et in teneris formosus obambulat herbis. *Virg. G.* 3, 538. nec (*lupus*) gregibus nocturnus obambulat. *Liv.* 36, 34. Obambulare muris, ut facile nosceretur ab Aetolis, coepit. ℙ Cum accusat. vi praeposit. *Ov. Met.* 14, 188. totam fremebundus obambulat Aetnam. *Suet. Tib.* 11. Sine lictore gymnasia obambulans. [*Recte *Brem. gymnasio* retinuit, quia hujus v. cum accus. constructio poetis convenit, et quod Rhodus unum tantummodo gymnasium continere a Plutarcho, citante Torrent., dicitur.] ℙ *Paul.* ex *Festo*, obambulare interpretatur, adversum alios ambulare, et quasi ambulanti sese opponere. [*Male! V. *Doederl.* l. ab initio l.]

OBĀRĀTOR. V. IMPORCITOR.

OBARDĒO, es, n. contra, vel ante aliquem ardeo. *Stat. Th.* 9, 856. cum torva clypei metuendus obarsit Luce Dryas, tremor ora repens, ac viscera torsit Arcados.

OBARESCO, is, arui, n. 3. *περιξηραίνομαι*, circumquaque aresco: [*vertrocknen.] *Lactant. Op. D.* 10. Membrana illa (*oculi*) quam siccari et obarescere non oportet. Quaedam MSS. habent *arescere*.

OBARMĀTUS, a, um, part. ab *obarmo*, armatus contra aliquem. Translate *Appul. Met.* 2. Perfrictis oculis, et obarmatis ad vigilias.

OBARMO, as, a. 1. idem quod armo, aut contra aliquem armo. [*Prorsus est id, quod nos dicimus *bewaffnen*. Notio *contra armandi* nullo loco, quos quidem *Forc.* affert, continetur.] *Hor. Od.* 4, 4, 20. Amazonia securi Dextras obarmet. *Appul. Met.* 9. *in.* Ille carnifex contra me manus impias obarmabat. *Auson. epigr.* 25. Mater Lacaena clypeo obarmans filium, Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

OBĀRO, as, avi, atum, n. 1. *περιαρόω*, circum aro, vel arando excolo: [*umpflügen, bepflügen.] *Liv.* 23, 19. *med.* Et cum hostes obarassent quidquid herbidi extra murum est.

OBĀTER, a, um, *ὑπομέλας*, quodammodo ater, subater. *Plin.* 18, 35, 79. Nascens luna si cornu superiore obatro surget. *Hard.* in MSS. invenit *obatrato*.

OBATRESCO, is, n. 3. ater fio. *Firm. praef. Math.* Lacus liventibus spumis obatrescit.

[OBAUDIENS, entis, part. ab *obaudio*, obediens. Hinc compar. *Obaudientior* ap. *Ambros. or.* subject. *ep.* 21. Quid obaudientius potest esse, quam ut Christi sequamur exemplum. *F.*]

OBAUDIENTIA, ae, f. obedientia. *Tert. Exhort. ad cast.* 2. *med.* Voluntas Dei in obaudientiam venerat.

OBAUDĪO, is, a. 4. idem ac obedio. *Appul. Met.* 3. Secreta, quibus obaudiunt Manes. *Tert. adv. Marc.* 2, 2. *extr.* Adam non obaudiit.

[OBAUDĪTIO, onis, f. obaudientia. *Gloss. Phil.* Obauditio, *ὑπακοή*. *F.*]

OBAURĀTUS, a, um, part. ab inus. *obauro:* inauratus. *Appul. Met.* 11. Alius soccis obauratis, indutus serica veste, mundoque pretioso.

OBBA, ae, f. *Gloss. Philox.* Obua (leg. *Obba*, ut monet *Voss.* in *Etym.*) *ἄμβιξ, ἐν ᾧ τοῖς νεκροῖς σπένδουσιν*, h. e. quo libant mortuis. *Ἄμβιξ* autem aliis est calix, poculum: aliis olla, aut cadus. [Videtur esse ab Hebr. אֹרֶב *ob* uter, Italice *otre*. *F.*] *Plin.* 33, 8, 41. vertens locum *Dioscor.* 5, 110. ubi de hydrargyro conficiendo sermo est, *ἄμβικα* vertit calicem, seu operculum, quo ferrea concha contegitur. *Athenaeus* 11, 8. *f.* dicit, *ἄμβικας* esse pocula in acutum fastigiata. Quare si *Gloss.* credimus, obbas esse *ἄμβικας*, erunt eae similes iis, quae Itali dicunt *caraffe* aut *caraffini*, fundo et ventre lato, collo et ore angusto. *Non.* quoque 2, 597. scribit obbam esse poculi genus, quod nunc ubba dicitur; et 15, 14. esse poculi genus vel ligneum, vel ex sparto. *Varr. ib.* et 20. Dolia, atque apothecas tricliniares, melicas Calenas, obbas, et Cumanos calices. *Id. ib.* Utrum meridie, an vesperi lubentius ad obbam accedas, locus, actus, adventus declarabit. In his *Varr.* verbis et poculum intelligi potest, et vas: at vas aptius intelligitur et quidem non modicum, et lato fundo, ut facile sedeat, (Itali dicunt *barile*) in illo *Persii* 5, 146. Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto, Coena sit in transtro? Vejentanumque rubellum Exhalet vapida laesum pice sessilis obba? ℙ *Obbam* panico tribuit *Plin.*, cujus haec verba sunt 18, 7, 10. *n.* 3. Panicum a paniculis dictum, cacumine languide nutante, paulatim extenuato culmo paene in surculum, praedensis acervatur granis, cum longissima pedali obba. Ubi *Hard.* in MSS. legit *Obsa*. Libentius vero, inquit, multo agnoverim, litteris permutatis, *foba*, vel potius *phoba*. Est enim *φόβη Theophrasto H. Pl.* 8, 3. arundinacea coma frugum omnium, quae ad milii similitudinem surgunt: *τὰ μὲν ἔχει στάχυν, τὰ δὲ χεδροπὰ λοβόν, τὰ δὲ κεγχρώδη φόβην· ἡ γὰρ καλαμώδης ἀσταφυοις, φόβη*.

OBBĀTUS, a, um, adj. in obbae figuram factus. *Appul. Met.* 10. Castor et Pollux, quorum capita cassides obbatae stellarum apicibus insignes contegebant. Ap. *Helmenhorst.* p. 254. legitur *obatae:* unde quidam suspicantur esse pro *ovatae*, facili mutatione *b* in *v*. Ap. *Pricaeum* p. 234. est *aeratae*. Si *obbatae* retinemus, erunt cassides infra latae, supra in acutum desinentes, ut in *Obba* est dictum. [Si *ovatae*, quod rectius videtur, erunt in dimidii ovi formam, quales habent capita Dioscurorum in nummis gentis Antestiae, Cordiae, aliarumque. V. PILEATUS et PILEUM. *F.*]

OBBĪBO, is, a. 3. idem ac bibo, vel celeriter bibo. *Cic. Tusc.* 1, 40. Theramenes cum conjectus in carcerem triginta jussu tyrannorum venenum ut sitiens obbibisset. *P. Victor.* et *Grut.* ex MSS. quamplurimis leg. *obduxisset*.

OBBLATERĀTUS, a, um, part. ab inus. *obblatero*, contra aliquem blateratus. *Appul. Met.* 9. His et aliis similibus affaniis frustra obblateratis. Al. aliter leg. *Locus est ante *med.* p. 183. ed. *Pricaei*, et sic impressum in ed. *Oudend.* p. 612. etc. In ed. *Vulc.* est *blateratis;* in ed. vero *Elmenh.* p. 221, 25. sic omnino, *has et alias similes affanias abblatterantes*. *B. A.*

OBBRŪTESCO, is, n. 3. *ἄλογος γίνομαι*, est brutum fieri, sensum, rationem, vitam amittere. [*verwildern.] *Lucr.* 3, 546. An contracta suis e partibus obbrutescat. *Afran.* ap. *Fest.* in *Obbrutuit*. Non possum verba facere, obbrutui, *h. e.* obstupui, ut idem *Festus* exponit. *Prud. Hamart.* 652. Damna aures, Pater alme, meas, et claude meatus Obbrutescentis capitis. Al. leg. *obbrutiscentis*. Ap. *Fest.* unico *b* scribitur.

OBCAECĀTIO vel Occaecatio, onis, f. idem est ac occatio, hoc est occultatio seminis terra superinducta. *Serenus* ap. *Non.* 1, 306. Occatio occaecatio est. *Id. Nonius ib.* 201. Occaecationem ab occaecatis seminibus, qua id efficitur, dici, M. Tullius voluit de Senectute. V. OBCAECO. Ex his autem discimus, *obcaecationem* de occatione metaphorice dici: nam proprie est *Blendung*, *τύφλωσις*. Adde *Isid. Orig.* 17, 2.

OBCAECĀTUS et Occaecatus, a, um, part. ab *obcaeco*: caecus factus, *τυφλωθείς*. *Cels.* 6, 6. *n.* 57. Quidam sine ulla manifesta causa subito obcaecati sint. *Id.* 8, 4. Ubi calvaria percussa est, protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit, num oculi ejus obcaecati sint. ℙ Translate, [*quasi ad tempus caecitate captus. *Rut. Lup.* 2, 7. p. 157. *ed. Fr.* oculis humore obcaecatis: ubi v. quae laud. *Ruhnk.* — Tum dicitur de animo, rebusque ad animum pertinentibus.] *Cic. Fam.* 15, 1. *med.* Quod ego negotium, non stultitia obcaecatus, sed verecundia deterritus, non recusavi. *Colum.* 6, 36. *extr.* Velut incensus et obcaecatus cupidine. *Cic. Fin.* 1, 10. Qui quas molestias excepturi sint, obcaecati cupiditate non provident. ℙ [*Hinc obscuratus.] *Pl. Men.* 1, 2, 66. solem vides, Satin' ut occaecatus est prae hujus corporis candoribus. ℙ [*In his quoque ad ea transfertur, quae animi mentisque auctoritate nituntur.] *Colum.* 3, 7. *f.* Quae ratio (*h. e.* modus colendi vites) velut ignorantiae tenebris obcaecata, luce veritatis caruit. ℙ *Obcaecatum semen*, terra obrutum. *Cic. Sen.* 15. V. v. sq.

OBCAECO et Occaeco, as, avi, atum, a. 1. [*efficere, ut oculorum quis acie, videndi facultate destituatur: *blenden.*] *ἐκτυφλόω*. *Cels.* 8, 4. Aliquando evenit, ut ex ictu vena aliqua in cerebri membrana rupta aliquid sanguinis mittat, isque ibi concretus magnos dolores moveat, oculosque obcaecet. [*V. *Obcaecatus*. ℙ Translate, quasi caecum facere, ad tempus videndi, cernendi facultate privare.] *Plin.* 10, 3, 3. Respersu pinnarum hostem obcaecantes. [*De animo.] *Liv.* 5, 37. Occaecat animos fortuna, i. e. efficit, ut verum perspicere nequeant. [*Hinc in universum pro stupidum reddere: nos *dämisch, gefühllos machen.*] *Virg. Cul.* 198. timor obcaecaverat artus. ℙ Tum dicitur pro obscurare, luce, claritate solita privare: *Liv.* 33, 7. Densa caligo obcaecaverat diem. ℙ [*A rebus externis transfertur ad ea, quae ingenii mentisque auctoritate gaudent.] *Liv.* 42, 43. Ni spes vana pacis obcaecasset consilia. *Cic. Or.* 2, 80. *f.* Obscura narratio totam obcaecat orationem. ℙ [*Hinc obtegendi, occultandi orta notio, i. e. efficiendi, ne quid cerni, perspici oculis possit: ita *obcaecare fossas* ap. *Colum.* 2, 2. *med.* (Similis est ratio, qua nos in rebus ad munitiones pertinentibus vv. *blenden, verblenden* uti solemus.) Porro *occaecare semen*, i. e. terra obruere.] *Cic. Sen.* 15. Terra cum sparsum semen excepit, primum id occaecatum cohibet, ex quo occatio, quae hoc efficit, nominata est. *Non.* 1, 306. videtur legisse, *ex quo occaecatio*.

OBCAEDES, is, f. idem ac caedes. *Pl. Stich.* 5, 4, 52. Ohe, jam satis: nolo obcaedes, *h. e.* nolo hic quicquam tragicum et cruentum. [*Bothe* multo rectius edidit *obcaedas*, *h. e.* occidas. *F.*] V. OCCĪDO. V. *Taubman.*

OBCALLĀTUS et Occallatus, a, um, part. ab inus. *obcallo:* callo obductus. *Sen. Q. N.* 4, 13. Quid sentire possunt emortuae fauces, et obcallatae cibis ardentibus?

OBCALLESCO et Occallesco, is, lui, n. 3. *ἐντυλόω*, callum obduco, durus, et callosus fio. *Cels.* 4, 24. Ubi dolor vehemens urget, interest, sine tumore is sit, an tumor cum calore, an tumor jam etiam obcalluerit. *Pl. Asin.* 2, 4, 13. Utinam nunc stimulus in manu mihi sit. Qui latera conteram tua, quae occalluere plagis. *Ov. Met.* 14. de homine in suem verso, 282. Osque meum sensi pando occallescere rostro. ℙ Translate. *Cic. Agr.* 2, 18. *f.* De Statio manumisso, et nonnullis aliis rebus angor equidem: sed jam prorsus occallui, *h. e.* diutina malorum consuetudine jam obfirmavi animum ad ferendum. *Plin. ep.* 2, 15. Longa patientia obcallui. *Colum.* 8, 16. Sic mores obcalluere, ut non haec usitata, verum ut maxime laudabilia et honesta judicentur.

OBCĀNO. V. OCCANO.

OBCANTĀTUS, a, um, part. ab *obcanto:* incantatus, veneficio laesus. *Appul. Apol.* Mulier obcantata, vecors, amans, amens.

OBCANTO, as, avi, atum, a. 1. incantamentis devincio, laedo. *Paul. Sent.* 5, *tit.* 23. *n.* 9. Qui sacra impia, ut quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint, etc.

OBCENSUS, a, um, part. ab inusit. *obcendo*, incensus, accensus, combustus. *Enn.* ap. *Fest.* in *Ob*. Omnes occisi, obcensique in nocte serena.

OBCĪNO, etc. V. OCCINO.

OBCLAUDO, is, a. 3. occludo. *Impp. Constant. et Julian. Caes. Cod. Theod.* 11, 24, 1. Aditum implendae devotionis obclaudant.

OBCOENO, as, a. 1. idem quod coeno. *Pl. fr.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* De lumbo obcoenabis.

[OBDĀTUS, a, um, adj. qui obviam datus, seu factus est: ab *ob*, et *datus*. *Pl. Aul.* 3, 1, 1. Obdati cives, populares, incolae, accolae, advenae omnes, Date viam, qua fugere liceat. Ita recte edidit *Bothe*, cum alii *optati* legerint, quod huic loco minus aptum videtur. *F.*]

*OBDENSĀTIO, onis, f. i. q. densatio. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. Obdensatio cutis. *B. A.*

OBDĪTUS, a, um, part. a *obdo*: oppositus, objectus, occlusus. *Flor.* 3, 6. *med.* Propontidis fauces Porcius Cato sic obditis navibus, quasi portam obseravit. *Plin.* 6, 11, 12. Portae Caucasiae, ingens naturae opus montibus interruptis repente, ubi fores obditae ferratis trabibus, etc. *Appul. Met.* 5. Domus seris et catenis obdita. [*Tac. A. 13, 5. obditis a tergo foribus.] ℙ Item obvolutus, implexus. *Appul. Met.* 10. Feralibus amiculis instrictus atque obditus, deportatur ad judicium puer; et *ib.* 3. Sic illos capillos in mutuos nexus obditos atque nodatos, cum multis odoribus dat vivis carbonibus adolendos.

OBDO, is, didi, ditum, a. 3. *ἐπιτίθημι*, oppono,

objicio: ex *ob*, et *do*. [*Verbum nonnisi poetis et argent. aetatis scriptoribus usitatum.] *Ter. Eun.* 3, 5, 55. pessulum ostio obdo. *Pl. Cas.* 5, 2, 15. forem obdo, ne senex me opprimat, *h. e.* claudo. [*Translate] *Ov. Pont.* 2, 2, 41. Da precor, accessum lacrimis, mitissime, nostris, Nec timidis rigidam vocibus obde forem. *Sen. ep.* 31. Sapiens eris, si clauseris aures, quibus ceram parum est obdere. *Hor. Sat.* 1, 3, 59. nullique malo latus obdit apertum.

OBDORMIO, is, ivi, itum, n. 4. *κατακοιμῶμαι, ἀφυπνόω*, idem quod dormio, aut valde dormio. *Cic. Tusc.* 1, 38. Endymion nescio quando in Latmo obdormivit: nondum, opinor, est experrectus. *Pl. Amph.* 1, 1, 116. Credo, hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium. Adde *Curc. a.* 3. *v.* 45. *Cels.* 3, 18. Somnus medicamentis arcessendus est, habita moderatione, ne, quem obdormire volumus, excitare postea non possimus. *Plin.* 16, 10, 20. Qui obdormiant sub taxo, cibumve capiant, moriantur. *Suet. Aug.* 94. Atiam, posita in templo lectica, dum ceterae matronae dormirent, obdormisse. *Plin.* 20, 14, 56. Nepetam substernere obdormituris, utile est. ℙ *Obdormire crapulam*, est obdormiendo crapulam concoquere, [*verschlafen.] *Pl. Most.* 5, 2, 1. omnem obdormivi crapulam. V. EDORMIO.

OBDORMISCO, is, n. 3. *καταυσταζω*, obdormire incipio, dormito. Item simpliciter dormio, obdormio. *Suet. Claud.* 33. Ut interdiu nonnunquam in jure dicendo obdormisceret; et *ib.* 8. Quoties post cibum obdormisceret, olearum ac palmularum ossibus incessebatur. *Plin.* 9, 10, 12. Testudines summa in aqua obdormiscere: id prodi stertentium sonitu. *Cic. Tusc.* 1, 49. Si supremus ille dies perimit ac delet omnino, quid melius, quam in mediis vitae laboribus obdormiscere, et ita conniventem somno sopiri sempiterno?

*OBDORMITO, as, n. 1. i. fere q. obdormio vel obdormisco. *Fortun. carm.* 3. Obdormitare graviter. *B. A.*

OBDŪCO, is, xi, ctum, a. 3. *ἐπεισάγω*, contra duco, adduco, oppono, [*aufführen, vorführen.] *Pl. Ps.* 2, 1, 13. Post ad oppidum hoc vetus continuo mecum exercitum protinus obducam. *Accius* ap. *Non.* 3, 203. Vim Gallicam obduc contra in acie, exercituve. *Cic. Att.* 1, 1. Thermus cum Silano contendere existimatur: qui sic inopes et ab amicis, et existimatione sunt, ut mihi videatur non esse *ἀδύνατον*, Curium obducere, *h. e.* adducere, ut iis adversetur in consulatu petendo, tanquam rivalis et aemulus. *Auct. argum. Merc. Plaut.* 1, 6. eum putat uxor illius Obduxe scortum. ℙ Item super, vel ante, vel circum duco. *Plin.* 13, 4, 9. Caryotae macro corpore exiles, crustam verius, quam cutem obducunt. *Id.* 17, 4, 3. Terra rubiginem ferro obducit. *Id.* 23, 7, 63. Fici cinis rosaceo subactus ambustis cicatricem tenuissimam obducit. *Cic. Fam.* 9, 2. *med.* et *Tusc.* 2, 15. *extr.* Obducere callum. V. CALLUM. *Flor.* 4, 1. *med.* castra vallo. *Caes. B. G.* 2, 8. Ab utroque latere collis transversam fossam obduxit. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Diaeta, specularibus et velis obductis, reductisque, modo adjicitur cubiculo, modo aufertur. *Appul. Met.* 1. Tigillo injecta, atque obducta parte funiculi, et altera firmiter in nodum coacta, *h. e.* circumvoluta. ℙ Item tegere, operire. *Virg. Ecl.* 1, 48. quamvis lapis omnia nudus, Limosoque palus obducat pascua junco. *Plin.* 15, 14, 14. Lanata mala lanugo obducit. *Id.* 29, 4, 22. Faciem lentigine obducit. *Sen. Hippol.* 586. Et ora morti similis obduxit color. *Lucan.* 9, 109. caput ferali obduxit amictu; et 4, 31. Et prope consertis obduxit castra maniplis. [*V. *Cort.*] *Stat. Th.* 12, 700. clypeis obducunt pectora fractis. *Cic. N. D.* 2, 47. Obducuntur libro, aut cortice trunci, quo sint a frigoribus et caloribus tutiores. *Id. Leg.* 2, 22. Redditur terrae corpus, et ita locatum ac situm, quasi operimento matris obducitur. ℙ Item contrahere. *Quint.* 10, 3. *med.* Obducere frontem. *Sen. Consol. ad Marc.* 1. Vultus, quem tot annorum continua tristitia, ut semel obduxit, tenet. [*Formulam *obducere vultum*, una cum similibus *ducere* et *adducere vultum*, *frontem* egregie illustravit *N. Heins.* ad *Ov. Ep.* 21, 165. Cf. *Ruhnk.* ad *Ter. Ad.* 5, 3, 53. et *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 2, 125.] ℙ Item claudere. *Petr. Sat.* 94. Ostium cellae obduxit. Al. leg. *adduxit*. V. OBDUCTUS. *Plin.* 8, 26, 40. Venam in crure vulnerat, et plagam limo rursus obducit. *Id.* 2, 63, 63. *extr.* Terra tandem ipsa se obducit, et scelera quoque mortalium occultat. *Colum.* 3, 18. *f.* Malleolus radices e capite, qua recisum est, aeque mittit: quae cum excreverunt, cicatricem obducunt. ℙ Item inducere, offundere. *Plin.* 22, 25, 71. Elelisphacos torporem obducit percusso loco. *Cic. Acad.* 4, 6. Clarissimis rebus tenebras obducere. ℙ Item educere, ebibere, exhaurire: et notat aviditatem sitientis. *Sen. Prov.* 3. *med.* Socrates illam potionem publice mixtam, non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit. *Petr. fr.* 42. *Burm.* Cum mulsi pultarium obduxi. *Sen. Troad.* 1162. non stetit fusus cruor, Humoque summa fluxit, obduxit statim, Saevusque totum sanguinem tumulus bibit. Aliud ex *Cic.* exemplum V. in OBBIBO. [*V. *Ernest. cl. Cic. s. v. obduco.*] ℙ Pro detegere, aperire. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 340. Vos interea lumen afferte, atque aulaea obducite. Al. leg. *lumen auferte:* qua ratione contrarium fortasse significat. ℙ *Obducere diem*, educere, ducere, conterere, transigere, insumere. *Cic. Att.* 16, 6. Nono cal. ad Sicam, ibi tanquam domi meae scilicet: itaque obduxi posterum diem. ℙ *Obducere oculos*, tegere, obscurare, caligine offusa. *Petr. Sat.* 19. *extr.* Mors non dubia miserorum oculos coepit obducere. *Lucan.* 3, 735. Nox subit, atque oculos vastae obduxere tenebrae. ℙ *Obducere se tenebrae* dicuntur, cum contrahuntur, et densantur. *Plin.* 11, 37, 54. Ferunt Tiberio Caesari fuisse naturam, ut expergefactus noctu paulisper, haud alio modo quam luce clara contueretur omnia, paulatim tenebris sese obducentibus. ℙ *Obduxe* pro *obduxisse* legitur in *argum. Merc. Pl.* 1, 6.

OBDUCTĬO, onis, f. *παραλάλυψις*, tegumentum, obvolutio. *Arnob.* 1, 7. Nubila inimica obductione pendent. ℙ Reis morti addictis? caput obnubebatur. Hinc illud ap. *Cic. Rab. perduell.* 4. et *Liv.* 1, 26. Caput obnubito, arbori infelici suspendito. *Cic. ib.* 5. Carnifex vero, et obductio capitis, et nomen ipsum crucis absit. *Ammian.* 14, 7. *f.* Causarum legitima silente defensione, carnifex rapinarum sequester, et obductio capitum, et bonorum ubique multatio versabatur per orientales provincias. Ap. *Cic.* est qui malit *obnuptio:* sed nihil est mutandum. V. et *Lucani l. c.* in OBDUCO 9, 109. et *Tac.* in OBDUCTUS *Ann.* 4, 70.

OBDUCTO, as, a. 1. frequent. ab *obduco. Pl. Merc.* 4, 4, 46. Nec pol ego patiar, sic me nuptam tam male, Measque in aedes sic scorta obductarier, *h. e.* induci.

OBDUCTUS, a, um, part. ab *obduco: ἐπεισαχθείς*, adductus, oppositus, objectus. *Plin. ep.* 7, 21. Cubicula obductis velis opaca, nec tamen obscura facio. *Sen. Herc. Oet.* 1548. Obductae fores. *Prop.* 4, 5, 47. Janitor ad dantes vigilet: si pulset inanis, Surdus in obductam somniet usque seram. *Virg. A.* 2, 604. nubes obducta tuenti Mortales hebetat visus, *h. e.* praetenta, objecta. *Nep. Ann.* 5. Obducta nocte, sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit, *h. e.* cum se nox coelo obtendisset. [*V. *Brem.*] ℙ Item super ductus, inductus. *Tac. A.* 13, 35. Ut obducta glacie, nisi effossa humus, tentoriis locum non praeberet. *Ov. A. Am.* 1, 285. Myrrha patrem, sed non quo filia debet, amavit: Et nunc obducto cortice pressa latet. *Virg. G.* 1, 116. Amnis et obducto late tenet omnia limo. *Tac. A.* 4, 70. Et trahebatur damnatus quantum, obducta veste et adstrictis faucibus, niti poterat, clamitans, *h. e.* capiti obvoluta. *Lucan.* 3, 572. cruor altus in undis Spumat, et obducto concrescunt sanguine fluctus. Al. leg. *obducti*, *h. e.* fluctus tecti sanguine. [*Ita *Cort.*] ℙ Item clausus. *Lucan.* 5, 69. multosque obducta per annos Delphica fatidici reserat penetralia Phoebi. ℙ Item tectus, opertus. *Cic. N. D.* 2, 47. Animantium pluma alias, alias squama videmus obductas. *Plin.* 24, 12, 66. Folia obducta araneosa lanugine. *Id.* 19, 7, 36. Semina obducta cortice. *Ov. Met.* 2, 329. Nam pater (*sol*) obductos, luctu miserabilis aegro, Condiderat vultus. Et translate *Sen. Oed.* 851. Obducta longo temporum tractu moves, *h. e.* tecta oblivione. [* — *Cic. N. D.* 2, 43, 110. Sub laeva Geminorum obductus parte feretur, i. e. tectus et inclusus, *Homer. κεκλιμένον.* Al. leg. *abductus.* V. *Heindf.*] ℙ *Obducta frons*, contracta, adducta, tristis. *Hor. Epod.* 13, 5. obducta solvatur fronte senectus. Adde *Quint.* 10, 3. *med.* et *Juven.* 9, 2. [*V. in *obduco.*] ℙ *Obducta cicatrix*, superinducta vulneri, et clausa. *Cic. Agr.* 3, 1. Ne refricare obductam jam reipublicae cicatricem viderer. Et translate *Virg. A.* 10, 63. quid me alta silentia cogis Rumpere, et obductum verbis vulgare dolorem? *Ov. Met.* 12, 542. quid me meminisse malorum Cogis, et obductos annis rescindere luctus? ℙ *Obductae tenebrae*, contractae, densae. *Prop.* 3, 14, 5. obductis committam mene tenebris? V. OBDUCO.

OBDULCĀTUS, a, um, part. ab *obdulco:* dulcis factus. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. *med.* Obdulcatus panis.

[OBDULCESCO, is, n. 3. dulcis fio. *Gloss. Phil.* Obdulcesco, *περιγλυκύνομαι. F.*]

OBDULCO, as, a. 1. dulcem facio, edulco, indulco. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. *f.* Coquentes atque obdulcantes sale et oleo, *h. e.* condientes.

OBDŪRĀTĬO, onis, f. actus obdurandi. *August. ep.* 105. *med.* et *Enarr. in Psalm.* 77. et alibi, de ea, qua Deus obdurat impios non impertiendo misericordiam.

OBDŪRĀTUS, a, um, part. ab *obduro:* durus factus. Translate. *Nazar. Pan. ad Constant.* 13. Ingestos quotidie luctus callo quodam obduratae patientiae sustinere. *Capitol. Pert.* 9. Alimentaria compendia, quae novem annorum debebantur, obdurata verecundia sustulit. *Imp. Constant. Cod.* 10, 19, 2. Si quis in obdurata nequitia permanebit.

OBDŪRĔFĂCĬO, is, a. 3. obduro. Est *Nonii* 1, 87.

OBDŪRESCO, is, rui, n. 3. *σκληρύνομαι*, durus fio. *Prop.* 2, 19, 53. Gorgonis et satius fuit obdurescere vultu. *Cato R. R.* 50. Ea postremum arato, dum ne prius obdurescant. *Pl. Truc.* 5, 24. Ita miser cubando in lecto hic exspectando obdurui. *Varr. R. R.* 3, 14. *f.* Cochlearum semen minutum ac testa molli diuturnitate obdurescit. ℙ Metaphorice est hebetem ac stupidum fieri, non sentire, callum obducere, sicut membra callosa, aut gelu obdurata dolorem non sentiunt. *Cic. Att.* 13, 2. Jam ad ista obduruimus, et humanitatem omnem exuimus. *Id. Mil.* 28. Sed nescio quomodo jam usu obduruerat, et percalluerat civitatis incredibilis patientia. *Id. Att.* 10, 9. Adventus Philotimi exanimavit omnes, qui mecum erant, nam ipse obdurui. *Id. Fam.* 2, 16. Nisi diuturna desperatione rerum obduruisset animus ad dolorem novum. *Id. Phil.* 2, 42. His quidem jam inveteratis consuetudine obduruimus. *Id. Verr.* 2, 5, 13. *med.* Cum in ejusmodi patientia turpitudinis, aliena, non sua satietate obduruisset. *Id. Tusc.* 3, 28. Idque indicatur eorum patientia, qui cum multa sint saepe perpessi, facilius ferunt quidquid accidit, obduruisseque sese contra fortunam arbitrantur, *h. e.* constantiam induisse. *Id. Fam.* 5, 15. Ad amicos ne confugiam? quorum alii occiderunt, alii nescio quo pacto obduruerunt, *h. e.* benevolentia in me minime moveri videntur. *Id. ad Brut.* 1, 18. *med.* Obdurescunt enim magis quotidie boni viri ad vocem tributi, *h. e.* non flectuntur, resistunt, recusant. Est qui malit *obsurdescunt.*

OBDŪRO, as, avi, atum, a. 1. *σκληρύνω*, durum facio. *Obdurare* absolute est durare, firmare animum, perstare, sustinere, patienter et constanter ferre. *Pl. Asin.* 2, 2, 56. Pernegabo, atque obdurabo, perjurabo denique. *Hor. Sat.* 2, 3, 39. Persta, atque obdura. *Ov. Trist.* 5, 11, 7. Perfer, et obdura: multo graviora tulisti. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Att.* 12, 3. Quare obduretur hoc triduum.

OBĒDĬENS, entis, part. ab *obedio: εὐπειθής*, parens, obsequens, morem gerens. *Cic. N. D.* 2, 30. *med.* Nulli est naturae obediens, aut subjectus Deus. *Id. Off.* 1, 36. *extr.* Appetitum rationi obedientem praebere. *Id. Pis.* 34. *med.* Natio semper obediens huic imperio. *Sall. Jug.* 35. Obedientem esse jussis alicujus; et *ib.* 36. Vivere obedientem alicui. *Liv.* 25, 38. Ut imperiis vivorum nemo obedientior me uno fuerit. *Id.* 28, 16. *med.* Ut ad nova consilia gentem quoque suam obedientem haberet. *Id.* 7, 13. Imperiis obedientissimus miles. *Pl. Bacch.* 3, 3, 35. populi prius honorem capiebat suffragio, Quam magistro desinebat esse dicto obediens. Sic *dicto audientem esse alicui* V. AUDIO. [*Conjungitur *dicto audiens* et *obediens* ap. *Liv.* 5, 3. Nec plebs nobis dicto audiens atque obediens sit.] ℙ Interdum *obediens* dicitur qui servus est, subjectus, obnoxius. *Sall. Jug.* 36. *f.* Quid erit reliquum, nisi ut illis, qui ea fecere, obedientes vivamus? ℙ Translate. *Plin.* 16, 43, 83. Obedientissima quocumque in opere fraxinus, *h. e.* quae facillime caedi, duci, flecti potest. *Sall. Jug.* 17. Virtute, ac Diis volentibus magni estis et opulenti: omnia secunda et obedientia sunt.

OBĒDĬENTER, adv. *εὐπειθῶς*, cum obedientia. *Liv.* 5, 12. *extr.* Collatum obedienter, missumque ad exercitum est. *Id.* 21, 34. Obedienter imperata facere. *Id.* 39, 53. *f.* facere adversus aliquem, *h. e.* alicui parere. *Id.* 38, 34. Nihil obedientius fecerunt, quam ut muros diruerent. *August. Civ. D.* 22, 8. *med.* Obedientissime paruit.

OBĒDĬENTĬA, ae, f. *ὑπακοή, εὐπείθεια*, obtemperatio, obsequium. *Cic. Parad.* 5, 1. *extr.* Servitus est obedientia fracti animi, et arbitrio carentis suo. *Id. Off.* 1, 22. Appetitus relinquunt, et abjiciunt obedientiam, nec rationi parent. *Plin.* 11, 17, 17. de apib.: Mira plebi circa regem obedientia. *Id.* 8, 1, 1. de elephant.: Intellectus illis sermonis patrii, et imperiorum obedientia.

OBĒDĬO, ēdis, ivi, itum, n. 4. [*ex *ob* et *audio*, *ὑπακούω*, ausculto, *Gehör geben*, *sein Ohr leihen. Nep. Dat.* 5, 4. quod, quibus rex maxime obediat, eos habeat inimicissimos, i. e. credat et fidem habeat, quorum consilium sequatur. V. *Lamb.* et *Brem.* Cf. *Thucyd.* 1, 29. *Κορίνθιοι δὲ οὐδὲν τούτων ὑπήκουον.* ℙ Hinc in universum parere, obtemperare, *πείθομαι.*] *Cic. Tusc.* 5, 12. *f.* Parere, et obedire praecepto. *Id. N. D.* 1, 8. Obedire, et parere voluntati. *Id. Leg.* 3, 2. *f.* Obtemperare, et obedire magistratibus. *Id. Caecin.* 18. Si servulis hoc nostris concesserimus, ut ad verba nobis obediant, non ad id, quod ex verbis intelligi possit, obtemperent. *Nep. Epam.* 8. Obedire legi. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 4, 26. *extr.* Utrimque enixe obeditum dictatori est. [*Adde *Vell.* 1, 10, 2. obeditumque imperio.] ℙ Pro inservire. *Sall. Cat.* 1. Veluti pecora, quae natura prona, et ventri obedientia finxit. *Cic. Brut.* 69.

Multorum obedire tempori, multorumque vel honori, vel periculo servire. ℙ Translate. *Plin.* 17, 19, 30. *n.* 6. Ramus oleae quam maxime sequax, atque obediturus, *h. e.* facile flectendus. ℙ Cum accus. *Appul. Met.* 10. Atque haec omnia perfacile obediebam. [*Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) 7. Ut neque illum pigeret, neque me puderet, ea illum oboedire mihi, quae clientes, quae liberti fideles, ac laboriosi obsecuntur. *F.*] ℙ Part. *Obediens.* V. s. l. ℙ *Obedibam*, et *obedibo* pro *obediebam*, et *obediam*, positiones sunt in quarta conjugatione ab antiquis usitatae. *Afran.* ap. *Non.* 10, 24. Meo ut obsequar amori, obedibo tibi. ℙ In *Pl. Pers.* 2, 4, 2. et 3, 1, 50. in MSS. est *oboedire* ap. *Taubman.*, atque ita etiam ap. *Front. l. c.* et *de fer. Als. ep.* 3. *in.*

OBĔLISCOLYCHNĬUM, ii, n. ὀβελισκολύχνιον, instrumentum militare, scilicet lucerna parvo veru praefixa. Legit ap. *Quint.* 8, 6. *Turneb. Adv.* 12, 11. dubitanter tamen. Alii alia.

OBĔLISCUS, i, m. ὀβελίσκος, parvum veru, vox Graeca dimin. *Ammian.* 17, 4. de Thebis Aegypti: In hac urbe inter labra ingentia, diversasque moles, figmenta Aegyptiorum numinum exprimentes, obeliscos vidimus plures, aliosque jacentes et comminutos: quos antiqui reges, bello domitis gentibus, aut prosperitatibus summarum rerum elati, montium venis, vel apud extremos orbis incolas perscrutatis, excisos erectosque Diis superis in religione dicarunt. Est autem obeliscus asperrimus lapis, in figuram metae cujusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, utque radium imitetur, gracilescens, paulisper specie quadrata in verticem productus angustum, manu levigatus artifici. Haec *Ammian.* Dicti sunt *obelisci*, quia in cuspidem desinunt veruculo similem. Differunt a pyramidibus, quae longe sunt latiores, et structiles. *Plin.* 36, 8, 14. Trabes ex Syenite marmore fecere reges quodam certamine, obeliscos vocantes, Solis numini sacratos. V. ibi; et *cap.* 9, 10 et 11. et ap. *Ammian. l. c.* varias obeliscorum historias. V. *Zoega de orig. et usu obeliscor. Romae* ann. 1797. ℙ *Auson. Idyll.* 14, 27. de rosa: Haec aperit primi fastigia celsa obelisci, Mucrone absolvens purpurei capitis: *obeliscum* vocat ipsam rosam adhuc clausam, et coni, seu pyramidis parvae figuram referentem. ℙ Praeterea obeliscus est virgula jacens veruculi figura, adscripta in libris, adnotandi gratia: quae et *obelus* dicitur. *August. ep.* 10. V. ASTERISCUS, et v. sq.

ŌBĔLUS, i, m. ὀβελός, veru ap. Graecos. Sic dicitur etiam nota quaedam, veru jacentis figura, quae adscribebatur libris, ubi quid esset notatu dignum, praesertim si dubium, aut improbandum, *nota critica:* quae et *obeliscus. Hieron. ep.* 112. *n.* 19. Miror quomodo Septuaginta Interpretum libros legas ab Origene emendatos sive corruptos per obelos et asteriscos. *Isid. Orig.* 1, 20. Obelus, idest virgula jacens, apponitur in verbis, vel sententiis superflue iteratis, sive in iis locis, ubi lectio aliqua falsitate notata est, ut quasi sagitta jugulet supervacua, atque falsa confodiat. Sagitta enim Graece ὀβελὸς dicitur. *Auson. prooem. VII. Sapient.* 13. Pone obelos igitur, spuriorum stigmata vatum.

[OBENSIS, e, adj. ad Obam pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, nunc fortasse *Algezira. Inscr.* ap. *Mur.* 1065, 1. Respublica Obensis epulo dato dedicavit. ℙ *Obae* urbis in Hispania nulla exstat apud scriptores mentio: ideoque probabiliter quis putet, lapidem, qui illam memorat, pertinere ad *Obbam* urbem, quae prius *Bobba* et *Babba* fuit appellata, in Mauretania Tingitana, Africae provincia Baeticae opposita. *Obbae* autem mentio est ap. *Morcell. Afr. Christ.* T. 1. p. 248. *F.*]

OBĔO, is, ivi et ii, itum, n. 4. ἐφοδεύω, circumeo, percurro, peragro, lustro. *Cic. Fin.* 5, 29. Tantas regiones barbarorum pedibus obiit. *Id. Fam.* 7, 1. Ut nostras villas obire, et mecum simul lecticula concursare possis. *Virg. A.* 6, 802. Nec vero Alcides tantum telluris obivit. *Cic. Verr.* 2, 5, 12. Praetores tum putant obeundam esse maxime provinciam, cum in areis frumenta sunt. *Ov. Her.* 16, 175. Sceptra parens Asiae, qua nulla beatior ora Finibus immensis vix obeunda, tenet. *Cic. Cat.* 3, 10. *extr.* Tantum restitisset urbis, quantum flamma obire non potuisset. [*Confirmant hunc dicendi usum *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 16, 176. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 565.] ℙ *Obire oculis*, lustrare, circumspicere. *Plin. ep.* 3, 7. *f.* Xerxem, cum immensum exercitum oculis obisset, illacrimasse. *Virg. A.* 10, 447. obitque truci procul omnia visu. *Plin. ep.* 8, 18. *med.* Quippe omnibus membris extortus et fractus, tantas opes solis oculis obibat, *h. e.* videbat tantummodo, non fruebatur. ℙ Est etiam intervenire, incurrere, occurrere, quasi contra ire. *Lucr.* 1, 222. Donec vis obiit, quae res diverberet ictu; et *ib.* 246. Incolumi remanent res corpore, dum satis acris Vis obeat pro textura cujusque reperta. [*Liv. 10, 25. Ne ad omnia simul obire unus non posset; et 31, 21. cum quibus (legatis) circumspicere et obire ad omnes hostium subitos conatus posset.] *Sil.* 4, 343. Ufentem collapsum poplite caeso Ensis obit, *h. e.* ensis incurrit in Ufentem, eumque transabit. ℙ Item circumdare. *Virg. A.* 10, 482. clypeum, tot ferri terga, tot aeris, Cum pellis toties obeat circumdata tauri, etc. *Ov. Met.* 5, 51. chlamydem limbus obibat Aureus. *Id. ib.* 11, 417. Obit ora pallor, *h. e.* tegit, perfundit, occupat. *Val. Fl.* 3, 179. Sonitus obit oculos. ℙ *Obire oratione*, dicendo percurrere. *Cic. Verr.* 2, 2, 51. Nolite exspectare, dum omnes obeam oratione mea civitates. ℙ Saepe est huc illuc ire, hic illic adesse quippiam praestandi causa, cum scilicet de iis sermo est, quae praesentiam hominis variis in locis requirunt. *Nep. Dion.* 1, 4. Legationes illustriores per Dionem administrabantur, quas ille diligenter obeundo, fideliter administrando, etc. [**Legationem obire*, est *suscipere legationem.* V. *Brem.*] *Caes. B. G.* 5, 33. Cum propter longitudinem agminis minus facile per se omnia obire, et quid quoque loco faciendum esset, providere possent. *Cic. Att.* 1, 4. Venias ad id tempus, quod scribis, obieris Q. fratris comitia; et *ib.* 9, 13. *med.* Obire coenas, *h. e.* discurrere coenandi gratia modo apud hunc, modo apud illum. ℙ Hac ratione ponitur pro peragere, perficere, exsequi, fungi. *Cic. Arch.* 6. Quantum ceteris ad res suas obeundas conceditur temporis. *Id. Or.* 1, 38. Judicia privata magnarum rerum obire. *Liv.* 2, 8. Non sufficientibus viribus ad consularia munera obeunda. *Id.* 3, 6. *f.* Munus vigiliarum senatores, qui per aetatem ac valetudinem poterant, per se ipsi obibant. *Just.* 41, 3. Equis omni tempore vectantur: illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obeunt. *Cic. Manil.* 17. *extr.* Ita clausa erant maria, ut neque privatam rem transmarinam, neque publicam jam obire possemus; et *ib.* 12. Obeundi negotii, aut consequendi quaestus studio tot loca adire. *Colum.* 12, 3. *med.* Cum frigoribus aut pruinis mulier sub dio rusticum opus obire non poterit. *Plin. Pan.* 71. Obire omnes numeros comitatis. *Cic. Agr.* 2, 3. Obeundarum hereditatum causa, *h. e.* visendarum, et adeundarum. *Liv.* 4, 7. Quia duo consules obire tot simul bella nequirent. *Id.* 1, 20. Obire sacra. *Cic. Cat.* 1, 10. facinus. *Stat. Ach.* 1, 149. imperia, i. e. exsequi. *Val. Fl.* 3, 710. ministeria. ℙ *Obire diem, annum*, est certo statutoque die adesse, praesto esse, se praesentem exhibere, ad diem se sistere. *Cic. Fam.* 10, 24. Multi clarissimi viri, cum reipublicae darent operam, annum petitionis suae non obierunt; et *Amic.* 2. Cum in hortos Bruti commentandi causa venissemus, tu non affuisti, qui diligentissime semper illum diem, et illud munus solitus esses obire. *Id. Phil.* 3, 8. Antonius diem edicti obire neglexit. *Id. Att.* 13, 14. Obire auctionis diem facile poterunt. ℙ *Obire vadimonium*, ad vadimonium ire, ad diem se sistere. *Cic. Quint.* 17. Vadimonium mihi non obiit quidam socius meus. *Plin. ep.* 8, 12. Si litibus tererer, obstrictum esse me crederem obeunti ad vadimonia mea, *h. e.* discurrenti, et adsistenti mihi, dum mea vadimonia exsequor. ℙ *Diem suum, supremum obire*, et *diem obire* est mori: quasi sistere se ad diem a Deo constitutam. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. *med.* Paulo ante lucem Marcellum diem suum obiisse. *Nep. Milt.* 7. *extr.* et *Dion.* 2. *extr.* Somno sopitus diem obiit supremum. *Id. ib.* 40. *f.* et *Suet. Vesp.* 1. Diem obiit circiter annos quinquaginta natus. ℙ *Obire mortem*, quasi adire. *Paul.* ex *Festo* in *Mortem.* Mortem obiisse ea consuetudine dicitur, qua dixerunt antiqui, ob Romam legiones ductas, et, ob Trojam duxit exercitum, (V. OB.) pro ad: similiter vadimonium obiisse, id est ad vadimonium isse, et obviam, ad viam. *Ter. Andr.* 1, 3, 18. et *Pl. Aul. prol.* 15. fuit olim quidam senex mercator: Is obiit mortem. *Cic. Phil.* 5, 17. *f.* Alexander tertio et tricesimo anno mortem obiit. *Id. Cluent.* 17. Quis dubitet, quin aut obeunda mors Cluentio, aut suscipienda accusatio fuerit? ℙ *Obire*, absolute eodem sensu. *Pl. Epid.* 3, 4, 76. Malo cruciatu ut pereas, atque obeas cito. *Lucr.* 3, 1056. Ipse Epicurus obit decurso lumine vitae. *Hor. Od.* 3, 9. *f.* Tecum vivere amem, tecum obeam libens. *Liv.* 5, 39. *f.* Simul se cum illis palam dicere obituros. Adde *Hor. Sat.* 2, 8, 59. et *Od.* 2, 20, 7. Sic *Plin.* 7, 53, 54. Obire gaudio; et 11, 37, 71. morbo. ℙ Pro adire, subire, est etiam in illo *Livii* 1, 54. Apud milites vero obeundo pericula ac labores, tanta caritate erat, ut, etc. [**Lucan.* 6, 205. tot vulnera belli solus obit.] *Enn.* ap. *Fest.* in *Ob.* Acheruntem obibo, ubi mortis thesauri objacent. ℙ *Obire sidera* dicuntur cum occidunt, aut evanescunt. *Lucr.* 4, 433. In pelago nautis ex undis ortus, in undis Sol fit uti videatur obire, et condere lumen. *Plin.* 2, 26, 24. An sidera obirent, nascerenturve. *Stat. Silv.* 2, 1, 209. omnia functa, Aut moritura vides: obeunt noctesque, diesque, Astraque. *Cic.* in *Arat.* 467. Abditur Orion, obit et Lepus abditus umbra; et 474. obit infera Perseus in loca. *Id. Somn. Scip.* 6. *f.* In reliquis orientis, aut obeuntis solis partibus. ℙ Et oppida, quae intereunt excidio, aut ruina. *Plin.* 5, 31, 39. Et Agamede obiit, et Hiera; et *ib.* 29, 31. *med.* Obiit et Archaeopolis, etc. ℙ Passive *Ov. Fast.* 1, 464. Hic ubi virginea campus obitur aqua, *h. e.* aditur, alluitur. *Cic. Quint.* 16. *extr.* Qua tibi vadimonium non sit obitum, eadem te hora consilium cepisse, etc. ℙ *Obiet* pro *obibit*, V. EO, is.

ŌBĒQUĪTO, as, n. 1. καθιππεύω, circumequito. *Liv.* 2, 45. Obequitando castris, provocandoque; et 21, 54. Obequitare jubet hostium portis, jacu-landoque in stationes elicere ad pugnam hostem. Adde 29, 34. ℙ Cum accus. *Curt.* 3, 10. Cum agmen obequitaret, varia oratione milites alloquebatur. ℙ Pro equitare simpliciter. *Liv.* 24, 31. *med.* Tanto clamore ad arma discursum est, ut praetores inter tumultum obequitaverint Syracusas. Al. rectius leg. *adequitaverint.*

ŌBERRĀTUS, a, um, part. ab *oberro:* significa passiva. *Appul. Met.* 9. Paucis casulis, atque castellis oberratis, divertimus ad quempiam pagum.

ŌBERRO, as, avi, atum, n. 1. πλανάομαι. *Pers.* 4, 26. Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret. *Plin.* 29, 4, 16. Mustela, quae in domibus nostris oberrat. *Tac. A.* 1, 65. Cum ipsi passim adjacerent vallo, oberrarent tentoriis, insomnes magis, quam pervigiles. *Claud. in Ruf.* 2, 93. Magna quidem per rura lues, sed major oberrat Intra tecta timor. *Pers.* 5, 155. subeas alternus oportet, Ancipiti obsequio dominus alternus oberres. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 260. Vitales utrinque duas (*zonas*, *plagas coeli*) quas mitis oberrat Temperies habitanda viris. *Curt.* 3, 4. Crebris oberrantibus rivis, qui ex radicibus montium manant. ℙ Vagari contra, vel ante aliquem. *Sen. Hippol.* 1077. sequitur assiduus comes, Nunc aequa carpens spatia, nunc contra obvius Oberrat. *Id. Herc. Fur.* 1280. jamdudum mihi Monstrum impium saevumque oberrat, *h. e.* obversatur. ℙ Peccare, errare. *Hor. A. P.* 355. ut citharoedus Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.

ŌBESCET, oberit, vel aderit. *Paul.* ex *Festo.* Nempe *escit* dicebant pro erit, et *superescit*, supererit. Ergo hic *obescet* est pro *obescit.*

ŌBESCO, as, a. 1. δελεάζω, escam praebeo, pasco. *Colum.* 8, 7. *f.* Madefacto triticeo pane obescant avem. Al. leg. *obesant*: hoc est saginant.

ŌBĒSĬTAS, atis, f. πολυσαρκία, pinguedo. *Suet. Dom.* 18. Postea calvitio quoque deformis, et obesitate ventris, et crurum gracilitate. *Id. Claud.* 41. Obesitate cujusdam fractis subselliis. *Colum.* 6, 24. Ne steriles eas reddat nimia corporis obesitas. *Plin.* 17, 24, 27. *n.* 2. Laborant arbores et fame, et cruditate: aliquae vero et obesitate.

ŌBĒSO, as, a. 1. sagino. V. OBESCO.

ŌBĒSUS, a, um, adj. adesus, exesus: ex *ob*, et *edo. Sever. Aetn.* 434. nec obesa cavamine terra est. ℙ Item exilis, macer. *Naevius* ap. *Gell.* 19, 7. Corpore, pectoreque undique obeso, ac mente exsensa, tardigenulo senio oppressum. Ubi *Gellius:* Obesum hic notavimus proprie magis, quam usitate dictum pro exili atque gracilento. *Nonius* 4, 345. eadem docet eundem *Naevii* locum afferens. ℙ Ἀνίρως, vel καὶ ἀντίφρασιν, ut ait *Gell. ib.*, h. e. improprie, vel per antiphrasim significat uberem, pinguem. [*Cf. *Gronov. observv.* 2, 15. 336. p. 170. *ed. Fr.*] *Paul.* ex *Festo* putat ita dici, quasi ob edendum factus: quod non placet. *Cels.* 2, 1. Corpus habilissimum quadratum est; neque gracile, neque obesum. *Virg. G.* 3. de notis equi generosi, 80. brevis alvus, obesaque terga. *Appul. Met.* 7. de equo: Ille terga pulposis toris obesa convertens. *Hor. Ep.* 1, 15, 40. cum sit obeso Nil melius turdo. *Colum.* 6, 2. *f.* Habilis et modica corporatura pecoris operarii debet esse, nervisque et musculis robusta, non adipibus obesa. *Plin.* 11, 37, 79. Iidem minus solertes, quibus obesissimus venter. *Id.* 8, 26, 40. Hippopotamus nimia satietate obesus. *Mart.* 13, 84. Scarus obesus. *Claud. in Eutrop.* 1, 132. obesus Lacte canis. *Suet. Ner.* 51. Obesa cervix. *Appul. Met.* 10. Cibis affatim saginatus, corpus obesa pinguitie compleveram. ℙ Dicitur etiam *obesus* tumens, amplus, crassus, sine respectu ad pinguedinem. *Colum.* 7, 10. *med.* de sue: Non est contentum potione aquae, nisi obesam illuviem, atque distentam pabulis alvum demerserit ac refrigeraverit. *Appul. Met.* 11. Cutis crassa tenuatur, venter obesus resident. *Virg. G.* 3, 497. quatit aegros Tussis anhela sues, ac faucibus angit obesis, *h. e.* angina tumentibus. ℙ Translate est hebes, tardus, obtusus, stupidus, quia pinguedo sagacitatem et solertiam impedit, et acrem sensum. *Hor. Epod.* 12, 2. Munera quid mihi, quidve tabellas Mittis nec firmo juveni, neque naris obesae? Namque sagacius unus odoror, Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis. *Culpurn. Ecl.* 4, 147. Rustica credebam nemorales carmina vobis Concessisse Deos, et obesis auribus apta. *Auson. epigr.* 7, 20. Numerumque doctis involutum ambagibus Ignorat alto mens obesa viscere. ℙ *Obeso somno mori* dicuntur apes a *Sulpicia Sat.* 56., cum oblitae favorum desidiae se dedere, et situ veluti marcescunt.

ŌBEX (pro Obiex), ōbĭcis, et obĭĭcis, m. et f. quidquid objicitur et opponitur ad impediendum, et claudendum: est ab *objicio. Paul.* ex *Festo:* Obices, pessuli, serrae. *Virg. G.* 2, 480. maria

alta tumescunt, Obiicibus ruptis. Hoc loco *obicibus* simplici *i* legebat *Sulpicius Apollinaris* ap. *Gell.* 4, 17., sed ita ut *i* litteram, quae in vocabulo quoque gemina esse debet, paulo uberius largiusque pronunciaret. Nam verbum istud, cui particula *ob* praeposita est, non *icio* est, sed *jacio*. Etiam *Pierius* ad *Virg. A.* 10, 377. testatur, *obice* unico *i* scribi in antiquis codicibus, quamvis ibi sit dactylus. Usus vero obtinuit, ut omnia ex *jacio* composita nonnisi unico *i* scriberentur, ut *conicere*, *obicere*, *subicere*, in quibus *i* modo longa est, quia pro duplici *ii* esse censetur, modo brevis, quia pro simplici accipitur. *Virg. G.* 4, 422. Intus se vasti Proteus tegit obiice saxi. [**Ov. Fast.* 1, 563. Ille aditum fracti praestruxerat obiice montis.] *Virg. A.* 8, 227. fultosque emuniit obiice postes. *Tac. H.* 3, 30. Ferrati portarum obiices; et *A.* 13, 39. Obices portarum subversi. *Virg. A.* 10, 377. Ecce maris magna claudit nos obiice pontus. Ubi *Serv.:* modo usus habet, ut *hic obex* dicamus: unde quidam *magno obiice* legunt. [**V. Heins.* ad h. l.] *Sen. Herc. Fur.* 999. Huc eat et illuc aula disjecto obiice; et 237. Utrinque montes solvi abrupto obiice, Et jam ruenti fecit Oceano viam. *Ov. Met.* 14, 780. portasque petunt, quas obiice firma Clauserat Iliades. Al. leg. *firmo. Prisc.* 2, 582. leg. obiice fultas. *Claud. in Eutr.* 2, 34. victa proruperat obiice Nereus. Al. leg. *victo. Appul.* ap. *Prisc.* 3, 615. Infirma scamellorum obice fultae fores. *Gell.* 17, 11. *f.* Quadam quasi obice sustentatus. *Sil.* 4, 24. robora portis, Et fidos certant obices arcessere silva. ℙ [*Hinc in universum *obex* dicitur pro impedimento. Ita *Liv.* 9, 3. obices viarum; et *Plin. Pan.* 47, 5. Nullae obices, nulli contumeliarum gradus, i. e. nulla accessionis impedimenta: quem locum Noster in antecedentibus laudaverat, sicut et illud *Pl. Pers.* 2, 2, 21. Commorandum est mihi apud hanc obicem, i. e. apud hanc ancillam, quae me remoratur: ubi tamen alii aliter leg.]

OBFĪDES. V. OBSES.

OBFIRMĀTĒ et Offirmate, adv. *βεβαίως*. *Suet. Tib.* 25. Quamquam obfirmate resistentem.

OBFIRMĀTUS et Offirmatus, a, um, part. ab *obfirmo:* [*firmus, obduratus.] *Appul. Met.* 7. Nam corium offirmatum cineris inspersu dominis referemus, *h. e.* induratum, perfectum. V. AFFIRMATUS. ℙ [*Translate i. e. constans,] firmus. *Pl. Amph.* 2, 2, 15. perferam Abitum ejus animo forti atque obfirmato. *Cic. Att.* 1, 11. Incredibile est, quanto mihi videatur illius voluntas obstinatior, et in hac iracundia obfirmatior.

OBFIRMO et Offirmo, as, avi, atum, a. 1 *βεβαιόω*, firmum facio, durum reddo. [**Appul. Met.* 7. *f.* Pertica, qua stabuli fores offirmari solebant, arrepta. V. aliud *ejusd.* exemplum in *obfirmatus.* ℙ Hinc translate] *obfirmare viam*, tenere propositum, sequi consilium semel initum, in incepto perstare. *Ter. Hec.* 3, 5, 4. Certum obfirmare est viam me, quam decrevi persequi: ubi *Donat.:* adversus omnia obstinate agere. *Pl. Merc. Prol.* 81. ut ut animum offirmo meum: Dico: esse iturum me mercatum, si velit. [*Eodem sensu dicitur *obfirmare se*] ap. *Ter. Heaut.* 5, 5, 8. age quaeso, ne tam obfirma te, Chreme, [*i. e. ne obstinate et pertinaciter in proposito persiste. — Etiam absolute.] *Id. Eun.* 2, 1, 11. censen' posse me obfirmare, et Perpeti, ne redeam interea? *Pl. Pers.* 2, 2, 40. Obfirmastin' occultare, quo te immittas, pessume?

OBFUSCĀTĬO, onis, f. *Tert. ad Nat.* 1, 10. Pertinet ad obfuscationem Deorum vestrorum, *h. e.* ad elevandam existimationem. Adde *Resurr. carn.* 43.

OBFUSCO et Offusco, as, a. 1. obtenebro. Translate *Tert. adv. Marc.* 2, 12. Obfuscare justitiam. *Id. Spect.* 22. Quale judicium est, ut ob ea quis offuscetur, per quae promeretur? *h. e.* ignominia afficiatur.

OBFŪTŪRUS. V. OBSUM.

OBGANNĬO et Oggannio, is, ivi, et ii, n. 4. idem quod gannio, vel contra aliquem gannio, musso, murmuro, secreto et saepius dico. *Pl. As.* 2, 4, 14. sine, me hunc perdere, qui semper me incendit ira, Cui nunquam unam rem me licet semel praecipere furi, Quin centies eadem imperem, atque oggannam. *Ter. Phorm.* 5, 8, 41. Habet haec, ei quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat. [*V. *Ruhnk.*] *Appul. Met.* 2. *f.* Et statim, incertum quidnam, in aurem mulieris obganniit. ℙ Tribuunt etiam *Ennio.* V. OBAGITO.

[OBGANNĪTUS, a, um, part. ab *obgannio*, secreto et saepius repetitus. *Appul. Met.* 2. [*p. 115. *Oudend.*] His et talibus obgannitis sermonibus, discessum est. *F.*]

OBHAERĔO, es, aesi, n. 2. *προσέχομαι, προσκολλάομαι*, idem ferme quod haereo, adhaereo. *Lucr.* 4, 421. ubi in medio nobis equus acer obhaesit Flumine. *Suet. Tib.* 2. Claudia navem cum sacris Matris Deum Idaeae obhaerentem Tiberino vado extraxit. *Id. Ner.* 19. Cum in aede Vestae resedisset, consurgenti ei lacinia obhaesit. ℙ Tanslate. *Sen. Tranq.* 8. Utrisque (*pauperibus et locupletibus*) pecunia sua obhaesit, nec sine sensu revelli potest.

OBHAERESCO, is, n. 3. adhaeresco. *Appul. Met.* 6. Lanosum aurum reperies, quod passim stirpibus connexum obhaerescit.

OBHERBESCĔRĔ, herbam increscere. *Paul.* ex *Festo.*

OBHORRĔO, es, n. 2. horridus usquequaque sum. *Plin.* 37, 8, 34. Cujus alterum genus sanguineis punctis obhorret.

OBJĀCĔO, es, cui, n. 2. *ἀντίκειμαι*, contra, ante, vel e regione, aut obviam jaceo, seu positus sum. *Tac. H.* 5, 6. de Judaea: A meridie Aegyptus objacet: ab occasu Phoenices, et mare. *Mela* 2, 3. Graecia Ioniis fluctibus objacet. *Plin. ep.* 6, 31. *med.* In ore portus insula assurgit, quae illatum vento mare objacens frangat. *Stat. Th.* 4, 61. quaque objacet alto Isthmos, et terris maria inclinata repellit. ℙ Item circum jaceo, circum positus sum. *Liv.* 2, 65. Saxa objacentia pedibus ingerit in subeuntes. *Colum.* 2, 18. Omnes lapides, et si qua objacent falcibus obnoxia, colligi debent. *Front. Aquaed.* 93. Paucis circa ipsum oppidum objacentibus cultis. *Enn.* ap. *Fest.* in *Ob.* Acheruntem obibo, ubi mortis thesauri objacent. ℙ Objacuisse, ante jacuisse, ap. veteres. *Festus.*

OBJECTĀCŬLUM, i, n. obex, obstaculum. *Varr. R. R.* 3, 17. *f.* Objectaculo, quo aestus *(maris)* bis quotidie ab exorta luna ad proximam novam introire, ac redire rursus in mare posset. [*Pontedera Oper. post.* T. 1. p. 106. conjectabat legendum ex Codd. vestigiis *objecto spiraculo. F.*]

*OBJECTĀMEN, inis, n. *ἔγκλημα. Vet. Gloss. Lat. Gr. B. A.*

OBJECTĀMENTUM, i, n. objectatio, exprobratio. *Appul. Apol. in.* Quae cum intelligerem non tam crimina judicio, quam objectamenta jurgio prolata, etc.

OBJECTĀTĬO, onis, f. oppositio, exprobratio. *Caes. B. C.* 3, 60. Cum ex aliorum objectationibus, tum etiam ex domestico judicio.

OBJECTĀTUS, a, um, part. ab *objecto*, crimini datus, exprobratus. [*Liv.* 9, 34. *med.* Contagio ejus, quod quaerebat, ipsi criminis objectata ab inimicis est. *F.*] *Appul. Flor. n.* 3. *f.* [*Al. *lib.* 1.] Hoc genus crimina Apollini objectata.

OBJECTĬO, onis, f. actus objiciendi, *h. e.* opponendi contra aliquem. *Arnob.* 6, 191. Deos convenit tectorum munitionibus claudere, saxorum aut objectione tutari. ℙ Item exprobratio. *Tert. ad Uxor.* 2, 5. *extr.* Objectio nominis. *Capell.* 5, 142. Intentio est objectio ejus facti, quod in judicium venit.

OBJECTO, as, avi, atum, a. 1. *προβάλλω*, objicio, expono: frequentativum ab *objicio. Sall. Jug.* 7. et *Virg. A.* 2, 751. caput objectare periclis; et *ib.* 12, 229. Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam Objectare animam? *Id. G.* 4, 218. corpora bello. *Tac. A.* 1, 5. aliquem dolo et casibus. *Stat. Th.* 2, 62. Huc illuc clypeum objectans. ℙ Item injicere, immergere. *Virg. G.* 1, 386. pelagi volucres Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas. ℙ Item interponere. *Oc. Hal.* 91. Objectare moras. ℙ Item exprobrare, opponere, crimini dare: [**vorwerfen.*] *Cic. Dom.* 29. In isto tuo maledicto probrum non modo mihi nullum objectas, sed etiam laudem illustras meam. *Pl. Trin.* 3, 2, 28. Objectare alicui inopiam. *Sall. Jug.* 99. vecordiam. *Tac. A.* 4, 52. crimen impudicitiae, veneficia in principem, et devotiones. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 325.] *Ov. Met.* 2, 460. natumque objectat, et imputat illis. *Pl. Merc.* 2, 3, 76. uxori meae, Mihique objectant lenocinium facere. ℙ Item universim quippiam alicui dicere, quod displiceat. *Id. Most.* 3, 2, 123. cave tu, illi objectes nunc in aegritudine, Te has emisse.

[OBJECTOR, oris, m. qui aliquid objicit. *Non.* 2, 476. Inficiatores sunt falsi criminis objectores. *F.*]

OBJECTUS, a, um, part. ab *objicio: προβαλλόμενος*, ante jactus, oblatus, propositus. *Virg. A.* 6, 420. Melle soporatam, et medicatis frugibus offam Objicit: ille fame rabida tria guttura pandens Corripit objectam. *Plin.* 32, 2, 8. Pisces diripiunt carnes objectas. *Cic. Har. resp.* 23. *med.* Omnium objecta tela virtute perfregit. *Id. Div.* 1, 16. *f.* Signo objecto monuit Crassum, quid eventurum esset. *Id. Acad.* 4, 16. Visum a Deo objectum dormienti. *Tac. A.* 4, 60. Spes objecta principis loci. *Cic. Fin.* 1, 14. *med.* Species objecta voluptatis. ℙ Item expositus. *Cic. Fam.* 6, 4. *med.* Ad omnes casus subitorum periculorum objecti sumus. *Id. Tusc.* 1, 46. *med.* Objectus fortunae. *Plin.* 29, 1, 8. Cato objectus invidiae. ℙ Item oppositus. *Cic. Font.* 1. *f.* Propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum, et objectum. *Caes. B. G.* 6, 9. Silva pro nativo muro objecta, Cheruscos a Suevis incursionibus prohibet. *Hor. A. P.* 472. ursus Objectos caveae valuit si frangere clathros. ℙ Item ante positus, e regione situs. *Caes. B. C.* 3, 112. Haec insula objecta Alexandriae portum efficit. *Plin.* 5, 31, 35. Cyprus Syriae objecta. ℙ Item crimini datus, exprobratus. *Cic. Cluent.* 41. Nego, rem esse ullam in quemquam illorum objectam, quae Fidiculanio objecta non sit. *Tac. A.* 3, 12. Oro, ne objecta crimina pro approbatis accipiatis. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 5. Praxitelis Cupido objectus a Cicerone Verri. ℙ *Objecta, orum*, res objectae, crimina. *Cic. Dom.* 35. Non tam sum existimandus de gestis rebus gloriari, quam de objectis non confiteri. *Quint.* 7, 2. *med.* Patrono id agendum est, ut objecta vel neget, vel defendat, vel minuat. *Id.* 4, 2. *med.* et 9, 2. *med.* Objecta diluere.

OBJECTUS, us, m. *προβολή*, objectio, oppositio. *Plin.* 2, 10, 7. Solem interventu lunae occultari, lunamque terrae objectu. *Virg. A.* 1, 163. insula portum Efficit objectu laterum. *Tac. H.* 3, 9. Tutus loco, cum terga flumine, latera objectu paludis tegerentur. *Gell.* 12, 13. *f.* Regiones, quae Tauri montis objectu separantur. *Tac. A.* 14, 8. Hi molium objectus, hi proximas scaphas scaadere. *Lucr.* 1, 845. Parmae objectum dare, *h. e.* parmam objicere ad ictum vitandum. ℙ Item quod visui objicitur. *Nep. Ann.* 5. Sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit, ejusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. Quo repentino objectu viso, tantum terrorem injecit exercitui Romanorum, ut, etc.

OBIENS, euntis. V. OBEO.

*OBIGĒNE, es, f. Lycaoniae pars, contermina uno ex latere Galatiae. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

OBIGITO. V. OBAGITO.

OBĬI, orum, m. plur. 2. mortui. *Appul. de Mundo:* Geniis ministratur, obiis libatione profunditur. Alii rectius leg. *obitis.* V. OBITUS, a, um.

OBJĬCĬO, is, jeci, jectum, a. 3. *προβάλλο*, ante jacio, porrigo, exhibeo, propono. *Varr. R. R.* 4, 5. *f.* Cum creverunt vituli, levandae matres, pabulo viridi objiciendo in praesepiis; et *ib.* 4. *med.* Item *Plin.* 8, 40, 61. Objicere cibum porcis, aut canibus. *Cic. Rosc. Am.* 26. Parricidae corpus feris objicere. *Virg. A.* 6, 420. offam Cerbero. *Ter. Phorm.* 5, 2, 3. nonne id sat erat, Accipere ab illo injuriam? etiam argentum est ultro objectum. *Virg. A.* 5, 522. Hic oculis subito objicitur, magnoque futurum Augurio monstrum. *Pl. Curc.* 1, 2, 1. Flos veteris vini meis naribus objectus est. *Luer.* 5, 754. Objiciens caecum radiis ardentibus orbem Luna. ℙ *Objicere glebam* ap. *Fest.* in *Praecidanea* est injicere cadaveri, et humare. V. GLEBA. ℙ Translate est afferre, offerre, injicere, proponere, [*de iis, quae praeter opinionem eveniunt. V. *Ruhnk.* ad *Vell.* 1. mox l. coll. *Matth.* ad *Cic. Rosc. Am.* 14, 40.] *Liv.* 4, 51. Aptissimum tempus erat, vindicandis seditionibus, delenimentum animis Volani agri divisionem objicere. *Ter. Heaut.* 1, 2, 12. Ut hanc laetitiam nec opinanti primus objicerem! *Id. Ad.* 4, 3, 1. hoccine de improviso mali mihi objici tantum? *Id. Hec.* 3, 1, 6. quibus est alicunde aliquis objectus labos. *Pl. Merc.* 2, 3, 5. mihi mala res objicitur aliqua; et 5, 2, 40. Objicere alicui religionem, i. e. scrupulum. *Liv.* 5, 15. *f.* cuipiam eam mentem, ut patriam prodat. Rursus *Pl. Curc.* 4, 2, 45. alicui lucrum, i. e. offerre; et *Mil.* 3, 1, 29. sollicitudinem. *Liv.* 27, 1. terrorem hosti; et 6, 14. *f.* spem; et *Cic. Tusc.* 2, 4. metum et dolorem. *Id. Rosc. Am.* 14. furorem, *h. e.* immittere, injicere. Sic *Virg. A.* 7, 479. rabiem canibus. ℙ Est etiam exponere. *Cic. Vat.* 9. *f.* Qui consulem morti objeceris, inclusum obsederis, extrahere e suis tectis conatus sis. *Id. Dom.* 57. Objeci meum caput, pro vestris caeremoniis atque templis, perditissimorum civium furori atque ferro. *Id. Tusc.* 1, 37. Objicere se telis hostium. *Id. Mur.* 40. *f.* Objicitur consulatus concionibus seditiosorum, insidiis conjuratorum, telis Catilinae: ad omne denique periculum, atque ad omnem invidiam solus opponitur. *Ter. Phorm.* 3, 2, 18. Objici malo. [**Caes. B. G.* 1, 47. Legatum ex suis sese magno cum periculo ad eum missurum, et hominibus feris objecturum, existimabat: ubi laud. *Herzog. Ejusd. B. C.* 1, 64. Etsi timebat tantae magnitudinis flumini exercitum objicere.] ℙ Pro conjicere. *Cic. Arch.* 6. *med.* Nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem. ℙ Praeterea significat opponere, [*defendendi causa. V. *Spald.* ad *Quint.* 6, 3, 5.] *Cic. Pis.* 33. Alpium vallum contra ascensum Gallorum objicio et oppono. *Caes. B. G.* 1, 26. Carros pro vallo objecerant. *Id. B. C.* 3, 66. Cum se legio Caesaris objecisset Pompejanis copiis; et *ib.* 39. Faucibus portus navem onerariam submersam objecit. *Virg. A.* 2, 444. clypeosque ad tela sinistris Protecti objiciunt. *Id. ib.* 12, 372. Objecit sese ad currum, et spumantia frenis Ora citatorum dextras detorsit equorum. *Id. ib.* 9, 45. Objicere portae [*i. e. claudere ad hostes retardandos.] *Pl. Poen.* 1, 3, 37. et *Trin.* 5, 1, 8. moram alicui. *Liv.* 37, 10. Quas naves objecturus certamini foret. ℙ Pro inferre, afferre. *Pl. Amph.* 1, 1, 35. Qui multa Thebano populo acerba objecit funera. ℙ Saepe translate ponitur pro exprobrare, crimini dare, accusare, [*nostr. *vorwerfen.*] *Virg. Ecl.* 3,

7. Parcius ista viris tamen objicienda memento. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Objicit mihi, me ad Bajas fuisse. *Id. Tusc.* 1, 2. Cato objecit, ut probrum, M. Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset. *Id. Verr.* 2, 4, 17. Non tibi objicio, quod hominem omni argento spoliasti; et *ib.* 2, 5, 18. Fuit quondam ista severitas in judiciis, ut istam rem accusator in magnis criminibus objiciendam putaret; et *Cluent.* 23. Doce, in illorum judiciis quid, praeter hoc venenum Oppianici, non modo in crimine, sed in maledicti loco sit objectum; et *ib.* 41. Objicere quippiam in aliquem. *Brut.* et *Cass.* ad *Anton. Fam.* 11, 3. Te miramur non potuisse continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Caesaris objiceres. *Cic. Planc.* 31. De Cispio mihine tu objicies, quem, etc? *Id. Phil.* 3, 6. Objicere alicui ignobilitatem; et *Dom.* 35. furta, largitiones, libidines. *Id. Or.* 2, 70. *f.* multa probra. *Plin.* 34, 3, 7. Camillo inter crimina objecit Carvilius, quod, etc. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 195.] ℙ Passive. *Ov. Amor.* 3, 7, 17. Ecce novum crimen, solers ornare Cypassis Objicitur dominae contemerasse torum. ℙ *Objexim, is, it,* pro *objiciam,* ut *faxim* pro *faciam,* est *Pl. Cas.* 2, 6, 52. et *Poen.* 1, 3, 37. ℙ Altero *i* abjecto, primam corripit *Claud. IV. cons. Honor.* 364. Cur annos obicis? pugnae cur arguor impar? *Lucan.* 8, 796. Cur obicis Magno tumulum? Adde 9, 188.

OBĪNĀNIS, e, adj. idem ac inanis. *Varr. R. R.* 3, 9. de ovo gallin.: Cum ad lumen sustuleris, quod perluceat, id esse obinane, ajunt. Alii melius divisim leg. *ob inane.*

[OBINDUCTUS, a, um, adj. qui clam irrepsit: ab *ob,* et *inductus. Gloss. Philox.* Obinductus, παρείσακτος. *F.*]

OBĪNUNT, obeunt. *Festus.* Sic *nequinunt,* nequeunt.

OBĪRASCOR, eris, iratus sum, dep. 3. idem quod irascor, vel contra irascor. *Sen. Tranqu.* 2. *med.* Obirascens fortunae animus. *Appul. Apol.* Cum male audiunt, obirascuntur. Adde *Flor. n.* 17.

OBĪRĀTĬO, onis, f. iracundia. *Cic. Att.* 6, 3. *med.* Hujus nebulonis obiratione si Brutus moveri potest, licebit, etc.

OBĪRĀTUS, a, um, adj. idem ac iratus. *Liv.* 1, 31. Aut fortunae obirati cultum reliquerant Deum. Adde *Sen. Constant.* 19. et *ep.* 56. *med.*

OBĪTER, adv. ἐν παρόδῳ, ex *ob,* et *iter* factum, ut *Prisc.* 15, 1014. docet, proprie significat per iter, in via, inter eundum, in transeundo. *Plin.* 18, 10, 23. Major pars Italiae utitur rotis, quas aqua verset obiter, et molat; et 11, 37, 55. Angustiae pupillae obiter incidentia facile declinant; et 29, 3, 11. de ovis: Cibo quot modis juvent, notum est, cum transmeent faucium tumorem, calfactuque obiter foveant. *Juven.* 3, 239. turba cedente vehetur Dives, et ingenti curret super ora Liburno, Atque obiter leget, aut scribet, aut dormiet intus. *Plin.* 33, 4, 21. Alius par labor, flumina ad lavandam hanc ruinam jugis montium ducere obiter, a centesimo plerumque lapide, *h. e.* ita flectendo eorum cursum, ut ire, ac fluere non cessent, et inter fluendum lavent. ℙ Universim *obiter aliquid facere* dicimus, cum aliud agentes simul et illud facimus, per occasionem, eodem tempore, eadem opera, in transitu. *Petr. Sat.* 31. Ne in hoc quidem tam molesto tacebant officio, sed obiter cantabant; et 92. Interrogo ego, quot estis? obiterque per rimam speculari coepi. *Sen. Ira* 3, 1. *med.* Ira non in ea tantum, in quae destinavit, sed in occurrentia obiter saevit. *Juven.* 6, 481. Verberat, atque obiter faciem linit. *Plin.* 37, 9, 37. Licet obiter vanitatem magicam hic quoque coarguere. *Id.* 29, 5, 30. Sevum struthiocamelinum tunc venisse sestertiis triginta, obiter dictum sit. *Id.* 33, 8, 44. Inficitur ita ramentum obiter, dum uritur. *Pompon. Dig.* 18, 5, 1. *extr.* Dicendum est, patre paciscente, et liberato adversario, filium quoque obiter liberari. ℙ Pro eodem tempore, e vestigio, protinus. *Gloss. Philox.* Ἐν τῷ ἀυτῷ, inibi, obiter. *Quint. decl.* 10, 16. *f.* Pessimus parentum, qui dum liberos suos sepeliunt, flere contenti, ut obiter ab rogo siccis oculis revertantur. [*Burm. *obiter reverti* dictum h. l. censet pro: sine animi dolore reverti, ut egressus erat.] *Appul. Met.* 6. Multis onustos rebus rursum, ne breviculo quidem tempore refectos, obiter reducunt. ℙ Etiam aurea Latinae Linguae aetate in usu fuit. Unde *Augustus* ap. *Charis.* 2, 187. reprehendebat Tiberium, quod scriberet *per viam ἀντὶ τοῦ obiter.* Etiam *Laberius* usurpasse dicitur, teste *eod. ib.* Integrum *Charisii* locum adscribo: Obiter Divus Hadrianus sermonum primo quaerit, an Latinum sit. Quamquam, inquit, ap. Laberium haec vox esse dicatur, et cum Scaurus Latinum esse neget. Addit, quod veteres *eadem* soliti sint dicere, non addentes *via,* ut sit κατ' ἔλλειψιν, ut Plautus (*Bacch.* 1, 1, 15.) Eadem biberis, eadem tibi dedero suavium. De Augusto ita subdit. Tametsi Augustus non pereruditus homo fuerit, ut id adverbium ex usu potius, quam ratione protulerit. Haec *Charisius.*

OBĪTUS, a, um, part. ab *obeo. Cic. Sext.* 38. *med.* Quos a majoribus nostris morte obita positos in illo loco, atque in rostris collocatos videtis. *Virg. A.* 10, 641. eodem loquendi modo utitur: item *Lucr.* 4, 735. et *Auson.* non semel. ℙ *Obitus,* qui mortuus est, ὁ τεθνεώς, ut est ap. *Prisc.* 9, 869., ubi affert haec verba ex *Liv. Andron.* in *Protesilao:* Cupidius miserulo obitus. *Appul. de Mundo:* [*p. 74. *Elmenh.*] Geniis ministratur, obitis libatione profunditur. V. OBII. *Inscr.* non optimae notae ap. *Grut.* 741, 1. Filii posuerunt memoriam patri suo Saturniano Potio obito cum compare sua Valentiniana Volusia. *Paul. carm.* 24, 568. Ergo probant obiti, quod damnavere magistri.

OBĪTUS, us, m. [*aditus, occursus, interventus:* nam haec prima est vocis significatio.] *Paul.* ex *Festo:* Obitu dicebant pro aditu. *Turpil.* ap. *Non.* 4, 331. Ecquis est, qui interrumpit sermonem meum obitu suo? *Ter. Hec.* 5, 4, 19. Antiquam adeo tuam venustatem obtines, Ut voluptati obitus, sermo, adventus tuus, quocumque adveneris Semper siet. Ubi *Donat.:* Inter obitum, et adventum hoc interest, quod obitus est, quem casus affert: adventus, quem voluntas, et destinatus locus. [*Bentl.* leg. pro *adventus, affatus.* Et recte quidem multis in locis *obire* de iis dicitur, quae improviso, necopinato eveniunt: inter *obitus* autem et *adventus* eam, quam *Donatus* indicavit, differentiam obtinere haud sane contenderim. V. *Bentl.* ad h. l.] *Appul. Met.* 9. [*p. 619. *Oud.*] Nec immerito priscae poeticae divinus auctor apud Grajos, summae prudentiae virum monstrare cupiens, multarum civitatum obitu, et variorum populorum cognitu summas adeptum virtutes cecinit. *Hom. Odyss.* 1, 1. eundem πολύτροπον vocat. [Hinc *Hor. A. P.* 142. Qui mores hominum multorum vidit et urbes. *Bailey.*] ℙ Item exsecutio, sicut dicimus *obire munus* pro exsequi. *Tert. Fug. in persecut.* 1. Ante determinari oportet de statu ipsius persecutionis, utrum a Deo obvenit, an a diabolo, quo facilius de obitu ejus constare possit. ℙ [*Hinc de suscipiendo perficiendoque ultimo quidem omnium mortalium munere idem est, quod interitus, mors.] *Cic. Div.* 2, 16. Non ergo omnium interitus atque obitus natura conficiet. *Id. Pis.* 15. Qui dies post obitum occasumque nostrum reipublicae primus illuxit, [*de exsilii sui calamitate loquitur.] *Caes. B. G.* 2, 29. et *Nep. Timoth. f.* Post eorum obitum. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus consulum. *Virg. A.* 4, 493. longum miserata dolorem, Difficilesque obitus. [*Suet. Cal.* 8. immaturus obitus. Quid differant *obitus* et *interitus,* v. in h. v.] ℙ Item occasus. *Cic. Div.* 1, 56. *f.* Solis, et lunae, reliquorumque siderum ortus, obitus, motusque cognoscere. Adde *Or.* 1, 42. et *N. D.* 2, 7., *Catull.* 66, 2. et *Virg. G.* 1, 257. ℙ *Obitus, i,* m. ἀρχαϊκῶς, ut *senati* pro *senatus, tumulti* pro *tumultus. Appul. Dogm. Plat.* 2. Sed neque obiti causa lamentationes suscipi oportet.

OBJURGĀTĬO, onis, f. ἐπιτίμησις, actus objurgandi, castigatio, reprehensio. *Paul.* ex *Festo:* Objurgatio, post turpe factum castigatio: monitio vero est ante commissum. *Cic. Amic.* 24. Ut monitio acerbitate, objurgatio contumelia careat. *Id. Or.* 2, 83. Tum objurgatio, si est auctoritas: tum admonitio, quasi lenior objurgatio. *Id. Att.* 3, 10. Ut potius relevares me, quam aut castigatione, aut objurgatione dignum putares. *Id. Off.* 3, 21. Qua hunc objurgatione, aut quo potius convicio a tanto errore coner avellere! *Id. Coel.* 11. *med.* Deliciarum objurgatio fuit longa, et ea lenior, plusque disputationis habuit, quam atrocitatis. *Quint.* 1, 3. Hunc mordebit objurgatio, hunc honor excitabit; et *infra:* Si cui tam est mens liberalis, ut objurgatione non corrigatur. *Gell.* 1, 2. *med.* et 10, 19. Severa atque vehementi objurgatione incessere aliquem.

OBJURGĀTOR, oris, m. ἐπιτιμητής, qui objurgat. *Cic. Agr.* 3, 3. Quantas concessiones agrorum hic noster objurgator uno verbo facere conetur. *Id. Div.* 1, 49. *f.* Objurgatores suos convincere. *Id. Verr.* 2, 3, 2. Non modo accusator, sed ne objurgator quidem ferendus est is, qui, etc.

OBJURGĀTŌRĬUS, a, um, adj. ἐπιτιμητικός, ad objurgandum pertinens. *Cic. Att.* 13, 6. Una cum illius objurgatoria *(epistola)* tibi meam quoque, quam ad eam rescripseram, misi. *Gell.* 9, 2. Atque ille, vultu sonituque vocis objurgatorio, philosophum sese esse dicit. *Id.* 1, 26. Verba seria et objurgatoria. *Ammian.* 16, 12. *med.* Objurgatorio clamore prohibere.

OBJURGĀTUS, a, um, part. ab *objurgo:* reprehensus, castigatus. *Val. Max.* 2, 2. *in.* Vehementer objurgatus. ℙ Usurpatur etiam active quasi ab *objurgor* deponentium more. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 9. Hirrus Curionem prorsus non mediocriter objurgatus, hac repulsa se mutavit. Alii leg. *objurgat:* [at *Schütz.* contendit, *objurgatus* legendum, tum quia in *objurgatus* consentiunt libri veteres, tum quia prior lectio historiae, et huic ipsi loco repugnat. *F.* *Idem exhibet *Orell.*]

OBJURGĪTO, as, a. 1. frequenter objurgo. *Pl. Trin.* 1, 2, 30. Malis te ut verbis multis multum objurgitem. Adde *ib.* 32.

OBJURGO, as, avi, atum, a. 1. ἐπιτιμάω, jurgo contra aliquem. Proprie, si vim spectes, dicitur de eo, qui injuste contra aliquem litigat, ut *Varr. L. L.* 6, 5. docet. Sed si usum, significat verbis reprehendere, arguere, increpare, asperius castigare, sive jure, sive injuria. *Cic. Coel.* 11. Fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister: objurgavit M. Coelium, sicut neminem unquam parens. *Id. Fam.* 3, 8. *med.* Ne in quo te objurgem, id ipsum videar imitari. *Id. Att.* 2, 1. Quod me quodammodo molli brachio de Pompeji familiaritate objurgas. *Id. Fam.* 2, 9. Cum objurgarer, quod nimia laetitia paene desiperem. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 3. *f.* Caesar meam in rogando verecundiam objurgavit; et *ib.* 2. *f.* Ea villa, quae nunc est, tanquam philosophia videtur esse, quae objurget ceterarum villarum insaniam. *Cic. Amic.* 24. Monendi amici saepe sunt, et objurgandi. *Phaedr.* 5, 10. hic tum venator dolens, Canem objurgabat. *Pl. Trin.* 3, 2, 54. tu objurgans me a peccatis, rapis in deteriorem viam, *h. e.* retrahens, dehortans, deterrens. ℙ Cum duplici accusativo. *Id. Merc.* 1, 1, 46. Objurgare pater haec me noctes, et dies. ℙ Cum dativo. *Diomed.* 1, 305. Idiomata, quae veteres per accusativum extulerunt, nos per dativum secundum Graecos efferimus. Objurgo filium, veteres dicebant: nos, Objurgo filio, ut Graeci. ℙ Pro exprobrare: valde enim est affine, et paene idem. *Quint.* 6, 3. *med.* Ut Cicero objurgantibus, quod sexagenarius Publiliam virginem duxisset, etc. ℙ Ponitur et pro punire, plectere. *Petr. Sat.* 34. Colaphis objurgare puerum. *Sen. Ira* 3, 12. *f.* verberibus. *Suet. Cal.* 20. ferulis. *Id. Oth.* 2. flagris. *Pers.* 5, 169. solea, puer, objurgabere rubra. *Sen. Ben.* 4, 36. Non committam, ut sestertio centies objurgandus sis, *h. e.* multandus. [*Cf. *Spalding.* ad *Quint.* 10, 3, 21.]

OBJŪRO, as, n. 1. *Paul.* ex *Festo:* Objurare, jurejurando obstringere: ut in Penthesilea: formidabant objurare.

OBLANGUĒO, es, ui, n. 4. idem ac langueo. *Cic. Fam.* 16, 10. Litterulae meae, sive nostrae, tui desiderio oblanguerunt.

OBLĀQUĒĀTĬO, onis, f. V. ABLAQUEO.

OBLĀQUĒO, as, avi, atum, a. 1. laqueo cingo, ligo, circumdo. *Tert. Resurr. carn.* 7. *med.* Argento gemmas oblaqueare. V. MITRA et ABLAQUEO.

OBLĀTĪCĬUS et Oblatitius, a, um, adj. qui offertur. *Sidon. in conc. post ep.* 9. *l.* 7. *med.* Oblaticium impendium. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 6, 2, 5. et 9. Oblaticium aurum, *h. e.* quod senatus singulari studio erga imperatorem certis temporibus, velut initio principatus, vel quinquennalibus, aut decennalibus, ultro offerebat.

OBLĀTĬO, onis, f. προφορά, ἀνάθημα, actus offerendi. *Ascon.* in *Verr.* 2, 2, 2. Genus omne pensitationis in hoc capite positum est, canonis, oblationis, indictionis. Ubi oblationem intelligit tributum ultro oblatum. *Eum. Pan. ad Constant.* 16. Milites tui te omnibus donis, omnibus honorum oblationibus praetulerunt. *Ulp. Dig.* 24, 1, 5. *med.* Si maritus ad oblationem Dei uxori donavit. *Impp. Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 6, 2, 14. Oblationem amplissimi ordinis prompta liberalitate promissam partim remittimus vobis, partim patriae communi largimur, *h. e.* oblaticium aurum, de quo in v. praec.

OBLĀTĪVUS, a, um, adj. *Serv.* in *A.* 6, 190. Auguria aut oblativa sunt, quae non poscuntur; aut impetrativa, quae optata veniunt. *Sym. ep.* 10, 43. (al. 50.) Oblativis functionibus obnoxius; et *infra:* Oblativa munera.

OBLĀTOR, oris, m. qui offert. *Tertull. adv. Marc.* 2, 26. *f.* Oblatorem animae suae pro populi salute.

OBLATRĀTOR, oris, m. qui oblatrat, maledicus. *Sidon. ep.* 1, 3. Ille obiter stertentum oblatratorum aures rauci voce praeconis everberat.

OBLATRATRIX, icis, f. quae oblatrat, maledica. *Pl. Mil.* 3, 1, 86. Sed nolo mihi oblatratricem in aedes intromittere.

OBLATRO, as, n. 1. καθυλακτέω, contra latro, et metaphorice carpo, maledico. *Sen. Ira* 3, 43. Quid illum oblatrantem tibi exterrere tentas? ℙ Cum accusativo. *Sil.* 8, 251. Infima dum vulgi fovet, oblatratque senatum. Sic *latrare,* et *allatrare aliquem:* quae V. ss. ll.

OBLĀTUS, a, um, part. ab *offero:* προσφερόμενος, delatus, illatus, praebitus. *Cic. Manil.* 16. *extr.* Bonum a Diis immortalibus oblatum et datum. *Id. Verr.* 1, 1. Id prope divinitus datum atque oblatum vobis videtur. *Id. Cluent.* 28. et *Cat.* 3, 2. Oblatam sibi facultatem putavit, ut, etc. *Hirt. B. G.* 8, 18. Cum sibi oblatam occasionem rei gerendae existimaret. *Sall. Cat.* 40. Ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata est. *Id. Jug.* 12. Quem ille casu ministrum oblatum promissis onerat. *Liv.* 6, 2. *f.* Nec Diis cordi fuisse poenam ejus oblatam prope oculis suis. ℙ Item contra illatus. *Cic. Fin.* 5, 22. *f.* Quae per vim

oblatum stuprum voluntaria morte lueret. *Id. Amic.* 18. *f.* Ab aliquo oblatas criminationes repellere. Al. leg. *illatas*: al. *allatas*. [*ita *Orell.*] ℙ Fere autem dicitur de iis, quae inferuntur extrinsecus: et opponitur intestino. *Cic. Acad.* 4, 15. *f.* Neque ut quidquam interesset inter intestinum, et oblatum; et *ib.* 1, 11. Impulsio oblata extrinsecus. Sic *Dom.* 62. Domus ardebat non fortuito, sed oblato incendio. *Lucr.* 2, 950. Nam quid praeterea facere ictum posse reamur Oblatum, nisi discutere et dissolvere quaeque? ℙ Est etiam expositus, subjectus, objectus. *Cic. Rabir. Post.* 8. *med.* In custodia etiam fuit regia, et vita ejus oblata poenae est. ℙ *Oblatum furtum*, cujus meminit *Gell.* 11, 18., dicitur, cum res furtiva tibi ab aliquo oblata sit, eaque apud te concepta sit, utique si ea mente data tibi fuerit, ut apud te potius, quam apud eum, qui dederit, conciperetur: nam tibi, apud quem concepta sit, propria adversus eum, qui obtulit, quamvis fur non sit, constituta est actio, quae appellatur oblati. Ita *Cajus Instit.* 3. (ed. *Goesch.*) §. 187. et ex eodem *Justin. Instit.* 4. *tit.* 1. Brevius in *Ep.* ejusd. *Caji Instit. l.* 2. *tit.* 10. Oblatum furtum dicitur, cum res furtiva alicui ita a fure datur, ut apud ipsum furem inveniri non possit. ℙ *Notandus locus *Liv.* 44, 26. Tum Gallorum effusorum per Illyricum ingens oblatum avaritia dimissum est, *h. e.* oblatio. *B. A.*

OBLECTĀBĬLIS, e, adj. jucundus. *Auson. ep.* 19. *extr.* Oblectabile negotium.

OBLECTĀMEN, inis, n. idem ac oblectamentum. *Ov. Met.* 9, 342. Carpserat hinc Dryope, quos oblectamina nato Porrigeret flores. *Stat. Silv.* 3, 5, 95. Nec desunt variae circum oblectamina vitae.

OBLECTĀMENTUM, i, n. oblectatio. *Cic. Sen.* 15. Ut meae senectutis requietem oblectamentumque noscatis. *Id. Par.* 5, 2. Oblectamenta puerorum. *Id. Verr.* 2, 4, 60. Oblectamenta et solatia servitutis. *Plin.* 21, 11, 39. Cauliculi inter oblectamenta gulae condiuntur. *Suet. Tib.* 72. Erat ei in oblectamentis serpens draco.

OBLECTĀNĔUS, a, um, adj. oblectabilis. *Inscr.* ap. *Grut.* 304, 1. Opto, si quid oblectaneum apud Manes est, pro nequitiis jocisque, quibus coaevos capiens me oblectare solebat, insontem animulam reficiant.

OBLECTĀTĬO, onis, f. *τέρψις*, delectatio. *Cic. Acad.* 4, 41. Indagatio ipsa rerum cum maximarum, tum etiam occultissimarum habet oblectationem. *Id. Or.* 1, 26. Oblectatio animi. *Id. Amic. ult.* Requies plena oblectationis. *Id. Fin.* 5, 19. *med.* Non solum beatae vitae istam oblectationem videmus, sed etiam levamentum miseriarum.

OBLECTĀTOR, oris, m. qui oblectat. *Appul. Flor. n.* 17. Arion belluarum oblectator. *Tert. Cor. mil.* 8. *f.* Deus oblectator hominis sui.

OBLECTĀTORĬUS, a, um, adj. oblectabilis. *Gell.* 18, 2. in lemmate: Quaedam sophismata, et aenigmata oblectatoria.

OBLECTO, as, avi, atum, a. 1. *τέρπω*, delecto, recreo: ex *ob*, et *lacto*. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. *f.* Quid agas, et ut te oblectes, scire cupio. *Id. Or.* 2, 14. *f.* Poetas non conor attingere: cum his me oblecto, qui res gestas scripserunt. *Id. Q. Fr.* 2, 13. *extr.* Oblecta te cum Cicerone nostro quam bellissime. *Id. Sen.* 16. Qui se agri cultione oblectabant. *Ter. Ad.* 1, 1, 23. Eduxi a parvulo, habui, amavi pro meo: in eo me oblecto. *Cic. Arch.* 7. *f.* Haec studia adolescentiam alunt, senectutem oblectant. *Hor. A. P.* 320. Fabula nullius Veneris, sine pondere et arte Valdius oblectat populum, meliusque moratur. *Ov. R. Am.* 169. Rura quoque oblectant animos, studiumque colendi. *Id. Trist.* 5, 12, 1. ut oblectem studio lacrimabile tempus. *Tac. H.* 2, 50. Fictis oblectare legentium animos. *Id. A.* 12, 49. Oblectare iners otium. Ironice *Pl. Asin.* 1, 2, 15. Quae, priusquam istam adii. Sordido vitam oblectabas pane. ℙ Passive. *Cic. Mur.* 19. Ludis oblectamur et ducimur. *Id. Fam.* 2, 16. *med.* In communibus miseriis hac oblectabar specula, Dolabellam meum fore ab iis molestiis liberum. *Just.* 36, 4. Ceris fingendis, et aere fundendo, procudendoque oblectabatur.

OBLĒNĬO, is, ivi, itum, a. 4. lenio, delenio, mitigo. *Sen. Ira* 3, 9. Lectio illum carminum obleniat.

OBLĪDO, is, isi, isum, a. 3. *κατάγχω*, usque ad mortem laedo, suffoco, elido, frango: ex *ob*, et *laedo*. *Colum.* 7, 3. *med.* Nec angustiae (*stabulorum*) fetus oblidant. Adde locum *Cic.* allatum in DIGITULUS. **Cic. pro Scauro or. fragm.* ed. *A. Maio*, p. 42. ed. *Kil.* Sed collum digitulis duobus oblideret, etc. *B. A.*

OBLĪGĀMENTUM, i, n. colligatio, alligatio. *Tert. Cor. mil.* 14. Caput ne velamento quidem obnoxium, nedum obligamento. *Id. adv. Marc.* 3, 22. Cum legis obligamenta et onera Evangelica jam libertate mutarent.

OBLĪGĀTĬO, onis, f. *ἐπίδεσμος*, colligatio, alligatura. Linguae obligatio, cum non est satis soluta ad verba exprimenda. *Just.* 13, 7. Cui nomen Battus propter linguae obligationem fuit. ℙ Translate. *Mart. Dig.* 48, 10, 1. Qui societatem coierit ad obligationem innocentium, *h. e.* ad irretiendos, et implicandos litibus innocentes. ℙ Saepe est civile vinculum, quo alicui, et ad quippiam praestandum adstringimur. *Cic. ad Brut.* 1, 18. Est autem gravior et difficilior animi, et sententiae, maximis praesertim in rebus, pro altero, quam pecuniae, obligatio. ℙ Frequentissime hoc sensu adhibetur a JCtis. *Paul. Dig.* 44, 7, 3. Obligationum substantia non in eo consistit, ut aliquod corpus nostrum, aut servitutem nostram faciat, sed ut alium nobis obstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel praestandum. *Papin. ib.* 3, 3, 67. Obligationis onere levari; et *ib.* Obligationis vinculum suscipere pro aliquo. *Cajus ib.* 44, 7, 1. Obligationem contrahere. *Ulp. ib.* 2. Obligationes fiunt consensu in emptionibus, venditionibus, etc. *Cajus ib.* 4. Ex maleficio nascuntur obligationes. *Ulp. ib.* 46, 4, 8. Per unum atque eundem servum et constituitur, et tollitur obligatio. *Venulej. ib.* 45, 1, 108. Conditio parere obligationem potest. *Paul. ib.* 58. Obligatione exspirante; et 140. Obligatio exstinguitur; et 2, 14, 21. *f.* dissolvitur; et *ib.* 27. *med.* solvitur; et *ib.* submovetur. *Modest. ib.* 45, 1, 100. Obligationem perimere; et 20, 1, 23. Pignoris obligatio etiam inter absentes recte ex contractu obligatur, *h. e.* contrahitur. [*V. quae doctissime de his atque elegantissime disputavit *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 160. 285. sq.]

OBLĪGĀTORĬUS, a, um, adj. obligandi vim habens. *Cajus Dig.* 17, 1, 2. *extr.* Magis est consilium, quam mandatum: et ob id non est obligatorium. Adde *Justin. Instit.* 3. *tit.* 26. ℙ **Gloss. Vet. Lat. Gr.* Obligatorium, *ἐνοχοποιον*. *B. A.*

[OBLĪGĀTŪRA, ae, f. obligatio. *Gloss. Philox.* Obligatura, *καταδεσμος*. *F.*]

OBLĪGĀTUS, a, um, part. ab *obligo*: *ἐπιδεδεμένος*, circum ligatus, alligatus, devinctus. *Auct. ad Her.* 1, 13. Obvolutus, et obligatus corio devehatur in profluentem. *Plin.* 3, 5, 9. Angerona ore obligato obsignatoque simulacrum habet. *Id.* 26, 11, 66. Muscus recens articulis obligatus. *Hor. Epod.* 17, 67. Prometheus obligatus aliti. *Pl. Truc.* 5, 64. Pecua ad hanc in crumina ego obligata defero. *Sen. Ira* 3, 11. *f.* Si quis obligatis oculis in se incurrisset. ℙ Translate est pignori datus, subjectus. *Pl. Truc.* 2, 1, 4. Nam fundi, et aedes obligatae sunt ob amoris prandium. *Cic. Agr.* 3, 2. *f.* Praedia soluta meliore in causa sunt, quam obligata. *Suet. Claud.* 9. *f.* Cum obligatam aerario fidem liberare non posset. *Ulp. Dig.* 46, 3, 20. Res pignoris nomine alii obligata. *African. ib.* 39, 2, 44. Aedes pignori obligatae. ℙ Item promissus, addictus. *Hor. Od.* 2, 7, 17. Ergo obligatam redde Jovi dapem. ℙ Item implicatus, irretitus. *Cic. Verr.* 2, 9. Me hoc judicio districtum atque obligatum futurum. V. DISTRICTUS. ℙ Item beneficio devinctus, obstrictus. *Cic. Fam.* 6, 11. Dolabellam antea tantummodo diligebam: obligatus ei nihil eram: nunc tanto sum devinctus ejus beneficio, etc. *Id. ib.* 13, 18. *extr.* Quibuscumque officiis Atticum obstrinxeris, iisdem me tibi obligatum fore; et *ib.* 11, 16. Magno praeterea beneficio ejus, magnoque merito sum obligatus. *Plin. ep.* 8, 2. *f.* Quanto quis melior et probior, tanto mihi obligatior abit.

OBLĪGO, as, avi, atum, a. 1. [*proprie esse constat *vincio*, *devincio*, *ἐπιδέω*. Huc primum pertinent, quae laudata sunt in v. *obligatus*. *Auct. ad Her.* 1, 13. Obvolutus et obligatus corio; et *Plin.* 26, 11, 66. *Hor. Epod.* 17, 67. *Pl. Truc.* 5, 64. ℙ Hinc dicitur pro *circumligo*, colligo adjectis vinculis.] *Cic. N. D.* 3, 22. *f.* Aesculapius, qui specillum invenisse, primusque vulnus dicitur obligavisse. *Id. Tusc.* 2, 16. *f.* Medicum requirens, a quo obligetur. *Pl. Men.* 5, 3, 9. medicus Ait, se obligasse crus fractum Aesculapio, Apollini autem brachium. *Tac. A.* 6, 9. Obligare venas, *h. e.* incisas apertasque claudere. *Pl. Bacch.* 4, 4, 96. Cedo tu ceram ac linum actutum: age obliga, obsigna cito. *Varr. R. R.* 1, 41. Surculum argilla oblinere, et libro obligare. *Colum.* 11, 2. *med.* Nec minus mille ducentos manipulos unus obligat. *Apic.* 4, 2. Obligare cibum ovis. ℙ Translate *obligare se* est se adstringere, se alligare, et cujuspiam rei debitorem facere, [**sich verbindlich machen.*] *Cic. ad Brut.* 1, 18. *med.* Magis enim illum, pro quo spopondi, quam me obligavi. *Id. Mur.* 2. In rebus, quae mancipi sunt, is periculum judicii praestare debet, qui se nexu obligavit. *Id. Leg.* 2, 16. *f.* Voti sponsio, qua obligamur Deo. *Liv.* 38, 33. *med.* Obligari foedere. *Suet. Caes.* 42. Obligare se scelere. *Cic. Div.* 1, 4. *f.* Est enim periculum, ne, neglectis rebus divinis, impia fraude, aut susceptis, anili superstitione obligemur. *Q. Scaevola* ap. *Gell.* 7, 15. Obligare se furti. ℙ Ponitur et pro subjicere, addicere, legare. *Cic. Off.* 1, 11. *med.* Ut si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiae sacramento. *Id. Dom.* 40. *extr.* Domum sempiterna religione obligare. *Id. ib.* 8. *med.* Cum populum R. scelere obligasses. *Hor. Od.* 2, 8, 5. Obligare caput suum votis, *h. e.* devovere, non implendo vota. *Liv.* 3, 13. *med.* Unum vadem tribus millibus aeris obligarunt. *Tib.* in *or.* ap. *Suet. Tib.* 67. Cavendum, ne se senatus in acta cujusquam obligaret, *h. e.* obligaret se ad sequenda acta alicujus, quod erat jurare in acta. *Cic. Phil.* 5, 18. *f.* Audebo etiam obligare fidem meam P. C. vobis, populoque R. Deinde statim subdit: Promitto, recipio, spondeo, C. Caesarem talem semper fore. ℙ Saepe est beneficio devincire. *Cic. Q. Fr.* 2, 14. *f.* Quem fac, ut tua liberalitate tibi obliges; et *ib.* 3, 1, 5. Scaurum beneficio defensionis valde obligavi. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Quam velis eum obligare, in tua manu est. *Plin. ep.* 4, 4. Obligabis me, obligabis Calvisium nostrum, obligabis ipsum non minus idoneum debitorem, quam nos putas. *Id. ep.* 10, 3. Indulgentia tua hortatur me, ut audeam tibi etiam pro amicis obligari; et *Ov. Met.* 9, 247. Nam quamquam ipsius datur hoc immanibus actis, Obligor ipse tamen. ℙ Dicitur de iis, qui pignori quidpiam subjiciunt. *Vitr. praef. l.* 10. Tradita aestimatione, magistratui bona ejus obligantur. *Suet. Vesp.* 4. Rediit nihilo opulentior, ut qui prope labefacta jam fide, omnia praedia fratri obligarit. *Scaev. Dig.* 20, 4, 21. Obligare pignori omnia bona sua. Et absolute *Cajus ib.* 44, 7, 4. *med.* Rem suam creditori obligare. *Ulp. ib.* 27, 9, 5. *f.* Distrahere vel obligare possessionem. ℙ Est etiam universim aliquo juris vinculo adstringere, et obnoxium reddere. *Ulp. ib.* 29, 2, 8. Hereditas obligat nos aeri alieno. *Modest. ib.* 48, 10, 30. Lege Cornelia testamentaria obligatur, qui signum adulterinum fecerit. *Id. ib.* 30, 2, 100. Cautione vel chirographo obligare se ad aliquid. *Paul. ib.* 27, 3, 2. Utraque actione obligari. *Ulp. ib.* 1. *f.* Obligari tutelae, et furti: *scil.* actione. *Id. ib.* 39, 5, 12. Obligare se ex donatione. ℙ Refertur etiam ad beneficia. *Paul. Sent.* 5, 23. Qui sacra impia, ut quem obcantarent, defigerent, obligarent, fecerint. ℙ Tum in universum ponitur *obligari* pro *cogi*, *juberi*. *Ov. Trist.* 1, 2, 83. Obligor, ut tangam laevi fera litora Ponti. ℙ Part. *Obligans* ap. *Sen. Ben.* 1, 4. Per quem obligantium, obligatorumque animi certent. *Obligaturus* ap. *Curt.* 7, 10. Interroganti, quo pignore fidem obligaturi essent, dixerunt, etc. *Obligandus* ap. *Liv.* 30, 12. Amore captivae victor captus data dextra in id, quod petebatur, obligandae fidei, in regiam concedit.

OBLĪGŪRĬO et Obligurrio, is, a. 4. prorsus ligurio, consumo, absumo, *καταφαγεῖν*. *Enn.* ap. *Donat.* ad *Ter. Ph.* 2, 2, 25. lupino exspectans impetu, Mox dum alterius obligurrias bona. Al. leg. *abligurias*. *Cic. Cat.* 2, 5. Patrimonia sua profuderunt, fortunas suas obligurierunt. Al. leg. *abligurierunt*: [*ita *Orell.*] alii *obligaverunt*. V. LIGURIO. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Majo*) 1, 26. *B. A.*

OBLĪGŪRĪTOR, oris, m. *Firm. Math.* 5, 5. Homines audaces, temerarii, obliguritores.

OBLĪMĀTUS, a, um, part. ab *oblimo*: limo obductus. *Cic. Or.* 2, 52. Nilus Aegyptum irrigat, mollitosque et oblimatos agros ad serendum relinquit. *Suet. Aug.* 18. Fossas, in quas Nilus exaestuat, oblimatas longa vetustate, militari opere detersit.

OBLĪMO, as, avi, atum, a. 1. *περιπλάττω*, limo obduco, limo repleo: ex *ob*, et *limus*. *Virg. G.* 3, 136. et sulcos oblimet inertes. ℙ [*Translate dicitur, ut nostrum *verschlämmen*, de hominibus prodigis.] *Hor. Sat.* 1, 2, 61. bonam deperdere famam, Rem patris oblimare, malum est ubicunque: [*ubi v. *Heindf.*, qui recte alteram Scholiastae interpretationem, qua *oblimare* hoc significatu positum a *lima* originem duxisse contendit, (quam et *Forc.* ut veram agnoverat) refutat, utpote quae pusilli quid locique sententiae minus aptam notionem contineat. ℙ Item ponitur pro] obcaecare, quasi limo meatus claudere, seu obtundere. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 29. sed quod dissuasor honesti Luxus, et humanas oblimat copia mentes. *Solin.* 11. Pronius est Cretam dicere, quam absolvere, in quo mari jaceat. Ita enim circumflui illius nomina Graeci permiscuerunt, ut dum aliis alia inferunt, paene oblimaverint universa.

OBLĪNĬO, is, ivi, vel ii, itum, a. 4. idem ac oblino: ab *ob*, et *linio*. *Colum.* 5, 9. Et imas partes misto fimo cum cinere oblinire. *Id.* 12, 15. Vasa operculare, et oblinire; et 44. *f.* Urceum crasso luto diligenter oblinire. *Varr. R. R.* 1, 41. Surculus argilla obliniendus. Al. leg. *oblinendus*. ℙ *Paul. Dig.* 47, 11, 1. Si quis coeno, luto oblinierit.

OBLĪNĪTUS, a, um, part. ab *oblinio*, circumlitus. *Colum.* 12, 39. Passum secundarium statim vasis oblinitis includere. Est qui leg. *oblitis*. *Scrib. Comp.* 245. Cinis de filice facta, aqua conspersa, oblinita.

OBLĪNO, is, ĭni, vel ēvi, ĭtum, a. 3. *ἐπιχρίω*, *περιχρίω*, circum lino: ab *ob*, et *lino*. *Varr. R. R.* 3, 7. *med.* Accipitres ita decipiuntur, cum se obleverunt visco. *Id.* ap. *Non.* 1, 95. Obbam luto

oblevisse. *Quadrig.* ap. *Gell.* 15, 1. *extr.* Omnem materiam obleverat alumine. *Plin.* 17, 11, 16. Plagam a trunco oblini fimo, et foliis praeligari. *Pl. Most.* 1, 3, 101. Cerussa malas oblinere. [*Jam sequi poterant ista:] ℙ Item lutare, conspurcare. *Varr. R. R.* 2, 9. *med.* Cubilia substernenda frondibus, ne catuli oblinantur. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 494. Quid tu istuc curas, ubi ego oblinar, atque voluter? ℙ Item linendo obturare, [*verpichen, verschmieren.*] *Cato R. R.* 36. Si bene deacinata erunt dolia, oblinito. *Id. ib.* 127. Oblinito amphoram, et post dies triginta aperito, et utitor. *Mart.* 11, 45. Oblinitur, minimae si qua est suspicio rimae. ℙ Item tectorium parietibus inducere. *Varr. R. R.* 3, 7. Quam levissimo marmorato toti parietes, ac camerae oblinuntur. ℙ [*Hinc translate inducendo delere. *Gell.* 20, 6. *f.* Cum in Catilina scriptum esset (*Sall. Cat.* 34.) *Saepe majores vestrum miseriti plebis R., vestrum* obleverunt, et *vestri* superscripserunt. ℙ Porro pertinent ad translatum h. v. usum ista:] *Hor. Ep.* 1, 19, 30. Nec socerum quaerit, quem versibus oblinat atris, *h. e.* infamet. *Cic. Brut.* 13. Ut semel e Piraeeo eloquentia evecta est, ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticae dictionis, quasi sanitatem, perderet, *h. e.* imbueret et foedaret. ℙ Etiam *oblini* in praeterito ab antiquis dictum est. *Varr.* ap. *Prisc.* 10, 898. Cum oblinerunt vasa.

OBLĪQUĀTĬO, onis, f. obliquitas. *Macr. Sat.* 7, 1. *med.* Hedera thyrso per obliquationem circumfusa.

OBLĪQUĀTUS, a, um, part. ab *obliquo:* πλαγιωθείς, curvatus, obliquus. *Appul. Met.* 6. Obliquata cervice; et *ib.* 3. *in.* et *Ammian.* 28, 4. *med.* Obliquato aspectu conspicere. Rursus *Ammian.* 16, 12. *med.* Praeruptas undarum occursantium moles obliquatis meatibus declinantes.

OBLĪQUĒ, adv. πλαγίως, λοξῶς, transverse, non recte. *Cic. Fin.* 1, 6. *med.* Atomi, quae recte, quae oblique ferantur. Al. leg. *rectae, obliquae.* [*Vulg. *Orell.*] *Quint.* 11, 3. *med.* Sinus togae, qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur. *Plin.* 9, 30, 50. Locustae in pavore oblique in latera procedunt. *Id.* 2, 15, 13. Signifer oblique inter polos situs. ℙ Translate. *Ascon.* in *Div. Verr.* 15. *extr.* Oblique Cicero removere conatur Caecilium etiam a subscribendi spe. Sic *Tac. A.* 3, 35. Castigatis per litteras oblique patribus, quod cuncta curarum ad principem rejicerent; et *ib.* 5, 2. Increpuit amicitias muliebres, Fufium consulem oblique perstringens. *Gell.* 3, 2. *extr.* His versibus oblique admonere voluit, diem a sexta noctis hora oriri, *h. e.* non exposite atque aperte, sed recondita et quasi operta veteris ritus significatione, ut ipsemet loquitur *paulo sup.* et *Id.* 7, 17. Tum vero ego permotus, agendum jam oblique cum homine stulto, existimavi.

OBLĪQUĬTAS, atis, f. λοξότης, curvitas. *Plin.* 3, 5, 6. Ni talis obliquitas in latus digredi videretur. *Id.* 2, 19, 17. Inaequalitatis causa obliquitas est Signiferi.

OBLĪQUO, as, avi, atum, a. 1. πλαγιόω, λοξόω, transverse seu in latus flecto, curvo, torqueo, in obliquum flecto. *Sen. ep.* 121. *med.* Animalia tergi durioris inversa tamdiu se torquent, ac pedes exserunt, et obliquant, donec ad locum reponantur. *Ov. Met.* 7, 410. Tirynthius heros Restantem, contraque diem radiosque micantes Obliquantem oculos, nexis adamante catenis Cerberon extraxit. *Stat. Achill.* 1, 323. laetumque rubet, visusque superbos Obliquat. *Id. Th.* 12, 749. ille paventes Obliquavit equos. *Sil.* 15, 624. qua curvatas sinuosis flexibus amnis Obliquat ripas. *Lucan.* 4, 117. vastos obliquent flumina fontes, *h. e.* torqueant, et in se vertant. *Plin.* 6, 13, 15. de Caspio mari: Irrumpit arctis faucibus, etc., at ubi coepit in latitudinem pandi, lunatis obliquatur cornibus. *Tac. G.* 38. Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere. Sic Suevi a ceteris Germanis, sic Suevorum ingenui a servis separantur, *h. e.* non sinere recta descendere, sed flectere retro, vel in verticem, et nodo colligare. [*Cf. *Hess.* ad h. l.] *Virg. A.* 5, 16. Obliquatque sinus in ventum, *h. e.* vela torquet in ventum, ut eum transverse flantem excipiat [*laviren.*] Sic *Lucan.* 5, 527. et flexo navita cornu Obliquat laevo pede carbasa [*ubi lege, quae notavit *Cort.*] V. PES. *Ov. Met.* 12, 485. in latus ensem Obliquat, *h. e.* obliquo ictu et caesim feriendo, qui punctim antea cecidit. ℙ Translate. *Stat. Th.* 3, 381. sic variis praetentat pectora dictis, Obliquatque preces, *h. e.* non quidem directo et aperte, sed tecte, et aliud velle se simulans, preces adhibet. ℙ De littera Q scribit *Quint.* 1, 4. similem esse litterae K, nisi quod paulum a nostris obliquatur, *h. e.* liquidae more pronunciatur, ut audire est in *cui*, et *qui.* In priore enim durior est sonus, in altero flexus, et tenerior quodammodo.

[OBLĪQUŌLŌQUUS, i, m. cogn. Apollinis, in *Gloss. Philox.*, quod Graece Λοξίας dicitur. V. LOXIAS. *F.*]

OBLĪQUUS, a, um, adj. λοξός, πλάγιος, a recto deflexus, curvatus, transversus: ab *ob*, et *liquis*, quam v. v. s. l. De notatione V. *Voss.* et *Martin.* ubi multa. *Cic. Div.* 1, 53. Animal omne, ut vult, ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino. *Ov. Am.* 2, 17, 20. de Vulcano: Turpiter obliquo claudicat ille pede. *Caes. B. G.* 4, 17. *f.* Sublicae ad inferiorem partem fluminis obliquae adigebantur: [*ubi v. *Herzog.*] et *ib.* 7, 73. Obliqui ordines in quincuncem dispositi. *Id. B. C.* 1, 76. Obliquo itinere locum aliquem petere. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 14. de Apelle: Pinxit Antigoni regis imaginem altero lumine orbam, primus excogitata ratione vitia condendi: obliquam namque fecit: [*im *Profil.*] V. CATAGRAPHUS. *Id.* 2, 77, 79. Positio Signiferi circa media sui obliquior est, juxta solstitium rectior. *Hor. Od.* 3, 22, 7. Verres obliquum meditans ictum: scil. quia dentes exsertos habet a lateribus oris. *Ov. Her.* 4, 104. obliquo dente timendus aper; et *ib.* 6, 87. refrenat aquas obliquaque flumina sistit; et *Met.* 9, 18. Amnis cursibus obliquis fluens; et *ib.* 1, 39. Fluminaque obliquis cinxit declivia ripis; et *ib.* 10, 491. obliqua radix. *Plin.* 9, 29, 46. Polypi natant obliqui in caput. *Id.* 8, 24, 36. Obliquo capite speculari. *Ov. Fast.* 2, 457. Jam levis obliqua subsidit Aquarius urna, *h. e.* inversa. ℙ *Ab obliquo*, oblique, a latere. *Ov. R. Am.* 121. Stultus ab obliquo qui cum descendere possit, Pugnat in adversas ire natator aquas. Adde *Met.* 10, 675. ℙ *Ex obliquo*, idem. *Plin.* 2, 31, 31. Plures soles simul cernuntur, nec supra ipsum, nec infra, sed ex obliquo. ℙ *Per obliquum*, idem. *Hor. Od.* 3, 27, 6. serpens per obliquum similis sagittae Terruit mannos. ℙ *In obliquum*, idem. *Ov. Met.* 2, 130. de Zodiaco: Sectus in obliquum est lato curvamine limes. *Plin.* 21, 37, 55. Cancri in obliquum aspiciunt. *Id.* 27, 9, 55. Filicis radices longae in obliquum. ℙ *Obliquum* adverbii more, idem. *Appul. Met.* 3. Oculis obliquum respiciens. ℙ *Obliquus* etiam dicitur, qui a latere situs est, non adversus, nec aversus. *Cic. Somn. Scip.* 6. Hos, qui incolunt terram, partim obliquos, partim aversos, partim etiam adversos stare vobis. *Ov. Met.* 5, 132. Hujus in obliquo missum stetit inguine ferrum. *Val. Fl.* 2, 7. Templaque Tisaeae mergunt obliqua Dianae. *Prop.* 4, 3, 21. *obliquum* dicit torquentem funes, quia cessim graditur, et obliquo corpore. ℙ *Obliquo oculo aspicere* est in latus deflexo: quod faciunt invidentes, et dolentes alienis bonis: cui contrarium est *rectis oculis. Ov. Met.* 2, 707. Illa Deam obliquo fugientem lumine cernens. *Hor. Ep.* 1, 14, 37. Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat. *Stat. Theb.* 3, 377. Respectentque truces obliquo lumine matres. *Id. Silv.* 2, 6, 102. obliquoque notat Proserpina vultu. ℙ Translate *obliquus adversus aliquem*, infensus, inimicus, invidus. *Flor.* 4, 2. Cato adversus potentes semper obliquus, detrectare Pompejum, actisque ejus obstrepere. ℙ *Obliquum dictum, obliquus sermo* est, in quo non directo et aperte, sed velut per ambages, et tacite quippiam significamus, aut perstringimus. *Tac. A.* 14, 11. Temporum Claudianorum obliqua insectatione cuncta ejus dominationis flagitia in matrem transtulit. *Quint.* 9, 2. Ut si pater, qui infamem in matrem filium secreto occidisset, reus malae tractationis, jacularetur in uxorem obliquis sententiis. *Mart.* 7, 62. Ne quid liberti narrent, servique paterni, Et notet obliqua garrulitate cliens. *Suet. Dom.* 2. *extr.* Obliquis orationibus carpere aliquem. *Aurel. Vict. Epit.* 9. Cum etiam causidicorum obliqua dicta contemneret. [*Suet. Dom. 2. obliquis orationibus et edictis, i. e. malignis, oblique vulnerantibus.] *Stat. Silv.* 1, 2, 27. Cessent mendaces obliqui carminis astus, *h. e.* in alicujus laudem, dissimulato tamen nomine, compositi. ℙ *Obliqui casus* ap. grammaticos sunt reliqui praeter rectos. *Varr. L. L.* 7, 26. Alia casus habent et rectos et obliquos, alia rectos solum, alia modo obliquos. *Quint.* 1, 6. Similes quoque positiones in longe diversas figuras per obliquos casus exeunt. ℙ *Obliqua positio* in verbis est, quae a prima descendit, ut *laudavi* a *laudo*, *pepigi* a *pago. Id. ib.* Prima aliquando positio ex obliquis invenitur, ut memoria repeto convictos a me, qui reprehenderant, quod hoc verbo usus essem, *pepigi.* ℙ *Obliqua oratio* est, quae non recta constructione dirigitur ad eum, ad quem habetur, sed per obliquos casus, et infinitivum modum: cui opponitur *directa. Quint.* 9, 2. *med.* Apud historicos reperiuntur obliquae allocutiones, ut in T. Livii primo statim libro (c. 9.): Urbes quoque, ut cetera, ex infimo nasci: deinde, etc. *Just.* 38, 3. *f.* Quam orationem obliquam Pompejus Trogus exposuit, quoniam in Livio, et in Sallustio reprehendit, quod concliones directas, pro sua oratione operi suo inserendo, historiae modum excesserint. ℙ *Obliquum genus* ejus est, qui non ex eadem matre mecum, sed ex concubina patris mei progenitus est. *Stat. Theb.* 5, 221. quibus ubera mecum, Obliquumque a patre genus. *Lucan.* 8, 286. obliquo maculat qui sanguine regnum. Al. hic expon. ex femina descendens, quia cognatio ex feminis transversa est, recta autem ex viris. [*Idque recte. V. *Cort.*]

OBLĪSUS, a, um, part. ab *oblido:* fractus, suffocatus, elisus. *Tac. A.* 5, 9. Exin oblisis faucibus id aetatis corpora in Gemonias abjecta. *Prud. Psych.* 589. Invadit trepidam Virtus fortissima duris Ulnarum nodis, obliso et gutture frangit Exsanguem siccamque gulam. *Plin. ep.* 6, 20. *f.* Obligusem siccamque gulam. *Plin. ep.* 6, 20. *f.* Obligusus pondere.

OBLĪTESCO, is, tui, n. 3. ἐπιλανθάνω, delitesco, abscondor. *Cic. Univ.* 10. *f.* Quibusque temporibus a nostro aspectu oblitescant. *Varr. R. R.* 1, 51. Aream esse oportet solidam terra pavita, ne in rimis ejus grana oblitescant. *Sen. ep.* 55. *med.* Qui velut timidum atque iners animal, metu obluit.

OBLITTĔRĀTĬO, onis, f. actus oblitterandi, deletio. *Plin.* 34, 7, 18. Tanto magis deprehendi aeris oblitteratio potest, *h. e.* fundendi aeris scientia oblitterata. *Arnob.* 6, 194. Vetustatis oblitteratione caelari. *Ammian.* 30, 6. Pacem cum praeteritorum oblitteratione obsecrantes.

OBLITTĔRĀTOR, oris, m. qui delet, aut memoriam aufert. *Tert. adv. Marc.* 4, 26. *f.* Commemorator, non oblitterator vetustatum.

OBLITTĔRĀTUS, a, um, part. ab *oblittero*, deletus, abolitus. *Liv.* 3, 71. Res oblitterata vetustate. *Id. ib.* 59. Peccata oblitterata repetere. *Acc.* ap. *Non.* 2, 601. Inimicitiae exstinctae atque oblit teratae.

OBLITTĔRO, as, avi, atum, a. 1. ἀφανίζω, ab rado, aboleo, deleo. Nam *oblitterare* est litteris aliquid superducere. Translate. *Cic. in Sen.* 8. Publici mei beneficii memoria privatam offensionem oblitteraverunt. *Catull.* 64, 232. Haec vigeant mandata, nec ulla oblitteret aetas. *Liv.* 26, 41. Addversae pugnae in Hispania nullius in animo, quam meo, minus oblitterari possunt. *Id.* 39, 20. *extr.* Non tamen oblitterare famam rei male gestae potuit. *Id.* 21, 29. *extr.* Oblitterare memoriam. *Suet. Tib.* 22. Silentio rem oblitterare. *Liv.* 41, 24. Suo beneficio paternas simultates oblitterans. *Cic. Vat.* 6. Quod maximis rebus, quas postea gessit, oblitterandum esset. ℙ [*Nubem exemplorum e *Taciti* scriptis collectam invenies ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 325.]

OBLITTĔRUS, a, um, adj. *Gell.* 19, 7. Naevius oblitteram gentem pro oblitteratam dixit.

OBLĪTUS, a, um, part. ab *obliviscor*, ἐπιλελησμένος, cui quippiam e memoria excidit: item negligens: nam cui aliquid curae est, oblivisci non solet. *Cic. Att.* 4, 18. Me oblitum consuetudinis, et instituti mei rarius ad te scribere. *Id. Pis.* 26. O paterni generis oblite, materni vix memor! *Virg. A.* 4, 267. heu regni, rerumque oblite tuarum! et 528. corda oblita laborum. *Ov. Met.* 2, 440. paene est oblita pharetram Tollere cum telis. *Hor. Ep.* 1, 6, 62. Quid deceat, quid non, obliti. *Virg. A.* 3, 629. et *Sil.* 4, 424. oblitus sui. *Catull.* 64, 207. oblito dimisit pectore cuncta, Quae mandata prius constanti mente tenebat. *Ov. Fast.* 4, 533. de Proserpina: oblito fertur gustare palato, Longamque imprudens exsoluisse famem. ℙ Translate. *Virg. G.* 2, 59. Pomaque degenerant succos oblita priores. *Colum.* 10, 408. de persicis: Ambrosios praebent succos oblita nocendi. ℙ *Oblitos sui* dixit *Sen. Herc. Fur.* 292. de mortuis, qui epota aqua Lethes vitam omnem praeteritam oblivisci dicuntur. Ap. *Manil.* 3, 259. *nox* dicitur *oblita diei*, cum in solstitio hiberno, et in regionibus septentrionalibus adeo producitur, ut videatur oblita dici sequentis, cui cedere locum debet. ℙ Passive: oblivioni traditus. *Virg. Ecl.* 9, 53. Nunc oblita mihi tot carmina. *Val. Fl.* 2, 388. si Martius aures Clamor, et obliti rursus fragor impleat aeris. *Id.* 1, 791. Tuque excite parens umbris, ut nostra videres Funera, et oblitos superum paterere dolores, *h. e.* mortalium in terris viventium, qui ibi jam memoria exciderant Lethen trangresso. [*V. ad utrumque *Val. Flacci* locum *Burm.*]

OBLĪTUS, a, um part. ab *oblino: περιεχρισμένος*, circumlitus, illitus, delibutus, aspersus. *Cic. Cat.* 2, 5. Sertis redimiti, unguentis obliti. *Id. Att.* 2, 21. Si Protogenes Ialysum illum suum coeno oblitum videret. *Tac. A.* 2, 17. Oblitus faciem suo cruore. *Ov. Met.* 4, 97. Caede leaena boum spumantes oblita rictus. *Id. Her.* 11, 1. Si qua tamen caecis errabunt scripta lituris, Oblitus a dominae caede libellus erit. Sic *Prop.* 4, 3, 3. Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit, Haec erit e lacrimis facta litura meis. [*V. *oblino.*] *Colum.* 12, 16. *med.* Ora urceolorum oblita, *h. e.* picata, obturata. Sic *Plin.* 20, 9, 39. Gypso oblitus cadus. *Plin. alter ep.* 7, 3. Stomachus dulcibus cibis obtusus, et oblitus. *Varr. R. R.* 1, 58. et *Plin.* 18, 30, 73. Legumina in oleariis vasibus oblita cinere servantur. ℙ Translate est aspersus, inquinatus. *Cic. Fam.* 9, 15. Facetiae oblitae Latio. *Suet. Gr.* 10. Sallustii scripta reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita. *Auct. ad Her.* 4, 11. *f.* Exornationes si rarae disponentur, distinctam, sicuti coloribus; si crebrae collocabuntur, oblitam reddunt orationem [*überladen.] ℙ Ornatus, insignitus. *Varr. R. R.* 3, 2. *med.* Villa oblita tabulis pictis, nec minus signis ornata. ℙ Foedatus, contaminatus, pollutus. *Cic. Verr.*

2, 3, 4. Sunt omnia cum summo dedecore ac turpitudine, tum singulari stultitia atque inhumanitate oblita. *Id. Phil.* 11, 12. Dolabella tanto parricidio oblitus; et *ib.* 14, 3. *extr.* Libido flagitiosa, qua Antoniorum oblita est vita. ℙ Coopertus, indutus. *Hor. Ep.* 2, 1, 204. Divitiaeque peregrinae, quibus oblitus actor Cum stetit in scena, concurrit dextera laevae. ℙ [*Differunt *obsitus* et *oblitus:* hoc nonnisi de humidis: illud de aridis dicitur. Exempla utriusque vocis in cdd. permutatae affert *Burm.* ad *Anth. Lat.* 2. p. 492. *Doederl.* 3, 317.]

OBLIVIĀLIS, e, adj. oblivionem inducens, ut Obliviale poclum ap. *Prud. Cath.* 6, 16.

OBLIVIO, onis, f. λήθη, actus obliviscendi, memoriae defectus, sive imbecillitas [**das Vergessen, Vergessenheit.*] *Cic. Manil.* 4. Omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit. *Id. Or.* 2, 2. Laudem alicujus ab oblivione atque a silentio vindicare. *Liv.* 1, 31. et 32, 21. *med.* Dare aliquid oblivioni. *Cic. Fam.* 2, 1. *f.* Meam tuorum erga me meritorum memoriam ulla nunquam delebit oblivio. *Id. Dejot.* 13. Senatus judicia de illo quae unquam vetustas obruet, aut quae tanta delebit oblivio? *Id. Brut.* 15. Id ipsum nisi esset Ennii testimonio cognitum, hunc vetustas oblivione obruisset. *Id. Phil.* 9, 5. et *Marcell.* 9. *extr.* Nulla ejus legationem posteritatis obscurabit oblivio. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Omnes ejus gravissimas injurias voluntaria quadam oblivione contriveram. *Id. Verr.* 2, 4, 35. *f.* Existimavit, homines in oblivionem totius negotii esse venturos. *Sen. Br. V.* 13. *f.* Satius erat, ista in oblivionem ire. *Vell.* 2, 58. et *Suet. Claud.* 11. Decreta oblivio rerum praeteritarum: ἀμνηστία. V. AMNESTIA. *Cic. Verr.* 2, 1, 39. Jacere in oblivione. *Plin. Pan.* 75. Quae vos, ne qua interciperet oblivio, in acta mittenda censuistis. *Sall. Or. ad Caes.* 1. *med.* An illa, quae in Pompejum increpabantur, oblivio abstulit? *Cic. Off.* 1, 8. Capit me oblivio alicujus rei; et eod. sensu *Plin.* 7, 24, 24. Ex praealto tecto lapsus, matris et affinium cepit oblivionem. Sic 8, 22, 34. Subrepit mihi oblivio. *Suet. Caes.* 28. Per oblivionem; et *Plin.* 25, 2, 5. et 31, 2, 11. Oblivionem alicui afferre. *Hor. Epod.* 14, 1. Mollis inertia diffundit Oblivionem sensibus. ℙ In plur. num. *Hor. Od.* 4, 9, 32. Non ego tot tuos patiar labores Impune, Lolli, carpere lividas Obliviones. ℙ *Oblivio litterarum* dictus est a *Bibaculo* Orbilius Pupillus Beneventanus grammaticus, quia in senectute memoriam omnem amiserat. *Suet. Gr.* 9. ℙ **Flumen Oblivionis* in Hispania fuit Tarraconensi, nempe in Gallicia, in Oceanum cadens, alias Limia vel Limius vel Limaea dictum. *Mela* 3, 1. *med. Plin.* 3, 22. Ap. *Liv. Ep.* 55. *fluvius Oblivio* audit, ubi forsan legendum *Oblivionis. B. A.*

OBLIVIOSUS, a, um, adj. ἐπιλήσμων, qui cito obliviscitur. *Cic. Sen.* 11. Hos significat credulos, obliviosos, dissolutos. *Tert. Anim.* 24. Homo obliviosissimus. ℙ *Hor. Od.* 2, 7, 21. Oblivioso levia Massico Ciboria exple, *h. e.* oblivionem inducente.

OBLIVISCOR, eris, oblītus sum, dep. 3. ἐπιλανθάνομαι, memoriam alicujus rei amitto. [*Ad constructionem quod attinet, docet *Ramsh. Gr. Lat.* §. 111. p. 329. sq. solere verbum *obliviscendi*, et sim., prout perspicuitas loci postulet, modo cum genitivo, modo cum accusativo construi. At *Zumpt. Gr. Lat.* §. 439. p. 367. ita constituit, posse *res* tantummodo accusativo cum verbo *obliviscendi* conjungi, *personas* semper genitivo esse exhibendas. Cui convenit etiam illud *Fl. Cap.* p. 2239. Oblitus ne sis *nostri* non *nos;* veteres tamen et hoc modo dixerunt. Cf. *Ruddim.* 2. p. 161. Hoc verum esse videtur, v. *oblivisci* semper cum genitivo personae construi: in reliquis saepius etiam accusativum obtinere.] *Cic. Coel.* 20. Obliviscor jam injurias, Clodia, depono memoriam doloris mei. *Id. Rosc. Am.* 17. Artificium obliviscatur, et studium deponat. *Id. Brut.* 60. Subito totam causam oblitus est. *Id. Planc.* 42. Memini, nec unquam oblivisear noctis illius. *Caes. B. G.* 1, 14. Oblivisci veteris contumeliae; et *ib.* 7, 34. controversiarum ac dissensionum. [**Caesar* v. *obliviscendi* nonnisi cum genitivo construit. V. *Herzog.* ad *B. G.* 7, 34.] *Nep. Eum.* 6. injuriarum omnium. *Tac. H.* 2, 1. *extr.* Obliviscendum offensarum de bello agitantibus. *Cic. Rosc. Com.* 17. Obliviscor, Roscium et Cluvium viros esse primarios. *Id. Brut.* 60. Etiam in scriptis obliviscebatur, quid paulo ante posuisset. ℙ Translate. *Catull.* 68, 43. Ne fugiens saeclis obliviscentibus aetas Illius hoc caeca nocte tegat studium, *h. e.* oblivione posteritatis obscuret. V. OBLĪTUS. ℙ *Oblivisci nomen suum* proverbio dicitur, qui nullius memoriae est. *Petr. fragm. Trag.* 66. *Burm.* Tam bonae memoriae sum, ut frequenter nomen meum obliviscar. ℙ [*Passive. *Paul. Digg.* 23, 3, 60. §. 6. adoptivae familiae obliviscuntur. V. in *oblitus.*] ℙ Part. *Obliviscendus* ap. *Hor. Ep.* 1, 11, 9. Oblitusque meorum, obliviscendus et illis. *Pl. Mil.* 4, 8, 49. Muliebres mores discendi, obliviscendi stratiotici.

OBLIVIUM, ii, n. λήθη, idem quod oblivio, sed fere poetica vox, et usum habens in plurali num. *Virg. A.* 6, 714. Lethaei ad fluminis undas Securos latices, et longa oblivia potant. *Hor. Sat.* 2, 6, 62. somno et inertibus horis Ducere sollicitae jucunda oblivia vitae, *h. e.* oblivisci. Sic *Val. Fl.* 4, 536. longae ducentem oblivia poenae. *Ov. Trist.* 5, 7, 29. Non tamen ingratum est quodcumque oblivia nostri Impedit; et *ib.* 1, 8, 11. Tantane te, fallax, cepere oblivia nostri? *Id. Met.* 12, 539. Agere oblivia laudis Herculeae, *h. e.* obliviscī, tacere, praeterire. *Id. Pont.* 4, 10, 19. succi, patriae faciunt qui oblivia. ℙ In singulari num. *Tac. H.* 4, 9. Eam sententiam modestissimus quisque silentio, deinde oblivio transmisit. *Mar. Victor.* 1, 2469. Contagio, ut obsidio, et oblivio, sed poetica licentia primo fecit contagia, et oblivia, postea dici coepit et oblivium, et obsidium, et contagium.

OBLĪVIUS, a, um, adj. obsoletus, oblivione deletus. *Varr. L. L.* 4. *in.* Haec sunt tripartita verba, quae sunt aut nostra, aut aliena, aut oblivia.

OBLOCĀTUS. V. v. sq.

OBLOCO, as, a. 1. idem quod loco. *Just.* 11, 10. Cum operam oblocare ad puteos exhauriendos solitus esset. *Suet. Caes.* 26. Quae ad epulum pertinebant, macellariis oblocata. [*Male alii *ablocata.*]

OBLONGŪLUS, a, um, adj. dimin. oblongi. *Gell.* 17, 9. Surculi teretes oblonguli.

OBLONGUS, a, um, adj. ἐπιμήκης, παραμήκης, idem ferme quod *longus*, sed praepositio quippiam auget. *Liv.* 21, 8. *f.* Falarica, missile telum hastili oblongo, [*ad quem locum V. *Bauer.* p. 9.] *Plin.* 37, 12, 75. de gemmis: Figura oblonga maxime probatur. *Id.* 10, 52, 74. Quae oblonga sint ova, gratioris saporis putat Horatius Flaccus. (*Sat.* 2, 4, 12. Longa quibus facies ovis erit, illa memento, Ut succi melioris, etc.) *Id.* 25, 3, 6. Herba folia habens oblonga. *Id.* 13, 15, 30. Oblongus venarum discursus in mensis. *Tac. Agr.* 10. Formam Britanniae oblongae scutulae assimilavere. *Vitr.* 21, 8. *f.* Foramen oblongius fit tanto, quantum, etc.

OBLOQUĪUM, ii, n. contradictio, calumnia. *Sidon. ep.* 7, 9. in concione: Nosse vos par est, in quas me obloquiorum Scyllas turbo conjecerit.

OBLOQUOR, eris, utus sum, dep. 3. παραλαλέω, contra loquor, loquendo interpello, obstrepo. *Pl. Men.* 1, 2, 46. Te morare, mihi dum obloquere. *Cic. Q. Fr.* 2, 10. Tu metuis ne me interpelles, etc. Tu vero ut me et appelles, et interpelles, et obloquare, et colloquare, velim. *Id. Cluent.* 23. Vocat me alio jamdudum tacita vestra exspectatio, quae mihi obloqui videtur, quid ergo? negasne, etc.? *Plin.* 36, 16, 25. Dederat natura vocem saxis, respondentem homini, immo vero et obloquentem. *Gell.* 1, 26. Servo suo tunicam detrahi, caedique eum loro jussit. Coeperat verberari: obloquebatur, non meruisse, ut vapulet. *Curt.* 10, 2. *f.* Notatis, qui ferocissime oblocuti erant, singulos manu corripuit: *supra dixerat:* tumultuoso clamore, et militari violentia volentem loqui inhibebant. ℙ Per catachresin. *Ov. Pont.* 3, 1, 21. Non avis obloquitur, *h.* e. cantu non obstrepit. *Virg. A.* 6, 646. Threicius longa cum veste sacerdos Obloquitur numeris septem discrimina vocum, *h. e.* versibus, quos ore canit, interponit sonum lyrae septem chordas habentis. ℙ Pro improbare, vituperare, damnare, rejicere. *Sen. ep.* 121. Non desistam votis obstrepere. Quidni? cum maxima malorum optaverimus, et ex gratulatione natum sit, quidquid obloquimur. ℙ Pro male dicere, conviciari. *Catull.* 83, 3. de Lesbia: si nostri oblita taceret, Sana esset: quod nunc gannit, et obloquitur, Non solum meminit, sed, quae multo acrior est res, Irata est: hoc est, uritur, et loquitur.

OBLOQUUTOR et Oblocutor, oris, m. qui obloquitur, interpellat, obstrepit. *Pl. Mil.* 3, 1, 43. neque ego unquam oblocutor sum alteri in convivio. Incommoditate abstinere me apud convivas commode Commemini, et meae orationis justam partem persequi, Et meam partem itidem tacere, cum aliena oratio est.

OBLŪCINASSĔ dicebant antiqui, mente errasse, quasi in luco Deorum alicui occurrisse. *Fest.*

OBLUCTĀTIO, onis, f. actus contra aliquid obluctandi. *Arnob.* 2, 77. Qui cum suis voluptatibus pugnant, et affectus ex animis pellere, pertinaci moliuntur obluctatione virtutis.

OBLUCTĀTUS, a, um, part. ab *obluctor. Claud. Cons. Mall. Theod.* 103. Sidera cum septem retro mittantur in ortus, Obluctata polo, *h. e.* contra coeli motum nitentia ab occidente in orientem.

OBLUCTOR, aris, dep. 1. ἀντιπαλαίω, acrius contra aliquid nitor. *Colum.* 18, 14. *med.* Fruticibus, aut solidioribus herbis obluctatur ita pertinaciter, ut collum abrumpat. *Virg. A.* 3, 38. genibusque adversae obluctor arenae. *Curt.* 4, 8. Diu flumini obluctatus, in ripam semianimis evasit. *Sil.* 8, 10. soli obluctandum Fabio, *h. e.* gerendum bellum contra solum Fabium, ei soli resistendum. *Stat. Silv.* 3, 1, 20. obluctantia saxa Submovit nitens, et magno pectore montem Impulit. ℙ Translate. *Curt.* 6, 6. *med.* Ut erat animi semper obluctantis difficultatibus. *Id.* 7, 1. Obluctans oblivioni.

OBLŪDO, is, si, sum, n. 3. παίζω, idem ac ludo, vel coram aliis ludo. *Pl. Truc.* 1, 2, 10. obludunt, quo custodem Oblectent per joculum et ludum. *Prud. Hamart.* 6. Terrarum tibi forma duplex obludit, ut excors Dividuum regnare Deum super aethera credas, *h. e.* tibi imponit.

OBLŪRĬDUS, a, um, adj. idem ac luridus, aut valde luridus. *Ammian.* 14, 6. *med.* Spadones obluridi, distortaque lineamentorum compage deformes.

OBMĂNENS, entis. V. OMMENTANS.

OBMARCESCO, is, n. 3. idem quod marcesco. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 1. Obmarcescebat febris, senium, vomitus, pus.

OBMENTANS. V. OMMENTANS.

OBMITTO, is, a. 3. idem quod omitto. *Columellae* quidem tribuunt 1, 4. et 7, 5. et *Ulpiano Haloander Dig.* 39, 1, 5. *med.* Sed plerique al. leg. *omitto.*

OBMOLĪOR, iris, itus sum, dep. 4. προβάλλω, molem objicio, facta mole obstruo. *Liv.* 37, 32. Ad munienda, et obmolienda, quae ruinis strata erant, *h. e.* obstruenda oppositis molibus. *Curt.* 6, 6. *med.* Arborum truncos, et saxa obmoliuntur, *h. e.* advolvunt muniendi causa.

[OBMORDĒO, es, a. 2. valde mordeo. V. *Isid. l. c.* in FRENUM. §. 7. *F.*]

OBMOVĒO, es, a. 2. idem ac admoveo, ap. veteres. *Paul.* ex *Fest. Cato R. R.* 141. Cultro facito struem, et fertum uti adsiet: inde obmoveto; et 134. Fertum Jovi moveto, et mactato sic: Juppiter, te hoc ferto obmovendo bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, etc.

OBMURMŪRĀTIO, onis, f. murmuratio, et clamor contra aliquem. *Ammian.* 26, 2. Obmurmuratio gravis exoritur, concrepantibus centuriis, etc.

OBMURMŪRO, as, n. 1. καταγογγύζω, contra murmuro. *Ov. Her.* 18, 47. precibusque meis obmurmurat ipse. ℙ Item submissa voce loquor. *Suet. Oth.* 7. *extr.* Identidem obmurmurasse: *Τί γάρ μοι καὶ μαχροῖς ἀνλοῖς.*

OBMUSSĪTO, as, a. 1. frequent. et

OBMUSSO, as, a. 1. obmurmuro, summusso. *Tert. Pall.* 4. Tacendum, ne quid et illi de Caesaribus obmussitent. *Id. Anim.* 18. Poetae haec nobis semper obmussant.

OBMŪTESCENS, entis, part. ab *obmutesco*, qui mutus fit. *Plin.* 20, 5, 20. Ex aqua bibendum *(succum caeparum)* dedere repente obmutescentibus. Est qui leg. *obtumescentibus.*

OBMŪTESCO, is, tui, n. 3. κωφῶμαι, mutus fio, vocem amitto. *Plin.* 27, 12, 104. Quantalibet lassitudine recreari defessos, etiam cum obmutuerint. *Id.* 8, 30, 44. Umbrae ejus *(hyaenae)* contactu canes obmutescere. ℙ Item universim taceo. *Cic. Mil.* 35. *f.* De me omnes gentes loquentur: nulla unquam obmutescet vetustas. *Id. Or.* 2, 7. Ego neque Antonium verbum facere patiar, et ipse obmutescam. *Id. Dom.* 52. *f.* Quis est, qui existimare possit, huic vocem mittenti non et linguam obmutuisse, et manum obtorpuisse? *Ov. Met.* 13, 538. obmutuit illa dolore. *Virg. A.* 4, 279. Aeneas aspectu obmutuit amens. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 94. Perterritum armis hoc studium nostrum conticuit subito, et obmutuit. [*V. *Ellendt.*] *Id. Tusc.* 2, 21. *f.* Obmutuit castigatus animi dolor. *Plin.* 33, 13, 56. Sil Lydium Sardibus emebatur, quod nunc obmutuit, *h. e.* desiit, defecit, in usu non est. *Hard.* in MS. invenit *ommittunt*, credo, inquit, pro *omittunt.*

OBNĀTUS, a, um, part. ab inus. *obnascor:* circum natus. *Liv.* 23, 19. Ibi haerentia *(dolia)* inter obnata ripis salicta conspiciuntur.

OBNECTĔRĔ, obligare, maxime in nuptiis frequens est. *Festus.* Al. leg. *maxime in nexis frequens est.*

OBNĒGĀTOR, oris, m. V. ABNEGATOR.

OBNEXUS, us, m. nexus, vinculum. *Tert. adv. Marc.* 4, 37. Dissolvens violentiorum contractuum obnexus.

OBNĪGER, gra, grum, niger, vel subniger, vel admodum niger. *Plin.* 20, 23, 94. Radicibus multis, et obnigris. *Hard.* in MSS. invenit *obolis, nigris:* unde suspicatur *oblongis, nigris.*

OBNĪSUS. V. OBNIXUS.

**OBNĪSUS*, us, m. i. fere quod nisus vel conatus. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 41. Damascum capit obnisu levi, opum conditorium Persicarum. *B. A.*

OBNĪTOR, eris, isus sum, dep. 3. ἀντερείδω, contra nitor. *Cic. Mil.* 13. At non P. Clodio mortuo usitatis jam rebus obnitendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam. Al. leg. *enitendum*: [*ita *Orell.*] *Vell.* 1, 9. Triumphum Pauli impedire obnitebantur. *Lucr.* 4, 438. Navigia, aplustris fractis, obnitier undis. *Claud. in I. cons. Stil.* 1, 289. nunc obliquante carina Callidus et pelagi coelique obnititur irae. *Tac. A.* 15, 11. Obniti adversis. *Virg. A.* 5, 21. contra. *Vell.* 2, 89. Cum saepe obnitens repugnasset.

OBNIXĒ, adv. συντόνως, cum conatu, enixe, in-

stanter, totis viribus. *Ter. Andr.* 1, 1, 134. Pedibus manibusque obnixe omnia facturum. *Sen. ep.* 35. Cum te obnixe rogo, ut studeas, meum negotium ago. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 3. Obnixius argumentari.

OBNIXUS, a, um, part. ab *obnitor:* resistens, contra nixus, obluctans. *Liv.* 6, 12. *f.* Ne procurri quidem ab acie velim, sed obnixos vos stabili gradu impetum hostium excipere. *Id.* 34, 46. *med.* Diu in angustiis pugnatum est, nec dextris magis, gladiisque gerebatur res, quam scutis corporibusque ipsis obnixi urgebant. Est qui leg. *obnisi. Virg. A.* 9, 724. Portam vi multa converso cardine torquet, Obnixus latis humeris. *Val. Fl.* 7, 595. Obnixusque genu superat, cogitque trementes Sub juga ahena toros. *Stat. Theb.* 11, 337. obnixi frangunt mala murmura dentes, *h. e.* stricti, et invicem malis coeuntibus velut urgentes: quod ita expressit *Sen. Ira* 3, 4. Adjice dentium inter se arietatorum, et aliquem esse cupientium, non alium sonum, quam est apris tela sua attritu acuentibus. *Virg. G.* 3, 232. et *A.* 12, 105. de tauro: irasci in cornua tentat Arboris obnixus trunco, *h. e.* urgens, impellens, impetens vi summa truncum; et *ib.* 5, 206. acuto in murice remi Obnixi crepuere, illisaque prora pependit; et *ib.* 4, 331. ille Jovis monitis immota tenebat Lumina, et obnixus curam sub corde premebat. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 3. de cloacis Romae: Pugnant diversi aquarum impetus intus, et tamen obnixa firmitas resistit. ℙ *Obnixum* adverbii more. *Auson. ep.* 25, 28. Obnixum, Pauline, taces, *h. e.* obstinate, pertinaciter, constanter. ℙ Scribitur et *obnisus.* V. NIXUS, a, um.

OBNOXĬE, adv. timide, trepide, more ejus, qui debitor et obnoxius alteri est. *Liv.* 3, 39. Sed magis obedienter ventum in curiam, quam obnoxie dictas sententias accepimus. *Pl. Stich.* 3, 2, 41. Perii hercle vero plane, nihil obnoxie, *h. e.* minime leniter, seu leviter, et clementer: nam qui obnoxii sunt, leniter, et cum respectu agere solent cum iis, quibus sunt obnoxii. Ita *Acidalius.* Aliter *Salmas.*, aliter *Sculting.* ad *Quint. decl.* 1, 6., aliter *Gronov.*, qui etiam videtur ita distinguere: Perii hercle vero, plane nihil obnoxie. *Gell.* ita refert 7, 17. Nunc ego hercle perii plane, non obnoxie. Sed non explicat. V. OBNOXIOSE.

[OBNOXĬO, as, a. I. facio me obnoxium alicui. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 9. *med.* Et alienis semet noxiis obnoxiantes. *F.*]

OBNOXĬOSE, adv. idem quod obnoxie, timide, cum respectu. *Pl. Epid.* 5, 2, 29. Cedo manus igitur. *Epid.* morantur nihil: atque arcte colliga, Nihil vero obnoxiose.

OBNOXĬOSUS, a, um, adj. idem quod obnoxius, subjectus, addictus. *Pl. Trin.* 4, 4, 31. Mores leges perduxerunt jam in potestatem suam, Magis queis sunt obnoxiosi, quam parentes liberis, *h. e.* mores certe sunt obnoxii, et subjecti legibus, et quidem magis, quam nunc sunt parentes liberis, qui nimia scilicet indulgentia quidlibet iis concedunt: tamen isti mores perduxerunt jam leges in potestatem suam, easque sibi servire coegerunt. Al. leg. *obnoxii.* [**Lindem.* leg. *obnoxiosae:* vulgatum aperto falsum censens, nam necessario ad leges referendum.] Tribuitur etiam *Ennio* ap. *Gell.* 7, 17. Ea libertas est, qui pectus purum et firmum gestitet: Aliae res obnoxiosae nocte in obscura latent. Al. leg. *obnoxiae.*

OBNOXĬUS, a, um, adj. ἔνοχος. [*Proprie dicitur, qui noxae, seu crimini subjectus est. *Paul.* ex *Festo:* Obnoxius, poena obligatus ob delictum. *Ulp. Dig.* 48, 15, 1. Si liberum hominem emptor sciens emerit, capitale crimen adversus eum nascitur: quo venditor quoque fit obnoxius. *Paul. ib.* 11, 3, 14. Ego lege Aquilia obnoxius sum. *Impp. Dioclet. et Maximian. Cod.* 3, 44, 11. Obnoxii criminum. Ubi notandus genitivus pro dativo casu. Sic *Paul. Sentent.* 2. *tit.* 17. Venditor auctoritatis manebit obnoxius. *Ov. A. Am.* 1, 395. communi obnoxia culpae. *Tibull.* 3, 4, 15. turpi mens est obnoxia facto. *Sall. Cat.* 52, 21. animus — delicto obnoxius. ℙ Hinc denotat eum, qui ob noxiam aliquam suam alteri concedit, suo jure non utens, animi conscientia fractus: cui facile quacumque de causa noceri potest. Hac significatione saepe ap. *Plaut.* veluti *Bacch.* 5, 2, 80. Ne obnoxius filio sim et servo. *Poen.* 5, 4, 18. Omnia faciet Jupiter, faxo; nam mihi est obnoxius et me metuit. *Truc.* 4, 3, 61. Ego tibi me obnoxium esse fateor, culpae compotem. *Cic. ad Brut.* 1, 17. *f.* Vivat hercule Cicero, qui potest, supplex et obnoxius: cf. *Gronov.* ad *Sen. de ira* 3, 8. ℙ Inde *obnoxii* dicuntur a similitudine quadam affectus et conditionis etiam ii, qui alicui aliquid debent. *Caecil.* ap. *Gell.* 7, 17. *f.* Quamquam ego mercede conductus tua Advenio, ne tibi me esse ob eam rem obnoxium Reare; audibis male, si male dixis mihi. *Pl. As.* 2, 2, 18. aetatem ambo nobis sunt obnoxii, Nostro devincti beneficio; et *Capt.* 2, 1, 25. Obnoxii Ambo vobis sumus propter hanc rem, quum, quae Volumus nos, copiae facitis nos compotes. Cf. *Acidal. Divv. Plautt.* p. 481. et *Parei Lex. Plaut.* s. h. v. Adde *Sall. Cat.* 48, 5. plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii, i. e. ob debita obligati. *Ter. Hec.* 3, 1, 21. uxori obnoxius sum, i. e. debitor sum. *Sall. Cat.* 14, 6. postremo neque sumptui neque modestiae suae parcere, dum illos obnoxios fidosque sibi faceret. *Liv.* 7, 30. Subjectum atque obnoxium esse alicui. ℙ De eo, qui jure aliquo obligatur ad quippiam praestandum. *Suet. Cal.* 14. *extr.* Additum ad caput legis, ut tenerentur publico et qui lenocinium fecissent, nec non et matrimonia obnoxia essent, i. e. vectigalibus. *Scaev. Digg.* 18, 1. *ult. extr.* Quaero, an emptor Sejo ad praestationem frumenti sit obnoxius. ℙ Hinc de populis, aut regibus, qui aliorum imperio parent, vel bello subacti, vel potentiam veriti. *Sall.* in *ep. Mithrid. ad Arsac.* Ille enim obnoxius, qualem tu voles societatem accipiet; et *infra:* Te remoto procul, omnibus aliis obnoxiis, rursus tamen bellum coepi. *Liv.* 42, 46. Servus atque obnoxius. *Id.* 35, 31. totam Graeciam beneficio libertatis obnoxiam Romanis esse. ℙ Ita transfertur ad animum pravis moribus addictum. *Sall. Cat.* 52, 21. Animus neque delicto, neque lubidini obnoxius. *Sen. Ira* 2, 23. *med.* Nemo tam obnoxius irae fuit. *Tac. H.* 5, 13. Gens superstitioni obnoxia. ℙ Quoniam vero, qui alieno arbitrio parent, liberae voluntatis plerumque fere expertes sunt, factum est, ut *obnoxius* in universum diceretur is, qui morigeram, humilem, servilem mentem exsereret. Huc pertinent ista: *Sall. Cat.* 23, 3. minari interdum ferro, nisi obnoxia foret, i. e. morigera. *Phaedr. prol.* 3, 34. Servitus obnoxia Quia quae volebat, non audebat dicere, etc. *Liv.* 23, 12. Si reticeam, aut superbus, aut obnoxius videar: quorum alterum est hominis alienae libertatis obliti, alterum suae. *Suet. Tib.* 12. Enimvero tunc non privatum modo, sed etiam obnoxium et trepidum egit. *Curt.* 10, 9, 18. ut torpentes et obnoxios vidit. *Plin. H. N. praef. med.* Obnoxii profecto animi, et infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere. *Liv.* 6, 34. adeo obnoxios summiserant animos. — *Id.* 9, 10. obnoxia pax, i. e. quae liberi hominis non est, qua in servitutem rediguntur, qui accipiunt: cf. 42, 46. quae serva atque obnoxia essent, si nullus alio sit, quam ad Romanos, respectus. *Ov. Met.* 5, 235. (de Phineo in lapidem verso a Perseo, dum veniam precaretur:) Submissaeque manus, faciesque obnoxia mansit, i. e. demissa, et speciem precantis servans. ℙ Tunc *obnoxius* usurpatur ad describendam conditionem eorum, quae rebus adversis, injuriis, damno cujusvis generis exposita sunt, patent: *a*) de hominibus: *Tac. H.* 3, 55. *extr.* infidis consiliis obnoxius. *Flor.* 3, 20. Servi per fortunam in omnia obnoxius. *Tac. A.* 14, 40. Insidiis obnoxius; et *ib.* 2, 75. fortunae; et 3, 58. *f.* aemulationi, odio, privatis affectionibus. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 3. morbo. *Suet. Tib.* 63. contumeliis; et *ib.* 54. omnium criminationibus obnoxios reddidit; et *Dom.* 12. cum obnoxium se Barbaris per hoc animadverteret, i. e. non satis tutum. — *b*) De rebus: *Tibull.* 2, 4, 9. insanis cautes obnoxia ventis. *Lucan.* 2, 402. Illinc Delmatiis obnoxia fluctibus Ancon; et *ib.* 5, 379. Calabroque obnoxius Austro, Appulus Hadriacas exit Garganus in undas. *Ov. Pont.* 1, 8, 73. terra nulli obnoxia bello. *Plin.* 19, 10, 58. Olera nulli animalium obnoxia. *Liv.* 40, 45. Arbores, quae obnoxiae frigoribus sunt. *Plin.* 2, 82, 84. Terra solida ad tales casus obnoxia, i. e. terrae motibus. *Phaedr.* 2, 7. *extr.* Magnae periculo sunt opes obnoxiae. *Tac. A.* 15, 38. Urbs incendiis obnoxia. *Ov. Met.* 14, 600. Hunc jubet Aeneae quaecumque obnoxia morti Abluere. *Liv.* 6, 17. Obnoxiam carnificis arbitrio ducere animam.] ℙ Absolute. *Plin.* 31, 6, 32. Non alibi corpora magis obnoxia. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 3. Fecenia vitis, et cum ea florens Biturica, nunquam floris obnoxii, quoniam antecedunt, ventisque et imbribus resistunt. *Flor.* 4, 4. Juvenis tener, obnoxius, et opportunus injuriae, *h. e.* expositus injuriae, et cui facile injuria inferri potest. Sic *Quint. decl.* 1, 6. *extr.* de caecitate: Quis calamitatem tam obnoxiam majore reverentia proteget? *Sen. ep.* 65. *med.* In hoc obnoxio domicilio animus liber habitat, *h. e.* in hoc corpore multis malis subjecto, et veluti servo. ℙ Illa quoque commode translata sunt. *Virg. G.* 1, 396. Luna radiis fratris obnoxia, *h. e.* [*quae pendet a lumine fratris,] et quae illi debet lumen suum; et *ib.* 2, 438. juvat arva videre Non rastris hominum, non ulli obnoxia curae, *h. e.* quibus cultura hominum non imperat, ut fruges ferant (nam *imperare arvis* dixit *Id. ib.* 1, 99., ipsaque arva, si respondent votis et laboribus agricolarum, *parere* dicuntur *Aen.* 1, 3.): vel non debentia fertilitatem suam culturae hominum. Sic *Prop.* 1, 2, 21. Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis, *h. e.* nullis gemmis pulcritudine subjecta, et inferior: vel, quae non debebat pulcritudinem suam ullis gemmis, sed ipsa per se sine ornatu satis commendabatur. ℙ *Obnoxium est,* periculosum est, et offensioni expositum. *Auct. Dial. de or.* 10. *med.* Tanquam minus obnoxium sit offendere poetarum, quam oratorum studium. ℙ *Obnoxius,* noxius, nocens. *Colum.* 2, 18. Omnes lapides, et si qua objacent falcibus obnoxia, colligi debent, ac longius exportari. Quidam cod. hab. *noxia.* ℙ Comp. *Obnoxior* ap. *Sen. Clem.* 1, 13. Omnibus reis obnoxior, ac sollicitior. Ita *Lips.:* alii leg. *noxior.*

OBNUBĬLATUS, a, um, part. ab *obnubilo,* nubilo obvolutus. Translate. *Appul. Met.* 9. Acerbilo obvolutus. Translate. *Appul. Met.* 9. Acerrimo gravique odore sulfuris juvenis inescatus atque obnubilatus, intercluso spiritu diffluebat.

OBNUBĬLO, as, avi, atum, a. 1. ἐπινεφέω, nubibus obduco, nubilum infero, obtenebro. Transl. *Gell.* 1, 2. Oris et vultus serenitatem Stoici hominis nunquam ulla posse aegritudine obnubilari; et *Ammian.* 28, 4. Calumniarum insectator, justorum distinctor, in subjectis admodum temperatus. Sed obnubilabat haec omnia vitium, parum quidem nocens rei communi, sed in alto judice maculosum. Hellenismus est in illo *Appul. Met.* 8. Charite, velut gravi tonitru, procellaque sideris, vel etiam ipso diali fulmine percussa, corruit corpus, et obnubilavit animam, *h. e.* corpore corruit, animo defecta est.

OBNUBĬLUS, a, um, adj. nubibus obductus, tenebrosus, obscurus. Vet. poeta, fortasse *Ennius,* ap. *Cic. Tusc.* 1, 21. Obnubila tenebris loca. Al. leg. *nubila.* [*Ita *Orell.*]

OBNUBO, is, psi, ptum, a. 3. σκεπάζω, ἐπικαλύπτω, velo, operio, tego, involvo. *Virg. A.* 11, 77. arsurasque comas obnubit amictu, *h. e.* velat caput cadaveris in rogum imponendi. *Val. Fl.* 2, 254. Obnubitque caput, tacitumque ad conscia Bacchi Templa rapit. *Cic. Rabir. perduell.* 4. et *Liv.* 1, 26. I lictor, colliga manus, caput obnubito, infelici arbori suspendito. *Val. Fl.* 7, 853. de tauro ignem spirante: bis fulmineis se flatibus infert, Obnubitque virum. *Claud.* 76. de phoenice: stipantque volantem Alituum suspensa cohors: exercitus ingens Obnubit vario late convexa meatu. *Varr. L. L.* 4, 10. *med.* Mare terras obnubit, ut nubes coelum. ℙ Absolute *obnubere,* caput operire est, ut ex *Festo* docet *Paulus.*

OBNUNTĬATIO et Obnunciatio, onis, f. actus obnuntiandi, ἀπόφθεγξις. V. v. sq. *in. Cic. Div.* 1, 16. M. Crasso quid acciderit, videmus, dirarum obnuntiatione neglecta. *Id. Att.* 4, 16. Obnuntiationibus per Scaevolam interpositis. *Id. Q. Fr.* 3, 3. Comitiorum quotidie singuli dies tolluntur obnuntiationibus.

OBNUNTĬO et Obnuncio, as, avi, atum, a. 1. καταγγέλλω, mali aliquid, aut impedimenti nuntio, quominus quidquam publice agatur: ex *ob,* contra, et *nuntio,* non ex *omen,* et *nuntio,* ut vult *Donat.* ad illud *Ter. Ad.* 4, 2, 7. Primus sentio mala nostra; primus rescisco omnia: Primus porro obnuntio. Ubi *Donat.:* Qui malam rem nuntiat, obnuntiat: qui bonam, annuntiat. Nam proprie obnuntiare dicuntur augures, qui aliquid mali ominis scaevumque viderint. Haec *Donat.* Porro obnuntiabant non solum augures, sed etiam magistratus, et tribuni pleb. aliquando etiam contrarium omen mentiti, ut comitia turbarent, ut legislationem impedirent, ut deliberationem aliquam publice disjicerent. *Cic. in Sen.* 5. Legem tribunus plebis tulit, ne auspiciis obtemperaretur, ne obnuntiare concilio, ne legi intercedere liceret. *Id. Sext.* 37. Fretus sanctitate tribunatus, obnuntiavit consuli, etc.; et 36. Si obnuntiasset Fabricio is praetor, qui se servasse de coelo dixerat. *Liv.* 22, 42. *med.* Paulus cum ei pulli non addixissent, obnuntiari jam efferenti porta signa collegae jussit. *Suet. Caes.* 20. Lege agraria promulgata, obnuntiantem collegam foro expulit; et *mox:* Ut domo abditus, nihil aliud, quam per edicta obnuntiaret. *Cic. Att.* 4, 3. *med.* Metellus postulat, ut sibi postero die in foro obnuntietur. [*V. *Ernest. cl. Cic.* et *Gloss. Liv.* s. h. v., *Brisson. de forin.* p. 121.]

OBNUPTĬO, onis, f. V. OBDUCTIO.

OBNUPTUS, a, um, part. ab *obnubo:* velatus, opertus. *Macr. Sat.* 1, 21. Simulacrum Veneris in monte Libano fingitur capite obnupto, specie tristi; et *mox:* Terra hiemalis, obnupta nubibus, sole viduata stupet.

OBOLĔO, es, lui, n. 2. ὄζω, oleo, redoleo, odorem emitto contra, vel in aliquem. *Pl. Most.* 1, 1, 38. te Dii omnes perdant: oboluisti allium. *Suet. Cal.* 23. Silanum ad necem compulit, causatus, quod antidotum oboluisset, quasi ad praecavenda venena sua sumptum. *Appul. Apol.* Cui enim cani, cui vulturio Alexandrini coeli quidquam abusque Oeensium finibus oboleat? ℙ Urbane, et joculariter *Pl. Cas.* 4, 3. *extr.* Dii hercle me cupiunt servatum: jam oboluit Casina procul; et *Men.* 2, 3, 33. oboluit marsupium Huic istuc, quod habes.

OBOLĬTĬO, onis, f. abolitio. *Appul. de Mundo:* Nebula est exhalatio vaporata, cui serenitas obolitionem infert. Al. leg. *abolitionem.*

OBOLUS, i, m. ὀβολός, nummus aereus minutus, parva moneta ap. Graecos, ut quadrans, teruncius, as ap. Latinos. *Vitr.* 3, 1. *med.* Civitates Graecorum aereos signatos, uti asses, ex aequo sex, quos obolos appellant, in drachma constituerunt. ℙ Sumitur generatim pro parvo pretio, levi impensa, exiguo pecuniae sumptu, in illo

Ter. Andr. 2, 2, 32. Olera et pisciculos minutos ferre obolo in coenam seni. ℙ In ponderibus est minimum; sicuti talentum summum. *Fann. de ponderib. et mens.* 37. Cecropium superest post haec docuisse talentum, Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis. Nam nihil his, obolove minus, majusve talento. *Cels.* 5, 17. docet pondus ejus esse sextam partem ponderis denarii. *Plin.* 25, 12, 91. Hyoscyami semen bibunt obolo, tantundem meconii adjicientes. *Id.* 21, 25, 96. Folia ejus trita trium obolorum pondere sistunt, etc. ℙ Dividitur tamen in semiobolos duos, et in decem chalcos. *Plin.* 21, 34, 109. Drachma Attica sex obolos pondere efficit: obolus decem chalcos. *Id.* 20, 1, 3. Modus portione virium ab dimidio obolo ad solidum.

OBOMĬNĀTUS, a, um, part. ab inus. *obominor*, male ominatus. *Appul. Met.* 9. Crurum ei fragium obominata, *h. e.* imprecata. Al. minus recte leg. *abominata.*

OBORIOR, eris, ortus sum, dep. 3. ἐπιγίνομαι, contra, vel ante, vel ex improviso orior. In malam partem. *Pl. Curc.* 2, 3, 30. tenebrae oboriuntur, genua inedia succidunt. [**Suet. Ner.* 19. tanta oborta caligo est. Al. *coorta.* Hoc unice rectum. V. *Oudend.*] *Id. Stich.* 1, 3, 11. Uteri dolores mihi oboriuntur quotidie. *Plin.* 10, 40, 56. Capris caecitas oboritur. *Gell.* 13, 27. *extr.* Ne qua in re adversa et repentina incursio imparatis improtectisque nobis oboriatur. *Liv.* 21, 8. Acrius de integro obortum est bellum. Al. leg. *coortum. Appul. Flor. n.* 9. Quis mihi incondita et vitiosa verba temere oborientia permiserit blaterare? ℙ In bonam. *Ter. Heaut.* 4, 3, 2. tanta haec laetitia oborta est. *Cic. Lig.* 3. Vide, quanta lux liberalitatis et sapientiae tuae mihi apud te dicenti oboriatur. ℙ Simpliciter pro *orior. Nep. Eum.* 9. Antigonus, tenebris obortis, ignes conspicatur. ℙ *Festus* interpretatur, adnasci, quia *ob* pro *ad* olim adhibebant: sed quod affert exemplum, a superiori significatione nihil discedit.

[OBORSUS, a, um, part. ab inus. *obordior*, qui ab altera parte initium fecit. *Not. Tir.* p. 151. Orsus, oborsus, exorsus. *F.*]

OBORTUS, a, um, part. ab *oborior:* contra, vel ante, vel repente exortus. *Flor.* 1, 1. *f.* Sed oborta tempestas, solisque defectio consecrationis speciem praebuere. *Suet. Ner.* 34. *med.* Ad visendum interfectae cadaver accurrisse, sitique interim obortа bibisse. *Virg. A.* 11, 41. lacrimis ita fatur obortis. *Ov. A. Am.* 2, 88. Nox oculis pavido venit oborta metu. *Id. Met.* 5, 202. Gorgone conspecta, saxo concrevit oborto. *Gell.* 19, 12. Videt vicinum rubus late atque alte obortas excidentem. *Stat. Th.* 8, 32. expavit oborta sidera. *Lucr.* 6, 869. ubi sol radiis terram dimovit obortis; et 586. terrae motus obortus.

OBORTUS, us, m. ortus, accessio. *Lucr.* 4, 218. Perpetuoque fluant certis ab rebus obortu. Ita legit *Lambinus.* [*Secutus est *Eichstadt.*] Ceteri *odores*, ut et 6, 224., ubi eadem verba repetit.

OBOSCŪLOR, aris, dep. 1. osculor. *Petr. Sat.* 126. Quae flagellorum vestigia obosculantur. Plerique al. leg. *osculantur.*

OBPALLĔO et Oppalleo, es, ui, n. 2. expalleo. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 92. Carnifex stupore obpalluit. *Coripp. Joanneid.* 6, 156. subitoque tremens oppalluit ore.

[OBPORTO et Opporto, as, a. 1. contra porto. *Not. Tir.* p. 11. Portat, subportat, obportat. *F.*]

OBPROBRĂRĔ, probrum objicere. *Paul.* ex *Festo.*

OBPŬVĬAT, verberat. *Paul.* ex *Festo.* Al. leg. *obpuvit.* Hinc *obpuvia*, vel *oppuvium*, verberatio, verber. *Afranius:* Obpuviis pueri coercentur. Ita lexicographi: et videntur hujus fragmenti vestigia esse in ipsis *Pauli* verbis, ubi ait: Obpuviat, verberat, a paviendo, hoc est feriendo: unde pueri, quod puniendo coercentur, id est plagis: unde et pavimenta. Leg. alii: *unde pueri, quod obpuviis coercentur.* V. *Jan. Dousam ad fr. Lucil. n.* 88.

[OBRĂDĬO, as, n. 1. radiis contra splendeo. *Isid. Orig.* 16, 18. Obryzum aurum dictum, quod obradiet splendore. *F.*]

OBRAUCĀTUS, a, um, part. ab inus. *obrauco:* raucus factus. *Solin.* 10. de gruib.: Volatus desidiam castigat voce, quae cogit agmen: ea ubi obraucata est, succedit alia.

OBRENDĀRĬUS, a, um, adj. qui obruendus, sive defodiendus est: pro *obruendarius*, ut *obri* pro *obrui* in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 341. Jaolenae Tycheni Narcissus conservae bene merenti fecit, quod se voluit obri. Hinc *Obrendaria vasa*, seu fictilia sarcophaga in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 14. *n.* 63. Magnia Tyche fecit sibi, et caris suis T. Magnio Aniceto, et T. Magnio Eutycho, et Q. Tillio Figuliano bene merentibus, et libertis libertabusque, posterisque eorum. H. M. D. M. A. (h. e. *huic monumento dolus malus abesto*). Item Ti. Claudio Honorato, et Claudiae Marcellae amicis fidelissimis vasa obrendaria dua fecit, et donavit. Hic vero vides, locum sepulturae nobiliorem datum fuisse a Magnia Tyche tribus prioribus, qui ei cognatione vel affinitate juncti fuisse videntur, *cari* enim vocantur cognati (V. COGNATIO), duobus deinde postremis, qui amici solummodo ejus erant, vasa tantum humo obruenda donata fuisse. ℙ *Obrendarium*, *ii*, absolute est locus in pavimento ad vasa seu dolia sepulcralia cum integris corporibus obruenda relictus. V. DOLIUM. *Inscr.* ap. *eund.* p. 15. *n.* 66. L. Pomponius Cladus, et Claudia Parhesia fecerunt sibi, et suis, posterisque eorum, et M. Quintino Claudiano ollarum N. XII. ab imo in summo cum obrendario (V. *ib.* plura huc pertinentia). Alia ap. *Donat.* 393, 13. P. Aelius Victor Juliae Scriboniae conjugi dulcissimae, sibi, libertis libertabusque eorum, maceriam a fundamentis sua impensa circumclusit cum pariete, qui habet ollas N. XX. ab imo in summo cum obrendario. [*Hunc locum quam plurimis adjectis retractavit *F.*]

OBRĔPO, is, psi, ptum, n. 3. ὑπερεισέρχομαι, παρέρπω, contra et clam, aut sensim repo, latenter et tacite advenio: ductum a bestiis, quae sensim, paulatim, et tacito motu ingrediuntur. *Tibull.* 1, 9, 59. Et possim media quamvis obrepere nocte, Et strepitu nullo clam reserare fores. *Plin.* 10, 73, 94. Feles quidem quo silentio, quam levibus vestigiis obrepunt avibus! *Gell.* 17, 21. Manlius Gallos in obsidione Capitolii obrepentes per ardua depulerat. ℙ Translate dicitur de iis, quae accedendo sensum fallunt, ut de somno, senectute, morte, luce, etc. *Cic. Sen.* 2. Qui enim citius adolescentiae senectus, quam puritiae adolescentia obrepit? *Id. Att.* 6, 3. Obrepsit dies, ut vides (mihi enim a. d. ter. cal. Sext. de provincia decedendum est), nec succeditur; et *Div.* 2, 67. Imagines obrepunt in animos dormientium extrinsecus. *Plin.* 10, 21, 24. de gallis gallinaceis: Nec solis ortum incautis patiuntur obrepere. *Ov. Her.* 19, 46. Sed movet obrepens somnus anile caput. *Pl. Poen. prol.* 14. de praecone: Nam nisi clamabis, tacitum te obrepet fames; et *Ps.* 2, 3, 20. In labore, atque in dolore mors obrepit interim. *Sen. ep.* 45. Vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt. *Id. Ben.* 3, 1. *extr.* Mihi obrepsit oblivio. *Cic. Planc.* 7. et *Pis.* 1. Plancium non obrepsisse ad honorem, sed eo venisse cursu, qui semper patuit ortis equestri loco. *Plin.* 36, 3, 3. Scaurus rudi, et hujus mali improvidae civitati obrepsit. *Flor.* 4, 10. Neque causa, nec consilio, ac ne imaginaria quidem belli indictione, quasi hoc quoque ex arte ducis esset, obrepere; repente in Parthos impetum facit. ℙ De iis, qui decipiendi causa tacite adeunt. *Ulp. Dig.* 37, 10, 3. Si, cum esset pubes, quasi impubes obrepserit. *Pl. Trin.* 1, 2, 23. Nunquam tu, credo, mihi imprudenti obrepseris; et 4, 2, 132. Nimis argute obrepsisti in eapse occasiuncula. ℙ De iis, quae falsa cum sint, specie tamen veri in animum influunt. *Gell.* 6, 12. Obrepsisse videtur Servio falsa quidem, sed non abhorrens, neque inconcinna quasi mentis quaedam in hoc vocabulo significatio. Sicut C. quoque Trebatio eadem concinnitas obrepsit: sc. quod *testamentum a mentis contestatione* dictum sit. ℙ Passive impersonaliter. *Quint. decl.* 291. *extr.* Obreptum est credulitati tuae: non amabat, qui potuit occidere. *Imp. Sever.* ap. *Ulp. Dig.* 27, 1, 1. Si potuerit probari, obreptum esse praetori.

OBREPTĬCĬUS, a, um, adj. per obreptionem factus. *Impp. Honor. et Theod. Cod.* 3, 6, 3. Obrepticia petitio alteri obesse non debet. In *Cod. Theod.* 4, 22, 6., ubi eadem haec lex habetur, pro *obrepticia* legitur *obrepta.*

OBREPTĬO, onis, f. latens et fallax aditio, παράδυσις, κλέμμα. *Arnob.* 5, 162. Cum incautus et properus obreptionis, esset rejectus a furto. *Frontin. Strateg.* 2, 5. *med.* Ventidius Parthos aggressus per obreptionem. *Ulp. Dig.* 2, 4, 10. Adrogari per obreptionem: sc. reticendo aliquid, quod adrogationem impediisset: quae et *subreptio* dicitur. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 5, 8, 1. Vetusti juris ordine praetermisso, obreptione precum aliquid postulare: *mox* dicitur *ib.* precum subreptio.

OBREPTĪVĔ, adv. per obreptionem, latenter. *Imppp. Valent. Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 16, 1, 4. *extr.* Qui contra hanc dispositionem nostram obreptive, aut clanculo supplicare tentaverint.

OBREPTĪVUS, a, um, adj. clandestinus, obrepens, ut Obreptiva supplicatio, *Sym. ep.* 5, 64. (al. 66.)

OBREPTO, as, avi, atum, n. 1. frequent. ab *obrepo. Pl. Pers.* 1, 2, 27. Opertae ne fuerint, ne quis obreptaverit. *Cic. Att.* 6, 5. *f.* Et mihi decessionis dies λεληθότως obreptat.

OBREPTUS, a, um, part. ab *obripio.* V. OBREPTICIUS.

OBRĒTĬO, is, ivi, itum, a. 4. ἐμπλέκω, reti aliquem circumdo, obvium rete accipio. *Lucr.* 3, 385. neque aranei tenuia fila Obvia sentimus, quando obretimur euntes.

OBRĪDĔO, es, n. 2. tribuitur *Ov. Amor.* 3, 1, 33. Altera, si memini, limis obrisit ocellis. Al. leg. *subrisit.*

OBRĪGĔO, es, ui, n. 2. πέγνυμαι, totus frigore contrahor, induresco, rigidus fio. *Cic. N. D.* 1, 10. Pars (*terrae regionum*) obriguerit nive, pruinaque. *Id. Verr.* 2, 4, 40. *extr.* Ita Sopater de statua, cum jam paene obriguisset, vix vivus aufertur.

OBRĪGESCO, is, n. 3. obrigeo, vel obrigere incipio. *Sen. ep.* 82. Quid ergo? Viro non vel obrigescere satius est? sc. quam mollem et effeminatum fieri. *Luc.* ap. *Non.* 2, 219. Pars difflatur vento, pars obrigescit frigore.

*OBRĪMA, ae, fluvius Phrygiae majoris, prope Apamiam, in Maeandrum incidens. *Liv.* 38, 15. *med. Plin.* 5, 29. *B. A.*

OBROBORATĬO, onis, f. rigor nervorum. *Veg. Vet.* 3, 85. Quod si a nimio dolore etiam obroboratio fuerit subsecuta. *Pelag. Veter.* 7. *f.* Sane si a dolore et obroboratio fuerit subsecuta.

OBRŌDO, is, osi, osum, a. 3. περιτρώγω, circumrodo. *Pl. Amph.* 2, 2, 92. Ut quod obrodat, sit, animo si male esse occeperit, *h. e.* quod gustet, sumat in cibum.

OBROGĀTĬO, onis, f. actus obrogandi. *Auct. ad Her.* 2, 10. Cum duae leges inter se differunt, videndum est, num qua obrogatio, aut derogatio sit. V. v. sq.

OBRŌGO, as, avi, atum, a. 1. contra rogo, contra scisco. *Obrogare*, cum de legibus agitur (neque vero alia in re usum habet), est legis prioris infirmandae causa legem aliam ferre, ut ait *Paul.* ex *Festo.* V. ABROGO. *Cic. Phil.* 1, 9. Quid, quod obrogatur legibus Caesaris, quae jubent, etc.? *Suet. Claud.* 23. Capiti Papiae legis edicto obrogavit. *Liv.* 9, 34. Cum duae contrariae leges sunt, semper antiquae obrogat nova. Al. leg. *abrogat.* [*Ita saepissime confund. *obrogare* et *abrogare.* V. praeter l. *Suet.* l. *ib. Caes.* 28. ubi pro vulg. *quando nec plebisc. Pomp. postea abrogasset* emendatum est: *quando et — obrogasset.* V. *B. Crus.* et *Brem.*] ℙ Est etiam intercedere, opponere se, ne lex perferatur. *Flor.* 3, 15. Obrogare auso legibus suis Minucio, Capitolium invasit; et 17. *f.* Ausus tamen obrogare de legibus consul Philippus.

OBRŌSUS, a, um, part. ab *obrodo:* circum rosus. *Plin.* 37, 2, 7. Calix obroso margine. Al. leg. *abroso.*

OBRUCTANS, antis, part. ab inusit. *obructo:* in faciem alicui ructans. *Appul. Apol.* Hanc fabram technam animadverti in medio foro tibi obructantem.

OBRUMPO, is, upi, uptum, a. 3. idem ac rumpo. *Varr. R. R.* 3, 10. de anserib.: In pascendo, si radicem prehenderunt, quam educere velint e terra, obrumpunt collum. Al. leg. *abrumpunt:* quae lectionis varietas est etiam in illo *Pall.* 1, 19. Horreo providendum structurae diligentia, ne rimis possit obrumpi.

OBRŬO, is, ui, ŭtum, a 3. προεπιχόω, operio, sepelio: cui contrarium est *eruo. Cic. N. D.* 2, 49. Ranae marinae dicuntur obruere sese arena solere. [**Id. Off.* 3, 11. Cyrsilum quendam lapidibus obruerunt: ita melius locum collocasse videmur, quem Noster infra alieno loco posuerat. Ceterum *Orell.* c. recentt. leg. *cooperuerunt.*] *Id. Sen.* 7. Nec vero quemquam senum audivi oblitum, quo loco thesaurum obruisset. *Id. N. D.* 2, 52. Crocodilos dicunt, cum in terra partum ediderint, obruere ova. [**Liv.* 30, 6. Obruerant itinera portarum, i. e. obstruxerant, moles et impedimenta objecerant.] *Ov. R. Am.* 173. Obrue versata Cerealia semina terra. [*Ita *Colum.* 11, 2. *med.* Milium circa calend. Novembr. melius obruitur; et *paulo post:* Ante aliam sementim potest lupinum obrui; et 3. *med.* Beta semine obruitur: quos locos jure *Forc.* hic posuisse videmur, antea nescio cur a separatim adscriptos.] *Plin.* 26, 3, 8. Obruere aegros veste, sudoresque omni modo ciere. *Virg. A.* 1, 73. submersasque obrue puppes. Sic *ib.* 6, 336. quos obruit auster. [*Poterat hic continuo commemorari illud *Ulp. Digg.* 9, 2, 29. *med.* si navis alteram contra se venientem obruisset, *h. e.* mersisset.] *Lucr.* 6, 864. roriferis terram nox obruit umbris. *Ov. Trist.* 1, 2, 34. Dumque loquor, vultus obruit unda meos. [*Huc pertinent etiam, quae pravo consilio Noster longo spatio sejunxerat, in quibus positum est pro *sepelire.*] *Festus* in *Statua:* Cujus ossa in Vulcanali, quod est supra comitium, obruta sunt. *Tac. A.* 1, 29. Tradunt plerique intra tabernaculum ducis obrutos. *Inscr.* ap. *Mur.* 39, 4. Sed Arcejanum me obrueret solum. V. OBRENDARIUS. [*Adde *Suet. Cal.* 59. cadaver levi cespite obrutum est. ℙ Porro referri huc poterant ea, in quibus v. *obruendi* continet notionem opprimendi, oppressum tenendi:] *Virg. A.* 2, 411. telis Nostrorum obruimur. [**Lucan.* 4, 774. rectis eminus hastis Obruitur: non vulneribus, nec sanguine, solum Telorum nimbo peritura ac pondere ferri. Ita etiam *Liv.* 21, 55. Obruti sunt insuper velut nube jaculorum a Balearibus conjecta.] *Stat. Th.* 11, 573. Concidit, et totis fratrem gravis obruit armis. *Val. Fl.* 4, 160. et *Stat. Achill.* 1, 190. Obruere alicui ora caestu. *Lucan.* 9, 672. Sopor obruit aliquem. ℙ [*Translate multifariam usurpatur. Ita multis in locis est tegere, celare, delere, abolere.] *Cic. Fin.* 1, 17. *f.* Ut adversa quasi per-

petua oblivione obruamus, et secunda jucunde ac suaviter meminerimus. *Id. Dejot.* 13. *f.* Quae unquam vetustas obruet, aut quae tanta delebit oblivio? *Id. Arch.* 19. Idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruisset. *Id. Tusc.* 5, 19. *extr.* Marius talis viri interitu sex suos obruit consulatus, et contaminavit extremum tempus aetatis. *Id. Somn. Scip.* 7. *extr.* Sermo omnis ille et obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis exstinguitur. *Sen. Thyest.* 786. tenebris obruere facinus. *Cic. Part.* 5. Firmamenta ad fidem posita aut per se diluenda, aut obscuranda, aut digressionibus obruenda, *h. e.* ad alia digrediendo tegenda quodammodo, ac celanda. *Id. Har. resp.* 20. Quod Dii omen obruant [*i. e. irritum faciant.] ℙ [*Alibi significat nimia alicujus rei copia cumulare, nos: *überschütten, überladen, überhäufen.* Huc pertinet dicendi ratio *obruere se vino*, i. e. inebriari, quasi vino se totum immergere.] *Cic. Dejot.* 9. Hac laetitia Dejotarum elatum vino se obruisse, in convivioque nudum saltavisse. Adde *Phil.* 3, 12. *f.* Sic *Nep. Dion.* 4, 4. Obrui vino epulisque: [*V. *Brem.*] et *Petr. Sat.* 5. Obruere vino mentis calorem. Eandem significationem vindicat etiam in his: *Cic. Verr.* 2, 1, 7. *extr.* His criminibus, his testibus sic obrutus atque oppressus est, etc. *Id. Or.* 2, 70. Ut testem omnium risus obrueret. *Id. Tusc.* 2, 1. *med.* Obrui copia sententiarum atque verborum. *Id. Or.* 1, 21. ambitione, et foro. *Id. Att.* 2, 1. *f.* aere alieno. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 1. magnitudine negotii tanquam fluctu. *Ov. Pont.* 2, 5, 29. Obruit audentem rerum gravitasque nitorque. *Quint.* 1, 8. *f.* Detinere atque obruere ingenia; et 11. *med.* Corporis cura mentem obruere. [**Liv.* 27, 21. Hanc tribuni orationem ita obruit Marcellus commemoratione rerum suarum, ut, cet. i. e. refutavit, irritam fecit. ℙ Porro vincendi, superandi notionem assumit in his:] *Virg. A.* 2, 424. Ilicet obruimur numero [**übermannen.*] *Tac. Agr.* 17. Cum Cerialis alterius successoris curam famamque obruisset [*i. e. obruere potuisset. V. *Walch.* ad h. l.] *Vell.* 2, 69. M. Brutus Vatinium dignatione obruerat. [*Cf. *ib.* 92, 5. et his nos obrui, illis instrui credimus.] *Val. Fl.* 1, 319. Femineis tantum illa furens ululatibus obstat, Obruit Idaeam quantum tuba Martia buxum. *Quint.* 12, 10. *f.* Lana tincta fuco citra purpuram placet, at si contuleris etiam lacernae, conspectu melioris obruitur, ut Ovidius ait. *Stat. Achill.* 1, 293. quantum virides pelagi Venus addita Nymphas Obruit. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 9. Obruitur tot illustribus consularibus L. Furius Bibaculus. ℙ Videtur etiam poni pro simplici *ruo*, h. e. cado. *Lucr.* 3, 775. An metuit conclusa manere in corpore putri? Et domus aetatis spatio ne fessa vetusto Obruat? Possis tamen subaudire accus. *se.* ℙ Et active pro sternere. *Val. Fl.* 2, 533. recipitque ruentem Alcides, saxoque prior surgentia colla Obruit. *Lucan.* 6, 198. Hunc aut tortilibus vibrata falarica nervis Obruat.

OBRUSSA, ae, f. experimentum ignis, quo auri bonitas probatur. *Plin.* 33, 3, 19. Auri experimentum ignis est, ut simili colore rubeat, ignescatque: id ipsum obrussam vocant. Ita *Hard.* ex MSS. ℙ Graeci *ὄβρυζον χρυσὸν* vocant aurum excoctum, purumque: unde *obrussa*, ut a *πορφύριζον*, purpurissum. V. dicta in BADIZO. Legitur tamen et *obrusa.* ℙ *Aurum ad obrussam*, excoctum, probum, purum. *Suet. Ner.* 44. Exegit ingenti fastidio et acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 74. Quo magis expurgandus est sermo, et adhibenda, tanquam obrussa, ratio, quae mutari non potest. *Sen. ep.* 13. Sic verus ille animus, et in alienum non venturus arbitrium, probatur: haec ejus obrussa est. *Id. Q. N.* 4, 5. Si omnia argumenta ad obrussam coeperimus exigere, silentium indicetur; pauca enim admodum sunt sine adversario. [*De metaphora *obrussae* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 76.] ℙ Sunt qui Graecam scriptionem retinentes legunt ap. *Plin.* id ipsum obryzum vocant. Porro *aurum obryzum* habetur in S. Scriptura *Paralip.* 2, 3, 5., *Dan.* 10, 5. et alibi, estque idem quod *ad obrussam.* Sic ap. *Petr. fragm. Trag.* 67. *Burm.* Ultimo et periscelides resolvit, et reticulum aureum, quem ex obryzo esse dicebat. Al. leg. *obrusso.* Hinc *obryzatus*, *a*, *um*, ex auro obryzo factus. *Imppp. Grazatus*, *a*, *um*, ex auro obryzo factus. *Imppp. Gratian., Valent. et Theodos. Cod.* 11, 10, 3. Obrytarum omnium solidorum uniforme pretium. Adzatorum omnium solidorum uniforme pretium. Adde *Impp. Arcad. et Honor. ib.* 12, 49, 1. [*De *obrussa* et *auro ad obrussam* v. *intpp.* ad *Suet. Ner.* 49. *Salmas.* ad *Solin.* p. 760. *Gothofred.* ad *Cod. Theodos.* 1. *de oblat. Vot.* et quos ibi laudat *Rittersh.*]

OBRŪTESCO. V. OBBRUTESCO.

OBRŪTUS, a, um, part. ab *obruo:* opertus, obductus, contectus, oppressus. *Cic. Fin.* 4, 4. *f.* Si quid obrutum erit, poterit eruere. *Cato R. R.* 143. Uvas in urceis habeat, in terra obrutas. *Plin.* 16, 42, 81. Pinus, piceae, alni obrutae terra plurimis durant annis. *Lucr.* 4, 924. cinere ut multa latet obrutus ignis. *Cic. N. D.* 2, 52. Aegyptum Nilus tota aestate obrutam oppletamque tenet. *Id. Mil.* 31. Albanorum obrutae arae, *h. e.* super jactis molibus opertae. *Liv.* 5, 2. Nivibus et pruinis obrutus. *Ov. Fast.* 6, 194. classis obruta aquis; et *Met.* 7, 355. tellus obruta ponto; et *ib.* 1, 124. et *Trist.* 3, 12, 11. herba obruta sulcis. *Plin.* 9, 35, 55. Conchae multo obrutae sale in vasis fictilibus. *Flor.* 3, 21. Male obrutum incendium resurrexit. *Virg. A.* 10, 808. obrutus undique telis. *Flor.* 3, 3. *med.* Amnem ingesta obrutum silva transiluere. *Claud. in Eutr.* 2, 11. obruta corpora morbo; et *Just.* 12, 8. Obrutus multis vulneribus. ℙ Item sepultus. V. OBRUO. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 1, 7. *f.* Obrutus atque oppressus criminibus. *Ov. Met.* 13, 446. Obrutaque est mecum virtutis gratia nostrae: Achillis sunt mortui verba. *Plin.* 11, 17, 17. Reliqua vetustatis situ obruta. *Nep. Paus.* 1. Ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus. *Claud. in I. cons. Stil.* 2, 121. non obruta virtus Paupertate latet; et *B. G.* 225. tandemque libido Haesit avaritiae, gravioribus obruta curis. *Sen. Octav.* 103. miseriis, luctu obruta, moerore pressa. *Id. Herc. Oet.* 1102. Obrutae leges, *h. e.* abolitae. ℙ *Obruta fulmina* sunt, quibus jam prius percussa, nec procurata feriuntur. *Caecinna* ap. *Sen. Q. N.* 2, 49.

OBRYZĀTUS, a, um, adj. V. OBRUSSA.

OBRYZUM Aurum. V. OBRUSSA.

OBSAEVIO, is, n. 4. *ἀντιχαλεπαίνω*, contra saevio. *Pl. Ep.* 4, 1, 29. Qui tuam per voluptatem in me aerumna obsaevisti graviter. Alii rectius leg. *in me aerumnam obsevisti gravem*, h. e. me in aerumnam conjecisti; ut sit praeteritum ab *obsero, is.*

OBSALŪTARE, salutandi gratia se offerre. *Festus.*

OBSĂTŪRO, as, a. 1. *ἀποκορέννυμι*, saturo, saturitatem usque ad fastidium induco. Translate *Ter. Heaut.* 4, 8, 28. nae tu propediem, Ut istam rem video, istius obsaturabere.

OBSCAEVO, as, avi, atum, a. 1. vox composita ex *ob*, et *scaevus*, usurpaturque a *Plauto* pro male ominari, malo omine rem aliquam impedire, vitiare, turbare, ubi ait *As.* 2, 1, 18. Metuo, quod illic obscaevavit meae falsae fallaciae. Al. leg. *obscoenavit*, seu *obscenavit*, ab *obscoenus*, seu *obscenus*, eodem sensu. *Non.* 2, 595. V. SCAEVA.

OBSCĒNE, adv. *αἰσχρῶς*, turpiter, impure, impudice. *Cic. Off.* 1, 35. *med.* Latrocinari, fraudare, adulterare, re turpe est, sed dicitur non obscene. *Id. N. D.* 3, 22. Cujus *(Mercurii)* obscenius excitata natura traditur. *Eutr.* 8, 22. Impudicissime et obscenissime vixit.

OBSCĒNĬTAS, atis, f. *αἰσχρότης, τὸ ἀσελγὲς*, impuritas, turpitudo, impudicitia. *Cic. Off.* 1, 29. [*ubi v. *Beier.*] et 35. [*et hic cf. *Beier.*] et *Or.* 2, 59. Rerum, verborum, orationis obscenitas. *Id. Fam.* 9, 22. Si quod sit in obscenitate flagitium, id aut in re esse, aut in verbo. *Arnob.* 5, 176. Propudiosa corporum monstratur obscenitas. *Plin. prooem. l.* 33. *med.* In poculis libidines caelare juvit, ac per obscenitates bibere, *h. e.* quod ait *Juven.* 2, 95. vitreo bibit ille Priapo; et *Lampr. Elag.* 19. Vasa schematibus libidinosissimis inquinata. ℙ Speciatim est turpioris libidinis flagitium, de quo *Suet. Tib.* 45., *Claud.* 15. *med.* et *Ner.* 29. et *Phaedr.* 4, 13. Sic *Ulp. Dig.* 1, 12, 1. In obscenitatem aliquem compellere. ℙ Refertur etiam ad malum augurium, triste omen. *Arnob.* 1, 10. Laevum augurium non sum, nec adversus spes bonas mali ominis obscenitate traducor. V. OBSCENUS.

OBSCĒNO, as. V. OBSCAEVO.

OBSCĒNUS, a, um, adj. *ἀπαίσιος*, malum augurium, triste omen afferens, propter turpitudinem, deformitatem, et immunditiam: ex *ob*, et *scena*, quia quae turpia sunt, nisi in scena palam dici non debent, ut ait *Varr. L. L.* 6, 5.: vel quasi *obscaevinum*, quod bonae scaevae obstat, ut *Id. ib.* ait; unde et *obscaenus* scribi quibusdam placet: vel ab *Oscis*, qui olim *Opsci*, qui turpi consuetudine olim laborasse dicuntur; quae fuit opinio *Verrii* ap. *Fest.* in *Oscum:* vel ab *obs*, et *cano*, quia in auguriis contrarium significat: vel ab *obs*, et *coenum*, quia turpia immunda sunt: vel a *κοινὸν*, quod interdum notat sordidum: quae tria postrema *Prisc.* 9, 872. tradit. Fuse de his in suo *Etym. Voss.* disputat. [**Obscoenus* est *coeno oblitus*, nostr. *kothig*, Gr. *βορβορώδης*, ortum ex *obs*, et *coenum*, de cujus etym. v. s. l., ad similitudinem comp. *abscondo, abstineo* et *obstrudo.* Hinc praeferenda scriptura *obscoenus.* Quid *spurcus* differat, v. in h. v.] *Accius* ap. *Non.* 4, 330. Ominibus faustis augustam adhibeant faventiam, ore obscena dicta segregent, *h. e.* verba male ominata. *Messala* ap. *Gell.* 13, 14. *f.* Mons avibus obscenis ominosus, *h. e.* Aventinus, unde Remo auspicanti, ut est ap. *Liv.* 1, 7., aves infaustae adfuerunt. *Matius* ap. *Varr. l. c.* Obsceni interpres, funestique ominis auctor. *Suet. Galb.* 4. Obscenum ostentum. *Fest.* in *Alliensis.* Dies obscenissimi ominis. *Virg. G.* 1, 470. Obscenae canes. *Id. A.* 4, 455. Fusaque in obscenum se vertere vina cruorem; et *ib.* 3, 367. Obscena fames; et *ib.* 12, 876. Obscenae volucres, *h. e.* noctuae; et *ib.* 3, 241 et 262. Obscenae pelagi volucres, *h. e.* harpyiae. *Id. ib.* 7, 417. de Alecto: in vultus sese transformat aniles, Et frontem obscenam rugis arat. *Hor. Epod.* 5, 97. Vos turba vicatim hinc et hinc saxis petens Contundet obscenas anus. *Ov. Her.* 5, 119. obscenam ponto Dii mergite puppim, *h. e.* navem, qua vehebatur Helena a Paride rapta, excidium Trojae futura. *Catull.* 68, 99. Troja obscena, *h. e.* malis auspiciis condita: vel quam rursus condere fata et religiones vetant. Unde *Hor. Od.* 3, 3, 61. Trojae renascens alite lugubri Fortuna tristi clade iterabitur. ℙ *Obscenas vias* dixit *Albinov.* 1, 280., in quibus projiciebantur a carnifice damnatorum cadavera, quia tanquam ominosa vitari solebant. ℙ Saepe est turpis, impudicus, impurus, *αἰσχρός. Varr.* ap. *Non.* 4, 330. Obscena verba. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. Obscenissimi versus. *Id. Tusc.* 5, 38. *med.* Illud Antipatri est paulo obscenius. *Id. Off.* 1, 29. Jocandi genus illiberale, petulans, flagitiosum, obscenum. *Id. N. D.* 1, 40. Delicatae et obscenae voluptates. *Ov. Trist.* 2, 212. Obscenum adulterium; et 409. Obsceni risus. *Prop.* 2, 5, 19. Obscenas tabellas pingere. *Tac. A.* 15, 37. Gestus motusque obsceni. *Val. Max.* 3, 5. *f.* Abjectior et obscenior vita. *Vell.* 2, 83. Obscenissimarum rerum auctor, et minister. *Plin.* 2, 25, 23. Obscenis mores. *Just.* 1, 6. *med.* Obscena corporis: *τὰ αἰδοῖα. Mela* 3, 7. Pars nudi agunt, pars tantum obscena velati. *Jul. Obseq.* 84. Puer duplici obsceno natus. *Ov. Fast.* 6, 631. Obscenum virile. *Lact.* 1, 21. Inter asellum Priapumque ortum certamen, de obsceni magnitudine. *Ov. Met.* 9, 347. Lotis erat Nymphe fugiens obscena Priapi, *h. e.* obscenam partem; nam *Id. Fast.* 1, 437. de eod. Priapo: At Deus obscena nimium quoque parte paratus. *Sen. ep.* 7. *med.* podicem *obscena* appellat. *Ov. R. Am.* 437. Obscena reddere, *h. e.* ventrem exonerare. [*Quomodo *partes obscenae* honestius circumscribantur, satis larga disputatione ostendit *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 263. Cf. etiam *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 126. a. sq. *ed. Fr.*] ℙ *Obscenam avem* vocat *Plin.* 10, 29, 44. upupam, quae e stercore humano nidum conficere traditur. *Obscenos haustus* dicit *Lucan.* 4, 312. cum miles colluviem limo turbidam siti adactus bibit. ℙ *Obscenus homo*, qui obscenis voluptatibus deditus est, impudicus, impurus, mollis. *Ov. Met.* 3, 537. Obscenique greges, et inania tympana, *h. e.* Galli Cybeles. *Plin.* 28, 1, 2. Aeque moriere, etiam cum obscenus vixeris, aut nefandus. *Sen. Excerpt. controv. prooem.* 4. *f.* Ex eo impudici et obsceni aliquandiu officiosi vocati sunt.

OBSCŪRĀTIO, onis, f. *σκότωσις*, actus obscurandi, obscuritas. *Cic. fragm.* ap. *August. C. D.* 5, 15., *Quint.* 1, 10. *f.* et *Plin.* 36, 27, 69. Obscuratio solis. *Auct. B. Hisp.* 6. Incidit, ut matutino tempore nebula esset crassissima. Itaque in illa obscuratione, etc. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 4, 12. In quibus voluptatibus, propter earum exiguitatem, obscuratio consequitur; saepe accidit, ut nihil interesse nostra fateamur, sint illa, necne sint: ut in sole lucernam adhibere nihil interest; et *ib.* 13. De istis ipsis obscurationibus, quae propter exiguitatem vix, aut ne vix quidem apparent.

OBSCŪRĀTUS, a, um, part. ab *obscuro:* obscurus factus, *ἐσκοτισμένος. Sall. Jug.* 42. Coelum nocte atque nubibus obscuratum. *Tac. A.* 14, 12. et *Val. Max.* 8, 11. *n.* 1. *extr.* Obscuratus sol. *Plin.* 37, 5, 16. Quin et ab intentione alia obscurata, aspectu smaragdi recreatur acies; et 8, 27, 41. Anguis hiberna latebra visu obscurato, marathro herbae sese affricans, oculos inungit ac refovet. ℙ Item contectus, obvolutus. *Petr. Sat.* 134. Obscuratum dextra caput super pulvinar inclinavi. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 8. Quid illa necessitate miserius, quae magistratum populi R. abjecta honoris praetexta, alienigenae religionis obscuratum insignibus, etc.? Loquitur de aedili pleb. sub Isiaci habitu proscriptionem vitante. Sic *Hor. Sat.* 2, 7, 55. caput obscurante lacerna. (Huc trahit *Burm.* et illud *Val. Fl.* 3, 526. Crinis ad obscurae decurrens cingula mammae, *h. e.* tectae, vestitae, praecinctae. Al. aliter leg. aut explicant.) *Sall. Jug.* 53. Inter virgulta equi Numidaeque consederant, neque plane occultati humilitate arborum, et tamen incerti, quidnam esset, cum natura loci, tum dolo ipsi, atque signa militaria obscurati. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 2, 2, 115. Obscurata diu populo bonus eruet, atque Proferet in lucem speciosa vocabula rerum. *Cic. Or.* 2, 23. Posteaquam, exstinctis his, omnis eorum memoria sensim obscurata est, et evanuit. *Id. fragm.* ap. *Capell.* 5, 168. Latent ista, Varro, magnis obscurata et circumfusa tenebris.

OBSCŪRE, adv. *ἀμαυρῶς*, sine lumine. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 7, 57. Si quando nos demersimus, ut qui urinantur, aut nihil superum, aut obscure admodum cernimus. ℙ Item tecte, clam: cui opponitur aperte, palam. *Cic. Cat.* 4, 3. Malum obscure serpens multas jam provincias occupavit. *Id. Quint.* 15. *med.* De quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem tacite obscureque conceditur. *Id. Verr.* 2, 4, 24.

Avertere aliquid de publico quam obscurissime per magistratum solebant. *Id. Fam.* 1, 5. *f.* Amicum ex consularibus neminem tibi esse video praeter Hortensium, et Lucullum: ceteri sunt partim obscurius iniqui, partim non dissimulanter irati. ℙ *Non obscure*, manifesto, palam. *Hirt. B. G.* 8, 54. Neque obscure hae duae legiones uni Caesari detrahuntur. *Suet. Vesp.* 6. *f.* Deposita simultate, quam ex aemulatione non obscure gerebat. ℙ *Non obscure ferre aliquid*, minime dissimulanter ferre, sed ita ut omnes agnoscant notas animi commoti. *Cic. Par.* 6, 1. *extr.* Itaque istam paupertatem tuam nunquam obscure tulisti. *Id. Cluent.* 19. *f.* Neque id obscure ferebat, nec dissimulare ullo modo poterat. ℙ Refertur ad tenebras orationis. *Cic. Fin.* 2, 5. Heraclitus, cognomento qui σκοτεινὸς perhibetur, quia de natura nimis obscure memoravit. *Id. Cat.* 1, 4. Non agam obscure. *Gell.* 11, 16. *f.* Qui ne pluribus quidem verbis potuerim non obscurissime dicere, quod a Graecis uno verbo planissime dicitur. *Id.* 17, 13. Quadrigarium particula ista usum esse obscurissime. ℙ ℙ Et ad ignobilitatem generis. *Macr. Sat.* 7, 3. *med.* Commendat scomma et conditio dicentis, ut si irrideat obscure natum natus obscure. *Ammian.* 29, 1. Palladius quidam obscurissime natus.

OBSCŪRĒFĂCIO, is, a. 3. obscuro. Est *Nonii* 2, 601.

OBSCŪRĪTAS, atis, f. σκότος, obscuratio, tenebrae, opacitas, caligo. *Tac. H.* 3, 11. Obscuritas latebrarum, quibus occulebatur, vacantium forte balnearum fornacibus abditus. *Plin.* 2, 18, 16. Atra obscuritas. *Id.* 23, 1, 20. Falernum creditum est obscuritatem visus facere. *Id.* 37, 3, 12. Medetur oculorum obscuritatibus. [*De discrimine inter *obscuritas* et *tenebrae*, V. in h. v.] ℙ Translate est obscuratio rei aut orationis, unde oritur intelligendi difficultas, et dubitatio. *Cic. Or.* 3, 13. *f.* Tanta insolentia ac turba verborum, ut oratio, quae lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem et tenebras afferat. *Id. Cluent.* 27. In ea obscuritate ac dubitatione omnium, Canutio placuit, etc. *Id. Fin.* 2, 5. Cum rerum obscuritas, non verborum, facit, ut non intelligatur oratio. *Id. Div.* 1, 18. Non reperio causam. Latet fortasse obscuritate involuta naturae; et *ib.* 2, 54. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, ut iidem versus alias in aliam rem posse accommodari viderentur; et *ib.* 64. Obscuritates et aenigmata somniorum. ℙ Item ignobilitas generis, qua quis parum notus est aliis. *Cic. Off.* 2, 13. Quorum prima aetas, propter humilitatem et obscuritatem, in hominum ignoratione versatur. *Tac. H.* 1, 84. Cujus splendore et gloria sordes et obscuritatem Vitellianarum partium perstringimus. *Flor.* 1, 6. Nec obscuritas inhibuit, quamvis matre serva natum. *Id.* 3, 1. *med.* Obscuritas generis.

OBSCŪRO, as, avi, atum, a. 1. ἐπισκιάζω, σκοτόω, obscurum reddo, tenebras affero, noctem offundo, opaco. *Cic. N. D.* 2, 38. Tenebras cogitemus tantas, quantae quondam eruptione Aetnaeorum ignium finitimas regiones obscuravisse dicuntur. *Id. Fin.* 3, 14. Obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernae. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 8, 45. Nebula coelum obscurabat. *Virg. A.* 12, 253. Volucres aethera obscurant pennis. *Plin.* 2, 10, 7. Nullum aliud sidus eodem modo obscuratur; quo sensu usurpat etiam *Catull.* 66, 3. ℙ Pro officere luminibus. *Ulp. Dig.* 8, 2, 8. Qui tollendo obscurat vicini aedes. V. LUMEN. ℙ Pro contegere, obvolvere. *Hor. Sat.* 2, 7, 55. caput obscurante lacerna. *Cic. Cat.* 1, 3. Neque nox tenebris obscurare coetus nefarios potest. V. OBSCURATUS. ℙ Translate. *Pl. Trin.* 3, 2, 40. Scio, te sponte non tuapte errasse, sed amorem tibi Pectus obscurasse. ℙ Saepe est tegere, abscondere, supprimere, ut videri, cernique plane non possit. *Cic. Fin.* 4, 12. Quae minimae sint voluptates, eas obscurari saepe, et obrui; et *ib. f.* Nummus in Croesi divitiis obscuratur; et *Verr.* 2, 3, 57. Magnitudo lucri obscurabat periculi magnitudinem; et *Marc.* 9. *extr.* Tuas laudes nulla unquam obscuratura est oblivio; et *Arch.* 1. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest: sed prae nobis ferendum. Trahimur omnes laudis studio, etc. *Quint.* 4, 2. *med.* Qui obscurare veritatem vult, narrat falsa pro veris. *Cic. Part.* 5. Firmamenta ad fidem posita aut per se diluenda, aut obscuranda, aut digressionibus obruenda, *h. e.* declinanda, et dissimulatione tegenda. ℙ Item ignobilem, seu ignotum reddere. *Sall. Cat.* 8. Fortuna res cunctas ex lubidine magis, quam ex vero celebrat, obscuratque. *Plin. Pan.* 69. Nobilitas non obscuratur, sed illustratur a principe. *Id. ib.* 55. Arcus, et statuas, aras etiam templaque demolitur, et obscurat oblivio, negligit, carpitque posteritas. *Ennius* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. *med.* Multi alii adventant, paupertas quorum obscurat nomina. ℙ Item dicendo involvere, ut minus intelligatur. *Cic. Att.* 2, 20. Si erunt mihi plura ad te scribenda, ἀλληγορίας obscurabo; et *Cluent.* 1. Nihil me subterfugere voluisse reticendo, nec obscurare dicendo. *Suet. Tib.* 70. Affectatione, et morositate nimia obscurabat stilum. *Quint.* 8, 2. *med.* Apud T. Livium pulos obscurare, quae dicerent, juberet, Graeco verbo utens, σκότισον. ℙ *Obscurare litteras* est loquendo parum exprimere. *Quint.* 9, 4. *med.* M littera quoties ultima est, et vocalem verbi sequensi scribitur, tamen parum exprimitur, ut (*Virg. A.* 1, 7.) Multum ille, etc., adeo ut paene cujusdam novae litterae sonum reddat: neque enim eximitur, sed obscuratur, et tantum aliqua inter duas vocales velut nota est, ne ipsae coeant. [*V. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 269.] ℙ *Obscurare vocem*, minus claram reddere, fuscam, obtusam. *Id.* 11, 3. Ut tibiae, eodem spiritu accepto, alium clausis, alium apertis foraminibus, alium non satis purgatae, alium quassae sonum reddunt; ita fauces tumentes strangulant vocem, obtusae obscurant, rasae exasperant, convulsae fractis sunt organis similes.

OBSCŪRUS, a, um, adj. σκοτεινὸς, luce carens, tenebricosus, caliginosus, opacus. Sunt qui putant esse ex *ob*, et inusitato *scurus*, quod sit a σκιερός, umbrosus. [*Doederl.* 3, 167. ortum putat ex participio *obsculsus*, *obscusus* verbi cujusd. *obsculo*, formam ducentis ab *occulo*. Hinc synonymiam verbis *occultus* et *obscurus* vel potius unam eandemque significationis rationem tribuit: de qua v. infra.] *Hor. Od.* 1, 7, 15. Albus ut obscuro deterget nubila coelo Saepe Notus. *Virg. A.* 9, 87. lucus Nigranti picea, trabibusque obscurus acernis; et *ib.* 12, 416. Venus obscuro faciem circumdata nimbo. *Id. G.* 1, 468. Sol caput obscura nitidum ferrugine texit. *Sall. Jug.* 57. et *Virg. A.* 2, 420. Obscura nox; et *ib.* 6, 453. umbra; et *ib.* 139. Obscurae convalles; et *G.* 4, 60. nubes. *Liv.* 24, 21. Post occasum solis, jam obscura luce. *Sall. Jug.* 24. Ubi plerumque noctis processit, obscuro etiam tum lumine. *Hor. A. P.* 229. Obscurae tabernae. *Ov. Met.* 4, 100. Obscurum antrum. *Id. Fast.* 4, 758. Obscurae aquae. ℙ Absolute. *Tac. H.* 4, 50. Obscuro adhuc coeptae lucis. *Virg. G.* 1, 478. sub obscurum noctis. ℙ *Obscurum*, adverbii more, obscure. *Lucan.* 5, 631. nec fulgura currunt Clara, sed obscurum nimbosus dissilit aer. ℙ *Obscurus* etiam dicitur, qui in tenebris est, qui non cernitur, qui latet. *Virg. A.* 6, 268. Ibant obscuri sola sub nocte per umbram; et *ib.* 2, 135. Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva Delitui; et *G.* 4, 424. ipsa procul nebulis obscura resistit. *Mart.* 1, 50. Aestus serenos aureo franges Tago, Obscurus umbris arborum. ℙ Translate est involutus, implicitus, opertus, latens, cerni, intelligive difficilis. *Cic. Div.* 1, 51. *med.* Quod erant multa obscura, multa ambigua, explanationes adhibitae sunt interpretum. *Id. Or.* 1, 39. Obscurum et ignotum jus. *Id. ib.* 2, 36. Videre res obscurissimas. *Id. Agr.* 2, 14. Cur hoc tam est obsurum atque caecum? *Stat. Silv.* 5, 3, 109. si famae obscura jaceres, *h. e.* famae incognita, ut ait *Liv.* 42, 52. ℙ *Non obscurus*, manifestus, patens. *Cic. Fam.* 13, 70. Non est obscura tua in me benevolentia. *Virg. G.* 1, 229. Haud obscura cadens mittet tibi signa Bootes. [*— Genus causae obscurum, Gr. δυσπαρακολούθητον, Ciceroni *Inv.* 1, 15. est, in quo aut tardi auditores sunt, aut difficilioribus ad cognoscendum negotiis causa implicita est. *Quint.* 4, 1, 40 et 62. easdem perplexas causas dicit. — *Obscurum* etiam vocatur, quod secreto et sine teste aut argumento ab accusatore factum dicitur, ap. *Quint.* 5, 13, 16. Deinde *obscuram orationem* dicit *id.* 8, 3, 50. etiam illud loquendi genus, quod Graeci μείωσιν, cum sermoni deest aliquid, quominus plenus sit. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 269. sq.] ℙ *Obscurus* de eo, qui in dicendo est implicatus, abstrusus, difficilis. *Hor. A. P.* 25. brevis esse laboro, Obscurus fio. *Cic. Div.* 2, 64. Quid? poeta nemo, nemo physicus abstrusus? ille vero nimis etiam obscurus, Euphorion: valde Heraclitus obscurus. ℙ Ignotus, latens. *Nep. Dat.* 1. Obscuriora sunt ejus gesta pleraque. *Caes. B. C.* 1, 61. Caesaris autem in Barbaris erat nomen obscurius. ℙ Ignobilis: metaphora inde ducta, quod viri nobiles omnibus conspicui sunt et cogniti: contra qui humili genere sunt orti, tanquam in tenebris agentes, nemini innotescunt. *Cic. Off.* 1, 32. Obscuris orti majoribus. *Id. Verr.* 2, 5, 70. Pompejus humili atque obscuro loco natus. *Vell.* 2, 76. *f.* Salvidienus natus obscurissimis initiis. ℙ Tectus, simulatus, fictus, astutus, cujus animum non facile perspicias. *Cic. Off.* 3, 13. *f.* Hoc celandi genus non est hominis aperti, simplicis, ingenui; versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. [*V. *Beier.*] *Hor. Ep.* 1, 18, 94. plerumque modestus Occupat obscuri speciem, taciturnus acerbi. *Tac. Agr.* 42. Domitiani natura praeceps in iram, et quo obscurior, eo irrevocabilior. *Id. A.* 4, 1. Tiberium variis artibus devinxit adeo, ut obscurum adversum alios, sibi uni incautum intectumque efficeret. *Ov. Met.* 6, 36. Talibus obscuram resecuta est Pallada dictis, *h. e.* sub imagine anus latentem. Adde *Cic. Div.* in *Verr.* 2. ℙ [*Synonymiam vel potius unam eandemque vv. *obscurus* et *occultus* significationis naturam *Doederl.* l. supra laud. ostendit his locis: *Cic. Fam.* 3, 10. In obscuro odio apertas inimicitias. *Hor. Ep.* 1, 14, 37. Non odio obscuro morsuque venenat. *Tac. Agr.* 42. Domitiani natura praeceps in iram, et quo obscurior, eo irrevocabilior; coll. *Ann.* 4, 7. occultus odii. *Cic. Off.* 3, 13. — *Id. Fam.* 3, 10. *med.* Si me astutum et occultum lubet fingere.] ℙ *Obscura vox*, fusca, obtusa, non plene emissa. *Quint.* 11, 3. *med.* Vox in miseratione debet esse flexa et flebilis, et consulto quasi obscurior: at in egressionibus fusa, et securae claritatis. ℙ *Obscurus cantus*, vocis conformatio cantui proxima. *Id. ib.* Non et Cicero dicit, esse aliquem in oratione cantum obscuriorem? ℙ [*Obscura verba* sunt, nimis prisca, et quae a paucis eruditissimis intelliguntur. V. *Fortunatian. Rhet.* p. 71. ed. *Pith. Ernest.* in *Lex. technol. lat. rhet.* p. 270.] ℙ *Obscura mamma* ap. *Val. Fl.* 3, 526. est tecta, vestita, strophio praecincta. V. OBSCURATUS. ℙ *Obscurus locus*, abditus, occultus. *Liv.* 10, 1. Ex eo loco obscuro multa vulnera accepta. ℙ *Obscura funda*, tecta, occulta, non visa. *Val. Fl.* 6, 193. Dysanta Caresus, Strymonaque obscura spargentem vulnera funda Dejicit. ℙ *Per obscurum*, latendo. *Sen. ep.* 19. Vitam per obscurum transmittere.

OBSECRĀTIO, onis, f. λιτὴ, κατευχὴ, actus obsecrandi, obtestatio, deprecatio. *Cic. Inv.* 1, 16. Prece et obsecratione humili ac supplici uti. *Id. Font.* 17. Alicujus obsecrationem repudiare. *Quint.* 6, 1. Obsecratio judicum, per carissima pignora, utilis erit, *h. e.* ad judices facta. *Just.* 24, 8. Proinde ne cunctarentur hostem caedere, et victoriae Deorum socios se adjungere, summis obsecrationibus monebant. ℙ De publica supplicatione. *Cic. Har. resp.* 28. *f.* Constituendae nobis quidem sunt procurationes, et obsecratio. *Liv.* 4, 21. Obsecratio a populo, duumviris praeeuntibus, est facta. *Id.* 26, 23. et 27, 11. Supplicatio circa omnia pulvinaria, et obsecratio in unum diem indicta. (In supplicatione liberum erat cuilibet quibus liberet verbis uti: in publica obsecratione praescripta formula utebantur.) *Id.* 31, 9. Supplicationibus habitis jam, et obsecratione circa omnia pulvinaria facta. *Supplicatio* his locis est universus ille ritus, qui erga Deos in obsecrando publice adhibebatur: *obsecratio* ipsae preces. ℙ Item exsecratio, juramentum. *Just.* 24, 2. Quo praesente apud Deos patrios, quibus vellet obsecrationibus, se obligaret. ℙ A *Cicerone Or.* 3, 53. [*Adde *Inv.* 1, 56.] inter figuras sententiarum enumeratur: fitque cum per Deos et sacra quippiam exposcimus. V. dicta in DEPRECATIO, Graece est δέησις. *Jul. Rufin. de fig. sent. et eloc.* Deesis obsecratio, vel obtestatio, qua Deos oramus, aut homines. *Cic. Dejot.* 3. Per dexteram istam tuam ego obtestor, etc. *Virg. A.* 3, 599. per sidera testor, Per superos, atque hoc coeli spirabile lumen, Tollite me, Teucri.

OBSECRĀTUS, a, um, part. ab *obsecro:* enixe rogatus. *Sall. Jug.* 27. A Numidis obsecrati, triduo navim ascendere. *Caes. B. C.* 2, 5. Nominatim evocati, atque obsecrati.

OBSECRO, as, avi, atum, a. 1. καταδέομαι, προσλιταρέω, enixe oro, precor, obtestor, deprecor: ex *ob*, et *sacer*, quasi per sacra et Deos peto, vel, ut ait *Paul.* ex *Festo*, opem a sacris peto. Plus est, quam *oro.* [Ceterum homines, non Dii obsecrabantur; ait enim *Front. ad Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) 1, 2. *med.* In oratione tua Cyzicena, cum Deos precareris, et = si fas est, obsecro = addidisti; quod ego me non memini legisse: obsecrari enim et resecrari populus aut judices solebant. Attamen *Pl. Rud.* 3, 3, 36. Venus alma, te obsecramus, ut, etc. *F.*] *Ter. Ad.* 3, 4, 26. Venit ipsus ultro, lacrumans, orans, obsecrans. Ubi *Donatus:* Orare est placidos petere: obsecrare, iratos rogare: unde plus facit obsecrans, quam orans. [*Id. Ad.* 3, 2, 36. Qui se dicebat ita obsecraturum, ut, etc. *F.*] *Cic. Verr.* 2, 2, 17. Quod, multis lacrymis cum eum oraret atque obsecraret, impetrare non potuerat. *Id. Att.* 11, 2. *f.* Oro, obsecro, ignosce; et *ib.* 1. et *Sext.* 69. *f.* Id ut facias, te obtestor atque obsecro. *Id. Quint.* 30. Te obsecrat obtestaturque Quintius per senectutem ac solitudinem suam. *Id. ad Quir.* 7. Pro mea vos salute non rogavit solum, verum etiam obsecravit. *Pl. Bacch.* 4, 9, 102. Nunc si me fas est obsecrare abs te, pater, Da mihi ducentos nummos, te obsecro. *Ter. Heaut.* 5, 5, 4. mi vir, te obsecro, Ne facias; et *ib.* pater, obsecro, mihi ignoscas. ℙ *Obsecrare precibus* ap. *Marcell.* ad *Cic. Fam.* 4, 11. Cum non solum consilium daret, sed precibus quoque me obsecraret. *Plin. ep.* 4, 9. *med.* Bassus multis precibus, paene etiam lacrymis obsecrabat, implerem meum tempus. *Plin. alter* 28, 2, 3. Vidimus certis precationibus obsecrasse magistratus. ℙ Cum accus. rei. *Cic. Quint.* 31. *f.* Itaque te hoc obsecrat, ut, etc. *Plin. ep.* 9, 29.

extr. Laus potius speranda, quam venia obsecranda est. *Pl. Amph.* 1, 1, 217. et *Truc.* 4, 3, 30. Tuam fidem obsecro. Sed *tuam fidem* potest ab *obsecro* non pendere. ℙ Saepe interseritur sermoni, more adverbii, ut *quaeso*, *amabo*. *Turpil.* ap. *Non.* 2, 488. Eho dic mihi, an oblita, obsecro, es crebras ejus mansiones, etc.? *Ter. Eun.* 5, 5, 21. Obsecro, an is est? et *Ad.* 4, 5, 21. Miletum usque, obsecro? *Mi.* ita. *Cic. Att.* 13, 13. *f.* Attica mea, obsecro te, quid agit? *Id. Par.* 5, 2. Sed obsecro te, ita venusta habeantur ista, non ut vincula virorum sint, sed ut oblectamenta puerorum. ℙ *Obsecro*, formula deprecantis verbera. *Ter. Eun.* 4, 4, 2. at etiam restitas, Fugitive? prodi, male conciliate. *Do.* obsecro. Adde *Pl. Amph.* 1, 1, 217. et *Men.* 5, 7, 27. ℙ Inverso ordine olim dixere *ob vos sacro* in antiquis precationum formulis, pro *vos obsecro*, teste *Festo* in *Ob.* Sic *sub vos placo* pro *supplico*.

OBSĔCUNDANTER, adv. obsecundando. *Nigid.* ap. *Non.* 2, 607. Obsecundanter naturae vivere.

OBSĔCUNDĀTĬO, onis, f. obsequium. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theod. Cod. Theod.* 12, 1, 92. Qui immemor libertatis et generis, infamissimam suscipiens vilitatem, existimationem suam servili obsecundatione damnaverit.

OBSĔCUNDĀTOR, oris, m. *Imppp. Gratian., Valentin. et Theod. Cod. Theod.* 6, 26, 3. Obsecundatoribus sacrorum scriniorum, quorum mentibus ingeniisque committimus, quidquid in alios quoque perennium saepe proferimus sanctionum, etc. *h. e.* qui obsequium praebent, et navant operam, in sacris scriniis militantes.

[OBSĔCUNDĀTUS, a, um, part. ab *obsecundo*. V. INSECUNDUS. *F.*]

OBSĔCUNDO, as, avi, atum, a. 1. *συνεργέω*, est obsequi, omnia ad alterius nutum facere: ex *ob*, et praep. *secundum*. *Cic. Manil.* 16. *med.* Ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. *Liv.* 3, 35. Propalam obviam ire cupiditatibus parum ausi, obsecundando mollire impetum aggrediuntur. *Ter. Heaut.* 4, 6, 23. Obsecundare in loco. *Ammian.* 17, 10. *f.* imperiis, *h. e.* imperata facere. *Quint.* 11, 3. *med.* Est gestus ille maxime communis, quo medius digitus in pollicem contrahitur explicitis tribus, modice prolatus, simul capite atque humeris sensim ad id, quo manus feratur, obsecundantibus. [*M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 5, 35. Quare cupio omnia ei ex indulgentia domini mei patris obsecundare. *F.*]

[OBSĔCUNDUS, a, um, adj. idem ac obsecundans. V. INSECUNDUS. *F.*]

OBSĔCŪTĬO et Obsequutio, onis, f. obsequium. *Arnob.* 7, 215. Inviolabili obsecutione servare; et 6, 203. voluntariae obsecutionis assensus.

OBSĔCŪTOR et Obsequutor, oris, m. qui obtemperat. *Tert. adv. Marc.* 4, 9. *f.* Obsecutores legis.

OBSĔPĬO, is, psi, ptum, a. 4. *περιφράττω*, sepibus circumdo, claudo. In *vet. S. C.* ap. *Front. Aquaed.* 129. Neque quis in eo loco quid opponit, molit, obsepit, figit, statuit, etc. *Tac. A.* 15, 27. Mox iter, apertis quae vetustas obsepserat, pergit. ℙ Translate. *Cic. Mur.* 23. Haec omnia tibi accusandi viam muniebant, adipiscendi obsepiebant. *Liv.* 9, 34. Haec plebi ad curules magistratus iter obsepsit. [*Cic. fragm. or. Scaur.* (ed. *A. Peyronio*) p. 83. Conjuratio vi intercludatur, obsepiatur insidiis. *F.*] ℙ Olim *obsipio* dixerunt, teste *Diomed.* 1, 378., ubi recitat haec *Caecilii* in *Hymnide:* Habes Miletida: ego illam huic despondebo, et nato saltum obsipiam.

OBSEPTUS, a, um, part. ab *obsepio*. *Liv.* 25, 29. Alii obseptis itineribus super vallum saliunt. *Sil.* 12, 110. Obsepta viarum. *Pl. Cas.* 5, 2, 35. Ubi illum saltum video obseptum, rogo, ut altero sinat ire. ℙ Translate. *Plin. Pan.* 66. Obsepta diutina servitute ora reseramus, frenatamque tot malis linguam resolvimus.

OBSĔQUĔLA, ae, f. *θεραπεία*, morigeratio, obsequium. *Pl. As.* 1, 1, 50. Omnes parentes, Libane, liberis suis, Qui mihi auscultabunt, facient obsequelam. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 3, 151. Qui regi per obsequelam orationis cari erant, *h. e.* quia ad voluntatem loquebantur. *Turpil. ib.* Neque erat tuae benignitatis atque obsequelae. Adde *Afran. ib.*

OBSĔQUENS, entis, part. ab *obsequor:* obediens, morigerus, indulgens, *εὐεικτος*, *ἐπιπειθής*. *Ter. Heaut.* 2, 3, 18. meo patri minus sum obsequens. *Pl. Bacch.* 3, 3, 55. Obsequens obediensque est mori et imperiis patris. *Planc.* ad *Coss. Fam.* 10, 8. *med.* Legiones habeo nostra liberalitate nobis obsequentes. *Colum.* 3, 8. *f.* Curae mortalium obsequentissimam esse Italiam, quae paene totius orbis fruges, adhibito studio colonorum, ferre didicerit. *Sen. ep.* 50. *med.* Quando facilius animus accipit formam, flexibilis, et omni humore obsequentior? ℙ [*Dicitur etiam de rebus, i. q. facile sequens, flexibilis. *Plin.* 16, 36, 66. Creticus calamus obsequens, quo libeat flecti, calefactus. *Forc.* hunc locum ab initio posuerat.] ℙ *Dii obsequentes*, sunt faciles, benigni, clementes, propitii. *Pl. Rud.* 1, 5, 3. Bonam atque obsequentem Deam, atque haud gravatam Patronam exsequuntur, benignamque multum, scil. Venerem. V. POSTVOTA. ℙ Speciatim hoc nomine culta olim est Fortuna. *Inscr.* ap. *Grut.* 74, 6. Fortunae obsequenti Ord. Comens. voto pro salute civium suscepto. Alia ap. *Mur.* 94, 8. Occusia Venusta magistra Deae obsequenti D. *P. Victor* vicum Fortunae obsequentis collocat in prima regione Urbis Romae. *Pl. As.* 3, 3, 126. Quem te autem nominem Deum? *Le.* Fortunam, atque obsequentem. ℙ *Obsequens* est appellata urbs Pisarum in Etruria, cum a C. Julio Caesare colonia est deducta; in *Cenotaph.* enim *Pisano n.* 2. *f.* habetur *Coloniae Obsequenti Juliae Pisanae.* Hinc in *Inscr.* ap. *Gor. Inscr. Etr.* T. 2. p. 23. Q. Obsequentius Severinus Augustalis Pisis, scil. iste prius coloniae Pisanae servus, deinde ab eadem manumissus nomen gentilicium, ut moris erat, inde assumpsit. V. AMITERNUM et MINIARIUS. ℙ *Obsequens* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 824, 7. C. Julius Obsequens. ℙ *Pl. Merc.* 1, 2, 39. Vin' tu te mihi ob esse sequentem? Ita in MSS. et veterib. edit. *Taubman.* [*Ultima emendavit atque auxit *F.*]

OBSĔQUENTER, adv. *πειθηνίως*, obsequendo, obedienter. *Liv.* 41, 10. *f.* Haec collegae obsequenter facta. *Plin. ep.* 4, 11. *f.* Vides, quam obsequenter pareamus tibi; qui non solum res urbanas, verum etiam peregrinas tam sedulo scribo. *Id. ep.* 7, 24. Vixit in contubernio aviae delicatae severissime, et tamen obsequentissime.

OBSĔQUENTĬA, ae, f. idem ac obsequium. *Caes. B. G.* 7, 29. Factum imprudentia Biturigum, et nimia obsequentia reliquorum, uti hoc incommodum acciperetur.

OBSĔQUĬAE, arum, f. plur. idem quod exsequiae. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 702. *n.* 235. Me decuit morti prius occubuisse supremae, Teque mihi tales, nate, dare obsequias. At in *Anth. Lat.* T. 2. p. 120. *Burm.* legitur *exsequias*.

OBSĔQUĬĀLIS, e, adj. obsequiosus. *Venant. carm.* 6, 7, 274. Solvit et exsequias obsequialis amor.

OBSĔQUĬBĬLIS, e, adj. *θεραπευτικὸς*, qui obsequitur. *Gell.* 2, 29. *med.* Cognatos affinesque nullos ferme tam obsequibiles esse ait.

OBSĔQUĬOSUS, a, um, adj. *ὑπηρετικὸς*, qui facile obsequitur. *Pl. Capt.* 2, 3, 57. nam si servus meus esses, nihilo secius Mihi obsequiosus semper fuisti.

OBSĔQUĬUM, ii, n. *ὑπηρεσία*, officium, quo quis id sequitur et facit, quod alteri placiturum novit, indulgentia, obedientia, morigeratio, patientia: tum in bonam, tum in malam partem. *Ter. Andr.* 1, 1, 41. Obsequium amicos, veritas odium parit. *Cic.* hunc *Terentii* locum referens, *Amic.* 24. ita subdit: Molesta veritas, si quidem ex ea nascitur odium: sed obsequium multo molestius, quod peccatis indulgens praecipitem amicum ferri sinit. *Id. Pis.* 2. Ego Antonium collegam, multa in republica molientem, patientia atque obsequio meo mitigavi. *Id. Leg.* 1, 23. Cum animus a corporis obsequio, indulgentiaque discesserit, voluptatemque, sicut labem aliquam dedecoris, oppresserit, etc. *Id. Att.* 6, 6. Delectari obsequio et comitate alicujus; et *ib.* 10, 4. *med.* Omne meum obsequium in illum (*Q. Ciceronem fratris filium*) fuit cum multa severitate. *Liv.* 5, 3. *f.* Indulgere potius comitati patrum, atque obsequio plebis oportuit. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 11. *f.* Omnia ei obsequia polliceor, si modo rempubl. respicere volet. *Ov. Trist.* 5, 6, 30. Obsequium alicui tribuere. *Id. Am.* 3, 4, 12. Obsequio vincas aptius illa (*vitia*) tuo, *h. e.* obsecundando potius, quam obsistendo. *Tac. A.* 3, 12. Exuere obsequium erga aliquem; et *Agr.* 42. Obsequium ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo, etc. *Hor. Ep.* 1, 18, 10. Pronus in obsequium plus aequo. *Just.* 13, 2. *extr.* Jurare in obsequium alicujus. [**Treue schwören.*] ℙ De indulgentia et patientia in re turpi. *Petr. Sat.* 113., *Colum.* 6, 27 et 37. et *Curt.* 6, 7. et 10, 1. ℙ De iis, qui animo indulgent, et pergraecantur. *Pl. Bacch.* 4, 10, 7. Ego dare me ludum meo gnato institui: ut animo obsequium Sumere possit, aequum esse puto. *Hor. Sat.* 2, 7, 104. Obsequium ventris: [**Schlemmerey.*] ℙ Eleganter refertur ad res inanimas. *Ov. A. Am.* 2, 179. Flectitur obsequio curvatus ab arbore ramus: Frangis, si vires experiere tuas. Obsequio trananatur aquae: nec vincere possis Flumina, si contra, quam rapit unda, nates. *Id. Met.* 9, 116. Nec dubitat, nec qua sit clementissimus amnis Quaerit, et obsequio deferri spernit aquarum, i. e. auxilio; et *Stat. Theb.* 6, 770. Et patria vigil arte Lacon hos rejicit ictus, Hos cavet: interdum nutu, capitisque citati Integer obsequio, manibus nunc obvia tela Discutiens, etc. ℙ Scribit *Quint.* 8, 3. *med.* putasse *Ciceronem*, primum omnium *obsequium* dixisse *Terentium:* idque colligere videtur ex illo *Amic.* 24. In obsequio autem (quoniam Terentiano verbo libenter utimur) comitas adsit, assentatio procul amoveatur. Idem cum *Quint.* sentit *Donatus* ad *l. Terent. c.* reprehendens idcirco *Tullium*, quia et *Plaut.* et *Naev.* ante usurpaverant. Fallitur uterque tamen. Nam quod *Terentianum verbum* appellat *Cicero*, non ideo facit, quod adhibitum primo a *Terentio* putet, sed quia ibi eo utitur ter in illa significatione, qua in ea sententia *Terentius* usurpaverat.

OBSĔQUOR, eris, utus sum, dep. 3. *ὑπηρετέω*, *χαρίζομαι*, alterius voluntatem sequor, morem gero, indulgeo, inservio, gratificor. *Cat. R. R.* 5. Bubulcis obsequitor, partim quo libentius boves curent. *Quint.* 6, 2. Judex aestu fertur, et velut rapido flumini obsequitur. *Cic. Tusc.* 5, 20. *f.* Cum huic obsecutus sis, illi est repugnandum. *Id. Cluent.* 54. *f.* Quamobrem, Cluenti, de te tibi obsequor. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 11. Publicanis obsequi in omnibus rebus. *Id. Fin.* 2, 6. voluntati alicujus. *Tac. H.* 1, 84. Ne miles centurioni, ne centurio tribuno obsequatur. *Juven.* 10, 343. et *Sen. Phoen.* 591. imperio. *Plin.* 30, 2, 6. Lentiginem habentibus non obsequi numina: sc. in magicis incantamentis non obedire, non adesse, non favere. *Quint.* 11, 3. *med.* de gestu: Caput manibus ac lateribus obsequatur, *h. e.* manuum ac laterum motum sequatur. ℙ *Obsequi animo*, genio indulgere. *Pl. Mil.* 3, 1, 83. Es, bibe, animo obsequere mecum, onera te hilaritudine. *Id. Ps.* 5, 1, 26. Illos accubantes, potantes, amantes Reliqui, cordi atque animo suo Obsequentes. Adde *Poen.* 1, 1, 48. et *Ter. Ad.* 1, 1, 8. ℙ Pro inservire, operam dare. *Pl. Trin.* 2, 1, 8. amorin' me, an rei Obsequi potius par siet. *Nep. Att.* 2. Idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit. *Ter. Heaut.* 3, 1, 7. Ita ut filium meum amico, atque aequali suo Video inservire, et socium esse in negotiis; Nos quoque senes est aequum senibus obsequi. [*Huc pertinent etiam ista: *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Navigandi tempestati obsequi, artis est. *Caes.* ad *Cic. post. ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Obsequi fortunae.] ℙ Cum accus. communi. *Pl. As.* 1, 1, 61. Et id ego percupio obsequi gnato meo. *Gell.* 2, 7. Sed ea tamen, quae obsequi non oportet, leniter et verecunde declinanda esse, *h. e.* in quibus non est parendum. ℙ Absolute sine casu. *Plin. ep.* 8, 6. In hoc praecipue non obsecuturi, si in ulla re putasset fas esse non obsequi. ℙ Tribuitur et rebus inanimis. *Plin.* 34, 8, 20. Aes regulare malleis obsequitur, ab aliis ductile appellatum. ℙ Passive impersonaliter. *Pl. As.* 1, 1, 62. Volo amori obsecutum illius: volo amet me patrem. ℙ Part. *Obsequens.* V. s. l.

OBSĔRĀTUS, a, um, part. ab *obsero*, *as*, sera clausus. *Liv.* 5, 41. Plebis aedificiis obseratis, patentibus atriis principum. *Mart.* 7, 20. *extr.* Seque obserata clausit anxius cella. *Suet. Tit.* 11. Obseratis adhuc foribus, deinde apertis. ℙ Translate. *Hor. Epod.* 17, 53. Quid obseratis auribus fundis preces?

OBSĔRO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπικλείω*, sera claudo, occludo. *Ter. Eun.* 4, 6, 25. Tu abi, atque obsera ostium intus. *Prop.* 4, 11, 8. Obserat herbosos lurida porta rogos. *Colum.* 9, 1. Per transversa laterum cava transmittuntur ramices, qui exitus ferarum obserent. *Catull.* 55, 21. Vel, si vis, licet obseres palatum, *h. e.* os claudas, silentio utaris.

OBSĔRO, is, evi, itum, a. 3. *ἐπισπείρω*, idem ac sero, vel supra, aut circum sero, semino, planto. *Cic. Leg.* 2, 25. Hoc jus terra humandi: quam cum proximi injecerant, obductaque terra erat, frugibus obserebatur. *Pl. Trin.* 2, 4, 129. frumenti cum alibi messis maxima est, Tribus tantis illi minus reddit, quam obseveris. *Colum.* 2, 9. Uberem campum in singula jugera tritici quinque, et adorei octo modiis obserere praecipiunt. *Varr. R. R.* 1, 14. Naturale sepimentum, quod obseri solet virgultis aut spinis. *Colum. Arbor.* 3. *med.* Agrum vineis obserere. ℙ Translate. *Pl. Epid.* 4, 1, 30. tun' is es, Qui per voluptatem tuam in me aerumnam obsevisti gravem? ℙ Joculariter. *Id. Men.* 5, 7, 23. Hisce ego jam sementem in ore faciam, pugnosque obseram. ℙ *Obsesse* syncope pro *obsevisse* est *Accii* ap. *Non.* 4, 427.

OBSERVĀBĬLIS, e, adj. quem observare possumus. *Quint.* 9, 1. *med.* Manus aversae et tectae minus sunt observabiles, *h. e.* minus caveri possunt. *Appul. Met.* 11. Patientia observabilis.

OBSERVANS, antis, part. ab *observo*, *παρατηρέων*. *Cic. Att.* 16, 16. Ut mehercule paucos aeque observantes, atque amante me habere existimem. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 3. Observantissimus mei homo. *Claud. IV. cons. Honor.* 296. observantior aequi Fit populus. *Grat. Cyn.* 104. Haud fuit in terris Divum observantior alter. *Plin. ep.* 7, 30. Observantissimus omnium officiorum.

OBSERVANTER, adv. observando. *Macr. Somn. Scip.* 1, 1. Idem observanter secutus est in illis praecipue voluminibus, quibus statum reipubl. formandum praecepit, *h. e.* diligenter, constanter. *Appul. Apol.* Facit omnia circa honorem meum observanter, circa salutem sollicite. *Ammian.* 23, 6. *med.* Ita observantius haec aliaque pudenda declinant. *Gell.* 10, 21. *in lemmate:* Cicero his omni-

no verbis *novissime* et *novissimus* uti observantissime vitavit.

OBSERVANTĬA, ae, f. observatio, animadversio. *Vell.* 2, 106. Felicitate et cura ducis, temporum quoque observantia, classis, quae Oceani circumnavigaverat sinus, flumine Albi subvecta. ℙ Item custodia, obedientia. *Val. Max.* 2, 7. *extr.* Massilienses quoque ad hoc tempus usurpant disciplinae gravitatem, prisci moris observantia conspicui. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* Verginius indignatus, quod vetustissima juris observantia in persona filiae suae defecisset, etc. *Ulp. ib.* 29, 1, 1. Testamenta, quae possint in controversiam deduci, si ad diligentiam legum, et observantiam revocentur. ℙ Praeterea observantia est, inquit *Cic. Inv.* 2, 22., per quam aetate, aut sapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes veremur, et colimus. *Id. Balb.* 28. Consilium hominis probavit, fidem est complexus, officia observantiamque dilexit. *Liv.* 1, 35. Obsequio et observantia in regem cum omnibus certasse. *Cic. Quint.* 18. *f.* Id egit, ut amicos observantia, rem parsimonia retineret. *Id. Fam.* 12, 27. Sex. Aufidius observantia, qua me colit, accedit ad proximos. *Id. Fam.* 13, 23. *extr.* Hominem summa probitate, humanitate, observantiaque cognosces; et *ib.* 28. Est enim in eo cum virtus, et probitas, et summum officium, summaque observantia; tum studia illa nostra, etc. ℙ Pro cultu divino, et religione. *Imppp. Grat., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 16, 5, 12. Sectae, quas verae religionis venerabili cultu Catholicae observantiae fides sincera condemnat. *Impp. Honor. et Theodos. ib.* 54. Nisi ad observantiam Catholicam mentem propositumque converterit.

OBSERVĀTĒ, adv. observanter. *Gell.* 2, 17. Observate, curioseque animadvertit M Tullius.

OBSERVĀTĬO, onis, f. *παρατήρησις*, actus observandi, adnimadversio, notatio. *Cic. Brut.* 8. Verborum quasi structura, et quaedam ad numerum conclusio natura magis tum, casuque nonnunquam, quam aut ratione aliqua, aut observatione fiebat. *Id. Div.* 1, 1. Chaldaei diuturna observatione siderum scientiam putantur effecisse. *Id. Off.* 2, 24. *med.* Valetudo sustentatur notitia sui corporis, et observatione, quae res aut prodesse soleant, aut obesse; et *ib.* 1, 11. *f.* Adeo summa erat observatio in bello movendo. *Pl. Mil.* 2, 6, 5. observationi operam dare. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 5. Quondam in observatione erat, ut defringerentur ex imputata buxo. *Id.* 18, 25, 61. Varro in fabae satu hanc observationem custodiri praecepit. *Id.* 22, 23, 47. Dare observationes aliquas coquendi. *Id.* 2, 46, 45. Graeci veteres prodidere de his *(ventis)* observationes. Adde *eund.* 7, 51, 52. *Suet. Gr. f.* Reliquit non mediocrem silvam observationum sermonis antiqui. *Quint.* 8, 3. *med. Ταυτολογία* vitium videri potest: in quod saepe incidit etiam Cicero, securus tam parvae observationis. ℙ Item observantia, reverentia, cultus. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 8. Quominus religionibus suus tenor, suaque observatio redderetur. *Imppp. Grat., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 12, 1, 112. Observatio Christianitatis. *Iidem ib.* 104. Animi divina observatione devincti.

OBSERVĀTOR, oris, m. *σκοπὸς*, qui observat. *Plin. Pan.* 40. Nemo observator, nemo castigator assistet. *Sen. ep.* 41. Sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 16, 5, 1. Catholicae legis observatores.

OBSERVATRIX, icis, f. quae observat. *Tert. Cor. mil.* 4. Consuetudo confirmatrix, fides observatrix.

OBSERVĀTUS, a, um, part. ab *observo:* animadversus, notatus, consideratus. *Virg. A.* 2, 754. et *ib.* 9, 393. vestigia retro Observata legit. *Ov. Met.* 15, 373. res observata colonis. *Plin.* 7, 51. 52. Signa letalia Hippocrati observata. *Val. Max.* 5, 4. *n.* 7. Curiosius observatus. *Gell.* 14, 1. *med.* Stellae a Chaldaeis observatae. ℙ Servatus, custoditus. *Id.* 7, 18. in lemmate: De observata custoditaque apud Romanos jurisjurandi sanctimonia. ℙ Cultus. *Cic. Planc.* 16. Eas tribus officiis ab hoc observatas, non largitione.

OBSERVĀTUS, us, m. idem ac observatio. *Varr. R. R.* 2, 7. Ex observatu dicunt, eum equum habere annos sexdecim.

OBSERVĬO, is, a. 4. inservio, subservio. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Cetera membra ancillari, et observire capiti. Al. leg. *subservire.*

OBSERVĪTO, as, a. 1. frequent. ab *observo. Cic. Div.* 1, 45. Deorum voces Pythagorei observitaverunt. Al. leg. *observaverunt.* [*Vulg. hab. *Orell.*] *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 10, 15. *f.* Eaedem ferme caerimoniae sunt, quas flaminicas Diales seorsum ajunt observitare. *Appul. de Deo Socrat.* Observitare omina. Adde *Met.* 8.

OBSERVO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπισκοπέω, παρατηρέω*, circum servo, oculis animoque adverto, noto, speculor. *Pl. Aul.* 1, 1, 14. Oculos ego istos, improba, effodiam tibi, Ne me observare possis, quid rerum geram. *Id. Truc.* 4, 1, 11. procul hinc observabo, meis fortunis quid fuat. *Virg. G.* 4, 512. philomela Amissos queritur fetus, quos durus arator Observans, nido implumes detraxit, *h. e.* captans insidiose. *Pl. Cist.* 1, 3, 20. clam observavit servus, Quo haec puellam deferat. *Id. Trin.* 1, 2, 133. Lupus observavit, dum dormitarent canes. *Cic. Verr.* 1, 16. Homines in speculis sunt, observant, quemadmodum sese unusquisque gerat. *Q. Cic. Pet. cons.* 14. Fac, ut se abs te custodiri atque observari sciant. *Pl. Men.* 1, 2, 13. Malo cavebis, si sapis; virum observare desines. *Trabea* ap. *Cic. Tusc.* 4, 31. Lena delinita argento nutum observabit meum, quid velim, quid studeam. *Cic. Div.* 1, 1. Observare motus stellarum. *Id. Rosc. Am.* 8. occupationem alicujus, et aucupari tempus. *Id. Fam.* 11, 16. tempus epistolae alicui reddendae. *Id. N. D.* 2, 48. Araneolae ex inopinato observant, et si quid incidit, arripiunt. *Id. Or.* 62. Insidiari et observare. *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* In supponendo ova observant, ut numero sint imparia. [**Suet. Caes.* 65. observandum se admonens, i. e. attendendum, quid ageret. *Intpr. Gall.* il avertissoit son armée, de ne point le perdre de vûe. *Ner.* 23. adversarios observare, (in certamine.) Gr. *παρατηρεῖν.*] ℙ Translate. *Callistr. Dig.* 5, 1, 46. Observandum est, ne is judex detur, quem altera nominatim pars petit. *Cic. Div.* 2, 21. Etsi causae non reperiantur istarum rerum, res tamen ipsae observari animadvertique possunt. [**Suet. Claud.* 22. Observavit sedulo, ut sq. i. e. curavit, pro more servavit; et *Aug.* 57. Observatum etiam est, ne cet. nostr. *beobachten.*] ℙ De iis, qui animadvertunt reprehendendi causa. *Ter. Ad. prol.* 1. Postquam poeta sensit, scripturam suam Ab iniquis observari. *Cic. Brut.* 82. Nimium inquirens in se, atque ipse sese observans, metuensque, ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat. [**Suet. Caes.* 67. delicta neque observabat omnia, i. e. attentius curabat. Seq. neque exsequebatur, h. e. puniebat.] ℙ Est etiam verbum augurum, ut *servare. Virg. A.* 6, 198. Observans, quo signa ferant (*columbae*), quo tendere pergant. Ubi *Serv.:* Observare, et de coelo, et de avibus verbo augurum dicitur. ℙ Ponitur et pro custodire. *Pl. As.* 2, 2, 7. Illic homo aedes compilavit. Vae illi, qui indiligenter observat januam. *Id. Mil.* 2, 3, 57. et *Sen. Hippol.* 223. Observare fores. *Ov. Met.* 1, 513. Non ego sum pastor: non hic armenta gregesque Horridus observo. ℙ Et translate servare, tueri, obtemperare. *Cic. Off.* 2, 11. *med.* Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent. *Caes. B. G.* 5, 35. Observare praeceptum diligentissime. *Sall. Jug.* 82. imperium. *Sil.* 17, 78. foedus. *Tac. A.* 4, 37. Facta dictaque Augusti vice legis observare. *Cic. Cluent.* 42. Neque perinde, ut rem judicatam, observaverunt animadversionem auctoritatemque censoriam. *Id. Fam.* 13, 27. Gratias ago, quod meas commendationes tam diligenter observes. *Tac. G.* 9. *extr.* Auspicia sortesque, ut qui maxime, observant. *Sall. Jug.* 55. Pars cedere, alii insequi: neque signa, neque ordines observare. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Observare centesimas cum anatocismo anniversario. [**Suet. Aug.* 92. Auspicia et omina quaedam pro certissimis observabat; et *ib.* Observabat et dies quosdam. *(Intpr. Gall.* il ne negligeoit ni les auspices, ni les augures; *mox:* il observoit avec soin les jours sinistres.) Gr. *φυλάττειν.*] ℙ Pro considerare. *Tac. A.* 14, 6. Observans etiam Aceroniae necem, simul suum vulnus aspiciens. ℙ Pro conservare, servare. *Lepid.* ap. *Cic. Fam.* 10, 35. Exercitus consuetudinem suam in civibus observandis retinuit. Al. leg. *conservandis.* [*ita *Orell.*] ℙ Saepe est colere, venerari, assidue cum aliquo esse honoris et officii causa: quasi attente observando tempora, et loca, quibus adesse, inservire, et gratificari alicui possis. [*Gr. *θεραπεύειν.*] *Festus:* Observare dicitur, qui observat, quid cujusque causa facere debeat: itaque is observat, qui coluisse aliquem dicitur. *Cic. Planc.* 18. Neque hoc liberis nostris interdicendum est, ne observent tribules suos, ne diligant. *Virg. G.* 4, 210. regem non sic Aegyptus, et ingens Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes Observant. *Cic. Fam.* 5, 8. *med.* Me, ut alterum parentem, et observat, et diligit; et *ib.* 4, 3. *extr.* et *Att.* 2, 19. *extr.* Colere, et observare aliquem; et *Fam.* 6, 10. Aliquem observare et colere; et *ib.* 9, 20. *f.* Observare aliquem perofficiose et amanter; et *ib.* 6, 10. diligenter. [**Suet. Vesp.* 6. qui principatus dies in posterum observatus est, i. e. pro festo, solemni habitus. Cf. etiam *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 7, 16.] ℙ Part. *Observans* V. s. 1. *Observaturus* ap. *Liv.* 9, 30. Negaverunt, eam lectionem se observaturos.

OBSES, ĭdis, m. et f. *ὄμηρος*, qui in bello traditur alterius partis imperio, ea lege, ut si qui dedit, a fide recedat, is qui accepit, jus habeat et potestatem in corpus vitamque ejus, qui traditus est. Ita porro videtur appellatus ab *obsidendo.* Hinc male *Festus* in *Ob:* Obsides pro Obfides, qui ob fidem patriae praestandam dantur. *Caes. B. G.* 1, 14. Ut obsides accipere, non dare consueverint. *Cic. Manil.* 12. Obsides alicui imperare. *Sall. Jug.* 58. dedere. *Just.* 7, 3. dare in pignus futurae pacis. *Liv.* 34, 35. *f.* Obsides, ea ita futura, daret quinque, quos imperatori Romano placuisset. *Nep. Them.* 7. Retinere aliquem obsidem. *Ov. Met.* 8, 47. Me tamen accepta poterat deponere bellum Obside. ℙ Ita dicitur etiam extra bellum, quicumque in alicujus rei fidem traditur, sponsor. *Nep. Phoc.* 2. *med.* Phocion negavit esse periculum: seque ejus rei obsidem fore, pollicitus est. *Cic. Verr.* 2, 3, 53. Tantum quod aratoribus Metellus obsides non dedit, se nulla in re Verri similem futurum; et *Cluent.* 66. Accipere aliquem obsidem nuptiarum; et *Cat.* 4, 2. Parvulus filius, quem mihi videtur amplecti respublica, tanquam obsidem consulatus mei. *Caes. B. G.* 6, 2. Civitates jurejurando inter se confirmant, obsidibusque de pecunia cavent. *Ov. Her.* 2, 34. Qui mihi conjugii sponsor et obses erant. *Sen. Hipp.* 89. Cur me in penates obsidem invisos datam, Hostique nuptam, degere aetatem in malis Lacrimisque cogis? ℙ De rebus inanimis. *Cic. Cat.* 4, 5. Habemus a C. Caesare sententiam, tanquam obsidem perpetuae in rempublicam voluntatis. *Id. Coel.* 32. Habet a M. Coelio respublica duas accusationes vel obsides periculi, vel pignora voluntatis, *h. e.* certa argumenta, ne periculum ab eo timeatur. [*Praeferenda unice Abramii interpretatio, quam laud. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.: Coelius accusationibus istis quasi pignus et auctoramentum fidei dedit, de periculo capitis haudquaquam deprecando, si ea ipse commiserit, de quibus alios accusavit.] *Quint.* 12, 7. Crediti sunt etiam clari juvenes obsidem reipublicae dare malorum civium accusationem. Adde *Cic. Cluent.* 30. *f.* [*Verba sunt: Stalenus hanc damnationem obsidem dederat Balbo: nostr. *Gewährschaft.* V. *Gronovii observv.* 2, 8. *f.* p. 141. *ed. Fr.*]

OBSESSĬO, onis, f. *πολιόρκησις*, actus obsidendi. *Cic. Dom.* 3. Obsessione templorum, occupatione fori. *Caes. B. C.* 3, 24. Obsessionem omittere. *Suet. Caes.* 58. Obsessione castrorum nunciata. *Cic. Pis.* 17. Obsessio militaris viae, *h. e.* interclusio, occupatio.

OBSESSOR, oris, m. *πολιορκητής*, qui obsidet. *Cic. Dom.* 5. Fori depopulator, obsessor curiae. *Liv.* 9, 15. Obsessor Luceriae urbis. *Tac. H.* 3, 73. Plus pavoris obsessis, quam obsessoribus intulit. ℙ Item qui sedet, et moratur in aliquo loco. *Pl. Ps.* 3, 2, 18. de coquo: Hoc ego fui hodie solus obsessor fori. *Ov. Fast.* 2, 259. hydrus obsessor aquarum.

OBSESSUS, a, um, part. ab *obsideo:* obsidione cinctus, conclusus, occupatus, insessus. *Sall. Jug.* 26. Quintum jam mensem obsessus teneor. *Virg. A.* 2, 802. Danaique obsessa tenebant Limina portarum. *Caes. B. G.* 3, 24. Obsessis viis, commeatu intercluso. *Cic. Rosc. Am.* 11. Pater occisus nefarie, domus obsessa. *Id. Cat.* 4, 9. Patria obsessa facibus et telis impiae conjurationis. [**Vat.* 7. obsessus tribunatus (Fannii) atque afflictus dicitur, in quo saepe a Vatinio erat impeditus et vexatus.] *Caes. B. C.* 1, 84. Tandem omnibus rebus obsessi, petunt, etc. ℙ Cinctus, circumdatus. *Sil.* 8, 477. Obsessae campo sqalente Fregellae. *Ov. Met.* 15, 717. Trachasque obsessa palude. ℙ Imbutus, oppletus, et quasi possessus. *Id. ib.* 9, 581. Et pavet obsessum glaciali frigore pectus; et 5, 632. Occupat obsessos sudor mihi frigidus artus. *Virg. G.* 3, 508. it naribus ater Sanguis, et obsessas fauces premit aspera lingua. ℙ Translate. *Sen. Herc. Fur.* 1112. Pectora tantis obsessa malis. *Id. Agam.* 136. Obsessa mens. [*De judice jam occupato ab oratore, ut in ejus causam propendeat. *Cic. Or.* 62. Quum is, qui audit ab oratore jam obsessus est ac tenetur.] ℙ Obsitus. *Ov. Met.* 11, 363. palus densis obsessa salictis. ℙ Possessus. *Tibull.* 4, 1, 139. Tyrio tellus obsessa colono.

OBSĪBĬLO, as, a. 1. sibilo, exsibilo. *Appul. Met.* 11. Arbores austrinis laxatae flatibus, clementi motu brachiorum dulces strepitus obsibilabant. [**ἡδὺ ἐψιθύριζον. Bailey.*]

[OBSĪDĀTUS, us, m. *ὁμηρεία*, obsidum traditio, obligatio. *Ammian.* 23, 7. *f.* Ne quid committeretur per indutias contrarium pactis, obsidatus specie viri celebres altrinsecus dantur. *Id.* 16, 12. *med.* Pater ejus diu obsidatus pignore tentus in Galliis. **Vet. Schol.* in *Juven.* 2, 164. In obsidatum datus. V. *D. A. G. Cramer.* ad l. *B. A.* V. OBSIDIUM. *F.*]

OBSĪDĔO, es, ēdi, essum, n. 2. *περικαθίζομαι*, circa sedeo, subsisto, consideo. [*Quid differant hoc verbum et *obsido*, V. in h. v.] *Ter. Ad.* 4, 6, 6. nunc vero domi Certum obsidere est, donec redierit. [*V. *Ruhnk.*] *Val. Fl.* 2, 237. Effugiunt properae: sed dira in limine conjux Obsidet, *h. e.* stat, egressum prohibitura. ℙ Item occupo, detineo, insideo, [**sich wo aufhalten. Pl. Rud.* 3, 3, 36. Venus alma, te obsecramus, ut hanc tua pace aram obsidere patiare, etc. *Plin.* 11, 18, 19. Ranae stagna et rivos obsident: quos locos recte ex §. anteced. huc traxisse videmur. Item quae Noster in f. hujus §. exempla posuerat ista: *Pl.*

Poen. Prol. 23. Servi ne obsideant, liberis ut sit locus. *Cic. N. D.* 1, 23. *extr.* Corporibus omnis obsidetur locus; ita multum inane, nihil esse individuum potest. *Cels.* 7, 22. si totum id ramex obsederit. Adde *Sil.* 1, 200. obsidet aequor *Atlas*; et 8, 636. Obsedit limina bubo, i. e. semper adsedit. ℙ Hinc *obsidere* maxime dicitur de militibus, qui custodiendi, coercendi, expugnandi causa aliquid circumdant, circumsidunt.] *Virg. A.* 3, 400. Et Sallentinos obsedit milite campos Lyctius Idomeneus. *Cic. Phil.* 2, 35. *f.* Veni in aedem Telluris, et quidem invitus, cum omnes aditus armati obsiderent. *Id. Agr.* 2, 28. Totam Italiam suis praesidiis obsidere atque occupare cogitat. *Caes. B. G.* 3, 23. Obsidere vias. [*Haec huc deduximus ex praecedentibus, quibuscum male a *Forc.* conjuncta eerant.] *Sall. Jug.* 110. Proficiscitur in loca sola, obsessum turrim regiam, quo, etc. *Caes. B. C.* 2, 36. Curio Uticam obsidere, et vallo circummunire instituit. *Liv.* 2, 11. Consiliis ab oppugnanda urbe ad obsidendam versis. *Id.* 25, 11. Propius inopiam erant obsidentes, quam obsessi. *Id.* 30, 7. Ut Carthaginem crederent extemplo Scipionem obsessurum. *Cic. Har. resp.* 4. Carthaginem obsidere, oppugnare, labefactare. *Nep. Ep.* 7. Locorum angustiis clausi, ab hostibus obsidebantur. *Id. Ann.* 12. Obsideri undique. *Id. Timol.* 3. Arcem Syracusis munierat Dionysius ad urbem obsidendam, [*i. e. coercendam. V. in OBSIDIO.] ℙ Translate. *Cic. Fl.* 24. Speculatur, atque obsidet rostra vindex temeritatis, et moderatrix officii curia, [*i. e. senatus invigilat oratoribus in concione populum concitantibus]; et *Phil.* 1, 1. *f.* Dictaturam, quae vim regiae potestatis obsederat, funditus ex republ. sustulit, *h. e.* occupaverat, obtinuerat. *Id. Verr.* 1, 2. *extr.* Hominem ab isto quaesitum esse, non qui reum suum adduceret, sed qui meum tempus obsideret, *h. e.* occuparet, et me accusantem impediret. [*Manut. explicat: qui obsisteret, atque impediret, ne ego ante ad agendam causam possem accedere, quam illi centum et octo dies ab ipso in Achaiam postulati omnes praeteriissent.] *Id. Cat.* 1, 10. Jacere humi ad obsidendum stuprum, *h. e.* captandam occasionem stupri patrandi. *Id. Or.* 62. Cum is qui audit, ab oratore jam obsessus est, ac tenetur. *Liv.* 40, 20. *f.* Minus in dies patris animo fidebat, cum obsideri aures a fratre cerneret, *h. e.* assidue fratrem cum eo colloqui. *Petr. Sat.* 99. Feras quidem mentes ira obsidet, eruditas praelabitur. *Just.* 42, 4. Obsidere alicujus animum.

OBSĬDIAE, arum. V. OBSIDIUM.

*OBSIDIĀLIS, e, adj. i. q. obsidionalis. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 47. Admotisque obsidialibus machinamentis. Sed legendum videtur *obsidionalibus. B. A.*

OBSIDIĀNUS, a, um, adj. ad Obsidium pertinens, quod est nomen R. hominis. De Obsidiano lapide, et vitro haec *Plin.* 36, 26, 67. In genere vitri et Obsidiana numerantur, ad similitudinem lapidis, quem in Aethiopia invenit Obsidius, nigerrimi coloris, aliquando et translucidi, crassiore visu, atque in speculis parietum pro imagine umbras reddente. Gemmas multi ex eo faciunt: vidimusque et solidas imagines Divi Augusti, capti materiae hujus crassitudine: dicavitque ipse pro miraculo in templo Concordiae Obsidianos quatuor elephantos, etc. Xenocrates Obsidianum lapidem in India, et in Samnio Italiae, et ad Oceanum in Hispania nasci tradit. Fit et tincturae genere Obsidianum, ad escaria varia vasa et totum rubens vitrum, etc. [De *Obsidiano lapide* egit accurate *Caylus* in *Mém. de l'Acad. des Inscr.* etc. T. 30. p. 457 — 502. ℙ *Id. Plin.* 37, 10, 65. et *ib.* 13, 75. *Obsidianas gemmas* memorat, quae ita appellatae videntur, quia cum Obsidiano lapide colore et ceteris qualitatibus conveniunt. *F.*] ℙ *Isid. Orig.* 16, 4. eundem lapidem *Opsidium*, et *ib.* 16. *Obsidianum* vocat.

OBSĬDIO, onis, f. *περιχάθησις*. *Cic. Mur.* 9. Partim vi, partim obsidione urbes capere. *Liv.* 5, 2. Cum spes major Romanis in obsidione, quam in oppugnatione esset. *Caes. B. C.* 3, 31. habere. *Quint.* 1, 10. *f.* Trahere obsidionem in longius. *Enn.* ap. *Fest.* parare alicui. *Liv.* 38, 15. eximere. *Just.* 14, 2. Ab obsidione recedere. *Virg. A.* 10, 26. levari obsidione; et *ib.* 8, 647. premere; et *ib.* 3, 52. et *Just.* 22, 4. cingere. *Id. Just.* 5, 8. circumdare. *Tac. A.* 15, 4. Obsidionem exsequi; et *ib.* 5. omittere; et *Liv.* 24, 41. *f.* solvere. *Tac. H.* 1, 33. tolerare. *Just.* 41, 6. pati. *Id.* 3, 4. Annis decem in obsidione urbis teneri. *Ov. Fast.* 6, 352. Fecerat obsidio jam diuturna famem. ℙ [*Obsidio* significat etiam occupationem, coercendi quoddam genus, non expugnandi causa circumjectis militibus, sed e longinquo hic vel illic etiam in ipso loco obsesso positis ita institutum, ut agendi libera potestas abrogetur. *Nep. Pel.* 3, 3. Patriam obsidione liberaverant, i. e. arcem in ipsa urbe exstructam atque occupatam a Lacedaemoniis expugnaverant. Ejusdem generis sunt, quae Noster supra laudaverat *Nep. Ep.* 8, 4. neque prius bellare destitit, quam Messena constituta urbem eorum obsidione clausit; et *Alc.* 4, 7. et *Pel.* 1, 3. — Hinc transfertur ad alia. *Plin. Pan.* 81, 2. nec mediocre pacis decus habebatur, submota campis irruptio ferarum, et obsidione quadam liberatus agrestium labor: ubi v. *intpp.*] ℙ Est etiam *obsidio*, qua quis captivus, aut in vinculis detinetur. *Just.* 2, 12. Quin vos in haec nostra castra ex ista obsidione transitis. *Id.* 15, 1. Alexandri filium cum matre obsidione Amphipolitana liberare. Adde 39, 1. [*Cf. *Gron. observv.* 4, 26. p. 541. *ed. Fr.* ℙ Translate signif. *obsidio* etiam periculum, quod ab altero nobis struitur et rebus nostris: huc pertinet *Cic. Rab. Perd.* 10. *med.* (quem locum Noster perperam adscripserat antecedentibus) atque obsidione rem publicam liberasset. Adde *Fam.* 5, 6. qui feneratores ex obsidione exemerit, i. e. liberaverit a periculo pecuniae perdendae, quod a Catilinariis, et qui tabulas novas fieri volebant, struebatur.]

OBSĬDIONĀLIS, e, adj. ad obsidionem pertinens, *πολιορκητικός*. Obsidionalis corona, inquit *Festus*, est, quae datur imperatori ei, qui obsidione liberavit ab hostibus obsessos. Ea fit ex gramine viridi, fere ex eo loco decerpto, in quo erant inclusi. Nobilissima fuit omnium, quae virtutis ergo dabatur, quod fuse persequitur *Plin.* 22. *c.* 3. 4. 5. et 6., enumerans eos omnes, qui ad sua usque tempora illam sunt consecuti. Adde *Gell.* 5, 6. et *Sex. Aurel. Vict. Vir. Illustr.* 59., ubi narrat, P. Scipionem Aemilianum corona obsidionali aurea a militibus fuisse donatum.

OBSĬDIOR, aris, dep. 1. *περιεδρεύω*, insidias facio. *Colum.* 9, 14. Crabrones, qui ante alvearia obsidiantur apibus prodeuntibus. ℙ plerumque obsidiantur apibus prodeuntibus. ℙ *Passive *Cic. pro Scauro fragm.* ed. *Maio*, p. 34. ed. *Kil.* Conjuratio vi intercludatur, obsidietur insidiis. *Heinrichius* conjicit *obsidatur. B. A.*

OBSĬDIUM, ii, n. idem quod obsidio. *Festus:* Obsidium, tanquam praesidium, subsidium, recte dicitur: cujus etiam auctor C. Laelius pro se apud populum: Ut in nobis terra marique simul obsidium facerent. Et Sallustius in historiarum primo: Magnis operibus perfectis, obsidium cepit per L. Catilinam legatum. Haec *Festus:* qui tamen paulo supra *obsidionem* tanquam usu frequentiorem, praefert. *Varr. L. L.* 4, 16. Obsidium dictum ab obsidendo, quominus hostis egredi possit. *Ennius* ap. *Non.* 3, 154. Saevo obsidio premere aliquem. *Tac. A.* 13, 41. circumdare; et *ib.* 4, 51. *extr.* subigere. *Id. H.* 4, 28. Obsidium urgere; et *ib.* 58. tolerare. *Pl. Bacch.* 4, 9, 24. facere Ilio. *Aurel. Vict. Vir. Illustr.* 17. Consulem obsidio liberare; et *ib.* 74. Urbem obsidio solvere. *Pl. Mil.* 2, 2, 67. Curre in obsidium perduelles, *h. e.* ad perduelles obsidendos: *coge* pro *curre* quidam leg. ex conjectura: alii *cura obsidium.* ℙ Translate. *Colum.* 9, 7. *extr.* de apib.: Cum licet vitare pestis obsidia, per aliud vadentibus effugium, *h. e.* lacerti, qui vestibulum alveorum obsidet, ut prodeuntes apes mactet. *Id.* 8, 2. *med.* de gallinis: Dum tamen anus sedula, vel puer adhibeatur custos vagantium, ne obsidiis hominum, aut insidiosorum animalium diripiantur, *h. e.* observatione, insidiis, et veluti obsidione hominum gallinas captantium. (Ex hoc loco quidam fecere *obsidiae, arum*, ut *insidiae.*) *Id. ib.* 9. Curam postulant diligentiorem, cum vernant, et exundant novis fetibus: qui nisi curatoris obsidio protinus excepti sunt, diffugiunt. ℙ Significat etiam statum obsidis. V. OBSES, et OBSIDATUS. *Tac. A.* 11, 10. Meherdates obsidio nobis datus. [*Fortasse aliis quoque Taciti locis restituenda est haec lectio, libris scriptis faventibus, *G.* 20. *Ann.* 15, 1. *Hess.* ad illum l. et *Rupert.* ad *Ann.* 11, 10, 5. Adscripsimus haec ex *Boettich. Lex. Tac.* p. 325. sq.]

OBSĬDO, is, a. 3. idem ac obsideo, occupo, teneo. [*Minime! non forma tantum, sed etiam significatione differunt *obsidēre* et *obsidĕre*, ita quidem, ut illud plene institutam actionem significet, hoc inchoativum sit. V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 45, 2. *f.*] *Lucil.* ap. *Non.* 1, 79. Ne auriculam obsidat caries, ne vermiculique. *Lucr.* 4, 350. cuncta foramina complet, Obsiditque vias oculorum; et *ib.* 1085. Quae quoniam certas possunt obsidere partes, etc. *Sall. Cat.* 46. Occulte pontem obsidunt, *h. e.* militibus circumdant. *Virg. A.* 9, 159. vigilum excubiis obsidere portas, *h. e.* [*occupare, circumdare.] *Id. ib.* 7, 333. neu connubiis ambire Latinum Aeneadar possint, Italosve obsidere fines. *Tibull.* 2, 6, 23. Praedator cupit immensos obsidere campos. *Stat. Th.* 10, 270. Pro pudor! Argolicas hinc ausi obsidere portas? et *Catull.* 64, 345. Troicaque obsidens longinquo moenia bello.

OBSĬGILLO. V. OBSTRIGILLO.

OBSIGNĀTIO, onis, f. *ἐπισφράγισις*, actus obsignandi. *Gell.* 14, 2. *med.* Probari debere pecuniam datam chirographi exhibitione, tabularum obsignatione, testium intercessione. Adde *Arnob.* 2, 81.

OBSIGNĀTOR, oris, m. *ἐπισφραγιστής*, qui obsignat. *Cic. Cluent.* 66. Litterarum obsignator. ℙ Speciatim *obsignatores* dicti sunt testes, qui testamentum signis suis obsignabant. *Cic. Cluent.* 13. Oppianicus obsignatores ad eum adducit. *Id. Att.* 12, 18. *med.* Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui.

OBSIGNĀTUS, a, um, part. ab *obsigno:* signo, seu sigillo munitus. *Cic. Att.* 8, 6. Obsignata epistola. *Id. Div.* 2, 70. Aliquid obsignatum habere. *Pl. Amph.* 1, 1, 265. patera est in cistula, Amphitruonis obsignata signo. *Id. Curc.* 2, 3, 68. Tabulae annulo meo obsignatae. *Id. Ps.* 4, 7, 105. Epistola heri imagine obsignata. *Id. Bacch.* 4, 9, 11. Tabellae obsignatae, consignatae. *Id. Epid.* 2, 3, 3. Occlusum atque obsignatum armarium. *Id. Men.* 5, 7, 47. obsignatum in vidulo marsupium Cum viatico. *Plin.* 3, 5, 9. Diva Angerona ore obligato obsignatoque simulacrum habet. *Cic. Tusc.* 5, 11. Tu quidem tabellis obsignatis agis mecum, *h. e.* convincis me testimonio scriptorum meorum. Proverb. ductum, opinor, a fori consuetudine, ubi tabellae rite obsignatae si proferantur, iis refragari non licet. *Id. Div.* 2, 70. Obsignata natura. V. NATURA. ℙ Translate. *Lucr.* 2, 581. Illud in his obsignatum quoque rebus habere Convenit, et memori mandatum mente tenere.

OBSIGNO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπισφραγίζω*, signi impressione occludo, firmo, signo. *Pl. Bacch.* 4, 4, 96. Cedo tu ceram ac linum actutum: age obliga, obsigna cito. *Cic. Verr.* 2, 4, 63. Quas ego litteras obsignandas publico signo, deportandasque curavi. *Pl. Cas.* 2, 1, 1, Obsignate cellas: referte annulum ad me. *Id. Pers.* 2, 3, 14. Triparci homines, qui allium servo obsignant cum sale. *Q. Cic. Fam.* 16, 26. lagenas. *Cic. Or.* 2, 61. Obsignare et occludere. ℙ *Obsignare tabulas, testamenta* dicuntur testes, qui et scribendo adsunt testimonii gratia, et annulo suo signant. *Cic. Cluent.* 66. Istam ipsam quaestionem, dicite, quis obsignavit? unum aliquem nominate: neminem reperietis. *Id. ad Planc.* 1. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Decretum quod est obsignatum ab amplissimis viris. *Id. Quint.* 21. Ejus rei conditionisque tabellas obsignaverunt viri boni complures. *Id. Cluent.* 14. Testamentum in alias tabulas transcriptum signis adulterinis obsignavit. ℙ [*Obsignare* absolute idem est ac obsignare annulo suo accusationem adversus aliquem. *Cic. fragm. Or. Scaur.* ap. *Ascon.* Qui contra Scaurum patrem suum obsignaverat: ceteras eas sibi inimicitias non susceptas, etc. Ita ex MS. edidit *A. Maius;* editiones perperam habent *obsignaverat stateras eas. F.*] ℙ *Obsignari pecunia* dicitur, quae creditori oblata, et ab eo recusata, in sacculum a debitore conjicitur, et a bonis viris obsignata deponitur. *Papin. Dig.* 17, 1, 56. et *ib.* 22, 1, 7. ℙ Metonymice ponitur pro conficere, quia tum demum obsignantur tabulae, cum testamentum confectum, et contractus conclusus est. *Caes. B. G.* 1, 39. Vulgo totis castris testamenta obsignabantur. *Val. Max.* 4, 4. *n.* 7. Tria agri jugera, quae pro amico ad aerarium obsignaverat, multae nomine amisit, *h. e.* obligaverat. *Cic. Pis.* 28. *f.* Retinere quod acceperat, testificari, tabulas obsignare velle, Epicurum disertum decernere. ℙ Pro imprimere. *Lucr.* 4, 566. In multas igitur voces vox una repente Diffugit, in privas quoniam se dividit aures, Obsignans formam verbis, clarumque sonorem. ℙ Videtur etiam poni pro claudere, circumdare. *Festus* in *Ob:* Ob praepositio alias ponitur pro circum, ut cum dicimus urbem obsideri, obsignari, obvallari.

OBSĪMŪLĀTUS, a, um, part. ab inus. *obsimulo*, idem ac simulatus. *Ammian.* 28. *f.* Cum frustra se tractos obsimulatis documentis probabilibus ostendissent. Alii rectius pro *obsimulatis* leg. *ob simultates.*

OBSĪPO, as, a. 1. *παραβάλλω*, objicio: ab antiquo *sipo. Fest.* Insipare, farinulam jacere pullis: unde dissipare, obsipare, ut cum rustici dicunt, *Obsipa pullis escam. Id.* Supat, jacit: unde dissipat, disjicit; obsipat, objicit; insipat, injicit. *Pl. Cist.* 2, 3, 37. Obsipat aqualam, *h. e.* adspergit: nempe recreat me, ut fit iis, qui animo defecti aqua adspersa recreantur.

OBSISTO, is, stiti, n. 3. *ἐνίσταμαι*, sisto me coram, vel contra, consisto, maneo. *Pl. Mil.* 2, 3, 62. Hic obsistam, ne imprudenti huc ea se surrepsit mihi; et *f.* hoc, quod ago, id me agere oportet, hoc observare ostium. Hac obsistam. *Id. Capt.* 4, 2, 11. et *Amph.* 3, 4, 2. Eminor, ne quis mi obstiterit obviam. ℙ Saepe est resistere, adversari, obstare, se opponere. [*Vell. 2, 115, 2. magna cum clade obsistentium.] *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Qui cum obsistere ac defendere conarentur, male mulcati repelluntur. *Id. Off.* 1, 7. *med.* Qui non defendit, nec obsistit, si potest, injuriae, etc. *Id. Cat.* 3, 7. *f.* Omnibus ejus consiliis occurri atque obstiti. *Id. Tusc.* 2, 12. Obsistere dolori. *Id. Off.* 2, 7. odiis; et *ib.* 10. vitiis. *Phaedr.* 3, 15. legibus. *Cic. Fin.* 3, 9. visis, assensusque suos firme sustinere. *Id. Acad.* 4, 34. Repugnare visis, obsistere opinionibus, assensus lubricos sustinere. *Id. Amic.* 8. Studiis generorum, praesertim in re bona, cum difficile est, tum ne

aequum quidem, obsistere. *Id. Sen.* 20. Audacter obsistere alicui. *Sen. Hippol.* 788. nullaque lucidis Nubes sordidior vultibus obstitit. [**Ov. A. Am.* 2, 697. Nec platanus, nisi sera, potest obsistere Phoebo, i. e. potest arcere solis radios, ardorem. V. *Gron. Observv.* 1, 5, 50. p. 31. sq. *ed. Fr.*] ℙ Cum infinito. *Tac. G.* 34. Obstitit Oceanus in se simul, atque in Herculem inquiri, *h. e.* impediit, vetuit. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Fin.* 4, 7. Magnitudine animi facile potest repugnari obsistique fortunae. *Ov. Met.* 1, 58. vix nunc obsistitur illis. ℙ Quae in praeterito efferuntur, ad *Obsto* etiam referri possunt, quocum est illud commune. ℙ Part. *Obsistens* ap. *Liv.* 41, 26. Obsistentibus ad exitum Celtiberis.

OBSĬTUS, a, um, part. ab *obsero, is:* circum satus, plantatus, obsessus, occupatusque variis ac densis plantis. *Ov. Met.* 13, 719. Proxima Phaeacum felicibus obsita pomis Rura petunt. *Id. Amor.* 3, 6, 1. Amnis arundinibus limosas obsite ripas. *Id. Met.* 11, 234. Myrtea silva subest bicoloribus obsita baccis. *Liv.* 28, 2. Confragosa loca, et obsita virgultis. ℙ Item simpliciter satus, seminatus. *Varr. R. R.* 1, 44. Multum interest, in rudi terra, an in ea seras, quae quotannis obsita sit. ℙ Translate est tectus, involutus, obtectus. *Hor. Od.* 1, 18, 11. non ego te, candide Bassareu, Invitum quatiam, nec variis obsita frondibus Sub divum rapiam. *Ov. Met.* 4, 724. terga (*marinae belluae*) cavis super obsita conchis. *Virg. A.* 7, 790. Io jam setis obsita, jam bos. *Suet. Cal.* 35. Hunc constringi sine mora jussit, et pannis obsitum vicatim circumduci. *Curt.* 5, 6. *med.* Montes obsiti nivibus. *Lucan.* 2, 367. Obsita funerea celatur purpura lana. *Gell.* 2, 6. *f.* Quidquid nimis inculcatum obsitumque aliqua re erat, ut incuteret visentibus facie nova horrorem, id squalere dicebatur. ℙ Translate est etiam sentus, squalidus, horridus. *Ter. Eun.* 2, 2, 5. Video sentum, squalidum, aegrum, pannis, annisque obsitum. *Virg. A.* 8, 307. obsitus aevo. *Tac. A.* 4, 28. illuvie ac squalore. *Sen. Herc. Fur.* 627. et *Agam.* 991. Unde tam foedo obsiti paedore nati? *h. e.* situ et sordibus ex diuturno carcere, aut ex inopia. *Liv.* 2, 23. Obsita squalore vestis. *Id.* 29, 16. Legati obsiti squalore et sordibus. *Val. Max.* 2, 9. *n.* 5. Horridae vetustatis rubigine obsitum imperium. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 21. obsita tenebris loca. *Lucan.* 5, 627. Non coeli nox illa fuit: latet obsitus aer Infernae pallore domus. *Sen. Troad.* 20. nube ceu densa obsitus, Ater favilla squalet Iliaca dies. *Fest.* in *Pedib.* Pedibus obsitus; et *Prud. in Symmach.* 1, 576. obsita nugis ingenia. [*De discrimine inter *oblitus* et *obsitus*, V. in illo v.]

OBSŎLĔFACĬO, is, eci, actum, a. 3. *Arnob.* 5, 160. Ne illam vis temporis et vetustatis obsolefaceret longitudo.

OBSŎLĔFACTUS, a, um, part. ab *obsolefacio. Sen. ep.* 90. *f.* Rivi non opere, nec fistula, nec ullo coacto itinere obsolefacti, sed sponte currentes. *Id. ep.* 29. Auctoritas obsolefacta. *Val. Max.* 3, 5. *n.* 1. Candida toga turpitudinis maculis obsolefacta, *h. e.* inquinata vitiis. *Tert. Virg. vel.* 11. Jam et vox obsolefacta est, et membra completa sunt, et pudor ubique vestitur, et menses tributa dependunt, [*i. e. gravitatem, asperitatemque nacta est.]

OBSŎLĔFĪO, is, actus sum, anom. pass. *Suet. Aug.* 89. *extr.* Admonebat, ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri, [*i. e. vilescere.] V. v. sq.

OBSŎLĔO, es, lui et levi, etum, n. 2. ἀπαρχαιοῦμαι, in usu non sum, antiquus sum, vim, aut splendorem amitto. *Cic. Phil.* 2, 41. In homine enim turpissimo obsolebant dignitatis insignia. Al. leg. *obsolescebant*, alii *obsolefiebant:* [*ita *Orell.*] et *Manil.* 17. Obsolevit jam ista oratio, re multo magis, quam verbis refutata. *Id. Inv.* 1, 26. *med.* Quae propter vetustatem obsoleverunt. Est qui leg. *obsoluerunt.* Praesens *obsoleo* agnoscitur a *Prisc.* 9, 872.

OBSŎLESCO, is, n. 3. exolesco, desuesco, deficio, vetus fio, vim aut splendorem amitto, ἀπαρχαιοῦμαι: ex *ob*, et *soleo:* vel ex *obs*, et *oleo*, cresco. *Varr. L. L.* 8, 10. His (*verbis*) oportet, si possis, non uti: sic enim obsolescent. *Cic. Acad.* 1, 3. *med.* Haec inclusa habebam, et ne obsolescerent, renovabam, cum licebat, legendo. *Id. Sext.* 28. Virtus splendet per se semper, neque alienis unquam sordibus obsolescit. *Id. Agr.* 1, 7. Solum hoc in republ. vectigal est, quod amissis aliis, remanet; intermissis, non conquiescit: in pace nitet, in bello non obsolescit, [*i. e. ne in bello quidem prorsus deficiat.] *Sen. Ben.* 3, 1. Quae recentia apud illos viguerunt, ea interjecto spatio obsolescunt. *Plin. Pan.* 4. Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace. *Gell.* 2, 23. Quae Latina sunt, Graecarum (*comoediarum*), quas aemulari nequiverunt, facetiis atque luminibus obsolescunt [*obscurantur]; et *Tac. A.* 4, 26. Ne laus obsolescat. *Appul. Flor. n.* 17. Tragoedi adeo ni quotidie proclament, claritudo arteriis obsolescit.

OBSŎLĒTĒ, adv. antique, sordide. *Cic. Verr.* 2, 1, 58. Paulo tamen obsoletius vestitum videret.

OBSŎLĒTO, as, a. 1. obsolefacio, obsoletum reddo. *Tert. Apol.* 15. Majestatis vestigia obsoletant. *Id. adv. Gnost.* 6. *med.* Qui vestitum obsoletassent nuptialem.

OBSŎLĒTUS, a, um, part. ab *obsoleo*, ῥικνὸς, ἕωλος, [*vetustate absumptus, corruptus, detritus, vilis, desitus. *Hor. Od.* 2, 10, 5. obsoletum sordibus tectum, i. e. ruinosum. *Liv.* 27, 34. Erat veste obsoleta. *Cic. Agr.* 2, 5. Vestitu obsoletiore. *Nep. Ages.* 8. Vestitu humili atque obsoleto. *Appul. Flor. n.* 19. Qui exsequias venerant, circumstare omnes tristissimos et obsoletissimos vestitu. *Prud.* περὶ στεφ. *praef.* 26. obsoletum vasculum. Ita et homo tali veste indutus *obsoletus* dicitur. *Cic. Pis.* 36. *f.* atque inde obsoletus Thessalonicam — venisti. ℙ Hinc de iis, quae propter nimium usum esse in usu desierunt, *altväterisch, aus der Mode gekommen. Cic. Or.* 3, 37. Abjecta atque obsoleta verba fugere. *Cic. Verr.* 2, 1, 21. Vereor, ne haec forte cuiquam nimis antiqua, et jam obsoleta videantur. *Id. Quint.* 18. Haec vulgaria et obsoleta sunt: res autem nova atque inaudita. *Id. Font.* 15. Studiis militaribus apud juventutem obsoletis, [*i. e. quae in usu versari ap. juv. desierunt]; et *fragm.* ap. *August. C. D.* 2, 21. Antiquos mores ita oblivione obsoletos videmus, ut non modo colantur, sed etiam ignorentur. *Just.* 30, 4. Ferentes in bellum alii majorum suorum antiquam et obsoletam gloriam, alii nitentem recentibus experimentis virtutis florem. ℙ Hinc i. q. vulgaris, *alltäglich*, opp. novus et inauditus. *Cic. Verr.* 2, 5, 44. obsoleta crimina. *Or.* 3, 9. Si paulo obsoletior fuerit oratio: nos: *gemeine Sprache*, quae nullum delectum verborum nec ornatum habet, communem dicendi usum sequitur. *Liv.* 30, 42. *med.* Populo R. usitata ac prope jam obsoleta ex victoria gaudia esse. ℙ Contemptus propter nimium usum, in pretio haberi desitus: *gemein, schlecht. Nep. Milt.* 6. Populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues, ob eamque causam gloriosi: nunc autem effusi atque obsoleti. V. *Brem.* ad h. l. *Colum.* 4, 30. Graeca salix flavi coloris est, Gallica obsoleti purpurei; et 2, 11. *f.* Cicera sapore nihilo differt a cicercula, colore tantum discernitur: nam est obsoletior, et nigro propior. ℙ Denique est sordidus, inquinatus. *Hor. Epod.* 17, 46. O nec paternis obsoleta sordibus. *Sen. Agam.* 979. caede respersam viri, Atque obsoletam sanguine hoc dextram ablue, *h. e.* pollutam, contaminatam.]

OBSŎLĪDATUS, a, um, part. ab inus. *obsolido*, solidatus, firmatus. *Vitr.* 2, 3. Tectorio inducto, rigideque obsolidato permanente.

[OBSŎLĪDUS, a, um, adj. idem ac obsolidatus. V. EXSOLIDO. *F.*]

OBSONĀTĬO, onis, f. obsonii coemptio. *Donat.* ad *Ter. Andr.* 2, 2, 32. V. OBSONATUS.

OBSONĀTOR, oris, m. ὀψώνης, qui emit obsonia. *Sen. ep.* 47. Obsonatoribus dominici palatus subtilis notitia est. *Pl. Mil.* 3, 1, 73. Primarius parasitus, obsonator optimus. *Mart.* 14, 217. cui lemma *Obsonator.* Dic, quotus, et quanti cupias coenare, nec unum Addideris verbum: coena parata tibi est. ℙ Fuit etiam inter officia domus Augustae. Hinc in *Inscr.* ap. *Mur.* 916, 10. Taurio obsonator Popaeae Aug.

OBSONĀTUS, us, m. ὀψωνία, obsonium, vel obsonii apparatus. *Pl. Truc.* 4, 2, 27. Dare minam in obsonatum.

OBSONĪTO, as, n. 1. frequent. saepe obsono. *Cato* ap. *Fest.* Postea centenis obsonitavere. Significat autem convivari.

OBSONĬUM, ii, n. ὄψον, ὀψώνιον, quidquid praeter panem et vinum cibi gratia paratur, et coquitur: et praesertim pisces: unde ὀψοφάγοι ap. *Plut. in Sympos. probl.* 4, 4. et *Athen.* 7, 3. sunt, qui piscibus delectantur. *Nep. Them.* 10. narrat, donasse Persarum regem Themistocli Myuntem urbem in Ionia, *quae ei obsonium praeberet*, quia ad mare sita erat, et piscosa. Quanto autem in pretio ap. Romanos fuerint pisces, *Macr. Sat.* 2, 11 et 12. docet. *Juven.* 4, 64. Exclusi exspectant admissa obsonia patres, *h. e.* rhombum. Simile quid habes ap. *Pl. Bacch.* 1, 1, 64 et 69. et *Cas.* 2, 8, 57. et sqq. et *Petr. fragm. Trag.* 39. *Burm.* ait, in signo Piscium obsonatores nasci. *Plin.* 31, 7, 41. de sale: Ad obsonium, et cibum utilior quisquis facile liquescit. *Hor. Sat.* 1, 2, 9. Obsonia coemere. *Juven.* 11, 134. Obsonia rancidula. *Pl. l. c. Bacch.* Tu facito obsonatum nobis sit opulentum obsonium. *Id. Merc.* 3, 3, 22. Obsonium curare. *Plin.* 20, 13, 49. condire. *Pl. Stich.* 3, 1, 36. Obsonare. *Sen. V. B.* 17. scindere; et *Petr. fragm. Trag.* 36. *Burm.* carpere; et *ib.* Scissor ad symphoniam gesticulatus laceravit obsonium. ℙ Dici potest etiam de pomis, et nucibus, quae cum pane comeduntur. *Plut. l. c. Plin.* 15, 19, 21. Fici panis simul, et obsonii vicem siccatae implent. ℙ *Dausq.* placet *opsonium* scribi, sequendo Graecas litteras. V. ABSIS.

OBSONO, as, avi, atum, a. 1. et Obsonor, aris, atus sum, dep. 1. ὀψέω, obsonium paro, cibos in coenam coemo. *Pl. Aul.* 2, 4, 1. Postquam obsonavit herus, et conduxit coquos; et *ib.* 15. hic non poterat de suo Senex obsonari filiae in nuptiis? *Ter. Andr.* 2, 6, 20. Vix drachmis est obsonatus decem. *Pl. Stich.* 3, 1, 36. egomet ibo, atque obsonabo obsonium. *Id. Mil.* 3, 1, 154. obsonatum pergam. *Id. Men.* 2, 2, 4. Obsonatu redire; et *ib.* 45. satin' hoc, quod vides, Tribus vobis obsonatum est? an obsono amplius? ℙ Convivia agitare, laute vivere. *Ter. Ad.* 1, 2, 37. Obsonat, potat, olet unguenta de meo. Adde 5, 9, 7. ℙ *Obsonare famem*, acuere, excitare. *Cic. Tusc.* 5, 34. Socratem ferunt, cum usque ad vesperum contentius ambularet, quaesitumque esset ex eo, quare id faceret, respondisse, se, quo melius coenaret, obsonare ambulando famem, [*h. e. famem quasi obsonii loco adhibere.]

OBSŌNO, as: n. 1. a *sono, as:* obsonare alicui sermone, est alicui loquenti obstrepere. *Pl. Ps.* 1, 2, 74. male facis mihi, cum sermone huic obsonas. *Ps.* taceo.

[OBSOPESCO, is, n. 3. soporem contraho. *Not. Tir.* p. 135. Obsopit, obsopitus, obsopesco. *F.*]

OBSŌPĪO, is, ivi, itum, a. 4. *Scrib. Comp.* 180. *extr.* A somni tempore prohibere, ne obsopiantur.

OBSŌPĪTUS, a, um, part. ab *obsopio:* valde sopitus. *Solin.* 12. *f.* Odoris novitate obsopitus; et *ib.* 30. *med.* Somno obsopitus.

OBSORBĔO, es, ui, a. 2. idem quod sorbeo, vel totum sorbeo. [*Rectius *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 3, 2, 22., ubi v., docet *ob* in verbo *obsorbere*, (Gr. ἐπιῤῥοφεῖν) nihil aliud indicare, quam impetum et aviditatem, qua quis sorbeat: coll. *Lamb.* qui expos.: ore rotundo sorbui, vel raptim et uno spiritu, uno ductu, ad sitim celeriter sedandam; sic autem dictum, ut *obduxi*, *obligurivi*, et similia.] *Pl. Mil.* 3, 2, 21. Dii me perdant, Si bibere potui. *P.* qui jam? *L.* quia enim obsorbui. Nam nimis calebat. *Id. Curc.* 2, 3, 34. Vin' aquam? *Curc.* si frustulenta est, da obsecro hercle, obsorbeam. *Id. Truc.* 2, 3. *f.* sentio aperiri fores, Quae obsorbent quidquid venit intra pessulos. *Lact. Mort. persecut.* 21. Ursis homines non plane comedendi, sed obsorbendi objectabantur. [**Hor. Sat.* 2, 8, 24. Ridiculus totas simul obsorbere placentas: ita recte *Heindf.* cum pluribus cdd. pro *absorbere.*]

OBSORDESCO, is, ui, n. 3. sordidus fio. *Prud. Apoth.* 214. Ne coma fusa humeris fumo obsordescat amaro. *Caecil.* ap. *Non.* 7, 604. Obsorduit jam haec in me aerumna, *h. e.* obsolevit, ut *Non. ib.* explicat.

OBSTĀCŬLUM, i, n. κώλυμα, impedimentum. *Prud. Hamart.* 601. Rumpere obstacula. *Nazar. Pan. Constant.* 7. Quis crederet, tantis successibus tuis ullum obstaculum fore? Adde *Arnob.* 2, 62. et *Appul. Flor. n.* 18. *med.* Qui *Plauto* tribuunt *Ps.* 1, 5, 10. male tribuunt.

OBSTANS, antis, part. ab *obsto*, qui obstat. *Hor. Ep.* 1, 14, 9. obstantia claustra. *Ov. Am.* 1, 11, 8. Moras obstantes pellere. *Tac. A.* 1, 50. Caecinna praeire, et obstantia silvarum amoliri jubetur.

OBSTANTĬĂ, ae, f. *Vitr.* 6, 1. *med.* Propter obstantiam aeris; et 8, 1. *f.* Obstantia umbrarum.

OBSTERNO, is, travi, atum, a. 3. ante sterno, substerno. *Appul. Apol.* Uxorem fratris misero puero objicit, et obsternit. Addunt quidam *Ennii* fragmentum ex quodam Glossario, referente *Merula* ad *fragm. Enn.* p. 551. Fulviu' Nobilis obstravit certamine crebro. Sed al. leg. *Fulviu' Nobilior stravit*, etc.

OBSTETRĪCĬUS, a, um, adj. ad obstetricem pertinens. *Arnob.* 3, 166. Manus obstetricias quaerere. ℙ [Translate. *Front. de oration.* (ed. *A. Maio*) p. 246. Sensum dictu periculosum, et paene opstetricium pulcherrimo cultu, et honestisssimo ornatu protulisti, *h. e.* tua dexteritate mollitum, et quasi obstetricia manu in lucem editum. *F.*] ℙ *Obstetricia*, h. e. obstetricum officia. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 33. Jove Liberum parturiente inter obstetricia Dearum.

OBSTETRĪCO, as, a. 1. obstetricis officio erga aliquam fungor. *Tert. ad Nat.* 2, 12. *med.* Hunc (*Saturnum*) vobis patriarcham Deorum Coelum, et Terra, poetis obstetricantibus, procreaverunt. Hinc *Vulg.* interpres *Exod.* 1, 16. Quando obstetricabitis Hebraeas mulieres, etc.; et *ib.* 19. Ipse enim obstetricandi habent scientiam. *F.*]

OBSTETRIX, icis, f. μαῖα, femina quae parturientibus adsidet: ex *ob* pro ad, vel circum, et *sto*, vel *sisto. Ter. Ad.* 3, 1, 5. Mittere ad obstetricem; et 3, 2, 56. Obstetricem arcessere. *Pl. Cist.* 1, 2, 22. peperit Sine obstetricis opera, et sine doloribus. *Id. Capt.* 3, 4, 96. an tu fuisti meae matri obstetrix? *Hor. Epod.* 17, 51. et tuo Cruore rubros obstetrix pannos lavit. *Plin.* 28, 6, 18. Obstetricum nobilitas. [*Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *med.* Regum pueris in utero matris summa jam potestas destinata est; opstetricis manu imperium adipiscuntur. *F.*] ℙ In duob. lapidibus ap. *Grut.* 636, 5. et 6., [in alio in *Effemer. Rom.* T. II. p. 303. et ap. *Front. l. c.* scriptum est

opstetrix, ex facili nempe permutatione litterarum *b* et *p*. V. OBSTETRICIUS et OBTINEO. *F.*]

OBSTĪNĀTĒ, adv. ἀνενδότως, obstinato animo, pertinaciter, perseveranter. *Caes. B. G.* 5, 6. Posteaquam id obstinate sibi negari vidit. *Ter. Andr.* 1, 5, 8. Itane obstinate operam dat, ut me a Glycerio miserum abstrahat? *Pl. As.* 1, 1, 10. Ita me obstinate aggressus, ut non audeam Profecto etc. *Liv.* 28, 14. Obstinate credere. *Plin. ep.* 1, 12. *med.* indurare. *Suet. Caes.* 29. Obstinatius omnia agere. *Id. Tib.* 67. Obstinatissime recusare. ℙ In bonam partem, constanter. *Id. Tit.* 8. In ceteris desideriis omnium hominum obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret.

OBSTĪNĀTĬO, onis, f. ἐπιμονή, nimia perseverantia, pertinacia, pervicacia. *Cic. Prov. cons.* 17. Quae ego omnia non ingrato animo, sed obstinatione sententiae repudiavi: [**aus Festigkeit in meinen Grundsätzen.*] *Nep. Att. f.* Preces ejus taciturna sua obstinatione compressit. *Plin. ep.* 10, 97. Pervicacia, et inflexibilis obstinatio debet puniri. ℙ In bonam partem firmitas, constantia. *Sen. ep.* 94. In dolore pro remedio futura est obstinatio animi. *Tac. H.* 3, 39. Blaeso super claritatem natalium, et elegantiam morum, fidei obstinatio fuit. ℙ In plur. num. habet *Tert. ad N.* 1, 17.

OBSTĪNĀTUS, a, um, part. ab *obstino*: ἀνένδοτος, nimis constans, pertinax, immotus, obfirmatus, perseverans, ut tenere possit, ut ait *Fest.*, qui videtur ducere ex *obs*, et *teneo*. V. OBSTINO. Adhibetur tum in bonam, tum in malam partem. *Attius* ap. *Fest.*, *Sall. Cat.* 37. et *Liv.* 3, 47. Obstinato animo aliquid facere. *Cic. Att.* 1, 11. Incredibile est, quanto mihi videatur illius voluntas obstinatior, et in hac iracundia obfirmatior. *Liv.* 6, 3. *f.* Quibus animi in spe ultima obstinati ad decertandum fuerant. [**Suet. Caes.* 15. obstinatos ad resistendum, i. e. certos resistere, quidquid contra ageretur.] *Id.* 2, 40. Multo obstinatior adversus lacrimas muliebres erat. *Quint.* 12, 1. Obstinatus contra veritatem. *Sen. ep.* 71. *med.* Popularium pro rege suo virtus obstinatissima. *Catull.* 8, 11. Sed obstinata mente perfer, obdura. *Sen. Hippol.* 854. Obstinatum necis consilium. *Liv.* 1, 58. Vincere obstinatam pudicitiam. *Tac. H.* 5, 5. Obstinata fides. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* s. h. v.] *Hor. Od.* 3, 11, 7. Dic modos, Lyde, quibus obstinatas Applicet aures. ℙ Seq. infin. *Liv.* 9, 25. Obstinati portas claudere, si exercitus admoveatur; et 42, 65. Jam obstinatis mori spes affulsit. [*V. *Gloss. Liv.* p. 449.] ℙ *Obstinatum est mihi*, statutum, deliberatum, certum est. *Liv.* 2, 15. *f.* Quando id certum atque obstinatum est, etc. *Plin. Pan.* 5. Obstinatum tibi non suscipere imperium, nisi, etc.

OBSTĪNET dicebant antiqui, quod nunc *ostendit*, ut in veteribus carminibus. Sed jam de coelo candens aurora obstinet suum patrem. Haec *Festus.*

OBSTĪNO, as, avi, atum, a. 1. obfirmato et perseveranti animo quippiam expeto, obfirmo animum in aliqua re: est ab *ob*, et obsoleto [**stano*, quod idem est c. Gr. ἱστάνω, v. in *destino.*] *stino*, quod a στένω, seu στείνω, arcto, angusto, unde etiam *destino*, et *praestino*. *Pl. Aul.* 2, 2. *f.* Credo illum jam inaudisse, mihi esse thesaurum domi: Id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia. [**Tac. H.* 2, 84. Vespasiano — ad obtinendas iniquitates haud perinde obstinante.] ℙ Absolute, sq. infinito. *Liv.* 23, 29. Obstinaverant animis aut vincere, aut mori. ℙ Passive *Pacuv.* ap. *Fest.* Obstinari exorsus.

OBSTĬPĔO, es, ui, n. 3. obstupesco: quasi stipes fio. *Tert. carm. de Judicio Dom.* 360. Obstipuere quidem plures, patuisse sepulcra, etc. *Id. carm. ad senat.* 3. Obstipui monitus. Alii rectius leg. *obstupuere*, et *obstupui*. Tribuunt et *Pl. Poen.* 1, 2, 49. quid, malum, Adstans obstipuisti? Al. leg. *obstupuisti*. *Pier.* tamen ad *A.* 5, 404. et *ib.* 2, 774. et alibi testatur, se in optim. MSS. tum *Virg.* tum *Hor.* et *Terent.* vidisse *stipeo*, et *obstipeo*, pro *stupeo*, et *obstupeo*. V. OBSTUPESCO.

OBSTĬPO, as, a. 1. *Pl. Merc.* 4, 5, 16. in veterib. edit., teste *Taubman.* p. 1272. Gradus grandit, emittit oculos, circumfert sese, obstipat verticem, *h. e.* caput quodammodo stipat et [*non *abscondit*, ut Noster interpretatus erat, sed retrorsum flectit: ut solent superbientes. V. in *obstipus.* Ita sanus locus, vulgataque lectio probe tenenda videtur: licet sint, qui spuria haec existiment.] Sunt qui addunt alium ejusdem locum *Cist.* 2, 3, 37., sed ibi *obsipat* legendum.

OBSTĪPUS, a, um, adj. [*stipitis instar, sive rigida immotaque ratione aliquo inclinatus, obliquus: oppon. *rectus*. Hinc varie variis in locis est explicandum. *Obliqui* in alterum humerum, in alterum latus *inclinati* notionem habet ap. *Lucr.* 4, 516. Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum, Omnia mendose fieri, atque obstipa necessum est, etc. *Fest.* leg. *obstita*. Porro ap. *Colum.* 7, 10. Febricantium signa sunt, cum obstipae sues transversa capita ferunt, etc. Earum notanda sunt capita, quam in partem proclinentur, i. q. *Plin.* 8, 51, 77. caput obliquum in incessu, indicem suis invalidae dicit. Ita *Cic. in Arat.*, *N. D.* 2, 42., Gr. λοξὸν κάρη, caput Draconis, in alterum latus declive, vertit: obstipum caput et tereti cervice reflexum. (*German.* tamen in *Arat.* habet 61. Serpentis declive caput; et *Avien.* 155. ipsaque forma Verticis, in nutum veluti curvata parumper Flectitur, atque Helicis caudam spectare videtur. *Noster* adscripserat: *Declive* et *curvatum in nutum* in anteriorem partem deflexum significat.) Quam significationem, *deflexi in anteriorem partem*, aperte habet ap. *Hor. Sat.* 2, 5, 92. Davus sis comicus atque Stes capite obstipo multum similis metuenti; et ap. *Pers.* 3, 80. aerumnosique Solones Obstipo capite, et figentes lumine terram. — Ap. *Suet. Tib.* 68. *cervix rigida et obstipa* est, cum attollitur nimis, in tergumque reclinatur caput: idque arrogantiae signum vulgo habetur, talisque cervix apparet in nummis prolatis a *Spanhemio* ad *Juliani Caesares: Casaub.* eumque sequutus *Noster obstipam cervicem* perperam acceperat pro *in anteriorem partem deflexa*. A nostra sententia stant: *Grut.* ad *Cic. fragm.* 4264. ed. *Gronov. Ernest. Oudendorp. B. Crus. Brem. Heindf.* etc.]

OBSTĪTUS, a, um, adj. violatus, ut *Fest.* exponit. Hinc *obstita*, de coelo tacta. *Idem:* Obstitum Cloatius, et Aelius Stilo esse ajunt violatum, attactumque de coelo. *Cic. Leg.* 2, 9. Etruriae principes disciplinam docento: quibus Divis creverint, procuranto: iidem fulgura, atque obstita pianto. ℙ *Cincius* ap. *Fest.* eum docet *obstitum* dici, qui Deo Deaeque obstiterit, id est qui viderit, quod videri nefas esset. ℙ Item obliquus. *Enn.* ap. *Fest.* Montibus obstitis obstantibus, unde oritur nox. *C. Licin. Imbrex ib.* Resupina obstito capitulo sibi ventum facere tunicula. *Lucr.* 4, 517. Omnia mendose fieri atque obstita necessum est. Ita legit *Festus*, alii omnes *obstipa*. *Appul. de Deo Socrat. in.* Luna alienae lucis indiga, denso corpore seu levi, ceu quodam speculo, radios solis obstiti, vel adversi usurpat. ℙ *Obstitum* absolute, obliquitas. *Id. ib. paulo post:* Pro situ, et flexu, et obstito circulorum. ℙ Etiam in hac significatione ab *obsistendo* deducunt *Voss.* et alii, et *obstĭtus* legunt.

OBSTO, stĭti, n. 1. ἀνθίσταμαι, [*cum, coram aliquo, apud, contra aliquem sto. Haec prima vocis est significatio debebantque primo loco collocari, quae Noster in f. posuerat, ista:] *Stat. Th.* 4, 16. pueri, innuptaeque, patresque Funduntur mixti, summisque a postibus obstant. *Id. Silv.* 1, 2, 23. et dominae niveis a vultibus obstas. *Lucan.* 1, 59. pars aetheris illa sereni Tota vacet, nullaeque obstent a Caesare nubes. [*V. *Cort.* ad h. l.] [*Front. Laud. fum.* (ed. *A. Maio*) Poetae ferunt, Jovi, Junonique cubantibus nubem ab arbitris obstitisse. V. *Homer. Il.* 14, 350. *F.*] *Pl. Stich.* 2, 1, 14. Si rex obstabit obviam, regem ipsum prius pervortito. [*Liv. 40, 25. conferti in portis, obstando magis, quam pugnando castra tutabantur. ℙ Hinc *obstare* usurpatur de iis, quae diversa sunt, prorsus abhorrent. Ita *Lucr.* 2, 2, 793. Quippe etenim multo proclivius exorirentur Candida de nullo, quam nigro, nata colore; Aut alio quovis, qui contra pugnet et obstet. *Sall. Cat.* 52, 31. Videlicet vita cetera eorum huic sceleri obstat, i. e. ita prorsus aliena est ab hoc facinore, ut ab hoc eos vita ante acta defendat et purget. ℙ Tum in universum *obstare* dicitur pro impedimento esse, eadem ratione, quo nostr. *im Wege stehen.*] *Cic. Acad.* 4, 7. Maxima est in sensibus veritas, si omnia removentur, quae obstant et impediunt. *Nep. Con.* 2. Hic multum summum ducem impedivit, saepeque ejus consiliis obstitit. *Cic. Rosc. Am.* 2. Quoniam ei pecuniae vita Sex. Roscii obstare et officere videtur; et *ib.* 38. *f.* Cur mihi te offers, ac meis commodis officis et obstas? *Pl. Mil.* 4, 2, 6. Eos metuo, mihi ne obsint, neve obstent uspiam. *Cic. Mil.* 35. Sibi facinoris suspicionem, non facti crimen obstare. *Pl. Trin.* 1, 1, 15. Quae in rebus multis obstant, odiosaeque sunt. *Cic. N. D.* 1, 34. Quid obstat, quominus sit beatus? *Ter. Andr.* 1, 1, 76. Quid obstat, cur non verae nuptiae fiant? *Sall.* in *ep. Mithrid. ad Arsac. f.* Quibus non humana ulla, neque divina obstant, quin, etc. *Nep. Milt.* 3. Histiaeus Milesius, ne res conficeretur, obstitit. *Ov. Her.* 18, 174. nobis tam brevis obstat aqua; et *ib.* 15, 195. dolor artibus obstat, *h. e.* impedit ingenium et industriam. *Id. Fast.* 3, 435. Ne tamen ignaro novitas tibi nominis obstet, Disce, quis iste Deus, etc. *Virg. A.* 11, 434. tantumque bonis communibus obsto. *Val. Fl.* 1, 517. Quid regio immanis, quid barbarus amnibus illis Phasis, et aversis proles mea gentibus obstat? *Suet. Tib.* 10. Quidam existimant, adultis jam Augusti liberis, sponte cessisse, ne aut obstare, aut obtrectare praesens videretur. [**Obstare* et *obtrectare* ita differre docet *Brem.* ad h. l. ut hoc significet: nonnisi persona, absque omni studio et opera, impedimento esse *(im Wege stehen)*: illud, variis etiam in perniciem adhibitis, remediis impedire, quominus alius quis excellat, ut te ipsum extollas.] ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Phil.* 13, 6. Nec, si non obstatur, propterea etiam permittitur. *Ov. Met.* 11, 787. indignatur amans, invitum vivere cogi, Obstarique animae misera de sede volenti Exire. ℙ Part. *Obstans* V. s. l. *Obstaturus* ap. *Stat. Th.* 7, 247. spesne, obstatura Pelasgis Haec vexilla, pater? Adde *Quint.* 2, 11. et *Front. Aquaed.* 123.

OBSTRĀGŬLUM, i, n. ἐπίβλημα, obstragula in calceamentis sunt corrigiae, quae decussatae supra pedem, atque inter digitos ductae soleam continebant; quod in caligis veterum videre est. *Plin.* 9, 35, 56. Quin et pedibus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis socculis *(margaritas)* addunt. V. OBSTRIGILLUS.

OBSTRANGŬLĀTUS, a, um, part. ab inusit. *obstrangulo*, strangulatus. Translate *Prud. Cath.* 7, 10. Obstrangulata mens.

OBSTRĔPĔRUS, a, um, adj. obstrepens. *Appul. Flor. n.* 13. Occinunt carmine cicadae obstrepero.

OBSTRĔPĬTĀCŬLUM, i, n. oblocutio, strepitus, oppositio. *Tert. adv. Marc.* 3, 20. Defensio necessaria adversus obstrepitacula diversae partis.

OBSTRĔPĬTO, as, n. l. frequent. ab *obstrepo*, saepe strepo. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 355. Obstrepitant lamenta choris.

OBSTRĔPO, is, ui, itum, n. 3. [*strepitum facio, coram aliquo vel ad, contra, apud aliquem vel aliquid.] *Liv.* 21, 56. *f.* Nihil sensere Poeni, obstrepente pluvia. *Stat. Th.* 11, 247. pulsis exercitus obstrepit armis. *Sen. Oed.* 454. Garrula per ramos avis obstrepit. *Prop.* 4, 4, 3. Lucus erat felix hederoso consitus antro: Multaque nativis obstrepit arbor aquis. *Hor. Epod.* 2, 27. Fontesque lymphis obstrepunt manantibus: Somnos quod invitet leves. *Id. Od.* 2, 18, 20. Mare Bajis obstrepens. *Ov. Met.* 4, 391. Tympana cum subito non apparentia raucis Obstrepuere sonis. *Id. ib.* 11, 17. Bacchei ululatus Obstrepuere sono citharae. [**Liv.* 37, 29. Quibus (clamoribus) tubae obstreperent. *Suet. Cal.* 55. si quis saltante eo vel leviter obstreperet. Huc pertinet etiam illud *Sen. ep.* 29. *f.* Si te videro celebrem secundis vocibus vulgi: si intrante te, clamor, plausus, et pantomimica ornamenta obstrepuerint: quem locum *Noster* perperam ita infra laudaverat, ut *obstrepere* pro simplici *strepere* positum dixisset. Liceat hic statim adjicere illud Curtii 6, 10, 14. Scelerati obstrepente conscientia quum dormire non possint: ita nos quoque dicimus *das Gewissen rührt sich, regt sich.* Porro *Ejusd.* 8, 1, 48. Sed clausae erant aures, obstrepente ira, i. e. turbante, veramque mentis aciem occaecante.] ℙ De iis, qui queruntur, et lugent. *Sen. Herc. Oet.* 759. fata ne, mater, tua Privata credas: jam genus totum obstrepit. Hunc, ejulatu quem gemis, cuncti gemunt. ℙ Passive. *Ov. Fast.* 6, 9. secretus ab omni Voce locus, si non obstreperetur aquis. *Cic. Marcell.* 3. Tamen ejusmodi res, etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur, et tubarum sono. *Val. Max.* 8, 15. *n.* 8. Quae in Cn. Pompejum et ampla, et nova congesta sunt, hinc assensione favoris, illinc fremitu invidiae litterarum monumentis obstrepuntur. ℙ [*Hinc clamore obloqui, dicendo vel quaevis alia movendo turbare, molestiam creare: nos: *stören, belästigen:* Gr. παρενοχλέω.] *Quint.* 6, 4. Obstrepere ingenti clamore et medios sermones intercipere. *Liv.* 1, 40. *f.* Primo uterque vociferari, et certatim alter alteri obstrepere. [*Adde 43, 16. Quum Claudio obstreperetur, audientiam facere praeconem jussit.] *Id.* 3, 49. Eos concio audit, decemviro obstrepitur: [*ubi nota v. *obstrepere* absolute positum.] *Cic. Or.* 3, 13. Tanta insolentia est, ac turba verborum, ut quodammodo ipsi sibi obstrepere videantur. [**Tac. H.* 1, 85. Tumultu verborum sibi ipsi obstrepentes; et cp. 75. seditiosis vocibus obstrepere.] *Cic. Fam.* 5, 4. Ut tibi litteris obstrepere non auderem. ℙ Denique *obstrepere*, ut nostr. *im Wege stehen*, dicitur in universum pro adversari, impedimento esse, obtrectare, detrahere.] *Sen. Herc. Fur.* 1031. Remove parentem, ne tuae laudi obstrepat. *Flor.* 4, 2. Cato adversus potentes semper obliquus, detrectare Pompejum, actisque ejus obstrepere. *Id.* 2, 19. Ne scelera virtutibus obstrepant, separatim proferentur. *Gell.* 6, 2. Huic definitioni ita obstrepunt. ℙ Per catachresin dicitur de lumine. *Plin.* 11, 37, 65. de pupilla oculi: Aliis nigri, aliis ravi, aliis glauci coloris orbibus circumdatis, ut habili mixtura et accipiatur circumjecto candore lux, et temperato repercussu non obstrepat, *h. e.* non praestringat, et visu impediat.

OBSTRICTUS, a, um, part. ab *obstringo*: κατάδεδεμένος, strictus, constrictus, vinctus. *Pl. Amph.* 3, 2. *extr.* Amphitruonem collo hic obstricto traham. *Flor.* 4, 11. Purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis. ℙ Translate est devinctus, obligatus. *Cic. Coel.* 32. *f.* Quam si vobis, si suis conservatis, addictum, deditum, obstrictum vobis ac liberis vestris habebitis. *Id. Planc.* 30. Maximis beneficii vinculis obstrictus. *Caes. B. G.* 1, 9. Quamplurimas civitates suo sibi beneficio habere obstrictas volebat. *Id. B. C.* 2, 17. Obstrictus fide; et *Cic. Att.* 12, 43. religione. *Just.* 14, 4.

jurejurando. *Suet. Caes.* 27. fenore. *Cic. Pis.* 13. foedere. *Id. Inv.* 2, 45. legibus. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 203. nec limina virgo Linquere, nec virides audebat visere saltus, Praeceptis obstricta tuis. *Cic. Sull.* 2. *f.* Obstrictum esse patriae parricidio. *Id. Coel.* 19. *f.* Obstrictum voluptatibus teneri. *Tac. A.* 14, 48. Nulla necessitate obstrictus. *Sen. Agam.* 276. Obstrictus conjugi animus i. e. addictus. *Paul. carm. N.* 24, 9. *S. Fel.* 145. nemo obstrictior est me Debitor huic.

OBSTRICTUS, us, m. *Sen. Q. N.* 5, 14. *f.* Per haec loca cum se, exitum quaerens, spiritus torsit, accendat flammam ipso obstrictu, necesse est, *h. e.* ipsis locorum angustiis, quibus veluti obstringitur. Al. rectius leg. *affrictu*, q. v. v.

OBSTRĬGILLĀTOR, oris, m. obstans, morator, reprehensor. *Varr.* ap. *Non.* 8, 73. Aemulus illius artis, et obstrigillator.

OBSTRĬGILLO et Obstringillo, as, avi, atum, a. 1. obsto, obsisto, officio. Dicunt esse a *strigillo*, quod in *Gloss. Philox.* exponitur ξύω, rado: aut a *strigili*, qua laedimur, cum vehementius stringimus: aut a *strigo*, quiesco, sto: unde *obstrigillo*, obsto. *Gloss. Philox.* Ἀντικοπῶ, obstrigillo, obtrecto, officio. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Tu invides tanto scriptori, et obstrigillandi causa figlinas reprehendis. *Enn.* ap. *Non.* 2, 605. Restitant, occurrunt, obstant, obstrigillant, obagitant. *Varr. ib.* Lex neque innocenti propter simultatem obstrigillat, neque nocenti propter amicitiam ignoscit. *Id. ib.* Ut illi renunciaretur se obstrigillaturum, ne triumphus decerneretur. *Sen. ep.* 95. de facie viri boni: Nemo non amore ejus arderet, si nobis illam videre contingeret. Nunc enim multa obstrigillant, et aciem nostram aut splendore nimio repercutiunt, aut obscure retinent. Alii leg. *obsigillant.* ℙ Ap. *Non.* semper est *obstringillo.*

OBSTRĬGILLUS, i, m. Obstrigilli, inquit *Isid. Or.* 19, 34., sunt calcei, qui per plantas consuti sunt, et ex superiori parte corrigia trahitur, ut constringantur; unde et nominantur. Ita etiam *Salmas.* in *Solin.* per conjecturam legit in *Plinii* verbis, quae in voce OBSTRAGULUM attulimus, eique et *Graev.* assentitur. Verum priorem eam lectionem tuetur *Hard.* editis libris omnibus, et pluribus etiam MSS.

OBSTRINGO, is, nxi, ctum, a. 3. καταδέω, [*obligo, devincio aliquid aliquo.] *Pl. Aul.* 2, 4, 23. Follem obstringit ob gulam, ne quid animae amittat. *Val. Fl.* 7, 602. tauros obstringere aratro. ℙ [*Hinc constringo, circumligo, vinculis cingo, coerceo.] *Colum.* 4, 29. *med.* Vinculi genus ad insitionem non unum est: alii viminibus obstringunt, etc. *Pl. Aul.* 1, 1. *f.* Meum laqueo collum quando obstrinxero. *Hor. Od.* 1, 3, 4. Obstrictis aliis praeter Iapyga, *h. e.* constrictis et coercitis aliis ventis. ℙ Translate est devincire, obligare, constrictum tenere. *Cic. Cluent.* 66. *extr.* Donis muliebribus, spe hereditatis aliquem obstringere. *Id. Fam.* 3, 18. *extr.* Te ita existimare volo, quibuscumque officiis Atticum obstrinxeris, iisdem me tibi obligatum fore. ℙ Item ligare, subjicere. *Id. Phil.* 2, 33. et *Or.* 2, 66. *extr.* Obstrinxisti populum R. religione, [*i. e. sacris violandis commisisti, ut calamitatem acciperet]. *Caes. B. G.* 1, 31. Obstringere civitatem jurejurando. *Cic. Fam.* 11, 10. *f.* aliquem aere alieno, [*i. e. facere, ut aliquis pecuniam mutuam sumat seque creditori obliget]. *Id. Att.* 6, 1. *med.* Sex libris, tanquam praedibus, me ipsum obstrinxi. *Id. Inv.* 2, 45. Obstringi legibus. *Plin. ep.* 4, 13. *f.* et *Plin. alter* 7, 1, 1. Obstringere alteri fidem suam. *Tac. H.* 1, 54. Obstringuntur inter se tacito foedere legiones. *Id. A.* 15, 53. Matrimonio obstringere se alicui. *Sen. Ben.* 6, 11. aliquem debito. ℙ *Aliquo se crimine obstringere*, est se reum facere criminis, alligare, adstringere se crimine. *Cic. Phil.* 11, 12. Nefario patriae se parricidio obstrinxit. *Id. Verr.* 2, 1, 3. et *Caes. B. C.* 2, 32. Qui se tot sceleribus obstrinxerit. *Liv.* 26, 48. *f.* Obstringere perjurio non se solum suumque caput, sed signa militaria et aquilas, sacramentique religionem parati. *Tac. A.* 4, 57. Principem societate scelerum obstringere. *Sabinus JCtus* ap. *Gell.* 11, 18. *f.* Qui alienum jacens lucri faciundi causa sustulit, furti obstringitur. ℙ *Conscientia aliquem obstringere*, ap. *Tac. H.* 4, 55. ad se trahere, conscium conjurationis faciendo. ℙ *Clementiam suam obstringere crebris orationibus*, ap. *eund. A.* 13, 11. profiteri se clementia usurum. [*Est haec argenteae aetatis scriptoribus propria dicendi ratio. Adde *Eund. ib.* 1, 14. Jurejurando obstrinxit, se non excessurum; et 4, 31. ut et jurejurando obstringeret, e re publica id esse: ubi nota absolute v. *obstringendi* positum.] ℙ *Religione obstringitur miles, non telis, non vulneribus cessurum*, ap. *eund. ib.* 12, 34. jurejurando pollicetur.

OBSTRUCTIO, onis, f. ἔμφραξις, actus obstruendi, occludendique. *Arnob.* 2, 63. Animae sciunt, doctissimas se fuisse, et obstructione corporum amisisse quae noverant. ℙ Translate. *Cic. Sext.* 9. *f.* Etenim animus ejus vultu, flagitia parietibus tegebantur: sed haec obstructio nec diuturna est, nec obducta ita, ut curiosis oculis perspici non possit.

OBSTRUCTUS, a, um, part. ab *obstruo*: ἔμφραξος, obstructione clausus, occlusus. *Caes. B. G.* 5, 49. Portae obstructae caespite. *Ov. Met.* 3, 570. quacumque trabes, obstructaque saxa tenebant, *h. e.* struendo opposita. *Id. Ib.* 617. Obstructoque famem patiaris limine tecti. *Sil.* 11, 197. hostis adire Si parat, obstructas replete cadavere portas; et 13, 743. refluunt obstructi stragibus amnes. *Plin.* 17, 14, 24. *extr.* Duo imbrices utrinque terra obstructi. *Cic. Fat.* 5. Stupidum esse Socratem dixit, quod jugula concava non haberet: obstructas eas partes et obturatas esse dicebat. *Id. Brut.* 4. Omnis aditus obstructus. *Varr. R. R.* 1, 4. *med.* Obstructae fenestrae. [*Vell. 2, 105, 3. paene obstructis hyeme Alpibus, i. e. clausis per Alpes viis: ubi laud. *Ruhnk. Mamert. Pan. Maxim.* 9. Vos prope soli Alpium vias, hibernis nivibus obstructas, divinis vestigiis aperuistis.] ℙ Translate. *Cic. Acad.* 4, 3. Omnis cognitio multis est obstructa difficultatibus. *Tac. H.* 3, 21. Is terror obstructas mentes consiliis ducis aperuit.

OBSTRUDO, is, si, sum, a. 3. ἀποκρύπτω, idem ac obtrudo. *Prud.* περὶ στεφ. 5, 95. Conclamat: os obstrudite, Ne plura jactet improbus. Al. leg. *obtrudite*, eliso *s.* ℙ Ap. *Pl.* usurpatur pro avide vorare, in os cibum trudendo infercire. *Stich.* 4, 2, 13. stans obstrusero aliquid strenue. Verba sunt parasiti, qui cum audiret, non esse sibi ad recumbendum in coena locum, ait, se nihilominus stantem rem suam acturum. *Id. Curc.* 2, 3, 87. aliquid prius obstrudamus, pernam, sumen, etc. Alii hic quoque leg. *obtrudamus. Festus:* Obstrudant, obsatulient, ab avide trudendo in gulam, non sumendo, cibum. Unde obstrudulentum dixit Titinius: Obstrudulenti aliquid, quod pectam sedens. Aut hic laetaster, aut formaster frigidus. Haec *Fest.*, ad quae verba non una est criticorum conjectura.

[OBSTRUDULENTUS, a, um, adj. qui trudi potest, vel debet: ridicule conficta vox ad risum capiendum. V. *Festi* l. in v. praec. *F.*]

OBSTRUO, is, uxi, uctum, a. 3. [*exstruo, aedifico ad vel juxta aliquid, *anbauen*, Gr. ἐποικοδομέω.] *Liv.* 38, 29. Interiorem semper juxta validum pro diruto obstruentes murum. ℙ [*Hinc struendo et inaedificando obruo, claudo, firmo, ἐμφράττω.] *Caes. B. C.* 1, 27. Ne milites oppidum irrumperent, portas obstruit, vicos plateasque inaedificat; et *ib.* 3, 48. Omnia flumina et rivos, qui ad mare pertinebant, Caesar aut averterat, aut magnis operibus obstruxerat. *Hirt. B. Alex.* 19. Lapidibus aliquid opplere atque obstruere. *Liv.* 5, 1. *f.* Frons castrorum in Etruriam spectans, auxiliis, siqua forte inde venirent, obstruitur. *Just.* 24, 7. Interjecta nocte, vias, quae tunc pateant, obstructum iri. *Nep. Paus.* 5. Ne exire posset, valvas ejus aedis obstruxerunt. *Inscr.* opt. notae ap. *Grut.* 207, 2. Ostium, et fenestras parietem (lege *pariete*) obstruito. *Plin.* 11, 7, 6. Omnes frigoris, aut injuriae aditus obstruere. *Id.* 31, 3, 28. Aquarum venas obstruere. ℙ Translate. *Cic. Sull.* 28. *f.* Munite communem arcem bonorum, obstruite perfugia improborum. [*Sen. 20. duo Scipiones, qui iter Poenis vel corporibus suis obstruere voluerunt.] *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. Traditur madidis lupinis vixisse, quoniam simul famem sustinerent et sitim, ne sensus nimia dulcedine obstrueret. ℙ *Obstruere luminibus vicini* est aedificando, et altius tollendo fabricam, luminibus vicinarum aedium officere. *Cic. Dom.* 44. Primo, se luminibus ejus esse obstructurum, minabatur. ℙ Translate. *Id. Brut.* 17. Catonis luminibus obstruxit haec posteriorum quasi exaggerata altius oratio, [*i. e. ejus laudibus effecit, ut ejus orationes vix jam legantur.] V. LUMEN. ℙ Hinc *jus luminum obstruendorum redimere* est soluta pecunia a vicino impetrare, ut ipse fenestram aliquam suae domus, unde in proximam aedem prospectus est, obstrui sinat, licet legitimum inter ambas spatium (quod ex *Festo* in *Ambitus*, est duorum pedum et semis) intermissum sit. *Inscr.* ap. *R. Guarinium Comment. in vet. monum.* l. p. 64. Duumviri jure dicundo ex D. D. jus luminum obstruendorum HS. CIↃ CIↃ CIↃ redemerunt, parietemque privatum Col. Ven. Cor. usque ad tegulas faciundum coerarunt. ℙ *Obstruere aures*, surdum facere. *Sen. Ben.* 3, 17. An tu infelicem vocas, qui caret acie oculorum, cujus aures morbus obstruxit? ℙ Translate. *Virg. A.* 4, 440. placidasque viri Deus obstruit aures, *h. e.* inexorabilem reddidit. ℙ *Opstruo* pro *obstruo.* V. dicta in ABSIS.

OBSTRUSUS, a, um, part. ab *obstrudo:* clausus, tectus, abditus. *Sen. ep.* 68. Multi aperta transeunt, condita et obstrusa rimantur.

OBSTŬPĔFĂCIO, is, a. 3. ἐκπλήττω, stupidum reddo. *Ter. Phorm.* 2, 1, 54. eum timidum obstupefecit pudor. *Liv.* 2, 10. Ipso miraculo audaciae obstupefecit hostes. *Id.* 25, 38. Nisi metus moerorem obstupefaceret. *Tac. H.* 4, 72. Nec perinde periculum aut metus, quam pudor ac dedecus obstupefecerant.

OBSTŬPEFACTUS, a, um, part. ab *obstupefacio:* valde stupefactus. *Val. Max.* 3, 8. *n.* 6. *extr.* Ex nimio haustu rigoris obstupefactis nervis, ac torpore hebetatis artubus. *Cic. Dejot.* 12. Obstupefactis hominibus. *Trebell. Gall.* 9. Nec tamen Gallienus ad talia movebatur, obstupefacto voluptatibus corde. *Tac. Agr.* 18. Obstupefacti hostes.

OBSTŬPĔFĬO, is, n. anom. stupidus fio, obstupesco. *Dictys B. Trojan.* 4, 21. Aenonen, viso cadavere Alexandri, adeo commotam, uti amissa mente obstupefieret.

OBSTŬPESCO, is, pui, n. 3. stupidus fio, ἐκπλήττομαι. *Varr. R. R.* 3, 16. *f.* Apes si mulso sunt aspersae, propter odorem avidius applicant se, atque obstupescunt potantes. *Cic. Div.* 9, 23. Ejus aspectu cum obstupuisset bubulcus. *Plin.* 36, 7, 11. Obstupescit corpus, nec sentit cruciatum. ℙ Translate est vehementer admirari. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Ob haec beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi verborum, decerni sino. *Id. Marc.* 9. Obstupescent posteri, triumphos audientes et legentes tuos. ℙ Item obrigescere. *Pelag. Veter.* 17. *med.* Si frigore maxillae obstupuerint. ℙ Cum accusativo activorum more. *Cassiod. Variar.* 2, 39. Sed non his tantum beneficiis Antenorea terra fecunda est; infert et alia, quae multo grandius obstupescas. ℙ In plerisque MSS. et edd. ap. *Pl. Poen.* 1, 2, 49., *Ter. Andr.* 1, 5, 21. et *Ad.* 4, 4, 3. legitur *obstipui.* V. OBSTIPEO. ℙ Lexicographi ponunt *Obstupeo, es*, unde est *obstupui*, sed ceterae voces inde derivatae adhuc carent exemplo.

OBSTŬPĬDUS, a, um, adj. stupidus, aut valde stupidus. *Pl. Mil.* 4, 6, 39. quid adstitisti, obstupida? cur non pultas? *Gell.* 5, 1. *f.* Consiluisse universos, quasi attonitos et obstupidos. *Appul. Met.* 1. *f.* Consternatus ac prorsus obstupidus.

OBSTŬPRĀTUS, a, um, part. ab inus. *obstupro*: stupro corruptus. *Lampr. Commod.* 3. Appellatus a mimis, quasi obstupratus.

OBSUFFLO, as, a. 1. insufflo. *Quint. decl.* 7. de tribuno Mariano: Enititur de propinquo tuo etiam confusionis nebulam obsufflare.

OBSUM, obes, obfui, et offui, n. anom. βλάπτω, noceo, damnum affero: quasi contra sum, obsto: contrarium v. *prosum. Cic. Or.* 1, 26. *extr.* Fuit mirificus quidam in Crasso pudor, qui tamen non modo non obesset ejus orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset. *Ov. Trist.* 5, 1, 66. vel totos tolle libellos, Hoc, mihi quod prodest, si tibi lector, obest. *Ter. Hec.* 3, 5, 13. id quod reliquit, profuit. *La.* immo obfuit. *Auct. ad Her.* 4, 23. Subjicimus id, quod nobis adjumento futurum sit, aut offuturum illis e contrario. *Nep. Dat.* 7. *extr.* Non multum obesse multitudo hostium suae paucitati posset. *Ov. Met.* 7, 562. obsunt auctoribus artes. *Id. Fast.* 4, 755. nec, dum degrandinat, obsit Agresti fano supposuisse pecus. *Pl. Capt.* 3, 5, 48. Nunc falsa prosunt. *Heg.* at tibi oberunt.

OBSŬO, is, ui, utum, a. 3. cirsum suo. *Virg. G.* 4, 301. huic geminae nares, et spiritus oris Multa reluctanti obsuitur. Est qui leg. *obstruitur.*

OBSURDESCO, is, urdui, n. 3. ἐχωφοῦμαι, surdus fio. *Cic. Somn. Scip.* 5. Hoc sonitu completae aures obsurduerunt. *Id. Amic.* 24. Obsurdescimus tamen, nescio quomodo, nec ea, quae ab ea monemur, audimus.

OBSŪTUS, a, um, part. ab *obsuo: Ov. Fast.* 2, 577. quod cu trajecit ahena, Obsutum maenae torret in igne caput. *Suet. Rhet.* 1. *extr.* Sporta auri obsuta. *Id. Tib.* 64. Obsuta lectica, *h. e.* clausa. Al. aliter leg.

OBTECTUS, a, um, part. ab *obtego:* obductus. *Caes. B. C.* 3, 19. Quorum mediam orationem interrumpunt undique subito tela immissa, quae ille obtectus armis militum vitavit. *Virg. A.* 2, 300. arboribusque domus obtecta recessit. *Cic. Coel.* 18. *f.* Vitia multis virtutibus obtecta. *Sil.* 15, 670. et obtectus senium fera proelia miscet, *h. e.* galea canitiem abscondens.

OBTĔGO, is, exi, ectum, a. 3. καταχαλύπτω, contego, obduco. [*Cic. *Leg.* 2, 22. Quemadmodum os resectum terra obtegatur, quaeque in porca contracta jura sint: ita recte *ed. Goerenz.* cujus v. notam ad h. l. prob. *Schütz.* in *cl. Cic.*] *Phaedr.* 5, 5. simulans sese vestimentis rusticus Porcellum obtegere. *Cato R. R.* 40. Insuper lingua bubula obtegito, si pluat, ne aqua in librum permanet. *Colum.* 3, 13. *med.* Et quod durum est, summis glebis obtegatur. *Cic. Sext.* 35. In foro jacuit, seque servorum et libertorum corporibus obtexit. *Cels.* 3, 22. Os obtegendum, fauces velandae, etc. ℙ Translate. *Pl. Trin.* 3, 2, 23. Nunc te hoc pacto credis posse obtegere errata? *Suet. Ner.* 29. Dissimulare vitium, et calliditate obtegere. *Tac. A.* 4, 19. Scelera nuper reperta priscis verbis obtegere; [*et *ib.* 13, 33. Cetera flagitia obtegebat.] *Id. ib.* 1. Animus audax, sui obtegens, in alios criminator. *Cic. Vat.* 5. Ut adolescentiae turpitu-

do obscuritate et sordibus tuis obtegatur. *Id. Att.* 1, 18. Qui me amet, qui sapiat, quocum ego colloquar, nihil fingam, nihil dissimulem, nihil obtegam.

OBTEMPĔRANTER, adv. obedienter. [*M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 5, 11. Caluit et hodie Faustina: sed aequiorem animum mihi facit ipsa, quod se tam obtemperanter nobis accommodat. *F.*] *Prud.* περὶ στεφ. 2, 112. Obtemperanter annuit.

OBTEMPĔRĀTIO, onis, f. ὑπακοή, obedientia. *Cic. Leg.* 1, 15. Justitia est obtemperatio scriptis legibus, institutisque populorum. [*Cf. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 96. *b.*]

OBTEMPĔRO, as, avi, atum, a. 1. προσέχω, morem gero, obsequor, obedio: ex *ob* pro ad, et *tempero:* quasi ad alterius voluntatem me tempero. *Cic. Caecin.* 18. Imperium domesticum nullum erit, si servulis hoc nostris concesserimus, ut ad verba nobis obediant, non ad id, quod ex verbis intelligi possit, obtemperent. *Id. Tusc.* 2, 4. Qui obtemperet ipse sibi, et decretis suis pareat. *Id. Planc.* 39. Cum tempestate pugnem periculose potius, quam illi obtemperem et paream? *Hirt. B. Afr.* 51. Jubae barbaro potius obedientem fuisse, quam Scipionis obtemperasse nuncio. *Cic. Fam.* 2, 7. Te audi, tibi obtempera. *Caes. B. G.* 4, 21. Obtemperare imperio populi R. *Id. B. C.* 1, 35. voluntati alicujus. *Cic. Quint.* 2. alterius cupiditati. *Varr. L. L.* 8, 1. rationi. *Hirt. B. Alex.* 74. auspiciis et religionibus. *Caes. B. C.* 1, 1. auctoritati senatus. *Nep. Timol.* 1. legibus. *Suet. Tib.* 59. Naturae obtemperans. *Ov. Trist.* 4, 6, 7. Quaeque sui monitis obtemperat Inda magistri Bellua. *Cic. Off.* 1, 11. Si mihi esset obtemperatum. *Ter. Ad.* 4, 5, 70. tibi Deos certo scio obtemperaturos magis. ℙ Cum accus. communi. *Pl. Amph.* 1, 1, 293. Non ego illi obtempero quod loquitur. *Id. Most.* 2, 2, 89. etiamne adstas, nec, quae dico, obtemperas? ℙ Pro simplici tempero. *Ulp. Dig.* 24, 1, 1. Ne inter virum et uxorem donatio valeret, receptum est: ne mutuo amore se invicem spoliarent donationibus non obtemperantes, et profusa erga se facilitate utentes. *Torrent.* et *Gothofred.* habent *temperantes.* ℙ [*Confund. *obtemperare* et *parere.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 284.]

OBTENDO, is, ndi, nsum et ntum, a. 3. προϊσχω, προτείνω, ante aut contra tendo, praetendo, oppono, objicio. *Suet. Ner.* 48. Sudarium ante faciem obtendere. *Virg. A.* 10, 82. Proque viro nebulam, et ventos obtendere inanes. *Claud. in Ruf.* 2, 128. murique locata In speciem caesis obtendit plaustra juvencis. *Plin.* 11, 37, 55. *extr.* Oculis membrana vitri modo translucida obtenditur. *Id.* 5, 20, 17. Libano mons adversus Antilibanus obtenditur. *Tac. Agr.* 10. Britannia spatio ac coelo in orientem Germaniae, in occidentem Hispaniae obtenditur. ℙ Hypallage est in illo *Statii Theb.* 2, 248. factisque obtendunt limina silvis, *h. e.* tegunt, ornant ramis arborum. Sic *Sil.* 10, 228. contraria venti Exarmat vis, atque obtendit pulvere lucem, *h. e.* pulverem excitando visum adimit. Priore loco rectus ordo erat, *obtendere silvas limini:* altero, *pulverem luci obtendere.* Sed haec poetis familiaria. [*Tac. *H.* 3, 56. Concionanti — tantum foedarum volucrum supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent.] ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 5. Multis simulationum involucris tegitur, et quasi velis quibusdam obtenditur uniuscujusque natura. *Quint.* 12, 10. *med.* Qui suae imbecillitati sanitatis appellationem obtendunt. [*Cf. *Gronov.* ad *Liv.* 1, 57, 8.] ℙ Aliquando est excusare, praetendere. *Plin. ep.* 8, 6. *f.* Nec puduit rationem turpitudini obtendere, *h. e.* turpe factum ratione excusare. *Tac. A.* 3, 17. Matris preces obtendens; et *ib.* 35. Intentius excusante se Lepido, cum valetudinem corporis, aetatem liberum, nubilem filiam obtenderet. *Lucan.* 8, 339. quid causa obtenditur armis Libertatis amor?

[OBTĔNEBRESCO, is, n. 3. tenebris obvolvor. *Hieron. in Isaj.* 5, 12, 1. Obtenebrescat sol in ortu suo. *F.*]

OBTĔNEBRO, as, a. 1. tenebras induco, tenebrosum reddo. *Lactant.* 4, 19. (ex *Amos* 8, 9.) Occidet sol meridie, et obtenebrabitur dies lucis. Al. leg. *tenebrabitur. Hieron. in Isaj.* 6, 13, 10. Quod stellae obtenebrentur sole oriente. *Id. ib.* 12. Quando obtenebratus fuerit sol in ortu suo.

[OBTENSUS, us, m. idem ac obtentus. *Front. ad amic.* (ed. *A. Maio*) 2, 6. *f.* Ut pro severitate, qua carebant, obtensui saevitiam subornarent. V. OBTENTUS, us. *F.*]

OBTENTĬO, onis, f. obtentus, actus obtendendi. *Arnob.* 5, 181. Si textus omnis expositionis, et series obtentionibus allegoricis clausa sunt, *h. e.* quibusdam obtentis quasi velis allegoriae; et 182. Partes alias esse communiter conscriptas, alias vero dupliciter, et ambifaria obtentione velatas.

OBTENTO, as, a. 1. frequent. ab *obtineo*, teneo, possideo, κατέχω. *Cic. Att.* 9, 10. *med.* Tamen spes quaedam me obtentabat, fore ut, etc. Al. leg. *sustentabat.*

OBTENTUS, a, um, part. ab *obtendo*, ante vel contra extensus, obductus, καταπεπόμενος. *Virg. G.* 1, 248. obtenta densantur nocte tenebrae. *Val. Fl.* 3, 718. obtenta mulcebat lumina palla. *Suet. Ner.* 48. Ante faciem obtento sudario. *Plin.* 37, 7, 28. Commendatio *(gemmae)* summa, quod velut in translucido ignis obtentus, celantesque se transfulgent auratae guttae. *Sen. Oed.* 625. Paedore foedo squalidam obtentus comam, *h. e.* comam habens paedore obsitam: hypallage. ℙ Translate. *Gell.* 10, 22. Qui obtento philosophiae nomine, inutile otium, et linguae vitaeque tenebras sequuntur. ℙ Est item part. ab *obtineo*, acquisitus, impetratus. *Cic. Balb.* 27. Voluimus quaedam, contendimus, experti sumus: obtenta non sunt. *Just.* 2, 4. *med.* Obtenta in praemium captiva. *Id.* 21, 6. Hamilcar per Parmenionem aditu regis obtento. *Id.* 20, 2. *f.* Litatis hostiis, obtentoque, ut rebantur, quod petebant.

OBTENTUS, us, m. actus obtendendi, obtentio, extentio. *Virg. A.* 11, 66. Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant. *Plin.* 31, 1, 1. Nubium obtentu vitalem spiritum strangulat. *Sen. Herc. Fur.* 355. Ipsa tristi vestis obtentu caput velata. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 25. stridentia colla Gorgonos obtentu pallae fulgentis inumbrat. ℙ Translate. *Lactant.* 1, 11. Vera sunt, quae loquuntur poetae, sed obtentu aliquo, specieque velata. *Sall. or. Lep. ad pop. R. f.* Secundae res mire sunt vitiis obtentui; et *or. ad Caes. de Republ. ord.* 2. *med.* Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat. *Tac. H.* 2, 14. *extr.* Victorem exercitum attinuit obscurum noctis, obtentui fugientibus. *Id. A.* 12, 7. Cupido auri immensa obtentum habebat, quasi subsidium regno pararetur; et *ib.* 1, 10. Pietatem erga parentem, et tempora reipubl. obtentui sumpta. *Just.* 5, 8. *f.* Ne iterum rempubl. sub obtentu liberationis invaderet. *Nazar. Pan. Constant.* 5. Non terror obtentui est, *h. e.* non obtenditur terror, ut arceantur qui visere principem cupiunt.

OBTĔRO, is, trivi, tritum, a. 3. καταρρίβω, καταπατέω, contero, conculco, protero. *Phaedr.* 1, 30. Taurus ranas proculcatas obterit duro pede. *Varr. R. R.* 2, 5. Ne in stabulo infantes grex boum obtereret. [*Liv.* 44, 42. Elephanti — exeuntes obterebant elidebantque.] *Suet. Ner.* 5. Repente puerum citatis jumentis haud ignarus obtrivit. *Lucan.* 6, 82. pabula terrae, Quae currens obtrivit eques; et *ib.* 276. caput obterit ossaque saxo. *Plin.* 11, 29, 35. Locustarum ova obterere. [*— Ita frequentissimus hujus v. usus est in rebus bellicis, imprimis de equitum impetu hostes proculcante, atque equorum pedibus quasi proterente. *Liv.* 28, 33. neque ex adverso tantum illati (equites) obvios obtrivere. Cf. *Gloss. Liv.* p. 450. Huc pertinet etiam locus *Tac. Agr.* 18. Alam prope universam obtriverat: ubi est, quod nos dicimus *aufreiben, vernichten.*] ℙ Est etiam frangere, illidere. *Colum.* 8, 8. *f.* Pulli *(columbarum)* facilius pinguescunt, si paucas subtrahas pinnas, et obteras crura. ℙ Item fricare. *Appul. Apol.* Carbone dentes obterere. ℙ Translate est deprimere, contundere, deterere, ad nihilum redigere. *Just.* 24, 8. Assidui imbres, fames, et lassitudo miseras infelicis belli reliquias obterebant. *Id.* 5, 2. *f.* Domesticis bellis Graeciam obterere, ne externis vacet. *Tac. A.* 15, 11. Vi ac minis alarios exterruit, legionarios obtrivit. *Lucr.* 5, 1232. Usque adeo res humanas vis abdita quaedam Obterit, et pulcros fasces, saevasque secures Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur. *Id.* 1, 79. relligio pedibus subjecta vicissim Obteritur. *Liv.* 3, 56. Implorare praesidium populi, qui omnia jura populi obtrisset. *Cic. Caecin.* 7. Ita calumniam stultitiamque obtrivit ac contudit. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. Malevolorum obtrectationes prosternere atque obterere. *Vet. poeta* ap. *Cic. Div.* 1, 16. cum Achivi coepissent Inter se strepere, aperteque artem obterere extispicum, *h. e.* rejicere, improbare, nullam esse dicere. *Liv.* 23, 43. Annibalis virtutem fortunamque extollit: populi R. obterit senescentem cum viribus majestatem; et 24, 15. Cum utrinque duces, Romanus Bruttium Lucanumque toties a majoribus suis victos, Poenus mancipia Romana, et ex ergastulo militem verbis obtereret. *Cic. Verr.* 2, 5, 1. Obteri laudem imperatoriam criminibus avaritiae. ℙ Pro evertere, diruere. *Sen. Oed.* 615. incestam domum Vertam, et Penates impio Marte obteram. ℙ Pro gravare, opprimere. *Catull.* 65, 8. Troia Rhoeteo quem subter litore tellus Ereptum nostris obterit ex oculis.

OBTESTĀTIO, onis, f. ἐξορκισμός, actus obtestandi, obsecratio. *Paul.* ex *Festo:* Obtestatio est, cum Deus testis in meliorem partem vocatur: detestatio, cum in deteriorem. *Cic. Dom.* 48. Quid ergo illa tua obtestatio tibicinis? quid foculus? quid preces? quid prisca verba voluerunt? *h. e.* Deorum invocatio facta a tibicine in ritu consecrationis. [*Minime! *obtestatio* est, qua tibicen in curam, diligentiam rei gerendae adhibendam obstrictus est. V. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v.] *Cic. Cluent.* 12. *f.* Quae mulier obtestatione viri decem illis mensibus ne domum quidem ullam, nisi socrus suae, nosse debuit, *h. e.* quia vir eam obtestatus fuerat. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. *f.* Mei officii est meminisse, qua obtestatione decedens mihi, ne paterer fieri, mandaris. *Liv.* 27, 50. Matronae in preces obtestationesque versae, per omnia delubra vagae, supplicii votisque fatigare Deos. *Tac. A.* 1, 12. Senatus ad infimas obtestationes procumbens.

OBTESTĀTUS, a, um, part. ab *obtestor.* Active. *Sall. Cat.* 46. Multa prius de salute sua Pomptinum obtestatus. *Suet. Cal.* 15. *f.* Commentarios convectos in forum, et ante clare obtestatus Deos, neque legisse, neque attigisse quidquam, concremasse legisse, neque attigisse quidquam, concremaque legisse, neque attigisse quidquam, concremavit. ℙ Passive, obsecratus. *Appul. Met.* 2. Obtestata fide praesentium. Al. leg. *fidem. Ammian.* 31, 9. *med.* Ni obtestatus prece impensa superstitibus pepercisset.

OBTESTOR, aris, atus sum, dep. 1. ἐπιμαρτύρομαι, palam testor, protestor. *Cic. Sex.* 20. De quo te, te, inquam, patria, obtestor, et vos Penates, patriique Dii, me propter salutem meorum civium dimicationem caedemque fugisse. Plerique alii leg. *testor* [*ita *Orell.*]. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 13. Oro atque obsecro te, Cicero, necessitudinem nostram, tuamque in me benevolentiam obtestans. *Tac. A.* 2, 65. Sacra regni, ejusdemque familiae Deos, et hospitales mensas obtestans. *Id. H.* 3, 10. Aut militum se manibus, aut suis moriturum, obtestans; et *A.* 12, 5. Summam rempubl. agi obtestans, veniam dicendi ante alios exposcit. ℙ Saepius est cum adjuratione precari, obsecrare, ἐξορκίζω, καταλιπαρέω. *Cic. Att.* 11, 2. Per omnes Deos te obtestor, ut, etc. *Id. Fl.* 40. *med.* Cum ego te, Flacce, coelum noctemque contestans, flens flentem obtestabar. *Id. Sext.* 69. *f.* Vos obtestor atque obsecro, ut, etc. *Id. Quint.* 30. Te obsecrat obtestaturque Quintius per senectutem ac solitudinem suam nihil aliud, nisi ut, etc. *Id. Coel.* 32. Oro obtestorque vos, judices, ut, etc. *Id. Verr.* 2, 5, 72. *f.* Ceteros item Deos Deasque omnes imploro atque obtestor, ut, etc. *Id. Fl.* 2. Quem enim alium appellem? quem obtester, quem implorem? *Id. Mur.* 40. Vestram fidem obtestatur, misericordiam implorat. *Id. Sull.* 33. Id sibi ne eripiatis, vos obtestatur. *Sall. Jug.* 74. Lacrumans obtestatur per amicitiam, ne, etc. *Plin. Pan.* 67. *f.* Quaeso et obtestor, ne, etc. *Vell.* 2, 131. Vos publica voce obtestor atque precor: custodite, servate, etc. *Sall. Cat.* 34. *extr.* Te, atque senatum obtestamur, consulatis miseris civibus. *Pl. Aul.* 4, 9, 4. obsecro vos ego, mihi auxilio, Oro, obtestor, sitis. *Virg. A.* 12, 819. Illud te, nulla fati quod lege tenetur, Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum, ne, etc. *Sall. Jug.* 53. Pollicendo, minitando, obtestando.

OBTEXO, is, xui, a. 3. ἀντιδιαπλέκω, ante, vel supra, vel contra texo. *Plin.* 11, 19, 21. Papilio fila araneosa, quacumque incessit, alarum maxime lanugine obtexit. *Id.* 2, 38, 38. Subinde per nubes coelum aliud obtexens. ℙ Translate. *Virg. A.* 11, 610. fundunt simul undique tela Crebra nivis ritu: coelumque obtexitur umbra. *Claud. in I. cons. Stil.* 1, 258. Poenus jaculis obtexitur aer.

OBTĬCENTIA, ae, f. reticentia. *Quint.* 9, 2. *med.* Ἀποσιώπησις, quam Cicero reticentiam, Celsus obticentiam, nonnulli interruptionem appellant. V. APOSIOPESIS.

OBTĬCĔO, es, ui, n. 2. κατασιγάω, idem fere quod taceo, vel contra cupientem, me loqui, sileo. *Ter. Eun.* 5, 1, 4. Virgo conscissa veste lacrumans obticet. *Id. Ph.* 5, 8, 2. ehem, quid nunc obticuisti? *Just.* 32, 2. Turba querelarum confusus adolescens repente obticuit. *Donat.* ad *l. c. Ter. Eun.* ita distinguit: Tacemus consilia: reticemus dolores: obticemus, quorum nos pudet. Quae discrimina perpetua non sunt. Nam *Hor. A. P.* 284. chorusque Turpiter obticuit, sublato jure nocendi. *Mart.* 10, 17. Solemnesque jocos, nec tristia carmina poscit: Et queritur, nugas obticuisse meas. *Ov. Met.* 14, 522. Addidit obscenis convicia rustica dictis. Nec prius obticuit, quam guttura condidit arbor.

[OBTĬCESCO, is, n. 3. idem ac obticeo. *Not. Tir.* p. 90. Obticuit, obticescit. *F.*]

OBTĬGO, is, a. 3. obtego. *Pl. Most.* 1, 3, 7. amor In pectus perpluit meum, neque jam unquam obtigere possum. Alii leg. *obtegere.*

OBTĬNĔO, es, ui, tentum, a. 2. κρατέω, κατέχω, teneo, habeo, possideo, quasi circum teneo, vel contra aliquem teneo. *Pl. Cas.* 3, 5, 16. obtine aures, amabo. *Cic. Phil.* 2, 19. *f.* Suam quisque domum tum obtinebat, neque erat usquam tua. *Liv.* 1, 16. Romana pubes, velut orbitatis metu icta, moestum aliquando silentium obtinuit. *Caes. B. G.* 1, 1. Una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano; et *ib.* 7. Cujus legationis Numejus, et Verodoctius principem locum obtinebant; et *ib.* 3. Cujus pater regnum in Sequanis multos annos obtinuerat; et *mox:* Propterea quod ipse suae civitatis imperium obtenturus esset. *Liv.* 30, 19. Galliam atque Italiam armis obtinere. *Plin.* 11, 3, 2. Sepiae sanguinis vicem atramentum obtinet; et *ib.* 42, 97. Caseus medicamenti vim obtinet. *Cic. Tusc.* 4, 16. *f.* Proverbii locum obtinet. *Id. Sull.* 6. Quorum alter ap. me parentis gravitatem, alter filii suavitatem obtinebat. *Id. Fam.* 4, 13. *med.* Obtinemus ipsius Caesaris summam erga nos humanitatem.

Id. N. D. 3, 20. Errantes stellae numerum Deorum obtinebunt, *h. e.* inter Deos numerabuntur. Sic *Off.* 2, 12. Numerum obtinent jure caesorum. *Quint.* 10, 5. *med.* Obtinere summam opinionem in scholis; et *Plin.* 34, 2, 2. admirationem, *h. e.* in admiratione esse. *Id.* 15, 18, 19. Africanae ficus patriae nomen obtinent. ℙ *Obtinere provinciam*, regere, administrare, in provincia cum jurisdictione esse. *Caes. B. C.* 1, 30. Sardiniam obtinebat M. Cotta, Siciliam M. Cato, Africam sorte Tubero obtinere debebat. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Cum tu Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres. *Id. Att.* 5, 21. *med.* Ex qua insula nummus nullus, me obtinente, erogabitur. ℙ [*Hic notandum loquendi genus, quo v. *obtinendi* usurpatur de victis regionibus, gentibus, populis, in provinciae formam redigendis. *Tac. Agr.* 23. Quarta aestas obtinendis quae percurrerat insumpta: ubi v. *Walch.*] ℙ Est etiam retinere, conservare, custodire. *Ter. Hec.* 5, 4, 18. Antiquam adeo tuam venustatem obtines, Ut voluptati obitus, sermo adventus tuus, quocumque adveneris, Semper siet. [*V. de h. l. in *obitus.*] *Liv.* 26, 20. Collaudavit milites, quod duabus tantis cladibus deinceps icti, provinciam obtinuissent. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 12. Ut facilitate sua nos eam necessitudinem, quae est nobis cum publicanis, obtinere, et conservare patiantur. *Id. Quint.* 9. *extr.* Neque nobis adhuc, praeter te, quisquam fuit, ubi nostrum jus contra illos obtineremus. *Id. Rosc. Am.* 17. Quod tametsi miserum et indignum est, feret tamen aequo animo, judices, si per vos vitam et famam potest obtinere; et *ib.* 48. Obtinere in perpetuum auctoritatem suam. *Liv.* 29, 1. *med.* Pertinaces ad obtinendam injuriam, *h. e.* ad retinendum sibi, quod injuria aliis ademerant. *Tac. A.* 1, 32. Non tribunus ultra, non castrorum praefectus jus obtinuit: vigilias, stationes ipsi *(milites)* partiebantur. [**Pl. Mil.* 2, 2, 32. Artem et disciplinam obtineat et colorem: ita *Lindem.* docens, *obtinere artem et disciplinam esse*, de artibus consuetis et exercitatione in dissimulando non decedere: et *obtinere colorem*, ut recte *Lamb.*, non mutare colorem, non erubescere neque pallescere, sed semper eodem vultu esse.] ℙ Huc pertinet et illud *Cic. Part.* 37. Quae autem scripta non sunt, ea aut consuetudine, aut conventis hominum, et quasi consensu obtinentur; et *Tusc.* 5, 41. Lex, quae in Graecorum conviviis obtinetur. ℙ Item occupare. *Plin.* 12, 1, 5. Platanus nemorosa vertice, et se vastis protegens ramis, agros longis obtinet umbris. *Lucr.* 3, 1002. Qui non sola novem dispersis jugera membris Obtineat, sed qui terrai totius orbem. *Curt.* 6, 1. Emensus curru omne spatium, quod acies Laconum obtinuerat. *Liv.* 29, 27. Noctem insequentem eadem caligo obtinuit. *Tac. H.* 3, 14. *extr.* Legiones, quas Caecina, ad obtinendam Cremonam praemiserat. ℙ Item consequi, adipisci, vincere, superiorem esse. *Cic. Quint.* 9. *f.* Obtinere jus suum contra aliquem. *Id. Att.* 7, 25. Malas causas semper obtinuit, in optima concidit. *Id. Rosc. Com.* 4. Ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus. *Id. Fam.* 1, 8. *med.* Eo tu consule omnia, quae voles, obtinebis. *Liv.* 35, 10. His obtinuit, ut praeferretur candidato, quem, etc. [**Suet. Caes.* 14. obtinuissetque adeo, — nisi; et 23. Obtinuit, ne reus fieret.] *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. *f.* Quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum. *Gell.* 12, 14. *f.* Impetrare et obtinere. *Cic. Leg.* 1, 22. *f.* Obtinere et adipisci. *Just.* 12, 8. Aegro est ab eo obtentum, ut vellet vivere. [*V. *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 7, 37.] ℙ Cum infinito. *Cic. Fin.* 2, 22. Mallet obtinere existimari bonus vir, ut non sit, quam, etc. Al. rectius leg. *Malet existimari bonus vir*, etc. ℙ *Obtinere rem*, victoriam reportare. *Caes. B. G.* 7, 85. Romani si rem obtinuerint, finem laborum omnium exspectant. ℙ Item probare, sustinere, defendere, evincere. *Cic. Verr.* 2, 3, 71. *extr.* Possumus hoc teste, possumus litteris hominum honestissimorum, possumus auctoritate societatis, quod dicimus, obtinere? an aliqua firmiora, aut graviora quaerenda sunt? *Id. Quint.* 23. *extr.* Non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum auctoritatem adjuvare. *Id. Fin.* 2, 22. Non metuet, sive celare potuerit, sive opibus magnis, quidquid fecerit, obtinere; et *ib.* 4, 28. Stoici se posse putant duas contrarias sententias obtinere. *Arnob.* 4, 133. *extr.* Possumus obtinere, falsum esse quod dicitur. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Tres partes philosophiae congruere inter se, primus obtinuit, *h. e.* affirmavit, asseruit, monstravit. [*Cf. *Gronov.* ad *Tac. H.* 2, 84. coll. *Spald.* ad *Quint.* 7, 1, 6.] ℙ Item praevalere. *Liv.* 5, 49. *f.* Ibi caedes obtinuit: castra capiuntur, etc. Al. leg. *omnia obtinuit. Ulp. Dig.* 2, 4, 4. Cassius in infinitum omnes parentes dicit: quod et honestius est, et merito obtinuit. *Paul. ib.* 42, 1, 36. Et si dissentirent, sententia plurium obtineret. *Petr. Sat.* 2. Simulque corruptae eloquentiae regula stetit, et obtinuit. Sic *obtinere* dicitur consuetudo, quae invaluit, durat, et servatur. *Ulp. Dig.* 1, 16, 7. Ferias secundum mores et consuetudinem, quae retro obtinuit, dare. Et absolute *Id. ib.* 13, 1. Hodie obtinuit, indifferenter quaestores creari tam patricios, quam plebejos. Sic *fama obtinet*, ap. *Liv.* 21, 46. *f.* Malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores, et fama obtinuit. *Sall. Jug.* 20. Quamquam ab ea fama, quae plerosque obtinet, diversum est. Absolute *Id. initio or. ad Caes. de Republ. ord.* 1. Pro vero antea obtinebat, regna atque imperia Fortunam dono dare, etc., sed res docuit, id verum esse, quod in carminibus Appius ait, fabrum esse quemque fortunae. Al. leg. *Populus R. antea obtinebat*, h. e. verum putabat, pro certo tenebat. *Appul. Apol. in.* Certus equidem eram, proque vero obtinebam. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Non ipsos quoque *(Romulum et Remum)* fuisse pastores obtinebit, quod Parilibus potissimum condidere urbem? *h. e.* pro certo habebitur. Vel, non hoc obtinebit, quod, etc. *h. e.* evincet, probabit. ℙ In Pandectis Florentinis scribitur *optineo*, ut videre est ap. *Torrent.* et *Brissonius* testatur. *Quint.* 1, 7. Cum dico obtinuit, *b* litteram ratio poscit, aures magis audiunt *p*.

OBTINGIT, ebat, tigit, imp. 3. [*tango, offendo ad aliquid. Haec enim prima est vocis significatio, quam *Noster* ultimo loco posuerat, sc. *obtingere* pro simplici *tangere* usurpatum docens. *Plaut. fr.* Nam ista mustulentus aestus nares obtigit. Ita *Non.* 4, 476. Sed *idem* 1, 322. habet *attigit*, hunc eundem locum referens. ℙ Tum signif. obvenio, Gr. *λαγχάνω.*] *Cic. Off.* 1, 7. Eorum, quae natura fuerant communia, quod cuique obtigit, id quisque teneat. *Id. Fam.* 2, 19. Cum optatissimum nuncium accepissem, te mihi quaestorem obtigisse. *Id. Vat.* 5. Cum tibi aquaria provincia sorte obtigisset. *Id. Att.* 1, 20. Eam, quam mihi dicis obtigisse, *σπάρταν*, nunquam deseram. *Pl. Cas.* 2, 4, 21. Mihi obtinget sors. *Id. Bacch.* 3, 6, 14. Nullus est, cui non invideant rem secundam obtingere. ℙ Item evenire, accidere, contingere. *Pl. Rud.* 4, 6, 7. eloquere, ut haec res obtigit de filia. *Ter. Heaut.* 4, 3, 5. Istuc tibi ex sententia tua obtigisse, laetor. *Id. Andr.* 3, 5, 2. atque hoc confiteor Jure mihi obtigisse, quandoquidem tam iners sum. *Pl. As.* 3, 3, 136. animo sis bono, face: exoptata obtingent. *Cic. Cat.* 4, 2. Si quid mihi obtigerit, aequo animo paratoque moriar, *h. e.* humanitus acciderit.

OBTINNIO, is, n. 4. idem ac tinnio. *Appul. Apol.* Ecquid illi aures obtinnirent.

OBTISTROTUM. V. OPTOSTROTUM.

[OBTORPEO, es, n. 2. idem ac obtorpesco. *Not. Tir.* p. 94. Torpet, intorpet, contorpet, obtorpet. *Gloss. Philox.* Obtorpeo, *καταναρκῶ. F.*]

OBTORPESCO, is, ui, n. 3. *ἀποναρκάω*, valde torpesco, obstupesco, languesco. *Liv.* 22, 3. *f.* Signum effodiant, si ad convellendum manus prae metu obtorpuerint. Adde *Cic. Dom.* 52. *f. Sen. Contr.* 1, 1. *med.* Oculi subita caligine obtorpuerunt. *Plin.* 9, 42, 67. Novit torpedo vim suam, ipsa non torpens, mersaque in limo se occultat, piscium qui securi supernatantes obtorpuere, corripiens. *Id.* 8, 27, 41. Anguis, si squamae obtorpuere, spinis juniperi se scabit, *h. e.* duriores factae sunt. ℙ Saepe transfertur ad animum. *Cic.* vertens *Eurip.* versus *Tusc.* 3, 28. Sed jam subactus miseriis obtorpui. *Liv.* 34, 38. *f.* Circumfuso undique pavore ita obtorpuit, ut nec dicere, quid in rem esset, nec audire posset. *Id.* 32, 20. Obtorpuerant quodammodo animi. *Appul. Apol.* Repentino mentis nubilo obtorpescunt.

OBTORQUEO, es, orsi, ortum, a. 2. *συστρέφω*, vehementer torqueo. *Stat. Th.* 5, 414. dextrasque obtorquet in undas Proram. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 66. M. Livius Drusus consuli legibus agrariis resistenti ita collum in comitio obtorsit, ut sanguis efflueret e naribus.

OBTORTIO, onis, f. tortio, contortio. *Fulg. de prisc. serm.* in *Exercitus:* Valgia sunt labellorum obtortiones.

OBTORTUS, a, um, part. ab *obtorqueo:* tortus, vel valde tortus. *Virg. A.* 5, 159. it pectore summo Flexilis obtorti per collum circulus auri. *Cic. Verr.* 2, 4, 10. Obtorta gula in vincula abripi jussit. *Pl. Poen.* 3, 5, 45. Obtorto collo ad praetorem trahi. *Appul. Met.* 3. Domus januas, cardinibus obtortis, evellere gestientes. *Petr. fr.* ap. *Fulg. de prisc. serm.* Obtorto valgiter labello.

OBTRAHO, is, a. 3. *Tert. Virg. vel.* 15. Si tentationibus gradum obtraxerit. Al. leg. *obstruxerit.*

OBTRECTATIO, onis, f. *διασυρμός, ζηλοτυπία*, actus obtrectandi, reprehensio, vituperatio, maledictio. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Quorum malevolentissimis obtrectationibus nos cito de vetere illa nostra sententia prope jam esse depulsos. *Tac. H.* 1, 1. Obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur; et *ib.* 3, 37. Nulla in oratione cujusquam erga Flavianos duces obtrectatio. ℙ Definitur a *Cic.* ipsa aegritudo *Tusc.* 4, 8. Obtrectatio est ea, quam intelligi zelotypiam volo, aegritudo ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ipse concupierit. Differt ab *invidia*, ut *ib.* colligitur, quia haec doleat rebus secundis alterius, a quo nihil laeditur: *obtrectatio* est in his, quibus laedi se quis putat. V. OBTRECTO. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. Malevolorum obtrectationes et invidias prosternere. *Caes. B. C.* 1, 7. Injurias inimicorum in se commemorat, a quibus diductum et depravatum Pompejum queritur invidia atque obtrectatione laudis suae. *Liv.* 28, 40. Obtrectatio atque invidia adversus crescentem in dies gloriam fortissimi consulis. *Cic. Font.* 8. Inimicum esse alicui ex civilibus studiis, atque obtrectatione domestica. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 15. Obtrectatione et malevolentia liberatus. *Just.* 32, 2. Quae res Demetrio non gratiam legationis, sed odium obtrectationis comparavit. *Nep. Att.* 20. Inter quos maximarum rerum non solum aemulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam, etc. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 18. Haec res habet obtrectationem, *h. e.* obtrectationi est subjecta. *Cic. Brut.* 42. Tantum abest ab obtrectatione invidiae, etc. Al. leg. *invidiaque. Liv.* 2, 40. Non inviderunt laudes suas mulieribus viri Romani: adeo sine obtrectatione gloriae alienae vivebatur.

OBTRECTATOR, oris, m. *κατάλαλος, διάβολος*, qui obtrectat, maledicus, invidus, calumniator. Quomodo ab *invido* differat, V. in v. praec. *Cic. Fl.* 1. Si forte beneficii hujus obtrectator, aut virtutis hostis, aut laudis invidus exstitisset. *Id. Planc.* 23. *med.* Nonnulli nostri iniqui, multi communes obtrectatores, atque omnium invidi multa finxerunt. *Id. Fam.* 1, 4. A tuis invidis et obtrectatoribus nomen inductum fictae religionis. *Id. Brut.* 1. Dolebam, quod non adversarium, aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius, et consortem gloriosi laboris amiseram. *Id. Fl.* 28. In tam suspiciosa ac maledica civitate locum sermoni obtrectatorum non reliquit. *Suet. Caes.* 55. Purgare se adversus obtrectatorum criminationes; et *ib.* 45. Calvitii deformitatem iniquissime ferebat, saepe obtrectatorum jocis obnoxiam expertus. *Just.* 31, 6. Huic sententiae obtrectatores amici regis erant.

OBTRECTATUS, us, m. idem ac obtrectatio. In sexto casu sing. *Gell. praef. med.* Ut sine vano obtrectatu considerent.

OBTRECTO, as, avi, atum, a. 1. *διαύω, διαβάλλω*, ex invidentia male dico, dicta et facta alicujus vitupero, calumnior, reprehendo. *Gloss. Phil.* Obtrectat, *ἀντιπράττει. Cic. Tusc.* 4, 20. Ipsum illud aemulari, obtrectare, dicunt non esse inutile, cum aut se non idem videat consecutum, quod alium; aut alium idem, quod se; et *ib.* 26. Obtrectare vero alteri, aut illa vitiosa aemulatione, quae rivalitati similis est, aemulari, quid habet utilitatis? cum sit aemulantis angi alieno bono, quod ipse non habeat; obtrectantis autem angi alieno bono, quod id etiam alius habeat. V. OBTRECTATIO. *Id. Ac.* 4, 6. Arcesilas Zenoni obtrectans nihil novi reperienti. *Nep. Arist.* 1. Aequalis fere fuit Themistocli. Itaque cum eo de principatu contendit. Namque obtrectarunt inter se. [*Recte monet *Brem.* ad h. l., *obtrectare* non in malam partem, sed in universum dictum esse ad significandam agendi rationem eorum, qui in rebus ad rempublicam regendam pertinentibus diversam sententiam sequerentur.] *Liv.* 36, 34. Iratus Aetolis, quos solos obtrectasse gloriae suae, cum liberaret Graeciam, meminerat. *Id.* 8, 36. Cessatum a milite, ac de industria, ut obtrectaretur laudibus ducis, impedita victoria est. *Cic. Manil.* 8. *extr.* Qui huic obtrectant legi, atque causae. ℙ Cum accusativo est damnare, culpare, carpere. *Phaedr. epil.* 2. Si livor obtrectare curam voluerit. *Id. prol.* 5. Hunc *(libellum)* obtrectare si volet malignitas, Imitari dum non possit, obtrectet licet. *Liv.* 45, 37. Cui nullum probrum dicere poterat, ejus obtrectare laudes voluit. *Tac. A.* 1, 17. *extr.* Non obtrectari a se urbanas excubias. *Auct. Dial. de Or.* 25. Invicem se obtrectaverunt. *Plin.* 9, 35, 58. Lautitiam omnem, apparatumque obtrectans. Addunt et ex *Cic. Phil.* 10, 3. Consuetudo plerisque in rebus obtrectandi bonos. Al. tamen rectius leg. *bonis.* ℙ Obtrectat, inquit *Fest.*, contra sententiam tractat. Hinc *obtrectare aliquid manibus* pro attrectare, contrectare contra alicujus voluntatem, dixit *Hieron. Vit. Pauli*, *n.* 3. Sunt qui *adtrectare* legunt.

OBTRITIO, onis, f. actus obterendi. *August. serm. de divers.* 8, 4. Accedite ad eum in obtritione cordis.

OBTRITUS, a, um, part. ab *obtero: περιτριβής*, protritus, conculcatus. *Colum.* 6, 4. *med.* Pellem serpentis obtritam cum vino miscent. *Cic. Or.* 3, 86. Ruina conclavis obtriti. *Lucr.* 3, 907. Urgerive superne obtritum pondere terrae. *Lucan.* 3, 656. Obtrita ossa. *Val. Max.* 1, 6. *n.* 11. Sed illae clades aliquanto majores: legionum interitus, signa hostilibus intercepta manibus, obtritum equitatum, etc. ℙ Translate. *Pl. Curc.* 4, 4, 17. Meae pugnae proeliares plurimae obtritae jacent, *h. e.* contemptae, spretae.

OBTRITUS, us, m. actus obterendi. In sexto casu sing. *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 4. Ne herbae obtritu hebetentur.

OBTRUDO, is, usi, usum, a. 3. *προσωθίζομαι*, idem quod trudo, vel contra aliquem trudo, vi pel-

lo. *Pl. Men.* 3, 3, 26. Jamne abiit intro? abivit, obtrusit fores. Al. leg. *operuit*. *Cic. Verr.* 2, 4, 36. Qui non obtrusit aliqua ex parte monimenta P. Scipionis, sed funditus sustulit et delevit, *h. e.* loco movit, evertit. Sunt qui suspicantur legendum *obtrivit*, alii *obruit*, alii *obstruxit*. *Appul. Met.* 7. *f.* Ardentem titionem mediis inguinibus obtrudit. ℙ Significat interdum avide in os immittere, et quasi gulam cibo infercire. V. OBSTRUDO. ℙ Item claudere. V. *ib.* ℙ Saepissime vero ponitur pro invito et repugnanti offerre, aut dare. *Ter. Andr.* 1, 5, 15. ea quia nemini obtrudi potest, Itur ad me. *Id. Hec.* 3, 1, 16. nunquam ausus sum recusare eam, quam mihi obtrudit pater. ℙ *Obtrudere palpum alicui* est blanditias invito alicui adhibere, ut decipias: *αἰκάλλειν*. *Pl. Ps.* 4, 1, 35. Ego istuc aliis dare condidici: mihi obtrudere non potes palpum.

OBTRUNCĀTĬO, onis, f. *κατακοπή*, actus obtruncandi. *Colum.* 4, 29. Quod tum et obtruncatione vitis, et cum ejusdem refectionis fissura praecipit fieri.

OBTRUNCĀTUS, a, um, part. ab *obtrunco: κατακοφθείς*, trucidatus, occisus. *Sall. Jug.* 71. Juxta boni malique, strenui et imbelles, inulti obtruncati.

OBTRUNCO, as, avi, atum, a. 1. *κατακόπτω*, trunco, abscindo, caedo. *Colum.* 4, 29. *med.* Atque ita superficies insitae vitis usque ad receptum surculum obtruncatur. ℙ Item concidere, trucidare, occidere. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 9, 5. Ceteri vice pecorum obtruncabantur. *Id. Jug.* 102. Equites, pedites permixti caedere alios, alios obtruncare. *Vet. Poeta* ap. *Cic. N. D.* 3, 26. Puerum interea obtruncat, membraque articulatim dividit, Perque agros passim dispergit corpus. *Liv.* 1, 5. *f.* Ita regem obtruncant. *Virg. G.* 3, 374. cervos Cominus obtruncant ferro. *Pl. Aul.* 3, 4, 10. Capio fustem, obtrunco gallum furem manifestarium. *Justin.* 33, 2. Veluti jacentem obtruncaturus.

[OBTRŪSĬO, onis, f. immissio. *Coel. Aurel. Acut. praef.* 7. Corpusculorum obtrusio. *F.*]

OBTŪĔOR, eris, dep. 2. *ἐφοράω*, intentis oculis aspicio, contra intueor. *Pl. Bacch.* 4, 4, 17. numqui nummi exciderunt, here, tibi, quod sic terram Obtuere? *Id. Most.* 1, 1, 66. quid tu me nunc obtuere, furcifer? ℙ Pro simplici intueor, aut video. *Id. ib.* 3, 2, 153. nullam pictam conspicio hic avem. *Tra.* ignosco: aetate non quis obtuerier: *παραγωγή*. Sic *Amph.* 3, 2, 18. Quonam te avertisti? *Alc.* ita ingenium meum est: Inimicos semper osa sum obtuerier.

OBTŪĪTUS, us, m. V. OBTUTUS.

OBTŪMESCENS. V. OBMUTESCENS.

OBTUNDO, is, udi, usum, a. 3. *κατακόπτω*, idem quod tundo, aut contra tundo. *Firm. Math.* 5, 5. Qui aliquo dolore perculsi et caput plangant, et pectora pugnis obtundant. ℙ *Obtundere aciem ferri* est ita tundere, ut crassior fiat, et hebetetur, caedendoque inepta sit. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 166. Nonne vides, ut nostra soror Clementia tristes Obtundat gladios? V. OBTUSUS. ℙ Ab acie ferri transfertur ad oculos, cum hebetiores fiunt, et minus vident. *Plin.* 22, 25, 70. Lens aciem oculorum obtundit, et stomachum inflat. *Claud. VI. cons. Honor.* 51. acies stupet igne metalli, Et circumfuso trepidans obtunditur auro. ℙ Item ad aures, cum minus audiunt. *Plin.* 24, 11, 50. Arundinum lanugo illita auribus obtundit auditum. ℙ Hinc *obtundere aures*, et *obtundere* absolute; praesertim cum vel nimio clamore, vel eadem saepius repetendo, vel diutius, quam par est, loquendo molesti sumus. *Cic. Or.* 66. Ne brevitas defraudasse aures videatur, neve longitudo obtudisse. *Id. Att.* 8, 1. *extr.* Ego si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderem. *Id. Fam.* 5, 14. *f.* Cupio non obtundere te, si non delectare nostro studio. In ep. *Timarch.* ap. *eund. Verr.* 2, 3, 67. *med.* Obtuderunt ejus aures, te socium praetoris fuisse. *Ter. Ad.* 1, 2, 33. ne me obtundas de hac re saepius. *Id. Andr.* 2, 2, 11. obtundis, tametsi intelligo. *Gell.* 4, 9. *f.* Verba, si perpetua, atque infrunita, et obtundentia, neque laudabilia, neque utilia sunt. ℙ Item ad vocem, cum minus acuta et sonora fit. *Plin.* 32, 9, 31. Myaces fauces vexant, vocemque obtundunt. *Cic. Or.* 2, 70. Cum patronus vocem in dicendo obtudisset. Adde *Liv.* 7, 2. *med.* ℙ Saepe ad animum. *Cic. Tusc.* 1, 33. Multa e corpore exsistunt, quae acuant mentem, multa, quae obtundant. *Id. Or.* 3, 24. Non quo acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. ℙ *Obtundere aegritudinem*, ejus vim infirmare. *Cic. Tusc.* 3, 16. Nihil est, quod tam obtundat enervetque aegritudinem, quam, etc.

OBTUNSĬO, onis, f. actus obtundendi, percussio. *Lamprid. Commod.* 10. Quem vidisset albescentes inter nigros capillos quasi vermiculos habere, sturno apposito, qui se vermes sectari crederet, capite suppuratum reddebat obtunsionibus.

OBTUNSUS pro *obtusus* legunt nonnulli (inter quos *Pierius*) ex MSS. ap. *Pl. Cas.* 5, 1, 8. Obtunso ore, *h. e.* pugnis verberato. *Virg. G.* 1, 262. Vomeris obtunsi dentem; et *ib.* 3, 135. obtunsior usus. *Gell.* 13, 24. *med.* Obtunso ingenio esse. *Auct. Pan. ad Constant.* 12. *extr.* Collisi, obtunsique gladii. *Appul. Met.* 9. Offenso lapide, atque obtunsis digitis. Alii passim *n* exterunt.

OBTŪOR, ĕris, dep. 3. idem quod obtueor: a *tuor*. *Accius* ap. *Non.* 2, 696. Quibus oculis quisquam nostrum poterit illorum obtui vultus?

OBTURĀCŪLUM, i, n. obturamentum. *Marcell. Empir.* 35. *med.* Diligenter et spisse foramen ejus (*cacabi*) obturandum erit, atque ubi congelaverit se adeps, extrahendum obturaculum erit.

OBTURĀMENTUM, i, n. *ἔμφραξις, ἐπιστόμισμα*, id quo quippiam obturatur. *Plin.* 16, 8, 13. de subere: Usus ejus cadorum obturamentis. *Id.* 33, 4, 21. Repleto stagno, excussis obturamentis, erumpit torrens tanta vi, ut saxa provolvat.

OBTURĀTUS, a, um, part. ab *obturo: ἐμφρακτος*, occlusus, obstructus. *Cic. Fat.* 5. Stupidum esse Socratem dixit, quod jugula concava non haberet: obstructas eas partes et obturatas esse dicebat. *Plin.* 20, 6, 21. Obturatae nares; et 29, 2, 9. aures. *Vitr.* 7, 12. Dolia operculis obturant, ne spiramentum obturata emittant. *Plin.* 34, 18, 54. Obturati urcei.

OBTURBĀTOR, oris, m. qui obturbat. *Ascon.* in *Cic. Div. Verr.* 15. *f.* Nisi quem forte ex illo grege moratorum, etc. Obturbatores quosdam, sordidosque causidicos significat, qui adhibebantur ad moram faciendam, etc. V. MORATOR.

OBTURBĀTUS, a, um, part. ab *obturbo*. *Plin.* 8, 18, 26. Obturbata proculcatione prius aqua.

OBTURBO, as, avi, atum, a. 1. *παρενοχλέω, ὑποκρούω*, turbo, conturbo, perturbo. *Cic. Att.* 12, 18. Obturbare solitudinem; et *ib.* 16. *extr.* Me scriptio et litterae non leniunt, sed obturbant. *Tac. H.* 3, 25. Obturbare hostes. Adde *A.* 1, 66. ℙ Obstrepere, obloqui, reclamare, impedire loquentem. *Ter. Andr.* 5, 4, 23. Itane vero obturbat? *Pl. Poen.* 1, 2, 49. sine amem: ne me obturba, ac tace. *Tac. H.* 3, 10. Obturbabatur militum vocibus Aponius, cum loqui coeptaret. Adde *A.* 6, 24., *Suet. Aug.* 86. et *Plin. ep.* 9, 13.

OBTURGESCO, is, ursi, n. 3. turgesco, *οἰδίσκω*. *Lucret.* 6, 658. Obturgescit enim subito pes. Al. leg. *obbrutescit*. *Fest.* in *Boa*: A qua icti obturgescunt. *Lucil.* ap. *Prisc.* 9, 870. Obtursi ebrius.

OBTŪRO, as, avi, atum, a. 1. *ἐμφράττω, ἐπιστομίζω*, obstruo, occludo, oppilo. *Festus* ducit a *θύρα*, ostium: unde quidam scripsere *obthuro:* quod plerisque aliis non placet. *Voss.* in *Etym.* derivat a *tus*, his fretus *Varronis* ap. *Non.* verbis, quae tamen reperire minime nobis datum fuit: Atque etiam sacerdotes aures suas ture replebant, ne peregrinis verbis intercedentibus confusa carminum memoria turbarentur. [*Doederl.* 3, 167. docet, id quod minime rejiciendum videtur, verba *obturare* et *returare* = *obtusare* et *retusare* (discrimine nonnisi pronuntiationis asperius factae interposito) esse frequentativa verborum *obtundere* et *retundere*, significationis similitudinem inter *obturare* et *obtundere* demonstrans his locis: *Cic. Tusc.* 3, 16. Nihil est, quod tam obtundat enervetque aegritudinem; et *Lucr.* 4, 870. Cibus — patentem per membra ac venas ut amorem obturet edendi. *Auct. ad Her.* 3, 9. Si vehementer aures auditorum obtusae videbuntur. *Hor. Ep.* 2, 105. Obturem patulas impune legentibus aures.] *Cato R. R.* 154. Labrum imum pertundito: ea fistulam subdito, uti obturarier recte possit. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* de apib.: Extra ostium alvei obturant omnia, qua venit inter favos spiritus. *Colum.* 12, 48. *med.* Amphoras fasciculis foeniculi obturare. *Plin.* 19, 10, 58. Limo aut ciner obturare foramina. *Pl. Aul.* 2, 4, 25. Obturare gutturem. *Id. Stich.* 1, 2, 57. os. ℙ Part. *Obturans* ap. *Vitr.* 10, 12. Assibus obturantibus foramina. *Obturandus* V. in OBTURACULUM.

OBTŪSĔ, adv. obtusa acie. [*Cic. N. D.* 1, 25. quo quid dici potest obtusius?] *Solin.* 32. *med.* Crocodili in aqua obtusius vident, in terra acutissime.

OBTŪSĬO, onis, f. ut Obtusio sensuum, apud *Tert. adv. Marc.* 3, 6. est stupiditas.

OBTŪSUS, a, um, part. ab *obtundo:* verberatus, percussus. *Pl. Amph.* 2, 1, 59. sum obtusus pugnis pessime. ℙ Est etiam retusus, crassus, acumine carens, et pungendo, caedendove minime aptus, *ἀμβλύς*. *Colum.* 4, 24. *f.* Obtusa, et hebes, et mollis falx putatorem moratur. *Tac. A.* 15, 54. Pugionem vetustate obtusum saxo asperare. *Ov. Met.* 1, 471. Obtusum telum. *Virg. G.* 1, 261. durum procudit arator Vomeris obtusi dentem. *Plin.* 18, 35, 79. Cornua lunae obtusa pluviam; erecta et infesta ventos significant. *Lucr.* 4, 356. Obtusus angulus. ℙ Dicitur et de acie oculorum, quae hebes est, et minus videt: et translate de acie mentis, et ingenii. *Cic. Sen.* 23. Nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat et longius, videre, se ad meliora proficisci; ille autem, cujus obtusior sit acies, non videre? *Id. fragm.* ap. *Lactant.* 3, 14. *med.* Mihi autem non modo ad sapientiam caeci videmur, sed ad ea ipsa, quae aliqua ex parte cerni videantur, hebetes et obtusi. *Tac. Agr.* 9. Castrensis jurisdictio secura et obtusior, ac plura manu agens, calliditatem fori non exercet. *Gell.* 13, 24. *med.* Obtuso ingenio esse. *Arnob.* 1, 15. Nos hebetes, stolidi, fatui, obtusi pronunciamur, et bruti. ℙ *Obtusa lux*, parum nitens, subobscura, caliginosa. *Virg. G.* 1, 395. Nam neque tum stellis acies obtusa videtur, etc. ℙ *Obtusae aures*, tardae, subsurdae. *Stat. Silv.* 5, 1, 170. Jamque cadunt vultus, oculisque novissimus error, Obtusaeque aures, nisi cum vox sola mariti Noscitur. Adde *Cels.* 2, 8. et 8, 14. ℙ Item defatigatae. *Auct. ad Her.* 3, 9. *f.* Si vehementer aures auditorum obtusae videbuntur, atque animi defatigati ab adversariis multitudine verborum. *Sil.* 11, 289. obtusae aures immiti murmure tubae. ℙ *Obtusa vox*, minus clara. *Quint.* 11, 3. Vox candida et fusca, plena et exilis, dura et flexibilis, obtusa et clara. ℙ *Obtusae fauces. Id. ib.* Fauces tumentes strangulant vocem, obtusae obscurant, rasae exasperant, cum nempe vox obtunditur. V. OBTUNDO. ℙ *Obtusior usus* alicujus membri a *Virg.* dicitur *G.* 3, 135., cum illud sensu acuto caret, et vivido. Sic *obtusus stomachus*, languidus. *Plin. ep.* 7, 3. Si coenam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutosque miscerem, ut obtusus illis et oblitus stomachus, his excitaretur. ℙ Hinc translate. *Virg. A.* 1, 567. Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni, *h. e.* non adeo stupidi sumus, aut rustici, et crudeles. ℙ *Obtusae vires*, infirmae, fractae, languidae. *Lucr.* 3, 453. obtusis ceciderunt viribus artus. *Liv.* 5, 18. Sensus oculorum atque aurium hebetes, vigor animi obtusus. ℙ *Obtusum venenum*, sine vi. *Calpurn. Ecl.* 5, 94. de angue: Marcet, et obtuso jacet exarmata veneno.

OBTŪTUS, us, m. *πρόσοψις*, aspectus, inspectio: ab *obtueor*, quasi obtuitus. [**Cic. Div.* 59. Quodam obtutu oculorum duo pro uno lucernae lumina (videntur), i. e. oculorum directione, *Richtung des Blicks.*] *Cic. Or.* 3, 5. Qui vultum ejus, cum ei dicendum esset, obtutumque oculorum in cogitando probe nosset. *Id.* in *Arat. N. D.* 2, 42. Obtutum aliquo figere. *Id. Univ.* 8. Effugit obtutum oculorum animus. [**Id. N. D.* 3, 4. *in.* Cur contuerere autem altero oculo, causa non esset; quum idem obtutus esset amborum, *da die Sehe in beiden gleich ist.*] *Quint.* 1, 2. *med.* Visus fatigatur continuo obtutu oculorum. *Sen. Agam.* 137. circuit pallor genas, Jacensque vultus languido obtutu stupet. *Virg. A.* 1, 499. Dum stupet, obtutuque haeret defixus in uno; et *ib.* 7, 249. defixa Latinus Obtutu tenet ora, soloque immobilis haeret; et *ib.* 12, 666. Obtutu tacito stetit. *Val. Fl.* 7, 88. et tandem obtutu consurgit ab alto, *h. e.* in terram diu defixo: ut dicitur *altus sopor*, *altus timor*, etc. Quidam codex, teste *Burm.*, habet *obtuitu*. ℙ [Est etiam pro oculo. *Appul. Met.* 1. Isto gemino obtutu circulatorem aspexi. *F.*] ℙ Translate. *Ov. Trist.* 4, 1, 39. Semper in obtutu mentem vetat esse malorum. ℙ In plur. num. *Prud. Hamart.* 915. Nil intercurrens obtutibus.

OBVĀGĬO, is, n. 4. *ἀντιβεβάζω*, vagitu obstrepo, contra, seu circum vagio. *Pl. Poen. prol.* 31. Ne esurientes hic quasi hoedi obvagiant.

OBVĀGŪLĀTUM ire, prisca formula in Leg. XII. Tab., ut est ap. *Fest.* in *Portum. Id.* in *Vagulatio:* Vagulatio in lege duodecim Tabularum significat quaestionem cum convicio. Cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito, *h. e.* tribus continuis nundinis eat ad domum adversarii sui, ibique obversetur, et cum clamore et convicio sua repetat. *Portus* enim ibi pro domo positus est. Putant autem ipsam vocem esse a *vagio*, unde fieri *vagilo*, seu *vagulo*, et *obvagulo*. Alii a *vagor* deducunt. V. PIPULUM.

OBVALLĀTUS, a, um, part. ab *obvallo:* quasi vallo opposito munitus, et clausus. *Cic. Agr.* 2, 1. Eum locum, quem nobilitas praesidiis firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce rescidistis, virtutique in posterum patere voluistis.

OBVALLO, as, a. 1. vallo claudo. *Festus* in *Ob:* Ob praepositio alias ponitur pro circum, ut cum dicimus, urbem obsideri, obsignari, obvallari.

OBVĀRĬCĀTOR, oris, m. qui cuipiam occurrit, quominus rectum iter conficiat. *Paulus* ex *Festo.*

OBVĀRO, as, a. 1. *διαστρέφω*, depravo, perverto: a *varis*, idest qui introrsum pedes intortos habent. *Enn.* ap. *Non.* 2, 606. Nam consiliis obvarant.

*OBUCŬLA, ae, f. opp. Hispaniae Baeticae, ad Baetim flumen. *Hirt. B. Alex.* 5. *Ant. It.* ℙ *Obulcula* est *Plin.* 3, 1. *B. A.*

OBVĔNĬENTĬA, ae, f. eventus, qui aliunde obvenit. *Tert. adv. Valent.* 29. De obvenientia superducant.

OBVĔNĬO, is, n. 4. *ἀντάω*, obviam, vel contra, sive coramvenio. *Cic. Att.* 2, 12. *f.* Eas daturus eram ei, qui mihi primus obvenisset. Al. melius leg. *obviam venisset*. [**Orell.* vulg. retinet.] ℙ

Item advenio. *Liv.* 29, 34. Jubet cedere paulatim: se in tempore pugnae obventurum. Al. leg. *venturum.* [*Id quidem nihili est; sed *obvenire* eadem ratione dictum est, qua alias *occurrere*, nimirum: se in tempore laborantium pugnam susceppturum.] ℙ Saepius est obtingere. *Cic. Verr.* 2, 2, 6. Simulatque ei sorte provincia Sicilia obvenit. *Caes. B. C.* 1, 6. Provinciae decernuntur: Scipioni obvenit Syria, Domitio Gallia. *Cic. Verr.* 2, 2, 7. Quod hereditas ei obvenisset. *Varr. R. R.* 1, 12. Istiusmodi mi fundus hereditate obvenit. *Caes. B. G.* 7, 81. *f.* Quibus eae partes ad defendendum obvenerant. *Just.* 38, 5. Paphlagonia, quae non vi, non armis, sed adoptione testamenti hereditaria patri suo obvenisset. ℙ Item contingere, evenire, accidere. *Cic. Phil.* 2, 33. Id igitur obvenit vitium, quod tu jam cal. Januar. futurum esse provideras. *Pl. Truc.* 2, 6, 40. haud ab re tibi obvenit istic labos. *Id. As.* 2, 2, 15. Obvenit occasio. *Suet. Vesp.* 21. Post decisa, quaecumque obvenissent, negotia.

OBVENTĬCIUS, a, um, adj. qui obvenit, qui casu contingit. *Tert. adv. Marc.* 2, 3. Obventicia bonitas.

OBVENTĬO, onis, f. quidquid praeter agrorum fructus alicui accedit ex industria, ut mercedes ex vectura jumentorum, navium, locatione, pensionibus, etc. *Ulp. Dig.* 14, 1, 1. *med.* Exercitorem eum dicimus, ad quem obventiones et reditus omnes perveniunt. *Id. ib.* 27, 9, 12. *med.* Vel in fructibus conditis, vel etiam in redituum spe, atque obventionum. Adde *ib.* 7, 1, 7.

OBVENTUS, us, m. occursus, adventus. *Tert. Anim.* 41.

OBVERBĔRO, as, a. 1. idem quod verbero. *Appul. Met.* 7. Inscensum (*asinum*) baculo obverberans; et *ib.* 9. Ferula nates ejus obverberans; et *ib.* Comites ejus pugnis obverberant.

OBVERSĀTĬO, onis, f. παρόντασις, actus obversandi, huc illuc itio. *Cic. Mur.* 24. Moestos amicos, obversationes, testificationes, seductiones testium, secessionem subscriptorum animadvertebant. Ita quidam *lexicographi:* verum in optimis codicib. legitur *observationes.*

[OBVERSĀTUS, a, um, part. ab *obversor:* qui obversatur. *Liv.* 2, 36. Aegro animi eadem illa in somnis obversata species, visa est rogitare, etc. *F.*]

OBVERSE, adv. *Colum.* 9, 7. *med.* Domicilia apum obverse ad hibernum orientem componi debebunt, ut apricum habeant apes matutinum egressum, et sint experrectiores. Al. leg. *obversa.*

OBVERSOR, aris, atus sum, dep. 1. παρόναμαι, διατρίβω, ante aliquem versor, appareo, adsum. [**Liv.* 31, 11. Magnam partem eorum (transfugarum) palam Carthagini obversari dici: et sic multis in locis ap. *Liv.* v. *Gloss. Liv.* s. h. v.] *Plin. ep.* 5, 21. Sedebant judices, obversabantur advocati. *Id. ep.* 6, 16. *med.* Nam meatus animae ab iis, qui limini obversabantur, audiebatur. *Id. Pan.* 48. Obversabantur foribus horror et minae, et par metus admissis et exclusis. *Tac. A.* 3, 37. Obversans in urbe inter coetus et sermones hominum. ℙ Saepe dicitur de iis, quae oculis aut menti apparent, ut spectra, visa, species. *Cic. Sext.* 3. Sed mihi ante oculos obversatur reipublicae dignitas, quae me ad se rapit. *Id. Tusc.* 2, 22. Obversantur animo honestae species. *Liv.* 35, 11. Caudinae cladis memoria non animis modo, sed prope oculis obversabatur. *Plin.* 24, 17, 102. Hac pota lymphari homines, obversantibus miraculis, *h. e.* animo miras rerum species imaginante. *Lucr.* 4, 1055. Illius et nomen dulce obversatur ad aures. ℙ Pro adversari. *Tert. adv. Gnost.* 5. Malo obniti et obversari nisi bonum non potest. ℙ Etiam *obverso, as*, dictum est, teste *Prisc.* 8, 799.

OBVERSUS, a, um, part. ab *obverto:* ἀντίστροφος, erga aliquem conversus, adversus. *Plin.* 17, 3, 2. In aquilonem obversas vites et arbores poni suasere. *Colum.* 7, 3. *f.* Ne pascentium capita sint obversa soli. *Ov. Met.* 12, 467. faciemque obversus in agmen utrumque. *Sil.* 10, 110. Obversam spectans ora ad Phaethontia prolem. *Tac. A.* 4, 54. Obversus ad matrem, non mirum, ait, si, etc.; et *ib.* 67. Aestas in Favonium obversa, et aperto circum pelago peramoena. *Flor.* 2, 6. *med.* Romani adversus solem, pulverem, Eurum obversi. ℙ Cum accus. *Appul. Met.* 2. Tunc orientem obversus, et incrementa solis tacitus imprecatus. ℙ Absolute. *Tac. A.* 12, 14. Carrhenam, profligatis obversis longius evectum, integer a tergo globus circumvenit, *h. e.* adversis, et resistentibus. ℙ Translate. *Tac. H.* 3, 83. Miles ad sanguinem, et caedes obversus; et *ib.* 11. Uni Antonio vix ac potestas in utrumque exercitum fuit, cedentibus collegis, et obversis militum studiis.

OBVERTO, is, erti, ersum, a. 3. ἀντιστρέφω, versus, erga, aut contra aliquem verto, converto. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Fam.* 9, 26. Quem aspectabant: cujus ob os ora Graji obvertebant sua. *Virg. A.* 6, 3. Obvertunt pelago proras. *Plin.* 14, 21, 27. Fenestras cellae vinariae obverti in aquilonem oportere. *Ov. Met.* 12, 605. arcus obvertit in illum, Certaque letifera direxit spicula dextra. *Id. Her.* 19, 191. caeruleas quoties obvertor ad undas. *Pl. Ps.* 4, 3, 3. Nimis ego illum hominem metuo, Ne in re secunda nunc mihi obvertat cornua. *Liv.* 27, 28. *med.* Inde primo turbata acies est, dum ad circumsonantem undique clamorem cornua, et obvertere ordines volunt.

OBVĬAM, adv. εἰς ἀπάντησιν, *ob*, idest contra *viam*, adversus, contra. *Cic. Mil.* 10. Fit obviam Clodio ante fundum ejus. *Pl. Bacch.* 4, 4, 16. quem quaero, optime ecce obviam mihi est. *Cic. Phil.* 2, 22. Caesari ex Hispania redeunti obviam longissime processisti; et *ib.* 24. et *Fam.* 3, 7. Prodire obviam alicui. *Id. Mur.* 33. venire; et 32. ire; et *Fam.* 14, 5. properare. *Caes. B. G.* 7, 12. proficisci; et 28. contra venire; et *B. C.* 1, 18. exire. *Liv.* 7, 10. progredi. *Cic. Fam.* 3, 7. et *Att.* 12, 5. mittere. *Pl. Amph.* 3, 4, 2. obsistere. *Id. Asin.* 2, 3, 24. et 2, 4, 6. occedere. *Id. Epid.* 2, 2, 30. occurrere. *Id. Men.* 5, 8, 8. praecurrere. *Id. Ps.* 1, 3, 20. accedere. *Cic. Planc.* 40. ferre se. *Ter. Ad.* 3, 2, 24. offerre se. *Liv.* 1, 16. *med.* dare se. *Id.* 5, 23. Adventus dictatoris, omnibus ordinibus obviam effusis, celebratior fuit. *Ter. Phorm.* 1, 4, 19. ipse est, quem volui obviam. *Pl. Ps.* 2, 1, 18. quis hic est, Qui oculis meis obviam objicitur? et 4, 8, 5. minas, Quas promisi, obviam ei ultro deferam. *Gell.* 17, 4. Eum cum habuisset forte obviam, quaeso, inquit, etc. ℙ Translate. *Pl. Capt.* 3, 3, 6. Nec sycophantiis, nec fucis ullum mantellum obviam est, *h. e.* adest, in promptu est. *Id. Cas.* 3, 4, 28. amanti mihi tot obviam eveniunt morae, *h. e.* interponunt se, mihi obsistunt. *Id. Stich.* 4, 1, 19. si tibi nulla aegritudo est animo obviam, *h. e.* sese offert. *Sall. Jug.* 7. Obviam ire periculis, *h. e.* pericula adire. ℙ *Obviam ire* saepe est opponere se, obsistere, resistere. *Cic. Verr.* 2, 1, 41. *med.* Cupiditati hominum obviam ire. *Sall. Jug.* 5. Tum primum superbiae nobilitatis obviam itum est. *Liv.* 9, 14. Laetari milites, obviam itum irae suae. *Id.* 23, 28. *med.* Ambo duces junctis copiis, ire obviam coeptis, atque obsistere parant. *Sall. Cat.* 6. Hostibus obviam ire. *Id. Jug.* 17. *f.* injuriae; et *ib.* 25. sceleri; et *ib.* 46. Gracchorum actionibus. *Tac. A.* 6, 16. fraudibus; et *H.* 2, 33. sententiae. Sic *Cic. Att.* 4, 16. *med.* Pomptinius vult triumphare: huic obviam Cato, et Servilius praetores aperte. ℙ Cavillandi et irridendi causa duplicem adverbii significationem, in bonam scilicet et in malam partem, simul complexus est his verbis *Cic. Att.* 2, 1. *med.* Cum neque sibi ex Sicilia Romam venientis obviam quemquam prodire potuisse, et noctu se introisse, in concione jactasset Clodius; nihil ei novi dixi accidisse: noctu introisse item ante, non esse itum obviam, ne tum quidem, cum iri maxime debuit, *h. e.* noctu item Caesaris domum introisse, cum ibi mulieres Bonae Deae sacra facerent, nec quemquam inde ad eum expellendum contra prodiisse, quod maxime fieri debuisset, ne ipsius Deae sacra viri praesentia polluerentur. ℙ Pro remedium afferre, mederi. *Tac. A.* 4, 64. Ni Caesar obviam isset, tribuendo pecunias pro modo detrimenti; et *ib.* 13, 5. Obviam ire dedecori; et *ib.* 4, 6. infecunditati terrarum; et *H.* 4, 46. timori.

OBVĬGILĀTO, adv. vigilanter. *Pl. Bacch.* 3, 2, 14. Qua me causa magis cum cura esse ea, quam obvigilato, est opus. Alii leg. *atque advigilare est opus.*

OBVĬO, as, avi, atum, n. 1. ἀπαντάω, obviam eo. *Hieron. ep.* 5. *n.* 1. Reciprocae epistolae inter nos currant: illae sibi obvient, illae nobiscum loquantur. *Veg. Mil.* 3, 4. In scutis invicem obviantibus niti. ℙ Item obsistere, resistere. *Macr. Sat.* 7, 5. Ubi tot impellentium procerum, quibus obviandum non erat, hortatui succubuit. *Marcell. Dig.* 39, 5, 20. Ut non possit suae confessioni obviare. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 12, 1, 161. Plectibili severitate eorum fraudibus obviandum est. ℙ Item impedire, remedium afferre. *Pall.* 1, 35. *med.* Grandini creditur obviare, si quis crocodili pellem, vel hyaenae, vel marini vituli per spatia possesionis circumferat. *Id.* 4, 10. Asini urina vermibus obviabit.

OBVĬOLO, as, a. 1. idem ac violo. *Varr. L. L.* 5, 8. Atticum (alii leg. *antiquum*) illud, Obviolavit. *Inscr.* ap. *Grut.* 996, 13. Quisquis es homo, ne mea ossa obvioles.

OBVĬUS, a, um, adj. ἀπαντῶν, qui obviam fit, qui occurrit. *Cic. Mil.* 18. Quippe qui ei obvius futurus omnino non erat. *Id. Att.* 6, 5. Obvias mihi litteras mittas; et *ib.* 4. *extr.* Fac ut mihi tuae litterae volent obviae. *Just.* 1, 6. Ut quem primum postera die obvium habuisset, socium coeptis assumeret. *Hirt. B. Afr.* 89. Cui in itinere fit obvius L. Caesar. *Liv.* 1, 16. *med.* Dare se obvium alicui. *Ov. Met.* 11, 138. labentibus obvius undis Carpe viam. *Sall. Jug.* 81. Quo loco inter se obvii fuissent. *Suet. Caes.* 81. Libellus insidiarum ab obvio quodam porrectus. *Prop.* 2, 22, 3. Obvia, nescio quot pueri, mihi turba minuta Venerat. *Liv.* 37, 23. Esse in obvio alicui, *h. e.* in loco, ubi obvius esse possis. *Virg. A.* 1, 318. Cui mater media sese tulit obvia silva; et *ib.* 11, 498. Obvia cui, Volscorum acie comitante, Camilla Occurrit. *Tibull.* 1, 3, 45. ultroque ferebant Obvia securis ubera lactis oves. ℙ *Obvius* etiam dicitur, qui alteri occurrit resistendi, et oppugnandi gratia. *Cic. Caecin.* 27. Si ingredienti cum armata manu obvius fueris. *Sall. Jug.* 24. Necessarie copias parat, et Jugurthae obvius procedit; et 54. Qui firmioribus animis obvii hostibus fuerant. *Virg. A.* 11, 504. Audeo Tyrrhenos equites ire obvia contra; et *ib.* 10, 552. Obvius ardenti sese obtulit; et 877. infesta subit obvius hasta; et *ib.* 9, 56. Non aequo dare se campo, non obvia ferre Arma viros, sed castra fovere. ℙ *Obvia* res aliqua est, quae eunti occurrit, seu ex adverso, et ante pedes sita est. *Nep. Eum.* 9. Montes, qui obvii erant itineri adversariorum. *Val. Fl.* 3, 583. taurus tactus asylo, Obvia quaeque ruit. *Virg. G.* 4, 23. Vicina invitet decedere ripa calori, Obviaque hospitiis teneat frondentibus arbos. *Ov. Met.* 1, 527. nudabant corpora venti, Obviaque adversas vibrabant flamina vestes. [**Tac. A.* 2, 54. Samothracum visere intentem obvii aquilones depulere.] *Lucr.* 3, 384. neque aranei tenuia fila Obvia sentimus, quando obretimur euntes. *Catull.* 64, 108. illa procul, radicibus exturbata, Prona cadit, lateque et cominus obvia frangens. *Val. Fl.* 1, 389. Et levis Elis equis, et fluctibus obvius Aulon; et 4, 656. et fuga ponti obvia, *h. e.* cursus maris navi contrarius, et obsistens. ℙ Item quae exposita est injuriae, et cui noceri facile potest. *Virg. A.* 10, 694. rupes Obvia ventorum furiis, expostaque ponto. *Id. ib.* 3, 498. melioribus opto Auspiciis, et quae fuerit minus obvia Grajis. *Sen. Herc. Fur.* 485. Vulneri et ferro obvius, *h.* e. vulnerabilis. ℙ *Homo obvius*, qui facile adiri potest, comis, affabilis. *Plin. ep.* 1, 10. Est enim obvius, et expositus, plenusque humanitate. *Quint.* 8, 4. *med.* Obvia voluntas, *h. e.* prompta, obsequens, indulgens. *Tac. A.* 2, 2. Prompti aditus, obvia comitas. ℙ De iis, quae facile occurrunt sine labore quaerendi. *Id. ib.* 16, 2. Nova ubertate provenire terras, et obvias opes deferre Deos. *Quint.* 9, 3. Secretae (*figurae orationis*) et extra vulgarem usum positae, ideoque magis nobiles, ut novitate aurem excitant, ita copia satiant: nec se obvias fuisse dicenti, sed conquisitas, et ex omnibus latebris extractas congestasque declarant. *Gell.* 5, 1. Obvias vulgatasque laudes effutire. *Quint.* 12, 2. Ut ea quidem, quae manu fiunt, confiteantur egere doctoribus: virtutem vero obviam et illaboratam, tantum quia nati sumus habeamus. *Mart.* 11, 6. Quidquid venerit obvium, loquamur, Morosa sine cogitatione. *Gell.* 3, 14. *med.* Cum obvium, proximumque esset dicere, etc. [*Significatio, quam in hujus et praecedentis §. exemplis vox *obvius* continet, argentea demum aetate obtinuit.]

[OBULCONENSIS, e, adj. ad Obulconem pertinens, urbem Hispaniae Baeticae, prope Baetim fluvium, quae nunc *Porcuna*, aliis *Andujar* esse videtur: ejus meminit *Plin.* 3, 1, 3. In mediterraneo (*oppidum*) Obulco, quod Pontificense appellatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 458, 5. Ordo Pontificiensis Obulconensis. Alia ap. *Mur.* 1065, 2. M. Cornelius Fannianus Obulconensis. *F.*]

[OBULTRONĔUS, a, um, adj. qui obviam ultro progreditur. *Not. Tir.* p. 83. Ultroneus, obultroneus. *Gloss. Philox.* Obultroneus, αὐθαίρετος. *F.*]

OBUMBRĀTĬO, onis, f. actus obumbrandi. *Arnob.* 5, 186. Si allegoricae caecitatis obumbratio tolleretur, facilis ad discendum res esset.

OBUMBRATRIX, icis, f. quae obumbrat. *Tert. Apol.* 9. Arbores templi obumbratrices scelerum.

OBUMBRĀTUS, a, um, part. ab *obumbro:* umbra tectus, coopertus. *Pall.* 12, 1. Locis frigidis dicunt in fabae satione glebas non esse frangendas, ut per eas gelicidiorum tempore possint germina obumbrata defendi. [**Curt.* 5, 4, 8. Obumbratus amnis.] *Appul. Met.* 11. *f.* Non obumbrato, vel obtecto calvitio, sed quoquoversus obvio.

OBUMBRO, as, avi, atum, a. 1. ἐπισκιάζω, umbra tego, umbram induco [*obscuro]. *Just.* 1, 4. Vitem enatam, cujus palmite omnis Asia obumbraretur. *Plin.* 2, 42, 42. Nubes solem obumbrant. *Id.* 17, 21, 35. *n.* 6. Melior vino ea vitis, quando sibi ipsa non obumbrat, assiduoque sole coquitur. *Ov. Amor.* 2, 16, 10. Gramineus madidam caespes obumbrat humum. *Virg. A.* 12, 573. Ferrum alii torquent, et obumbrant aethera telis. *Ov. Met.* 13, 844. coma plurima torvos Prominet in vultus, humerosque, ut lucus, obumbrat. [*Adde *ib.* 14, 837.] ℙ Item [*translate] obscurare, [*imminuere.] *Tac. H.* 2, 32. Senatum, et populum, nunquam obscura nomina, etsi aliquando obumbrentur. *Plin.* 23, 1, 23. In proverbium cessit, sapientiam vino obumbrari. [**Quint. Inst.* 8. *prooem.* 23. Nam illa, quae curam fatentur, et ficta atque composita videri etiam volunt, nec gratiam consequuntur, et fidem amittunt, propter id, quod sensus obumbrant.] *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 5. Obumbrare candorem aequitatis. ℙ Item tegere,

celare. *Petr. Sat.* 101. Poteris hanc simulationem et lacrimis, et vultus confusione obumbrare. *Ov. Her.* 17, 48. nec ullus Error, qui facti crimen obumbret, erit. *Id. Pont.* 3, 3, 75. Tu licet erroris sub imagine crimen obumbres, etc. P [*Hinc poetice vindicat notionem defendendi, tuendi, ducta metaphora ab arboribus, quae solem frondibus defendunt. *Noster* hanc vocis notionem supra §. 2. adscripserat. *Virg. A.* 11, 222. Multa simul contra variis sententia dictis Pro Turno: et magnum reginae nomen obumbrat. P Confund. in cdd. *obumbrare*, *inumbrare* et *adumbrare*. V. *intpp.* ad *Virg. G.* 4, 20.] P Part. *Obumbrans* ap. *Plin.* 2, 41, 41. Nubilo obumbrante.

OBUNCĀTUS, a, um, part. ab inus. *obunco:* obuncus factus. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 14. Digitorum summitates crassescunt obuncatis unguibus: quod Graeci *γρύπωσιν* vocant.

OBUNCTUS, a, um, part. ab inus. *obungo:* circum unctus, oblitus, illitus, delibutus. *Appul. Met.* 2. Capillus guttis Arabicis obunctus; et *ib.* 8. Facie coenoso pigmento delita, et oculis obunctis graphice.

OBUNCŬLUS, a, um, dimin. obunci. *Titin.* ap. *Non.* 14, 1. Tunica, et cingula obuncula adimetur: pannos possidebit foetidos, *h. e.* aduncа fibula instructa. [*Bothe* legend. putat, *togula obunculae*, h. e. anui curvae. *F.*]

OBUNCUS, a, um, adj. *ἐπίγρυπτος*, aduncus. *Virg. A.* 6, 597. rostroque immanis vultur obunco. *Ov. Met.* 6, 516. pedibus praedator obuncis Deposuit nido leporem Jovis ales in alto. *Claud. B. Gild.* 470. de aquila anguem lacerante: reluctantem morsu partitur obunco. *Ov. de nuce* 115. quia nec noceo, nec obuncis vindicor hamis.

OBUNDĀTĬO, onis, f. exundatio. *Flor.* 4, 2, *med.* Interim obundatione verni fluminis commeatibus prohibetur.

OBUNDO, as, n. 1. circum undo, exundo. *Stat. Achill.* 1, 102. lateque Deae Sperchios obundat Obvius, et dulci vestigia circuit unda. Al. leg. *abundat.*

OBVŌLĬTO, as, n. 1. circum volito, vagor. *Porc. Latro decl. in Cat.* 11. Quos in foro quotidie, in oculis civium passim obvolitare cernimus; et 32. Gladiatoriis agminibus stipatum per ora vulgi palam obvolitare.

OBVOLVO, is, olvi, lutum, a. 3. *περιειλέω*, *περιστρέφω*, circum volvo, obnubo, obduco, contego. *Cic. Or.* 22. *f.* Pictor ille vidit, obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari. *Suet. Cal.* 51. Ad minima tonitrua et fulgura connivere, caput obvolvere; et *Caes.* 82. Toga caput obvolvit, et sinistra manu sinum ad ima crura deduxit. P Translate. *Hor. Sat.* 2, 7, 42. verbisque decoris Obvolvas vitium, *h. e.* obtegas.

OBVOLŪTĀTUS, a, um, part. ab inusit. *obvoluto:* circum volutatus. *Veg. Vet.* 3, 4. *med.* Bos in proscindendo duritiam soli, obviis radicibus obvolutatus convellit armos, *h. e.* obluctatus.

OBVOLŪTĬO, onis, f. *Macr. Somn. Scip.* 1, 11. *f.* In singulis sphaeris, quae coelo subjectae sunt, aetherea obvolutione vestitur.

OBVOLŪTUS, a, um, part. ab *obvolvo:* circum volutus, obtectus. De parricidis *Cic. Inv.* 2, 50. Os obvolutum folliculo, et praeligatum. *Auct. ad Her.* 1, 13. Obvolutus et obligatus corio devehatur in profluentem. *Cic. Verr.* 2, 5, 28. Cives R. ne cognoscerentur, capitibus obvolutis ad necem rapiebantur; et *Liv.* 4, 12. *extr.* Capitibus obvolutis se in Tiberim praecipitaverunt. *Suet. Dom.* 17. Brachium lanis fasciisque obvolutum. *Appul. Met.* 11. Limpido tegmine crines madidos obvolutus. *Id. Apol.* Res in sudario obvolutae. P Translate. *Pacuv.* ap. *Cic. Div.* 1, 31. Adest fax obvoluta sanguine, atque incendio.

OBUSTUS, a, um, part. ab inus. *oburo:* circum ustus, *περικεκαυμένος*. *Virg. A.* 11, 894. Stipitibus ferrum, sudibusque imitantur obustis; et *ib.* 7, 506. hic torre armatus obusto. *Ov. Trist.* 5, 2, 66. Glebaque canenti semper obusta gelu.

O C

*OCALĔA, ae, f. Boeotiae opp. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

[OCCA, ae, f. instrumentum rusticum ad occandum. *Gloss. Isid.* Occa, rastrum. *Gloss. Philox.* Occa, *βωλοκόπημα*. *Veg. Vet.* 1, 56. Crates, quae occa vocatur a vulgo. *Colum.* 2, 18. Tum glebas sarculis resolvemus, et inducta occa coaequabimus. Alii leg. *inducta crate. F.*]

OCCĂBUS, i, m. *ὄκκαβος, τὰ περὶ τὸν βραχίονα ψέλλια*, armillae circa brachium, ut est ap. *Hesych.* Item torquis circa collum. *Inscr.* ap. *Mur.* 333. Q. Sammio Secundo ab XV. viris occabo et corona exornato, etc. Alia ap. *Romanelli Topogr. Napol.* T. 3. p. 512. XV. sacris faciundis sacerdoti Matris Deum Licinio Secundo permisimus et occavo, et corona, dumtaxat intra fines coloniae, uti. *Occavo* scriptum pro *occabo*. V. *Philipp. a Turre* ap. *Sallengr.* in *Nov. Thesaur. Antiquit.* T. 3. p. 862.

OCCAECO. V. OBCAECO.

OCCALLĀTUS. V. OBCALLATUS.

OCCALLESCO. V. OBCALLESCO.

[OCCĀMEN, inis, n. idem ac occatio. *Gloss. Isid.* Occamen, concisio: scil. glebarum. *F.*]

OCCĀNO et Obcano, is, ui, n. 3. idem quod occino. *Sall. fragm.* ap. *Diomed.* 1, 370., *Prisc.* 10, 898. et *Serv.* ad *G.* 2, 384. Jussu Metelli cornicines occanuere. *Tac. A.* 2, 81. Tum Sentius occanere cornua, tubasque, et peti aggerem, erigi scalas jussit.

OCCĀSĬO, onis, f. *εὐκαιρία, καιρός*, opportunitas temporis casu proveniens, tempus opportune oblatum faciendi aliquid, facultas, ansa, campus: ex *ob* et *casus:* quasi casus se offerens. *Cic. Inv.* 1, 27. Occasio est pars temporis habens in se alicujus rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem. *Id. Off.* 1, 40. Tempus actionis opportunum, Graece *εὐκαιρία*, Latine appellatur occasio. *Pl. Men.* 3, 3, 29. quid ego cesso, dum datur mihi occasio, Tempusque, abire ab his locis? *Id. Ps.* 4, 2, 3. Heus tu, nunc occasio est, et tempus. *Liv.* 4, 58. Ex incommodo alieno suam occasionem petere. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 4. *f.* Ne inter aliena vitia hae gentes nostra mala suam putent occasionem, [*armorum scil. capiendorum]; et *ib.* 8. Si in eo mihi temperavissem, majores occasiones ad opitulandum haberem. *Cic. Mil.* 14. Quem si interficere voluisset, quantae quoties occasiones, quam praeclarae fuerunt; et *ib.* 15. Quae tum non modo occasio, sed etiam causa illius opprimendi fuit? *Id. Att.* 5, 18. *med.* Si fuerit occasio, manu; sin minus, locis nos defendemus. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3. Fossas, si sit occasio, silice vel glarea sterni. *Cic. Verr.* 2, 1, 13. Simulac primum ei occasio visa est, exercitum provinciamque deseruit. *Id. Fam.* 12, 24. Ut primum occasio data est, meo more rempubl. defendi. *Id. Manil.* 2. Occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitratur. *Id. Verr.* 2, 2, 25. Iste amplam occasionem calumniae nactus. *Id. Leg.* 1, 2. Teneo, quam optabam occasionem, neque omittam. Al. leg. *amittam. Id. Caecin.* 5. *f.* amittere. *Nep. Mill.* 3. dimittere. *Id. Dion.* 4. dare alicui. *Caes. B. C.* 3, 25. praetermittere; et *ib.* 79. Non deesse occasioni. *Petr. Sat.* 12. Occasione bellissima uti coepimus. *Id. fragm. Trag.* 78. *Burm. extr.* Occasionem opportunissimam nacti. *Suet. Galb.* 17. praebere alicui. *Plin. ep.* 2, 13. avidissime amplecti. *Liv.* 35, 12. *f.* arripere. *Plin.* 2, 1, 1. sumere. *Sen. Ben.* 3, 14. *extr.* quaerere. *Pl. Ps.* 4, 3, 5. capere. *Cic. Har. resp.* 25. *f.* captare. [*Ingentem exemplorum numerum hujus vocis praeg. signif. positae collegit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 329. sq. *Suetonii* locos habet *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 546. sq. Cf. etiam *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 7, 47.] P *Data, capta, oblata occasione, per*, et *ad occasionem, ex occasione*, et *occasione* absolute, formulae sunt frequentes. *Cic. Phil.* 7, 6. Qui familiarem jugularit, quid hic, occasione data, faciet inimico? *Hirt. B. Afr.* 56. Gaetuli, occasione capta, perfugiunt in Caesaris castra. *Suet. Caes.* 73. Occasione oblata simultates deponere. *Liv.* 30, 3. Haec spem fecerant castra hostium per occasionem incendendi. *Suet. Claud.* 11. Fratris memoria per omnem occasionem celebrata. *Id. Aug.* 41. Liberalitatem omnibus ordinibus per occasiones frequenter exhibuit; et *ib.* 97. De nocte ad occasionem aurae evectus est. *Id. Caes.* 60. Proelia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat. *Sen. Tranqu.* 1. Hostes vagi, et occasionibus adsilientes. *Suet. Claud.* 42. Graecae linguae amorem occasione omni professus. P Sequente infinito. *Pl. Capt.* 2, 3, 63. nunc adest occasio Bene facta cumulare. P Pro commoditate, facilitate, facultate. *Tac. A.* 15, 50. Hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia tanti decoris testis. [*Garv.* ad *Cic. Off.* 1, 40, 142. p. 177. sq. (laudante *Beiero*), vv. *opportunitas* et *occasio* ita distinguit, ut *opportunitatem* actionis cujusdam cum prioribus et posterioribus convenientiam esse velit; *occasionem* autem concursum antecedentium causarum, a quibus illa pendeat.] P Dea habita est: ejusque simulacrum ita describit *Phaedr.* 5, 8. Cursu volucri pendens in novacula, Calvus, comosa fronte, nudo corpore: Quem si occuparis, teneas, elapsum semel Non ipse possit Juppiter reprendere; Occasionem rerum significat brevem. Effectus impediret ne segnis mora, Finxere antiqui talem effigiem temporis. Hic porro virili effigie fingitur Occasio, quia ea Graecis *ὁ Καιρὸς* dicitur, de quo exstat *Posidippi* epigramma in *Anth. Gr.*, cujus initium: *Τίς, πόθεν ὁ πλάστης; Auson. epigr.* 12, 3. Sum Dea, quae rara, et paucis Occasio nota. *Id.* praeterea alas in pedibus ei tribuit, et comitem Metanoeam, seu Poenitentiam. P Aliquando ponitur pro facultate, et copia. *Colum.* 9, 1. Genus id clathrorum fabricatur ex robore, quercu, vel subere: nam oleae rara occasio est. *Plin.* 36, 26, 65. Cum sparsi per litus epulas pararent, nec esset cortinis attollendis lapidum occasio. *Id.* 23, 4, 40. Si vetusti olei non sit occasio.

OCCĀSĬUNCŬLĂ, ae, f. parva occasio. *Pl. Trin.* 4, 2, 132. Nimis argute obrepsisti in eapse occasiuncula. [*Vet. Schol.* ad *Cic. Planc.* (ed. *A. Maio*) 34. Hic mutuatus est occasiunculam quandam amarius lacessendi. *F.*]

*OCCASĪVUS, a, um, adj. ad occasum spectans. *Gloss. Gr. Lat. δυτικός. Saxo Gramm. prol.* 5. *B. A.*

OCCĀSUS, a, um, part. ab *occīdo. Pl. Epid.* 1, 2, 41. Ante solem occasum. *Claud. Quadrig.* et *Lex. XII. Tab.* ap. *Gell.* 17, 2. Sol occasus et *Lex. XII. Tab.* ap. *Gell.* 17, 2. Sol occasus suprema tempestas est. Ipse *Gell.* 3, 2. Post solem occasum. *Id. citat. l.* 17. *Sole occaso* non insuavi venustate est, si quis aurem habeat non sordidam, nec proculcatam. Adde *Lucil.* ap. *Prisc.* 9, 869. qui et ipse cum *sole* jungit: nam alia ratione usum, quod sciam, non habet.

OCCĀSUS, us, m. *πτῶμα, θάνατος*, interitus, mors, obitus, casus: et dicitur tum de homine, tum de inanimis rebus. *Cic. Acad.* 1, 2. *f.* Post L. Aelii nostri occasum. *Id. Pis.* 15. Qui dies post obitum occasumque nostrum reipubl. primus illuxit. Adde *Nep. Eum.* 13. *Virg. A.* 2, 431. Iliaci cineres et fama extrema meorum, Testor, in occasu vestro, etc.; et *ib.* 1, 242. occasum Trojae tristesque ruinas. *Cic. Sull.* 11. et *Pis.* 8. Ad occasum interitumque reipubl. P Translate *occasus odii*, cum odium deponitur. *Quint. decl.* 9, 18. Semper odiorum honestus occasus est, *scil.* quia inimicitiae mortales esse debent. P *Occasus astrorum* est, cum ad inferius hemisphaerium decidendo, vel in sole condendo se, oculis nostris subtrahuntur, *δύσις. Virg. G.* 1, 225. Multi ante occasum Majae coepere. *Quint.* 1, 4. Ortus, occasusque signorum. *Plin.* 2, 15, 12. Stellae Veneris, et Mercurii Solem insequuntur, adeptaeque occasu matutino conduntur. *Caes. B. G.* 1, 50. Solis occasu suas copias in castra reduxit; et *ib.* 2, 11. *extr.* Sub occasum solis sequi destiterunt; et *ib.* 3, 15. *extr.* Ab hora quarta usque ad solis occasum; et *ib.* 5, 8. Ad solis occasum naves solvit. *Sall. Jug.* 71. Equites pariter cum occasu solis expeditos educit. P Absolute. *Tac. H.* 3, 86. Praecipiti in occasum die. *Stat. Th.* 1, 686. Quique bibit Gangen, aut nigrum occasibus intrat Oceanum. P Item ea pars coeli, ubi sol occidit. *Caes. B. G.* 1, 1. *extr.* Aquitania spectat inter occasum solis, et septentriones. *Virg. A.* 9, 668. Quantus ab occasu veniens pluvialibus Hoedis Verberat imber humum; et *ib.* 11, 317. Ager longus in occasum. P Olim pro occasione usurparunt. *Enn.* ap. *Fest.* Hic occasus datus est. *Id. ib.* Occasu' juvat res. *Id. ib.* Ast occasus ubi, tempusve audere repressit.

OCCĀTĬO, onis, f. *βωλοκοπία*, actus occandi. *Seren.* ap. *Non.* 1, 306. Occatio occaecatio est. *Cic. Sen.* 15. Terra cum sparsum semen excepit, primo id occaecatum cohibet: ex quo occatio, quae hoc efficit, nominata est. *Colum.* 11, 2. *med.* Pulverationem faciunt quam vocant rustici occationem, cum omnis gleba in vineis refringitur, et resolvitur in pulverem. *Plin.* 18, 20, 49. *n.* 3. Aratione per transversum iterata, occatio sequitur, ubi res poscit, crate vel rastro.

OCCĀTOR, oris, m. qui occat. *Colum.* 2, 13. Tritici modii quatuor bubulcorum operas occupant quatuor, occatoris unam, sarritoris duas. *Pl. Capt.* 3, 5, 3. Sartor, satorque scelerum, ac messor maxume. *Tyn.* Non occatorem dicere audebas prius? Nam semper occant prius, quam sarriunt rustici. P De Deo Occatore, V. IMPORCITOR.

OCCĀTORĬUS, a, um, adj. ad occatorem pertinens. *Colum.* 2, 13. Hordei modii quinque bubulci operas tres exigunt, occatoriam unam, sarritoriam unam, et dimidiam.

OCCĔDO, is, essi, essum, n. 3. *ἀντιβαίνω*, obviam eo, accedo: ex *ob*, et *cedo. Pl. Most.* 5, 2, 4. Ait, se metuere in conspectum illius occedere. *Id. As.* 2, 3, 24. et 2, 4, 6. et *Stich.* 5, 2, 21. obviam occessit mihi. P Pro *occedo* dixerunt etiam *occīdo*. Unde *Festus*: Occidamus Plautus ponit pro contra cedamus. *Plauti* locus videtur esse *Ps.* 1, 3, 20., ubi nunc sic legimus: *Accedamus hac obviam;* alii autem mallent *occedamus*. Etiam *Varr. R. R.* 3, 17. Designato aedili nos occedimus, et gratulati in Capitolium prosequimur. Alii leg. *occidimus.*

[OCCENTĀTĬO, onis, f. idem ac occentus. *Symmach. Or. in Valent.* (ed. *A. Maio*) 2, 14. Crassus percontanti filio, quid noctis moveri castra jussisset; Vereris, inquit, ne tuas aures forte non penetret occendatio bucinarum? *F.*]

OCCENTO, as, avi, atum, a. 1. ob, seu ad, vel contra aliquem canto. *Festus.* Occentassint antiqui dicebant, quod nunc, convicium fecerint, dicimus: quod id clare, et cum quodam canore fit, ut procul exaudiri possit: quod turpe habetur, quia non sine causa fieri putatur. *Cic. fragm.* ap. *August. C. D.* 2, 9. Nostrae XII. Tabulae cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaverunt, si quis occentavisset, sive carmen condidisset, quod infamiam afferret, flagitiumve alteri. Ita optimi critici ex MSS. Al. perperam leg. *actitavisset.* Fortasse ex hoc *Ciceronis* loco ipsa verba legis XII. Tab. ita concinnavit *Scal.* ad *Festum:* Si quis carmen occentassit, quod alteri fla-

gitium faxit, capital esto. ℙ *Occentare ostium*, est ad ostium alicujus malum carmen occentare. *Pl. Pers.* 4, 4, 20. At illi noctu occentabunt ostium, exurent fores. Adde *Merc.* 2, 3, 73. Absolute, *Id. Curc.* 1, 2, 57. Quid si adeam ad fores, atque occentem? Hoc autem loco in bonam partem sumitur, habetque eandem prope sententiam, quam cum nos dicimus, *ein Ständchen bringen*. V. ibi sequentia. ℙ Dicitur et de avibus infausto omine occinentibus. *Ammian.* 30, 5. *med.* Bubo culminibus regii lavacri insidens, occentansque funebria.

OCCENTUS, us, m. actus occinendi, cantus. *Plin.* 8, 57, 82. Soricum occentu dirimi auspicia annales refertos habemus. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 5. Occentus soricis auditus Fabio Maximo dictaturam, C. Flaminio magisterium equitum deponendi causam praebuit.

OCCEPSO. V. OCCIPIO.

OCCEPTO, as, a. 1. frequent. ab *occipio*. *Pl. Men.* 5, 5, 18 et 32. Jam hercle occeptat insanire primulum. *Id. Rud.* 3, 4, 70. maximo malo suo, Si attigerit, sive occeptassit: ἀρχαϊκῶς pro *occeptaverit*. Alii leg. *occentassit*.

OCCHI, orum, m. plur. *Plin.* 12, 8, 18. In Hyrcaniae convallibus ficis similes esse arbores, quae vocentur occhi, ex quibus defluat mel horis matutinis duabus.

*OCCĬA, ae, f. virgo Vestalis. *Tac. A.* 2, 86. *B. A.*

OCCĬDĀNĔUS, a, um, adj. occidentalis, ut Ventus occidaneus, *Innocent. de cas. litter.* p. 228. *Goes.*

OCCĬDENS, entis, part. ab *occĭdo*, qui occidit. Substantive ponitur pro occasu, locus nempe seu plaga, in qua sol occidit, δύσις. *Cic. N. D.* 2, 66. Qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt. *Hor. Epod.* 1, 13. Vel occidentis usque ad ultimum sinum. ℙ Significat etiam morientem, cadentem. *Cic. Tusc.* 1, 45. Cum suis se laudibus vita occidens consolari potest. *Id. Fam.* 4, 1. Aliquid opis occidenti reipublicae tulissemus. *Petr. Sat.* 22. *f.* Tricliniarches lucernis occidentibus oleum infuderat.

OCCĬDENTĀLIS, e, adj. δυτικὸς, qui vergit ad occidentem. *Plin.* 18, 34, 67. *n.* 3. Ab occasu solstitiali, et occidentali latere septentrionis. *Gell.* 2, 22. Occidentalis ventus.

OCCĬDĬO, onis, f. ἀναίρεσις, occisio, caedes, qua deletur genus aliquod viventium. *Liv.* 3, 28. *f.* Hostes a proelio ad preces versi orare consulem, ne in occidione victoriam poneret. *Colum.* 4, 7. de vitib.: Nec ad occidionem universum genus perduci patimur. *Id.* 9, 15. de apib.: Nec ad occidionem gens interimenda est. ℙ Hinc *occidione occidere* est occidendo delere, ad internecionem redigere. *Cic. Fam.* 15, 4. *med.* Equitatus occidione occisus. *Liv.* 28, 43. Cum duo exercitus prope occidione occisi essent. *Just.* 26, 2. et 28, 2. Omnes occidione caesi. *Id.* 2, 14. Mardonii copias occidione occidisse; et *Tac. A.* 12, 38. Ni cito subventum foret, copiae tum occidione occubuissent; et *ib.* 13, 57. Equi, viri, cuncta victa occidioni dantur; et *ib.* 12, 56. *extr.* Pugnatum fortium virorum animo: ac post multum vulnerum occidioni exempti sunt.

OCCĬDĬUM, ii, n. occidio, interitus. *Prud. Apoth.* 695. rota lurida solis Haeret, et occidium sentit jam jamque futurum. Alii rectius leg. *excidium*, quam vocem postulat ipsa versus hexametri ratio.

OCCĪDO, is, cīdi, cisum, a. 3. vehementer caedo: ex *ob*, et *caedo*. [*V. *Doederl.* 3, 188. et 190.] *Ter. Ad.* 4, 2, 19. Ctesipho me pugnis miserum, et istam psaltriam Usque occidit. [*V. *Doederl.* 1, 15.] ℙ Saepius est ἀποκτείνω, ἀναιρέω, ad necem caedere, necare, interficere, trucidare. De discrimine inter *neco*, et *occido*, V. NECO. *Cic. Fin.* 2, 20. *extr.* L. Virginius filiam sua manu occidit. *Id. Phil.* 14, 14. Cum copias hostium, quae ad castra accesserant, profligarit, occiderit. *Id. Rosc. Am.* 35. Nullus modus est hominis occidendi, quo, etc. *Caes. B. G.* 5, 36. Ipse pro castris fortissime pugnans occiditur. *Liv.* 3, 23. Hos ignominiosa fuga domum se recipientes consul ad unum omnes occidit. *Id.* 40, 10. Qui occisurus fratrem fuit. *Suet. Claud.* 44. Veneno aliquem occidere. ℙ Translate est excruciare, tantaque molestia afficere, ut prope occidere videaris. *Hor. Epod.* 14, 5. Candide Maecenas, occidis saepe rogando. *Id. A. P.* 475. Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo. Adde *Pl. Ps.* 4, 1, 23. et *Men.* 5, 4, 23. *Neco*, et *enneco* eadem ratione usurpantur. ℙ Pro perdere. *Ter. Ph.* 4, 3, 67. hei mihi, Geta, occidisti me tuis fallaciis. ℙ Pro accedere, V. OCCEDO. ℙ Pro caedere, V. OCCO. ℙ *Morientes occidere*, proverbialis locutio ap. *Petr. Sat.* 98., ut *perditum perdere* ap. *Cic. Fam.* 14, 1. ℙ De rebus inanimis, V. OCCISUS. ℙ [*Confund. *occidi* et *interfici*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 78.]

OCCĬDO, is, cĭdi, casum, n. 3. καταλίπτω, cado, ruo, decido, accido: ex *ob*, et *cado*. *Pl. Rud. prol.* 8. Et alia Signa de coelo ad terram occidunt. *Liv.* 21, 35. *extr.* Ut neque sustinere se a lapsu possent, aliique super alios, et jumenta et homines, occiderent. [**Id.* 23, 24. Arbores ita inciderant, ut immotae starent, momento levi impulsae occiderent, i. e. conciderent, laberentur.] ℙ *Occidere astra* dicuntur, vel cum sub hemisphaerium nostrum cadunt, vel subeunt solem, et conduntur, καταδύω. *Catull.* 5, 4. Soles occidere, et redire possunt: Nobis, cum semel occidit brevis lux, Nox est perpetua una dormienda. *Colum.* 11, 2. XV. cal. Januar. Capra occidit mane; et *mox:* IV. cal. Januar. Aquila vespere occidit. *Plin.* 2, 25, 23. Cometes nunquam in occasura parte coeli est, *h. e.* occidua. ℙ Saepe est perire, interire, mori, exstingui. *Cic. N. D.* 2, 9. Refrigerato et exstincto calore, occidimus ipsi et exstinguimur. *Id. Fam.* 9, 5. Illos vereor, qui in bello occiderunt. *Id. Div.* 1, 25. *med.* Eudemus proelians ad Syracusas occidit. *Virg. A.* 2, 581. Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni? et *ib.* 12, 659. Regina tui fidissima, dextra Occidit ipsa sua. *Sall. Jug.* 7. Sperans vel ostentando virtutem, vel hostium saevitia facile eum occasurum. *Ov. Met.* 13, 596. primisque sub annis Occidit a forti (sic Dii voluistis) Achille; et *ib.* 6, 265. minimo tamen occidit ille Vulnere, non alte percusso corde sagitta. *Id. Am.* 2, 6, 37. Occidit ille loquax, humanae vocis imago, Psittacus. ℙ De rebus inanimis. *Val. Fl.* 7, 282. Occidat aeterna tandem Cadmeia morte Jam seges. *Cic. Acad.* 4, 38. Nulla vis tantos queat motus moliri, ut hic ornatus *(mundi)* nunquam dilapsus occidat. V. et locum *Petronii* in OCCIDENS. *Plin.* 17, 13, 20. Quae cito occidunt, velocia sunt, ut ficus, punica, prunus. *Virg. Ecl.* 4, 24. Occidet et serpens, et fallax herba veneni Occidet. *Id. A.* 12, 828. Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja. [**Liv.* 1, 48. cum illo (Servio) simul justa ac legitima regna occiderunt; et 5, 42. velut ad spectaculum a fortuna positi occidentis patriae.] ℙ Translate. *Cic. Q. Fr.* 1, 4. *med.* Sin plane occidimus, ego omnibus meis exitio fuero. Sic *Virg. A.* 11, 413. Funditus occidimus, nec habet Fortuna regressum. *Cic. Mil.* 36. *extr.* Vos obsecro, judices, ut vestra beneficia, quae in me contulistis, aut in hujus salute augeatis, aut in ejusdem exitio occasura esse videatis. *Id. Fam.* 4, 3. Eos, qui auctoritatem, et consilium tuum non sunt secuti, sua stultitia occidisse, *h. e.* de pristina dignitate, et statu decidisse. *Pl. Most.* 2, 1, 2. Occidit spes nostra; et *Hor. Od.* 4, 4, 70. occidit, occidit Spes omnis, et fortuna nostri Nominis. *Cic. Leg.* 2, 19. Ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret. Adde *Amic.* 27. *f. Lucr.* 3, 416. Oculorum lumen occidit; et 2, 788. Causa occidit, *h. e.* nulla est, sublata est. *Id.* 1, 668. Occidet ad nihilum nimirum funditus ardor Omnis. *Pl. Truc.* 1, 2, 72. Non hercle occiderunt mihi etiam fundique, atque aedes, *h. e.* non omnino amisi: habeo etiamnum. ℙ *Occidi*, desperantis exclamatio, comicis frequens, perii, interii, nullus sum, actum est de me. *Ter. Andr.* 3, 4, 26. Sed eccum ipsum video: occidi. *Pl. Cas.* 3, 5, 1. Nulla sum, nulla sum: tota tota occidi. ℙ [*Confund. *occidere*, *decidere* et *concidere*. V. *intpp.* ad *Virg. A.* 7, 766.]

OCCĬDŪALIS, e, adj. *Prud. adv. Sym.* 2, 597. Omnibus in terris, quas distinet occidualis Oceanus, roseoque Aurora illuminat orbe. Adde *Psych.* 832.

OCCĬDŪUS, a, um, adj. occidens, occasus. *Ov. Fast.* 4, 832. oriens, occiduusque dies. *Id. ib.* 5, 558. et *Gell.* 19, 7. Sol occiduus. *Calpurn. Ecl.* 3, 82. Qui metere occidua ferales nocte lupinos Dicitur. *Stat. Th.* 3, 33. sub occiduas versae jam noctis habenas, Astrorumque obitus. ℙ Translate. *Ov. Met.* 15, 226. emensis medii quoque temporis annis, Labitur occiduae per iter declive senectae, *h. e.* quae morti est proxima. ℙ Item ad occidentem situs. *Ov. Fast.* 1, 313. Octipedis frustra quaeruntur brachia Cancri: Praeceps occiduas ille subivit aquas. *Stat. Silv.* 1, 4, 73. et *Th.* 1, 200. Occiduas, primasque domos, *h. e.* regiones occidentales, et orientales. *Lucan.* 3, 294. Quidquid ab occiduis Libye patet arida Mauris; et 4, 672. Cardine ab occiduo vicinus Gadibus Atlas. *Val. Fl.* 2, 621. occiduis regnator montibus Atlas. ℙ *Occidua hora*, vesper. *Calpurn. Ecl.* 5, 34. rursusque premetur Mane, quod occiduae mulsura redegerit horae. ℙ Pro caduco. *Paul. Nol. carm.* 34, 306. Exsortes animae carnis ab occiduo.

OCCILLO, as, a. 1. videtur esse dimin. ab *occo*, quod glebas comminuere significat. Nam pro comminuere, seu contundere usurpat *Pl. Amph.* 1, 1, 28. qui mi advenienti os occillet probe. Alii leg. *oscillet*. *Gloss.* quoque *Philox.* Occillare, συγκόπτειν. Occillator, βωλοκόπος, *h. e.* occator.

OCCĪNO, is, ui, n. 3. καταδω, contra cano, occento. *Liv.* 6, 40. *f.* Quid enim est, si pulli non pascentur? si ex cavea tardius exierint? si occinuerit avis? *h. e.* cantu sinistrum augurium dederit. ℙ Pro simplici *cano*. *Appul. Flor. n.* 13. Haec animalia inter se vario tempore, et vario modo occinunt. ℙ Part. *Occinens* ap. *Val. Max.* 1, 4. *n.* 2. Occinentes in eum adversum corvi.

OCCĬPĬO, is, cepi, ceptum, a. 3. ἐνίστημι, incipio, instituo, aggredior. *Lucr.* 5, 887. aevo florente juventas Occipit, et molli vestit lanugine malas. *Pl. Trin.* 4, 3, 35. metuo, si compellabo, ne aliam rem occipiat loqui. *Id. Mil.* 4, 8, 52. si forte liber fieri occeperim; et 3, 1, 154. Nunc, quod occepi, obsonatum pergam. *Id. Ps.* 1, 4, 6. Neque exordiri primum, unde occipias, habes. *Id. Stich.* 1, 2, 17. Principium ego quo pacto cum illis occipiam, id ratiocinor; et 5, 5, 19. suavem cantionem aliquam occipito. *Ter. Andr.* 1, 1, 52. Occipere quaestum. *Id. Eun.* 4, 1, 8. sermonem cum aliquo. *Id. Ad.* 3, 1, 2. modo dolores occipiunt primulum. *Tac. A.* 12, 12. *extr.* Hiems occipiebat. *Liv.* 1, 7. Ex loco infesto agere porro armentum occepit. ℙ *Occipere magistratum*, ingredi, inire. *Tac. A.* 3, 2. Jam consules magistratum occeperant. Adde *Liv.* 5, 9. *extr.* et *ib.* 11. *med.* ubi al. leg. *accipere*. ℙ Passive. *Ter. Heaut.* 4, 1, 36. istuc quidquid est, Qua hoc occeptum est causa, loquere. *Id. Eun. prol.* 22. fabula occepta est agi. Adde *Pl. Ps.* 4, 1, 13. ℙ *Occepso*, antique pro *occepero*. *Pl. As.* 4, 1, 49. Forte si tussire occepsit, ne sic tussiat, Ut, etc. *Id. Cas.* 5, 4, 22. Si unquam posthac amasso, aut occepso modo. Adde *Amph.* 2, 2, 41. ℙ In praeteritis scribitur et per *oe*, ut sit a *coepi*, *isti*.

OCCĬPĬTĬUM, ii, n. ἰνίον, posterior pars capitis a vertice ad cervicem. *Varr. R. R.* 1, 8. *f.* Ibi dominus simulac vidit occipititium vindemiatoris, furcillas reducit hibernatum in tecta, *h. e.* simulac vindemiator resectis uvis pertransiit, et terga dedit. *Pl. Aul.* 1, 1, 25. in occipitio quoque habet oculos, pessima. *Cels.* 4, 2. Cucurbitulas temporibus, et occipitio admovere. *Plin.* 11, 29, 35. de locustis: Vox earum proficisci ab occipitio videtur. *Varr.* ap. *Non.* 4, 32. Caesar reversionem fecit, ne post occipitium, in Hispania exercitus qui erant, relinqueret. ℙ *Frons occipitio prior*, idest potior, proverbium, de quo V. in FRONS, tis.

OCCĬPŬT, cipitis, n. idem quod occipitium: ex *ob*, et *caput*. *Pers.* 1, 61. Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est Occipiti caeco, posticae occurrite sannae.

OCCĪSĬO, onis, f. φόνος, actus occidendi, caedes. *Cic. Caecin.* 14. *f.* Si caedes et occisio facta non erit. ℙ *Occisione occidere*, est usque ad internecionem delere. *Cic. Phil.* 14, 14. Ejusque copias occisione occiderit, suo exercitu ita incolumi. Al. leg. *occidione*, quod est frequentius [*ita *Orell.*]. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 14. Fabii in insidias delapsi, ad unum occisione perierunt.

OCCĪSĬTANTUR saepe occiduntur. *C. Gracchus pro rostris in P. Popilium:* Homines liberi nunc in oppido occisitantur. *Paul.* ex *Festo*.

OCCĪSOR, oris, m. φονεὺς, necator, interfector. *Pl. Mil.* 4, 2, 64. Urbicape, occisor regum.

OCCĪSORĬUS, a, um, adj. ut Animalia occisoria, *h. e.* quae mactari possunt, ap. *Tert. Anim.* 33.

OCCĪSUS, a, um, part. ab *occĭdo*, ἀναιρεθείς, interfectus, necatus. *Liv.* 3, 10. *med.* Occidione prope occisi. *Cic. Cat.* 1, 10. Vigilare non solum ad insidiandum somno maritorum, sed etiam bonis occisorum. *Plin.* 29, 4, 18. Occisa morsu aspidum animalia. ℙ Item perditus, desperatus. *Pl. Capt.* 3, 4, 7. Occisa est haec res, nisi reperio atrocem mihi aliquam astutiam. *Id. Cas.* 3, 5, 52. occisissimus sum omnium, qui vivunt. ℙ Quomodo differant *necatus*, et *occisus*, V. NECO.

OCCLĀMĬTO, as, a. 1. frequent. ab *occlamo*, contra clamito, clamitando obstrepo. *Pl. Curc.* 1, 3, 27. dormio, ne occlamites.

OCCLĀMO, as, a. 1. contra clamo, clamore obstrepo. *Vell.* 2, 4. Cum omnis concio occlamasset. *Sen. ep.* 47. *med.* Hoc loco occlamabit mihi tota manus candidatorum. Plerique alii utrobique leg. *acclamo*.

OCCLŪDO, is, usi, usum, a. 3. ἐπικλείω, idem quod claudo, vel contra aliquem claudo. *Cic. Acad.* 4, 47. Quid me in invidiam, et tanquam in concionem vocas? et quidem, ut seditiosi tribuni solent, occludi tabernas jubes? *Pl. Most.* 2, 1, 78. Clavim cedo, atque abi hinc intro, atque occlude ostium: Et ego hinc occludam. *Id. Men.* 4, 2, 108. me non excludet ab se, sed apud se occludet domi; et 4, 3, 24. Abiit intro, occlusit aedes: nunc sum exclusissimus. *Ter. Eun.* 4, 7, 14. Occludendae aedes. *Atta* ap. *Non.* 2, 543. Occludere fontem. ℙ *Occludere linguam*, impedire, ne quis loquatur. *Pl. Mil.* 3, 1, 10. si resciverint inimici consilium tuum, Tuopte tibi consilio occludunt linguam, et constringunt manus. ℙ *Occlusti* syncope pro *occlusisti*. *Pl. Trin.* 1, 2, 151. Occlusti linguam: nihil est qui respondeam.

OCCLŪSUS, a, um, part. ab *occludo*, κατάκλεισος, clausus, conclusus. *Pl. Epid.* 2, 3, 3. Occlusum atque obsignatum armarium. *Cic. Or.* 2, 61. Furax servus, cui domi nihil sit nec obsignatum, nec occlusum. *Id. Cat.* 4, 8. *f.* Quaestus, occlusis tabernis, minui solet. *Pl. Most.* 2, 2, 14. Occlusa janua; et 2, 1, 53. aedes jam fac occlusae sient. *Id. Curc.* 1, 1, 15. Ostium occlusissimum. ℙ Translate. *Ter. Andr.* 3, 3, 25. Dum ejus lubido occlusa est contumeliis. *Pl. Trin.* 1, 2. *f.* Pauci sint, faxim, qui sciant quod nesciunt,

Occlusioremque habeant stultiloquentiam, *h. e.* minus stulte loquantur.

OCCO, as, avi, atum, a. 1. *βωλοκοπέω*, glebas infringo, et comminuo, et in pulverem redigo, ut jacta semina operiri possint. Aratur enim terra semel, aut bis, deinde crate vel rastro franguntur glebae aratro excitatae: et hoc est *occare:* dictum vel ab *occaedendo*, seu *occidendo*, ut putant *Varr. R. R.* 1, 31. et *Verrius* ap. *Fest.*, quia glebae caeduntur, et comminuuntur: vel, ut ait *Cic. Sen.* 15., ab *occaecando*, quia operiuntur semina. V. OCCATIO. Hoc fiebat tum ante sationem, tum post, pro ratione agri ita postulantis. *Plin.* 18, 20, 49. *n.* 3. Aratione per transversum iterata, occatio sequitur, ubi res poscit, crate, vel rastro; et sato semine iteratio. (*Virg.* haec ita exsequitur *G.* 1, 94. Multum adeo, rastris terras qui frangit inertes, Vimineasque trahit crates, juvat arva.) *Pl. Merc. prol.* 71. Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis. *Hor. Ep.* 2, 2, 161. Cum segetes occat tibi mox frumenta daturas. *Plin.* 18, 21, 50. Siliginem, far, triticum occato, sarrito, runcato. *Colum.* 2, 4. Compluribus iterationibus sic resolvatur vervactum in pulverem, ut vel nullam, vel exiguam desideret occationem, cum seminaverimus: nam veteres Romani dixerunt male subactum agrum, qui satis frugibus occandus sit. ℙ Habet locum etiam in cultura vineae. *Varr. l. c.* Vites novellas fodere, aut arare, et postea occare, id est comminuere, ne sit gleba: quod ita occidunt, occare dicunt. *Pall.* 6, 4. Hoc mense arbores et vites, quae ablaqueatae fuerant, occare, hoc est operire jam convenit.

OCCOEPI. V. in OCCIPIO.

OCCŬBĬTUS, us, m. occasus. *Hieron. ep.* 108. *n.* 34. Post solis occubitum.

OCCŬBO, as, n. 1. occumbo, jaceo. *Sen. Hipp.* 997. Hippolytus flebili leto occubat. *Virg. A.* 5, 371. ad tumulum, quo maximus occubat Hector. Sic *ib.* 10, 706. Paris urbe paterna Occubat. *Id. ib.* 1, 550. si vescitur aura Aetheria, neque adhuc crudelibus occubat umbris, *h. e.* degit iter mortuos. ℙ Praeteritum *occubui* cum *occumbo* est commune.

OCCULCĀTUS, a, um, part. ab *occulco:* calcatus, conculcatus. *Varr. R. R.* 1, 13. Chors exterior operta stramentis ac palea occulcata pedibus pecudum. Al. leg. *conculcata. Liv.* 27, 14. Et partim occulcatis, partim dissipatis qui circa erant, nudaverant una parte aciem. Hic quoque alii leg. *conculcatis.*

OCCŬLCO et Obculco, as, avi, atum, a. 1. *καταπατέω*, proculco, conculco, calco. *Cato R. R.* 49. Ponito in scrobe, aut in sulco, operitoque, et bene occulcato.

OCCŬLO, is, ui, cultum, a. 3. *καλύπτω*, operio, abdo, condo, tego. Est ex *ob*, et *colo*: et proprie dici volunt, cum agrum colendo, arando, occando, semina aut plantas terra condimus, et contegimus. Hinc illud *Virg. G.* 2, 346. quaecumque premes virgulta per agros, Sparge fimo pingui, et multa memor occule terra. ℙ Utcumque sit, universim adhibetur pro abscondere, celare. *Cic. Att.* 5, 15. Appii vulnera non refrico: sed apparent, nec occuli possunt. *Id. Tusc.* 2, 15. Feminae parietum umbris occuluntur. *Pl. Most.* 1, 3, 118. istae Vetulae, edentulae, quae vitia corporis fuco occulunt. *Nep. Alc.* 9. In Thraciam se abdidit, sperans ibi facillime suam fortunam occuli posse. *Virg. A.* 1, 313. Classem in convexo nemorum sub rupe cavata Occulit. *Liv.* 33, 1. Hastatos anfractus viarum, vallesque interjectae occulebant. *Ov. Am.* 1, 8, 21. Fors me sermoni testem dedit: illa monebat Talia: me duplices occuluere fores. *Id. Fast.* 2, 216. Silvaque montanas occulere apta feras. *Id. Met.* 14, 816. Annuit omnipotens, et nubibus aera caecis Occuluit. *Sen. Hipp.* 875. Effare: fido pectore arcana occulam. *Tac. A.* 3, 16. Quorum neutrum adseveraverim: neque tamen occulere debui narratum ab iis, qui, etc. *Tibull.* 1, 2, 37. Si quis et imprudens aspexerit, occulat ille, *h. e.* celet, quidquid aspexerit.

OCCULTĀTĒ, adv. occulte. *Cic. Dejot.* 6. Quod igitur et occultatius conari, et efficere cautius potuit. Meliores codices habent *occultius.* [*Ita *Orell.*]

OCCULTĀTĬO, onis, f. *κατάκρυψις*, actus occultandi. *Cic. N. D.* 2, 50. *f.* Cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones: aliae fuga se, aliae occultatione tutantur. *Id. Fin.* 2, 22. *med.* Quae libido se non proripiet, ac projiciet aut occultatione proposita, aut impunitate, aut licentia? *Plin.* 7, 45, 46. Occultatio in spelunca.

OCCULTĀTOR, oris, m. *κατακρύπτων*, qui occultat, celator. *Cic. Mil.* 19. Sustinuisset hoc crimen ipse ille latronum occultator et receptator locus.

OCCULTĀTUS, a, um, part. ab *occulto*, *ὑποκεκρυμμένος*, abditus, celatus. *Sall. Jug.* 53. Neque plane occultati humilitate arborum. *Cic. Acad.* 4, 39. Latent ista omnia crassis occultata et circumfusa tenebris. *Ov. Pont.* 1, 1, 17. et epistola cui sit, Non occultato nomine, missa docet.

OCCULTĒ, adv. *κρύφα*, clam, abscondite, latenter. *Plin.* 36, 2, 2. Nec clam illud occulteque factum est. *Cic. Agr.* 1, 1. Quae res aperte petebatur, ea nunc occulte cuniculis oppugnatur. *Caes. B. G.* 7, 83. Quid agi placeat, occulte inter se constituunt. *Id. B. C.* 1, 66. Cum paucis equitibus occulte ad exploranda loca proficiscitur. *Ter. Ad.* 3, 2, 30. amare occepit aliam: Neque id occulte fert. *Lucr.* 1, 314. Ferreus occulte decrescit vomer in arvis. Sic *Ov. Am.* 1, 8, 49. Labitur occulte, fallitque volubilis aetas. *Sall. Cat.* 17. Erant praeterea complures paulo occultius consilii hujus participes. *Caes. B. C.* 3, 67. Diverso itinere, quam potuit occultissime reliquas cohortes duxit.

OCCULTĒRĬPĒDĀ. V. OCULICREPIDA.

OCCULTIM, adv. occulte. *Solin.* 4. Occultim reptare.

OCCULTO, adv. occulte. *Afran.* ap. *Charis.* 2, 186. Age, curre cursim ad Numisium occulto.

OCCULTO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποκρύπτω*, abscondo, abdo, celo, obtego: frequent. ab *occulo. Cic. N. D.* 2, 20. Stellae tum occultantur, tum rursus aperiuntur. *Id. Off.* 1, 35. Quae enim natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, removent ab oculis. *Id. Manil.* 3. Latebris se occultare. *Caes. B. G.* 1, 27. Occultare fugam; et *ib.* 7, 73. insidias; et *ib.* 45. legionem silvis. *Petr. Sat.* 123. gremio Penates. *Caes. B. G.* 7, 85. aliquid in terram; [*V. *Herzog.* ad h. l. de exquisito hoc loquendi genere disputantem.] et 83. se post montem; et *ib.* 6, 30. se in insulis; et 16. aliquid apud se. *Stat. Theb.* 9, 617. culpam sub antris. *Pl. Trin.* 2, 2, 2. neque latebrose me abs tuo Conspectu occultabo; et 3, 2, 1. Sta illico, noli aversari, neque te occultassis mihi: *ἀρχαϊκῶς* pro occultaveris. *Caes. B. C.* 2, 31. Quippiam dissimulare et occultare. *Cic. Off.* 1, 30. Occultare et dissimulare appetitum voluptatis. *Id. Fin.* 2, 24. Ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur. *Id. in Sen.* 7. Ad occultanda tanta flagitia. *Liv.* 29, 14. Occultantibus id, credo, patribus, ne, etc. ℙ Sq. inf. *Pl. Pers.* 4, 3, 22. res est quaedam, quam occultabam Tibi dicere.

OCCULTUS, a, um, part. ab *occulo*, *κρυπτός*, latens, abditus, absconditus, abstrusus, involutus. *Cic. Rosc. Am.* 36. Occultior, atque tectior cupiditas. *Id. Fam.* 11, 21. *extr.* Si quid erit occultius, et, ut scribis, reconditum. *Id. Verr.* 2, 1, 15. Occultum, intestinum, ac domesticum malum. *Id. Acad.* 4, 19. Res occultissimas aperire, in lucemque proferre. *Virg. A.* 9, 383. Rara per occultos ducebat semita calles; et *ib.* 3, 695. Occultas vias agere sub mare. *Ov. A. Am.* 3, 630. Et feret occultas pura tabella notas. *Virg. G.* 3, 397. Et salis occultum referunt in lacte saporem. *Hor. Od.* 1, 12, 45. Crescit, occulto velut arbor aevo, Fama Marcelli. *Sall. Cat.* 24. Tale periculum reipubl. haud occultum habuit. [*— Hic notandus erat usus, quo *res occultae* ap. Ciceronem quidem de rerum natura intelliguntur. Ita *Ac. post.* 1, 4, 15. Socrates videtur — primus a rebus occultis et ab ipsa natura involutis, in quibus omnes ante eum philosophi occupati fuerunt, avocavisse philosophiam et ad vitam communem adduxisse; et *ib.* 5, 19. De natura et rebus occultis philosophandi ratio, i. e. physica; et *ib.* 2, 41, 127. Indagatio ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum habet oblectationem. Cf. *Fin.* 2, 14, 46. 3, 11, 37. scire cupimus, illa, quae occulta nobis sunt, quomodo moveantur quibusque de causis ea versentur in coelo; et 4, 7, 8. contemplatio rerum occultiorum: ubi alii libri melius *occultarum.* (Cf. *ib.* 5, 19, 51. eorum omnium, quae naturae obscuritate occultantur, cognitiones.) *N. D.* 1, 18, 49. Res occultae et penitus abditae. *Off.* 1, 4, 13. Cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad bene beateque vivendum necessariam ducimus: ubi v. *Beier.*, cujus verba hic secuti sumus.] ℙ Absolute. *Cic. Coel.* 23. *f.* Servi, quibus occulta creduntur. *Tac. A.* 15, 74. Occulta conjurationis retexere; et *ib.* 1, 61. Occulta saltuum scrutari; et *ib.* 4, 71. *extr.* et 5, 4. et 6, 7. (item *Claud. Cons. Mall. Theod.* 124.) Delationes exercebant alii propalam, multi per occultum; et *ib.* 3, 18. In occulto tenere aliquid. *Liv.* 21, 22. *extr.* Sineret, fata in occulto esse. *Pl. Trin.* 3, 2, 86. Nihil ego in occulto agere soleo. *Cic. Cluent.* 18. *extr.* Stare in occulto; et *ib.* 16. *f.* Multi viri boni cum ex occulto intervenissent. *Ter. Eun.* 4, 7, 17. fundam tibi vellem dari, Ut illos procul hinc ex occulto caederes. ℙ *Occultus homo*, tectus, fictus, dissimulator. *Cic. Fam.* 3, 10. *med.* Si me astutum et occultum lubet fingere. *Liv.* 25, 16. Ab occultis cavendum hominibus, consultisque. *Tac. A.* 6, 51. Occultus ac subditus fingendis virtutibus; et *ib.* 4, 7. Occultus odii, *h. e.* odium celans. ℙ *Occultus* pro *occulte. Id. ib.* 3, 29. Neque tum fuisse dubitaverim, qui ejusmodi preces occulti illuderent; et *ib.* 4, 12. Domum Germanici revirescere, occulti laetabantur; et 40. Excessisse te jampridem equestre fastigium, non occulti ferunt, *h. e.* palam aegre ferunt. ℙ *Occultum offerre* (al. *efferre*) significat sub terram ferre, ponere. *Festus.*

OCCUMBO, is, occubui, bitum, n. 3. *καταπλήσσομαι*, cado, occido. *Vell.* 2, 70. Et ita in gladium occubuit. Al. leg. *incubuit.* [*Ita *Ruhnk.*] *Just.* 37, 2. Cometes cum oriretur, occumberetque, quatuor horarum spatium consumebat. ℙ Fere de casu mortis dicitur, quasi ob mortem cadere, morti succumbere: et praesertim illata ab alio nece cadere. *Ov. A. Am.* 3, 18. Fertur et ante annos occubuisse suos. *Val. Fl.* 3, 169. occumbens Herculis armis. *Lucan.* 9, 567. occumbere in armis. *Suet. Aug.* 12. *extr.* Pro libertate eos occubuisse. *Just.* 7, 51. Insidiis matris appetitus occubuit. ℙ Dicimus *occumbere mortem*, *morte* et *morti.* [*Zumpt. Gr. Lat.* §. 387. docet *occumbere mortem* usitatius dici, quam *occumbere morti* vel *morte.* Ceterum utraque forma proba. V. *Drak.* ad *Liv.* ll. mox laudandos; et *Sanct. ed. Scheid.* p. 472. et 758.] *Sil.* 13, 380. et *Enn.* ap. *Prisc.* 6. *f.* licuit pugnanti occumbere letum. *Cic.* referens dictum cujusdam Lacaenae, *Tusc.* 1, 42. *extr.* Idcirco genueram, ut esset, qui pro patria mortem non dubitaret occumbere. [*Ita *Orell.*] Al. leg. *morte. Curt.* 4, 15. *med.* Ante oculos sui quisque regis mortem occumbere ducebant egregium. [**Id.* 8, 2, 8. cujus duo filii apud Miletum pro mea gloria occubuere mortem: ita *Zumpt.*] *Liv.* vertens Graecam Inscript. 26, 25. *med.* Qui pro patria pugnantes mortem occubuerunt. Al. leg. *oppetierunt. Id.* 31, 18. Qui pugnantes mortem occubuissent. Al. leg. *morte. Suet. Aug.* 13. Filius quoque voluntariam occubuisset necem. Hic quoque al. *voluntaria nece.* [**Suet.* accusativum frequentat.] *Liv.* 1, 7. Cacus ictus clava morte occubuit. *Val. Fl.* 1, 633. segni occumbere leto. *Virg. A.* 2, 62. Seu versare dolos, seu certae occumbere morti. *Enn.* ap. *Serv. h. l.* Pro vostra vita morti occumbant fortiter. *Ov. Met.* 15, 499. et *Phaedr.* 4, 1. Occumbere neci. ℙ *Occumbere aliquo*, manu alicujus. *Sil.* 5, 260. Rullo ditissimus agri Occumbis, generose Volunx; et *Claud. B. Get.* 74. dum vellere Pelion Otus Nititur, occumbit Phoebo. ℙ *Occumbere* est etiam contra accumbere, nempe coenae. *Afran.* ap. *Non.* 2, 223. Immo jamdudum occubuisse, degulasse oportuit. Sunt qui velint interpretari *oppetiisse*, *gulam fregisse.* V. DEGULO. ℙ Legitur et *obcumbo.*

OCCŬPĀTĪCĬUS Ager, *κατειλημμένον χωρίον*, qui desertus a cultoribus propriis, ab aliis occupatur. *Festus.*

OCCŬPĀTĬO, onis, f. *πρόληψις*, *κατάληψις*, actus occupandi, obsessio, invasio. *Cic. Dom.* 3. Obsessio templorum, occupatio fori, oppressio curiae. *Id. Off.* 1, 7. Sunt autem privata nulla natura, sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt, aut victoria, aut lege, etc. ℙ Ap. rhetores est figura sententiae, quae et *praesumptio* dicitur, cum id, quod objici potest, occupamus, et diluimus. *Ante occupatio* dicitur a *Cic. Or.* 3, 53. *f.* et *praesumptio* a *Quint.* 9, 2., ubi plures ejus species, praemunitionem, confessionem, praedictionem, emendationem, praeparationem, etc., subjectis etiam exemplis, exponit. *Occupationis* exempla vide in voce AT. ℙ Praeterea *Occupatio* est, cum dicimus, nos praeterire, aut non scire, aut nolle dicere id, quod tunc maxime dicimus. Ita *Auct. ad Her.* 4, 27. Aliis dicitur *praeteritio.* [*De utraque figura bene disputat *Ernest.* in *Lex. techn. lat. rhet.* p. 270. sq.] ℙ Saepe est negotium, res agenda, quae detinet animum, et impedimento est, ne aliis rebus vacet, *ἀσχολία. Cic. Or.* 10. In maximis occupationibus tuis numquam intermittis studia doctrinae. *Caes. B. G.* 4, 22. Neque has tantularum rerum occupationes tibi Britanniae anteponendas judicabat. *Nep. Att.* 20. Cum propter suas infinitas occupationes minus saepe Attico frueretur. *Cic. Fam.* 7, 17. *med.* Cum ille aut occupatione, aut difficultate tardior tibi erit visus. *Id. Att.* 1, 19. Vix huic tantulae epistolae tempus habui, atque id ereptum e summis occupationibus; et *ib.* 3, 20. Ab omni occupatione se expedire; et *ib.* 16, 16. Relaxare se occupatione; et *Fam.* 10, 28. et *ib.* 12, 30. Maximis occupationibus impediri. *Id. N. D.* 1, 19. implicari. *Id. Att.* 2, 23. Ex eo colligere poteris, quanta occupatione distineat. [**Liv.* 10, 45. Etruria — occupationem (omnis Romana vis aversa in Samnium erat,) P. R. pro occasione rebellandi habuit; et *Caes. B. C.* 3, 22. occupatione magistratuum et temporum: ubi v. *intpp.*] *Sen. Cons. ad Marc.* 1. *med.* Studia, hereditarium et paternum bonum, surdas aures, irrito ac vix ad brevem occupationem proficiente solatio transeunt, *h. e.* avocamentum a dolore.

OCCŬPĀTŌRĬUS Ager, idem fere, quod occupaticius. V. ARCIFINALIS.

OCCŬPĀTUS, a, um, part. ab *occupo: καταληφθείς*, captus, ante captus, invasus, obsessus. *Caes. B. C.* 3, 109. Alter accepto vulnere occupatus, per suos pro occiso sublatus est. *Id. B. G.* 6, 11. Partem finitimi agri per vim occupatam possidebant. *Hirt. B. Alex.* 78. Tetrarchia occupata et possessa a Dejotaro. *Mart.* 3, 82. Jacet occupato galbanatus in lecto, *h. e.* quem totum mole sui corporis implet. *Sall. in or. Lepidi contra Sull.* Res per scelus occupatas dimittere. *Tac. H.* 3, 35. Transitus Alpium praesidiis occupati. *Just.* 5, 8. *f.* Citato itinere miserunt, qui eum intercipe-

rent; a quibus occupatus, etc.; et 2, 12. *med.* Graeci adventu hostium occupati proelium capessunt. *Curt.* 9, 7. *med.* Macedo gladium coeperat stringere: quem occupatum complexu, pedibus repente subductis, Dioxippus arietavit in terram. ℙ Translate. *Liv.* 27, 20. Beneficiis Scipionis occupatos omnium animos publice privatimque esse. ℙ *Occupata pecunia*, quam quis ad aliquid emendum impendit. *Pl. Epid.* 2, 2, 113. Atque id non decem tibi erit occupatum argentum dies. ℙ *Occupata urbs*, plena quidem aedificiis, sed sine ordine. *Liv.* 5, 55. *extr.* Festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum, omisso sui alienique discrimine, in vacuo aedificant. Ea est causa, ut forma urbis sit occupatae magis, quam divisae similis. ℙ Saepe est distentus, districtus, implicatus, impeditus negotio aliquo, ita ut non possit alii rei operam dare, ἄσχολος, cui opponitur otiosus, vacuus, liber. *Cic. Tusc.* 1, 3. Ut si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi. *Id. Att.* 10, 9. Festinabam eramque occupatior; et *ib.* 12, 38. Non dubito, quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil litterarum. *Id. Or.* 1, 56. *med.* Suspenso et occupato animo aliquid facere. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 4. Comitiorum dilationes occupatiorem me habebant. *Cic. Coel.* 19. Amores autem, et hae, deliciae quae vocantur, nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt. *Pl. Most.* 4, 3, 16. nisi quid magis Es occupatus, operam mihi da. *Id. Merc.* 2, 2, 16. Quamquam negotium est, si quid vis, Demipho, Non sum occupatus unquam amico operam dare, *h. e.* quin amico operam dem, aut dare queam. *Ter. Phorm.* 3, 2, 17. alia cum occupatus esset sollicitudine. *Nep. Ann.* 7. Cum in apparando acerrime esset occupatus. *Id. Alc.* 8. In eo erat occupatus, ut bellum quam diutissime duceret. *Cic. Planc.* 27. Ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem unquam otiosum? *Id. Leg.* 1, 3. Neque enim occupata opera, neque impedito animo res tanta suscipi potest. *Phaedr.* 2, 5. Est ardelionum quaedam Romae natio Trepide concursans, occupata in otio, Gratis anhelans, multa agendo nihil agens. ℙ *Occupatus alicui rei*, h. e. in aliqua re. *Plin.* 26, 2, 6. Sedere his in scholis auditioni occupatos gratius erat, quam, etc. Ita quaedam editiones, praesertim veteres: sed *Hard.* cum *Aldo*, et al. *operatos.* ℙ Scribebat meretrix in fronte cellae, *occupatam esse se*, cum, uno admisso amatore, alios exclusos volebat. *Pl. As.* 4, 1, 15.

OCCŪPĀTUS, us, m. occupatio. *Claud. Mamert.* ap. *Sidon. ep.* 4, 2. Ecquo tam ex occupatu unquam implicabere, quin, etc?

OCCŪPO, as, avi, atum, a. 1. καταλαμβάνω, invado, obsideo, capio, usurpo, teneo, praesertim cum aut subito, aut celeriter id fit: ex *ob*, et *capio:* [*nostr. *anfassen.* Ceterum non subito vel celeriter, sed cum vi quadam comprehendendi, corripiendi notionem continere videtur. Cf. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 1, 3., qui *occupo* proprie frequentativum verbi genus dicit, ad rationem istorum: *nuncupo, aucupo.*] *Cic. Agr.* 2, 28. Totam Italiam suis praesidiis obsidere atque occupare cogitat. *Id. Fin.* 3, 20. Theatrum cum commune sit, recte tamen dici potest, ejus esse eum locum, quem quisque occuparit. *Id. Phil.* 13, 5. Agri Lucani possessiones occupare. *Liv.* 33, 31. Patent urbes opportunae ad occupandum. *Caes. B. C.* 1, 11. *extr.* Pisaurum, Fanum, Anconam singulis cohortibus occupat. *Tac. H.* 1, 62. Occupanda urbs. *Id. ib.* 4, 47. Valida manu montem occupat. *Hor. Od.* 1, 14, 2. Occupare portum. *Cic. Amic.* 12. et *Phil.* 5, 6. regnum; et *Off.* 2, 23. tyrannidem. *Pl. Trin.* 5, 2, 12. familiam optimam, *h. e.* ingredi, nancisci. [*Lindem. jocularem dictionem esse contendit pro eo, quod esset: *se insinuavit. Er hat da eine sehr gute Familie in Beschlag genommen.*] *Ov. Fast.* 3, 509. aliquem amplexu. [*Curt. 3, 1, 19. Cum deinde Darium, ubicumque esset, occupare statuisset, i. e. impetum facere in, etiam cogere, ut pugnam iniret.] ℙ Pro implere, impedire. *Hor. Od.* 3, 29, 44. atra nube polum, pater, occupato; et *ib.* 24, 3. Caementis licet occupes Tyrrhenum omne tuis. *Prop.* 2, 5, 28. Et mala desertos occupat herba Deos. ℙ Pro implere serendo. *Colum.* 5, 10. de lente: Jugerum agri paulo plus quam modius occupat. Adde *ib.* 11. ℙ Pro ferire. *Virg. A.* 10, 699. Sed Latagum saxo, atque ingenti fragmine montis Occupat os faciemque adversam. Ubi *Serv.:* pro Latagi os occupat: et est Graeca figura in Homero frequens, ut si dicas, ἔφρουσεν Ἀχιλλέα τὸν πόδα, Achillem percussit pedem, pro Achillis pedem. *Id. ib.* 9, 770. Gladio occupare aliquem. *Ov. Met.* 3, 48. aliquem morsu. *Prop.* 4, 4, 82. vocales occupat ense canes. ℙ Pro tenere, capere, ligare, prehendere. *Virg. G.* 4, 440. Cum clamore ruit magno, manicisque jacentem Occupat; et *ib.* 190. fessos sopor occupat artus. ℙ Aggredi, et conficere. *Prop.* 4, 10, 13. Hunc videt ante cavas vibrantem spicula turres Romulus, et votis occupat ante ratis. *Ter. Andr.* 1, 5, 62. mors continuo ipsam occupat. ℙ Anteire, praeire. *Ov. Trist.* 1, 10, 5. de navi: Nec comites volucri contenta est vincere cursu: Occupat egressas quamlibet ante rates. ℙ Detinere. *Tibull.* 1, 11, 39. Quam potius laudandus hic est, quem prole parata Occupat in parva pigra senecta casa. ℙ *Occupare pecuniam* est ponere, collocare vel fenore, vel in emptione rei cujuspiam. *Cic. Fl.* 21. Pecuniam adolescentulo grandi fenore, fiducia tamen accepta, occupavisti. *Id. Verr.* 2, 1, 36. Pecunias occuparat apud populos, et syngraphas fecerat. *Colum.* 1, 8. *med.* Occupare pecuniam animalibus, aut aliis rebus promercalibus; et 11, 1. *med.* pecuniam in pecore. Contra *otiosam pecuniam* dicimus, quae in arca detinetur, et nullas parit usuras. V. OTIOSUS. ℙ Translate a primis significationibus. *Cic. Font.* 5. Vult magnitudine rei sic occupare animos eorum, qui audiunt, ut difficilis aditus veritati inveniatur. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. Ante occupatur animus ab iracundia, quam providere ratio potuit, ne occuparetur. *Id. Verr.* 2, 4, 51. Superstitio mentes Siculorum occupavit. *Virg. A.* 3, 294. incredibilis rerum fama occupat aures; et *ib.* 4, 499. pallor occupat ora; et *ib.* 7, 446. juveni subitus tremor occupat artus. *Caes. B. G.* 1, 39. Tantus timor omnem exercitum occupavit. *Liv.* 5, 38. Pavor fugaque occupaverat animos. *Tibull.* 4, 4, 5. macies tabentes occupat artus. ℙ Saepe est praevenire, ante capere, antevertere, praesumere, praecipere, φθάνειν. Hanc *Nonius* 4, 328. putat primam et propriam hujus verbi vim et notionem. *Cic. Or.* 40. Ut ante occupet, quod videat opponi. *Id. Tusc.* 5, 9. *f.* Occupavi, inquit, te Fortuna, atque cepi, omnesque aditus tuos interclusi, ut ad me adspirare non posses. *Phaedr.* 5, 8. Calvus, comosa fronte, nudo corpore, Quem si occuparis, teneas. *Pl. Stich.* 3, 1, 33. ego per hortum amicam transibo meam, Mihi hanc occupatum noctem. *Tac. H.* 2, 13. Milites faciles occupantibus, et melioribus incuriosi. *Sen. ep.* 70. *med.* Stultitia est, timore mortis mori: expecta: quid occupas? [*Cf. *Gronov.* ad *Sen. Thyest.* 270. quem laudat *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 9, 6. Cum affectaretur: Numquid vis? occupo.] *Sen. alter Phoen.* 416. Occupa, mater, preces, *h. e.* festina precari, antequam fratres se mutuo petant. *Id. Herc. Oet.* 435. et *Agam.* 193. et *Thyest.* 203. Occupare scelus, *h. e.* facere, antequam alter faciat. [*Lucan. 5, 555. velut occupet imbrem; ubi v. *Cort.* item ad 8, 670.] *Hor. Ep.* 1, 7, 64. Vultejum manu Philippus Occupat, etsalvere jubet prior. *Phaedr. epil.* 2. Quoniam occuparat alter, ne primus forem, Ne solus esset, studui. *Plin. Pan.* 10. Ille jure principis occupavit, primusque fecit, quod omnes facturi erant. *Liv.* 4, 29. Qui prior auctor tam saevi exempli foret, occupaturus insignem titulum crudelitatis fuerit, *h. e.* A. Postumius Tubertus, quem tradunt securi feriri jussisse filium suum, quod injussu ejus contra hostes pugnaverit. V. POSTUMIANUS. Adde *Pacuv.* et *Varr.* ap. *Non. l. c.* [*Curt. 8, 9, 32. apud hos occupare fati diem pulchrum.] ℙ Cum infinito. *Liv.* 1, 14. Priusquam tantum roboris esset, quantum futurum apparebat, occupant bellum facere; et *ib.* 30. *f.* Occupat Tullus in agrum Sabinum transire. [*Liv. 2, 48. Occuparent patres ipsi suum munus facere.] *Hor. Od.* 2, 12, 28. rapere occupat. *Pl. Ps.* 4, 1, 15. Volo, tu prior ut occupes adire. Adde *Poen.* 1, 2, 107. et alibi, et *Titin.* et *Varr.* ap. *Non. l. c.* [*Cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 21, 39. Occupavit tamen Scipio Padum trajicere.] ℙ De eo, qui prior loquitur. *Stat. Th.* 7, 538. hic justae Tydeus memor occupat irae: Me potius socii, etc. ℙ *Occupare sibi aliquod consilium* ap. *Pl. Men.* 5, 2, 94. est ante capere, invenire. ℙ Nonnunquam est distinere, impedire, ita ut ad alia nequeas animum et operam advertere. *Pl. Men.* 3, 1, 6. illum Dii omnes perduint, qui primus commentus est Concionem, hacque re homines occupatos occupat. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. Haec causa primos menses occupabit. *Pl. Ps.* 1, 5, 134. Da operam, quaeso, mihi, Ne quod te ad aliud occupes negotium. *Ter. Hec. prol.* 1, 4. Ita populus studio stupidus, in funambulo Animum occuparat. *Liv.* 33, 40. *f.* Occupari aliarum rerum cura. ℙ Ἐνώμη est illud *Sen. Troad.* 497. Miser occupet praesidia, securus legat, *h. e.* quod primum se offert, arripiat. ℙ *Occupassim, is, it*, antique pro *occupaverim* ap. *Pl. As.* 4, 2, 9. et *Most.* 5, 1, 48.

OCCŪPO, onis, m. cogn. Mercurii, qui furum Deus est aliena bona occupantium. *Petron. fragm. Trag.* 58. *Burm. med.* Sed res, et lectio incerta est.

OCCURRO et Obcurro, is, occurri, et aliquando occucurri, cursum, n. 3. ἀπαντάω, obviam eo, aut venio: ex *ob*, et *curro. Caes. B. C.* 3, 79. *extr.* Domitius ad Aeginium Caesari venienti occurrit. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 6. Scripsi ad eum, ut mihi Heracleam occurreret. *Pl. Merc.* 1, 2, 88. illico Occucurri, atque interpello. *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 10, 882. Quod advorsum multi ex Bithynia volentes occurrere. *Pl. Epid.* 2, 2, 30. et *Liv.* 4, 40. Occurrere obviam alicui. *Hor. Ep.* 1, 1, 94. Si curtatus inaequali tonsore capillos Occurri, rides; et *Sat.* 1, 4, 135. sic dulcis amicis Occurram. ℙ Item obviam fio resistendi, et pugnandi causa. *Caes. B. C.* 1, 40. Legiones quatuor transjecit, duabusque Fabianis legionibus occurrit; et *ib.* 2, 27. Etiam inermes armatis occurrebant. ℙ Est etiam incidere, casu incurrere. *Id. B. G.* 4, 26. Quibuscumque signis occurrerat, se aggregabat; et *ib.* 3, 6. Alio sese in hiberna consilio venisse meminerat, aliis occurrisse rebus videbat. ℙ Ratione loci est contra situm esse, adversum stare, oppositum esse. *Plin.* 5, 24, 20. de Euphrate: Apud Elegiam occurrit ei Taurus mons. *Id.* 6, 26, 29. Media oblique Parthiae occurrens; et 3, 10, 15. Quem locum occurrens Therinaeus sinus paeninsulam efficit. *Stat. Th.* 1, 114. abrupta qua plurimus arce Cithaeron Occurrit coelo, *h. e.* contra coelum erigitur. ℙ Est etiam accurrere, advenire in tempore: nam *ob* pro *ad* olim usurpatum est. *Pl. Poen. prol.* 43. Nunc dum scriblitae aestuant, occurrite. *Cic. Verr.* 2, 3, 27. Quamprimum aliam civitatem occurrere, *h. e.* ad aliam civitatem festine transire. *Id. Phil.* 1, 4. Non quo me ad tempus occursurum putarem, sed, etc. *Val. Max.* 4, 4. *n.* 7. Quod ad causam dicendam non occurrisset. *Liv.* 31, 29. Concilium Aetolorum futurum erat. Huic ut occurrerent, legati regis iter acceleraverunt; et *mox:* Atheniensium quoque legati ad id concilium occurrerunt. *Hirt. B. Afr.* 68. Suppetias occurrere alicui. ℙ Cum infinito. *Lucr.* 3, 909. nec dulces occurrent oscula nati Praeripere. ℙ Translate est offerre se vel animo, vel oculis, in mentem venire. *Colum.* 2, 2. *med.* Oculis ejus tot paludes, tot etiam campi salinarum occurrerent. *Caes. B. G.* 7, 85. Utrisque ad animum occurrit, unum illud esse tempus, quo maxime contendi conveniat, *h. e.* ad animum addendum. *Cic. Or.* 2, 24. *f.* Cum rem penitus causamque cognovi, statim occurrit animo, quae sit causa ambigui. *Plin.* 29, 1, 1. Occurrit cogitationi, quonam modo, etc. *Cic. Fin.* 4, 17. Qui quodcumque in mentem veniat, aut quodcumque occurrat, se sequi dicent. *Id. Or.* 1, 33. Omnes loci anquirentibus nobis ostendunt se et occurrunt; et *ib.* 2, 34. *extr.* Omne, quod erit in re, occurret atque incidet. *Id. Or.* 3, 49. *med.* Neque vos paeon, aut herous ille conturbet: ipsi occurrent orationi: ipsi, inquam, se offerent et respondebunt non vocati. *Id. Mil.* 9. Occurrebat, mancam ac debilem praeturam suam futuram, consule Milone. *Sen. Prov.* 6. Isti, quos pro felicibus aspicitis, si non, qua occurrunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt, *h. e.* apparent, videntur. *Cic. Or.* 32. *f.* Haec tenenda sunt oratori: saepe enim occurrunt, *h. e.* offeruntur et usuveniunt. ℙ Cum infinito. *Plin.* 24, 17, 99. Occurrit aliqua dicere et de magicis herbis. ℙ Item ultro venire, ultro offerri. *Cic. Dejot.* 14. Non debeo, C. Caesar, tentare, quonam modo misericordiam tuam commovere possim: nihil opus est: occurrere ipsa solet supplicibus et calamitosis, nullius oratione evocata. ℙ Item resistere, repugnare, opponere se. *Cic. Cat.* 3, 7. *f.* Omnibus ejus consiliis occurri atque obstiti. *Id. Fat.* 18. Itaque illi rationi, quam paulo ante conclusi, sic occurrit: si omnia fato fiant, etc. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 11. Malivolentiae hominum in me, si poteris, occurres. ℙ Item respondere. *Val. Fl.* 7, 222. tum cetera rumpit, Occurritque Venus: tu nunc mihi causa viarum, etc. *Quint.* 1, 5. Ut si dicenti, *quem video?* ita occurras, *ego.* ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Acad.* 4, 14. Si negabunt, vera a falsis posse distingui, qui poterunt longius progredi? occurretur enim, sicut occursum est; et *Off.* 2, 2. Occurritur autem nobis, et quidem a doctis et eruditis, quaerentibus, satisne constanter facere videamur, qui, etc. *Quint.* 7, 6. Contra scriptum tribus generibus occurritur. ℙ Pro impedire, praevenire, mederi, remedium afferre, praesertim si de malo agatur, quod nondum accidit. *Cic. Verr.* 2, 4, 47. Sentio occurrendum esse satietati aurium animorumque vestrorum. *Val. Max.* 8, 5. *n.* 1. Ne potentia inimicorum oppressisse videretur, occursum est. *Pers.* 3, 64. venienti occurrite morbo. *Plin.* 32, 9, 31. Torminibus et inflationibus occurrunt. *Cic. Cluent.* 23. Sed ego occurram exspectationi vestrae, judices. *Nep. Pelop.* 1. Utrique rei occurram quantum potero, et medebor cum satietati, tum ignorantiae lectorum. *Pers.* 1, 62. posticae occurrite sannae. ℙ Item praevenire, occupare. Cum accusativo communi. *Pall.* 8, 7. Nunc etiam, quae Julio non occurrimus, exsequamur. ℙ Pro *occucurri* dixerunt etiam *occecurri*, ut *memordi, peposci*, Graecorum exemplo, qui verbi τύπτω, verbero, praeterit. τέτυφα habent. *Aelius Tubero* ap. *Gell.* 7, 9. Si generalis species occecurrit.

OCCURSĀCŬLUM, i, n. quidquid alicui occurrit. *Appul. Apol.* Noctium occursacula, *h. e.* spectra.

OCCURSĀTĬO, onis, f. actus occursandi, ἀπάντησις. *Cic. Planc.* 12. Facilis est illa occursatio, et blanditia popularis, *h. e.* ultro citroque, sursum prorsum cursitatio vel salutandi, vel conveniendi,

vel prensandi causa. *Id. Mil.* 35. Vestras et vestrorum ordinum occursationes, studia, sermones secum ablaturum esse dicit.

OCCURSĀTOR, oris, m. qui occursat. *Auson. Idyll.* 2, 25. Non occursator, non garrulus obvia cernens, *h. e.* opportune importune aliis occurrens sciscitandi, colloquendi, salutandi causa.

OCCURSATRIX, icis, f. occursans. *Fest.* in *Spintyrnix:* Occursatrix artificium, perdita spintyrnix.

OCCURSĬO, onis, f. ἀπάντησις, occursus. *Sen. Consol. ad Marc.* 18. Videbis nocturnam lunae successionem a fraternis occursionibus lene remissumque lumen mutuantem. Al. leg. *occursibus. Sidon. ep.* 7, 10. Superest, ut sollicito veneratori culpam rarae occursionis indulgeas, *h. e.* quod raro te visat. *Sulpic. Sever. dial.* 1, 21. Gaudet salutationibus, inflatur occursionibus.

OCCURSĬTO, as, n. 1. frequent. ab *occurso. Solin.* 25. de elephantis: Si confertis pecoribus occursitent.

OCCURSO, as, avi, atum, n. 1. ἀπαντάω, obvius fio: frequent. ab *occurro. Virg. Ecl.* 9, 24. et inter agendum Occursare capro, cornu ferit ille, caveto. *Tac. A.* 3, 20. Promptus inter tela occursat fugientibus, increpat signiferos. *Caes. B. G.* 5, 43. *med.* Occursat ocius gladio, cominusque rem gerit Varenus. *Gell.* 3, 7. Promptissimus ad occursandum pugnandumque. *Plin.* 16, 2, 2. Occursantes inter se radices. *Id.* 11, 51, 112. Mobili occursante membrana intus, *h. e.* adversa, et quasi se opponente. ℙ Pro accurrere, advenire. *Pl. Truc.* 2, 2, 27. Quid tu huc occursas, in urbem quotiescumque advenimus? ℙ Pro in mentem venire. *Plin. ep.* 2, 3. Occursant verba, sed qualia? quaesita et exculta; et *ep.* 5, 5. *f.* Occursant animo mea mortalitas, mea scripta. ℙ Cum accus. *Pl. Mil.* 4, 2, 56. ita me occursant multae: meminisse haud possum. ℙ Translate. *Plin. Pan.* 25. *f.* Intercedere casibus, occursare fortunae, *h. e.* obviam ire, et praevenire. *Sall. Jug.* 87. Et ea agere inter invidos, occursantes factiosos, opinione, Quirites, asperius est, *h. e.* contra nitentes, adversantes. *Plin. Pan.* 81. Pia mente adire lucos, occursare numinibus, *h. e.* ante ea se sistere, et adorare.

OCCURSOR, oris, m. qui occurrit. *August. Music.* 6, 6.

OCCURSORĬUS, a, um, adj. *Appul. Met.* 9. Ut primum occursoriam potionem, et inchoatum gustum extremis labiis contingebat adolescens, etc., *h. e.* quae prima occurrit, et gustatur in coena, *gustatio* etiam dicta, et *promulsis;* vel potius est potio myrrhina, vel alia huic similis, quam Veneris proelio occursuri sumere solebant. V. FORTIUSCULUS.

OCCURSUS, us, m. ἀπάντησις, actus occurrendi, obviam itio, incursio. *Liv.* 5, 41. Vacuis occursu hominum viis, *h. e.* quin ullus hominum in vacuis viis occurreret. *Ov. Met.* 14, 255. Mille lupi, mixtaeque lupis ursaeque, leaeque Occursu fecere metum. *Tac. A.* 4, 60. Occursum alicujus vitare; et *H.* 3, 85. declinare. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. de labyrintho: Itinerum ambages, occursusque ac recursus inexplicabiles. *Ov. Met.* 15, 522. Rota stipitis occursu fracta ac disjecta. *Plin.* 11, 37, 61. Dentes serrati pectinatim coeuntes, ne contrario occursu atterantur. *Id.* 2, 47, 46. Jugi modici occursu tantus ille ventorum coercetur, *h. e.* objectu. *Id.* 7, 49, 50. Occursus maleficorum siderum.

[OCĔĀNENSIS, e, adj. ad Oceanum pertinens, ut Bononia Oceanensis urbs maritima Morinorum in Gallia Belgica, quae prius Gessoriacum, nunc *Boulogne* appellatur, unde in Britanniam olim trajectus erat. *Auct. Excerpt.* ad *Ammian. n.* 4. Qui *(Constantinus)* ad patrem Constantium venit apud Bononiam, quam Galli prius Gessoriacum vocabant. Hinc in *nummo* ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 8. p. 110. Bononia Oceanen*sis. F.*]

[OCĔĀNĔOLUS, i, m. dimin. Oceanei, vel Oceanii, quod est nomen gentilicium R. *Inscr.* ap. *Grut.* 882, 10. L. Oceaneolus Maximillus. *F.*]

OCĔĀNĪTIS, ĭdis, f. filia Oceani, Ὠκεανῖτις. *Virg. G.* 4, 341. Clioque et Beroe soror, Oceanitides ambae. Adde *Hyg. praef. fab.*

OCĔĀNUS, i, m. Ὠκεανός, mare magnum, quo tota cingitur terra: ex quo influit inter Africam, Asiam, et Europam, quod dicitur mediterraneum; inter Germaniam et Scandinaviam, quod Balticum, etc. A terris, quas alluit, varia habet nomina, ut Atlanticus, Scythicus, Indicus, Arabicus, Germanicus, Aethiopicus, etc., ut est ap. *Solin.* 23. *f.* Dictum volunt a celeritate, ut *Id. ib.* paulo supra tradit, nempe ab ὠκύς, celer, et νάω, fluo, mano. *Cic. Somn. Scip.* 6. Omnis terra parva quaedam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quem Oceanum appellatis in terris. *Id. Manil.* 12. Nunc nullam intra Oceani ostium praedonum navem esse. *Hor. Od.* 4, 14, 47. belluosus qui remotis Obstrepit Oceanus Britannis. ℙ Quod *Virg.* appellat Oceanum patrem rerum, *G.* 4, 382., respicit opinionem eorum, qui ex aqua omnia gigni putarunt: quae sententia Thaletis fuit. *Serv. ib.* et ad *v.* 364. et ad *Ecl.* 6, 31. ℙ In Fabulis est filius Coeli et Terrae, ut est ap. *Cic. Univ.* 11. et *Hyg. praef. fab.* Ejus uxor est Tethys, ex qua Fluvios et Nymphas genuisse dicitur: quorum numerus, et nomina alia ab aliis produntur. *Catull.* 88, 5. quantum non ultima Tethys, Non genitor Nympharum abluit Oceanus. Adde *Colum.* 10, 200. ℙ Jungitur interdum cum alio substantivo, eo modo, quo *flumen Rhenum* dicimus. *Caes. B. G.* 3, 7. Mare Oceanum. **Isid. Orig.* 9, 2. Saxonum gens in Oceani maris littoribus et paludibus inviis sita. *B. A.* ℙ Etiam adjective. *Oceano fluctu, Oceano litore* quidam leg. ap. *Juven.* 11, 94. et 113., ubi alii utroque loco *Oceani. Venant. carm.* 3, 9, 4. Qua vagus *(sol)* Oceanas exit, et intrat aquas. Al. leg. *Oceanus;* et *carm.* 7, 12, 56. Quidquid ab Oceanis circulus ambit aquis. Al. leg. *Oceani.* [*Alia exempla haec sunto: *Tac. H.* 4, 12. insulam — mare Oceanum a fronte, Rhenus amnis tergum ac latera circumluit; *A.* 1, 9. mari Oceano aut amnibus longinquis septum imperium. *Mela* 2, 6. Paulatim se in nostrum et Oceanum mare extendit; cf. *ib.* 3, 3. Cf. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 258. p. 235.] ℙ *Oceanus, solium vastum in balneis, et omnino lacus alveusque major, vel ab eo nomine, vel ab amplitudine vocatus, et a lavantium quoque strepitu, et marino quasi aestu. *Lamprid.* in *Alex. Sev.* 25. Oceani solium primus inter principes Alexander appellavit, quum Trajanus id non fecisset, sed diebus solia deputasset. ℙ Thermarum magnitudo Romae quanta fuerit, *Ammianus* docet, quum narrat *lavacra in Urbe in modum provinciarum exstructa* 16, 10. ℙ Fuit et Oceanus nomen designatoris theatralis, cujus erat disponendis ordinibus in theatro praeesse, et amovere e XIV gradibus, qui Equites non essent. Ejus meminit *Mart.* 3, 95, 9. 5, 24, 4. et 6, 9. *B. A.* ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1453, 3. Ti. Claudius Oceanus. *F.*]

*OCELENSES, ium, populi Lusitaniae, quorum caput Ocellum, dicti et Lancienses. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*OCĔLIS, is, Ὄκηλις, emporium Arabiae Felicis, ad sinum Arabicum. *Plin.* 6, 23. ℙ *Ocila* est *Plin.* 12, 19. *B. A.*

OCELLĀ, ae, m. cogn. R., ductum ab oculorum parvitate, ut constat ex his verbis *Plin.* 11, 37, 55. Qui altero lumine orbi nascerentur, Coclites vocabantur; qui parvis utrisque, Ocellae. Hinc Serv. Sulpicius Galba, qui a noverca sua Livia Ocellina adoptatus fuerat, vocatur L. Livius Ocella in *Inscr.* ap. *Grut.* 431, 2. et 3., quae positae eidem sunt in Hispania Tarraconensi, dum provinciam illam per octo annos proconsulari potestate regeret: ipse tamen imperium adeptus vetera sibi nomina adscivit. *Suet. Galb.* 4. Adoptatus a noverca sua *(Livia Ocellina)*, Livium nomen, et Ocellae cognomen assumpsit, mutato praenomine. Nam et Lucium mox pro Servio usque ad tempus imperii usurpavit. V. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 300. [*Multa adjecit *F.*]

OCELLĀTUS, a, um, adj. *Suet. Dom.* 8. Ocellatas sorores Vestales memorat: quae fortasse nomen ex eo habuere, quod patrem, aut ex majoribus alium Ocellam appellatum habuerunt. ℙ *Ocellatis ludere. Id. Aug.* 83. Animi laxandi causa modo piscabatur hamo, modo talis, aut ocellatis, nucibusque ludebat cum pueris minutis, *h. e.* parvis lapillis rotundis, et ocellum referentibus. *Varr.* ap. *Non.* 3, 138. Altera exorat patrem libram ocellatorum, altera virum semodium margaritarum. Ap. *Suet.* sunt qui lectionem sollicitant. [*V. *Casaub.* ad *Suet.* l. modo laud., *Turneb. Advers.* 3, 18. *Salm. Exercitt. Plin.* p. 496.]

[OCELLĪNA, ae, f. ad Ocellam pertinens: est cogn. R. ap. *Suet. Galb.* 3. Livia Ocellina, filia L. Livii Ocellae, et Serv. Sulpicii Galbae noverca. V. OCELLA. *F.*]

OCELLŬLUS, i, m. parvus ocellus. Agnoscitur a *Diomed.* 1, 313.

OCELLUS, i, m. ὀφθαλμίδιον, ὀμματίδιον, parvus oculus. Vox fere poetica. Adhibetur autem tum significandae parvitatis causa, tum saepius blanditiae. *Pl. Rud.* 2, 4, 8. Ut in ocellis hilaritudo est! eja corpus cujusmodi! *Catull.* 3, 17. meae puellae Flendo turgiduli rubent ocelli. *Ov. Fast.* 3, 19. Blanda quies victis furtim subrepit ocellis. *Id. Amor.* 2, 8, 15. iratos in te defixit ocellos. ℙ De re valde cara. *Pl. Trin.* 2, 1, 18. Ocelle mi, fiat: et istuc, et si amplius vis dari, dabitur. *Id. Most.* 1, 3, 11. Volo meo placere Philolachi, meo ocello, meo patrono. *Id. Asin.* 3, 3, 101. O Libane, ocellus aureus. *August.* ap. *Gell.* 15, 7. Ave, mi Cai, meus ocellus jucundissimus. Adde *Catull. l. c.* in NEMESIS. ℙ Pro oculo universim. *Prop.* 2, 10, 17. Quandocumque igitur nostros nox (al. *mors)* claudet ocellos. *Id.* 1, 3, 19. intentis haerebam fixus ocellis. ℙ De re praestanti, aut valde pulcra. *Cic. Att.* 16, 6. Cur ocellos Italiae, villulas meas non video? *Catull.* 31, 1. de Sirmione: Paeninsularum, Sirmio, insularumque ocelle. ℙ Bulbus radicis arundinis, qui *oculus* dicitur a *Plin.* 17, 20, 33. et 16, 36, 67., appellatur etiam *ocellus* ab *eod.* 21, 4, 10.

*OCĔLUM, i, n. Ὤκελον, oppidum Galliae cisalpinae. *Caes. B. G.* 1, 10. *B. A.*

OCENSIS. V. OEENSIS.

*OCHA, ae, f. Ὄχη, Euboeae oppidum. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*OCHANI, orum, populi ultra Caspium mare degentes, Mardis vicini. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

*OCHARĪUS, i, m. Asiae fluvius, trans Maeotim paludem. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

OCHRĀ, ae, f. ὄχρα, genus terrae lutei coloris: ab ὠχρός, pallidus: cujus duo sunt genera: aliud enim nascitur, aliud fit. Hoc exsistit ex rubrica exusta in ollis novis luto circumlitis, ut *Plin.* docet 35, 6, 12. Adde *Vitr.* 7, 7. et *Cels.* 5, 18. *n.* 19.

*OCHUS, i, m. Ὦχος, fluvius Asiae, ultra mare Caspium, in Bactriana, in Oxum se exonerans. *Plin.* 6, 16. *Curt.* 7, 10. *f. Ammian.* 23, 26. ℙ Item rex Persiae. *Curt.* 3, 13. ℙ Et nomen filii Darii Codomanni. *Id.* 4, 14. *B. A.*

*OCILA, locus Arabiae Felicis, cum portu. V. OCELIS. *B. A.*

[OCIMOĪDES, is, adj. ὠκιμοειδὲς, ocimo similis. *Appul. H.* 109. Carduum silvaticum alii ocimoides vocant. *F.*]

OCIMUM, i, n. est nomen peculiare herbae hortensis odoratae, quae ab ὠκύς, celer, scilicet a celeritate nascendi, nomen habet, ut *Varro l.* mox *cit.* in OCINUM tradit. *Hesychius:* Ὤκιμον, βοτάνη εὐώδης, τὸ λεγόμενον βασιλικόν. Sunt qui *ozimum* scribere malunt, ut sit ab ὄζω, oleo. *Plin.* 19, 7, 36. Nihil ocimo fecundius; cum maledictis ac probris serendum praecipiunt, ut laetius proveniat, sato pavitur terra. Hinc *Colum.* 10, 319. Tum quoque proscisso riguoque inspersa novali Ocima comprimite, et gravibus densate cylindris. *Pers.* 4, 21. pannucea Baucis Cum bene discincto cantaverit ocima vernae, *h. e.* cum vetula olerum et olentium herbarum venditrix clara voce servum invitat ad olera emenda. Vires porro ejus varias in medicina persequitur *Plin.* 20, 12, 48. Enumerat *Cels.* 2, 22. inter herbas, quae acrem habent succum. [**Basilienkraut*, Ocimum basilicum, *L.*]

OCĪNUM, i, n. ὤκιμον, pabuli genus ex trifolio, antiquioribus Latinis usitatum. *Cato R. R.* 54. Ubi ocinum tempestivum erit, dato primum. Manibus carpito; id renascetur: quod falcula secueris, non renascetur: usque ocinum dato, donec arescat. *Varr. R. R.* 1, 31. Omne pabulum, primum ocinum, farraginem, viciam, novissime foenum secari; ocinum dictum a Graeco verbo ὠκύς, quod venit cito. Similiter quod ocimum in horto. Hoc amplius dictum ocinum, quod citat alvum bubus, et ideo iis datur, ut purgentur: id ex pabuli segete viridi desecta, antequam genat siliquas. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 21. Ocinum antiqui appellabant pabulum umbrae patiens, quod celerrime proveniat. *Id.* 18, 16, 42. Apud antiquos erat pabuli genus, quod Cato ocinum vocat, quo sistebant (lege *ciebant)* alvum bubus. Id erat e pabuli segete viridi desecta, antequam genicularet (alii leg. *siliquaret).* Varro interpretatur appellatum a celeritate proveniendi, e Graeco, quod ὠκέως dicunt. *Callim. hymn. in Dian.* 165. hoc idem ὠκύθοον τριπέτηλον vocat. Hinc *Hesych.:* Ὠκύθοον, πόα τις ἡ τρίφυλλος καλουμένη. ℙ In locis supra allatis sunt qui *ocimum*, vel *ocymum* scribunt, sed prior lectio ceteris praestat.

OCĬOR et Ocyor, et superl. Ocissimus et Ocyssimus, adj. ὠκίων, ὤκιστος, velocior, celerior, citior: comparativum, ab ὠκύς, celer, unde ὠκίων. V. OCYS. Qui scribunt per *v*, a Graeco positivo ducunt: qui per *i*, a comparativo. Retinent *i Vossius, Dausqu.* et alii ex veteribus libris. Hos libentius sequimur. *Virg. A.* 10, 247. fugit illa per undas Ocior et ventis, et fulminis ocior alis. *Hor. Od.* 2, 16, 23. Ocior cervis, et agente nimbos Ocior Euro. *Plin.* 8, 18, 25. Tigris pondere ocior acta remeat, iterumque consequitur. *Id.* 2, 8, 6. Mercurii sidus inferiore circulo fertur *(quam Venus)* novem diebus ociore ambitu; et *ib.* 19, 17. Signa, quae obliqua consurgunt, ociore transeunt spatio; et 8, 43, 68. de asinis: Partus a tricesimo mense ocissimus. *Id.* 27, 2, 2. Omnium venenorum ocissimum est aconitum. *Id.* 15, 15, 16. Ocissima pira, *h. e.* quae celerrime maturescunt. *Id.* 16, 31, 56. Ficorum longissimae radices, ocissima senectus.

OCĬOR, aris. V. OTIOR.

OCĬTER et Ocyter, adv. ὠκέως, cito, celeriter. *Appul. Met.* 1. Cetera huic eidem usui profer ociter; et *ib.* 2. Ociter surrexit.

OCĬUM cum derivat. V. OTIUM.

OCĬUS et Ocyus, et superl. Ocissime et Ocyssime, adv. ὠκύτερον, ὤκιστα, celerius, citius. De ratione scribendi V. OCIOR. *Cic. Quint.* 13. Ut ocius ad tuum pervenias. *Id. Tusc.* 4, 14. Illi in morbum et incidunt tardius, et recreantur ocius. *Hor. Od.* 2, 3, 26. omnium versatur urna, serius, ocius Sors exitura. *Sall. Jug.* 27. Quam ocissume ad provinciam accedat. *Plaut. fragm.* ap. *Fest.* Ocissime

nos liberi possumus fieri. *Ter. Eun.* 3, 5, 61. Perlonge est: sed tanto ocius properemus. *Plin.* 17, 11, 16. Ficus, si in scilla seratur, ocissime ferre traditur pomum. *Id.* 34, 18, 50. Plumbi fornacium halitus pestilens canibus ocissime; et *ib.* 10, 22. Ulcera ocissime sanantur. ℙ Nonnunquam *ocius* pro positivo usurpatur, h. e. sine ulla comparatione, saltem aperta. *Caes. B. G.* 5, 43. *med.* Occursat ocius gladio, cominusque rem gerit Varenus. *Ter. Heaut.* 4, 7, 4. sequere hac me ocius. *Virg. A.* 12, 681. e curru saltum dedit ocius arvis; et *Ecl.* 7, 8. ocius, inquit, Huc ades, o Meliboee. (Adde *A.* 8, 555.) *Hor. Sat.* 2, 7, 34. nemon' oleum fert ocius? ecquis Audit? *Pl. Amph.* 5, 1, 17. ocius accurro, ut sciscam quid velit. *Id. Curc.* 2, 2, 26. Heus exi, Phaedrome, exi, exi, exi, inquam, ocius. ℙ Pro facilius, aut potius. *Hor. Ep.* 1, 14, 28. Angulus iste feret piper, et tus ocius uva. ℙ Pro *ocissime* dixerunt etiam *oxime*. *Paul.* ex *Festo.*

OCLĪFĔRĬA. V. ODORIFER.

OCLUS. V. OCULUS.

OCNUS, i, m. Ὄκνος, idem qui Bianor, Mantuae conditor, fatidicae Mantus, et Tusci filius amnis, ut ait *Virg. A.* 10, 198. ℙ Alius est ille, de quo *Prop.* 4, 3, 21. Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno, Aeternusque tuam pascat, aselle, famem. Fuit enim quidam Socrates pictor, cujus opus inter alia fuit, ut *Plin.* narrat 35, 11, 40. *n.* 31., piger, qui appellatur Ocnos, (ὄκνος *pigrum* significat) spartum torquens, quod asellus arrodit. Quam picturam Polygnoto tribuit, atque ita explicat *Pausan.* 10, 29. Vir est quidam sedens, quem inscriptio indicat Ocnum esse. Pictus est torquens spartum: adest asella abrodens assidue, quantum tortum fuerit. Hunc dicunt fuisse hominem industrium et laboriosum, qui uxorem habuerit sumptuosam, a qua quidquid ille laborando compararet, brevi consumeretur. Unde prov. ap. Iones, quoties viderint hominem valde quidem laborantem, sed nullo emolumento, ὁ ἀνὴρ οὗτος συνάγει τοῦ Ὄκνου τὴν θώμιγγα. Haec *Pausan.*, ex quibus intelliges *Propertii* sententiam, imprecantis mala ei, qui vallum, tubas, et castra primus invenit, et homines in militiae laboribus occupavit. Sunt qui comminiscuntur Ocnum quendam apud Inferos damnatum torquendo sparto, rodente asello, ut dictum est. [In *Mus. Vatic.* exstat marmor quantivis pretii hanc exhibens fabulam ex descriptione *Pausaniae*, quodque Polygnoti picturam repraesentare videtur: illius figuram habet, et docte illustrat *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 4. tab. 36. et p. 229. *ed. Mediol. F.*]

OCQUINISCO, is, n. 3. inclinor, me demitto ad stuprum patiendum. V. CONQUINISCO. *Pomp.* ap. *Non.* 2, 600. Ut nullu' civem paedicavi per dolum. Nisi ipsus orans ultroque ocquinisceret. *Id. ib.* Nisi nunc aliquis subito obviam occurrit mihi, Qui ocquiniscat, quo compingam terminum in tutum locum.

*OCRA, ae, f. Italiae opp., in terra Carnorum. *Plin.* 3, 19. *B. A.*

OCRĔA, ae, f. κνημὶς, περικνημὶς, munimentum crurum militare, tibialis armatura, tibiale. *Varro* ducit ab *ob*, et *crus*; at *Festus* ab *Ocris*, mons confragosus, quod sit inaequaliter tuberata. Hoc magis probandum videtur; prima enim syllaba ambiguae est quantitatis, quae longa esset, et *obcrea* vel *occrea* scriberetur, si *Varronis* etymon probum esset. V. OCRIS. *Varr. L. L.* 4, 24. Lorica a loris: balteum, quod cingulum e corio habebant bullatum: ocrea, quod opponebatur ob crus. *Plin.* 7, 56, 57. *med.* Galeam, gladium, hastam invenere Lacedaemonii; ocreas et cristas Cares. ℙ Erat lamina ferrea, vel aerea admixto stanno, quo lentior esset, et cruri aptaretur: anteriorem cruris partem tegebat infra genua, et nexibus ex posteriore parte decussatim obligatis stringebatur. Barbarae tamen gentes ocreis supra genua exstantibus utebantur: ut patet ex antiquis monumentis marmoreis, in quibus utrumque earum genus passim videre est. *Virg. A.* 7, 634. Aut leves ocreas lento ducunt argento, *h. e.* stanno aeri admixto. *Sidon. ep.* 3, 3. Alii de concavo tibi cassidis exituro flexilium laminarum vincula diffibulant, alii explicandis ocrearum nexibus implicantur. ℙ Unicam cruri sinistro ocream opponebant olim Samnites, veteresque Italiae populi. *Liv.* 9, 4. de militib. Samnitum: Spongia pectori tegumentum, et sinistrum crus ocrea tectum. *Juven.* 6, 256. de gladiatore Samnite: Balteus, et manicae, et cristae, crurisque sinistri Dimidium tegmen; vel, si diversa movebit Proelia, tu felix, ocreas vendente puella. *Appul. Met.* 11. Alium ocreis, scuto, galea, ferroque insignem e ludo putares gladiatorio procedere. *Sil.* 8, 419. de Sabinis: ac laevo tegmina crure. ℙ Romanorum pedites gravis armaturae, qui gladio pugnabant, dextrum tantummodo crus ocrea tegebant, qui vero nunc gladio, nunc missilibus decertabant, utrumque crus ocrea muniebant. Hinc in antiquis anaglyptis, et in columna Trajani, quae etiamnum Romae exstat, videre est milites tum unica, tum binis ocreis contectos. *Veg. Mil.* 1, 20. Pedites scutati, praeter cataphractas et galeas, etiam ferreas ocreas in dextris cruribus cogebantur accipere: sic erant armati principes, hastati, et triarii; et *mox*: Sciendum praeterea, cum missilibus agitur, sinistros pedes inante milites habere debere: ita enim vibrandis spiculis vehementior ictus est. Sed cum manu ad manum gladiis pugnatur, tunc dextros pedes inante milites habere debent, ut proximior dextra sit, quae plagam possit inferre. ℙ Etiam venatores ocreis usos fuisse, discimus ex *Horatio*; et vellentes spartum, ex *Plinio* (V. v. sq.); et aratores ex *Virg. Mor.* 121. Ambit crura ocreis paribus. Verum in his locis ocreae sunt pro peronibus. ℙ Est etiam cogn. R., ut C. Luscius Ocrea, ap. *Cic. Rosc. Com.* 14. [*Non pauca addidit *F.*]

OCRĔĀTUS, a, um, adj. ocreis crura munitus. *Hor. Sat.* 2, 3, 234. Tu nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum Coenem ego. *Plin.* 19, 2, 7. de sparto: Ad reliquos usus laboriose evellitur, ocreatis cruribus, manu, textisque manicis, etc.

*OCRĔSĬA vel Ocrisia, ae, f. mater Servii Tullii, Tanaquilis ancilla, P. Corniculae uxor. *Ov. Fast.* 6, 627. Namque pater Tulli Vulcanus, Ocresia mater. *Plin.* 36, 27. Tanaquilis ancillam Ocrisiam captam. Adde *Arnob.* 5. *med.* p. 212. *Herald.* (al. 169.) *B. A.*

OCRĬCŪLĀNUS et Ocricolanus, a, um, adj. ad Ocriculum pertinens, quod est Umbriae oppidum, nunc *Otricoli*. *Cic. Mil.* 24. Ocriculana villa. ℙ *Ocriculana tribus* ab eo oppido nomen habuit. Ejus mentio habetur in *Inscr.* ap. *Grut.* 23, 6. Sex. Pompejus Sex. fil. Ocric. Civica, etc. et 194, 2. C. Junius C. F. Ocric. Pupianus Eq. R. etc. ℙ *Ocriculani, orum*, ejus oppidi cives. *Liv.* 9, 41. *f.*, *Plin.* 3, 14, 19. ℙ Est qui leg. *Otriculanus.*

*OCRĬCŪLUM, i, n. Umbriae opp. *Liv.* 22, 11. *Plin. ep.* 6, 25. *Tac. H.* 3, 78. V. v. praec. *B. A.*

OCRIS, is, m. *Festus:* Ocrem antiqui, ut Attejus Philologus in libro Glossematorum refert, montem confragosum vocabant, ut apud Livium: sed qui sunt hi, qui ascendunt altum ocrim? Et: Celsos ocres, arvaque petraea, et mare magnum. Et: Haud ut quem Chiro in Pelio docuit ocri. Unde fortasse etiam ocreae sint dictae, inaequaliter tuberatae. Haec *Festus.* Est autem Graeca vox, qua illi summum cacumen significant: ὄκρις ab ἄκρος, summus.

OCTACHORDOS, m. et f. et Octachordon, n. ὀκτάχορδος, octo habens chordas. *Vitr.* 10, 13. ℙ Scribitur et *octochordos.*

[OCTAEDROS, i, adj. m. et f. ὀκτάεδρος, ita appellatur corpus solidum, quod octo sedes, seu bases habet triangulas et aequilateras: ab ὀκτὼ, octo, et ἕδρα, sedes. *Capell.* 6, 233. His adduntur octaedros, item δωδεκάεδρος, item εἰκοσάεδρος. *F.*]

OCTĀGONOS. V. OCTOGONOS.

[OCTAMETER, tra, trum, adj. ὀκτάμετρος, qui octo metris, seu pedibus constat: ab ὀκτὼ, octo, et μέτρον, mensura. *Mar. Victor.* p. 2528. Admonemur, Boiscum Cyzicenum supergressum hexametri legem, iambicum metrum in octametrum versum extendisse. *F.*]

OCTANGŬLUS, a, um, adj. ὀκτάγωνος, res, vel figura, quae octo angulos habet. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Octangula sphaera.

OCTANS, antis, m. pars octava. *Vitr.* 10, 11. Dividuntur circinationes tetrantibus in partes quatuor, vel octantibus, in partes octo ductis lineis.

OCTAPHORON. V. OCTOPHORON.

[OCTAS, ădis, f. ὀκτὰς, id quod octavo numero constat. *Capell.* 7, 242. Primus numerus imparium trias, secundus pentas, ambo octadem faciunt. *F.*]

OCTASTYLOS, ὀκτάστυλος, octo columnas in fronte habens. *Vitr.* 3, 2. V. AMPHIPROSTYLOS.

[OCTĀTEUCHUS, i, m. ὀκτάτευχος, octo volumina continens: ab ὀκτὼ, octo, et τεῦχος, liber. *Cassiod. Instit. Div.* 1. Primus scripturarum divinarum codex est octateuchus. V. HEPTATEUCHUS. *F.*]

OCTĀVĀNI, orum, m. plur. milites legionis octavae. *Plin.* 3, 4, 5. et *Mela* 2, 5. Forum Julii Octavanorum colonia. Haec urbs nunc *Frejus* appellatur. ℙ In nummo Augusti ap. *Goltzium*, referente *Hard.* ad *l. Plin. c.* habetur Col. Julia Octavianorum. Sed hic nummus falso confictus est.

OCTĀVĀRĬUS, ii, m. receptor, sive exactor vectigalis, quod *octava* dicebatur. V. OCTAVUS. [*Imppp. Grat., Valent. et Theodos. Cod.* 4, 61, 8. Octavarii vectigal accipiant. ℙ *Octavarium, ii*, n. ipsum octavae vectigal. Sunt qui in *l. c.* in §. anteced. *Octavarii* putant esse genitivum sing., alii rectius nominat. plur.

*OCTĀVĬA, ae, f. nomen sororum duarum Caesaris Augusti. De natu majore V. in *Octaviae Porticus*; locisque ibi citatis adde *Plin.* 35, 10. et 36, 5. 35, 11. pro *operibus*, quod edidit *Hard.*, olim legebatur *porticibus*, quamquam *operibus* habet *Id.* 34, 6. loco cognato. ℙ Octavia minor, Marcelli primo, dein Antonii Triumviri uxor. De ea V. *Suet. Caes.* 27. et *Aug.* 63 et 66. item *Sen. ad Marc.* 2. *Liv. Epit.* 132. ℙ Alia Octavia, Claudii Caesaris et Messalinae filia, Neronis uxor, prius Silano desponsata, cujus consuetudinem Nero cito aspernatus est, occiditque eam sub crimine adulterii. Tragicus tamen ille (sub nomine *Senecae*), qui Octaviam tragoediam scripsit, in Aegyptum eam relegare videtur. V. 969. *B. A.*

OCTĀVĬA Gens, una ex gentibus Romanis. Velitris olim fuisse praecipuam, scribit *Suet. Aug.* 1. In duas familias Romae distinguebatur. Prima a Tarquinio Prisco rege in senatum lecta, et a Serv. Tullio inter patricias cooptata, procedente tempore ad plebem se contulit. Longo deinde intervallo a C. Caesare Cassia lege in patriciatum revocata est. In hac primus Cn. Rufus magistratum est adeptus, *Suetonio* teste *ib.*, qui quaestorius mortuus est. Ejus filius Cn. Octavius primus in eam familiam attulit consulatum, quae deinde omnibus dignitatibus floruit. *Cic. Off.* 1, 39. et *Phil.* 9, 2. ℙ Altera vero, in qua Octavius, seu Octavianus Augustus natus est, nullis neque rebus gestis, neque honoribus floruit. Testis est ipse Augustus, qui nihil amplius, quam equestri familia ortum se scribit, vetere ac locuplete, et in qua primus senator pater suus fuerit. V. *Suet. Aug.* 1. 2. etc.

OCTĀVĬAE Porticus, duae appellantur, quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octavia soror Augusti fecit: alteram theatro Pompeji proximam Cn. Octavius Cn. F., qui fuit aedilis curulis, praetor, consul, decemvir sacris faciendis, et triumphavit de rege Perse navali triumpho: quam combustam reficiendam curavit Caes. Augustus. *Fest.*, *Vell.* 1, 11. et 2, 1. et *Suet. Aug.* 29.

OCTĀVĬĀNUS, a, um, adj. ad Octavium spectans. *Cic. Div.* 1, 2. Ut Octaviano bello Cornelii Culeoli (*praedictiones*) audiendas putaverunt, *h. e.* quod Cn. Octavius consul gessit cum L. Cornelio Cinna: de quo *Epit. Liv.* 79. et 80., *Flor.* 3, 21. et *Vell.* 2, 22. ℙ Ap. *Caes. B. C.* 3, 9. Octaviani milites, et ap. *Hirt. B. Alex.* 42. etc. Octavianae naves pertinent ad quendam M. Octavium, qui pro Pompejo contra Caesarem militavit. ℙ *Octavianus specus* ap. *Front. Aquaed.* 21. pertinens ad Anienem veterem, creditur dictus ab Augusto, qui antequam in gentem Juliam adoptaretur, Octavius vocabatur.

OCTĀVĬĀNUS, i, m. cogn. Augusti, inde tractum, quod ex Octavia in Juliam gentem fuerit adoptatus. *Cic. Fam.* 12, 25., *Tac. A.* 13, 6., *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 79. et *Caesar.* 1.

[OCTĀVILLA, ae, f. dimin. Octaviae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 412, 2. Fl. Neratia Septimia Octavilla. *F.*]

OCTĀVĬUS, a, um, adj. ad Octavium aliquem pertinens, ut Octavia gens, Octavius vicus, *Suet. Aug.* 1. Octavia porticus, *Festus.* V. OCTAVIAE.

OCTĀVUS, a, um, adj. ὄγδοος, primus post septimum. *Cic. Att.* 15, 26. Octava pars. *Caes. B. G.* 2, 23. legio. *Hirt. B. Afr. f.* Pro decumis octavas pendere jubet. *Caes. B. C.* 3, 53. Ab octavis ordinibus ad primipilum transducere aliquem. *Martial.* 9, 65. octavum marmor ab Urbe, *h. e.* octavus lapis, octavum milliarium. ℙ *Octava hora* in Urbe erat balneo, palaestrae, et hujusmodi exercitationibus assignata: post quam erat coenae ineundae tempus. *Id.* 4, 8. Sufficit in nonam nitidis octava palaestris. *Juven.* 1, 49. Exsul ab octava Marius bibit, *h. e.* intempestivis conviviis indulget. ℙ *Sapientum octavus* dicitur ab *Hor. Sat.* 2, 3, 269. eo fere sensu, quo *Juven.* 2, 40. Tertius e coelo cecidit Cato. Duo enim Catones celebrantur, et Sapientes septem. ℙ *Octava, ae*, genus quoddam fuit vectigalis, quod in octava parte cujuspiam rei pendebatur. *Imp. Alex. Sever. Cod.* 4, 65, 7. Cum Hermes vectigal octavarum in quinquennium conduceret. *Impp. Valens, et Valent. ib.* 61, 7. Octavas more solito constitutas omne hominum genus, quod commerciis voluerit interesse, dependat. V. OCTAVARIUS. ℙ *Octavum* adverbii ritu, octava vice. *Liv.* 6, 36. Sextius et Licinius jam octavum tribuni plebis refecti.

OCTĀVUSDĔCĬMUS, a, um, adj. decimus octavus. *Vitr.* 3, 3. *med.* Octavadecima parte scapi. *Tac. A.* 13, 6. Octavodecimo aetatis anno.

OCTENNIS, e, adj. ὀκταέτης, octo annos habens. *Ammian.* 18, 6. Puer, ut conjectabamus, octennis.

OCTĬES, adv. ὀκτάκις, octo vicibus. *Cic. Somn. Scip.* 2. Septenos octies anfractus. *Colum.* 8, 8. *med.* Octies anno pullos educat, si est bona matrix. *Plin.* 7, 28, 29. Octies ex provocatione victor.

OCTIGĒSĬMUS, a, um, adj. syncope pro *octingentesimus*, agnoscitur a *Prisc.* p. 1353. de ponderib.

OCTINGĒNĀRĬUS, a, um, adj. habens octingenta, ut Octingenarii greges, *Varr. R. R.* 2, 10. *f.*

OCTINGĒNI, et

OCTINGENTĒNI, ae, a, adj. ὀκτακόσιοι, dispertitiv. octingenti. Agnoscitur a *Prisc.* p. 1353. de ponderib.: A priore est *octingenarius*: alterum creatur ab *octingenti.*

OCTINGENTĒSĬMUS, a, um, adj. ὀκτακοσιοστὸς, nomen numerale ordinis. *Cic. Sen.* 2. Qui minus gravis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent, quam si octogesimum?

OCTINGENTI, ae, a, adj. ὀκτακόσιοι, nomen numerale cardinale. *Cic. Acad.* 4, 25. Mille et octingenta stadia quod abesset, videbat. *Id. Planc.*

25. Quem magistratum jam octingenti fere consecuti sunt.

OCTINGENTĬES, adv. octingentis vicibus. *Vopisc. Tac.* 10. Patrimonium suum publicavit sestertium bis mille octingenties. Adde *Ascon.* in *Cic. Verr.* 1, 18.

OCTĬPES, edis, m. et f. adj. ὀκτάπους, octo habens pedes. *Ov. Fast.* 1, 312. Octipedis frustra quaerentur brachia Cancri. Adde *Prop.* 4, 1, 150.

OCTO, ὀκτώ, nomen numerale cardinale, indeclinabile. *Virg. G.* 1, 171. pedes temo protentus in octo. *Caes. B. G.* 1, 21. Millia passuum ab ipsis castris octo. ℙ Ultima quamvis Graece natura longa, fere tamen corripitur. *Mart.* 7, 53. Munera, quae grandes octo tulere Syri; et 9, 3. Octo Syris suffulta datur lectica puellae. Adde *ib.* 32. et 14, 87., *Manil.* 4, 483. et 5, 334., *Juven.* 6, 228. et 7, 142.

[OCTOAS, ădis, f. idem ac octas. *Tert. Praescr.* 49. Hanc esse aeonum triacontada, quae sit in pleromate ex octoade, et decade, et duodecade. *F.*]

OCTOBER, bris, m. γαμηλιών, vel πυανεψιών, mensis octavus a Martio. De ratione et etymo nominis V. DECEMBER et NOVEMBER. *Colum.* 11, 3. *med.* Ultima parte Octobris circa calendas Novembris. ℙ Adjective. *Vellej.* 2, 56. Cum mense Octobri in urbem revertisset. *Mart.* 12, 67. Octobres Maro consecravit Idus; et 10, 87. Octobres age sentiat calendas Facundi pia Roma Restituti. ℙ *October equus*, inquit *Festus*, appellatur, qui in campo Martio mense Octobri immolatur quotannis Marti, bigarum victricum dexterior: de cujus capite non levis contentio solebat esse inter Suburanenses, et Sacravienses, ut hi in regiae pariete, illi ad turrim Mamiliam id figerent: ejusque cauda tanta celeritate perfertur in regiam, ut ex ea sanguis destillet in focum, participandae rei divinae gratia. Quem hostiae loco quidam Marti Deo sacrari dicunt, non ut vulgus putat, quia velut supplicium de eo sumatur, quod Romani Ilio sunt oriundi, et Trojani ita effigie in equi sint capti. *Id.* in *Panibus:* Panibus redimibant caput equi immolati Idib. Octobr. in campo Martio, quia sacrificium fiebat ob frugum eventum: et equus potius, quam bos immolabatur, quod hic bos frugibus pariendis aptus. ℙ [*October* fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 564. L. Musius Q. F. Pol. October. *F.*]

OCTOCHORDOS. V. OCTACHORDOS.

OCTODĔCIM, nomen numerale indecl., duodeviginti, decem et octo. *Front. Strateg.* 2, 5. *med.* Octodecim cohortes in obscura valle posuit.

[OCTODŪRENSIS, e, adj. ad Octodurum pertinens, vicum in Alpibus Galliae Narbonensis in agro Veragrorum, cujus meminit *Caes. B. G.* 3, 1., [*adde *Anton. Itin.*] nunc *Martigny*, seu *Martinach.* Hinc *Octodurenses*, *ium*, incolae ejus vici, ap. *Plin.* 3, 20, 24. *F.*]

[*OCTODURUM, i, locus in Alpibus v. v. praec.]

OCTOGĂMUS, i, m. qui octies uxorem duxit. Vox Graeca. *Hieron.* in *Jovin.* 1. *n.* 15. Non damno digamos, imo nec trigamos, et, si dici potest, octogamos.

OCTOGĒNĀRĬUS, a, um, adj. ὀγδοηκονταέτης, octoginta annos habens. *Plin. ep.* 6, 33. Exheredata ab octogenario patre. ℙ *Octogenaria fistula* ap. *Vitr.* 8, 7. et *Front. Aquaed.* 58. est, quae digitos habet diametri decem vel cujus lamina, antequam rotundaretur, octoginta digitos habuit.

OCTOGĒNI, ae, a, adj. numerus octoginta dispertitivus. *Liv.* 10, 30. *f.* Data ex praeda militibus aeris octogeni bini, sagaque, et tunicae. ℙ Sine distributione. *Plin.* 9, 51, 75. Torpedo octogenos fetus habens invenitur. *Front. Aquaed.* 59. et *Pall.* 8, 12. Fistula octogenumquinum.

*OCTOGESA, ae, f. opp. Hispaniae Tarraconensis, ad Iberum flumen, in terra Ilergetum. *Caes. B. C.* 1, 61. ℙ *Octogesa* audit *Notit. Episcop. B. A.*

OCTOGĒSĬMUS, a, um, adj. ὀγδοηκοστός, numerus octoginta ordinalis. *Cic. Sen.* 10. Quartum annum ago et octogesimum. *Juven.* 4, 92. Sic multas hiemes, atque octogesima vidit Solstitia. ℙ *Octuagesimus* improbatur a grammaticis, quamvis *octuaginta* legatur, et *septuagesimus. Alvar. l.* 1. *c.* 14. *schol.* 3., *Valla elegant. l.* 3. *c.* 5.

OCTOGĬES, adv. octoginta vicibus, octuagies. *Cic. Pis.* 35. Nonne sestertium centies, et octogies ex aerario tibi attributum Romae in quaestu reliquisti?

OCTOGĬNTA, ὀγδοήκοντα, nomen numerale cardinale, octies decem continens. *Cic. Sen.* 19. Octoginta regnavit annos. *Hor. Sat.* 2, 3, 117. si et stramentis incubet unde-Octoginta annos natus, cui stragula vestis, etc. ℙ Legitur et *octuaginta*, ut *septuaginta. Colum.* 11, 2. *med.* Una opera novellas circumfodiet arbores octuaginta. *Vitr.* 10, 17. *bis.* Octuaginta pondo. *Gell.* 3, 10. Post ducentos octuaginta dies. Al. hic leg. *septuaginta.* Sunt etiam qui dubitant de locis *Colum.* et *Vitr.* quod in MSS. numeri fere scribantur notis, quas librarii per litteras exscripserint.

OCTOGONOS, i, m. ὀκτάγωνος, octo habens angulos, octangulus: Graecum ab ὀκτώ, et γωνία, angulus. *Vitr.* 1, 6. Turris marmorea octogonos. ℙ Scribitur et *octagonos.*

OCTOJŪGIS, e, adj. qui octo equos jugo junctos habet, et *currus* subauditur. V. *Inscr.* in DECEMJUGIS. ℙ Translate. *Liv.* 5, 2. *med.* Antea trina loca cum contentione summa patricios explere solitos: nunc jam octojuges ad imperia obtinenda ire, *h. e.* octo tribunos militum creatos esse. ℙ *Octojugis* dicitur Ogdoas illa Valentinianorum, unus nempe ex eorum Aeonibus; ὀγδοὰς autem numerum octonarium significat. *Tert. adv. Valent.* 36. Sed mappa, quod ajunt, missa semel octojugem istam, etc. alludit scilicet ad ludos circenses, in quorum missibus mappae usus erat. V. MAPPA.

*OCTOLOPHUS vel Octolophum, i, Thessaliae locus, Macedoniam versus. *Liv.* 31, 36. et 44, 3. quibus in locis qui occurrit, casus quartus est. *B. A.*

OCTOMĬNŪTĀLIS, e, adj. *Lampr. Alex. Sev.* 22. *extr.* Tantum intra biennium porcinae carnis fuit, ut cum fuisset octominutalis libra, ad duos unumque carnis libra redigeretur, *h. e.* octo argenteis minutis nummis valuisset.

OCTONĀRĬUS, a, um, adj. octo continens. *Plin.* 31, 6, 31., *Front. Aquaed.* 28 et 42. et *Pallad.* 8, 12. Octonaria fistula, *h. e.* quae constat ex lamina, quae antequam curvetur, octo digitorum latitudinem habet, ut *Plin. ib.* explicat; vel quae diametrum habet octo quadrantes latum, ut *Front. Aquaed.* 25. docet. *Varr. L. L.* 8, 49. *med.* et *Macr Somn. Scip.* 1, 5. Octonarius numerus. *Diomed.* 3, 514. Octonarius versus est, ut *Varro* docet, cum duo jambi pedes iambico metro praeponuntur, et fit versus talis: *Pater meus dicens docendo, qui docet, dicit docens.* Tolle hinc primos duos iambos, et erit talis, quale illud (*Hor. Epod.* 1, 1.) *Ibis Liburnis inter alta navium.*

*OCTONATIO, onis, f. distributio in ogdoadas. *Vet. Interpr. Iren.* 1, 1. *B. A.*

OCTONI, ae, a. adj. numerus octo dispertitivus. *Pl. Capt.* 3, 5, 66. cum octonos alii lapides effudint. *Liv.* 32, 28. *f.* Praetoribus octona millia peditum data. *Varr. L. L.* 8, 23. Cum animae hominum sint divisae in octonas partes. *Plin.* 36, 9, 14. *n.* 3. Obelisci duo quadragenum octonum cubitorum. *Hor. Sat.* 1, 6, 75. Ibant octonis referentes Idibus aera, *h. e.* quae octo diebus constant, a Nonis incipiendo. ℙ Extra distributionem pro cardinali *octo. Ov. Met.* 13, 753. octonis iterum natalibus actis, Signarat dubia teneras lanugine malas. Adde *ib.* 5, 50.

OCTOPHORON, i, n. ὀκτάφορον, lectica, quae ab octo servis gestatur. *Suet. Cal.* 43. Interdum adeo segniter et delicate incessit, ut octophoro veheretur. *Cic. Q. Fr.* 2, 10. Cum hominem portarem Neapoli ad Bajas octophoro Aniciano. Adde *Mart.* 6, 84., ubi in quibusdam editionib. *octaphoro* legitur. ℙ Vox est adjectiva. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. Nam, ut mos fuit Bithyniae regibus, lectica octophoro ferebatur.

[OCTOSYLLĂBUS, a, um, adj. qui octo syllabis constat. *Mar. Vict.* p. 2598. Metrum Priapeium constat duobus metris, quorum prius est Glyconium octosyllabum. *F.*]

OCTOTOPI, ὀκτὼ τόποι, h. e. octo loci. Vox Graeca astrologorum, qua significant octo locos, seu sedes et stationes stellarum, quae inter quatuor cardines coeli sunt. *Manil.* 2, 968. Cui parti nomen posuit, qui condidit artem, Octotopos, per quos stellae, etc.

[OCTOVIR, ĭri, m. unus aliquo ex magistratu, qui octo virorum numero constat. *Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 80, 7., emendata ex autographo a *Giovenazz. Areja* p. 124. T. Vinio Rufo, T. Titsieno octovir., Q. Orfio Fulginio, C. Jegio aed., praefectura Amiternina pro reditu Imp. Caesaris Aug. . . . Fortunae. Alia Reatina mendosa ap. *Grut.* 471, 6., emendata a *Morcell. de stil. inscr. Lat.* T. 2. p. 82. *ed. Pat.* Sex. Tadius Sex. F. Vol. Lusius X. vir. stlit. jud., VIII. vir II. Q. Q. Alia Faleriensis mendosa ap. *Mur.* 687, 7., emendata a *Catalani Antic. Ferm.* p. 30. C. Valerio C. L. Onesimo VIII. vir. etc. Alia Interamniensis ap. *Delfico Interamn. Pret.* p. 122. L. Agusius Cn. F. L. N. Mussus, C. Arrenus T. F. Rufus Octoviri iterum balneas refic. D. C. S. C. Adde alias ap. *Fabrett.* p. 369. *n.* 132. et p. 401. *n.* 297. ℙ *Octoviri* fuerunt etiam in collegio Augustalium, cum saepius *seviri* fuerint. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 402. *n.* 298. C. Fuficio C. L. Geniali VIII. vir. Aug. Firmi, et Falerione. *F.*]

OCTŪAGĒSĬMUS. V. OCTOGESIMUS.

OCTŪAGIES, adv. octogies. *Plin.* 2, 108, 112. Octuagies quinquies centena sexaginta octo millia passuum.

OCTŪAGINTA. V. OCTOGINTA.

*OCTULĀNI, orum, populi antiqui, quorum caput fortasse Octulum vel Octula dictum, memorati a *Plin.* 3, 5. *B. A.*

OCTUPLĬCĀTĬO, onis, f. multiplicatio per octo. *Capell.* 7, 267. Numerum aliquem octuplicatione metiri.

OCTUPLĬCĀTUS, a, um, part. ab inus. *octuplico*, multiplicatus octo vicibus. *Liv.* 4, 24. Octuplicatoque censu aerarium fecerunt, *h. e.* ut qui pro censu pendere debuerat ex. gr. assem unum, octo deinceps solveret: nimirum quasi eum censum haberet, pro quo essent octo solvenda. V. *Gron. de pecun. vet.* 4, 1.

OCTUPLUS, a, um, adj. ὀκταπλάσιος, octies major. *Cic. Univ.* 7. Pars sexta octupla primae. ℙ *Damnare aliquem octupli*, h. e. multa octies majore, quam debeatur. *Id. Verr.* 2, 3, 11. Sic poena octupli, et judicium in octuplum. Adde *ib.* et 10. et 12. [*V. *Schütz. cl. Cic.*]

OCTUSSIS, is, m. octo assium pecunia, seu valor, aut summa octo assium, ut *centussis*, *decussis. Hor. Sat.* 2, 3, 156. Quanti emptae? parvo, quanti ergo? octussibus. *Bentlej.* merito *Lambinum*, quanti ergo? octussibus. *Bentlej.* merito *Lambinum*, quanti ergo? octussibus reposuere. [*Cf. aliosque arguit, qui *octo assibus* reposuere. [*Cf. etiam *Heindf.*] *Festus* in *Peculatus:* Tarpeja lege cautum est, ut bos centussibus, ovis decussibus aestimaretur.

OCŪLĀRĬĀRĬUS, a, um, adj. *Ocularius faber* est, qui oculos conficit, statuis apponendos. *Inscr.* ap. *Grut.* 645, 1. C. Licinius L. L. Patroclus faber ocularius. Veteres enim solebant statuis, praesertim Deorum, oculos addere ex vitro, ex argento, aut ex lapillis. Proinde artificium hoc ap. eos florebat: et M. Rapilius Serapio in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 641. *n.* 357. laudatur, *quod oculos reposuerit statuis, quoad vixit, bene.* V. Dissertat. Italicam Dominici Manni *degli Ochiali;* et *Murator. Antiquit. Ital. diss.* 24., qui ex aliorum etiam opinione putat, fabros ocularios fuisse, qui aureos, vel argenteos oculos conficerent votivae tabellae affigendos Diis adjutoribus, ut recepti visus beneficium testarentur voti compotes facti. [*V. nos in *Faber.*]

OCŪLĀRIS, e, adj. ad oculos pertinens, ut Oculares tunicae, *Veg. Vet.* 2, 17. Ocularis medicus, *Inscr.* ap. *Mur.* 927, 5. ℙ [*Oculare*, *is*, absolute est medicamentum oculis adhibendum. *Pelag. Vet.* 30. Oculare ad percussum; et *mox:* ad cicatrices discutiendas; et *mox:* ad lippitudines equorum, etc. *F.*]

OCŪLĀRĬTER, adv. per oculos. *Sidon. ep.* 7, 14. *med.* Qui amicos ludificabundi non tam judiciaIiter, quam ocularIter intuentur.

OCŪLĀRĬUS, a, um, ad oculos pertinens, ut *Ocularius medicus*, qui oculis medetur, ap. *Cels.* 6, 6. *n.* 8. et in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 300. *n.* 274. 275. 276. et 277., qui et *ocularius* absolute dicitur a *Scrib. Comp.* 37. et 38. Sic chirurgus ocularius, in *Inscr.* ap. *Grut.* 400, 7. Ocularia claritas, ap. *Solin.* 24. *med.* Ocularia aegritudo, ap. *eund.* 4. *f.*

OCŪLĀTA, ae, f. genus piscis, sic dicta ab oculorum magnitudine. [**Neunauge.*] *Plin.* 32, 11, 53. et *Cels.* 2, 18.

OCŪLĀTĬO, onis, f. desectio gemmarum superfluarum in vitibus. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 6. Pampinationi quoque, et oculationi, omnique operi facilior. Meliores codices habent *occationi.*

OCŪLĀTUS, a, um, adj. πολυόμματος, qui oculos habet. *Pl. Truc.* 2, 6, 8. Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem. *Id. As.* 1, 3, 50. semper oculatae nostrae sunt manus: credunt quod vident. *Suet. Rhet.* 5. Sex. Clodius male oculatus et dicax. *Tert. adv. Marc.* 2, 25. Oculatior Deus. ℙ [**Cic. Att.* 4, 6. ne βαθύνης mea, quae in agendo apparuit, in scribendo sit oculatior: ita *Orell.* c. recentt. pro vulg. *occultior.* Ceterum loci sententiam *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v. talem vidit: ne sensus injuriae mihi ab Hortensio factae alta mente conceptus et male dissimulatus, qui in oratione apparuit, in scribendo etiam magis perspicue se prodat.] *Plin.* 34, 6, 11. Statuam poni jussit quam oculatissimo loco, in Rostris, *h. e.* maxime conspicuo. ℙ Dies oculata, V. in CAECUS. ℙ *Solin.* 17. Oculati circuli, *h. e.* instar oculorum facti. Loquitur de pelle maculosa pantherarum, de quibus *Plin.* 8, 17, 23. Pantheris in candido breves macularum oculi.

OCŪLĒUS, a, um, adj. πανόπτης, plenus oculis. *Pl. Aul.* 3, 6, 19. Quos si Argus servet, qui totus oculeus fuit, etc. ℙ Per translationem pro perspicaci ponitur, quasi qui totus ex oculis constet. *Appul. Met.* 2. Perspicaciorem ipso Lynceo, vel Argo, et oculeum totum.

OCULICRĔPĬDA, ae, m. vox ficta a *Pl. Trin.* 4, 4, 14., significat autem eum, cui oculi pugnis contundi, et crepare solent. Al. leg. *occulteripeda*, h. e. occulte rapiens; quod minus placet.

OCŪLĪFĔRĬA vel Oclifera, orum, n. plur. quae oculos feriunt, et perstringunt, ut sunt res maxime splendidae. V. ODORIFER.

OCŪLĪSSĬMUS, a, um, adj. superlat. fictum a *Plauto* joculariter, pro carissimo instar oculorum, *Curc.* 1, 2, 28. Salve, oculissime homo; et 1, 1, 17. valuistin' oculissimum ostium? Alii hic leg. *occlusissimum.* Sed *oculissimum* legebat etiam *Festus*, qui ita habet: Oculissimum, carissimum. Plautus: Oculissimum ostium amicae. Priore autem loco idem *Fest. ib. oculissimum* interpretatur, qui clare aspicit. [At profecto *Festus* erravit, nam ap. *Plaut. l. c.* legendum omnino est *oculissimum ostium. F.*]

ŏcŭlĭtus, adv. ὀφθαλμηδόν, ita care, ut oculus carus est. *Plaut. fragm.* ap. *Non.* 2, 608. Qui amant ancillam meam Hedylium oculitus.

ŏcŭlo, as, a. 1. oculorum usum praebeo. *Tert. Poen.* 12. Ibi hirundo si excaecaverit pullos, novit istos oculare rursus de chelidonia sua. ℙ Item illumino. *Id. Pud.* 8. Quem exitum in vestibus purpura oculandis saepissime evenire est, *h. e.* ornandis. *Id. Apol.* 2. Qui *(Christus)* jam expolitos homines, et ipsa urbanitate deceptos in agnitionem veritatis ocularet.

ŏcŭlus, i, m. ὀφθαλμός, nobilissimum et pretiosissimum (ut ait *Plin.* 11, 37, 52.) animalis membrum, quo luce fruitur, cujus usus vitam distinguit a morte. V. ejus descriptionem ap. *Cic. N. D.* 2, 57., *Cels.* 7, 7. *n.* 13. et *Plin. l. c. sect.* 54. et 55. Varias oculorum vires in affectibus animi significandis *Id. Plin.* recenset *cit. sect.* 54. Neque ulla, inquit, ex parte majora animi indicia cunctis animalibus, sed homini maxime: idest moderationis, clementiae, misericordiae, odii, amoris, tristitiae, laetitiae. Contuitu quoque multiformes, truces, torvi, flagrantes, graves, transversi, limi, submissi, blandi. Profecto in oculis animus habitat. Ardent, intenduntur, humectant, connivent. Hinc illa misericordiae lacrima, etc. *Quint.* 11, 3. *med.* Oculi motu intenti, remissi, superbi, torvi, mites, asperi fiunt. Rigidi vero, et extenti, aut languidi, et torpentes, aut stupentes, aut lascivi, et mobiles, aut natantes, et quadam voluptate suffusi, aut limi, et, ut sic dicam, venerei, aut poscentes aliquid, pollicentesve nonnunquam esse debebunt. Nam opertos, compressosve eos in dicendo quis, nisi plane rudis et stultus, habeat? *Cic. Or.* 3, 59. Oculi sunt, quorum tum intentione, tum remissione, tum conjectu, tum hilaritate, motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis. *Id. Planc.* 27. Oculos acres et acutos habere. *Id. Tusc.* 5, 16. Oculi venusti. *Id. N. D.* 1, 28. *f.* perversi. *Id. Vat.* 2. eminentes. *Suet. Tib.* 7. contenti et tumentes. *Id. Ner.* 49. exstantes et rigentes. *Id. Caes.* 45. nigri et vegeti. *Ov. Amor.* 2, 4, 11. modesti. *Lucan.* 2, 26. minaces. *Sall. Cat.* 15. foedi, *h. e.* turbati, lividi, deformes. *Cic. Cluent.* 19. *extr.* Oculos conjicere in aliquem; [*V. quae de hac dictione laudat *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 87.] et *Verr.* 2, 2, 15. adjicere alicui rei; et *Agr.* 2, 10. ad rem aliquam. [*Ita de cupiditate dicitur.] *Id. Phil.* 1, 1. dejicere ab aliqua re; et *Verr.* 2, 4, 15. de aliquo nusquam dejicere. *Tac. H.* 4, 72. in terram figere. *Quint.* 1, 11. dejicere in terram. *Ov. Met.* 15, 612. demittere; et *ib.* 4, 146. erigere; et *ib.* 8, 696. flectere. *Virg. A.* 4, 688. attollere; et *ib.* 220. torquere; et *ib.* 363. volvere huc illuc. *Sil.* 11, 262. circumferre; et *Virg. A.* 2, 570. ferre per cuncta. *Lucan.* 9, 1036. et *Ov. Met.* 2, 770. avertere. *Cic. Mil.* 31. aperire. *Sen. Herc. Fur.* 824. comprimere; [*ita dicitur etiam *condere*, *premere oculos*. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 102.] *Sen. Med.* 388. rigare fletu. *Petr. Sat.* 26. Applicare oculum curiosum per rimam; et *ib.* 96. Alternos oculos opponere foramini ostii. *Id. ib.* 11. et *Lucan.* 7, 795. lustrare oculis urbem. *Sen. Herc. Oet.* 1694. quaerere aliquid; et *Troad.* 23. metiri aliquid. *Virg. A.* 4, 372. aequis aspicere. *Lucr.* 1, 301. usurpare aliquid, *h. e.* videre. *Nep. Timol.* 2. cernere. [*Vell. 2, 41, 3. oculis custodire.] *Sen. Herc. Oet.* 1977. Cessit, ex oculis abiit; et *Tac. H.* 2, 20. Auferri ex oculis. [*Liv. 6, 15. quo magis argui praestigias jubetis vestras, eo plus vereor, ne abstuleritis observantibus etiam oculos. — Notanda hic sunt etiam ista: *inhaerere, aberrare, inerrare oculis:* quae de iis sunt usitatae loquendi formulae, quae animo ita observantur, tanquam oculis cernas. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 2, 91. Oculis species inhaeret.] *Cic. Agr.* 2, 20. Ponere sibi aliquid ante oculos; et *Sull.* 26. proponere; et *Sext.* 7. *extr.* Proponere oculis suis aliquid. *Id. Amic.* 11. Esse ante oculos. *Id. Rosc. Am.* 9. et 35. versari. [*Ita dicitur de iis, quae attentius cogitamus et ita, ut quasi oculis cernere videamur.] ℙ Res posita in oculis, et ante oculos. *Id. Acad.* 1, 2. et *Or.* 1, 43. et *Q. Fr.* 1, 1, 2. h. e. manifesta, patens, omnibus nota. Sic *Sall. Cat.* 21. Divitiae, decus, gloria, in oculis sita sunt. ℙ *Sub oculis*, ante oculos. *Vell.* 2, 79. Gravis sub ipsius Caesaris oculis accepta clades. Adde *ib.* 21. [*sub ipsis moenibus oculisque urbis Romanae: ita ex verissima *Lipsii* emendatione pro vulg. sub ipsis moenibus sociisque *Ruhnk.*, qui laudat 2, 84. in ore atque oculis Antonianae classis, ibique *intpp.* et *Duk.* ad *Flor.* 2, 15, 7. et *Drak.* ad *Liv.* 4, 28.] *Colum.* 9, 5. Sub oculis domini esse. Sic *Ov. Her.* 21, 82. Inque meis oculis candida Delos erat, *h. e.* in conspectu meo erat. ℙ *Esse in oculis*, *habitare in oculis*, ap. *Cic. Planc.* 27. h. e. se conspiciendum dare, versari inter cives, prodire, apparere. [*Cic. *Off.* 3, 1, 3. Ita, qui in maxima celebritate atque in oculis civium quondam viximus, nunc fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, et saepe soli sumus: ubi v. *Beier.*] Sic in ore, et oculis omnium aliquid fieri, *Id. Verr.* 2, 2, 33. h. e. palam, coram omnibus. ℙ Habere in oculis, diligenter observare. *Pl. Ps.* 3, 2, 66. edico tibi, ut hujus oculos in oculis habeas tuis: Quoquo ille spectabit, tu spectato simul: Si quo hic gradietur, pariter progrediminor. ℙ Aliquando de re dicitur valde cara. *Id. ib.* 1, 2, 46. ubi sunt isti, Quibus vos oculi estis? quibus vitae? quibus suavia? et *Curc.* 1, 3, 47. Bene vale, ocule mi. *Catull.* 82, 1. Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum, Aut aliud, si quid carius est oculis; Eripere ei noli, multo quod carius illi Est oculis, si quid carius est oculis. Adde *eund.* 14, 1. et *Ter. Ad.* 4, 5, 67. et 5, 7, 5. ℙ *Par oculorum* de duobus amicissimis. *Suet. Rhet.* 5. Par oculorum in amicitia M. Antonii triumviri exstitisse se ajebat. ℙ Esse in oculis alicujus, *aut* alicui, carum esse, diligi. *Cic. Att.* 6, 2. *med.* Itaque publicanis in oculis sumus. *Id. Tusc.* 2, 26. Esse in oculis multitudinis. ℙ Ferre, gestare in oculis, idem. *Id. Phil.* 6, 4. Trebellium valde jam diligit: oderat tum, cum, etc. jam fert in oculis. Adde *Q. Fr.* 3, 1, 3. et *Har. resp.* 23. et *Q. Cic. Fam.* 16, 27. Sic *Ter. Eun.* 3, 1, 11. Rex te ergo in oculis gestare. ℙ *Per oculos* etiam jurare interdum mos fuit. *Pl. Men.* 5, 9, 1. Si voltis per oculos jurare, nihilo magis facietis, etc. *Ov. Amor.* 2, 16, 43. At mihi te comitem juraras usque futuram, Per me, perque oculos, sidera nostra, tuos. ℙ De re valde illustri et praestanti, et quae sit praecipuum cujuspiam loci ornamentum. *Cic. N. D.* 3, 38. *f.* Hi duo illos oculos orae maritimae effoderunt, *h. e.* Corinthum, et Carthaginem. *Just.* 5, 8. Negarunt se Spartani ex duobus Graeciae oculis alterum erupturos. V. OCELLUS. ℙ De facultate videndi. *Cic. Div.* 1, 24. Ut eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret. *Caes. B. C.* 3, 53. Quatuor ex una cohorte centuriones oculos amiserunt. *Cic. Har. resp.* 18. Oculos perdere. *Suet. Vesp.* 7. restituere alicui. ℙ Per similitudinem transfertur ad notas seu maculas instar oculorum, in pellibus pantherarum, in cauda pavonum, et hujusmodi. *Plin.* 13, 15, 30. de mensis: Sunt et undatim crispae, majore gratia, si pavonum caudae oculos imitentur. *Id.* 8, 17, 23. Pantheris in candido breves macularum oculi. ℙ Item ad solem, et stellas. *Ov. Met.* 4, 227. Omnia qui video, per quem videt omnia tellus, Mundi oculus, *h. e.* sol. *Plin.* 2, 5, 4. Inde tot stellarum collucentium illos oculos. ℙ [*Ita tribuuntur *oculi* etiam diei, quia lucet. *Pl. Capt.* 3, 1, 4. ego huic diei, si liceat, oculos effodiam libens. Sic βλέφαρον ἀμέρας ap. *Sophocl. Antig.* 104.] ℙ Item ad arborum gemmas. *Virg. G.* 2, 73. Nec modus inserere, atque oculos imponere, simplex, *h. e.* inoculare. *Colum.* 4, 24. *med.* Devexam resectionem facere post gemmam, ne superlacrimet, et gemmantem caecet oculum. *Id.* 10, 259. Et conniventes oculos violaria solvunt, *h. e.* violae sinum aperiunt. ℙ Est etiam in radicibus arundinum, et asparagorum oculus, aliis bulbus. *Plin.* 17, 20, 33. Seritur arundo bulbo radicis, quem alii oculum vocant. *Cato R. R.* 6. et *Varr. R. R.* 1, 24. Oculos arundinis pedes ternos alium ab alio serito. *Colum.* 11, 3. *med.* Stirpes praefractae angunt oculos spongiarum, et quasi excaecant, nec patiuntur asparagum emittere. Adde *Pall.* 4, 9. *med.* ℙ *Oculus* ap. *Plin.* 25, 13, 102. est etiam nomen herbae, quam et aizoum majus Graeca appellatione, et zoophthalmon dicunt. ℙ Transfertur etiam ad animum. *Cic. Or.* 29. Mentis oculis videre aliquid. *Colum.* 3, 8. Rerum naturam velut acrioribus mentis oculis intueri. *Cic. Agr.* 2, 10. Cum ad omnia vestra pauci homines cupiditatis oculos adjecissent. Sic *Mart.* ad significandam vehementem rei cujuspiam visae cupiditatem, 9, 60. Oculis comedere aliquid; et 1, 97. Spectare aliquid oculis devorantibus; et *Cic. Verr.* 2, 5, 26. Cum ejus cruciatu atque supplicio pascere oculos, animumque exsaturare vellent, *h. e.* spectando oblectari. Sic *Nep. Eum.* 11. Qui propter odium fructum oculis ex ejus casu capere vellent. ℙ *Dolere oculi* dicuntur ei, qui videt aliquid, quod videre nollet, qui invidet, qui aegre patitur. *Ter. Ph. f.* Vin' facere quod ego gaudeam, Et quod viro tuo oculi doleant? me ad coenam voca. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 14. Nunquam tibi oculi doluissent, si in repulsa Domitii vultum vidisses. Sic *Pl. As.* 5, 1, 3. Numquidnam tibi molestum est, si, etc.? *Ar.* Pietas, pater oculis dolorem prohibet. Sic *Cic. Fam.* 2, 16. Nosti non modo stomachi mei, sed etiam oculorum in hominum insolentium indignitate fastidium. ℙ *Clausis oculis aliquid facere*, proverb. secure, temere, nullo respectu. [*V. *Burm.* ad *Quint. decl.* 12, 9. p. 249.] *Hieron. adv. Jovin.* 1, 21. Melius est clausis, quod dicitur, oculis andabatarum more pugnare, quam directa spicula clypeo non repellere veritatis. Sic *Petr. Sat.* 82. Nemo coelum putat, nemo jusjurandum servat, nemo Jovem pluris facit, sed omnes opertis oculis bona sua computant. ℙ *Oclus* syncope pro *oculus*. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 592. Sanus videbit, lippus oclos obteget. Alii leg. *oculos*, ita ut quartus iambi sedecimi pes sit tribrachys. ℙ [*Confund. *oculi* et *oscula*. *Burm.* ad *Quint. decl.* 10, 3. p. 215.]

*ocyăle, es, f. Amazonum una. *Hyg. fab.* 163. *B. A.*

[ocydrŏmē, es, f. ὠκυδρόμη, et

[ocydrŏmus, i, m. ὠκυδρομος, velociter currens: ab ὠκὺς, velox, et δραμεῖν, currere. Hoc nomine appellantur una, et unus e canibus Actaeonis ap. *Hyg. fab.* 181. *F.*]

ocymum. V. ocimum.

ocyor. V. ocior.

ocypĕtē, es, f. una ex Harpyiis, sic dicta ab ὠκὺς, celer, et πέτομαι, volo, as. *Serv.* ad *A.* 3, 209. V. harpyiae.

[ocypŏtē, es, f. ὠκυπότη, velociter volans: ab ὠκὺς, velox, et ποτέομαι, volo, as. Ita appellatur una ex canibus Actaeonis ap. *Hygin. fab.* 181. *F.*]

ocyrrhŏē vel Ocyrhŏē, es, f. Ὠκυῤῥόη, filia Chironis ex Nympha Chariclo, ita dicta a matre, ab ὠκὺς, velox, et ῥέω, fluo, quia eam in fluminis rapidi ripa peperisset. Excelluit arte medicinae, et praedictione rerum futurarum. Aesculapio infanti praedixit, qualis, et quantus futurus esset. In equam versa esse fingitur. Poetae in carmine abjiciunt alterum *r*, quod aliter hexametrum carmen nequeat ingredi. *Ov. Met.* 2, 637. Quam quondam Nympha Chariclo Fluminis in rapidi ripis enixa vocavit Ocyrhoen.

[ocys, ytis, m. ὠκὺς, ος, celer. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 205. L. Cassius Epithymetus VI. vir sibi, et L. Cassio Ocyti patrono optimo, et Atiliae Acte uxori ejus, qui Ocys collegio fabr. Laud*ensium* etc. *F.*]

ocyter. V. ociter.

[ocythŏus, i, m. ὠκύθοος, velociter currens: ab ὠκὺς, velox, et θέω, curro. Ita vocatur unus ex canibus Actaeonis ap. *Hyg. fab.* 181. *F.*]

ocyus. V. ocius.

OD

ŏdărĭārĭus, ii, m. cantilenarum magister. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 716. *n.* 376. Cn. Vergilius Epaphroditus, magister odariarius. *Reines. cl.* 11. *n.* 81. legit *odorarius*, et myrobrecharium significare putat.

ŏdărĭum, ii, n. ᾠδάριον, ode, cantilena, carmen. *Petr. fragm. Trag.* 53. Puerumque jussit odaria saltare.

ŏdē, es, f. ᾠδή, cantio, carmen, praesertim lyricum. Sic enim vulgo inscribuntur *Horatii* carmina. Vox est Graeca ab ἀείδω, cano. Pro ipso cantu, *Auct. carm. de Philom.* 13. Et merulus modulans sat pulcris tinnitat odis. *Auct. Laud. Philom.* 25. Porrige dulcisonas attentis auribus odas.

ŏdĕfăcit dicebant, pro olfacit: ab odore. *Festus.*

*odessos vel Odessus, i, Ὀδησσὸς, opp. Moesiae inferioris, ad Pontum Euxinum. *Mela* 2, 2. *med. Plin.* 4, 12. ℙ *Odyssus (os)* est *Ammian.* 32, 9. *B. A.*

ŏdēum, i, n. ᾠδεῖον, est parvum theatrum, tecto in tentorii speciem fastigato, Athenis prius a Themistocle post pugnam Salaminiam ann. ab U. C. CCLXXIV. exstructum, a Pericle post annos XL. instauratum exornatumque, mox ab Ariobarzane Cappadociae rege restitutum; in quo musica certamina habebantur, deinde etiam poetae et historici opera sua recitabant: est ab ᾠδή, cantus: Latini *theatrum tectum* appellant. V. THEATRUM. *Vitr.* 5, 9. Itemque Athenis Patris Liberi fanum, et exeuntibus e theatro sinistra parte odeum, quod Themistocles columnis lapideis, navium malis et antennis e spoliis Persicis pertexit; idem incensum Mithridatico bello rex Ariobarzanes restituit. *Suet. Dom.* 5. Excitavit Flaviae templum gentis, et stadium, et odeum, et naumachiam. Adde *Tert. Resurr. carn.* 42., *Ammian.* 16, 10. et *Eutrop.* 7, 24.

ODI (raro *odivi*) et osus sum, isti, it, a. 4. μισέω, odio habeo. Verbum defectivum, carens praecipue temporibus praesentis, et imperfecti. *Cic. Mil.* 13. *med.* Quid enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suae gloriae, praeter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus? *Caes.* ap. *eund. Att.* 14, 1. Non dubito, quin me male oderit. *Sen. Ira* 1, 16. *med.* Vox dira et abominanda, Oderint, dum metuant. [*Cf. *Suet. Tib.* 59. oderint, dum probent.] *Cic. Cluent.* 61. Hunc acerbe et penitus oderat. *Id. Fam.* 7, 2. Oderam multo pejus hunc, quam Clodium. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Servire et pati contumelias pejus odero malis omnibus aliis. *Pl. Mil.* 4, 9, 15. eum odere qua viri, qua mulieres. *Sall. Cat.* 50. *med.* Neque studere, neque odisse, sed minume irasci decet. *M. Anton.* ap. *Cic. Phil.* 13, 19. Mihi constat, nec deserere partes, quas Pompejus odivit, nec, etc. *Tert. Anim.* 10. Qui hominem odiit, ut nosset. Al. leg. *odit. Id. adv. Marc.* 4, 35. ex *Levit.* 19, 17. Non odies fratrem tuum in animo tuo. Vulgata habet *non oderis. Pl. Amph.* 3, 2, 19. Inimicos semper osa sum obtuerier. *Gell.* 4, 8. Osusque eum morum causa fuit. *Cic. Amic.* 16. Ita amare oportere,

ut si aliquando esset osurus. *Appul. Dogm. Plat.* 3. *in.* Orationis variae sunt species, ut imperandi, irascendi, odiendi, invidendi, favendi, etc. ℙ [**Odisse praesentem statum περιφραστικῶς* de seditioso et impio cive dicitur ap. *Vell.* 2, 91, 2. Erant tamen, qui hunc felicissimum statum odissent. Contrarium est *amare* praesentem statum.] ℙ Dictum fuit Thraseae ap. *Plin. ep.* 8, 22. Qui vitia odit, homines odit. ℙ Saepe ponitur pro fastidire, aversari; et tribuitur etiam plantis, et rebus inanimis. *Ter. Ad.* 4, 1, 7. illud rus nulla alia causa tam male odi, nisi quia prope est. *Hor. Od.* 1, 38, 1. Persicos odi, puer, apparatus. *Plin.* 19, 5, 23. Cucumeres oleum odere mire, nec minus aquas diligunt; et *ib.* 8, 45. Ruta odit hiemem, et humorem, ac fimum. *Id.* 12, 25, 54. Balsamum odit ferro vitalia laedi. ℙ Passive. *Tert. Apol.* 3. *f.* Oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. *Hieron. ep.* 43. *n.* 2. Si de mundo non essemus, odiremur a mundo. ℙ [Part. *Odiens* ap. *Tert. adv. Marc.* 4, 16. Benedicere odientes. Tribuitur etiam *Petr. Sat.* 132., sed alii *audiens* legunt. ℙ *Charis.* 3, 228. *oderem* et *odere*, in optativo, et infinitivo praesenti, si sana est lectio. Etiam praesens indicativi *odio* videtur olim in usu fuisse. Nam *Festus*, Osi sunt, inquit, ab odio declinasse antiquos, testis est C. Gracchus, etc. Hinc *odiens* et *odiendi*.

*ODĬA, ae, f. maris Aegaei insula, Sporadum una. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[ODĬĀTUS, a, um, adj. exosus. *Not. Tir.* p. 77. Odiosus, odietas (corrige *odiatus*) inodiatus, perodiatus. *F.*]

ODĪBĬLIS, e, adj. odio dignus. *Acc.* ap. *Prisc.* 6, 709. Falsidica, audax, gnati mater pessimi, odibilis, natura impos, etc. *Lampr. Elag.* 18. Vita, moribus, improbitate ita odibilis, ut, etc.

*ODĪCE, es, f. Horarum una. *Hyg. fab.* 183. *B. A.*

[ODĬCUS, a, um, adj. *ᾠδικός*, canorus, ut Odicus versus, qui alteri adjunctus, *ᾠδήν*, sive harmoniam facit, ut est pentameter subjunctus hexametro. *Mar. Victor.* p. 2501. Et quaeque alia, qualia et metro scripta sequentes clausulas quorumlibet metrorum ad se trahunt, ita appellabuntur, quia odicis versibus *ἐπᾴδονται*, id est accinuntur. Ceterum ex iis, quae in ANTECANTATIVUS annotata sunt, patet, hic pro *odicis* legendum *epodicis*. *F.*]

ODĬĒTAS, atis, f. V. ODIATUS.

ODĬOSĒ, adv. *ἀηχθῶς*, odium, aut fastidium movendo, moleste. *Pl. Bacch.* 4, 9, 139. cape vero: odiose facis. *Ter. Ad.* 4, 2, 49. Aeschinus odiose cessat: prandium corrumpitur. *Cic. Brut.* 82. Qui nec inepte dicunt, nec odiose, nec putide. *Id. Or.* 2, 65. Odiose interpellare aliquem. *Gell.* 4, 1. Cum nimis odiose sibi placeret. *Id.* 3, 19. Superstitiose, et nimis moleste atque odiose.

ODĬOSĬCUS, a, um, adj. idem quod odiosus. *Pl.* joculariter *Capt.* 1, 1, 19. Prolatis rebus, parasiti invenatici Sumus: quando rure redierunt, molossici, Odiosicique, et multum incommodistici. V. INVENATICUS.

ODĬOSUS, a, um, adj. *μισητός*, qui odio habetur, molestus, gravis. *Cic. Amic.* 20. Odiosum sane genus hominum officia exprobrantium. *Id. Sen.* 2. Quae plerisque senibus sic odiosa est; et *Off.* 1, 36. Palaestrici motus saepe sunt odiosiores: [**widerlich.*] *Phaedr.* 2, 5. ardelionum natio Sibi molesta, et aliis odiosissima. *Lucr.* 4, 1158. At flagrans, odiosa, loquacula, lampadion sit. *Pl. Ps.* 1, 1, 28. odiosus mihi es. Lege, vel tabellas redde; et *Ter. Ph.* 5, 7, 44. si esse odiosi pergitis. *Pl.* dixit *Curc.* 4, 4, 16. Mihi si pergis molestus esse. *Gell.* 9, 10. Insulsa nimis et odiosa scrutatio. *Pl. Rud.* 4, 5. *f.* Inepta et odiosa amatio. *Id. Truc.* 4, 1, 7. Dona odiosa ingrataque; et 1, 1, 65. Infestum et odiosum esse alicui. *Cic. Or.* 8. Nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat. *Id. Att.* 6, 3. Odit enim provinciam: et hercule nihil odiosius, nihil molestius. *Id. Sen.* 14. Cupidis rerum talium, odiosum, et molestum est carere. *Id. Rosc. Com.* 6. Quorum alterum est gravius et odiosius; alterum levius et facilius. [**Quint. Inst.* 1, 6, 19. non quia illud non sit Latinum, sed quia sit odiosum: ubi laudat *Spald. Cic. Or.* 3, 15. *extr.* et *Verr.* 1, 12. — Porro hic commemorari poterat illud *Cic. Off.* 1, 19, 64. Sed illud odiosum est, quod cet. i. e. proh dolor! Similem sententiam *Id. ib.* §. 26. *extr.* exprimit per *est autem in hoc genere molestum.* — Ap. *Nep. Alc.* 2, 4. odiosa multa delicate jocoseque fecit: *odiosa* sunt res, quae aliis indignationem, iram faciunt: V. *Brem.*] ℙ De eo, quod simul cum molestia periculum aut incommodum conjunctum habet. *Cic. Phil.* 1, 11. Video, quam sit odiosum, habere eundem iratum et armatum. *Ter. Hec.* 3, 4, 9. Ita usque advorsa tempestate usi sumus. *Par.* Odiosum!

*ODĪTES, ae, m. nomen Centauri, qui nuptiis Pirithoi adfuit. *Ov. Met.* 12, 457. ℙ Item Cephenum post regem primus, in nuptiis Persei interfectus. *Id. Met.* 5, 97. *B. A.*

ODĬUM, ii, n. *μῖσος*, invidia, offensio. *Cic. Tusc.* 4, 9. Odium est ira inveterata. *Id. Balb.* 13. Gens dissidens a populo R. odio quodam atque dissidio. *Id. Verr.* 1, 12. In odium offensionemque populi R. irruere. *Tac. A.* 3, 10. Odium et invidia apud multos valent. *Cic. Fin.* 2, 24. et *Att.* 10, 8. Venire in odium acerbissimum perditae multitudini. *Nep. Lys.* 1. Pervenire in odium Graeciae. *Plin.* 28, 8, 28. Omnibus odio venire. *Cic. Prov. cons.* 10. Est mihi odium cum aliquo. *Id. Fam.* 12, 10. *f.* et *Mur.* 40. Esse odio alicui; et *Att.* 2, 21. Esse alicui in odio. *Id. Manil.* 22. apud aliquem. *Id. Verr.* 1, 14. *extr.* Magno odio esse apud aliquem. *Ov. R. Am.* 124. Odio habere verba monentis. *Pl. Men.* 1, 2, 2. et *Pers.* 2, 2, 24. Quod viro esse odio videas, tute tibi odio habeas. *Cic. Amic.* 1. Capitali odio dissidere ab aliquo. *Id. Att.* 11, 17. Aliquorum odium subire; et *Off.* 1, 42. Incurrere in odia hominum. *Id. Vat.* 3. Cum odium diuturnum, quod in bonos jam inveteratum habebatis, saturare cuperetis. *Juven.* 15, 34. Immortale odium, et nunquam sanabile vulnus. *Nep. Att.* 10. Magno odio in aliquem ferri. *Plin.* 28, 8, 29. Odium conciliare alicui. *Id.* 8, 18, 26. gerere adversus aliquem. *Cic. ad Quirit.* 1. concipere in aliquem. *Ov. Amor.* 3, 11, 43. movere. *Cic. Or.* 2, 51. struere; et *ib.* creare; et *Inv.* 1, 53. concitare. *Id. Dom.* 17. placare. *Id. Rabir. Post.* 6. restinguere. *Id. Marcell.* 10. inflammare; et *ib.* lenire. *Id. Att.* 9, 1. incendere alicujus in alterum. *Liv.* 4, 32. *extr.* explere. *Tac. A.* 13, 15. intendere; et *ib.* 1, 10. remittere. *Cic. ad Quirit.* 9. Odium vel precibus mitigari potest, vel temporibus reipublicae communique utilitate deponi, vel difficultate ulciscendi teneri, vel vetustate sedari. *Id. Agr.* 1, 1. Nomen imperii in commune odium vocare; et *Dejot.* 6. Omnium odia in se convertere. *Id. Mil.* 15. Omnia in illum odia civium ardebant. *Plin.* 17, 1, 1. Odio accensum esse. *Id.* 9, 62, 88. flagrare. *Id.* 7, 27, 38. laborare. [**Vell.* 1, 2, 2. hereditarium odium in aliquem exercere.] *Cic. Phil.* 2, 36. Magnum me cujuspiam rei odium cepit. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 3. Odia, quae premunt aliquem, sublevare. *Ov. Met.* 14, 71. In odium alicujus quippiam facere. *Plin.* 20, 18, 76. Odium vitae facere. Sic *Quint.* 1, 3. facere odium studiorum. [**Cic. Mur.* 27. odium inimicitiarum, i. e. ex inimicitiis ortum.] ℙ *Habere odium*, odio esse, odio laborare. *Cic. Q. Fr.* 3, 9., *Petr. Sat.* 84. et *Sen. ep.* 105. [*Hanc locutionem illustravit *Burm.* ad *Petr. c.* 81.] ℙ Pro odisse *Cic. Phil.* 5, 14. Habere magnum odium servitutis. ℙ *Suscipere odium*, subire. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Magnum odium Pompeji suscepistis. ℙ Pro concipere. *Nep. Dat.* 10. *extr.* Suscipere odium erga aliquem. ℙ Transfertur ad naturalem discordiam rerum inanimatarum. *Plin.* 19, 5, 26. *n.* 4. Odium raphanis cum vite maximum: refugitque juxta satos. *Id.* 2, 103, 106. Quidam amnes odio maris subeunt vada, sicut Arethusa. ℙ Significat etiam adversationem, abominationem. *Cic. Att.* 4, 2. Cum horas tres fere dixisset, odio et strepitu senatus coactus est aliquando perorare. ℙ Metonymice est molestia, fastidium: ex his enim odium nascitur. *Pl. Truc.* 1, 2, 23. Pessima mane. *Astaph.* optime, odio es. *Ter. Eun.* 5, 6, 2. Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit. *Pl. Poen. prol.* 50. nisi molestum est, nomen dare vobis volo Comoediai: sin odio est, dicam tamen. *Id. Curc.* 4, 2, 13. genus est lenonium, Uti muscaeque, culicesque, pedesque, pulicesque, Odio, et malo, et molestiae. ℙ Item odiosa assiduitas, et molesta instantia. *Ter. Hec.* 1, 2, 48. Tundendo, atque odio denique effecit senex. *Pl. As.* 2, 4, 40. Perii hercle jam, hic me abegerit suo odio; et 5, 2, 71. me quidem Miseram odio enecavit. [**Adde *Hor. Sat.* 1, 7, 6. Odio qui posset vincere reges. *Tac. H.* 1, 2. Odio et terrore corrupti in dominos servi: quos locos laudat *Schult.* ad *Quint. Decl.* 4, 1. p. 84. ed. *Burm.* ubi v. Porro *Ter. Hec.* 1, 2, 59. At te dii deaeque cum tuo istoc odio, Laches: nos: *mit deinem widerwärtigen, gehässigen Wesen. Cic. Cluent.* 39. quod erat odium, *(widerwärtige Laune)* dii immortales, quae superbia.] ℙ Per convicium dicitur de homine odioso. *Pl. Mil.* 3, 3, 48. rogare mirum est, Populi odium quin noverim; et *Rud.* 2, 2, 13. Deorum odium atque hominum; et *Bacch.* 4, 7, 22. Qui terrae odium inambulat, et jam nihil sapit: *ἐνώσιον ἄχθος ἀρούρης. Hor. Ep.* 1, 2, 62. Dum poenas odio per vim *(iracundus)* festinat inulto, *h. e.* adhuc inulto eo, quem odit. ℙ De eo, qui odit alterum. *Pl. Poen.* 1, 2, 139 et 180. Obsecro hercle te, voluptas hujus, atque odium meum, Hujus amica mammeata, mea inimica et malevola.

ODO, onis. V. UDO.

*ODOMANTES, um, *Ὀδόμαντες*, v. v. sq. *B. A.*

[ODOMANTĪCUS, a, um, adj. ad Odomantes pertinens, populos Thraciae, ad Strymonem fluvium, in Edonis, quorum populorum *Plin.* 4, 11, 18. meminit. *Liv.* 45, 4. Consul cum castra ad Siras terrae Odomanticae haberet, etc. *F.*]

*ODOMBOERAE, arum, populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

ODONTĪTIS herba inter foeni genera est, caulículis densis ab eadem radice, geniculatis, triangulis, nigris: in iis folia habet parva, et semen in alis hordeo simile, florem purpureum. Cauliculi decocti dentium dolori medentur: unde nomen: [**Zahnkraut*, Euphrasia Odonites. *L.*] *Plin.* 27, 12, 84.

[ODONTŌTYRANNUS, i, m. *ὀδοντοτύραννος*, bestiae nomen: ab *ὀδούς, ὀντος*, dens, et *τύραννος*, tyrannus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 33. Non tamen prius numerata saevities animantium receptui consulit, quam id animal supervenisset, quod regnum quidem tenere in hasce bestias dicitur: nomen autem odontotyrannum vocant eae (V. IS.) bestiae: facie elephantus quidem est, sed magnitudine etiam hujus animantis longe provectus, nec minor etiam saevitudine hominibus egregie saevientibus. *Odontotyrannum* memorant etiam *Cedrenus Collect. Byzant.* T. 9. p. 153. et *Glycas ib.* T. 11. p. 142 — 143. *F.*]

ODOR, oris, m. *ὀσμή*, qualitas rerum, quae naribus et odorando percipitur. *Cic. N. D.* 2, 56. Nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt. *Lucr.* 4, 675. res multas esse necesse est, Unde fluens volvat varius se fluctus odorum. *Catull.* 68, 144. Odore fragrans. *Cic. Sen.* 17. Suavitas odorum, qui afflantur e floribus. *Id. Verr.* 2, 3, 9. *f.* Ut odor Apronii teterrimus oris et corporis, quem ne bestiae quidem ferre possent, uni isti suavis et jucundus videretur. *Phaedr.* 3, 1. Odorem avide trahere naribus. *Cels.* 7, 29. Odor foedus. *Sall. Cat.* 58. Locus odore foedus. *Virg. G.* 4, 49. gravis odor. *Sall. fragm.* ap. *Philarg.* ad *l. Virg. c.* levis, *h. e.* suavis, et gratus. *Plin.* 21, 25, 96. non inelegans. *Id.* 27, 8, 41. asper. *Id.* 20, 17, 71. excitatissimus. *Id.* 12, 19, 43. mollissimus. *Id.* 21, 7, 18. acer; et *ib.* acutus. *Id.* 15, 28, 33. dilutus. *Id.* 12, 17, 40. aggravans capita; et *ib.* 37. ferus, et quodammodo solitudinem redolens. *Id.* 15, 3, 4. *extr.* argutus. *Id.* 13, 2, 3. potentissimus. *Id.* 7, 15, 13. dirus. *Id.* 21, 4, 10. angustus, *h. e.* minus late se spargens. *Id.* 12, 25, 44. Succus odore austerus. *Val. Fl.* 4, 493. fragrat acerbus odor. *Juven.* 11, 74. odoris mala recentis. *Virg. G.* 2, 132. arbor late jactans odorem. *Id. A.* 1, 407. Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem Spiravere. *Hor. Od.* 2, 15, 7. Violaria spargunt odorem. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 335. arbores, quae sunt odori, quaeque vernant esui. *Plin.* 21, 7, 18. Odor hebetatur. *Id.* 13, 1, 2. evanescit et defluit. *Id.* 28, 9, 38. aboletur. *Id.* 13, 8, 16. Odoris vehementia. *Id.* 12, 25, 44. ignavia. *Id.* 31, 6, 32. vastitas. *Id.* 19, 3, 12. suavitas. *Id.* 5, 1, 1. gravitas. [**Quid differant *odor* et *nidor*, dictum est in h. v. In sequentibus ita immutavimus ordinem, ut recte exempla, in quibus *odor* dictum pro eo, quod odorem emittit, ultimo loco adscripsisse videamur.] ℙ Interdum absolute de malo odore dicitur. [**Quid *olor* discrepet, v. in h. v.] *Varr. L. L.* 4, 5. Locus putidus odoribus ex sulfure et alumine. *Sall. Jug.* 48. Cum odos, aut pabuli egestas locum mutare subegerat. *Petr. Sat.* 117. *f.* Tollebat subinde altius pedem, et strepitu obsceno simul et odore viam implebat. *Catull.* 71, 6. Odore affligere aliquem. *Plin.* 23, 2, 28. Acetum scillinum odorem oris tollit. *Suet. Cal.* 27. *f.* Offensus putrefacti cerebri odore. Adde *Val. Fl.* 4, 455. ℙ Translate est indicium, praesensio. *Cic. Cluent.* 27. Cannutius peritus homo, qui quodam odore suspicionis Stalenum corruptum esse sensisset, etc. *h. e.* leviuscula suspicione. *Id. Att.* 4, 16. Res fluit ad interregnum, et est nonnullus odor dictaturae, [*i. e. levis rumor aut suspicio.] *Id. Verr.* 2, 5, 61. Odore aliquo legum recreatus, [*i. e. spe secundum leges secum actum iri.] *Id. Or.* 3, 40. Odor urbanitatis. *Lact.* 6, 12. *med.* Quasi odore quodam veritatis retenti. ℙ *Odores* interdum sunt res odoratae, aromata, unguenta. *Cic. Tusc.* 3, 18. *extr.* Fasciculum ad nares admovere, incendere odores. *Colum.* 12, 20. Ad praedictum modum musti adjici debent ii odores, nardi folium, illis Illyrica, costum, etc. *Hor. Od.* 1, 5, 2. Perfusus liquidis odoribus. *Tac. A.* 16, 6. Corpus differtum odoribus conditur. *Tibull.* 1, 3, 7. Assyrii odores, *h. e.* nardus, amomum, etc. Sic *Lucan.* 8, 731. odores Eoi. ℙ In singulari num. *Catull.* 68, 144. et *Sen. Hippol.* 393. Assyrius odor. ℙ Hoc sensu fere tus excipitur. *Cic. Verr.* 2, 4, 35. Ture, odoribusque incensis; et *ib.* 2, 5, 57. Purpuram Tyriam, tus, atque odores proferebant. *Hor. Ep.* 2, 1, 269. vicum vendentem tus et odores. Adde *Tibull.* 2, 2, 3. et *Plin. ep.* 5, 16. ℙ Dicitur et *odos* in recto, ut *colos*, *labos*, *vapos*, etc. *Lucr.* 6, 952. permanat odos, frigusque, vaposque. Ita legit etiam *Non.* 8, 27. Adde *Pl. Capt.* 4, 2, 35., quemadmodum legit etiam *Prisc.* 1, 557. et V. COLOS.

ODORĀMEN, inis, n. idem ac odoramentum. *Macr. Sat.* 1. *praef. med.* Confusura videlicet omnium succos odoraminum in spiramentum unum.

ODORĀMENTUM, i, n. *ἄρωμα*, res odorata, odores. *Colum.* 11, 2. *med.* Odoramenta, quibus condire vina consueverint. *Plin.* 15, 7, 7. Pretiosiora odoramenta admiscere.

ŏdōrārĭus, a, um, adj. ad odores pertinens, ut Odoraria myrrha, *Plin.* 12, 16, 35. Magister odorarius, *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 81. h. e. qui odoramenta, aut unguenta conficit et vendit, myrobrecharius: [etenim in *Gloss. Philox.* Odorarius, ἀρωματοπώλης. V. ODARIARIUS. *F.*]

ŏdōrātĭo, onis, f. ὄσφρησις, actus odorandi, olfactus. *Cic. Tusc.* 4, 9. Qualis est haec aurium delectatio, tales sunt oculorum, et tactionum, et odorationum, et saporum. ℙ Item ipse odorandi sensus. *Lact. Opif. D.* 10. Auditus in duas aures, visus in duas acies, odoratio in duas nares a summo artifice divisa est.

ŏdōrātīvus, a, um, adj. odoratus. *Appul. Herb.* 79. *f.* Semen nigrum odorativum.

ŏdōrātus, a, um, part. ab *odoro:* εὐώδης, gratum odorem habens, odorifer. *Virg. G.* 2, 119. Quid tibi odorato referam sudantia ligno Balsama? *Id. A.* 7, 13. Urere odoratam cedrum. *Ov. Fast.* 2, 703. Hortis odoratis suberat cultissimus herbis. *Colum.* 8, 17. *f.* Odorata pabula. *Plin.* 21, 7, 18. Dulcia raro odorata, itaque et vina mustis odoratiora. *Id.* 28, 8, 28. Odoratissimi flores. *Id.* 26, 8, 50. Herba odorati saporis, et jucundi. *Ov. A. Am.* 1, 521. Nec male odorati sit tristis anhelitus oris. *Sil.* 17, 658. Odorati Indi, *h. e.* quorum regio odoramentorum ferax. Sic *Tibull.* 1, 5, 36. odorati Armenii; et *Prop.* 4, 3, 64. Raptave odorato carbasa lina duci, *h. e.* regi, vel imperatori Parthorum vel Assyriorum, quorum contermina est Arabia odorum ferax. ℙ Item odorem aliunde habens, odore imbutus. [**Serv.* ad *G.* 3, 414. *Odorum*, quod per se olet, *odoratum*, quod aliunde odorem accepit.] *Hor. Od.* 3, 20, 14. Sparsum odoratis humerum capillis. *Id. ib.* 2, 11, 15. rosa Canos odorati capillos. Ἑλληνισμός. *Claud. Laud. Stilich.* 1, 58. odoratae arae, *h. e.* ture fumantes. *Ov. A. Am.* 2, 734. Sertaque odoratae myrtea ferte comae. Adde *Prop.* 3, 12, 28. et *Val. Fl.* 6, 129. ℙ Est etiam part. ab *odoror*, et sensu activo usurpatur. V. ODORO.

ŏdōrātus, us, m. ὄσφρησις, olfactus, actus odorandi. *Cic. N. D.* 2, 63. Eorum jucundus non gustatus solum, sed odoratus etiam, et spectatus. ℙ Item sensus, seu facultas odorandi. *Plin.* 11, 4, 3. Insecta habent oculos, aliqua et odoratum. Adde *Cic. Acad.* 4, 7. ℙ Item odor. *Plin.* 25, 13, 95. Cicutae folia coriandri teneriora, gravi odoratu. [*Differunt *olfactus* et *odoratus:* hoc active est ejus, qui odorem captat: illud passive dicitur de eo, qui sentit. V. *Doederl.* 3, 129.]

ŏdōrĭfer, a, um, adj. πολύοσμος, gratum odorem ferens, odorus, odoratus. *Prop.* 2, 10, 23. Desit odoriferis ordo mihi lancibus. *Sil.* 16, 310. odoriferis aspergit floribus aras. *Plin.* 5, 11, 12. Arabia odorifera, *h. e.* odoramentorum ferax, nam, ut est ap. *Tibull.* 4, 2, 18. Cultor odoratae dives Arabs segetis. Sic *Ov. Met.* 4, 209. Gens odorifera, *h. e.* Persae. ℙ Translate. *Sen. ep.* 33. Desideras adscribi aliquas voces nostrorum procerum. Non fuerunt circa flosculos occupati; totus contextus illorum virilis est; et *mox:* Non est ergo, quod exigas excerpta, et repetita: continuum est apud nostros, quidquid apud alios excerpitur. Non habemus itaque ista odorifera, nec emptorem decipimus, nihil inventurum, cum intraverit, praeter illa, quae in fronte suspensa sunt. Alii perperam leg. *ocliferia*, vel *oculiferia*, quae sunt monstra verborum. V. ANTHOLOGICA et ANTHOLOGUMENA.

ŏdōrĭsĕquus, a, um, adj. odorem sequens, odorans, odore vestigans. *Liv. Andron.* ap. *Terent. de metr.* p. 2426. Dirige odorisequos ad certa cubilia canes. *Versus* μιοῦρος. Agnoscit hanc vocem etiam *Serv.* ad illud *A.* 4, 132. et odora canum vis.

ŏdōro, as, avi, atum, a. 1. ἀρωματίζω, odore imbuo, odorum facio. *Ov. Met.* 15, 734. et odorant aera fumis. *Colum.* 9, 4. Crocus colorat, odoratque mella. *Avien. Arat.* 1430. et coelum sulphure odorat.

ŏdŏror, aris, atus sum, dep. 1. ὀσφραίνομαι, olfacio, odorem percipio, ex odore aliquid deprehendo. [*De discrimine inter *odorari* et *olfacere*, v. quae dicta sunt in *odoratus*, *us.*] *Pl. Men.* 1, 2, 55. Agedum, odorare hanc, quam ego habeo, pallam: quid olet? *Id. Mil.* 2, 2, 113. Ibo odorans, quasi canis venaticus. *Colum.* 6, 2. Nares boum perfricato, ut hominem discant odorari. *Hor. Epod.* 6, 10. projectum cibum odorari. *Plin.* 10, 69, 88. Aquilae clarius cernunt, vultures sagacius odorantur. ℙ Translate est explorare, investigare, quaerere, tentare. [**Ausspüren.*] *Cic. Verr.* 2, 4, 13. Ita odorabantur omnia et pervestigabant, ut ubi quidque esset, aliqua ratione invenirent. *Id. in Senat.* 6. *f.* Hi voluptates omnes vestigant, atque odorantur; et *Verr.* 2, 2, 54. Quid cuique accidisset, quid cuique esset necesse, indagare et odorari solebat. *Id. Att.* 4, 8. *extr.* Tu velim e Fabio, si quem habes aditum, odorere, et istum convivam tuum degustes. *Id. Or.* 2, 44. Omni mente in ea cogitatione curaque versor, ut odorer quam sagacissime possim, quid sentiant, quid existiment, quid exspectent. *Id. Att.* 14, 22. Cupio odorari diligentius, quid futurum sit. *Id. Pis.* 34. An tu parum putas investigatas esse a nobis labes imperii tui, stragesque provinciae? quas quidem nos non vestigiis odorantes ingressus tuos, sed totis volutationibus corporis, et cubilibus persecuti sumus. *Id. Cluent.* 30. *med.* Albiana pecunia vestigiisne nobis odoranda est, an ad ipsum cubile, vobis ducibus venire possumus? *Id. Agr.* 2, 24. *extr.* Committite his hominibus haec omnia, quos odorari hunc decemviratum suspicamini, *h. e.* cupide petere, anxie quaerere. [*Nimirum *odorari* h. l. non sensum solum, sed etiam appetitum rei includit: nos: *denen ihr abmerkt, dass ihnen dieses Decemvirat in die Nase sticht. Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Id. Att.* 4, 14. Tu velim, si quid forte novi habes, et si quid forte de comitiis, de republica (soles enim haec festine odorari) scribas ad me. Al. leg. *festive.* [*Ita *Orell.*] *Auct. dial. de Or.* 19. Si quis odoratus philosophiam, et ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in coelum laudibus ferebatur, *h. e.* leviter degustasset.

ŏdōrus, a, um, adj. εὔοσμος, gratum odorem emittens. [*Quid *odoratus*, *a*, *um*, differat, dictum in h. v. — *Olidus Doederl.* 3, 131. in eo discrepare dicit, quod, ut nostr. *riechend*, magis ad ea pertineat, quae malum odorem emittant: hoc semper bono sensu dicatur: nam *Claud.* exempla, in quibus de male olentibus positum, huc nihil facere.] Vox fere poetica. *Ov. Met.* 9, 87. Odorus flos. *Id. A. Am.* 1, 287. odora arbor, *h. e.* myrrha. *Stat. Th.* 6, 104. et odoro vulnere pinus Scinditur. *Sen. Oed.* 496. odorum thymum. *Mart.* 6, 80. Tantus veris honos, et odorae gratia Florae. *Plin.* 20, 17, 69. Optimum autem Creticum: nam et jucunde olet. Proximum Smyrnaeum, odorius. ℙ Item graveolens. *Claud. VI. Cons. Honor.* 324. Lustralem sic rite facem, cui lumen odorum Sulfure caeruleo, nigroque bitumine fumat, etc.; et *Cons. Prob. et Olybr.* 256. et Nar vitiatus odoro Sulfure. ℙ Item qui sagaciter odoratur. *Virg. A.* 4, 132. Massylique ruunt equites, et odora canum vis.

ŏdos. V. ODOR.

ŏdrysae, arum, m. plur. populi Thraciae, ubi fontes Hebri sunt. *Plin.* 4, 11, 18. **Liv.* 39, 53. 44, 41. *Curt.* 10, 1. *extr.* ℙ *Odrysae* sunt *Tac. A.* 3, 38. *B. A.*

ŏdrysĭus, a, um, adj. ad Odrysas pertinens: et fere pro Thracio ponitur. *Ov. Met.* 6, 490. Odrysius rex; et *R. Am.* 459. tyrannus, *h. e.* Tereus Thraciae rex. *Id. A. Am.* 2, 130. dux, *h. e.* Rhesus. *Id. Amor.* 3, 12, 32. Itys. *Sil.* 7, 570. Boreas. *Stat. Achill.* 1, 485. Odrysiam Gradivus in hastam Surgit. *Val. Fl.* 4, 467. Odrysiae rex inclytus orae. *Mart.* 7, 80. Odrysios jam pax Romana triones Temperat. *Claud. prooem. in Ruf.* 2, 18. Odrysiae nives. *Id. III. cons. Hon.* 147. Odrysius Hebrus. *Sen. Thyest.* 273. Odrysia domus, *h. e.* Tereï regis Thraciae. *Val. Fl.* 5, 100. Carmina quin etiam visos placantia manes Odrysius dum rite movet, *h. e.* Orpheus; et *ib.* 440. Odrysium carmen, *h. e.* Orphei. ℙ *Odrysii*, *orum*, Thraces. *Ov. Pont.* 1, 8, 15. Odrysiis inopino Marte peremptis. *Claud. in Ruf.* 2, 425. Da caput Odrysiis: truncum mereantur Achivi.

[ŏduciensis, e, adj. ad Oduciam pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, nunc *Lora. Inscr.* ap. *Mur.* 1065, 4. Cornelia L. F. Rustica Oduciensis. Alia ap. *eund.* 1096, 2. Lintrarii Canamenses, Oducienses, Naevienses. *F.*]

[ŏdynē, es, f. ὀδύνη, dolor parturientium praecipue. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 295, 6. Varia Odyne. *F.*]

ŏdynŏlyten, ὀδυνολύτην, h. e. solventem dolores (ab ὀδύνη, dolor, et λύω, solvo) appellarunt remoram piscem, quod adalligata gravidis partus solveret, et dolores sedaret, teste *Plin.* 32, 1, 1., ubi al. leg. *odynolyontem*, quod idem significat.

ŏdyssēa, ae, f. Ὀδυσσεία, celebre Homeri opus de Ulyssis erroribus: ab Ὀδυσσεύς, Ulysses. *Ov. Trist.* 2, 375. Aut quid Odyssea est, nisi femina propter amorem, Dum vir abest, multis una petita procis? ℙ Est etiam Latina Odyssea *Livii Andronici*, cujus meminit *Cic. Brut.* 18., *Gell.* 3, 16., 7, 7. et 18, 9., item *Serv.* ad *A.* 1, 96. etc.

O E

*OE pro E et U antiqui scribebant, quod indicant *Poena*, *Poeni*, *Moenia*, *Pomoeria*, cum verbis *Punio*, *Punicus*, *Munio*, *Murus* collata. *Cic. Leg.* 3, 4. Si quid erit, quod extra magistratus *Coeratore oesus* sit, qui *coeret*, populus creato, eique jus *coerandi* dato etc. V. et *Drakenb.* ad *Sil.* 2, 257. *B. A.*

Oeăgrĭus, a, um, adj. Οἰάγριος, ad Oeagrum pertinens, quod est nomen regis Thraciae, item fluvii ejusdem regionis, ex quo Hebrus nascitur: unde et pro Thracio sumitur. *Virg. G.* 4, 524. Oeagrius Hebrus. *Ov. Met.* 2, 219. Virgineusque Helicon, et nondum Oeagrius Haemus, *h. e.* in quo nondum Orpheus a Bacchis discerptus fuerat. Dictus est enim *Oeagrius* Orpheus, tum quia Thrax, tum quia natus creditur ex Oeagro fluvio, vel rege, et Polyhymnia, seu Calliope, ut *Hyg. fab.* 14. tradit. *Manil.* 5, 321. Qua quondam sonitum referens Oeagrius Orpheus. *Sil.* 4, 463. Dulcius Oeagrios pulsabat pectine nervos.

*Oeandenses, ium, incolae urbis cujusdam Asiae ulterioris, in Galatia fortasse vel Phrygia. *Plin.* 5, 32. Lystreni Neapolitani, Oeandenses etc. ubi *Hard.* mavult *Oenoandenses*, ab Oenoandis sc. Lyciae urbe. *B. A.*

*Oeanthe, es, f. oppidum Locrorum Ozolarum. *Plin.* 4, 3. ℙ *Oeanthia* est *Melae* 2, 3. *B. A.*

*Oeanthia. V. v. praec. *B. A.*

Oebălĭa, ae, f. Οἰβαλία, ap. *Serv.* ad *Virg. G.* 4, 125. est Laconia: aliis Laconiae oppidum: ab Oebalo rege nomen habens. Unde *Oebalius* pro Laconico ponitur. ℙ Sic dicta est etiam urbs Tarenti, quia condita a Phalantho Lacone, ut ex *Plin.* 3, 11, 16., *Flor.* 1, 18. et *Hor. Od.* 2, 6, 12. discimus. *Virg. l. c.* sub Oebaliae memini me turribus altis, etc. Adde *Claud. Cons. Olybr. et Prob.* 260 V. OEBALIUS.

Oebălĭdes, ae, m. Οἰβαλίδης, Oebali filius, vel Lacon, Spartanus. V. v. praec. *Ov. Ib.* 590. Oebalides puer, *h. e.* Hyacinthus Phoebi delicium. *Stat. Silv.* 2, 1, 112. Oebaliden illo praeceps mutaret Apollo. V. HYACINTHUS. ℙ *Oebalidae*, *arum*, Castor et Pollux, Spartani fratres. *Ov. Fast.* 5, 705. et *Stat. Th.* 5, 438. Sic *Oebalides* ap. *Val. Fl.* 4, 293. est Pollux.

Oebălis, idis, f. Οἰβαλίς, Laconica, Spartana. *Ov. Her.* 16, 126. Applicor in terras, Oebali nympha, tuas, *h. e.* Helena. *Stat. Silv.* 1, 2, 150. queis purpura saepe Oebalis, et Tyrii moderator livet aheni, *h. e.* quae optima in Laconia tingebatur, ut *Plin.* 9, 36, 60. docet. ℙ *Oebalides matres* ap. *Ov. Fast.* 3, 230. sunt Sabinae a Romulo raptae. Sabini enim a Laconibus originem trahunt, ut ex *Hyg.*, *Cat.*, *et Gell.* docet *Serv.* ad *A.* 8, 638. Al. leg. *Oebaliae matres*, eodem sensu.

Oebălius, a, um, adj. Οἰβάλιος, ad Oebaliam pertinens, Laconicus, Spartanus. *Stat. Achill.* 1, 20. Oebalium litus. *Id. Silv.* 3, 2, 9. Oebalii fratres, *h. e.* Castor et Pollux Lacones. *Val. Fl.* 1, 422. Oebalius alumnus, *h. e.* Pollux; et 6, 220. Oebalia manus, *h. e.* Castoris. *Mart.* 14, 173. Oebalius, Phoebi cura dolorque, puer, *h. e.* Hyacinthus Spartanus. *Ov. Met.* 13, 396. Oebalium vulnus, *h. e.* quo Hyacinthus occ sus est. *Id. R. Am.* 458. Oebalia pellex, *h. e.* Helena Menelai Laconum regis uxor. *Stat. Silv.* 2, 6, 27. Oebalii amores, *h. e.* ejusdem Helenae. *Val. Fl.* 4, 228. Oebalius caveae favor, *h. e.* plausus Laconum in theatro; et 272. Oebalia ars, *h. e.* Laconica in pugilatu. *Stat. Th.* 7, 21. Oebalii caestus, *h. e.* Pollucis; et *ib.* 6, 822. Oebalius magister, *h. e.* Pollux. *Auson. Idyll.* 12. de histor.: flos, *h. e.* hyacinthi. ℙ Item Tarentinus, ut in OEBALIA dictum est. *Sil.* 12, 451. Oebalios amet expugnare nepotes. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 158. Oebalium Tarentum. ℙ *Auson. ep.* 25, 25. Oebaliis habites taciturnus Amyclis, *h. e.* Amyclis oppido Auruncorum in Italia condito a civibus Amyclarum Laconicarum. V. AMYCLAE. ℙ In illo *Ov. Fast.* 1, 260. Protinus Oebalii rettulit arma Titi. *T. Tatium* intellige, Sabinorum regem. Sabini autem a Lacedaemoniis originem ducunt. Sic Oebaliae matres. V. OEBALIS.

Oebălus, i, m. Οἴβαλος, filius Argulii, Laconum rex: a quo Laconia dicta est *Oebalia.* Hic fuit pater Tyndari, Helenae avus. *Hyg. fab.* 78. ℙ Item filius Telonis, Caprearum regis, et Sebethidis Nymphae, de quo *Virg. A.* 7, 734. et ibi *Servius.*

*Oecalices, um, populi Aethiopiae. *Plin.* 5, 8. *B. A.*

Oechălĭa, ae, f. Οἰχαλία, urbs Euboeae insulae, eadem quae Chalcis, ut *Plin.* 4, 12, 21. tradit, quamvis *Mela* 2, 7. distinguere videtur. In ea, ut *Serv.* ad *Virg. A.* 8, 290. docet, regnavit Eurytus pater Ioles, quam cum Herculi despondisset, deinde hortatu filii denegasset, ab eo occisus est, eversa urbe, et Iole rapta. Hinc *Virg. l. c.* Ut bello egregias idem disjecerit urbes, Trojamque, Oechaliamque. Adde *Ov. Her.* 9, 1., *Sen. Herc. Oet.* 162 et 422. et *Hyg. fab.* 35. ℙ Aliae sunt *Oechaliae* a geographis memoratae, in Messenia, de qua *Plin.* 4, 5, 7., in Boeotia, in Thessalia, in Arcadia, Aetolia, etc. de quibus *Eustach.* in *l.* 2. *Iliad.* et *Politus* in notis ad eund., *sect.* 75. p. 632. Sunt autem qui ad Oechaliam Boeotiae pertinere faciunt, quae de Euryto dicta sunt. Verior tamen videtur sententia *Servii.* Nam *Ov. Met.* 9, 136. de Hercule: Victor ab Oechalia Cenaeo sacra parabat Vota Jovi. *Cenaeus Juppiter* dictus est a Cenaeo promontorio, quod est in Euboea insula ad septentrionem, ut ait *Plin.* 4, 12, 21.

Oechălis, idis, f. Οἰχαλίς, quae est ex Oechalia. *Ov. Met.* 9, 330. (*Iole loquitur*) fuit unica matri (Me pater ex alia genuit) notissima forma Oechalidum Dryope.

*Oecleus (disyll.), ei et eos, m. Οἰκλεύς, Oi-

κλῆς, vel Οἰκλεὺς, Οἰκλῆς, pater vatis Amphiarai, avus Alcmaeonis. *Hyg. fab.* 128. *B. A.*

OECLIDES, ae, m. *Οἰκλίδης*, filius Oeclei. *Ov. Met.* 8, 317. et adhuc a conjuge tutus Oeclides, *h. e.* Amphiaraus. *Stat. Th.* 8, 145. Illum heu, praesagis quo nullus amicior astris, Oecliden, etc. Adde *Ov. A. Am.* 3, 13.

*OECLUS, i, m. Centaurus, cujus meminit *Ov. Met.* 12, 450. *B. A.*

[OECOGENES, is, m. *οἰκογενής*, domi natus, verna: ab *οἶκος*, domus, et *γίνομαι*, nascor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 658, 1. M. Cosinius Oecogenes. *F.*]

OECONOMIA, ae, f. *οἰκονομία*, rei familiaris cura, dispositio, distributio, et recta administratio. Graeca vox, et Graeci usus: ab *οἶκος*, domus, et *νέμω*, distribuo. ℙ Translate accipitur pro quavis dispositione, atque ordine. *Quint.* 3, 3. Hermagoras judicium, partitionem, ordinem, quaeque elocutionis sunt, subjicit oeconomiae, quae Graece appellata est ex cura rerum domesticarum, et hic per abusionem posita nomine Latino caret. *Id.* 1, 8. *f.* Praecipue vero illa infigat animis, quae in oeconomia virtus, quae in decoro rerum. Adde *Auson. Perioch. Iliad. in.* Utuntur etiam *Cic. Att.* 6, 1. et *Vitr.* 1, 2. sed Graece.

OECONOMICUS, i, m. *οἰκονομικός*, ad oeconomiam, hoc est rectam rei familiaris curam et distributionem pertinens. *Cic. Off.* 2, 24. *extr.* Has res commodissime Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur: quem nos e Graeco in Latinum convertimus. *Gell.* 15, 5. *f.* Cicero in Oeconomico: *Cum vero affecta aetate*, etc. ℙ Translate, ut dictum est in v. praec. *Quint.* 7, 10. Illa enim potentissima est, quaeque vere dicitur oeconomica totius causae dispositio, ubi assumendum prooemium, ubi omittendum, ubi utendum expositione continua, ubi partita, etc.

OECONOMUS, i, m. *οἰκονόμος*, rei familiaris administrator, et custos. *Imp. Justin. Cod.* 1, 3, 42. *med.* usurpat de eo, cui cura rerum Ecclesiasticarum commissa est. Sic *Impp. Leo, et Anthem. ib.* 33. *med.* In causis Ecclesiasticis nullum alium conveniri fas sit, nisi eum, quem dispensatorem pauperum, idest oeconomum Ecclesiae episcopi tractatus elegerit. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 9, 45, 3. Etiam ii, quos oeconomos vocant, hoc est qui Ecclesiasticas consuerunt tractare rationes.

[OECUMENE, es, f. *οἰκουμένη*, scil. *γῆ*, habitabilis terra: part. praes. pass. ab *οἰκέω*, habito. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 277, 5. Livineja L. L. Oecumene. *F.*]

[OECUMENICUS, a, um, adj. *οἰκουμενικός*, ad universam terram habitabilem pertinens. V. v. praec. In nummo Caracallae coloniae Heliopolitanae ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 3. p. 336. Certa*men* Sacr*um* Capito*linum* Oecu*menicum* Isela*sticum* Helio*politanum*. In alio Elagabali urbis Sidonis ap. *eund. ib.* p. 372. Cert*amen* Sac*rum* Peri*odicum* Oecume*nicum* Isela*sticum*. *F.*]

OECUS, i, m. *οἶκος*, ap. Graecos domum significat. Dicitur etiam de certa domus parte. *Vitr.* 6, 10. In his locis introrsus constituuntur oeci magni, in quibus matresfamiliarum cum lanificis habent sessiones; et *mox:* Habent eae domus ad meridiem spectantes oecos quadratos tam ampla magnitudine, ut faciliter in eis tricliniis quatuor stratis, etc. In his oecis fiunt virilia convivia. *Plin.* 36, 25, 60. Sosus Pergami stravit quem vocant asaroton oecon, quoniam purgamenta coenae in pavimento, etc.

OEDIPODES, ae, m. *Οἰδιπόδης*, idem ac Oedipus. *Sen. Herc. Fur.* 496. Impii Oedipodae nuptiales faces. *Stat. Th.* 1, 48. et 163. furtisque immanibus emptum est Oedipodae sedisse loco. *Claud. in Eutrop.* 1, 289. Oedipodes matrem, natam duxisse Thyestes Cantantur. *Sen. Oedip.* 942. leges ratas Natura in uno vertit Oedipoda. Adde *Stat. Th.* 2, 465., ubi tamen videtur Oedipi filium intelligere.

[OEDIPODIA, ae, f. *Οἰδιποδία κρήνη*, fons Boeotiae, ab Oedipo nomen trahens. *Plin.* 4, 7, 12. *F.*]

OEDIPODIONIDES, ae, m. Polynices filius Oedipi. *Stat. Th.* 1, 313. Interea patriis olim vagus exsul ab oris Oedipodionides furtim deserta pererrat. *Auson. epigr.* 139. Oedipodionidae fratres, *h. e.* Eteocles, et Polynices. Adde *Stat. Th.* 7, 216.

OEDIPODIONIUS, a, um, adj. ad Oedipum spectans. *Ov. Met.* 15, 429. Oedipodioniae quid sunt nisi nomina Thebae? *Stat. Th.* 2, 305. Oedipodioniae domus alitis, *h. e.* Sphyngis.

OEDIPUS, i, et ōdis, m. *Οἰδίπους*, filius Laji regis Thebanorum, et Iocastae, quem pater, cum consulto Apollinis oraculo futurum intellexisset, ut a filio interficeretur, pastori occidendum tradidit, qui misericordia commotus, neque tamen regis imperium audens detrectare, perforatis gladio plantis, vimineque trajecto, ex arbore suspendit, futurum ratus, ut ita inedia moreretur. Sed cum Phorbas Polybii Corinthiorum regis pastor illac iter faceret, audito vagitu eo accurrens, puerum servavit, reginaeque obtulit, a qua veluti puer coelitus missus, filii loco educatus, et a pedibus ex vulnere tumentibus Oedipus est appellatus: *οἰδέω* enim, sive *οἰδάω*, tumere significat. Grandior deinde natu factus, audito, se Polybii filium non esse, patrem quaerere statuit. Apollinem consulenti responsum fuit, ab eo in Phocide patrem repertum iri, insuper matrem ductum iri in uxorem. In Phocidem igitur profectus, cum coorta inter cives et peregrinos dissensione, pro peregrinis pugnaret, patrem rixam sedare conantem ignorans interfecit. Deinde quasi ab oraculo deceptus Thebas se contulit, et in ingressu urbis Sphyngis aenigma dissolvit, cum esset praestantissimo ingenio, monstrumque interemit. Thebis cum Polybii filius haberetur, ei regnum traditum est, et Iocasta data in matrimonium; quam cum deinde matrem suam esse cognovisset, et parricidii, et incestus a se poenam repetens, utrumque sibi eruit oculum: Iocasta vero suis sibi manibus mortem conscivit. Tandem Oedipus Athenas in voluntarium concessit exsilium, et jussu Creontis in Cythaeronem montem relegatus est. Ab Atheniensibus ei templum dedicatum est, et sacra instituta. *Cic. Fin.* 5, 1. Memoria Oedipodis huc venientis. *Id. Sen.* 7. Tunc senex dicitur Oedipum Coloneum recitasse judicibus, *h. e.* tragoediam de Oedipo. *Mart.* 9, 26. Phineas invites, Afer, et Oedipodas. *Stat. Th.* 7, 513. vix Oedipode ducente timeres. (Ultima hic syllaba metri necessitate producitur: vel lege *Oedipoda*, ab *Oedipodes*, *ae*, primae decl. ut ap. *Sen.* V. OEDIPODES.) Historiam, seu fabulam de Oedipo habes ap. *Hyg. fab.* 66. 67. et 242., *Sen. Phoen.* et *Oedip.*, *Serv.* ad *A.* 4, 470. et *ib.* 6, 609. etc. ℙ *Davus sum, non Oedipus*, prov. ap. *Ter. Andr.* 1, 2, 23. quo significamus, nos homines rudes esse, simplicesque, et ad intelligenda obscuriora aenigmata minime idoneos. Tractum et a callido acutoque Oedipi ingenio, qui ad portam Thebarum Sphyngis aenigma dissolvit. *Pl. Poen.* 1, 3, 34. Isti orationi Oedipo Opus conjectore est, qui Sphingi interpres fuit. ℙ Ultima syllaba recti casus Graeca diphthongus est, et producitur a *Sen. Phoen.* 313. Posset tamen corripi, abjecta praepositiva, ut fecit *Hor. Epod.* 12, 5. in *polypus*.

OEENSIS, e, adj. ad Oeam pertinens, Africae urbem in regione Syrtica, nunc *Tripoli vecchio*, unam ex tribus, unde Tripolis, seu Tripolitana regio constabat, ut tradit *Solin.* 27. et *Mela* 1, 7. Hinc *Sil.* 3, 257. Oeaque Trinacrios Afris permixta colonos Mittebat. *Plin.* 5, 4, 4. Civitas Oeensis. *Id. ib.* 5, 5. *f.* Proximo bello, quo cum Oeensibus Romani gessere, initiis Vespasiani imperatoris. Adde *Tac. H.* 4, 50. ℙ In *loc.* supra *citatis* alii leg. *Ocensis*, et in nummo ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 4. p. 131. Col. Aug. Oce. Adde *Capell.* 6, 217. Verum a priore lectione standum videtur, quae plurium auctorum, et codicum auctoritate fulcitur, praecipue cum facillima sit permutatio litterae *e* in *c*.

OENANTHE, es, f. *οἰνάνθη*, (ab *οἶνος*, vinum, et *ἄνθος*, flos) uva vitis silvestris, cum floret, idest cum optime olet: seu ipse vitis labruscae flos. Utuntur eo ad oleum faciendum, siccato in umbra, et in cados condito. *Plin.* 12, 28, 61. et 23, 1, 14. item *Pall.* 7, 11., ex quibus apparet, sic dici etiam ipsam ex eo confectam condituram. ℙ Item herba in petris nascens, folio pastinacae, radice magna, numerosa. *Plin.* 21, 24, 95. ℙ Item avis quaedam statos latebrae dies habens, nempe exoriente Sirio occultans se, prodiensque in ejus occasu. *Id.* 10, 29, 45. qui 18, 29, 69. *n.* 3. parram appellat.

OENANTHINUS, a, um, adj. *οἰνάνθινος*, ex oenanthe confectus, ut Oenanthinum vinum, *Plin.* 14, 16, 18. oleum, *Id.* 15, 7, 7. unguentum, *Id.* 13, 1, 2.

[OENANTHIUS, a, um, adj. idem ac oenanthinus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1341, 5. Fabia Oenanthia. ℙ *Oenanthium*, *ii*, absolute *scil.* unguentum, oleum. *Lampr. Elag.* 23. Fertur in euripis vino plenis navales circenses exhibuisse, pallia de oenanthio fudisse, *h. e.* perfudisse. *F.*]

[OENAS, ădis, f. *οἰνάς*, vinago, avis ex palumbarum genere labruscam appetens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 264, 1. Dexia Oenas. *F.*]

OENEIS, idis, f. patron. *Οἰνεΐς*, filia, aut neptis Oenei. *Sen. Herc. Oet.* 583. Flemus casus, Oenei, tuos, *h. e.* Deianira.

OENEIUS, a, um, et

OENEUS, a, um, adj. ad Oeneum pertinens, *Οἰνεῖος*. *Stat. Th.* 5, 661. venienti Oeneius heros Impiger objecta proturbat pectora parma, *h. e.* Tydeus Oenei filius. *Ov. Met.* 8, 281. Oeneos ultorem spreta per agros Misit aprum, *h. e.* Calydonis, seu Aetoliae, ubi Oeneus regnavit. *Stat. Th.* 2, 469. Oeneae vindex sic ille Dianae Erectus setis, et aduncae fulmine malae, etc., *h. e.* quae Calydone colebatur, et Oenei regis contemptum, immisso apro, ulta est. *Sil.* 13, 31. Oenea stirps; et 15, 308. Oeneae domus.

OENEUS, i, et eos, m. disyll. *Οἰνεύς*, Aetoliae, seu Calydoniae rex, Parthaonis filius, qui ex Althaea Testii filia Meleagrum, Tydeum, Menalippum, Gorgen, et Deianiram genuit, quam Herculis duxit uxorem, licet alii matrem Tydei Periboeam appellent. Fabulantur poetae regem hunc de primitiis omnibus numinibus sacrificasse, excepta Diana, quae irata aprum immisit, qui cuncta vastabat, donec a Meleagro occideretur. *Ov. Met.* 8, 260 — 545. *Hyg. fab.* 172. et *Serv.* ad *A.* 7, 306. Addit *Hyg. fab.* 129. Liberum patrem liberaliter ab eo exceptum hospitio, vite donasse, monstrata ratione colendi: et ut fructus ejus oenos (*οἶνος*, vinum) appellaretur, instituisse. *Ov. l. c.* 274. Oenea namque ferunt, etc. *Oenea* est trisyllab. Graecae positionis. *Stat. Th.* 2, 165. nec plura tuus despexerat Oeneus Foedera; et 586. trahit ocius ensem Bistonium Tydeus, Mavortia munera magni Oeneos. *Lucan.* 6, 364. de Acheloo: et tuus, Oeneu, Paene gener crassis oblimat Echinadas undis. *Paene generum* vocat Oenei Acheloum, quia propter Deianiram Oenei filiam, quam sibi uxorem petebat, cum Hercule certans, victus est.

*OENIADAE, arum, m. *Οἰνιάδαι*, populi itemque civitas Acarnaniae. De populis *Liv.* 38, 11. De civitate *Id.* 26, 24. V. *Thucyd.* 2, 102. et 3, 114. *B. A.*

*OENIANDOS, oppidum Ciliciae, postea Epiphania appellatum. *Plin.* 5, 27. ed. *Hard.* Al. leg. *Eniandos*. *B. A.*

*OENIAS, ae, insignis pictor, de quo *Plin.* 35, 11. *B. A.*

OENIDES, ae, m. *Οἰνίδης*, Oenei filius. *Ov. Met.* 8, 414. At manus Oenidae variat, *h. e.* Meleagri. Adde *Val. Fl.* 3, 690. et alibi. Ap. *Ov. Met* 14, 512. Oenides est Diomedes Oenei nepos, rex Aetolorum, qui post Trojae excidium in Italiam venit, et in Apulia Daunia regnavit. Unde *Id. Fast.* 4, 76. Et generum Oeniden, Appule Daune, tuum.

OENIGENAE, ap. *Fest.* sunt vino geniti: ab *οἶνος*, vinum, et *γένος*, genus. Pro *vini geniti* mallent alii legi *unigeniti:* ex antiquo more scribendi per *oe*, quae per *u* nunc scribuntur, ut *moerus* pro *murus*, *moenio* pro *munio*.

*OENIUM NEMUS in Lycia fuit, prope Candyba. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

*OENOANDA, orum, opp. Lyciae, in Cabalia regiuncula. *Plin.* 5, 27. Adde *Liv.* 38, 37. et 39. ed. *Gronov.* ubi ed. *Drak.* rectius habet *Oroanda* et *Oroandis*. ℙ V. OEANDENSES. *B. A.*

[OENOCOCTUS, a, um, adj. idem ac oenogaratus, *h. e.* coctus cum vino: ab *οἶνος*, vinum. *Petr. fragm. Trag.* 47. *Burm.* Mei coci etiam vitulos oenococtos solent facere. *Id. ib.* 74. Gallus adlatus est, quem Trimalchio jussit, ut oenococtus fieret. *Burmannus* male *aeno coctos*, et *aeno coctus* legit. *Apic.* 8, 7. Exossas porcellum, et aptabis, sicut oenogaratum. *Cod. Vatic.* habet oenococtum. *F.*]

*OENOE, es, et Oenoa, ae, f. *Οἰνόη*, opp. Atticae. *Plin.* 4, 7. ℙ Item insula maris Aegaei, postea Sicinus dicta. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[OENOGARATUS, a, um, adj. oenogaro conditus. *Apic.* 8, 7. Porcellus oenogaratus. *F.*]

OENOGARUM, i, n. *οἰνόγαρον*, condimenti genus ex vino, et garo mixtum, cujus conficiendi rationem docet *Apic.* 1, 31.

OENOMAUS, i, m. filius Martis ex Harpina filia Asopi, seu, ut alii tradunt, Eurythoe filia Danai, rex Elidis et Pisae, pater Hippodamiae, qui cum ex oraculo se a genero interfectum iri didicisset, et filia tamen a multis procis ob formae praestantiam ambiretur, currule procis certamen proposuit, ea lege, ut filia victori in matrimonium cederet, victus mortem subiret. Tredecim igitur victis, et occisis, Pelops Tantali filius Myrtilum ejus aurigam pretio corrupit, ut axes infirmos et fragiles currui subjungeret: quo facto Oenomaus una cum curru corruit, membrisque omnibus ea ruina collisis, mortuus est. Pelops itaque et conjugio et regno potitus universam Cherronesum de nomine suo Peloponnesum appellavit. Ex Hippodamia filios habuit Hippalcum, Atreum, Thyestem. *Hyg. fab.* 84 et 250. etc. *Stat. Theb.* 1, 274. illic Mavortius axis Oenomai, Geticoque pecus stabulare sub Aemo Dignius. ℙ [*Oenomaus* titulus fuit unius ex Accii tragoediis. *Cic. Fam.* 9, 16. Quamobrem Oenomao tuo nihil utor: etsi posuisti loco versus Accianos. *F.*]

OENOMELI, itos, n. *οἰνόμελι*, potio ex austero vino et melle composita, quam Latini mulsum appellant. Ejus conficiendi rationem *Pall.* 11, 17. tradit. Legitur ap. *Ulp. Dig.* 33, 6, 9.

OENONE, es, f. *Οἰνώνη*, Nympha Phrygia, quae Paridem amavit, antequam ille Helenam raperet. Exstat ejus nomine scripta ab *Ov. Her.* 5. epistola ad ipsum Paridem, (et Paridis nomine responsio *Sabini ep.* 3.) *Id. ib.* 80. Nulla, nisi Oenone, pauperis uxor erat. ℙ Est etiam hoc nomine insula Atticae, alio nomine Aegina. *Plin.* 4, 12, 19.

*OENOPE, es, f. Epopei filia, ex qua Megarea genuit Neptunus. *Hyg. fab.* 157. *B. A.*

OENOPHORUM, i, n. *οἰνόφορον*, vas ferendo vino in itinere aptum: ab *οἶνος*, vinum, et *φέρω*, fe-

ro. *Hor. Sat.* 1, 6, 108. Cum Tiburte via praetorem quinque sequuntur Te pueri, lasanum portantes, oenophorumque. *Cic. Fin.* 2, 8. Quibu' vinum Defusum e pleno siet oenophoro, ut ait Lucilius. Al. aliter leg. V. HIR. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 2, 800. et ap. *Isid. Or.* 1, 36. et *ib.* 20, 6., item *Pers.* 5, 140.

OENOPHŌRUS, i, m. *οἰνοφόρος*, vinum ferens. Ap. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 10. nomen est statuae Praxitelis.

OENŌPĬĂ, ae, f. *Οἰνοπίη*, insula, quae alio nomine Aegina dicitur. *Ov. Met.* 7, 472 et 473., ubi al. leg. *Oenone.* [*Frustra. V. *Gierig.* et *Jahn.* ad h. l.]

OENŌPĬON, onis, m. rex Chii insulae, pater Meropes, quam Orion vitiavit. *Germanic. Arat.* 641., *Avien. ib.* 1182.

OENŌPĬUS, a, um, adj. ab Oenopia, ut Oenopii muri, ap. *Ov. Met.* 7, 490.

OENŌPŌLĬUM, ii, n. *οἰνοπώλειον*, taberna vinaria. *Pl. Asin.* 1, 3, 48. Cum a pistore panem petimus, vinum ex oenopolio.

[OENOTHĒRĀ, ae, f. *οἰνοθήρα*, et

[OENOTHĒRIS, idis, f. *οἰνοθηρίς*, herba, quae in vino pota vigilias sedat: ab *οἶνος*, vinum, et *θήρα*, fera. *Plin.* 26, 11, 69. Oenothera, sive onuris, hilaritatem afferens in vino. Haec in potu data feras quoque mitigat. *Id.* 24, 17, 102. Crateras *(adjecit)* oenotheridem, cujus aspersu e vino feritas omnium animalium mitigaretur. *F.*]

OENOTRĬĀ, ae, f. regio Italiae inter Paestum, et Tarentum, quae partem Lucaniae, Brutiorum, et Magnae Graeciae complexa est: ita dicta ab Oenotro rege, Pelasgi filio: vel ab *οἶνος*, vinum, quod ibi generosum vinum provenit: vel quia Italis primis vitem Saturnus ostendit. *Serv.* ad *A.* 1, 530. ex *Varrone*, et ad *ib.* 3, 165. ℙ Ipsa etiam Italia quondam *Oenotria* dicta est: item Sabinorum regio. V. OENOTRIUS. *Claud. in I. cons. Stil.* 2, 262. post has Oenotria lentis Vitibus intorquens hederas, et palmite largo Vina fluens. Adde *ib.* 146.

OENOTRĪDES, um, m. plur. insulae duae sunt in mari Tyrrheno, ante Veliam urbem excisam, in ora Lucaniae, quarum una speciatim Pontia dicitur, altera Iscia. *Plin.* 3, 7, 13.

OENOTRĪUS, a, um, adj. *Οἰνώτριος*, Italus, Romanus. *Virg. A.* 7, 85. Hinc Italae gentes, omnisque Oenotria tellus In dubiis responsa petunt. Ubi *Serv.:* Proprie Sabinorum tractus: ab Oenotro rege. V. OENOTRIA. *Sil.* 1, 2. patiturque ferox Oenotria jura Carthago, *h. e.* Italorum, et Romanorum imperia; et 12, 650. Poenus adest, nec se castris Oenotria pubes Continet, *h. e.* Romani milites; et 13, 713. Oenotria tecta.

OENOTRUS, a, um, adj. Oenotrius, Italus, Romanus. *Virg. A.* 1, 535. Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebae: Oenotri coluere viri. *Sil.* 8, 221. ego Oenotris aeternum numen in oris Concelebror. *Id.* 13, 51. Oenotris fundavit finibus urbem. Adde 9, 473.

*OENUNĬA, ae, f. Ponti opp. *Tab. Peut. B. A.*

OENUS, a, um, adj. unus, ap. priscos, ut *coero* curo, *oesus* usus, *moerus* murus, *oetier* utier. *Cic. Leg.* 3, 3. ℙ *Fuit et *Oenus, i,* Rhaetiae fluvius. V. AENUS. ℙ *Oenus, untis, Οἰνοῦς*, fluvius Laconiae, Sellasiam alluens. *Liv.* 34, 28. ℙ *Oenuntem*, opp. Laconiae, meminit *Steph. Byz. B. A.*

*OENUSA vel Oenussa, ae, f. *Οἰνοῦσσα, h. e.* vino seu vitibus abundans, insula Chio adjacens. *Plin.* 5, 31. *Mela* 2, 7. ℙ Fuere autem Oenusae sive Oenussae insulae tres Peloponneso adjacentes, prope sinum Messenium. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*OENUSSA, ae, et *OENUSSAE, arum. } V. v. praec. *B. A.*

[OEONISTĪCĒ, es, f. *οἰωνιστική*, scientia auguralis: ab *οἰωνός*, augurium. *Capell.* 9, 303. Tunc Phoebus inquit: Oeonistice tertia est, per quam tripus illa ventura denunciat, atque omnis eminuit nostra cortina. *F.*]

*OESCUS, i, opp. Moesiae inferioris. *Ant. Itin.* et *Notit. Imper. Ptolemaeo* est *Οἶσκος Τριβαλλῶν.* ℙ Item fluvius oppidum alluens. *Plin.* 3, 26. *B. A.*

OESTRUS, i, m. *οἶστρος*, insecti genus, quod a Latinis *asilus* appellatur. *Plin.* 11, 16, 16. Nascuntur in extremis favis apes grandiores, quae ceteras fugant: oestrus vocatur hoc malum. *Virg. G.* 3, 146. Est lucos Silari circa, ilicibusque virentem Plurimus Alburnum volitans, cui nomen asilo Romanum est, oestrum Graji vertere vocantes, Asper, acerba sonans, quo tota exterrita silvis Diffugiunt armenta. ℙ Metonymice sumitur pro furore: quia hoc animali Juno in pellicem suam Io immisso, eam in furorem convertit, ut *Virg.* ait *l. c.* Unde poetae divino furore correpti, oestro perciti dicuntur. *Stat. Theb.* 1, 32. Tempus erit cum Pierio tua fortior oestro Facta canam. *Nemes. Cyn.* 3. Aonio jam nunc mihi pectus ab oestro Aestuat: ingentes Helicon jubet ire per agros. *Juven.* 4, 123. ut fanaticus oestro Percussus, Bellona, tuo divinat. ℙ *Festus* facit *oestrum* neutr. gen., nam et Graece *οἶστρον.*

[OESTRYMNĪCUS, a, um, adj. ad Oestrymnin pertinens, promontorium septentrionale prope insulas Cassiteridas, quae ideo et Oestrymnides dicuntur. V. CASSITERIDES. *Avien. ora marit.* 90. Et prominentis hic jugi surgit caput, Oestrymnin istud dixit Aevum antiquius; Sub hujus autem prominentis vertice Sinus dehiscit incolis Oestrymnicus, In quo insulae sese exserunt Oestrymnides. *F.*]

[OESTRYMNIS, ĭdis, patron. ad Oestrymnin pertinens. V. v. praec. *F.*]

OESUS, usus. V. OENUS.

*OESYMA, ae, f. *Οἰσύμη*, Thraciae opp., de quo *Plin.* 4, 11. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Oesima. B. A.*

OESYPUM, i, n. *οἴσυπος, οἰσύπη*, pinguedo, et immundities haerens in ovium velleribus nondum purgatis, vel succus lanae sordidae immundaeque: ab *οἶς*, ovis, et *πάτος*, sordes, unde compositum *οἰςπάνη*, mox *οἴοπη*, tandem, *οἰσύπη. Plin.* 29, 2, 10. Quin ipsae sordes pecudum, sudorque feminum et alarum adhaerentes lanis (oesypum vocant) innumeros prope usus habent. In Atticis ovibus genito palma. *Id.* 30, 4, 9. Maculas in facie oesypum cum melle Corsico extenuat: item scobem cutis in facie, cum rosaceo impositum vellere. *Ov. A. Am.* 3, 213. Oesypa quid redolent, quamvis mittantur Athenis, Demptus ab immundae vellere succus ovis? Adde *R. Am.* 354. ℙ Habet etiam varios usus in medicina. Nam medetur capitis doloribus, morbis comitialibus, igni sacro, podagris, sedis vitiis, rimis, vulneribus, ut est ap. *Plin.* 29, 6, 36., 30. c. 4. 8. 10. 11. *f.* 12 et 13.

OETĀ, ae, et Oetē, es, m. et f. *Monte Bunina*, al. *Banina*, *Οἴτη*, mons Thessaliae asperrimus, in Trachinia regione, in Doridis confinio, in sinum Maliacum, qui et Oetaeus, desinens. Hic helleborum optimum provenit. In eo locus est Pyra dictus, in quo se combussit Hercules. *Plin.* 4, 7, 13. et 25, 5, 21. et *Liv.* 36, 15. ejus meminerunt. *Virg. Cul.* 202. Et piger aurato procedit vesper ab Oeta. *Sen. Herc. Oet.* 861. Haec, haec, renatum prima quae videt diem, Oeta eligatur. *Sil.* 6, 453. Vix dum summa dies summa lustrabat in Oeta Herculei monumenta rogi. *Ov. Met.* 9, 204. perque altum saucius Oeten Haud aliter graditur, quam, etc. Al. leg. *altam;* et *ib.* 230. Arboribus caesis, quas ardua gesserat Oete.

OETAEUS, a, um, adj. ad Oetam pertinens. *Plin.* 25, 5, 21. Oetaeum helleborum. *Mela* 2, 3. Oetaeus saltus. *Prop.* 1, 13, 24. Oetaea juga. *Catull.* 68, 54. Oetaeae Thermopylae, *h. e.* Thessalicae. *Prop.* 3, 1, 32. Oetaeus Deus, *h. e.* Hercules. *Sen. Herc. Oet.* 1718. Oetaea fax, *h. e.* qua Hercules in Oeta sibi rogum accendit. Unde *Hercules Oetaeus* titulus est tragoediae ejusdem. *Ov.* quoque *Oetaeum* absolute dixit, *Ib.* 349. Herculem significans. *Stat. Theb.* 11, 234. Qualis ubi implicitum Tirynthius ossibus ignem Sensit, et Oetaeas membris accedere vestes, *h. e.* tunicam Nessi sanguine infectam, cujus veneno in furias actus in Oeta se combussit. *Id. Silv.* 5, 4, 8. Oetaeae lampades, *h. e.* stellae, quae Oetam montem ad ortum solis habentibus in eo monte oriri videntur. Sic *Catull.* 62, 7. Nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignes. At quibus Oeta ad occidentem est situs, in eo stellae dicuntur occidere, et ex Ida Phrygiae oriri. Unde illud *Virg. Ecl.* 8, 30. tibi deserit Hesperus Oetam; (ubi *Serv.* in eo Hesperum coli tradit) et *A.* 2, 801. Jamque jugis, summae surgebat Lucifer Idae.

*OETĒI, orum, populi Scythiae Asiaticae. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

OETĬER pro *utier*, h. e. uti, antiquitus, ut *moerus* pro *murus*, et *coerator* pro *curator*, etc. *Fest.* in *Pondera publica.* V. OENUS.

[OETUM, i, n. *οἶτον*, herbae genus in Aegypto, quae fortasse est eadem ac arum. *Plin.* 21, 15, 52. Mandunt et oetum, cui pauca folia minimaque, verum radix magna. *F.*] ℙ *Theophr. Hist. plant.* 1, 11. *Ὁμοίως δὲ καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον οὐίτον. Hesych. Οὐίτον τὸ ὑπ' ἐνίων οἶτον. B. A.*

OETUS. V. OTUS.

OF

ŎFELLĂ, ae, f. *ζωμίδιον, ψωμίον*, parva offa, praesertim carnis translaticiae, ac vilioris impensae. Alterum *f* abjicit, et primam corripit, ut *mamilla*, a mamma. *Juven.* 11, 142. Nec frustum capreae subducere, nec latus Afrae Novit avis noster tirunculus, ac rudis omni Tempore, et exiguae frustis imbutus ofellae. *Mart.* 12, 48. Me meus ad subitas invitet amicus ofellas: Haec mihi, quam possum reddere, coena placet. *Id.* 14, 221. cujus lemma *Craticula cum veru:* Parva tibi curva craticula sudet ofella: Spumeus in longa cuspide fumet aper; et 10, 48. Et quae non egeant ferro structoris ofellae. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 383. Aras ofellis obsecrare bubulis. ℙ *Ofellas Ostienses, Apicianas, aprugnas*, etc. memorat *Apicius* auctor culinarius 7, 4., earumque conficiendarum rationem tradit. Sunt autem frusta carnis varie condita, et cocta. ℙ A similitudine *Seren. Sam.* 46, 840. Manabit lactens caprifici succus ofellam, *h. e.* conglobatum, et siccatum lac, seu succum. ℙ [Est etiam cogn. R., ut Q. Lucretius Ofella ap. *Cic. Brut.* 48., *Ep. Liv.* 86. et 89. et *Vell.* 2, 27. *F.*]

OFFĂ, ae, f. *μάζα*, massa ex farre glomerata, et cocta in cibum: est ab Aeol. *ὄππα* pro *ὄμπη*, quod ab *ὀπή*, foramen. *Hesych. Ὄμπαι, θύματα, καὶ πυροὶ μέλιτι δεδευμένοι.* V. *Virg. l. c.* in §. 2. *Festus* in *Penitam:* Antiqui offam vocabant abscissum globi forma, ut manu glomeratam pultem. *Plin.* 18, 8, 7. Ennius antiquissimus vates, obsidionis famem exprimens, offam eripuisse plorantibus liberis patres commemorat. *Cic. Div.* 2, 35. Avis inclusa in cavea, et fame enecta, si in offam pultis invadit, et si aliquid ex ore cecidit, etc. ℙ Sic dicitur conglobatus cibus ex frugibus, aut pane, et variis condimentis. *Virg. A.* 6, 420. Melle soporatam, et medicatis frugibus offam Objicit. *Varr. R. R.* 3, 5. de avib. saginand.: Cibatui offas positas, eae maxime glomerantur ex ficis, et farre mixto. *Colum.* 8, 3. de gallin.: Cibus autem praebetur hordeacea farina, quae cum est aqua conspersa, et subacta, formantur offae, quibus aves saginantur; et *ib.* 9. de turdis: Hieme offae panis vino madefactae celerius opimant: et 17. *f.* de piscib.: Sordidi panis offae, vel si qua sunt temporis poma concisa praebentur. *Pall.* 4, 12. *med.* de bubus: In gulam demitte praesulsi adipis librales offas. *Plin.* 32, 10, 51. Negat canes latrare, quibus in offa rana viva data sit. ℙ Est etiam frustum carnis, (unde *ofella.*) Hinc *offa penita* absegmen carnis cum cauda, ut ex *Naevio Festus* docet. *Arnob.* 7, 230. Offa penita est, cum particula visceris cauda pecoris amputata. Ipse *Fest.* in *Penem:* Offa porcina cum cauda in coenis puris offa penita vocatur. *Pl. Mil.* 3, 1, 165. tolle hanc patinam, remove pernam, Aufer illam offam penitam. ℙ Urbane *Id. Mil.* 1, 49. Edepol memoria est optima. *Artotr.* offa me monet. ℙ *Inter os et offam multa interveniunt*, proverb. *Catonis*, de quo V. in ANCAEUS. ℙ Per similitudinem dicitur de quacumque re in globi, et rotundae massae modum convoluta et conformata. *Colum.* 12, 15. de fico condienda: Haec cum bene proculcaverint, et totam massam comminutae fici permiscuerint, modicas offas foliis ficulneis involvunt. *Plin.* 12, 9, 19. Gummi in offas convolutum. *Id.* 13, 10, 19. de pomo pruni Aegyptiae: Purgatum tundunt, servantque ejus offas. *Id.* 33, 6, 34. Stimmi uritur offis bubuli fimi circumlitum, in clibanis. *Id.* 15, 7, 7. Amygdalinum oleum fit ex amaris nucibus arefactis, et in offam contusis. ℙ Item de quacumque massa informi. *Plin.* 9, 48, 72. de lepore marino: In nostro mari offa informis, colore tantum leporis similis. *Juven.* 2, 32. Cum tot abortivis fecundam Julia vulvam Solveret, et patruo similes effunderet offas, *h. e.* fetus informes. *Pers.* 5, 5. quantas robusti carminis offas Ingeris? ℙ Et de tumore ex ictu. *Juven.* 16, 11. Et nigram in facie tumidis livoribus offam.

OFFARCINĀTUS, a, um, part. ab inus. *offarcino:* suffarcinatus. *Tert. adv. Marc.* 4, 24. Profectionem filiorum Israelis creator, etiam illis spoliis aureorum et argenteorum vasculorum, et vestium, praeter oneribus consparsionum offarcinatam eduxit ex Aegypto.

[OFFĀRĬUS, a, um, adj. *Isid. Or.* 20, 2. Offa est proprie frustum dentium, unde offarii coci, qui particulatim, id est offatim, excoquunt. *F.*]

OFFĀTIM, adv. *λεπτομερῶς*, particulatim, per frusta. *Pl. Truc.* 2, 7, 52. Jam hercle ego te hic hac *(machaera)* offatim conficiam. V. CONCIPILO et v. praec.

OFFECTĬO, onis, f. infectus. *Arnob.* 5, 164. de malis punicis: Quia de rubro exorta sunt sanguine, idcirco illis color est purpurei luminis offectione subluteus.

OFFECTOR, oris, m. infector. *Festus:* Offectores, colorum infectores. *Id.* in *Infectores:* Infectores, qui alienum colorem in lanam conjiciunt: offectores, qui proprio colori novum officiunt. ℙ *Corn. Fronto de differ. verbor.* p. 2201. alio sensu interpretatur. Infector, inquit, colorem mutat: offector officio obest.

OFFECTUS, a, um, part. ab *officio:* impeditus, obstructus. *Lucr.* 4, 763. de somno: omnes Corporis offecti sensus per membra quiescunt. *Id.* 5, 774. Quove modo soleant offecto lumine obire. Mox contra dicit *aperto lumine.*

[OFFECTUS, us, m. malum fascinum: a part. *offectus, a, um. Grat. Cyn.* 406. Ac sic offectus, oculique venena maligni Vicit tutela pax impetrata Deorum. *F.*]

OFFENDĬCŬLUM, i, n. *προσκομμα*, id in quod offenditur, impedimentum, offensaculum. *Plin. ep.* 9, 11. Sunt enim in hac offendicula nonnulla: circumfer oculos, et occurrent. *Paul. Nol. carm.* 27, 96. Tanquam offendiculi causam cognosceret ultro.

OFFENDĪMENTUM, V. in v. sq.

OFFENDIX, ĭcis, f. *Festus:* Offendices ait esse Titius nodos, quibus apex (h. e. *sacerdotum pileus*) retineatur, et remittatur. At Veranius Coriola existimat, quae sint in loris apicis, quibus apex retineatur et remittatur: quae ab offendendo dicuntur, nam cum ad mentum perventum est, offendit

mentum, *h. e.* in mentum incidit, et incurrit, cum sub eo religetur. Hunc *Festi* locum compendio describens *Paul. Diac.* sic habet: Offendices dicebant ligaturae nodos, quibus apex retinebatur, id, cum pervenisset ad mentum, dicebant offendimentum. Sed hoc *offendimentum* neque est ex mente *Festi*, et aures Latinas offendit. ℙ [Fortasse ea lora ita sunt appellata, quia hinc inde dependebant, et quasi *fendicae* quaedam erant, q. v. v. s. l. Hinc *Gloss. Isid.* Offendices, nodi, quibus libri signantur (corrige *ligantur*). Italice *legacci*. *F.*]

OFFENDO, inis, f. offensio. *Afran.* ap. *Non.* 2, 602. Quoque nunc offendo semper nostra sit mala procul.

OFFENDO, is, di, sum, a. 3. ἐμποδὼν ἔχω, προσκόπτω. [*Proprie intransitive significat incurro, impingo, incido in aliquod, *auf, an etwas stossen*, cum notione inopinati, inexspectati, fortuiti: quo differt *illido*, ut notavimus in h. v.: ab *ob* et obsoleto *fendo*, quod *Adelung.* idem esse docet cum nostro *finden*. *Hor. Sat.* 2, 1, 77. fragili quaerens illidere dentem, Offendet solido: ubi a *Doederl.* 3, 140. recte dicitur parum sufficiens *Schol. Cruq.* interpretatio *inveniet*. — Ita ut laesionem, damnum accipias: *Ov. Pont.* 4, 14, 21. Ad veteres scopulos iterum devertor, ad illas, In quibus offendit naufraga puppis, aquas. *Solin.* 40. *med.* Cornua in se recurrentia, ut si quis in ea offenderit, non vulneretur. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 9, 2. Quis est tam Lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat, nusquam incurrat? *Id. Or.* 2, 74. Permulta sunt in causis circumspicienda, ne quid offendas, ne quo irruas. *Phaedr.* 4, 14. Prometheus auctor vulgi fictilis, Qui simul offendit ad fortunam, frangitur. ℙ Hinc in universum in periculum incurrere, damnum, calamitatum accipere; Gr. πταίειν, προσπταίειν. *Herodot.* 9, 101. ἦν δὲ ἀρῴωδίῃ σφι, μὴ περὶ Μαρδονίῳ πταίσῃ Ἕλλας: et 1, 16. ἀπὸ μέν νῦν τούτων οὐκ ὡς ἤθελεν ἀπήλλαξεν ἀλλὰ προσπταίσας μεγάλως. *Cic. Cluent.* 23. Potius illum, qui bis apud eos judices offendisset, quam eum, qui bis causam iis probavisset, i. e. damnatus esset. *Id. Verr.* 2, 5, 50. Cum multi viri fortes, in communi incertoque periculo belli, et terra et mari saepe offenderint. *Caes. B. C.* 3, 8. Serius a terra profectae naves, neque usae nocturna aura, in redeundo offenderunt; *Sen. ep.* 96. Familia decubuit, fenus offendit, domus crepuit. — Etiam passivi impers. *Cic. Fam.* 1, 7. Si cecidisset ut volumus et optamus, omnes te et sapienter, et fortiter; sin aliquid esset offensum eosdem illos et cupide et temere fecisse, dicturos. *Caes. B. C.* 3, 72. Quoties vel culpa ducis vel tribuni vitio in exercitu esset offensum. ℙ *Cadere in arrogantiam, verfallen in*, ap. *Cic. Inv.* 2, 2. Quod si in ceteris quoque studiis a multis eligere homines commodissimum quodque, quam sese uni alicui certo vellent addicere, minus in arrogantiam offenderent: ubi tamen alii, etiam *Orell.*, qui tamen vulgatam non improbat, legunt *arrogantia*. ℙ Signif. *offendo* etiam pecco, erro, vitium committo, ut nostr. *in Etwas verstossen, anstossen*. *Cic. Cluent.* 36. Quod in eodem genere, in quo ipsi offendissent, alios reprehendissent. *Id. Fam.* 2, 18. *f.* Qui si dignum se majoribus suis praebuerit, tua laus ex aliqua parte fuerit: sin quid offenderit, sibi totum, tibi nihil offenderit. ℙ Item offensione incurrere, in odium incidere: *bei Einem anstossen, verstossen, Anstoss geben*. *Cic. Att.* 10, 4. *med.* Caesarem perturbatum, quod intelligeret, se apud ipsam plebem offendisse de aerario. *Nep. Phoc.* 2. Neque in eo solum offenderat, quod patriae male consuluerat, sed etiam quod amicitiae fidem non praestiterat. *Papin. Dig.* 22, 1, 1. Arbitrio judicis usurarum modus ex more regionis constituitur, ita tamen, ut legi non offendat. Ita *Torrent.*, alii *legem*. *Liv.* 2, 2. Quum nihil aliud offenderit, i. e. invisum esset, nostr. *anstössig seyn*. *Baucrus* ad h. l. p. 86. leg. *offenderet*. ℙ Item quasi impingere, incurrere in aliquid, quod displiceat; hinc aversari, molestiam capere, nostr. *Anstoss finden, nehmen*. *Caes. B. C.* 2, 32. *med.* At credo, si Caesarem probatis, in me offenditis. *Luccej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. *extr.* Ex quibus aut in altera mihi velim, si potes, obtemperes, aut in altera non offendas. *Gell.* 9, 15. Iuvenis promptus, et proficiens, et offendens jam in eo, quod ille periculum sui facere audebat. *Cic. Mil.* 36. Si in me aliquid offendistis, cur non id meo capite potius luitur, quam Milonis? et *Verr.* 2, 1, 25. Hospes Janitor, qui nihil suspicaretur, veritus, ne quid in ipso se offenderetur, etc. ita *Orell.* q. v. Alii *offenderit*. ℙ Secundo loco ponitur *offendo* etiam intransitive; item cum notione necopinati, fortuiti, ratione habita modo offendentis, modo ejus, quem offendimus. Et primum quidem est: illido, impingo, injicio, ita ut dolorem, damnum, calamitatem inde capias. *Quint. Inst.* 6, 3. *med.* Offendere caput ad fornicem. *Auct. B. Hisp.* 23. Parumper ingressus pedem offendit: *mais il fit un faux bas et tomba*. *Cic. Cluent.* 62. *f.* latus offendere vehementer. *Col.* 5, 9. *med.* Arando ne coxam bos, aliamve partem corporis offendat. ℙ Allegorice. *Cic. Rosc. Am.* 29. ubi scopulum offendis ejusmodi, ut, etc. ℙ Tunc usurpatur, ut nostrum *auf Einen stossen, treffen*, pro invenire, reperire, quasi in rem incidendo. Differt *deprehendo* in eo, quod, ut nostr. *erwischen*, vel *ertappen*, non solum utilitatem offendentis, sed magis etiam perniciem comprehensi spectat. V. *Doederl.* 3, 142. *Cic. Fam.* 2, 3. Quid sentiam, aut scribam ad te postea pluribus, aut ne ad ea meditere, imparatum te offendam, h. e. adibo, superveniam. *Id. ib.* 1, 9. *med.* Non offendes eundem bonorum sensum, Lentule, quem reliquisti. *Pl. Ps.* 1, 2, 30. Haec, cum a foro revertar, facite, ut offendam parata. *Ter. Eun.* 4, 4, 5. paululum si cessassem, Domi non offendissem; et 5, 9, 34. Si te in platea offendero hac post unquam, periisti. *Phorm.* 5, 1, 31. offendi adveniens, Quicun volebam, atque ut volebam, collocatam filiam. *Nep. Ag.* 2. Quo factum est, ut omnes imparatos imprudentesque offenderet. *Plin.* 13, 13, 27. Cn. Terentium, agrum suum repastinantem, offendisse arcam, in qua, etc. ℙ Deinde dicitur pro tango, attingo, afficio. *Pl. Curc.* 2, 3, 2. abite et de via secedite, Ne quem in cursu capite, aut cubito, aut pectore offendam, aut genu. *Id. Poen.* 2, 37. quemque visco offenderant, Tam crebri ad terram accidebant, quam pira. ℙ Hinc saepe est injuriam facere, laedere, offensionem afferre, Gr. ἀνιᾶν. *Cic. Fam.* 3, 8. Me exquisisse aliquid, in quo te offenderem; et *ib.* Hi sermones tuam aestimationem non offendunt. *Id. Balb.* 26. Neminem unquam non re, non verbo, non vultu denique offendit. *Id. Att.* 6, 3. Contumelia aliquem offendere; et *Fam.* 1, 7. *med.* Eos non tam constantia in republ. nostra delectat, quam splendor offendit. — Etiam de rebus, quae minus conveniunt, eoque molestiam creant. Ita *Plin.* 26, 8, 37. Polypodion offendit stomachum. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 18. ne colorum claritas aciem oculorum offenderet. ℙ Offendi, i. q. aegre ferre aliquid, Gr. ἀνιᾶσθαι. *Cic. Fam.* 1, 9. Multis rebus meus offendebatur animus. *Phaedr.* 4, 10. Ista munera sunt mihi invisa, ut non offendar subripi. *Cic. Att.* 4, 15. Verita est enim pusilla, quae nunc laborat, ne animi in Publio offenderer. Al. leg. *ne aliquid in P. offenderem*. *Orell.* vehementer dubitans, *ne animi in Publio offenderer*, an satis latine dicatur, leg. ne animum in Publio offenderem. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 4. *extr.* Si quis est, in quo jam offenderis, de quo aliquid senseris; huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuae commiseris. *Id. Caec. f.* Si quid in contraria parte in homine offendendum sit, etc. *Suet. Aug.* 89. *extr.* Componi aliquid de se, nisi et serio, et a praestantissimis, offendebatur: Gr. σκανδαλίζεσθαι. ℙ *Offendere* interdum minus est, quam laedere, ut in illo *Sen. Ira* 3, 8. *med.* Quid quod pleraque eorum, propter quae irascimur, offendunt nos magis, quam laedunt? i. e. dolorem afferunt, non injuriam. V. *Doederl.* 3, 139.]

OFFENSA, ae, f. offensio, offensatio. [*V. de notatione hujus v. in *offensio*.] *Plin.* 34, 10, 22. Lapidem exustum aqua macerat, iterumque terit quod subsidit, donec cerussae similis fiat, nulla dentium offensa, *h. e.* ut dentes nihil durum ac resistens inveniant. *Id.* 35, 15, 52. Aluminis liquidi probatio, ut sit limpidum lacteumque sine offensa fricantium. ℙ Translate est id, quo aliquis offenditur, et alienus atque inimicus fit, offensio, invidia, simultas, inimicitia. *Cic. Att.* 9, 2. Magna in offensa sum apud Pompejum. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 16. Offensam subire. *Suet. Vesp.* 4. gravissimam contrahere: [*nos: *in Ungnade fallen*.] *Petr. Sat.* 87. Offensa omni deposita, redire in gratiam cum aliquo. *Just.* 5, 4. Sic Alcibiades nunquam mediocribus, nec in offensa, nec in favore, studiis suorum exceptus est. *Plin. Pan.* 18. Offensae, gratiaeque pariter securi instant operibus, adsunt exercitationibus. *Quint.* 4, 2. *med.* Verum haec omittamus, ne minus gratiae praecipiendo recta, quam offensae reprehendendo prava mereamur. *Id.* 9, 2. *med.* Vitare offensam; et *ib. paulo post:* Haec res habet offensam, *h. e.* invidiam. *Front. Aquaed.* 130. Officii fidem etiam per offensas tueri praestat. Adde 76. ℙ Item injuria accepta. *Vell.* 2, 29. Amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconcilianda gratia fidelissimus. *Ov. Trist.* 3, 8, 40. offensas vindicet ense suas. ℙ Item laesio, noxa, incommodum. *Petr. Sat.* 131. Postero die cum sine offensa corporis animique consurrexissem. *Cels.* 1, 6. Si quid offensae in coena sensit, vomere debet. *Sen. ep.* 7. Quod aegris evenit, quos longa imbecillitas usque eo affecit, ut nunquam sine offensa proferantur. *Id. Tranqu.* 2. Qui ex longa et gravi valetudine expliciti, motiunculis, levibusque interim offensis perstringuntur. *Colum.* 12, 21. *extr.* Ut exploratum habeat, quantum plurimum salsae aquae vinum sine offensa gustus pati possit. *Pall.* 4, 12. Ut ante stabulum loca nullis concludantur angustiis, et producti boves non aliqua vitientur offensa. ℙ Videtur etiam active usurpari de injuria, quae alteri fit. *Petr. Sat.* 87. Cum ob hanc offensam praeclussissem mihi aditum.

OFFENSĀCŬLUM, i, n. πρόσκομμα, id quod ponitur, ut aliquis in ipsum incidat, offendiculum. *Appul. Met.* 9. Crebris offensaculis, et assiduis lapsibus contusa crura. *Lactant. Op. D.* 1. Adversarius noster offensacula pedibus latenter opponit. *Prud. Apotheos.* 45. Lapis ecce nostro fixus offensaculo est, Impingat in quem vanitas.

OFFENSĀTĬO, onis, f. πρόσκοψις, actus offensandi, seu incidendi in aliquid, offensio, lapsus. *Plin.* 28, 16, 72. Perniones sanat apri pulmo impositus, etsi subtriti sint, contusive offensatione. *Quint.* 11, 3. *med.* Jactantur et humeri: quod vitium Demosthenes ita dicitur emendasse, ut cum in angusto quodam pulpito stans diceret, hasta humero dependens immineret, ut si calore dicendi vitare id excidisset, offensatione illa commoneretur. ℙ *Offensatio memoriae*, cum saepe in recitando memoria haeret, et quasi offensans subsistit. *Sen. Ben.* 5, 25. Ut magistri puerorum discentium, debemus patienter ferre offensationes memoriae labentis.

OFFENSĀTOR, oris, m. qui saepe offendit, seu in aliquid incurrit. *Quint.* 10, 3. Ille qui excipit, si tardior in scribendo, aut inertior in legendo, velut offensator fuerit.

OFFENSĪBĬLIS, e, adj. qui offendere, h. e. incidere, et impingere potest. *Lactant.* 4, 26. Is vere claudus existimandus est, qui offensibilibus et caducis gressibus per viam mortis incedit. Al. leg. *offensilibus*.

OFFENSĪLIS. V. v. praec.

OFFENSĬO, onis, f. πρόσκοψις, actus offendendi, h. e. incidendi in aliquid, et impingendi, incursus in aliquam rem. [*At notandum: *offensio* et, argenteae aetatis scriptoribus usitatior vox, *offensa*, nunquam activa significatione, sed passiva semper sive neutr. intelligi debet. V. *Doederl.* 3, 140.] *Cic. Div.* 2, 40. Pedis offensio nobis, et abruptio corrigiae, et sternutamenta erunt observanda. (Adde *Plin.* 2, 7, 5.) *Id. Univ.* 6. Mundum ita tornavit, ut nihil effici possit rotundius, nihil ut asperitatis haberet, nihil offensionis, *h. e.* nihil, quo offendere, et subsistere tactus possit. ℙ Item laesio, noxa, incommodum. *Cic. Fam.* 16, 10. Graves solent offensiones esse ex gravibus morbis, si qua culpa commissa est. *Id. Tusc.* 4, 14. Animi valentes morbo tentari non possunt, corpora possunt: sed corporum offensiones sine culpa accidere possunt, animorum non item. ℙ Item calamitas, infortunium. *Cic. Manil.* 10. Cujus adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis praeceptis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis est erudita. *Id. Off.* 1, 21. Sed videntur labores et molestias tum offensionum, tum repulsarum, quasi quandam ignominiam timere, et infamiam. ℙ Translate significat aversum animum, simultatem, inimicitiam, invidiam, odium; et est ejus, qui offenditur: cui opponitur gratia, benevolentia, favor. *Cic. Mur.* 20. Sapiens praetor offensionem vitat aequalitate decernendi, benevolentiam adjungit lenitate audiendi. *Id. Verr.* 2, 2, 55. Suscipere invidiam atque offensionem apud aliquem; et *ib.* 12. In odium offensionemque alicujus incurrere; et *N. D.* 1, 30. *f.* cadere. *Id. Inv.* 1, 21. Offensionem excipere, (*h. e.* subire, quod *Plin.* 35, 4, 7. dixit); et *ib.* lenire; et *in Sen.* 8. oblitterare memoria beneficii. *Id. Verr.* 2, 1, 40. vitare atque effugere. *Id. Att.* 1, 17. accipere, et deponere; et *ib.* afferre. *Tac. A.* 2, 57. Offensiones accendere. *Cic. Inv.* 1, 53. Indignatio est oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem gravis offensio concitetur. *Id. Att.* 13, 23. Mihi majori offensioni sunt, quam delectationi possessiunculae meae, *h. e.* molestiae. *Id. Tusc.* 4, 10. Habere ad res aliquas offensionem atque fastidium, *h. e.* aversari et fastidire. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 1. Hoc apud alios gratiam, apud alios offensionem habet, *h. e.* aliis placet, displicet aliis.

OFFENSĬUNCŬLĂ, ae, f. levis offensio. *Cic. Fam.* 13, 1. Velim, si qua offensiuncula facta est animi tui perversitate aliquorum, des te ad lenitatem; et *Planc.* 21. Vidit, M. Pisonem, in ista aedilitate offensiuncula accepta, summos a populo R. esse honores adeptum.

OFFENSO, as, avi, atum, a. 1. frequent. ab *offendo*, h. e. incurro, impingo. *Lucr.* 2, 1057. Sponte sua offensando semina rerum, etc. *h. e.* occursando, et unum in alterum impingendo, et incurrendo. *Id.* 6, 1051. Cogitur offensare igitur pulsareque fluctu Aerea texta suo. ℙ *Offensare caput*, ad parietem, aut aliud quippiam allidere, quod in desperatione rerum fieri solet. *Liv.* 25, 37. Flere omnes repente, et offensare capita. ℙ Translate. *Quint.* 10, 7. *med.* Si non intersistentes offensantesque brevia illa atque concisa singultantium modo ejecturi simus, *h. e.* saepe haerentes in dicendo, ut qui ambulando impingunt in aliquid.

OFFENSOR, oris, m. qui offendit, h. e. laedit.

Arnob. 7, 216. Iras atque animos ponant, et in gratiam suis cum offensoribus redeant.

OFFENSUS, a, um, part. ab *offendo*: qui offendit, h. e. incurrit, impingit. *Ov. Fast.* 2, 720. et *Met.* 10, 452. Ter pedis offensi signo est revocata. *Mart.* 8, 75. Expulit offenso vitiatum pollice talum. *Liv.* 8, 6. Capite graviter offenso impactus imo ita est saxo, ut sopiretur. ℙ Item ea ipsa res, in quam offendimus, *offensa* dicitur, h. e. currendo icta et percussa. *Ov. Her.* 13, 87. Cum foribus velles ad Trojam exire paternis, Pes tuus offenso limine signa dedit. *Liv.* 7, 36. Superscandens vigilum strata somno corpora miles, offenso scuto praebuit sonitum. *Plin.* 11, 24, 28. de tela aranei: Atque ut in plagis lineae offensae praecipitant in sinum. *Mart.* 8, 33. Crassior offensae bulla tumescit aquae. *Stat. Th.* 7, 18. tot instant Plausibus, offensique sedent ad justa sepulcri, *h. e.* morantur in celebrandis justis funeris, in quod in itinere casu inciderunt. ℙ Item laesus. *Cels.* 1, 9. Quoties offensum corpus est, vitiosa pars maxime sentit. *Cic. Att.* 6, 3. Cumulate publicanis satisfactum, offensus contumelia nemo, decreto justo et severo perpauci. *Mart.* 12, 57. Quies nullis offensa linguis. ℙ Refertur ad animum, et est qui offensionem incurrit, invidia laborans, invisus. *Cic. Verr.* 2, 3, 62. et *Cluent.* 58. O miserum atque invidiosum offensumque paucorum culpa atque indignitate ordinem senatorium! *Id. Sext.* 58. *extr.* Offensum et invisum esse alicui. ℙ Item qui laesus est, et propterea alienatus, iratus, infensus, inimicus. *Hirt. B. Alex.* 32. Offensos iratosque animos regum precari. *Cic. Att.* 1, 17. *med.* Alienatus et offensus animus; et *Tusc.* 5, 37. Aliena et offensa populi voluntas. *Nep. Dion.* 7. Offensa in eum militum voluntate. *Cic. Att.* 1, 5. et *Cluent.* 62. Quem cum esse offensiorem arbitrarer, eas litteras ad eum misi, quibus et placarem, etc. *Suet. Ner.* 2. Pontificibus offensior, quod alium, quam se, in patris sui locum cooptassent. *Just.* 1, 9. Offensus superstitionibus Aegyptiorum, Apis ceterorumque Deorum aedes dirui jubet. *Id.* 22, 4. Cum a sociis crudelitate ejus offensis desertus esset. ℙ Active de eo, qui laedit. *Cic. Inv.* 1, 48. In ipso *(genere argumentationis)* vitium erit, si falsum sit, si leve, si turpe, si offensum, si contrarium, etc.; et *ib.* 49. *extr.* Offensum est, quod eorum, qui audiunt, voluntatem laedit, ut si quis apud equites R. cupidos judicandi Caepionis legem judiciariam laudet. ℙ *In illo *Nep. Cim.* 4. *offensum fortuna* de infelice accipit *Schellerus*, vulgarem secutus interpretationem. *Heusingerus* explicat *casu obvium*, *fortuitu oblatum*, probante *Ruhnkenio. B. A.*

OFFENSUS, us, m. *ἀντίκοπή. Lucr.* 4, 359. Cogit hebescere cum crebris offensibus aer, *h. e.* crebro incursu, seu occursatione. *Id.* 6, 332. eod. sensu. Non igitur multis offensibus in remorando Haesitat. *Stat. Th.* 12, 283. Sola per offensus armorum, et lubrica tabo Gramina, etc. *Sen. ep.* 107. Per ejusmodi offensus emetiendum] est confragosum hoc iter. Al. leg. *offensas. Tert. adv. Marc.* 4, 39. Lapides sancti oppositi omnium offensui.

OFFĔRENTĬA, ae, f. verbale ab *offero. Tert. adv. Marc.* 24. Considera causarum offerentiam, *h. e.* causas, quae sese offerunt.

OFFĔRO, fers, obtuli, oblatum, a. anom. *προσφέρω*, ante aliquem fero, praesentem sisto, exhibeo, ab *ob*, et *fero. Ter. Ad.* 3, 2, 24. et *Hec.* 5, 3, 10. Oppido opportune te obtulisti mihi obviam. *Cic. Att.* 3, 10. Ne quem ille florentissimum reliquerat, perditum illi afflictumque offerrem; et *ib.* 2, 22. Quod sors obtulerit, id acturus videtur. ℙ Ponitur et pro praebere, tradere, deferre, ultro dare. *Phaedr.* 2, 1. Attende cur negare cupidis debeas, Modestis etiam offerre quod non petierint. *Caes. B. G.* 6, 41. Optatissimum Ambiorigi beneficium obtulerant. *Ter. Ad.* 5, 9, 21. Dii tibi semper omnia optata offerant. *Hor. Od.* 3, 16, 43. bene est cui Deus obtulit Parca quod satis est manu. ℙ Item afferre. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 339. Ut nunc hac re mihi opem et auxilium offeras. *Cic. Verr.* 2, 4, 49. Multis in difficillimis rebus praesens auxilium ejus *(numinis)* oblatum est. *Ter. Hec.* 5, 3, 18. Quantam obtuli adventu meo laetitiam Pamphilo hodie! *Catull.* 64, 247. Theseus qualem Minoidi luctum Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Homines ipsi hanc sibi molestiam ultro, atque aerumnam offerunt: ducunt uxorem. ℙ Item pro exhibere, polliceri. *Liv.* 40, 23. In omnia ultro suam offerens operam. ℙ Item pro inferre. *Ter. Hec.* 5, 1, 14. Offerre immerenti injuriam; et 3, 3, 23. vitium virgini. *Cic. Phil.* 2, 38. stuprum alicui. *Id. Sext.* 21. *extr.* mortem hostibus; et *Rosc. Am.* 13. mortem parenti. ℙ Et pro opponere. *Virg. A.* 6, 291. strictamque aciem venientibus offert. ℙ Et pro injicere. *Cic. Fam.* 10, 12. Recitatis litteris, oblata religio Cornuto est pullariorum admonitu; et *ib.* 13, 1. *med.* Neque multi sunt, et diffugiunt qui sunt, metu oblato. ℙ Aliquando pro opponere. *Cic. ad Brut.* 1, 15. *med.* Romam ut veni, statim me obtuli Antonii sceleri atque dementiae. *Pl. Poen.* 1, 3, 17. et 4, 2, 30. Moram offerre alicui. ℙ Et pro exponere. *Cic. Off.* 1, 24. Ne offeramus nos periculis sine causa. *Id. Sext.* 28. *med.* Vitam suam offerre in discrimen. *Id. Tusc.* 1, 15. se ad mortem pro patria. *Id. Mil.* 34. *extr.* et *Caes. B. G.* 7, 77. ultro se morti pro aliquo. ℙ Et pro objicere. *Cic. Amic.* 18. Ut ne criminibus aut inferendis delectetur, aut credat oblatis. ℙ Et pro immittere. *Id. Dom.* 24. Domus ardebat non fortuito, sed oblato incendio. ℙ Pro donare, dicare, consecrare Deo, vel Ecclesiae, Christiani saepe usurpant. *Prud. Cath.* 5, 150. et *περὶ στεφ.* 2, 75. ℙ Offerre sacrificium, *Sulpic. Sever. dial.* 2, 2. h. e. Missam agere.

[OFFERTOR, oris, m. oblator. *Commod. Instruct.* 39. de Abele: In fratris exitio offertor mactatus a fratre. *F.*]

[OFFERTORĬUM, ii, n. locus, in quo sacrificia offeruntur. *Isid. Orig.* 6, 19. Offertorum tali ex causa sumpsit vocabulum. Fertum enim dicitur oblatio, quae altari offertur, et sacrificatur a pontificibus, a quo offertorium nominatur, quasi propter fertum. *F.*]

OFFERTUS. V. EFFERTUS.

OFFĔRŪMENTĂ, ae, f. plaga, et vibex oblata, impressaque tergo: metaphorice ab offerumento, quod dicitur de donariis, quae in templorum parietibus haerent. *Pl. Rud.* 3, 4, 48. Nisi offerumentas habebis plures in tergo tuo, Quam ulla navis longa clavos; tum ego ero mendacissimus.

OFFĔRŪMENTĂ, orum, n. plur. *ἀναθήματα*, donaria, quae Diis offeruntur. *Festus.*

*OFFEX, icis, m. *Gloss. Isid.* Impeditor, qui officit. *B. A.*

OFFĬCĬĀLIS, e, adj. *τὸ περὶ καθήκοντος*, ad officium pertinens, vel de officio tractans. *Ulp. Dig.* 38, 1, 6. Fabriles operae ad heredes transeunt, officiales non transeunt, *h. e.* quae in officii et obsequii praestatione consistunt. *Id. ib.* 12, 6, 26. *med.* Si libertus operas patrono exhibuit non officiales, sed fabriles. *Lact.* 6, 11. et 18. *med.* M. Tullius in suis officialibus libris hoc idem suadet. ℙ Absolute est minister magistratus. *Appul. Met.* 1. Aedilis jubet officialem suum insuper pisces inscendere, et pedibus suis totos obterere. *Inscr.* ap. *Grut.* 422, 7. L. Julio L. F. Pal. Juliano pro pr. provinciae Aquitaniae, consuli, officiales ejus provinciae Aquitaniae optimo praesidi. *Ulp. Dig.* 36, 4, 5. *f.* Aut per viatorem, aut per officialem praefecti introducendus est in possessionem. *Tert. adv. Marc.* 1, 25. *f.* Aemulationi occurrant necesse est officiales suae, ira, discordia, odium, etc.

OFFĬCĪNĂ, ae, f. [*fortasse contractum ex *opificina*, signif. locum, in quo artifices opera faciunt, *ἐργαστήριον*. Perperam *Noster* hanc vocis notionem secundo loco posuerat.] Differt ab apotheca, in qua res conditae asservantur: et a taberna, in qua venales prostant. *Cic. Off.* 1, 42. Opifices omnes in sordida arte versantur, nec enim quidquam ingenuum potest habere officina. *Nep. Ag.* 3. Officinis armorum institutis, magna industria bellum apparavit. Adde *Caes. B. C.* 1, 34. *Hor. Od.* 1, 4, 7. dum graves Cyclopum Vulcanus ardens urit officinas. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 12. Apelles Alexandro in officina imperite multa disserenti silentium comiter suadebat. *Id.* 16, 6, 8. Officinae aerariorum. *Id.* 9, 38, 62. tingentium. *Id.* 36, 22, 47. tonstrinarum; et 35, 11, 40. *n.* 39. fullonum; et *ib.* 12, 45. plastarum; et 18, 10, 19. *n.* 2. aerariae et chartariae. *Colum.* 8, 17. cetariorum, *h. e.* in quibus piscium salsamenta fiunt. ℙ Videtur dici etiam de taberna. *Suet. Gr.* 23. Cum officinas promercalium vestium exerceret. ℙ *Colum.* 8, 3, 4. et 5. officinam vocat ornithonen, seu gallinarium in villa; quia ibi gallinae ova pariunt. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 2, 14. Cujus domus quaestuosissima est falsorum commentariorum, et chirographorum officina. *Id. Rosc. Am.* 46. Officina nequitiae, et diversorium flagitiorum omnium. *Liv.* 39, 8. *f.* Falsi testes, falsa signa, testimoniaque ex eadem officina exibant. *Cic. Brut.* 8. Isocratis domus cunctae Graeciae quasi ludus quidam et officina dicendi. *Id. Leg.* 1, 13. Philosophi, qui quasi officinam instruxerunt sapientiae. *Plin.* 11, 37, 72. Pulmo spirandi officina, attrahens ac reddens animam. ℙ [*Signif. etiam operae praestationem alicui adhibitam in opere aliquo faciendo, Gr. *ἀποτέλεσμός*. *Plin.* 11, 2, 1. In magnis corporibus facilis officina, sequaci materia fuit: in his (insectis) tam parvis quae ratio, quanta vis, quam inextricabilis perfectio. Primo loco *Forc.* hanc significationem posuerat.]

OFFĬCĪNĀTOR, oris, m. *δημιουργός*, officinam exercens, in officina laborans, artifex, faber. *Vitr.* 6, 11. *f.* Cum magnificenter opus perfectum aspicietur, ab omni potestate impensae laudabuntur: cum subtiliter, officinatoris probabitur exactio, *h. e.* fabri diligentia in exstruendo. *Appul. Met.* 9. Forensi negotio officinator noster attentus ferias nobis fecit. *Inscr.* ap. *Grut.* 74, 1. Officinatores monetae aurariae Caesaris, Felix lib. optio, et exactor aurei, argenti, aeris, etc. Adde 1066, 5.

[OFFĬCĪNATRIX, icis, f. quae officinam exercet. *Inscr.* ap. *Zaccaria*, *Stor. lett. d' Ital.* T. 9. p. 494. Junia Crocale officinatrix. *F.*]

OFFĬCĬO, is, eci, ectum, a. 3. [*ex *ob* et *facio*. Proprie significat facio aliquid ad vel apud aliquam rem, efficio, i. e. augendo adjicio. Firmat hanc vocis significationem insignis locus Lucretii 5, 887. Post, ubi equum validae vireis, aetate senecta, Membraque deficiunt, fugienti languida vita; Tum demum, puerili aevo florente, juventas Officit, et molli vestit lanugine malas: ubi oppositum *deficiunt* aperte satis declarat, esse v. *officiendi* cum notione crescendi, augendi positum: respondet quodammodo nostrum *ansetzen*. Unde apparet non ab omni parte verum esse, quod *Furnal.* visum esset, *officere* in malam semper partem esse accipiendum. ℙ Hinc demum orta videtur notio obstruendi, et impedimentis cujuscunque generis obstruendi, quoniam exstruendo, aedificando liberum antea spatium coercetur, coarctatur, contrahitur: *verbauen*, *verlegen*, *versperren*. *Cic. Rab. Post.* 16. Officere luminibus: *Einem das Licht verbauen*. V. LUMEN. *Id. Off.* 3, 16. Demoliri aedes, quarum altitudo officeret auspiciis. *Sall. Jug.* 62. *f.* Cum alii in angustiis ipsi sibi officerent. *Id. ib.* 56. Aciem, quo hostium itineri officeret, latius porrigit. *Cic. Tusc.* 5, 32. Diogenes Alexandro roganti, ut diceret, si quid opus esset; Nunc quidem paululum, inquit, a sole: offecerat videlicet apricanti, i. e. offecerat se, seu corpus suum: ita Noster. *Id. N. D.* 2, 19. Umbra terrae soli officiens noctem efficit. — Huc pertinet etiam illud ap. *Auct. B. Afr.* 61. Caesar adversariorum excursionibus iter officere non intermittit: ubi *Davis.* et *Oudend. ita* leg. jusserunt. Sed firmatur *iter*, quod quidem poetarum dicendi modo convenientius, duplici loco *Lucretii* 2, 154. Corpuscula inter se retrahuntur, et extra Officiuntur, uti cogantur tardius ire, i. e. coercentur, impediuntur oppositis impedimentis: cf. 4, 767. ℙ Tum in universum est obstare, adversari, impedire, etiam periculum, noxam afferre. *Cic. Rosc. Am.* 2. Ei pecuniae vita Sex. Roscii obstare atque officere videtur; et *ib.* 38. *f.* Cur te mihi offers, ac meis commodis, officio simulato, officis et obstas? *Lucr.* 1, 915. prohibere et officere, quominus, etc. *Sall. Cat.* 28. *extr.* consiliis alicujus; et *ib.* 58, 2. Timor animi auribus officit, i. e. impedit, quominus vel audiantur, vel vim persuadendi habeant hortamina. V. *Kritz. Liv.* 2, 2. libertati. *Id. praef. l.* 1. nomini, h. e. famae. *Plin. ep.* 6, 29. Nec vero Isocrati, quominus haberetur summus orator, offecit, quod infirmitate vocis impediebatur. *Plin. alter* 20, 7, 26. Lactucae officiunt claritati oculorum. *Virg. G.* 1, 69. officiunt laetis frugibus herbae.]

OFFĬCĬOSĒ, adv. *ἐπιμελῶς*, cum officio. *Cic. Amic.* 20. Quod officiose, amice, et cum labore aliquo suo factum queant dicere. *Id. Att.* 6, 1. *f.* Officiosius fecit, quod, etc. *Plin. ep.* 10, 32. Officiosissime venit ad me.

OFFĬCĬOSĬTAS, atis, f. *Sidon. carm.* 23, 478. Seu nos eximii simul tenebat Nectens officiositas Marini.

OFFĬCĬOSUS, a, um, adj. *θεραπευτικὸς*, qui libenter, vel probe officium, seu beneficium alicui exhibet, sive qui obsequi alteri multum studet. *Cic. Fam.* 13, 21. *extr.* Hominem pudentem, et officiosum cognosces. *Id. Planc.* 19. Officiosa amicitia. *Id. Pis.* 23. Officiosissima natio candidatorum. *Hor. Ep.* 1, 7, 8. sedulitas. *Ov. Pont.* 3, 2, 17. voluntas; et *ib.* 4, 2, 5. Orba tamen numeris cessavit epistola nunquam Ire per alternas officiosa vices. *Id. Trist.* 4, 7, 3. Tempore tam longo cur non tua dextera versus Quamlibet in paucos officiosa fuit? *Cic. Rosc. Com.* 6. *med.* Estne quisquam, qui tibi purior, pudentior, humanior, officiosior, liberaliorque videatur? et *Verr.* 2, 1, 24. Homines Lampsaceni summe in omnes cives R. officiosi. ℙ Aliquando *officiosi* per jocum dicti sunt impudici, et obsceni, in rebus turpibus facile obsequentes. *Sen. Excerpt. controv. praef.* 4. *f.* V. OFFICIUM. ℙ *Officiosus dolor* ap. *Cic. Tusc.* 3, 28. *f.* est qui recte et ratione suscipitur, et justam causam habet, ita ut ad officium pertineat dolere, ut si quis doleat, quod sapiens non sit. [*Huc pertinent etiam ista, quae Noster §. 1. adscripserat. *Cic. Mil.* 5. officiosi labores. *Sen. ep.* 99. officiosa pietas.] ℙ *Officiosus* absolute, servus, qui in balineis vestimenta lavantium servat. *Petr. Sat.* 92. At ego ne mea quidem vestimenta ab officioso recepissem, nisi notorem dedissem. Al. aliter leg. [ℙ *Officiosa* est cogn. R. *Inscr.* ap. *Malvas. Marm. Fels.* p. 57. Fullonia Sal. L. Officiosa. *F.*]

OFFĬCĬPERDĂ, ae, m. et Officiperdus, i, m. qui officium, seu beneficium perdit, dum gratiam

non reddit. *Cato distich.* 3, 87, 43. Gratior officiis, quo sis mage carior, esto, Ne nomen subeas, quod dicitur officiperdae. ℙ Alio sensu in *Gloss. Isid.* Officiperdi, qui sui laboris non habent remunerationem. Catoni quoque dicuntur officiperdi. Haec *Isid.* qui allatos *Catonis* versus respicere videtur. Sed uterque locus parum habet auctoritatis in lingua Latina. De distichis *Catonis* multa *Fabr.* in *Biblioth. Lat. sect.* 4, 1, 8.

OFFĬCĬUM, ii, n. τὸ καθῆκον, quod quisque efficere debet, observata locorum, temporum, et personarum ratione: congruus actus uniuscujusque personae, id, in quod quisque debet incumbere, ut ipsum pro loci, temporis et personae qualitate reddat effectum. Unde in familia bene instituta dicimus, omnes in officio esse oportere, idest agere quae debent: est [*aut pro opificium, aut] a verbo *officio*, quod vide. Observandum porro est, verbum *officio* in malam partem, nomen vero *officium* inde derivatum in bonam semper accipi. [*Quam vere haec dicta sint, vidimus in *officio*. De signif. vocis *officii* disputat etiam *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 5, 27.] *Cic. Fin.* 3, 27. Est autem officium, quod ita factum est, ut ejus probabilis ratio reddi possit; et *infra:* Quod autem ratione actum sit, id officium appellamus. *Id. Fam.* 14, 1. *f.* Si erunt in officio amici, pecunia non deerit. ℙ Officium duplex est, καθῆκον μέσον, idest officium medium, seu commune, inchoatum, et κατόρθωμα, idest officium rectum, seu perfectum. *Cic. Off.* 1, 3. [*Locos Ciceronis, in quibus de officii ratione qualicunque agitur, v. in *Beieri* indicibus ad *Cic. Off.* et *Or. fragm.*] ℙ Elegantissimae sunt hujus vocis locutiones. *Liv.* 8, 19. *f.* Esse in officio. *Ter. Ad.* 1, 1, 44. Officium suum facere. *Nep. Milt.* 7. et *Cim.* 2. Redire ad officium. *Cic. Fam.* 15, 20. Esse frequenter in officio, *h. e.* saepe in officio suo adimplendo versari. *Id. ib.* 5, 17. Omnia officia amicitiae diligenter sancteque servare. *Id. Att.* 3, 15. Exsequi officia. *Id. Fam.* 3, 8. Fungi officio (quod *Ter. Heaut.* 3, 3, 19. fungi officium dixit.) *Id. Div. Verr.* 14. Satisfacere officio. *Plin. ep.* 10, 56. Implere officii sui partes. *Cic. Att.* 1, 3. Manere in officio. *Pl. Trin.* 3, 2, 71. Meminisse officium suum. Contra *Cic. Off.* 1, 9. Officium suum deserere; et 10. Discedere ab officio; et *Fam.* 7, 3. Deese officio suo. *Id. Sull.* 20. Vir singulari officio in rempubl., *h. e.* qui de republ. optime est meritus. *Id. Verr.* 2, 1, 51. Summo officio praeditus homo, *h. e.* qui omnino id, quod decet, strenue facit. *Suet. Tib.* 11. Officii duxit, exorare patrem. *Cic. Or.* 1, 31. Oratoris officium est, dicere ad persuadendum accommodate. ℙ In re obscena *officium* est turpe obsequium, et tum active, tum passive accipitur. Active *officium virile* dixit *Theod. Prisc.* 2, 11. Adde *Prop.* 2, 18, 24. et *Ov. Amor.* 3, 7, 24. Passive de feminis *Petr. Sat.* 140.; de pueris *officium puerile* vocat *Pl. Cist.* 4, 1, 5. Adde *Sen. Excerpt. controv. praef.* 4. *f.* ℙ Ex officio. *Ulp. Dig.* 21, 1, 31. *med.* Id in tutore et curatore dicendum erit, ceterisque, qui ex officio pro aliis interveniunt. ℙ *Suprema officia*, h. e. funera. *Tac. A.* 5, 2. Quod supremis in matrem officiis defuisset. ℙ *Officium* etiam dicitur, cum quis honoris causa alteri adest. *Juven.* 2, 134. Quae causa officii? quid quaeris? nubit amicus. *Plin. ep.* 1, 9. Officio togae virilis interfui. *Suet. Claud.* 26. *extr.* Celebrare officium nuptiarum alicujus. ℙ Et quoniam proprium hominis officium est, alteri pro viribus prodesse, et omnibus gratificari, et benefacere, factum est, ut *officium* accipiatur pro beneficio. *Cic. Amic.* 20. Odiosum sane genus hominum officia exprobrantium. *Colum.* 2, 15. Licet filicem sine injuria vicini, etiam cum officio decidere. ℙ Magistratus quoque *officium* dicitur, quia jus, quod cuique debetur, reddit, vel quia populo opem fert, vel quia honoris gratia institutus est. *Suet. Vesp.* 21. Deinde perlectis epistolis, officiorumque omnium breviariis. *Plin. Pan.* 91. de praefectura aerarii: Nondum biennium compleveramus in officio laboriosissimo et maximo. Hinc illa *JCtorum*, Cavere apud officium, deponere apud officium, etc. *Paul. Dig.* 2, 4, 17. et *Ulp. ib.* 8, 7. *extr.* ℙ Sumitur etiam pro quovis munere publico. *Caes. B. C.* 3, 5. Praerat Aegyptiis navibus Pompejus, Asiaticis Laelius, Syriacis Cassius, toti tamen officio maritimo Bibulus praepositus cuncta administrabat. ℙ Et pro apparitore, aut officiali. *Hermogen. Dig.* 21, 2, 74. Si jussu judicis rei judicatae pignus, captum per officium distrahatur. *Tertull. Fuga in persecut.* 14. Officia militaria redimere. ℙ *Officium praetoris* est locus, ubi praetor jus dicit, vel comitatus, qui honoris causa praetori adest. *Plin. ep.* 1, 5. Paucos post dies ipse me Regulus convenit in praetoris officio, illuc me persecutus, secretum petit.

OFFĪGO et Obfigo, is, xi, ctum, a. 3. καθηλόω, infigo, configo, figendo firmo. *Cato R. R.* 48. Eam terram tabula aut pedibus complanato, furcas circum offigito. Al. leg. *affigito*. *Pl. Most.* 1, 1, 12. dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit: Sed ea lege, ut offigantur bis pedes, bis brachia. *Inscr.* opt. notae ap. *Grut.* 207, 1. Mutuos robustos projicito extra parietem in utramque partem, insuper simas pictas ferro offigito. *Liv.* 33, 5. *f.* Ita densos offigunt implicantque ramos. Al. leg. *affigunt*. *Appul. Met.* 4. Grandi clavo manum ducis nostri nisu fortissimo ad ostii tabulam offigit.

OFFIRMO, etc. V. OBFIRMO.

OFFLA. V. OFFULA.

OFFLECTO, is, a. 3. ἐπικάμπτω, contra flecto, deflecto. *Pl. Rud.* 4, 3, 74. At ego hinc offlectam navem, ne quo abeas: mane.

OFFOCO, as, a. 1. fauces constringo, suffoco. *Flor.* 2, 11. Cum offocandas invicem fauces praebuissent. Al. leg. *effocandas*. *Tert. Idol.* 24. Quicumque fluctus ejus offocant: omnis vortex ejus ad inferos desorbet. ℙ Dixerunt etiam *offuco*, ab eadem radice. *Paul.* ex *Festo:* Offucare, aquam in fauces ad sorbendum dare.

OFFRĒNĀTUS et Obfrenatus, a, um, part. ab inus. *offreno:* frenatus. Translate. *Pl. Capt.* 3, 5, 96. Absque hoc esset, usque offrenatum suis me ductarent dolis. *Appul. Met.* 6. Cerberum offrenatum unius offulae praeda facile praeteribis. *Id. Apol.* Iuvenis novae nuptae illecebris obfrenatus.

OFFRINGO et Obfringo, is, egi, fractum, a. 3. ἐγκλάω, περικλάω, confringo, perfringo. Offringi terra dicitur, inquit *Paul.* ex *Festo*, cum iterum transverso sulco aratur. *Varr. R. R.* 1, 29. Terram cum primum arant, proscindere appellant; cum iterum, offringere dicunt; et 32. Cum prosciderīs, offringi oportet, id est iterare, ut frangantur glebae. *Colum.* 2, 11. Locum proscindito circa cal. Octobr., deinde cal. Februar. diligenter iterato, et lapides omnes egerito, glebasque offringito.

OFFŪCIA, ae, f. παρείνεσις, idem quod fucus, quo mulieres faciei candorem inducunt, aut ruborem. *Pl. Most.* 1, 3, 107. Non istanc aetatem oportet pigmentum ullum attingere, Neque cerussam, neque melinum, neque aliam ullam offuciam. ℙ Per metaphoram accipitur pro fallacia, vel techna. *Pl. Capt.* 3, 4, 123. Ita mihi stolido sursum vorsum os sublevere offuciis. *Gell.* 14, 1. Id praestigiarum atque offuciarum genus commenti sunt homines aeruscatores, et cibum quaestumque ex mendaciis captantes.

OFFŪCO. V. OFFOCO.

OFFŪDAS, fallacias. *Paul.* ex *Fest.* ubi critici leg. *offucias*.

OFFŪLA, ae, f. ζωμίδιον, parva offa, ofella, frustum carnis: et praecipue suis. *Varr. L. L.* 4, 22. Offula dicta, ut offa minima in sue. *Id. R. R.* 2, 4. *med.* Sus cum esset occisus, dicebat missam esse offulam cum duabus costis, quae penderet tria et viginti pondo. *Colum.* 12, 53. Offulae carnis spisse componuntur, et alternis sal ingeritur. *Suet. Claud.* 40. Cum de laniis, ac vinariis ageretur, exclamavit in curia: rogo vos, quis potest offula vivere? ℙ De aliis cibis. *Appul. Met.* 1. Dum polentae caseatae offulam modico securius grandiorem contruncare gestio. *Pall.* 1, 29. Unius modii triticea farina, in brevissimas offulas redacta, clauso phasiano per triginta dies ministrata sufficiat; et *Veg. Vet.* 4, 18. Offula panis vino infusa faucibus boum inseratur. ℙ *Offia* per syncopen pro *offula*, et translate pro convivio sumitur in servum nequam ap. *Petr. fragm.* 58. *Burm.* Quid faciat crucis offla, corvorum cibaria?

OFFULCĬO, is, lsi, ltum, a. 4. infulcio, inculco. *Appul. Met.* 1. Vulnus, qua maxime patebat, spongia offulciens. *Id. ib.* 4. Multis laciniis offulto vulnere.

OFFULGĔO, es, lsi, n. 2. προσαστράπτω, fulgendo appareo, affulgeo. *Virg. A.* 9, 110. et 731. Continuo nova lux oculis offulsit. *Sil.* 13, 114. Cum subito dextrum offulsit conatibus omen. *Quint. decl.* 9, 7. Inopinata subito amici mei species offulsit; et *decl.* 12, 4. Undecumque offulsit lucrum. His omnib. loc. al. *effulsit*, aut *affulsit* agnoscunt.

OFFULTUS. V. OFFULCIO.

OFFUNDO et Obfundo, dis, udi, usum, a. 3. περιχέω, ἐπιχέω, ante, vel circum fundo, objicio, injicio. *Pl. Asin.* 1, 3, 64. Auceps quando concinnavit aream, offundit cibum. *Cic. Acad.* 4, 25. *f.* Ut piscibus aqua, sic nobis aer crassus offunditur. *Sen. ep.* 11. Rubor gravissimis quoque viris subitus offunditur. *Cic. Fin.* 3, 14. Obscuratur et offunditur luce solis lumen lucernae. *Liv.* 26, 45. Cum altitudo caliginem oculis offudisset. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 1, 3. Mirabile videri, eam nobis probatam esse philosophiam, quae lucem eriperet, et quasi noctem quandam rebus offunderet. *Id. Tusc.* 3, 34. Si quid tenebrarum obfudit exsilium. *Liv.* 28, 29. Offundere omnium rerum terrorem oculis et auribus; et 10, 5. subitum pavorem incompositis; et 34, 6. errorem alicui; et 39, 15. Si omnia nudavero, ne nimium terroris offundam vobis vereor; et *Cic. Marc.* 4. Cum Marcelli lacrimas modo vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria offudit, *h. e.* implevit, et affecit. Ap. *Ascon.* al. leg. *effusa*, et ap. *Cic. effodit:* quae non videntur commodam habere sententiam.

OFFUSCO. V. OBFUSCO.

OFFŪSUS et Obfusus, a, um, part. ab *offundo:* περιχυθείς, ante, vel circum fusus. *Cic. Univ.* 14. Ignis oculorum cum eo igne, qui est ob os, offusus, etc. *Id. Rosc. Am.* 22. Tanquam si offusa reipublicae sempiterna nox esset; et *Tusc.* 5, 2. Hic error, et haec indoctorum animis offusa caligo est. *Tac. A.* 11, 31. Offusus pavore. *Phaedr.* 2, 4. Terrore offuso. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 6. Oculi clarissima in luce tenebris offusi. *Liv.* 2, 40. de Coriolano: Ut qui nec publica majestate in legatis, nec in sacerdotibus tanta offusa oculis animoque religione motus esset. *Ascon. in fine argum. or. Cic. pro Scaur.* Magnopere judices movit squalore et lacrimis et aedilitatis offusa memoria.

OG

OGDŌAS, ădis, f. ὀγδοάς, octonarius numerus. *Hieron. ep.* 36. *n.* 9. Qui (*psalmus*) septem conficitur septimanis, et in principium ogdoadis erumpit. ℙ Est item unus ex aeonibus ap. *Tert. adv. Valent.* 7. et 20. et *Anim.* 37.

OGGANNĬO. V. OBGANNIO.

OGGĔRO et Obgero, is, essi, estum, a. 3. ἐπιφέρω, cumulate gero, ingero, apporto, injicio. *Pl. Cist.* 1, 1, 72. Amor amarum ad satietatem usque oggerit. *Id. Truc.* 1, 2, 8. Osculum alicui oggerere.

*OGLASA, ae, insula Hetruriae Corsicaeque adjacens, hodie *Monte Christo*. *Plin.* 3, 6. *B. A.*

*OGULNĬUS, i, m. nomen propr. Romanum, ap. *Liv.* 10, 6. et 39, 56. *B. A.*

OGYGES, is, et Ogygius, ii, et Ogygus, i, m. Ὠγύγης, ους, rex Thebanorum, qui Boeotias Thebas condidit. Hujus aetate diluvium magnum fuit, de quo *August. C. D.* 18, 8. Quamquam Ogygius ipse quando fuerit, cujus temporibus etiam diluvium magnum factum est, non illud maximum, quo nulli homines evaserunt, nisi qui in arca esse potuerunt, quod gentium nec Graeca, nec Latina novit historia; sed tamen majus, quam postea tempore Deucalionis fuit, inter scriptores historiae non convenit; et *paulo sup.:* Minerva temporibus Ogygii, ad lacum, qui Tritonis dicitur, virginali apparuisse fertur aetate. *Varr. fr.* ap. *eund. ib.* 21, 8. Hoc factum Ogyge rege dicebant. *Id. R. R.* 3, 1. Vetustissimum oppidum Boeotiae Thebae, quod rex Ogyges aedificavit; et *mox:* Thebae, quae ante cataclysmon Ogygi conditae dicuntur. In MSS. *August.* pro *Ogygius* legitur *Ogygus*, *Ogygi* pro *Ogygii*, et *Ogygo* pro *Ogyge*. Sic ap. *Fest.* Ogygia moenia Attius in Diomede appellans, significat Thebas, quia eam urbem Ogygus condidisse traditur. Item ap. *Varr.* pro *Ogyges* al. leg. *Ogygos*. Porro genitivus *Ogygi* ap. *eund.* a recto quidem *Ogyges* potest descendere, sed ex consuetudine veterum Latinorum, ea ratione dictum est, qua *Ulyssi* dixerunt, et *Achilli*, et *Persi*, et *Ariobarzani:* quorum primum et secundum *Virg.*, tertium *Sall. fr.*, quartum *Cic. Att.* 13, 2. dixit. Alii tamen haec aliter explicant. V. ACHILLES. V. etiam, si lubet, *Erythraeum* in *Ind. Virg.*, ubi rem totam copiose persequitur in voce *Ulysses*.

*OGYGĬA, ae, f. insula. V. CALYPSO. ℙ Item una de septem Amphionis Niobesque filiabus. *Hyg. fab.* 69. *B. A.*

OGYGĬDAE, arum, m. plur. Thebani. *Stat. Th.* 2, 586. inde iterum densi glomerantur in unum Ogygidae, firmantque gradum.

OGYGĬUS, a, um, adj. Ὠγύγιος, ad Ogygem pertinens, Thebanus. *Val. Fl.* 8, 446. Ogygiae arces. *Stat. Th.* 2, 208. Ogygiae Thebae; et *ib.* 1, 173. Ogygiae res; et *ib.* 12, 664. Ogygius murus. *Sen. Oedip.* 589. populus. *Sidon. carm.* 16, 3. Ogygia chelys, *h. e.* Amphionis Thebarum regis. ℙ Ogygius Deus est Bacchus, qui Thebis praecipue colebatur. *Ov. Her.* 10, 48. (et *Stat. Th.* 5, 518.) Qualis ab Ogygio concita Baccha Deo. *Lucan.* 1, 675. Ogygius Lyaeus.

*OGYRIS, is, f. insula maris Erythraei, Carmaniae objecta, clara Erythra rege ibi sepulto. *Mela* 3, 8. *Plin.* 6, 28. *Curt.* 10, 1. Cf. *Dionys. Perieg.* 606. ℙ De hodierna insula *Ormuz* intelligit *Voss.*, de *Mazira* vero *Hard. B. A.* [*V. *Tzschuck.* ad *Melae l. l.*]

OH

OH, *o*, *oh*, *ah*, ὦ, ὤ, interjectio, qua utimur, ubi ex intervallo notos videmus, comicis usitata. *Ter. Ad.* 5, 6, 3. Oh, qui vocare? Al. scribunt *o*, ut sit simpliciter vocantis. ℙ Est etiam admirantis cum contemptu quodam. *Ter. Andr.* 3, 5, 12. Oh, tibi ego ut credam furcifer? ℙ Aliquando affirmantis cum quadam certitudine. *Id. Ad.* 3, 4, 38. Oh, quem egomet produxi. ℙ Aliquando dolentis, et reprehendentis. *Id. Heaut.* 5, 3, 8. Oh iniquus es, qui me tacere de re tanta postules. ℙ Aliquando dolentis, et deprehensi. *Pl. Cas.* 2, 3, 19. oh perii! manifesto miser Tenеor. ℙ Aliquando exsultantis ob rem bene gestam. *Id. Most.* 1, 3, 86. Oh, probus homo sum! ℙ *Oh*, *oh*, exsultantis est. *Id. ib.* 1, 4, 12. Oh, oh, ocellus es meus, tuus sum alumnus. Alii leg. *ohoho* conjunctim. Alii *oh* tantum. ℙ *Oh*, *oh*, *oh*, ejulantis

est. *Id. Capt.* 2, 1, 6. oh, oh, oh. *Lor.* Ejulatione haud opus est.

OHĒ, ὦ, ὠή, heus, interjectio vocantis simul et cum ira monentis. *Pl. As.* 2, 3, 4. Quis nostras sic frangit fores? ohe, inquam, si quid audis. *Id. Aul.* 1, 1, 16. Abscede: etiamnunc: etiamnunc: etiam, ohe. *Id. Cas.* 2, 3, 32. Ohe, jam satis, uxor, est: comprime te: nimium tinnis. *Mart.* 4, 91. Ohe, jam satis est, ohe libelle. *Ter. Heaut.* 5, 1, 6. Ohe, jam desine Deos uxor gratulando obtundere. Ubi *Donat.* interjectio est satietatem usque ad fastidium significans. *Hor. Sat.* 1, 5, 12. ohe, Jam satis est. ℙ *Ohe jam*, ohe jam satis est, ohe jam desine. *Id. Sat.* 2, 5, 96. Importunus amat laudari? donec, ohe jam, Ad coelum manibus sublatis, dixerit; urge, et Crescentem tumidis infla sermonibus utrem. Adde *Ter. Ad.* 4, 7, 5. ubi Al. aliter leg.

OHO, interjectio admirantis aliquid fieri repente. *Pl. Poen.* 1, 2, 51. Oho, amabo, quid illuc non properas? Al. leg. *ohe.* ℙ Aliquando agnoscentis cum gaudio. *Pl. Ps.* 4, 2, 32. oho, Polymachaeroplacides Purus putus est ipsus. Al. leg. *eho.*

OHOHO. V. OH.

O I

ŌILEUS, i, m. trisyll. Ὀϊλεύς, unus ex Argonautis, filius Leodaci et Agrianomes Perseonis filiae. *Hyg. fab.* 14. ℙ Item pater Ajacis, rex Locrorum. *Cic. Tusc.* 3, 29., *Hyg. fab.* 114. et 116. et *Serv.* ad *A.* 1, 45. ℙ Hinc ipse Ajax *Oilei* dicitur, et adjective *Oileus*, ad differentiam alterius Telamonii. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 687. Nec mihi Oilei proferatur Ajax, quod Cassandram signo deripuit. *Virg. l. c.* Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei. Ubi *Serv.*: Est Graeca figura τῆς πτώσεως, ut si dicamus *Aeneas Anchisae*, et subaudiamus *filius*. Alii adjective accipiunt, ut ap. *Cic. Or.* 2, 66. Titio dicenti, se esse Cassandram, multos, inquit, possum tuos Ajaces Oileos nominare; et *Ov. Met.* 12, 622. Non ea Tydides, non audet Oileos Ajax Poscere. *Oileos*, Ὀϊλεος, positione Graeca pro *Oileus:* quare etiam *Oilios* scribi hic posse, *Heinsius* putat. *Vossius* vero, qui *Oileus* legit, *de Gram.* 4, 9., diaeresin esse ait, soluta diphthongo in Ὠϊλεύς, vel Ὀϊλεύς, ut et in Ὄφρεύς non semel factum legimus. ℙ Ipse Ajax etiam *Oileus* absolute dictus est. *Sen. Med.* 660. Patrioque pendet crimine poenas, Fulmine et ponto moriens Oileus.

ŌILĬĂDES, ae, m. Ὀϊλιάδης, Ajax Oilei filius. *Sil.* 14, 479. Qualis Oiliades, fulmen jaculante Minerva, etc. Al. leg. *Oilides.*

ŌILĪDES, ae, m. patron. Ὀϊλείδης, filius Oilei. *Prop.* 4, 1, 117. Victor Oilide rape nunc, et dilige vatem, Quam vetat avelli veste Minerva sua.

OISUS pro *Usus*. V. USUS.

O L

*OLĂBI, orum, populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*OLĂCHAS, ae, fluvius Bithyniae. *Plin.* 35, 2. *B. A.*

*OLĀNE, es, et Olana, ae, unum ex Padi ostiis. *Plin.* 3, 16. V. VOLANE. *B. A.*

[OLARIONENSIS, e, adj. ad Olarionem pertinens, insulam Galliae Aquitaniae, nunc *Oléron*, quam *Plin.* 4, 19, 33. Uliarum vocat. *Sidon. ep.* 8, 6. *med.* Temperas insidiari Sepusculis Olarionensibus. *F.*]

*OLARSO, onis, urbs Hispaniae Tarraconensis maritima, cis Iberum flumen, in agro Vasconum. *Plin.* 3, 3. et 4, 20. *B. A.*

[OLAURENSIS, e, adj. ad Olaurum pertinens, Hispaniae Baeticae oppidum, nunc *Lora. Inscr.* ap. *Mur.* 1065, 5. L. Modius C. F. . . . . us Olaurensis. *F.*]

ŌLAX, ācis, adj. olidus, olens. *Capell.* 1, 21. de Baccho: Hujus gressus incerti, atque olacis temeti madoribus implicati; et 2, 46. Acerram illam olacem aromatis refundens. *Gloss. Isid.* Olax, olidus.

*OLBĬA, ae, f. Ὄλβια, i. e. fortunata, urbs Pamphyliae, de qua *Plin.* 5, 27. ℙ Alia, in Bithynia, postea Nicaea appellata. *Id.* 5, 32. ℙ Alia, in Gallia Narbonensi. *Mela* 2, 5. ℙ Alia, in Scythia Europaea sive Sarmatia, ad Borysthenem fluvium. *Mela* 2, 1. *med. Plin.* 4, 12. Dicta et *Olbiopolis*, teste *Plin. ib.* Itemque *Miletopolis*, quia a Milesiis condita. *Id. ib.* ℙ Item urbs Sardiniae. *Cic. Q. Fr.* 2, 8. et *Flor.* 2, 2. *B. A.*

OLBĬĀNUS, a, um, adj. ad Olbiam pertinens, Bithyniae oppidum, cujus *Plin.* 5, 32, 43. meminit. *Mela* 1, 19. Olbianus sinus: *golfo d' Ismid.*

OLBĬENSIS, e, adj. ad Olbiam pertinens, maritimam Sardiniae urbem, cujus *Cic. Q. Fr.* 2, 8. meminit. *Id. ib.* 3. Olbiensis epistola, *h. e.* Olbia data. *Liv.* 27, 6. Olbiensis ager.

[OLBĬOPOLĪTĀ, ae, comm. gen. ad Olbiopolin, seu Olbiam pertinens, Sarmatiae Europaeae urbem, versus Borysthenis ostia, ideoque et Borysthenis appellatur a *Mela* 2, 1., qui minus recte Olbiam a Borythenide distinguit; ejus meminit *Plin.* 4, 12, 26.: nunc aliis putatur esse *Oczakow*, alii *Stromohil. Capitol. Anton.* 9. Olbiopolitis contra Tauroscythas in Pontum auxilia misit. *F.*]

[OLBĬUS, ii, m. ὄλβιος, beatus, fortunatus. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1070, 1. Olbius Lib. *F.*]

*OLBONENENSES, ium, populi Liburniae, ab oppido quodam Olbona fortasse dicti. *Plin.* 3, 21. *B. A.*

OLCĀ, ae, f. gemma barbari nominis, e nigro, fulvoque, et candido placet. *Plin.* 37, 10, 65. sic leg. *Hard.* ex MSS.: nam alii *orca.*

*OLCĀDES, um, populi Hispaniae Tarraconensis, trans Iberum flumen. *Liv.* 31, 5. *B. A.*

[OLCINĬĀTES, ium, m. plur. incolae Olcinii, urbis maritimae in Illyrico, quae nunc *Dulcigno;* eam tamen *Plin.* 3, 22, 26. Olchinium vocat, et antea Colchinium, quod a Colchis condita sit, appellatum fuisse, affirmat. *Liv.* 45, 26. Non solum liberos, sed etiam immunes fore Olciniatas, pronunciavit. *Olciniatas* est accusat. plur. Graecae positionis pro *Olciniates.* Al. declinant *Olciniatae, arum. F.*]

ŌLĔA, ae, f. ἐλαία, arbor, quae olivam producit, quasi *elea*, a Graeca voce allata, ut *oleum* ab ἔλαιον. *Cic. Div.* 2, 6. Agricola cum florem oleae videt, baccam quoque se visurum putat. *Ov. Fast.* 4, 741. Ure mares oleas, tedamque, herbasque Sabinas. ℙ Sumitur saepe pro oleae fructu. *Hor. Ep.* 2, 1, 31. Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri. Quod proverbium usurpatur in eos, qui concessa negant, et manifesto falsa pro veris affirmant: nam et olea interius, et nux exterius partem osseam duramque habet. (Itali dicunt, *negare il pajuolo in capo.*) *Varr. R. R.* 2, 11. Coagulum magnitudine oleae. *Cato R. R.* 58. et 117. Oleas caducas, et albas condire; et 144. Oleam cogere, legere, stringere, verberare; et 145. faciundam locare, *h. e.* faciundum ex ea oleum. ℙ Olearum genera Latinis, qui sedulo coluerunt, cognita enumerant *Cato R. R.* 6. et 7., *Virg. G.* 2, 86., *Varr. R. R.* 1, 24., *Colum.* 5, 8., *Plin.* 15, 7, 7., *Pall.* 3, 18. et *Macr. Sat.* 2, 16. Curam et colendi rationem persequitur ex *Cat. Plin.* 17, 18, 29. ℙ Sacra fuit Minervae (ut est ap. *Plin.* 12, 1, 2.), quae ejus inventrix dicitur a *Virg. G.* 1, 18. V. *Phaedr.* 3, 17. et *Serv.* ad *A.* 8, 128. Hinc Atheniensium propria fuit arbor, qui sub tutela Minervae erant. *Sen. Herc. Fur.* 193. Te ramus oleae fronde gentili tegat, Theseu. ℙ Fuit etiam symbolum pacis: unde pacem petentes oleae ramum praeferebant vittis circumdatum. *Liv.* 24, 30. et 29, 16., ubi ait proprium Graecorum hunc morem fuisse, et 30, 36., *Virg. A.* 8, 116. et 128. et *Stat. Th.* 12, 492. etc. ℙ De coronis ex olea V. in OLEAGINUS. ℙ In dativo plur. est *oleis. Virg. G.* 2, 420. Contra non ullo est oleis cultura. *Oleabus* dixit *Cn. Gellius*, sed reprehenditur a *Charis.* 1, 40. V. ASINA.

ŌLĔĀCEUS, a, um, adj. ἐλαώδης, oleosus. *Plin.* 35, 15, 51. Bitumen pingue, liquorisque oleacei. *Hard.* in MSS. nusquam se reperisse ait *oleacei*, sed in aliis aliud. ℙ Item oleae similis. *Plin.* 21, 4, 10. Alia funditur e caule malvaceo, folia oleacea habente. Ita edition. vet. 1470. et 1472. ceterae, et *Hard.* habent *folia oleae.*

ŌLĔĀGĬNĔUS, et

ŌLĔĀGĬNUS, a, um, adj. ἐλάϊνος, qui est ex olea arbore. *Cato R. R.* 48. Oleagineum seminarium. *Varr. R. R.* 1, 40. Oleaginea semina. *Virg. G.* 2, 31. Truditur e sicco radix oleagina ligno. *Plin.* 17, 18, 29. Taleas oleaginas tripedaneas facito. ℙ Inter militares coronas postrema est *oleaginea*, qua uti solent, qui in proelio non fuerunt, sed triumphum procurant, ut *Gell.* 5, 6. docet. Quo pertinet illud *Pauli* ex *Festo:* Oleagineis coronis ministri triumphantium utebantur, quod Minerva Dea belli esse putabatur. Hinc *Virg. G.* 3, 21. de Caesare triumphante: Ipse caput tonsae foliis ornatus olivae Dona feram. Ea donati sunt etiam cives, qui pacis componendae et servandae in civitate fuissent auctores. *Nep. Thras.* 4. Huic pro tantis meritis honoris corona a populo data est, facta duabus virgulis oleaginis. ℙ Praeterea etiam victores universim hujusmodi serto Athenis coronabantur, ut *Plin.* 15, 4, 5. tradit: item in minoribus triumphis ovantes: et turmae equitum Idib. Juliis in transvectione. *Id. ib.* ℙ Est etiam oleae similis. *Colum.* 3, 2. *med.* inter varia vitium genera *oleagineam*, seu *oleaginiam* enumerat. *Plin.* quoque *oleagineam uvam* memorat, 14, 3, 4. *n.* 7. nuper, inquit, inventam, a similitudine olivae. ℙ Item colorem olei habens. *Plin.* 37, 5, 20. Berylli oleagini.

ŌLĔĀMEN, inis, et

ŌLĔĀMENTUM, i, n. voces a *Scrib. Comp.* 222. et 269. usurpatae, quibus significatur aliquid ex oleo factum, v. gr. unguentum.

ŌLĔĀRIS, e, adj. ad oleum pertinens. *Oleares cotes*, quae oleo perfunduntur, ut *aquariae*, quae aqua. *Plin.* 34, 14, 41.

ŌLĔĀRĬUS, a, um, adj. ad oleum pertinens, ἐλαηρός. *Plin.* 32, 11, 53. Cochleae rotundae in usu olearii, *h. e.* ad oleum hauriendum, et decapulandum. *Id.* 15, 8, 8. Dolia olearia, et cados amurca imbui, ne bibant oleum. *Cic. Sen.* 16. et *Cato R. R.* 3. Cella vinaria, olearia. *Scaevola Dig.* 50, 4, 5. Olearii mercatores. *Cato R. R.* 18. Orbem olearium ex ulmo aut ex corylo, latum pedibus quatuor Punicanis coagmentis facito, *h. e.* tabulam rotundam ligneam, super qua olearum massa, quae premendae sunt, ponitur. ℙ *Olearius* absolute est, qui oleum facit, aut vendit, ἐλαϊονήης, ἐλαιοπώλης. *Colum.* 12, 50. Diligentes olearii. *Pl. Capt.* 3, 1, 29. Omnes compacto rem agunt, quasi in Velabro olearii. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 646, 8 et 9.

*OLEĂROS vel Olearus, Oliaros vel Oliarus, i, f. Ὠλέαρος, Ὤλιαρος, maris Aegaei insula, una ex Cycladibus. *Virg. A.* 3, 126. *Ov. Met.* 7, 469. *Plin.* 4, 12. *Mela* 2, 7. *B. A.*

ŌLĔASTELLUS, i, m. genus oleae Calabricae, ita dictae a similitudine oleastri. *Colum.* 12, 49. *extr.* ℙ Item parvus frutex, cujus flos ligustrum. V. LIGUSTRUM.

ŌLĔASTER, stri, m. olea silvestris, φυλίη, κότινος. *Gloss. Phil.* Oleaster, ἀγριελαία. *Virg. G.* 2, 182. Indicio est tractu surgens oleaster eodem Plurimus; et *ib.* 314. Infelix superat foliis oleaster amaris. *Plin.* 17, 18, 30. *n.* 2. Inseritur oleaster calamo, et inoculatione. *Id.* 16, 44, 89. Olympiae oleaster, ex quo primus Hercules coronatus est, et nunc custoditur religiose. *Id.* 15, 4, 5. Athenae victores olea coronant, Graeci vero oleastro Olympiae.

[ŌLĔASTRENSIS, e, adj. ad Oleastrum pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, quae ita videtur appellata a proximo luco oleastris consito. Urbis meminit *Plin.* 3, 1, 3. et luci *Mela* 3, 1. Hinc ap. *Plin.* 34, 17, 49. *plumbum Oleastrense* celebratur, quia ibidem magna copia effodiebatur. *F.*]

ŌLĔĀTUS, a, um, part. ab inus. *oleo:* ἐξ ἐλαίου, cum oleo factus, ut Pultes oleatae ap. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37. *med.*

[ŌLĔFĂCIO, is, a. 3. idem ac olfacio, q. v. v. *Not. Tir.* p. 167. Olefacit, olefecit, olefactum. *F.*]

ŌLĔĪTAS, atis, f. collectio olearum, et confectio olei, item oleae legendae tempus, olivitas. *Cato R. R.* 68. Ubi vindemia, et oleitas facta erit, prela extollito; et 144. Sese oleam non surripuisse ea oleitate ex fundo L. Manlii.

ŌLĒNĪDES, ae, m. patronym. Oleni filius, Ὠλενίδης. *Val. Fl.* 3, 204. Phoceaque Oleniden, Legum qui pulsus ab oris, etc.

ŌLĒNĪE, es, f. 1. V. v. sq.

ŌLĒNĬUS, a, um, adj. Ὠλένιος, ad Olenum pertinens, quae est urbs Achaiae, ap. *Plin.* 4, 5, 6. inter Patras, et Dymen: vel Aetoliae, seu Aeoliae, ap. *Hyg. Astron.* 2, 13. (sic enim ibi legendum monent critici *Olenon in Aetolide*, non *in Aulide*) de qua *Sen. Troad.* 826. Olenos tectis habitata raris. *Ov. Fast.* 5, 251. Quod petis, Oleniis, inquam, tibi missus ab arvis Flos dabit. ℙ *Capra Olenia* in fabulis est capra Amalthaeae, circa Olenum nata et nutrita, quam ferunt Jovi puello lac praebuisse, ob idque inter astra translatam. V. AMALTHAEA. *Ov. Fast.* 5, 113. Nascitur Oleniae sidus pluviale capellae. *Id. Her.* 18, 188. quid cum mihi laeserit aequor Plias, et Arctophylax, Oleniumque pecus? *Stat. Th.* 6, 423. nec Oleniis manant tot cornibus imbres. *Id. ib.* 3, 25. Olenium astrum. ℙ A *Manil.* dicitur *Olenie, es*, capra Olenia, 5, 130. ℙ *Olenius* dictus est Tydeus, cui patria Calydon Aetoliae urbs. *Stat. Th.* 1, 402. et *ib.* 2, 541.

ŌLENS, entis, part. ab *oleo:* odorus, odorifer, odoratus, εὐώδης. *Ov. A. Am.* 1, 95. Aut ut apes saltusque suos, et olentia nactae Pascua. *Id. Met.* 10, 729. olentes mentae. *Stat. Th.* 12, 622. olens Hymettus. *Id. Silv.* 1, 2, 21. thymbra. *Juven.* 14, 269. saccus, *h. e.* aromatum plenus. ℙ Saepius est male olens, putidus, δυσώδης. *Pl. Men.* 5, 2, 111. Hunc proteram lenonem olentem, edentulum. *Virg. G.* 2, 134. animas, et olentia Medi Ora fovent illo. *Hor. Sat.* 1, 2, 30. olente in fornice stantem. *Id. Od.* 1, 17, 7. Olentis uxores mariti, *h. e.* hirci. *Ov. Pont.* 2, 10, 25. et olentia stagna Palici, *h. e.* olentia sulphure, ut *Id.* ait *Met.* 5, 405. *Lucan.* 7, 821. olentes agri, *h. e.* inhumatis cadaveribus. ℙ Translate. *Auct. dial. de Or.* 22. *f.* Quaedam procul arceantur, ut jam oblitterata et olentia, *h. e.* quasi situm et mucorem redolentia.

ŌLENTĬĀ, ae, f. odor. *Tert. adv. Marc.* 2, 22. Suavis olentia gratiae.

ŌLENTĪCA, orum, n. plur. oleta, loca mali odoris. *Paul.* ex *Festo.*

ŌLENTĪCĒTUM, i, n. sterquilinium. Translate locus immundus. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 9. Cernas hinc alios situ foetutinarum turpium ex olenticetis suis ac tenebris cloacam ventris, et oris inhalare sentinam. *Appul. Apol.* Nocens lingua semper in foetutinis et olenticetis suis jaceat. Alii leg. *oleticetis*, ab *oletum.*

[ŌLĒNUS, i, m. Ὤλενος, viri nomen, qui Le-

thaeam duxit uxorem eximia pulcritudine, adeo superbam, ut se Deabus praeferret. Ceterum Deae iratae cum de Lethaea supplicium sumere vellent, Olenus in se culpam uxoris transferre ausus, una cum eadem in lapidem conversus fuit. *Ov. Met.* 10, 69. *F.*]

OLĔO, es, lui, (et *olevi* in compositis) n. 2. ὄζω, [*ὄδωδα, unde originem ducere videtur. Cf. *Doederl.* 3, 127. sq.] odorem spiro, redoleo. Tum de bono, tum de malo odore dicitur. [*Praevalet tamen mali odoris notio.] *Pl. Most.* 1, 3, 120. cum una multa jura confundit cocus, Quid oleant, nescias, nisi id unum, ut male olere intelligas. *Cic. Att.* 2, 1. Mulieres ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. *Hor. Ep.* 1, 10, 19. Deterius Libycis olet, aut nitet herba lapillis? et *ib.* 19, 5. Vina fere dulces oluerunt mane Camenae. *Cic. Or.* 3, 25. Unguentum magis laudari, quod ceram, quam quod crocum olere videatur. *Ter. Ad.* 1, 2, 37. Obsonat, potat, olet unguenta de meo. *Prop.* 4, 7, 32. Cur nardo flammae non oluere meae? *Ov. Her.* 15, 76. Non Arabo noster rore capillus olet. *Id. Met.* 5, 405. Perque lacus altos, et olentia sulphure fertur Stagna Palicorum. *Ulp. Dig.* 21, 1, 12. Is, cui os oleat, an sanus sit, quaesitum est. Adde *Mart.* 12, 86. et V. OLENS. ℙ Translate est indicare, prodere. *Cic. Or.* 45. *f.* Quid illud? non olet, unde sit? *Id. Or.* 3, 12. Quaedam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil sonare, aut olere peregrinum possit. *Id. N. D.* 1, 26. Epicurus nihil olet ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil ne e puerilibus quidem disciplinis. *Id. Rosc. Com.* 7. Supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, et clamitare calliditatem videntur. *Varr. L. L.* 4, 10. *f.* Sabinorum linguam olent. *Quint.* 8, 1. *f.* Et verba et vox hujus alumnum urbis oleant, ut oratio plane Romana videatur, non civitate donata. *Pl. Men.* 1, 2, 59. Olfacta, quid olet? *Pe.* furtum, scortum, prandium. *Id. Aul.* 2, 2, 39. Aurum huic olet, *h. e.* quasi odore se prodit. ℙ *Non bene olet, qui bene semper olet* ab *Hieron. ep.* 130. *n.* 19. tribuitur *Petr.*: sed habetur etiam ap. *Mart.* 2, 12., et dicitur de iis, quibus cum vel corpus morbo aliquo, vel vitiis foeteat animus, exquisitiore cultu utuntur. ℙ *Olo, is*, in 3. conjugat. *Pl. Poen.* 1, 2, 56. Quae tibi olant stabulum, sellam, etc. Adde *fragm.* ap. *Diomed.* 1, 378., *Afran.* et *Pomp.* ap. *Non.* 2, 603. Sic in illo *Pl. Most.* 1, 1, 41. Non omnes possunt olere unguenta exotica, Ut tu oles. *Prisc.* 8, 838. et 9, 866. vult *olere* paenultima correpta dici, ut constet iambici metri ratio.

OLĔOSUS, a, um, adj. ἐλαιώδης, oleo plenus, vel pinguis ad similitudinem olei. *Plin.* 27, 12, 81. de myagro herba: Semen oleosum. *Id.* 28, 9, 35. Quod supernatat, butyrum est, oleosum natura.

OLĔRĂCĔUS, a, um, adj. oleri similis. *Plin.* 26, 8, 53. Hypericon oleraceo frutice, tenui, cubitali.

*OLERARĬUM, i, n. λαχανάριον. *Gloss. Vet. B. A.*

[OLĔRĀTOR, oris, m. olitor, qui olera vendit. *Gloss. Phil.* Olerator, λαχανοπώλης. *F.*]

OLĔRO, as, avi, atum, a. 1. olera semino. *Cn. Mattius* ap. *Prisc.* 6, 722. Meos hortulos plus stercoro, quam olero.

OLESCO, is, n. 3. cresco, adolesco. *Lucr.* 2, 1128. Donicum olescendi summum tetigere cacumen. Plerique al. leg. *alescendi.* Sed *olescendi* legisse etiam *Nonium* 4, 44. quidam putant. *Fest.* in *Suboles:* Suboles ab olescendo, id est crescendo dictae.

OLĔTĬCĔTUM. V. OLENTICETUM *f.*

OLĔTO, as, a. 1. inquino, conspurco, olidum facio. *Front. Aquaed.* 97. In iisdem legibus adjectum est ita: *Ne quis aquam oletato dolo malo, ubi publice saliet. Si quis oletarit, sestertiorum X. millia multa esto. Oletato* videtur esse olidam facio. Haec *Front.*

OLĔTUM, i, n. ἐλαιών, olivetum, locus oleis consitus: ab *olea. Cato R. R.* 1. De omnibus agris vinea est prima, secundo loco hortus irriguus, tertio salictum, quarto oletum, quinto pratum. Adde *ib.* 3, 6. et 61. ℙ Item locus mali odoris: ab *oleo, es:* ut ubi cacatur, et mejitur, et metonymice stercus, aut urina hominis, unde malus odor exsistit. *Festus:* Oletum, stercus humanum. Veranius: Sacerdotula in sacrario Martiali fecit oletum. *Pers.* 1, 112. hic, inquis, veto, quisquam faxit oletum. Pinge duos angues: pueri, sacer est locus, extra Mejite. V. OLOR.

OLĔUM, i, n. ἔλαιον, pinguis liquor olivae. *Cic. Sen.* 11. Instillate oleum lumini. *Hor. Sat.* 2, 3, 125. Caules ungere oleo meliore. *Virg. A.* 5, 135. juventus Nudatos humeros oleo perfusa nitescit. *Ov. Trist.* 3, 12, 21. ubi perfusa est oleo labente juventus. *Colum.* 12, 50. *in.* docet, triplicis generis oleum fieri, acerbum, quod et aestivum, quia ante initium Decembris ex oleis immaturis; viride circa mensem eundem ex oleis non permaturis; maturum ex nigris post Decembrem: optimae notae esse viride. ℙ *Oleo tranquillior*, prov. de leni, minimeque iracundo, quia omnium liquorum lenissimum oleum est. *Pl. Poen.* 5, 4, 66. Ita hanc canem faciam tibi oleo tranquilliorem. ℙ *Oleum et operam perdere*, aliud de iis, qui sumptum et laborem incassum impendunt, et frustra conantur: ductum, opinor, a lucubrantibus: vel a coquis, qui cum cibos corruperint, et condimentum, et laborem perdidere: vel denique a palaestritis, qui inungebant nudata corpora, antequam sese luctae committerent. V. infra. *Cic. Fam.* 7, 1. et *Pl. Poen.* 1, 2, 119. Sic *Cic. Att.* 2, 17. Haec non deflebimus, ne et opera et oleum philologiae nostrae perierit. Ad lucubrationem certe referuntur illa *ejusd. ib.* 13, 28. Ante lucem cum scriberem contra Epicureos, de eodem oleo et opera exaravi nescio quid ad te. *Juven.* 7, 98. Vester porro labor fecundior, historiarum Scriptores: petit hic plus temporis, atque olei plus. ℙ *Oleum camino addere*, aliud, de quo V. in CAMINUS. ℙ Olei conficiendi rationem tradit accurate *Colum.* 12, 50. Adde *Cat. R. R.* 64. et sqq., *Varr. R. R.* 1, 55. et *Plin.* 15, 6, 6. ℙ Olei usus fuit maxime in palaestra. Ungebantur enim ut firmiores essent, et ut adversarii manibus facilius elaberentur. Hinc metonymice pro palaestra ponitur. *Catull.* 63, 65. Ego gymnasii fui flos, ego eram decus olei. *Cic. Or.* 1, 18. Nitidum quoddam genus est verborum, et laetum, sed palaestrae magis et olei, quam hujus civilis turbae ac fori, *h. e.* contentionis, disputationis, quasique palaestrae litterariae. ℙ Olei ficticii plura sunt genera, nempe liquoris olei similis ex variis rebus expressi. Recenset ea *Plin.* 15, 7, 7. ℙ *Oleum vivum*, et absolute *oleum* vocatur id, quod Itali nunc *petrolio* dicunt. *Grat. Cyn.* 434. Vulcano condicta domus, quam subter eunti Stagna sedent, venis oleoque madentia vivo. *Hieron.* in *Chron.* ad ann. U. C. DCCLIII. E taberna meritoria trans Tiberim oleum terra erupit, fluxitque toto die sine intermissione.

OLFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. ὀσφραίνομαι, odoror, odorem percipio: est per syncop. pro *olefacio;* hoc autem pro *odefacio*, (ab *odor* et *facio*) quo veteres usi sunt, *Festo* teste. *Cic. Tusc.* 5, 38. Quidam disputant, quae aspectu percipiantur, ea non versari in oculorum ulla jucunditate, ut ea, quae gustemus, olfaciamus, tractemus, audiamus. *Verburg.* reperit *olefaciamus* in quodam MS. *Catull.* 13, 13. Quod *(unguentum)* tu cum olfacies, Deos rogabis, Totum ut te faciant, Fabulle, nasum. *Plin.* 11, 37, 50. Delphini sagacissime olfaciunt. ℙ *Olfacere labra lacte*, imbuere sapore lactis, per catachresin. *Varr. R. R.* 2, 2. *f.* Si agnus ad matris mammam non accedet, admovere oportet, et labra agni ungere butyro, aut adipe suilla, et olfacere labra lacte. V. *labra* repetitum videtur a *Varrone* non esse. ℙ Translate est praesentire, deprehendere. *Cic. Agr.* 1, 4. Quisnam tam abstrusus usquam nummus videtur, quem non architecti hujusce legis olfecerint? *Ter. Ad.* 3, 4, 32. (al. 3, 3, 42.) Non sex totis mensibus olfecissem, Priusquam ille quidquam coeperit? *Petr. Sat.* 93. Si aliquis ex his nomen poetae olfecerit, totam concitavit viciniam. ℙ Part. *Olfaciens* ap. *Paul. Nol. carm.* 27, 346. *(sus)* olfaciens motando dat oscula rostro. *Olfaciendus* ap. *Plin.* 20, 13, 51. Dederunt *(rutae succum)* lethargicis ex aceto olfaciendum.

OLFACTATRIX. V. OLFACTRIX.

OLFACTĀTUS, a, um, part. ab *olfacto*, saepe olfactus. *Plin.* 28, 16, 63. Membrana partus asinarum, olfactata accedente morbo comitialium, resistit.

OLFACTO, as, avi, atum, a. 1. saepe olfacio, et olfacio simpliciter. *Pl. Men.* 1, 2, 56. Summum me olfactare oportet vestimentum. *Plin.* 18, 35, 88. Boves coelum olfactantes. *Id.* 20, 14, 54. Pulegii ramum in tertianis olfactandum dari.

[OLFACTORIA, ae, f. idem ac olfactorium. *Front. de oration.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *med.* Refricant eandem unam sententiam saepius quam puellae olfactoriae sucina. Fortasse legendum *olfactoria*, ita ut sit ab adj. *olfactorius, a, um. F.*]

[OLFACTORIOLUM, i, n. dimin. olfactorii. *Isid. Or.* 19, 31. Olfactoriola vascula sunt muliebria, in quibus odoramenta gestantur. *Hieron.* 2. in *Isaj.* 3, 18. Describit et olfactoriola, ut Christi bonus odor simus. *F.*]

OLFACTORĬUM, ii, n. florum, vel odorum fasciculus, olfactus gratia, ὀσφραντήριον. *Plin.* 30, 11, 29. Sicut et lethargum olfactoriis excitari. *Id.* 20, 9, 36. Brassicae aridae farina in olfactorio collecta. V. RETICULUM.

OLFACTRIX, icis, f. quae olfacit. Sic *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 10. vocat vitem, quae raphanum, et laurum odore sentit, et ab eis recedit. Ita legit *Hard.* ex MSS. Alii *olfactatrix.*

OLFACTUS, a, um, part. ab *olfacio*, ὀσφρανθείς, olfaciendo perceptus. *Plin.* 23, 8, 80. Laurus folia trita, olfactaque subinde, pestilentiae contagia prohibent. *Id.* 20, 17, 71. Gith distillationem narium discutit tusum in linteolo, olfactum.

OLFACTUS, us, m. ὄσφρησις, actus olfaciendi. [*De discrimine inter *olfactus* et *odoratus* v. in h. v.] *Plin.* 21, 21, 89. de thymo: Datur et comitialibus, quos correptos olfactus excitat thymi. *Id.* 32, 3, 13. Testes fibris sternutamenta olfactu movent. ℙ Item ipsa odorandi facultas, et sensus. *Plin.* 11, 37, 50. Delphini nec olfactus vestigia habent, cum olfaciant sagacissime. *Id.* 10, 70, 90. Piscibus olfactum esse, manifeste patet, quippe non omnes eadem esca capiuntur, et priusquam appetant, odorantur.

OLFĪCUS. V. ALPHICUS.

OLĪDUS, a, um, adj. δυσώδης, qui male olet. V. OLOR. *Hor. Ep.* 1, 5, 29. Sed nimis arcta premunt olidae convivia caprae. *Petr. Sat.* 21. Nos basiis olidissimis inquinavit. *Suet. Tib.* 45. Hirsutus, atque olidus senex. *Plin.* 25, 5, 18. Succum olidis auribus instillare. *Mart.* 10, 37. olida vulpes. *Id.* 1, 50. olidae vestes muricae. V. MUREX. ℙ Item odoratus. *Colum.* 12, 17. Acetum in vasa picata bene olida diffunditur; et *ib.* 38. Vinum purgatur, et in amphoras bene picatas, et bene olidas diffunditur. ℙ Item simpliciter olens. *Rutil. Itin.* 1, 624. Atque olidum doctas nosse cubile canes.

OLĪGOCHRŌNĬUS, a, um, adj. ὀλιγοχρόνιος, qui brevem vitam vivit. Graeca vox, ab ὀλίγος, paucus, brevis, et χρόνος, tempus. *Firm. Math.* 3, 5. et *ib.* 4, 1 et 8.

OLIM, adv. πάλαι, quodam tempore, quondam: et refertur ad tempus praeteritum, sive longinquum, sive proximum. *Pl. Stich.* 4, 1, 33. fuit olim senex: ei filiae Duae erant, etc. *Cic. Att.* 10, 1. Qui mihi, quod saepe soleo recordari, dixit olim, etc. *Id. Or.* 2, 43. Sic enim olim loquebantur. *Id. Att.* 6, 2. *med.* Ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus; et *ib.* 12, 39. Si essent ullae necessariae litterae, ut erant olim, cum, etc. *Suet. Dom.* 8. Corneliam absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam, defodi imperavit. *Tac. H.* 1, 67. Gens olim armis virisque, mox memoria nominis clara. *Cic. Div.* 2, 25. Quid ostenta aut Lacedaemonios olim, vel nuper nostros adjuverunt? *Sall. or. Philippi contra Lepid.* Tumultum ex tumultu serunt, Saturnini olim, post Sulpicii, dein Marii, nunc Lepidi satellites. ℙ Pro nuper. *Cic. Fam.* 15, 20. Cum ad amorem meum aliquantum olim discedens addidisti. *Ter. Andr.* 3, 3, 13. Alium esse censes nunc me, atque olim, cum dabam? ℙ Pleonasmus est in illo *ejusd. Eun.* 2, 2, 15. Olim isti fuit generi quondam quaestus apud saeclum prius. *Plin.* 3, 5, 9. Oppidum Formiae, Hormiae prius olim dictum. ℙ Pro jamdudum, jampridem. *Plin. alter ep.* 8, 9. Olim non librum in manus, non stilum sumpsi: olim nescio, quid sit otium, quid quies. Sic *Sen. ep.* 77. Olim jam nec perit quidquam mihi, nec acquiritur. *Juven.* 6, 345. Audio, quid veteres olim moneatis amici. Sic *Suet. Aug.* 30. Alveum Tiberis laxavit, ac repurgavit completum olim ruderibus. *Petr. Sat.* 22. Syri illi stertere, tanquam olim dormientes, coeperunt. *Lucan.* 5, 769. nonne olim casu pendemus ab uno? Al. leg. *non olim casu pendemus ab uno, h. e.* non olim modo, sed etiamnunc. [*Ita *Cort.*, quem v. in *ed. Weberi.* — Ceterum particulam *olim* hac significatione saepissime inter omnes usurpat *Tac.* Ita *Ann.* 13, 15. Olim provisum erat; 14, 15. moribus olim corruptis. Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 331. cf. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 24, 1. et *Juven.* 4, 96. 6, 346. 9, 17.] ℙ *Olim furores* ap. *Catull.* 68, 129. et *olim amicitias*, 94, 4. et *olim annis* ap. *Val. Fl.* 1, 53. dicta quidam putant per ὑφ' ἓν, h. e. οἱ πάλαι θυμοὶ, αἱ πάλαι φιλίαι, τὰ πρὶν ἔτη: qua ratione dixit *Virg.* ante malorum, *Ter. Andr.* 1, 2, 4. semper lenitas, *Prop.* 1, 22, 2. semper amicitia. V. HYPHEN. In *Catulli* tamen *l. c.* sunt qui melius leg. *horum furores.* ℙ Refertur etiam ad tempus futurum, pro aliquando, posthac. *Quint.* 10, 1. *med.* Sunt clari hodieque, et qui olim nominabuntur. *Plin. Pan.* 15. Verum haec olim: in praesentia quidem, etc. *Virg. A.* 4, 625. Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor, Qui face Dardanios ferroque sequare colonos Nunc, olim, quocumque dabunt se tempore vires. *Phaedr.* 4, 10. Olim cum adscriptus venerit poenae dies. *Hor. Od.* 2, 10, 17. non, si male nunc, et olim Sic erit. *Ov. Am.* 3, 11, 7. dolor hic ubi proderit olim. *Hor. Sat.* 1, 6, 85. Nec timuit, sibi ne vitio quis verteret olim, Si, etc. *Tibull.* 3, 5, 23. Elysios olim liceat cognoscere campos. Adde *Lucil., Turpil.* et *Afran.* ap. *Non.* 4, 333. ℙ Interdum ponitur pro quando, tunc, sequente *cum* aut *ubi. Pl. Truc.* 1, 1, 45. nunc lenonum plus est fere, Quam olim muscarum est, cum caletur maxime. (Adde *Mil.* 1, 1, 1. et *Poen.* 1, 2, 142. et *Trin.* 2, 4, 122.) *Hor. Sat.* 2, 3, 60. Non magis audierit, quam Fufius ebrius olim, Cum Ilionam edormit. *Virg. A.* 5, 125. de scopulo: tumidis submersum tunditur olim Fluctibus, hiberni condunt ubi sidera cori: Tranquillo silet. ℙ Item pro aliquando, nullo designato tempore. *Hor. Sat.* 1, 1, 25. ut pueris olim dant crustula blandi Doctores, elementa velint ut discere prima. *Virg. A.* 8, 391. Non secus atque olim tonitru cum rupta corusco Ignea rima micans percurrit lumine nimbos. *Serv.* exponit, Fere, ut solet. ℙ Item pro unquam. *Pl. Asin.* 3, 3, 128. An quid est olim salute melius? ℙ *Si olim*, si quando, si unquam. *Virg.*

Ecl. 10, 33. o mihi tum quam molliter ossa quiescant, Vestra meos olim si fistula dicat amores!

*OLINTIGI, opp. Hispaniae Baeticae. *Mela* 3, 1. *med. B. A.*

[OLĪPOR, oris, m. Oli, sive Auli puer. V. POR. Ita est appellatus Auli servus, antequam manu mitteretur: hujusmodi nomen, ut mos erat, in liberti cogn. evasit. *Inscr.* ap. *Mur.* 154, 2. A. Caecilii A. L. Oliporis, etc. *F.*]

OLĪSĪPONENSIS, e, adj. ad Olisiponem pertinens, quae est urbs Hispaniae in ora occidentali, in Lusitana provincia, in ora Tagi fluminis, nunc *Lisbona*. *Plin.* 4, 22, 35. et 8, 42, 67. Hinc Olisiponensis ager, *Id.* 37, 7, 25. Olisiponense promontorium, *Id.* 4, 21, 35. ℙ *Olisiponenses, ium* sunt illius urbis incolae. *Id.* 9, 5, 4. ℙ Sunt qui scribunt *Olyssipo*, et *Olyssiponensis*: fabulantur enim *Solin.* 23. et *Capell.* 6, 202. ab Ulysse conditam. Sed contra sunt veteres Inscriptt. ap. *Grut.* 252, 5., 261, 6., 273, 2. et 901, 17. etc.

OLĪTOR, oris, m. κηπωρός, λαχανοπώλης, qui olerum hortum exercet, et olera vendit. *Varr. L. L.* 5, 3. *med.* Vinalia rustica dicuntur ante diem XII. cal. Sept., quod tum Veneri dedicata aedes, et horti ejus tutelae assignantur, ac tum sunt feriati olitores. *Plin.* 19, 5, 23. Pensiles cucumerum hortos promoventibus in solem rotis olitoribus. *Colum.* 10, 228. Quae *(carmina)* canat inter opus, Musa modulante, putator Pendulus arbustis, olitor viridantibus hortis. *Id.* et *c. l.* 10. et 11, 3. olitoris curam et officia fuse describit. ℙ Scribitur et *holitor*. V. OLUS.

OLĪTORĪUS, a, um, adj. κηπουρικός, ad olitorem, et hortum pertinens. *Liv.* 21, 62. Olitorium forum, *h. e.* ubi olera venduntur. *Ulp. Dig.* 50, 16, 198. Olitorii horti. *Plin.* 19, 8, 38. Lactucae genus lati caulis, adeo ut ostiola olitoria ex his factitari prodiderint. ℙ Scribitur et *holitorius*. V. OLUS.

OLĪVA, ae, f. ἐλαία, fructus oleae. *Plin.* 15, 3, 3. Olivae constant nucleo, oleo, carne, amurca: et *mox*: Suus olivae succus oleum est: idque praecipue ex immaturis intelligimus. *Colum.* 2, 22. Olivas conditui legere. *Hor. Epod.* 2, 55. lecta de pinguissimis Oliva ramis arborum. ℙ Item ipsa arbor. *Cic. N. D.* 2, 8. Si ex oliva modulate canentes tibiae nascerentur. *Virg. Ecl.* 8, 16. Incumbens tereti Damon sic coepit olivae. *Id. G.* 2, 425. pinguem, et placitam paci nutritor olivam. V. OLEAGINEUS, ubi et de coronis ex oliva dictum est. ℙ Fuit sacra Minervae. V. OLEA. ℙ **Ad Olivam* locus fuit Mauretaniae Caesariensis. *Ant. Itin. B. A.*

OLĪVANS, antis, part. ab inus. *olivo:* olivas colligens. *Plin.* 15, 3, 3. Olivantibus lex antiquissima fuit: oleam ne stringito, neve verberato.

OLĪVĀRĪUS, a, um, adj. ἐλαιηρός, ad olivam pertinens, olearius. *Colum.* 12, 49. *extr.* Olivariae metretae. Al. leg. *oleariae. Pomp. Dig.* 33, 7, 21. Molae olivariae.

OLĪVĒTA, ae, f. olivitas. *Fest.* V. OLIVINA.

OLĪVĒTUM, i, n. ἐλαιών, locus olivis consitus, oletum. *Cic. N. D.* 3, 36. Vineta, segetes, oliveta. *In tabula auctionis* ap. *eund. Agr.* 2, 25. Jugera CC., in quibus olivetum fieri potest. *Plin.* 17, 18, 30. Olivetum putare. *Colum.* 5, 9. *med.* Meminisse convenit veteris proverbii, eum, qui aret olivetum, rogare fructum; qui stercoret, exorare; qui caedat, cogere.

OLĪVĪFER, ra, rum, adj. ἐλαιοφόρος, olivarum arborum ferax. *Virg. A.* 7, 711. oliviferaeque Mutuscae. *Ov. Fast.* 3, 151. Primus oliviferis Romam deductus ab arvis Pompilius, *h. e.* Sabinis. *Mart.* 12, 99. Olivifera corona, *h. e.* ex oliva. *Stat. Th.* 4, 227. et oliviferi Eurotae Dura manus. Alii leg. *oloriferi*, nam Eurotas a *Theognide v.* 789. dicitur δοναχοτρόφος, arundinifer, quales amnes amant olores. Sed *Virg. Ecl.* 6, 83. lauros ad Eurotam memorat.

OLĪVĪNA, ae, f. reditus olei, vel olei maxima copia, vel cella olivaria. *Pl. Ps.* 1, 2, 76. Cujus amatores domi olivinam habent maximam. Alii rectius leg. *olivi dynamin domi habent maximam.* Est autem *dynamis* Graece δύναμις, vis, copia. Alii *olivitam*, sc. pro *olivetam*, seu *olivitatem*, de qua *Festus:* Olivetam antiqui dicebant, cum olea colligebatur; ut messem, cum frumenta; vindemiam, cum uva.

OLĪVĪTAS, atis, f. olivarum proventus, collectio, et legendarum tempus, olcitas. *Varr.* ap. *Non.* 2, 611. Omnis cum lucerna combusta est in lucubrando, olivitasque consumpta est. *Colum.* 1, 1. Regiones, mitigato frigore, largissimis olivitatibus, Liberique vindemiis exuberant. *Id.* 12, 50. Media est olivitas plerumque initium mensis Decembris.

OLĪVĪTOR, oris, m. qui olivas arbores colit. *Sidon. ep.* 2, 9. Colles exercentur vinitori, et olivitori. *Appul. Flor. n.* 15. Ager fecundior oliveto, nec vinitori, nec olivitori scalpitur. Al. rectius leg. *olitori.*

*OLIVŪLA, ae, f. portus Liguriae, medio inter Portum Herculis Monoeci Nicaeamque loco. *Ant. Itin. B. A.*

OLĪVUM, i, n. ἔλαιον, oleum ex olivis. Vox fere poetica. *Lucr.* 2, 391. subito per colum vina videmus Perfluere: at contra tardum cunctatur olivum. *Virg. Ecl.* 5, 68. Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi. *Hor. Sat.* 2, 4, 50. pisces perfundere olivo. *Val. Fl.* 6, 358. bovis exuvias multo frangere olivo. *Ov. Met.* 10, 176. Corpora veste levant, et succo pinguis olivi Splendescunt. Adde *Pl. Ps.* 1, 3, 67., *Mart.* 4, 90., *Sil.* 14, 137., *Pers.* 2, 64. etc. Prosae scriptorem, qui usurpaverit, praeter *Appul. Met.* 9., inveni adhuc neminem. ℙ Pro unguento *Catull.* 6, 8. Sertis, ac Syrio fragrans olivo. *Prop.* 3, 15, 31. Levis odorato cervix manabit olivo.

*OLIZON, onis, Ὄλιζων, Thessaliae opp., in Magnesia. *Plin.* 4, 9. *B. A.*

OLLA, ae, f. χύτρος, vas plerumque fictile ad coquendum, aut servandum: cujus varios usus ex subjectis exemplis colliges, et ex iis, quae in AULA, quae idem significat, dicta sunt. *Varr.* ap. *Non.* 15, 1. Oculis observare ollam pultis, ne aduratur. *Cic. Fam.* 9, 18. Ollam denariorum implere. *Colum.* 22, 43. *f.* Ternae, aut etiam quaternae uvae, pro capacitate vasorum, in ollas demittuntur; et *f.* Bibulas, aut male coctas ollas emere. *Id.* 8, 8. Olla fictilis. *Inscr.* ap. *Mur.* 917, 11. Olla ossuaria. *Mart.* 12, 32. plena turpi olla resina, Summoenianae qua pilantur uxores. *Plin.* 37, 10, 54. Achates in olla plena olei cocta. *Id.* 30, 9, 23. Sal cum vipera crematum in olla nova. *Id.* 17, 10, 11. Pineae seruntur nucleis septenis fere in ollas perforatas additis. *Id.* 15, 22, 24. Nuces conditas ollis in terra servari virides. ℙ Etiam ex aere ollae fiebant. *Avien. fab.* 11. Arripiens *(flumen)* geminas ripis cedentibus ollas, Aere prior fusa est, altera ficta luto. V. OLLARIUS. ℙ Saepe fit mentio ollarum sepulcralium, quibus pauperiorum cineres condebantur, in *vet. Inscr.*, ut ap. *Grut.* 865, 10. Claudia Aphro*disia* V. A. XXV. L. Antonius Pothus ollam cum titulo benemerenti; et 883, 15. Ita decreverunt locum L. Sempronii O. L. Hilari, et ollas V. dari, adsignari, etc. Ap. *Reines. cl.* 16. *n.* 53. Cn. Manlius Sotericus fecit scholam ollarum XX. sibi et suis, *h. e.* sepulcrum et in eo ollas viginti. V. SCHOLA *f.* ℙ *Fervet olla, vivit amicitia*, ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία, proverbium de parasitis, qui eo usque colunt aliquem, dum coenandi apud illum locus est. *Petr. fragm. Trag.* 38. *Burm.* Sociorum olla male fervet, et ubi semel res inclinata est, amici de medio. ℙ *Ipsa olera olla legit*, aliud ap. *Catull.* 94, 2., quod ita quidam interpretantur, ut originem duxerit a quodam fure, qui olera furtiva auferret, deprehensusque culpam a se in ollam, qua olera exceperat, transtulerit.

OLLAR, aris, n. ollae operculum. *Varr. R. R.* 3, 15. Cum ollar impositum est. Ita legit *Scal.* Alii *cum cumulatim impositum est.*

OLLĀRIS, e, adj. χυτραῖος, ad ollam pertinens, ut *Ollares uvae*, quae in ollis fictilibus conduntur, de quibus *Colum.* 12, 43. *Mart.* 7, 20. Illic et uvae collocantur ollares.

OLLĀRĪUM, ii, n. loculus, in quo olla ossuaria vel una, vel binae, quandoque etiam quatuor reponebantur; idem ac columbarium. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 13. *n.* 60. Q. Canusius Praenestinus maceriam, et ollaria libertis, libertabusque suis fecit. V. plura huc pertinentia ap. *eund.* p. 10. et sqq.

OLLĀRĪUS, a, um, adj. ad ollam pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 630, 9. Domitius Abascantus fusor ollarius. *Plin.* 34, 9, 20. Novissima aeris temperatura est, quae vocatur ollaria, vase nomen hoc dante, ternis aut quaternis libris plumbi argentarii in centenas aeris addi.

OLLIC pro illic, ut olli pro illi. *Paul.* ex *Festo.*

[OLLĪCŪLA, ae, f. dimin. ollae. *Theod. Prisc.* 4, 1. *med.* In cacabo aquae ferventis deponitur alia ollicula aerea. *F.*]

[OLLĪCŪLĀNI, orum, m. plur. populi in Latio, ab Ollicula, vel Olliculo oppido quodam ceteroquin ignoto sic nuncupati. Horum meminit *Plin.* 3, 5, 9. *f. F.*]

*OLLĪUS, i, m. fluvius, in jugis Rhaeticis ortus, in Padum influens, idque per Sevinum lacum. *Plin.* 2, 103. *B. A.*

OLLŪLA, ae, f. dimin. ollae, χυτρίον. *Varr. R. R.* 1, 54. Inde uva in ollulas addatur. *Appul. Met.* 2. Quam pulcre ollulam istam intorques! *h. e.* circumfers.

OLLUS, a, am, pronom. idem quod ille, illa, illud, sed apud antiquos. *Varr. L. L.* 6, 3. Apud Ennium, Olli respondet suavis sonus Egeriai. Olli valet dictum illi, ab olla, et ollus, quod alterum comitiis cum recitatur, a praecone dicitur, olla centuria, non illa: alterum apparet in funeribus indictivis, cum dicitur, ollus leto datus est. *Cic. Leg.* 2, 9. Nocturna mulierum sacrificia ne sunto, praeter olla, quae, etc. *Lucr.* 6, 207. Flammeus est plerumque colos et splendidus ollis. *Virg. A.* 1, 258. Olli subridens hominum sator atque Deorum; et *ib.* 5, 197. olli certamine summo Procumbunt. *Quint.* 8, 3. *med.* Propriis verbis dignitatem dat antiquitas: namque et sanctiorem, et magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat usurus: eoque ornamento acerrimi judicii P. Virgilius unice est usus: *olli* enim, et *quianam*, et *mis*, et *pone*, pellucent, et aspergunt illam, quae etiam in picturis est gratissima, vetustatis inimitabilem arti auctoritatem. Sed utendum modo, nec ex ultimis tenebris repetenda. Haec *Quint.*

*OLMA, ae, f. ebulo apud Dacos. *Appul. de herb.* 91. *B. A.*

OLO, is. V. OLEO.

OLOES. *Festus:* Ab oloes, dicebant pro ab illis, antiqui enim litteram non geminabant.

*OLOESSA, ae, Ὀλόεσσα, i. e. exitialis, antiquitus dicta est Rhodos insula. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

OLOLYGON, ōnis, m. ὀλολυγών, clamor ranarum marium, feminas ad coitum evocantium. *Plin.* 11, 37, 65. Ranis prima lingua cohaeret intima, absoluta a gutture, qua vocem mittunt mares, quam vocant ololygonem. *Hard.* minus recte leg. *cum vocantur ololygones.*

*OLOPHYXUS vel Olophyxos, i, Ὀλόφυξος, Macedoniae oppidum, in Chalcidica, ad montem Athon. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

OLOR, oris, m. κύκνος, idem qui cycnus. Quidam putant esse Graecam vocem, alii Latinam. V. *Voss.* in *Etym. Plin.* 10, 23, 32. Olorum morte narratur flebilis cantus (falso ut arbitror) aliquot experimentis. *Ov. Her.* 7, 1. Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis Ad vada Maeandri concinit albus olor. *Virg. Ecl.* 9, 35. Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinna Digna, sed argutos inter strepere anser olores. *Mart.* 1, 54. Inter Ledaeos ridetur corvus olores. *Id.* 8, 28. Olor Spartanus. *Stat. Silv.* 1, 2, 142. Amyclaeos ad frena citavit olores. *Val. Fl.* 6, 102. Olores nivei. *Hor. Od.* 4, 1, 10. purpurei. *Sil.* 13, 116. Quae candore nivem, candore anteiret olores. V. CYCNUS. ℙ Item odor: ab *oleo, es*: cum hoc tamen discrimine, quod *odor* fere de bono, *olor* fere de malo dicitur. *Appul. Met.* 1. Ille olore spurcissimi humoris perfusus; et *mox:* Causas coepit hujus oloris comiter inquirere. *Arnob.* 2, 85. Ut non alios sapores, alios olores, alios colores habere debuerint. Al. leg. *odores*; et *mox:* Amara sunt elementa, vel dulcia? odoris sunt alicujus, vel oloris. Al. rectius leg. *coloris.* Etiam ap. *Pall.* 1, 19 et 33. in MSS. legitur *olor:* in editis non item.

OLORĪFER, ra, um, adj. *Claud. ep. ad Seren.* 12. Cycnus oloriferi venit ab amne Padi, *h. e.* ubi plures olores habitant. V. OLIVIFER.

OLORĪNUS, a, um, adj. ad olorem pertinens. *Virg. A.* 10, 187. Olorinae pennae. *Ov. Met.* 10, 718. alae. *Stat. Silv.* 3, 4, 45. de Venere: leves secum ipsa per auras Tollit, olorinaque jubet considere biga. *Plin.* 37, 10, 59. Gasidanem (*gemmam*) Medi mittunt, coloris olorini, *h. e.* albi. *Hard.* leg. *orobini.* [*Inscr.* ap. *Grut.* 99, 3. Munus olorino de Jove Leda dedit. *Fabrett.* corrigit *tulit* pro *dedit*, scil. de Jove in cycnum converso. *F.*]

[OLOSĒRĪCUS, a, um, adj. idem ac holosericus. Ita porro sine adspiratione scribitur in *Edict. Diocl. l. c.* in APERTURA. *F.*]

OLOSTRAE, arum, m. plur. Indorum gens. *Lucan.* 3, 249. Tum furor extremos movit Romanus Olostras. Adde *Plin.* 6, 20, 23. Ap. *Lucan.* al. aliter leg.

[OLPE, es, f. ὄλπη, lecythus, ampulla olearia. Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1195, 7. Diis Manibus Olpes Pannichis filiae piissimae fecit. *F.*]

OLVATĪUM, Antistius Labeo ait esse mensurae genus. *Paul.* ex *Festo.* Censet *Scal.* legendum *olusatrum*, et interpretationem corruptam esse. Alii *olvatium* retinent, et esse ajunt, quod in olla coctum est, ut *testuatium* ap. *Varr.* quod in testa, seu sub testu.

*OLŪROS vel Olurus, i, Ὄλουρος, Achaiae oppidum, non procul a Pellene. *Plin.* 4, 5. *Mela* 2, 3. *B. A.*

OLUS et Holus, ĕris, n. λάχανον, omnis herba sativa, quae in cibum hominum venit. Volunt esse ab *oleo*, cresco. Unde recte sine adspiratione scribitur, probante *Martinio* in *Lexico*, et *Cellar.* in *Orthogr.*, item *Varr.* qui *L. L.* 4, 22. ducit ab *olla*, seu, ut olim scribebant, *ola*, in qua coquuntur. Quae notatio si vera esset, dicerentur *olera* proprie, quae cocta eduntur, ut *acetaria*, quae cruda. *Manut.* et *Dausqu.* scribi volunt cum adspiratione, quibus favent *Festus*, qui docet, *helus* olim pro *holus* dictum esse, et *Scal.* qui ab ὅλος deducit, et fragmentum veteris Calendarii ap. *Grut.* 134., ubi *forum holitorium* habetur, et *Non.* qui 8, 57. et 17, 2. et *Prisc.* qui 6, 722. ita scribunt. [Item *holitor* in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 529. *F.*] Fuit quotidianus antiquorum victus, qui frugali tenuique mensa contenti, parvo coemptos cibos adamaverunt. Crescentibus inde divitiis, invectoque carnium et piscium usu, pauperiorum coenas instruxit. *Hor. Sat.* 2, 1, 74. donec Discoqueretur olus. *Id. Ep.* 2, 2, 168. Emptum coenat

olus; et *ib.* 1, 17, 13. Si pranderet olus patienter, regibus uti Nollet Aristippus, si sciret regibus uti, Fastidiret olus, qui me notat. *Pers.* 6, 19. solis natalibus est qui Tingat olus siccum muria vafer in calice empta. *Plin.* 22, 22, 38 et 39. Olus silvestre, *h. e.* herba edulis quidem, sed non sativa. ℙ De rapis, eorumque foliis. *Colum.* 2, 10. *med.* Magis utilia rapa sunt, quia non hominem solum, verum etiam boves pascunt praecipue in Gallia, ubi hiberna cibaria praedictis pecudibus id olus praebet. ℙ Per antonomasiam dicitur de brassica, quia haec veteribus usitatissima. *Varr. R. R.* 1, 16. *extr.* Vitis adsita ad olus. *Virg. Mor.* 72. Hic olus, hic late fundentes brachia betae, Fecundusque rumex, malvaeque, inulaeque virebant. *Plin.* 27, 8, 30. Folia trita, cocta cinere in folio oleris; et 28, 11, 47. Fel caprinum assumunt ad palpebras cum succo oleris. *Id.* 29, 4, 25. et 32, 9, 31. Olus marinum, *h. e.* brassica marina. Loca etiam allata *Horatii*, et *Persii* de brassica commode intelliguntur. ℙ *Multa Syrorum olera*, *πολλὰ Σύρων λάχανα*, proverb. Graecum, quia Syria in hortis operosissima est, inquit *Plin.* 20, 5, 16. ℙ *Olerorum* in plural. genitivo pro *olerum*, dixit *Lucil.* ap. *Non.* 8, 57. et *oleris* pro *oleribus*, *Cato R. R.* 149. Oleris, asparagis, lignis, etc.

[OLUS, i, m. idem ac Aulus, est praenomen R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 239, 1. Olus Terentius Pudens. Alia ap. *Fabrett.* p. 26. *n.* 118. O. Tertullo filio O. Tertullus. ℙ *Olus* vocatus fuit is, cujus caput ex ejus sepulcro effossum Capitolio urbis Romae nomen dedit. V. CAPITOLIUM. *F.*]

OLUSATRUM, olusatri, et Olus atrum, oleris atri, n. *ἱππομάρατον*, herba mirae naturae, inquit *Plin.* 19, 8, 48., e lacrima caulis sui nascitur. Seritur et radice. Succum ejus colligunt, et myrrhae saporem habere dicunt: auctorque est Theophrastus, myrrha sata natum. *Id. ib.* 12, 62. Libanotis radicem habet olusatri. *Colum.* 11, 3. *med.* Circa Vulcanalia optima satio napi, et siseris, nec minus oleris atri. *Id.* 10, 123. olus pullum vocat. *Id.* 11, 3. *med.* Atrum olus, quod Graecorum quidam vocant *ἱππομάρατον*, nonnulli *ἀμύριτον*, pastinato loco semine debet conseri, maxime juxta maceriam, quoniam et umbra gaudet, et qualicumque convalescit loco: idque cum semel severis, si non totum radicitus tollas, sed alternos frutices in semen submittas, aevo manet, parvamque sarritionis exigit culturam. V. SMYRNION. [*Smyrnium olusatrum. *L.*]

OLUSCULUM, i, n. dimin. *oleris:* pauca olera, vel minuta. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* In filicatis lancibus, et splendidissimis canistris olusculis nos soles pascere. *Hor. Sat.* 2, 6, 64. Uncta satis pingui ponuntur oluscula lardo. *Juven.* 11, 78. Curius, parvo quae legerat horto, Ipse focis brevibus ponebat oluscula, quae nunc Squalidus in magna fastidit compede fossor.

OLYBRIACUS, a, um, adj. ad Sex. Anicium Olybrium pertinens, qui una cum fratre Sex. Anicio Probino consul fuit ann. a Chr. n. CCCXCV., quibus carmen seu panegyrin *Claudianus* inscripsit. *Prud. in Symm.* 1, 556. Quin et Olybriaci generisque, et nominis heres.

[OLYMPĒNUS, a, um, adj. ad Olympam pertinens, Lyciae urbem, quae ad montem cognominem sita erat, et nunc *Porto Venetico* appellatur. Hinc *Olympeni*, *orum*, incolae illius urbis. *Cic. Agr.* 1, 2. Jubent venire agros Attalensium, atque Olympenorum. *F.*]

OLYMPIA, ae, f. *Ὀλυμπία*, terrae tractus et pars agri Pisaei in Peloponneso, per quem fluit Alpheus amnis. In eo erat templum Jovis Olympii, certamine gymnico, et singulari sanctitate, ipso quidem simulacro, quod Phidiae opus est, maxime nobile. *Mela* 2, 3., *Plin.* 2, 103, 100., et 4, 5, 6. et 7, 47, 48. et 29, 6, 34. Sic *Cic. Or.* 3, 32. Eleus Hippias cum Olympiam venisset, maxima illa quinquennali celebritate ludorum. V. OLYMPIAS. *F.*]

OLYMPIACUS, a, um, adj. ad Olympiam, et Olympios ludos pertinens. *Auct. ad Her.* 4, 3. Quasi si quis ad Olympiacum venerit cursum. *Virg. G.* 3, 49. Seu quis Olympiacae miratus praemia palmae. *Just.* 13, 5. Litterae recitatae praesente universa Graecia, in mercatu Olympiaco. *Suet. Ner.* 25. Corona Olympiaca. *Lucan.* 4, 614. Olympiacae servato more palaestrae. *Stat. Th.* 6, 554. Olympiaci rami, *h. e.* oleaster. V. OLEASTER.

[OLYMPIANUS, a, um, adj. idem ac Olympius. *Marcell. Empir.* 35. *med.* Chalasticum Olympianum, ceratorium insigne. Fortasse ita fuit appellatum, quia ejus usus praecipue erat apud eos, qui in Olympicis certaminibus exercebantur. *F.*]

OLYMPIAS, adis, f. *Ὀλυμπιάς*, spatium annorum quatuor, vel, ut quidam tradunt, quinquaginta mensium, ex eo ita dictum, quod juxta Olympiam Pisaei agri, mox Pisa ab Eleis eversa, Elidis parvam regionem, quinto quoque anno ineunte fierent certamina gymnica in honorem Jovis Olympii. Graeci enim tempora per Olympiadas supputare coeperunt, ita numerantes, Olympiadis primae, aut secundae, aut centesimae anno primo, vel secundo, vel tertio, vel quarto. Atque ut consules, ita et in Olympiis victores *iterum*, et *tertium* dicebantur. Initium Olympiadum est XXIII. annis ante urbem R. conditam, secundum alios XXV., sunt etiam qui aliter computant, ut est in ducendis temporum rationibus multiplex et varia, valdeque incerta sententia. *Vell.* 1, 8. Sexta Olympiade, post duos et viginti annos, quam prima constituta fuerat, Romulus Martis filius Romam urbem Parilibus in Palatio condidit. *Plin.* 2, 8, 6. Olympiade circiter XXXII. qui fuit urbis Romae annus CXIII. (*Hard.* corrigit XCIII. V. ejus notas; rectius vero *Brotier.* legit *Olympiade Circiter LII. qui fuit urbis R. annus CCXXII.*) *Id. ib.* 12, 9. Olympiadis XLVIII. anno quarto. *Manil.* 3, 592. numero nisi deesset Olympias una. ℙ Poetae, qui liberiore licentia uti solent, Olympiadem pro lustro accipiunt, *h. e.* quinque annorum spatio. *Ov. Pont.* 4, 6, 5. In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est: Jam tempus lustri transit in alterius. *Mart.* 7, 40. de Etrusco patre: His prope ter senas vidit Olympiadas. *Stat. Silv.* 3, 3, 146. de eodem Etrusco: Dextra bis octonis fluxerunt saecula lustris, Atque aevi sine nube tenor. ℙ *Olympias*, *ae*, m. *Ὀλυμπίας*, est ventus Euboeae proprius, qui et Argestis, ut Lapyx et Atabulus Apuliae. *Plin.* 2, 47, 46. et 17, 24, 37. *n.* 8. ℙ Est et nomen filiae Neoptolemi regis Molossorum, quae Philippo Macedoni nupsit, et Alexandrum M. peperit. *Just.* 7, 6. et 9, 7., *Cic. N. D.* 2, 27., *Div.* 1, 23. et *ib.* 2, 66. ℙ Denique *Olympiades* dictae sunt Musae, quia Olympum colere credebantur. Etiam ap. *Hom. Il.* 2, 491. *Ὀλυμπιάδες Μοῦσαι. Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 2. *med.* Musae quae magnum pedibus pulsatis Olympum. *Varro ib.* Coelum dicunt Graeci Olympum, montem eum in Macedonia omnes, a quo potius puto dictas Musas Olympiadas. (Adde *R. R.* 3, 16.) *Mela* 2, 3. Hinc non longe est Olympus, Pelion, Ossa, montes gigantum fabula belloque memorati: hic Musarum parens domusque Pieria.

OLYMPICUS, a, um, adj. ad Olympiam, et ludos Jovis Olympii pertinens. *Hor. Od.* 1, 1, 3. Sunt quos curriculo pulverem Olympicum Collegisse juvat. *Sen. Thyest.* 131. Alpheus stadio notus Olympico. *Val. Max.* 8, 7. *n.* 2. *extr.* et *Just.* 12, 16. Olympicum certamen. ℙ *Olympicum* pro *Olympicarum* habet *Pl. Trin.* 2, 4, 23.

[OLYMPIEUM, i, n. *Ὀλυμπιεῖον*, templum Jovis Olympii. *Vell.* 1, 10. Antiochus Epiphanes, qui Athenis Olympieum inchoavit, etc. V. OLYMPIUS. *F.*]

[OLYMPINUS, a, um, adj. idem ac Olympius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1226, 4. Cornelia Olympina. *F.*]

*OLYMPIODORUS, i, m. *Ὀλυμπιόδωρος*, nomen tibicinis, qui Epaminondam docuit cantare tibiis, uti auctor est *Nep. Ep.* 2. *B. A.*

OLYMPIONICES, ae, m. *Ὀλυμπιονίκης*, qui in Olympiaco certamine victor evasit: ab *Olympia*, et *νίκη*, victoria. *Cic. Fl.* 13. Quid, si etiam occisus est a piratis Adramytenus homo nobilis, cujus est fere nobis omnibus nomen auditum, Acinas pugil, Olympionices? Hoc est apud Graecos (quoniam de eorum gravitate dicimus) prope majus et gloriosius, quam Romae triumphasse. *Id. Tusc.* 1, 46. Cum Rhodius Diagoras, Olympionices nobilis, uno die duos suos filios victores Olympiae vidisset; et *mox:* Permagnum existimans, tres Olympionicas una e domo prodire. ℙ Adjective. *Colum.* 3, 9. Nos quoque velut Olympionicarum equarum, ita feracissimarum Aminearum seminibus electis, largae vindemiae spem capiamus.

[OLYMPISCUS, i, m. dimin. Olympionis servi, qui blandiendi causa Olympiscus dicitur ap. *Pl. Cas.* 3, 6, 14. Obsecro, Olympisce mi, mi pater, mi patrone. *F.*]

OLYMPIUS, a, um, adj. *Ὀλύμπιος*, ad Olympum montem, vel Olympiam regionem pertinens. *Olympius Juppiter* ita dictus est, quia ut ait *Lact.* 1, 11., in monte Olympo maximam partem vitae colebat: alii quia in coelo regnat, qui Olympus a poetis dicitur: alii, quia prope Olympiam nobile templum habuit. Ibi enim ludos ei celeberrimos post quartum quemque annum, Graeciae totius conventu, Hercules primum instituit, Augia Elidis tyranno superato (alii Pelopem auctorem faciunt, aut Atreum ejus filium. *Vell.* 1, 8.) deinde Iphitus intermissos instauravit: qui proinde *Olympia*, *orum*, dicti sunt. V. ELEUS. In iis Graeca juventus cursu, saltu, disco, pugilatu, palaestra per dies quinque se exercebat: victores oleastro coronabantur, tantusque eis honos habebatur, ut non per portas urbis patriae, sed per muri ruinam aditu patefacto, sublimes in curru ad proprios lares reverterentur. V. ISELASTICUS. *Cic. Brut.* 69. Pugiles etiam si pugnos et plagas, Olympiorum cupidi ferre possunt, solem tamen saepe ferre non possunt. *Id. Div.* 2, 70. Cursor ad Olympia proficisci cogitans, visus est in somnis curru quadrigarum vehi. *Enn.* ap. *cund. Sen.* 5. Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo Vicit Olympia. *Hor. Ep.* 1, 1, 49. Quis circum pagos, et circum compita pugnax Magna coronari contemnat Olympia? *Just.* 7, 2. *extr.* Olympium certamen. *Liv.* 28, 7. *med.* Olympiorum solemne ludicrum parantes Elei. ℙ Olympii Jovis templum fuit etiam Syracusis: de quo *Liv.* 24, 21. et 33. item Athenis, de quo *Suet. Aug.* 60. ℙ *Olympia equa* ap. *Plin.* 28, 11, 49. est, quae in Olympiis decucurrit. ℙ *Olympii* cogn. a Graecis datum est excellentibus viris, et in coelum transferri dignis, ut Pericli oratori ap. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 14. et *Val. Max.* 5, 10. *n.* 1. *extr.*, item Romanis quibusdam imperatoribus divinos honores affectantibus, praesertim qui aliquos ex majoribus inter Deos per consecrationem relatos haberent, quasi jure quodam hereditario coelum iis deberetur, ut Hadriano et Commodo, ut docet *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 518. ℙ *Olympium*, *ii*, n. *Ὀλύμπιον*, est templum Jovis Olympii, idem ac *Olympieum*, quam vocem vide suo loco. *Liv.* 24, 33. Romanus exercitus ad Olympium, Jovis id templum est, mille et quingentos passus ab urbe (*Syracusis*) castra posuit.

OLYMPUS, i, m. *Ὄλυμπος*, mons insignis altitudinis, adeo ut ejus cacumen nubes excedat: quasi *ὅλος λάμπων*, totus lucens. Est hoc nomine in Bithynia, *Plin.* 5, 32, 43. ad cujus radices Prusa urbs: item in Lesbo, *Id. ib.* 31, 39., item in Lycia, *Id.* 21, 6, 17., item in Ionia non longe a Smyrna, *Id.* 5, 29, 31. *med.*, item in Mysia, *Id. ib.* 32, 40. et *Mela* 1, 19., item in Peloponneso, prope Arcadiam, si *Servio* credimus, qui ad *A.* 8, 352. scribit, primum Aeacum in Arcadia templum Jovi constituisse, non longe a monte Olympo. Sed praecipue celebratur a poetis mons Thessaliae, eam a Macedonia disterminans, Ossae vicinus, et Pelio, quibus alio super alium impositis Gigantes Diis bellum intulisse fabulati sunt. *Plin.* 4, 8, 15., *Mela* 2, 3., *Lucan.* 2, 271. et *Virg. G.* 1, 282. In hoc monte lupos non esse, *Plin.* tradit 8, 58, 83. ℙ Saepe a poetis pro coelo ponitur. *Virg. Ecl.* 6, 86. invito processit vesper Olympo. *Id. G.* 1, 96. Flava Ceres alto nequidquam spectat Olympo. *Id. A.* 9, 106. de Jove: Annuit et totum nutu tremefecit Olympum; et *ib.* 6, 579. Olympus aetherius. *Sen. Herc. Oet.* 1907. stelliger. ℙ Est etiam sedes Musarum. V. OLYMPIAS. ℙ Denique nomen est viri proprium, hoc est Marsyae discipuli, qui tibiarum cantu cum Pane certavit, et in ludis Acasti victor eodem certamine fuit, ut *Hyg. fab.* 273. narrat. Hic praeceptorem suum ab Apolline excoriatum sepulturae tradidit. *Ov. Met.* 6, 393. et *Pont.* 3, 3, 42., *Hyg. fab.* 165. et *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 8.

OLYNTHIUS, a, um, adj. *Ὀλύνθιος*, ad Olynthum pertinens, quae est urbs Thraciae in Sithonia regione, inter Athon et Pallenem. *Plin.* 4, 11, 15. et *Mela* 2, 2. *f.* et *Sen. Controv.* 5, 34. ℙ *Olynthia*, *ae*, f. regio, sive ager circa Olynthum positus. *Varr. R. R.* 1, 44. In Olynthia quotannis restibilia esse dicunt, sed ita ut tertio quoque anno uberiores ferant fructus. ℙ *Olynthii*, *orum*, sunt Olynthi incolae. *Nep. Timoth.* 1. et *Just.* 8, 3.

OLYRA, ae, f. *ὄλυρα*, genus frumenti, quod *Plin.* 18, 10, 20. *n.* 3. et 22, 25, 57. idem esse docet cum arinca, et ab *Homero*, *ὄλυραν* cum dixit (*Iliad.* 5, 196. et 8. *f.*) arincam significari. Quidam putant esse *scandella*. *Id.* 18, 7, 11, Far in Aegypto ex olyra conficitur. *Id.* 22, 25, 57. Ex olyra decocta fit medicamentum, quod Aegyptii atheram vocant, infantibus utilissimum: sed et adultos illinunt eo.

*OLYROS (us), opp. Boeotiae. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

OLYSSIPO. V. OLISIPONENSIS.

O M

OMA. V. ONA.

*OMANA, oppidum Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

*OMANI, orum, populi Arabiae Felicis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

OMASUM, i, n. *Gloss. Philox.* Omasum, *βόειον κόπρον λιπαρὸν, τῇ τῶν Γάλλων γλώττῃ*, *h. e.* frustum pingue bubulae carnis, Gallorum lingua: item *ἔχινος*, venter bubulus, h. e. ut opinor, intestina bubula, quae Itali *trippe* et *busecchie* dicunt: fortasse est ab *omentum*. Unde alii intelligunt intestinum bubulum crassius, et pinguius: quod erat apud plebejos in cibo gratissimum. *Plin.* 8, 45, 70. Damnatus a populo, die dicta, qui concubino procaci rure omasum edisse se negante, occiderat bovem. *Hor. Ep.* 1, 15, 34. patinas coenabat omasi, Vilis et agninae. *Plin.* 28, 10, 45. Omasi jure poto venena expugnari putant. ℙ Pro ipso ventre. *Hort. Sat.* 2, 5, 40. pingui tentus omaso Furius.

*OMBITES NOMOS in Aegypto fuit, circa Ombos Thebaidis urbem. *Plin.* 5, 9. *B. A.*

OMBRIA, ae, f. *ὄμβρία*, gemmae species, quam nonnulli notiam vocant, quae cum imbribus, et fulminibus fertur in terram decidere, quemadmodum ceraunia et brontia: et eundem, quem illae, effectum habet. *Plin.* 37, 10, 65.

[OMBRĪI, orum, m. plur. Ὄμβριοι, h. e. pluviales, populi Italiae. *Plin.* 3, 14, 19. Umbrorum gens antiquissima Italiae existimatur, ut quos Ombrios a Graecis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent. *F.*]

*OMBRĪOS, i, una ex insulis Fortunatis. *Plin.* 6, 32. Adde *Solin.* 56. (al. 70.) *B. A.*

ŌMEN, inis, n. οἰωνός, proprie est augurium, quod hominum ore fit, ut explicat *Cic. Div.* 1, 45. quasi *oremen*, inquit *Fest.* Etiam *Varro L. L.* 5, 7. *extr.* ab ore derivat. Sed accipitur etiam pro quovis auspicio, et augurio sive laeto, sive tristi. *Cic. l. c.* Neque solum Deorum voces Pythagoraei observaverunt, sed etiam hominum, quae vocant omina, quae quia valere censebant majores nostri, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset, praefabantur. *Id. Phil.* 11, 5. Hoc detestabile omen avertat Jupiter. *Id. Har. resp.* 20. Quod Dii omen obruant. *Virg. A.* 2, 190. quod Dii prius omen in ipsum Convertant; et *ib.* 178. Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis, Omina ni repetant Argis. *Ov. Met.* 5, 550. Bubo dirum omen mortalibus. *Liv. praef.* 1. *f.* Cum bonis ominibus aliquid incipere. *Hor. Od.* 3, 11, 50. Ire secundo omine. *Cic. Div.* 1, 46. Omen capere. *Id. Fam.* 3, 12. Faustis ominibus prosequi, *h. e.* precationibus. *Ov. Amor.* 3, 12, 1. tristia semper amanti Omina non albae concinuistis aves. *Prop.* 2, 21, 38. Nigraque funestum concinit omen avis; et 4, 1, 67. date candida, cives, Omina. *Ov. Met.* 10, 453. et *Plin.* 15, 19, 21. Omen facere alicui. *Tac. H.* 1, 86. *f.* Id ipsum a fortuitis vel naturalibus causis in prodigium et omen imminentium cladium vertebatur. [*Ter. Andr.* 1, 2, 28. Verberibus caesum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem, Ea lege atque omine, ut si te inde exemerim, ego pro te molam. *F.*] ℙ *Accipere omen* est fortuitum alicujus dictum in omen faustum vertere rei cujuspiam. *Cic. Div.* 1, 46. L. Paulus, cum ei, bellum ut cum rege Perse gereret, obtigisset, filiolam suam Tertiam osculans, animadvertit tristiculam: quid est, inquit, mea Tertia? mi pater, inquit, Persa periit. Tum ille arctius puellam complexus, accipio, inquit, mea filia, omen, erat autem mortuus catellus eo nomine. *Liv.* 5, 55. Centurio in comitio exclamavit: signifer, statue signum: hic manebimus optime; qua voce audita, senatus accipere se omen exclamavit. Adde 1, 7. Simile est illud *ejusd.* 29, 27. *med.* de Scipione: Quod esset proximum promontorium, percontatus, cum Pulcri promontorium id vocari audisset, placet omen, inquit: huc dirigite naves. V. alia ap. *Val. Max.* 1, 5. ℙ Omina tristia bene multa recenset *Sil.* 8. a *v.* 626., plura *Lucan.* 1. a *v.* 526., aliquot *Appul. Met.* 9. *med.*

ŌMENTĀTUS, a, um, part. ab inus. *omento:* omento involutus, ut Isicia omentata, *Apic.* 2, 1.

ŌMENTUM, i, n. ἐπίπλουν, membrana pinguis, qua intestina involvuntur: fortasse ab ὑμήν, membrana. *Cels.* 4, 1. *med.* Contegit universa haec omentum, ex inferiore parte laeve et adstrictum, ex superiore mollius: cui adeps quoque innascitur. *Plin.* 11, 37, 80. Ventriculus, atque intestina pingui ac tenui omento integuntur. Adde *Sen. Oedip.* 370. ℙ Non membranam solum, sed etiam ipsa viscera, seu exta significat. *Pers.* 2, 47. Tot tibi cum in flammis junicum omenta liquescant. *Juven.* 13, 116. In carbone tuo charta pia tura soluta Ponimus, et sectum vituli jecur, albaque porci Omenta. ℙ Dicitur et de adipe, ac pingui. *Pers.* 6, 74. ast illi tremat omento popa venter. ℙ De membrana, qua involvitur os, et cerebrum. *Macr. Sat.* 7, 9. *med.* Ut os secetur, omentum, quod impositum est ossi, cruciatum, dum sectionem patitur, importat: περιόστεον: et *paulo post:* Cerebrum, quod tactu sui hominem torquet, non suo sensu, sed vestitus sui, idest omenti hunc importat dolorem, *h. e.* durae, ut vocant anatomici, et piae matris.

ŌMĒTIS, idis, f. *Ov. A. Am.* 3, 273. Conveniunt tenues scapulis ometides altis, *h. e.* humerales fasciae: ab ὦμος, humerus. Ita legit et exponit *Turneb.* V. ANALECTIDES.

[ŌMĪNĀLIS, e, adj. idem ac ominosus. *Gell.* 5, 17. Ante diem quoque quartum calendas, vel nonas, vel idus tanquam ominalem diem plerique vitant. Ita habent optimae editiones; alii leg. *inominalem.*

ŌMĪNĀTĬO, onis, f. actus ominandi. *Festus:* Faventia bonam ominationem significat.

ŌMĪNĀTOR, oris, m. qui ominatur. *Pl. Amph.* 2, 2, 90. Ob istuc omen ominator capies, quod te condecet.

ŌMĪNĀTUS, a, um, part. ab *ominor. Liv.* 29, 5. Naves, quae, praedam in Siciliam vexerant, cum commeatu rediere, velut ominatae, ad alteram praedam repetendam sese venisse. *Hor. Od.* 3, 14, 11. male ominatis Parcite verbis. Al. leg. *nominatis.*

ŌMĪNO, as, a. 1. idem ac ominor, ap. veteres. *Pomp.* ap. *Non.* 7, 53. Ita sit et tibi bene, qui recte ominas. *Prop.* 1, 17, 3. Nec mihi Cassiope solito visura carinam Ominat: ingrato littore vota cadunt, *h. e.* nec auguror, nec spero, carinam et nautas visuros Cassiopeae astrum, et alia sidera, quae cursum dirigunt navigantium. Alii rectius leg. *carinam; Omniaque ingrato*, etc.

ŌMĪNOR, aris, dep. 1. οἰωνίζω, omen capio, auguror, futurum aliquid pronuntio. *Cic. Off.* 2, 21. Malo enim alteri, quam nostrae ominari. *Plin. ep.* 4, 15. Optamus enim tibi, ominamurque in proximum annum consulatum. *Vell.* 2, 71. Vera de exitu Antonii ominatus est. *Liv.* 26, 18. Clamore et favore ominati sunt felix faustumque imperium. *Plin.* 28, 2, 5. Primum anni incipientis diem laetis precationibus invicem faustum ominamur. *Suet. Ner.* 48. Clamor militum et sibi adversa, et Galbae prospera ominantium.

ŌMĪNOSE, adv. malo omine. *Quint. decl.* 6, 5. Prorsus ominose retentus.

ŌMĪNOSUS, a, um, adj. δυσοιώνιστος, qui est mali ominis. *Plin. ep.* 3, 14. *f.* Notabilis, atque etiam, ut exitus docuit, ominosa res accidit. *Messala* ap. *Gell.* 13, 14. *f.* Mons avibus obscenis ominosus.

*OMIRAS, ae, sic in Armenia dictus est Euphrates. *Plin.* 5, 24. Occurrit ei *(Euphrati)* Taurus mons, nec resistit (i. e. Euphrates perfringit Taurum) —: Omiram vocant *(Euphratem)* irrumpentem, mox, ubi perfregit, Euphratem. *B. A.*

ŌMISSIO, onis, f. actus omittendi, praetermissio. *Sym. ep.* 3, 48. Istam veluti omissionem laudis suae plus honoris habuisse. Adde *ep.* 10, 62. (al. 70.)

ŌMISSUS, a, um, part. ab *omitto:* παραλειφθείς, praetermissus. *Caes. B. G.* 7, 34. Ut omnibus omissis rebus, huic bello servirent. *Sall. Jug.* 70. Omissa deditione bellum incipit. *Hor. Ep.* 1, 6, 30. Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis Hoc age deliciis. *Tac. H.* 1, 86. Prodigia insuper terrebant: in vestibulo Capitolii omissas habenas bigae, cui Victoria institerat, *h. e.* demissas. [*Suet. Vesp.* 16. omissa vectigalia, i. e. condonata, abrogata, abolita.] ℙ Translate est remissus, negligens, ut qui ea omittit, quae ad rem suam pertinent. *Sall. or. Philippi contr. Lepid.* Pro Dii boni, qui hanc urbem omissa cura adhuc regitis! *Ter. Heaut.* 5, 2, 9. Ubi te vidi animo esse omisso, et, suavia in praesentia Quae essent, prima habere, neque consulere in longitudinem. *Id. Ad.* 5, 3, 44. at enim metuas, ne ab re sint tamen Omissiores paulo. [*V. *Ruhnk.* ad utrumque *Terentii* locum: coll. *Gronov. observv.* 3, 7. §. 478. et 479. p. 236. *ed. Fr.*]

ŌMITTO, is, isi, issum, a. 3. παραλείπω, praetermitto, relinquo, missum facio, praetereo: ex *ob*, et *mitto:* sed tamen primam syllabam corripit. [*De discrimine inter *omitto* et *amitto*, v. quae dicta sunt in h. v. Adde, quae *Doederl.* 3, 285. definite magis distincteque designat: *Omittimus volentes* et *sponte; amittimus inviti et casu.* Quid *dimittere*, *intermittere* differt, v. in hh. vv.] *Liv.* 37, 10. Dixit omnium se rerum apparatum omissurum. *Val. Max.* 5, 10. *n.* 2. *extr.* Nec ideo institutum Deorum cultum omittendum curavit. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Primam navigationem, dummodo idonea tempestas sit, ne omiseris. *Id. Brut.* 76. *f.* Ne ego, ut omittam cetera, doleo, nihil tuam auctoritatem valuisse; et *mox:* Itaque omittamus lugere. *Hor. Ep.* 1, 6, 48. Hoc primum repetas opus, hoc postremus omittas. *Id. A. P.* 44. Pleraque differat, et praesens in tempus omittat. *Suet. Cal.* 14. Ne minimam quidem occasionem quoquam omittente in testificanda sollicitudine, etc. [**Omittere occasionem* est *nolle eam adhibere ideoque negligere.* Taciti exempla collegit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 331.] ℙ Pro cessare, desinere. *Hor. Od.* 3, 29, 11. Omitte mirari beatae Fumum et opes strepitumque Romae. *Pl. Pers.* 3, 3, 26. Jam omitto iratus esse; et 4, 4, 90. Jam de istoc rogare omitte. ℙ Pro abjicere, deponere. *Cic. Off.* 3, 10. Omisit hic et pietatem, et humanitatem, ut id, quod utile videbatur, assequi posset. *Id. Somn. Scip.* 1. *extr.* Omittere timorem. *Liv.* 21, 11. *extr.* arma. *Ter. Ad.* 2, 4, 3. tristitiam; et 4, 7, 36. iracundiam. ℙ Pro dimittere. *Id. Ph.* 1, 2, 91. nunc omitte quaeso hunc. Plerique al. leg. *amitte. Id. Ad.* 2, 1, 18. hem serva, omitte mulierem. *Pl. Mil.* 4, 3, 2. nullo pacto potest Prius haec in aedes recipi, quam illam omiserim. *Nep. Eum.* 9. Certos omittit homines ad infimos montes. Al. leg. *mittit.* ℙ *Omittere animam*, emittere, mori. *Pl. Amph.* 1, 1, 85. Animam omittunt, priusquam loco demigrent. Sic ibi *Taubman.* legendum monet ex MSS. et veterib. editionib., non *amittunt.* [*Etenim *omittere vitam* pertinet ad eum, qui laeto animo diem obit, ut alias *oppetere mortem: amittere* invitum, inopportunum, haud gratum significat, quod hujus loci sententiae parum convenit.] ℙ Silentio praeterire. *Cic. Pis.* 22. De reditu Gabinii omittamus. *Id. Sext.* 24. Omitto gratulationes, epulas, praedam, laetitiam, etc.; et *ib.* 12. Omitto, quid ille tribunus, omnium rerum divinarum humanarumque praedo, fecerit. *Nep. Ann.* 2. Nam, ut omittam Philippum, omnium potentissimus Antiochus fuit. ℙ Est et negligere, spernere, [*curam nullam agere, (etiam in alicujus commodum, unde nonnunquam i. e. q. liberare) mentionem non facere.] *Hor. Ep.* 1, 1, 98. Quod petiit, spernit; repetit quod nuper omisit. *Tac. A.* 6, 45. Quos *(honores)* omiserit, receperitve, in incerto fuit. [*Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 332.]

OMMENTANS: Livius in Odyssea cum ait: in Pylum advenies, aut ibi ommentans; significat obmanens, sed ea significatione, qua saepe fieri dicitur: id enim est mandare. Haec *Festus.*

*OMNAE, arum, opp. Arabiae Felicis, cum emporio. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

OMNĪCĀNUS, a, um, adj. omnia canens, vel semper canens. *Appul. Flor. n.* 13. Philosophi ratio et oratio tempore jugis est, et auditu venerabilis, et intellectu utilis, et modo omnicana.

OMNĪCARPUS, a, um, adj. omnia carpens. *Varr. L. L.* 4, 19. ex *vet. Scriptore:* Omnicarpae caprae.

OMNĪCOLOR, oris, adj. ut Omnicolor pictura, ap. *Prud.* περὶ στεφ. 12, 39.

OMNĪFĀRĬAM, adv. in omnibus partibus: etymon vocis v. in BIFARIAM. *Gell.* 12, 13. *med.* Cum Oceanus omnes terras omnifariam et undique versum circumfluat. *Macr. Sat.* 7, 13. *med.* Senarius numerus omnifariam plenus, perfectus, atque divinus est. *Capitol. M. Aurel.* 11. Gladiatoria spectacula omnifariam temperavit. *Vopisc. Aurel.* 27. Pones profecto supercilium, quo nunc mihi deditionem, quasi omnifariam victor, imperas. *Appul. Met.* 2. Ore undique omnifariam deformato. *Id. Flor. n.* 23. Lapis probe omnifariam complanatus. Adde *Tert. adv. Marc.* 2, 19.

[OMNĪFĀRĬUS, a, um, adj. omnimodus. *Gloss. Philox.* Omnifarius, παντοῖος. V. BIFARIUS. *F.*]

OMNĪFER, ra, rum, adj. παντοφόρος, omnia ferens. *Ov. Met.* 2, 275. Tellus Sustulit omniferos collo tenus arida vultus.

OMNĪFORMIS, e, adj. omnium formarum, παντόμορφος. *Appul. Trismeg.* Mundus receptaculum omniformium specierum. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 339. Verbo creavit omniformem machinam. Adde *Sidon. ep.* 9, 15. *in carm.*

OMNĪGĒNUS, a, um, adj. παντοῖος, omnis generis. *Lucr.* 2, 758. E quibus omnigenos gignunt, variantque colores. *Id.* 5, 440. omnigenis e principiis. *Gell.* 14, 6. Dat mihi librum doctrinis omnigenis praescatentem. *Virg. A.* 8, 698. Omnigenumque Deum monstra, et latrator Anubis: pro omnigenorum. Loquitur autem de Diis Aegyptiorum, apud quos numen erant pisces, canes, porrum, caepe, etc. V. *Juven.* 15, 7. ℙ Item omnia gignens. *Prud. in Sym.* 1, 12. quae Patris ars est omnigeni.

OMNĪMĒDENS, entis, adj. πανάκης, qui omnibus medetur. *Paul. Nol. carm.* 26, 45. cupiens avertere morbos Omnimedens Dominus.

OMNĪMŌDĒ, adv. παντοχῆ, omnibus modis. *Lucr.* 2, 488. Omnimode expertus fueris, quam quisque det ordo, etc. Al. leg. *Omnimodis expertus eris.* [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 2, 1. *f.* Vale, et me, obsecro, omnimode ames qua joco, qua serio. *F.*]

OMNĪMŌDIS, adv. παντοδαπῶς, omnibus modis, ut *multimodis*, multis modis. *Lucr.* 2, 699. Nec tamen omnimodis connecti posse putandum est Omnia: nam vulgo fieri portenta videres. (Adde 1, 683., 3, 407. et al.) *Appul. Flor. n.* 4. Tibicen omnis voculae melleus modulator, et idem omnimodis peritus modificator. Al. leg. *omnis modi.*

OMNĪMŌDO, adv. παντοδαπῶς, omnino, omnimodis. *Sen. Ben.* 2, 1. Evitemus omnimodo, ne deliberasse videamur. *Cels.* 7, 4. *n.* 3. *extr.* Sed non omnimodo res ea desperationem habet. *Gell.* 18, 15. Quod omnimodo quintus semipes verbum finiret. *Pomp. Dig.* 29, 2, 11. Impuberibus liberis omnimodo abstinendi potestas fit. *Lactant.* 6, 12. Tenendum est omnimodo, ut ab officio misericordiae spes recipiendi absit omnino. ℙ Scribi potest etiam divisim.

OMNĬMŎDUS, a, um, adj. παντοδαπός, qui est omnis modi, aut generis. *Appul. Apol.* Cutim vitiligine insignit, et omnimodis maculationibus convariat. *Id. Met.* 5. Eam voculas omnimodas edocens recinere. *Lucr.* 1, 683. Ignis enim foret omnimodus. Al. leg. *omnimodis.*

[OMNĪMORBĬA, ae, f. herba, cujus ita meminit *Isid. Or.* 17, 9. *med.* Polion a Graecis, a Latinis omnimorbia, quod multis morbis subveniat. V. POLION. *F.*]

OMNĪNO, adv. πάνυ, ὅλως, παντελῶς, prorsus, plane, funditus, usquequaque: ab *omnis. Cic. Tusc.* 1, 1. Cum defensionum laboribus, senatoriisque muneribus aut omnino, aut magna ex parte essem aliquando liberatus. *Id. Amic.* 6. Eos omittamus, qui omnino nusquam reperiuntur. *Id. Or.* 2, 13. *extr.* Causas omnino nunquam attigerunt. *Id. Tusc.* 1, 3. Ut non multum, aut nihil omnino Graecis cederetur. *Id. Att.* 3, 23. Clodium sanxisse, ut vix, aut omnino non posset infirmari sua lex. *Enn.* ap. *eund. Or.* 2, 37. *f.* Decrevi philosophari paucis: nam omnino haud placet. *Cic. Balb.* 19. Quae quotidie labore hujus et studio, aut omnino, aut certe facilius consequuntur. *Id. Fam.* 9, 15. *med.* Mihi licere res has non omnino quidem, sed magnam

partem relinquere. *Caes. B. G.* 1, 34. Sibi mirum videri, quid in sua Gallia aut Caesari, aut omnino populo R. negotii esset. ℙ Ponitur et pro solum, tantummodo. *Caes. B. G.* 1, 6. Erant omnino itinera duo, quibus itineribus domo exire possent. *Cic. Quint.* 24. Mihi perdifficile esse, contra tales oratores non modo tantam causam perorare, sed omnino verbum facere conari. *Plin. ep.* 5, 4. Pleraque tacta tantum, et omnino commota, latissime serpunt. ℙ Junctum nominibus numeralibus habet vim v. admodum. *Cic. Cluent.* 28. Quinque omnino fuerunt, qui Oppianicum absolverent. *Caes. B. G.* 4, 19. *extr.* Diebus omnino decem et octo trans Rhenum consumptis. *Cic. Q. Fr.* 2, 1. Sane frequentes fuimus: omnino ad ducentos. *Nep. Pel.* 2. Cum omnino non essent amplius centum, qui tanto se offerrent periculo. ℙ [*Significat etiam *disertis verbis*. *Cic. Tusc.* 5, 9. Non usquam id dicit omnino, sed quae dicit, idem valent.] ℙ Videtur etiam poni pro universim, generaliter. *Cic. Fin.* 5, 11. *med.* De hominum genere, aut omnino de animalium loquor. ℙ In principio sententiae, ut *Off.* 1, 20. Omnino fortis animus et magnus duabus rebus maxime cernitur; et *Amic.* 21. Omnino omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio est, ut, etc. ℙ Adhibetur etiam a poetis. *Virg. A.* 9, 248. Non tamen omnino Teucros delere paratis. *Hor. Sat.* 2, 1, 6. ne faciam, inquis, Omnino versus. *Mart.* 3, 45. Sed nihil omnino, te recitante, placet. *Catull.* 98, 5. Si nos omnino vis omnes perdere. ℙ [*Est *omnino* sequente *sed* etiam concedentis, i. q. *quidem*, nos: *allerdings, aber* etc. *Cic. Off.* 2, 18. restricti omnino esse nullo modo debemus, sed in deligendis idoneis judicium et diligentiam adhibere; et *ib.* 20. Danda opera est omnino — sed. V. ad utrumque locum *Beier.*]

OMNĬPĂRENS, entis, adj. παντοτόκος, qui omnia parit, seu gignit: ab *omnis* et *parens*. *Virg. A.* 6, 595. Nec non et Tityon terrae omniparentis alumnum. Al. leg. *omnipotentis*. *Lucr.* 2, 705. per terras omniparentes. *Appul. Met.* 8. Omnipotens, et omniparens Dea Syria. *Id. de Mundo:* Omniparentis mundi amoenitas. Adde *Nemes. Ecl.* 1, 35.

OMNĬPĂTENS, entis, adj. omnino, vel omnibus patens. *Virg. A.* 10, 1. Panditur interea domus omnipatentis Olympi; et *ib.* 12, 791. rex omnipatentis Olympi. Ita quidam leg, sed invitis MSS. teste *Pierio*, qui ubique *omnipotentis* reperit: invito etiam *Erythraeo*, qui multa in indice hac de re, et *Heynio*, qui plurima attulit ad *l.* prius *c.*

OMNĬPĂTER, tris, m. omnium rerum pater. *Prud.* περὶ στεφ. 3, 70. omnipatremque negare Deum.

OMNĬPĂVUS, a, um, adj. qui omnia timet. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 12. Andreae sectatores memorant esse pantophobos, quos nos omnipavos dicere poterimus.

OMNĬPĔRĪTUS, a, um, adj. omnium peritus. *Albinov.* 2, 110. Viscera directi mutaverat arietis agno Aeetis succis omniperita suis. Al. leg. *omne perita* per hyphen, ὑφ' ἓν.

OMNĬPOLLENS, entis, adj. omnipotens. *Prud. Apoth. praef.* 31. Statum lacessunt omnipollentis Dei.

OMNĬPŌTENS, entis, adj. παντοδύναμος, omnia potens. *Turpil.* ap. *Cic. Tusc.* 4, 34. Teque, omnipotens Neptune, invoco. *Catull.* 64, 171. Juppiter omnipotens. *Val. Fl.* 1, 81. regina, *h. e.* Juno; et 8, 70. Somne omnipotens. *Virg. A.* 8, 334. Fortuna omnipotens, et ineluctabile fatum. *Macr. Somn. Scip.* 1, 17. *med.* et *August. Confess.* 1, 4. Deus ille omnipotentissimus.

OMNĬPŌTENTĬA, ae, f. παντοδυναμία, rerum omnium facultas. *Macr. Sat.* 1, 16. Omnipotentiam quoque Fortunae tribuit.

OMNIS, e, adj. πᾶς, ἅπας, cunctus, universus, unusquisque. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 9. Omnium nomine, quicumque ludos faciunt, pecunia erogatur. *Id. Off.* 1, 35. Ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, fugiamus. *Id. Tusc.* 5, 23. Quis est omnium, qui modo cum musis habeat aliquod commercium, qui non malit, etc? *Id. Or.* 1, 22. Cum te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum aptumque cognossem. *Id. Rabir. perduell.* 7. Omnes omnium ordinum homines. [*Saepissime per abundantiam quandam ita dicitur. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 128.] ℙ Pro quilibet, quicumque. *Caes. B. G.* 5, 6. Omnibus precibus petere contendit, ut, etc. [*i. e. omnis generis: nos: *inständigst.*] *Hor. Ep.* 1, 5, 2. Nec modica coenare times olus omne patella. ℙ Interdum substantivi naturam induit. *Cic. Or.* 2, 2. Omnia, quaecumque in hominum disceptationem cadere possunt. [*Cf. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 30, 4. quibus omnia, honesta atque inhonesta, vendere mos erat.] *Liv.* 31, 45. Macedonum fere omnibus, et quibusdam Andriorum, ut manerent, persuasit. [*Id. 24, 32. Praetorumque omnes interficiuntur. V. *Gronov.* ad h. l. Sic et πάντες junctum genitivo codices hic illic exhibent. V. *Wesseling.* ad *Diodor. Sicul. in.* it. ad *Eclog.* p. 532. Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 103. *n.* 3. a.] *Lucr.* 1, 520. Tum porro si nihil esset, quod inane vacaret, Omne foret solidum; et 999. Omne quidem vero nihil est quod finiat extra; et 1022. Sed quia multa modis multis mutata per omne, etc. *Cic. Verr.* 2, 3, 10. Poscet omne, quantum exaravero: quid omne? immo plus etiam, si volet; et *ib.* 77. *extr.* Unum da mihi, qui sibi dicat pro frumento omne esse, quod oportuerit, solutum. *Ter. Ad.* 2, 4, 16. At ut omne reddat. *Sy.* omne reddet: tace modo. *Prop.* 4, 8, 30. Sobria grata parum; cum bibit, omne decet. *Hor. Sat.* 2, 6, 30. tu pulses omne quod obstat. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 12, 27. Scythia tenus ille nivosa Omne tenet, h. e. omnem illam regionem usque ad nivosam Scythiam tenet.] ℙ *Omnia facere*, tentare, experiri, ἅπαντα ποιεῖν. *Cic. Amic.* 10. *f.* Profiteri, omnia se amici causa esse facturos. *Id. Fam.* 1, 9. *f.* Scribis, te omnia facturum, ut negotium conficias. *Petr. Sat.* 107. Quid ita omnia fecisti, ut quos tuebaris, absconderes? *Mart.* 6, 93. Omnia cum fecit, Thaida Thais olet. Sic *Ter. Andr.* 2, 1, 11. omnia experiri certum est, priusquam pereo. [*De hac dicendi formula exposuit *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 15. p. 121. *ed. Fr.* Item ad *Ter. l.* modo *l.* et ad *Her.* 21, 7.] ℙ *Omnia fore prius arbitror*, *quam*, etc. *h. e.* coelum ruiturum. *Cic. ad Pompej. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Nam suspicione assequi non potui, quod omnia prius arbitratus sum fore, quam ut haec reipubl. causa in Italia non posset, duce te, consistere. ℙ *Omnia mihi sunt cum aliquo*, concordes invicem sumus in omnibus, vel omnia sunt mihi cum aliquo vincula et officia familiaritatis, et amicitiae. *Cic. Fam.* 13, 1. Cum Patrone Epicureo mihi omnia sunt: nisi quod in philosophia vehementer ab eo dissentio. Contra *Id. Att.* 12, 17. Mihi ante aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio. ℙ *Esse omnia in aliqua re dicimus*, cum in ea re omnia praesidia, et vim inesse affirmamus. *Cic. Leg.* 2, 10. Caste lex jubet adire ad Deos, animo videlicet, in quo sunt omnia. *Id. Fam.* 15, 14. *f.* Sic velim enitare, quasi in eo sint mihi omnia. ℙ *Esse omnia alicui*, esse alicui in summo gradu existimationis et gratiae, instar omnium esse, unum valere, quod omnes alii, εἶναι τὰ πάντα. *Ov. Her.* 12, 161. Deseror (amissis regno, patriaque, domoque) Conjuge, qui nobis omnia solus erat. *Liv.* 40, 11. Demetrius iis unus omnia est: eum jam regem vivo patre appellant. Sic *Petr. Sat.* 37. Nunc, nec quid, nec quare, in coelum abiit, et Trimalchionis tapanta *(vel, ut alii edidere*, τὰ πάντα*)* est. [*V. *intpp.* ad *Vell.* 2, 103. et *Heus.* ad *Vechn. Hellenol. Cort.* ad *Lucan.* 3, 108. Omnia Caesar erat.] ℙ *Ante omnia.* V. in ANTE. ℙ *Per omnia*, omnibus rebus, in omni re, omnino. *Quint.* 5, 2. Vix ulla res est per omnia alteri similis. *Colum.* 4, 2. Quare per omnia praetulerim, duobus potius seminibus depositis, quam unico periclitari. *Vell.* 2, 33. Vir alioqui per omnia laudabilis; et 40. Pompejus per omnia fortunam hominis egressus. [*Longe usitatissima est *Vell.* haec dicendi ratio. Locos indicavit *Burm.* in indice ad suam *Vell.* editionem.] *Inscr.* ap. *Grut.* 613, 2. T. Flavius Aug. L. Felix conjugi karissimae de se per omnia bene meritae. ℙ *Eadem omnia*, ταυτὰ πάντα. *Ter. Hec.* 2, 1, 2. Utin' omnes mulieres eadem aeque studeant, nolintque omnia. *Pl. Asin.* 3, 3, 23. Mihi certum est efficere in me omnia eadem, quae tu in te faxis. *Plin. ep.* 7, 17. Supervacuum tamen est recitare, quae dixeris: etiam: si eadem omnia, si iisdem omnibus, si statim recites. ℙ *Alia omnia*, contrarium. *Id. ep.* 7, 15. Requiris quid agam? quo nosti distringor officio, amicis deservio, studeo interdum, etc. Te alia omnia, quam quae velis, agere, moleste ferrem, etc. ℙ Aliquando *alia* omittitur, sequente *quam*. *Cic. Quint.* 24. Quid haec festinatio tanta significat? non vim? non scelus? non latrocinium? non denique omnia potius, quam jus, quam officium, quam pudorem? *Liv.* 2, 39. Plebs omnia, quam bellum malebat. *Sall. Cat.* 26. Sed ei cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit. ℙ *Ire, transire, discedere in alia omnia* est senatoris dissentientis in senatu ab alterius sententia. Utebantur autem his verbis *alia omnia*, ominis causa, ne dicerent, *qui non censetis* vel *qui contrarium censetis*, quae verba mali ominis esse videbantur, ut *Festus* docet in *Qui hoc*, V. EO, is. ℙ *Omnia* absolute, Graeco more, per omnia, omnino. *Sen. Cons. ad Marc.* 25. *f.* Tramites, omnia plani, et ex facili mobiles. *Lips.* vellet aliter legi, invito *Gronov.* Sic *Aurel. Vict. Caes.* 9. Vespasianus sanctus omnia, facundiae haud egens. ℙ Aliquando *omnis* est ullus. *Ter. Andr.* 2, 3, 17. Sine omni periclo. [*Admodum rara dicendi ratio et comicis tantum usitata. V. *Ruhnk.* ad h. l.] ℙ *Omnes*, singuli. *Cic. Fin.* 2, 31. Itemque omnibus mensibus, vicesimo die lunae, dent ad eorum epulas, etc. *Plin.* 12, 25, 54. de balsami arbore: Ter omnibus percutitur aestatibus, postea deputatur. [*Lucan. 7, 421. Omne tibi bellum gentes dedit omnibus annis: ubi v. *Cort.*] ℙ *Omnis* sing. num. pro *omnes*, et eadem significatione. *Val. Fl.* 1, 707. et visu lassatur inani Omnis eques. *Albinov.* 1, 202. Funeris exsequiis adsumus omnis eques. *Cato* ap. *Gell.* 3, 7. Omnis Graecia decoravere. *Ov. Am.* 1, 9, 1. Militat omnis amans. *Stat. Silv.* 1, 3, 85. huc omnis turba coimus. *Val. Fl.* 2, 202. pariterque toris exhorruit omnis Mater; et 1, 14. Spargentemque faces, et in omni turre furentem. *Stat. Silv.* 1, 2, 129. Proteaque atque omnem Nereida quaerere jussi. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Hic omnia reida quaerere jussi. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Hic omnia facere omnis debet, ne armis decernatur. Al. rectius facere omnis debet, ne armis decernatur. Al. rectius leg. *omnes debent.* [*Ita *Orell.*] ℙ *Omnes* de duobus, aut tribus tantum. *Cic. Mur.* 15. Perfecta ab Lucullo haec sunt omnia, ut urbs fidelissimorum socullo haec sunt omnia, ut urbs fidelissimorum defenderetur, ut omnes copiae regis diuturciorum defenderetur, ut omnes copiae regis diuturciorum consumerentur. *Quint.* 3, 7. *extr.* nitate obsidionis consumerentur. *Quint.* 3, 7. *extr.* Quamquam omnes tres status cadere in hoc opus Quamquam omnes tres status cadere in hoc opus possint. [*Cf. *Ruddim.* 2. p. 87. Notandus hic etiam locus *Nep. Ep.* 1, 2. Scimus enim, musicen possint. [*Cf. *Ruddim.* 2. p. 87. Notandus hic etiam locus *Nep. Ep.* 1, 2. Scimus enim, musicen nostris moribus abesse ab principis persona; saltare vero etiam in vitiis poni: quae omnia apud Graecos etc. ubi, quum *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 2, 31, 105. *omnia* de duobus positum esse dixisset, rectius *Brem.* docet *quae omnia* h. l., secundum haud inusitatam brachylogiam, idem esse quod *haec et hujus generis omnia.*] ℙ Redundat in illo *Varr. L. L.* 9, 4. Harum analogiarum primam sequi debet populus, secundam omnes singuli e populo, tertiam poetae. ℙ Hactenus *omnis* refertur ad quantitatem discretam, uti vocant, h. e. ad numerum: in quo differt a *totus*, quod pertinet ad continuam, et integrum corpus aliquod significat, nulla cui desit pars. Saepe tamen *omnis* pro *totus* ponitur. *Caes. B. G.* 5, 13. *extr.* Omnis insula est in circuitu vicies centena millia passuum. *Cic. Fin.* 2, 34. Omne coelum, totamque cum universo mari terram mente complexus. *Id. Tusc.* 2, 22. *extr.* In profundenda voce omne corpus intenditur. *Id. Cluent.* 6. *f.* Sanguinem suum omnem profundere. *Id. Or.* 2, 21. *extr.* Tota mente atque omni animo intueri. *Id. Quint.* 21. Ut in hoc singulare judicium causa omnis concluderetur. *Id. Tusc.* 3, 15. M. Crassus, quem semel ait in omni vita risisse Lucilius. *Hor. Ep.* 1, 11. Quid verum atque decens, curo et rogo: et omnis in hoc sum. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 34. Censuram solus omni quinquennio obtinuit. *Stat. Theb.* 6, 766. at ille nocendi Prodigus, incautusque sui, ruit omnia, et ambas Consumit sine lege manus. [*Discrimen inter *omnis*, *totus*, *universus*, *cunctus* notavimus in *totus.*] ℙ *Omne* pro *tantum* videtur esse in illo *Cic. Verr.* 2, 3, 10. Apronius poscet omne, quantum exaravero. ℙ Primam in *omnibus* corripit *Lucr.* more Graeco, propter *m n*, ut in *Clytemnestra:* 3, 440. Cum semel ex omnibus membris ablata recessit. ℙ [*Confund. *omnes*, *omnium* etc. et *homines* etc. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 308. et ad *ejusd. fragm.* p. 16. *b.* — *Omnia* et *animo. Id. ib.* 1. p. 228. — *Omnes* et *obvios. Id.* ad *Cic. fragm.* p. 206. *b.* — *Omnis* et *communis. Burm.* ad *Vell.* p. 260. *Wund. varr. lectt. praef.* p. 16. — *Omnium* et *etenim.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 74. *a.* — *Omnia* et *nomina. Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 166. *b. ed. Fr.* — *Omnia* et *omina. Cort.* ad *Lucan.* 1, 637. 2, 4. 3, 101. 6, 813.]

OMNĬSŌNĔ. V. in v. sq.

OMNĬSŌNUS, a, um, adj. omnem sonum reddens. *Paul. Nol. carm.* 24, 81. Omnisona harmonia. *Capell.* 9, 309. *in carm.* chelys, Bis plenum omnisona cui recinunt mela, et 312. Melodia omnisonis conveniens pulsibus modulorum. ℙ Hinc adv. *omnisone* quidam leg. ap. *Quint.* 9, 2. *med.* Disponenda atque varianda sunt, ut auditorem, quod in fidibus fieri videmus, omnisone permulceant. Sed lege cum aliis *omni sono.*

OMNĪTĔNENS, entis, adj. omnia tenens, παντοκράτωρ. *Tert. carm. adv. Marc.* 5, 202. Omnitenentis enim solus quia verba ministrat.

OMNĪTŪENS, entis, adj. πανόπτης, qui omnia tuetur et cernit. *Lucr.* 2, 940. Contulit inter se motus, quibus omnituentes Accensi sensus animantem quamque tuentur. *Val. Fl.* 5, 247. de Sole: fatorum genitor tutela meorum Omnituens. *Appul. de Mundo:* Sol quidem omnituens ortu suo diem pandit.

OMNĪVĂGUS, a, um, adj. παντοπλανής, qui per omnia loca vagatur. *Cic. N. D.* 2, 27. Diana omnivaga dicitur, non a venando, sed quod in septem numeratur tanquam vagantibus. Al. leg. *annivaga.* [*quod nihili est: V. *Heindf.* ad h. l.]

OMNĪVŌLUS, a, um, adj. omnia volens. *Catull.* 68, 140. Noscens omnivoli plurima furta Jovis.

OMNĪVŌRUS, a, um, adj. παντοφάγος, qui nullo discrimine quibuslibet vescitur. *Plin.* 25, 8, 53. Quoniam boves omnivorae fere sunt in herbis.

*OMOENUS, i, insula Arabiae Felici objecta. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

OMOPHĂGĬA, ae, f. ὠμοφαγία, crudae carnis usus in cibis: ab ὠμός, crudus, et φάγω, comedo. *Arnob.* 5, 169. Bacchanalia praetermittamus immania, quibus nomen Omophagiis Graecorum est: in quibus furore mentito, et sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus: atque ut vos plenos Dei numine ac majestate doceatis, caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis.

OMPHĂCĬUM, ii, n. ὀμφάκιον, succus ex olea, aut uva expressus, priusquam cibo aut vino maturae sint. Ex olea quidem, cum adhuc alba est, vel cum colorem quidem mutare incipit, adhuc ta-

men est cibo immatura: ex uva autem aut psythia, aut amminea, cum sunt acini ciceris magnitudine: vel cum in mortariis uva immatura teritur, siccataque in sole, postea degeritur in pastillos. Haec *Plin.* 12, 27, 60., ubi, et 14, 16, 18. inter varia oleorum, seu unguentorum genera recenset, et *praef.* 23. *et ib.* 4, 39. refert varios ejus usus in medicina.

OMPHACOCARPOS, i, f. ὀμφακόκαρπος, herba eadem quae aparine. *Plin.* 27, 5, 15. Hic alii melius leg. *omphalocarpos*, ὀμφαλόκαρπος; quae ita appellatur, quod ejus fructus umbilici figuram exhibet: ab ὀμφαλὸς, umbilicus, et καρπὸς, fructus.

OMPHACOMEL, ellis, n. conditura ex omphacio, h. e. uvae semiacerbae succo, et melle. Legitur ap. *Pall.* 9, 13. in lemmate.

OMPHALE, es, f. Ὀμφάλη, filia Iardani, regina Lydiae, quae Herculem multis muneribus ornavit, quod anguem juxta Sagarim fl. multos homines interficientem interemisset, eundemque postea sibi servientem, ut tradit *Donat.* ad *Ter. Eun.* 5, 8, 3., ad lanificium compulit, cum ipsa calathum, et colum, cultusque femineos sagittis, et clava, leonisque tegmine mutasset. Alii dicunt, ob Iphiti Euryti regis filii caedem, vel ob sublatam Apollinis cortinam ac tripodem, quod ab eo responsa petens, nihil retulissst; a Mercurio, jussu Jovis, Omphale Lydorum reginae fuisse in servitutem addictum, et inde esse, quod illi servisse, et calathos subministrasse dicatur. V. *Ov. Fast.* 2, 305. et sqq., *Hyg. fab.* 32. et *Astron.* 2, 14. et *Serv.* ad *A.* 8, 30. et *Sen. Hipp.* 317. et sqq. et *Herc. Fur.* 465. ℙ Paenultima brevis est natura. Itaque in illo *Prop.* Omphale in tantum formae processit honorem, 3, 9, 17. nulla fit synaloephe, Graeco more. Alii rectius leg. *Omphale et in*, etc.

OMPHALOCARPOS. V. OMPHACOCARPOS.

OMPHALOS, i, m. ὀμφαλὸς, umbilicus: et per metaphoram meditullium. Graeca vox. *Auson. Idyll.* 11, 60. Bisque quaternorum secernitur omphalos idem. ℙ [*Omphalus, i*, Latina positione est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 567, 2. C. Roscius Omphalus. *F.*]

[OMPHE, es, f. ὀμφὴ, vox divina, oraculum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 385. *n.* 222. Apidia Omphe. *F.*]

ON

[ONA, ae, f. fici Tarentinae genus. *Plin.* 15, 18, 19. Tarenti tantum praedulces nascuntur (*ficus*), quas vocant onas. *Hard.* interpretatur ὠνὰς, venales, pretiosas; sed *Gesnerus* probat antiquam lectionem *omas*, et interpretatur crudas, quae etiam ante maturitatem dulcescant. *F.*]

ONAGER et Onagrus, gri, m. ὄναγρος, asinus silvestris, et ferus: ab ὄνος, asinus, et ἀγρὸς, rus, ager. *Varr. R. R.* 2, 6. Ad seminationem onagrus idoneus, quod e fero fit mansuetus facile. *Colum.* 6, 37. Mula non solum ex equa et asino, sed ex asina et equo, itemque onagro et equa generatur. *Virg. G.* 3, 409. Saepe etiam cursu timidos agitabis onagros. *Mart.* 13, 100. Pulcher adest onager; et 97. Cum tener est onager. Adde *Plin.* 8, 44, 69. ℙ Est hoc nomine et machina bellica, magnis saxis torquendis apta, quae describitur ab *Ammian.* 23, 4. et *Veg. Mil.* 4, 22. Hic a scorpione distinguit: ille eandem facit. Scorpio, inquit, appellatur, quoniam aculeum desuper habet erectum: cui etiam onagri vocabulum indidit aetas novella, ea re, quod asini feri, cum venatibus agitantur, ita eminus lapides post terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora sequentium, aut perfractis ossibus capita ipsa displodant. V. SCORPIO.

ONAGOS, i, m. ὀνῆγος, asinarius, asinorum ductor: ab ὄνος, asinus, et ἄγω, duco. *Pl. As. prol.* 10. huic nomen Graece est onagos Fabulae.

ONCHESMITES. V. ANCHISITES.

ONCHESTIUS, a, um, adj. ad Onchestum pertinens, quae est urbs Boeotiae, condita ab Onchesto Neptuni filio. *Ov. Met.* 10, 605. Namque mihi genitor Megareus Onchestius.

*ONCHESTUS, urbs Boeotiae. V. in ONCHESTIUS, a, um. ℙ Item fluvius Thessaliae. *Liv.* 33, 6. *B. A.*

*ONCHOBRICE, es, f. insula Arabiae adjacens. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

ONCO, as, n. 1. rudo, vocem asinorum emitto, ὀγκάομαι. *Auct. carm. Philom.* 55. oncat asellus.

[ONCOMA, ătis, n. ὄγκωμα, tumor, ab ὀγκόω, tumefacio. *Veg. Vet.* 2, 30. *in.* Sciendum est, tubera in corporibus frequenter excrescere, quae Graeci oncomata vocant. *F.*]

*ONENSES, ium, populi Hispaniae Tarraconensis. *Plin.* 3, 3. Agnicaldenses, Onenses, Baeculonenses. *B. A.*

ONERARIUS, a, um, adj. φορτικὸς, qui onera ferre potest. *Liv.* 41, 4. Oneraria jumenta; et *Id.* 22, 11. et *Nep. Them.* 2. Navis oneraria. ℙ *Oneraria*, absolute est navis oneraria. *Cic. Att.* 10, 12. Occulte in aliquam onerariam corrependum.

ONERATUS, a, um, part. ab *onero*: ἐμφορτος, onustus. *Ter. Heaut.* 3, 1, 42. ancillas secum adduxit plus decem Oneratas veste atque auro. *Ov. Pont.* 4, 7, 9. Onerata plaustra. *Id. Trist.* 2, 143. pampineis oneratam vitibus ulmum. *Id. Met.* 10, 101. pomoque onerata rubenti Arbutus. *Id. A. Am.* 1, 219. Ibunt ante duces onerati colla catenis. *Id. Amor.* 1, 13, 15. arva colentes onerati bidente. *Sen. Const. Sap.* 14. Quid refert, quantum habeat, quod lecticarios, quam oneratas aures, *h. e.* multis lapillis pendentibus ornatas. ℙ Item plenus. *Virg. A.* 8, 284. cumulantque oneratis lancibus aras. *Ov. Met.* 8, 781. gravidis oneratos messibus agros. ℙ Translate. *Ov. ib.* 3, 109. onerata brachia telis, *h. e.* instructa, armata. *Id. ib.* 11, 180. Oneratus pudore. *Plin. ep.* 9, 18. Memoria onerata, et quasi oppressa. *Sall. Jug.* 79. Vino et epulis onerati. *Liv.* 32, 11. Promissis ingentibus oneratus. *Id.* 34, 61. Partim donis, partim spe praemiorum oneratus. *Sen. Octav.* 5. Oneratus malis. ℙ Cum genitivo. *Pacuv.* ap. *Non.* 9, 6. Postquam est oneratus frugum, et floris Liberi. ℙ *Oneratus*, obsessus, insessus, occupatus. *Liv.* 32, 11. In eo saltu, qui regiis tunc oneratus castris erat. ℙ [*Confund. *onerata* et *ornata*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 518.]

ONERO, as, avi, atum, a. 1. ἐπιφορτίζω, onus impono, onere premo. *Caes. B. G.* 5, 1. Naves, ad celeritatem onerandi subductionesque, paulo facit humiliores. *Sall. Jug.* 91. Commeatu, stipendio, armis, aliisque utilibus naves onerat. *Virg. G.* 1, 274. aselli costas onerare pomis. *Ov. A. Am.* 1, 19. tauri cervix oneratur aratro; et *ib.* 3, 129. aures caris onerare lapillis. *Id. Her.* 15, 127. cervice lacertos alicujus, *h. e.* collo premere lacertos alicujus amplectentis. *Hor. Od.* 3, 11, 45. aliquem catenis. *Phaedr.* 3, 2. saxis, i. e. lapidare. *Ter. Phorm.* 5, 6, 4. humerum pallio. *Virg. A.* 10, 868. et 11, 574. manusque ambas jaculis oneravit acutis, *h. e.* armavit, instruxit. [*Huc pertinent etiam ista: *G.* 4, 133 et 378. Onerare mensas dapibus; et *A.* 10, 620. limina donis: quae Noster infra alieno loco collocaverat.] *Sall. or. de Rep. ord.* 1. *f.* Quibus bis die ventrem onerare mos est. *Ov. Pont.* 1, 10, 31. Onerari epulis; et *Just.* 1, 8. vino. [*i. e. obrui: nos: *sich überladen.*] ℙ Item tegere, obtegere. *Virg. A.* 10, 557. non te optima mater Condet humi, patriove onerabit membra sepulcro; et *ib.* 11, 212. confusa ruebant Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terrae. ℙ *Onerare vaccas* ap. *Pall.* 8, 4. est submittere ad feturam, ut partus onera perferant. ℙ *Onerare* et cibi dicuntur, qui difficiles concoctu sunt; et stomacho graves. *Plin.* 29, 3, 11. de ovis: Nullus est alius cibus, qui in aegritudine alat, neque oneret. *Id.* 19, 4, 19. *n.* 3. Acetaria facilia concoqui, nec oneratura sensum cibo. ℙ Translate multiplicem variumque habet usum. [*Primum quidem de rebus bonis.] *Cic. N. D.* 3, 3. Te quoque animadverti saepe, cum in foro diceres, quam plurimis posses argumentis onerare judicem. [*Adde *Or.* 3, 30. Onerandum complendumque pectus maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate.] *Pl. Capt.* 4, 1, 7. Ita hic me amoenitate amoena amoenus oneravit dies, *h. e.* cumulavit, implevit, affecit. *Ter. Phorm.* 5, 6, 1. O Fortuna, o Fors fortuna, quantis commoditatibus, Quam subito, meo hero ope vestra hunc onerastis diem! *Liv.* 4, 13. *f.* Onerare aliquem laudibus; et 35, 11. spe praemiorum; et 10, 14. et *Sall. Jug.* 12. promissis. *Just.* 5, 4. honoribus. *Pl. Stich.* 4, 1, 27. se voluptatibus. ℙ Eleganter illa *onerare* dicuntur, quae nos premunt, urgentque necessitate quadam recte agendi, et laudabiliter. *Plin. ep.* 8, 24. *med.* Onerat te quaesturae tuae fama, onerat testimonium principis, onerat tribunatus. Sic *ep.* 3, 3. *f.* A te meque admonebitur, quibus imaginibus oneretur, quae nomina et quanta sustineat. *Stat. Th.* 6, 565. onerat celeberrima natum Mater. Simile est illud. *Cic. Off.* 3, 2. Sustines non parvam exspectationem imitandae industriae nostrae: suscepisti onus praeterea grave et Athenarum, et Cratippi. ℙ In malam partem. *Ter. Andr.* 5, 1, 8. Onerare aliquem injuriis. *Cic. Phil.* 2, 38. contumeliis. *Id. Fam.* 3, 10. *med.* Multis mendaciis onerare aliquem. *Sen. Hippol.* 126. probris. *Virg. A.* 4, 549. malis. *Pl. Ps.* 1, 3, 122. maledictis. *Id. Amph.* 1, 1, 172. pugnis. *Plin. Pan.* 24. Onerasset alium hujusmodi introitus, [*i. e., *Gesnero intpr.*, difficile ei fuisset, ita se gerere, ut reliqua vita tali initio responderet.] *Prop.* 3, 13, 15. famulam pensis oneravit iniquis. *Liv.* 39, 3. *extr.* Jam tum multitudine alienigenarum urbem onerante. *Suet. Tib.* 32. Provinciae tributo onerandae. *Ulp. Dig.* 47, 11, 6. Onerare annonam. *Colum.* 2, 9. *f.* et 4, 2. gravi impensa. [*Ejusdem etiam generis sunt, quae *Forc.* supra laudaverat, ista:] *Virg. A.* 9, 24. Multa Deos orans, oneravitque aethera votis. *Hor. Sat.* 1, 10, 9. verbis lassas onerantibus aures. *Plin. ep.* 1, 8. Onerabit hoc modestiam nostram, quod cogimur de nostra munificentia disputare. *Liv.* 31, 15. *f.* et *Papin. Dig.* 3, 2, 20. Onerare pudorem. *Pl. Mil.* 3, 3, 28. aliquem praeceptis. *Id. Pers.* 2, 1, 13. Conveniam hunc Toxilum: ejus aures, quae mandata sunt, onerabo. ℙ [*Hinc orta significatio, qua idem fere est, quod cumulare, augere, adgravare, gravius reddere. Ita *Livio* et *Tacito* maxime frequentatur.] *Tac. H.* 2, 52. curas, *h. e.* augere; et *A.* 16, 30. pericula alicujus. Sic *ib.* 1, 69. Accendebat haec, onerabatque Sejanus, peritia morum Tiberii odia in longum jaciens; et *H.* 4, 14. Delectum, suapte natura gravem, onerabant ministri avaritia et luxu, *h. e.* graviorem reddebant, et odiosum; et *A.* 4, 68. Audentius onerat Sejanum, saevitiam, superbiam, spes ejus, *h. e.* accusat, reprehendit; et *H.* 2, 64. Onerare licentiam alicujus, *h. e.* in invidiam adducere. Sic *Liv.* 38, 56. *f.* invidia injuriam alicujus. *Virg. A.* 11, 342. aliquem dictis, *h. e.* urgere accusando, arguendo. [*Curt.* 4, 8, 9. oneravit hunc dolorem nuntius mortis Andromachi. Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 332. sq. ℙ Est etiam implere, complere, ut nostr. *verladen, verpacken. Virg. A.* 1, 199. Vina, bonus quae deinde cadis onerarat Acestes Litore Trinacrio: *Id. ib.* 8, 180. onerantque canistris Dona laboratae Cereris.]

ONEROSE, adv. odiose. *Paul. Nol. ep.* 11. (al. 5.) *n.* 6. Cur in nos onerose loqueris?

ONEROSITAS, atis, f. onus. *Tert. Cult. fem.* 7. Tanta ornandi capitis onerositas.

ONEROSUS, a, um, adj. καταφορτικὸς, δυσαχθὴς, qui oneri est, ponderosus. *Virg. A.* 9, 384. Euryalum tenebrae ramorum, onerosaque praeda Impediunt. *Ov. Met.* 1, 53. aer est onerosior igne. *Id. Amor.* 3, 9, 68. Et sit humus cineri non onerosa tuo. *Plin.* 23, 7, 62. Pirorum omnium cibus etiam valentibus onerosus; et 22, 25, 73. Ervum capiti et stomacho onerosum. ℙ Translate est molestus, gravis, sumptuosus, laboriosus. *Ov. Met.* 9, 674. Quae voveam, duo sunt, minimo ut relevere labore, Utque marem parias: onerosior altera sors est. *Id. Pont.* 2, 4, 33. Constantique fide veterem tutare sodalem, Qua licet, et quantum non onerosus ero; et *ib.* 8, 30. Et cui majestas non onerosa tua est. *Plin. ep.* 2, 4. Nec est quod verearis, ne sit mihi onerosa ista donatio; et *ep.* 11. *med.* Onerosum est accusare damnatum, *h. e.* invidiae onus afferens.

[ONESAS, antis, vel ātis, m. ὀνήσας, qui juvit, part. aor. 1. ab ὄνημι, juvo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 656, 2. Q. Virius Onesas. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 134, 3. Onesati Caes. N. *servo. F.*]

*ONESICRITUS, i, m. Ὀνησίκριτος, Aegineta, philosophus et historicus, in comitatu Alexandri Magni, a quo et ad sophistas Indiae missus est, et cujus ipse incunabula et laudes scripsit. *Curt.* 9, 10. et 10, 1. *Gell.* 9, 4. *Plin.* 6, 22. et 23. V. *Voss. de Hist. Graec.* 4, 19. p. 48. *B. A.*

[ONESIGENES, is, m. cum utilitate natus, *h. e.* bono rei publicae natus: ab ὄνησις, utilitas, et γίγνομαι, nascor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 469, 4. Sex. Sextius Onesigenes. *F.*]

[ONESIMUS, a, um, adj. ὀνήσιμος, utilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 646, 6. Ti. Claudius Onesimus Claudiae Onesimae filiae suae, etc. *F.*]

[ONESIPAURUS, i, m. vir parvae utilitatis: ab ὄνησις, utilitas, et παῦρος, parvus. Est nom. serv. R. *Inscr.* ex *Lipsio* in *Auctar.* ad *Smetium* p. 51., et ap. *Grut.* 883, 1. Onesipaurus de *suo* Embro benemerenti. Ceterum in *eadem* ap. *Mur.* 1592, 9. legitur *Onesiphorus Decembro. F.*]

[ONESIPHORUS, i, m. ὀνησιφόρος, utilitatem afferens: ab ὄνησις, utilitas, et φέρω, fero. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 286, 3. T. Aelius Aug. L. Onesiphorus. V. v. praec. *F.*]

[ONESIS, is, et idis, f. ὄνησις, utilitas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 477, 4. Laecaniae Onesi C. Laecanius Zetus. Alia ap. *eund. ib.* 269, 4. Juventius Profuturus Onesidi conjugi. *F.*]

[ONESITROPHUS, i, m. utilitatem augens: ab ὄνησις, utilitas, et τρέφω, nutrio, augeo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 84. *n.* 144. M. Murdius M. L. Onesitrophus. *F.*]

*ONINGIS, is, opp. Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. ℙ *Oringis* est *Liv.* 28, 3. et *Auringis ib.* 24, 42. *B. A.*

ONIROCRITES, ae, m. ὀνειροκρίτης, somniorum interpres: ab ὄνειρος, somnium, et κριτὴς, judex. *Fulg. Myth.* 1. *in.* Onirocritem soporis nugas hariolantem advertas.

[ONIROS, i, m. ὄνειρος, somnium. Hoc nomine vocatur papaver silvaticum ap. *Appul. Herb.* 53., quia ejus semen soporiferum est, et somnia inducit. ℙ *Onirus, i*, positione Latina, est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1106, 6. C. Futius Onirus. *F.*]

ONISCUS, i, m. ὀνίσκος, a Graecis dicitur animal e vermibus terrae, pilosum, multis pedibus arcuatim repens, tactuque contrahens se. *Plin.* 29, 6, 39. et 30, 8, 21., ubi millepedam oniscon vocat. Adde *Theod. Prisc.* 2, 1. *med.* V. MILLEPEDA.

*ONISIA, ae, f. insula Cretae objecta. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[ONITIS, idis, f. ὀνῖτις, herba eadem cum ori-

gano, sed folio candidiore. *Plin.* 20, 17, 67. et *Appul. Herb.* 122. *F.*]

*ONOBA, ae, f. opp. Hispaniae Baeticae, non procul a Baeti flumine, ad littus situm. *Plin.* itemque *Mela* 3, 1. *B. A.*

*ONOBRISATES, um, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. *B. A.*

[ONOBRYCHIS, idis, f. ὀνόβρυχις, herba, quae et palmes asini: ab ὄνος, asinus, et βρύκω, rodo. *Plin.* 24, 16, 98. *F.*]

[ONOCARDION, ii, n. herba eadem ac chamaeleon ap. *Appul. Herb.* 25. Est vox composita ab ὄνος, asinus, et καρδία, cor. *F.*]

[ONOCENTAURUS, i, m. ὀνοκένταυρος, fabulosum animal: ex ὄνος, asinus, et κένταυρος, centaurus. Ejus meminit *Aelian. de nat. anim.* 17, 9., et videtur esse simiae species. P Translate de impuro homine accipitur. *Hieron. in Isaj.* 6, 13, 22. Porro onocentauri nomen ex asinis, centauris que compositum, videtur mihi significare eos, qui ex parte aliquid humanum sapiunt, et rursum voluptatibus et coeno turpitudinis abducuntur in vitia. *F.*]

ONOCHILES, is, n. et Onochelis, is, f. ὀνόχειλος, et ὀνοχειλές, h. e. asini labium: ab ὄνος, asinus, et χεῖλος, labium, nomen est herbae, quam aliqui anchusam vocant, alii enchusam, alii rhexiam, etc., frutice parvo, flore purpureo, asperis foliis et ramis, radice messibus sanguinea, cetero nigra: efficacis contra serpentes, maximeque viperas. *Plin.* 22, 21, 25.

*ONOCHONUS, i, m. Ὀνόχωνος, Thessaliae fluvius. *Plin.* 4, 8. *B. A.*

ONOCOETES, ae, m. ὀνοκοίτης, dictus est a Gentilibus Christianorum Deus, quem illi fingebant asininis auribus: est ab ὄνος, asinus, et κοίτη, cubile, concubitus; quasi vero is ex asini cum muliere concubitu natus fuerit. *Tert. Apol.* 16. Sed nova jam Dei nostri in ista civitate proxime editio publicata est, ex quo quidam in frustrandis bestiis mercenarius noxius picturam proposuit cum ejusmodi inscriptione: *Deus Christianorum Onocoetes.* Is erat auribus asininis, altero pede ungulatus, librum gestans, et togatus. Alii leg. *Ononychites.* His similia habet *Id. ad Nat.* 1, 14. Hinc per contemptum Christiani vocabantur asinarii. V. ASINARIUS.

ONOCROTALUS, i, m. ὀνοκρόταλος, avis est aquatica, ansere major, oloris similitudine, mira voracitate: habet enim in faucibus alterum quasi uterum, quovis cibo inexplebilem. Dicta est ab ὄνος, asinus, et κρόταλος, crepitus, quia capite in aqua merso spirans ruditum asinino similem edere dicitur. *Plin.* 10, 47, 66. *Mart.* 11, 21. Turpe Ravennatis guttur onocrotali. [*Die Kropfgans*, Pelecanus Onocrotalus, *L.*]

[ONOMASTUS, a, um, adj. ὀνομαστὸς, nominatus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1144, 1. T. Caetronius Onomastus. Alia ap. *Fabr.* p. 751. *n.* 587. D. M. Onomastae. *F.*]

ONOMATOPOEIA, ae, f. ὀνοματοποιΐα, fictio nominis, figura est apud rhetores, qua rei, cui nomen non sit, aut non satis idoneum, nomen imponimus, aut imitationis, aut significationis gratia: ab ὄνομα, nomen, et ποιέω, fingo; ut cum dicimus, hinnire equos, balbare oves, stridere valvas. *Charis.* 4, 245., *Diomed.* 2, 453.

ONONIS, idis, f. herba. V. ANONIS.

ONONYCHITES, ae, m. ὀνονυχίτης, qui ungulam asini habet: ab ὄνος, asinus, et ὄνυξ, unguis. V. ONOCOETES.

ONOPORDON, i, n. ὀνόπορδον, herba, quam si comederint asini, crepitus reddere dicuntur: unde et nomen habet, ab ὄνος, asinus, et πορδή, crepitus ventris: hinc Gallis dicitur *pet d' âne.* Trahit urinam, et menses, alvum sistit, suppurationes, et collectiones discutit. *Plin.* 27, 12, 86.

[ONOPYXOS, i, m. herba spinosa ex carduorum genere: ab ὄνος, asinus, et πύξος, buxus. *Plin.* 21, 16, 56. *F.*]

ONOSMA, ătis, n. ὄνοσμα, herba folia habens longa fere ad tres digitos, in terra jacentia, tria, ad similitudinem anchusae incisa, sine caule, sine flore, sine semine. *Plin.* 27, 12, 86.

[ONUPHITES, ae, m. unus ex nomis Aegypti, cujus urbs Onuphis fere in umbilico Deltae, nunc *Nuf. Plin.* 5, 9, 9. *F.*]

[ONURIS, is, f. ὄνουρις, herbae nomen: ab ὄνος, asinus, et οὐρά, cauda. V. OENOTHERA. *F.*]

ONUS, eris, n. φορτίον, ἄχθος, res quae pondus habet, moles, sarcina, et ipsum pondus. *Hor. Sat.* 1, 9, 20. Demitto auriculas, ut iniquae mentis asellus, Cum gravius dorso subiit onus. *Caes. B. G.* 2, 30. Quibus viribus homines tantulae staturae tanti oneris turrim in muros sese collocare confiderent. *Cic. Manil.* 18. *f.* Insula Delos, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant. *Plin.* 6, 23, 26. Onera afferuntur et regeruntur lintribus. *Just.* 4, 1. Superum mare toto undarum onere illuc vehitur. *Vitr.* 10, 8. Examinare paucis manibus oneris maximi pondus. Sic *Ov. Met.* 14, 148. consumptaque membra senecta Ad minimum redigantur onus. P Onus discuntur excrementa corporis. *Plin.* 8, 27, 47. Ciborum onera reddere. Sic *Mart.* 13, 29. duri solvere ventris onus. P Item partus. *Phaedr.* 1, 18. Onus naturae deponere, *h. e.* fetum. Al. leg. *onus maturum.* Sic *Ov. Fast.* 2, 451. Parce, precor, gravidis, facilis Lucina, puellis, Maturumque utero molliter effer onus. *Id. Amor.* 2, 13, 1. Labefactare onus gravidi ventris. *Id. Her.* 4, 58. Enixa est utero crimen onusque suo. P [*Translate significat id, quod damnum, molestiam, difficultatem parat. Ita dicitur de sumptibus, impensis, jacturis:] his enim oneratur res familiaris. *Suet. Cal.* 42. Filia nata, paupertatem, nec jam imperatoria modo, sed et patria conquerens onera, collationes in alimoniam, atque dotem puellae recepit. *Id. Dom.* 12. Haerere in explicandis oneribus. *Liv.* 1, 43. *med.* Haec omnia in dites a pauperibus inclinata onera. *Cic. Fam.* 13, 7. His temporibus hoc municipium maximis oneribus pressum, summis affectum est difficultatibus. *Liv.* 23, 43. Exercitum se non in agrum Samnitem, ne et ipse oneri esset, sed in loca sociorum populi R. adducturum. *Sall. Jug.* 14. Ad vos confugi, P. C., quibus cogor prius oneri, quam usui esse. P Item de munere, officio, quod cum labore et molestia exercetur. *Ov. Fast.* 1, 616. et *ib.* 2, 197. Suscipere onus urbis, aut orbis; et *Cic. Or.* 1, 25. *med.* Magnum quoddam est onus atque munus, suscipere atque profiteri, se esse, omnibus silentibus, unum maximis de rebus audiendum. *Id. Rosc. Am.* 4. Fide sapientiaque vestra fretus plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo. Hoc onus si vos aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, studio et industria, judices: sin a vobis deserar, tamen animo non deficiam, et id quod suscepi, quod potero, perferam: quod si perferre non potero, opprimi me onere officii malo, quam id, quod mihi cum fide semel impositum est, aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere. *Cels. Dig.* 31, 1, 22. *f.* Onus probandi mutatam esse voluntatem defuncti, ad eum pertinet, qui, etc. P Item de quacumque molestia, labore. *Ov. Pont.* 1, 10, 28. Vix mens tristitiae moesta tulisset onus. *Ter. Phorm.* 1, 2, 44. nunquam aeque, ac modo Paupertas mihi onus visum est et miserum, et grave. *Sall. Cat.* 10. Iis otium, divitiae oneri miseriaeque fuere. *Cic. Fam.* 5, 12. Neque tamen eram nescius, quantis oneribus premerere susceptarum rerum, et jam institutarum. *Catull.* 31, 8. Cum mens onus reponit. P *Oneri* in ablativo pro *onere* legitur ap. *Pl. Ps.* 1, 2, 64.

ONUSTUS, a, um, adj. onus habens impositum, gravis. *Cic. Off.* 3, 12. Naves onustae frumento. *Id. Att.* 3, 16. *med.* Asellus onustus auro. *Tac. A.* 2, 41. currus quinque liberis; et *ib.* 1, 63. miles sarcinis, armisque. *Phaedr.* 4, 10. fur sacrilegio, *h. e.* rebus e fano ablatis. *Nep. Alc.* 5. *extr.* Praeda onusti. *Virg. A.* 1, 293. spoliis Orientis onustus. *Hor. Sat.* 1, 1, 47. Reticulum panis venales inter onusto Forte vehas humero. *Id. Epod.* 8, 13. Nec sit marita, quae rotundioribus Onusta baccis ambulet. *Lucr.* 3, 113. molli cum somno dedita membra, Effusumque jacet sine sensu corpus onustum. [*i. e. cibo obrutum: nos: *überladen.*] *Pl. Aul.* 3, 1, 7. Omnes exegit foras onustos fustibus. P Item plenus. *Sall. Jug.* 92. In agrum fertilem, et praeda onustum proficiscitur. *Tac. A.* 12, 13. Pharetrae onustae telis. *Id. ib.* 2, 15. Milites, quorum pars onusta vulneribus tergum, pars, etc. P Cum genit. *Pl. Aul.* 4, 2, 10. Se aulam onustam auri abstrusisse hic intus in fano. P De saturo. *Id. Cist.* 1, 2, 7. quia sum onusta mea ex sententia, Quiaque adeo me complevi flore Liberi. P De oneroso, et gravi. *Id. Men.* 5, 2, 5. consitus sum Senectute, onustum gero corpus, vires reliquere. P Translate. *Tac. A.* 12, 28. Praeda, famaque onusti ad montem Taurum revertuntur. *Pl. Stich.* 2, 1, 3. et *Afr.* ap. *Prisc.* 10, 879. onustum pectus porto laetitia, lubentiaque. *Id. Epid.* 3, 2, 39. fidicinam praemeditatam, meis dolis, astutiisque onustam Mittam.

*ONUSTATUS, a, um, part. *Vulg. Judith.* 15, 7. *B. A.*

ONYCHINTINUS. V. ONYCHITINUS,

ONYCHINUS, a, um, adj. ὀνύχινος, ab ὄνυξ, unguis. Hinc Onychina pira, a *Plin.* 15, 15, 16. et Onychina pruna, a *Colum.* 12, 10. dicta sunt a colore unguis, quem referunt. *Lampr. Elag.* 32. Onus ventris auro excepit: in myrrhinis, et onychinis minxit, *h. e.* vasis ex onycho. P Inter ea, quae nimium poetica, et prosae orationis usu alieniora notasse se in Naevii carminibus, scribit *Gell.* 19, 7., est et illud, quod flumina gelu concreta *tegmine* esse *onychino* dixit, quasi marmorea crusta cooperta.

ONYCHIPUNCTA, ae, f. gemma, quae et iasponyx vocatur (h. e. ex genere iaspidum, sed distincta punctis onychis) et nubem complexa, et nives in summitate. *Plin.* 37, 9, 37.

ONYCHITES, ae, m. ὀνυχίτης, lapis idem, qui onyx. *Plin.* 34, 10, 22.

ONYCHITINUS, a, um, adj. ὀνυχίτινος, qui ex onychite lapide est. *Sidon. ep.* 9, 7. *med.* Crystallinae crustae, aut onychitinae. In editis libris perperam legitur *onychintinae.*

ONYCHITIS, is, f. ὀνυχῖτις, genus cadmiae maculas intus habens onychitae lapidis similes. *Plin.* 34, 10, 22.

*ONYCHIUS, a, um, adj. i. q. onychinus. *Tert. adv. Marc.* 2, 10. Onychius lapis, *h. e.* onyx. *B. A.*

*ONYTES, is, m. nomen viri proprium, quod Donatus (inquit *Servius*) dicit aut gentile esse, aut patronymicum: sed hoc non procedit, quia neque patronymicum in *tes* exit, neque Onytes a qua gente veniat usquam lectum est. Proprium ergo est, etc. Haec *Servius*, enarrans *Virgilianum* illud *A.* 12, 514. Tres uno congressu, et moestum mittit Onytem, etc. *B. A.*

ONYX, ychis, m. ὄνυξ, Graeca vox unguem significans: unde datum nomen marmori colore unguis humani, ex quo potoria primum vasa, deinde pedes lectorum, et sellae factae sunt: deinde et amphorae, et columnae, majore copia reperta, et luxu crescente. Hunc aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur. Probatur quam maxime mellei coloris, in vertices maculosus, atque non translucidus. Vitium in eo corneus color, aut candidus, et quidquid simile vitro est. *Plin.* 36, 7, 12. et 8, 12. *Lucan.* etiam pavimenta eo strata innuit 10, 116. stabatque sibi non segnis achates, Purpureusque lapis, totaque effusus in aula Calcabatur onyx. Sic *Mart.* 12, 50. Et tua centenis stat porticus alta columnis, Calcatusque tuo sub pede lucet onyx. V. OSTRACIUM. P Per synecdochen est vas ex onyche continendis unguentis. *Hor. Od.* 4, 12, 17. Nardi parvus onyx eliciet cadum. *Prop.* 3, 8, 22. Et crocino nares murrheus ungat onyx; et 2, 10, 30. Syrio munere plenus onyx. *Mart.* 11, 50. Profertur Cosmi nunc mihi siccus onyx. P Hoc sensu est etiam femin. genere. *Id.* 7, 94. Unguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat. *Gronov.* et *Broukhus.* mallent *onyx* modo *parvo gerebas:* quia unus est hic locus, in quo feminine usurpetur. P Est etiam gemma hoc nomine, de qua *Plin.* 37, 6, 24. Exponenda est et onychis ipsius natura, propter nominis societatem: hoc in gemmam transilit ex lapide Carmaniae. Sudines dicit, in gemma esse candorem unguis humani similitudine: item chrysolithi colorem, sardae, iaspidis. Zenothemis Indicam onychem plures habere varietates, igneam, nigram, corneam, cingentibus candidis venis oculi modo, intervenientibus quarundam oculis obliquis venis. Sotacus et Arabicam onychem tradit nigram candidis zonis. Satynus carnosas esse Indicas, etc. P Item piscis e genere pectinum, qui et solen dicitur: nam si sit mas, donax, et aulus; si femina, onyx appellatur. *Plin.* 32, 9, 32. et *ib.* 11, 53. V. UNGUIS.

[OONAE, arum, f. plur. insulae quaedam in Oceano septentrionali, in quibus incolae ovis avium, et avenis vivunt. *Plin.* 4, 13, 27. Ita porro appellantur ab ᾠόν, ovum. *F.*]

OP

OPA, ae, et Opē, es, f. ὀπή, Graeca vox foramen significat: item cavum in pariete, in quod tignum immittitur: quod et cubile dicitur, et columbarium. *Vitr.* 4, 2. *med.* V. METOPA.

OPACATUS, a, um, part. ab *opaco:* opacus factus. *August. Mor. Eccles. Cath.* 1, 2. Ut in lucem veritatis aciem titubantem veluti ramis humanitatis opacata inducat auctoritas.

OPACITAS, atis, f. σκίασμα, umbratus locus, umbra. *Colum.* 8, 17. *med.* Plus nocet putris unda, quam prodest opacitas. *Plin.* 6, 30, 35. Colles modici, amoena opacitate vestiti. *Id.* 32, 6, 21. Opacitas ostrearum incrementum cohibet. *Id.* 2, 11, 8. Opacitas noctium terras reficit. *Id.* 17, 1, 1. Loti patula ramorum opacitate lascivae.

OPACO, as, avi, atum, 1. συνηρεφέω, σκιάω, opacum reddo, umbram induco, inumbro, obscuro. *Cic. Or.* 1, 7. *med.* Platanus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis. *Id. fragm.* ap. *Macrob. Sat.* 6, 4. Neque dum satis ab his novellis arboribus omnis hic locus opacatur. *Id. N. D.* 2, 19. Sol cum terras large luce compleverit, easdem modo his, modo illis ex partibus opacat. *Lucan.* 6, 645. humum Phoebo non pervia taxus opacat. P Translate. *Sil.* 13, 331. Cingit acuta comas, et opacat tempora pinus. *Pacuv.* ap. *Fest.* in *Genas.* Nunc primum opacat flore lanugo genas.

OPACUS, a, um, σκιώδης, συνερεφής, umbra tectus, umbrosus, obscurus: et *aprico* opponitur: videtur esse a παχὺς, densus, et o particula intentiva. [**M. Gesner.* in *Thes.* s. v. duce *Isidoro* 14. p. 1182. recte derivat *opacus* ab *operiendo.* V. *Doederl.* 3, 169.] Dicitur autem et de iis, quae in umbra posita sunt, et de iis, quae umbram inducunt. *Plin. ep.* 7, 21. Cubicula obductis velis opaca, nec tamen obscura facio. *Cic. Leg.* 1, 5. In viridi opacaque ripa inambulantes. *Virg. A.* 2, 725. ferimur per opaca locorum. (*Coripp. Johann.*

6, 394. Temperat ille suas per opaca latebras.) *Id. G.* 1, 156. ruris opaci Falce premes umbras. *Id. A.* 3, 508. Sol ruit interea, et montes umbrantur opaci. *Id. ib.* 8, 107. opacum nemus; et *ib.* 11, 851. opaca ilex. *Hor. Ep.* 1, 16, 5. vallis. *Ov. Met.* 3, 438. opaca fusus in herba. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Locus cupressis ambitur et tegitur, densiore umbra opacior nigriorque. *Id. ep.* 1, 3. *Πλατανὼν* opacissimus. *Colum.* 6, 22. Opacissima nemorum pascua. *Stat. Th.* 6, 686. Solis opaca soror, *h. e.* Luna. *Catull.* 37, 19. Egnati, opaca quem bonum facit barba, *h. e.* densa, et quae genas opacat, ut *Pacuv.* ait. *Virg. Ecl.* 1, 53. inter flumina nota, Et fontes sacros frigus captabis opacum. Sic *Stat. Silv.* 3, 5, 17. opaca quies; et *Sil.* 1, 395. Nemorum et vitae laudandus opacae, *h. e.* in opacis silvis actae. ℙ *In opaco*, in umbra. *Plin.* 10, 20, 22. Colores, qui in opaco clarius micant. ℙ Est etiam tenebrosus, obscurus. *Virg. A.* 4, 123. et *ib.* 10, 161. Opaca nox; et *ib.* 3, 619. domus Cyclopis. *Ov. Met.* 10, 54. trames caligine densus opaca. *Id. A. Am.* 2, 619. Opaca nubes. *Id. Met.* 10, 20. Tartara; et *ib.* 2, 274. fontes, Qui se condiderant in opacae viscera matris, *h. e.* terrae; et *ib.* 14, 122. Dumque iter horrendum per opaca crepuscula carpit, *h. e.* per vias inferorum, ubi lux maligna, caligo, tenebrae. *Stat. Th.* 2, 95. longaevi vatis opacos Tiresiae vultus, *h. e.* oculorum luce carentes. *Gell.* 10, 3. *med.* Opaca vetustas, *h. e.* obscura.

ŌPĀLIA, ium, n. plur. festa in honorem Opis, quae mense Decembri, h. e. XIV. Cal. Januar. qui dies est tertius Saturnalium, celebrabantur, ut *Macr. Sat.* 1, 10. docet. *Varr. L. L.* 5, 3. *med.* Saturnalia dicta ab Saturno, quod eo die feriae ejus: ut post diem tertium Opalia, Opis. *Festus:* Opalia, dies festi, quibus supplicatur Opi, appellantur. *Macr. l. c.* Deam Opim Saturni conjugem crediderunt: et ideo hoc mense Saturnalia, itemque Opalia celebrari, etc; et *mox:* Huic Deae sedentes vota concipiunt, terramque de industria tangunt, demonstrantes et ipsam matrem esse terram mortalibus appetendam.

ŌPĀLIS, e, adj. ad Opem pertinens, ut Opale sacrum, *Auson. Ecl. de Fer. Rom.* 15. Vis et Opale sacrum, vel Saturnalia dicam? Al. leg. *Visne Opis ante sacrum.*

ŌPĀLUS, i, m. (*ὀπάλλιος* dicitur ab *Orph. Lith. v.* 279.) gemma de qua *Plin.* 37, 6, 21. Plurimum ab iis *(beryllis)* differunt opali, smaragdis tamen cedentes. India sola et horum est mater. Est in iis carbunculi tenuior ignis, est amethysti fulgens purpura, est smaragdi virens mare, et cuncta pariter incredibili mixtura lucentia. Alii summo fulgoris augmento colores pigmentorum aequavere, alii sulphuris ardentem flammam, aut etiam ignis oleo accensi. Magnitudo nucem avellanam aequat. Vitia opali, si color in florem herbae, quae vocatur heliotropium exeat, aut crystallum, aut grandinem: si sal interveniat, aut scabritia, aut puncta oculis occursantia: nullosque magis India, similitudine indiscreta, vitro adulterat; et *mox:* Hanc gemmam propter eximiam gratiam plerique appellavere paederota. Adde *Isid. Orig.* 16, 12.

ŌPELLĂ, ae, f. parva opera, exiguus labor. *Lucr.* 1, 1107. Haec si pernosces parva perductus opella, etc. *Hor. Ep.* 1, 7, 8. Officiosaque sedulitas, et opella forensis Adducit febres.

ŌPĔRĂ, ae, f. *ἐργασία*, actio operantis, administratio, officium et industria agentis aliquid. *Cic. Off.* 1, 13. *f.* Servis uti ut mercenariis, operam exigendam, justa praebenda; et *ib.* 42. Sordidi quaestus mercenariorum, omniumque, quorum operae, non quorum artes emuntur. [*V. *Beier.*] *Id. ib.* 2, 4. Quae utilitates ex rebus iis, quae sunt inanimae, percipiuntur, eas nos nullo modo sine hominum manu atque opera capere potuisse. [*V. *Beier.* ad h. l.] *Id. Or.* 1, 28. Non patiebatur, eos, quos judicabat non posse oratores evadere, operam apud se perdere, dimittebatque. *Nep. Cat.* 1. Castra secutus est C. Claudii Neronis, magnique ejus opera aestimata est in proelio apud Senas, quo, etc. *Cic. Brut.* 47. L. Gellius multam operam amicis, et utilem praebuit. *Id. Cluent.* 57. Omnem curam atque operam ponere in omnium periculis defendendis. *Id. Fam.* 2, 6. Omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi et locavi. *Id. Off.* 1, 6. Ponere operam, curamque in rebus honestis; et *ib.* 39. *f.* Eam curam et operam suscipere, quam causa postulat. *Id. Div.* 2, 2. *f.* Operam tribuere reipublicae. *Id. Or.* 1, 55. Operam et laborem consumere in re aliqua. *Id. Off.* 1, 6. Magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles conferre. *Id. ad Brut.* 1, 8. Operam et studium navare alicui. *Id. Verr.* 2, 4, 31. Tibi haec cura suscipienda, tibi haec opera sumenda est, ut, etc. *Pl. Cas.* 2, 7, 1. Operam ludere. V. LUDO. *Cic. Verr.* 2, 4, 30. impendere. *Liv.* 10, 18. *extr.* frustra insumere. *Cic. Div. Verr.* 19. *f.* interponere. *Ov. A. Am.* 2, 673. afferre alicui. *Suet. Vit.* 10. edere in re aliqua. *Plin. ep.* 2, 11. et *Pl. Rud.* 2, 4, 22. commodare. *Id. Ps.* 1, 5, 147. et *Ter. Ph.* 1, 2, 12. dicare alicui. *Cic. ad Planc.* 2. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Magna cura, multa opera et labore rem conficere; et *Att.* 14, 14. Omni ope atque opera eniti, ut, etc. *Id. fragm.* ap. *Colum.* 12, 1. Haec operam et diligentiam desiderant. *Id. Fam.* 13, 27. Non parcam operae. ℙ *Esse in operis, dare operas* dicuntur, qui negotia aliorum tractant, praesertim provincialia publicanorum. *Cic. Fam.* 13, 29. Cn. Pupius, qui est in operis ejus societatis. *Id. ib.* 65. et *Att.* 11, 10. P. Terentius, qui operas in portu et scriptura pro magistro dat. Adde *Verr.* 2, 2, 70. Quo pertinet illud *Planc.* 19. Multis benigne fecit, pro multis spopondit, in operas plurimos patris auctoritate et gratia misit. ℙ *Dare, reddere, edere operas*, facere, praestare, praebere. *Cic. Verr.* 2, 4, 26. *med.* Ipse dabat purpuram tantum, amici operas; et *Fam.* 16, 10. Tu Musis nostris para ut operas reddas: nostra ad diem dictam fient, *h. e.* edas, facias. *Sen. Prov.* 2. *med.* Ferrum istud bonas tandem ac nobiles edet operas: libertatem, quam patriae non potuit, Catoni dabit. *Lucr.* 4, 971. quicumque dies multos ex ordine ludis Assiduas dederunt operas, *h. e.* ludis spectandis incubuerunt. *Pl. Bacch.* 1, 1, 11. Dare operas alicui, *h. e.* inservire, praestare operas. ℙ *Dare operam alicui rei* frequentissimum est pro attendere, curare, laborare, niti, ut aliquid fiat. *Metell.* ap. *Cic. Verr.* 2, 3, 53. Summa vi data est opera a me, ut quam plurimo decumas venderem. *Id. ad Planc.* 1. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att. f.* Da operam, ut valeas. *Caes. B. G.* 7, 9. Daturum se operam, ne longius triduo ab castris absit. *Id. B. C.* 1, 5. Dent operam Coss., ne quid respublica detrimenti capiat. *Cic. Or.* 1, 62. Dare operam valetudini; et *Att.* 15, 1. *med.* funeri, *h. e.* adesse, exsequias ire, funus curare. *Ov. R. Am.* 165. bellis, aut foro. *Ter. Heaut.* 1, 1, 58. amori. *Cic. Fam.* 9, 22. liberis, *h. e.* generationi. *Id. Leg.* 2, 11. rebus divinis. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. memoriae alicujus, *h. e.* inservire. *Suet. Aug.* 79. tonsori, *h. e.* se tondendum praebere. *Cic. Tusc.* 1, 4. In quam exercitationem ita nos studiose operam dedimus, ut, etc. *Ter. Andr.* 1, 1, 130. Et nunc id operam do, ut, etc. ℙ *Dare operam alicui*, eum audire. *Pl. Trin.* 4, 2, 52. Ita ut occepi, si animum advortas, dicam. *Charm.* dabo operam tibi. *Id. Cas. prol.* 21. Vos omnes esse oratos volo, Benigne ut operam detis ad nostrum gregem. (Adde *ib.* 6.) *Cic. Brut.* 89. Ego autem juris civilis studio, multum operae dabam Q. Scaevolae. *Id. Att.* 13, 49. et *Fam.* 7, 24. Dixit, judicem operam dare sibi constituisse eo die ipso, quo, etc. *Id. Leg.* 2, 1. Sermoni reliquo demus operam sedentes. Adde *Ter. Heaut.* 3, 1, 95. ℙ *Operam dare alicui*, adesse, inservire. *Pl. Merc.* 2, 2, 17. Non sum occupatus unquam amico operam dare. *Id. Trin.* 3, 2, 25. In foro operam amicis da. *Ter. Eun.* 2, 2, 50. Paululum da mihi operae: fac ut admittat ad illam. ℙ [*Malam alicui operam dare* ap. *Pl. Capt.* 3, 5, 43. me huic dedisse operam malam, i. e. non gratam, sed noxiam: nocere, ut nos *Jemandem einen schlechten Dienst erweisen.*] ℙ *Data*, et *dedita opera.* V. DATUS et DEDITUS. ℙ *Mea, tua opera*, mea, tua industria, studio, labore: item mea, tua culpa, etc. utrumque est in illo *Cic. Sen.* 4. Salinatori dicenti, mea opera, Q. Fabi, Tarentum recepisti, certe, inquit ridens, nam nisi tu amisisses, nunquam recepissem. *Nep. Alc.* 6. Sic populo erat persuasum, et adversas superiores, et praesentes secundas res accidisse ejus opera. *Pl. Capt.* 3, 5, 21. fateor Abiisse eum abs te, mea opera atque astutia. *Ter. Hec.* 2, 1, 31. Non mea opera, neque pol culpa evenit. *Just.* 5, 4. Pacem ne acciperent, opera eorum effectum est, quibus ea res quaestum praestabat. *Catull.* 3, 16. o miselle passer! Tua nunc opera meae puellae Flendo turgiduli rubent ocelli. [*Cf. *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 7, 13.] ℙ *Operae pretium.* V. PRETIUM. ℙ *Operae est mihi*, vacat, otiosus sum, commodum est, utile est: et videtur *pretium* subaudiri. *Liv.* 5, 15. Causatus de privati portenti procuratione, si operae illi esset, consulere velle, ad colloquium vatem elicuit. *Id.* 4, 8. Neque consulibus, cum tot populorum bella imminerent, operae erat id negotium agere; et 44, 36. *f.* Non operae sit stanti nunc in acie docere, quibus de causis, etc. *Pl. Truc.* 4, 4, 30. fac valeas: operae ubi mihi erit, ad te venero. Adde *Mil.* 3, 2, 6., *Liv.* 21, 9., 33, 20. *extr.* et 41, 25. *extr.* et *Gell.* 7, 17. *med.* et V. PRETIUM. ℙ *Opera est mihi*, eadem sententia. *Pl. Merc.* 2, 2, 15. Dicam, si tibi videam esse operam, aut otium. *Ly.* Quamquam negotium est, si quid vis, Non sum occupatus. ℙ Contrario sensu. *Id. Mil.* 4, 2, 93. ibo, atque illam adducam, Quam propter opera est mihi, *h. e.* est mihi negotium. ℙ *Deest mihi opera*, spatium, et facultas operandi. *Cic. Q. Fr.* 3, 4. *med.* De versibus, quos tibi a me scribi vis, deest mihi quidem opera, quae non modo tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat. ℙ *Ter. Ph.* 2, 3, 15. homo jam grandior, Pauper, cui opera vita erat, ruri fere Se continebat, *h. e.* cui labor et opus victum praebebat: *ᾧ τὸ ἔργον ἦν ὁ βίος.* Ne audias hic *Donatum* docentem, *opera* esse sexti casus, *vita* nominativi: et *opera* pro victu usurpari. Nam utraque vox rectus casus est, et *vita* non *opera* victum significat. [*Cf. *Ruhnk.*] ℙ *Una opera*, uno et eodem modo. *Pl. Capt.* 3, 4, 31. Alcmaeo, atque Orestes, et Lycurgus postea Una opera mihi sunt sodales, qua iste. ℙ *Eadem, una opera*, eodem, uno labore, eodem, uno tempore. *Id. ib.* 2, 3, 89. Sequere me, viaticum ut dem hinc a trapezita tibi: Eadem opera a praetore sumam syngraphum. *Id. Most.* 1, 3, 101. *Phi.* Cedo cerussam. *Sca.* quid cerussa opus nam? *Phi.* qui malas oblinam. *Sca.* Una opera ebur atramento candefacere postules. *Id. Ps.* 1, 3, 84. qua opera sic credam tibi, Una opera alligem canem fugitivam agninis lactibus. ℙ *Opera*, ablat. re ipsa. *Pl. Trin.* 4, 1, 6. te omnes saevumque, severumque, atque avidis moribus commemorant, contra opera expertus. Nam pol placido te et clementi usus sum. ℙ Pro re divina. *Afran.* ap. *Non.* 12, 21. Jubeo hominem tolli, et collocari, et confoveri: solvo operam Dianae. ℙ Ap. rusticae rei scriptores *opera* est quantum uno die quis in agro operatur: [**Tagewerk.*] *Varr. R. R.* 1, 18. Quaternis operis singula jugera confodere. *Colum.* 11, 2. *med.* Puerilis una opera jugerum vineti pampinabit. *Id.* 2, 13. Tritici modii quatuor bubulcorum operas occupant quatuor, occatoris unam, etc. *et sic toto cap.* et *f.* Cetera legumina occupant operas sexaginta, id est menses duos. ℙ Ipse etiam homo, cujus opera utimur, *opera* dicitur. *Cic. Att.* 4, 3. *med.* Qui erant mecum, facile operas aditu prohibuerunt. *Hor. Sat.* 2, 7. *f.* Ocius hinc te Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino. *Colum.* 3, 21. Plures operas quantocumque pretio conducere. *Tac. A.* 1, 16. Theatrales operae, [*i. e. quorum opera utebantur factiones et histriones in theatro. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 333.] *Inscr.* ap. *Grut.* 467, 7. Operae veteres a scena. ℙ *Ab opera publica* servus. *Inscr.* ap. *Grut.* 624, 6. ℙ *Opera* pro *opere* videtur esse in illo *Cic. Att.* 15, 13. *f.* Nos hic *φιλοσοφοῦμεν*, et *τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος* magnifice explicamus, *προσφωνοῦμεν*que Ciceroni. Quid quaeris? exstabit opera peregrinationis hujus. ℙ *Opra*, syncope. *Enn.* ap. *Sen. ep.* 108. Quibit pro factis reddere oprae pretium.

ŌPĔRANS, antis, part. ab *operor*, qui operatur. *Plin.* 21, 14, 47. Operantes apes spectare. *Appul. Met.* 3. Conspicio istum crudelissimum juvenem mucrone districto passim caedibus operantem. *Tert. adv. Marc.* 2, 4. Bonitas operantior. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 39. Clysteres adhibere operantissimos.

ŌPĔRĂRĬUS, a, um, adj. *ἐργασιακός*, ad operam pertinens. *Operarius homo*, qui et *operarius* absolute, *ἐργάτης*, qui operam praebet, opera, mercenarius, bajulus. *Cic. Att.* 7, 2. *f.* Nam de altero illo minus sum admiratus, operario homine. *Cassius* ap. *Varr. R. R.* 1, 17. Operarios parandos esse, qui laborem ferre possint, ne minores annorum XXII, et ad agriculturam dociles. *Cato R. R.* 10. Olivetum agri CCXL. jugerum *habere oportet* villicum, villicam, operarios quinque, bubulcos tres, subulcum unum, asinarium unum, opilionem unum; et *ib.* 11. Vinea centum jugerum *habeat* villicum, villicam, operarios decem, bubulcum unum, etc. (*Varr. l. c.* 18. hos omnes mancipiorum nomine complectitur.) *Cic. Tusc.* 5, 36. An quidquam stultius, quam quos singulos, sicut operarios barbarosque contemnas, eos aliquid putare esse universos? *Id. Brut.* 73. *extr.* Pauci pingere egregie possunt, aut fingere: operarii autem, aut bajuli deesse non possunt. [*De *operariis* et *bajulis* v. *Gernh.* ad *Cic. Par.* 3, 2, 23.] *Cic. Or.* 1, 18 et 62. Mnesarchus hos, quos nos oratores vocaremus, nihil esse dicebat, nisi quosdam operarios lingua celeri et exercitata: oratorem autem, nisi qui sapiens esset, esse neminem. ℙ *Operaria, ae*, meretrix. *Pl. Bacch.* 1, 1, 41. Equidem tibi do hanc operam. *Pi.* At nimium pretiosa es operaria. ℙ *Operarium vinum*, quod operis et familiae datur: fitque maceratis aqua vinaceis: idque tribus modis, quos persequitur *Plin.* 14, 10, 12. ℙ *Operarium pecus*, quo in colendis agris utimur, vel ad jugum, vel ad clitellas. *Colum.* 6, 2. *f.* Habilis et modica corporatura pecoris operarii debet esse; et *ib.* 24. Operariae vaccae alternis annis submitti debent. ℙ *Operarii lapides*, qui ad opus aliquod accommodari possunt. *Plin.* 36, 22, 47. Nunc ad operarios lapides transisse conveniat, primumque cotes ferro acuendo. ℙ *Operarius usus*, usus operandi. *Plin.* 8, 3, 4. de elephantis: Circa hos *(dentes)* belluis summa cura: alterius mucroni parcunt, ne sit proeliis hebes, alterius operario usu fodiunt radices, impellunt moles.

ŌPĔRĀTĬO, onis, f. *ἐργασία*, actus operandi, opera, labor, opus. *Plin.* 11, 18, 19. Insidiantur aquantibus *(apibus)* ranae, quae maxima earum est operatio, cum sobolem faciunt; et *ib.* 24, 28. Araneorum tertium genus, erudita operatione conspicuum. *Vitr.* 2, 9. *med.* Esculus operatione humidae potestatis vitiatur. ℙ Ab Ecclesiasticis scriptoribus

sumitur interdum pro opere misericordiae, h. e. pro benignitate erga inopes. *Lactant.* 6, 12. *med.* Aegros quoque curandos fovendosque suscipere, summae humanitatis, et magnae operationis est. *Prud. Psych.* 573. Tum subito in medium frendens Operatio campum Prosilit auxilio sociis. V. quae sequuntur, et adde *Cyprian.* in *lib. de opere, et eleemosyn.* ubi et verbum *operari* saepissime usurpat pro largiri indigentibus. ℙ Pro sacrificio. *Plaut. fragm.* Ut istaec operatio crimen expiet. Ita refert *Pareus* in *Lex. Crit.*, sed unde hauserit, nondum comperimus. *Fest.* in *Privatae:* Privatae feriae vocantur sacrorum propriorum, velut dies natales, operationis, denicales. Al. leg. *Operationes denicales.* ℙ Sunt qui putant, etiam *Cic.* usum esse *Att.* 6, 3. *med.* Hujus nebulonis operatione si Brutus moveri potest. Sed *obiratione* alii rectius substituunt, [*ita *Orell.*] alii *oratione*, alii *oberratione.*

ŌPĔRĀTOR, oris, m. qui operatur. *Firm. Math.* 3, 9. Artes, ex quibus vigiliae perpetuae operatoribus exiguntur. *Tert. Exhort. ad cast.* 3. Indulgentia patrocinatur operatori. Adde *Apol.* 23. *f.*, *Paul. Nol. carm.* 27, 305. et *Sedul.* 5, 69.

ŌPĔRĀTRIX, icis, f. quae operatur. *Tert. Anim.* 11. *f.* Sancti Spiritus vis operatrix prophetiae; et 52. Operatrix mortis.

ŌPĔRĀTUS, a, um, part. ab *operor.* *Virg. G.* 1, 339. Sacra refer Cereri, latis operatus in herbis. *Hor. Ep.* 1, 2, 29. In cute curanda plus aequo operata juventus. ℙ Cum dativo. *Ov. Fast.* 6, 249. Vesta fave: tibi nunc operata resolvimus ora; et *A. Am.* 3, 411. operataque doctis Cura vigil Musis nomen inertis habet. ℙ Passive. *Tert. Praescr.* 29. Tot opera Fidei perperam administrata, tot charismata perperam operata. *Lactant.* 7, 27. Susceptis, operatisque virtutibus. *Tert. Anim.* 57. Fallaciae vis operatior, *h. e.* magis efficax.

ŌPERCŪLĀTUS, a, um, part. ab *operculo*, operculo clausus. *Colum.* 11, 2. *med.* Si sunt pleni, atque operculati favi.

ŌPERCŪLO, as, a. 1. *πωμάζω*, operculo operio. *Colum.* 12, 30. Ab eo tempore, quo primum dolia operculaveris; et 15. Operculare vasa.

ŌPERCŪLUM, i, n. *πῶμα*, instrumentum, quo aliquid tegitur: ab *operio.* *Cato R. R.* 104. Operculum in dolium imponito. *Cic. N. D.* 2, 54. Aspera arteria tegitur quasi quodam operculo. *Colum.* 12, 16. *med.* Sorba in urceolos picatos adjicito, et opercula picata imponito. *Inscr.* ap. *Mur.* 1756, 7. Ollae, quae sunt operculis, et titulis marmoreis. ℙ Est etiam idem ac tabulatum in tectis. *Vetus Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 207. col. 2. Operculata abiegnea imponito ex tigno pedario. ℙ *Operculum ambulatorium*, quod facile huc, vel illuc movetur. *Plin.* 21, 14, 47. Operculum a tergo esse ambulatorium. ℙ *Accessit patellae dignum operculum*, et *Invenit patella operculum* prov. est ap. *Hieron. ep.* 7. *n.* 5. et *ep.* 127. *n.* 9., cum scilicet pravo magistro pravus discipulus contigit: et universim cum malus malo accessit. [*Quaedam adjecit *F.*]

ŌPĔRĪMENTUM, i, n. *ἐπίβλημα*, id quo aliquid tegitur. *Cato R. R.* 10. *extr.* Instragula octo, pulvinos sexdecim, operimenta decem. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 11, 770. Equis paria operimenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae adnexuerant. *Plin.* 15, 22, 24. Nuces gemino protectae operimento. *Id.* 8, 42, 64. Equus detracto oculorum operimento. *Id.* 2, 51, 52. Fulmen, quo dolia exhauriuntur, intactis operimentis. ℙ *Opermentum* syncope. *Prud. Psych.* 461. Quos laeva celante tegit, laterisque sinistri Velat opermento. Al. rectius leg. *oprimento.*

ŌPĔRĪO, is, rui, ertum, a. 4. *κλείω*, claudo: cui *aperio* opponitur. *Pl. Men.* 2, 3, 1. Sine fores sic: nolo operiri. *Catull.* 67, 39. de janua: huic suffixa tigillo Tantum operire soles, aut aperire domum. *Ter. Heaut.* 5, 1, 33. ubi abiere intro, operuere ostium. *Plin.* 11, 37, 55. Operire oculos morientibus, rursusque in rogo patefacere. ℙ Item saepius tegere. *Cic. Verr.* 2, 4, 53. Fons fluctu totus operiretur, nisi, etc. *Nep. Ann.* 9. Amphoras complet plumbo, summas operit auro et argento. *Petr. Sat.* 7, 20 et 90. et *Pl. Poen.* 3, 4, 34. Operire caput: scil. vel pudoris, vel celandi se causis. *Gell.* 19, 9. *med.* Permittite mihi, quaeso, operire pallio caput: quod in quadam parum pudica oratione Socratem fecisse ajunt. *Cels.* 3, 7. *f.* Aeger multa veste operiendus est. [**Prop.* 3, 13, 35. Hinulei pellis totos operibat amantes.] *Virg. A.* 4, 351. humentibus umbris Nox operit terras. *Ov. Met.* 5, 672. pennas exire per ungues Aspexere suos, operiri brachia plumis. *Plin.* 10, 44, 61. Scrobes crate consternere, et operire terra. *Tibull.* 2, 1, 40. Exiguam viridi fronde operire casam. [**Lucr.* 4, 1174. operit amator limina sertis.] *Claud. IV. cons. Honor.* 54. Flavaque Bistonios operirent agmina campos. *Plin.* 5, 5, 5. Operientibus arenis iter. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 12. Culmen operturum cuncta desuper. [**Liv.* 21, 61. nix — pluteos ac vineas Romanorum operuerat. Insolentius per eupheismum pro *sepelire* usurpat *Tac. A.* 15, 28. operire reliquias malae pugnae imperavit. ℙ Translate. *Ter. Ad.* 2, 1, 28. Usque ad necem operiere loris, i. e. vehementer aliquem flagellis perstringere.] ℙ Celare. *Plin. ep.* 3, 16. Abdere lacrimas, operire luctum. [*Ita saepius ap. argent. aetatis scriptores. *Tac. A.* 3, 18. domestica mala tristitia operienda. *H.* 1, 53. privata vulnera reipublicae malis operire statuit. — Participium etiam Cicero cum aliis hac significatione usurpat. Hac significatione v. *operio* legitur etiam ap. *Ter. Hec.* 4, 3, 6. Quid respondebo his? aut quo pacto hoc operiam? Ita enim *Bentl.*, vehementer prob. *Ruhnk.*, pro vulg. *aperiam* ex aliquot suis codicibus edidit.] ℙ *Operibo* pro *operiam* in futuro: quod in quarta conjugat. est frequens. *Pomp.* ap. *Non.* 10, 25. Negato esse hic me: operibo caput.

ŌPĔRĬOR. V. OPPERIOR.

OPERMENTUM. V. OPERIMENTUM.

ŌPĔROR, aris, atus sum, dep. 1. *ἐργάζομαι*, operam in aliqua re pono, opus facio, laboro. *Plin.* 11, 10, 10. de apib.: Quibus est adolescentia, ad opera exeunt: seniores intus operantur. *Ulp. Dig.* 28, 5, 35. Servi, qui operari in agro consueverunt. *Appul. Met.* 2. Quod in ceteris membris floridae vestis hilaris color, hoc in capite nativus operatur. ℙ Cum dativo est operam dare, incumbere. *Virg. A.* 3, 136. Connubiis arvisque novis operari. *Ov. Am.* 2, 7, 23. Adde, quod ornandis illa *(ancilla)* est operata capillis. *Tibull.* 2, 1, 65. Operari textis Minervae. *Appul. Met.* 3. caedibus. *Tac. H.* 5, 20. materiis caedendis. *Id. A.* 3, 43. et *Val. Max.* 8, 7. *n.* 4. *extr.* studiis litterarum. *Quint.* 10, 3. *med.* scholae. *Ulp. Dig.* 48, 5, 15. reipublicae. *Plin.* 26, 2, 6. auditioni in scholis. *Colum.* 12, 4. rebus domesticis. *Eum. de restaur. schol.* 4. *extr.* commodis alicujus. *Colum.* 12, 4. Rebus Venereis si fuit operatus vel vir, vel femina, debere eos flumine ablui placuit. ℙ Saepissime significat rebus divinis dare operam, et sacra facere: [*ut Gr. *θύειν*, *ἰρδειν.*] adeoque hac notione usitatum est, ut putent nonnulli, alias ab ista, tanquam per translationem descendere. [*V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 334. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 9, 35.] *Prop.* 2, 24, 1. Tristia jam redeunt iterum solemnia nobis: Cynthia jam noctes est operata decem, *h. e.* sacra Isidis suscepit, in quibus feminae a viris remotae secubabant. *Liv.* 1, 31. *f.* Operari sacris. *Tac. A.* 2, 14. Viditque se operatum, et sanguine sacro respersa praetexta, etc. Adde *Lucil.*, *Pomp.* et *Afran.* ap. *Non.* 12, 21. ℙ Pro valere, vim, aut effectum habere. *Capitol. Maxim.* 13. Nihil denique praetermitteret, quod ad crudelitatem videretur operari. *Imp. Gord. Cod.* 5, 12, 7. Ad sui dispendium operari. *Imp. Alex. ib.* 7, 16, 5. ad praescriptionem. *Lampr. Commod.* 17. Primum ei venenum dederunt: quod cum minus operaretur, etc. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 8. *med.* Clysteres vehementius operantes. ℙ Pro eleemosynam largiri. V. OPERATIO.

ŌPĔRŌSĔ, adv. *ἐπιπόνως*, *ἐργατικῶς*, cum labore, multa cura et opera. *Cic. Or.* 44. Ut fiat quasi structura quaedam, nec tamen fiat operose: nam esset cum infinitus, tum puerilis labor. *Hirt. B. G. praef.* 8. Nihil tam operose ab aliis esse perfectum, quod non horum elegantia commentariorum superetur. *Plin.* 18, 30, 73. Horrea operose tripedali crassitudine pariete lateritio exaedificari jubent. *Ov. Fast.* 5, 269. Vina quoque in magnis operose condita cellis Florent. *Plin.* 17, 11, 14. Plantas ex seminario transferre in aliud, priusquam suo loco ponantur, operose praecipi arbitror. *Id.* 18, 26, 65. *n.* 2. Unde spiret is ventus, dicemus mox paulo operosius, *h. e.* accuratius.

ŌPĔRŌSĬTAS, atis, f. *τὸ ἐπίπονον*, magnus labor, multa cura, multa opera. *Quint.* 8, 3. *med.* Est etiam, quae *περιεργία* vocatur, supervacua, ut sic dixerim, operositas, ut a diligenti curiosus, et a religione superstitio distat. *Tert. Anim.* 2. *f.* Quanta difficultas probandi, tanta operositas suadendi. *Vopisc. Tac.* 11. Vitreorum diversitate, atque operositate vehementer est delectatus.

ŌPĔRŌSUS, a, um, adj. *ἐργατικός*, *ἐνεργός*, qui multum operae impendit, actuosus, laboriosus, studiosus. *Cic. Sen.* 8. Videtis, ut senectus non modo languida atque iners non sit, verum etiam sit operosa, et semper agens aliquid, et moliens. *Ov. de nuce* 57. Sed, puto, magna mei est operoso cura colono. *Id. Am.* 2, 10, 5. Utraque formosa est: operosae cultibus ambae. *Prop.* 4, 8, 52. Cynthia non operosa comas, *ἀλληνισμός.* Al. rectius leg. *comis.* ℙ Cum genitivo. *Ov. Fast.* 1, 101. et *ib.* 3, 177. Disce Latinorum vates operose dierum, Quod petis. ℙ Item qui multo cum labore et opera fit, laboriosus. *Cic. Q. Fr.* 2, 14. Scribebam *πολιτικά*, spissum sane opus, et operosum. *Id. Leg.* 2, 26. Ne quis sepulcrum faceret operosius, quam quod decem homines effecerint triduo. [**Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v. explicat *operosus* h. l. per *certam operae mensuram* requirens: coll. *ib. c.* 18. textile ne operosius quam mulieris opus menstruum.] *Cic. N. D.* 2, 23. Labor operosus et molestus. *Id. Off.* 2, 5. Operosae artes, [*i. e. quae manibus potissimum utuntur in efficiendis operibus, *Handwerke. Liv.* 4, 8. rem operosam ac minime consularem suo proprio magistratu (censore,) egere.] *Hirt. B. Alex.* 9. machinationes. *Ov. Met.* 15, 667. templa operosa. *Id. ib.* 1, 258. et mundi moles operosa laboret. *Id. Am.* 2, 16, 33. operosi vitibus (al. *cultibus*) agri. *Id. Her.* 3, 31. fulvos operoso ex aere lebetas. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Hor. Od.* 4, 2, 31. operosa carmina fingere. *Prop.* 4, 6, 18. operosa via. *Plin.* 20, 5, 16. Syria in hortis operosissima, *h. e.* hortos maxime excolens. *Id.* 7, 53, 54. Operosissima securitas mortis, *h. e.* quae difficillima creditu est. ℙ *Operosum tempus*, quo multum operae fit. *Plin.* 18, 26, 65. *n.* 2. ℙ Castaneas operosas cibo *Id.* 15, 23, 25. vocat difficile concoquendas. ℙ Item valde operans, efficax, magnam vim habens. *Ov. Met.* 14, 22. Utere tentatis operosae viribus herbae.

ŌPERTĀNĔA Sacra, *μυστήρια*, sacrificia, quae in operto fiebant, quae et seclusa dicebantur, ut ait *Festus*, ne profanorum oculis polluerentur. Hujusmodi erant sacra Bonae Deae. V. OPERTUS. *Plin.* 10, 56, 77. Ad rem divinam, luteo rostro pedibusque, purae non videntur: ad opertanea sacra, nigrae. ℙ *Opertanei Dii*, qui in operto, et in terrae visceribus habitare creduntur. *Capell.* 1, 16. Dii Consentes, Penates, Lares, Opertanei, etc. *Id.* 8, 273. Aerii, terrestres, marinique Divi, et si quos clausa telluris operiunt.

ŌPERTĔ, adv. tecte. *Gell.* 4, 11. Operte, et symbolice, more Pythagorae.

[ŌPERTĬO, onis, f. idem ac operimentum. *Varr. L. L.* 4, 10. *med.* Neptunus *(dictus)*, quod mare terras obnubit, ut nubes coelum: a nuptu, id est, opertione, ut antiqui. *F.*]

OPERTO, as, a. 1. *σκεπάζω*, frequent. ab *operio.* *Paul.* ex *Festo. Ennius* ap. *Non.* 3, 201. tergum sagu' pinguis opertat.

ŌPERTŌRĬUM, ii, n. *περικάλυμμα*, operimentum. *Sen. ep.* 87. Ex duabus penulis altera stragulum, altera opertorium facta est. ℙ Item sepulcrum. *Sidon. ep.* 3, 12. Supra ipsum senis nostri opertorium torsi latrones.

ŌPERTŪRĀ, ae, f. operimentum. *Ammian.* 20, 7. Petitus ballistarum ictibus certis, et sagittarum densitate, opertura armorum abscessit innoxius. Al. rectius leg. *ictibus certis et sagittarum, densitate opertus armorum*, etc.

ŌPERTUS, a, um, part. ab *operio*, clausus: cui *apertus* opponitur. *Cic. Phil.* 2, 41. Iste operta lectica latus est per urbem. *Ov. Fast.* 2, 563. Dii quoque templorum foribus celentur opertis. *Val. Max.* 9, 13. *f.* Forem cubiculi extrinsecus a custodibus opertam. *Sen. Ben.* 4, 37. Opertis oculis donare multa. ℙ *Opertum*, *i*, locus clausus. *Cic. Par.* 4. *f.* Ut si in opertum Bonae Deae accessisses, exsulares. ℙ Item tectus. *Cic. Sen.* 10. *f.* Nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto sit. *Pl. Amph.* 5, 1, 42. Invocat Deos immortales manibus puris, operto capite. *Quint.* 11, 3. *med.* Motus operti et compressi. *Ov. Pont.* 4, 5, 5. Mons opertus nubibus. *Prop.* 2, 12, 4. Opertus tunica. *Virg. A.* 6, 140. telluris operta subire. *Mart.* 10, 96. Mensa ibi divitiis ruris operta sui. *Stat. Ach.* 1, 443. operta carinis stagna. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 4, 50. Contumeliae, quibus operti oppressique erant. *Id. Cluent.* 22. *med.* Judicia operta dedecore et infamia. [*In his idem est, quod *oneratus*, *onustus.*] ℙ Celatus, absconditus. *Virg. G.* 1, 465. operta tumescere bella. *Pl. Capt.* 3, 3, 9. Operta quae fuere, aperta sunt: patent praestigiae. *Cic. Fin.* 2, 2. Haec patefactio quasi rerum opertarum, cum, quid quidque sit, aperitur, definitio est. *Id. Div.* 1, 50. *f.* et *ib.* 2, 55. Apollinis operta, *h. e.* oracula, responsa, quae tectis, abstrusis, ambiguis verbis reddi solebant. *Gell.* 17, 9. *f.* Comminiscitur opertum hoc litterarum admirandum.

ŌPERTUS, us, m. operimentum. *Appul. Apol.* Mundissima lini seges non modo indutui, et amictui, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur. *Paul. Nol. carm.* 20, 282. Quod solidi totum crasso complebat opertu Orbem oculi.

ŌPĔRŬLA, ae, f. *Appul. Met.* 1. Operulas merere, *h. e.* mercedulas levis operae. *Ulp. Dig.* 50, 14, 3. In quo operula ista defuncti sunt, et ministerium quale quale accomodaverunt. *Arnob.* 4, 147. Operulam suscipere. *August. ep.* 154. Ne tuae dilectioni denegarem operulam meam.

ŌPES, opum, opibus, f. plur. V. OPS.

[OPETIS, is, f. herba eadem quae aristolochia. *Appul. Herb.* 19. *F.*]

*OPHARĪTAE, arum. V. v. sq. *B. A.*

*OPHARUS, i, m. Asiae fluvius, ultra Maeotim lacum, ex montibus Catheis in Lagoum flumen defluens. *Plin.* 6, 7. ℙ *Opharitae* audiebant accolae. *Id. ib. B. A.*

[OPHĔLĬO, onis, m. dimin. ophellii, qui aliquantisper utilis est: ab *ὄφελος*, utilitas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1676, 9. Ossua Flavii Ophelionis. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 283, 3. Q. Hortensius Offellio. Hic aspiratio, ut saepissime alias, tollitur, et consona duplicatur. *F.*]

[OPHELLĪUS, ii, m. utilis, adjutor: ab ὀφελλω, adjuvo. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 463, 2. Offellius ser. ark. *h. e.* servus arcarius. V. v. praec. *F.*]

OPHELTES, ae, m. filius Lycurgi regis Thracum, al. Archemorus, alumnus Hypsipyles, qui a serpente necatus est, in cujus honorem Argivi Nemeaea certamina instituerunt. *Stat. Th.* 5, 538. et *Silv.* 2, 1, 181. V. LANGIA. ℙ [Item Etruscorum nautarum unus, a Baccho in delphina transmutatorum. *Ov. Met.* 3, 605. *Hyg. fab.* 13. ℙ Alius, Cyzicenus. *Val. Fl.* 3, 198. *F.* et *B. A.*]

OPHĪACA, orum, n. plur. τὰ ὀφιακά, quae ad serpentes, et venena pertinent: ab ὄφις, serpens. *Plin.* 20, 23, 96. Petrichus, qui Ophiaca scripsit, et Micton, qui rhizotomumena, adversus serpentes nihil hippomarathro efficacius putavere.

[OPHĪAS, ādis, f. patron. Ophii filia. *Ov. Met.* 7, 382. in qua trepidantibus alis Ophias effugit natorum vulnera Combe. *F.*]

[OPHĪCARDĒLUS, i, m. gemmae nomen ap. *Plin.* 37, 10, 65. Ophicardelon barbari vocant, nigrum colorem binis lineis albis includentibus. *F.*]

OPHĪCI, orum, m. plur. olim dicti sunt Capuenses, quod illic plurimi abundavere serpentes: nam ὄφις, serpens est. *Serv.* ad *A.* 7, 730.

OPHĪDĬON, ii, n. ὀφίδιον, pisciculus congro similis: quasi parvus serpens. *Plin.* 32, 9, 35. et *ib.* 11, 53. [**Graubart*, Ophidium barbatum, *L.*]

OPHĪOGĒNES, um, m. plur. ὀφιογενεῖς, populi Asiae ad Hellespontum, quos Crates Pergamenus scripsit, serpentium ictus tactu solitos levare, et manu imposita venena extrahere corporibus. Cum arbitrantur, suppositum esse aliquem in stirpe, ei admovent, ut pungat, colubrum: cum pupugerit, si de genere sit, vivit; si non sit, moritur. Dicti sunt ab ὄφις, serpens, et γένος, genus. *Plin.* 7, 2, 2. et *Varro* ap. *Prisc.* 10, 894. Similia de Psyllis narrat *Plin. ib.* qui 28, 3, 6. etiam in insula Cypro Ophiogenes fuisse ait.

OPHĪON, onis, m. Ὄφιων, unus e Gigantibus, qui cum uxore Eurynome Neptuni filia ante Saturnum regnavit, sed ab eo victus, fugatusque est. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 348. hos onerat ramos exutus Ophion. ℙ Item unus e sociis Cadmi, Thebarum conditoris. Unde *Ophionius*, Thebanus. ℙ Item unus e Centauris. Unde *Ophionides.* ℙ [Item animal quoddam Sardiniae peculiare, ita fortasse appellatum, quia serpentibus adversetur, quod idem videtur esse ac musimo. *Plin.* 28, 9, 42. Inveni apud auctores Graecos animal cervo minus, et pilo demum simile, quod ophion vocaretur. Sardiniam id tantum ferre solitam. *Id.* 30, 15, 52. In Sardinia est ophion, cervis tantum pilo similis, nec alibi nascens. *F.*]

OPHĪONĪDES, ae, m. patron. Ὀφιονίδης, filius, aut nepos Ophionis, ut Ophionides Amycus, unus e Centauris, ap. *Ov. Met.* 12, 245.

OPHĪONĬUS, a, um, adj. Thebanus. V. OPHION. *Sen. Oed.* 483. sacer et Cithaeron Sanguine inundavit, Ophioniaque caede, *h. e.* Penthei.

OPHĪOPHĀGI, orum, m. plur. populi Troglodytices, quos serpentibus vesci solitos, scribit *Plin.* 6, 29, 34. ab ὄφις, serpens, et φάγω, comedo. Adde *Solin.* 33. *med.*

[OPHĪOSTAPHYLE, es, f. ὀφιοσταφύλη, frutex idem ac capparis: ab ὄφις, serpens, et σταφύλη, uva: quasi uva anguina. *Plin.* 13, 23, 44. Capparis firmioris ligni frutex, seminisque et cibi vulgati: quidam id cynosbaton vocant, alii ophiostaphylen. V. CYNOSBATOS.

**OPHIOSTAPHYLON*, i, n. ὀφιοστάφυλον, i. q. vitis alba. *Plin.* 23, 1. Vitis alba est, quam Graeci ampeloleucen, alii ophiostaphylon — adpellant. *B. A.*

[OPHĪTAE, arum, m. plur. Ὄφῖται, haeretici quidam. *Isid. Or.* 8, 5. Ophitae a colubro nominati sunt. Coluber enim Graece ὄφις dicitur. Colunt enim serpentem, dicentes, ipsum in paradisum induxisse virtutis cognitionem. *Tert. Praescr.* 47. Accesserunt hic haeretici etiam illi, qui Ophitae nuncupantur. Nam serpentem magnificant in tantum, ut illum etiam ipsi Christo praeferant. *F.*]

OPHĪTES, ae, m. ὀφίτης λίθος, marmoris genus, serpentis maculas habens: ab ὄφις, serpens, ut *echites* a maculis viperae. [**Serpentinstein.*] *Plin.* 36, 7, 11. Ophites serpentium maculis similis, unde et nomen accepit. Duo ejus genera, molle candidum, nigricans durum. Contra serpentes autem a quibusdam laudatur praecipue ex his, quem tephriam appellant a colore cineris. *Lucan.* 9, 714. Quam parvis tinctus maculis Thebanus ophites, *h. e.* ex Thebis Aegyptiis. *Mart.* 6, 42. Et flamma tenui calent ophitae. ℙ *Item Herculis filius, de quo *Hyg. fab.* 32. *B. A.*

OPHĪTIS, idis, f. ὀφῖτις πέτρα, eadem ac ophites lapis. *Plin.* 36, 22, 43. Est hoc genus ophitis, ex quo vasa etiam et cados faciunt.

OPHĪUCHUS, i, m. Ὀφιοῦχος, Anguitenens, signum caeleste, hominis effigie anguem manu tenentis: ab ὄφις, serpens, et ἔχω, teneo. Nonnulli Herculem esse putaverunt, qui adhuc in cunis vagiens angues a Junone immissos praefocavit: alii Aesculapium, alii Carnabontem Getarum regem, alii Phorbantem Triopae Thessalorum regis filium: quae omnia fuse persequitur *Hyg. Astron*, 2, 14., cujusque appellationis causas, et historiam referens. Constat stellis XVII., ipse autem anguis XXIII. Situs est supra Scorpionem, cujus testudinem videtur pedibus premere, humeris autem aestivum circulum, h. e. Aequatorem tangit. *Id. ib.* 3, 15. *Manil.* 1, 331. Serpentem magnis Ophiuchus nomine signis Dividit. *Avien. Arat.* 204. vertice quippe Sideris innixi clarum nosces Ophiuchum. V. ANGUIFER.

**OPHĪUS*, i, m. Combes pater. *Ov. Met.* 7, 383. *B. A.*

OPHĪUSĂ, ae, f. ὀφιοῦσα, herba in Elephantine Aethiopiae regione nascens, livida difficilisque aspectu, qua pota minas terroremque serpentum animo obversari tradidit Democritus, adeo ut mortem sibi eo metu damnati consciscant. Quare et sacrilegis bibenda dari consuevit. *Plin.* 24, 17, 102. ℙ Est etiam hoc nomine insula parva Hispaniae, in mari Balearico, una ex Pityusis. *Plin.* 3, 5, 11. quia serpentes parit. ℙ Item alia in Propontide. *Id.* 5, 32, 44. ℙ Item alia in mari Carpathio, eadem quae Rhodos. *Id.* 5, 31, 36. ℙ Item alia prope Cretam, quae et *Ophiussa*. *Id.* 4, 12, 20. ℙ Item alia ad Tyram fluvium in Sarmatia. *Id. ib.* 26. *Val. Fl.* 6, 85. et gelidis pollens Ophiusa venenis.

OPHĪUSĬUS, a, um, adj. ὀφιούσιος, ad Ophiusam aliquam pertinens. *Ov. Met.* 10, 229. Ipsa suas urbes, Ophiusiaque arva parabat Deserere alma Venus, *h. e.* Cyprum. Sed cur ita appellet, non apparet, nisi dicas, eam insulam aliquando dictam Ophiusam, nomine cum Rhodo communi, quia Telchines, qui Rhodum incoluerunt, prius Cyprum tenuerant, ut docet *Strabo l.* 14. Solent autem poetae in appellandis locis remotissimas non raro rationes sequi.

**OPHRADUS*, i, fluvius Asiae ulterioris, Ariam, Carmaniam ac Drangianam permeans. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

OPHRYS, yos, f. ὀφρύς, herba denticulato oleri similis, foliis duobus, quae capillis nigredinem inducit. *Plin.* 26, 15, 93. *n.* 2.

OPHTHALMĪAS, ae, m. ὀφθαλμίας, ὁ, piscis, Latine oculata dictus, ab oculorum magnitudine: ὀφθαλμὸς enim est oculus. *Pl. Capt.* 4, 2, 70. Pernam, atque ophthalmiam, horaeum, scombrum, etc.

OPHTHALMĪCUS, i, m. ὀφθαλμικὸς, medicus ocularius: ab ὀφθαλμὸς, oculus. *Mart.* 8, 74. Hoplomachus nunc es: fueras ophthalmicus ante: Fecisti medicus, quod facis hoplomachus.

OPĪCERDA, ae, f. stercus ovillum, ut sucerda suillum. Ita interpretes ad *Fest.* in *Succerda*, ubi vox quidem *opicerda* legitur, sed cum *sucerda* confundi videtur. [At fortasse *opicerda* scriptum est pro *ovicerda*. *F.*]

[OPĪCILLUM, i, n. videtur esse dimin. ab *ops*, *opis*, et significare parvum auxilium, seu remedium. Alii putant opicillum significare vasculum picatum, quo vinum conditur et asservatur; vel translate usurpari pro vesica, quae est quasi vas aliquod aut receptaculum potus, ut venter cibi. *Varr.* ap. *Non.* 2, 113. Cupas vinarias sirpare noli; adde cyathum vini in uxorculae opicillum. *F.*]

OPĪCONSĪVA, orum, n. plur. dies ab Dea Opiconsiva, cujus in regia sacrarium: quod ideo actum, ut eo praeter virgines Vestales, et sacerdotem publicum, introeat nemo. Is cum eat, suffibulum haud habeat. Haec *Varr. L. L.* 5, 3. *Scal.* legend. putat *suffibulum habeat.* Hic vero dies *Opiconsivae* sacer erat VIII. Cal. Sept., ut patet ex quatuor vetustis calendariis ap. *Fogginium* ad *A. Verrii Fl. Fast.* p. 129. Tradit autem *Macr. Sat.* 3, 9. hanc Deam integra voce *Opem Consiviam* dictam esse, et in ejus tutela urbem Romam fuisse: quod alii de Jove, alii de Luna, de Angerona alii putaverunt. V. CLUSIUS. ℙ *Festus* in *Opima* docet esse uxorem Saturni, nempe ipsam terram, cujus cultor diligens Saturnus fuit, ideoque cum falce pingitur, quod est insigne agricolae. Quare *consiva*, seu *consivia* a conserendo est.

OPĪCUS, a, um, adj. rudis, agrestis, ignarus, ab Opicis populis antiquissimis Italiae in Campania, quod rudes prae ceteris, et agrestes fuerint. *M. Cato* ap. *Plin.* 29, 1, 7. Nos (*Graeci*) dictitant barbaros, et spurcius nos, quam alios opicos, appellatione foedant. *Juven.* 6, 454. Nec curanda viris opicae castigat amicae Verba. *Id.* 3, 207. Et divina opici rodebant carmina mures, *h. e.* litterarum imperiti. *Tiro Tull.* ap. *Gell.* 13, 9. Τάδες οὐκ ἀπὸ τῶν ὑῶν, ita ut nostri opici putaverunt, sed ab eo, quod est ὗειν, appellantur. *Auson. Profess.* 22. Exesas tineis, opicasque evolvere chartas, *h. e.* scripta priscorum rudi impolitoque stilo confecta. Adde *Gell.* 2, 21. et 11, 16. ℙ Sunt qui *opicus* interpretantur sordidus, spurcus. *Festus* enim in voce *Oscum* scribit, *opicum* interdum dici pro Osco: Oscis autem frequentissimum usum fuisse libidinum spurcarum. *Auson. epigr.* 128. Opicum magistrum appellat Eunum obscenae libidinis hominem, notans in eo impudicitiam, simul et ignorantiam. V. OSCI.

OPĪFER, ra, rum, adj. βοηθεύων, opem ferens. *Ov. Met.* 15, 653. de Aesculapio: Cum Deus in somnis opifer consistere visus. *Plin.* 16, 13, 24. Folia fraxini imposita ulceribus opifera reperiuntur. *Inscr.* ap. *Grut.* 41, 8. Dianae opiferae Nemorensi; et 75, 9. Fortunae opiferae.

OPĪFEX, icis, m. et f. χειρώναξ, δημιουργὸς, qui opus facit, operator, fabricator, artifex. *Cic. N. D.* 1, 8. Opifex aedificatorque mundi Deus. *Ov. Met.* 1, 79. Ille opifex rerum. *Plin.* 31, 1, 1. Opifex natura. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Apes silvestres minores sunt (*cicuribus*) magnitudine, et pilosae, sed opifices magis. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 11. *extr.* Zeno Cittieus ignobilis verborum opifex. *Quint.* 2, 15. Esse rhetoricem persuadendi opificem. *Plin.* 5, 9, 10. Nilus feris et belluis frequens, silvarumque opifex, *h. e.* multas silvas producens. *Claud. VI. cons. Honor.* 533. profecitque opifex decori timor. ℙ Cum infinito. *Pers.* 6, 3. Mire opifex numeris veterum primordia vocum, Atque marem strepitum fidis intendisse Latinae. ℙ Saepe de iis dicitur, qui artem quamlibet illiberalem quaestus et vitae causa exercent. *Cic. Off.* 1, 42. Opifices omnes in sordida arte versantur. *Sall. Jug.* 76. Opifices, agrestesque omnes, quorum res fidesque in manibus sitae sunt. *Id. Cat.* 49. Opifices atque servitia sollicitare. *Cic. Fl.* 8. Opifices et tabernarios, atque illam omnem faecem civitatum, etc. *Id. N. D.* 2, 60. Adhibitis opificum manibus omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salvi esse possemus, urbes, muros, domicilia, delubra haberemus.

OPĪFĪCĪNA, ae, f. officina. *Pl. Mil.* 3, 3, 6. Stultitia maxima sit, me tibi meam operam pollicitari, si ea in opificina nesciam aut mala esse, aut fraudulenta. **Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 83. *extr.* Mira autem (*cod.* tamen) opificinae majestas, etc. *B. A.*

OPĪFĪCĪUM, ii, n. χειρούργημα, operis confectio. *Varr. R. R.* 3, 16. Nisi opificii eas (*apes*) urget tempus. *Appul. Flor. n.* 9. Plura mea exstant in Camenis, quam Hippiae in opificiis, opera. Al. leg. *opificiis operibus*, ut sit adjectivum pro arte factis.

OPĪFĪCĪUS, a, um. V. in v. praec.

OPĪGĒNAM Junonem, inquit *Festus*, matronae colebant, quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant. *Capell.* 2, 38. Opigenam te, quas vel in partus discrimine, vel in bello protexeris, precabuntur. Al. leg. *Sotigenam*, sed *Grotio* invito. ℙ Sunt qui sic dictam putant, quod sit Ope genita, h. e. Rhea Saturni uxore.

OPĪLĬO, onis, m. ποιμὴν, pastor ovium, qui ovium gregem servat, et pascit: quasi *ovilio*, quomodo legitur ap. *Jabolen. Dig.* 33, 7, 25.: alii rectius deducunt ab οἰοπόλος, seu οἰπόλος, quod componitur ex ὄϊς, ὄϊος, ovis, et πολέω, pasco; ut αἰπόλος, caprarius, est ab eodem πολέω, et αἴξ, αἰγὸς, capra: unde, Graeca diphthongo οι in Latinam *ae*, mox in *u* conversa, factus est ūpĭlĭo, V. MURUS., aut abjecta altera vocali diphthongi factus est opĭlĭo, ut putat *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 10, 19. Venit et upilio, tardi venere bubulci. *Pl. As.* 3, 1, 36. Etiam opilio, qui pascit alienas oves, aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam. *Colum.* 7, 3. Post feturam deinde longinquae regionis pascua petiturus opilio, fere omnem sobolem pastioni reservet suburbanae. ℙ Est etiam genus avis. *Paul.* ex *Festo.* [*Quaedam adjicit *F.*]

**OPILĬUS*, i, m. nomen propr. virorum R. ut Opilius Macrinus, Imperator, de quo V. in *Macrinus.* ℙ Aurelius Opilius, grammaticus et scriptor. *Suet. Gr.* 6. *Gell.* 1, 25. *f.* ℙ Alius Aurelius Opilius, medicus, de quo *Plin.* 28, 4. *B. A.*

OPĪMĀTUS, a, um, part. ab *opimo:* pinguis factus. *Auson. Idyll.* 10, 105. opimato fluens abdomine venter. *Sidon. ep.* 8, 12. Opimata vivariis ostrea.

OPĪMĒ, adv. πολυτελῶς, abundanter, et laute. *Pl. Bacch.* 3, 1, 6. Omnium ad perniciem instructa domus opime, atque opipare.

OPĪMĬĀNUS, a, um, adj. ad Opimium pertinens, quod est nomen propr. civis R. *Opimianum vinum* (quod et *Opimianum* absolute) celebre fuit ap. Romanos, dictum a L. Opimio, qui ann. U. C. DCXXXIII. consul fuit una cum Q. Fabio Maximo Allobrogico, ut est ap. *Vell.* 2, 7., teste *Plin.* 14, 4, 6. et *ib.* 14, 16., quo anno cum mira coeli temperies, et ad maturanda vina aptissima fuisset, ea condita, et in multos annos servata, in deliciis postea fuere: durabantque adhuc post ducentos annos *Plinii* tempore, ut idem testatur *cit. c.* 4., tametsi negat *Vell. l. c.* Saepe laudatur a *Mart.* 1, 27., 2, 40., 3, 82., 9, 88., 10, 49. et 13, 113. Meminit et *Cic. Brut.* 83. *Petr. Sat.* 34. Allatae sunt amphorae vitreae, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: Falernum Opimianum annorum centum; et *mox:* Verum Opimianum praesto.

OPĪMĬTAS, atis, f. abundantia, lautitia. *Pl. Capt.* 4, 1, 2. Maximas opimitates, opipa-

rasque offers mihi. *Id. As.* 2, 2, 16. Maximas opimitates gaudio effertissimas suis heris pariet. *Ammian.* 19, 11. Expletus praedarum opimitate exercitus. Ap. *Plaut.* qui *optimitates* legunt, male legunt.

OPIMIUS, a, um, adj. idem ac Opimianus, [ad L. Opimium pertinens, de quo v. in OPIMIANUS. *F.*] *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* Senaculum supra Graecostasin, ubi aedes Concordiae, et basilica Opimia. [*Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 212. Servos publicus ex basilica Opimia. *F.*] ℙ In nummis gentis Opimiae ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 264. *Opeimius* scribitur.

OPIMO, as, avi, atum, a. 1. *πιαίνω*, opimum reddo, pinguefacio. *Colum.* 8, 7. *extr.* et *ib.* 9. Offae panis vino madefactae celerius opimant turtures, quam ceteri cibi. ℙ Item dito, copiosum reddo, impleo, onero. *Auson. Ecl. de mensib.* 9. Autumnum, Pomona, tuum September opimat. *Vopisc. Tac.* 11. Mensam suam nunquam nisi agrestibus opimavit. ℙ Item fertilem reddo. *Appul. de Mundo:* Terra imbribus madefacta ad educandos fetus suos opimatur. ℙ Translate. *Auson. epist.* 15, 1. O qui venustos uberi facundia Sales opimas, Tetradi.

OPIMUS, a, um, adj. [*proprie significat id quod alit: est enim ab *ops*. Hinc de agro, arbore cet. eodem sensu usurpatur, quo *ferax*, *fertilis*. *Forc.* quinto loco hanc significationem posuerat his laudatis exemplis:] *Cic. Manil.* 6. Regio opima et fertilis. *Virg. A.* 2, 782. Arva opima virum. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7. Opima vitis. [*Sym. or. in Valent. Aug.* (ed. *A. Maio*) 1, 16. Triumphales viri amoena litorum, terrarumque opima sectantur. *F.*] [*Adde *Liv.* 31, 31. campos opimos ad praedam petiere. ℙ Tum passive dicitur *opimus*, is, qui bene altus apparet, Gr. *πιμελής*, *πίων*: *wohl genährt*, *fett*, *feist*. Ita solemne vocabulum est, de bobus altilibus, ad sacrificia publica saginatis, ut docet *Varr. R. R.* 2, 1. Haec Noster primo loco posuerat:] *Cic. Tusc.* 5, 34. *extr.* Ructantes refertos epulis, tanquam opimos boves; et *Div.* 1, 52. *med.* In extis opimi bovis cor non fuit. *Ov. Pont.* 4, 9, 50. Albave opimorum colla ferire boum. *Plin.* 10, 21, 24. Galli extis etiam fibrisque, haud aliter quam opimae victimae, Diis grati. ℙ Deinde universim quisquis habitior est, et pinguedine crassus. *Colum.* 7, 9. *med.* Cultus ager opimas reddit sues. *Gell.* 9, 4. Pecudes pastu atque cultu opimae. *Id.* 5, 14. *f.* Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad specum mihi suggerebat. *Hor. Ep.* 2, 1, 181. Palma negata macrum, donata reducit opimum. *Val. Fl.* 6, 613. Opima stabula, *h. e.* in quibus opimi sunt greges. ℙ Metonymice *opimus cibus*, quia opimos facit: [**opimus cibus* est, laute et abundanter paratus, appositus.] *Virg. A.* 3, 224. Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opimis. *Sil.* 11, 282. stupet inconsuetus opimae Sidonius mensae miles. ℙ Metaphorice. *Cic. Or.* 8. Opimum quoddam, et tanquam adipatae dictionis genus. *Id. Brut.* 16. *f.* de Lysia: Habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consectentur. *Gell.* 17, 10. Pindarus nimis opima pinguique esse facundia existimatus est. ℙ Item dives, opulentus, copiosus. *Varr. L. L.* 4, 17. Opulentus ab ope, cui eae opimae, *h. e.* cui opes sunt multae. *Pl. fr.* ap. *Non.* 2, 30. Divitiis maximis, dote altili atque opima. *Id. Capt.* 2, 2, 31. Opimae divitiae. *Cic. Rosc. Am.* 3. Opima et praeclara praeda. *Id. Verr.* 2, 1, 50. *extr.* Indignum videri coepit, ex tanta aede se non opimum praeda discedere. *Plin.* 10, 51, 72. Opimi quaestus. *Sil.* 16, 684. et opima pace quieta Stat tellus, *h. e.* quae divitias et copiam affert. *Cic. Fl.* 33. Opimam accusationem deferre alicui, *h. e.* ex qua magnus quaestus accusatori accedat. Sic *Stat. Silv.* 4, 6, 65. OPimae acies, *h. e.* proelia, ex quibus multa praeda paritur; et *Val. Fl.* 3, 143. opima cadavera, *h. e.* corpora in acie caesorum, unde spoliantes ditescant. *Tac. H.* 1, 1. Opus aggredior opimum casibus, atrox proeliis. ℙ *Opima spolia* dicebantur *κατ' ἐξοχήν*, quae dux summus exercitus summo duci hostium caeso detraxisset, ut docet *Liv.* 1, 10. et 4, 20. Hujusmodi trina tantummodo populo R. contigerunt intra annos DXXX.; prima, quae Romulus de Acrone Caeniensium duce reportavit: altera, quae A. Cornelius Cossus de Larte Tolumnio Vejentium rege: tertia, quae M. Claudius Marcellus de Viridomaro, seu Virdumaro rege Gallorum Insubrium. V. *Liv. l. c.*, *Flor.* 2, 4., *Val. Max.* 3, 2. *n.* 3., *Prop.* 4, 10., *Fest.* in *Opima*, *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 2, 25. et 45., *Fragmenta Capitolina* ap. *Grut.* 297. *col.* 2. *extr.* et *Serv.* ad illud *Virg. A.* 6, 856. Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis Ingreditur. ℙ Sed etsi dux summus non fuerit, qui hostem singulari certamine occidit, spoliavitque, *opima* dicuntur spolia inde relata. Exemplum habes ap. *Virg. A.* 10, 449., *Liv.* 23, 46. *extr.*, *Flor.* 2, 17. atque *Livii Epit.* 48. Etiam *Varr.* ap. *Fest. l. c.* ait, opima spolia esse, etiam si manipularis miles detraxerit, dummodo duci hostium. ℙ *Opima* absolute, opima spolia. *Flor.* 2, 17. De quibus Scipio ille posterior singulari certamine, cum a rege fuisset provocatus, opima retulerat. *Sen. Herc. Fur.* 47. Effregit ecce limen inferni Jovis, Et opima victi regis ad superos refert. *Plin. Pan.* 17. Nec tibi opima defuerint, si quis regum venire in manus audeat. Adde *Sil.* 12, 280. ℙ *Opimus triumphus*, quasi qui opimis spoliis captis agitur. *Hor. Od.* 4, 4, 51. quos opimus Fallere et effugere est triumphus. ℙ *Opima gloria*, tanquam opimis spoliis acquisita. *Val. Max.* 4, 3. *n.* 10. *extr.* Quoniam paternae hereditati, praeter opimam gloriam, nihil erat, quod acceptum referretur. *Curt.* 7, 4. *extr.* Opimum belli decus. ℙ [*Opimus* fuit etiam cogn. R.; cujus vero gentis proprium fuerit, adhuc incompertum habeo, quamvis id affirmet his verbis *Quint. decl.* 302. Non ergo pugna per se turpis est, sed inhonesta pugna *(turpis est)*. Dedit enim et familiis nomina: hinc Corvini, hinc Torquati, hinc Opimi. *F.*] ℙ Superl. *Opimissimus* est *Tert. ad Nat.* 2, 8. *med.* Boves septem opimissimos.

OPINABILIS, e, adj. *δοξαστός*, qui opinione concipitur, in opinione consistens. *Cic. Acad.* 1, 8. Itaque hanc omnem partem rerum opinabilem appellabant. *Id. Tusc.* 3, 31. Mediocritates si naturales sunt, natura ipsa terminabit modum: sin opinabiles, opinio tota tollatur. *Id. Div.* 1, 14. Artes, quae conjectura continentur, et sunt opinabiles. *Gell.* 12, 1. *f.* Non naturalis ille amor est, sed civilis, et opinabilis, *h. e.* pendens ab opinione.

OPINAMENTUM, i, n. opinatio, opinio. *Appul. de Deo Socr.* Aliquando eorum nonnulla opinamenta habere. Al. rectius leg. *hortamenta*.

OPINĀTIO, onis, f. *δόξασμα*, actus opinandi, et fere in malam partem accipitur. *Cic. Tusc.* 4, 11. Opinatio est, judicare, se scire quod nesciat. *Val. Max.* 1, 8. *extr. n.* 8. Sophista ineptae et mordacis opinationis. ℙ Pro simplici opinione. *Cic. Acad.* 4, 25. Opinatione et perceptione sublata, sequitur omnium assensionum retentio. Adde *Lact. Opif. D.* 12. *med.*

OPINĀTO. V. NECOPINATO.

OPINĀTOR, oris, m. qui opinionem tantum, non scientiam habet, qui rebus probabilibus assentitur. *Cic. Acad.* 4, 20. Ego vero ipse et magnus quidam sum opinator: non enim sum sapiens. ℙ Praeterea *opinatores* a JCtis dicuntur, qui in provincias mittebantur ad militarem annonam exigendam. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 12, 38, 11. Opinatoribus, id est exactoribus militaris annonae, nullum sit cum provincialibus commercium. Adde *Cod. Theod.* 11. *tit.* 7. qui inscribitur *De exactionib. l.* 16. et *ib.* 7, 4, 26. Ita dicti videntur, inquit *Tabor* ap. *Briss.* de V. S., quod spectarent, et aestimarent annonam, cum judicio opinantes, an bona esset, nec ne. Plura de his V. ap. *Gothofred.* ad *cit. Cod. Theod.* 7, 4, 26.

OPINĀTUS, a, um, part. ab *opinor:* opinione conceptus. *Cic. Tusc.* 4, 6. Partes perturbationum volunt ex duobus opinatis bonis nasci, et ex duobus opinatis malis. ℙ *Opinatum* absolute pro opinione, quidam adstruunt ex *Quint.* 8, 5., sed ibi non *ex opinato*, sed *ex inopinato* est legendum. ℙ *Opinatus*, is, de quo magna opinio est, illustris, celebris. *Enn.* ap. *Gell.* 11, 4. Cum opinati loquuntur pariter, atque ignobiles. Ita quidam leg., sed plerique alii *opulenti*. *Ammian.* 21, 6. Ludis circensibus cum certamen opinatum emitteretur, *h. e.* *ἔνδοξον*. *Flor.* 2, 7. Rhodos opinatissima insula, et totius Asiae insularum metropolis. In optim. editionib. haec verba desunt, et vero abesse debent. Addit *Alciat. parerg. l.* 8. *c.* 12. etiam *Gell.* dixisse *opinatissimos auctores:* sed neque locum indicat, neque mihi adhuc compertum est.

OPINĀTUS, us, m. idem ac opinio. *Lucr.* 4, 465. pars horum maxima fallit Propter opinatus animi.

OPINIO, onis, f. *δόξα*, assensus rei non exploratae, existimatio, judicium, sententia, conjectura. [*Cic. fragm. or. Scaur.* (ed. *A. Maio*) 7. Apud homines barbaros opinio plus valet saepe, quam res ipsa. *F.*] *Id. Or.* 1, 23. Res penitus perspectae planeque cognitae, atque ab opinionis arbitrio sejunctae, scientiaque comprehensae. *Id. Tusc.* 4, 7. Omnes perturbationes judicio censent *(Stoici)* fieri, et opinione; et *mox:* Aegritudo est opinio recentis mali praesentis, etc. laetitia, opinio recens boni praesentis, etc. metus, opinio impendentis mali, etc. libido, opinio venturi boni; et *paulo post:* Opinionem autem, quam in omnes definitiones superiores inclusimus, volunt esse imbecillam assensionem. *Id. Or.* 2, 1. Magna, nobis pueris, opinio fuit, L. Crassum non plus attigisse doctrinae, quam, etc. *Id. Att.* 9, 8. In his locis opinio est, conjectura magis, quam nuntio aut litteris, Caesarem Formiis a. d. 11. cal. Apr. fore. *Id. Verr.* 1, 1. Inveteravit opinio, et omnium sermone percrebuit. *Id. Fam.* 9, 11. Brevi tempore, ut opinio mea est, te sum visurus. *Id. Font.* 13. et *Fam.* 13, 66. et *Verr.* 2, 4, 10. Homo, ut opinio mea fert, ingeniosissimus. *Colum.* 1, 3. *med.* Quantum mea fert opinio; et 3, 11. *med.* et *Cic. Cluent.* 16. Ut mea fert opinio. *Ulp. Dig.* 24, 1, 32. *med.* Mea fert opinio, ut, etc. *Colum.* 2, 12. Cujus opinionis etiam Cornelius Celsus est. *Cic. Mur.* 30. Non re ductus es, sed opinione. *Id. Dom.* 5. Res erat non in opinione dubia, sed in praesenti atque ante oculos proposito periculo. *Id. N. D.* 1, 22. Esse Deos, persuaderi mihi non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane velim; et *ib.* 3, 4. *f.* Opinio de Diis immortalibus et omnium est, et quotidie crescit. *Id. Div.* 2, 33. Romulus habuit opinionem, esse in providendis rebus augurandi scientiam. *Id. Cluent.* 51. *f.* Esse in opinione aliqua. *Id. Caecin.* 5. Adducere aliquem in eam opinionem, ut putet, etc. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. Venit in eam opinionem Cassius, ipsum finxisse bellum, etc. *h. e.* opinio erat, Cassium finxisse bellum. *Nep. Milt.* 7. et *Att.* 9. Venit mihi in opinionem, opinatus sum, existimavi. *Suet. Aug.* 6. Tenet me opinio, tanquam res ita se habeat. *Caes. B. G.* 3, 17. Praebere opinionem timoris. *Cic. Cluent.* 2. *f.* evellere ex animo; et *ib.* 3. mente comprehendere; et *ib.* convellere et labefactare; et 51. *extr.* deponere. *Id. Verr.* 1, 14. *f.* animo imbibere. *Id. Or.* 28. novam inserere; et *Off.* 2, 13. *med.* afferre alicui; et *Or.* 2, 52. minuere. *Caes. B. G.* 5, 55. *extr.* augere. *Cels.* 8, 4. facere fractis ossis; et *Dolabell.* ad *Cic. Fam.* 9, 9. Incidere in opinionem. *Cic. Fam.* 6, 14. discedere. *Id. Acad.* 4, 45. Labi ad opinionem aliquam. *Id. Mur.* 30. Opinione duci; et *ib.* 31. Quantum opinione auguror. ℙ Existimatio, exspectatio, spes. *Cic. Amic.* 9. Ego administratione quadam virtutis ejus, ille vicissim opinione fortasse nonnulla, quam de meis moribus habebat, me dilexit. *Id. Att.* 7, 2. *med.* Opinio, quam is vir habet, integritatis meae. *Caes. B. G.* 2, 24. Equites, quorum inter Gallos virtutis opinio est singularis. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria consulatus tui. *Id. Cluent.* 51. *extr.* Si quam huc graviorem de illo judicio opinionem attulistis, hanc, causa cognita, deponatis. *Id. Fam.* 1, 6. *extr.* A me omnia summa in te studia exspecta: non fallam opinionem tuam; et *ib.* 5, 12. Genus scriptorum tuorum etsi erat a me vehementer exspectatum, tamen vicit opinionem meam. *Id. Agr.* 3, 1. Parvam exigui temporis usuram bonae de me opinionis postulo. *Id. Verr.* 2, 3, 24. Falsam de illis opinionem habuit, malam de vobis. *Nep. Thras.* 2. Neque tamen pro opinione Thrasybuli auctae sunt opes. *Quint.* 1, 2. Sunt multa ejus rei exempla, tam laesae hercle, quam conservatae sanctissime opinionis. ℙ Indicium, argumentum. *Ter. Heaut.* 2, 2, 2. Vereor, ne mulier me absente hic corrupta sit. Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum exaugeant: locus, occasio, aetas, etc. ℙ Fama, rumor. *Suet. Ner.* 53. Exiit opinio, proximo lustro descensurum eum ad Olympia inter athletas. *Justin.* 8, 3. Mittit, qui opinionem sererent, regem locare, etc. ℙ *Contra, praeter opinionem*, contra ac putatur, praeter id, quod putatur. *Cic. Rosc. Am.* 15. *extr.* Dicere contra rerum naturam, contra consuetudinem hominum, contraque opiniones omnium. *Nep. Milt.* 2. Etsi praeter opinionem res ceciderat. Adde *Cic. Verr.* 2, 2, 74. ℙ Cum adverb. comparativis. *Cic. Fam.* 14, 23. Ipse opinione celerius venturus esse dicitur; et *Brut.* 1. et *Or.* 1, 35. *extr.* Formam totius negotii opinione majorem melioremque video. *Id. Fam.* 10, 31. Quod familiarem meum in tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius est. *Pl. Mil.* 4, 6, 23. Istuc curavi, ut opinione illius pulcrior sis. *Sall. Jug.* 87. Ea agere inter invidos, opinione asperius est; et *ib.* 57. Opinione amplius morari. *Varr.* ap. *Non.* 4, 329. Opinione citius. Adde *Caes. B. G.* 2, 3.

OPINIOSUS, a, um, adj. magnus opinator, multa opinans, opinionibus abundans. *Cic. Acad.* 4, 47. Duo vel principes dialecticorum, Antipater et Archidemus opiniosissimi homines, nonne multis in rebus dissentiunt? *Tert. adv. Marc.* 4, 35. *med.* Si cui tam opiniosus videbitur Christus.

[OPINIUNCULA, ae, f. dimin. opinionis. *Salvian. de avarit.* 5. Tanto magis tibi relinqueres, si profutura ea tibimet vel tenui opiniuncula judicares. *F.*]

OPINO, as. V. v. sq.

OPINOR, aris, atus sum, dep. 1. *δοξάζω, οἶομαι*, opinionem habeo, opinio mea est, feror ad credendum ea, quae plane percepta et explorata non sunt. *Cic. Acad.* 4, 48. Ad patris revolvor sententiam, ut percipi nihil putem posse, assensurum autem non percepto, idest opinaturum sapientem existimem: sed ita, ut intelligat, se opinari, sciatque nihil esse, quod comprehendi et percipi possit. *Id. Mur.* 30. Nostri illi a Platone et Aristotele ajunt, sapientem saepe aliquid opinari, quod nesciat. *Caes.* ap. *Suet. Caes.* 66. Scitote paucissimis his diebus regem affuturum cum X. legionibus, equitum XXX., levis armaturae C. millibus. Proinde desinant quidam quaerere ultra, aut opinari: mihique, qui compertum habeo, credant. ℙ Universim est existimo, censeo, judico, puto, mihi vide-

tur. *Cic. Fam.* 7, 17. Quoad opinatus sum, me in provinciam exiturum, quae ad te attulerim, meminisse te credo; et *Brut.* 35. Doctus etiam Graecis T. Albucius, vel potius paene Graecus: loquor, ut opinor. *Id. Dom.* 40. Ex quo intelligitur, multa in vita falso homines opinari. *Nep. Att.* 4. *extr.* Remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta, et L. Torquato Coss. *Suet. Caes.* 60. Quo saepius vicisset, hoc minus experiendos casus opinans. ℙ Imaginari, fingere animo. *Pl. Pers.* 2, 3, 5. Quod ego non magis somniabam, neque opinabar, neque censebam, eam fore mihi occasionem, ea nunc quasi decidit de coelo. *Cic. Tusc.* 3, 23. Haec oratio tantummodo affert, nihil evenisse, quod non opinandum fuisset. *Plin.* 29, 1, 8. Illa, quae timuit Cato, atque providit, innocentiora multo, et parva opinatu. ℙ *Bene*, aut *male opinari de aliquo*, bene, aut male sentire et loqui. *Just.* 12, 5. *med.* In unam cohortem eos, qui de rege durius opinati fuerant, contribuit. *Suet. Aug.* 51. Cum Aemilio Aeliano objiceretur, quod male opinari de Caesare soleret; et *ib.* 61. Gravissime opinari de aliquo. *Cic. Pis.* 20. De vobis hic ordo opinatur, non secus ac de teterrimis hostibus. ℙ *Opinor*, *ut opinor*, interseritur sermoni, ut *credo*, *puto*, et Graece οἶμαι. *Cic. Fam.* 7, 24. Cipius, opinor, olim: non omnibus dormio. V. DORMIO. *Id. Att.* 9, 6. Sed, opinor, quiescamus, ne nostram culpam coarguamus. *Id. Fin.* 2, 10. A primo, ut opinor, animantium ortu petitur origo summi boni. ℙ *Opinabar* refertur a *Cic. Or.* 3, 38. inter poetica, sed quod etiam in prosa oratione locum habere cum dignitate aliquando possit. Sunt qui pro *poetica* malint legere *pervetusta*, alii *prisca*. ℙ Olim *opino*, *as*, dictum est. *Pl. fr.* ap. *Non.* 7, 59. Praenestinum opino esse: ita erat gloriosus. *Enn. ib.* Tacere opino esse optimum. Adde *Pacuv.* et *Caecil. ib.* et *Prisc.* 8, 796. et 800.

OPINUS. V. NECOPINUS.

OPIOSUS. V. APPIOSUS.

OPĬPĀRE, adv. δαψιλῶς, copiosa. *Cic. Off.* 3, 14. Opipare a Pythio paratum erat convivium. *Pl. Bacch.* 3, 1, 6. Instructa domus opime atque opipare. *Appul. Met.* 5. Mensae lautitiis opipare reficere aliquem; et *ib.* 6. prandium sumere. *Id. de Deo Socr.* villas struere.

OPĬPĀRIS, e, adj. idem quod opiparus. *Appul. Met.* 1. Piscatum opiparem expositum video; et *ib.* 2. Opipares cibi; et *ib.* 9. Opipari prandio participare aliquem.

OPĬPĂRUS, a, um, adj. πολυτελής, splendidus, sumptuosus, opulento apparatu instructus: ab *opis*, seu *opum apparatu*. *Pl. Pers.* 4, 4, 1. Satin' Athenae tibi visae fortunatae, atque opiparae? *Id. Mil.* 2, 1, 29. Vino, ornamentis, opiparisque obsoniis. *Id. Poen.* 1, 1, 1. Saepe res multas tibi mandavi, dubias, egenas, inopiosas consilii, quas tu mihi reddidisti opiparas opera tua. *Appul. Met.* 5. Opiparis muneribus onustare aliquem.

OPIS, is, f. Ὦπις, Nympha comes et ministra Dianae. *Virg. A.* 11, 836. et 867. Adde *Claud. II. cons. Stilich.* 254., ubi eam dicit optatum numen venantibus. ℙ Docet *Macr. Sat.* 5, 22. ipsam quoque Dianam Opim a Graecis dictam esse. Adde *Cic. N. D.* 3, 23. ℙ Etiam inter Nymphas fluviorum, seu Naiades enumerat *Virg. G.* 4, 343. ℙ *Opis*, vis, auxilium, prima brevi. V. OPS substantivum.

[OPISTHŎDŎMUS, i, f. ὀπισθόδομος, postica templi, vel domus pars. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 1, 8. *med.* Olim testamenta ex Deorum munitissimis aedibus proferebantur, aut tabulariis, aut archiis, aut opisthodomis. *F.*]

OPISTHOGRAPHUS, a, um, adj. ὀπισθόγραφος, dicitur de charta, quae utraque parte scripta est: ab ὄπισθεν, a tergo, et γράφω, scribo. Solebant autem veteres in adversa tantum parte paginae scribere, quia scripta in volumen complicare mos erat: nisi si longum opus, aut chartae inopia, aut parsimonia, aut taedium alterius sumendae, etiam in aversa id facere suasisset. Hac enim ratione scribebant maxime adversaria, et primas studiorum curas, et quidquid sub limam revocandum esset, quod nos dicimus *mala copia:* quae deinde emendata et purgata in mundiorem chartam, et ab una tantum parte conscriptam transferrentur. *Juven.* 1, 5. summi plena jam margine libri, Scriptus et in tergo, necdum finitus Orestes. *Plin. ep.* 3, 5. *med.* Electorum commentarios centum sexaginta mihi reliquit opisthographos quidem, et minutissime scriptos: qua ratione multiplicatur hic numerus. *Ulp. Dig.* 37, 11, 4. Testari in opisthographo. V. *Salm.* ad *Vopisc. Firm.* 3.

[ŌPISTHŌTŌNĬA, ae, f. ὀπισθοτονία, idem ac opisthotonos. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 6. Ejus (*morbi*) species sunt emprosthotonia, et opisthotonia, quas nos pronum raptum, atque supinum appellare poterimus, alterum ab eo, quod in anteriora conductionem facit, alterum quod ad posteriora. *F.*]

ŌPISTHŌTŌNĬCUS, a, um, adj. ὀπισθοτονικός, opisthotono laborans *Coel. Aurel. Acut.* 3, 6. Opisthotonicis contractus ad posteriores partes fit, cum nimia tensione, atque dolore dorsi, et clunium: emprosthotonicis autem colla conducuntur in anteriorem partem, atque mentum pectori configitur. *Plin.* 20, 18, 75. Sanat et vertigines, tremulos, opisthotonicos, etc. Adde *Scrib. Comp.* 170. *extr.*

ŌPISTHŌTŌNOS, i, m. ὀπισθότονον, morbus cervicis, quo caput scapulis adnectitur, et retro inclinatur cum dolore dorsi et clunium: ab ὄπισθεν, retro, et τείνω, tendo. *Cels.* 4, 3. Is morbus, quodam rigore nervorum, modo caput scapulis, modo mentum pectori adnectit, modo rectam et immobilem cervicem intendit. Priorem Graeci ὀπισθότονον, insequentem ἐμπροσθότονον, ultimum τέτανον appellant: quamvis minus subtiliter quidam indiscretis his nominibus utuntur. Adde *Coel. Aurel. Acut.* 3, 6. qui *opisthotonon*, et *emphrosthotonon* Latinis litteris scribit. Etiam *Plin.* 28, 12, 52. Dolorem inflexibilem (opisthotonon vocant) levat urina caprae auribus infusa. *Id.* 23, 1, 24. Vinum non dandum in febre, neque in opisthotono, tetano, etc. *Id.* 24, 12, 66. Folia spinae, vel radices ad remedia opisthotoni bibuntur. *Id.* 30, 12, 36. Serpentium senectus adalligata spasmos fieri prohibet: opisthotonos milvi jecur aridum potum. ℙ [*Opisthotonus* dicitur etiam morbus, quo quis correptus subito supinus cadit, et moritur. *Hieron.* 3. in *ep. ad Ephes.* 6, 4. Eli sacerdos retrorsum ruit, et opisthotono insanabili lapsus est in tergum. Adde *eund. ep.* 147. *n.* 10., ubi de eadem re scribens Graece usurpat. *F.*]

ŌPĬTER, ĭtĕris et ĭtris, m. praenomen R. *Paul.* ex *Festo:* Opiter est, cujus pater avo vivo mortuus est, ducto vocabulo aut quod obitu patris genitus sit, aut quod avum ob patrem habeat, id est pro patre. *Auct. Epit. de nom. R.* Opiter, qui patre mortuo, avo vivo gignebatur. *Liv.* 2, 17. et 54. Opiter Virginius. *Prisc.* 6, 695. Opiter, Opiteris, et Opitris. ℙ [Habet etiam genitivum *Opetris*, ut constat ex *B. Borghesi* in *Framm. de' Fasti cons.* T. 1. p. 66., ubi probat ap. *Grut.* p. 289. pro F. T. N. TRICOST. RVTI. legendum ET. N. TRICOST. RVTI., et supplendum ita: *T. Verginius T. F. Opet. N. Tricostus Rutilus*, qui fuit consul ann. U. C. CCLXXV.: ap. *eund.* vero *ib.* T. 2. p. 67. habetur: *L. Virginius L. F. Opetr. N. Tricost. Esquilin.*, qui fuit tribunus militum consulari potestate ann. U. C. CCCLII. *F.*]

ŌPĬTERGĪNUS, a, um, adj. ad Opitergium pertinens, quod ap. *Plin.* 3, 19, 23. est oppidum regionis decimae in Italia, in Venetis, ad fluvium Liquentiam, qui nunc *Livenza*, ipsum vero *Oderzo*, et *Uderzo*. *Plin.* 3, 18, 22. Silis ex montibus Taurisanis: Liquentia ex montibus Opiterginis. *Lucan.* 4, 462. Hic Opiterginis moles onerata colonis Constitit, *h. e.* navis militibus Opiterginis circiter mille onusta, qui duce Vultejo, cum Caesaris partes sequerentur, obsessi ab integra classe Pompejanorum, post egregiam totius diei editam pugnam, cum nullum virtuti effugium pateret, mutuis ictibus, ne se dederent, conciderunt. *Lucan. ib.* et *Flor.* 4, 2. *med.* Hinc *Opitergina ratis* est inter exempla virtutis extremae. *Quint.* 3, 8. *med.* Non fecerunt Saguntini, nec in rate Opitergina circumventi. ℙ *Opitergini*, *orum*, absolute, incolae Opitergii. *Flor.* 4, 2. et 33.

ŌPĬTŪLĀTĬO, onis, f. βοήθεια, auxilium, quasi opis latio. *Ulp. Dig.* 4, 4, 1. Auxilium eis praetor hoc edicto pollicitus est, et adversus captiones opitulationem. *Arnob.* 4, 129. Gratiosis opitulationibus praesto esse.

ŌPĬTŪLĀTOR, oris, m. βοηθός, opis lator, auxiliator. *Appul. de Deo Socr.* In rebus periculosis tutator, egenis opitulator. *Id. Flor. n.* 16. Patruus objurgatur, et sodalis opitulator. *Paul.* ex *Festo:* Opitulus Juppiter, et opitulator dictus est, quasi opis lator.

ŌPĬTŪLĀTUS, us, m. opitulatio. *Fulg. Myth.* 3, 8. Ejus opitulatu cuncta germinum adolescit nativitas.

ŌPĬTŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. βοηθέω, opem fero, subvenio, auxilior, succurro. *Cic. Off.* 1, 43. *f.* Si subito sit allatum periculum discrimenque patriae, cui subvenire opitularique possit. *Id. Fam.* 12, 30. De sumptu, quem te in rem militarem fecisse dicis, nihil sane possum tibi opitulari. *Sall. Cat.* 34. Majores vestrum miseriti plebis, decretis suis inopiae ejus opitulati sunt. *Cic. Fam.* 4, 13. *med.* Qui antea aut obscuris hominibus, aut etiam sontibus opitulari poteram. *Id. Rosc. Am.* 10. Hospiti oppresso jam, desperatoque ab omnibus opitulata est. *Pl. Mil.* 3, 1, 27. Amanti ire opitulatum. *Id. Curc.* 2, 3, 54. Amicum amico opitularier. *Plin.* 28, 8, 27. E dorso medullam adalligatam contra vanas species opitulari. ℙ Etiam *opitulo*, *as*, a veteribus dictum est. *Liv. Andron.* ap. *Non.* 7, 61. Da mihi hasce opes, quas peto, quas precor, corrige, opitula.

ŌPĬTŪLUS. V. in OPITULATOR.

ŌPĬUM et Opĭon, ii, n. ὄπιον, succus, sive lac ex inciso papaveris scapo profluens: ab ὀπός, succus, sive humor. Habet per somnum vim mortiferam, si copiosus sumatur. *Plin.* 20, 18, 76. Papaveris succus largus densatur, et in pastillos tritus in umbra siccatur, non vi soporifera modo, verum, si copiosior hauriatur, etiam mortifera per somnos: opion vocant. *Id.* 25, 10, 81. Bibitur artemisia ex vino adversus opium.

[ŌPOBALSĂMĀTUS, a, um, part. ab inus. *opobalsamo*, *as*, opobalsamo conditus. *Inscr.* ap. *Tochon*, *cachets des ocul.* p. 56. L. Junii Philini stactum opobalsamatum ad claritatem. Alia ap. *eund. ib.* p. 61. Q. Julii Murani stactum opobalsamatum ad caliginem. *F.*]

ŌPOBALSĂMĒTUM, i, n. locus, ubi plures sunt arbores opobalsamum ferentes. *Just.* 36, 3. Silva palmeto et opobalsameto distinguitur.

ŌPOBALSĂMUM, i, n. ὀποβάλσαμον, succus e balsamo manans, qui praefertur omnibus odoribus: ab ὀπός, succus, et βάλσαμον, balsamum. *Stat. Silv.* 3, 2, 141. Candida felices student opobalsama virgae. V. BALSAMUM. Adde *Mart.* 11, 8. et *Juven.* 2, 41. ℙ Hoc in sarcophagis condiebant aliquando cadavera. *Inscr.* ap. *Grut.* 692, 10. Mater ad luctum et gemitum relicta eum lacrimis et opobalsamo udum hoc sepulcro condidit.

ŌPOCARPATHON, i, n. ὀποκάρπαθον, est succus carpathi, quem inter venena enumerat *Plin.* 28, 10, 45. et 32, 9, 31. V. CARPASUM.

ŌPOPĂNAX, ăcis, m. ὀποπάναξ, succus panacis, seu panaceae herbae. *Plin.* 20, 24, 100. Serpylli duum denariorum pondus, opopanacis, et mei tantundem singulorum, etc. *Marcell. Empir. in carm. v.* 58. Andrachnen, acoronque, opopanaca, pompholygemque. Hic licenter antepaenultima in *opopanaca* producitur.

[ŌPORĂ, ae, f. ὀπώρα, autumnus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 993, 11. Rutilia Lupi Lib. Opora. V. HOPORA. *F.*]

ŌPORĬCE, es, f. ὀπωρική, nomen medicamenti ex fructibus arborum, nempe cotoneis, punicis, sorbis in musto decoctis: ab ὀπώρα, autumnus, et fructus autumnales. Fit ad dysentericos, et stomachi vitia, ea ratione, quam tradit *Plin.* 24, 14, 79.

ŌPOROTHĒCĂ, ae, et Oporothece, es, f. ὀπωροθήκη, locus, ubi fructus autumnales conduntur: ab ὀπώρα, autumnus, et θήκη, repositorium. *Varr. R. R.* 1, 59. In oporotheca mala manere putant satis commode; et *ib.* Oporothecas facere; et *ib.* Poma inferre in oporothecen instruendam convivii causa.

ŌPORTET, ebat, uit, impers. 2. δεῖ, χρή, convenit, ratio postulat, attinet: ab *opus*. *Caes. B. G.* 7, 33. Cum doceretur, alio tempore, atque oportuerit, fratrem a fratre renuntiatum. *Nep. Thras.* 2. Nihil in bello oportet contemni. *Cic. Or.* 1, 6. Ex rerum cognitione efflorescat, et redundet oportet oratio. *Hor. Ep.* 1, 2, 49. valeat possessor oportet, Si comportatis bene rebus cogitat uti. *Cic. Amic.* 17. Nec mediocre telum ad res gerendas existimare oportet benevolentiam civium. *Id. Verr.* 2, 3, 75, Pecunia, quam his oportuit civitatibus pro frumento dari; et *ib.* 2, 4, 17. Apollinis signum ablatum certe esse non oportuit. *Ter. Andr.* 1, 5, 3. Uxorem decrerat dare sese mihi hodie: nonne oportuit praescisse me ante? *Id. Heaut.* 2, 3, 6. Non oportuit relictas, *h. e.* relictas esse ancillas. *Id. Adelph.* 2, 2, 6. Adolescenti morem gestum oportuit. *Id. Heaut.* 1, 2, 26. Ut ut erat, mansum tamen oportuit. [*De hac constructione disputat *Ramsh.* in *Gr. Lat.* §. 171. 1. p. 665. Nempe participium praeteriti significare aliquid factum, quod effectu perduret.] ℙ Minus est quam *necesse est*. *Cic. Verr.* 2, 4, 39. Tanquam ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse esset; et *ib.* 2, 5, 14. *extr.* Ut haec ipsa aedilitas non, quia necesse fuerit, alicui candidato data, sed quia sic oportuerit, recte collocata esse videatur. [*Herzog.* ad *Caes. B. G.* 1, 4. discrimen inter *oportet*, *necesse est*, *debet* ita constituit: *necesse*, *Todt und Zwang; debere*, *lebendig und frei; oportet*, *frei und gezwungen zugleich.*] ℙ Differt etiam a *decere*, et *licere*. *Cic. Or.* 22. Oportere, perfectionem declarat officii, quo et semper utendum est, et omnibus: decere, quasi aptum esse, consentaneumque tempori et personae. *Id. Balb.* 3. *extr.* Ait accusator, fecisse Pompejum, quod ei facere non licuerit: quod gravius est, quam si id factum ab eo diceret, quod non oportuisset. Est enim aliquid, quod non oporteat, etiam si licet: quidquid vero non licet, certe non oportet. *Id. Par.* 3. *f.* Quidquid non oportet, scelus esse; quidquid non licet, nefas putare debemus. ℙ Item ab *opus est:* nam *oportet* officium significat, rationem, justam causam: *opus est* utilitatem, usum, et commodum. *Id. Att.* 4, 6. Ego vero, qui, si loquor de republ. quod oportet, insanus; si quod opus est, servus existimor; si taceo, oppressus et captus; quo dolore esse debeo? et *ib.* 13, 25. Hoc fieri et oportet, et opus est. ℙ Neque tamen haec differentia perpetua est. *Cic. Phil.* 7, 1. *f.* Irritari Antonium non oportuit. ℙ Interdum refertur ad conjecturam. *Pl. Poen.* 5, 2, 70. Servum hercle te esse oportet et nequam, et malum. ℙ Item ad probabilem, aut necessariam rerum consecutionem. *Pl. Cist.* 4, 2, 50. Nostram haec rem fabulatur: hanc scire oportet,

filia tua ubi sit. *Lucr.* 1, 1072. Omnis enim locus ac spatium, quod inane vocamus, Per medium, per non medium concedat, oportet, etc. *Flor.* 3, 20. *f.* Et quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est. ℙ Cum dativo. *Pl. Mil.* 2, 6, 80. Homini servo domitos habere oportet oculos, et manus. Ita *Voss. de Gramm.* 7, 36., sed frustra: nam plerique alii *hominem servum.* ℙ In plur. num. *Ter. Heaut.* 3, 2, 25. Haec facta ab illo oportebant, *h. e.* oportebat, illum haec facere. *Id. Andr.* 3, 2, 1. Quae assolent, quaeque oportent signa esse ad salutem, omnia huic esse video. Utroque loco plerique al. leg. *oportet. Caec.* ap. *Prisc.* 8, 827. Ut ea, quae oportuerint, facta non sint. ℙ *Oporteto* pro *oporteat* quidam leg. in veteri lege Numae Pompilii ap. *Festum* in *Occisum.*

OPPALLĒO. V. OBPALLEO.

OPPANDO, is, a. 3. idem quod pando, vel contra pando. *Grat. Cyn.* 55. Illa vel ad flatus helices oppande serenae, Vel caligineo laxanda reponito fumo.

OPPANGO, is, pegi, pactum, a. 3. affigo, conjungo. *Pl. Curc.* 1, 1, 60. Ubi savium oppegit, fugit. *Fest.* in *Repagula:* Repagula, quae ex contrario oppanguntur.

OPPANSUS, a, um, part. ab *oppando*, contra expansus. *Prud. Psych.* 410. de ligno Crucis Christi: Cornibus oppansis, et summa fronte coruscum. *Tert. Apol.* 48. *med.* Quae illi dispositioni aeternitatis aulaei vice oppansa est. ℙ *Oppansum* substantivi more. *Id. Anim.* 53, *f.* Certe de oppanso sui corporis erumpit in apertum ad meram, et puram, et suam lucem. Al. leg. *oppasso.*

OPPASSUS, a, um, part. ab *oppando*, oppansus. *Tert. Apol.* 16. Solis sacerdotibus adire licitum, et conspectus ceterorum velo oppasso interdicebatur. Al. leg. *oppanso.* V. v. praec.

OPPECTO, is, a. 3. ab *ob*, et *pecto. Pl. Pers.* 1, 3, 30. Ut muraena, et conger ne calefierent; nam nimio melius oppectuntur frigida, *h. e.* digitis, quasi pectine, circum carpuntur, et comeduntur.

OPPĔDO, is, edi, n. 3. καταπέρδω, contra pedo, crepĭtum ventris in aliquem emitto. *Hor. Sat.* 1, 9, 70. curtis Judaeis oppedere.

OPPĔRIOR, iris, oppertus, et opperitus sum, dep. 4. περιμένω, expecto. *Cic. Att.* 3, 10. Aut ibidem opperiar, aut me ad te conferam. *Pl. Most.* 3, 2, 101. Seni non otium erat, id sum opperitus. *Ter. Phorm.* 3, 2, 29. Unam praeterea horam ne oppertus sies. *Virg. A.* 10, 771. Hostem magnanimum opperiens. *Sil.* 5, 85. tempusque ad proelia dextrum Opperiare. *Nep. Dion.* 5. In Italia classem opperiebatur. *Ter. Andr.* 3, 2, 42. Abi intro: ibi me opperire. *Tac. A.* 4, 66. Senatus opperiendum imperatorem censuit. ℙ *Voss.* in *Etym.* in voce *Aperio* ducit ab *ob*, et *pario*, et proprie significare ait, parturienti adsidere, partumque, obstetricis modo, exspectare: hinc primum *opperior* absolute sine accusativo usurpatum fuit, deinde hunc etiam admisit. [**Doederl.* 3, 54. deducit ab *ob* et *parare*, ita ut *opperiri* h. e. *oparari*, proprie significet: *sich auf Etwas bereit und gefasst halten.* Quid differant *praestolari*, *opperiri* et *manere* dictum est in h. v.]

OPPESSŪLĀTUS, a, um, part. ab inusit. *oppessulo:* pessulo clausus, μεμοχλευμένος. *Appul. Met.* 1. Januam firmiter oppessulatam pulsare; et *ib.* 9. Foris diligentissime oppessulata. *Ammian.* 31, 13. *med.* Oppessulatas januas perrumpere. Legitur etiam in *Suppositis Amphitr. Plaut. scena* quae incipit *Dii vostram fidem* 22.

OPPĔTĪTUS, a, um, part. ab *oppeto:* aditus. *Cic. Tusc.* 1, 48. Clarae mortes pro patria oppetitae.

OPPĔTO, is, tivi, tii, titum, a. 3. adeo, obeo, subeo: ex *ob*, et *peto*, quasi contra peto. [*Frequent. est v. *obire.* V. *Doederl.* 3, 180. Cf. etiam PETO.] *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 2, 16. auxilium et vestras manus peto, Priusquam oppeto malam pestem mandatam hostili manu. *Pl. As.* 1, 1, 7. Atque illa (*uxore*) viva vivus ut pestem oppetas. *Cic. Phil.* 12, 12. *f.* Mors necessitatem habeat fati: aut si ante oppetenda est, oppetatur cum gloria. *Sen. Troad.* 369. Turre de summa cadat, et letum oppetat. *Catull.* 64, 102. Aut mortem oppeteret Theseus, aut praemia laudis. *Phaedr.* 3, 16. Oppetere poenas superbiae. [*Differunt *mortem obire*, *oppetere*, et *appetere:* id quod ultimo loco positum, pertinet ad eum, qui occasionem moriendi cupide etiam quaerit: *oppetere*, est ejus, qui oblatam fortiter excipere non recusat: nos: *dem Tode begegnen: obire* significat in universum vita decedere, nulla ratione habita mentis, qualem, qui decedat, exserat. Cf. *Doederl.* l. l. p. 181.] ℙ *Oppetere* absolute, est oppetere mortem. [*Est haec poetica et apud seriores tantum usitata dicendi ratio.] *Virg. A.* 1, 99. Queis ante ora patrum Trojae sub moenibus altis Contigit oppetere. *Tac. A.* 2, 24. Quem vix cohibuere amici, quin eodem mari oppeteret. *Plin.* 10, 3, 4. de aquilis: Oppetunt non senio, sed fame. *Macr. Sat.* 3, 7. Sacratum Halesum facit, quia erat oppetiturus. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 65. gloriosa morte oppetere. ℙ [*Permutantur *oppetere* et *appetere.* V. *Wund. varr. lectt. ed. Erfurt.* p. 34. ubi in *Cic. Cat.* 4, 4. pro vulg. *oppetiverunt* exhibetur *appetiverunt.*]

OPPEXUS, us, m. verbale ab oppecto. *Appul. Met.* 11. Flexu digitorum ornatum, atque oppexum crinium regalium fingerent.

OPPĬCO, as, a. 1. πισσόω, idem quod pico, idest pice illino. *Cato R. R.* 120. In amphoram mustum indito, et corticem oppicato, *h. e.* corticem suberis amphorae orificio immissum pice oblinito.

OPPĬDĀNĔUS, a, um, adj. oppidanus. *Impp. Constantius, et Constans Cod. Theod.* 12, 1, 38. 40. 43. 45. 46. et 47.

OPPĬDĀNUS, a, um, adj. πολιτικός, ad oppidum aliquod pertinens extra urbem Romam: eo modo quo *urbanus* dicitur ad ipsam urbem Romam pertinens. *Cic. Or.* 2, 59. Senex quidam oppidanus, *h. e.* Tarracinensis. *Id. Brut.* 69. Oppidano quodam et incondito genere dicendi. *Id. Planc.* 12. *med.* Vetere quodam in scenicos jure, maximeque oppidano. *Tac. A.* 14, 17. Oppidana lascivia invicem incessentes. ℙ *Oppidani, orum*, cives alicujus oppidi extra urbem Romam, οἱ πολῖται. *Caes. B. G.* 2, 33. Milites ex oppido exire jussit, ne quam noctu oppidani injuriam acciperent. *Sall. Jug.* 60. Oppidanos hortatur, moenia defendant. Adde *Nep., Flor., Tac., Gell.* etc.

OPPĬDĀTIM, adv. κατὰ πόλεις, per oppida. *Suet. Aug.* 59. Ludos quinquennales paene oppidatim constituerunt. *Id. Galb.* 18. Cum oppidatim victimae caederentur.

OPPĬDO, adv. κομιδῇ, valde, multum. *Paul.* ex *Festo de etymo* sic scripsit: Oppido, valde, multum. Ortum est et hoc verbum ex sermone inter se fabulantium, quantum quisque frugum faceret, utque multitudo significaretur, saepe respondebatur, Quantum vel oppido satis esset. Hinc in consuetudinem venit, ut diceretur, oppido, idest valde, multum. Itaque si in aliis rebus eo utuntur, ut puta, si qui dicant, Oppido didici, spectavi, ambulavi, errant, quia nulli eorum subjici potest, Quod vel oppido satis est. Haec ille. Quidquid tamen contra dicat, passim usurpatur. *Ter. Heaut.* 4, 4, 12. Dic, me hic oppido esse invitam. *Id. Ph.* 2, 2, 3. Oppido iratus. *Id. Ad.* 3, 2, 24. Oppido opportune. *Cic. Or.* 2, 64. Oppido ridiculus. *Pl. Amph.* 1, 1, 143. Oppido interii. *Id. Most.* 1, 2, 55. Illico oppido. *Cic. Fam.* 14, 4. *med.* Servirent praeterquam oppido pauci. *Id. Fin.* 3, 10. Eorum definitiones paulum oppido inter se differunt. ℙ In hoc lusit *Appul.* in *Apol.* Lignum a me toto oppido, et quidem oppido quaesitum. ℙ *Oppido quam* magis auget. *Vitr.* 8, 3. *med.* Fonticulus oppido quam parvulus. Adde *Gell.* 17, 12. ℙ Est etiam vero, maxime, in responsionibus. *Pl. Bacch.* 4, 4, 29. *Mne.* Patri aurum omne cum ramento reddidi. *Chry.* reddidisti? *Mne.* reddidi. *Chry.* omne ne? *Mne.* oppido. ℙ Item omnino, certe, admodum, prorsus. *Pl. Mil.* 3, 1, 40. Nam benignitas quidem hujus oppido ut adolescentuli est. ℙ *Quint.* 8, 3. interpretatur *satis.* Ejus verba sunt. *Satis* est vetus: quaeso, quid necesse est dicere, *oppido?* quo sunt usi paululum tempore nostro superiores: vereor ut jam nos ferat quisquam. Certe *antigerio*, cujus eadem significatio est, nemo, nisi ambitiosus, utetur. Haec *Quint.* unde discimus, hujus vocis usum, in significatione v. *satis*, *Quintiliani* tempore paene desiisse.

OPPĬDŬLUM, i, n. πολίχνη, χωρίον, parvum oppidum. *Hor. Sat.* 1, 5, 87. Mansuri oppidulo, quod versu dicere non est. Adde *Cic. Att.* 10, 7.

OPPĬDUM, i, n. πόλις, locus moenibus conclusus, in quem homines multi habitandi causa conveniunt. *Varr. L. L.* 4, 32. Oppidum ab ope dictum, quod munitur opis causa, ubi sint: et quod opus est ad vitam gerendam, ubi habitent tuto: vel oppida, quod opere munibant moenia, quo munitius essent. *Cicero* quoque ap. *Fest.* dictum putat ab eo, quod opem det eo confugientibus: vel quod, ut ipse addit, ibi homines opes suas conferant. Ex his apparet, quid sint secuti, qui unico *p opidum* scribunt: quibus etiam favet antiquus mos, nullas geminandi consonas. Ea tamen scriptio, quae *p* geminat, tutior est, et multo usitatior. [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 427. Ceterum unice vera videtur ea ratio, qua *oppidum* dictum perhibetur ab eo, quod opem det. Cf. etiam *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 5, 27.] ℙ Est idem ac *urbs*, et de ipsa quoque Roma, qua cingitur moenibus, usurpatum legitur. *Varr. L. L.* 5, 3. Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die sedent sacerdotes Liberi, etc. *Liv.* 42, 36. Per idem tempus legati ab rege Perseo venerunt: eos in oppidum intromitti non placuit, etc. In aedem Bellonae in senatum introducti, etc. *Mart.* 10, 30. Vos, cum severi fugit oppidum Martis, etc., *h. e.* Romam. *Nep. Milt.* 4. et *Them.* 2. *extr.* oppidum absolute vocat ipsas Athenas, caput reipublicae, et *Pel.* 1. ipsas Thebas, Thebanorum primariam urbem. Haec autem Graecorum imitatione dicuntur, quibus ἄστυ eodem modo usurpatur. ℙ Saepe a Latinis de aliis urbibus praeter Romam dicitur. *Cic. ad Pomp. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Etsi praesidia in oppidis nulla sunt. *Id. Verr.* 2, 4, 33. Segesta est oppidum pervetus in Sicilia. *Virg. G.* 2, 176. Ascraeumque cano Romana per oppida carmen. [**Suet. Oth.* 1. Urbi oppidove ullo: ubi non urbi cuivis, sed urbi Romae opponitur, contra quam etiam oppida provinciarum urbes.] ℙ Interdum peculiari nomini adjicitur. *Nep. Cim.* 3. *extr.* In oppido Citio est mortuus; et *ib.* 2. Oppidum Amphipolim constituit. [*V. *Brem.* ad *Nep. Alc.* 3, 2. qui in oppido erant Athenis: ubi frustra *Bosius Athenis* delendum censuit.] Sic dicimus *urbem Romam*, *flumen Rhenum*, etc. ℙ *Oppidum* pro *oppidorum* est *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Cum uno loco tot oppidum cadavera projecta jaceant. ℙ *Oppidum* Britanni vocant, cum silvas impeditas vallo atque fossa munierunt, quo, incursionis hostium vitandae causa, convenire consueverunt. *Caes. B. G.* 5, 21. ℙ *Oppidum* etiam dictum fuit locus in circo, unde quadrigae emittebantur, qui et *carceres:* quia prope muros olim fuit. *Naev.* ap. *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* et *Festus.*

OPPIGNĔRĀTOR, oris, m. qui pignus pro re, vel pecunia data accipit. *August. ep.* 215. Cum frater noster Fascius debito decem et septem solidorum ab oppigneratoribus urgeretur, ut redderet.

OPPIGNĔRO, as, avi, atum, a. 1. ἐνεχυράζω, aliquid pignori do. *Cic. Sext.* 51. Libelli pro vino etiam saepe oppignerabantur. *Mart.* 2, 57. Oppigneravit Claudii modo ad mensam Vix octo nummis annulum, unde coenaret. ℙ Translate. *Sen. Ben.* 3, 5. Nemo non deditum se et devotum professus est: et si quod est humilius verbum, quo se oppigneraret, invenit. *Ter. Heaut.* 4, 5, 46. Num illa oppignerare filiam meam, me invito, potuit?

OPPĪLĀTIO, onis, f. obstructio, ἔμφραξις, ut Oppilatio narium, ap. *Scrib. Comp.* 47.

OPPĪLĀTUS, a, um, part. ab *oppilo:* clausus, obstructus. *Cic. Phil.* 2, 9. Scalis tabernae oppilatis.

OPPĪLO, as, a. 1. ἐμφράττω, occludo: a πιλόω, constipo: vel quasi pila objecta claudo. *Lucr.* 6, 725. Fluctibus adversis oppilare ostia contra. [*Cato R. R.* 100. Metretam novam amurca colluito, oppilato, agitatoque diu. Alii omittunt *oppilato;* at *Schneiderus* primus ex *Pontedera* in textum admisit. *F.*]

OPPĬUS, a, um, adj. ad Oppium pertinens, nomen propr. Romani civis. *Oppia lex* de coercendo mulierum luxu, lata fuit secundo bello Punico, ab C. Oppio trib. pleb., de qua multa *Liv.* 34. *in.* Meminere etiam *Tac. A.* 3, 33. et 34. et *Val. Max.* 9, 1. *n.* 3. ℙ *Oppius mons* Romae memoratur a *Varr. L. L.* 4, 8., et videtur esse unus ex verticibus montis Exquilini. V. BICEPSOS. Dictus est ab Oppita Oppio Tusculano, qui cum praesidio Tusculanorum missus ad Romam tuendam, dum Tullus Hostilius Vejos oppugnaret, consederat in Carinis, et ibi castra habuerat. *Fest.* in *Septimontium.*

OPPLĔO, es, evi, etum, a. 2. ἀναπληρόω, circumquaque, sive maxime impleo. *Pl. Rud.* 4, 1, 14. Jam meas opplebit aures sua vaniloquentia. Al. leg. *oppilabit. Cic. N. D.* 2, 24. Nam vetus haec opinio Graeciam opplevit. *Varr. R. R.* 3, 4. *extr.* Alienus odor nares opplet; et *ib.* 1, 8. Nisi totas vineas oppleris muscipulis, pro *oppleveris*, syncope. *Liv.* 10, 46. Nives jam omnia oppleverant. *Pl. Ps.* 2, 1, 14. Me, et omnes meos praeda onerabo, atque opplebo. *Id. Truc.* 2, 6, 41. Aedes opplere spoliis.

OPPLĒTUS, a, um, part. ab *oppleo. Cic. in Sen.* 4. Quorum mentes angustae, humiles, pravae, oppletae tenebris ac sordibus. *Plin.* 9, 6, 5. Oppletum unda navigium. *Pl. Truc.* 2, 6, 42. Oppleta tritici granaria. *Plin. Pan.* 22. Videres referta tecta et laborantia, oppletas undique vias.

OPPLŌRO, as, n. 1. καταδύρομαι, contra ploro, plorando obtundo. *Auct. ad Her.* 4, 52. Ac vos auribus meis opplorare non desinitis?

OPPŌNO et Obpono, is, sui, (et ap. Plaut. etiam *sivi*) situm, a. 3. ἀνθίστημι, ex adverso statuo, contra pono, objicio. *Cic. N. D.* 2, 52. Gallinae pullos cum excluserint, ita tuentur, ut et pennis foveant, ne frigore laedantur, et, si est calor a sole, se opponant. *Caes. B. C.* 3, 30. Ut venientibus in itinere se opponeret; [*Cf. *Vell.* 2, 30, 6.] et 45. Huic suos Caesar equites opposuit; et 39. Turrim ad ipsum introitum portus opposuit. *Cic. Caecin.* 8. Ad omnes introitus armatos homines opponit. *Nep. Eum.* 3. Perdiccas unum Eumenem opposuerat Europaeis adversariis. *Ov. Fast.* 4, 177. Trojae spectare ruinas Non tulit: ante oculos opposuitque manus. Sic *ib.* 3, 45. Vestae simulacra feruntur Virgineas oculis opposuisse manus; et *Met.* 2, 276. Opposuitque manum fronti. *Cic. Pis.* 33. Cujus ego imperio non Alpium vallum contra adscensum transgressionemque Gallorum, non Rheni fossam Germanorum immanissimis gentibus objicio et oppono. *Petr. Sat.* 96. Alternos opponebam foramini oculos, *h. e.* ponebam contra foramen, applicabam foramini. *Hor. Sat.* 1, 9, 76. licet antestari? ego vero Oppono auricu-

lam, *h. e.* praebeo admovendo caput. *Tac. A.* 2, 77. Oppositurus arma. [**Sil.* 16, 396. Opponere curvos gradus: ubi sequitur *Drakenb.* explicationem *Salmasii*, docentis, proprium esse de auriga in Circo praecedente, qui, ne a sequenti praeveniatur, currum suum in obliquum opponat, ut sequens vel retardetur, vel frangatur: ita *ib.* 16, 408. obliquum conversis habenis opposuit currum. Huc pertinent etiam ista, in quibus *opponere* de iis dicitur, quae medendi causa apponuntur, imponuntur. *Forc.* haec laudaverat:] *Nigid.* ap. *Gell.* 7, 9. Serpens si memordit, gallina deligitur, et opponitur. *Cato R. R.* 157. Luxatum si quod est, brassicam tritam opponito: cito sanum faciet; et *ib. f.* Deinde petigini parce brassicam opponito: sanam faciet. Al. utroque loco leg. *apponito.* [**— Porro recte hic collocari posse videntur, in quibus de ponendo, deponendo pignore *oppono* usurpatur: ubi Noster haec exempla laudaverat:] *Pl. Curc.* 2, 3, 77. Pono pallium: illic suum annulum opposuit. Est qui leg. *opposivit:* quae positio invenitur etiam in *appono*, *compono*, *depono*, etc. *Id. Ps.* 1, 1, 85. et *Ter. Phorm.* 4, 3, 56. Ager oppositus est pignori ob decem minas. Huc pertinet illud *Catulli* 26, 1. Furi, villula nostra non ad Austri Flatus opposita est, nec ad Favoni; Verum ad millia quindecim et ducentos. O ventum horribilem, atque pestilentem! Ludit in ambiguo cum prima significatione. ℙ [**Hinc translate multifariam adhibetur: ita ponitur interdum cum notione exponendi: ut nostr. *aussetzen*, *blosstellen*: exempla *Noster* haec adscripserat:] *Cic. Balb.* 10. *extr.* Opponere se periculis pro republica. *Liv.* 21, 8. *med.* Saguntinis pro nudata moenibus patria corpora opponentibus. [**Adde *Curt.* 4, 14, 11. Conjuges quoque et liberi sequuntur hanc aciem: parata hostibus praeda, nisi pro carissimis pignoribus corpora opponimus.] *Plin.* 17, 28, 47. Nudatas radices hiberno frigori opponunt. ℙ Est etiam objicere, *h. e.* proponere, ponere ante oculos, vel animum. *Cic. Quint.* 14. Pericula intendantur, formidines opponantur, ut victus et perterritus ipse cedat. ℙ Item interponere. *Cic. Acad.* 4, 20. Auctoritas tanta plane me movebat, nisi tu opposuisses non minorem tuam. *Id. Verr.* 2, 3, 57. Cum decumani aratoribus ad pactiones faciendas non suam vim, sed tuum scelus ac nomen opponerent. ℙ Item in excusationem afferre, praetexere. *Cic. Q. Fr.* 2, 10. Opposuisti semel Ciceronis nostri valetudinem: conticui. *Id. Off.* 3, 10. de Romulo: Et tamen muri causam opposuit, speciem honestatis neque probabilem, neque satis idoneam. ℙ De oppositione in disputando. *Cic. Acad.* 4, 42. *f.* Introducebat Carneades, non quo probaret, sed ut opponeret Stoicis, summum bonum esse frui iis rebus, etc. *Id. Phil.* 2, 4. Sed quid opponas tandem, si negem, me unquam istas litteras ad te misisse? *Liv.* 44, 39. *med.* His difficultatibus illud opponitur: Quid si, etc.? ℙ Refertur etiam ad comparationem. *Caes. B. C.* 3, 73. Ne his rebus terrerentur, multisque secundis proeliis unum adversum, et id mediocre, opponerent. *Phaedr. epil.* 2. Quod si labori faverit Latium meo, Plures habebit, quos opponat Graeciae. ℙ *Opponere alicui jusjurandum*, h. e. imponere, adigere. *Paul. Dig.* 37, 14, 6. *extr.* Remittitur jusjurandum, quod liberto in hoc oppositum est. ℙ *Opponi* est etiam adversari, contrarium esse. *Cic. Or.* 2, 83. His quatuor causis totidem medicinae opponuntur. *Id. Fin.* 3, 12. Omni virtuti vitium contrario nomine opponitur. ℙ [**Confund. *oppono* et *adpono*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 561.]

OPPORTUNĒ, adv. εὐκαίρως, commode, loco, et tempore. *Cic. N. D.* 1, 7. Atqui mihi quoque videor venisse opportune. *Liv.* 32, 18. Anticyra ad id opportunissime sita visa est. *Ter. Ad.* 1, 2, 1. et 2, 4, 2. Ehem, opportune: te ipsum quaerito. *Id. Andr.* 2, 2, 8. Ambo opportune: vos volo. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Accidere opportunius nihil potuit. *Caes. B. C.* 3, 101. Nuntiis opportunissime allatis.

OPPORTUNĪTAS, atis, f. εὐκαιρία, commoditas, apta ratio loci, temporis, [**rei.] *Cic. Fin.* 3, 14. Et quemadmodum opportunitas (sic enim appellamus εὐκαιρίαν) non fit major productione temporis. [**Id. Inv.* 1, 27. occasio est pars temporis, habens in se alicujus rei idoneam faciendi aut non faciendi opportunitatem. *Id. Off.* 1, 40. scientia opportunitatis idoneorum ad agendum temporum: ubi v. *Beier.* Saepissime etiam absolute dicitur *opportunitas* pro apto, idoneo rei alicui perficiendae tempore. *Pl. Epid.* 2, 2, 19. Optima opportunitate ambo autem venistis. *Suet. Tib.* 17. Cui gloriae amplior adhuc ex opportunitate cumulus accessit.] *Caes. B. G.* 3, 19. Opportunitas loci. [**Cic. Inv.* 1, 26. Locus consideratur, in quo res gesta sit, ex opportunitate, quam videtur habuisse ad negotium administrandum. *Suet. Caes.* 22. ex omni provinciarum copia Gallias potissimum elegit, cujus emolumento et opportunitate idonea sit materia triumphorum. *Liv.* 45, 30. pars prima (Macedoniae) habet — opportunitatem Amphipolis; et *paulo post:* maritimas opportunitates ei praebent portus. — *Cic. Leg.* 1, 9. Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis. *Id. Off.* 3, 9. (Gyges) hac opportunitate annuli usus reginae stuprum utilitas, quaeque opportunitas membrorum; et *Inv.* 1, 2. quae materies, et quanta ad maximas res opportunitas in animis inesset hominum.] *Sall. Jug.* 6. aetatis. [**Plin.* 1, 24. Tranquilli stomachum multa sollicitant, vicinitas urbis, opportunitas viae, i. e. facilitas. ℙ Dicitur etiam pro ipsis commodis s. utilitatibus, emolumentis. *Cic. Am.* 6. Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet. *Id. Manil.* 17. Quum ad ceteras summas utilitates haec quoque opportunitas adjungatur. *Id. N. D.* 2, 22. mundi natura — consultrix, et provida utilitatum opportunitatumque omnium. *Vell.* 2, 111, 4. quantis prudentia ducis opportunitatibus, furenteis eorum vires universas evasimus partibus? *Caes. B. G.* 3, 17. nisi aequo loco, aut opportunitate aliqua data, legato dimicandum non existimabat: ubi v. *Herzog.*, qui comp. Gr. πλεονεξία. ℙ Est etiam eventus commodus et opportunus. *Cic. Phil.* 3, 10. Praeclara fuit senatus illo ipso die vespertina provinciarum religiosa sortitio, divina vero opportunitas, (*es war ein günstiger, von Gottes Vorsehung verfügter Zufall*) ut quae cuique apta esset, ea cuique conveniret. *Schütz. cl. Cic.* ℙ Usurpatur opportunitas etiam cum genitivo objecti pro occasione alicujus rei instituendae, perficiendae. *Cic. Div.* 1, 42. ac mihi quidem videntur e locis quoque ipsis, qui a quibusque incolebantur, divinationum opportunitates esse ductae. Item absolute *Liv.* 34, 62. per opportunitates — usurpasse jus, i. e. per occasiones, prout occasio tulisset.] ℙ *Opportunitas* veluti Dea habetur ap. *Pl. Ps.* 2, 3, 3. Nam ipsa mihi Opportunitas non potuit opportunius advenire, quam haecce allata est mi opportune epistola.

OPPORTŪNUS, a, um, adj. εὔκαιρος, ἔγκαιρος, idoneus, commodus, pro desiderio, et in tempore obtingens: ex *ob*, et *portus*, quasi ob, seu ante portum situs, ut proprie de loco dicatur, inquit *Voss.* in *Etym.*, in quo navigantes portum in propinquo habent. *Cic. Off.* 1, 40. Tempus actionis opportunum, Graece εὐκαιρία, Latine appellatur occasio. [**De discrimine inter *opportunitas* et *occasio* dictum in h. v.] *Id. Rosc. Am.* 24. *f.* Locus opportunus captus est ad eam rem. *Tac. A.* 4, 24. Locorum opportuna permunivit. *Cic. Fam.* 7, 7. Imperatorem liberalissimum, aetatem opportunissimam, commendationem certe singularem habes; et *ib.* 10, 16. Nihil ne tempore quidem ipso opportunius accidere vidi, quam tuas litteras. [**Vell.* 2, 115, 6. opportuna victoriae occasio. *Sall. Cat.* 49, 3. Res autem opportuna videbatur, i. e. ita comparata, ut facile credi posset.] ℙ Aliquando ponitur pro utili. *Cic. Amic.* 6. *med.* Ceterae res, quae expetuntur, opportunae sunt singulae rebus singulis: amicitia res plurimas continet, quoquo te verteris, praesto est. ℙ Item pro apto, idoneo. *Ter. Eun.* 5, 9, 47. Ad omnia haec magis opportunus, nec magis ex usu tuo, nemo est. *Lucr.* 6, 317. Opportuna fuit si forte et idonea flammis. ℙ Item pro obnoxio, exposito. *Liv.* 6, 24. Romanus cedentem hostem effuse sequendo, in locum iniquum pertractus, opportunus huic eruptioni fuit. (Adde 1, 54. *f.*) *Cels.* 2, 10. *med.* et *Plin.* 9, 31, 51. Opportunus injuriae. *Liv.* 7, 23. Perculsos pavore rata, simul opportuniores, quod intenti tum maxime operi essent. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 2. et *Cels.* 1, 5. *f.* Opportuniora morbis corpora. *Plin* 36, 22, 52. Structura rimis opportuna. *Liv.* 25, 30. Opportuna loca dividenda praefectis esse. [**Ita vel maxime frequentatur haec vox ap. *Liv.* Plura v. in *Gloss. Liv.* s. v.] ℙ Scribitur et *obportunus.*

OPPOSĪTĬO, onis, f. ἀντίθεσις, actus opponendi, oppositus. *Cic. Inv.* 1, 28. Disparatum est id, quod ab aliqua re per oppositionem negationis separatur, hoc modo: sapere, et non sapere. *Gell.* 6, 1. Quid fortitudo intelligi posset, nisi ex ignaviae oppositione?

OPPOSĪTUS, a, um, part. ab *oppono:* contra positus, objectus. *Cic. Font.* 1. *f.* Propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum et objectum. *Id. Off.* 2, 4. Moles oppositae fluctibus. *Id. Div.* 2, 6. *f.* Luna opposita soli. *Tubero* ap. *Gell.* 6, 4. de Regulo: Adversus ictus solis oppositum continebant, atque intendere in coelum oculos cogebant, *Ov. Met.* 14, 147. Oppositamque petens contra Zancleia saxa Rhegion ingreditur; et *Her.* 17, 7. Nec tibi diversa quamvis e gente venires, Oppositas habuit regia nostra fores, i. e. clausas. ℙ Cum infinito. *Lucan.* 1, 463. Et vos crinigeros bellis arcere Caycos Oppositi. ℙ Depositus in pignus. *Sen. Ben.* 7, 14. Rebus meis in securitatem creditoris oppositis. *Juven.* 11, 17. Ergo haud difficile est perituram arcessere summam Lancibus oppositis. V. OPPONO. ℙ *Oppositum*, *i*, absolute. *Gell.* 16, 8. *med.* Omnia quae disjunguntur, pugnantia esse inter sese oportet, eorumque opposita (ἀντικείμενα Graeci dicunt) ea quoque ipsa inter sese adversa esse; et *mox:* Sicuti hoc est, in quo quae opposita, non sunt contraria: *aut curris*, *aut ambulas*, *aut stas:* nam ipsa quidem inter sese adversa sunt, sed opposita eorum non pugnant: *non ambulare* enim, et *non stare*, et *non currere* contraria inter sese non sunt. *Opposita* huc loco sunt, quae in scholis dicunt contradictoria. ℙ *Oppostus* per syncopen. *Lucr.* 4, 151. At cum splendida quae constant, opposta fuerunt.

OPPOSĪTUS, us, m. oppositio, interpositio. *Cic. Marc.* 10. *extr.* Non modo excubias et custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus et corporum pollicemur. *Sil.* 10, 212. dum consternata moratur Agmina, et oppositu membrorum sistere certat. *Plin.* 2, 71, 73. Oppositu globi noctem afferente. *Gell.* 4, 5. Inferior locus, quem sol oppositu aedium nunquam illustraret. *Id.* 14, 5. *f.* Cum ille paulisper oppositu horum vocabulorum commotus reticuisset.

OPPRESSĬO, onis, f. actus opprimendi. Translate. *Ter. Ad.* 2, 2, 29. Hoccine incipere Aeschinum, per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet? Supra dixerat *v.* 20. O scelera! illud vide, ut in ipso articulo oppressit! *Cic. Dom.* 3. Obsessio templorum, occupatio fori, oppressio curiae, *h. e.* subita invasio. *Id. Off.* 3, 21. Probat legum et libertatis interitum: earumque oppressionem tetram et detestabilem, gloriosam putat.

OPPRESSĬUNCŪLA, ae, f. parva oppressio. *Pl. Ps.* 1, 1, 65. Teneris labellis molles morsiunculae, papillarum horridularum oppressiunculae.

OPPRESSOR, oris, m. qui opprimit. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Ut vindices et oppressores dominationis salvi sint.

OPPRESSUS, a, um, part. ab *opprimo:* καταπιεζόμενος, pressus, obrutus. *Cic. Div.* 2, 23. Quomodo potuit terra oppressus vivere? *Virg. A.* 1, 133. Fluctibus oppressos Troas, coelique ruina. *Gell.* 10, 6. Majore copia populi oppressa. *Sen. Herc. Fur.* 52. Vinctus et oppressus catenis. *Caes. B. C.* 2, 38. Hos oppressos somno et dispersos adorti. *Ov. A. Am.* 3, 721. Vidit ut oppressam, vestigia corporis, herbam. Sic *Mart.* 14, 159. Oppressa pluma, scil. culcitae, seu lecti. ℙ Subito invasus. *Caes. B. G.* 7, 46. Tanta fuit in capiendis castris celeritas, ut rex subito in tabernaculo oppressus vix se eriperet. *Suet. Aug.* 16. Oppressus ex improviso a praefectis Pompeji, uno demum navigio aegerrime effugit. *Hirt. B. Alex.* 75. Caesar neque opinans imparatusque oppressus; et *ib.* 45. Parabant se Vatiniani repente oppressi. *Id. B. G.* 8, 14. Oppressi luce copias instruunt. ℙ Item afflictus, fractus, gravatus. *Cic. in Sen.* 7. *extr.* Senatus oppressus et afflictus. *Id. Verr.* 2, 4, 50. Operti oppressique contumeliis; et *ib.* 2, 1, 7. *f.* Criminibus et testibus obrutus atque oppressus. *Id. Cluent.* 10. Innocens oppressus et circumventus judicio. *Hirt. B. G.* 8, 5. Oppressi Carnutes hiemis difficultate, terrore periculi. *Liv.* 24, 33. Oppressus metu. *Caes. B. G.* 4, 15. Timore, lassitudine, et vi fluminis oppressi perierunt. *Nep. Thras.* 1. Patriam a tyrannis oppressam e servitute in libertatem vindicare; et *ib.* et *Cic. Dom.* 51. Servitute oppressas Athenas tenere. *Cic. Fam.* 9, 14. Oppressus totius corporis doloribus. *Gell.* 17, 10. morbo. *Cic. Cat.* 2, 4. et *Sall. Cat.* 41. aere alieno. *Cic. Cat.* 2, 2. invidia. ℙ Contectus, absconditus. *Cic. Acad.* 4, 11. *f.* Ut confidant, notum his esse debebit insigne veri: quo obscuro et oppresso, quod tandem verum sibi videbuntur attingere? ℙ Victus, devictus, domitus. *Cic. Dom.* 10. *med.* Oppressa captaque respublica. *Id. Mur.* 14. Quam laudem ille, Africa oppressa, cognomine ipso praeseferebat; et 15. Mithridatem Muraena repressum magna ex parte, non oppressum reliquit. *Suet. Tib.* 65. Oppressa conjuratio. *Cic. Amic.* 21. Danda opera est, ne qua amicorum dissidia fiant: sin tale aliquid evenerit, ut exstinctae potius amicitiae, quam oppressae esse videantur. ℙ *Litterae oppressae* in loquendo, cum earum sonus obscure profertur. *Cic. Off.* 1, 37. Sonus erat dulcis: litterae neque expressae, neque oppressae, ne aut obscurum esset, aut putidum.

OPRESSUS, us, m. pressio, oppressio. In ablat. sing. *Lucr.* 1, 850. Nam quid in oppressu valido durabit eorum? *Sidon. ep.* 9, 11. *f.* Si saxei montis oppressu fontium conditorum vena celetur.

OPPRĪMO, is, essi, essum, a. 3. καταπιέζω, [**proprie est super, ad, contra aliquid premere: quod cum variis in rebus, variam ob causam varioque fieri eventu possit, factum est, ut multa loquendi genera e nativa hac vocis significatione ortum ducerent. Ac primum quidem ii loci recte ponuntur, in quibus *opprimere* ad notionem comprimendi, reprimendi, claudendi proxime videtur accedere: *Lucan.* 3, 678. et viscera laeva, Oppressere manu, i. e. viscera, telo extracto per vulnus emanantia, in locum suum repressere. Ita *Cort.*, q. v. ad h. l. *Ov. Met.* 3, 295. voluit Deus ora loquentis Opprimere: exierat vox jam properata sub auras. V. *Buenem.* ad *Lact. Inst.* 5, 1. (Ita etiam translate ap. Comicos dicitur *os opprime*, ut nostr. *halts Maul*, pro tace, linguam contine. Cf. *Ter. Ph.* 5, 7, 93. et *Pl. Asin.* 3, 2, 40.) *Val. Max.* 2, 6. *n.* 8. Filiarum manus ad supremum opprimendorum oculorum of-

ficium advocavit. *Suet. Cal.* 12. fauces manu sua oppressit. *Enn.* ap. *Cic. Or.* 2, 54. *extr.* flammam a sapiente facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat. — Sequantur ea, in quibus deprimendi, sternendi, obruendi significatio valet, adjecta plerumque interitus, mortis nota *Cat. R. R.* 46. Taleam demittito, opprimitoque pede. (Huc pertinet etiam locus *Cic. Cluent.* 10. Quod Rostra jamdiu vacua, locumque illum a tribunicia voce desertum oppresserat, h. e. calcaverat, occupaverat, pede presserat, nostr. *betreten.*) *Val. Fl.* 3, 24. Oppressit jaculo redeuntem ad frena leonem: *streckte, würgte ihn nieder. Plin.* 33, 4, 21. Sidunt rimae subito, et opprimunt operatos, i. e. obruunt. *Liv.* 29, 31. Orientem ignem opprimere. *Tac. A.* 6, 50. *extr.* Opprimere senem injectu multae vestis. *Cic. Rosc. Am.* 4. *f.* opprimi onere. *Id. Div.* 2, 8. ruina conclavis. — Hinc in universum est perdere, affligere. *Phaedr.* 5, 3. Calvi momordit musca nudatum caput, Quam opprimere captans, i. e. interficere. *Suet. Claud.* 37. pari modo oppressum ferunt App. Silanum; et *Tit.* 6. suspectissimum quemque oppressit. ℙ Hinc translate, dicitur pro subigere, vincere, domare, subvertere, ita ut surgere amplius et restituere se quis amplius nequeat: maxime quidem de vi hostili. *Cic. Fam.* 10, 20. qui oppresserit Antonium, is bellum confecerit. *Nep. Them.* 8. Quod societatem cum rege Persarum ad Graeciam opprimendam fecisset. *Cic. Font.* 12. Nationem Allobrogum armis conficere atque opprimere. *Nep. Dat.* 9. Postquam bello eum opprimi non posse animadvertit, insidiis interficere studuit. *Id. ib.* 5. Quo facto cuncti ad eum opprimendum consenserunt. *Liv.* 30, 9. Oppressurus navalia castra. ℙ A bello transfertur ad alia quaecunque, ut ad dolorem, invidiam, odium etc. *Nep. Dion.* 6. *f.* Invidiam non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere studuit; et *Alcib.* 3. Ne qua repentina vis in civitate exsisteret, quae libertatem opprimeret populi. *Cic. Quint.* 2. Iniquo judicio opprimere aliquem; et *Rosc. Am.* 13. Hominum perniciosam atque intolerandam potentiam exstinguere, atque opprimere; et *Fam.* 4, 6. Opprimor interdum, et vix resisto dolori, quod ea me solatia deficiunt, quae, etc. et *Div. Verr.* 14. Nunquam me ille opprimet consilio, nunquam me ullo artificio pervertet. Simili ratione usurpatum *opprimere* est ap. *Liv.* 2, 52. eum oppresserunt, i. e. falsa accusatione effecerunt, ut damnaretur; et 1, 51. oblato falso crimine insontem oppressit; et 26, 15. se eam quaestionem oppressurum, exstincturumque: utrumque eleganter ab incendio ductum. *Quint.* 7, 2. *med.* Opprimere aliquem invidia. *Just.* 12, 1. Quem motum contractis militibus in ipso ortu oppressit. V. alia in OPPRESSUS. Alia exempla haec sunto: *Cic. Fin.* 2, 10. Quae jam oratio non a philosopho, sed a censore opprimenda est. *Liv.* 2, 4. Sine tumultu rem omnem oppressere. *Id.* 31, 11. ad opprimendum Gallicum tumultum; et 26, 6. fraudem opprimere, i. e. irritam reddere; et 1, 51. ut eundem terrorem, quo civium animos domi oppresserat, Latinis injiceret. — In universum cogendi, vincendi, pervincendi significatum habet in illo *Pl. Mil.* 4, 5, 10. Nam, si possem ullo modo Impetrare, ut abiret nec te abduceret, operam dedi: Verum oppressit. ℙ Tum *opprimere* dicitur pro subito et praeter opinionem supervenire. *Ter. Andr.* 1, 2, 10. Id voluit, nos interea oscitantes opprimi. *Pl. Cas.* 5, 2, 15. Forem abdo, ne senex me opprimat. *Cic. Rab. Post.* 10. Qui cum a Mithridate Mytilenis oppressus esset, crudelitatem regis in togatos vestitus mutatione vitavit. *Liv.* 26, 12. Rhegium eo cursu contendit, ut prope repentino adventu incautos oppresserit. *Cic. Sen.* 14. Quoties illum lux noctu aliquid describere ingressum, quoties nox oppressit, cum mane coepisset: cf. *Liv.* 9, 30. *Cic. Att.* 15, 1. Cum hominem temperantem tantus improviso morbus oppresserit. *Id. Verr.* 2, 3, 91. Antonium mors oppressit. *Pl. As.* 2, 2, 15. Si mecum occasionem opprimere hanc, quae obvenit, studet, i. e. arripere, ut effugere nequeat. Usurpatur etiam de animo, cum aliquem dicendo, interrogando, etc. ita subito obstrictum quasi vinculis tenemus, ut, quid respondeat, non habeat. *Cic. Verr.* 2, 4, 67. Ne subito a me opprimantur, scil. interrogando. *Ter. Andr.* 1, 3. *f.* Conveniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat. ℙ Hinc solennis dicendi formula est, qua *opprimere* de repentino impetu in hostes facto adhibetur, plerumque cum interitus, internecionis nota. *Caes. B. G.* 4, 4. Inscios inopinantesque Menapios oppresserunt. *Liv.* 41, 3. si in praeda occupati barbari subito opprimantur. *Suet. Tib.* 2. Hasdrubalem, priusquam Hannibali fratri conjungeretur, oppressit. *Vell.* 2, 50, 1. opprimere fugientes; et 118, 2. neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret. — Huc pertinent etiam ista: *Liv.* 30, 6. Quos non oppresserat ignis, ferro absumpti; et 25, 39. nisi quos caedes oppressit; et 9, 37. ad arma trepidantes caedes oppressit. ℙ Denique *opprimere*, quoniam eorum, quae injecta cujuscunque generis mole deprimantur, liberum adspectum non habemus, ponitur pro tegere, condere, occultare. *Cic. Rosc. Am.* 41. *extr.* Quod quo studiosius ab ipsis opprimitur et absconditur, eo magis eminet et apparet. *Liv.* 23, 22. *f.* Ita ejus rei oppressa mentio est; et 38, 50. Oppressit mentionem memoriamque contentionis hujus majus certamen ortum. *Just.* 12, 13. *extr.* Re vera insidiae fuerunt, quarum infamiam successorum potentia oppressit. *Sall. Jug.* 75. Opprimere iram. *Sen. Consol. ad Helv.* 16. desiderium. *Sen. alter Tro.* 517. questus, *h. e.* continere.]

OPPROBRĀMENTUM, i, n. idem ac opprobrium. *Pl. Merc.* 2, 3, 87. Quam opprobramentum, aut flagitium muliebre inferri domo.

OPPROBRĀTĬO, onis, f. ὀνειδισμός, actus opprobrandi. *Gell.* 12, 12. Tum Cicero inopinata opprobratione permotus; et 2, 7. Sine opprobratione acerba reprehensionis.

OPPROBRĀTUS, a, um, part. ab *opprobro:* objectus. *Gell.* 3, 5. *in lemmate:* Mollities cuidam opprobrata acerbe simul, et festiviter.

OPPROBRĬOSUS, a, um, adj. opprobrii plenus. *Imp. Just. Cod.* 1, 3, 41. Absurdum clericis est, immo etiam opprobriosum.

OPPROBRĬUM, ii, n. ὄνειδος, probrum, infamia, dedecus. *Nep. Con.* 3. *f.* Vereor, ne civitati meae sit opprobrio, si, etc. *Hor. Ep.* 1, 9, 10. majoris fugiens opprobria culpae. *Plin.* 18, 26, 66. *n.* 2. Dedecus habetur, opprobriumque meritum, falcem ab illa volucre in vite deprehendi. *Ov. Trist.* 2, 445. Nec fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo. ℙ De homine, qui opprobrio est. *Catull.* 28, 14. At vobis mala multa Dii Deaeque Dent, opprobria Romuli Remique. *Tac. A.* 3, 66. Opprobrium majorum Mamercus. ℙ Convicium, exprobratio. *Quint. decl.* 15, 2. Maledictis opprobriisque vulgi pulsari; et *decl.* 19, 6. Facile prorumpere in opprobria. *Suet. Aug.* 53. Domini appellationem, ut maledictum et opprobrium, semper exhorruit; et *ib.* 7. Pro opprobrio objicere alicui nomen suum. *Hor. Ep.* 1, 16, 38. Morderi opprobriis falsis; et *ib.* 2, 1, 146. Versibus alternis opprobria rustica fudit. *Ov. Met.* 1, 758. pudet haec opprobria nobis Et dici potuisse, et non potuisse referri.

OPPROBRO, as, a. 1. ὀνειδίζω, opprobrio do, objicio: ex *ob*, et *probrum. Pl. Most.* 1, 3, 143. Egone id exprobrem, qui mihimet cupio id opprobrarier? *Id. Truc.* 2, 2, 25. Rus tu mihi opprobras? *Gell.* 17, 1. *f.* Ut opprobraret adversariis. ℙ Scribitur et *obprobro.*

OPPUGNĀTĬO, onis, f. πολιόρκησις, actus oppugnandi. *Cic. Or.* 1, 48. De signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus. *Liv.* 4, 29. Non segnior oppugnatio est, quam pugna fuerat. *Caes. B. G.* 5, 36. Oppugnationem sustinere. *Cic. Coel.* 9. inferre; et *ib.* propulsare. *Tac. A.* 13, 41. incipere; et *ib.* 15, 16. relinquere. *Sall. Jug.* 27. *f.* Ab oppugnatione desistere. ℙ De accusatione, et insectatione forensi. *Cic. Vat.* 2. et *Q. Fr.* 2, 8.

OPPUGNĀTOR, oris, m. πολιορκητής, qui oppugnat. *Tac. H.* 3, 71. Ignem tectis oppugnatores injecerunt. *Cic. Phil.* 12, 3. Hostis et oppugnator patriae Antonius. *Id. Planc.* 31. Meae salutis non modo non oppugnator, sed etiam defensor fuit.

OPPUGNĀTORĬUS, a, um, adj. ad oppugnationem pertinens. *Vitr.* 10, 22. Hostes comparant res oppugnatorias. Adde *ib.* 19.

OPPUGNĀTUS, a, um, part. ab *oppugno:* oppugnatione petitus. *Cic. Manil.* 8. Urbs obsessa et oppugnata vehementissime. *Caes. B. G.* 7, 41. Summis copiis oppugnata castra. *Gell.* 6, 3. Serpens ballistis et catapultis diu oppugnatus. *Cic. Har. resp.* 4. Carthaginem a multis imperatoribus obsessam, oppugnatam, labefactatam, paene captam aliquando, solus evertit. ℙ [*Translate.] *Sall. Cat.* 49. Piso oppugnatus in judicio repetundarum. *Prop.* 2, 12, 45. Roma propriis circum oppugnata triumphis.

OPPUGNO, as, avi, atum, a. 1. πολιορκέω, πολεμέω, contra pugno, armis aggredior, oppugnationem infero: cui contrarium est *propugno. Gell.* 9, 1. Oppidum a Metello oppugnari: contra ab oppidanis desuper e muris propugnari. *Cic. Fam.* 2, 10. Ibi quintum et vigesimum jam diem aggeribus, vineis, turribus oppugnabam oppidum munitissimum Pindenissum, tantis operibus, tantoque negotio, ut, etc. *Caes. B. G.* 6, 41. Germani castra oppugnaturi; et *ib.* 5, 21. Oppugnare locum; et *ib.* 2, 6. magno impetu oppidum; et *ib.* 1, 44. Omnes Galliae civitates ad se oppugnandum venisse, ac contra se castra habuisse. *Just.* 9, 5. Sive adjuvandus ea manu rex oppugnante aliquo foret. *Liv.* 2, 11. Consiliis ab oppugnanda urbe ad obsidendam versis. *Prop.* 3, 9, 13. Ausa ferox ab equo contra oppugnare sagittis Maeotis Danaum Penthesilea rates. ℙ Saepe transfertur ad civilem et forensem insectationem, accusationes, inimicitias. *Cic. Fam.* 5, 2. *med.* Quare ego non oppugnavi fratrem tuum, sed fratri tuo repugnavi. *Id. Quint.* 12. Credamus hoc, Sex. Naevium, cujus caput oppugnet, ejus auribus pepercisse. *Metell.* ad *Cic. Fam.* 5, 1. Metellum fratrem ob dictum capite et fortunis a te oppugnatum iri. *Id. ib.* 1, 1. Regis legatus aperte pecunia nos oppugnat. *Id. Or.* 2, 38. *f.* Carneades nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit; nullam oppugnavit, quam non everterit. *Id. Or.* 66. Clandestinis consiliis oppugnare aliquem. *Id. Caecin.* 24. verbis aequitatem. *Pl. Most.* 3, 1, 154. Oppugnare consilia alicujus; et *Bacch.* 5, 2, 52. delictum aliquod. ℙ *Oppugnare*, pugno tundere. *Id. Cas.* 2, 6, 59. Malo, Chaline, tibi cavendum censeo. *Chal.* temperi, postquam oppugnatum est os. ℙ Idem ac repugno, resisto. *Coripp. Joanneid.* 4, 468. sonipes celer aequore toto Oppugnat frenis. ℙ Scribitur et *obpugno.*

OPPŪTO, as, a. 1. idem quod puto, *h. e.* arborum ramos caedo. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 2. Opputatur autem quidquid proxime tulit fructum.

OPPŪVĬO. } V. OBPUVIAT.
OPPŪVĬUM. }

OPRĪMENTUM. V. OPERIMENTUM.

OPS, Opis, f. filia Coeli et Vestae, soror et conjux Saturni, quae et Terra, et Rhea, et Cybele, et Magna Mater, et Mater Deorum, et Berecynthia, et Bona Dea vocatur: ita dicta, quia opulenta et dives: terra enim divitias omne genus parit: ab obsoleto adjectivo *ops*, dives, cujus contrarium *inops* in usu mansit; vel ab *opus*, vel ab *ope*, vel ab *opere. Ov. Trist.* 2, 24. Carmina turrigerae dicere jussit Opi. *Id. Met.* 9, 496. Dii nempe suas habuere sorores. Sic Saturnus Opim junctam sibi sanguine duxit. *Id. Fast.* 6, 285. Ex Ope Junonem memorant, Cereremque creatas Semine Saturni: tertia Vesta fuit. *Varr. L. L.* 4, 10. Principes in Latio Dii Saturnus, et Ops; et *ib.* Terra, Ops, quod hic omne opus, et hac opus ad vivendum: et ideo dicit Ops mater, quod terra nutriat; haec enim terris gentes omnes peperit, et resumit denuo. *Macr. Sat.* 1, 10. Saturnum a satu dictum, cujus causa de coelo est; et terram, Opem, cujus ope humanae vitae alimenta quaeruntur: vel ab opere, per quod fructus frugesque nascuntur. Huic Deae sedentes vota concipiunt, terramque de industria tangunt, etc. ℙ Alii dicunt esse filiam Oceani et Salaciae, neptem Coeli et Terrae. *Cic. Univ.* 11. Sic igitur horum Deorum ortus habeatur, ut Oceanum Salaciamque Coeli Satu, Terraeque conceptu generatos editosque memoremus: ex his Phorcyn, Saturnum, et Opem, deinceps Jovem, atque Junonem, reliquos. ℙ Aedes Opis et Saturni erat Romae in foro Romano, cujus meminit *Victor. de Reg. Urb. R.* Ibi servabatur pecunia privatorum. *Cic. Phil.* 1, 7. Pecunia utinam ad Opis maneret: cruenta illa quidem; sed his temporibus, quoniam his, quorum est, non redditur, necessaria. *Id. ib.* 2, 37. Ubi est septies millies, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat? ℙ [*Hinc *ops* in universum pro vi, facultate, potentia, virtute. Obsolevit usus recti casus et dativi, solumque *opis*, *opem*, *ope* remansit.] *Sall. Cat.* 1. Omnes homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, omni ope niti decet, ne vitam silentio transeant. *Cic. Att.* 14, 14. *f.* Omni ope atque opera enitar, ut senatus consultum fiat. *Id. Mil.* 11. Ut omnem semper vim, quacumque ope possent, a vita sua propulsarent. *Virg. A.* 1, 604. grates persolvere dignas Non opis est nostrae, Dido. ℙ Saepe est vis et potentia, qua alteri auxiliamur, βοήθεια. [*Hic mentio fieri poterat loci *Prisc.* 7, 752. ubi *Accius* de Hercule: Quorum genitor fertur esse ops gentibus, i. e. quorum genitor auxilium fuit gentibus.] *Cic. Att.* 9, 16. Caesar jam opes meas, non, ut superioribus litteris, opem exspectat. *Id. Off.* 1, 15. *f.* Ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. *Id. Att.* 16, 13. *f.* Haec nec institui, nec effici potest sine tua ope. *Id. Fam.* 4, 1. Aliquid opis occidenti reipubl. tulissemus. *Plin. ep.* 4, 15. *f.* Omni ope, labore, gratia juvare quempiam in petendis honoribus. *Virg. G.* 2, 428. Vi propria nituntur, opis non indiga nostrae. *Cic. Tusc.* 5, 2. Ad te confugimus, a te opem petimus. *Id. Font.* 11. Confugere ad opem alicujus. *Id. fragm.* ap. *Prisc.* 7, 733. Ab Jove opem auxiliumque petamus. *Id. Fin.* 2, 35. Opem indigentibus salutemque ferre. *Flor.* 1, 21. implorare adversus aliquem; et 3, 2. et auxilium flagitare. *Plin. Pan.* 30. *f.* alicujus invocare. *Suet. Vesp.* 7. valetudinis orare. *Stat. Th.* 10, 51. exposcere. *Or. Her.* 21, 174. salutiferam dare cuipiam. *Id. Met.* 8, 601. afferre. *Id. R. Am.* 116. admovere. *Id. Amor.* 2, 9, 8. Ope medica juvare aliquem. *Id. Trist.* 1, 3, 9. Non mihi servorum, comitis non cura legendi, Non aptae profugo vestis, opisve fuit. ℙ In malam partem. *Liv.* 44, 7. *f.* Adeo sine ulla ope hostis, quae aggravaret, cum ipsa difficultate pugnandum erat. ℙ [*Maxime autem plur. *opes* dicitur de cujuscunque generis auxiliis, copiis, rei vel personae propriis.] *Pl. Stich.* 5, 4, 13. Nos tamen efficimus pro opibus nostris moenia. *Ov. Trist.* 1, 10, 44. meritae cadet agna Minervae: Non facit ad nostras hostia major opes. *Virg. G.* 2, 507. Condit opes alius, defossoque incubat auro. *Hor. Od.* 3, 16, 28. magnas inter opes inops. *Ov. Met.* 13, 434. sceleris nisi praemia magnas Adjecisset opes, animi irritamen avari. *Id. Trist.* 3, 10. 59. Ruris opes parvae, pecus, et stridentia plaustra

Plin. 9, 35, 58. Nec dona prodigi principis fuerant, sed avitae opes, provinciarum scilicet spoliis captae; et *ib.* 59. Relictus ab eo in amplis opibus heres. *Id.* 35, 9, 36. *n.* 2. Opes tantas acquisivit, ut in ostentatione earum, etc. *Hor. Sat:* 2, 2, 112. puer hunc ego parvus Ofellum Integris opibus novi non latius usum, Quam nunc accisis. Adde *Just.* 9, 2. et *Petr. Sat.* 104. etc. ℙ Saepius significant potentiam, quae maxime quidem divitiis, tum vero auctoritate, gratia, amicorum et cognatorum copia, eloquentia, gloria militari, aliisque bonis, aut pravis artibus comparatur. Itaque latius patent opes, quam divitiae, quia illis hae includuntur, non contra. Unde *Cic.* fere opes, et divitias distinguit, ut *Att.* 8, 11. *in.* Moderatori reipublicae beata civium vita proposita est; ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit. *Id. Quint.* 1. *in.* P. Quintius, cui tenues opes, nullae facultates, exiguae amicorum copiae sunt, cum adversario gratiosissimo contendit. *Id. Fin.* 5, 27. Certe in bonis numerabis divitias, honores, opes. *Id. Agr.* 2, 30. Ad paucos opibus et copiis affluentes totum agrum Campanum perferri videbitis. *Id. Amic.* 6. *med.* Ceterae res opportunae sunt singulae rebus fere singulis, divitiae ut utare, opes ut colare, honores ut laudere, etc. *Id. Phil.* 1, 12. Opes violentas, et populo R. minime ferendam potentiam concupiscere. *Id. Tusc.* 3, 11. *f.* His perturbationibus, quas stultitia immittit, omnibus viribus atque opibus repugnandum est; et *Off.* 1, 3. Consultant, ad vitae commoditatem jucunditatemque, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam conducat id, necne, etc. *Caes. B. G.* 1, 20. Quibus opibus ac nervis ad perniciem suam uteretur. *Hor. Od.* 3, 3, 26. nec Priami domus Perjura pugnaces Achivos Hectoreis opibus refringit, *h. e.* viribus et virtute. ℙ Dicitur saepe de potentia reipubl., et viribus imperii, quae constant multitudine et opulentia civium, vectigalium et aerarii copia, studio et peritia rei militaris, numero urbium munitarum, etc. praecipue vero de viribus militaribus. *Virg. A.* 2, 4. Trojanas ut opes, et lamentabile regnum Eruerint Danai. *Nep. Ep.* 6. *extr.* Lacedaemoniorum opes concussit. *Id. Alc.* 5. Atheniensium opes senescere, contra Lacedomoniorum crescere; et *ib.* 10. Regis opes minuere. *Id. Milt.* 5. *extr.* Nulla unquam tam exigua manus tantas opes postravit. *Id. Con.* 4. Ducem fortem et prudentem regiis opibus praefuturum, ac secum dimicaturum videbant. *Virg. A.* 8, 171. Auxilio laetos dimittam, opibusque juvabo. Ubi *Serv.:* idest militibus: *opes* antiqui vocabant milites. ℙ De viribus corporis. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. Romani scalis summa nituntur opum vi. *Virg. A.* 12, 552. Pro se quisque viri magna nituntur opum vi. ℙ In sing. num. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 3, 19. Adstante ope barbarica, *h. e.* integris Trojae rebus, et Priami imperio manente. Adde *Virg. A.* 8, 685. ℙ Pro ope, seu auxilio, aut facultate juvandi. *Hor. Ep.* 1, 10, 36. minor in certamine longo Imploravit opes hominis, frenumque recepit; et *ib.* 2, 2, 136. Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus, etc. ℙ Translate. *Ov. A. Am.* 2, 343. de amne: Nascitur exiguus, sed opes acquirit eundo; et 652. Firmaque adoptivas arbor habebit opes, *h. e.* fructus ex insitione. *Sever. A.* 293. Spiritus collectus pellit opes aquae, *h. e.* vim, et copiam aquae. *Val. Fl.* 6, 449. Ergo opibus magicis, et virginitate tremendam Juno duci sociam conjungere quaerit Achivo, *h. e.* facultate, et scientia rerum magicarum.

[OPSĬUS, ii, m. ὄψιος, serus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 133, 11. Optatus Opsii cubicularius. *F.*]

OPSONĬUM, etc. V. OBSONIUM.

OPTĂBĬLIS, e, adj. αἱρετὸς, ἐπευκτὸς, qui optari debet, optandus, expetendus, optatus. *Cic. Or.* 1, 51. Quae vulgo expetenda atque optabilia videntur. *Ov. Met.* 9, 758. venit ecce optabile tempus, Luxque jugalis adest. *Cic. Off.* 1, 14. *f.* Quae ut concurrant omnia, optabile est: sin minus, etc. *Id. Pis.* 14. *f.* Utrum bono viro optabilius putas, sic exire, ut, etc. an, ut, etc.?

OPTĂBĬLĬTER, adv. εὐκτῶς, cum desiderio. *Cic. Tusc.* 1, 40. Quam optabiliter iter illud jucundum esse debet? Optimae quaeque editt. ex MSS. v. *optabiliter* omittunt. *Val. Max.* 5, 1. *f.* Ut optabilius in patria, ita speciosius pro patria etc.

[OPTĂTILLĂ, ae, f. dimin. optatae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 393, 8. Calpurnia L. F. Optatilla. F.]

[OPTĂTĪNUS, a, um, adj. ad Optatum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 534, 4. Q. Caecilius Q. F. An. Optatinus. Alia ap. *Mur.* 1282, 6. Cornelia Optatina. *F.*]

OPTĀTIO, onis, f. optio, eligendi facultas. *Cic. Off.* 3, 25. Theseo cum tres optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti. Est qui legit *optiones.* Adde *Sym. ep.* 1, 1. *f.* cum ead. var. lect. et *Paul.* ex *Fest.* in *Optio*, et *Donat.* ad *Ter. Eun.* 5, 9, 27. Est praeterea rhetorum figura, in sententiis, εὐχή. *Cic. Or.* 3, 53. Purgatio, conciliatio, laesio, optatio, atque exsecratio. *Quint.* 9, 2. *in.* Qui affectus erunt concitati, detracta voce libera, effrenatiore iracundia, objurgatione, optatione, exsecratione? ℙ Exemplum sit illud *Cic. Fl.* 2. *f.* Atque utinam inimici nostri mecum potius contendant; et *ib.* 31. Vellem tantum habere otii, ut, etc.

OPTĀTĪVUS, a, um, adj. qui optationem continet, ut *Modus optativus* in verbis, quo optandi actus significatur, ap. *Diomed.* 1, 330., *Prisc.* 8, 807 et 821. et *Capell.* 3, 83. Optativia adverbia, *Prisc.* 15, 1021. Optativae conjunctiones, *Charis.* 2, 200. εὐκτικός.

OPTĀTO, adv. εὐκτῶς, optabiliter, ex voto. *Pl. Amph.* 2, 2, 26. Certe me illi exspectatum optato venturum scio. *Cic. Att.* 13, 28. *f.* Nisi quid te aliud impedit, mihi optato veneris. Adde *Ter. Andr.* 3, 3, 1. et *Virg. A.* 10, 405.

OPTĀTUS, a, um, part. ab *opto:* εὐκταῖος, cupitus, expetitus, optabilis, gratus, jucundus. *Cic. Fam.* 16, 21. Gratos tibi, optatosque esse, qui de me rumores afferuntur, non dubito. *Cic. Div. Verr.* 3. Quid est, quod aut populo R. gratius esse debeat, aut sociis optatius esse possit? *Id. Rosc. Am.* 15. Patresfamilias optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime servire. *Id. Fam.* 1, 5. Nihil mihi fuit optatius, quam, ut, etc. *Sall. or. ad Caes. de republ. ord.* 2. Quin optatius habent ex tua calamitate periculum libertatis facere, quam, etc. *Cic. Q. Fr.* 2, 8. *extr.* Vale, mi optime et optatissime frater. *Pl. Aul.* 3, 1, 1. Optati cives, populares, incolae, date viam, qua fugere liceat. ℙ *Optatum, i,* votum, desiderium. *Cic. Agr.* 1, 1. Haec utrum cogitata sapientum, an optata furiosorum videntur? *Id. Pis.* 20. Illud etiam accidit praeter optatum meum, sed valde ex voluntate. *Id. Fam.* 2, 1. In omnibus tuis rebus meis optatis fortuna respondit. *Id. Off.* 3, 25. Impetrare optatum. *Ter. Ad.* 5, 9, 21. Dii tibi semper omnia optata offerant. *Pl. Capt.* 2, 2, 105. afferant. *Cic. Fam.* 2, 13. Cur mihi non in optatis est complecti hominem florentem aetate, opibus, etc.? *Ov. Met.* 11, 104. Annuit optatis. ℙ *Optatus*, electus. *Festus:* Optatam hostiam, alii optimam appellant eam, quam aedilis tribus constitutis hostiis optat, quam immolari velit.

OPTĬCE, es, f. ὀπτικὴ, ars, et facultas, qua visus ratio dirigitur: vox Graeca, ab ὄπτομαι, video. *Vitr.* 1, 1. Ut sit peritus graphidos, eruditus geometria, et optices non ignarus. V. *Gell.* 16, 18., ubi Graece scribitur.

OPTĬMĀTES, um, et ium, comm. gen. plur. qui optimis suam causam probatam volunt. Duo enim fuere in republ. hominum genera, qui excellere cuperent: alii ea, quae agebant, ac dicebant, populo jucunda esse volebant, eoque dicti populares: alii ita sua instituebant, ut optimo cuique suam causam probarent, atque inde appellati optimates. Hanc utriusque nominis causam affert *Tullius* ipse *Sext.* 45. ℙ Sunt etiam optimates optimi quique in republica: sunt, inquit *Cic. ib.*, principes consilii publici, et qui eorum sectam sequuntur: sunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia: sunt municipales rusticique Romani: sunt negotia gerentes: sunt etiam libertini optimates: numerus late et varie diffusus: sed genus universum brevi circumscribi et definiri potest: Omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti. Haec *Cic.*, unde patet, duplex hominum genus hac voce significari, et optimum quemque, cujuscumque sit conditionis; et qui voluntati, commodis, opinioni optimi cujusque in gubernanda republ. servit. Verum haec oratorie dicit *Cic.*, et ut causae suae inserviat, et optimatium nationem ab invidia liberet, qua apud populum laborabat. Ceterum hoc nomine fere significantur nobiliores, opulentiores, potentiores, quorum in manibus plerumque est reipublicae administratio, proceres, primores, patres, senatus: uno verbo ea pars civium, quae numero minor est, dignitate et potentia major, et a plebe distinguitur, οἱ δυνατοὶ, ἀριστῆες, ὀλίγοι. *Nep. Alc.* 5. Erat enim populi potentiae non amicus, et optimatum fautor. *Tac. A.* 4, 32. Plebis, et optimatium certamina. *Plin.* 25, 5, 21. Cui plebs stans plausit, optimates bellum Marsicum imputavere. Adde *Cic. Off.* 2, 23., *Suet. Caes.* 19., *Aug.* 10. et *Tib.* 2. ℙ Adjective. *Cic. Fam.* 7, 6. ex *Ennio.* Matronae opulentae optimates. ℙ In singulari num. *Coel.* ad *Cic. post ep.* 9. *l.* 10. *ad Att.* Vide, ne dum putet te parum optimatem esse, parum diligenter, quod optimum sit, eligas. ℙ Adjective, et singulari num. *Cic.* ap. *Non.* 4, 292. Statu esse optimo constitutam rempublicam, quae ex tribus generibus illis, regali, et optumati, et populari confusa modice.

OPTĬME et antiqu. Optume, adv. ἄριστα. omnino bene, praeclare, eximie, perfecte. *Cic. Fam.* 4, 13. *f.* Sed haec tu melius, vel optime omnium. *Pl. Bacch.* 3, 4, 3. Illum exoptavit potius? habeat: optime est. *Ter. Andr.* 3, 4, 14. Optime factum. *Id. Phorm.* 1, 3, 1. Qui mihi consultum optime vult esse. *Cic. Or.* 1, 26. Optime dicere. *Nep. Con.* 4. suos nosse. *Caes. B. G.* 1, 45. Optime meritos socios non deserere. *Sall. Cat.* 62. Miles optume armatus. *Id. Jug.* 100. Sisenna optume et diligentissime omnium persecutus. *Plin.* 24, 6, 22. Pinea resina capitis vulneribus optime medetur. ℙ Aliquando significat prorsus, opportune, in tempore. *Ter. Andr.* 2, 1, 35. Davum optime video; et 4, 2, 3. Optime te mihi offers. Adde *Eun.* 5, 2, 66. et *Pl. Merc.* 2, 2, 57. et *Men.* 4, 1, 9.

OPTĬMĬTAS, atis, f. vox est minime Latina. *Capell.* 4, 109. Cognoscendum est, dici quasdam substantias ex qualitatibus, quarum nomina non inveniuntur. Nam ut bonum dicimus a bonitate, non ita optimum ab optimitate. V. OPIMITAS.

OPTĬMUS et antiqu. Optumus, a, um, adj. ἄριστος, omnino bonus, praestantissimus, perfectus, lectissimus, eximius, praeclarus. Superlationem significat positivi *bonus*, et videtur esse syncope ab *optatissimus:* ab *opto* eligo, quasi electissimus. *Cic. opt. gen. Or.* 2. *extr.* Quod omnes laudes habet, id est optimum. *Ulp. Dig.* 45, 1, 75. Si quis ita stipulatus sit, *vini boni amphoras centum*, incertum videtur stipulari, quia bono melius inveniri potest, quod ipsum quoque bonum est: at cum optimum quis stipulatur, id stipulari intelligitur, cujus bonitas principalem gradum bonitatis habet: quae res efficit, ut ea appellatio certi significativa sit. *Caes. B. G.* 1, 31. Ager Sequanus, qui est optimus totius Galliae. *Cic. Phil.* 7, 2. Fortissimus consul atque optimus. *Id. Leg.* 3, 11. Optime et dulcissime frater. *Id. Or.* 1, 33. Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister. *Pl. Cas.* 2, 6, 23. et *Rud.* 4, 3, 90. et *Stich.* 5, 4, 46. Optimum, atque aequissimum istud esse, jure judico. *Id. Trin.* 2, 4, 84. Semper hoc facito cogites, id optimum esse, tute uti sis optimus: si id nequeas, saltem ut optimis proximus. *Sall. Jug.* 97. *extr.* Optimus quisque cadere, aut sauciari, *h. e.* fortissimus. [*Ap. *Cic. Off.* 1, 28, 99. *optimus quisque* comprehendit omnes bene de re publica sentientes ac bene meritos: quos alias populares, bonos et principes, optimates appellat.] *Id. Cat.* 33. et *Jug.* 115. Optimum factum credens, exercitum augere. Al. leg. *factu. Pl. Ps.* 1, 2, 52. Nunc adeo hoc factum est optimum, ut nomine quemque appellem suo. *Id. Aul.* 3, 6, 30. Caedundum illum ego conduxi. *Eu.* tum tu idem optimum est loces efferendum; et *As.* 5, 2, 58. In oculos invadi nunc est optimum. *Id. Capt. prol.* 10. Jam hoc tenetis? optimum est. *Caes. B. G.* 3, 50. Optima valetudine uti; et 59. alicujus et fortissima opera uti; et *ib.* 1, 12. Omnium esse Iguvinorum optimam erga se voluntatem. *Cic. Or.* 8. Oratio longe optima. *Catull.* 33, 1. O furum optime balneariorum, *h. e.* artis furandi peritissime. ℙ *Optimus maximus*, Jovis appellatio. *Cic. N. D.* 2, 25. Juppiter a majoribus nostris dictus est optimus maximus: et quidem ante optimus, idest beneficentissimus, quam maximus, quia majus est, certeque gratius prodesse omnibus, quam opes magnas habere. ℙ Item aliorum quoque numinum. *Inscr.* ap. *Mur.* 32, 6. Matri Deum optimae maximae sacra; et 40, 4. D. O. M. Jano. ℙ Item imperatorum R., quorum primus ita est appellatus Caligula, testibus *Suet. Cal.* 22. et *Quint.* 1, 7., deinde Trajanus, Hadrianus, aliique permulti, ut *Marin. Frat. Arv.* p. 359. probat. *Papin. Dig.* 27, 1, 30. Optimi maximique principes nostri constituerunt, etc. *h. e.* Caracalla, et Geta. *Id. ib.* 31, 80, 1. Optimus maximusque princeps noster Severus Augustus, ℙ Item aliarum rerum. *Proculus Dig.* 50, 16, 126. Si, cum fundum tibi darem, legem ita dixi, *uti optimus maximusque esset*, et adjeci, jus fundi deterius factum non esse per dominum, praestabitur liber, *h. e.* ab omni servitute immunis. Sic *Cic. Agr.* 3, 2. *f.* Optimo jure ea sunt profecto praedia, quae optima conditione sunt: libera meliore conditione sunt, quam serva. ℙ *Optima lex* est, quae plenissimum alicui jus, et sine exceptione tribuit. Itaque optima lege creari dictus est dictator, donec sine provocatione creatus fuit. Postquam vero provocatio ab eo ad populum data est, desitum est dici optima lege, utpote ejus jure imminuto. *Festus.* Etiam in formula capiendae Vestalis, ap. *Gell.* 1, 12. habetur: Uti quod optima lege fiat, ita te, amata, capio.

OPTĬO, onis, f. ἄιρεσις, electio, et eligendi facultas, arbitriumque. *Pl. Cas.* 2, 4, 13. Optio haec tua est, utram harum vis conditionem, accipe. *Cic. Fat.* 2. Utro frui malis, optio sit tua. *Id. Caecin.* 23. et *fragm.* ap. *Quint.* 5, 10. *med.* Optio vobis datur, utrum velitis, etc. *Id. Div. Verr.* 14. Potestatem optionemque facere alicui, ut eligat, etc. *Id. Vat.* 17. An erit haec optio et potestas tua, ut, etc.? *Id. Brut.* 50. *f.* Dare alicui optionem eligendi patroni. *Id. Fin.* 5, 29. Si optio esset. *Pl. Mil.* 3, 1, 75. Si optio eveniat tibi. *Sall. Jug.* 81. *f.* Graeci optionem Carthaginiensium faciunt, *h. e.* dant Carthaginiensibus optionem, ut, etc. *Pl. Cas.* 2, 2, 15. Vir me habet pessumis despicatam modis, nec mihi jus meum obtinendi optio est. ℙ *Optio* masc. gen. in veteri R. militia dicebatur, qui a tribunis, centurionibus

aliisque dignioribus in gradu militari constitutis adoptati vicaria eisdem operam praestabant; sed paulatim eo res pervenit, ut ordinarium esset munus, ita ut optio certae rei, aut operi constitutus suo proprio jure atque nomine praeesset. Hinc *Festus:* Optio qui nunc dicitur, antea appellabatur accensus. Is adjutor dabatur centurioni a tribuno militum: qui ex quo tempore, quem velint, centurionibus permissum est optare, et nomen ex facto sortitus est. *Varr. L. L.* 4, 16. *f.* Quos hi (*decuriones*) primo administros sibi ipsi adoptabant, optiones vocari coepti: quos nunc propter ambitionem tribuni faciunt. *Veg. Mil.* 2, 7. Optiones ab optando appellati, quod antecedentibus aegritudine praepeditis, hi tanquam adoptati eorum, atque vicarii solent universa curare. *Inscr.* mendosa ap. *Don. cl.* 6. *n.* 70., emendata ap. *Malvas. Marm. Fels.* p. 317. Sex. Claudius Sex. F. Palatina Auspicalis, optio trib*uni* leg*ionis* I. voluntari*orum*, etc. Alia ap. *Grut.* 551, 3. C. Lucillius C. F. Vel. Vindex, principalis beneficiarius tribuni, deinde optio in centuria, *h. e.* optio centurionis. Alia mendosa ap. *eund.* 431, 9., emendata ap. *De Vita Antiq. Benev. cl.* 7. *n.* 10. C. Luccius C. F. Stel. Sabinus, adjut*or* tribun*i* Orfiti secutor, optio valetudin*arii*, optio arcarii, optio signif*eri*, optio ab actis, etc. V. *ib. Dissert.* 9. p. 243. et sqq. et *Non.* 1, 344. ℙ Dicitur etiam de cujusque rei adjutore. *Pl. As.* 1, 1, 88. Tibi optionem sumito Leonidam: fabricare quidvis, quidvis comminiscere. *Aurel. Arcad. Dig.* 50, 6, 6. Optio fabricae. Adde *Callistrat. ib.* 48, 20, 6., ubi spiculatorum optiones, etc. Plura de Optionibus congessit *Reines. Inscr. cl.* 1. *n.* 3. p. 11. ℙ Sub his qui curabant, adjutorum subadjuvae, *suboptiones* dicti. *Inscr.* ap. *Grut.* 529, 8. M. Aurelius Macedo vet*eranus* nati*one* Delm*ata* ex subopt*ione*, etc. [*Multa in his auxit atque emandavit *F.* ℙ Confund. *optio* et *opinio.* V. *Spalding.* ad *Quint.* 7, 1, 21.]

OPTIONĀTUS, us, m. gradus, et munus optionis. *Cato* ap. *Fest.* Majores seorsum, atque diversum pretium paravere bonis atque strenuis, decurionatus, optionatus, hastas donaticas, aliosque honores. [*V. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 218. *a.*]

OPTĪVUS, a, um, adj. adoptivus, adscitus, adjunctus. *Hor. Ep.* 2, 2, 99. Discedo Alcaeus puncto illius: ille meo quis? Quis nisi Callimachus? si plus adposcere visus, Fit Mimnermus, et optivo cognomine crescit. ℙ [*Optivus tutor* ap. *Cajum. Institut.* (ed. *Goesch.*) 1. §. 154. Vocantur autem hi, qui nominatim testamento tutores dantur, dativi; qui ex optione sumuntur, optivi. *F.*]

OPTO, as, avi, atum, a. 1. *αἱρέομαι*, eligo, malo. Volunt esse ab *ὄπτω*, seu *ὄπτομαι*, video, considero, quia qui electurus est, prius videt et considerat, quid sit melius. Hinc *coopto*, *adopto. Cic. Off.* 1, 20. Nihil homines, nisi quod honestum sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportet. *Colum.* 10, 277. Tellurisque comas sacris optate canistris, *h. e.* legite, colligite. Al. leg. *aptate. Ter. Andr.* 4, 5, 2. Quae sese inhoneste optavit parere hic divitias, potius quam in patria honeste pauper vivere. *Virg. A.* 1, 429. Pars optare locum tecto, et concludere sulco; et *ib.* 3, 109. Optavitque locum regno; et *ib.* 6, 501. Quis tam crudeles optavit sumere poenas? Cui de te tantum licuit? *Pl. Rud.* 3, 6, 14. Opta ocius, rapi te obtorto collo mavis, an trahi. Utrum vis, opta, dum licet. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 334. Non video hic, quid magnopere optem. [*Huc pertinet etiam locus *Virg.*, quem Noster infra laudaverat, *A.* 8, 512. Nulli fas Italo tantam subjungere gentem: Externos optate duces, i. e. sumite, adsciscite.] ℙ Item peto, quaero, volo: nam qui petit, jam elegit quod peteret. *Virg. A.* 1, 80. tuus, o regina, quid optes, Explorare labor. *Ter. Eun.* 5, 9, 27. Hoc si effeceris, quodvis donum, et praemium a me optato, id optatum feres. Ubi *Donat.* Totum militariter: nam et *optatio* dicitur et *optari* a militibus, et alibi: *vir fortis optet quod volet praemium. Cic. Off.* 3, 25. Sol Phaethonti filio facturum se esse dixit, quidquid optasset: optavit, ut in currum patris tolleretur. *Virg. A.* 10, 279. Optare aliquid votis. *Cic. Cat.* 2, 7. Nunquam a Diis immortalibus optabo, ut, etc. ℙ Item cupio, expeto, exopto. Hoc sensu quidam ducunt a *ποθῶ* (quod idem significat) per metathesin. *Cic. Phil.* 14, 1. et *Amic.* 16. Cum semel ad eum, quem cupimus, optamusque, vestitum redierimus. *Id. Pis.* 14. Optandam duco mihi fuisse illam, expetendamque fortunam. *Id. ib.* 20. Haec ego semper de vobis expetivi, haec optavi, haec precatus sum. *Ter. Ad.* 5, 4, 20. Illum, ut vivat, optant, meam autem mortem exspectant. *Id. Hec.* 4, 4, 29. Hunc videre saepe optabamus diem. *Sall. or. Philippi contra Lep. med.* Qui vidimini intenta mala, quasi fulmen, optare, se quisque ne attingat. *Ov. Trist.* 2, 57. Optavi, peteres coelestia sidera tarde. ℙ *Optare alicui quippiam*, precari, vel imprecari, tum in bonam partem, tum in malam. *Cic. Brut.* 97. Tibi favemus, te tua frui virtute cupimus, tibi optamus eam rempublicam, in qua, etc. *Id. Pis.* 20. Mihi non venerat in mentem, furorem et insaniam optare vobis, in quam incidistis. ℙ *Optare hoc quidem est, non docere, et optare hoc quidem est, non disputare*, dicitur a *Cic. Acad.* 4, 38. *f.* et *Tusc.* 2, 13. et *Fat.* 20. de iis, qui ita disputant, ac docent, ut potius ostendant, quid ipsi maxime velint, quam quid maxime verum sit: quod est eorum, qui non pro veritate, sed pro affectu pugnant. *Plato l.* 6. *de republ. Οὕτω γὰρ ἂν ἡμεῖς δικαίως καταγελώμεθα, ὡς ἄλλως εὐχαῖς ὅμοια λέγοντες.* ℙ *Optassis* pro *optaveris* habes ap. *Pl. Mil.* 3, 1, 75.

[OPTOSTROTUM, i, n. pavimentum lateribus coctilibus stratum: ab *ὀπτὸς*, coctus, hinc Graecis *ὀπτὴ πλίνθος*, coctus later, et *στρωτὸν*, stratum; ut *lithostrotum* est e lapidibus stratum. *Not. Tir.* p. 164. Chamaestrotum, lithostrotum, optostrotum. Perperam hic scribitur *obtistrotum. F.*]

OPŪLENS, entis, et Opulentus, a, um, adj. *πλούσιος*, opibus abundans, locuples, dives, copiosus. *Paul.* ex *Festo* in *Opis.* Opulenti terrestribus rebus copiosi. *Nep. Chabr.* 3. Neque animo aequo pauperes alienam opulentium intuentur fortunam. *Auson. Idyll.* 2, 7. Non opulens, nec egens. *Sall. Jug.* 72. Civitas magna et opulens poenae cuncta, aut praedae fuit. *Appul. Met.* 8. Castellum frequens, et opulens; et *ib.* 10. Matrona pollens, et opulens. *Cic. N. D.* 3, 33. Opulentissima et beatissima civitas. *Caes. B. G.* 3, 80. Potiri oppido pleno atque opulento. *Liv.* 21, 43. Opulenta ac ditia stipendia facere. *Pl. Bacch.* 1, 1, 64. Tu facito, obsonatum sit nobis opulentum obsonium. *Id. Epid.* 2, 2, 115. Adolescens auro opulentus. *Sall. Jug.* 19. Quae pars Numidiae Mauritaniam attingit, agro virisque opulentior. *Virg. A.* 1, 450. Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido Condebat, donis opulentum, et numine divae. *Suet. Aug.* 30. Aedes sacras opulentissimis donis adornavit. ℙ Cum genitivo. *Hor. Od.* 1, 17, 14. hic tibi Copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu. *Tac. H.* 2, 6. *f.* Provinciae nec virorum inopes, et pecuniae opulentae. *Liv.* 35, 1. *f.* Eo victorem opulentum praedae exercitum P. Cornelius reduxit. Al. leg. *praeda.* ℙ Item potens. *Liv.* 32, 32. Opulentior factio, exclusis Aetolis, tenuit urbem. *Sall. Cat.* 57. Cognoveram, parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus. ℙ Item nobilis. *Enn.* ap. *Gell.* 11, 4. Nam cum opulenti loquuntur pariter, atque ignobiles, Eadem dicta, eademque oratio aequa non aeque valet. ℙ Translate. *Gell.* 7, 3. *f.* Opulenta oratio; et 14, 6. *f.* Opulentissimus liber.

OPŪLENTĒ et Opulenter, adv. *εὐπόρως*, cum opulentia, sumptuose, splendide, large, copiose. *Sall. Jug.* 89. Neque illos arcte colam, me opulenter. *Appul. Apol.* Grandis domus opulente ornata. *Liv.* 1, 35. *med.* Ludos opulentius, instructiusque, quam priores reges, fecit. *Just.* 3, 3. Nec epulari opulentius, ne imitatio in luxuriam verteretur.

OPŪLENTĬA, ae, f. et

OPŪLENTĬTAS, atis, f. *εὐπορία*, opum copia, divitiae. *Pl. Mil.* 4, 4, 35. Quasi ejus opulentitatem reverearis. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 598. Opulentitate nostra sibi injuriam factam. *Sall. Cat.* 56. Habemus publice egestatem, privatim opulentiam. *Just.* 2, 14. Castra referta regalis opulentiae capta. *Plin.* 2, 93, 95. Metallorum opulentia tam varia, tam dives, tam fecunda, tot saeculis suboriens. ℙ *Opulentia* non divitias modo, sed potentiam simul, quas *opes* dicimus, significat. *Sall. Cat.* 6. Postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta, satis prospera, satisque pollens videbatur, invidia ex opulentia orta est. *Nep. Cim.* 2. *f.* Thasios opulentia fretos suo adventu fregit. *Tac. A.* 4, 55. *f.* Auctam Lydorum opulentiam, missis in Graeciam populis. ℙ In plurali num. *Pl. Bacch.* 3, 4, 22. Antequam illa meis opulentiis ramenta fiat gravior, etc. *Gell.* 20, 5. *med.* Doctrina anteire malim, quam copiis atque opulentiis: *δυνάμεσι.* ℙ Translate. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 21. Mox undare foro victrix opulentia linguae, Tutarique reos.

OPŪLENTO, as, a. 1. *πλουτίζω*, opulentum, copiosum facio. *Hor. Ep.* 1, 16, 1. Ne perconteris, fundus meus, optime Quinti, Arvo pascat herum, an baccis opulentet olivae. *Colum.* 8, 1. Villaticae pastiones mensam pretiosis dapibus opulentant.

OPŪLENTUS. V. OPULENS.

OPŪLESCO, is, n. 3. ditesco. *Furius* ap. *Gell.* 18, 11. Quo magis in patriis possint opulescere campis. *Caesellius Vindex* grammaticus hoc verbum reprehendebat, ut minus Latinum: *Gellius* defendit, et probat.

OPŪLUS, i, f. acer minus, arbor maritandis idonea vitibus. [*Maserle, *Masholder*, Acer campestre, *L.*] *Varr. R. R.* 1, 8. Arbusta, ubi traduces possint fieri vitium, ut Mediolanenses faciunt in arboribus, quas vocant opulos. *Colum.* 5, 6. et *Arbor.* 16. Vitem maxime opulus alit, deinde ulmus, deinde fraxinus. *Id.* 5, 6. Opulus, quia raram, neque idoneam frondem pecori praebet, a plerisque repudiata est; et *ib.* 7. Est et alterum genus arbusti Gallici, quod vocatur rumpotinum. Id desiderat arborem humilem, nec frondosam: cui rei maxime videtur idonea opulus: ea est arbor corno similis.

OPUNCŪLO, onis, m. avis genus, quod opilionis cantus imitatur. *Paul.* ex *Festo* ex lectione *Dacerii.*

ŌPUNTĬUS, a, um, adj. *Ὀπούντιος*, ad Opuntem pertinens. Est enim *Opus*, *untis*, *Ὀπούς*, oppidum Locrorum Epicnemidiorum in Boeotia, propidum Locrorum Epicnemidiorum in Boeotia, propidum mare, ad Euripum. Unde Opuntius sinus, *Plin.* 4, 7, 12. et Opuntia herba, circa Opuntem nascens, *Id.* 21, 17, 64. Philodamus Opuntius, *Cic. Verr.* 2, 2, 44. ℙ *Opuntii*, *orum*, ejus oppidi cives, *Liv.* 28, 6. *extr.*

ŌPUS, eris, n. *ἔργον*, id quod fit operando. Differt ab *opera*, quae est actio, qua fit opus. [*Cf. *Doederl.* 1, 112. sq.] Utrumque *Ter.* complectitur *Heaut.* 1, 1, 21. Quod in opere faciundo operae consumis tuae, *h. e.* in agro colendo. *Cic. Verr.* 2, 4, 24. Instituit officinam Syracusis: eo conducit magnam hominum multitudinem: menses octo continuos opus his non defuit, cum vas nullum fieret, nisi aureum. *Id. Or.* 2, 17. Oratio in causarum contentionibus magnum est quoddam opus, atque haud sciam, an de humanis operibus longe maximum. *Virg. Ecl.* 3, 37. pocula ponam Fagina, coelatum divini opus Alcimedontis. *Id. A.* 6, 128. Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras, Hoc opus, hic labor est, *h. e.* opus arduum, *δύσεργον. Cic. Att.* 9, 11. Utinam aliquod in hac miseria reipublicae *πολιτικὸν* opus efficere, et navare mihi liceat! *Id. Acad.* 1, 1. Habeo opus magnum in manibus. *Id. Marcell.* 4. Nihil est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, et consumat vetustas: *opere factum* est, quod arte fit; *manu*, quod virtute bellica: vel *opere*, quod ingenio maxime; *manu*, quod artificio: vel *aut* ponitur pro *et.* ℙ De quocumque aedificio. *Cic. Verr.* 1, 4. et *Dom.* 20. Aedium sacrarum, publicorumque operum depopulatio; et *Suet. Tib.* 30. Ad patres conscriptos referre de vectigalibus ac monopoliis, de exstruendis reficiendisve operibus. ℙ De militaribus munitionibus. *Nep. Milt.* 7. Urbem operibus clausit, *h. e.* vallo, fossa, aggere, vineis, turribus, etc. *Cic. Phil.* 13, 9. Mutinam operibus munitionibusque sepsit. *Liv.* 35, 22. *extr.* Fusis Vectonibus, operibus Toletum cepit. *Id.* 37, 5. *med.* Non corona, sed operibus oppugnare urbem est adortus. *Vell.* 2, 4. Circumdatam operibus Numantiam, excisamque aequavit solo. *Caes. B. G.* 5, 21. Locus egregie natura, atque opere munitus. ℙ De mellificio, et melle. *Phaedr.* 3, 13. Alveos accipite, et ceris opus infundite. *Varr. R. R.* 3, 16. Foris pascuntur, intus opus faciunt, quod dulcissimum quod est, Diis et hominibus est acceptum. ℙ De opere rustico, seu agricultura. *Ter. Eun.* 2, 1, 14. Opus faciam, ut defatiger usque. Adde *Cic. Sen.* 7., *Ter. Ph.* 2, 1, 20., *Ad.* 4, 1, 2. et *Heaut.* 1, 1, 21. et *Ov. Met.* 11, 34. ℙ Etiam de actu Venereo. *Auct. Priap.* 4. rogatque tentes, Si pictas opus edat ad figuras. *Mart.* 7, 18. Accessi quoties ad opus, mixtisque movemur Inguinibus. *Pl. As.* 5, 2, 23. Ille foris opere faciundo lassus noctu advenit. ℙ Nonnunquam ponitur pro artificio. *Cic. Verr.* 2, 4, 56. Bullas aureas omnes ex his valvis non dubitavit auferre: quarum iste non opere delectabatur, sed pondere; et *ib.* 14. Hydria Boeti manu facta praeclaro opere, et grandi pondere; et *ib.* 21. Haec autem omnia antiquo opere, et summo artificio facta. *Valer. Imp.* in *ep.* ap. *Trebell. Claud.* 14. Argenti in opere annua pondo quinquaginta, *h. e.* argenti facti. ℙ Sumitur interdum pro opera. *Cic. Div.* 2, 27. Ita leves atque inconsiderati sumus, ut si mures corroserint aliquid, quorum est opus hoc unum, monstrum putemus. *Virg. A.* 8, 515. sub te tolerare magistro Militiam, et grave Martis opus, tua cernere facta Assuescat. *Ov. Met.* 12, 112. opusque meae bis sensit Telephus hastae, *h. e.* vulnus, et auxilium. [*V. *Doederl.* 1, 113. sq. qui *opus* de eo tantum labore dici posse videri docet, quem animal, servus, miles ex aliorum arbitrio et consilio perficeret: *opera* semper liberae voluntatis et certi esse propositi.] ℙ Ablativus *opere* est magnopere. *Pl. Truc.* 2, 7, 27. Jussit opere orare, ut haec grata haberes tibi. V. MAGNOPERE. ℙ [*Confund. *opus* et *onus.* V. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 95, 1.]

OPUS, indecl. [*significat id, quod fieri debet, conducit, res est, prorsus ut Gr. *ἔργον ἐστί.* Differt a *necesse* est, i. e. evitari non potest: item ab *egeo* et *indigeo*, quibus significantur ea, quorum usu carere nullo modo possumus. *Sen. ep.* 95. *med.* meas non quod opus est, sed quod necesse est. Pertinent huc etiam ista: *Cic. Div.* 2, 4. Sorites, quem si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem appellare: sed nihil opus est. *Id. Fam.* 1, 9. *f.* Legem curiatam consuli ferri opus esse, necesse non esse: in quibus *Noster* utrumque vocabulum idem esse dixerat. In multis tamen hanc distinctionem fere confundi ostendit *Perizon.* ad *Sanct.* p. 796. *n.* 7. *Sen. ep.* 9. Chrysippus ait, sapientem nulla re indigere, et tamen multis illi rebus opus esse: contra stulto nulla re opus est, nulla

enim re scit uti, sed omnibus eget. Quid *oportet* distet et quae sunt reliqua synonyma, v. in h. v. ℙ Simpliciter, ita tamen ut facili negotio ex verborum contextu intelligas, quo pertineat, ponitur in his: *Cic. Fam.* 5, 11. Eamque, si opus esse videbitur, conveniam. *Suet. Aug.* 37. et alterum recognoscendi turmas Equitum, quotiescunque opus esset. ℙ Construitur cum ablativo objecti et dativo subjecti. *Cic. Leg.* 3, 2. Magistratibus opus est. *Liv.* 24, 8. Tum viro et gubernatore opus est. *Nep. Milt.* 4. quam celeri opus esset auxilio. *Cic. Fam.* 9, 25. Auctoritate tua nobis opus est, et consilio et etiam gratia. *Id. Att.* 12, 27. *med.* gratia opus est nobis tua, tuaque auctoritate. *Liv.* 6, 6. nec dictatore unquam opus fore reipublicae. ℙ Cum nominativo objecti: ubi *opus est* non adjective ut *Forc.* docuerat, sed appositionis lege cum vi quadam positum est. *Cat. R. R.* 14. Materiem, et quae opus sunt, dominus praebebit. *Varr. R. R.* 1, 18. Minus multi opus sunt boves. *Nep. Them.* 1. celeriterque, quae opus erant, reperiebant. *Cic. Fam.* 2, 6. *med.* Dux nobis, et auctor opus est. *Id. Inv.* 2, 19. Hujus nobis exempla permulta opus sunt. *Pl. Capt.* 1, 2, 61. Maritumi omnes milites opus sunt tibi. *Varr. R. R.* 3, 14. Cochleis parvus cibus opus est. *Lucr.* 5, 230. Nec crepitacula eis opus sunt. V. *Eichstadt. ind. Lucr.* et *Gloss. Liv.* s. v. Adde *fr. Cic. de Republ.* et *Varr.* ap. *Non.* 9, 5. Plura habet etiam *Ramsh. Gr. Lat.* §. 142. p. 430. ℙ Ita maxime construitur, propter orationis perspicuitatem, in adjectivis et pronominibus neutrius generis. *Cic. Par.* 6, 1. Quantum cuique opus est. *Brut.* 28. Lentulus ad rem publicam duntaxat quod opus esset, satis habuisse eloquentiae dicitur. *Fam.* 16, 5. Xenomenes omnia pollicitus est, quae tibi essent opus. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 17, 2. Nihil sibi divitias opus esse. *Ter. Heaut.* 5, 1, 20. Sponsae vestem, aurum atque ancillas opus esse. *Cic. Or.* 1, 59. Quis neget, opus esse oratori nonnunquam Roscii gestum et venustatem; et *Verr.* 1, 48. Verres multa sibi opus esse aiebat, multa canibus suis, quos circa se haberet. cf. *Non.* 9, 5, 12. Plura et hujus generis exempla habet *Ramsh. l. l.* Cf. *Ruddim.* 2. p. 66. sqq. ℙ Interdum etiam cum genitivo objecti. *Liv.* 22, 51. ad consilium pensandum temporis opus esse; et 23, 31. quanti argenti opus fuit. *Prop.* 2, 8, 16. (3, 1, 11.) Pierides magni nunc erit oris opus. V. *Ruddim.* 2. p. 66. Simili ratione etiam Graeci loquuntur, ut *Aristoph. Plut.* 1159. *Οὐ γὰρ δόλον ἔργον, ἀλλ' ἁπλῶν τρόπων.* ℙ Cum accuss., quae rara est constructio. Laudaverat *Noster Pl. Truc.* 5, 10. Puero opus est cibum. *Id. ib.* 1, 1, 71. Quid isti suppositum puerum opus pessimae. *Cat. R. R.* 15. Opus est calcis modium unum, arenae modios duos. V. *Ruddim.* 2. p. 68. ℙ Sequitur *inf. Cic. Att.* 7, 8. Quid opus est de Dionysio tam valde affirmare? *Fam.* 16, 14. Nunc opus est te animo valere, ut corpore possis: *Ov. Am.* 1, 11, 23. Quid digitos opus est graphio lassare tenendo. *Plin.* 28, 13, 56. Quaecunque molliri opus est. — Interdum omittitur infin. *Cic. Sen.* 1. *extr.* Quid opus est plura? scil. proferre. ℙ Cum conjunctivo et ut particula. *Pl. Truc.* 5, 11. Opus nutrici autem, utrem ut habeat veteris vini largiter, ut dies noctesque potet; et 2, 6, 19. Nunc tibi opus est, aegram ut te assimules. *Id. ib.* 2, 3, 7. mihi prae lassitudine opus est ut lavem. ℙ Cum ablativo participii praeteriti neutr. gen. *Liv.* 8, 13. Maturato opus est. *Sall. Cat.* 1. Prius, quam incipias, consulto, et ubi consulueris, mature facto opus est. *Tac. H.* 1, 62. Nihil in discordiis civilibus festinatione tutius: ubi facto magis, quam consulto opus est. *Cic. Mil.* 19. Erat nihil, cur properato opus esset. ℙ Etiam adjuncto substantivo. *Cic. Att.* 10, 4. Opus fuit Hirtio convento: cf. *Liv.* 39, 11, 5. Adde *Eund.* 34, 61. Hanibal Aristonem quendam Carthaginem cum mandatis mittit; edit nomina eorum, quibus conventis opus esset. *Pl. Ps.* 2, 4, 42. Quinque inventis opus est argenti minis mutuis, quas hodie reddam. ℙ Etiam cum ablativo supini. *Cic. Inv.* 1, 20. Narratio brevis erit, si non longius, quam quod scitu opus est, in narrando procedetur. *Ter. Heaut.* 5, 1, 68. ita dictu opus est; et *Ad.* 4, 7, 22. Si illud quod maxime opus est jactu, non cadit. *Sym. ep.* 3, 50. Si quid praeterea scitu opus est. ℙ Sunt etiam loci, in quibus *opus est*, absque omni necessitatis notione, positum videtur pro expedit, conducit, etc. *Cic. Am.* 24. *f.* Atque haud scio, anne opus sit quidem, nihil unquam omnino deesse amicis. Adde *Off.* 3, 22. Quale fuisset Reguli factum, si aut de captivis, quod sibi opus esse videretur, non, quod rei publicae, censuisset; et *ib.* 11. Se habere consilium rei publicae salutare; sed, id sciri, non opus esse. V. ad utrumque locum *Beier*: coll. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 9, 27. ℙ *Opus habeo*, opus est mihi *Colum.* 9, 1. *med.* Ferae pecudes in vivariis ut graminibus, ita frugibus roburneis opus habent.]

ŌPUSCŬLUM, i, n. *ποιημάτιον*, parvum opus. *Cic. Acad.* 4, 38. Ut etiam inter Deos Myrmecides aliquis minutorum opusculorum fabricator fuisse videatur; et *prooem. Par. f.* Accipies igitur hoc parvum opusculum lucubratum his contractioribus noctibus. *Hor. Ep.* 1, 19, 35. mea cur ingratus opuscula lector Laudet, ametque domi.

OR

ŌRA, ae, f. *ἐσχατιὰ*, extrema cujusque rei pars. Volunt esse ab *ὄρος*, terminus, quamvis obstet quantitas, et aspiratio in priori vocali. [*Recte *Doederl.* 3, 211. improbata hac notatione a Gr. *ὄρος*, vel ut alii volunt, *χώρα* facta, v. *ora* derivat ab *os*, demonstrans utriusque vocabuli cognationem, atque unam eandemque originem.] *Cic. Fin.* 2, 31. Regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas. *Id. N. D.* 2, 40. Aether, extrema ora et determinatio mundi. *Lucr.* 4, 13. prius oras pocula circum Contingunt mellis dulci flavoque liquore. *Virg. G.* 4, 39. de apib.: tenuia cera Spiramenta linunt, fucoque et floribus oras Explent. *Plin.* 37, 10, 66. Ora gemmae. *Cels.* 5, 26. *n.* 23. Oras vulneris sutura jungit. *Fest.* Ora vestimentorum. *Virg. A.* 10, 243. clypei oras ambiit auro; et *ib.* 9, 528. Et mecum ingentes oras evolvite belli. Ubi *Serv.:* non tantum initia, sed etiam extrema bellorum: nam orae sunt extremitates. Est autem Ennianum: Qui potis ingentis oras evolvere belli. ℙ Saepe dicitur de fine terrarum, qua mare alluit. Differt tamen a litore, quia *ora* latius patet: quia est alicubi *ora*, ubi tamen *litus* non est. *Cic. Fam.* 12, 5. A prima ora Graeciae, usque ad Aegyptum. *Id. N. D.* 2, 39. Multitudo et varietas insularum, amoenitates orarum et litorum. *Nep. Alc.* 5. *f.* Multas praeterea Graecas urbes, quae in ora sitae sunt Asiae. *Plin.* 3, 4, 5. Intus regio Allobrogum: at in ora Massilia Graecorum, etc. *Caes. B. G.* 3, 8. Hujus civitatis est longe amplissima auctoritas omnis orae maritimae regionum earum. *Virg. G.* 2, 44. primi lege litoris oram. Sic *Liv.* 21, 51. Decem navibus oram Italiae legens. ℙ Hinc *oram solvere* est a litore funem solvere, et navim in altum immittere. *Liv.* 22, 19. *f.* Vix dum omnes conscenderant, cum alii resolutis oris in ancoras evehuntur. *Id.* 28, 36. *f.* In ipsis quoque trepidatum est navibus, dum, ne hostes cum suis simul irrumperent, trahunt scalas, orasque et ancoras, ne in moliendo mora esset, praecidunt, *h. e.* incidunt funes nauticos, et ancoralia. *Quint.* 4, 2. *med.* Navim prospexi, conscendi, sublatae sunt ancorae, solvimus oram, provecti sumus. *Oram* multi his locis (quibus adde *Quint. ep. ad Tryph.*) funem nauticum intelligunt, quo ad oram litoris navis religatur. Sunt etiam qui putant, *oram* minime mutare significationem, sed esse veluti formulam nautarum, qui dicerent *oram solvere*, pro solvere funem, quae orae navem adnectit, vel pro oram linquere, ab ora abscedere. ℙ Per synecdochen sumitur pro quavis regione, etiam si mari non alluatur. *Cic. N. D.* 2, 66. Omnibus hominibus, qui ubique sunt, quacumque in ora ac parte terrarum. *Hor. Od.* 1, 26, 3. quis sub Arcto Rex gelidae metuatur orae. *Ov. Met.* 9, 254. defunctum terra coelestibus oris Accipiam. *Virg. A.* 3, 97. Hic domus Aeneae cunctis dominabitur oris. *Id. ib.* 10, 706. ignarum Laurens habet ora Mimanta. ℙ Est etiam plaga, cardo, pars coeli. *Plin.* 17, 2, 2. Connexa arbustorum ratio est, quas in oras debeant spectare. Virgilius ad occasus seri damnavit, etc. ℙ Pro zona terrae. *Cic. Tusc.* 1, 28. Globum terrae fixum in medio mundi, duabus oris distantibus habitabilem: quarum altera, quam nos incolimus, sub axe posita, altera Australis ignota nobis, quam vocant Graeci *ἀντίχθονα:* ceteras partes incultas, quod aut frigore rigeant, aut urantur calore. ℙ *Orae Acherontis* sunt Inferi. *Lucr.* 6, 763. hinc animas Acherontis in oras Ducere forte Deos Manes inferne reamur. ℙ *Oras luminis* vocat *Id.* 1, 22. et 170. et 179. et 2, 577. et al., regionem hanc terrarum, ubi luce fruimur et vita. Sic *Virg. A.* 7, 660. Furtivum partu sub luminis edidit oras. Al. leg. *auras*, ut *G.* 2, 47. Sponte sua quae se tollunt in luminis auras. Alicubi ap. *Lucr.* quoque *auras* quidam legendum putarunt: et est etiam qui credat *oras* eum pro *auras* dixisse, ut *plostrum* dicitur pro *plaustrum*, *coda* pro *cauda*, etc. Sed non est necesse ad haec recurrere. ℙ *Oram*, inquit *Fest.*, pro initio rei posuit *Caecilius* (est enim initium altera rei extremitas) cum ait: Oram reperire nullam, quam expediam, queo. Al. leg. *qua me expediam.* ℙ Denique *Ora*, vel *Hora*, *Ὥρα*, Dea est pulchritudinis, et juventutis: et Graeca ipsa vox id sonat. V. HERSILIA. *Ov. Met.* 14, 850. et priscum pariter cum corpore nomen Mutat, Oramque vocat: quae nunc Dea juncta Quirino est. V. HORA. [*Confund. *ora* et *hora*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 416. — *Oris*, *arvis* et *agris*. *Id. ib.* 1, 224.]

[ŌRĀBĬLIS, e, adj. qui orari, vel rogari potest. *Not. Tir.* p. 106. Orabilis, exorabilis, inexorabilis. *F.*]

ŌRĀCŬLUM, i, n. *χρησμὸς, μαντεῖον*, Deorum responsum. *Cic. Top.* 20. Oracula ex eo ipso appellata sunt, quod inest in his Deorum oratio. *Sen. Controv. praef.* 1. *med.* Quid est enim oraculum? nempe voluntas divina hominis ore enunciata. *Cic. Div.* 1, 18. Cujus generis oracula etiam habenda sunt, non ea, quae aequatis sortibus ducuntur, sed illa, quae instinctu divino afflatuque funduntur; et 43. Lacedaemonii de rebus majoribus semper aut Delphis oraculum, aut ab Hammone, aut a Dodona petebant. *Id. Tusc.* 1, 48. *f.* Quod oraculum erat datum, si rex interfectus esset, victrices Athenas fore; et *mox:* Menoeceus, oraculo edito, largitus est patriae suum sanguinem. *Id. Off.* 2, 22. Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla re alia, nisi avaritia, perturam. Al. leg. *oraculo.* [*V. *Beier.* ad h. l. qui *oraculum edidit* servat, quibus verbis nihil aliud significari docet, nisi periphrasin verbi in sequentibus positi *praedixisse.*] *Id. Rosc. Am.* 24. Cum praesertim Deorum immortalium jussis atque oraculis id fecisse dicantur. *Id. Sen.* 21. Socrates, qui est omnium sapientissimus oraculo Apollinis judicatus. *Virg. A.* 2, 114. Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phoebi Mittimus. *Id. G.* 4, 449. Venimus hinc lapsis quaesitum oracula rebus. *Id. A.* 3, 456. Oracula poscere. *Ov. Met.* 3, 8. consulere. ℙ De ipso loco, in quo responsa dantur. *Cic. Div.* 1, 19. Nunquam illud oraculum Delphis tam celebre et tam clarum fuisset, neque tantis donis refertum omnium populorum atque regum, etc. *Plin.* 12, 23, 49. Hammonis oraculum, juxta quod gignitur arbor. Adde *Liv.* 23, 11. ℙ Est et oraculum, cum in somnis parens, vel alia sancta gravisque persona, seu sacerdos, vel etiam Deus, aperte eventurum quid, aut non eventurum, faciendum, vitandumve denunciat. Ita *Macr. Somn. Scip.* 1, 3. Itaque accipitur pro vaticinio universim, sive a Deo, sive ab homine fiat. *Cic. Div.* 1, 50. *extr.* Credo etiam anhelitus quosdam fuisse terrarum, quibus inflatae mentes oracula funderent; et *ib.* 32. Exposui somnii et furoris oracula. ℙ Item pro dicto, et sententia celebri, ac notatu digna. *Id. N. D.* 1, 24. Haec ego nunc physicorum oracula fundo: vera, an falsa, nescio. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 1. Inde illa reliqua oracula: nequam agricolam esse, etc. ℙ *Oraclum* syncope, ut *periclum*. *Ov. Met.* 1, 321. Fatidicamque Themin, quae tunc oracla tenebat.

ŌRĀMENTUM, i, n. oratio, preces. *Pl. Truc.* 2, 2, 62. Illum spero mutari blandimentis, oramentis ceteris meretriciis. Ita leg. *Meursius*, et *Goldast.*, alii *ornamentis.*

*ŌRĀNI, orum, populi Asiae, ultra Maeotin lacum. *Plin.* 6, 7. *B. A.*

ŌRĀRĬUM, ii, n. parvum linteum ori tergendo. *Casaub.* ad *Vopisc. Aurel.* 48. *extr.* docet, fuisse linteum oblongum et latum: cujusmodi vocant Ecclesiastici scriptores, quod sinistro brachio sacerdotis imponitur. *Vopisc. l. c.* Ipsum primum donasse oraria populo R., quibus uteretur populus ad favorem, *h. e.* in plausibus circi et theatri: cum antea togas jactare mos esset. *Lips. elect. l.* 2. *c.* 10. putat, fuisse velum, quo facies et os velaretur, fieretque vox acclamantium resonantior: quod *Casaub.* merito improbat. *August. C. D.* 22, 8. *n.* 7. Tunc sicut potuit, oculum lapsum atque pendentem, loco suo revocatum, ligavit orario. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 86. Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium. Etiam *Lucilium* hac voce usum quidam putarunt illo versu, ap. *Non.* 14, 16. Ricini aurati, ricae, atque oraria, mitrae. Sed *Casaub.* duo tantum priora verba *Lucilii* esse censet, cetera *Nonii* illa explicantis. Usurpat etiam *Hieron. ep.* 52. *n.* 9., et cum sudario conjungit. ℙ De aliis *orarii* usibus sequiori aevo multa ibi *Casaub.*, item *Ducang.* in *Gloss.*

ŌRĀRĬUS, a, um, adj. ab ora, ut Oraria navis, parvae molis, et ad legendas tantum oras litorum apta. *Plin. ep.* 10, 26. Nunc destino partim orariis navibus, partim vehiculis provinciam petere.

ŌRĀTĂ, ae, f. genus piscis appellatur a colore auri, quod rustici *orum* dicebant, ut auriculas, oriculas. Itaque Sergium quendam praedivitem, quod duobus annulis aureis, et grandibus uteretur, Oratam dicunt esse appellatum. *Festus.* At *Varr. R. R.* 3, 3. *f.* et *Colum.* 8, 16. *med.* Sergium illum inde dictum volunt, quod ejus piscis studiosissimus fuerit. V. AURATA.

*ORATELLI, orum, populi Alpini, de quibus *Plin.* 3, 20. *B. A.*

ŌRĀTIM, adv. per oras, ut oppidatim, vicatim. *Solin.* 3. Ut oratim omnes insulas legamus. Al. leg. *ut moratim omnium insularum oras legamus.*

ŌRĀTĬO, onis, f. *λόγος*, locutio, sermo, compositum ex pluribus dictionibus seu vocibus, quo homines animi sui sensa exprimunt: ab *oro*. *Cic. Off.* 1, 4. Natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis, et ad vitae societatem. (Adde *Fam.* 6, 14.) *Ter. Andr.* 1, 5, 16. Oratio haec me miseram exanimavit metu. *Cato* ap. *Plin. praef. H. N. f.* Scio, quae scripta sunt, si proferantur, multos fore qui vitilitigent. Eorum ego orationes sino praeterfluere. *Caes. B. G.* 2, 39. Videtis, ne mili-

tes, captivorum orationem cum perfugis convenire? *Cic. N. D.* 1, 44. Epicurus re tollit, oratione relinquit Deos. *Gell.* 11, 1. In historiis, quas Timaeus oratione Graeca de rebus populi R. composuit. Adde 18, 10. *f. Caes. B. G.* 1, 2. Ingressus in eam orationem, non oportere, etc. ℙ Speciatim dicitur de locutione oratoria. *Cic. Or.* 19. Quamvis omnis locutio oratio est, tamen unius oratoris locutio hoc proprio signata nomine est. *Id. Or.* 3, 43. *extr.* Collocatio verborum junctam orationem efficit, cohaerentem, laevem, aequabiliter fluentem; et *ib.* 25. Oratio gravis, erudita, liberalis, admirabilis, polita, conspersa quasi verborum sententiarumque floribus; et *ib.* 1, 54. diserta et oratoria; et *ib.* 3, 25. concinna, distincta, ornata, festiva; et *ib.* exilis, inculta, vulgaris, obsoleta; et *ib.* 2, 53. varia, copiosa; et *Brut.* 79. splendida et grandis; et *ib.* 24. incitata, gravis, vehemens; et *ib.* 55. incitata et volubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens; et *ib.* 95. cum incitata et vibrans, tum accurata et polita. *Id. Or.* 2, 43. Non semper fortis oratio quaeritur, sed saepe placida, submissa, lenis. *Quint.* 4, 1. *med.* simplex atque illaborata. *Id.* 10, 1. sancta, gravis et castigata; et 8, 3. sublimis, florida, jucunda; et *ib.* hebes, sordida, jejuna, tristis, ingrata, vilis. *Cic. Or.* 20. contorta et acris; et *ib.* tracta et fluens. *Petr. Sat.* 2. Grandis, et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa, nec turgida, sed naturali pulcritudine exsurgit. *Cic. Or.* 3, 48. et *Brut.* 8. Oratio polita, accurata, et facta quodammodo; et *ib.* 79. faceta et perurbana; et *Or.* 5. aspera, tristis, horrida, neque perfecta, neque conclusa; et *ib.* laevis, instructa, terminata. *Auct. ad Her.* 4, 10. *med.* Oratio, quae turget, et inflata est; et 11. Aridum et exsangue genus orationis, quod non alienum est, exile nominari. *Cic. Or.* 1, 14. *extr.* Orationem facere et polire. *Id. Inv.* 2, 15. distinguere et illustrare. *Id. Or.* 3, 43. translatis verbis, tanquam stellis quibusdam, notare et illuminare. *Caes. B. G.* 2, 18. habere adversus rempublicam. *Cic. Tusc.* 5, 33. habere multam de re aliqua. *Id. Planc.* 30. habere in senatu; et *ib.* recitare; et *ib.* de scripto dicere. *Quint.* 2, 17. scribere. *Caes. B. G.* 3, 17. instituere. *Cic. Att.* 15, 1. *med.* Oratio scripta elegantissime. *Petr. Sat.* 2. Levibus atque inanibus sonis ludibria quaedam excidando, effecistis, ut corpus orationis enervaretur et caderet. *Nep. Cat.* 3. Orationes conficere. *Cic. Fin.* 2, 1. *f.* Cum fertur, quasi torrens, oratio, quamvis multa cujusquemodi rapiat, nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coerceas. *Id. Sen.* 10. de Nestore: Ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio. *Id. Fin.* 5, 28. Proclivius currit oratio. ℙ Interdum publici libelli, et litterae, in quibus aliquid ad rempublicam pertinens perscribitur, orationes vocantur. *Suet. Ner.* 15. De quibusdam rebus orationes ad senatum missas, praeterito quaestoris officio, per Coss. plerumque recitabat. *Id. Tit.* 6. Orationesque in senatu recitaret, etiam quaestoris vice. *Tac. A.* 16, 27. Et oratio principis per quaestorem ejus audita est. Patres arguebat, etc. *Suet. Aug.* 65. De filia absens, ac libello per quaestorem recitato, notum senatui fecit. ℙ Pro facultate dicendi, seu eloquentia. *Cic. Brut.* 45. Satis in eo fuit orationis atque ingenii, quo, etc. *Mart.* 5, 28. Pietate fratres Curtios licet vincas, Oratione Regulos, jocis Paulos. ℙ De prosa oratione. *Cic. Or.* 21. Saepissime et in poematis, et in oratione peccatur. ℙ Ap. Ecclesiasticos scriptores est sermo, et precatio, quae ad Deum habetur: nam orare est etiam precari, petere. *Tert., Hieron., August.* multis in locis. Quod ait *Gell.* 13, 22. Comprecationes Deorum immortalium, quae ritu Romano fiunt, expositae sunt in libris sacerdotum populi R., et in plerisque antiquis orationibus: *orationes* intellige habitas in causis, in quibus oratores interdum solent Deos invocare, et ad eos verba dirigere: quod *Cic.* facit *Verr.* 2, 5, 72., *Mil.* 31., *Dom.* 57. etc.

ORĀTĬUNCŪLA, ae, f. *λογάριον*, parva oratio. *Cic. Brut.* 19. *extr.* Indicant oratiunculae, tum historia quaedam Graece scripta dulcissime. *Id. N. D.* 3, 17. Oratiuncula aureola. Adde *Att.* 13, 19. et *ib.* 15, 3.

ORĀTOR, oris, m. *ἀγορητής*, qui dicendi peritus est, et publicas privatasque causas agit: qui potest dicere prudenter, copiose et ornate de omnibus rebus, quaecumque in disceptationem cadunt: ab *oro*, dico. De universa ejus facultate, officio, et laudibus legendi aurei sunt *Ciceronis* libri, et studioso eloquentiae vel memoriter addiscendi. ℙ Differt a rhetore, qui oratoriam artem alios docet: orator autem exercet. *Sidon.* tamen oratorem pro rhetore posuit, *ep.* 5, 5. Pueritiam tuam competenter scholis liberalibus memini imbutam, et saepenumero acriter eloquenterque declamasse coram oratore, etc. Contra rhetorem pro oratore posuisse videtur *Cic. Fin.* 2, 6. et *Or.* 2, 3. V. RHETOR. ℙ Per antonomasiam *orator* est Cicero. *Lactant.* 1, 9. ℙ Etiam legatus *orator* dicitur: vel quia *orare* etiam agere significat, ut *Fest.* docet (V. ORO.), vel ab oratione, ut placet *Varr. L. L.* 6, 13. *med.*, quia verba facit apud eum, ad quem legatur. Unde *Ennius ib.* Oratores doctiloqui. *Id. ib.* Orator sine pace venit, regique refert rem. *Liv.* 1, 15. *med.* Vejentes pacem petitum oratores Romam mittunt. *Id.* 30, 16. Oratores ad pacem petendam mittunt triginta seniorum principes. *Id.* 9, 45. *extr.* Ut Frentani mitterent Romam oratores pacis petendae, amicitiaeque; et 43. *f.* Ad senatum pacis oratores missi. *Cic. Brut.* 14. C. Fabricius ad Pyrrhum de captivis recuperandis missus orator. *Id. Leg.* 2, 9. Foederum, pacis, belli, induciarum oratores feciales, etc. ℙ Neque solum petendi causa aliquid, sed et repetendi *orator* dicitur. *Ov. Met.* 13, 196. Mittor et Iliacas audax orator ad arces, Accusoque Parin, praedamque, Helenamque reposco. Al. leg. *hortator*. *Varr.* ap. *Non.* 12, 43. Feciales legatos res repetitum mittebant quatuor, quos oratores vocabant. ℙ *Orator*, simpliciter, precator, rogator: nam *orare* est precari, petere. *Pl. Poen.* 1, 2, 144. *Mi.* Quid faciam? *Agor.* exora, blandire, expalpa. *Mi.* faciam sedulo. Sed vide sis, ne tu oratorem hunc pugnis pectas postea. *Id. Rud.* 3, 2, 38. cum Epignomus dixisset parasito, petenti admitti ad coenam *v.* 38., non aequum esse eum inter oratores Ambracienses accipi; respondet parasitus *v.* 39. Equidem hercle orator sum, sed procedit parum, *h. e.* peto quidem coenam, sed parum proficio.

ORĀTORĬĒ, adv. *ῥητορος δίκην*, more oratorum. *Cic. Or.* 68. Nihil est enim aliud pulcre, et oratorie dicere, nisi optimis sententiis, verbisque lectissimis dicere.

ORĀTORĬUS, a, um, adj. *ῥητορικὸς*, ad oratorem spectans. *Cic. Or.* 1, 54. Sic illam orationem disertam sibi et oratoriam, fortem et virilem non videri. *Id. Brut.* 75. Ornamenta oratoria. *Id. Acad.* 1, 8. Oratoria vis dicendi. *Quint.* 11, 3. *med.* Oratorius gestus. *Id.* 9, 4. *med.* numerus. ℙ *Oratoria* absolute, h. e. oratoria ars. *Quint.* 2, 14. ℙ *Oratorium*, absolute, locus fundendis ad Deum precibus destinatus. *August. ep.* 109. In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est: unde et nomen accepit.

ORĀTRIX, icis, f. mulier quae orat. *Pl. Mil.* 4, 2, 80. Me oratricem haud sprevisti. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 8. Ex Sabinis virgines raptae postea fuerant oratrices pacis et foederis. *Id. ib.* 7. easdem Sabinas *orantes* dixerat. *F.*] ℙ Alio sensu *Quint.* 2, 14. Rhetoricen in Latinum transferentes, tum oratoriam, tum oratricem nominaverunt.

*ORĀTŪRAE, arum, Indiae populi. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

ORĀTUS, a, um, part. ab *oro: Hor. Ep.* 1, 13, 18. prece multa oratus. *Id. Sat.* 2, 3, 176. per Divos. *Vell.* 2, 70. a medico. *Pl. Mil. a.* 5. *v.* 12. Oratus sum ad te venire huc. *Macr. Sat.* 5, 2. Oratus sis, inquit, Eustathi, ut haec quoque communicata nobiscum velis. ℙ *Orata*, *orum*, postulata, preces. *Ter. Hec.* 3, 3, 25. Cum orata ejus reminiscor. *Id. ib.* 4, 1, 60. Vereor, ne orata nostra nequeat diutius celare.

ORĀTUS, us, m. precatio, rogatio. In sexto casu. *Cic. Fl.* 37. An etiam scripsit oratu tuo? *Coripp. Laud. Just.* 2, 4. Ipse etiam procerum magnis oratibus actus.

*ORAXUS vel Oraxes, i, fluvius quidam, de quo sic *Plin.* 18, 11. In eodem (*metallo*, i. e. in creta) reperitur et sulphur: emicantque fontes Oraxi oculorum claritati et vulnerum medicinae dentiumque firmitati. *Plin.* 18, 11. *B. A.*

ORBĀTĬO, onis, f. *στέρησις*, privatio. *Sen. ep.* 87. *f.* Paupertas non per positionem, sed per detractionem dicitur, vel, ut antiqui dixerunt, per orbationem: Graeci dicunt *κατὰ στέρησιν*.

ORBĀTOR, oris, m. qui privat. *Ov. Met.* 13, 500. Exitium Trojae, nostrique orbator Achilles, *h. e.* qui nos filiis privavit.

ORBĀTUS, a, um, part. ab *orbo:* privatus, *στερηθείς*. *Cic. Cluent.* 15. *f.* Mater orbata filio. *Id. Fam.* 6, 6. Omni spe salutis orbatus; et *ib.* 4, 9. *f.* Patria multis claris viris orbata. *Id. Tusc.* 1, 6. Pompejus tanta gloria, dignitate tanta orbatus. *Id. Brut.* 2. Forum voce erudita spoliatum atque orbatum. *Sen. Octav.* 109. Orbata fratre. *Suet. Vesp.* 7. Luminibus orbatus.

[ORBĔFĂCĬO, is, a. 3. orbum, seu orphanum facio. *Gloss. Philox.* Orbefacio, *ὀρφανίζω*. *F.*]

*ORBĒLOS vel Orbelus, i, *Ὄρβηλος*, mons Macedoniae. *Plin.* 4, 10. ℙ *Mela* 2, 2. *med.* in Thracia ponit. *B. A.*

[ORBĬCŪLĀRIS, e, adj. qui in orbem ducitur. Ita appellabant Itali antiqui, teste *Appul. Herb.* 17., herbam, quae Graece eodem sensu *κυκλάμινος*, et Latine cyclaminos et cyclaminis dicitur. *Marc. Empir.* 4. Aqua, vel succo herbae cyclaminis, quae orbicularis dicitur, caput lavato. *F.*]

ORBĬCŪLĀTIM, adv. *κυκληδὸν*, per orbes et circulos, quasi circulatim. *Plin.* 11, 37, 67. Sed quibus cervix e multis, vertebratisque orbiculatim ossibus flexilis, etc.

ORBĬCŪLĀTUS, a, um, part. ab *orbiculor: κυκλικὸς*, in orbem et circuitum conformatus. *Plin.* 27, 13, 109. Caulium capita orbiculata. *Id.* 24, 15, 85. Orbiculatus foliorum ambitus. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 15. Quid est? nunc tibi nostri milites, qui durissimis et frigidissimis locis deterrima hieme bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis pasti videntur? *h. e.* delicate et laute nutriti. Nam mala orbiculata, quae, ut *Plin.* docet 15, 14, 15., dicta sunt a figura orbis in rotunditatem circumacti, inter laudatiora recensentur a *Varr. R. R.* 1, 59., *Colum.* 5, 10. *f.*, *Plin. l. c.* et *Macr. Sat.* 2, 15. Ea sine cura toto anno servari posse, scribit *Pall.* 3, 25. *med.* Inter ea, quae stomacho idonea sunt, *Cels.* enumerat 2, 24. *Plin.* vero *ib.* in Epiro primum provenisse, argumento ait esse Graecos, qui Epirotica vocant. Etiam pira orbiculata memorat *Macr. l. c.*

[ORBĬCŪLOR, aris, dep. 1. in orbem ago. *Gloss. Philox.* Orbiculatur, *κυκλεύω*. *F.*]

ORBĬCŪLUS, i, m. *σφαιρίδιον*, parvus orbis, circulus, rotula. *Cato R. R.* 3. Trochleas Graecanicas binas, quae funibus sparteis ducantur. Orbiculis superioribus octonis, inferioribus senis citius duces. Sic *Vitr.* 10, 5. Hoc genus machinae polyspaston appellatur, quod multis orbiculorum circuitionibus et facilitatem summam praestat, et celeritatem. *Colum.* 4, 30. *med.* Orbiculus dipondiarius. *Plin.* 25, 13, 94. Radix concisa in orbiculos servatur in vino. *Varr. R. R.* 4, 52. Tragulum ex assibus dentatis cum orbiculis, quod vocant plostellum Poenicum.

ORBĬCUS, a, um, adj. *περίδρομος*, in orbem actus. *Varr.* ap. *Non.* 2, 614. Sidera coeli, circum terram atque axem quae volvuntur motu orbico. Adde *Arnob.* 2, 83.

ORBĬFĬCO, as, a. 1. orbum facio, privo. *Accius* ap. *Non.* 2, 852. Pernici orbificor liberorum leto, et tabificabili.

ORBĪLĔ, is, n. volunt esse externam rotae partem, quae radiis sustinetur in illo *Varr. R. R.* 3, 5. *f.* Ita ut ad extremum, ubi orbile solet esse acutum, tabula cavata sit, ut tympanum. [*Schneiderus* legend. putat: *ubi orbis solet esse ligneus. F.*]

[ORBĪLĬUS, ii, m. fuit hoc nomine grammaticus Beneventanus, Pupilli cognomine, fortasse ex morte parentum, qui, ut narrat *Suet. Gramm.* 9., una atque eadem die inimicorum dolo interempti sunt. Hic Romae tempore Ciceronis grammaticen docuit, et cum esset in discipulos acer, ideo *plagosus* ab *Hor. Ep.* 2, 1, 71. appellatur. Vixit prope ad centesimum aetatis annum, amissa jampridem memoria, relicto ex se filio Orbilio et ipso grammatico. V. *Suet. l. c.* et *De-Vita Antiq. Benev.* p. 205. et sqq. *F.*]

ORBIS, is, m. *κύκλος*, *σφαῖρα*, circulus, sphaera, globus. Volunt esse ab antiquo *urvus*, reflexus, sursum inflexus. *Cic. Univ.* 7. *f.* Hanc omnem conjunctionem in orbem torsit. *Juven.* 6, 495. pectitque comas, et volvit in orbem. *Ov. Met.* 2, 715. Curvare aliquid in orbem; et *ib.* 12, 468. certumque equitavit in orbem. *Id. Amor.* 15, 6. de annulo: Et digitum justo commodus orbe teras; et *Ib.* 178. Quique agitur rapidae victus ab orbe rotae. *Prop.* 4, 6, 6. Terque focum circa laneus orbis eat, *h. e.* lanea vitta. Sic *Virg. Ecl.* 8, 64. molli cinge haec altaria vitta. ℙ Proprie differt a globo: *orbis* enim de plano corpore circulari dicitur, *globus* de solido rotundo. *Cic. N. D.* 2, 18. Cum duae formae praestantes sint, ex solidis globus (sic enim *σφαῖραν* interpretari placet) ex planis autem circulus, aut orbis, qui *κύκλος* Graece dicitur. *Id. Somn. Scip.* 4. Novem orbibus, vel potius globis connexa sunt omnia. ℙ Hoc tamen discrimen non semper servatur. Dicitur enim orbis de re quacumque rotunda. *Sen. ep.* 86. Nisi parietes magnis et pretiosis orbibus refulserunt, *h. e.* marmoribus in rotundum sectis. Sic *Juven.* 11, 173. Qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem. V. PYTTISMA. ℙ Itaque usurpatur de mundo. *Ov. Fast.* 1, 85. Juppiter arce sua totum cum spectet in orbem. Apud *Sil.* 5, 56. *orbis renatus* est dies oriente sole rediens. ℙ De terra. *Ov. Fast.* 5, 93. Hic, ubi nunc Roma est orbis caput, arbor et herbae, etc. Hinc *orbis terrarum* est terrae globus: et metonymice ipsi homines. *Cic. Verr.* 2, 4, 48. Ceres dicitur orbem omnium peragrasse terrarum. *Id. Agr.* 2, 13. Permittitur infinita potestas orbis terrarum, gentiumque omnium; et 28. Ager Campanus orbis terrae pulcherrimus. *Id. Fam.* 5, 7. *f.* Scito, ea, quae nos pro salute patriae gessimus, orbis terrae judicio ac testimonio comprobari. *Tibull.* 3, 3, 30. Nec, quas terrarum sustinet orbis, opes. *Ov. A. Am.* 1, 174. atque ingens orbis in urbe fuit. ℙ [**Orbem terrarum* Romani dicebant suum imperium. V. *Jacob. Perizonium in dissert. de Augustea orbis terrar.* descriptione §. 6. et *Cort.* ad *Cic. Fam.* 2, 16, 3. et *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 6, 17. p. 363. et 6, 25. p. 411. et 7, 15. p. 482.] ℙ De parte terrae, seu regione. *Plin.* 12, 12, 26. In nostro orbe proxime laudatur Syriacum, mox Gallicum. *Juven.* 2, 108. Quod nec in Assyrio pharetrata Semiramis orbe Fecit. *Ov. Fast.* 3, 466. Eoo dives ab orbe redit. ℙ De disco. *Ov. Ib.* 590. Quo puer Oebalides, ictus ab orbe cadas. Adde *Stat. Th.*

6, 656. ℙ De lancibus librae. *Tibull.* 4, 1, 43. inaequatum si quando onus urget utrinque, Instabilis natat alterno depressior orbe. ℙ De disco, seu corpore solis et lunae. *Virg. G.* 1, 458. At si, cum referetque diem, condetque relatum, Lucidus orbis erit, frustra terrebere nimbis. *Ov. Met.* 7, 530. quater junctis implevit cornibus orbem Luna, quater plenum tenuata retexuit orbem. *Id. ib.* 179. ut cornua tota coirent, Efficerentque orbem. ℙ De operculo rotundo, ut videtur. *Cato R. R.* 10. *med.* Abacum unum, orbes aheneos duos. Adde *ib.* 135. ℙ De mensa rotunda. *Mart.* 2, 43. Tu Libycos Indis suspendis dentibus orbes: Fulcitur testa fagina mensa mihi. Adde 9, 60. Orbem mensae dixit *Ov. Her.* 17, 87. ℙ De speculo. *Mart.* 9, 18. Addidit et nitidum sacratis crinibus orbem, Quo felix facies judice tota fuit. ℙ De scuto. *Petr. Sat.* 89. Gladios retractant, commovent orbes manu. *Val. Fl.* 6, 345. ingentem Telamon procul extulit orbem, Exanimem te, Canthe, tegens. *Stat. Th.* 4, 130. latus omne sub armis Ferrea scuta terunt: humeros ac pectora late Flammeus orbis habet. Adde *Achill.* 2, 177., *Virg. A.* 10, 783. et *Sil.* 4, 328. ℙ De mola, quae in trapeto vertitur ad exprimendum oleum. *Cato R. R.* 22. et 135. ℙ De tabula rotunda lignea, quae oleas prelo premendas sustinet. *Id. ib.* 18. ℙ De circulo rotae, quem radii sustinent: et de ipsa rota. *Virg. G.* 3, 361. Undaque jam tergo ferratos sustinet orbes. *Plin.* 8, 16, 19. Rotarum orbes circumacti. ℙ De cavis oculorum foraminibus. *Ov. Met.* 14, 200. de Polyphemo: Crudelesque manus, et inanem luminis orbem. *Stat. Th.* 1, 53. de Oedipo caeco: Tum vacuos orbes, crudum ac miserabile vitae Supplicium, ostentat coelo. ℙ De ipsis oculis. *Ov. Amor.* 1, 18, 16. gemino lumen ab orbe venit. *Val. Fl.* 4, 235. Sanguineosque rotat furiis ardentibus orbes. *Id.* 6, 246. laevum per luminis orbem Transigitur. *Virg. A.* 12, 670. Ardentes oculorum orbes ad moenia torsit. ℙ De spiris anguium. *Id. ib.* 2, 204. immensis orbibus angues Incumbunt pelago. Adde *Stat. Th.* 5, 514. ℙ *Orbis ablaqueationis* est fossura in orbem facta circa imos arborum truncos. *Colum.* 4, 4. Dum exaltare fortius orbem ablaqueationis fossor studet, obliquam vitem plerumque sauciat. *Id.* dixit 5, 9. *f.* altis gyris ablaqueare. ℙ In illo *Statii Silv.* 1, 6, 86. Descendit media nitens arena Densas flammeus orbis inter umbras, Vincens Gnosiacae facem coronae: *orbis* videtur esse lychnuchus ingens, plures habens faces in orbem dispositas. ℙ Saepe *orbes* dicuntur coelestes circuli, quibus infixa astra assiduo volvuntur. *Cic. Somn. Scip.* 3 *f.* Splendidissimo candore inter flammas circus elucens, quem vos, ut a Grajis accepistis, orbem lacteum nuncupatis. *Lucan.* 1, 77. fratri contraria Phoebe Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem Indignata, diem poscet sibi. *Cic. N. D.* 2, 20. Mercurii stella anno fere vertente signiferum lustrat orbem. *Plin.* 2, 3, 3. Circumactorum simul tinnitus siderum, suosque volventium orbes. ℙ Item ipsi cursus astrorum circumvolventium se. *Cic. Somn. Scip.* 3. Sidera circulos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili. ℙ Aliarum item rerum, quae in gyrum aguntur. *Val. Fl.* 6, 239. Orbibus hos rapidis, mollique per aequora Castor Anfractu levioris equi deludit anhelos. *Plin.* 10, 34, 52. Columbarum crebris pedum orbibus adulatio. ℙ De re convoluta. *Ov. Met.* 12, 96. telum Torsit in Aeaciden, quod et aes, et proxima rupit Terga novena boum, decimo tamen orbe moratum. ℙ De cursu annuo. *Virg. A.* 1, 273. Triginta magnos volvendis mensibus orbes Imperio explebit; et *ib.* 5, 46. Annuus exactis completur mensibus orbis. ℙ Saepe etiam de ordine aciei in gyrum dispositae. *Caes. B. G.* 5, 33. Ut impedimenta relinquerent, atque in orbem consisterent; et *ib.* 4, 37. Cum illi, orbe facto, se defenderent. *Sil.* 13, 683. Tunc hostis socio desertos milite multum Ditior ipse viris, spisso circumdedit orbe, *h. e.* densa militum corona. *Sall. Jug.* 102. *extr.* Romani orbes facere, atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant. *Liv.* 4, 28. Orbem volventes suos increpans, *h. e.* alio fugae causa inclinantes aciem. [*Sunt qui dicant, utrumque, et *orbem* et *quadratum agmen*, de ordine aciei quatuor lateribus instructo dici, hoc tantum discrimine interposito, quod hic inter se densus, illud non fuerit. Quam vere haec dicta sint, v. in *quadratus.*] ℙ Translate de iis, quae certo spatio recurrunt. *Liv.* 3, 16. Ecce, ut idem in singulos annos orbis volveretur, Hernici nuntiant, Volscos et Aequos refidicere exercitus; et 36. Cum ita priores decemviri servassent, ut unus fasces haberet, et hoc insigne regium in orbem, suam cujusque vicem, per omnes iret. ℙ De periodo in oratione. *Cic. Or.* 3, 51. Cum circuitum, et quasi orbem verborum conficere non possent. *Id. Or.* 71. In Thucydide orbem modo orationis desidero, ornamenta comparent; et 44. Ut forma ipsa concinnitasque verborum conficiat orbem suum. ℙ Etiam illa sunt metaphorica. *Cic. Att.* 2, 9. Minore sonitu, quam putaram, orbis hic in republica est conversus. *Id. Planc.* 38. Stare omnes debemus, tanquam in orbe aliquo reipublicae: qui quoniam versetur, eam deligere partem, ad quam nos illius utilitas salusque converterit. *Quint.* 1, 10. Ut efficiatur orbis ille doctrinae, quam ἐγκυκλοπαιδίαν vocant. *Juven.* 5, 21. Tota salutatrix jam turba peregerit orbem. ℙ Pro rotunditate. *Plin.* 9, 35, 56. Dos omnis unionum in candore, magnitudine, orbe. ℙ In ablat. habet etiam *orbi.* *Cic. fragm.* ap. *Charis.* 1, 112. Orbi terrarum comprehensus. *P. Rutil. ib.* Ex orbi terrarum. *Lucr.* 5, 75. terrarum qui in orbi sancta tuetur Fana, lacus, etc. ℙ *Orbs* in recto dictum est a *Venant. carm.* 8, 5. *f.* et *carm.* 9, 2. *f.* non imitando. ℙ *Orbis* est etiam genus piscis, qui durissimus omnium habetur, rotundus, et sine squamis, totusque capite constans. *Plin.* 32, 2, 5. ℙ [*Confund. *orbis* et *urbs.* V. *Tzschuck.* ad *Eutrop.* 7, 15. p. 482.]

ORBĪTĀ, ae, f. vestigium rotae decurrentis. *Cic. Att.* 2, 21. Vix impressam orbitam videre possemus. *Id. Verr.* 2, 3, 3. Qui ex thensarum orbitis praedari sit ausus, *h. e.* exigendo vias, per quas thensae, h. e. sacra vehicula ducebantur. V. *ib.* 2, 1, 59. et *ib.* 2, 5, 72. *med.* ℙ Item pro vestigio vinculi, quo vitis alligatur. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 26. Orbitas vinculi sentiunt vexatione non dubia. ℙ *Sever. Aetn.* 230. Solis scire modum, et quanto minor orbita lunae, *h. e.* cursus in orbem circumactus. ℙ Translate. *Varr.* ap. *Non.* 14, 37. Neque id ab orbita matrum familias instituti, quod, etc. *Juven.* 14, 37. Et monstrata diu veteris trahit orbita culpae, *h. e.* pravum exemplum. ℙ Orbita, inquit *Auson.* in *Verr.* 2, 1, 59., duas res significat: nam orbita et rota ipsa intelligitur, et vestigium in molli solo.

*ORBITĀNA, ae, f. opp. Asiae ulterioris, ultra mare Caspium, in Aria regione. *Ammian.* 23. *extr. B. A.*

*ORBITANĪUM, i, n. Italiae opp., in Samnio. *Liv.* 24, 20. *B. A.*

ORBĪTAS, atis, f. ὀρφανία, privatio liberorum, aut parentum, idest status patrum post amissos liberos, vel filiorum, cum parentes amiserunt. *Cic. Fin.* 5, 28. Bonum liberi, misera orbitas. *Id. Or.* 1, 53. Ac se pop. R. tutorem instituisse dixisset filiorum orbitati. *Pl. Capt.* 3, 5, 105. Quasi in orbitatem liberos produxerim, *h. e.* quasi filios procreaverim, ut iisdem orbus essem. ℙ Item viduitas. *Just.* 2, 4. Horum uxores cum viderent exsilio additam orbitatem, etc. ℙ Translate pro quacumque privatione. *Cic. Fam.* 10, 3. *med.* Maxima orbitate reipubl. virorum talium. *Plin.* 7, 37, 37. Citra deformitatem oris curata orbitas luminis. *Id.* 35, 3, 6. Orbitas tecti. ℙ *Orbitates* in plur. num. usurpat *Arnob.* 5, 188. et *Solin.* 40. *med.*

ORBĪTOSUS, a, um, adj. multis rotarum orbitis impressus. *Virg. Cat.* 8, 17. de Sabino: Et inde tot per orbitosa millia Jugum tulisse, laeva, sive dextera Strigare mulas, sive utrinque coeperat.

ORBĪTŪDO, inis, f. idem ac orbitas, apud veteres. *Accius* ap. *Non.* 2, 599. Miseret lacrimarum, luctuum, orbitudinis. Adde *Turpil.* et *Pacuv. ib.* *Vet. Gloss. ἀτεκνία, orbitudo, orbitas. *B. A.*

ORBO, as, avi, atum, a. 1. ὀρφανίζω, proprie est filios parentibus, vel parentes filiis privare: ab *orbus. Cic. Off.* 1, 10. Theseus filio Hippolyto non esset orbatus. *Ov. Met.* 2, 391. Orbatura patres aliquando fulmina ponat. ℙ Translate sumitur pro privare generatim. *Cic. Pis.* 24. Cum orbabas Italiam juventute. *Id. Acad.* 4, 23. Non ergo is excaecat nos, aut orbat sensibus. *Plin.* 12, 8, 18. Paene equitatu orbavit Alexandrum.

ORBONĀ, ae, f. Dea, quae praeest parentibus liberis orbatis, teste *Plin.* 2, 7, 5. et *Arnob.* 4, 131. et *Tert. ad Nat.* 2, 14. Hinc *Cic. N. D.* 3, 25. Febris fanum in Palatio, et Orbonae ad aedem Larum, et aram Malae Fortunae Exquiliis consecratam videmus.

ORBUS, a, um, adj. qui sine filiis est, ἄτεκνος, vel sine parentibus, ὀρφανός. *Cic. Par.* 5, 2. *f.* Quem nutum locupletis orbi senis non observat? *Quint.* 7, 4. *med.* Liberalitas in paupere gratior, quam in divite: patre, quam orbo. *Cic. Q. Fr.* 1, 3. *f.* Filii mei, te incolumi, orbi non erunt. *Ter. Phorm.* 1, 2, 75. Ut orbae, qui sunt genere proximi, iis nubant. *Ov. Her.* 6, 156. A totidem natis orba sit, aeque viro. [*Negat *Ruhnk.* ad h. l. latine dici posse *orbus ab aliquo*, semperque esse hanc vocem cum solo ablativo construendam. Hinc amplectendam censet *Heinsii* conjecturam ab ipso desertam: Da, (sc. Jupiter) totidem natis orba sit, atque viro. Praepositionem probant *Ruddim.* 2. p. 113. et *Ramsh. Gr. L.* §. 142, 1. *n.* 1.] *Juven.* 6, 269. orba tigride pejor. ℙ Cum gen. *Ov. Met.* 13, 595. Memnonis orba mei venio. ℙ Translate. *Cic. ad Quir.* 5. Posteaquam orba respublica consulis fidem, tanquam legitimi tutoris, imploravit. *Id. Leg.* 3, 3. *f.* Neve plebem orbam tribunis reliquunto. *Id. Fl.* 23. Usque eo orba fuit ab optimatibus illa concio. [*Alii: *fuit optimatum.* V. *Ruhnk.* l. l.] *Ov. Trist.* 1, 7, 35. Orba parente suo quicumque volumina tangis. ℙ Saepe universim sumitur pro carente quacumque re. *Cic. Fam.* 4, 13. *med.* Orbus iis rebus omnibus, quibus et natura me, et voluntas, et consuetudo assuefecerat. *Hor. Od.* 4, 2, 43. Forum orbum litibus. *Ov. Trist.* 3, 2, 11. mare portubus. *Id. Pont.* 3, 2, 52. stat basis orba Dea. *Id. Met.* 1, 72. regio orba animantibus. *Id. Her.* 3, 93. orba fratribus; et *Pont.* 1, 2, 44. solitis nox venit orba malis; et *ib.* 4, 2, 5. Epistola orba numeris; et *ib.* 1, 3, 54. aequora semper Ventorum rabie, solibus orba, tument. *Id. Met.* 13, 195. lintea orba ventis. *Id. Amor.* 2, 2, 42. pectora fide; et *Her.* 21, 142. verba viribus. *Vell.* 1, 5. *extr.* Orbus omnibus sensibus. *Stat. Th.* 1, 74. visu reguisque; et *ib.* 10, 7. Funera orba rogis. ℙ Cum gen. *Pl. Rud.* 2, 3, 19. Orbus auxilii opumque. *Lucr.* 5, 838. Orba pedum. *Ov. Met.* 3, 518. et *ib.* 14, 189. Orbus luminis. Sic *Plin.* 7, 43, 45. Orbam luminibus senectam exigere. *Sil.* 13, 725. Hic fraudes pacis. Pyrrhumque a limine portae Dejecit, visus orbus, *h. e.* Appius Claudius caecus. Sed *visus* potest esse etiam accusat. pluralis. *Id.* 14, 407. Orba gubernacli subeuntem munera Taurum. ℙ *Orbi palmites* dicuntur, qui oculo, seu gemma carent, et nihil pariunt. *Colum.* 4, 27. Nec orbos tantum detrahere palmites, verum etiam frugiferos. ℙ *Orbum cubile*, nuptialis thalamus altero conjuge viduus. *Catull.* 66, 21. Et tu vero orbum luxti deserta cubile. ℙ Etiam absolute *orbus* idem est ac orbus luminibus, caecus: hinc Itali *orbo* nunc dicunt. V. EPILEPTICUS.

ORCA, ae, f. ὄρυξ, ὄρυγος, belluae marinae genus: ita vero appellatur ab accusativo Graecae vocis allatae ὄρυγα, et per syncopen ὄργα, hinc *orca* Latine et Italice. *Festus*: Orca genus marinae belluae maximum dicitur: ad cujus similitudinem vasa quoque ficaria orcae dicuntur: sunt enim teretes, atque uniformi specie. *Plin.* 9, 6, 5. In Gaditano oceano balaenas tradunt condi statis temporibus in quodam sinu placido et capaci, mire gaudentes ibi parere. Hoc scire orcas, infestam his belluam, et cujus imago nulla repraesentatione exprimi possit alia, quam carnis immensae dentibus truculentae. Irrumpunt ergo in secreta, ac vitulos earum, aut fetas, vel etiamnum gravidas lancinant morsu, incursuque, ceu liburnicarum rostris, fodiunt, etc. ℙ Vas fictile salsamentis, ficis, vinis quoque condendis usum habens. Hoc sensu quidam volunt esse ab ὄγχη, vas fictile, Aeolica lingua. *Hor. Sat.* 2, 4, 65. At pingui miscere mero, muriaque decebit Non alia, quam qua Byzantia putruit orca; [*ubi v. *Heindf.*] et *Pers.* 3, 76. Maenaque quod prima nondum defecerit orca. *Colum.* 12, 15. In orcas bene picatas ficum condere. *Plin.* 15, 19, 21. Ubi ficorum copia abundat, implentur orcae in Asia, cadi autem in Ruspina Africae urbe. *Varr. R. R.* 1, 13. *f.* Ubi conditum novum vinum, orcae in Hispania fervore musti ruptae, nec non dolia, in Italia. *Vopisc. Aurel.* 50. Phagon usque eo multum comedit, ut uno die ante mensam ejus aprum integrum, centum panes, vervecem et porcellum comederet, biberet autem infundibulo apposito plus orca. ℙ Habet etiam alios usus. *Plin.* 35, 6, 20. de cerussa: Cerussa in orcis cremata. ℙ Etiam pyrgum talorum *orcam* dici vult *Voss.* in *Etym.* afferens illud *Pers.* 3, 48. quid dexter senio ferret, Scire erat in voto, damnosa canicula quantum Raderet, angustae collo non fallier orcae; et *Pompon.* ap. *Prisc.* 3, 615. Interim dum contemplor orcam, taxillos perdidi. V. *Casaub.* in *Pers.* ℙ De *orca* gemma V. OLCA. ℙ Est etiam cogn. R., ut Q. Valerius Orca, ap. *Cic. Fam.* 13, 4, 5. et 6.

*ORCĀDES, um, sc. insulae, Ὀρκάδες νῆσοι, insulae ad Scotiam in Oceano boreali, hodie *the Orkneys* vel *the Orkney islands.* *Mela* 3, 6. *Plin.* 4, 16. *Solin.* 22. (al. 35.) ℙ Triginta numerat *Mela l. c.* astipulante fere *Ptolemaeo;* quadraginta *Plinius;* tres tantum *Solinus*, si lectio sana. *Solinum* animo intendisse, aut scripsisse etiam *tres et triginta*, suspicatur *Cellarius;* quem numerum *Orosius* 1, 2. approbavit. *B. A.*

[ORCHĀMUS, i, m. Ὄρχαμος, Babyloniae rex, qui Leucothoen filiam suam, ab Apolline vitiatam, humi vivam defodit. *Ov. Met.* 4, 212. *F.*]

ORCHAS, adis, f. V. ORCHIS.

*ORCHĒNI, orum, Ὀρχηνοί, populi Chaldaeae. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

[ORCHESTĀ, ae, m. ὀρχηστής, saltator, pantomimus. *Cassiod. Var.* 4, 51. His sunt additae horcistarum (lege *orchestarum*) loquacissimae manus, linguosi digiti, silentium clamosum, expositio tacita, quam Musa Polyhymnia reperisse narratur. *F.*]

ORCHESTŌPŌLĀRĬUS, ii, m. ὀρχηστόπολος, qui rotando, et circumagendo se saltat: ab ὀρχηστής, saltator, et πολέω, verto. *Firm. Math.* 8, 15. Ephalmator, orchestopolarius, petauristarius. Alii leg. *orciscopalarius*, et urinatorem intelligunt.

ORCHESTRĀ, ae, f. ὀρχήστρα, ab ὀρχέομαι, salto, apud Graecos locus erat in theatro, ubi chorus saltabat. Apud Latinos, eodem theatri loco sita alium usum habuit, nempe destinata fuit senatori-

bus ad spectandum, scilicet ann. U. C. DLVIII., cum, ut ait *Liv.* 34, 54., ludos primum senatus a populo secretus spectavit. *Vitr.* 5, 6. In orchestra senatorum sunt sedibus loca destinata. *Suet. Caes.* 39. Ludis D. Laberius eques R. mimum suum egit, donatusque quingentis sestertiis et annulo aureo, sessum in quatuordecim e scena per orchestram transiit. *Id. Aug.* 35. Senatoribus excusantibus servavit insigne vestis, et spectandi in orchestra, epulandique publice jus. *Id. Caes.* 76. Honores nimios recepit, perpetuum consulatum, statuam inter reges, suggestum in orchestra. *Id. Claud.* 66. Ludos dedicationis Pompejani theatri e tribunali posito in orchestra commisit. ℙ Metonymice est ipse senatus. *Juven.* 3, 177. Aequales habitus illic, similemque videbis Orchestram, et populum.

ORCHIÀ Lex, fuit de coenis, lata a C. Orchio tribuno pleb. de senatus sententia, tertio post anno, quam Cato censor fuerat, quae certum numerum convivarum praescribebat, cavebatque, ut patentibus januis coenaretur, nequa legi fraus fieri posset. Haec fuit prima omnium, quae de sumptibus ad populum latae sunt. *Macr. Sat.* 2, 13.

[ORCHĬON, ii, n. herba eadem ac mercurialis, quae et testiculata: ab ὄρχις, testiculus. *Appul. Herb.* 82. *F.*]

ORCHIS, is et ĭtis, f. ὄρχις, herbae genus. *Plin.* 26, 10, 62. Inter pauca mirabilis est orchis herba, sive serapias, foliis porri, caule palmeo, flore purpureo, gemina radice testiculis simili *(unde et nomen: nam* ὄρχις testiculus *est)*. Quidam folio scillae esse dicunt, laeviore ac minore, caule spinoso. ℙ Alia est, quae et *cynosorchis*. V. ℙ Item genus oleae, escae magis, quam oleo aptae. *Colum.* 5, 8. et *Arbor.* 17. et *Pall.* 3, 18. De his *Virg. G.* 2, 86. Orchites, et radii, et amara pausia baccha. Al. rectius leg. *orchades* ab *orchas*, *adis*, eod. sensu. ℙ Item piscis, de quo sic *Plin.* 32, 2. Durissimum esse piscium constat, qui orchis vocetur, rotundus est, et sine squamis, totusque capite constat. *B. A.*

ORCHĪTĀ, ae, f. et

ORCHĪTIS, is, f. ὀρχῖτις, genus oleae, quae et *orchis* dicitur, a forma nempe, quae testiculos imitatur. *Cato R. R.* 6. Oleam conditivam, radium minorem, orchitem, poseam; et 7. Orchites, ubi nigrae erunt, et siccae, sale confricato, etc. *Varr. R. R.* 1, 60. Oleas esui optime condi scribit Cato, orchites, et pauseas aridas. *Colum.* 12, 47. Albam pauseam, vel orchitam, vel radiolum, etc.: et *post:* Eadem conditura possit etiam regia componi, vel orchita.

ORCHĪUS. V. ORTHIUS.

ORCHOMĒNĬUS, a, um, adj. Ὀρχομένιος, ad Orchomenum pertinens, quod est oppidum, et flumen Boeotiae, cujus meminit *Plin.* 8, 58, 83. et 31, 2, 11. Item oppidum Arcadiae mediterraneae. *Id.* 4, 6, 10. et *Ov. Met.* 5, 607. ℙ Item fluvius Thessaliae, Minyeius antea dictus. *Plin.* 4, 8, 15. Hinc Orchomenius calamus ap. *eund.* 16, 36, 66. genus arundinis perpetuo foramine perviae, tibiisque faciendis utilis. Provenit circa lacum Orchomenium Boeotiae. V. *Plin. ib.* Orchomenium linum, genus lini, quod ex ejus arundinis panicula fit. *Id.* 19, 1, 2. *n.* 3. ℙ *Orchomenii, orum*, ejus oppidi homines in Boeotia. *Just.* 11, 3.

*ORCHOMĒNUS, i, m. Athamantis filius ex Themistone. *Hyg. fab.* 1 et 239. ℙ Orchomenus, oppidum et flumen Boeotiae, etc. V. in *Orchomenius, a, um. B. A.*

ORCĪNĬĀNUS, a, um, adj. ad Orcum pertinens. *Mart.* 10, 5. Vocet beatos, clamitetque felices, Orciniana qui feruntur in sponda. V. SANDAPILA.

ORCĪNUS, a, um, adj. ad Orcum pertinens. *Naev.* ap. *Gell.* 1, 24. Ita, postquam est Orcino traditus thesauro, Obliti sunt Romae loquier Latina lingua, *h. e.* Acheronti, ubi mortis thesauri objacent, ut *Enn.* loquitur ap. *Fest.* in *Ob.* Sunt qui leg. *Orci traditus thesauro:* item qui *Orcio*, et *Orcivo*, eodem sensu quidem, sed minus recte. ℙ *Orcini liberti*, a domino testamento libertate donati, quam solum viderunt, cum is Orco traditus est, et in Orci familia numeratus, ut *Appul. Met.* 3. loquitur. *Ulp. Dig.* 33, 4, 1., *Julian. ib.* 28, 5, 8., *Jabolen. ib.* 33, 8, 22. etc. Item *Justin. Institut.* 2. *tit.* 24. ¦ℙ *Orcini senatores*, Χαρωνῖται, dicti sunt Augusti tempore, qui post Caesaris necem in senatum irrepserant, ejus commentariorum auctoritate jactantes, eum se ab illo gradum obtinuisse. *Suet. Aug.* 35.

*ORCISTUS, i, Galatiae oppidum. *Not. Episc. B. A.*

*ORCOS vel Orcus, i, m. fluvius Thessaliae, in Peneum se exonerans. *Plin.* 4, 8. Adcipit amnem Orcon. Sic ed. *Hard.* ubi olim legebatur *Euroton*, invitis Codd. MSS. *B. A.*

ORCŬLA, ae, f. parva orca, parvum vas. *Cato R. R.* 117. Oleas in orculam calcato manibus siccis. *Cajus*, et *Theodos.* inter *Auct. de limit.* p. 253. *Goes.* Lagenas, et orculas in finibus posuimus.

[ORCŬLĀRIS, e, adj. ad orculam pertinens. *Auct. de limit.* p. 251. *Goes.* Termini lagenares, vel orculares, a lagena, vel orcula, distant a se in ped. IV., etc. *F.*]

ORCUS, i, m. Deus inferorum, idem qui Pluto, et Dis Pater. Volunt esse ab ὅρκος, juramentum, quia sit juramenti Deus, et per Plutonem, et Stygiam Inferorum paludem jurare etiam Diis mos fuerit, et magna religio. *Verrius* autem ap. *Fest.* olim dictum esse ait *Uragum*, vel *Urgum*, postea *Orcum* per syncopen: *Uragum* vero, quod is Deus maxime urgeat. In *Gloss. Philox.* Orcus. Χάρων. [**Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 208., ubi v., originem h. v. vidit in Gr. ὄρχος: aut qua speluncam significet: *Höhle*, *Hölle:* aut qua septum, sepimentum, (ὀρχμή.)] *Pl. Most.* 2, 2, 68. Nam me Acheruntem recipere Orcus noluit: (hoc loco, ut et *Poen.* 1, 2, 131. videtur Orcum pro Charonte accipere.) *Cic. Verr.* 2, 4, 50. Ut Verres, alter Orcus, venisse Ennam, et non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur. *Petr. Sat.* 34. Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus. ℙ Quod *pallidum Orcum* dixit *Virg. G.* 1, 277., et metonymia est, quia pallidos facit; et ita dictus etiam videtur, quia cum sit jurisjurandi Deus, solent jurantes trepidatione pallescere. *Serv.* ex *Celso.* ℙ Metonymice est ipsa mors. *Hor. Ep.* 2, 2, 178. si metit Orcus Grandia cum parvis, non exorabilis auro. *Lucr.* 5, 993. tremulas super ulcera tetra tenentes Palmas, horriferis accibant vocibus Orcum. ℙ Item ipse Inferorum locus: Ἅιδης. *Virg. A.* 6, 273. Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci. *Prop.* 3, 17, 27. Minos sedet arbiter Orci. ℙ Mittere, demittere, mactare aliquem Orco, sunt *Hor. Od.* 3, 4, 75., *Virg. A.* 2, 398., *Liv.* 9, 40. ℙ *Orcum morari* ap. *Hor. Od.* 3, 27, 50. est mortem differre ultra quam par est. ℙ *Cum Orco rationem habere* ap. *Varr. R. R.* 1, 4. est periculo mortis sese exponere, quod faciunt agricolae, qui pestilentem agrum colunt. Verba *Varronis* sunt: Etenim ubi ratio cum Orco habetur, ibi non modo fructus est incertus, sed etiam colentium vita. *Colum.* in eandem sententiam ita loquitur 1, 3. Nam ubi sit cum Orco ratio ponenda, ibi non modo perceptionem fructuum, sed et vitam colonorum esse dubiam, vel potius mortem quaestu certiorem. Itaque *rationem cum Orco ponere*, aut *habere* est subjici Orci dominio, et quasi debitorem se ei facere: qui scilicet crebris mortibus incolas ad calculos quodammodo vocet. ℙ Veteres *Orchus* scripsere, atque ita reperisse se, testantur in MSS. Virgilii *Pierius*, Terentii *Georg. Fabricius*, et probat *Valer. Prob.* p. 1455 et 1465. Contra improbant *Servius*, et *Pontanus*, (V. *Brouchus.* ad *Tibull.* 3, 3. *f.*) et usus frequentior. ℙ *Orcus, fluvius Thessaliae. V. *Orcos. B. A.*

ORCYNUS, i, m. ὄρκυνος, piscis marinus, pelamidum generis maximus, similis tritoni, vetustate melior. *Plin.* 32, 11, 53., ubi *Hard.* adscribit, a Narbonensibus dici *ton*, ¦ab *Athenaeo θύννον μέγαν*, ab *Oppiano θύννον μεγακήτεα.* [Videtur igitur esse, qui Italice *tonno* dicitur. *F.*]

*ORDABAE, arum, populi Indiae, ad Indum flumen. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*ORDESUS vel Ordessus, i, Ὄρδησος vel Ὄρδησσος, portus Sarmatiae Europaeae, in tractu Borysthenio. *Plin.* 4, 12. Sinus Sangarius, Ordesus portus. *B. A.*

ORDĬA. V. PRIMORDIA.

ORDĬNĀLIS, e, adj. ordinem significans, ut Ordinale nomen, v. gr. *primus, secundus, tertius* apud grammaticos. *Prisc.* 2, 581.

ORDĬNĀRĬĒ, adv. ordinate, ordine. *Tert. Resurr. carn.* 2. Haeretici ex conscientia infirmitatis nunquam ordinarie tractant.

ORDĬNĀRĬUS, a, um, adj. τακτὸς, ordine dispositus, ordinatus. *Colum.* 3, 13. Consitis compluribus inter ordinaria semina malleolis; et 16. Malleolus ordinariis vitibus interserendus est. [*Huc pertinet etiam locus, quem Noster nescio cur in fine posuerat. *V.* 2, 8. Ex rubro saxo quadrato, aut ex testa, aut ex silicibus ordinariis struat bipedales parietes, et cum his ansis ferreis et plumbo frontes vinctae sint. Ita enim non acervatim, sed ordine structum opus poterit esse sine vitio sempiternum. Ubi *ordinarii silices* sunt ita dispositi ordinibus, ut superiores semper inferiorum commissuras obtegant. Ceterum quos locos hic ab initio positos vides, alii in fine collocaverunt.] ℙ Item in quo servatur ordo, et mos, et lex, nihilque disceditur a consuetudine, et veteri instituto. *Liv.* 27, 43. Non id tempus esse reipubl. ratus, quo consiliis ordinariis provinciae suae quisque finibus bellum gereret: audendum ac novandum aliquid improvisum, inopinatum, etc. *Suet. Claud.* 15. Alium interpellatum ab adversario de propria lite, negantemque cognitionis rem, sed ordinarii juris esse, agere causam confestim apud se cogegit. V. COGNITIO. *Ulp. Dig.* 38, 6, 1. Fuit enim ordinarium, ante de judiciis testantium, sic dein de successione ab intestato loqui. *Sen. ep.* 53. *med.* Philosophia non est res subcisiva: ordinaria est, domina est, *h. e.* non est subinde exercenda, et subcisivis horis, sed semper, et perpetuo ordine actionum vitae; et *ep.* 39. Vide, ne plus profectura sit oratio ordinaria, quam haec, quae nunc vulgo breviarium dicitur: olim, cum Latine loquerемur, summarium vocabatur, *h. e.* oratio perpetua, longa, et integre fuseque res persequens, qualis philosophis in usu fuit. [*Hunc locum alii cum eo conjunxerunt, quem Noster infra posuit *Col.* 12, 50. *f.*] ℙ *Ordinarius consul* est, ejusque *consulatus* dicitur, qui initio anni consul factus est: opponitur autem suffecto, qui aliquot post mensibus, vel etiam diebus ordinario successit. V. CONSUL. *Liv.* 41, 18. *extr.* Quando duo ordinarii consules ejus anni, alter morbo, alter ferro periisset, suffectum consulem negabant comitia habere posse. *Suet. Galb.* 6. Mox consulatum per sex menses ordinarium gessit. *Inscr.* ap. *Grut.* 607, 1. III. Non. Novemb. Antio Pollione, et Opimiano Cos.; ordinariis Severo, et Sabiniano Cos. *h. e.* ann. a Chr. n. CLV. *Auson. Grat. act.* 14. Sed consulatus ille cujusmodi? ordinario suffectus, bimestri spatio interpositus, in sexta anni parte consumptus. ℙ *Ordinarii gladiatores*, qui legitimo et consueto modo, loco, tempore, et apparatu inducebantur. *Sen. ep.* 7. Hoc plerique ordinariis paribus, et postulaticiis praeferunt. *Suet. Cal.* 26. *extr.* Gladiatorio munere, remoto ordinario apparatu, rabidis feris vilissimos senio confectos subjiciebat. *Id. Aug.* 45. Spectavit pugiles, non legitimos atque ordinarios modo, sed et catervarios oppidanos. ℙ *Servus ordinarius* est, qui certum aliquod ministerium in familia, et interdum etiam vicarios servos, sua pecunia emptos, sibi subditos habebat, iisque vulgari et omnis generis servitio fungentibus praeerat: ipsumque ejus officium *ordinarium* dicitur. V. NARCISSIANUS. *Sen. ep.* 110. Unicuique nostrum paedagogum dari Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notae, ex eorum numero, quos Ovidius (*Met.* 1, 595.) ait, de plebe Deos. *Id. Ben.* 3, 28. Te isti efferunt ad hortos alicujus, ne ordinarium quidem habentis officium. *Ulp. Dig.* 14, 4, 5. Si vicarius servi mei negotietur, ordinario sciente. *Suet. Galb.* 12. Ordinario dispensatori breviarium rationum offerenti, etc. [*i. e. a domino ipso ad id officium institutus, ordinatus.] ℙ Ordinarium hominem Oppius ait dici solitum scurram et improbum, qui assidue in litibus moraretur, ob eamque causam in ordine staret adeuntium praetorem. At Aelius Stilo, qui minime ordine viveret. Cato in ea oratione, quam scribit de suis virtutibus contra Thermum: Quid mihi fieret, si non ego stipendia in ordine omnia ordinarius meruissem semper? Sunt quidam etiam, qui manipularem eum, qui infimi ordinis sit, appellatum credant ordinarium. Haec *Festus.* Ex verbis *Catonis* colligitur, *ordinarium* dici militem gregarium. *Vopisc. Bonos.* 14. Militavit primum inter ordinarios, deinde inter equites. *Ordinarii* hic videntur esse pedites legionarii. V. *Salmas.* Praeterea *ordinarii* in legione sunt principes, qui primum in acie locum tenent, primique pugnam ineunt ante hastatos, et triarios, ut *Veg. Mil.* 2, 15. docet. At in *Inscr.* ap. *Grut.* 542, 8. *Ordinarius legionis* videtur esse, qui in legione ordinem ducit. ℙ *Ordinarium oleum* dicitur a *Colum.* 12, 50. *f.*, quod ex oleis maturis legitime et ex more exprimitur: cui opponitur *cibarium*, quod ex oleis fit caducis, vel in lutum defluentibus, atque adeo est multo deterius. V. CIBARIUS. **Vet. Schol.* in *Juven.* 10, 171. Quam condidit urbem Semiramis Nini uxor, et coctili latere munivit, quem hodie dicimus ordinarium lapidem. V. notam *D. A. G. Grameri* ad 1. *B. A.*

ORDĬNĀTĒ et

ORDĬNĀTIM, adv. εἰκόσμως, τεταγμένως, ordine, ex ordine, composite. *Caes. B. C.* 2, 10. Musculus ita fastigiatus, atque ordinatim structus. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. Antonius itinera fecit multo majora fugiens, quam ego sequens: ille enim iit passim, ego ordinatim. *Sulpic.* ad *Cic. ib.* 4, 5. Honores ordinatim petere in republica. *Auct. ad Her.* 4, 56. *f.* Distincte et ordinate disponere. [*Reprehendit hoc vocabulum *Ruhnk.* ad *Muretum* T. 1. p. 38. Etiam ¦*Graev.* e. *Ms.* malebat reponi *distincte et ordine. Orell.* vulg. retinet, monens; hisce elegantias obtrudendas non esse.] *Tert. adv. Marc.* 1, 19. Quo plenius, et ordinatius retractentur. *August. Retract.* 1, 24. Ordinatissime subjunxit.

ORDĬNĀTĬO, onis f. διακόσμησις, actus ordinandi, dispositio, distributio, administratio, ordo. *Plin. ep.* 9, 28. Cum certius de vitae nostrae ordinatione aliquid audieris. *Vell.* 2, 124. Primum principalium ejus operum fuit ordinatio comitiorum, quam manu sua scriptam Augustus reliquerat. *Colum.* 4, 29. *med.* Atque haec vitium ¦per fissuram insitarum est ordinatio. *Suet. Aug.* 31. Annum a D. Julio ordinatum, sed postea negligentia conturbatum, rursus ad pristinam rationem redegit: in cujus ordinatione Sextilem mensem e suo cognomine nuncupavit. ℙ In architectura *ordinatio* quid sit, docet his verbis *Vitr.* 1, 2. Architectura constat ex ordinatione, quae Graece τάξις dicitur, et ex dispositione: hanc autem Graeci διάθεσιν vocant, etc. Ordinatio est modica membrorum operis commoditas separatim, universaeque proportionis ad

symmetriam comparatio. *Bald.* in *Lex. Vitr.* sic breviter definit: Ordinatio est totius, et partium, per mediocris moduli sumptionem commoda dispositio. ℙ In re publica est compositio, administratio, gubernatio. *Suet. Ner.* 40. Spoponderunt tamen quidam destituto ei ordinationem orientis. [*Legitur nunc *dominationem.*] *Plin. ep.* 8, 24. Te meminisse oportet, quale quantumque sit ordinare statum liberarum civitatum: nam quid ordinatione civilius? porro quam turpe, si ordinatio eversione, libertas servitute mutetur? ℙ In ordinationibus provinciarum illud erat praecipuum, idoneos creare magistratus, qui ad eas regendas mitterentur: unde *ordinatio* pro creatione magistratuum. Qua ratione in Ecclesia sumitur pro creatione sacrorum ministrorum. *Suet. Dom.* 4. Ecquid sciret, cur sibi visum esset ordinatione proxima Aegypto praecipere Metium Rufum. [*Nostr. *bei nächster Besetzung der Stellen, Anstellung;* cf. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 72, 1.] V. ORDINO. ℙ *Ordinationes* etiam dicuntur constitutiones principum ad ordinandam rem publicam pertinentes. *Nerva Imp.* in quadam epist. ap. *Plin.* 10. *post ep.* 66. Cum rerum omnium ordinatio, quae prioribus temporibus inchoatae consummataeque sunt, observanda sit, tum epistolis etiam Domitiani standum est.

ORDĬNĀTĪVUS, a, um, adj. ordinem significans. *Tert. adv. Herm.* 19. *f.* Principii vocabulum, quod est ἀρχή, non tantum ordinativum, sed et potestativum capit principatum. *Prisc.* 15, 1022. Ordinativa adverbia sunt: deinde, continuo, postea, etc.

ORDĬNĀTOR, oris, m. διαθετής, qui ordinat, et disponit. *Sen. ep.* 109. *med.* Advocatus, et litis ordinator. [*Appul. Dogm. Plat.* 1. [*p. 7. *Elmenh.*] Ceterum ille rerum ordinator *(Deus)* ita reversiones earum *(stellarum)*, ortus, obitus, recessus, moras, progressusque constituit, ut ne modico quidem errori locus esset. *F.*]

ORDĬNĀTRIX, icis, f. quae ordinat. *August. ep.* 56. *med.* Mens ordinatrix, et moderatrix rerum omnium.

ORDĬNĀTUS, a, um, part. ab *ordino:* ταχτὸς, ἔυταχτος, ordine positus, dispositus. *Nep. Iphicr.* 2. Ut cum proelii signum ab imperatore esset datum copiae sine ducis opera sic ordinatae consisterent, ut singuli a peritissimo imperatore dispositi viderentur. *Cic. N. D.* 2, 40. Igneae formae cursus ordinatos definiunt. *Colum.* 4, 17. Ordinata vineta. *Mart.* 3, 58. villa Non otiosis ordinata myrtetis, *h. e.* myrtetis ordine positis ornata. *Colum.* 12, 3. *med.* Valetudinaria bene ordinata, et ornata, et salubria. *Plin.* 7, 60, 60. Horologium diligentius ordinatum. *Liv.* 2, 21. Tanti errores implicant temporum, aliter apud alios ordinatis magistratibus, *h. e.* alio annorum ordine collocatis. *Sen. V. B.* 8. Compositus ordinatusque vir. *Id. ep.* 74. *med.* Non dices vitam justiorem salvis liberis quam amissis, nec ordinatiorem, nec prudentiorem, nec honestiorem. *Appul. de Deo Socrat.* Stellae certo et stato cursu meatus longe ordinatissimos efficiunt.

ORDĬNO, as, avi, atum, a. 1. ordine pono, dispono, compono, digero. [*Gr. διατάττειν, κοσμεῖν, ἁρμόζειν, καθιστάναι.] *Hor. Epod.* 17, 9. Ordinare agmina. *Just.* 11, 9. aciem. *Colum.* 3, 13. vineam paribus intervallis. *Id.* 5, 3. *med.* locum vitibus. *Cic. Inv.* 1, 14. *f.* partes orationis. *Id. ib.* 2, 11. *f.* litem. *Paul. Dig.* 40, 12, 24. causam. *Cajus ib.* 25. judicium. *Sen. Thyest.* 713. Quem prius mactet sibi, Dubitat; secunda deinde quem caede immolet: Nec interest, sed dubitat, et saevum scelus Juvat ordinare. *Liv.* 29, 1. Scipio voluntarios milites ordinavit, centuriavitque, *h. e.* in ordines militares redegit, et distribuit. Sic *Flor.* 3, 19. *f.* Familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat. *Suet. Gr.* 21. Cura ordinandarum bibliothecarum. *Just.* 22, 2. Quasi prius quaedam ordinaturus. ℙ Translate. *Sen. ep.* 10. Nemo est ex imprudentibus, qui sibi relinqui debeat. Tunc mala consilia agitant: tunc cupiditates improbas ordinant, *h. e.* disponunt tanquam in acie milites, ut ordine quodam unam post aliam expleant. Sic *V. B.* 6. Ordinare spes suas, et dum corpus in praesenti sagina jacet, cogitationes ad futura praemittere. ℙ Pro scribere ordine. *Hor. Od.* 2, 1, 10. mox, ubi publicas Res ordinaris, grande munus Cecropio repetes cothurno. Sic apud Graecos συντάττειν: unde σύνταγμα, liber. ℙ Est etiam politicum verbum, et significat regere, administrare, constituere; non mutata gubernandi ratione, sed restituta quae interciderat. *Flor.* 4, 3. Gratulandum tamen in tanta perturbatione est, quod potissimum ad Augustum summa rerum rediit, qui sapientia sua atque solertia perculsum undique et perturbatum ordinavit imperii corpus. *Plin. ep.* 8, 24. Ordinare statum liberarum civitatum. *Suet. Galb.* 7. provinciam intestina dissensione, et barbarorum tumultu inquietam. *Id. Aug.* 17. desideria militum. [*Id. Claud.* 45. donec circa successorem omnia ordinarentur: nostr. *in Ordnung bringen,* et barbara voce, *reguliren.*] *Id. Claud.* 25. Equestrem militiam ita ordinavit, ut post cohortem alam, post alam tribunatum legionis daret. *Flor.* 2, 16. Metello, ordinanti tum maxime Macedoniam, mandata est ultio. ℙ *Ordinare magistratus,* constituere, creare homines regendae rei publicae. *Suet. Caes.* 76. Eadem licentia spreto reipublicae more, magistratus in plures annos ordinavit. *Just.* 30, 2. Agathocles civitatem regebat; tribunatus, praefecturas, et ducatus mulieres ordinabant. ℙ *Ordinare aliquem,* in magistratu collocare, creare, destinare reipubl. administrandae. *Suet. Vesp.* 23. Quendam e caris ministris dispensationem cuidam, quasi fratri, petentem cum distulisset, ipsum candidatum ad se vocavit, exactaque pecunia, quantam is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinavit. [*V. post *Ernest.* ad h. l. *Oudendorp.* et *Wolf.*] *Just.* 17, 1. Filius, quem in successionem regni ordinaverat. ℙ In re privata est disponere, constituere. *Sen. ep.* 9. *med.* Suo arbitrio, res suas ordinare. *Mart. Dig.* 5, 2, 2. et 5. Ordinare testamentum. *Sen. Ben.* 4, 1. Cum in ipso vitae fine constitimus, cum testamentum ordinamus, non beneficia nobis nihil profutura dividimus?

ORDIOR, iris, orsus sum, dep. 4. [*frequent. v. *orior,* proprie est rei principium facere, ut *Fest.* ait, opp. *continuare* s. *pergere.* V. *Doederl.* 3, 156. sq. Exempla *Noster* haec laudaverat:] *Cic. Att.* 4, 1. *f.* Alterius vitae quoddam initium ordimur. *Nep. Them.* 1. Ab initio est ordiendum. *Cic. Leg.* 1, 7. Ab eo nobis causa ordienda est potissimum. *Id. Or.* 1, 21. *f.* Crassus princeps ejus sermonis ordiendi fuit. *Id. Fam.* 5, 12. Dixeras autem mihi, te reliquas res ordiri. Sic *Nep. Alc.* 11. Sed satis de hoc: reliquos ordiamur; et *Prop.* 3, 7, 49. Celsaque Romanis decerpta palatia tauris Ordiar, et caeso moenia firma Remo, *h. e.* canere aggrediar. *Cic. Marcell.* 11. Unde est orsa, in eodem terminetur oratio. *Id. Verr.* 2, 4, 47. De quo si paulo altius ordiri, ac repetere memoriam religionis videbor, ignoscite. *Id. Brut.* 6. Eloquentia, de qua disputare ordimur. *Virg. A.* 6, 125. Cum sic orsa loqui vates. ℙ *Stat. Th.* 1, 80. tu saltem debita vindex Huc ades, et totos in poenam ordire nepotes, *h. e.* incipe punire filios, et prosequere usque ad nepotes omnes. [*Quid differat ab *inchoare* et *incipere* v. ap. *Doederl.* 3, 157. sq. ℙ Hinc usurpatur de opere textorio significatque, ut *Forc.* verbis utamur, tramae fila ita deduco, partior et alterno, ut jugo imponi, et tela, immisso inter eadem fila alternantia subtemine detexi possit: Gr. ὑφαίνω, nostr. *anzeddeln.* Solet quidem, id quod *Noster* fecerat, haec veluti prima hujus vocis significatio ab initio poni: scil. a Gr. ὀρθόω; sed immutavimus ordinem, cum *Doederl.*, qui l. l. recte docet, *ordiri* nativa significatione non magis esse texendi vocabulum, quam nostr. *wirken.*] *Sen. Apocol.* At Lachesis plena orditur manu, et Neroni multo sanuos de suo donat. Ita ex MSS. legit *Lips. ep. quaest.* 2, 24. et alii. *Plin.* 11, 24, 28. Araneus orditur telas. ℙ *Ordibor* pro *ordiar,* ἀρχαϊκῶς. *Accius* ap. *Non.* 1, 183. Non parvam rem ordibor.

ORDĪTUS, a, um, part. ab *ordior* pro *orsus,* inceptus, passive usurpatum. *Sidon. ep.* 2, 9. *med.* Narratiunculas bifariam orditas laetitia peritiaque comitabantur. *Venant. carm.* 2, 10. *f.* Versibus orditum carmen amore trahit. Adde *Diom. praef.* 1.

ORDO, inis, m. τάξις, ἔυταξία, digestio, dispositio unius rei post aliam, suo quamque loco collocando. *Cic. Off.* 1, 40. Ordinem sic definiunt, compositionem rerum aptis et accommodatis locis. *Id. ib.* Vis ordinis et collocationis. *Id. Div.* 1, 55. Fatum appello ordinem seriemque causarum. *Colum.* 12, 2. Nihil est pulcrius in omni ratione vitae, dispositione atque ordine. *Id. ib.* Neque imperator sine ordine ac dispositione quidquam valet explicare. *Cic. Off.* 1, 5. *extr.* Adhibere modum quendam et ordinem rebus. *Id. Har. resp.* 9. *med.* Ordo rerum, ac vicissitudo. Al. leg. *necessitudo. Id. Acad.* 4, 20. *f.* Ut praepostere tecum agam, mox referam me ad ordinem. *Id. Rosc. Com.* 2. Ordinem conservare. *Id. Phil.* 5, 13. eundem tenere. *Id. Brut.* 69. sequi; et 62. perturbare. *Id. Or.* 63. immutare. *Id. Acad.* 4, 37. et *Univ.* 3. Res in ordinem adducere. *Auct. ad Her.* 3, 9. redigere. *Quint.* 10, 5. Puerorum studiis ordinem dare. *Ov. Am.* 1, 11, 10. Nec tibi simplicitas ordine major inest. ℙ *Cogere,* seu *redigere in ordinem* dicitur privatus, qui magistratui resistit, eumque jure suo uti vetat, vel ejus majestatem laedit: quod a militari disciplina petitum videtur, cum is, qui tribunus, vel centurio est, in ordinem gregariorum militum cogitur, seu redigitur; quod quidem contumeliosum habebatur. V. ORDINARIUS. *Plin. ep.* 1, 23. Tribunatum esse potestatem sacrosanctam, et quam in ordinem cogi, ut a nullo, ita ne a se quidem deceat. *Liv.* 3, 51. *extr.* Decemviri querentes, se in ordinem cogi, non ante, quam perlatis legibus, deposituros imperium se ajebant. *Suet. Claud.* 38. Ostiensibus, quia sibi subeunti Tiberim scaphas obviam non miserant, graviter correptis, eaque cum invidia, ut in ordinem se coactum conscriberet, etc. Adde *Liv.* 6, 38. *f.*, 25, 3. *extr.* et 43, 16. Sic *Suet. Vesp.* 15. Helvidio Prisco non ante succensuit, quam altercationibus insolentissimis paene in ordinem redactus. Adde *Sen. Cons. ad Helv.* 13. *med.* ℙ Translate. *Sen. Clem.* 1, 26. *f.* Tyrannus unum occidi jubere, aut alterum, parum imperatorium credit: nisi eodem tempore grex miserorum subjectus stetit, crudelitatem suam in ordinem coactam putat. *Plin. ep.* 2, 6. Gula reprimenda, et quasi in ordinem redigenda est. *Liv.* 3, 35. Appium nimium in ordinem se ipsum cogere, et vulgari cum privatis. *Quint.* 1, 4. Grammatici, auctores alios in ordinem redegerunt, alios omnino exemerunt numero, *h. e.* alios in turba scriptorum posuerunt, alios ne scriptorum quidem nomine dignos putarunt. *Id.* 10, 1. *med.* Apollonius in ordinem a grammaticis datum non venit, quia poetarum judices, neminem sui temporis in numerum redegerunt. Sic etiam *Liv.* 30. ap. *Prisc.* 18, 1173. Tribuni plebis in ordinem redacti, *h. e.* pro contemptissimis habiti sunt. ℙ *Ordine, in ordinem, per ordinem, in ordine, ex ordine,* secundum ordinem. *Cic. Part.* 1. Ordine interrogare. *Ter. Ad.* 3, 2, 53. Hegioni rem enarrato omnem ordine. *Virg. Ecl.* 1, 74. pone ordine vites. *Cic. Rosc. Com.* 2. Tabulae in ordinem confectae. *Quint.* 4, 2. *med.* Sortiti nocte singuli per ordinem cum ferro cubiculum intrarunt. *Virg. Ecl.* 7, 20. Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis. *Cic. Verr.* 2, 4, 64. Ut quisque aetate et honore antecedebat, ita sententiam dixit ex ordine. *Auct. ad Her.* 3, 18. Locis *(memoriae)* ex ordine collocatis; et 17. Ex ordine hos locos habere. ℙ *Ordine* interdum est recte, sapienter, prudenter. *Cic. Quint.* 7. Existima, modo et ratione omnia Romae Naevium fecisse, si hoc recte atque ordine factum videtur. *Id. Verr.* 2, 3, 84. An id recte, ordine, e republica factum esse defendes? ℙ *Ex ordine,* sine intermissione. Item continuo. *Virg. G.* 4, 507. Septem illum totos perhibent ex ordine menses Flevisse. *Cic. Agr.* 1, 2. Vendit Italiae possessiones ex ordine omnes: sane est in eo diligens: nullam enim praetermittit. ℙ *Extra ordinem* est neglecta et posthabita ordinis ratione, praeter consuetudinem, aut leges. *Cic. Dom.* 8. Pompejo plurima, maxima terra marique bella extra ordinem esse commissa. *Id. Prov. cons.* 8. Provinciam alicui extra ordinem decernere. *Paul. Dig.* 48, 1, 8. Durante tamen poena legum, dum extra ordinem crimina probantur, *h. e.* omissis juris solemnitatibus. ℙ Item incidenter. *Quint.* 10, 3. *f.* Debet etiam *(in ceris)* vacare locus, in quo notentur, quae scribentibus solent extra ordinem, id est ex aliis, quam qui sunt in manibus loci, occurrere. ℙ Item eximie, et quasi praeter ceteros. *Cic. Fam.* 6, 5. Ad eam spem, quam extra ordinem de te ipso habemus, accedunt tua praecipua, etc. ℙ *Ordo* nonnunquam est series rerum fluentium, et invicem succedentium. *Cic. Brut.* 4. Explicatis ordinibus temporum, uno in conspectu omnia videre. *Virg. A.* 3, 376. sic fata Deum rex Sortitur, volvitque vices: is vertitur ordo. *Id. ib.* 7, 44. major rerum mihi nascitur ordo. ℙ Item fatum et series causarum divinitus dispositarum. *Pers.* 3, 66. Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum, Quid sumus, et quidnam victuri gignimur, ordo Quis datus. *Manil.* 1, 531. Non casus opus est, magni sed numinis ordo. *Cic. Div.* 1, 55. Fatum appello ordinem seriemque causarum. ℙ Saepe dicitur de dispositione arborum in agris. *Cic. Caecin.* 8. Ejus fundi extremam partem oleae directo ordine definiunt. *Id. Sen.* 17. Proceritates arborum, directos in quincuncem ordines. *Varr. R. R.* 1, 7. Quae arbores in ordinem satae sunt, eas aequabiliter ex omnibus partibus sol ac luna coquunt, *h. e.* in quincuncem satae. *Virg. G.* 2, 276. Sin tumulis acclive solum, collesque supini, Indulge ordinibus, *h. e.* vitium ordines fac laxiores. ℙ Item de statu et conditione hominum in civitate: ut Ordo senatorius, equester, plebejus (triplex divisio celebris apud Romanos), aratorum, mercatorum, publicanorum, etc. *Cic. Cluent.* 37. Fidiculanius cujus erat ordinis? senatorii. *Id. Dom.* 28. Proximus est huic dignitati equester ordo. *Id. Verr.* 2, 2, 6. Si cuiquam generi hominum sive Siculorum, sive nostrorum civium; si cuiquam ordini sive aratorum, sive pecuariorum, sive mercatorum probatus sit. *Suet. Aug.* 41. Liberalitatem omnibus ordinibus per occasiones frequenter exhibuit. *Cic. Fam.* 13, 9. Cum universo ordini publicanorum semper libentissime tribuerim. *Suet. Gr.* 18. L. Crassitius, genere Tarentinus, ordinis libertini. *Cic. Verr.* 2, 1, 48. *f.* Homo ornatissimus loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, copiis. In *Inscr.* ap. *Grut.* legitur etiam Ordo sacerdotum, haruspicum, VIviralium, etc. 320, 12., 304, 7., 302, 2. etc. ℙ *Amplissimus ordo* est senatorius. *Cic. Coel.* 2. Quem absentem in amplissimum ordinem cooptarunt. V. AMPLUS. Sic *Splendidissimus ordo* in *Inscr.* ap. *Grut.* 390, 5. Sic absolute *Ordo Beneventanus* ap. *eund. ib.* l. h. e. senatus, vel decuriones Beneventanorum: et *Ordo Mutinensis* ap. *Tac. H.* 2, 52., quibus adde *Inscr.* ap. *Grut.* 425, 1., item 1094, 3., ubi Ordo populusque Salernitanus. In *vet. Tab.* ap. *Grut.* 443, 6. Peltuini *(in)* Vestinis in curia Aug. ordinem habentibus T. Avidiacco Restituto et Blaesio Natale Aedd. QQ. etc. *h. e.* senatum habentibus.

Sic *Ulp. Dig.* 50, 9, 3. Ut ordo non aliter habeatur, quam duabus partibus *(senatorum)* adhibitis. ℙ Quamquam plebs tertius est ordo populi, saepe tamen *ordo* solet de duobus prioribus usurpari. *Suet. Aug.* 15. Trecentos ex dediticiis electos utriusque ordinis, ad aram hostiarum more maetatos. *Vell.* 2, 100. Aliique minoris nominis utriusque ordinis viri. ℙ In militia primo est ipsa aciei dispositio. *Hirt. B. Alex.* 14. Post hunc ordinem reliquas naves subsidio distribuit. *Caes. B. C.* 2, 26. Auxilia regis nullo ordine, et sine timore iter fecerant. *Sall. Jug.* 102. Sine signis, sine ordinibus, equites pedites permixti; et *ib.* 54. Conturbare ordines; et 55. observare; et *ib.* restituere. ℙ Deinde certa militum manus. *Cic. Phil.* 1, 8. Viri fortissimi atque honestissimi, qui ordines duxerunt. *Caes. B. C.* 1, 13. L. Pupius primipili centurio, qui hunc eundem ordinem in exercitu Pompeji antea duxerat. *Inscr.* ap. *Grut.* 391, 4. Ordinem accepit in legione quinta. *Vet. Tab. aen. Heracleens.* ap. *Mazoch.* p. 423. *n.* 47. Cuive apud exercitum ignominiae causa ordo ademptus est, *h. e.* centurionatus. ℙ Non solum imperatoris, sed etiam tribunorum militum erat assignare cuilibet *ordinem* ducendum, ut colligitur ex *Liv.* 42, 34. *med.* Hic autem *ordo* fere erat militum manus minor centuria, v. gr. manipulus. *Liv. ib.* Tertio anno virtutis causa mihi T. Quintius decumum ordinem hastatum assignavit; et *mox:* Me imperator dignum judicavit, cui primum hastatum prioris centuriae assignaret. ℙ Ipsi centuriones, qui ordinibus praesunt, *ordines* dicuntur. *Caes. B. G.* 6, 6. *f.* Labienus noctu tribunis militum, primisque ordinibus convocatis, quid sui consilii sit, proponit. *Inscr.* ap. *Cotugno, Mem. di Venafro* p. 283. L. Ovinius L. F. Ter. Rufus prim. ordo cohortium praet. Divi Augusti, prim. pil. leg. XIII. gem. ℙ In re navali *ordines remorum* sunt eorum series, una super aliam, utrinque dispositae: porro duplex est series in biremibus, triplex in triremibus, etc. V. DECEMREMIS. *Virg. A.* 5, 119. triplici pubes quam Dardana versu Impellunt, terno consurgunt ordine remi, *h. e.* triplici remigum remorumque ordine; hic enim *versus*, et *ordo* unum idemque significant. *Lucan.* 3, 529. Cornua Romanae classis, validasque triremes, Quasque quater surgens exstructi remigis ordo Commovet, etc. *Plin.* 7, 56, 57. Sex ordinum navem invenit Xenagoras. ℙ In theatris ordines subselliorum, seu graduum distincti erant, et variis populi ordinibus assignati. Primus subselliorum ordo in municipiis et coloniis senatoribus Romanis vacabat, Romae in orchestra senatores sedebant: sui erant etiam plebi, sui militibus, maritis, praetextatis, feminis, etc. V. *Suet. Aug.* 44. Sed post senatores ex vetere instituto quatuordecim graduum ordines equestri ordini assignati fuere. *Cic. Phil.* 2, 18. Sedisti in quatuordecim ordinibus, cum esset lege Roscia decoctoribus certus gradus constitutus. *Suet. Aug.* 14. Cum spectaculo ludorum gregarium militem in quatuordecim ordinibus sedentem excitari per apparitorem jussisset. *Juven.* 14, 323. effice summam Bis septem ordinibus, quam lex dignatur Othonis. Hinc *sedere in quatuordecim* ap. *Suet. Caes.* 39. Sessum in quatuordecim e scena per orchestram transiit. Adde *Aug.* 40. ℙ Ap. grammaticos *ordo* est naturalis, et non artificiosa verborum compositio, et structura. *Festus* in *Pedum:* In eo versu, qui est in Iphigenia Ennii: Procede, gradum proferre pedum nitere: cessas? id ipsum baculum significari cum ait Verrius, mirari satis non possum, cum ordo sit talis, et per eum significatio aperta: gradum proferre pedum nitere: cessas?

*ORDOVICES, um, populi Britanniae. *Tac. A.* 12, 33. et *Agr.* 18. *B. A.* [*V. *Walch.* ad h. l.]

*ORDYMNUS, i, mons in Lesbo insula. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

ORĔAE, arum, f. plur. *χαλινὸς*, frenum, ita dictum, quod *ori* inseritur, ut ait *Fest.*, vel ab *aurea, ae*, q. v. s. l. *Titin.* ap. *Fest.* Etsi tacebit, tamen gaudebit sibi permitti oreas. *Naevius:* Deprandi autem leoni subdas oreas. *Cato ib.* Oreas mihi inde, tibi cape flagellum. *Coelius ib.* Oreas equo detrahere.

ORĔAS, ădis, f. *Ὀρειάς*, Nympha degens in montibus: ab *ὄρος*, mons. *Virg. A.* 2, 502. Qualis in Eurotae ripis, aut per juga Cynthi Exercet Diana choros, quam mille secutae Hinc atque hinc glomerantur Oreades. *Calpurn. Ecl.* 4, 136. Per juga siccato velox pede currit Oreas. *Ov. Met.* 8, 786. montani numinis unam Talibus agrestem compellat Oreada dictis.

*OREGES, mons Asiae, Parthiam, Mediam, etc. percurrens. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

*ORĔI, orum, *ὄρειοι*, *h. e.* montani. *Plin.* 6, 9. Arabes Orei. Sic *Arabes Oreos* habet *Id. ib.* 27. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Aroeos. Id.* 5, 24. Arabiam Oreon *(ὀρείων*, i. e. montanorum) dictam regionem. Sic ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Merorum. B. A.*

[ORENSIS, e, adj. *ὀρεινὸς*, montanus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 614. *n.* 124. A. Cervius A. L. Orensis. *F.*]

ORĔON. V. OREUS.

*ORĔOS vel Oreon, oppidum. V. OREUM. ℙ *Oreos, a, um*, montanus, et *Oreon, i*, herba, V. in OREUS. *B. A.*

ORĔOSĔLĪNON, i, n. *ὀρεοσέλινον*, genus apii. V. HELIOSELINON.

[ORĒSITROPHOS, i, f. *ὀρειοτροφος*, in montibus nutritus: ab *ὄρος*, mons, et *τρέφω*, nutrio. Est nomen canis venatici ap. *Ov. Met.* 3, 233. *F.*]

*ORESTA, ae, f. Thraciae oppidum. *Lamprid. Heliogab.* 7. *B. A.*

*ORESTAE, arum, *Ὀρέσται*, populi Macedoniae. *Liv.* 33, 34. et 42, 38. *Plin.* 4, 10. ℙ In Epiro, nempe in Molosside, ponunt *Steph. Byz.* et *Strabo.* ℙ *Orestes, um*, pro Orestae, habet *Curt.* 4, 13. *B. A.*

ORESTES, ae, et is, m. *Ὀρέστης, ου*, Agamemnonis et Clytemnestrae filius, sic appellatus ob ferinam atque agrestem, et quasi montanam naturam: ab *ὄρος*, mons. Hunc soror Electra, necem ei parari ab Aegistho, qui patrem Agamemnonem interfecerat, et cum matre in adulterio vivebat, metuens, per paedagogum in Phocidem clam ablegavit: quo loco duodecim annos commoratus, cum paedagogo suo Argos rediit, ubi sub specie hospitii intromissus ad Clytemnestram, eandem in ultionem patris occidit. Deinde Pyrrhum quoque Macharei sacerdotis ope in Apollinis templo interfecit, eo quod Hermionen Menelai filiam, sibi prius desponsatam, rapuisset. Propter quae scelera agitatus est furiis, quibus non ante liberari potuit, quam judicium in Areopago expertus sit, ubi cum a sex Diis condemnaretur, a sex absolveretur, tandem a Pallade et absolutus, et a furiis liberatus est. Amicum habuit Pyladem, perpetuum omnium suarum profectionum comitem, periculorumque socium, cum quo tam sancte amicitiam coluit, ut alter pro altero mori non recusaret, cum in Chersonesum Tauricam profectus, ad aram Dianae mactandus esset. Ibi ab Iphigenia sorore agnitus, cum ea profugit, signumque Deae in Italiam asportavit, et juxta Ariciam constituit. *Cic. Amic.* 7. Cum Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur. *Stat. Th.* 12, 511. et a misero matrem submovit Oreste. *Ov. Her.* 8, 9. clamantem nomen Orestae. Al. leg. *Orestis. Id. Amor.* 2, 6, 15. Quod fuit Argolico juvenis Phoceus Orestae. Al. leg. *Oresti. Cic. Tusc.* 4, 29. Cum Orestis fabulam doceret Euripides. *Prisc.* cum aliis ita leg. 6, 705. alii *Orestem. Sall. fragm.* ap. *eund. ib.* Eam seditionem senatus per nuntios Orestis cognitam approbat. *Mart.* 6, 11. Nec melior panis, turdusve dabatur Oresti. *Gell.* 7, 5. Gestare urnam cum Oresti ossibus, (pro *Orestis*, ut *Ulyssi, Achilli.) Ov. Trist.* 1, 5, 22. Fecerunt furiae, tristis Oresta, tuae. Al. leg. *Oreste. Cic. Pis.* 20. Tragico illo Oreste dementior. ℙ *Scenis agitatus* dicitur a *Virg. A.* 4, 471., quia multae de eo a Graecis conscriptae tragoediae fuere. *Juven.* 1, 6. Scriptus et in tergo, nec dum finitus Orestes. ℙ Fuit etiam *Varronis* liber inscriptus *Orestes*, vel *de insania*, teste *Gell.* 13, 4. ℙ Orestis fabulam, praeter Graecos, narrant *Hyg. fab.* 117. 119. 120. 122. 257. et 261., item *Serv.* ad *A.* 3, 331. et ad *ib.* 4, 471. ℙ Ejus cineres Aricia, ubi conditi fuerant, Romam postea translati sunt, et ante templum Saturni compositi: habiti una ex iis rebus, in quibus Romanae reipubl. fatum contineretur, ut in ANCILE dictum est. ℙ [*Orestes* fuit etiam cogn. R. in gente Aurelia, ut L. Aurelius Orestes Cos. anu. U. C. DCLI., aliique a *Cic. Dom.* 13., *Planc.* 21, 2., *Off.* 17., etc. memorati. *F.* ℙ **Orestes, um*, gens Illyridis Graecae, postea Macedoniae, Epiro vicina. *Curt.* 4, 13. Cf. *Orestae.* ℙ Tractus ab hac gente occupatus *Orestis* audit *Liv.* 27, 33. et 31, 40. Adde *Cic. Har. resp.* 16. ℙ *Orestis portus* in Italia inferiore fuit, in Bruttiis. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

ORESTĒUS, a, um, adj. ad Orestem pertinens, *Ὀρεστεῖος*, ut Orestea Diana, cujus simulacrum Orestes juxta Ariciam collocavit, *Ov. Met.* 15, 489. V. v. praec.

[ORESTILLUS, a, um, adj. dimin. Orestis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 623, 8. A. Sempronius Laetus sibi, et Oresti, et Orestillo libertis, etc. Alia ap. *eund.* 689, 13. Julia Orestilla. *F.*]

[ORESTĪNUS, a, um, adj. ad Orestem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 539, 9. L. Valerius Orestinus. *F.*]

[ORESTION, ii, n. herba eadem ac helenium, ac nectarea. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 5. *F.*]

*ORĒTAE, arum, populi Indiae. *Plin.* 2, 73. In Indiae gente Oretarum mons est Maleus. *B. A.*

[ORĒTĀNUS, a, um, adj. ad Oretum pertinens, *Ὤρητον* ap. *Ptol.* 2, 6., Hispaniae Baeticae urbem, nunc *Calatrava. Inscr.* ap. *Grut.* 163, 4. P. Baebius Venustus Oretanus. ℙ *Oretani, orum*, sunt incolae illius urbis et regionis, ap. *Plin.* 3, 3, 4. *F.*]

[ORĒTICUS, a, um, adj. *Ὀρειτικὸς*, ad Oreum pertinens, Euboeae urbem. V. ORITANI. *Plin.* 14, 7, 9. Oreticum vinum. *F.*]

*ORĒTUM, i, n. *Ὤρητον*, opp. Hispaniae Tarraconensis, ad Anam, vel fortasse inter Anam Baetimque flumina, cognominatum Germanorum. Meminit *Ptol.* ℙ Hujus cives *Oretani*, *Ὠρητανοὶ*, *Ὠρειτανοὶ*, dicti a *Plin.* 3, 3. Oretani qui et Germani cognominantur; et *paulo post:* Mentesani, qui et Oretani, *h. e.* Mentesae oppidi incolae, quod in Oretanorum agro fuit. Oretanorum etiam facta est mentio ap. *Liv.* 21, 11. et 35, 7. *B. A.*

*ORĒUM vel Oreon, et Oreus vel Oreos, i, *Ὠρεὸς Steph. Byz.* et *Paus.* Euboeae oppidum, alias Istiaea vel Histiaea, ut creditur. *Liv.* 28, 5. *extr.* et 8. Adde 31, 40 et 46. *Plin.* 4, 12. ℙ Incolae Oritani audiunt *Liv.* 28, 8. ℙ Notandum, in *Liv.* 44, 13. qui *Oreum Boeotiae* meminit, *Euboeae* legendum videri pro *Boeotiae. B. A.*

ORĔUS et Oreos, a, um, adj. *ὄρειος*, montanus, monticola: ab *ὄρος*, mons. *Festus:* Oreos Liber Pater, et Oreades Nymphae appellantur, quod in montibus frequenter apparent. ℙ *Oreon, i*, herba in montibus nascens, refertur a *Plin.* 27, 12, 9. inter specis polygoni, arundini tenerae similis, uno caule, densis geniculis et in se fractis, foliis piceae.

OREXIS, is, f. appetitus, esuritio, *ὄρεξις:* ab *ὀρέγομαι*, appeto. *Juven.* 11, 217. hinc surgit orexis, Hinc stomacho vires. *Id.* 6, 426. sextarius alter Ducitur ante cibum rabidam facturus orexim. *Lampr. Elag.* 29. *extr.* Amabat sibi pretia majora dici earum rerum, quae mensae parabantur, orexin convivio hanc esse asserens.

*ORGANAGAE, arum, populi Indiae. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

ORGĀNĀRĬUS, ii, m. *ὀργανίης*, qui organa tractat, vel fabricatur. *Firm. Math.* 3, 14. Mercurius cum Venere facit organarios, et myropolas. Adde *Ammian.* 28, 1.

ORGĀNĬCUS, a, um, adj. *ὀργανικὸς*, ad organum pertinens. *Vitr.* 10, 1. Quemadmodum telarum organicis administrationibus connexus staminis ad subtegmen, non modo corpora tegendo tueantur, sed etiam ornatus adjiciant honestatem. *Cato* ap. *Non.* 2, 70. Melos alterum in cantibus est bipartitum, unum quod est in assa voce, alterum, quod vocant organicon, *h. e.* quod per organa musica fit. *Firm. Math.* 8, 30. *med.* Nauticos quoque, et quibus organicae machinationis officia credantur. *Lucr.* 3, 132. redde harmoniai Nomen ab organico saltu delatum Heliconis, *h. e.* musicis carminum, et sonorum exercitationibus celebrato. ℙ *Organicus*, qui organa facit, aut tractat. *Lucr.* 5, 335. modo organici melicos peperere sonores; et 2, 412. Et musea mele, per chordas organici quae Mobilibus digitis expergefacta figurant. ℙ *Organicωs*, adv. V. MECHANICΩS.

[ORGĀNŬLUM, i, n. dimin. organi, *ὀργάνιον*. Translate de rostris avium. *Fulg. Myth. praef.* 1. *med.* Me avium quaedam vernilitas, quae fragili quadam dulcedine crispantes sibilos corneis edunt organulis, ad hoc opus adlexerat. *F.*]

ORGĀNUM, i, n. *ὄργανον*, instrumentum, machina ad aliquid faciendum. Vox Graeca inde ducta, quia eo utimur *πρὸς τὸ ἔργον*, quasi *ἔργανον*, quod nempe tractatur, vel subigitur. *Colum.* 3, 13. *f.* Si compositum organum cum in sulcum demissum est, litem domini et conductoris sine injuria diducit. *Id.* 12, 50. *med.* Est et organum erectae tribulae simile, quod tudicula vocatur. *Plin.* 2, 26, 24. Excogitatis organis, per quae stellarum ac siderum loca atque magnitudines signaret. *Id.* 26, 3, 8. Anginas curare in fauces organo demisso. *Id.* 24, 12, 67. Folliculis in pila tusis, succus exprimitur organis. ℙ Dicitur de architectonicis et bellicis. Differt tamen a machina, quod haec pluribus operibus, aut vi majore cogitur effectus habere, ut balistae, et torcularium proela: organum autem unius opere, prudenti tactu perficit, quod propositum est, uti scorpionis, seu anisocyclorum versationes. Ita *Vitr.* 10, 1. *Plin.* 19, 4, 20. Hortos e puteo rota, organisve pneumaticis, vel tollenonum haustu rigandos. ℙ Translate. *Quint.* 1, 2. *f.* Maxima pars eloquentiae constat animo. Hunc affici, hunc concipere imagines rerum necesse est. Is porro, quo generosior celsiorque est, hoc majoribus velut organis commovetur. ℙ Item de instrumentis musicorum. Ea sunt triplicis generis: alia *ἐμπνευστὰ*, quae spiritu inflantur, ut tibiae, fistulae, tubae: alia *ἔγχορδα*, quae nervis intenduntur, ut lyra, cithara: alia *κρουστὰ*, quae manu pulsantur, ut tympana, sistra. *Quint.* 11, 3. Fauces tumentes strangulant vocem, obtusae obscurant, rasae exasperant, convulsae fractis sunt organis similes. *Juven.* 6, 378. Si gaudet cantu, nullius fibula durat Vocem vendentis praetoribus: organa semper In manibus: densi radiant testudine tota Sardonyches, crispo numerantur pectine chordae. ℙ Saepe de hydraulico accipitur. *Suet. Ner.* 41. Reliquam diei partem per organa hydraulica novi et ignoti generis circumduxit. *Id. ib.* 44. In praeparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula portandis scenicis organis. *Lampr. Alex. Sev.* 27. Lyra, tibia, organo cecinit, tuba etiam. *Id. Elag.* 32. Tuba cecinit, pandurizavit, organo modulatus est. V. HYDRAULUS. ℙ *Organum* vero pneumaticum nostris persimile, quibus in templis nunc utimur, describit his verbis *Cass.*

Expos. in Psalm. 150. Organum est quasi turris quaedam diversis fistulis fabricata, quibus flatu follium vox copiosissima destinatur; et, ut eam modulatio decora componat, linguis quibusdam ligneis ab interiori parte construitur, quas disciplinabiliter magistrorum digiti reprimentes grandisonam efficiunt et suavissimam cantilenam. *August. Enarr. in Psalm.* 150. *n.* 7. Organum generale nomen est omnium vasorum musicorum; quamvis jam obtinuerit consuetudo, ut organa proprie dicantur ea, quae inflantur follibus. *Coripp. Johann.* 4, 576. sic disponuntur et arte Organa, plectra, lyrae, digitis pulsanda magistri. Quam movet ille, sonat contactu fistula vento. Non chordae, non aera gemunt; ni sponte regentis Carmina percussis resonent expressa cicutis. V. FOLLIGENA, et *Wernsdorf.* ad *Poet. Lat. min.* T. 2. p. 394. — 413., ubi multa habentur docte et subtiliter disputata de *organis* tum hydraulicis, tum pneumaticis; et *Eckhel. D. N. V.* T. 8. p. 303. ℙ *Organum oris* ap. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 2. est lingua hominis. ℙ Proverbii genus est in illo *Quint.* 11, 3. *med.* Vox velut tractabilis, utique habens omnes in se, qui desiderantur, sonos, intentionesque, et toto, ut ajunt, organo instructa. Ubi *Turneb.* Metaphora ducta est ab organis musicis, quae cum sunt omnibus chordis intensa, aut omnibus fistulis instructa, ut nihil desit, suavem efficiunt concentum. At rectius fortasse ita interpretatur *Gesnerus.* Cui non unus modo, atque alter sonus respondeat, sed quicunque sunt in polychordo, vel hydraulico organo, toni pareant. ℙ De organis musicis hydraulicis, eorumque inventore, *Vitr.* 9, 9. et 10, 13. et *Claud. Cons. Mall. Theod.* 316. sqq. [*Multa addidit *F.*]

*ORGAS vel Orga, ae, fluvius Phrygiae majoris, prope Apameam, in Maeandrum cadens. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

[ORGE, es, f. *ὀργή*, ira, impetus animi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 50. *n.* 286. Julia Aug. L. Orge. *F.*] ℙ *Est etiam fons Galliae Narbonensis. *Plin.* 18, 22. *B. A.*

*ORGENOMESCI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis, in Cantabria. *Plin.* 4, 20. *B. A.*

*ORGESSUM, i, n. castellum Macedoniae. *Liv.* 31, 27. *B. A.*

ORGIA, orum, n. plur. *Ὄργια*, sacra nocturna Liberi Patris, quae tertio quoque anno celebrabantur, unde et trieterica, h. e. triennalia dicta sunt: *ἀπὸ τῆς ὀργῆς* a furore, quem simulabant bacchantes ululatibus, discursu per saltus, thyrsorum agitationibus, aliisque signis ebrietatis aut verae, aut fictae, vel *ἀπὸ τῶν ὄρων*, quia in montibus fiebant: vel ab *εἴργω*, arceo, prohibeo, quod profani ab his arcerentur: vel ab *ἔοργα*, praeterit. v. *ῥέζω*, facio, quod et sacrificare significat. Unde Graecis non sola sacra Bacchi, sed quaelibet alia *ὄργια*, dicuntur, quemadmodum *caeremoniae* apud Latinos, ut *Serv.* ad *A.* 4, 302. et *ib.* 6, 517. docet. Instituta dicuntur ab Orpheo (teste *eod.* ad *A.* 6, 645.) qui postea in ipsis Orgiis a Bacchis discerptus fuit, ut *Ov. Met.* 11. *in.* narrat. *Virg. A.* 4, 301. qualis commotis excita sacris Thyas, ubi audito stimulant trieterica Baccho Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron. *Catull.* 64, 259. Pars obscura cavis celebrabant Orgia cistis, Orgia, quae frustra cupiunt audire profani. *Sen. Herc. Oet.* 594. Nos Cadmeis Orgia ferre Tecum solitae condita cistis, *h. e.* sacram supellectilem, cujus in Orgiis usus erat. Sic in illo *Virg. A.* 6, 517. Illa chorum simulans, evantes Orgia circum Ducebat Phrygias: *Servius* inepte orgia intelligit cantharos maximos, plenos vino, qui in Orgiis adhibebantur. ℙ De aliis sacris. *Stat. Silv.* 6, 6, 3. quae vestra, sorores, Orgia, Pieriae, quas incestavimus aras? *Juven.* 2, 91. Talia secreta coluerunt Orgia taeda Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto. ℙ Translate. *Prop.* 3, 1, 2. Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos Itala per Grajos Orgia ferre choros, *h. e.* more modoque Graecorum amores canere. *Colum.* 10, 217. Ista canat majore Deo, quem Delphica laurus Impulit, et rerum causas, et sacra moventem Orgia naturae, secretaque foedera coeli, *h. e.* arcana, mysteria.

ORGIOPHANTA, ae, m. *Ὀργιοφάντης*, antistes, qui ritus orgiorum alios docet: ab *ὄργια*, et *φαίνω*, ostendo. *Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 175, 1., emendata ap. *Grut.* 66, 9. Libero Patri sacrum T. T. Flavii Eclectianus, et Olympianus filius ejus sacerdotes Orgiophantae. [*Quaedam adjecit *F.*]

*ORGOCTNI, orum, nomen oppidi (fortasse et gentis) in Chersoneso Taurica. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*ORGOMANES, is, fluvius Bactrianae. *Ammian.* 23, 26. *B. A.*

*ORGUS, i, m. fluvius Italiae superioris, in Padum sese exonerans. *Plin.* 3, 16. ed. *Hard.* ubi pro *Orgum* antea legebatur *Morgum. B. A.*

*ORI, orum, *Ὧροι*, gens Gedrosiae. *Plin.* 6, 23. V. ORITAE. *B. A.*

ORIA. V. HORIA.

*ORIAS, adis, f. *ὀρειάς*, *h. e.* montana, montivaga, nomen unius e canibus Actaeonis venaticis. *Hyg. fab.* 181. *B. A.*

ORIBASUS, i, m. *Ὀριβάσος*, nomen canis venatici: ab *ὄρος*, mons, et *βαίνω*, gradior. *Ov. Met.* 3, 210. Pamphagus, et Dorceus, et Oribasus, Arcades omnes.

ORIBATA, ae, m. *ὀρειβάτης*, montes ascendens: ab *ὄρος*, mons, et *βαίνω*, scando. *Firm. Meth.* 8, 17. Erunt funambuli, oribatae, neurobatae, et qui talia pertractent, *h. e.* per praecipitia, et loca pendentia, et in via ambulantes.

ORICHALCUM. V. AURICHALCUM.

ORICILLA. V. AURICILLA.

[ORICINI, orum, m. plur. incolae urbis Orici in Epiro. V. ORICIUS. *Liv.* 26, 25. Expeditionem subitam in Oricinorum, atque Apolloniatium fines fecit. *F.*]

ORICIUS, a, um, adj. ad Oricum pertinens, *Ὠρικός*, quae urbs est Epiri a Colchis condita, teste *Plin.* 3, 23, 26., ad fines Illyrici, in ora maris Adriatici contra Hydruntum extremae Italiae oppidum, nunc *Orso.* Circa eam nascitur terebinthus, arbor nigro ligno, foliis buxi, ut *Serv.* docet ad illud *Virg. A.* 10, 135. quale per artem Inclusum buxo, aut Oricia terebintho Lucet ebur. Adde *Prop.* 3, 5, 63. ℙ De ipsa urbe *Id.* 1, 8, 19. Ut te felici praevecta Ceraunia remo Accipiat placidis Oricos aequoribus. *Lucan.* 3, 187. Tunc qui Dardaniam tenet Oricon. *Dardaniam* vocat, quia Helenus Priami filius cum Andromacha in iis locis regnavit. ℙ Legitur etiam *Orithos*, et *Orithius*, quod *Pierio* minus placet.

*ORICOS vel Oricus, i, f. vel Oricum, i, n. *Ὠρικός Steph. Byz. Ὠρικὸν Ptolem.* Epiri urbs maritima, cum portu. *Mela* 2, 3. *Caes. B. C.* 3, 8. 11. 12. 14. et 18. *Liv.* 24, 40. *Hor. Od.* 3, 7, 5. ℙ Olim insula fuit, teste *Plin.* 2, 89. *B. A.*

ORICULA. V. AURICULA. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Cardinali*, *Iscriz. ined. n.* 305. L. Trebonius Oricula. *F.*]

ORICULARIUS, a, um, adj. *ὠτικός*, ad aures pertinens, auricularius, ut *Oricularius clyster* ap. *Cels.* 5, 28. *n.* 12. et 6, 7. *n.* 3., quo in aures aliquid injicitur. *Oricularium specillum* ap. *eund.* 7, 30. ℙ *Oricularii servi* ap. *Petr. fr. Trag.* 43. *Burm.* videntur fuisse *ὠτακουσταί*, auscultatores emissarii, per quos domini cognoscerent occulta, quae vellent. Ita *Reines.* et *Burm.* V. OTACUSTA.

ORICULO. V. AURICULO.

[ORIDURIUS, a, um, adj. qui duro ore est, proprie de equis usurpatur. *Gloss. Philox.* Oridurius, *ὀκληροστόμος. F.*]

ORIENS, entis, part. ab *orior*: *ἀνατέλλων*, surgens, nascens. *Cic. Somn. Scip.* 6. *f.* Quis in reliquis orientis aut obeuntis solis partibus tuum nomen audiet? *Tibull.* 4, 1, 122. oriente die duce fertilis anni. *Nep. Milt.* 1. *extr.* Ventus a septentrionibus oriens. *Cic. Div.* 2, 42. *f.* Utcumque temperatus sit aer, ita pueros orientes animari atque formari. *Id. Or.* 64. *f.* Paeon est aptissimus orationi vel orienti, vel mediae, putant illi etiam cadenti. *Liv.* 7, 12. Orientem seditionem comprimere. *Id.* 2, 9. Ne orientem morem pellendi reges inultum sineret. *Id.* 29, 31. Orientem ignem opprimere. *Hor. Ep.* 2, 1, 130. Recte facta refert: orientia tempora notis Instruit exemplis. *Id. Od.* 3, 27, 22. Sentire motus orientis austri. *Auct. Pan. ad Maximian. et Constant. in.* Maximiane, velis nolis, semper Auguste, et Constantine oriens imperator, *h. e.* qui nunc imperator fis. *Liv.* 8, 23. Consul oriens nocte, silentio dicit dictatorem, i. e. surgens e lecto. Nam *Vel. Long.* p. 2234. Oriri, inquit, apud antiquos surgere frequenter significabat, ut apparet in eo quod dicitur: *Oriens consul magistrum populi dicat.* Al. tamen ap. *Liv.* leg. *oriente nocte.* ℙ *Oriens*, absolute, ea pars coeli, unde sol oritur, *ἀνατολή*. *Cic. N. D.* 2, 66. Qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt. *Hor. Od.* 1, 12, 55. Sive subjectos orientis orae Seras et Indos. *Ov. A. Am.* 1, 177. Ecce parat Caesar domito, quod defuit, orbi Addere: nunc, oriens ultime, noster eris. ℙ Alius est vernus, seu aequinoctialis, alius hibernus, etc., pro ut in his, vel illis signis positus sol oritur. *Gell.* 2, 22. Qui ventus ab oriente verno, idest aequinoctiali venit, nominatur Eurus. *Colum.* 1, 7. Ut frons villae ad orientem aequinoctialem directa sit; et 6. Coenationes prospectent hibernum orientem. *Plin.* 17, 14, 24. Certum est, ab humeris arborum orientem aestivum spectantibus surculos esse petendos, ℙ Item metonymice ipse sol, qui oriens initium diei affert, et per synecdochen ipse dies. *Ov. Fast.* 1, 653. Septimus hinc oriens cum se demiserit undis, Fulgebit toto jam Lyra nulla polo. *Virg. A.* 5, 739. Et me saevus equis oriens afflavit anhelis.

ORIENTALIS, e, adj. *ἀνατολικός*, ad orientem situs. *Just.* 14, 3. Nunc commilitones suos, nunc patronos appellans, periculorum et operum orientalium socios. *Id.* 36, 3. *extr.* Primi omnium ex orientalibus libertatem receperunt. *Pall.* 3, 17. Surculi ab orientali arboris parte decisi. *Gell.* 2, 22. Orientales venti. ℙ [*Orientales* absolute dicuntur ferae, quae in oriente ad spectacula venationum capiebantur, quales fuerunt leones, tigres, pantherae, etc. *Inscr.* ap. *Mur.* 654, 1. In qua miratus numerosas orientales meridie in utriusque caveis variis missionibus, etc. *F.*]

ORIFICIUM, ii, n. angustus aditus, vel exitus quasi per os. *Macr. Sat.* 7, 4. *med.* Ventris sunt duo orificia, quorum superius recipit devorata, inferius vero intestinis inseritur, et inde via egerendis; et *infra:* Retrimenta inferiori orificio labuntur. *Appul. Met.* 2. Lagena orificio cessim dehiscente patescens; et *ib.* 9. *f.* Orificium cistulae; et *ib.* 11. urnulae.

ORIGA. V. PERORIGA.

ORIGANITES Vinum, origano conditum. *Cato R. R.* 127., ubi in genitivo pro *origanitae* habet *origaniti*, ut *Pericli*, *Themistocli*, Latina ratione. V. ABROTONITES.

ORIGANUM et Origanon, i, n. et Origanus, i, m. *ὀρίγανον*, seu *ὀρίγανον*, et *ὀρίγανος*, seu *ὄριγανος*, herba parvo frutice, folio et ramis serpyllo silvestri similis, sapore cunilae. [*Wohlgemuth, *Dosten.*] *Plin.* 20, 17, 67. Origanum, quod in sapore cunilam aemulatur. *Seren. Sam.* 47, 879. Cumque hoc absumi debebit origanus herba.

*ORIGEVIONES, um, populi Hispaniae Tarraconensis. *Mela* 3, 1. *extr. B. A.*

ORIGINALIS, e, adj. *ὀρχικός*, qui est ex origine. *Appul. Met.* 11. *in.* Ceres frugum parens originalis. *Macr. Sat.* 11, 2. Originales rerum species, quae ideae dictae sunt. *Tert. Apol.* 21. Judaeis erat apud Deum gratia, ubi et insignis justitia, et fides originalium auctorum, *h. e.* qui ab ipsa origine fidem hauserant, aliisque transdiderant. *Id. Anim.* 2. His consiliis tot originalia instrumenta Christi delere Marcion ausus est. *Impp. Constantinus, et Constans Cod. Theod.* 11, 1, 14. Originales coloni: *originarii.* [*Inscr.* ap. *Fabr.* p. 398. *n.* 286. Patronus longe a majoribus originalis. *F.*]

ORIGINALITER, adv. secundum originem, ab origine. *August. Trin.* 3, 9. et *Retract.* 1, 15.

ORIGINARIUS, a, um, adj. ad originem pertinens, originalis. *Originarius colonus*, qui ab ipsa origine conditioni adstrictus est terrae colendae. *Impp. Valent. et Valens Cod.* 11, 48, 7. et *Arcad. et Honor. ib.* 11. Est etiam *titulus* 38. *l.* 10., qui inscribitur *De municipibus, et originariis*, h. e. de his, qui nati sunt eo loco, de quo sermo est.

ORIGINATIO, onis, f. *Quint.* 1, 6. *med.* Etymologia, quae verborum originem inquirit, a Cicerone dicta est notatio. Sunt, qui vim potius intuiti, originationem vocent.

ORIGINITUS, adv. ab origine. *Ammian.* 31, 2. *med.* Persae, qui sunt originitus Scythae, pugnandi sunt peritissimi.

ORIGO, iginis, f, *γένεσις*, ortus, nativitas, principium, causa: ab *orior*. *Cic. Fin.* 2, 10. A primo animantium ortu petitur origo summi boni. *Id. Univ.* 2. Nullius rei, causa remota, reperiri origo potest. *Juven.* 14, 226. Mentis causa malae tamen est, et origo penes te. *Cic. Fin.* 4, 7. Omnium virtutum et originem et progressionem persequi. *Lucr.* 5, 176. rerum genitalis origo. *Hor. Od.* 4, 14, 45. fontium qui cedat origines, Nilus. *Sall. Jug.* 22. Eaeque urbes brevi multum auctae, pars originibus suis praesidio, aliae decori fuere. Sic *Tac. G.* 2. Celebrant carminibus antiquis Tuisconem Deum terra editum, et filium Mannum, originem gentis conditoresque. *Stat. Th.* 1, 680. Cadmus origo patrum, tellus Mavortia Thebe, Et genitrix locasta mihi. *Sil.* 14, 93. tam praecipiti materna furoris Pyrrhus, origo dabat stimulos. *Virg. G.* 3, 471. nec singula morbi Corpora corripiunt, sed tota aestiva repente, Spemque, gregemque simul, cunctamque ab origine gentem; et *A.* 1, 376. si prima repetens ab origine pergam. *Hor. Od.* 3, 17, 5. Originem ducere ab aliquo. *Quint.* 5, 11. *med.* Fabulae illae, quae etiam si originem non ab Aesopo acceperunt (nam videtur earum primus auctor Hesiodus), nomine tamen Aesopi maxime celebrantur. *Id.* 1, 5. *med.* Gurdos, quos pro stolidis accipit vulgus, ex Hispania duxisse originem audivi. *Plin.* 6, 20, 23. Originem deducere ab aliquo. *Id.* 15, 14, 15. ab aliquo habere. *Id.* 5, 24, 21. et 6, 28, 32. *med.* trahere. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 101, *n.* 232. Patronus ab origine, *h. e.* qui ab avo et majoribus, vel ab atavis alicujus municipii patrocinium habet. V. ORIGINALIS *f.* ℙ *Origines* inscripsit *Cato* historias suas, de quibus *Nep. Cat.* 3. Senex scribere historias instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi R. Secundus, et tertius, unde quaeque civitas orta sit Italica: ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. ℙ Refertur ad natalium et generis conditionem. *Ov. Her.* 19, 147. Nobilis ille quidem est, et clarus origine. *Suet. Vit.* 1. Vitelliorum originem alii aliam tradunt: partim veterem et nobilem, partim vero novam et obscuram, atque etiam sordidam. *Tac. A.* 6, 39. Poppaeus Sabinus, modicus originis. ℙ *Origo, insignis mima, de qua *Hor. Sat.* 1, 2, 55. *B. A.*

[ORINDA, ae, f. *ὀρίνδης*, panis genus apud Aethiopes ex orindio semine, quod illis est peculiare, et sesamo non absimile, ut habetur ap. *Hesych.* in *Ὀρίνδην*, et *Polluc.* 6, 11. Hinc *Apic.* 2, 2. Cum

cocta fuerint, addes piper, apii semen; deinde orindam infusam teres, etc. *F.*]

[ORĪNĒ, es, f. *ὀρεινή*, montana, et

[ORĪNUS, i, m. *ὀρεινός*, montanus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1295, 3. Ancharia L. L. Orine. Alia ap. *Grut.* 763, 9. L. Blandius Orinus. *F.*] ℙ *ORĪNE, es, sc. toparchia (*ὀρεινή*, i. e. montosa), in Judaea fuit. *Plin.* 5, 14. Reliqua Judaea dividitur in toparchias decem, quo dicemus ordine, Hiericuntem, — Emmaum —, Orinen, in qua fuere Hierosolyma. *B. A.*

ORĪOLA. V. HORIOLA.

ORĪON, onis, m. *Ὠρίων*, et *Οὐρίων*, filius Jovis, Neptuni, et Mercurii, quasi Urion, ab *οὖρον*, urina. Nam olim Juppiter, Neptunus, et Mercurius cum terram peragrarent, superveniente nocte ad pauperem quendam diverterunt, qui eos hilari animo suscepit, cumque Deos esse animadvertisset, occiso bove, iisdem sacrificium obtulit. Quo officio motus Juppiter, praecepit, ut aliquid muneris a se peteret, statim voti compos futurus. Ille nihil sese magis cupere respondit, quam filium, conjugem tamen se non habere, neque velle ducere, quod morienti uxori fidem dedisset, se aliam non ducturum. Juppiter igitur, et reliqui Dii corium immolati bovis sumpserunt, in quod cum urinam emisissent, jusserunt, ut terra obrutum completis maternis mensibus solveret. Quod cum fecisset, invenit puerum, quem ab urina *Urionem* nominavit: sed perdidit antiquum littera prima sonum, ut ait *Ov. Fast.* 5, 536. Hic postea adultus evasit venator maximus, adhaesitque Dianae. Sed cum viribus fidens gloriaretur, nullam esse feram, quam non conficeret, Dii insolens verbum ulturi effecere, ut terra scorpionem pareret, cujus ictu Orion exstinctus est. Diana satellitis sui obitum gravissime ferens, eum in coelum juxta Tauri sidus constituit. Alii dicunt occisum fuisse a Diana ipsa, cum ei vim inferre aggrederetur. Addunt etiam, fuisse corpore tam procero, ut nulla maris profunditate vinceretur. Fabulam narrant aut integram, aut ex parte *Ov. Fast.* 5, 495., *Hyg. fab.* 195. et *Astron.* 2, 26. et 34., *Serv.* ad *A.* 1, 539. et *ib.* 10, 763., *Hor. Od.* 3, 4. *f.* et *Lucan.* 9, 836., sed aliter atque aliter fere omnes. Neque enim in fabulis constantiam scriptorum invenies. ℙ Situs est in ipso circulo aequinoctiali, prope Taurum, quocum pugnare fingitur, et constat, secundum *Hyg. Astron.* 3, 33., ex decem et septem; secundum alios, ex octo et triginta stellis. Ensem habere videtur stellarum fulgore terribilem. Si fulget, serenitatem; si obscuratur, tempestatem denotat. ℙ Apud poetas habet primam syllabam indifferentem. Nam olim a Graecis per *ov* diphthongum scribebatur, quae Dorice in ω solet commutari: qua ratione constat posse produci. Poterit tamen etiam corripi, si abjiciamus ex prima syllaba vocalem subjunctivam more Graecorum. Media autem syllaba fere semper producitur. Paenultima obliquorum rursus est indifferens. *Virg. A.* 1, 539. Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion, etc. *Lucan.* 9, 836. Teste tulit coelo: victi decus Orionis. (Versus est spondaicus.) *Ov. Met.* 8, 207. strictumque Orionis ensem. ℙ Per epenthesin poetae dicunt *Oarion.* V. s. l.

ORĪOR, ĕris, ītur, ortus sum, dep. 3. *φύομαι, γίνομαι, ἀναστέλλω*, nascor, surgo, in lucem prodeo, exeo, exsisto [*a Gr. *ὄρω, ὄρομαι.*]. In infinitivo praesenti habet *orīri* quartae conjugat., in ceteris temporibus est tertiae. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 62. p. 132. b.] *Cic. Fin.* 2, 24. Ipsum a se oritur, et sua sponte nascitur; et *ib.* 5, 24. Ea officia, quae oriuntur a suo cujusque genere virtutum. *Ov. Met.* 10, 166. Tu toties oreris, viridique in caespite flores. *Id. Fast.* 1, 295. Quid vetat et stellas, ut quaeque oriturque, caditque, Dicere? *Hor. Sat.* 1, 5, 39. Postera lux oritur multo gratissima. *Id. Ep.* 2, 1, 17. Nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes. *Nep. Timoth.* 3. Accidit, ut magna tempestas oriretur. *Cels.* 6, 13. *med.* Alia quoque ulcera in gingivis oriuntur. *Cic. Leg.* 2, 2. Factus sum amicior huic omni solo, in quo tu ortus et procreatus es. *Caes. B. G.* 5, 51. Cum ad portas castrorum clamor oriretur; et *ib.* 4, 9. Rhenus oritur ex Lepontiis. *Cic. Cluent.* 69. Cum quaedam in collibus controversia pastorum orta esset. *Ter. Andr.* 3, 2, 9. Vel hoc quis non credat, qui norit te, ab te esse ortum? instructum, commentum, et compositum, inquit *Donatus:* et *Adelph.* 3, 5, 3. Ex illan' familia tam illiberale facinus esse ortum? et 2, 1, 35. Tibi a me nulla orta est injuria. ℙ Pro incipere. *Cic. Amic.* 1. *extr.* Fannius et Mucius ad socerum veniunt post mortem Africani: ab his sermo oritur: respondet Laelius. *Caes. B. G.* 1, 1. Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur: pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni. [*Ita saepius *Caesar*, et imprimis seriores scriptores hac voce utuntur. V. *Herzog.* ad h. l.] ℙ Pro surgere, V. in ORIENS. ℙ In compositis *exorerctur*, et *exorērentur*, tertia brevi, dixit *Lucr.* 2, 506. et 1, 180. et *orēretur*, secunda itidem brevi, in simplici *Paul. Nol. carm.* 15, 59. Civis ut affectu nostris oreretur in oris. ℙ Part. *Oriens.* V. s. l.

ORĪPĔLARGUS, i, m. *ὀρειπελαργός*, genus aquilae vulturina specie, alis minimis, reliquas magnitudine antecellens, sed imbellis et degener, ut quam verberet corvus: ab *ὄρος*, mons, et *πελαργός*, ciconia, quasi ciconia montana. Eadem dicitur etiam percnopterus, *περκνόπτερος*, a pennarum colore nigro: nam *περκνός* nigrum, *πτερὰ* alam significat. *Plin.* 10, 3, 3. [*Vultur Percnopterus, *L.*]

*ORIPPO, onis, oppidum Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

[ORĪPŪTĪDUS, a, um, adj. cui os putet. *Gloss. Philox.* Oriputidus, *ὀζόστομος. F.*]

*ORĪTAE, arum, populi Gedrosiae, quorum meminit *Plin.* 7, 2. ℙ *Horitae* audiunt *Curt.* 9, 10. et *Ori*, ut credibile est. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

[ORĪTĀNI, orum, m. plur. *Ὠρεῖται*, incolae Orei, urbis in insula Euboea, cujus mentio apud *Liv.* 28, 5. habetur. *Id. ib.* 8. Si suam, quam Oritanorum, atque Opuntiorum, fortunam mallent. *F.*]

ORĪTHĪON vel Orithios, i, videtur esse nomen montis, ap. *Sidon. carm.* 11, 2. Al. scrib. *Orithyon.*

ORĪTHĪUS. V. ORICIUS.

ORĪTHYĬA, ae, f. quadrisyllab. *Ὠρείθυια*, filia Erichthei Athenarum regis, quam a Borea raptam, et in ventum conversam poetae fabulantur. *Sil.* 8, 516. Orithyia vago Geticis nutrivit in antris. *Ov. Met.* 6, 682. Boreae Tereus Thracesque nocebant, Dilectaque diu caruit Deus Orithyia. *Virg. G.* 4, 463. Atque Getae, atque Hebrus, atque Actias Orithyia. *Id. A.* 12, 82. de equis Turni: Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia. Omnes hi versus, primo excepto, spondaici sunt. Quod si dactylum et spondeum ex *Orithyia* efficere velis, prior diphthongus altera vocali multanda est, posterior dissolvenda. ℙ *Eusebius* in *Chron.* ad ann. Mundi 3720. pro vera historia refert, Boream regem Thraciae fuisse, qui cum Orithyiam amaret, et sibi conjugem dari postularet, nec impetrare posset, illam rapuit, et in Thraciam secum detulit, ex qua Zetem, et Calaim filios procreavit. ℙ *Orithyia* tamquam Dea maris, et ventorum arbitra habita fuisse videtur, quippe cui et vota soluta fuerint a mercatoribus. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 170. Horithyiae L. Barbius L. L. Theopompus nav. mercat. V. S. Hic, ut saepissime alias, aspiratio citra necessitatem praeponitur. ℙ Hoc etiam nomine dicta est Amazonum regina, quae Marpesiae matri successit in regno. Ea regnante, forisque bellum gerente, Hercules et Theseus Amazonas adorti sunt. *Just.* 2, 4.

ORĪTHYON. V. ORITHION.

ORĪTIS, is, f. *ὀρῖτις*, gemma globosa specie, a quibusdam et sideritis dicta, ignem non sentiens: ab *ὄρος*, mons, quia globum monti similem refert. *Plin.* 37, 10, 65.

ORĪUNDUS, a, um, adj. *ἔγγονος, ἐγγενής*, originem ducens. Differt ab *ortus*, quia *oriundus* refertur ad personam, vel locum, unde parentes nostri sunt: *ortus* idem est ac *natus*, et refertur ad personam vel locum, unde ipsi nati sumus. [*Doederl. 3, 60. *oriundus*, elisa litera *b*, adjectivum verbale dicit pro *oribundus.*] *Liv.* 24, 6. Hippocrates et Epicydes nati Carthagine, sed oriundi ab Syracusis exsule avo, Poeni ipsi materno genere. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 6. *n.* 167. Oriundus Lepti; et *n.* 168. Oriundus Gaza. *Pl. Poen.* 5, 2, 94. Haud repudio hospitium, neque Carthaginem: inde sum oriundus. *Liv.* 2, 9. Ne se oriundos ex Etruscis exsulare patereturque; et 32. *med.* Placuit oratorem ad plebem mitti Menenium Agrippam, facundum virum, et quod inde oriundus erat, plebi carum. ℙ Saepe adhibetur sine respectu ad illud discrimen. *Cic. Top.* 6. Gentiles sunt, qui ab ingenuis oriundi sunt. *Lucr.* 2, 990. Denique coelesti sumus omnes semine oriundi. *Colum.* 1, 3. Cum a primis cunabulis, si modo liberis parentibus est oriundus, audisse potuerit. *Enn.* ap. *Prisc.* 6, 708. O pater, o genitor, o sanguen Diis oriundum. ℙ De rebus inanimis. *Pl. Curc.* 1, 1, 10. Egon' apicularum opera congestum non feram, ex dulci oriundum, melliculo dulci meo? *Liv.* 1, 20. Virgines Vestae legit, Alba oriundum sacerdotium. *Colum.* 1, 5. Fluens aqua e montibus oriunda.

ORMĒNIS, ĭdis, f. *Ὠρμενίς*, Ormenii filia. *Ov. Her.* 9, 50. Nec referam partus, Ormeni nympha, tuos, *h. e.* Astydamia, quam Hercules patre occiso, qui sibi eam in uxorem dare noluerat, quod sciret Deianirae jam nuptias iniisse, vitiavit, Ctesippumque genuit. *Diodor. Sicul.* 4, 3.

[ORMĪNĀLIS, et rectius Horminalis, is, f. herba eadem ac satyrion, ap. *Appul. Herb.* 15. Graeci *ὄρμινον* vocant. *F.*]

ORNĀMEN, inis, n. ornamentum. *Capell.* 6, 192. Quia Cyllenium excludit ornamen.

[ORNĀMENTĀRĬUS, a, um, adj. qui alicujus dignitatis ornamentis insignitus est, quamvis ipsam dignitatem minime sit consecutus. V. v. sq. §. 6. *Inscr.* ap. *Mur.* 199, 1.... IIIIIl. Vir. Aug. et decurioni ornamentario, etc. et ap. *eund.* 200, 4. L. Laelius Marullus IIIIIl. Vir. Aug. et decur. ornam. Alia ap. *Donat.* 349, 1. Decurio ornamentarius Col. Aug. Nemausi. Alia ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 238. T. Commius IIIIIl. Vir. Aug. T. Commio ornamentario. Corrige *ornamentario.* V. FALACER. *F.*]

ORNĀMENTUM, i, n. [*proprie dicitur pro quocunque apparatu seu instrumento. Ita recte posuisse videmur, quae Noster quarto loco collocaverat.] *Cic. Cat.* 2, 11. Neque vero ceteras copias, ornamenta, praesidia vestra cum illius latronis inopia atque egestate conferre debeo. *Sen. ep.* 14. *med.* Ars ei constat, qui per ornamenta percussus est, *h. e.* per ipsa arma: ductum a gladiatoribus, quorum instrumenta pugnandi ornamenta dicta sunt. *Suet. Tit.* 9. Oblata sibi ornamenta pugnantium inspicienda porrexit. [*Melius leg. *ferramenta.* V. *B. Crus.*] Rursus *Sen. Q. N. praef.* 4. Scias, non posse te consequi, ut sis impenetrabilis: cum omnia caveris, per ornamenta feriet. ℙ *Ornamenta boum, equorum*, etc. sunt, quae ipsis insternuntur, imponunturque, ut ephippia, clitellae, capistra, funes, etc. *Cato R. R.* 11. Ornamenta bubus, ornamenta asinis instrata tria. Adde *ib.* 10. et 135. Sic *Hirt. B. Afr.* 86. Elephantos ornatos armatosque cum turribus et ornamentis capit. [*Hinc translate *ornamenta dicendi* sunt, quasi auxilia, facultates, vires, quibus instructus esse debet orator: *Cic. Or.* 2, 28. Neminem omnium tot et tanta, quanta sunt in Crasso, habuisse ornamenta dicendi: quem locum Noster in f. posuerat. ℙ Utramque vero et utilitatis et pulchritudinis notionem quum v. *ornamenti* una contineat, v. in *orno*, multis in locis idem est, quod insigne, decus, *κόσμος.*] *Caes. B. G.* 7, 15. Pulcherrima totius Galliae urbs, quae praesidio et ornamento est civitati. *Cic. Or.* 1, 45. Mihi hoc subsidium comparavi ad decus atque ornamentum senectutis. *Id. Mil.* 14. Q. Hortensius, lumen atque ornamentum reipublicae. *Id. Verr.* 2, 2, 31. Splendorem ordini, atque ornamentum curiae constituere. *Plin. ep.* 8, 12. Vir optimus, et inter praecipua saeculi ornamenta numerandus. *Caes. B. C.* 2, 18. Pecuniam, omniaque ornamenta ex fano Herculis in oppidum contulit. *Hirt. B. Afr.* 28. Ornamenta triumphi. *Juven.* 3, 203. urceoli sex, Ornamentum abaci. [*Cic. Brut.* 75. ad hanc elegantiam verborum Latinorum, — adjungit *(Caesar)* illa oratoria ornamenta dicendi: et, quem locum Noster in f. laudaverat; *ib.* 37. in sententiarum ornamentis et conformationibus.] ℙ Vestes, ornatus peculiaris alicujus, ut comicorum, mulierum, etc. *Pl. Capt.* 3, 4, 83. Ornamenta absunt. Ajacem, hunc cum vides, ipsum vides. *Id. Trin.* 4, 2, 16. Ipse ornamenta a chorago haec sumpsit. *Id. Men.* 5, 2, 53. Me despoliat, mea ornamenta clam me ad meretrices degerit. [*V. *Rost.* in *Plautt. Cuppedd. ferc.* III. *in.*] ℙ *Servus ab ornamentis* fuit inter officia domus Augustae. *Inscr.* ap. *Grut.* 578, 9. T. Fl. Aug. lib. Parthenopaei Poppaeani eunuchi ab ornam; et ap. *Mur.* 900, 2. Felix C. Caesaris ab ornam. ℙ *Ornamenta triumphalia, consularia, praetoria, quaestoria*, etc. erant insignia gestari solita a triumphantibus, consulibus, etc. ut fasces, lictores, sella curulis, praetexta, etc. [*τιμαὶ ἐπινίκιοι s. νικητήριοι.*] Ea interdum ab imperatoribus dari consueverunt illustribus viris ob res praeclare gestas, ita ut iis non secus uterentur, quam si triumphum egissent, consulatum, praeturam, etc. gessissent. Exempla habes ap. *Suet. Aug.* 38. Pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit. *Id. Caes.* 76. Decem praetoriis viris consularia ornamenta tribuit. *Id. Claud.* 29. Narcissum quaestoriis, Pallantem praetoriis ornamentis honorari libens passus est. Adde *Tac. Agr.* 40. et 44. et *Plin. ep.* 7, 29. *Inscr.* mendosa ap. *Grut.* 409, 7., emendata ap. *Maff. Antiq. Gall.* p. 65. Dis Manib. Firmi Lucani L. IIIIIl. Vir. Aug. ornamentis decurion. Nemausi honorato. V. ORNAMENTARIUS. [*Hinc *Nero* ap. *Suet. Ner.* 35. sufficere illi debere uxoria ornamenta: quae ab iis deducta est dicendi ratio, qui insignia quidem honoris, muneris, sed ipsum munus non habent.] ℙ Saepe refertur ad honores, dignitates, divitias, quibus ornantur homines. *Nep. Att.* 7. Ipsum Pompejum conjunctum non offendit: nullum enim ab eo habebat ornamentum, ut ceteri, qui per eum aut honores, aut divitias coeperant. [*V. *Brem.*] *Cic. Balb.* 19. Omitto, quantis ornamentis populum istum C. Caesar affecerit. *Id. Fam.* 2, 19. *f.* Quaecumque a me ornamenta ad te proficiscentur, ut omnes intelligant, a me habitam esse rationem tuae dignitatis. *Id. Cat.* 3, 11. In animis ego vestris omnes triumphos meos, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriae, laudis insignia condi et collocari volo. *Id. Sull.* 32. Omnia generis, nominis, honoris insignia atque ornamenta unius judicii calamitate occiderunt.

ORNĀTĒ, adv. *κοσμίως*, cum ornatu. *Cic. Or.* 3, 14. Illuminate et rebus et verbis dicere, et in ipsa oratione quasi quendam numerum, versumque conficere, id est, quod dico, ornate, *h. e.* adhibito orationis ornatu. *Id. Off.* 1, 1. *extr.* Ornate splendideque facere. *Id. Coel.* 3. *extr.* Dicere or-

nate politeque. *Plin. ep.* 1, 16. Agere causas polite et ornate. *Cic. Or.* 1, 11. *med.* Composite, ornate, copiose eloqui. *Id. Fam.* 9, 21. Causas agere ornatius. *Id. Brut.* 5. *extr.* Causam ornatissime et copiosissime defendere.

ORNĀTIO, onis, f. κόσμησις, exornatio, ornatus. *Vitr.* 5, 7. *f.* In singula tres sint species ornationis, quae, etc. mutentque speciem ornationis in frontes. *Inscr.* in *Nov. lett. di Firenze* T. II. p. 600. Deducta ornatione statuae HS. C. N. *h. e.* deducta summa sestertiorum centum ad statuae ornatum insumenda.

ORNĀTOR, oris, m. 3. κοσμητής, exornator. *Firm. Astron.* 3, 6. *n.* 9. Facit Deorum ornatores, sive templorum conditores. ℙ Fuit inter officia domus Augustae. *Inscr.* ap. *Grut.* 578, 8. Diophantus Ti. Caesaris ornator glabr., *h. e.* glabrorum, seu puerorum delicatorum. Alia ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 62. Eperastus Juliae Lib. ornator. V. GLABER.

ORNATRIX, icis, f. κοσμήτρια, ψεκάς, quae ornat. *Ornatrices* erant ancillae, quae dominarum crinem componebant. *Ov. A. Am.* 3, 238. Tuta sit ornatrix, odi quae sauciat ora Unguibus, et rapta brachia figit acu. Hinc *Id. Amor.* 2, 8, 1. Ponendis in mille modos perfecta capillis, Comere sed solas, docta Cypassi, Deas. *Suet. Claud.* 40. Haec matris meae liberta et ornatrix fuit. [*V. *Wouwer.* ad *Pl. Mostell.* 1, 3, 97.] *Inscr.* ap. *Grut.* 579, 5. Aponiae Successae a tutul. ornatr. C. Batonius Epigonus atriensis, *h. e.* a tutulo ornatrici. V. *Juven.* 6, 487. et sqq.

[ORNĀTŪLUS, a, um, dimin. ornati. *Pl. Cist. fragm.* (ed. *A. Maio*) p. 19. Muliercula mea ornatula si sit, ut quidem hercle scita. *F.*]

[ORNĀTŪRA, ae, f. *Papias* in *Lex.* Limbus est, quam nos ornaturam dicimus, quae ambit extremitatem vestium. *Edict. Diocl.* p. 20. Bracario pro excisura, et ornatura ϗ..... V. BRACARIUS. *Gloss. Philox.* Ornatura, κόσμησις. *F.*]

ORNĀTUS, a, um, part. ab *orno:* [*instructus, paratus. Quid *instructus* et similia differant, v. in h. v.] *Caes. B. G.* 3, 14. Naves paratissimae, atque omni genere armorum ornatissimae. *Cic. Pis.* 2. Provincia exercitu et pecunia instructa et ornata. *Id. Phil.* 10, 4. Graecia copiis non instructa solum, sed etiam ornata, *h. e.* non solum quod ad usum satis est, sed etiam ad ornamentum. *Id. Fin.* 2, 34. Sapiens plurimis et gravissimis artibus atque virtutibus instructus et ornatus. *Id. ad Brut.* 1, 18. Imperator honoribus amplissimis, fortunisque maximis, conjuge, liberis, vobis affinibus ornatus. *Id. Caecin.* 21. Armatos appellamus eos, qui scutis telisque parati ornatique sunt. *Id. Quint.* 31. E fundo ornatissimo dejectus. *Liv.* 27, 19. *extr.* Equus ornatus. [*Cf. 1, 43. 44, 1. et alibi saepissime.] *Nep. Ann.* 3. elephantus. ℙ *Ornata provincia* ap. *Cic. Fam.* 15, 4. *med.* quid sit, V. in ORNO. ℙ Ornamentis decoratus, comptus, politus, κεκοσμένος. *Cic. Sen.* 16. Agro bene culto nihil potest esse nec usu uberius, nec specie ornatius. *Id. Fl.* 38. Sepulcrum floribus ornatum. ℙ Item honore affectus. *Cic. ad Brut.* 1, 12. Honoribus amplissimis a senatu ornatus. *Id. Har. resp.* 13. Dejotarus clarissimorum imperatorum testimoniis ornatus. *Id. Dom.* 33. A populo R. semper sum defensus, amplificatus, ornatus. ℙ Festiva ironia est in illo *Ter. Ad.* 2, 1, 21. Quid hoc rei est? regnum ne, Aeschine, hic tu possides? *Aes.* Si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus. ℙ Item honorificus. *Cic. Manil.* 1. Locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus. ℙ *Ornatus vir*, bonis artibus instructus, dignitate, honoribus, auctoritate praeditus. *Cic. Div. Verr.* 9. Lectissimus atque ornatissimus adolescens. *Id. Fl.* 20. Splendidissimus atque ornatissimus civitatis suae. *Id. Verr.* 2, 1, 48. *extr.* Homo ornatissimus loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, copiis. ℙ Refertur ad ornatum orationis. *Cic. Or.* 1, 10. Homines ornati in dicendo, et graves; et 12. Composita oratio, et ornata, et artificio quodam et expolitione distincta. *Id. Or.* 11. Omnes apud Pacuvium ornati elaboratique sunt versus. ℙ [*Confund. *ornata* et *ordinata*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 518.]

ORNĀTUS, us, m. [*i. q. apparatus, *Zurüstung, Zubereitung:* παρασκευή, κατασκευή.] *Ter. Andr.* 2, 2, 28. in aedibus nihil ornati, nihil tumulti: [v. *Ruhnk.* ad h. l.] *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* Gallinae in ornatibus publicis [*i. e. epulis, conviviis] solent poni cum psittacis, ac merulis albis. ℙ Item instrumentum, supellex, copia rerum earum, sine quibus re aliqua uti non licet. *Cic. Or.* 3, 6. Una est eloquentia, quascumque in oras disputationis regionesve delata est, etc. et quocumque ingreditur, eodem est instructu ornatuque comitata. ℙ Item exornatio, decus: *Ausschmückung, Verzierung*, Gr. κόσμησις, κόσμος.] *Cic. Dom.* 43. Hoc simulacrum quidam ad ornatum aedilitatis suae deportavit. *Hirt. B. G.* 8, 51. Nihil relinquebatur, quod ad ornatum portarum, itinerum, locorumque omnium, qua Caesar iturus erat, excogitari posset. ℙ De compositione capillorum. *Ov. A. Am.* 3, 133. non sint sine lege capilli: Admotae formam dantque, negantque manus. Nec genus ornatus unum est: quod quamque decebit, Eligat, et speculum consulat anstitus, cultus. *Festus:* Ornatus appellatur cultus ipse, quo quis ornatur. *Pl. Mil.* 4, 4, 41. Facito, ut venias huc ornatu nauclerico. *Cic. Off.* 1, 18. *extr.* Statuas videmus ornatu fere militari. *Id. Fin.* 2, 21. *med.* Voluptas picta in tabula pulcherrimo vestitu et ornatu regali, in solio sedens. *Phaedr.* 4, 4. Agros abjiciet moecha, ut ornatum paret, *h. e.* mundum muliebrem. *Plin.* 8, 42, 64. Equus regio ornatu instratus. ℙ Inter cultum, et ornatum quid sit discriminis, V. in CULTUS. ℙ De ornamento orationis, quod praecipue consistit in delectu et compositione verborum, et usu schematum. (V. *Quint. toto c.* 8, 3.) *Cic. Or.* 24. Collocata verba habent ornatum, si aliquid concinnitatis efficiunt, quod verbis mutatis non maneat, manente sententia. *Id. Brut.* 79. *f.* Erant et verborum et sententiarum illa lumina, quae vocant Graeci σχήματα, quibus tanquam insignibus in ornatu omnis distinguebatur oratio. *Id. Or.* 39. Magnum afferre ornatum orationi. ℙ De Mundo. *Cic. Acad.* 4, 38. Mundum ita esse undique aptum, ut nulla vis tantos queat motus mutationesque moliri, nulla senectus diuturnitate temporum exsistere, ut hic ornatus unquam dilapsus occidat. *Plin.* 2, 4, 3. Quem κόσμον Graeci, nomine ornamenti appellavere, eum nos a perfecta absolutaque elegantia mundum. ℙ *Ornatu* in dativo pro *ornatui*, ut *aspectu*, *concubitu*, et alia. *C. Caes.* ap. *Gell.* 4, 16. Ibi isti, quorum in aedibus fanisque posita et honori erant, et ornatu. V. ASPECTUS, us.

ORNĔUS, a, um, adj. μελίνος, qui est ex orno. *Colum.* 11, 2. *med.* Fraxineam; si minus, orneam; si nec haec sit, iligneam frondem bubus recte praebebimus.

*ORNĔUS, i, m. Ὄρνειος, unus ex Centauris, Ixionis et Nubis filius. *Ov. Met.* 12, 339. *B. A.*

ORNITHIAS, ae, m. ὀρνιθίας, venti nomen: ab ὄρνις, ιθος, avis. De eo *Plin.* 2, 47, 47. Favonium quidam a. d. VIII. cal. Mart. Chelidoniam vocant, ab hirundinis visu: nonnulli vero Ornithian, uno et sexagesimo die post brumam, ab adventu avium, flantem per dies novem. ℙ Etiam Etesiae ipsi, cum spirant a bruma lenius, et paucis diebus, Ornithiae vocantur. *Id. ib.* ℙ Ornithias memorant etiam *Vitr.* 1, 6. *med.* et *Colum.* 11, 2., sed ille circa Solanum, h. e. ab Oriente flare dicit: hic a Septentrione.

ORNITHOBOSCION, ii, n. ὀρνιθοβοσκεῖον, locus ad pascendum aves. Habet *Varr. R. R.* 3, 9., sed Graecis litteris.

ORNITHOGALE, es, f. ὀρνιθογάλη, herba caule tenero, candido, semipedali radice, bulbosa, molli, tribus aut quatuor agnatis. *Plin.* 21, 17, 62.

ORNITHON, ōnis, m. ὄρνιθών, aviarium, gallinarium, locus in villa, ubi aluntur gallinae, pavones, turdi, et hujusmodi altilia: ab ὄρνις, ὄρνιθος, avis. Est autem duplicis generis, vel fructus causa institutus, vel voluptatis. *Varr. R. R.* 3, 3. Villaticae pastionis genera sunt tria, ornithones, leporaria, piscinae. Nunc ornithonas dico omnium alitum, quae intra parietes villae solent pasci. Adde *ib. prooem.* 2. et *Colum.* 8, 3. ℙ *Ornithon, (gen. plur. sc. *avium urbs*, Ὀρνίθων πόλις, ut vocat *Strabo*), oppidum Phoeniciae. *Plin.* 5, 19. ℙ Inter Tyrum ac Sidonem ponit *Strabo. B. A.*

ORNITHOTROPHION, i, n. ὀρνιθοτροφεῖον, locus, in quo aves educantur, idem ac ornithon. Habet *Varr. R. R.* 3, 5., sed Graece scribit.

*ORNĪTUS vel Ornytus, i, Teuthides cognominatus. *Virg. A.* 11, 667. *Val. Fl.* 3, 173. *Stat. Th.* 12, 207 et 219. *B. A.*

ORNO, as, avi, atum, a. 1. [*κατασκευάζειν, παρασκευάζειν, instruere, apparare, ita ut cum utilitate pulchritudinem, decus conjungas. Etymon ducunt a Gr. ὄρω. V. *Doederl.* 3, 260. sq.] *Cic. Agr.* 2, 13. Decemviros ornat apparitoribus, scribis, librariis, praeconibus, architectis, praeterea mulis, tabernaculis, centuriis, supellectili. *Liv.* 42, 1, Magistratus mulis, tabernaculisque, et omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis. *Virg. A.* 12, 344. Ornare aliquem armis. *Plin. ep.* 3, 21. pecunia. *Enn.* ap. *Non.* 2, 666. et *Gell.* 16, 10. Proletariu' poblicitus scutoque, feroque Ornatur ferro. *Cic. Manil.* 4. Aedificare, et ornare classem. *Liv.* 40, 26. *f.* Ornare naves. *Cic. Verr.* 2, 4, 20. et apparare convivium. *Id. Cluent.* 5. et sternere lectum. *Ter. Eun.* 4, 4, 6. fugam, *h. e.* parare se ad fugiendum. Al. leg. *adornare.* ℙ *Ornare provincias* est senatus consulto decernere certum militum numerum, et iis stipendium, item viaticum in legatos, et comitatum, terminare ipsius provinciae fines, jurisdictionis formam modumque praescribere, et hujusmodi alia, quae honori et ornatui erant tum provinciae ipsi, tum magistratui eam regenti. *Cic. Att.* 3, 24. Cum ad me scripsissetis, vestro consensu consulum provincias ornatas esse. *Suet. Caes.* 18. Ulteriorem sortitus Hispaniam, retinentes creditores interventu sponsorum removit: ac neque more, neque jure, antequam provinciae ornarentur, profectus est. ℙ Ea cum fierent, etiam ipsi magistratus *ornari* dicebantur. *Cic. l. c.* Se nostra causa voluisse, suam potestatem esse de consulibus ornandis. *Id. Q. Fr.* 2, 3. Referebatur de provinciis quaestorum, et de praetoribus ornandis. Al. leg. *praetoriis.* ℙ [*Tunc ponitur pro pulcrum facio, decorum, insignem reddo, como, exorno, distinguo, ornatum affero, Gr. κοσμέω. Quid differant *comere* et *decorare*, v. in his vv.] *Cic. Off.* 2, 22. Italiam ornare, quam domum suam, maluit: quamquam, Italia ornata, domus ipsa mihi videtur ornatior. *Virg. A.* 7, 488. Mollibus intexens ornabat cornua sertis. *Ov. Met.* 5, 52. ornabant aurata monilia collum. *Lucan.* 7, 18. Currus ornante toga. *Claud. in Ruf.* 2, 449. Ornatura suos exstruxit culmina manes. *Prop.* 3, 4, 12. Ornabat niveas nullane gemma manus? ℙ Speciatim dicitur de capillis comendis. *Ov. Am.* 1, 14, 5. Quid, quod erant tenues, et quos ornare timeres? et *ib.* 2, 7, 17. solers ornare Cypassis. *Id. ib.* 7, 23. Adde quod ornandis illa est operata capillis. [*Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) *in.* Capillus, etsi non cotidie acu ornandus, tamen pectine cotidie expediendus est. *F.*] Hinc *ornatus*, *us.* et *ornatrix.* ℙ Refertur etiam ad eloquentiam, et significat insignem reddere laudando aut vituperando. *Cic. Or.* 1, 21. Eum statuebam eloquentem, qui mirabilius et magnificentius augere posset, atque ornare quae vellet; et *ib.* 3, 6. *extr.* Illa conor attingere, quibus orationem ornari atque illuminari puto; et *ib.* 2, 28. *med.* Non dubitavit seditiones ipsas ornare. *Plin. ep.* 2, 3. Prooemiatur apte, narrat aperte, ornat excelse. ℙ Universim *ornare* est beneficiis, honoribus, praemiis augere, decorare, insignem reddere. *Cic. Fam.* 15, 4. *med.* Qui me tuis sententiis saepissime ornasti. *Caes. B. G.* 7, 33. Civitas, quam ipse semper aluisset, omnibusque rebus ornasset. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* et *ad Quir.* 5. Maximis beneficiis ornare aliquem. *Id. Phil.* 2, 11. Qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis. *Id. Pis.* 13. *extr.* Homines frequentia sua vestrum egressum ornant, atque celebrant. *Id. Planc.* 9. Tota illa regio se hujus honore ornari, se augeri dignitate arbitrabatur. *Plin. ep.* 2, 1. Suffragio candidatum ornare.

ORNUS, i, f. ὀρεινός, μελία, h. e. fraxinus silvestris, [*Fraxinus Ornus, *L.*] arbor procera, caudice tereti, levi cortice: ab ὀρεινός, montanus, per syncop., quia montes amat, ut *Plin.* 16, 18, 30. docet. *Colum. Arbor.* 16. Orni silvestres fraxini sunt, paulo latioribus tamen foliis, quam ceterae fraxini, nec deteriorem frondem, quam ulmi, praestant. Caprae quidem, et oves libentius etiam hanc frondem appetunt. *Virg. G.* 2, 111. Nascuntur steriles saxosis montibus orni. *Id. Ecl.* 6, 71. Cantando rigidas deducere montibus ornos. *Id. A.* 10, 766. Aut summis referens annosas montibus ornos. *Hor. Od.* 3, 27, 58. potes hac ab orno Pendulum zona bene te secuta Laedere collum. *Auson. ep.* 24, 108. vibrabilis ornus Achilli, *h. e.* hasta, synecdoche.

ORO, as, avi, atum, a. 1. ῥέω, dico, loquor: ab *ore*, ut *Varr. L. L.* 5, 7. *f.* docet: et speciatim est causas agere. *Festus:* Orare antiquos dixisse pro agere testimonio est, quod oratores dicti, et causarum actores, et qui reipublicae mandatas causas agebant. *Virg. A.* 10, 96. Talibus orabat Juno. *Quint. prooem.* 1. Qui artem orandi litteris tradiderunt. *Pl. Most.* 3, 1, 151. Videndum est primum, utrum eae velint ne, an non velint. *Theu.* bonum aequumque oras. *Cic. in Sen.* 1. Non dicam complecti orando, sed percensere numerando. *Id. Off.* 3, 10. *med.* Orandae liti tempus accommodare. *Id. Brut.* 12. Quo nemo unquam melius ullam oravit capitis causam. ℙ *Item legatione fungor. *Cic. de republ.* (ed. *A. Maio*) 2, 7. Matronis ipsis, quae raptae erant, orantibus. V. *Orator. B. A.* ℙ Multo frequentius in usu est pro rogare, petere, precari. *Cic. Verr.* 2, 2, 39. Rogat eos atque orat, ne oppugnent filium suum. *Id. Rosc. Am.* 49. *f.* Rogat oratque te Chrysogone, ut, etc. *Id. ad Planc. f. l.* 16. *ad Att.* Rogo te, et etiam oro, ut, etc. *Pl. Amph.* 1, 1, 101. Velatis manibus orant, ignoscamus peccatum suum. *Ov. Pont.* 4, 1, 19. Idque sinas, oro. *Ter. Ad.* 3, 4, 26. Venit ipsus ultro lacrumans, orans, obsecrans. Ubi *Donat.* Orare est placidos petere; obsecrare, iratos rogare; unde plus facit obsecrans, quam orans; plus vero orans, quam rogans. *Cic. Planc.* 42. Te, C. Flavi, oro et obtestor, ut, etc. *Id. Q. Fr.* 1, 1. *f.* Illud te ad exstremum et oro et hortor. *Id. Fam.* 10, 5. Itaque te non hortor solum, sed plane etiam oro, ut, etc. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. Orare quempiam pro salute alicujus. *Suet. Vesp.* 16. aliquem libertatem. *Virg. A.* 9, 24. Multa Deos orans. *Ter. Andr.* 3, 2, 48. Chremem conveniam, orabo gnato uxorem. *Pl. Amph. prol.* 64. Hoc me orare a vobis jussit Juppiter, ut, etc. *Ter. Ph.* 1, 2, 90. Ad precatorem adeam, qui mihi sic oret, *h. e.* pro me. *Liv.* 21, 6. Legati Romam missi, auxilium ad bellum orantes. Sic *Tac. A.* 2, 46. Misit legatos ad Tiberium oraturos auxilia. *Ov. Pont.* 2, 9, 65, Ad vatem vates oran-

tia brachia tendo. ℙ Cum imperativo. *Sil.* 11, 336. Absiste inceptis, oro; et 350. parce, oro, et desine velle. ℙ Cum infinito. *Virg. Ecl.* 2, 43. Jampridem a me illos abducere Thestylis orat. ℙ Eleganter inseritur orationi, ut *quaeso. Cic. Att.* 4, 8. Dic, oro te, clarius. *Sen. ep.* 88. *med.* Quid enim, oro te, liberale habent isti jejuni vomitores? ℙ *Orare mecum, tecum*, pro me, te. *Pl. Cas.* 2, 5, 15. Negavi, ipse me concessurum Jovi, si is mecum oraret. *Id. Curc.* 3, 1, 62. Tecum oro et quaeso, ut, etc. *Id. As.* 3, 3, 72. et 96. Hanc jube petere et orare mecum. Adde *Pers.* 1, 3, 37. et *Rud.* 3, 4, 68. Sic *Ter. Hecr.* 4, 4, 64. Egi, atque oravi tecum, uxorem ut duceres. ℙ *Orassis* antiquum pro *oraveris*, est *Pl. Ep.* 5, 2, 63.

[OROANDENSIS, e, adj. ad Oroandam pertinens, Pisidiae urbem, cujus meminit *Liv.* 38, 37. Hinc *Oroandenses, ium*, absolute, sunt illius urbis incolae. *Id.* 38, 18. Legati Oroandensium cum venissent amicitiam petentes. *F.*]

*OROANDES, Mediae mons. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

[OROANDICUS, a, um, adj. ad Oroandam pertinens, Pisidiae urbem. *Plin.* 3, 32, 42. Oroandicus Pisidiae tractus. *Cic. Agr.* 2, 19. Oroandicus ager. Alii perperam leg. *Oriadicus. F.*]

*OROATIS, is et idis, Ὀροάτις, Persidis fluvius, in confinio Susianae, in sinum Persicum influens. *Plin.* 6, 21 et 27. V. *Pasitigris* et *Zarotis. B. A.*

ORŌBANCHE, es, f. ὀροβάγχη, cauliculus sine foliis altitudine sesquipedali, subrubens, flore subalbido in luteum vergente: ab ὄροβος, ervum, et ἄγχω, strangulo, quod ervum, et cicer, in quibus fere nascitur, circumligando praefocet. *Plin.* 22, 25, 80. et 18, 17, 44. *n.* 3. ℙ Creditur esse eadem ac scandulaca, de qua *Festus:* Scandulaca genus herbae frugibus inimicae, quod eas velut hedera implicando necat. [**Sommerwurz, Sonnenwurz*, Orobanche major, *L.*]

ŌRŌBIAS, ae, m. turis genus, minoribus constans guttis: ab ὄροβος, ervum, ob similitudinem. *Plin.* 12, 14, 32.

[ŌRŌBII, orum, m. plur. Ὀρόβιοι, populi Italiae, qui et Bergomates: ab ὄρος, mons, et βίος, vita: ita appellati, quia in montibus degunt. V. BERGIMUS. *F.*]

ŌRŌBĪNUS, a, um, adj. ὀρόβινος. Orobinus color est luteo similis, h. e. ervo herbae, quae Graece ὄροβος. *Plin.* 37, 10, 59. Gasidanem Medi mittunt, coloris orobini.

ŌRŌBĪTIS, is, f. ὀροβῖτις, chrysocolla molita, cribrata, et alumine lutoque herba tincta. Ita dicta quod in globulos resolvitur ervi similitudine. Ervum enim ὄροβον dicunt. *Plin.* 33, 5, 27.

*ORODES, is, m. Ὀρώδης, rex Parthorum, qui Crassum Romanum cepit et occidit. *Flor.* 3, 11. *Vell.* 2, 46. *Just.* 42, 4. ℙ Item Colchorum rex. *Flor.* 3, 5. ℙ et Albanorum. *Eutr.* 6, 11. (al. 14.) ℙ et nomen viri, a Mezentio interfecti. *Virg. A.* 10, 732. sq. *B. A.*

*OROMANSACI, orum, populi Galliae Belgicae, de quibus *Plin.* 4, 17. *B. A.*

[ŌRŌMĒDON, ontis, m. Ὠρομέδων, unus ex Gigantibus, qui Jovem coelo depellere conati sunt: ab ὤρος Dorice pro ὄρος, mons, et μέδομαι, impero. *Prop.* 3, 7, 47. Te duce vel Jovis arma canam, coeloque minacem Coeum, et Phlegraeis Oromedonta jugis. *Oromedonta* est accus. sing. Graecae positionis. *F.*]

*OROMĒNUS, i, m. Indiae fluvius. *Plin.* 31, 7. *B. A.*

ORONTES, is, m. Ὀρόντης, fluvius maximus Syriae, qui ex Libano monte profluit, multisque urbibus irrigatis, in quibus Antiochia, quam interluit, ad Seleuciam Pieriam in Syrium pelagus prolabitur. *Plin.* 5, 21, 18. et 2, 103, 106. ℙ In illo *Juven.* 3, 62. Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes, Et linguam, et mores, et cum tibicine chordas Obliquas, nec non gentilia tympana secum Vexit, metonymia est, et Syrorum vitia significantur, quae paulatim Romam ad Tiberim sitam venere. ℙ Etiam *Orontae* in genitivo dictum est, a recto *Oronteus* trisyllab., teste *Prisc.* 6, 705. Item *Oronti* ab eodem recto, ut *Ulyssi, Achilli*, contracta diphthongo *ει. Serv.* ad *A.* 1, 220. et *Prisc. l. c.* p. 706.

ORONTĒUS, a, um, adj. ad Orontem pertinens. Pro Syro ponitur in illo *Prop.* 1, 2, 3. Aut quid Orontea crinem perfundere myrrha? *h. e.* stacte, quae alibi quidem nascebatur, sed in magna copia advehebatur a mercatoribus Antiochiam Syriae (totius Orientis talium rerum celeberrimum emporium) quam Orontes alluit. Ita *Scal.*

[ORONTĪNUS, i, m. ad Orontem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 364, 1. C. Blossius Junianus Orontinus. *F.*]

*OROPUS, i, Ὠρωπός, Boeotiae oppidum, in finibus Atticae, ob id controversiarum multarum inter Athenienses ac Thebanos occasio. *Liv.* 45, 27. *Plin.* 4, 7. *Cic. Att.* 12, 23. V. et *Gell.* 7, 14. *B. A.*

*OROSINES, fluvius Thraciae, non procul a Ponto Euxino. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

OROSIUS, ii, m. Paulus, presbyter Hispanus, floruit in fine saeculi quarti, et initio quinti, scripsitque hortatu S. Augustini historiarum libros septem, quibus ab ipso mundi exordio ad sua usque tempora *miserias hominum, paucis dumtaxat, iisdemque breviter delibatis*, complexus est, stilo, ut ea tempora ferebant, non plane inculto, et a Latinae linguae nitore non valde abhorrente. Ejus saepe meminit *August.* in operibus suis.

[OROZĒLUM, i, n. herba eadem ac chamaepitys. *Appul. Herb.* 26. *F.*]

ORPHĀICUS, a, um, adj. ad Orpheum pertinens. *Macr. Somn. Scip.* 1, 12. Liberum Patrem Orphaici *τοῦν ὑλικὸν* suspicantur intelligi, *h. e.* sectatores theologiae ab Orpheo traditae. Ille enim theologus fuit, et Orgia primus instituit, teste *Serv.* ad *A.* 6, 645.

ORPHĀNOTROPHĪUM, ii, n. ὀρφανοτροφεῖον, locus, in quo aluntur pueri parentibus orbati. *Imp. Anastas. Cod.* 1. *tit.* 2. qui est *de sacrosanct. Eccles. l.* 17. et *Imp. Justin. ib.* 22. Adde *tit. sq. qui* de Episc. et cler. etc. *inscribitur.* Est ab ὀρφανὸς, parentibus carens, et τρέφω, nutrio.

ORPHĀNOTROPHUS, i, m. ὀρφανοτρόφος, qui pueros nutrit orbos parentibus. *Imp. Leo, et Anthemius Cod.* 1, 3, 32. ℙ Videtur etiam passive sumere pro orphano, qui nutritur, ὀρφανότροφος. *Venant. Vit. S. Mart.* 2, 405. Quantum voce valens viduis atque orphanotrophis? Hic male paenultima vocalis producitur.

ORPHĀNUS, a, um, adj. ὀρφανὸς, qui caret parentibus. Vox Graeca. Item qui filiis privatus est, fato functis ante tempus. *Inscr.* non optimae notae, ap. *Grut.* 770, 9. Mater orphana viva sibi et suis posuit, et sub ascia dedicavit.

ORPHĒUS, a, um, adj. Ὀρφεῖος, ad Orpheum pertinens. *Ov. Met.* 10, 2. Ciconumque Hymenaeus ad oras Tendit, et Orphea nequicquam voce rogatur. *Prop.* 1, 3, 42. Orpheae carmine fessa lyrae. *Mart. Spect.* 21. Quidquid in Orpheo Rhodope spectasse theatro Dicitur, exhibuit, Caesar, arena tibi. *Claud. III. cons. Honor.* 113. Rhodopeia saxa Orpheis animata modis.

ORPHEUS, i, m. Ὀρφεύς, disyllab. poeta, seu vates, genere Thrax, Apollinis et Calliopes filius. Alii dicunt, filium fuisse Oeagri et Polyhymniae, et regem Ciconum, qui sunt populi Thraciae juxta Hebrum. Hinc Oeagrius appellatur. Hic a Mercurio, sive, ut alii habent, a patre Apolline lyram accepisse fertur, eaque tantum valuisse, ut illius cantu silvas et saxa moverit, fluviorum cursum prohibuerit, ferasque mitiores reddiderit. Cum Argonautis in Colchidem navigavit, ideo ab illis assumptus, quod juxta vaticinium Chironis Sirenes praeteriri non poterant, nisi praesente Orpheo. Eurydicen uxorem habuit, quae Aristaeum vim sibi inferre volentem fugiens, a serpente occisa est. Ob cujus mortem Orpheus incredibilem in modum dolens, accepta lyra ad Inferos descendit, ubi carminibus, et cantu Plutonem, et Proserpinam flexit, ut Euridicen redderent, hac tamen lege, ne in itinere respiceret. Quod cum prae amore non servasset, eam denuo amisit. Deinceps caelibem vitam agere statuit. Cum igitur jam multas nuptias rejecisset, alios insuper a mulierum consortio dehortaretur, a Maenadibus inter Bacchi sacrificia juxta Hebrum fluvium occisus et discerptus est. Sed alii aliam causam afferunt. Dicunt reversum ab Inferis in perpetuo luctu vitam duxisse, rogatum esse quadam die a mulieribus Bacchi sacerdotibus, ut lyra caneret, recusantem laceratum fuisse. Ejus membra passim per agros sparsa Musae collegerunt, et tumulaverunt. Caput vero, et lyra in Hebrum dejecta, ad Lesbon insulam delata sunt, ubi caput ab incolis sepulturae mandatum est, lyra autem a Musis in coelum translata. De his *Ov. Met. l.* 10 et 11. *in., Hyg. fab.* 14, 251. et *Astr.* 2, 7. et *Serv.* ad *G.* 4, 520 et 523. et ad *A.* 6, 119 et 645. etc. V. etiam *Claud. Rapt. Pros. praef.* 2. Ille mulierum osor, et masculae Veneris primus institutor fuisse traditur. Hinc *Ov. Met.* 10, 83. Ille etiam Thracum populis fuit auctor, amorem In teneros transferre mares. ℙ Disyllaba vox est, ut diximus. *Virg. Ecl.* 4, 55. Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus, Nec Linus: huic mater quamvis, atque huic pater adsit, Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo. *Orphei* Graecus dativus pro *Orpheo*, disyllabum est, Ὀρφεῖ, unde et *Orphi* scriptum vidit *Pier.*, et confirmat *Macr. Sat.* 5, 17. sed potest etiam esse trisyllab. soluta diphthongo, Ὀρφέϊ, ut *Id. Pier.* monet. *Orpheo* Latine in dativo et ablativo est trisyllab. *Hor. Od.* 1, 24, 13. Quod si Threicio blandius Orpheo Auditam moderere arboribus fidem. Hoc idem dic de genitivo *Orphei* Latino, et *Orpheos*, Ὀρφέως Graeco. Sic *Prop.* 2, 25, 40. genitivum *Capanei* trisyllabum fecit, scilicet per synaeresin: Aut Capanei magno grata ruina Jovi. Sic *Persei* disyllab. *eod.* 2, 21, 24. et *ib.* 23, 56. V. similia in ACHILLES. *Ov. Pont.* 3, 3, 41. At non Chionides Eumolpus in Orphea talis. *Orphea* quartus Graecae positionis casus Ὀρφέα, pro *Orpheum.* In vocativo est *Orpheu* disyllab. pro *Orphee*, Graeco more, Ὀρφεῦ. *Virg. Cul.* 291. Sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu. ℙ *Id. ib.* 116. tantum non Orpheus Hebrum; et 268. et nunc manet Orpheus in te. Utroque loco videtur dactylus, nisi spondaicum putes utrumque versum.

ORPHĪCUS, a, um, adj. ad Orpheum spectans. *Cic. N. D.* 1, 38. Orpheum poetam docet Aristoteles nunquam fuisse: et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cujusdam Cercopis. ℙ *Orphica, orum*, fuerunt sacra in Bacchi honorem celebrata. *Cic. N. D.* 3, 23. Quartum *(Dionysum habemus)*, cui sacra Orphica putantur confici.

[ORPHĪTUS et Orfitus, i, m. cogn. Ser. Cornelii consulis ann. U. C. DCCCIV. in *Inscr.* ap. *Grut.* 300, 1., aliorumque plurium nobilium Romanorum. Fortasse idem est ac *Orphicus;* ejus enim originem ab *Orpheus*, satis ostendit *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 267. *n.* IX. Ti. Julius Orpheus sibi, et Orfitae F. *F.*]

ORPHNAEUS, i, m. ὀρφναῖος, unus e quatuor equis currum Plutonis trahentibus. V. ALASTOR.

*ORPHNE, es, f. (ὄρφνη, i. e. tenebrae,) Nympha Avernalis, ex qua Ascalaphum Acheron suscepit. *Ov. Met.* 5, 539. sq. *B. A.*

ORPHUS, i, m. ὀρφὸς, piscis marinus rubens. *Plin.* 32, 11, 54. et 9, 16, 24.

[ORPHOPYGIUM, ii, n. ὀρθοπύγιον, pars illa corporis animalis, quae suturae similis sub pene, scrotum medium intersecans, per taurum usque ad anum tendit; ab ὀρθὸς, rectus, et πυγὴ, nates. *Appul. fragm. Met.* 10. ap. *Oudend.* p. 717. Et hercule orrhopygium perterete Lyaei fragrantis, et oleae rosaceae lotionibus expurgavit. V. UROPYGIUM. *F.*]

*ORSAEI, orum, populi Indiae. *Plin.* 8, 21. Orsaei Indi. *B. A.*

*ORSILOCHE, es, f. nomen Tauricae Dianae. *Ammian.* 22, 8. Immolantes advenas Dianae, quae apud eos dicitur Orsiloche. V. *Hadrian. Jun. Animadv.* 4, 23. *B. A.*

*ORSIMA, Aethiopiae oppidum, vel in Aegypti Aethiopiaeque confinio. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*ORSINUS, i, Cariae fluvius. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

ORSUS, a, um, part. ab *ordior. Cic. Leg.* 1, 3. Ego animi pendere soleo, cum semel quid orsus traducor alio. *Cels.* 2, 8. *med.* Tormina ab atra bile orsa, mortifera sunt. *Virg. A.* 7, 386. Majus adorta nefas, majoremque orsa furorem. *Id. ib.* 1, 329. Sic Venus: et Veneris contra sic filius orsus, *h. e.* coepit dicere; et *ib.* 6, 125. Cum sic orsa loqui vates. V. ORDIOR. ℙ Pro loquutus. *Id. ib.* 9, 656. sic orsus Apollo Mortales medio aspectus sermone reliquit; et *ib.* 12, 806. sic Juppiter orsus, Sic Dea submisso contra Saturnia vultu. ℙ Passive, ut videtur. *Colum.* 1, 5. *f.* Cum ex depressiore loco fuerint orsa fundamenta, pro fultura et substructione fungentur. *Plin.* 8, 51, 77. Tridui inedia saginatione orsa. ℙ Hinc *orsa, orum*, res inceptae, conatus. *Liv. prooem.* 1. *extr.* Ut orsis tanti operis successus prosperos darent. *Manil.* 2, 57. Nostra loquor: nulli vatum debebimus orsa. *Val. Fl.* 1, 21. nunc nostra serenus Orsa juves; et 5, 196. Tu precor orsa regas; et 292. alios tunc ipsa dolos, alia orsa movebo. *Stat. Silv.* 2, 1, 114. Attica facundi decurreret orsa Menandri, *h. e.* carmina. Sic *Auson. Idyll.* 4, 46. amabilis orsa Menandri Evolvenda tibi. ℙ *Orsa*, dicta, ut *orsus*, loquutus. *Virg. A.* 7, 435. Hic juvenis vatem irridens sic orsa vicissim Ore refert; et *ib.* 10, 632. et in melius tua, qui potes, orsa reflectas. *Val. Fl.* 5, 472. Talia miranti propius tulit orsa tyranno.

ORSUS, us, m. principium, conatus, exordium. *Cic.* vertens *Homeri* versus *Div.* 2, 30. Auguris ut nostri Calchantis fata queamus Scire, ratos ne habeant, an vanos pectoris orsus. *Virg. Cul.* 1. Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia, Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum.

*ORTACĒAS vel Ortacea, ae, fluvius Elymaidis, qui, una cum Brixia, in mare exit, plurimum limi ad litus deferens, uti refert *Plin.* 6, 27. ubi ablativus *Ortacea* occurrit. *B. A.*

*ORTAGURĒA, ae, f. sic dictum est olim Maronea, Thraciae oppidum. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

ORTHAMPĒLOS, i, f. ὀρθάμπελος, vitis ipsa se sustinens, sine pali adminiculo: ab ὀρθὸς, rectus, et ἄμπελος, vitis. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 8. Nec orthampelos indiget arbore aut palis, ipsa se sustinens.

*ORTHĀNUS, i, m. Bacchi epitheton. V. *Heins.* et *Drak.* ad *Sil.* 3, 395. *B. A.*

*ORTHE, es, f. Ὄρθη, Thessaliae oppidum. *Plin.* 4, 9. *B. A.*

[ORTHEMBĀSIS, is, f. rectus incessus: ab ὀρθὸς, rectus, et ἔμβασις, incessus. Legitur haec vox in *Not. Tir.* p. 152., ubi perperam scribitur *ortimbassis. F.*]

ORTHĪUS, a, um, adj. ὄρθιος, rectus. *Capell.* 9, 332. Orthius *(pes)*, qui ex tetrasemi elatione, id est arsi, et octasemi positione constabit: ita ut duodecim tempora hic pes recepisse videatur; et *mox:* Orthius propter honestatem positionis est nominatus. ℙ *Orthium carmen* est numeris altissimis constans, et intentissima voce prolatum; alii interpretantur lugubre, a Diana, quae apud Lacedaemonios Ὀρθία est appellata, ad cujus aram adolescentes virgis caedebantur. *Gell.* 16, 19. Arion

stans in summae puppis foro, carmen quod orthium dicitur, voce sublatissima cantavit.

ORTHOCISSOS, i, f. ὀρθόκισσος, genus hederae erectae, et chamaecisso oppositae: ab ὀρθός, rectus, et κισσός, hedera. *Colum.* 11, 2. *med.*

ORTHOCOLUS, a, um, adj. ὀρθόκωλος, recta, seu inflexibilia membra habens: ab ὀρθός, rectus, et κῶλον, membrum. *Veg. Vet.* 2, 54. Orthocola jumenta sunt, quae contractionem nervorum patiuntur in pedibus, et de capitibus ungularum calcant, et sunt rigidis articulis, et plenas ungulas in terram ponere non possunt: quod vitium nascitur ex enormitate onerum, et labore confragosarum viarum.

ORTHODOXUS, a, um, adj. ὀρθόδοξος, qui de Fide recte sentit: ab ὀρθός, rectus, et δόξα, sententia· *Damasus* ad *Hieron. ep.* 19. *in.* Commentaria a nostris, hoc est orthodoxis viris scripta. *Impp. Valent. et Marc. Cod.* 1, 2, 12. Sacrosanctae Ecclesiae orthodoxae religionis. *Impp. Leo, et Anthem. ib.* 14. Sacrosancta orthodoxa Ecclesia.

[ORTHOGILLUS, a, um, adj. ab ὀρθός, erectus, et γνῖον, membrum. *Pelag. Veter.* 16. *f.* Orthogilli *(equi)* sunt, quibus pedes priores spanditi fuerint introrsum, contra ventrem ungulis tortis. *Orthogilli* scribitur pro *orthogylli. F.*]

ORTHOGONĬUS, a, um, adj. ὀρθογώνιος, rectos habens angulos: ab ὀρθός, rectus, et γωνία, angulus. *Vitr.* 10, 11. *f.* Pythagoricum trigonum orthogonium. *Auson. praef. ad Idyll.* 13. Ossicla aequilatera, isopleura, orthogonia, scalena.

ORTHOGRAPHĬA, ae, f. ὀρθογραφία, recta scriptura, scientia recte scribendi: ab ὀρθός, rectus, et γράφω, scribo. *Suet. Aug.* 88. Orthographiam, idest formulam rationemque scribendi a grammaticis institutam, non adeo custodiit. Adde *Quint.* 1, 7. ℙ Ap. *Vitr.* 1, 2. Orthographia est erecti operis, adversique descriptio, cui opponitur descriptio vestigii, seu plantae.

[ORTHOGRAPHUS, a, um, adj. ὀρθόγραφος, recte scriptus, aequus: ab ὀρθός, rectus, et γράφω, scribo. *Capell.* 1, 17. Clotho vero, Lachesis, Atroposque, quoniam sententias Jovis orthographae studio veritatis excipiunt, utpote librariae superum, archivumque custodes. Ita *Grot.* et *Munck.* ex MSS., editiones male *orthographiae.* ℙ *Orthographus, i,* m. ὀρθογράφος, est, qui rectam scribendi rationem docet. *Cassiod. Orthogr.* p. 2320. Congregatis igitur, quae apud supradictos orthographos necessario comperi fuisse conscripta, nunc finem libro faciam. *F.*]

ORTHOMASTĬCA Poma, genus malorum, quod refert erectam mammam: ab ὀρθός, rectus, et μαστός, mamma. *Plin.* 15, 14, 15. Mammarum effigie orthomastica mala. Ubi *Hard.* ex MSS. legit *orthomastia.*

ORTHOPHALLĬCUS, a, um, adj. obscenus: ab ὀρθός, erectus et φαλλός, τὸ αἰδοῖον. *Varr.* ap. *Non.* 2, 249. Orthophallica attulit psalteria. Al. aliter leg.

*ORTHOPHANTAE, arum, gens Mesopotamiae. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

ORTHOPNOEA, ae, f. ὀρθόπνοια, difficultas illa spirandi, qua nisi erecta cervice, trahi spiritus non potest: ab ὀρθός, rectus, et πνέω, spiro. *Plin.* 21, 21, 91. Abrotonum utile tussi, orthopnoeae, convulsis. *Id.* 32, 4, 14. Testudinum sanguis anhelitus discutit, quasque orthopnoeas vocant.

ORTHOPNŒĬCUS, a, um, adj. ὀρθοπνοϊκός, orthopnoea laborans. *Plin.* 20, 17, 74. Anisum prodest orthopnoicis. *Id.* 24, 16, 92. Aron dare tussientibus, suspiriosis, orthopnoicis.

*ORTHOSĬA, ae, f. Ὀρθωσία, Phoeniciae oppidum. *Plin.* 5, 20. ℙ Aliud, in Caria, prope Maeandrum flumen. *Liv.* 45, 25. *Plin.* 5, 29. ℙ Quem in *Notit. Orb. Antiq.* ut Lydiae fluvium meminit *Cellarius*, potest esse is, quem in Caria ponunt *Livius* ac *Plinius.* Cui sententiae quodammodo astipulatur *Strabo. B. A.*

ORTHOSTĀTA, ae, m. ὀρθοστάτης, h. e. rectus stans: ab ὀρθός, rectus, et ἵστημι, sto: utraque frons muri ex magnis lapidibus constructa. *Vitr.* 2, 8. Medio cavo servato secundum orthostatas intrinsecus, ex saxo quadrato struat bipedales parietes; et *mox:* Neque orthostatas inter se religatos labi patietur. *Id.* 10, 19. *f.* Machina in medio habens collocatum in orthostatis canalem.

ORTHRĀGŌRISCUS, i, m. ὀρθραγόρισκος, piscis marinus figura tereti, qui grunnire porcorum more dicitur, cum capitur. *Plin.* 32, 2, 9.

*ORTHRONIENSES, populi Cariae. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

ORTHRUS, i, m. Ὄρθρος, dicitur fuisse canis ferus Geryonae, et custos armenti ejus post illius necem ab Hercule illatam datus comes Cerbero in limine Ditis. *Sil.* 13, 845., et putatur significari a *Statio Silv.* 2, 1, 230. insontes animas nec portitor arcet, Nec dirae comes ille ferae. Al. ap. *Sil.* leg. *Orthus.* ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 269, 2. Ti. Claudius Orthrus. *F.*]

ORTĪVUS, a, um, adj. ad ortum pertinens. *Manil.* 3, 188. A sole ad lunam numerabis in ordine partes Signorum: ortivo totidem de cardine duces, *h. e.* de ortu, de horoscopo. *Appul. Met.* 3. Coruscat in modum ortivi solis ignis, et mucro, *h. e.* orientis.

[ORTONENSIS, e, adj. ad Ortonam pertinens, maritimam Frentanorum urbem, quae etiamnunc *Ortona* appellatur; ejus meminit *Plin.* 3, 12, 17. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 174. Praefectus fabrum municipii Ortonensis. *F.*]

*ORTOPŪLA, ae, f. opp. Liburniae. *Plin.* 3, 21. *B. A.*

*ORTOSPĀNUM, i, n. urbs Asiae ulterioris, in Paropamisadarum regione. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

ORTUS, a, um, part. ab *orior*, natus, in lucem editus, profectus. *Cic. Mur.* 21. *f.* Qui ab illo ortus es. *Sall. Jug.* 116. Pater ejus ex concubina ortus erat. *Hor. Sat.* 1, 6, 10. Multos saepe viros nullis majoribus ortos, etc. *Colum.* 1, 1. *med.* Fontibus orti sapientiae Democritus, Xenophon, Architas. *Caes. B. G.* 2, 4. Plerosque Belgas esse ortos a Germanis. *Plin.* 3, 5, 8. Colonia Falisca Argis orta. *Liv.* 2, 6. Ne se ortum ejusdem sanguinis extorrem perire sinerent. V. integrum loc., ubi *Gronov.* ita distinguit *ne se ortum, ejusdem sanguinis*, etc. ut *se* ad Tarquinienses, non ad Tarquinium referatur. Sunt etiam qui leg. *ortu:* quod minus placet. *Ter. Eun.* 2, 2, 10. Ex eodem loco ortus. *Liv.* 26, 6. *f.* Loco obscuro tenuique fortuna ortus. *Cic. Agr.* 1, 9. Quem equestri loco ortum consulem videt. *Ov. Met.* 10, 735. flos e sanguine concolor ortus. *Plin.* 3, 1, 2. Ana fluvius ortus Laminitano agro citerioris Hispaniae; et *ib.* 12, 17. Anio in monte Trebanorum ortus. *Id. prooem.* 23. Nervorum dolores frigore orti. *Caes. B. G.* 5, 8. Orta luce. *Hor. Ep.* 2, 1, 112. Orto sole. *Sall. Cat.* 6. Invidia ex opulentia orta. *Liv.* 2, 40. Fletus ab omni turba mulierum ortus. *Cic. Att.* 11, 25. Rumor ortus ex Sulpicii litteris. *Pl. Poen.* 4, 4, 67. Facinus ex te ortum. *Ter. Ad.* 3, 1, 35. A me tibi nulla orta est injuria. [*Quid *oriundus* differat, V. in h. v.

ORTUS, us, m. γένεσις, nativitas, exortus, origo. *Cic. Div.* 2, 43. Cum ortus nascentium luna moderetur. *Id. Leg.* 2, 2. Cum Cato ortu Tusculanus esset, civitate Romanus; et *ib.* 1, 6. Ipsius juris ortum a fonte repetamus; et *ib.* 3, 8. Tribunicia potestas, cujus primum ortum inter arma procreatum videmus. *Id. Univ.* 2. Consideremus, semperne fuerit mundus, nullo generatus ortu; et *mox:* Quae ortum habere, gignique dicuntur. *Id. Div.* 1, 56. Solis, et lunae, reliquorumque siderum ortus, obitus, motusque cognoscere; et *N. D.* 2, 19. Sol ab ortu ad occasum commeans. *Id. Cat.* 3, 8. *f.* Si illud signum solis ortum conspiceret. *Ov. Met.* 5, 494. Pisa mihi patria est, et ab Elide ducimus ortum. *Plin.* 17, 9, 8. Id plerique prave intelligunt a Favonii ortu faciendum.

ORTYGĬA, ae, f. insula maris Aegaei, eadem ac Delos: ab ὄρτυξ, υγος, coturnix, quod in ea primum haec avis visa sit, vel a coturnicum copia, vel quia Latona eo cum appulisset, ab Jove in coturnicem mutata est, ut Junonis iram vitaret, ut *Serv.* tradit ad *A.* 3, 72. ℙ Item insula prope Siciliam, contra Syracusas. *Virg. A.* 3, 694. ℙ Item Ephesus urbs Ioniae. *Plin.* 5, 29, 31. ℙ *Ortygie, es,* Ὀρτυγίη, Graeca positio. *Ov. Met.* 15, 336. tempusque fuit, quo navit in undis: Nunc sedet Ortygie.

ORTYGĬUS, a, um, adj. ad Ortygiam pertinens. *Ov. Met.* 1, 694. Ortygia Dea, *h. e.* Diana in Ortygia nata. *Id. Fast.* 5, 692. Ortygiae boves, *h. e.* quas surripuit Mercurius Apollini in Ortygia nato, cum Admeti greges pasceret.

ORTYGŌMETRA, ae, f. ὀρτυγομήτρα, rex coturnicum, major aliquanto, ac nigrior: ab ὄρτυξ, coturnix, et μήτηρ, mater. Alii dicunt esse avem alterius generis. *Plin.* 10, 23, 33. Aquilone ergo maxime volant, ortygometra duce: [*nostr. *Wachtelkönig.*] ℙ *Tert. adv. Psych.* 16. de quacumque coturnice usurpat. Ita et *Hieron. adv. Jovin.* 2, 17.

ORTYX, ygis, f. ὄρτυξ, plantago, herba. *Plin.* 21, 17, 61.

ŌRUM, pro aurum dicebant rustici, teste *Festo* in *Orata.*

*ORUROS, i, locus vel opp. Mesopotamiae, versus Euphratem, terminus Imperii Romani. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

*ORXŬLAE, arum, populi Indiae. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

ŌRYX, ygis, m. ὄρυξ, bestia in Gaetulia, bisulca et unicornis, alioqui caprae non dissimilis, pilo contra aliorum animalium naturam ad caput verso, quae sub ortum Canieulae, tanquam ejus sideris adventum praesentiens, fixis oculis eam plagam coeli intuetur, ubi primum signum hoc exoritur, eoque conspecto sternutat, et veluti venerabunda adorat. *Plin.* 2, 40, 40., 8, 53, 79., 11, 46, 106. ob figurae similitudinem, nunc cervis, nunc capris accenset. Adde *Colum.* 9, 1. Nomen est ex eo, quia unicum illud cornu, quod gestat, refert instrumentum illud fossorium, quod Graecis ὄρυξ, ab ὀρύσσω, fodio. *Gloss. Philox.* Ὄρυξ, sarculum, ligo, dolabra. *Juven.* 11, 140. Et Gaetulus oryx, hebeti lautissima ferro, Caeditur, etc. Ex hoc *Juven.* loco colligimus, fuisse orygem in lautioribus cibis habitum. *Mart.* 13, 95. Matutinarum non ultima praeda ferarum Saevus oryx, constat qui mihi morte canum.

ORYZA, ae, f. ὄρυζα, ὄρυζον, genus frumenti ex India invecti, quod in aqua colitur, et in ptisanis maxime probatur. Simile est milii radice, caule, foliis, flore: crescitque ad duos tresve pedes, habens in summo jubam, in qua grana aristis munita, durisque glumis involuta, quas in tritura non deponunt, ideo pila tunduntur, ut liberentur. Alia videtur esse, quae describitur a *Plin.* 18, 7, 13. folio carnoso, porro simili, sed latiore, altitudine cubitali, flore purpureo, radice gemmeae rotunditatis. *Cels.* 2, 21. enumerat inter eos cibos, qui boni succi sunt. *Hor. Sat.* 2, 3, 155. sume hoc ptisanarium oryzae. ℙ Scribitur et *oriza.*

OS

OS, oris, n. στόμα, cavum in facie animalis, lingua et dentibus instructum. *Cic. N. D.* 2, 53. *extr.* Cum tribus rebus animantium vita contineatur, cibo, potione, spiritu, ad haec omnia percipienda os est aptissimum; et 47. Animalia cibum partim oris hiatu, et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, etc. *Virg. A.* 6, 625. Non mihi si linguae centum sint, oraque centum, etc. et *ib.* 12, 373. Ora equorum spumantia frenis; et *ib.* 10, 566. de Aegaeone: quinquaginta oribus ignem, Pectoribusque arsisse. *Cato R. R.* 90. Ex ore in ejus os inflato aquam dato palumbo. ℙ Metaphorice sumitur pro foramine, aditu, ostio; [*Mündung.*] *Virg. A.* 2, 482. excisa trabe firma cavavit Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram. *Tac. A.* 4, 59. Os specus. *Quint.* 1, 2. *med.* Vascula oris angusti. *Pall.* 3, 25. *med.* Oribus vasculorum gypso clausis. *Juven.* 14, 138. pleno cum turget sacculus ore. *Virg. G.* 3, 454. ferro rescindere summum Ulceris os. *Sen. Herc. Fur.* 664. Hic ora solvit Ditis invisi domus, Hiatque rupes alta. *Cic. Verr.* 2, 4, 58. In ponti ore et angustiis; et *ib.* 7, 12. In ipso aditu atque ore portus. ℙ *Os fluminis* est ubi flumen in mare exit. *Liv.* 1, 33. *f.* In ore Tiberis Ostia urbs condita. *Cels.* 2, 7. et 6, 18. *n.* 9. Ora venarum. ℙ Interdum est ipsa origo et caput, unde flumen exit. *Virg. A.* 1, 249. fontem superare Timavi, Unde per ora novem vasto cum murmure montis It mare proruptum. *Claud. VI. cons. Honor.* 197. inque novem consurgens ora Timavus. Hinc *Mela* 2, 4. Interfluit Timavus novem capitibus exsurgens, uno ostio emissus. V. TIMAVUS. ℙ *Ora*, orae, ripae, agger. *Colum.* 8, 15. Ora lacus ne corrumpantur, opere signino consternuntur: eaque non in gradus oportet erigi, sed paulatim clivo subsidere, ut tanquam e litore descendatur in aquam. ℙ Metonymice est lingua, sermo. *Virg. A.* 2, 422. clypeos mentitaque tela Agnoscunt, atque ora sono discordia signant. ℙ *In ore esse* de eo dicitur, de quo vulgo sermo est. *Ter. Ad.* 1, 2, 13. Hoc advenienti quot mihi, Micio, dixere! in ore est omni populo. Sic *Cic. Verr.* 2, 1, 46. *extr.* Istius nequitiam in ore vulgi, atque in communibus proverbiis esse versatam; et *ib.* 2, 2, 23. Res percrebuit, in ore atque sermone omnium coepit esse. *Ov. Her.* 17, 34. Ne quando nomen non sit in ore meum. *Tac. Agr.* 41. Poscebatur ore vulgi dux Agricola. *Cic. Fam.* 6, 18. *extr.* Habere aliquid in ore, i. e. frequenter loqui de re aliqua. ℙ *Uno ore*, uno omnium consensu. *Ter. Phorm.* 4, 3, 19. Amici omnes modo uno ore auctores fuere, ut praecipitem hanc daret. *Virg. A.* 11, 132. uno omnes eadem ore fremebant. ℙ *Ire per ora virum, vulgi, hominum*, et absolute *ire per ora*, vel *venire in ora*, fama celebrem esse. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 15. volito vivu' per ora virum. *Catull.* 40, 5. Anne ut pervenias in ora vulgi? *Liv.* 2, 36. Ne in ora hominum pro ludibrio abiret. *Sil.* 3, 135. ire per ora Nomen in aeternum paucis mens ignea donat. *Prop.* 3, 1, 24. Majus ab exsequiis nomen in ora venit. ℙ Per synecdochen est vultus, facies. *Ter. Eun.* 2, 3, 25. Nova figura oris, color verus, corpus solidum, et succi plenum. *Cic. Off.* 1, 29. Licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti sunt. *Virg. A.* 6, 495. Deiphobum vidit lacerum crudeliter ora; et *ib.* 8, 486. Componens manibusque manus, atque oribus ora; et *ib.* 10, 821. ut vultum vidit morientis et ora, Ora modis Anchisiades pallentia miris. *Cic. Dejot.* 2. In tuis oculis, in tuo ore vultuque acquiesco. ℙ Hinc saepe ponitur pro praesentia, conspectu. *Ter. Heaut.* 3, 3, 11. Concedas hinc aliquo ab ore eorum aliquantisper. *Id. Ad.* 2, 4, 5. Laudare aliquem coram in os; et 5, 4, 10. Nulli laedere os, arridere omnibus, *h. e.* nullum praesentem laedere. *Virg. A.* 11, 887. ante oculos atque ora parentum. *Sen. Ben.* 7, 19. et *Tac. H.* 3, 77. Jugulare filios in ore parentum. *Cic. Verr.* 2, 2, 33. Quae in foro palam Syracusis, in ore atque in oculis provinciae gesta sunt. *Id. Rosc. Am.* 6. In foro, atque in ore omnium quotidie versari. *Justin.* 36, 1.

Traductus per ora civitatium. ℙ De vultu habitum animi praeferente, et praesertim audaciam, impudentiam, qua quis etiam in periculo, aut re turpi nihil vultum mutat aut pudore, aut metu. *Ter. Eun.* 4, 7, 35. *Chr.* Eam esse dico liberam. *Thr.* hem! *Chr.* civem Atticam. *Thr.* hui! *Chr.* meam sororem. *Thr.* os durum! *Cic. Quint.* 24. Mihi videri ore durissimo esse, qui praesente Roscio gestum agere conarentur. *Ter. Eun.* 3, 5, 49. Tum equidem istuc os tuum impudens videre nimium vellem. *Id. Phorm.* 5, 7, 24. Quo redibo ore ad eam, quam comtempserim? [*Mit welcher Stirne.*] ℙ Pro ipsa impudentia. *Cic. Or.* 1, 38. Quod tandem os est illius patroni, qui ad eas causas sine ulla scientia juris audet accedere? *Id. Verr.* 2, 2, 20. Nostis os hominis, nostis audaciam: tamen tum rumore populi, et clamore perturbatus est. *Mart.* 9, 95. Os hominis mulsum me rogat Hippocrates. *Sen. Const. Sap.* 17. *med.* Duritia oris. *Ov. Her.* 17, 101. Non tu plus cernis, sed plus temerarius audes: Nec tibi plus cordis, sed magis oris inest. ℙ Contra *os molle* est frons tenera, facile erubescens, verecunda. *Sen. ep.* 11. Nihil erat mollius ore Pompeji: nunquam non coram pluribus erubuit. *Probum os* eod. sensu V. in PROBUS. ℙ *Praebere os* est offerre se contumeliis, verberibus. *Liv.* 4, 35. *f.* Praebere ad contumeliam os. *Ter. Ad.* 2, 2, 6. Adolescenti morem gestum oportuit. *San.* Qui potui melius, qui hodie usque os praebui? ℙ *Os alicui sublinere.* V. SUBLINO. ℙ *Os concurrit.* V. CONCURRO. ℙ [**Os belli atque fauces* ap. *Cic. Arch.* 9. est: bellicum periculum et quidem ultimum. Videtur dictum imitatione Homeri, qui dixit *στόμα πολέμοιο, Il. K*, 8. ubi tamen durius dicitur, quam apud Ciceronem. Non enim additur eripere, ut h. l. sed *τεύχειν*. Adde *Υ*, 359. *Ernest.* in *cl. Cic.* s. v.] ℙ Aliquando ponitur pro toto capite. *Cic. Verr.* 2, 4, 56. Gorgonis os pulcherrimum crinitum (al. *cinctum*) anguibus. *Tac. A.* 1, 61. Truncis arborum antefixa ora. *Catull.* 61, 138. Nunc tuum cinerarius Tondet os. *Stat. Th.* 3, 131. pars molliter aptant Brachia trunca loco, et cervicibus ora reponunt. ℙ De navium rostris. *Hor. Epod.* 4, 17. Quid attinet tot ora navium gravi Rostrata duci pondere? ℙ *Os leonis*, flos cujusdam herbae leoninum os apertum referens. *Colum.* 10, 98. Narcissique comas, et hiantis saeva leonis Ora feri. ℙ In genitivo plur. qui usurpaverit, inveni adhuc neminem.

OS, ossis, n. *ὀστοῦν*, solidamentum corporis, quod nervis natura alligavit: a voce Graeca allata. *Cels.* 8, 2. Omne autem os, ubi injuria accessit, aut vitiatur, aut finditur, aut frangitur, aut foratur, aut colliditur, aut de loco movetur. *Cic. N. D.* 2, 55. Quid dicam de ossibus, quae subjecta corpori, mirabiles commissuras habent, et ad stabilitatem aptas, et ad artus finiendos accommodatas, et ad motum, et ad omnem corporis actionem? *Id. Verr.* 2, 5, 49. Ex tua calamitate cineri atque ossibus filii sui solatium vult aliquod reportare; et *ib.* 3, 44. Cur hunc dolorem cineri ejus, atque ossibus inussisti? *Virg. A.* 6, 54. gelidus Teucris per dura cucurrit Ossa tremor. *Id. Ecl.* 3, 102. de macie confectis: vix ossibus haerent. ℙ *Ossa legere*, combusto cadavere in rogo, quae post ignem inconsumpta remansissent, maxime propinquorum munus fuit. *Sen. Ira* 2, 33. *f.* Dignus fuit, cui permitteret a convivio ad ossa filii legenda discedere. In *Gloss. Philox.* dicitur *ossilegium*, Graece *ὀστολόγιον*, cujus ritum ac caeremonias *Tibull.* persequitur 3, 2., quem locum illustrat *Kirchman. de funerib. l.* 3. *c.* 6. *Serv.* ad *A.* 11, 210. dicit, id factum tertio die post crematum cadaver. ℙ *Ossa legi* dicuntur iis quoque, quibus aut casu, aut ictu fracta, aut collisa sunt, et medici ope extrahuntur. *Sen. Ben.* 5, 24. *f.* Postea ad Mundam in acie oculus mihi effossus est, et in capite lecta ossa. *Id. Prov.* 3. Remedii causa quibusdam et radi ossa, et legi, et quaedam amputari membra. *Id. Consol. ad Marc.* 22. Adde lacerationes medicorum ossa vivis legentium, et totas in viscera manus demittentium. ℙ Metaphorice. *Plin* 17, 27, 43. Arborum ossa terebrare, *h. e.* intimum lignum, ac medullae circumpositum. *Suet. Claud.* 8. Olearum ac palmularum ossibus incessebatur, *h. e.* nucleis. ℙ *In ossibus* in medullis, in visceribus, in corde. *Virg. G.* 3, 258. Quid juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem Durus amor? *Id. A.* 5, 172. Tum vero exarsit juveni dolor ossibus ingens. ℙ Ossa orationis sunt subtilitas, argumenta, nervi et vires. *Cic. Brut.* 17. Attico genere dicendi se gaudere dicunt. Sapienter id quidem atque utinam imitarentur, nec ossa solum, sed etiam sanguinem. ℙ Olim ossibus exactis in libro et cera scribebant, antequam ferrei stili excogitarentur. Testis *Varr.* ap. *Charis.* 1, 112. Hinc *Titin. ib.* Velim ego osse arare campum cereum. ℙ Etiam *ossum*, i, declinatum est. *Varr.* ap. *Charis. ib.* Olivo, et osso putat fieri. *Cn. Gell. ib.* et ap. *Prisc.* 7, 750. Calvariae ejus ipsum ossum expurgaverunt, inauraveruntque. *Pacuv.* ap. *Prisc. ib.* Ossum inhumatum. *Actius ib.* Fraxinu' fissa ferox infensa infunditur ossis. *Tert. carm. adv. Marc.* 2, 196. De Christi nova carne caro, deque ossibus ossum. Adde *August.* in *Psalm.* 138. ad illum versum: *Non est absconditum os meum a te.* ℙ Etiam *ossu*, *u*, n. agnoscitur a *Charis.* 1, 12. et 112. ℙ Etiam *hoc osse* in recto pro *os*, aut *ossum* agnoscit. *Id. Charis. l. c.* p. 40., sed haec carent exemplis. ℙ *Ossuum* pro *ossium* habet *Prud. περὶ στεφ.* 5, 111. ossuum compago. ℙ Rectus casus corripitur: unde *exos* ultima brevi. *Lucr.* 3, 722. Exos, et exsanguis tumidos perfluctuat artus. At in *os*, *oris*, producitur, quod et *August.* docuit *Gramm.* p. 1980. et *Doctr. Christ.* 3, 3. ℙ In plur. *ossua* pro *ossa*, ab *ossu*, *u*, saepe usurpatur in *Inscr.* ap. *Grut.* 575. 3. Ossua posita sunt VI. Id. Novemb. Crispino, et Aeliano Caes. Adde aliam 799, 8. et 875, 3. et ap. *Don. cl.* 2. *n.* 181. Hinc saepius *ossuarium*, quam *ossarium.*

OSCA. V. OSCENSIS.

OSCĔ, adv. Oscorum lingua. *Gell.* 17, 17. Ennius tria corda habere se dicebat, quod loqui Graece, et Osce, et Latine sciret. *Varr. L. L.* 4, 30. Osce dicere aliquid. *Titin.* ap. *Fest.* in *Oscum.* Qui Osce, et Volsce fabulantur: nam Latine nesciunt.

OSCĔDO, inis, f. *χάσμη*, vitium, quo quis saepius oscitat. *Gell.* 4, 20. Tenerique eo vitio, quod oscedo appellatur. ℙ Est etiam oris ulcus. *Ser. Samm.* 14, 216. Hinc oscedo fugit, linguae quoque vulnera cedunt. *Isid. Or.* 4, 8. Oscedo est, in qua infantum ora exulcerantur, dicta ex languore oscitantium.

OSCEN, inis, m. ab auguribus dicitur avis, quae ore canens facit auspicium, ut corvus, cornix, noctua: quasi *ore canens. Varr. L. L.* 5, 7. *extr.* et *Appius Claud.* ap. *Fest.* Hinc *Serv.* ad *A.* 3, 361. Aves aut oscines sunt, aut praepetes: oscines, quae ore futura praedicunt; praepetes, quae volatu augurium significant. Adde *Plin.* 10, 19, 22., ubi innuit, alites et oscines dici eas tantum, quae digitos in pedibus habent. *Hor. Od.* 3, 27, 11. Oscinem corvum prece suscitabo. *Auson. Idyll.* 11, 15. Tres quorum *(cervorum)* aetates superat Phoebeius oscen, *h. e.* corvus a Phoebo in nigrum ex albo mutatus, ut est ap. *Ov. Met.* 2, 632. V. ALES. ℙ In recto singulari *hic oscinis* dixisse *Ciceronem* testis est *Plin.* ap. *Charis.* 1, 112.

OSCENSIS, e, adj. ad Oscam pertinens, quae est urbs Hispaniae citer. ad Ilergetes pertinens. *Varr. R. R.* 1, 57. Oscensis ager. *Liv.* 34, 10. et 46. et 40, 43. Oscense argentum, [*h. e.* denarii in urbe Osca cusi, vel potius in aliis urbibus proximis, sed ad normam Oscensium. V. *Eckhel. D. N. V.* T. 1. p. 4. *f.*] ℙ *Oscenses*, *ium*, ejus urbis incolae. *Caes. B. C.* 1, 60. et *Plin.* 3, 3, 4.

OSCI, orum, m. plur. populi Campaniae, in Latii et Samnii confinio, postea Sidicini appellati; quorum urbs Teanum. Antea *Opici*, et *Opsci* dicti sunt, teste *Verrio* ap. *Fest. Ennius ib.* de muris res gerit Opscus. *Virg. A.* 7, 730. Oscorumque manus. ℙ Male olim audiebant turpis libidinis fama: unde quidam putarunt, vocem *obscenus* inde esse deductam: quod tamen *Festus* negat.

OSCILLA, festa in honorem Bacchi, in quibus homines se per funes jactabant. Alii putant fuisse Erigones. *Paul.* ex *Festo.* V. OSCILLUM.

OSCILLANS, antis, part. ab *oscillo*, oscillatione se jactans. *Fest.* in *Oscillam:* ubi addit: Oscillantes, ait Cornificius, ab eo, quod os celare soliti personis propter verecundiam, qui eo genere lusus utebantur.

OSCILLĀTĬO, onis, f. *αἰώρα*, jactatio per funem. *Petr. Sat.* 140. Oscillatione ludere. Adde *Fest.* in *Oscillum*, et *Hyg. fab.* 130.

OSCILLO, as. V. OSCILLANS et OCCILLO. ℙ Oscillum Santra dici ait, quod oscillent, idest, inclinent, praecipitesque in os ferantur. *Festus.*

OSCILLUM, i, n. *στομάτιον*, dimin. oris. *Colum.* 2, 10. Si humor invasit, vermes gignit, qui simul atque oscilla lupinorum ederunt, reliqua pars enasci non potest. Quod *Colum.* os vocat lupinorum, id *Plin.* 18, 14, 36. vocat umbilicum. ℙ Est praeterea ludi genus, in quo fune altrinsecus de tigno, arboreve religato, in aere quis libratus subvectatur: [**das Schaukeln.* Sunt autem, qui *oscillum*, qua librandi, jactandi quoddam genus ludendo adhibitum significat, aliud omnino vocabulum alio que fonte oriundum (ex *obs* et *cilleo s. cillo*, i. e. moveo) praedicantes, sejunctim ponere soleant.] Hoc ludi genus fiebat tanquam sacrificium iis, qui suspendio mortui essent. Nam oscillatione, sive jactatione per funem optime exprimitur mors suspendiosorum: quibus cum justa fieri jus non sit, suspensis oscillis, veluti per imitationem mortis parentatur, ut ait *Varr.* ap. *Serv.* ad *A.* 12, 603. Hinc oscillationem Athenienses instituerunt in Erigones gratiam, quae se suspenderat. *Serv.* ad *G.* 2, 389., *Hyg. fab.* 130. et *Astron.* 2, 4. ℙ *Festus* aliam affert causam, scilicet quod rex Latinus in proelio contra Mezentium Caeritum regem nusquam apparuerit, judicatusque sit Juppiter Latiaris factus. Itaque per sex dies, feriatos liberos servosque requirere eum, non solum in terris, sed etiam, quia videretur coelum posse adiri, per oscillationem. Addit, id etiam fieri solitum in memoriam et imaginem vitae humanae, in qua altissima interdum in infima dejiciuntur, infima in altum efferuntur. *Serv. l. c.* refert etiam illorum sententiam, qui dicunt, oscilla membra esse virilia de floribus facta, quae suspendebantur per intercolumnia, ita ut in ea homines acceptis clausis personis impingerent, et ea ore cillerent, idest moverent, ad risum populo commovendum. *Virg. ib.* Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis, Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibique Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu. ℙ Oscilla etiam parvae imagunculae, seu parvae statuae erant, quae arte fictili fingebantur, et venales proponebantur, quibus homines pro se, atque suis Diti patri, et Saturno piacula faciebant. *Macr. Sat.* 1, 7. *med.* et *ib.* 11. *f.* ℙ Etiam *Serv. l. c.* oscilla intelligit imagunculas in oris humani effigiem, quas pro se suspendebant in extentis funibus, quia saepe acciderat, ut homines in iis se jactando, graviter conciderent. Adde *Lact.* ad *Stat. Th.* 11, 644. ℙ Ex his omnibus fit *oscillum* primo esse parvum os, ut diximus: deinde parvam imaginem oris, seu figurae humanae similitudine, ut a *tantum tantillum*, ab *os osculum*, *oscillum:* tertio ipsum sacrum, seu festum, in quo hujusmodi oscilla adhibebantur. Alii derivant ab *os*, *oris*, addita positione diminutivi: alii ab *os*, et *cillo*, h. e. moveo, quod in illa jactatione in funibus ora et capita sursum deorsum moverent: alii denique, ut *Cornific.* ap. *Fest.*, ab *os*, et *celo*, *as*, quod personis ora tegerent.

OSCĪNES. V. OSCEN.

OSCĪNUM tripudium, inquit *Fest.* est, quod oris cantu significat quid portendi, cum cecinit corvus, cornix, noctua, parra, picus. Oscinum augurium, inquit *Paul. ib.*, a cantu avium. His locis *oscinum* potest videri adjectivum.

OSCĬTĂBUNDUS, a, um, adj. saepe oscitans. *Sidon. ep.* 2, 2. Discipulis exponere oscitabundus ordiris: *Samia mihi mater fuit.* Legitur etiam ap. *Gell.* 4, 20. in lemmate.

OSCĬTANS, antis, part. ab *oscito:* [*qui oscitat, i. e. aperto ore prostat. *Catull.* 25, 5. Cum de via mulier alites ostendit oscitentes, i. e. hiulco ore clangentes. Noster hunc locum in f. posuerat. ℙ Tunc, qui prae somnolentia os aperit, Gr. *χασμῶν*, nostr. *gähnend.*] *Cic. Mil.* 21. Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis. *Id. fragm.* ap. *Quint.* 8, 3. *med.* Quosdam ex vino vacillantes, quosdam hesterna potatione oscitantes. *Id. Brut.* 54. Videt oscitantem judicem, loquentem cum altero. ℙ [*Translate, segnis, negligens, taedio affectus.] *Id. N. D.* 1, 26. Quae Epicurus oscitans alucinatus est. *Id. Or.* 2, 33. *f.* Tibi mecum in eodem est pistrino, Crasse, vivendum, et istam oscitantem et dormitantem sapientiam Scaevolarum, et ceterorum beatorum otio concedamus.

OSCĬTANTER, adv. oscitando, negligenter, *ὑπτίως*. *Cic. Brut.* 80. Quod ille tam solute egisset, tam leniter, tam oscitanter.

OSCĬTĀTĬO, onis, f. [*proprie simpliciter est oris apertio. *Plin.* 9, 35, 54. Conchas pandentes sese quadam oscitatione, impleri roscido conceptu tradunt: *Forc.* hanc signif. secundo loco posuerat. ℙ Tum est] *χάσμη*, actus oscitandi [**das Gähnen.*] *Plin.* 7, 6, 5. Oscitatio in enixu letalis est. *Gell.* 4, 2. Cum ille dejerasset, invitissimum sese ac repugnantem oscitatione victum. ℙ Translate. *Stat. Silv.* 4, 9, 20. Sed Bruti senis oscitationes De capsa miseri libellionis, *h. e.* libelli negligenter scripti.

OSCĬTO, as, n. 1. et Oscitor, aris, dep. 1. *χασμάομαι*, os late aperio. [**Enn.* ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 10, 396. Oscitat in campis caput a cervice revulsum. Ita dicitur de flore leonis, qui se pandit. *Colum.* 10, 260. Oscitat et leo. V. OS, oris. Adde *Plin.* 16, 24, 36. Omnium *(arborum)* folia quotidie ad solem oscitant, *h. e.* superne convertuntur: quos locos Noster in f. collocaverat. ℙ Tum de iis potissimum dicitur, qui prae somnolentia aut taedio os aperiunt: nostr. *gähnen.*] *Pl. Men.* 5, 2, 80. Ut pandiculans oscitatur! *Gell.* 4, 20. In jure stans, clare nimis ac sonore oscitavit. *Turpil.* ap. *Non.* 234, 4. Timere accepit, interdum oscitarier ineptus, *παραγωγή*. ℙ Translate. *Auct. ad Her.* 4, 36. *f.* Maximas calamitates accepistis: cum majores impendere videantur, sedetis, et oscitamini, *h. e.* negligitis.

OSCŬLĂBUNDUS, a, um, adj. osculans. *Suet. Vit.* 2. *f.* Detractum socculum dextrum *(Messalinae)*, inter togam, tunicasque gestavit assidue, nonnunquam osculabundus.

OSCŬLĀNUS, a, um, adj. *Festus.* Osculana pugna in proverbio, quo significabatur, victos vincere, quia in eadem et Valerius Levinus imperator Romanus a Pyrrho erat victus, et brevi eundem regem devicerat. Alii rectius leg. *Asculana:* nam ex *Liv. Epit. l.* 13. constat, ann. U. C. CCCCLXXIV. P. Valerium Laevinum a Pyrrho devictum, ex *eod.* vero *l.* 14. et ex *Flor.* 1, 13., eundem Pyrrhum in

Apulia apud Asculum tertio post anno, non a Laevino, ut ait *Festus*, sed a Curio Dentato victum, et Italia expulsum fuisse. Hinc *Titin.* ap. *eund. Festum ib.* Haec quidem quasi Asculana pugna est, non secus: quia, qui fugere pulsi hinc, spolia colligunt. [*Multis auxit atque emendavit h. l. *F.*]

OSCŬLĀTIO, onis, f. *φίλημα*, actus osculandi. *Cic. Coel.* 20. Sed etiam complexu, osculatione, aquis, navigatione, conviviis procax videatur. *Catull.* 48, 5. Non si densior aridis aristis Sit nostrae seges osculationis. ℙ [*Osculatio venarum* ap. medicos est earumdem aperitio, quam Graeci *ἀνατόμωσιν* vocant, ut *Coel. Aurel. Tard.* 2, 10. affirmat. *Id. ib.* 13. Si osculatio venarum, ex redundantia materiae veniens, fluorem faciat, convenit uti detractione. *F.*]

OSCŬLĀTUS, a, um. V. v. sq.

OSCŬLOR, aris, atus sum, dep. l. *φιλέω*, osculum do, suavior. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. Id simulacrum non solum venerari, verum etiam osculari solent. *Id. Att.* 16, 5. Eum complexus, osculatusque dimisit. *Just.* 12, 15. Alexander dextram suam osculandam flentibus dedit. *Trebell. Gall.* 16. Matronis manum sibi osculantibus quaternos aureos sui nominis dedit. *Sen. Ben.* 2, 12. C. Caesar *(Caligula)* agenti gratias porrexit osculandum sinistrum pedem. *Pl. Asin.* 1, 3, 69. Bene salutando consuescunt, compellando blanditer, osculando. *Id. Mil.* 2, 2, 88. Eam vidisse cum alieno oscularier. *Cic. Somn. Scip.* 3. Ille me complexus et osculans flere prohibebat. *Pl. Mil.* 2, 2, 19. Nescio quis inspectavit Philocomasium atque hospitem osculantes. ℙ [*Translate, vehementer aliquem, vel aliquid complecti, fovere, amare. *Cic. Fam.* 1, 9. Inimicum meum sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fovebant, sic osculabantur. *Id. Mur.* 10. Mihi videris istam scientiam juris tanquam filiolam osculari tuam; quos locos nescio quo pacto Noster antecedentis §. exemplis adscripserat.] ℙ Etiam *osculo, as*, olim dictum fuit. *Titin.* ap. *Non.* 7, 77. Laudor, quod osculavi privignae caput. Hinc *Prisc.* docet, etiam *osculor a te* passive dici posse. Hinc *osculatus* passive. *Appul. Met.* 2. Osculato tuo capite, quam invita discederet, vultu prodidit.

OSCŬLUM, i, n. *στομάτιον*, parvum os. *Petr. Sat.* 126. Osculum, quale Praxiteles habere Dianam credidit. *Ov. Met.* 1, 499. videt igne micantes, Sideribus similes, oculos: videt oscula, quae, etc. *Mart.* 11, 91. Ipsaque crudeles ederunt oscula morbi: Nec data sunt nigris tota labella rogis. *Suet. Aug.* 94. *med.* Osculum pueri delibatum digitis ad os suum detulisset, *h. e.* quod ait *Appul. Met.* 6. Juppiter prehensa Cupidinis bucculа, manuque ad os suum relata, consaviat. Adde *Phaedr.* 4, 23. et *Virg. A.* 12, 434. ℙ Metonymice pro suavio, sive basio accipitur, *φίλημα* [*nostr. *Mäulchen.*]. Nam basiando os coarctamus, atque minuimus, et quasi ex ore osculum facimus. Osculum, basium, et suavium quomodo differant, V. in BASIUM. *Cic. Att.* 12, 1. Utinam continuo ad complexum meae Tulliae, ad osculum Atticae possim currere. *Id. fragm.* ap. *Non.* 4, 193. Osculum alicui ferre. *Suet. Dom.* 12. offerre. *Pl. Truc.* 1, 2, 8. oggerere. *Suet. Gr.* 23. *extr.* ingerere. *Petr. Sat.* 115. alicui dare; et 138. et *Ov. Her.* 13, 120. capere. *Virg. A.* 1, 691. et *ib.* 2, 490. figere; et *ib.* 1, 260. libare. *Ov. Her.* 11, 117. carpere; et *ib.* 13, 141. sumere. *Tac. H.* 1, 36. jacere. *Phaedr.* 5, 7. et *Juven.* 4, 118. jactare. V. JACIO. *Catull.* 68, 127. decerpere. *Val. Fl.* 1, 264. rapere; et 4, 701. pallentia jungere. *Ov. Her.* 2, 94. Oscula per longas jungere pressa moras. *Id. Amor.* 3, 7, 55. Oscula blanda; et *ib.* 2, 5, 23. improba. *Id. Met.* 3, 451. liquidis porrigere lymphis; et *ib.* 10, 344. admovere. *Suet. Ner.* 37. Osculo impertire aliquem. *Tac. A.* 15, 71. Genua alicujus advolvi, et dextram osculis fatigare; et *Tibull.* 2, 5, 91. natusque parenti Oscula comprensis auribus eripiet. V. LABELLUM. [**Prop.* 1, 3, 16. Osculaque admota sumere ad ora manu. V. *Gronov. Observv.* 4, 6. p. 384. sq. *ed. Fr.*] *Ov. Am.* 3, 7, 9. Osculaque inseruit cupidae luctantia linguae. Hujusmodi genus osculi Graece *μανδαλωτὸν* dicitur. Adde *ib.* 2, 5, 23. et *ib.* 3, 14, 23. *Plin. Pan.* 71. Osculo occurrere alicui; et *ib.* 23. Osculo aliquem excipere, et osculo dimittere; et *ib.* 24. Osculum manu reddere. *Plin. alter* 11, 45, 103. Osculis dextram aversam appetere. *Id.* 28, 2, 5. In adorando dexteram ad osculum referimus, *h. e.* ori admovemus et osculamur. [*Mart.* 12, 59. te pilosus Hircoso premit osculo colonus. *F.*] ℙ In salutationibus, et congressionibus, quanto inter amiciores et familiariores fiebant, tanto osculis inhaerebant diutius. Hinc illae ap. *Sen.* querelae, *Ira* 2, 2. Ille me parum humane salutavit: ille osculo meo non adhaesit, ille inchoatum sermonem cito abrupit. *Tac. Agr.* 4. Noctu in palatium venit, exceptusque *(a Domitiano)* brevi osculo, et nullo sermone, turbae servientium immixtus est: [**breve osculum* est quod raptim impertitur, V. *Walch.* ad h. l.] *Id. A.* 13, 4. Quoties ipse illuc ventitaret, septus turba centurionum, et post breve osculum digrediens. Adde *Quint. decl.* 5, 18. Graeci similiter usurpant *ἀσπασμὸν* et *φίλημα.* ℙ De more osculandi etiam ab imperatoribus servato, V. *Plin. Pan.* 23. et 71. ℙ [Honoris causa mos fuit osculandi manus, atque etiam pedes virorum principum, quod tamen postremum sero invectum, et servile semper habitum fuit. *Sen. ep.* 118. Candidatus eorum manus osculis conterat, quibus designatus contingendam manum negaturus est. *Suet. Dom.* 12. Osculum offerenti, manum praebuit. *Plin. Pan.* 24. [*V. *Schwarz.* ad h. l.] Non tu civium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis. *Coripp. Laud. Just.* 1, 157. et poplite flexo Plurima divinis supplex dabat oscula plantis. *Id. Johann.* 1, 119. pedibus celer ille benignis Oscula laeta dedit. V. OSCULOR. ℙ *Osculi jus* ap. *Suet. Claud.* 26. est consuetudo Romanorum, qua licebat cognatis utriusque sexus sese invicem osculis excipere. ℙ *Osculo interveniente*, formula est legis ab *Imp. Constant. Cod.* 5, 3, 16., qua cautum fuit, ut, si, postquam sponsus sponsae aliquid donaret, eique coram testibus osculum dedisset, illum aut illam ante nuptias obire contigerit, dimidia rerum donatarum pars ad superstitem, dimidia ad defuncti, vel defunctae heredes pertineret; *osculo* autem *non interveniente*, tota donatio infirmaretur: si vero sponsa, *interveniente*, vel *non interveniente osculo*, sponso aliquid donasset, alterutro defuncto, irrita omnino donatio esset. Hinc etiamnum apud nos usus obtinet, ut sponsi, expletis in Ecclesia matrimonii ritibus, sese invicem osculentur, quamvis ea Constantini lex jamdiu obsoleverit. Hujusmodi sese osculandi consuetudinem ante Constantinum viguisse, apparet ex *Tert. Virg. vel.* 11 Si ad desponsationem velantur, quia et corpore et spiritu masculo mixtae sunt per osculum et dextram, etc. *F.*] ℙ [*Confund. *oscula* et *oculi*. V. *Burm.* ad *Quint. decl.* p. 215.]

OSCUS, a, um, adj. ad Oscos pertinens. *Prop.* 4, 2, 61. At tibi, Mamuri, formae caelator ahenae, Tellus artifices ne terat Osca manus: sc. quae tua patria fuit, teque tumulatum tenet, sit tibi levis. *Cic. Fam.* 7, 1. Non enim te puto Graecos, aut Oscos ludos desiderasse: praesertim cum Oscos ludos vel in senatu vestro spectare possis, *h. e.* a Graecis, aut Oscis histrionibus factos. *Tac. A.* 4, 14. Oscum quondam ludicrum levissimae apud vulgus oblectationis, eo flagitiorum et virium venisse, ut auctoritate patrum coercendum sit. *Liv.* 10, 20. Gnaros Oscae linguae exploratum, quid agatur, mittit. ℙ *Cloatius* ap. *Fest.* putavit, hoc vocabulo significari etiam sacrum: unde leges sacratas, Oscas dici. ℙ *Oscus* etiam dictus est locus in Vejenti agro, quo frui soliti produntur augures publici populi R., teste eod. *Festo:* qui alio in loco, Publicus, inquit, ager dictus, quia augurum publicus est, ut Oscus in Vejenti: is enim usu et jure augurum est. ℙ De Oscis populis V. OSCI.

*OSDROËNE, es, f. regio Mesopotamiae. *Ammian.* 23, 4. ℙ *Ὀσροηνὴ* est *Procopio.* ℙ V. *Eutr.* 8, 11. et *Spanh. de Num. diss.* 8. p. 534. *B. A.*

*OSERIATES, ium, populi Pannoniae. *Plin.* 3, 25. *B. A.*

*OSERICTA, ae, f. insula Germaniae borealis. *Plin.* 37, 2. Mithridates *(tradit)* in Germaniae litoribus esse insulam, vocarique eam Oserictam, cedri genere sylvosam: inde (*electrum*) defluere in petras. *B. A.*

*OSI, orum, populi Germaniae, inter Suevum Vistulamque flumina. *Tac. G.* 43. *B. A.*

[OSICERDENSIS, is, adj. ad Osicerdam pertinens, Hispaniae Tarraconensis urbem in conventu Caesaraugustano, nunc *Xerta*, cujus meminit *Ptolem.* 2, 7. et nummus ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 1. p. 54. *Inscr.* ap. *Grut.* 321, 8. et *Fenestr. Syll. inscr.* p. 133. Porciae M. F. Maternae Osicerdesi, *h. e.* Osicerdensi. *Osicerdenses*, *ium*, absolute, sunt illius urbis incolae, ap. *Plin.* 3, 3, 4., ubi tamen corrupte legitur *Ossigerdenses. F.*]

*OSII, orum, populi Indiae. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

*OSINTIAS REGIO pars fuit Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. Regionis Osintiadis, Sisaponem. Sic ed. *Hard.* Antea v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *Regiones Osintigi*, *Sisaponem* etc. *B. A.*

*OSINTIGI. V. v. praec. *B. A.*

[OSIRĔOSTAPHE, es, f. herba eadem ac Osiritis, ap. *Appul. Herb.* 86. Est ab *Ὄσιρις, ἐως*, Osiris, et *ταφή*, sepulcrum. *F.*]

OSĪRIS, is vel ĭdis, m. *Ὄσιρις*, Jovis filius ex Niobe Phoronei filia. Successit Phoroneo in regnum Argivorum. Postea tamen Aegialeum fratrem praefecit regno Achaiae, et ad Aegyptios transfretavit gloriae desiderio. Quos cum subegisset, Isidem (quae et Io vocabatur) Inachi primi regis Argivorum filiam duxit uxorem. Ubi cum illa litteras, Osiris varias artes Aegyptios docuisset, uterque divinos honores meruit. Ferunt, Osirim apud Aegyptios insitionem, et aratrum, vinique usum primum reperisse, aliaque nonnulla. *Tibull.* 1, 8, 29. Primus aratra manu solerti fecit Osiris; et *ib.* 27. Te canit, atque suum pubes miratur Osirim; et 43. Non tibi sunt tristes curae, nec vultus, Osiri. V. ĀPIS. ℙ A Sityphone Aegyptio, vel (ut *Serv.* ait ad *A.* 4, 609. et *ib.* 6, 154.) a Typhone fratre clam occisus, ab Iside diu quaesitus est. Tandem apud Phialam, juxta Syenen, laceratus repertus est. Curavit eum Isis sepeliendum in Abato, insula ejus paludis, quae Memphi proxima est, quam etiam Stygem, idest moerorem appellavit, nec nisi sacerdotes certis diebus, eosque mitratos eo accedere voluit. Sed cum apparuisset Aegyptiis deinde bos quidam, Osirim putarunt, adoraveruntque ut Deum, et vocaverunt Apim, idest bovem, eorum lingua. Deinde dictus est Serapis. Sed aliqui dicunt, Osirim Aegyptiis solem fuisse, Isim lunam, vel terram. *Juven.* 8, 28. Exclamare libet, populus quod clamat Osiri Invento. *Gell.* 20, 8. Plutarchus in quarto in Isin, et Osiridem commentario. *Macr. Sat.* 1, 21. Neque aliud esse Osirim, quam solem, nec Isim aliud esse, quam terram, naturamve rerum. Adde *Stat. Th.* 1. *f.*

[OSIRĪTIS, idis, f. herba eadem ac cynocephalea, et Osireostaphe. *Plin.* 30, 2, 6. Cynocephalea herba, quae in Aegypto vocaretur Osiritis. *F.*]

[OSISMĪCUS, a, um, adj. ad Osismios pertinens, populos Galliae Celticae, ubi nunc *la Bretagne*, ad mare sitos. Horum meminit *Plin.* 4, 18, 32. et *Mela* 2, 2. *Id. ib.* 6. Osismica litora. *F.*]

OSMEN antique pro *omen. Varr. L. L.* 5, 7. *extr.* Omen, quod ex ore primum elatum est, osmen dictum.

OSNĀMENTUM olim dicebant, quod nunc *ornamentum*, et adhuc ita dicunt plerique scenici. Ita *Varr. L. L.* 5, 7. *extr.*

*OSOPUM vel Osopus, i, opp. Carnorum. *Paul. Diac.* 4, 38. *B. A.*

OSOR, oris, m. *μισῶν*, qui odit. *Pl. As.* 5, 2, 9. Osorem uxoris suae. *Appul. de Deo Socr.* Osores, et amatores quorundam hominum Deos fingere. *Pacat. Pan. Theodos.* 20. Regii nominis Brutus osor.

*OSPHĀGUS, i, Macedoniae fluvius. *Liv.* 31, 39. *B. A.*

OSPĪCOR, aris, dep. l. auspicor, apud veteres. *Claud. Quadrig.* ap. *Diomed.* 1, 378. Flacco ospicatur. V. ORUM.

[OSPRĀTŪRA, ae, f. cura *ὀσπρίων*, *h. e.* leguminum coemendorum, mercatura leguminaria. *Arcad. Dig.* 50, 4, 18. §. 19. Elaeemporia, et ospratura apud Alexandrinos patrimonii munus existimatur. Alii minus recte leg. *hospitatura.* V. ELAEMPORIA et LEGUMINARIUS. *F.*]

OSPRĬOS, ii, m. *ὄσπριος*, leguminarius, vox Graeca ab *ὄσπριον*, legumen. Titulus est *l.* 5. *Apicii*, quia in eo de leguminibus condiendis, pulmentisque faciendis agitur.

*OSQUIDATES, ium, populi Galliae Aquitanicae. *Plin.* 4, 19. Osquidates montani. *B. A.*

OSSA, ae, f. *Monte Cassovo*, al. *Olira*, mons excelsus Thessaliae, teste *Plin.* 4, 8, 15., Pelio, et Olympo attiguus. Poetae fabulantur, olim fuisse conjunctum Olympo, Herculis autem opera abscissum esse ab ea parte, ubi Peneus fluvius per Tempe fluit. Ajunt etiam, unum esse ex iis montibus, quibus coacervatis Gigantes in coelum ascendere conati sunt. *Virg. G.* 1, 281. Ter sunt conati imponere Pelio Ossam. *Ov. Fast.* 1, 307. non ut ferat Ossan Olympus: ubi Graeca terminatione usus est, *τὸν Ὄσσαν. Stat. Th.* 2, 81. et 82. ponit inter Thraces. V. dicta in THESSALICUS.

OSSAEUS, a, um, adj. *Ὀσσαῖος*, ad Ossam pertinens. *Stat. Th.* 12, 551. nec Ossaei bello cecidere bimembres, *h. e.* Centauri, qui Ossam incolebant. *Lucan.* 7, 176. Ire per Ossaeam rapidus Boebeida sanguis; et 6, 334. Ossaea rupes. *Val. Fl.* 1, 448. quercus. *Virg. Cir.* 33. Qui prius Ossaeis consternens aethera saxis.

OSSĀRĬUM, ii, n. *ὀστοθήκη*, *ὀστοδοχεῖον*, urna sepulcralis, in qua ossa defunctorum componebantur. *Inscr.* ap. *Grut.* 1043, 1. Sex. Turranius Sex. F. Causenus, et Turrania: Pacata ossar. fecerunt. Adde aliam ap. *eund.* 1041, 10. Item *Ulp. Dig.* 47, 12, 2. Hic alii leg. *ossuarium.* V. OSSUARIUS.

*OSSET, oppidum Hispaniae Baeticae, Julia Constantia cognominatum. *Plin.* 3, 1. Oppidum Osset, quod cognominatur Julia Constantia. *B. A.*

OSSĔUS, a, um, adj. *ὀστέϊνος*, ex osse factus. *Colum.* 5, 11. Cuneum ferreum, vel osseum inter corticem, et materiem demittere. *Plin.* 12, 25, 54. Ossei cultelli. *Juven.* 11, 133. Manubria ossea cultellorum. *Atta* ap. *Isid. Or.* 6, 9. Osseus mucro. ℙ Item ossi similis, *ὀστώδης*. *Plin.* 16, 38, 73. Totum e carne corpus fico: tota ossea est ilex, cornus, robur, et quae sine medulla. *Id.* 13, 17, 32. Osseus nucleus. *Juven.* 5, 53. nigri manus ossea Mauri, *h. e.* macra, arida, horrida.

[OSSĬCŪLĀRIS, e, adj. ad ossiculum pertinens. *Veg. Vet.* 4, 28. *med.* Ossiculare medicamentum, quod facit ad omnia ossicula. *F.*]

OSSĬCŪLĀTIM, adv. per ossicula, minutatim. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 609. et 4, 271. Ossiculatim Parmenonem de via liceat legam.

OSSĬCŪLUM, i, n. *ὀστάριον*, parvum os. *Plin.* 11, 37, 49. Omnium cerebro insunt ossicula parva.

Gell. 6, 1. *f.* Ut tenuissimis minutisque ossiculis caput compingeret. [*Inscr.* ap. *Fabr.* p. 420. *n.* 381. Qui ossicula mea hic sita esse gemis. Alii leg. *ossucula. F.*]

OSSIFRĂGUS, a, um, adj. qui ossium fractura debilitat quempiam. *Cass. Sever.* ap. *Sen. Contr.* 5, 33. In quemque saeviens ossifragus iste, alterius brachia amputat, alterius enervat. ℙ *Ossifraga* etiam, et *ossifragus* dicitur aquilae quoddam genus, a frangendis ossibus, quia, teste *Isid. Orig.* 12, 7., ossa ab alto demittit, et frangit. [**Beinbrecher, Seeadler.* Falco ossifragus, *L.*] *Plin.* 30, 7, 20. Unum est ossifrago intestinum mirabili natura, etc. *Lucr.* 5, 1078. Accipitres, atque ossifragae.

OSSĪLĂGO, iginis, f. callus vitiosus, et ossis duritiem incitans. *Veg. Vet.* 2, 22. Jumentum in osse percussum, si tumorem fecerit durum, callosum, et ossilagini similem, hac ratione est curandum. *Id. ib.* 4, 14. Et glandulas, et ossilaginem curare creditur. *Pelag. Vet.* 16. *med.* Ad ossilagines, vel nervos crassos, vel ad ragadia in nervis, aut si forte ab axe fuerit percussus, sic curabis. ℙ *Ossilago*, Dea. V. OSSIPAGINA.

[OSSĪLĔGĬUM, ii, n. ossium collectio. *Gloss. Phil.* Ossilegium, *ὀστολόγιον. F.*]

[OSSĪLĔGUS, a, um, adj. ossium collector. *Gloss. Phil.* Ossilegus, *ὀστολόγος. F.*]

OSSĪPĂGĂ. V. v. sq.

OSSĪPĂGĪNĂ, ae, f. Dea, quae pangit, sive, ut antiqui loquebantur, pagit puerorum ossa. *Arnob.* 4, 1131. Jam quae durat et solidat infantibus parvis ossa, Ossilago ipsa memoratur; et *mox:* Si exos *(esset)* genus humanum, velut quidam vermiculi nasceremur, Ossilago solidatrix ossium nomen proprium non haberet? Alii utrobique *Ossipaga*, alii *Ossipagina* legunt, ut et ap. *eund.* 3, 118. Nulla Fluonia, nulla Pomona, nulla Ossipagina, etc. [*Nonnulla addidit *F.*]

*OSSONOBA, ae, opp. Lusitaniae. *Mela* 3, 1. *Plin.* 4, 21. (al. 22.) *B. A.*

OSSŬĀRĬUS, a, um, adj. ad ossua pertinens. *Inscr.* ap. *Mur.* 917, 1. Ti. Claudius Primus ollam ossuariam donavit. Alia ap. *Grut.* 626, 6. Aediculam cum ollis ossuariis emit. ℙ *Ossuarium, ii,* absolute saepe usurpatur pro *ossario. Inscr.* ap. *Grut.* 915, 3. Julia Fuscinia ossuarium viva sibi fecit. *Fabr.* in *Inscr.* p. 16. *n.* 69. exhibet figuram urnae, in qua insculptum est *ossuarium.* [*Hujus loci rationem primus iniit exemplaque paene omnia collegit *F.*]

OSSŬCŬLUM. V. OSSICULUM.

OSSUM, i, n. V. OS, ossis.

OSSŬOSUS, a, um, adj. ossibus plenus. *Veg. Vet.* 2, 13. Loci ossuosi, et commissurales.

*OSTĀNES vel Osthānes, is, m. Persa magus, de quo *Plin.* 30, 1. *Appul. Apol. Tert. de anima* 57. et *Minuc. Fel. Oct.* p. 61. c. 26. ℙ Scribitur et *Hostanes. B. A.*

OSTENDO, is, endi, ensum et entum, a. 3. *ἐνδείκνυμι*, monstro, significo, declaro, doceo: ex *ob*, vel *os*, et *tendo.* [*Pro obstendo. Proprie significat porrigere, tendere aliquid ob, i. e. super, ad, versus, ita ut conspici ab aliis possit. Hinc idem quod monstro, significo. Huc pertinent ex locis, quos confuse satis et permixte Noster dispersit, *Cic. Verr.* 2, 1, 1. Os suum populo R. ostendere audet. *Sil.* 2, 669. Pectora nudatis ostendens saeva lacertis. *Suet. Ner.* 13. quum destinato per edictum die ostensurus populo propter nubilum distulisset. — *Virg. A.* 5, 376. Ostenditque humeros latos, alternaque jactat brachia: coll. *Phaedr.* 1, 13. At ille stultus, dum vult vocem ostendere; Emisit ore caseum: utroque loco Noster v. *ostendere*, cum notione ostentandi positum dixerat. Cf. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 218. *ed. Fr.* Alia haec sunto: *Suet. Vesp.* 5. ut — medicus dentem ei ostenderet: coll. *Caes.* 69. et *Cal.* 35. et *Tib.* 14. evenit, ut summum numerum jacti ab eo (tali) ostenderent, i. e. conspiciendum darent. Porro *ib. Aug.* 1. ostendebatur ara Octavio consecrata: ut nostr. *man zeigte:* coll. *ib.* 6. et *Tib.* 6. Adde *ib. Aug.* 26. Ostendens gladii capulum, i. e. manu demonstrans. *Ter. Hec.* 4, 4, 4. Opportune te mihi in ipso tempore ostendis. Ita *ostendere se*, aut *aciem, copias* saepe dicuntur, qui hostis terrendi causa procul se videndos praebent. *Liv.* 29, 7. Cum haud procul ad terrorem hostium aciem ostendisset. *Caes. B. C.* 1, 73. Cum Petrejus et Afranius castra movissent, equites repente sese ad novissimum agmen ostendunt. *Hirt. B. Afr.* 66. Cujus vim multitudinis cum equites pauci Caesariani jam sustinere non possent, Caesar instructas legiones hostium copiis ostendit. *Liv.* 4, 59. Anxur urbs prona in paludes: ab ea parte Fabius oppugnationem ostendit. ℙ Est etiam exponere vento, soli. *Virg. G.* 2, 261. Ante supinatas Aquiloni ostendere glebas. *Stat. Th.* 6, 90. lucos ostendere Phoebo. *Nemes. Cyn.* 208. catulosque canesque maritas Ungere profuerit, tepidoque ostendere soli. ℙ Translate est manifestare, declarare, docere. Discrimen inter *ostendere* et *declarare* hoc statuit *Burm.* ad *Vell.* 2, 109, 2. ut hoc vel verbis vel factis voluntatem significare et mentem aperire: *declarare* vero plus esse diceret, i. e. sine dissimulatione, aperte indicare. *Ter. Eun.* 5, 9, 2. In me plane Dii potestatem suam omnem ostendere. *Id. Heaut.* 2, 1, 7. Qui mihi per alium ostendit suam sententiam. *Cic. Har. resp.* 12. Haec populo R. et scelerum indicia ostendit, et periculorum signa patefecit. *Nep. Ep.* 4. Micythus Epaminondam convenit, et causam adventus Diomedontis ostendit: *Pl. Most.* 5, 1, 21. Astute mihi captandum est cum illo: non ego illi extemplo ita meum ostendam sensum. *Nep. Alc.* 6. Ostendere se inimicum alicui. *Pl. As.* 5, 2, 12. Illum antehac hominem semper sum frugi ratus: verum hoc facto sese ostendit, i. e. docuit, qualis esset. *Suet. Aug.* 10. Se ostendere candidatum, i. e. profiteri. *Cic. Univ.* 11. Palam ostendere aliquid. *Id. Verr.* 2, 4, 34. Tum spem, tum metum ostendere. *Cato* ap. *Prisc.* 10, 892. Quod ego me spero ostenturum. *Cic. Caecin.* 4. Sicut et vivus multis ipse rebus ostendit, et in morte sua testamento declaravit. *Nep. Ag.* 1. *extr.* ut ostendimus supra, i. e. narravimus, diximus. *Suet. Vit.* 18. quod factum ei Viennae ostendimus. *Liv.* 8, 9. Decio caput jecinoris a familiari parte caesum aruspex dicitur ostendisse, i. e. retulisse, narrasse. *v. Bauer.* ad h. l. p. 269. *Nep. Con.* 3. Ad chiliarchum accessit, seque ostendit cum rege colloqui velle. *Caes. B. G.* 1, 21. quid sui consilii sit, ostendit: usitata est Caesari haec dicendi ratio. V. *Herzog.* ad l. l. *Auct. ad Her.* 2, 16. De his primum partibus ostendendum est, i. e. disserendum, explicandum. *Suet. Caes.* 26. quod epistolis ejus ostenditur, i. e. probatur. — *Ostendi*, Gr. *φαίνεσθαι, sich zeigen. Liv.* 36, 1. aruspices responderunt, eo bello — victoriam ac triumphum ostendi. *Suet. Aug.* 25. nisi quum major spes ostenderetur.] ℙ Interdum est stomachantis, et quippiam minitantis. *Ter. Andr.* 5, 2, 25. Jam pol hodie si vivo, tibi ostendam, herum quid sit pericli fallere. *Id. Ph.* 5, 3, 9. Virum me natam vellem: ego ostenderem. ℙ *Ostendere gladiatorem*, h. e. agere, gerere. *Lampr. Commod.* 1. Ut cantaret, saltaret, sibilaret, scurram denique et gladiatorem perfectum ostenderet. Ita *Salm.*, alii *se* addunt. ℙ Interdum est polliceri, promittere se facturum. *Cic. Att.* 1, 1. *med.* Demonstravi haec Caecilio: simul illud ostendi, si ipse unus cum illo uno contenderet, me ei satisfacturum. *Id. Fam.* 9, 8. Munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus; et *ib.* 2, 3. Sed aliter, atque ostenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiae meae. ℙ Pro obtendere, praetendere. *Cic. Verr.* 2, 5, 1. Sed quaedam mihi magnifica, et praeclara ejus defensio ostenditur.

OSTENSĬO, onis, f. *ἔνδειξις*, actus ostendendi. *Appul. Met.* 3. Luctans ac renitens praecedens facinus instaurare nova ostensione. Adde *Tert. adv. Marc.* 5, 11. ℙ *Salm.* ad *Lampr. Alex. Sev.* 33. affert vet. *Inscr.*, in qua legitur: *Temporibus Claudii Tiberii facta hominum armigerorum ostensione:* ubi *ostensio* est, ipso interprete, transvectio, lustratio, recognitio.

OSTENSĬONĀLIS, e, adj. *Ostensionales milites* dicuntur ap. *Lampr. Alex. Sev.* 33. qui ad ostentationem et pompam principem comitabantur.

OSTENSOR, oris, m. *δείκτης*, monstrator. *Tert. Apol.* 11. *med.* Novae frugis auctor, quia inventor et ostensor.

OSTENSUS, a, um, part. ab *ostendo: πεφασμένος*, monstratus. *Ter. Ph.* 5, 4, 7. Nisi mihi esset spes ostensa. *Lucan.* 2, 192. Ut scelus hoc Sullae, caedesque ostensa placeret. *Prisc.* 10, 892. addit ex *Varr. R. R.* 1. Ostensus sol.

[OSTENTĂBĬLIS, e, adj. qui ostendi potest. *Gloss. Phil.* Ostentabilis, *ἐπιδεικτικός. F.*]

[OSTENTĀCULUM, i, n. idem ac ostentum. *Not. Tir.* p. 19. Ostentat, ostentaculum. *F.*]

OSTENTĀMEN, inis, n. ostentatio. *Prud. Psych.* 203. Ergo humilem postquam malesana Superbia mentem Vilibus instructam nullo ostentamine telis Aspicit, etc.

OSTENTĀRĬUS, a, um, adj. ad ostenta pertinens. *Ostentarium* absolute *Macr. Sat.* 2, 16. Tarquitius Priscus in ostentario arborario sic ait, *h. e.* in libro, in quo agit de ostentis arborum; et *ib.* 3, 7. Est super hoc liber Tarquitii transcriptus ex ostentario Tusco. *Capell.* 2, 38. Vel sideris cursu, vel fulminis jaculo, vel ostentaria novitate. Al. male leg. *ostentatoria.*

OSTENTĀTĬCĬUS, a, um, adj. ad ostentationem compositus, ut Ostentaticia virginitas, ap. *Tert. Virg. vel.* 3.

OSTENTĀTĬO, onis, f. [*proprie est ostensio. Huc pertinet locus, quem Noster in *f.* laudaverat, *Plin. Pan.* 56. *f.* Hostilem terrorem non armorum magis, quam togarum ostentatione compescere. Adde *Liv.* 7, 4. cognomen Imperiosi — ab ostentatione saevitiae adscitum. ℙ Hinc *ostentatio* signif. etiam pollicitationem. *Schütz.* in *cl. Cic.* laudat *Cic. Att.* 5, 13. intelligis ostentationes meas in discrimen esse adductas. ℙ Tum prae ceteris *ostentatio* de ea dicitur rei alicujus ostensione, quae fit cum jactantia, vana, gloriosa venditatione, Gr. *ἀλαζονεία, ἐνδειξις, Pralerey.* Noster exempla laud. ista:] *Cic. Or.* 2, 82. Vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio: [*ita *Orell. Forc. ostentationisque.*] *Id. Fl.* 22. Magnifica et gloriosa ostentatio. *Id. Par.* 6. *in.* Quae est ista in commemoranda pecunia tua tam insolens ostentatio? *Id. Rab. Post.* 14. Quod genus tandem est istud ostentationis et gloriae. *Id. Off.* 2, 12. *f.* Qui simulatione, et inani ostentatione stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. *Amic.* 23. quamquam a multis ipsa virtus contemnitur et venditatio quaedam atque ostentatio esse dicitur. *Id. Or.* 2, 8. Ostentatione uti. *Nep. Att.* 17. Praeceptis philosophorum ad vitam agendam, non ad ostentationem utebatur. *Plin.* 29, 1, 5. Videbamus senes usque in ostentationem rigentes. [*Ita saepius *ostentatio* (v. etiam in *ostentare*) dicitur a *Caesare*, in rebus bellicis de decursionibus, lustrationibus copiarum, et quae sunt id genus plura, in fraudem hostium vel simulatione susceptis. *B. G.* 7, 45. His paucos addit equites, qui latius ostentationis causa vagarentur. *B. Alex.* 74. vel ad ostentationem regiae fiduciae. ℙ Hinc ostentatio est simulata ostensio, simulatio ejus, qui aliud in mente, aliud in fronte habet. Noster haec laudaverat:] *Cic. Agr.* 1, 7. *extr.* Consul veritate, non ostentatione popularis. *Petr. Sat.* 17. Exspectavimus lacrimas ad ostentationem doloris paratas. *Sen. ep.* 99. *med.* Plus ostentatio doloris exigit, quam dolor. [*Adde *Cic. Fin.* 2, 24. Verba fingas et ea dicas, quae non sentias, ut in fronte ostentatio sit, intus veritas occultetur. *Caes. B. C.* 3, 71. Labienus — omnes (captivos) productos, ostentationis, ut videbatur, causa, quo major perfugae fides haberetur, commilitones appellans — in omnium conspectu interficit: ubi *ostentationem* recte *Herz.* ad *B. G.* 7, 45. interpr.: *boshafte Heucheley.*]

OSTENTĀTOR, oris, m. *ἀλαζών*, qui ostentat, et jactat, gloriosus. *Auct. ad Her.* 4, 50. Ut si velis non divitem, sed ostentatorem pecuniosum describere. *Liv.* 1, 10. Ipse cum factis vir magnificus, tum factorum ostentator haud minor. *Tac. H.* 2, 80. Omnium, quae diceret atque ageret, arte quadam ostentator. [*Auson. ep.* 4, 36. Inde ostentator volitat. *F.*]

OSTENTĀTORĬUS. V. OSTENTARIUS. *f.*

OSTENTĀTRIX, icis, f. quae ostentat. *Appul. Apol.* Quam immodica sui ostentatrix. *Prud. Psych.* 439. Pompa ostentatrix vani splendoris. *Pac. Pan. Theod.* 17. Eat nunc sui ostentatrix antiquitas, et illa innumeris litterarum vulgata monumentis jactet exempla. *Macr. Sat.* 7, 4. Superba et contumax, et veluti sui ostentatrix continentia.

OSTENTĀTUS, a, um, part. ab *ostento:* saepe, vel plane ostensus. *Ter. Eun.* 3, 5, 56. An ego occasionem mihi ostentatam, tantam, tam optatam amitterem? *Cic. Cluent.* 7. *med.* Recuperandi filii spes ostentata. *Plin. ep.* 2, 7. Ostentato bello ferocissimam gentem terrore perdomuit. ℙ Pollicitus, exhibitus. *Cic. Rosc. Com.* 6. Pecunia ex liberalitate hujus promissa, et ostentata.

*OSTENTĬFER, era, um, adj. *Onomast.* Ostentiferum, *τερατώδες. B. A.*

OSTENTO, as, avi, atum, a. 1. *προσαποδεικνύω*, frequentativum ab *ostendo*, et saepe pro eo usurpatur. [*Nunquam *ostentare* et *ostendere* promiscue ponuntur, semper inest aliquid discriminis. V. *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 5, 51.] *Virg. A.* 12, 479. Jamque hic germanum, jamque hic ostentat ovantem, Nec conferre manum patitur; et *ib.* 6, 677. Dixit, et ante tulit gressum, camposque nitentes Desuper ostentat. [*Caes. B. G.* 7, 48. Passum capillum ostentare coeperunt. *Suet. Aug.* 34. Germanici liberos ostentavit; et *Caes.* 33. saepius digitum laevae manus ostentans; et *Vesp.* 23. cavam manum ostentans; et *Tib.* 54. Quum ei carnifex — laqueos et ancos ostentaret. *Caes. B. G.* 5, 51. Ambiorigem ostentant fidei faciendae causa: i. e. jactabundi eum adesse dicunt.] ℙ Pro indicare. *Plin. Pan.* 4. *f.* Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitis, et dignitas oris nonne longe lateque principem ostentant? [*i. e. eum principem esse comprobant. Cf. *Suet. Claud.* 15. quasi aequitatem integram ostentans; et *ib.* 16. illaesum corpus veste deposita ostentante. *Caes.* 14. ostentans, quanta eos — invidia maneret; et *Aug.* 87. literae ipsius autogr. ostentant sq. acc. c. inf.] ℙ Aliquando est suadere, commendare. *Pl. Cist.* 2, 1, 10. Amor modo quod suasit, dissuadet: quod dissuasit, id ostentat. ℙ Item exhibere, polliceri. *Pl. Aul.* 2, 2, 18. Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera. *Cic. Agr.* 2, 28. Agrum Campanum, quem vobis ostentant, ipsi concupiverunt. *Tac. H.* 4, 59. *extr.* Pergere ad obsessos jubet, veniam ostentantes, si praesentia sequerentur. [*Plura v. in *Boettich. Lex. Tac.* p. 336.] *Sall. Jug.* 70. Ostentare praemia. ℙ Item praebere, offerre. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Ut aperte jugula sua pro meo capite P. Clodio ostentarint. *Id. Marc.* 9. Illa vita est tua, quae vigebit memoria saeculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa aeternitas semper

tuebitur. Huic tu inservias, huic te ostentes, oportet. ℙ Item minitari, ostendere terrendi causa. *Cic. Fam.* 4, 14. Bellum ex altera parte caedem ostentat, ex altera servitutem. *Id. Cluent.* 8. Qui sibi delationem nominis, et periculum capitis ostentarat. *Sall. Jug.* 25. *med.* Defensoribus moenium praemia modo, formidinem ostentare. [**Caes. B. G.* 7, 55. equitatumque omnibus locis, injicendi timoris causa, ostentare coeperunt. V. in *ostentatio.*] ℙ Item jactare, gloriari, venditare. *Auct. ad Her.* 4, 21. Hic, qui se magnifice jactat, atque ostentat; et *ib.* 2, 30. Ingenii venditandi, aut memoriae ostentandae causa. *Cic. Fam.* 10, 3. Ut potius amorem tibi ostenderem meum, quam ostentarem prudentiam. *Id. Coel.* 28. *f.* Sed, si me audiant, navent aliam operam, in aliis se rebus ostentent. [**Cic. Fam.* 1, 4, 5, Quid me ostentem? *Id.* 9, 9, 4. neque regum ac nationum clientelis, quas ostentare crebro solebat, esse tutum, sc. Pompejum.] *Id. Att.* 2, 23. *f.* Prae se ferre, et ostentare. *Id. Agr.* 2, 4. *med.* Largitio verbis ostentari potest, re vera fieri, nisi exhausto aerario, nullo pacto potest.

OSTENTUM, i, n. *φάσμα, τέρας*, prodigium, monstrum, portentum: inter quae discrimen quod sit, V. in MONSTRUM et PORTENTUM. *Cic. N. D.* 2, 3. et *Div.* 1, 42. Praedictiones vero, et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quae sint, ostendi, monstrari, portendi, praedici? (al. *prodici*) ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur. *Ulp. Dig.* 50, 16, 38. Ostendum Labeo definit, omne contra naturam cujusque rei genitum, factumque. Duo autem genera sunt ostentorum: unum, quoties quid contra naturam nascitur, tribus manibus forte, aut pedibus: alterum, cum quid prodigiosum videtur, quomodo Graeci *φάσματα* vocant. Haec *Ulp. Cic. Div.* 1, 53. Herodotus scribit, Croesi filium, cum esset infans, locutum: quo ostento regnum patris, et domum funditus concidisse. *Id. Verr.* 2, 4, 49. Cum magnorum periculorum metus ex ostentis portenderetur. *Liv.* 26, 6. *f.* Procurare ostentum familiare. *Petr. Sat.* 122. Haec ostenta brevi solvit Deus. *Suet. Caes.* 32. Cunctanti ostentum tale factum est: Quidam eximia magnitudine et forma apparuit, etc. *Id. Galb.* 4. Ceteris, ut obscenum ostentum, abhorrentibus, solus pro laetissimo accepit. *Id. Aug.* 94. *med.* Alexandro simile provenit ostentum. *Id. Caes.* 77. Nec pro ostento ducendum, si pecudi cor defuisset. *Just.* 10, 1. Ostenti prorsus genus, ubi in tanto populo sileri parricidium potuit. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 14. *med.* Scis Appium censorem hic ostenta facere? *h. e.* res incredibiles meditari, suscipere.

OSTENTUS, a, um, part. ab *ostendo:* ostensus, ostentatus. *Pacuv.* ap. *Fest.* Atque eccum in ipso tempore ostentum senem. *Varr.* ap. *Prisc.* 10, 892. Salute ostenta. ℙ Item obtentus, conversus, objectus. *Cato R. R.* 6. Ager, qui in ventum Favonium spectabit, et soli ostentus erit; et *mox:* Qui locus vino optimus dicetur esse, et ostentus soli, ibi Aminaeum minusculum conserito. Haec verba etiam *Varr. R. R.* 1, 24 et 25. et *Plin.* 14, 4, 5. referunt.

OSTENTUS, us, m. ostentatio, ostensio, species. *Gell.* 20, 1. *f.* Sed eam capitis poenam, sanciendae fidei gratia, horrificam atrocitatis ostentu reddiderunt. ℙ *Ostentui esse*, ad speciem et ostentationem inservire. *Sall. Jug.* 26. *f.* Quoniam eo natus sum, ut Jugurthae scelerum ostentui essem, *h. e.* ut inservirem ad ostendenda scelera Jugurthae. *Tac. A.* 12, 14. Auribus decisis vivere jubet, ostentui clementiae suae, et in nos dehonestamento; et *H.* 1, 78. Nova jura Cappadociae dedit, nova Africae, ostentui magis, quam mansura. *Id. A.* 15, 64. Ore ac membris in eum pallorem albentibus, ut ostentui esset, multum vitalis spiritus egestum; et *ib.* 1, 29. *extr.* Corpora extra vallum abjecta ostentui. Rursus *Sall. Jug.* 50. Metellus, pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere, late explorare omnia, illa deditionis signa ostentui credere.

*OSTEODES, *Ὀστεώδης*, i. e. ossuaria, insula Siciliae adjacens, insulis Aeoliis vicina. *Plin.* 3, 8. ℙ Aeoliarum unam appellat *Mela.* 2, 7. *med. B. A.*

OSTES, ae, m. *ὦστης*, species terraemotus, quo solum ita quatitur, ut cuncta trudantur et subvertantur. Graeca vox ab *ὠθέω*, impello, trudo, propello. *Appul. de Mundo.*

OSTIA, ae, f. *Ostia*, urbs Latii, condita ab Anco Marcio ad ostia Tiberis; unde nomen. *Festus:* Ostiam urbem ad exitum Tiberis in mare fluentis Ancus Marcius rex condidisse, et feminino appellasse vocabulo fertur: quod sive ad urbem, sive ad coloniam, quae postea condita est, refertur. Haec *Festus:* sed dici etiam potest, primo *Ostia, orum*, fuisse: quo modo *Juven.* 11, 49. Qui vertere solum, Bajas, et ad Ostia currunt. Et ita frequenter dictum esse, *Charis.* 1, 76. Alii tamen ap. *Juven. l. c.* leg. *ad ostrea.* Paulatim vero feminine usurpari coeptum, quia de urbe sermo erat. *Enn.* ap. *Fest.* in *Quaeso.* Ostia moenita est: idem (*Ancus*) loca navibu' pulcris Munda facit. *Liv.* 1, 33. *f.* In ore Tiberis Ostia urbs condita. *Id.* 22, 11. Consul Ostiam proficisci jussus, navibus quae ad urbem Romanam, aut Ostiae essent, completis milite, etc. *Plin.* 3, 5, 9. In principio (*Latii*) est Ostia, colonia a Romano rege deducta. ℙ Alicubi *Hostia* legitur, sed minus recte. *V. *Maium* ad *Comment. Ant.* (fortasse *Ascon. Pedian.*) *in Cic. pro Planc. orat. fragm.* p. 90. ed. *Mediol. B. A.*

OSTIARIUS, ii, n. tributi genus, quod ostiorum nomine pendebatur. *Caes. B. C.* 3, 32. Columnaria, ostiaria, frumentum, vecturae imperabantur. *Cic. Fam.* 3, 8. *med.* exactionem ostiorum vocat.

OSTIARIUS, ii, m. *θυρωρός*, ostii custos. *Varr. R. R.* 1, 13. Vilici proxime januam cellam esse oportet, praesertim si ostiarius est nemo. *Plin.* 12, 14, 32. Praeter hos et custodes, satellitesque, et ostiarii, et ministri populantur. *Sen. Const. Sap.* 14. Contumeliam vocant ostiarii difficultatem, cubicularii supercilium: et *mox:* Qui sibi placet, quod ostiario libere respondit, quod virgam ejus fregit. Hanc *virgam* arundinem fuisse, colligi potest ex *Prop.* 4, 7, 21. et *Petr. Sat.* 134., quod et *Broukhus.* ad *Prop.* adnotavit. Porro *ostiarii* vilissimi servorum fuere, [quippe qui catena vincti ante potentiorum januam excubabant. *Suet. Rhet.* 3. L. Otacilius Pilitus servisse dicitur, atque etiam ostiarius veteri more in catena fuisse. *F.*] ℙ De primo gradu Ecclesiastici Ordinis, *Imppp. Valent., Valens, et Gratian. Cod.* 1, 3, 6. et 16, 2, 24.

OSTIATIM, adv. *κατὰ θύρας*, per singula ostia. *Quint.* 5, 10. *f.* Nec scrutanda singula, et velut ostiatim pulsanda. *Cic. Verr.* 2, 4, 24. Uno imperio ostiatim totum oppidum compilarit; et *ib.* 22. Dum ego hoc crimen agam ostiatim, *h. e.* singulas domos enumerans, in quibus furatus est. ℙ Pro singillatim. *Vopisc. Carin.* 17. *extr.* Longum est, si de ejus luxuria plura velim dicere. Quicumque ostiatim cupit noscere, legat, etc.

OSTIENSIS, e, adj. ad Ostiam urbem pertinens. *Liv.* 8, 12. Ostiensis ager. *Id.* 27, 38. populus. *Plin.* 9, 6, 5. portus. *Cic. Manil.* 12. Ostiense incommodum, *h. e.* jactura classis R. a praedonibus captae in Ostiae portu. ℙ *Ostiensis porta*, quae nunc *di S. Paolo* dicitur, Roma Ostiam ducens *via Ostiensi.* Portae meminit *Ammian.* 17, 4. *med.*, viae *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 7. *n.* 16. ℙ In alia ap. *Grut.* 454, 10. legitur *Colonia Hostiensis.*

OSTIGO, iginis, f. [ita a rusticis hominibus vocabatur morbus, qui et mentigo dicitur: videtur autem dictus ita fuisse pro *ustigine*, quandam enim uredinis speciem prae se fert morbus ille. *F.*] V. MENTIGO.

OSTIOLUM, i, n. *θυρίδιον*, exiguum ostium. *Plin.* 19, 8, 38. Adeo ut ostiola olitoria ex his factitari coeperint. *Colum.* 8, 14. Aditus singuli firmis ostiolis muniti.

*OSTIPPO, oppidum Hispaniae Baeticae, medio inter mare Mediterraneum ac Baetim loco, non procul a Munda. *Plin.* 3, 1. *Ant. Itin.* V. ASTAPA. *B. A.*

OSTIUM, ii, n. *θύρα*, janua domus. *Virg. A.* 6, 43. antrum, Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum. Ubi *Serv.* Non sine causa et aditus dixit, et ostia: nam Vitruvius, qui de architectonica scripsit, ostium dicit, per quod ab aliquo arcemur ingressu, ab *obstando* dictum: aditum ab *adeundo*, per quem ingredimur. [*Parum haec nobis probatur vocis originatio. Deducendum vocabulum videtur ab *os, oris.*] *Cic. Tusc.* 5, 5. Extra ostium limenque carceris. *Id. Or.* 2, 68. Cum Nasicae ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset, domi non esse. *Ulp. Dig.* 43, 23, 11. Si quis ostium sepulcri evellat, aut effringat. *Jul. ib.* 6, 1, 59. Habitator in aliena aedificia fenestras, et ostia imposuit: eadem post annum dominus aedificiorum dempsit. *Pl. Merc.* 2, 4, 9. Omnia istaec auscultavi ab ostio; et *Mil.* 2, 3, 81. et 2, 4, 46. Observare ostium. *Ter. Heaut.* 2, 3, 35. aperire. *Id. Phorm.* 5, 3, 33. operire. *Id. Eun.* 4, 6, 25. obserare intus. *Id. Ad.* 4, 5, 3. pultare. *Id. Eun.* 3, 5, 55. Ostio pessulum obdere; et 5, 2, 4. Ante ostium stare; et 5, 6, 5. praestolari aliquem; et *Andr.* 4, 1, 59. Concrepuit a Glycerio ostium. *Pl. Mil.* 2, 3, 58. Nihil est, qua hinc huc transire ea possit, nisi recto ostio: cui opponitur *posticum.* ℙ Translate dicitur de faucibus. *Cic. N. D.* 2, 54. Cum aspera arteria ostium habeat adjunctum linguae radicibus. ℙ Item de ingressu et aditu portus. *Cic. Verr.* 2, 4, 53. In utriusque portus ostium aditumque projecta est. *Virg. A.* 1, 404. Aut portum subit, aut pleno subit ostia velo. ℙ Item de aditu fluminis in mare, *εἰσβολή, στόμα. Cic. Phil.* 2, 11. In Cilicia ad ostium fluminis Cydni. *Virg. A.* 6, 801. Et septemgemini turbant trepida ostia Nili. *Caes. B. C.* 2, 1. Qua est aditus ad ostium Rhodani. ℙ Ostium Oceani, fretum Gaditanum, qua Oceanus in Mediterraneum influit. *Cic. Manil.* 12. Ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani ostium praedonum navem esse audiatis. ℙ *Aperire ostium*, aditum, ingressum praebere. *Varr. R. R.* 1, 51. Ne in rimis areae grana oblitescant, et ostia aperiant muribus ac formicis.

OSTOCOPOS, i, m. *ὀστόκοπος*, ossium dolor: ab *ὀστοῦν*, os, ossis, et *κόπος*, labor, molestia. *Ser. Sam.* 48, 892. Ostocopon lento conducit melle perungi. Adde *Pelag. Vet.* 3. et 10.

OSTRACIAS, ae, m. et Ostracītis, itidis, f. *ὀστρακίας*, et *ὀστρακῖτις*, gemma duritie ostreorum testas imitata. *Plin.* 37, 10, 65. Ostracias, sive ostracitis est testacea durior: altera achatae similis, nisi quod achates politura pinguescit: duriori tanta inest vis, ut aliae gemmae scalpantur fragmentis ejus. Ostracitidi ostrea nomen et similitudinem dedere. Haec *Plin.* ℙ Est etiam ostracitis cadmiae genus nigrum, et e ceteris sordidissimum. *Id.* 34, 10, 22.

*OSTRACĪNE, es, vel Ostracīna, ae, f. *Ὀστρακίνη*, urbs Aegypti inferioris, vel in Aegypti, Palaestinae, Arabiaeque confinio, non procul a lacu Sirbonide. *Plin.* 5, 12. Adde *Ant. Itin. B, A.*

OSTRACISMUS, i, m. *ὀστρακισμός*, [**Scherbengericht*, genus judicii ap. Athenienses: ab *ὄστρακον*, testa. Testula enim inscriptum ferebant nomen ejus, quem propter nimiae potentiae suspicionem exterminare volebant; quod ipsum, nisi sex saltem suffragiorum millia testis inscripta essent, fieri non poterat. In decem fere annos per testulam e civitate summoveri solebant, nulla tamen bonorum publicatione. *Nep. Cim.* 3. Testarum suffragiis, quod illi ostracismum vocant, decem annorum exsilio multatus est. At *Brem.* cum *recentt. edd.* habet *ὀστρακισμόν.*]

OSTRACITES, ae, m. *ὀστρακίτης*, lapis testae similitudinem habens: ab *ὄστρακον*, testa. Usus ejus pro pumice ad levigandam cutem. *Plin.* 36, 19, 31.

OSTRACITIS. V. OSTRACIAS.

OSTRACIUM, ii, n. *ὀστράκιον*, testa, sive operimentum certi concharum generis, et fortasse purpurae, inquit *Harduin.* Dicitur etiam onyx. *Plin.* 32, 10, 46.

[OSTRANI, orum, m. plur. incolae urbis Ostrae in Umbria inter Suasam, et Senam Gallicam, cujus meminit *Inscr.* ap. *Mur.* 563, 2. *Plin.* 3, 14, 19. Ocriculani, Ostrani, Pitulani. *F.*]

OSTREA, ae, f. et in plur. etiam Ostrea, orum, n. plur. *ὄστρεον*, genus marinae conchae, aspera rotundaque testa, carne grati saporis, et ditiorum mensis conquisita. Plura eorum genera enumerat *Auson. ep.* 9., item *Plin.* 32, 6, 21. Cyzicena, Lucrina, Britannica, Medula, Leptica, Lucensia, Circejensia, etc. Commendat in his spissa et crassiora, neque in luto capta, neque in arenosis, sed solido vado, spondylo brevi, atque non carnoso, etc. *Sen. ep.* 95. *med.* Quid? illa ostrea, inertissimam carnem coeno saginatam, nihil existimas limosae gravitatis inferre? *Pl. Rud.* 2, 1, 8. Echinos, lepadas, ostreas, balanos captamus. *Plin.* 9, 54, 79. Ostrearum vivaria primus omnium Sergius Orata invenit in Bajano, nec gulae causa, sed avaritiae. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 3, 152. Solertia ea, quae posset vel in tegulis proseminare ostreas. *Lucil.* ap. *Gell.* 20, 8. Luna alit ostrea, et implet echinos. *Hor. Sat.* 2, 4, 33. Ostrea Circeis, Miseno oriuntur echini. [*V. *Heindf.*] *Juven.* 4, 140. Circeis nata forent, an Lucrinum ad saxum, Rutupinove edita fundo Ostrea, callebat primo deprendere morsu. *Ov. Fast.* 6, 173, Piscis adhuc illi populo sine fraude natabat: Ostreaque in conchis tuta fuere suis. ℙ In sing. num. *Pall.* 1, 51. Ostrei testas siccas simul tundes. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Ostrea nulla fuit, non purpura, nulla peloris. *Varr. ib.* Neque ostrea ulla magna capta quivit palatum suscitare. *Gell. l. c.* Ostrea tenuis, et exsucta. ℙ Quos *Mart.* 7, 20. memorat *ostreorum lividos cirros*, putat *Rader.* intelligi fibras in carne ostreae, crine purpureo ambiente, quam generosarum ostrearum notam esse volunt peritiores harum rerum, ut est ap. *Plin.* 32, 6, 21.

OSTREARIUM, ii, n. ubi ostreae vivunt, et reperiuntur. *Plin.* 9, 51, 74. Nuper compertum est in ostreariis, humorem his fetificum lactis modo effluere. *Macr. Sat.* 2, 11. Sergius Orata primus ostrearia in Bajano locavit.

OSTREARIUS, a, um, adj. ad ostrea spectans, ut *ostrearius panis*, quo veteres cum ostreis vesci solebant. *Plin.* 18, 11, 27. Panis ipsius genera prosequi supervacaneum videtur, alias ab obsoniis appellati, ut ostrearii.

[OSTREATUS, a, um, adj. *ὀστρώδης*, durus, atque asper, muricatus. *Pl. Poen.* 1, 2, 186. Itaque jam quasi ostreatum tergum ulceribus gestito. *F.*]

OSTREOSUS, a, um, adj. ostreis abundans. *Auct. Priap.* 77. Cyzicus ostreosa. *Catull.* 18, 4. ora Hellespontia ceteris ostreosior oris.

OSTRIAGO, aginis, f. genus herbae, circa sepulcra, aut in parietibus, qui sunt circa montium radices, nascentis. *Appul. Herb.* 28.

OSTRICOLOR, oris, adj. ostri colorem habens. *Sidon. carm.* 5, 18. Ostricolor pepli textus.

OSTRĬFER, ra, rum, adj. ostreas ferens, ostreosus. *Virg. G.* 1, 207. Pontus, et ostriferi fauces tentantur Abydi. *Val. Fl.* 1, 456. Surgis ab ostrifero medius, Neptune, Geraesto. *Lucan.* 9, 959. et ostriferam dirimat Chalcedona cursu.

OSTRĪNUS, a, um, adj. ὀστρεῖος, ostri colorem habens, purpureus. *Varr.* ap. *Non.* 16, 8. Ostrinum supparum. *Turpil. ib.* Ricula ostrina. *Prop.* 3, 11, 7. Et Tyros ostrinos praebet Cadmea colores; et 1, 14, 20. Ostrinus torus; et 2, 22, 26. Ostrina tunica. *Non. l. c.* colorem hunc subrubeum esse dicit.

OSTRŌGOTHI, orum, m. plur. populi Sarmatiae Europaeae, qui in Pannonias, Gallias, et Italiam transgressi sunt. *Claud. in Eutr.* 2, 153. Ostrogothis colitur, mixtisque Gruthungis Phryx ager. A *Trebell. Claud.* 6. dicuntur *Austrogothi.*

OSTRUM, i, n. ὄστρον, sanies illa, vel liquor, qui ex ostreis, seu conchyliis, vel purpuris, vel muricibus eximitur ad pretiosarum lanarum infecturam: et color ille, qui ex hac sanie conficitur. *Plin.* 9. *c.* 36 et 37. distinctas facit species, conchylium, purpuram, muricem. Similiter *Nonius* 16, 8 et 9. ostrinum colorem distinguit a colore muricis, quod ille sit subrubeus, hic sanguineus. Sed haec a scriptoribus confunduntur. Et sane ostrum, ut de ejus natura tradiderunt scriptores, non habet in omnibus locis, quibus nascitur, unius generis colorem, sed solis cursu naturaliter temperatur. Itaque quod legitur in Ponto, et Galatia, quia hae regiones sunt proximae ad Septentrionem, est atrum: progredientibus inter Septentrionem, et Occidentem, invenitur lividum: quod autem legitur ad Aequinoctialem Orientem, et Occidentem, invenitur violaceo colore: quod vero Meridianis regionibus excipitur, rubra procreatur potestate, ut ait *Vitr.* 7, 13., ubi rationem etiam tradit ostrini coloris conficiendi. *Virg. A.* 5, 111. Vestes ostro perfusae. *Id. ib.* 1, 704. stratoque super discumbitur ostro, *h. e.* lectis purpureis. *Sever. A.* 332. Purpureoque rubens surgat jubar aureus ostro, *h. e.* splendore, luce. ℙ In plur. num. *Prop.* 4, 3, 51. Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris *?*

OSTRYĂ, ae, et Ostrys, yos, f. ὄστρυα, ὄστρυς, arbor materia dura, atque firma, similis fraxino cortice et ramis, folio pyri, tamen paulo longioribus, crassioribusque, ac rugosis incisuris, quae per tota discurrunt, semine hordeo simili et colore, solitaria nascitur circa saxa aquosa. *Plin.* 13, 21, 37. Gignit arborem ostryn, quam et ostryam vocant, etc. [*Fortasse arbor, quam nos dicimus *die gemeine Hopfenbuche*, Carpinus ostrya, *L.*, Ostrya vulgaris, *Willd.*]

*OSTUDĬZUM, i, n. oppidum Thraciae. *Ant. Itin. B. A.*

OSUS, a, um. V. ODI.

OSYRIS, is, f. ὄσυρις, herba ramulos ferens nigros, tenues, lentos, et in his folia nigra ceu lini, semenque in ramulis nigrum initio, deinde colore mutato rubescens. Smegmata mulieribus faciunt ex his. *Plin.* 27, 12, 88, ubi *Hard.* adscribit, ab *Anguillara* dici *le scope di Padova.* [*Fortasse Chenopodium Scoparia, *L.*, *besenartiger Gänsefuss.*]

OT

[ŌTĂCĬLĬĀNUS, a, um, adj. ad Otacilium aliquem pertinens, ut *Otaciliana villa* in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 577., quae reperta est extra portam Flaminiam, ubi fortasse eadem fuit, nam *Mart.* 10, 79. Ad quartum *(milliarium)* breve rus emit Otacilius. ℙ Ex eadem gente fuit *Otacilia Severa* uxor Philippi Aug. senioris, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Grut.* 29, 2. et in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 332. *F.*]

ŌTĂCUSTĂ, ae, m. ὠτακουστής, ab οὖς, ὠτός, auris, et ἀκούω, audio, ap. *Appul. de Mundo* est emissarius, clam aliorum sermones captans. Omnia, inquit, quae ibi gererentur, ille otacustarum relatione discebat. Hos *Appul.* paulo supra *aures regias* vocat, quod iis Darius rex Persarum ad excipienda, quaecumque a subjectis gererentur, uteretur: item *imperatoris oculos*, quod per eos videret quidquid se absente fieret. *Locus *Appul.* est *med.* p. 69. *Elmenh. B. A.* V. ORICULARIUS.

*OTĒNE, es, f. Ὠτηνή, regio Armeniae. *Plin.* 6, 13. *B. A.*

[OTESĪNI, orum, m. plur. incolae Otesiae, urbis Galliae Cisalpinae, Mutinam versus, et Padum flumen. Sunt qui putant esse, quae nunc *Mirandola* dicitur. *Plin.* 3, 15, 20. Otesini, Padinates, Regienses a Lepido. *Inscr.* ap. *Grut.* 396, 8. Curator reip. Otesinorum. Male *Grut.* leg. *Atesinorum. F.*]

OTHO, onis, m. L. Roscius Otho trib. pleb. legem theatralem tulit, qua quatuordecim gradibus orchestrae proximis equestri ordini assignatis, cautum est, ut pauperes secreti a divitibus spectarent. *Juven.* 3, 159. Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni. V. ROSCIA. ℙ M. Salvius Otho octavus R. imperator post Galbam, tertio imperii mense a Vitellio ingenti clade apud Bebriacum affectus, se ipsum pugione transfixit. Ejus vitam habes ap, *Suet.* [*Mart.* 6, 32. forsitan et posset vincere mollis Otho. *F.*]

*OTHONA, ae, oppidum Britanniae maritimum. *Not. Imp. B. A.*

OTHONĬĀNUS, a, um, adj. ad Othonem pertinens, ut Othonianae partes, *Tac. H.* 2, 33. Othoniani duces, *Id. ib.* 24. h. e. Othonis imperatoris.

OTHONNĂ, ae, f. ὄθονα, herba in Syria nascens, similis erucae, perforatis crebro foliis, flore croci: quare quidam anemonem vocaverunt. *Plin.* 27, 12, 85.

OTHOS. V. OTUS.

*OTHREPTE, es, f. Amazonum una. *Hyg. fab.* 163. ubi ed. *Munker.* habet *Otrere. B. A.*

OTHRYĀDES, ae, m. Ὀθρυάδης, dux Lacedaemoniorum, qui in proelio contra Argivos victor, sed graviter vulneratus, inscripsit tropaeo clypei hostilis, digitis sanguine suo madentibus Κατὰ Ἀργείων Ὀθρυάδης, καὶ Λακεδαιμόνιοι, deinde exstinctus est. *Ov. Fast.* 2, 65. et *Val. Max.* 3, 2. *n.* 4. *extr.* ℙ Est etiam Othryae filius. *Virg. A.* 2, 319. Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos; et 336. Talibus Othryadae dictis, etc.

*OTHRYONĒI, orum, populi Macedoniae, de quibus *Plin.* 4, 10. *B. A.*

OTHRYS, yos, m. Ὄθρυς, mons Thessaliae. *Plin.* 4, 8, 15. In Thessalia montes sunt XXXIV., quorum nobilissimi Cerceti, Olympus, Pierus, Ossa: cujus ex adverso Pindus, et Othrys, Lapitharum sedes. *Virg. A.* 7, 675. Descendunt Centauri, Homolen, Othrynque nivalem Linquentes cursu rapido. *Ov. Met.* 12, 512. parvoque in tempore nudus Arboris Othrys erat. ℙ *Stat. Th.* 4, 655. Othryn ponit in Thracia, quod facit etiam *Val. Fl.* 1, 24. Sic Ossam montem *Thressam* vocat *Sen. Thyest.* 812. Haec ideo, quia olim Thracia usque in Macedoniam protendebatur vel ipso nomine, vel Thracum imperio, qui ea loca quondam ditione tenuerunt. V. PHILIPPI et THESSALICUS.

OTHRYSĬUS, a, um, adj. ad Othryn pertinens. *Mart.* 10, 7. Quicumque Othrysias bibunt pruinas. *Id.* 7, 8. et 9, 94. Victor ab Othrysio redditur orbe Deus, *h. e.* ex Thracia, quae Thessaliae vicina, ubi mons Othrys. Al. leg. *Odrysias*, et *Odrysio*, quod est clarius.

OTĬA, ae, f. piscis marinus, e genere ostrearum: ab ὠτίον, auricula. *Plin.* 32, 11, 53.

OTĬĀBUNDUS et Ociabundus, a, um, adj. otio abundans. *Sidon. ep.* 4, 18. Multis diebus otiabundus.

OTĬĀTUS, a, um, part. ab *otior*, qui otiatus est. *Sidon. ep.* 3, 1. Ipsi iisdem temporibus nati, magistris usi, artibus instituti, lusibus otiati.

OTĬOLUM et Ociolum, i, n. μικρὰ σχολή, breve otium. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 3. Cum otiosus sim, plane ubi delectem otiolum meum, non habeo.

OTĬOR et Ocior, aris, atus sum, dep. 1. ἀργέω, σχολάζω, in otio sum, cesso, vaco, otio fruor. *Cic. Off.* 3, 14. Cum se Syracusas otiandi, non negotiandi causa contulisset. *Hor. Sat.* 1, 6, 127. Pransus non avide quantum interpellet inani Ventre diem durare, domesticus otior.

OTĬOSE et Ociose, adv. σχολῇ, ἀργῶς, nihil agendo, per otium, animo vacuo. *Cic. Off.* 3, 26. Utile Ulyssi Ithacae vivere otiose cum parentibus, cum uxore, cum filio. *Liv.* 23, 7. *f.* In foro otiose inambulare. ℙ Item secure, tranquille. *Ter. Heaut.* 2, 3, 100. Ademptum tibi jam faxo omnem metum, in aurem utramvis otiose ut dormias. ℙ Item lente, sine festinatione. *Cic. Verr.* 2, 4, 15. Accessit ad argentum, contemplari unumquodque otiose, et considerare coepit. *Id. Fin.* 4, 13. Quo constituto, tum licebit otiose ista quaerere. *Pl. Ps.* 4, 1, 14. Ambula ergo cito. *Sy.* imo otiose volo. *Id. Truc.* 1, 2, 66. Vostra hercle factum injuria, quae properavistis olim rapere: otiose oportuit, diu ut essem incolumis vobis, *h. e.* lente, paulatim; et *Liv.* 2, 57. *med.* Segniter, otiose, negligenter, contumaciter omnia agere. *Cato R. R.* 76. *f.* Videto, ut bene, et otiose percoquas.

OTĬOSĬTAS et Ociositas, atis, f. otium. *Sidon. ep.* 2, 10. Suas otiositates trepidanter edere, *h. e.* carmina per otium composita.

OTĬOSUS et Ociosus, a, um, adj. σχολαῖος, ἀργός, vacuus, cessans, nihil agens, opere solutus, otio fruens, tum in bonam, tum in malam partem. Et in bonam quidem quinam sint re vera otiosi, multis *Sen. Br. V.* 12. et sqq., item *ep.* 55. docet. *Cic. Brut.* 3. Cum inambularem in xysto, et essem otiosus domi. *Id. N. D.* 3, 39. *f.* Rebus humanis aliquos otiosos Deos praeficere. *Sen. Ira* 2, 13. *med.* Quid quiete otiosius animi, quid ira laboriosius? *Cic. Planc.* 27. Ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem unquam otiosum? *Id. Off.* 2, 7. *extr.* Omnes socii spectatores se otiosos praebuerunt Leuctricae calamitatis. *Tac. A.* 13, 3. Adnotabant seniores, quibus otiosum est vetera et praesentia contendere. Al. leg. *quibus otium est.* ℙ Speciatim *otiosus* dicitur, qui cessata re publica gerenda, et privata aliqua exercitatione occupatur. *Cic. Sen.* 14. Si vero habet aliquod tanquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute jucundius. *Id. Or.* 1, 51. Quo in studio *(philosophiae)* hominum quoque ingeniosissimorum, otiosissimorumque totas aetates videmus esse contritas. *Id. Phil.* 11, 8. *extr.* Otioso vero, et nihil agenti, privato quando imperium senatus dedit? *Id. Off.* 3, 1. P. Scipionem dicere solitum, nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus. [*V. *Beier.*] Adde *ib.* 1, 21. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* s. v.] ℙ Cum genitivo. *Plin. praef. H. N.* Humili vulgo scripta sunt, agricolarum, opificum turbae, denique studiorum otiosis. ℙ *Otiosum tempus*, in quo cessatur ab opere. *Cic. Q. Fr.* 3, 8. Idque perficiam his supplicationum otiosis diebus. ℙ Metonymice *otiosus* est securus, tranquillus, ut esse solent, qui in otio sunt. *Ter. Andr.* 5, 2, 1. Animo nunc jam otioso esse impero. *Id. Ph.* 2, 2, 26. Otiosus ab animo. *Gell.* 2, 29. a metu. *Ter. Ad.* 4, 1, 17. Quin tu otiosus es: ego illius sensum pulcre calleo, *h. e.* ne cura, ne labora, ne sollicitus sis. [*Pro libero a commotione animi *otiosus* positum est etiam ap. *Cic. Brut.* 24. Dein, quum otiosus stilum prehenderat, motusque omnis animi, tanquam ventus, hominem defecerat, flaccescebat oratio. ℙ *Otiosus* dicitur etiam neutri parti addictus, pacem servans utraque. *Cic. Fam.* 9, 6. Crudeliter otiosis minabantur. ℙ *Otiosa dignitas* ap. *Eund. Sext.* 46. est id quod paulo ante dicitur *otium cum dignitate*, *h. e.* pax et tranquillitas publica, conjuncta cum dignitate, cujus fundamenta *ib.* describuntur. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] ℙ *Reddere aliquem otiosum*, efficere, ut tranquillo quietoque animo sit, levare cura. *Cic. Fam.* 9, 25. *extr.* Mihi gratum feceris, si otiosum Fabium reddideris, [*i. e. liberum a molestia litium.] Alio sensu *Id. Agr.* 2, 37. Non modo vos eritis in otio, qui semper esse volueratis, verum etiam istos, quibus otiosi negotium facessimus, otiosissimos reddam, *h. e.* efficiam, ne quid turbulenti conflent. ℙ Interdum est supervacaneus, inutilis, nihil efficiens, inanis. *Quint.* 1, 1. *f.* Ii quoque versus, qui ad imitationem scribendi proponentur, non otiosas velim sententias habeant, sed honestum aliquid monentes. *Id.* 8, 2. *med.* Ego otiosum sermonem dixerim, quem auditor suo ingenio non intelligit. [*Spald.* omisit *non, otiosum sermonem*, non pro supervacaneo, sed pro tali accipiens, quales sunt *ib.* 11, 1, 35. *otiosae disputationes*, quae (4, 2, 45.) otiosum fortasse lectorem minus fallunt.] *Plin. ep.* 9, 6. *extr.* Per hos dies libentissime otium meum in litteris colloco, quos alii otiosissimis occupationibus perdunt: *scil.* circensibus spectandis. *Auct. dial. de Or.* 22. de Cicerone: Lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus. ℙ *Otiosa pecunia* est, quae nihil acquirit: cui opponitur *occupata*, quae usuras parit. *Plin. ep.* 10, 62. Pecuniae publicae vereor ne otiosae jaceant. Adde *Scaev. Dig.* 22, 1, 13. ℙ *Otiosus* pro lento, tardo. *Pall.* 1, 37. Fons, vel rivus huc conveniat otiosus, qui humiles transeundo formet lacunas. ℙ *Satius est otiosum esse, quam nihil agere*, scite dictum ab Attilio ap. *Plin. ep.* 1, 9. *extr.* h. e. ab omni plane opere cessare, quam rebus nihili, inanibus, futilibus, frigidis operam dare: quibus qui implicatur, re vera nihil agit.

OTIS, idis, f. ὠτὶς, avis est, quam Hispani avem tardam vocant, teste *Plin.* 10, 22, 29., damnata in cibis propter malum odorem, quem emissa ex ejus ossibus medulla reddit. *Id.* 30, 14, 45. Mammis otidum adipem utilem esse. [*Fortasse Otis *arabs*, *L.*]

OTĬUM et Ocium, ii, n. σχολή, ἀργία, vacuum tempus, cessatio ab opere, remissio laboris, laxamentum, tempus liberum atque otiosum: cui contrarium est *negotium.* In adsignanda notatione valde laborant etymologi. *Cic. Off.* 3, 1. Illum et in otio de negotiis cogitare, et in solitudine secum loqui solitum; et *mox:* Otium et solitudo, quae languorem afferunt ceteris, illum acuebant. *Id. Agr.* 2, 33. *f.* Inertissimum et desidiosissimum otium; et *ib.* 37. Qui propter desidiam in otio vivunt. *Id. Acad.* 4, 2. *f.* Hebescere et languescere in otio. *Id. Att.* 2, 14. Otio tabescere. *Tac. H.* 4, 70. Segne otium trahere. *Enn.* ap. *Gell.* 19, 10. Otioso in otio animus nescit, quid velit. *Sen. ep.* 82. Otium sine litteris mors est, et hominis vivi sepultura. ℙ Saepe accipitur pro tempore vacuo, et libero a negotiis forensibus, ab administratione reipublicae, ab occupationibus civilibus, a labore rustico aut militari, et hujusmodi, cum licet ad litterarum studia privatim incumbere, aliisve honestis exercitationibus animum recreare. *Cato* ap. *Cic. Planc.* 27. Clarorum virorum non minus otii, quam negotii rationem exstare oportet. *Id. Brut.* 2. Tanquam in portum confugere non inertiae, neque desidiae, sed otii moderati atque honesti. *Id. Or.* 3, 15. Doctissimi homines otio nimio, et ingeniis uberrimis affluentes, multo plura curanda sibi esse, et investiganda duxerunt; et *ib.* 1, 1. Quantum mihi vel fraus inimicorum, vel causae amicorum, vel respublica tribuet otii, ad scribendum potissimum conferam; et *ib.* 2, 13. *f.* Philistus otium suum con-

sumpsit in historia scribenda; et 14. Horum libros delectationis causa, cum est otium, legere soleo. *Id. Part.* 1. Si modo tibi est otium, et si vis. *Id. Or.* 1, 52. Philosophorum libros reservare sibi ad Tusculani requiem atque otium. *Hor. Epod.* 1, 7. Utrumne jussi persequemur otium Non dulce, ni tecum simul? *Ter. Hec. prol.* 2, 35. Nunc turba nulla est: otium et silentium est: Agendi tempus mihi datum est. *Id. Ad.* 3, 4, 55. Non hercle otium est nunc mihi auscultandi. *Id. Heaut.* 1, 1, 23. Tantumne ab re tua est otii tibi, aliena ut cures? *Pl. Mil.* 3, 1, 165. Haud centesimam partem dixi, atque, otium rei si sit, possim expromere. *Ter. Ph.* 5, 5, 4. Habere otium ad aliquid faciendum. *Cic. Amic.* 27. In studiis omne otium tempusque conterere. Al. leg. *otiosum tempus.* [*Ita *Orell.*] *Dolabella* ad *Cic. Fam.* 9, 9. Referre se in otium. *Auct. ad Her.* 1, 1. Otium studio suppeditare. *Phaedr. prol.* 3. dare corpori. *Cic. Or.* 1, 13. De his rebus omnibus in angulis, consumendi otii causa, disserunt. [*Elegans est lusus in vv. *otii* et *negotii* ap. *Cic. Off.* 1, 44, 156. ut otium suum ad nostrum negotium contulisse videantur, i. e., *Beiero* interpr., Ipsi procul negotiis doctrinae sese dediderunt, ut alios, qui se ad rem publicam et ad magnas res gerendas accommodaturi essent, efficiendi facultate, consilio et prudentia instruerent.] ℙ De loco ubi otio frui licet, v. gr. villa, secessu. *Cic. Att.* 1, 7. Omnem spem delectationis nostrae, quam cum in otium venerimus, habere volumus, in tua benignitate positam habemus. *Hor. Sat.* 1, 1, 30. nautaeque per omne Audaces mare qui currunt, hac mente laborem Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant, Ajunt. ℙ De iis, quae fiunt otii tempore. *Ov. Trist.* 2, 223. Excutiasque oculis otia nostra tuis, *h. e.* carmina. ℙ Saepe dicitur de tranquillo statu, pace, rebus compositis. *Cic. Agr.* 2, 37. Nihil est tam populare, quam pax, tranquillitas, otium. *Nep. Amilc.* 2. *extr.* Tota Africa tantum otium reddidit, ut nullum in ea bellum videretur multis annis fuisse. *Id. Timol.* 3. Ex maximo bello tantum otium toti insulae conciliavit, ut etc. *Caes. B. C.* 2, 36. Multitudo insolens belli diuturnitate otii; et *ib.* 1, 5. Res ad otium deducere. *Cic. Q. Fr.* 3, 5. *f.* Valde me ad otium pacemque converto. *Id. Acad.* 4, 5. et *Phil.* 2, 34. Perturbare otium. ℙ *Per otium*, otii, aut pacis tempore. *Cic. Inv.* 1, 3. *f.* Studia recta et honesta per otium concelebrata. *Liv.* 2, 39. *f.* Si praeda belli per otium frui velint. *Tac. A.* 15, 6. Cur deserta per otium, quae bello defenderant? *Liv.* 27, 2. *med.* Ubi nemo hostium adversus prodiit, spolia per otium legere. ℙ *Otio*, otiose, tarde, lente, paulatim. *Phaedr.* 1, 25. cum currens bibere coepisset canis, Sic crocodilus: quam libet, lambe otio, Accede, pota leniter. Al. aliter leg. ℙ Scribitur per *c*, et per *t*, ut posuimus: sed *t* magis placet *Pierio* ad *Virg. Ecl.* 1, 6., *Manutio*, *Dausquio*, et *Cellario* in *Orthogr.*, adstipulantibus lib. veterib. et lapidib. [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 250. ℙ Confund. *in otio*, *initio*, *inops*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 80.]

OTOPĒTĀ, ae, m. *ὠτοπετής*, h. e. auritus, ut in *Gloss. Philox.* exponitur, ap. *Petr. Sat.* 35. videtur leporem significare. Sed locus ille varie vexatur a criticis. V. *Burm.*

*OTRĒRA vel Otrīra, ae, f. Amazonum una, Hippolytes Penthesileaeque Amazonum mater ex Marte. *Hyg. fab.* 30. 112. 223 et 225. ℙ *Otrere* audit *ib. fab.* 163. ed. *Munk.* ubi edd. anteriores *Othrepte* habent. *B. A.*

*OTREUS, ei et eos, Hesiones procus, ab Amyco interfectus. *Val. Fl.* 4, 162. ℙ Alius, in bello Colchico ab Ambeno occisus. *Id.* 6, 252. *B. A.*

OTRĪCŪLĀNUS. V. OCRICULANUS.

*OTRIS, loci nomen ad Euphratem fluvium. *Plin.* 5, 26. Euphrates — Babylonem — permeans, item quam Otrim vocant, distrahitur in paludes. *B. A.*

[OTRONĪENSIS, e, adj. ad Otrum pertinens, Phrygiae urbem, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 3. p. 169. *OTPOHNΩN. Plin.* 5, 29, 29. Longinquiores eodem disceptant foro Otronienses, etc. *Hard.* male edidit *Orthonienses. F.*]

ŌTUS, i, m. *ὠτὸς*, et *ὦτος*, avis bubone minor, noctuis major, auribus plumeis eminentibus: unde et nomen illi: (*οὖς*, *ὠτὸς*, aurem significat.) Quidam Latine asionem vocant: imitatrix alias avis, ac parasitica, et quodam genere saltatrix. Capitur haud difficulter, ut noctuae, intenta in aliquo, circumeunte alio. Quod si ventus agmen adverso flatu coeperit inhibere, pondusculis lapidum apprehensis, aut gutture arena repleto, stabilitae volant. Haec *Plin.* 10, 23, 33., ubi alii leg. *otis* invito *Hard.* V. OTIS. [**Bergeule*, *Horneule*, Stryx Otus, *L.*] ℙ Item *Otus*, vel *Othos*, vel *Oetus* (totidem enim modis scriptum legitur) nomen est Gigantis, de quo V. EPHIALTES et ALOEUS. *Virg. Cul.* 233. Nam vinctus sedet immanis serpentibus Otus.

O V

ŌVĀLIS, e, adj. ad ovationem spectans, ut *Ovalis corona*, de qua V. in OVATIO. *Gell.* 5, 4.

ŌVANTER, adv. ovando, exsultando. *Tert. adv. Valent.* 28. Propere, et ovanter accurrit.

[ŌVĀRĬUS, ii, m. qui gallinis praeest, ut suo tempore ova pariant, quique edita servat, et quae succi melioris sunt, ea domino coenaturo, aut statim a balneo exeunti exhibet, quemadmodum *aviarius* et *altiliarius*, qui aves, et altilia curat et farcit, uti dictum est suo loco, et quemadmodum memoratur a *Varr. R. R.* 3, 5. curator aviarii, et *ib.* 9. gallinarius. *Inscr.* in *Collect. Ferrar. opusc.* T. 9. p. 179. Cn. Murcius Cn. T. L. Argentillus ovarius. Hanc inscriptionem ad quingentos circiter ab urbe Mevania passus in villa Cupri omnium primus detexit, descripsit, vulgavit et illustravit. *Jo. Dom. Coletius l. c.*, cujus rude marmor, solaque pueri effigie ad pectus usque conspicum, Argentillum Cnaei, et Titi Murciorum libertum exhibet. Is eam, de qua diximus, ovorum curam exercuisse videtur. Fuisse id etiam munus apud veteres, et quidem puerile, allatis scriptorum testimoniis probat idem Auctor. Est apud Graecos verbum *ὠοφυλακτέω*, ova custodio. Quae fuerit et quanta apud veteres cura servandi et supponendi ova, abunde docet *Colum.* 8, 5. *F.*]

ŌVĀTĬO, onis, f. *θρίαμβος ἐλάττων*, minor triumphus, cum belli duces rebus quidem prospere gestis, non tamen ita magnis, ut justo triumpho dignae essent, ex S. C. pedites, vel, ut aliis placet, uno equo vecti urbem ingrediebantur, myrteam coronam, quam ob id *ovalem* vocabant, in capite gestantes, et a plebejis, vel ab equitibus Romanis deducebantur in Capitolium, ibique ovem immolabant. *Serv.* ad *A.* 4, 543. Ovandi autem, et non triumphandi, teste *Gell.* 5, 6. et *Festo*, causae erant, cum aut bella non rite erant indicta, neque cum justo hoste gesta, aut cum hostium nomen humile erat, et non idoneum, ut servorum piratarumque; aut quoties deditione repente facta victoria citra magnam sanguinis effusionem contigerat. Ob quam etiam causam coronam ovalem ex myrto, quae arbor Veneri est sacra, conficiebant, quod incruentas hujusmodi victorias Venereas potius judicarent, quam Martias. *Plin.* 15, 29, 38. tradit, primum, qui ovans Urbem ingressus sit, fuisse A. Postumium Tubertum, in consulatu devictis Sabinis, quoniam rem leviter sine cruore gesserat: et myrto Veneris victricis coronatum incessisse. *Flor.* 3, 19. *med.* Fuitque de servis oratione contentus, ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret. ℙ Item *ōvatio* tempus est, quo gallinae ova faciunt, dictum ea forma, qua *pullatio*, *mellatio*, etc. *Plin.* 29, 3, 12. Tanquam congruere ovationem etiam serpentium humani sit arbitrii. Al. leg. *operationem*, rectius.

ŌVĀTUS, a, um, part. ab *ovo. Pers.* 2, 55. auro sacras quod ovato Perducis facies, *h. e.* triumphato, victoria acquisito. Sunt qui aliter explicant. ℙ Est etiam *ōvatus* adj. *ὠοειδής*, in similitudinem ovi factus. *Plin.* 15, 21, 23. Aliis turbinatio pyri, aliis ovata species, ceu malorum aliquibus. ℙ Item diversi coloris maculis variegatus, ovi speciem referentibus. *Plin.* 35, 1, 1. Ut ovatus esset lapis Numidicus, et purpura distingueretur Synnadicus.

ŌVĀTUS, us, m. ovantium, et exsultantium laetus clamor. *Val. Fl.* 6, 187. hinc barbarici glomerantur ovatus, Hinc gemitus.

ŌVĔCŪLA. V. OVICULA.

*OVETĀNUS, a, um, adj. ad Ovetum spectans, quae urbs est Hispaniae Tarraconensis, in Asturum agro, hodie *Oviedo*. *Plin.* 34, 17. Plumbum Ovetanum. Sic ed. *Hard.* Vetus lectio *Jovetanum.* ℙ Notandum, credi a nonnullis, urbem quam dicunt *Oviedo* primum conditam octavo post natum Christum saeculo: ut vel exinde possit dubitari, an genuina lectio sit v. *Ovetanum. B. A.*

OUFENTĪNA et Ufentina, ae, f. una ex XXXV. tribubus R., quae erat in Latio, sic dicta ab Ufente fluvio agri Privernatis. Facta est ann. U. C. CCCCXXXVI. una cum Falerina. *Liv.* 9, 20. *Festus*, et plurimae *Inscr.* ap. *Grut.*, in quibus semper *Oufentina* habetur. *Festus:* Oufentinae tribus initio causa fuit nomen fluminis Oufens, quod est in agro Privernate, inter mare, et Terracinam. Lucilius: Priverno Oufentina venit, fluvioque Oufente. Postea deinde a censoribus alii quoque diversarum civitatum eidem tribui sunt adscripti. Haec *Festus.*

ŌVĬĀRĬCUS. V. in v. sq.

ŌVĬĀRĬUS, a, um, adj. ad oves pertinens. *Oviarium pecus*, oves. *Colum.* 7, 6. Et quoniam de oviario satis dictum est, ad caprinum pecus nunc revertar. Al. leg. *oviarico.* Sic *Inscr.* ap. *Grut.* 513, 1. et *Mur.* 606, 1. Abstineatis injuriis faciendis conductoribus gregum oviaricorum, etc. quae vox bis infra repetitur in eod. lapide. ℙ *Oviaria*, *ae*, grex ovium. *Varr. R. R. praef.* 2. *f.* Et ipse pecuarias habui grandes, in Appulia oviarias, et in Reatino equarias.

*OVĪCO, as, a. 1. ovi albumine subigo. *Plin. Valer.* 1, 17. Ovo crudo ovicare. *B. A.*

ŌVĪCŪLA, ae, f. *προβάτιον*, parva ovis. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 43. Q. Fabius Max. Cunctator Ovicula dictus est a morum clementia. *August. Doctr. Chr.* 3, 21. Oviculam ei exhibuit epulandam. Ap. *Tert. Pall.* 3. legitur *ovecula.*

P. ŌVĬDĬUS NASO, poeta Latinus, Sulmone natus, quae urbs est in Pelignis, ex equestri Nasonum familia, ann. U. C. DCCXI. Pansa, et Hirtio Coss. XIII. cal. April. (quo die non paucis ante annis natus erat Tibullus) quo anno Cicero interfectus est: vixit annos ferme sexaginta, quorum circiter decem postremos exegit Tomis in Ponto, ab Augusto illuc relegatus ob artis amatoriae libros, et aliam insuper causam, quam ipse errorem vocat, nec unquam detegere est ausus, illud modo significans, se oculis peccasse, *Trist.* 2, 207. Perdiderint cum me duo crimina, carmen, et error, Alterius facti culpa silenda mihi; et *ib.* 3, 5, 49. Inscia quod crimen viderunt lumina, plector: Peccatumque oculos est habuisse meum. Ex his videtur colligi posse, fuisse testem et conscium alicujus turpitudinis, quam Julia Augusti neptis, multis jam probris contaminata cum aliquo admiserit Ovidii amico et sodali. Poetarum ingeniosissimum appellat *Sen. Q. N.* 3, 27., ubi simul quaedam in eo reprehendit, in quibus ingenio suo nimis indulsit. Similia habet *Id. Contr.* 4, 28. et *Quint.* 10, 1. *med.*, ubi, Medea inquit, (tragoedia Ovidii deperdita), videtur mihi ostendere, quantum vir ille praestare potuerit, si ingenio suo temperare, quam indulgere maluisset; et *ib.* Lascivus in Heroicis Ovidius, et nimium amator ingenii sui: laudandus tamen in partibus. Ejus vitam diligentissime omnium Latine perscripsit *Joann. Masson*, exstatque in editione Ovidii operum *Burmanniana;* Italice postea *Car. Rosmini.* ℙ Scripsit multa, quorum pleraque exstant, de Amoribus, de Arte amatoria, de Remedio amoris, Metamorphoseon, de Fastis, Tristium, et ex Ponto, carmen in Ibin, et praeterea epistolas aliquot, quas *Heroidas* appellant. Libri quarti Tristium elegia ultima vitam ipse suam diligenter persequitur. Copiosus ubique est, cultissimus, Latinissimus, miraque facilitate, perspicuitate, et suavitate legentes alliciens, et Romani carminis, praesertim elegiaci, amatoribus facile suppeditans, unde versus conficiendi facultatem, quod ad verborum copiam attinet, assequantur. Verum qui sapiunt, ab amatoriis libris omnino abstinebunt, ne, dum studia sua juvare curant, moribus officiant: quod ipsum, quo magis credas, ipse monuit, *Rem. Am.* 757. Eloquar invitus, teneros ne tange poetas. Submoveo dotes impius ipse meas; et *quae sequuntur.* ℙ Alius est Ovidius ille, de quo *Mart.* 7, 44. et 45. et al. Maximus ille tuus, Ovidi, Caesonius hic est, etc.

*OVILABIS, Norici oppidum, ad Traunum flumen, hodie, ut creditur, *Wels* in Austria. *Anton. Itin. Inscr.* ap. *Grut.* p. 345. n. 8. Pontif. Coloniae Aureliae Antoninianae Ovil. ℙ In *Tab. Peut.* est *Ovilia. B. A.*

ŌVĬLĔ, is, n. *κλοιον*, stabulum ovium. *Virg. G.* 3, 537. Non lupus insidias explorat ovilia circum. *Ov. Trist.* 4, 1, 79. Utque rapax pecudem, quae se non texit ovili, Per sata, per silvas fertque trahitque lupus; Sic, etc. ℙ Per catachresin dicitur de stabulo caprarum. *Id. Met.* 13, 828. Sunt, fetura minor, tepidis in ovilibus agni: Sunt quoque, par aetas, aliis in ovilibus haedi. Adde *Tibull.* 2, 1, 57. ℙ Per similitudinem *ovile* dictus est locus in campo Martio, cancellis conclusus, quo tribus Romanae comitiis suffragia laturae per ordinem conveniebant. Nomen inde habuit, quia initio ligneo vallo in morem ovilli stabuli circumdatus fuit, ut est ap. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 1, 34., quamvis postea marmoribus cinctus fuerit, et ornatus. *Liv.* 26, 22. Citatis Veturiae senioribus, datum secreto in ovili cum his colloquendi tempus. *Juven.* 6, 527. A Meroe portabit aquas, ut spargat in aede Isidis, antiquo quae proxima surgit ovili. *Lucan.* 2, 197. Tunc flos Hesperiae, Latii jam sola juventus Concidit, et miserae maculavit ovilia Romae. Loquitur de caede a Sulla facta multorum millium R. in campo Martio vel in ovili ipso, vel prope eum locum. *Flor.* 3, 21. *f.* et *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 75. id factum dicunt in villa publica, quae itidem in campo Martio fuit. V. SEPTUM.

*OVILĬA, i. q. Ovilabis. V. OVILABIS. *B. A.*

ŌVĪLĬO, onis, m. *μηλοβότης*, ovium pastor, opilio. *Jabolen. Dig.* 33, 7, 26. *f.* Cum instrumentum omne legatum esset, excepto pecore; pastores oviliones, ovilia quoque legato contineri, Ofilius non recte putat.

ŌVĪLIS, e, et
[ŌVILLINUS *F.*] et
ŌVILLUS et
ŌVĪNUS, a, um, adj. *προβατικὸς*, *προβάτειος*, ad oves pertinens. *Appul. Met.* 4. Spelunca ovili stabulationi commoda. *Varr. R. R.* 2, 2. et *Colum.* 7, 2. Ovillum pecus. *Plin.* 28, 9, 33. lac. *Id.* 19, 8, 42. fimum. *Cato R. R.* 36. et *Varr. R. R.* 1, 38. stercus. *Cato R. R.* 76. Ovillus caseus. *Liv.* 22, 10. grex. *Seren. Sammon.* 14, 254. Aut tu sume pilam, quae caudis haeret ovinis. [*Theod.*

Prise. de diaeta 3. Ovillinum lac; et 6. Ovillina caro. *F.*]

OVĬNĬUS, ii, m. cogn. R. ab ovibus ductum, ut *Porcius* a porcis. *Varr. R. R.* 2, 1. Nomina multa habemus ab utroque pecore, a minore Porcius, Ovinius, Caprilius: sic a majore Equitius, Taurius.

OVĬPĂRUS, a, um, adj. ova pariens. Ovipara animalia sunt, quae ova pariunt: *vivipara*, quae vivos fetus edunt. *Appul. Apol.* Quibus membris et causis discreverit natura viviparos eorum *(piscium)* et oviparos: ita enim appello, quae Graeci *ζωοτόκα, καὶ ᾠοτόκα. Auson. Idyll.* 10, 132. Gobio non major geminis sine pollice palmis, Praepinguis, teres, ovipara congestior alvo.

OVIS, is, f. *πρόβατον, οἶς* et *ὄϊς*, pecus lanigerum: ab altera Graeca voce allata. *Cic. N. D.* 2, 63. Quid enim oves aliud afferunt, nisi ut earum villis confectis, atque contextis homines vestiantur? *Phaedr.* 1, 5. Vacca, et capella, et patiens ovis injuriae Socii fuere cum leone in saltibus. *Hor. Epod.* 2, 16. Tondere infirmas oves. *Virg. Ecl.* 6, 4. pastorem, Tityre, pingues Pascere oportet oves. *Hor. Od.* 2, 6, 10. Dulce pellitis ovibus Galesi Flumen. *Pl. Trin.* 2, 4, 140. Oves scabrae sunt, tam glabrae, hem, quam haec est manus. *Ov. Fast.* 1, 333. ita rex placare sacrorum Numina lanigerae conjuge debet ovis, *h. e.* ariete. *Id. Met.* 13, 927. Nec placidae carpsistis oves, hirtaeve capellae. *Id. Trist.* 5, 10, 26. Proque lupo pavidae bella verentur oves; et 4, 1, 12. Pastor arundineo carmine mulcet oves. ℙ Translate *ovis* dicitur homo simplex, stolidus, fatuus, quique decipi ac spoliari facile potest. *Pl. Bacch.* 5, 2, 3. Quis has huc oves adegit? *Ni.* oves nos vocant pessumae. Sic *Prop.* 2, 13, 7. Quare si sapis, oblatas ne desere messes, Et stolidum pleno vellere carpe pecus. ℙ Metonymice est ipsa lana. *Tib.* 2, 4, 28. Et nigram Tyrio murice tingit ovem. ℙ Olim masculino genere extulerunt, ut ait *Non.* 3, 153., duo afferens *Varr.* loca: idque praecipue usurpabant in multa dicenda, quae cum olim in pecore constitueretur, bubus praesertim et ovibus, ita loqui solebant: *Quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei unum ovem multam dico:* quae sunt verba *Varr. ib.* et ap. *Gell.* 11, 1. V. MULTA. *Paul.* ex *Festo:* Ovem masculino genere dixerunt, ut ovibus duobus, non duabus. *Festus* quoque in *Recto* testatur, in libris Pontificalibus frequenter dici *hic ovis.* Huc pertinet quod ait *Varr. L. L.* 4, 19. *f.* Ovi mari testiculi dempti. ℙ *Semimaris ovis viscera* ap. *Ov. Fast.* 1, 588. sunt exta maris ovium castrati, h. e. vervecis. ℙ *Ovim* pro *ovem* in quarto casu. *Pl. Merc.* 3, 1, 26. Ovim etiam tibi ancillam dabo, natam annos sexaginta. Al. leg. *ovim tibi eccillam:* alii *quin etiam tibi.* ℙ In sexto *ovi* pro *ove. Varr. L. L.* 7, 37. Sine reprehensione vulgo alii dicunt *hac ovi*, et *avi*, alii *hac ove*, et *ave.*

OVO, as, avi, atum, minorem illum triumphum ago, de quo in OVATIO diximus. *Serv.* ad *A.* 4, 543. dictum esse ait ab ove, quae ab ovante mactabatur. *Festus* vero ab *o* geminata, nempe ab eo clamore, quem faciunt redeuntes ex pugna victores milites geminata *o* littera. Prior notatio probabilior videtur. Caret prima persona praesentis, et usum habet praecipue in participiis. *Gell.* 6, 6. *f.* Scripserunt, qui ovaret, introire solitum equo vehentem. *Cic. Or.* 47. Quem ego ovantem in Capitolium ascendisse meminissem. *Liv.* 5, 31. Valerio, quod perseverantior caedendis in fuga fuit, triumphus; Manlio, ut ovans urbem ingrederetur, decretum est. ℙ Item triumphare, universim. *Solin.* 45. *med.* Cum proelio Antiochus Galatas subegisset, equum insiluit ovaturus. ℙ Translate ovans triumphasse dicitur, qui tantum ovatione contentus fuit. Hinc *Vell.* 2, 96. *extr.* de Tiberio: Hujus victoriae compos Nero, ovans triumphavit; et 122. Quis enim dubitare potest, quin ex Armenia recepta, et, rege ei praeposito, ordinatisque rebus Orientis, ovans triumphare debuerit? *Suet. Tib.* 9. Quas ob res ovans, et curru Urbem ingressus est primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus. Porro animadvertendum est, Tiberium ann. U. C. DCCXLII. triumphalibus ornamentis honoratum fuisse *(Dion.* 54, 31.); ann. DCCXLV. ovasse (*Id.* 55, 2. et *Vell.* 2, 96.); ann. tandem DCCXLVII. curru justum triumphum egisse *(Dion.* 55, 8.). *Suet.* autem *l. c.* res diverso tempore actas conjunxit: addit etiam, primum triumphalibus ornamentis honoratum, ut quidam putant; quia *Dion.* 54, 24. affirmat, idem obtigisse antea Agrippae. *Aug.* in *Monum. Ancyrano:* Bis ovans triumphavi. Hoc idem sic enarrat *Suet. Aug.* 22. Bis ovans ingressus est Urbem post Philippense, et rursus post Siculum bellum. ℙ Item laetari, exsultare, prae gaudio exclamare, aut cantare. *Liv.* 1, 25. *f.* Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt. *Id.* 8, 7. *med.* Spoliis lectis ad suos revectus, cum ovante gaudio turma in castra tendit. *Pl. Bacch.* 4, 9, 146. Ut ovans praeda onustus incederem. *Val. Fl.* 4, 342. Laetus ovat nunc laude virum, nunc vatis honoro Carmine; et 5, 67. At velut ille, gregis cessit cui regia taurus Fertur ovans; et 2, 545. regem inde petens superabat ovante Litora tuta gradu. *Virg. A.* 10, 500. Quo nunc Turnus ovat spolio, gaudetque potitus. *Id. G.* 1, 423. Et laetae pecudes, et ovantes gutture corvi. ℙ De rebus inanimis. *Prop.* 3, 7, 53. Prosequar et currus utroque ab litore ovantes. *Stat. Silv.* 1, 2, 248. eat enthea vittis, Atque hederis redimita cohors, ut pollet ovanti Quisque lyra. *Val. Fl.* 4, 416. haec procul Io Spectat ab arce Phari, jam divis addita, jamque Aspide cincta comas, et ovanti persona sistro; et 2, 506. non Africus alto Tantus ovat, *h. e.* medio mari furit, et veluti triumphat. *Stat. Silv.* 4, 1, 7. plusque ante alias Euandrius arces Collis ovet.

OVUM, i, n. *ᾠόν*, fetus avium, piscium, et quorundam animalium terrestrium, unde pulli fovendo excluduntur: a Graeca voce allata. Ovi partes sunt vitellus, seu luteum ovi; et albumen, seu album, quod putamine, seu cortice, seu calyce continetur. *Cic. Acad.* 4, 18. Deli fuisse complures, qui cum ovum inspexerant, quae id gallina peperisset, dicere solebant. *Id. N. D.* 2, 51. *extr.* Pisces ova cum genuerunt, relinquunt; et 52. Cum gallinae ex ovis pullos excluserint. *Colum.* 8, 3. Excisa per ordinem gallinarum cubilia, in quibus aut ova edantur, aut excludantur pulli; et *ib.* 11. Pavones perticis insistentes enituntur ova. *Ov. Fast.* 1, 443. Quae facitis nidos, quae plumis ova fovetis. *Colum.* 8, 5. *med.* Diebus, quibus animantur ova, et in speciem volucrum conformantur; et 11. *med.* Ut Rhodiae aves pavoninis ovis incubent. *Varr. R. R.* 3, 9. Incubare ova. *Colum.* 8, 5. *med.* Cum quis volet quamplurimos mares excludi, longissima quaeque et acutissima ova subjiciet; et rursus cum feminas, quam rotundissima. *Cic. N. D.* 2, 48. Anatum ova gallinis saepe supponimus. *Plin.* 9, 51, 75. Ova concipere; et 10, 9, 11. parere. *Ov. Met.* 8, 258. de perdice: Propter humum volitat, ponitque in sepibus ova. *Plin.* 9, 57, 83. Ova in sicco maturari, ut testudinum, *h. e.* ad pullum perduci. *Varr. R. R.* 3, 9. Ova aut inaequabiliter matureseunt, aut consenescunt; et *ib.* Ova plenane sint atque utilia, nec ne, animadverti ajunt posse, si demiseris in aquam; quod inane natat, plenum desidit. *Colum.* 8, 5. *med.* Remedia adversus tonitrua, quibus vitiantur ova. *Plin.* 10, 58, 79. Ova irrita; et *ib.* 52, 74. et *Colum.* 8, 5. Ovi putamen. *Seren. Sam.* 29, 551. Torridus ex vino cortex potabitur ovi. *Plin.* 28, 2, 4. Ovorum ut exsorbuerit quisquam, calyces protinus frangi. ℙ De ovi putamine; et significat quantum illo capi potest. *Plin.* 22, 25, 67. Semuncia amyli, cum ovo, et passi tribus ovis suffervefacta. ℙ Ovorum inter se similitudo in proverbio est, ut ait *Cic. Acad.* 4, 18., cum de rebus loquimur adeo similibus, ut internosci non queant. *Sen. Apocol. med.* Occidit socerum suum tam similem sibi, quam ovo ovum. V. AQUA. ℙ *Ova* erant coenae initium, sicut *mala* finis. *Cic. Fam.* 9, 20. Integram famem ad ovum affero. *Hor. Sat.* 1, 3, 6. si collibuisset, ab ovo Usque ad mala citaret, Io Bacche. ℙ In fabulis Leda Thestii filia, Tyndari uxor, ab Jove sub specie cycni compressa, ova duo peperisse dicitur, ex quorum altero Pollux et Helena ex Jove; ex altero Castor et Clytaemnestra ex Tyndaro nati sunt. Quo pertinet illud *Hor. A. P.* 147. Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo; et *Sat.* 2, 1, 26. Castor gaudet equis: ovo prognatus eodem Pugnis, *h. e.* eodem partu. Vel dicas, ex eodem ovo Castorem et Pollucem fuisse progenitos, ut in CASTOR diximus. ℙ In sacris lustralibus etiam ova gallinacea in usu fuerunt: fortasse quia omnium ciborum purissima sunt. *Ov. A. Am.* 2, 329. Et veniat quae purget anus lectumque, locumque, Praeferat et tremula sulphur et ovo manu. *Juven.* 6, 518. metuique jubet Septembris, et Austri Adventum, nisi se centum lustraverit ovis. ℙ Ad ovi figuram respicit illud *Calpurnii* amphitheatrum describentis, *Ecl.* 7, 34. Sic tibi planitiem curvae sinus ambit arenae, Et geminis medium se molibus alligat ovum. ℙ In circo *ova* fuerunt pilae ligneae ovali figura, quibus pro notis utebantur ad numeranda quadrigarum curricula. Ea conspicuo loco posita, tot numero, quot cursus erant conficiendi (septem scilicet, ex *Sen. ep.* 30. *med., Prop.* 2, 19, 66., *Varr.* ap. *Gell.* 3, 10. *f.* aliquando a Domitiano ad quinque redacti, *Suet. Dom.* 4.), et ad eorum singulos vel subtracta, vel apposita, monebant aurigas, quid ad certamen finiendum restaret. *Liv.* 41, 27. Censores locaverunt carceres in circo, et ova ad notas *(al.* ad metas) curriculis numerandis. *Varr. R. R.* 1, 2. Non modo ovum illud sublatum est, quod ludis circensibus novissimi curriculi finem facit quadrigis, sed ne illud quidem ovum vidimus, quod in Cereali pompa solet esse primum. *Cerealem pompam* vocat longum illum ferculorum ordinem, quae in Cereali epulo, quod praebebatur ab aedilibus in templo Telluris post peractos circenses, inferebantur: quorum primum ordine erat ovorum, ut dictum est. De ovis circensibus vide plura ap. *Panvin. de Circensib. l.* 1. *c.* 14. Scribit *Tert. Spect.* 8. fuisse adscripta honori Castorum, quos ovo genitos credebant, ut dictum est.

OX

OXĂLIS, idis, f. *ὀξαλὶς*, lapathi genus, sativo proximum, foliis acutis, colore betae candidae, radice minima. Latini rumicem, aut lapathum cantherinum vocant. *Plin.* 20, 21, 85. [*Rumex acetosa, *L.*]

OXALME, es, f. *ὀξάλμη*, acida muria, *Plin.* 23, 2, 26. *Id.* 24, 4, 5. acetum salsum vocat. Est autem ab *ἅλμη*, muria, et *ὀξὺς*, acidus.

*OXARTES, is, m. Persa, pater Roxanes, Alexandri Magni uxoris. *Curt.* 10, 3. ℙ *Ὀξυάρτης* est *Straboni. B. A.*

*OXATHRES, is, frater Darii Codomanni, ultimi regis Persarum. *Curt.* 3, 11 et 13. et 7, 5. *B. A.*

*OXĬAE, arum, (*ὀξεῖαι*, i. e. acutae,) insulae quaedam parvae ante Leucadiam. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*OXĬI, orum, populi Persidis, inter Medum et Araxem flumina. *Plin.* 6, 27. Susianis ad orientem versus junguntur Oxii latrones. Sic ed. *Hard.* Antea, v. g. in ed. *Elz.*, legebatur *Cossaei. Id.* 6, 16. Oxii, Tagae, Heniochi, etc. ex lectione ed. *Elz.* et aliarum vetustiorum. *Hard.* leg. *Oxydracae, Heniochi*, etc. *B. A.*

OXĬMĔ. V. OCIUS.

*OXĬMUM, i, n. Italiae opp., dictum et Auximum. *Liv.* 41, 21. et 42, 20. ubi ed. *Gronov.* habet *Oximi.* In ed. *Drak.* impressum *Auximi. B. A.*

*OXOS vel Oxus, i, m. *Ὄξος*, Asiae fluvius, qui ortus in lacu Oxo, per deserta Scythiae, in latus orientale Caspii maris delabitur. *Plin.* 6, 16 et 17. *Mela* 4, 5. *Curt.* 7, 4 et 10. *B. A.*

*OXUBĬI, orum, populi Galliae Narbonensis, in finibus Italiae. *Plin.* 3, 4. ℙ *Oxybii* audiunt *Flor.* 2, 3. qui in Liguria eos ponit, ultra Alpes, quod et facit *Plin.* 3, 5. *B. A.*

*OXUS. V. OXOS. *B. A.*

[OXYBAPHUS, i, m. *ὀξύβαφον*, idem ac acetabulum, mensura liquidorum, appendens drachmis quindecim. *Rhemn. Fann. de ponder.* 75. Bis quinque hunc *(cyathum)* faciunt drachmae, si appendere tentes; Oxybaphus fiet, si quinque addantur ad istas. *Isid. Or.* 16, 26. Cyathi pondus decem drachmis appenditur. Oxybaphus fit, si quinque drachmae adduntur ad decem. *F.*]

*OXYBĬI. V. OXUBII. *B. A.*

OXYCEDROS, i, f. *ὀξύκεδρος*, species cedri folio duro, acuto, et spinoso: ab *ὀξὺς*, acutus. *Plin.* 13, 5, 10.

OXYCŎMĬNĂ, oleae sale conditae, aut aceto, unde acrem saporem indicunt. *Petr. fragm. Trag.* 66. *Burm.* Etiam in alveo circumlata sunt oxycomina. Al. leg. *oxycominia.* Porro *cominia* inter olearum genera enumeratur a *Pall.* 3, 18. Alii leg. *sycamina*, etc.

*OXYDRACAE, arum, populi Indiae. *Curt.* 9, 4. ℙ Item Sogdianae populi. *Plin.* 6, 16. ed. *Hard.* V. OXII. *B. A.*

OXYGĂLĂ, ae, f. *ὀξύγαλα*, lactis in acorem redacti pars coactior, quam a sero separatam origano, caepa, mentha, coriandro, thymo, cunila, et sectivo porro, et sale condiebant: ab *ὀξὺς*, acidus, et *γάλα*, lac. *Colum.* 12, 8. Oxygalam sic facito, etc. ℙ Graece neutrius est generis, et *oxygala, alactis.* Unde *Plin.* 28, 9, 35. Quod est maxime coactum, in summo fluitat: id exemptum, addito sale, oxygala appellant.

OXYGĂRUM, i, n. *ὀξύγαρον*, garum ex aceto, idest liquaminis genus ex minutioribus pisciculis confici solitum, cui acoris conciliandi gratia nonnihil aceti solet admisceri, quod in principio mensae adponebatur: ab *ὀξὺς*, acidus, et *γάρον*, garum, liquamen piscium sale conditorum. *Mart.* 3, 50. affertur protinus ingens Inter lactucas, oxygarumque liber. *Sidon. ep.* 9, 13. Dum rex convivii circa ordinandum moras nectit oxygarum.

OXYLĂPATHUM, i, n. *ὀξυλάπαθον*, lapathi species acutis foliis. Quidam tamen putant, dictum a saporis aciditate. Officinae lapathum acutum nominant. *Plin.* 20, 21, 85. [*Rumex acutus, *L.*]

OXYMĔLI, ĭtis, n. *ὀξύμελι*, acetum mulsum: ab *ὀξὺς*, acidus, et *μέλι*, mel. *Plin.* 23, 2, 29. Oxymeli antiqui hoc modo temperabant: mellis minas decem, aceti veteris heminas quinque, salis marini pondo libram et quadrantem, aquae marinae sextarios quinque pariter coquebant, decies defervescente cortina: atque ita diffundebant, inveterabantque. Eadem ferme habet 14, 17, 21., nisi quod pro aqua marina pluviam substituit. *Id.* 23, 2, 29. Lactucas servari etiam in alienos menses oxymelite, repertum est. ℙ Legitur et *oxymelli. Cato R. R.* 157. Brassica ex aceto oxymelli, et sale sparsa. Al. leg. *oxymelle*, alii *oxymela. Colum.* 12, 56. Siseris radicem eximes de fidelia, et oxymelli cum exiguo oleo superfunde. *Veg. Vet.* 2, 48. Calcem vivam vino subigito ad crassitudinem oxymellis. [*Gargil. de re hortensi* (ed. *A. A. Scotti*) 4, 11. Persici pomum, nisi conditum muria, et oxymelle, asservari diu non potest. Adde *Pall.* 12, 7. *med. F.*]

OXYMORĂ Verba, *ὀξύμωρα*, h. e. *acutistulta*, sunt

quibus subest sententia ejusmodi, quae vera quidem sit, et acute dicta, primo tamen aspectu stulta videatur, nimisque affectata: ab ὀξὺς, acutus, et μωρὸς, stultus. Itaque *Asconius* in illud *Cic. Div. Verr.* 1. Sese jam ne Deos quidem suis urbibus, ad quos confugerent, habere, quod eorum simulacra Verres sustulisset: Mire, *inquit*, imitatus est verba Siculorum dolore oxymora et inania: quasi Deos non habeant, qui simulacra perdiderunt; et ad illud *ib.* 6. Etiam si taceant, satis dicunt: Tale, *inquit*, est illud (*Cat.* 1, 8.) cum tacent, clamant: et (*Marcell.* 4.) victoriam ipsam vicisse videris: et (*Quint.* 5, 10.) philosophandum est, etiamsi non est philosophandum. Haec in loco nec oxymora, nec cacozela judicanda sunt: aut enim inferioribus dictis, aut supra positis leniuntur. Haec *Ascon.* Plura V. ap. *Voss. instit. orator.* 5, 12, 7.

OXYMYRSĪNE, es, f. ὀξυμυρσίνη, acuta myrtus, frutex, qui habet folia myrto similia, sed acutiora et rigidiora, et producit baccas rufas ad cerasorum similitudinem. *Plin.* 15, 7, 5. et 29, 5, 37. Alio nomine *ruscus* dicitur.

OXYODONTES, um, m. plur. ὀξυόδοντες, acutis dentibus instructi. Vox Graeca ab ὀξὺς, acutus, et ὀδοὺς, dens. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 377. Illo quid fiat Lamia et Pytho oxyodontes. Al. scrib. Graecis litteris.

*OXYOPUM, i, n. Asiae opp., in Troade vel Mysia. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

OXYPAEDĒRŌTĪNUS, a, um, adj. colorem referens gemmae, quae paederota appellatur. *Vopisc. Aurel.* 46. Vestes oxypaederotinae. V. omnino *Salmas.* ad h. l.

OXYPORUS, a, um, adj. ὀξυπόρος, Graece est cito transiens: ab ὀξὺς, celer, et πείρω, transeo: item penetrans, pervadens: ab ὀξὺς, acutus. Dicitur itaque de cibis, qui acri sapore sunt, et statim, alteque gustum afficiunt, ut sunt qui aceto condiuntur: item qui cito conficiuntur in stomacho: item de medicamentis, quae cito operantur. Ap. *Colum.* lemma 12, 56. sic habet: Moretum oxyporum, ut alii, oxygarum quemadmodum componas. Ibi *Colum.* longam ejus compositionem tradit. (Adde *Apic.* 1, 32.) In fine subdit: At si pretiosius oxyporum facere voles, haec eadem, etc. *Plin.* 20, 7, 26. Oxypori obolis asperitatem addito dulci ad intinctum aceti temperantes; et *ib.* 23, 96. Hippomarathrum condimentis prope omnibus inseritur: oxyporis etiam aptissime. *Id.* 24, 8, 36. Juniperus miscetur et antidotis oxyporis. *Stat. Silv.* 4, 9, 36. Non sal, oxyporumve, caseusve, Aut panes viridantis aphronitri.

*OXYRRHODON, i, n. acetum rosaceum. *Octav. Hor.* 1, 7. *B. A.*

*OXYRRHOE vel Oxyroe, es, f. Ὀξυρροή, una e canibus Actaeonis venaticis. *Hyg. fab.* 181. *B. A.*

[OXYRRHYNCHĪTES, ae, m. ita est appellatus Aegypti nomus, cujus urbs Oxyrrhynchus fuit ad ripam occidentalem Nili supra Memphim, nunc *Pemsié:* cujus meminit *Ammian.* 22, 16. ὀξυῤῥύγχος, ab ὀξὺς, acutus, et ῥύγχος, rostrum, fuit, ut quidam putant, piscis Nilo proprius, qui pro numine ab hujus nomi incolis colebatur. *Plin.* 5, 9, 9. *F.*]

OXYS, yos, ὄξυς, f. herba terna folia habens: datur ad stomachum dissolutum. *Plin.* 27, 12, 89. [*Oxalis acetosella, *L.*] ℙ Item genus junci acuti et sterilis. *Id.* 21, 18, 69.

*OXYSACCHARUM, i, n. ὀξυσάκχαρον, potionis genus ex saccharo et aceto. Saccharum autem mel dicitur in arundinibus collectum gummi modo, ut videbis suo loco. *Constant. Afer* 7, 1. Oxysaccharum dare cum succo mali granati. *B. A.*

OXYSCHOENOS, i, m. ὀξύσχοινος, genus junci marini acutioris. *Plin.* 21, 18, 69.

[OXYTONON, i, n. ὀξύτονον, papaver agreste. *Apput. Herb.* 53. *F.*]

OXYTRIPHYLLON, i, n. ὀξυτρίφυλλον, genus trifolii acuto folio. *Plin.* 21, 9, 30. [*Trifolium italicum, *L.*]

OXYZOMUS, a, um, ὀξύζωμος, acido seu acri jure conditus: ab ὀξὺς, acidus, acer, et ζωμὸς, jus esculentum. *Appul.* 6, 9. Pullus oxyzomus. *Theod. Prisc. de Diaeta* 6. Oxyzoma nutriunt competenter.

O Z

OZAENĂ, ae, f. ὄζαινα, piscis ex polyporum genere, caput habens gravissimi odoris: ab ὄζω, oleo. *Plin.* 9, 30, 48. Polyporum generis et ozaena, dicta a gravi capitis odore. ℙ Est item ozaena, narium morbus, concursu acrium humorum ulcera, et plures crustas intra nares gignente, quae gravissimum spirant odorem. Nomen trahit ab ozaena pisce. *Plin.* 25, 13, 102. Narium ozaenas emendat aristolochia cum cypero.

OZAENĪTIS, ĭtĭdis, f. ὀζαινῖτις, pseudonardus, herba ex genere nardi ad Gangem Indiae fluvium nascens, odore virus referens: ab ὄζω, oleo. *Plin.* 12, 12, 26. Alterum genus damnatur in totum, ozaenitidis nomine.

[OZAENOSUS, a, um, adj. ὀζαινικὸς, qui ozaena laborat. *Pelag. Vet.* 16. *med.* Loca, quae ozaenosa sunt. *F.*]

*OZOGARDANA, opp. Mesopotaniae. *Ammian.* 25, 4. (al. 2.) *B. A.*

*OZOLAE, arum, Ὀζόλαι, populi Locridis. *Plin.* 4, 3. Proximi Aetolis Ozolae. *B. A.*

*OZOMĒNE, es, f. uxor Thaumantis, Alopies, Acholoes et Ocypetes Harpyiarum mater, secundum *Hyg. fab.* 14. *med.* ℙ Alii Harpyiarum matrem Electram fuisse dicunt: unde in *Hygini* loco pro *Ozomenes* mavult *Perizonius* legere *Oceanines;* quam bene, non comparet. *B. A.*

*OZUAEI, orum, gens Dalmatiae vetusta, de qua *Plin.* 3, 22. *B. A.*

P

P Littera muta duriorem habens sonum, quam *b*, aspirationem post se recipit in Graecis dictionibus, ut *philosophia*, *pharmacum*, et valet fere quod Φ. In quibusdam promiscue ponitur, ut *opsonium*, et *obsonium.* [*Cf. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 319. sqq.] In notis valet *Publius* praenomen: item *pondo*, et *posuit:* P. F. *Publii filius:* item *pius felix:* P. C. *Patres conscripti:* et *ponendum curavit:* P. M. *Pontifex Maximus:* P. P. *pater patriae:* P. R. *populus Romanus*, etc. [*V. Indicem notarum ad *Orellii corpus inscriptiorum.*]

P A

PA pro *parte*, et *po* pro *populo* positum est in Saliari carmine. *Festus.* Similia fuere *do* pro *domo*, *coel* pro *coelum*, *gau* pro *gaudium*, quae sunt *Ennii.*

[PABO, onis, m. *Gloss. Isid.* Pabo, vehiculum unius rotae. *F.*]

PĂBŪLĀRIS, e, adj. νομαδικὸς, ad pabulum pertinens, pabulo idoneus. *Colum.* 2, 14. et *Pall.* 1, 6. *med.* Pabularis vicia. *Plin.* 18, 16, 41. Farrago, vicia, hordeum, omnia haec pabularia.

PĂBŪLĀRIUS, a, um, adj. pabularis. *Pabulariorum collegium* memoratur in duobus lapidib. ap. *Don. cl.* 9. *n.* 3. et 20., et videntur esse similes, aut iidem cum pecuariis, h. e. qui pascua publica pabuli causa conducebant. *Mur.* ad *Inscr.* 527, 3. et 4. sunt, qui pabula militibus in castris hieme degentibus parabant: *Sponio* in *Miscell. Antiq.* p. 68. milites, qui ad pabula colligenda pro exercitu mittebantur, et *pabulatores* usitatiore vocabulo dicuntur. *Mur.* suspicatur ubique legendum *Tabularii*, [quod minime probandum. *F.*]

PĂBŪLĀTĬO, onis, f. προνομὴ, actus pabulandi. *Varr. R. R.* 3, 16. de apib.: Si e bono loco transtuleris eo, ubi idonea pabulatio non est, fugitivae fiunt. *Colum.* 7, 9. *f.* Quamvis sus in pabulationem spurce versetur, mundissimum tamen cubile desiderat. ℙ De collectione pabuli, quae fit a militibus. *Caes. B. G.* 7, 16. Omnes nostras pabulationes, frumentationesque observabat; et *ib.* 1, 15. Hostem rapinis, pabulationibus, populationibusque prohibere; et *B. C.* 1, 78. Premebantur Afraniani pabulatione, aquabantur aegre; et *B. G.* 7, 44. Pabulatione intercludi; et 20. Servi, quos in pabulatione exceperat. *Hirt. B. G.* 8, 7. *extr.* Pabulatio propter anni tempus cum exigua, tum disjecta erat.

PĂBŪLĀTOR, oris, m. προνομεύων, pabuli collector, praesertim militaris. *Gloss. Isid.* Pabulator, pastor, qui bubus pabula praebet. *Caes. B. C.* 1, 55. Inopinantes pabulatores, et sine ullo dissipatos timore aggredi. *Liv.* 29, 2. Cum in pabulatores impetus repente ab equitibus factus esset.

PĂBŪLĀTORĬUS, a, um, adj. ad pabulum, et pabulatorem pertinens. *Colum.* 6, 3. et 11, 2. *f.* Frondis aridae corbis pabulatoria modiorum viginti sufficit.

PĂBŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. νέμομαι, νομεύω, pabulum absumo, pascor. *Colum.* 7, 6. *f.* Capella compesci debet, ne procurrat, sed placide et lente pabuletur. *Id.* 8, 15. *med.* Sic enim pabulatur id genus avium. ℙ Translate. *Colum.* 5, 9. *med.* Fimo pabulandae sunt oleae, *h. e.* stercorandae: nam fimum est veluti pabulum arborum. Sic *Id.* 2, 14. Omni solo una praesens medicina est, ut stercore adjuves, et absumptas vires hoc velut pabulo refoveas. ℙ Pabulum colligere in usum castrorum. *Caes. B. C.* 1, 59. Non longo ab castris progressi spatio, angustius pabulabantur. *Id. B. G.* 5, 17. Cum Caesar pabulandi causa tres legiones misisset. *Tac. A.* 12, 38. *extr.* Nec multo post pabulantes nostros profligant. ℙ Translate. *Pl. Rud.* 2, 1, 6. Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum, *h. e.* ad piscandum, unde pabulum victumque paremus. ℙ *Pabulantia*, jumenta, quae pabulo utuntur. *Front. de different. vocum*, p. 2203.

PĂBŪLOSUS, a, um, adj. πολύφορβος, pabulo abundans. *Solin.* 22. de Britannia: Ita pabulosa, ut pecua in periculum agat satias.

PĂBŪLUM, i, n. φορβὴ, νομὴ, cibus proprie brutorum animalium, ut herba, foenum, palea, frondes, segetes, etc. a *pasco*, vel a πάω, vescor. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 445. Frugum pabulique laetus ager. *Cato R. R.* 54. Bubus pabulum hoc modo parari darique oportet. *Colum.* 11, 2. *med.* Viciam conserere in pabulum. *Plin.* 10, 24, 35. Sturni visi saepe ibi, quo hibernum pabulum petunt. *Ov. Fast.* 4, 750. pabula carpit ovis. *Id. Met.* 13, 943. decerpere. *Virg. A.* 12, 475. hirundo pabula parva legens. *Petr. Sat.* 100. Luna etiam feras ducit ad pabulum. *Plin.* 9, 57, 83. Pisces exire ad pabula, pinnulis gradientes. *Id.* 8, 32, 50. Cervi noctu procedunt ad pabula. *Id.* 11, 53, 115. Subus serpentes in pabulo sunt. *Id.* 10, 47, 64. Haematopodi pabulum muscae. *Id.* 18, 12, 30. Fabarum siliquae caulesque gratissimo sunt pabulo pecori. *Flor.* 4, 7. Assuetae cadaverum pabulo volucres. *Ov. Pont.* 1, 2, 122. Quique suis homines pabula fecit equis. ℙ De cibo jumentorum in castris. *Nep. Eum.* 8. Imperat comparari pabulum, praeterea cibaria cocta dierum decem. *Caes. B. G.* 7, 14. Secare pabulum; et 18. consumere; et 74. Pabulum frumentumque convectum habere. *Id. B. C.* 3, 58. supportare. *Hirt. B. G.* 8, 10. conquirere. ℙ Universim de quocumque cibo etiam hominum. *Lucr.* 5, 941. Multaque praeterea novitas tum florida mundi Pabula dia tulit, miseris mortalibus ampla. *Val. Fl.* 4, 105. sicubi saevis Advectet ratis acta notis tibi pabula dira, Et miseras, Polypheme, dapes. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 3. *f.* Quid enim hunc persequar, pecudem ac beluam, pabulo inimicorum meorum et glande corruptum? *Lucr.* 4, 1056. Sed fugitare decet simulacra, et pabula amoris Abstergere sibi, *h. e.* quae amorem nutriunt. *Cic. Acad.* 4, 41. Est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum consideratio contemplatioque naturae. *Id. Sen.* 14. Si vero habet aliquod tanquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute jucundius. *Ov. Met.* 8, 876. dederatque gravi nova pabula morbo. ℙ *Acheruntis pabulum* de eo, qui Acherunti debetur, quasi devorandus, (ut ap. *Hor. Od.* 2, 3, 24. Orci victima.) *Pl. Cas.* 2, 1, 11. Faciam, uti, proinde ut est dignus, vitam colat, Acheruntis pabulum.

PĂCĀLIS, e, adj. εἰρηνικὸς, pacifer, pacem significans. *Ov. Met.* 6, 101. Circuit extremas oleis pacalibus oras. *Id. ib.* 15, 591. pacalis laurus, *scil.* olea, et laurus pacis insignia erant. V. PACIFER. *Id. Fast.* 1, 719. Tura, sacerdotes, pacalibus addite flammis, *h. e.* quae sunt in ara Pacis Deae.

PĂCĀTĒ, adv. εἰρηνικῶς, sedate, pacifice, tranquille. *Petr. Sat.* 10. Itaque ex turpissima lite in risum diffusi, pacatius ad reliqua secessimus. *August. Soliloq.* 2, 7. *extr.* Pacatissime et commodissime.

[PĂCĀTĪNUS, a, um, adj. ad Pacatum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 530. 6. T. Aurelius Pacatinus. *F.*]

PĂCĀTĬO, onis, f. pax, seu pacis constitutio. *Front. Strat. praef.* Quae ad proelium, et confectam pacationem pertinent.

PĂCĀTOR, oris, m. εἰρηνοποιὸς, pacis conciliator, turbarum et belli compositor. *Sen. Herc. Oet. f.* Sed tu domitor magne ferarum, orbisque simul pacator ades. *Sil.* 2, 483. Nemeae pacator. *Claud. II. cons. Stil.* 13. Rheni pacator et Istri. *Sen. Ben.* 5, 15. *f.* Ille victor pacatorque gentium populus. *Sil.* 16, 246. terrae pacator Iberae, *h. e.* Scipio. [In nummo *Severi Aug.* ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 190. Pacator orbis: et in nummo *Commodi Aug.* ap. *eund. ib.* p. 121. Marti pacatori. *F.*]

[PĂCĀTŬLĂ, ae, f. dimin. pacatae. Est nomen proprium. *Hieron. ep.* 128. *n.* 4. Dum infantem Pacatulam instituo, immo et nutrio, multarum subito mihi male pacatarum (*mulierum*) bella suscepi. *F.*]

PĂCĀTŌRĬUS, a, um, adj. *Tert. adv. Marc.* 4, 29. *f.* Judicium justum est pacatorium. Ex *Zach.* 8, 10. ubi Vulgata habet *judicium pacis.*

PĂCĀTUS, a, um, part. a *paco:* εἰρηναῖος, εἰρηνευόμενος, pace reddita compositus, quietus, tranquillus, pacificus. [*Proprie dicitur de pace restituta in regione Romanorum imperio subjecta. V. *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 1, 6.] *Ov. Met.* 4, 31. et *Stat. Silv.* 3, 1, 39. Pacatus mitisque adsis. *Cic. Or.* 1, 8. Pacatae tranquillaeque civitates. *Id. Lig.* 2. In provincia pacatissima. *Id. Phil.* 7, 9. Huic tali viro poteritne esse pacatus Antonius? *Ov. Fast.* 1, 3. Excipe pacato, Caesar Germanice, vultu Hoc opus. *Sil.* 6, 367. fert lumina contra Pacatus vultum. *Caes. B. G.* 5, 37. Morini, quos Caesar in Britanniam proficiscens pacatos reliquerat; et 24. Pacatissima et quietissima pars. *Vell.* 2, 59. Pacatis bellis civilibus. *Sall. Jug.* 37. Ex pacatis praedas agere, *h. e.* ex his regionibus, quae pacem cum populo R. habebant. *Sen. Q. N.* 6, 7. Qui medius inter pacata et hostilia fuit, Danubius et Rhenus. *Liv.* 21, 20. Nec hospitale quicquam, pacatumve prius auditum, quam, etc. *Cic. Brut.* 31. *extr.* Hujus oratio in philosophiam translata, pugnacior, ut ita dicam, videtur, et illorum in

judicia pacatior. *Sil.* 7, 560. pacata fuissent Ni consulta viro, mensque impenetrabilis irae. *Lucr.* 3, 293. pacati status aeris. *Hor. Od.* 4, 5, 19. Pacatum volitant per mare navitae. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 146. horrorque recessit Martius, et cristae pacato fulgure vernant, *h. e.* fulgore minime terribili. ℙ *Pacatum* absolute, pro *solo pacato. Liv.* 8, 34. Sine commeatu vagi milites in pacato, in hostico errent. Ita *Dionys. Halic.* 8. p. 526. Ὁ Μάρκιος τὴν στρατιὰν ἀπῆγεν ὡς διὰ φιλίας, h. e. διὰ τῆς γῆς φιλίας.

[PACCIANUS, a, um: adj. ad Paccium Antiochum pertinens, medicum illustrem, Philonidis Catinensis auditorem, qui Tiberio Aug. imperante mortuus est, et cujus medicamenta *Marcell. Empir.* 20. *in.* pluribus verbis memorat. *Inscr.* ap. *Tochon, cachetz des ocul.* p. 50. Julii Tauri crocodes Paccianum ad cicatrices. Alia ap. *eund. ib.* p. 64. C. Julii Dionysiodori Paccian. ad diath. V. PHILONIUS. *F.*]

PACENSIS, e, adj. ad Pacem Juliam pertinens, quae est urbs Lusitaniae, nunc *Beja*, non longe ab Ana fluvio. *Plin.* 4, 22, 35. Hinc *Pacenses, ium*, incolae illius urbis. *Inscr.* ap. *Grut.* 199, 4. Terminus inter Pacenses, et Eborenses. ℙ [Item *Pacensis colonia* est Forum Julii in Gallia Narbonensi, nunc *Frejus. Plin.* 3, 4, 5. Forum Julii Octavanorum colonia, quae Pacensis appellatur. ℙ Est quoque cognomen coloniae Deulti in Thracia, nunc *Derkon.* Nummus ap. *Mionnet, Descr. des médaill.* T. 1. p. 383. Colonia Flavia Pacensis Deultum. V. *Plin.* 4, 11, 18. *F.*]

PACHYNUM, i, n. et Pachynus aut Pachynos, i, m. et f. *Capo Passaro*, unum ex tribus promontoriis Siciliae, in ora orientali, ubi ad Austrum vergit, cum portu: a παχὺς, densus, crassus, quia circa ea loca aer gravior est. *Plin.* 3, 8, 14. Ipsius promontorium Pelorus vocatur vergens in Italiam, Pachynum in Graeciam, Lilybaeum in Africam. *Liv.* 25, 27. Duae classes infestae circa promontorium Pachynum stabant. *Cic. Verr.* 2, 5, 35. Classis Pachynum quinto die appulsa est. *Ov. Met.* 13, 726. E quibus imbriferos obversa Pachynos ad Austros; et *ib.* 5, 350. Dextra sed Ausonio manus est subjecta Peloro, Laeva, Pachyne, tibi. ℙ Secundam licenter corripit *Avien. Perieg.* 645. In matutinos Pachynos producitur ortus. Sic *Prisc. Perieg.* 482. Eminet ad Zephyrum Lilybe, Pachynusque sub ortum. ℙ [*Pachynus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1002, 4. M. Livius Urticulae L. Pachynus. *F.*]

PACIDIANUS. V. PLACIDEJANUS.

PACIFER, ra, rum, adj. εἰρηνεύων, pacem ferens, pacificus. *Lucan.* 3, 304. duramque viri deflectere mentem Pacifero sermone parant. ℙ Est appositum Mercurii, Apollinis, Minervae, Herculis. *Ov. Met.* 14, 291. Pacifer huic dederat florem Cyllenius album. *Inscr.* ap. *Grut.* 38, 7. Deo sancto Apollini pacifero ex voto, etc.; et 49, 1. et 1013, 4. Herculi pacifero, invicto sancto sacr. voto suscepto L. Cornelius L. F. Pal. Terentianus, etc. (in alia ap. *Spon. Miscell. Antiq.* p. 86. dicitur Apollo *placifer*, quod idem est ac *pacifer*, a *placo, as:* si modo vera est lectio.) *Claud. Rapt. Pros. praef.* 2, 9. Inachiis Alcides missus ab Argis Thracia pacifero contigit arva pede. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 228. Minervae paciferae L. Titinius L. L. Amazon grammaticus. V. S. L. M. ℙ Etiam Jovi tribuitur in *Inscr.* opt. notae *ap. Gud.* 7, 7. V. *De vita Antiq. Benev. diss.* 2, 1. ℙ Et Marti, in nummis quam plurimis ap. *Mediobarb. Vaillant.* etc. ℙ Et Genio in *Inscr.* opt. notae ap. *Mur.* 78, 1. ℙ De pacis insignibus. *Virg. A.* 8, 116. Paciferaeque manu ramum praetendit olivae. *Plin.* 15, 30, 40. Laurus pacifera, ut quam praetendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium. *Val. Fl.* 4, 139. Paciferaeque manu nequicquam insignia virgae.

*PACIFĔRO, as. *Gloss. Gr. Lat.* εἰρήνην ἄγω, pacifero. *B. A.*

PACIFĬCĀTĬO, onis, f. σύμβασις, actus pacificandi, compositio, reconciliatio. *Cic. Att.* 7, 8. Quod quaeris, ecqua spes pacificationis sit, quantum ex Pompeji sermone perspexi, ne voluntas quidem est; et *ib.* 9, 11. Opem et gratiam alicujus ad pacificationem quaerere. *Id. Fam.* 10, 27. Sapientius facies, si te in istam pacificationem non interpones. *Gell.* 7, 3. Connixi sunt Rhodienses id bellum inter eos componere. Sed ubi ista pacificatio perpetrari nequivit, etc.

PACIFĬCĀTOR, oris, m. εἰρηνοποιὸς, pacis conciliator, medius pacis faciendae. *Cic. Att.* 1, 13. Scito, praepositum esse nobis pacificatorem Allobrogum. *Liv.* 27, 30. Adhibitus ab Aetolis pacificator Amynander rex Athamanum. *Just.* 18, 2. Mago, quasi pacificator Carthaginiensium, Pyrrhum adit, speculaturus consilia ejus. *Quint.* 11, 3. *med.* Fit et ille habitus, qui esse in statuis pacificator solet.

PACIFĬCĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad pacificatorem pertinens, εἰρηνικός. *Cic. Phil.* 12, 1. Posteaquam nos pacificatoria legatione implicatos putant.

PACIFĬCĀTUS, a, um, part. a *pacifico:* qui pacem fecit, reconciliatus, pace facta in gratiam reversus. *Pl. Stich.* 4, 1, 13. Satin' ego tecum pacificatus sum, Antipho! *Just.* 23, 1. Agathocles pacificatus cum Carthaginiensibus.

PACĬFĬCE, adv. εἰρηναίως, sedate, placide. *Cyprian. ep.* 41. *f.* Pacifice et fideliter consulere. *Messala Corvin. de progen. August.* 3. Dardania pacifice aliquandiu stetit.

PACĬFĬCO, as, avi, atum, a. 1. εἰρηνοποιέω, pacem peto, de pace ago, pacem consilio. *Liv.* 5, 23. *extr.* Inter haec pacificatum legati a Volscis et Aequis venerunt: impetrata pax. *Id.* 7, 40. *med.* Nunc ad pacificandum bene atque honeste inter primos stabis, et colloquii hujus salutaris interpres fueris. *Sall. Jug.* 70. Igitur Vegenses, quo Metellus initio, Jugurtha pacificante, praesidium imposuerat. (V. *ib.* 50.) *Just.* 6, 1. Cum videret, sibi adversus duos dimicandum, pacificari cum altero statuit. ℙ Item tranquillare, sedare. *Sen. Agam.* 224. comprime affectus truces, Mentemque tibimet ipsa pacifica tuam. ℙ Item placare, pacare. *Catull.* 68, 75. nondum cum sanguine sacro Victima coelestes pacificasset heros. *Sil.* 15, 423. Festa coronatis agitabat gaudia signis, Pacificans Divos. ℙ Item lenire, mulcere. *Claud. in Ruf. praef.* 2. *f.* Fertur et indomitus tandem post proelia Mavors Lassa per Odrysias fundere membra nives, Oblitusque sui, posita clementior hasta, Pieriis aures pacificare modis. ℙ *Prisc.* monet 8, 799. hoc esse unum ex iis verbis, quae multa Latini utraque forma, et activa, et passiva protulerunt, eadem significatione, ut *partio* et *partior*, *munero* et *muneror*, *meto* et *metor*, etc.

PACĬFĬCUS, a, um, adj. εἰρηνοποιὸς, pacem faciens, pacis studiosus, pacatus, tranquillus, quietus. *Cic. Att.* 8, 12. *med.* Velim in posterum prospicias, fingasque, quem me esse deceat: ecquae pacifica persona desideretur, an in bellatore sint omnia. *Lucan.* 7, 63. Romani maximus auctor Tullius eloquii, cujus sub jure togaque Pacificas saevus tremuit Catilina secures. *Mart.* 8, 66. Pacificus Janus; et 12, 62. Numa. *Claud. II. cons. Stil.* 254. Pacifici mores.

[PACĬLUS, i, m. idem paculus, sed vetustiori scribendi ratione. Est cogn. antiquiss. R. gentis Furiae, etenim C. Furius Pacilus consul ann. U. C. CCCXIV. memoratur a *Liv.* 4, 12. *F.*]

PĂCIO, is, a. 3. idem quod paciscor. *Lex XII. Tab.* ap. *Gell.* 20, 1. et *Fest.* in *Talionis.* Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.

PĂCIO, onis, f. pactio. *Festus:* Pacionem antiqui dicebant, quam nunc pactionem dicimus: unde et pacisci adhuc, et paceo (Al. *paco*) in usu remanet. *Id.* in *Nuptias.* Nuptias Curiatius dictas esse ait, quod nova pacio fiat.

PĂCISCOR, sceris, pactus sum, dep. 3. συντίθεμαι, συμβάλλω, pactum facio, convenio, constituo, pactione spondeo, aut postulo: ab antiquo *pacio. Cic. Verr.* 2, 3, 14. Attendite cujusmodi edicta sint: *ne tollat*, inquit, *ex area, nisi erit pactus.* Satis haec magna vis est ad inique paciscendum: malo enim plus dare, quam non mature ex area tollere. *Pl. Bacch.* 4, 8, 24. Pacisci cum illo paulula pecunia potes. *Id. Ps.* 1, 2, 89. Ea pacisci modo scis, sed quae pacta es, non scis solvere. *Sall. Jug.* 28. Adherbali suadent, uti seque, et oppidum Jugurthae tradat, tantum ab eo vitam paciscatur. *Cic. Sext.* 25. *f.* Ut Gabinio pro illa sua Cilicia, quam sibi, si rempublicam prodidisset, pactus erat, Syria daretur. *Ov. Met.* 7, 306. Jamque petunt, pretiumque jubent sine fine pacisci. *Liv.* 25, 33. Paciscitur magna mercede cum Celtiberorum principibus, ut copias inde abducant. *Just.* 1, 10. Pacti sunt inter se, ut die statuta, etc. *Hor. Od.* 3, 29, 59. votis pacisci, Ne Cypriae, Tyriaeque merces Addant avaro divitias mari. [**Vell.* 2, 38, 1. quae cujusque ductu gens ac natio redacta in formulam provinciae, stipendia pacta sit, i. e. sub pactione stipendii sive tributi pendendi in ditionem venit. Ita saepissime de illis pacisci dicitur, quibus durae conditiones imponuntur. V. *Perizon.* ad *Liv.* 38, 9. At *Ruhnk.* cum *Lipsio* legitimam formulam: *stipendiaria facta sit*, revocare se malle dicit. — *Id. ib.* 77, 2. quod omnibus proscriptis, aliisque, qui ad eum ex diversis causis fugerant, reditum salutemque pactus est, i. e. in pacis foedere reditum cet. comprehendit.] ℙ Cum infinito. *Calp. Ecl.* 6, 46. Hunc *(cervum)* ego, qualemcumque vides, in valle paciscor Pendere. ℙ Translate eleganter. *Virg. A.* 5, 230. vitamque volunt pro laude pacisci; et *ib.* 12, 48. letumque sinas pro laude pacisci. *Stat. Theb.* 1, 317. si quando humilem decedere regno Germanum, et semet Thebis, opibusque potitum Cerneret, hac aevum cupiat pro luce pacisci. ℙ Interdum ad pacta sordida, et lucri causa facta refertur. *Cic. Par.* 6, 1. Si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis. V. EJURO. ℙ Interdum ad nuptialia. *Just.* 2, 15. *med.* Pausanias proditionis praemium cum Xerxe nuptias filiae ejus paciscitur. Adde 7, 4. *f.* V. PACTUS. ℙ Olim *pacisco* activa forma dictum est. *Naev.* ap. *Non.* 7, 54. Id quoque paciscunt. *Id. ib.* Paciscit, obsides ut reddant. ℙ Part. *Paciscendus* ap. *Ammian.* 31, 12. *med.* Ut firma fierent paciscenda, optimates poscens idoneos mitti, *h. e.* ea quae pacis firmandae causa tractanda erant, et constituenda. ℙ *Serv.* ad *A.* 11, 133. ad hoc verbum pertinere ait aliud etiam praeteritum *pepigi*, quod sane significatione congruit, sed aliam tamen habet originem. V. PANGO.

PĂCO, as, avi, atum, a. 1. εἰρηνεύω, κατηρεμέω, pacatum reddo, paci restituo, tranquillo, quietum reddo bellum et turbas sedando. [*V. *Pacatus.*] *Hirt. B. Alex.* 26. *extr.* Omnes eas regiones, per quas iter faciebat, auctoritate ea, quae plerumque adest victori, pacarat. *Virg. A.* 6, 803. Fixerit aeripedem cervam licet, aut Erymanthi Pacarit nemora. Al. leg. *placarit.* In *Monum. Ancyr. f.* ap. *Grut.* 233. Mare pacavi a praedonibus. *Stat. Th.* 4, 250. tum saltus forte remotos Pacabat cornu, *h. e.* feras arcu occidendo. ℙ Est etiam domare, subigere. *Cic. Fam.* 15, 4. Pacare Amanum, et perpetuum hostem ex eo monte tollere. *Caes. B. C.* 1, 7. Hortatur, cujus imperatoris ductu plurima proelia secunda fecerint, omnem Galliam Germaniamque pacaverint, ut ejus existimationem ab inimicis defendant. *Just.* 38, 7. Quarum gentium nullam neque Alexander ille, qui totam pacavit Asiam, nec quispiam successorum ejus attigisset. *Oc. Fast.* 2, 17. placido mea munera vultu Respice, pacando si quid ab hoste vacas. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 2, 45. incultae pacantur vomere silvae, *h. e.* fertiles fiunt. *Claud. IV. cons. Honor.* 225. et incertos animi pacaverit aestus, *h. e.* sedaverit. *Id. de Apono, f.* Pacaturque aegro luxuriante dolor, *h. e.* mitigatur, lenitur, tollitur. *Id. de mulab. Gall. f.* Miraris si voce feras pacaverit Orpheus, *h. e.* mansuefecerit, cicuraverit.

*PACŌNĬUS, i, m. gentis Rom. nomen. V. g. Marcus Paconius, Silani Asiae proconsulis legatus, a Tiberio laesae majestatis damnatus. *Suet. Tib.* 61. *Tac. A.* 3, 66. *B. A.*

[PACŌRUS, i, m. Πάκορος, Orodis regis Parthorum filius, ejus qui Crassum dolo interemit. Quam maculam postea Ventidius Bassus, Antonii legatus, delevit, Pacoro cum toto exercitu ad internecionem caeso. *Just.* 42, 4. ℙ *Pacorus II.* Artabani filius, qui Parthis imperavit sub Domitiano Aug. Hujus meminit *Plin. ep.* 10, 16. et *Mart.* 9, 36. Scis, quid in Arsacia Pacorus deliberet aula. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 39, 4. et 102, 1. M. Aurelius Pacorus. *F.*]

PACTA. V. PACTUS, a, um.

PACTĬCĬUS, a, um, adj. pactione constitutus, conventionalis. *Gell.* 1, 25. Graeci significantius cessationem istam pugnae, pacticiam (h. e. indutias) ἐκεχειρίαν dixerunt.

PACTĬLIS, e, adj. σύμπηκτος, qui ex pluribus partibus, aut rebus compactus et conjunctus est, compactilis, compactus, plexus, plectilis. *Plin.* 21, 3, 8. Summa erat auctoritas pactili coronae, *h. e.* multiplici flore et folio contextae.

PACTĬO, onis, f. ὁμολογία, actus paciscendi, pactum, conditio, promissio. *Ulp. Dig.* 2, 14, 1. Pactum a pactione dicitur. Est autem pactio duorum pluriumve in idem placitum et consensus. *Nep. Dion.* 5. *f.* Eo rem perduxit, ut talibus pactionibus pacem tyrannus facere vellet. *Att.* ad *Cic. Fam.* 9, 10. *med.* Si res ad pactionem non venit, longius bellum puto fore. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 12. In pactionibus faciendis legem spectare. *Id. Rosc. Com.* 12 et 14. Pactionem facere de aliqua re. *Id. Att.* 4, 18. cum aliquo, ut, etc. *Just.* 35, 1. inire cum aliquo; et 7, 6. Bella, interposita pactione, componere. *Nep. Ag.* 2. Summa fide in pactione manere. *Cic. Off.* 3, 29. *f.* Conditiones pactionesque bellicas perturbare perjurio. *Id. Har. resp.* 20. Nefarias cum multis scelerum pactiones societatesque conflare: [**Complotte.*] *Liv.* 9, 11. Recipiant arma, quae per pactionem tradiderunt. ℙ Speciatim dicitur de pactis, quae fiunt inter publicanos aut decumanos, et eos, qui pendere decumas aut portoria debent: [**Contracte.*] *Cic. Fam.* 13, 65. Ut pactiones cum civitatibus reliquis conficiat. *Id. Att.* 5, 13. In nostra provincia confectae sunt pactiones. Adde *Verr.* 2, 3, 10. et *Prov. cons.* 5. ℙ Interdum absolute de pacto sordido, et lucri causa inito. *Cic. Prov. cons.* 5. *f.* Qui de sociis cum hostibus, de civibus cum sociis faciat pactiones. *Id. Verr.* 2, 1, 7. In rejiciendis judicibus nonnullos pactionis suspicionem non vitasse. *Sall. Jug.* 42. Denique Aulum spe pactionis perpulit, uti, etc. *h. e.* ab rege pecuniae capiundae, ut *ib.* 41. dixerat. [*V. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ De promissione. *Sall. Cat.* 27. Collegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rempubl. sentiret. *Cic. in Sen.* 13. Alter consul, ut me desererent, pactionibus eos suorum praemiorum obligarat. [*V. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Cum de publicis pactionibus sermo est, differt *pactio* a *foedere*, *sponsione*, et *indutiis.* (Quae simul memorantur a *Cic. Balb.* 12.) Hae enim erant cessatio a bello ad tempus: *sponsio* erat conventio facta arbitrio imperatoris cum hoste, adhibitis sponsoribus, sine auctoritate senatus, aut consensu populi; ut Caudina, et Numantina: *foedus* pactio societatis jussu populi et

auctoritate senatus firmata, in perpetuum, per fetiales, etc. *pactio* consensus societatis facta per sponsores, datis acceptisque obsidibus, arbitrio imperatoris, sine jussu populi, aut senatus auctoritate. *Cic. Caecin.* 18. Quae lex, quod foedus, aut pactio, quod testamentum, quae stipulationes, aut pacti et conventi formula non infirmari potest, si ad verba rem deflectere velimus, etc. ℙ *Pactio* de indutiis. *Flor.* 4. *f.* Sic ubique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. ℙ *Pactio verborum*, formula, certa verborum ratio. *Cic. Rosc. Com.* 16. Non enim ex pactione verborum, quibus jusjurandum comprehenditur, sed ex perfidia et malitia, per quam insidiae tenduntur alicui, Dii immortales hominibus irasci et succensere consuerunt.

PACTĬUNCŬLA, ae, f. parva pactio. *Not. Tir.* p. 71. Pactio, pactiuncula.

*PACTĬUS, i, m. fluvius Calabriae. *Plin.* 3, 11. ℙ Scribitur et *Pastius*. *B. A.*

PACTOLIS, idis, f. patron. Πακτωλίς, filia Pactoli. *Ov. Met.* 6, 15. Deseruere sui Nymphae Pactolides undas.

PACTŌLUS, i, m. Πακτωλός, fluvius Lydiae ex Tmolo monte prope Sardes profluens, nunc *Sarabat*. Propter flaves arenas dictus est auro fluere, praesertim postquam eo laverat Midas (V. MIDAS), unde et Chrysorrhoas dictus est. *Hyg. fab.* 191., *Plin.* 5, 29, 30., *Ov. Met.* 11, 142., *Hor. Epod.* 15, 20., *Prop.* 1, 14, 11. et 3, 16, 28., *Lucan.* 3, 210. et *Sen. Phoen.* 220. et *Oed.* 467. Hinc *Varr.* ap. *Non.* 4, 27. Non hos Pactolus aureas undas agens eripiet unquam e miseriis. ℙ *Pactolum* Indicum meminit *Jul. Val. rer. gest. Alex. M.* 3, 58. ed *A. Maio*. *B. A.*

PACTOR, oris, m. qui paciscitur, vel qui foedus pangit. *Cic. Verr.* 2, 5, 21. *med.* Eu foederum interpretes, societatis pactores, religionis auctores.

PACTUM, i, n. συνθήκη, pactio, conventum, conditio, lex. *Cic. Inv.* 2, 22. *med.* Pactum est, quod inter aliquos convenit: quod jam ita justum putatur, ut juri praestare dicatur. *Auct. ad. Her.* 2, 13. *f.* Pacta sunt, quae legibus observanda sunt; et *mox:* Sunt idem pacta, quae sine legibus observantur ex conventu: quae juri praestare dicuntur. *Cic. Off.* 3, 24. Pacta et promissa semperne servanda sint, etc. *Id. Verr.* 1, 6. Mansit in conditione atque pacto, usque ad eum finem, dum, etc. *Liv.* 9, 11. Stare pacto. *Cic. Caecin.* 18. Pacti et conventi formula. V. CONVENTUM. *Ov. Her.* 20, 151. Nec mihi credideris: recitetur formula pacti. *Nep. Milt.* 2. Lemnum revertitur, et ex pacto postulat, ut sibi urbem tradant. *Sall. ep. Mithrid. ad Arsac.* Pacto vitam dare alicui, *h. e.* interposita pactione. ℙ De foedere conjugii. *Val. Fl.* 8, 401. Quamquam jura Deum, et sacri sibi conscia pacti Relligio, dulcisque movent primordia taedae. ℙ Ablativus *pacto* saepe significat modo, ratione. *Cic. Cat.* 1, 7. Servi mei si me isto pacto metuerent. *Id. Inv.* 1, 21. Ut nostra nihil intersit alio pacto docere. *Caes. B. G.* 7, 83. Quid, quoque pacto agi placeat, inter se constituunt. *Ter. Heaut.* 4, 4, 13. Aliquo pacto verba his dabo. *Id. Andr.* 1, 5, 12. Nullon' ego Chremetis pacto affinitatem effugere potero? *Id. Ad.* 3, 2, 44. Quapropter quoquo pacto tacito est opus; et *Ph.* 2, 1, 71. Sumeret alicunde: postremo, si nullo alio pacto, fenore. *Id. Ad.* 4, 7, 14. O Juppiter! istoccine pacto oportet? *Pl. Rud.* 5, 3, 46. Non tacebo unquam alio pacto, nisi talento comprimor. *Cic. Mur.* 21. Nescio quo pacto semper hoc fit; et *Fin.* 1, 8. Fieri nullo pacto potest, ut, etc.

PACTŪMEJUS, i, m. filius Canidiae, ap. *Hor. Epod.* 17, 50. Tuusque venter Pactumejus: ubi *venter* pro filio ponitur. Cum enim fama esset, Canidiam anum effetam sibi Pactumejum supposuisse, *Horatius* ironice laudans inquit, revera Pactumejum esse ejus filium. Alii leg. *Partumejus*, sed minus recte. V. *Bentlejum* acriter primam lectionem asserentem. *Inscr.* ap. *Grut.* 430, 2. Sexto Licinio Pactumejo Alexandro, etc.

PACTUS, a, um, part. a *paciscor:* qui pactum fecit, pactione spopondit. Active. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 19. Pinxit proelium cum Persis, centum homines ea tabula complexus, pactusque in singulos mnas decem a tyranno. *Suet. Gr.* 7. Nunquam de mercedibus pactus, etc, Adde *Just.* 7, 4. *f.* ℙ Cum infinito. *Ov. Fast.* 5, 702. Leucippo fieri pactus uterque gener. *Plin.* 8, 7, 7. Dimitti *(eum)* pactus, si elephantum interemisset. ℙ Passive διομολογηθείς, pactione constitutus, promissus. *Cic. Off.* 3, 29. *med.* Si praedonibus pactum pro capite pretium non attuleris. *Id. Q. Fr.* 3, 3. Tanta invidia sunt consules propter suspicionem pactorum a candidatis praemiorum. *Id. Sext.* 14. *f.* Pacto jam foedere provinciarum. *Id. Off.* 1, 10. *med.* Triginta dierum cum hoste pactae induciae. *Quint.* 11, 2. *med.* Cum pugili coronato carmen, mercede pacta, scripsisset. Adde *Liv.* 24, 49. ℙ Absolute. *Id.* 28, 21. Quidam pacto inter se, ut victorem res sequeretur, ferro decreverunt. Adde *Sil.* 14, 97. ℙ Saepe dicitur de muliere in matrimonium promissa. Dicebatur enim *sperata*, cum ejus nuptiae petebantur: *pacta*, cum promissa: *sponsa*, cum interposita stipulatione desponsa erat, ut est ap. *Arn.* 4, 140. *Cic. Att.* 5, 21. Cujus filio pacta est Artavasdis filia. *Pl. Trin.* 5, 2, 58. Si frugi esse vis, haec tibi pacta est Callicli filia. *Liv.* 1, 2. Turnus, cui pacta Lavinia fuerat. [*Ita plerumque dicitur. Usurpatur vero etiam, licet rarissime, *vir puellam pactus*. *Liv.* 4, 4. ex qua domo pactus vir est feminam, in matrimonium duceret; et 44, 30. Dardanorum principis filiam pacto fratri eum invidisse: ubi v. *Duk.* Laudat haec *Vell.* ad *Ov. Her.* 20, 157. Cf. *Eund.* ad *Vell.* 1, 1, 3.] ℙ Hinc *pacta* absolute. *Virg. A.* 10, 79. Quid soceros legere, et gremiis abducere pactas? *Vell.* 2, 1. Quod pactae ejus nuptias occupaverat. ℙ De sponso. *Stat. Th.* 3, 171. puerique rudes, tua, Phaedime, proles Amissum didicere patrem, Marpissaque pactum Phyllea. ℙ Est etiam *pactus* part. a *pango:* impactus, infixus. *Ov. Her.* 2, 4. Litoribus nostris anchora pacta tua est. *Pall.* 2, 14. Plantae, quae jam pactae sunt, nudatae laetamen accipiant.

[PACTUS, us, m. idem ac pactio. *Petr. Sat.* 81. Unius noctis pactu omnia vendidit. Alii leg. *tractu*, alii *tactu*. *F.*]

*PACTYAE, arum, insulae quaedam maris Mediterranei, Lyciae objectae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*PACTYE, es, vel Pactya, ae, f. Πακτύη, Thraciae opp., Propontidis orae appositum. *Nep. Alc.* 7. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

[PACŪLUS, i, m. idem ac pasceolus et sacculus, ut legitur in *Gloss. Isid.* Est cogn. R. gentis Rosciae, ut L. Roscius Julianus Paculus in *Inscr.* ap. *Grut.* 459, 2. et in alia ap. *Mur.* 1636, 17. *F.*]

PACŪVĬANUS, a, um, adj. ad Pacuvium spectans. *Cic. Div.* 1, 57. Ille Pacuvianus, qui in Chryse physicus inducitur. *Gell.* 14, 1. *f.* Ex quibus est Pacuvianum illud: Nam si qui, etc. *Tert. Pall.* 3. Pacuviana testudo, *h. e.* quae a *Pacuvio* describitur. V. TARDIGRADUS.

PĂCŪVĬUS, poeta Latinus, Brundusinus, Ennii sorore natus, floruit Urbis conditae saeculo sexto, temporibus P. Scipionis Africani, et belli Punici secundi, vixitque usque ad annum aetatis nonagesimum. Scripsit tragoedias, quarum nunc exstant tantummodo fragmenta, gravitate sententiarum, verborum pondere, et auctoritate personarum clarissimus, ut ait *Quint.* 10, 1. de eo simul, et de Accio loquens. Quod si nitor, et summa in excolendis operibus manus desideratur, magis videri potest temporibus, quam ipsis defuisse, inquit *Id. ib.* et *Cic. opt. gen. Or.* 1, 1. In re quod optimum sit, quaeritur, in homine dicitur, quod est. Itaque licet dicere et Enniunr, summum epicum poetam, si cui ita videtur; et Pacuvium tragicum, et Caecilium fortasse comicum. Haec *Cicero. Hor. Ep.* 2, 1, 56. Ambigitur quoties, uter utro sit prior, aufert Pacuvius docti famam senis, Accius alti. *Cic. Fin.* 1, 2. Quis enim tam inimicus paene nomini Romano est, qui Ennii Medeam, aut Antiopam Pacuvii spernat, aut contemnat? *Vell.* 2, 9. Clara etiam per idem aevi spatium fuere ingenia in togatis Afranii, in tragoediis Pacuvii, atque Accii, usque in Graecorum ingeniorum comparationem evecti. ℙ Ad stilum et locutionem quod attinet, cum tempora ipsa rudia fuerunt, tum vitio ipse suo male Latine locutus dicitur a *Cic. Brut.* 74., ubi cum locutionem emendatam in C. Laelio, et P. Scipione laudasset, inquit: Aetatis illius ista fuit laus, tanquam innocentiae, sic Latine loquendi: nec omnium tamen: nam illorum aequales Caecilium, et Pacuvium male locutos videmus: sed omnes tum fere, qui nec extra urbem hanc vixerant, nec eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, recte loquebantur. Haec *Cicero*. Unde collige, praecipuam in *Pacuvio* male loquendi causam fuisse, quod Brundusinus erat, non Romanus. Ab rudi et incompto carmine notat etiam *Mart.* 11, 90. Attonitusque legis *terrai frugiferai*, Accius et quidquid Pacuviusque vomunt; et *Pers.* 1, 77. Sunt, quos Pacuvius, et verrucosa moretur Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta. ℙ Sibi mortuo tale epitaphium inscribi jussit, quod *Gell.* 1, 24. dicit esse verecundissimum et purissimum, dignumque ejus elegantissima gravitate: *Adolescens, tamenetsi properas, te hoc saxum rogat, Uti ad se adspicias, deinde quod scriptum est, legas. Hic sunt poetae Pacuvii Marci sita Ossa. Hoc volebam; nescius ne esses: vale.* ℙ Etiam picturae operam dedit: ejusque celebris tabula Romae visebatur in aede Herculis in foro Boario, teste *Plin.* 35, 4, 7. ℙ *Alius Pacuvius, de quo *Juven.* 12, 112. 125 et 128. ℙ Porro Sext. Pacuvium Taurum, aedilem plebis, meminit *Plin.* 34, 5. item Pacuvium Labeonem *Gell.* 4, 21. *med.* qui nude audit *Pacuvius ib.* 4, 2. *B. A.*

PĂDAEI, orum, m. plur. populi Indiae extremae, ostia Indi fluvii incolentes, qui humana carne vescuntur, ut *Herodot.* 3, 99. narrat. Hinc *Tibull.* 4, 1, 144. Impia nec saevis celebrans convivia mensis Ultima vicinus Phoebo tenet arva Padaeus.

*PADANĒUS, a, um, adj. i. q. Padanus. *Solin.* 33. Pretium operae est ire longius, ne Padaneae silvae credantur lapidem flevisse. *B. A.*

PADĀNUS, a, um, adj. ad Padum pertinens, [ut *Padana regio* in *Inscr.* ap. *Zaccaria, Istituz. lapid.* p. 16. *h. e.* terrae tractus circa Padum. *F.*] *Padanae silvae* ap. *Solin.* 20. *Padani culices* ap. *Sidon. ep.* 1, 8.

PĂDI, orum, m. plur. arbores piceae. *Plin.* 3, 16, 20. Metrodorus Sceptius dicit, quoniam circa fontem *(Padi)* arbor multa sit picea, quales Gallice vocentur padi, hoc nomen accepisse.

*PADINĀTES, ium, incolae Padini, quod oppidum fuit Galliae cispadanae, ad Padum flumen. *Plin.* 3, 13. *B. A.*

*PADO, onis, fluvius Italiae superioris, in Alpibus ortus, inque mare juxta Nicaeam influens. *Ptin.* 3, 5. ℙ Hodie est *Paulon* vel *Paglion*. ℙ *Melae* 2, 1. *extr. Paulon* est; et profecto *Paulo (Paulon) Plinio* restitui vult *Cellarius*. *B. A.*

PĂDŪA, ae, f. *Padova*, nomen vulgare urbis Italiae, quod a cultioribus viris, et a scriptoribus in *Patavium* versum est: quemadmodum Arar Galliae flumen vulgo Sauconna, unde *Saona* nunc appellatur (V. ARAR), et Sapaudia dicta est *(Ammian.* 15, 11.) regio Riparensis, quam olim Allobroges incoluere, quaeque nunc *Savoja* dicitur. Nomen a Pado est derivatum, quia hic haud longe ab ea urbe antiquitus fluxerit: hinc unum ex ejusdem fluminis ostium a *Polyb.* 2, 16. Παδόα vocatur, unde urbi Paduae nomen factum videtur. *Catull.* 95, 7. At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam. Alii leg. *Aduam morientur ad ipsum*, alii *Capuam*, alii *apuam porgentur ad ipsam.*

PĂDUS, i, m. *Po*, Ἠριδανός, maximus Italiae fluvius, qui oritur in finibus Ligurum Vagiennorum, e gremio Vesuli montis, inter Alpes Cottias celsissimi, receptisque aliquot magnis fluviis, Ticino, Addua, Ollio, Mincio, Tanaro, Trebia, Duria, Sessite, Lambro, aliisque ad triginta, inter Ravennam, et Atriam, seu Hadriam multiplici ostio in Adriaticum sinum influit. Accuratius describitur a *Plin.* 3, 16, 20. *Virg. A.* 9, 680. Sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum. *Ov. Amor.* 2, 17, 32. Frigidus Eurotas, populiferque Padus.

PĂDŪSA, ae, f. *il Po di Argenta*, fossa ex Pado Ravennam usque perducta. *Plin.* 3, 16, 20. *Virg. A.* 11, 457. piscosove amne Padusae.

PAEAN, ānis, m. Παιάν, Apollo, ita dictus a παίω, vel qua ferire significat, quia sagittis pythonem confecit; vel qua curare, mederi, quia medicinae artis inventor habetur. Ita *Fest.* et *Macr. Sat.* 1, 17. Hinc Romae inventa est Graeca *Inscr.* ap. *Grut* 314, 2., in qua memoratur Ἡ ἱερὰ ταξις τῶν Παιανιστῶν τῶν ἐν Ῥώμῃ Διὸς Ἡλίου μεγάλου Σαραπίδος, *h. e.* sacer ordo *Paeanistarum*, qui Romae est, Dei Solis magni Sarapidis. *Cic. Verr.* 2, 4, 57. Signum Paeanis ex aede Aesculapii sustulisti. *Juven.* 6, 171. Parce, precor, Paean, et tu depone sagittas. *Ov. Met.* 14, 720. Et Paeana voca, nitidaque incingere lauro. ℙ Item hymnus in honorem Apollinis, aut etiam aliorum Deorum: et in victoria cani solitus. *Virg. A.* 10, 738. Conclamant socii laetum paeana secuti. *Val. Fl.* 6, 512. Victores contra patrium paeana Geloni Congeminant. *Prop.* 3, 13, 42. victorque canebat Paeana Amphion rupe, Aracynthe, tua. *Stat. Th.* 8, 224. Tum dulces Superos, atque omne ex ordine alumnum Numen, ubique sacri resonant paeanes; et *ib.* 4, 157. Herculeum paeana canunt, vastataque monstris Omnia. *Colum.* 10, 224. Delie te Paean, et te euie euie Paean.

[PAEANTIS, idis, f. gemma, cujus meminit *Plin. l. c* in GEMONIDES, et *Solin.* 9. *f.* et *Isid. Or.* 14, 4. *F.*]

PAEANTĬADES. } V. POEANTIUS.
PAEANTĬUS. }

PAEDAGIUM. V. PAEDAGOGIUM.

PAEDAGOGA, ae, f. quae puellae curam habet. *Hieron. ep.* 128. *n.* 4. Sit ei magistra comes; paedagoga custos: non multo vino dedita, etc. V. PAEDAGOGUS.

PAEDAGOGATUS, us, m. instructio, educatio. *Tert. adv. Valent.* 13.

PAEDAGOGĬANUS, a, um, adj. qui est in paedagogio, ut Paedagogianus puer, *Ammian.* 26, 6. Indutus a calce ad pubem in paedagogiani pueri speciem. Adde 29, 3.

PAEDAGOGĬUM, ii, n. παιδαγωγεῖον, locus in aedibus, ubi servi puerilis aetatis, et ad nobiliora et delicatiora ministeria destinati, sub paedagogo versantur. *Plin. ep.* 7, 27. *med.* Puer in paedagogio mixtus pluribus dormiebat. ℙ Metonymice ipsi pueri servi, vel coetus, et veluti collegium puerorum, qui sub paedagogo educantur. *Sen. V. B.* 17. Paedagogium pretiosa veste succingitur. *Id. ep.* 123. *med.* Omnium paedagogia oblita facie vehuntur, ne sol, ne frigus teneram cutem laedat. *Plin.* 33, 12, 54. Jam vero paedagogia ad transitum virilitatis custodiantur argento. Adde *Suet. Ner.* 28., ubi notat, Neronem non servilis, sed in-

genuae conditionis paedagogia habuisse (est qui leg. proagogia, *προαγωγεῖα*, perductiones, prostitutiones), item *Ulp. Dig.* 37, 7, 12. *med.* et *Tert. Apol.* 13. *med.*, quae concessit jam *Lips.* in excursu B. ad *l.* 12. *Annal. Taciti.* Is autem in allata *Plinii* epistola legi vult *puer e paedagogio*, non *in paedagogio*, quia negat pro loco unquam accipi, sed solum pro coetu. Contra stat librorum consensus. Eodem *Plinii* loco *Catanaeus* legebat *paedagium*, quo significaretur locus, ubi servi quicumque degunt: a *παῖς*, qua servum significat, et *ago*, *is*.

PAEDĂGOGO, as, a. 1. instruo, educo, doceo. *Fulg. Planc. de contin. Virg. f.* Ergo paedagogantis suspectione sepulta. *Pacuv.* ap. *Festum* in *Repotia*. Depulsum mamma paedagogandum accipit.

PAEDĂGOGUS, i, m. *παιδαγωγός*, custos, et institutor pueri: a *παῖς*, puer, et *ἀγωγός*, institutor. *Cic. Amic.* 20. Isto enim modo nutrices, et paedagogi jure vetustatis plurimum benevolentiae postulabant. *Sen. ep.* 89. *med.* Nam eum locum, qui monitiones continet, sustulit, et paedagogi esse dixit, non philosophi: tanquam quicquam aliud sit sapiens, quam humani generis paedagogus. *Inscr.* ap. *Grut.* 585, 6. P. Aelius Aug. Lib. Lycus paedagogus puerorum. Alia ap. *Gor. Columb. Liv.* p. 99. Hymnus paedagogus Juliae Germanici filiae, ℙ Differunt autem paedagogus, et praeceptor: nam hujus munus est puerum liberalibus instituere disciplinis: ille proprie custos est vitae et morum. *Sen. Ira* 2, 22. Pertinebit ad rem, praeceptores, padagogosque pueris placidos dari. *Quint.* 1, 1. De paedagogis hoc amplius, ut aut sint eruditi plane, quam primam esse curam velim; aut se non esse eruditos sciant, etc. ℙ Aliquando tamen paedagogus idem est ac praeceptor, qui nempe pueros litteras docet. *Vopisc. Bonos.* 14. Bonosus fuit, ut ipse dicebat, rhetoris filius; ut ab aliis comperi, paedagogi litterarii. ℙ Lepide *paedagogus* dicitur a *Ter. Ph.* 1, 2, 94. adolescens, qui puellam in ludum ducere, et reducere amoris causa solebat. ℙ Adjective. *Paul. Nol. carm.* 21, 681. Hunc lacte primo per prophetarum ubera Lex paedagoga nutriat. ℙ Interdum paedagogus est in contemptu, ut apud Italos *pedante*. *Pl. Ps.* 1, 5, 32. Hic dux, hic ille est paedagogus: hunc ego cupio excruciari. *Suet. Ner.* 37. Paeto Thraseae objectus est tristior, et paedagogi vultus. ℙ Translate. *Colum.* 1, 1. *med.* M. Catonem censorium memoremus, qui agricolationem Latine loqui primus instituit: post hunc duos Sasernas, deinde Scrofam Tremellium, etc. Nec postremo, quasi paedagogi ejus, meminisse dedignemur, Julii Hygini, etc. *Suet. Galb.* 14. Regebatur trium arbitrio, quos una habitantes, nec unquam non adhaerentes, paedagogos vulgo vocabant. *Sen. ep.* 50. paedagogum vocat servum, qui caeco pro baculo est, eumque huc illuc manu ducit. *Id. ep.* 110. Unicuique nostrum paedagogum dari Deum inferioris notae, etc.

PAEDĒROS, ōtis, f. *παιδέρως*, gemma est, in qua coeunt intus translucida crystallus, viridis suo modo aer, simulque purpura, et quidam vini, et croci nitor, sed purpura coronatus, et his pariter omnibus: nec gemmarum ulla est liquidior, captis jucunda vanitate oculis. *Plin.* 37, 9, 46. ℙ Item genus amethysti, cui in suspectu inest nitor quidam leviter roseus velut ex carbunculo refulgens. *Id. ib.* 40. ℙ Etiam opalus gemma sic vocatur a multis propter eximiam gratiam. *Id. ib.* 6, 22. ℙ Item genus acanthi laevis. *Id.* 22, 22, 34. V. MELAMPHYLLON. ℙ [Fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1179, 5. M. Julius Paederos. *F.*]

PAEDĪCĀTOR, oris, m. idem ac paedico. *Licin. Calv.* ap. *Suet. Caes.* 49. Bithynia quidquid, Et paedicator Caesaris unquam habuit. V. FORNIX.

PAEDĪCO, onis, m. *πυγιστής*, qui cum puero rem turpem habet. *Mart.* 6, 32. Nil miserabilius, Matho, paedicone Sabello Vidisti. Adde 12, 86.

PAEDĪCO, as, a. 1. *πυγίζω*, cum puero rem turpem habeo: a *παῖς*, *αὐδός*, puer. *Catull.* 21, 4. Paedicare cupis meos amores. *Mart.* 11, 94. Paedicas puerum, verpe poeta, meum. ℙ Item cum muliere. *Id.* 11, 104. ad uxorem: Paedicare negas; dabat hoc Cornelia Graccho. ℙ Usurpatur etiam de muliere *τῷ ὀλίσβῳ* subligata, et pueros corrumpente. *Id.* 7, 67. Paedicat pueros tribus Philaenis. ℙ Translate de tunica, quae importune nates ficosas intrat. *Id.* 11, 99. De cathedra quoties surgis, jam saepe notavi, Paedicant miseram, Lesbia, te tunicae. ℙ Prima sillaba sine diphthongo scribitur vitio serioris aevi, quo vixit *Auct. Priap.* 68. *P*enelopes primam *Di*donis prima sequatur, Et primam *Ca*ni syllaba prima *Re*mi. Quodque fit ex illis, mihi tu deprensus in horto Fur dabis: hac poena culpa luenda tua est. Ita etiam *pedagogus*, pro *paedagogus* insculptum est in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 425.

[PAEDĪCUS, a, um, adj. *παιδικός*, puerilis. Est nomen servile R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 216. *n.* 257. Paedicus Lib. *F.*]

PAEDĪDUS, a, um, adj. qui paedore foedatur. *Paul.* ex *Fest.* Paedidos, sordidos significant atque obsoletos: tractum vocabulum a Graeco, quia *παῖδες*, id est pueri, talis sint aetatis, ut a sordibus nesciant abstinere. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 743. Quod deformi' senex, quod paedidus, ac podagrosus. Al. leg. *perditus*. *Petr. Sat.* 34. Paedidissimi servi.

PAEDĪDOSUS. V. PEDICOSUS.

*PAEDOPĪDES, is, Asiae fluvius, in regione Ponti vel Paphlagoniae. *Plin.* 6, 1. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Paedopiles*. *B. A.*

PAEDOR, oris, m. *ῥύπος*, squalor, illuvies, sordes, putor ex paupertate, aut morbo, aut carcere, aut negligentia cultus. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 3, 12. Situ nidoris barba paedore horrida. [*Ipse etiam *Cicero* hac voce usus est; *ib.* 26, 62. detestabilia genera lugendi: paedores; muliebres lacerationes genarum.] *Lucr.* 6, 1266. Languida semianimo cum corpore membra videres Horrida paedore. *Sen. Agam.* 991. Inops, egens, inclusa, paedore obsita. *Id. Herc. Oet.* 392. Cessere vultus penitus, et paedor sedet. *Id. Oedip.* 625. Paedore foedo squalidam obtentus comam. *Lucan.* 2, 72. mox vincula ferri Exedere senem, longusque in carcere paedor. *Tac. A.* 6, 44. Neque exuerat paedorem, ut vulgum miseratione adverteret. ℙ Idem est etiam ac foetor. *August. C. D.* 14, 24. Nonnulli ab imo sine paedore ullo ita numerosos pro arbitrio sonitus edunt, ut ex illa etiam parte cantare videantur. [*Disputat de h. v. ejusque synonymis *Doederl.* 2. p. 35 — 50.]

[PAEGNĬĀRĬUS, a, um, adj. Paegniarii appellati sunt gladiatores, qui non vera, sed ludicra armorum conflictione pugnabant: a *παίγνιον*, ludicrum oblectamentum. *Suet. Cal.* 26. *extr.* Gladiatorio munere, reductis interdum flagrantissimo sole velis, emitti quemquam vetabat: remotoque ordinario apparatu, rabidis feris vilissimos senio confectos, gladiatores quoque paegniarios, patresfamilias notos, sed insignes debilitate aliqua corporis, subjiciebat. Vet. interpres Italus vertit *gladiatori di poca importanza*. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12. Aprilis paegniar. Alia, quam in *Mus. Vatican.* exscripsit *Barpt. Borghesius.* Secundo pecniario ludi magni, etc. Hic *pecniario* pro *paegniario* legitur, extrita prima diphthongi littera, ut saepe factum in monumentis sequioris aevi, et quae ad homines vilissimae conditionis pertinent; et *g* in *c* commutata, ut in *cycnus* pro *cygnus*. Ap. *Suet. l. c.* alii perperam leg. *pegmares* cum *Casaubono*, qui multa hac de re. *F.*]

[PAEGNĬUM, ii, n. *παίγνιον*, ludricrum oblectamentum. Est nomen servile pueri a cyatho ap. *Pl. Pers.* 5, 1, 18. Age, puere, a summo septenis syathis hoc committe ludos. Paegnium, move manus, propera, tarde cyathos mihi das. *F.*]

PAEMENTUM, i, n. monstrum verbi, ortum ex falsa lectione marmoris, in quo PA/IMENTUM pro PAVIMENTUM insculptum fuit, ut recte scribitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 39, 4. Hinc in alia ap. *eund.* 102, 1. Spei aram cum paemento (corrige *pavimento*) somnio monitus sumptu suo D. D. Alii simili errore *palmentum* legere maluerunt in duabus *Inscr.* ap. *Gud.* 127, 1. Cum palment. marmorat; et 195, 4. Palment. etc. Utrobique legendum est *paviment.* V. *Marin. Frat. Arv.* p. 608. [*Multa addidit *F.*]

PAEMĬNOSUS, a, um, adj. *Varr. R. R.* 1, 51. Aream esse oportet solidam terra pavita, maxime si est argilla, ne aestu paeminosa, in rimis ejus grana oblitescant, *h. e.* arens, hiscens, rimosa, si ad aream referas: si vero ad grana, sordida, squalida, situ corrupta, et mali odoris. *Non.* 2, 722. a paedore ducit, et in *Varr.* pro *aestu* legit *situ:* alii etiam *peminosa*, tanquam a *πημαίνω*, noceo: alii fortasse melius *perrimosa*. *F.*]

PAENE, adv. *μικροῦ δεῖν*, *παρ' ὀλίγον*, fere, quasi, prope, propemodum. *Cic. Fam.* 1, 4. Eo die acerbum habuimus Curionem, Bibulum multo justiorem, paene etiam amicum. *Id. Att.* 15, 1. Ibi paene valentem videram Piliam; et *ib.* 5, 20. *med.* Brutum non minus amo, quam tu: paene dixi, quam te. *Id. Rosc. Com.* 6. Judicia summae existimationis, et paene dicam capitis. *Id. Leg.* 3, 18. Actor fingit non modo mentes et voluntates, sed paene vultus eorum, apud quos agit. *Caes. B. G.* 6, 10. Non solum in omnibus civitatibus, sed paene etiam in singulis domibus factiones sunt. *Ter. Heaut.* 4, 6, 10. Quam paene tua me perdidit protervitas? *Id. Phorm.* 5, 3, 14. Hei, video uxorem, paene plus, quam sat erat. *Ov. Her.* 18, 179. Paene manu quod amo, tanta est vicinia, tango: Saepé sed, heu! lacrimas hoc mihi paene movet. *Id. Pont.* 4, 12, 20. Paene mihi puero cognite paene puer. [*Herzog.* ad *Caes. B. G.* 3, 18., ubi de omnibus hujus generis synon. exposuit, docet, discrimen inter *paene* et *prope*, utpote quae promiscue usurparentur, haud facile posse constitui, nisi forte ita videretur, ut *paene* magis ad notiones sola mente percipiendas, singulasque menti factas informationes pertinere diceres: *prope* ad oculorum conspectum, temporis atque actionis significatione adjuncta, referres. — *Zumpt. Gr. L.* §. 279. p. 253. demonstrat, *paene* in rebus gradatim positis adhiberi; *prope* continere accedendi significatum.] ℙ Qui *pene* scribunt sine diphthongo, invitis lapidibus id faciunt, antiquis libris, *Manutio*, *Cellario*, *Dausquio*. [*Reizius* in dictatis contendit, *paene* rectius scribi quam *pene* ob distinctionem ab ablat. nom. *penis*.] ℙ Ex hoc *Prisc.* 3, 608. et 15, 1008. derivat superlat. *penissime:* de quo V. in PENITUS, adv.

PAENINSŪLA, ae, f. *χερσόνησος*, terra undique fere aquis clausa, una tantum parte, eaque angusta continenti adhaerens: a *paene*, et *insula*, quia quasi insula est: nam insula undique omnino aquis cingitur. *Catull.* 31, 1. Paeninsularum, Sirmio, insularumque ocelle. *Plin.* 3, 10, 15. Quem locum occurrens Terinaeus sinus paenisulam efficit. ℙ Scribitur et *peninsula*.

PAENŪLA et Penula, ae, f. *φαινόλης*, vestis spissa, et fere villosa, quae supra tunicam induitur, frigori, et pluviae arcendae. Sunt, qui ducunt a Graeca voce allata, et per *ae* scribunt: quibus favet *Manut.* lapidem antiquum afferens, qui exstat etiam ap. *Grut.* 715, 10. Adde alium infra in PAENULARIUS. Alii origine Latinam esse ajunt, et Graecam vocem ex ea factam; et per simplex *e* scribi volunt: a quibus stat *Dausquius:* et in *epist. Pauli*, *ad Timoth.* 2, 4, 13. *φελόνης*, et in *Gloss. Philox.* etiam *φαιλόνη;* ubi *Bimardus* ad *Mur. Thesaur. Inscr.* T. 1. p. 119. legendum putat *φαινόλη*. Forma paenulae fuit rotunda, undique clausa, adstrictior et brevior, quam toga, sine manicis, et brachia quoque ipsa protegens, si demitterentur (unde *Cic. Mil.* 20. Cum paenula irretitus, rheda impeditus, uxore paene constrictus esset), si vero exserere opus esset, ab inferiori parte ejus ora utrinque extollebatur. *Pompon.* ap. *Non.* 14, 3. Paenulam in caput induce, ne te noscat. Quod *Plin.* scribit 24, 15, 88. herbam centunculum folia habere ad similitudinem capitis paenularum, significari videtur fuisse paenulis adsutum aliquid circa collum, quo caput protegi posset, nempe cucullus. ℙ Materia fuit vel lanea, vel scortea, seu e corio. Laneae paenulae villo breviore fuerunt. *Mart.* 14, 145. cujus lemma *Paenula gausapina*. Is mihi candor inest, villorum gratia tanta, ut me vel media sumere messe velis, *h. e.* mediis caloribus, quia paenula vestis erat gravior, et hiberna. Unde *Hor. Ep.* 1, 11, 17. Incolumi Rhodos, aut Mitylene pulcra facit, quod Paenula solstitio, campestre nivalibus auris. *Plin.* 8, 48, 73. Lanae Appulae breves villo, nec nisi paenulis celebres. De scorteis *Mart.* 14, 130. cujus lemma *Paenula scortea*. Ingrediare viam coelo licet usque sereno, Ad subitas nunquam scortea desit aquas. *Sen.* tamen paenulam a scortea distinguit *Q. N.* 4, 6. Hi cum signum dedissent, adesse jam grandinem, quid exspectas? ut homines ad paenulas discurrerent, aut ad scorteas? Hoc ideo, quia *paenulae* nomine fere lanea intelligitur. Usus fuit primo extra Urbem in itinere, frigoris aut pluviae causa, ut dictum est: deinde etiam in Urbe iisdem de causis laneae paenulae gestari coeptae. *Juven.* 5, 76. Scilicet hoc fuerat, propter quod saepe, relicta Conjuge, per montem adversum gelidasque cucurri Esquilias, fremeret saeva cum grandine vernus Juppiter, et multo stillaret paenula nimbo. *Varr.* ap. *Non.* 14, 3. Non quaerenda est homini, qui habet virtutem, paenula in imbri. ℙ Fuit vestis communis virorum et mulierum. *Ulp. Dig.* 34, 2, 24. *f.* Communia vestimenta sunt, quibus promiscue utitur mulier cum viro, veluti si ejusmodi paenula, palliumve est, etc. *Quint.* 8, 3. *med.* Cum Hirtius in Pansam declamans, filium a matre decem mensibus in utero latum esse dixisset, quid? aliae, inquit Cicero, in paenula solent ferre? Al. leg. *perula*. *Lampr. Alex. Sev.* 27. Paenulis intra Urbem frigoris causa ut senes uterentur, permisit, cum id vestimenti genus semper itinerarium, aut pluviae fuisset. Matronas tamen intra Urbem paenulis uti vetuit, in itinere permisit. ℙ Servos quoque et milites, et pueros paenula usos, observavit *Lips. elector.* 1, 25. et *Sen. Ben.* 3, 28. et *ib.* 5, 24. ℙ Quo tempore mos obtinuerat, ut in Urbe paenulae gestarentur, aliquando et oratores in foro causas agentes iis usi leguntur: quod tamen brevi sublatum puto. *Auct. dial. de Or.* 39. Quantum humilitatis putamus eloquentiae attulisse paenulas istas, quibus adstricti, et velut inclusi cum judicibus fabulamur? Plura V. ap. *Ferrar. de re vestiar. par.* 2. *l.* 2. etc. ℙ *Paenulam alicui scindere* dicitur, qui hospitem impensius invitat, et paene cogit, ut apud se maneat. *Cic. Att.* 13, 33. De Varrone loquebamur: lupus in fabula. Venit enim ad me, et quidem id temporis, ut retinendus esset: sed ego ita egi, ut non scinderem paenulam. Paulo post C. Capito cum T. Carrinate: horum ego vix attigi paenulam: tamen remanserunt. ℙ Per catachresin ponitur pro quocumque integumento, aut involucro. *Varr.* ap. *Non.* 6, 3. Cum corrigias disruptas tenet, paenula reliquum pedem scortea pertegere. *Mart.* 14, 1. Ne toga cordylis, et paenula desit olivis. *Vitr.* 10, 12. de machina Ctesibica: Supra catinum paenula, ut infundibulum inversum, est attemperata, etc. *h. e.* operculum. *Inscr.* ap. *Mur.* 339, 2. Pro salute Imp. Caes. M. Aur. Antonini Aug.

tectum porticus cum suis columnis et paenul. duab. et oper. tect. Sex. Virejus Sextus decurio D. P. S. D. Pollione II. et Apro II. Cos. *h. e.* ann. a Chr. n. CLXXVI. Hic *Bimardus l. c.* in §. 1. contendit, *paenulis* esse pro *pennulis*, h. e. pinnis, seu pinnaculis, quae Graeci *πτερύγια* et *ἀετώματα*, Latini fastigia dicunt. ℙ Est etiam cogn. R. *Liv.* 25, 19. M. Centenius fuit cognomine Paenula, etc. [*Quaedam adjecit *F.*]

PAENŪLĀRIUS, ii, m. qui paenulas conficit, aut vendit. *Inscr.* ap. *Grut.* 646, 5. Cn. Cossutius Atimetus paenularius. Adde aliam ap. *Mur.* 907, 2. *Novius* ap. *Non.* 2, 618. Consequitur paenularium, psilothrum petit. Hic *Nonius* minus recte, ut videtur, *paenularium* interpretatur: quasi theca et vagina paenulae. V. PAENULEUS.

PAENŪLĀTUS, a, um, adj. paenula indutus. *Cic. Mil.* 10. et 20. Cum hic cum uxore veheretur in rheda, paenulatus. *Sen. Ben.* 3, 28. *f.* Quo te paenulati isti, in militum, et quidem non vulgarem cultum subornati? quo, inquam, te isti efferunt? *h. e.* geruli lecticae paenula induti.

PAENŪLĔUS, a, um, adj. a paenula. *Lampr. Ant. Diadum.* 2. Paraverat paenulas populo coloris rosei dare Macrinus in honorem filii sui, quae vocarentur Antoninianae, ut Caracallae Bassiani dictae sunt, asserens melius filium suum Paenuleum, vel Paenularium dicendum, quam Caracallus esset dictus Bassianus.

PAENULTĬMUS, a, um, adj. *παρατέλευτος*, qui est paene ultimus, qui ultimum proxime praecedit. *Gell.* 4, 7. Paenultimam circumflectere. *Auson. Eclog. quotae Cal. sint men.* 12. Sextilis, Junius, atque Aprilis, post quos paenultima meta November. Adde *Hieron. ep.* 58. *n.* 8. et *Macr. Somn. Scip.* 2, 4. ℙ Scribitur et divisum. *Auson. Technopaegn. de litter. monosyl. f.* Furca tricornigera specie paene ultima sum *ψ*.

PAENŪRĬA. V. PENURIA.

PAEON, ōnis, m. *παιών*, pes quadrisyllabus tribus brevibus constans, et longa, sive haec sit initio, ut *conticuit*, sive secundo loco, ut *colonia*, sive tertio ut *retulisset*, sive postremo, ut *celeritas*: totidem enim ejus species tradunt *Diomed.* 3, 477., *Donat. edit.* 2, 1739., *Mar. Victorin.* 1957. et alii. *Plotius* 2626. Paeones a Paeone poeta nomen inditum possederunt. *Cicero* autem loco mox laudando duas tantum agnoscit, primam, et ultimam. Habet locum maxime in numero oratorio: qua de re *Cic. Or.* 64. et *Or.* 3, 47. et *Quint.* 9, 4.

PAEONĬA, ae, f. *παιονία*, herba nascens in opacis montium, caule inter folia digitorum quatuor, ferente in cacumine velut Graecas nuces quatuor, aut quinque, in quibus inest semen copiosum, rubrum, nigrumque. Nomen habet a Paeone medico, inventore. *Plin.* 25, 4, 10. ℙ Item regio septentrionalis Macedoniae, Moesiae finitima. *Plin.* 4, 10, 17. et 8, 15, 16. ℙ Item ipsa Emathia. *Liv.* 40, 3. et *Just.* 7, 1.

PAEŌNES, um, m. plur. *Παίονες*, populi Paeoniae, qui late etiam sumuntur a poetis pro Macedonibus, aut Illyricis. *Ov. Pont.* 2, 2, 77. Adde triumphatos modo Paeones. *Id. Met.* 5, 313. Vel nos Emathiis ad Paeonas usque nivosos Cedamus campis.

PAEŌNĬCUS, a, um, adj. ad paeonem pedem pertinens, ut Paeonicum metrum, ap. *Diomed.* 3, 506.

PAEŌNIS, idis, f. *Παιονίς*, quae est e Paeonia. *Ov. Met.* 5, 303. Paeonis Euippe mater fuit.

PAEŌNĬUS, a, um, adj. *Παιόνιος*, ad Paeones, et Paeoniam regionem pertinens, ut Paeoniae gentes, *Plin.* 4, 10, 17. ℙ Refertur etiam vel ad paeoniam herbam, cujus vis in medicina celebris, vel ad Paeonem medicum, ejus inventorem, vel ad Apollinem auctorem medicinae artis, qui non solum *Παιάν*, sed etiam *Παιών* dicitur. *Virg. A.* 7, 768. superas coeli venisse sub auras, Paeoniis revocatum herbis, et amore Dianae; et *ib.* 12, 401. ille retorto Paeonium in morem senior succinctus amictu, Multa manu medica, etc. *Ov. Met.* 15, 534. Nec nisi Apollineae valido medicamine prolis Reddita vita foret, quam postquam fortibus herbis, Atque ope Paeonia, Dite indignante, recepi, etc. *Sil.* 14, 27. de Sicilia: Hic et Paeonios arcano sulphure fontes, *h. e.* medicam vim habentes, salubres. Sic *Claud. de Apono* 67. Salve Paeoniae largitor nobilis undae. *Id. B. Get.* 121. Ulcera Paeoniae tractat solertia curae. *Id. II. cons. Stil.* 172. vectumque per undas Insula Paeonium texit Tiberina draconem, *h. e.* Aesculapium sub forma serpentis, de quo *Ov. Met.* 15, 622. et sqq., *Rhemn. Fann. de ponderib. et mensur.* 1. Pondera Paeoniis veterum memorata libellis, *h. e.* in medicorum libris.

PAESTĀNUS, a, um, adj. ad Paestum pertinens. *Cic. Att.* 16, 6. Paestanus sinus. *Ov. Pont.* 2, 4, 28. Calthaque Paestanas vincet odore rosas. *Mart.* 9, 27. Paestano violas et cana ligustra colono, Hyblaeis apibus Corsica mella dabit. *Id.* 4, 60. Paestana rura. Al. leg. *Castrana.* ℙ *Paestani, orum,* sunt Paesti incolae, ap. *Liv.* 37, 10.

PAESTUM, i, n. *Pesto, Pesti, Παῖστον*, olim urbs, nunc vicus Lucaniae litoralis, quae et Posidonia prius est appellata, ubi ob coeli clementiam bis in anno fructus producebatur, Majo, et Septembri. Fuit praesertim rosarum abundantissima. *Plin.* 3, 5, 10. Oppidum Paestum, Graecis Posidonia appellatum. *Ov. Met.* 15, 708. Leucosiamque petit, que rosaria Paesti. *Virg. G.* 4, 119. biferira rosaria Paesti. *Prop.* 4, 5, 59. odorati victura rosaria Paesti.

[PAESURES, um, m. plur. et

[PAESURI, orum, m. plur. Lusitaniae populi. *Inscr.* ap. *Grut.* 162, 3. Municipia provinciae Lusitaniae stipe conlata, quae opus pontis perfecerunt, Icaeditani ... Banienses, Paesures. *Plin.* 4, 21, 35. A Durio Lusitania incipit: Turduli veteres, Paesuri, flumen Vacca. *F.*]

[PAETILLA, ae, f. dimin. paetae, paetula. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 651. *n.* 435. L. Titiedius Flaccus Mindiae Paetillae *nepos*, Mindii Paeti pron*epos*. *F.*]

[PAETĪNUS, i, deriv. paeti. Est cogn. R. Hinc M. Fulvius Cn. F. Cn. N. Paetinus, in *Fast. Capit.* ap. *Grut.* 296. *F.*]

PAETŪLUS, a, um, adj. dimin. paeti. *Cic. N. . 1, 29.* Redeo ad Deos; ecquos si non tam strabones, at paetulos esse arbitramur?

PAETUS, a, um, adj. (in *Gloss. Philox.* est *μύωψ τοῖς ὄμμασιν*) qui oculos habet leviter obliquatos, et transversa tuentes, ita tamen ut ad strabonem non accedat; hoc enim formam vitiat, non illud: quin immo solent puellae interdum affectare, ut paetae videantur, dum videntes non videre videri volunt. Hinc *paeta* dicta est ipsa Venus: et si sit alicui filius strabo, paetus dici solet, vitii minuendi causa. *Plin.* 11, 37, 55. Uni animalium homini depravantur oculi: unde Strabonum, et Paetorum cognomina. *Hor. Sat.* 1, 3, 45. strabonem appellat paetum pater; et pullum, male parvus Si cui filius est. *Auct. Priap.* 37. Minerva flavo lumine est, Venus paeto. *Ov. A. Am.* 2, 659. Si paeta est, Veneri similis; si flava, Minervae. *Varr.* ap. *Prisc.* 6, 684. Non haec res de Venere paeta strabam facit? Adde *Plaut. fragm.* ap. *Fest.* in *Valgus.* Ex hoc oculorum vitio cognomen accessit pluribus Romanis gentibus, ut Aeliae, Aemiliae, Autroniae, Considiae, etc. V. PAETILLA et PAETINUS.

[PAEZON, ontis, m. *παίζων*, part. praes. verbi *παίζω*, ludens more puerorum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1134, 11. M. Asinius Paezon. *F.*]

[PAEZŪSA, ae, f. *παίζουσα*, part. praes. verbi *παίζω*, ludens more puerorum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 616, 7. Claudia Paezusa. *F.*]

*PAGAE, arum, *Παγαί, Πηγαί*, i. e. fontes, opp. Megaridis famosissimum, ad sinum Corinthiacum. *Plin.* 4, 7. *Mela* 2, 3. ℙ In Boeotia ponit *Plin.* 4, 3. Tertium ab hoc mari Boeotiae opp. Pagae, unde Peloponnesi prosilit cervix. ℙ Incolae Pagaei dicti a *Plin.* 4, 7. ℙ Pagae memoriae sine idolis. *Isid. Gloss.* Quod quid sit (ait *Gesnerus*), nondum, puto, expeditum est. V. CANGIUM. *B. A.*

*PAGAEI, orum. V. v. praec. *B. A.*

PAGĀNĀLĬA, ium, n. plur. *κωμητικά*, festa paganorum: de quibus *Ov. Fast.* 1, 669. Pagus agat festum: pagum lustrate coloni, Et date paganis annua liba focis. *Varr. L. L.* 5, 3. *f.* Feriae non populi, sed montanorum modo, ut Paganalibus, qui sunt alicujus pagi. *Macr. Sat.* 1, 16. enumerat inter ferias conceptivas.

PAGĀNĬCUS, a, um, adj. ad pagum pertinens. *Paganicae feriae*, quae in pagis agitabantur. *Varr. L. L.* 5, 3. *f.* Paganicae feriae, agriculturae causa susceptae, ut haberet in agris omnis pagus. *Inscr.* ap. *Grut.* 21, 11. Jovi Paganico sacr. etc. *h. e.* qui in pagis colebatur. ℙ *Paganicum peculium*, quod ex praediis, aliisque rusticis reditibus provenit: cui *castrense* opponitur. *Imp. Antonin. Cod.* 6, 21, 1. Frater tuus miles si te specialiter in bonis, quae in paganico habebat, heredem fecit, bona quae in castris reliquit, petere non potes. V. PAGANUS. ℙ *Pila paganica*, quae et *paganica* absolute, erat pila lusoria pluma farcta, major trigone et mollior, folle minor, sed durior, seu arctior et firmior, in pagis inventa ad voluptatem rusticorum, deinde in urbes translata, et frequentata in gymnasiis, praesertim ante balneas. *Mart.* 14, 45., cui titulus *Pila paganica.* Haec, quae difficilis turget paganica pluma, Folle minus laxa est, et minus arcta pila. *Id.* 7, 32. Non pila, non follis, non te paganica thermis Praeparat.

PAGĀNĪTAS, atis, f. paganorum superstitio. *Impp. Theodos. et Valent. Cod. Theod.* 15, 5, 5. Stolidae paganitatis errore atque insania detineri. V. v. sq.

PAGĀNUS, a, um, adj. *κωμητικός*, ad pagum pertinens. *Ov. Fast.* 1, 670. Et date paganis annua liba focis. *Plin.* 28, 2, 5. Pagana lege in plerisque Italiae praediis cavetur, ne per itinera ambulantes, etc. ℙ *Paganus, κωμήτης*, qui in pagis habitat. *Cic. Dom.* 28. Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani, aut montani, qui, etc. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] *Hirt. B. Alex.* 36. Jussit paganos, et oppidanos in iis locis obversari. ℙ *Pagani* saepe opponuntur militibus. Nam in pagis qui vivunt, otiosam securamque vitam ducunt, remoti a curis publicis ac laboribus. Paganus ergo est, qui non militat, etiamsi in urbe vivat, *ἀπόλεμος. Plin. ep.* 10, 18. Apud me et milites, et pagani certatim ei testimonium retribuerunt. *Juven.* 16, 33. citius falsum producere testem Contra paganum possis, quam vera loquentem Contra fortunam armati. *Suet. Galb.* 19. In forum usque processit. Ibi equites cum per publicum, dimota paganorum turba, equos adegissent, etc. *h. e.* plebis, aut civium. Adde JCtos in multis *Digestor.* locis. Hinc *pagani* per contumeliam dicuntur milites segnes, et virtutis militaris obliti, et urbis otio commodisque deditī: quemadmodum Quirites dicti sunt olim a C. Caesare, ap. *Suet.* 70. et ab Alex. Severo ap. *Lamprid.* 52. *Tac. H.* 3, 24. Mox infensus praetorianis, vos, inquit, nisi vincitis pagani, quis alius imperator, quae castra alia excipient? ℙ Etiam peculium paganum, et castrense, tanquam diversi generis, opponuntur. *Imp. Justin. Cod.* 3, 28, 37. Vel paganum est peculium, vel castrense, vel quod medietatem inter utrumque obtinet, quod quasi castrense nuncupatur. V. PAGANICUS. ℙ Translate. *Plin. ep.* 7, 25. *extr.* Sunt enim, ut in castris, sic etiam in litteris nostris plures cultu pagano, quos cinctos et armatos, et quidem ardentissimo ingenio, diligenter scrutatus invenies, *h. e.* latentes quidem in secessu atque otio, nec professos palam se litterarum studiosos, doctos tamen et eruditos. Hinc *Pers. prol.* 6. se ipsum *semipaganum* dicit, quasi non plane in castris poetarum merentem stipendia, sed quasi semipoetam. Nisi malis intelligere semidoctum, quia in pagis degentes solent esse rudiores. ℙ Ap. Ecclesiasticos scriptores *paganus* est, qui Gentilium superstitionem retinet, et falsos Deos colit, quia cum Christiana religio passim vigere coepit in urbibus, in solis pagis et villis illa servabatur: vel quia gentiles non militant sub duce JESU CHRISTO. V. *De-Vita Antiq. Benev.* p. 275., ubi plura huc pertinentia, et docte disputata invenies. *Tert. Cor. mil.* 11. *med.* Apud hunc (JESUM) tam miles est paganus fidelis, quam paganus est miles infidelis. *Hieron. in Psalm.* 41. Pagani Deos suos digito ostendunt. *August. Retract.* 2, 43. Deorum falsorum, multorumque cultores, paganos vocamus. Sic *Prud. περὶ στεφ.* 10, 296. Non erubescis stulte, pago dedite, Te tanta semper perdidisse obsonia, Quae Dis ineptus obtulisti talibus? et *adv. Sym.* 2, 450. Sint haec barbaricis gentilia numina pagis, etc. V. *Desider. Herald. initio animadversion. in Arnob.*

PAGĀSAE, arum, f. plur. *Παγασαί*, opp. Thessaliae maritimum, postea Demetrias dictum, in quo navis Argo fabricata fuit. *Plin.* 4, 8, 15. *Val. Fl.* 8, 451. Si Pagasas, vel Peliacas hinc denique nubes Cerneret. ℙ In sing. num. *Prop.* 1, 20, 17. Namque ferunt olim Pagasae navalibus Argo Egressam longe Phasidos isse viam. *Mela* 2, 3. Urbem Pagasam amplexus, etc.

PAGĀSAEUS, a, um, adj. *Παγασαῖος*, ad Pagasas pertinens, et ad navem Argo. *Ov. Fast.* 5, 401. Pagasaei colles. *Mela* 2, 3. Pagasaeus sinus. Rursus *Ov. Met.* 7, 1. Jamque fretum Minyae Pagasaea puppe secabant; et *ib.* 13, 24. Pagasaea carina; et *ib.* 12, 412. silva. *Id. Fast.* 1, 491. et *Met.* 8, 349. Pagasaeus Iason, *h. e.* qui fuit dux Argonautarum. *Id. A. Am.* 3, 19. Fata Pheretiadae conjux Pagasaea redemit, *h. e.* Alcestis filia Peliae regis Thessaliae, uxor Admeti Pheretis filii. V. ALCESTE et ADMETUS.

PAGĀSĒĬUS, a, um, adj. Pagasaeus. *Val. Fl.* 1, 422. et Oebalium Pagaseia puppis alumnum Spectet.

PAGĀSĪCUS, a, um, adj. Pagasaeus, ut Pagasicus sinus: *il golfo d' Armiro*, ap. *Plin.* 4, 8, 15. et *ib.* 12, 23.

PAGĀTIM, adv. *κατὰ κώμας*, per singulos pagos, ut *oppidatim* per singula oppida. *Liv.* 31, 26. *f.* Templa Deum, quae pagatim sacrata habebant.

PAGELLA, ae, f. dimin. *σελλίον*, parva pagina. *Cic. Fam.* 11, 25. Sed quid ago? non imitor *λαχωνιομὸν* tuum: altera jam pagella procedit. Vince, et vale. [*V. *Schütz.* in *cl. Cic.*]

PĀGES, is, f. compages, compactio. Affert *Non.* 1, 327., sed sine ulla scriptoris auctoritate.

*PAGĪDAS vel Pagida, ae, Africae fluvius. *Tac. A.* 3, 20. ubi ablativus *Pagida* occurrit. ℙ Item rivus Phoeniciae, qui et Belus, ad Carmelum promontorium. *Plin.* 5, 19. *B. A.*

PĀGĪNA, ae, f. *σελίς*, charta, seu pars chartae: a *pago* pro *pango*, quia charta fit ex philuris, seu tunicis papyri compactis et compressis; vel potius quia constat ex multis scripturae versibus, hique ex pluribus litteris in unum compaginatis fiunt; ita ut non universa chartae superficies, sed ejus pars scripto comprehensa proprie pagina appelletur. *Plin.* 13, 12, 24. Sed ratio deprehendit vitium, unius schedae revulsione plures infestante paginas. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 3. Nam cum hanc paginam tenerem, L. Flavius ad me venit, etc. *Id. Att.* 13, 34. Sed complere paginam volui. *Plin.* 8, 51, 77. Hinc censoriarum legum paginae, interdictaque coenis abdomina. ℙ Metonymice dicitur de scriptis. *Cic. Fam.* 16, 4. Varie sum affectus tuis litteris: valde priore pagina perturbatus, paulum altera recreatus. *Id. Att.* 6, 2. *med.* Quoniam respondi postremae

tuae paginae prima mea, nunc ad primam revertar tuam. *Mart.* 1, 5. Lasciva est nobis pagina, vita proba. ℙ *Paginam utramque facere* is dicitur, cujus tanta est in re aliqua vis et potentia, ut omnia illi tribuantur, sive prospera, sive adversa: sumpta metaphora a mercatorum libris, in quibus altera pagina expensum, altera acceptum ostendit. Sic in rebus humanis fortuna utramque facit paginam, id est si quid homini succedit, ea laudatur, quasi dederit; si quid mali evenit, incessitur et damnatur. *Plin.* 2, 7, 5. *med.* Huic omnia feruntur accepta, et in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit. ℙ In vineis *pagina* videtur esse area, seu spatium interjectum inter certum numerum jugatarum vitium: fortasse quia vitibus ita dispositis, spatium illud figuram orthogoniam refert, qualis est in pagina. Vel sumitur *pagina* a *pangendo*, h. e. plantando, pro certo numero vitium consitarum. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 7. Semper vero quintanis seminari, hoc est ut quinto quoque palo singulae jugo paginae includantur. ℙ *Pagina marmorea* est lamina e marmore, paginae figura. *Pall.* 6, 11. de pavimentis: Tunc tessellas latiores, vel tabellas qualescumque marmoreas, aut paginas imprimemus: et hanc constructionem res nulla vitiabit. ℙ In illo *Plin.* 16, 42, 82. Firmissima in rectum abies: eadem valvarum paginis, et ad quaecumque libeat intestina opera aptissima: *paginae* sunt (ita enim legi in MSS. et opt. lib. testantur *Hard.* et *Salm.* ad *Solin.*, in aliis est *repagulis*) ipsae valvae, inquit *Salm.*, quae complicantur instar paginarum, et replicantur. *Hard.* vero intelligit ipsos asseres, quibus valvae compinguntur, et veluti compaginantur. *Vitruv.* vocat *pagmenta*.

PAGĬNĀTUS, a, um, part. ab inus. *pagino* pro *pango*, compactus. *Paul. Not. carm.* 21, 353. Solidoque navem paginatam robore Ad pervehendum praeparat.

PAGĬNŬLA, ae, f. *σελίδιον*, dimin. paginae. *Cic. Att.* 4, 8. Ut non minus longas jam in codicillorum fastis futurorum consulum paginulas habeat, quam factorum. Adde *Not. Tir.* p. 124.

PAGMENTUM, i, n. compactio, et ipsa materia compacta, seu impacta et infixa. *Vitr.* 4, 6. *f.* Qui sunt ante secundum pagmentum.

PĂGO, is, a. 3. idem quod pango, et paciscor: a Dorico *πάγω* pro *πήγω*, unde *πήγνυμι*, figo, compingo, compono. *Prisc.* 10, 894. Antiqui *pago* dicebant pro *paciscor*. *Auct. ad Her.* 2, 13. *f. ex leg. XII. Tab.*, ut constat ex *Quint.* 1, 6. Rem ubi pagunt, orato: ni pagunt, in comitio aut in foro ante meridiem causam conjicito. Al. leg. *conscito*, *h. e.* quo in loco litigatores paciscuntur, ibi orato, seu causam agito: si nullum pactum intercessit, in comitio, aut in foro agito. V. *Gell.* 17, 2. ℙ Ex hoc est praeteritum *pepigi*, ut *Quint.* docet *l. c.*, item *pegi*, ut *Prisc.* tradit *l. c.* V. PANGO.

*PAGOARGAS, Aethiopiae opp., vel certe Aethiopiae Aegyptoque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*PAGRAE, arum, *Πάγραι*, Syriae opp., in Cyrrhestica. *Plin.* 5, 23. *B. A.*

PAGRUS et Phagrus, i, m. *πάγρος* et *φάγρος*, piscis marinus, et fluviatilis, de quo *Plin.* 9, 16, 24. Praegelidam hiemem omnes sentiunt, sed maxime qui lapidem in capite habere existimantur, ut lupi, chromes, sciaenae, pagri. *Id.* 32, 10, 38. Pagri fluviatilis longissimus dens capillo adalligatus. V. PHAGER.

PĂGUR, i et is, m. piscis idem fortasse qui pagrus. *Ov. Hal.* 108. Et rutilus pagur, et fulvi synodontes, et ex se Concipiens channe.

PĂGŪRUS, i, m. *πάγουρος*, marinus piscis ex genere cancrorum, ut *Plin.* docet 9, 31, 51. et *Pall.* 1, 35.

PĂGUS, i, m. *κώμη*, plures vici, aut villae simul positae, nullo moenium ambitu: a *παγὰ* Dorice pro *πηγὴ*, fons, ut *Fest.* et *Serv.* ad *G.* 2, 382. docent, quia circa fontes villae condi consueverunt; vel potius a *πάγος*, tumulus, collis, quia in collibus primo plures domus in unum junctae sunt ad habitandum: nec obstat prioris syllabae quantitas, quae in Graeca voce brevis, in Latina vero est longa, ut in aliis sexcentis. Ita sentit *Dionys. Halic.* 4, 15. qui de Servio Tullio haec habet: *Κατὰ τοὺς ὀρεινοὺς ὄχθους κρηπῖδα κατεσκεύασεν Ἑλληνικοῖς ὀνόμασιν αὐτὰ κολῶν πάγους.* V. AREOPAGUS. [*Certi quid de hujus vocis originatione afferre haud facile quis poterit. Perquam autem ingeniose *Doederl.* 3, 7. conjecit, posse *pagus* eadem ratione conferri cum *pavisse*, qua *focus*, *jocus* cum *fovisse*, *juvisse*, ita ut pascui communionem proprie *pagus* significet: coll. Gr. *νομὴ* et *νόμος*.] Differt a vico, ut totum a parte, quia vicus pluribus casis, pagus pluribus vicis constat. Interdum et pro vico ponitur. *Virg. l. c.* Praemiaque ingeniis pagos et compita circum Thesidae posuere. *Tac. A.* 1, 56. Reliqui omissis pagis vicisque, in silvas disperguntur. ℙ Metonymice ipsi pagi incolae. *Hor. Od.* 3, 18, 11. Festus in pratis vacat otioso Cum bove pagus. *Ov. Fast.* 1, 669. Pagus agat festum: pagum lustrate coloni. ℙ Germaniae et Galliae populi, eorumque regio in pagos dividebatur, qui erant pars ampla regionis, oppida non una, vicos, pagosque complexa, quae nomus, praefectura, tribus, aut etiam provincia dici posset. Itaque ap. *Caes. de B. G.* Germanorum, Morinorum, Arvernorum, Suevorum, Helvetiorum pagi memorantur: et ap. *Tac. in A. Hist.* et *de Germ.* Sequanorum, Nerviorum, Aeduorum, Semnonum, Gugernorum. Hujus appellationis ratio videtur esse, quia olim eae gentes raris oppidis habitabant, et per agros dispersi sine moenium praesidio degebant, multitudine et viribus satis se munitas arbitrantes. Ut autem commode posset administrari respublica, certis divisionibus regiones deñiebant, totiusque civitatis quasi corpus in membra distribuebant, in quibus haberentur conventus, et ex iis delecti principes in unum, cum opus esset, de maximis rebus acturi, congregarentur. Horum pagorum alii amplissimi fuerunt, ut in Helvetia, quae universa in quatuor tantum pagos divisa erat, ut est ap. *Caes. B. G.* 1, 12., quos nunc dicimus [*Gall. v. *Cantons*, nostr. *Gaue*.] Alii erant minores; nam Suevis centum attribuit *Id. ib.* 4, 1. et totidem *Tac.* Semnonibus *G.* 39., quorum tamen universa civitas haud multum Helvetiorum civitatem superabat, ut affirmat *Cluver. Germ. antiq.* 1, 13. *f.* Verum et isti satis ampli erant: nam de Suevis ita habet *Caes. l. c.* Ii centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa suis ex finibus educunt: reliqui domi manent, pro se atque illis colunt. De administratione rei publicae *Id. Caes. ib.* 6, 23. In pace nullus communis est magistratus, sed principes regionum atque pagorum jus inter suos dicunt. Hi pagi rursus in minores partes dividebantur; et *ib.* 10. In Gallia non solum in omnibus civitatibus atque pagis, partibusque, sed paene etiam in singulis domibus factiones sunt. ℙ *Pago deditus* ap. *Prud.* quid sit, V. PAGANUS. ℙ *Novem Pagi*, oppidum Galliae Belgicae. *Antonin. Itin. Tab. Peut. Ammian.* 16, 2. Hodie est *Dieuze*. *B. A.*

PALA, ae, f. *ξύστρον*, instrumentum ferreum, rusticum, l goni simile, sed planum et latius, quo terra versatur, egeritur, vel aggeritur. A *pangendo* vult esse *Varro L. L.* 4, 31., quasi *paga*, *g* in *l* mutato, quia in terra pangitur: [*Alii contractum volunt ex *pagela*:] sed videtur esse a *πάλη*, quippe quae terram hac illac versat, *πάλλω* enim significat agitare, unde aor. 1. *ἔπηλα*. *Liv.* 3, 26. *med.* Fossam fodiens palae innixus. *Colum.* 10, 45. Tum mihi ferrato versetur robore palae Dulcis humus. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3. Juncosus ager verti pala debet; at in saxoso bidentibus. *Id.* 17, 17, 27. Ramo seruntur et Pumica, palis laxato prius meatu. ℙ Quas *Cato R. R.* 11. *f.* memorat *palas ligneas*, instrumentum rusticum describens, possunt usum habere vel ad panem in furnum immittendum et extrahendum, vel ad ventilandum in area frumentum, quod *πτύον* Graece dicitur: de quo fortasse *Tert. Praescr.* 3. Palam in manu portat ad purgandam aream suam. Sic *Juvenc.* 1, 371. ruralis pala. ℙ In annulo est pars latior, cui gemma infixa est, funda, *σφενδόνη*. *Cic. Off.* 3, 9. Cum palam ejus annuli ad palmam converterat, a nullo videbatur. ℙ Est etiam palae nomine arbor Indica folio alas avium imitante, longitudine trium cubitorum, latitudine duum: fructum cortice mittit, admirabilem succi dulcedine, ut uno quaternos satiet: ei nomen est ariena. *Plin.* 12, 6, 12. [**Pisang*, Musa paradisiaca, *L.*] ℙ Ap. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 35. et *ib.* 3, 3. *f.* et *Tard.* 3, 2. *palae* sunt scapularum ossa duo lata, quae Graece *ὠμοπλάται* appellantur. **Pala*, oppidum Cephalleniae. V. *Palensis*. *B. A.*

PALABUNDUS, a, um, adj. palans, dispersus huc et illuc. *Tert. Apol.* 21. Judaei dispersi palabundi, et coeli et soli sui extorres. **Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 56. Equites palabundi. *B. A.*

PALACRA et

PALACRĀNA, ae, f. major auri massa. Utraque vox legitur ap. *Plin.* 33, 4, 21. et Hispanica esse dicitur.

*PALAEBYBLOS vel Palaebyblus, i, f. Phoeniciae oppidum, prope Byblum. *Plin.* 5, 20. *B. A.*

PALAEMON, onis, m. *Παλαίμων*, Melicerta filius Athamantis et Inus, Thebanus, qui patris furorem fugiens, una cum matre se in mare praecipitavit. Ambo enim Dii marini facti sunt, mutatisque nominibus, mater *Leucothea*, hoc est Alba Dea, dicta est, creditur que esse Aurora, quae et *Matuta* dicitur: filius vero a Graecis *Palaemon*, a nostris, quod portubus praeesse putetur, *Portunus* est appellatus. *Ov. Met.* 4, 416. et sqq. et *Her.* 18, 137. V. MELICERTA. ℙ *Palaemon* a Portuno distinguitur ap. *Appul. Met.* 4. Adsunt Nerei filiae chorum canentes, et Portunus caerulis barbis hispidus, et gravis piscoso sinu Salacia, et auriga parvulus delphini Palaemon. ℙ Item grammaticus Vicetinus, qui Romae vixit sub Tiberio et Claudio principibus, tanta arrogantia, seu stultitia, ut M. Varronem porcum appellaret: secum et natas, et morituras litteras jactaret; luxuriae ita indulgens, ut saepius in die lavaretur, nec sufficeret sumptibus. *Suet. Gr.* 23. et *Juv.* 7, 215., ubi doctum appellat. *Id.* 6, 451. Palaemonis artem, grammaticam intelligit. ℙ Ap. *Virg. Ecl.* 3, 50. est pastoris nomen. ℙ Dicitur etiam *Palaemo*. V. RUBICO.

PALAEMŌNĬUS, a, um, adj. ad Palaemonem pertinens. *Stat. Th.* 2, 380. Curva Palaemonio secluditur unda Lechaeo. *Paus.* 1, 44. narrat, cum Ino se in mare cum Melicerta filio dedisset praecipitem, puerum a delphino exceptum usque ad Isthmum Corinthiacum advectum fuisse, ibique mutato nomine Palaemonem dictum, et divinis honoribus cultum. Idem tradit *Id.* 2, 2. Porro Lechaeum in Isthmo Corinthiaco est. Sisyphus Corinthi rex cum puerum exstinctum ibi invenisset, eodem in loco sepelivit, et Isthmia in ejus honorem instituit, teste *Paus. ib.* Unde *Claud. Cons. Mall. Theod.* 289. Cuncta Palaemoniis manus explorata coronis Adsit, et Eleo pubes laudata tonanti, *h. e.* quae dabantur victoribus in ludis Isthmiacis.

*PALAEMYNDUS vel Palaemyndos, i, f. Cariae oppidum. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

*PALAENO, us vel onis, f. Danaidum una. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

*PALAEOGŌNI, orum, dicti sunt incolae Taprobanes insulae, teste *Plin.* 5, 22. *B. A.*

*PALAEPAPHOS vel Palaepaphus, i, oppidum Cypri, LX. stadia a Papho distans. *Plin.* 5, 32. *Mela* 2, 7. *B. A.*

*PALAEPHARSALUS vel Palaeopharsalus, i, f. Thessaliae urbs, non procul a Pharsalo. *Hirt. B. Alex.* 1. *Eutr.* 6, 16. *Liv.* 14, 1. *B. A.*

PALAEPHĂTĬUS, a, um, adj. ad Palaephatum pertinens, qui est vetus scriptor Graecus, patria Parius, vel, ut alii volunt, Prienaeus, scripsitque *μυθικὰ*, et *περὶ τῶν ἀπίστων*, de fabulosis et incredibilibus. *Virg. Cir.* 88. Docta Palaephatia testatur voce papyrus. *Scal.* pro *papyrus* mavult *Pachynus*, ut ita inscriptus sit liber Palaephati, in quo fabulosa, et miranda de Sicilia scripserit. [V. *Heynium* ad *l. c. F.*]

[PALAEPOLĪTANUS, a, um, adj. ad Palaepolin pertinens, celeberrimam Campaniae urbem, quae postea cum Neapoli juncta, illius nomen assumpsit. *Liv.* 8, 22. Ex auctoritate patrum populus Palaepolitanis bellum fieri jussit. V. NEAPOLITANUS. *F.*]

*PALAESCAMANDER, dri, m. i. e. vetus ille fluvius olim Scamander dictus, vel fortasse alvei nomen a Scamandro olim occupati. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

PALAESTE. V. PALAESTINUS.

PALAESTES, ae, m. *παλαιστής*, idem qui palaestrita. *Lampr. Alex. Sev.* 27. *extr.* Palaestes primus fuit, in armis magnus.

PALAESTĪNA, ae, et Palaestinē, es, f. *Παλαιστίνη*, unum ex multis Syriae nominibus, ut videre est ap. *Plin.* 5, 12, 13. et *Melam.* 1, 11., sic enim dicta est Syria, qua parte tangit Arabas Petraeos, pertingens inde usque ad Phoenicem, inclusa mari mediterraneo, et Coele Syria. Accuratiores ejus terminos V. ap. geographos. Divisa est in Galilaeam, Samariam, et Idumaeam. In ea Verbum Patris, JESUS CHRISTUS homo factus, ortum habuit, vixit, et mortuus est. Quare omnium terrarum celeberrima merito habetur. *Plin. ib.* 13, 14. Finis Palaestines CLXXXIX. M. pass. a confinio Arabiae. ℙ *Palaestine* etiam dicta est Sittacene, quae et Arbelitis, Assyriae provincia, non procul a Tigri fluvio. *Id.* 6, 27, 31.

PALAESTĪNENSIS, e, adj. ad Palaestinam pertinens. *Spart. Sev.* 9. Neapolitanis etiam Palaestinensibus jus civitatis tulit. *Plin.* 5, 13, 14. Samariae oppida enumerat, Neapolim, antea Mamortham, Sebasten, et Gamalam, Samaria autem Palaestinae pars est.

PALAESTĪNUS, a, um, adj. ad Palaestinam pertinens. *Sil.* 3, 605. hic fera gentis Bella Palaestinae primo delebit in aevo. *Ov. A. Am.* 1, 415. Quaque die redeunt, rebus minus apta gerendis, Culta Palaestino septima festa Syro. *Id. Fast.* 2, 464. Inque Palaestinae margine sedit aquae, *h. e.* Euphratis, qui licet Palaestinam non alluat, tamen quia non longe est dissitus, consueta poetarum licentia sumendi epitheta a proximis saepe regionibus, ita cognominatur. *Tibull.* 1, 8, 17. Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes Alba Palaestino sancta columba Syro? *Hyg. fab.* 197. narrat, sanctas esse Syris columbas, quia cum in Euphratem olim ovum mira magnitudine cecidisset, illudque ad ripam pisces evolvissent, columbae supra illud consederunt; foveruntque, unde nata est Venus. *Ov. Met.* 4, 47. filiam Dercetidis (quae Dea Syrorum est) in columbam fuisse conversam: quae altera causa est, cur columbas Syri coluerint. Tertia esse potest, quod narrat *Diodor. Sicul.* 3, 5. *f.* Semiramidem, quae Dea habita est, post mortem in hanc avem conversam esse: ideo ab Syris, quorum fuit regina, religiose cultam esse. *Stat. Silv.* 5, 1, 213. et *ib.* 2, 1, 161. praereptaque templis Tura, Palaestini simul, Hebraeique liquores, *h. e.* malobathrum, manna (quod ros Syriacus etiam dicitur) et nardus, ex quibus unguenta, et

odores, etiam liquidi fiebant. ℙ *Palaestini, orum,* Palaestinae populi. *Ov. Met.* 4, 46. ℙ *Id. Fast.* 4, 235. Et modo, tolle faces, remove, modo, verbera, clamat: Saepe Palaestinas jurat adesse Deas, *h. e.* Furias ita dictas a Palaeste vico Epiri prope Oricum, ubi templum Ditis fuit *Lucan.* 5, 460. fluctuque secundo Lapsa, Palaestinas uncis confixit arenas. Prima duces junctis vidit consistere castris Tellus, quam volucer Genusus, quam mollior Apsus Circumeunt ripis. *Vibius Sequest. de fluminib.* Apsus Palaestinae; et Genusus Palaestinae. *Caes. B. C.* 3, 6. Ad eum locum, qui appellatur Palaeste, omnibus navibus ad unam incolumibus, milites exposuit. (Al. scribunt *Paleste*, *Palaestinus sine* diphthongo.) Sed negant alii, Palaesten in Epiro esse, quod nemo veterum in eo tractu ejus meminerit. *Vibium Sequest.* deceptum esse *Lucani* loco mendoso, atque insanabili: ap. *Caesar.* alios legere *Pharsalus*, quod et ipsum suspectum esse, imo falsum. Quod vero ad *Ov.* attinet, esse quidem *Palaestinas Deas* Furias, sed appellationis causam esse adhuc incognitam.

PALAESTRA, ae, f. *παλαίστρα*, luctatio, luctatorum exercitatio et certamen : a *παλαίω*, luctor, quod a *πάλη*, lucta. Luctaturi oleo prius nudata membra inungebant. *Virg. A.* 3, 281. Exercent patrias oleo labente palaestras Nudati socii. *Ov. Her.* 19, 11. uncta palaestra; et *ib.* 16, 149. nitida palaestra ludere. *Stat. Silv.* 2, 1, 110. Sive catenatis curvatus membra palaestris Staret, Amyclaea conceptum matre putares. *Lucan.* 4, 614. perfudit membra liquore Hospes, Olympiacae servato more palaestrae. ℙ Ejus auctor est Mercurius. *Hor. Od.* 1, 10., *Lucan.* 9, 661. Theseo tribuit *Paus.* 1, 39. A Graecis certe est, inter quos Spartani et Athenienses maxime frequentarunt. *Sen. Herc. Fur.* 1124. Non Argiva membra palaestra flectere docti. ℙ Palaestrae descriptionem habes ap. *Ov. Met.* 9, 32., *Stat. Th.* 6, 847. et *Lucan.* 4, 612. ℙ Metonymice ponitur pro loco palaestrae, gymnasio. *Pl. Amph.* 4, 1, 3. Apud emporium, atque in macello in palaestra atque in foro. *Catull.* 63, 60. Abero foro, palaestra, stadio, gymnasiis. *Cic. Verr,* 2, 2, 14. Statuas in palaestra ponere. *Virg. A.* 6, 642. Pars in gramineis exercent membra palaestris, Contendunt ludo, et fulva luctantur arena. ℙ In palaestra non sola lucta exercebantur, sed cursu etiam, pugilatu, pila, saltu, ponderum jactatione, etc. *Pl. Bacch.* 3, 3, 20. Ante solem exorientem nisi in palaestram veneras, gymnasii praefecto haud mediocres poenas penderes; et *ib.* 24. Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila, saliendo se exercebant. *Auct. ad Her.* 4, 46. Quemadmodum in palaestra, qui taedas cadentes accipit, non est celerior in cursu continuo, quam ille qui tradit. ℙ Hae palaestrae non solum publicae erant, sed etiam in privatis ditiorum aedibus et in urbe, et ruri. *Varr. R. R.* 3, 13. Cum e superiore loco e palaestra apris effunderetur glans, capreis vicia. Adde *prooem. l.* 2. et *Cic. Leg.* 2, 3. et *Q. Fr.* 3, 1, 2. et *ib. ep.* 9. Universam palaestrarum rationem, earumque membra accurate describit *Vitr.* 5, 11. V. etiam *Mercurial. de re gymn.* 1, 9. ℙ Metaphorice *Pl. Bacch.* 1, 1, 33. Homo adolescentulus penetrare hujusmodi in palaestram, ubi dominae desudascitur, ubi pro disco damnum capiam, pro cursura dedecus? *Ter. Ph.* 3, 1, 20. Eccum ab sua palaestra exit foras, *h. e.* e domo lenonis, ubi exercentur assidue amatores. *Cic. Or.* 1, 18. Nitidum quoddam genus est verborum, et laetum, sed palaestrae magis et olei, quam hujus civilis turbae ac fori, *h. e.* exercitationis domesticae et umbratilis. [*Spectat nimirum imprimis eam artem oratoriam, quae est Sophistarum et philosophorum potius, quam oratorum forensium. Huc pertinet etiam locus, quem Noster inferius laudaverat, *Cic. Brut.* 9. Phalereus succesit, eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus, quam palaestra, i. e. (intrpr. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. v.) non tam in foro, quam in scholis philosophorum et rhetorum institutus. Cf. etiam *Ellendt.* — Dicitur palaestra etiam de prudentia politica: *Cic. Att.* 5, 13. utemur ea palaestra, quam a te didicimus: nempe significat se curaturum, ut ita se gerat in provincia, ut et provincialibus et publicanis possit satisfacere. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Qui palaestrae dabant operam, non id solum assequebantur, ut luctando adversarium deprimerent, sed etiam ut in aliis actionibus membra decenter et corpus moverent, apteque gestum componerent. *Cic. Or.* 4. Positum sit in primis, sine philosophia non posse effici, quem quaerimus, eloquentem, non ut in ea tamen omnia sit, sed ut sic adjuvet, ut palaestra histrionem. *Id. Or.* 3, 59. et ap. *Quint.* 1, 11. *f.* Omnes hos motus subsequi debet gestus, non hic verba exprimens, scenicus, sed universam rem et sententiam non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hac forti ac virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis, aut etiam a palaestra. ℙ Refertur etiam ad numerum orationis, unde illa decens fit et delectabilis. *Cic. Or.* 56. Numerus oratorius serius aliquanto notatus et cognitus, quasi quandam palaestram, et extrema lineamenta orationi attulit. *Id. ib.* 68. *f.* Ut enim athletas, nec multo secus gladiatores videmus nihil nec vitando facere caute, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palaestram quandam; ut quidquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam, idem ad aspectum etiam sit venustum; sic oratio nec plagam gravem facit, nisi petitio fuit apta; nec satis recte declinat impetum, nisi etiam in cedendo, quid deceat, intelligit. Itaque qualis eorum motus, quos *ἀπαλαιστους* Graeci vocant, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris sententias. ℙ Item universim ad ornatum. *Cic. Leg.* 1, 2. Antipater habuit *(in scribenda historia)* vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra. ℙ Denique sumitur interdum pro loco, in quo disputatur, et exercitationes litterariae agitantur, sicut gymnasium. *Cic. Or.* 1, 21. *extr.* et *ib.* 2, 5. ℙ *Palaestra* fuit etiam filia Mercurii, de qua ita *Lact.* ad *Stat. Th.* 2, 64. Cum aliquando Mercurius somnum caperet, quidam dormienti tetendit insidias, qui conata peregisset, nisi eum filia Palaestra excitasset. Aliam fabulam de Palaestra Mercurii amica habet *Serv.* ad *Virg. A.* 8, 138., in cujus gratiam ipse omne corporis luctamen palaestram vocari jussit.

PALAESTRICE, adv. *παλαιστρικῶς*, more palaestritae. *Cic. opt. gen. Or.* 3. Palaestrice spatiari in xysto iis liceat, non ab Olympiis coronam petant. [*h. e. ut disputationibus potius philosophicis apti sint, quam ut in foro aut in curia oratores excellant et vincant.] ℙ *Palaestricos*, Graeca positione adverbii, dixisse videtur *Afran.* ap. *Non.* 2, 658.

*PALAESTRICOS, adv. *παλαιστρικῶς*, palaestrice, ex usu palaestrae. *Afran.* ap. *Non.* 2, 658. Etiam depellis mihi manum paper (f. *pater*) palaestricos: pro quo *paper papae* legi vult *Junius. B. A.*

PALAESTRICUS, a, um, adj. *παλαιστρικὸς*, ad palaestram pertinens. *Pl. Rud.* 2, 1, 7. Exercitus gymnasticus, et palaestricus. *Cic. Off.* 1, 36. Palaestrici motus saepe sunt odiosiores, [*sc. quia nimis sunt artificiales, *h. e.* adstricti certis temporum intervallis.] *Appul. Apol.* Facies decora, et succi palaestrici plena. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 189. Ephebus palaestricus, *h. e.* Hyacinthus puer disco percussus, dum in palaestra cum Phoebo exercetur. *Quint.* 12, 2. Palaestrici doctores; et 2, 8. Palaestricus magister. ℙ Hinc *palaestricus*, *i*, absolute est is, qui palaestricam exercet, eamque alios docet, idem ac palaestrita. *Id.* 1, 11. Ne illos quidem reprehendendos putem, qui paulum etiam palaestricis vacaverint. Non de his loquor, quibus pars vitae in oleo, pars in vino consumitur; qui corporis cura mentem obruerunt; sed nomen est idem iis, a quibus gestus motusque formantur, ut recta sint brachia, ne indoctae rusticaeve manus, ne status indecorus, ne qua in proferendis pedibus inscitia, ne caput oculique ab alia corporis inclinatione dissideant. [*V. *Spald.*, qui *palaestritis* pro vulg. mavult.] ℙ Ironice *palaestricus* dicitur, qui palaestritis, lucri faciendi causa nimis favet. *Cic. Verr.* 2, 2, 22. Nunquam vos praetorem tam palaestricum vidistis: verum ita palaestritas defendebat, ut ab illis ipse unctior discederet, *h. e.* praetorem ita palaestritarum fautorem, ut ab illis hereditatem per summam injuriam adeuntibus donatus, divitior inde evaderet. ℙ *Palaestrica*, *ae*, f. ars palaestrae. *Quint.* 2, 21. Nec medicina ideo non erit ars, quia unctio et exercitatio cum palaestrica, ciborum vero qualitas etiam cum cocorum ei sit arte communis.

PALAESTRITA, ae, m. *παλαιστρίτης*, qui in palaestra se exercet, et alios palaestram docet. *Mart.* 3, 58. Nec perdit oleum lubricus palaestrita. *Petr. Sat.* 21. Intraverunt palaestritae quamplures, et nos legitimo perfusos oleo refecerunt. *Pers.* 4, 39. Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant, *h. e.* dropacistae. Adde *Cic. Verr.* 2, 2, 14. et 22. et *Mart.* 3, 82.

*PALAESTRIUM, i, n. opp. Macedoniae, de quo *Plin.* 4, 10. *B. A.*

*PALAETYROS vel Palaetyrus, *Παλαίτυρος*, opp. Phoeniciae, prope Tyrum. *Plin.* 5, 19. *B. A.*

PALAM, adv. *φανερῶς*, coram pluribus, ut ait *Ulp. Dig.* 50, 16, 33., manifeste, aperte, in conspectu, in oculis omnium: cui *clam*, *obscure* opponitur. V. CORAM. [**Scheid.* ad *Sanct. Minerv.* p. 234. deducit a Gr. *πάλη*, excussio atque adeo expositio, ut sit *κατὰ πάλην*, ut *Hebr.* נֶגֶד et לְנֶגֶד.] *Cic. Coel.* 9. Palam in eum tela jaciuntur, clam subministrantur. *Id. Verr.* 2, 4, 24. Non per praestigias, sed palam per potestatem totum opp. compilavit. *Liv.* 30, 20. Non perplexe, sed palam revocant. *Pl. Bacch.* 2, 3, 68. Palam atque aperte. *Cic. Or.* 12. Non ex insidiis, sed aperte ac palam elaboratur; et *Acad.* 4, 5. Crassum et Scaevolam auctores legum fuisse, alterum, ut videmus, palam, alterum obscurius; et *Verr.* 2, 4, 22. *f.* Non occulte, sed palam. *Liv.* 44, 34. Nec palam, nec secreto jactare consilia sua. *Cic. N. D.* 2, 63. Bestiae furtim, domini palam et libere frumento fruuntur. [**Tac. A.* 2, 72. haec palam et alia secreto; et *ib.* 4, 1. palam — intus; et *cp.* 71. palam — per occultum. Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac. proleg.* p. 68.] *Cic. Verr.* 2, 2, 33. Quae in foro palam Syracusis, in ore atque in oculis provinciae gesta sunt. *Id. Pis.* 10. Cum arma in templum luce et palam comportarentur. *Id. Off.* 3, 24. Luce palam in foro saltare. [**cf. Suet. Aug.* 32. palam se ferebant, i. e. in conspectu hominum apparebant, grassabantur.] *Pl. Aul.* 4, 9, 18. Oppido ego interii: palam est res. *Cic. Verr.* 2, 5, 26. Palam ante oculos omnium esse. *Id. Att.* 13, 21. Palam factum est; et *Nep. Ann.* 11. Ut palam faceret suis, quo loco Eumenes esset. [**Suet. Caes.* 27. his plane palam — dicebat; nostr. *ganz offen*, *gerad heraus.*] *Ter. Ph.* 1, 3, 17. Palam beatus, ni unum hoc desit, *h. e.* manifesto beatus. *Id. Eun.* 1, 2, 23. Quae vera audivi taceo: sin falsum, aut vanum, aut fictum est, continuo palam est. *Plin.* 10, 70, 89. Pisces audire, palam est. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 279. et quem ibi laudat *Gron.* ad *Liv.* 1, 41. Adde *Brem.* ad *Suet. Tib.* 31. *f.* Qui e communis vitae usu deducendam docet hanc loquendi formulam, altiori sermonis generi parum convenientem.] ℙ Cum ablat. pro *coram:* [*Est poetarum et serioris aevi haec dicendi ratio. V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 321. p. 279. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 149. p. 459. *Ruddim.* 2, 333. *Hor. Ep.* 11, 19. Te palam.] *Liv.* 6, 14. Inde rem creditori palam populo solvit. *Ov. Trist.* 5, 10, 39. et *A. Am.* 2, 519. Meque palam de me tuto mala saepe loquuntur. *Albinov.* 1, 444. Et flevit populo Caesar utrumque palam. [*V. *Ruhnk.*] *Aurel. Vict. Caesar.* 5. Palam senatu. ℙ *Palam facere* et *fieri* praecipue dicitur, cum alicujus mors vulgatur. *Liv.* 1, 41. Cum expirasset Tarquinius, celata morte, suas opes firmavit: tum demum palam facto, etc. *Sen. Tranqu.* 15. Cato incumbens gladio cogitur simul de se, ac de republica palam facere. *Nep. Dion.* 10. Hujus de morte ut palam factum est, mirabiliter vulgi mutata est voluntas. [*V. *Brem.*] (Adde *Suet. Ner.* 8., *Tib.* 22., *Cal.* 6. et *Tit.* 11.) *Cic. in Sen.* 7. *f.* Nondum palam factum erat, occidisse rempublicam, cum tibi arbitria funeris solvebantur.

PALAMEDES, is, m. *Παλαμήδης*, filius Nauplii Euboeae regis, qui Ulyssis fraude a Graecis interfectus fuit. Dicitur cum in bello Trojano et ipse adesset, quatuor Graecas litteras *Θ*, *Ξ*, *Φ*, *X*, observato gruum in volando ordine, invenisse, teste *Plin.* 7, 56, 57. Alii dicunt litteram *Υ* invenisse, alii *Δ*. Hinc *Mart.* 13, 75. Turbabis versus nec littera tota volabit, Unam perdideris si Palamedis avem. ℙ Invenit etiam ex earundem aviem volatu ordinem aciei, item tesseras bellicas, et vigilias. *Plin. l. c.* Item tesseras lusorias, numeros, eorumque figuras, mensuras, et pondera. V. v. sqq.

PALAMEDEUS, a, um, adj. *Παλαμήδειος*, ad Palamedem pertinens. *Manil.* 4, 206. Et Palamedeis certantem viribus ortum, Qui primus numeros rebus, qui nomina summis Imposuit, certumque modum propriasque figuras.

PALAMEDIACUS, a, um, adj. Palamedeus. *Cassiod. Variar.* 8, 31. Palamediaci calculi, *h. e.* calculi lusorii a Palamede inventi.

PALAMEDICUS, a, um, adj. Palamedeus. *Auson. Techn. de monosyllab.* 25. Haec gruis effigies Palamedica porrigitur *Φ*.

*PALAMEDIUM, i, n. Aeolis oppidum, vel fortasse Mysiae. *Plin.* 5, 30. Fuit (i. e. interiit) et Palamedium oppidum. *B. A.*

PALANGAE. V. PHALANGAE.

[PALANTINUS, a, um, adj. ad Palantiam pertinens, Vaccaeorum oppidum in Hispania Tarraconensi, a *Mela* 2, 6. et in *Inscr.* ap. *Mur.* 781, 3. memoratum, nunc *Palencia*. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 4. *n.* 59. Natione Palantinus. Hinc *Palantini. orum*, incolae illius oppidi. *Plin.* 3, 5, 4. Intercatienses, Palantini, Lacobricenses. *F.*]

PALARA, ae, f. avis, de qua *Auct. carm. de Philom.* 11. Dulce palara sonat, quam dicunt nomine drostam. (Sed haec barbariem sapiunt.)

[PALARIACUS, a, um, adj. ad palaria pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 380, 5. Cl. Tertius Palariacus. *F.*]

PALARIS, e, adj. ad palum spectans, ut Palaris silva, ex qua pali sumuntur. *Ulp. Dig.* 7, 1, 9. *f.* Nisi forte salicti ejus, vel silvae palaris, vel arundineti ususfructus sit legatus. ℙ [*Palaria*, *ium*, n. plur. absolute est genus militaris exercitii, quo milites ad palum pugnandi disciplinam ediscunt: item locus talis exercitii, de quo multa habet *Veg. Mil.* 1, 11. et *ib.* 2, 23. *Charis.* 1, 21. Haec palaria, cum milites ad palos exercentur. *F.*]

PALASEA et Plasea, ae, f. pars bovis in sacrificio mactati, una cum cauda resecta, siligine et sanguine delibuta. Haec eadem in mactato sue *offa penita*, in equo Octobri *caviar* dicebatur. *Arnob.* 7, 230.

*PALATHA, ae, f. *παλάθη*, massa proprie ficorum et caricarum, teste *Hesychio.* Utitur hac voce *Vulgat. Judith.* 10, 5. *B. A.*

PALATINUS, a, um, adj. ad Palatium collem pertinens. *Varr. L. L.* 4, 8. *extr.* Palatini pasto-

res. *Virg. A.* 9, 9. Sceptra Palatini, sedemque petit Evandri, *h. e.* qui ex Arcadia profugus in eo colle habitavit. *Ov. Met.* 15, 560. Palatini colles. *Id. Fast.* 5, 152. et *Prop.* 4, 6, 44. Palatinae aves, *h. e.* quae Remo auspicanti in Palatio apparuere. *Prop. ib.* 11. Palatinus Apollo, *h. e.* qui templum in Palatio habuit ab Augusto conditum una cum bibliotheca Graeca et Latina, ut est ap. *Suet. Aug.* 29. Unde *Hor. Ep.* 1, 3, 17. Scripta, Palatinus quaecunque recepit Apollo. *Mart.* 5, 19. Palatini Dei. *Suet. Cal.* 56. ludi, *h. e.* qui in Palatio quotannis celebrabantur per tres dies, instituti a Livia in honorem Augusti. *Mart.* 8, 60. Palatinus colossus, *h. e.* ingens simulacrum CXX pedum effigie Neronis erectus in Palatio, de quo *Suet. Ner.* 31., quod, dempto capite, et Solis reposito, refecit Vespasianus. *Id. Vesp.* 18. ℙ *Palatina* pars urbis ap. *Plin.* 18, 3, 3. est regio Urbis decima, *Palatium* dicta. ℙ *Palatina tribus*, una ex quatuor urbanis, dicta est a Palatio, quod cum foro et Capitolio complectebatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 36, 11. C. Pettius C. F. Pal. Philtatus; et 248, 6. Q. Tamudius Q. F. Palat. Grajus; et 74, 4. L. Licinius L. F. Palatina Sabinus. *Cic. Verr.* 2, 2, 43. C. Claudius C. F. Palatina. *Luc.* ap. *Non.* 6, 82. Calvu' Palatina, vir nobilis, ac bonu' bello. ℙ Saepe refertur ad Caesares, qui domum in Palatio habuere. *Suet. Aug.* 29. Palatina domus. *Id. Cal.* 57. Palatinus atriensis. *Oc. Fast.* 4, 953. Palatina laurus, *h. e.* qua ornabatur janua Palatinae domus, ut est ap. *eund. Trist.* 3, 1, 39. *Mart.* 4, 45. Parthenius Palatinus, *h. e.* qui erat Domitiani cubiculo praepositus. *Suet. Dom.* 17. teste. *Id.* 8, 28. Toga Palatina, *h. e.* qua idem Parthenius Martialem donaverat. *Id.* 9, 40. Palatinus Tonans, *h. e.* Domitianus ipse. *Id.* 5, 5. Sexte, Palatinae cultor facunde Minervae, *h. e.* qui es Domitiani a studiis. *Claud. IV. cons. Hon.* 11. Palatinus senatus, *h. e.* qui imperatori in Palatio adsidet. *Aurel. Vict. Ep.* 14. *f.* et *Trebell. Gall.* 17. Palatina officia, *h. e.* eorum, qui imperatori in Palatio inserviunt. In utroque *Cod. Just.* et *Theod.* est titulus, qui inscribitur *de Palatinis sacrarum largitionum*, qui erant apparitores et ministri comitis sacrarum largitionum, et rerum privatarum. V. JCtos. ℙ Prima syllaba, adjecta altera liquida, producitur. *Mart.* 8, 39. Qui Pallatinae caperet convivia mensae. *Id.* 9, 25. Quis Pallatinos imitatus imagine vultus? *h. e.* Domitiani formam. Adde 9, 80., *ib.* 87., 11, 8. et 13, 91.

PĂLĂTĬO, onis, f. *σταύρωσις, χαρακισμὸς*, defixio palorum, qualis est, qua utimur in fundamentis et substructionibus, ubi solum parum firmum est, defigendo crebros palos, eosque fistucis adigendo, ut iis paries innitatur. *Vitr.* 2, 9. *med.* Alnus in palustribus locis, infra fundamenta aedificiorum, palationibus crebre fixa, sustinet immania pondera structurae.

PĂLĂTĬUM, ii, n. *Monte Palatino, Παλάτιον, Παλλάντιον*, unus ex septem collibus urbis Romae, in quo urbs primum condita est: ita dictus a Palantio, seu Palanteo urbe Arcadiae; vel a Pallante avo Euandri; vel a Pallantia ejusdem matre, quae ibi habitavit; vel a Pallantia filia, ab Hercule vitiata, et postea illic sepulta; vel a Pallante filio, qui a Turno occisus, ibi sepultus fuit; vel a Palante Hyperborei filia, quae ex Hercule ibi Latinum peperit; vel a Palatia uxore Latini, vel a Pale Dea pastorum, aut quod Palatini, qui et Aborigines, ex agro Reatino, qui appellabatur Palatium, ibi consederunt; vel quod ibi pascens pecus balare consueverit, quasi *balantium*, quomodo eum locum *Naevius* appellat: aut quod *palare*, id est *errare* ibi pecudes solerent, quasi *palantium*. Haec ex *Varr. L. L.* 4, 8. *f.*, *Festo*, *Virg. A.* 8, 51. et *Serv. ib.*, *Plin.* 4, 6, 10., item *Solino* 1. et 7. Sed omnia improbat *Scal.* ad *Fest.* et veram esse unam illam notationem, qua ducitur a *παλάντιον*, qua voce Graeci summa juga significant. Prius itaque dictum *palantium*, postea *palatium*. *Tibull.* 2, 5, 25. Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae. *Ov. Fast.* 4, 815. nemorosi saxa Palatl. ℙ *Palatium* nominatur decima regio Urbis Romae, ap. *Varr. L. L.* 8, 9. *f.* quarta, ceterarum antiquissima et nobilissima, quia ibi casa Romuli, et prima exordia Urbis fuere, et quia sub imperatoribus ab Augusto ibi aedes maximae et amplissimae eorum fuere immensis sumptibus, et Romana magnificentia exstructae: unde factum est, ut domus principis palatium vocaretur. *Ov. A. Am.* 3, 119. Quae nunc sub Phoebo, ducibusque Palatia fulgent, Quid nisi araturis pascua bubus erant? *Id. Met.* 1, 176. de regia Jovis: Hic locus est, quem, si verbis audacia detur, Haud timeam magni dixisse palatia coeli. *Appul. Met.* 5. *in.* Ut equidem illud recte videatur ad conversationem humanam magno Jovi fabricatum coeleste palatium. [*Hinc orta sunt vocabula Lingg. recentt. *Il Palazzo; le palais; der Palast* et *die Pfalz.*] ℙ In illo *Juven.* 9, 23. advectae secreta Palatia matris; intellige fanum Cybeles in Palatio, ut est ap. *Liv.* 29, 14. *f.* ℙ Prima syllaba interdum producitur, altera *l* adjecta. [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 412.] *Mart.* 1, 71. Inde sacro veneranda petes Pallatia clivo. *Id.* 9, 102. Asseruit possessa malis Pallatia regnis. Adde *ib.* 43. et 92.

PĂLĂTŪA, ae, f. videtur esse Dea, in cujus tutela Palatium erat. *Varr. L. L.* 6, 3. enumerat cum Volturno, Furina, Flora, Falacro, obscura quae sunt Deorum nomina. Fortasse fuit eadem ac Palatia Latini uxor, de qua in v. praec.

PĂLĂTŪAL. V. PALATUAR.

PĂLĂTŪĂLIS Flamen ad sacrificandum ei Deae constitutus erat, in cujus tutela Palatium esse putabant. *Festus*, et *Varr. L. L.* 6, 3.

PĂLĂTŪAR, sacrificium, quod fiebat Romae in Palatio, feriis Septimontialibus. *Fest.* in *Septimontio.* Al. leg. *Palatual.*

PĂLĂTUM, i, n. raro Palatus, i, m. *οὐρανὸς, ὑπερῴη*, interius et superius oris cavum, in quo gustus est cibi. *Plin.* 11, 37, 65. *extr.* Intellectus saporum est ceteris in prima lingua, homini et in palato. *Cic. Fin.* 2, 8. Nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatus; et *ib.* 10. Voluptatem palato percipere. *Colum.* 8, 16. Docta et erudita palata fastidire docuit fluvialem lupum. *Id.* 10, 110. et torpenti grata palato Intyba. *Varr. R. R.* 3, 3. *med.* Aviaria, quae palatum suave domini paravit. *Id.* ap. *Non.* 3, 152. Suscitare palatum. *Ov. Met.* 15, 141. Dare membra boum palato, *h. e.* vesci. *Hor. Sat.* 2, 8, 38. Fervida subtile exsurdant vina palatum. *Ov. Pont.* 1, 10, 13. Non tamen exacuet torpens sapor ille palatum. *Sen. Consol. ad Helv.* 9. *f.* O miserabiles, quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur! *Favorin.* ap. *Gell.* 15, 8. Superiorem partem avium atque altilium qui edunt, palatum non habent; et *Virg. G.* 3, 388. de ariete: Nigra subest udo tantum cui lingua palato. *Ov. Met.* 6, 306. Ipsa quoque interius cum duro lingua palato Congelat. ℙ Refertur etiam ad loquendum. *Id. Amor.* 2, 6, 47. Nec tamen ignavo stupuerunt verba palato, *h. e.* non tacuit. *Pers.* 1, 35. tenero supplantant verba palato. *Hor. Sat.* 2, 3, 274. cum balba feris annoso verba palato. ℙ [**Palato sentire, judicare* dicitur is, qui ne ipse quidem conscientiam habet judicii, quod fert. *Quint.* 6, 3, 19. Salsum igitur erit, quod non erit insulsum, velut quoddam simplex orationis condimentum, quod sentitur latente judicio, velut palato: ubi v. *Spald.*, qui *Burm.* duce laudat *Cic. N. D.* 2, 18. *extr.* Sed dum (Epicurus) palato quid sit optimum, judicat, etc.] ℙ Translate *palatum coeli* dixit *Enn.* ap. *Cic. N. D.* 2, 18. *extr.*, quia palati cavitatem refert quodammodo: et apud Graecos vox una *οὐρανὸς* et coelum, et palatum significat, ut affirmat *August. C. D.* 7, 8. [*V. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.]

PĂLĂTUS, a, um, part. a *palo:* palis munitus. *Colum.* 11, 2. *med.* Vineae, quae sunt palatae et ligatae, recte jam fodiuntur. ℙ Item palans, dispersus. *Liv.* 8, 24. Contrahens suos ex fuga palatos. *Id.* 35, 51. Repente Menippus palatos passim aggressus eos cecidit. *Id.* 22, 17. In quosdam boves, palatos ab suis gregibus, inciderunt. Adde 3, 5.

PĂLĔ, es, f. *πάλη*, lucta, palaestra: vox Graeca. *Stat. Ach.* 2, 439. Oebalios in nubila condere discos, Et liquidam nodare (al. *nudare*) palen, et spargere caestus. *Id. Th.* 6, 829. sed corde labores Ante alios erat uncta pale sic otia Martis Degere, etc. *Sidon. carm.* 23, 302. Cannas, plectra, jocos, palem, rudentem. *Id. ep.* 9, 13. in *carm.* Bimari remittat urbe Thymelen, palenque doctas Citharistrias Corinthus. ℙ [**Pale*, oppidum. V. PALENSES.]

PĂLĔA, ae, f. *ἄχυρον*, stipula, et folia minutiora in culmo, et circa grana frumenti, et hujusmodi. V. CULMUS. *Varr. R. R.* 1, 50. ducit a *palam*, quod corbibus in locum apertum, *h. e.* in aream, deferatur: alii rectius a *πάλλω*, moveo, vibro. *Colum.* 2, 9. *med.* Ubi paleis vestita sunt frumenta, vento separentur. *Id.* 6, 3. Minus commode tuemur armentum paleis: eae probantur maxime ex milio, tum ex hordeo, mox etiam ex tritico. *Id.* 7, 3. *med.* Necessariae tamen, ubi cetera defecerunt, etiam ex leguminibus paleae. *Plin.* 18, 30, 72. Palea plures gentium pro foeno utuntur. Melior ea, quae tenuior minutiorque, et pulveri propior: et ideo optima e milio, proxima ex hordeo, pessima ex tritico, praeterquam jumentis opere laborantibus. *Virg. G.* 3, 134. Surgentem ad Zephyrum paleae jactantur inanes. ℙ Item cartilago illa rubens, quae de collo galli gallinacei dependet, *χάλλαιον*. *Varr. R. R.* 3, 9. Gallos animadvertunt, si sint rubenti lingua, rostro brevi, palea rubra subalbicanti. *Colum.* 8, 2. *med.* Paleae ex rutilo albicantes, quae velut incanae barbae dependent. ℙ *Palea aeris*, aeris excocti levior pars, v. gr. ramenta, micae. *Plin.* 34, 13, 36. V. SPEGMA.

PĂLĔĂLIS, e, adj. palearis, ut *Palealis uva* ap. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37. *med.* et *ib.* 3, 21. est in palea condita, et servata.

PĂLĔAR, aris, n. pellis dependens ex gutture boum: ita dicta, quia gallinaceorum paleae similis quodammodo est. Fere adhibetur in plurali. *Virg. G.* 3, 53. Et crurum tenus a mento palearia pendent. *Varr. R. R.* 2, 5. Cervicibus crassis ac longis, a collo palearibus demissis. *Ov. Met.* 7, 117. palearia pendula. Adde *Colum.* 6, 1., *Plin.* 8, 45, 70., ubi narrat, Syriacis bubus non adesse, et *Stat. Th.* 3, 332. ℙ In sing. num. *Sen. Hippol.* 1044. de tauro marino: Musco tenaci pectus ac palear viret. ℙ Per synecdochen sumitur pro ipso gutture, aut rumine. *Calpurn. Ecl.* 3, 17. de tauro: Et matutinas revocat palearibus herbas.

PĂLĔĂRIS, e, adj. ex palea. *Venant. Vit. S. Mart.* 3, 284. Immanemque hostem palearis arista removit.

PĂLĔĂRĬUM, ii, n. *ἀχυρών*, locus in quo reconditur, et asservatur palea. *Colum.* 1, 6. Pars villae fructuaria dividitur in cellam oleariam, vinariam, foenilia, palearíaque, et apothecas, et horrea, etc.

PĂLĔĂTUS, a, um, adj. palea mixtus, ut Paleatum lutum, ap. *Colum.* 5, 6. *med.*, 12, 43. et 44. et *Arbor.* 8. et 26. et *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 4.

[PĂLENSES, ium, m. plur. *Παλεῖς*, incolae Pales, urbis in insula Cephalenia, quae *πόλις Παλέων* dicitur in *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 3. *n.* 85. nunc *Pallichi. Liv.* 38, 28. Vicenos *(obsides)* Nesiotae, Cranii, Palenses, et Samaei dedere. *F.* ℙ *Παλλεῖς* sunt *Thucyd.*, *Παλεῖς* Pausaniae. *B. A.*]

PĂLES, is, f. Dea pastorum et pabuli, et pecoris, quam alii Vestam, alii matrem Deum vocant. Hanc Virgilius genere femin. appellat, alii, inter quos Varro, mascul. Huic sacra solvuntur XI. cal. Maj. quae dies Palilia vocantur. Haec *Serv.* ad *G.* 3, 1. *Virg. Ecl.* 5, 35. Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo. Ubi *Serv.:* Dea pabulorum, Dea pastoralis. Apollo: hic Apollinem dicit *νόμιον*, idest pastoralem: nam Admeto regi pavit armenta. Et hoc dicit, nec pabula nascentur, nec pecora. *Tibull.* 1, 1, 14. Et placidam soleo spargere lacte Palem. *Id.* 2, 5, 28. Et facta agresti lignea falce Pales. *Ov. Fast.* 4, 746. Silvicolam tepido lacte precare Palem; et *ib.* 775. et nos faciamus ad annum Pastorum dominae grandia liba Pali; et 820. Sacra Palis suberant: inde movetur opus. *Arnob.* 3, 113. Armentorum et pecorum gregibus Pales praesunt, Inuusque custodes. *Calpurn. Ecl.* 7, 22. Aut fecunda Pales, aut pastoralis Apollo. ℙ Fuit etiam Pales Deus masculus, de quo *Arnob. ib.* p. 123. Caesius Penates Deos esse Fortunam arbitratur, et Cererem, Genium Jovialem, et Palem, sed non illam feminam, quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis, ministrum Jovis ac villicum. *Capell.* 1, 16. Vos quoque Jovis filii Pales, et Favor, cum Celeritate Solis filia ex sexta *(regione coeli)* poscimini; et *mox:* Sed etiam Liber ac Secundanus Pales vocatur ex septima.

PĂLESTĬNUS. V. PALAESTINUS.

*PALIBOTHRA. V. v. sq. *B. A.*

*PALIBOTHRI vel Palibotri, orum, populi Indiae. *Plin.* 6, 19. *Mela* 3, 7. ℙ Dicti et Prasii. *Plin. ib.* ℙ Eorum urbs Palibothra. *Id. ib. B. A.*

[PĂLĪCĂNUS et Palikanus, i, m. cogn. R. in gente Lollia, quod a Pelica, Siciliae urbe ad fontem et locum Palicorum, derivatum fuisse apparet. Q. enim et M. Lolliorum equitum R. ex Sicilia meminit *Cic. Verr.* 2, 3, 25. *Id. Att.* 1, 1. et *ib.* 18. M. Lollium Palicanum, de quo etiam loquitur *Val. Max.* 3, 8. *n.* 3. In nummo G. Lolliae ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 237. L. Lollius Palikanus. *F.*]

PĂLĪCUS, i, m. *Παλικός*. Palici dicti sunt fratres gemini, Jovis filii, et Thaliae Nymphae, sive Aetnae, ut alii volunt. Tradunt hanc Nympham a Jove in Sicilia, juxta Symaethum fluvium non longe a Catina urbe, compressam, metu Junonis optasse, ut sibi terra dehisceret, et ita factum esse: sed cum tempus maturitatis infantium, quos alvo gestaverat, advenisset, rursus terram hiasse, duosque infantes de alvo Nymphae progressos emersisse. Appellati sunt Palici, vel quod *πάλιν*, idest rursus hiante terra emersissent, vel a *πάλιν ἥκειν*, quoniam prius in terram mersi, denuo inde reversi sunt. Nec longe inde breves lacus sunt, sed mirae profunditatis, quos incolae Crateras vocant, et Dellos, fratresque Palicorum olim existimabant, et habebantur in cultu maximo propter jusjurandum, quo si quis eo accedens fefellisset, mox in lacu vitam amittebat. Magna praeterea in veneratione erat Palicorum templum, quia cum Siciliam sterilis annus arefecisset, divino Palicorum responso admoniti Siculi certum sacrificium fecerunt, quo peracto, statim ubertas reversa est. Quapropter Siculi omne genus frugum congesserunt in ara Palicorum, quae ob id pinguis vocitata est. Haec *Macr. Sat.* 5, 19. quae, paucis additis (ut quod a *Varr.* Dii nautici appellentur, et quod olim iis humana hostia fieret) confirmat *Serv.* ad illud *A.* 9, 584. Symaethia circum Flumina, pinguis ubi, et placabilis ara Palici. *Ov. Met.* 5, 406. Perque lacus altos, et olentia sulfure fertur Stagna Palicorum. *Sil.* 14, 219. Et qui praesenti domitant perjura Palici Pectora supplicio. *Stat. Th.* 12, 155.

immites citius Busiridos aras, Odrysiique famem stabuli? Siculosque licebit Exorare Deos.

PĂLĪLĬĂ, ium, n. plur. Palis Deae festum, quod a pastoribus celebrabatur XI. cal. Maj., qui dies natalis est urbis Romae, quae a pastoribus condita est. Eo die lustrabantur in Urbe, et in agris homines et pecora suffimento e sanguine equino, cineribus vituli, stipulis fabalibus, sulfure, etc. lac, sapam, milium Pali offerebantur, et accendebatur ignis acervo foeni et stipulae, eamque flammam pastores transiliebant: quos ritus, eorumque originem et causas fuse persequitur *Ov. Fast.* 4, 721. et sqq. Tangunt etiam *Varr. L. L.* 5, 3., *Tibull.* 2, 5, 89., *Prop.* 4, 1, 19. et *ib.* 4, 75. et *Serv.* ad *G.* 3. *in.* et *Festus. Cic. Div.* 2, 47. Urbis etiam nostrae natalem diem repetebat ab iis Palilibus, quibus eam a Romulo conditam accepimus. ℙ Ad morem accendendi foenum et stipulas respicit *Pers.* 1, 72. Et focus, et porci, et fumosa Palilia foeno. ℙ Legitur et *Parilia* tum ap. *Festum*, ita poscente serie litterarum, cum sit post Parici; tum ap. *Plin.*, ita exhibentibus MSS. 19, 5, 24. et 18, 25, 66. teste *Hard.* Ita habetur etiam in plerisque lib. ap. *Ov. l. sup. c.*, ut *Heins.* observavit. Sic ap. *Varr. R. R.* 2, 1. et in vet. Calendar. ap. *Grut.* 133. Ex grammaticis sunt, qui omnino ita docent scribi oportere. *Val. Prob.* ad *G.* 3. *in.* Pales Dea est pastorum, cui diem sacrum appellant Parilia, transposita littera, quae si suo loco esset, Palilia potius dicerentur. *Mar. Victor.* 1, 2470. Parilia dicuntur, non Palilia; non a Pale Dea, sed quod eo tempore omnia sata arboresque, et herbae parturiant, pariantque. Alii quoque ap. *Fest.* in *Pales* ducunt a *partu* pecoris: alii ap. *Charis.* 1, 43. a partu Iliae: Nihilominus et *Palilia* optime scribitur.

PĂLĬLĬCĬUM, ii, n. *λαμπαδίας*, stella ingens in capite Tauri, una Hyadum: a Palilibus, quia cum sidus sit natura pluvium, tamen XI. Cal. Maji, quo Romae Palilia celebrabantur, serenitatem adducere soleat. *Plin.* 18, 26, 66. *n.* 1. Hoc est vulgo appellatum sidus Palilicium, quoniam XI. Cal. Maji urbis Romae natalis, quo fere serenitas redditur, claritatem observationi dedit, etc. *Hard.* notat, in MSS. *Parilicium* legi. V. v. praec.

PĂLĬLIS, e, adj. ad Palem pertinens. *Ov. Fast.* 4, 798. Hoc argumenti flamma Palilis habet, *h. e.* quae ex foeno et stipula Palilibus accendi solet.

PĂLĬLŌGĬĂ, ae, f. *παλιλογία*, figura, qua idem bis dicitur: ut *Virg. A.* 3, 237. et scuta latentia condunt. *Sil.* 9, 99. sepulcro Aetoli condit membra occultata Thoantis. *Capell.* 5, 174. Palilogia, iteratio. Haec figura repetito verbo aut nomine non diversa vult intelligi, sed vehementius repetita significat, ut est: Nos, nos, dico aperte, nos consules desumus

PĂLĪMBACCHĪUS, ii, m. *παλιμβάκχειος*, idem ac antibacchius, genus pedis ex prima, et secunda longis, et ultima brevi, ut *Augustus. Quint.* 9, 4. *med.*, *Diomed.* 2, 461. et 476.

PĂLĪMPISSĂ, ae, f. *παλίμπισσα*, pix liquida iterum decocta, et inspissata: a *πάλιν*, rursus, et *πίσσα*, pix. *Plin.* 24, 7, 24. Quidam iterum decoquunt, et vocant palimpissam.

PĂLĪMPSESTUS, i, m. *παλίμψηστος, παλίψηστος*, membrana, vel charta iterum abstersa spongia, ut in ea scribi pluries possit: a *πάλιν*, rursum, et *ψάω*, abstergo. *Cic. Fam.* 7, 18. Nam quod in palimpsesto, laudo equidem parsimoniam, sed miror, quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, nisi forte tuas formulas. *Catull.* 22, 3. Idemque longe plurimos facit versus. Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto Relata; chartae regiae, novi libri, Novi umbilici, etc. V. DELETICIUS. ℙ Legitur et *palinxestus*, a *ξέω*, rado.

PĂLĪNŌDĬĂ, ae, f. *παλινῳδία*, contrarius cantus, recantatio, retractatio: a *παλινῳδέω*, quod est recantare, retractare, diversa superioribus sentire, et, quod semel dictum est, revocare. Graece usurpat *Cic. Att.* 2, 9. et *ib.* 4, 5. et *ib.* 7, 7. ℙ Hinc *palinodiam canere* est, contraria iis, quae prius diximus, affirmare. *Macr. Sat.* 7, 5. Nec abnego, potuisse me quoque tanquam palinodiam canere. ℙ Est etiam cantio quaedam, quae saepe repetitur. *Ammian.* 18, 5. Cohors palinodiam in exitium concinens nostrum.

[PALĪONENSES, ium, m. plur. incolae urbis mediterraneae in Apulia Peucetiorum, cui nomen fuit Palio, nunc *Palo. Plin.* 3, 11, 16. Grumestini, Norbanenses, Paltonenses (lege *Palionenses*). *F.*]

PĂLĪTANS, antis, part. ab inus. *palito:* errabundus, errans, vagans, frequent. a *palans. Pl. Bacch.* 5, 2, 4. Pastor harum *(ovium)* dormit, cum hae eunt sic a pecu palitantes.

PĂLĪNŪRUS, i, m. *Παλίνουρος*, gubernator classis Aeneae, qui dormiens e navi in mare decidit, et submersus est, in ora Lucaniae. *Virg. A.* 5, 854. et sqq. ℙ Latine sonat iterum mejens, ex *πάλιν*, rursus, et *οὐρεῖν*, mejere. Lusit in hac voce *Mart.* 3, 78. Minxisti currente semel, Paulline, carina: Mejere vis iterum, jam Palinurus eris. ℙ A Palinuro datum est nomen promontorio Lucaniae, in ora maris Tyrrheni, quod nunc *Paliuro* dicitur, et *capo di Palinuro. Lucan.* 9, 42.

PĂLĬŪRĂEUS, a, um, adj. qui paliuro abundat. *Fulg. Myth.* 1. *in.* Paliuraea prata incedente premere planta.

PĂLĬŪRUS, i, m. *παλίουρος*, frutex spinosus et asper. *Plin.* 24, 13, 71. et 16, 30, 53. *Virg. Ecl.* 5, 39. Carduus, et spinis surgit paliurus acutis.

PALLA, ae, f. *περίβλημα, πέπλος, χλαῖνα*, vestis, exterior talaris, ampla, et fluens, propria honestarum feminarum, ut ait *Non.* 14, 7., species togae, aut pallii muliebris: unde *tunicopallium* ab eo *ib.* vocatur, a *Serv.* ad *A.* 1, 652. ab *Schol.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 99., quod a *Polluce Onom.* 7, 13. *ξυστὶς ἔνδομά τε, καὶ περίβλημα, καὶ χιτών* appellatur. Hujus figuram et descriptionem habes in *Mus. Borbon. Neap.* T. 2. *tab.* 4. p. 2. Ducit *Varr.* a palam. Sic enim habet *L. L.* 4, 39. Alterius generis item duo: alterum, quod foris ac palam, palla: alterum quod intus, a quo intusium. *Id.* autem ap. *Serv. l. c.* rectius dixit *ἀπὸ τοῦ πάλλειν*, vibrare, ab irrugatione, et mobilitate, quae est in fine hujusmodi vestium, et pedibus in incedendo vibrari, et jactari solet. Unde *Sidon. carm.* 15, 15. habitum Palladis describens: tegit extima limo Circite palla pedes, qui cum sub veste moventur, Crispato rigidae crepitant in syrmate rugae. *Virg. A.* 11, 576. Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae, Tigridis exuviae per dorsum a vertice pendent. *Ov. Amor.* 3, 13, 26. Et tegit auratos palla superba pedes. *Mart.* 11, 104. ad uxorem: Fascia te tunicaeque tegunt, obscuraque palla. *Varr.* ap. *Non.* 16, 13. Funere ipso pullis pallis amictae. ℙ Ejus formam ita describit *Appul.* in Lunae specie sibi apparente *Met.* 11. *in.* Palla nigerrima, splendescens atro nitore, quae circumcirca remeans, et sub dextrum latus ad humerum laevum recurrens umbonis vice, dejecta parte laciniae multiplici contabulatione dependula ad ultimas oras nodulis fimbriarum decoriter confluctuabat. ℙ Poetae pro sua libertate etiam viris tribuunt, iis praesertim, quos ample, magnifice, et decore indutos describere volunt. Hinc tribuitur Tragoediae ab *Ov. Amor.* 2, 18, 15. et *ib.* 3, 1, 12. (Quo pertinet illud *Hor. A. P.* 278. personae, pallaeque repertor honestae Aeschylus: sc. actores traegoediarum suarum personatos, et talari gravique veste amictos induxit.) Vatibus a *Val. Fl.* 1, 385., Osiridi a *Tibull.* 1, 8, 46., Citharoedis ab *Auct. ad Her.* 4, 47., Arioni ab *Ov. Fast.* 2, 107. et Phoebo *Met.* 11, 166. et *Amor.* 1, 8, 59. et a *Tibull.* 3, 4, 35., Deae Concordiae a *Petr. Sat.* 124., Polynici regi Thebano a *Stat. Th.* 12, 312. Iasoni ductori Argonautarum a *Val. Fl.* 3, 718., Baccho a *Stat. Achill.* 1, 262. Bacchus autem veste fluenti libenter utitur. V. *Prop.* 3, 15, 32. et *Sen. Oed.* 425. Boreas quoque ap. *Ov. Met.* 6, 705. Pulvereamque trahens per summa cacumina pallam, Verrit humum. Sed haec est species poetica subjiciens oculis venti furentis impetum cuncta perflantem. ℙ Etiam Furias, et turpes feminas, ut Canidiam, *Hor. Sat.* 1, 8, 23. et Tisiphonem *Ov. Met.* 4, 481. et *Val. Fl.* 2. 106. palla amictas faciunt. ℙ Videtur etiam dici de veste interiori, cui alia superinduitur. *Auct. ad Her.* 4, 47. Ut citharoedus cum prodierit optime vestitus palla inaurata indutus cum chlamide purpurea. [*V. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Ov. Met.* 14, 261. de Circe: pulcro sedet illa recessu Sublimis solio, pallamque induta rigentem, insuper aurato circumvelatur amictu. Verius tamen est his locis *pallam* non proprie accipi, sed pro tunica talari, et fluxa. Unde *Appul. Flor. n.* 15. citharoedum inducit tunica variegata deorsum ad pedes usque amictum; et *Varr. R. R.* 3, 13. citharoedum item stola et cithara instructum facit. Ex quibus fit, pallam, tunicam, stolam interdum usurpari promiscue, praesertim a poetis. Quin de veste breviori, tunicae simili *Val. Fl.* 3, 525. describens habitum Nympharum venantium: levis omnibus arcus, Et manicae virides, et stricta myrtus habena, Summo palla genu. *Mart.* 1, 93. Dimidiasque nates Gallica palla tegit. Etiam *Stat. Th.* 7, 39. Mercurio pallam tribuens breviorem vestem intelligere videtur. ℙ Pro fascia male quidam intelligunt illud *Sen. Troad.* 91. Cingat tunicas palla solutas; et *Hor. Sat.* 1, 2, 99. Ad talos stola demissa, et circumdata palla Plurima. Est enim his locis *palla* proprie dicta, quae vestem interiorem ambit, et cingit quodammodo; *plurima* vero dicitur ab *Hor.*, quia laxa est, et fluens, et rugis abundans. Plura volenti consulendi sunt *Ruben.*, *Ferrar.*, *Bayf.*, *Salmas.*, qui data opera haec tractavere; ac praecipue *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 1. p. 105. et sqq. *ed. Mediol.* ℙ Pro aulaeo. *Gloss. Philox. περιπέτασμα*, velum, palla. *Sen. Ira* 3, 22. Duo manipulares incumbentes regio tabernaculo, de rege suo male existimabant. Audierat Antigonus, utpote cum inter dicentes et audientem palla interesset: quam ille leviter commovit, et, Longius, inquit, discedite, ne vos rex audiat. ℙ *Pallas inter pecus*, proverbium est ap. *Cic. de rep.* (ed. *A. Maio*) 4, 4. Lacedaemonii ipsi cum omnia concedunt in amore juvenum, praeter stuprum, tenui sane muro dissaepiunt id, quod excipiunt: complexus enim, concubitusque permittunt: pallas inter pecus, *h. e.* inter juvenes, qui ut pecus lascivientes sunt, si quis pallas objicere velit, insanus videatur. V. *ejusd.* annotata *ib.* [*Plura adjecit *F.*]

PALLĂCĂ, ae, f. *παλλακή*, Graeca vox idem quod Latine *pellex* significans. *Suet. Vesp.* 21. Accubante aliqua pallacarum. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 12. Dilectam sibi ex pallacis suis nomine Campaspen. ℙ Quidam ita distinguunt, ut pellex sit habentis uxorem, pallaca non habentis. Sane tum Vespasianus, de quo *Suet.*, tum Alexander M., de quo *Plin.*, videntur justa uxore caruisse, cum haec de iis scriberentur.

PALLĂCĂNĂ. V. GETHYUM.

PALLĂDĬĂNUS, a, um, adj. ad Palladium pertinens. *Inscr.* ap. *Mur.* 1013, 5. Custodiola Palladiana. Alia ap. *Donat.* 344, 2. Studium Palladianum, *h. e.* schola Palladi, seu Minervae dedicata. *F.*]

PALLĂDĬUM, ii, n. *Παλλάδιον*, dimin. a *Παλλάς*, quo generatim significatur quodvis parvum Palladis simulacrum: sed per excellentiam sic vocatum est id, quod regnante Ilo, Priami avo, in Ilium coelitus cecidit eo tempore, quo arx templumque ejus Deae aedificabatur, et in templo nondum tecto sibi locum delegit. Quae res cum omnibus maximo esset miraculo, Apollo consultus respondit, tamdiu urbem incolumem fore, quamdiu simulacrum illud intra moenia servaretur. Itaque tempore belli illius, quod communibus viribus Graecia tota adversus Trojanos gessit, cum alia spes capiendae Trojae non esset, nisi prius sublato Palladio, datum negotium est Ulyssi et Diomedi, ut per cloacas in arcem ascenderent, ac fatale Minervae simulacrum auferrent. Quo facto, urbem tutelari Palladis numine spoliatam, infirmam, captuque non admodum difficilem reddiderunt. Tandem a Graecis Romam pervenit, ubi collocatum est in aede Vestae, qua flagrante, a Metello ex incendio est ereptum, ut *Plin.* 7, 43, 45. narrat. *Virg. A.* 2, 165. Fatale aggressi sacrato avellere templo Palladium, caesis summae custodibus arcis. V. ibi *Serv.* et ad v. 227. ℙ Etiam Romanis pro pignore imperii habebatur. V. ANCILE. ℙ Graeca positione est *Palladion. Lucr.* 4, 1153. Nigra, Melichrus est; immunda et foetida, acosmos; Caesia, Palladion.

PALLĂDĬUS, a, um, adj. *Παλλάδιος*, ad Palladem pertinens. *Ov. Trist.* 1, 10, 12. Palladium numen. *Lucan.* 7, 570. Palladia aegis. *Virg. G.* 2, 181. Palladia gaudent silva vivacis olivae. Sic *Sil.* 1, 238. Palladia arbor, *h. e.* olea; et 3, 405. et *Virg. A.* 7, 154. Palladii rami. *Sil.* 6, 648. agri. *Ov. Met.* 8, 275. latices, *h. e.* oleum. Pallas enim oleae, et olei inventrix et monstratrix fuit. *Id. A. Am.* 1, 727. Palladia corona, *h. e.* quae dabatur ex olea vel oleastro in publicis ludorum certaminibus. V. OLEAGINEUS. *Prop.* 3, 7, 42. arx, *h. e.* Trojae, ubi Pallas colebatur. *Val. Fl.* 1, 457. et 8, 463. pinus, *h. e.* navis Argo Pallade magistra constructa. (V. *cit.* 1, 477. et *Phaedr.* 4, 6. et *Sen. Med.* 365.) Rursus *Id.* 6, 408. Palladii metus, *h. e.* a Pallade incussi. *Id.* 7, 624. angues, *h. e.* qui sunt circa caput Medusae, quod Pallas gestat. Al. leg. *ignes*, h. e. quibus Pallade monstrante, ut est ap. *Hyg. fab.* 30. Hercules Hydram vicit: quod et *Sen. Herc. Fur.* 242. dicit. *Ov. Met.* 7, 399. et *Sen. Hippol.* 260. Palladiae arces, *h. e.* Athenae, quae sub tutela Palladis. *Ov. Her.* 17, 133. Palladii honores, *h. e.* a Pallade oblati. *Sen. Herc. Oet.* 563. Palladia colus, *h. e.* a Pallade inventa, una cum arte texendi. *Mart.* 1, 3. Palladium forum, *h. e.* Romanum, ita dictum, quia ibi fuit Minervae templum, ut patet ex *Sex. Rufo de region. Urb. R.* Rursus *Id.* 5, 1. Palladia Alba, *h. e.* quia in monte Albano quotannis Quinquatria celebrabantur a Domitiano in honorem Palladis, ut *Suet. Dom.* 4. narrat. *Id.* 9, 100. Tolosa Palladia, *h. e.* quia in ea urbe florebant litterae, quarum praeses est Pallas. ℙ Universim quodcumque opus ingeniosum, et singularis artificii, Palladi adscribitur, tanquam artium inventrici. *Stat. Silv.* 1, 1, 5. An te Palladiae talem, Germanice, nobis Effinxere manus? *Mart.* 6, 13. Vel quis Palladiae non putet artis opus! *Id.* 8, 51. Palladius tenero lotos ab ore sonat, *h. e.* tibia e loto a Pallade inventa, ut *Hyg. fab.* 165. docet.

PALLĂDĬUS, ii, m. Palladius Rutilius Taurus Aemilianus, patria Romanus, ut creditur, cujus exstant libri quatuordecim de re rustica non inelegantes, scripsit post Appulejum, quo tamen Latinior multo est, et a novandarum vocum cacoethe magis abhorrens.

PALLANTĒUM, i, n. oppidum Italiae, in monte Palatino, conditum ab Euandro, ubi postea Roma aedificata est, quod posteriores Palatium dixere. *Virg. A.* 8, 54. et 341. Fuerat in Arcadia hoc nomine oppidum a proavo Euandri conditum. *Just.* 13, 1.

PALLANTĒUS, a, um, adj. ad Pallanteum pertinens. *Virg. A.* 9, 196. et 241. ad muros et moenia Pallantea. *Claud. VI. cons. Honor.* 644. Pal-

lanteus apex, *h. e.* collis Palatinus, in quo fuit Pallanteum.

PALLANTĬAS, ădis, f. Tritonis palus, *Παλλαντιάς*, palus in Africa, ad Tritonem fluvium, non procul ab Aris Philaenorum. Circa hanc paludem Palladem primum apparuisse ferunt: unde ex ea natam fuisse incolae crediderunt. *Plin.* 5, 4, 4., *Mela* 1, 7. et *Serv.* ad *A.* 2, 171. ℙ Item Aurora, ita dicta quia soror patruelis est Pallantis gigantis. Nam Pallas filius est Crei, *τοῦ Κρείου*, Aurora filia est Hyperionis: Hyperion, et Creus fratres sunt, Coelo et Terra geniti, ut est ap. *Hesiod. in Θεογον. v.* 134. V. etiam *v.* 371. et sq. *Ov. Fast.* 4, 373. Postera cum coelo motis Pallantias astris Fulserit. Adde *Met.* 9, 420. et *ib.* 15, 191.

PALLANTĬS, ĭdis, et idos, f. Aurora, quae et Pallantias. V. in v. praec. *Ov. Met.* 15, 700. sexto Pallantidos ortu Italiam tenuit, *h. e.* sexto die. Sic *Fast.* 6, 567. Pallantide caesus eadem.

PALLANTĬUS, a, um, adj. ad Pallantem aliquem pertinens. *Pallantius heros* ap. *Ov. Fast.* 5, 647. est Euander, nepos, vel pronepos Pallantis regis Arcadiae.

[PALLĀRIS, e, adj. ad pallam pertinens. *Not. Tir.* p. 157. Palla, pallaris. *F.*]

PALLAS, ădis, et ădos, f. *Παλλάς*, Graecum nomen ejus Deae, quae Latino Minerva appellatur. Quidam ducunt a *πάλλω*, vibro, quod hastam teneat ac vibret: est enim bellicum numen. *Festus* dictam putat ab eo, quod Pallantem gigantа (patrem suum, vim ei inferentem, ut est ap *Cic. N. D.* 3, 23.) interfecerit; vel quod in Pallante Africae palude nata sit. Descriptionem habitus ejus habes ap. *Sidon. carm.* 15. *in.* Alia ad eam pertinentia V. in MINERVA. *Hor. Od.* 1, 12, 19. Proximos illi *(Jovi)* tamen occupavit Pallas honores, Proeliis audax. *Ov. Fast.* 2, 89. Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix, *h. e.* cum noctua. *Id. A. Am.* 2, 518. Caerula quot baccas Pallados arbor habet, *h. e.* olea. *Id. Fast.* 3, 815. Pallada nunc pueri, teneraeque ornate puellae: Qui bene placarit Pallada, tutus erit; et 823. invita Pallade, *h. e.* invita Minerva. *Id. Met.* 13, 99. Priamidenque Helenum rapta cum Pallade captum, *h. e.* Palladio. Sic *Trist.* 3, 1, 29. Hic focus est Vestae, qui Pallada servat, et ignem. V. PALLADIUM. ℙ Metonymice est oleum, ut Ceres panis, Bacchus vinum. *Ov. Trist.* 4, 5, 3. Cujus ab alloquiis anima haec moribunda revixit, Ut vigil infusa Pallade flamma solet. Adde *Her.* 19, 44. ℙ Pallas pro Vesta, quia signum Palladis, Palladium dictum, in aede Vestae fuit, ut *Ov. Trist.* 3, 1, 29. docet. *Prop.* 4, 4, 45. Pallados exstinctos si quis mirabitur ignes, etc. ℙ *Pallas* est appellatus numerus septenarius. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. Huic autem numero, id est septenario, adeo opinio virginitatis inolevit, ut Pallas quoque vocitetur. Nam virgo creditur, quia nullum ex se parit numerum duplicatus, qui intra denarium coarctetur, quem primum limitem constat esse numerorum. Adde *Capell.* 7, 241. ℙ *Pallas i. q. templum Palladis. *Ov. Trist.* 2, 293. Pallade conspecta. Sic saltem interpretatur *Schellerus* in Lexico. Sed potest idem valere quod Palladium; quod facilius. *B. A.*

PALLAS, antis, m. *Πάλλας*, filius Pandionis, qui genuit Clyton, Buten, et Minervam quintam, cui cum vim inferret, ab ipsa est interemptus. *Cic. N. D.* 3, 23. et *Ov. Met.* 7, 500. ℙ Item filius Crei, nepos Coeli et Terrae, unus e Titanibus, Aurorae frater patruelis. V. PALLANTIAS. Hic ponitur a *Claud. Gigantom.* 94. inter Gigantas, quia hi cum Titanibus saepe confunduntur. Etiam *Fest.* in *Pallas* hunc Gigantem vocat. ℙ Item rex Arcadiae, avus Euandri vel proavus. *Virg. A.* 8, 54. et ibi *Serv.* ℙ Denique Euandri filius a Turno occisus. *Virg. ib.* 8, 104. Pallas huic filius una, Una omnes juvenum primi, pauperque senatus. ℙ In vocativo habet *Palla* ap. *Virg. ib.* 10, 411. et al. Potest tamen et *Pallan*, et *Pallas* dici, ut *Prisc.* monet 6, 702. ℙ *Fuit et Pallas Claudii libertus, nimium potens. *Tac. A.* 12, 53. et 14, 65. *Plin. alter ep.* 7, 29. et 8, 6. ℙ Item nobilis Atheniensis, cujus filii Clytus atque Butes, pater Pandion. *Ov. Met.* 7, 500 et 666. *B. A.*

PALLĀTĪNUS. V. PALATINUS.

PALLENAEUS, a, um, adj. *Παλληναῖος*, ad Pallenen pertinens. *Stat. Silv.* 4, 2, 56. Et Pallenaeos Phoebum laudare triumphos. *Lucan.* 7, 150. Pallenaea Jovi mutavit fulmina Cyclops, *h. e.* quibus Juppiter Gigantes perculit. V. v. sq.

PALLENE, es, f. *Παλλήνη*, oppidum Macedoniae in paeninsula, ad sinum Thermaicum, et Toronaicum, prope Phlegram, imo eadem cum Phlegra secundum quosdam. Ea in regione bellum cum Diis a Gigantibus initum fuisse, tradunt fabulae. *Plin.* 4, 10, 17. *Val. Fl.* 2, 17. et *Sen. Herc. Fur.* 979. ℙ Ipsa quoque paeninsula eodem vocatur nomine. *Mela* 2, 2. *f.* ℙ *Item opp. Arcadiae. *Plin.* 4, 6. ed. *Hard.* ubi ed. *Elz.* habet *Pellana.* Vulgo legitur *Pellene.* ℙ Fuit et Achaiae opp. sic dictum, quod tamen rectius *Pellene* dicitur. V. PELLENE. ℙ Notandus locus *Schol.* ad *Apollon.* 1, 177. *Ἡ Ἀχαϊκὴ Πελλήνη διὰ τοῦ Ε· ἡ δὲ ἑτέρα, ἡ τῆς Ἀρκαδίας, διὰ τοῦ Α γράφεται Παλλήνη.* ℙ In illo *Ov. Met.* 15, 356. Esse viros fama est in Hyperborea Pallene, Qui soleant levibus velari corpora plumis, Cum Tritoniacum novies subiere paludem, etc. haerent viri docti, cum *Hyperboreae Pallenes* nusquam alibi facta sit mentio. Vulgo de Pallene, Macedoniae oppido, intelligitur: et recte, opinor. Cf. *Triton f. B. A.*

PALLENENSIS, e, adj. ad Pallenem pertinens, ut Pallenensis Isthmus, *Plin.* 4, 10, 17. ager, *Liv.* 44, 10.

PALLENS, entis, part. a *palleo*, *ὠχριῶν*, *ὠχρὸς*, pallore perfusus, pallidus: vox poetis perfamiliaris. *Virg. A.* 8, 709. Pallens morte futura. *Ov. A. Am.* 3, 487. pallentes terrore puellae. *Sen. Agam.* 762. genae. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 40. Quidquid luce procul, venas rimata sequaces, Abdita pallentis fodit solertia Bessi, *h. e.* ex longa sub terris mora pallorem contrahentis. ℙ Saepe tribuitur Manibus et Inferorum Diis: exsangues enim esse videntur. *Virg. A.* 4, 26. Pallentes umbras Erebi; et 243. Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco Pallentes. *Sen. Herc. Oet.* 1012. Tisiphone pallens. *Id. Oed.* 583. Ipse pallentes Deos vidi inter umbras. *Sil.* 13, 408. pallentia regna. *Tibull.* 3, 5, 21. Pallentes undae, *h. e.* Cocyti, Stygis, etc. ℙ De iis, quae colore sunt livido, et pallenti simili. *Virg. Ecl.* 2, 47. Pallentes violae. *Mart.* 13, 17. caules; et 1, 42. pallentia sulfurata. *Plin.* 37, 8, 33. Gemma e viridi pallens. *Val. Fl.* 5, 106. pallens Cytorus, *h. e.* quia buxo abundans, cui pallor tribuitur. V. *Ov. Met.* 4, 134. et *ib.* 11, 417. Idem dic de auro, cui color similis. *Id. ib.* 11, 145. Arva rigent auro madidis pallentia glebis. ℙ Est etiam obscurus, ater. *Tibull.* 2, 5, 76. Sol pallentes jungit equos. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 130. Phoebe pallens, *h. e.* luna deficiens. *Mart.* 9, 58. Nec pallens toga mortui tribulis. ℙ Dicitur et de virore in obscurum et fuscum inclinante. *Virg. Ecl.* 3, 39. Pallens edera; et *ib.* 6, 54. bos pallentes ruminat herbas. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 212. de Tiberi: ilicet herbis Pallentes thalamos, et structa cubilia musco Deserit. *Mart.* 5, 78. Pallens faba, *h. e.* propter folia fusciora. Sic *Ov. Med. fac.* 69. pallentes lupini. ℙ Metonymice, pallorem inducens. *Virg. A.* 6, 275. Pallentes morbi. *Mart.* 11, 6. curae. *Ov. A. Am.* 2, 105. pallentia philtra. *Pers.* 5, 55. pallentis grana cumini; et *ib.* 15. pallentes radere mores, *h. e.* pravos: unde timor conscius. Nam *Hor. Ep.* 1, 1, 61. Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. ℙ *Pallens fama* ap. *Auct. dial de Or.* 13. est lubrica, periculosa, anceps.

PALLĔO, es, lui, n. 2. *ὠχριάω*, pallore suffundor, pallidus sum. *Cic. Phil.* 2, 34. Apparet, esse commotum: sudat, pallet. *Ov. Met.* 2, 824. pallent amisso sanguine venae; et *ib.* 8, 465. Saepe metu sceleris pallebant ora futuri. *Tibull.* 3, 5, 25. Cum mea rugosa pallebunt ora senecta. *Mart.* 3, 38. pallet cetera turba fame. *Juven.* 2, 50. Pallere morbo. ℙ *Pallere* dicuntur amantes, quia impurus amor morbus quidam est. *Prop.* 1, 9, 17. Nec tum etiam palles, vero nec tangeris igni. *Ov. A. Am.* 1, 729. Palleat omnis amans: hic est color aptus amanti. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 3, 78. Ambitione mala aut argenti pallet amore, *h. e.* laborat, aeger est. *Pers.* 4, 47. viso si palles improbe nummo, *h. e.* prae cupiditate habendi. *Quint.* 7. *f.* Nemo exspectet, ut alieno tantum labore sit disertus: vigilandum ducat, iterum enitendum, pallendum, *h. e.* assidue studendum: unde pallor. [*V. *Spalding.* ad h. l.] Sic *Juven.* 7, 96. nunc utile multis Pallere, et vinum toto nescire Decembri; et *Pers.* 5, 62. nocturnis juvat impallescere chartis. ℙ *Pallere otio* dixit *Mart.* 3, 58., quia otio, velut quodam situ, pallor contrahitur. Non segnis albo pallet otio caupo. ℙ Cum accusativo. *Pers.* 1, 124. Iratum Eupoliden praegrandi cum sene palles, *h. e.* ex assidua lectione Eupolidis pallorem contrahis: et est Graeca loquendi ratio. ℙ *Pallere* etiam dicuntur, quae similem pallentis colorem habent. *Ov. Met.* 11, 110. de Mida: Tollit humo saxum: saxum quoque palluit auro. *Mart.* 8, 44. Superba densis arca palleat nummis. *Id.* 9, 55. Si mihi Picena turdus palleret oliva. ℙ Item quae nativum colorem amittunt. *Prop.* 4, 7, 82. Et nunquam Herculeo numine pallet ebur, *h. e.* semper candorem servat. *Rutil. Itin.* 1, 479. ubi flagrantes admovit Sirius ignes, Cum pallent herbae. *Ov. Fast.* 1, 688. Ne vitio coeli palleat aegra seges. *Sen. Oed.* 45. Tristisque mundus nubilo pallet novo. Sic *Stat. Theb.* 12, 406. jam sidera pallent Vicino turbata die; et *Lucan.* 7, 177. vultus tenebris mirantur opertos, Et pallere diem, galeisque incumbere noctem; et 6, 500. Phoebe diris obsessa venenis Palluit, et nigris terrenisque ignibus arsit; et *Ov. Met.* 7, 208. currus quoque carmine nostro Pallet avi: pallet nostris Aurora venenis. ℙ Graeca syntaxis est in illo *Prop.* 1, 15, 39. Quis te cogebat multos pallere colores? *h. e.* in multos colores vultum mutare. ℙ Metonymice est timere: quia metus indicium et effectus pallor est. *Pers.* 5, 8. Marco sub judice palles? *Hor. Ep.* 1, 7, 7. Dum pueris omnis pater, et matertera pallet. *Juven.* 13, 223. Hi sunt, qui trepidant, et ad omnia fulgura pallent. ℙ Cum accusativo. *Petr. Sat.* 122. pavitans fraternos palluit ictus. *Hor. Od.* 3, 27, 26. scatentem Beluis pontum, mediasque fraudes Palluit audax. *Pers.* 5, 184. recutitaque sabbata palles, *h. e.* nimia superstitione vereris, et servas. [*De origine vocis v. quae notavimus in *paveo.*]

PALLESCO, is, n. 3. pallere incipio, pallidus fio. Tot fere usus habet, quot palleo. *Gell.* 19, 4. Ut qui timent, sanguine ex ore decedente pallescant. *Ov. A. Am.* 3, 703. Palluit, ut ferae, lectis de vite racemis, Pallescunt frondes, quas nova laesit hiems. *Val. Fl.* 7, 586. viso pallescit flamma veneno. *Prop.* 1, 13, 7. Perditus in quadam tardis pallescere curis Incipis. *Hor. Ep.* 1, 1, 61. Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. *Id. A. P.* 428. clamabit enim, pulcre, bene, recte! Pallescet, *h. e.* prae admiratione, tanquam si deliquio laboret. *Quint.* 1, 2. *med.* Ante omnia futurus orator assuescat jam a tenero non reformidare homines, neque illa solitaria, et velut umbratili vita pallescere. *Plin.* 9, 17, 30. Mullus rubentium squamarum multiplici mutatione pallescens.

*PALLĬA, ae, f. Etruriae fluvius, in Clanim fluens, hodie *Paglia* dictus. *Tab. Peut. B. A.*

PALLĬASTRUM, i, n. *τριβώνιον*, vile pallium, scissum, tritum, sordidum. *Appul. Flor. n.* 14. Ni Zeno procinctu palliastri a circumstantis coronae obtutu magistrum in secreto defendisset. *Id. Met.* 1. Humi sedebat scissili palliastro semiamictus.

PALLĬĀTUS, a, um, part. ab inus. *pallio*, pallio amictus: et fere apud Latinos de Graecis dicitur. *Pl. Curc* 2, 3, 9. Isti Graeci palliati, capite operto qui ambulant. *Cic. Phil.* 5, 5. Graeculus judex modo palliatus, modo togatus. *Appul. Flor. n.* 9. Quaedam palliata mendicabula obambulant. *Suet. Caes.* 48. Convivatum assidue per provincias duobus tricliniis: uno quo sagati, palliative: altero quo togati discumberent. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 10. Dicerem stultos, nisi idem bracati sensissent, quod palliatus Pythagoras credidit. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 1. Palliata signa Phidiae. ℙ *Fabulae palliatae* sunt, quae Graecos mores, Graecosque homines inducunt: contra *togatae*, quae Romanos, Italosve. *Varr.* ap. *Diomed.* 3, 487. et *Donat. fragm. de Com. et Trag. quod ejus commentar. in Terent. praeponi solet.* ℙ Translate *Val. Max.* 3, 8. *n.* 3. *extr.* Socratis virilitatis robore palliatus animus, *h. e.* fortitudine praeditus, et munitus, philosophiae praeceptis instructus.

PALLĬDŬLUS, a, um, adj. dimin. pallidi. *Catull.* 65, 6 Pallidulum manans alluit unda pedem.

PALLĬDUS, a, um, adj. *ὠχρὸς*, pallore suffusus. Tam late sumitur, quam *pallens*, totidemque modis. *Hor. Sat.* 2, 2, 76. Vides, ut pallidus omnis Coena desurgat dubia? *Ov. Met.* 4, 134. oraque buxo Pallidiora gerens exhorruit. *Lucan.* 4, 298. Asturii scrutator pallidus auri. *Plin.* 18, 35, 78. Pallidus oriens; et *ib.* 84. Pallidi ignes; et 2, 25, 22. Stellae, quae sunt omnium pallidissimae. *Id.* 10, 33, 51. Avis pallido intus colore pennarum, superne cyaneo. *Prop.* 4, 5, 70. immundo pallida mitra situ. *Lucan.* 1, 618. pallida tetris Viscera tincta notis, *h. e* livida, lurida. [*Id. 6, 643. quam pallida pronis Urguet silva comis: ubi *Cort. silvam* propterea *pallidam* dici vult, quod densae silvae non plenum lumen diei, sed pallidum et male defensum solem intra se ostenderent. Nisi forte malis ad faciem arborum vetustate pallentium referre, aut ad inferorum conditionem.] ℙ *Pallida ficus* dicitur a *Varr. R. R.* 1, 67. quae situm trahit, et sapore corrumpitur. Vetustate, inquit, ficus fit pallidior, palmula cariosior, nux aridior. V. PALLOR. ℙ *Pallidi* sunt amantes. V. PALLEO. *Prop.* 3, 6, 28. Semper in irata pallidus esse velim. *Ov. A. Am.* 1, 731. Pallidus in Lyrice silvis errabat Orion: Pallidus in lenta Naide Daphnis erat. Adde *Amor.* 3, 6, 25. ℙ Item timentes. *Ov. Her.* 12, 97. Ipsa ego, quae dederam medicamina, pallida sedi; et *ib.* 1, 14. Nomine in Hectoreo pallida semper eram. ℙ Item inferi, et Manes. *Stat. Theb.* 8, 18. Umbriferaeque gemit sulcator pallidus undae. *Lucan.* 1, 456. Ditis profundi pallida regna. *Tibull.* 1, 11, 38. Errat ad obscuros pallida turba lacus. ℙ Metonymice est pallorem inducens. *Prop.* 4, 7, 44. cum insidiis pallida vina bibi. *Hor. Od.* 1, 4, 13. et *Sen. Herc. Fur.* 555. Pallida mors. *Lucan.* 4, 322. aconita. *Mart.* 14, 162. cura.

*PALLĬO, as, a. 1. *καλύπτω*, tego, celo. *Appuleius:* Nec palliari tam aperta res potest. Sed vocem non habet *Floridi* Index. *B. A.*

PALLĬŌLĀTIM, adv. cum pallio. *Pl. Ps.* 5, 1, 29. Sed palliolatim amictus sic incessi ludibundus. [*Front. de oration.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *med.* Ut histriones, cum palliolatim saltant, caudam cycni, capillum Veneris, Furiae flagellum eodem pallio demonstrant. *F.*]

PALLĬŌLĀTUS, a, um, part. ab inus. *palliolo: τριβώνιον ἔχων*, [*palliolo, i. e. capitis tegmine, quale molles, aegroti et meretrices gestabant, contra tempestatis injuriam opertus, munitus. V. *Ernest.*,

B. Crus. et *Brem.* ad h. l. Sunt qui *palliolatus* minus recte *palliolo indutus* interpr.] *Suet. Claud.* 2. Pallionatus novo more praesedit. *Mart.* 9, 33. quae palliolata vagatur. ℙ *Tunicae palliolatae*, quae leguntur ap. *Vopisc. Bonos.* 15., videntur *Casaubono* fuisse genus vestis, quod formam et usum haberet tunicae simul et pallioli: et posse dici pallas manicatas. *Salmasio* vero tunicae cum adjuncto palliolo, h. e. brevi capitis operimento muliebri. Sic *Scaev. Dig.* 34, 2, 39. Sempronias tunicas tres cum palliolis, quae elegerit, dari volo. [*Unice ferenda videtur Salmasii interpretatio.]

*PALLIOLO, as, a. 1. palliolo operio. *Caecil.* ap. *Non.* 2. *n.* 624. Sed *Mercer.* aliter. *B. A.*

PALLIOLUM, i, n. parvum aut vile pallium: *item idem* quod pallium, viris et feminis commune. *Caecil.* ap. *Cic. Tusc.* 3, 22. Saepe est etiam sub palliolo sordido sapientia. *Pl. Epid.* 2, 2, 10. Orna te, Epidice, et palliolum in collum conjice. *Appul. Met.* 11. Opertus palliolo. *Mart.* 11, 27. Succida palliolo vellera quinque petit, *h. e.* lanae vellera poscit ad palliolum faciendum. ℙ Item parvum pallium, quo mulieres pectus humerosque tegunt. *Hieron. ep.* 117. *n.* 7. de puella: Palliolum interdum cadit, ut candidos nudet humeros, et quasi videri noluerit, celat festina, quod volens detexerat. ℙ Item operimentum capitis, cucullus, pileolus: [**Capuchon.*] Gestabatur a viris fere in adversa valetudine. *Quint.* 11, 3, 144. Palliolum, sicut fascias, et focalia, et aurium ligamenta, sola excusare potest valetudo. *Ov. A. Am.* 1, 733. Arguat et macies animum: nec turpe putaris Palliolum nitidis imposuisse comis. *Sen. Q. N.* 4, 13. *f.* Videbis quosdam graciles, et palliolo focalique circumdatos, pallentes et aegros, etc. V. v. praec. A figura hujus est illud *Plin.* 26, 8, 36. Epithymum *(h. e. florem thymi)* tradunt sine radice nasci, tenue, similitudine pallioli. [*V. *Gesner.* ad *Quint. l. l.* et *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 7. p. 158. *ed. Fr.*]

PALLIUM, ii, n. ἱμάτιον, ἀναβόλαιον, φᾶρος, vestis longa, fusa, et ampla, quae tunicae superinduitur: propria Graecorum, tum virorum, tum mulierum; sicut toga Romanorum, et Italorum. Est ab eadem origine, a qua *palla:* et in feminis idem est ac palla. Erat apertum, et fere ita gestabatur, ut sederet humeris, et pars ejus dextera ab imo in sinistrum humerum rejiceretur, vel in sinistrum brachium imponeretur, aut illi subjiceretur, et nihilominus totum corpus amiciret, solaque dextera manus ad pectus exstaret, brachio tamen involuto, interdum ipsa quoque manu operta. *Liv.* 29, 19. *f.* Cum pallio et crepidis inambulare in gymnasio. [**Suet. Tib.* 13. redegitque se — ad pallium et crepidas.] *Cic. Rabir. Post.* 10. Consularis homo soccos habuit et pallium. *Id. Verr.* 2, 5, 13 Cum istae cum pallio purpureo talarique tunica versaretur in conviviis muliebribus. *Quint.* 11, 3. *med.* Togam veteres ad calceos usque demittebant, ut Graeci pallium. *Sen. ep.* 114. Pallio velare caput. *Petr. Sat.* 20. operire; et 80. Intorto circa brachium pallio, composui ad proeliandum gradum. *Cic. Div.* 2, 69. *f.* Alcibiades paulo ante interitum visus est in somnis amicae esse amictus amiculo. Is cum esset projectus inhumatus, amica corpus ejus texit suo pallio. *Pl. Mil.* 3, 1, 93. Eme, mi vir, lanam, unde tibi pallium malacum et calidum conficiatur, tunicaeque hibernae bonae. *Id. Capt.* 4, 1, 12. Pallium in collum conjicere. [*Qui gnavi et actuosi haberi vellent, si quid diligentius faciendum incideret, vel ponebant pallium, vel in humeros rejiciebant, vel alio modo colligebant. *Lindem.* ad h. l.] *Id. Truc.* 2, 5, 26. Soleas mihi date: pallium injice in me huc, Archilis. *Ter. Ph.* 5, 6, 4. Humerum pallio onerare. *Pl. Capt.* 4, 2, 8. Ergasilus estne hic, procul quem video? collecto quidem est pallio: quid nam acturus est? [**Collectum pallium* est eorum, qui gnaviter et celeriter aliquid acturi sunt: opp. *fluido.*] et *Ter. Eun.* 4, 6, 31. Attolle pallium. Ubi *Donat.:* Vel quia simplex est, vel quia ebrius, pallium trahit Chremes. ℙ *Manum intra pallium continere*, prov. *h. e.* lente et remisse agere, sedata oratione uti: nam qui contentione utuntur in dicendo, totum brachium exserunt, et multiplici gesticulatione vibrant. *Quint.* 12, 10. *med.* Mihi falli multum videntur, qui solos esse Atticos credunt tenues et lucidos, et significantes, sed quadam eloquentiae frugalitate contentos, ac semper manum intra pallium continentes. ℙ De pallio feminarum R. sunt praeterea loca *Ov. Am.* 3, 2, 25. et *A. Am.* 1, 153. et *Petr. Sat.* 17. ℙ *Pallium* fuit praecipue vestis philosophorum Graecorum. *Gell.* 9, 2. Video, inquit, barbam et pallium, philosophum nondum video. *Appul. Met.* 11. Qui pallio, baculoque, et baxeis, et hircino barbitio philosophum fingeret. *Id. Flor. n.* 7. Pallio tenus philosophos imitari. ℙ Plura de *Pallio* dabunt *Tert.* et *Ferrar. de re vest. par.* 2. *l.* 4., item *Salmas.* ad *Tert.* et ad *hist. Aug.* variis in locis, et *Lamius de erud. Apost. c.* 4. ℙ Multa sunt ap. *Mart.* loca, in quibus *pallium* vel pro toga, vel pro quavis veste superiore, poetica libertate, poni videtur, ut 3, 63., 8, 59., 11, 16 et 23. ℙ *Tunica propior pallio est*, prov. quo significatur, magis afici nos rebus nostris, quam alienis, et magis curae esse nobis eos, qui arctiore vinculo propinquitatis, vel amicitiae nobiscum juncti sunt: neque eandem rerum omnium, aut hominum habendam esse rationem: *stringe più la camicia, che la gonnella:* [**das Hemde ist mir näher, als der Rock.*] Habetur ap. *Pl. Trin.* 5, 2, 30. ℙ Palliis etiam lecti insternuntur. [*Sunt qui hujus et sequentium §§. exempla primo loco ponant, utpote quae natiyam vocis significationem, qua cujusvis generis tegumentum denotet, contineant.] *Suet. Ner.* 48. Decubuit super lectum modicella culcita, vetere pallio strato instructum. *Ov. Her.* 21, 169. torrentur febribus artus, Et gravius justo pallia pondus habent. *Prop.* 4, 3, 31. Tunc queror in toto non sidere pallia lecto. Adde *Ov. Am.* 1, 2, 27. et *Juven.* 6, 235. ℙ Etiam lecti funebres, et in his cadavera pallio contegebantur. *Appul. Met.* 3. Arrepto pallio, retexi corpora. *Id. Flor. n.* 4. Pallio cadavera operiri, et philosophos amiciri. ℙ De velis, quibus ornantur aedes. *Prud. adv. Sym.* 2, 726. Quos spargam flores? quibus insertabo coronis Atria? quae festis suspendam pallia portis?

*PALLON, Arabiae opp. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

PALLOR, oris, m. ὠχρος, ὠχρότης, color ille, qui in pelle accidit, decedente sanguine, vel ex metu, vel ex morbo. *Cic. Tusc.* 4, 8. *f.* Pudorem rubor, terrorem pallor et tremor consequitur. *Hor. Epod.* 7, 15. albus ora pallor inficit; et *ib.* 10, 15. O quantus instat navitis sudor tuis, Tibique pallor luteus! *Ov. Met.* 4, 266. Membra ferunt haesisse solo: partemque coloris, Luridus exsangues pallor convertit in herbas. *Id. Trist.* 1, 4, 11. Navita confessus gelido pallore timorem. ℙ Tribuitur amantibus, quia morbus est amor. [*Cf. *Spald.* ad *Quint.* 1, 2, 18.] *Prop.* 1, 5, 21. Nec jam pallorem toties mirabere nostrum. *Hor. Od.* 3, 10, 14. tinctus viola pallor amantium. *Stat. Theb.* 12, 735. Pallor exanimis. *Ov. Met.* 8, 790. facit comitem Famis. ℙ Item Inferis. *Lucan.* 5, 628. latet obsitus aer Infernae pallore domus. Al. leg. *squalore.* [*Ita *Cort.*, q. v.] *Id.* 6, 517. terribilis Stygio facies pallore. *Ov. Met.* 4, 436. Pallor hiemsque tenent late loca senta. ℙ Metonymice est timor, cujus est indicium. *Prop.* 2, 4. *f.* Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit. *Pl. Men.* 4, 2, 46. Nihil equidem paveo: palla pallorem incutit. *Stat. Silv.* 5, 1, 70. quantus pro conjuge pallor. ℙ Hinc in fabulis est Deus timorem injiciens. *Lactant.* 1, 20. Pavorem, Pallorem que Tullus Hostilius figuravit et coluit. *Liv.* 1, 27. Tullus in re trepida duodecim vovit Salios, fanaque Pallori, et Pavori. ℙ Metaphorice dicitur de colore squalido cujuscumque rei. *Lucan.* 7, 200. et *Plin.* 2, 30, 30. obscurus solis pallor. *Ov. Met.* 8, 759. Et pariter frondes, pariter pallescere glandes Coepere, ac longi pallorem ducere rami. *Lucr.* 4, 336. Quae contage sua palloribus omnia pingunt. ℙ Primus Aurorae pallor *Statio Theb.* 2, 355. est, cum primum Aurora incipit albescere. ℙ Ap. *Colum.* 12, 55. *pallor* dicitur naturalis color seminis sinapis. ℙ Item marcor, qui ex situ et humore provenit. *Vitr.* 6, 7. Bibliothecae ad orientem spectare debent: nam in his, quae ad meridiem, et occidentem spectant, a tineis et humore vitiantur, quod venti humidi advenientes procreant eas, et alunt, infundentesque humidos spiritus, pallore volumina corrumpunt: [**Moder, Schimmel:*] vel simpliciter intellige de pallore, quo litterae decolores fiunt, et vanescunt. *Colum.* 12, 50. *med.* Nova dolia liquida gummi perluere, siccataque suffumigare alba cera, ne pallorem capiant; et *ib.* 41. *f.* Refrigeratum medicamentum adjicitur in vas fictile novum picatum, idque gypsatum alte suspenditur, ne pallorem trahat. *Lucil.* ap. *Non.* 6, 81. Lanae opus omne perit: pallor, tineae omnia caedunt. ℙ [*Confund. *pallor* et *squalor.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 628.]

PALLULA, ae, f. dimin. pallae. *Pl. Truc.* 1, 1, 32. Conscissa pallula est. Adde 2, 2, 16. et 2, 6, 55.

PALMA, ae, f. θέναρ, παλάμη, planum illud, et ex parte concavum in manu, quae et vola dicitur: a secunda voce Graeca allata, quam dicunt esse a πάλλω, vibro. *Cic. Or.* 32. Cum pugnum fecerat, dialecticam ajebat ejusmodi esse: cum autem manum dilataverat, palmae illius similem eloquentiam esse dicebat. *Cels.* 8, 18. In palma quoque ossa interdum suis sedibus promoventur. *Virg. A.* 8, 69. cavis undam de flumine palmis Sustulit. *Petr. Sat.* 95. Os hominis palma excussissima pulsat. *Plin. ep.* 3, 14. Aliquem palma percutere. Sic *Juven.* 13, 128. plana faciem contundere palma. *Id.* 2, 142. Nec prodest agili palmas praebere Luperco, *h. e.* palmas percutiendas praebere, ut pueri solent negligentiores in ludo litterario. ℙ Per synecdochen est ipsa manus. *Pl. Cas.* 2, 6, 33. Compressan' palma, an porrecta ferio? *Cic. Sext.* 55. Voces quidem, et palmarum intentus, et maledictorum clamorem omnes profuderunt. *Caes. B. C.* 3, 98. Passis palmis, projecti ad terram, flentes ab eo petierunt salutem. *Virg. A.* 2, 406. teneras arcebant vincula palmas; et *ib.* 1, 97. duplices tendens ad sidera palmas. *Ov. Met.* 5, 103. amplexus tremulis altaria palmis. *Val. Fl.* 8, 44. primis supplex dedit oscula palmis. *Sil.* 17, 143. Sceptriferas arcta palmas vinxere catena. ℙ *Palma* item, Graece φοῖνιξ, arbor est, cujus fructus dactylus dicitur: ita dicta, quod expansis est ramis in modum manus hominis explicatae: quemadmodum fructus ejus dactylus, h. e. digitus, dicitur. In Italia sterilis est: in Hispaniae maritimis fructum quidem fert, sed immitem: dulcem in Africa, sed statim evanescentem. At in Aegypto, Judaea, et Oriente fructuosissima est, et plurima provenit, multosque vitae usus praebet. Nam ex fructu et vinum conficitur, et gentium aliquibus etiam panis, plurimis vero etiam quadrupedum cibus. Foliis utuntur ad funes, vitiliumque nexus, et capitum levia umbracula: ligno ad materias. Ex palmis etiam scopae fiebant. Unde *Hor. Sat.* 2, 4, 83. Ten' lapides varios lutulenta radere palma? Adde *Mart.* 14, 82. ℙ Palmarum genera usque ad undequinquaginta esse ait *Plin.* 13, 4, 9., ubi fuse multa de hac arbore; et *ib.* 11, 21. ex *Varr.* tradit, ante chartarum usum scriptitatum primo palmarum foliis. *Id.* 16, 42, 81. validam arborem esse dicit, et imposito pondere in diversum curvari, h. e. non in inferiora, ut ceterae, sed fornicatim se flectere; et *Theophr. de hist. plant.* 5, 7. Ἰοχυρὸν δὲ καὶ ὁ φοῖνιξ· ἀνάπαλιν γὰρ καὶ ἡ κάμψις, ἢ τοῖς ἄλλοις γίνεται. Τὰ μὲν γὰρ εἰς τὰ κάτω κάμπτεται, ὁ δὲ φοῖνιξ εἰς τὰ ἄνω. Clarius *Gell.* 3, 6. ex *Aristotele:* Si super palmae arboris lignum magna pondera imponas, ac tam graviter urgeas, oneresque, ut magnitudo oneris sustineri non queat, non deorsum palma cedit, sed adversus pondus resurgit, et sursum nititur recurvaturque. ℙ Hinc saepe ponitur pro victoria. [*Immo pro signo, praemio victoriae.] Dabatur enim victori corona ex ea, vel ramus manu gestandus, ut qui ingruenti adversario minime cessisset, sed praesenti virtute non restitisset modo, sed contra ivisset, superassetque. *Liv.* 10, 47. Eodem anno *(h. e.* ann. U. C. CCCCLXI.) coronati primum ob res bello bene gestas ludos Romanos spectaverunt: palmaeque tum primum, translato e Graecia more, victoribus datae. [*Adde *Suet. Cal.* 32. more victorum cum palma discucurrit.] *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 607. Imp. Caes. ex Sicilia Eid. Nov. triumphavit, palmam dedit, *h. e.* in gremio Jovis Capitolini collocavit. V. LAUREA. ℙ Hinc illa translate *Cic. Rosc. Am.* 6. Alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur. [*cf. *ib.* 35.] *Id. Brut.* 47. Nec in quadrigis cum secundum numeraveris aut tertium, qui vix e carceribus exierit, cum palmam jam primus acceperit. *Hor. Od.* 4, 2, 17. quos Elea domum reducit Palma coelestes. *Cic. Sen.* 6. De Carthagine vereri non ante desinam, quam illam excisam esse cognovero: quam palmam utinam Dii immortales tibi, Scipio, reservent. *Id. Or.* 3, 35. Sin quaerimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est. *Ov. A. Am.* 2, 3. Palma donare aliquem. *Cic. Att.* 4, 15. Ne diutius pendeas, palmam tulit. *Id. Phil.* 11, 5. Vopiscus, me defendente quinquies absolutus est. Sexta palma urbana etiam in gladiatore difficilis. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Siculum mel fert palmam, quod ibi thymum bonum et frequens est, h. e. praecipuum est et optimum. *Juven.* 11, 178. Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis Altisoni dubiam facientia carmina palmam. *Cic. Or.* 2, 56. Cujuspiam rei palmam deferre alicui, *h. e.* primam laudem, principatum. *Just.* 12, 6. Clitus fiducia amicitiae regiae, cujus palmam tenebat, *h. e.* primum locum. *Ter. Heaut.* 4, 3, 31. Huic equidem consilio palmam do, *h. e.* optimum esse judico ad obtinendum quod volumus. *Hor. Od.* 3, 20, 11. Arbiter pugnae posuisse nudo Sub pede palmam Fertur, *h. e.* nihil curasse, utri palmam victoriae daret. *Varr. R. R.* 2, 1. Scrofa noster, cui haec aetas defert rerum rusticarum omnium palmam. [**Suet. Ner.* 5. ut — in praetura mercede palmarum aurigarios fraudaverit, h. e. praemiis victoriae; et *ib.* 22. Velle se palmarum numerum ampliare, i. e. auctis certaminibus adeoque praemiorum numero.] ℙ Palmae ramis ornari solitas fores causidicorum, qui vicissent, ut laurea imperatorum, ex *Mart.* 7, 28. Sic fora mirentur, sic te Pallatia laudent, Excolat et geminas plurima palma fores. *Juven.* 7, 117. rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso Figantur virides, scalarum gloria, palmae. V. PALMARIUS. ℙ Palma pro ipso victore. *Virg. A.* 5, 339. Post Helymus subit, et nunc tertia palma Diores. *Sil.* 16, 504 et 574. Tertia palma habuit geminos *(canes)* insignis Aconteus. ℙ Et pro eo, qui vincendus est. *Sil.* 4, 392. Ultima restabat fusis jam palma duobus, Virbius. ℙ *Palma* etiam dicitur dactylus, palmae fructus. *Pers* 6, 38. postquam sapere Urbi Cum pipere, et palmis venit nostrum hoc maris expers. Adde *Ov. Fast.* 1, 185. ℙ Item majus flagellum in vite, unde uvae nascuntur: videturque *Varr. R. R.* 1, 31. dictum primo *parilema*, a pariendo: exin mutatis litteris, *palma:* aliis multo rectius a similitudine *palmae*, seu manus hominis. V. PALMES, quod idem est. Usurpatur hoc sensu ab *eod.* etiam *ib.* 1, 8. *f.* et a *Colum.* 3, 17. *f.* et 4, 15, 21 et 24. Neque solum de vi-

tibus, sed de aliis quoque arboribus, ut de populo a *Plin.* 24, 1, 1., de ulmo 17, 23, 35. *n.* 22. Significatur autem pars ea teres materiae, cujus ab utroque latere ramuli, ceu digiti enascuntur. ℙ Ab eadem similitudine manus hominis *palma* vocatur pes anserinus. *Plin.* 10, 22, 27. Palmas pedum anseris torrere. ℙ Item remi pars ima latior. *Vitr.* 10, 8. *med.* Cum remi impelluntur, extremis progredientibus palmis in maris undis. *Laber.* ap. *Non.* 2, 637. Nec palmarum pulsus, nec portisculi. Adde *Catull.* 64, 7. ℙ Est etiam hoc nomine fructus arboris in Aegypto, similem proximumque usum habens myrobalano in unguentis. *Plin.* 12, 22, 47. Male autem *Plinius* hanc arborem palmam vocat, cum reapse eadem sit ac myrobalanus. V. BALANUS. ℙ Item arbor in locis sitientibus nascens in Ammoniaca Africae regione, in Aegypto, et Syria, odorata, pingui lacrima, quae in unguenta additur, ad domandum oleum. Alii elaten vocant, alii spathen. *Id. ib.* 28, 62. ℙ Item genus fruticis marini. *Id.* 13, 25, 49. ℙ Denique *palma* pro *parma* constanter in omnib. libr. teste *Brouchus.* legitur in illo *Tibull.* 1, 10. [*al. 9.] 82. Fixa notet casus aurea palma meos. Sic ap. *Prop.*, sed non eadem libror. constantia, 2, 19, 44. Et vetus in templo bellica palma vacat; et 4, 10, 40. Belgica cui vasti palma relata ducis. *Turneb. Advers.* 3, 7. palmam a parma originem trahere putat: unde nil mirum, si altera pro altera scribitur. Sic in supra allato *Vitruvii* loco *parmam* esse in MSS. testatur. ℙ *Fuit et Palma oppidum in majore insula Baleari, ubi nunc urbs *Mallorcha*, ut creditur. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

PALMĀRIS, e, adj. ad palmam pertinens, [*i. e. palmi mensuram habens, Gr. σπιθαμαῖος, vel παλαιστιαῖος. Noster laudaverat ista:] *Varr. R. R.* 1, 35. Rosa conciditur radicitus in virgulas palmares, et obruitur. *Colum.* 8, 3. *f.* et 11, 3. Palmaria spatia. (hoc posset esse etiam a *Palmarius*.) *Pall.* 3, 24. Palmares scrobes. *Arnob.* 6, 204. Signa modo parvula fieri, et palmarem in minutiem contrahi, modo in immensum tolli. ℙ [*Tunc *palmaris* est ad palmam arborem pertinens.] *Ammian.* 24, 4. Jumenta, quae in lucis palmaribus vescebantur. ℙ [*Hinc victoriae notionem vindicans ponitur de eo, quod ceteris praestat, praecipuum, eximium, optimum est.] *Cic. Phil.* 6, 5. *f.* Illa statua palmaris, de qua non possem sine risu dicere, *h. e.* quae excellit inter omnes, et veluti palmam fert. *Manut. Id. N. D.* 1, 8. Sed illa *(sententia)* palmaris quidem, quod, etc., *h. e.* optima, et quasi palma digna. [*Ita *Orell.* Alii aliter. Ceterum utroque loco *palmaris* sensu ironico accipiendum.] ℙ *Palmaris Dea* ap. *Appul. Met.* 2. est Victoria, cujus insigne palma. ℙ De ludis Palmaribus, qui memorantur in fragmento veteris Lapidis Beneventani, qui refertur etiam a *Mur.* 619, 3., variae sunt conjecturae, quas V. ap. *De-Vita Antiq. Benev.* T. 1. p. 273., qui putat, ita dictos esse, quod in his palmae rami victori darentur.

PALMĀRĬUS, a, um, adj. [*palmi mensuram habens, i. q. *palmaris*, a quo *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 1, 8, 20. non magis differre dicit, quam *jocularis* a *jocularius*, *articularis* ab *articularius*, *molaris* a *molarius*, et duplicis hujus formae alia. V. in PALMARIS. ℙ Tum est ad palmam arborem pertinens. Ita insula in mari Tyrrheno, ultra ostia Tiberis appellata est *Palmaria* insula. *Plin.* 3, 6, 12. et *Varr. R. R.* 3, 5. nunc *Palmarola*. ℙ Hinc] palma dignus, optimus, praecipuus. *Ter. Eun.* 5, 4, 8. Id vero est, quod ego mihi puto palmarium, me reperisse, quomodo adolescentulus meretricum ingenia posset noscere. ℙ *Palmarium*, *ii*, n. merces, quae datur causidico post causam actam, et litem obtentam. *Gloss. Philox.* Palmarium, ἀξιόνικον. *Ulp. Dig.* 50, 13, 1. §. 12. Si post causam actam cauta est honoraria summa, peti poterit, usque ad probabilem quantitatem, etsi nomine palmarii cautum sit: licita autem quantitas intelligitur pro singulis causis usque ad centum aureos. Sunt qui putant, palmarium successisse in locum palmae appendendae pro foribus: quamvis et palmam appendi, et palmarium seu honorarium causidicis simul dari solitum fuisse, appareat. V. PALMA. [*Plura addidit *F.*]

*PALMĀTAE, arum, opp. Moesiae. *Tab. Peut. B. A.*

PALMĀTĬAS, ae, m. παλματίας, species terraemotus, cujus agitatione illa, quae trepidant, sine inclinationis periculo nutant, cum directi tamen rigoris statum retineant, ut describit *Appul. de Mundo.* Est autem Graeca vox, a πάλλω, vibro, quatio, agito.

*PALMATORĬUM, i, n. *Schol. Antiq.* ad *Juven.* 2, 142. ed. *D. A. G. Cramero:* Percussae *(mulieres steriles)* palmatorio gignebant, *h. e.* flagello, instrumento e palmitibus sive ramis vitium confecto. *B. A.*

PALMĀTUS, a, um, adj. [*proprie dicitur id, quod signum palmae, i. e. concavae manus, qualicunque modo refert. Exempla, quibus haec vocab. notio confirmetur, *Forc.* nescio quo modo in fine posuerat ista: *Quint. Decl.* 1, 11 et 12. p. 30. et 31. ed. *Burm.* Palmatus paries, i. e. vestigio palmae manus sanguine imbutae aspersus. V. PALMO. *Capitol. Gord.* 3. *f.* cervi palmati, i. e. cornua habentes lata, et ramosa, instar palmae manus cum digitis: Graecorum πλατυκέρωτες. *Plin.* 11, 37, 45. Natura aliorum cornua finxit in palmas, digitosque emisit ex iis: unde platycerotas vocant. ℙ Jam sequi possunt ea, in quibus *palmatus* est ad palmam arborem pertinens.] *Liv.* 30, 15. *f.* Massinissam regem appellatum toga picta, et palmata tunica donat, *h. e.* quae palmae folia habet intexta. Sic *Id.* 10, 7. *med.* Tunica palmata, et toga picta, et corona triumphali honorare aliquem. *Mart.* 7, 1. Palmataeque ducem sed cito redde togae. *Val. Max.* 9, 1. *n.* 5. Metellus Pius cum palmata veste convivia celebrabat. ℙ Fuit propria triumphantium: et dictam putat *Festus* in *Picta*, non a palma arbore, sed quod clavos intextos haberet latos instar palmae manus: qua re putasse videtur, palmatam tunicam a laticlavia non differre: quod praeter alios *Manut.* rejicit *de quaest. per epist.* ubi *de Tunica*, *p. m.* 48. et 49. Itaque sive toga, sive tunica, palmata a palma arbore dicta est: quae quia victoriae signum est, merito intexebatur vestibus triumphantium. Cum de toga dicitur, eadem est quae toga picta. Nam cum *Suet. Claud.* 17. ait, triumphum Claudii secutos eos, qui triumphalia ornamenta erant adepti, sed ceteros in practexta, Crassum Frugi in veste palmata, quod eum honorem iteraverat; videtur praetextam palmatae quodammodo opponere, *h. e.* togam cum assuta purpura togae pictae: ut observat *Manut. l. c.* ubi *de Toga*, *p. m.* 18. Palmatam togam memorant etiam *Serv.* ad *A.* 11, 334. et *Appul. Apol.*, qui eodem modo intelligendi videntur: item *Mart.* supra allatus. Qui vero palmatam vestem dixere, tum de tunica, tum de toga intelligi possunt. Potius tamen de tunica. Nam saepius, et magis proprie de ea dicitur, et cum toga picta, vel purpurea conjungitur, ut a *Liv. ll. cc.*, quibus adde 31, 11., *Trebell. Gall.* 8. et *Flor.* 1, 5., ubi effigiem ejus ex Augusti nummo *Graev.* exhibet. ℙ *Palmata* absolute. *Pacat. Pan. ad Theodos.* 9. Datos serentibus fasces, et missas cum curulibus suis per rura palmatas. *Grat. in ep. ad Auson. in hujus Gratiar. act.* 22. Palmatam tibi misi, in qua Constantius parens noster intextus est. *Sidon. carm.* 5, 4. meritisque laborum Post palmam palmata venit. Adde *ep.* 1, 5. *f.* et *ep.* 8, 6 et 8., item *Vopisc. Prob.* 7. Porro ex *Sidon.* et *Auson.* discimus, et alia quoque, praeter folia palmarum, procedente tempore, intexi hujusmodi vesti consuevisse, et a consulibus etiam sine triumpho fuisse gestatam. Fortasse etiam ab his cum trabea consulari confunditur. ℙ *Palmatus consul*, palmata tunica indutus. *Hieron. ep.* 23. *n.* 3. ℙ *Tunicam Jovis* appellat *Juven.* 10, 38., tum quia tali habitu Juppiter Capitolinus indutus erat, tum quia triumphaturi eam ex Capitolio sumebant. *Liv.* 10, 7. et *Lampr. Alex. Sev.* 40. ℙ *Palmati lapides* dicuntur, qui fracti palmae intus figuram referunt: cujusmodi apud Mundam urbem Hispaniae reperiri, scribit *Plin.* 36, 18, 29. ℙ De *Palmatis equis* V. HERMOGENIANUS.

PALMENSIS, e, adj. ad Palmam pertinens, Italiae opp. in Piceno prope castrum, quod nunc *Torre di Palma* dicitur. Hinc Palmensis ager, ap. *Plin.* 3, 13, 18. et Palmensia vina, ap. *eund.* 13, 6, 8. *n.* 5. Alii leg. *Palmesia.* ℙ [Item ad Palmam pertinens, urbem primariam in majori insula Balearium, nunc *Mallorca*, cujus meminit *Id.* 3, 5, 11. *Inscr.* ap. *Grut.* 324, 4. L. Aufidio Q. F. Velina Secundo Palmensi, etc. Alia ap. *eund.* 387, 1. Cn. Cavio Quir. Amethysto Baleario Palmensi, et Gujuntano, etc. Lege *Jamnotano. F.*]

PALMENTUM. V. PAEMENTUM.

PALMES, ĭtis, m. κλῆμα, sarmentum, flagellum, vitis ramus utilis ad fructum: scilicet materia illa, quae quotannis ex vitis brachio emergit, et gemmas producit, et indurescit (nam dum adhuc viridis ac tenera est, *pampinus* proprie dicitur) quae deinde in ramusculos abeunt, et palmae cujusdam digitos faciunt. *Paul.* ex *Festo:* Palmites vitium sarmenta appellantur, quod in modum palmarum humanarum virgulas, quasi digitos, edunt. Hic notant eruditi factum esse a *palma vitis*, unde per syncop. *palmitis*, seu *palmetis*, inde *palmes*. *Colum.* 5, 6. *med.* Palmitum duo genera sunt: alterum quod ex duro provenit: quod quia primo anno plerumque frondem sine fructu affert, pampinarium vocant: alterum quod ex anniculo palmite procreatur: quod quia protinus creat, fructuarium appellant. (eadem fere *Plin.* habet 17, 22, 35. *n.* 11, 13. et 14.) *Id.* 4, 21. Haec brachia sat erit interim singulis palmitibus in fructum submitti; et *ib.* 17. Si oculi singuli sub jugo binos pampinos emiserint, quamvis largos fructus ostendant, detrahendi sunt eis singuli palmites, quo laetior quae superest materia, consurgat. (Hic palmes pro pampino sumitur. Adde *ib.* 7.) *Plin. l. c. n.* 13. Palmes duas tresve gemmas sub jugo habere debet, ex quibus materia nascatur: tunc per jugum mergi, alligarique, ut sustineatur jugo, non pendeat. *Id.* 14, 1, 3. Vites tonsura annua coercentur, et vis earum omnis evocatur in palmites. *Virg. Ecl.* 7, 48. jam laeto turgent in palmite gemmae. *Ov. Fast.* 1, 152. Et nova de gravido palmite gemma tumet. ℙ Per synecdochen ipsa vitis, aut vinea. *Stat. Silv.* 3, 1, 147. Icario nemorosus palmite Gaurus. *Mart.* 8, 40. Non horti, neque palmitis beati, Sed rari nemoris, Priape, custos. ℙ Dicitur etiam de ramis minoribus aliarum arborum. *Lucan.* 4, 316. Tunc herbas, frondesque terunt, et rore madentes Destringunt ramos, et si quos palmite crudo Arboris, aut tenera succos pressere medulla. *Plin.* 13, 4, 7. de palma: Pomum non inter folia, ut in ceteris, sed suis inter ramos palmitibus racemosum. [*Curt.* 4, 3, 10. Palmites arborum, i. e. rami, frondes.]

PALMĒSĬUS. V. PALMENSIS.

PALMĒTUM, i, n. φοινικών, locus palmis consitus. *Hor. Ep.* 2, 2, 184. Ungi Praeferat Herodis palmetis pinguibus. *Just.* 36, 3. Silva ubertate et amoenitate insignis: siquidem palmeto, et opobalsamo distinguitur. *Plin.* 5, 14, 15. Hiericus palmetis consita. *Id.* 6, 32, 37. Canaria insula palmetis caryotas ferentibus abundat. Adde *Tac. H.* 5, 6.

PALMĔUS, a, um, adj. [*qui palmi mensuram habet. Exemplum hanc nativam vocis notionem demonstrans debemus *Furl.*, qui ultimo loco posuerat:] *Plin.* 26, 10, 62. Orchis herba, sive serapias, foliis porri, caule palmeo, flore purpureo, gemina radice testiculis simili. *Dioscor.* 3, 141., cujus verba interpretatur *Plinius*, habet Ἔχει καυλὸν σπιθαμῆς τὸ μῆκος. ℙ [*Nunc recte sequuntur ea, in quibus *palmeus* dicitur is,] qui est ex palma arbore, φοινίκινος, φοινίκειος. *Vitr.* 10, 20. *f.* Palmeae tabulae. *Colum.* 5, 15. *med.* Palmeis tegetibus vineas adumbrare. *Pall.* 3, 27. Palmea sporta colare aliquid. *Plin.* 12, 17, 40. Palmeum vinum.

PALMĪCĔUS et Palmicius, a, um, adj. palmeus, ut Palmicea sporta, ex palmarum foliis texta. *Sulpic. Sever. Dial.* 1, 11. et 14.

PALMĪFER, ra, rum, adj. φοινικοφόρος, ferens palmas. *Ov. Amor.* 2, 13, 8. et Memphin, palmiferamque Pharon. *Prop.* 4, 5, 25. palmiferae Thebae. *Sil.* 3, 600. palmifera Idume.

PALMĪGER, ra, rum, adj. palmam gerens. *Plin.* 35, 4, 10. Nemeam sedentem supra leonem, palmigeram ipsam, adstante cum baculo sene, etc.

PALMĪPĔDĀLIS, e, adj. pedis et palmi mensuram habens. *Varr. R. R.* 2, 4. In haris limen inferius altum palmipedale, ne porci ex hara, cum mater prodit, transilire possint. *Vitr.* 10, 20. Cardines crassitudine quoquo versus palmipedales. *Colum.* 3, 19. palmipedalis malleolus. ℙ Ap. *Vitr.* 10, 21. in plerisque edit. ex MSS. ap. *Polenum* habetur *palmopedalis:* sed prius est Latinius.

PALMĪPĔS, ĕdis, m. et f. latos instar palmae manus habens pedes, et unica membrana junctos, στεγανόπους. *Plin.* 10, 11, 13. Volucres aut aduncos ungues habent, aut palmipedum in genere sunt, uti anseres. Adde 11, 47, 107. ℙ Item mensuram pedis et palmi habens, palmipedalis. *Plin.* 17, 20, 32. Populus alba seritur palmipede intervallo. ℙ Legitur et *palmopes* ap. *Vitr.* 5, 6. *extr.* Gradus spectaculorum ne minus alti sint palmopede. Ita pleraeque edit. et MSS. ap. *Polenum:* sed *palmipes* rectius est.

PALMIPRĪMUS, a, um, adj. ut Palmiprimum vinum, e ficis factum, ita dictum, quasi primum sit post illud, quod fit e palmis, *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 3.

PALMO. as, avi, atum, a. 1. [*Proprie significat, palma signum et notam imprimo. Noster secundo loco hujus significationis exemplum posuerat:] *Quint. decl.* 1, 12. [*p. 31. *ed. Burm.*] Praeterea cum manus ex parte, qua palmare vestigium potest, plicetur in capulo, etc. V. PALMATUS. ℙ [*Hinc eadem ratione, qua *palma* pro *palmite* interdum ponitur, (V. PAMLA), *palmare* dicitur pro ligare palmas vitium.] *Colum.* 11, 2. *f.* Ceterum palmare, hoc est materias alligare, hoc tempore non expedit.

PALMOPES. V. PALMIPES.

PALMOSUS, a, um, adj. φοινικώδης, palmis abundans. *Virg. A.* 3, 705. Teque datis linquo ventis, palmosa Selinus.

PALMŪLA, ae, f. [*dimin. v. palmae, proprie dicitur pro parva manu. Exempla Noster perperam ultimo loco posuerat ista:] *Varr.* ap. *Non.* 4, 371. Valete, et me palmulis producite. *Appul. Met.* 8. Decora brachia saevientibus palmulis converberat. Adde 2. 3. 11. etc. V. GLABELLUS. ℙ [*Hinc a similitudine palmae humanae, teste *Paulo* ex *Festo:* quod in modum palmae hominis protensa est, ponitur pro extrema parte remi, vel potius ipso remigio. *Virg. A.* 5, 163. et laevas stringat, sine palmula cautes. — Hinc transfertur ad avium alas, (Eodem modo, quo *Virg. remigium alarum* dixit *A.* 1, 305. et 6, 19.) *Appul. Flor. n.* 12. Color psittaco viridis et intimis plumulis, et extimis palmulis, h. e. alis, quae sunt vel

luti remi ad volandum. Tamen in *ed. Elmenth.* est *parmulis.*] ℙ Sunt et *palmulae* fructus palmae, qui et dactyli, et caryotae dicuntur. *Varr. R. R.* 1, 67. Nucem juglandem, et palmulam, et ficum Sabinam quanto citius promas, jucundiore utare. Adde *Cels.* 2, 20. [*et *Suet. Aug.* 76. et *Claud.* 8. coll. *Salm. Exerc. Plin.* p. 927.]

PALMŪLĀRIS, e, adj. ad palmulam, h. e. parvam manum, pertinens. *Capell.* 8, 271. *in carm.* Frictuque palmulari Madida detergit ora.

PALMUS, i, m. [*i. q. palma, manus concava. Noster secundo loco laudaverat ista:] *Vitr.* 2, 3. Doron Graeci appellant palmum, quod munerum datio Graece δῶρον appellatur: id autem semper geritur per manus palmum. Sic *Plin.* 35, 14, 49. Graeci antiqui doron palmum vocabant: et ideo dora munera, quia manu darentur. ℙ [*Hinc ita dicitur mensurae genus.] Duplex est, major et minor. Minorem *Vitr.* docet 3, 1. *med.* habere digitos quatuor (intellige compressos, et cohaerentes) et esse quartam partem pedis, quia pes sexdecim digitos habet. Hinc *Front. Aquaed.* 24. digitum esse ait sextamdecimam partem pedis. Hic palmus Graece dicitur παλαιστὴ, δῶρον, δοχμὴ, et δακτυλοδόχμη. Major, Graece σπιθαμὴ, continet digitos duodecim, nempe illud spatium, quod est inter summum pollicem, et minimum digitum expansos. Dicitur etiam *dodrans*, quia ad pedem quarta pars deest. *Varr. R. R.* 3, 7. Columbaria esse oportet intus ternorum palmorum ex omnibus partibus. *Plin.* 12, 13, 28. Amomum frutex myrtuosus, palmi altitudine. [V. *Hieron.* in *Ezech.* 12, 40, 5. *F.*]

PALMYRĒNUS et Palmirenus, a, um, adj. ad Palmyram, seu Palmiram pertinens, quae urbs est Syriae in Arabiae desertae confinio. *Plin.* 5, 25, 21. Palmyra urbs nobilis situ, divitiis soli, et aquis amoenis, vasto undique ambitu arenis includit agros: ac velut terris exempta a rerum natura, privata sorte inter duo imperia summa, Romanorum, Parthorumque, et prima in discordia semper utrinque cura; et *ib.* 24, 21. Relinquit Syriae Palmyrenas solitudines. ℙ Graeci codices constanter per *υ* scribunt, teste *Hard.*, Pliniani per *i.*

PĂLO, as, avi, atum, a. 1. πασσαλεύω, palis fulcio, munio, pedo. *Colum.* 11, 2. Reliquae partes vinearum nunc palandae et alligandae sunt; et *ib. f.* Ut vitis paletur, et capite tenus alligetur. *Pall.* 12, 15. Si humidus locus ad accipienda fundamenta palandus est. ℙ Pro *palari* V. in v. sq.

*PALOIS, Aethiopiae opp., vel fortasse Aethiopiae Aegyptoque conterminum. *Plin.* 6, 29. ubi accusativus *Paloin* occurrit. *B. A.*

PĂLOR, aris, atus sum, dep. 1. περιφέρομαι, φέμβομαι, πλανάομαι, huc illuc vagor, dispersus erro, verbum castrense, inde fortasse ductum, quod milites, dum palos ad opus faciendum in silvis caederent, ordinibus neglectis hac illac spargebantur. *Liv.* 27, 47. *med.* Desertum a ducibus agmen per agros palatur. *Tac. H.* 3, 80. Palantur comites, occiditur proximus lictor; et *ib.* 4, 18. Auxilia totis campis palantur; et *ib.* 3, 17. *extr.* Qui modo per agros fuga palabantur. [*Etymon varie faciunt. Sunt, qui ducant a Gr. πλανάω, πλάζομαι. Alii a *palam*, ut proprie sit palam errare. *Perottus* a *palus*, a palis modo huc modo illuc translatis. *Martini* a Gr. πάλλειν vel πολεῖν. At rectius videtur *Doederl.*, qui 1, 91. *palor* contractum vult ex *pabulor*. Neque minus recte *id. ib.* p. 92. monet: proprie *palari* non ad rem militarem, sed ad rem rusticam referendum, ita ut (quod *Ramsh.* docet *Gr. Lat.* §. 74. p. 196.) nativa significatione dicatur de pecoribus pabulandi causa a grege discedentibus. *Pl. Bacch.* 5, 2, 5. cum hae (oves) eunt sic a pecu palitantes. *Ib.* 19. non vides, ut palantes solae (oves) libere grassentur! *Liv.* 22, 17, 5. in quosdam boves palatos ab suis gregibus inciderunt. V. *Drakenb.* ad 1, 11, 1. Unde ad milites pabulatores translatum est. De discrimine inter *palari*, *errare*, *vagari Doederl. l. l.* haec habet: Erramus incerti, vagamur soluti, palamur dispersi.] ℙ Saepe usum habet in part. *Sall. Jug.* 21. Vagi, palantes, quas nox coegerat, sedes habebant. *Lucr.* 4, 576. Palantes comites cum montes inter opacos Quaerimus, et magna dispersos voce ciemus. *Liv.* 1, 11. Palantes in agris oppressit. *Flor.* 1, 17. Inconditos et palantes aggressus. *Just.* 15, 3. Insectari palantes hostes. *Tac. A.* 1, 30. Palantes extra castra. *Virg. A.* 12, 738. terga dabant palantia Teucri. *Plin.* 9, 35, 55. Palantes conchas retibus includere. *Val. Fl.* 4, 506. atque oculis palantia monstra sequuntur, *h. e.* Harpyias diffugientes. *Virg. A.* 9, 21. Palantesque polo stellas. *Plin. Pan.* 30. de Nilo: Pars magna terrarum mergi palanti amne consueta. [*V. PALATUS, a, um.] ℙ Translate. *Lucr.* 2, 9. Despicere unde queas alios, passimque videre Errare, atque viam palantes quaerere vitae. *Ov. Met.* 14, 150. Palantesque animos passim, ac rationis egentes Despectare procul, trepidosque, obitumque timentes. ℙ Etiam *palo*, *as*, hoc sensu dixere. *Sulpicia Sat.* 43. [*ap. *Wernsdorf. Poet. Lat. min.* T. 3. p. 90.] Sic nostri palare senes dicuntur.

PALPĀBĬLIS, e, adj. ψηλαφητὸς, qui palpari, et tangi potest. *Oros.* 1, 10. Tenebrae imaginibus dirae, crassitudine palpabiles, diuturnitate ferales. *Hieron.* in *Isaj.* 10, 32, 14. Adyta templi, et secreta mysteria palpabiles tenebrae possederunt.

PALPĀMEN, inis, n. palpatio, tactus, ψηλάφημα. *Prud. Hamart.* 302. Ipse etiam, toto pollet qui corpore, tactus Palpamen tenerum blandis e fotibus ambit.

PALPĀMENTUM, i, n. palpamen, palpatio. Translate. *Ammian.* 27, 12. Ennuchus Cylaces, aptusque ad muliebria palpamenta, prope moenia ipsa propere venit, *h. e.* ad se insinuandum muliercularum more.

PALPĀTĬO, onis, f. ψηλάφησις, actus palpandi. Translate. *Pl. Men.* 4, 2, 42. Vin' hunc rogem? *Pe.* aufer hinc palpationes.

PALPĀTOR, oris, m. qui palpat. Translate. *Pl. Men.* 2, 1, 35. Sycophantae, et palpatores plurimi in urbe hac habitant, *h. e.* blandi adulatores. *Id. Rud.* 1, 2, 38. Malus, perjurus, palpator.

PALPĀTUS, a, um, part. a *palpo:* molliter tactus, blanditus. *Prud. περὶ στεφ.* 11, 89. duo cogunt animalia freni Ignara, insueto subdere colla jugo, Non stabulis, blandive manu palpata magistri.

[*PALPEBRA, ae, f. βλέφαρον, tegumentum oculorum: *das Augenlied.*] *Lact. Op. D.* 10. ducit a *palpitando*, quia leviter et crebro movetur: alii a *palpando*, quia leviter, et blande tangit oculos: alii a Graeca voce allata. V. *Voss.* [*Singularis numeri exemplum *Forc.* infra laudaverat illud:] *Cels.* 5, 26. *n.* 23. Si discissa auris ima est, vel palpebra, vel labrum. ℙ Item *palpebrum*, *i*, n. *Non.* 3, 164. suo tempore dictum esse testatur. Hinc *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *med.* Palpebrum superius paralysi vitiatum laxius fit. Item inferius palpebrum intrinsecus flectitur. Quod est utrique palpebrorum vitio commune. ℙ [*Longe frequentior est pluralis numeri usus: sicut etiam Graeci semper βλέφαρα dicunt.] *Cic. N. D.* 2, 57. Palpebrae, quae sunt tegumenta oculorum, mollissimae tactu, ne laederent aciem, aptissime factae, et ad claudendas pupulas, ne quid incideret, et ad aperiendas: idque providit, ut identidem fieri posset cum maxima celeritate. Munitaeque sunt palpebrae tanquam vallo pilorum, etc. *Id. Pis.* 19. Regulum, resectis palpebris, vigilando necaverunt. *Pall.* 4, 14. Si asinus discolores pilos in palpebris, aut auribus geret. Adde *Lucr.* 4, 950., *Tuber.* ap. *Gell.* 6, 4., *Plin.* 23, 1, 24. et 32, 7, 24. et *Lactant. l. c.* ℙ Per synecdochen sunt ipsi pili in extremis palpebris nascentes. *Plin.* 11, 37, 56. Palpebrae in genis homini utrinque. *Id.* 25, 13, 99. Capros evulsas palpebras renasci prohibet. ℙ *Charis.* 1, 81., tradit, *Varr.* dixisse *palpetrae:* quosdam vero ita distinguere, ut *palpetrae* genas, *palpebrae* ipsos pilos significent. Sed hae nugae videntur.

PALPEBRĀLIS, e, adj. ad palpebras pertinens, ut Palpebrales setae, *Prud. Hamart.* 880.

PALPEBRĀRIS, e, adj. palpebralis. *Coel. Aurel. Trad.* 4, 2. *f.* Collyria palpebraria.

PALPEBRĀTĬO, onis, f. palpebrarum motus. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 3. Sine ulla palpebratione. Adde *Tard.* 1, 5.

PALPEBRO, as, n. 1. palpebras frequenter moveo. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 10. Palpebrant aegrotantes.

PALPEBRUM. V. PALPEBRAE.

PALPĬTĀTĬO, onis, f. παλμὸς, frequens et continuus motus cordis, item partium singularum corporis animalis. *Plin.* 32, 5, 18. Imponat supra cordis palpitationem mulieri dormienti; et *ib.* 10, 46. Palpitatio oculorum. *Id.* 11, 4, 3. Insectis divulsis praecipua vivacitas, et partium singularum palpitatio.

PALPĬTĀTUS, us, m. palpitatio. In ablat. sing. *Plin.* 9, 30, 48. Imposito lapillo extra corpus, ne palpitatu ejiciatur.

PALPĬTO, as, avi, atum, n. 1. πάλλομαι, leviter ac frequenter moveor, et praecipue de corde dicitur. *Cic. N. D.* 2, 9. Cum cor animantis alicujus evulsum ita mobiliter palpitaret, ut imitaretur igneam celeritatem. *Plin.* 11, 37, 49. Cerebrum uni homini in infantia palpitat. *Id.* 9, 57, 53. Pisces qui ad pabula petenda palpitant exiguis branchiis. *Id.* 10, 53, 74. In ovo gutta sanguinis salit, palpitatque. *Ov. Met.* 6, 559. de lingua recisa: Utque salire solet mutilatae cauda colubrae, Palpitat. [*cf. *Lucan.* 2, 181.] *Plin.* 11, 37, 65. de ranis: Palpĭtante lingua ululatus elicitur. *Scrib. Comp.* 194. Toxicum potum cogit exululare, et palpitare lingua similiter decollatorum capitibus. *Appul. Met.* 1. Ut grabatulus etiam succussus et inquietus super dorsum meum palpitando saltaret. ℙ Sensu obsceno. *Juven.* 3, 132. alter enim, quantum in legione tribuni Accipiunt, donat Calvinae, vel Catienae, Ut semel atque iterum super illam palpitet. V. SINGULTIO. ℙ De moribundis ex vulnere. [*Suet. Tib.* 61. Citati ad causam dicendam partim se domi vulneraverunt —; partim in media curia venenum hauserunt; et tamen, colligatis vulneribus, ac semianimes palpitantesque, in carcerem rapti.] *Stat. Th.* 8, 439. jam palpitat arvis Phaedimus; et *ib.* 9, 756. hic saevi miser inter funera belli Palpitat, et mortem, sociosque hostesque precatur. Adde *Ov. Met.* 5, 40. Sic de victima *Calp. Ecl.* 2, 62. Saepe vaporato mihi caespite palpitat agnus. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 10. Animum palpitantem percussit. *Stat. Th.* 12, 70. his arduus ignis Palpitat, *h. e.* tot rebus cremandis impositis laborat, et leniter movetur.

PALPO, as, avi, atum, a. 1. et Palpor, aris, atus sum, dep. 1. ψηλαφάω, leviter et blande tango, contrecto: a θάλπω, foveo. *Ov. Met.* 2, 866. modo pectora praebet Virginea palpanda manu. Al. leg. *plaudenda.* [*Ita *Gierig.* et *Jahn.*] *Manil.* 5, 702. Et palpare lupos, pantheris ludere captis. *Ulp. Dig.* 9, 1, 1. Si, cum equum permulsit quis, vel palpatus est, calce eum percusserit. *Sen. Ira* 3, 8. *f.* Nihil asperum tetrumque palpanti est. ℙ Translate est blandiri, adulari. [*Immutavimus hujus §. seriem, ut quam Noster exemplis nullo prorsus ordine positis perperam instituisset. Ac primum quidem ponendi videbantur ii loci, in quibus *palpo* objective cum accus. objecti usurpatum legitur:] *Juven.* 1, 35. quem Massa timet, quem munere palpat Carus. *Appul. Met.* 5, [*109. p. 379. *Oud.*] Tunc illae palpare Veneris iram saevientem sic adortae. [*Tunc sequi posse visa sunt ea exempla, quae deponentis formam subjective cum dativo positam referant:] *Hor. Sat.* 2, 1, 18. nisi dextro tempore, Flacci Verba per attentam non ibunt Caesaris aurem: Cui male si palpere, recalcitrat. *Pl. Amph.* 1, 3, 9. Observatote, ut blande mulieri palpabitur. [*Atque in fine adjicienda duximus, in quibus eadem deponentis forma absolute posita reperitur.] *Lucil.* ap. *Non.* 7, 30. Hic me ubi videt, subblanditur, palpatur, caput scapit. *Cic. Att.* 9, 9. Palpaboque, ecquonam modo possim voluntate ejus, nullam reipublicae partem attingere, *h. e.* blandiendo tentabo. *Pl. Merc.* 1, 2, 57. Hoc sis vide, ut palpatur! nullus est, cum occepit, blandior.

PALPO, onis, m. palpator, adulator. *Pers.* 5, 176. Jus habet ille sui palpo, quem ducit hiantem Cretata ambitio? *h. e.* an liber est, et sui juris adulator ille, quem, etc.? nam qui honores petit in republica, adulator est populi. *Casaub.* Sunt qui putant, *palpo* esse ablativum, ut sit sensus: ille ne jus sui habet, quem ambitio adulatione, blanditiis, et spe oblata honorem ducit, trahit, agitat?

PALPUM vel Palpus, i, m. vel n. blanda contrectatio, adulatio. *Pl. Amph.* 1, 3, 28. Timidam palpo percutit. V. OBTRUDO.

*PALSUM FLUMEN, in Libya interiori. *Plin.* 5, 1. *B. A.*

*PALTONENSES, ium, incolae urbis cujusdam Calabriae. *Plin.* 3, 11. *B. A.*

*PALTOS vel Paltus, i, Πάλτος, Syriae opp. maritimum, Phoeniciae vicinum. *Plin.* 5, 20. *Mela* 1, 12. *Cass.* in *Cic. Fam.* 12, 13. *f.* ubi Graece scribitur Πάλτῳ. ℙ Item Syriae fluvius. *Mela ib. B. A.*

*PALTUS. V. v. praec. *B. A.*

PALŪDĀMENTUM, i, n. χλαμύς. Si *Festo* est fides, significat omne militare ornamentum. Hinc in libris auguralibus *paludati* sunt armati, ornati, ut ait *Veranius* ap. *Fest.* Sic *Lucil.* ap. *Non.* 18, 3. Pone paludatus stabat rorariu' velox. Est tamen qui leg. *paludatum*, h. e. imperatorem. *Varr. L. L.* 6, 3. Paludamenta sunt insignia et ornamenta militaria. Ideo ad bellum cum exit imperator, ac lictores mutant vestem, et signa incinuerunt, paludatus dicitur proficisci: quae propterea quod conspiciuntur, qui ea habent, ac fiunt palam, paludamenta dicta. Haec *Varro*, cujus etymologiam *Voss.* minime probat, et ex Hebraeo petendam putat. ℙ Speciatim sumitur pro veste militari, quae super tunicam, et armaturam induitur, aperta, et ad dexterum humerum constricta: eadem fere quae sagum et chlamys. V. CHLAMYS. *Liv.* 1, 26. Cognito super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat. Adde *Sall. fr.* ap. *Non.* 14, 11. ℙ Saepius vero dicitur de veste militari imperatorum et ductorum exercitus. [*V. *Gronov. Duker.* et *Drakenb.* ad *Liv.* 41, 10.] *Appul. Apol.* Hoc Diogeni pera et baculus, quod regibus diadema, imperatoribus paludamentum, pontificibus galerum, lituus auguribus. *Liv.* 9, 5. *f.* Tum a consulibus abire lictores jussi, paludamentaque detracta. *Id.* 25, 16. *f.* de Graccho propraet.: Paludamento circum laevum brachium intorto (nam ne scuta quidem secum extulerant) in hostes impetum fecit. *Plin. Pan.* 56. Consulatus gestus juxta barbaras gentes, ut illi solebant, quibus erat moris paludamento mutare praetextam, *h. e.* magistratu urbano ad regendos exercitus transire. *Plin. alter* 22, 2, 3. Coccum imperatoriis dicatum paludamentis. *Val. Max.* 1, 6. *n.* 11. M. Crassus ducturus erat adversus Parthos exercitum: ei pullum traditum est paludamentum, cum in proelium exeuntibus album, aut purpureum dari soleret. *Aurel. Vict. Epit.* 3. *extr.* Indutus aureo paludamento. *Sall. fr.* ap. *Isid. Or.* 19, 24. Togam paludamento mutavit, *h. e.* pacem cum bello. ℙ Agrippinam Neronis matrem, aureo

paludamento indutam, spectasse naumachiam Claudii principis, narrat *Plin.* 33, 3, 19., ubi *Dio* 60, 33. habet *χλαμύδι διαχρύσῳ*, et *Tac. A.* 12, 56. chlamyde aurata.

PALŪDĀTUS, a, um, adj. *χλαμυδωτὸς*, paludamento, seu chlamyde indutus. Nam paludamentum nomen est genericum vestium militarium superiorum. V. v. praec. Hinc *Liv.* 41, 10. et 45, 39. *paludatos* lictores memorat, qui tamen sagati in exercitu apparere solebant: quamquam utrobique alii aliter leg. *Sidon.* vero *paludatos* pro militibus posuit, *ep.* 5, 7. Ili sunt, qui invident tunicatis otia, stipendia paludatis. ℙ Speciatim dicitur de imperatoribus, qui in expeditionem exeuntes togam, aut praetextam mutabant paludamento, quae eorum propria vestis militaris erat. V. v. praec. *Cic. Fam.* 15, 17. Pansa noster paludatus a. d. tert. cal. Jan. profectus est. *Caes. B. C.* 1, 6. Neque exspectant, ut paludati, votis nuncupatis, exeant consules. (V. *Liv.* 42, 49. et 31, 14. et *Cic. Verr.* 2, 5, 13.) *Suet. Claud.* 21. *med.* Edidit in Martio campo expugnationem direptionemque oppidi, praeseditque paludatus. *Juven.* 6, 399. Cumque paludatis ducibus, praesente marito, Ipsa loqui recta facie. *Claud. VI. Cons. Honor.* 596. Jure paludatae jam curia militat aulae, *h. e.* imperatoris. ℙ Extra rem militarem. *Fest.* in *Salias:* Salias virgines Cincius ait esse conducticias, quae ad Salios adhibebantur cum apicibus paludatae. ℙ *Fuit et Paludatus cogn. ab ornamento militari. Numus est, cujus inscriptio, Mvn. Tvr. L. Cael. Aqvin. M. Cel. Palvd. II. Vir. *Vaillant Numism.* 1. p. 84. *B. A.*

PĂLŪDESTER vel Paludestris, e, adj paluster. *Cassiod. Variar.* 2, 32. Paludestri illuvie.

PĂLŪDĪCOLĀ, ae, comm. gen. qui ad paludem incolit, ut Paludicolae Sicambri, *Sidon. ep.* 4, 1. *f.* Paludicola Ravenna, *Id. ep.* 7, 17. *in carm.*

PĂLŪDĪFER, ra, rum, adj paludem faciens. *Auct. carm. de Philom.* 42. Inque paludiferis butio bubit aquis.

[PĂLŪDĪGĔNĂ, ae, comm. gen. in palude genitus. *Vet. Epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 462. *Burm.* Lenta paludigenam vestivit cera papyrum: scil. papyrus in paludibus circa Nilum nasci solet. *F.*]

PĂLŪDĪVĂGUS, a, um, adj. qui per paludes vagatur. *Avien. Perieg.* 312. Moesta paludivagos Germania flevit alumnos.

PĂLŪDOSUS, a, um, adj. *ἑλώδης*, paludem habens. *Ov. Met.* 15, 268. Eque paludosa siccis humus aret arenis. *Stat. Silv.* 3, 2, 108. Unde paludosi fecunda licentia Nili. *Sil.* 8, 602. Lenta paludosae proscindunt stagna Ravennae.

PĂLŪDUS, a, um, adj. paludatus. *Ennius* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Corpore Tartarino prognata paluda Virago, *h. e.* Pallas militari habitu. *Turneb.* mallet legere *palude*; nam Pallas ad Tritonidem paludem nata est.

PĂLUMBĂ, ae. V. PALUMBES.

[PĂLUMBĀRĬUS, ii, m. genus quoddam accipitris, qui palumbes interficit. *Gloss. Philox.* Palumbarius, *φασσοφόνος:* a *φάσσα*, palumbes, et *φόνος*, caedes. *F.*]

PĂLUMBES, is, m. et f. *φάττα, φάσσα, οἰνὰς, φάττος*, silvestris columbus in arboribus, saepibusque nidificans. [**Die grosse Holztaube, Ringeltaube.* V. *Voss.* ad *Virg. Ecl.* 3, 69.] *Cic.* in quadam eleg. ap. *Serv.* ad *Ecl.* 1, 58. Jam mare Tyrrhenum longe penitusque palumbes Relliquit. *Virg. Ecl.* 1, 58. raucae, tua cura, palumbes. *Varr. R. R.* 3, 9. Eodem modo palumbes farciunt, ac reddunt pingues. *Plin.* 10, 35, 52. Vivere palumbes ad XXX. annum, aliquos ad XL. habemus auctores. ℙ Translate. *Pl. Bacch.* 1, 1, 17. Duae unum expetitis palumbem, *h. e.* amatorem. ℙ *Palumbem alicui ad aream adducere*, proverb. quod significat offerre alicui occasionem rei gerendae. Nam palumbes capiuntur area frumento strata. *Pl. Pers.* 3, 3, 63. Nos tibi palumbem ad aream usque adduximus. ℙ Dicitur etiam *palumbus, i*, m. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 168. macrosque palumbos. *Mart.* 13, 67. palumbi torquati. *Plin.* 30, 9, 23. Palumborum pennae. *Cato R. R.* 90. Palumbum recentem sic farcito: uti prensus erit, ei fabam coctam tostam dato. *Colum.* 8, 8. Palumbos, columbosque cellares pinguissimos facere. ℙ Item *palumba, ae*, f. *Cels.* 6, 6. *n.* 39. Sanguine vel columbae, vel palumbae, vel hirundinis oculos inungere: et *mox:* Sanguis hirundinis optimus, deinde palumbae, minus efficax columbae. ℙ Palumbes est etiam Italice *palomba di mare. Plin.* 10, 29, 41. In agrum Volaterranum palumbium vir e mari quotannis advolat. ℙ [**Palumbus* est etiam nomen gladiatoris, unde frigidus Claudii jocus ap. *Suet. Claud.* 21. immixtis interdum frigidis et arcessitis jocis: qualis est, ut, quum Palumbum postulantibus daturum se promisit, si captus esset.]

*PALUMBĪNUM, i, n. opp. in Samnio. *Liv.* 10, 45. bis. *B. A.*

PĂLUMBĪNUS, a, um, adj. qui est e palumbe. *Plin.* 30, 12, 36. Palumbina caro; et *ib.* 8, 21. Palumbinum fimum. *Lampr. Alex. Sev.* 13. ovum.

PĂLUMBŬLUS, i, m. parvus palumbus, et adhibetur in blanditiis. *Appul. Met.* 10. Teneo te meum palumbulum, meum passerem. Adde *ib.* 8. de cinaedis.

PĂLUMBUS. V. PALUMBES.

PĂLUS, i, m. *σκόλοψ*, sudes, lignum acutum, quod solet in terram defigi ad fulcienda aedificiorum fundamenta, aut castra munienda, aut claudendos hortos, aut sustinendas vites, aut similes usus. [*Contractum ex *paxillus*, quod a *pago* ortum ducit. Alii derivant a Gr. *πάσσαλος*. V. *Schneid. Gr. Lat.* I. p. 485.] *Tibull.* 1, 8, 33. Hic docuit teneram palis adjungere vitem. *Cic. Verr.* 2, 5, 5. Nomine sceleris damnati, ad supplicium traditi, ad palum alligati, repente multis spectantibus soluti sunt. *Ov. Fast.* 1, 665. Rusticus emeritum palo suspendat aratrum. *Vitr.* 5, 12. Si mollis locus erit, palis ustulatis alneis, aut oleagineis, aut robusteis configatur. *Colum.* 11, 2. Palos et ridicas dolare; et *ib.* Palos decem, ridicas quinque conficere. *Plin.* 18, 26, 63. praeparare. *C. Gracchus* ap. *Gell.* 10, 3. destituere; et *Pl. Mil.* 4, 4, 4. figere in parietem. ℙ Fuit inter exercitia militaria, quae *palaria* dicebantur, cum defixo in terram palo, eum sudibus eminus, et comimus gladiis ligneis feriebant, latera, vel pedes, aut caput hostis petere condiscentes. Hinc *Juven.* 6, 246. aut quis non vidit vulnera pali? Quem cavat assiduis sudibus, scutoque lacessit, Atque omnes implet numeros. Adde *Veg. Mil.* 1, 11. et *ib.* 2, 23. ℙ Translate *Sen. ep.* 18. Exerceamur ad palum: et ne imparatos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. ℙ *Palus primus*, et conjunctim *palusprimus*, qui a *Dion.* 72, 19. *ξίφος ξυλινὸς*, et a *Capitol. Pert.* 8. machaera Herculanea appellatur, fuit ensis ligneus gladiatorius secutorum proprius. Hinc princeps secutorum *primus palus* appellabatur. *Lampr. Commod.* 15. Appellatus est inter cetera triumphalia nomina etiam sexcenties vicies palus primus secutorum. Hinc *Dion.* 72, 22. de Commodo: *Πρωτόπαλος σεκουτόρων, ἀριστερὸς μόνος νικήσας δωδεκάκις χιλίους. Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 617, 1., emendata ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 694. Urbico secutori primo palo natione Florentin., qui pugnavit XIII. etc. ℙ In illo *Pl. Men.* 2, 3, 53. Quasi supellex pellionis, palus palo proximus est: sermo est de navi, in cujus costis tam crebri sunt pali affixi, quam in officina pellionis, in qua ad extendendas et poliendas pelles pali multi infixi sunt. ℙ *Palus* est etiam mentula. *Hor. Sat.* 1, 8, 5. Obscenoque ruber porrectus ab inguine palus. ℙ *Palum* neutr. gen. *Varr.* ap. *Non.* 3, 171. Quid? tu non vides, in ineis, quod tria pala habeant, tripales dici?

PĀLUS, udis, f. *λίμνη*, aqua stagnans, quae aestate plerumque siccatur, in quo differt a lacu, qui perpetuam habet aquam. [**Cic. Phil.* 5, 3. Ille paludes siccare voluit. *Id. Agr.* 2, 27. arenam aliquam aut paludes emere.] *Hor. Od.* 3, 27, 9. Stantes paludes. *Caes. B. G.* 2, 16. Quo propter paludes exercitui aditus non esset. ℙ Priorem habet correptam, posteriorem fere semper producit. *Virg. G.* 4, 479. Cocyti, tardaque palus innabilis unda. Adde *Ov. Met.* 2, 46. Invenitur tamen etiam cum ultima correpta. *Hor. A. P.* 65. Sterilisque diu palus, aptaque remis. *Bentl.* quamvis fateatur, ita legi etiam a *Serv., Prisc.*, et aliis, et ita in omnibus codicib. reperiri, contendit tamen legendum *sterilisve palus prius aptaque remis.* ℙ Alii legunt *sterilisque palus, pulsataque remis.* ℙ In gen. plur. *paludum* habet, et *paludium. Caes. B. G.* 4, 38. Propter siccitates paludum. *Just.* 44, 2. *f.* Aeris spiritus nulla paludium gravi nebula inficitur. Adde *Liv.* 21, 54., ubi al. leg. *paludum*, al. *paludium.* ℙ Metonymice est arundo, aut quid simile in paludibus nascens. *Mart.* 14, 160. Tomentum concisa palus Circense vocatur. Haec pro Lingonico stramina pauper emit. *Id.* 11, 32. de bibula sarta palude teges.

PALUSCA Ficus inter genera ficorum recensetur a *Cloatio* ap. *Macr. Sat.* 2, 16. an *Falisca?* an *Libysca?* an *marisca?*

PĂLUSTER, stris, stre, omn. gen. *ἕλειος*, ad paludem pertinens, paludosus. *Liv.* 36, 22. *f.* Ager Heracleensis paluster omnis, et frequens arboribus. *Id.* 22, 2. Nocturno humore, palustrique coelo gravante caput. *Vitr.* 3, 3. Locus congesticius aut paluster. *Colum.* 1, 5. Deterrima aqua palustris. *Virg. G.* 3, 175. salicum frondes, ulvamque palustrem. *Ov. Met.* 8, 625. Nunc celebres mergis, fulicisque palustribus undae. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 5. Saporem salicum redolent Patavinorum in palustribus vindemiae. ℙ Translate. *Pers.* 5, 60. Tum crassos transisse dies, lucemque palustrem, Ingemuere, *h. e.* vitam in coeno vitiorum actam. ℙ Dicitur *palustris* etiam in recto masculino. *Colum.* 8, 14. Palustris quoque, sed herbidus ager destinetur.

PAMISUS, i, m. *Πάμισος*, et *Πάμισσος*, fluvius Messeniae in Peloponneso. *Plin.* 4, 3, 7., item *Mela* 2, 3., cui est *Pamissus.* ℙ *Item Thessaliae fluvius. *Plin* 4, 8. ℙ Et flumen Thraciae. V. PANYSUS. *B. A.*

[PAMMACHUM, i, n. *παμμάχιον* (a *πᾶς*, omnis, et *μάχη*, pugna), certamen gymnicum idem ac pancratium, quod constabat ex lucta, et pugilatu simplici, qui nudis, non armatis pugnis agebatur, ut apparet ex *Ambros. Enarrat. in Psalm.* XXXVI. *de pancratiastis.* Alii qui caedem, et pulveris jactum membrorum nexibus miscent, omni sibi verberandi jure permisso, quos *παμμάχους* vocant, eo quod omnis litis et pugnae adversus se habent potestatem. *Hyg. fab.* 273. Fecit Hercules Olympiae (*ludos*) gymnicos Pelopi Tantali filio, in quibus contendit pammachum, quod nos pancratium vocamus, cum Achareo. Alii leg. *pammacho. Inscr.* ap. *Fabr.* p. 100. *n.* 226. Filumenum in omni athletico certamine victorem, pammacho, lucta, pancratio, cestibusque, id est pycme aeternitatis gloria dignum esse judicarunt. Pertinet haec ad finem quarti a Chr. n. saeculi. Utrobique sunt qui legendum putant *pammachio*, est enim a Graeca voce *παμμάχιον.* Animadvertendum porro est, ex hac inscriptione videri *pammachium* aliud fuisse a pancratio, cum utriusque hic fiat mentio: verum unum idemque fuisse apparet tum ex *Polluc. Onom.* 3, 30. *n.* 150., tum ex aliis auctorum locis allatis a *Fabro Agonist.* 3, 3. *f. F.*]

*PAMMĒNES, is, vir longe eloquentissimus Graeciae, quo usus M. Brutus. Demosthenis fuit studiosissimus. *Cic. Brut.* 97. *Or.* 30. *in.* ℙ Pammenis mentio quoque fit ap. *Cic. Att.* 5, 20. et 6, 2. nescio (ait *Ernestus*) an ejusdem. *B. A.*

[PAMPHAGI, orum, m. plur. *Παμφάγοι*, omnia vorantes, ita appellati sunt quidam populi Aethiopiae: a *πᾶν*, omne, et *φάγω*, comedo. *Plin.* 6, 30, 35. ℙ *Pamphagus* est nomen canis ap. *Ov. Met.* 3, 210. V. ORIBASUS. *F.*]

[PAMPHĪLĬO, onis, m. dimin. pamphili. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Viscont. Mus. Jenkins. n.* 8. L. Trebulanus Pamphilio. *F.*]

[PAMPHĪLUS, a, um, adj. *πάμφιλος*, omnibus amicus, et, ut ait *Ter. Phorm.* 3, 3, 29., solus est homo amico amicus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 751, 3. Gn. Tremetius Pamphilus. Alia ap. *Fabr.* p. 475. *n.* 129. Tulliana T. L. Pamphila. *F.*] **Pamphilus, i, m.* Platonis auditor, quem Epicurus Sami audivit, et tamen magnifice contempsit *Cic. N. D.* 1, 26. ℙ Item insignis pictor, e Macedonia oriundus, Amphipolitanus, Eupompi discipulus, Apellis praeceptor. *Plin.* 35, 10 et 11. Primus (ait *Plinius*) in pictura omnibus literis eruditus, praecipue arithmetice et geometrice, sine quibus negabat artem posse perfici. Docuit neminem minoris talento annis (al. *annuis talentis*) decem; quam mercedem et Apelles et Melanthius ei dedere. ℙ Fuit et Pamphilus rhetor Graecus, de quo *Cic. Or.* 3, 21. *Quint.* 6, 33. ℙ Item persona Terentiana in Andria. *B. A.*

PAMPHYLĬA, ae, f. *Παμφυλία*, regio Asiae minor. ad Austr. et versus oram litoralem maris Mediterranei, seu Pamphylii ab ea dicti. *Plin.* 5, 27, 26. *Stat. Silv.* 1, 4, 77. Hunc quoque, perque novem timuit Pamphylia messes.

PAMPHYLĬUS, a, um, adj. ad Pamphyliam pertinens. *Plin.* 5, 31, 30. Pamphylium mare. *Id.* 25, 11, 87. hyssopum. *Lucan.* 8, 249. Pamphylia puppi Occurrit tellus. *Cic. Div.* 1, 15. A Cilicibus, Pamphyliis, Lyciis tenentur.

PAMPĪNĂCEUS. V. CAMPANICUS.

PAMPĪNĀRĬUS, a, um, adj. *οἰνάριος*, ad pampinum pertinens. *Colum.* 5, 6. *med.* Palmitum duo genera sunt: alterum, quod, quia primo anno plerumque frondem sine fructu affert, pampinarium vocant: alterum, quod ex anniculo palmite procreatur; quod, quia protinus creat, fructuarium appellant. (Adde *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 13.) Sic 3, 10. Pampinarium sarmentum; et 4, 24. Pampinariae materiae. Absolute *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 3. Serere e pampinariis sterile est, nec nisi fecundo oportet.

PAMPĪNĀTĬO, onis, f. *βλαστολογία*, actus pampinandi, detractio pampinorum, et nepotum, quae manu et sine ferro fit, cum vitis frondere coepit. *Colum.* 4, 6. Ut frequenti pampinatione supervacua detrahantur; et 7. Omnis pampinationis ea est tempestivitas, dum adeo teneri palmites sunt, ut levi tactu digiti decutiantur; et 28. Tempus pampinationis, antequam florem vitis ostendat, maxime est eligendum, sed et postea licet eandem repetere. *Plin.* 17, 1, 1. Unde et pampinatio inventa primo Stoloni dedit nomen, *h. e.* L. Licinio Stoloni. Adde *ib.* 22, 35.

PAMPĪNĀTOR, oris, m. *βλαστολόγος*, qui pampinat. *Colum.* 4, 10. Vites nepotibus, quos pampinator in superiore parte omiserat, liberare; et 27. *med.* Pampinator industrius. Adde 5, 5. *med.*

PAMPĪNĀTUS, a, um, part. a *pampino:* pampinis spoliatus. *Colum. Arbor.* 11. Ante dies decem, quam vinea florere incipit, pampinatam habeto. ℙ Item *κληματοειδὴς*, pampini similitudinem habens. *Plin.* 16, 42, 82. Abies ramentorum crinibus pampinato semper orbe se volvens, ad incitatos runcinarum raptus, *h. e.* instar tortilis pampini, vel capreoli vitium. *Gallien.* in *ep.* ap. *Trebell. Claud.* 17. Lanceam argenteam pampinatam

librarum triginta, *h. e.* pampinis coelatis ornatam.

PAMPĪNĔUS, a, um, adj. οἰνάρεος, qui est e pampino, pampinarius: et universim ad vites et vinum pertinens. *Tac. A.* 11, 4. Pampinea corona. *Virg. Ecl.* 7, 58. Liber pampineas invidit collibus umbras. *Id. G.* 2, 5. tibi pampineo gravidus autumno Floret ager. *Ov. Pont.* 3, 1, 13. Nec tibi pampineas autumnus porrigit uvas; et *ib.* 8, 13. Non hic pampineis amicitur vitibus ulmus. *Mart.* 10, 93. Pictaque pampineis videris arva jugis. *Propert.* 3, 15, 25. Curvaque Tyrrhenos delphinum corpora nautas In vada pampinea desiluisse rate, *h. e.* pampinis ornata. (V. *Ov. Met. fab.* 3, 9.) *Virg. A.* 6, 805. pampineis victor juga flectit habenis Liber; et *ib.* 7, 396. Pampineasque gerunt incinctae pellibus hastas, *h. e.* pampineis frondibus velatas, ut *Ov. Met.* 3, 667. loquitur. *Val. Fl.* 5, 79. de Bacchо: Udaque pampinea nectentem cornua vitta. *Propert.* 2, 24, 29. Icare Cecropiis merito jugulate colonis, Pampineus nosti quam sit amarus odor, *h. e.* odor vini. *Calpurn. Ecl.* 2, 59. Pampineae ulmi, *h. e.* quae pampinos vitesque sustinent.

PAMPĪNO, as, avi, atum, a. 1. βλαστολογέω, οἰναρίζω, pampinos decerpo, decutio, h. e., ut ait *Varr. R. R.* 1, 31., ex sarmento coles, qui nati sunt, de iis, qui plurimum valent, primum ac secundum, nonnunquam etiam tertium relinquere, reliquos decerpere, ne relictis colibus sarmentum nequeat ministrare succum. V. PAMPINATIO. *Cato R. R.* 33. Ubi vinea frondere coeperit, pampinato. *Colum.* 5, 5. *med.* Pampinandi modus is erit, ut opacis locis, humidisque, et frigidis aestate vitis nudetur, foliaque palmitibus detrahantur, etc. *Plin.* 18, 27, 67. *n.* 2. Vineas pampinare: et huic lex sua, cum pampini quatuor digitos longitudine expleverint. Pampinat una opera jugerum. ℙ Item universim frondes et ramulos tenellos detraho. *Colum.* 4, 31. Salix non minus, quam vinea, pampinatur. *Id.* 5, 21. *f.* Ut dum teneros ramulos habent, veluti pampinentur. *Id.* 11, 2. *med.* Seminaria quae suo tempore pampinata non sunt, arbusculaeque ficorum in seminariis putari debent: quae tamen melius, dum tenera sunt per germinationem pampinantur.

PAMPĪNOSUS, a, um, adj. pampinis et frondibus abundans. *Colum.* 5, 5. *med.* Si parum pampinosa vitis est, advectis frondibus, et interdum stramentis, fructus muniatur. *Plin.* 23, 1, 16. Vitis albae folia pampinosa ad magnitudinem hederae.

PAMPĪNUS, i, m. et f. κλῆμα, sarmentum, seu coles vitis tenellus, qui cum induruit, *materia* et *palmes* vocatur: fortasse est a πέμπω, mitto, ita ut *pampinus* proprie sit sarmentum emissum. *Colum.* 4, 22. Ubi unius aut alterius folii pampinus prorepsit e duro, vehementem fundit materiam. *Id.* 3, 18. Ex gemmis pampini pullulant vel steriles, vel certe minus feraces, quos rustici vocant racemarios. *Plin.* 18, 27, 67. *n.* 2. Vineas pampinare, cum pampini quatuor digitos longitudine expleverint. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 11. Pampinos detergere; et *ib. n.* 19. detrahere. ℙ Saepe dicitur de vitium frondibus et foliis. *Cic. Sen.* 15. Uva vestita pampinis. *Virg. G.* 1, 448. Heu, male tum mites defendet pampinus uvas: Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando. *Colum.* 3, 2. *med.* Vitis propter pampini densitatem saepe parum recte deflorescit. *Hor. Od.* 4, 8, 34. Ornatus viridi tempora pampino Liber. *Claud. III. cons. Stil.* 366. malum circumflua vestit Pampinus; et *Epith. Pall. et Celer.* 5. crispatur opaca Pampinus. Etiam *Don. in ed.* 2. p. 1747. numerat inter ea, quae masc. et fem. generis sunt; et *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 7, 58. ait, Varronem saepius in feminino uti. ℙ Est etiam pampinus folium pampini convolutum, vel capreolus, seu clavicula, aut huic simile. *Plin.* 16, 35, 63, Smilax spinosis frutectosa ramis, folio hederaceo, a pediculo emittente pampinos. *Id.* 27, 11, 70. Isopyron aliqui phasiolon vocant, quoniam folium, quod est aniso simile, in pampinos torquetur. *Id.* 9, 51, 74. Polypi pariunt ova tortili vibrata pampino, *h. e.* cirro torto.

PAN, anos, m. Πάν, filius Mercurii et Penelopes, ut est ap. *Cic. N. D.* 3, 22. et *Hyg. fab.* 224. Alii faciunt filium Demogorgonis, alii Apollinis, alii Liberi, alii Aetheris et Junonis. Fuisse traditur pecoris studiosissimus: unde Arcades ut Deum pecoris coluerunt. *Cic. l. c.* Ex Mercurio et Penelopa Pana natum ferunt. *Virg. A.* 6, 344. Panos de more Lycaei. *Stat. Silv.* 2, 2, 106. Dorida montani cupierunt prendere Panes. *Hyg. fab.* 296. narrat, cum omnes Dii metu Typhonis in Aegyptum refugissent, Panos admonitu se in feras bestias convertisse, et sic Typhonem decepisse: Pana vero ob meritum inter astra retulisse: signumque illud esse, quod Capricornum dicimus, quod eo tempore ipse se in capram transformaverat. *Germ. Arat.* 551. inventorem cochlidis facit, quia in bello Gigantum cum Diis cochleas et murices marinos invenerit, iisque Gigantes sit jaculatus. Adde *Hyg. Astron.* 2, 28. ℙ Habitus est totius naturae Deus: a πᾶν, omne: quare nullos ei parentes esse quidam dixere, quia natura parens est ipsa rerum omnium. Itaque eum pinxerunt cornua habentem in similitudinem radiorum solis, et cornuum lunae: faciem rubentem instar ignis, barbam prolixam, pectus stellatum: partem corporis inferiorem hispidam, caprinosque pedes: quae coeli, terrae, rerumque his contentarum figurae sunt: explicanturque a *Macr. Sat.* 1, 22. Eum ita describit *Sil.* 13, 327. pendenti similis Pan semper, et imo Vix ulla inscribens terrae vestigia cornu. Dextera lascivit caesa Tegeatide capra, Verbera laeta movens festa per compita cauda. Cingit acuta comas, et opacat tempora pinus, Ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte: Stant aures, imoque cadit barba hispida mento. Pastorale Deo baculum, pellisque sinistrum Velat grata latus tenerae de corpore damae. Nulla in praeruptum tam prona et inhospita cautes, In qua non, librans corpus, similisque volanti, Cornipedem tulerit praecisa per avia plantam. Interdum inflexus medio nascentia tergo Respicit arridens hirtae ludibria caudae. *Lucr.* 4, 588. cum Pan Pinea semiferi capitis velamina quassans, Unco saepe labro calamos percurrit hiantes. *Ov. Fast.* 2, 277. Pan erat armenti custos, Pan numen equarum. *Id. Met.* 14, 516. semicaper Pan; et 638. et pinu praecincti cornua Panes. ℙ Dicitur amasse puellam Syringam nomine, quam cum fugientem persequeretur, illa Nympharum precibus in calamum versa est: ex quo Pan fistulam suam composuit, quae Graece σῦριγξ dicitur. *Ov. Met.* 1, 689. et sqq. ℙ Etiam Lunam amasse dictus est, et candidissimi arietis munere sibi conciliasse. *Virg. G.* 3, 391. et *Serv.* ℙ Latinis nominibus *Inuus*, *Incubo*, *Faunus*, *Fatuus*, *Fatuellus* vocatur. *Serv.* ad *A.* 6, 776. ℙ Etiam bellis praeesse dictus est, quia pastoribus, et militibus vanos terrores immittit acuta voce atque horribili, nocturnis occursationibus, et direptione gregum: unde *Panicus terror*. *Polyaenus Stratag.* 1, 2. narrat, Pana fuisse ducem in exercitu Bacchi: primum invenisse aciem, et in cornua eam disponere: unde cornuto capite fingi. Aliquando cum incessisset Bacchum metus ex hostium multitudine, Pana jussisse milites inconditum magnumque clamorem noctu edere, quo resonantibus circa montibus, et majorem hostibus, quam crediderant, militum numerum significante, conterritos eos in fugam se conjecisse: hinc et Echo amicam Panos fingi, et vanos nocturnosque terrores Πανικοὺς dici. *Val. Fl.* 3, 46. Deus ancipitem lymphaverat urbem, Mygdoniae Pan jussa ferens saevissima Matris, Pan nemorum bellique potens, quem lucis ad horas Antra tenent: patet ad medias per devia noctes. Setigerum latus, et torvae coma sibila frontis: Vox omnes super una tubas, qua conus, et enses, Qua trepidis auriga rotis, nocturnaque muris Claustra cadunt: talesque metus non Martia cassis, Eumenidumque comae, non tristis ab aethere Gorgon Sparserit, aut tantis aciem raptaverit umbris. Ludus et ille Deo, pavidum praesepibus aufert Cum pecus, et profugi sternunt dumeta juvenci.

PANĂCA, genus testae, seu vasis fictilis potorii, ap. *Mart.* 14, 100. in lemmate: Quidam affirmant, Panacos esse populos Rhaetiae, unde haec dicta sit.

[PĂNĂCE, es, f. πανάκη, eadem ac panacea. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 669, 2. Dis Manibus Antoniae M. F. Panaces. *F.*]

PĂNĂCEA, ae, f. et Panaces, is, n. et Panax, acis, m. πανάκεια, πάνακες, et πάναξ, herba, cujus multa genera *Plin.* 25, 4, 11. 12. 13. et 14. recenset, ab inventoribus praecipue nominata, Asclepion, Heraclion, Chironion, etc. Est a πᾶν, omne, et ἄκος, medela. *Plin. ib.* 11. Panaces ipso nomine omnium morborum remedia promittit. *Virg. A.* 12, 418. spargitque salubres Ambrosiae succos, et odoriferam panaceam. *Plin.* 26, 8, 58. Ischiadici sanantur panace poto; et *ib.* 11, 71. Carbunculos rumpit panaces; et 25, 11, 84. Capitis dolori medetur panacis omnium generum radix. *Colum.* 11, 3. *med.* Panax levi et subacta terra rarissime disseritur. ℙ Hoc nomine quidam appellant etiam ligustrum silvestre, ap. *Plin.* 19, 8, 50., item millefoliam panacen heraclion aliqui dicunt, *Id.* 25, 5, 19. ℙ *Panacea* dicta est etiam cunila bubula, efficax contra serpentes. *Plin.* 20, 16, 6. ℙ *Panacea* fuit etiam una ex quatuor filiabus Aesculapii. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 31. V. IASO.

[PĂNĂCOS Ceras. nempe πάνακος κέρας, *h. e.* panacis cornu vocatur herba Paeonia. *Appul. Herb.* 64. *F.*]

*PANACRA, oppidum Cretae insulae. *Mela* 2, 7. *med.* Cf. *Callimach. H. in Jov.* 51. qui ibi meminit τὰ Πάνακρα promontorium. *B. A.*

[PĂNAENUS, i, m. totus laudabilis; a πᾶς, omnis, et αἶνος, laus. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 911, 9. Panaenus Liviae lectorum decurio. *F.*] ℙ *Insignis pictor, Phidiae frater. *Plin.* 35, 8. ed. *Hard.* ubi pro *Panaenum* olim legebatur *Panaeum*. Πάναινος bis occurrit ap. *Pausan.* in *Eliac. prior. med.* p. 158. (*Wechel.*) *B. A.*

*PANAETĬUS, i, m. philosophus Stoicus, Rhodius, Scipionis Africani majoris praeceptor, Posidonii doctor, discipulus Antipatri. *Cic. Off.* 1, 26. *Id. Or.* 1, 11. et alibi fere passim. *Hor. Od.* 1, 27, 14. ubi genitivus *Panaeti* occurrit. Adde *Vell.* 1, 13. Scripsit libellum De Officiis, item De Providentia, De Magistratibus, etc. *Cic. Off.* 1 et 3, 2. *Id. Att.* 13, 8. et *Leg.* 3, 6. *Gell.* 13, 27. *B. A.*

PĂNAETŌLĬCUS, a, um, adj. ut Panaetolicum concilium. *Liv.* 31, 32. et 35, 32. Nam

PĂNAETŌLĬUM, ii, n. universae Aetoliae concilium, ut Panionium Ioniae. *Liv.* 31, 29. Concilium Aetolorum statuta die, quod Panaetolium vocant, futurum erat. ℙ Item mons altissimus Aetoliae, ita dictus, quasi totam occupet, vel prospectet Aetoliam. *Plin.* 4, 2, 3.

[PĂNĂRĒTUS, i, m. πανάρετος, omni virtutum genere ornatissimus: a πᾶν, omne, et ἀρετή, virtus. Est nomen propr. R. *Mart.* 6, 89. Arguto madidus pollice Panaretus. Hic prima syllaba metri necessitate producitur. *F.*]

PANARĬCĬUM, ii, n. morbus circa ungues digitorum. Vox est barbara, corrupta ex *paronychium*. *Appul. Herb.* 42. Scyllae radix pisata cum aceto, et pane, imposita panaricium mirifice sanat. V. PARONYCHIA.

PĂNĂRĬŎLUM, i, n. vasculum vimineum, in quo panis servatur: diminut. panarii. *Mart.* 5, 49. Cum panariolis tribus redisti. Intelligit ea, de quib. *Suet. Cal.* 18. Panaria cum obsonio viritim divisit.

PĂNĂRĬUM, ii, n. ἀρτοθήκη, locus, et vas, ubi panis servatur, panis repositorium. *Varr. L. L.* 4, 22. Hinc panarium, ubi id servabant, sicut granarium, ubi granum frumenti condebant, unde id dictum. *Plin. ep.* 1, 6. Proinde cum venabere, licebit auctore me, ut panarium, et lagunculam, sic etiam pugillares feras. *Suet. Cal.* 18. Panaria cum obsonio viritim divisit, *h. e.* canistra panibus referta. *Stat. Silv.* 1, 6, 31. Hi panaria, candidasque mappas Subvectant, epulasque lautiores. Al. leg. *pannaria* a *pannus*, quia in congiariis, de quibus *Stat.* loquitur, etiam vestes aliquando distributas legimus.

*PANARĬUS, i, m. ἀρτοπώλης *Vet. Gloss. B. A.*

PĂNATHĒNĂĪCON, i, n. παναθηναϊκόν, genus unguenti, quod Athenae perseveranter obtinuere, inquit *Plin.* 13, 1, 2.

PĂNATHĒNĂĪCUS, i, m. liber Isocratis, sic dictus, quoniam in Panathenaeis (sic vocabant festa Palladis quinto quoque anno celebrata ab Atheniensibus) erat recitandus. Continet autem Athenarum encomium, et rerum ab Atheniensibus gestarum. *Cic. Or.* 12. et *Sen.* 5. Hinc *Auson. Prof.* 1, 13. Sive panegyricos placeat contendere libros, In Panathenaicis tu numerandus eris. *Serv.* ad *Virg. G.* 3, 113. Varro in libro, qui Mirabilium inscribitur: Erichthonium primum junxisse equos ludis, qui Panathenaica appellantur.

PĂNAX. V. in PANACEA. ℙ Est etiam ferula unguentaria quinque cubitorum, foliis primo quaternis, mox senis in terra jacentibus, ampla magnitudine rotundis, in cacumine vero oleagineis, semine in muscariis dependente, ut ferulae. Excipitur succus exciso caule messibus, radice in autumno. Laudatur candor ejus coacti: deterior pallidus, niger color improbatur. *Plin.* 12, 26, 57.

[PANCĂLUS, i, m. πάγκαλος, totus pulcher. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Melchiorri*, *Syllog.* p. 88. Pancalus Augusti Lib. ℙ Item cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 88. P. Sextilius Panchrestus. Hic tamen animadvertendum est, in lapide, monente eodem *Marinio*, sub extremitate ultimae vocis insculptum esse CALLOS, quod quid significaret, ipse se ignorare fatetur. At cum *Boissonade* ad *Holstenii ep.* p. 149. putamus, eam esse quadratarii emendationem, qui, cum imprudens exarasset vulgare nomen *Panchrestus*, recordatus tum demum est homini non *Panchrestus*, sed *Pancalus* esse cognomen, et in ipsa emendatione erravit, litteram enim L perperam duplicavit. *F.*]

PANCARPĪNĔUS, a, um, adj. *Varr.* ap. *Non.* 1, 21. et 4, 271. de hirundine: Et pullos peperit fritinnientes, Quos non lacte novo levata pascat, Sed pançarpineo cibo coacto, Libamenta legens caduca victus, *h. e.* cibo ex fructibus omnis generis arborum: a πᾶς, omnis, et καρπὸς, fructus.

PANCARPĬUS et Pancarpus, a, um, adj. παγκάρπιος et πάγκαρπος, ex multis variisque rebus compositus: a πᾶς, omnis, et καρπὸς, fructus. Pancarpiae coronae, inquit *Festus*, ex vario genere florum factae. *Tert. adv. Valent.* 12. *f.* Iesum cognominant Soterem, et Christum, et Sermonem, et omnia jam, ut ex omnium defloratione constructum, graculum Aesopi, Pandoram Hesiodi, etc. Quam propius fuit de Atticis historiis pancarpiam vocari a tam otiosis auctoribus nominum. Respicit *Tert.* ad ramum oleae onustum uvis, ficubus, aliisque variis fructibus, quem pueri circumferebant Athenis festo quodam die. *Justin. novell.* 105. *c.* 1. πάγκαρπον vocat spectaculi genus, in quo varii generis bestiae simul inducebantur, et contra eas homines depugnantes. *August. adv. Secund.* 23. Nomine pancarpi, qui in ludicris muneribus edi solet, propter omnium generum, quae inerant, bestias, exagitatis Arcam Noe. V. *Salm.* ad *Capitol. Gord.* 33. ℙ

[Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Oderici*, *Syllog.* p. 158. Valerius Pancarpus. *F.*]

PANCHAEUS, a, um, adj. ad Panchaiam pertinens, Panchaius. *Virg. G.* 4, 379. Panchaeis adolescunt ignibus arae, *h. e.* ture incenso. *Lucr.* 2, 417. Araque Panchaeos exhalat propter odores. *Ov. Met.* 10, 478. Palmiferos Arabas, Panchaeaque rura relinquunt.

PANCHAĬĂ, ae, f. *Παγχαία*, regio Arabiae Felicis, tota arenosa: a *πᾶν*, omne, et *χαίνω*, hisco, quasi tota dehiscens. Post Sabaeos tus optimum producit. In ea apud urbem Solis phoenix reperitur, et nidum suum reponit, ut *Plin.* 10, 2, 2. ex aliorum fide narrat. *Virg. G.* 2, 139. Totaque turiferis Panchaia pinguis arenis. Adde *Val. Fl.* 6, 119. et *Claud. III. cons. Honor. f.*

PANCHAĬCUS, et

PANCHAĬUS, a, um, adj. Panchaeus. *Ov. Met.* 10, 309. Tura ferat, floresque alios Panchaia tellus. Al. leg. *Panchaica. Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 94. Panchaia cinnama. *Virg. Cul.* 86. Panchaica tura. *Heins.* invenit in MSS. *Panchaia. Arnob.* 7, 233. Numina non indigne sustinent, Panchaicas sibi ardere resinulas.

PANCHRESTĀRIUS, ii, m. pistor dulciarius: nam veluti *πάγχρηστος*, h. e. omnino utilis, vel omnibus accommodus est dulciarius panis. Ita *Turneb.* interpretatur *Advers.* 13, 14. ad illud *Arnob.* 2, 70. Fullones, lanarios, phrygiones, coquos, panchistarios. Alii leg. *panchrestarios.* V. v. sq.

PANCHRESTUS, a, um, adj. *πάγχρηστος*, omnino utilis: a *πᾶς*, omnis, et *χρηστός*, utilis. *Plin.* 36, 20, 38. Aematites Aethiopicus oculorum medicamentis utilissimus, et iis quae panchresta appellant. *Id.* 23, 7, 71. Fit e pomo panchrestos stomatice. *Salv. Gubern. D.* 6, 16. Quos parvulos morigeros minae ac ferulae non efficiunt, interdum panchresta atque blanditiae ad obedientiam trahunt. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 3, 65. Cum omnes ejus comites iste sibi suo illo panchresto medicamento amicos reddidisset, *h. e.* pecunia, quae ad omnia utilis est. ℙ Est qui mallet *panchristus* et *panchristarius* a *πάγχριστος*, qui ad omnia illinitur, a *χρίω*, ungo. Sed praestat scribere *panchrestus* et *panchrestarius*, tum quia ungendi notio minime huc spectat, tum quia prior scriptio est a vulgari pronunciatione; notum quippe est *η* Graecorum tam in Graecia, quam Romae vulgus imperitum per litteram *i* extulisse. ℙ *Panchrestus* est etiam cognomen R. V. PANCALUS. [*Multa addidit *F.*]

[PANCHROMOS, i, m. *πάγχρωμος*, totus coloratus: a *πᾶν*, omne, et *χρῶμα*, color. Ita vocatur herba verbanaca ap. *Appul. Herb.* 3. *F.*]

PANCHRUS gemma fere ex omnibus coloribus constans, inquit *Plin.* 37, 10, 66., a *πᾶς*, omnis, et *χρόα*, color.

[PANCHRYSOS, i, m. et f. *πάγχρυσος*, totus aureus: a *πᾶν*, omne, et *χρυσός*, aurum. *Plin.* 6, 29, 24. Berenice urbs, quae Panchrysos cognominata est. *F.*]

PANCRĀTĬAE, arum, m. plur. pancratiastae. *Gell.* 13, 27. Esse oportet animo semper prompto atque intento, ut sunt athletarum, qui pancratiae vocantur. Al. malunt *pancratiastae.*

[PANCRĀTĬĀLIS, e, adj. ad pancratium pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1490, 13. Pompeja Pancratialis. *F.*]

*PANCRATIARĬI, *παγκρατιάριοι Gloss. Lat. Gr. B. A.*

PANCRĀTĬASTES, ae, m. *παγκρατιαστής*, certator, et victor pancratii. *Gell.* 3, 15. Diagoras tres filios adolescentes habuit, unum pugilem, alterum pancratiasten, tertium luctatorem. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 3. Myron fecit Satyrum, Minervam, Delphicos pentathlos pancratiastas.

PANCRĀTĬCE, adv. robuste, ut Pancratice valere, idest robustum esse, et firma corporis valetudine, ut solent ii, qui pancratio exercentur. *Pl. Bacch.* 2, 3, 14. Bene ne usque valuit? *Chrys.* Pancratice, atque athletice.

PANCRĀTĬUM, ii, n. *παγκράτιον*, gymnicum certamen, quod constabat pugilatu, et luctatione: a *πᾶν*, omne, et *κράτος*, robur, quod omnium nervorum, viriumque contentione transigeretur. Nam non pugnis modo, sed et calcibus, et cubitis utebantur, ut indicat *Quint.* 2, 8., ubi ait: Sicut ille exercendi corpora peritus, non, si docendum pancratiasten susceperit, pugno ferire, vel calce tantum, aut nexus modo, atque in his certos aliquos docebit; sed omnia, quae sunt ejus certaminis. *Suidas* quoque pancratiastas esse dicit, *οἱ ταῖς χερσὶ καὶ τοῖς ποσὶ πυκτομαχοῦσι. Prop.* 3, 12, 8. Et patitur duro vulnera pancratio. *Sen. Ben.* 5, 3. Lacedaemonii vetant suos pancratio, aut caestu decernere. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 17. Autolycos pancratio victor; et 35, 11, 40. *n.* 32. Qui pancratio vicit Olympia. V. PAMMACHUM. ℙ Appellatur etiam hoc nomine herba cichorium propter singularem vim, et salubritatem, quasi omnia potens. *Plin.* 20, 8, 30. ℙ Item scilla pusilla propter eandem rationem. *Id.* 27, 12, 92. ℙ *Pancratium metrum* ap. *Serv.* in *Centimetr.* p. 1819. est trochaicum, et constat monometro hypercatalecto, ut *Auctor optimus.*

PANCTĬO, onis, f. actus pangendi, plantatio. *Pall.* 11, 3. *in lemmate:* De notanda vitium fertilitate, qua providebimus panctioni. Sed haec *Palladii* verba non sunt. *Et profecto desunt in edd. *Gesn.* et *Schneider. B. A.*

PANDA, ae, f. Dea, quae aliis Ceres est, aliis Dea pacis, aliis quae pandit viam ad aliquem locum capiendum. *Gloss. Philox.* Panda, *εἰρήνης Θεός. Varr.* ap. *Non.* 1, 209. putat esse Cererem, et ita dictam a *pane dando*, quod in sacellum ejus qui confugissent, iis panis daretur. *Arnob.* 4, 128. Quod Tito Tatio, Capitolinum ut capiat collem, viam pandere atque aperire permissum est, Dea Panda est appellata, vel Pantica. *Varr.* ap. *Gell.* 13, 22. Te Anna Perenna, Panda, te Lato, Pales, Nerienses, et Minerva, Fortuna, ac Ceres. Hic *Panda* a Cerere distinguitur. Quare certius videtur, fuisse Deam pacis, inde dictam, quod pacis tempore urbium portae panduntur. V. EMPANDA. ℙ *Item opp. Sogdianae. *Plin.* 6, 16. ℙ Fuit et *Panda, ae*, m. fluvius Scythiae Asiaticae, in Siracorum vel Siracenorum agro. *Tac. A.* 12, 16. *B. A.*

*PANDAE, arum, populi Indiae, cis Gangem, feminis regnata. *Plin.* 6, 20. ℙ Sedem his olim fuisse, ubi nunc paeninsula *Guzurate*, sententia est *Harduini.* ℙ Fortasse i. q. Padaei. V. PADAEI. V. et PANDORAE. ℙ Hinc

*PANDAEUS, a, um, adj. ad Pandas spectans. *Solin.* 52. (al. 65.) Pandaea gens. *B. A.*

PANDĀNA, ae, f. una ex tribus, aut quatuor portis priscae Romae ab Romulo conditae, ita dicta, quod semper pateret, ut *Paul.* ex *Festo* docet. *Varr. L. L.* 4, 7. Saturnia porta, quam Junius scribit, quam nunc vocant Pandanam. Adde *Solin.* 1.

[PANDĀRUS, i, m. *Πάνδαρος*, Trojanus, Alcanoris Idaei filius, una cum fratre Bitia a Turno interfectus. *Virg. A.* 9, 672. et *ib.* 11, 196. ℙ Item Lycaonis Lycii filius, qui jussu Minervae certamen Menelai et Paridis teli jactu diremit. *Id. ib.* 6, 495. *F.*]

[PANDĀTĀRĬA, ae, f. insula Volscorum in mari Tyrrheno, circuitu sex mill. passuum, quae nunc *Ventotene* appellatur. In eam relegata est Agrippina Germanici uxor, *Suet. Tib.* 53. et Julia Augusti filia, *Tac. A.* 1, 53. *F.*]

PANDĀTĬO, onis, f. actus pandandi, curvatio, curvatura. *Vitr.* 7, 1. Contignationes humore crescentes, aut siccitate decrescentes, seu pandationibus sidentes, movendo se faciunt vitia pavimentis.

PANDĀTUS, a, um, part. ab *pando*, *as:* in pandum latumque curvatus. *Plin.* 11, 10, 10. de apib.: Quae flores comportant, prioribus pedibus femina onerant: totaeque onustae remeant sarcina pandatae. *Quint.* 11, 3. *med.* Sunt et illi breves gestus, cum manus leviter pandata, qualis voventium est, parvis intervallis, et subassentientibus humeris movetur.

PANDECTAE, arum, m. plur. *οἱ πανδέκται*, volumina, quae omnia continent, seu in quibus de omnibus rebus disseritur: a *πᾶν*, omne, et *δεκτός*, quod a *δέχομαι*, complector. *Πανδέκτας* primus Tullius Tiro Ciceronis libertus libros quosdam suos de variis ac promiscuis quaestionibus inscripsit, tanquam omne rerum atque doctrinarum genus continentes, teste *Gell.* 13, 9. *Plin. praef. H. N.* ponit hanc inscriptionem inter illecebrosas, et magna promittentes, propter quas, ut ipse ait, vadimonium deseri possit. ℙ Eodem modo inscripti sunt a *Justiniano* in *ep. ad Senat. et omn. pop.* libri Digestorum, qui ex triginta septem Jurisconsultis sunt coagmentati, quia omnes leges atque jura, et omnes Jurisconsultorum disputationes seu responsa de jure continent. ℙ De genere non conveniunt grammatici: usus Latinus obtinuit, ut per femininum efferatur: quia tamen apud Graecos masculinum est, alii contra communem usum inclamant. Ceterum non est novum Graeca masculina transire apud Latinos in feminina, ut docet *Prisc.* 7, 759. ex *Varr.*, ut *ὁ κοχλίας, haec cochlea*, *ὁ χάρτης, haec charta*, etc. ℙ In singul. num. est *pandecta, ae*, Latina, et *pandectes, ae*, Graeca positione. *Charis.* 2, 186. Novissime, Tiro in Pandecte non recte ait dici.

PANDECTER, *πανδεκτήρ*, titulus est libri quarti *Apicii* de arte coquin. et significat, *omnia continens*, eadem origine, qua *Pandecta.*

PANDĒMUS. V. in EPIDEMUS.

*PANDI, orum, populi Carmaniae. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

[PANDĬĂ, ae, f. gemma, in qua unus se fulgor non potest continere, fluctuat aspectibus tremulis, dum lapis teneatur immobilis. Haec *Cassiod. Variar.* 5, 34. *F.*]

PANDĪCŪLĀRIS dicebatur dies, idem et communicarius, in quo omnibus Diis communiter sacrificabatur. *Paul.* ex *Festo.*

PANDĪCŪLOR, aris, pass. I. extendor, *σκορδιάομαι. Paul.* ex *Festo.* Pandiculari dicuntur, qui toto corpore oscitantes extenduntur: eo quod pandi fiunt. *Pl. Men.* 5, 2, 80. Ut pandiculans oscitatur!

PANDĬON, ōnis, m. *Πανδίων*, filius Erichthonii regis Athenarum, qui patri successit in regno. Hujus filiae fuerunt Progne, et Philomela. V. *Hyg. fab.* 48. *Ov. Met.* 6, 426. Quem sibi Pandion opibusque virisque potentem, etc.; et 676. Tartareas Pandiona misit ad umbras; et 634. Cui sis nupta, vides, Pandione nata, marito, *h. e.* Progne. *Mart.* 1, 26. Quod nec Cecropiae damnent Pandionis arces. *Lucr.* 6, 1141. Pandionis populus, *h. e.* Athenienses. ℙ Pandione nata *Ov. Pont.* 1, 3, 39. est luscinia. V. PHILOMELA. ℙ *Fuit et Pandion, Jovis et Lunae filius. *Hyg. fab. praef.* ℙ Alius, rex Indicus, tempore Augusti Caesaris. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

PANDIŌNĬUS, a, um, adj. ad Pandionem pertinens. *Ov. Met.* 15, 430. Quid Pandioniae restant nisi nomen, Athenae? *Prop.* 1, 20, 31. Jam Pandioniae cessat genus Orithyiae, *h. e.* sororis Pandionis. *Claud. IV. Cons. Honor.* 506. talem sensere Solonem Res Pandioniae, *h. e.* Atheniens. respubl. *Id. B. Gild*, 406. Pandioniae phalanges, *h. e.* Athenienses. *Id. Rapt. Pros.* 2, 19. arces, *h. e.* Athenae. Eodem sensu *Stat. Th.* 2, 720. Pandionius mons. *Sen. Octav.* 8. Pandioniae volucres, *h. e.* luscinia, et hirundo, in quas mutatae sunt Philomela, et Progne Pandionis filiae. *Sidon. carm.* 23, 137. Pandionia cavea, *h. e.* theatrum Athenarum.

PANDO, as, a. I. *κορτόω*, curvo, inflecto, pandum facio. *Qnint.* 11, 3. *med.* Pectus ac venter ne projiciantur, observandum: pandant enim posteriora, et odiosa est omnis supinitas. *Plin.* 19, 5, 23. de cucumerib.: Desecti quoque ad aquas modice distantes adrepunt: aut si quid obstet, versi pandantur, curvanturque. ℙ *Pandari*, et *pandare* dicuntur arbores, tigna, cum flectuntur, et oneri cedunt. *Plin.* 16, 42, 81. Cetera omnia inferiora pandantur: palma e contrario fornicatim. Adde *ib.* 39, 74. et *ib.* 40, 79. *Vitr.* 2, 9. *med.* Ulmus et fraxinus celeriter pandant. *Id.* 6, 11. Limina et trabes structuris cum sint oneratae, medio spatio pandantes frangunt sua lysi structuras. *Colum.* 4, 16. *f.* Firmiora juga sunt alliganda, ut rigorem habeant, nec pandentur onere fructuum.

PANDO, is, pandi, pansum, et passum, a. 3. *πετάννυμι.* [*Quae *Varro* (ap. *Non.* 1, 209.) lib. de vita populi R. existimat, ea causa dici, quod qui ope indigerent et asylum Cereris confugissent, panis daretur: *pandere* ergo quasi *panem dare*, quod nunquam fanum talibus clauderetur: istae quidem nugae videntur. Prima vocis significatio, quam *Noster* tertio loco posuerat, est expandendi, extendendi, distendendi. Exempla laudata erant ista:] *Cic. Tusc.* 4, 5. vela pandere. *Virg. G.* 1, 398. pennas ad solem. *Plin.* 9, 8, 9. retia. *Tac. H.* 2, 25. et 4, 33. aciem, i. e. explicare ordines. *Plin.* 29, 4, 27. Araneus telas muscis in parietibus latissime pandit. *Virg. A.* 6, 282. ulmus brachia pandit. *Plin.* 21, 4, 10. Rosa paulatim dehiscit, ac sese pandit. *Liv.* 21, 37. Ita torridam incendio rupem ferro pandunt, i. e. diffindunt, perfringunt. *Liv.* 32, 4. Repente velut maris vasti, sic immensa panditur planities, ut, etc. *Val. Fl.* 4, 99. Proxima Bebrycii panduntur litora regni, [*i. e. ante oculos quasi expanduntur navigantium.] *Plin.* 6, 13, 15. ubi mare coepit in latitudinem pandi. Adde *Colum.* 2, 22. Feriis ritus majorum etiam illa permittit, far pinsere, faces incidere, mala, pira, ficos pandere, etc.; et 12, 39. Pandere uvas in sole: [*utroque loco *pandere* significat disponere siccandi, desiccandi causa: *auf die Darre legen.* V. in PASSUS, a, um.] ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 25. Illa divina bona longe lateque se pandunt, coelumque contingunt, *h. e.* patent. *Id.* in *Arat.* 5, 453. cum cauda omnis jam panditur Hydra, *h. e.* tota exoritur, et se conspiciendam praebet. ℙ [*Hinc aperiendi, patefaciendi notio derivanda, quam Noster pravo consilio ab initio collocaverat, his laudatis exemplis:] *Pl. Bacch.* 3, 1, 1. Pandite, atque aperite propere januam hanc. *Virg. A.* 2, 234. Dividimus muros, et moenia pandimus urbis. *Enn.* ap. *Fest.* in *Genas:* Pandite sulti', genas. *Petr. Sat.* 102. Pandere crura in orbem. *Hor. Sat.* 2, 2, 26. de pavone: et picta pandat spectacula cauda. *Virg. A.* 6, 421. de Cerbero: ille fame rabida tria guttura pandens. *Liv.* 4, 15. Nulla merita cuiquam ad dominationem pandunt viam. *Id.* 10, 41. Panduntur inter ordines viae: provolat eques; et *ib.* 5. *med.* Pandere viam fugae. [**Virg. G.* 2, 257. piceae tantum, taxique nocentes Interdum aut hederae pandunt vestigia nigrae, i. e. indicant.] *Lucr.* 6, 258. Et cum tempora se veris florentia pandunt; et 5, 1247. Pandere agros pingues, et pascua reddere rura, *h. e.* aratro aperire, solvere, colere. ℙ [*Unde translate ponitur pro indicare, ostendere, enarrare, explicare ea, quae obscura, incognita sunt. *Virg. A.* 6, 267. Pandere res alta terra et caligine mersas. *Ov. Met.* 4, 679. Pande requirenti nomen terraeque, tuumque, Et cur vincla geras. *Sen. Herc. Fur.* 301. Pande, quid fieri jubes? Atque solennis quidem est vox vatum et poetarum.] *Virg. A.* 3, 479. Ausoniae pars illa procul, quam pandit Apollo. [**Id. ib. v.* 252. Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo Praedixit, vobis Furiarum ego maxima pando.]

Id. ib. 6, 723. Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit. [**Lucan.* 6, 590. O decus Aemonidum, populis quae pandere fata, Quaeque suo ventura potes devertere cursu: ubi *Cort.* laudat *Claud. Praef. II. Eutrop.* 37. Miror, cur aliis qui pandere fata solebas. V. *Gronov. Observv.* 4, 12. p. 432. *ed. Fr.* — Locos, in quibus de poetis dicitur, Forc. hos laudaverat.] *Lucr.* 5, 55. Atque omnem rerum naturam pandere dictis. *Plin. prooem. l.* 14. Hesiodus praecepta agricolis pandere orsus. *Val. Fl.* 1, 12. versam proles tua pandet Idumen. Namque potest, *h. e.* carmine persequetur, illustrabitque. *Petr. Sat.* 89. Itaque conabor opus versibus pandere. *Stat. Silv.* 1, 5, 29. vestra est, quam carmine molli Pando, domus; [**et al.* saepissime.] ℙ Praeterit. *pandi* agnoscitur a *Prisc.* 10, 891. ℙ Part. *Pandendus* ap. *Plin.* 9, 8, 9. Locum pandendis retibus habilem effugere festinant delphini.

PANDORA, ae, f. *Πανδώρα*, prima mulier, a Vulcano Jovis jussu fabricata, quam singuli Dii donis suis ornaverunt. Pallas enim sapientiae donum ei contulit, Venus formae, Apollo musices, Mercurius eloquentiae. Dicta est a *πᾶν*, omne, et *δῶρον*, donum, quasi omnium donum, vel quasi ab omnibus donata, vel donata omnium rerum genere. Ea data in conjugium Epimetheo Promethei fratri, Pyrrham peperit, quae mortalis dicitur prima esse creata. *Hyg. fab.* 142. ℙ *Pandora Hesiodi*, proverb. de re, cui construendae multi operam contulerunt. *Tert. adv. Valent.* 12. V. *Hesiodi Opera et Dies v.* 60. et sqq., ubi graphice Pandorae fabula narratur. ℙ In illo *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 4. In base quod caelatum est, Pandoras genesin appellavit: *Pandoras* genitivus est Graecae positionis.

*PANDORAE, arum, populi Indiae, fortasse i. q. Pandae. *Plin.* 7, 2. *B. A.*

*PANDOSIA, ae, f. *Πανδοσία*. urbs Epiri ad Acherontem fluvium. *Liv.* 8, 24. *Plin.* 4, 1. ℙ Item urbs Italiae, in Bruttiis, ad Acheruntem fluvium, in qua Alexander Epirotes occubuit. *Justin.* 12, 2. Juxta urbem Pandosiam Alexander, non prius fatalis loci cognito nomine quam occideret, interficitur. *Liv. l. c.* Data dictio erat Alexandro, Caveret Acherusiam aquam, Pandosiamque urbem: ibi fatis ejus terminum dari. Adde *Plin.* 3, 11. ubi Lucanorum urbem fuisse refert *Theopompus.* Sed ibi pro *Pandosiam* Codicum lectio est *Mandoniam. B. A.*

[PANDROSOS, i, f. *Πάνδροσος*, filia Cecropis, Atheniensium regis, soror Aglauri, et Herses. *Ov. Met.* 2, 559. commissa duae sine fraude tuentur, Pandrosos, atque Herse: timidas vocat una sorores Aglaures. *Id. ib.* 737. Pars secreta domus, ebore et testudine cultos Tres habuit thalamos: quorum tu, Pandrose, dextrum; Aglauros laevum; medium possederat Herse. V. AGLAUROS. *F.*]

PANDURA. V. v. sq.

PANDURIZO, as, n. l. *πανδουρίζω*, panduram pulso. Est autem pandura musicum quoddam instrumentum a Pane inventum, ut ait *Isid. Orig.* 3, 20. *Pollux* vero *Onom.* 4, 9. §. 60. tradit esse instrumentum trichorde ab Assyriis inventum, *Hesych.* in *Ξύριγγες*, esse multas tibias cera junctas. *Capell.* 9, 307. Quidam agrestes canorique semidei, quorum hircipedem (*h. e.* Pana) pandura, Silvanum arundinis enodis fistula sibilatrix rurestris Faunum tibia decuerunt; et p. 313. loquitur Harmonia: Panduram Aegyptios attentare permisi. *Lampr. Etag.* 32. Ipse ad tibias dixit, tuba cecinit, pandurizavit, organo modulatus est.

[PANDURUS, i, m. *πάνδουρος*, qui panduram tractat. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 85, 6. L. Camurius L. L. Pandurus. *F.*]

PANDUS, a, um, adj. *κυρτός*, pandatus, incurvus, leviter inflexus. *Vitr.* 2, 9. Cupressus et pinus, habentes humoris abundantiam, in operibus solent esse pandae. *Ov. Met.* 14, 660. Suspiciens pandos autumni pondere ramos. *Virg. G.* 2, 445. pandas ratibus posuere carinas; et 194. Lancibus et pandis fumantia reddimus exta. *Ov. Amor.* 1, 13, 16. Prima vocas tardos sub juga panda boves: et *Met.* 10, 271. juvencae pandis cornibus. *Id. Trist.* 3, 10, 43. pandi delphines. *Id. Met.* 3, 674. de eo, qui in delphinum vertitur: et lati rictus, et panda loquenti Naris erat, *h. e.* sursum inflexa, et resima; et *ib.* 10, 713. de apro: Protinus excussit pando venabula rostro. *Sil.* 3, 277. panda manus est armata cateja. *Mart.* 14, 106. panda urceus ansa. *Quint.* 6, 3. *med.* Junium hominem nigrum, et macrum, et pandum, fibulam ferream dixit. *Ov. A. Am.* 1, 543. Ebrius ecce senex pando Silenus asello Vix sedet, *h. e.* qui curvato dorso est, et aliquantum depresso. ℙ [Fuit etiam cogn. R., ut Latinius Pandus propraetor Moesiae, ap. *Tac. A.* 2, 66. *F.*]

*PANEAS, adis, *Πανεὰς* sc. *πόλις*, *γῆ* seu *χώρα*, et *πηγή*, urbis, fontis, itemque regionis nomen, in Judaea, in Trachonitide, Phoeniciae conterminorum. Fontis meminit *Plin.* 5, 15. Regionis *Id. ib.* 18. Urbis quae et Caesarea Philippi dicta, mentio facta est ap. *Joseph. Ptolem.* et *Steph. Byz. B. A.*

PANĔFĪCĬUM. V. PANIFICIUM.

PANĒGYRĬCUS, a, um, adj. *πανηγυρικός*, laudatorius, ut Panegyrica oratio. *Cic. Or.* 11. Laudationum, scriptionum, et historiarum, et talium suasionum, qualem Isocrates fecit panegyricum: subaudi *sermonem.* Sic *Quint.* 10, 4. Panegyricum Isocratis decem annis dicunt elaboratum. *Auson. Profess.* 1, 13. Sive panegyricos placeat contendere libros. *Hieron. ep.* 118. *n.* 4. Laudent te alii, et tuas contra diabolum victorias panegyricis prosequantur. *Lact.* 1, 15. *med.* Etiam malos panegyricis mendacibus adulantur.

PANĒGYRIS, is, f. *πανήγυρις*, conventus publicus, vel nundinae, quales quinto quoque anno Athenis celebrari solitas, scribit *Herod.* 6.; a *πᾶν*, omne, et Aeolico *ἄγυρις* pro *ἀγορά*, coetus. *Cic. Att.* 1, 14. Graecis litteris scribit. Erat, inquit, in eo ipso loco, illo die nundinarum *πανήγυρις.* ℙ *Claudiani* carmina omnia, quae alicujus laudes continent, *panegyris* titulum habent, *h. e.* elogium magno populi conventu pronunciatum.

PANĒGYRISTA, ae, m. *πανηγυριστής*, laudator. *Sidon. ep.* 4, 1. Si quid heroicus arduum, comicus lepidum, panegyrista plausibile condiderunt.

PANĒROS, ōtis, f. *πανέρως*, quasi omni amore digna: a *πᾶν*, omne, et *ἔρως*, amor: gemma est, aliis pansebatos dicta, quae fecunditatem afferre creditur. *Plin.* 37, 10, 66. ℙ [Est etiam nomen propr. servi. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 631. M. Antonius Panerotis Aug. L. L. Amethystus. *F.*] ℙ *Occurrit etiam ap. *Suet. Ner.* 30. *B. A.*

PANGAEUS, i, m. et in plur. num. Pangaea, orum, n. plur. *Malaca*, *Castagna*, *Παγγαῖος*, mons Thraciae, in Macedoniae confinio, Philippis urbi imminens, ad cujus radices Nestus fluvius decurrit. Rosarum ferax est. Abundat item cinnamis. Ibi etiam auri et argenti fodinae. *Plin.* 4, 11, 18. Mons Pangaeus, Heraclea, Olynthos. *Virg. G.* 4, 462. flerunt Rhodopeiae arces, Altaque Pangaea, etc. ℙ Adjective. *Val. Fl.* 4, 631. Pangaea juga; et 1, 575. Pangaea Boreas speculatus ab arce. *Sil.* 2, 73. Pangaea nemora.

PANGO, is, nxi, nctum, item pĕgi, et pĕpĭgi, pactum, a. 3. *πήγνυμι*, figo, infigo, sero, planto. Praeteritum *pegi*, et *pepigi*, est a *pago*, *is. Liv.* 7, 3. Ut qui praetor maximus sit, idib. Septembr. clavum pangat. V. CLAVUS. *Colum.* 3, 12. *med.* Vicena millia malleolorum per vineae jugerum inter ordines pangimus. *Id.* 11, 3. *med.* Lactuca mense Martio recte pangitur; et *ib.* 2. *med.* Taleam olearum cum panxeris, oportet fimo oblinire. *Id.* 10, 251. ceu littera proxima primae Pangitur in cera docti mucrone magistri; et 11, 2. *med.* Vitiaria diligenter facienda, malleolisque quam recentissimis curiosissime pangenda. *Prop.* 3, 15, 15. Ipse seram vites, pangamque ex ordine colles. *Pall.* 3, 9. *med.* Is qui pancturus est, projecta circa surculos sarmenta sine ullo errore deponet. *Pacuv.* ap. *Fest.* in *Tonsillam*, et ap. *Prisc.* 10, 894. Tonsillam pegi laevo in litore. Hinc *impegi*, et *compegi.* [**V. Ruddim.* 1, 239. sq.] ℙ Translate *pangere filios*, h. e. procreare, dixit *Tert. Apol.* 9. *f.* ℙ *Pangere versus* est facere, et scribere, quia litterae stilo in cera panguntur, ut ait *Fest.* in *Pangere*, et in *Impages. Cic. Fam.* 16, 18. *f.* Sed tu nullos ne tecum libellos? an pangis aliquid Sophocleum? *Lucr.* 4, 8. obscura de re tam lucida pango Carmina. *Hor. Ep.* 1, 18, 40. Pangere poemata. *Mart.* 11, 3. At quam victuras poteramus pangere chartas, Quantaque Pieria proelia flare tuba! *Val. Max.* 2, 1. *f.* Egregia superiorum opera carmine comprensa pangebant. *Tac. A.* 14, 16. Carminum quoque studium affectavit; contractis quibus aliqua pangendi facultas. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 15. Hic vestrum panxit maxuma facta patrum. *Id. ex collect. Merulae.* Horrida Romuleum certamina pango duellum. ℙ [*Hinc firmiter aliquid constituere. *Cic. Leg.* 1, 21. Requiri placere terminos, quos Socrates pegerit, iisque parere. Alii leg. *pepigerit.* Nec improb. *Orell. Id. Pis.* 16. Obtinuisti provinciam consularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuae, non quos lex generi tui pepigerat. Nimirum praeteritum *pepigi* fere ponitur cum paciscendi significatione, quae ex praecedentis loci genere loquendi, originem duxisse recte dicitur. Exempla Noster laudaverat ista.] *Cic. Off.* 3, 24. Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem, pepigeritque, ne illo unquam postea uteretur. *Virg. A.* 10, 902. Nec tecum meus haec pepigit tibi foedera Lausus; et *ib.* 11, 133. Bis senos pepigere dies, et pace sequestra, etc. *Liv.* 9, 11. et 24, 29. Pacem nobiscum pepigistis, ut legiones vobis captas restitueremus. *Id.* 27, 30. *med.* Ne antea quidem se de pace audisse, aut inducias pepigisse. *Pl. Bacch.* 4, 8, 38. Ducentis Philippis rem pepigi. *Ov. Amor.* 1, 10, 49. Non fuit armillas tanti pepigisse Sabinas, Ut, etc. *Tac. A.* 14, 31. Resumere libertatem occultis conjurationibus pepigerant; et *ib.* 42. Pedanium servus ipsius interfecit, negata libertate, cui pretium pepigerat; et *ib.* 13, 14. Pepigerat Pallas, ne cujus facti in praeteritum interrogaretur. ℙ Saepe idem praeteritum refertur ad pacta nuptialia. *Ov. Her.* 16, 36. Te peto, quam lecto pepigit Venus aurea nostro; et *ib.* 20, 157. Haec mihi se pepigit: pater hanc tibi. *Catull.* 62, 28. Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes, Nec junxere prius, quam, etc. ℙ *Paxim* antique pro *pepigerim*, dato pignore certaverim. *Pl. Amph.* 1, 3, 13. Ego paxim, te Amphitruonem esse malis, quam Jovem. *Id. Merc.* 4, 6, 10. Ecastor paxim, si itidem plectantur viri, plures viri sint vidui, quam nunc mulieres. *Id. Truc.* 1, 1, 43. Paxim, lenonum et scortorum minus siet. Al. ubique melius *faxim* leg.

PANGONĬUS, ii, m. *παγγώνιος*, gemma pluribus angulis, *Plin.* 37, 10, 66. Est a *πᾶς*, omnis, et *γωνία*, angulus.

[*PANHORMUS, i. V. PANORMUS.]

[PANĬCELLUS, i, m. dimin. panis, magdalium. *Plin. Valer.* 1, 6. Post haec supermittis panicellos debuccellatos, quos conficis ita: et *mox:* Hoc ergo apozema conspergi facies buccellari farina, et sic facies, ut dixi, panicellos latos et subtiles, etc. *F.*]

PANĬCĔUS, a, um, adj. a *panis.* Hinc *Pl. Capt.* 1, 2, 59. per jocum appellat milites paniceos, pistorienses, et placentinos. Alii paniceos dictos putant respectu ad Panam urbem Samnii, de qua *Strabo l.* 5., [sed hic ibidem *Paunam*, non *Panam* memorat; itaque alia est quaerenda urbs, cujus incolae joculariter panicei appellandi sint: haec fortasse est Panopolis urbs Aegypti. *Serv.* ad *Virg. A.* 3, 257. Majores nostri has mensas habebant in honorem Deorum: paniceas scilicet, *h. e.* magnas placentas e pane confectas. *F.*]

[PANĬCĬUM, ii, n. idem ac panificium. *Cassiod. Var.* 9, 5. Primo tempore panicii speciem coemptam in propriam redegere substantiam, spectantes caritatem mediocribus gravem, ut parcius reponentibus detestabilem inferant nuditatem, quando homines in famis periculo constituti, etc. ℙ *Panicium* est etiam panicum, unde nostrates nunc vulgo *panizzo* appellant. *Edict. Dioclet.* p. 27. Milii integri K. M. Ж. quinquaginta, panicii K. M. Ж. quinquaginta. *Paul. Nol. ep.* 3. *ad Sever.* Fabam tantum milio, panicioque confundens. Adde *Not. Tir.* p. 112., ubi perperam *pannicium* legitur. *F.*]

PANĬCŬLA, ae, f. *φόβη*, *ἀνθήλη*, lanugo, sive capillamentum, sive coma lanosa in milio, panico, arundine, avellanis, in omnibus fere arboribus picei generis, in qua semen dependet: denique quicquid oblonga, et subrotunda forma tumet: a *panus* dimin. ut *Fest.* docet. *Plin.* 16, 10, 19. E ramis generum horum panicularum modo nucamenta squamatim compacta dependent. *Id.* 18, 7, 9. *n.* 3. Panicum a paniculis dictum, cacumine languido nutante. *Id.* 21, 4, 10. Graecula rosa convolutas habet foliorum paniculas. *Pl. Mil.* 1, 1, 17. Cujus tu legiones difflavisti spiritu, quasi ventus folia, aut paniculam tectoriam, *h. e.* paniculam arundinum, qua quidam utebantur tegendis villaticis domibus, ut *Plin.* 16, 36, 64. tradit, et significat etiam ipse *Pl. Rud.* 1, 2, 34. Ita legit, et interpretatur *Turneb. Advers.* 2, 28. Al. leg. *peniculum tectorium,* quod minus huic loco convenire videtur. Ceterum *panicula* dimin. a *panus* agnoscitur etiam a *Prisc.* 3. *f.* ℙ Translate *panicula* dicitur tumor mammosus circa inguina praecipue nascens. *Appul. Herb.* 13. Cum caluerit, impones super paniculam, et panno ligabis lineo. *Scrib. Comp.* 82. Malagma ad mammarum duritiem, ad paniculas, ad tubera, et cetera, quae subito adnascuntur.

PANĬCUM, i, n. *ἕλυμος*, *μελίνη*, genus frugis, a paniculis sic dictum, cacumine languido nutante, paulatim extenuato paene in surculum, ut *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 3. describit. *Caes. B. C.* 2, 22. Panico vetere, atque hordeo corrupto omnes alebantur. [**Welscher Fench*, Panicum Italicum, *L.* — Secundum aliorum sententiam *Buchweizen*, Polygonum Fagopyrum, *L.*, sed acceperunt hoc frumenti genus ante hos demum quadringentos annos Itali.]

PANĬCUS, a, um, adj. ad Panem Deum spectans. *Panicus terror* est pavor repentinus sine causa obortus, terriculamentum inane, quicquid cum stupore contingit. Causa appellationis est, quia veteres existimabant, Panem Deum repentinos terrores, et animi consternationes immittere. V. PAN. Hujusmodi timoris exemplum habes ap. *Curt.* 4, 12. *med.* Alexandri, inquit, exercitum pavor, cujus causa non suberat, invasit: quippe lymphati trepidare coeperunt, omnium pectora occulto metu percurrente, etc. *Hyg. Astron.* 2, 28. de Capricorno: Hic dicitur, cum Juppiter Titanas oppugnaret, primus objecisse hostibus terrorem, qui *Πανικὸς* appellatur. *Cicero* hanc vocem Graecis litteris scribit *Att.* 14, 3. Rumorem magnum afferunt *Πανικὸν* certe. Sic *ib.* 5, 20. Scis enim dici quaedam *Πανικά*. Adde *ib.* 16, 1.

[PANĬFEX, ĭcis, m. qui panem conficit. *Theod. Prisc.* 4, 2. Ut illud quod in panificio separant panifices, fermento relicto, alterius panis confectioni profuturo. *Gloss. Philox.* Panifex, *ἀρτοποιός*. *F.*]

PANĬFĬCĬUM, ii, n. *ἀρτοποιΐα*, panis confectio.

Varr. L. L. 4, 22. Panis, quod primo figuras faciebant mulieres in panificio Panis. ℙ Item ipse panis. [*Placentulae, pani similes, *(Gebäck.)*] *Cels.* 2, 18. Scire oportet omnia legumina, quaeque ex frumentis panificia sunt, generis valentissimi esse; et *ib. med.* Cum panificia omnia firmissima sint. *Suet. Vesp.* 7. Verbenas, coronasque et panificia libertus obtulisse ei visus est, [*i. e. πόπανα, Serapidi et Osiridi offerri solita. V. *Ruperti* ad *Juven.* 6, 540.] ℙ In *Cod. Theod.* 14, 3, 4 et 22. legitur *panificium.*

PĂNION, ii, n. herba eadem quae satyrion, a Pane nomen habens. *Appul. Herb.* 15.

PĂNIŌNĬUS, a, um, adj. ad totam Ioniam pertinens: a πᾶν, omne, et Ἰωνιος, Ionius. V. PANAETOLIUM. *Plin.* 5, 29, 31. In ora quae Trogilia appellatur, Gessus amnis: regio omnibus Ionibus sacra, et ideo Panionia appellata. *Vitr.* 4, 1. Apollini Panionio aedem constituerunt. ℙ [*Panionium, ii*, idem ac regio Panionia. *Mela* 1, 17. Ibi est Panionium, sacra regio, et ob id eo nomine appellata, quod eam communiter Iones colunt. V. *Eckhel. D. N. V.* T. 2. p. 507. *F.*]

PĂNIS, is, m. ἄρτος, οῖτος, cibus ex farina et aqua, qui igne coctus sit. V. PANIFICIUM. *Sen. ep.* 90. *med.* Tunc farinam aqua sparsit, et assidua tractatione perdomuit, finxitque panem, quem primo cinis calidus, et fervens testa percoxit: deinde furni paulatim reperti, etc. *Pl. As.* 1, 3, 48. A pistore panem petimus, vinum ex oenopolio. *Id. Pers.* 4, 3, 2. Ego hodie compendifeci binos panes in dies. *Id. Bacch.* 4, 1, 8. Comesse panem tres pedes latum potes, fores pultare nescis? *Id. Cas.* 2, 5, 1. In furnum calidum condito, atque ibi torreto me pro pane rubido. *Cic. Tusc.* 5, 31. Ptolemaco cum cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius. V. CIBARIUS. *Plin.* 28, 16, 63. Edere aliquid cum pane. *Hor. Sat.* 2, 2, 17. cum sale panis Latrantem stomachum bene leniet; et *ib.* 1, 5, 88. venit vilissima rerum Hic aqua, sed panis longe pulcherrimus, ultra Callidus ut soleat humeris portare viator. Nam Canusl lapidosus. *Id. Ep.* 2, 1, 123. vivit siliquis, et pane secundo. *Juven.* 5, 70. Panis tener, et niveus, mollique siligine factus. *Ter. Eun.* 5, 4, 17. Quo pacto ex jure hesterno panem atrum vorent. *Vat.* ap. *Quint.* 6, 3. *med.* Panem candidum edere. *Plin.* 22, 25, 68. Vetus, aut nauticus panis. *Juven.* 14, 128. Mucida caerulei panis consumere frusta. *Sen. ep.* 119. Esurio: edendum est: utrum hic panis sit plebejus, an siligineus, ad naturam nihil pertinet. *Id. ep.* 18. Panis durus ac sordidus. *Id. ep.* 83. siccus, *h. e.* sine obsonio. *Plin.* 13, 12, 36. Mollia panis, [*Krume:] et 29, 4, 23. Panis crusta. *Id.* 18, 11, 27. Panis varia genera persequi, supervacaneum videtur: alias ab obsoniis appellati, ut ostrearii; alias a deliciis, ut artolagani; alias a festinatione, ut speustici; nec non a coquendi ratione, ut furnacei, vel artopticii, aut in clibanis cocti: non pridem etiam a Parthis invectus, quem aquaticum vocant, quoniam aqua trahitur, tenuem, et spongiosa inanitate. Summa laus siliginis bonitate, et cribri tenuitate constat. Quidam ex ovis, aut lacte subigunt, etc. V. *Sen. ep.* 90. *med.* ubi panis conficiendi rationem pluribus persequitur. ℙ De usu *panis* in fucis mulierum V. in PANUS. [*Nep. *Them.* 10, 3. Namque hanc urbem ei rex donarat, his quidem verbis: quae ei panem praeberet; Lampsacum autem, unde vinum sumeret: Myuntem, ex qua obsonium haberet.] ℙ Translate *panis* dicitur massa cujusque rei in modum panis formatae. *Plin.* 34, 11, 24. Cum panes aeris aqua refrigerantur. *Stat. Silv.* 4, 9, 37. Aut panes viridantis aphronitri. ℙ In genit. plur. habet *panum*, et *panium:* illud *Verrio* placuit, et *Prisc.* 7, 771. hoc *Caesari de analog.* 2. ap. *Charis.* 1, 69 et 114. ℙ Olim *hoc pane, is*, declinabant. *Pl. Curc.* 2, 3, 88. Haec sunt ventri stabilimenta, pane, et assa bubula, poculum grande, aula magna. Ita legit *Non.* 3, 161. et *Charis. l. c.* Sic *Arnob.* 1, 36. Nonne alius haec utria, alius dicitis hoc utres? non item apud vos est positum hoc pane, et hic panis? etc.

PĂNISCI, orum, m. plur. Πανίσκοι, Dii silvestres, quasi minutuli Panes, ut a Satyro Satyriscus inclinatur. *Cic. N. D.* 3, 17. Si Nymphae, Panisci etiam, et Satyri. *Id. Div.* 2, 13. *f.* Saxo diffisso caput exstitisse Panisci. ℙ [*Paniscus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 172, 3. T. Flavius Paniscus. *F.*]

*PANISSA, ae, flumen Thraciae, in Pontum Euxinum influens. *Plin.* 4, 11. ℙ *Panysus* vocatur a *Plin. ib. B. A.*

*PANISSUM, i, n. opp. Moesiae inferioris. *Tab. Peut. B. A.*

PANNĀRĬĂ, orum, n. V. PANARIUM.

PANNELUM. V. PANUCELLIUM.

[PANNĔUS, a, um, adj. idem ac pannosus. *Gloss. Philox.* Panneus, ῥάκινος. *F.*]

PANNĬCŪLĀRĬUS, a, um, adj. ad panniculum pertinens. *Ulp. Dig.* 48. *tit.* 20. qui est *de bonis damnator.*, 6. Pannicularia sunt ea, quae in custodia receptus secum attulit, spolia, quibus indutus est, cum quis ad supplicium ducitur. *Hadr. Imp. ib. in. legis:* Pannicularlae *(rationis)* causa quemadmodum intelligi debeat, ex ipso nomine apparet: non enim bona damnatorum pannicularia significari, quis probe dixerit: nec si zonam circa se habuerit, protinus aliquis sibi vindicare debebit, sed vestem, qua is fuerit indutus, aut nummulos, quos victus sui causa in promptu habuerit, aut leves annulos, qui rem non excedant aureorum quinque: alioquin si quis damnatus in digito habuerit aut sardonycha, aut aliam gemmam magni prĕtii, vel si quod chirographum magnae pecuniae in sinu habuerit, nullo jure illud in pannicularia ratione retinebitur.

PANNĬCŬLUS, i, m. parvus pannus, vel panni particula, pannulus. *Cels.* 6, 18. *n.* 8. Vinculum autem ei loco linteolum, aut panniculus quadratus est, qui ad duo capita duas ansas, ab altera vero parte totidem fascias habet; et 7, 20. Si cui intestinum descendit, fascia ejus rei causa fit, cui uno loco pila assuta est ex panniculis facta, quae ad repellendum intestinum ipsi illi subjicitur. *Juven.* 6, 258. Hae sunt, quae tenui sudant in cyclade, quarum Delicias et panniculus bombycinus urit, *h. e.* vestis brevis, aut levissimi ponderis. ℙ Ap. *Mart.* 2, 72., 3, 86., 5, 61. est nomen proprium mimi, qui subserviebat Latino ad risum conciliandum.

PANNŌNĬĂ, ae, f. *Παννονία*, regio Europae perampla inter Danubium, Savumque amnes, et Noricum. Fuit aliquando pars Illyrici. *Ov. Trist.* 2, 225. Nunc tibi Pannonia est, nunc Illyris ora domanda. De ea *Plin.* 3, 25, 28.

PANNŌNĬĂCUS, a, um, adj. Pannonicus. *Spart. Sever.* 10. Pannoniaci augures.

PANNŌNĬCUS, a, um, adj. ad Pannoniam pertinens. *Plin.* 7, 45, 46. et *Suet. Aug.* 20. Pannonica bella. *Mart.* 13, 69. Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas. *Nemes. Cyn.* 126. de canib. venat.: Nec tibi Pannonicae stirpis temnatur origo. [*Veg. Mil.* 1, 20. Pilei Pannonici. *F.*]

PANNŌNĬS, idis, f. adj. quae est e Pannonia, *Παννονίς. Lucan.* 6, 220. Pannonis haud aliter post ictum saevior ursa.

PANNŌNĬUS, a, um, adj. Παννόνιος, qui est e Pannonia: et fere de populis dicitur. *Tibull.* 4, 1, 108. testis quoque fallax Pannonius, gelidas passim disjectus in Alpes. *Suet. Tib.* 17. Nemine dubitante, quin Germani juncturi se Pannoniis fuerint. *Albin.* 1, 390. Summaque dispersi per juga Pannonii. *Stat. Silv.* 1, 4, 78. Pannoniusque ferox. *Claud. in I. cons. Stil.* 2, 191. hinc obsidione solutus Pannonius, potorque Savi.

PANNOSĬTAS, atis, f. ῥάκωσις, pannosa macies. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 11. *med.* Corporis defluxio, et cutis veluti ruginosa, vel sulcata pannositas, quam Graeci ῥάκωσιν vocant, *h. e.* sulcata et instar detritae vestis laceraeque rugositas. V. v. sq.

PANNOSUS, a, um, adj. δυσείμων, κατάῤῥαφος, vili, crassoque panno indutus, sordida, aut lacera veste amictus. *Cic. Att.* 4, 3. *med.* Clodii vestibulum vacuum sane mihi nuntiabatur, paucis pannosis, sine laterna. *Just.* 2, 6. *f.* de Codro: Permutato regis habitu, pannosus, sarmenta collo gerens. *Id.* 21, 5. de Dionysio Corinthi exsulante: Pannosus et squalidus incedere. *Appul. Met.* 4. Quid paupertinas pannosasque resculas miserrimae anus donas vicinis divitibus? *Sen. Clem.* 2, 6. Aeruscantis civis arida et pannosa macies: ubi maciem pannosam pro macro et pannoso posuit. Vel *pannosam maciem*, intelligit cutem aridam et rugosam instar panni detriti, et laceri. Quo sensu *Mart.* 3, 72. Aut tibi pannosae pendent a pectore mammae, *h. e.* rugis corruptae et deciduae. Etiam *pannuceus* simili significatione usurpatur. ℙ *Pers.* 4, 32. Pannosam faecem morientis sorbet aceti, *h. e.* panni instar aceto obductam.

PANNŪCĔĀTUS, a, um, adj. pannuceus, pannosus. *Pomponii* veteris Atellanarum scriptoris una comoedia *Pannuceati* inscribebatur: atque ex ea fragmenta aliquot servavit *Nonius* 1, 69. et 180., 14, 3. et alibi non semel.

PANNŪCĔUS et Pannucius, a, um, adj. pannosus, rugosus. Inter varia malorum genera *Plin.* 15, 14, 15. et *Cloat.* ap. *Macr. Sat.* 2, 15. ponunt et *pannucea*, ita dicta, quia, ut ait *Plin.*, celerrime in rugas marcescunt. Sic de mentula adhibuit *Mart.* 11, 46. Similiter *pannucea*, vel *pannucia Baucis* ap. *Pers.* 4, 21. est anus vieta, squalida, rugis deformata: et potest etiam referri ad vestes ejus viliores, et detritas. Nam *pannucia vestis* est pannis consuta. *Petr. Sat.* 14. *f.* Pro illa parte vindicabant pretiosissimam vestem, pro hac pannuciam ne centonibus quidem bonis dignam.

PANNŬLUS, i, m. dimin. panni, vestis vilis, sordida, detrita. *Appul. Met.* 7. Nec me putetis egenum, vel abjectum, neve de pannulis istis virtutes meas aestimetis. *Id. ib.* 9. Cuncti sic tunicati, ut essent per pannulos manifesti, *h. e.* scissiles centunculos, ut paulo ante dixerat. ℙ Item panni frustum. *Ammian.* 31, 2. de Hunnis: Semel obsoleti coloris tunica collo inserta non ante deponitur, aut mutatur, quam diuturna carie in pannulos defluxerit defrustata.

[PANNUNCŪLĀRĬĂ, orum, n. plur. idem ac pannicularia. V. PANNICULARIUS. *Not. Tir.* p. 155. Pannus, pannunculus, pannuncularia. *F.*]

[PANNUNCŪLUS, i, m. idem ac panniculus. V. v. praec. *F.*]

PANNUS, i, m. ὕφασμα, textum, ex quo vestes fiunt: item ipsa vestis. *Hor. Od.* 1, 35, 21. Te Spes, et albo rara Fides colit Velata panno. *Mart.* 2, 46. Quantum erat, infelix, pannis fraudare duobus! ℙ In illo *ejusd.* 10, 5. Et, cum supremae fila venerint horae, Diesque tardus, sentiat canum litem, Abigatque moto noxias aves panno: *pannus* aut vestis stragula, aut sudarium intelligi potest. ℙ De veste lacera, aut interpolata, aut vili. *Petr. Sat.* 83. *f.* Sola ruinosis horret facundia pannis. *Sen. ep.* 20. *med.* Magnificentior sermo tuus in grabato videbitur, et in panno. (Adde *Lucr.* 6, 1267.) *Ter. Eun.* 2, 2, 5. Video sentum, squalidum, aegrum, pannis annisque obsitum. (Adde *Sen. Controv.* 1, 6.) Hic *panni* aptius intelliguntur segmenta scissuris vestis adsutu: et *pannis obsitus* est, [*centone indutus: nos: *mit Lumpen bedeckt.*] Eodem modo *Id. Heaut.* 2, 3, 52. locutus est. Saepissime enim *pannus* dicitur de panni frusto, ῥάκιον. *Hor. A. P.* 15. Purpureus, late qui splendeat, unus et alter Assuitur pannus. *Id. Epod.* 17, 51. Cruore rubros obstetrix pannos lavit. *Ov. Ib.* 235. Membraque vinxerunt tinctis ferrugine pannis. ℙ Et praesertim de iis, quae adhibentur in medendo. *Plin.* 32, 7, 24. Ranae oculus suspensus e collo nativi coloris panno. *Id.* 29, 6, 37. Cochleae caput lineo panno adalligant capitis doloribus licio. *Colum.* 6, 12. Pannis aceto, et sale, et oleo madentibus inculcatis. *Sen. Ira* 3, 19. *f.* Scindi vestimenta miserorum, et in os farciri pannos imperavit. ℙ Diadema, quae fascia est capiti circumvoluta, *pannum* vocat *Val. Max.* 7, 2. *n.* 5. *extr.* et 6, 2. *n.* 7. ℙ Et sacculus e panno. *Petr. Sat.* 135. Pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita, etc. Ut solvit ergo licio pannum, partem leguminis super mensam effudit. ℙ A similitudine *pannus* a *Plin.* vocatur, quod in aegilope praeter glandem nascitur: et ita describitur ab *eod.* 16, 8, 13. Et glandiferis sola, quae vocatur aegilops, fert pannos arentes, muscoso villo canos, non in cortice modo, verum et e ramis dependentes cubitali magnitudiue odoratos, ut diximus, inter unguenta. Est qui legit *panos.* ℙ Olim *pannum* neutro genere dixere. Ita accipit *Non.* 3, 165. illud *Novii:* Qui habet uxorem sine dote, pannum positum in purpura est. Est autem in his verbis proverbii ratio similis, ac si dicas, humano capiti cervicem equinam jungere: cum pannus purpurae maxime disconveniat. ℙ *Pannibus* in dat. plur. pro *pannis* dixit *Enn.* ap. *Charis.* 1, 40. et *Pomp.* ap. *Non.* 8, 42.

[PANNYCHIS, ĭdis, f. πάννυχις, vigilia nocturna, pervigilium. Est cogn. R., cujus vim significare videtur illud *Prop.* 2, 18, 23. saepe est experta puella Officium tota nocte valere meum. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 195. *n.* 460. Julia Pannychis; et p. 47. *n.* 268. Venulejae Pannychidi, etc. *F.*]

PANNYCHISMUS, i, m. παννυχισμὸς, in *Gloss. Philox.* exponitur pervigilium, h. e. vigilatio per totam noctem: a πᾶν, omne, et νὺξ, nox. *Arnob.* 5, 173. Quibus mysteriis pervigilia consecrata sunt, et pannychismi graves.

[PANNYCHĬUS, a, um, adj. παννύχιος, qui ad totam noctem spectat: a πάν, omne et νὺξ, nox. *M. Aurel.* inter *oper. Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio)* 3, 5. Ita neque fidem in negotio pannychio, neque modestiam in existimatione tua laeseris, *h. e.* in litibus tota nocte orandis. *F.*]

[PANNYCHUS, i, m. πάννυχος, pernox, qui tota nocte aliquid agit. V. PANNYCHIS. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1074, 12. et emendatior ap. *Viscont. Mus. Jenk. cl.* 1. *n.* 5. Q. Hordionius Pannychus. *F.*]

PĂNOMPHAEUS, i, m. πανομφαῖος, Jovis epithetum: a πᾶν, omne, et ὀμφὴ, vox, quod omnium voce celebretur, vel quod omnium voces audiat, vel quod sit πασῶν τῶν ὀμφῶν causa, h. e. omnium vaticiniorum et oraculorum. *Ov. Met.* 11, 198. Ara Panomphaeo vetus est sacrata Tonanti.

PĂNOPE, es, et Pănopēă, f. Πανόπη, Nympha marina, una de Nereidibus: a πᾶν, omne, et ὄπτω, video, idest a perspicuitate visus. *Virg. A.* 5, 240. Nereidum, Phorcique chorus, Panopeaque virgo. *Albin.* 1, 435. Illi caeruleum Panope matertera crinem Solvit. Adde *Seren.* ap. *Diom.* 3, 511. ℙ Est etiam hoc nomine opp. Phocidis mediterraneum. *Ov. Met.* 3, 19. [Panopesque evaserat arva. Idem et *Phanotea* dicta est a *Liv.* 32, 18. Graece Φανότεια. *F.*]

[PĂNOPĬON, onis, m. πανωπίων, dimin. totus oculeus: a πᾶν, omne, et ὤπιον pro ὤψ, oculus. Est cogn. R., ut Urbinius Panopion ap. *Val. Max.* 6, 8. *n.* 6. *F.*]

[PĂNOPOLĪTES, ae, m. nomus Aegypti mediae, cujus urbs Panopolis fuit Nonni poetae Graeci

patria, nunc *Schonin:* a Deo Pane, qui ibidem sub figura Priapi colebatur, ita appellata. Ejus meminit *Plin.* 5, 9, 9. *F.*]

[PANOPTES, ae, m. *πανόπτης*, omnia videns: a *πᾶν*, omne, et *ὄπτομαι*, video Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1220, 11. Ti. Claudius Panoptes. *F.*]

PANORMITANUS, a, um, adj. ad Panormum pertinens. *Cic. Verr.* 2, 2, 49. Legati Catinenses, Panormitanique dixerunt.

PANORMUS, i, f. et Panormum, i, n. *Palermo, Πάνορμος*, urbs Siciliae, caput totius regionis, amplissima, amoenissima, a Phoenicibus condita circa Graecorum in Siciliam adventum, in prov. seu valle Marzarae, prope ostia Orethi fluvii. Dicta est a *πᾶν*, omne, et *ὅρμος*, statio navium, propter multitudinem navium, quae undique illuc conveniunt. *Plin.* 3, 8, 14. Oppida Panormum, Solus, Himera cum fluvio. *Sil.* 14, 262. Tergemino venit numero fecunda Panormus. ℙ *Item Sami opp. *Liv.* 37, 10 et 11. ℙ et Cretae. *Plin.* 4, 12. ℙ et Thraciae opp., in Chersoneso Thraciae. *Id. ib.* 11. ℙ et portus Achaiae. *Id. ib.* 5. *B. A.* ℙ Scribitur et *Panhormus.* [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 192.]

[PANOSUS, a, um, adj. pani similis, et alendi facultate praeditus. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 14. *med.* Cibus quoque sorbilis, calidus, et magis panosus. *F.*]

[PANOTII, orum, m. plur. populi Scythiae ab amplitudine aurium ita appellati: a *πᾶν*, omne, et *οὖς, ὠτός*, auris. *Mela* 3, 6. *med.* Panotii, quibus magnae aures, et ad ambiendum corpus omne patulae, nudis alioquin pro veste sunt. *Plin.* 4, 13, 27. Fanesiorum aliae *(insulae)*, in quibus nuda alioquin corpora praegrandes ipsorum aures contegant. Alii rectius leg. *Panotiorum.* Adde *Is. Or.* 11, 3. *F.*]

PANSĂ, ae, m. qui est pedibus pansis, seu latis, et extensis: a *pansum* sup. verbi *pando. Plin.* 11, 45, 105. Pedes homini maximi: surae homini tantum, et crura carnosa. Vola homini tantum, exceptis quibusdam. Namque et hinc cognomina inventa, Planci, Plauti, Scauri, Pansae; sicut a cruribus Vari, Vaciae, Vatinii. *Pl. Merc.* 3, 4, 55. Subnigris oculis, oblongis malis, pansam aliquantulum, canum, varum, etc. Adde *Quint.* 1, 4. *med.* ℙ *C. Vibius Pansa Consul fuit cum Hirtio. Exercitus ejus ad Mutinam conciditur et ipse ex vulneribus moritur. *Cic. Fam.* 10, 33. et 15, 17. *Id. Phil.* 5, 19. et *Phil.* 11, 9. et al. *B. A.*

[PANSEBASTUS, i, f. *πανσέβαστος*, gemma sic dicta quasi prorsus augusta et veneranda, eadem ac paneros: a *πᾶν*, omne, et *σεβαστὸς*, augustus. *Plin.* 37, 10, 66. *F.*]

PANSUS, a, um, adj. expansus, explicatus: a *pando. Vitr.* 3, 1. Si homo collocatus fuerit supinus, manibus et pedibus pansis. *German.* in *Arat.* 68. suppliciter pansis ad numina palmis. *Ammian.* 29, 5. *med.* Sago porrectius panso. *Prud. Cath.* 12, 170. Pansis in altum brachiis; et *adv. Sym. praef.* 1, 48. Vix panso poterat currere carbaso. Est qui leg. *passis* et *passo:* sed *Heins.* prius praefert. *Gell.* 15, 15. docet veteres *passum* dixisse, non *pansum.*

*PANTAENSES, ium, incolae urbis cujusdam Asiaticae. Fortasse in Phrygia degebant. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

PANTAGATHUS, i, m. *παντάγαθος*, et *παναγάθος*, omnino bonus, vel ad omnia bonus. *Lampr. Anton. Diadum.* 4. *extr.* Pantagathi in domo patris ejus nidum posuerunt, *h. e.* aves in auguriis sic dictae, quia omen praebebant, si auspicanti advolassent, omnino faustum, et optima quaeque portendens. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 130. C. Plavius Pantagathus. *F.*]

PANTAGIAS, ae, et Pantagies, ae, m. *Porcari*, et *Bruca*, *Παντάγιας*, fl. Siciliae, in ora Leontinorum, qui apud Taurum prom. mari excipitur. Dictus est a *πάντα*, omnia, et *ἄγω*, ago, propter nimiam rapiditatem, quia obvia quaeque prosternit, atque secum rapit. Alii derivant a *πάταγος*, fragor, quia per saxa volutus sonitum ingentem edit. Secundum fabulas, olim, dum plenus incederet, totam Siciliam sonitu implebat, post raptum autem Proserpinae, cum Cereri filiam quaerenti obstreperet, tacere jussus paruit numinis voluntati. *Serv.* in *A.* 3, 689., ubi *Virg.* vivo praetervehor ostia saxo Pantagiae. *Ov. Fast.* 4, 471. Liquerat Ortygien, Megareaque, Pantagienque. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 58. et saxa rotantem Pantagiam.

*PANTALEON, ontis, m. *Πανταλέων*, nomen Graecis familiare. De tyranno hujus nominis V. *Fest.* in *Pisitalis.* De Pantaleonte, principe Aetoliae. V. *Liv.* 42, 15. Plura notat *Burm.* ad *Quint.* 7, 9. p. 648. *B. A.*

*PANTANUS, i, m. lacus Appuliae, in Dauniorum finibus. *Plin.* 3, 12. ℙ Hodie est *lago di Lesina. B. A.*

[PANTARCES, is, m. *παντάρχης*, omnes juvans. *Arnob.* 6, 199. Phidias, cum Olympii formam Jovis molimine operis extulisset immensi, super Dei digito inscripsit *Pantarces pulcher:* nomen autem fuerat amati ab se pueri. *F.*]

[PANTĔLIUM, ii, n. *παντελεῖον* (a *πᾶν*, omne, et *τέλος*, finis) vox sacrorum Mitriacorum, quae consummationem significare videtur, idest eorum complementum. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 358. Egitium taurobolium *(in honor. M. D. M. I. et)* Veneris Coelestis, et pantelium *(fecit)* Herennia Fortunata per Ti. Claudium Felicem sacerdotem iterata est. Hic fortasse memoratur *Aegyptium taurobolium*, quod a Persico diversum fuisse videtur, ideoque cum Magna Deum Matre Idaea Veneris Coelestis mentio fit, quae eadem ac Nephthys fuit Isidis soror, de qua V. *Jablonsk. Panth. Aegypt.* 5, 3. §. 3 — 5., quaeque *τελευταία, h. e.* terminalis est cognominata, quia termino terrae fertilis in Aegypto praecrat. V. TAUROBOLIUM. *F.*]

[PANTĔROS, ōtis, m. omnium amor: a *πᾶν*, omne, et *ἔρως*, amor. Est nomen propr. serv. in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 49. *n.* 203. *F.*]

PANTEX, ĭcis, m. ventriculus, seu saccus, quo cibi adhuc indigesti continentur: videtur esse a *pandus*, quia laxus est, ideoque legitur in *Gloss. Isid.* Pandex, quia semper pandit ora ad potandum. Rectius fortasse deduxeris a *πάντα*, quia omnes cibos simul recipit. Saepius plurali numero effertur. *Fest.* Pantices, frus ventris. Alii leg. *rugas*, quia rugosus est. *Pl. Ps.* 1, 2, 50. Vino modo madidae *(estis):* eo vos, vestros panticesque adeo madefacitis, cum sim ego hic siccus. *Virg. Cat.* 5, 31. Et aestuantes docte solvis pantices, *h. e.* farcimina. *Mart.* 6, 64. Ne valeam, si non multo sapit altius illud, Quod cum panticibus laxis, et cum pede grandi, Et rubro pulmone vetus, nasisque timendum, Omnia crudelis lanius per compita portat. *Auct. Priap.* 83. inter atra cujus inguina Latet jacente pantice abditus specus, *h. e.* abdomine laxo, flaccido. Hic tamen versus, qui ap. *Scal.* legitur, ab aliis rejicitur. ℙ Aliud quidpiam significatur in illo *Gloss. Philox.* Panceps, *ἕλκος κτήνους ἐπὶ τραχηλίου. Meurs.* legit *Pantex*, *h. e.* ulcus vel vulnus in cervice jumenti.

PANTHĔON et Pantheum, i, n. *Πανθέον*, et *Πανθεῖον*, (a *πᾶν*, omne, et *Θεὸς*, Deus, vel *θεῖον*, divinum) templum Romae Jovi Ultori exstructum seu perfectum a M. Agrippa Augusti genero, opere Corinthio, forma rotunda, aedificiorum Urbis, praesertim templorum, facile pulcherrimum, unica tantum janua, unico quoque foramine in supremo culmine lumen admittens. Altitudo ejus tanta est, quanta latitudo, CXLIV. pedum in circuitu. Habet pronaon XVI. columnis suffultum. Restauratum fuit ab Hadriano, M. Aurelio, Septimio Severo, et Caracalla. Existimatum a plerisque est balneum ab initio fuisse, non templum; quod Pantheon dictum ait *Dio* 53, 27., quia in Martis, Venerisque simulacris in ipso templo constitutis omnium Deorum imagines essent effictae; sive quia ipsum rotunditate coelo persimile esset. Nunc vocatur *tempio di S. Maria Rotonda*, quod Bonifacius IV. Pont. Max. anno DCVIII. ab Imp. Phoca dono acceptum Deiparae Virgini, et omnibus Sanctis Christi martyribus consecravit, ut narrat *Paulus* diaconus *de gest. Langob.* 4, 37. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 1. Pantheon Jovi Ultori ab Agrippa factum. *Spart. Hadr.* 19. Romae instauravit Pantheum, Septa, basilicam Neptuni, sacras aedes plurimas, forum Augusti, lavacrum Agrippae. *Capitol. M. Aurel.* 8. Romae instauratum amphitheatrum, sepulcrum Hadriani, templum Agrippae. *Inscr.* ap. *Grut.* 1, 1. Imp. Caes. L. Septimius Severus etc. et Imp. Caes. M. Aurelius Antoninus (h. e. *Caracalla*) etc. Pantheum vetustate corruptum cum omni cultu restituerunt. *Ammian.* 16, 10. Constantius Pantheum velut regionem teretem, speciosa celsitudine fornicatam collustrans etc. ℙ Est etiam nomen Dei, vel simulacri ex plurium numinum imaginibus, seu symbolis efficti. *Inscr.* ap. *Grut.* 1, 3. Pantheo Aug. sacrum; et 4. Herculi, Mercurio, et Silvano sacrum, et Divo Pantheo ex voto; et 5. Signum Panthei testamento fieri jussit; et 6. (adjective) Signum Pantheum sua pecunia D. D.; et ap. *eund.* 1005, 1. Divo Pantheo, salvis Asteriis, L. Cassius Ingenuus V. S. L. M. ℙ Figuram signi Panthei exhibet *Spon. Miscell. antiq.* p. 19. quae Deum aliquem repraesentat, sed adjectis multis symbolis, ex quibus aut omnium, aut plurium aliorum Deorum numen significatur. Habet enim in capite ornamentum Isidis, et semicirculum Lunam significantem, pharetram Cupidinis, cornucopiae Cereris, et alia. Sic *Auson. epigr.* 30. *Pantheum* vocat signum Liberi Patris in villa sua positum, omniumque Deorum argumenta habens. ℙ [*Pantheus*, et *Panthea*, vel *Panthia* sunt cogn. R. *Inscr.* in *Memor. Rom. di antich.* T. 3. p. 44. Q. Petronius Q. L. Pantheus. Alia ap. *Mur.* 1659, 2. Claudia Panthea; et ap. *eund.* 1505, 4. Valeria Panthia. *F.*]

PANTHER, ēris, m. *πάνθηρον δίκτιον*, genus retis, quasi omnibus feris capiendis apti: a *πᾶν*, omne, et *θήρ*, fera. *Varr. L. L.* 4, 20. Ferarum vocabula peregrina, ut panthera, leo: utraque Graeca: a quo etiam et rete quoddam panther. ℙ Dicitur etiam *panthera*, *ae*, et sic est a *πᾶν*, et *θήρα*, venatio. *Ulp. Dig.* 19, 1, 11. §. 18. Veluti cum futurum jactum retis a piscatore emimus, aut indaginem plagis positis a venatore, vel pantheram ab aucupe. Ita *Torrent.* et *Haloand.* Est tamen qui *panthera* legendum putat, accusativum Graecae positionis, vel *pantherem* Latinae, a recto *panther.* Itali quoque *pantera* vocant rete quoddam ad capiendas aves. ℙ Est etiam ferum animal, vel idem ac panthera, vel quem lupum cervarium appellant. *Auct. carm. Philom.* 50. Panther caurit amans, pardus hiando felit.

PANTHĒRA, ae, f. *πάνθηρ, πάρδαλις*, pardus femina, animal maculosum, et prorsus ferum: a *πᾶν*, omne, et *θήρ*, fera, quia cetera fere animalia feritate superat, vel, ut alii volunt, quia paene omnium in ea ferarum colores cernere est. *Plin.* 8, 17, 23. Panthera et tigris macularum varietate prope solae bestiarum spectantur ceteris unus ac suus cujusque generis color est: pantheris in candido breves macularum oculi. *Phaedr.* 3, 2. Panthera imprudens olim in foveam decidit. *Ov. Met.* 3, 669. Pictarumque jacent fera corpora pantherarum. ℙ Tam mas, quam femina Latine *panthera* dicitur, ut et *Varr.* monet *L. L.* 8, 38. Graecis ille *πάνθηρ* est, haec *πάρδαλις.* ℙ Magnus pantherarum erat usus in ludis publicis Romanorum: unde ap. *Cic. Fam.* 2, 11. et *ib.* 8, 4. et 9. de iis conquirendis, et Romam mittendis mentio fit. ℙ De panthera reti V. in v. praec. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Cavedoni*, *Marm. Moden.* p. 171. Herennia Panthera. *F.*]

PANTHĒRĪNUS, a, um, adj. ad pantheram spectans. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 32. Sed et nobilissimo Satyro cum pelle pantherina. ℙ *Pantherinae mensae*, quae intorto discursu maculatae sunt. *Id.* 13, 15, 30. Illud oblongo evenit discursu, ideo tigrinae appellantur: hoc intorto, et ideo tales pantherinae. ℙ Translate pantherini homines sunt, qui variis artibus et dolis agunt, fraudulenti, versipelles. *Pl. Epid.* 1, 1, 16. Caprigenum hominum non placet mihi, neque pantherinum genus.

[PANTHĒRISCUS, i, m. *πανθηρίσκος*, pantherae catulus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1140, 12. St. Cassius Pantheriscus. *F.*]

PANTHĔUM. V. PANTHEON.

*PANTHIUS, i, m. unus e quinquaginta Aegypti filiis, a Philomela uxore sua trucidatus. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

PANTHŌĪDES, ae, m. *Πανθοΐδης*, et *Πανθοΐδης*, Euphorbus filius Panthoi: item Pythagoras, qui tempore belli Trojani se Euphorbum Panthoi filium fuisse gloriabatur. *Ov. Met.* 15, 161. Panthoides Euphorbus eram. *Hor. Od.* 1, 28, 10. habentque Tartara Panthoidem iterum Orco demissum.

PANTHOUS, et contracte Panthus, i, m. *Πάνθοος, ους*, filius Otrei Hecubae fratris. *Panthu* est in vocativo, *Πάνθε, ου*, ap. *Virg. A.* 2, 322. et 429. *Panthous* in recto est ap. *Hyg. fab.* 115., *Panthus* ap. *Virg. A.* 2, 319. Panthus Otriades, arcis Phoebique sacerdos.

PANTĪCA. V. PANDA.

[PANTĪCĀPENSIS, e, adj. ad Panticapaeum pertinens, Chersonesi Tauricae urbem, nunc *Kertsch* appellatum. [*Nigro* fuit hodiernum *Vospero*, quod vero simile, cum Bosporum ab aliquibus vocatum testetur *Plin. Peyssonelo* esse videbatur *Jenicale. Mela* 2, 1. *Plin.* 4, 12. *B. A.*] Hinc *Panticapenses, ium*, sunt incolae illius urbis. *Plin.* 6, 7, 7. Tenuere finitima primi Cares, dein Clazomenii, et Maeones, postea Panticapenses. *F.*]

[*PANTICAPAEUM, i, n. *Παντικάπαιον*, opp. V. v. praec.]

*PANTICĀPES, ae, *Παντικάπης*, flumen Scythiae Europaeae, in Borysthenem se exonerans, qui Nomadas et Georgos disterminat. *Mela* 2, 1. *Plin.* 4, 12. Cf. *Herod.* 6, 54. *B. A.*

PANTICES. V. PANTEX.

[PANTOLĂBUS, i, m. *παντολάβος*, qui omnia accipit: a *πᾶν*, omne, et *λαμβάνω*, capio. Est nomen proprium parasiti et scurrae ap. *Hor. Sat.* 1, 8, 11. et *ib.* 2, 1, 22. *F.*]

*PANTOMATRIUM, i, n. opp. Cretae. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

PANTŌMĪMĂ, ae, f. quae pantomimum agit. *Sen. Consol. ad Helv.* 12. Quorum pantomimae decies HS nubunt. V. LYRISTRIA.

PANTŌMĪMĬCUS, a, um, adj. ad pantomimum pertinens, ut Pantomimica ornamenta, *Sen. ep.* 29. *f.*

PANTŌMĪMUS, i, m. *παντόμιμος, ὀρχηστής*, genus histrionum, qui fabulas in scena non voce et cantu, sed solo gestu et saltando repraesentabant: quare et saltare fabulas dicebantur: *ἀπὸ τοῦ πάντα μιμεῖσθαι*, quod omnia gestu, saltatione, motuque corporis exprimerent, atque imitarentur. V. ORCHESTA. Hi primum Romam inducti sunt sub Augusto, celebresque fuerunt Pylades, Hylas, Bathyllus, quos refert *Macr. Sat.* 2, 7. et *Suet. Aug.* 45. De his plura vide in *Syntagmate de mimis et pantomimis Nicol. Calliachii* edito *Patavii* 1713. et in *Dissert. Octavii Ferrarii* edita *Wolfenbuttelii* 1715, item *Cassiod. Var.* 1, 20. et *ib.* 4, 51. ℙ Interdum *pantomimus* accipitur pro ipsa fabula, quae a pantomimo agitur. *Plin.* 7, 53, 54. Duo equestris ordinis in eodem pantomimo mythico: scil. repente

obiere. ℙ De symphoniacis, et musicis est illud *Petr. Sat.*, ubi cum dixisset, omnes ministrantes in convivio Trimalchionis cantasse, Pantomimorum, inquit *c.* 31., non patrisfamiliae, triclinium crederes. Ubi al. leg. *pantomimi chorum.*

[PANTOPHOBUS, a, um, adj. *παντόφοβος*, qui omnia timet: a *πάντα*, omnia, et *φόβος*, timor. V. OMNIPAVUS. *F.*]

PĂNUCLĬUM, ii, n. glomus lanae, et ad nendum paratae, vel fusus filis involutus, vel potius navicula textricum, cui fusus cum subtemine inditur. Hinc *Hesych. Πανούκλιον, ἢ ἄτρακτος, εἰς ὃν εἱλεῖται ἡ κρόκη. Varr. L. L.* 4, 23. Panus, Graecum: panuclium dictum a pano, et volvendo filo. Alii leg. *panuelum*, a *πῆνος*, filum, et *εἰλέω*, volvo.

PĂNŬLĂ, ae, f. parvus panus. Agnoscitur a *Prisc.* 3. *f.* et *Non.* 2, 623., ubi alii leg. *panucla.*

[PĂNUNCŬLA, ae, f. dimin. pani. *Not. Tir.* p. 160. Licium, liciamentum, panuncula, floccus. *F.*]

[PĂNURGUS, i, m. *πανοῦργος*, callidus, fraudulentus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 751. *n.* 588. Cn. Otacilius Cn. L. Panurgus. *F.*]

PĂNUS, i, m. *πῆνος*, et Dorice *πᾶνος*. *Non.* 2, 623. Panus est tramae involucrum, quem diminutive panulam vocamus. *Lucil.* ap. *Prisc.* 3. *f.* et *Non. l. c.* Intus modo stet rectus subteminis panus. Al. leg. *Intu' vero modo stet rectus subtemine panus.* ℙ A similitudine sic dicitur tumor quidam in cute non altus, sed latus, in quo quiddam pustulae simile est. Dolor, distentioque vehemens est, et major, quam pro magnitudine tumoris: interdum etiam febricula: idque tarde maturescit, neque magnopere in pus convertitur. Fit maxime aut in cervice, aut in alis, aut in inguinibus. Graece est *φύγεθλον*. Ita *Cels.* 5, 28. *n.* 10. describit. *Novius* ap. *Non. l. c.* Qui me miserum miseriorem reddidit, quam panus puerum. *Plin.* 21, 21, 93. Abrotonum concoquit panos cum farina hordeacea. *Id.* 23, 2, 32. Faex aceti panos discutit nondum exulceratos. *Id.* 35, 17, 57. Cimolia panos, et parotidas cohibet. *Id.* 20, 20, 82. Coriandrum sanat panos ex aceto tritum. *Id.* 30, 8, 22. Panos aperit sevum pecudum. *Id.* 24, 6, 14. Hammoniacum maturat panos; et *ib.* 4, 6. Viscum panos mitigat. *Id.* 22, 25, 74. Lupini panos, et strumas minuunt, aut maturant. ℙ Pro *panus* quidam leg. *panis* ap. *Cels.* Et sane *panis* pro *panus* adhiberi credit *Rhod.* ad *Scrib. Comp.* 263. a *Juven.* 6, 460. Interea foeda aspectu, ridendaque multo Pane tumet facies. Sed ibi *Juven.* loquitur de fucis mulierum, ut 2, 107. Et pressum in faciem digitis extendere panem; et *Plin.* 22, 25, 68. tradit, sitanium panem cum melle curare incussa in facie, aut desquamata. ℙ Item a similitudine *panum* vocat *Plin.* totam milii spicam. Mammosa, inquit 18, 7, 10. *n.* 3., panici genera e pano parvis racemata paniculis. ℙ De pano in arboribus V. PANNUS.

*PANYĂSIS, is, m. vetus poeta Graecus, Herodoti historici avunculus. *Quint.* 10, 1. *B. A.*

*PANYSUS vel Panysos, i, Thraciae fluvius, in Pontum Euxinum influens. *Plin.* 4, 11. ed. *Hard.* ubi ed. *Elz.* habet *Pamisus*, minus recte. ℙ *Panissa* etiam vocatur ap. *eund. ib. B. A.*

PĂPĂ, ae, f. vox infantium petentium cibum. *Varr.* ap. *Non.* 2, 97. Cum cibum ac potionem, buas ac papas dicunt. ℙ Legitur et *pappa.* ℙ *Papa* masc. gen. significat etiam patrem, aut senem: nam *πάππας* Graece patrem significat. V. PAPPAS. Itaque ea voce honoris causa compellare mos fuit Christianis scriptoribus episcopos, et alios in sacra dignitate constitutos. *Prud. περὶ στεφ.* 11, 127. Rorantes saxorum apices vidi, optime papa. Adde *Tert. Pudic.* 13. et *Sidon.* in *ep.* passim. ℙ Per excellentiam vero sic vocatur Summus Romanus Pontifex, qui est pater patrum, et episcopus episcoporum. ℙ [*Papa* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 7. *n.* 32. A. Terentius A. L. Papa. *F.*]

PĂPAE, *βαβαί*, [*παπαί,*] interjectio admirationem continens: a voce Graeca allata, unde et *babae* dicitur eodem usu. *Ter. Eun.* 3, 1, 26. Pulcre mehercle dictum, et sapienter! papae! jugularas hominem; et 2, 1, 23. Ducit secum unam virginem dono huic: papae! facie honesta. *Pl. Rud.* 5, 2, 33. Papae! divitias tu quidem habuisti luculentas. *Pers.* 5, 79. Marcus Dama? papae! Marco spondente recusas Credere tu nummos? ℙ Habet etiam vim affirmandi et assentiendi. *Ter. Eun.* 2, 2, 18. Et quid beo te? *Par.* men'? papae!

[PĂPAS, ae, m. et atis, m. *πάππας*, nutricius, nutritor, idem ac pappas. *Inscr.* Romae effossa ann. 1785., a *Cajet. Marin.* illustrata, et Mutinae ann. 1790. edita p. 15. Perpetuam sedem nutritor possides ipse: Hic positus papas Antimio, qui vixit annis LXX., depositus D. N. Arcadio II. et Fl. Rufino VV. CC. SS. *h. e.* viris clarissimis consulibus, nempe ann. a Chr. n. CCCXCII. Alia ap. *Mur.* 1297, 11. L. Antistius Zosimus Septicio Adjutori papati optimo. V. PAPPAS. *F.*]

PĂPĂVER, eris, m. et n. *μήκων*, herba vim somni inducendi habens: cujus tum sativi, tum sponte nascentis plura genera *Plin.* refert 19, 8, 53. et 20. *c.* 18. et 19. V. CEREALIS. *Cato* ap. *Charis.* 1, 64. Papaver Gallicanus. *Varr. ib.* et ap. *Non.* 3, 177. Infria seni papaverem. *Pl. Poen.* 1, 2, 113. Sesamum, papaveremque, triticum, et frictas nuces. *Virg. A.* 4, 486. Spargens humida mella, soporiferumque papaver; et *ib.* 9, 436. lassove papavera collo Demisere caput, pluvia cum forte gravantur; et *G.* 4, 131. vescumque papaver. (*Plin. c. l.* 19. tradit, candidi papaveris semina tosta in secunda mensa cum melle apud antiquos inferri solita. V. COCETUM. Huc pertinet et illud *Petr. Sat.* 31. Glires melle et papavere sparsi.) *Id. A.* 1, 212. Cereale; et *ib.* 78. Lethaeo perfusa papavera somno; et *ib.* 4, 545. Lethaea papavera. *Catull.* 19, 12. Papaver luteum: scil. propter semina in flore lutea. *Prop.* 1, 21, 38. Lilia purpureis mixta papaveribus. *Ov. Fast.* 4, 661. Interea placidam redimita papavere frontem Nox venit, et secum somnia nigra trahit. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 1. *extr.* Melliti verborum globuli, et omnia dicta factaque quasi papavere et sesamo sparsa, *h. e.* affectata exquisitaque verborum suavitate condita. ℙ Proverbium de re, quae brevissimo tempore fit. *Pl. Trin.* 2, 4, 7. Confit cito, quasi si tu objicias formicis papaverem. ℙ *Serv.* ad *Ecl.* 2, 47. narrat, ut Narcissi flos a puero cognomine in eum verso dictus est, ita papaveris, et anethi: hos enim omnes pueros fuisse a Diis in flores sui nominis transformatos. ℙ *Papaver* de semine, seu granis ficorum. *Tert. Praescr.* 36. *f.* Etiam de papavere fici gratissimae et suavissimae ventosa et vana caprificus exsurgit.

PĂPĂVĔRĀTUS, a, um, adj. ut Papaverata vestis, *μηκωνοειδὴς χιτών*, vestis tenuis ac delicata, a *papavere.* Sic a *Lucilio* vocatur Graecorum exemplo, quibus *μήκων* non solum notat papaver, sed etiam textum byssinum, sive lineum. Nam Hesych. *ὕφασμα βυσσινὸν* exponit. Sed de causa nominis non consentiunt. Aliquibus videtur appellatio esse ex eo, quia quoddam papaveris genus esset, e quo, ut *Plin.* 19, 1, 4. ait, candorem lintea praecipuum trahunt. Alii censent, sic dici, quia mollis papaveris lanugo neretur, vestisque ex ea texeretur. *Hard.* in *Plin.* contendit esse vestes laneas, sed eo papaveris genere candentes. *Plin.* 8, 38, 74. Crebrae papaveratae antiquiorem habent originem, jam sub Lucilio poeta in Torquato notatae. Aliqui leg. *paveratae.*

PĂPĂVERCŬLUM, i, n. dimin. papaveris. *Appul. Herb.* 7.

PĂPĂVĔRĔUS, a, um, adj. qui est ex papavere, ut Papavereae comae, *Ov. Fast.* 4, 438.

*PAPELLĬUS Ister, Consul quo tempore bubo infausta avis Capitolii cellam intravit, propter quod Nonis Martiis urbs lustrata est eo anno. *Plin.* 10, 12. *B. A.*

PAPHĂGES, is, m. rex Ambraciae, qui a leaena catulis suis stipata, cui forte obviam occurrit, dilaniatus fuit. Hinc

PAPHĂGĔUS, a, um, adj. *Ov. Ib.* 502. Sitque Paphageae causa leaena necis. Al. leg. *Phaylleae*, vel *Phayllaeae* a quodam *Phaylio*, Ambraciae tyranno, a leaena discerpto.

PAPHĬĂCUS, a, um, adj. *Avien. Perieg.* 227. Caespite Paphiaco prodit saxosa Carambis. *Carambis* est in Paphlagonia Asiae minoris provincia ad Pontum Euxinum, ut est ap. *Plin.* 6, 2, 2. Fortasse ibi Paphiae Veneris templum fuit. Primam autem syllabam metrica necessitate, vel potius licentia non imitanda produxit. Ceterum in optimis editionib. *Paphlagonum* pro *Paphiaco* multo rectius legitur.

PAPHĬĒ, es, f. Venus a Papho Cypri, ubi maxime colebatur. *Mart.* 7, 74. Sive cupis Paphien, seu Ganymede cales. *Auson. Idyll.* 14, 21. Communis Paphie Dea sideris, et Dea floris. ℙ Ap. *Colum.* 10, 193. est genus lactucae folio puniceo, caule candido: quia in Cypro circa Paphum plurima provenit, ut *ib.* ait 187.

PAPHĬUS, a, um, adj. ad Paphon Cypri oppidum, Veneri sacrum, pertinens. *Plin.* 11, 37, 63. Nicocles Paphius. *Tac. H.* 2, 2. Illum cupido incessit visendi templum Paphiae Veneris, inclytum per indigenas, advenasque. V. ibi reliqua. *Ov. A. Am.* 3, 181. Paphiae myrti. *Mart.* 8, 28. columbae. ℙ *Paphii thyrsi* ap. *Colum.* 10, 370. sunt caules lactucae, ut dictum est in v. praec. ℙ *Paphiae lampades* ap. *Stat. Silv.* 5, 4, 8. sunt stella Veneris, quae vespere surgit, et *Hesperus* eo tempore dicitur, prima omnium apparens.

PAPHLĂGO et Paphlagon, ŏnis, qui est ex Paphlagonia, provincia Asiae minoris ad Pontum Euxinum. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 495. *n.* 189. L. Arlenus L. L. Artemidorus nat. Paphlago. *Avien. Perieg.* 969. Surgit Halys.: tum Paphlagonum sata longa patescunt, Et Maryandinum gens incolit.

PAPHLĂGŌNĬUS, a, um, adj. ad Paphlagones, et Paphlagoniam pertinens, ut Paphlagonia gens, *Plin.* 6, 2, 2.

PAPHOS et Paphus, i, f. *Πάφος*, urbs Cypri in ora occidentali, condita a Papho Pygmalionis filio, et Veneri dicata, quia mater ejus munere Veneris e statua eburnea in mulierem versa fuerat ut est ap. *Ov. Met.* 10, 243. et sqq. Duplex fuit; vetus, quae et *Palepaphos* dicta est, in colle posita; et nova, *nea Paphos*, in plano sita. V. *Plin.* 5, 31, 35. In illa celebre fuit Veneris templum: de quo *Tac. H.* 2, 2. paucis disserit. *Stat. Th.* 5, 61. de Venere: Illa Paphon veterem, centumque altaria linquens, etc. *Virg. A.* 10, 51. Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera. ℙ Paphi in quandam aram Veneris nunquam impluere, *Tac. H.* 2, 3. et *Plin.* 2, 96. 97. et *Polybius* 16, 12. tradidere.

[PĂPĬĀ, ae, m. et

PĂPĬAS, atis, m. *παπίας*, nutritor, paedagogus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 964, 7. Q. Caecilius Q. L. Papia. Alia ap. *Mur.* 1196, 4. L. Orejo Papiati fil. dul. L. Orejus Papia. *F.*]

PĂPĬA Lex de peregrinis, lata a C. Papio trib. pleb. circa A. U. DCLXXXVIII. omnes peregrinos, qui in Urbe versabantur, exceptis Italicis, Urbe pepulit. *Cic. Off.* 3, 11. [*V. *Beier.* ad h. l. et *Ernest. ind.* leg.] ℙ Alia de civitate, cavit ut peregrini, qui in suis civitatibus censi essent, ad suam civitatem reverterentur, et civitatem Romanam, quam falso jactabant, amitterent. *Cic. Balb.* 23. et *Val. Max.* 3, 4. *n.* 5. ℙ Alia, *Papia Poppaea* dicta, quam tulere M. Papius Mutilus, Q. Poppaeus Secundus Coss. A. U. DCCLXII. sub Augusto, varias poenas viventibus in caelibatu, varia praemia statuit uxorem ducentibus et suscipientibus liberos. *Tac. A.* 3, 25. et 28., *Suet. Claud.* 23. et *Ner.* 10. *Auson. epigr.* 89. Jurisconsulto, cui vivit adultera conjux, Papia lex placuit, Julia displicuit, *h. e.* placuit quidem, uxorem ducere, quod Papia jubebat: sed displicuit Julia lex, quae vetabat quaestum ex uxoris adulterio facere, ut *Papin.* docet *Dig.* 48, 5, 8. Multa de hac lege, et Julia simul habes ap. *Lips.* in *excurs.* ad *Tac. A. litt. C.* 3. ℙ Denique alia fuit *Papia lex*, ap. *Gell.* 1, 12., qua cavebatur, ut pontificis maximi arbitratu virgines e populo viginti legerentur, sortitioque in concione ex eo numero fieret, et cujus virginis ducta esset, eam pontifex max. caperet, eaque Vestae fieret. Hanc quoque legem Papiam Poppaeam quidam intelligunt, *h. e.* Papiae Poppaeae unum caput. ℙ *Papia tribus* creditur adjecta fuisse veteribus XXXV. bello sociali, sic dicta a gente Papia Italicarum nobilissima. V. *Panvin. de civ. Rom. c.* 51. Ejus mentio est in *Inscr.* ap. *Grut.* 307, 7. L. Valerio L. Fil. Papia Servio sacerd. Jovis Tonan. etc. Adde 879, 6. Sunt praeterea aliae multae, in quibus *Pap.* tantum habetur, ut ap. *Mur.* 1119, 4. T. Didio M. F. Pap. Prisco etc. Haec adhuc exstat Ticini, quae urbs cum apud scriptores infimae Latinitatis *Papia*, nunc vero *Pavia* appelletur, verosimile est, hanc appellationem ex eo consecutam fuisse, quod ejus urbis incolae Papiae tribui adscripti erant, eamque publicae passim inscriptiones olim ibi exstantes praeseferebant, quod etiam patet ex alia ap. *eund.* 1087, 1. L. Sollius L. L. Secundus Pap. Ticinensis. [*Ultima emendavit *F.*]

PĂPĬLĬO, onis, m. *ψυχή*, insectum alatum luminibus accensis advolitans, ignavum et inhonoratum, apibus inimicum, cerasque earum depascens, et excrementa relinquens quibus teredines gignuntur: fila etiam araneosa, quacumque incessit, alarum maxime lanugine obtexens. Ita *Plin.* 11, 19, 21. Adde 21, 14, 47. et 28, 10, 45., ubi addit, cornicula his ante oculos ignava praetendi. De his loquitur etiam *Colum.* 14., item *Pall.* 4. *f.* ℙ Est nomen commune et aliis volantium insectorum generibus. *Plin.* 11, 32, 37. Eruca araneo accreta, quam chrysallidem appellant: rupto deinde cortice volat papilio; et *ib.* 23, 27. Bombycas et in Co insula nasci tradunt: fieri autem primo papiliones parvos, nudosque, etc. *Ov. Met.* 15, 376. Quaeque solent canis frondes intexere filis Agrestes tineae (res observata colonis) Ferali mutant cum papilione figuram: *feralem* dicit, quia, ut est ap. *Plin.* 28, 10, 45., inter mala medicamenta, h. e. inter venena numeratur. ℙ Item militare tentorium, *σκήνωμα*, quia expansa vela habet ad similitudinem alarum papilionis. *Lampr. Alex. Sev.* 51. In procinctu, atque in expeditionibus, apertis papilionibus prandit, atque coenavit. Adde 61. *Spart. Pescenn.* 11. In omni expeditione ante omnes militarem cibum sumpsit ante papilionem. *Trebell. in XXX. Tyr.* 16. de Herode: Homo Graecae luxuriae, cui erant sigillata tentoria, et aurati papiliones, et omnia Persica. Si discrimen est inter *papiliones* et *tentoria*, fortasse est, quod illi minoris molis et apparatus sint. *Tert. ad Mart.* 3. Nemo miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis et substrictis, etc. ℙ Non modo milites, sed etiam Fratres Arvales utebantur papilionibus, dum in luco Deae Diae sacrificium eidem faciebant. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 41. Promagister praetextam deposuit, et in papilione suo reversus. Hoc actum est Romae ann. a Chr. n. CCXVIII. imperante Elagabalo. [*Hinc derivatum Gall. *pavillon.*]

PĂPĬLĬUNCŬLUS, i, m. parvus papilio. *Tert. Anim.* 32. Siccitatibus gaudent locustae, papiliunculi, chamaeleontes.

PĂPILLĂ, ae, f. θηλή, caput, seu apex mammae, quod infans, vel pullus ore comprehendit, ita dicta, ut ait *Fest.*, quia papulae similis est; vel, ut ait *Isid. Or.* 11, 11., quod eas infantes quasi pappant, dum lac sugunt. *Plin.* 11, 40, 95. Ursae mammas quaternas gerunt: delphini binas in ima alvo papillas tantum, nec evidentes, et paulum in obliquum porrectas. *Colum.* 9, 11. *med.* In ipso fine cerarum velut papilla uberis apparet eminentior. Adde 7, 3. *med.* ℙ Per synecdoch. est ipsa mamma. *Virg. A.* 11, 803. Hasta sub exsertam donec perlata papillam Haesit. Adde *Catull., Oe., Petr., Mart.* ℙ Dicitur et de hominibus. *Plin. ep.* 3, 6. Signum effingit senem stantem: rari, et cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum: pendent lacerti, papillae jacent, etc. ℙ Interdum dicitur de parva papula, seu tuberculo in cute. *Seren. Sammon.* 10, 133. de elephantiasi: turpans infandis ora papillis; et 64, 1100. Interdum exsistit turpi verruca papilla. ℙ Et de rosarum germine papillam imitante, Itali *bocciuolo* vocant. *Auct. Pervigil. Ven.* 14. Ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu Urget in notos penates; et 21. Mane virgines papillas solvit humenti peplo. ℙ Translate est fistula, vel epistomium. V. MAMILLA.

PĂPILLĀTUS, a, um, adj. in papillae modum formatus. *Vet. Epigr.* in *Anth. Lat.* T. 1. p. 699. *Burm.* Nascebantur (*rosae*) adhuc, neque erat par omnibus aetas: Prima papillatos ducebat gemma corymbos, Altera puniceos apices umbone levabat. [*Hieron. ep.* 66. *n.* 1. Quis parturientem rosam, et papillatum corymbum, antequam in calathum fundatur orbis, et tota rubentium foliorum pandatur ambitio, immature demessum aequis oculis marcescere videat? *F.*]

[PĂPĪLUS, i, m. cogn. R. ignotae significationis. *Mart.* 4, 48. Cur, quae vis fieri, Papile, facta doles? *F.*]

PĂPĪNIĀNISTĂ, ae, m. studiosus scriptorum Papiniani. *Imp. Justin.* in *ep. praef. lib. Digestor.* 2. *med.*

PĂPĪNIĀNUS, i, m. Scaevolae discipulus, Septimio Severo Aug. gratissimus, cui moriens filios suos commendavit. Ab Antonino Caracalla securi percussus est. *Spart. Sev.* 21. vocat juris asylum, et doctrinae legalis thesaurum. Adde *Caracall.* 4. et 8.

*PAPĪNĬUS, i, m. nomen proprium virorum R. ut Sextus Papinius, Consul, de quo *Plin.* 15, 14. ℙ P. Papinius Statius, poeta, V. in *Statius. B. A.*

*PAPĪNUS, i, m. mons Galliae Cisalpinae, ubi fere Macri Campi. *Liv.* 45, 12. *B. A.*

PĂPĪRĬĂ Tribus Romana, una ex rusticis a quodam Papirio appellata est, de quo fortasse *Manil.* 1, 784. et Pyrrhi per bella Papirius ultor, vel a nomine agri, qui circa Tusculum est, ut ait *Festus. Inscr.* ap. *Grut.* 766, 2. C. Caesius C. F. Papiria Ingenuus, etc.; et 85, 8. D. Junius D. F. Papir. Vaergulenus, etc. Meminit et *Liv.* 8, 37. *extr.*, ubi narrat, cur inter hanc, et Polliam odia longa intercesserint. Adde *Val. Max.* 9, 10. *n.* 1. ℙ *Papiria gens*, olim *Papisia*, et plebeja fuit, et patricia, multasque habuit familias, Mugillanorum, Crassorum, Cursorum, Masonum, qui patricii fuerunt: item Turdorum, Carbonum, Paetorum, etc. V. *Cic. Fam.* 9, 21. ℙ *Papiria lex* de assibus, ut qui unciales erant, semunciales fierent, lata est a C. Papirio Carbone trib. pleb. ut ostendit *B. Borghesi* in *Dec. numism.* 3. *osserv.* 10. memoraturque a *Plin.* 33, 3, 13. Alius de civitate sine suffragio danda Aceranis, meminit *Liv.* 8, 17. *extr.* Aliae fuere de consecratione, de multarum aestimatione, de legibus, de tribunis pleb. quae a *Pitisc.* in *Lex.* referuntur. ℙ *Vapula Papiria* proverb. V. in VAPULO.

PĂPĪRĬĀNUS, a, um, adj. ad Papirium pertinens, quod est nomen propr. R. civis. *Cic. Fam.* 7, 20. Papiriana domus. *Liv.* 10, 3. *extr.* Memor Papirianae saevitiae, *h. e.* L. Papirii Cursoris dictatoris: de quo *Id.* 8, 30. et sqq. *Plin.* 33, 3, 13. Papiriana lex. V. in v. praec. ℙ Jus civile Papirianum, est liber *Sexti Papirii*, in quo collectae erant variae leges Romanorum regum. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2. ℙ **Fossa Papiriana* in Etruria fuit, inter Lunam et Pisas. *Ant. Itin. B. A.*

PAPO. V. PAPPO.

PAPPĂ. V. PAPA.

PAPPĂRĬUM, ii, n. cibus, qui infantibus datur, cum a lacte sugendo removendi sunt. Translate *Sen. Contr.* 2, 9. *med.* Dominicae libidini papparium facere. Al. leg. *pararium.*

PAPPAS, ae, m. πάππας, nutricius. *Juven.* 6, 632. Timidus praegustet pocula pappas. V. PAPA et PAPAS.

PAPPO vel Papo, as, a. 1. ad pueros pertinet, cum vel cibum petunt, vel papam comedunt. *Per.* 3, 16. at cur non potius teneroque columbo, Et similis regum pueris pappare minutum Poscis, et iratus mammae lallare recusas? *Pl. Epid.* 5, 2, 62. Novo liberto opus est, quod pappet. *Pe.* dabitur: praebebo cibum. Joci causa *pappet* dixit, quia *novum libertum* ali postulat.

PAPPUS, i, m. πάππος, antiqua lingua idem quod senex. Unde *Sponsa pappi*, et *Agricola*, et *Hermia pappi:* quibus nominibus fabulas scripsit *Pomponius.* Confirmat eam significationem *Varr. L. L.* 6, 3. Item, inquit, significant in Atellaneis aliquot pappum (sic ex vett. libris emendant *Turneb.* et *Scal.* pro quo vulgo *pupum*) senem, quod Osci *casnar* appellant. V. *Scal.* ad *Varr. L. L.* 6, 5. p. 88. et *Voss.* in *Etym.* ℙ Est a πάππος, avus, quo sensu etiam Latini interdum utuntur, ut *Auson. Idyll.* 4, 18. pappos, aviasque trementes Anteferunt patribus seri, nova cura, nepotes. ℙ Etiam Graecis a senilis canitiei similitudine sic vocatur lanugo carduorum, unde hanc quoque acceptionem habent Latini. *Paul.* ex *Festo:* Pappi carduorum flores. *Lucr.* 3, 387. Vestes, nec plumas avium, papposque volantes. ℙ Item *pappus* dicitur lanugo cacti herbae. *Plin.* 21, 16, 57. Semen ei lanuginis, quam pappon vocant. ℙ Item herba, quae vocatur erigeron, vel senecio, vel acanthis. *Plin.* 25, 13, 106. Quare eam Callimachus acanthida appellat, alii pappum. ℙ *Turnebus* etiam putabat, ut ex posthumis in *Varr. L. L.* 6. notis liquet, *pappum maesium* antiquitus a rusticis dictum pro lanugine messium, sive segetis. Aliter vero *Scal.* cum de *pappi*, tum de *maesii* voce. ℙ [*Papus* est etiam cogn. R., ut L. Aemilius Papus ap. *Liv.* 20, 36. Unica vero littera *p* scribitur, quia prisci Romani consonantes nunquam geminabant. *F.*]

PĂPŪLA, ae, f. ἐξάνθημα, tuberculum, pustula in cute. *Cels.* 5, 28. *n.* 18. Papularum duo genera sunt: alterum est, in quo per minimas pustulas cutis exasperatur, et rubet, leviterque roditur: medium habet paulo laevius, tarde serpit. Alterum est, quam ἀγρίαν Graeci appellant: in qua similiter quidem, sed magis cutis exasperatur exulceraturque, ac vehementius et roditur, et rubet, et interdum etiam pilos remittit. Haec *Cels. Virg. G.* 3, 564. Ardentes papulae, atque immundus olentia sudor Membra sequebatur. *Colum.* 6, 31. de equor. curat: Papulae ferventissimo sole usque eo strigile raduntur, quod eliciatur sanguis. *Plin.* 20, 7, 26. Lactucae eruptiones papularum leniunt. *Id.* 26, 11, 73. Rubentes papulas sanare. *Id.* 35, 17, 57. cohibere. *Id.* 23, 7, 63. movere. ℙ Prov. est illud *Sen. V. B.* 27. *med.* Papulas observatis alienas, obsiti plurimis ulceribus.

PĂPŪLO, as, n. 1. papulas emitto. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. et *ib.* 3, 4.

PAPUS. V. PAPPUS.

*PAPYRA, ae, f. opp. Galatiae. *Ant. Itin. B. A.*

PĂPYRĂCĔUS, a, um, adj. qui est ex papyro. *Plin.* 28, 11, 47. Ellychnium papyraceum. *Id.* 6, 22, 24. Papyraceae naves.

PĂPYRĬFER, ra, rum, adj. παπυροφόρος, papyrum ferens. *Ov. Met.* 15, 753. papyriferi septemflua flumina Nili. Adde *Trist.* 3, 10, 27.

PĂPYRĪNUS, a, um, adj. παπύρινος, ad papyrum pertinens. *Varr. fragm.* ap. *Non.* 2, 759. Stilus papyrinus videtur esse, quo in papyro scribebant.

*PAPYRĬO, onis, m. locus papyro abundans. *Vulg. Exod.* 2, 5. *B. A.*

PĂPYRĬUS, a, um, adj. papyraceus. *Auson. ep.* 7, 47. Fac campum replices Musa papyrium.

PĂPYRUS, m. et f. et Papyrum, i, n. πάπυρος, arbuscula Aegypti. *Plin.* 13, 11, 22. Papyrum ergo nascitur in palustribus Aegypti, aut quiescentibus Nili aquis, ubi evagatae stagnant, duo cubita non excedente altitudine gurgitum, brachiali radicis obliquae crassitudine, triangulis lateribus, decem non amplius cubitorum longitudine in gracilitatem fastigiatum, thyrsi modo cacumen includens, semine nullo, aut usu ejus alio, quam floris, ad Deos coronandos. Haec *Plin.* V. *Guilandinum*, et quae adv. eum *Jos. Scal.;* item adi *Salmas. Exerc. in Solin.* ℙ Radicibus papyri incolae pro ligno utuntur, ut ait *Plin. ib.*, nec ignis tantum gratia, sed ad alia quoque utensilia vasorum. Ex ipso quidem papyro (h. e. e ligno) navigia texunt: et e libro vela tegetesque, necnon et vestem, etiam stragulam, ac funes. Mandunt quoque crudum, decoctumque, succum tantum devorantes; et *mox:* Praeparantur ex eo chartae, diviso *(libro interiore)* acu in praetenues sed quam latissimas philuras. Principatus medio, atque inde scissurae ordine, etc. Enumeratis deinde variis chartae generibus, et postremo loco emporetica, post hanc, inquit *ib.* 12, 23., papyrum est (h. e. extimus papyri cortex) extremumque ejus scirpo simile, ac ne funibus quidem, nisi in humore utile. Texuntur omnes madente tabula Nili aqua: turbidus liquor glutinis praebet vicem. Primo supina tabula scheda adlinitur longitudine papyri, quae potuit esse, resegminibus utrinque amputatis: transversa postea crates peragit. Premitur deinde prelis, et siccantur sole plagulae, atque inter se junguntur, proximarum semper bonitatis diminutione ad deterrimas. Nunquam plures scapo, quam vicenae. Hactenus *Plin.* ℙ De navigiis ex papyro. *Lucan.* 4, 135. sic cum tenet omnia Nilus, Conseritur bibula Memphitis cymba papyro. ℙ De funiculo, aut vinculo papyraceo. *Cels.* 5, 28. *n.* 12. *med.* Satis est papyrum intortum eo illinere. *Colum.* 6, 6. *med.* Cum sanguis satis profluxit, inhibetur papyri ligamine. *Pall.* 3, 33. Sarmenta vitium papyro ligabris stricto, et molli. ℙ De veste. *Juven.* 4, 24. hoc tu Succinctus patria quondam, Crispine, papyro? ℙ [De gallicis seu calceis papyraceis. *Capell.* 2, 28. Calceos praeterea ex papyro textili subligavit, ne quid ejus membra pollueret morticinum. *Tert. carm. ad senator.* 22. de Isiacis: caligaque remota Gallica sit pedibus molli redimita papyro. Hinc *Herodot.* 2, 37. *Οἱ ἰρέες Αἰγύπτιοι φορέουσι ὑποθήματα βυβλίνα.* ℙ De ellychnio papyraceo, quod Itali *lucignolo* dicunt. *Veg. Vet.* 2, 57. Papyrum candelarum purgatam subtiliter carpis, intingis in ovi albumento. *Paul. Nol. carm.* 20, 114. Quem *(aestum)* fumosa dabat ceratis cella papyris. *Isid. Or.* 11, 2. Dictum funus a funibus accensis, quos ante feretrum papyris cera circumdatis ferebant. *F.*] ℙ Pro charta, libello, epistolio. *Juven.* 7, 100. Namque oblita modi millesima pagina surgit Omnibus, et crescit multa damnosa papyro. *Mart.* 3, 2. ad libr. suum: Ne nigram cito raptus in culinam Cordyllas madida tegas papyro. *Catull.* 35, 1. Poetae tenero, meo sodali, Velim Caecilio, papyre, dicas, Veronam veniat. ℙ Papyro struebantur rogi. *Mart.* 10, 97. Dum levis arsura struitur Libitina papyro. Adde 8, 44.

PAR, păris, omn. gen. adj. ἴσος, aequalis, parilis, compar, similis. *Cic. Inv.* 2, 22. *med.* Par est, quod in omnes aequabile est. *Id. Or.* 36. Erit rebus ipsis par et aequalis oratio. *Auct. ad Her.* 4, 40. In aequos et pares fastidiosus, in inferiores crudelis. *Cic. Off.* 1, 34. *f.* Aequo et pari jure cum civibus vivere. *Id. N. D.* 2, 61. E quibus vita beata exsistit, par et similis Deorum. *Plin. praef.* 32. Nec par aut simile potest inveniri. [**Differunt par* et *similis. Par* enim dicitur, quod tantundem habet aut virium aut magnitudinis, quanquam alia sit forma aut specie: ut contra *simile*, quod eandem formam habet, magnitudine dispari. V. *Freinsh.* ad *Curt.* 5, 5, 7. ubi laud. ista: *Quint. Inst.* 10, 1. T. Livius immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consequutus est. Nam mihi egregie dixisse videtur Servilius Novianus, pares eos magis, quam similes. *Liv.* 45, 43, 2. Similia omnia magis visa hominibus, quam paria. Adde *Sall. Cat.* 14, 4. facile par similisque ceteris efficiebatur: ubi gradu differre has voces vult *Kritz.* coll. *Cic. Legg.* 1, 10, 29. Nihil est enim unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nos metipsos sumus. *Sen. Ira* 1, 9. *extr.* quos (affectus) nunquam deprimere possit, nisi pares illis similesque opposuerit.] *Cic. Or.* 1, 16. Est finitimus oratori poeta multis ornandi generibus socius, ac paene par; et *ib.* 55. Praeclaras duas artes constituere, atque inter se pares, et ejusdem socias dignitatis. *Id. ad Planc.* 1. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Ad paternas necessitudines magnam attulit accessionem tua voluntas erga me, meaque erga te par atque mutua. *Id. Mur.* 9. Quam ego pari atque eadem in laude pono. *Id. Sull.* 2. Intelliges de hoc judicium meum et horum par et unum fuisse. *Id. Or.* 12. Ut verba verbis quasi dimensa et paria respondeant. *Id. Fin.* 2, 4. Verbum Latinum *(voluptas)* par Graeco (ἡδονὴ) et idem valens. [**Caes. B. G.* 7, 74. Pares ejusdem generis munitiones, i. e. forma pares et viribus. V. *Herzog.*] *Cic. Fam.* 4, 9. *f.* Ut Marcello fratri tuo aut par, aut certe proximus sim, [*i. e. eodem loco occubans. Laudat hunc locum *Lindem.* ad *Pl. Trin.* 2, 4, 68. Atque ibi opulentus tibi par forte ut venerit.] *Cic. Phil.* 1, 34. Libertate esse parem ceteris, principem dignitate. *Id. Fam.* 6, 6. Hominem cuivis summorum tuae aetatis vel ingenio, vel industria, vel fama parem. *Virg. A.* 1, 709. totidemque pares aetate ministri. *Cic. Amic.* 9. *f.* Ut sint pares in amore, et aequales. *Liv.* 26, 16. Virum se fortissimum a nequaquam pari ad virtutem occidi: [*cf. 1, 5. *Par proelium* ap. *Nep. Them.* 3, 3. est, in quo eadem fortuna idemque eventus, ut neutri inclinet victoria. V. *Brem.* ad h. l. et quem laudat *Mor.* ad *B. Alex.* 29. cf. *Liv.* 41, 26. ibique *Kreyss.*] ℙ Et cum infinito. *Virg. Ecl.* 7, 5. Et cantare pares, et respondere parati. ℙ Et cum gen. pro ablativo. *Sil.* 4, 370. Aetatis, mentisque pares. ℙ Cum ablat. pro dativo. *Ov. Fast.* 6, 804. In qua par facies nobilitate sua. (Sic *ib.* 4, 306. Nec facies impar nobilitate fuit.) *Sall. fr.* ap. *Arusian. Mess.* Scalas pares moenium altitudine. ℙ Cum ablat. et cum praepos. pro dativo. *Sall. Jug.* 15. Quem tu parem cum liberis, regnique participem fecisti. *Cic. Brut.* 59. Erant ei quaedam ex his paria cum Crasso, quaedam superiora. [*Cf. *Ruddim.* 2, 93.] ℙ Cum gen. pro dativo. *Cic. Pis.* 4. Cujus paucos pares haec civitas tulit. *Pl. Rud. prol.* 49. Erat ei hospes par illius. *Lucan.* 10, 382. Quem metuis, par hujus erat. *Phaedr.* 4, 15. Pares dum non sint vestrae fortitudinis. Al. leg. *fortitudini.* [**Ramsh. Gr. Lat.* §. 108. p. 321. duplicem verbi *par*, et sim. cum genitivo et dativo constructionem ita explicat, ut genitivum adjungi tum dicat, cum vera atque in rei natura posita similitudo significetur: dativum vero, cum simili-

tudo quaedam in re aliqua forte vel cernatur vel conspiciendam se praebeat.] ℙ Sequentibus particulis *et*, *ac*, *atque*, *quam*. *Cic. Brut.* 11. Omnia fuisse in Themistocle paria, et Coriolano. *Id. N. D.* 3, 1. Neque mihi par ratio cum Lucilio est, ac tecum fuit. *Caes. B. G.* 5, 13. Pari spatio transmissus, atque ex Gallia est in Britanniam. *Nep. Ann.* 5. Minutium magistrum equitum, pari ac dictatorem imperio, fugavit. *Sall. Jug.* 109. In quo offensae minimum, gratia par, ac si prope adessemus. *Pl. Mil.* 4, 6, 36. Si parem sapientiam hic habet, ac formam, mihi ignoscet. *Caes. B. G.* 5, 8. Ipse cum legionibus quinque, et pari numero equitum, quam in continente reliquerat, naves solvit. Al. leg. *quem*. [*Ita recentt. omnes. Et recte quidem; nam *quam* post vv. *par*, *similis talis*, cet. a Livio demum et serioribus ponitur. V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 340. p. 295. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 188. 6. p. 813. coll. §. 154. *B. n.* 2. p. 497. sq.] ℙ Interdum absolute refertur ad aetatem similem: hinc *pares*, aequales, *coetanei*, ἡλικιῶται. *Petr. Sat.* 25. *Auct. Priap.* 51. Huc pertinet illud *Cic. Sen.* 3. Saepe interfui querelis meorum aequalium: pares autem cum paribus, veteri proverbio, facillime congregantur. ℙ Et universim qui aliqua re aequalis est, et similis alteri: quam vim habet proverb. ex *Cic.* allatum. *Hor. Ep.* 1, 5, 24. ne fidos inter amicos Sit, qui dicta foras eliminet: ut coeat par, Jungaturque pari. *Ov. Her.* 9, 32. Si qua voles apte nubere, nube pari. *Sen. Troad.* 408. Et par sollicito fabula somnio. *Inscr.* ap. *Viscont. Monum. Scipion. tab.* 3. Quojus forma virtutei parisuma fuit ἀρχαίκῶς pro *parissima*. *Pl. Curc.* 4, 2, 20. Eosdem hercle vos pono: parissimi estis iibus, ℙ *Parem esse alicui*, sufficere, satis virium aut facultatis habere ad aliquid agendum, aut ad resistendum. *Val. Fl.* 1, 110. velit ille quidem: sed dextera nondum Par oneri, clavaeque capax. *Quint. decl.* 15, 4. Aspicio per laboribus corpus, sufficientem animum seriis actibus. *Cic. Att.* 12, 15. Mihi omnis sermo est cum litteris: eum tamen interpellat fletus, cui repugno quoad possum: sed adhuc pares non sumus. *Caes. B. G.* 4, 7. Sese unis Suevis concedere, quibus ne Dii quidem immortales pares esse possint. *Just.* 7, 6. Quoniam omnibus bellis par esse non poterat, dispensanda ratus; et 16, 4. Parem esse crudelitati alicujus, *h. e.* ad resistendum crudelitati. *Plin. ep.* 3, 17. Exime hunc mihi scrupulum, cui par esse non possum. [*Nep. *Them.* 4, 2. et universos pares esse posse ajebat: ubi v. *Brem.*] *Sen. Prov.* 2. Athletas videmus cum fortissimis quibusque confligere, et exigere ab his, per quos certamini praeparantur: ut totis contra ipsos viribus utantur: et si non inveniunt singulos pares, pluribus simul objiciuntur. ℙ Similia sunt haec, quibus*par* dicitur, qui alteri est virtute similis, et cum eo componi et committi potest. *Liv.* 28, 44. Habebo, Q. Fabi, parem, quem das, Annibalem. *Hor. Od.* 1, 6, 15. ope Palladis Tydidem Superis parem *Sil.* 16, 616. composuit propioribus ausis Dignum te Fortuna parem. Adde *Stat. Th.* 6, 843. ℙ [*Ita *par* dicitur etiam de iis, qui honoribus, dignitate, auctoritate, potentia in republica pari modo fruuntur. *Vell.* 2, 33. Nam neque Pompejus, ut primum ad rem publicam aggressus est, quemquam animo parem tulit: *Id. ib. cp.* 29. nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem. *Lucan.* 1, 125. Nec quemquam jam ferre potest Caesarve priorem, Pompejusve parem: ubi v. *Cort.* et *Ruhnk.* ad *Vell.* 1. prius cit.] ℙ *Par est*, conveniens est, decens est, aequum est, εἰκός ἐστι. *Cic. Att.* 9, 11. *med.* Dubitans, quid me facere par sit; et *ib.* 15, 27. *extr.* Tu vero quidquid erit, quod me scire par sit, statim scribe; et *Verr.* 2, 5, 4. *extr.* Statim, ut par fuit, jussu ejus homines, qui nominati erant, comprehensi sunt. *Id. Amic.* 22. Par est autem, primum ipsum bonum esse, tum alterum similem sui quaerere. *Nep. Dat.* 6. Relinqui eum non par esse, sed omnes confestim sequi. *Id. Amilc.* 3. Turpius, quam par est. *Cic. Div.* 2, 55. Casum proelii nemo nostrum erat quin timeret, sed ita ut constantibus hominibus par erat, non aperte. *Pl. Bacch.* 1, 2, 31. Non par videtur, neque sit consentaneum, praesentibus illis paedagogus una ut siet. [*De hac dicendi formula, rariori quidem, *par est*, *ut*, exposuit *Stallb.* ad *Ruddim.* 2. p. 234. sq.] ℙ *Par pari referre*, aut *respondere*, par, tantundem, aequale rependere, τοῖς ἴσοις ἀμείβεσθαι: [*Gleiches mit Gleichem vergelten.] *Ter. Eun.* 3, 1, 55. Denique par pari referto, quod eam mordeat. Al. leg. *par* pro *pari*. *Pl. Truc.* 5, 1, 47. Par pari respondet. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Habes ad omnia, non ut postulasti, χρύσεα χαλκείων, sed paria paribus respondimus. *Atticus* ipse ap. *eund. ib.* 16, 7. *f.* Provide, si cui quid debetur, ut sit, unde par pari respondeatur. ℙ Ap. *Cic. Or.* 3, 54. paria paribus referre, est ἰσοκῶλῳ uti. V. COMPAR. ℙ *Ex pari*, ex aequo, pari conditione. *Sen. ep.* 59. *med.* Sapiens cum Diis ex pari vivit. *Quint. decl.* 379. Sed inimicum occidi: quem? pauperem, qui nihil in curia, nihil in concione poterat. Inimici sunt ex pari. ℙ *Paria facere*, aequare, pariare: et dicitur de rationibus. *Colum.* 1, 8. *med.* et 11, 1. *med.* Negotiatio curam villici avocat, nec unquam patitur eum cum rationibus domini paria facere: sed ubi aeris numeratio exigitur, rem pro nummis ostendit. ℙ Translate. *Sen. Ben.* 3, 9. *extr.* Cum aliter beneficium detur, aliter reddatur, paria facere difficile est. *Id. Ira* 3, 25. Denique debet poenas: non est quod cum illo paria faciamus. *Id. Ep.* 101. Sic itaque formemus animum, tanquam ad extrema ventum sit: nihil differamus, quotidie cum vita paria faciamus. Sic *ep.* 19. *f.* Poteram tecum et hac Maecenatis sententia parem facere rationem. Adde *Plin. Pan.* 6. *extr.* et *Quint. decl.* 6, 6. et *ib.* 9, 17. et 12, 24. et *Plin. senior.* 2, 86, 88. et 37, 1, 2. ℙ *Pares* interdum pro duobus sumuntur. Hinc paribus equis, idest duobus Romani utebantur in proelio, ut sudante altero, transirent in siccum. Ita *Paul.* ex *Festo.* Fere autem hoc sensu neutro genere adhibetur, *ein Paar*, ζεῦγος. *Cic. opt. gen. Or.* 6. Gladiatorum par nobilissimum. *Id. Amic.* 4. Ex omnibus saeculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum. *Id. Dom.* 11. Quod par amicitiae consularis fuit unquam conjunctius, quam ego et Cn. Pompejus? *Id. Verr.* 2, 2, 19. Scyphorum paria complura Verri data esse. *Ov. Met.* 13, 833. Par columbarum. *Sen. ep.* 7. Paria ordinaria et postulaticia: sc. gladiatorum. *Cajus Institut.* (ed. *Goesch.*) 3. §. 212. Par mularum. *Suet. Rhet.* 5. oculorum V. OCULUS. ℙ *Paria duo* differt a *paria bina*; illud duo tantum, hoc quatuor significat. *Labeo Dig.* 32, 30. Qui quatuor pocula oleaginea habebat, ita legavit; pocula oleaginea paria duo. Respondi, unum par legatum esse, quia non ita esset: bina paria; neque ita: poculorum paria duo. Idem et Trebatius. ℙ *Par, impar*, ludi genus. *Hor. Sat.* 2, 3, 248. Ludere par impar, equitare in arundine longa, Si quem delectet barbatum, amentia verset. Adde *Augustum* in *ep. ad filiam*, ap. *Suet. Aug.* 71. ℙ In ablat. et *pari* dicitur, et *pare*, ut *Charis.* docet 1, 14. et *Prisc.* 7, 763., sed hoc minus frequens est, et fere poeticum. *Ov. Fast.* 4, 98. Illa (*Venus*) rudes animos hominum contraxit in unum: Et docuit jungi cum pare quemque sua; et *ib.* 3, 193. Cum pare quaeque suo coeunt volucresque feraeque. Adde 526. His autem locis *par* est conjux: qua ratione etiam *compar* usurpatur. ℙ In gen. plur. est *parium*, non *parum:* quamquam *Plin.* ap. *Charis.* 1, 110. aliter docuerit. ℙ *Paris* in recto feminino pro *par*. *Atta* in *Socru* ap. *Prisc.* 7, 764. Adj hanc fortunam accessit ei fortuna paris.

*PARABESTE, es, f. Asiae urbs, in Arachosia. *Plin.* 6, 23. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* pro *Parabesten* habet *per Abesten. B. A.*

PĂRĂBĪLIS, e, adj. εὐπόριστος, qui facile acquiri et haberi potest. *Cic. Fin.* 1, 13. *extr.* Natura divitias, quibus contenta sit, et parabiles, et terminatas habet. *Sen. ep.* 5. *med.* Quemadmodum delicatas res desiderare, luxuriae est; ita usitatas, et non magno parabiles fugere, dementiae est. *Hor. Sat.* 1, 2, 119. namque parabilem amo Venerem, facilemque. *Curt.* 3, 5. Levi ac parabili cultu corporis esse contentum.

PĂRĂBŎLĀ, ae, et Părăbŏlē, es, f. παραβολή, comparatio, collatio rerum genere dissimilium, ut ait *Donat. de trop.* p. 1778., et fit octo modis, quos ap. *Diomed.* 2, 459. videre licet. *Quint.* 5, 11. *med.* Παραβολή, quam Cicero collationem vocat, longius res, quae comparentur, repetere solet. *Id.* 8, 3. *f.* In omni parabola aut praecedit similitudo, et res sequitur; aut praecedit res, et similitudo sequitur. Praecedit similitudo illa (*Virg. A.* 2, 355.) inde, lupi ceu Raptores atra in nebula, etc. Sequitur in primo Georgicon, post longam de bellis civilibus conquestionem (*f.*) ut cum carceribus sese effudere quadrigae, Addunt se in spatia, etc. *Id.* 6, 3. *med.* Adhibetur autem similitudo interim palam; interim inseri solet parabolae: cujus est generis id Augusti, qui militi libellum timide porrigenti, Noli, inquit: dubitare, tanquam assem elephanto des. *Sen. ep.* 59. Qui simpliciter, et demonstrandae rei causa eloquebantur, parabolis referti sunt: quas existimo necessarias non ex eadem causa, qua poetis, sed ut imbecillitatis nostrae adminicula sint, et ut discentem et audientem in rem praesentem adducant. Adde *Macr. Sat.* 5, 13. ℙ Item narratio rei fictae, sed verisimilis, quaque utimur causa similitudinis ad exponendam rem veram: cujusmodi multae occurrunt in N. Testam. *parabolae. Tert. adv. Marc.* 3, 5. *August. Quaest. Evang.* 2, 45. *Hieron.* etc.

PĂRĂBŎLĀNI, orum, m. plur. homines pauperrimae sortis, qui operam suam nosocomiis et xenodochiis accommodant. Quandoquidem cum alias, tum imprimis grassante peste, vitam propriam summo exponunt periculo, maxime verisimile est, venire a παράβολος, quod notat ad audendum projectum, ut *Cic. Verr.* 2, 1, 1. loquitur. *Impp. Honor. et Theod. Cod.* 1, 3, 18. Parabolanos, qui ad curanda debilium aegra corpora deputantur, sexcentos constitui praecipimus. Adde *Cod. Theodos.* 16, 2, 42. et 43. Ubique autem de urbe Alexandriae sermo est.

PĂRĂBŎLI, orum, m. plur. παράβολοι, h. e. audaces, temerarii: sic dicuntur qui cum bestiis certant. *Cassiod. Hist. trip.* 11, 17. *med.* Crudeli bestiae artifex parabolus pugnet.

PĂRĂBŎLĬCĒ, adv. per parabolam. *Sidon. ep.* 5, 17. *f.* Parabolice, seu figurate dictare aliquid.

PĂRĂCENTĒSIS, is, f. curatio, quae manu fit pungendo et perforando, ut cum tunica oculi perforatur acu ad removendam suffusionem, vel abdomen ad extrahendam aquam collectam, etc. Vox Graeca, a κεντέω, pungo, παρακεντέω, a latere pungo. *Plin.* 25, 13, 92. Anagallidis succus pupillas dilatat: et ideo hoc inunguntur ante, quibus paracentesis fit. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 8. saepius memorat paracentesin abdominis in hydropicis.

PĂRĂCENTĒTĒRĬUM, ii, n. παρακεντητήριον, instrumentum, quo paracentesis fit. *Veg. Vet.* 2, 18. Paracenteterium inter tunicas oculares subjicito. Al. leg. *paracenterium*.

PĂRĂCHĂRACTES, ae, m. παραχαράκτης, qui falsam monetam cudit: a παραχαράσσω, falsum characterem imprimo. *Impp. Valent., Theod. et Arcad. Cod. Theod.* 9, 21, 9.

[PĂRĂCHĂRAXĬMUS, a, um, adj. adulterinus: a παραχαράκτης, falsus monetarius. *Cassian. Collat.* 1, 20. Tanquam adulterina nomismata et paracharaxima reprobemus, utpote quae falsam imaginem regis, non legitime signatam, contineant. Adde 21. et 22. *F.*]

*PARACHELOIS, idis, vel idos, f. Παραχελωΐς, urbs Thessaliae, eo sic dicta, quod sita ad ripam Acheloi fluminis. *Liv.* 39, 26. *in. B. A.*

PĂRĂCLĒTUS, i, m. παράκλητος, advocatus, consolator, adhortator, deprecator: a παρακαλέω. Hoc nomine Ecclesiastici scriptores designant tertiam Sanctissimae TRINITATIS personam. *Tert. Virg. vel.* 1., *Anim.* 55., *Resurr. carn. f.* ℙ Unum fuit etiam ex aeonibus Valentiniani. *Id. adv. Valent.* 8. ℙ Paenultimam, quae natura longa est, corripuit *Prud. Cath.* 5, 160. Spirat de patrio corde Paracletum. Adde *περὶ στεφ.* 10, 430. ℙ Scribitur et *paraclitus*. ℙ Sed *paraclytus*, παράκλυτος, est infamis.

PĂRĂDĂ, ae, f. tegmen, vel umbraculum naviculae. Videtur esse vox Gallica. *Auson. ep.* 5, 25. Puppe citus propera, sinuosaque lintea veli Pande: Medullini te feret aura noti Expositum subter paradas, lectoque jacentem: *sotto 'l felce*, nunc dicunt Veneti: huc etiam fortasse pertinet illud *mettere in parada la nave*, cum eam velis aliisque ornant instrumentis nauticis. *Sidon. ep.* 8, 12. *med.* Hic, ne tibi pendulum tingat volubilis sentina vestigium, pandi carinarum ventres abiegnarum trabium textu pulpitabuntur: hic superflexa crate paradarum sereni brumalis infida vitabis. ℙ *Parada* fuit etiam opp. Africae in provincia Zeugitana. *Auct. B. Afr.* 87. [*Plura addidit *F.*]

PĂRĂDĬASTŎLĒ, es, f. παραδιαστολή, disjunctio, distinctio, separatio. Vox Graeca, et Graece adhibenda, qua significatur rhetoricum schema: de quo *Quint.* 9, 3. *med.* Συνοικείωσιν vocant, quae duas res diversas colligat. Huic diversam volunt esse distinctionem, cui dant nomen παραδιαστολήν, qua similia discernuntur: *Cum te pro astuto sapientem appelles, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem:* quod totum pendet ex finitione; ideoque an figura sit, dubito. *Rutil.* tamen *Lupus de figur. sentent. l.* 1. et *Jul. Rufin.* inter figuras sententiarum enumerant.

PĂRĂDIGMĂ, atis, n. παράδειγμα, exemplum quo utimur ad aliquid ostendendum probandumque. Vox Graeca: inter figuras dictionis est rei praeteritae relatio, adhortationem dehortationemve significans: adhortationem, ut (*Virg. A.* 1, 246.) Antenor potuit mediis elapsus Achivis Illyricos penetrare sinus. Dehortationem, ut (*ib.* 9, 144.) an non viderunt moenia Trojae, Neptuni fabricata manu, considere in ignes? Ita *Charis.* 4, 248. cui paria habent *Diomed.* 2, 460. et *Donat. de trop.* p. 1779. Fit autem tribus modis: vel enim in exemplum adducimus personam sine sermone; vel sermonem sine personis; vel simul utrumque, ut est ap. *Jul. Rufin. de fig. sentent.* (V. *Quint.* 5, 11.) *Tert. Anim.* 43. *med.* Paradigmate Platonico plenius.

PĂRĂDĪSĬĂCUS, a, um, adj. ad hortum amoenum pertinens. *Venant. carm.* 6, 8, 1. Hic ver perpetuum viridantia gramina gignit, Et paradisiacas spargit odore rosas. ℙ De paradiso terrestri. *Alc.* 1, 298. Interea primi, summus quos junxerat auctor, In paradisiaca ponuntur sede parentes.

PĂRĂDĪSĬCŎLĂ, ae, comm. gen. qui paradisum coelestem incolit. *Prud. Hamart.* 936. de Lazaro: Et paradisicolae post ulcera dira beato.

PĂRĂDĪSUS, i, m. παράδεισος, pomarium, viridarium, hortus consitus. Vox Graeca, sed a Persis, atque inde Hebraeis originem ducit: Hebr. פַּרְדֵּס *pardès*, hortus conclusus, ex פָּרַר *parâd*, separavit. *August. Serm.* 343. *n.* 1. de Susanna: Conscripta sunt verba ejus, quae habuit in paradi-

so, hoc est in viridario suo. Graece *Gell.* 2, 20. Vivaria quae nunc vulgus dicit, sunt quos παραδείσους Graeci appellant: quae leporaria Varro dicit. ℙ In sacris libris accipitur pro amoenissimo horto in Oriente, in quo primi nostri generis auctores a Deo constituti fuere. *Hieron. ep.* 52. *n.* 5. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit; et *ep.* 69. *n.* 6. Plantatus paradisus in Eden. ℙ Speciatim est locus beatorum in coelis. *Tert. Apol.* 47. Si paradisum nominemus, locum divinae amoenitatis recipiendis sanctorum spiritibus destinatum, maceria quadam igneae illius zonae a notitia orbis communis segregatum, Elysii campi fidem occupaverunt. *Id. in carm. de Judic. Domini* 195 — 265. fusam habet et poeticam ejus descriptionem. ℙ Ap. *Plin.* 5, 27, 22. nomen est fluvii in Cilicia; et *ib.* 23, 19. oppidi in Syria. [*Plurima adjecit atque emendavit *F.*]

PĂRĂDŌTUS, a, um, adj. παράδοτος, traditus: a παραδίδωμι, trado. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 250, 3. C. Julius C. L. Paradotus. *F.*]

PĂRĂDOXUS, a, um, adj. παράδοξος, admirabilis, praeter opinionem, inauditus. [Unde est *paradoxum* schema orationis, de quo in *Rufin. de fig. sentent.* Paradoxon sive hyponrone, sustentatio, vel inopinatum. Hoc schema suspendit sensum: deinde subjicit aliquid contra exspectationem auditoris, sive magnum, sive minus; et ideo sustentatio, vel inopinatum dicitur. *Cic. pro Lig.* (*c.* 9.) Hinc prohibitus, non ad Caesarem, ne iratus; non ad domum, ne iners; non aliquam in regionem, ne condemnare causam illam, quam secutus esset, videretur. Haec *Rufinianus.* ℙ Philosophi Stoici gaudent paradoxis, seu sententiis a communi sensu abhorrentibus. *Cic. Fin.* 4, 27. Haec παράδοξα illi nos admirabilia dicamus. *Id. Par.* 1. Ego tibi illa ipsa, quae vix in gymnasiis, et in otio Stoici probant, ludens conjeci in communes locos; quae, quia sunt admirabilia, contraque opinionem omnium, ab ipsis etiam παράδοξα appellantur, tentare volui, possentne proferri in lucem. ℙ *Paradoxi* etiam mimi dicuntur. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 8, 184. Siparium velum est, sub quo latent paradoxi, cum in scenam prodeunt. *Salmas.* ad *Vopisc.* p. 384. eosdem παραδοξολόγους dictos observat. ℙ *Paradoxus* dicitur item, qui praeter exspectationem eodem die lucta pariter, et pancratio vicit, Graece παραδοξονίκης appellatus. *August. Princip. rhet. n.* 9. Tametsi quidam parum diligenter Graece loquentes, paradoxa pro his, quae sunt bonae opinionis, accipiunt: unde vulgo etiam Olympionicas, et ceteros victores sacrorum certaminum paradoxos vocant, magis consuetudine, quam ratione ducti. *Plutarch. comparat.* inter *Cimon.* et *Lucull. n.* 2. haec illustrat his verbis: *Τῶν ἀθλητῶν τοὺς ἡμέρᾳ μιᾷ πάλῃ ἅμα, καὶ παγκρατίῳ στεφανουμένους ἔθει τινὶ παραδοξονίκας καλοῦσιν.* In Graecis Inscr. passim dicitur παράδοξος, qui a *Plutarcho* παραδοξονίκης, in quo is cum *August.* consentit. V. *Ignarra de palaestra Neapol.* p. 34. *F.*]

PĂRAENĔSIS, i, f. παραίνεσις, praeceptio, admonitio, adhortatio: vox Graeca a παραινέω, praecipio. *Vulcat. Avid. Cass.* 3. Per ordinem paraeneseon, hoc est praeceptionum, per triduum disputavit.

[PĂRAETĂCAE, arum, f. plur. V. v. sq. *F.*]

[PĂRAETACĒNĒ, es, f. Παραιτακηνη, sc. γῆ, terra, regio Persidis, vel ad illam certe pertinens. *Plin.* 6, 27, 31. Ad eam pervenit Sagrus mons, ex Armenia inter Medos Adiabenosque veniens, supra Paraetacenen et Persidem. Adde *Curt.* 5, 13. *in.* ℙ Hinc *Paraetace, arum,* παραιτάκαι, dicti sunt incolae ap. *Nep. Eum.* 8., qui *Paraetaceni, orum*, audiunt ap. *Plin.* 6, 26, 29. *F.*]

[PĂRAETĂCĒNI, orum. V. PARAETACENE. *F.*]

[PĂRAETŌNĬUM, ii, n. Παραιτόνιον, opp. cum amplo portu in Marmarica, vel Cyrenaica regione Africae, inter Aegyptum et Syrtes, sed Aegypto propius. *Plin.* 5, 5, 5. Adde *Ov. Am.* 2, 13, 7. et *Met.* 9, 773. qui videtur Alexandriam significare. ℙ De coloris genere V. in v. sq. *F.*]

PĂRAETŌNĬUS, a, um, adj. ad Paraetonium pertinens. *Mela* 1, 8. Paraetonius portus. ℙ A poetis late sumitur pro Aegyptio, aut Africo. *Lucan.* 3, 295. Usque Paraetonias Eoa ad litora Syrtes. *Id.* 10, 9. Paraetonia urbs, *h. e.* Alexandria. *Claud. B. Gild.* 160. Quodque Paraetonio secedit litore Ganges, *h. e.* Aegyptio. *Stat. Th.* 5, 12. Paraetonius Nilus. *Sil.* 17, 450. serpens, *h. e.* in arenosis Africae degens. *Id.* 3, 225. Paraetonium litus, *h. e.* ora litoralis Africae. ℙ *Paraetonium* est genus nativi coloris, e candidis coloribus pinguissimum, et tectoriis tenacissimum propter laevorem: spumam maris esse dicunt solidatam cum limo: et ideo conchae minutae inveniuntur in eo. Nomen habet a loco, (de quo dictum est in voce praec.) sed etiam in Creta fit, atque Cyrenis. Haec *Plin.* 35, 6, 18. Adde 33, 5, 27. Meminit etiam *Vitr.* 7, 7.

PĂRĂGAUDA, ae, f. et Paragaudis, is, f. fascia vel aurea, vel serica auro ornata, quae vesti intexebatur, non, ut instita, assuebatur. *Imppp. Grat., Valent. et Theodos. Cod.* 11, 8, 2. Nemo vir auratas habeat aut in tunicis, aut in lineis paragaudas. ℙ Per synecdochen sumitur pro ipsa veste, quae hisce fasciis distincta, et insignita erat. Hujusmodi vestium quaedam monolores erant, quibus una tantum paragauda, seu fascia intexta erat, aliae dilores, quibus duae, aliae trilores, quibus tres, aliae tetralores, quibus quatuor, aliae pentalores, quibus quinque. *Valerian. Imp. in ep.* ap. *Vopisc. Prob.* 4. Interulas paragaudas duas. *Gallien. in ep.* ap. *Trebell. Claud.* 17. Paragaudem triuncem unam. V. ibi *Salmas.* qui docet esse vocem Persicam, et *Casaubon.* qui Syram: [Chald. vero פַּרְגּוֹד *pargòd*, est velum, aulaeum *F.*] uterque autem mallet legi *paragaudiam*, aut *paragaudeam*, ut sit adjectivum. Adde *Vopisc. Aurel.* 46. et ibi quoqoe ab iisdem notata.

*PARAGENĪTAE, arum, incolae civitatis cujusdam in Arcadia. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

PĂRĂGOGĂ Verba, παράγωγα, dicuntur a grammaticis, quae a primitivi verbi declinatione et mutationem et adjectionem litterarum capiunt, et nihilominus interdum variant significationem, ut *lacesso*, et *facesso*, ex eo quod est *lacero*, et *facio*. Ita *Charis.* 3, 226. Adde *Diomed.* 1, 309., qui ita appellat verba derivativa, ut *fontanus, montanus, villaticus*, etc. Ipsa vox Graeca, et Graece adhibenda, est a παράγω, produco, deduco, derivo.

PĂRĂGOGĒ, es, f. παραγωγή, productio, deductio, Graeca vox, et Graece adhibenda: a παράγω, produco, deduco: figura est poetica, qua in fine vocis aliquid adjungitur, ut *admittier* pro *admitti, tis*, pro *te, potestur*, pro *potest.* Ita *Diomed.* 2, 436. Hanc alii προσπαράληψιν, prosparalepsin vocant, a προσπαραλαμβάνω, ultra accipio, vel assumo. *Charis.* 4, 248. *Diomed.* 2, 436. et *Donat. de schematib.* 1772.

PĂRĂGOGĬA, orum, n. plur. παραγώγια (a παράγω, deduco, derivo) sunt aquarum ductus, aquaeductus. *Imp. Zeno Cod.* 11, 42, 10.

[PĂRAGRAMMĂ, ătis, n. παράγραμμα, sphalma in scribendo. *Hieron. ep.* 71. *n.* 5. Opuscula mea, quae desiderare te dicis, ad describendum hominibus tuis dedi: et *mox.* Si paragrammata repereris, vel minus aliqua descripta sunt, quae sensus legentis impediant non mihi debes imputare, sed tuis, et imperitiae notariorum, librariorumque incuriae, qui scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt, et dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos. *F.*]

[PĂRAGRAPHUS, i, comm. gen. παράγραφος, nota critica figura litterae *Γ*, quae, ut ait *Isid. Or.* 1, 21., ponitur ad separandas res a rebus, quae in connexu concurrunt. *F.*]

PĂRĂLĪPŌMĒNON, παραλειπομένων Graecus gen. plur neut. h. e. rerum omissarum, aut relictarum: a παραλείπω, omitto, praetermitto. Sic inscribuntur duo libri Vet. Testamenti, in quibus supplentur ea, quae in praecedenti Regum historia aut omissa, aut non plene relata fuere. *Hieron. ep.* 53. *n.* 8. et *Isid. Or.* 6, 2.

*PARALISSUM, i, n. opp. Daciae. *Inscr.* ap. *Spon.* p. 193. *B. A.*

PĂRĂLĬUS et Paralios, ii, m. παράλιος, marinus, maritimus: a παρά, prope, et ἅλς, ἁλός, mare. Ap. *Plin.* 20, 19, 78. est appositum primi et tertii generis, papaveris, quia maritimis in locis nascitur. Item tertii generis tithymali ap. *eund.* 26, 8, 41.

PĂRALLĔLOGRAMMUS, a, um, adj. παραλληλόγραμμος, lineis parallelis constans, ut Parallelogramma mensura ap. *Frontin. de colon.* p. 116. et 130. *Goesii.*

[PĂRALLĔLŌNĬUS, a, um, adj. idem ac parallelus, ut Parallelonius terminus ap. *Auct. de limit.* p. 310. *Goes. F.*]

PĂRALLĔLUS, a, um, adj. παράλληλος, invicem comparatus, aequaliter distans: a παρά, ad, et ἀλλήλων, invicem. *Lineae parallelae* sunt, quae in immensum protensae aequalibus semper spatiis inter se distant, et nunquam concurrunt. *Parallelos linea* legitur ap. *Vitr.* 5, 8. more Graecorum, quibus παράλληλος communis generis est. Sic 10, 15. de catapul.: Tabulae, quae sunt in summo, et in imo capituli, parallelique vocantur. ℙ *Circuli paralleli*, et *paralleli* absolute, sunt segmenta sphaerae, ab Or. in Occ. ducta, axem mundi habentia pro centro, omnique ex parte a se invicem aequaliter distantia. *Plin.* 6, 33, 39. Plura sunt autem haec segmenta mundi, quae nostri circulos appellavere, Graeci parallelos. *Solin.* 37. Quod gnomonici similibus parallelis accidere contendunt, quos pares in terrarum positione aequalitas normalis efficit lineae. *Capell.* 8, 276. Decem dici mundi circulos assevero: quorum alii paralleli, quos aequidistantes Latine possumus memorare, eosdem polos habent, quos ipse mundus, etc. Pergit deinde aequatorem describens, et tropicos, et polares circulos.

[PĂRĂLISENSIS, e, adj. ad Paralisum, seu Παράλισσον, ut scribitur ap. *Ptolem. l.* 3. *c.* 8., Daciae urbem pertinens. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 193. Pontifex civitatis Paralisensium provinciae Daciae. *F.*]

PĂRĂLUS, i, m. πάραλος, maritimus: a παρά, ad, et ἅλς, ἁλός, mare. Nomen est navis longae multae velocitatis, qua utebantur Athenienses, cum gravior aliquis casus urgeret: et ἱερὰ τριήρης, sacra triremis habebatur. Duae enim olim fuere hujusmodi sacrae naves: deinde tres aliae additae: quarum nomina Salaminia, vel Delia, Paralus, Antigonis, Ptolemais, Ammonias. Appellata creditur a quodam Paralo, qui ab Hegesia ap. *Plin.* 7, 56, 57. dicitur inventor navis longae. ℙ *Paralus* dicta est tabula Protogenis, de qua *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. Cum Athenis celeberrimo loco, Minervae delubro propylaeon pingeret, ubi fecit nobilem Paralum, et Ammoniada, quam quidam Nausicaam vocat; adjecit parvulas naves longas, etc. *Cic. Verr.* 2, 4, 60. Quid arbitramini, Rheginos merere velle, ut ab eis marmorea Venus illa auferatur? quid Athenienses, ut ex marmore Iacchum, aut Paralum pictum, aut ex aere Myronis buculam?

PĂRĂLYSIS, is, f. παράλυσις, dissolutio, nervorum resolutio, ut *Cels.* vocat 2, 1. a παραλύω, resolvo. *Plin.* 20, 3, 8. Intestinorum omnium vitiis medetur, et renum, et lumborum, et paralysi; et *ib.* 15, 59. Ferunt, eos, qui cappari quotidie edunt, paralysi non periclitari. *Petr. Sat.* 120. Adolescens paralysin cave. *Adde *Scrib. Larg. compos.* 79. *B. A.*

PĂRĂLYTĬCUS, a, um, adj. παραλυτικος, qui paralysi laborat. *Plin.* 20, 9, 34. Ideo paralyticis, et tremulis dari jubet. *Claud. epigr.* 49. *extr.* Jussus post multos graditur paralyticus annos. Hic metri necessitate antepaenultima in *paralyticus* producitur. *Petr. Sat.* 131. Quid est, paralytice? ecquid hodie totus venisti? ℙ *Restringere paralyticos*, est sanare, cum paralysis nihil aliud sit, quam nervorum dissolutio, quae aliter sanari non potest, nisi nervi illi dissoluti, et justo laxiores restringantur. *Tert. Apol.* 21. Cum ille verbo daemonia excuteret, leprosos mundaret, paralyticos restringeret.

PĂRĂMĒSĒ, es, f. παραμέση, h. e. prope, vel ad mediam: a παρά, ad, et μέση, media: ap. *Vitr.* 5, 4. nomen est chordae musicae, quae recentioribus musicis est *b fa b mi.* ℙ [Translate ita appellatur digitus medio proximus, qui et annularis. V. HYPATE. *F.*]

[PĂRĂMŌNĒ, es, f. παραμονή, permansio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 350. *n.* 26. Ulpia Paramone. *F.*]

[PĂRĂMŌNUS, i, m. παράμονος, perseverans. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 179, 6. C. Poppeus Paramonus. *F.*]

[PĂRĂMYTHĬUS, ii, m. cogn. R. a παραμύθιον, solatium. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 567. L. Calpurnius Paramythius. *F.*]

PĂRĂNĂTELLON, παρανατέλλων, simul oriens. Vox Graeca, qua usus est *Serv.* ad *G.* 1, 218.

PĂRĂNĒTĒ, es, f. παρανήτη, h. e. ultimae proxima, paenultima: a παρά, ad, et νήτη, ultima. Ap. *Vitr.* 5, 4. est nomen chordae musicae. *Id.* 6, 1. *med.* Paranetarum acutissimam sonitu vocis perficiunt tenuitatem. V. *Bald. in Lex. Vitr.*

PĂRANGĂRĬAE, arum, f. plur. Angariae dicuntur operae publice ob negotium aliquod impositae, parangariae vero sunt, in quibus et operae personarum, et rerum impendia imponuntur propter publicam aliquam necessitatem. De utrisque fit mentio in *Cod. Just.* 12. *tit.* 51. et al., et *Cod. Theod.* 8. *tit.* 5. Alii ita interpretantur, ut *angariae* sint onera, et labores, qui imponebantur in cursu publico: *parangariae*, quae extra illum. ℙ Adjective. *Imp. Constant. Cod.* 1, 3, 2. Ad parangariam praestationem non vocentur.

PĂRĂNYMPHUS, i, m. παράνυμφος, pronubus, auspex, qui nuptias conciliat. *August. C. D.* 14, 18. Nonne omnes famulos atque etiam ipsos paranymphos, ante mittit foras, quam vel blandiri conjux conjugi incipiat? Adde *ib.* 6, 9. *med. Venant. carm.* 8, 5, 305. Angelus inde tuos repetens paranymphus honores. ℙ *Paranympha, ae*, ap. *Isid. Orig.* 9, 7. est pronuba.

PĂRĂPĒGMĂ, ătis, n. παράπηγμα, Graece est tabula aenea, quae columnae affigitur, cujusmodi tabulis leges inscribebantur, a παραπηγνύω, affigo. Astrologi etiam sic dixere tabulas, quibus describerent canonem astronomicum, sive praedictiones siderum, eclipsium, aliarumque rerum coelestium. Sic Democritum scripsisse parapegmata, auctor est *Diog. Laert.* Meminit et *Vitr.* 9, 7. *f.* Quorum inventa secuti siderum ortus et occasus, tempestatumque significatus Eudoxus, Euctemon, ceterique ex astrologia invenerunt, et parapegmatorum disciplinas posteris explicatas reliquerunt. Hic pro *parapegmatum* est *parapegmatorum* a *parapegmatum, i*, n. V. EMBLEMA. *V. *Schneid.* ad *Vitruvii* l. c. *B. A.*

PĂRĂPAESTUS, i, m. παράπαιστος, delirus, mente captus, nomen est pedis in carmine. *Not. Tir.* p. 184. Anapaestus, parapaestus.

PĂRĂPĔTĂSĬĂ, orum, n. plur. affixa, adjuncta,

applicita, ita ut aliquid obvelent, obtegantque: a παραπετάζω, obvelo, obtego. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 8, 12, 14. *Cod. Theod.* 15, 1, 39. Aedificia, quae vulgo parapetasia nuncupantur, vel si qua alia opera moenibus, vel publicis operibus ita sociata cohaerent, ut ex his incendium, vel insidias vicinitas reformidet, aut angustentur spatia platearum, vel minuatur porticibus latitudo, dirui ac prosterni praecipimus.

PĂRĂPĔTĔUMA, ătis, n. παραπέτευμα, nomen tesserae frumentariae, quae et πετὸς dicitur. Vox Graeca. *Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. Cod.* 11. tit. 24. qui est *de annonis civilibus* 2. Centum et vigintiquinque modios frumenti praeter solitum canonem, per singulos dies de praesenti sexta indictione, ex die calend. Januar. nomine parapeteumatis, de horreis publicis hujus almae Urbis, insita nostrae liberalitatis pietate tribuimus.

PĂRĂPHŌRON, i, n. παράφορον, h. e. depravatum, adulterinum, non sincerum: a παραφέρω, depravo. Ita vocatur genus quoddam aluminis pallidi et scabri, et quod galla inficiatur. *Plin.* 35, 15, 52.

PĂRĂPHRĂSIS, is, f. παράφρασις, ejusdem sententiae per alium sermonem explicatio, et liberior interpretatio, cum quaedam mutantes et addentes, copiosius ac dilucidius rem aliquam explicamus. *Quint.* 1, 9. Versus primo solvere, mox mutatis verbis interpretari; tum paraphrasi audacius vertere, qua et breviare quaedam, et exornare, salvo modo poetae sensu, permittitur; et 10, 5. Graecis litteris scribit. Neque ego, inquit, παράφρασιν esse interpretationem tantum volo, sed circa eosdem sensus certamen atque aemulationem.

PĂRĂPHRĂSTES, ae, m. παραφραστής, qui paraphrasi utitur. *Hieron. praef. ad libr. Regum f.*, sed Graece.

*PĂRĂPIĀNI, orum, populi Indiae, in regione Capissene, non procul ab Indo fluvio. *Plin.* 6, 23. *B. A.*

[PĂRĂPĪĒNOS, i, m. ita appellatur a *Diomed.* 3, 478. pes metricus ex brevi et longa, et tribus brevibus, temporum sex: est a παρὰ trans, et πίειες, pinguis. *F.*]

PĂRĂPSIS. V. PAROPSIS.

[PĂRĂPSYCHĒ, es, f. παραψύχη, consolatio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1046, 2. Flavia Parapsyche. *F.*]

[PĂRĂRENCHON, ontis, m. V. DORMIO. *F.*]

PĂRĂRĬUS, a, um, adj. a *par.* Pararium aes appellabatur id, quod equitibus duplex pro binis equis dabatur. Ita *Paul.* ex *Festo.* Nempe *pares equos* dicebant duos equos, ut in PAR adnotavimus. ℙ *Pararius, ii, μεσίτης,* conciliator: [**Unterhändler, Mäkler, Sensal.*] Videtur esse a *paro, as,* quia parat utrinque animos et conjungit, ut ait *Lips.* ad illud *Sen. Ben.* 3, 15. Ille per tabulas plurium nomina, interpositis pararii, facit; et *ib.* 2, 23. Quidam nolunt nomina secum fieri, nec interponi pararios, nec signatores advocari, nec chirographum dare.

PĂRĂSĂNGA, ae, m. παρασάγγης, mensura viarum apud Persas, ut *Paul.* ex *Festo* docet. Sed quot stadia, aut passuum millia contineat, incertum est, quia ut ait *Plin.* 6, 26, 30., ipsi quoque Persae alii alia mensura determinant. Sunt enim qui triginta ei stadia tribuunt, sunt qui quadraginta, sunt qui sexaginta. [*Romé de l' Isle Métrolog.* p. 15. parasangam Herodoti vocat, quae quatuor fere millib. passuum par erat, *h. e.* triginta circiter stadia continebat. *F.*]

PĂRĂSCĒVĒ, es, f. παρασκευή, Graece praeparationem significat. Apud Hebraeos ita vocabatur dies ante Sabbatum, quia eo die parabantur necessaria, ne praeceptum cessandi ab opere die festo Sabbati violaretur. *Tert. adv. Marc.* 4, 12. et *adv. Psych.* 14. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1402, 4. Paria Parasceve. *F.*]

[PĂRĂSĒMUM, i, n. παράσημον, insigne navis. V. NAVIS. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 4, 77. Pegasus trierarchi filius, ex cujus liburnae parasemo nomen accepit. *F.*]

*PĂRĂSĪNUM, i, civitas in Chersoneso Taurica. *Plin.* 2, 96. *si lectio certa:* In Taurorum paeninsula in civitate Parasino terra est, qua sanantur omnia vulnera. *B. A.*

PĂRĂSĬŌPĒSIS, is, f. reticentia, παρασιώπησις, vox Graeca, et Graece adhibenda: est figura rhetorica, cum aliquid nos reticere dicimus, et tamen tacitum intelligitur. Et hoc utendum est, cum aut notam rem esse auditoribus arbitramur, aut suspicionem excitare majorem reticendo possumus. Ita *Rutil. Lupus de figur. sentent.* 2.

PĂRĂSĪTA, ae, f. mulier, quae mensas alienas et cibaria sequitur. *Hor. Sat.* 1, 2, 98. Custodes, ectica, ciniflones, parasitae, Ad talos stola demissa. [*V. *Heindf.* ad h. l.] *Plin.* 10, 23, 33. Otus bubone minor, noctuis major: quidam Latine asionem vocant: imitatrix alias avis ac parasita, et quodam genere saltatrix, *h. e.* assentatrix cibi gratia.

PĂRĂSĪTASTER, stri, m. vilis et infelix parasitus. Haec enim positio diminutiva est, ut *Prisc.* 3, 610 et 618. et 4, 628. docet. *Ter. Ad.* 5, 2, 4. Est alius quidam parasitaster parvulus.

PĂRĂSĪTĂTĬO, onis, f. assentatio, blanditiae parasitorum cibi captandi gratia. *Pl. Amph.* 1, 3, 23. Nequiter paene expedivit prima parasitatio.

PĂRĂSĪTĬCUS, a, um, adj. παρασιτικός, ad parasitum pertinens. *Augustus in ep. ad Maecenat.* ap. *Suet. Vit. Hor.* Veniet ab ista parasitica mensa ad hanc regiam. *Pl. Stich.* 1, 3, 77. Perjuratiunculae parasiticae. *Id. Capt.* 3, 1, 9. Parasitica ars.

PĂRĂSĪTOR, aris, dep. 1. παρασιτέω, parasitum ago, cibi gratia adulor, coenas capto. *Pl. Stich.* 4, 2, 51. Vides, ridiculos nihili fieri, atque ipsos parasitarier, *h. e.* eos ipsos, quorum mensas ridiculi, h. e. parasiti, captant, aliorum coenas captare. *Id. Pers.* 1, 2, 3. Nunquam quisquam meorum majorum fuit, quin parasitando paverint ventres suos.

PĂRĂSĪTUS, i, m. παράσιτος, qui cibi gratia assentatur, risum movet, aut contumelias patitur: his enim fere artibus ad ditiorum mensas parasiti perveniebant: a παρὰ, ad, et σῖτος, cibus. [*De discrimine inter *parasitus, scurra, caprea* sim. disputat *Doederl.* 3, 83. ubi v.] Parasiti mores *Pl. Capt.* 1, 1. *Pers.* 1, 2. et *Stich.* 1, 3., item *Sidon. ep.* 3, 13. lepide describunt. *Cic. Am.* 26. Nec parasitorum in comoediis assentatio nobis faceta videretur, nisi essent milites gloriosi. *Hor. Ep.* 2, 1, 173. Quantus sit Dorsennus edacibus in parasitis. ℙ Joculariter *Pl. Epid.* 2, 3, 5. Quod pol ego metuo, si senex resciverit, Ne ulmos parasitos faciat, quae usque attondeant, *h. e.* sicut parasiti mensas aliorum attondent, et consumunt, ita ulmi corium et dorsum meum. ℙ Ex *eod. Curc.* 2, 3, 79. colligimus parasitos sub tutela Herculis fuisse. Cum enim ei Deo decimae bonorum offerentur, epulumque ea re publice praeberi mos esset, ad id parasiti in primis invitabantur. Nempe res sancta et venerabilis olim parasiti fuere: erant enim ministri sacrorum apud Athenienses, sub sacerdotibus constituti, et cum iis partem capientes victimarum, quae offerebantur, alia insuper munia habentes, de quibus multa *Athenaeus* 6, 6. et sqq. Paulatim vero in vilem, sordidam, ridiculamque sortem delapsi sunt. ℙ *Parasiti Phoebi,* seu *Apollinis* dicebantur mimi et histriones. *Mart.* 9, 29. de Latino: Vos me laurigeri parasitum dicite Phoebi, Roma sui famulum dum sciat esse Jovis. *Verrius* ap. *Fest.* in *Salva* hujus appellationis eam reddit causam, quam V. in SALTO. Ap. *Grut.* 329 et 330. quatuor habentur *Inscr.*, in quibus *Parasiti histrionis*, et *Parasiti Apollinis* mentio fit. *Parasitus histrio* est, qui in fabula parasitum agit. ℙ *Parasitos Jovis* appellat *August. C. D.* 6, 7. ex *Varrone,* Deos, qui in Capitolio, in Jovis epulo, mensae ejus adhibebantur.

PĂRĂSTĂDA, ae, et

PĂRĂSTAS, ădis, f. παραστάς, άδος, lignum, aut lapis ab utroque latere januae stans, et fulciens, a παρίσταμαι, adsto, prope adsisto. *Vitr.* 10, 15., ubi de catapultis faciendis agit, *parastadas* et *parastades* vocat trabes, vel tabulas arrectarias, quibus transversariae in summo et imo affigebantur.

PĂRĂSTĂTA, ae, m. παραστάτης, pila quadrata, aut lapis pilae modo ad columnae latus appositus: a παρίσταμαι, adsto, prope adsisto, et fulcio: quia una cum ipsa columna partem ponderis sustinet. Feminino gen. extulit *Vitr.* 5, 1. Columnae habentes post se parastatas altas pedes XX., latas pedes duos semis, crassas pedem unum semis, quae sustinent trabes, in quibus invehuntur porticuum contignationes. Supraque eas aliae parastatae pedum XVIII., latae binum, crassae pedem, etc. *Plinii* locum V. in v. sq. ℙ *Isid. Or.* 19, 2. parastatae stipites sunt pares stantes, quibus arbor sustinetur. Cato: Malum deligatum, parastatae vinctae.

PĂRĂSTĂTĬCUS, a, um, adj. παραστατικός, ad parastatam pertinens. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 688. *n.* 100. Imp. Caes. Nervae Trajani Aug. imagines argent. parastaticas cum suis ornamentis, et regulis, et basibus, et concameratione ferrea C. Julius Nymphius sua pecunia posuit, donumque dedit, etc. *h. e.* προτομὰς, Italice *busti*, parieti inhaerentes, neque integre exstantes, quemadmodum et parastatae in aedificiis muro inserti minus eminent, quam columnae, quae fere parietem nec tangunt, ut ait *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 3. p. 97. *ed. Patav.* ℙ *Parastatica, ae,* f. idem ac parastata. *Plin.* 33, 3, 15. Sed illius aureae camerae argenteae trabes narrantur, et columnae, atque parastaticae. Ita ex MSS. *Harduinus*, alii *parastatae* habent. *Vitr.* 9, 9. In his etiam aut in columna, aut parastatica horae describuntur. *Inscr.* ap. *Labus. Epigrafe Lat. scop. in Egitto* p. 7. Quod primiter juxta Philas novae lapicaedinae adinventae, tractaeque sunt parastaticae, et columnae grandes et multae, etc. Haec pertinet ad ann. a Chr. n. 203 — 211. *Not. Tir.* p. 163. Columna, parastatica. ℙ Translate *Veg. Vet.* 4, 1. *parastaticas* duas esse dicit in genibus equorum, duo ossa intelligens majori ossi apposita instar parastatarum. [*Egregie hunc locum emendavit atque ampliavit *F.*]

PĂRĂSTĬCHIS, ĭdis, f. παραστιχίς, ordo, series litterarum continuata, qualis in librorum indicibus servari solet, ut facilius rerum summae reperiantur. *Suet. Gram.* 6. de *Aurel. Opilio:* Hujus cognomen in plerisque indicibus et titulis per unam litteram scriptum animadverto: verum ipse id per duas effert in parastichide libelli, qui inscribitur Pinax, *h. e. Opillium* effert, ut etiam M. Opelius Macrinus Aug. apud historicos *Opilius* dicitur, ap. Graecos duplici lambda scribitur. *Gell.* 14, 6. Graecis litteris scribit.

PĂRĂSYNAXES, ium, f. plur. παρασυνάξεις, conventicula, et coitiones contra leges factae ab haereticis, sacrorum causa. Vox Graeca a παρὰ, praeter, et συνάγω, congrego. *Impp. Valentin. et Marcian. Cod.* 1, 5, 8. §. 3. Parasynaxes et conventicula tam diurna, quam nocturna non contrahant.

PĂRĂTĂRĬUS, a, um, adj. Ubi legitur ap. *Apic.* 8, 6. Coques cum phaseolis paratariis; *Lister* corrigit *parietariis*, h. e. qui ad parietes et pergulas scandere apti sunt. Al. retinent *paratariis*, et intelligunt paratu facilibus, parabilibus.

PĂRĀTĒ, adv. κατασκευασμένως, cum praeparatione, diligenter, atque adeo expedite, prompte. *Pl. Rud.* 1, 3, 9. Id parate curavi, ut caverem. *Cic. Brut.* 68. Is tamen ad dicendum veniebat magis audacter, quam parate. [**Id. Rosc. Am.* 26, 72. tamen diligentius paratiusque venisses: ubi mali quid inesse v. *paratius* facile intelliges, si comparaveris quae ejusdem generis notavimus in *paratus.*] *Id. Or.* 1, 33. Etsi utile est, etiam subito dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum, paratius atque accuratius dicere. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Paratissime respondere.

*PĂRĀTIĀNAE, arum, Numidiae oppidum. *Ant. Itin. B. A.*

PĂRĀTĬO, onis. f. κατασκευή, paratus, comparatio. *Afran.* ap. *Non.* 3, 173. Silentio opus est: nulla inest paratio. *Paul. Dig.* 30, 1, 39. *f.* Constat, res alienas legari posse, utique si parari possint: etiam si difficilis earum paratio sit. *Sall. Jug.* 33. Sed sane fuerit regni paratio, plebi sua restituere. Al. leg. *reparatio.*

PĂRĀTRĀGOEDĬO, as, n. 1. παρατραγῳδέω, exaggero, magnificis dictis utor, tragoedorum more magna eloquor, jacto, mentior. *Pl. Ps.* 2, 4, 17. Ut paratragoediat carnifex! *Sic edd. *Camerar. Douz. Buchner.* et *Taubmann.* ed. *Gronov.* exhibente *paratragoedat*, quod et in MSS. legitur et a metro flagitatur. *B. A.*

PĂRĀTŪRA, ae, f. apparatus, paratus. *Tert. Pall.* 3. *f.* Paratura materiarum. *Id. Spect.* 4. Universa paratura spectaculorum. Adde *Cor. Mil.* 1., et *Virg. vel.* 12. etc.

PĂRĀTUS, a, um, part. a *paro: ἡτοιμασμένος,* [*de rebus, quae in promptu sunt, et in manibus, quandocumque uti velis. Cujus generis exempla Noster infra collocaverat ista:] *Caes. B. C.* 1, 30. *extr.* Omnia sibi esse ad bellum apta ac parata; et *ib.* 2, 22. Panicum atque hordeum ad hujusmodi casus antiquitus paratum. *Hirt. B. Alex.* 28. Magnam et paratam classem habere. *Q. Cic. Petit. cons.* 6. Iis fac ut propositum ac paratum auxilium tuum esse videatur. *Cic. Or.* 2, 27. Quos locos multa commentatione atque meditatione paratos atque expeditos habere debetis. *Plin. ep.* 2, 17. *f.* Quocumque loco moveris humum, obvius et paratus humor occurrit. *Id. Pan.* 88. Paratum id quidem, et in medio positum. *Ter. Heaut.* 2, 3, 114. Hic si quid nobis forte adversi evenerit, tibi erunt parata verba, huic homini verbera. *Pl. Ps.* 1, 1, 94. Quid ego ni fleam, cui nec paratus nummus argenti siet? *Id. Bacch.* 2, 2, 41. Quod ames, paratum est: quod des invento est opus. *Val. Fl.* 1, 690. ad summi solium Jovis omnia circum Prona, parata Deo, ventique, imbresque, nivesque, Fulguraque, etc. [**Liv.* 5, 6. parata victoria, i. e. facilis, quae nullo labore constet. Ita *Drakenb.*, q. v. restituit pro vulg. *parta.* Cf. *Ernest. Dronke* ad *Dial. de Or.* 5, 4. p. 74. Laudant haec *Ruhnk.* et *Fr.* ad *Rut. Lup.* 2, 7. p. 162. b. *ed. Fr.* ubi contrario modo pro *parata parta* legitur. — Ap. *Pl. Stich.* 4, 1, 16. *parata res* dicitur res familiaris laute et largiter comparata: et ap. *Eund. Men.* 1, 3, 31. *parata res* de coena apparata ponitur. — Commemoranda hic etiam alia dicendi ratio ap. *Eund.* est: *Capt.* 3, 4, 6. ex parata re imparatam omnem facis, i. e. compositam turbas. Plane geminus locus est *Cas.* 4, 4, 8. Perii! istae facient hanc rem mihi ex parata imparatam. ℙ Tunc *paratus* saepissime dicitur is,] qui omnia habet ad agendum necessaria, instructus, expeditus, praesto. *Cic. Verr.* 1, 3. Intelligit, me ita paratum atque instructum ad judicium venire, ut, etc.; et *Or.* 5. Ad permovendos animos instructi et parati. *Id. Tusc.* 4, 23. *f.* Non desiderat fortitudo advocatam iracundiam: satis est instructa, armata, parata per se. *Id. Caecin.* 21. Armatos appellamus eos, qui scutis telisque parati ornatique sunt. *Id. Fam.* 2, 4. Est tibi gravis adversaria constituta et parata, incredibilis quaedam exspectatio. *Id. Div. Verr.* 13. Omne tempus in his studiis consumo, quo paratior ad usum forensem, promptiorque esse possim. *Id. Phil.* 11, 10. *f.* Expedito nobis homine, et parato opus est. *Id. Fam.* 5, 13. Quod te optime contra fortunam pa-

ratum armatumque cognovi. *Id. Brut.* 42. Prompta et parata in respondendo celeritas. *Id. Mil.* 9. *med.* Homo ad omne facinus paratissimus. *Id. Att.* 9, 6. Paratus ad navigandum. *Id. Fam.* 6, 21. ad omnem eventum. *Id. Amic.* 26. ad mentiendum. *Caes. B. C.* 3, 85. *extr.* animo ad dimicandum. *Id. B. G.* 1, 5. Paratiores ad omnia pericula subeunda. *Ov. Met.* 13, 560. rictuque in verba parato Latravit, conata loqui. *Suet. Galb.* 19. Gratulabundi, et in omne obsequium parati. [*Solennis vox est *paratus* de militibus ad pugnam promptis atque expeditis. *Virg. A.* 9, 158. et pugnam sperate parati: ita *Burm.*, q. v. pro vulg. parari. *Suet. Caes.* 65. exercitus paratus intentusque momentis omnibus: ubi v. *Brem.* Cf. *Liv.* 22, 19. et 44, 37. ℙ *Paratus venire* ex formula dicitur, qui dolis et fraudibus instructus venit. Ita *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 5. p. 145. *ed. Fr.* Sed, ut paratus venisse videbatur, jam se negabit accepisse: ubi laudat *Ter. Andr.* 5, 4, 6. Itane huc paratus advenis? *Cic. Leg.* 1. Paratus enim veneram, cum tu id neque per te scires, neque audire aliunde potuisses, ut ignoratione tua ad hominis miseri salutem abuterer. *Verr.* 2, 2, 15. Paratus ad hanc dicam sortiendam venerat. — Conjungitur eodem sensu *paratus* et *meditatus*. *Noster* laudaverat *Cic. Verr.* 2, 2, 6. *med.* In Siciliam paratus ad praedam meditatusque venire cupiebat. *Ruhnk.* l. l. cit. *Eund. Quint.* 11. Cum paratus meditatusque venisses. *Frotsch. ib. Koch.* duce profert *Legg.* 1, 4, 12. ad quam ego nunquam nisi paratus et meditatus accedo: et *Buenemann.* ad *Lact. Instit. Div.* 1, 5. §. 9. p. 30. *adn.*] ℙ Cum infinito. *Cic. Quint.* 2. et *Nep. Dat.* 9. *f.* Ut parati essent facere, quod ipsum vidissent. *Caes. B. C.* 3, 9. Illi omnia perpeti parati; et *ib.* 2, 3. Paratos esse et obsides dare, et imperata facere. ℙ Cum dativo. *Quint.* 8, 3. Athleta certamini paratior. *Virg. A.* 2, 333. stat ferri acies mucrone corusco Stricta, parata neci. *Tac. A.* 12, 47. Animus sceleribus paratus. [**Id. Agr.* 6. quamquam et provincia dives ac parata peccantibus etc. i. e. ubi provincialium plerique promptos se administros scelerum magistratibus praebebant: ita *Virdung.*, q. v.] *Ov. Pont.* 2, 2, 117. placidus facilisque parens, veniaeque paratus. ℙ Res, qua quis paratus instructusque est, sexto casu effertur. *Cic. Or.* 1, 9. *extr.* Omnibus vel naturae, vel doctrinae praesidiis ad dicendum parati. *Id. Att.* 9, 13. Hunc ita paratum video peditatu, equitatu, classibus, auxiliis Gallorum, etc. *Ov. Fast.* 1, 437. de Priapo: At Deos obscena nimium quoque parte paratus. [**Suet. Claud.* 42. quum utroque sermone nostro sis paratus, i. q. promptus, nostr. *fertig, Fertigkeit haben.* Al. *peritus.* V. *Oudend. Tac. Agr.* 42. paratus simulatione: ubi v. *Walch.*] ℙ Aliquando additur *ab* praepositio. *Planc. ad Coss.* etc. *Fam.* 10, 8. *med.* Nunc cum Deum benignitate ab omni re sumus paratiores, bene sperare de nobis homines volumus. *Coel.* ad *Cic. ib.* 8, 10. Qui scirem, quam paratus ab exercitu esses. ℙ Emptus. *Sall. Jug.* 34. Servi aere parati. *Liv.* 41, 6. *f.* Argento parata mancipia. V. PARO. ℙ More substantivi: *Ter. Eun.* 3, 4, 3. Praeteriit tempus: quo in loco dictum est, parati nihil. ℙ [*Confund. *parata* et *parta*. V. *intppr.* ad *Curt.* 9, 10, 27. et *Tzschuk.* ad *Eutr.* 9, 17. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 162 *b. ed. Fr.* — *Paratus* et *peritus*. *Burm.* ad *Virg. A.* 2, 61. — *Paratus* et *petitus*. V. *Burm.* ad *Calpurn. decl.* 25. p. 823. — *Paratum* et *patratum*. *Tzschuk.* ad *Eutr.* 2, 19.]

PĂRĀTUS, us, m. *κατασκευή*, apparatus, comparatio rerum ad aliquid faciendum. *Sall. fragm.* ap. *Gell.* 2, 27. Sertorius magno usu bello Marsico, paratu militum et armorum fuit. *Tac. A.* 13, 17. Proviso ante funebri paratu, qui modicus fuit. *Id. H.* 2, 95. Natalem Vitellii diem celebravere ingenti paratu, et ante illum diem insolito. [*Adde *A.* 3, 52. ventris et ganeae paratus; 11, 30. fortunae paratus. Cf. *Liv.* 10, 41, 3. in oculis erat omnis ille occulti paratus sacri, ibique *Drakenb.*] *Val. Fl.* 2, 652. mensaeque paratu Regifico. *Ov. Her.* 16, 191. Hanc faciem largis sine fine paratibus uti, Deliciisque decet luxuriare novis. *Id. Met.* 8, 683. Et veniam dapibus, nullisque paratibus orant. *Id. Pont.* 3, 4, 5. Est opus exiguum, vastisque paratibus impar. *Gell.* 19, 1. Dives quidam accedit magno cultu paratuque rerum familiae. *Quint.* 10, 1. Sed ut copiosus verborum sit paratus. Al. leg. *Sed ut copia verborum sic paratur. Ov. Fast.* 3, 627. domum intravit Tyrios induta paratus, *h. e.* vestibus Tyriis. *Stat. Achill.* 2, 265. neque enim tantos ausim revocare paratus. Adde *Th.* 9, 170.

PĂRĀVĔRĔDUS, i, m. veredus, seu equus cursui publico destinatus. Differt a veredo, quia veredus in viis rectis adhibebatur, per quas cursus publicus constitutus erat: paraveredus etiam in transversis. *Imppp. Constant., Arcad., Honor. et Theodos. Cod.* 12. *tit.* 51. qui est *de cursu publ. l.* 2, 19 et 23. et al.: item *Cod. Theod.* 8. *tit.* 15. qui itidem *de cursu publ.* inscribitur, *l.* 7, 15, 16. et al.; et *Cassiod. Variar.* 5, 39. *f.*; et *ib.* 11, 14.

PĂRAZŌNĬUM, ii, n. *παραζώνιον*, cingulum, zona, baltheus cum ense. V. CINCTORIUM. *Ant. August. dial. antiq.* 2. docet, esse gladium sine cuspide ex zona pendentem: et gestari solitum a tribunis militaribus. Quod confirmari videtur illo *Mart.* 14, 32. cujus lemma *Parazonium:* Militiae decus hoc, et grati nomen honoris: Arma tribunicium cingere digna latus. In *Gloss. Philox.* utrumque affirmatur: *Παραζώνιον*, pugio, cinctorium.

PARCAE, arum, f. plur. *Μοῖραι*, tres sorores filiae Erebi et Noctis, teste *Cic. N. D.* 3, 17. *extr.* et *Hyg. praef.* Earum nomina Graeca sunt Clotho, Lachesis, Atropos, ut est ap. *Hyg. fab.* 171., Latina, Nona, Decima, Morta, ut ait *Caesellius Vindex* ap. *Gell.* 3, 16., quae omnia V. ss. ll. Eae dicuntur etiam Fata, et praeesse vitae hominum: et unicuique nascenti sortem suam canere. Clotho enim fila vitae net, Atropos eadem fila caedit, Lachesis vero suam cuique sortem, et vivendi genus statuit. Itaque prima initiis praeest aetatis, secunda fini, tertia cursui. Clotho, inquit *Appul. de Mundo f.*, praesentis temporis habet curam, quia quod torquetur in digitis, momenti praesentis indicat spatia: Atropos praeteriti fatum est, quia quod in fuso perfectum est, praeteriti temporis habet speciem: Lachesis futuri, quod etiam illis, quae futura sunt, finem suum Deus dederit. Secundum *Fulg. Myth.* 1, 7. Clotho praeest nativitati, Atropos morti, Lachesis vitae sorti, quemadmodum quis vivere possit. Ap. *Serv.* ad *A.* 1, 26. sic distribuuntur earum officia, ut una loqui dicatur, altera scribere, tertia fila deducere. Sed haec officia a poetis confunduntur. ℙ *Parcas* dici *κατ' ἀντίφρασιν*, quod minime parcant, docent *Serv. l. c., Capell., Donat., Diomed.* ap. *Voss.* in *Etym.* et *Isid. Or.* 8. *f.* A *partu*, et *pariendo* ducit *Varr.* ap. *Gell.* 3, 16. A *parcendo* vero *Jul. Scal.*, quia una, inquit, tantum dicitur filum incidere: duae vero altera vitam dare, altera vitae tractum continuare. A pluribus igitur fit nominatio, etc. *Virg. Ecl.* 4, 46. Talia saecla suis dixerunt currite fusis Concordes stabili fatorum numine Parcae. *Hor. Carm. saec.* 25. Vosque veraces cecinisse Parcae, Quod semel dictum stabilis per aevum Terminus servet, bona jam peractis Jungite fata. *Tibull.* 1, 8, 1. Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes Stamina non ulli dissolvenda Deo. *Juven.* 12, 64. postquam Parcae meliora benigna Pensa manu ducunt hilares, et staminis albi Lanificae. *Prop.* 4, 11, 13. Parcae immites. *Val. Fl.* 5, 532. saevae. *Sen. Herc. Oet.* 1097. avidae. ℙ In sing. num. *Ov. Amor.* 2, 6, 45. Septima lux aderat, non exhibitura sequentem: Et stabat vacua jam tibi Parca colo. *Id. Pont.* 4, 15, 36. seu me Dura jubet gelido Parca sub axe mori. *Pers.* 5, 48. Parca tenax veri. *Hor. Od.* 2, 16, 37. mihi parva rura, et Spiritum Grajae tenuem Camenae Parca non mendax dedit et malignum Spernere vulgus.

PARCĔ, adv. *φειδομένως*, restricte, avare. *Caes. B. G.* 7, 71. Frumentum parce et paulatim metiri instituit. *Pl. Aul.* 2, 4, 35. Aedepol mortalem parce parcum praedicas. *Id. Truc.* 2, 3, 26. Parce victitare. *Ter. Ad.* 1, 1, 20, Ruri agere vitam, semper parce ac duriter se habere. [**Ruhnk.* comp. *Pl. As.* 1, 1, 64. illum mater arcte contenteque habet. Adde *Andr.* 1, 1, 47. vitam parce et duriter agebat; et *ib.* 2, 6, 19. Ait nimium parce facere sumptum.] *Cic. Fin.* 2, 13. *med.* Nec tamen, cur id tam parce, tamque restricte faciant, intelligo. *Colum.* 6, 7. Nec potestas aquae, nisi quam parcissime, facienda est. ℙ Item moderate, continenter, sobrie. *Cic. Off.* 1, 30. Intelligemus, quam sit turpe diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere: quamque honestum, parce, continenter, severe, sobrie. *Id. Fam.* 6, 7. Scripsi de te parce, medius fidius, et timide; et *ib.* 1, 9. *f.* Laedere aliquem parce et molliter. *Phaedr.* 4, 16. Parce gaudere oportet, et sensim queri. *Cic. Mur.* 13. *extr.* Parcius dicere de laude alicujus. *Quint.* 9, 2. *med.* Itaque hoc parcius et circumspectius faciendum est. *Virg. Ecl.* 3, 7. Parcius ista viris tamen objicienda memento. *Ov. Her.* 8, 13. Parcius Andromachen vexavit Achaia victrix. *Plin. ep.* 7, 21. Vinum parcissime assumere; et *ep.* 5, 16. Parce custoditeque ludere; et *ib.* 7. Parce et modeste quippiam facere. *Suet. Aug.* 40. Civitatem Romanam parcissime dedit. *Sil.* 15, 759. parceque petitum Perstrinxit corpus; et 10, 474. humanos aequantem pectore sensus Haud parce miratus equum. [**Hor. Od.* 1, 25, 1. parcius quatiunt fenestras, i. e. rarius.]

PARCIBĬLIS, e, adj. *that may be spared. Vet. Interpr. Iren.* 4, 37. *B. A.*

PARCĬLŌQUĬUM, ii, n. sermonis parcitas. *Appul. Met.* 5. Fidei, atque parciloquii mei perpendisti documenta.

PARCĬMŌNĬA. } V. PARSIMONIA, et PARSI-
PARCĬMŌNĬUM. } MONIUM.

PARCIPRŌMUS, i, m. qui parce promit. *Pl. Ps.* 5, 1, 22. Parcipromus victu cetero. *Id. Truc.* 1, 2, 81. Qui cum geniis suis belligerant, parcipromi.

PARCĬTAS, atis, f. *φειδωλία*, parsimonia. *Macr. Somn. Scip.* 1, 8. *med.* Moderatio, parcitas, sobrietas. *Pall.* 1, 26. Parcitati beneficium ministrat luxuria, *h. e.* parsimoniae tuae utilitatem affert aliorum luxus. *Sen. Clem.* 7, 22. Civitatis mores magis corrigit parcitas animadversionum.

PARCĬTĔR, adv. parce. *Pompon.* ap. *Non.* 11, 47. Parciter, tanquam frater mihi sis. **Claud. Mamert. praef.* Parciter praelibare. *B. A.*

PARCO, is, peperci, et parsi, parcitum, et parsum, a. 3. *φείδομαι*, cesso, desino, abstineo. Ducunt alii a *parum*, alii a *partem*, et *arceo*. [*Ordinem hujus loci, servatis, quae *Noster* laudaverat, exemplis, prorsus immutavimus in hunc fere modum: Proprie significat parcum esse in re aliqua consumenda, parce promere: nostr. *sparen. Pl. Capt. Prol.* 32. Nihil pretio parsit, filio dum parceret, i. e. quantumvis pretium fecit, constituit, dum filium servaret. *Liv.* 35, 44. Nec impensae, nec labori, nec periculo parsurum, donec, etc. *Nep. Paus.* 2. *f.* Petit, ne cui rei parcat ad ea perficienda, quae pollicetur. *Cic. Fam.* 16, 4. Te rogo, sumptui (al. *sumptu*) ne parcas ulla in re, quod ad valetudinem opus sit; et *ib.* 13, 27. Tamen non parcam operae; et *Att.* 2, 14. *f.* neque parcetur labori. *Suet. Ner.* 35. nec parcente conviciis (populo), h. e. large, *ἀφειδῶς*, convicia ingerente. ℙ Cum accus., quod rarius est construendi genus. V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 118. *n.* 1. p. 344. sq. *Cat. R. R.* 58. Oleas tempestivas, unde minimum olei fieri poterit, eas condito, parcito, uti quam diutissime durent. *Pl. Curc.* 3, 10. qui mature quaesivit pecuniam, nisi eam mature parsit, mature esurit. *Virg. A.* 10, 531. Argenti atque auri memoras quae multa talenta, Gnatis parce tuis. (*Serv.* addit, *Lucilium* quoque, et *Ennium* ita locutos fuisse.) ℙ Absolute. *Caes. B. G.* 7, 71. Frumentum se exigue dierum triginta habere, sed paulo etiam longius tolerare posse parcendo. ℙ Hinc curare, ne quid nimio, vel pravo usu damnum, detrimentum capiat: nostr. *schonen. Cic. Or.* 26. Ridiculo sic usurum oratorem, ut nec nimis frequenti, nec subobsceno, etc. parcet et amicitiis, et dignitatibus, vitabit contumelias, etc. *Id. Verr.* 2, 4, 54. Cum urbem cepisset, aedificiis omnibus publicis et privatis, sacris et profanis sic pepercit, quasi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda venisset. *Id. Quint.* 12. Parcere alicujus auribus, *h. e.* tacendo ea, quae displicent. *Id. Or.* 3, 43. auribus et consuetudini, *h. e.* non utendo verbis, quae aures et consuetudo non fert. *Id. Fam.* 11, 27. valetudini, i. e. curando, ne nimium exerceatur. *Ter. Heaut.* 1, 1, 111. Quaeso, tandem aliquantulum tibi parce. *Plin.* 33, 4, 21. *f.* Italiae parcitum est vetere interdicto patrum, ut diximus. *Hard.* leg. ex MSS. Italiae parci vetere interdicto patrum, diximus. *Suet. Gr.* 23. Latrones quondam sibi parsisse. *Nep. Thras.* 1, 5. quibus in bello parserat fortuna. *Prop.* 1, 16, 11. Nec tamen illa suae revocatur parcere famae, h. e. inducitur parcere. *Virg. G.* 2, 362. dum prima novis adolescit frondibus aetas, Parcendum teneris. ℙ Porro huc pertinet poetica dicendi ratio *parcere oculis*, i. e. oculos avertere, ne offendantur ingrato adspectu. *Prop.* 4, 9, 53. Parce oculis hospes, lucoque, age, cede verendo. *Tibull.* 1, 2, 34. Parcite luminibus. Adde *Suet. Dom.* 11. parcetis oculis vestris. — Etiam absolute seq. accus. c. infin. *parcere* ponitur pro curare, curam gerere, ne quid fiat. *Virg. Ecl.* 3, 94. Parcite, oves nimium procedere, i. e. prohibete, curate, ne procedant. ℙ Huc pertinet etiam, cum ponitur pro ignoscere, condonare, abstinere a puniendo, veniam, impunitatem dare. *Virg. A.* 6, 854. Parcere subjectis, et debellare superbos. *Caes. B. G.* 7, 28. Non aetate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt. *Cic. Phil.* 2, 24. Ibi me non occidisti, magnum beneficium: potuisse enim fateor: quamquam nemo erat, qui mihi non censeret parci oportere. *Suet. Tib.* 62. *f.* Ne reliquis quidem nepotibus parsurus creditur. *Hieron. ep.* 14. *n.* 2. Jurasti non te matri parciturum esse, non patri. *Gell.* 16, 19. Tum illum pernicie intellecta, pecuniam ceteraque sua, ut haberent, dedisse, vitam modo sibi ut parcerent, oravisse. ℙ *Thyrso parcente ferire aliquem* ap. *Stat. Achill.* 1, 572. est levi mollique ictu thyrsi percutere, quasi cavente thyrso, ne gravius laedat. ℙ Tunc est, usu alicujus rei, vel re aliqua abstinere, desinere, cessare. *Cic. Planc.* 35. parcere auxilio, h. e. non uti oblato. *Pl. Ps.* 1, 1, 3. Duorum labori ego hominum parsissem lubens, mei te rogandi et tui respondendi mihi. *Liv.* 6, 3. Parcere lamentis Sutrinos jussit. *Id.* 25, 25. Ut a caedibus, et ab incendiis parceretur. *Virg. G.* 2, 339. hibernis parcebant flatibus Euri. *Id. A.* 9, 656. Cetera parce, puer, bello; et *ib.* 3, 41. Jam parce sepulto; et *ib.* 1, 261. Parcere metu, Cytherea. — Sq. infin. *Virg. A.* 3, 41. Parce pias scelerare manus. *Ter. Hec.* 3, 1, 2. Heu me infelicem! hanccine ego vitam parsi perdere? *Ov. Fast.* 4, 102. parcit laedere. *Tib.* 3, 5, 6. parce nocere. *Hor. Sat.* 2, 2, 58. parcit defundere vinum: ubi *Heindf.* laudat *Liv.* 34, 32. Proinde parce, sis, fidem ac jura societatis jactare.] *Parcuit* pro *parsit*, antiquum.

Naev. ap. *Non.* 2, 653. Suo labori nullus parcuit. ℙ *Parso* pro *pepercero* quidam leg. ap. *Pl. Mil.* 4, 9, 2. Ubi ubi est gentium, investigabo: operae ego non parso meae. Al. *parco.* ℙ Praeteritum *parsi* adhibuit etiam *Cato* ap. *Fest.* in *Parsi.*

PARCUS, a, um, adj. *φειδωλός*, sumptibus parcens, parvo contentus, adstrictus, tenax, frugi, moderatus: et ponitur tum in laude, tum in vitio. *Gabin. Bassus* ap. *Gell.* 3, 19. Parcus, inquit, quasi par arcae, quia sicut in arca omnia reconduntur, ita homo tenax, parvoque contentus, omnia custodita et recondita habet, sicuti arca. Sed hoc superstitiose, et nimis moleste atque odiose, ut *Gell.* subdit, excogitatum est: et *parcus* a *parum* et *parvum* ducitur. *Cic. Coel.* 15. *f.* Illum filiumfamilias patre parco ac tenaci, habere tuis copiis devinctum non potes. *Suet. Tib.* 46. Pecuniae parcus ac tenax. [**Tac. H.* 1, 49. Galba erat pecuniae alienae non appetens, suae parcus, publicae avarus.] *Pl. Aul.* 2, 5, 9. Detrusisti me ad senem parcissimum, ubi si quid poscam, usque ad ravim poscam, priusquam quidquam detur. *Cic. Or.* 2, 71. Cum optimus colonus, parcissimus, modestissimus, frugalissimus esset. [**Ov. Met.* 7, 656. parcumque genus patiensque laborum.] *Plin. Pan.* 51. Tam parcus in aedificando, quam diligens in tuendo. *Just.* 41, 3. *f.* In libidinem projecti, in cibum parci, *h. e.* parvo cibo contenti; et 6, 8. Pecuniae adeo parcus fuit, ut sumptus funeri defuerit, *h. e.* moderatus in cupiditate pecuniae. *Hor. Sat.* 2, 2, 62. veteris non parcus aceti; et *ib.* 5, 79. donandi parca juventus. *Id. Od.* 3, 16, 43. bene est, cui Deus obtulit Parca quod satis est manu. ℙ Dicitur et de aliis rebus extra sumptus. *Pl. Rud.* 4, 2, 14. Opera haud fui parcus mea. *Cic. Balb.* 22. Nimium parcus in largienda civitate. *Plin. Pan.* 3, 3. Non tam vereor, ne me in laudibus suis parcum, quam ne nimium putet; et 83. Modica cultu, parca comitatu, civilis incessu. *Tac. H.* 3, 75. Moderatus et civium sanguinis parcus. *Claud. IV. cons. Honor.* 112. pietatis abundans, Poenae parcus esat. *Trajan. ad Plin. ep.* 10, 25. Parcissimus honorum, *h. e.* temperantissimus in honoribus captandis, aut accipiendis. *Just.* 11, 13. de Alexandro: Quaerentibus somni causas inter pericula, cujus etiam in otio semper parcior fuerit. *Lucan.* etiam dixit 9, 590. somni parcissimus. *Sil.* 10, 30. Tandem inclinato cornu sine more ruebat Prima acies non parca fugae, *h. e.* non parcens fugere. *Plin. Pan.* 21, 2. Beneficiorum tuorum parcissimus aestimator. [**Suet. Caes.* 53. et *Aug.* 77. parcissimus vini, Gr. *ἐγκρατής.*] ℙ Translate est modicus, moderatus, parvus, exiguus. *Stat. Silv.* 4, 5, 13. Parca tellus, *h. e.* exiguus agri modus. *Propert.* 4, 3, 60. parca lucerna. *Virg. G.* 3, 403. parco sale contingere. *Plin. Pan.* 49. Parcus et brevis somnus. *Sil.* 16, 111. Et parco summum violasset vulnere corpus; et *Ov. Pont.* 1, 2, 98. merito parcior ira meo; et *Trist.* 2, 137. Quippe relegatus, non exsul dicor in illo: Parcaque fortunae sunt data verba meae, *h. e.* mitia, lenia; et *Her.* 21, 79. Quam saepe, ut tardis, feci convicia remis! Questaque sum vento lintea parca dari! *Prop.* 3, 3, 40. [*Al. 3, 5, 18.] Optima mors, parco quae venit apta die, *h. e.* exiguo tempore, post breve vitae spatium. [*Al. explicant *parca* dies, ut Gr. *ἡ πεπρωμένη ἡμέρα*, de morte fatali, opp. praeternaturali cum quis mari aut bello interit.] *Aurel. Vict. Epit.* 13. Homo parcae scientiae, et moderate eloquens. ℙ Cum infinito. *Sil.* 1, 68. de Fabio Cunct.: Nec laetus dubiis, parcusque lacessere Martem; et 8, 464. haud parci bellum coluisse Tudertes. ℙ *Parcus* etiam dicitur, qui pusillo est animo, *μικρόψυχος. Sen. Ben.* 2, 34. *med.* Parcissimum hominem vocamus pusilli animi, et contracti. ℙ [*Confund. *parca* et *parta*, V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 505.]

[PARDALA, ae, m. *παρδαλῆ*, pellis pardalis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 470, 11. G. Paquius Optati Lib. Pardala. *F.*]

PARDALIANCHES, is, n. *παρδαλιαγχὲς*, aconitum, ita dictum a *πάρδαλις*, panthera, et *ἄγχω*, strangulo, quia venatores eo tingunt carnes, quas pantherae gustantes strangulantur. *Plin.* 27, 2, 2. et 8, 27, 41. et *Solin.* 17. *f.*

PARDALIOS, ii, m. *παρδάλιος λίθος*, gemma colore pellis pantherinae: nam *πάρδαλις* panthera est. *Plin.* 37, 11, 73.

PARDALIS, is, f. *πάρδαλις*, idem quod panthera, quae est femina pardi. *Curt.* 5, 1. Eum dona sequebantur, greges pecorum, equorumque: leones quoque et pardales caveis praeferebantur.

[PARDALIUM, ii, n. unguenti nomen, ita dictum, quod pardalis odorem reddat. *Plin.* 13, 1, 2. Fuerat et pardalium in Tarso, cujus etiam compositio et mixtura oblitterata est. *F.*]

[PARDION, onis, m. *παρδίων*, dimin. pardi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 803, 9. Magius Pardion. *F.*]

[PARDULUS, i, m. dimin. pardi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 919, 11. L. Novatius Pardulus. *F.*]

PARDUS, i, m. *πάρδος*, *πάνθηρ*, animal ferum, frequens in Africa et Syria, soloque sexu a panthera differens: mas est enim in eo genere. Quidam dicunt differre colore, qui in pantheris sit candidus. Haec *Plin.* 8, 17, 23. V. PANTHERA. *Id.* 10, 73, 94. Insidunt in Africa pardi condensa arbore, occultatique earum ramis in praetereuntia desiliunt, atque e volucrum sede grassantur. *Id.* 11, 37, 65. Leonibus, pardis, omnibusque generis ejus, etiam felibus, lingua est imbricatae asperitatis, ac limae similis, attenuansque lambendo cutem hominis. *Juven.* 11, 123. et magno sublimis pardus hiatu. *Lucan.* 6, 181. non segnior illum Saltus, et in medias jecit super arma catervas, Quam per summa rapit celerem venabula pardum.

PAREAS, ae, m. *παρείας, ου*, serpens quidam, de quo *Lucan.* 9, 721. Et contentus iter cauda sulcare pareas. *Isid. Or.* 12, 4. Pareas, serpens, qui semper in cauda ambulat, et sulcum facere videtur. ℙ Dictum volunt, vel quia *τὰς παρειὰς*, genas magnas et inflatas habet, vel quia genas, faciemque extollit, sola posteriore parte repens. ℙ Scribitur et *parias.* [*V. *Mart. Lag.* ad *Lucani l. l. ed. Web.*]

PARECBASIS, is, f. *παρέκβασις*: a *παρεκβαίνω*, digredior: idem est quod digressio, excessus, excursus in dicendo. V. DEGRESSIO, et DIGRESSIO. Graece usurpat *Quint.* 4, 3. *med. Παρέκβασις* est, ut mea quidem fert opinio, alienae rei, sed ad utilitatem causae pertinentis extra ordinem excurrens tractatio.

PARECTATUS, a, um, adj. qui jam statura est virili, vel quae non procul abest: quasi *παρέκτατος*, h. e. extensus, a *παρεκτείνω*, extendo. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 341. Inde parectato chlamydes, ac barbula prima. (Inde cognoscitur, paenultimam a Latinis produci, quae Graecis esset brevis.) *Id. ib.* Tum ephebum quendam, quem vocant parectaton. *Varr. ib.* Parectatae adsunt, mulcetque mulier Venus caput.

*PAREDONI, orum, populi Asiae ulterioris, in tractibus Assyriae, Mediae, etc. *Plin.* 6, 15. *B. A.*

PAREDROS, i, m. *πάρεδρος*, assidens, assistens: a *παρὰ*, prope, et *ἕδρα*, sedes. *Tert. Anim.* 28. *f.* Paredri spiritus.

PAREGORIA, ae, f. *παρηγορία*, solatium, mitigatio. *Appul. Herb.* 24. *extr.* Chamaedrys potui data mirifice paregoriam praestat.

PAREGORICUS, a, um, adj. *παρηγορικὸς*, mitigatorius, leniens. *Theod. Prisc.* 1, 9. Paregorica adjutoria. *Marcell. Empir.* 36. *in.* Remedium paregoricum ad podagram.

[PAREGORIUS, ii, m. mitigatorius, paregoricus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1440, 6. Aurelius Paregorius. *F.*]

PARELCON, i, n. *παρέλκον*, productio, figura grammaticalis, cum syllaba, vel etiam integra dictio dictioni alicui in fine adjicitur, ut *vosmet*, *adesdum*, *nihil quicquam.* Vox Graeca est. V. grammaticos.

PARELION, ii, n. *παρήλιον. Sen. Q. N.* 1, 11. Parelia sunt imagines solis in nube spissa et vicina, in modum speculi. Quidam parelion ita definiunt: nubes rotunda et splendida, similisque soli: sequitur enim illum, nec unquam longius relinquit, quam fuit, cum apparuerit; et 13. Solent et bina fieri parelia, etc. Est a *παρὰ*, prope, et *ἥλιος*, sol.

*PARELIUS, i, m. statuarius quidam, Praxitele ac Lysippo antiquior. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

PAREMBOLE, es, f. *παρεμβολή*, quidquid interjicitur alicui operi ornatus causa. *Inscr.* ap. *Mur.* 26, 5. [Soli invicto L. Aur. Severus cum parembole, et hypobasi voto fecit. *F.*]

PARENS, entis, part. a *pario:* qui parit, *γονεύς.* Substantive ponitur pro patre, aut matre, aut utroque simul, *τοκεῖς, γονεῖς*, parentes. [*V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 6, 5.] *Cic. Sull.* 29. Parens tuus, Torquate, consul. *Virg. A.* 10, 252. Alma parens Idaea Deum. *Caes. B. G.* 5, 14. Fratres cum fratribus, et parentes cum liberis. *Ov. Met.* 9, 407. ultusque parente parentem Natus, *h. e.* occidens matrem in ultionem patris. *Cic. Verr.* 2, 5, 42. Parentes propinquique miserorum adolescentium. *Id. Pianc.* 11. *f.* In parentum loco quaestoribus suis praetores esse oportere. ℙ De bestiis. *Varr. R. R.* 3, 7. *f.* de columbis: Parentes eorum, si sint formosi, veneunt, etc. *Plin.* 8, 42, 66. Amissa parente in grege armenti. Adde *Stat. Th.* 10, 231. et *Cels.* 6, 6. *n.* 39. ℙ Juris prudentes, ut ait *Festus*, avos etiam et proavos, avias et proavias parentum nomine appellari dicunt. *Cajus Dig.* 50, 16, 51. Appellatione parentis non tantum pater, sed etiam avus et proavus, et deinceps omnes superiores continentur: sed et mater, et avia, et proavia. *Ulp. ib.* 2, 4, 4. Praetor ait: parentem patronum, patronam, etc. Parentem hic utriusque sexus accipe: sed an in infinitum, quaeritur. Et quidam usque ad tritavum parentem appellari ajunt: superiores majores dici. Hoc veteres existimasse, Pomponius refert. Sed C. Cassius usque in infinitum omnes parentes dicit: quod et honestius est, et merito obtinuit. *Cic. Inv.* 1, 54. *f.* Petimus ab iis, qui audiunt, ut ad suas res nostras injurias referant: si ad pueros pertinebit, de liberis suis cogitent; si ad senes, de patribus, aut parentibus. *Ulp. Dig.* 23, 3, 5. Profecticia dos est, quae a patre, vel parente profecta est. *Virg. A.* 9, 3. luco tunc forte parentis Pilumni Turnus sacrata valle sedebat. V. *ib.* 10, 76. et 619. Sic *ib.* 2, 448. veterum decora alta parentum. ℙ Extenditur interdum ad quoslibet consanguineos, affinesque, modo natu, aut gradu majores sint, aut aequales. [*V. *Snakenb. ind. Curt.* s. h. v.] *Capitol. M. Aurel.* 5. *f.* Omnibus parentibus suis tantam reverentiam, quantam privatus exhibuit. *Lampr. Alex. Sev.* 67. *f.* Parentes Alexander, si malos reperit, punivit. *Curt.* 6, 10. Solent rei capitis adhibere vobis parentes. Duos ego fratres nuper amisi, etc. *Hieron. in Ruf.* 2. *n.* 2. Nisi forte parentes, militari vulgarique sermone, cognatos et affines nominat. *Firm. Math.* 3, 13. *n.* 4. Cum parentibus, vel affinibus assiduas inimicitias exercere. Addunt quidam etiam loca *Liv.* 34, 32. *med.* et *Petr. Sat.* 112. et *Flor.* 3, 18., quae rem tamen non plane conficiunt. ℙ Tribuitur aliquando honoris causa, ut *pater*, etiam nulla cognatione junctis. *Appul. Met.* 2. Quin ipse parentem tuam accedis, et salutas? Sic imperatores appellare solent *parentes* decessores suos, ut congestis ex Codice locis ostendit *Brisson. de V. S.* ℙ Translate. *Cic. Att.* 9, 10. Me, quem nonnulli conservatorem istius urbis, quem parentem esse dixerunt, etc.; et *ib.* 9. Nostri principes antiquissimam, et sanctissimam parentem, patriam, fame necandam putant. *Id. Univ.* 11. Quorum operum ego parens effectorque sum. *Id. Fin.* 2, 1. Socrates parens philosophiae jure dici potest. *Id. Leg.* 1, 24. Earum rerum parens est, educatrixque sapientia. *Id. Or.* 1, 3. Laudatarum artium omnium procreatricem quandam, et quasi parentem eam, quam *φιλοσοφίαν* Graeci vocant, judicari. *Plin.* 7, 30, 31. Tullius facundiae, Latiarumque litterarum parens. *Id.* 25, 2, 5. Homerus primus doctinarum, et antiquitatis parens. [**Liv.* 4, 3. Cujus urbis parens Romulus, i. e. funditor. *Hor. Od.* 1, 10, 6. Curvaeque lyrae parentem, h. e. inventorem Mercurium. *Bail.*] *Plin.* 22, 24, 56. Parens illa, ac divina rerum artifex. *Id.* 5, 19, 17. Sidon Thebarum Boeotiarum parens. *Flor.* 3, 18. Cum Italia contra matrem et parentem suam Urbem consurgeret. *Sil.* 2, 654. Urbs habitata diu fidei, coeloque parentem Murorum repetens, *h. e.* conditorem. *Plin.* 12, 5, 11. de ficu Indica: Ipsa se semper serens, vastis diffunditur ramis, quorum imi adeo in terram curvantur, ut annuo spatio infigantur, novamque sibi propaginem faciant circa parentem in orbem. ℙ Per antonomasiam *parens* est Juppiter. *Hor. Od.* 1, 12, 13, Quid prius dicam solitis Parentis Laudibus? qui res hominum, etc. Sic ap. *Stat. Silv.* 1, 2, 178. *parens Latius* est Domitianus. ℙ Reperitur et masculiuo genere, quamvis de matre sermo sit. *Festus:* Masculino genere parentem appellabant antiqui etiam matrem. *Pacuv.* in Medo, cum ostenderet a Medo matrem quaeri, ait: Te, Sol, invoco, ut mihi potestatem duis inquirendi mei parentis. *Gracchus:* suos parentes amat, *h. e.* matrem. Et in alia epistola: Tuus parens sum, *h. e.* mater; et ap. *Virg. A.* 3, 341. Ecqua tamen puero est amissi cura parentis, *h. e.* Creusae. Haec *Charis.* 1, 79. Ap. *Virg.* tamen plerique omnes leg. *amissae.* ℙ In genitivo plur. habet etiam *parentium:* atque ita saepe dixisse *Ciceronem*, testatur *Charis.* 1, 111. [*V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 252. *Drakenb.* ad *Liv.* 1, 9, 15. et *Schneid. Gr. Lat.* 2. p. 247.] Sic *Hor. Od.* 3, 24, 21. Dos est magna parentium Virtus. *Varro* quoque *L. L.* 7, 37. utrumque et *tum*, et *tium* agnoscit. *Inscr.* ap. *Grut.* 681, 1. Parentium fratres. Adde alias ap. *Fabr.* p. 72. *n.* 6. et p. 99. *n.* 222. ℙ [**Parentes* et *majores* confund. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 249. Item *parentes* et *penates. Cort.* ad *Lucan.* 7, 257.]

PARENS, entis, part. a *pareo:* obediens. *Cic. fr.* ap. *Lactant.* 6, 24. *f.* Sanctissimae ac certissimae legi parens. *Virg. A.* 1, 699. Jamque ibat dicto parens. *Hor. Sat.* 2, 7, 111. Nil servile gulae parens habet? *Ov. Met.* 13, 449. immitti sociis parentibus umbrae. *Tibull.* 1, 10, 9. freta per parentia ventis Ducunt instabiles sidera certa rates. *Sall. Jug.* 109. Parentes abunde habemus: amicorum neque nobis, neque cuiquam omnium satis fuit: *ὑπηκόους, ἀρχομένους.* Sic *Sil.* 14, 80. tractare sereno Imperio vulgum pollens, et pectora nullo Parentum exagitare metu. *Vell.* 2, 108. Principatus constans ex voluntate parentium. [*V. *Ruhnk.*] *Sall. Jug.* 3. Vi regere patriam, aut parentes, quamquam et possis, et delicta corrigas, tamen importunum est. [*V. *Cort.* ad h. l.] *Cic. Off.* 1, 22. Ob has ipsas causas et parentiores habuerunt exercitus, et fortiores. Al. leg. *paratiores.* [**Tac. A.* 1, 59. si patriam, parentes, antiquo mallent quam dominos et colonias novas: ubi *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 337. *parentes* non genitores, quae vulgaris est h. l. interpretatio, sed subditos, servos intelligit, quibus opp. *domini.*]

*PARENTA, Aethiopiae opp., vel fortasse Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

PĂRENTĂLĬĂ, ium, n. plur. *νεκύσια*, sacrificium, atque epulae, item funebris laudatio, et siqua alia quotannis fiebant in cognatorum defunctorum memoriam. *Cic. Phil.* 1, 6. Ut parentalia cum supplicationibus miscerentur. *Auson. parent. praef.* Titulus libelli est, *Parentalia:* antiquae appellationis hic dies, et jam inde ab Numa cognatorum inferiis institutus. *Inscr.* ap. *Grut.* 753, 4. Lectisternium tempore parentaliorum praebeant. Alia ap. *Don. cl.* 5. *n.* 189. quotannis die parentalium. *Ov. Fast.* 2, 543. Aeneam hujus instituti auctorem facere videtur. V. PARENTO.

PĂRENTĂLIS, e, adj. ad parentes pertinens, aut cognatos, affinesque vita functos: item ad annuas inferias, quae iis fiunt. *Ov. Trist.* 4, 10, 87. Fama parentales si vos mea contigit umbrae: Et sunt in Stygio crimina nostra foro. *Id. Fast.* 2, 547. At quondam dum longa gerunt pugnacibus armis Bella, parentales deseruere dies. *Id. Met.* 13, 619. Memnonides dictae, cum sol duodena peregit Signa, parentali perituraе marte rebellant, *h. e.* pugna in inferiis Memnonis commissa. Hoc idem ita explicat *Id. Amor.* 1, 13, 3. sic Memnonis umbris Annua solemni caede parentet avis. Respicit autem ad gladiatores, quos erat mos inducere in exsequiis circa rogum pugnantes. V. MEMNON.

[PARENTĂNI, orum, m. plur. incolae Parentii, urbis in Histria, quae nunc *Parenzo* appellatur, cujusque meminit *Plin.* 3, 19, 23. *Inscr.* ap. *Stancovich. Anfit. di Pola* p. 118. *n.* 15. C. Praecellio C. Fil. Pap. Augurino etc. patrono splendidissimae col*oniae* Aquile*jensium* et Parentanorum, etc. *F.*]

PĂRENTĂTĬO, onis, f. actus parentandi. *Tert. Spect.* 12. Quod mortuis litabatur, utique parentationi deputabatur.

PĂRENTĂTUS, a, um, part. a *parento:* parentando oblatus. *Tert. Spect.* 13. Non sacrificamus, nec parentamus: sed neque de sacrificato, et parentato edimus.

PĂRENTĔLĂ, ae, f. *Capitol. Gord.* 23. *med.* Duxit uxorem filiam Misithei, doctissimi viri, quem causa eloquentiae dignum parentela sua putavit. Ubi *Casaub.* dignum judicavit, cui se in filium daret: nam gener, socerque patris et filii nomina usurpabant. Hinc initium epistolae *ib.* 24. Domino filio et Augusto Misitheus socer; et *ib.* 25. Imperator Gordianus Augustus Misitheo patri. V. TIMESITHEUS.

PĂRENTHĒSIS, is, f. *παρένθεσις*, interpositio, interjectio, interclusio, figura est orationis. De ea *Quint.* 9, 3. *med.* Quam nos interpositionem, vel interclusionem dicimus, Graeci *παρένθεσιν* vocant, dum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit. ℙ Parenthesis nota sunt duo semicirculi se invicem respicientes, ut in illo *Virg. A.* 1, 647. Aeneas (neque enim patrius consistere mentem Passus amor) rapidum ad naves praemittit Achatem. ℙ Repetitae parenthesis exemplum habes ap. *Cic. Fam.* 7, 1. *f.* Si Romae esses, tamen neque nos lepore tuo, neque te (si qui est in me) meo frui liceret, propter molestissimas occupationes meas: quibus si me relaxaro (nam ut plane exsolvam, non postulo) te ipsum docebo profecto, quid sit humaniter vivere. V. aliud exemplum *Plinii junior.* in HYPERBATON. Longioris parenthesis: ap. *Hor. Ep.* 1, 15. et quidem duplicis: quarum prior duodecim versibus constat, altera sex. ℙ *Char.* 4, 248. parenthesis est etiam, cum aut littera voci inseritur, ut *relligio*, *navita*, aut syllaba, ut *Mavortis*, *induperator*, *indugredi*, quod et *Valer. Prob.* tradit l. p. 1438.

PĂRENTĬA. V. PARIENTIA.

[PĂRENTĬCĪDĂ, ae, m. et f. idem ac parricida. *Not. Tir.* p. 79. Parens, parentalia, parenticida. *F.*]

*PARENTĬUM, i, n. *Παρέντιον*, opp. Istriae. *Plin.* 3, 19. et *Ant. Itin.* ℙ Hodie est *Parenzo. B. A.*

PĂRENTO, as, avi, atum, n. 1. *ἐναγίζω*, *κτερίζω*, justa parentibus, cognatisque, et affinibus vita functis ad eorum sepulcra persolvo, ut in PARENTALIA dictum est. *Cic. Phil.* 1, 6. Ut cujus sepulcrum usquam exstet, ubi parentetur, ei publice supplicetur. *Id. Fl.* 38. Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethejo, revocemus ejectos. *Id. Leg.* 2, 21. *med.* Februario mense, mortuis parentari voluerunt; et *mox:* Hostia maxima parentare. *Sen. ep.* 122. Mortuis certe interdiu parentatur. *Macr. Sat.* 1, 16. *med.* Fab. Max. Servilitanus pontifex in libro XII. negat, oportere atro die parentare: quia tunc quoque Janum Jovemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet. *Plin.* 18, 12, 30. Faba Pythagorica sententia damnata: ut alii tradidere, quoniam mortuorum animae sint in ea: qua de causa parentando utique assumitur. *Tert. Resurr. carn.* 1. Defunctis parentant, et quidem impensissimo officio, pro moribus eorum, pro temporibus esculentorum, ut quos negant sentire quidquam, etiam desiderare praesumant. *Id. Testim. anim.* 4. Vocas porro securos, si quando extra portam cum obsoniis et matteis, tibi potius parentans, ad busta recedis, aut a bustis dilutior redis. ℙ Translate. *Ov. Amor.* 1, 13, 3. Memnonis umbris Annua solemni caede parentet avis. V. PARENTALIS. *Liv.* 24, 21. Vociferatumque ferosse, *h. e.* ulciscendam regis mortem. *Caes. B. G.* 7, 17. Civibus, qui interierunt, parentare. [*V. *Herzog.* et *Moeb.*] Adde *Flor.* 2, 6. et *Just.* 13, 3. Sic *Petr. Sat.* 81. *extr.* Aut vir ego, liberque non sum, aut noxio sanguine parentabo injuriae meae. [*Quaedam ex *Bail.* adscripsit *Furl.* qui perperam locum *Curt.* 7, 2. *med.* Denunciant omnium sanguine duci parentaturos, §. anteced. adscripserat. Adde *Just.* 12, 6. quantis caedibus quo cruore mortuo sibi parentatura; et *Curt.* 9, 5, 20. Internecione hostium justae irae parentatum est.]

PĂRĔO, es, ui, paritum, n. 2. *φαίνομαι*, me ostendo, praesto sum, appareo, compareo. Ducunt a *πάρα* pro *πάρεστι*, a *πάρειμι*, adsum, quamvis obstet quantitas. *Mart.* 12, 29. Festinant trepidi substringere carbasa nautae, Ad portum quoties paruit Hermogenes. *Suet. Aug.* 95. Immolanti omnium victimarum jocinera replicata paruerunt. [*V. *Oudend.*] *Stat. Silv.* 2, 2. 76. Haec *(fenestra)* videt Inarimen, illi Prochyta aspera paret. ℙ [*Hinc translate dicitur de iis, quae incerta, incognita oculis hominum quasi offeruntur, aperiuntur, ut intelligi possint, manifesta sint, constent.] *Suet. Cal.* 8. *med.* Abunde arbitror parere, non potuisse ibi nasci Cajum. *Cic. Mil.* 6. Quid porro quaerendum est? factumne sit? at constat: a quo? at paret. Al. leg. *patet. Virg. A.* 10, 176. hominum Divumque interpres Asylas, Cui pecudum fibrae, coeli cui sidera parent, *h. e.* cognita, et perfecta sunt. ℙ *Paret*, liquet, clarum est, et manifestum: formula forensis, de qua *Festus:* Parret, quod est in formulis, debuit et producta priore syllaba pronuntiari, et non gemino R scribi: quod et inveniatur in comparet, apparet. (Posteriores *apparet* dixere, ut est ap. *Justin. Instit.* 4. tit. 6. §. 14.) *Petr. Sat.* 137. Jurisconsultus paret, non paret habetor: Atque esto quidquid Servius et Labeo. *Ulp. Dig.* 6, 1, 5. Si frumentum duorum confusum sit, competit singulis in rem actio in id, quantum paret in illo acervo suum cujusque esse. ℙ *Si paret*, si constat, si probatur, in judiciis dandis, *εἰ φαίνεται*. *Cic. Rosc. Com.* 4. *ex edicto.* Si paret, HS. IↃↃↃ dari oportere. *Id. Div. Verr.* 17. Vocari ad se Agonidem jubet: judicium dat statim, si pareret, eam, se et sua Veneris esse, dixisse. Adde *Verr.* 2, 2, 12. et *ib.* 2, 3, 22 et 28. ℙ [*Tunc *parere (auf Jemandes Befehl erscheinen)* usurpatur de ministris, servisque magistratuum, qui praesto sunt iis, jussa facturi: pro quo frequentius *appareo:* unde *apparitores.*] *Gell.* 10, 3. *f.* Romani Bruttios ignominiae causa magistratibus in provincias euntibus parere, et praeministrare, servorum vice, jusserunt. *Spart. Pesc.* 7. Ac postea cum unus ad memoriam, alter ad libellos paruisset, statim praefecti facti sunt. ℙ [*Hinc in universum dicitur pro] praesto esse, obedire, obtemperare, dicto audientem esse, *πείθεσθαι*. *Cic. Tusc.* 5, 12. Hic parebit et obediet praecepto illi veteri. *Id. N. D.* 1, 8. Quemadmodum obedire, et parere voluntati architecti aer, ignis, aqua potuerunt? *Id. Phil.* 7, 1. Non ut pareret, et dicto audiens esset huic ordini, sed ut conditiones ferret, leges imponeret. *Id. Off.* 2, 11. Quin etiam leges latronum esse dicuntur, quibus pareant, quas observent. *Id. N. D.* 2, 3. Parere religionibus. *Id. Att.* 8, 12. consiliis alicujus. *Caes. B. G.* 5, 2. *extr.* imperio. *Virg. G.* 3, 208. de equo: Verbera lenta pati, et duris parere lupatis. ℙ Dicitur de iis, qui alicujus ditioni subjecti sunt. *Caes. B. C.* 3, 81. Nulla Thessaliae fuit civitas, praeter Larissaeos, quin Caesari pareret, atque imperata faceret. *Nep. Dat.* 4. Aspis saltuosam regionem, castellisque munitam incolens, imperio regis non parebat. *Petr. Sat.* 133. inclyta paret Cui Lesbos, viridisque Thasos. *Plin.* 6, 28, 32. Oppidum, quod Characenorum regi paret. *Just.* 1, 2. Tot gentibus vix patienter uni viro, nedum feminae parituris. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 9, 32. Consul tesseram dari jubet, ut prandeat miles, et arma capiat: dicto paretur. *Sen. Clem.* 1, 24. Remissius imperanti melius paretur. *Ulp. Dig.* 4, 8, 23. Ut arbitri sententiae pareatur. *Paul. ib.* 49, 8, 3. Ab ea sententia, cui pareri rerum natura non potuit, sine causa appellari. *Jabolen. ib.* 4, 8, 39. et *Sym. ep.* 10, 36. (al. 43.) *med.* Causae, ex quibus arbitri sententiae paritum non est. *Ulp. Dig.* 40, 4, 12. Si paritum fuerit conditioni. ℙ Cum accus. communi. *Stat. Ach.* 1, 660. non adeo parebimus omnia matri. ℙ Eleganter transfertur ad inanima. *Tibull.* 1, 10, 9. Lucra petituras freta per parentia ventis Ducunt instabiles sidera certa rates. *Ov. Met.* 8, 470. utque carina, Quam ventus, ventoque rapit contrarius aestus, Vim geminam sentit, paretque incerta duobus. *Virg. A.* 1, 3. Ut quamvis avido parerent arva colono. (Huic respondet *imperare arvis.* V. IMPERO.) *Quint.* 1, 12. Quid? nos agendi subita necessitate deprehensi, nonne alia dicimus, alia providemus, cum pariter inventio rerum, electio verborum, compositio gestus, pronuntiatio, vultus, motusque desiderentur? Quae si velut sub uno conatu tam diversa parent simul, cur non, etc. [*V. *Burm.* et *Spalding.* ad h. l. ℙ Dicitur *parere* etiam de iis, quae ita et aliqua re pendent, ut sine ea fieri nullo modo possint. *Sall. Cat.* 2, 7. Quae homines arant, navigant, aedificant, virtuti omnia parent, i. e. in agricultura, navigatione, aedificatione omnia ex virtute (animi) pendent. *Hor. Sat.* 2, 3, 94. omnis enim res Virtus, fama, decus, divina humanaque pulcris Divitiis parent. V. *Kritz.*] ℙ Pro indulgere, servire, obsequi, cedere. [*Cf. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 51, 3.] *Hor. Sat.* 2, 7, 111. Parere gulae. *Nep. Alc.* 4. *f.* Plus irae suae, quam utilitati communi paruisse. *Id. Att.* 17. Neque id fecit natura solum (quamquam omnes ei paremus) sed etiam doctrina. *Cic. Fin.* 1, 16. *med.* Quae cupiditates inanes sunt, his parendum non est. *Id. Att.* 2, 21. *med.* Omni animi impetu dolori et iracundiae parere. *Id. Or.* 60. Necessitati parere cogunturi. *Id. Vat.* 1. Debuisti mihi ignoscere, si in tanto hominis de me optime meriti periculo, et tempori ejus, et voluntati parere voluissem. *Val. Fl.* 7, 154. extremo parere furori. ℙ Pro satisfacere, solvere, ap. JCtos. *Paul. Dig.* 19, 2, 54. *med.* Verisimile est, ita convenisse de non expellendo colono intra tempora praefinita, si pensionibus paruerit. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 4, 26, 8. Intelligis, et sorti, et usuris te parere oportere. *Iidem ib.* 10, 8. *extr.* Successores ejus solutioni parere compellantur. ℙ *Parere promissis* est cedere, obedire alicui propter promissa ab eo facta. *Ov. Fast.* 5, 504. Parent promissis, dissimulantque Deos. ℙ [*Confund. *parere* et *patere.* V. *intpr.* ad *Suet. Aug.* 95. et *Cal.* 8. *Cort.* ad *Sall. Cat.* 10, 1. — *Parere* et *obtemperare.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 284.]

[PĂRĔORON, i, n. *Appul. Herb.* 49. Pythagoras heliotropion *(vocat)* pareoron: scil. a *παρήορος*, devius. *F.*]

PĂRERGON, i, n. *πάρεργον*, quod alicui rei praeter propositum additur, appendix, accessio, ut si pictor imaginem pingens, ornandae tabellae gratia arbusculas, et aviculas, et hujusmodi addiderit: a *παρά*, praeter, et *ἔργον*, opus. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. Adjecerit parvulas naves longas in iis, quae pictores parerga appellant. *Vitr.* 9, 9. *med.* Versando faciunt effectus, varietatesque motionum, in quibus moventur sigilla, vertuntur metae, calculi projiciuntur, buccinae canunt, reliquaque parerga. *Inscr.* ap. *Grut.* 59, 2. Venerem Aug. cum parergo, item phialam argenteam testam suo poni jussit. Alia ap. *eund.* 77, 3. Fortunae Primigeniae signum Liberi Patris Panthei cum suis parergis M. Popilius M. F. Trophimus etc.

[PĂRĔTUS, a, um, adj. *πάρετος*, victus, languidus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 713, 13. Verria Pareta. *F.*]

[PARHEDRUS, i, m. *πάρεδρος*, assessor, qui in eodem judicio, imperio, templo, ara simul sedet. Translate. *Cic. Fam.* 16, 18. Parhedrum excita, ut hortum ipse conducat. Alii *vicinum* exponunt, alii nomen hominis proprium putant. *F.*]

PARHIPPUS, i, m. *πάρϊππος*, equus, qui praeter, vel juxta ducitur: a *παρά*, praeter, et apud, et *ἵππος*, equus. In evectione ita appellatur equus cursui publico destinatus, qui praeter unum aut duos veredos, quos solos evectio continet, usurpatur extra ordinem, et supra facultatem impetratam: item is ipse, qui hoc pacto formam datae evectionis excedit, ut *Imp. Jul.* docet *Cod. Theod.* 8, 5, 14. et *Cod. Just.* 12, 51, 4. Adde *Impp. Valentin. et Valent. Cod. Theod. ib.* 22.

PARHYPĀTĒ, es, f. *παρυπάτη*, chorda musica, quasi subprincipalis. Parhypate hypaton est, quae in nostratium musicorum systemate dicitur *C fa ut:* Parhypate meson, quae *F fa ut. Vitr.* 5, 4., *Capell.* 9, 315.

*PARĬA, ae, f. insula in Phoenicio mari, ante Joppen, alio nomine Arados. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

PĂRĬAMBODES, is, n. *παριαμβώδης*, pes quinque syllabarum, constans brevi, longa, brevi, et duabus longis, ut *petitiones. Diomed.* 3, 479.

PĂRĬĂMBUS, i, m. *παρίαμβος*, pes ex duabus syllabis brevibus constans, idem ac pyrrichius; ita appellatus, ut ait *Mar. Victor.* p. 2486., quod minus habeat unum tempus ab iambo: *παρά* enim Graeci minus dicunt. Adde *Diomed.* 3, 471. ℙ Item pes constans ex brevi et duabus longis, temporum quinque, ut *Athenae. Diomed.* 3, 475. ℙ Item pes constans ex longa et brevibus quatuor, temporum sex, ut *conticinium. Id. ib.* p. 478.

PĂRĬĂNUS, a, um, adj. ad Parium pertinens, quae est urbs Asiae minoris in Mysia ad Propontidem. *Cic. Fam.* 13, 53. Pariana civitas. Al. male leg. *Patriana. Plin.* 4, 11, 18. colonia. (Parii coloniae meminit *Id.* 5, 32, 4. et *Inscr.* ap. *Mur.* 1101, 1.) *Id.* 32, 11, 53. Parianus colias. *Sen. Q. N.* 1, 4. Artemidorus. ℙ *Pariani, orum*, populi ultra mare Caspium, quorum meminit *Mela* 1, 2. *med. B. A.*

PARIAS. V. PAREAS.

PARĬĀTĬO, onis, f. aequatio, solutio, cui opponitur *reliquatio:* a *pario, as. Scaev. Dig.* 12, 6, 67. An pactum, quod in pariationibus adscribi solet.

PĂRĬĀTOR, oris, m. qui paria facit, cui *reliquator* opponitur. *Paul. Dig.* 35, 1, 79. An Sticho mortuo, antequam rationes redderet, vel pariatore,

vel reliqua habente. Aliqui leg. *paria*, *vel reliqua habente.*

PĂRĬĂTORĬĂ, ae, f. idem quod pariatio. Translate *Augst.* in *Psalm.* 61. Pariatoria plenaria passionum omnium non erit, nisi cum saeculum finitum fuerit.

[PĂRĬĂTUS, a, um, part. a *pario*, *as*, qui paria fecit, idest qui solvit quidquid debuit. *Inscr.* in *Act. Acad. Archaeol. Rom.* T. 2. p. 462. Quisquis ex hoc corpore nostro pariatus discesserit. *F.*]

*PARICĀNI, orum, populi Asiae, Persarum imperio subjecti. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

PARICI Quaestores appellabantur, qui solebant creari causa rerum capitalium quaerendarum. *Fest.* Monet *Scal.* legendum *paricidi:* nam *Fest.* ipse in *Quaestores*, qui, inquit, quaerunt de rebus capitalibus, quaestores paricidi appellantur. Hi saepius *Quaesitores* dicti sunt.

PARĬCĪDĂ. V. PARRICIDA.

*PARIDĪON, i, n. Cariae opp. *Plin.* 5, 28. *B. A.*

PĂRIENS, entis, part. a *pario*, quae parit, puerpera. *Ov. Met.* 9, 283. Praepositam timidis parientibus Ilithyan.

PĂRIENTĬĂ, ae, f. obsequium, obedientia: a *pareo*, *es.* *Tac. Agr.* 16. Nisi Paulinus propere subvenisset, amissa Britannia foret, quam unius proelii fortuna veteri parientiae restituit. Al. leg. *parentiae:* alii *patientiae.* [*ita *Walch.*] *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 3, 4, 1. Parientiam accommodare. *Cassiod. Variar.* 3, 24. monstrare; et *ib.* 7, 27. Cui saluberrimam parientiam commodate. *Patientiam* alii omnibus locis reponunt.

PĂRĬES, ētis, m. τοῖχος, ὁ, murus domum, aliudve privatum aedificium ambiens, et sustinens. Differt a muro, qui τεῖχος, τὸ: nam hic est fere publicus, et urbem cingens. *Hor. Ep.* 1, 18, 84. Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet. *Cic. Off.* 2, 8. Parietes urbis modo stant et manent: rem vero publicam penitus amisimus. *Id. Mil.* 27. *f.* Parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, ut non modo vestibulo privaret, sed omni aditu et lumine. *Caes. B. C.* 2, 9. *f.* Parietes turris lateribus exstruere. *Plin.* 36, 22, 51. Medios parietes farcire fractis caementis. *Suet. Dom.* 14. Porticuum parietes phengite lapide distinguere. *Cic. Top.* 4. Directum ad parietem communem adjungere. V. DIRECTUS. *Id. Par.* 4. *med.* Parietem disturbare. *Pl. Mil.* 2, 1, 64. perfodere. *Procul. Dig.* 8, 2, 12. incrustare. *Virg. G.* 4, 296. hunc *(locum)* angustique imbrice tecti, Parietibusque premunt arctis. *Id. A.* 5, 588. Creta fertur Labyrinthus in alta Parietibus textum caecis habuisse iter, etc. *Cic. Verr.* 2, 4, 55. His tabulis interiores templi parietes vestiebantur. *Pl. Trin.* 4, 3, 32. Leges fixae ad parietem clavis ferreis. *Ov. Met.* 4, 65. Fissus paries tenui rima. *Plin.* 19, 8, 55. Serpyllum nascitur in puteorum parietibus. *Colum.* 12, 1. *f.* quibus aliquid in agro faciendum erit servis, eos foras emittere: quibus in villa, eos intra parietes continere. ℙ *Intra parietes* interdum est domi, privatim. *Cic. Brut.* 8. Forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam, quam, etc. *Id. Quint.* 11. Si quid in controversiam veniret, aut intra parietes, aut summo jure experiretur. ℙ Dicitur *paries*, licet non ex calce, et lapidibus. *Vitr.* 2, 8. *f.* et 7, 3. *f.* Craticii parietes. *Ov. Fast.* 6, 262. Et paries lento vimine textus erat. [**Caes. B. G.* 4, 17. Ac nihilo secius sublicae et ad inferiorem partem fluminis oblique agebantur, quae, pro pariete subjectae et cum omni opere conjunctae: ubi *pro pariete* eodem modo dictum est, quo 2, 17. *instar muri.* V. *Oudend.*] De parietum generibus, et struendi ratione multa *Vitr. c. l.* 2. ℙ Accipitur etiam pro sepe. *Plin.* 17, 10, 11. Democritus myrtum ita seri docet: parietem fore densitatis, ex quo virgulae differantur, *h. e.* sic fore sepem e myrto densissimam. Alii leg. *sic parietem fore mirae densitatis.* ℙ *In caducum parietem inclinare*, proverb. de eo, qui nititur rei parum firmae. *Spart. Hadr.* 23. Commodum secundum consulem fecit: quem cum minus sanum videret, saepissime dictitavit: In caducum parietem nos inclinavimus. ℙ *Utrosque parietes linere*, δύο τοίχῃ ἀλείφειν, aliud proverb. de iis, qui apud omnes, etiam adversos inter se, gratiam inire quaerunt: habeturque ap. *Petr. fragm. Trag.* 39. *Burm.* Est autem valde simile illi: *duos parietes de eadem fidelia dealbare:* de quo V. in FIDELIA. ℙ *Pl. Truc.* 4, 3, 14. Neve inter vos significetis, ego ero paries, *h. e.* me interponam tanquam parietem, altera ne alteri significare possit.

PĂRĬĒTĀLIS, e, adj. ad parietem pertinens, ut Parietalis herba, *Marcell. Empir.* 13.

PĂRĬĒTĀRĬUS, a, um, adj. ad parietem pertinens. *Firm. Math.* 8, 24. Architectos faciet, structores parietarios, vel marmorarios. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 112. C. Julius Salvus structor parietarius Juliae Heuresi conjugi etc. *Edict. Dioclet.* p. 19. Pictori parietario diurni Ж septuaginta: pictori imaginario diurni Ж centum quinquaginta. ℙ *Parietaria herba*, quae et muralis, παρθένιον, ἐλξίνη, ita est appellata, quia in parietibus ac muris veteribus nascitur. *Appul. Herb.* 81. Herbam perdicalem Latini muralem, et parietariam, alii vitriariam appellant. ℙ Constantinus M. Trajanum Aug. *herbam parietariam*, ob titulos multos aedibus inscriptos, vocare solitus erat, ut narrant *Aurel. Vict. Epit.* 41. et *Ammian.* 27, 3., sed hic pro *parietariam* habet *parietinam.* V. PARIETINAE.

[PĂRĬĒTĬCŬLUS, i, m. dimin. parietis. *Inscr.* non opt. notae ap. *Passionei cl.* 12. *n.* 11. Domus aeternalis Aur. Celsi, et Aur. Hilaritatis. Fecimus nobis, et nostris, et amicis arco, solio cum parieticulo suo in pacem. In lapide corrupte legitur *pareticulo* proximo, quod accedit ad Italicum *paretello. F.*]

*PARIETĪNA, opp. in Mauretania Tingitana. *Ant. Itin. B. A.*

PĂRĬĒTĪNAE, arum, f. plur. parietes veteres et semiruti, parietum reliquiae. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 56. Post villarum macerias ac parietinas quinque cohortes in insidiis reliquit. *Cic. Tusc.* 3, 22. Magis me moverant Corinthi subito aspectae parietinae, quam ipsos Corinthios. *Id. Fam.* 13, 1. Ut nescio quid illud Epicuri parietinarum sibi concederes. *Plin.* 25, 13, 102. Aizoum minus in muris parietinisque nascitur. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 4, 3. Quid me ista res consolatur in tantis tenebris, et quasi parietinis reipublicae? ℙ *Herba parietina*, parietaria. *Ammian.* 27, 3. de quodam Lampadio praet. urb.: Per omnia civitatis membra nomen proprium inscribebat, non ut veterum instaurator, sed conditor: quo vitio laborasse Trajanus dicitur princeps: unde eum herbam parietinam jocando cognominarunt. V. PARIETARIUS. ℙ *Parietina forma* ap. *Tert. Pud.* 20. est forma parietis. ℙ **Parietinae, arum*, oppidum Hispaniae Tarraconensis, inter Tagi Sucronisque fontes. *Ant. Itin. B. A.*

[PĂRĬFĬCO, as, a. 1. pario, exaequo. *Orient. de Trinit.* 19. Trina potestatum conclusio parificatur. Hic perperam prima in *parificatur* producitur. *F.*] **Sarisb.* 3, 14. Parificare aliquem alicui. *B. A.*

PĂRĬLĬĂ. V. PALILIA.

PARILICĬUM. V. PALILICIUM.

PĂRĬLIS, e, adj. ἴσος, idem quod par, aequalis. Vox fere poetica. *Lucr.* 1, 1065. et noctes pariles agitare diebus. *Ov. Met.* 8, 631. Sed pia Baucis anus, parilique aetate Philemon. *Id. Trist.* 1, 8, 26. Accipere et parili reddere voce, vale. *Nemes. Ecl.* 4, 5. parilisque furor de dispare sexu. *Varr. L. L.* 8, 23. Ut separatim in suo utroque genere similitudines sint pariles.

PĂRĬLĬTAS, atis, f. ἰσότης, aequalitas. *Gell.* 14, 3. *f.* Parilitas virtutum inter se consimilium. **Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 3 et 8. *B. A.*

PĂRĬLĬTER, adv. aequaliter, pariter. Agnoscitur a *Charis.* 2. p. 191.

[PĂRILLĂ, ae, f. dimin. paris. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1413, 3. Tutilia Parilla. *F.*]

PĂRIO, as, avi, atum, a. I. paria in rationibus facere, rationes ita reddere, ut paria sint expensis accepta: cui *reliquari* opponitur. *Ulp. Dig.* 40, 1, 4. *med.* Si ei nummos prorogavit emptor, cum ei pariaverit, poterit ad libertatem pervenire. ℙ Item universim aequari, parem esse, vel fieri. *Tert. Anim.* 30. *f.* Quia nec pariasset commeatus hic vitae milliario tempori, etc.; et 32. *f.* Mollitia lanae, mollitia plumae: pariant naturalia earum, substantiva non pariant. *Id. Resurr. carn.* 6. Non rapinam existimavit pariari Deo; et 53. *med.* Utraque substantia pariant inter se Christus, et Adam, scilicet et carne, et anima.

PĂRIO, is, peperi, paritum et partum, a. 3. τίκτω, fetum edo: et proprie ad feminas pertinet. *Cic. Or.* 2, 66. Si quintum pareret mater ejus, asinum fuisse parituram. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Ut ea liberos ex sese pareret. *Stat. Theb.* 12, 539. atque hosti veniat paritura marito. *Cic. Acad.* 4, 18. Cum ovum inspexerant, quae id gallina peperisset, dicere solebant. ℙ Olim tribuebatur et viris, pro generare, procreare. Ita locutus est *Caecil.* ap. *Non.* 6, 94. et *Cicero* vertens carmina *Sophoclis*, *Tusc.* 2, 8. Oenei partu edita. *Vet. Tragicus* ap. *Quint.* 8, 6. *med.* Et jam leo pariet: at pater est. Sic τίκτειν ap. Graecos. *Homer. Odyss.* 15, 249. *Μάντιος αὖ τέκετο Πολυφείδεά τε, Κλεῖτόν τε.* ℙ Sumitur et universim pro gignere. *Cic. N. D.* 1, 2. Fruges, et reliqua, quae terra pariat. *Varr. R. R.* 1, 31, Ut sarmentum in pariendis colibus vires habeat majores; et *ib.* 41. Ut ficus obrutae in seminario pariant. *Plin.* 16, 37, 68. Salices pariunt baltheo corticis vincula. *Lucr.* 2, 897. ligna putrefacta per imbres vermiculos pariunt. *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 3. Spumam nitri negabant fieri, nisi cum ros cecidisset praegnantibus nitrariis, sed nondum parientibus. ℙ Translate est creare, efficere. *Auct.* ad *Her.* 4, 4. *f.* Alio tempore utantur ea facultate, non tum, cum parere ipsi, et gignere, et proferre debent. *Cic. Or.* 2, 87. Ars dicendi habet hanc vim, non ut aliquid pariat et procreet, verum ut educet atque confirmet. *Id. Fin.* 1, 15. *extr.* Illas rejici, quia dolorem pariant: has optari, quia voluptatem. *Lucr.* 1, 220. Parere dissidium. *Quint.* 9, 4. taedium. *Plin.* 12, 17, 40. fastidium. *Id.* 19, 8, 38. somnum. *Id.* 3, 1, 3. *f.* Quae causa magnos errores computatione mensurae saepius parit. *Id.* 23, 57. Apyrina inflationes pariunt. ℙ Pro afferre. *Pl. Most.* 2, 1, 71. Ne quidquam nobis pariant ex se incommodi. *Id. Trin.* 2, 2, 35. Parere alicui aegritudinem. *Prop.* 1, 18, 23. alicui curas. *Nep. Dat.* 11. suspicionem. *Sall. Or. Lepidi contra Sull. med.* Maximam mihi fiduciam parit victor exercitus. ℙ Est etiam acquirere, comparare. *Cic. Off.* 2, 13. *f.* L. Crassus sibi ipse peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriosa. [*V. *Beier.* ad h. l.] *Id. Cat.* 4, 1. Dummodo meis laboribus vobis dignitas salusque pariatur. *Id. Sull.* 17. *f.* Afflicto Sulla, consulatus vobis pariebatur, sicut partus est. *Id. ad Brut.* 1, 15. Divinam gloriam alicui parere. *Liv.* 34, 44. gratiam ingentem apud aliquem; et 30, 14. *med.* sibi decus et victoriam. *Nep. Reg.* 2. sibi tyrannidem virtute. *Ter. Andr.* 4, 5, 2. divitias; et 5, 5, 5. sibi immortalitatem. *Val. Fl.* 7, 291. famam. *Vell.* 2, 120. ferro reditum sibi ad suos. *Caes. B. C.* 3, 69. salutem sibi atque exitum per caesorum corpora. *Sall. Jug.* 10. amicos officio et fide. *Nep. Alc.* 7. *extr.* sibi amicitiam cum regibus. *Sil.* 4, 47. Et metui peperere manu, *h. e.* pugnando et vincendo effecerunt, ut metuerentur. ℙ Pro conciliare. *Tibull.* 1, 7, 27. Saepe mero somnum peperi tibi. *Ter. Eun.* 5, 2, 32. Ut solidum parerem hoc mihi beneficium. *Id. Andr.* 1, 1, 41. Obsequium amicos, veritas odium parit: γνώμη. ℙ Pro consciscere. *Virg. A.* 6, 434. qui sibi lethum Insontes peperere manu. *Tibull.* 4, 13, 20. Hoc peperit misero garrula lingua malum. ℙ Pro invenire, formare, comminisci. *Cic. Or.* 32. Qui dialectici dicuntur, spinosiora multa peperunt. *Id. Fin.* 3, 10. *med.* Quibus etiam verba parienda sunt, imponendaque nova novis rebus nomina. *Just.* 4, 1. Hinc fabulae Scyllam et Charybdim peperere. ℙ *Parii* pro *peperi.* *Cato R. R.* 89. Gallinas teneras, quae primum parierint, concludat. Al. leg. *parient.* ℙ *Paribit* pro *pariet.* *Pompon.* ap. *Non.* 10, 26. Si praegnans non es, paribis nunquam. ℙ *Parire* pro *parere.* *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 4, 10. et *Diomed.* 1, 378. Ova parire solet genu' pennis condecoratum. *Plaut. fragm.* ap. *Philarg.* ad *Virg. Ecl.* 2, 63. Nam audivi feminam ego leonem semel parire. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 59. p. 112.]

PĂRIS, idis, m. Πάρις, Priami Trojanorum regis et Hecubae filius, alio nomine Alexander, cujus matri, cum illa se facem ardentem parere somniasset, conjectores responderunt, fore, ut filius, quem in utero gestabat, causa esset Trojani excidii. Qua re cognita, Priamus puerum, ubi primum fuit natus, Archelao servo exponendum tradidit. Sed mater filium formosissimum perspiciens, ejus miserta, curavit, ut furtim nutriretur a pastoribus in Ida monte. Ubi cum adolevisset, Aenonem virgunculam amavit, suscepitque ex ea duos filios, Daphnim, et Idaeum. Porro cum in dirimendis controversiis esset aequissimus, maximam justitiae famam sibi comparavit, adeo ut orta inter Deas, Junonem, Palladem, et Venerem disceptatione de forma propter aureum pomum a Jove per Discordiam (V. DISCORDIA.) caelitus demissum, in quo scriptum erat *Detur pulcherrimae*, judex sit ab iis constitutus. Quas cum vidisset, sententiam tulit secundum Venerem, quae pulcherrimam feminarum ei promiserat, neglecto regno, quod pollicebatur Juno, et contempta, quam Pallas offerebat, sapientia. Praeterea cum esset fortissimus, in agonali certamine, quod ad Trojam agebatur, cum alios omnes superavit, tum ipsum etiam Hectorem, qui cum iratus, quod vinceretur, gladium in eum stringeret, pastorem putans, Paris illi aperuit, se ejus fratrem esse germanum, quod allatis crepundiis probavit. Sic igitur cognitus, a patre receptus est. Deinde constructis viginti navibus, sub specie legationis ad repetendam Hesionen in Graeciam missus est, ubi a Menelao hospitio est susceptus. Verum cum ille necessaria de causa in Cretam navigare cogeretur, Paris sibi occasionem rei bene gerendae oblatam ratus, Helenam, quam mutuo amore deperibat, rapuit, et in Asiam abduxit. Ex illa rapina deinde secutum est bellum Trojanum. In quo Paris singulari certamine cum Menelao congressus, cum paene vinceretur, a Venere subtractus est. Postremo Hectore, et Troilo fratribus occisis, cum ipse, sumpto arcu, et sagittis, quibus plurimum valebat, Achillem sub praetextu desponsandae Polyxenae sororis, in templo Thymbraei Apollinis interfecisset, et ipse a Pyrrho, sive, ut aliorum est opinio, a Philoctete occisus est. *Virg. A.* 2, 601. Non tibi Tydaridis facies invisa Lacaenae, Culpatusve Paris; et *ib.* 1, 31. Judicium Paridis, spretaeque injuria formae. *Prop.* 3, 6, 29. Dulcior ignis erat Paridi, cum, etc. *Virg. A.* 5, 370. Solus qui Paridem solitus contendere contra; et *ib.* 10, 705. Cisseis regina Parin creat. *Prop.* 2, 2, 47. Nunc, Pari, tu sapiens, et tu, Menelae, fuisti. ℙ *Fuit et Paris histrio, libertus Domitiae Neronis amitae. *Suet. Dom.* 3. *Tac. A.* 13, 21. etc. *Juv.* 6, 87. ℙ Et pantomimus. *Suet. Dom.* 10. *B. A.*

PĂRĪSĬĂCUS, a, um, ad Parisios pertinens. *Inscr.* ap. *Mur.* 1066, 5. Tib. Caesare Aug. Jovi Optum. Maxsumo aram nautae Parisiaci publice posierunt. *Venant. Vit. S. Mart.* 4, 636. Inde Parisiacam placide properabis ad arcem.

PĂRĪSII, orum, m. plur. populi Galliae Celticae, ad confinia Belgicae. *Caes. B. G.* 7, 4. et 34. et 75. et *Plin.* 4, 18, 32. ℙ Item eorum urbs, quae et Lutetia Parisiorum dicitur: posita in insula fluminis Sequanae. *Ammian.* 20, 4. et 5. et *Caes. B. G.* 6, 3. et *ib.* 7, 56.

PĂRĪSON et Părīson, i, n. *πάρισον*, Graeca vox, qua significatur figura similium membrorum in oratione, ut *non verbis, sed armis*, et *quantum possis, in eo semper experire, ut prosis.* Usurpat *Quint.* 9, 3. *med.* Graece. Latine *Capell.* 5, 174. Parison proprie aequatum est.

PĂRĪTAS, atis, f. parilitas, aequalitas. *Arnob.* 2, 78. In impari paritas, dulcedo in amaritudine contineri nequit.

PĂRĬTER, adv. *ἴσως*, aeque, aequaliter, similiter, simul, eadem ratione, eodem modo, eodem tempore: a *par. Afran.* ap. *Non.* 4, 380. Dispartiantur patris bona pariter. *Ter. Heaut.* 1, 1, 78. Sumptus domi tantos ego solus faciam? sed gnatum unicum, quem pariter uti his decuit, aut etiam amplius, eum ego hinc ejeci. *Cic. Amic.* 16. Ut nostra in amicos benevolentia illorum erga nos benevolentiae pariter aequaliterque respondeat. *Id. Fin.* 1, 20. *med.* Laetamur amicorum laetitia aeque atque nostra, et pariter dolemus angoribus. *Id. Off.* 2, 8. *med.* Caritate non pariter omnes egemus. *Phaedr.* 5, 2. Nunc conde ferrum, et linguam pariter futilem. *Cic. Or.* 12. Ut pariter extrema terminentur, eundemque referant in cadendo sonum. [**Id. N. D.* 2, 58, 146. Nariumque item et gustandi et pariter tangendi magna judicia sunt, i. e. non minus tactus valet in judicando quam gustatus: ita *Heindf.*, q. v.] *Caes. B. C.* 3, 52. Nam plura castella Pompejus pariter, distinendae manus causa, tentaverat, [i. e. simul, eodem tempore. Cf. *Sall. Jug.* 68. et *Just.* 17, 2.] et *Sen. ep.* 37. *med.* Graves domini interdum alternis imperantes, interdum pariter; et *Pl. Curc.* 1, 1, 48. Amo pariter simul. *Quint.* 1, 1. Non longe itaque Latina subsequi debent, et cito pariter ire. ℙ Particulae *ac, et, atque, ut, cum*, eleganter sequuntur. [*Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 188, 6. *n.* 2. p. 815.] *Ter. Phorm.* 5, 3, 3. Pariter nunc opera me adjuves, ac re dudum opitulata es; et *Sall. Jug.* 50. Pariter ac si hostes adessent, munito agmine incedere. *Colum.* 3, 2. *f.* Vineas pariter feraces, et pretiosae fluxurae constituere. *Cic. Par.* 6, 2. Qui videt domi tuae pariter accusatorum atque judicum consociatos greges. *Sall. Jug.* 121. Vultu, colore, ac motu corporis pariter, atque animo varius. *Pl. Aul. prol.* 21. Is ex se hunc reliquit filium pariter moratum, ut pater avusque hujus fuit. *Id. Amph.* 4, 1, 11. Pariter hoc fit, atque ut alia facta sunt. *Cic. Sen.* 14. *extr.* Studia doctrinae, quae prudentibus et bene institutis pariter cum aetate crescunt. *Id. Verr.* 2, 5, 67. *med.* Siculi mecum pariter moleste ferent. *Hirt. B. Afr.* 69. Numidae una pariterque cum equitibus accurrere, et refugere consueverant. ℙ Sequente *qualis. Pl. Rud.* 3, 6, 37. Pariter suades, qualis es. ℙ Cum dativo. *Stat. Th.* 5, 121. Rhodopeia conjux Ulta manu thalamos, pariterque epulata marito, *h. e.* simul cum marito. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 165. pariterque favillis Durescit glacies, *h. e.* juncta favillis. *Liv.* 38, 16. *med.* Tantum terroris omnibus gentibus injecerunt, ut quas adissent, quasque non adissent, pariter ultimae propinquis, imperio parerent, *h. e.* aeque ultimae ac propinquae. ℙ Interdum repetitur. *Plin. ep.* 8, 23. *f.* Absens pariter aegrum, pariter decessisse cognovi; et *Ov. Met.* 8, 324. Hanc pariter vidit, pariter Calydonius heros Optavit. [*Adde *Eund. ib.* 12, 36. Et pariter Phoebes, pariter maris ira recessit; et *Trist.* 4, 1, 13. Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis Fallitur ancillae, decipiturque labor. Similis est Gr. dicendi ratio. V. *Walch.* ad *Tac. Agr.* 14.]

PĂRĪTO, as, a. 1. frequent. a *paro*, et ejusdem fere significationis. *Pl. Merc.* 3, 4, 64. Quid tu ais, quid, cum illuc, quo nunc ire paritas, veneris? *Id. Ps.* 1, 5, 70. Ecquas viginti minas per sycophantiam paritas ut auferas a me?

PĂRĪTOR, oris, m. qui paret, seu apparet, et ad officium praesto est. *Aurel. Vict. Caesar.* 2. *extr.* Nam ceteros paritorum, praesidesque Augustus instituerat, *h. e.* milites, quos in custodiam sui, et Urbis apparere jusserat, ut est ap. *Suet. Aug.* 49.

PĂRĪTŪDO. V. PARTITUDO.

PĂRĪTŪRĂ. V. PARTURA.

*PARĬUM vel Parion, i, n. *Πάριον*, urbs Asiae minoris, in Mysia, ad Propontidem. *Plin.* 5, 32. *Sall. fragm. Hist.* in *Epist. Mithridat.* 4. §. 14. p. 986. ed. *Cort. Mela* 1, 19. *Paul.* in *Pandect.* 1, 15, 8. Adde *Val. Fl.* 2, 622. ℙ V. PARIANUS, a, um. *B. A.*

PĂRĬUS, a, um, adj. ad Paron insulam pertinens, quae est in Aegaeo mari, una Cycladum. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 3. Agoracritus Parius. *Nep. Milt.* 8. Crimine Pario accusatus, *h. e.* quod Paron, cum posset, non expugnasset. ℙ *Parii, orum*, ejus incolae. *Nep. ib.* 7. *Liv.* 31, 31. et *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 2. ℙ Clara est marmore candido, praeduro, et nitidissimo, quod et lygdinum, et lychnites appellatur. *Hor. Od.* 1, 19, 5. Urit me Glycerae nitor Splendentis Pario marmore purius. *Petr. Sat.* 126. Jam pedum candor Parium marmor exstinxerat. *Virg. A.* 1, 596. Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo Argentum, Pariusve lapis circumdatur auro. *Ov. Pont.* 4, 8, 31. Pario statuam de marmore templum. ℙ De Pariis iambis ap. *Hor.* V. ARCHILOCHUS.

PARMĂ, ae, f. *πέλτη*, breve scutum et rotundum, quo levis armaturae pedites, equitesque utebantur: ita dicta, si *Varroni L. L.* 4, 24. credis, quod a medio in omnes partes par. [*Est a Gr. *πάρμη*.] *Liv.* 2, 20. *med.* Desiliunt ex equis, provolant in primum agmen, et pro antesignanis parmas objiciunt. *Varr.* ap. *Non.* 18, 2. Quem sequuntur cum rotundis velites leves parmis. *Liv.* 31, 35. *f.* Veles Romanus parmam gladiumque habens, pariterque et ad se tuendum, et ad hostem petendum armatus. *Id.* 38, 21. *f.* de velitib.: Hic miles tripedalem parmam habet, et in dextra hastas, quibus eminus utitur. (De hac mensura tripedali V. *Lips. de milit. R. l. 3. dial.* 1.) *Id.* 26, 4. Ex omnibus legionibus electi sunt juvenes maxime vigore ac levitate corporum veloces. Eis parmae breviores quam equestres, et septena jacula data. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 18, 14. Hi soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ad eam artem se quisque in formam parmae equestris armabat. *Virg. A.* 9, 548. Ense levis nudo, parmaque inglorius alba. Ubi *Serv.:* quasi tiro, quia picta arma jam probati in bellis habebant. *Prop.* 4, 10, 21. Picta nec inducto fulgebat parma pyropo. *Virg. A.* 11, 711. de Camilla: Ense pedes nudo, puraque interrita parma. Ubi *Serv.:* Tunc enim primum in bella descenderat, cum tirones minime pictas gestarent parmas. ℙ Item gladiator, qui Threx, seu Thrax dictus. Nam a Thracibus parma venit. Unde in *Gloss. Philox.* exponitur *Θρακικὸν ὅπλον. Mart.* 9, 69. Mitior in magno clamor furit amphitheatro, Vincenti parmae cum sua turba favet. Adde 14, 213. ℙ Dicitur de quocumque scuto. *Id.* 9, 21. At te protexit superum pater, et tibi Caesar, Pro jaculo et parma fulmen et aegis erat. *Virg. A.* 2, 175. de Pallade: Emicuit parmamque ferens, hastamque trementem. ℙ *Parmai* pro *parmae* suo more dixit *Lucr.* 4, 845. ℙ De tabella lana obducta, quae valvae vicem in folle praebet ingredientique aeri aperit se, egressuro clauditur: [**das Ventil im Blasebalge.*] *Auson. Idyll.* 10, 267. Sic ubi fabriles exercet spiritus ignes, Accipit alterno cohibetque foramine ventos Lanea fagineis alludens parma cavernis. ℙ Parma Amazonica, ap. *Plin.* 3, 5, 6. est pelta lunata. ℙ Est hoc nomine urbs Italiae in Gallia Cisalpina, inter Placentiam, et Cremonam, ad fluvium cognominem: lanis olim celebris. *Mart.* 14, 155. Velleribus primis Apulia, Parma secundis Nobilis: Altinum tertia laudat ovis. Adde 2, 43. et 5, 13.

PARMĀNUS, a, um, adj. Parmensis. Rejicitur a *Varr. L. L.* 7, 31.

PARMĀTUS, a, um, adj. parma tectus. *Liv.* 4, 38. Parmata cohors. Ita recte legit *Gronov.* pro *armata. Id. ib.* 39. Ut parmatis, novae cohorti hostium, locus detur.

PARMENSIS, e, adj. *Parmigiano*, ad Parmam urbem pertinens. *Hor. Ep.* 1, 4, 3. Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat. ℙ *Parmenses, ium*, ejus urbis cives. *Cic. Phil.* 14, 3.

[PARMĒNO, onis, m. permanens: a *παραμένω*, permaneo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 727, 8. M. Octavius Sp. F. Parmeno. *F.*]

PARMESSIS. V. PERMESSIS.

PARMŪLĂ, ae, f. exigua parma. *Hor. Od.* 2, 7, 10. Sensi relicta non bene parmula. *Festus:* Parmulis pugnare milites soliti sunt; quarum usum sustulit C. Marius, datis in vicem earum Bruttianis, *h. e.* quae a Bruttiis usurpari solitae, quae et ipsae parmae erant, sed diversae magnitudinis. ℙ [Translate. *Front. de or.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *med.* Uti clipeo te Achillis in orationibus oportet, non parmulam ventilare, neque hastulis histrionis ludere. *F.*]

PARMŪLĀRĬUS, ii, m. fautor parmularum, seu cujusdam gladiatorum generis, qui parmulis armati pugnabant, et Threces seu Thraces dicebantur: nam parma Thracum propria fuit. *Suet. Dom.* 10. Patremfamilias, quod Threcem mirmilloni parem, munerario imparem dixerat, detractum spectaculis in arenam, canibus objecit, cum hoc titulo: Impie locutus parmularius. ℙ De ignaro rhetore haec *Quint.* 2, 11. Alius percontanti, Theodoreus, an Apollodoreus esset? Ego, inquit, parmularius sum, *h. e.* is declamandi magister tam artis suae ignarus erat, ut interroganti, Theodori, an Apollodori discipulus esset (V. APOLLODOREUS), ratus ea vocabula ad factiones gladiatorum spectare, respondit, se parmularium, *h. e.* Threcum fautorem esse. ℙ Item qui pontificibus parmula armatus apparebat. *Inscr.* ap. *Grut.* 1087, 6. Apparitori pontificum parmulario. [*Emendavit haec *F.*]

PARNĂCIS. V. ARNACIS.

PARNĀSĒUS et Parnasseus, a, um, adj. Parnasius, *Παρνάσειος. Avien. Arat.* 619. Ut Parnaseo munus memorabile Phoebo.

PARNĀSIS et Pārnassis, idis, f. adj. Parnasia, *Παρνασίς. Ov. Met.* 11, 165. Ille caput flavum lauro Parnaside vinctus.

PARNĀSIUS et Parnassius, a, um, adj. ad Parnassum, Phoebum, et Musas pertinens. *Virg. Ecl.* 6, 29. Nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes. *Id. G.* 2, 18. Parnasia laurus. *Ov. Met.* 5, 278. templa. *Claud. VI. cons. Honor.* 122. chelys, *h. e.* quae Phoebi munere a poetis pulsatur. ℙ Refertur etiam ad oracula, quae Delphis prope Parnasum edebantur. *Ov. Met.* 4, 642. Themis hanc dederat Parnasia sortem, *h. e.* quae oracula Delphis etiam ante Apollinem edebat. *Val. Fl.* 3, 618. Vox mihi mentitas tulerit Parnasia sortes. *Sen. Herc. Oet.* 1475. et Parnasio Cirrhaea quatiens templa mugitu nemus. ℙ In illo *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 71. Tu, precor, ignarum doceas Parnassia, vatem. *Parnassia* est Musa.

PARNĀSUS et Parnasos et Parnassus, i, m. *Παρνασσός*, et *Παρνησσός*, mons Graeciae in Phocide, duobus jugis constans, quorum alterum Phoebo, alterum Baccho sacravit antiquitas: creditdque esse medium terrarum, quasique umbilicum, solumque in diluvio ab aquis exstitisse cacumine. V. DELPHI. *Stat. Th.* 7, 346. vel qui Parnason utrumque, Aut Cirrham tauris, Anemoriamque supinant. *Lucan.* 5, 71. Hesperio tantum, quantum submotus Eoo Cardine Parnasus gemino petit aethera colle, Mons Phoebo, Bromioque sacer, etc. Hoc solum, fluctu terras mergente, cacumen Eminuit, pontoque fuit discrimen, et astris. *Stat. Th.* 1, 118. Audiit et medius coeli Parnasus. ℙ Ad ejus radices amnis est Castalius: ipse vero lauri feracissimus esse dicitur, et habere rupem undique abruptam, et in modum theatri formatam: quae omnia poetis occasionem dedere Musas in eo, et Phoebum earum praesidem collocandi. Prope sunt etiam Delphi, oppidum oraculo celebre. *Plin.* 4, 3, 4. et *Mela* 2, 3. V. DELPHI. *Pers. prol.* 2. Nec in bicipiti somniasse Parnaso Memini, ut repente sic poeta prodirem. ℙ Ad scriptionem quod attinet. Graece quidem plerumque cum duplici *σσ:* unde et Latine eadem ratione recte scribitur. Monet tamen *Pier.* ad *Virg. Ecl.* 10, 11. in antiquis omnib. MSS. *Virg.* haberi unico *s:* quod et *Broukhus.* probat ex MSS. *Prop.* 2, 23, 13., item *Heins.* ex *Ov.* ad *Met.* 1, 467. et *Drakenb.* ex *Silii* ad 15, 311. [*Cf. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 441. ℙ Est etiam eodem modo simpl. *s* scriptum nomen viri ap. *Grut.* p. 752. *n.* 2. *Schneid.* l. l.]

PARNES, ethis, m. *Πάρνης, ηθος*, mons Atticae tum vitibus, tum venatu abundans. *Stat. Th.* 12, 620. Parnesque benignus vitibus. *Sen. Hippol.* 4. Quae saxoso loca Parnethi subjecta jacent. Est qui leg. *Quae saxosa loca Parnetho*, etc. ut sit *Parnethus, i:* sed minus recte.

PĂRO, as, avi, atum, a. 1. *παρασκευάζω*, instituo, instruo, molior, adorno, apparo. *Ter. Andr.* 3, 2, 42. Ibi me opperire, et quod parato opus est, para. *Caes. B. G.* 3, 9. Pro magnitudine periculi bellum parare, et maxime ea, quae ad usum navium pertinerent, providere instituunt; et *ib.* 5, 41. *extr.* Turres ad altitudinem valli, falces, testudinesque parare ac facere coeperunt. *Nep. Alc.* 9. *f.* Parare bellum alicui, *h. e.* contra aliquem. *Sall. Jug.* 11. Ex eo tempore, ira et metu anxius, moliri, parare, atque ea modo animo habere, quibus Hiempsal per dolum caperetur. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Instruere, et parare convivium. *Ter. Phorm.* 1, 4, 14. et *Cic. Att.* 7, 26. Parare fugam. *Just.* 10, 2. et *Ov. Fast.* 3, 638. insidias alicui. *Id. Met.* 2, 576. vim. *Sil.* 12, 586. se morti. *Cic. Or.* 35. se ad discendum. *Id. Fam.* 1, 7. *med.* Volo, huc te pares, haec cogites, ad haec te exerceas. [**Ter. Eun.* 2, 2, 18. Hisce non paro me ut rideant, sed ultro his arrideo, *h. e.* non praebeo me ridendum. *Sen. Med.* 51. Accingere ira, teque in exitium para. *Just.* 26, 2. se proelio. *Vell.* 2, 43, 2. alterutri se fortunae parans. *Prop.* 2, 19, 18. Et se plus uni si qua parare potest, *h. e.* sui copiam facere. ℙ Absolute sensu reflexivo.] *Ter. Phorm.* 5, 7, 64. Animo virili praesentique ut sis, para. [**Liv.* 21, 7. dum Romani parant (sc. se ad bellum) consultantque etc. et 42, 53. Justis ad iter (sc. se) parare. — Ita *parare* dicitur etiam pro obstare, defendere. *Sall. Jug.* 64, 1. pariterque oppidani agere, oppugnare, aut parare omnibus locis: et infra: contra haec oppidani festinare parare. V. *Gronov. Observv.* 4, 305. p. 490. sq. *ed. Fr.* — Observandus est etiam hujus verbi usus, quo solemni fere modo di-

citur de fatis et sim. *Virg. A.* 2, 121. cui fata parent, quem poscat Apollo. Adde *Lucan.* 1, 631. Interdum vero etiam declaratum quid fata parent. V. *Lucan.* 2, 68. motus fata parabant.; et *v.* 133. ibique *Mart. Lag.* Porro 6, 783.] ℙ Cum infinito. *Caes. B. C.* 1, 83. Munitiones institutas parat perficere. *Sall. Jug.* 13. Omni Numidiae imperare parat. *Ter. Phorm. prol.* 3. Maledictis deterrere, ne scribat, parat. *Nep. Dat.* 4. Cum proficisci pararet. *Virg. A.* 4, 390. Linquens multa metu cunctantem, et multa parantem Dicere; et 118. In nemus ire parant. [*Cf. *Sall. Cat.* 46, 3. ibique *Kritz.* ℙ Est *parare* interdum etiam i. q. aliquid sibi proponere, constituere. Ita intellig. ap. *Ter. Ad.* 1, 1, 14. Quemquamne hominem in animo instituere, aut parare, quod sit carius, quam ipse est sibi: ubi *Ruhnk.* laud. *Pl.* 1, 3, 16. et *Scal.* ad *Catull.* 10, 20.] ℙ Item constituere. *Pl. Poen.* 4, 2, 86. Quin prius disperibit faxo, quam unam calcem civerit: ita paratum est. *Id. Mil.* 3, 1, 132. Aequum fuit, Deos paravisse, uno exemplo ne omnes vitam viverent. [**Cic. Div.* 2, 59. Si ita natura paratum esset, ut ea dormientes agerent, quae somniarent. Sic *Calpurn. decl.* 33. Nihil equidem leges clementius paraverunt, quam de lege raptarum. Laudaverat haec *Noster* in *paratus, a, um.*] ℙ Est etiam comparare, acquirere, adsciscere. *Sall. Cat.* 6. Magis dandis, quam accipiundis beneficiis amicitias parabant. *Id. Jug.* 35. Parandi juris, et majestatis constituendae gratia. *Id. Cat.* 5. Parare sibi regnum. [**Id. ib.* 35, 2. Quamobrem defensionem in novo consilio non statui parare: ubi v. *Kritz.*] *Cic. Att.* 1, 10. *med.* subsidium senectuti. *Ov. R. Am.* 449. sibi solatia. *Id. Trist.* 1, 2, 75. divitias sine fine. *Just.* 16, 3. brevi tempore magnas opes. [*Hic commemorari posse videtur locus *Quint.* 6, 1, 16. Nos miseri, sicut facultates patrimonii nostri, ita hoc opus aliis paravimus, aliis relinquemus: ita *Burm.* coll. *Ulp.* 49. §. *ult. ff. de legat.* 3. hoc legatum et filio et filiae relinqui potest, quae ejus gratia parata sunt, et servo servaeque; et continebuntur, quae ipsi attributa vel destinata sunt. *Spald.* leg. *praeparabamus.*] ℙ Pro emere. *Cic. Att.* 12, 19. Cogito trans Tiberim hortos aliquos parare. *Caes. B. G.* 4, 2. Jumenta impenso pretio parare. *Catull.* 10, 20. Non possem octo homines parare rectos. Adde *ib.* 30. et 32. ℙ *Parare inter se*, comparare, de magistratibus. *Fest.* post *Praebia:* Parare inter se munus dicebantur, cum sortitio fiebat a magistratibus P. R., uter magistratus utramque rem facere deberet, aut inter se comparabant de rebus lege mandatis. *Id.* post *Pappi:* In Comitio quoque sortiri, aut inter se parare solebant, utrum exire, utrum domi manere oporteret: et *mox:* Lege etiam cavebant, ut certos intra dies designati provincias inter se pararent. *Sall. Jug.* 47. Metellus et Silanus consules designati provincias inter se paraverant. Al. omitt. *provincias:* al. leg. *partiverant.* [*Cf. *Gronov. Observv.* 1, 10. p. 51. sq. *ed. Fr.*] ℙ Pro parem facere, aequiparare. *Pl. Curc.* 4, 2, 20. Eodem hercle vos pono et paro: parissimi estis iibus. ℙ [*Permutantur *parare* et *praeparare.* V. *Burm.* ad *Quint. decl.* 11, 11. p. 240.]

PARO, onis, m. genus navigii. V. MYOPARO. *Cic. fr. poemat.* ap. *Isid. Or.* 19, 1. Tunc se fluctigero tradit mandatque paroni.

[PAROCHA, ae, f. παροχή, praebitio eorum, quae hospitibus ad victum et habitationem sunt necessaria, quaeque Latine lautia appellantur. V. PAROCHUS. *f. F.*]

PAROCHIA, ae, f. parochi Ecclesiastici ditio. *Hieron. ep.* 51. *n.* 2. In parochia, quae tibi subjecta est; et *mox:* Ad meae parochiae videbantur Ecclesiam pertinere. Alii ubique leg. *paroecia. Sidon. ep.* 7, 6. *med.* Nulla in desolatis cura dioecesibus, parochiisque. ℙ De loco *Cic. Att.* 13, 2. V. in v. sq.

PAROCHUS, i, m. πάροχος, a Graeco ductum est nomen, quod vehicula praebeat. Ochemata enim Graece, Latine vehicula appellantur: et est officii genus, quod administrantibus paret. Varro Sesquiulysse: Hic enim omnia erat: idem sacerdos, praetor, parochus: denique idem senatus, idem populi caput. Haec *Nonius* 1, 239., qui ducit vocabuli originem ab ὄχος, currus, vehiculum. Unde πάροχος ap. *Hesych.* est, qui sponso assidet sponsam in curru domum deducenti. Alii ducunt a παρέχω, praebeo: quae notatio propius accedit ad munus parochi, qui non solum Graecis, sed etiam Latinis significat hominem, cui cura incumbit praebendi ligna, foenum, salem, tectum iter facientibus rei publicae causa. *Hor. Sat.* 1, 5, 45. Proxima Campano ponti quae villula, tectum Praebuit, et parochi, quae debent, ligna, salemque. Huc pertinet illud *Cic. Att.* 5, 16. Scito, non modo nos foenum, aut quod lege Julia dari solet, non accipere, sed ne ligna quidem: nec praeter quatuor lectos et tectum, quemquam accipere quidquam, multis locis ne tectum quidem. *Id. ib.* 13, 2. Ariarathes Romam venit. Omnino eum Sextius noster parochus publicus occupavit. Al. rectius leg. *parochis publicis*, h. e. hospitio, et rebus necessariis, quorum praebitio παροχὴ dicitur. ℙ Urbane *parochus* dicitur convivator. *Hor. Sat.* 2, 8, 35. vertere pallor Tum parochi faciem, nil sic metuentis, ut acres Potores. ℙ Hinc *Parochi* in Ecclesia nunc dicuntur, qui curam animarum suscipiunt, et Fidelibus necessaria ad salutem suppeditant.

PARODIA, ae, f. παρῳδία, et παρῳδή, carmen ad alterius similitudinem compositum, et abusive etiam sermo, ut est ap. *Quint.* 9, 2. *Ascon.* in *Verr.* 1, 10. Antiquum Naevii est: *Fato Metelli Romae fiunt consules.* Cui tunc Metellus consul iratus versu responderat senario hypercatalecto, qui et Saturnius dicitur: *Dabunt malum Metelli Naevio poetae.* De qua parodia subtiliter Cicero dixit, *te non fato*, etc.

PAROECIA, ae, f. παροικία, vicinia, accolarum conventus, et cohabitatio: a παρά, prope, et οἶκος, domus. Sumitur autem pro ditione, et jurisdictione Episcopi. *August. ep.* 261. Castellum simul cum contigua sibi regione ad paroeciam Hipponensis Ecclesiae pertinebat. Adde *Hieron. ep.* 51. *n.* 2. ℙ Item pro loco jurisdictionis parochi. *Sidon. ep.* 7, 6. *f.* Per rusticas solitudo paroecias. Al. leg. *parochias.*

PAROEMIA, ae, f. *Charis.* 4, 247. Παροιμία est vulgaris rei usurpatio cum aliqua diversitate, ut *cocta numerabimus exta*, cum significet, ex eventu sciemus: et *contra stimulos calces*, idest rei contrariae resistere. Eadem habent *Diomed.* 2, 458. et *Donat. de Trop.* p. 1778. Sic etiam dicitur fabella brevior, et per allegoriam accepta, ut *non nostrum onus: bos clitellas. Quint.* 5, 11. *med.* Graece.

PAROMOEON, i, n. παρόμοιον, figura est, cum verba, vel nomina parum inflexa, et tamen similia superioribus inferuntur, ut *(Virg. A.* 4, 3.) *Multa viri virtus animo, multusque recursat Gentis honos.* Et aliter paromoeon fit, cum verba similiter incipiunt, ut *Machina multa minax minatur maxima muris.* Haec *Diomed.* 2, 441. Est autem a παρά, prope, et ὅμοιος, similis. V. HOMOEOPROPHERON.

PAROMOLOGIA, ae, f. παρομολογία, figura sententiarum, qua aliquid ultro confitemur, et postea majus inferimus, et gravius. *Rutil. Lupus de figur.* 1. *f.*

PARONOMASIA, ae, f. παρωνομασία, figura verborum, quae et agnominatio dicitur, q. v. v. s. l. [*Front. ad Antonin. Imp.* (ed. *A. Maio*) 5, 6. Paronomasia etiam non absurda, nec frivola, sed proba et eleganti *(utitur Sallust.):* Simulator, ac dissimulator. *F.*]

PARONYMA, παρώνυμα, verba ab aliis derivata, ut *equus eques, doceo doctor.* V. DERIVATIO.

PARONYCHIA, orum, n. plur. et Paronychiae, arum, f. plur. παρωνυχία, abscessus, et reduviae circa radices unguium: a παρά, prope, et ὄνυξ, υχος, unguis. *Petr. Sat.* 31. Pueris insequentibus ad pedes, et paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus. *Plin.* 21, 20, 83. Ad paronychias farina ejus utuntur. *Id.* 23, 9, 81. Purgant et lentigines, pterygia, et paronychias. *Id.* 24, 19, 119. et 28, 8, 24. neutro genere extulit. Quidam in loco *Petronii* sordes pedum digitis adhaerentes intelligunt. V. PANARICIUM.

*PAROPAMISII, orum. V. in v. sq. *B. A.*

*PAROPAMISUS et Parapamisus, i, Παροπαμισός, Παραπαμισός, mons Orientis, ultra mare Caspium, Indiam versus. *Plin.* 6, 17. Junguntur inter se Imaus, Emodus, Paropamisus. *Mela* 3, 7. *med.* Indus ex monte Paropamiso exortus. Adde 1, 15. ℙ *Paropamisadae* vel *Parapamisadae, arum*, dicti sunt populi circa Paropamisum montem habitantes, ap. *Curt.* 7, 3. qui ap. *Melam* 1, 2. *Paropamisii* appellantur. ℙ Item Scythiae fluvius, vel saltem in Scythiae finibus, qui hodiernus *Oby* videtur esse, judice *Hard.* ad *Plin.* 4, 13. *B. A.*

*PAROPINI, orum, incolae Paropi. Fuit autem Paropus, Πάροπος, opp. Siciliae, non longe a mari Hetrusco. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

PAROPSIS, idis, f. παροψίς, lanx, patina, scutella escaria: a παρά, et ὄψον, obsonium, ut *Charis.* docet 1, 82., quia in eo reponuntur obsonia, et ex eo in mensa comeduntur. *Mart.* 11, 27. Cui portat gaudens ancilla paropside rubra Alecem, sed quam protinus illa voret, *h. e.* fictili; et 31. Sic implet gabatas, paropsidasque, Et leves scutulas, cavasque lances. *Juven.* 3, 141. quot pascit servos, quot possidet agri Jugera, quam multa, magnaque paropside coenat. *Petr. fr. Trag.* 50. *Burm.* de Corinthiorum vasorum origine: Ex hac massa fabri sustulerunt, et fecerunt catilla, et paropsides. ℙ Dicitur et *parapsis*, a παρά, et ἁψίς, curvatura, quia curvum cavumque vas est: unde et *absis* vas escarium est. *Petr. Sat.* 34. Cum forte parapsis excidisset, et puer jacentem sustulisset, animadvertit Trimalchio, colaphisque objurgare puerum, ac projicere rursus parapsidem jussit. *Ulp. Dig.* 34, 2, 20. *med.* Argento facto legato, Q. Mucius ait, vasa argentea contineri, veluti parapsidas, acetabula, trullas, pelves.

PAROPTUS, a, um, adj. πάροπτος, assatus, ut Paroptus pullus, ap. *Apic.* 6, 9.: ab ὀπτάω, asso, torreo.

*PARORAEI, orum, Παρωραῖοι, populi Epiri, vel Epiro Macedoniaeque contermini. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

*PARORÉA vel

*PAROREIA, ae, f. Παρώρεια, locus vel tractus in Thracia, vel Thraciae fortasse vicinus. *Liv.* 39, 27. et 42, 51. *B. A.*

*PAROREÄTAE, arum, Παρωρεᾶται, incolae Paroreae vel Paroreiae, Arcadiae urbis. *Plin.* 4, 6. *B. A.*

PAROS et Parus, i, f. *Paro*, Πάρος, insula maris Aegaei, una Cycladum, nobilis marmore candido. *Virg. A.* 3, 126. Olearon, niveamque Paron, sparsasque per aequor Cycladas. *Nep. Milt.* 7. Parum insulam opibus elatam, etc. V. PARIUS.

PAROTIS, idis, f. παρωτίς, apostema secus aures: a παρά, prope, juxta, et οὖς, ὠτός, auris. *Plin.* 20, 21, 84. Folia althaeae strumas et parotidas tollunt; et *ib.* 9, 36. Parotidas reprimere; et 28, 11, 48. comprimere; et 35, 17, 57. cohibere; et 20, 15, 59. discutere; et 28, 7, 23. lenire; et 20, 1, 2. sanare. ℙ In sing. num. *Id.* 24, 5, 10. Cupressi pilulae parotidi et strumae imponuntur.

*PARPARUS, i, mons Peloponnesi, in Argolide. *Plin.* 4, 5. *B. A.*

PARRA, ae, f. avis, quae oriente Sirio, ipso die occultatur, nec apparet, donec occidat, ut *Plin.* 10, 29, 45. et 18, 29, 69. *n.* 5. tradit: sed priore loco oenanthen appellat. Habita est avis mali ominis cantu suo: unde *Hor. Od.* 3, 27, 1. Impios parrae recinentis omen Ducat, et praegnans canis, etc. **Pl. As.* 2, 1, 12. Picus et cornix est ab laeva, corvus, parra ab dextera. Sic ed. *Camerar. Douz.* et *Parei*, ubi edd. *Junt.* (1514.) *Taubmann. Gronov.* et *Buchner.* habent *porro. B. A.* [*A nonnullis intelligitur avis, quam nos dicimus *Grünspecht:* Alii fortasse rectius habent pro ea, quae nobis est *Kibitz.*] ℙ [Est etiam cogn. R. *Varr. R. R.* 3, 5. *extr.* Venit ad nos Pantulejus Parra. *F.*]

*PARRADŪNUM, i, n. opp. Vindeliciae. *Notit. Imper.* ℙ *Parthanum* audit *Ant. Itin. B. A.*

PARRHASIA, ae, et Parrhasie, es, f. Παῤῥασία, et Παῤῥασία, opp. Arcadiae, ap. *Plin.* 4, 6, 10. Dictam tradunt a quodam Parrhaso filio Lycaonis Arcadiae regis: vel a Parrhasio Jovis filio, et patre Arcadis: unde primo Parrhasii, postea Arcades dicti sunt, ut ait *Serv.* ad *A.* 11, 31. Hinc et ipsa Arcadia Parrhasia dicitur. *Id.* ad *ib.* 8, 344.

*PARRHASĪNI, orum, populi Asiae, Persidem versus, et Persarum imperio subjecti. *Plin.* 6, 16. *B. A.*

PARRHASIUS, a, um, adj. Παῤῥάσιος, ad Parrhasiam Arcadiae urbem, et ad ipsam Arcadiam pertinens. *Ov. Fast.* 1, 478. de Euandro: Deserit Arcadium, Parrhasiumque larem; et 618. Parrhasia Dea, *h. e.* Carmenta Euandri conjux. *Sil.* 12, 709. rex Parrhasius, *h. e.* Euander. *Virg. A.* 8, 344. Parrhasio dictum Panos de more Lycaei; et *ib.* 11, 31. Euander Parrhasius. *Claudian. Laud. Stil.* 1, 185. Ladon, *h. e.* Arcadiae fluvius. *Id. Rapt. Pros.* 2, 18. Parrhasii regina Lycaei, *h. e.* Diana venatus exercens in Lycaeo Arcadiae monte. *Ov. Fast.* 2, 276. Altaque Cyllene, Parrhasiaeque nives; et *Trist.* 2, 190. Parrhasiae gelido virginis axe premor, *h. e.* Callistus, de qua V. in ARCTOS. Sic *Mart.* 4, 11. Parrhasia ursa. *Sen. Herc. Oet.* 1281. Parrhasius axis, *h. e.* polus Arcticus, quem prope Callisto, seu Ursa major. *Mart.* 6, 58. Parrhasii triones; et *ib.* 25. Parrhasium jugum, *h. e.* plaustrum septentrionum. *Lucan.* 9, 660. Parrhasiae pennae, *h. e.* datae a Mercurio, qui Arcas fuit. *Stat. Th.* 4, 246. catervae, *h. e.* milites Arcades. ℙ Refertur etiam ad Palatium collem Romae, et domum Caesarum in eo sitam, quia eum primum locum Euander tenuit, ab Arcadia veniens. *Mart.* 7, 56. Parrhasia domus; et *ib.* 99. et 8, 36. et 12, 15. aula. ℙ Fuit etiam *Parrhasius* celebris pictor Ephesius, de quo *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 5. Primus symmetriam picturae dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus. Meminere etiam *Prop.* 3, 7, 12. et *Hor. Od.* 4, 8, 6. V. et *Sen. Contr.* 5, 34.

[PARRHĒSIA vel Parhesia, ae, f. παῤῥησία, libertas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 15. *n.* 66. Claudia Parhesia. *F.*]

PARRHĒSIASTES, ae, m. παῤῥησιαστής, qui nimis libere loquitur: a παῤῥησία, loquendi libertas. *Sen. Ira* 3, 23. Democharem, parrhesiastes ob nimiam et procacem linguam appellatus.

PARRĪCĪDA et Paricida, ae, m. et f. πατροκτό-

νος, proprie qui patrem occidit, quasi *patricida*, vel *parenticida* per sync. *Cic. Rosc. Am.* 25. Majores nostri supplicium in parricidas singulare excogitaverunt: insui voluerunt in culeum vivos, etc. *Hor. Od.* 3, 29, 8. Telegoni juga parricidae. *Plin.* 7, 45, 46. de Augusto: Adulterium filiae, et consilia parricidae palam facta, *h. e.* ut *Solin.* loquitur 1. *med.*, detectum filiae adulterium, et voluntas parricidalis. ℙ De supplicio parricidarum V. CULEUS. ℙ Ita dicitur etiam qui ex propinquis aliquem vita spoliat. *Paul. Sentent.* 5. *tit.* 24. Lege Pompeja de parricidis tenetur, qui patrem, matrem, avum, aviam, fratrem, sororem, patronum, patronam occiderit. Hi etsi antea insuti culeo in mare praecipitabantur, hodie tamen vivi exuruntur, vel ad bestias dantur. Ap. *Liv.* 3, 50. Virginius, occisa filia, ne se, ut parricidam liberum, aversarentur. Sic *parricida* dicitur a *Floro* 1, 3. Horatius, qui sororem, et 3, 1. Jugurtha, qui fratres occiderat. ℙ Latius etiam extenditur. *Festus* in *Parici*. Paricida non utique is, qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcumque hominem. Id autem fuisse indicat lex Numae Pompilii regis, his composita verbis: Si quis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricida esto. *Cic. Cat.* 1, 12. Certe verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiae mihi in posteritatem redundaret. ℙ [*Hinc omnino eum significat, qui quodvis scelus commisit non minus atrox et nefandum, quam est patrem occidisse. V. *Sall. Cat.* 14, 3. Omnes undique parricidae sacrilegi, convicti judiciis; et 51, 25. quis reprehendet, quod in parricidas reipublicae decretum erit; et 52, 31. Vos de crudelissimis parricidis quid statuatis cunctamini; et *Fragm. inc.* 17, 3. Si parricida vostri sum. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 3, 50, 5. et *Math.* ad *Cic. Cat.* 1, 12, 29. *Beier.* ad *Cic. Off.* 3, 21, 83. et *Ern. Weberi Exercitatt. styli Lat.* T. 1. p. 126. Laudat haec *Kritz.* ad *Sall.* 1. mox sq.] *Cat.* 31, 8. et ad 51, 25. Catilinae obstrepere omnes: hostem atque parricidam vocare. *Tac. H.* 1, 85. Hostem et parricidam Vitellium vocantes: sc. quia ab Othone imperatore rebellaverat, et bellum in patriam parabat. *Auson. Caesar.* 21. de Severo: Impiger egelido movet arma Severus ab Istro, Ut parricidae regna adimat Didio, *h. e.* qui creditus est Pertinacem decessorem suum interficiendum curasse. (Hic necessitate secundam producit, quae est brevis ap. *Hor. l. c.*) *Val. Max.* 6, 4. *n.* 5. M. Brutus suarum prius virtutum, quam patriae parentis parricida. *Cic. Leg.* 2, 9. Sacrum, sacrove commendatum qui clepserit, rapseritque, parricida esto, *h. e.* sacrilegus. V. *ib.* 16. ℙ Adjective. *Arnob.* 3, 115. *extr.* Deum ergo dicemus dissensionibus gaudere civilibus, commorientium fratrum parricida nece, etc. ℙ *Lambin.* ap. *Cic. Phil.* 2, 13. bis *patricida* legit pro *parricida:* quod habetur etiam ap. *Plin.* 7, 45, 46. *in antiqu. edd.* 1469. 1470. et 1472. et ap. *Prud. Hamart.* 567.

PARRĪCĪDĀTUS, us, m. parricidium. *Quint.* 1, 6. *f.* scribit hac voce usum Coelium (is est, qui ad *Cic.* multas scripsit *epistolas Fam. l.* 8.) sed vix tolerabilem videri.

PARRĪCĪDĬĀLIS et Parricidalis, e, adj. ad parricidium pertineus, parricidii scelus continens. Illud a *parricidium*, hoc a *parricida* deducitur. *Flor.* 3, 21. Parricidiale bellum, *h. e.* civile. *Just.* 27, 1. *extr.* Parricidale scelus; et 37, 1. venenum; et 39, 3. Parricidiales discordiae. *Quint. decl.* 17, 18. Vidi truces loquentis oculos, vultus parricidali ardore suffusos; et *decl.* 4, 19. Parricidalem agere cogitationem. *Lampr. Elag.* 14. Homo parricidialis animi. *Arnob.* 3, 116. Mars gaudet filiorum et patrum parricidali congressionis horrore. *Pareus* in *Lex. crit.* legit *parricidalis* ex antiqu. libris, et MSS. in locis *Justini* allatis. Sic *Prud. praef. Hamart.* 14. Armat deinde parricidalem manum.

PARRĪCĪDĬĀLĪTER, adv. cum parricidii scelere. *Lampr. Alex. Sev.* 1. *extr.* Ista res bella civilia severat, quibus necesse fuit, militem contra hostem paratum parricidialiter perire. Adde *August. ep.* 168.

PARRĪCĪDĬUM, ii, n. *πατροκτονία*, proprie est occisio patris aut matris: latius autem cujuslibet propinqui: (V. PARRICIDA.) item machinatio contra patriam. *Cic. Cluent.* 11. In ipso fraterno parricidio nullum scelus praetermissum videtur. *Liv.* 8, 11. Parricidium filii. *Cic. Verr.* 2, 5, 66. Facinus est, vinciri civem R.: scelus, verberari: prope parricidium, necari: quid dicam, in crucem tollere? *Id. Phil.* 2, 7. Cum homines nefarii de patriae parricidio confiterentur: se urbem inflammare, cives trucidare, vastare Italiam, delere rempubl. consensisse. *Id. Tusc.* 5, 2. Vituperare quisquam vitae parentem (*philosophiam*) et hoc parricidio se inquinare audet? *Lambin.* leg. *patricidio.* ℙ De supplicio parricidii V. CULEUS. ℙ *Parricidium* decreto senatus dictae sunt Idus Martiae, quo die occisus est C. Caesar. *Suet. Caes.* 88. *extr.*

PARS, partis, f. *μέρος*, unum aliquid ex iis, in quae totum dividitur, portio, membrum. *Ter. Heaut.* 4, 1, 39. Ne expers partis esset de nostris bonis. *Cic. Verr.* 2, 5, 32. *f.* Quibus illi urbis suae partem ademerunt, iis tu nostri imperii partem dedisti. *Caes. B. G.* 1, 1. Belgae pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni. *Cic. Or.* 2, 90. Quis Antonio permisit, ut et partes faceret, et utram vellet, prior ipse sumeret? *Id. Verr.* 2, 3, 19. Quid, si duabus partibus doceo te amplius frumenti abstulisse, quam populo R. misisse? *Sall. Jug.* 116. Copias in quatuor partes distribuerat. *Cic. Rabir. Post.* 2. Magnas partes habuit publicorum, *h. e.* in exactionibus vectigalium magnam partem habuit; et *ib.* Mittere in negotium, dare partes, *h. e.* committere aliis partes vectigalium exigendas, vel negotiorum suorum exercendas. *Plin. ep.* 9, 37. Locare agrum partibus. V. NUMMUS et PARTIARIUS. ℙ *Pars*, species, quae subditur generi. *Cic. Inv.* 1, 22. *extr.* Genus est, quod plures partes amplectitur, ut animal: pars est, quae subest generi, ut equus. Sed saepe eadem res alii genus, alii pars est: nam homo animalis pars est, Thebani aut Trojani genus. Adde *Or.* 1, 42. et *ib.* 2, 23. *f.* et *ib.* 87. ℙ *Magna, bona, multa pars*, multi, *major* plures, *maxima* plurimi. *Cic. Balb.* 8. Cum magna pars in iis civitatibus foederis sui libertatem civitati anteferret. *Hor. A. P.* 297. bona pars non ungues ponere curat, Non barbam. *Id. Sat.* 2, 7, 6. Pars hominum vitiis gaudet, etc. pars multa natat. *Cic. Agr.* 2, 9. Majorem partem populi suffragiis privavit. *Hor. Sat.* 2, 3, 121. Maxima pars hominum morbo jactatur eodem. ℙ *Pars*, et *partes* de parte ferculi, quae coenantibus datur. *Petr. Sat.* 33. Ego quidem paene projeci partem meam: nam videbatur mihi jam in pullum coisse. *Suet. Cal.* 18. Equiti R. avidius vescenti partes suas misit. ℙ De coenae reliquiis *Appul. Met.* 2. Abi, fatue, qui in domo funesta coenas, et partes requiris. Adde *ib.* 7. ℙ *Pars* adverbii vice pro *partim*, vel *alii. Virg. A.* 1, 215. Tergora diripiunt costis, et viscera nudant: Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt: Litore ahena locant alii. *Tac. H.* 5, 11. Poscebantque pericula, pars virtute, multi ferocia et cupidine praemiorum. *Id. A.* 2, 24. Pars navium haustae sunt, plures apud insulas longius sitas ejectae. *Sall. Jug.* 34. Incedunt per ora vestra magnifice, sacerdotia et consulatus, pars triumphos suos ostentantes. *Liv.* 22, 8. Pars, occupatis majore aegritudine animis, levem ducere equitum jacturam: pars non id, quod acciderat, per se aestimare, sed, etc. *Id.* 6, 24. *f.* Magna pars in ipso certamine caesi: ceteri in castris. *Suet. Vesp.* 8. Milites, pars victoriae fiducia, pars ignominiae dolore, ad omnem licentiam audaciamque processerant. [*V. *Burm.* ad *Virg. Ecl.* 1, 65. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 197. p. 899. *Zumpt. Gr. L.* §. 367. p. 314 sq.] ℙ *Parte*, partim. *Ov. Met.* 3, 483. Non aliter, quam poma solent, quae candida parte, Parte rubent. *Plin.* 37, 11, 73. Melichloros est geminus, parte flavus, parte melleus. ℙ *Pro parte*, pro rata parte. *Cic. Verr.* 2, 2, 59. Coegisti, ut iidem pro parte in commune Siciliae conferrent. ℙ *Ex parte*, ex una parte, partim. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. Quod tibi mea permissio mansionis tuae grata est, id ego summo meo dolore et desiderio, tamen ex parte gaudeo. *Liv.* 6, 41. Tribuni de decemviris sacrorum ex parte de plebe creandis legem pertulere. ℙ *Ex aliqua, ex magna, ex maxima parte. Cic. Caecin.* 13. *med.* Si ulla ex parte sententia hujus interdicti infirmata sit; et *Rosc. Com.* 12. Qui ager neque villam habuit, neque ulla ex parte fuit cultus. *Id. Cluent.* 24. *extr.* Haec ille et aliqua ex parte habebat, et majore ex parte se habere simulabat; et *Att.* 7, 3. Etsi ex parte magna tibi assentior; et *Fam.* 10, 5. *med.* Ex maxima parte ea, quae es adeptus, fortunae temporibus tribuuntur. *Id. Tusc.* 1, 1. Laboribus aut omnino, aut magna ex parte liberatus; et *ib.* 5, 2. Tibi nos, ut antea magna ex parte, sic nunc penitus, totosque tradidimus. ℙ *Multis partibus*, multo. *Cic. Fin.* 3, 11. Ut eandem illam rem, quam adipisci scelere quovis velit, non multis partibus malit sine facinore, quam illo modo pervenire. *Caes. B. C.* 3, 84. Quoniam numero multis partibus esset inferior. *Cic. Fam.* 1, 2. et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 9. Multis partibus plures. *Caes. B. C.* 3, 80. Fama praecucurrerat de proelio Dyrrachino, quod multis partibus auxerat. Sic *Cic. Fin.* 5, 31. Omnium virorum bonorum vitam omnibus partibus plus habere semper boni, quam mali. ℙ *In parte*, partim, aliqua ex parte. *Quint.* 5, 7. *med.* Patronorum in parte expeditior, in parte difficilior interrogatio est. ℙ *Pro mea, tua parte*, pro meis, tuis viribus, pro virili parte, pro officio. *Cic. Fam.* 15, 15. Quibus aliquid opis fortasse ago pro mea, tu pro tua, pro sua quisque parte ferre potuisset. *Id. Rosc. Am.* 47. Sciunt ii, qui me norunt, me pro illa tenui infirmaque parte id maxime defendisse, ut, etc. *Ov. Fast.* 4, 301. Quisquis adest operi, plus quam pro parte laborat. ℙ *Magnam partem*, adverbii more, magna parte: et videtur subaudiri *secundum. Cic. Or.* 56. *med.* Magnam partem ex iambis nostra constat oratio. *Liv.* 5, 14. Patricios omnes, partem magnam honoratissimum quemque creavere. *Caes. B. G.* 4, 1. Maximam partem lacte atque pecore vivunt. Sic *bonam, minimam partem* dixit *Lucr.* 6, 1247. et 1257. ℙ *In aliquam partem*, cum variis verbis, varii est usus. *Cic. Phil.* 11, 1. *extr.* A quo victore, si cruciatus absit, mors in beneficii partem numeretur, i. e. in beneficiorum numero habetur. Al. leg. *parte;* [*ita *Orell.*] et *Att.* 16, 1. *f.* Has litteras scripsi in eam partem, ne me motum putares, [*i. e. in eum finem.] et *Cat.* 4, 2. Moveor his rebus omnibus, sed in eam partem, ut salvi sint vobiscum omnes; et *Att.* 15, 23. Multa mihi de nostro itinere in utramque partem occurrunt; et *Verr.* 2, 5, 3. *f.* Durum hoc fortasse videatur: neque ego ullam in partem disputo; et *Off.* 2, 6. Magna vis est fortunae in utramque partem, vel secundas ad res, vel adversas: et *mox:* Clades, calamitates, fugae; rursus secundae res, honores, victoriae, sine hominum opibus et studiis neutram in partem effici possunt. *Id. Rosc. Am.* 20. In eam partem potius peccant, quae cautior est; et *Mur.* 31. Quod atrociter in senatu dixisti, aut non dixisses, aut mitiorem in partem interpretarere. *Id. Att.* 10, 3. Caesar mihi ignoscit per litteras, quod non venerim, seque in optimam partem id accipere dicit. [*Huc pertinent, quae inferius paulo *Noster* laudaverat: *Cic. Fam.* 14, 2. Doleo, quae impensa facienda est, in ejus partem te miseram et despoliatam venire. *Id. Caecin.* 5. Heredem P. Caesennium fecit: uxori grande pondus argenti, matri partem bonorum legavit: itaque in partem mulieres vocatae sunt: ubi *in partem venire* signif. participem fieri. Adde *Pl. Trin.* 1, 2, 56. Ad amici partem, an ad inimici pervenant, i. e. amicis an inimicis propiores sint. V. *Lindem.* Saepissime etiam *Tac.* hac dicendi formula utitur. *A.* 14, 33. comitantes in partem agminis acciperet. *H.* 4, 26. additus Voculae in partem curarum Herennius Gallus legatus. *Agr.* 25. classis ab Agricola primum adsumpta in partem virium sequebatur egregia specie. *A.* 6, 42. accitus in partem adversum omnes valescit; et 1, 11. se in partem curarum ab illo vocatum; *Boettich. Lex. Tac.* p. 337. ℙ *Nulla parte*, i. e. omnino non. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 7, 110. Ita etiam explicari posse videtur locus *Quint. Inst.* 2, 16, 18. quod nulla in parte plenius labor gratiam refert: ubi v. quae laud. *Spalding.*, qui pro *nullo in genere* vel *nusquam* accipit. — Contrarium est *omni parte.* Laudat *Ruhnk. l. c. Hor. Sat.* 1, 2, 37. ut omni parte laborent. *Liv.* 41, 34. gente ne nunc quidem omni parte pacata. — Cum praepos. *Ov. Ep.* 15, 45. Omnique a parte placebam. *Cic. Amic.* 21. quod sit omni ex parte in suo genere perfectum. V. *Drak.* ad *Liv.* 40, 22.] ℙ *Per partes*, secundum partes, partibus. *Colum.* 1, 4. Quod etsi per partes nonnunquam damnosum est, in summa tamen fit compendiosum. *Id.* 4, 24. Haec in universum: illa per partes custodienda sunt. *Plin. ep.* 2, 5. *f.* Per partes emendare aliquid; et *Ulp. Dig.* 12, 1, 13. Si nummos per partes consumpseris, an per partes tibi condicam, quaeritur. ℙ *In omnes partes*, ad omnia, omnino, prorsus. *Cic. Fam.* 4, 10. Cum suspicarer, multum interesse rei familiaris tuae, te quam primum venire; idque in omnes partes valeret. *Id. Att.* 11, 6. Brundisii jacere, in omnes partes est molestum. Contra *Id. ib.* 13, 10. Quamquam hoc nullam ad partem valet scilicet; et *Fam.* 13, 1. Id, quod mea intelliges, tua nullam in partem multum interesse. ℙ *Partem facere*, venire in partem, faciendo, ut solidum in partes dividatur, quarum una mihi tribuatur. *Cajus Dig.* 34, 5, 8. Utrum ita postumus partem faciat, si natus sit, an etsi natus non sit, quaeritur. Ego commodius dici puto, si quidem natus non est, minime eum partem facere, sed totum ad te pertinere, quasi ab initio tibi solido relicto. ℙ *Partes* in foro sunt litigantes. *Quint.* 5, 6. *f.* Nec ex advocatis partis adversae judex eligendus; et *ib.* 7. A patronis diversae partis inducuntur in laqueum. *Sen. Apocol. med.* Quo non alius Potuit citius Dicere causas, Una tantum Parte audita, Saepe et neutra. ℙ Item factiones. *Cic. Phil.* 13, 20. *extr.* Pansa, et Hirtius quasi cornua duo tenuerunt Caesaris tum, cum illae vere partes vocabantur. Hae vero quae sunt partes, cum alteris senatus auctoritas, populi R. libertas, reipubl. salus proposita sit: alteris caedes bonorum, etc.? Adde *ib.* 18. *med.* ubi, ut Antonii rationem loquendi in epistola reprehendat, *partes* dici ait proprie in foro, et curia. *Id. Quint.* 21. Erat, inquit, illarum partium. *Sall. Jug.* 13. In duas partes discedunt Numidae; et 45. Ita omnia in duas partes abstracta sunt: respublica, quae media fuerat, dilacerata. *Nep. Att.* 2. Alterutram partem offendere, cum alii Sullanis, alii Cinnanis faverent partibus. *Phaedr.* 1, 2. Conspiratis factionum partibus. *Tac. A.* 15, 51. Ducere aliquem in partes; et *ib.* 4, 60. trahere; et *H.* 1, 70. transire. [*Maxime inter omnes *Tacito partes* frequentatur ad exprimendas factiones. Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 336. ℙ *Partes* absolute diversas partes significat. *Lucan.* 1, 280.

Dum trepidant nullo firmatae robore partes, i. e. Pompejanae. V. *Cort. Suet. Caes.* 35. reliquias partium in Africa refoventes; et *Aug.* 12. Ceteros consentire pro partibus: ubi qui vim verbi non ceperunt, correxerunt *pro patribus*, prorsus inepte. V. *B. Crus.* ad h. l. Adde *Tib.* 4, 57. *Ner.* 3. et *Hor.*] ℙ In sing. num. *Cic. Fam.* 10, 31. Cum non liceret mihi nullius partis esse. *Id. ad Quir.* 5. *med.* Cum viderem ex ea parte homines, cujus partis nos vel principes numerabamur. *Ter. Andr.* 2, 5, 8. Timeo huic nostrae parti quid hic respondeat. [**Lucan.* 7, 118. Si sine momento rerum, partisque ruina Casurum est: ubi v. *Cort.* Adde *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 6, 101. ubi laud. *Liv. Ep.* 84. qui partem optimatium secutus erat: ibique *Drakenb.* ℙ Saepius etiam *pars* dicitur de uno, qui a partibus alicujus stat, partibus alicujus studet, a quo felix rei eventus pendet, in quo auctoritas, dignitas, salus alicujus rei posita est. *Lucan.* 5, 40. Curio Caesarei cecidit pars magna Senatus: ubi *Cort.* laud. *Coripp.* 1, 346. Quaestor Anastasius, sancti pars magna senatus. *Virg. A.* 10, 426. Lausus, Pars ingens belli; ibique Cerdam. *Ov. Her.* 14, 115. pars exiguissima restas. *Lucan.* 2, 236. (*de Bruto:*) Pars populi lugentis erat; et 6, 593. non ultima turbae Pars ego Romanae. Potest huc quoque referri illud dicendi genus, quo saepe amantes se vocant *partem sui.* V. *Heins.* ad *Ov. Pont.* 1, 6, 17. et *Jac. Toll.* ad *Auson.* p. 778.] ℙ In re comica *partes* sunt, quod quisque histrionum agere in scena debet. Harum aliae *primae*, aliae *secundae*, etc. *Cic. Div. Verr.* 15. Ut in actoribus Graecis fieri videmus, saepe illum, qui est secundarum. aut tertiarum partium, eum possit aliquando clarius dicere, quam ipse primarum, multum summittere, ut ille princeps quam maxime excellat. Ubi *Ascon.* Est persona primarum partium, quae saepius actu regreditur: secundarum, et tertiarum, quae minus minusque procedunt. *Ter. Phorm. prol.* 27. Primas partes qui aget, is erit Phormio. *Id. Heaut. prol.* 1. Ne cui sit vestrum mirum, cur partes seni Poeta dederit, quae sunt adolescentium; et 10. Nunc, quamobrem has partes didicerim, paucis dabo. *Cic.* de suis de Oratore libris *Att.* 13, 19. Puero me hic sermo inducitur, ut nullae esse possent partes meae. ℙ Translate. *Id. Har. resp.* 28. Hanc orationem tam tristem, tam gravem non suscepissem, nisi hanc personam et has partes deberem et possem sustinere. *Ter. Eun.* 1, 2, 71. Sine, illum priores partes hosce aliquot dies apud me habere. *Cic. Q. Fr.* 3, 4. *med.* Tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo, quam mihi. *Id. Off.* 1, 28. Nobis a natura constantiae, moderationis, temperantiae, verecundiae partes datae sunt. *Id. Mur.* 3. Ego has partes lenitatis et misericordiae, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter. *Id. Quint.* 2. Hortensius, qui hoc judicio partes accusatoris obtinet. *Id. Rosc. Am.* 34. Te ne, cum ceteri socii tui fugerent, potissimum tibi partes istas depoposcisse, ut in judicio versarere, et sederes cum accusatore? *Id. Brut.* 21. *f.* Ingenii, litterarum, eloquentiae, etsi utrique primas, priores tamen libenter deferunt Laelio. Ubi *partes* subaudiuntur. ℙ Eadem translatione *partes* sunt officium, munus. *Cic. Att.* 7, 26. Sin erit bellum, partes meae non desiderabuntur; et *Fam.* 3, 10. Promitto, atque confirmo, me pro tua dignitate rogando deprecatoris, laborando propinqui, auctoritate cari hominis apud civitates, gravitate imperatoris suscepturum officia atque partes. *Id. Fam.* 11, 5. *med.* Tuum est hoc munus, tuae partes: a te hoc civitas exspectat. *Id. Or.* 2, 7. Antonii audio esse partes, ut de tota eloquentia disserat. *Anton.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Judicabam duriores partes mihi impositas esse ab offensione nostra. *Quint.* 6, 1. *med.* Nonnumquam et ipse patronus has partes subit. *Nep. Dion.* 8. Excipit has partes ipse Callicrates. *Cic. Or.* 2, 4. Transactis jam meis partibus, ad Antonium audiendum venistis. ℙ *Ad partes*, ad fungendum officio suo, quasi ad suas partes agendas. *Ov. Pont.* 3, 1, 41. Utque juvent alii, tu debes vincere amicos, Uxor, et ad partes prima venire tuas. *Id. Amor.* 1, 8, 87. Servus, et ad partes solers ancilla parentur, Qui doceant, apte quid tibi possit emi. *Varr. R. R.* 2, 5. Narra isti, qui sermones sint habiti, et quid reliqui sit, ut ad partes paratus veniat. *Liv.* 3, 10. *med.* Fabulam compositam Volsci belli, Hernicos ad partes paratos. ℙ In re litteraria *partes* videntur esse, quae dantur pueris quotidie ediscendae, quas nos dicimus *Lectionen:* v. gr. in grammatica, aut in oratione, aut poemate memoriae mandando. Ita enim intelligit *Reines.* loca, quae subjicio. *Petr. fragm. Trag.* 46. *Burm.* Etiam tibi discipulus crescit Cicaro meus: jam quatuor partes dicit: si vixerit, habebis ad latus servulum; et 75. Puer frugi est: decem partes dicit: librum ab oculo legit; et 58. Lapidarias litteras scio: partes centum dico; et *Inscr.* ap. *Grut.* 625, 8. et ap. *Mur.* 980, 1. C. Terentius Fructus sibi et Attico ser. qui vixit ann. XX. litteratus Graecis et Latinis, librarius: partes dixit CCC. ℙ *Partes*, locus, regio. *Cic. Fam.* 12, 7. *f.* Omnes, quae in istis partibus essent opes copiaeque, tuas esse. *Id. Mur.* 41. Ibit igitur in exsilium miser? quo? ad Orientisne partes? [*Sic saepe *partes* dicuntur a *Mela*, aliisque Geographis, ut *μέρη* a Graecis: v. *Gron. diatr. Stat.* 1. p. 3. Ita *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 18, 197. ubi v.] ℙ *Pars* absolute ap. *Auct. Priap.* 30. et 38., *pars tegenda* ap. *eund.* 1., *pars obscena* ap. *Ov. Fast.* 1, 437., *partes obscenae* ap. *eund. A. Am.* 2, 584. sunt *τὰ αἰδοῖα*, quaeque dicuntur a *Phaedr.* 4, 14. Naturae partes, veste quas tegit pudor. ℙ *Pars virilis* est unus e testiculis. *Colum.* 7, 11. Cum virilem partem unam ferro resectam detraxeris, etc. ℙ *Parti* pro *parte. Lucr.* 4, 516. Et libella aliqua si ex parti claudicat hilum. (Adde 5, 512.) *Pl. Men.* 3, 2, 14. Satin' nunc loquitur de me, et de parti mea? ℙ *Partum* pro *partium* dixit *Caesar* in *Analogicis*, teste *Charis.* 1, 114. et *Enn. ib.* Jamque fere quatuor partum. ℙ [*Confund. *pars* et *ars.* V. *Spalding.* ad *Quint.* 2. p. 528. *crit. coll.* 5. p. 68. — *pars* et *pater. Id. ib.* 2. p. 458. — *pars* et *sors.* V. *Burm.* ad *Virg. A.* 3, 334.]

PARSĬMŌNĬA et Parcimonia, ae, f. *φειδώ*, *φειδωλία*, moderatio sumptuum, parcitas, diligentia, frugalitas: illud a praeterit. *parsi*, vel a sup. *parsum*, verbi *parco:* hoc ab ipso *parco*, et magis placet *Manut.* in *Orthogr.* sicut enim, inquit, *querimonia* et *alimonia*, a *queror* et *alo*, ita *parcimonia* a *parco.* Nihilominus illud est in libris frequentius: et agnoscitur a *Diomed.* 1, 310. et *Prisc.* 4, 621. V. v. sq. *Pl. Most.* 1, 3, 78. Dies noctesque estur, bibitur, neque quisquam parsimoniam adhibet. *Cic. Par.* 6, 3. et *fragm.* ap. *Non.* 1, 95. Non intelligunt homines, quam magnum vectigal sit parsimonia. *Id. Verr.* 2, 2, 3. Nulla desidia, nulla luxuria: contra summus labor, summa parsimonia, summa diligentia. *Id. Off.* 2, 24. *f.* Res familiaris conservatur diligentia et parsimonia. *Ter. Heaut.* 3, 1, 31. Vehemens in utramque partem, Menedeme, es nimis, aut largitate nimia, aut parsimonia. *Suet. Aug.* 73. Instrumenti et supellectilis parsimonia. ℙ In plur. num. *Pl. Trin.* 4, 3, 21. Utinam veteres mores, veteresque parsimoniae majori honori essent. *Prud. Cath.* 7, 3. Adesto castis, Christe, parsimoniis, *h. e.* jejuniis. ℙ Translate. *Cic. Or.* 25. Sunt pleraeque aptae hujus ipsius oratoris parsimoniae. ℙ Metonymice res ipsa parsimonia parta. In *argum. Truc. Plauti* 6. Lupae ne rapiant domini parsimoniam. ℙ Vetus prov. est ap. *Sen. ep.* 1. *f.* Sera parsimonia in fundo est, *h. e.* vana, inutilis est. Non enim tantum minimum in imo, ut *Idem* ait, sed pessimum remanet. *Hesiod. Op. et dies* 369. *δευτὴ δ' ἐν πυθμένι φειδώ*, *h. e.* perniciosa in fundo parsimonia.

[PARSĬMŌNĬUM et Parcimonium, ii, n. idem ac parsimonia. *Inscr.* ap. *Donat.* 35, 4. Herculi C. Vossius P. F. Fab. de suo parcimonio V. S. *F.*]

*PARSTRYMŌNĬA, ae, *Παρστρυμονία*, sc. *γῆ*, (*h. e.* ad Strymonis ripam sita), locus tractusve Thraciae. *Liv.* 42, 51. *B. A.*

*PARTHALĬS, Indiae opp., cis Gangem, regum sedes. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

PARTHĀON, onis, m. *Παρθάων*, filius Martis, vel Meleagri regis Calydoniae ex Merope: filios habuit Agrium, Thestium, et Oeneum patrem Deianirae, et filiam Melam. *Pl. Men.* 5, 1, 45., *Hyg. fab.* 175. 239 et 242. *Ov. Met.* 9, 12. Accipe me generum, dixi, Parthaone nate, *h. e.* Oeneu. ℙ Quod ait *Pl. Men.* 5, 1, 45. Ego te simitu novi cum Parthaone: hoc dicit: tam te novi, quam Parthaonem, quem vidi nunquam, nec vero vidisse possum, qui multo ante haec tempora fuit.

PARTHĀŌNĪDES, ae, m. *Παρθαονίδης*, Parthaonis filius, aut nepos. *Val. Fl.* 3, 705. Nunc Parthaonides, nunc dux mihi Thracia proles, *h. e.* Tydeus Oenei filius, Parthaonis nepos. Alii Meleagrum Tydei fratrem intelligunt.

PARTHĀŌNĬUS, a, um, adj. ad Parthaonem pertinens. *Ov. Met.* 8, 541. Parthaoniae tandem Letoia clade Exsatiata domus. Adde *Stat. Theb.* 1, 670.

[PARTHĒNĒ, es, f. *παρθένος*, virgo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1381, 12. Numisia Parthene. *F.*]

PARTHĒNĬA, ae, f. insula eadem ac Samos. *Plin.* 5, 31, 37. et *Lactant.* 1, 17. quod ibi Juno adoleverit, ibique etiam Jovi nupserit: a *παρθένος*, virgo.

PARTHĒNĬAE, arum, m. plur. ita dicti Tarentini Lacedaemone profecti, ob notam materni pudoris, ut ait *Just.* 3, 4. Cum enim scirent, illicito se matrum concubitu procreatos, patriam sponte reliquerunt, et in Italiam duce Phalanto delati, Tarentum occupaverunt. V. *Just. l. c.* et 20, 1. Ipsa autem vox Graeca est, et virgineum significat, a *παρθένος*, virgo. Illi itaque *parthenias* se appellavere, quasi de virginibus natos (cum contra omnino se res haberet), ut infamiam natalium celarent.

PARTHĒNĬĀNUS, a, um, adj. a Parthenio, viri nomine. *Mart.* 9, 50. Partheniana toga, *h. e.* a Parthenio donata.

PARTHĒNĬAS, ae, m. *παρθενίας*, dictus est Virgilius, quia verecundissimus fuit, et tota vita probatus: a *παρθένος*, virgo. *Serv.* ad *A.* 1. *in.* et *Auson. Idyll.* 13. *f.* Alii putant ideo sic dictum, quod cum Neapoli, Graeca urbe, degeret, non *Virgilius*, sed *Virginius* per errorem diceretur.

PARTHĒNĪCE, es, f. herba, quae et Parthenium dicitur. *Catull.* 61, 193. Alba parthenice velut, Luteumve papaver.

[PARTHĒNĪCON, i, n. *παρθενικόν*, herba eadem ac pulegium, quae ita fortasse est appellata, quia veretri pruriginem sedat, ut ait *Appul. Herb.* 92.: *παρθενικὸς* enim virgineum significat. *F.*]

*PARTHĒNĪCUM, i, sc. oppidum, *Παρθενικόν*, in Sicilia fuit, ad oram maris Tyrrheni. *Ant. Itin. B. A.*

*PARTHĒNĬE, es, f. locus Ioniae. *Plin.* 6, 29. Clazomenae, Parthenie et Hippi. *B. A.*

[PARTHĒNĬENSIS, e, adj. ad Parthenium seu Parthenion pertinens, opp. Chersonesi Tauricae, cujus meminit *Plin.* 4, 12, 26. et *Mela* 2, 1. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. ant.* p. 220. Q. Laevio Q. F. Tychico caligario de vico Cypr*io* nat. Thrac., domo Parthen*iensi*. *F.*]

[PARTHĒNĬO, onis, m. et f. dimin. parthenii. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 619, 2. M. Pullienus Parthenio. Alia ap. *eund.* 1269, 13. Octavia Jucunda Octaviae Parthenioni matri suae bene merenti. *F.*]

*PARTHĒNĬON, i, n. Thraciae opp., ubi Hebrus flumen et Cicones. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

PARTHĒNIS, idis, f. herba, quae et Artemisia. *Plin.* 25, 7, 36.

PARTHĒNĬUM, ii, n. *παρθένιον*, herbae species, folio similis ocimo, nigrior tantum, in parietinis, et tegulis nascens, a *παρθένος*, virgo, idest a Minerva, quia, cum vernula carus Pericli Athenis in arce templum aedificaret, repsissetque super altitudinem fastigii, et inde cecidisset, hac verba Pericli a Minerva somnio monstrata sanatus est. Dicitur etiam perdicium, quia est perdicibus grata. *Plin.* 22, 17, 20. ℙ Parthenium alterum, herba est, quam alii leucanthen, alii tamnacum vocant, quae nascitur in hortorum sepibus, flore albo, odore mali, sapore amaro. *Plin.* 21, 30, 104. ℙ Parthenium denique herba est, al. linozostis, et Hermupoa, et Mercurialis. *Plin.* 25, 5, 18. ℙ *Parthenium vel Parthenion, promontorium in Chersoneso Taurica. *Plin.* 4, 12. *Mela* 2, 1. ℙ Item opp. Arcadiae. *Plin.* 4, 6. ℙ et Mysiae vel Troadis. *Id.* 5, 30. ℙ Parthenium vel Parthenion opp. Thraciae. *Id.* 4, 11. *B. A.*

PARTHĒNĬUS, a, um, adj. *παρθένιος*, virginalis, virgineus: a *παρθένος*, virgo. *Virg. Ecl.* 10, 56. Parthenios canibus circumdare saltus, *h. e.* montis Parthenii in Arcadia, ut *Plin.* 4, 6, 10. et *Mela* 2, 3. docent, qui sic dictus fuit, vel quod in eo virgines Arcadicae venari solebant; vel a Parthenio Jovis filio, Arcadis fratre; vel quod ibi virginitas Callistus delibata sit; vel quod Partheniae Lacedaemonii, duce Phalanto, ibi aliquando consederint, priusquam in Italiam navigarent, et Tarentum conderent. Haec *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 10, 57. Hinc Parthenia antra, *Prop.* 1, 1, 11. Partheniae valles, *Ov. Her.* 9, 49. Parthenium nemus, *eid. Met.* 9, 188., ubi significat cervam aeripedem in eo monte ab Hercule captam. Adde *Stat. Theb.* 4, 285. Ap. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 148. quae Parthenium canibus scrutatur odorem, *h. e.* Diana venatrix in Parthenio monte. Al. leg. *odoris.* ℙ Est praeterea *Parthenius* aliquot fluviorum nomen, in Arcadia, in Paphlagonia, et in Samo insula: Parthenium Paphlagoniae, in Pontum influentem, memorant *Val. Fl.* 5, 104., *Ov. Pont.* 4, 10, 49., *Plin.* 6, 2, 2. et *Mela* 1, 19. ℙ Denique *Parthenius* fuit poeta et grammaticus Graecus, Nicaeus, ut ait *Suidas*, elegiacus, diversorumque metrorum, qui a Cinna bello Mithridatico captus, deinde ob ingenium manumissus est. Vixit usque ad Tiberium Caesarem, qui, teste *Suet.* 70., ejus scriptis admodum delectabatur. Hujus locos *Virg.* quandoque mutuabatur, cujusmodi est illud *G.* 1, 437. Glauco, et Panopeae, et Inoo Melicertae. *Gell.* 13, 26. et *Macr. Sat.* 5, 17.

*PARTHENOARŪSA, ae, sic olim dicta est Samos insula. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[PARTHĒNON, ōnis, m. *παρθενών*, conclave virginum. Hoc nomine fuit Athenis in arce templum Minervae, quam Graeci *παρθένον*, virginem, vocabant. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 1. Phidias fecit et ex ebore aeque Minervam Athenis, quae est in Parthenone adstans. V. *Paus.* 1, 24. *F.*]

PARTHĒNŌPAEUS, i, m. *Παρθενοπαῖος*, filius Meleagri et Atalantes Iasii filiae, egregiae venatricis: ita dictus quasi *παρθένος παῖς*, virgo puer, quia forma fuit excellenti, et virginis, quam pueri, similiori: idem tamen manu strenuus, et bellicosus. *Hyg. fab.* 99., *Stat. Theb.* 4, 246. et sqq. *Virg. A.* 6, 479. Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis Parthenopaeus, et Adrasti pallentis imago. *Serv.* hic patrem ei tribuit Martem, vel Milanionem pro Meleagro; matrem alii Menalippen. Interfuit bello Thebano admodum puer: deinde Trojano, in quo periit. V. *Mart.* 6, 77. et 9, 57.

PARTHĒNŌPE, es, f. *Παρθενόπη*, una Sirenum, quae prae dolore, quod praetereuntem Ulyssem cum sociis in scopulos cantu pellicere non potuissent, in mare se praecipitaverunt. Harum aliae in alia loca, Parthenope eo delata est, ubi postea condita fuit Neapolis, quae proinde et ipsa Parthenope di-

cta est. *Sil.* 12, 33. Sirenum dedit una suum et memorabile nomen Parthenope muris Achelo ias. *Virg. G.* 4, 564. Parthenope dulcis. V. EUMELIS et EUMELUS.

PARTHĒNOPEĬUS, a, um, adj. a Parthenope. *Ov. Met.* 14, 101. Has ubi praeteriit, et Parthenopeia dextra Moenia deseruit.

*PARTHENOPOLIS, is, f. *Παρθενοπόλις*, dicta est urbs Moesiae inferioris, ad Pontum Euxinum. *Eutrop.* 6, 6. *Plin.* 4, 11. ℙ Fuit et hoc nomine vetus oppidum Bithyniae. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

PARTHI, orum, m. plur. *Πάρθοι*, pop. Asiae, quorum regio Parthia, qui ex Scythia expulsi Orientis imperio diu potiti sunt. Plurima hi bella cum Romanis gessere, sagittis maxime mittendis feroces, et simulata fuga proeliantes. *Virg. G.* 4, 314. Parthi leves. *Ov. A. Am.* 1, 209. Tergaque Parthorum, Romanaque pectora dicam, Telaque ab averso quae jacit hostis equo. ℙ In sing. numero. *Id. R. Am.* 155. Ecce fugax Parthus. *Hor. Od.* 1, 19, 11. Parthus animosus versis equis. ℙ *Parthi* Scythico sermone exules dicuntur. *Just.* 41, 1.

PARTHIA, ae, f. *Παρθυαία*, regio Asiae, prov. imperii Persarum. Habet ab Occ. Mediam, ab Or. Ariam, a Sept. Hyrcaniam, a Merid. Persidem. Late sumpta praeter Parthiam propriam, quae est inter Mediam, et Ariam, complectitur etiam Hyrcaniam, et Margianam. Aliquando etiam hoc nomine appellatum fuit totum Persarum imperium, nempe tempore Romanorum, quod parthi eo potirentur. Ejus caput fuit Hecatompylos. *Plin.* 6, 15, 17. et *Lucan.* 8, 350.

[PARTHICARIUS, a, um, adj. ad Parthicas pelles pertinens, ut Parthicarius negotians. *Imp. Constant. Cod.* 10, 47, 7. Negotiantes vestiarios, linteones, purpurarios, et parthicarios, qui devotioni nostrae deserviunt, visum est secundum veterem consuetudinem ab omni munere immunes esse. *Inscr.* ap. *Grut.* 350, 7. M. Alfio P. F. Gal. Maximo tribuno plebei candidato, praetori parthicario, etc. *h. e.* qui parthicarum pellium negotiatoribus jus dicit. V. v. sq.

PARTHICUS, a, um, adj. ad Parthos pertinens: ut Parthicus equitatus, *Flor.* 4, 9. Parthica damna, *Lucan.* 1, 106. Parthicum regnum, *Plin.* 37, 2, 8. ℙ [*Parthica pellis* est corium flammeo magis, quam purpureo colore tinctum, eo nempe qui nunc *scarlatto* dicitur, a Parthis primum inventus, ut constat ex his, quae habet *Lydus de magistrat. Rom.* 2, 13. *Ἐπ' ἐκείνης τῆς νήσου* (scil. in insula Co) *καὶ μόνης ἡ βαθυτέρα βαφὴ τοῦ φοινικοῦ χρώματος τοπρὸν ἐπηγείτο κατασκευαζομένη· ἡ γὰρ ἠρέμα πως ἐπὶ τὸ φλογινὸν καὶ οὐ σφόδρα βαθὺ ἀναπτομένη* (lege *ἀναβαπτομένη*) *πρὸς Παρθυαίων ἐξήνρηται, ὅθεν καὶ Παρθικὰ τὰ φλογοβαφῆ δέρματα συμβαίνει καλεῖσθαι*, *h. e.* in illa eaque sola insula ars saturatiore purpurae colore inficiendi olim comparata celebratur; nam qui flammeo fere propior, neque ita satur, a Parthis inventus est, unde etiam Parthicae pelles flammeo colore tinctae dicuntur. Augusti porro, eorumque primores aulici, ex barbarorum consuetudine, sequiori Latinitatis tempore, tum ad cingula seu qalteos, tum ad ocreas seu tibialia, quae zanchae sunt appellatae, sibi conficienda his pellibus utebantur; hinc Romanae Ecclesiae principes, qui *Cardinali* vocantur, caligas seu tibialia eo colore tincta etiamnum usurpant. *Marc. Dig.* 39, 4, 16. §. 7. Species pertinentes ad vectigal, opus byssicum, pelles Babylonicae, pelles Parthicae, etc. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 94. Parthica quae tantis variantur cingula gemmis. *Coripp. Joann.* 4, 498. Tunc suris ocreas, multo quas vinxerat auro Parthica pellis, habet. *Id. Laud. Just.* 2, 104. Purpureo surae resonant fulgente cothurno, Cruraque puniceis induxit regia vinclis, Parthica Campano dederant quae tergora fuco, Sanguineis praclata rosis, laudata rubore, Lectaque pro sacris, tactu mollissima, plantis; Queis solet edomitos victor calcare tyrannos Romanus princeps, et barbara colla domare. Augustis solis hoc cultu competit uti, Sub quorum est pedibus regum cruor. *Gallien. Aug.* in *ep.* ap. *Trebell. Claud.* 17. Misi ad eum zanchas de nostris Parthicis, paria tria. V. v. praec. *F.*]

PARTHIENE, es, f. Parthia ap. *Curt.* 6, 2. et 3. et al.

[PARTHINUS, a, um, adj. ad Parthum pertinens, Illyrici urbem, haud longe a Dyrrachio, cujus meminit *Steph. Byz. Suet. Aug.* 19. Asinius Epicadus ex gente Parthina, hybrida, *h. e.* libertus C. Asinii Pollionis, qui Parthinos devicerat, unde oriundus Epicadus ex matre Itala natus fuerat. Ex eadem gente etiam cognomen evasit. *Inscr.* ap. *Mur.* 1186, 8. C. Maeclonius Parthinus. ℙ *Parthini* vel *Partheni, orum*, *παρθηνοὶ, παρθινοὶ, παρθηνοὶ*, sunt incolae illius urbis, quorum meminere *Cic. Pis.* 40., *Plin.* 3, 23, 26., *Mela* 2, 3., *Liv.* 33, 34. et *Caes. B. C.* 3, 11, 41. et 42. *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 297. ad ann. ab U. C. DCCXIV. C. Asinius Cn. F. Pollio de Parthineis VIII. K. Nov. triumphavit. Adde aliam ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 607. *F.*]

PARTHUS, a, um, adj. ad Parthiam et Parthos pertinens. *Ov. Trist.* 2, 228. Parthus eques. *Id. Fast.* 5, 580. Partha signa retenta manu. *Id. A. Am.* 3, 247. Parthae nurus. *Id. R. Am.* 157. sagittae. *Virg. Ecl.* 10, 59. Parthum cornu.

*PARTHUSI, orum, populi Asiae ulterioris, Indiam versus. *Plin.* 6, 27. Mardi, Parthusi et Saitae. *B. A.*

PARTIARIO. V. v. sq.

PARTIARIUS, a, um, adj. qui partem alicujus rei cum alio participat, ut Partiarius redemptor, *Cato R. R.* 137., ubi alii aliter leg. Partiarius colonus, *Cajus Dig.* 19, 2, 25. *med.* h. e. qui agrum colendum societate fructuum suscepit: cui opponitur is, qui ad pecuniam numeratam conduxit. Partiarius legatarius ap. *eund. Institut.* (ed. *Goesch.*) 2. §. 254. Qui ex fideicommisso reliquam partem hereditatis recipit, legatarii partiarii loco est, id est, ejus legatarii, cui pars bonorum legatur: quae species legati partitio vocatur, quia cum herede legatarius partitur hereditatem. *Inscr.* ap. *Grut.* 1004, 4. Ovinius Porcilianus partiarius agelluli. [*In his quaedam adjecit *F.*] ℙ Translate. *Tert. adv. Marc.* 3, 16. Disce cum partiariis erroris tui Judaeis. *Id. Resurr. carn.* 2. Sadducaei partiarii sententiae illorum. ℙ *Partiaria res*, quae a pluribus participatur. *Appul. Met.* 4. *f.* En totius orbis alma Venus, quae cum mortali puella partiario majestatis honore tractor! *Imp. Anton. Cod.* 2, 3, 8. Pecora partiaria pascenda suscipere, *h. e.* ut fetus earum partitionibus, quibus placuit, inter dominum et pastorem dividantur. ℙ *Partiario* absolute, subaudi *jure*, partem laboris, et impensae, item lucri, aut fructuum communicando. *Cato R. R.* 16. Calcem partiario coquendam qui dant, ita dant. Perficit, et coquit, et ex fornace calcem eximit calcarius, et ligna conficit ad fornacem: dominus lapidem, ligna ad fornacem, quod opus siet, praebet. *Appul. Met.* 9. [Cum uxore mea partiario tractabo, nec herciscundae familiae, sed communi dividundo formula dimicabo, *h. e.* venustum adolescentulum, quicum illa dudum concubuit, ipse paedicabo, ne plus in illo auctoritatis uxor, quam maritus habere videatur. *F.*]

PARTIATIM, adv. per partes, per vices. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 11. Partiatim erit adhibenda cucurbita, ut exempli causa nunc praecordiis, nunc capiti, nunc clunibus, etc.

PARTIBILIS, e, adj. qui dividi potest. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 18. *med.* et *f.* Animam partibilem putant. Al. leg. *partilem.*

PARTICEPS, cipis, adj. omn. gen. *μέτοχος*, qui partem alicujus rei capit, socius, consors. *Cic. Univ.* 8. Animus rationis compos et particeps. *Id. Font.* 17. Fortunarum omnium socius et particeps. *Id. Att.* 9, 10. Hujus belli ego particeps, et socius, et adjutor esse cogor. *Caes. B. C.* 3, 82. Ut parta victoria, praedae ac praemiorum velint esse participes; et 60. *extr.* Ad Pompejum transierunt cum iis, quos sui consilii participes habebant. *Nep. Eum.* 1. *extr.* Utrique consilio semper affuit, et omnium rerum habitus est particeps. *Cic. Fin.* 5, 23. *med.* Virtutes ita copulatae connexaeque sunt, ut omnes omnium participes sint; et *Arch.* 10. Participes ejusdem laudis. *Id. Fam.* 10, 12. Feci continuo omnes participes meae voluptatis. *Id. Inv.* 2, 30. Particeps factus es in turpissimo foedere summae religionis. [*Adde *Suet. Cat.* 36. in quadam conjuratione quasi participes nominati.] *Pl. Truc.* 4, 2, 34. Non licet de obsonio saltem me participem fieri. *Suet. Vesp.* 8. Victoriae participibus nihil extra ordinem indulsit. *Ov. Pont.* 3, 1, 164. Augustum numen adora, Progeniemque piam, participemque tori; et *Ter. Heaut.* 1, 1, 98. Nec fas esse ulla me voluptate hic frui, nisi ubi ille huc salvus redierit meus particeps, *h. e.* filius meus, qui heres meus est, et partem etiam nunc capere debet de meis bonis. *Lucr.* 3, 463. Quare participem *(animum)* leti quoque convenit esse, i. e. leto subjectum. *Cic. Div.* 1, 18. Divinationum duo genera: unum quod particeps est artis; alterum quod arte caret. ℙ Cum dativo rei, aut personae. [*V. *Ruddim.* 2, 110, 14.] *Ov. Pont.* 2, 5, 41. Te juvenum princeps, cui dat Germania nomen, Participem studiis Caesar habere solet. Al. leg. *studii. Sen. Herc. Fur.* 269. Particeps regno veni: sociemus animos. Al. leg. *regni. Curt.* 6, 7. Insidias regi comparatas, seque ejus consilii fortibus viris esse participem. [*Adde *ib.* 6, 6, 36. Barzaentes, sceleris in regem suum particeps Besso.] *Quint. decl.* 3, 3. Praedura priscis moribus mater, et in plerisque ruris operibus marito particeps. *Tac. A.* 15, 50. Natalis particeps ad omne secretum Pisoni erat. ℙ [*Confund. *particeps* et *princeps.* V. *Brem.* ad *Suet. Dom.* 2.]

PARTICIPALIS, e, adj. particeps. *Varr. L. L.* 9, 1. *extr.* Verba, quae declinantur cum temporibus et casibus, ac vocantur a multis ideo participalia, *(participialia* dicit *Quint.* 1, 4. *extr.) Aurel. Arc. Dig.* 1, 11, 1. Cum dictatores magistros equitum sibi eligerent, qui adsociati participales curae, etc. Ita ap. *Torrent.*, sed addita nota mendi latentis. *Haloander* autem habet *associati principali curae.*

PARTICIPATIO, onis, f. communicatio, *κοινωνία*, *Spart. Jul.* 6. *extr.* Petiit, ut fieret senatusconsultum de participatione imperii. *August. de quaest.* 83. *n.* 24. Summe est illud bonum, cujus participatione sunt bona cetera. Adde *Appul. de Deo Socrat.*

*PARTICIPATRIX, icis. f. quae particeps fit. *Vet. Interpr. Iren.* 5. *B. A.*

PARTICIPATUS, a, um, part. a *participo:* communicatus. *Just.* 34, 2. *f.* Participato cum fratre regno. *Trebell. Gall.* 12. Odenathum, participato imperio, Augustum vocavit. *Paul. Nol. carm.* 6, 318. Nominis Angelici tu participatus honore. ℙ [*Participatum*, *i*, n. absolute idem est ac participium. *Capell.* 3, 50. Grammatice jubebat praepositionibus, aut conjunctionibus, aut participatis insistere, totaque curandos arte fatigari. *F.*]

PARTICIPATUS, us, m. participatio. *Spart. Sever.* 8. *f.* Cum Severum ad participatum vocaret, contemptus est. *Id. Pesc.* 5. Ad participatum imperii Severum vocans. *Capitol. Macr.* 5. Filio Diadumeno in participatum adscito. [*Capell.* 1, 9. Tunc germano in participatum operis suscepto. *F.*]

PARTICIPIALIS, e, adj. ad participium pertinens, ut Participialia verba, h. e. participia. *Quint.* 1, 4. *extr.* et *Prisc.* 1, 574. ℙ Idem *Prisc.* 8, 808. et 822. *participialia* vocat gerundia et supina. ℙ *Participialia nomina*, quae fiunt ex participiis, ut *amans, negligens. Charis. l.* 5. *in.*

PARTICIPIALITER, adv. per participium. *Festus* in *Ostentum.* Ostentum non solum pro portento poni solere, sed etiam participialiter. *Id.* in *Torrens.* Torrens participialiter pro exurens.

PARTICIPIUM, ii, n. *μετοχή*, pars orationis declinabilis, quae casus habet, et tempora: unde et nominis, et verbi vim participat. *Varr. L. L.* 7, 32 et *ib.* 8, 63., *Quint.* 1, 4. *med.*, *Gell.* 9, 6., *Charis.*, *Diomed.* etc. ℙ Quae in *ns* recto casu exeunt, in sexto rectius *e* habere, quam *i*, dictum est in IMPOTENS. ℙ Pro participatione, seu communione. *Imp. Justin. Cod.* 1, 4, 34. §. 3. Omni ad illa participio in posterum abstinere.

PARTICIPO, as, avi; atum, a. 1 *μετέχω*, *μεταλαμβάνω*, partem capio, particeps fio. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 2, 17. Qui alteri exitium parat, eum scire oportet sibi paratam pestem, ut participet parem. *Id. Leg.* 1, 12. Sequitur igitur, ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes, justos natura nos esse factos. *Pompon. Dig.* 17, 2, 55. Aequum enim est, ut cujus participaverit lucrum, participet et damnum. *Gell.* 15, 2. *f.* Si eum forte ad participandas ejusmodi voluptates aut voluntas tulerit, aut casus induxerit. *Mamert. Grat. act. Juliano in.* (et *Pacat. in. Pan.* ad *Theod.*) Scio, te, imperator, et cunctos, qui consilium tuum participant, posse mirari, etc. ℙ Item participem facio, partem tribuo, communico: *κοινωνέω. Liv.* 3, 12. Lucretius suas laudes participare cum Caesone. *Spart. Hadr.* 26. Venationem semper cum amicis participavit. *Pl. Mil.* 2, 2, 109. Ille non potuit, quin sermoni suo aliquem familiarium participaverit de amica heri. Al. leg. *sermone.* [*Ita *Lindem.*, qui negat latine dici: *participare aliquem alicui.*] *Appul. Met.* 1. et 9. Participare aliquem prandio. *Pl. Cist.* 1, 3, 17. Paternum servum sui participat consilii. [*V. *Ruddim.* 2, 120.] *Pl. Stich.* 1, 1, 32. Ubi sint, quid agant, neque participant nos, neque redeunt, *h. e.* certiores faciunt. ℙ Passive *Lucr.* 3, 692. Namque ita connexa est per venas, viscera, nervos, Ossaque, uti dentes quoque sensu participentur.

PARTICULA, ae, f. *μοῖρα*, exigua pars. *Cic. Or.* 1, 39. Cuicumque particulae coeli officeretur; et *ib.* 2, 39. Qui omnes tenuissimas particulas, atque omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inserant. *Id. Pis.* 35. Cognoscis ex particula parva scelerum et crudelitatis tuae genus universum. *Hor. Od.* 1, 28, 23. At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae Ossibus et capiti inhumato Particulam dare. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. Particulam litterarum tuarum, quas misisti Octavio, legi. *Id. Off.* 2, 11. *med.* Ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur, possunt sine ulla particula justitiae vivere. ℙ In oratione particulae sunt minores voculae indeclinabiles, quae vel per se, vel cum aliis verbis compositae peculiarem, variumque usum habent. *Gell.* 2, 17. et 19., 7, 7., 11, 3., 16, 5. et 17, 13.

PARTICULARIS, e, adj. partem significans. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Propositiones aliae universales, aliae particulares. *Imp. Gord. Cod.* 9, 6, 6. Utrum valeat, necne particularis publicatio.

PARTICULARITER, adv. particulari ratione, per partes, particulatim. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Universalis dedicativa non est convertibilis, sed particulariter tamen potest converti, ut cum sit *omnis homo animal*, non potest ita converti, ut sit *omne animal homo;* sed particulariter potest, *quidam animal homo. Firm. Math.* 1, 5. *f.* Quia generaliter diximus, quid coeli cardines significent, nunc magis particulariter, quid, etc. *August. Retract.* 1, 5. *extr.* Sive universaliter, sive particulariter.

PARTICULATIM, adv. *μερικῶς*, per particulas, particulariter, membratim, singillatim. *Auct. ad Her.* 1, 9. Si summatim, non particulatim, narra-

bimus. *Sen. ep.* 21. *med.* Hominem particulatim excarnificare. *Colum.* 7, 5. Grex particulatim facilius, quam universus convalescit, *h. e.* divisus in exigui numeri partes; et 6. Melius est unum gregem totum, quam ex pluribus particulatim mercari. *Varr.* ap. *Serv.* ad *G.* 2, 267. Terra culturae causa attributa olim particulatim hominibus, ut Etruria Tuscis, Samnium Sabellis. *Paul. Dig.* 8, 3, 23. Quamvis fundus particulatim veniret, omnes partes servitus sequitur. *Scaevola ib.* 46, 3, 90. Pecuniam Sempronio mutuam dedit, et eandem particulatim recepit. *Appul. de Mundo:* Elementa particulatim quidem rebus ortus atque obitus afferunt, universitatem vero a fine atque exitio vindicant.

PARTĬCŬLĀTĬO, onis, f. divisio in particulas. *Capell.* 9, 322.

PARTĬCŬLO, onis, m. *συμμέτοχος*, partiarius. *Non.* 1, 71. Particulones dicti sunt coheredes, quod partes patrimonii sumant. *Pompon. ib.* Age modo, Stagari, particulones producam tibi. ℙ Ap. *Phaedr. prol. l.* 4. et alibi, est nomen viri proprium.

PARTĬLIS, e, adj. *μεριστὸς*, divisibilis, partibilis. *Ammian.* 14, 11. *med.* Nemesis est substantialis tutela generali potentia partilibus praesidens fatis, *h. e.* fatis singulorum hominum. *August. Trin.* 12, 9. Corporeum omne quod partile.

PARTĬLĬTER, adv. per partes, divisim. *Arnob.* 1, 8. Cum ea, quae fiunt, non partiliter fiant, sed ad census summam redeant, referanturque totius, *h. e.* non in gratiam unius partis; et 6, 192. Deus non partiliter uspiam, sed ubique est totus. Adde *August. ep.* 120, 3. et *Firm. Math.* 5, 1.

PARTIM, adv. *κατὰ μέρος*, et cum repetitur, *τῇ μὲν, τῇ δὲ*, et *πῶς μὲν, πῶς δὲ*, qua, ex parte quadam. Est accusativus antiquus v. *pars:* ut enim *restim, puppim*, etc. ita *partim* pro *partem* dixere, et *parti* pro *parte*. Adhibetur autem more adverbii, et regit nonnunquam gen. *Cato* ap. *Gell.* 10, 13. Cum partim illorum saepe ad eundem modum erat, *h. e.* cum parte, seu quibusdam illorum; et *Q. Claud. ib.* Utrum negligentia partim magistratuum, an avaritia, an calamitate populi R. evenisse dicam, nescio, *h. e.* aliquorum magistratuum. Rursus *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. Atque haud scio, an partim eorum fuerint, qui non nostrae contumeliae causa id noluerint evenire, *h. e.* an aliqui eorum. [*Liv.* 26, 46. Partim copiarum ad tumulum expugnandum mittit, partim ipse ad arcem ducit; et 23, 11. Partim Samnitium — defecisse ad Poenos. V. *Gronov. observv.* 3, 2. p. 220. *ed. Fr.* Adde *Ramsh. Gr. L.* §. 115, 1. p. 337. ℙ His poterant adjungi, quae *Noster* §. 3. collocaverat, in quibus *partim — partim*, ut nostr. *theils — theils*, vel cum genitivo, vel cum praepos. aliqua construitur.] *Cic. Pis.* 21. Cum partim ejus praedae profundae libidines devorassent, partim nova quaedam et inaudita luxuries, partim etiam emptiones, partim permutationes. Al. aliter leg. *Id. Off.* 2, 21. Eorum ipsorum partim ejusmodi sunt, ut ad universos cives pertineant, partim singulos ut attingant: [*ubi cf. *Beier.*] *Id. Prov. cons.* 10. Cum partim mihi illorum familiares, partim etiam, me defendente, capitis judiciis essent liberati. *Ter. Hec. prol.* 2, 7. Partim sum earum *(fabularum)* exactus, partim vix steti. [*V. *Ruhnk.*] *Cic. Vat.* 7. Reliqui sex fuerunt: ex quibus partim tecum sentiebant, partim medium quendam cursum tenebant. *Id. Phil.* 8, 11. Cum partim e nobis ita timidi sint, ut, etc. partim ita a republ. aversi, ut, etc. ℙ [*Longe tamen usitatiore loquendi genere dicitur sine adjunctione, membris partitionis indicandis repetitum. *Cic. Q. Fr.* 1, 3. amici partim deseruerunt, me partim etiam prodiderunt. *Suet. Aug.* 21. partim ductu, partim auspiciis suis. — Ita saepissime idem valet, quod *alii, alii. Id. Tib.* 5. nec tamen desunt, qui partim antecedente anno — partim insequente genitum eum scribant; et *ib.* 61. citati — partim se domi vulneraverunt, — partim in media Curia venenum hauserunt; et *Aug.* 34. Germ. liberos, receptos partim ad se, partim in patris gremium. ℙ Illud quoque notandum, quod saepissime omittitur *partim* in primo orationis membro, sequente *partim* in altero.] *Cic. Div.* 2, 9. Caesar a nobilissimis civibus, partim etiam a se omnibus rebus ornatis, trucidatus; et *Verr.* 2, 2, 65. Ut ejus in provincia statuae, in locis publicis positae, partim etiam in aedibus sacris, per vim dejicerentur. [*V. *Ramsh. Gr. L.* §. 205. 7. p. 989.] ℙ Nonnunquam pro *partim* alia vox synonyma repetitur. *Cic. N. D.* 1, 37. Bestiarum terrenae sunt aliae, partim aquatiles, aliae quasi ancipites. *Id. Div.* 1, 42. Multa inusitata partim e coelo, alia ex terra oriebantur, quaedam etiam ex hominum pecudumque conceptu. *Sall. Jug.* 24. Castra hostium invadunt, semisomnos partim, alios arma sumentes fugant, funduntque. *Gell.* 2, 22. Legi solitum erat aut vetus carmen, aut historia partim Graecae linguae, alias Latinae. ℙ Videtur interdum habere vim similem, ac praesertim, in primis. *Cato R. R.* 5. Bubulcis obsequitor, partim quo libentius boves curent; et 6. Circum vias ulmos serito, et partim populos, uti frondem ovibus, et bubus habeas. Sunt qui putant *partim* his locis scriptum fuisse compendii causa pro *praesertim.* ℙ Fortasse etiam pro *magnam partem* ponitur in illo *Pl. Pers.* 3, 3, 28. Mirum, quin tibi ego crederem, ut ipse idem mihi faceres, quod partim faciunt argentarii: ubi quid credideris, citius extemplo a foro fugiunt, quam ex porta ludis cum emissus est lepus; et *Ps.* 5, 1, 29. Palliolatim amictus sic hac incessi ludibundus: plaudunt partim, clamitant me, ut revertar. ℙ [*Confund. *partim* et *partem.* V. *Gron.* l. l.]

PARTĬO, onis, f. *τόκος*, actus pariendi, partus. *Varr. R. R.* 3, 9. de gallinis: Hae ad partiones sunt aptiores. *Pl. Truc.* 1, 2, 92. Horresco misera, mentio quoties fit partionis. Adde *Afran.* ap. *Non.* 3, 159. et *Gell.* 3, 16. et 12, 1. *med.*

PARTĬO, is, ivi, itum, a. 4. idem quod partior. *Pl. As.* 2, 2, 5. Hanc, quam nactus praedam, pariter cum illis partiam. *Id. Mil.* 3, 1, 112. Mea bona inter eos partiam. *Lucr.* 5, 682. de sole: Imparibus currens anfractibus aetheris oras Partit, et in partes non aequas dividit orbem. *Sall. Jug.* 47. Consules provincias inter se partiverant. Al. rectius leg. *paraverant.* Adde *Lucil.* et *Afran.* et *Accium* ap. *Non.* 7, 33 et 64. ℙ Translate. *Pl. Amph.* 4, 3, 1. Vos inter vos partite: ego abeo, *h. e.* hanc controversiam decidite, rixam componite. *Enn.* ap. *Non. l. c.* Eandem me in suspicionem sceleris partivit pater. *Lucil. ib.* tu gaudia mecum partisses. *Phaedr.* 3, 8. Dulcemque in ambos charitatem partiens.

PARTĬOR, iris, itus sum, dep. 4. *μερίζω*, partes facio, divido, distribuo, communico. *Cic. Fin.* 1, 7. Epicurus tollit definitiones: nihil de dividendo ac partiendo docet. *Id. Or.* 33. Genus universum in species certas partietur ac dividet. *Id. Rosc. Com.* 17. *f.* Si, quod universae societatis fuisset, petisset: quod tum redactum esset, aequaliter omnes partirentur. *Virg. A.* 1, 198. praedam socios partitur in omnes. *Id. G.* 1, 126. signare, aut partiri limite campum. *Cic. Univ.* 7. Idipsum in ea, quae decuit, membra partitus est. *Id. Verr.* 2, 4, 17. Pupillis bona erepta cum illo partitus es. *Id. Brut.* 38. Actio partienda est in gestum, atque vocem. *Id. Phil.* 14, 6. Cum consilium inirent de caede nostra, partirenturque inter se, qui Capitolium, qui Rostra, qui Urbis portas occuparent. *Tac. H.* 2, 77. Discrimen ac pericula ex aequo partiemur. *Just.* 1, 3. Pensa inter virgines partientem. *Caes. B. C.* 1, 4. Quos se pro necessitudine partiturum cum Pompejo arbitratur. *Virg. A.* 11, 822. Partiri curas cum aliquo. *Val. Fl.* 6, 424. illum acies curvae secat undique falcis, Partiturque rotis. ℙ Passive *Cic. Or.* 56. Pes qui adhibetur ad numeros, partitur in tria.

PARTĪTĒ, adv. *μεμερισμένως*, distribute. *Cic. Or.* 28. Qui nihil potest tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, facete dicere, furere apud sanos videtur.

PARTĪTIM, adv. partite, per partes. *Claud. Laud. Stil.* 1, 30. Sed privata minus, partitim singula quemque Nobilitant, hunc forma decens, hunc robur in armis. Al. leg. *partitum.*

PARTĪTĬO, onis, f. *μερισμὸς*, divisio, distributio. *Cic. Or.* 3, 30. Si qua in re discrepavit ab Antonii divisione nostra partitio. *Id. Brut.* 88. Partitiones, quibus de rebus dicturus esset. *Id. Off.* 2, 11. *f.* Aequabilis praedae partitio. *Id. Or.* 1, 6. Facere partitionem artium. *Id. Fin.* 1, 13. *f.* Partitione uti. ℙ Est etiam vox JCtorum. V. *Caji l. c.* in PARTIARIUS. ℙ De partitione oratoria V. *Cic. Inv.* 1, 22. et deinceps, et toto libello *de partitionib.* Quas memorat *Quint.* 1, 2. partitiones, et declamationes rhetorum, sunt distributiones thematis, quae solent fieri a praeceptoribus, cum illud discipulis proponunt, et in suos locos partiuntur. *Turneb.* ℙ Apud Logicos alia est *divisio*, alia *partitio:* illa est formarum, seu specierum: haec partium, seu membrorum. *Cic. Top.* 5, 6, 7 et 8. et *Quint.* 5, 10. *med.* et 7, 1. *in.*

PARTĪTO, adv. idem ac partite. *Ulp. regular. tit.* 24. *med.* Maevius heres meus cum Titio hereditatem meam partito dividito. Al. ita distinguunt: *partito, dividito.*

PARTĪTOR, oris, m. *μεριστὴς*, divisor. *Cic. Vat.* 5. Cum te non custodem ad continendas, sed partitorem ad partiendas merces missum putares. Alii rectius leg. *portitorem. Gloss. Philox.* Partitor, *μεριστής.*

PARTĪTŪDO, inis, f. *τέξις*, pariendi actio, partus. *Pl. Aul.* 1, 1, 36. Propinqua partitudo cui appetit. *Solin.* 1. *med.* Si corpusculum in marem figuretur, pronior est partitudo uteri. Utroque loco al. leg. *paritudo*, ab altero supino *paritum* verbi *pario. Imppp. Grat., Valens et Theodos. Cod. Theod.* 9, 42, 10. Petantur futurae partitudinis testimonia.

PARTĪTUS, a, um, part. a *partior: μεμερισμένος*, divisus, distributus in partes. *Cic. Or.* 3, 30. Eadem sunt membra in utrisque distributionibus, sed paulo secus a me, atque ab illo, partita ac distributa. *Liv.* 27, 7. Italia ambobus provincia decreta: regionibus tamen partitum imperium. *Varr. R. R.* 1, 37. Divisio in sex partita. *Lucr.* 3, 711. anima partita per artus. *Ov. A. Am.* 3, 593. rivalem, partitaque foedera lecti Sentiat. *Id. Fast.* 4, 679. Tertia post Hyadas cum lux erit orta remotas, Carcere partitos Circus habebit equos, *h. e.* divisos, et emissos carcere. *Pammach.* ap. *Fulg. de prisc. serm.* in *Diobolares:* Diobolare prostibulum, quam ego actutum, ut Dircen, partitam reddam, *h. e.* quam ego in partes dividam, quemadmodum Dirce ab Antiopae filiis discerpta fuit: vel translate, quam ego ita vehementer futuam, ut ea paene discerpta ac dilaniata omnibus deinde pateat. ℙ *Partitus* active. V. PARTIOR.

PARTOR, oris, m. qui acquisivit. *Pl. Truc.* 1, 1, 42. Unde ante-parta demus post-partoribus, *h. e.* successoribus et heredibus nostris, qui bona nostra possidebunt post nos.

PARTŪĀLIS, e, adj. ad partum pertinens, ut Partualis sanguinis fluxus, *Tert. adv. Marc.* 4, 20. *f.*

PARTŪLA, ae, f. nomen Deae, quae partus gubernat. *Tert. Anim.* 37.

PARTŪMEJUS, a, um, adj. Partumejus venter dicitur, qui facile concipere, et parere potest, a *pario.* Quidam conflatum putant a *partu*, et *mejo*, h. e. ea facilitate pariens, ac si mejeret. Sed *mejus* est additamentnm, seu terminatio vocis nihil per se significans. *Hor. Epod.* 17, 50. Tuusque venter partumejus, et tuo Cruore rubros obstetrix pannos lavit. Alii leg. *Pactumejus*, q. v. V.

PARTŪRA, ae, f. partus. *Varr. R. R.* 2, 1. *f.* Deme duas res de mulis, admissuram et parturam. Alii leg. *parituram.*

PARTŪRĬO, ūris, ivi et ii, a. 4. desiderativum a *pario*, parere cupio, pariendo laboro, enitor. *Ter. Hec.* 3, 3. *f.* Vereor, si clamorem ejus hic crebro audiat, ne parturire intelligat. Aliquo mihi est ablegandus, dum parit Philumena. *Phaedr.* 1, 19. Canis parturiens cum rogasset alteram, Ut fetum in ejus tugurio deponeret. *Ov. Fast.* 3, 256. tu *(Lucina)* voto parturientis ades. *Hor. A. P.* 139. Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus: proverb. de iis, qui magna pollicentur, et minima praestant. Commodissime *Phaedr.* 3, 22. Mons parturibat gemitus immanes ciens: Eratque in terris maxima exspectatio. At ille murem peperit. Hoc scriptum est tibi, Qui magna cum minaris, extricas nihil: *parturibat* pro *parturiebat* non infrequens positio in verbis quartae conjugat. ℙ Translate. *Cic. Amic.* 13. Caput esse ad bene vivendum securitatem, qua frui non possit animus, si tanquam parturiat unus pro pluribus, *h. e.* sollicitus sit, et molestias pro aliis suscipiat. *Id. Phil.* 2. *f.* Ut aliquando dolor populi R. pariat, quod jamdiu parturit. (Adde *Liv.* 22, 17. *f.*) *Id. Mur.* 39. Hoc quod conceptum respubl. periculum parturit, consilio discutiam, et comprimam. *Ov. Her.* 12, 208. ingentes parturit ira minas. *Virg. Ecl.* 3, 56. et *G.* 2, 330. de vere: Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos. ℙ Aliquando est parere, edere. *Hor. Od.* 4, 5, 26. Quis *(paveat)*, Germania quos horrida parturit Fetus? *Id. ib.* 1, 7, 15. Albus ut obscuro deterget nubila coelo Saepe Notus, neque parturit imbres. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 204. Felicemque uterum, qui nomina parturit annis, *h. e.* consules fastis. *Id. Cons. Mall. Theod.* 81. Parturit innumeros angusto pectore mundos, *h. e.* imaginatur.

PARTŪRĪTĬO, onis, f. actus parturiendi. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 22. Quia apud Judaeos gloria erat in partubus et parturitionibus; et maledicta sterilis, quae non habebat semen in Israel. ℙ Translate. *August. ep.* 34. (al. 31.) *med.* Explicare conceptionem, et parturitionem cordis sui; et *Confess.* 8, 6. *med.* Turbidus parturitione novae vitae. [Emendavit hunc locum *F.*]

PARTUS, a, um, part. a *pario: τετεγμένος*, pariendo editus. *Virg. A.* 6, 89. alius Latio jam partus Achilles, Natus et ipse Dea. ℙ Deponentis more *parta* est quae peperit. *Colum.* 7, 4. Parta nutrici consociata minus laborat in educatione fetus sui. ℙ Translate *partus* acquisitus, comparatus, collectus. *Cic. Phil.* 2, 27. Sed, ut est ap. poetam nescio quem *(Naev.* teste *Festo*, in *Partus)* male parta male dilabuntur. V. DILABOR. *Ter. Ph.* 5, 3, 5. Patris mei bene parta indiligenter tutatur. *Cic. Quint.* 23. Aliquem honeste partis bonis privare. *Id. Fin.* 1, 16. Praeda improbe parta. *Id. Agr.* 2, 6. *f.* Plurimo sudore et sanguine majorum vestrum parta, vobisque tradita libertas. *Id. Sull.* 28. Quod ad tempus existimationis partae fructus reservabitur? *Caes. B. G.* 6, 39. Ante partam rei militaris laudem amittere. *Ov. A. Am.* 1, 260. Partaque per gladios regna nocente manu.

PARTUS, us, m. *τόκος*, actus pariendi. *Cic. Cluent.* 11. Cum esset gravida Auria, et jam appropinquare partus videtur. *Id. N. D.* 2, 27. *f.* Diana adhibetur ad partus, quod ii maturescunt aut septem nonnunquam, aut plerumque novem lunae cursibus; et 46. *f.* Luna a sole illuminata graviditates, et partus affert, maturitatesque gignendi. ℙ Ut *pario*, ita *partus* viris quandoque tribuitur. V. PARIO, is. ℙ Metonymice est ipse fetus, proles. *Cic. Tusc.* 5, 27. *f.* Bestiae pro suo

partu ita propugnant, ut vulnera excipiant. *Colum.* 3, 8. Aegyptiis, et Afris gemini partus familiares, ac paene solemnes sunt. *Plin.* 8, 32, 50. et *ib.* 42, 66. Partum ferre, *h. e.* gravidam esse; et *ib.* 47, 72. gerere. *Id.* 7, 3, 3. eniti. *Id. ib.* edere. *Id.* 10, 12, 15. reddere. *Id.* 14, 18, 32. abigere. *Id.* 9, 25, 41. continere. *Id.* 20, 14, 52. necare. *Id.* 25, 3, 7. elidere. *Id.* 32, 1, 1. solvere. *Id.* 24, 6, 20. ejicere. *Id.* 22, 21, 26. pellere. *Id.* 20, 8, 30. trahere. *Id.* 29, 2, 9. evocare. *Id.* 24, 16, 97. ciere. *Flor.* 3, 4. Partus gravidarum extorquere tormentis. ℙ Transfertur ad plantas. *Varr. R. R.* 1, 8. *f.* Altius vitis tollenda, quod in partu et alimonio vinum non, ut in calice, quaerit aquam, sed solem. Adde *Colum.* 3, 10. *med.* et *Plin.* 17, 2, 2. ℙ Ad animum. *Petr. Sat.* 118. Neque concipere, aut edere partum mens potest, nisi etc. ℙ Olim *partus*, *i*, declinaverunt. *Pacuv.* ap. *Non.* 8, 19. Ubi me gravidam sentio aggravescere propinquitate parti. ℙ Et *partuis. Varr. ib.* Candidum lacte papilla cum fluit, signum putant partuis. V. FRUCTUS. ℙ *Partu* in dativo pro *partui. Prop.* 1, 13, 29. cum sit proxima Ledae, et Ledae partu. V. ASPECTUS, us.

PARVĒ, adv. *μικρῶς. Vitr.* 9, 6. Parve per eos flectitur delphinus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 38. Parvissime aliquid memorare.

PARVĪBĪBŬLUS, a, um, adj. qui parum bibit, *βραχυπότης. Coel. Aurel. Acut.* 3, 15. Phrenetici parvibibuli.

PARVĪCOLLIS, e, adj. parvum collum habens. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 12. Facile curabiles succulentos homines dixit, atque fortes, et parvicolles, quos *μικροτραχήλους* appellavit, hoc est, qui minimae longitudinis habent colla.

PARVĪFĂCIO, is, a. 3. parvi aestimo. *Pomp.* ap. *Non.* 1, 64. Ego rumorem parvifacio, dum sit, rumen qui impleam. V. MULTIFACIO. ℙ Passive. *Titin.* ap. *Prisc.* 8, 789. Consilium bonum gratia parvifaciatur. ℙ Scribitur et divisim *parvi facio.*

PARVĪPENDO, is, a. 3. parvifacio. Legitur conjuncte in multis libris ap. *Pl. Bacch.* 3, 6, 29. et *Rud.* 3, 2, 36. et ap. *Ter. Hec.* 3, 5, 63. etc., in aliis divisim.

PARVĪTAS, atis, f. *μικρότης*, exiguitas. *Cic. Univ. f.* Vincula talia, quae cerni non possent propter parvitatem. *Plin.* 2, 11, 8. Terrae parvitatem declarat sol deficiens. *Gell.* 1, 3. *f.* Parvitates et magnitudines rerum. ℙ Translate. *Id.* 7, 17. Illudens levitatem quaestionis parvitatemque. *Val. Max. praef.* Mea parvitas ad favorem tuum decurrit, *h. e.* mea tenuitas ingenii, et imbecillitas: vel humilitas conditionis meae.

PĂRUM, adv. *μικρὸν*, paulum, [*exiguum,] modicum: a *parvum*, extrita altera *u.* [*Proprie est neutrum adj. inus. *parus* pro *parvus* ex Gr. *παῦρος. Prisc.* 15. p. 620. *Kr. Nimium* quoque pro *nimis* frequenter invenimus et *parum* pro *parvum.* Cf. *Ruddim.* 1. p. 124. *n.* 67. — *Zumpt. Gr. Lat.* §. 432. p. 362. sq. Quamquam illud notandum, quod *parum*, ab aureae aetatis scriptoribus rarissime quidem ita adhibetur, ut notionem oppositam voci *multum* contineat. *Sall. Jug.* 89. Non sunt composita verba mea: parum id facio, i. e. non multum id ago, non multum operae in talibus consumo: quem locum Noster in fine collocaverat, ita expositum, ut *parum facere* pro *parvi facere* accepisset; quod parum nobis visum est. — Alius locus est ap. *Cic. Tusc.* 5, 14, 41. sine metu is habendus est, non qui parum metuit, sed qui omnino metu vacat. Sed argius argentea aetas exempla suppeditat: *Quint. Inst.* 3, 1, 5. Ne parum hic liber mellis et absinthii multum habere videatur; et *ib.* 9, 4, 40. *M.* litera — etiamsi scribitur, tamen parum exprimitur. *Sen. ep.* 116. *f.* Dolebimus, sed parum; concupiscemus, sed temperate. *Plin. Pan.* 20, 3. nihil aut certe parum intererat. *Tac. H.* 3, 8. Possessa ipso transitu Vicetia: quod per se parum, etenim modicae municipio vires; et ep. 39. Principatus non appetens parum effugerat ne dignus videretur. ℙ At longe frequentissimum est illud, quod opponuntur *nimium, satis — parum.* Hic primo loco poni debebant ea exempla, quae *parum* lege substantivv. cum gen. constr. exhibent: cujus generis Noster infra laudaverat ista:] *Sall. Cat.* 5. Satis eloquentiae, sapientiae parum. *Hor. Ep.* 2, 2, 111. quaecumque parum splendoris habebunt. *Id. Epod.* 7, 3. Parumne campis, atque Neptuno super Fusum est Latini sanguinis? [*Adde *Cic. Brut.* 68. in hac enim satis erat copiae, in illa autem leporis parum. ℙ Jam recte sequantur ea, in quibus jungitur cum verbis.] *Ter. Ad. f.* Magis impense cupitis, consulitis parum. *Id. Andr.* 4, 1, 56. Parum procedit quod ago. *Pl. Amph.* 1, 1, 218. Parum etiam, praeut futurum est, praedicas: [*His continuo adjungi debebant, quae *Forc.* nescio cur magno spatio sejunxerat ista:] *Cic. N. D.* 3, 1. *f.* Quaero ex te, quae parum accepi. *Id. Inv.* 1, 47. Cum parum memineris, quod concesseris. *Caes. B. C.* 2, 31. Parum credere alicui. [*Adde *Tac. H.* 4, 60. parum affirmatur; et ep. 68. parum tolerare. — Tum exponi poterat de dicendi formulis: *parum esse*, i. e. non satis esse, non sufficere; et *parum habere*, i. e. non contentum esse.] *Ter. Ph.* 3, 3, 13. Parumne est, quod nobis succenset senex, ni instigemus etiam? fefellisti, ut negligeres auctoritatem senatus? *Plin. Pan.* 60. Parum est, ut in curiam venias, nisi et convocas; ut intersis senatui, nisi et praesides; ut censentes audias, nisi et perrogas. *Plin. alter* 31, 1, 1. Quid esse mirabilius potest aquis in coelo stantibus? at illae, ceu parum sit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eo secum piscium examina. [*Ita saepissime *Suet.*, *Tac.* al. hac formula, seq. infin. utuntur. V. *B. Crus. cl. Suet.* et *Boettich. Lex. Tac.*] *Ov. Fast.* 2, 415. Non nocuisse, parum est: prodest quoque. [*Lucan.* 7, 664. Civiline parum est bello, si meque meosque Obruet? et *ib.* 5, 274. Quid satis est, si Roma parum? V. ad utrumque loc. *Cort.* Adde *Lactant. Div. Inst.* 7, 3. et hoc parum est, si membris suis non parcit Deus.] *Vell.* 2, 76. *extr.* Parum habebat, summa accepisse, nisi, etc. [*Liv. 42, 3. templum violare parum habuisse, nisi. *Sall. Jug.* 31. haec talia facinora impune suscepisse, parum habuere: ubi v. *Cort.*] ℙ Cum adjectivis. *Cic. Att.* 10, 11. Sunt ea quidem parum firma. *Coel.* ad *Cic. ib. post ep.* 9. Dum pudet, te parum optimatem esse. *Hor. A. P.* 448. parum claris lucem dare coget. *Cic. Planc.* 7. *extr.* Si parum multi sunt, qui nobilitatem ament; et 30. Parum multae, parum justae necessitudines. *Quint.* 6, 2. Semper fuerunt non parum multi, qui, etc. ℙ Cum adverbiis. *Nep. Att.* 13. Non parum liberaliter. *Cic. Tusc.* 1, 45. Parum diu vixit. *Caes. B. G.* 3, 18. Parum diligenter. ℙ *Parum fides, parum gloria, fiducia, parum pretium* pro parva fides etc. parvum pretium, affert *Pareus* in *Lex. Crit.* ex *Terent., Plaut., Cic., Sen., Appul.*, sed ubique incerta lectione, aut constructione ambigua. ℙ Incertum etiam, atque obscurum est illud ap. *Cic. Somn. Scip.* 2. *extr.* Quaeso, ne me e somno excitetis: et parum rebus: audite cetera: *pax sit rebus* al. leg., *et, per avum, de his audite cetera*, ex conjectura *Gronov.* Qui *parum rebus* retinent, exponunt: parum temporis date rebus tam gravibus. ℙ *Parum* pro *minus* aut *non. Hor. Od.* 1, 12. *extr.* Tu parum castis inimica mittes Fulmina lucis. *Suet. Ner.* 34. Consilio per conscios parum celato. *Sall. Jug.* 89. Neque litteras Graecas didici: parum placebat eas discere, quippe quae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. Huc pertinet illud *Festi:* Parum cavisse videri, pronuntiat magistratus, cum de consilii sententia capitis quem condemnaturus est, *h. e.* non cavisse. [*Front. de fer. Alc.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. *med.* Si quempiam condemnas, parum cavisse videtur, ais. *F.*] ℙ [*Confund. *parum* et *parvum.* V. *Spalding.* ad *Quint.* 1. p. 28. et 4. p. 162. *crit.* — *Parum, parvum, paulum. Cort.* ad *Lucan.* 2, 128.]

PĂRUMPER, adv. *ἐπὶ μικρὸν*, parvo tempore, paulisper. *Cic. Or.* 3, 35. *extr.* Conticuit parumper. *Id. Att.* 9, 4. *f.* Abduco parumper animum a molestiis. *Ter. Andr.* 4, 2, 31. Tu, dum exeo, parumper opperire me hic. *Pl. Curc.* 2, 3, 78. Tace parumper. *Id. Bacch.* 4, 6, 24. Mane dum parumper: jam ad te exeo. ℙ In illo *Virg. A.* 6, 382. pulsusque parumper Corde dolor tristi: *Serv.* interpretatur paulatim: *Non.* vero 4, 385. cito, velociter; additque in eandem sententiam illud *Ennii ex Annal.* 1. Hic campum celeri passu permensa parumper, Conjicit in silvam sese; et *ex eod. lib.* Te nunc, sancta precor Venus, et genetrix patri nostri, Ut me de coelo visas cognata parumper. Quae absurda videri non debent, cum *parumper* parvo tempore significet. [*Parumper non est *parvo tempore*, sed *in breve tempus*, significatque id, quod cito praetereat. *Paullisper* est *parvo tempore* diciturque de eo, quod duret, vel de statu aliquo. Ita *Doederl.* 1, 147., cui neque *Servii*, neque *Nonii* interpretatio probatur, et qui recte *pulsus parumper Corde dolor* explicat: paulo post rediturus. Ceterum *id. ib.* notat, a Cicerone saepissime ita utrumque promiscue usurpari, ut *paullisper* legeres, ubi *parumper* scriptum exspectasses: non vero vice versa. Porro *paullisper* imprimis cum corporis, *parumper* cum animi actionibus conjungi.] ℙ *Paul.* ex *Festo* docet, dictum esse per metathesin syllabarum, quasi *perparum:* sed minus recte, cum in *tantisper*, et *paulisper* non valeat. Potius a Graeca consuetudine ducas *παῦρόν πεϱ*, ut *ὀλίγον πεϱ*, *ὅπου πεϱ*, etc.

PĂRUNCŬLUS, i, m. dimin. paronis. *Cic.* ap. *Isid. Or.* 19, 1. Parunculis ad litus ludit celeribus.

PĂRUS, i, m. avis genus, cujus multas species refert *Gesnerus:* ab Italis nonnullis *parizola* dicitur. *Auct. carm. Philom.* 9. Parus enim quamvis per noctem tinniat omnem.

[PARVŬLĪTAS, atis, f. conditio parvulorum, infantia. *Commodian. Instruct.* 6. Et si parvulitas sic sensit. *F.*]

PARVŬLUM, adv. paulum. *Cels.* 7, 18. Si scrotum ducitur, aut nihil, aut parvulum intenditur. *Plin. ep.* 8, 17. *f.* Parvulum differt, patiaris adversa, an exspectes; et *ep.* 9, 40. Ut nihil de die perdunt, ita de nocte parvulum acquiruut. Adde *ep.* 8, 14. *med.*, ubi al. leg. *paululum.*

PARVŬLUS, a, um, adj. dimin. parvi, *τυτθὸς*, pusillus, levis, brevis. *Cic. Inv.* 2, 3. Ne dum parvulum hoc consequimur, illud amittamus, quod maximum est; et 8. Parvula impulsio. *Id. Quint.* 16. In parvula re captionis aliquid vereri. *Caes. B. G.* 2, 30. Parvulis proeliis cum hoste contendere; et *ib.* 5, 50. Non parvulum detrimentum. *Hirt. B. Afr.* 35. Parvulum navigium. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Parvulam manum militum inermium habere. *Cic. Rosc. Com.* 8. Illa fuit pecunia immanis, haec parvula. *Lucr.* 4, 193. Parvula causa. *Juven.* 10, 340. mora. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 3. Sonum edere parvuli stridoris. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 6. Parvula tabella. ℙ Saepe refertur ad aetatem, et infantem puellumque significat. *Virg. A.* 4, 328. si quis mihi parvulus aula Luderet Aeneas. *Just.* 15, 4. Ancora, quae in femore Seleuci nata cum ipso parvulo fuit. *Id.* 12, 5. A parvula aetate laboribus indurati. *Pl. Merc.* 1, 1, 89. Qui olim a puero parvulo mihi paedagogus fuerat. *Ter. Andr.* 1, 1, 8. Postquam te emi a parvulo. *Caes. B. G.* 6, 20. Ab parvulis labori ac duritiei student. [*M. Aurel.* inter opera *Front. ad Antonin. Imp.* (ed. *A. Maio*) 2, 1. Parvolae nostrae *(filiae)* nunc ap. Matidiam in oppido hospitantur. *F.*] ℙ De bestiis. *Caes. B. G.* 6, 27. Uri assuescere ad homines, et mansuefieri, ne parvuli quidem excepti, possunt. ℙ De indocto, aut stulto, *Arnob.* 1, 25. Quid dicitis, o parvuli, incomperta vobis et nescia temerariae vocis loquacitate garrientes?

PARVUS, a, um, adj. *μικρὸς*, exiguus, modicus, levis. Volunt esse a *παῦρος*, paucus, brevis. *Cic. Or.* 2, 20. Si hoc in parvis, aut mediocribus rebus doctiores assequi possunt, non idem sentio tanta hac in re, tamque immensa posse fieri. *Id. Q. Fr.* 3, 8. Non enim commoda quaedam sequebamur parva ac mediocria. *Plin.* 20. *in.* Nemo id parvum ac modicum existimaverit. *Cic. Cluent.* 34. *med.* Haec apud Junium parva et infirma sunt. *Id. Leg.* 1, 5. *f.* In parvum quendam et angustum locum concludi. *Id. Agr.* 2, 31. Promiscue toto campo Martio, quam proprie parva frui parte malletis. *Virg. G.* 4, 176. si parva licet componere magnis. *Nep. Them.* 5. *extr.* Parvo numero navium. *Plin.* 12, 13, 29. Cardamomum odoris parvi. Sic 21, 31, 105. Trychnus insaniam facit, parvo quoque succo. *Cic. Caecin.* 10. Beneficium non parvum. *Id. N. D.* 2, 48. Parvi pisciculi. *Id. fragm.* ap. *Lact.* 6, 2. Parvus libellus. *Id. ad Quir.* 8. Parva navicula. *Hor. Sat.* 1, 6, 86. merces. ℙ Absolute. *Id. ib.* 2, 2, 110. et *Cic. Att.* 12, 19. Contentus parvo. *Hor. Ep.* 2, 1, 139. Agricolae prisci, fortes, parvoque beati. *Sen. ep.* 123. Necessarium est parvo assuescere. *Hor. Od.* 2, 16, 13. Vivitur parvo bene. ℙ Refertur saepe ad aestimationem et pretium. *Cic. Verr.* 2, 4, 60. Pretio parvo vendere. *Ter. Hec.* 5, 3, 1. Meam herus esse operam deputat parvi pretii. ℙ Absolute. *Pl. Mil.* 4, 8, 41. Parvi ego illos facio; et *Capt.* 3, 5, 24. Parvi aestimo, si ego hic peribo. *Cic. Arch.* 6. Pericula mortis atque exsilii parvi esse ducenda. *Nep. Eum.* 10. *extr.* Omnes prae illo parvi futuros. *Hor. Sat.* 2, 3, 156. Quanti emptus? parvo. *Cic. Att.* 1, 3. Signa abs te diligenter, parvoque curata sunt. ℙ Huc et illa pertinent *Cic. Off.* 1, 22. Parva sunt foris arma, nisi est consilium domi. Al. leg. *parvi;* [*Ita optimae edd. cum praestantt. MSS.] et 20. Quae eximia plerisque, et praeclara videntur, parva ducere. *Id. Manil.* 7. et *Q. Fr.* 1, 1, 7. Parvi refert, abs te jus dici diligenter, nisi, etc. ℙ Item ad aetatem pueritiae et infantiae. *Cic. Fin.* 3, 5. Antequam voluptas, aut dolor attigerit, salutaria appetunt parvi. *Hor. Ep.* 2, 1, 70. memini quae plagosum mihi parvo Orbilium dictare; et *Cic. Leg.* 2, 4. A parvis didicimus. *Liv.* 1, 39. *f.* Puer in domo a parvo eductus. *Stat. Silv.* 1, 5, 43. Una vescitur omnis ordo mensa, Parvi, feminа, plebs, eques, senatus. *Id. Theb.* 7, 520. liquistis enim parvosque, senesque, Et lacrimas has quisque domi. *Suet. Aug.* 48. Rectorem apponere aetate parvis, aut mente lapsis. ℙ *Parvum* pro *parvorum* hoc sensu habet *Stat. Th.* 1, 609. ℙ Cum refertur ad tempus, breve significat. *Ter. Andr.* 1, 1, 83. Parvae consuetudinis causa. *Lucr.* 5, 107. Omnia conquassari in parvo tempore cernes. Adde *Val. Fl.* 8, 273. *Lucan.* 4, 476. parva nox; et 6, 806. vita. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 17, 39. hic onus horret, Ut parvis animis, et parvo corpore majus: Hic subit, et perfert; et *ib.* 2, 1. 257. sed neque parvum Carmen majestas recipit tua, *h. e.* humile. *Id. Od.* 3, 23, 15. Parvi Dii, *h. e.* parvae potentiae, minorum gentium, ut v. gr. Penates. *Ter. Eun.* 1, 2, 117. Parvam fidem habere alicui; et *Plin. ep.* 6, 29. Homo parvo ingenio; et *Virg. Ecl.* 3, 54. Sensibus haec imis (res est non parva) reponas; et *Hor. Ep.* 1, 3, 28 Hoc opus, hoc studium parvi properemus, et ampli, *h. e.* pauperes, humiles, ignobiles. *Hirt. B. Afr.* 57. Aquinius homo novus, parvusque sena.

tor. ℙ *Parvus*, et *parvum* pro *parum*. *Lucan.* 4, 239. si torrida parvus Venit in ora cruor, *h. e.* parum, seu aliquantum cruoris. *Id.* 2, 128. parvum sed fessa senectus Sanguinis effudit jugulo. ℙ *Parvo* pro *paulo*. *Liv.* 10, 45. *med.* Ut parvo admodum plures caperentur. Est qui aliter leg. *Plin.* 2, 67, 67. Parvo brevius, quam totus Septentrio eremigatus. *Id.* 16, 25, 42. Silvestrium primae florent sambucus, et cornus, parvoque post pirus, etc. Potest tamen in his *spatio*, aut *tempore* subintelligi: ut in illo *ejusd.* 5, 11, 12. Tam parvo distat ibi tanta rerum naturae diversitas. ℙ Gradus sunt *minor*, *minimus*, quae suo loco. Reperitur tamen et *parvior*, *parvissimus*. *Varr.* ap. *Non.* 6, 43. Rictus parvissimus. *Lucr.* 1, 608. et 614. et 3, 200. parvissima corpora. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *med.* Volantum parviores. Adde *ib.* 3, 8. *n.* 103. ℙ [*Confund. *parvum*, *paulum*, et *parum*. V. h. v. *in f.* — *Parva*, *parta* et *parca*. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 505.]

*PARYADRAE, arum, mons vel promontorium Armeniae. *Plin.* 6, 9. *B. A.*

*PARYADRES, ae, m. mons Ponti. *Plin.* 5, 27. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Paryedrus*. *B. A.*

*PASARGADAE vel

*PASAGARDAE, arum, urbs Persidis. *Plin.* 6, 23. ubi prior forma occurrit, etc. 26. ubi posterior. ℙ V. *Persagadum*. *B. A.*

PASCĀLIS, e, adj. pascualis. *Festus:* Pascales oves, pro pascuales, Cato dixit. *Lucil.* ap. *eund.* in *Solox*. Pascali pecore ac montano, hirto atque soloci. V. SOLOX.

PASCĔOLUS, i, m. sacculus ex aluta, ut *Non.* 2, 635. interpretatur. Volunt esse dimin. a *φάσκωλον*, quod est marsupium, teste *Suida*. *Pl. Rud.* 5, 2, 26. Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt: praeterea centum denaria Philippea in pasceolo seorsus. *Cato* ap. *Non. l. c.* Pueri in ludo solent pasceolos furari. Adde *Lucil. ib.*

PASCHĂ, ae, f. et

PASCHA, ātis, n. *Πάσχα*, festum Hebraeorum, et Christianorum circa aequinoctii verni tempus: ab Hebr. פֶּסַח *pésach*, transitus. Ratio nominis est, quod Angelus, cum caederet Aegyptios, domos Israelitarum agni sanguine illitas transierit. *Tert. ad Uxor.* 2, 4. Solemnibus Paschae abnoctare. *Id. in carm. adv. Marc.* 2, 80. Lege dedit Pascham, gaudens atque immolat agnum. *Id. Cor. mil.* 3. A die Paschae in Pentecosten usque. ℙ Etiam plur. num. *Symm. ep.* 10, 77. Nec fas est Pascharum dies sine sacerdote celebrare. ℙ *Paschă*, n. indecl. ut etiam ap. Graecos. *Auson. ep.* 10, 17. Nos etenim primis post sanctum Pascha diebus. *Hieron. ep.* 96. *n.* 20. Cum Angelis merebimur dominicum Pascha celebrare, ℙ Etiam *Paschă*, *ătis*, n. ap. *Ambros. de myster. Paschatis*, et alios sequioris aevi scriptores.

PASCHĀLIS, e, adj. ad Pascha pertinens. *Sedul. initio operis.* Paschales quicumque dapes conviva requiris; et 20. Paschalia dona. *Impp. Grat. Valent.* etc. *Cod. Theod.* 9, 35, 4. Paschale tempus. *Hieron. ep.* 99. *n.* 1. Paschalis liber, *h. e.* qui de Paschate agit.

[PASCHUSĂ, ae, f. *πασχοῦσα*, quae patitur: particip. verbi *πάσχω*, patior. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 359, 15. Perperna Paschusa. *F.*]

PASCĪTO, as, a. 1. frequentat. a *pasco*. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Feras apes dico, quae in silvestribus locis pascitant: cicures, quae in cultis. Alii leg. *pastitant.*

PASCO, is, pavi, pastum, a. 3. *νέμω*, *νέμομαι:* a *πάω* vel a *βόσκω*, quae idem significant, [*ad pabulum ducere, de pastoribus, greges, armenta in pastum agentibus, ibique custodientibus, ne damni, detrimenti quid capiant. Haec enim est prima vocis significatio, quam Noster §. 3. adscripserat his laudatis exemplis:] *Cic. Div.* 1, 17. Cum propter paupertatem sues puer pasceret. *Virg. Ecl.* 1, 78. non, me pascente capellae Florentem cytisum, et salices carpetis amaras. *Ov. Met.* 6, 394. et quisquis montibus illis Lanigerosque greges, armentaque bucera pavit. — [*Hic statim commemoranda erat formula, in sacrificiis usitata, quam affert *Paulus* ex *Festo: pascito linguam*, i. e. coerceto, contineto, taceto: ubi *pascere* eadem translatione dictum est, ut nostr. *hüten:* unde frustra sunt, qui *parcito* leg. cens. ℙ Hinc de agricolis rem pecuariam exercentibus.] *Cic. Off.* 2, 4. Bestias pascere, aut domare. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Necesse est constituat numerum, quot greges, et quantos sit pasturus (Adde 10.) *Hor. Sat.* 1, 6, 203. Plures calones, atque caballi pascendi. *Cic. Off.* 2. *f.* a quo (Catone) quum quaereretur, quid maxime in re familiari expediret? respondit: quid maxime in re familiari expediret? respondit: bene pascere. Quid secundum? Satis bene pascere. Quid tertium? Male pascere: [ubi v. *Beier.*] Cf. *Colum.* 6. *praef.* et *Plin.* 18, 5, 6. *Sen. ep.* 2. *f.* Quid refert, quantum illi in arca, quantum in horreis jaceat, quantum pascat, aut feneret? ℙ Inter pascere, et alere discrimen statuit *Non.* 5, 74., ut prius sit cibum praebere, alterum sufficiendi generis curam habere. *Varr. ib.* et 4, 218. Ubi graves pascantur, et alantur pavonum greges. ℙ [*Jam in universim est nutrire, alere: ita primum de hero, patre familias servis alimenta praebente.] *Sen. ep.* 17. Non circumstat illam turba servorum, ad quos pascendos transmarinarum regionum est optanda fertilitas. Facile est pascere paucos ventres, et bene institutos. *Juven.* 3, 141. quot pascit servos? quot possidet agri Jugera? *Petr. fragm. Trag.* 57. *Burm.* Viginti ventres pasco, et canem. *Appul. Met.* 1. Neque praeter unicam pascit ancillulam. ℙ Item de eo, qui quotidie aut saepe alios convivio excipit. *Spart. Hadr.* 17. Cum plurimos suis sumptibus pasceret. Al. leg. *Quum cum plurimis summatibus pasceret. Lampr. Alex. Sev.* 41. Argentum et ministros ante, quando pascebat, accipiebat ab amicis. [*Hic poterat adjungi locus, quem *Forc.* perperam §. 3. immiscuerat. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Olusculis nos soles pascere: *du fütterst uns mit Gemüse ab.* ℙ Tum *pascere* sensu latissimo dicitur de iis, quae suppeditant res ad vitam sustentandam necessarias. Noster laudaverat ista:] *Plin.* 18, 3, 4. Iis moribus non modo sufficiebant fruges, nulla provinciarum pascente Italiam, verum etiam annonae vilitas incredibilis erat. *Id.* 12, 14, 32. Nam et benigne certo itinerum numero Deus hospites pascit. *Virg. A.* 7, 684. quos dives Anagnia pascis, quos Amasene pater. *Cic. Mil.* 2. Quos P. Clodii furor rapinis, et incendiis, et omnibus exitiis pavit. *Juven.* 7, 93. Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt; et 12, 28. pictores quis nescit ab Iside pasci? *Virg. G.* 2, 189. *campus* silicem curvis invisam pascit aratris. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 3, 35. Pascere barbam. *Virg. A.* 7, 391. sacrum Baccho crinem: *τρέφειν κόμην*. Sic *Stat. Th.* 8, 493. Ille genas Phoebo, crinem hic pascebat Iaccho. *Ov. R. Am.* 749. amorem. *Ov. Met.* 14, 467. Danaas paverunt Pergama flammas. *Val. Fl.* 1, 677. Tunc quocumque loco meritas tibi plurimus aras Pascet honos, *h. e.* plurima hostia excolet augebitque aras. *Ov. Trist.* 4, 4, 63. ubi Taurica dira Caede pharetratae pascitur ara Deae. Al. leg. *spargitur. Virg. A.* 10, 627. spes pascis inanes. *Plin.* 14, 1, 3. Stat per se vitis sine ullo pedamento, artus suos in se colligens, et brevitate crassitudinem pascens; et 17, 12, 18. Umbra alno pinguis, sed pascens sata, *h. e.* nutriens, et crescere faciens. *Virg. A.* 1, 608. polus dum sidera pascet. Alias putabant, sidera terreno humore pasci, ut *Plin.* 2, 9, 6. *f.* tradit. Hinc *Rut. Itin.* 1, 644. de Oceano: corusca suis sidera pascit aquis; et *Lucan.* 10, 258. Nec non Oceano pasci Phoebumque, polumque, Credimus. *Mart.* 10, 58. Dura suburbani dum jugera pascimus agri, *h. e.* colimus, et multa impensa sustinemus, pascimusque quodammodo potius, quam ab illo pascamur, cum sumptus reditum superent. *Hor. Ep.* 1, 18, 35. nummos alienos pascere, *h. e.* augere, aes alienum contrahendo, et usuras solvendo. ℙ *Pascere oculos*, *animum*, oblectare, detinere, alere, satiare. *Cic. Verr.* 2, 5, 26. Cum ejus cruciatu atque supplicio pascere oculos, animumque exsaturare vellent. *Id. Phil.* 11, 3. *extr.* Ut in ejus corpore lacerando, cum animum satiare non posset, oculos paverit suos. *Virg. A.* 1, 468. animum pictura pascit inani. ℙ [*Secundo loco *pascere*, ut nostr. *weiden*, dicitur de gregibus, armentis in agris, campisque versantibus, atque vescentibus. *Virg. G.* 3, 143. Saltibus in vacuis pascant.] *Id. Ecl.* 3, 96. Tityre, pascentes a flumine rejice capellas; et *G.* 3, 466. de ove aegrotante: Extremamque sequi, aut medio procumbere campo Pascentem. *Pl. Most.* 4, 1, 22. Ire vis mula pastum foras. [*Adde *Tibull.* 4, 1, 186. Cuique pecus denso pascebant agmine colles; et *id.* 2, 5, 25. Sed tunc pascebant herbosa Palatia vaccae. ℙ Hinc in universum pro vesci, comedere ponitur.] *Mart.* 9, 82. Duxerat esuriens locupletem pauper, anumque Uxorem: pascit Gellius, etc. *Pl. Rud.* 4, 7, 12. Quam si quis avidus pascit escam avariter, decipitur in transenna avaritia sua. Al. leg. *poscit.* ℙ [*Longe ita frequentius passivum pasci, deponentis significatione usurpatur. *Serv.* ad *A.* 1, 198. et 2, 215. docet *pasco* et *pascor* unius esse significationis. Adde *Consent.* p. 2054. *pascit juvenca* et *pascitur juvenca* recte dicitur. *Virg. G.* 3, 162. Cetera pascuntur virides armenta per herbas; et *ib.* 219. Pascitur in silva juvenca.] ℙ Cum accusativo Graeca ratione. *Id. ib.* 314. Pascuntur vero silvas, et summa Lycaei, Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos; et *ib.* 4, 181. de apib.: pascuntur et arbuta passim, Et glaucas salices, casiamque, crocumque rubentem. ℙ [*Pro comedere, vesci, ali. *Virg. G.* 3, 528. Frondibus et victu pascuntur simplicis herbae. *Pers.* 3, 55. juventus Invigilat siliquis, et grandi pasta polenta. *Liv.* 6, 41. si pulli non pascerentur. V. *Bauer.* ad h. l. p. 251. *Cic. Off.* 2, 11. Qui maleficio et scelere pascuntur, i. e. quaestum faciunt. V. *Beier.* ad h. l. et cf. supra. ℙ Translate. *Virg. A.* 2, 683. Lambere flamma comas, et circum tempora pasci; et *ib.* 11, 786. pineus ardor acervo Pascitur. *Ov. Pont.* 1, 4, 21. Otia corpus alunt: animus quoque pascitur illis. *Id. Met.* 6, 280. Pascere crudelis nostro, Latona, dolore, Pascere, ait, satiaque meo tua pectora luctu. *Cic. Pis.* 20. His tiaque meo tua pectora luctu. *Cic. Pis.* 20. His ego rebus pascor, his delector, his perfruor, quod de vobis hic ordo opinatur, non secus ac de teterrimis hostibus. *Id. Sext.* 46. discordiis civium et seditione. *Id. Att.* 4, 10. Ego hic pascor bibliotheca Fausti. *Liv. Fragm. n.* 36. in animus in quies pasceretur opere.]

PASCŪĂ, ae, f. idem ac pascuum. Est adjectivum, et *terra* aut *humus* subintelligitur. *Tert. Apol.* 22. Quae illi accuratior pascua est, quam ut, etc.

PASCŪĂLIS. V. PASCALIS.

PASCŪĒ, adv. laute, *h. e.* pascuo abundante. *Appul. Met.* 2. In abacum pascue vinolentum. Alii rectius leg. *In cacabum ad pascua jurulenta.* V. PASCUUM.

PASCŪOSUS, a, um, adj. idoneus ad pascendum, ut Pascuosa herba, *Appul. H.* 92.

PASCŪUM, i, n. *βόσκημα*, *νομή*, locus, ubi pecudes pascuntur: item ipsum pabulum. Vox est adjectiva, et subintelligitur *solum*, *locus*, aut quid simile. *Varr. R. R.* 2, 11. *med.* Ad perpurgandum id, quod ab viridi pascuo, etc. *Colum.* 8, 14. *med.* Ne esuriens mittatur in pascuum; et 7, 1. Rus, quod pascuo caret. *Plin.* 8, 47, 72. Ovium genera duo, tectum, et colonicum: illud mollius, hoc in pascuo delicatius: quippe cum tectum rubis vescatur. ℙ Saepius in plurali utimur. *Cic. Agr.* 1, 1. *med.* Utrum hanc silvam in relictis possessionibus, an in censorum pascuis invenisti? *Hor. Epod.* 1, 27. Pecusve Calabris ante sidus fervidum Lucana mutet pascua. *Plin.* 10, 44, 61. Exire in pascua. *Virg. G.* 3, 323. In saltus utrumque gregem, atque in pascua mittes. *Catull.* 20, 10. Meis capella delicata pascuis In urbem adulta lacte portat ubera. *Ov. Fast.* 1, 243. Hic, ubi nunc Roma est, incaedua silva virebat: Tantaque res paucis pascua bubus erat; et *ib.* 4, 476. pascua laeta. *Id. Met.* 2, 689. herbosa. ℙ Significat etiam cibos in usum hominum. *Appul. Met.* 2. Quae *(ancillula)* suis dominis parabat viscum fartim concisum, et pulpam frustatim consectam in cacabum ad pascua jurulenta.

PASCŪUS, a, um, adj. *νομαδικὸς*, ad pascendum idoneus. *Pl. Truc.* 1, 2, 47. Non arvus hic, sed pascuus est ager. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 5, 2. Ob easque causas agri arvi, et arbusti, et pascui lati atque uberes definiebantur. *F.*] *Lucr.* 5, 1247. Pandere agros pingues, et pascua reddere rura. *Paul. Dig.* 50, 16, 30. Pascua silva est, quae pascuis pecudum destinata est. *Plin.* 18, 3, 3. Etiam nunc in tabulis censoriis pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat.

[PASICOMPSĂ, ae, f. nomen propr. mulieris: a *πᾶς*, omnis, et *κομψή*, venusta. *Pl. Merc.* 3, 1, 18. *Lys.* Quod nomen tibi dicam esse? *Pas.* Pasicompsae. *Lys.* Ex forma nomen inditum est. *F.*]

[PASICRĀTES, is, m. omnibus praestans: a *πᾶς*, omnis, et *κρατέω*, praesto. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 945, 5. Q. Lucilius Pasicrates. *F.*]

*PASINI CIVITAS cognominatim est Aenona, Liburniae oppidum. *Plin.* 3, 21. Aenona, Pasini civitas. *B. A.*

PASIPHĂĒ, es, f. per quatuor syllab. *Πασιφάη*, filia Solis e Perside filia Oceani, soror Circes, et Aees, uxor Minois regis Cretae, quam fabulae ferunt tauri amore captam fuisse, Daedalique opera, qui ligneae eam vaccae inclusit, voti compotem factam, Minotaurum peperisse, capite taurino, reliqua parte humana, quod monstrum postea in Cretensi labyrintho Theseus dicitur interfecisse, Ariadnes ope adjutus. *Serv.* ad *A.* 6, 14. Minois scribam fuisse tradit nomine Taurum, cum quo Pasiphae mutuo ejus amore capta, in Daedali aedibus concubuit. Filiam etiam ex Minoe peperit, quae Phaedra dicta est. In numero Dearum habita est. *Cic. N. D.* 3, 19. et *Div.* 1, 43. V. plura ap. *Serv. l. c.* et *Hyg. fab.* 40. *Virg. ib.* Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto Pasiphae, mixtumque genus, prolesque biformis. *Id. Ecl.* 6, 46. Pasiphaen nivei solatur amore juvenci. V. MINOTAURUS. ℙ *Pasiphaa*, *ae*, positio Latina est. *Cic. Div. l. c.* Pasiphaae fanum.

PASIPHAĒIUS, a, um, adj. sex syllabar. ad Pasiphaen pertinens. *Ov. Met.* 15, 500. Sed tamen ille ego sum: me Pasiphaeia quondam Tentatum frustra, patrium temerasse cubile Arguit, *h. e.* Phaedra filia Pasiphaes.

[PASIPHĪLUS, a, um, adj. *πασίφιλος*, omnibus amicus: a *πᾶς*, omnis, et *φίλος*, amicus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1045, 9. M. Varenus Pasiphilus. Alia ap. *Mur.* 1253, 8. Critonia Pasiphila. *F.*]

*PASITĒLES, is, *Πασιτέλης*, plastes celebris, de quo *Plin.* 35, 12. Meminit et *Pausan.* in *Eliac. prior. med.* p. 168. *Wechel.* ℙ Item insignis sculptor. *Plin.* 36, 5. et 4, 12. *B. A.*

PASITHĒA, ae, et Pasithee, es, f. *Πασιθέη*, una ex tribus Gratiis, quam *Homer. Iliad.* 14, 267. Somni uxorem facit. *Catull.* 63, 43. Trepidantem eum recepit Dea Pasithea sinu. *Stat. Theb.* 2, 286. Non hoc Pasithee blandarum prima sororum, etc.

*PASITIGRIS, nomen Tigris fluvii ea in parte,

qua duo ejus alvei confluunt. *Plin.* 6, 27. *(Tigris)* circa Seleuciam Babyloniam CXXV. M. passuum divisus in alveos duos, altero Meridiem ac Seleuciam petit, Mesenen perfundens: altero ad Septentrionem flexus, ejusdem gentis tergo campos Cauchas secat. Ubi remeavere aquae, Pasitigris appellatur. Adde 12, 17. ℙ Item Persidis fluvius, in Susiana, in sinum Persicum influens, alio nomine Oroatis, ut probabile est. *Curt.* 5, 3. V. OROATIS. *B. A.*

*PASSALA, ae, *Πάσσαλα*, insula Cariae objecta, in sinu Ceramico. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*PASSALAE, arum, populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

PASSALES et oves, et gallinae appellantur, quod passim pascuntur. *Paul.* ex *Festo.*

PASSARIAE Ficus, ad solem passae. *Capitol. Alb.* 11. V. CALLISTRUTHIA.

PASSARINUS. V. PASSERINUS.

*PASSARON vel Passaro, onis, *Πασσαρών*, Epiri opp., in Molosside. *Liv.* 45, 26 et 33. *B. A.*

PASSER, ĕris, m. *στρουθός* et *στοφάγος*, ut in *Gloss. Philox.* dicitur, avis salacissima. *Plin.* 10, 36, 52. Passeri minimum vitae, cui salacitas palumbis par. Mares negantur anno diutius durare, argumento, quia nulla veris initio appareat nigritudo in rostro, quae ab aestate incipit. Feminis longiusculum spatium; et *ib.* 38, 54. Avium ambulant aliquae, ut cornices: saliunt aliae, ut passeres. *Id.* 18, 17, 45. Pestem a milio atque panico, sturnorum, passerumve agmina, scio abigi herba, cujus nomen ignotum est. *Id.* 30, 15, 49. Venerem concitant passeres in cibo, vel ova eorum. *Cic. Fin.* 2, 23. Voluptas, quae passeribus nota est omnibus, a nobis intelligi non potest. *Id. Div.* 1, 33. et *ib.* 2, 30. Apud Homerum Calchas ex passerum numero belli Trojani annos auguratus est. ℙ Turpem sententiam hoc nomine obtegere videntur *Catull. carm.* 2 et 3., *Mart.* 11, 6. ℙ Habet locum in blanditiis. *Pl. Cas.* 1, 50. Meus pullus passer, mea columba, mi lepus. ℙ *Passer marinus* est struthiocamelus, omnium avium maximus, Graece *στρουθὸς: marinus* autem, quia peregrinus est, et trans mare advehitur. *Pl. Pers.* 2, 2, 17., *Auson. ep.* 11. *f.* et *Festus.* ℙ Etiam absolute *passer* est struthiocamelus. *Inscr.* ap. *Grut.* 484, 6. Venatione passerum, denis bestiis, et quatuor feris dentatis, et quatuor paribus *(gladiatorum)* ferro dimicantibus. ℙ Est etiam *passer* marinus piscis ex genere planorum. *Plin.* 9, 20, 36. Marinorum alii sunt plani, ut rhombi, soleae, ac passeres: qui a rhombis situ tantum corporis differunt. Dexter resupinatus est illis, passeri laevus. *Ov. Hal.* 124. Fulgentes soleae candore, et concolor illis Passer. Adde *Hor. Sat.* 2, 8, 20. et *Colum.* 8, 16. ℙ Fuit etiam cogn. R., ut M. Petronius Passer, ap. *Varr. R. R.* 3, 2.

PASSERARIUS. V. CALLISTRUTHIA.

[PASSERCULA, ae, f. dimin. passeris. Translate dicitur de puella. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 6. Tum ego: Quid autem passerculam nostram Gratiam minusculam, existimas modo facere? *h. e.* Gratiam, filiam parvulam Frontonis. *F.*]

PASSERCULUS, i, m. dimin. *στρουθίον*, parvus passer. *Cic. Div.* 2, 30. Cur autem de passerculis conjecturam facit? ℙ Usurpatur interdum in blanditiis amantium. *Pl. As.* 3, 3, 76. Dio me tuum passerculum, gallinam, coturnicem. V. PASSER.

[PASSERILLA, ae, f. dimin. passeris. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 323, 2. Julia Passerilla. *F.*]

PASSERINUS, a, um, adj. ad passerem pertinens. *Pompon.* ap. *Non.* 2, 335. Ut te objectes frustatim passerinum prandium, *h. e.* ita discerptum, et minutatim concisum, ut passerum cibus esse possis. ℙ Ap. *Mart.* 7, 7. et 12, 36. *Passerinus* est nomen equi cursoris velocissimi. In tabula marmorea ap. *Grut.* 341. legitur *Passarino*, et est nomen equi circensis.

PASSERNICES, vox Celtica, qua significantur cotes aciem aqua trahentes. *Plin.* 36, 22, 47.

PASSIBILIS, e, adj. qui pati potest. *Arnob.* 7, 214. Quidquid vexatur rei alicujus motu, passibile esse constat, et fragile. Adde *Tert. adv. Prax.* 29. et *Prud. Apoth.* 74.

PASSIBILITAS, atis, f. aptitudo ad recipiendam passionem. *Arnob.* 2, 62. Passibilitate intervenient corruptibilem esse.

PASSIBILITER, adv. patiendo. *Tert. Anim.* 45. Anxie et passibiliter in somniis conterreri.

[PASSIENUS, i, m. pathicus, quasi paschienus: a *πασχητιῶν*, cupiens obscena pati. Est cogn. R. *Sen. Contr.* 5. *praef.* Pacatus rhetor Passieno, prima ejus syllaba in Graecum mutata, obscenum nomen imposuit. *Inscr.* ap. *Grut.* 106, 4. L. Passienus Rufus. *F.*]

PASSIM, adv. *ἀπαντα χῆ*, sparsim, huc illuc sine ordine: a supino *passum* verbi *pando, is*, quasi late, et expandendo se. *Caes. B. C.* 2, 38. Numidae quadam barbara consuetudine nullis ordinibus passim consederant. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. Antonius itinera fecit multo majora fugiens, quam ego sequens: ille enim iit passim. ego ordinatim. *Asellio* ap. *Serv.* ad *A.* 12, 121. Triariorum quartum signum accedebat, sive pilatim, sive passim iter facere volebat. *Stat. Theb.* 11, 758. nulli sua signa, suusque Ductor: eunt taciti passim. *Quint. decl.* 4, 13. *extr.* Ista credis passim fortuitoque disposita? *Virg. A.* 4, 162. Et Tyrii comites passim diversa per agros Tecta metu petiere. ℙ Item sine discrimine, promiscue. *Tibull.* 2, 3, 41. Glans aluit veteres, et passim semper amarunt. *Just.* 43, 1. Ut Saturnalibus, exaequato omnium jure, passim in conviviis servi cum dominis recumbant. ℙ Item sparsim, omnibus locis, undique. *Cic. Sull.* 15. Non occultavi, non continui domi, sed describi ab omnibus librariis, dividi passim, et pervulgari, atque edi imperavi. *Id. Or.* 2, 6. Volucres passim ac libere, solutas opere, volitare. *Id. Div.* 2, 38. Volucres huc et illuc passim vagantes. *Id. Rosc. Am.* 46. *med.* Passim per forum volitat cum magna caterva togatorum. *Plin.* 19, 8, 42. Asparagi aliud genus passim etiam montibus nascens. *Id.* 26, 12, 77. Passim et in quacumque parte corporis nascuntur furunculi. *Cic. Or.* 1, 42. Passim carpere, colligere undique. *Id. Mur.* 35. Senatus num crimen putat ad prandium invitare? minime, sed vulgo, passim: quid est vulgo? universos. *Lactant.* 2, 6. *f.* Eo passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quique.

[PASSINUS, i, m. ad passum pertinens, fortasse idem est ac passienus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 557, 9. Terentius Passinus. *F.*]

PASSIO, onis, f. *πάθος*, perpessio. *Maximian. Gallus* 3, 42. Si nihil imminuit passio, nulla fuit. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 291. Pulcroque mortis exitu Omnis peracta es passio. Usi sunt praeterea *Tert. adv. Valent.* 9. *extr.* et *adv. Gnost.* 13., *Appul. Dogm. Plat.* 2. et *de Deo Socrat.* et *de Mundo*, et *Sever. Sulpic. Hist.* 2, 32. et alii hujus notae. Pro morbo saepissime usurpat *Coel. Aurel.* ℙ Pro aegritudine animi, seu perturbatione, saepe *August.*, praesertim in libris *de civitate Dei*, ubi notat 8, 17. *τὸ πάθος* verbum de verbo esse *passionem.* Sic *de nupt. et concupisc.* 33. Passio, inquit, in lingua Latina, maxime in usu loquendi Ecclesiastico, non nisi ad vituperationem consuevit intelligi. Item *Serv.* ad *Virg. G.* 2, 499. Ne Virgilius ei daret ceteras animi passiones, quas novimus et a bonis, et a malis rebus venire.

PASSIONALIS, e, adj. ad passionem pertinens, patibilis. *Tert. Testim. anim.* 3. Si Deus irascitur, corruptibilis, et passionalis est, *h. e.* passioni subjectus. Adde *ib.* 4. et *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *n.* 83.

PASSIVE, adv. idem quod passim, sparsim. *Appul. Met.* 11. Crines uberrimi per colla passive dispositi. Adde *Tert. adv. Psych.* 2. Utroque autem loco est qui *passim* reponit. ℙ Passivorum verborum more. *Prisc.* 8, 791. Lucilius: *A me auxiliatus si est:* passive, *βοηθηθείς.*

PASSIVITAS, atis, f. frequentia promiscua: a *passim. Tert. Pall.* 4. *med.* Quantum denotatui passivitas offert; et *Apol.* 9. Suppeditante materias passivitate luxuriae.

PASSIVITUS, adv. idem ac passim. *Tert. Pall.* 3. *f.* V. INHABITO.

PASSIVUS, a, um, adj. qui pati potest, *παθητικός. Arnob.* 2, 65. Argumenta sunt praesto, quibus anima passiva et interibilis invenitur. Adde *Appul. de Deo Socrat.*, ubi Daemones vocat animalia ingenio rationabilia, animo passiva, quod sint iisdem, quibus nos, perturbationibus mentis obnoxii. ℙ *Passiva verba* a grammaticis dicuntur, quae passionem significant, ut *amor*, *verberor. Charis.* 2., *Diomed.* 1., *Prisc.* 8. et alii. ℙ Interdum *passivus* dicitur, qui promiscuus est, et pluribus communis: a *passim.* Hinc *Tert. adv. Marc.* 1, 7. passivum nomen Dei dixit, quia et hominibus dictum est, Ego dixi, Dii estis. Sic *Firm. Math.* 5, 1. passivas cupiditates, *h. e.* quas passim homines sectantur. *Appul. Met.* 6. Seminum passiva congeries, *h. e.* promiscua. ℙ *Passivi, orum*, populares. *August. contra Adamant.* 24. Vagi Romanorum, quos passivos appellant. *Vet. Schol.* in *Juven.* 8, 182. Populari, passivo. *B. A.*

[PASSO, as, n. l. passus fio, patior. *Theod. Prisc.* 1, 30, de paronychiis: Quibus vero etiam ungues passaverint, foliis myrti viridibus, vel malagranati tunsis cataplasmandi sunt, *h. e.* quibus ungues exciderint. *F.*]

PASSUM, i, n. *γλυκὺ*, vinum expressum ex uvis passis. *Colum.* 12, 39., *Plin.* 14, 9, 11. et *Pall.* 11, 19. ejus conficiendi rationem docent. *Varr.* ap. *Non.* 17, 16. Passum nominabant, si in vindemia uvam diutius coctam legerent, eamque passi essent in sole aduri. *Virg. G.* 2, 93. Et passo psythia utilior. *Cels.* 2, 18. *f.* Passum quo ex sicciore uva est, eo valentius est. *Ulp. Dig.* 33, 6, 9. Si quis vinum legaverit, oenomeli plane continebitur, et passum: defrutum non continebitur.

PASSUS, a, um, part. a *patior*, *παθών*, qui passus est. *Virg. A.* 1, 203. O passi graviora: dabit Deus his quoque finem. *Hor. Od.* 1, 7, 30. o fortes, pejoraque passi Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas. *Ov. R. Am.* 304. Ante suam quoties passa jacere forem! et *Met.* 7, 274. caputque novem cornicis saecula passae, *h. e.* quae vitam toleravit. ℙ *Uva passa* dicitur, quae post maturitatem diu in vite pendens solem passa est, et etiam post vindemiam soli exposita ejus ardorem sensit, *uva passa.* Sunt qui hoc sensu ducunt a *pando*, ut sit uva ad solem expansa: etenim *Colum.* 12, 39. docens rationem passi conficiendi, ait oportere *in sole pandere uvas. Plin.* 14, 1, 3. A patientia nomen acinis datur passis. *Virg. G.* 4, 269. psythia passos de vite racemos. *Pl. Poen.* 1, 2, 98. suspende te. *Mi.* siquidem tu es mecum futurus pro uva passa pensilis. Sic *Plin.* 18, 13, 34. Rapa durant et in sua terra servata, et postea passa, paene ad alium proventum. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 4. Istas uvas multo commodius passas, quam puberes, manducare. *F.*] ℙ *Lac passum* ap. *Ov. Met.* 14, 274. est coctum. ℙ Translate. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 38. Rugosi, passique senes eadem omnia quaerunt, *h. e.* exsucci, exsangues. ℙ *Passus* a *pando* est extensus, expansus, explicatus, patens, apertus. *Gell.* 15, 15. Ab eo quod est *pando* veteres *passum* dixerunt, non *pansum:* et cum praepositione *expassum*, non *expansum. Ov. Amor.* 3, 2, 45. fertur passis victoria pennis. *Pl. Stich.* 2, 2, 45. In portum vento secundo, velo passo pervenit. *Cic. Tusc.* 1, 49. Quo utinam velis passis pervehi liceat, *h. e.* celeri cursu, quia expansis velis cita navis fertur. *Plin.* 7, 17, 17. Quod sit homini spatium a vestigio ad verticem, id esse passis manibus inter longissimos digitos, observatum est. *Caes. B. C.* 3, 98. et *Enn.* ap. *Non.* 4, 364. Passis late palmis. *Nemes. Cyn.* 142. de catulis canum: Queis nondum gressus stabiles, neque lumina passa Luciferum videre jubar. ℙ *Crines passi* sunt soluti et expansi, *κόμη ἀνειμένη:* quales habere mulieres solent in luctu, et in supplicationibus. *Caes. B. G.* 1, 51. *extr.* Mulieres in proelium proficiscentes milites, passis crinibus, flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent. *Virg. A.* 1, 483. ad templum non aequae Palladis ibant Crinibus Iliades passis. Adde *Liv.* 1, 13., ubi de Sabinis feminis proelium dirimentibus loquitur; et 7, 40. *med.* et alibi. In singulari *Ter. Phorm.* 1, 2, 56. Capillus passus, nudus pes, ipsa horrida; et *Heaut.* 2, 3, 49. Capillus passus, prolixus, circum caput rejectus negligenter. *Caes. B. G.* 7, 48. *med.* Matresfamilias suos obtestari, et more Gallico passum capillum ostentare. *Gell.* 15, 15. Capillo esse mulier passo dicitur, quasi porrecto et expanso. ℙ Pro *passus* al. leg. *sparsus* in allatis exemplis, et promiscue in libris hae duae voces reperiuntur. Videntur tamen *sparsi crines* aliquando plus esse, quam *passi*, nempe non solum expansi, sed turbati et disjecti: cujusmodi sunt in furentibus, vaticinantibus, bacchantibus. *Ov. A. Am.* 3, 709. per medias sparsis furibunda capillis Evolat, ut thyrso concita Baccha, vias. Adde *Met.* 8, 107. etc. ℙ *Passa verba*, prosa oratio. *Appul. Flor. n.* 15. *med.* Pherecydes primus, versuum nexu repudiato, conscribere ausus est passis verbis, soluto locutu, libera oratione.

PASSUS, us, m. *βῆμα*, gressus, gradus, extensio pedum in progrediendo: a *passum* verbi *pando, is. Cic. Marcell.* 2. Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis lustratae sunt. *Pl. Bacch.* 4, 7, 33. Sequere me hac tres unos passus. *Virg. A.* 2, 723. dextrae se parvus Iulus Implicuit, sequiturque patrem non passibus aequis; et *ib.* 7, 156. festinant jussi, rapidisque feruntur Passibus; et *ib.* 11, 907. nec longis inter se passibus absunt. *Val. Fl.* 3, 357. jam passibus aegris Dilapsae cum prole nurus. *Ov. Met.* 2, 572. dum per litora lentis Passibus, ut soleo, summa spatiarer arena; et 772. passuque incedit inerti; et *ib.* 13, 533. ad litus passu processit anili; et *Fast.* 2, 741. cito passu petere aliquem. *Lucan.* 4, 271. effuso decurrere passu. *Ov. Met.* 1, 532. admisso sequitur vestigia passu. *Stat. Silv.* 5, 2, 61. deside passu ire. *Lucr.* 4, 824. proferre viai proceros passus. *Ov. Met.* 11, 64. conjunctis spatiantur passibus ambo. *Stat. Th.* 3, 454. associare passus alicui, *h. e.* simul ire. ℙ Translate. *Plin.* 2, 7, 5. Haec est ad aeternam gloriam via: hac proceres iere Romani: hac nunc coelesti passu vadit maximus omnis aevi rector Vespasianus. *Ov. Trist.* 3, 7, 36. senectus strepitum passu non faciente venit; et *ib.* 5, 8, 15. Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat. ℙ De vestigio. *Ov. Her.* 19, 27. Saepe tui specto si sint in litore passus. *Id. Pont.* 2, 6, 21. Turpe referre pedem, nec passu stare tenaci. ℙ Sumitur etiam pro mensura, ita dicta a pedibus passis, idest extensis. Duplex est. Primus dicitur simplex, et minor, et a nonnullis *gressus*, et est mensura duorum pedum, et dimidii. Tantum enim fere in progrediendo spatii est inter digitos prioris pedis, et calcaneum posterioris. Secundus dicitur major, et geometricus, quod eo peculiariter geometrae utantur, et constat ex quinque pedibus, sive ex duobus gressibus, idest ex passu minore geminato. Et de hoc intelligendum est, cum dicimus, milliaria singula constare ex mille passibus, et generaliter, quoties apud scriptores passus mentio occurrit. *Plin.* 2,

23, 21. Stadium centum viginti quinque nostros efficit passus, hoc est pedes sexcentos vigintiquinque. *Cic. Phil.* 7, 9. Nec exercitum propius urbem millia passuum ducenta admoverit. ℙ *Passum*, pro *passuum* per synaeresin. *Lucil.* ap. *Gell.* 1, 16. Hunc milli passum qui vicerit atque duobus.

[PASTA, ae, f. πάστη, farina aqua subacta, et in massam conversa: a πάσσω, inspergo. *Marcell. Empir.* 1. *med.* Rasamen pastae, quod in magide adhaeret. *F.*]

PASTĬCUS, a, um, adj. qui pastus est, ut Pasticus agnus, qui a lacte remotus jam herbas pascere coepit. *Apic.* 8, 6.

PASTILLĀRĬUS, ii, m. qui pastillos facit. *Inscr.* ap. *Mur.* 527, 5. insculpta ann. a Chr. n. CCCCXXXV. Patronus corporis pastillariorum.

PASTILLĬCANS, antis, part. ab inus. *pastillico*, pastilli figuram repraesentans. *Plin.* 21, 8, 25. Luteus bellio pastillicantibus barbulis coronatur. *Sipontinus* legit *patulicantibus*, h. e. patulis, patentibus. Verum prior lectio in optimis quibusdam editionibus invenitur.

PASTILLUM est in sacris libi genus rotundi. *Paul.* ex *Festo.* ℙ Item universim parvus panis. *Varro* ap. *Charis.* 1, 24.

PASTILLUS, i, m. τροχίσκος, forma panis parvi; utique dim inutivum a pane. *Festus. Plin.* 22, 12, 14. Radix succo madet, qui aut per se conditur, aut pastillis farinae. ℙ Item aridum medicamentum ex quibusdam metallicis diligenter contritis plerumque confectum, quae humore aliquo non pingui junguntur, et rursus coacta inarescunt, atque ubi utendum est, ejusdem generis humore diluuntur, illinunturque vulneribus. Differt ab emplastro, quod utique liquati aliquid accipit, et non illinitur, sed imponitur: item a malagmate, quod maxime ex floribus fit, eorumque surculis. V. *Cels.* 5, 17. *n.* 2. unde haec sumpsimus, et 5, 20., ubi varia eorum genera atque usus recenset. *Plin.* 13, 22, 43. Radicem tundunt in pila, et succum in sole coctum dividunt in pastillos. *Id.* 12, 27, 60. Digerere aliquid in pastillos. *Id.* 20, 1, 2. cogere; et 25, 13, 95. densare; et *ib.* 12, 91. diluere; et 20, 18, 76. terere. ℙ Dicitur et de pilulis unguentariis, quae odoris gratia gestantur. *Hor. Sat.* 1, 2, 27. et 4, 92. Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum. [*V. *Heindf.*]

PASTĪNĀCĂ, ae, f. herba generis cartilaginei, saporisque vehementis, et fervidi: cujus una species agrestis, sponte proveniens, σταφυλῖνος Graece dicta: altera scritur radice, vel semine, primo vere, vel autumno. Annicula utilis esse incipit, bima utilior. Tertia species hibiscum dicitur, a pastinaca sola gracilitate distans: quarta, Gallica, Graece δαῦκον. Postrema haec in quatuor rursus dividitur species. V. *Plin.* 19, 5, 27. et 25, 9, 64. *Isid. Or.* 17, 10. Pastinaca vocata, quod radix ejus praecipuus pastus sit hominis; est enim odoratu jucunda, cibo delectabilis. ℙ Item piscis planus, Graece τρυγών, radium habens super caudam eminulum quincunciali magnitudine, cujus ictus venenati sunt. Arbores infixus radici necat, arma ut telum perforat, vi ferri, et veneni malo. Eo latrocinatur ex occulto, transeuntes pisces quasi telo figens. *Plin.* 9, 42, 67. et *ib.* 48, 72. et *Cels.* 6, 9. *f.* [*Der *Stachelroche*, Raja Pastinaca, *L.*]

PASTĪNĀTĬO, onis, f. βωλοστροφία, actus pastinandi. *Colum.* 3, 12. *f.* Pastinationem suscipere; et 13. *med.* Pastinationis destinata altitudo. ℙ Item ipsa humus pastinata. *Id.* 11, 2. *med.* Pastinatio vitibus conserenda est. *Id.* 3, 15. Seritur vitis in emundata inoccataque, et aequata pastinatione; et *ib.* 3. *f.* Pastinationis reditus.

PASTĪNĀTOR, oris, m. σκαπτήρ, qui pastinat. *Colum.* 3, 13. *f.* Qua pastinator sulcum facturus est.

PASTĪNĀTUS, a, um, part. a *pastino:* fossus. *Colum.* 3, 13. *med.* Ne jam pastinatum solum jacentibus molibus imprimatur. *Plin.* 14, 1, 3. et *ib.* 4, 5. Pastinatae de integro vineae. ℙ Absolute *pastinatum*, solum pastinatum. *Colum. l. c.* Neque enim parum refert, suspensissimum esse pastinatum, et, si fieri possit, vestigio quoque inviolatum; et *ib.* 3. *f.* Viviradices, quae de pastinato eximuntur; et 16. Exigue humidum pastinatum sationi convenit. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 9. Vineam in pastinato serere.

PASTĪNĀTUS, us, m. idem ac pastinatio. *Plin.* 17, 20, 32. Alba populus seritur bipedaneo pastinatu.

PASTĪNO, as, avi, atum, a. 1. terram fodere, et praeparare, ut in ea pastino pangi quid possit, βωλοστροφέω, σκάπτω: et praesertim cum vites serere volumus. *Colum.* 3, 13. *med.* Nunc pastinandi agri propositum est rationem tradere. At primum ex omni sive arbustivo, sive silvestri loco, quem vineis destinaverimus, omnis frutex atque arbor erui ac submoveri debet: deinde humum totam alte infodere, etc. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 4. Solum in seminario, sive in vinea bidente pastinari debet ternos pedes bipalio alto. *Id.* 18, 26, 65. *n.* 2. Pastinare vineas. *Pall.* 2, 10. Ubi mundae sunt novales, scrobibus pastinemus, aut sulcis.

PASTĪNUM, i, n. *Colum.* 3, 18. Pastinum vocant agricolae ferramentum bifurcum, quo semina panguntur. *Id. ib.* Praetorto capite, et recurvato, ne pastinum effugiat, semen demergere; et *f.* Pangendi optima est ratio recti malleoli, cujus imum caput cum consertum est bifurco pastini, angustis faucibus ferramenti facile continetur ac deprimitur. ℙ Item pastinatio. *Pall.* 2, 10. Pastinum fit tribus generibus, aut terra in totum fossa, aut sulcis, aut scrobibus. *Id.* tamen 3, 9. *f.* pastinum a scrobe, et sulco distinguit. Est enim proprie pastinum, cum terra tota foditur, et ad semina recipienda praeparatur: improprie cum scrobibus aut sulcis id fit. ℙ Item pastinatum, h. e. ipsa terra pastinata, et praesertim quae vitibus conserendis destinatur. *Id. ib. med.* Non est uno genere vitium omne pastinum conserendum. *Id.* 1, 7. Studendo famae tantum, et latitudini pastinorum; et *ib.* 34. Semper altius tribus vel quatuor pedibus, ad pastini similitudinem, fodies hortulum. *Ulp. Dig.* 24, 3, 7. *extr.* Pastinum instituere. Al. leg. *piscinam.*

PASTĬO, onis, f. νομή. *Varr. R. R.* 2, 13. Tota pastio, quae conjungitur a plerisque cum agricultura, magis ad pastorem, quam ad agricolam pertinere videtur. *Id. R. R.* 3, 2. *med.* Duo genera cum sint pastionum: unum agreste, in quo pecuariae sunt, alterum villaticum, in quo sunt gallinae, ac columbae, et apes, et cetera, quae in villa solent pasci. *Colum.* 8. *in.* Quippe villaticae pastiones, sicut pecuariae, non minimam colono stipem conferunt. ℙ Item locus pascendis animalibus idoneus, et ipsum pabulum. *Varr. R. R.* 1, 12. Dandum operam, ut potissimum sub radicibus montis silvestris villam ponas, ubi pastiones sint laxae. *Cic. Manil.* 6. Asia opima et fertilis, et ubertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis. *Varr. R. R.* 2, 10. Qui pascunt, eos cogere oportet in pastione diem totum esse.

[PASTĬTO, as, n. l. V. PASCITO. *F.*]

PASTŌMIS. V. POSTOMIS.

*PASTŌNA, ae, oppidum Armeniae minoris, ad Euphratem fluvium. *Plin.* 5, 24. *B. A.*

PASTOPHŌRI, orum, m. plur. παστοφόροι (a παστὸς, thalamus, aedicula, et φέρω, porto), sacerdotes praesertim apud Aegyptios, ita appellati, quia in pomparum solemnitate Deorum simulacra aediculis ligneis ac deauratis, (ut narrat *Herodot.* 2, 63) inclusa circumferebant; quemadmodum etiam apud nos circumforanea mendicabula solent Jesu Christi, vel B. Virginis, vel alicujus Sancti imagines sculptas, pictasve ita plebi venerandas, osculandasque, stipis captandae causa, offerre. *Appul. Met.* 11. Sed et antistites sacrorum, proceres illi potentissimorum Deum proferebant insignes exuvias, quorum secundus manibus ambabus gerebat altaria, id est auxilia, quibus nomen dedit proprium Deae (*Isidis*) summatis auxiliaris providentia; et *mox:* Paulatim progressi jam ripam maris proximamus. Ibi Deum simulacris rite dispositis, etc.; et *mox:* Sacrorum geruli sumptis rursum, quae quisque detulerant, alacres ad fanum reditum capessunt similis ritu pompae decori. At cum ad ipsum jam templum pervenimus, sacerdos maximus, quique divinas effigies progerebant, intra cubiculum Deae recepti, disponunt rite simulacra spirantia. Tum ex his unus, quem cuncti grammatea dicebant, pro foribus assistens, coetu pastophororum, quod sacrosancti collegii nomen est, velut in concionem vocato, indidem de sublimi suggestu, de libro, de litteris fausta vota praefatus, etc. et *paulo post:* De pastophoris unum conspexi statim; et *f.* Ac, ne sacris suis gregi cetero permixtus deservirem, in collegium me pastophororum suorum adlegit. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 230. Collegium pastophororum Industriensium. Effigiem pastophori videre est ap. *Torremuzza Inscr. Sicil.* p. 308. et pastophorae ap. *Viscont. Mus. Pio. Clem.* T. 7. *tab.* 6. [*Multis haec emendavit *F.*]

PASTOPHŌRĬUM, ii, n. παστοφόριον, conclave prope templum, in quo degebat unus, pluresve pastophori, Deorum simulacra ibidem custodientes. Hujus pastophorii mentio est in Graeca *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 37, 2. *Hieron.* 7. in *Isaj.* 22, 15. *Sochen* שֹׂכֵן autem vel tabernaculum interpretatur, vel pastophorium, hoc est thalamus, in quo habitat praepositus templi.

PASTOR, oris, m. ποιμήν, νομεύς, qui pascendorum animalium, et in pastione custodiendorum curam habet. *Caes. B. C.* 1, 24. Servos pastores armat, atque his equos attribuit. *Hor. Od.* 3, 29, 21. Jam pastor umbras cum grege languido, Rivumque fessus quaerit. *Varr. R. R.* 3, 6. *med.* Pastorem pavonum cum batillo circumire oportet, ac stercus tollere; et 7. Pastorem columbarium quotquot mensibus oportet everrere. *Colum.* 8, 2. *med.* de gallinis: Parandi modus est ducentorum capitum, quae pastoris unius curam distendant. *Paul. Dig.* 32, 1, 66. Pastores anserum. ℙ Saepius dicitur de opilione, et caprario; unde a bubulco distinguitur in illo *Juven.* 11, 151. Pastoris duri est hic filius, ille bubulci. ℙ Translate pastorem populi, ποιμένα λαῶν, regem, aut ducem exercitus, item Ecclesiae, et animarum curatorem recte dicimus, poetice loquendo: nam in prosa oratione, et in agendo, non probatur a *Quint.* 8, 6. *med.*, ut justo humilior. Metaphora enim, inquit, aut vacantem occupare locum debet, aut, si in alienum venit, plus valere eo, quod expellit. ℙ Tiberius Aug. praesidibus onerandas tributis provincias suadentibus, rescripsit: Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. *Suet. Tib.* 32. ℙ [*Pastor* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *B. J. Stoffella Esame di alc. scr. archeol.* p. 54. M. Cornelio M. F. C..... patri, M. Cornelio M. F. Favori fratri, Q. Cornelio Constanti filio Pastor suis, *h. e.* Cornelius Pastor. *F.*]

PASTORĀLIS, e, adj. ποιμενικὸς, ad pastorem pertinens. *Cic. Div.* 1, 48. Ille Romuli auguratus pastoralis, non urbanus fuit. *Varr. R. R.* 2, 1. Pastoralis vita. *Colum. prooem. l.* 1. *med.* scientia. *Id.* 7, 12. canis. *Liv.* 9, 36. habitus. *Ov. Fast.* 2, 365. juventus. *Vell.* 1, 8. manus, *h. e.* caterva pastorum. *Virg. A.* 7, 817. myrtus, *h. e.* qua pugnare solent pastores. Sic *Stat. Th.* 4, 300. hi Paphias myrtos a stirpe recurvant, Et pastorali meditantur proelia trunco. *Sil.* 13, 334. Pastorale baculum. *Virg. A.* 7, 513. signum. *Stat. Th.* 12, 268. tectum. *Nemes. Ecl.* 2, 55. et *Calpurn. Ecl.* 7, 22. O montana Pales, o pastoralis Apollo. V. ADMETUS.

PASTORĀLĬTER, adv. more pastorum. *Venant. in ep. quae est post carm.* 8, 17. Pastoraliter desudet.

PASTORĪCĬUS, a, um, adj. idem ac pastoralis. *Varr. R. R.* 1, 2. Cum homines pastoriciam vitam agerent. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Itaque et ludis, et gladiatoribus mirandas ἐπισημασίας sine ulla pastoricia fistula auferebamus. *Id. Coel.* 11. Fera sodalitas, et plane pastoricia atque agrestis.

PASTORĬUS, a, um, adj. idem quod pastoralis. *Ov. Met.* 2, 682. quo te pastoria pellis Texit. Adde *ib.* 13, 785., *Flor.* 1, 17, et *Calpurn. Ecl.* 5, 105.

PASTŪRĂ, ae, f. pastio, pastus. *Pall.* 10, 8. Usque in Majum mensem ejus pastura sufficiet.

PASTUS, a, um, part. a *pascor:* σιτισθείς, qui pastum seu cibum sumpsit: et fere de bestiis dicitur. *Cic. Cluent.* 25. Bestiae, fame dominante, plerumque ad eum locum, ubi pastae aliquando sint, revertuntur. *Virg. Ecl.* 5, 24. pastos boves agere ad flumina. *Id. G.* 3, 231, *taurus* Frondibus hirsutis, et carice pastus acuta. ℙ Est etiam qui domi pascitur, saginatus, et opponitur agresti. *Edict. Dioclet.* p. 14. Fasianus pastus ✠ ducentis quinquaginta, fasianus agrestis ✠ centum viginti quinque. Anser pastus ✠ ducentis, anser non pastus ✠ centum. ℙ [*De hominibus. *Liv.* 24, 24. dum regiis stipendiis pastus obversaretur miles.] ℙ Cum accus. more Graeco. *Virg. A.* 2, 471. coluber mala gramina pastus. *Plin.* 9, 3, 2. Exeunt marinae belluae pecori similes ibi in terram, pastaeque radices fruticum remeant. ℙ Item comesus, in cibo sumptus. *Ov. Amor.* 3, 5, 17. lente revocatas ruminat herbas, Atque iterum pasto pascitur ante cibo. ℙ Translate. *Cic. Cluent.* 26. *med.* Quaestu judiciario pastus. *Sil.* 13, 582. Et Moeror pastus Fletu, et sine sanguine Pallor; et 14, 421. Ignes pasti bitumine. *Stat. Achill.* 2, 429. Fluvius imbribus assiduis pastus.

PASTUS, us, m. νομὴ, αἴτησις, pabulum, pastura, pastio, cibus fere animalium. *Cic. Fin.* 2, 34. Bestiis terra fundit ex se pastus varios, varieque abundantes; et 13. Hominem, ut tardam aliquam et languidam pecudem, ad pastum et ad voluptatem ortum esse voluerunt. *Id. Off.* 1, 4. Animantia anquirunt pastum et latibula. *Id. N. D.* 2, 47. Pastum capessere et conficere; et *ib.* Animalia alia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt. *Virg. A.* 11, 494. *equus* in pastus, armentaque tendit equarum. *Gell.* 2, 29. *med.* Avis in pastum proficiscitur. *Lucan.* 2, 604. taurus redit in pastus. *Virg. G.* 1, 381. e pastu decedens agmine magno Corvorum increpuit densis exercitus alis. *Gell.* 9, 4. Pecudes pastu atque cultu opimae. ℙ De hominis cibo. *Plin.* 32, 1, 3. Homines, quibus in pastu est, piscem olent. Al. leg. *impactus est. Luer.* 6, 1124. aut fruges persidit in ipsas, Aut alios hominum pastus, pecudumque cibatus. *Cic. Phil.* 11, 2. Populari agros ad praesentem pastum mendicitatis suae. ℙ Translate. *Id. Tusc.* 5, 23. *med.* Mentem alere cum oblectatione solertiae, unus suavissimus pastus animorum.

*PATAGA, oppidum Aethiopiae, vel Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*PATĂGE vel, ut alii volunt, Platage, es, f. vetus nomen Amorgi, maris Aegaei insulae. *Plin.* 4, 12. Quondam Patage, ut alii Platage, nunc Amorgos. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[PĂTĂGĬNO, as, n. l. in modum patagii succresco. *Pelag. Veter.* 25. *med.* Ad vulnera sordida, quae pataginant. *F.*]

PĂTĂGĬĀRĬUS, ii, m. qui patagia facit. *Festus* in *Patagium. Pl. Aul.* 3, 5, 35. Caupones, patagiarii, indusiarii. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 8. *n.* 78. Sex.

Antonius Sex. L. Aristus manulearius, patagiarius.

PĂTĂGĬĂTUS, a, um, adj. cui patagium adsutum est, ut Patagiata tunica, ap. *Festum* in *Patagium*, et *Pl. Epid.* 2, 2, 47.

PĂTĂGĬUM, ii, n. *παταγεῖον*, id quod ornatus causa in muliebri veste circa collum, seu super scapulas addebatur, ut clavus in virili. Videtur esse a *πατάσσω*, percutio, quia patagium scapulas pulsat, ut comae flagellare ora dicuntur. V. FLAGELLO et FLAGELLUM. *Festus:* Patagium est, quod ad summam tunicam assui solet: quae et patagiata dicitur, et patagiarii, qui ejusmodi opera faciunt. *Non.* 14, 19. Patagium aureus clavus, qui pretiosis vestibus immitti solet. *Naevius ib.* Pallis, patagiis, crocotis, manicis. *Tert. Pall.* 3. Pavo est pluma omni patagio inauratior, qua terga fulgent. ℙ Ad crinium ornatum transtulit *Appul. Met.* 2. Uberes crines, leniter emissos, et cervice dependulos, ac deinde per colla dispositos, sensimque sinuato patagio residentes, paulisper ad finem conglobatos, in summum verticem nodus adstrinxerat. *Scal.* interpretatur: Capillus ab imo ad verticem summum nodo collectus humeros tegit patagii modo, et sinum in collo facit. [*Plura emendavit atque ampliavit *F.*]

PĂTĂGUS, i, m. *παταγὸς*, genus morbi, teste *Festo*, idest, ut putat *Scal.* in *Conject.*, capitis conquassatio, morbus pestilens, qui nullum sui relinquit indicium praeter maculas in corporis partibus: a *πατάσσω*, pulso, quod eo homines subito perculsi ac stupefacti moriantur. *Plaut.* quoque in *fragm.* ap. *Macr. Sat.* 5, 19. hujus vocis meminit: sed ne inde quidem explorati quidquam erui potest.

PĂTĂLĒNA. V. PATELANA.

[PĂTĂLĒNĒ, es, f. *παταλήνη*, Indiae insula in ipsis Indi fluminis faucibus cum oppido Patale, ubi sol dexter oritur, umbrae in meridiem cadunt. Ita appellata ab Indico nomine, quo Indi idem significant ac Graeci Deltae nomine, ut habet *Arrian. Exped. Alex. M.* 5, 3. Ejus mentio est ap. *Plin.* 2, 73, 75. et 6, 20, 23. et *Melam* 3, 7. *Avien. Perieg.* 1295. Ora dehinc Indo duo sunt, mediumque per agrum Insula se vasto fundit tergo Patalene. *F.*]

PĂTĂLIS, e, adj. idem ac patulus, ut *Bos patalis*, qui cornua diversa, et valde expansa habet. *Fest.* et *Pl. Truc.* 2, 2, 22. Ego me ruri hamaxari mavelim patalem bovem. [Alii eod. sensu leg. *patulum*. V. PATULUS. *F.*]

[PĂTĂLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Patalen insulam pertinens. *Capell.* 6, 193. Helice in India Patalitano portu prima tantum parte noctis aspicitur. In editionib. perperam legitur *Patavitano. F.*]

*PATĂMI, orum, populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

PĂTĂRĂ, ae, f. *Πάταρα*, urbs Lyciae, in ora maris Pamphylii, in colle, Xantho urbi proxima, al. prope ostia Xanthi fluvii. Dicta est a Pataro filio Apollinis ex Lycia Xanthi filia, vel ab alio Pataro filio Lapeonis. Olim clara fuit templo, et oraculo Apollinis, ut Delphi. Dicitur Patarae responsa dedisse sex mensibus hiemalibus, reliquis sex mensibus Deli. Unde Pataraeus vocatus est. *Serv.* ad *A.* 4, 143., *Plin.* 5, 27, 28. et *Mela* 1, 15.

[PĂTĂRĒNUS, a, um, adj. ad Pataram pertinens, Lyciae urbem, idem ac Pataraeus. Hinc *Patarani*, *orum*, sunt ejus urbis incolae. *Cic. Fl.* 32. Litteras mulieri a me datas apud Pataranos requisivit. *F.*]

PĂTĂRAEUS, a, um, adj. *Παταραῖος*, ad Pataram pertinens. *Ov. Met.* 1, 515. mihi Delphica tellus, Et Claros, et Tenedos, Pataraeaque regia servit. *Stat. Th.* 1, 696. seu te Lyciae Pataraea nivosis Exercent dumeta jugis.

PĂTĂRĒIS, idos, f. patronym. *Παταρηΐς*, quae est a Patara. *Avien. Perieg.* 684. Qua frons tenta salo Patareidos eminet arcis.

PĂTĂREUS, i, m. trisyllab. *Παταρεύς*, nomen Apollinis Pataraei. *Hor. Od.* 3, 4, 62. qui Lyciae tenet Dumeta, natalemque silvam Delius, et Patareus Apollo.

*PATAVICENSES, ium, populi Daciae. *Ulp.* in *Pandect.* 1, 15, 1. *extr. B. A.*

PĂTĂVĪNĪTAS, atis, f. proprietas, seu ratio sermonis Patavini. Refert *Quint.* 1, 5. *med.* et 8, 1. Pollionem in T. Livii historia Patavinitatem deprehendisse; hoc est peculiarem quandam sermonis inflectendi rationem, quae ab ipsius Romae usu aliquantum discederet.

PĂTĂVĪNUS, a, um, adj. ad Patavium pertinens, ut Patavinae tunicae, *Mart.* 14, 143. Patavina volumina, *h. e.* historia Rom. a T. Livio scripta, *Sidon. carm.* 2, 189. ℙ *Patavini*, *orum*, Patavii incolae, *Plin.* 3, 16, 20. et *Cic. Phil.* 12, 4.

PĂTĂVĬUM, ii, n. *Padova*, *Πατάβιον*, urbs Venetiae, condita ab Antenore, in qua Academia totius Europae celeberrima, et amplum Clericorum Seminarium. Fuit in tribu Fabia. *Serv.* ad *A.* 1, 251. putat dictam esse quasi *Padavium* a Padi vicinitate: vel *ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι*, quasi *Petavium*, quod captato augurio dicitur condita: vel quod avem telo petiisse dicitur Antenor, et eo loco condidisse. Alii a palude *Patina*, quae vicina civitati fuisse dicitur: vel a balneis Euganeis, et aquis Aponi, quae cum a Germanis valetudinis gratia frequentarentur, eorum lingua sic appellatae sunt. Ex ea prodiere T. Livius, qui res Romanas scripsit, Paulus J. C., Stella poeta, C. Valerius Flaccus Setinus poeta, qui Argonautica scripsit, Apollonium Rhodium imitatus, Volusius poeta, qui post Ennium rerum gestarum P. R. annales confecit, et Asconius rhetor. *Virg. A.* 1, 251. Hic ille *(Antenor)* urbem Patavi, sedesque locavit Teucrorum. *Sen. Consol. ad Helv.* 7. Quid interest enumerare Antenorem Patavii conditorem, et Evandrum in ripa Tiberis, etc? *Plin.* 3, 19, 23. In mediterraneo regionis decimae, coloniae Cremona, Brixia Cenomanorum agro, Venetorum autem Ateste: et oppida Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicetia. *Mela* 2, 4. Urbium, quae procul a mari habitantur, opulentissimae sunt, ad sinistram Patavium Antenoris, Mutina et Bononia, Romanorum coloniae: ad dextram Capua, etc. *Suet. Tib.* 14. Cum, Illyricum petens, juxta Patavium adisset Geryonis oraculum, sorte tracta, qua monebatur, ut de consultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret, etc. Meminit et *Liv.* 10, 2., ubi navalem Patavinorum pugnam narrat.

PĂTĔFĂCĬO, is, eci, actum, a. 3. *ἀνοίγω*, aperio, patentem facio. *Liv.* 2, 15. Hostibus potius, quam regibus, portas patefacere. *Cic. N. D.* 2, 56. In ea parte oris, qua esculentis et poculentis iter natura patefecit. *Id. Fam.* 13, 78. Huic ego aditum ad tuam cognitionem patefacio et munio. *Id. Off.* 1, 26. Patefacere aures assentatoribus. *Ov. Met.* 3, 104. et presso sulcum patefecit aratro. *Plin.* 11, 37, 55. Morientibus operire oculos, rursusque in rogo patefacere. *Laurea Tull.* ap. *eund.* 31, 2, 3. Patefacere fontem. *Liv.* 28, 14. *med.* et 22. Patefacere ordines, aciem. ℙ Translate ponitur pro declarare, manifestare, palam facere. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Racilius rem patefecit. *Id. Att.* 1, 13. Neque hoc tempore, nec antea patefecisset odium suum in me. *Id. Amic.* 26. Patefacere verum et illustrare. *Id. Fam.* 6, 10. Liberto tuo me totum patefeci. *Id. Fl.* 2. Proferre et patefacere aliquid. *Id. Mil.* 37. Patefacere et proferre. ℙ Pro illuminare, illustrare. *Ov. Met.* 9. *f.* Postera lux radiis latum patefecerat orbem. ℙ Part. *Patefacturus* ap. *Cic. Acad.* 4, 14. Cumque ipsa natura accuratae orationis hoc profiteatur, se aliquid patefacturam. *Patefaciendus* ap. *eund. Fl.* 2. Qui ea proferenda et patefacienda curavit. ℙ Secundam syllabam produxit *Lucr.* 4, 346. Atque patefecit, quas ante obsederat ater. V. PATEFIO.

PĂTĔFĂCTĬO, onis, f. *ἄνοιξις*, apertio, manifestatio. *Cic. Fin.* 2, 2. Atqui haec patefactio quasi rerum opertarum, cum, quid quidque sit, aperitur, definitio est.

PĂTĔFĂCTUS, a, um, part. a *patefacio: ἀνοιχθείς*, apertus. *Virg. A.* 2, 259. Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras Reddit equus. *Prop.* 1, 16, 1. patefacta triumphis Janua. *Tibull.* 1, 3, 36. Tellus in longas est patefacta vias. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 27. Alpes bello patefactae. ℙ Detectus, deprehensus. *Ov. Met.* 9, 314. junctasque manus patefacta remisit Diva potens uteri. *Cic. Cat.* 3, 6. *f.* Lentulus patefactus indiciis et confessionibus suis. *Id. Sull.* 2. Conjuratio patefacta. ℙ Divulgatus, ostensus, manifestatus. *Cic. Div.* 1, 39. Neque ante philosophiam patefactam, quae nuper inventa est, hac de re communis vita dubitavit. *Id. Sull.* 16. Veritatem patefactam contaminare aliquo mendacio. *Id. Acad.* 4, 39. Potest fieri, ut patefacta et detecta mutentur.

PĂTĔFĪO, is, actus sum, n. pass. anom. *ἀνοίγομαι*, aperior, ostendor, manifestor. *Prop.* 3, 19. *f.* Nec flenti dominae patefiant nocte fenestrae. *Caes. B. G.* 3, 1. Iter per Alpes patefieri volebat. *Ter. Ph.* 5, 4, 6. Si hoc celatur, in metu; sin patefit, in probro sum. *Lucr.* 6, 998. facile hinc ratio reddetur, et omnis Causa patefiet, quae ferri pelliciat vim. Ubi secundam syllab. producit, cum tamen et ipse alibi, et alii fere corripiant. V. PATEFACIO.

PĂTĔLĂNĂ, ae, f. Dea frumento praeses, ut cum folliculi patescebant, spica exiret. *August. C. D.* 4, 8., ubi alii leg. *Patelena:* alii *Patalena*. V. PAVERA.

PĂTELLĂ, ae, f. *λοπάς*, dimin. patinae, sed idem fere significans. Est autem vas fictile, aut aereum, cibis tum coquendis, tum mensae inferendis idoneum. De fictili *Mart.* 14, 114. cujus lemma *Patella Cumana*. Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere testam, Municipem misit casta Sibylla suam. Adde *Juven.* 6, 343. ℙ De aerea *Id.* 10, 63. ex facie toto orbe secunda Fiunt urceoli, pelves, sartago, patellae. ℙ Cibis coquendis *Mart.* 5, 78. Nigra cauliculus virens patella. *Plin.* 19, 8, 54. Sinapi pro pulmentario in patellis decoctum. *Id.* 30, 8, 21. Cicadae tostae in patellis. *Varr.* ap. *Prisc.* 6, 681. Multifariam in patellis coquere caepe. ℙ Inferendis *Juven.* 5, 85. Sed tibi dimidio constrictus cammarus ovo Ponitur, exigua feralis coena patella. *Mart.* 13, 81. Quamvis lata gerat patella rhombum, Rhombus latior est tamen patella. *Varr.* ap. *Non.* 15, 6. Patella esurienti posita provocat Neapolitanas piscinas. ℙ Promiscue *Hor. Ep.* 1, 5, 2. Nec modica coenare times olus omne patella. *Pers.* 4, 17. Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella Semper, et assiduo curata cuticula sole, *h. e.* laute epulari: metonymia. ℙ Item vas in sacrorum usum. *Festus:* Patellae, vascula parva sacris faciendis apta, quae erant velut capidulae quaedam. In his apponebantur Diis cibi, praesertim Penatibus, Laribusque. *Varr.* ap. *Non. l. c.* Oportet, bonum civem legibus parere, et Deos colere, in patellam dare *μικρὸν χρέας*. *Cic. Verr.* 2, 4, 21. Patella grandis cum sigillis, ac simulacris Deorum. *Id. Fin.* 2, 7. *f.* Reperiemus asotos ita non religiosos, ut edant de patella. *Ov. Fast.* 6, 310. Fert missos Vestae pura patella cibos. *Pers.* 3, 26. cultrixque foci secura patella est. Adde *Ov. Fast.* 2, 634., *Liv.* 26, 36. et *Val. Max.* 4, 4. *n.* 3. ℙ A similitudine sic dicitur os rotundum, latumque, molle et cartilaginosum in genu, ut *Cels.* 8, 1. *f.* et 21. docet, *ἐπιγονυὶς*, *μύλη*. ℙ *Accessit patellae dignum operculum*, et *Invenit patella operculum* proverb. est ap. *Hieron.* quod V. in OPERCULUM. ℙ Item morbus olearum, de quo *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 4. Olea, praeter vermiculationem, clavum etiam patitur, sive fungum placet dici, vel patellam. ℙ Denique *Patella* et *Patellana* nomina Dearum sunt. *Arnob.* 4, 131. Patellana numen est, et Patella: ex quibus una est patefactis, patefaciendis rebus altera praestituta. *Patelana*, seu *Patelena* eadem est.

PĂTELLĀNĂ. V. v. praec.

PĂTELLĀRĬUS, a, um, adj. ad patellam spectans. Patellarii Dii, iidem ac Lares, sic vocati, quia non e potu modo in focum, qui Larium sedes, aliquid iis veteres defunderent, sed e cibis quoque in patella aliquid in focum deferrent, quemadmodum monet *Vet. Schol.* in illud *Persii* 3, 26. Cultrixque foci secura patella. Ac tangit eum morem quoque *Varro* ap. *Non.* 15, 6. his verbis: Oportet, bonum civem legibus parere, et Deos colere, in patellam dare *μικρὸν χρέας: idest* parum carnis. *Pl. Cist.* 2, 1, 46. Dii me omnes, magni, minutique, et patellarii faxint, etc.

PĂTĔNA, ae, f. vas latum, et patens: idem quod patina. *Phaedr.* 1, 26. Vulpes ad coenam dicitur ciconiam Prior invitasse, et illi in patena liquidam Posuisse sorbitionem. Al. leg. *patina:* quae varietas est etiam in locis *Varr.* ap. *Non* 15, 26. et *Colum.* 12, 43. Ap. *Veg.* vero *Vet.* 1, 56. ita legitur: Patena quae appellatur, hoc est alveus ad hordeum ministrandum, sit munda semper. Item in *Not. Tir.* p. 164. Calix, patena.

PĂTĔNS, entis, part. a *pateo: ἀνεῳγμένος*, apertus. Differt a *patulo*, quia *patens* est, quod ad tempus patet, ut janua, *patulum*, quod semper patet, ut coelum, arbor. Ita *Serv.* ad *Ecl.* 1, 1. Sed haec differentia non observatur. *Cic. Div.* 1, 1. Cum coelum ex omni parte patens atque apertum intuerentur. *Caes. B. G.* 7, 28. Hostes in foro, ac locis patentioribus constiterunt. *Hor. Od.* 2, 16, 1. in patenti Prensus Aegaeo. *Sall. Jug.* 108. et 113. Patentes campi. *Colum.* 12, 6. Dolium quam patentissimi oris locato in ea parte villae, etc. *Liv.* 7, 36. *med.* Via patentiore ad hostem ducuntur. *Cic. Quint.* 30. Domus patens et exposita cupiditati, et voluptatibus.

PĂTĔNTER, adv. *ἀνεῳγμένως*, aperte. *Cic. Inv.* 2, 23. Sed patentius, et expeditius recti et non recti quaestionem continet.

PĂTĔO, es, ui, n. 2. *διακαλύπτομαι*, *ἀνέῳγμαι*, *ἔκκειμαι*, apertus sum. [*Factum est a *pando*, extrita litera *n* eadem ratione, qua *scateo* a *scando*. V. *Doederl.* 2, 74.] *Cic. N. D.* 2, 57. *f.* Nares semper propter necessarias utilitates patent. *Virg. A.* 6, 127. Noctes atque dies patet atri janua Ditis. *Plin. ep.* 2, 17. Fenestrae patent. *Ov. Met.* 2, 768. Concussae patuere fores. *Cic. Att.* 10, 12. Si nobis is cursus, quem speraram, pateret. *Id. Brut.* 4. Ad quos omnis nobis aditus, qui paene solis patuit, obstructus est. *Caes. B. G.* 7, 8. Ne singulari quidem homini unquam eo tempore anni semitae patuerant. *Liv.* 27, 18. *f.* Jam ne fugae quidem patebat locus. *Cic. Verr.* 2, 4, 3. Omnibus haec ad visendum patebant quotidie. ℙ [*Aures* dicuntur *patere* ejus, qui aliquid libenter audit. *Cic. Q. Fr.* 1, 86. Constare inter omnes video — facillimos esse aditus ad te; patere aures tuas quaerelis omnium. *Fam.* 3, 36. Non tantam mihi videntur injuriam facere ii, qui haec disputant, quam si cujus aures ad hanc disputationem patent. *Phil.* 14, 7. Memoria tenent, — meam domum measque aures dies et noctes omnium praeceptis monitisque patuisse. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Item expositus sum. *Liv.* 31, 39. *med.* In patentem vulneri equum, equitemque sagittas conjicere poterat. *Virg. Cul.* 194. Horrida squamosi volventia membra draconis, Atque reluctantis, crebris, foedeque patentis, Ictibus ossa ferit. *Cic. Off.* 1, 21. *med.* In philosophorum vita minus multa patent, quae fortuna feriat. ℙ Item extendor. *Caes. B. G.* 1, 2. et *ib.* 2, 7. Helvetiorum fines in longitudinem millia passuum CXL., in latitudinem CLXXX. patebant. *Plin.* 12, 14, 30. Schoenus

patet, Eratosthenis ratione, stadia XL., hoc est passuum quinque millibus. [*V. *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 1, 10. Quaedam ejusdem generis exempla praebet etiam *Gloss. Liv.* s. h. v. Item *B. Crus.* in *cl. Suet.*] ℙ Translate est vim magnam habere, amplae naturae esse, late pertinere. *Cic. Off.* 1, 7. *extr.* In quo vitio latissime patet avaritia; et *ib.* 26. et *Or.* 1, 55. Rerumpubl. administratio latissime patet, ad plurimosque pertinet. ℙ Item obnoxium, opportunum esse. *Cels.* 2, 1. Longis morbis senectus, acutis adolescentia magis patet. ℙ Item acquisitu facilem esse, permitti, concedi. *Cic. Balb.* 9. Contumeliosum est, his praemiis, et his honoribus exclusos esse fidelissimos socios, quae pateant stipendiariis, pateant hostibus, pateant saepe servis. *Nep. Att.* 6. Honores non petiit, cum ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem. ℙ Patere etiam dicuntur, quae in potestate sunt. *Cic. Fam.* 6, 10. Ut intelligant, omnia Ciceronis patere Trebiano. *Sall. Cat.* 10. Populi vi subacti, Carthago interiit, cuncta maria terraeque patebant. [V. *Kritz.* ad h. l.] *Cic. Fam.* 13, 29. Res familiaris Capitonis praesto fuit, et patuit et temporibus, et fortunae meae. *Plin. ep.* 5, 19. *f.* Rogo, scribas tuis, ut illi villa et domus pateat. ℙ Item qui alii se praebent in re turpi. *Ov. Met.* 14, 133. et *A. Am.* 1, 362. *Auct. Priap.* 83. ℙ Est etiam *patere* constare, notum fieri, manifestum esse. *Pl. Capt.* 3, 3, 9. Operta quae fuere, aperta sunt: patent praestigiae. *Cic. Or.* 1, 6. *f.* Cum illa pateant, in promptuque sint omnibus, neque ea interpretatione mea aut ornatius explicari, aut planius exprimi possint. *Ov. Fast.* 4, 17. Sensimus, et subito causae patuere dierum. *Hor. Sat.* 2, 4, 45. Piscibus atque avibus quae natura et foret aetas, Ante meum nulli patuit quaesita palatum. ℙ Saepe hac notione usurpatur impersonaliter. *Cic. Tusc.* 1, 23. Cum pateat, aeternum id esse, quod se ipsum moveat. *Id. Mil.* 6. Quid porro quaerendum est? factum ne sit? at constat: a quo? at patet. ℙ Habet locum in rationibus. *Cic. Phil.* 2, 37. Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quae sunt ad Opis, patebat? *Id. Rosc. Com.* 2. Non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum, confitetur: sed in adversariis patere, contendit. ℙ Quid sit *mundum patere*, V. in MUNDUS. ℙ [*Confund. *patere* et *parere:* v. h. v. in f.]

PĂTER, tris, m. *πατήρ*, parens, genitor: a Graeca voce allata. *Ter. Ad.* 5, 7, 3. Hem pater mi, tu hic eras? *De.* tuus hercle vero et animo et natura pater. *Cic. Rosc. Am.* 16. Si tibi natura non dedit, ut patre certo nascerere. *Liv.* 4, 3. *med.* Servius Tullius captiva Corniculana natus, patre nullo, matre serva, *h. e.* obscuro genere. *Claud. IV. cons. Honor.* 293. Gerere patrem. ℙ Aliquando latius patet, et dicitur de avis, patruis, aliisque, qui temporibus avorum vixerunt: nam ultra id tempus *majores* fere dicuntur. *Plin.* 7, 13, 11. Q. Metellus Macedonicus cum sex liberos relinqueret, undecim nepotes reliquit, nurus vero, generosque, et omnes, qui se patris appellatione salutarent, viginti septem. *Cic. Or.* 5. M. Antonius, cui vel primas eloquentiae patrum nostrorum tribuebat aetas. *Id. Off.* 3, 11. Male qui peregrinos urbibus uti prohibent, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper. *Id. Or.* 1, 40. Quod usu, memoria patrum, venit, ut, etc. *Id. Div. Verr.* 22. Cujus consuetudinis patres majoresque nostros non poenitebat. ℙ *Patres*, h. e. parentes, pater et mater simul: habetur in *Inscr.* ap. *Grut.* 656, 2., 692, 1., 704, 1. et 707, 5. Quidam huc referunt illud *Ov.* de Pyramo et Thisbe *Met.* 4, 60. taedae quoque jure coissent: Sed vetuere patres. Verum cum dixerit *Id. ib.* 143. miseri, meus illiusque, parentes Componi tumulo non invideatis eodem: videtur per *patres* indicasse patrem tum Pyrami, tum Thisbes; ideoque de hac significatione vocis remanet tantummodo auctoritas inscriptionum supra citatarum, quae non optimae notae sunt. ℙ Saepe nomen est reverentiae. Unde quos Romulus centum senatores delegit, qui in republica administranda sibi consilio adessent, *patres* dicti, eorumque progenies *patricii*, ut *Liv.* 1, 8. *extr.* narrat: idque tum honoris causa; tum quia sic consulere civibus, sicut patres filiis, debebant. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 8. *in.* Principes *(senatores)*, qui appellati sunt propter caritatem patres. *F.*] Hinc celebre illud discrimen, *patrum*, et *plebis* ap. *Liv.* passim, *Tac.*, *Flor.* etc. V. CONSCRIPTUS. Neque senatoribus solum, sed aliis eximiis reverendisque viris *patris* nomen datur. *Virg. A.* 9, 449. imperiumque pater Romanus habebit. *Hor. Sat.* 1, 3, 126. non nosti, quid pater, inquit, Chrysippus dicat. *Pl. Rud.* 1, 2, 15. Pater salveto, amboque adeo. ℙ Item paterni affectus. *Claud. III. cons. Honor.* 157. Indue mente patrem: crescentes dilige fetus. ℙ Et paternae similitudinis. *Id. IV. ib.* 517. Quantus in ore pater radiat! ℙ Item religionis, tribuitur enim Diis tum majorum, tum minorum gentium. Hinc *pater* ap. poetas passim Juppiter. *Virg. G.* 1, 328. Ipse pater, media nimborum in nocte, corusca Fulmina molitur dextra. *Id. A.* 3, 35. Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis. *Liv.* 2, 10. *med.* Tiberine pater, te sancte precor. *Prop.* 4, 3, 47. cum pater altas Africus in glaciem frigore nectit aquas. *Val. Fl.* 8, 70. Somne pater. *Petr. Sat.* 120. Ditis pater. *Virg. A.* 8, 454. Lemnius pater, *h. e.* Vulcanus. *Id. G.* 2, 7. Huc, pater o Lenaee, veni. *Lact.* 4, 3. Omnem Deum necesse est inter solemnes ritus patrem nuncupari: quod Lucilius in Deorum concilio irridet: Ut nemo sit nostrum, quin pater optimu' Divum. Ut Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars, Janu', Quiriu' pater nomen dicatur ad unum. ℙ Speciatim illi Divi dicuntur *patres*, qui effectores, genitores, conditoresque rerum habentur, ut Juppiter, Neptunus, Bacchus: ille qui est *Divum pater* ap. *Virg. A.* 1, 69. Neptunus, qui dicitur ab *eod. G.* 4, 382. *pater rerum.* Bacchus, quem, ut ait *August. C. D.* 7, 21., liquidis seminibus, ac per hoc et liquoribus fructuum, et seminibus animalium praefecerunt. Sic *Colum.* 10, 200. pater aequoreus, *h. e.* Oceanus. *Lucr.* 1, 250. Postremo pereunt imbres, ubi eos pater aether In gremium matris terrai praecipitavit. Sic ab *eod.* 3, 9. *pater* dicitur Epicurus novae philosophiae et sectae auctor et conditor; et *Petr. Sat.* 132. Ipse pater veri doctus Epicurus in arte. Sic Aeneas saepe *pater* dicitur a *Virg.*, quia primus auctor, et parens Romanae gentis; et *Enn.* ap. *Non.* 4, 385. Te nunc sancta precor Venus, et genetrix patri' nostri. [*Ov. *Fast.* 2, 127. de Romulo Romae conditore: Sancte pater patriae, tibi plebs, tibi curia nomen Hoc dedit. *B. A.*] ℙ *Pater patrum*, et *pater sacrorum*, et *pater et hieroceryx*, et *pater nomimus* dicebatur summus Mithrae sacerdos. *Inscr.* ap. *Grut.* 28, 2. Pater patrum Dei Solis invicti Mithrae; et 315, 5. Junio Postumiano V. C. patri patrum Dei Solis invicti Mithrae ordo sacerdotum magistro suo; et 1102, 2. Vettio Agorio Praetextato V. C. hierophantae, patri sacrorum; et 27, 4. Ulpius Egnatius Faventinus V. C. pater et hieroceryx. V. aliam in NOMIMUS. ℙ *Pater patriae* est honorificentissima appellatio ejus, qui belli, aut pacis artibus patriam servaverit, aut insigniter auxerit. Ita salutatus est Cicero, detecta Catilinae conjuratione, postea C. Julius Caesar, Octavianus Augustus, aliique deinceps imperatores, pauci ob merita, plerique adulatione. *Juven.* 8, 244. sed Roma parentem, Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit. [*Cf. *Plin.* 7, 30. *f.* Salve primus omnium Parens Patriae appellate. *Cic. Pis.* 3. *in.* Me Q. Catulus, princeps hujus ordinis, et auctor publici consilii, frequentissimo senatu, parentem patriae nominavit. *Id. Sext.* 57. Me me ille absentem, ut patrem, deplorandum putabat, quem Q. Catulus, quem multi alii saepe in senatu patrem patriae nominarant. V. *Plutarch. vit. Cic.* p. 872. T. 1. ed. *Lutet. Paris.* 1624. et quos laudat *J. Rauld. Animadv.* 32. p. 121. sq. *De Mario Cic. Rabir.* 27. Patriae pater, parens libertatis atque reipublicae. Cf. *Plin. Pan. c.* 21. *Sen. Clem.* 1, 14. qui ibi causam nominis reddit. ℙ De *Patris patriae* titulo in nummis, V. *Spanh. Diss.* 12. p. 445. qui etiam de *Patris* appellatione defunctis Imperatoribus tributa agit p. 448. itemque de *Patre castrorum, exercitus*, etc. p. 451. *B. A.*] ℙ *Paterfamilias*, et *paterfamiliae* (quod et divisim scribitur) est familiae caput, herus, dominus. V. MATERFAMILIAS. *Paul. Dig.* 50, 16, 195. Pater familias appellatur, qui in domo dominium habet: recteque hoc nomine appellatur, quamvis filium non habeat: non enim solam personam ejus, sed et jus demonstramus. Denique et pupillum patrem familias appellamus: et cum pater familias moritur, quotquot capita ei subjecta fuerunt, singulas familias incipiunt habere: singuli enim patrum familiarum nomen subeunt, idemque eveniet in eo, qui emancipatus est. Haec *Paulus.* ℙ Saepe refertur ad curam rei familiaris. *Cic. Quint.* 3. C. Quintius fuit P. Quintii hujus frater, sane ceterarum rerum paterfamilias et prudens, et attentus. *Id. fragm.* ap. *Non.* 9, 5. Bono patrisfamilias colendi, aedificandi, ratiocinandi quidam usus opus est. *Nep. Att.* 4. Cum rei familiari tantum operae daret, quantum non indiligens deberet paterfamilias; et 13. Neque vero minus ille vir, bonus paterfamilias habitus est, quam civis: nam cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus aedificator. *Sen. Ben.* 4, 27. *f.* Malus paterfamilias habebitur, qui negotiorum gestorum damnato patrimonii sui curam mandaverit. *Cato R. R.* 2. ejus officia percenset. ℙ Interdum ponitur pro simplici plebejo, et rudi homine. *Cic. Or.* 1, 29. De hoc uno minime est facile praecipere, non mihi modo, qui sicut unus paterfamilias his de rebus loquor, sed etiam ipsi Roscio; et *ib.* 34. *f.* Effudi vobis omnia, quae sentiebam: quae fortasse, quemcumque patremfamilias arripuissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percontantibus respondisset. Huc pertinere videtur et illud *Caes. B. C.* 2, 44. Quibus rebus accidit, ut pauci milites, patresque familiae, qui aut gratia, aut misericordia valerent, aut naves adnare possent, recepti, in Siciliam incolumes pervenirent. ℙ De altera forma, praeter *Caes.* modo allatum, *Liv.* 1, 45. Bos in Sabinis nata cuidam patrifamiliae. *Sen. ep.* 47. *med.* Dominum, patremfamiliae appellaverunt; servos, familiares. Adde *Auct. dial. de Or.* 22., *Varr.*, *Brutum*, et *Gracchum* ap. *Charis.* 1, 83. et *Fest.* in *Familia.* [*V. in FAMILIA.] ℙ In plur. num. *Cic. Rosc. Am.* 15. Patresfamilias, qui liberos habent, etc. *Id. Verr.* 2, 3, 79. et *Rosc. Am.* 16. et *Liv.* 5, 30. *f.* Patribusfamilias, viris bonis, atque honestis. *Suet. Cal.* 26. *extr.* Patresfamiliarum notos subjiciebat. Adde *Sisenn.* ap. *Varr. L. L.* 7, 38. *f.* ℙ *Pater patratus.* V. PATRATUS. ℙ De bestiis. *Ov. A. Am.* 1, 522. virque, paterque gregis, *h. e.* hircus. *Petr. Sat.* 133. *f.* tuas hircus pecoris pater ibit ad aras. Adde *Colum.* 6, 37. ℙ Facete *Catull.* 21, 1. de valde paupere: Aureli, pater esuritionum, Non harum modo, sed quot aut fuerunt, Aut sunt, aut aliis erunt in annis. ℙ Contra *pater coenae* dicitur ab *Hor. Sat.* 2, 8, 7. qui coenam praebet, convivator.

PĂTĔRĂ, ae, f. *κρατήρ*, poculi genus planum ac patens, ut *Macr. Sat.* 5, 21. docet, cujus usus etiam in sacris plurimus: in monumentis vero marmoreis tum etiam in nummis symbolum fuit VII. vir. epulonum, ut ostendit *B. Borghesius Dec. numism.* 7. *n.* 7. *Varr. L. L.* 4, 26. In poculis erant paterae, eo quod pateant, Latine ita dictae. Hisce etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendae causa, cum magistri fiunt, potio circumfertur: et in sacrificando Diis hoc poculo magistratus dat Deo vinum. *Cic. Brut.* 11. Themistoclem ajunt, cum taurum immolavisset, excepisse sanguinem patera, et eo poto, mortuum concidisse. *Virg. A.* 1, 732. gravem gemmis auroque poposcit, Implevitque mero pateram. *Ov. Met.* 9, 160. Vinaque marmoreas patera fundebat in aras. *Hor. Sat.* 1, 6, 118. Coena ministratur pueris tribus, et lapis albus Pocula cum cyatho duo sustinet: adstat echinus Vilis, cum patera guttus, Campana supellex. *Plin.* 33, 12, 54. Fabricius bellicosos imperatores plus quam pateram et salinum ex argento habere vetabat.

[PĂTĔRCŬLĂRĬUS, a, um, adj. ad Paterculum pertinens. *Not. Tir.* p. 55. Paterculus, patercularius. *F.*]

[PĂTĔRCŬLUS, i, m. dimin. patris. Est cogn. R., ut C. Vellejus Paterculus historicus Latinus, de quo V. in VELLEJUS. *F.*]

PĂTERFĂMĬLĬAS. V. PATER.

*PĂTĔRĬA, ae, insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[PĂTĔRĬO, onis, m. dimin. patris, idem ac paterculus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 521, 7. Antonius Paterio. *F.*]

[PĂTĔRĬUS, a, um, adj. idem ac paternus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1784, 8. M. Ulpius Paterius. *F.*]

*PĂTERNALĬTER, adv. *Vet. Interpr. Irex.* 1, 1. *B. A.*

PĂTERNĪTAS, atis, f. conditio, et affectus patris. *August. ep.* 232. Episcopali paternitate Ecclesiae providere.

PĂTERNUS, a, um, adj. *πατρῷος*, *πατρικὸς*, *πάτριος*, ad patrem pertinens, patrius. *Cic. Phil.* 13, 17. Paucis diebus in domum, et in hortos paternos immigrabit. *Id. Coel.* 14. Bona paterna et avita. *Hor. Ep.* 1, 15, 26. rebus maternis atque paternis Fortiter absumptis. *Virg. A.* 3, 121. pulsum regnis cessisse paternis Idomenea ducem; et *ib.* 10, 225. Cui genus a proavis ingens, clarumque paternae Nomen erat virtutis. *Caes. B. C.* 2, 25. Huic paternum hospitium cum Pompejo intercedebat, *h. e.* a patre initum. *Nep. Ann.* 1. Hic velut hereditate relictum odium paternum erga Romanos sic confirmavit, ut, etc. *h. e.* quo pater suus Romanos oderat. *Ov. Met.* 9, 273. neque adhuc Stheneleius iras Solverat Eurystheus: odiumque in prole paternum Exercebat atrox, *h. e.* quo prolis patrem oderat. *Ter. Heaut.* 5, 2, 38. Matres omnes filiis in peccato adjutrices, auxilio in paterna injuria solent esse, *h. e.* qua filii patres afficiunt. *Ov. Met.* 2, 126. monitis parere paternis. *Hor. Od.* 2, 2, 5. Vivet extento Proculejus aevo Notus in fratres animi paterni. *Ter. Ad.* 3, 4, 3. Ex illan' familia tam illiberale facinus est ortum? o Aeschine, pol haud pateruum istuc dedisti. ℙ De Virgine paterna *Statii* V. in PATROUS. ℙ *Paternus casus*, qui et *patrius*, apud grammaticos est genitivus, quia per eum pater demonstratur, ut ait *Prisc.* 5, 670. ℙ Item ad patriam pertinens. *Hor. Od.* 1, 20, 5. Care Maecenas eques, ut paterni Fluminis ripae, etc. *Ov. Her.* 13, 100. Non est, quo properes, terra paterna tibi. ℙ De bestiis. *Colum.* 6, 37. Ubi asina et onagro natus admittitur equae, quidquid ex eo provenit, paternam formam refert. Adde 7, 2. *f.* ℙ [*Paternus* est etiam cogn. R. ap. *Mart.* 12, 53. *F.*]

*PĂTERONNĒSOS, i, (*πατέρων νῆσος*, *h. e.* patrum insula,) maris Aegaei insula. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

PĂTESCO, is, n. 3. *ἀνοίγομαι*, patens fio, aperior. *Virg. A.* 2, 483. Apparet domus intus, et

atria longa patescunt; et *ib.* 3, 530. Crebrescunt optatae aurae, portusque patescit Jam propior. *Plin.* 22, 22; 46. Si serpens patescentem fungum adhalaverit. ℙ Item extendor, pateo. *Liv.* 22, 4. Via interest perangusta, deinde paulo latior patescit campus; et *Tac. H.* 4, 78. Neque enim poterat patescere acies, impedientibus tentoriis sarcinisque. *Id. G.* 30. Non ita effusis ac palustribus locis, ut ceterae civitates, in quas Germania patescit; et *Ann.* 2, 61. *extr.* Syene claustra olim R. imperii, quod nunc rubrum ad mare patescit; et *Liv.* 32, 27. Crescentibus jam provinciis, et latius patescente imperio. ℙ Translate est apparere, ostendi, manifestum fieri. *Virg. A.* 2, 309. Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt Insidiae. *Cic. Phil.* 14, 6. Quae res patescit, P. C., sed suo tempore totius hujus sceleris fons aperietur. Al. aliter leg. *Plin.* 6, 23, 26. Nec pigebit totum cursum exponere, nunc primum certa notitia patescente. ℙ Legitur et *patisco. Sen. ep.* 94. *med.* Fulgores coeli patiscentis, *h. e.* chasmata. Al. leg. *fatiscentis.*

PATĔTUS, a, um, adj. *παητὸς*, calcabilis, calcatus: a *πατέω*, calco. Ita appellatae sunt palmulae, seu caryotae quaedam, de quibus sic *Plin.* 13, 4, 9. *med.* Tertium ex his *(caryotis)* genus, patetae, nimio liquore abundat, rumpitque se pomi ipsius, etiam in sua matre, ebrietas calcatis similis. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 18. et *Tard.* 4, 8. Palmulae, quas patetos appellant.

PATHĔTĬCĒ, adv. affectus adhibendo, seu permovendo. *Macr. Sat.* 4, 6. Utrumque Virgilius bene pathetice tractavit.

PATHĔTĬCUS, a, um, adj. *παθητικὸς*, qui constat affectibus. *Macr. Sat.* 4, 2, 5. et 6. Pathetica oratio, *h. e.* quae ad indignationem, ad misericordiam, et ceteros animi motus dirigitur.

PATHĬCUS, a, um, adj. *παθικὸς*, qui praeposteram Venerem patitur: a *παθέω* pro *πάσχω*, patior. De feminis usurpat *Auct. Priap.* 25, 41. et 76. ℙ Praecipue dicitur de viris, qui muliebria patiuntur. *Catull.* 16, 2. Aureli pathice, et cinaede Furi. *Juven.* 2, 99. Ille tenet speculum pathici gestamen Othonis. ℙ Per translationem de rebus inanimatis, pro lascivo, vel obsceno. *Mart.* 12, 96. Musaei pathicissimi libelli.

*PATHISSUS, i, Daciae fluvius, nunc *the Theis. Plin.* 4, 12. ℙ Scribitur et *Pathyssus. B. A.*

*PATHMETĬCUM OSTIUM Nili meminit *Mela* 1, 9. *extr.* ℙ *Plin.* 5, 10. est *Phatniticum*, *Straboni* autem *Φαννικόν. B. A.*

[PATHŪSA, ae, f. *παθοῦσα*, quae passa est, part. aor. 2. act. a *πάσχω*, patior. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 689, 14. Julia Pathusa. *F.*]

PĂTĪBĬLIS, e, adj. quem pati possumus, tolerabilis. *Cic. Tusc.* 4, 23. Contemnendae res sunt humanae: negligenda mors: patibiles et dolores, et labores putandi. ℙ Item qui pati potest, *παθητικός. Id. N. D.* 3, 12. Cum omne animal patibilem naturam habeat. ℙ Item qui patitur. *Lactant.* 2, 9. *med.* Ignis quasi masculinum elementum est, aqua quasi femininum: alterum activum, alterum patibile.

PĂTĪBŪLĀTUS, a, um, part. ab inus. *patibulo*, patibulum, seu furcam ferens, patibulo affixus. *Pl. Most.* 1, 1, 53. Ita te forabunt patibulatum per vias stimulis. *Appul. Met.* 4. Grandi clavo manum ducis nostri ad ostii tabulam offigit, et exitiabili nexu patibulatum relinquens, etc. Al. leg. *patibulum*, adjective, h. e. patibulo affixum: quo sensu addunt illud *Plauti fr.* ap. *Non.* 3, 183. Patibulus ferar per urbem, deinde affigar cruci. Sed hic quoque locus incertam lectionem habet.

PĂTĪBŪLUM, i, n. *σταυρὸς*, proprie idem est ac furca, quo nomine intelligitur rectus stipes, sed cum duobus cornibus, qui Graecae litterae Y figuram refert. Differt a cruce: nam crux litterae T similis erat. Veteres pro instrumento supplicii usi sunt. Facinorosi inter cornua patibuli cervices interserebantur, eornmque manus cornibus, sive ramis alligabantur: exinde sic gestantes furcam, sive patibulum, a pone sequente carnifice, vel conservis caedebantur virgis. *Pl. Mil.* 2, 4, 7. Credo tibi esse eundum actutum extra portam, dispessis manibus patibulum cum habebis. *Tac. A.* 14, 33. *extr.* Sed caedes, patibula, ignes, cruces, tanquam reddituri supplicium, ac praerepta interim ultione, festinabant. *Sall. fr.* ap. *Non.* 4, 355. Patibulo eminens affligebatur. Quo loco *patibulum* pro ipsa cruce videtur usurpari. V. *Salm.* et *Lips. de Cruc.* ℙ Patibulum item usurpatum reperitur pro sera lignea, qua ostia clauduntur, teste *Non. l. c.*, qui causam nominis affert, quod hoc ligno remoto valvae pateant. *Titin. ib.* Si quisquam hodie praeter hanc posticum nostrum pepulerit, patibulo hoc ei caput defringam. ℙ Est praeterea patibulum lignum quoddam curvum, vel duo ligna transversim alligata, quibus agricolae vitium ramos curvant, quo fecundiores sint. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 27. Novariensis agricola traducum turba non contentus, impositis etiamnum patibulis palmites circumvolvit. ℙ In illo *Cat. R. R.* 26. et 68. Vindemia facta, vasa torcula, corbulas fiscinas, funes, patibula, fibulas, jubeto suo quidquid loco condi. *Turneb. Advers.* 6, 23. *extr.* intelligit binas scalas uno axiculo conjunctas in summo, quae divaricatae usum praebent scandendi ad summas vites in vindemia. *Auson. Popma de instrum. fundi, c.* 11. *f.* dicit, esse fustes validiores, quorum usus in torculari ad aliquid moliendum, muniendum, aut ferendum. Similiter exponit locum *Titinii* allatum, qua in re cum *Non.* convenit, qui seram esse cum ajat, vectem ipse quoque intelligit: nam veterum sera vectis, seu fustis fuit.

PĂTĪBŪLUS, i, m. patibulum. *Varr.* ap. *Non.* 3, 183. Deligata ad patibulos. ℙ Item adjective patibulum ferens. V. PATIBULATUS.

PĂTĬENS, entis, part. a *patior:* ferens, tolerans. *Cic. Or.* 2, 75. In quo ego nimium patiens et lentus existimor. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Medios ille agros secat, navium patiens. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 14. Meae quoque litterae te patientiorem lenioremque fecerunt. *Id. Lig.* 8. Ut ne offendam tuas patientissimas aures. *Plin.* 11, 37, 76. Patiens vetustatis, *h. e.* diu durans. *Virg. G.* 2, 223. Tellus patiens vomeris, *h. e.* quae facile vomere proscinditur; et *ib.* 472. Et patiens operum, exiguoque assueta juventus. Adde *A.* 9, 607. Sic *Stat. Th.* 10, 356. quamvis patientior artus Ille, nec abruptis adeo lacrimabilis annis; et *Caes. B. C.* 3, 96. Miserrimo et patientissimo exercitui Caesaris luxuriam objiciebant. *Suet. Caes.* 61. Equus patiens sessoris. *Virg. A.* 7, 490. Cervus manum patiens; et *ib.* 10, 610. animus ferox patiensque pericli. *Hor. Od.* 1, 2, 43. patiens vocari Caesaris ultor, *h. e.* volens, amans, gaudens. *Cic. Brut.* 76. Habent ordinem, et quasdam errare in dicendo non patientes vias. ℙ Durus et resistens. *Ov. Amor.* 1, 15, 31. Ergo, cum silices, cum dens patientis aratri Depereant aevo, carmina morte carent. *Prop.* 1, 16, 29. Sit licet et saxo patientior illa Sicano: Sit licet et ferro durior, et chalybe.

PĂTĬENTER, adv. *πλητικῶς*, patienti animo, toleranter, constanter, fortiter. *Cic. Amic.* 25. Alterum patienter accipere, non repugnanter. *Id. Phil.* 11, 3. Quae tulisse illum fortiter et patienter ferunt. *Caes. B. C.* 3, 15. Patienter et aequo animo ferre difficultates. *Hor. Ep.* 1, 17, 14. Si pranderet olus patienter, regibus uti Nollet Aristippus. *Cic. Fam.* 1, 8. *med.* Si quidem homines patientius eorum potentiam ferre potuerint. *Val. Max.* 4, 3. *n.* 11. Ista patientissime Cato toleravit.

PĂTĬENTĬĂ, ae, f. *ὑπομονή*, tolerantia. *Cic. Inv.* 2, 54. Patientia est honestatis, aut utilitatis causa rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. [*Cf. *Tac. A.* 2, 13.] *Cic. Cat.* 1, 10. Habes, ubi ostentes illam praeclaram tuam patientiam famis et frigoris. *Id. Off.* 1, 34. Adolescentia a libidinibus arcenda est, exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis. *Id. Agr.* 2, 7. Patientiam alicujus tentare. *Id. Cat.* 1, 1. Abuti patientia. *Suet. Tib.* 24. Rumpere patientiam. *Cic. Lig.* 9. Quae fuit unquam in ullo homine tanta constantia? constantiam dico? nescio an melius patientiam possem dicere. *Tibull.* 3, 2, 5. Non ego firmus in hoc: non haec patientia nostro Ingenio: frangit fortia corda dolor. [*V. *Broukh.*] ℙ Interdum in malam partem accipitur pro nimia tolerantia, seu stupiditate. *Plin. ep.* 6, 31. Maritum non sine aliqua reprehensione patientiae amor uxoris retardabat. *Porcius Latro* ap. *Sen. Contr.* 2, 15. Ne quis in me aut nimiam patientiam, aut nimium stuporem arguat. [*Hac significatione imprimis v. *patientiae* usurpatur a *Tac. A.* 6, 46. in patientia firmitudinem simulans; et *ib.* 14, 26. usque ad servilem patientiam demissus; et cp. 64. neque tamen silebimus, si quod senatus consultum adulatione novum aut patientia postremum fuit, i. e. servili tolerantia. *H.* 2, 29. silentio, patientia, postremo precibus ac lacrimis veniam quaerebant. Huc pertinet etiam locus, quem Noster in *f.* anteced. §. laudaverat, *Ejusd. Agr.* 16. Britanniam uno proelio veteri patientiae restituit.] ℙ De mollitie in re turpi. *Petr. Sat.* 9 et 25., *Cic. Verr.* 2, 5, 13. et *Sen. Q. N.* 1, 16. et *V. B.* 13. *med.* [**Tac. A.* 6, 1. V. *Boettich.* in *Lex. Tac.* s. h. v.]

*PATIGRAN, opp. Mediae. *Ammian.* 23, 23. ubi *Cellarius* mavult *Patigrana* legere. ℙ *Τιγρανὰ Ptolemaei* in Atropatena credit esse *Valesius. B. A.*

PĂTĪNA, ae, f. *λοπὰς*, vasis genus, quo utebantur ad condiendas, et coquendos pisces, et alia. A *patulo* seu *pateo* ducit *Varr. L. L.* 4, 25. *f.* Alii a *πατάνη*, quod idem ferme significat. Vulgo confundunt cum lance, et definiunt vasis genus, quo dapes elixae, et jurulentae in mensam feruntur. Atqui lanx Graece est *πλαξ*, patina vero *λοπὰς*, deinde lancibus et cibi simplices apponebantur, ut carnes assae, fructus, et similia; patinis vero id factum nusquam legas, ut bene adversus *Guilandinum* observat *Scal.*, sed iis, ad condiendos, coquendosque pisces, et alia utebantur. Itaque ut *λοπάδες*, ita patinae quoque operculum habebant. *Pl. Ps.* 3, 2, 51. Ubi patinae fervent, omnes aperio. *Plin.* 23, 2, 33. de faece sapae: Decoquitur in patinis cum sale et adipe. *Id.* 34, 11, 25. Et squama, et flos aeris uruntur in patinis fictilibus, aut aereis. *Id.* 22, 25, 80. Orobanche estur et per se, et in patinis, *h. e.* et cruda, et cocta. *Cic. Att.* 4, 8. Multa me in epistola tua delectarunt, sed nihil magis, quam patina tyrotarichi. *Ter. Eun.* 4, 7, 46. Jamdudum animus est in patinis, *h. e.* coenam cogitat. *Colum.* 12, 47. Nonnulli haec eadem *(cydonia)* in patinas novas sicco gypso ita obruunt, ut altera altera non contingant. ℙ In mensis quoque patinarum usus fuit. *Hor. Sat.* 2, 8, 43. Affertur squillas inter muraena natantes In patina porrecta. *Pl. Mil.* 3, 1, 163. Nunquam dicunt, quamquam appositum est ampliter: Jube illud demi: tolle hanc patinam: remove pernam. Possunt tamen haec metonymice intelligi. ℙ [Ap. *Apic.* 4, 2. patina accipitur pro placenta, nam haec fiebat ex solo seu diploide, et balteo circumposito, tum spatium illud cavum alternatim tractis seu laganis, et coriis seu farciminis stratis replebatur. ℙ Est etiam cogn. R., ut T. Patina, ap. *Cic. Mil.* 17., cujus tamen nomen gentilicium ignoratur. *F.*]

PĂTĪNĀRĬUS, a, um, adj. ad patinas pertinens. *Suet. Vit.* 17. Aliis incendiarium, et patinarium vociferantibus, *h. e.* gulosum, heluonem. *Pl. As.* 1, 3, 27. Piscis recens, is habet succum, is suavitatem: eum quovis pacto condias, vel patinarium, vel assum, i. e. in patina ex jure coctum. *Id. Men.* 1, 2, 25. Cereales coenas dat: ita mensas exstruit, tantas struices concinnat patinarias, *h. e.* quasi strues ciborum in patinis coctorum. ℙ *Patinaria via* memoratur a *P. Vict. de reg. Urb. R.* inter vias Romam ferentes. Sed ignoratur et locus et causa nominis.

PĂTĬO, is, n. 3. pro *patior* ap. veteres. *Cic. Leg.* 3, 4. Rem populum docento: doceri a magistratibus privatisque patiunto. *Naev.* ap. *Diomed.* 1, 395. Populus patitur: tu patias modo.

PĂTĬOR, eris, passus sum, dep. 3. *πάσχω*, fero, sustineo, subeo, perpetior: cui contra respondet *facio, ago:* a *παθεῖν*, a. 2. verbi allati. *Cic. Univ.* 6. Mundus se ipse consumptione et senio alebat sui, cum ipse per se, et a se et pateretur, et faceret omnia. *Liv.* 2, 12. Et facere, et pati fortia, Romanum est. *Hor. Od.* 3, 24, 42. pauperies jubet Quidvis et facere, et pati. *Quint.* 6, 2. *med.* Metum duplicem intelligi volo, quem patimur, et quem facimus. *Ov. Trist.* 1, 2, 42. Ne mihi mors misero bis patienda foret. *Liv.* 21, 13. *extr.* Haec patienda censeo potius, quam trucidari corpora vestra, etc. *Sall. Jug.* 15. Pati omnia saeva. *Cic. Phil.* 6, 7. servitutem. *Id. Tusc.* 2, 18. toleranter dolores. *Pl. As.* 2, 2, 58. fortiter malum. *Caes. B. C.* 2, 30. gravissimum supplicium. *Virg. A.* 2, 638. exsilium; et *ib.* 1, 223. extrema. *Quint.* 1, 1. laborem. *Id.* 11, 3. *med.* incommodum. *Just.* 18, 2. bellum ab aliquo; et 37, 2. insidias alicujus. *Ov. Ib.* 617. famem. *Id. Met.* 10, 627. necem indignam; et *ib.* 1, 243. poenas. *Hor. Od.* 3, 2, 1. pauperiem. *Gell.* 17, 12. quartanam. *Liv.* 1. *prooem.* Nec vitia nostra, nec remedia pati possumus. *Plin.* 17, 10, 14. Semina fruticantia falcem pati consuescere. *Colum.* 2, 10. *med.* Faba nec macrum, nec nebulosum locum patitur. ℙ Absolute. *Cic. Tusc.* 2, 7. Dolor tristis res est, aspera, amara, inimica naturae, ad patiendum tolerandumque difficilis. *Ov. Am.* 1, 8, 75. Patiendi usum colligere. ℙ Verba quae habent naturam patiendi, *Quintiliano* 1, 6. sunt, quae *passiva* dicuntur vulgo a grammaticis. ℙ *Pati*, in re turpi, *Sall. Cat.* 13., *Petr. Sat.* 25 et 140., *Sen. Q. N.* 1, 16., *Just.* 9, 6., *Pl. Capt.* 4, 2, 87. etc. ℙ Acquiescere, se accommodare, non repugnare. *Ter. Andr.* 1, 1, 35. Sic vita erat: facile omnes perferre ac pati, cum quibus erat cumque una. [*Saepe conjunguntur *patior* et *fero*, *perfero* et *patior*. Cf. *Caes. B. G.* 7, 30. ut omnia sibi patienda et perferenda existimarent: ibique *Oudend.*] *Virg. A.* 10, 866. Jussa aliena pati. *Liv.* 4, 18. longinquam militiam. *Id.* 1. *praef.* imperium alicujus. *Nep. Eum.* 1. Macedones eum sibi anteponi, indigne ferebant, neque tamen non patiebantur. ℙ Cum infinito. *Virg. A.* 8, 576. Si visurus eum vivo, et venturus in unum, Vitam oro: patiar quemvis durare laborem. ℙ Interdum ponitur pro degere, durare, vivere, malam fortunam ferendo. *Virg. Ecl.* 10, 53. Certum est in silvis inter spelaea ferarum Malle pati. *Sen. Thyest.* 470. Immane regnum est, posse sine regno pati. *Lucan.* 5, 313. disce sine armis Posse pati. ℙ *Pati aevum, aetatem*, aetatem ferre. *Colum.* 2, 10. Lupinum repositum in granario patitur aevum. *Sen. ep.* 36. Vinum non pati aetatem, quod in dolio placuit. ℙ Saepe est sinere, permittere, concedere. *Cic. Cat.* 1, 5. Nobiscum versari jam diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam; et *ib.* 2, 9. *extr.* Ista non modo homines, sed ne pecudes quidem passurae esse videntur. *Id. Or.* 2, 1. Quantum illius ineuntis aetatis meae patiebatur pudor. *Ter. Ph.* 3, 3, 3. Itane hunc patiemur fieri miserum, qui me dudum adjuverit comiter? *Pl. Ps.* 4, 7, 36. Neque tibi bene esse patere, et illis, quibus est, invides. *Nep. Cim.* 1. Negavit se passuram, Miltiadis progeniem in vinculis interire. *Id. Att.* 8. Si quid Brutus suis facultatibus uti voluisset, usurum,

quantum eae paterentur. *Plin.* 18, 10, 20. *n.* 3. Nec ulla segetum minus dilationem patitur. *Cic. Lig.* 1. Nullo se implicari negotio passus est. *Id. Font.* 12. Si in turpi reo patiendum non esset, ut quidquam isti minis profecisse arbitrarentur. *Id. Brut.* 88. Nullum patiebatur esse diem, quin in foro diceret; et *Ter. Heaut.* 4, 5, 13. Non possum pati, quin tibi caput demulceam. ℙ *Facile, aequo animo pati,* libenter sinere, non laborare, non invitum esse, contentum esse: *aegre, iniquo animo, moleste pati,* aegre ferre, nolle, repugnare, invitum esse. *Pl. As.* 2, 2, 108. Quaeso, aequo animo patitor. *Lib.* patitor tu item, cum ego te referiam. *Cic. ad Planc.* 2. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Non modo facile patiare, sed etiam gaudeas. *Id. Fam.* 5, 7. Apud me plus officii residere, facillime patior; et *ib.* 1, 9. *med.* Facile patior ea me de republica sentire ac dicere, quae maxime cum mihi, tum etiam reipubl. rationibus putem conducere. *Id. Att.* 15, 2. Consilium meum a te probari, quod ea non scribam, quae tu a me postularis, facile patior. *Id. Verr.* 2, 3, 2. *extr.* Patior non moleste, eam vitam, quae mihi sua sponte antea jucunda fuerat, nunc jam mea lege et conditione necessariam quoque futuram; et *ib.* 7, 12. *f.* Cum indigne pateretur nobilis mulier, honesto loco nata, in conventum suum mimi filiam venisse. *Id. Fam.* 12, 18. Perinīquo patiebar animo, te a me digredi. *Ter. Heaut.* 5, 2, 5. et *Liv.* 4, 18. Aegre pati aliquid. ℙ *Pati* de re bona. *Pl. As.* 2, 2, 58. Fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum. *Id. Poen.* 3, 3, 82. Siquidem potes esse pati te in lepido loco, in lecto lepide strato, etc.

*PATIS, opp. Aethiopiae, vel fortasse Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. ubi accusativus *Patin* occurrit. *B. A.*

PĂTISCENS. V. PATESCO f.

*PATMOS vel Patmus, i, *Πάτμος*, insula maris Aegaei, Sporadum una. *Plin.* 4, 14. ℙ In ea Johannes Apostolus exul Apocalypsin scripsit. *B. A.*

PĂTOR, oris, m. *χάσμα*, hiatus, apertio: a *pateo. Appul. Met.* 1. Vulnus dehiscit in profundum patorem; et *ib.* 3. Aedium patore perflabili. *Scrib. Comp.* 46 et 47. Narium pator.

PATRAE, arum, f. plur. *Πάτραι*, nunc *Patras,* colonia et urbs Achaiae in Peloponneso apud Rhium promontorium, et os sinus Corinthiaci. Ejus mentio est ap. *Plin.* 4, 4, 5. et *Ov. Met.* 6, 417.

PATRASTER et Patrater, tri, m. *πατρωός,* vitricus. Vox est minus Latina. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 360, 7. C. Vibio Vitalioni Blasii F. qui V. A. XVIII. et dies V. fec*it* Ap. Annius Primitivus patraster. Adde tres ap. *Mur.* 1510, 2., 1632, 9. et 1958, 6. omnes cadentis Latinitatis. [In harum postrema, quam V. in FILIASTRA, legitur *patrater*, ut etiam *filiatra. F.*]

PATRĀTĬO, onis, f. effectio, perfectio, consummatio alicujus rei. *Vell.* 2, 98. Gentes ferocissimas in pristinum pacis redegit modum, ejusque patratione Asiae securitatem reddidit. ℙ Obsceno sensu. [*Vet. Schol.* ad *Pers.* 1, 18. Patratio est rei Venereae perfectio, vel consummatio; unde et patres dicti, eo quod patratione filios procreant. *F.*] Adde *Theod. Prisc.* 2, 11. V. PATRO.

PATRĀTOR, oris, m. alicujus rei auctor, effector. *Tac. A.* 14, 62. Visus idoneus maternae necis patrator Anicetus. *Avien. Arat.* 20. unus et idem Auctor agendorum, propriique patrator amoris.

PATRĀTUS, a, um, part. a *patro:* factus, perfectus, consummatus. *Tac. A.* 2, 66. Maluit patrati, quam incepti facinoris reus esse. *Vell.* 2, 21. Commissum, patratumque proelium. Rursus *Tac. A.* 11, 28. Multas mortes jussu Messalinae patratas. *Id. H.* 4, 81. Patrati remedii gloria penes Caesarem. *Id. A.* 13, 41. *f.* Patrata victoria. ℙ *Pater patratus* dicebatur, qui in foederibus faciendis, et in bellis indicendis a Fetiali creabatur, verbena caput ejus et capillos contingendo, ut jusjurandum conciperet, quo foedus firmandum erat, et solemni formula adhibita, bellum indiceret: quod cum faceret, sceptrum manu tenebat, insigne Jovis. Jovis enim simulacrum in iis gerendis olim adhibere mos fuit: postea sceptro tantum sunt usi, quo summi hominum regis potestas indicatur. Dictus est *pater*, quia, ut ait *Serv.*, erat Fetialium princeps: *patratus*, quasi patrem habens, quia talis esse non poterat, nisi qui patrem vivum haberet: vel quasi creatus, h. e. a Fetiali dictus. Haec ex *Serv.* ad *A.* 9, 53., *ib.* 10, 14. et *ib.* 12, 206., *Liv.* 1, 24. et *Voss.* in *Etym.*

PATRENSIS, e, adj. ad Patras pertinens, urbem Peloponnesi. *Cic. Fam.* 13, 19. Lyso Patrensis; et *ib.* 20. Asclapo Patrensis. *Gell.* 18, 9. *med.* Patrensis bibliotheca. ℙ *Patrenses, ium*, ipsi Patrarum cives. *Cic. Fam.* 13, 19. *med.* Quem C. Memmius Gemellus Patrensis civis factus, Patrensium legibus adoptavit.

PATRĬA, ae, f. *πατρίς*, urbs et locus quilibet, in quo nati sumus, natale solum. Adjectiva vox est, a *pater*, et *terra* subintelligitur. *Cic. Or.* 1, 41. Patriae tanta est vis, ut Ithacam illam in asperrimis saxis, tanquam nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret. *Id. Off.* 1, 17. Cari suut parentes, cari liberi, propinqui, familiares: sed omnes omnium caritates patria una complexa est: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? *Id. Cat.* 1, 7. Patria, quae communis est omnium nostrum parens. *Id. Fin.* 3, 19. *f.* Cariorem esse patriam nobis, quam nosmetipsos. *Id. Par.* 1, 2. Cujus cum patriam Prienem cepisset hostis, etc. *Id. Tusc.* 1, 43, Quaerentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam afferri, etc. *Id. Inv.* 1, 24. Natione, Grajus, an Barbarus: patria, Atheniensis, an Lacedaemonius. ℙ Duplex nobis esse potest patria, una, in qua nati sumus, altera, in qua excepti, ut ait *Cic. Leg.* 2, 2. Hoc sensu Aeneas ap. *Virg. A.* 1, 384. Italiam quaero patriam; et *ib.* 11, 24. egregias animas, quae sanguine nobis Hanc patriam peperere suo, decorate supremis Muneribus. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 5, 37. Patria est, ubicumque est bene. ℙ Nomen patriae significatur per ablativum casum. *Caes. B. C.* 1, 24. Cn. Magius Cremona; et *ib.* 3, 71. Duobus his proeliis Caesar desideravit C. Fulginatem Placentia, A. Gravium Puteolis, M. Sacrativirum Capua. ℙ Translate. *Ov. Amor.* 3, 6, 39. Ille fluens dives septena per ostia Nilus, Qui patriam tantae tam bene celat aquae. *Virg. G.* 2, 116. Divisae arboribus patriae. *Id. A.* 1, 55. nimborum in patriam. ℙ *Sall.* patriam de integra provincia dixit, in *fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 384. Hispaniam sibi antiquam patriam esse. ℙ Metonymice est respublica, seu cives ipsi, quibus respubl. constat. *Liv.* 4, 60. Ut nemo pro tam munifica patria corpori, aut sanguini suo parceret; et 5, 4. Agique, tanquam cum patria, nobiscum, aequum censemus. ℙ Sumitur et universim pro regione. *Virg. A.* 1, 543. Quod genus hoc hominum, quaeve hunc tam barbara morem Permittit patria? ℙ In illo *ejusd. G.* 2, 514. Hinc anni labor: hinc patriam parvosque nepotes Sustinet: *Donat.* ap. *Serv.* villam intelligit.

PATRĬĀNUS. V. PARIANUS.

PATRĬARCHĂ et Patriarches, ae, m. *πατριάρχης*, princeps patrum, vel primus pater, auctor generis: a *πατήρ*, pater, es *ἄρχων*, princeps. *Tert. Idol.* 17. Secundum patriarchas, et ceteros majores. *Id. Cor. mil.* 9. Quis patriarches, quis prophetes, quis levites, etc? *Prud. Psych.* 534. Nobilis, et tali felix patriarcha nepote. ℙ In Ecclesia sic dicti sunt principes Episcopi, quatuor praecipue, Alexandrinus, Antiochenus, Constantinopolitanus, Hierosolymitanus: quibus alii postea additi sunt. Alexandrini meminit *Hadrian. Imp.* in *epist.* ap. *Vopisc. Firm. Saturn.* etc. 8. Ipse ille patriarcha cum Aegyptum venerit, etc. ℙ Translate. *Tert. Anim.* 3. Philosophi, patriarchae, ut ita dixerim, haereticorum. ℙ *Patriarchum* pro *Patriarcharum* habet *Paul. Nol. carm.* 24, 209.

*PATRIARCHĬCUS, a, um, adj. ad patriarcham spectans, ut *sedes patriarchica* ap. *Justin.* in *Nov.* 7. *B. A.*

[PATRĬCĀLIS, e, adj. *Appul. Herb.* 72. Herbam sideritin Graeci, Latini herculariam, alii exsuperam patricalem vocant. *F.*]

PATRĬCĒ, adv. more patrum meorum. *Pl. Cas.* 3, 6, 4. At cesso magnifice, patriceque, aviteque ita hero meo ire advorsum. [Ita leg. *Bothe*, alii perperam *patriceque amiciri, atque ita*, etc. *F.*]

PATRĬCĬĀTUS, us, m. patriciorum dignitas. *Suet. Aug.* 2. Ac rursus magno intervallo per D. Julium in patriciatum rediit. ℙ Alia fuit *patriciatus* dignitas, Constantini M. et sequentium Augustorum tempore, quae quidem perpetua erat, et uni consulatui cedebat: erant autem ejus aetatis patricii imperatori ipsi honore proximi, ejusque amici, et consiliarii. V. *Cassiod. Variar.* 6, 2. et *ib.* 8, 9. et *Ducang. Gloss. med. et inf. Latin.* in V. PATRICIUS.

PATRĬCĬDĂ. V. PARRICIDA f.

[PATRĬCĬENSIS, e, adj. ad Cordubam pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, quae a Romanis Colonia Patricia fuit appellata, ut narrat *Plin.* 3, 1, 3. *Inscr.* ap. *Grut.* 432, 7. L. Lucretio Severo Patriciensi; et 460, 10. . . . Pyramus II. vir Patriciensis. *F.*]

PATRĬCĬI, orum, m. plur. *εὐπατρίδαι*, qui a primis illis patribus, qui a Romulo, vel ab aliis postea electi sunt, oriundi erant; ita dicti, quia patrum essent progenies. *Liv.* 1, 8. Patres ab honore, patricii, qui progenies eorum appellati. ℙ Qui dicunt, patricios vocatos esse, quod patres suos ciere possent, iidem etiam patricios primis Urbis initiis aliud nihil fuisse, quam ingenuos, asserunt. *Cincius* ap. *Festum*, *P. Decius* ap. *Liv.* 10, 8. *med.* ℙ Differebant a senatoribus. Non enim omnes patricii senatores erant, ut perspicuum est de feminis, pueris, et pauperibus. Et praeterea etiam ex plebe in senatum legi coeperunt. *Tac. A.* 11, 25. Iisdem diebus in numerum patriciorum ascivit Caesar vetustissimum quemque ex senatu. ℙ Patricii haud secus ac patres, alii majorum, alii minorum erant gentium. Majorum gentium patricii dicti sunt, qui a primis illis patribus a Romulo allectis sunt profecti: minorum gentium, qui a patribus conscriptis, seu allectis orti sunt. *Tac. l. c.* Paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, et L. Brutus minorum gentium appellaverant. V. ibi *Lips. Juven.* 1, 24. Patricios omnes opibus cum provocet unus, Quo tondente, etc. ℙ Exire e patriciis est fieri plebejum. *Cic. Dom.* 14. Sed ut e patriciis exeat, ut tribunus plebis fieri possit. ℙ Plura de patriciis ap. *Sigon. de antiq. jur. C. Rom.* 1, 7. *Panvin. in Fast.* 1. et *Manut. de orig. senatus.* ℙ Diversi generis patricii erant illi, qui a Constantino M. instituti fuerunt, et sequentium imperatorum temporibus celebrantur. V. PATRICIATUS. [*Inscr.* ap. *Grut.* 1076, 2. Fl. Felix V. C. magister utriusque militiae, patricius, et consul ordinarius. *F.*] ℙ *Patricii a noviciis distincti. *Vet. Schol.* in *Juven.* 7, 192. Patricius Senator est, lunula nam adsuta calceis discernuntur patricii a noviciis. *B. A.*

PATRĬCĬŎLUS, i, m. dimin. patricii, ut Latinum agnoscitur a *Prisc.* 3, 610.

PATRĬCĬUS, a, um, adj. ad patricios pertinens. *Cic. Leg.* 2, 3. Patricia familia. *Id. Brut.* 1, 5. *f.* Patricius magistratus. *Stat. Silv.* 1, 4, 97. Carmina patricio pueri sonuistis in ostro. *Claud. IV. cons. Honor.* 5. armorum proceres, legumque potentes Patricios sumunt habitus. *Id. II. cons. Stil.* 50. Votaque patricio certant plebeja favori. *Pers.* 1, 61. Vos, o patricius sanguis. *Juven.* 10, 332. patricia gens. *Pl. Capt.* 5, 4, 5. Patricii pueri. *Festus:* Patricius vicus Romae dictus, eo quod ibi patricii habitaverunt, jubente Servio Tullio, ut, si quid molirentur adversus ipsum, ex locis superioribus opprimerentur. ℙ *Patricia Colonia cognominata est Corduba, Hispaniae Baeticae urbs. *Plin.* 4, 1. *B. A.*

PATRĬCUS Casus, h. e. genitivus, legitur ap. *Varr. L. L.* 7, 37. et *ib.* 8, 37 et 46., ubique tamen alii leg. *patrius.*

PATRĬĒ, adv. affectu paterno. *Quint.* 11, 1. *med.* Ut eum non inimice corripere, sed patrie monere videatur.

PATRIMES, f. patrima. *Paul.* ex *Festo* in *Flaminia.* V. MATRIMUS.

PATRĬMŌNĬĀLIS, e, adj. ad patrimonium pertinens. *Hermogen. Dig.* 50, 4, 1. Personale munus est, quod cum corporibus exsistit: patrimoniale, in quo sumptus maxime postulantur. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 11, 16, 1. 2. et 9. Patrimoniales fundi.

PATRĬMŌNĬŎLUM, i, n. exiguum patrimonium. *Hieron. ep.* 54. *n.* 15. Patrimoniolum meum quotidie perit.

PATRĬMŌNĬUM, ii, n. *οὐσία*, proprie significat bona paterna, et rem familiarem a patre relictam: latius autem bona undecumque provenientia. *Cic. Mil.* 35. Ut plebem tribus suis patrimoniis deliniret, *h. e.* trium hereditatum bonis, patris naturalis, adoptivi, et matris, ut *Asconio* videtur. *Id. Rab. Post.* 14. Qui duo lauta et copiosa patrimonia accepisset, remque praeterea bonis et honestis rationibus auxisset. *Id. Fl.* 36. *f.* Patrimonium satis lautum, quod hic nobiscum conficere potuit, Graecorum conviviis maluit dissipare. *Id. Phil.* 2, 39. Hae quondam arationes in populi R. patrimonio grandi fenore, et fructuosae ferebantur. *Colum. prooem.* 1. Genus amplificandi, relinquendique patrimonii. *Paul. Dig.* 30, 1., 39. Ea praedia Caesaris, quae in formam patrimonii redacta, sub procuratore patrimonii sunt. *Cic. Sext.* 52. Utrum ego tibi patrimonium eripui, an tu comedisti? *Id. Rosc. Am.* 2. Amplum et copiosum innocentis patrimonium obtinere; et 50. Expellere aliquem e patrimonio. *Id. Sull.* 20. Patrimonio ornatissimo spoliari. *Id. Phil.* 12, 8. Qui ex naufragio luculenti patrimonii ad haec Antoniana saxa projectus est. *Id. Off.* 2, 15. Patrimonia effundere, inconsulte largiendo. *Quint.* 5, 10. exhaurire. *Cic. Phil.* 2, 27. devorare. ℙ Translate. *Id. Dom. f.* Liberis nostris satis amplum patrimonium paterni nominis ac nostrae memoriae relinquemus. *Id. Or.* 1, 57. Mucius paterni juris defensor, et quasi patrimonii propugnator sui. In *Mimis Sen.* et *P. Syri* 271. Honestus rumor alterum est patrimonium.

PATRIMUS. V. MATRIMUS.

PATRISSO, as, avi, atum, n. I. patrem imitor, *πατρίζω*, *πατριάζω*. *Ter. Ad.* 4, 2, 25. Laudo, Ctesipho; patrissas. *Pl. Ps.* 1, 5, 27. Miraris, si patrissat filius? ℙ Scribitur et *patrizo.*

PATRĪTUS, a, um, adj. *πατρῶος*, qui est patris, ut *avitus*, qui est avi. *Cic. Tusc.* 1, 19. Haec enim pulchritudo etiam in terris patritam illam, et avitam, ut ait Theophrastus, philosophiam excitavit. Ita legit etiam *Non.* 2, 703. et defendit *Manut.* Al. patriam. *Varr.* ap. *Non. ib.* Patrito, et avito more precabamur. [*Front. ad amic.* (ed. *A. Maio*) 2, 6. *f.* Subleva misericordia aetatem familiarem tibi, et patritam. *Tert. adv. Valent.* 12. Jesum Valentiniani cognominant Soterem, et Christum, et Sermonem de patritis, *h. e.* de superioribus Christianis accepta nomina. Alii leg. *patruitis* eod. sensu. *F.*] *Arnob.* 2, 57. In sedem patritam referri.

PATRĪUS, a, um, adj. *πατρικὸς*, ad patrem pertinens, paternus. *Cic. Rosc. Am.* 16. Intelligere posses, qui animus patrius in liberos esset. *Id. Verr.* 1, 5. Nulla res tam patria cujusquam, atque avita fuit, quae non ab eo abjudicaretur. *Ter. Eun. prol.* 13. Patrium monumentum. *Hor. Sat.* 1, 2, 56. Qui patrium mimae donat fundumque, laremque. *Plin. ep.* 1, 12. Pedum dolore correptus est. Patrius hic illi. *Virg. A.* 1, 647. patrius amor. *Val. Fl.* 1, 42. Phrixus Cretheos ut patrias, audisti, effugerit aras, *h. e.* ad quas pater Athamas Crethei filius eum mactandum adduxerat. Sic *Ov. Met.* 15, 723. patrias Epidaurius aras Linquit, *h. e.* Apollinis patris. *Virg. A.* 3, 332. Orestes Excipit incautum (*Pyrrhum*) patriasque obtruncat ad aras, *h. e.* Apollinis: nam Apollo, ut *Macr.* docet *Sat.* 1, 17., *πατρῷος*, h. e. *patrius* cognominatus est, quia sol est auctor progenerandarum omnium rerum. Vel ad aras, quae et patri ejus fatales fuerunt: nam et Achilles in templo Apollinis occisus est. V. *Serv.* ℙ *Patrius mos*, antiquus, tanquam a patribus acceptus. *Cic. Or.* 1, 18. *f.* Hic enim mos erat patrius Academiae, adversari semper omnibus in disputando. ℙ *Patrius casus* a grammaticis dicitur genitivus. *Gell.* 4, 16. V. PATERNUS. ℙ *Patrium est*, paternum est. *Ter. Ad.* 1, 1, 49. Hoc patrium est, potius consuefacere filium sua sponte recte facere, quam alieno metu. ℙ Item, a patre est, natura insitum est. *Val. Fl.* 2, 157. adde, cruentis Quod patrium saevire Dahis. *Stat. Th.* 11, 32. cui rusticus horror in armis, Rustica tela manu, patriumque agitare tumultus. Pan illi genitor. Sic *Sil.* 15, 722. patrius genti pavor. ℙ Praeterea *patrius* saepe refertur ad patriam. *Hor. A. P.* 56. cum lingua Catonis, et Enni Sermonem patrium ditaverit. *Virg. A.* 2, 180. patrias vento petiere Mycenas; et *ib.* 3, 281. Exercent patrias oleo labente palaestras. *Id. G.* 1, 16. nemus linquens patrium, saltusque Lycaei Pan ovium custos. *Val. Fl.* 5, 234. Patria tellus. *Cic. Leg.* 2, 9. Patrii ritus; et *Par.* 4. Patrius mos. *Id. Fin.* 1, 2. sermo. ℙ Dii patrii, *πατρῷοι Θεοὶ*, sunt Penates. *Cic. Phil.* 2, 30., *Tibull.* 2, 1, 17. et *Hyg.* ap. *Macrob. Sat.* 3, 4. *extr.* ℙ *Patrium nomen* ap. grammaticos est, quo patria significatur, ut *Atheniensis, Romanus. Quint.* 1, 5. *med.* et *Prisc.* 2, 580.

PATRIZO. V. PATRISSO.

PATRO, as, avi, atum, a. 1. *παιδοποιῶ*, rem turpem perficio, liberis do operam: a *pater. Pers.* 1, 18. patranti fractus ocello. V. PATRATIO. ℙ Frequentius accipitur pro rem quamlibet perficere, aliquid jam inceptum ad finem perducere: vel simpliciter pro efficere, conficere. [*Est haec prima vocis significatio, potiusque cum Gr. *πράττω* cognatum, quam a *pater* deducendum *patrare* dixerim. Nubem exemplorum imprimis e Taciti scriptis collectam dedit *Boettich.* in *Lex. Tac.* s. h. v.] *Cato R. R.* 54. Ubi sementim patraveris, glandem parari legique oportet. *Sall. Cat.* 57. Constabat paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse; et 59. Si Romae socii coepta patravissent. *Liv.* 23, 8. *extr.* Si forte abesse, dum facinus patratur, malit. *Cic. Att.* 1, 14. *f.* Patrare promissa, *h. e.* praestare. *Tac. H.* 4, 83. jussa, *h. e.* exsequi. *Lucr.* 5. 386. Quod facere intendunt, neque adhuc conata patrantur: *patrantur* deponentis forma positum videri potest: sed nec est necesse. ℙ *Patrare jusjurandum* in antiqua formula foederis ap. *Liv.* 1, 24. est foedus sancire, ut ipsemet *Livius* interpretatur. ℙ *Patrare bellum* dictum est a *Sall. Jug.* 78., *Vell.* 2, 79. et 123., *Tac. A.* 2, 26. et *Flor.* 2, 15. pro conficere, absolvere, debellare: quam loquendi rationem sancte et antique usurpari affirmat *Quint.* 8, 3. *med.* V. DUCTO. ℙ *Patrare pacem*, conficere pacem inter bellantes. *Liv.* 44, 25. Modo pacis patrandae cum Romanis paciscebatur mercedem.

[PATROBĬUS, ii, m. patris vita: a *πατὴρ*, pater, et *βίος*, vita. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1329, 3. Ti. Claudius Patrobius. Fuit hic libertus Neronis Aug., ejusque meminit *Plin.* 35, 13, 47. et *Suet. Galb.* 20. *F.*]

[PATROCĪNĀLIS, e, adj. ad patrocinium pertinens, ut Patrocinalis tabula aerea, in qua incisum erat decretum curiae alicujus municipii, vel coloniae. Ea porro mittebatur ad illum, qui patronus cooptabatur: eadem et hospitalis dicebatur. V. HOSPITALIS. *Inscr.* ap. *Romanelli, Topogr. Napol.* T. 3. p. 147. P. Mammio P. F. Aufidio Priscino Corfiniensium patrono indulgentissimo: hujus propter morum gravem patientiam, maximamque verecundiam splendidissimus ordo consentiente populo tabulas patrocinales aheneas liberisque ejus offerri consuerunt, etc. V. PATRONALIS. *F.*]

PATROCĪNĀTUS, a, um, part. a *patrocinor.* Passive usurpatur a *Tert. adv. Gnost.* 4. Divinarum et denunciationum et executionum intentio jam tunc martyris patrocinata.

PATROCĪNĬUM, ii, n. *συνηγορία*, tutela, defensio, protectio. Patrocinia, inquit *Festus*, appellari coepta sunt, cum plebs distributa est inter patres, ut eorum opibus tuta esset. [*Hinc primo loco posuimus exempla, in quibus de defensione forensi, quam reis causidici praestant, dicitur. Noster §. 2. adscripserat:] *Cic. Brut.* 29. Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur, ad senatoriam vero sententiam vel maxime. *Id. Or.* 1, 57. Arripere patrocinium aequitatis, et defensionem testamentorum. *Quint.* 7, 2. *in.* Fuerunt tales nostris etiam temporibus controversiae, atque aliquae in meum quoque patrocinium inciderunt. [*Cic. Or.* 34. Legitimarum et civilium controversiarum patrocinia suscipere.] *Ov. Pont.* 1, 2, 69. Suscipe Romanae facundia, Maxime, linguae, Difficilis causae mite patrocinium. [*Vell. 2, 75, 1. Per eadem tempora exarserat in Campania bellum, quod professus eorum, qui perdiderant agros, patrocinium, ciebat T. Claudius Nero, etc. *Liv.* 6, 15. Jam dictatorem profiteri patrocinium feneratorum. ℙ Dicitur *patrocinium* etiam pro persona, quae patrocinio fruitur. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. Si tuam consuetudinem in patrociniis tuendis servas, P. Vatinius advenit, qui pro se causam dicier vult. Noster hunc locum iis adscripserat, in quibus *patrocinium* pro tutela, quam patronus praestat, positum est. ℙ Hinc translatum nomen est ad tutelam coloniarum, provinciarum, nationum per nobiles Romanos.] *Cic. Off.* 2, 8. Nostri magistratus, imperatoresque ex hac una re maximam laudem capere studebant, si provincias, si socios aequitate et fide defendissent. Itaque illud patrocinium orbis terrae verius, quam imperium poterat nominari. *Sall. Cat.* 42. Cujus patrocinio civitas plurimum utebatur. [*V. *Kritz.*] *Id. or. Philippi contra Lep.* Sibi quisque opes, aut patrocinia quaerendo, consilium publicum corruperunt. *Ascon.* in *Div. Verr.* 1. Metelli, quorum familia Siculis patrocinium praebuit. *Inscr.* ap. *Mur.* 1103, 5. Patrocinium coloniae decrevit, et per legatos detulit. [Alia ap. *Grut.* 354, 1. Ob honorem patrocinii sibi oblatum, etc. *F.*] ℙ [*Dicitur *patrocinium* etiam de auxilio, quo factiones civitatis alicujus fruuntur. Ita *Nep. Phoc.* 3, 1. Utraque factio Macedonum patrociniis nitebatur: q. l. Noster anteced. §. exemplis adjunxerat.] ℙ Urbane. *Cic. Fin.* 2, 21. Aut haec tibi sunt vituperanda, aut patrocinium voluptatis repudiandum. [*Par.* 1, 4. voluptas plurimorum patrociniis defenditur. *Liv.* 5, 6, nec se patrocinium mollitiae inertiaeque mandasse tribunis.] *Plin.* 13, 3, 3. Patrocinia vitiis quaerere. *Quint.* 1. *f.* Difficultatis patrocinia praeteximus segnitiae. *Just.* 32, 2. Modestia sua Demetrius veniam patri, non jure defensionis, sed patrocinio pudoris obtinuit.

PATROCĪNOR, aris, atus sum, dep. 1. *συνηγορέω*, patrocinio tueor, protego, defendo. *Plin.* 14, 22, 28. M. Antonius, edito volumine de sua ebrietate, patrocinari sibi ausus. *Quint.* 2, 4. Nam et pro luxuria, et pro amore dicimus, et leno interim, parasitusque defenditur, sic ut non homini patrocinemur, sed crimini. *Auct. B. Hisp.* 29. *extr.* Adversarii patrocinari loco iniquo non desinunt, *h. e.* non deserere, tueri, defendere. *Ulp. Dig.* 2, 11, 2. *med.* Nonne indignus est, cui exceptio patrocinetur? *Plin.* 14, 4, 5. Litteris ejus altioribus contra id pigra vicinitate sibi patrocinante.

*PATROCLES, is, m. *Πατροκλῆς*, insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. ℙ Et pictor. *Id. ib.* ℙ Item rhetor. *Quint.* 2, 15. et 3, 6. ℙ Fuit et Patrocles praefectus classis Seleuci et Antiochi, quem multas terras patefecisse scribit *Plin.* 6, 17. *B. A.*

PATROCLĬĀNUS, a, um, adj. ad Patroclum aliquem pertinens, ut Patroclianae sellae Romae fuerunt publicae quaedam latrinae. *Mart.* 12, 77. Sellas ante petit Patroclianas, Et pedit deciesque, viciesque.

PATROCLUS, i, m. *Πάτροκλος*, Menoetii filius, et Stheneles (*Hygin. fab.* 97. habet Philomelae), qui occiso per ludum astragalorum Cleonymo, seu, ut aliis placet, Aeane Amphidamantis filio, solum vertens Phthiam venit, ubi a Peleo propter generis propinquitatem susceptus est, et una cum Achille apud Chironem educatus, cum eodem arctissima amicitia junctus vixit. Postea etiam cum Achille ad expeditionem Trojanam profectus est, ubi armis Achillis indutus, quo tempore ille iratus Agamemnoni propter ereptam sibi Briseidem, bello abstinebat, cum Hectore pugnans, ab eodem confossus occubuit. Quod cum rescivisset Achilles, acceptis a Thetide matre aliis armis a Vulcano fabricatis, ad bellum rediit, amici mortem vindicaturus, Hectoremque interfecit. *Ov. Pont.* 1, 3, 73. Caede puer facta Patroclus Opunta reliquit. ℙ *Item elephanti nomen, qui Antiochi regis fuit. *Plin.* 8, 5. *B. A.*

PATRŌNA, ae, f. quae aliquem defendit. *Ter. Eun.* 5, 2, 48. Te mihi patronam cupio, Thais. *Cic. Or.* 2, 48. Provocatio patrona illa civitatis, ac vindex libertatis. *Mart.* 7, 72. Ut vocem mihi commodes patronam. Ubi videtur adjective usurpari. ℙ Proprie est, quae aliquem manumisit. *Plin. ep.* 10, 4. Est manumissus a peregrina: vocatur ipse Harpocras: patronam habuit Thermuthin Theonis. ℙ Translate. *Pl. Asin.* 2, 2, 26. linguam servi *patronam* dicit, quia si quid scelerste fecit, lingua pro illo pejerat, et a supplicio defendit.

PATRŌNĀLIS, e, adj. ut Patronalis verecundia, *h. e.* quae patrono debetur, *Marcell. Dig.* 39, 5, 20. *Inscr.* quae pertinet ad ann. a Chr. n. CXC. ap. *Grut.* 1101, 1. Petendumque ab eo, ut libenter suscipiat collegii N. patronal. honorem, tabulamque aeream cum inscriptione hujus Decre. N. domo ejus poni censuerunt. Haec eadem habetur ap. *Mur.* 563, 1., ibique legitur *patronat. honorem*, et mox *decreti in domo ejus*, etc. V. PATROCINALIS. [*Quaedam adjecit *F.*]

PATRŌNĀTUS, us, m. dignitas, et conditio patroni. *Inscr.*, quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCLXI. ap. *Mur.* 564, 1. Ex cunctis videtur, nunc tabulam aeream patronatus eis offerri, ut merito honore pro meritis innotescant. V. vocem praeced. ℙ *Jus patronatus* est, quod habet patronus in libertum. Nam qui aliquem libertate donat, e servo libertum facit, fitque ipse e domino patronus. Itaque in eum, quem a se dimittit, quaedam jura sibi retinet, ut opera ejus uti possit in quibusdam casibus: ut ab eo alatur, si opus fuerit: ne accusetur: ne contumelia afficiatur, etc. V. *Dig.* 37, 14. qui *de jure patronatus* inscribitur. *Mart. ib.* 3. Omni commodo patronatus carere. *Ter. ib.* 21. Amissi patronatus jus recipere.

PATRŌNUS, i, m. *προστάτης*, qui alterum tuetur, et defendit: cui respondet *cliens:* a *pater*, ut *Fest.* innuit in *Patronus*, et *Serv.* ad *A.* 6, 609., quia ut pater filium, ita hic clientem tuetur. *Patroni* enim primo dicti sunt patres, seu patricii, quibus ex instituto Romuli plebs commendata fuit, ut quem quisque plebejus vellet e patribus, eum sibi veluti tutorem eligeret, qui suis in rebus ac periculis sibi adesset. *Liv.* 6, 18. Quot enim clientes circa singulos fuistis patronos, tot nunc adversus unum hostem eritis: et *paulo post:* Ego me patronum profiteor plebis, quod mihi cura mea, et fides nomen induit. V. *Sigon. de ant. jur. Civ. R. l.* 1. *c.* 7. ℙ [*Hinc *patronus* in universum pro oratore, sve actore causarum usurpatur. Ita melius collocasse videmur locos, quos Noster §. 3. adscripserat.] *Ascon.* in *Div. Verr.* 4. Qui defendit alterum in judicio, aut patronus dicitur, si orator est; aut advocatus, si aut jus suggerit, aut praesentiam suam commodat amico; aut procurator, si negotium suscipit; aut cognitor, si praesentis causam novit, et sic tuetur, ut suam. *Cic. Off.* 2, 14. *med.* Judicis est semper in causis verum sequi: patroni nonnunquam veri simile, etiamsi minus sit verum, defendere. *Id. Or.* 2, 69. Ut ille Siculus, qui praetor Scipio patronum causae dabat hospitem suum. *Id. Mur.* 2. Quempiam constituere alicui causae patronum. *Ascon.* in *argum. orat. pro Scauro, f.* Defenderunt Scaurum sex patroni, cum ad id tempus raro quisquam pluribus, quam quatuor uteretur: at post bella civilia, ante legem Juliam, ad duodenos patronos est perventum. *Ov. A. Am.* 1, 88. Qui modo patronus, nunc cupit esse cliens. ℙ Praeterea *patroni* erant, qui provinciarum, et exterarum nationum, R. imperio subditarum, Romae apud senatum, magistratus, et populum, auctoritate et gratia res et negotia defendebant. Sic Bononienses patronos habuere Antonios, Syracusani Marcellos, Lacedaemonii Claudios, Afri Scipiones, Allobroges Sangas, etc. *Cic. Off.* 1, 11 Tantopere apud nostros justitia culta est, ut ii, qui civitates, aut nationes, devictas bello, in fidem recepissent, earum patroni essent more majorum. *Id. Div. Verr.* 1. Uti cum summum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. *Id. Pis.* 11. Me inaurata statua donarant, me patronum unum adsciverant. *Id. Sull.* 21. Patronus, defensor, custos coloniae. ℙ Translate de quovis defensore dicitur. *Cic. Agr.* 3, 1. *f.* Eam legem a vestrorum commodorum patrono esse conscriptam. *Id. Balb.* 10. Patronus foederum ac foederatorum. *Id. Amic.* 7. *f.* Qualis tum patronus justitiae fuit contra accuratam orationem Phili! ℙ Jocularіter usurpat *Pl. Truc.* 4, 3, 48. Video ego te, propter malefacta, qui es patronus parieti, *h. e.* qui scelerum conscientia fractus adstas parieti, ut patroni sive advocati solent clientibus adesse in judicio. ℙ Adjective videtur usurpasse *Mart.* 7, 72. V. PATRONA. ℙ Denique *patronus* est relativum *liberti.* V. v. praec. *Cic. Fam.* 13, 21. *f.* Peto a te, ut Ammonium libertum in patroni ejus negotio tueare. *Tac. H.* 2, 2. Corrupti in dominos servi, in patronos liberti.

PATRONYMĬCUS, a, um, adj. ut Patronymicum nomen, *πατρωνυμικὸν ὄνομα*, est, quod fit ex nomine patris, avi, vel alius ex majoribus, et significat filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel alium ex descendentibus, ut *Pelides*, Achilles filius Pelei; *Aeacides*, Achilles nepos Aeaci: item ex nominibus regum, urbium, fluminum, etc. V. *Prisc.* 2, 582. et alios grammaticos.

PATRŌUS, a, um, adj. *πατρῷος*, patrius: vox Graeca, a *πατὴρ*, pater. *Patroa virgo* ap. *Catull.* 1. videtur esse Minerva ingeniorum praeses, ex ca-

pite Jovis patris nata sine ope feminae. Ita *Voss.* et *Vulpius.* Alii leg. *patrona.* Eadem de causa *paterna virgo* dicitur a *Stat. Achill.* 1, 547. Al. tamen aliter aut leg. aut interpret.

PATRŪĔLIS, e, adj. V. v. sq.

PATRŪELIS, is, m. et f. ἐξάδελφος, ἀνεψιὸς, filius, vel filia patrui mei: qui et *frater*, aut *soror patruelis* dicitur. Differt a *consobrino*, qui est filius materterae, h. e. sororis matris meae. *Cajus Dig.* 38, 10, 1. Item fratres patrueles, sororesque patrueles, idest qui, quaeve ex duobus fratribus progenerantur. *Non.* 19, 8. Patrueles, marium fratrum filii. *Cic. Fin.* 5, 1. L. Cicero frater noster cognatione patruelis, amore germanus. Adde *Planc.* 11. *Suet. Dom.* 10. *med.* Occidit Flavium Sabinum, alterum e patruelibus, quod, etc.; et 15. Flavium Clementem patruelem suum interemit. *Pers.* 6, 52. si mihi nulla Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis Nulla manet. ℙ Sic etiam appellatur filius sororis patris mei. *Cic. Coel.* 24. Clodium vocat fratrem patruelem Q. Metelli Celeris, quia mater Clodii soror fuerat patris Q. Metelli. ℙ *Charis.* 1, 113 vult in ablativo *patruele* dici, allato exemplo *Nepotis* in *fragm.* ℙ Adjective. *Ov. Her.* 14, 61. Quo meruere necem, patruelia regna tenendo, *h. e.* Danai patrui sui, uxores ducendo ejus filias. V. DANAUS. Ajax ap. *Ov. Met.* 13, 41. Nos inhonorati, et donis patruelibus orbi, *h. e.* armis Achillis, qui fuit filius Pelei fratris Telamonis, quem Ajax patrem habuit. *Id. ib.* 1, 350. Deucalion lacrimis ita Pyrrham affatur obortis: O soror, o conjux, o femina sola superstes, Quam commune mihi genus, et patruelis origo, Deinde torus junxit: sc. quia filii erant duorum fratrum, ille Promethei, haec Epimethei.

[PATRŪĪNUS, a, um, adj. ad patruum pertinens. Est cogn. R., ut P. Valerius Patruinus Cos. suffectus ann. a Chr. n. LXXXII. in *Inscr.* ap. *Grut.* 1081, 2. *F.*]

[*PATRUITUS, a, um. V. PATRITUS.]

PATRŪUS, a, um, adj. ad patruum pertinens. *Hor. Od.* 3, 12, 2. exanimari metuentes patruae verbera linguae. *Ov. Fast.* 4, 55. Ense cadit patruo Lausus. Al. leg. *patrui*, al. *patrio.* Eadem lectionis varietas est ap. *eund. Amor.* 3, 6, 49. et *Met.* 11, 328. et *ib.* 12, 597. etc. ℙ Joculariter *Pl. Poen.* 5, 4, 24. et 26. Patrue mi patruissime, *h. e.* dulcissime, amantissime.

PATRŪUS, i, m. πατράδελφος, frater patris mei (ut docet *Paul. Dig.* 38, 10, 10.) a *pater*, quia patris loco est, eo mortuo. Differt ab *avunculo*, qui est matris meae frater. *Cic. Har. resp.* 12. *f.* Istiusmodi Megalesia fecit pater tuus? istiusmodi patruus? *Hor. Sat.* 1, 6, 131. Quaestor avus, pater atque meus, patruusque fuisset. ℙ Interdum notat severitatem et austeros mores, cujusmodi solent esse patruorum in fratris filios. *Cic. Coel.* 11. Et qui in reliqua vita mitis esset, fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister. *Hor. Sat.* 2, 3, 87. sive ego prave, Seu recte hoc volui: ne sis patruus mihi. *Pers.* 1, 11. Cum sapimus patruos, *h. e.* graves severosque mores induimus. ℙ *Patruus magnus* est frater avi mei paterni, vel materni. *Patruus major*, frater proavi mei, (*Fest.* in *Major* etiam aviae patruum, seu proaviae meae fratrem *patruum majorem* dici ait,) qui et *propatruus* vocatur. *Patruus maximus*, frater abavi mei; qui et *abpatruus* dicitur. *Paul. l. c.* ℙ Dupliciter *patruus* intelligendus est, ex patre vel matre: *puta*, avia paterna mea nupsit patri tuo, peperit te: aut avia paterna tua nupsit patri meo, peperit me. Ego tibi patruus sum, et tu mihi. Item evenit, si mulieres altera alterius filio nupserint: nam qui ex his masculi nati sunt, invicem patrui sunt; quae feminae, invicem amitae. Item masculi feminis similiter patrui feminae illis amitae. Et si vir et mulier, ille filiam ejus duxerit, illa filio ejus nupserit; qui ex patre adolescentis nati erunt, ex matre puellae natos, fratris filios: illi eos patruos, et amitas appellabunt. *Id. ib.*

[PATULCIĀNUS, a, um, adj. ad Q. Patulcium pertinens, qui fuit quaestor ann. U. C. DCCIV. *Cic. Att.* 14, 18. De Patulciano nomine, quod mihi suppetiatus es, gratissimum est, *h. e.* de pecunia a Patulcio exacta; Q. enim Patulcius Ciceronis debitor erat. *F.*]

PATULCĬUS, a, um, adj. ita dictus est Janus, quod tempore belli portae templi ejus paterent. *Ov. Fast.* 1, 129. modo namque Patulcius idem, Et modo sacrifico Clusius ore vocor. Adde *Macr. Sat.* 1, 9. *med.* ℙ Etiam Juppiter et Juno hoc appellantur cognomine. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. ant.* p. 81. Jovi Patulcio, et Junoni Patulciae D. D. prid. Id. Augu. C. Caesio Longino et Sex. Domitio Calvino Coss. L. Calpurnius L. F. Pal. Messalinus Praef. Fabr. Ost. etc. Alia *ib.* Junoni Patulciae Sispitae T. Fabatius tabularius Ost. etc. Uterque Lapis ad Ostiensem portum pertinet: Juppiter et Juno, tanquam ejus praesides, eo fine coluntur, ut navigantibus pateat, et tutos reddat.

PĂTŪLĪCANS. V. PASTILLICANS.

PĂTŪLUS, a, um, adj. ἀνοικτὸς, εὐρὺς, patens, apertus, latus, amplus: et saepe de iis dicitur, quae semper aperta et patentia sunt. Quomodo a *patens* differat, V. PATENS. *Varr. L. L.* 4, 33. Cavum aedium dictum, qui locus tectus intra parietes relinquebatur patulus, qui esset ad communem omnium usum. *Lucr.* 6, 107. patuli super aequora mundi. *Cic. N. D.* 2, 48. et *Fin.* 3, 19. Pinna duabus grandibus patula conchis, cum parva squilla quasi societatem coit comparandi cibi. *Id. Or.* 1, 7. *f.* Platanus ad opacandum locum patulis diffusa ramis. *Virg. A.* 7, 115. patulis nec parcere quadris. *Id. G.* 1, 375. bucula coelum Suspiciens patulis captavit naribus auras; et *ib.* 3, 362. patulae puppes. *Plin.* 36, 9, 14. *n.* 3. in latitudinem naves. *Hor. Ep.* 1, 18, 70. aures, *h. e.* quae semper apertae sunt, et paratae ad audiendum. *Ov. Met.* 14, 752. fenestrae. *Id. ib.* 8, 30. Imposito patulos calamo sinuaverat arcus; et *ib.* 15, 513. patulo partem maris evomit ore; et *ib.* 2, 379. patuli lacus; et *ib.* 8, 675. Patula canistra. *Tac. A.* 15, 40. urbis loca; et *ib.* 43. *extr.* Patula latitudo, et nulla umbra defensa. *Gell.* 6, 6. *extr.* Aves ingentibus alis patulae atque porrectae. ℙ *Patuli boves* qui sint, V. in CAMURUS.

[PĂTŪRĂ, ae, f. pator, apertio. *Plin. Valer.* 3, 22. *f.* Xeron facit ad nomas, et ad paturas sparges, et ligabis. *F.*]

PĂVA. V. PAVO.

PAUCI, ae, a, adj. ὀλίγοι, qui exiguo numero sunt, rari: a παῦρος, quod idem significat. Refertur ad quantitatem discretam, *h. e.* ad numerum, et contrarium habet *plures*, *multi:* sicut *parvus* ad quantitatem continuam, *h. e.* corpus: cui *magnus* opponitur. *Cic. Tusc.* 5, 35. *extr.* Quotidie nos ipsa natura admonet, quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus. *Id. Cluent.* 46. Ut metus ad omnes, poena ad paucos perveniret; et *ib. f.* In multorum peccato carpi paucos ad ignominiam non oportet. *Id. Or.* 2, 32. Causae modicae et paucae. *Tac. H.* 4, 40. Pauca et modica disseruit. *Hirt. B. Afr.* 96. Pauciora ab amplioribus circumventa navigia deprimuntur. *Sall. Jug.* 53. Ne pauciores cum pluribus manum consererent. *Cels.* 7, 2. *med.* Ut quam minimae, et quam paucissimae plagae sint. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. *extr.* Spero, paucis mensibus opus Diphili perfectum fore. *Id. Fam.* 2, 7. Paucis diebus eram missurus domesticos tabellarios; et *Verr.* 1, 6. *f.* Ecce autem repente, his diebus paucis, vetera illa consilia repetuntur; et *Ter. Andr.* 1, 1, 77. Fere in diebus paucis, quibus haec acta sunt, Chrysis moritur. *Plin. praef.* 30. In paucis digna res est, de qua plura dicantur. ℙ Absolute *pauci*, pauci homines. *Phaedr.* 5, 4. Paucis temeritas est bono, multis malo. *Cic. Mur.* 11. Posset agi lege, necne, pauci quondam sciebant. [*Pauci absolute saepissime eo sensu ponuntur, ut ii significentur, qui praeter jus fasque in republica imperio potiti sunt. *Sall. Cat.* 30, 4. ne triumpharent calumnia paucorum, quibus omnia, honesta atque inhonesta, vendere mos erat; et *ib.* 39, 1. Paucorum potentia crevit. Cf. *Jug.* 3, 4. 31, 19. 41, 7. *Fragm. Hist.* 3, 22, 6.] ℙ *Pauca*, pauca verba. *Ter. Andr.* 3, 3, 4. Ausculta paucis; et 1, 1, 2. Paucis te volo; et 5, 3, 22. Pater, licet ne pauca? *Hor. Sat.* 1, 6, 60. respondes, ut tuus est mos, Pauca. *Sall. Jug.* 19. et 20. *extr.* Cetera quam paucissimis absolvam. *Pl. Poen.* 5, 4, 54. In pauca confer. ℙ *Pauci*, boni, ut *multi*, mali. V. MULTUS. *Cic. Or.* 3. *f.* Eloquentia jactationem habuit in populo, nec paucorum judicium, reprehensionemque pertimuit. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 12, 4. ℙ In sing. numero. *Hor. A. P.* 203. tibia tenuis, simplexque foramine pauco. *Gell.* 20, 1. *med.* Injurias pauco aere diluere. *Appul. Met.* 11. Post paucum tempus nunciatur. ℙ In genitivo plur. *paucum* pro *paucorum* dixit *Enn.* ap. *Gell.* 12, 4. *f.* ℙ In dativo plur. habet *paucis* in omni genere: olim et *paucabus* in feminino dictum est. *Cn. Gell.* ap. *Charis.* 1, 39. Capite cum aliis paucabus consilium. V. ASINA.

PAUCIES et Pauciens, adv. παύρα, σπανίως, raro, paucis vicibus. *Titin.* ap. *Fest.* et *Non.* 2, 681. Tuam uxorem pauciens videbo. *Coel. ib.* Consulto non pauciens arcessitum.

PAUCĬLŌQUĬUM, ii, n. βραχυλογία, paucitas sermonis. *Pl. Merc.* 1, 1, 31. Contumelia, et dispendium, multiloquium, pauciloquium.

PAUCĪTAS, atis, f. ὀλιγότης, exiguus numerus. *Cic. Or.* 1, 2. Quanta oratorum sit, semperque fuerit paucitas. *Caes. B. G.* 3, 9. Navigatio impedita propter inscientiam locorum, paucitatemque portuum. *Nep. Dat.* 7. *extr.* Ut non multum obesse multitudo hostium suae paucitati posset. *Sall. Cat.* 57. Divitias paupertas, multitudinem paucitas superat. *Curt.* 3, 4. Loci angustiis redactus est ad paucitatem, quam in hoste contempserat. *Cic. Inv.* 1, 22. Partitio habere debet brevitatem, absolutionem, paucitatem; et *mox:* Paucitas in partitione servatur, si genera ipsa rerum ponuntur, neque permixte cum partibus implicantur. *Nep. Pel.* 2. Qua paucitate perculsa est Lacedaemoniorum potentia.

PAUCŬLI, ae, a, adj. dimin. a *pauci*. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Volusium misi in Cyprum, ut ibi pauculos dies esset. *Pl. Merc.* 2, 3, 52. Mane: pauculos sciscitare prius volo. *Id. Epid.* 3, 4, 24. Volo te verbis pauculis, si tibi molestum non est. *Ter. Heaut.* 4, 6, 24. Quod imperabit, facito: loquitor paucula. ℙ Etiam in num. sing. *Appul. Met.* 11. Post pauculum tempus.

PAUCUS. V. PAUCI.

[PAVĔFĂCIO, is, a. 3. exterreo. *Gloss. Philox.* Pavefacio, δειλοποιῶ. *F.*]

PĂVĔFACTUS, a, um, part. a *pavefacio:* ἀνυζόμενος, exterritus. *Ov. Met.* 13, 878. Ast ego vicino pavefacta sub aequore mergor; et *ib.* 15, 636. pavefacta pectora. *Sen. Herc. Fur.* 1022. Pavefactus infans igneo vultu patris, Perit ante vulnus: spiritum eripuit timor.

PĂVENS, entis, part. a *paveo:* ἔκφοβος, timens, metuens, pavidus. *Sall. Jug.* 114. Repente Maurus incerto vultu pavens ad Sullam accurrit. *Ov. Met.* 8, 89. Pervenit ad regem, quem sic affata paventem; et *ib.* 2, 398. Colligit amentes, et adhuc terrore paventes Phoebus equos. *Appul. Met.* 4. *f.* Pavens ac trepida; et *ib.* 5. Paventes cogitationes.

[PĂVENTĬĂ, ae, f. nomen Deae apud Romanos, quae ita appellata creditur, quod averteret pavores ab infantibus, seu potius ea uterentur parentes, ut pueris pavorem incuterent, si quid deliquissent. *August. C. D.* 4, 11. De pavore infantum Paventia nuncupetur. *F.*]

PĂVĔO, es, pāvi, a. 2. δειλόομαι, timeo, metuo. Volunt esse a *pavor:* hoc autem a *pavio*, quia pulsat cor, percellit animum. Unde videtur esse discrimen inter *metuo*, *timeo*, et *paveo*, quod illa occultum animi affectum significent, hoc cum extra se prodit pallore, et tremore. Sed hoc servari non solet. [**Doederl.* 2, 203. originem vv. *pavere* et *pallere* a Gr. φέβομαι repetendam censet.] *Pl. Cist.* 2, 1, 59. Et illud paveo, et hoc formido; et 4, 2, 20. Nam et intus paveo, et foris formido. *Ov. Fast.* 3, 362. Sollicitae mentes speque, metuque pavent. *Ter. Ph.* 1, 4, 10. Tum mihi paveo, tum Antipho me excruciat animi. *Sen. Med.* 670. Pavet animus, horret: magna pernicies adest. *Ter. Andr.* 2, 2, 12. Id paves, ne ducas tu illam: tu autem, ut ducas. *Pl. Amph.* 5, 1, 58. et *Mil.* 3, 3, 21. Ne pave. *Ov. Met.* 1, 388. pavetque Laedere jactatis maternas ossibus umbras. *Sall. Cat.* 32. Mulieres afflictare se, miserari parvos liberos, rogitare omnia pavere. [*V. *Kritz.* ad h. l. qui *pavere omnia* eodem modo dictum esse docet quo ap. *Liv.* 5, 42. *pavere ad omnia:* nimirum accusativo casu *pavere* accuratius definiri et indicari, circa quam rem pavor versetur.] *Hor. Epod.* 12, 25. pavet acres Agna lupos, capreaeque leones. *Petr. Sat.* 139. et regnum Neptuni pavit Ulyxes. *Tac. H.* 1, 29. Pavere tristiorem casum; et *ib.* 50. mores alicujus. *Plin.* 2, 12, 9. mortem. ℙ Translate. *Id.* 17, 20, 31. de castanea: Sed translata nescit hospitare, pavetque novitatem. ℙ Passive. *Id.* 31, 9, 45. *f.* Ita ut paverentur ante hic ulcera. *Id.* 8, 23, 35. Nec pedibus tantum pavendas serpentes, sed et missili volare tormento. Ita *Hard.* ex MSS. Al. *cavendas.* ℙ Praeteritum *pavi* agnoscitur etiam a *Diomed.* 1, 369.

PĂVĔRA frumenta dicebant antiqui, quae de vagina non bene exibant. *Paul.* ex *Festo:* ubi al. leg. *paveri.* Dicta sunt autem a *pavio*, quia pavire ea multum oportet, ut a gluma liberentur. At *Pontedera Op. post.* T. 1. p. 30. recte putat, sincerum esse *pavere* pro *paveri*, quasi metu spica extra vaginam se credere non audeat; propterea-que Dea Patalena colebatur, quae frumentis, dum e vaginis egrederentur spicae, praeesset, virtutemque praeberet. V. PATELANA.

PĂVĔRĀTUS, a, um, adj. densus, calcatus, ut Paverata vestis: a *pavio.* V. PAPAVERATUS.

PĂVESCO, is, n. 3. ἀδημονέω, pavere incipio, extimesco. *Colum.* 6, 2. Bobus sub femina manum subjicere, ne ad ejusmodi tactum postmodum pavescant. *Plin.* 29, 4, 20. Pavescere ad nocturnas imagines. *Sil.* 16, 127. Ne vero, ne, nate, Deum tu laeta pavesce Prodigia. *Tac. A.* 1, 4. Pavescere bellum. *Gell.* 19, 1. *f.* Pavescere sensim, et quasi albescere.

PĂVĬBUNDUS, a, um, adj. pavens. *Arnob.* 7, 221. Pavibundae trepidationes.

PĂVĬCŬLĂ, ae, f. instrumentum, quo area densatur, aequaturque: a *pavio.* *Gloss. Philox.* Paviculae, ὁμαλιστῆρες. *Cato R. R.* 91. de area facienda: Comminuito glebas bene, deinde coaequato, et paviculis verberato; et 129. Comminuito terram, et cylindro, aut pavicula coaequato. *Colum.* 1, 6. *med.* Pavimenta testacea magna vi paviculis inculcantur, atque expoliuntur.

*PAVĬCŬLO vel contracte Paviclo, as, a. 1. *Gloss. Vet.* Paviclat, ποδίζει, ἐδαφίζει. *B. A.*

PĂVĬDĔ, adv. περιδεῶς, timide, meticulose. *Liv.* 5, 39. Pavide fugere. *Quint.* 11, 3. *med.* dicere.

PĂVĬDUS, a, um, adj. περιδεής, δειλὸς, qui pavet, timidus. Differt a *pavens:* nam *pavidus* dicitur, qui natura talis est; *pavens*, qui ex causa. Ita *Serv.* ad illud *Virg. A.* 2, 489. Tum pavidae tectis matres ingentibus errant. *Hor. Epod.* 2, 33. Pavi-

dus lepus. *Ov. Fast.* 1, 400. Pavidas aves terrere. *Plin.* 11, 37, 54. Plerisque naturale, ut nictari non cessent: quos pavidiores accepimus. ℙ Hoc tamen discrimen non est perpetuum. *Liv.* 3, 26. Castris se pavidus tenebat. *Plin.* 11, 37, 50. Aures in equis indicia animi praeferunt: fessis marcidae, micantes pavidis, subrectae furentibus. *Tac. A.* 2, 23. Miles pavidus, et casuum maris ignarus. *Id. H.* 2, 68. Vitellius ad omnes suspiciones pavidus. *Sil.* 10, 65. talin', pavidissime, dignum Me vita, pulcraque indignum morte putasti? [**Suet. Dom.* 4. pavidus semper atque anxius: ubi *pavidus* timorem crebro et undique injectum (nostr. *Scheu*), *anxius*, continuum et inhaerentem significat. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 576.] ℙ Cum genitivo. *Tac. H.* 4, 14. *Miles* armis gravis, et nandi pavidus. *Id. A.* 4, 38. Offensionum non pavidus. *Sen. Herc. Fur.* 293. Pavidus lucis; et 1076. leti. *Lucan.* 8, 811. maris. ℙ Cum infinito. *Sil.* 1, 406. Kartalo non pavidus fetas mulcere leaenas. ℙ Cum pavore conjunctus. *Sil.* 13, 133. pavidaque petebat Consternata fuga positos ad moenia campos. *Lucan.* 5, 255. pavidum murmur; et 2, 168. furtum. [**Suet. Cal.* 50. quies pavida imaginibus: nostr. *beängstigt, geängstet.*] ℙ Metonymice, pavidum faciens. *Ov. Fast.* 1, 16. Deque meo pavidos excute corde metus. *Lucr.* 2, 43. Pavidae relligiones. *Stat. Theb.* 5, 567. Pavidus lucus. ℙ *Pavidum* adverbii ritu, *Ov. Met.* 9, 567. Deque suis unum famulis pudibunda vocavit, Et pavidum blandita, fer has, fidissime, nostro Dixit, et adjecit longo post tempore, fratri.

PAVIMENTĀRIUS, ii, m. pavimentorum artifex. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 9. *n.* 35. et *Mur.* 527, 6. Genio collegi pavimentariorum M. Alfius Onesimus dedic. K. Mart. M. Sil. L. Norb. Cos. *h. e.* ann. a Chr. n. XIX.

PAVIMENTĀTUS, a, um, part. a *pavimento*, pavimento stratus. *Cic. Dom.* 44. In palatio pulcherrimo prospectu porticum cum conclavibus pavimentatam trecentum pedum concupierat. Adde *Q. Fr.* 3, 1, 1.

PAVIMENTO, as, avi, atum, a. 1. *ἐδαφίζω*, pavimentum facio, pavimento sterno. *Plin.* 27, 4, 5. Ergo pavimentandum, ubi sata sit, censent.

PAVIMENTUM, i, n. *ἔδαφος*, domus solidamentum, sive incrustatio, quam gradiendo calcamus: a *pavio*. *Cato R. R.* 18. *med.* Ibi de testa arida pavimentum struito: ubi structum erit, pavito, fricatoque oleo, uti pavimentum bonum siet. *Juven.* 14, 60. Verre pavimentum, et nitidas ostende columnas. *Hor. Od.* 2, 14, 26. et mero Tinget pavimentum superbis Pontificum potiore coenis. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Pavimentum facere. *Plin.* 36, 25, 61. Pavimenta credo primum facta quae nunc vocamus barbarica, atque subtegulanea, in Italia fistucis pavita: hoc certe ex nomine ipso intelligi potest. ℙ Pavimentorum plura apud veteres genera recenset *Plin.* 36. *c.* 25. Adde *Vitr.* 7, 1., *Cat. R. R.* 9. et *Pall.* 1, 9., qui eorum faciendorum rationem docent. ℙ Aliud est lapide sternere, aliud pavimentum facere. Illud fit cum secto lapide solum operitur; hoc proprie, cum rudere pavito et calce consternitur, et solidatur. *Varr. R. R.* 1, 51. Quidam, aream ut habeant solidam, muniunt lapide, aut etiam faciunt pavimentum. ℙ Sed et lapide stratus locus, seu lithostrotum *pavimentum* dicitur. *Caes. B. C.* 3, 105. Palma integra inter coagmenta lapidum ex pavimento exstitisse ostendebatur. [Ita *palma integra* pro *palma in tecto* recte edidit *Oudendorp.*, cujus adnot. vide. *F.*] *Hirt. B. Alex.* 1. Alexandriae aedificia tecta sunt rudere, aut pavimentis. *Festus:* Pavimenta Poenica, marmore Numidico constrata significat Cato.

PAVIO, is, a. 4. *παίω*, caedo, ferio, tundo: a voce Graeca allata. *Lucr.* 2, 375. qua mollibus undis Litoris incurvi bibulam pavit aequor arenam. *Cic. Div.* 2, 34. *f.* Quia cum pulli pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, et terram pavire, terripavium primo, post terripudium dictum est: hoc quidem jam tripudium dicitur. ℙ *Terram*, aut *solum pavire*, tundendo, calcandoque solidare. *Plin.* 19, 7, 36. Cum maledictis, et probris ocimum serendum praecipiunt: ut laetius proveniat, sato pavitur terra. V. *Cat. l. c.* in PAVIMENTUM.

PAVITĀTIO, onis, f. trepidatio. *Appul. de Mundo:* Palmatiae, quorum pavitatione illa, quae trepidant, sine inclinationis periculo nutant.

PAVITENSIS, e, adj. *Isid. Or.* 19, 22. V. LEVIDENSIS.

PAVITO, as, avi, atum, n. 1. *πτοέομαι*, saepe aut valde, et cum tremore paveo. *Lucr.* 2, 57. Quae pueri in tenebris pavitant, finguntque futura. *Virg. A.* 2, 107. Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur. *Val. Fl.* 7, 410. effusis pavitantem flectore tibus. *Sen. Oed.* 1047. Pavitante gressu sequere fallaces vias. ℙ Pro aegrotare. *Ter. Hec.* 3, 1, 40. Uxorem Philumenam pavitare nescio quid dixerunt. Ubi *Donatus:* pavere et timere et ad corporis et ad animi perturbationem veteres referebant.

PAVĪTUS, a, um, part. a *pavio*, pulsando calcatus, inculcatus, solidatus. *Varr. R. R.* 1, 51. Aream esse oportet solidam terra pavita. *Plin.* 36, 25, 61. Pavimenta fistucis pavita. *Id.* 9, 10, 12. Testudines pariunt ova, eaque defossa extra aquas, et cooperta terra, ac pavita pectore et complanata incubant noctibus. *Colum.* 1, 6. *f.* Sterquilinia extructum pavitumque solum habeant, ne humorem transmittant. ℙ *Pavitum, i*, n. substantive est pavimentum pavitum. *Paul. Nol. carm.* 25, 37. Basilicis haec juncta tribus patet area cunctis: Atque itidem gremio diversis excipit uno A tribus egressos medio spatiosa pavito.

PAULĀTIM et Paullatim, adv. *κατ' ὀλίγον, καταβραχέως*, sensim, leniter, minutatim. *Caes. B. G.* 1, 33. Paulatim Germanos consuescere Rhenum transire; et *ib.* 2, 8. Collis leviter fastigiatus, paulatim ad planitiem redibat. *Sall. Cat.* 51. Ubi paulatim licentia crevit. *Virg. Ecl.* 4, 28. Molli paulatim flavescet campus arista. *Caes. B. G.* 4, 30. *f.* Paulatim ex castris discedere coeperunt: non omnes simul, sed subinde pauci. *Paul. Dig.* 49, 14, 47. Aemilius conduxerat a fisco possessionem, eamque paulatim pluribus locaverat, *h. e.* per exiguas partes, particulatim. ℙ More substantivi cum genitivo. *Cato R. R.* 74. Farinam in mortarium indito, aquae paulatim addito, subigitoque pulcre, *h. e.* paulum aquae addito: vel, quod aptius videtur, aquam paulatim addito. [*Discrimen inter *paulatim, pedetentim* et *sensim Doederl.* 3, 97. sq. ita constituit, ut, quae primo loco posita sunt, rem spectent, quae progrediatur, in qua proficias: *sensim* ad spectatores pertineat.]

PAULIĀNUS et Paullianus, a, um, adj. a Paulo nomine proprio, ut Pauliana responsa, *h. e.* Pauli JCti, in *praef. Pandect. ad Antecessor.* §. 5. Sic Pauliana victoria, *Val. Max.* 8, 11. *n.* 1. *h. e.* a L. Paulo parta.

[PAULINŪLA, ae, f. dimin. Paulinae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 232, 1. Cassia Paulinula. *F.*]

PAULĪNUS et Paullinus, a, um, adj. ad Paulum pertinens, est cogn. R., ut C. Suetonius Paulinus, ap. *Tac. A.* 14, 29. et Lollia Paulina uxor Caligulae, ap. *Suet. Cal.* 25. ℙ Paulinus Episcopus Nolanus scripsit epistolas, et carmina, floruitque circa saeculi IV. finem, et initium V. Ausonii discipulus fuit et amicus. V. *Auson. ep.* 19. et deinceps. ℙ Paulinus alter, Petrocorius (vel Petricordius) dictus a Petrocorio Aquitaniae oppido, scripsit metro vitam S. Martini, vixitque saec. V. annis circiter XL. post Nolanum.

PAULISPER et Paullisper, adv. parumper, *ὀλίγον χρόνον*, valde paulum temporis. *Cic. Leg.* 1, 13. *f.* Paulisper facessant rogemus. *Ter. Ad.* 2, 2. *f.* Paulisper mane. *Pl. Bacch.* 3, 3, 12. Paulisper est libido homini suo animo obsequi. *Caes. B. G.* 3, 5. intermittere proelium. ℙ Sequente *dum* vel *donec*. *Cic. Mil.* 10. Milo paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est. *Liv.* 28, 26. *f.* Sedit tacitus paulisper, donec nunciatum est, etc. ℙ De compositione V. PARUMPER in fine. [*Ubi etiam de discrimine inter *paulisper* et *parumper* exposuimus.]

PAULO et Paullo, adv. idem ac *paulum*, nisi quod hoc positivis, et verbis, *paulo* comparativis, et verbis comparationem significantibus, item praepositionibus *ante* et *post* adjungitur. [**Paulo* est abl. neutr. *paulum*, adverbii more adhibitus, nostr. *um ein Weniges*. Neque differentia, quam Noster dicit, constare videtur. V. in *paulum* et *paulus*.] *Cic. Or.* 24. *extr.* Hoc ornamento liberius paulo utetur. *Caes. B. G.* 1, 54. Maturius paulo, quam tempus anni postulabat; et *ib.* 2, 20. Paulo longius processerant. *Cic. Att.* 2, 12. *f.* Civis haud paulo melior, quam isti nostri. *Id. Or.* 3, 30. Paulo secus a me atque ab illo, distributa. *Pl. Men.* 4, 3, 7. Tibi dedi equidem illam paulo prius. *Caes. B. G.* 6, 26. Alcium est consimilis capris figura, sed magnitudine paulo antecedunt. *Sall. Cat.* 18. Post paulo Catilina pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat, etc. *Liv.* 22, 60. *med.* Annibalem post paulo audistis jubentem, etc. *Nep. Alc.* 5. Qui paulo ante victores viguerant. *Cic. Part.* 39. Quae paulo ante praecepta dedimus ambigui, quaeque proxime sententiae, et scripti. *Id. Verr.* 2, 4, 3. Nuper homines nobiles: et quid dico nuper? imo vero modo, ac plane paulo ante vidimus, qui, etc. *h. e.* dudum, nuperrime. *Id. ad Brut.* 1, 15. *med.* Paulo plures in senatu malevolos esse, quam gratos. *Ter. Heaut.* 2, 1, 8. Is mihi, ubi adbibit plus paulo, sua quae narrat facinora! *Cic. Fam.* 7, 1. *med.* Nae tu haud paulo plus, quam quisquam nostrum delectationis habuisti. *Id. Quint.* 3. Una in re paulo minus consideratus. *Suet. Tib.* 39. Quod paulo minus utrumque evenit: propemodum evenit: non multum abfuit quin eveniret. *Petr. Sat.* 107. Qui ignotos laedit, latro appellatur: qui amicos, paulo minus quam parricida. [*Est haec argenteae aetatis scriptoribus propria dicendi formula, Gr. *ὀλίγου δεῖν*, nostr. *um wenig*. Adde *Suet. Ner.* 40. paulo minus quatuordecim annos. *Tib.* 26. Civilem admodum — ac paudecim annos. *Tib.* 26. Civilem admodum — ac paulo minus quam privatum egit. *Plin. ep.* 7, 24, 1. paulo minus octogesimo aetatis anno decessit. *Pan.* 28, 4. Paulo minus quinque millia ingenuorum fuerunt.] *Cic. Verr.* 1, 5. Deum nullum Siculis, qui ei paulo magis affabre factus videretur, reliquit. *Id. Brut.* 21. Videtur lubenter verbis etiam uti paulo magis priscis Laelius. ℙ Jungitur interdum aliis particulis. *Cic. Or.* 2, 21. Verba effervescentia, et paulo nimium redundantia. *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 2. Sicut paulo mox docebimus. *Hirt. B. Alex.* 21. Hoc proelio desiderati ex eo numero legionariorum militum circiter CD., et paulo ultra eum numerum classiarii et remiges. *Caes. B. C.* 3, 66. Caesar paulo ultra eum locum castra transtulit. *Cic. Par.* 3. *f.* Histrio si paulo se movit extra numerum, etc. Ita edit. vet. a. 1477. Plerique al. *paulum:* et in MS. apud nos *paululum*. ℙ Et verbis. *Catull.* 68, 131. Aut nihil, aut paulo cui nunc concedere digna Lux mea, etc. ℙ Et positivis. *Ter. Heaut.* 1, 2, 30. Parentum injuriae uniusmodi sunt ferme, paulo qui est homo tolerabilis. *Cic. Att.* 8, 12. Ut non solum gloriosis consiliis utamur, sed etiam paulo salubribus. Quod dictum pro *paulo salubrioribus*. ℙ De ratione scribendi V. in PAULUS, a, um.

*PAULON, onis, m. Italiae superioris fluvius, ab Alpibus defluens, inque mare prope Nicaeam Liguriae oppidum se exonerans. *Mela* 2, 4. *extr.* ℙ *Pado* est *Plin.* 3, 5. ubi *Cellarius* corrigendum censet *Paulo* (*Paulon*). ℙ Hodiernum nomen est *Paulon* vel *Paglion. B. A.*

PAULŪLĀTIM et Paullulatim, adv. dimin. a *paulatim*. *Appul. Met.* 5. Nudo vestigio pensilem gradum paululatim minuens; et *ib.* 2. Poculum paululatim labellis minuens.

PAULŪLO et Paullulo, dimin. a *paulo:* aliquantulum. *Lucej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. Valeo, sicut soleo: paululo tamen deterius, quam soleo.

PAULŪLUM et Paullulum, adv. dimin. a *paulum:* aliquantulum. *Pl. Asin.* 5, 2, 75. Abscede paululum istuc. *Ter. Eun.* 5, 2, 51. Paululum operirier si vis, jam frater ipse hic aderit. *Cic. Quint.* 16. Si haec tecum duo verba fecisses, quid ago? respirasset cupiditas, atque avaritia paululum. *Sall. fragm.* ap. *Gell.* 10, 26. *f.* Scaphae paululum progressae nimio onere deprimebantur. *Gell.* 12, 1. Nunciatum est Favorino, uxorem auditoris sui paululum ante enixam: pro paululo.

PAULŪLUS et Paullulus, a, um, adj. dimin. a *paulus*, pauculus, pusillus. *Pl. Curc.* 1, 2, 31. De paulo paululum hoc tibi dabo. *Cic. N. D.* 2, 46. Nihil ut fere intereat, aut admodum paululum. *Pl. Bacch.* 4, 8, 24. Pacisci cum illo paulula pecunia potes. Al. leg. *paula. Pall.* 12, 22. *med.* Admixto paululo sale. *Cic. ad Brut.* 2, 4. Hoc paululum exaravi ipsa in turba matutinae salutationis. *Liv.* 8, 11. Pro paulula via magnam mercedem Romanis esse solvendam. *Id.* 35, 11. Equi, hominesque paululi et graciles. ℙ Pusillus. *Cato R. R.* 14. Paululam pilam, ubi triticum pinsant. Al. leg. *paulum latam pilam. Mart.* 5, 34. de puella sexenni: Paulula ne nigras horrescat Erotion umbras. ℙ [*Paullulus* fuit etiam cogn. R., ut Sp. Postumius Paullulus Cos. ann. U. C. DLXXX. ap. *Grut. Fast. Capitol.* p. 293.

PAULUM et Paullum, adv. *ἐπὶ μικρόν, ὀλίγον*, valde parum. [*Est neutr. adjectivi *paulus*, adverbii loco positum. V. in Paulus.] *Cic. Att.* 9, 6. Epistolae me paulum recreant. *Id. Agr.* 2, 31. Quasi vero paulum differant ager Campanus, ac Stellatis. *Id. Rosc. Com.* 10. Alicubi paulum commorari. *Id. Or.* 1, 62. Paulum requiescet, dum se calor frangat. *Suet. Ner.* 28. Acten libertam paulum abfuit quin justo matrimonio sibi conjungeret. [*— Cum praepos. *Quint. Inst.* 9, 4. *med.* sed de propositorum diversitate post paulum: quod eodem modo dictum est, quo alias *post paulo*. — *Suet. Caes.* 82. Paulum infra jugulum.] ℙ Cum comparativo. *Sil.* 15, 21. haud paulum mortali major imago. *Stat. Th.* 10, 938. paulum tardius. Sic *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 43. *extr.* paulum praelabitur ante. ℙ [*Confund. *paulum* et *parum*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 128.]

PAULUS et Paullus, a, um, adj. *σμικρός*, dimin. a *parvus*, vel *paucus*. [*Primo loco ponenda sunt ista.] *Ter. Andr.* 1, 5, 31. Dum in dubio est animus, paulo momento huc, vel illuc impellitur. *Id. Ad.* 5, 4, 22. Eos meo labore eductos maximo, hic fecit suos paulo sumptu. *Titin.* ap. *Non.* 4, 47. Cocus magnum ahenum, quando fervit, paula confutat trua, i. e. pusilla. ℙ [*Nunc recte sequuntur ea, in quibus neutrum *paulum* substantive positum est.] *Hor. Sat.* 2, 6, 3. paulum silvae. *Colum.* 8, 5. *f.* Paulum triti salis vulneribus infriatur. *Pl. Curc.* 1, 2, 31. De paulo paululum hoc tibi do. *Hor. Ep.* 1, 15, 33. timidis nil, aut paulum abstulerat. *Quint.* 12, 3. *f.* Paulum aliquid sederunt in scholis philosophorum. *Ter. Phorm.* 5, 4, 3. Paulo mederi. ℙ Placet *Manutio* scribi *paullus*, *paullulus*, etc. geminata liquida, auctoritate *Terent. Scauri* in *Orthogr.* 2256. et vet. libror. et lapidum, in quibus et adjectivum, et nomen propr. *Paullus* legitur, ut ap. *Grut.* multis in locis. Contra sentiunt *Prisc.* 3. p. 614. *extr.* et *Vel. Long. de Orthogr.* p. 2238., quibus adstipulantur plurimae item inscr. ap. *Grut.* Utraque ergo ratio scribendi proba, et usitata. [*Praeferendum ducit *paulus Schneid.* in *Gr. L.* 1. p. 412. sq. ubi v.]

PAULUS et Paullus, i, m. *Παῦλος*, cognomen

R. a staturae exiguitate profectum in gente Aemilia: in qua celebris fuit L. Aemilius Paulus, qui consul in pugna Cannensi occubuit: item hujus filius, idemque Africani minoris pater, qui de Macedonibus, et Perseo rege triumphavit. *Liv.* 22. et 44. et *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 56. et 58. ℙ Julius Paulus, Jurisconsultus celebris, auditor fuit, et assessor Papiniani, tempore Alex. Severi Imp. sub initio saeculi Christi tertii. Ejus responsa passim in Pandectis leguntur. *Lampr. Alex. Sev.* 26. ℙ Paulus cognomento Diaconus, Warnefridi filius, Langobardus, vixit saeculo Christi octavo, sub Desiderio Langobardorum regum ultimo, et Carolo Magno. Scripsit historiam gentis suae, et alia multa, sed barbare omnia: neque esset, cur in hoc opere mentio ejus ulla fieret, nisi *Festi* libros viginti in compendium redegisset, *superflua quaeque*, ut ipse scribit ad Carolum M. *et minus necessaria praetergrediens, et quaedam abstrusa penitus stilo proprio enucleans, nonnulla ita, ut erant posita, relinquens.* Revera autem laniavit, corrupitque, ut eruditi passim queruntur. ℙ Quidam putarunt, *Paullus* esse praenomen ap. *Fron.. Aqu.* 100., ubi habetur *Paullus Fabius Maximus*, sed *B. Borghesi Framm. de' fasti cons.* T. 1. p. 49. et *Dec. numism.* 4. *n.* 10. probat esse cognomen, quod item dicendum de nomine *Cossus*. V. COGNOMEN. [*Quaedam in fine addidit *F.*]

PĀVO, onis, m. ταώς, avis vario pennarum fulgore conspicua, quam poetae Junonis tutelae assignarunt: cujus illa caudam ornasse fingitur oculis Argi a Mercurio interempti. V. *Ov. Met.* 1, 720. Est a voce Graeca allata. Tradunt, hanc avem gloriosam esse. Laudata enim expandit colores adverso maxime sole. Malevola etiam est, quippe quae fimum suum resorbet invidens hominum utilitati. *Id. A. Am.* 1, 627. Laudatas ostentat avis Junonia pennas: Si tacitus spectes, illa recondit opes. ℙ Fuit olim in mensarum deliciis. *Juven.* 1, 143. et crudum pavonem in balnea portas. Multa de eo *Plin.* 10, 20. et *Colum.* 8, 11. ℙ Femina *pava* dicitur, *paonessa* ap. *Auson. epigr.* 69. Pavaque de pavo constitit ante oculos. Sed tamen Latinius uterque sexus *pavo* appellatur cum appositione nominum *masculus* et *femina*. *Colum. l. c.* Masculus pavo gallinaceam salacitatem habet: et *paulo post:* Nam *Enn.* ap. *Charis.* 1, 75. Memini me fieri pavum. *Gell.* 7, 16. feminae pavones, quae non incubant, etc. ℙ Dicitur et *pavus*, *i.* Pavus e Samo, Phrygia attagena, grues Melicae. *Arnob.* 7, 215. Anser, caper, aut pavus. Adde *Tert. Pall.* 5. et *Anim.* 33. *med.* et *Auson. epigr.* 69. et *ep.* 20, 10. ℙ Mos fuit flabella ex caudis pavonum facere ad abigendas muscas. *Mart.* 14, 67. cujus lemma *Muscaria pavonina.* Lambere quae turpes prohibet tua prandia muscas, Alitis eximiae cauda superba fuit. ℙ [Fuit etiam cogn. R., ut Fircellius Pavo, ap. *Varr. R. R.* 3, 2. *F.*]

PĀVONĀCĔUS, a, um, adj. pavonum caudae similis. *Plin.* 36, 22, 44. In Belgica provincia candidum lapidem serra, qua lignum, faciliusque etiam, secant ad tegularum et imbricum vicem; vel, si libeat, ad ea, quae vocant pavonacea tegendi genera. *Harduinus* hic recte interpretatur e lapide fissili in squamam secto et composito, in pavonum caudae similitudinem picto. V. v. sq. et PLUMA. [*Emendavit h. l. *F.*]

PĀVONĪNUS, a, um, adj. ad pavonem pertinens. *Varr. R. R.* 3, 9. Si ova gallinis pavonina subjicias. Quidam perperam leg. *pavonia*. *Colum.* 8, 11. *med.* Pavonini pulli. *Martial.* 14, 67. in lemmate: Muscaria pavonina, *h. e.* ex caudis pavonum facta: et 85. in lemmate: Lectus pavoninus, *h. e.* ex citreis tabulis, quae pavonum caudae oculos imitantur, ut *Plin.* 13, 15, 30. loquitur.

PĀVONĬUS. V. v. praec.

PĀVOR, oris, m. δεῖμα, timor. *Cic. Tusc.* 4, 8. Pavorem, metum mentem loco moventem, ex quo illud *Ennii:* Tum pavor sapientiam mihi omnem ex animo expectorat. [*Lucr.* 3, 142. Heic (media regione in pectoris) exsultat enim pavor ac metus.] *Liv.* 24, 40. *med.* Tantus terror pavorque omnes occupavit, ut, etc. et *ib.* 42. Pavo ceperat milites, ne mortiferum esset vulnus. *Caes. B. G.* 2, 12. Priusquam se hostes ex pavore ac fuga reciperent. Ita *Aldus*: alii *terrore*. *Hirt. B. G.* 8, 13. Nonnulli pavore coacti longius profugerunt. *Plin.* 8, 16, 21. et *Val. Fl.* 5, 15. Attonitus pavore. *Plin.* 29, 4, 28. Visu pavorem afferre alicui. *Lucan.* 1, 246. gelidos pavor alligat artus. *Virg. G.* 1, 330. mortalia corda Per gentes humilis stravit pavor. *Lucan.* 7, 732. Pavorem pellere. *Ov. Met.* 10, 117. deponere. *Sil.* 8, 77. lenire. *Liv.* 28, 3. injicere; et 27, 42. incutere. *Val. Fl.* 3, 74. At Mynias anceps fixit pavor. *Lucr.* 3, 306. gelidis torpet telis perfixa pavoris. *Sen. Herc. Oet.* 27. pavor horridus. ℙ Est interdum medium aliquid inter spem et metum, cum scilicet animus in discrimine aliquo et successum sperat, et tamen quo res evasura sit, dubitat, ac timet. *Sil.* 16, 432. successu nimio laetoque pavore Proditus. *Id.* 3, 215. It membris gelidus sudor, laetoque pavore Promissa evolvit somni, noctemque retractat. *Virg. G.* 3, 103. cum praecipiti certamine campum Corripuere, ruuntque effusi carcere currus, Cum spes arrectae juvenum, exsultantiaque haurit Corda pavor pulsans. Facit huc illud *Statii Th.* 6, 392. stant uno margine clausi, Spesque, audaxque una metus, et fiducia pallens. Nil fixum cordi: pugnant exire, paventque; et *Silv.* 1, 2, 32. adhuc optas, promissaque numine dextro Vota paves; et *Th.* 1, 493. laetusque per artus Horror iit. ℙ De religione, et metu Deorum, δεισιδαιμονία. *Sil.* 3, 690. priscoque pavore Arbor numen habet, coliturque tepentibus aris. ℙ Pavor aquae, ὑδροφοβία, miserrimum morbi genus, ut ait *Cels.* 5, 27, *n.* 2., quo simul aeger et siti, et aquae metu cruciatur. *Plin.* 25, 2, 6. Rabidi canis morsus pavorem aquae, potusque omnis afferens odium. Adde 29, 5, 32. ℙ In plur. num. *Val. Fl.* 7, 147. Turbidus ut poenis, caecisque pavoribus ensem Corripit, et saevae ferit agmina matris Orestes. *Lucan.* 1, 521. venia est tantorum danda pavorum. [*Solet ita pro more suo *Lucanus*. V. *Cort* ad h. l.] *Plin.* 28, 8, 29. Contra formidines, pavoresque. *Id.* 32, 10, 48. Pavores repentini. *Id.* 28, 8, 27. nocturni, umbrarumque terror. *Tac. H.* 4, 38. Civitas falsos pavores induerat, descivisse Africam, etc. ℙ *Pavor*, Deus a Tullo Hostilio consecratus. V. PALLOR. ℙ Habetur etiam *pavos* pro *pavor* ap. *Cic. Or.* 46. ex *Pacuvio*, quemadmodum reperire est et *honos*, *arbos* pro *honor*, *arbor*. V. HORRIFER. ℙ [*Confund. *pavores* et *timores*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 659.]

[PĀVORĬI, orum, m. plur. *Serv.* ad *Virg. A.* 8, 285. Salii Collini, et Quirinales a Numa instituti, ab Hostilio vero Pavorii, et Pallorii. V. PAVOR. *F.*]

PAUPER, eris, adj. omn. gen. πένης, cui parva et angusta res familiaris est, qui non affluit opibus, nec tamen eget, tenuis, medius inter egenum et divitem: a *paulula re*, [*Spengel.* dedit a *paulo lare.*] ut ait *Varr. L. L.* 4, 17., vel a παῦρος, paucus: vel ab ἄπορος, indigus. [*Etymon idem est, quod in *parum;* vocisque formatio eadem, quam factam videmus in vv. *perperus* et *properus*. V. *Doederl.* 3, 115.] *Ter. Ph.* 2, 3, 16. Pauper, cui opera vita erat, ruri fere se continebat. *Cic. Par.* 6, 3. M'. Manilius pauper fuit: habuit enim aediculas in Carinis, et fundum in Labicano. *Id. Vat.* 12. Sisne ex pauperrimo dives factus. *Hor. Ep.* 2, 2, 12. meo sum pauper in aere. V. PAUPERTAS. ℙ Cum genitivo. *Hor. Sat.* 1, 1, 79. horum Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum; et *ib.* 2, 3, 142. Pauper Opimius argenti positi intus, et auri. *Id. Od.* 3, 30, 11. Daunus pauper aquae. Adde *Sil.* 8, 545. ℙ Dicitur et de rebus, tum proprie, tum translate. *Pl. Rud.* 1, 5, 24. Hic pauperes res sunt, inopesque. *Virg. Ecl.* 1, 69. Pauperis et tugurI congestum caespite culmen. *Tibull.* 1, 1, 23. custos pauperis agri; et *ib.* 29. dona de paupere mensa. *Ov. Pont.* 4, 2, 20. Et carmen vena pauperiore fluit. *Juven.* 5, 165. signum de paupere loro. *Quint.* 10, 5. Nec natura adeo jejunam ac pauperem eloquentiam fecit. *Virg. Mor.* 16. Fusus erat terrae frumenti pauper acervus. ℙ Metonymice. *Lucan.* 10, 151. Pone duces priscos, et nomina pauperis aevi, Fabricios, Curiosque graves. ℙ Pro egeno. *Cic. Par.* 6. *f.* Improbi, et avari non modo copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt. *Caecil.* ap. *Gell.* 2, 23. *extr.* Is demum infortunatus est homo pauper, qui educit in egestate liberos. ℙ De eo, qui modico contentus est. *Phaedr.* 2, 1. Verum est aviditas dives, et pauper pudor. ℙ In feminino. *Virg. A.* 12, 518. piscosae cui circum flumina Lernae, Ars fuerat, pauperque domus. *Ov. R. Am.* 748. Nempe quod alter egens, altera pauper erat. *Id. Her.* 16, 185. quam pauper Achaia nostra est! Adde *Fast.* 3, 668. ℙ In illo *Ter. Andr.* 4, 5, 2. Quae se inhoneste optavit parere hic divitias potius, quam in patria honeste pauper vivere: Al. leg. *paupera*. Sic enim et *Plaut.* in *fragm.* ap. *Serv.* ad *A.* 12, 519. Paupera est haec mulier. *Varr.* tamen *L. L.* 7, 39. negat *paupera* recte dici: et *Serv. l. c.* solis poetis concedit. ℙ *Pauperum* in recto, et gen. neutr. est *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. *n.* 33. Est natura caput carnibus pauperum, et nervosum, *h. e.* carens. ℙ *Pauperorum* pro *pauperum* est in *fragm. Trag.* 46. *Burm.* et lectione etiam incerta: [sed certissima est lectio in *Inscr.* non opt. notae, quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCCXLI., ap. *Fea*, *Framm. de' fast. cons.* p. 90., ubi legitur *amator pauperorum*, et *amatrix pauperorum. F.*]

PAUPĔRĀTUS, a, um, part. a *paupero:* pauper factus. *Sidon. ep.* 6, 12. Defectio civium pauperatorum. *Firm. Mathes.* 1, 2. Luna pauperata luminibus.

PAUPERCŬLUS, a, um, dimin. pauperis, πενιχραλέος. *Ter. Heaut.* 1, 1, 44. Est e Corintho hic advena anus paupercula. *Varr. R. R.* 1, 17. Ut plerique pauperculi cum sua progenie. *Pl. Pers.* 3, 1, 17. Quamquam res nostrae sunt, pater, pauperculae, modice et modeste melius est vitam vivere. *Hor. Ep.* 1, 17, 46. paupercula mater.

PAUPĔRIES, ei, f. paupertas. [*Ap. aureae aetatis scriptores prosae orationis non legitur.] *Enn.* ap. *Non.* 8, 86. In pauperie mea senex graviter gemam. *Tac. H.* 4, 47. Vera ne pauperie, an uti videretur, actum in senatu, ut sexcenties sestertium a privatis mutuum acciperetur. *Suet. Gr.* 11. Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie, et paene inopia. *Hor. Od.* 3, 2, 1. Angustam pauperiem pati. *Id. Ep.* 2, 2, 199. Pauperies immunda procul absit. *Id. Od.* 3, 16, 37. importuna; et *ib.* 4, 9, 49. dura. *Claud. in Eutrop.* 2, 209. iniqua. *Id. B. Get.* 632. aspera. *Virg. A.* 6, 437. pauperiem et duros perferre labores. *Hor. Od.* 3, 29, 55. et mea Virtute me involvo, probamque Pauperiem sine dote quaero. *Appul. Met.* 11. Impoenitendae pauperiei se committere. ℙ *Pauperiem facere* ap. JCtos est damnum afferre, unde quis pauperior fiat; et dicitur de bestiis, quae quippiam nocent. Est in *Dig. tit.* 9, 1. qui inscribitur, *si quadrupes pauperiem fecerit*, ex legib. XII. Tab., ubi *Ulp.* 1. Pauperies est damnum sine injuria facientis datum: nec enim potest dici animal injuriam fecisse, quod sensu caret. [*Vel. *Long. de orthogr.* p. 2243. Pauperies damnum est, paupertas ipsa conditio. Cf. *Popm.* p. 509.]

PAUPĔRĬUS, adv. comparat. *Tert. Cult. fem.* 11. *f.* Ex quo facta est Christiana pauperius incedit.

PAUPĔRO, as, a. 1. πτωχίζω, pauperem facio. *Pl. Ps.* 4, 7, 27. Boni viri me pauperant, improbi alunt. *Titin.* ap. *Non.* 2, 679. Nam quid ego feci, quem pauperetis ambo vestris sumptibus? ℙ *Pauperare aliqua re quempiam*, spoliare, privare, unde pauperior fiat. *Plaut. fragm.* ap. *Non. ib.* Quam ego tanta pauperavi vero dolum pecunia. *Id. Mil.* 3, 1, 134. Pro mercis vitio dominum pretio pauperet. *Hor. Sat.* 2, 5, 35. Eripiet quivis oculos citius mihi, quam te Contemptum cassa nuce pauperet.

PAUPERTAS, atis, f. πενία, angustia rei familiaris, tenuitas. *Varr.* ap. *Non.* 1, 208. Pecunia, quae erat parva, ab ea paupertas dicta. ℙ Differt ab *egestate*, quae est cum res ad vitam necessariae desunt: paupertas, cum non desunt quidem, sed vix sufficiunt. [*V. *Doederl.* 3, 116.] *Cic. Par.* 6, 1. *extr.* Istam paupertatem, vel potius egestatem, ac mendicitatem tuam nunquam obscure tulisti. *Mart.* 11, 32. Non est paupertas, Nestor, habere nihil. *Sen. ep.* 87. *f.* Paupertas est, non quae pauca possidet, sed quae multa non possidet. *Tibull.* 1, 1, 3. Me mea paupertas vitae traducat inerti, Dum meus assiduo luceat igne focus. *Cic. Agr.* 2, 24. Homines non solum honoribus populi, rebusque gestis, verum etiam patientia paupertatis ornati. *Sil.* 1, 609. castaque beatus Paupertate patres. *Val. Max.* 4, 8. *n.* 2. Fabius in honorem patriae paupertatem inopia mutavit. *Sen. Octav.* 895. bene paupertas Humili tecto contenta latet. ℙ Saepe cum inopia et egestate confunditur. *Cic. Fin.* 5, 28. Paupertas si malum est, mendicus beatus esse nemo potest, quamvis sit sapiens. *Id. Div.* 1, 17. Cum propter paupertatem sues puer pasceret. *Juven.* 3, 152. Nil habet infelix paupertas durius in se, Quam quod ridiculos homines facit. ℙ In plur. num. *Varr.* ap. *Non.* 2, 714. Horum temporum divitias, et illorum paupertates. Adde *Sen. ep.* 87. *f.* ℙ Translate. *Quint.* 2, 1. Et grammatice fines suos norit praesertim tantum ab hac appellationis suae paupertate, intra quam primi illi constitere, provecta. *Id.* 8, 3. *med.* Iniqui judices adversus nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus.

PAUPERTĀTŬLA, ae, f. dimin. paupertatis. *Hieron. ep.* 127. *n.* 14. Et te paupertatulae suae, imo per te pauperes reliquit heredes.

PAUPERTĪNUS, a, um, adj. πένης, idem quod pauper, tenuis. *Varr.* ap. *Non.* 2, 715. Quod sunt paupertina sine elegantia, ac cum castimonia. *Gell.* 20, 1. *med.* In jus vecato paupertino homini, vel inopi plaustrum dare. *Appul. Met.* 3. Paupertina coenula perfunctus. *Gell.* 14, 6. *f.* Librum hunc opulentissimum recipe, nihil prorsus ad nostras paupertinas litteras pertinentem. *Ammian.* 25, 2. Paupertina contubernia. *Arnob.* 6, 191. Templa, si Deorum potentia metiaris, sunt genus angustissimum cavernarum paupertini cordis excogitatione suspensum. *Sym. ep.* 1, 8. (al. 14.) Paupertini ingenii mei conscius.

PAUSA, ae, f. παῦσις, cessatio, intermissio, quies: a voce Graeca allata, quae a παύω, cesso. *Pl. Poen.* 2, 12. Quando id, quod sat erat, satis habere noluit, ego pausam feci. *Gell.* 19, 5. Cum bibendae nivis pausa nulla fieret. *Appul. Met.* 11. Tu saevis exantlatis casibus pausam pacemque tribue. *Accius* ap. *Non.* 2, 686. Nobis datur bona pausa loquendi. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. *f.* de leonib.: Pausam fecere fremendi. *Lucr.* 2, 118. proelia pugnasque Edere turmatim certantia, nec dare pausam Conciliis et discidiis; et 1, 747. neque pausam stare fragori, Nec prorsum in rebus minimum consistere quidquam. *Id.* 3, 943. nec quisquam expergitus exstat, Frigida cum semel est vitai pausa secuta, *h. e.* mors. *Inscr.* ap. *Grut.* 690, 5. Jam datus est finis vitae, jam pausa ma-

Iorum. ℙ *Pausas edere* pertinet, ad sacra Isidis, in quibus qui Anubis simulacrum circumferebant in pompa, certis locis, quae *mansiones* dicebantur, subsistere solebant, ut commodius hymnos canerent, et adoranda sacra spectanti populo exhiberent. Ex quo *pausarii dicti* putantur. *Spart. Caracall.* 9. *f.* Mihi mirum videtur, quem ad modum sacra Isidis primum per hunc Romam venisse dicantur, cum Antonius Commodus ita ea celebraverit, ut et Anubim portaret, et pausas ederet. *Id. Pescenn.* 6. Sacris Isidis Commodus adeo deditus fuit, ut et caput raderet, et Anubim portaret, et omnes pausas expleret.

PAUSĂBĬLIS, e, adj. subinde cessans, ut Pausabilior inspiratio. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 13. Adde *Not. Tir.* p. 194.

*PAUSANĬAS, ae, m. *Παυσανίας*, Cleombroti filius, Lacedaemoniorum dux. *Nep.* in *Paus. Cic. Off.* 1, 22. ℙ Alius, dux Pheraeorum. *Liv.* 36, 9. ℙ Alius, praetor Epirotarum. *Id.* 32, 10. ℙ Alius, Macedo adolescens, qui Philippum Macedonem interfecit. *Just.* 9, 4. 6 et 7. ℙ Pausanias, Caesariensis historicus, Geographiam scripsit universae Graeciae, cum ejus historiis, quae hodieque exstant. Romae vixit Hadriani Imperatoris tempore. V. *Voss. de hist. Graec.* 2, 14. *Fabr. B. G.* 4, 15. *B. A.*

PAUSĂRĬUS, ii, m. *κελευστής*, portisculus, ille qui modos dat remigibus: a *pausa*, quia pro ejus imperio remiges vel remigare incipiunt, vel pausam faciunt: de quo *Ov. Met.* 3, 618. et qui requiemque, animumque Voce dabat nautis, animorum hortator Epopeus. *Sen. ep.* 56. Ut audire vel pausarium possim voce acerbissima remigibus modos dantem. V. HORTATOR et PORTISCULUS. ℙ *Pausarii* etiam dicti putantur Isidis sacerdotes, qui in ejus Deae sacris pausas explebant. V. PAUSA. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 139. Pro salute domus Augustae corpora pausariorum et argentariorum Isidi et Osiri mansionem aedificavimus. *Reines.* tamen *l. c.* et *Marin. Frat. Arv.* p. 249. putant legendum *corporati aurariorum*, etc., quod ex societate subsequentium *argentariorum*, quos aurariis sodalicio junctos aliunde novimus, clarissime patet. Haec eadem habetur ap. *Fabr.* p. 488. *n.* 172. et *Mur.* 528, 1., ubi ex falsa conjectura legitur *ex corpore pausariorum* etc. V. *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 340. *ed. Patav.*, ubi haec inscriptio affertur, et multis illustratur. [*Ultima emendavit *F.*]

PAUSĂTĔ. V. PAUSATUS.

PAUSĀTĬO, onis, f. cessatio, pausa. *Hieron. ep.* 28. *n.* 2. Quidam diapsalma commutationem metri dixerunt esse, alii pausationem spiritus, nonnulli alterius sensus exordium. ℙ [Significat etiam cessationem malorum, nempe mortem. *Inscr.* ap. *Mur.* 381, 1. Si quis post nostram pausationem hoc sarcofagum aperire voluerit, inferat Ecclesiae Salon. argenti libras quinquaginta. Dutiano et Cereale Coss. *h. e.* ann. a Chr. n. CCCLVIII. V. PAUSA. *F.*]

PAUSĀTUS, a, um, part. a *pauso*. *Arnob.* 5, 160. Et sauciat pectus pausatae circa arboris robur. Ubi alii leg. *pausate*, h. e. per pausas, certo modo, *ταχτῶς:* [alii melius *pausatae* retinent, et interpretantur *quiescentis in antro;* quod explicatur ex *Claud. Rapt. Pros.* 1, 200. et sqq., ubi, cum omnia in antro Cybeles furerent, pinus eidem Deae dicata quiescere omnino describitur. *F.*] ℙ De eo, qui requievit. *Veg. Vet.* 1, 38. *med.* Cave, ne sanguinem calido jumento detrahas, sed requietum pausatumque phlebotomabis.

PAUSĔA et Pausia, ae, f. genus olivae, quam esui optime condi, scribit *Varr. R. R.* 1, 60. jucundissimam vocat *Colum.* 5, 8., ejusque condiendae rationem tradit 12, 47 et 48., et plurimum carnis habere dicit *Plin.* 15, 3, 4. Si *Servio* credere placet ad *G.* 2, 86., dicta est a paviendo, hoc est tundendo: aliter enim ex se oleum non facit. Eadem est *posea*, et *posia* dicitur. *Cato R. R.* 6. etc.

PAUSĬĂCUS, a, um, adj. ad Pausiam pertinens, qui fuit pictor Sicyonius Brietis filius, discipulus Pamphili, Apellis condiscipulus, celebris encaustis pingendis: cujus clariora opera non una *Plin.* 35, 11, 40. et 21, 2, 3. commemorat. *Hor. Sat.* 2, 7, 95. Vel cum Pausiaca torpes, insane, tabella.

[PAUSĬLYPUM, i, n. *Παυσίλυπον*, (a *παῦσις*, requies, cessatio, et *λύπη*, dolor) mons inter Neapolin, et Puteolos in mare procurrens, ubi quondam fuit villa Vedii Pollionis, quam ipse moriens testamento legavit Augusto, ut affirmat *Dio* 54, 23., quamque Trajanum Aug. postea retinuisse, colligitur ex hac *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 199. *n.* 486. M. Ulpius Aug. Lib. Euphrates, qui procuravit Pausilypo, etc., nunc vero *Punta di Posilipo* vocatur. Ejus meminit *Plin.* 3, 6, 12. et 9, 53, 78. ℙ *Pausilypon* etiam vocatur quodvis sepulcrum, quia nempe dolorum omnium requietorium habetur. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 750. *n.* 573. Pausilypon Mettiae T. L. Hedonei. *Hedonei* est dativus Graecae positionis pro *Hedone*, ab *ἡδονῇ*, voluptati. V. *Inscr. l. c.* in PAUSA. *F.*]

*PAUSISTRĂTUS, i, m. *Παυσίστρατος*, praetor Rhodiorum. *Liv.* 33, 18. 36, 45. etc. *B. A.*

PAUSO, as, n. l. pausam facio, cesso, quiesco, *ἀναπαύομαι*. *Pl. Trin.* 1, 2, 149. Hascine me propter res maledicta differunt? *Meg.* pausa: vicisti castigatorem tuum. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. *n.* 16. Cum capitis pausaverit dolor. *Id. Acut.* 3, 21. *med.* Pausante vomitu. Ap. *Pl.* fortasse nomen est, non verbum, adhibeturque ea ratione, qua *pax.* ℙ [Sequiori tempore in Christianis monumentis significat quiescere, seu mortuum esse. *Inscr.* ap. *Boldetti, Cimiter.* p. 399. Pausat in pace. Alia ap. *Maff. Gall. antiq.* p. 55. Bene pausanti in pace Fl. Memorio V. P. etc. *F.*]

[PAUSŬLĀNUS, a, um, et

[PAUSŬLENSIS, e, adj. ad Pausulas pertinens, urbem Piceni, ubi nunc *Monte dell' Olmo*, vel ubi nunc *S. Claudio* duobus passuum millibus longius. Hujus urbis mentio est in *Inscr.* ap. *Mur.* 881, 6. .... faiponius Sabinus Pausulis. Hinc *Pausulani, orum*, sunt ejus urbis incolae. *Plin.* 3, 13, 18. Pausulani, Pleninenses, Ricinenses. *Auct. R. agr.* p. 143. *Goes.* Ager Senigalliensis, et Potentinus, Ricinensis et Pausulensis itidem est assignatus. *F.*]

PAUSUS, i, m. Deus esse videtur quietis et pacis, et belli inimicus. *Arnob.* 1, 15. Illi prudentissimi videntur, qui Faunos, qui Fatuas, qui Pausos reverentur, atque Bellonas.

PĂVUS. V. PAVO.

PAUXILLĀTIM, adv. *κατὰ μικρά*, paululum, sensim, pedetentim. *Pl. Epid.* 2, 2, 63. Coepi sursum vorsum ad illas pauxillatim accedere. *Id. Rud.* 4, 2, 24. docte atque astute illi pauxillatim pollicitabor pro capite argentum.

PAUXILLISPER, adv. paulisper. *Pl. Truc.* 5, 21. Plus decem pondo amoris pauxillisper perdidi. *Non.* 2, 670. interpretatur, per particulas.

PAUXILLO, adv. dimin. a *paulo. Cels.* 5, 28. *n.* 18. Medium habet pauxillo levius. *Afran.* ap. *Charis.* 2, 191. Pauxillo prius me convenit.

PAUXILLŬLUM, adv. dimin. a *pauxillum. Pl. Rud.* 3, 4, 24. Occipito modo illis afferre vim joculo pauxillulum. *Sic edd. quaedam, v. g. *Plantin.* (1588.) Pleraeque tamen, v. g. edd. *Juntin.* (1514.), *Parei, Longol. Taubmann. Douz. Camerar. Gronov.* et *Delphin.* habent *pausillulum. Sidon. ep.* 2, 9. Cum vel pauxillulum bibere desiisset. *Id. ep.* 8, 9. (al. 3.) Sepone pauxillulum declamationes. *B. A.*

PAUXILLŬLUS, a, um, dimin. pauxilli. *Ter. Phorm.* 1, 1, 3. Jampridem apud me erat reliquum pauxillulum nummorum. *Pl. Stich.* 1, 3, 9. Pauxillula fames. *Gell. praef. med.* Pauxillulae admonitiones.

PAUXILLUM, adv. parum admodum. *Pl. Capt.* 1, 2, 73. Sed si pauxillum potes contentus esse. [*V. *Lindem.* ad h. l.]

PAUXILLUS, a, um, adj. dimin. paululi, *ὀλίγος. Lucr.* 1, 835. Ossa pauxilla, atque minuta. *Id.* 3, 229. mentis naturam animaeque Scire licet per quam pauxillis esse creatam Seminibus. *Pl. Poen.* 3, 1, 63. Res est pauxilla. *Turpil.* ap. *Non.* 4, 349. Pauxillum peccatum.

PAX, acis, f. *εἰρήνη*, publica tranquillitas, concordia, compositio, quies, otium: a *pacere*, quod olim pro *pagere* dictum fuit: unde *paciscor, pacio*, et *pactio. Fest. in. lit. P.* Pacem a pactione conditionum putat dictam Sinnius Capito, quae utrinque inter se populo sit observanda. *Suet. Aug.* 61. Pace, belloque rempublicam regere. *Sall. Jug.* 22. Bocchus neque bello, neque pace antea cognitus. *Id. Cat.* 50. Cum saepe Carthaginienses et in pace, et per indutias multa nefanda facinora fecissent. *Cic. Phil.* 13, 1. Videndum est, cum omnibusne pax esse possit, an sit aliquod bellum inexpiabile, in quo pactio pacis lex sit servitutis; et *ib.* 2, 44. Nomen pacis dulce est, et ipsa res salutaris: sed inter pacem, et servitutem plurimum interest: pax est tranquilla libertas: servitus malorum omnium postremum; et *ib.* 12, 5. Quae est enim conditio pacis, in qua ei, cum quo pacem facias, nihil concedi potest? *Id. Q. Fr.* 1, 1, 1. *f.* Tibi data est summa pax, summa tranquillitas. *Id. Caecin.* 12. In pace et otio copias parare. *Nep. Dat.* 8. Ad pacem amicitiamque hortari. *Cic. Agr.* 2, 37. Nihil est tam populare, quam pax, tranquillitas, otium. *Id. Phil.* 1, 2. Pacem confirmare cum aliquo; et *ib.* 7, 3, 8. et 9. Esse cuipiam cum aliquo pacem; et *ib.* 8. servare; et *ib.* 2, 36. et *Att.* 7, 14. habere. *Id. Fl.* 12. conficere. *Id. Fam.* 10, 27. conciliare inter cives. *Id. Phil.* 7, 7. coagmentare. *Just.* 24, 5. offerre. *Liv.* 9, 11. pangere cum aliquo. *Id.* 2, 13. componere. *Just.* 25, 1. statuere inter aliquos. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 8., *Varr.* ap. *Non.* 2, 621. et *Nep. Timoth.* 2. constituere. *Just.* 43, 5. facere alicui, *h. e.* cum aliquo: vel alicui offerre, et concedere. *Sall. Jug.* 15. agitare, i. e. vivere in pace: et eod. sensu *in ep. Mithrid.* agere. Quod *Virg.* dixit *A.* 4, 99. exercere. *Caes. B. G.* 1, 27. petere. *Liv.* 30, 35. *extr.* et *Nep. Eum.* 4. impetrare. *Lucr.* 5, 1154. violare foedera pacis. *Tac. A.* 12, 65. turbare. *Virg. A.* 12, 202. rumpere. *Cic. Prov. cons.* 2. Gentes eae, quae, ut pace uterentur, vim argenti dederant nostro imperatori. *Id. Mur.* 15. Mithridatem Sulla cum pace dimisit. *Liv.* 28, 37. Classis bona cum pace accepta est. *Id.* 21, 24. *extr.* Capti donis cum bona pace exercitum per fines suos transmiserunt. *Prop.* 2, 1, 36. de Maecenate: Et sumpta, et posita pace fidele caput, *h. e.* vir fidelis pacis et belli tempore. [*Suet. Tib.* 37. tuendae pacis a grassaturis ac latrociniis seditionumque licentia: ubi de securitate interna civitatis intell.] ℙ De longis indutiis. *Liv.* 7, 20. *f.* Itaque pax populo Caeriti data: indutiasque in centum annos factas in senatusconsultum referri placuit. *Just.* 3, 7. *f.* Fessi tot malis pacem in annos quinquaginta fecere. ℙ [*Pax* ponitur etiam signif. arg. aetati propria, qua exprimit imperium. *Vell.* 2, 131. protegite hunc statum, hanc pacem. *Tac. A.* 12, 33. qui pacem nostram metuebant; et cp. 29. ne, fortuna elati, nostram quoque pacem turbarent. Locos similes *Senecae* et *Plin.* maj. adtulit *Gron.* ad *Tac. l.* prius laud. Cf. *Ruhnk.* ad *Vell.* l. l. Adde *Lucan.* 7, 94. potui sine caede subactum Captivumque ducem Romanae tradere paci: ubi v. quae laudat *Cort.*] ℙ *Pace*, tempore pacis. *Stat. Th.* 4, 839. tu pace mihi, tu nube sub ipsa Armorum, festasque super celebrabere mensas. *Liv.* 8, 35. Ut bello ac pace pati legitima imperia possis. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 1, 14. Temperantia pacem animis affert, et eos quasi concordia quadam placat et lenit. *Sil.* 7, 258. sensim infusa tranquilla per aequora pace, Languentes tacito lucent in litore fluctus. Sic *Stat. Th.* 7, 86. Ut si quando ruit, debellatasque reliquit Eurus aquas, pax ipsa tumet. *Flor.* 4, 2. *med.* Ubi pax fluminis rediit, *h. e.* obundatio cessavit. [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 18, 205. pace brevi nobis opus est, i. e. mari in breve tempus tranquillo. V. *Burm.* ad *Val. Fl.* 4, 20. pax reddita silvis.] ℙ In plur. num. *Varr.* ap. *Non.* 2, 621. Quemadmodum constituerint paces, et qua fide et justitia est coluerint. *Pl. Pers.* 5, 1, 1. Hostibus victis, pacibus perfectis, bello exstincto. *Sall. Jug.* 35. Jura, judicia, bella atque paces penes paucos erant. *Lucr.* 5, 1228. ac prece quaesit Ventorum pavidus paces, animasque secundas. *Hor. Ep.* 2, 1, 102. Hoc paces habuere bonae, ventique secundi. ℙ Saepe ad Deos, et religionem refertur, et significat propitiationem, placationem, veniam. *Lucr.* 5, 1228. Divum pacem votis adit. *Virg. A.* 3, 261. Sed votis precibusque jubent exposcere pacem, Sive Deae, seu sint dirae obscenaeque volucres; et *ib.* 369. caesis de more juvencis Exorat pacem Divum; et *G.* 4, 534. tu munera supplex Tende petens pacem; et *A.* 4, 56. pacemque per aras Exquirunt. *Cic. Rab. perd.* 2. Ab Jove Opt. Max. ceterisque Diis Deabusque immortalibus pacem ac veniam peto, precorque ab iis, ut, etc. *Liv.* 7, 2. Insequenti anno pestilentia fuit, etc. pacis Deum exposcendae causa lectisternium fuit. *Just.* 20, 2. Occupandam Manium et Deae pacem rati, etc. *Pl. Curc.* 2, 2, 20. Pacem ab Aesculapio petas, ne forte tibi eveniat magnum malum. ℙ *Pax*, voluntas, et numen Deorum. *Virg. A.* 10, 31. Si sine pace tua, atque invito numine Troes Italiam petiere. *Pl. Trin.* 4, 1, 17. Fluctus atque procellae infensae frangere malum, ruere antennas, scindere vela, ni tua pax *(Neptune)* propitia foret praesto. *Val. Fl.* 4, 476. nam vestra voluntas Quo, juvenes, sine pace Deum? ℙ *Pax*, Dea habita est. *Nep. Timoth.* 2. Quae victoria tantae fuit Atticis laetitiae, ut tum primum arae Paci publicae sint factae, eique Deae pulvinar sit institutum. *Petr. Sat.* 124. Mitis turba Deum terras exosa furentes Deserit, etc. Pax prima ante alias, niveos pulsata lacertos Abscondit galea victum (al. leg. *olea vinctum*) caput, atque relicto Orbe fugax Ditis petit implacabile regnum. *Suet. Vesp.* 9. Fecit et nova opera, templum Pacis foro proximum, etc. Adde *Ov. Fast.* 1, 709. et sqq. et *Sen. Med.* 63. ℙ Ejus signum spicas manu tenebat, quia pacis tempore coluntur agri. *Tibull.* 1, 10, 67. At nobis Pax alma veni, spicamque tenento. ℙ *Pace tua, illius*, formula, qua utimur, cum quippiam dicere, aut facere volumus, quod ne displiceat, veremur. *Cic. Tusc.* 5, 5. Cujus ego judicium (pace tua dixerim) longe antepono tuo; et *Vell.* 2, 129. pace majestatis ejus dixerim; et 1, 7. Pace diligentiae Catonis dixerim. *Ov. Amor.* 3, 2, 60. Pace loquar Veneris: tu Dea major eris. *Ter. Eun.* 3, 2, 13. Quaeso hercle ut liceat, pace quod fiat tua, dare huic quae volumus. ℙ *Cum bona pace*, pacifice. *Liv.* 21, 24. *extr.* Reguli Gallorum capti donis, cum bona pace exercitum per fines suos transmiserunt. Adde *ib.* 32. ℙ *Pax* interdum apud comicos interjectio est, habetque vim indicendi sibi, aut aliis silentii, abrumpendique sermonis. Est autem Graecum, ut *Prisc.* 14, 980. et alii docent. *Hesych. Πὰξ ὑπόδημα εὐυπόδητον, ἢ ἐπὶ τῷ τὸ τέλος ἔχειν.* V. *Voss. l.* 6. *de Gram. f.*, ubi eos reprehendit, qui admirat onis adverbium esse putarunt: simul improbat, quod ap. *Prisc. l. c.* vertitur *παντελῶς*, h. e. plene, omnino, absolute. Sed hoc defendi potest, si *παντελῶς* accipias pro satis, hactenus, aut finis sit: est enim a *τέλος*, fi-

nis. *Ter. Heaut.* 2, 3, 49. Capillus passus, prolixus, circum caput rejectus negligenter: pax; et 4, 3, 39. Unus est dies, dum argentum eripio: pax: nihil amplius. *Pl. Mil.* 3, 1, 212. *Pleus.* Quam nominem? *Pal.* Glyceram. *Pleus.* nempe eandem, quae dudum constituta est. *Pal.* pax: abi. Adde *Ps.* 5, 1, 33. (item *Stich.* 5, 7, 3., ubi saltationi finis indicitur) et *Auson. f. Idyll.* 12. ℙ *Pax sit rebus*, εἰρήνη ἤτω τοῖς πράγμασιν, ap. *Cic. Somn. Scip.* 2. *extr.* quies et silentium sit. Alii aliter leg. Similem locum habet *Appul. Apol.* Cum undique versum tabulis flagitaretur, et quasi insanus ab omnibus obviis teneretur, Pax, inquit: negat dosse dissolvere. ℙ Formula *dormit in pace, in pace quiescit, requiescit in pace*, etc. frequens est in inscriptionibus Christianis, de qua consulendus *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 2. p. 76. et sqq. *ed. Patav.* ℙ *Pax Julia* est urbs Hispaniae. V. PACENSIS. ℙ *Pax*, nomen est servi ap. *Pl. Trin.* 4, 2, 94. *Sy.* Pax, id est nomen mihi: hoc cotidianum est. *Ch.* Edepol nomen nugatorium! Quasi dicas, si quid crediderim tibi: pax periisse illico. [*V. *Lindem.* ad h. l.] ℙ In nummo gentis Aemiliae ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 123. *Paxs* scribitur, veteri more. [*Quaedam in ultimis adjecit *F.* [

PAXILLUS, i, m. πάσσαλος, palus. Videtur esse a *panxi* praeterit. verbi *pango*, quasi *panxillus:* unde postea *palus* per syncopen factum est, ut a *maxilla mala*, *axilla ala*, *vexillum velum*, *taxillus talus*, ut *Cic. Or.* 45. docet. Sunt tamen, qui haec censent esse diminutiva, *Prisc., Serv., Fest. Non.* ut est ap. *Voss.* in *Velum:* Sane plerumque *paxillum* diminutivi vim habet. *Varr.* ap. *Non.* 2, 649. Ut novum cribrum novo paxillo pendeat. *Colum.* 4, 16. Paxillo perforato solo, altius adigendus palus, quo facilius et jugum, et fructum sustineat. *Id.* 8, 8. Paxillis adactis tabulae superponantur, quae loculamenta, vel fictilia columbaria recipiant. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 2. In fico dodrantales paxilli solo patefacto seruntur. ℙ Translate. *Varr.* ap. *Non. l. c.* Ubi dicatur primus Zenon novam haeresim novo paxillo suspendisse, *h. e.* induxisse, instituisse, quasi novam supellectilem, in philosophia.

PAXIM. V. PANGO.

*PAXOE, *Παξοί* vel *Παξοί*, pro Paxi, orum, parvulae duae insulae, inter Corcyram ac Leucadiam. *Plin.* 4, 12. Circa eam (*Corcyram*) aliquot (*insulae*) —, ad Leucadiam Paxoe. Sic ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* exhibet *Paxae.* ℙ Hodierna harum insularum nomina sunt *Pachsu* et *Antipachsu*, vel *Passo* et *Antipasso.* ℙ Sing. num. habet *Id. ib.* A Paxo Cephalenia. Sic ed. *Hard.* ubi edd. *Elzev.* et *Basil.* (*Frohen.* 1530.) habent *Paxos. B. A.*

*PAXOS. V. v. praec. *B. A.*

PE

PECCĀMEN, inis, n. peccatum. *Prud. Apoth.* 979. tincta malo peccamine principis Adae. *Id. Cath.* 9, 96. Dissolutis pristinorum vinculis peccaminum.

PECCANS, antis, part. a *pecco:* pravus, malus. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 8. *n.* 88. Est etiam profecto peccantius, prohibito cibo vinum dare. ℙ Qui peccat, nocens, reus. *Sen. ep.* 67. *med.* Ideo non prodest latere peccantibus, quia latendi etiamsi felicitatem habent, fiduciam non habent; et *mox:* Prima et maxima peccantium est poena, peccasse. *Nep. Ages.* 5. Ad officium peccantes redire cogere.

PECCANTER, adv. male, prave. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 9. *n.* 40. Haec peccanter ex epilepticorum curatione transferenda jussit; et *ib.* 3, 1. *med.* Sed hoc peccanter definiunt.

PECCANTIA, ae, et

PECCĀTELA, ae, f. voces sunt, quas usurpat *Tert. Anim.* 40. et *adv. Jud.* 10.

PECCĀTIO, onis, f. peccatum. *Gell.* 13, 20. *med.* Peccatus quasi peccatio, recte, Latineque dicitur.

PECCĀTOR, oris, m. qui peccat. *Lact.* 3, 26. Da injustum, insipientem, peccatorem. Adde *Tert. Spect.* 3.

PECCĀTORIUS, a, um, adj. *Tert. adv. Marc.* 2, 24. Mala: non peccatoria, sed ultoria. Adde *eund. Car. Chr.* 8.

PECCĀTRIX, icis, f. quae peccat. *Paul. Nol. carm.* 28, 127. Peccator utero peccatricis excidi. *Hieron. adv. Joann. Jerosol. n.* 4. de ove: Dei filius suis humeris portavit patiens delicatam peccatricem. ℙ Adjective *Prud. Cath. prooem.* 35. Peccatrix anima. *Tert. Spect.* 3. gens.

PECCĀTUM, i, n. ἁμαρτία, error, delictum, peratum, maleficium, crimen, culpa. *Cic. Acad.* 1, 10. Inter recte factum, atque peccatum, officium et contra officium media locabat quaedam: recte facta sola in bonis actionibus ponens, prave, id-facta sola in malis. *Id. Fin.* 3, 9. *f.* Ut peccatum est peccata in malis. *Id. Fin.* 3, 9. *f.* Ut peccatum est, patriam prodere, parentes violare, fana depeculari, quae sunt in effectu; sic timere, sic moerere, sic in libidine esse, peccatum est, etiam sine effectu. *Id. Fam.* 5, 21. *f.* Praeter culpam ac peccatum, quo semper caruisti, homini accidere nihil potest, quod sit horribile ac pertimescendum. *Id. Phil.* 2, 17. *f.* Quam facultatem mihi multitudo istius vitiorum peccatorumque largitur. *Id. Att.* 8, 13. *f.* Id quantis nostris peccatis vitiisque evenerit, non possum sine molestia cogitare. *Id. Coel.* 30. Quo illi crimine peccatoque perierunt? nempe quod, etc. *Id. Amic.* 22. In iis perniciosus est error, qui existimant, libidinum peccatorumque patere in amicitia licentiam. *Id. N. D.* 2, 4. Vir sapientissimus peccatum suum confiteri maluit, quam haerere in republ. religionem. *Id. Or.* 1, 27. Oratoris peccatum si quod est animadvertendum, stultitiae peccatum videtur. *Id. Att.* 7, 3. Nostrum si est peccatum, in eo est, quod non, ut de oppido, locutus sum, sed ut de loco. *Virg. A.* 10, 32. Luere peccata. *Lucr.* 3, 840. Praeteritisque admissa annis peccata remordent. *Ov. Amor.* 2, 7, 11. peccati conscius. *Id. Pont.* 1, 1, 58. poenitere. *Hor. Sat.* 1, 3, 118. peccatis poenas aequas irrogare. *Tac. Agr.* 19. Parvis peccatis veniam, magnis severitatem commodare. *Ter. Andr.* 5, 3, 17. pro peccatis supplicium sufferre. *Id. Ad.* 4, 3, 2. peccatum corrigere. *Plin. ep.* 8, 22. Abstinere peccatis. ℙ [*De discrimine inter h. v. et *delictum*, *crimen* etc. v. in *delictum*, et *culpa.*]

PECCĀTUS, us, m. idem ac peccatum. *Cic. Verr.* 2, 2, 78. Nemo ita in manifesto peccatu tenebatur. Sic legendum putat *Gell.* 13, 20., ita enim scriptum se invenisse in uno atque altero antiquissimae fidei libro Tironiano. Nihilominus alii *peccato.*

PECCĀTUS, a, um, part. a *pecco:* qui peccavit. *Ter. Hec.* 5, 1, 10. Ea jam aetate sum, ut non siet peccato mihi ignosci aequum. Aliqui interpretantur *mihi cum peccavero*, sed non est necesse ad haec anomala confugere. V. ERRO, as.

PECCO, as, avi, atum, a. 1. ἁμαρτάνω, peccatum admitto, delinquo, labor, erro, offendo, contra legem, aut officium ago. [*Doederl.* 2, 140. docet, originem h. v. a praepos. *per* eadem ratione repetendam sibi videri, ut in vv. *pejor*, *perperam* et *pravus.*] *Cic. Par.* 3, 1. Peccare est tanquam transilire lineas. *Id. Fin.* 3, 14. *f.* Alius magis alio vel peccat, vel recte facit. *Caes. B. G.* 1, 47. Visum est C. Valerium, quod in eo peccandi Germanis causa non esset, ad eum mittere. *Cic. Att.* 3, 15. Si quid in te peccavi, ac potius quoniam peccavi, ignosce: in me enim ipsum peccavi vehementius; et *ib.* 7, 1. Peccare in rempubl. Al. leg. *in republica.* [*Ita *Orell.* coll. *Gernh.* ad *Lael.* p. 94.] *Cic. N. D.* 1, 12. Empedocles multa alia peccat; et *f.* Xenophon paucioribus verbis eadem fere peccat. *Id. Fin.* 2, 10. *f.* In hoc eodem peccat Hieronymus. *Id. Par.* 3, 2. In servo necando semel peccatur: in patris vita violanda multa peccantur. *Ter. Ad.* 1, 2, 44. Te plura in hac re peccare ostendam. *Ov. Pont.* 3, 7, 10. Talia peccandi jam mihi finis erit. *Cic. Rosc. Am.* 20. Tametsi bestiae sunt, tamen in eam partem potius peccant, quae est cautior. *Id. Or.* 47. *Eisdem* erat verius: male sonabat *iisdem:* impetratum est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret; et *ib.* 21. Decori ignoratione non modo in vita, sed saepissime et in poematis, et in oratione peccatur. *Pl. Bacch.* 3, 3, 29. Cum librum legeres, si unam peccavisses syllabam, fieret corium tam maculosum, quam, etc. *Ov. Amor.* 2, 16, 11. At meus ignis abest: verbo peccavimus uno: Quae movet ardores, est procul: ignis adest. *Plin. ep.* 9, 24. Dixi de quodam oratore, recto quidem et sano, sed parum grandi et ornato, ut opinor, apte: Nihil peccat, nisi quod nihil peccat. ℙ *Peccare de aliqua re* dixit *Caecil.* ap. *Gell.* 2, 23. *med.* quae mihi, Ubi domum adveni ac sedi, extemplo savium Dat jejuna anima. *Se.* Peccat nil de savio: Ut devomas vult, quod foris potaveris. ℙ *Peccare erga aliquem* ap. *Pl. Aul.* 4, 10, 62. Si quid erga te imprudens peccavi, aut gnatam tuam. ℙ In re turpi. *Hor. Sat.* 1, 2, 63. quid inter-Est in matrona, ancilla, peccesve togata? *Ov. Her.* 16, 295. Nunc ea peccemus, quae corrigat hora jugalis. Adde *Mart.* 1, 35., *Ter. Ad.* 4, 7, 7., *Prop., Tibull., Petr.* etc. ℙ Translate. *Pall.* 11, 14. *med.* Si senseris, vina peccatura. *Mart.* 2, 66. Unus de toto peccaverat orbe comarum Annulus, incerta non bene fixus acu. *Hor. Ep.* 1, 1, 9. Solve senescentem mature sanus equum, ne Peccet ad extremum ridendus, et ilia ducat. Adde *Stat. Th.* 8, 689. ℙ *Γνώμη* est illud *Colum.* 1, 1. *med.* Usus, et experientia dominantur in artibus, neque est ulla disciplina, in qua non peccando discatur.

PĔCORĀLIS, e, adj. ad pecus pertinens. *Fest.* in *Ovibus:* Facta est aestimatio pecoralis multae, et boves centenis assibus, oves denis aestimatae.

*PECORARIUS, i, m. qui pecua sive pecora publica redimit, ut ait *Ascon.* Romani enim vetustiores nihil in bonis praeter pecudes habebant. *Onomast. Vet.* Pecorarius, προβατώδης. *B. A.*

PĔCOROSUS, a, um, adj. pecore abundans. *Stat. Th.* 4, 45. Aptior armentis Midea, pecorosaque Phyllus; et *ib.* 10, 227. sic volucrum nutritor equorum, Cui fetura gregem pecoroso vere novavit, Laetatur, *h. e.* plurimo fetu veris tempore nascente. Adde *Propert.* 4, 9, 3., ubi al. leg. *nemorosus.*

PECTEN, inis, m. κτείς, κτενός, instrumentum comatorium densis dentibus instructum ad capillos explicandos: a *pecto. Ov. Amor.* 1, 14, 15. de capillis: Non acus abrupit, non vallus pectinis illos. *Id. Met.* 4, 311. Saepe Cytoriaco deducit pectine crines; et *ib.* 12, 409. ut sit coma pectine levis. *Pl. Capt.* 2, 2, 18. Utrum strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem, nescio, [**per pectinem* est longius a cute, pectine interposito: nos: *über den Kamm.*] *Petr. Sat.* 126. Flexae pectine comae. *Spart. Hadr.* 26. Flexo ad pectinem capillo. *Appul. Met.* 2. Capillus pectinis arguti dente tenui discriminatus. ℙ In recto sing. *pecten ad calvum* lemma est *Mart. epigr.* 25. *l.* 14. ℙ Ad hujus similitudinem ita appellatur instrumentum textorium, suspensum, et mobile, in cujus dentes immittuntur fila staminis, intextoque per radium subtemine, tela percutiendo densatur, κερκίς. *Ov. Met.* 6, 55. Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo: Inseritur medium radiis subtemen acutis, Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum Percusso feriunt insecti pectine dentes. *Virg. A.* 7, 14. Arguto tenues percurrens pectine telas. Adde *G.* 1, 294. *Ov. Fast.* 3, 819. de Pallade: Illa etiam stantes radio percurrere telas Erudit, et ramum pectine denset opus. ℙ Metonymice est ipsa ars texendi. *Mart.* 14, 150. cujus lemma *Cubicularia polymita.* Haec tibi Memphitis tellus dat munera: victa est Pectine Niliaco jam Babylonis acus. ℙ Item instrumentum ferreis acutisque cuspidibus vel rectis, vel uncis instructum ad lanam pectendam, et carminandam. *Plin.* 11, 23, 27. Hanc (*lanuginem*) ab his (*bombycibus*) cogi unguium carminatione, mox trahi inter ramos, tenuari ceu pectine. *Claud. in Eutrop.* 2, 382. doctissimus artis Quondam lanificae moderator pectinis unci. ℙ Item rastrum dentatum, quo foenum colligitur. *Ov. R. Am.* 191. Temporibus certis desectas alligat herbas, Et tonsam raro pectine verrit humum. ℙ Simile est in illo *Plin.* 18, 30, 30. Panicum, et milium singulatim pectine manuali legunt Galliae, *h. e.* instrumento instar pectinis, quo subjecto spicis, culmus resecatur, quemadmodum subjecto pectine tondentur capilli. *Colum.* 2, 21. Sunt autem metendi genera complura: multi falcibus culmum secant: multi mergis, alii pectinibus ipsam legunt? idque in rara segete facillimum, in densa difficillimum est. ℙ Item cratis ferreis dentibus ad terram perstringendam. V. PECTINO. ℙ Pecten dentium *Prudentio* est dentium series in ore, περὶ στεφ. 10, 934. ℙ Translate *pectines* dicuntur, quae innectuntur invicem, et veluti intexuntur, ut pectines in capillis. *Ov. Met.* 9, 299. digitis inter se pectine junctis. *Lucan.* 3, 609. mixtis obliquo pectine remis. Al. leg. *pectore.* [*V. *Cort.* ad h. l.] ℙ Hinc in arboribus *pectines* sunt venarum discursus recti et transversi in ipsa ligni pulpa, κτηδόνες: qui in materia polita conspicui fiunt, et pulcram speciem praebent. *Plin.* 16, 38, 73. Fagis pectines transversi in pulpa. ℙ Hinc etiam pecten dicitur pubes, et os ei subjectum, κτείς, κήπος; tam in viris, quam in feminis: ita appellatur, quod ibi sit lanugo, qualis, dum pectinatur lana, vel linum, pectini adhaerere solet. *Juven.* 6, 369. Inguina traduntur medicis, jam pectine nigro. *Plin.* 29, 1, 8. *f.* Itemque pectines in feminis publicati. *Cels.* 8, 1. *med.* A quibus (*costis*) oritur os, quod pectinem vocant, rectius in viris, recurvatum magis in exteriora in feminis. ℙ Item genus choreae, qua se invicem saltantes implicant. *Stat. Ach.* 2, 156. Multiplicantque gradum, modo quo Curetes in actu, Quoque pii Samothraces eunt: nunc obvia versae Pectine Amazonio: modo quo citat orbe Lacaenas Delia, plaudentesque suis intorquet Amyclis. ℙ Praeterea pecten est instrumentum ad fides pectendas, seu pulsandas, πλῆκτρον. *Virg. A.* 6, 646. Obloquitur numeris septem discrimina vocum: Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno. *Juven.* 6, 381. crispo numerantur pectine chordae. *Serv.* ad *Virg. l. c.* vult, hoc sensu esse neutrius generis: sed non probat. ℙ Per synecdochen ponitur pro lyra. *Val. Fl.* 3, 159. dulci festis adsistere mensis Pectine. ℙ Metonymice est carmen, poema. *Ov. Fast.* 2, 121. Dum canimus sacras alterno pectine Nonas, *h. e.* alternis hexametris et pentametris. ℙ Hoc demum nomine est piscis marinus leviori testa striata, et pectinis modo dentata armatus, κτείς. *Plin.* 9, 33, 51. Saliunt pectines, et extra volitant, seque ipsi carinant. Adde *ib.* 51, 74. et 11, 37, 52. et *ib.* 51, 112. et 32, 11, 53., ubi ait Mithylenis esse laudatissimos: quod et *Enn.* ap. *Appul. Apol.* tradit. *Hor. Sat.* 2, 4, 34. Pectinibus patulis jactat se molle Tarentum. [*V. *Heindf.* ad h. l.] ℙ *Pecten Veneris* herba est, de qua *Plin.* 24, 19, 14. Veneris pectinem appellant a similitudine pectinum: cujus radix cum malva tusa, omnia corpori infixa extrahit. [*Fortasse *Nadelkerbel*, *Hechelkamm.*]

PECTĪNA. V. v. sq.

PECTĪNĀRĬUS, a, um, adj. ad pectinem carminatorum pertinens. V. PECTEN. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 231. et *Mur.* 982, 7. T. Valerius L. F. Placidus refector pectinar., etc. Uterque perperam *pectinarum* legit, et falso putat, esse genit. plur. a sing. *pectina*, *ae*, f. ℙ Etiam *pectinarius*, *ii*, absolute usurpatur, Italice *pettinágnolo*, qui pectines facit. *Inscr.* ap. *Alessi*, *Antich. d'Este* p. 181. L. S. L. Octavii Servandi pectinarii: in F. P. XXII., R. P. XXIIII. ℙ Item cum adjectivo. *Inscr.* ap. *Grut.* 648, 2. et *Fabrett.* p. 701. *n.* 221. Accepto Chiae servo pectinarii lanarii sodales posuere. [*Multa ex suis hic adjunxit *F.*]

PECTĪNĀTIM, adv. *κτενοειδῶς*, ad pectinis similitudinem, et quasi denticulatim. *Plin.* 9, 33, 52. Cuniculatim, pectinatim divisa, imbricatim undata. *Id.* 28, 6, 17. Digitis pectinatim inter se implexis; quod dixit *Ov. Met.* 9, 299. digitos inter se pectine junctos, *h. e.* ita complicatis manibus, ut digiti invicem inserantur. *Vitr.* 1, 5. *f.* Fundamenta pectinatim disposita, quemadmodum serrae dentes solent esse, collocentur. *Plin.* 11, 37, 61. Dentium tria genera, serrati, aut continui, aut exserti: serrati pectinatim coeuntes, ne contrario occursu atterantur, ut serpentibus, piscibus, canibus; et 8, 25, 37. Pectinatim stipante se dentium serie; et *ib.* 48. Capitis ossa serratis pectinatim structa compagibus. *Pectinatim* in his est denticulata unius partis serie ita cum altera similiter denticulata coeunte, ut acumina non acuminibus, sed intervallis concurrant, ut in suturis calvariae videre est.

[PECTĪNĀTOR, oris, m. idem ac carminator. *Gloss. Philox.* Pectinator, *πτενιστής*. *F.*]

PECTĪNĀTUS, a, um, part. a *pectino:* pexus. *Appul. Met.* 6. Jubam istam tuam probe pectinatam monilibus adornabo. *Paul. Sent.* 3, 7. *f.* Sive succida lana sit, sive lota, sive pectinata. ℙ Pectinatum tectum dicitur a similitudine pectinis in duas partes devexum, ut testudinatum in quatuor. *Paul.* ex *Festo.*

PECTĪNO, as, a. 1. pectine deduco, discrimino, explico, pecto. *Appul. Met.* 6. Caudae setas incuria congestas et horridas cuncta diligentia pectinabo. ℙ *Pectinare segetem*, crate ferrea subarare, versare, et veluti pectendo diducere, ac rariorem facere. *Plin.* 18, 21, 50. Sunt genera terrae, quarum ubertas pectinari segetem in herba cogat (cratis et hoc genus dentatae stilis ferreis) eademque nihilominus et depascuntur.

[PECTIS, idis, f. herba eadem ac consolida, et symphyton. *Appul. Herb.* 59. *F.*]

PECTĪTUS, a, um, part. a *pecto:* *ἐκτενισμένος*, pexus. *Colum.* 12, 3. *med.* Praeparatae sint, et pectitae lanae. ℙ Translate accipitur pro culto, polito. *Id.* 10, 94. Verum ubi jam puro discrimine pectita tellus Deposito squalore nitens sua semina poscit.

PECTO, is, pexi, et pectivi, pexum, et pectitum, a. 3. *κτενίζω*, pectine explico, deduco, compono, et orno capillum, depecto. *Hor. Od.* 1, 15, 14. Pectere caesariem. *Tibull.* 1, 10, 68. Et tenues denso pectere dente comas. *Ov. A. Am.* 1, 376. pectens ancilla capillos. *Id. Her.* 13, 31. Nec mihi pectendos cura est praebere capillos; et *ib.* 39. Ipsa comas pectar, galea caput ille prematur? *Virg. A.* 7, 489. Pectebatque ferum (*cervum*) puroque in fonte lavabat. *Maecenas* ap. *Prisc.* 10, 903. Pexisti capillum naturae muneribus gratum. ℙ Linum, lanam pectere. *Plin.* 19, 1, 3. Stuppa pectitur ferreis hamis, donec omnis membrana decorticetur. ℙ *Pectere terram*, translate, subigendo vertendoque purgare, aperire, et sationi parare. *Colum.* 10, 148. ferroque bicorni Pectat, et angentem sulcis exterminet herbam. ℙ Joculariter *Pl. Rud.* 3, 2, 47. Audio tumultum: opinor, leno pugnis pectitur. *Id. Capt.* 4, 2, 116. Nisi mantiscinatus probe ero, fusti pectito. Adde *Men.* 5, 7, 28. Simili sensu adhibetur ab Italis *pettinare*. ℙ Veteres grammatici *Charis.* 3, 217. et *Asper* ap. *Prisc. l. c.* et p. 1254. et *pexui*, et *pectivi* praeterita agnoverunt.

PECTORĀLIS, e, adj. *στηθιαῖος*, ad pectus pertinens. *Cels.* 8, 1. *med.* In exiguo sinu pectoralis ossis. *Appul. Met.* 11. Antistites sacrorum candido linteamine cinctum pectorale adusque vestigia strictim injecti. *Ammian.* 14, 9. Tunicula pectoralis. *Hieron. in Isaj.* 2, 3, 24. Feminarum mamillae pectorali fascia colligatae sunt. V. FASCIA. ℙ *Pectorale* absolute, armatura pectus protegens, lorica. *Plin.* 34, 7, 18. Fecit et Sp. Carvilius Jovem, qui est in Capitolio, victis Samnitibus sacrata lege pugnantibus, e pectoralibus eorum, ocreisque et galeis. *Varr. L. L.* 4, 24. Lorica a loris, quod de crudo corio pectoralia faciebant.

PECTOROSUS, a, um, adj. qui amplo est pectore. *Auct. Priap.* 37. Nemo est feroci pectorosior Marte. *Plin.* 14, 22, 28. Ad hoc pertinent peregrinae exercitationes, et volutatio in coeno, ac pectorosa cervicis repandae ostentatio. *Colum.* 8, 2. *med.* de gallinis: Sint ergo matrices quadratae, pectorosae, magnis capitibus, etc.

PECTUNCŪLUS, i, m. *κτενίον*, parvus pecten, qua piscem significat. *Colum.* 8, 16. *med.* Limosa regio maxime idonea est concharum pectunculis, balanis, vel sphondylis. *Plin.* 9, 29, 45. Loligo etiam volitat, extra aquam se efferens, quod et pectunculi faciunt sagittae modo.

PECTUS, ŏris, n. *στῆθος*, *στέρνον*, pars animalis anterior a collo ad ventrem, constans osse pectorali, et costis, sub quibus sunt pulmo, et cor. *Plin.* 11, 37, 83. Pectus, hoc est ossa praecordiis et vitalibus natura circumdedit. Pectus homini tantum latum, reliquis carinatum, volucribus magis, et inter eas aquaticis maxime. *Cels.* 8, 7. *f.* et *ib.* 8. *n.* 2. *pectus* vocat, quod anatomici *στέρνον*, os pectorale. *Cic. Amic.* 26. In amicitia nisi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumque ostendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas. *Hirt. B. Afr.* 82. Cum centuriones adverso pectore resisterent. *Virg. A.* 9, 347. Pectore in adverso totum cui comminus ensem Condidit. *Ov. Met.* 4, 578. In pectusque cadit pronus. *Sen. Hippol.* 616. ensibus pectus dare. *Ov. Met.* 4, 554. plangore ferire Pectora. *Virg. A.* 5, 780. talesque effundit pectore questus. ℙ Metonymice refertur ad cor, et animum, quem in corde praecipue habitare olim creditum est. Unde ponitur pro sensu, affectu, amore. *Cic. Leg.* 1, 18. *med.* Ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, ut dicitur? Sic *Virg. A.* 9, 276. Te vero, venerande puer, jam pectore toto Accipio. *Stat. Silv.* 4, 6, 55. Sic mitis vultus veluti de pectore gaudens Hortetur mensas. *Sall. Jug.* 11. Quod verbum in pectus Jugurthae altius, quam quisquam ratus, descendit. *Hor. Od.* 2, 12, 15. et bene mutuis Fidum pectus amoribus. *Ov. Trist.* 1, 3, 66. O mihi Thesea pectora juncta fide! *Id. Am.* 3, 8, 18. Heu! ubi mollities pectoris illa tui? *Id. A. Am.* 1, 759. Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figurae. *Sen. Med.* 506. ira concitum pectus doma; et *Phoen.* 582. Ferum et durum geris, saevumque in iras pectus. *Ov. Her.* 19, 192. Nescio quae pavidum frigora pectus habent. *Virg. A.* 5, 816. His ubi laeta Deae permulsit pectora dictis. ℙ *Pectus amicitiae*, homo amicus. *Mart.* 9, 15. Hunc quem coena tibi, quem mensa paravit amicum Esse putas fidae pectus amicitiae? *Manil.* 2, 600. nihil ex semet natura creavit Pectore amicitiae majus. Adde *Stat. Silv.* 4, 4, 103. Hac ratione *Virg. A.* 11, 215. Hic matres, miseraeque nurus, hic cara sororum Pectora moerentum, puerique parentibus orbi, *h. e.* sorores amantes. ℙ Sumitur item pro ingenio, prudentia, memoria, cogitationibus. *Hor. Ep.* 1, 4, 7. Non tu corpus eras sine pectore. *Liv.* 1, 59. Ibi oratio habita nequaquam ejus pectoris ingeniique, quod simulatum ad eam diem fuerat. *Ov. Met.* 15, 63. et quae natura negavit Visibus humanis, oculis ea pectoris hausit. *Id. Trist.* 3, 1, 63. Quaeque viri docto veteres cepere, novique Pectore. *Cic. Or.* 3, 30. *extr.* Onerandum, complendumque pectus maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate. *Sen. Med.* 425. Recipe turbatum malis, hera, pectus. *Stat. Silv.* 5, 1, 77. succinctaque pectora curis. *Hor. Sat.* 2, 4, 90. memori referas mihi pectore cuncta. *Ov. Pont.* 2, 4, 33. Non ego, securae biberes si pocula Lethes, Excidere haec credam pectore posse tuo. *Virg. A.* 1, 661. At Cytherea novas artes, nova pectore versat Consilia. *Cic. Att.* 13, 12. De hortis toto pectore cogitemus. *Gell.* 17, 13. *med.* Dicere aliquis potest de summo pectore, nihil esse in his verbis negotii, *h. e.* re minime inspecta, inconsiderate, temere. ℙ De conscientia, et moribus. *Sen. Phoen.* 216. Pectus conscium scelerum omnium. *Juven.* 13, 198. Nocte dieque suum gestare in pectore testem. *Hor. Sat.* 1, 6, 64. vita et pectore puro. *Ov. Her.* 13, 30. Pectora legitimus casta momordit amor. ℙ De fortitudine, et constantia. *Virg. A.* 9, 249. Cum tales animos juvenum, et tam certa tulistis Pectora. *Hor. Epod.* 1, 11. te vel per Alpium juga, Inhospitalem et Caucasum Forti sequemur pectore. *Val. Fl.* 6, 288. tua pectora nato Suggere nunc, animamque parem. *Virg. A.* 6, 261. Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo. ℙ In vatibus est sedes Dei fatidici, et divinationes. *Id. ib.* 6, 48. sed pectus anhelum, Et rabie fera corda tument. *Ov. Met.* 2, 641. Incaluitque Deo, quem clausum pectore habebat. *Stat. Theb.* 4, 542. Obruit ora Deus, totamque in pectora lucem Detulit. Adde *Lucan.* 5, 97 et 167.

PECTUSCŪLUM, i, n. *στηθίδιον*, parvum pectus. *Hieron. ep.* 22. *n.* 30. Vitalis animae calor, toto frigescente jam corpore, in solo tantum tepente pectusculo palpitabat. *Not. Tir.* p. 58. Pectus, pectusculum.

PECTUSCUM Palatii. V. PECUSCUM.

PĔCU, u, n. idem quod pecus. *Pl. Rud.* 4, 3, 5. Non vides, me referre uvidum rete sine squamoso pecu? (Adde *Bacch.* 5, 2, 5 et 20.) *Id. Merc.* 3, 1, 10. Non didici bajulare, nec pecua ruri pascere. (Adde *Truc.* 5, 64.) *Liv.* 35, 21. In agris passim inundatis pecua ablata. Al. leg. *pecora*. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 333. Jumenta, pecua, subjugales beluas. *Hostil.* ap. *Prisc.* 6, 719. Saepe greges pecuum ex hibernis pastibu' pulsi. *Lucr.* 6, 1131. pecubus balantibus. Adde *Varr. R. R.* 2, 1. et *Plin.* 8, 43, 68., item *Cat.* ap. *Fest.* in *Pecuum*, et *R. R.* 141., item *Naev.* et *Att.* ap. *Non.* 2, 691. ℙ Pro *pecua* dixere etiam *pecuda*. *Cic. fragm.* ap. *Non. l. c.* Cum adhibent in pecuda pastores. *Accius ib.* et 7, 2. Vagant: pavore pecuda in tumulis deserunt. *Sisenna ib.* Jumenta et pecuda locis trepidare compluribus. *Naev. ib.* Sine ferro pecuda manibus ut ad mortem meant.

PĔCŪĀLIS, e, adj. pecuarius. *Sedul.* 1, 146. Edidit humanas animal pecuale loquelas.

PĔCŪĀRĬUS, a, um, adj. *προβατευτικὸς*, *κτηνώδης*, ad pecudes, et pecora pertinens. *Varr. R. R.* 2, 5. *f.* Pecuarii greges; et *ib.* 2. Pecuaria quaestio. *Colum.* 8, 1. negotiatio. *Id.* 7, 12. *med.* Pecuarius canis. ℙ *Pecuaria res*, et *pecuaria* absolute est, quae in pecore habetur, ipsique pecorum greges. [*Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Igitur est scientia pecoris parandi ac pascendi, ut fructus quam possint maximi capiantur ex ea, a quibus ipsa pecuaria nominata est; nam omnis pecuariae pecus fundamentum. (Ita locum restituit, *Schneid.* approbante, *Pontedera Op. post.* T. 1. p. 221.) *Id. ib. praef.* Ipse pecuarias habui grandes, in Apulia oviarias, in Reatino equarias. *F.*] *Cic. Quint.* 3. Erat ei pecuaria res ampla, et rustica, sane bene culta et fructuosa. *Suet. Caes.* 42. Pecuariam facere. ℙ Item ars, et ratio pascendorum gregum. *Varr. R. R.* 3, 1. *f.* Duos libros scripsi, primum de agricultura, secundum de pecuaria. ℙ *Pecuaria*, *orum*, armentorum et pecorum greges. *Virg. G.* 3, 64. mitte in Venerem pecuaria primus. *Pers.* 3, 9. Arcadiae pecuaria rudere credas. *Plin.* 8, 9, 9, de elephant: Pecuaria feminarum separant. ℙ *Pecuarius*, qui pecuaria habet. *Varr. R. R.* 2, 4. Nec de pecore suillo mihi et vobis, magnis pecuariis, ea res non est communis. *Cic. Dejot.* 9. *f.* Ut non solum tetrarca nobilis, sed optimus paterfamilias, et diligentissimus agricola, et pecuarius haberetur. ℙ Item qui pascua publica redimit, ut *Ascon.* in *Div. Verr.* 10. docet. *Liv.* 10, 47. Pecuariis aliquot damnatis. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 9. *n.* 13. Negotiator collegii pecuariorum.

PĔCŪASCO, is, a. 3. pecus alo, pasco, vel in pascua mitto. In vet. decreto arbitrum finium regundorum, ap. *Grut. lin.* 204, 33. In eo agro compascuo quominus pecuascere Genuates liceat.

*PECUĀTUS, a, um, adj. *Vet. Onomast.* *Θηριώδης*. *Fulgent.* in *Moral.* n. 53. *B. A.*

PECŪDĀ. V. PECU.

[PĔCŪDĀLIS, e, adj. idem ac pecualis. *Capell.* 8, 272. Nae tu, ait, infelix, vel Capella, vel quisquis es, non minus sensus, quam nominis pecudalis hujus incongrui risus adjectione desipere coepisti? *F.*]

PĔCŪDĬFER, ra, rum, adj. *Inscr.* ap. *Mur.* 70, 6. Silvano sancto, patri, et custodi, pecudifero, lactifero, etc. V. CANNABIFER.

PĔCŪĪNUS, a, um, adj. qui est pecoris. *Appul. Met.* 8. Flagro pecuinis ossibus catenato verberare, *h. e.* ut ipse explicat *paulo sup.* contortis taeniis lanosi velleris fimbriato, et multijugis talis ovium tessellato. *Id. Apol.* Non modo humanis animis, verum etiam pecuinis et ferinis.

PĔCŪLĀTOR, oris, m. *κλέπτης τοῦ δημοσίου*, qui pecuniam publicam, et ea, quae ad rempublicam seu principem pertinent, furatur. *Cic. Off.* 3, 18. Neque etiam de sicariis, veneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est. *Salv. Gub. D.* 7, 21. Punit enim judex in alio peculatum, cum sit ipse peculator.

PĔCŪLĀTORĬUS, a, um, adj. *Peculatoriae oves*, h. e. peculiares, privati peculii, legitur quidem ap. *Varr. L. L.* 4, 19., sed dubia lectione, et sententia.

PĔCŪLĀTUS, us, m. *κλέμμα τοῦ δημοσίου*, furtum pecuniae publicae, aut principis. *Cic. Phil.* 12, 5. *f.* Sestertium septies millies avertisse Antonium pecuniae publicae judicavistis: num fraude poterit carere peculatus? *Id. Rabir. perduell.* 3. Peculatum facere. *Auct. ad Her.* 1, 12. *f.* Accusari peculatus. *Liv.* 33, 47. Quos paverat per aliquot annos publicus peculatus. *Cic. Fl.* 18. Peculatus damnari. ℙ Lege peculatus tenebatur si quis pecuniam publicam surripuisset, vel, ut surriperetur, curasset: si quis in aurum, argentumve, aut aes publicum quid indidisset, vel immiscuisset, fecissetque dolo malo, quo id pejus fieret. Haec praeterea sunt in crimine peculatus: si quis imperator pecuniam ex praeda captam penes se privatim retinuisset, eamque nec in triumpho tulisset, nec in aerarium retulisset. Ad haec lege Julia peculatus tenetur, qui pecuniam sacram, religiosam abstulerit, vel interceperit. Poena peculatus vel pecuniaria fuit, vel capitalis. Nam qui praedam ab hostibus captam surripuerat, in quadruplum damnabatur: ceteris aqua et igni interdicebatur. Postea irrogata est alia lege deportatio, abrogata interdictionis poena. Et quoniam, ut repetundae, ita peculatus publicum furtum fuit, propterea ut in repetundis, sic in peculatu aestimationes fiebant lipetundis, contraque heredes actio dabatur. Vide *Digest.* 48. *tit.* 13. qui inscribitur *Ad legem Juliam peculatus*, etc. et P. *Manut. de legib. R.* ℙ Jocu-

lariter de meretricula, quae uni se amatori sui copiam fecisse narrat, nec omnibus patere quaestus causa velle profitetur. *Pl. Cist.* 1, 1, 74. Ergo amor in me peculatum facit, *h. e.* quae publica sunt, sibi uni attribuit.

PĔCŬLĬĀRIS, e, adj. ad peculium pertinens sive servi, sive filii familias. *Pl. As.* 3, 1, 36. Etiam opilio, qui pascit alienas oves, aliquam habet peculiarem, qui spem soletur suam. *Varr. R. R.* 1, 17. *f.* Studiosiores ad opus fieri remissione operis, concessioneve, ut peculiare aliquid in fundo pascere liceat. *Pompon. Dig.* 15. *tit.* 1. qui est *de peculio*, 22. et 23. Aedes peculiares. *Paul. ib.* 12, 1, 31. nummi. *Ulp. ib.* 33, 6, 9. *med.* Si peculiare vinum legatum sit, id continebitur, quod servi habuerunt. ℙ *Peculiaris causa*, quae de peculio est. *Papin. Dig.* 41, 2, 44. *med.* Sic *peculiari nomine*, titulo, et causa peculii, *Ulp. ib.* 40, 12, 16. ℙ *Peculiaris* etiam dicitur res privata et propria alicujus, habentis administrationem rei etiam publicae: et hoc ideo ut a publica distinguatur. *Suet. Caes.* 76. Monetae et publicis vectigalibus peculiares servos praeposuit, *h. e.* proprios suos, non publicos. Sic *Id. Galb.* 12. *extr.* Choraulae denarios quinque donavit, prolatos manu sua e peculiaribus loculis suis. ℙ *Peculiaris servus* est etiam qui peculium habet proprium, et super conservos, qui non habent, dignitatis aliquid habere videtur. *Inscr.* ap. *Mur.* 892, 1. Carpus Titi Caesaris Vespasiani Aug. servus verna peculiaris Jucundo vicario suo benemeren. [Alia ap. *Bianchi, Marm. Cremon. n.* 26. P. Papirius P. Lib. Theodorus Corneliae Callityche privignae peculiari, antea con*tubernali. F.*] Sunt qui *Suet. l. Caes.* 76. huc retrahendum putent. V. PECULIUM. ℙ Saepe sumitur pro speciali, proprio, neque cum aliis communi, ἴδιος, ἰδικός. *Cic. Fl.* 21. Venio ad Lysaniam, peculiarem tuum, Deciane, testem. *Id. Q. Fr.* 2, 10. *med.* Hoc mihi peculiare fuerit, hic etiam isto frui. *Mart.* 4, 64. Et planus modico tumore vertex Coelo perfruitur sereniore: Et curvas nebula tegente valles. Solus luce nitet peculari. *Plin. Pan.* 2. Additum a nobis Optimi cognomen, quod peculiare hujus et proprium arrogantia priorum principum fecit. *Suet. Aug.* 5. Quasi proprio suo, et peculiari Deo. *Cic. Verr.* 2, 3, 14. Exoritur peculiare edictum repentinum, ne quis frumentum de area tolleret, *h. e.* novum, Verrisque proprium, non commune cum aliis praetoribus. [**Liv.* 3, 19. de vestra plebe, quam partem, veluti abruptam a cetero populo, vestram patriam peculiaremque rempublicam fecistis, i. e. factionem. V. *Gronov. observv.* 1, 12. p. 59. *ed. Fr.*] *Plin.* 17, 18, 30. *n.* 2. Africae peculiare quidem in oleastro est inserere. *Id.* 12, 17, 38. Haec sunt peculiaria Arabiae, et pauca praeterea communia. *Id.* 19, 8, 41. *n.* 3. Genus brassicae Aricinum sub omnibus paene foliis fruticat cauliculis peculiaribus. ℙ Pro insigni, praecipuo, singulari. *Just.* 36, 4. de Attalo Asiae rege: Hortos fodiebat, gramina seminabat, et noxia innoxiis permiscebat: eaque omnia veneni succo infecta, velut peculiare munus, amicis mittebat. Fortasse tamen hoc loco *peculiare munus* est munus privati hominis, propriaque ejus industria, non de publica confectum. [**Suet. Vit.* 4. peculiari merito, *h. e.* singulari, nostr. *ganz besonderes Verdienst.*] ℙ *Peculiarius, a, um. Ulp. Dig.* 44, 4, 4. *extr.* Parenti licere deteriorem liberorum conditionem in rebus peculiariis facere. Al. leg. *peculiaribus. Pomp. ib.* 15, 1, 4. *f.* Res tamen in causa peculiaria manet. Al. leg. *peculiari.* [Incertam JCtorum lectionem obfirma novo exemplo, in quo est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1640, 7. P. Cornelius P. L. Peculiarius. *Not. Tir.* p. 67. Peculium, peculiarius. *F.*]

PĔCŬLĬĀRĬTER, adv. ex peculio, per modum peculii, peculii nomine. *Paul. Dig.* 41, 2, 3. *med.* Quaedam etiam ignorantes possidemus, idest quae servi peculiariter paraverunt. *Mart. ib.* 20, 6, 8. Cum filius familias, et servus peculiariter pignori hypothecam acceperunt, et habent liberam peculii administrationem. ℙ Item specialiter, praecipue. *Plin.* 26, 8, 33. Folia refrigerant, spissant, peculiariter cruribus vitiosis utilia. *Id.* 25, 2, 2. In reliqua ingenii magnitudine medicinae peculiariter studiosus. *Id.* 36, 20, 37. Aematites croco similis peculiarius splendet. Al. leg. *clarius. Quint.* 1, 2. *med.* Eum, in quo studium ingeniumque perspexerit, in suam quoque gloriam peculiariter fovebit. *Id.* 8, 2. *med.* Quod commune est et aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur: ut *urbem*, Romam accipimus: Graeci dicunt κατ' ἐξοχήν.

PĔCŬLĬĀRĬUS, a, um. V. PECULIARIS.

PĔCŬLĬĀTUS, a, um, adj. peculio instructus. *Ulp. Dig.* 19, 1, 13. Pluris servum emisset, si ita peculiatus esset. Adde *Cajum ib.* 21, 1, 18. *extr.* ℙ Item universim pecunia instructus. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. Balbus quaestor magna numerata pecunia, magno pondere auri, majore argenti coacto de publicis exactionibus, trajecit se in regnum Bogudis plane bene peculiatus. ℙ Obsceno sensu *Auct. Priap.* 53. Pulcre pensilibus peculiati. V. PECULIUM.

PĔCŬLĬO, as, a. 1. peculio dono, locupleto. *Pl. Pers.* 2, 2, 10. Scelus tu pueri es: atque ob istam rem ego aliquid te peculiabo: ubi ambigue ludit *Plaut.* in voce *peculium*, quod obscenum etiam sensum habet. V. PECULIUM.

PĔCŬLĬŎLUM, i, n. dimin. peculii. *Quint.* 1, 5. *med.* Vitium, quod fit per quantitatem, ut *magnum peculiolum*, erunt qui soloecismum putent, quia pro nomine integro positum sit diminutum.

PĔCŬLĬŌSUS, a, um, adj. χρηματώδης, qui peculii multum habet. *Pl. Rud.* 1, 2, 24. Peculiosum cum esse decet servum, et probum.

PĔCŬLĬUM, ii, n. [*proprie significat id, quod quis pecorum possidet: a *pecu.* Quoniam autem apud antiquos maxima divitiarum pars armentis constaret, *peculium* in universum dicitur pro bonis, opibus, facultatibus, quae industria, diligentia, cet. comparantur. (Cf. *Serv.* qui ad *Virg. Ecl.* 1, 33. Nec spes libertatis erat, nec cura peculi; docet, antique omne patrimonium peculium dictum esse:) *Hor. A. P.* 330. Rem poteris servare tuam, redit uncia, quid sit? Semis ad haec animos aerugo, et cura peculi. *Cic. Par.* 5, 2. An eorum servitus dubia est, qui cupiditate peculii nullam conditionem recusant durissimae servitutis. — Alteram eamque *Forc.* probatam hujus vocis notationem, qua diminitivum esse dicunt a *pecunia*, eam *Duk. de Lat. Ict. Vett.* 60, 4. ideo minus probari posse putavit, quod in *peculium* inflexio non magis diminutivum ostenderet, quam in *consilium*, *domicilium*, *Capitolium*, cet., quae aeque ac *peculium* inter denominativa recte retulisset *Voss. de Analog.* 2, 30. *Ulpianum* autem cum in *Dig.* 15, 1, 15. (q. l. *Noster* laudaverat) *peculium pusillam pecuniam* definisset, non sensisse de vocabuli illius derivatione vel formatione: sed ita locutum esse, quod peculia servorum filiorumve famil. saepe non valde magna essent. Hinc *Id. ib.* 36, 1, 16. plerosque ait ὑποχριστικῶς patrimonium suum *peculium* dicere; ad indicandam scil. fortunarum suarum tenuitatem.] ℙ Speciatim ita dicitur pecunia, seu nummi praesidii causa a patrefamilias repositi. *Celsus ib.* 32, 1, 77. Proculus ait, eos nummos, quos praesidii causa repositos haberet, legato contineri: et saepe audisse se rusticos senes ita dicentes, pecuniam sine peculio fragilem esse: peculium appellantes, quod praesidii causa seponeretur. ℙ Saepius sumitur pro ea pecunia, seu parte facultatum, quam vel dominus servo, vel pater filio, separatam a rationibus dominicis, utendam fruendamque permittit: qua de re multa JCti *cit. Dig.* 15. *tit.* 1. qui *de peculio* inscribitur. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Non solum adimis domino pecus, sed etiam servis peculium, quibus domini dant, ut pascant. (Hinc videmus *peculium servorum* primo et proprie partem aliquam pecoris esse iis concessam a dominis. Adde *ib.* 17. *f.* et *Pl. Asin.* 3, 1, 36.) [*Nihil videmus: non magis enim *Varro* et *Plaut.* h.c, quam supra *Ulp.* derivationem vocis spectant.] *Id. ib.* 17. *med.* Praefectos *(mancipiorum)* alacriores faciundum praemiis, dandaque opera, ut habeant peculium, et conjunctas conservas, etc. *Juven.* 3, 188. praestare tributa clientes Cogimur, et cultis augere peculia servis. *Liv.* 2, 41. *f.* Sunt, qui patrem auctorem ejus supplicii ferunt, peculiumque filii Cereri consecravisse. *Pl. Merc. prol.* 94. Lucrum ingens facio, praeterquam mihi meus pater dedit aestimatas merces: ita peculium grande conficio. *Suet. Tib.* 50. Juliam uxorem peculio concesso a patre, praebitisque annuis fraudavit. ℙ Item quod marito ab uxore praeter dotem traditur. *Ulp. Dig.* 23, 3, 9. §. 3. Ceterum si res dentur in ea quae Graeci παράφερνα dicunt, quaeque Galli peculium appellant, videamus, an statim efficiantur mariti. ℙ *Peculii* nomine venit etiam quod servus parsimonia sua sibi paravit, vel officio meruit a quolibet sibi donari, permissu domini. *Flor. Dig.* 15, 1, 39. ℙ Castrense peculium. V. CASTRENSIS. ℙ Translate. *Sen. ep.* 12. *f.* Sed jam debeo epistolam includere. Sic, inquis, sine ullo ad me peculio veniet? Noli timere: aliquid secum feret, *h. e.* additamento sapientioris utiliorisque praecepti, quasi pecunia sepositа praesidii causa. ℙ Obscena significatione penem significat. *Pl. Ps.* 4, 7, 92. Mea quidem habeo omnia meo peculio empta. *Ba.* Nempe quod femina summa sustinent. Adde *Petr. Sat.* 8. et *Lampr. Elag.* 9. *extr.* V. PECULIATUS.

PĔCŬLOR, aris, dep. 1. publicam pecuniam, et ea, quae ad rempubl. pertinent, aufero, intercipio, male administro. *Flor.* 3, 17. Interceptis vectigalibus, peculabantur suo jure rempublicam.

PĔCŪNĬA, ae, f. ἀργύριον, copia nummorum, *h. e.* auri, argenti, aeris cusi: a *pecu*, quia qui primus nummum Romae cudit (quem *Plin.* 33, 3, 13. Servium Tullium fuisse tradit: *Macr. Sat.* 1, 7. Janum: sed hic fabulas secutus videtur:) nota pecudum signavit, praesertim ovium, boumve, [*vel quod apud antiquissimos summa facultatum in pecoribus posita erat. Hinc sunt, qui ea exempla primo loco ponant, in quibus pecunia omnino sumitur pro facultatibus, opibus. V. §. 2.] *Cic. Top.* 13. Pecuniam numeratam mulieri deberi, cui sit omne argentum legatum. *Id. Verr.* 2, 3, 71. Pecunia publica ex aerario erogata, ex vectigalibus populi R. ad emendum frumentum attributa. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 42. Lex Cornelia nummaria de moneta, ne quis privatus pecuniam faceret; et *Sall. fragm.* ap. *Donat.* ad *Ter. Ph.* 1, 1, 4. Quae pecunia ad Hispaniense bellum Marcello facta erat, *h. e.* cusa et attributa. ℙ Per synecdochen accipitur non modo pro nummis, sed pro omnibus rebus, quibus facultates, fortunae, et divitiae constant, sive mobiles sint, sive immobiles: eaque non solum corpora, sed etiam jura continentur, ut *Ulp. Dig.* 50, 16, 178. et *Hermogen. ib.* 222. docent, οὐσία, πλοῦτος. *Scaev.* ap. *Cic. Or.* 2, 67. Te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum. *Liv.* 29, 31. *med.* Familiae aliquot cum mapalibus pecoribusque suis (ea pecunia illis est) persecuti sunt regem. *Cic. Div.* 1, 49. *f.* Ut ostenderet, etiam philosophum, si ei commodum esset, pecuniam facere posse. *Id. Rosc. Am.* 2. In alienam pecuniam, tam plenam, tam praeclaram nullo jure invasit; et 3. Ut pecunia fortunisque nostris contentus sit. *Plin.* 21, 3, 5. Namque ad certamina in circum per ludos et ipsi descendebant, et servos suos quique mittebant. Inde illa XII. Tabularum lex: Qui coronam parit ipse, pecuniave ejus, virtutis ergo duitor ei. Quam servi, equive meruissent, pecunia partam lege dici, nemo dubitavit. ℙ Huc pertinet illud *Festi:* Pecunia sacrificium fieri dicebant, cum frugum, fructuumque causa mola pura offerebatur in sacrificio, quia omnis res familiaris, quam nunc pecuniam dicimus, ex his rebus constaret. ℙ Ad usum loquendi haec pertinent. *Hor. Ep.* 1, 6, 36. Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos, Et genus, et formam regina pecunia donat: Ac bene nummatum decorat Suadela Venusque. *Cic. Agr.* 2, 13. Permittitur infinita potestas pecuniae conficiendae de vestris vectigalibus, non fruendis, sed alienandis; et *ib.* 36. Cum omnem pecuniam ex aerario exhausissetis, ex vectigalibus redegissetis, ab omnibus regibus coegissetis, tamen omnes vobis pecunias ad nutum vestrum penderent. *Id. Pis.* 16. Pecunias exigere, capere, imperare. *Id. Verr.* 2, 3, 76. auferre ab aliquo; et *ib.* extorquere a civitatibus; et *ib.* Pecuniam numerare alicui ab aerario; et *ib.* publicam domum suam convertere; et *ib.* 73. Ut praetor pecunias, quas civitatibus distribuere debebat, eas omnes avertat, atque auferat; et *ib.* 76. Devorare omnem pecuniam publicam non dubitavit; et *ib.* 77. Pecuniam alicui dissolvere; et *ib.* et *Att.* 5, 21. solvere alicui. *Nep. Timoth.* 1. numeratam accipere ab aliquo. Rursus *Cic. Verr.* 2, 3, 77. conferre ad statuam. *Id. Fl.* 23. alicui conferre in usum ejus; et *ib. f.* transferre in quaestum et fenerationem; et *ib.* deferre alicui: credere alicui; et *ib.* 25. gravi fenore occupare. *Id. Manil.* 7. collocatam habere; et *Suet. Aug.* 39. *extr.* levioribus usuris mutuari, graviori fenore collocare. *Pl. Capt.* 2, 2, 8. Praesenti pecunia mercari aliquid. *Hor. Od.* 3, 16, 17. Crescentem sequitur cura pecuniam, Majorumque fames, *h. e.* Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit, ut ait *Juven.* 14, 139. ℙ *Dies pecuniae* est dies, quo pecunia solvenda est. *Inscr.* opt. notae ap. *Grut.* 207. *col.* 3. Dies pecuniae; pars dimidia dabitur, ubet praedia satis subsignata erunt: altera pars dimidia solvetur opere effecto probatoque. ℙ *Pecunia*, Dea. *Arnob.* 4, 132. Quis Deam Pecuniam esse credat, quam, velut maximum numen, vestrae indicant litterae, donare annulos aureos, loca in ludis, atque in spectaculis priora, honorum suggestus summos, amplitudinem magistratus, et quod maxime pigri ament, securum per opulentias otium? Adde *August. C. D.* 4, 21. ℙ [*Confund. *pecunia* et *poena.* V. *Beier.* ad *Cic. fragm.* 93. b.]

PĔCŪNĬĀLIS, e, adj. pecuniarius, ut Pecunialis quaestus, *Coel. Aurel. Tard.* 1, 5.

PĔCŪNĬĀRĬE, adv. modo in pecuniaria causa usitato. *Ulp. Dig.* 16, 2, 10. Si in ea *(causa)* pecuniarie agitur. Adde 47, 1, 3., ubi *Torrent.* habet *pecuniariter.*

PĔCŪNĬĀRIS, e, adj. pecuniarius, ut Pecuniaris damnatio, *Macer Dig.* 48, 19, 10. *extr.*, ubi *Haloand.* habet *pecuniaria.*

PĔCŪNĬĀRĬTER. V. PECUNIARIE.

PĔCŪNĬĀRĬUS, a, um, adj. χρηματικός, ad pecuniam pertinens. *Cic. ad Brut.* 1, 18. *med.* Inopia rei pecuniariae. *Caes. B. C.* 3, 59. Praemia rei pecuniariae magna alicui tribuere. *Quint.* 6, 1. *f.* Pecuniariam litem agere. *Id.* 12, 1. Pecuniariae quaestiones. *Ulp. Dig.* 3, 1, 1. *med.* Pecuniaria poena multari. *Paul. ib.* 42, 1, 6. Pecuniaria condemnatio.

*PĔCŪNĬĀRĬUS, i, m. χρηματιστής *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

PĔCŪNĬŎLĂ, ae, f. parva pecunia, peculium. Quidam P. Aurelius bello Punico primo *Pecuniola* cognomen habuit, teste *Val. Max.* 2, 7. *n.* 4.; ex

quo apparet, vocem esse Latinam, ut *sententiola*, *controversiola*, *familiola*, *unciola*.

PĔCUNIOSUS, a, um, adj. πολυχρήματος, pecunia abundans, bene nummatus, dives. *Hieron. Comment. ad Eccles.* 5. Tullius pecuniosus primitus eos dictos refert (*Cic. de Rep.* 2, 9. ed. *A. Maio*), qui plura habuissent pecua, id est pecora, ita enim antiquitus appellabant. *Cic. Rosc. Com.* 15. Homines copiis rei familiaris locupletes et pecuniosi. (V. LOCUPLES.) *Nep. Att.* 13. Nam cum esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax, minus aedificator. *Mart.* 5, 56. Artes discere vult pecuniosas? Fac, discat citharoedus, aut choraules, *h. e.* quaestuosas. *Suet. Aug.* 25. Feminae pecuniosiores. *Cic. Verr.* 2, 5, 9. *f.* Hominem pecuniosissimum repente e carcere emissum. [*Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 346.]

PĔCUS, pecoris, n. 3. πρόβατον, κτῆνος, θρέμμα, multitudo bestiarum: et earum praecipue, quae fructus, atque usus causa aluntur. *Varr. R. R.* 2, 12. *med.* In bubulo pecore. *Virg. G.* 3, 72. pecori est idem delectus equino. *Ov. Met.* 14, 288. Setigerum pecus. *Stat. Th.* 4, 733. sed perfurit arvis Flammatum pecus, *h. e.* equi sitientes. (Adde *ib.* 1, 275.) *Colum. prooem.* 1. *med.* Pecus ovillum, caprinum. *Id.* 8, 4. Volatile pecus facile pastoris custodiam decipit, *h. e.* gallinae, aliaeque aves cohortales; et *ib.* 17. aquatile, *h. e.* pisces. *Hor. Od.* 1, 2, 7. Omne cum Proteus pecus egit altos Visere montes. *Colum.* 9, 8. de apib.: Interdum propter conditionem locorum vel mediocre pecus parandum est. *Virg. G.* 4, 168. Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent. *Ov. Ib.* 459. Inque pecus magnae subito vertare parentis, *h. e.* in leonem. *Grat. Cyn.* 265. de canib.: Qui genuere sua pecus hoc immane juventa. ℙ Aliud est majus, aliud minus: in illo sunt boves, equi, asini et hujusmodi: in hoc oves, caprae, porci, etc. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Et quod nomina multa habemus ab utroque pecore: a minore Porcius, Ovinius, Caprilius: sic a majore Equitius, Taurius, Asinius. [Et cognomina quod dicuntur, uti Aninii Caprae, Statilii Tauri, Pomponii Vituli, sic a pecudibus alii multi. Ita locum ex *Cod. Politiani* refinxit, probante *Schneidero*, *Pontedera Op. post.* T. 1. p. 220. *F.*] ℙ De minore. *Ov. Met.* 11, 276. Quosque greges pecorum, quae secum armenta trahebat. ℙ Saepe dicitur de ovibus, ut et πρόβατον. *Virg. G.* 3, 554. Balatus pecorum. *Ov. Fast.* 1, 384. Lanigerumque pecus, ruricolaeque boves. Et absolute *Plin.* 8, 47, 72. Magna et pecori gratia vel in placamentis Deorum, vel in usu vellerum. Ut boves victum hominum excolunt, ita corporum tutela pecori debetur. (Adde *ib.* 49, 75.) *Tiberius* ap. *Suet.* 32. *extr.* Boni pastoris est pecus tondere, non deglubere. ℙ Pauperis est numerare pecus, *Ov.* dictum *Met.* 13, 824. in proverb. abiit, cum quis jactat copias suas, quasi innumerabiles. Nam, ut ait *Hor. Ep.* 1, 6, 45. Exilis domus est, ubi non et multa supersunt, Et dominum fallunt, et prosunt furibus. ℙ Antiqui omne animal praeter hominem *pecus* vocabant, ut *Serv.*, *Philarg.*, *Acro*, *Caper de Orthogr.* p. 2244. et *Non.* 2, 689. et 6, 65. adnotarunt, et ex allatis exemplis videre est. Interdum tamen et de homine dicitur rudi, stulto, vili, ignobili. *Hor. Sat.* 1, 3, 99. Cum prorepserunt primis animalia terris, Mutum et turpe pecus, glandem atque cubilia propter, Unguibus et pugnis, dein fustibus, atque ita porro Pugnabant armis, quae post fabricaverat usus: Donec verba, quibus voces sensusque notarent, Nominaque invenere, etc. *Id. Ep.* 1, 19, 19. O imitatores, servum pecus, ut mihi saepe Bilem, saepe jocum vestri movere tumultus. *Catull.* 63, 12. Agite, ite ad alta, Gallae, Cybeles nemora simul, Simul ite, Dindymenae dominae vaga pecora. ℙ Olim dixere etiam *pecu*, *u*, et in plur. *pecua*, et *pecuda*. V. PECU. Invenitur et *pecui* in dativo, tanquam a *pecus*, *us*. Ap. *Gell.* 20, 8. *Lucilius:* Luna alit ostrea, et implet echinos, muribu' fibras, Et pecui addit.

PĔCUS, ŭdis, f. animal brutum cujuscumque generis, bestia. Differt a *pecus*, *oris*, quod in singulari multas simul pecudes significat. *Pl. Ps.* 3, 2, 45. Haec ad Neptuni pecudes condimenta sunt: terrestres pecudes cicimandro condio. *Lucr.* 2, 343. Squamigerum pecudes. *Mart.* 5, 37. Nec modo politum pecudis Indicae dentem, *h. e.* elephanti. *Varr.* ap. *Non.* 6, 65. Anates, buxeis rostris pecudes. *Virg. G.* 4, 327. pecudum custodia solers, *h. e.* apum. *Varr. R. R.* 2, 1. Etiam nunc in locis multis genera pecudum ferarum sunt aliquot, ut in Phrygia ex ovibus, in Samothrace caprarum, etc. de suibus nemini ignotum, etc. boves perferi sunt multi in Dardania, etc. equi feri in Hispaniae citerioris regionibus aliquot. *Colum.* 6, 27. *f.* de equis: Id praecipue genus pecudis amore natorum noxam trahit. *Cic. N. D.* 2, 64. de sue: Qua pecude, quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius. *Colum.* 2, 2. *med.* de bob.: Plus enim queunt pecudes collo et pectore conari, quam cornibus. ℙ Interdum dicitur de bestiis terrestribus. *Virg. G.* 3, 243. Et genus aequoreum, pecudes, pictaeque volucres. ℙ Interdum de pecore minori, ut capris, ovibus, etc. *Lucret.* 5, 1229. At variae crescunt pecudes, armenta, feraeque: et 4, 1190. Nec ratione alia volucres, armenta feraeque, Et pecudes, et equae. ℙ Interdum de ovibus, pecora. *Plin.* 24, 11, 53. Pecus etiam, et caprae si aquam biberint, in qua folia ea maduerint, mori dicuntur. *Lucr.* 2, 367. haedi Cornigeras norunt matres, agnique petulci Balantum pecudes. *Ov. Fast.* 4, 903. Et frustra pecudem quaeres Athamantidos Helles, *h. e.* Arietem. ℙ Interdum de iis, quae in usum, et fructum aluntur. *Cic. Off.* 1, 30. Quantum natura hominis, pecudibus, reliquisque bestiis antecedat. ℙ Urbane *Id. Cat.* 2, 9. *extr.* Ista non modo homines, sed ne pecudes quidem mihi passurae esse videntur. *Id. Att.* 1, 16. *med.* Quod omnes non modo homines, verum etiam pecudes factum esse sciebant. ℙ Est convicium in hominem stultum, stolidum, fatuum. *Cic. Pis.* 9. Ego istius pecudis, ac potidae carnis consilio scilicet, aut praesidio uti volebam; et 29. Istius impurissimae atque intemperantissimae pecudis sordes. *Id. Phil.* 8, 3. Atque etiam homines agrestes, si homines illi, ac non pecudes potius, inani spe ad aquas usque, et Puteolos provehuntur. ℙ Negat *Charis.* 1, 72. usurpari in recto, et vocativo singulari: at praeter *Plin. sup. cit.* habet *Caesar* in *Auguralib.* ap. *Prisc.* 6, 719. Si sincera pecus erat. ℙ Etiam masculino genere usurpari videtur *Ennius* ap. *Prisc.* 5, 659. pecudi dare viva marito. Potes tamen, inquit *Prisc.*, figurate esse prolatum, ut si dicam: *aquila maritus*, vel *rex avium*. ℙ *Pecuda* in neutro plur. V. in PECU.

PĔCUSCŬLUM, i, n. dimin. pecudis. *Juvenc.* 2, 593. foveam si forte pecuscula vestra Inciderint.

PĔCUSCUM Palatii dicta est ea regio Urbis, quam Romulus obversam posuit ea parte, in qua plurimum erat agri Romani ad mare versus, et qua mollissime adibatur Urbs: cum Etruscorum agrum a Romano Tiberis discluderet, ceterae vicinae civitates colles aliquos haberent oppositos. *Paul. ex Festo*, ubi legitur quidem *pectuscum*, sed *Dacerius* corrigit *pecuscum*, quod ea parte pecus pasceretur.

PĔDA, ae, f. vestigium. *Festus:* Pedam, vestigium humani pedis appellasse antiquos, in commentariis quibusdam inveniri solet. *Gloss. Philox.* Peda, pedatura, ἴχνος.

*PEDALIE, es, f. oppidum Ciliciae. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

[PĔDALĬON, ii, n. herba eadem ac proserpinaca, ap. *Appul. H.* 18. *F.*] ℙ *Fuit et Pedalion vel Pedalium promontorium Cariae. *Mela* 1, 16. *Plin.* 5, 27. *B. A.*

PĔDĀLIS, e, adj. ποδιαῖος, pedis mensuram habens. *Sen. Q. N.* 1, 3. *med.* Solem acies nostra sic contraxit, ut sapientes viri pedalem esse contenderint. *Cic. Acad.* 4, 26. Quid potest esse sole majus? quantulus nobis videtur: mihi quidem quasi pedalis. *Caes. B. G.* 3, 13. Transtra ex pedalibus in latitudinem trabibus. *Colum.* 4, 16. Pedale spatium; et *ib.* 7. Pedalis longitudo. *Plin.* 20, 22, 91. altitudo. *Id.* 12, 19, 43. mensura. *Id.* 17, 8, 4. crassitudo; et *ib.* 20, 33. sulcus. *Id.* 21, 4, 10. Pedalia intervalla. ℙ *Pedale*, vel *pedalem* ap. *Petr. fragm. Trag.* 56. *Burm.* alii intelligunt fasciam, qua pes involvitur, alii socculum, soleam: sed dubia est et lectio, et interpretatio. *Gloss. Philox.* Pedale, ποδεκμαγεῖον, πόδιον, h. e. quo pedes extergentur. V. PĔDULIS.

PĔDĀMEN, inis, et

PĔDĀMENTUM, i, n. κάμαξ, χάραξ, palus, ridica ad vites, aliasve plantas infirmiores fulciendas, statumen, adminiculum: a *pedo*, *as*. *Varr. R. R.* 1, 8. Quibus stat recta vinea, dicuntur pedamenta: quae transversa junguntur, juga: et *mox:* Pedamentum fere quatuor generum: unum robustum, et vocatur ridica: alterum palus e pertica: tertium, quod horum inopiae subsidio misit arundinetum: quartum est pedamentum nativum ejus generis, ubi ex arboribus in arbores traductis vitibus vinea fit, quos traduces, quidam rumpos appellant. *Colum.* 4, 1. Geminis viviradicibus diductis duo continua per ordinem vestire pedamenta; et *ib.* 30. Pedaminum, jugorumque, et viminum prospiciendorum tradenda ratio est; et *ib.* 26. Pedamen teres ex junipero. *Id.* 5, 4. Pedaminibus adnixae vites. Adde *Plin.* 17, 20, 33. et *ib.* 22, 35. *n.* 10.

[PĔDĀNA, ae, f. *Gloss. Isid.* Pedana, pedulis novus (al. *nodus*), qui caligae assuitur. *F.*]

PĔDĀNĔUS, a, um, adj. idem ac pedalis. *Colum.* 4, 1. *med.* Nemo minorem pedanea scrobem vitibus comparat. Al. leg. *bipedanea*. *Pall.* 6, 11. Pedaneum rudus inducere. *Solin.* 2. *med.* Pedanei ramuli. ℙ *Pedanei* judices, χαμαιδικασταί, dicuntur, qui de levioribus tantum causis solent cognoscere. Quidam sic dictos putant, quod humiliore loco, seu in subselliis considerent, atque adeo non uterentur tribunali, nec sellis curulibus, sed in plano judicarent: alii quod non, ut magistratus, curru veherentur, sed pedibus incederent. Prior sententia probabilior videtur, etenim haec habet *Ascon.* ad *Div. Verr.* 15. Sunt enim subsellia tribunorum, triumvirorum, quaestorum, et hujusmodi minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec in tribunalibus, sed in subselliis considebant. Hinc *Ulp. Dig.* 3, 1, 1. §. 6. Apud judices pedaneos postulare prohibetur. Adde *ib.* 2, 7, 3. et *Paul. ib.* 48, 19, 38. §. 10. ℙ *Pedaneos* pro *pedariis*, cum de senatoribus sermo est, barbare dici, notat *Gell.* 3, 18. *extr.*, [quia nempe ejus aetate ita appellari coepissent, quemadmodum etiam *pedani* dicuntur decuriones in Tabula Canusina *l. c.* in PEDARIUS. *F.*]

PĔDĀNUS, a, um, adj. ad Pedum pertinens, Italiae opp., Praenesti proximum, nunc *Zagarolo*. *Cic. Att.* 9, 18. *f.* Continuo ipse in Pedanum (sc. praedium), ego Arpinum. *Hor. Ep.* 1, 4, 2. Quid nunc te dicam facere in regione Pedana. ℙ [*Pedani*, *orum*, sunt incolae urbis Pedi, et illius regionis, ap. *Liv.* 8, 12. Pedanos tuebatur Tiburs, Praenestinus, Veliternusque populus. ℙ *Pedani decuriones*. V. PEDARIUS. *F.*]

PĔDĀRĬUS, a, um, adj. ad pedes pertinens, idem ac pedalis, qui pedis mensuram habet. *Inscr.* opt. notae ap. *Grut.* 207. *col.* 2. Operculaque abiegnea imponito ex tigno pedario, *h. e.* unius pedis latitudinem habente. ℙ *Pedarii* senatores vocati sunt, ut *Gabius Bassius*, teste *Gellio* 3, 18., scriptum reliquit, qui nondum gesserant magistratum curulem: idque quia pedibus irent in curiam, cum, qui magistratu curuli functi erant, soliti essent curru vehi. *Festus*, et alii sic dictos putant, qui non haberent jus novae dicendae sententiae, sed pedibus irent in sententiam aliorum: senatorum enim alios fuisse principes, qui in solio eburneo sederent ibique sententiam dicerent, alios fuisse minores, qui non haberent in senatu sententiae dictionem, sed ab aliis dictam approbarent, moventes se loco, et in partem ejus ambulantes, cujus sententiae assentiebantur. Propter quod qui sententiam aliorum sequuntur, *ire in sententiam pedibus* dicuntur. *Varr.* ap. *Gell. ib.* etiam *equites* quosdam *pedarios* fuisse dicit: et *Gellius* censet, equites eos, qui necdum a censoribus in senatum lecti erant, eoque nec senatores dici poterant, si populi honoribus usi essent, habuisse jus veniendi in curiam, dicendaeque sententiae, sed quia in postremis scripti erant, non rogatos fuisse sententias, sed quas principes dixerant, in eas discessisse. Pro *pedarius* dixere etiam *pedaneus*: sed *Gellius* ut minus Latinum rejicit. *Cic. Att.* 1, 19. Est illud S. C. summa Pedariorum voluntate, nullius nostrum auctoritate factum; et *ib.* 20. Et raptim in eam sententiam pedarii concurrerunt. *Tac. A.* 3, 61. Ut non modo primores civitatis, sed omnes consulares, magna pars eorum, qui praetura functi: multique etiam pedarii senatores certatim surgerent, foedaque et nimia censerent. ℙ Horum sententia *pedaria* appellata est. *Laberius* ap. *Gell. l. c.* Caput sine lingua pedaria sententia est. ℙ [Etiam *pedarii*, seu *pedani* decuriones erant in coloniis, qui nempe honoribus nunquam functi fuissent, ut constat ex Tabula aenea Canusina ap. *Fabr.* p. 598. *n.* 9., quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCXXIII., et in qua perscripta sunt nomina eorum, qui curiam Canusinam constituebant. Primo enim nominantur XXX. *patroni* C. C. V. V. *h. e.* clarissimi viri, nempe Romae senatores, tum VIII. itidem *patroni* E. E. Q. Q. R. R. *h. e.* equites Romani, tum VII. *quinquennalicii*, et IV. *allecti inter quinquennalicios*, XXIX. *duumviralicii*, XIX. *aedilicii*, IX. *quaestoricii*, tum XXXII. *pedani*, tandem XXV. *praetextati;* ex quorum omnium numero si patronos, et praetextatos subtrahas, remanent centum decuriones, qui ideo et centumviri dicebantur, (V. CENTUMVIRI.); horum vero qui *pedani* appellantur, nec quinquennales, nec duumviri, nec aediles, nec quaestores unquam fuerunt. Patet igitur, *pedarios* seu *pedanos* eos dictos fuisse, qui, cum nullo hactenus honore in curia essent functi, non in bisellio, sed in subselliis infimo loco considebant, quemadmodum etiam judices minores, ut patet ex *Asconii l. c.* in PEDANEUS. ℙ *Pedarium*, *ii*, absolute quid significet, ignotum est, ap. *Pelag. Vet.* 16. *med.* Ad ozaenas apopiras Pelagonii. Pedaria cocta, et in pulverem redacta mittis in acetum, et ferveant. *F.*]

*PEDĀSA, orum. V. v. sq. *B. A.*

*PEDĀSUM, i, n. Πήδασον, et Pedasa, orum, Πήδασα, Cariae oppidum. Priore forma utitur *Plin.* 5, 29. et *Strabo;* posteriore idem *Strabo* et *Liv.* 33, 30. ubi pro *Pedasis*, quod ed. *Drak.* habet, *Padaris* praefert ed. *Gron. B. A.*

*PEDĀSUS, i, f. Πήδασος, opp. Mysiae, alias Adramytteon. *Plin.* 5, 30. Adramytteon olim Pedasus dicta. *B. A.*

PĔDĀTIM, adv. κατὰ πόδα, motu successivo pedum. *Plin.* 11, 45, 105. Reliqua animalia, ut libitum est, gradiuntur: leo tantum, et camelus pedatim, hoc est ut sinister pes non transeat dextrum, sed subsequatur. Haec *Plin.*

PĔDĀTĬO, onis, f. χαράκωσις, actus, quo pedamentis vitis fulcitur, vel ipsum pedamentum, aut fulcimentum per pedamenta. *Colum.* 4, 12. *extr.* Dum se vinea corroboret in pedationem. Al. re-

ctius ita leg. ut *corroboret* sit postremum verbum *capitis* 12. deinde sequatur *cap.* 13. Impedationem deinde sequitur alligator.

*PEDATRIRAE, arum, populi Indiae. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

PĔDĀTŪRĂ, ae, f. spatium certo pedum numero definitum, et ipsa mensuratio per pedes. *Veg. Mil.* 3, 8. *med.* Singulae centuriae, dividentibus campidoctoribus, accipiunt pedaturas, et fossam aperiunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 896, 14. In qua pedatura neque humari, neque tumulum fieri volo, ut habeat ea area et a tergo, et a latere accessum suum. Alia ap. *Donat.* 168, 1. P. Ael. Aug. Lib. Jobacchus fecit *(monumentum)*, et pedaturam dedit ante titulum P. XXX., ante frontem P. XXX. et in agro quoquoversus P. centenos etc. Adde aliam ap. *Don. cl.* 13. *n.* 29. et *Auct. de limit.* p. 245. et 250. *Goesii.* ℙ [*Pedatura* idem etiam est ac pedamentum. *Inscr.* ap. *Grut.* 215, 2. Ab heredibus meis praestari volo ex praediis ceteris meis palum, ridicam omnibus annis sufficiens pedaturae vineae, quam Augustalibus legavi. *F.*]

PĔDĀTUS, a, um, adj. *ὑπόπους*, cui sunt pedes. *Suet. Oth.* 12. Fuisse traditur et modicae staturae, et male pedatus. ℙ Item sustentaculo firmatus, *κεχαρακωμένος:* part. a *pedo*, *as*, qua notat suffulcire. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 6. Aut pedatae vineae simplici jugo. Adde *Colum.* 4, 20.

PĔDĀTUS, us, et i, m. accessus pedis, vel pedis ictus. *Pl. Cist.* 2, 1, 49. Nisi tertio pedatu omnes afflixero. *Cato* ap. *Non.* 1, 325. Igitur tertio pedato nobis bellum fecere. *Gloss. Philox.* Tertio pedatu, *τρίτῃ περιόδῳ*. Sic *Non. ib.* Tertio repetitu, seu accessu quasi per pedem. Rursus *Cato* ap. *Charis.* 2, 191. In his duobus bellis alteras stipendio, agrique parte multati (al. *multari*): alteras oppidum vi captum; alteras primo pedato et secundo. Nihil hic *Charis.* quod locum satis obscurum illustret. V. *alteras* dictum est pro *alias*, cum adverbii more adhibetur: *primo pedato et secundo* fortasse est primo et secundo aggressu: sed omisit *Charis.* verba aliquot, quibus integra sententia continebatur.

PĔDĔMĀ. V. PYTISMA.

PĔDĔPLĀNĀ, orum, n. plur. *τὰ ἐπίπεδα*, loca in aedibus solo aequalia, quaeque pede plano, h. e. sine ascensione adeuntur. Vox cadentis Latinitatis. *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 7, 8, 13. Milites ex procinctu redeuntes singulae turres in pedeplanis suis recipiant.

PĔDĔPRESSIM, adv. *βάδην*, tarde, paulatim, lenta et tarda itione. *Non.* 1, 119., sed sine exemplis.

PĔDES, itis, m. *πεζός*, qui pedibus incedit. *Virg. A.* 6, 881. seu cum pedes iret in hostem, Seu spumantis equi foderet calcaribus armos. *Ov. Met.* 14, 363. equique celer spumantia terga relinquit, Spemque sequens vanam silva pedes errat in alta. *Curt.* 8, 1. *med.* Macedones scivere, ne pedes venaretur. ℙ Saepe est miles, qui pedibus meretur, sicut *eques* qui equo. *Caes. B. G.* 1, 42. Postulavit, ne quem peditem ad colloquium Caesar adduceret. *Pompej. ad Dom.* 2. *post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Quantas equitum et peditum copias contracturus sit. ℙ Est etiam collectivum nomen, et peditum multitudinem significat. *Liv.* 30, 34. Utrinque equite nudata erat Punica acies, cum pedes concurrit, nec spe, nec viribus jam par. *Tac. A.* 1, 67. Equos fortissimo cuique bellatori tradit, ut hi, mox pedes, in hostem invaderent; et *ib.* 60. Simul pedes, eques, classis apud praedictum amnem convenere. *Id. H.* 4, 70. Copias veterano pedite atque equite firmavit. ℙ Peditum expeditiones ap. *Vell.* 2, 121. sunt terrestres, et classicis opponuntur.

PĔDESTER, is, e, et Pedestris, e, adj. *πεζικός*, *πεζός*, qui pedibus incedit, pedes: et equestri opponitur. *Cic. Phil.* 9, 6. Gratior illi videtur statua pedestris futura, quam equestris. *Tac. H.* 2, 11. *extr.* Nec illi segne, aut corruptum luxu iter: sed lorica ferrea usus est, et ante signa pedester, horridus, incomptus, etc. *Virg. A.* 11, 707. pugnaeque accinge pedestri. *Suet. Dom.* 4. Proelium duplex, equestre ac pedestre commisit, atque in amphitheatro navale quoque. *Cic. Fin.* 2, 34. Xerxes cum tantis classibus, tantisque equestribus et pedestribus copiis. *Nep. Eum.* 4. Equitibus profligatis, pedestris exercitus pacem ab eo petiit. Al. leg. *pedester*, [*ita *Brem.*] *Tac. A.* 2, 17. Simul pedestris acies infertur, et praemissus eques, etc. *Nep. Iph.* 1. Pedestria arma. *Aurel. Vict. Caesar.* 42. Pedestre magisterium. Adde *Caes. B. G.* 2, 17., *Liv.* 22, 47. et 49. et *Just.* 4, 4. ℙ *Pedestres* absolute, pedites. *Just.* 11, 9. Cecidere pedestres CXXX., equites CL. ℙ Pedestre scutum, quo pedites utuntur. *Liv.* 7, 10. Pedestre scutum capit, Hispano cingitur gladio. ℙ Pedestria hospitia nominabantur, quae dabantur a vulpe, lupo, serpente, equo, ceterisque animalibus quadrupedibus. *Paul.* ex *Festo.* ℙ Saepe *pedester* est terrestris, et navali opponitur, et maritimo. *Cic. Sen.* 5. Pedestres, navalesque pugnae. *Nep. Alc.* 8. Lacedaemonios eo nolle confligere classe, quod pedestribus copiis, plusquam navibus valerent. *Caes. B. G.* 3, 9. Pedestria esse itinera concisa aestuariis, navigationem impeditam propter inscientiam locorum; et *B. C.* 2, 32. Ut neque pedestri itinere, neque navibus commeatu juvari possint; et *Hirt. B. Alex.* 26. Tota Aegyptus maritimo accessu Pharo, pedestri Pelusio munita. *Plin.* 3, 11, 16. Intervallum maris pedestri continuare transitu, pontibus jactis. *Mart. Spect.* 28. Abnuit in liquidis ire pedester aquis. *Appul. de Mundo.* Animalia pennata, pedestria, aquatilia. ℙ Translate *pedestris oratio*, est prosa oratio, quia humilis est, et quasi pedibus incedens, nec assurgit poetico spiritu, ut carmen, *πεζὸς λόγος*. *Quint.* 10, 1. *med.* Plato multum supra prosam orationem, et quam pedestrem Graeci vocant, surgit. *Hor. Od.* 2, 12, 9. tuque pedestribus Dices historiis proelia Caesaris, Maecenas. ℙ Et universim quicumque sermo stilo simplici, vulgari, et submisso, sine sublimitate, et spiritu tragico. *Id. A. P.* 95. Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri. *Id. Sat.* 2, 6, 17. Quid prius illustrem satyris, Musaque pedestri? *Auson. ep.* 16, 78. Aesopiam trimetriam, Quam vertit exili stilo, Pedestre concinnans opus. *Terent. de carm. Iambico*, p. 2433. Sed qui pedestres fabulas socco premunt, Ut quae loquuntur, sumpta de vita putes, etc. ℙ *Pedestris* in recto masculino, praeter allatum *Nepot.* locum, qui dubius est, legitur etiam ap. *Vopisc. Prob.* 21. Longius progredior, quam pedestris sermo desiderat.

PĔDĔTENTIM et Pedetemptim, adv. *κατὰ πόδας*, *βάδην*, lento gradu, sensim, paulatim. *Donat.* in *Ter. Phorm.* 3, 3, 18. et *Prisc.* 15, 1005. deducunt a *pede*, et *tentando.* Ita de iis proprie dicitur, qui priusquam pedem ponant, solum tentant, ut in tenebris, aut molli solo facere solemus. Videturque pro hoc etymo facere illud *Catonis* ap. *Sosipatrum* 2. p. 190. Eam ego viam pedetentim tentabam. [*Rejicit *Doederl.* 3, 98., ubi v., hanc hujus vocis originationem atque explicationem, recte ex *Pacuvii* loco mox sq. colligens, syllabam *tentim* eodem modo ac *nisu* indicare virium in locum aliquem intentionem.] *Pacuv.* ap. *Cic. Tusc.* 2, 21. Pedetentim et sedato nisu, ne succusu arripiat major dolor. *Cic. Fam.* 9, 14. *f.* Legi concionem tuam: nihil illa sapientius: ita pedetentim et gradatim tum accessus a te ad causam facti, tum recessus. *Id. Off.* 1, 33. Eam mutationem, si tempora adjuvabant, facilius commodiusque faciemus: sin minus, sensim erit pedetentimque facienda. *Id. Quint.* 16. Timide et pedetentim istuc descendunt. V. INCURSIM. ℙ Translate est caute. *Ter. Phorm.* 3, 3, 18. Dii bene vertant, quod agas: pedetentim tamen. *Cic. Cluent.* 42. Caute pedetentimque omnia dicere. [*M. Aurel.* inter op. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 3, 2. Non propterea, quod rectius esse arbitrabor, pedetemptius tibi consulam. *F.*]

PĔDIĀNUS. V. ASCONIUS.

[PĔDIĀTĬA, ae, m. cogn. R. *Vet. Schol. Cruq.* ad illud *Hor. Sat.* 1, 8, 39. Julius et fragilis Pediatia, furque Voranus: Julius Pediatius eques R. honesto patrimonio consumpto se prostituit; quare Horatius mutato genere Pediatiam nominavit. *F.*]

PĔDĪCA, ae, f. *πέδη*, laqueus, quo pedes illigantur. *Virg. G.* 1, 307. Tunc gruibus pedicas, et retia ponere cervis. *Liv.* 21, 36. *extr.* Ut pleraque jumenta, velut pedica capta, haererent in durata glacie. *Pl. Poen.* 3, 1, 10. Iste quidem gradus succretus est cribro pollinario: nisi cum pedicis condidicistis sic hoc grassari gradu. *Grat. Cyn.* 92. dentatas iligno robore clausit Venator pedicas. *Appul. Flor. n.* 17. Quid si manus manicis restringantur? quid, si pedes pedicis coarctentur? ℙ Translate. *Appul. Met.* 5. Ad destinatam fraudum pedicam sermones conferentes; et *ib.* 2. Amoris pedicis alligare aliquem; et *ib.* 6. Luxuria puerilis nuptialibus pedicis alliganda.

PĔDĪCELLUS, i, m. parvus pediculus. *Petr. fragm. Trag.* 57. *Burm.* In alio pedicellum vides, in te ricinum non vides? Al. leg. *peduclum* eod. sensu. Est autem proverbium vulgi in eos, qui aliena vitia, quamquam levia, acute cernunt, propria, etsi majora, non vident. *Sen. V. B.* 27. *med.* Papulas observatis alienas, obsiti plurimis ulceribus. Hoc tale est, quale si quis pulcherrimorum corporum naevos, aut verrucas derideat, quem foeda scabies depascitur. Haec *Sen.*

PĔDĪCĪNUS, i, m. pes tenuis, edolatusque, quo arbor inseritur cardini, aut suae basi. Ita *Popma de Instrum. fundi*, *c.* 11. et *Turneb. Adv.* 7, 25. ad illud *Cat. R. R.* 18. de torculari: Ibi foramen pedicinis duobus facito. Ibi arbores pedicino in lapide statuito. [*Schneiderus* ibidem probat, *pedicinum* esse, quem Itali dicunt *piede delle cosce dello stettojo.* V. ARBOR. *F.*]

PĔDĬCLUS. V. PĔDĬCULUS.

PĔDĪCOSUS, a, um, adj. pediculis obsitus. *Titin.* ap. *Fest.* in *Pedibus:* Rus detrudetur pedicosus, squalidus. *Scal.* contendit, *paedidosus* legi oportere, *h. e.* paedidus, sordidus.

PĔDĪCŬLĀRĬS, e, et PĔDĬCŬLĀRĬUS, a, um, adj. ad pediculos pertinens. *Colum.* 6, 30. *med.* Cunila bubula, et herba pedicularis cum sale trita, *h. e.* quae vim habet pediculos necandi. *Scrib. Comp.* 166. Staphis agria, quam herbam pedicullariam quidam vocant, quod pediculos necat. ℙ *Pedicularis morbus* est, cum corpus ita corrumpitur, ut pediculos sine fine producat, usque dum conficiatur. Eo L. Sulla, et Alcman ex clarissimis Graeciae poetis periere, ut *Plin.* 11, 33, 39. narrat: item Pherecydes, teste *Seren. Samm.* 5, 62. *Serv.* ad *Virg. G.* 3, 564. Immundus sudor, morbus pedicularis, qui est *φθειρίασις*. ℙ *Pedicularius* in *Gloss. Philox.* exponitur etiam *συντονάριος*, h. e. qui scabilla, vel cymbala pedibus percutit.

[PĔDĪCŬLĀTĬO, onis, f. morbus pedicularis. *Gloss. Philox.* Pediculatio, *φθειρίασις*. *F.*]

[PĔDĪCŬLO, as, n. 2. pediculos venor, vel a pediculis mordeor. *Gloss. Philox.* Pediculo, *φθειρίζω*. *F.*]

PĔDĪCŬLŌSUS, a, um, adj. *φθειριάζων*, qui pediculis plenus est. *Mart.* 12, 59. Hinc menti dominus pediculosi.

PĔDĪCŬLUS, i, m. *πόδιον*, parvus pes. Secunda syllaba videtur esse natura brevis, sed produci metri necessitate. *Plin.* 9, 28, 44. Loligo, sepia, polypus. His caput inter pedes et ventrem: pediculi octoni omnibus. *Val. Max.* 4, 4. *n.* 3. Fabricius patellam suam corneo pediculo sustineri voluit. Al. leg. *peduculo*, al. *pediclo. Paul. Dig.* 34, 2, 33. Pediculis argenteis adjuncta sigilla aenea. ℙ Item id, quo fructus, folia, fungi haerent, et sustinentur, petiolus. *Colum.* 12, 44. Quidam pediculos punicorum, sicut sunt, in arbore intorquent; et *ib.* 43. Pediculos uvarum impicato. *Plin.* 16, 24, 38. Pediculo brevi sunt folia oleae, et ilici, longa vitibus, tremulo populis. *Id.* 22, 23, 47. Pediculi fungorum. ℙ Item vermiculus in capite, et corpore animalium nascens, infestus, et morsu pruritum movens, *φθεῖρ*. *Cels.* 6, 6. *n.* 15. Qui inter pilos palpebrarum pediculi nascuntur: id *φθειρίασιν* Graeci nominant. *Colum.* 8, 7. de gallinis: Pluma omnis e capite et sub alis detergetur, ne pediculum creet. *Plin.* 29, 6, 38. Jus viperae pediculos e toto corpore expellit, pruritusque etiam summae cutis. *Id.* 20, 12, 48. Ocimi cibus pediculos facit. *Cels. l. c.* Necare pediculos, et prohibere, ne similes nascantur. Adde *Fest.* in *Pedibus.* ℙ *Pediculi terrae* dicuntur a nonnullis scarabaei terrestres ricino similes, corniculis instructi: unde et *tauri* appellantur. *Plin.* 30, 5, 12. ℙ Sunt et marini pediculi ita dicti a similitudine pediculorum capitis. *Id.* 32, 7, 25. et *ib.* 8, 28., ubi al. leg. *pedunculi.* ℙ Ap. *eund.* 3, 11, 16. et *Just.* 12, 2. Pediculi, Graece *Ὁλόδικλοι*, sunt Apuliae populi.

PĔDĬŌLUS, i, m. *πόδιον*, parvus pes. *Afran.* ap. *Non.* 2, 699. Atque adeo nolo: nudo pediolo es. Al. leg. *petiolo.*

PĔDIS, is, m. et f. pes, pediculus. *Novius* ap. *Non.* 3, 180. Est pedis unus ingens in naso. *Plaut. Vidular. ib.* Ubi quamque pedem videbat, suffurabatur omnes. *Pl. Curc.* 4, 2, 13. Item genus est lenonium inter homines, ut muscae, culices, cimices, pedesque, pulicesque. V. *Festum* in *Pedibus obsitum.*

PĔDĬSĔQUUS, (rectius quam *Pedissequus*) a, um, adj. *ἀκόλουθος*, pedem sequens, pone sequens, comitans officii, aut honoris causa, assecla, assectator. Cum de servis sermo est, ii intelliguntur, quorum officium erat sequi dominum extra aedes. De his *Papin. Dig.* 31, 1, 67. et *Scaev. ib.* 34, 1, 17. et 40, 4, 59. His enim locis plane de servis sermo est. Quod si aliquando a servis distinguuntur, discrimen muneris est, non conditionis. *Pl. Aul.* 3, 5, 27. Mihi aequum est purpuram dari, ancillas, mulos, muliones, pedisequos, salutigerulos pueros; et *ib.* 4, 10, 77. Gnatae pedisequa nutrix anus. *Id. As.* 1, 3, 31. Vult placere sese amicae, vult mihi, vult pedisequae, vult famulis, vult etiam ancillis. *Phaedr.* 4, 5. Vestem, uniones, pedisequos, et cetera. *Inscr.* ap. *Mur.* 928, 6. C. Julius Liviae Augustae servus pedissequus. Lapis habet *pedessequos.* Alia similis *ib.* 5. pedissequos. *Marin. Frat. Arv.* p. 95. et 716. plures alias affert Inscriptiones, in quibus *pedisequus* et *pedisequa* unica littera *s* scribitur. ℙ Interdum tamen etiam liberti, aut infimae, sed liberae sortis homines pedisequi dicuntur. *Cic. Att.* 2, 16. Quae mihi videtur una conciuncula clamore pedisequorum nostrorum esse peritura. *Inscr.* ap. *Grut.* 600, 6. Q. Artorius Antiochus Priscus pediseq. V. A. XX. *Alia* 1112, 10. Cinnamus Ti. Caesaris Aug. pedisequus Nymphae conjugi fecit. *Pl. Mil.* 4, 2, 18. Sequere hac me. *Pyrgopol.* pedisequus tibi sum. ℙ Servi pedisequi erant fere ceterorum infimi. *Nep. Att.* 13. Usus est familia, si utilitate judicandum est, optima; si forma, vix mediocri. Namque in ea erant pueri litteratissimi, anagnostae optimi, et plurimi librarii: ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulcre facere posset. *Colum. prooem.* 1. Si fundum locuples mercatus est, e turba pedisequorum, lecticariorumque defectissimum annis et viribus in agrum relegat. ℙ Trans-

late. *Auct. ad Her.* 4, 14. Si voles divitias cum virtute comparare, vix satis idoneae tibi videbuntur, quae virtutis pedisequae sint. *Cic. Or.* 1, 55. *extr.* Quia saepe utitur orator subsidio juris in causis, idcirco istam juris scientiam eloquentiae tanquam ancillulam pedisequamque adjunxisti. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Sapientem quippe pedisequum et imitatorem Dei dicimus, et sequi arbitramur Deum.

PĔDĬTĀTUS, us, m. πεζὴ στρατιὰ, peditum copiae, sicut *equitatus* (quocum saepe in oratione conjungitur) equitum. *Cic. Phil.* 5, 2. Tu civem sceleratum pecunia, peditatu, equitatu, copiis instrues? *Caes. B. G.* 5, 3. Equitatum, peditatumque cogere. *Nep. Eum.* 3. *extr.* Ut equitatu potius dimicaret, quo plus valebat, quam peditatu, quo erat deterior. ℙ In plur. num. *Auct. B. Hisp.* 37. Peditatibus et equitatibus celeriter iter faciens.

[PĔDĬTO, as, n. l. pedibus iter facio: a *pedes, itis. Not. Tir.* p. 75. Pedes, peditat, peditatus. *Gloss. Philox.* Pedito, πεζεύω. *F.*]

PĔDĪTUM, i, n. πορδὴ, ventris crepitus: a *pedo, is. Catull.* 54, 3. Subtile, et leve peditum Libonis.

*PEDĬUS, i, m. gentis Rom. nomen, v. g. Pedius Blaesus, senatu motus sub Nerone ob violatum ab eo thesaurum Aesculapii, senatui postea ab Othone restitutus. *Tac. A.* 14, 18. et *H.* 1, 77. ℙ Q. Pedius, cohaeres Augusti bonorum Caesaris, in consulatu auctor *Legis Pediae* latae contra Caesaris percussores. *Cic. Att.* 9, 14. et *Planc.* 7. *Suet. Ner.* 3. *Galb.* 3. et *Caes.* 83. Hujus nepos Q. Pedius pictor mutus, de quo *Plin.* 35, 4. ℙ Meminit et Pedium quendam *Pers.* 1, 85. ℙ V. et *Phedius. B. A.*

*PEDNA, ae, f. insula maris Aegaei, prope Lesbum. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

PĔDO, as, a. l. vites, et alias arbusculas pedamentis fulcio. *Colum.* 4, 12. Putationem sequitur vineae pedandae cura. ℙ Olim videtur pro ire, ambulare usurpatum fuisse: unde *pedatus, us*, et *repedare.*

PĔDO, is, pĕpēdi, n. 3. πέρδω, crepitum ventris emitto: a βδέω, per metathesin, media conversa in tenuem: vel a πέρδω, extrita littera canina. *Hor. Sat.* 1, 8, 46. Nam displosa sonat quantum vesica, pepedi Diffissa nate ficus. *Mart.* 10, 14. Nil aliud video, quo te credamus amicum, Quam quod me coram pedere, Crispe, soles.

[PĔDO, onis, m. qui pedes latos habet. *Gloss. Philox.* Pedo, plancus, πλατύπους. Ab hoc est dimin. *pedunculus*, teste *Prisc.* 6, 614. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 457, 6. C. Popilius Carus Pedo Cos. scil. ann. a Chr. n. CXV. et M. Juventius Pedo, ap. *Cic. Cluent.* 38. *F.*] ℙ De *Pedone* poeta V. ALBINOVANUS.

[PĔDOCŪCULLUS, i, m. idem videtur esse ac pedule; est enim cucullus seu tegimen pedum. *Not. Tir.* p. 157. Pedocucullus, cuculluspedo. *F.*]

PEDUCAEANUS, a, um, adj. ad Sex. Peducaeum Sex. F. pertinens, qui fuit praetor Siciliae, cum M. Tullius Cicero quaesturam ibidem gessit. *Cic. Verr.* 2, 1, 56. Quinto quoque anno Sicilia tota censetur; erat censa praetore Peducaeo, interea L. Metellus Peducaeanum censum observari jubet.

[PEDUCAEUS, a, um, adj. idem ac Peducaeanus. *Cic. N. D.* 3, 30. De incestu rogatione Peducaea, *h. e.* a Sex. Peducaeo trib. pleb. lata ann. U. C. DCXL. *F.*]

PĔDUCLUS. V. PEDICELLUS.

[PĔDŪCŪLĀTĬO, onis, f. pediculatio, et

[PĔDŪCŪLOSUS, a, um, adj. et

[PĔDŪCŪLUS, i, m. *Gloss. Philox.* Peduculatio, peduculosus, peduculus, φθειρίασις, φθειρᾶφις, φθείρ. Ex *peduculus* per syncopen *peduclus*, unde *pidocchio* Italorum. *Pelag. Vet.* 7. *med.* Si equus peduculos in intestinis habuerit. *Not. Tir.* p. 176. Pulex, cimex, peduculus. ℙ Etiam *pedunculus* scribitur. *Pelag. ib.* Pedunculos tres humanos in aurem dexteram equi mittito. *F.*]

[PĔDŪLA, ae, f. dimin. pedae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 656, 9. Pusoniae P. F. Pedulae P. Pusonius Pedo alumnus. *F.*]

PĔDŪLIS, e, adj. ad pedes pertinens. *Ulp. Dig.* 34, 2, 26. Fasciae crurales, pedulesque, et impilia vestis loco sunt. ℙ *Pedule, is*, absolute, *pedule* item Itali dicunt eam caligae partem, quae pedem tantum tegit. *Front. de differ. voc.* p. 2194. Pedale mensura est pedis: pedule vero sub pedibus praestat utilitatem. *Not. Tir.* p. 96. Pes, pedale, pedule. Ubi ap. *Festum.* legitur: Pedulla quae dicimus, πέδιλα Graecos appellare manifestum est: *pedulia* critici legendum recte putant. [*Quaedam emendavit *F.*]

[PĔDŪLLUS, i, m. dimin. pedis, vel pedonis, qui pedes parvos habet, ut homullus ab *homo*. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 403, 3. T. Domitius L. F. Ter. Pedullus. *F.*]

PĔDUM, i, n. χαῖον. *Festus:* Pedum est baculum incurvum, quo pastores utuntur ad comprehendendas oves, aut capras a pedibus: cujus meminit etiam Virgilius in Bucolicis, cum ait (*Ecl.* 5, 88.) At tu sume pedum. *Serv. ib.* Virga incurvata, unde retinentur pecudum pedes.

[PĔDUNCŪLĀRIA, herba, eadem ac pedicularis ap. *Marcell. Empir.* 1. *F.*]

PĔDUNCŪLUS. V. PEDICULUS, et PEDO, onis.

PĔDUSCŪLUS, i, m. ποδύφιον, parvus pes. *Plin.* 11, 10, 10. Apprehensis pedusculo lapillis se librant. Al. leg. *apprehensi ponduscullo lapilli*, multo rectius.

PĔGĀNON, i, n. πήγανον, ruta hortensis. *Appul. Herb.* 89. ℙ Peganon orinon, ruta montana, *Id. ib.* 115.

PĔGĀSĒĬUS, a, um, adj. ad Pegasum spectans, sive ad Musas, quibus Pegasus equus Hippocrenen fontem aperuit. *Pers. praef.* 14. Cantare credas Pegaseium melos.

PĔGĀSĒUS, a, um, adj. Πηγάσειος et Πηγάσιος, ad Pegasum pertinens. *Catull.* 55, 24. Non si Pegaseo ferar volatu. *Claud. in Ruf.* 3, 262. volucris non praepete cursu Vectus equi, non Pegaseis adjutus habenis. *Id. epigr.* 5, 4. Namque latex, doctae qui laverit ora Serenae, Ultra Pegaseas nomen habebit aquas. *Sen. Troad.* 385. Aetas Pegaseo corripiet gradu, *h. e.* veloci, volanti. ℙ **Pegaseum stagnum*, lacus in Ionia, cujus meminit *Plin.* 5, 27. Adde 31, 7. ubi *fontes calidi Pegasei* audit hic lacus. *B. A.*

PĔGĀSĬĀNUS, a, um, adj. ad Pegasum pertinens, qua est nomen viri proprium: ut Senatus consultum Pegasianum ap. *Justin. Institut.* 2. *tit.* 23. quod factum est Pegaso, et Pusione Coss. tempore Vespasiani. Adde *Paul. Sent.* 4. *tit.* 4. Pegasi meminit *Juven.* 4, 77.

PĔGĀSIS, idis, f. Πηγασὶς, quae ad Pegasum pertinet. *Mart.* 9, 59. Tu fueris Musis Pegasis unda meis. *Ov. Trist.* 3, 7, 15. Hoc ego Pegasidas deduxi primus ad undas. ℙ *Pegasides, um*, sunt Musae, quarum fons Hippocrene, quem Pegasus dicitur ictu pedis aperuisse. *Prop.* 3, 1, 19. Mollia, Pegasides, vestro date serta poetae. *Ov. Her.* 15, 27. At mihi Pegasides blandissima carmina dictant. *Colum.* 10, 263. Nunc vos Pegasidum comites Acheloidas oro. ℙ *Pegasis*, quaecumque Nympha filia fontis, aut fluminis: a πηγὴ, fons. *Ov. Her.* 5, 3. Pegasis Oenone Phrygiis celeberrima silvis.

PĔGĀSUS, i, m. Πήγασος, nomen equi alati: a πηγὴ, fons, quod juxta fontes Oceani natus sit, ubi Gorgones habitabant. Hinc *Hyg. praef. et fab.* 151. et alii complures Neptuni et Medusae filium dixere. Alii ex Medusae sanguine, quam Perseus interemit, natum asserunt. Hic cum in Helicona evolasset, saxum ungula feriens, fontem aperuit, qui ex eo Hippocrene, idest fons equinus est appellatus. Postea vero, cum ex Pyrene Corinthio fonte biberet, a Bellerophonte, qui id temporis expeditionem in Chimaeram parabat, captus est. Tandem rerum terrestrium taedio ductus, in coelum dicitur evolasse, ibique inter sidera constitutus, Arcticum circulum spectare, pedibusque aestivo orbi adnixus, extremo ore caput Delphini tangere, et Aquarii manum dextram cervici suae adjungere. *Ov. Met.* 4, 785. (ubi *Pesagon* in quarto casu Graeca positione dixit) et *Fast.* 3, 458. et sqq. (ubi quindecim stellis constare dicitur) *Hyg. Astron.* 2, 18. et *Serv.* ad *A.* 2, 616. et *ib.* 10, 163. ℙ Urbane *Cic. Quint.* 25. *extr.* O hominem fortunatum, qui ejusmodi nuntios, seu potius Pegasos habeat! ℙ Fuit hoc nomine JCtus celebris tempore Vespasiani Imp. cujus fit mentio in *Dig.* 1, 2, 2. §. 47. *f.* et *Juven.* 4, 77. Pegasus attonitae positus modo villicus Urbi.

PĔGĒ, es, f. fons: a πηγὴ, quod idem significat. *Prop.* 1, 20, 33. Hic erat Arganthi pege sub vertice montis Grata domus Nymphis humida Thyniasin.

[PĔGĒUS, a, um, adj. πηγαῖος, fontanus: a πηγὴ, fons. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 240. *col.* 2. M. Acilius Pegeus.

PEGMA, ătis, n. πῆγμα, machina ex pluribus tabulis, aliisve rebus compacta, et confixa: a πήγνυμι, compingo. *Cic. Att.* 4, 8. Nihil illustrius, quam illa tua pegmata, etc. *h. e.* loculi, cancelli, plutei ex tabulis compactis ad reponendos libros. Alii intelligunt quadratas bases, quibus insident statuae: alii conglutinationes, quibus libri compinguntur: alii *pigmenta* legere mallent. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *med.* In emptionem domus et specularia, et pegmata cedere solent, sive in aedificio sint posita, sive ad tempus detracta, *h. e.*, ut videtur *Turnebo adv.* 8, 9., antepagmenta, quae valvarum sunt ornamenta affixa antis: vel potius universim quaecumque in aedibus affiguntur ornatus gratia, ut tabulae, laminae marmoreae, coronae, et hujusmodi, quibus ornantur parietes, fenestrae, lacunaria, etc. *Auson. epigr.* 26. Ceris inurens januarum limina, Et atriorum pegmata. ℙ Praecipue vero *pegmata* in theatro, circo, et ludis fuere moles ligneae occulto artificio ita compactae, ut et attollerentur, et deprimerentur, variaque spectacula ad oblectationem repraesentarent, ut incendium, subitam ruinam, ostensionem alicujus numinis, ascensum celerem cujuspiam quasi in aera volantis, et hujusmodi. Hae interdum ornatus gratia auro aut argento tenui contegebantur. *Sen. ep.* 88. *med.* His annumeres licet machinatores, qui pegmata per se surgentia excogitant, et tabulata tacite in sublime crescentia, et alias ex inopinato varietates, aut dehiscentibus quae cohaerebant, aut his, quae distabant, sua sponte coeuntibus, aut his, quae eminebant, paulatim in se residentibus. *Phaedr.* 5, 7. Is forte ludis, dum pegma rapitur, concidit casu gravi. *Juven.* 4, 122. Et pegma, et pueros inde ad velaria raptos. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 325. Mobile ponderibus descendat pegma reductis, Inque chori speciem spargentes ardua flammas Scena rotet: varios effingat Mulciber orbes, Per tabulas impune vagus: pictaeque citato Ludant igne trabes: et non permissa morari Fida per innocuas errent incendia turres. *Mart.* 8, 33. Hac fuerat nuper nebula tibi pegma perunctum. *Vopisc. Carin.* 19. Pegma exhibuit, cujus flammis scena conflagravit. *Plin.* 33, 3, 16. Cajus princeps in circo pegma duxit, in quo fuere argenti pondo CXXIV. *Lips. de Amphitheatr. c.* 22. et homines pegmatis impositos, qui subito in subjectas feras deciderent, et captivos et oppida in triumphis ostensa, docet ex *Strab.* et *Josepho.* Etiam gladiatores in pegmate exhibitos depugnantes, scribit *Scalig.* ad *Manil.* 5, 437. *p. m.* 404., unde *pegmares* putantur dicti a *Suet. Cal.* 26. *extr.*, ubi multa *Casaub.* hac de re. V. PAEGNIARIUS. ℙ Pro ipsa compositione, coagmentatione, et compactione sumi videtur in illo *Prud.* περὶ στεφ. 10, 1016. Tabulas superne strata texunt pulpita, Rimosa rari pegmatis compagibus. ℙ Sunt qui scribunt *pecma.*

PEGMĀRIS, e, adj. ad pegma pertinens. V. PAEGNIARIUS.

PEGRIS, idis. V. PERCIS.

*PEGŪSA, ae, vetus nomen Cnidi Cariae oppidi. *Plin.* 5, 28. *B. A.*

[PEJĔRĀTĬO, onis, f. actus pejerandi. *Sale. Gub. D.* 4, 16. Hic cum maximi sacramenti sit dejeratio, necesse est, maximi sit reatus et pejeratio. *F.*]

PEJĔRĀTUS, a, um, part. a *pejero. Hor. Od.* 2, 8, 1. Ulla si juris tibi pejerati Poena, Barine, nocuisset unquam, *h. e.* juris perjurio violati.

PEJĔRO, as, avi, atum, n. l. ἐπιορκέω, est falso, et animo fallendi jurare, seu juramentum infringere, et id quod juramento ac verbis concipitur, non facere. *Cic. Off.* 3, 29. *f.* Non enim falsum jurare, pejerare est, sed quod ex animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere perjurium est. [**Orell.* legit *perjurare*, coll. *Cramer.* ad *Schol. Juv.* p. 487.] *Cic. Rosc. Com.* 16. Qui mentiri solet, pejerare consuevit. *Id. Cluent.* 48. Illum verbis conceptis pejerasse. *Mart.* 7, 20. Pejerare de turdo. *Suet. Ner.* 28. Submissis, qui regio genere ortam pejerarent. *Lucan.* 6, 749. Stygias qui pejerat undas, *h. e* falsum jurat per Stygem. *Catull.* 52, 3. Per consulatum pejerat Vatinius. *Quint.* 5, 5. Ut eum non sit credibile pejeraturum. ℙ Bellum pejerans, quod fit perjurio, et frangendo datam jurejurando fidem. *Stat. Silv.* 4, 3, 4. Nec dux advena pejerante bello Campanos quatit inquietus agros, *h. e.* Annibal, et Poeni, de quibus *Sil.* 1, 9. ter Marte sinistro Juratumque Jovi foedus, conventaque patrum Sidonii fregere duces: atque impius ensis Ter placitum suasit temerando rumpere pacem. ℙ In optim. MSS. *Cicer.* legitur *perjuro:* unde *perjurium. Hor. Sat.* 2, 3, 127. quare, Si quidvis satis est, perjuras, surripis, aufers Undique? *Ov. Amor.* 1, 8, 85. Nec, si quem falles, tu perjurare timeto. *Pl. As.* 3, 2, 15. Ubi hero infidelis fueris, ubi verbis conceptis sciens libenter perjuraris. ℙ Pro mentiri, simpliciter. *Pl. Poen.* 2, 34. Perge: optime hercle perjuras; et 5, 4, 72. Da pignus, ni nunc perjures. Adde *Merc.* 3, 1, 42. ℙ Etiam *perjero* aliquando legitur. *Pl. Truc.* 1, 1, 9. Quid perjerandum est etiam, praeter munera!

PEJOR, us, oris, adj. comparat. anom. a *malus:* κακίων, χείρων. Differt a *deterior*, ut *Non.* docet 5, 37., nam hoc dicitur respectu boni et melioris: *pejor* mali. [*Cf. *Doederl.* 1, 52. qui *ib.* p. 49. sq. radicem vocis *pejor* in praepos. *per* quaerendam ducit. *Vossius*, eumque secutus *Ruddim.* originationem faciunt a *pessum*, unde *pejor* per syncop. *Mart.* ab adject. obsol. *pejus*, i. e. malus, deducit.] *Cic. Phil.* 8, 10. Turpis fuga mortis omni est morte pejor. *Id. Fin.* 4, 19. Si in rebus esset quidquam, quod aliud alio melius esset, aut pejus. *Sall. or. Philippi contra Lep.* Qui pejor, an ignavior sit, deliberari non potest. *Id. or Lepidi contra Sull.* Neque se aliter tutum putat, quam si pejor atque intestabilior metu vestro fuerit. *Virg. G.* 1, 200. sic omnia fatis In pejus ruere, ac retro sublapsa referri. *Hor. Ep.* 2, 1, 264. ac neque facto In pejus vultu proponi cereus usquam, Opto. *Ter. Ad.* 3, 2, 46. Pejore res loco non potis est esse, quam in quo nunc sita est. *Id. ib. prol.* 3. In pejorem partem rapere aliquid. *Caes.. B G.* 1, 31. Pejus victoribus Sequanis, quam Aeduis victis accidisse. *Nep. Ep.* 10. Cum male eum patriae consulere diceret, vide, inquit, ne tu pejus consu-

las, qui, etc. *Lucan.* 7, 706. Vincere pejus erat. *Ov. Her.* 12, 143. Hymen clamant, Hymenaee frequentant: Quō propior vox est, hoc mihi pejus erat. *Cels.* 3, 5. *med.* Insequitur tempus meridianum, a quo cum omnis aeger fere pejor fiat, etc. ℙ *Pejus*, adv. compar. a *male*, vehementius, acrius, infestius. *Hor. Ep.* 1, 17, 30. Mileti textam cane pejus et angue Vitabit chlamydem. *Cic. Fam.* 7, 2. Oderam multo pejus hunc, quam illum ipsum Clodium.

PEJORO, as, a. 1. pejorem facio. *Paul. JCtus Sent.* 2. *tit.* 18. Homo liber, qui statum suum in potestate habet, et pejorare eum, et meliorem facere potest. ℙ *Pejorans morbus*, pejor evadens, est *Coelii Aurel. Acut.* 2, 1. et *Tard.* 2, 1. *f.*, quae non sunt imitanda.

PEJUS. V. PEJOR.

*PEISO, onis, lacus Pannoniae, in finibus Norici. *Plin.* 3, 24. Noricis junguntur lacus Peiso, deserta Boiorum. ℙ *Pelsonem* appellat *Aurel. Vict.* ut alterum nomen corruptum esse oporteat. *Jornand. de reb. Get.* 51. et sq. *lacum Pelsodis* dixit, quod videtur lectionem *Victoris* prae altera, quae *Plinii* est, corroborare. ℙ Hodie vocatur *Neusidler-See. B. A.*

*PELA, ae, maris Aegaei insula, prope litus Asiaticum. *Plin.* 5, 31. cui, np. 32, 2., etiam *Pele* audit. Et profecto *Πήλη* est *Thucyd.* 8, 31. *B. A.*

PĔLĂGĬA, ae, f. *πελαγία*, piscis ex genere concharum, qui et purpura dicitur, in mediis faucibus succum habens, tingendis lanis laudatissimum, qui ab eo *pelagium* dicitur. *Plin.* 9, 37, 61. Purpurae nomine alio pelagiae vocantur. V. PELAGIUS.

PĔLĂGĬCUS, a, um, et

PĔLĂGĬUS, a, um, adj. *πελαγικὸς*, *πελάγιος*, ad pelagus pertinens, marinus. *Colum.* 8, 17. *f.* Pisces saxatiles, aut pelagici. *Varr. R. R.* 3, 3. *f.* Luxuria piscinas protulit ad mare, et in eas pelagios greges piscium revocavit. *Petr. Sat.* 109. Per antennam pelagiae consederant volucres. *Phaedr.* 4, 21. Venire in patriam voluit cursu pelagio. *Plin.* 9, 35, 54. Pelagiae conchae, *h. e.* quae in alto mari degunt. *Id.* 9, 29, 46. Polypi terreni majores, quam pelagii, *h. e.* qui litora accolunt majores iis, qui in alto vivunt. *Id.* 32, 6, 21. Pelagia ostrea. *P. Syrus* ap. *Petr. fr. Trag.* 55. *Burm.* Matrona ornata phaleris pelagiis, *h. e.* margaritis et coraliis, quae in mari nascuntur. ℙ *Pelagium, ii*, succus purpurarum: quia hae etiam *pelagiae* vocantur. *Plin.* 9, 38, 62. Buccinum pelagio admodum alligatur, nimiaeque ejus nigritiae dat austeritatem illam, nitoremque, qui quaeritur, cocci. Adde *ib.* 40, 64.

*PELAGONES, um, *Πελαγόνες*, populi Pelagoniae. *Liv.* 45, 30. *B. A.*

*PELAGONĬA, ae, f. *Πελαγονία*, regio septentrionalis Macedoniae. *Liv.* 26, 2. 31, 28. et 33, 19. *Plin.* 4, 10. ℙ Et oppidi nomen illic regionis siti. *Liv.* 45, 29. *B. A.*

PĔLĂGUS, i, n. *πέλαγος*, mare, aequor, pontus. Quidam volunt, proprie esse maris altum, seu profunditatem, quasi *τήλαγος*, h. e. *τῆλε τῆς γῆς*, procul a terra. [Sed potius Graecorum *πέλαγος* videtur esse ab Hebr. פֶּלֶג *péleg*, rivus: est enim pelagus proprie *la corrente del mare. F.*] *Auct. B. Hisp.* 40. Complures nando ad naves, quae in salo fuerunt, se recipiunt: ancoris sublatis, pelagus remis petere coeperunt. ℙ In illo *Virg. A.* 1, 250. et pelago premit arva sonanti: *Serv.* exponit aquarum abundantia. ℙ Universim pro mari sumitur: valde familiaris vox poetis, usurpata etiam ab historicis. *Plin.* 9, 10, 12. Testudines evectae in summa pelagi. *Just.* 4, 1. Navigantes magnis vorticibus pelagi desidentis exterriti. *Tac. A.* 15, 46. Gubernatores, quamvis saeviente pelago, a Formiis movere. *Flor.* 2, 2. *f.* Lacerae naves totum pelagus naufragio suo operuerunt. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 10. Nantes lubrico pelagi. *Pacuv.* ap. *Cic. Or.* 3, 39. Fervit aestu pelagus. *Hor. Od.* 1, 3, 11. Fragilem truci pelago ratem committere. *Virg. G.* 2, 41. pelago dare vela patenti; et *A.* 3, 204. Errare pelago. *Val. Fl.* 3, 608. Lustrare pelagus. *Ov. Trist.* 3, 2, 7. Plurima sed pelago, terraque pericula passus. *Id. Her.* 2, 19. venti coelo pelagoque faventes. *Val. Fl.* 1, 169. pelagus quantos aperimus in usus! *pelagum* hic quidam leg. ut sit masculinum, sed contra opt. MSS. et cusos, et vet. grammaticos. ℙ Etiam *pelagi mare* dicitur, ut ap. *Apollon. Rhod.* 2, 610. *πέλαγος θαλάσσης. Sedul.* 1, 122. turba pedestris Intrat in absentis pelagi mare. ℙ *Pelage* in plur. num. Graeca positione, *τὰ πελάγη. Lucr.* 5, 36. Propter Atlanteum litus, pelageque severa. Adde 6, 619.

PĔLĂMIS, idis, et Pelamys, ydis, f. *πηλαμίς*, et *πηλαμύς*, piscis marinus. Thynnorum partus recens nati *cordyla* vocantur: inde usque ad annum *pelamides:* cum annum excessere, *thynni*, ut *Plin.* 9, 15, 18. docet. Nomen habent a *πηλός*, lutum, limus, quia in eo nascuntur, et degunt, ut et *Fest.* tradit. *Gell.* 7, 16. ex *Varr.* Pelamys Chalcedonia, muraena Tartessia, aselli Pessinuntii. ℙ Pelamides in apolectos, particulatimque consectae, in genera cybiorum dispartiuntur, inquit *Plin. l. c.*, quod est concisas pelamides sale condiri, et asservari. *Juven.* 7, 119. Quod vocis pretium? siccus petasunculus, et vas Pelamidum, aut veteres, Afrorum epinemia, bulbi. ℙ Pelamis maxima vocatur apolectus: longa, sarda. *Plin.* 32, 11, 53.

[PĔLARGŌNĬUS, a, um, adj. *πελαργικὸς*, ad ciconiam pertinens, qui ex ciconia fit. *Pelag. Vet.* 1. *med.* Item pulvis Pelagonia (lege *pelargonia):* propinas ciconiam, quae adhuc non stat, sed tamen quae jam plumulas habet; vivam mitte in caccabulum fictilem, et gypsa, et in furnum mitte; inde cum fuerit pulvis factus, idest cum fuerit tosta, in mortario tere, et pulverem repone in olla vitrea, et cum necesse fuerit, cochleare, sed grande, plenum cum vino Afro faucibus infunde, quamdiu sanus sit: certissimus et salutaris pulvis est. *F.*]

PĔLASGI, orum, m. plur. *Πελασγοί*, pop. Argiae in Peloponneso, Arcadibus finitimi, quorum metropolis Argos Achaicum, ejusdem gentis atque illi, qui cum Oenotro in Italiam venerant, ita dicti a Pelasgo filio Jovis ex Niobe filia Phoronei. *Serv.* Terrae filium fuisse dicit ad *A.* 2, 83. et Jovis et Larissae, ad *ib.* 1, 628. ℙ Saepissime a *Virg.*, item ab *Ov.*, *Val. Fl.*, *Prop.* et *Sen. Trag.* pro omnibus Graecis sumuntur per synecdochen. ℙ Fuere et in Thessalia Pelasgi, et in Etruria, et in Latio: item in Caria, variasque alibi habuere colonias. V. *Plin.* 3, 5, 8. *Melam* 1, 16. et 19. et 2, 2. et *Serv.* ad *A.* 8, 600. ℙ *Pelasgum* pro *Pelasgorum* habet *Stat. Achill.* 2, 77.

PĔLASGĬA, ae, f. *Πελασγία*, regio Peloponnesi, eadem ac Argia, ubi primum Pelasgi habitavere. Aliqui dicunt, hoc nomine Arcadiam, alii totam Peloponnesum appellatam esse. *Plin.* 4, 4, 5. ℙ Item regio Thessaliae, ita dicta, quod Pelasgi ex Argia expulsi in hac Thessaliae parte consederint. *Id.* 4, 7, 14. et alii. ℙ Item Lesbos insula. *Id.* 5, 31, 39.

PĔLASGĬAS, adis, f. adj. quae est e Pelasgia, Graeca. *Ov. Her.* 9, 3. Fama Pelasgiades subito pervenit in urbes.

PĔLASGĬCUS, a, um, adj. Pelasgus: ut Pelasgicum Argos, *Plin.* 4, 7, 14., ubi al. leg. *Pelasgium.*

PĔLASGIS, idis, f. eadem ac Pelasgia, Arcadia. *Plin.* 4, 6, 10. ℙ Adjective. *Ov. Her.* 15, 217. Sive juvat longe fugisse Pelasgida Sappho, *h. e.* Lesbiam: nam Lesbos etiam Pelasgia dicta est, teste *Plin.* 5, 31, 39.

PĔLASGĬUS. V. PELASGICUS.

PĔLASGUS, a, um, adj. ad Pelasgos pertinens. A *Virg.* saepissime accipitur pro Graeco, ut *A.* 9, 154. pubes Pelasga, et *ib.* 2, 152. dolis instructus et arte Pelasga. *Ov. Met.* 13, 268. Pelasga classis. *Id. A. Am.* 2, 541. Haec tibi non hominem, sed quercus crede Pelasgas Dicere, *h. e.* Dodonaeas in Epiro, quae fatidicae fuisse perhibentur. ℙ Pelasga laurus genus ejus arboris, inde habens nomen, quod Graeci ad Trojam ea coronarentur. *Plin.* 15, 30, 39.

PĔLĔCĀNUS vel Pelicanus, i, m. *πελεκὰν*, [**πελεκᾶς*] et *πελεκᾶνος*, avis Aegyptia circa solitudines Nili praecipue nascens, quae amore pullorum dicitur femur suum rostro vulnerare, et sanguinem ad eos alendos elicere. Ejus meminit *Hieron. in Psalm.* 101., ubi addit duo esse pelicanorum genera, aquatile unum, alterum volatile, illud piscibus vesci, hoc serpentibus, crocodilis, et lacertis. *Gesnerus* vulturem Aegyptium vocat. Sunt qui putant eundem esse ac plateam, *Plin.* 10, 40, 56. et plataleam, *Cic. N. D.* 2, 49. Alii picum Martium, *ἀπὸ τοῦ πελεκᾶν*, h. e. securi caedere, quia rostro arbores caedit, et excavat.

PĔLĔCĪNON, i, n. horologii genus, a forma parvae securis, quae Graece *πελεκῖνος* dicitur, ita appellatum. *Vitr.* 9, 9. Hemicyclium excavatum ex quadrato ad enclimaque succisum Berosus Chaldaeus dicitur invenisse; scaphen, sive hemisphaerium Aristarchus Samius; Patrocles pelecinon, Dionysodorus conum, etc.

PĔLĔCĪNOS, i, m. *πελεκῖνος*, herba noxia segetibus, quae inter lentem praecipue nascitur. Nomen inde traxit, quod ejus siliquae securiculis similes sunt, quas Graeci *πελέκεις* dicunt. *Plin.* 18, 17, 44. *n.* 3. et 27, 12, 95. [Adde *Not. Tir.* p. 168. ubi *pelecina* gen. fem. *F.*]

PĔLĔĬUS, a, um, adj. *Πηλήϊος*, ad Pelea pertinens. *Sil.* 13, 803. Jamque Ithacum corde aequantem Peleia facta, *h. e.* Achillis Pelei filii. Adde *Stat. Achill.* 2, 209.

*PELENARĬA, ae, f. Aethiopiae opp., vel fortasse Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

PĔLENDŌNES. V. PELLENDONES.

*PELENDOVA, ae, Daciae opp. *Tab. Peut. B. A.*

*PELESTĪNI, orum, incolae oppidi cujusdam, in Umbria. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

PĔLĔTHRŌNĬA, ae, f. herba, centauria major, *Appul. Herb.* 34.

PĔLĔTHRŌNĬUS, a, um, adj. ut Pelethronii, Lapithae, populi Thessaliae, qui primi omnium frenorum usum invenisse dicuntur, et domandorum equorum artem: ita dicti a Pelethronio monte, et oppido. *Virg. G.* 3, 115. Frena Pelethronii Lapithae, gyrosque dedere Impositi dorso, etc. *Hyg. fab.* 274. Pelethronium, Lapitharum regem facit inventorem freni et strati equorum, quod idem tradit *Plin.* 7, 56, 57., *Stat. Th.* 2, 593. Inde Pelethroniam praefixa cuspide pinum Martis, *h. e.* hastam in Pelethronio monte caesam. Ea enim loca Marti sacra esse dicuntur. *Lucan.* 6, 386. Illic semiferos Ixionidas Centauros Feta Pelethroniis nubes effudit in antris. *Auct. Priap.* 70. Pelethronia cithara, *h. e.* Achillis, qui a Chirone Thessalo, et ipse Thessalus, cithara canere didicerat.

PĔLEUS, i, et eos, m. *Πηλεύς*, dissyll. filius Aeaci, et Endeidis, seu Deidis Chironis filiae, Thessalus, frater Phoci, et Telamonis. Primus machaeram dicitur invenisse, ut ait *Serv.* ad *A.* 9, 505. Fuit unus ex Argonautis, teste *Hyg. fab.* 14. Cum Thetis una Nereidum fatum haberet, parituram se filium, qui fortior et clarior patre futurus esset (V. *Ov. Met.* 11, 221. et sqq.), Juppiter, qui eam adamabat, metu oraculi Peleum ei maritum dedit, cujus amore jam tum incensa fuerat, cum in expeditione Argonautica mari navigantem viderat. Quamquam multo ante eam expeditionem plerique alii narrant Thetidem nupsisse, et Achillem peperisse, Nuptias celebrarunt in domo Pelei omnes Dii, ut ait *Serv.* ad *A.* 1, 31., natusque est Achilles, qui fortibus factis patrem longe superavit. *Catull.* 64, 19. Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore; et *ib.* 21. Tum Thetidi pater ipse jugandum Pelea sensit; et 26. Thessaliae columen Peleu. *Val. Fl.* 1, 131. Peleos in thalamos vehitur Thetis; et *ib.* 143. optimus hasta Hic Peleus, hic ense furens agnoscitur Aeson. ℙ Cum Phocum fratrem ipse et Telamon interemissent, patria pulsus Trachina profugit ad Ceyca regem, ibique precario habitavit, Telamon vero Salamina, diuque exsules fuerunt, et adversae fortunae varios casus tulerunt. *Hyg.* et *Ov. l. c.* Hinc *Hor. A. P.* 96. Telephus, aut Peleus, cum pauper et exul uterque, etc. ℙ Narrant etiam adiisse vitae periculum odio Hippolytes Acasti uxoris, quae ab eo repulsa, falso accusavit apud maritum, tanquam sibi ultro vim inferre conatus esset. Quare ab Acasto Centauris objectus est, a quibus occisus fuisset, ni a Vulcano accepto gladio ipse se tutatus esset. *Hor. Od.* 3, 7, 17. Narrat paene datum Pelea Tartaro, Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens. ℙ Interfuit pugnae Centaurorum cum Lapithis, fortiterque ibi se gessit. V. *Ov. Met.* 12, 366. ℙ Alius fuit Peleus Neptuni filius, quem *Hyg.* memorat *fab.* 157.

PĔLĬĂ, ae, m. idem qui Pelias, ae, q. v. v.

PĔLĬĂCUS, a, um, adj. *Πηλιακὸς*, a Pelio monte, ut Peliacus apex, *Ov. Fast*, 1, 308. Peliaca juga, *Stat. Ach.* 1, 321. cuspis, *Ov. Met.* 12, 74. h. e. in nemore Pelio exciso ligno facta. *Val. Fl.* 8, 417. carina, *h. e.* navis Argo, ob eandem rationem; et *Prop.* 3, 21, 12. trabs. *Sen. Troad.* 414. et gravi gemeret sono Peliacus axis pondere Hectoreo tremens, *h. e.* currus Achillis ex axe in Pelio monte exciso fabricatus, et Hectoris cadaver raptans.

PĔLĬAS, ădis, f. *Πηλιάς*, patronym. a Pelio Thessaliae monte. *Ov. Her.* 3, 126. Transeat Hectoreum Pelias hasta latus, *h. e.* hasta in Pelio monte excisa a Chirone Centauro, et Peleo Achillis patri, mox ipsi Achilli tradita, quae ita gravis fuisse fertur, ut solus Peleus, deinde Achilles, ac tandem Patroclus eam jacere valuissent. *Stat. Th.* 5, 335. aerata dispellens aequora prora Pelias intacti late subit hospita ponti Pinus, *h. e.* navis Argo ex materia in Pelio monte caesa. Unde *Peliacam carinam* dixit *Val. Fl.* 8, 417. Sic *Ov. Her.* 12, 8. Phrixeam petiit Pelias arbor ovem. ℙ Etiam absolute *Pelias* usurpatur pro *Pelias hasta* ap. *Auct. Pan. ad Pis.* 164. Illo dulce melos Nereius extudit heros Pollice, terribilis quo Pelias ibat in hostem.

PĔLĬAS, ădis, f. *Πελιάς*, patronym. a Pelia Thessaliae rege. Hinc *Peliades, um*, filiae Peliae regis. *Phaedr.* 4, 7. Hic caede patris Peliadum infecit manus. *Hyg. fab.* 24. Inde Peliades, id est, Alcestis, Pelopia, Medusa, Isodoce, Hippothoe, Medeae impulsu patrem suum occisum in aeno coxerunt.

PĔLĬAS, ae, m. *Πέλλας*, rex Thessaliae, filius Neptuni ex Tyro Nympha, frater Aesonis et Nelei. Huic Aeson moriens Iasonem filium in tutelam commendavit, tradito etiam regno, ea tamen lege, ut illud adulto Iasoni restitueret. Primis regni initiis Neleum fratrem ex Thessalia expulit, qui profectus in Messeniam Pylon urbem condidit. Quare Alcimede mater Iasonis suspectum habens Peliam, puerum Chironi alendum dedit. Iason adultus ad repetendum paternum regnum venit. Sed Pelias commentus fraudem, Iasonem Colchos navigare jussit ad vellus aureum auferendum. In fabulis est, Aesonem, quo tempore Iason ex Colchide rediit, incolumem fuisse, et a Medea magica arte in pristinam juventutem renovatum esse. Aliqui

etiam narrant, Peliae ab Oraculo responsum esse, in propinquo illi mortem futuram, cum rem divinam facienti quispiam nudis pedibus supervenisset, Neptuno patri Pelia sacrificante, Iasonem accurrisse ad sacrificium altero pede nudato, quod calceus forte in limo viae inhaeserat, Peliam oraculi memorem, nepotem, cujus indolem formidabat, ad expeditionem Colchicam, velut ad certissimum periculum, ablegavisse. Senex a filiabus, sectis venis, interfectus est, Medeae fraude, quae virginibus promiserat, se ejus senectam renovaturam esse, commutato sanguine. *Pl. in Ps.* 3, 2, 78. dicit de Pelia, quod alii de Aesone, Medeam suis venenis fecisse Peliam rursus ex sene adolescentulum. *Ov. Met.* 7, 304., *Val. Fl.* 1., *Hyg. fab.* 24., *Just.* 42, 2. etc. *Val. Fl.* 1, 22. Haemoniam primis Pelias frenabat ab annis. *Ov. Met.* 7, 298. Phasias adsimulat, Peliaeque ad limina supplex Confugit; et 322. Obstupuere satae Pelia. *Val. Fl.* 2, 4. Ac temere in Pelian, et adhuc obstantia regis Fata ruant. ℙ Dicitur et *Pelia* in recto casu, quae positio Latina est, sicut *Pelias* Graeca. *Sen. Med.* 276. illi Pelia, non nobis jacet. Adde *ib.* 201.

PĔLĪCĀNUS. V. PELECANUS.

PĔLĪDES, ae, m. *Πηλείδης*, Achilles filius Pelei. *Ov. Her.* 8, 83. Pelides utinam vitasset Apollinis arcus. *Id. Met.* 12, 604. et ostendens sternentem Troia ferro Corpora Peliden arcus obvertit in illum. *Virg. A.* 12, 350. Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus.

PĔLIGNUS, a, um, adj. *Πέλιγνος*, ad Pelignos pertinens, qui sunt populi Italiae, inter Aternum et Sagrum, ubi nunc *Abruzzo citra*. *Ov. Amor.* 3, 15, 8. Pelignae dicar gloria gentis ego. *Enn.* ap. *Charis.* 4, 251. Marsa manus, Peligna cohors, Vestina virum vis. *Hor. Od.* 3, 19, 8. Peligna frigora. *Id. Epod.* 17, 60. Pelignae anus, *h. e.* sagae: nam Peligni Marsis vicini veneficiis dediti fuisse dicuntur. *Calpurn. Ecl.* 4, 151. Peligna examina. *Plin.* 11, 14, 14. Aliubi favi cera spectabiles gignuntur, ut in Pelignis. *Id.* 19, 1, 2, n. 2. Italia et Pelignis etiamnum linis honorem habet, sed fullonum tantum in usu: nullum est candidius, lanaeve similius.

[PELĪNĂ, ae, f. Dea Pelignorum, *Inscr.* ap. *Mur.* 99, 3. Pelinae beneficae M. Albius Niceratus ex voto D. D. Alia ap. *eund.* 367, 1. L. Vibius Severus ob honorem aedilitatis L, Vibii Rufi filii sui ad Deam Pelinam primus huic loco venationem edidit, etc. Haec inscriptio pertinet ad ann. a Chr. n. CCLXXI. *F.*]

*PELINNA vel Pelina, ae, Thessaliae opp. ad Peneum amnem. *Plin.* 4, 8. ℙ V. PELLINAEUM. *B. A.*

PĔLĪNUS, a, um, adj. *πήλινος*, luteus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 195, 1. Q. Caecilius Q. F. Pel. Pelinus. Alia ap. *eund.* 1035, 1. M. Lollius Arpocras V. F. S. et Pelinae uxori, etc. Hic perperam legitur *Paelinae* cum diphthongo, qua caret ap. *Manut. Orthogr.* in V. *Brundis.* *F.*]

PĔLĬON, ii, n. *Petras*, *Πήλιον*, mons Thessaliae, Ossae et Olympo attiguus, quem Dicaearchus Aristotelis auditor ex ceteris Thessaliae montibus altissimum prodidit, quippe qui MCCL. passibus, ratione perpendiculi, supra planitiem emineat, teste *Plin.* 2, 65, 65. *Virg. G.* 3, 94. Pelion hinnitu fugiens implevit acuto. *Ov. Met.* 12, 513. nudus Arboris Othrys erat, nec habebat Pelion umbras; et *ib.* 1, 154. pater omnipotens misso perfregit Olympum Fulmine, et excussit subjecto Pelio Ossam. ℙ Dicitur et *Pelios* in recto. *Plin.* 4, 8, 15. Pindus, et Othrys, Lapitharum sedes: hi ad occasum vergentes: ad ortus Pelios. ℙ *Pelion* cum adj. mascul. *Ov. Met.* 7, 224. Et quas Ossa tulit, quas altus Pelion herbas; et *Fast.* 3, 441. Ignibus Ossa novis, et Pelion altior Ossa Arsit. *Ἔλλειψις* est in his, et respicitur ad nomen *mons*, ut ad *urbs* in illo *ejusd. Met.* 14, 466. postquam alta cremata est Ilion; et *A. Am.* 1, 363. defensa est Ilion armis. Al. tamen leg. utroque loco *Ilios*. Alia hujus generis congerit *Heins.* ad *Her.* 1, 48. ℙ Primam syllabam corripuisse dicitur *Sil.* 3, 495. Ossaque cum Pelio, cumque Haemo cesserit Othrys. Sed al. leg. *Pindo*, [alii rectius *Pelio* retinent, et putant esse vocem bisyllabam, duabus ultimis vocalibus per synizesin junctis. *F.*]

PĔLĬUS, a, um, adj. ad Pelion montem pertinens, Peliacus. *Enn.* ap. *Auct. ad Her.* 2, 22. Utinam ne in nemore Pelio securibus Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes. *Phaedr.* 4, 7. Utinam uec unquam Pelii nemoris jugo Pinus bipenni cuncidisset Thessala.

PELLA. V. PELLAEUS.

PELLĂCĬA, ae, f. *ἐπαγωγή*, fallacia, blanditiae: a *pellax*. *Lucr.* 5, 1002. Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis. *Virg. G.* 4, 443. Verum ubi nulla fugam reperit pellacia. Alii hic leg. *fallacia*. ℙ Refertur ad incontinentiam turpis libidinis. *Arnob.* 5, 171. Ex partu virginis tauri species fusa, Jovialis monumenta pellaciae; et 4, 147. Et per omnes libidinum formas incestarum cupiditatum circumegisse pellaciam.

*PELLACONTAS vel Pellaconta, ae, fluvius Mesopotamiae, in Euphratem cadens, quae sententia est *Hard. Plin.* 6, 26. Ad Pellacontam flumen Bura oppidum. *B. A.*

PELLAEUS, a, um, adj. ad Pellam pertinens, quae est urbs clara Macedoniae, non procul a sinu Thermaico, regum sedes, et patria Alexandri M., de quo *Juven.* 10, 168. Unus Pellaeo juveni non sufficit orbis; et *Lucan.* 3, 233. Pellaeus ductor; et 10, 20. Pellaei proles vesana Philippi; et *Mart.* 9, 44. Pellaeus tyrannus. *Claud. IV. cons. Honor.* 373. Pellaeus, Eoum qui domuit Porum. *Sil.* 13, 765. Pellaeo ponte Niphatem adstrinxit, *h. e.* Alexander M. Niphatem Armeniae fluvium ponte junxit. ℙ Ponitur universim pro Macedonico. *Lucan.* 9, 1073. Pellaeus gladius; et 8, 298. Pellaeae sarissae. *Claud. II. cons. Stil.* 32. cum Capitolia curru Pellaeae domitor Paulus conscenderet aulae. ℙ Saepe refertur ad Alexandriam Aegypti ab Alexandro Pellaeo conditam. *Lucan.* 9, 153. Pellaeae arces; et 10, 511. Pellaei muri. *Mart.* 13, 85. Pellaea gula, *h. e.* Alexandrinorum, qui deliciis olim apprime dediti. ℙ Item ad ipsam Aegyptum, tum ob allatam rationem, tum quod in ea qui primus regnavit Ptolemaei nomine, ex Macedonum genere fuit. *Virg. G.* 4, 287. Pellaei gens fortunata Canopi. *Lucan.* 5, 60. Pellaeum diadema; et 8, 475. Pellaea domus, *h. e.* Ptolemaei regis Aegypti; et 8, 607. Pellaeus puer, *h. e.* ipse Ptolemaeus; et 9, 1016. rex. *Sil.* 11, 383. Pellaea sceptra. ℙ Extrita priore vocali diphthongi fit *Pelleus* paenult. correpta. *Pl. As.* 2, 2, 67. Meministin' asinos Arcadicos mercatori Pelleo Nostrum vendere atriensem? Alii transponunt verba, et *Pellaeo* restituunt, hoc modo: mercatori vendere Pellaeo nostrum atriensem.

*PELLAEUS, i, m. pagus intimi sinus Persici, cui hoc nomen a sua patria dedisse Alexandrum Magnum, testatur *Plin.* 6, 27. *B. A.*

*PELLAON, onis, Adriatici seu Veneti sinus opp. *Plin.* 3, 19. *B. A.*

[PELLĂRĬUS, a, um, adj. ad pellem pertinens. *Varr. L. L.* 7, 30. Taberna pellaria, *h. e.* in qua pelles venduntur. V. PELLESUINA. *F.*]

PELLĂRĬUS, ii, m. qui pelles curat, polit, aut suit, pellio. *Firm. Math.* 4, 7. *med.* Faciet pellarios, coriarios, caligarios, coquos.

PELLAX, acis, adj. omn. gen. *ἐπαγωγός*, qui per blanditias aliquem decipit: a *pellicio*. *Virg. A.* 2, 90. invidia postquam pellacis Ulyssi, etc. *Arnob.* 5, 188. Quid pro aureis imbribus, in quos idem *(Juppiter)* se pellax fraude induit perfida.

PELLĔĀTUS, a, um, adj. pellitus, pelle indutus. *Paul. Nol. carm.* 17, 243. de Dacis: vel ille Divitis multo bove pelleatus Accola ripae. Al. rectius leg. *pileatus*.

PELLĔCEBRAE. V. PERLECEBRA.

PELLECTĬO, onis, f. *Cic. Att.* 1, 13. Quotus enim quisque est, qui epistolam paulo graviorem ferre possit, nisi eam pellectione relevarit, *h. e.* eam perlegendo. Alii leg. *per lectionem*.

PELLECTUS, a, um, part. a *pellicio:* allectus, illectus. *Colum.* 11, 1. *med.* Nam vitiis ejusmodi pellectus animus nec praemium jucundius, quam fructum libidinis, nec supplicium gravius, quam frustrationem cupiditatis existimat. *Pacat. Pan. Theodos.* 32. Tua benignitate pellectae Scythicae nationes tantis examinibus confluebant, ut, etc. *Suet. Claud.* 26. Illecebris pellectus in amorem.

PELLĔGO. V. PERLEGO.

[PELLĒNAEUS, a, um, adj. ad Pellenen pertinens, Achaiae urbem ad sinum Corinthiacum, cujus meminit *Liv.* 33, 15. Hinc *Pellenaei*, *orum*, sunt incolae illius urbis. *Plin.* 4, 5, 6. Mox Oluros Pellenaeorum castellum. *F.*]

*PELLENAEUS, i, mons celsissimus in Chio insula. *Plin.* 5, 31. ℙ *Steph. Byz.* est *Πελληναῖον ὄρος*, *Straboni Πελιναῖον ὄρος:* unde patet revera adjectivum esse Plinianum *Pellenaeus*, subintellecto sc. *mons*. *B. A.*

[PELLENDŌNES et Pĕlendones, um, m. plur. Celtiberiae populi. Unica littera *l* scribit *Ptolem.* 3, 6. *Πελένδονες*. Ita etiam *Plin.* 3, 3, 4. Pelendones Celtiberorum. *Id.* 4, 20, 34. Durius amnis ex maximis Hispaniae, ortus in Pelendonibus, et juxta Numantiam lapsus. *Inscr.* ap. *Grut.* 111, 5. Genio loci Pellendones Arevacon. *F.*]

[PELLĒNENSIS, e, adj. idem ac Pellenaeus. *Liv.* 33, 14. Pellenensis ager. *Id.* 34, 29. Timocrates Pellenensis. *F.*]

[PELLENSIS, e, adj. idem ac Pellaeus. In nummo Julii Caes. ap. *Sestin. descr. num. vet.* p. 101. Coloniae Pellensis. *F.*]

[PELLESŪĪNA, ae, f. taberna, in qua pelles perficiuntur et venduntur, ita appellata a pellibus suendis. *Varr. L. L.* 7, 30. *Ἀναλογικῶς* si essent vocabula, ubi caro venit, carnaria; ubi pelles, pellaria, ubi calcei, calcearia dicerentur: non laniena, pellesuina, sutrina. *F.*]

PELLEUS. V. PELLAEUS.

PELLEX, ĭcis, f. *παλλακή* et *παλλακίς*, amica, concubina: diciturque fere respectu uxoris, quia non maritus, sed uxor pellicem habere dicitur. *Paul. Dig.* 50, 16, 144. Masurius scribit libro memorialium, pellicem apud antiquos eam habitam, quae cum uxor non esset, cum aliquo tamen vivebat: eamque nunc vero nomine amicam, paulo honestiore concubinam appellari. C. Flaccus scribit, pellicem nunc vulgo vocari, quae cum eo, cui uxor sit, corpus misceat: quosdam eam, quae uxoris loco sine nuptiis in domo sit, quam Graeci *παλλακὴν* vocant. *Paul.* ex *Festo:* Antiqui eam proprie pellicem nominabant, quae uxorem habenti nubebat. *Gell.* 4, 3. Pellicem appellatam, probrosamque habitam eam, quae juncta consuetaque esset cum eo, in cujus manu mancipioque alia matrimonii causa foret, hac antiquissima lege ostenditur: Pelex asam Junonis ne tagito: si taget, Junoni crinibous demissis (al. leg. *demessis*) arnum feminam caidito. Pellex autem quasi *πάλλαξ*, id est quasi *παλλακὶς:* ut pleraque alia, ita hoc quoque vocabulum de Graeco flexum est. Haec *Gellius*. Alii tamen a *pellicio* ducunt, quia blanditiis maritum ab uxore ad se pellicit. *Ov. Her.* 14, 95. de Io: Illa Jovis magni pellex metuenda sorori, Fronde levas nimiam caespitibusque famem. *Id. Met.* 10, 347. Tune eris et matris pellex, et adultera patris? ℙ Ap. *Just.* quoties legitur, sine mentione uxoris adhibetur: v. gr. 10, 2. Occiso Cyro, Aspasiam pellicem ejus Artaxerxes in matrimonium receperat; et 39, 5. Fiducia septingentorum filiorum, quos ex pellicibus susceperat. Adde 1, 9., 10, 1. et 12, 3. etc. Item *Curt.* 10, 1. Virginem nobilem constupratam, servo suo pellicem dedit, *h. e.* concubinam. Ceteri fere scriptores perpetuo custodiunt, ut cum respectu ad uxorem *pellicem* dicant. ℙ Est etiam *pellex*, quae ab aliquo ducitur, postquam cum justa uxore divortium fecit. *Cic. Cluent.* 70. Atque etiam nomina necessitudinum, non solum naturae nomen, et jura mutavit: uxor generi, noverca filii, filiae pellex. V. ejus Orationis argum. Adde *eund. Or.* 30. *Hor. Epod.* 5, 61. cur dira barbarae minus Venena Medeae valent? Quibus superbam fugit ulta pellicem, Magni Creontis filiam. ℙ Item quae per vim a marito alterius corrupta est. *Ov. Met.* 6, 537. de Philomela: pellex ego facta sororis. *Mart.* 10, 51. de ead.: Ismarium pellex Attica plorat Ityn. Adde *Ov. Fast.* 2, 389. ℙ De viris mollioribus. *Paul.* ex *Festo*, *Suet. Caes.* 49. et *Auct. decl. in Sall. f.* Hinc *Mart.* 12, 97. vocat *pellices ministros* pueros amatos a marito. ℙ Translate Pasiphae ap. *Ov. A. Am.* 1, 321. pellices vocat vaccas armenti, quia tauri amore capta est. *Mart.* 14, 119. cujus lemma *Matella fictilis:* Dum poscor crepitu digitorum, et verna moratur, O quoties pellex culcita facta mea est! *h. e.* vicem mihi matellae praestitit, quia lotio perfudi. ℙ [Item filia, quae a patre adamata, quasi pellex matris (Itali dicunt *rivale*) habenda est, cum patris amorem ad se solam pellexerit. *Inscr.* non opt. notae ap. *Donat.* 364, 6. Hoc pater infelix posuit pie nate merenti, Et mater similem lacrimis titulum sue pellici junxit, etc. Hic ter omissa est diphthongus *ae*, atque alter versus uno pede longior est, quod in metricis inscriptionibus sequioris aevi saepe usuvenire solet. *F.*]

PELLĬCĀTĬO, onis, f. inductio, a pelliciendo. *Cato* ap. *Fest.*, ubi al. leg. *pelliculatio*.

PELLĬCĀTOR, oris, m. *προσαγωγεύς*, qui blanditiis aliquem in fraudem pellicit. *Paul.* ex *Festo*.

PELLĬCĀTUS, us, m. *παλλάκευσις*, actus, quem pellex exercet. *Cic. Off.* 2, 7. Ab ea enim est ipse propter pellicatus suspicionem interfectus. *Just.* 7, 4. Insidiis uxoris occupatus fuisset, ni filia pellicatum matris, et sceleris consilia prodidisset. **Cic. pro Scauro or. fragm.* ed. *A. Maio*, p. 41. ed. *Kil.* Arinis uxorem paelicatus dolore concitatam. Quem locum citans *Prisc.* 6, 689. scribit, *pellicatus*. *B. A.*

PELLĬCĔO. V. PELLICIO.

PELLĬCĔUS. V. PELLICIUS.

PELLĬCĬO et Perlicio, is, lexi et licui, lectum, a. 3. *ἐφέλκομαι*, *ἐπισύρομαι*, blanditiis in fraudem induco, blandiendo decipio, capio, illicio, induco. *Paul.* ex *Festo:* Pellexit, in fraudem induxit. *Ter. Ph.* 2, 1, 18. Senem per epistolam pellexit, modo non montes auri pollicens. *Pl. Men.* 2, 2, 67. Meretrices extemplo se applicant, agglutinant: si pellexerunt, perditum amittunt domum. *Cic. Cluent.* 5. Animum adolescentis, nondum consilio ac ratione firmatum, pellexit iis omnibus rebus, quibus illa aetas capi ac deliniri potest. *Id. Fl.* 30. Mulierem imbecilli consilii pellexit ad se. *Liv.* 4, 15. *f.* Sp. Maelium cibo objiciendo ratum, victorem finitimorum omnium populum in servitutem perlici posse. *Tac. A.* 11, 19. Qui Chaucos ad deditionem pellicerent. *Just.* 38, 3. Hunc Mithridates ad societatem Romani belli pellicere cupiebat. *Tac. A.* 3, 42. Florus insistere destinatis, pellicere alam equitum, ut caesis negotiatoribus R. bellum inciperet; et *ib.* 1, 2. Militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit. ℙ Translate. *Lucr.* 5, 1002. Nec poterat quemquam placidi pellacia ponti Subdola pellicere in fraudem ridentibus undis. *Id.* 6, 999. de magnete: Causa patefiet, quae ferri pelliciat vim. ℙ Pro extorquere, exprimere. *Cic. Or.*

1, 57. Multo majorem partem sententiarum sale tuo, et lepore, et politissimis facetiis pellexisti. *Colum.* 12. *praef. f.* Matronae domi confectas vestes fastidio habent, perversaque cupidine pretiosiores alias a viris pelliciunt. ℙ *Pellicere segetes*, carminibus, et veneficiis excantare, et alio trahere, traducere. V. EXCANTO. Ad illud *Virg. Ecl.* 8, 99. Atque satas alio vidi traducere messes: *Serv.:* Magicis quibusdam artibus hoc fiebat: unde est in XII. Tabulis: neve alienam segetem pellexeris: quod et *Varro*, et multi scriptores fieri deprehensum animadvertunt. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 2. C. Furius Cresimus cum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis. ℙ *Charis.* 3, 217. et *Diomed.* 1, 361. agnoscunt *pelliceo*, quod quidam leg. etiam ap. *Colum. l. c.* ℙ Dictum est etiam *pellicui* pro *pellexi*. *Lic. Andron.* ap. *Prisc.* 10, 877. Aut alia nunc te quaepiam Asiatico ornatu affluens, aut Sardiano ac Lydio, fulgens decore et gloria, pellicuit.

PELLĬCĬUS, a, um, adj. *σπάνιος*, ex pelle factus. *Paul. Dig.* 34, 2, 25. Tunicam et stragula pellicia habere. Ita *Haloand.* et *Torrent.* Al. *pellicea.* Similiter *Pallad.* 1, 43. Tunicae pelliciae. Al. *pelliceae*, ut ap. *Lampr. Elag.* 4. Sella pellicea, an ossea, an eborata, an argentata.

[PELLĬCO, as, n. 1. aemulor. *Gloss. Philox.* Pellico, *ζηλεύω. F.*]

PELLĬCŬLA, ae, f. *δερμάτιον*, tenuis, exigua pellis. *Cic. Mur.* 36. Stravit pelliculis haedinis lectulos Punicanos. *Plin.* 30, 15, 47. Cerebrum viperae illigatum pelliculae dentitiones adjuvat. *Id. ib.* 11, 30. Pellicula caprina. *Id.* 32, 5, 18. agnina. *Juven.* 1, 11. unde alius furtivae devehat aurum Pelliculae, *h. e.* aureum vellus Phrixi. ℙ Urbane *Hor. Sat.* 2, 5, 37. ire domum, atque Pelliculam curare jube, *h. e.* valetudinem, corpus curare, genio indulgere: *curare cutem* dixit *Id. Ep.* 1, 2, 29. ead. sententia. ℙ *Mart.* 3, 16. sed te, mihi crede, memento Nunc in pellicula, cerdo, tenere tua, *h. e.* contine te intra fines conditionis, et artificii tui: metire te tuo modulo, ac pede, ut ait *Hor. Ep.* 1, 7, 98. et quiesce in propria pelle, *Sat.* 1, 6, 22. ℙ *Pers.* 5, 116. Pelliculam veterem retines, *h. e.* pristinos mores, et pravam indolem.

PELLĬCŬLĀTĬO. V. PELLICATIO.

PELLĬCŬLO, as, a. 1. *σιφεφόω*, pelle involvo. *Colum.* 12, 39. Opercula vasorum gypsare, et pelliculare; et *ib.* 46. Contectum vas pelliculetur; et *f.* Vas operculatum pelliculant. Adde *ib.* 56.

PELLĪCUM Galerum, quia fiebat ex pelle. *Paul.* ex *Festo.* V. PELLITUS.

PELLĪGER, ra, rum, adj. pellem gerens, pelle indutus. *Venant. carm.* 9, 5. Pelligeri veniens Clodovaei gente potenti. Al. rectius leg. *belligeri.*

PELLINAEUM, i, n. opp. Thessaliae. *Liv.* 36, 10, 13. et 14. *Plin.* 4, 8. ℙ Dictum et *Pelinna. B. A.*

[PELLĪNUS, a, um, adj. ex pelle factus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 28. Femoralia pellina. *F.*]

PELLĬO, onis, m. qui pelles perficit, et varia ex iis opera facit: et praecipue tentoria militum. *Pl. Men.* 2, 3, 52. Quasi supellex pellionis, palus palo proximus est. *Lampr. Alex. Sev.* 24. Linteonum, pellionum, vitrearіorum vectigal instituit. Adde *Aurel. Arcad. Dig.* 50, 6, 6. *extr.*

[PELLĬON, ii, n. herba eadem ac daphnoides. *Appul. H.* 58. *F.*]

PELLĬONĀRĬUS, ii, m. idem ferme qui pellio, praesertim qui pelles comparat in usum militiae. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 1. Q. Vellius Annius procurat. col. pellionariorum.

PELLIS, is, f. *δέρμα*, operimentum corporis animalium: fortasse est a *φελλὸς*, suber, cortex. Quomodo a *cute* differat, V. CUTIS. *Phaedr.* 1, 24. Rana rugosam inflavit pellem. *Colum.* 6, 13. Est et infesta pestis bubulo pecori, coriaginem rustici appellant, cum pellis ita tergori adhaeret, ut apprehensa manibus diduci a costis non possit. *Lucr.* 6, 1192. cavati oculi, cava tempora, frigida pellis, Duraque. *Cic. N. D.* 1, 29. Sospita illa nostra cum pelle caprina, hasta, scutulo. *Caes. B. G.* 3, 13. Pelles pro velis, alutaeque tenuiter confectae. *Virg. A.* 2, 722. fulvique insternor pelle leonis. *Ov. A. Am.* 3, 77. Anguibus exsuitur tenui cum pelle vetustas. *Plin.* 24, 11, 56. Pelles perficere; et 13, 6, 13. candidas conficere. *Id.* 28, 9, 40. colore aureo ducere felle taurino. ℙ Per synecdochen est vestis, aut quippiam aliud e pelle. *Colum.* 1, 8. et 11, 1. Pellibus manicatis prohibere frigora. *Ov. Trist.* 3, 10, 19. Pellibus, et sutis arcent male frigora bracis. *Id. ib.* 5, 10, 32. Pellibus et longa tempora tecta coma. Adde *ib.* 7, 49. *Id. A. Am.* 1, 516. Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet; et *Pers.* 5, 140. Jam pueris pellem succinctus, et oenophorum aptas, *h. e.* sacculum, manticam itineri vel etiam vestem arcendis imbribus. ℙ Militum tentoria in castris e pelle fuerunt. Hinc *sub pellibus*, in castris, in expeditione. *Cic. Acad.* 4, 2. In bello ita magna rei militaris esse occupatio solet, ut non multum imperatori sub ipsis pellibus otii relinquatur. *Liv.* 37, 39. Instare hiemem: aut sub pellibus habendos milites, aut si concedere in hiberna vellent, etc. *Tac. A.* 13, 35. Retentus omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme saeva. *Flor.* 1, 12. Vejentium quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primum hiematum sub pellibus. *Liv.* 5, 2. Durare sub pellibus. Huc fortasse pertinet illud *Cic. Pis.* 36. Cum omni totius provinciae pecore compulso, pellium nomine, omnem quaestum illum domesticum renovasti. ℙ Significat etiam membranam. *Mart.* 14, 190. Pellibus exiguis arctatur Livius ingens, *h. e.* T. Livii historia perscripta est parvis membranis. ℙ Translate, quiescere in propria pelle, ap. *Hor.*, ubi *Porphyrion* dicit hoc ductum esse ex prisco more dormiendi in lectis pelle stratis. V. PELLICULA. ℙ Pellem alicui detrahere, occulta aliorum vitia detegere, et notare. *Hor. Sat.* 2, 1, 62. cum est Lucilius ausus Primus in hunc operis componere carmina morem, Detrahere et pellem, nitidus qua quisque per ora Cederet, introrsum turpis; num Laelius, et qui Duxit ab oppressa meritum Carthagine nomen, Ingenio offensi? Hinc *Id. Ep.* 1, 16, 45. Introrsum turpis, speciosus pelle decora. *Pers.* 4, 14. summa nequidquam pelle decorus. ℙ Caninam pellem rodere, maledicum et improbum dictis lacessere. *Mart.* 5, 60.

PELLĪTUS, a, um, adj. pelle tectus. *Prud. Psych.* 226. Pellitos habitus sumsit venerabilis Adam. ℙ *Pellitae oves*, quae propter lanae bonitatem, ut sunt Tarentinae, et Atticae, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel recte infici possit, vel lavari ac parari. Ita *Varr. R. R.* 2, 2. *f.* Harum fit mentio etiam ab *Hor. Od.* 2, 6, 10. V. et *Colum.* 7, 4. ℙ Pelle indutus. Priscis temporibus homini vestis vulgo e pelle, tum scilicet cum glande vescebantur: postea luxu ea rejecta, tanquam ferina, et sumpta lana, aurum, purpura, etc. ut est ap. *Lucr.* 5, 1417. Mos ille apud barbaras gentes, rudes, et pauperiores diu duravit. *Prop.* 4, 1, 11. Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu, Pellitos habuit, rustica corda, patres. *Ov. Pont.* 4, 8, 82. Litora pellitis nimium subjecta Corallis. Adde *ib.* 10, 2. Huc pertinet illud *Cic. pro Scauro* ap. *Ascon.* Haec cum tu effugere non potuisses, contendes tamen et postulabis, ut M. Aemilius cum sua dignitate omni, cum patris memoria, cum avi gloria, sordidissimae, levissimae, vanissimae genti, ac prope dicam, pellitis testibus condonetur. *Liv.* 23, 40. Hampsicora tum forte profectus erat in pellitos Sardos. V. MASTRUCA. ℙ Absolute. *Paul.* ex *Festo:* Pellicum (lege *Pellitum*) galerum, quia fiebat ex pelle.

PELLO, is, pĕpŭli, pulsum, a. 3. [*ὠθέω*, ferio, percutio, pulso, pulsando moveo. *Etym.* est a Gr. *πάλλω*, vibro, quatio: illud minus videtur, quod alii ab *ἀπέλλω*, arceo; alii a *βάλλω*, projicio originem duxerunt. Exempla Noster laudaverat ista:] *Catull.* 61, 14. Pelle humum pedibus, manu Pineam quate taedam. *Id.* 64, 58. Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis. *Enn.* ap. *Fest.* in *Tonsam:* vestraque pectora pellite tonsis. *Ter. Ad.* 4, 5, 3. Tune has pepulisti fores? *Hor. Od.* 3, 18, 15. Gaudet invisam pepulisse fossor Ter pede terram, *h. e.* saltasse cum tripudio. *Cic. Brut.* 54. Ex nervorum sono in fidibus, quam scienter ei pulsi sint, intelligi solet. *Auct. Pan. ad Pis.* 157. Nec pudeat pepulisse lyram. ℙ Translate est movere, commovere, percellere, afficere. *Cic. Fin.* 2, 10. *f.* Nec ullum habet ictum, quo pellat animum, status hic non dolendi: at ille pellit, qui permulcet sensum voluptate. *Id. Acad.* 4, 10. Disputari poterat, quemadmodum prima visa nos pellerent, deinde appetitio ab his pulsa sequeretur. *Id. Off.* 3, 10. Species utilitatis animum pepulit ejus. Al. leg. *impulit. Id. Acad.* 4, 20. *f.* Visa ista cum acriter mentem sensumve pepulerunt, accipio. *Liv.* 30, 14. Ipsum in Hispania juvenem nullius forma pepulerat captivae. *Cic. Fam.* 4, 13. Nulla me ipsum privatim pepulit insignis injuria: tamen nihilominus eis conficior curis, ut, etc. Adde *Div.* 1, 36. *f.* ℙ *Id. Brut.* 87. Longi sermonis initium pepulisti, Attice, remque commovisti nova disputatione dignam, *h. e.* movisti, excitavisti, proposuisti. Est qui malit *detulisti.* [*Ita recte videmur emendasse hujus loci seriem ab initio positis iis, quae Noster in f. collocaverat. ℙ Nunc sequantur ea exempla, quibus movendi, trudendi, propellendi, depellendi significatio facile a prima, quam posuimus, derivanda continetur, *ὠθέω, ἐλάυνω:*] *Caes. B. C.* 3, 75. *f.* Antesignani tantum profecere, ut pellerent omnes, compluresque interficerent; et *B. G.* 7, 62. Primo concursu hostes pelluntur, atque in fugam conjiciuntur. *Liv.* 2, 6. *extr.* Hostis non stetit solum, sed etiam ab sua parte Romanum pepulit. *Nep. Ages.* 3. *f.* Pepulit ergo quotiescunque congressus est, multo majores adversariorum copias. [*Vincendi, superandi notionem v. *pellere* habet etiam in loco *Pl. Trin.* 2, 2, 33. Si animus hominem pepulit, actumst; animo servit non sibi. Sin ipse animum pepulit, vivit, victor victorum cluet. Tu animum si vicisti potius, quam animus te, est quod gaudeas.] ℙ Item expello, ejicio, dejicio, amoveo. *Cic. Dom.* 43. Haec me domo mea pellet? *Id. Mil.* 27. Q. Varium pellere possessionibus, armis castrisque conatus est. *Id. Har. resp.* 18. Lapidibus optimos viros foro pellis; et *Pis.* 10. *med.* Cum viri boni lapidibus e foro pellerentur. *Nep. Pel.* 3. *extr.* Praesidium ex arce pepulerunt. *Plin.* 22, 21, 30. Pellere calculos e corpore. *Cic. Acad.* 4, 46. Deque eo nulla ratione neque pelli, neque moveri potes. *Plin.* 18, 26, 62. Incilia aperire, pellere aquam de agro. *Ter. Eun.* 5, 9, 11. Miles pellitur foras; et 2, 1, 9. Istum aemulum, quod poteris ab ea pellito. *Ov. Met.* 14, 477. Pellor ab agris patriis. *Just.* 28, 2. Prius illis Gallos Italia pellendos dixit, quam, etc. *Id.* 35, 1. Pellere aliquem regno. *Sall. or. Licin. ad pleb.* dominatione. *Id. Jug.* 45. et *Cic. Off.* 2, 22. sedibus. *Nep. Ar.* 1. patria. *Cic. Par.* 4. civitate. *Id. Or.* 2, 13. in exsilium. *Ov. Ib.* 624. aliquem a sacris. *Id. A. Am.* 3, 379. ab aliquo crimina, *h. e.* prohibere, amovere. *Id. Met* 2, 838. moram. *Catull.* 63, 41. umbras noctis. *Cic. Off.* 2, 4. frigus. *Id. Fin.* 1, 13. moestitiam ex animis. *Ov. Fast.* 3, 827. morbos arte Phoebea. *Colum.* 10, 69. et *Sil.* 7, 300. somnum. *Hor. Od.* 1, 7, 31. curas vino. *Id. ib.* 2, 2, 14. sitim. *Ov. Met.* 14, 216. Glande famem pellens. ℙ Absolute. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 7. *extr.* Athenienses Diagoram philosophum pepulerunt. ℙ *Pulsi* pro *pepuli* rarum, nec imitandum. *Ammian.* 30, 5. *f.* Dexteram stratoris militis jussit abscidi, quae eum insilientem jumento pulserat consueto.

PELLONĬA, ae, f. Dea potens pellendorum hostium, ut ait *Arnob.* 4, 128. Adde *August. C. D.* 4, 21. *f.*

PELLOS, i, f. a *πελλὸς*, fuscus, niger. *Plin.* 10, 60, 79. Ardeolarum tria genera, leucon, asterias, pellos.

PELLUCENS et Perlucens, entis, part. a *pelluceo:* lucem transmittens, pellucidus, translucens, perspicuus, *διαφανής*. *Cic. N. D.* 2, 21. Tenuis ac perlucens, et aequabili calore suffusus aether. *Ov. Met.* 4, 313. perlucenti circumdata corpus amictu; et *ib.* 411. de vespertilionibus: Sustinuere tamen se perlucentibus alis; et *ib.* 6, 390. salientia viscera possis, Et perlucentes numerare in pectore fibras. *Plin.* 9. 15, 20. Saxum miri candoris a vado ad summa perlucens. *Sen. ep.* 114. *med.* Perlucens toga. *Tibull.* 3, 4, 71. Sed perlucenti cantus meditabar avena, *h. e.* tibia multis foraminibus instructa, quam multiforam dixere *Ov.* et *Sen.* ℙ Translate. *Cic. Brut.* 79. Ita reconditas exquisitasque sententias mollis et pellucens vestiebat oratio, *h. e.* nitida, polita.

PELLŪCĒO et Perluceo, es, uxi, n. 2. *διαφαίνω*, totus luceo, niteo, lucem transmitto, translucco. *Pl. Aul.* 3, 6, 29. Ita is pellucet, quasi laterna Punica. *Juven.* 2, 78. Cretice pelluces, *h. e.* pellucida toga indutus incedis. *Plin.* 37, 9, 40. Amethysti perlucent omnes violaceo colore. *Id.* 10, 54, 75. Si contra lumen cacumine ovorum apprehenso una manu, purus et uniusmodi perluceat color. V. OBINANIS. *Mart.* 2, 46. Sic tua suppositis perlucent prela lacernis. *Sen. Her. Fur.* 1001. Perlucet omnis regia, *h. e.* disjectis eversisque parietibus, undique lumen admittit. Al. aliter leg. Sic *Juven.* 11, 13. Et cito casurus, jam perlucente ruina. ℙ Translate. *Cic. Off.* 2, 9. Illud ipsum, quod honestum decorumque dicimus, maxime quasi perlucet ex eis, quas commemoravi, virtutibus. *Sen. Ag.* 148. Perlucet omne regiae vitium domus, *h. e.* in ore, et oculis omnium est. *Quint.* 6, 2. *med.* Mores dicentis ex oratione pelluceant, et quodammodo agnoscantur. Adde 8, 3. *med.* ℙ Part. *Pellucens* V. s. l. ℙ *Vel. Long. de Orthogr.* p. 2227. praefert *pelluceo.* Idem admittit *Prisc.* 2, 571., sed et *perluceo* probat, quod *Dausqu.* praeferre videtur.

PELLŪCĬDĬTAS et Perluciditas, atis, f. *Vitr.* 2, 8. *med.* Parietes ita tectoriis operibus expoliti, ut vitri pelluciditatem videantur habere.

PELLŪCĪDŪLUS, a, um, adj. dimin. pellucidi. *Catull.* 69, 3. pelluciduli deliciae lapidis, *h. e.* margaritae.

PELLŪCĪDUS et Perlucidus, a, um, adj. *διαφανής*, totus lucidus, lucem transmittens, translucidus. [*Differunt *pellucidus* et *perspicuus:* hoc posterius dicitur ratione spectatoris habita: illud ipsam rei vel corporis alicujus perspicuitatem significat. *Doederl.* 2, 82.] *Cic. N. D.* 2, 57. Natura oculos membranis vestivit, quas perlucidas fecit, ut per eas cerni posset. *Id. Div.* 2, 17. Deos jocandi causa induxit Epicurus perlucidos et perflabiles. *Ov. Her.* 15, 157. Fons nitidus, vitreoque magis perlucidus amne. *Hor. Od.* 1, 18, 16. Arcanique fides prodiga perlucidior vitro. ℙ [*Saepissime usurpatur de vestibus tenuibus ipsisque hominibus ita vestitis, ut nudi esse videantur.] *Tibull.* 4, 6, 13. purpureaque veni pellucida palla. *Mart.* 12, 38. Crine nitens, niger unguento, perlucidus ostro. *Sen. Const. Sap.* 18. Perlucidus, crepidatus, armillatus. *Id. Ben.* 7, 9. *f.* Video

sericas vestes: si vestes vocandae sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit: quibus sumptis mulier parum liquido, nudam se non esse, jurabit. Similia habet *ep.* 90. ℙ Valde lucidus, splendens. *Cic. Div.* 1, 57. Illustris et perlucida stella. [**Doederl. l. l.* discernenda videntur vv. *pellucidus*, qua translucidum, et *perlucidus*, qua valde lucidum signif. Hoc enim a *per* et *lucidus* derivandum ideoque sine literarum assimilatione eodem modo pronuntiari, quo *perlaetus*: illud a *pellucere* factum.]

PELLŪLA, ae, f. pellicula. *Varr. L. L.* 4, 35. Pulvinar vel a plumis, vel a pellulis declinarunt. Al. leg. *pellibus*, alii *polulis*. V. PULVINAR *f.*

PELLŪO. V. PERLŪO.

PELLŪVIA, ae, f. et Pelluvium, ii, n. vas, in quo pedes lavantur. *Festus.* Malluviae, quibus manus sunt lotae: pelluviae, quibus pedes. *Gloss. Phil.* Pelluvium, ποδονιπτήρ. V. POLLUBRUM. [**Emendavit h. l. F.*]

PĔLOPĔA, ae, f. *Πελόπεια*, filia Pelopis, et ex eodem Aegisthi mater. V. AEGISTHUS. *Ov. Ib.* 361. Filia si fuerit, sit quod Pelopea Thyestae, Myrrha suo patri, Nyctimeneque suo. Adde *Claud. in Eutr.* 1, 291. ℙ [Etiam tragoedia hoc nomine. *Juven.* 7, 92. Praefectos Pelopea facit, Philomela tribunos, *h. e.* tragoediae hoc nomine insignitae, et a Paride Domitiani pantomimo actae, de quo *Mart.* 11, 13. *F.*]

PĔLOPĒIAS, ădis, et

PĔLOPĒIS, ĭdis, f. adj. a Pelope. *Ov. Met.* 6, 414. Argosque, et Sparte, Pelopeiadesque Mycenae, *h. e.* quae sunt in Peloponneso, ubi Pelops regnavit, ejusque posteri eas auxerunt, ornaruntque. *Id. Fast.* 4, 285. Tum laeva Creten, dextra Pelopeidas undas Deserit, *h. e.* mare, quod Peloponnesum alluit. Ap. *Stat. Th.* 10, 50. et *ib.* 12, 540. Pelopeides sunt Argivae mulieres. Argos enim Peloponnesi urbs est.

PĔLOPĒIUS, et

PĔLOPĒUS, a, um, adj. *Πελόπειος*, ad Pelopem, et Peloponnesum pertinens. *Ov. Her.* 8, 27. Quid quod avus nobis idem Pelopeius Atreus? *h. e.* Pelopis filius. *Id. Trist.* 4, 4, 67. Pelopeia virgo, *h. e.* Iphigenia filia Agamemnonis, qui Pelopem avum habuit. *Id. Met.* 8, 622. Pelopeia arva, *h. e.* Phrygia, ubi regnavit Tantalus Pelopis pater. *Sen. Med.* 891. sedes, *h. e.* regia Creontis Corinthiorum regis in Peloponneso. *Id. Thyest.* 22. domus, *h. e.* familia Pelopidarum. *Claud. in Rufin.* 2, 188. oppida, *h. e.* Peloponnesi. *Stat. Th.* 1, 117. regna, *h. e.* ipsa Peloponnesus. *Prop.* 3, 17, 19. tota Mycenis Infamis stupro stat Pelopea domus. *Id.* 4, 6, 33. Pelopeus Agamemnon, *h. e.* Pelopis nepos: patrem enim habuit Atreum filium Pelopis. *Lucan.* 7, 778. Orestes, *h. e.* filius Agamemnonis. *Stat. Th.* 7, 422. et *ib.* 10, 749. Pelopea phalanx, *h. e.* exercitus Achivorum. Achaia enim in Peloponneso est. *Virg. A.* 2, 193. Ultro Asiam magno Pelopea ad moenia bello Venturam, *h. e.* Achaiae, Argivorum, Agamemnonis: vel etiam, per synecdochen, Graeciae totius, cujus nobilissima pars Peloponnesus.

PĔLOPĬDAE, arum, m. plur. familia, et posteri Pelopis, in quibus ipse Pelops, Tantalus, Atreus, Thyestes, Agamemnon, scelere et crudelitate celebres. *Cic. Att.* 14, 12. et *ib.* 15, 11., item *Fam.* 7, 28. et 30. et *Phil.* 13, 21. ex *Poeta.* Hinc ipse evolare cupio, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. Intelligit autem *Cic.* malos cives, et patriae reique publicae hostes, *h. e.* Caesarianos.

*PELOPĬDAS, ae, m. *Πελοπίδας*, dux Thebanus, rei militaris gloria clarissimus, arctissimoque amicitiae foedere cum Epaminonda conjunctus. *Just.* 6, 9. *extr.* ℙ Vitam ejus scripserunt *Nepos* et *Plutarchus. B. A.*

PĔLOPĬUS, a, um, adj. Pelopeus, *Πελόπιος*. *Sen. Ag.* 7. et 165. Pelopia domus; et 194. sceptra.

PĔLOPONNENSIS, e, adj. Peloponnesius, *Πελοποννήσιος*. *Just.* 13, 5. Qui Peloponnenses in societatem armorum sollicitaret. *Varr. R. R.* 2, 6. Quod faciunt Peloponnenses. Alii leg. *Peloponnesii.*

PĔLOPONNĒSĬACUS, et

PĔLOPONNĒSĬUS, a, um, adj. ad Peloponnesum pertinens, *Πελοποννήσιος*. *Cic. Att.* 6, 2. Peloponnesias civitates omnes maritimas esse, Dicaearchi tabulis credidi. *Quint.* 12, 10. Circa Peloponnesia tempora, *h. e.* cum hi, et Lacedaemonii bellum cum Atheniensibus gererent. *Vell.* 1, 2. Peloponnesii Megaram condiderunt. *Cic. Off.* 1, 24. Peloponnesiacum bellum. *Mela* 2, 3. Peloponnesiacae gentes. ℙ *Peloponnesiaci*, *orum*, sunt illius paeninsulae incolae. *Id. ib.* Rhion inter Aetolos, et Peloponnesiacos usque ad Isthmon irrumpit.

PĔLOPONNĒSUS, i, f. nunc *Morea*, *Πελοπόννησος*, regio, et paeninsula Graeciae. Dicta est a Pelope filio Tantali regis Phrygum, quasi Pelopis *νῆσος*, idest insula, (duplici vero *n* scribitur ex quadam consuetudine, ut affirmat *Strabo l.* 13.) Pelops enim, superato curuli certamine Oenomao rege Elidis et Pisae, Hippodamiam ejus filiam in uxorem, et illius regnum in dotem accepit, et ex Phrygia secum in hanc regionem colonos duxit, et de suo nomine appellavit Peloponnesum. Figura folium platani refert. Jungitur Achaiae, seu Graeciae ad Sept. isthmo angusto VI. M. P., ubi gemina maria, Ionium ab Occ. quod Corinthiacum sinum efficit, et Aegeum ab Or. quod Saronicum. Circuitu DLXIII. mill. pass. colligit. *Plin.* 4, 4, 5. et *Mela* 2, 3.

PĔLOPS, ŏpis, m. *Πέλοψ*, Tantali Phrygiae regis, et Taygetes filius, quem pater Jovi, et aliis Diis, cum eos in terris peregrinantes hospitio excepisset, ut certo aliquo argumento divinitatem eorum experiretur, quasi carnem aliam epulandam apposuit: a cujus esu cum Dii ceteri abstinuissent, sola Ceres humerum ejus dextrum depasta est. Sed Juppiter puerum ad vitam revocavit, eique eburneum humerum addidit. Hinc *Virg. G.* 3, 7. humeroque Pelops insignis eburno. ℙ Cum in virum adolevisset, relicta patria in Elidem se contulit, ubi id temporis regnabat Oenomaus, qui unicam habebat filiam, nomine Hippodamiam, et forma eximiam, et regni totius heredem, iisque nominibus a procis plurimis ambitam. Verum Oenomaus, cum oraculo edoctus esset, fore, ut generi opera interiret, durissimam hanc procis conditionem tulit, ut qui nuptiis filiae potiri vellet, secum prius curuli certamine contenderet, ea lege, ut victorem filiae suae conjugium, et regni hereditas, victum mors sequeretur. Certamen instituit ad aram Neptuni, quae erat in isthmo Corinthiaco. Cum itaque jam complures equorum celeritate superasset, necique tradidisset, Pelops Myrtilum aurigam ejus pretio corrupit, ut fragiles currui axes subjungeret. Quo facto Oenomaus cum curru corruit, membrisque omnibus ea ruina collisis mortuus est. Pelops itaque et conjuge potitus et regno, universam Cherronesum de nomine suo Peloponnesum appellavit. *Hyg. fab.* 83, 84. et *Serv.* ad *Virg. l. c.* ℙ [Fuit etiam nomen propr. servile. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 823. Pelops Petili. *F.*] ℙ *Fuit et Pelops rex quidam Lacedaemonis dictus. *Liv.* 34, 32. *in. B. A.*

[PĔLOR, ōris, m. *πέλωρ*, monstrum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 110, 4. Pothumenus P. Folii Peloris ser. *F.*]

PĔLORĬAS, ădis, f. idem ac Pelorus. *Ov. Fast.* 4, 479. Jamque Peloriaden, Lilybeaque, jamque Pachynon Lustrarat. *Adde *Solin.* 5. (al. 11.) *B. A.*

PĔLORIS, idis, f. *Πελωρίς*, Pelorias, Pelorus. *Cic. Verr.* 2, 5, 3. Ad Peloridem accedere. *Avien. Perieg.* 646. celsa Peloris. ℙ Item genus conchae marinae, in cibis gratae, fortasse nomen habentis a Peloro, circa quem plurima invenitur. *Hor. Sat.* 2, 4, 32. Murice Bajano melior Lucrina peloris. *Plin.* 32, 9, 31. et *Cels.* 2, 29. Pelorides emolliunt alvum. *Mart.* 6, 11. Tu Lucrina voras: me pascit aquosa peloris, *h. e.* insipida, fatua. *Id.* 10, 37. Et fatuam summa coenare pelorida mensa.

PĔLORĪTĀNUS, a, um, adj. ad Pelorum pertinens. *Solin.* 5. de Sicilia: Peloritana regio, *h. e.* ad Pelorum promontorium sita.

PĔLORUS, i, m. *Capo di Faro*, *Πέλωρος*, promont. Siciliae, unum ex tribus praecipuis, in ora Orientali, ubi Borealis incipit, in valle Nemorensi, ex adverso Calabriae. Dictus est a Peloro classis Annibalis gubernatore ibi sepulto, teste *Val. Max.* 9, 8. *n.* 1. *extr.* et *Mela* 2, 7. Meminit et *Sil.* 14, 78. Celsus arenosa tollit se mole Pelorus. ℙ *Plinio* 3, 5, 10. est *Pelorum*, *i*, n., nam *promontorium* subintelligitur. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 240. *col.* 1. T. Julius Pelorus. *F.*] ℙ *Fuit et Pelorus unus e Spartis, sive hominibus armatis, quos repente e terra exstitisse fabulantur ex dentibus anguis Cadmi manu satis. *Hyg. fab.* 178. V. et *Paus.* in *Boeot.* 5. ℙ *Πέλωρ* est *Apollodoro. B. A.*

PELTA, ae, f. *πέλτη*, genus scuti parvi, levis (nam e loro olim fuisse dicitur) umbone carentis, et ab una parte in modum lunae nondum plane dimidiae, sed in cornua aliquantum diductae conformati. Unde lunata dicitur a *Virg. A.* 1, 494. et *Sen. Hippol.* 402. Tradit *Liv.* 28, 5. *med.* cetrae haud dissimilem fuisse. *Plin.* 12, 5, 11. scribit, ficum Indicam foliorum latitudine effigiem peltae Amazonicae habere. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Ancilia dicta ab ancisu, quod ea arma ab utraque parte, ut peltae Thracum, incisa. ℙ Thracum olim et Amazonum tegumen fuit, mox aliorum quoque. *Sil.* 2, 80. Thermodontiaca munita in proelia pelta. *Virg. A.* 7, 743. de Campanis militib.: Aeraque micant peltae, micat aereus ensis. *Ov. Pont.* 3, 1, 95. Nec tibi Amazonia est pro me sumenda securis, Aut excisa levi pelta gerenda manu.

PELTASTAE, arum, m. plur. *πελτάσται*, milites peltis armati. *Liv.* 31, 36. de Philippo Maced. rege: Nocte cetratos, quos peltastas vocant, loco opportuno in insidiis abdiderat. *Id.* 28, 5. *med.* de eod.: Quendam ex regiis ducibus cum mille peltastis (pelta cetrae haud dissimilis est) Chalcidem mittit. Al. leg. *peltatis.*

PELTĀTUS, a, um, adj. pelta armatus. *Ov. Amor.* 2, 14, 2. Nec fera peltatas (*puellas*) agmina velle sequi. *Id. Her.* 21, 117. Non ego constiteram sumpta peltata securi, Qualis in Iliaco Penthesilea solo. *Mart.* 9, 102. Peltatam Scythico discinxit Amazona nodo. *Claud. Fescenn. de nupt. Honor. et Mar.* 33. Peltata cohors. [**Multa addidit F.*]

[PELTĒNI, orum, m. plur. incolae urbis Peltarum in Phrygia magnae, conventus Apameni, cujus mentio est ap. *Ptolem.* 5, 2. *Πέλται. Plin.* 5, 29, 29. Ex hoc conventu deceat nominare Metropolitas, Acmonenses, Peltenos. *F.*]

PELTĬFER, ra, rum, adj. peltam gerens, peltatus. *Stat. Th.* 12, 761. Peltiferae puellae, *h. e* Amazones. *Sabin. ep.* 2, 9. Moecotides.

[PELTŪINAS, atis, adj. omn. gen. et

[PELTŪINUS, a, um, adj. ad Peltuinum pertinens, Italiae urbem in Vestinis, haud procul ab Aveja, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Grut.* 443, 6., quaeque nunc *Civita Sidonia*, vel *Ansidonia* appellatur. *Inscr.* ap. *Mur.* 544, 1. Plebs Peltuinas. ℙ *Peltuinates*, *ium*, et *Peltuini*, *orum*, sunt incolae illius urbis. *Plin.* 3, 12, 17. Vestinorum Angulani, Pinnenses, Peltuinates. *Inscr.* ap. *Mur.* 482, 1. Balineum refectum Dec. Decr. pecunia publica partis Peltuinatium. *Front. de colon.* p. 145. *Goes.* Colonia Peltuinorum. *F.*]

[PELVĬCŬLA, ae, f. dimin. pelvis. *Not. Tir.* p. 164. Pelvis, pelvicula. *F.*]

PELVIS, is, f. *λεκάνη*, vas aquarium variis rebus perluendis aptum, ut *Non.* 15, 4. definit. *Varr. L. L.* 4, 25. a pedum lavatione ducit, quasi *pedelvis. Laber.* ap. *Non. ib.* Amore cecidi, quasi blatta in pelvim. *Juven.* 3, 276. Ergo optes votumque feras miserabile tecum, Ut sint contentae patulas effundere pelves. *Id.* 6, 440. tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas Pulsari. *Petr. fragm. Trag.* 70. *Burm.* Pueri capillati attulerunt unguentum in argentea pelve, pedesque recumbentium unxerunt. *Plin.* 31, 3, 27. Loco ollis, aut peruncta pelvi aerea cooperto. ℙ Magices fuit genus, quod per pelves exercebatur, Diis eliciendis, Graece *λεκανομαντεία*: de quo *Plin.* 30, 2, 2. Species magices plures sunt: namque et aqua, et sphaeris, et aere, et stellis, et lucernis, ac pelvibus, securibusque, et multis aliis modis divina promittit. *Id.* 28, 8, 27. Sanguine hyaenae tactis postibus, ubicumque magorum infestari artes, non elici Deos, nec colloqui, sive lucernis, sive pelvi, sive aqua, sive pila, sive quo alio genere tententur. ℙ *Prisc.* notat 7, 757. in quarto casu *pelvim* dici, ut *turrim*, *tussim*, *puppim*. Sed ut sextus et in *e*, et in *i* desinit, ita et quartus eodem modo desinere potest.

PĒLŪSĬACUS, a, um, et

PĒLŪSĬANUS, a, um, adj. ad Pelusium pertinens. *Virg. G.* 1, 228. Nec Pelusiacae curam aspernabere lentis. V. NILIACUS. *Colum.* 5, 10. *f.* Pelusiana mala. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 3. Pelusiacum linum. *Id.* 5, 10, 11. et *Mela* 1, 9. *extr.* Nili ostium. *Plin.* 6, 29, 33. Pelusiaca via, *h. e.* quae Pelusium fert. *Claud. de Phoenice*, 97. Pelusiacae paludes.

PĒLŪSĬŌTA et Pelusiotes, ae, m. *Πηλουσιώτης*, qui est e Pelusio. *Hieron. adv. Jovin.* 2. *n.* 7. Impelle, si vales, Pelusioten, ut manducet caepe. *Gell.* 20, 8. Eam solam causam esse dicunt sacerdotes Aegyptii, cur Pelusiotae caepe non edunt, quia solum olerum omnium, contra lunae aucta atque damna, vices minuendi et augendi habeat contrarias.

PĒLŪSĬUM, ii, n. *Πηλούσιον*, *Belbais*, seu *Belbes*, urbs Aegypti prope oram litoralem maris mediterranei, apud ostium Nili orientale, quod inde Pelusiacum dicitur. Ita est vocata a *πηλός*, lutum, quia, teste *Strabone l.* 16. et 17., solum ejus maxime lutosum erat. Dicitur Peleus Achillis pater hanc urbem condidisse, monitu Deorum, post lustrationem. Eo enim tempore Peleus furiis agitabatur, quia fratrem Phocum interemerat. *Plin.* 10, 30, 45. et 31, 7, 39.

PĒLŪSĬUS, a, um, adj. idem ac Pelusiacus. *Phaedr.* 2, 5. Cui tunica ex humeris linteo Pelusio Erat destricta. *Mart.* 13, 9. Accipe Niliacam, Pelusia munera, lentem. *Lucan.* 8, 466. In vada decurrit Pelusia septimus amnis.

PĒMĬNOSUS. V. PAEMINOSUS.

*PEMMA, ae, opp. Aethiopiae, vel fortasse in Aegypti Aethiopiaeque confinio. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

PEMMA, ătis, n. *πέμμα*, Graece est omnis cibus, qui coquitur: a *πέπτω*, coquo. Speciatim est genus placentae. *Varr.* ap. *Non.* 2, 483. Panis, pemma, lucuns, cibu' qui purissimu' multo est; et *ib.* Vinum, pemma, lucuns illi nihil ista ministrant. Ita *Scal.* legit utroque loco. Graecis *πέμμα* est etiam secundae mensae cibus omnis, ut *Gell.* docet 13, 11. *extr.*

PĒNĀRĬUS, a, um, adj. ad penum pertinens, ut Penaria cella, ap. *Varr. L. L.* 4, 33. *med.* Sic *Paul.* ex *Festo:* Penora dicuntur res necessariae ad victum quotidianum, et locus earum, penarius. *Cic. Verr.* 2, 2, 2. *f.* Siciliam nobis non pro penaria cella, sed pro aerario fuisse. *Id. Sen.* 16. Semper enim boni assiduique domini referta cella

vinaria, olearia, etiam penaria est, villaque tota locuples est. ℙ Dicitur et *penuarius:* nempe a *penus, i,* fit *penarius:* a *penu, u, penuarius. Ulp. Dig.* 33, 9, 3. *med.* Sive frumentum, sive quid leguminis in cella penuaria habuit. Ita *Torrent.* et *Haloand.*, et sic legitur a quibusdam etiam in locis *Cic.* allatis.

PĒNĀTES, um, m. plur. γενέθλιοι Θεοὶ, πατρῷοι, ἑφέστιοι, Dii domestici privatique cujusque domus et familiae. *Cic. N. D.* 3, 27. Nec longe absunt ab hac vi Dii Penates, sive a penu ducto nomine (est enim omne, quo vescuntur homines, penus) sive ab eo, quod penitus insident: ex quo etiam penetrales a poetis vocantur. *Macr. Sat.* 3, 4. Qui diligentius eruunt veritatem, Penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus. *Cic. Dom.* 57. Vosque qui maxime me repetistis atque revocastis, quorum de sedibus haec mihi proposita est contentio, patrii Penates, familiaresque. *Id. Sext.* 20. Te, patria, testor, et vos Penates, patriique Dii. *Virg. A.* 3, 12. feror exsul in altum Cum sociis, natoque, Penatibus, et magnis Diis; et *ib.* 5, 62. adhibete Penates Et patrios epulis, et quos colit hospes Acestes. *Cic. Dejot.* 5. *med.* In conspectu Deorum Penatium necare hospitem. ℙ Quinam sint Dii hoc nomine designati, non una est sententia. *Macrob. l. c.* loquens de Penatibus Romanorum propriis, dicit esse Jovem, Junonem, Minervam: adjicit Vestam, vel tanquam de eorum numero, vel certe eorum comitem. *Demaratus* ap. *Serv.* ad *A.* 2, 296. Mercurium adjungit. *Nigid.* ap. *Arnob.* 3, 123. Penates facit Neptunum et Apollinem. *Varr. ib.* eos, qui sunt introrsus, atque in intimis penetralibus, nec eorum numerum, nec nomina sciri. Addit *Arnob. ib.* ab Etruscis appellari Consentes, et Complices, et esse sex mares, et totidem feminas, nominibus ignotis, et miserationis parcissimae. Rursus *Nigid. ib.* disciplinas Etruscas secutus, ait, genera esse eorum quatuor, et esse Jovis ex his alios, alios Neptuni, Inferorum tertios, mortalium hominum quartos. *Caes. ib.* ex eadem Etruscorum disciplina quatuor nominat, Fortunam, Cererem, Genium Jovialem, ac Palem, sed non illam feminam, sed masculum nescio quem, ministrum Jovis ac villicum. *Serv.* ad *A.* 2, 296. et 325. his consona fere tradit. Illud certo affirmare possumus, fuisse Penates, qui in quaque domo colebantur, quibus sacrae erant privatorum singulorum aedes, et praesertim culina, et focus. Unde per metonymiam ponuntur pro ipsis aedibus, et patria, et laribus. *Cic. Quint.* 26. *med.* Quintius a suis Diis Penatibus praeceps ejectus. *Virg. A.* 8, 123. et nostris succede Penatibus hospes. *Petr. Sat.* 115. Illum Diis vota reddentem Penatum suorum ruina sepelit. *Mart.* 8, 75. Dum repetit sera conductos nocte Penates. *Quint. decl.* 1, 2. Filium caecum in semota Penatium parte seposuit. *Virg. A.* 1, 231. ferro Libycos populare Penates. *Id. G.* 4, 155. de apib.: Et patriam solae, et certos novere Penates. ℙ [Penatium vero cultus Lavinii praecipuus fuit (V. LAURENS), ubi duos fuisse, eosdemque ac Dioscoros, seu Castorem et Pollucem, apparet ex nummo gentis Antiae ap. *Morell. Fam. Rom. n.* 2., in quo duorum juvenum capita jugata et laureata cum inscriptione *Dei Penates;* item ex alio gentis Fontejae *ib. n.* 3., in quo super eadem capita binae sunt stellae cum litteris P. P. *h. e.* Penates Praestites; item ex alio gentis Sulpiciae *ib. tab.* 2. *n.* 3., cujus pars antica eadem capita refert cum litteris D. P. P. *h. e.* Dei Penates Praestites, ut interpretatur *B. Borghesius Dec. numism.* 6. *n.* 7., ejusdem vero pars aversa eosdem exhibet Deos Penates hastatos, paludatos, et jacentem in medio scrofam cum subjectis triginta porculis dextra commonstrantes. Hic quidem typus recte explicatur ex *Sex. Aur. Vict. de orig. gent. R.* 12., ubi narrat, Aeneae Lavinium condituro per quietem visa fuisse Deorum Penatium simulacra, suem triginta porculos enixam ibidem commonstrantium, et adhortantium, ut in condenda urbe perseveraret. Eandem rem narrat *Virg. A.* 3, 589. et sqq. V. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 319. V. CABIRUS. *F.*] ℙ Pro aede, seu templo alicujus numinis. *Stat. Th.* 1, 641. Cyrrhaei in limine templi Constitit, et sacras ita vocibus asperat iras: Non missus, Thymbraee, tuos supplexve Penates Advenio. ℙ Aliquando cum Laribus confunduntur, aliquando distinguuntur. [*Front. ad Anton. Pium* (ed. *A. Maio*) *ep.* 5. Apud Lares, Penates, Deosque familiares meos et reddidi, ut suscepi vota, et precatus sum, uti anno insequenti bis te complecterer ista die, bis pectus tuum et manus exosculerer, praeteriti simul et praesentis anni vicem persequens. *F.*] *Virg. A.* 8, 543. hesternumque Larem, parvosque Penates Laetus adit; et *ib.* 9, 258. per magnos, Nise, Penates, Assaracique Larem obtestor. V. plura in LARES. ℙ In singulari num. *Liv.* 28, 18. Quoniam fors eos sub uno tecto esse, atque in eodem Penate voluisset. Al. leg. *ad eosdem Penates.* ℙ Rectus casus aliis *Penas*, aliis *Penatis* est. *Festus:* Penati singulariter *Labeo Antistius* posse dici putat, quia pluraliter Penates dicantur: cum patiatur proportio etiam Penas dici, ut optimas, primas, Antias. ℙ [*Confund. *Penates* et *parentes.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 257.]

PĒNĀTĪGER, ra, rum, adj. qui Penates gerit. *Ov. Met.* 15, 450. Haec Helenum cecinisse penatigero Aeneae Mente memor refero.

PĒNĀTOR, oris, m. *Festus:* Penatores, qui penus gestant. Cato adversus M. Acilium quarta: Postquam nautas ex navibus eduxi, non ex militibus atque nautis piscatores, penatores feci, sed aurum dedi. *Dacerius* suspicatur legendum esse *venatores*, et *Fest.* in corruptum *Catonis* codicem incidisse.

PENDENS, entis, part. a *pendeo:* qui pendet. *Lucr.* 6, 911. anelli pendentes ex se. *Ov. Met.* 8, 772. pendentia vidi Serta super ramos. *Virg. A.* 8, 631. geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros; et *ib.* 5, 393. et spolia illa tuis pendentia tectis. *Id. G.* 4, 374. thalami pendentia murice tecta, *h. e.* imminentia. Sic *Mart.* 2, 14. centum pendentia tecta columnis. *Ov. Met.* 1, 268. pendentia nubila; et *Lucr.* 6, 194. Speluncasque velut saxis pendentibu' structas; et *Ov. Her.* 15, 141. antra scabro pendentia topho. *Id. Pont.* 1, 7, 51. pendentes rupe capellae, *h. e.* stantes in praecipiti, quasi suspensae sint. *Phaedr.* 5, 8. Cursu volucri pendens in novacula, *h. e.* leviter insistens, et paene non attingens. *Plin.* 10, 38, 54. Aves quaedam expandunt alas, pendentesque raro intervallo quatiunt, *h. e.* suspensis magis et stantibus similes, quam volantibus et procedentibus. ℙ *Vinum pendens*, uva adhuc in vite pendens. *Cato R. R.* 147. Hac lege vinum pendens venire oportet. *Julian. Dig.* 19, 1, 25. Pendens vindemia. Sic ap. *Cat. R. R.* 146. Olea pendens, *h. e.* arbori suae adhaerens, et nondum lecta; et *Cajus Dig.* 6, 1, 44. Pendentes fructus. ℙ *Pendentia* dicuntur, quae flaccida sunt, et deficiunt. *Ov. Met.* 15, 231. fluidos pendere lacertos. *Juven.* 10, 193. Pendentesque genas, et aniles aspice rugas. Sic *Plin.* 14, 22, 28. Hinc pallor, et genae pendulae; et *Suet. Aug.* 99. Malae labentes. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 1, 105. cum prave sectum stomacheris ob unguem De te pendentis, te suspicientis amici. *Sen. ep.* 5. *f.* Pendens animus, i. e. incertus, dubius; et *Sen. alter Oed.* 594. Gravis senectus sibimet, et pendens metus, *h. e.* anxius, sollicitus. *Plin.* 29, 1, 8. Pendentia fata. *Quint.* 9, 4. *med.* Clausulae periodi claudae atque pendentes. *Plin. praef. H. N.* Pingendi, fingendique conditores invenies absoluta opera pendenti titulo inscripsisse; ut *Apelles faciebat*, aut *Polycletus.* ℙ *Lis, causa, judicium, appellatio, conditio pendens*, quae nondum definita est, aut impleta, saepe ap. JCtos in *Digest.* et *Cod.* ℙ *In pendenti esse* dicuntur, quae adhuc incerta et dubia sunt. *Pompon. Dig.* 38, 17, 10. Quando in pendenti est, an quaedam personae possint obstare matri. *Ulp. ib.* 46, 3, 58. In pendenti est posterior solutio, ac prior: quippe incertum est, debitum, an indebitum exegerit. *Id. ib.* 7, 1, 25. In pendenti est, cui acquirat iste fructuarius servus; et *Triphonin. ib.* 49, 17, 19. *f.* In pendenti habere dominia.

PENDĔO, es, pĕpendi, a. 2. κρέμαμαι, suspensus sum. *Virg. G.* 3, 53. Et crurum tenus a mento palearia pendent. *Mart.* 7, 37. Turpis ab inviso pendebat stiria naso. *Cic. Verr.* 2, 4, 34. Sagittae pendebant ab humero. *Virg. G.* 2, 523. dulces pendent circum oscula nati. *Prop.* 2, 23, 35. capiti sacros patiar pendere corymbos. *Cic. Verr.* 2, 3, 26. *med.* Pendere ex arbore; et *ib.* 23. *med.* Tamdiu pependit in arbore socius populi R., quamdiu voluntas Apronii fuit. *Varr.* ap. *Non.* 3, 195. In candelabro pendet strigilis. *Petr. Sat.* 30. Lucerna bilychnis de camara pendebat; et *ib.* 28. *extr.* Super limen cavea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes salutabat. *Plin.* 15, 15, 17. Pira serotina ad hiemem usque ad matrem pendent, gelu maturescentia. *Ov. Pont.* 3, 3, 17. Horrida pendebant molles super ora capilli. *Id. Met.* 7, 379. olor niveis pendebat in aera pennis; et *ib.* 1, 12. Nec circumfuso pendebat in aere tellus, Ponderibus librata suis; et *ib.* 8, 145. jam pendebat in auras, Et modo factus erat fulvis halyaeetos alis. *Id. Amor.* 3, 2, 63. Sed pendent tibi crura; potes, si forte juvabit, Cancellis primos inseruisse pedes; et *Virg. A.* 2, 544. telumque imbelle sine ictu Conjecit, rauco quod protinus aere repulsum. Et summo clypei nequicquam umbone pependit, *h. e.* leviter infixum adhaesit pendens. ℙ Pendent aves, cum in aere se sustinent, neque progrediuntur. *Mart. Spect.* 21. de Orpheo: Et supra vatem multa pependit avis. ℙ Vestes exteriores, quibus amicimur, ut toga, chlamys, et hujusmodi. *Ov. Met.* 2, 733. chlamydemque, ut pendeat apte, Collocat. *Mart.* 1, 93. Cerea si pendet lumbis, et trita lacerna. *Virg. A.* 11, 577. Tigridis exsuviae per dorsum a vertice pendent. ℙ *Pendere collo* de iis, qui collo alterius brachia circumdant amplexus gratia. *Ov. Fast.* 2, 760. Deque viri collo dulce pependit onus. *Sen. Thyest.* 523. Vos quoque, senum praesidia, tot juvenes, meo Pendete collo. ℙ Solebant servi pendere ad trabem, dum loris caederentur. *Ter. Phorm.* 1, 4, 43. Ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit. *Id. Eun.* 5, 7, 20. Tu jam pendebis, qui stultum adolescentulum nobilitas flagitiis, et eundem indicas. *Pl. As.* 3, 3. 26. *Le.* O Libane, ut miser est homo, qui amat! *Li.* imo hercle vero qui pendet, multo est miserior. *Le.* scio, qui periculum feci. *Id. As.* 2, 2, 35. Nudus vinctus centum pondo es, quando pendes per pedes. Hoc supplicium *Id. ib.* 37. ita describit: Ad pedes quando alligatum est aequum centupondium, ubi manus manicae complexae, atque adductae ad trabem. ℙ De velocissime currente, et vestigia vix signante. *Stat. Th.* 6, 638. vix campus euntem Sentit, et exilis plantis intervenit aer, Raraque non fracto vestigia pulvere pendent. ℙ De votis, et donariis. *Virg. Ecl.* 7, 24. Hic arguta sacra pendebit fistula pinu. *Prop.* 4, 3, 16. Omnibus heu portis pendent mea noxia vota. *Virg. A.* 7, 183. Multaque praeterea sacris in postibus arma, Captivi pendent currus curvaeque secures, Et cristae capitum, et portarum ingentia claustra, Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis. Adde *Sil.* 1, 617. et *Tibull.* 2, 5, 29. ℙ *Pendere* dicuntur, quae supra caput instant, imminentque. *Ov. Her.* 10, 26. Hinc scopulus raucis pendet adesus aquis. *Virg. G.* 1, 214. Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent. *Val. Fl.* 3, 499. viden', Arctoo de carcere quanta Tollat se nubes, atque aequore pendeat atro? *Hor. Od.* 3, 1, 17. Destrictus ensis cui super impia Cervice pendet. ℙ Item quae mobilia sunt, atque instabilia, et cedentia oneri. *Ov. Met.* 11, 232. Litus habet solidum, quod nec vestigia servet, Nec remoretur iter, nec opertum pendeat alga. ℙ Item qui in summo, aut praecipiti stant, et non insistere, sed haerere, et suspensi esse videntur. *Virg. A.* 1, 100. Hi summo in fluctu pendent: his unda dehiscens Terram inter fluctus aperit. *Id. ib.* 5, 206. illisaque prora pependit. *Id. Ecl.* 1, 77. de capris: Dumosa pendere procul de rupe videbo. *Sil.* 8, 283. de auriga: Et praeceps trepida pendens in verbera planta, Impar fertur equis. *Virg. A.* 10, 586. pronus pendens in verbera telo Admonuit bijugos. *Ov. Her.* 18, 52. de natante: corpus dubia saepe pependit aqua. ℙ De iis qui se suspendunt. *Ov. R. Am.* 17. Cur aliquis collum laqueo nodatus ab arcto, E trabe sublimi triste pependit onus? *Mart.* 8, 61. Livet Carinus, rumpitur, furit, plorat, Et quaerit altos, unde pendeat, ramos. *Id.* 4, 77. Pendentem volo Zoilum videre. ℙ Translate *pendere* dicitur, qui suspensus et dubius est, haeret, anxius est, et sollicitus. *Cic. Agr.* 2, 25. Nolo suspensam et incertam plebem Romanam obscura spe et caeca exspectatione pendere. *Id. Att.* 4, 15. Ne diutius pendeas, palmam tulit. *Ter. Ad.* 2, 2, 18. Animus tibi pendet: ubi illinc, spero, redieris, tamen hoc ages. *Plin. ep.* 6, 6. Pendeo, et exerceor, afficior metu. *Sen. ep.* 69. Quamdiu futurum hoc sit, non nimis pendeo. *Lucr.* 6, 50. Mortales pavidis cum pendent mentibus. *Val. Fl.* 3, 93. pendent mortalia longo Corda metu, quibus illa fretis, quibus incidat arvis. *Id.* 5, 301. Cunctaque adhuc, magni veniant dum regis ad urbem, Ambigua, et dubia rerum pendentia summa. ℙ Hinc *pendere animo*, et saepius *animi*, et *animis* in plur. num. esse dubium, haerere. *Cic. fragm. carm.* ap. *Non.* 3, 85. Atque animo noctu pendens eventa timebat. *Id. Tusc.* 4, 16. Qui appropinquans aliquod malum metuit, exanimatusque pendet animi. *Id. Att.* 8, 5. Pendeo animi exspectatione Corfiniensi; et *ib.* 16, 12. Animi pendeo et de te, et de me; et *ib.* 11, 12. Ostendis te pendere animi, quamnam rationem sim Caesari allaturus profectionis meae. *Pl. Merc.* 1, 2, 18. Ego animi pendeo, quid illud sit negotii. *Cic. Tusc.* 1, 40. Exspectando et desiderando pendemus animis, cruciamur, angimur. *Ursin.* in quodam MS. *animi* reperit. *Liv.* 7, 30. *f.* Prospectantes quidillis nos, patres conscripti, sollicitis ac pendentibus animis renunciare jubeatis. Hic quoque al. leg. *animi.* ℙ Item qui intentus est et fixus adhaeret, quasique pendens deserere non posse videtur. *Virg. A.* 4, 79. et *Ov. Her.* 1, 20. Narrantis conjux pendet ab ore viri. *Plin. ep.* 1, 10. Sequaris monentem attentus et pendens. *Sil.* 8, 93. Ad vultus conversa tuos, ab imagine pendet; et *Val. Fl.* 1, 481. Pervigil Arcadio Tiphys pendebat ab astro; et *Quint.* 11, 3. *med.* Dominatur autem maxime vultus: hoc pendent homines, hunc intuentur, hunc spectant. ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 10, 457. e summo pendent cupida agmina vallo Noscere quisque suos. ℙ Item quod ab alio descendit, dependetque. *Cic. Or.* 2, 25. Ex quo verbo, lege Apuleja, tota illa causa pendebat. ℙ Item quod innititur, consistit. *Cic. Fam.* 6, 22. Ut incolumitati tuae, tuorumque, qui ex te pendent, consulas. *Id. Marcell.* 7. Ex unius tua vitam pendere omnium. *Id. Par.* 2. Cui spes omnis, et ratio, et cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil potest esse certi. *Id. Fam.* 5, 13. Laudem sapientiae statuo esse maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene, aut male vivendi sus-

pensas habere rationes. *Id. Fl.* 2. Salus nostra, quae spe exigua extremaque pendet. *Id. Pis.* 41. Neque in tabellis paucorum judicum, sed in sententiis omnium civium famam nostram fortunamque pendere. *Lucan.* 5, 686. Cum tot in hac anima populorum vita salusque Pendeat. *Sil.* 3, 109. oblite, tua nostram pendere salutem; et 13, 504. deque tuis pendentia Dardana fatis. ℙ Item quae cessant, intermittuntur. *Virg. A.* 4, 88. pendent opera interrupta, minaeque Murorum ingentes. Similiter ap. JCtos *pendere* dicuntur, et *in pendenti esse* (V. PENDENS.) quae in suspenso sunt, et in praesenti vim suam non habent. *Pomp. Dig.* 12, 1, 8. Mutui datio interdum pendet, ut ex post facto confirmetur. *Ulp. ib.* 24, 1, 11. *med.* Ut tamen haec traditio pendeat, donec mors consequatur. *Id. lib. regular. tit.* 11. Quamdiu apud hostes est, patria potestas in filio ejus interim pendebit. *Id. Dig.* 7, 1, 12. *f.* Condictio pendet. *Id. ib.* 3, 5, 8. Actio negotiorum gestorum pendeat. ℙ Fructus quoque terrae *pendent*, quamdiu solo, aut arbori adhaerent. V. PENDENS. ℙ Item leges, et edicta, quae proponuntur, et in loco publico suspenduntur, ut omnibus nota fiant. *Lampr. Alex. Sev.* 45. Tacebantur secreta bellorum: itinerum autem dies publice proponebantur, ita ut edictum penderet ante menses duos. *Auson. Grat. act.* 21. Has ego litteras tuas si in omnibus pilis atque porticibus, unde de plano legi possint, instar edicti pendere mandavero, etc. ℙ Denique rei, quorum nomina ab accusatoribus delata, in actis magistratuum publice perscripta sunt. *Suet. Dom.* 9. Reos, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependissent, universos discrimine liberavit, nec repeti nisi intra annum, eaque conditione permisit, ut accusatori, qui causam non teneret, exsilium poena esset. V. simile quippiam ap. *eund. Aug* 32. *Plin. ep.* 4, 9. Ad senatum remissus diu pependit, *h. e.* illius nomen diu affixum fuit. ℙ Et ii, quorum bona venalia propter aes alienum proponuntur. *Suet. Claud.* 9. *f.* Ad eas rei familiaris angustias decidit, ut cum obligatam aerario fidem liberare non posset, in vacuum lege praediatoria venalis pependerit sub edicto praefectorum. ℙ Et ipsae res, quae venales prostant. *Phaedr.* 3, 4, Pendere ad lanium quidam vidit simium. ℙ *Pendeo* pro *pendo*, h. e. pondus habeo. *Plin.* 21, 34, 109. Drachma sex obolos pondere efficit: obolus decem chalcos: cyathus pendet drachmas decem. Nisi dicas v. *pendet* esse futurum a *pendo*.

*PENDICŬLUS, i, m. in *Gloss. Cyrill.* ἀρχεδὼν et ἀρχεδώνιον redditur, quae vox *laqueum* vel *funem* notat. Cf. locum *Salmasii* citatum in *Pendigo. B. A.*

PENDĪGO, iginis, f. occultum vitium in corpore animalis, quando intra illud cavum aliquod, aut sinus ex morbo fit, ubi pus et corrupta sanies colligitur: a *pendeo*, quasi sinus quidam sit pendens intus, et excrescens. *Veg. Vet.* 2, 44. Si jumento scapulae fuerint dissolutae, diligenter inspicias, ne quas inter nervos et commissuras pendigines faciat: quod si inveneris, quacumque parte plagas accipere poterit, cataplasmatibus mollire, et scalpello, vel cauterio aperire curabis, ut sanies illa atque collectio defluat; et *ib.* 55. Si cesserit in dolore, et maturum fuerit, aperies, et saniem emittis: pendiginem circumcides ad vivum, etc. ℙ Commode de statuis inanium Deorum *Arnob.* 6, 201. O utinam liceret in simulacri alicujus medias introire pendigines: et *mox:* Jamdudum istos videretis Deos, quos exterior levitas lenocinio fulgoris augustat, laminarum flatilium esse crates, particularum coagmenta deformium, etc. interque omnes sinus commissurarumque juncturas plumbum ire suffusum, etc. *Salmas.* in *Solin.* 28. ap. *Arnob.* intelligit πήγματα, h. e. compactiones, commissuras, quasi appendices, ubi una pars alteri per juncturam appenditur, et compingitur.

PENDIX, icis, f. Binae *Inscr.* habentur ap. *Grut.* 601, 10. et 11. eaedemque ap. *Mur.* 926, 5. et 932, 2., in quibus legitur servus *a pendice cedri.* Putat *Salmas. l. c. in voce praeced.* pendicem idem esse, quod pendiginem, atque ad hujus servi curam spectasse quidquid arcularum, aut aliarum rerum e cedro compactum erat Viderint alii. Nam *Pignor. de serv.* p. 240. nihil extricat.

PENDO, is, pĕpendi, pensum, a. 3. [*proprie est pendĕre facio, imprimis lances in ponderando. Hinc primo loco posuimus exemplum, quod v. pendendi cum notione ponderandi, pondus ad trutinam explorandi exhibet, Gr. σταθμάω, nostr. *waegen.*] *Varr.* ap. *Non.* 6, 41. Unumquodque verbum statera auraria pendere. ℙ Metaphorice est considerare, examinare. *Cic. Verr.* 2, 4, 1. Ego quo nomine appellem, nescio: rem vobis proponam: vos eam suo, non nominis pondere penditote. *Id. Or.* 16. In philosophia res spectatur, non verba penduntur. *Id. Quint.* 1. *f.* Si apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate causa pendetur. *Id. Rosc. Am.* 22. Tamen non temere creditur, neque levi conjectura res penditur. *Lucan.* 4, 707. Quis conferre duces meminit? quis pendere causas? ℙ Item pro aestimare, τιμάω. *Lucr.* 6, 1247. Nec jam relligio Divum, nec numina magni Pendebantur. *Pers.* 1, 29. Ten' cirratorum centum dictata fuisse, Pro nihilo pendes? *Ter. Heaut.* 1, 1, 103. Tu illum nunquam ostendisti, quanti penderes. *Hor. Sat.* 2, 4, 93. quem tu vidisse beatus Non magni pendis. *Ter. Eun.* 1, 2, 14. Nihili pendere aliquid; et 3, 1, 21. flocci. *Id. Andr.* 3, 2, 45. et *Pl. Bacch.* 3, 6, 29. parvi. (unde coalescentibus vocibus *parvipendo* est factum.) *Pl. Bacch.* 2, 2, 29. plurimi. *Id. Most.* 4, 1, 27. Minoris pendo tergum illorum, quam meum. ℙ Item metonymice pro solvere: ductum ex eo, quod ante cusam pecuniam Romani aes stateris appendebant, non numerabant. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 4. *f.* Poeni stipendia pendunt. *Cic. Prov. cons.* 3. Achaei ingentem pecuniam pendunt L. Pisoni quotannis. *Liv.* 25, 8. Neque ullum vectigal Poeno pensuros. *Caes. B. G.* 5, 23. Quid in singulos annos vectigalis populo R. Britannia penderet, constituit. *Cic. Att.* 12, 25. Reliquae pecuniae usuram Silio pendemus. *Juven.* 3, 15. Mercedem alicui pendere. *Tac. A.* 13, 51. *extr.* tributum pro navibus; et *ib.* 2, 87. pretium; et *ib.* 4, 72. coria bovum in usus militares. ℙ *Pendere poenas*, inquit *Paul.* ex *Festo*, solvere significat, ab eo quod aere gravi cum uterentur Romani, penso eo, non numerato, debitum solvebant. Unde proprie dicitur de eo, qui ob delictum pecuniam solvit, δίκην τίειν: metaphorice est dare poenas, luere, pati. *Ter. Heaut.* 4, 4, 6. Syrus mihi tergo poenas pendet. *Cic. Att.* 11, 8. Maximas poenas pendo temeritatis meae. *Liv.* 34, 61. Satis pro temeritate unius hominis suppliciorum pensum esse. *Ov. Fast.* 3, 845. capitis poenas pendere. *Just.* 11, 4. Magna se perfidiae supplicia pependisse, deleta juventute. *Id.* 8, 2. Poenas violatae religionis sanguine et caedibus suis pendunt. *Ov. Met.* 10, 232. Exsilio poenam potius gens impia pendat, Vel nece. ℙ Absolute. *Val. Fl.* 1, 445. tuis nam pendit in arvis Delius, ingrato Steropem quod fuderat arcu. ℙ *Pendere culpam, crimen*, h. e. poenas pro culpa. *Id.* 4, 477. nec credite culpam Saevitiae, scelerumve mihi nunc crimina pendi. ℙ *Pendere grates*, solvere, reddere, rependere. *Stat. Theb.* 11, 223. dignas sed pendere grates, Haud mortale opus est: certent tibi reddere Bacchus Noster, et Alcides. ℙ Impersonaliter. *Plin.* 12, 14, 32. *f.* Iterumque imperii nostri publicanis penditur. ℙ [*Tum *pendere* de rebus ipsis, quae ponderantur, dicitur, significatque pondus habere: nostr. *wiegen:* quam vocis notionem ut primam Noster ab initio collocaverat, his laudatis exemplis:] *Lucr.* 1, 360. Nam si tantumdem est in lanae glomere, quantum Corporis in plumbo est, tantumdem pendere par est. *Sen. ep.* 66. *med.* Bona vera idem pendunt, idem patent: falsa multum habent vani. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 2. In Transpadana Italia scio vicenas quinas libras farris modios pendere. *Id.* 31, 6, 31. Fistulas, legitimum est, si quinariae erunt, sexagena pondo pendere: si octonariae, centena. (*Vitr.* de eadem re verba faciens 8, 7. *pondus habere* dicit, et *Pall.* 9, 12. *libras habere* pro *pendere.*) *Id.* 9, 15, 17. Praecipua magnitudine thynni; invenimus talenta quindecim pependisse. Adde *ib.* 30, 48. ℙ Part. *Pendendus* in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 43. Earum arborum eruendarum, ferr. pendendarum, adolendarum, commolendarum causa, *h. e.* ferro bipenni findendarum: etenim *Isid. Or.* 19, 19. Securis apud veteres penna vocabatur; utraque autem parte habens aciem, bipennis, quasi duas pennas habens. ℙ *Pendissent* pro *pependissent* legimus ap. *Liv.* 45, 26. *f.*, sed quia ejusd. libri *c.* 29. bis habet *pependissent*, priore loco mendum suspicari possumus. Quamquam et *Paul. Nol. carm.* 14, 122. *penderit* dixit. ℙ [*Confund. *pendere* et *perdere. Cort.* ad *Lucan.* 2, 313.]

PENDŪLUS, a, um, adj. κρεμαστὸς, ἐκκρεμὴς, pendens, suspensus, pensilis. Vox est ferme poetica. *Hor. Od.* 3, 27, 58. potes hac ab orno Pendulum zona bene te secuta elidere collum. *Ov. Fast.* 4, 386. Pendula coelestes Libra movebat aquas. *Id. Met.* 7, 117. Pendulaque audaci mulcet palearia dextra. *Id. Her.* 1, 10. Lassaret viduas pendula tela manus. *Mart.* 8, 33. bombyx pendulus urget opus. *Colum.* 10, 229. Quae canat inter opus Musa modulante putator Pendulus arbustis. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 324. Pendula librato figit vestigia saltu, *h. e.* levia, suspensa, pendentia. *Plin.* 14, 22, 28. de ebrietate: Hinc pallor, et genae pendulae, tremulae manus, etc. ℙ *Pendula Venus*, et Graece περιβαιὴ dicitur schema, illud Venereum, quo super virum resupinatum mulier aversa varicus ita sedet, ut equitare videatur; hinc etiam *equus Hectoreus* appellatur, V. EQUUS. *Appul. Met.* 2. Inscenso grabatulo, super me sensim residens, ae crebra subsiliens lubricisque motibus mobilem spinam quatiens, pendulae Veneris fructu me satiavit. Huc pertinet illud *Hor. Sat.* 2, 7, 49. Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum; et *Juven.* 6, 321. tollit pendentis praemia coxae; et *Auct. epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 633. *Burm.* Inque modos omnes doctas imitata tabellas Transeat, et telo pendeat illa meo. [*V. *Ruhnk.* ad *Jul. Ruf. de schem. lex.* §. 38. p. 263. sqq. *ed. Fr.*] ℙ In alto positus, et quasi pendens, declivis. *Mart.* 13, 112. Pendula Pontinos quae spectat Setia campos. Adde 4, 64. et 10, 20. *Colum.* 2, 18. Macriora et pendula loca fimo juvanda sunt. *Claud. in Ruf.* 2, 507. dubio tibi pendula rupes Immineat lapsu. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 18, 110. ne fluitem dubiae spe pendulus horae, *h. e.* haerens, incertus, exspectatione suspensus, anxius, sollicitus. *Vopisc. Sat. ex ep. Hadriani Imp.* 8. Aegyptum totam didici, levem, pendulam, et ad omnia famae momenta volitantem.

PĒNE. adv. V. PAENE.

PĒNĒIS, idis, f. Πηνηΐς, quae ad Peneum pertinet. *Ov. Met.* 1, 544. spectans Peneidas undas; et *ib.* 472. hoc Deus in Nympha Peneide fixit, *h. e.* Daphne Penei filia; et 504. Nympha precor, Penei, mane: non insequor hostis.

PĒNĒĬUS, a, um, adj. Πηνήϊος, ad Peneum pertinens. *Virg. G.* 4, 317. Peneia Tempe. *Ov. Met.* 12, 209. arva. *Stat. Th.* 4, 143. stagna. *Val. Fl.* 1, 386. laurus. V. DAPHNE. *Ov. Met.* 1, 452. Primus amor Phoebi Daphne Peneia. Adde *ib.* 525. *Lucan.* 8, 33. Peneius amnis, *h. e.* Peneus.

*PĒNĔLEUS, ei et eos, Hippalci et Asteropes filius, unus ex procis Helenae, in bellum Trojanum missus. *Hyg. fab.* 81 et 97. *B. A.*

PĒNĔLŌPE, es, et Penelopa, ae, f. Πηνελόπη, Icari filia, Ulyssis uxor. Dictam volunt ab avibus, quae Penelopes dicuntur, sive Meleagrides, cum ante Arnea diceretur, quasi abjecta et repudiata: ab ἀρνέομαι, recuso, abnuo. Ferunt enim, cum ab Icaro Periboeaque parentibus esset exposita, ab hoc avium genere fuisse educatam. Celebratur tanquam pudicitiae exemplar, quae absente totos viginti annos marito, nullis aut parentum precibus, aut procorum pollicitationibus adduci potuit, ut fidem, quam viro discedenti dederat, secundis nuptiis violaret. Cum autem proci acrius instarent, atque adeo vim illaturi viderentur, tantum morae ab illis sibi postulavit, quantum telae, quam in manibus habebat, absolvendae sufficeret: quod cum impetrasset, quicquid interdiu texuerat, noctu retexebat, eoque commento eorum cupiditatem in reditum mariti distulit, qui ab illa sub mendici habitu hospitio susceptus, procos ad unum omnes interemit. *Cic. Acad.* 4, 29., *Ov. Her.* 1., *Hyg. fab.* 126. Hinc *Prop.* 3, 10, 38. Vincet Penelopes Aelia Galla fidem. Sed alii scripserunt, Penelopen cum omnibus procis corpus miscuisse, et ex eorum uno Panem peperisse, Ulyssem cognito uxoris adulterio in Cretam insulam secessisse, et Gortynae mortuum esse. V. *Voss. instit. or.* 1, 6. §. 8., *Francisc. Flor. Sabin. lect. subcisiv.* 3, 2. et *Auct. Priap.* 70. Sane Pan ex Mercurio tertio, et ex Penelope natus dicitur, sive haec uxor Ulyssis; sive alia quaedam fuerit. *Cic. N. D.* 3, 22. Tertius Jove tertio natus, et Maja, ex quo et Penelupa Panem natum ferunt. V. et *Serv.* ad *A.* 2, 43. et ad *G.* 1, 16. Porro hanc quaestionem de castitate Penelopae etiam temporibus Senecae movebant eruditi, ut innuit ipse *ep.* 88. *med.* ℙ Sponsos Penelopae *Hor. Ep.* 1, 2, 28. vocat homines luxui deditos, quibus nihil cordi est, praeter voluptates. ℙ Translate quaevis casta mulier Penelope dicitur. *Mart.* 1, 63. juvenemque secuta, relicto Conjuge, Penelope venit, ablt Helene.

PĒNĔLŌPĒUS, a, um, adj. ad Penelopen pertinens, ut Penelopea fides. *Ov. Trist.* 5, 14, 36. Penelopeus Telemachus, *h. e.* Penelopae filius, *Catull.* 61, 230. ℙ *Penelopea* absolute, ap. *Auct. Priap.* 70, 20. est ipsa Penelope.

PĒNĔLOPS, ŏpis, m. πηνέλοψ, avis quaedam, alio nomine Meleagris. *Plin.* 37, 2, 11. *n.* 1.

PĒNES, παρά, apud, praepos. ex iis, quae accus. regunt. [*Ac primo quidem loco collocavimus exempla, in quibus de loco dicitur, qui licet rarior, tamen proprius est hujus praepositionis usus. Noster secundo loco posuerat ista:] *Ter. Ad.* 3, 3, 34. Isthaec jam penes vos psaltria est? *S.* Ellam intus. *Cic. Mil.* 22. *extr.* Servi centum dies penes accusatorem fuere. *Caes. B. C.* 1, 76. Edicunt, penes quem quisque sit miles Caesaris, ut producatur. *Ulp. Dig.* 43, 5, 3. Si penes servum tabulae fuerint, dominus interdicto tenebitur. ℙ [*At longe frequentior est ea loquendi ratio, qua cum significatione dominii vel potestatis usurpatur.] *Ulp. Dig.* 50, 16, 63. *Penes te* amplius est, quam *apud te.* Nam *apud te* est, quod qualiter qualiter a te teneatur: *penes te* est, quod quodammodo a te possidetur. *Ov. Fast.* 1, 119. Me penes est unum vasti custodia mundi. *Cic. Agr.* 2. 19. Eos agros, quorum adhuc penes Cn. Pompejum omne judicium, et potestas debet esse, decemviri vendent? *Id. Brut.* 74. Penes quos laus fuit. *Sall. Jug.* 20. *extr. Sen. Q. N.* 4, 3. et *Plin.* 17, 12, 19. Fides penes auctores erit. Sic *Vell.* 2, 63. Summa virium penes eum est. *Pl. Amph.* 2, 2, 21. Omnia bona adsunt, quem penes est virtus. *Id. Aul.* 4, 4, 27. Perscrutatus es tuo arbitratu, neque tui me quicquam invenisti penes. *Hor. Sat.* 2, 3, 273. Penes te es? *h. e.* esne sanus mente? *Ter. Hec.* 4, 1, 20. Penes te culpa est. ℙ *Tac. A.* 4, 16. Plures ejus rei causas afferebat, potissimam penes in-

curiam virorum, feminarumque, *h. e.* potissimam causam tribuebat incuriae, etc.

PĒNESTAE, arum, m. plur. *Πενέσται*, populi Illyridis Graecae, in confinio Macedoniae, et Thessaliae, inter Albanos et Dassaretas. *Liv.* 43, 21. Conatus in Penestis Uscanam recipere, a praesidio repulsus. Hinc *F.*]

[PĒNESTĬA, ae, f. regio Penestarum. *Liv.* 43, 19. Uscanensibus Illyricisque venditis, in Penestiam exercitum reducit. Hinc *F.*]

[PĒNESTĬĀNUS, a, um, adj. ad Penestiam pertinens. *Liv.* 43, 18. Tertio die ad Uscanam (Penestianae terrae ea maxima urbs est) posuit castra. *F.*]

*PENESTĬCA, ae, Helvetiorum opp., inter Aventicum et Salodurum. *Ant. Itin.* ℙ V. PETENISCA. *B. A.*

PĒNETRĀBĬLIS, e, adj. *πόριμος, διαπρύσιος*, qui penetrari facile potest, pervius. *Ov. Met.* 12, 166. corpus nullo penetrabile telo. *Sen. Const. Sap.* 3. *f.* Non refert, quam multa in illum conjiciantur tela, cum sit nulli penetrabilis. *Stat. Th.* 2, 653. nullique tuum penetrabile ferro Pectus. *Just.* 4, 1. de Sicilia: Terra cavernis quibusdam, fistulisque ita penetrabilis, ut ventorum tota ferme flatibus pateat. *Stat. Silv.* 3, 5, 21. Aut septemgemini caput haud penetrabile Nili, *h. e.* quod deprehendi, aut adiri non potest. ℙ Item qui facile penetrat. *Virg. G.* 1, 93. Boreae penetrabile frigus. *Id. A.* 10, 481. Aspice, num mage sit nostrum penetrabile telum. *Sil.* 7, 649. penetrabilis haesit arundo. *Ov. Met.* 13, 857. penetrabile fulmen. *Macr. Sat.* 7, 12. Vinum tanto penetrabilius in venas efficitur bibendo, quanto fit liquidius faece purgata. *Gell.* 10, 3. Multa copiosaque invidia, gravique et penetrabili querimonia dicere aliquid. ℙ *Adverbii more *penetrabilius* comparat. ap. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 29. Hausto fluminis frigore penetrabilius utique quo rarior. *B. A.*

PĒNETRĀLE, is, n. penetrale. *Macr. Sat.* 7, 1. Intra suum penetral. *Sym. ep.* 2, 34. Sanctum penetral animi tui nesciunt. Adde *Prop.* 4, 8, 6., ubi al. aliter leg.

PĒNETRĀLĒ, is, n. *μυχὸς*, omnis pars interior domus, vel templi, teste *Serv.* ad *A.* 7, 59., adeo ut opus sit penetrare, h. e. penitus intrare, ut *Fest.* ait. *Mart.* 10, 51. Nec Capitolini summum penetrale Tonantis. *Virg. A.* 2, 484. Apparent Priami et veterum penetralia regum; et *ib.* 7, 59. Laurus erat tecti medio in penetralibus altis. *Lucan.* 5, 146. adyti penetrale remoti Fatidicum. *Ov. Trist.* 1, 1, 105. Cum tamen in nostrum fueris penetrale receptus, Contigerisque tuam, scrinia curva, domum. *Liv.* 41, 20. Cyzici in Prytaneum, hoc est, penetrale urbis, ubi publice, quibus his honos datus est, vescuntur, vasa aurea mensae unius posuit. *Sil.* 7, 501. Evocat e liquidis piscem penetralibus esca. *Ov. Met.* 1, 574. Magni amnis penetralia. ℙ Signum alicujus numinis, quod in penetrali colitur. *Sil.* 13, 62. Huc vittas, castumque refer penetrale parentum. ℙ Translate. *Quint.* 6, 2. *med.* Mihi in animo est, quae latent penitus, ipsa hujus loci aperire penetralia; et *Stat. Silv.* 3, 5, 56. fixamque animi penetralibus imis Nocte dieque tenes.

PĒNETRĀLIS, e, adj. *ἐνδόμυχος*, internus, interior. *Virg. A.* 2, 297. Aeternumque adytis effert penetralibus ignem. *Cic. Har. resp.* 27. Deorum ignes, solemnes mensas, abditos ac penetrales focos, occulta sacra inexpiabili scelere pervertit. *Virg. G.* 1, 379. Saepius et tectis penetralibus extulit ova Angustum formica terens iter. ℙ *Penetrales Dii* a poetis dicuntur Penates, ut *Cic. N. D.* 2, 27. docet. *Sen. Oedip.* 265. Per regna juro, perque penetrales Deos. Adde *Phoen.* 340. ℙ *Penetrale sacrificium*, quod interiore parte sacrarii conficitur. *Festus.* ℙ *Penetralis*, penetrabilis, facile penetrans. *Lucr.* 1, 494. Permanat color argentum, penetraleque frigus; et 2, 382. Quare fulmineus multo penetralior ignis.

PĒNETRĀLĬTER, adv. penetrando, intus, interius. *Venant. Vit. S. Mart.* 4, 597. Et fera delicti penetraliter ulcera mordent.

PĒNETRĀTĬO, onis, f. actus penetrandi. *Appul. Flor. n.* 18. Paribus utrinque aculeis, simili penetratione, mutuo vulnere.

PĒNETRĀTOR, oris, m. qui penetrat. *August. ep.* 199. *med.* Domus alienae penetratores. *Prud. Hamart.* 883. sed ignis Trajector nebulae, vasti et penetrator operti est. *Paul. Nol. carm.* 20, 285. Spiritus ille Dei penetrator ubique per omnes Naturas rerum.

PĒNETRĀTUS, a, um, part. a *penetro:* pervasus, aditus, permeatus. *Lucr.* 1, 528. Haec neque dissolvi plagis extrinsecus icta Possunt, nec porro penitus penetrata retexi. *Vell.* 2, 40. Penetratae cum victoria Media, Albania, Hiberia, ac deinde flexum agmen ad eas nationes, quae, etc. *Stat. Silv.* 4, 6, 104. de Hercule: Hic penetrata tibi, spoliataque limina montis Concinet. ℙ Qui penetravit, insinuatus. *Lucr.* 4, 671. Quae penetrata queunt sensum progignere acerbum.

PĒNETRO, as, avi, atum, a. 1. *εἰσδύνω, διαπείρω*, penitus intro, ingredior, pervado, permano, permeo. *Pl. Bacch.* 1, 1, 33. Homo adolescentulus penetrem me hujusmodi in palaestram, ubi damnis desudascitur. *Cic. Univ.* 9. *extr.* Astra, quae per coelum penetrantia, solstitiali se, et brumali revocatione converterent. *Lucr.* 2, 538. vallo munitur eburno, Ut penitus nequeat penetrari. *Cic. Tusc.* 1, 20. Qui ostium Ponti viderunt, et eas angustias, per quas penetravit Argo. *Nep. Chabr.* 4. Cum enim eo *(in portum)* penetrasset, ceterae *(naves)* non sunt secutae. *Suet. Caes.* 52. Eadem nave paene Aethiopia tenus Aegyptum penetravit. *Virg. A.* 1, 247. Illyricos penetrare sinus. *Id. ib.* 7, 207. Idaeas Phrygiae penetravit ad urbes. Adde *Cic. Prov. cons.* 13. *Ov. Met.* 12, 42. penetratque cavas vox omnis ad aures; et *ib.* 7, 601. tristes penetrant ad viscera morbi; et *ib.* 12, 336. jaculum laevam penetravit in aurem. *Cels.* 5, 28. *n.* 3. Ulcus celeriter serpendo, penetrandoque usque ad ossa, etc. *Liv.* 39, 31. Permixti turbae hostium intra vallum penetraverunt. *Id.* 2, 53. Tumultus e castris, et in urbem penetrat. *Cic. Somn. Scip.* 7. Romuli animus haec ipsa in templa penetravit. *Id. Verr.* 2, 4, 48. Ditem Patrem subito non longe a Syracusis penetrasse sub terras. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 10, 1. In eam speluncam penetratum cum signis est. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 2, 61. Hominum ratio in coelum usque penetravit. *Id. Brut.* 38. de actione: Nulla res magis penetrat in animos, eosque fingit, format, flectit. *Id. Part.* 36. Definiendo, describendoque ad sensum judicis opinionemque penetrare. *Just.* 5, 7. Adeo ad omnem aetatem tanti mali sensus penetraverat. *Suet. Gr.* 3. *f.* In provincias quoque grammatica penetraverat. *Ov. A. Am.* 3, 291. Quo non ars penetrat? discunt lacrimare decenter, Quoque volunt plorant tempore, quoque modo. *Tac. A.* 3, 4. Nihil Tiberium magis penetravit, quam studia hominum accensa in Agrippinam; et *H.* 4, 7. Sorte et urna mores non discerni: suffragia et existimationem, senatus reperta, ut in cujusque vitam famamque penetrarent. [*Plura praebet *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 347.] *Lucr.* 5, 1261. Tum penetrabat eos, posse haec liquefacta calore Quamlibet in formam, et faciem decurrere rerum. ℙ *Penetrare se*, se conjicere. *Pl. Amph.* 1, 1, 94. Perduelles penetrant se in fugam. *Id. Trin.* 2, 2, 1. Foras penetrare se ex aedibus. *Gell.* 5, 14. *med.* Specum quandam nactus, in eam me penetro, et recondo. *Pl. Truc.* 1, 1, 23. Ea intra pectus se penetravit potio. ℙ Translate. *Gell.* 13, 10. Penetrare se in litteras. ℙ *Penetrare pedem*, inferre. *Pl. Men.* 5, 2, 64. Si ego intra aedes hujus unquam penetravi pedem. Adde *ib.* 2, 3, 49.

[PĒNĒUS, a, um, adj. idem ac Peneius. *Ov. Met.* 7, 230. Nec non Peneae, nec non Spercheides undae. *F.*]

PĒNĒUS, i, m. *Πηνειός*, fluvius Thessaliae, qui ex Pindo ortus, deinde Larissam alluens, inter Olympum et Ossam per Tempe labitur, viridis calculo, amoenus circa ripas gramine, canorus avium concentu, et in sinum Thermaicum influit: nunc *Salampria* vocatur. *Plin.* 4, 8, 15., *Ov. Met.* 1, 569., et *Mela* 2, 3. Narrat *Claud. Rapt. Pros.* 2, 179. et sqq. Peneum olim, coeuntibus Ossa et Olympo, et cursum ejus intercludentibus, totam Thessaliam inundasse, et a Neptuno tridenti emotis montibus, viam ei rursus apertam fuisse. ℙ In fabulis est Deus, ut cetera fere flumina, pater Cyrenes et Daphnes. *Hyg. fab.* 161. et 203. Hinc *Ov. Amor.* 3, 6, 31. Te quoque promissam Xantho, Penee, Creusam Phthiotum terris occuluisse ferunt; et *Met.* 2, 243. Peneosque senex, Teuthranteusque Caicus. ℙ Quod legitur in quibusdam codicibus *Catull.* 68, 109. Quale *(barathrum)* ferunt Graji Peneum prope Cylleneum Siccare emulsa pingue palude solum: rectius *Pheneum* alii reponunt, quod est oppidum Arcadiae in Cyllene monte, *Φένεον*. *Plin.* 4, 6, 10. etiam innuit, circa illud paludem esse, ex qua Ladon fluvius oritur.

PĒNĬCILLUM, i, n. et Penicillus, i, m. dimin. peniculi, *γραφίς*, instrumentum pictorum inducendis coloribus. *Cic. Or.* 22. *f.* Pictor ille vidit, obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari. *Quint.* 2, 21. *extr.* Coelator coelum desiderat, et pictor penicilla. *Plin.* 28, 17, 71. Setae e penicillis tectoriis. *Id.* 35, 9, 36. *n.* 1. Zeuxis audentem jam aliquid penicillum ad magnam gloriam perduxit, *h. e.* artem pingendi: metonymia. Sic *paulo sup.:* Apollodorus primus gloriam penicillo jure contulit. ℙ Metaphorice. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. *med.* Modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo, *h. e.* ornamentis tuis, artificio et stilo meo. ℙ Item linamentum, quod vulneri vel aridum, vel imbutum medicamine imponitur, *μοτός*. *Cels.* 2, 10. *f.* Deligandum brachium superimposito expresso ex aqua frigida penicillo. *Id.* 7, 7. *n.* 6. Exigua penicilla interponenda, donec exulceratio ejus loci finiatur. ℙ Item linteolum concerptum ad similem fere usum. *Plin.* 34, 11, 26. Sed ablui aeruginem necessarium penicillis calidis, donec rodere desinat; et *ib.* 11, 32. Atramentum penicillo fronti impositum. *Id.* 20, 15, 57. de cumino: Propter colum quoque bibitur, illiniturque, vel penicillis fervens apprimitur fasciis. ℙ Item peniculus ad abstergendum. *Colum.* 12, 18. Picem in fundum destillare, deinde penicillo detergere. ℙ Penicilli ex spongiis. *Plin.* 9, 45, 69. Spongiarum tria genera accepimus: spissum ac praedurum; tragos id vocatur: spissum et mollius; manon: tenue densumque, ex quo penicilli; Achilleum. *Id.* 31, 11, 47. Mollissimum genus earum *(spongiarum)* penicilli: oculorum tumores levant ex mulso impositi; et *ib. f.* Circa Lyciam penicillos mollissimos nasci in alto, *h. e.* spongias, ex quibus penicilli fiunt. ℙ [Ita etiam vocatur collyrium quoddam, quod nempe oculis penicillo apponi solebat. *Inscr.* ap. *Tochon, cachets des ocul.* p. 66. Phronimi penicill. ad omnem lippit. Alia ap. *eund. ib.* p. 71. Junii Tauri penicillum ad omnem lippit. *F.*]

PĒNĬCŪLĀMENTUM, i, n. lacinia in modum peniculi, seu caudae dependens. *Enn.* ap. *Non.* 2, 624. Pendent peniculamenta unum ad quodque pedule. *Lucil. ib.* Peniculamentum vero reprehendere noli. Adde *Caecil. ib.* ℙ Pro ipsa cauda, seu caudae muscario. *Arnob.* 5, 163. Peniculamenta decurtantem cantheriorum, innectentem laqueos mobiles. Ita *Scal. in Catal.* Alii leg. *peniculantem, decurtantem contherios*, quod est, peniculos conquirentem, h. e. setas equinas caudarum, ex quibus laqueos texat.

PĒNĬCŪLANS. V. v. praec.

PĒNĬCŪLUS, i, m. parvus penis, h. e. parva cauda. Dicitur de extrema cauda setosa, aut villosa quorundam animalium, ut boum, equorum, vuldium, quibus utebantur ad pulverem et sordes abstergendas ex mensis, vasis, vestibus: et ita dicitur tale instrumentum, etiam si ex cauda non sit, *απογγεῖον, απογγάριον*. *Pl. Men.* 1, 1, 1. Juventus nomen fecit Peniculo mihi, ideo quia mensam, quando edo, detergeo. *Parasitus loquitur;* et *ib.* 2, 3, 40. Quis iste est Peniculus? qui extergentur baxeae? *Ter. Eun.* 4, 7, 7. Quid ignave? peniculon' pugnare, qui istunc huc portes, cogitas? *Sa.* egone? imperatoris virtutem noveram, et vim militum: sine sanguine hoc fieri non posse: qui abstergerem vulnera. ℙ Etiam spongiae longae, propter similitudinem caudarum, peniculi dictae sunt, teste *Paul.* ex *Festo*: et fortasse hujusmodi spongiam intelligit *Ter. l. c.* V. PENICILLUS. ℙ De penicillo pictorum. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 11. Arrepto peniculo, lineam duxit summae tenuitatis per tabulam. Ita editio *Jenson.* a. 1472. Aliae antiquiores, et *Hard.* penicillo. ℙ Ludit in ambiguo instrumenti abstergentis, et nominis Parasiti *Pl. Men.* 2, 2, 12. *Mes.* Quem tu parasitum quaeris, adolescens, meum? *Cyl.* Peniculum. *Mes.* accum hunc in vidulo salvum fero. *Lambin.* referebat ad *τὸ αἰδοῖον ἀρσενικόν*.

[PĒNĪGĒNES, is, m. pauperis filius: a *πένης*, pauper, et *γείνομαι*, nascor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1481, 5. T. Claudius Penigenes. *F.*]

PĒNIS, is, m. *κέρκος*, idem quod cauda, apud veteres. *Cic. Fam.* 9, 22. Caudam antiqui penem vocabant, ex quo est propter similitudinem penicillus. *Festus:* Penem antiqui codam vocabant, a qua antiquitate etiamnum offa porcina cum cauda in coenis puris offa penita vocatur: dictum est forsitan a pendendo. *Naevius* ap. *eund. ib.* Lares ludentes peni pinxit bubulo: *peni* ablat. pro *pene*, ut *puppi, navi.* ℙ Postea ob similitudinem ita est vocatum membrum virile, *πέος, ψολή*. *Cic. l. c.* At hodie penis est in obscenis: at Piso queritur, adolescentes peni deditos esse. Quod tu appellas suo nomine, ille tectius penem. Adde *Sall. Cat.* 14., *Hor. Epod.* 12, 8., *Juven.* 6, 337. et 9, 43.

PĒNISSĪMĒ. V. PENITUS adv.

PĒNĪTĒ, adv. penitus. *Catull.* 61, 178. Pectore uritur intimo Flamma, sed penite magis. Al. leg. *penita*, ut sit adjectivum. *Sidon. ep.* 4, 9. Actiones ejus quotidianas penitissime inspexi. Hoc superlativum a *penitus* etiam duci potest.

PĒNĪTUS, adv. *ἔνδον*, omnino intus, in imo, in fundo, in intimis partibus, intrinsecus: cui opponitur *extra*, aut hujusmodi. *Sev. Aetn.* 317. extra, penitusque coacti Exagitant venti. *Manil.* 4, 309. penitusque Deus, non fronte notandus. ℙ Ducunt a *penes*, ut in voce praec. dictum est. [*Ortum est ex *pene intus*, atque ita ut *peregre* triplicem habet significationem, cum proprie exprimat et ubi, et unde aliquid sit et quo proficiscatur. *Boettich.* l. mox l.] *Cic. Verr.* 2, 5, 27. Lautumias Syracusanas omnes audistis: opus est totum ex saxo in mirandam alitudinem depresso, et multorum operis penitus exciso. *Virg. A.* 10, 526. jacent penitus defossa talenta. *Id. G.* 2, 290. penitus terrae defigitur arbos. *Cels.* 5, 26. *n.* 7. Interest vulnus in summa parte sit, an penitus penetraverit. *Ov. Met.* 2, 178. despexit ab aethere terras Infelix Phaethon penitus penitusque jacentes. *Nep. Alc.* 9. Penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit. *Caes. B. G.* 6, 9. Suevos omnes penitus ad extremos fines se recepisse. *Virg. A.* 6, 59. Tot maria intravi du-

ce te, penitusque repostas Massylum gentes; et *ib.* 8, 242. umbrosae penitus patuere cavernae, Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens Infernas reseret sedes. *Cic. Cat.* 1, 13. Periculum autem residebit, et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus reipublicae. [**Lucan.* 1, 31. nulli penitus descendere ferro Contigit, i. e. in penitissimas seu intimas Italiae regiones, aut si mavis in viscera reipublicae penitus descendere: ita *Christ.* V. *Cort.* et *Mart. Lag.* ad h. l. in *ed. Web. Tac. G.* 41. non in ripa commercium, sed penitus. Atque notandum, saepissime *Tacitum* hac voce uti, cujus plurima exempla suppeditat *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 347.] ℙ Translate. *Cic. Leg.* 1, 5. Penitus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam putas. *Id. Har. resp.* 26. *extr.* Vitia in aliquo penitus defixa atque haerentia. *Id. Cluent.* 1. *f.* Evellere ex animis hominum opinionem tam penitus insitam. *Id. Verr.* 2, 2, 70. Bene penitus sese dare in familiaritatem alicujus. *Id. Att.* 7, 12. Demittere se penitus in causam. *Id. Or.* 1, 23. Res penitus perspectae, planeque cognitae; et *ib.* 5. Omnes animorum motus penitus pernoscendi. *Id. Att.* 8, 12. Penitus intelligere aliquid. *Hor. Od.* 1, 21, 3. Latonamque supremo Dilectam penitus Jovi; et *Tac. A.* 1, 52. Multa de virtute ejus memoravit, magis in speciem verbis adornata, quam ut penitus sentire crederetur. ℙ Pro radicitus: quod translate est nihil relinquendo. *Cic. Rosc. Com.* 7. Caput et supercilia penitus abrasa. *Id. N. D.* 1, 42. Euhemerus videtur religionem penitus totam sustulisse. *Id. Off.* 2, 8. Hanc consuetudinem et disciplinam penitus amisimus. *Hor. Sat.* 1, 3, 73. penitus excidere vitium irae. *Phaedr. prol.* 3. Curamque habendi penitus corde eradere. [**Suet. Claud.* 25. Druidarum religionem penitus abolevit.] ℙ Latiore significatione est prorsus, omnino, *πάντως, παντελῶς.* [**Haec ab anteced.* parum differunt.] *Virg. Ecl.* 1, 67. Et penitus toto divisos orbe Britannos; et *A.* 12, 623. Hi fugiunt, penitusque datis referuntur habenis. *Q. Cic. ad Tiron. Fam.* 16, 8. Te penitus rogo, ut, etc. *Cic. Fin.* 1, 15. Ob eam dibilitatem animi, multi parentes, multi amicos, plerique se ipsos penitus perdiderunt. *Id. Fam.* 5, 13. Reipublicae penitus diffidere. [*Hic commemorari posse videtur locus *Vell.* 2, 27, 1. At Pontius Telesinus, dux Samnitium, vir animi bellique fortissimus, penitusque Romano nomini infestissimus, i. e. in omnibus, quae sentiret et faceret, se Romanis praebuit inimicissimum. At *Ruhnk.*, q. v., leg. censet: vir animi fortissimus, belli peritissimus, Romanoque nomini infestissimus.] Comp. *Penitius* legitur ap. *Cels. l. c.* supra in §. 2. pro *penitus* in editione *Lindenii*, et in margine editionis *Constantini;* item ap. *eund.* 5, 28. *n.* 11. Penitiusque condita suppuratione. Sed utrobique *penitus* esse in MSS. affirmat *Targa.* Sup. *Penitissime* V. in PENITE: pro quo et *penissime* dictum est per syncop. *Pl. Most.* 3, 1, 125. Malum quod isti Dii Deaeque omnes duint: ita mea consilia perturbat penissime. Adde *Aul.* 3, 4, 7. ℙ *Prisc.* 3, 608. et 15, 108. ducit a *pene* adverb. seu *paene*, quasi: unde alii scrib. *paenissime. Appul. Apol.* Nam quod paenissime oblitus sum, nuperrime cum testamentum scripserit, etc.

PĒNĪTUS, a, um, adj. *ὁ ἔνδον, ὁ ἐντὸς*, qui intus, et in imo est, intimus, internus. *Diomed.* 1, 403. ducit a *penes:* quia quod penes me est, et in potestate mea, id internum quodammodo, atque intimum est mihi. *Pl. As.* 1, 1, 28. Exscrea usque ex penitis faucibus. *Id. Cist.* 1, 1, 65. In latebras abscondas pectore penitissimo. *Gell.* 9, 4. Scythae illi penitissimi, qui sub ipsis septentrionibus aetatem agunt. *Appul. Met.* 6. Fontis penita scaturigo; et *ib.* 11. Plane memineris, et penita mente conditum semper tenebis; et *ib.* 5. Praecordiis penitis nutrire invidiam. *Id. fr.* ap. *Prisc.* 3. *in.* Visus est ei adolescens trahere se in penitiorem partem domus. *Macr. Sat.* 5, 19. *med.* De Graecorum penitissimis litteris hanc historiam eruit Maro.

PĒNĪTUS, a, um, adj. *κερκώδης*, penem, hoc est caudam habens. Unde *offa penita:* de qua V. in OFFA et PENIS.

PENNA, ae, f. *πτίλον, πτερόν*, id quo aves vestiuntur. *Festus*, et alii ducunt ex Graeco *πετεινός*, seu *πετηνός*, aut *πετηνός*, volucris. V. PINNA. *Plin.* 11, 39, 34. Pennarum caules omnium cavi: praecisae non crescunt, evulsae renascuntur. ℙ Differt a *pluma*, qua tenuior est, mollior, et densior, totumque corpus tegit: *penna* autem crassior, et longior, ut in ala, et cauda. *Colum.* 8, 2. *med.* Gallinae sint rubicundae, vel fuscae plumae, nigrisque pennis; et 4. His rebus plumam, pennasque emundant. *Sen. ep.* 42. Meministi, cum quendam affirmares esse in tua potestate, dixisse me, volaticum esse ac levem et te non pedem ejus tenere, sed pennam. Mentitus sum: pluma tenebatur, quam remisit, et fugit. *Pl. Poen.* 4, 2, 48. Sine pennis volare haud facile est: meae alae pennas non habent. Adde *Ov. Met.* 2, 374. et sqq. ℙ Interdum ponitur sine hujus discriminis respectu. *Cic. N. D.* 2, 52. Aves pullos cum excluserint, ita tuentur, ut et pennis foveant, ne frigore laedantur, etc. *Lucr.* 2, 821. corvos quoque saepe volantes Ex albis album pennis jactare colorem. *Phaedr.* 1, 13. O qui tuarum, corve, pennarum est nitor! ℙ Saepe per synecdochen dicitur de alis. *Cic. Arat.* 48. Quae volat, et geminis secat aera pennis. *Phaedr.* 1, 31. Columbae saepe cum fugissent milvium, Et celeritate pennae vitassent necem. *Ov. Met.* 1, 506. Sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae. *Tibull.* 4, 1, 209. per liquidum volucri vehar aera penna. *Virg. A.* 3, 361. et praepetis omina pennae.: et 258. in silvas pennis ablata refugit; et *ib.* 4, 223. labi pennis; et 702. devolare; et *ib.* 6, 15. praepetibus credere se coelo; et 240. tendere iter; et *ib.* 11, 272. petere aethera. *Ov. Trist.* 5, 2, 26. pulsare aera. *Id. Met.* 8, 238. plaudere; et *ib.* 7, 354. sublatus in aera. *Id. Am.* 2, 6, 55. Pennas explicare. *Id. Met.* 4, 676. quatere in aere. *Sil.* 12, 455. pennasque addente pudore, Evolat. *Pl. As.* 1, 1, 80. Age tu, sis, sine pennis vola. ℙ Metonymice est ipse volatus. *Ov. Fast.* 1, 448. Nunc penna veras, nunc datis ore notas. *Prop.* 3, 8, 11. Tuque, o cara mihi, felicibus edita pennis, *h. e.* felici augurio ex avium volatu capto. Al. volunt *pennis* poni pro ipsis avibus, et sic ap. *Sil.* 3, 344. Fibrarum, et pennae, divinarumque sagacem Flammarum; et *Val. Fl.* 1, 231. seu flammas, seu lubrica comminus exta, Seu plenum certis interroget aera pennis. Sed hic quoque commode volatus auguria ferens intelligi potest. ℙ *Pennas vertere*, volando aufugere. *Prop.* 2, 19, 5. Me modo laudabas, et carmina nostra legebas: Ille tuus pennas tam cito vertit amor? ℙ Sagittae ut recta ferantur, pennae in posteriori parte adduntur. *Ov. Met.* 6, 258. Altera per jugulum pennis tenus acta sagitta est. ℙ Hinc per synecdochen *penna* pro sagitta. *Val. Fl.* 6, 421. cervos non Umbro venator edaci, Non penna petit. *Ov. Fast.* 2, 110. Flebilibus veluti numeris canentia dura Trajectus penna tempora cantat olor. *Sil.* 15, 634. hinc pennae Dictaeae volitant, hinc lancea, etc. ℙ Per similitudinem tribuuntur pennae et insectis alatis. *Virg. G.* 4, 73. de apib.: Tum trepidae inter se coeunt, pennisque coruscant. *Plin.* 11, 29, 35. Locustae tanto volant pennarum stridore, ut, etc. et *ib.* 2, 1. Pennae culicis. ℙ Proverb. est in illo *Hor. Ep.* 1, 20, 20. Me libertino natum patre, et in tenui re Majores pennas nido extendisse loqueris, *h. e.* amplius, elatiusque me extulisse, quam conditionis meae tenuitas ferret. ℙ Allegoria in illo *Cic. Att.* 4, 2. *med.* Iidem illi, qui mihi pennas inciderant, nolunt easdem renasci, *h. e.* qui me dignitate et fortunis spoliarunt, nolunt eas a me recuperari. Huc facit illud *Hor. Ep.* 2, 2, 50. me dimisere Philippi Decisis humilem pennis, inopemque, etc. ℙ Pro calamo scriptorio. *Isid. Or.* 6, 14. Instrumenta scribae, calamus, et penna: sed calamus arboris est, penna avis. Cum *Isid.* ann. a Chr. n. DCXXXVI. obierit, nec ullus suppetat antiquioris scriptoris locus, ex quo constet, veteres in scribendo usurpasse pennas pro calamis; videtur pennarum usus circa *Isidori* tempora incoepisse. Sunt tamen qui putant, huc referendum locum *Anonymi Vales.* ad *Ammian.*, qui haec habet §. 79. Theodericus laminam auream jussit interrasilem fieri, quatuor litteras regis habentem, Theod. (*h. e. Θεοδ.*), ut si subscribere voluisset, posita lamina super chartam, per eam pennam duceret, et subscriptio ejus tantum videretur.

[PENNĀRĬUM, ii, n. repositorium pennarum. *Gloss. Philox.* Pennarium, *καλαμοθήκη. F.*]

PENNĀTŪLUS, a, um, adj. diminut. pennati. *Tert. ad Nat.* 1, 10. *f.* Mercurius in calvitio pennatulus, *h. e.* pennato galero tectus.

PENNĀTUS, a, um, part. a *pennor: πτερωτός*, pennas habens, alatus, aliger. *Cic. fragm. carm. Div.* 1, 47. Hic Jovis altisoni subito pennata satelles. Al. leg. *pinnata. Plin.* 10, 52, 73. Pennatorum infecunda sunt, quae aduncos habent ungues. *Id.* 11, 1, 1. Pennatae apes. *Id.* 8, 21, 30. Pennati equi, quos pegasos vocant. *Lucr.* 5, 737. Pennatus Zephyrus. *Claud. Nupt. Honor.* 204. Pennata cohors, *h. e.* Amores aligeri. *Plin.* 34, 14, 39. Pennatum ferrum. *Sen. Thyest.* 861. Pennata spicula. V. PENNA. ℙ *Pennata arbor.* V. PINNATUS. ℙ Pennatas, impennatasque agnas, in Saliari carmine spicas significat cum aristis: et alias sine aristis, agnas novas volunt intelligi. *Paul.* ex *Festo.* ℙ *Compar. *pennatior* ap. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *Maio*) 69. Voto pennatior. *B. A.*

PENNESCO, is, n. 3. pennas, seu alas emitto. *Cassiod. Variar.* 1, 38. Pulli aquilae adulta aetate pennescunt.

PENNĪFER, ra, rum, adj. penniger. *Sidon. carm.* 2, 309. de gryphis: Flectis penniferos hederis bicoloribus armos.

PENNĪGER, ra, rum, adj. *πτεροφόρος*, pennas ferens, alatus, pennatus. *Cic. Univ.* 10. Animantium genera quatuor, quorum unum divinum atque coeleste, alterum pennigerum et aerium, tertium aquatile, terrestre quartum. *Plin.* 11, 16, 16. Rex apum non vermiculus, sed statim penniger. *Sil.* 8, 375. Nec mos pennigeris pharetram implevisse sagittis.

PENNĪNUS, a, um, adj. ad pennum pertinens, qui nempe acutus et altissimus est, a Celtico *penn*, summitas. Hinc *Penninus mons* vocatus est inter Alpes, qui nunc *monte di S. Bernardo*, in confinio Galliae Narbonensis, et Italiae, inter Salassos et Centrones, qua Annibalem, alterum bellum Punicum Romanis inferentem, transiisse narrat *Polyb.* 3, 50. et sqq. *Sen. ep.* 31. *med.* Penninus, Graiusque mons. *Tac. H.* 1, 61. Pennina juga; et *ib.* 87. Penninae Alpes; et 70. Penninum iter. *Anton. Itin.* Iter a Mediolano per Alpes Penninas Magontiacum: et *mox:* Summus Penninus, *h. e. gran S. Bernardo*, aut *Monte Giove:* et *mox:* Penni lucus, *h. e.* Penni numinis lucus. ℙ Cum quidam inter veteres crederent, ei jugo nomen inditum fuisse ab transitu Poenorum, non ab eo numine, quod in summo sacratum vertice Pennum seu Penninum montani appellabant; vulgus eum montem Poeninum vocare coepit, ut affirmat *Liv.* 21, 38., qui tamen contra *Polybii l. c.* narrationem negat, Annibalem illac transiisse, sed paulo infra, nempe per Vocontios, Tricorios et Caturiges, quod minime probant plurimi eruditi. *Plin.* 3, 17, 21. Salassorum Augusta Praetoria juxta geminas Alpium fores, Grajas atque Poeninas, his Poenos, Grajis Herculem transiisse memorant. *Inscr.* ap. *Grut.* 376, 6. Q. Caicilio Cisiaco proleg. provinciai Raitiai, et Vindelic., et Vallis Poenin, *h. e. del Vallese.* ℙ Etiam *Peninus* pro Penno, seu Pennino Deo scribitur, si modo vera est lectio, in *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. ant.* p. 85. *n.* 30. Lucius Lucilius Deo Penino optimo maximo donum dedit. Hanc *Sponius* repertam ait in monte Penni no, additque hunc Deum cultum olim fuisse sub figura juvenis dextram tollentis, sinistram demittentis, ejusdemque statuam columnae impositam Augustum victis Salassis dejecisse, eique Jovis simulacrum substituisse. Hinc *Inscr.* in *Act. antiquarior. Gall.* T. 3. p. 517. *n.* 21. Jovi Poenino Q. Cassius Facundus a com. Cos. V. S. L. L. M. Vide *Cluver. Ital. ant. l.* 1. *c.* 32. et *Germ. ant. l.* 1. *c.* 26. et *l.* 2. *c.* 6. [*Haud pauca ex suis hic adscripsit *F.*]

PENNĪPES, edis, comm. gen. pennas, seu alas habens in pedibus, ut Mercurius, et ab eo accerarvolatu, Non Ladas si ego, pennipesve Perseus. *Catull.* 55, 24. Non si Pegaseo ferptas Perseus.

PENNĪPŌTENS, entis, adj. potens pennis: epithet. volucrium. *Lucret.* 5, 787. Quadrupedum in membris, et corpore pennipotentum. Adde 2, 876. ℙ Dicitur et *pinnipotens*, quia *penna*, et *pinna* idem sunt. *Donat. edit.* 2, 1748. Componuntur nomina ex corrupto, et integro, ut pinnipotens, nugigerulus.

*PENNOCRUCĬUM, i, n. oppidum Britanniae. *Ant. Itin. B. A.*

[PENNOR, aris, dep. 1. idem ac pennesco, pennas emitto. *Dracont.* 1, 262. de ovis avium: Pennantur membrata globis, animantur, anhelant. *F.*]

PENNŬLA, ae, f. *πτερύγιον*, parva penna. *Cic. N. D.* 2, 52. Cum autem pulli pennulis uti possunt, tum volatus eorum matres prosequuntur. *Venant. carm.* 3, 22, 9. de hirund.: fetus Implumes placide pennula tensa tegit.

[PENNUS, a, um, adj. *Isid. Or.* 19, 19. Pennum antiqui acutum dicebant: unde et avium pennae, quia acutae. Hinc *bipennis*, q. v. v. ℙ Est etiam cogn. R., ut T. Quinctius Pennus Cos. ann. U. C. CCCXXIII. ap. *Liv.* 4, 26. et M. Junius Pennus Cos. ann. U. C. DLXXXVII. ap. *eund.* 45, 14. et in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 293. *F.*]

[PENSA, ae, f. demensum diurnum, sive annona statuta pro victu quotidiano. *Edict. Dioclet.* p. 19. Lateris crudi ad laterculos diurnam mercedem in lateribus quattuor pedum, vinum ut ipse sibi in pensam praeparet, pasto ✕ duos. Item lateris ex luto diurnam mercedem in lateribus N. octo, ita ut vinum ipse sibi in pensam praeparet, pasto ✕ duos. *F.*]

PENSĀBĬLIS, e, adj. qui pensari potest. *Ammian.* 31, 13. *med.* Damna nunquam pensabilia.

PENSĀTĬO, onis, f. actus pensandi, compensatio. *Petr. Sat.* 141. De stomachi tui recusatione non habeo, quod timeam. Sequetur imperium, si promiseris illi pro unius horae fastidio multorum bonorum pensationem. Adde *Ulp. Dig.* 16, 2, 7. et *Quint. decl.* 232. ℙ Item consideratio, examen, perpensatio. *Ammian.* 16, 12. *med.* Hostium terga caesuris adero indiscretus, si hoc pensatione moderata fiat et cauta.

PENSĀTOR, oris, m. *σταθμοῦχος*, ponderator. *Plin.* 33, 3, 13. Stipis ponderandae pensatores, libripendes dicuntur. *Hard.* leg. *dispensatores.*

PENSĀTUS, a, um, part. a *penso:* ponderatus. *Colum.* 12, 51. Sint autem iis portionibus pensata, quas infra subjicimus. *Flor.* 3, 15. C. Gracchi caput auro pensatum. V. *Val. Max.* 9, 4. *n.* 3. et *Vell.* 2, 6. ℙ Translate examinatus, consideratus, perpensus. *Sil.* 7, 223. Stat pensata diu belli sententia. ℙ Item compensatus. *Liv.* 26, 37. Transmarinae res quadam vice pensatae. *Claud. IV. cons. Honor.* 472. Fessaque pensatis respiret Graecia poenis.

PENSĔ, adv. cum studio, impense. *Flav.* ap.

Symm. ep. 2, 34. Nihil hac aetate tractandum pensius domesticis rebus.

PENSĬCŪLĀTĒ, adv. *ἀκριβῶς*, cum pondere, justoque examine. *Gell.* 1, 3. Quae a Theophrasto pensiculate atque enucleate scripta. Al. leg. *pensim* eod. sensu. V. PENSICULO.

[PENSĬCŪLĀTOR, oris, m. qui pensiculat. *Gloss. Philox.* Pensiculatores, *ἐξεταστάι. F.*]

PENSĬCŪLO, as, a. 1. idem ac pensito: est derivatum a *pensus*, ut *missiculo* a *missus*. *Gell.* 13, 20. Pensicula utrumque, et modulare. Sunt qui legunt: *utrunque pensiculate*, *moderateque*, etc. *Appul. Flor. n.* 9. Meum unumquodque dictum acriter examinatis, sedulo pensiculatis, ad limam et lineam certam redigitis. Adde *ib. n.* 23.

PENSĬLIS, e, adj. *χρεμαστὸς*, *μετέωρος*, suspensus, pendens, pendulus. *Pl. Ps.* 1, 1, 86. Restim volo mihi emere, qui me faciam pensilem. Adde *Poen.* 1, 2, 99. *Juven.* 1, 158. Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehetur Pensilibus plumis, atque illinc despiciet nos? *h. e.* lectica, in qua lectus, aut pulvinus mollissimus. *Hor. Sat.* 2, 2, 121. tum pensilis uva secundas, Et nux ornabat mensas, *h. e.* quae appensa pensili nodo, ut *Plin.* 14, 1, 3. loquitur, in hiemem servatur. *Plin.* 34, 3, 8. Pensiles lychnuchi in delubris. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 8. Pensiles tribus fecit. Loquitur de C. Curione, qui amphitheatrum cardinum versatili libramento suspensum fecit, in quo populus R. ludos spectaret. *Id.* 19, 5, 24. Cucurbita libertate pensili concessa, visa est novem pedum longitudinis, *h. e.* permisso, ut pendens libere posset crescere; et *ib.* 23. Cucumis mira voluptate Tiberio principi expetitus: nullo quippe non die contigit ei, pensiles eorum hortos promoventibus in solem rotis olitoribus. De hac eadem re *Colum.* 11, 3. *med.* Possunt etiam vasis majoribus rotae subjici, quo minore labore producantur, et rursus intra tecta recipiantur, etc. Hac ratione fere toto anno Tiberio Caesari cucumis praebebatur. ℙ *Pensilis fabrica* est, quae non in ipso solo sita est et fundata, sed fornicibus, camerationibus, columnis aut pilis suffulcientibus imposita. *Colum.* 1, 6. et 12, 50. Pensile horreum. *Plin.* 36, 13, 18. Pensilis ambulatio; et *ib.* 15, 24. *n.* 2. Cloacae, operum omnium dictu maximum, suffossis montibus, atque urbe pensili, subterque navigata; et *ib.* 14, 20. Legitur et pensilis hortus, immo totum oppidum, Aegyptiae Thebae, exercitus armatos subter educere solitis regibus, nullo oppidanorum sentiente. (De hortis pensilib. Babylonis V. *Curt.* 5, 1.) *Id.* 9, 54, 79., *Val. Max.* 9, 1. *n.* 1. et *Macr. Sat.* 2, 11. Pensiles balneae, *h. e.* camerationibus, et hypocaustis subjectis impositae: quas invenisse primum Sergium Oratam *Iid. ib.* tradunt. *Suspensuras balneorum* appellat *Sen. ep.* 90. *med.* Quomodo autem eae sint extollendae, et suspendendae, *Pall.* 1, 40. docet. ℙ *Pensilia* absolute, poma, quae suspensa per hiemem servantur. *Varr. R. R.* 1, 68. Pensilia, ut uvae, mala, et sorba, ipsa ostendunt, quando ad usum promi debeant. ℙ Obscena significatione sunt *τὰ αἰδοῖα*. *Auct. Priap.* 53. Pulcre pensilibus peculiati. V. PECULIUM.

PENSIM. V. PENSICULATE.

PENSĬO, onis, f. *ταλάντωσις*, actus pendendi, ponderatio, pondus. *Vitr.* 10, 16. *extr.* Quibus rebus Graecorum pensiones ad modulos habeant rationem, ad eam ut etiam nostris ponderibus respondeant, tradam; et *ib.* 8. de trutina: Quo longius aequipondium perducitur, etiam pari pondere pensionem parem perficit. ℙ Item solutio: qua ratione *pendere* est solvere: itemque ipsa summa pecuniae, quae certis temporibus solvitur, *καταβολή*. *Cic. Att.* 16, 2. Hortensius vero impudenter: nihil enim debetur ei, nisi ex tertia pensione, quae est cal. Sext., ex qua pensione ipsa major pars est ei soluta aliquanto ante diem. *Id. Fam.* 6, 18. *f.* A Dolabellae procuratoribus exigam primam pensionem. *Plin.* 16, 8, 12. Pensionem alteram tributi pauperibus Hispaniae donat. *Liv.* 38, 9. Ut quingenta darent talenta: ex quibus ducenta praesentia, trecenta per annos sex pensionibus aequis; et 33, 30. Mille talentum daret populo R. dimidium praesens, dimidium pensionibus decem annorum. *Ulp. Dig.* 33, 1, 3. *med.* Sed si ita legatum sit: Heres meus Titio decem trima die dato: utrum pensionibus, an vero post triennium debeantur. *Sen. ep.* 29. *f.* Pensionem alicui remittere. ℙ De tributo, et vectigali. *Aurel. Vict. Caes.* 39. *med.* Pensionibus inducta lex nova. *Id. in Epit.* 9. Novas vectigalium pensiones exquirere. ℙ De pretio, seu mercede, quae solvitur domino aedium, vel agri conducti. *Suet. Ner.* 44. Inquilinos privatarum aedium jussit pensionem annuam repraesentare fisco. *Juven.* 9, 63. Improbus es, cum poscis, ait: sed pensio clamat, Posce. *Paul. Dig.* 33, 7, 18. *med.* Si villicus non pensionis certa quantitate, sed fide dominica coleret. ℙ De usura fenoris. *Lampr. Alex. Sev.* 26. Usuras feneratorum traxit ad trientes pensiones, etiam pauperibus consulens. ℙ Festive *Cic. Phil.* 2, 44. Etenim ista tua minime avara conjux, nimium debet diu populo R. tertiam pensionem, *h. e.* tertii mariti mortem. Loquitur de Fulvia M. Antonii uxore, quae duos antea maritos habuerat, P. Clodium, et C. Curionem, occisos ambos propter turbas excitatas in republica. V. *ib.* 5. Alludit autem ad dotis restitutionem, quam viri, si cum uxoribus divortium fecissent, tribus pensionibus, et annuo intervallo solvere debebant.

PENSĬTĀTĬO, onis, f. solutio, pensio, tributum, *συντέλεια*. *Ascon.* in *Verr.* 2, 2, 1. Omne genus pensitationis in hoc capite positum est, canonis, oblationis, indictionis. Adde *Eumen. Grat. act. ad Constant.* 12. ℙ Item compensatio. *Plin.* 19, 6, 32. Caepas serius circa ver, cum germinant, transferri: ita crassescere praeteriti temporis pensitatione. ℙ Item impensa. *Sulpic. Sever. Hist. sacr.* 2, 8. Cum diurnam pensitationem, quae idolo inferebatur, clam ipsi *(sacerdotes)* absumerent.

PENSĬTĀTOR, oris, m. *ἐξεταστής*, *λογιστής*, ponderator, examinator. *Gell.* 17, 1. Verborum pensitatores subtilissimi.

PENSĬTĀTUS, a, um, part. a *pensito*: *ἐσταθμωμένος*, ponderatus, examinatus. *Plin. ep.* 1, 8. *med.* Nos contra multum ac diu pensitatus amor liberalitatis communibus avaritiae vinculis eximebat. *Tac. A.* 3, 52. Tiberius saepe apud se pensitato, an coerceri tam profusae cupidines possent, etc.

PENSĬTO, as, avi, atum, a. 1. *σταθμάομαι*, saepe, aut valde, et diligenter pondero: frequent. a *penso*, quod a *pendo*. *Aurel. Vict. Orig. gent. R.* 22. Lapis, quo lana pensitari solebat. *Plin.* 7, 7, 5. Is demum vitam aequa lance pensitabit, qui semper fragilitatis humanae memor fuerit. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 278. *n.* 170. Dicit, ex quo tempore Augustus rempublicam obtinere coepit, usque in hodiernum nunquam haec loca pensiones pensitasse. ℙ Translate est comparare. *Gell.* 1, 9. *f.* Philosophorum sectatores cum veteribus Pythagoricis pensitans; et *ib.* 13. Incommoda cum emolumento spei pensitanda esse. ℙ Item examinare, perpendere. *Liv.* 4, 41. Ne abs se imperatoria consilia, neu consulares artes exquirerent: quae pensitanda quoque magnis animis atque ingeniis essent, *h. e.* attente consideranda, ut intelligi et deprehendi possent. *Gell.* 11, 13. *f.* Vim ipsam rerum, virtutemque verborum pensitare. *Id.* 1, 4. Virtutes pensitare, vitia rimari. *Id.* 2, 27. Pensitare de aliqua re. *Suet. Aug.* 66. morosissime aliquid. ℙ Est etiam solvere. V. PENDO. *Cic. Agr.* 3, 2. *extr.* Immunia *(praedia)* commodiore conditione sint, quam illa, quae pensitant; et *Manil.* 6. Qui vectigalia vobis pensitant.

PENSĬUNCŪLA, ae, f. parva pensio. *Colum. praef.* 10. Fenoris tui reliquam pensiunculam percipe.

PENSO, as, avi, atum, a. 1. *σταθμάομαι*, pondero, a *pendo*. *Liv.* 38, 24. *med.* Mulier lingua sua, stringerent gladium, et centurionem pensantem aurum occiderent, imperavit. Adde *Sil.* 4, 153. ℙ Translate aestimare, judicium ferre. *Liv.* 34, 49. Reliquas civitates monere, ut ex factis, non ex dictis, amicos pensent. *Hor. Ep.* 2, 1, 28. Si, quia Grajorum sunt antiquissima quaeque Scripta vel optima, Romani pensantur eadem Scriptores trutina, non est quod multa loquamur. *Sen. Herc. Oet.* 1336. Pensate merita: mors erit pretium omnium. *Tac. H.* 3, 26. *extr.* Omnis caedes, et vulnera, et sanguis aviditate praedae pensabantur. *Sil.* 1, 533. gaudet nitescere duris Virtutem, et decoris pretio discrimina pensat. *Quint. decl.* 3, 16. Fortiter ancipites inibimus pugnas, vulnera laude pensabimus. ℙ Item cogitare, versare animo in utramque partem. *Curt.* 3, 6. Quidquid in utramque partem aut metus, aut spes subjecerat, secreta aestimatione pensabat; et 7, 8. Ibi sine arbitris singula animi consulta pensando, noctem vigiliis extraxit. ℙ Item compensare, rependere, paria facere. *Curt.* 8, 5. Exigua turis impensa tanta beneficia pensaturi. *Sen. Ben.* 3, 9. Beneficiis beneficia pensare. *Sen. alter f. Thyest.* Scelere quis pensat scelus? *Id. Oedip.* 606. Tepente Nilo pensat Arctoas nives. *Suet. Aug.* 25. *extr.* Aurei hami abrupti damnum nulla captura pensari potest. Sic *Claud. Rapt. Pros.* 1, 126. numeri damnum Proserpina pensat. *Id. VI. cons. Honor.* 115. materno laudem cum crimine pensat. *Cic. Off.* 2, 19. *extr.* Ceterisque operis et officiis erit, quod violatum est, pensandum. Al. leg. *compensandum*. *Vell.* 2, 88. *extr.* Praematuram mortem immortali nominis sui pensavit memoria. *Sil.* 15, 817. Cannas pensavimus, inquit, Annibal, et Trebiam, et Trasimeni litora tecum Fraterno capite, *h. e.* parem cladem intulimus. ℙ *Pensare iter*, compendium itineris facere. *Lucan.* 9, 685. Ille quidem pensabat iter, propiusque secabat Aera, si medias Europae scinderet urbes. V. COMPENSO. Sic *pensare moras*, compensare, *Id. ib.* 1002. ℙ *Pensare vicem*, supplere. *Plin.* 31, 8, 44. *extr.* Alex fotu apud mediterraneos aquae marinae vicem pensat. ℙ Est etiam solvere, luere, quomodo dicimus *pendere poenas*, etc. *Sen. Oedip.* 936. Itane tam magnis breves Poenas sceleribus solvis? atque uno omnia Pensabis ictu? *Val. Max.* 1, 8. *n.* 3. *extr.* Illi nefarium concubitum voluntaria morte pensarunt. *Ov. Her.* 2, 153. Stat nece matura tenerum pensare pudorem. Sic *Vell.* 2, 115. *f.* Imperatori nunquam adeo ulla opportuna visa est victoriae occasio, quam damno amissi pensaret militis, *h. e.* quam veluti emeret pretio amissi militis. *Sil.* 2, 35. Nullo jam capti vitam pensabitis auro, *h. e.* nulla auri summa persoluta vitam redimetis. *Calpurn. Ecl.* 4, 141. Sit Deus, et nolit pensare Palatia coelo, *h. e.* dare, et quasi impendere imperium terrarum pro imperio coeli. De Numeriano Imp. R. loquitur. *Id. ib.* 5, 111. sitis est pensanda tuorum, Canthe, gregum viridante cibo, *h. e.* solvenda, exstinguenda.

PENSOR, oris, m. qui pendit, et axaminat. *August. Confess.* 5, 4. *extr.* Mensor coeli, numerator siderum, et pensor elementorum. Adde *eund. C. D.* 15, 27.

PENSUM, i, n. *τὸ σταθμηθὲν*, praecipue in lanificio mulierum locum habet, et significat certum lanae pondus, quod mulieri certo tempore faciendum assignatur. *Pl. Merc.* 2, 3, 62. Nihil opus nobis ancilla, nisi quae texat, quae molat, lignum caedat, pensum faciat, aedes verrat, vapulet: et *mox* 81. Ea molet, conficiet pensum, pinsetur flagro. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 4, 97 et 491. *Virg. G.* 1, 391. nocturna carpentes pensa puellae; et *ib.* 4, 348. dum fusis mollia pensa Devolvunt. *Id. A.* 8, 412. famulasque ad lumina longo Exercet penso. *Ov. Her.* 3, 73. Nos humiles, famulaeque tuae data pensa trahemus, Et minuent plenas stamina nostra colos. *Id. Am.* 1, 13, 24. Lanificam revocas ad sua pensa manum. *Prop.* 3, 13, 15. famulam pensis oneravit iniquis. *Claud. in Eutr.* 1, 498. Ducere pensa. *Just.* 1, 3. Invenit eum pensa inter virgines partientem. *Prop.* 4, 3, 33. Noctibus hibernis castrensia pensa laboro, *h. e.* lanam in usum vestium militarium. ℙ Saepe refertur ad Parcas: diciturque de certo vitae hominum spatio, quod illae, tanquam lanae pensum, nere dicuntur. *Sen. Herc. Fur.* 181. Durae peragunt pensa sorores, Nec sua retro fila revolvunt. *Albin.* 1, 239. Clothoque, duasque sorores, Pollice quae certo pensa severa trahunt. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 52. quae seriem fatorum pollice ducunt, Longaque ferratis evolvunt saecula pensis. *Stat. Silv.* 3, 3, 172. Jamque in fine dies, et inexorabile pensum Deficit. Huc illud *Calpurnii* pertinet *Ecl.* 4, 137. Dii, precor, hunc juvenem post longa reducite vitae Tempora, vel potius mortale resolvite pensum, Et date perpetuo coelestia fila metallo. ℙ Translate est cujuscumque assignati muneris functio, officium, partes, munus. *Cic. Or.* 3, 30. Nunc ad reliqua progrediar, meque ad meum munus pensumque revocabo. *Pl. Bacch.* 5, 2, 33. Pensum meum lepide accurabo. *Id. Pers.* 2, 4, 1. Pensum meum, quod datum est, confeci. *Varr. R. R.* 2, 2. Nostrum pensum absolvimus. *Colum.* 3, 10. Peragere operis sui pensum. *Liv.* 4, 52. Is cum principio statim anni, velut pensum nominis familiaeque, seditiones agrariis legibus promulgandis cieret, etc.

PENSŪRA, ae, f. ponderatio, pensio. *Varr. L. L.* 4, 16. *extr.* Per trutinam solvi solitum, vestigium etiam nunc manet in aede Saturni, quod ea etiam nunc, propter pensuram, trutinam habet positam.

PENSUS, a, um, part. a *pendo*: *σταθμηθείς*, ponderatus. *Fest.* in *Pendere*. Aere gravi cum uterentur Romani, penso eo, non numerato debitum solvebant. *Titin.* ap. *Non.* 4, 362. Date pensam lanam, qui non reddet tempori, etc. *Plin.* 19, 3, 15. Laser ad pondus argentei denarii pensum. *Ov. Met.* 14, 270. pensas examinat herbas. ℙ Item solutus, impensus. *Ulp. Dig.* 17, 2, 52. *f.* Sumptus societati imputabit, qui in eam rem pensi sunt. Al. leg. *impensi*. ℙ Item examinatus, perpensus. *Id. ib.* 26, 7, 3. Si pater minus penso consilio hoc fecit. Al. leg. *perpenso*. ℙ Item aestimatus, pretiosus, gratus, probatus. *Pl. Stich.* 1, 2, 61. Utra sit conditio pensior, virginemne, an viduam habere? *Gell.* 12, 5. *med.* Ut nihil quicquam esset carius pensiusque nobis, quam nosmetipsi. *Atejus Capito* ap. *eund.* 13, 12. Ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod justum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset. ℙ *Nihil pensi habere*, *ducere*, nihil pensum habere, nihili aestimare, curare, perpendere, nullum respectum habere. *Sall. Cat.* 5. Hunc lubido maxima invaserat reipublicae capiundae: neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat; et 24. Prorsus neque dicere, neque facere quidquam pensi habebat. *Suet. Dom.* 12. Nihil pensi habuit, quin praedaretur omni modo. *Id. Ner.* 34. Neque in divexanda matre quidquam pensi habuit. *Sall. Cat.* 12. Pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque (al. *neque*) moderati habere. *Id. Jug.* 45. Nihil pensi, neque sancti habere, quoad semetipsa praecipitavit. *Val. Max.* 2, 9. *n.* 3. Nec pensi duxerat, iisdem imaginibus adscribi, etc. *Lact.* 6, 1. *med.* Nihil moderati aut pensi habent, dummodo auro coruscent. ℙ Similia his sunt *Liv.*

34, 49. Sed illis nec quid dicerent, nec quid facerent, quidquam unquam pensi fuisse. *Sall. Jug.* 56. *f.* Quibus si quidquam pensi unquam fuisset, non ea consilia de republica habuissent. *Pl. Truc.* 4, 2, 52. Nec mihi adest tantillum pensi jam, quos capiam calceos.

PENTACHORDUS, a, um, adj. *πεντάχορδος*, quinque chordas habens. *Capell.* 9, 325. pentachordum vocat systema vocum musicarum, quod *Vitr.* 5, 4. *f.* appellat diapente. V. DIAPASON.

PENTADACTYLUS, i, m. ita vocatur cochlearum marinarum genus, quinque quasi digitos, seu apices habens: a *πέντε*, quinque, et *δάκτυλος*, digitus. *Plin.* 32, 11, 53. V. ACTINOPHORA. ℙ *Pentadactylon* est etiam idem ac pentaphyllon. *Appul. Herb.* 2.

PENTADORON. V. DIDOROS.

PENTAETERICUS, a, um, adj. *πενταετηρικός*, quinquennalis: a *πέντε*, quinque, et *ἔτος*, annus. *Inscr.* ap. *Grut.* 499, 6. Agonotheta certaminis pentaeterici.

PENTAGONIUS et

PENTAGONUS, a, um, adj. *πανπάγωνος*, quinque angulos habens. *Auct. de limit.* p. 257. *Goes.* Pontes interdum trifinii, interdum quadrifinii, aliquando pentagonii recipiunt rationem. ℙ Ap. *Appul. Herb.* 2. est nomen pentaphylli herbae. V. PENTAPHYLLON.

PENTAMETER, tra, trum, adj. *πεντάμετρος*, quinque mensuras seu pedes habens. *Quint.* 9, 4. *med.* In pentametri medio. *Diomed.* 3, 502. Pentametrum elegum; et p. 506. Pentameter heroicus.

[PENTANUMMUS, i, m. nummus argenteus, qui quinque asses valet, idem ac quinarius. *Auct. de limit.* p. 265. *Goes.* Sub terminis invenimus aut cineres, aut testam tusam, aut decanummos, aut pentanummos. *F.*]

PENTAPETES, is, n. *πενταπετές*, quinquefolium, herba: a *πέντε*, quinque, et *πέτομαι*, pandor. *Plin.* 25, 9, 62. Quinquefolium Graeci vocant pentapetes, sive pentaphyllon. [**Fünfblatt*, *Fünffingerkraut*, Potentilla, *L.*]

PENTAPHARMACUM, i, n. compositio ex quinque pharmacis. Ap. *Spart. Ael. Ver.* 5. sumitur pro edulio, in quo quinque ciborum species sunt. V. TETRAPHARMACUM.

PENTAPHYLLON, i, n. *πενταφύλλον*, quinquefolium: a *πέντε*, quinque, et *φύλλον*, folium. *Appul. Herb.* 2. Graeci pentaphyllon, alii pentapetes, alii pentagonon, alii pentadactyion, alii pentatomon, Itali quinquefolium (*vocant*). V. PENTAPETES.

PENTAPOLIS, is, f. *Πενταπόλις*, regio Palaestinae, ad lacum Asphaltiten, ita dicta a quinque urbibus, quae in illa erant, ex quibus Sodoma, et Gomorrha nominantur. Olim de coelo tacta fuit, teste *Solino* 35., ut testatur humus nigra, et cinere soluta. Nascuntur ibi poma specie pulcherrima, sed quae comedi non possunt, licet matura videantur, quod leniter manibus pressa fumum exhalent, et in pulverem fatiscant. *Id. ib.* ℙ Item regio Cyrenaicae, mari Libyco exposita, in qua quinque urbes, Berenice, Arsinoe, Ptolemais, Cyrene, Apollonia. Hinc

PENTAPOLITANUS, a, um, adj. ad Pentapolin pertinens, ut Pentapolitana regio, h. e. Cyrenaica. *Plin.* 5, 5, 5.

PENTAPROTIA, ae, f. *πενταπρωτεία*, quinqueviratus, quinque primorum munus, qui et quinque summates vocantur: a *πέντε*, quinque, et *πρῶτος*, primus. *Imp. Constant. Cod.* 12, 29, 2.

PENTAPTOTA. V. DIPTOTA.

PENTAPYLON. V. ARBITRATOR.

PENTAS, ădis, f. *πεντάς*, quinarius numerus. *Capell.* 7, 239.

*PENTASCHOENOS, i, m. *Πεντάσχοινος*, opp. Aegypti inferioris, inter Pelusium et Casium montem. *Ant. Itin. B. A.*

PENTASEMUS, a, um, adj. *πενταόσημος*, quinque temporibus constans: a *πέντε*, quinque, et *σημεῖον*, tempus. Etenim *Quint.* 9, 4. *med.* *Πεντάσημι* percussiones: nam *σημεῖον* tempus est unum. *Capell.* 9, 330. Pentasemus pes.

PENTASPASTON, i, n. *πενταόσπαστον*, machina tractoria duobus trochleis et quinque orbiculis constans: a *πέντε*, quinque, et *σπάω*, traho. *Vitr.* 10, 3. Cum in ima trochlea duo orbiculi, in superiore tres versantur, id pentaspaston appellatur.

PENTASPHAERUM Folium, quod a *Mart. Dig.* 39, 4, 16. enumeratur inter species ad vectigal pertinentes, ut sunt cinnamomum, piper, nardi stachys, casia, etc. dictum vult *Gothofred.* quod quinque *σφαῖρας*, seu globulos habeat, et idem esse quod malabathrum. Alii aliter.

PENTASTICHOE Porticus, *πενταόστιχοι*, sunt quae ex quinque columnarum ordinibus constant. *Trebell. Gall.* 18.

[PENTASYLLABUS, a, um, adj. *πενταόσύλλαβος*, quinque syllabis constans: a *πέντε*, quinque, et *συλλαβή*, syllaba. *Mall. Theod. de metr.* 2. Pentasyllabos etiam quidam, et hexasyllabos pedes, quos Graeci syzygias vocant, faciendos crediderunt. *Mar. Victor.* 4, 2610. de versu Adonio: Quidam pentasyllabon epodon dixerunt, a numero syllabarum: alii trimetron epicon; est enim pars tertia epici versus. Alii rectius leg. *alii tritemorion epicon. F.*]

PENTATEUCHUS, i, m. vel Pentateuchum, i, n. *Πενταόστευχος*, volumen quinque librorum: a *πέντε*, quinque, et *τεῦχος*, volumen. Hoc nomine vocatur opus Moysis prophetae, cujus libri sunt: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. *Tert. adv. Marc.* 1, 10. V. HEPTATEUCHUS.

PENTATHLI, orum, m. plur. *πενταθλοι*, quinquertiones, athletae, qui pentathlo sese exercebant. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 12. de Myrone: Hic fecit Delphicos pentathlos.

PENTATHLUM, i, n. *πένταθλον*, quinquertium, exercitatio quinque artium, quasi *πέντε ἆθλοι*, quinque certamina. Quinque artes, quibus apud Graecos ingenuorum puerorum institutio constabat, hae erant: disci jactus, cursus, saltus, jaculatio, luctatio. Ita *Paul.* ex *Festo:* Ab aliis rectius ita enumerantur: cursus, saltus, disci vel jaculi jactus, lucta, pugilatus. Latini natationem, et equitationem adjecere.

[PENTATOMON, i, n. *πεντάτομος*, herba eadem ac pentaphyllon: a *πέντε*, quinque, et *τομή*, sectio. *Appul. Herb.* 2. *F.*]

*PENTECOSTALIS, e, adj. ad Pentecostem pertinens. *Tert. Idol.* 14. Festum pentecostale. *B. A.*

PENTECOSTE, es, f. dies festus, quinquagesimus post Pascha: a *πεντηκοστή*, scil. *ἡμέρα*, quinquagesima dies. *Tert. Idol.* 14. Non Dominicum diem, non Pentecosten ethnici nobiscum communicassent.

*PENTEDACTYLOS vel Pentedactylus, *Πεντεδάκτυλον ὄρος*, mons in terra Troglodytica, ad sinum Arabicum, prope Berenicen. *Plin.* 6, 29. ℙ Revera est adjectivum, subaudito *mons. B. A.*

[PENTELENSIS, e, adj. idem ac Pentelicus. *Vitr.* 2, 8. *med.* Athenis murus, qui spectat ad Hymettum montem, et Pentelensem. *F.*]

PENTELICUS, a, um, adj. *Πεντελικός*, ad Pentelicum pertinens, montem Atticae, unde optimum marmor effodiebatur, [quod nunc *cipolla bianco* dicitur, ut *cipollino verde* vocatur Carystius, quia ille in album, hic in viridem colorem magis vergit. *F.*] *Cic. Att.* 1, 8. Hermae Pentelici.

PENTELORIS. V. DILORIS.

PENTERES, is, f. *πεντήρης*, navis quinqueremis. *Hirt. B. Alex.* 47. Capit ex eo proelio penterem unam, triremes duas, etc. Est qui legit *pentiremem*, quae vox idem significat, sed hybrida est: a Graeco *πέντε*, quinque, et Latino *remus*. Adde *B. Afr.* 72. *extr.*

PENTETHRONICUS, a, um, adj. vox ficta a milite glorioso ap. *Pl. Poen.* 2, 25. ad significandam regionem longe positam, quae nuspiam est, et ad movendam apud imperitos admirationem: cujusmodi sunt ap. *eund. Mil.* 1, 1, 13. Gurgustidonii campi, etc. Al. leg. *Pelethronica*, alii *Pterornithica* (a *πτερὸν*, ala, et *ὀρνιθικός*, aviarius), quia de volaticis hominibus ibi agitur.

PENTHEIUS, a, um, adj. ad Pentheum spectans. *Sidon. carm.* 22, 94. Pentheia mater.

PENTHEMIMERES, is, f. *πενθημιμερής*, scil. *τομή*, h. e. semiquinaria, caesura versus constans ex duobus pedibus, et syllaba, quae dictionem claudit: a *πέντε*, quinque, *ἥμι*, semi, et *μέρος*, pars, ut *Virg. A.* 1, 1. Arma, virumque cano. [*Auson. ep.* 4, 85. Istos *(hendecasyllabos)* composuit Phalaecus olim, Qui penthemimeren habent priorem, Et post semipedem duos iambos. Alii vitiose hic leg. *penthemimerin*, ut sit a *πενθημιμερίς*. *F.*] *Terentian.* p. 2440. Et quem semipedem est necesse linqui, ut Sit penthemimeres tome locata.

PENTHESILEA, ae, f. regina Amazonum post Orithyiam. Haec, ut ait *Serv.* ad *A.* 1, 495., dicta est furens, quia sororem suam in venatione confixit, simulans se cervam ferire. Auxilium Trojanis adversus Graecos tulit, ejusque eo bello inter fortissimos viros magna virtutis exempla exstitere. Ab Achille victa, et interfecta est. *Just.* 2, 4. *Virg. l. c.* Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis Penthesilea furens. Alii ap. *eund. Serv.* ad *A.* 11, 661. tradunt, victam quidem ab Achille et captam fuisse, sed captivam adamatam, et victori Caystrum filium peperisse: quod significat *Prop.* 3, 9, 13. et sqq.

PENTHEUS, a, um, adj. *Πενθεῖος*, ad Pentheum spectans. *Stat. Th.* 2, 575. Pentheumque trahens, nondum te Phaedimus aequo, Bacche, genus.

PENTHEUS, i, m. dissyllab. *Πενθεύς*, filius Echionis et Agaves, qui cum Bacchi sacra contemneret, a matre et sorore numinis furore actis est dilaceratus. *Ov. Met.* 3, 514., *Hor. Od.* 2, 19, 14. et *Prop.* 3, 21, 33.

PENTHIDES, ae, m. *Πενθείδης*, Penthei filius, aut nepos. *Ov. Ib.* 449. et 609.

PENTIREMIS. V. PENTERES.

PENTOROBON, i, n. herba, al. paeonia, et glycyside, caulem habens duum cubitorum, comitantibus duobus, aut tribus, subrutilum, cute lauri, folium quale isatis, pinguius, et rotundius, et minus, semen in siliquis, aliud grano rubente, aliud nigro. *Plin.* 27, 10, 60. et 25, 4, 10. *Adde *Appul. H.* 64. *B. A.*

*PENTRI, orum, Samnitium populus. *Liv.* 9, 31. Pentrorum Samnitium. *B. A.*

PENU. V. PENUS.

PENUARIUS. V. PENARIUS.

PENULA, etc. V. PAENULA.

PENULTIMUS. V. PAENULTIMUS et PAENE.

PENURIA et Paenuria, ae, f. *ἀπορία*, *ὑστέρησις*, paucitas, inopia. *Paul.* ex *Festo:* Penuria est id, quod paene minus sit, quam necesse est. Al. leg. *quod penui minus sit. Manut.* vult scribi per diphthongum ex libris veterib. et quod ita dicta sit, quasi *paene urat: Dausquius* per *e*, quod magis placet. Notatio *Manutii* levis est: probabilior si a *penu* ducas: proprie enim dicitur de rebus ad penum, et victum pertinentibus. Nec obstat quantitas paenultimae, quae brevis esse deberet; saepe enim Latini syllabam, quae derivatione brevis est, producunt, ut in *rēgula* a *rĕgo*, in *tēgula* a *tĕgo*. [*V. *Doederl.* 3, 119.] *Virg. A.* 7, 112. ut vertere morsus Exiguam in Cererem penuria adegit edendi. *Lucr.* 5, 1005. Tum penuria deinde cibi languentia leto Membra dabat. *Sall. Jug.* 20. de Africa: Coelo, terraque penuria aquarum. *Colum.* 9, 14. *med.* de apib.: Si longior fames incesserit, optimum est per aditum vestibuli dulcia liquamina immittere, et ita penuriam temporum sustinere. *Ἐνώμη* est illud *Lucr.* 5, 1117. Divitiae grandes homini sunt, vivere parce Aequo animo: neque enim est unquam penuria parvi. ℙ *In penuria*, cum penuria est. *Plin.* 18, 13, 34. Taxatio in libras sestertii singuli, et in penuria bini. ℙ Latius de re quacumque. *Cic. Brut.* 1. Magna sapientium civium bonorumque penuria, vir egregius alienissimo reipubl. tempore exstinctus. *Id. Amic.* 17. Sunt igitur firmi, et stabiles, et constantes eligendi: cujus generis est magna penuria. *Sall. Jug.* 25. Penuria liberorum. *Liv.* 1, 9. mulierum. *Plin. ep.* 3, 19. colonorum. *Colum.* 7, 9. arborum. *Plin.* 8, 6, 6. Interfectos elephantos jaculis tradit, penuria consilii. *Gell.* 14, 2. Ut rem judiciariam, quoniam vocis, ut dicitur, vivae penuria erat, ex mutis, quod ajunt, magistris cognoscerem.

PENUS, us, m. et f. Penus, i, m. et f. Penum, i, n. Penus, penoris, n. et Penu, u, n. *βίος*, res necessariae ad victum hominum quotidianum, quae ad futuri temporis usum annuum servantur. Nam quod ad edendum bibendumque in dies singulos paratur, penus non esse, ajebat *Q. Scaev.* ap. *Gell.* 4, 1., sed ea solum, quae hujusce generis longi usus gratia contrahuntur, et reconduntur: quae ita dicta esse, quod non in promptu, sed intus et penitus habeantur in aedibus. (Al. contra censent *penitus* a *penus* dictum esse.) *Ser.* autem *Sulpic. ib.* docuit, Sejo Aelio placuisse, non quae esui tantum et potui forent, sed tus quoque, et cereos in penu esse; et *Massur. Sabin. ib.* etiam jumentis paratum cibum penori attributum dicit: itemque ligna et carbones, quibus penus conficitur, quibusdam ait videri esse in penu. Ex his autem, quae promercalia, et usuaria in locis iisdem essent, ea sola penoris putat, quae sint usui annuo. Similia his habentur ap. *Ulp. Dig.* 33. *tit.* 9. qui est *De penu legata*, *l.* 3. Latius definit *Cic. N. D.* 2, 27 Est enim omne, quo vescuntur homines, penus. *Pl. Ps.* 1, 2, 45. Nisi penus annuus hodie convenit, cras populo prostituam vos; et *ib.* 91. Nisi hodie mihi omne huc penus affertur. *Afran.* ap. *Prisc.* 5, 659. Vos, quibus cordi est intra tunicam manus laeva, dextra in penum herile. *Pl. Capt.* 4, 4, 12. Dicam ut sibi penum aliud ornet. *Julian. Dig.* 36, 2, 19. Ut ante litem contestatam tradita peno, heres liberetur. Al. leg. *tradito. Ter. Eun.* 3, 3, 18. In cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 174. et *Prisc.* 5, 659. Magna penus parvo spatio consumpta peribit. *Caesar Strabo*, *ib.* Propinquos nostros penore volebamus privare. *Vitr.* 10, 8. Navis immanibus mercis, et penus ponderibus onerata. ℙ Speciatim dicitur de cibis (excepto pane) et eorum condimentis, ut sale, melle, oleo, aceto: item de salgamis cujuscumque generis, ut sunt carnes salitae, poma, aut olera condita, etc. *Hor. Ep.* 1, 16, 72. Annonae prosit, portet frumenta, penusque. *Colum.* 12, 4. *f.* Cum ea res innoxia penora conservet, ubi non innatent, sed semper sint jure submersa. *Ulp. Dig.* 33, 9, 3. Penus esculenta. *Suet. Ner.* 11. Sparsa populo missilia omnium rerum, avium cujusque generis multiplex penus, tesserae frumentariae, vestis, aurum, etc. *Pers.* 3, 73. quod multa fidelia putet In locuplete penu. Hic *penus* de penaria cella intelligi potest. ℙ *Penus* etiam dictus est locus in aede Vestae tegetibus septus, qui certis diebus circa Vestalia aperiebatur, ut *Fest.* et *Serv.* ad *A.* 3, 12. docent. *Lampr. Elag.* 6. In penum Vestae, quod solae virgines, solique pontifices adeunt, irrupit. ℙ Quidam grammaticus ap. *Gell. l. c.* et *peneris*, et *peniteris*, dixisse veteres pro *penoris*, tradidit.

PEPARETHIUS, a, um, adj. ad Peparethum pertinens, *Πεπάρηθον*, quae est insula parva maris

Aegaei, cum urbe cognomine, inter sinum Thermaicum, et Pelasgicum: ut Peparethium vinum, *Plin.* 14, 7, 9. Ipsa insula Euoenus quondam dicta est, Εὐοινος, ab εὖ, bene, et οἶνος, vinum, ut *Id.* 4, 12, 23. tradit. Etiam olei ferax esse dicitur. *Ov. Met.* 7, 470. Et Gyaros, nitidaeque ferax Peparethos olivae. Meminit et *Liv.* 28, 5. et 31, 28.

PEPLIS, is, f. πέπλις, herba, quam alii sycen, alii meconion, alii mecona aphrode vocant, ex una radice tenui fruticans, foliis rutae paulo latioribus, semine sub foliis rotundo, minore quam candidi papaveris. *Plin.* 27, 12, 93. Al. leg. *peplos.* ℙ Alia est *peplis*, quae et porcilaca, de qua *Id.* 20, 20, 81.

PEPLOS. V. v. praec.

PEPLUM, i, n. et Peplus, i, m. πέπλος, et πέπλον, vestis lanea (ut ait *Suid.*) exterior, ampla et magnifica, pallae aut chlamydi similis, qua ap. Graecos mos fuit Deorum, Minervae praecipue, et Junonis virginis simulacra amicire. Ea ornabatur purpura et auro, et res gestas tum earum, tum virorum illustrium intextas, aut depictas habebat. Athenis dicabatur Minervae, Panathenaicis ludis, quinto quoque anno, manu nuptarum, et filios habentium elaborata: item quoties placari Deam opus erat ob insignem calamitatem. *Pl. fr.* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 484. Nunquam ad civitatem venio, nisi cum infertur peplum. (Adde *Merc. Prol.* 66.) *Virg. l. c.* Interea ad templum non aequae Palladis ibant Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant. *Id. Cir.* 21. Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo, Qualis Erichtheis olim portatur Athenis, Debita cum castae solvuntur vota Minervae, Tardaque confecto redeunt quinquennia lustro; et *mox*: Ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae: Magna Giganteis ornantur pepla tropaeis: Horrida sanguineo pinguntur proelia cocco, etc. *Stat. Th.* 10, 56. Peplum etiam dono, cujus mirabile textum Nulla manus sterilis, nec dissociata marito Versarat, calathis, castae velamina Divae Haud spernenda, ferunt: variis ubi plurima floret Purpura picta modis, mixtoque incenditur auro. Ipsa illic magni thalamo desponsa Tonantis Expers connubii, etc. ℙ De quavis veste magnifica exteriori non solum Deorum, sed etiam nobilium matronarum, et illustrium virorum. *Claud. Nupt. Honor.* 122. gremio natum Cytherea removit, Et crines festina ligat, peplumque fluentem Allevat. *Auson. Idyll.* 10, 418. Caeruleos nunc, Rhene, sinus, hyaloque virentem Pande peplum. *Trebell. in* XXX. *Tyrann.* 23. Ea die, qua est amictus a militibus peplo imperatorio, concione habita, etc. ℙ Et universim de quacumque veste laxa. *Manil.* 5, 387. Accipiunt sinibusque suis, peploque fluenti, Osculaque horrendis jungunt impune venenis. ℙ *Peplum horrendum* de vitio oculorum, quo quasi velo quodam obducuntur. *Serenn. Sammon.* 13, 220., ubi alii leg. *plumbum.*

PĔPO, ōnis, m. πέπων, ονος, vox Graeca, qua significatur fructus quilibet a sole excoctus, et ad maturitatem perductus: a πέπτω, coquo. Est autem nomen cucumeris magnitudine excedentis. *Plin.* 19, 5, 23. Placent copiosissimi Africae, grandissimi Moesiae: cum magnitudine excessere, pepones vocantur. *Id.* 20, 2, 6. Pepones, qui vocantur, refrigerant, maxime in cibo, et emolliunt alvum. Caro eorum epiphoris oculorum, aut doloribus imponitur. Radix sanat ulcera concreta, etc. *Tert. Anim.* 32. Empedocles, quia se Deum delirarat, idcirco, opinor, dedignatus aliquem se heroum recordari, Thamnus, et piscis fui, inquit. Cur non magis et pepo tam insulsus, et chamaeleon tam inflatus? *Id. adv. Marc.* 4, 40. Marcion peponem cordis loco habuit, *h. e.* insulsus, insipiens, fatuus fuit. ℙ *Strabus Gallus*, qui vixit saeculo Christi IX. in Hortulo *c.* 7. videtur vel eos describere, quos Itali *poponi* dicimus, vel quos *angurie.*

PEPTĬCUS, a, um, adj. a πέπτω, coquo, digero. Pepticae medicinae dicuntur a *Plin.* 20, 18, 76., quae cibi concoctionem in stomacho juvant, vel abscessuum collectiones maturant.

[PĔPUNCŬLUS, i, m. dimin. peponis. *Not. Tir.* p. 168. Pepo, pepunculus. *F.*]

[PĔPUZĪTAE, arum, m. plur. haeretici quidam, qui et Montanistae, ita appellati a Pepuza Phrygiae urbe, in qua sedem habuerunt, quamque *Epiphan. haeres.* 48. §. 14. suo tempore solo aequatam esse narrat. Horum mentio est in *Cod. Justin.* 1, 5, 5. *F.*]

PER, διὰ, praepos. accusativum regens, quam ducunt a περὶ, per apocopen. [*Significat continuationem vel motus vel actionis a principio ad finem, et modo ad locum refertur, modo ad tempus, modo ad instrumentum s. adminiculum, quo res ab initio ad certum destinatumque finem s. consilium procedit. Ita *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 579. ℙ A) De loco; cujus generis Noster laudaverat ista:] *Cic. Att.* 14, 16. Coronam auream per forum ferre. *Id. N. D.* 2, 57. Membranas oculorum perlucidas fecit, ut per eas cerni posset. *Caes. B. G.* 3, 26. Hostes se per munitiones dejicere contenderunt. *Cic. Acad.* 4, 37. *extr.* Quaedam animalis intelligentia per omnia ea permeat, et transit. *Hor. Ep.* 1, 1, 46. Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes. *Virg. A.* 9, 418. it hasta Tago per tempus utrumque. [*Adde *Suet. Cal.* 51. per manus translatus est: ubi *per manus* non instrumentum notat, sed ab una manu ad aliam. ℙ Saepissime etiam, ut Gr. κατὰ, distributive adhibetur, ubi processio quaedam significatur ab uno ad alterum. Noster in his *per* loco praepos. *in*, et *inter* positum dixerat, his laudatis exemplis: a) pro *in*:] *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 6, 699. Dedecores, inultique per terga ab hostibus caedebantur. *Catull.* 17, 8. Municipem meum volo de tuo ponte Ire praecipitem in lutum per caputque, pedesque. *Pl. Cist.* 5, 1. Quid hoc negotii est, quod homines fabulantur per vias, mihi esse filiam inventam? *Liv.* 1, 9. Invitati hospitaliter per domos. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Si rex amicis tuis, qui per imperii tui provincias ei credidissent, fidem praestitisset. *Tac. H.* 4, 29. Ipsorum tela per tenebras vana. *Ter. Andr.* 4, 4, 44. O Chreme, per tempus advenis, *h. e.* in tempore. ℙ b) Pro *inter*. *Virg. G.* 1, 237. duae *(zonae)* mortalibus aegris Munere concessae Divum, et via secta per ambas, Obliquus qua se signorum verteret ordo; et 244. Maximus hic flexu sinuoso elabitur anguis Circum, perque duas in morem fluminis arctos. V. *Macr. Somn. Scip.* 2, 8. [*Alia exempla imprimis *Tac.*, *Suet.* aliorumque ejusdem aetatis scriptorum exempla haec sunto: *Plin. H. N.* 19, 30. nascuntur in Balearibus ac per Hispanias. *Tac. A.* 12, 12. per illas gentes celebratur; et cp. 13. per saltus vagi. *Suet. Caes.* 19. per centurias nummos pronuntiare; et *ib.* 48. *Claud.* 23. per provincias; et *Aug.* 32. per agros; et *ib.* 23. per Urbem, i. e. per singulas partes urbis. Plura praebent *Boettich.* in *Lex. Tac.* s. v. et *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 579. ℙ B) De tempore, ubi continuam temporis durationem significat ab uno temporis momento ad aliud, in quo finis hujus durationis. In his etiam saepe i. q. *in* v. *inter*, ut Gr. διὰ, nostr. *während.* V. *B. Crus. l. l.* p. 580. Noster haec laudaverat:] *Cic. Verr.* 1, 5. Nulla res per triennium, nisi ad nutum istius, judicata est; et *Att.* 2, 8. Nulla abs te per hos dies epistola inanis aliqua re utili et suavi venerat; et *Cat.* 3, 8. *med.* Ludi decem per dies facti sunt. *Id. Brut.* 83. Duo fuerunt per idem tempus dissimiles inter se. *Plin.* 2, 10, 7. Per noctem cernuntur sidera; et *Liv.* 38, 2. *extr.* Postero die per inducias sepeliendi caesos potestas facta est. *Id.* 8, 13. *f.* Sociali egregio exercitu per multa bella magnaque saepe usi estis; et 2, 18. Per ludos. *Cato R. R.* 25. Per hiemem. *Colum.* 1, 7. *f.* Per triturам. *Suet. Caes.* 80. Per comitia; et *ib.* 45. Per somnum, *h. e.* somni, comitiorum, triturae, hiemis, ludorum tempore. ℙ [*C) De instrumento s. adminiculo alicujus rei, quo ad finem s. consilium quis continua actione s. motu procedit. Dicitur ita *per* eodem modo, quo *via* de adminiculo. Idem prorsus usus Gr. διὰ, nostr. *durch, vermittelst.* Ac primum quidem ea exempla posuimus, in quibus de instrumento personae, sive homine, quo aliquid fit ministro et adjutore. *Forc.* haec laud.:] *Cic. Verr.* 2, 2, 3. *extr.* Statuerunt istius injurias per vos ulcisci et persequi; et *Or.* 1, 9. *med.* Plura detrimenta publicis rebus, quam adjumenta, per homines eloquentissimos importata. [*Differt *a*, quod illud significat, quod ab ipsis alicujus rei auctoribus, nullo aliorum adhibito auxilio perficitur. Ita *Cic. Rosc. Am.* 29, 80. Quid ais? vulgo occidebantur? Per quos? et a quibus? *Cat.* 3, 1, 3. comperta sunt a me, i. e. mea opera, atque industria; et *Rosc. Am.* 51, 149. Quae domi gerenda sunt, ea per Caeciliam transiguntur, i. e. non quo ipsa eum tueatur et defendat, sed quatenus amicorum ad id opera utitur. *Cat.* 2, 4, 7. quod nefarium stuprum non per illum factum est, i. e. illo ad libidinem facem praeferente, ut loquitur *Cic. Cat.* 1, 16, 13. ℙ Unde *per se, per te* est propria opera, adeoque i. q. ipse, ut Gr. δι' ἑαυτοῦ.] *Cic. Brut.* 25. Summos honores homo per se cognitus, sine ulla commendatione majorum est adeptus. *Id. Sull.* 24. Nihil audacter ipsos per se sine P. Sulla facere potuisse; et *Hor. Ep.* 1, 17, 1. satis per te tibi consulis. [*Cic. Fin.* 2, 15, 50. *extr.* ipsum per se, sua vi, sua natura, sua sponte laudabile, i. e. detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibusve per se ipsum posse jure laudari, ut explicatius dicitur *ib.* 14, 45. *pr.* cf. 15, 49. V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 49, 6. Nubem exemplorum praebet etiam *B. Crus. l. l.* p. 581.] ℙ *Per me, per te stat, licet*, etc. *Cic. Acad.* 4, 29. Per me vel stertas licet, inquit Carneades; et *Ter. Andr.* 4, 2, 16. Ne pater per me stetisse credat, quo minus hae fierent nuptiae. Rursus *Cic. Att.* 4, 16. Per me ista pedibus trahantur. [*Id. Off.* 3, 7, 33. Sin hoc non licet per Cratippum, i. e. non concedente Cratippo. Sic *Macr. Sat.* 1, 24. Virgilianos versus — pueri cum essemus — sine judicio mirabamur; inspicere autem vitia nec per magistros nec per aetatem licebat.] ℙ Saepe notat instrumentum, modum, causam, unde fit aliquid. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Appius turmas aliquot equitum dederat Scaptio, per quas Salaminios coerceret; et *Ulp. Dig.* 18, 6, 1. *f.* Per corbem mensuram vini facere. *Cic. Fam.* 2, 6. Non dubitavi id a te per litteras petere. *Id. Rosc. Com.* 8. Is per summam fraudem, et malitiam, et perfidiam HS. IↃↃↃ appetiit; et *ib.* 7. *f.* Per imprudentiam decipi. *Id. Rosc. Am.* 11. Per summum dedecus vitam amittere. *Id. Tusc.* 4, 37. Per iram facere aliquid. *Id. Or.* 3, 3. Depulsus per invidiam tribunatu. *Id. Dom.* 23. Aliquem per insidias interficere. *Hirt. B. Afr.* 73. Gallos homines apertos minimeque insidiosos, qui per virtutem, non per dolum dimicare consueverunt. [*D) Denique *per* additur saepe nominibus ita, ut ablativus nominis vel adverbium substitui queat, sed peculiari tamen potestate sua, ut causam, quae est in alicujus animo et ad rem efficiendam vel effectam transit, accuratius denotet, vel continuam conditionem s. statum exprimat. Ad hoc genus magna pars exemplorum supra excitatorum referri potest, quum lingua vivusque sermo non studiose discernat notiones, uti faciendum est in subtiliore de vocibus disputatione, sed multas misceat et conjungat. V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 20, 2. ubi multa exempla collecta reperies. Farraginem locorum dedit *B. Crus.* l. l. p. 581.] ℙ *Per ludum, et jocum*, quasi ludendo, et jocando. *Cic. Verr.* 2, 1, 60. Paucos homines, hoc adjutore, Q. Opimium per ludum et jocum fortunis omnibus evertisse; et *ib.* 2, 5, 70. Non mediocribus laboribus contendere, ut ad istos honores pervenirent, ad quos vos per ludum et per negligentiam pervenistis. ℙ *Per partes.* V. PARS. ℙ *Per otium*, otii, et pacis tempore. V. OTIUM. ℙ *Per occasionem.* V. OCCASIO. ℙ *Per naturam, aetatem, legem, valetudinem*, cum natura, aetas, etc. permittit, fert. *Cic. Mil.* 16. *med.* Ut nihil eum delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret. *Ter. Eun.* 1, 2, 31. Matris nomen, et patris dicebat ipsa: patriam, et signa cetera neque sciebat, neque per aetatem etiam potuerat. *Cic. Fam.* 7, 1. Et cum per valetudinem posses, venire tamen noluisti. ℙ *Per ordinem*, ordine, ex ordine, in ordine. *Quint.* V. ORDO. ℙ *Per officium, potestatem*, fungendo officio, potestate. *Tac. A.* 1, 24. Druso propinquanti, quasi per officium, obviae fuere legiones. *Cic. Verr.* 2, 4, 14. Cum ille ab sese hydriam praeclaro opere per potestatem abstulisset. Sic *per vim. Id. Quint.* 21. *f.* Qui poterant per vim et scelus plurimum. ℙ *Per vinum*, in ebrietate. *Pl. Mil.* 3, 1, 60. Neque per vinum unquam ex me oritur dissidium in convivio. ℙ *Per*, sub praetextu. *Cic. Caecin.* 3. Qui per tutelam, aut societatem, aut rem mandatam, aut fiduciae rationem fraudavit quempiam. *Id. Inv.* 1, 39. Aliquem per fidem fallere. [*V. *Matth.* ad *Cic. Rosc. Am.* 40, 116.] et *Liv.* 1, 41. *f.* Per speciem alienae fungendae vicis suas opes firmavit. *Tac. H.* 1, 74. Praetoriani, quos per simulationem officii legatis Otho adjunxerat. Sic *per causam* ap. *Caes.*, *Ov.*, *Tibull.* V. CAUSA. ℙ Propter. *Pl. Aul.* 2, 1, 12. Neque occultum id haberi, neque per metum mussari. *Plin. ep.* 8, 10. Dum se praegnantem esse puellariter nescit, ac per hoc quaedam custodienda praegnantibus omittit. ℙ Inservit saepe obsecrantibus, et jurantibus. *Cic. Dejot.* 3. Per dexteram te istam oro. *Id. ad Brut.* 1, 15. *f.* Sed propera per Deos. *Id. Div.* 2, 55. Utrum tandem per Deos atque homines, magis verisimile est, etc.? *Id. Rab. Post.* 13. Ubi semel quis pejeraverit, ei credi postea, etiam si per plures Deos juret, non oportet. ℙ Hoc usu transpositiones amat. *Liv.* 23, 9. Per ego te, fili, quaecumque jura liberos jungunt parentibus, precor, quaesoque, ut, etc. *Ter. Andr.* 5, 1, 15. Per ego te Deos oro. Adde *Val. Fl.* 7, 498. et sqq., *Stat. Th.* 11, 367. et 708. et *Ach.* 1, 267. et *Sil.* 12, 79. ℙ Postponitur aliquando suo casui. *Lucr.* 6, 1262. Multa siti prostrata viam per, proque voluta Corpora. *Virg. A.* 5, 663. Transtra per, et remos. ℙ In compositione fere auget, ut *peramanter, pervelle, perfacilis.* Interdum minuit, aut contrarium significat: ut *perjurus, perfidus.* Interdum continuationem notat, et complementum, ut *persedere, perspectare, perorare, peragere.* [*Eleganter de his exposuit *Doederl.* 1, 52.] Et tmesin in his aliquando recipit. *Cic. Or.* 1, 47. Nobis ista sunt pergrata, perque jucunda; et *ib.* 49. Per mihi mirum visum est. *Id. Att.* 10, 1. Per enim magni aestimo. *Gell.* 2, 18. Platoni per fuit familiaris; et 18, 4. Per, inquit, magister optime exoptatus mihi nunc venis. ℙ *Per quam* maxime auget. *Cic. Or.* 2, 49. Per quam breviter perstrinxi. *Plin. Pan.* 60. *f.* Per quam modica civium merita. *Id. ep.* 7, 27. Per quam velim scire. *Appul. Met.* 2. Tucetum per quam sapidissimum. *Inscr.* ap. *Mur.* 953, 2. Parentes per quam infelicissimi. Et interjecto verbo. *Ter. Hec.* 1, 1, 1. per pol quam paucos reperias. ℙ Scribitur et *perquam.* ℙ [*Confund. *per vim* et *verum.* V. *Beier.* ad *Cic. fragm.* p. 65. a. — *Per* et *propter. Id.* ad *Cic. Off.* 2, 82. sq. — *Per* et *prae* in compos. *Id. ib.* 2. p. 376. et *Cort.* ad *Lucan.* 1, 154. 5, 583. Item *per* et *e. Cort.* ad *Lucan.* 8, 753. — *Per* et *pro Id. ib.* 2, 303. 427. 562. 5, 605. 6, 484.]

PĔRĂ, ae, f. πήρα, sacculus ex aluta, a collo ad lumbos pendens, quo panem et aliquid obsonii gestare mendici solent. *Mart.* 4, 53. Cum baculo, peraque senex. Ubi philosophum quendam notat: erant enim baculus et pera insignia philosophorum, et Cynicorum in primis, qui pauperes se esse profitebantur, et rerum omnium contemptores. *Appul. Apol.* Peram, et baculum tu philosophis exprobras? *Phaedr.* 4, 9. Peras imposuit Juppiter nobis duas: Propriis repletam vitiis post tergum dedit: Alienis ante pectus suspendit gravem. ℙ Est etiam cogn. R. in gente Junia, ut D. et M. Junius Pera in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 292. et ap. *Liv.* 23, 14.

PĔRABSURDUS, a, um, adj. valde absurdus. *Cic. Part.* 15. *extr.* Haec quia videntur perabsurda, cum graviora sunt, quam, etc. Adde *Fin.* 5, 11. Divisum per tmesin, *Paul. Dig.* 22, 3, 25. Per enim absurdum est, etc. V. PER.

PĔRACCOMMODĀTUS, a, um, adj. valde accommodatus. *Cic. Fam.* 3, 5. Per fore accommodatum tibi. V. PER.

[PĔRACCURĀTUS, a, um, adj. multum accuratus. *C. Jul. Vict. Art. rhet.* (ed. *A. Maio*) 14. Quintilianus praecipit in argumentatione ante omnia peraccurata utendum esse perspicuitate. *F.*]

PĔRĂCĔO. V. PERACESCO.

PĔRĂCER, cris, e, adj. valde acer. Translate. *Pl. Bacch.* 3, 3, 1. Nunc experiar, sitne acetum tibi peracre in pectore, *h. e.* justae indignationis sensus. *Cic. Fam.* 9, 16. *med.* Sed tamen ipse Caesar habet peracre judicium.

PĔRĂCERBUS, a, um, adj. valde acerbus. *Cic. Sen.* 15. Uva peracerba gustatu. ℙ Translate. *Plin. ep.* 6, 5. *f.* Mihi peracerbum fuit, quod, etc.

PĔRĂCESCO, is, n. 3. valde acesco. Translate. *Pl. Bacch.* 5, 1, 13. Hoc, hoc est, quod peracescit: hoc est demum, quod percrucior. ℙ Praeterit. *peracui* a *peraceo, es*, itidem translate. *Id. Aul.* 3, 4, 9. Ita mihi pectus peracuit.

PĔRĂCTĬO, onis, f. τελείωσις, perfectio, finitio. *Cic. Sen.* 23. *extr.* Senectus autem peractio actatis est.

PĔRĂCTUS, a, um, part. a *perago:* perfectus, absolutus. *Caes. B. G.* 5, 1. Conventibus Galliae citerioris peractis. *Nep. Cat.* 2. Senatu peracto. *Ov. Pont.* 2, 7, 49. Vita prior vitio caret, et sine labe peracta. *Val. Fl.* 1, 566. sic orbe peracto Liber et expertus terras remeavit Apollo. *Virg. A.* 9, 242. Caedes ingens peracta. *Stat. Silv.* 1, 1, 2. Opus peractum. *Hor. Od.* 4, 14, 39. Imperiis peractis. *Juven.* 10, 6. Votum peractum, *h. e.* impetratum. *Mart.* 1, 28. Quincunces peracti, *h. e.* bibendo exhausti. *Hor. Sat.* 2, 4, 9. res tenues, tenui sermone peractas, *h. e.* tractatas, disputatas. *Juven.* 2, 54. Vellera peracta. *Stat. Th.* 11, 746. viresque peractas Ingemit, *h. e.* confectas, consumptas.

PĔRĂCŪO, is, ui, utum, a. 3. valde acutum facio. *Cato R. R.* 40. Sumito tibi surculum durum, eum peracuito; et *mox:* Eum primorem peracuito. Alii leg. utrobique *praeacuito*, aut *proacuito.*

PĔRĂCŪTĒ, adv. valde acute. Translate. *Cic. Acad.* 1, 9. *f.* Cum Zeno valde subtiliter disseret, et peracute moveretur. [*Id. Fam.* 3, 7. Et simul peracute querebare, quod eos tributa exigere vetarem. *Appul. Apol.* An peracute reperisse vobis videbamini? *F.*]

PĔRĂCŪTUS, a, um, adj. valde acutus. *Mart.* 3, 24. Ut cito testiculos *(hirci)* peracuta falce secaret. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 68. Voce peracuta atque magna. *Id. ib.* 39. *f.* Cum peracutus esset ad excogitandum; et 76. Obscura, quia peracuta oratio; et *Verr.* 2, 2, 44. Ut sibi ipse peracutus esse videatur, *h. e.* valde intelligens, sapiens.

PĔRĂDŎLESCENS, entis, adj. valde juvenis. *Cic. Manil.* 21. Quid tam praeter consuetudinem, quam homini peradolescenti imperium atque exercitum dari?

PĔRĂDŎLESCENTŬLUS, i, m. dimin. peradolescentis. *Nep. Eum.* 1. Hic peradolescentulus ad amicitiam accessit Philippi.

*PERAEA, ae, f. sc. terra, Περαία (*h. e.* ulterior), sc. γῆ, regiuncula maritima, pars Cariae, insulae Rhodo in continenti objecta, quam Rhodii ab antiquis temporibus suae ditionis factam possederunt. *Liv.* 32, 33 et 35. et 33, 18. ℙ Item terrae Israelis pars, trans Jordanem sita ad solis orientem, cujus metropolis olim Gadara. *Plin.* 5, 14. ℙ Et oppidum Aeolidis. *Liv.* 37, 21. *B. A.*

PĔRAEDĪFĪCĀTUS, a, um, part. ab inus. *peraedifico*, [*structuram aedificii alicujus per omnes partes ad finem usque perducere.] *Colum.* 4, 3. Ab inchoato domus exstruunt, nec peraedificatis cultum adhibent.

PĔRAEQUĀTĬO, onis, f. perfecta aequatio. *Solin.* 1. Temporum peraequatio. Al. leg. *adaequatio. Tert. adv. Marc.* 4, 29. *med.* Similitudinum peraequatio. ℙ [Est etiam actio peraequatoris. *Impp. Honor. et Theod.* in *fragm. Cod. Theod.* (ed. *A. Peyronio*) 5, 4, 3. Opera autem eorum *(colonorum)* terrarum domini libera *utantur;* ac nulli subacta peraequationi, vel censui subjaceant, *h. e.* interpretatus est *C. F. Ch. Wenckius. F.*]

PĔRAEQUĀTOR, oris, m. qui tributa, et vectigalia ex aequo civibus imponit, pensatis uniuscujusque facultatibus. Differt a censitore, qui pro tribuebat aequaliter, et, si minus recte esset definitus, emendabat. Differt etiam ab inspectore, cujus munus erat qualitates agrorum inspicere, ut tributi onus dominis imponeretur. Hinc in *Cod. Justin.* 11. *tit.* 57. et in *Cod. Theod.* 13. *tit.* 11. De censitoribus, peraequatoribus, et inspectoribus. *Inscr.* ap. *Grut.* 361, 1. Peraequator census provinciae Gallaeciae.

PĔRAEQUĀTUS, a, um, part. a *peraequo:* omnino aequatus. *Vitr.* 5, 1. Contractura peraequata. *Id.* 9, 4. Duodecim partibus peraequatis.

PĔRAEQUE, adv. aeque omnino. *Cic. Verr.* 2, 3, 52. Atque hoc peraeque in omni agro decumano reperietis. *Id. Pis.* 35. *extr.* Quod cum peraeque omnes, tum acerbissime Boeotii senserunt. *Nep. Att.* 13. Terna millia aeris peraeque in singulos menses. [*Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Quem audivi dicentem, fratres Vejanios nunquam minus, ut peraeque ducerent, dena millia HS ex melle recipere esse solitos, *h. e.* per far uso di un numero rotondo. *F.*]

PĔRAEQUO, as, avi, atum, a. 1. *Colum.* 3, 3. Et apud me octogenae stirpes insitae intra biennium septenos culeos peraequarent, *h. e.* omnino implerent. *Vitr.* 9, 4. *med.* Peraequatur ejus iter. *Solin.* 1. Lunari computatione annum peraequarunt.

PĔRAEQUUS, a, um, adj. valde aequus. *Cic. Verr.* 2, 4, 21. Fuisse aliquando apud Siculos peraequa proportione cetera. Alii aliter leg. [**Orell.* leg. *aequa pro portione.*]

PĔRAESTĪMO, as, a. 1. plane aestimo. *Impp. Constant., et Jul. Cod. Theod.* 6, 29, 2. *extr.* Quod si forte aliquis peraestimaverit perpetrandum, etc.

PĔRĂGĪTĀTUS, a, um, part. a *peragito:* valde agitatus. *Caes. B. C.* 1, 80. Vehementiusque peragitati ab equitatu, montem excelsum capiunt. *Sen. Ben.* 3, 37. Aetna majore vi peragitata, *h. e.* commota, aestuans.

PĔRĂGĪTO, as, a. 1. valde, aut frequenter agito, misceo. *Colum.* 12, 24. *extr.* Et ut permisceatur medicamen, rutabulo ligneo peragitare conveniet. Adde *ib.* 19. *med.* ℙ Translate. *Sen. Ira* 1, 7. Hic stimulus peragitavit, misitque in pericula audaces.

PĔRĂGO, is, egi, actum, a. 3. ἄγω, ἐπάγω, vehementer ago, impello, agito. *Sen. ep.* 58. Hunc quem Graeci oestrum vocant, pecora peragentem, et totis saltibus dissipantem, asilum nostri vocabant. [*Recte quidem *peragere* de oestro et sim. usurpatum agitandi, impellendi notionem continere dicitur a *Forc.*, sed propria verbi vis indicat ductum per, trans aliquid sine vehementiae, impetus significatione. Hinc de omnis generis motu per locum aliquem facto exhibetur, ideoque recte secundo loco posuisse videmur ea exempla, quae Noster infra laudaverat ista:] *Ov. Her.* 15, 65. Factus inops agili peragit freta caerula remo. *Id. Met.* 13, 618. cum sol ad duodena peregit Signa. *Stat. Th.* 5, 574. longus vix tota peregit Membra dolor. [*Huc referri debent et ista: *Val. Fl.* 1, 146. ardenti peragit Clanis Actora quercu. *Ov. Her.* 4, 119. Theseus latus ense peragit. *Sil.* 11, 364. Externa peragi dextra: quibus locis *peragere* de gladio per corpus acto dictum minime ipsam necem significat; licet effectus talis esse possit. Ad nudam interficiendi notionem translatum est in loco *Mart.* 5, 37. Adhuc recenti tepet Erotion busto, Quam pessimorum lex avara fatorum Sexta peregit hieme. ℙ Tunc de quavis actione dicitur, qua res aliqua ab initio ad certum usque finem perducitur, ita ut peragere perficiendi, absolvendi notam vindicet,] *Gr.* τελέω. *Sen. ep.* 64. *f.* Multum egerunt qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt. *Cic. Sen.* 19. *med.* Neque enim histrioni, ut placeat, peragenda est fabula, modo, in quocumque fuerit actu, probetur. *Id. N. D.* 2, 4. Gracchus cum comitia nihilominus peregisset, etc. *Caes. B. G.* 6, 4. *extr.* Peragit concilium Caesar, equitesque imperat civitatibus. *Suet. Oth.* 7. Subscripsit quingenties HS ad peragendam auream domum. *Virg. A.* 4, 653. Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi; et *ib.* 442. Peragere inceptum; et *ib.* 5, 362. dona, i. e. finire distributionem donorum. *Ov. Met.* 7, 502. mandata. *Id. ib.* 2, 627. et *Plin.* 2, 109, 112. justa, *h. e.* persolvere. *Colum.* 3, 10. *med.* operis sui pensum. *Plin. ep.* 7, 33. partes suas. *Liv.* 3, 40. sententiam. *Nep. Att.* 22. propositum. *Juven.* 2, 133. et 11, 114. officium. *Ov. Fast.* 1, 188. iter inceptum. *Id. Pont.* 3, 2, 66. Invita peragens tristia sacra manu. *Id. Trist.* 4, 8, 13. Haec mea sic quondam peragi speraverat aetas; et *ib.* 41. Vita procul patria per agenda sub axe Boreo. *Id. Met.* 15, 485. postquam senior regnumque, aevumque peregit. [*His poterant adjungi ista: *Sen. Troad.* 663. Responsa peragam, i. e. exsequar et praestem, quod Dii oraculo jubent. Porro ista, in quibus de scriptoribus usurpatur res qualescunque gestas perscribentibus:] *Liv.* 2, 1. Liberi jam hinc populi R. res pace belloque gestas, annuos magistratus, etc. peragam. *Plin.* 6, 28, 32. Reliqua nunc peragemus. [*Neque absonum erit, quod hic sequantur ista:] *Ov. Met.* 15, 237. Haec quoque non perstant, quae nos elementa vocamus, Quasque vices peragant — docebo. *Id. ib.* 1, 99. sine militis usu Mollia securae peragebant otia gentes. *Tib.* 4, 1, 181. Languida nam noster peragit labor otia. — Etiam turpi sensu adhibetur ab *Auct. Priap.* 35. Quae quot nocte viros peregit una; — [*nostr. *ausgehalten hat.*] — Cum infin. *Pers.* 5, 138. Varo, regustatum digito terebrare salinum Contentus perages, si vivere cum Jove tendis. [*Etiam de foro et judiciis, sicut simplex, *peragere* singulari ratione dicitur. Noster laud. ista:] ℙ *Peragere reum*, deferre inter reos, accusare, et omnia peragere, quae ad eum damnandum pertinent. *Liv.* 4, 42. Vos autem, si reum perago, quid acturi estis? *Plin. ep.* 3, 9. Marium una civitas publice, multique privati reum peregerunt. *Ov. Pont.* 4, 6, 27. Lenem te miseris genuit natura, etc. Ut qui, quid valeas, ignoret, Marte forensi, Posse tuo peragi vix patet ore reos. ℙ Ap. JCtos peregisse reum non alias quis videtur, nisi et condemnaverit, ut *Ulp.* loquitur *Dig.* 48, 5, 2., h. e. tenuerit, ut condemnaretur. *Val. Max.* 6, 2. *n.* 4. Ita eodem judicio duos sustinuit reos, accusatione Manilium, libertate Pompejum: et eorum alterum lege peregit, alterum professione. ℙ *Peragere accusationem*, ea omnia praestare, quae ad accusandum, damnandumque reum pertinent. *Plin. ep.* 6, 31. Admonitus, ut perageret accusationem, peregit invitus. ℙ *Peragere judicium:* probare, demonstrare. *Liv.* 6, 16. ℙ *Peragere causas*, agere. *Petr. Sat.* 137. Carmina componat, declamet, concrepet, omnes Et peragat causas. ℙ [*Pertinet *peragere* ad temporis spatium transactum:] *Ov. Amor.* 1, 2, 3. Et vacuus somno noctem, quam longa, peregi. Sic *Hor. Sat.* 2, 4, 22. ille salubres Aestates peraget, nigris qui prandia moris Finiet. ℙ [*Quoniam autem *per* in compos. etiam minuendi notionem exhibet, *peragere* ponitur interdum pro comminuere, conficere. Ita de cibo digerendo ap. *Plin.* 9, 60, 86. Omnem cibum statim peragit. — De agro colendo, exercendo: *Ov. Fast.* 4, 693. Ille suam peragebat humum sive usus aratri, sive cavae falcis, sive bidentis erat.]

PĔRAGRANTER, adv. peragrando. *Ammian.* 14, 1. Hi peragranter, et dissimulanter honoratorum circulis adsistendo, etc.

PĔRAGRĀTĬO, onis, f. περιπόπησις, ambulatio, actus peragrandi. *Cic. Phil.* 2, 23. Quae fuit ejus peragratio itinerum? lustratio municipiorum?

PĔRAGRĀTRIX, icis, f. quae peragrat. *Capell.* 6, 192. Peragratrix coelicolarum.

PĔRAGRĀTUS, a, um, part. a *peragro:* permigratus, περιεχωρεμένος. *Cic. Fin.* 5, 19. A quibus propter discendi cupiditatem videmus ultimas terras esse peragratas. *Plin.* 25, 2, 5. Peragratis Persidis, Arabiae, Aethiopiae, Aegyptique magis, *h. e.* aditis. ℙ Deponentis forma. *Vell.* 2, 97. Nero peragratus omnes Germaniae partes, sic perdomuit eam, etc. [*Legendum conj. *Ruhnk. pervagatus:* sed recte haec conjectura improbari videtur *Doederl.* 1, 91. ubi v.]

PĔRAGRO, as, avi, atum, a. 1. περιέρχομαι, περιωστέω, obeo, oberro, pererro, lustro, vagor: quasi *per agros* circumeo. *Cic. Or.* 2, 64. Cum Asellus omnes provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur. *Id. Har. resp.* 11. *extr.* Matrem magnam, accepimus, agros et nemora cum quodam strepitu fremituque peragrare. *Virg. G.* 4, 53. de apib.: Illae continuo saltus silvasque peragrant. *Suet. Aug.* 93. In peragranda Aegypto paulo deflectere ad visendum Apim supersedit. ℙ De navigantibus. *Plin.* 37, 3, 11. *n.* 2. Eques R. qui haec commercia et litora peragravit. *Flor.* 2, 7. Graeciae litora classe peragrare. *Suet. Cal.* 37. Litora peragrare liburnicis. Adde *Just.* 12, 10. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 13. Ut semel e Piraeeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas. *Id. Balb.* 16. Cujus res gestae omnes gentes cum clarissima victoria, terra marique peragrassent. *Id. Mil.* 35. *f.* Ultra quam fines imperii populi R. sunt, ea non solum fama jam de illo, sed etiam laetitia peragravit. *Id. Coel.* 22. Omnes latebras suspicionum peragrare dicendo. *Id. Or.* 1, 51. Orator ita peragrat per animos hominum, ita sensus mentesque pertractat, ut, etc. *Lambin.* omittit *per. Lucr.* 1, 74. Atque omne immensum peragravit mente animoque. *Plin. Pan.* 14. Cum orbem terrarum non pedibus magis, quam laudibus peragrares. *Gell.* 7, 16. Peragrantis gulae, et in succos insuetos inquirentis industria, et undiquevorsum indagines cupediarum. ℙ *Peragror* deponens V. in v. praec.

PĔRALBUS, a, um, adj. valde albus, ut equus peralbus. *Appul. Met.* 1. Avis peralba. *Id. ib.* 5.

PĔRALTUS, a, um, adj. praealtus. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. *med.* Incedunt, arbusta peralta securib' caedunt. Alii leg. *Incedunt arbusta per alta, securibu' caedunt.*

PĔRĂMANS, antis, part. a *peramo*, valde amans. *Cic. Att.* 4, 8. *med.* Homo peramans semper nostri fuit.

PĔRĂMANTER, adv. valde amanter. *Cic. Fam.* 9, 20. Qui me quidem perofficiose et peramanter observant.

PĔRAMBŬLĀTUS, a, um, part. a *perambulo:* peragratus. *Sidon. carm.* 23, 93. et perambulatum Romanis legionibus Niphatem.

PĔRAMBŬLO, as, avi, atum, a. 1. *διοδεύω*, ambulando circumeo, peragro. *Pl. Most.* 3, 2, 122. Qualibet perambula aedes oppido tanquam tuas. *Varr. R. R.* 1, 2. Vos, qui multas perambulastis terras, ecquam cultiorem Italia vidistis. *Phaedr.* 2, 5. Perambulante laeta domino viridia. *Hor. Od.* 4, 5, 17. Tutus bos etenim rura perambulat. *Catull.* 29, 8. Perambulabit omnium cubilia. ℙ Translate. *Ov. Hor.* 9, 135. Mens fugit admonitu, frigusque perambulat artus; et *Sen. Ben.* 6, 16. Medicus aegrotos perambulat, *h. e.* visit huc illuc discurrendo. *Hor. Ep.* 2, 1, 79. Recte, necne crocum floresque perambulet Attae Fabula, si dubitem, etc., *h. e.* cadat, an recto talo stet, ut *Id.* loquitur *ib.* 176. docte scripta sit, an indocte. Mos erat scenam floribus et croco spargere. *Atta* vero fuit pravis fultus male talis, ut ait *Id. Sat.* 1, 3, 48. V. ATTA.

PĔRĂMĪCUS, a, um, adj. valde amicus. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 56. Una omnibus gentibus barbaris, quae nominis alienae nostratium sibi mutuo peramicae sunt.

PĔRĂMO, as, avi, atum, a. 1. *ὑπερφιλέω*, valde amo, perfecte amo, ad finem usque amo. *Cic. Leg.* 1, 18. Si non ipse amicus peramatur toto pectore. Alii plerique leg. *per se amatur.* [*Ita *Orell.*]

PĔRĂMOENUS, a, um, adj. valde amoenus. *Tac. A.* 4, 67. Aestas in Favonium obversa, et aperto circum pelago peramoena.

PĔRAMPLUS, a, um, adj. valde amplus. *Cic. Verr.* 2, 4, 49. *med.* Simulacra perampla atque praeclara. *Val. Max.* 5, 2. *n.* 4. *extr.* Peramplum regnum.

PĔRAMPŪTO, as, a. 1. omnino amputo. *Colum.* 7, 5. *med.* Vulnus ita insanabile facit, ut totum peramputandum sit. Alii rectius leg. *ut totus pes amputandus sit.*

PĔRANCEPS, ipitis, adj. valde anceps. *Ammian.* 29, 5. *med.*

PĔRANGUSTĔ, adv. admodum. anguste. *Cic. Or.* 1, 35. Coarctavit, et peranguste refersit in oratione sua.

PĔRANGUSTUS, a, um, adj. admodum angustus. *Cic. Verr.* 2, 5, 66. Perangusto freto divisa servitutis, ac libertatis jura cognosceret. *Liv.* 22, 4. Via perangusta. *Caes. B. G.* 7, 15. Perangustus aditus. *Just.* 7, 1. Macedoniae termini perangusti fuere.

PĔRANNA. V. PERENNA.

PĔRANNO, as, n. 1. *ἀπεναντίζω*, per integrum anni tempus vivo, annum perago: ex *per*, et *anno, as. Macr. Sat.* 1, 12. Ut annare, perannareque commode liceret. V. ANNO, as. *Suet. Vesp.* 5. Ideo puella nata non perannavit. Al. leg. *perennavit.* V. PERENNO.

PĔRANTĪQUUS, a, um, adj. valde antiquus. *Cic. Brut.* 10. Ut apud nos, perantiquus, ut apud Athenienses, non ita sane vetus.

PĔRAPPOSĪTUS, a, um, adj. valde appositus, seu aptus. *Cic. Or.* 2, 67. Non solum mimis perapposita, sed etiam quodammodo nobis.

PĔRĂRĀTUS, a, um, part. a *peraro*, probe aratus. Translate scriptus. *Ov. Amor.* 1, 11, 7. ad dominam peraratas mane tabellas Perfer, *h. e.* scriptas. Sic *Id. Trist.* 3, 7, 1. Vade salutatum subito perarata Perillam Littera. ℙ Item sulcatus, signatus. *Sidon. ep.* 3, 13. *med.* Taceo cerebrum crebra vibice peraratum, quod parum amplius tegi constat capillis, quam cicatricibus.

PĔRARDĔO, es, n. 2. valde ardeo. *Paul. Nol. carm.* 23, 404. Comminus in tugurl vicina strage perarsit.

PĔRARDŬUS, a, um, adj. *πολυχαλεπὸς*, valde arduus, perdifficilis. *Cic. Verr.* 2, 3, 71. Mihi autem hoc perarduum est demonstrare.

PĔRĂRĔO, es, arui, n. 2. et

PĔRĂRESCO, is, n. 3. probe aresco. *Varr. R. R.* 1, 49. Herba quoad perarescat, furcillis versari debet, cum peraruit, de his manipulos fieri, ac vehi ad villam. *Colum.* 4, 24. *med.* Si trunci pars secta solis afflatu peraruit.

PĔRARGŪTUS, a, um, adj. valde argutus. *Cic. Brut.* 45. Quem studebat imitari L. Afranius poeta, homo perargutus. Alii leg. *peracutus.* [*Vulg. retinet *Orell.*] *Appul Met.* 10. Asinus tintinnabulis perargutis exornatus. *Id. Flor. n.* 13. Hirundines occinunt carmine perarguto.

PĔRĂRĪDUS, a, um, adj. valde aridus. *Colum.* 2, 19. Ut neque peraridum, neque rursus viride colligatur. *Id.* 3, 11. *f.* Solum siticulosum et peraridum. *Cato R. R.* 5. *f.* Frondem populneam, ulmeam, querneam caedito, per tempus eam condito, non peraridam, pabulum ovibus.

PĔRARMĀTUS, a, um, part. a *perarmo:* probe armatus. *Curt.* 4, 9. Hoc modo instructo exercitu, et perarmato, Babylone copias movit. V. ADEQUITO.

PĔRARMO, as, a. 1. munio, armo. *Prud. Cath.* 6, 85. Hujus manum potentem Gladius perarmat anceps. Adde *ib.* 7, 93. et *ib.* 8, 43.

PĔRĂRO, as, avi, atum, a. 1. probe aro: et metaphorice rugis signo, crispo: nam rugae in cute sulcorum in humo sunt similes. *Ov. Met.* 14, 96. et rugis peraravit anilibus ora. ℙ Item scribere, stilo enim per ceram sulcus ducitur. *Id. ib.* 9, 563. Talia nequicquam perarantem plena reliquit Cera manum. *Id. A. Am.* 1, 455. blandis peraretur littera verbis. ℙ Item navigare. *Sen. Med.* 650. Ite nunc fortes, perarate pontum. Sic *Virg. A.* 2, 780. vastum maris aeqor arandum; et *ib.* 5, 158. sulcant vada salsa carina.

PĔRASPER, ra, rum, adj. valde asper. *Cels.* 5, 28. *n.* 14. *Ἀχροθύμιον*, super corpus quasi verrucula eminet, in summo perasperum.

PĔRASTŪTĔ, adv. valde astute. *Pl. Truc.* 2, 2, 43. Ut perastute eum injiciatis in malam fraudem. Plerique alii leg. *Ut pereat, ut eum illiciatis*, etc.

PĔRASTŪTŪLUS, a, um, adj. valde astutus. *Appul. Met.* 9. Mulier callida, et ad hujusmodi flagitia perastutula.

PĔRĀTĪCUM, i, n. *περατικὸν*, ita dicitur quoddam bdellii genus ex Media advectum, teste *Plin.* 12, 9, 19., quasi *ἐκ περάτων γῆς*, ab extremis terrae finibus.

PĔRĀTIM, adv. cum pera, vel per peram. Peratim ductare, est argento aliquem circumducere, argentum quod in pera est, alicui caute et fraudulenter surripere. *Pl. Epid.* 3, 2, 14. Nihil moror vetera et vulgata verba; peratim ductate; at ego follitim ductitabo. V. FOLLITIM.

PĔRATTENTĔ, adv. valde attente. *Cic. Coel.* 11. Audiri a vobis meum familiarem L. Herennium perattente.

PĔRATTENTUS, a, um, adj. valde attentus. *Cic. Verr.* 2, 3, 5. Superiore omni oratione perattentos vestros animos habuimus.

[PĔRATTĪCUS, a, um, adj. qui Atticorum proprius est, elegans. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 2, 1. Pro Polemone rhetore, quem tu mihi in epistola tua proxime exhibuisti Tullianum, ego in oratione, quam in senatu recitavi, philosophum reddidi, nisi me opinio fallit, peratticum. *F.*]

PĔRAUDIENDUS, a, um, part. ab inus. *peraudio*, omnino audiendus. *Pl. Mil.* 1, 1, 34. Auribus peraudienda sunt [*Bothe* legend. putat *perhaurienda*, quo Plautino verbo usus est etiam Appulejus, perpetuus *Plauti* imitator. *F.*]

PERBACCHĀTUS, a, um, part. a *perbacchor.* Translate. *Claud. B. G.* 242. passimque crematas Perbacchata domus incendia, *h. e.* incendia, quae passim vastaverunt domus.

PERBACCHOR, aris, dep. 1. *παροινέω*, perpoto, et lusito conviviis frequentandis. *Cic. Phil.* 2, 41. At quam multos dies in ea villa turpissime es perbacchatus!

PERBĂSIO, as, a. 1. valde basio, perosculor. *Petr. fr. Trag.* 41. *Burm.* Circumeuntem sane perbasiamus.

PERBĔĀTUS, a, um, adj. valde beatus. *Cic. Or.* 1, 1. Perbeati fuisse illi videri solent.

PERBELLĔ, adv. valde belle. *Cic. Fam.* 16, 18. Quod quidem aut facis, aut perbelle simulas; et *Att.* 4, 4. Perbelle feceris, si, etc.

PERBĔNĔ, adv. valde bene. *Cic. Brut.* 28. Perbene loqui Latine putabatur. *Liv.* 45, 3. Perbene fortunam fecisse, quando, etc.

[PERBĔNĔMĔRĪTUS, a, um, adj. valde benemeritus. *Inscr.* Christiana ap. *Mur.* 1923, 5. Hic jacet Perpetuus in Christo Deo suo perbenemeritus, etc. *F.*]

PERBĔNĔVŎLUS, a, um, adj. valde benevolus *Cic. Fam.* 14, 4. Pescennius est perbenevolus nobis.

PERBĔNIGNĔ, adv. valde benigne. *Cic. Q. Fr.* 2, 9. Perbenigne mihi respondit. Al. leg. *per mihi benigne.* V. PER. Adde *Ter. Ad.* 4, 6, 68.

PERBĪBĔSIA, ae, f. vox jocularis a *Plauto* efficta ad significandam regionem, in qua strenue bibitur, *Curc.* 4, 74. V. PEREDIA.

PERBĪBO, is, bĭbi, a. 3. valde bibo, exsugo. *Pl. Stich.* 2, 2, 16. At ego perii, cui medullam lassitudo perbibit. ℙ Translate bene recipio, imbuor. *Cato R. R.* 130. Ligna amurca cruda perspergito: perbibant bene. *Ov. Met.* 6, 397. terra Concepit lacrimas, ac venis perbibit imis. *Colum.* 7, 4. *f.* Ubi ovis per triduum delibuto tergore medicamina perbiberit. *Sen. ep.* 71. *med.* Lana quosdam colores semel ducit, quosdam, nisi saepius macerata et recocta, non perbibit. ℙ Refertur etiam ad animum. *Id. ep.* 94. Haec cum persuasi mihi, et perbĭbi, etc. *Id. ep.* 36. Colere virtutem, perbibere liberalia studia; et *Ira* 1, 16. Perbibisti nequitiam, et ita visceribus immiscuisti, ut nisi cum ipsis exire non possit. *Ov. Ib.* 233. Perbibit inde suae rabiem nutricis alumnus.

PERBĪTO, as, et saepius is, n. 1. et 3. pereo: a *bito. Paul.* ex *Festo:* Perbitere Plautus pro perire posuit. *Pl. Capt.* 3, 5, 32. Qui per virtutem perbitat, non interit. Alii leg. *peritat. Liv. Andron.* ap. *Non.* 2, 654. Puerum ancillae subdam, ne fame perbitet. *Enn. ib.* et *Pl. Ps.* 3, 1, 12. Cruciatu maximo perbitere. ℙ Item transire, alio ire: nam *bitere* ire est. *Pl. Rud.* 2, 6, 11. Utinam, te prius quam oculis vidissem meis, malo cruciatu in Siciliam perbiteres. Alii leg. *in Sicilia*, et ad priorem significationem trahunt. *Pacuv.* ap. *Non. l. c.* Nam me perbitere illis opitularier, quovis exitio cupio, *h. e.* transire illis opitulatum.

PERBLANDĔ, adv. valde blande. *Macr. Sat.* 1, 2. *med.* Cum perblande salutavisset.

PERBLANDUS, a, um, adj. valde blandus. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 3. Successorem habes perblandum. *Liv.* 23, 10. Oratio perblanda.

PERBŎNUS, a, um, adj. valde bonus. *Cic. Fl.* 29. Agros habent natura perbonos. *Id. Verr.* 2, 4, 18. Perbona toreumata. *Id. Att.* 6, 1. Quoad mecum rex fuit, perbono loco res erat. *Pl. Most.* 3, 2, 3. Prandium perbonum; et *ib.* 77. Aestas perbona.

PERBRĔVIS, e, adj. valde brevis. *Cic. Brut.* 43. Quodque difficile est, idem et perornatus, et perbrevis. *Id. Verr.* 2, 3, 9. Istos inter se perbrevi tempore studiorum similitudo conjunxit. *Albin.* 1, 388. hosti perbreve Pontus iter. ℙ Dividitur per tmesin. *Cic. Cluent.* 1. Altera pars per mihi brevis fore videtur. V. PER. ℙ *Perbrevi*, perbrevi tempore. *Cic. Fam.* 6, 12. Sed id erit perbrevi.

PERBRĔVĪTER, adv. valde breviter. *Cic. Or.* 2, 58. De omni isto genere quid sentiam, perbreviter exponam. Adde *eund. Dom.* 15.

[PERBULLĬO, is, ivi, vel ii, n. 4. ebullio, multum bullio. *Theod. Prisc.* 4, 1. *med.* Postquam perbullierunt, facies potionem. *F.*]

PERCA, ae, f. *πέρκη*, piscis delicatissimus, in genere saxatilium, qui et in mari, et in fluminibus, et lacubus capitur. Perca marina maenae similis est, *Plin.* 9, 16, 24. et 32, 9, 34. et *ib.* 10, 38. et *ib.* 11, 53. *Auson. Idyll.* 10, 115. Nec te, delicias mensarum, perca, silebo, Amnigenos inter pisces dignande marinis, Solus puniceis facilis contendere mullis. Nam neque gustus iners, solidoque in corpore partes Segmentis coeunt, sed dissociantur aristis. [*Perca, L., *Barsch.*]

PERCAEDO, is, cēcīdi, caesum, a. 3. valde, vel omnino caedo. *Flor.* 3, 20. In Apennino Lentuli exercitum percecidit. *Id.* 4, 12. Terga hostium percecidit. V. PERCIDO.

PERCĂLĔFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. valde calefacio. *Vitr.* 8, 3. Sulphurosi fontes nervorum labores reficiunt percalefaciendo.

PERCĂLĔFACTUS et Percalfactus, a, um, part. a *percalefio*, valde calefactus. *Lucr.* 6, 177. omnia motu Percalefacta vides ardescere. *Varr. R. R.* 1, 27. Oportet, glebas a sole percalefactas aptiores facere ad accipiundum imbrem. *Scrib. Comp.* 156. Loco flamma percalfacto. *Val. Max.* 9, 12. *n.* 4. Multo igni percalfacto cubiculo.

PERCĂLĔFĪO, is, actus sum, pass. anom. *Vitruv.* 8, 3. Percalefieri cogit aquam.

PERCĂLĔO, es, ui, n. 2. valde caleo. *Lucr.* 6, 280. Inde ubi percaluit vis venti, etc. *Ov. Met.* 1, 417. postquam vetus humor ab igne Percaluit solis.

PERCALLĔO, es, ui, n. 2. induratus, et obduratus sum longa consuetudine. *Cic. Mil.* 28. Sed jam usu obduruerat, et percalluerat civitatis incredibilis patientia. ℙ Item active est perfecte callere. *Cic. Or.* 2, 34. *f.* Si usum rerum percalleris, nihil te effugiet. *Gell.* 1, 22. Disciplinas Tubero Stoicas, et dialecticas percalluerat.

PERCANDĔFĂCIO, is, a. 3. valde calefacio. *Vitr.* 8, 3. Ignis percandefacit terram.

PERCANDĬDUS, a, um, adj. valde candidus. *Cels.* 5, 19. *n.* 24. Percandida compositio. *Solin.* 37. *f.* gemma.

*PERCAPABĬLIS, e, adj. *Vet. Interpr. Iren.* Percapabilis vitae. *B. A.*

PERCĂRUS, a, um, adj. valde carus. [*Cic. fragm. or. pro Scaur.* (ed. *A. Maio*) 8. Frater meus, qui eis (*Sardis*) percarus et jucundus fuit *F.*] *Just.* 12, 12. Unus ex amicis ejus, obsequiis regi percarus. Adde *Tac. A.* 2, 74. ℙ Item qui magno pretio venditur. *Ter. Phorm.* 3, 3, 24. Quantum opus est tibi argenti? *Ph.* Solae triginta minae. *Ge.* Triginta? Hui, percara (*puella*) est. Al. leg. *praecara.*

PERCAUTUS, a, um, adj. valde cautus. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 6. Delectus in familiaritatibus et provincialium hominum, et Graecorum percautus, et diligens.

PERCĒDO, is, essi, a. 3. valde cedo. *Not. Tir.*

p. 17. Cedit, cessit, percedit, percessit. V. PERCESSUS.

PERCĔLEBRĀTUS, a, um, part. a *percelebro*, valde celebratus. *Cic. Coel.* 29. Audita, et pervulgata, et percelebrata sermonibus res est.

PERCĔLEBRIS, e, adj. valde celebris. *Plin.* 10, 5, 6. Est percelebris apud Seston urbem aquilae gloria. *Mela* 2, 3. *med.* Templum vetustate, et religione percelebre.

PERCĔLEBRO, as, a. 1. maxime celebro, frequento. *Cic. Verr.* 2, 5, 31. De qua muliere plurimi versus tota Sicilia percelebrantur. *Arnob.* 2, 73. Ut exercerent, ut gererent, ut percelebrarent haec mala, *h. e.* frequentarent saepe perpetrando.

PERCĔLER, ĕris, adj. valde celer. *Cic. Coel.* 24. *Cujus* perceleri interitu esse ab hoc comprobatum venenum.

PERCĔLĔRĬTER, adv. valde celeriter. *Cic. Fam.* 6, 12. Recepit, perceleriter se ablaturum diploma.

PERCELLO, is, culi, raro culsi, culsum, a. 3. περιτρέπω, vehementer moveo, loco moveo, labefacio, urgeo, impello, everto, perverto, humi sterno: ab obsoleto *cello*, moveo. *Cato* ap. *Gell.* 2, 22. *f.* Ventus Cercius armatum hominem, plaustrum oneratum percellit. *Pl. Pers.* 5, 2, 28. Hoc, leno, tibi. *Do.* perii! perculit me prope. *Plin.* 18, 34, 87. *n.* 1. Hic ventus praestringit atque percellit radices arborum. *Varr.* ap. *Non.* 2, 642. Alius teneram abietem solus percellit. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. securibu' caedunt, Percellunt magnas quercus. ℙ Usum habet saepius in praeteritis. *Ter. Eun.* 2, 3, 87. Quo trudis? perculeris jam tu me. *Cic. Mil.* 21. Adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem, qui saepe spoliantem jam, et exsultantem evertit, et perculit ab abjecto. *Id. Marcell.* 6. Quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriae. *Val. Fl.* 4, 592. si quem Perculerit vicina lues. *Colum.* 7, 7. Cum unam vel alteram capram pestis perculerit. ℙ Pro simplici ferio, percutio. *Ov. Amor.* 2, 9, 7. Haemonius quem cuspide perculit heros; et *ib.* 1, 7, 31. Pessima Tydides scelerum monumenta reliquit: Ille Deam primus perculit: alter ego. ℙ De voce, quae ferit aures. *Val. Fl.* 2, 91. vox inde repens ut perculit urbem, etc. ℙ Saepe translate sumitur pro evertere, pervertere, labefactare, de statu dejicere, perdere. *Cic. Dom.* 11. Desinant iisdem machinis sperare me restitutum posse labefactari, quibus antea stantem perculerunt. *Id. Coel. f.* Ne adolescentiam plenam spei maximae, non modo non aluisse vos, sed etiam perculisse atque afflixisse videamini. *Suet. Tib.* 55. Horum omnium vix duos aut tres incolumes praestitit, ceteros alium alia de causa perculit. *Nep. Dion.* 5. Quinquaginta annorum imperium adeo facile perculit, ut, etc. *Tac. A.* 2, 39. Mancipii unius audacia, ni mature subventum foret, discordiis armisque civilibus rempublicam perculisset. ℙ Item in stuporem rapere, timore concutere, consternare, exterrere. *Cic. Verr.* 2, 3, 57. *f.* Haec te vox non perculit? non perturbavit? *Justin.* 25, 11. Inopinantibus verbera intentant: adeoque illos perculerunt, ut quos ferro non poterant, metu verberum vincerent. *Val. Fl.* 4, 651. Idem animos Amyci viso timor omnibus antro Perculerat; et 6, 480. pavor artus Protinus, atque ingens Aetida perculit horror. *Flor.* 1, 10. Novissime etiam tanta admiratione perculit, ut, etc. ℙ Pro vexare, multare. *Tac. H.* 1, 53. Quasque alias civitates atrocibus edictis, aut damno finium Galba perculerat. ℙ Pro impellere. *Appul. Apol.* Venus nullis ad turpitudinem stimulis, vel illecebris sectatores suos percellens. ℙ Multa de hoc verbo disputant *Lambin.* et *Bentl.* ad *Hor. Epod.* 11, 3. ℙ *Perculit* passiva significatione, perculsus fuit. *Flor.* 3, 10. *med.* Hic, insidiis in valle dispositis, dolo perculit. ℙ *Perculsi* pro *perculi* dixit *Ammian.* 17, 8. Subito cunctos aggressus, tanquam fulminis turbo perculsit. *Hor.* quoque *Od.* 1, 7, 11. et *Ter. Andr.* 1, 1, 98. sunt qui adscribant; sed rectius alii plures *percussit*. [*De discrimine inter *percellere* et *percutere* V. in h. v.]

PERCENSĔO, es, ui, a. 2. καταριθμοῦμαι, totum aliquid censeo, recenseo, percurro. *Cic. in Sen.* 1. Quod tam divinum est genus orationis, quo quisquam possit vestra in nos universa promerita, non dicam complecti orando, sed percensere numerando? *Tac. A.* 4, 4. Percensere numerum legionum. *Plin.* 7, 26, 27. Percensere res Caesaris. *Varr. R. R.* 1, 50. Manipulum, ut quemque subsecuerunt, ponunt in terra: ubi eos fecerunt multos, iterum eos percensent, ac de singulis secant inter spicas, et stramentum. Rursus *Cic. Part.* 36. *f.* Quo in genere percensere poterit plerosque inveniendi locos. Sic *Ov. Fast.* 3, 109. Signaque quae longo frater percenseat anno, Ire per haec uno mense sororis equos. ℙ Item inquirendi causa percurro, recenseo, singula examinando et notando. *Ov. Met.* 2, 334. Clymene lugubris et amens, Et laniata sinus totum percensuit orbem. *Gell.* 7, 3. *med.* Sibi visus est orationem istam acri subtilique ingenio et judicio percensuisse. *Liv.* 32, 21. Orationes legatorum hesterno die dictas pro sententiis percenseamus; et 34, 52. Ita cum publicae administrandae formam in ea constituisset. V. *ib.* 51.

[PERCENSIO, onis, f. actio percensendi. *Front. de orat.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. Tua vox... vere.... non... his omnibus... percensio sit. *F.*]

PERCEPTIO, onis, f. κατάληψις, comprehensio, collectio, actus percipiendi. *Cic. Off.* 2, 3. *f.* Neque frugum, fructuumque reliquorum perceptio, et conservatio sine hominum opera ulla esse potuisset. Adde *Colum.* 1, 3. ℙ Translate sumitur pro cognitione. *Id. Acad.* 4, 7. *f.* Ars vero quae potest esse, nisi quae non ex una, aut ex duabus, sed ex multis animi perceptionibus constat? et *ib.* 6. Cognitio, aut perceptio, aut si verbum e verbo volumus, comprehensio, quam κατάληψιν illi vocant.

PERCEPTOR, oris, m. qui percipit. *Augustin. Soliloq.* 1, 1. *extr.* Jubeas me esse perfectum amatorem, perceptoremque sapientiae tuae.

PERCEPTUS, a, um, part. a *percipio*, καταληφθείς, captus, acceptus, comprehensus. *Plin. ep.* 10, 79. Rogavit testamento, ut hereditatem suam adirem, cerneremque, ac deinde perceptis L. millibus nummum, reliquum omne civitatibus redderem. *Ov. Fast.* 1, 273. Utilitas aquae percepta. *Cic. Fin.* 2, 30. *f.* Memoria perceptarum voluptatum. *Id. N. D.* 2, 36. Animabilis spirabilisque natura, cui nomen est aer, Graecum illud quidem, sed perceptum jam tamen usu a nostris: tritum est enim pro Latino; et *Acad.* 4, 14. et 31. Res comprehensae, et perceptae; et *ib.* 7. *f.* Res percepta et cognita. *Nep. Att.* 17. *extr.* Philosophorum ita percepta habuerat praecepta. *Gell.* 14, 1. *med.* Mirabatur id cuiquam pro percepto liquere, stellas istas non esse plures, etc. ℙ *Perceptum* absolute. *Cic. Fat* 6. Divinatio a perceptis artis proficiscitur: percepta apello, quae dicuntur Graece θεωρήματα; et mox; Percepta astrologorum. Alii utrobique leg. *praecepta*.

[PERCERNIS, e, adj. qui bene cerni potest: ab inus. *percerno*, ut perspicuus a *perspicio*. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 615. *n.* 127. Nymphis Aug. percernibus T. Cingetius Dionysius ex voto. *F.*]

PERCERPO, is, a. 3. decerpo, carptim lego. *Gell.* 2, 30. *f.* Cujus rei causa cum Aristotelis libros problematum percerpsimus, notavi. Alii leg. *praecerpsimus*.

PERCESSUS, a, um, part. a *percedo*. Ex corrupta lectione ita *Non.* 2, 704. ex *Cic. Or.* 48. Concisum, non concessum, et quod quidam percessum etiam volunt. At ap. *Cic. l. c.* legitur *concaesum*, et *pertisum*.

PERCĪDO, is, īdi, isum, a. 3. valde caedo. *Pl. Pers.* 2, 4, 12. Non hercle, si os perciderim tibi, metuam. Ita legunt in MSS. et veterib. edition. plerique Critici. Addit *Grut.* exemplum *Sen. Q. N.* 4. 4. Mendacia leviora, in quibus os percidi, non oculi erui solent. Non desunt tamen qui ubique *praecido* reponunt. *Turneb.* addit ex *Plauto* et illud *Cas.* 2, 6, 52. Percide os tu illi hodie. ℙ Porro *percidere os alicui* habet etiam obscenum sensum, et idem est ac irrumare aliquem. V. PERCISUS. ℙ *Percidere* absolute est idem ac paedicare. *Mart.* 4, 48. Percidi gaudes, percisus, Papile ploras; et 7, 62. Reclusis foribus grandes percidis, Amille. Adde 6, 39., 11, 28. et 12, 35 et *Auct. Priap.* 13., quibus omnibus locis alii reponunt *praecido*. V. PERCISUS. ℙ Praeteritum est etiam *percecidi*, ut *percurro* habet *percurri*, et *percucurri*, etc. *Flor.* 3, 20. *med.* in Apennino Lentuli exercitum percecidit. Adde 4, 12.

PERCĬĔO, es, a. 2. et Percio, is, ivi, et ii, n. 4. valde cieo, commoveo. *Lucr.* 3, 304. irai fax subdita percit; et *ib.* 185. Ocius ergo animus, quam res se perciet ulla: ubi *perciet* praesens tempus est; et 28. ubi me divina voluptas Perciit, atque horror, *h. e.* commovit; et 4, 564. edictum saepe unum perciet aures Omnibus in populo, missum praeconis ab ore. Hic quoque *perciet* praesens tempus est. ℙ *Pl. As.* 2, 4, 69. Crura hercle diffringentur, ni istum impudicum percies, *h. e.* magna voce proclamas, seu praedicas, istum impudicum esse.

PERCINGO, is, inxi, inctum, a. 3. circumquaque cingo. *Colum.* 10, 347. Saepe suas sedes percinxit vitibus albis. *Manil.* 3, 334. medio percingitur ordine mundus. Utrobique alii leg. *praecingo*.

PERCĬO, is. V. PERCIEO.

[PERCĬPĬBĬLIS, e, adj. qui percipi potest. *Mar. Victor.* 1, 2451. Vox est aer ictus auditu percipibilis, quantum in ipso est. *F.*]

PERCĬPĬO, is, cepi, ceptum, a. 3. καταλαμβάνω, plane, penitus capio, occupo: a *per*, et *capio*. *Lucr.* 5, 603. Est etiam quoque, uti non magno solis ab igni Aera percipiat calidis fervoribus ardor. *Pl. Amph.* 5, 1, 66. Mihi horror misero membra percipit dictis tuis. *Id. Men.* 5, 5, 21. Quid cessas dare potionis aliquid, priusquam percipit insania? *Id. Stich.* 2, 2, 17. Quid ego, cui misero medullam ventris percepit fames? *Ter. Eun.* 5, 6, 2. Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit. Adde *Pl. Truc.* 2, 5, 14. et *Lucret.* 3, 80. ℙ Item penitus recipere. *Colum.* 11, 3. *med.* Thymo pinsito aquam medicare, quae cum succum ejus perceperit, etc. *Plin.* 21, 5, 13. In faece vini macerantur, ut colorem percipiant. *Ov. Met.* 4, 744. tactuque induruit hujus, Percepitque novum ramis et fronde rigorem. *Lucret.* 6, 984. varii sensus animantibus insunt, Quorum quisque suam proprie rem percipit in se. *Ov. Met.* 8, 227.: de Icaro: Tabuerant cerae: nudos quatit ille lacertos, Remigioque carens non ullas percipit auras. ℙ Item capere, colligere. *Cic. Sen.* 7. *f.* Serere, percipere, condere fructus. *Plin.* 15, 1, 1. Fructum percipere ex olea. *Id.* 9, 54, 79. Magna vectigalia ex ostrearum vivariis percipere. *Colum.* 12, 3. *f.*: de officiis villicae: Tonsuris vellerum interesse, et lanas etiam diligenter percipere, et vellera ad numerum pecoris recensere. ℙ Item accipere, reportare, obtinere, consequi. *Id.* 1, 9. *med.* Diligens dominus tum a vinctis mancipiis, tum ab solutis quaerat, an ex sua constitutione justa percipiant. *Id.* 4, 3. Novella vinea, dum adolescit, nisi omnia justa perceperit, ad ultimam redigitur maciem; et *Caes. B. C.* 2, 32. Percipere praemia. *Just.* 13, 7. Ex promissis Dei jam parte percepta. *Id.* 43, 5. Avum suum civitatem a Cn. Pompejo percepisse. *Petr. Sat.* 141. Omnes qui in testamento meo legata habent, hac conditione percipient, si, etc. *Suet. Tib.* 15. Ne hereditatem quidem, aut legata percepit ulla aliter, quam ut peculio referret accepta. *Id. Aug.* 101. Quamvis quaterdecies millies ex testamentis amicorum percepisset. ℙ Item sentire; et ad sensus corporis pertinet. *Cic. Or.* 2. *med.* Quod neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi potest. *Ov. Met.* 14, 700. et totis perceperat ossibus aestum. *Cic. Fin.* 1, 11. Voluptas, quae cum jucunditate quadam percipitur sensibus. *Pl. Curc.* 1, 3, 1. Placide egredere, ne quod hic agimus, herus percipiat fieri. ℙ Item ad animum. *Cic. Fam.* 14, 1. Me miserum! Tulliolam nostram ex quo patre tantas voluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus. Nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primum sapere coepit, acerbissimos dolores, miseriasque percepit. *Ov. Pont.* 2, 1, 60. Gaudia percipiens quae dedit ipse suis. ℙ Item intelligere, comprehendere, cognoscere, discere, assequi. *Cic. Acad.* 4, 8. *f.* Aliquid percipere et comprehendere; et *ib.* 9. Comprehendere et percipere; et *Fin.* 1, 19. *med.* Cognoscere et percipere. *Hor. A. P.* 335. ut cito dicta Percipiant animi dociles, teneantque fideles. *Cic. Or.* 1, 28. Quippiam percipere animo, et memoria custodire. *Caes. B. C.* 3, 84. Qui quotidiana consuetudine usum quoque ejus generis proeliorum perciperent. *Cic. Or.* 1, 28. Percipere artificium aliquod. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 10. virtutem et humanitatem. *Id. Or.* 1, 51. philosophiam. *Id. Off.* 1, 18. praecepta artis. *Id. Sen.* 7. Themistocles omnium civium nomina perceperat; et *Cat.* 1, 11. Percipite, quaeso, diligenter quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. *Ov. Fast.* 1, 102. et voces percipe mente meas. *Curt.* 6, 9. Quos facilius, quae dicam, percepturos arbitror. *Plin.* 26, 3, 7. Remedia nosset oculis usuque percipienda, *h. e.* nosset medicinas videndo, et exercendo. ℙ *Percepset* pro *percepisset* nonnulli leg. in *Pacuvio* ap. *Cic. Off.* 3. 26.

[PERCIS, idis, f. conchae marinae species. *Plin.* 32, 11, 53. Pectunculi, purpurae, percides. Quidam putant, esse easdem ac percas; alii leg. *pegrides*, quarum tamen nulla alibi est mentio. *F.*]

PERCĪSUS, a, um, part. a *percido*, valde caesus. Obsceno sensu idem est ac irrumatus. *Mart.* 2, 72. Os tibi percisum, quanto non ipse Latinus Vilia Panniculi percutit ora sono. Alii leg. *praecisum*. ℙ Est etiam idem ac paedicatus. *Gloss. Phil.* Percisus, paedicatus, πεπυγισμένος. *Sen. Prov.* 5. *med.* Percisi, et professi impudicitiam. *Mart.* 12, 35. Dicere percisum te mihi saepe soles. *Auct. Priap.* 15. nemo Percisum sciet esse me: sed errat. Omnibus tamen his locis alii leg. *praecisus*. V. PERCIDO.

PERCĪTĀTUS, a, um, part. a *percito*, incitatus, percitus. *Accius* ap. *Non.* 7, 2. Devagant matronae percitatae tumultu. V. DEVAGOR.

PERCĪTO, as, a. 1. valde moveo: a *per*, et *cito*, *Pacuv.* ap. *Fest.* in *Reciprocare*. Rapto, reciproco, percito, agito ultro, citro. Ita leg. *Bothe* ad *Pacuvii fragm.* p. 144.

PERCĪTUS, a, um, part. a *percieo*: commotus, incitatus. *Lucr.* 2, 1052. Seminaque innumero numero, summaque profunda Multimodis volitent aeterno percita motu. ℙ Transfertur ad animum. *Ter. Hec.* 3, 3, 17. Incredibili re atque atroci percitus. *Cic. Mil.* 23. Sive enim illud animo irato, ac percito fecisset. *Pl. As.* 4, 2, 13. Amoris causa percitus id fecisti; et *Cas.* 3, 5, 6. Ira percitus; et *Amph.* 2, 2, 95. atrabili. *Sen. Herc. Fur.* 108. magno furore; et *Hippol.* 1156. Quis te dolore percitam instigat furor? *Liv.* 21, 53. *med.* Ingenium percitum, ac ferox; et *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 6, 704. Quia corpore et lingua percitum et

inquietem, nomine histrionis vix sani, Barbulejum appellabant.

PERCĪVĪLIS, e, adj. valde civilis. *Suet. Tib.* 28. Exstat et sermo ejus in senatu percivilis.

PERCLĀMO, as, a. 1. *καταβοάω*, valde clamo. *Pl. Truc.* 1, 1, 8. Quot perclamanda! Dii vostram fidem! Al. aliter leg.

PERCLARĔO, es, ui, n. 2. valde clareo. *Sym. ep.* 10, 72. Laudandae sublimitatis tuae relatione perclaruit. *Id. ep.* 10, 72. Perclaruit, voluisse, etc.

PERCLŪDO, is, usi, usum, a. 3. concludo, claudo. *Vitr.* 1, 1. *med.* Funes, qui non percludun-tur, nec praeligantur. *Paul. Dig.* 20, 2, 9. Antequam pensionis nomine percludamur. Utroque loco alii *praecludo* reponunt.

PERCNOPTĔRUS. V. ORIPELARGUS.

PERCOARCTO, as, a. 1. vehementer constringo. *Colum.* 2, 19. Et utrinque siccatum percoarctabimus in strigam. Al. rectius leg. *coarctabimus.*

PERCOCTUS, a, um, part. a *percoquo*, bene, vel valde coctus. *Lucr.* 6, 722. de Aethiop: nigra virum percoctaque saecla calore. *Plin.* 22, 25, 78. Lens non bene percocta. *Cato R. R.* 25. Studeat familia vinum (*h. e.* uvam) bene percoctum siccumque legere, ne vinum nomen perdat.

*PERCOENO, as, n. 1. *Gloss.* Percoenare, *ἀποδειπνῆσαι. B. A.*

PERCOGNĪTUS, a, um, part. a *percognosco*, probe cognitus. *Plin.* 2, 45, 45. Illos quoque legem naturae habere non ignotam, etiamsi nondum percognitam. *Id.* 4, 14, 28. Nam Germania multis postea annis, nec tota, percognita est.

PERCOGNOSCO, is, a. 3. *διαγινώσκω*, perfecte cognosco. *Pl. Truc.* 1, 2, 50. Utrosque percognovi utrobidem.

PERCOLAPHO, as, a. 1. colaphis valde percutio. *Petr. Sat.* 44. Ut larvas, sic istos percolaphabant. Alii perperam leg. *percolaptabant.* In *Cod. Trag.* legitur *percolopabant.*

PERCOLĀTĬO, onis, f. actus percolandi. *Vitr.* 8, 7. *f.* Uti percolationibus aquae transmutari possint.

PERCOLĀTUS, a, um, part. a *percōlo*, per colum transmissus. *Plin.* 31, 6, 37. Nam in terra marina aqua argilla percolata dulcescit. Adde *Vitr.* 8, 2.

PERCOLO, as, a. 1. *διυλίζω*, *διηθέω*, per colum transmitto, totum colo. *Cato R. R.* 108. Tum vinum percolato, polentam abjicito. *Colum.* 12, 41. Deinde refrigerantur, et percolantur. *Cels.* 6, 9. Is humor percolatur. ℙ Translate. *Lucr.* 2, 473. Humor dulcet, ubi per terras crebrius idem Percolatur, *h. e.* transmittitur. *Plin.* 18, 11, 29. Terra pulverea summa, inferior bibula crebros imbres percolat atque transmittit. *Sen. praef. Q. N. med.* Quid enim erat, cur in numero viventium me positum esse gauderem? an ut cibos et potiones percolarem? *h. e.* ederem, biberem, et egererem.

PERCŌLO, is, ui, cultum, a. 3. culturam absolvo, supremam manum addo, polio, perficio, compleo. *Plin. ep.* 5, 6. *f.* Quae maxima ex parte inchoavi, aut inchoata percolui. ℙ Est etiam valde amare, vereri, colere, beneficiis prosequi. *Pl. Trin.* 2, 2, 4. Patrem tuum si percoles. *Tac. H.* 2, 82. Multos praefecturis, et procurationibus, plerosque senatorii ordinis honore percoluit. *Id. A.* 4, 68. Neque omiserat conjugem liberosque ejus percolere. ℙ Item ornare. *Id. Agr.* 10. Quae priores nondum comperta, eloquentia percoluere, rerum fide tradentur. ℙ Part. *Percolens* ap. *Appul. Met.* 8. Imaginem defuncti divinis percolens honoribus.

PERCOMIS, e, adj. valde comis. *Cic. Brut.* 58. Qui peritissimus juris, idemque percomis est habitus.

PERCOMMŌDĔ, adv. admodum commode. *Cic. Caecin.* 27. Hoc loco percommode accidit, quod, etc. et *Tusc.* 4, 30. *f.* Itaque, sive casu accidit, sive consilio, percommode factum est, quod, etc. et *Verr.* 1, 2. Verum hoc adhuc percommode cadit, quod, etc.

PERCOMMŌDUS, a, um, adj. valde commodus. *Liv.* 22, 43. Id cum ipsis castris percommodum fuit, tum salutare praecipue futurum erat.

PERCONTĀTĬO, etc. V. PERCUNCTATIO, etc.

*PERCONTERRĔO, es, a. 2. valde terreo *Vulgat. Esdr.* 4, 11, 32. *B. A.*

PERCONTŪMAX, acis, adj. valde contumax. *Ter. Hec.* 3, 5, 54. Percontumax redisti huc nobis, Pamphile.

PERCOPĬOSĔ, adv. copiosissime. *Sidon. ep.* 4, 7. *f.* Percopiose me officii votivi compotem fecit.

PERCOPĬOSUS, a, um, adj. valde copiosus. *Plin. ep.* 9, 31. In quibus quidem percopiosus fuisti.

PERCŌQUO, is, oxi, octum, a. 3. perfecte coquo. *Plin.* 23, 7, 64. Bubulas carnes additi caules magno ligni compendio percoquunt. *Ov. R. Am.* 83. teneras mora percoquit uvas; et *Lucr.* 6, 858. Percoquere humorem, *h. e.* calefacere.

PERCOSĬUS, a, um, adj. *Περκώσιος*, ad Percoten pertinens. Percosia conjux ap. *Val. Fl.* 3, 10. est Clyte, vel Clite, *Κλείτη*, filia Meropis Percosii (ut est ap. *Apollon.* 1, 975.) uxor Cyzici regis Propontidis.

PERCOTĒ, es, f. *Περκώτη*, oppidum Troadis cum monte ad ostia Aesepi fluvii, in ora Mysiae. *Plin.* 5, 32, 40. Deinde Percote oppidum, et Lampsacum, antea Pityusa dictum. *Val. Fl.* 2, 622. Jam juga Percotes, Pariumque infame fragosis Exsuperant, Pityamque vadis.

PERCRASSUS, a, um, adj. valde crassus. *Cels.* 5, 26. *n.* 19. Melicera mala est, multa, et percrassa.

PERCREBRESCO, is, brui, et bui, n. 3. *διαθρυλλοῦμαι*, creber fio in ore et sermone hominum, divulgor. Praeteritum maxime est in usu: in quo tertium *r* usus saepe exterit. V. CREBRESCO. *Cic. Att.* 1, 1. Ita quiddam spero nobis profici, cum hoc percrebrescit plurimos nostros amicos inveniri. *Id. Verr.* 1, 1. Inveteravit jam opinio, quae non modo Romae, sed et apud exteras nationes omnium sermone percrebuit. *Id. ib.* 4, 23. Res percrebuit: in ore atque sermone omnium coepit esse; et *ib.* 6, 30. Cum haec omnino fama de nostrorum hominum avaritia et cupiditate percrebuerit. Adde *ib.* 43. et *Fam.* 10, 10. *Caes. B. C.* 3, 43. *extr.* Cum fama per orbem terrarum percrebuisset, illum a Caesare obsideri. *Tac. A.* 12, 6. *extr.* In fratrum filias conjugia aliis gentibus solemnia, nec ulla lege prohibita: et sobrinarum diu ignorata, tempore addito, percrebuisse.

PERCRĔPO, as, ui, itum, *ὑπερηχέω*, valde crepo, resono, persono, perstrepo. *Cic. Verr.* 2, 5, 13. Lucum illum litoris percrepare totum mulierum vocibus, cantuque symphoniae. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 63. Percrepa pugnam Pompilii, facta Cornelii cane, *h. e.* dic, praedica, lauda.

PERCRESCO, is, n. 3. valde cresco. *Quint.* 7, 1. *med.* Vis quaestionum percrescere debet, et ad potentissima ab infirmissimis pervenire. Alii rectius leg. *semper crescere. Seren. Sammon.* 36, 679. Avulsamque vetat *(hirudo)* rursus percrescere silvam. scil. pilorum in corpore humano.

PERCRIBRĀTUS, a, um, part. a *percribro*, cribratus. *Scrib. Comp.* 269. Res, quae infra scriptae sunt, contusae, et percribratae.

PERCRIBRO, as, a. 1. cribro, aut diligenter cribro. *Scrib. Comp.* 87. Contunditur crocum, percribratur.

PERCRŪCĬO, as, a. valde crucio. *Pl. Bacch.* 5, 1, 13. Hoc, hoc est, quod peracescit: hoc est demum, quod percrucior.

PERCRŪDUS, a, um, adj. valde crudus, immaturus. *Colum.* 12, 10. Pruna purpurea cum immatura, non tamen percruda legeris. *Vitr.* 10, 20. *f.* Virgae creberrimae textae, percrudis coriis consutae.

PERCŪDO, is, di, a. 3. valde cudo, et ferio, cudendo perforo. *Colum.* 8, 5. *med.* Die undevigesimo animadvertat, an pulli rostellis ova percuderint, et auscultetur, si pipiant.

PERCULSUS, a, um, part. a *percello*, *ἀπωσμένος*, *ἐκπλαγείς*, valde ictus, et loco motus, labefactus, eversus, prostratus. *Cic.* ap. *Gell.* 15, 6. Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense. *Catull.* 64, 363. excelso coacervatum aggere bustum Excipiet niveos perculsae virginis artus, *h. e.* Polyxenae mactatae ad Achillis tumulum. Alia sunt quamplurima, quae afferri possent: sed *perculsus* et *percussus* passim confudere librarii: ut eruditi jam observarunt. Vide, si lubet, *Bentl.* ad *Hor. Epod.* 11, 2., *Burm.* ad *Ov. Met.* 4, 138., *Drakemborch.* ad *Sil.* 2, 213. et *Oudendorp.* ad *Lucan.* 1, 487. ℙ Translate. *Flor.* 4, 3. Perculsum undique, et perturbatum ordinavit imperii corpus. ℙ Saepe refertur ad animum, et est valde commotus, turbatus, exterritus, consternatus, abjectus. *Cic. ad Brut.* 1, 3. Timore quodam perculsa civitas. *Liv.* 4, 31. *f.* Exercitus ab re male gesta perculsus; et *Caes. B. C.* 2, 12. Hostes turris repentina ruina commoti, inopinato malo turbati, Deorum ira perculsi, urbis direptione perterriti. *Tac. A.* 1, 28. Ut sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes; et *ib.* 2, 46. *f.* Sperabatur rursum pugna, ni Maroboduus castra in colles subduxisset: id signum perculsi fuit; et *ib.* 1, 12. Perculsus improvisa interrogatione, paulum reticuit. ℙ Item ictus, afflictus. *Nep. Eum.* 5. Hac ille perculsus plaga non succubuit, neque eo secius bellum administravit. ℙ Item de statu dejectus, fortunis, aut vita spoliatus, eversus. *Cic. Cat.* 2, 1. *f.* Jacet ille nunc prostratus, et se perculsum atque abjectum esse sentit. *Tac. A.* 14, 57. Perculso Seneca, promptum fuit Rufum Fenium imminuere; et *ib.* 13, 32. Redditur ordini Varius consularis, avaritiae criminibus olim perculsus.

PERCULSUS, us, m. percussio, quassatio. In sexto casu sing. *Tert. Anim.* 52. *f.* Navigia intestino perculsu desidunt.

PERCULTOR, oris, m. diligens et assiduus cultor. *Aurel. Vict. Caes.* 1. de Aug.: Doctorum, qui abunde erant, necessariorumque percultor.

PERCULTUS, a, um, part. a *percōlo*, valde politus, seu ornatus. *Pl. Poen.* 1, 2, 22. Nisi perculta est, meo animo quasi illauta est.

PERCUNCTĀTĬO et Percontatio, onis, f. *ἐρώτησις*, inquisitio, interrogatio. *Cic. Univ.* 1. Ac primum quidem tempus salutationibus, reliquum percunctatione consumpsimus. *Caes. B. G.* 5, 13. Nos nihil de eo percunctationibus reperiebamus, nisi certis ex aqua mensuris, breviores esse noctes, quam in continente videbamus. *Cic. Brut.* 60. *f.* Omnis ille sermo ductus e percunctatione filii, quid in senatu esset actum. *Plin.* 11, 30, 36. de formicis: Quae tunc earum concursatio? quam diligens cum obviis quaedam collocutio atque percunctatio? ℙ Inter figuras sententiarum *percunctatio* ponitur a *Cic. Or.* 3, 55. et rogatio, atque huic finitima quasi percunctatio. *Rogatio*, h. e. interrogatio, differt a *percunctatione* in eo, quod illa fit instandi et arguendi causa, haec noscendi. V. PERCUNCTOR.

[PERCUNCTĀTĪVĒ, adv. interrogative. *Charis.* 2, 161. *F.*]

[PERCUNCTĀTĪVUS, a, um, adj. a cunctis probatus, omnibus notus. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 8. *med.* Apollonius Memphites percunctativo, sive universali modo, quem Graeci *καθολικὸν* vocant, etc. V. PERCUNCTATUS. *F.*]

PERCUNCTĀTOR et Percontator, oris, m. qui percunctatur. De eo, qui nimis curiose inquirit, *Pl. Men.* 5, 5, 31. Qui te Juppiter Diique omnes, percunctator, perduint. *Hor. Ep.* 1, 18, 69. Percunctatorem fugito: nam garrulus idem est.

PERCUNCTĀTUS et Percontatus, a, um, part. a *percunctor*, qui percunctatus est. *Liv.* 40, 21. Percunctatus regionis peritos de ascensu Haemi. ℙ Passive quaesitus. *Appul. Met.* 1. Et percunctato pretio, etc. ℙ *Percunctatus* est etiam cunctis probatus, universalis. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 5. Igitur non febricitare furiosos, percunctatum non est, sive universale, quod Graeci *καθολικὸν* vocant, sed est discrepatione partile, siquidem quidam febribus afficiuntur, etc. V. PERCUNCTATIVUS.

PERCUNCTO et Perconto, as, a. 1. idem ac percunctor. *Naev.* ap. *Non.* 7, 52. Docte percunctat Ennius, quo pacto Trojam reliquisset. *Id. ib.* Si percunctassem, malum hoc me praeterisset. *Appul. Met.* 11. Quod sedulo percunctaveram. ℙ Passive. *Gell.* 16, 6. Quaere ea potius, quae a grammatico quaerenda sunt: nam de ovium dentibus opiliones percunctantur.

PERCUNCTOR et Percontor, aris, atus sum, dep. 1. *ἐρωτάω*, *ἀνέρομαι*, quaero, sciscitor, interrogo, inquiro. *Donat.* ad *Ter. Hec.* 1, 2, 2. et *Non.* 1, 211. *percontor* dici ajunt a *conto*, quo utuntur nautae ad explorandam aquae altitudinem: *percunctor* ab eo, quod a cunctis perquiratur. Utramque notationem *percontor* et *percunctor* ponit etiam *Festus:* et priorem esse *Verrii Flacci*, sibique falsam videri; veriorem esse alteram, et *percunctor* rectius scribi. Ex orthographis alii a *Verrio* stant, alii a *Festo*. Litem ego non diremerim: tametsi ad *Festum* inclinat animus. Est igitur *percunctari*, cunctari, morari circa aliquem, inquirere diligenter, ut in cujuspiam rei notitiam perveniamus. *Cic. Or.* 1, 21. Quo in genere tu nunquam mihi percunctanti, aut quaerenti aliquid defuisti; et *ib.* 2, 71. Salsum est etiam, quaerentibus, et quasi percunctantibus lente respondere quod nollent. *Ter. l. c.* Modo isse dicito ad portum percunctatum adventum Pamphili. *Cic. Acad.* 1, 1. Cum totum iter consumpsisset partim in percunctando a peritis, partim, etc. *Id. Brut.* 46. *f.* Cum percunctaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet. *Id. Div.* 2, 36. Solebat ex me Dejotarus percunctari nostri augurii disciplinam. *Hor. Ep.* 1, 18, 96. percunctabere doctos, Qua ratione queas traducere leniter aevum; et *ib.* 8, 13. Post haec, ut valeat, quo pacto rem gerat, et se, Percunctare. *Id. Sat.* 1, 2, 7. Hunc si percuncteris, cur, etc. *Pl. Capt.* 4, 4, 9. Coquum percunctabatur, possentne seriae fervescere? *Id. Pers.* 4, 4, 49. Percunctari hanc paucis hic volt. *Id. Bacch.* 4, 1, 4. Percunctarier, utrum aurum reddat, an, etc. *Id. As.* 2, 2, 76. Me infit percunctarier, ecquem noverim Demaenetum. ℙ Cum duplici accusat. rei et personae. *Hor. Ep.* 1, 20, 26. Forte meum si quis te percunctabitur aevum. *Pl. Ps.* 1, 5, 47. Sunt quae te volumus percunctari. ℙ *Percunctari aliquem* est inquirere de aliquo. *Id. As.* 2, 4, 95. Tu quoque si esses percunctatus me ex aliis, scio pol, crederes quod nunc fers. *Plin.* 30, 2, 6. Se evocasse umbras ad percunctandum Homerum, quanam patria, quibusque parentibus genitus esset. ℙ Hoc sensu adjungitur etiam eleganter ablativo cum praepos. *de. Cic. Somn. Scip.* 1. Ego illum de suo regno, ille me de nostra republ. percunctatus est. V. PERCUNCTATUS. ℙ Apud rhetores aliud est interrogare, aliud percunctari: illud enim ab oratore fit instandi, objurgandi, aut exprobrandi gratia: hoc simpliciter sciscitandi et cognoscendi. *Quint.* 9, 2. Quid enim tam commune, quam interrogare, vel percunctari? nam utroque utimur indifferenter: cum alterum noscendi, alterum arguendi gratia videatur adhiberi. Ubi *Burm.* eos jure reprehendit, qui illud *alterum noscendi* ad *interrogare* referri putant. V. PERCUNCTATIO. *Cic. Fin.* 2, 1. Socrates percunctando

atque interrogando elicere solebat eorum opinionem, quibuscum disserebat. ℙ Percunctatum familiae nomen nequis servum mitteret, lege sanctum fuisse ait Cato in ea, qua legem Orchiam dissuadet: *Festus.* ℙ Praeclarum monitum est illud *Ter. Hec.* 5, 3, 12. Tua quod nil refert, percunctari desinas. Quod *Pl.* dixit *Stich.* 2, 1, 48. Tua quod nihil refert, ne cures.

[PERCŪPIDĒ, adv. valde cupide, libenter. *Festus* in *Blaterare.* Blaterare est stulte et percupide loqui. *F.*]

PERCŪPĬDUS, a, um, adj. valde cupidus. *Cic. Fam.* 1, 7. Cognovi Hortensium percupidum tui.

PERCŪPĬO, is, a. 3. valde cupio. *Pl. As.* 1, 1, 61. Percupio obsequi gnato meo. *Ter. Eun.* 5, 2, 57. *Visne*, domi opperiamur? *Ch.* imo percupio.

PERCŪRĀTUS, a, um, part. a *percuro*, perfecte curatus, sanatus. *Liv.* 21, 57. Vixdum satis percurato vulnere. *Sen. Tranqu.* 15. *med.* Quidquid imbecillum in animo, nec percuratum est, exulcerat.

PERCŪRĬOSUS, a, um, adj. valde curiosus, *πολυπράγμων. Cic. Cluent.* 62. Nicostratus fidelis Oppianici servulus, percuriosus, et minime mendax.

PERCŪRO, as, avi, atum, a. 1. *καταθεραπεύω*, plane curo, perfecte sano. *Sen. ep.* 94. *med.* Percurare mentem aegram, et vitiis liberare. *Id. Q. N.* 3, 1. *f.* Quaedam aquae inveterata, et desperata a medicis vitia percurant. *Colum.* 6, 12. Si suppuraverit, tarde percurabitur. *Plin.* 32, 8, 28. Id faciendum quotidie, donec strumae percurentur.

PERCURRO, is, percurri, et percucurri, ursum, n. 3. *διατρέχω*, valde curro usque ad aliquem locum. *Ter. Heaut.* 4, 4, 9. *Bacch.* Audisti, modo iste homo quam villam demonstravit Charini? *Phry.* audivi. *Bacch.* proximam esse huic fundo ad dexteram? *Phry.* memini. *Bacch.* Curriculo percurre. *Id. Andr.* 2, 2, 18. Continuo ad te properans percurro ad forum, ut dicam tibi haec. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 16. *f.* Priusquam ad urbem accederem, ubicumque esses, ad te percurrissem. *Liv.* 26, 15. Inde citato equo Cales percurrit. ℙ Item per varia loca curro, obeo, lustro. *Caes. B. C.* 1, 15. Auximo Caesar progressus, omnem agrum Picenum percurrit. *Hirt. B. G.* 8, 46. Cum celeriter omnes conventus percucurrisset. *Flor.* 4, 12. *med.* Primum domuit Usipetes, inde Tenchteros percucurrit, et Cattos. *Caes. B. G.* 4, 33. *f.* Per temonem currus percurrere. *Lucret.* 6, 668. Perque mare et terras rapidus percurrere turbo. *Ov. Met.* 10, 654. Posse putes illos sicco freta radere passu, Et segetis canae stantes percurrere aristas. *Virg. A.* 8, 391. tonitru cum rupta crusco Ignea rima micans percurrit lumine nimbos. *Propert.* 1, 3, 31. diversas percurrens luna fenestras. *Lucret.* 4, 589. de Pane: Unco saepe labro calamos percurrit hiantes. *Ov. Am.* 2, 4, 27. Haec quaerulas agili percurrit pollice chordas. *Virg. A.* 7, 14. Arguto tenues percurrit pectine telas. *Mart.* 3, 82. Percurrit agili corpus arte tractatrix, Manumque doctam spargit omnibus membris. *Val. Fl.* 6, 63. triplici percurrens tempora nodo, *h. e.* circumdans. ℙ Passive. *Pall.* 1, 6. *med.* Hortus, qui fontano humore percurritur. *Plin.* 13, 12, 26. Percurritur glutino charta, *h. e.* contingitur glutino ubique. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 3, 42. *f.* Per omnes civitates percurrit oratio mea. *Suet. Ner.* 3. Restitutus in patriam amplissimos honores percucurrit, *h. e.* unum post alium brevi tempore assecutus est, et gessit. *Plin.* 19, 8, 47. Grato menta mensas odore percurrit in rusticis dapibus. ℙ Pro strictim attingere, breviter dicere. *Cic. Or.* 3, 14. Faciles partes eae fuerunt duae, quas modo percucurri, vel potius paene praeterii; et *ib.* 1, 47. Quae valde breviter a te de ipsa arte percursa sunt. *Id. Div.* 2, 46. Multas res oratione percurrere. *Vell.* 2, 38. Paucis percurrere, quae cujusque ductu gens, etc. *Plin.* 35, 8, 34. Nunc celebres in ea arte quam maxima brevitate percurram, *h. e.* percensebo. *Virg. A.* 6, 627. Omnia poenarum percurrere nomina possem. ℙ Refertur ad animum, et significat cogitatione complecti, perpendere, perdiscere. *Hor. Od.* 1, 28, 5. Aerias tentasse domos, animoque rotundum Percurrisse polum. *Cic. Or.* 1, 50. Est boni oratoris multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percurrisse. ℙ Et ad oculos. *Hor. Sat.* 2, 5, 54. solus multisne cohaeres, Veloci percurre oculo; et absolute *Val. Fl.* 6, 600. campis intendere suadet, Dum datur, ardentesque viri percurrere pugnas; et *Calpurn. Ecl.* 1, 24. tu potes alto Cortice descriptos citius percurrere versus. Sic *Liv.* 9, 18. *med.* Paginas in annalibus magistratuum, fastisque percurrere licet. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Or.* 2, 80. Si sic consistitur aliquando, ac non ista brevitate percurritur, *h. e.* usque ad finem oratione curritur.

PERCURSĀTĬO, onis, f. *διαδρομή*, actus percursandi, peragratio, excursio. *Cic. Phil.* 2, 25. Italiae rursus percursatio eadem comite mima. Adde *ib.* 39.

PERCURSĬO, onis, f. actus percurrendi. *Cic. Tusc.* 4, 13. *extr.* Propter animi multarum rerum brevi tempore percursionem. ℙ Est etiam figura rhetorica sententiarum, *ἐπιτροχασμὸς*, cum distantia plura inter se velociter oratione percurrimus, ut Caesar in Italiam evolarat, Corfinium praesidio desertum ceperat, urbe potiebatur, Pompejum persequebatur. Ita *Aquila Romanus de figur. sententiar. Cic. Or.* 3, 53. Nam et commoratio una in re permultum movet, etc. et huic contraria saepe percursio. Ita quidam leg. ex MSS., pleriique alii *praecisio.*

PERCURSO, as, avi, atum, n. 1. frequentat. a *percurro. Liv.* 23, 42. Jam latronum modo percursant totis finibus nostris. *Plin. Pan.* 12. *extr.* Nostra agmina percursare ripas gaudebant.

PERCURSOR, oris, m. qui percurrit. *Lactant.* 6, 7. Percursor viae. Alii leg. *praecursor.*

PERCURSUS, a, um, part. a *percurro. Cic. Or.* 2, 32. Ut omnes eas diligentes, et memores, et sobrii oratores percursas animo, et prope decantatas habere debeant. *Tac. A.* 4, 40. Suis in eum beneficiis modice percursis.

[PERCUSSĪBĬLIS, e, adj. qui percuti potest. Active qui percutit, ap. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 16. *med.* Odor percussibilis. *Id. Tard.* 2, 13. *med.* Virtus percussibilis. *F.*]

PERCUSSĬO, onis, f. *πλῆξις*, actus percutiendi, ictus, verberatio, pulsatio. *Cic. Tusc.* 3, 26. Mulierbres laceratione genarum, pectoris, feminum, capitis percussiones. *Id. Off.* 3, 19. Ut digitorum percussione heres posset scriptus esse, *h. e.* digitis concrepando, ut paulo ante dixerat. *Gell.* 5, 15. Non enim percussus aer, sed plaga ipsa atque percussio vox est. ℙ Est etiam ictus, seu dimensio temporum in metris, et numeris oratoriis. V. ICTUS, us. *Cic. Or.* 3, 47. Sed sunt insignes percussiones eorum numerorum, et minuti pedes. *Id. Or.* 58. *extr.* Non sunt in oratione, tanquam tibicini, percussionum modi, etc. Adde *Quint.* 9, 4. *med.* Sic *Id.* 11, 3. *med.* Sunt quaedam latentes sermonis percussiones, et quasi aliqui pedes, ad quos plurimorum gestus cadit: ut sit unus motus, *Novum crimen:* alter, *Cai Caesar:* tertius, *et ante hunc diem:* quartus, *inauditum:* deinde *propinquus meus:* et, *ad te Q. Tubero detulit.* Loquitur *Quint.* de gestu manus, quae varie cadendo versuum percussiones imitatur.

PERCUSSOR, oris, m. *πλήκτης*, qui percutit, ferit, occidit. *Plin.* 8, 16, 19. Leo vulneratus observatione mira percussorem novit, et in quantalibet multitudine appetit. ℙ Speciatim est sicarius, qui ad occidendum mercede conducitur. *Cic. Phil.* 2, 29. *f.* Domi Caesaris percussor ab isto missus, deprehensus dicebatur esse cum sica. *Flor.* 3, 1. Massivam immisso percussore confecit. *Suet. Ner.* 43. Percussores submittere exercitus et provincias regentibus; et *ib.* 34. Percussor subornatus alicui. *Petr. Sat.* 9. Nocturnus percussor.

PERCUSSŪRA, ae, f. percussio. *Appul. Herb.* 31. Percussura ferro, vel sude facta. *Veg. Vet.* 2, 20. Si animal oculum ex percussura laeserit.

PERCUSSUS, a, um, part. a *percutio:* ictus, pulsatus, vulneratus. *Virg. A.* 7, 190. Percussus virga. *Varr. R. R.* 1, 17. cultello. *Cic. Dom.* 5. et *Pl. Stich.* 4, 2, 33. lapide. *Prop.* 1, 1, 13. vulnere. *Plin.* 23, 1, 27. ab aspide calcata. *Inscr.* ap. *Vermiglioli, Iscriz. Perug.* p. 319. a vipera. *Ov. Met.* 6, 80. Terra percussa de cuspide. *Id. Trist.* 1, 1, 85. cymba vasta percussa procella; et *ib.* 4, 2, 5. victima collum percussa securi. *Prop.* 1, 16, 28. Auriculae voce percussae. *Sil.* 10, 166. quercus percussa Jovi, *h. e.* ab Jove. *Cic. Cat.* 3, 8. Turres de coelo percussae, *h. e.* fulmine ictae. *Ov. Amor.* 3, 12, 40. Duraque percussam saxa secuta lyram; et *Met.* 10, 159. aer percussus pennis, *h. e.* alis pulsatus; et *ib.* 6, 63. Qualis ab imbre solet percussus solibus arcus. Sic *Lucr.* 2, 799. color percussus luce refulget. ℙ *Percussum foedus* est ictum, junctum. *Just.* 42, 5. *f.* Foedus aequo jure percussum. V. PERCUTIO. ℙ *Percussa fossa*, cavata. *Plin. ep.* 10, 50. Per eadem loca invenio fossam a rege percussam. *Front. Strat.* 3, 17. Fossa in fronte percussa. ℙ Transfertur ad animum. Neque enim admittitur ab eruditis, quod *Agroet.* tradit *de Orthogr.* p. 2274. de corpore *percussum* dici, *perculsum* de animo: sed utrumque de utroque metaphorice adhiberi, quamvis librarii passim ista confuderint. Itaque *Bentl.* ita legit illud *Hor. Epod.* 1, 11. Petti, nihil me, sicut antea, juvat Scribere versiculos amore percussum gravi; (*percussus amore*, ut *amore saucius*, habetur etiam ap. *Virg. G.* 2, 476. et *A.* 9, 197. ex plurib. et meliorib. MSS., teste *Pierio*, his locis, et *ib.* 1, 517. et ap. *Stat. Th.* 4, 260., quae *Bentl. ib.* congessit.) *Cic. Mur.* 24. Homines percussi Sullani temporis calamitate. *Id. Acad.* 1, 3. *med.* Fortunae gravissimo percussus vulnere. *Id. Fam.* 9, 25. Repente percussus atrocissimis litteris. *Sil.* 5, 587. praesago percussus pectora luctu. *Val. Fl.* 7, 475. extremo percussa dolore. *Sen. Troad.* 674. Deo percussa Maenas. V. alia huc pertinentia in PERCUTIO.

PERCUSSUS, us, m. percussio, ictus. In sexto casu sing. *Sen. Q. N.* 2, 6. Vox est intensio aeris linguae formata percussu. *Plin.* 7, 51, 52. Venarum inaequabili, aut formicante percussu. *Ov. Pont.* 2, 7, 40. caducis Percussu crebro saxa cavantur aquis.

PERCŪTĬO, ŭtis, ussi, ussum, a. 3. *παίω, πλήττω*, valde quatio, pulso, verbero, caedo, ferio: a *per* et *quatio. Tibull.* 1, 6, 31. Janua sed plena est percutienda manu. *Cic. Or.* 2, 69. Cum Cato percussus esset ab eo, qui arcam ferebat. *Ov. Her.* 4, 93. Clarus erat silvis Cephalus, multaeque per herbam Conciderant, illo percutiente, ferae. *Id. Met.* 5, 384. Inque cor hamata percussit arundine Ditem; et *ib.* 14, 300. Percutimurque caput conversae verbere virgae. *Id. Fast.* 3, 588. Percutitur rapido puppis adunca noto. *Liv.* 39, 43. Multos capitis damnatos in vinculis haberet, quos securi percussurus erat. Adde *Cic. Pis.* 34. *Id. N. D.* 3, 35. Hunc nec Juppiter fulmine percussit. *Ov. Met.* 4, 138. Percutit indignos claro plangore lacertos. *Val. Fl.* 5, 100. mixtoque sonantem Percutit ore lyram. *Albin.* 2, 51. lyram plectro percussit eburno. *Sen. Herc. Fur.* 814. Percussit oculos lucis ignotae nitor. *Id. Ag.* 634. Percussit aures tacitum murmur. ℙ *Percutere foedus*, icere, jungere. *Hirt. B. Alex.* 44. Cum M. Octavium audiret cum Barbaris foedera percussisse. ℙ *Percutere venam*, incidere. *Sen. ep.* 70. *med.* Ad extenuandum corpus vena percutitur. ℙ *Percutere fossam.* V. PERCUSSUS. ℙ *nummum*, cudere. *Suet. Aug.* 94. *extr.* Ut nummum argenteum nota sideris Capricorni percusserit. *Id. Ner.* 25. Qua nota etiam nummum percussit. Hinc translate *Sen. ep.* 34. *extr.* Omnia facta dictaque tua inter se congruant ac respondeant sibi, et una forma percussa sint. ℙ *se flore Liberi* ap. *Pl. Cas.* 3, 5, 16. se inebriare. Sic *Enn.* ap. *Fulg. prisc. serm.* Nimirum sauciavit se flore Liberi. ℙ *aliquem palpo* ap. *Pl. Amph.* 1, 3, 28. blanditiis quasi demulcere et lenire, adulari. ℙ *Percutere aliquem*, multare, fraudare, spoliare aliqua re, bolo tangere, decipere. *Id. Ps.* 2, 2, 9. Jam pol ego hunc stratioticum nuncium advenientem probe percutiam. *Cic. Fl.* 20. Hunc Hermippum, hominem eruditum, civem suum, cui debebat esse notissimus, percussit. ℙ Pro evertere, percellere, bonis et vita spoliare. *Suet. Cal.* 35. Ptolemaeum arcessitum e regno et exceptum honorifice, non alia de causa repente percussit, quam quod, etc. ℙ Saepe refertur ad animum, et significat pulsare, afficere, et quasi vulnerare dolore, suspicione, desiderio, aliove sensu. *Cic. Att.* 3, 12. Percussisti me etiam de oratione prolata: cui vulneri medere, si quid potes. *Id. Mil.* 29. Quonam modo ille vos vivus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percussit? *Lucr.* 1, 921. acri Percussit thyrso laudis spes magna meum cor; et 2, 885. Tum porro quid id est, animum quod percutit ipsum, Quod movet, et varios sensus expromere cogit? *Hor. Od.* 1, 7, 10. Me neque tam patiens Lacedaemon, Nec tam Larissae percussit campus opimae, Quam, etc. *Cic. Att.* 4, 8. Audivi ex Gavio, Romae esse hominem, et fuisse assiduum: percussit animum, *h. e.* suspicionem injecit. (Adde *Ter. Andr.* 1, 1, 98.) *Sen. ep.* 41. Animum tuum quadam religionis suspicione percutiet. *Cic. Or.* 2, 87. *f.* de arte memoriae: Utendum est imaginibus agentibus, acribus, insignitis, quae occurrere, celeriterque percutere animum possint. *Id. Tusc.* 5, 11. Quodcumque nostros animos probabilitate percussit. ℙ *Percusti* pro *percussisti* ap. *Hor. Sat.* 2, 3, 273. si cameram percusti forte. ℙ In quibusdam ex allatis locis nonnulli verbum *percello* substituunt praesertim in praeteritis, ubi magna inter *percussi*, et *perculsi* litterarum similitudo est. Sed *percello* majorem vim habet, nempe tanta vi percutere significat, ut non solum pulses, ferias, sed prosternas, et evertas. V. *Bentl.* ad *Hor. Ep.* 11, 2.

PERDĀGĀTUS, a, um, part. ab inus. *perdago*, indagatus. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 3. Philosophorum voluminibus perdagatis.

PERDĔCORUS, a, um, adj. valde decorus. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Est alioqui perdecorum.

PERDĔLĔO, es, a. 2. omnino deleo. *Tert. adv. Jud.* 11. Interficite omnes, ut perdeleantur. Adde *Veg. Vet.* 3, 10. *med.*

PERDĔLĪRUS, a, um, adj. valde delirus. *Lucr.* 1, 693. Quod facit hic idem, perdelirum esse videtur.

PERDENSUS, a, um, adj. valde densus. *Colum.* 3, 12. Perdensam humum coelestes aquas non sorbere.

PERDĔO. *Perdeam* pro *peream*, inserto *d*, ut in *redeo*, legitur ap. *Pl. Poen.* 4, 2, 62., ubi alii aliter.

PERDEPSO, is, ui, a. 3. valde depso, subigo. Obscena significatione *Catull.* 74, 3. patrui perdepsuit ipsam Uxorem. Sunt qui leg. *perdespuit*, quod *Scal. ib.* improbat.

PERDĪCĀLIS, e, adj. ad perdices pertinens, ut Perdicalis herba, eadem quae perdicium. *Appul. Herb.* 81.

*PERDICENSIS. V. v. sq. *B. A.*

*PERDĪCES, oppidum Mauritaniae Caesariensis. *Anton. Itin.* ℙ Hinc *Perdicensis*, e, adj. ad illud oppidum pertinens. Occurrit in *Notit. Maurit. B. A.*

PERDĪCĬUM, ii, n. nomen est duarum herbarum, quarum una etiam helxine dicitur, alia etiam parthenium, Latine urceolaris. *Plin.* 22, 17, 19. V. HELXINE et PARTHENIUM.

PERDĪCO, is, xi, ctum, a. 3. idem ac dico. *Alcim.* 5, 607. vix haec perdixerat, illi Prosiliunt. *Not. Tir.* p. 10. Dicit, perdicit, perdixit.

PERDIFFĪCĬLIS, e, adj. *παγχαλεπὸς*, valde difficilis. *Cic. Part.* 24. Quae perdifficilia sunt, perinde habenda saepe sunt, ac si effici non possint. *Id. N. D.* 1, 1. Perdifficilis, et perobscura quaestio est de natura Deorum. *Liv.* 40, 21. Cum satis constaret, viam exercitui nullam esse, paucis et expeditis perdifficillimum aditum.

PERDIFFĪCĬLĪTER, adv. valde difficiliter. *Cic. Acad.* 4, 15. Quae perdifficiliter, internoscantur tamen.

PERDIGNUS, a, um, adj. valde dignus. *Cic. Fam.* 13, 6. *med.* Sed tamen suspicor, ipsum hominem, quem tibi commendo, perdignum esse tua amicitia.

PERDĪLĪGENS, entis, adj. valde diligens. *Cic. Q. Fr.* 3, 5. *f.* Res operosa est, et hominis perdiligentis.

PERDĪLĪGENTER, adv. valde diligenter. *Cic. Att.* 1, 11. Duabus epistolis tuis perdiligenter in eandem rationem scriptis. Adde *eund. Brut.* 3. *extr.*

PERDISCO, is, didĭci, a. 3. perfecte disco. *Cic. Balb.* 20. *f.* Omnia jura belli perdiscere, ac nosse potuisse. *Pl. As.* 1, 3, 35. Perdidici isthaec esse vera. *Tibull.* 1, 10, 65. At tua perdidicit, nec tu, stultissime, sentis. *Cic. Or.* 1, 15. Locus de moribus est oratori perdiscendus.

PERDĪSERTĒ, adv. valde diserte. *Cic. Or.* 1, 14. Constat, perdiserte populo rationem sui operis reddidisse.

PERDĬTĒ, adv. *ἀκολάστως*, more perditi hominis, flagitiose, nequiter, corrupte. *Cic. Att.* 9, 2. *med.* Qui hic potest se gerere non perdite? ℙ Item vehementer. *Ter. Heaut.* 1, 1, 45. Ejus filiam amare coepit perdite; et *Quint.* 2, 12. Perdite conari.

PERDĬTIM, adv. perdite. *Afran.* ap. *Charis.* 2, 191. Quia scit, me illam amare perditim.

PERDĬTĬO, onis, f. amissio, exitium, ruina. *Gloss. Philox.* Perditio, *ἀπώλεια*. *Alcim.* 4, 138. postquam percurrere coeptum Perditionis iter statuit. Addunt et loc. *Plin.* 9, 35, 56., sed aliter ibi est legendum.

PERDĬTOR, oris, m. qui perdit. *Cic. Planc.* 36. *f.* Ut idem perditor reipubl. nominarer, qui servator fuissem. *Id. Pis.* 34. *f.* Vexator, et perditor.

PERDITRIX, icis, f. quae perdit. *Tert. Exhort. ad cast.* 13. Luxuria perditrix castitatis. *Hieron. ep.* 123. *n.* 8. Qui castitatem reperit perditricem.

PERDĬTUS, a, um, part. a *perdo*: *πανόλεθρος*, profligatus, amissus. *Pl. Trin.* 4, 3, 44. Si quis mutuum quid dederit, fit pro proprio perditum. *Cic. Verr.* 1, 5. Classes optimae, atque opportunissimae, cum magna ignominia populi R. amissae et perditae. *Id. Caecin.* 31. Obrutis rebus omnibus, et perditis. *Id. Verr.* 1, 3. Senatoria judicia perdita profligataque esse arbitratur. Ubi *Ascon.* Perditum est, quod inveniri non potest: profligatum, quod potest. *Cic. Tusc.* 5, 10. Perdita valetudo. *Id. Att.* 8, 11. *med.* Nihil fieri potest miserius, nihil perditius, nihil foedius. *Ter. Eun.* 2, 2, 27. Quibus et re salva, et perdita profueram. *Id. Andr.* 3, 5, 12. Tibi ego credam, furcifer? Tu rem impeditam et perditam restituas? *Stat. Ach.* 1, 581. Et tenuare rudes attrito pollice lanas Demonstrat, reficitque colos, et perdita dura Pensa manu. ℙ Saepe de eo dicitur, cujus de salute nulla spes. *Ov. Pont.* 1, 3, 90. Neu juver admota perditus aeger aqua. *Id. Amor.* 3, 6, 80. Atque ita se in rapidas perdita misit aquas. *Pl. Rud.* 5, 1, 3., *Bacch.* 5, 1, 6. et *Curc.* 1, 2, 44. Perditus sum, i. e. perii. ℙ Item de eo, cujus res et fortunae pessimo loco sunt, afflicto, jacente. *Cic. Fam.* 14, 1. *f.* Per fortunas vide, ne puerum perditum perdamus. *Id. Phil.* 2, 32. Quem plane perditum aere alieno egentemque cognoverat, etc.; et *Mur.* 40. Squalore sordidus, confectus morbo, lacrimis ac moerore perditus. *Id. Verr.* 2, 3, 26. Tu omnium mortalium profligatissime ac perditissime. ℙ Refertur etiam ad mores, et dicitur de iis, quorum vita adeo contaminata est, atque improba, ut corrigi posse non videatur. *Cic. Tusc.* 4, 25. *med.* Adolescens perditus ac dissolutus. *Id. Verr.* 2, 3, 58. Homo contaminatus, perditus, flagitiosus. *Id. Rosc. Am.* 13. *f.* Oportet ostendere et mores feros, immanemque naturam, et vitam vitiis, flagitiisque omnibus deditam, et denique omnia ad perniciem profligata atque perdita. *Catull.* 42, 13. o lutum, lupanar, Aut si perditius potest quid esse. ℙ De eo, qui vehementer deperit, immoderateque amat. *Pl. Cist.* 1, 2, 13. Amore haec perdita est. *Prop.* 1, 13, 7. Perditus in quadam tardis pallescere curis Incipis. ℙ Pro impotenti, vehementi. *Quint. decl.* 19, 2. Perditus dolor. *Catull.* 91, 2. amor. *Cic. Cluent.* 13. Homo perdita nequitia, ex summa egestate. *Id. Agr.* 2, 20. *extr.* Consilia dissoluta atque perdita.

PERDĬU, adv. valde diu. *Cic. Att.* 3, 22. Perdiu nihil eram auditurus. *Varr. R. R.* 1, 158. Legumina perdiu incolumia.

PERDĪVES, itis, adj. omn. gen. *πολυχρήματος*, valde dives. *Cic. Att.* 6, 1. Amici regis duo, tresve perdivites sunt.

PERDIUS, a, um, adj. *παννύχιος*, qui per diem vigilat. *Gell.* 2, 1. Stare solitus Socrates dicitur, pertinaci statu perdius atque pernox, a summo lucis ortu ad solem alterum orientem. *Appul. Met.* 5. Et perdia, et pernox non desinis cruciatum; et *ib.* 9. Ego misera et pernox et perdia lanificio nervos meos contorqueo.

PERDIŪTURNUS, a, um, adj. qui valde diu durat. *Cic. N. D.* 2, 33. Quae aut sempiterna sit, necesse est, hoc eodem ornatu quem videmus, aut certe perdiuturna, permanens ad longinquum, et immensum paene tempus. *Id. Sext.* 27. Cum Armeniorum rege Tigrane grave bellum, perdiuturnumque gessimus.

PERDIX, īcis, m. et f. *πέρδιξ*, ὁ καὶ ἡ, avis montana satis nota, de cujus natura *Plin.* 10, 33, 51. multa: ita autem appellatur a *πέρδω*, pedo, ejus enim vox peditum imitatur. V. CACABO. *Varr.* ap. *Non.* 3, 163. Perdicas Boeotios. *Mart.* 3, 58. Et picta perdix, Numidicaeque guttatae; et 13, 65., cujus lemma est *perdix*. Ponitur Ausoniis haec rarissima mensis. *Plin. l. c.* Perdicum vita ad sedecim annos durare existimatur. *Ser. Sam.* 13, 214. Seu fel perdicis parili cum pondere mellis. ℙ In fabulis Perdix fuit filius sororis Daedali, qui a matre traditus avunculo, ut artes fabriles disceret, serram et circinum invenit: cujus rei invidia e turri a Daedalo praeceps actus, a Pallade in avem sui nominis versus est. *Ov. Met.* 8, 241. et sqq. et *Hyg. fab.* 274 Designatur ab *eod. Ov. Ib.* 500. Ut cui causa necis serra reperta fuit.

PERDO, is, didi, ditum, a. 3. *ἀπολλύω*, *ἀποβάλλω*, destruo, everto, deperdo. Si vocem spectes, est a *per*, et *do:* si notionem, a *πέρθω*, vasto, esse videtur. *Ov. Met.* 1, 187. Nunc mihi, qua totum Nereus circumtonat orbem, Perdendum mortale genus. *Pl. Aul.* 4, 10, 5. Quid emerui, quamobrem meque meosque perditum ires liberos? *Ter. Ph.* 4, 4, 6. Ut te quidem omnes Dii Deaeque superi, inferi, malis exemplis perdant. *Cic. Rosc. Am.* 45. Juppiter urbes delevit, fruges perdidit. *Id. Att.* 6, 1. *med.* Civitatem funditus perdidissem. *Id. Fin.* 1, 15. Se ipsum penitus perdere. *Id. Rosc. Am.* 12. Mors ejus tantum potuit, ut omnes cives suos perdiderit et afflixerit. *Jocus ex ambiguo* ap. *Quint.* 6, 3. *med.* Consultori dicenti, *navem dividere volo, perdes*, inquit. *Pl. Bacch.* 3, 3, 3. Perdere et pessundare aliquem. *Petr. fragm. Trag.* 42. *Burm.* Medici illum perdiderunt. *Pl. As.* 1, 2, 6. Capitis te perdam ego, et filiam, *h. e.* ream capitis peragam. ℙ De iis, qui rem suam absumunt. *Ter. Heaut.* 3, 1, 55. Faciat quod lubet, sumat, consumat, perdat: decretum est pati. *Cic. Fam.* 5, 5. *f.* Profundere et perdere. ℙ Translate. *Auct. ad Her.* 4, 44. Decius amisit vitam: at non perdidit. [*De discrimine inter *perdere* et *amittere* dictum est in h. v.] et *Cic. Or.* 3, 36. *med.* et *Ov. A. Am.* 1, 504. Perdere tempus, i. e. inutiliter insumere. *Sen. Ag.* 519., *Sil.* 4, 607., *Lucan.* 3, 706. et *Stat. Th.* 9, 58. mortem, *h. e.* ignavam et inhonoratam oppetere, vel sine fructu, vel inultam. ℙ De iis, qui aliorum mores corrumpunt, depravant. *Ter. Ad.* 1, 1, 36. Cur perdis adolescentem nobis? cur amat? cur potat? *Plin.* 29, 1, 8. *f.* Illa perdidere imperii mores, illa, quae sani patimur, luctatus, ceromata. ℙ Item amittere, jacturam facere. *Cic. Fam.* 5, 16. Minus miseri, qui liberos his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua republica perdidissent; et *ib.* 4, 6. Existimabam, omnes me et industriae meae fructus, et fortunae perdidisse. *Id. Or.* 1, 36. Neque intelligebat, litem adversarium perdituram. *Id. Rab. Post.* 9. Perdere libertatem. *Id. Har. resp.* 18. oculos. *Plin.* 7, 28, 29. dextram manum. *Cic. Sen.* 21. memoriam. *Mart. Spect.* 13. vitam. *Cic. Rosc. Com.* 4. causam. *Pl. Rud.* 1, 4, 3. spem. *Cic. Mur.* 10. operam; et *Fam.* 7, 1. oleum, et operam. V. OLEUM. *Ov. A. Am.* 1, 451. Sic, ne perdiderit, non cessat perdere lusor. *Ter. Ph.* 2, 3, 39. Perii hercle! nomen perdidi, *h. e.* excidit mihi. *Mart. Spect.* 11. Implicitam visco perdidit ille fugam, *h. e.* fugiendi viam. *Quint.* 6, 3. Tu enim non times, ne locum perdas: loquitur de loco spectandi in ludis. ℙ *Perduis*, *it*, pro *perdas*, vel *perdideris*, V. s. l. ℙ [*Confund. *perdere* et *pedere*. V. *Spald.* ad *Quint.* 2. p. 600. *crit.* — *Perdere* et *pendere*. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 313. — *Perdit* et *prodit*. *Id. ib.* 3, 201. 8, 511.]

PERDOCĔO, es, ui, ctum, a. 2. *διδάσκω*, perfecte doceo. *Cic. Sext.* 44. Rem quaeris praeclaram juventuti ad discendum, nec mihi difficilem ad perdocendum. *Ov. Pont.* 4, 12, 27. Dignam Maeoniis Phaeacida condere chartis Cum te Pierides perdocuere tuae. *Id. R. Am.* 490. si quid Apollo Utile mortales perdocet ore meo. *Quint.* 1, 1. *med.* Suam stultitiam perdocere. *Pl. Capt.* 3, 5, 59. Quid tu una nocte postulavisti, et die recens captum hominem, nuperum et novitium, te perdocere, ut melius consulerem tibi, quam illi, quicum una a puero aetatem exegeram?

PERDOCTĒ, adv. valde docte. *Pl. Most.* 1, 3, 122. Ut perdocte cuncta callet!

PERDOCTUS, a, um, part. a *perdoceo*. *Cic. Balb.* 27. Cum me praesertim rerum varietate, atque usu ipso jam perdoctum viderent. *Stat. Silv.* 5, 3, 2. pulsumque sinistrae Da, genitor perdocte, lyrae. *Pl. Mil.* 2, 2, 103. Docte tibi illam perdoctam dabo.

PERDŌLĀTUS, a, um, part. a *perdolo*, perfecte dolatus. *Vitr.* 2, 9. *med.* Arbor praecisa alte, et perdolata. *Arnob.* 6, 209. Fomes perdolatus in fulminis morem.

PERDŌLĔO, es, ui, n. 2. vehementer doleo. *Ter. Eun.* 1, 2, 74. Heu noster, laudo: tandem perdoluit. *Caes. B. C.* 2, 15. Suam virtutem irrisui fore, perdoluerunt. *Q. Claudius* ap. *Gell.* 9, 13. Id subito perdolitum est cuidam T. Manlio.

PERDŌLESCO, is, n. 3. perdoleo. *Accius* ap. *Non.* 2, 328. Nec perdolescit, fligi socios morte, campos contegi.

PERDŌLO, as, avi, atum, a. 1. perfecte dolo. *Vitr.* 2, 10. Cum in materiem perdolantur.

PERDŌMĪNOR, aris, dep. 1. *Claud. Fesc. de Nupt. Honor.* 77. Solus ovantem Zephyrus Perdominetur annum, *h. e.* dominetur per annum, toto anno spiret. Nisi malis, verbum *perdominor* regere accusativum: quod insolens est.

PERDŌMĬTOR, oris, m. qui perdomat. *Prud. Cath.* 4, 12. Mortis perdomitor, salutis auctor.

PERDŌMĬTUS, a, um, part. a *perdomo*. *Liv.* 9, 20. Apulia perdomita in Lucanos perrectum. *Ov. Fast.* 3, 843. Venit perdomitis ad nos captiva Faliscis. *Suet. Tib.* 16. *extr.* Illyrico perdomito, et in ditionem redacto. *Stat. Th.* 1, 523. cumulare canistris Perdomitam saxo Cererem, *h. e.* panem ex molita farina, et subacta.

PERDŌMO, as, ui, itum, a. 1. perfecte domo. *Liv.* 8, 13. Placuit ad perdomandum Latium, exercitum victorem circumducere. *Vell.* 2, 95. Gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes perdomuerunt. *Ov. Her.* 12, 163. Serpentes igitur potui, taurosque feroces, Unum non potui perdomuisse virum? *Just.* 2, 13. Qua manu cum gloria ejus perdomiturum se Graeciam dixit. ℙ Translate. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Tantis glebis tenacissimum solum assurgit, ut nono demum sulco perdometur. [*Sen. ep.* 90. *med.* Tunc farinam aqua sparsit, et assidua tractatione perdomuit, finxitque panem. Nostrates etiamnum dicunt *domare*. F.]

PERDORMISCO, is, n. 3. *κατακοιμάομαι*. *Pl. Men.* 5, 5, 29. perdormiscin' usque ad lucem?

PERDŬAXINT. V. PERDUIS.

PERDŪCO, is, xi, ctum, a. 3. *διάγω*, usque ad aliquem locum, aut terminum duco. *Caes. B. G.* 3, 6. *extr.* Incolumem legionem in Allobrogas perduxit; et *ib.* 7, 13. Comprehensos eos ad Caesarem perduxerunt. *Just.* 2, 13. Ille perculsus nuncio tradit ducibus milites perducendos. *Nep. Dion.* 2. Magna eum ambitione Syracusas perduxit. *Pl. Stich.* 4, 2, 46. Hic quidem in summam crucem coena, aut prandio perduci potest. *Plin. ep.* 10, 46. Ex fonte aquam perducere. *Trajan.* ad *Plin. ib. ep.* 92. Aquam perducere in coloniam Sinopensem (*perducere aquam* est aquaeductu ducere, familiare *Front. Aquaed.*) *Caes. B. G.* 1, 8. A lacu Lemano ad montem Juram millia passuum X. murum in altitudinem pedum XVI. perducit. Sic *Plin.* 6, 29, 33. Ex portu navigabilem alveum perducere in Nilum. *Virg. Ecl.* 6, 60. Perducere bovem errantem ad stabula. *Suet. Vesp.* 18. Mechanico grandes columnas exigua impensa perducturum in Capitolium pollicenti praemium obtulit. ℙ *Perducere aliquam*, stupri causa, ap. *Hor. Sat.* 2, 5, 77. V. PERDUCTOR et PERDUCTUS. ℙ Est etiam perducere, trahere. *Plin.* 29, 1, 8. Subjicit enim, qua medicina et se, et conjugem usque ad longam senectam perduxerit. *Cic. Sen.* 17. M. Valerium Corvum accepimus ad centesimum annum perduxisse. Alii addunt *vitam*. *Caes. B. G.* 5, 30. *extr.* Res disputatione ad mediam noctem perducitur. *Cic. Fam.* 9, 20. Usque ad assum vitulinum opera perducitur. Alii leg. *producitur;* et *ib.* 10, 1. Quae si ad tempus tuum perducitur, facilis gubernatio est. ℙ pertrahere. *Hirt. B. Afr.* 4. Si posset aliqua ratione perduci ad sanitatem. *Sall. Jug.* 82. Magnis muneribus et majoribus promissis eos ad studium sui perducit. *Caes. B. G.* 6, 11. Eos ad se magnis pollicitationibus perduxerat. *Nep. Dion.* 5. Quam ob causam pauci ad societatem periculi perducebantur. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* et *Verr.* 2, 2, 28. *extr.* Hominem ad HS. LXXX. perducit, *h. e.* pertrahit ad solvendum. *Nep. Amilc.* 4. Assiduis patris obtestationibus eo est perductus, ut interire, quam Romanos non experiri mallet. *Cic. Tusc.* 4, 23. *med.* Ajacem ira

ad furorem, mortemque perduxit. ℙ inducere. *Pl. Most.* 1, 3, 41. Si dictis nequis perduci, ut vera haec credas. *Caes. B. G.* 7, 4. Perducere aliquem in suam sententiam; et *Cic. Att.* 16, 8. ad suam sententiam. ℙ evehere, provehere. *Caes. B. G.* 7, 39. (et *Nep. Phoc.* 1.) Quem Caesar ex humili loco ad summam dignitatem perduxerat. *Cic. Amic.* 20. Perducere aliquem ad amplissimos honores. *Plin.* 35, 9, 36. *n.* 2. artem ad magnam gloriam. ℙ adducere. *Nep. Dion.* 5. *f.* Eo rem perduxit, ut tyrannus pacem facere vellet. *Quint.* 5, 14. *med.* Ad liquidum confessumque aliquid perducere. *Cic. Inv.* 2, 56. Complere aliquid, et ad exitum perducere. *Plin.* 30, 9, 23. Perducere ulcera ad cicatricem. *Id.* 20, 13, 50. carbunculos ad suppurationem. *Id.* 19, 3, 15. aliquid ad maturitatem. *Id.* 29, 4, 27. aliquem ad maciem. *Varr. R. R.* 2, 3, *f.* ad perniciem. *Pompon. Dig.* 33, 1, 7. *extr.* aliquid ad effectum. ℙ totum ducere, haurire, perbibere. *Arnob.* vertens Orphei carmen 5, 175. Inde manu poclum sumit, risuque sequenti Perducit totum cyceonis laeta liquorem. ℙ Denique perungere, oblinere, per totum inducendo medicamentum. *Virg. G.* 4, 415. liquidum ambrosiae diffudit odorem, Quo totum nati corpus perduxit. *Pers.* 2, 55. auro sacras quod ovato Perducis facies. *Ser. Sam.* 39, 739. Est qui gallinae perducat stercore corpus; et 49, 922. artus perducere succo; et 25, 457. de lana succida: Proderit hanc aegris crebro perducere membris. ℙ Hinc et pro inducere ponitur, h. e. delere. *Jul. Dig.* 29, 1, 20. *f.* Si aliquid interleverit, perduxerit, adjecerit, emendaverit. *Id. ib.* 37, 11, 8. *med.* Cujus nomen in testamento voluntate testatoris perductum sit. V. INDUCO. ℙ *Perduce* pro *perduc* habet *Ser. Sam.* 40, 754. Cramen hyoscyami cerae, sevoque vetusto Concilia, mixtisque locos perduce dolentes.

PERDUCTIO, onis, f. actus perducendi. *Vitr.* 8, 6. Nunc de aquarum perductionibus ad habitationes, moeniaque, ut fieri oporteat, explicabo.

PERDUCTO, as, frequent. a *perduco*. *Pl. Most.* 3, 2, 157. Vin' qui te perductet? *Th.* Apage istum a me perductorem: errabo potius, quam perductet quispiam. V. v. sq.

PERDUCTOR, oris, m. qui perducit, et speciatim qui mulieres honestas vel promissis inductas, vel minis coactas, aut vi ad aliquem stupri causa perducit. *Cic. Verr.* 2, 1, 12. Sileatur de nocturnis ejus bacchationibus: lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat. Ubi *Ascon.* Lenones sunt scortorum: perductores etiam invitarum personarum, et in quibus stupra exercita legibus vindicantur. *Lact.* 6, 17. *med.* Pecuniam tuam perductores, aleatores, lenonesque diripiant. Alludit ad hos *Pl. Most. l. c.* in v. praec.

PERDUCTUS, a, um, part. a *perduco*, adductus, productus. *Caes. B. C.* 3, 28. Qui omnes ad eum perducti interficiuntur; et *ib.* 44. Nostri, qui perpetuas munitiones habebant, perductas ex castellis in proxima castella. *Id. B. G.* 3, 8. Omni ora maritima ad suam sententiam perducta. *Lucr.* 4, 538. Perpetuus sermo nigrai noctis ad umbram Aurorae perductus ab exoriente nitore. *Petr. Sat.* 24. Ad ultimam perductus tristitiam. ℙ De muliere a perductore adducta. *Ov. Amor.* 3, 12, 11., *Suet. Tib.* 45. et *Cic. Verr.* 2, 5, 12. V. v. praec. ℙ De medicamento illito. *Ser. Sam.* 1, 26. Saepe chelidonia ex acido perducta liquore Sanavit. V. PERDUCO. ℙ inductus, deletus. *Ulp. Dig.* 28, 4, 1. V. PERDUCO. ℙ *Scrib. Comp.* 135. *extr.* Aqua frigida vel calida perducta, *h. e.* pota.

PERDŪDUM, adv. valde dudum. *Pl Stich.* 4, 1, 69. Vidi edepol hominem haud perdudum.

PERDUELLIO, onis, f. [*hostilis agendi ratio, status ejus, qui arma fert contra exterum aliquem, ut hostem, adversarium patriae: a *perduellis*, i. e. hostis. V. in h. v. Hinc ap. *Auct.* ad *Her.* 4, 10. Nam qui perduellionibus venditat patriam, etc. *perduelliones* dicuntur pro *perduellibus*. Ita *Orell.* Alia lectio est *perduellibus*, quam quidem ideo hic haud ferendam putamus, quod *perduellibus* turgidum et inflatum dicendi genus, de quo scriptor loquitur, minus significare videtur, quam *perduellionibus*. ℙ Deinde *perduellio* pertinet ad eos, qui hostilem, inimicum animum caede, aliove crimine erga ipsam patriam, vel civem honoris gradu qualicunque fruentem injuria exserant, ita ut *perduellionis crimen* notionem laesae majestatis assumserit, quam Noster ut propriam ab initio posuerat.] *Ulp. Dig.* 48, 4, 11. Qui perduellionis reus est, hostili animo adversus rempublicam, vel principem animatus est. *Cic. Rabir. perd.* 3. Nam de perduellionis judicio, quod a me sublatum esse, criminari soles, meum crimen est, non Rabirii. *Liv.* 26, 3. *med.* Tum Sempronius, perduellionis se judicare Cn. Fulvio dixit, *h. e.* reum facere, quod exercitum populi R. perdidisset. *Val. Max.* 6, 5. *n.* 3. Cum Ti. Gracchus, et C. Claudius, ob nimis severe gestam censuram, majorem civitatis partem exasperassent, diem his P. Rutilius trib. pl. perduellionis ad populum dixit. ℙ Ap. *Liv.* 1, 26. videtur usurpari pro homicidio: nam homicidium sororis ab Horatio patratum perduellio dicitur. *Ib.* perduellionem alicui judicare est perduellionis reum facere. Alter inquit, P. Horati, tibi perduellionem judico. Confirmat hoc *Turneb. Adv.* 17, 7. Sunt tamen, qui ideo caedem Horatii *perduellionem* dici putant, quod in conspectu regis et populi eam admiserat: vel quod privata auctoritate: quo utroque laesa majestas videri potuit: vel denique, quod parricidium erat, cujus atrocitatem perduellionis similem, eademque poena puniri eo tempore institutum fuerit. [*Ita etiam *Cic. Mil.* 14. de Clodio: Diem mihi, credo, indixerat; multam irrogarat; actionem perduellionis intenderat.]

PERDŪELLIS, is, m. πολέμιος, publicus hostis, quocum bellum est. *Per* hic auget. Unde *Festus* in *Duellum:* Perduellis, qui pertinaciter retinet bellum. *Cajus Dig.* 50, 16, 234. Quos nos hostes vocamus, eos veteres perduelles vocabant, per eam adjectionem indicantes, cum quibus bellum esset. *Pl. Amph.* 1, 1, 94. Perduelles penetrant se in fugam. *Cic. Off.* 1, 12. Equidem illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset, is hostis vocaretur, lenitate verbi tristitiam rei mitigante. Hostis enim apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. *Id. Off.* 3, 29. Nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium. Adde *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* et ipsum *Varr. ib.* 4. *in.* et *Liv.* 45, 16. *extr.* ℙ [*Discrimen inter *hostis* et *perduellis* hoc statuit *Beier.* in excursu 13. ad *Cic. Off.* 1, 12. ut *hostis* ap. Romanos humanitatis sensu auctos promiscue singulum quemque ejus populi, qui cum bellum esset, sive arma, sive non gerentem significasset, *perduellis* ad solos armatos proprie spectasset.]

PERDŪELLUM, i, n. bellum. *Accius* ap. *Non.* 1, 83. De summa tibi perduellum est. Ita leg. praeter alios *Turneb. Adv.* 17. *c. ult.*

PERDŪIS, Perduit, et Perduint, etc. apud antiquos comicos est pro *perdas*, *perdat*, *perdant*, ab antiquo *duo*, de quo V. DO, das. *Pl. Amph.* 2, 2, 215. Cave sis, ne te usu perduis. *Id. Most.* 2, 2, 33. Dii te, Deaeque omnes perduint cum isto omine. Al. leg. *perduaxint*, quod est suspectum. *Id. Poen.* 3, 4, 29. Diespiter vos perduit. *Ter. Phorm.* 1, 2, 73. Illum Dii omnes perduint. Etiam ap. *Cic. Dejot.* 7. plerique leg. Dii te perduint, fugitive. Sic *perduunt* pro *perdunt* ap. *Pl. Rud. prol.* 24.

PERDULCIS, e, adj. cujus superlat. Perdulcissimus legitur in quadam *Inscr.* inferioris notae ap. *Reines. cl.* 20. *n.* 150.

PERDŪRĀTUS, a, um, part. a *perduro*, induratus. *Sen. Trangu.* 15. *med.* Quidquid imbecillum in animo, nec perduratum est, exulcerat. Alii rectius leg. *percuratum*.

PERDŪRO, as, n. l. diu duro, usque ad finem duro. *Ter. Hec.* 2, 2, 27. Non posse apud vos, Pamphilo, se, absente, perdurare. *Ov. Med. fac.* 49. probitas longum perdurat in aevum. *Stat. Th.* 1, 142. haec mora pugnae Sola, nec in regem perduratura secundum. Adde *Sen. Ben.* 7, 28. ℙ *Active, induro. *Prud. Psych.* 447. Formido pericli Perdurat teneras iter ad cruciabile plantas. *B. A.*

PERDŪRUS, a, um, adj. valde durus. *Papin. Dig.* 48, 3, 2. Interpretatio perdura, et pernimium severa.

PĔRĔDIA, ae, f. nomen regionis fictum a *Pl. Curc.* 3, 74. quasi locum, ubi multum editur. *Festus* ait significare voluisse cupiditatem edendi, ut *perbibesiam* bibendi.

PĔRĔDO, is, ēdi, ēsum, a. 3. περιτρώγω, edendo absumo. *Pl. fr.* ap. *Prisc.* 10, 893. Nihil moror mihi fucum in alveo, apibus qui peredit cibum. *Hor. Od.* 3, 4, 75. nec peredit Impositam celer ignis Aetnam. ℙ Translate *vetus Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 3, 12. Lacrimae peredere humore exsangues genas. *Virg. A.* 6, 442. Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit. *Tibull.* 1, 4, 14. Longa dies molli saxa peredit aqua.

PĔRĔDO, is, a. 3. idem quod ēdo, h. e. emitto, profero, vel prorsus emitto. *Vet. Poet.* ap. *Sidon. ep.* 9, 14. Sole medere pede, ede, perede melos. Cujus et obscura est sententia, et incerta admodum auctoritas.

PĔREFFLO, as, a. 1. omnino efflo. *Appul. Met.* 8. Postremo balbutiens incerto sermone, perefflavit animam virilem.

*PEREFFLŪO, is, n. 3. *Vulg. Hebr.* 2, 1. Oportet observare nos ea, quae audivimus, ne fortasse pereffluamus: μή ποτε παραῤῥυῶμεν. *B. A.*

PĔRĔGER, egris, m. et f. qui peregre abiit, peregrinus: a *per*, et *ager*, quasi errans per agros. *Ulp. Regular. tit.* 17. de caducis: Si legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel pereger factus sit. *Auson. ep.* 17. In comitatu tibi verus fui, nedum me peregrem existimes composita fabulari. *Venant. carm.* 4, 10, 14. Susceptor peregrum.

[PĔRĔGĔRĔ dicebatur expergefacere. *Festus:* ubi *Scal.* legit *pergere:* at *Gesn.* conjicit legendum *perregere;* recte quidem, ut mihi videtur. V. PERRECTUS. *F.*]

PĔREGRE, adv. ἐπὶ ξένης, peregrinando, extra patriam, quasi per agros. *Pl. As.* 4, 1, 16. Epistola peregre allata. *Cic. Phil.* 5, 11. Utpote qui peregre depugnavit. *Ter. Ph.* 2, 1, 13. Pericla, damna, exsilia, peregre rediens semper cogites. *Liv.* 2, 6. Alios peregre in regnum Romam accitos. *Id.* 28, 11. Plus omnibus aut nunciatis peregre, aut visis domi. *Plin.* 35, 12, 43. Peregre abire. *Suet. Caes.* 42. proficisci. *Hor. Sat.* 1, 6, 103. uti ne solus rusve, peregreve Exirem. *Vitr.* 5, 7. *extr.* de scena theatri: Versurae procurrentes, quae efficiunt una a foro, altera a peregre aditus in scenam. *Charis.* 1, 86. improbat praepositionem addere. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 12, 13. dum peregre est animus sine corpore velox.

PĔREGRĔGIUS, a, um, adj. valde egregius. *Appul. Apol.* Peregregia tragoedia.

PĔREGRI, adv. idem quod *peregre*, sed cum discrimine in usu, quia *peregre* inservit et statui in loco, et motui: *peregri* solum statui, ut *Charis.* 2, 189. docet. *Naev. ib.* Patriam ut colatis potius, quam peregri probro. *Pl. Amph. prol.* 5. Peregrique et domi. (Ita legitur in vett. MSS. *Gruteri*, itemque in editionibus antiquis.) *Id. ib.* 1, 1, 196. Quia nos eramus peregri, tutatu' st domi. Alii tamen utroque loco *peregre* legunt. *Prud.* περὶ στεφ. 4, 89. peregri necandus.

PĔREGRĪNĂBUNDUS, a, um, adj. qui multum peregrinatur. *Liv.* 28, 18. Non peregrinabundum, neque circa amoenas oras vagantem tantum ducem Romanum, etc.

*PEREGRĪNAT, ξενιτεύει. *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

PĔREGRĪNĀTĬO, onis, f. ἀποδημία, actus peregrinandi. *Cic. Tusc.* 5, 37. Exsilium, si rerum naturam, non ignominiam nominis quaerimus, quantum demum a perpetua peregrinatione differt? Adde *Att.* 9, 10. et *Amic.* 27. et al. Sic *Plin.* 30, 1, 2. Peregrinationes suscipere. *Id.* 32, 6, 21. de ostreis: Gaudent peregrinatione, transferrique in ignotas aquas. *Cic. Fin.* 2, 33. Bestiae partim cursu, et peregrinatione laetantur.

PĔREGRĪNĀTOR, oris, m. qui peregrinatur. *Cic. Fam.* 6, 18. *f.* Mehercule non tam sum peregrinator jam, quam solebam.

PĔREGRĪNĀTUS, a, um, part. a *peregrinor*. Translate. *Cic. Acad.* 4, 1. Tanta vis virtutis atque ingenii peregrinata abfuit ab oculis et fori, et curiae.

PĔREGRĪNĪTAS, atis, f. conditio peregrini hominis: cui opponitur Romana civitas. *Suet. Claud.* 15. Peregrinitatis reus, *h. e.* qui cum sit peregrinus, pro cive R. se gerit. ℙ Ad peregrinitatem redactus dicitur, qui ob crimen civitate *R.* spoliatus est. *Ulp. Dig.* 2, 4, 10. *med.* Si per poenam deportationis ad peregrinitatem redactus sit patronus. *Suet. Claud.* 16. Splendidum virum Graeciae provinciae principem, verum Latini sermonis ignarum, non modo albo judicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit. ℙ Item mores et sermo peregrini. *Cic. Fam.* 9, 15. Cum in urbem nostram infusa est peregrinitas. *Quint.* 11, 3. *med.* Pronunciatio emendata erit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum, id est, in quo nulla neque rusticitas, neque peregrinitas resonet.

PĔREGRĪNOR, aris, atus sum, dep. 1. ἀποδημέω, peregre iter facio, per aliena loca peragrans proficiscor, patria procul abeo. *Cic. Brut.* 13. Peregrinari tota Asia. *Plin. ep.* 6, 19. Deforme arbitratus, honorem petituros urbem Italiamque non pro patria, sed pro hospitio aut stabulo, quasi peregrinantes habere. ℙ Translate. *Cic. Arch.* 7. Haec studia pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. *Id. N. D.* 1, 20. Immensa et in omnes partes magnitudo regionum, in quam se injiciens animus et intendens, ita late longeque peregrinatur, ut nullam tamen oram ultimi videat, in qua possit insistere. *Id. Tusc.* 5, 39. de Democrito: Cum alii saepe, quod ante pedes esset, non viderent, ille infinitatem omnem peregrinabatur, ut nulla in extremitate consisteret, *h. e.* animo et cogitatione percurrebat. Alii leg. *per:* alii *in infinitatem*. *Id. Fin.* 3, 12. Mihi videris Latine docere philosophiam, et ei quasi civitatem dare, quae quidem adhuc peregrinari Romae videbatur. Sic *Id. Rabir. perd.* 10. Adeone hospes hujusce urbis, adeone ignarus es disciplinae consuetudinisque nostrae, ut haec nescias? ut peregrinari in aliena civitate, non in tua magistratum gerere videare? *Id. Mil.* 12. An vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini? vestrae peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis sermone versantur? *Plin.* 16, 32, 59. Non ferunt amomi nardique deliciae, ne in Arabia quidem ex India, et nave peregrinari, *h. e.* in alieno solo extra Indiam provenire.

PĔREGRĪNUS, a, um, adj. ξενικός, ἐξωτικός, peregre adveniens, externus, advena. *Hor. Ep.* 2, 1, 203. Tanto cum strepitu ludi spectantur, et artes, Divitiaeque peregrinae. *Id. Od.* 3, 3, 19. Ilion Fatalis incestusque judex, Et mulier peregrina vertit In pulverem. *Ov. Trist.* 4, 8, 25. Tempus erat nec me peregrinum ducere coelum, Nec, etc. et *ib.* 3, 1, 61. Signa peregrinis ubi sunt alterna columnis Belides. *Id. Met.* 8, 836. peregrini amnes. *Id. Her.* 1, 59. Quisquis ad haec vertit peregrinam litora puppim. *Plin.* 15, 13, 12.

Peregrinae arbores. *Id.* 9, 17, 29. aves. *Id.* 26, 10, 61. Peregrinus morbus. *Virg. A.* 11, 772. Ipse peregrina ferrugine clarus, et ostro. *Juven.* 14, 187. peregrina, ignotaque nobis Ad scelus atque nefas, quaecumque est, purpura ducit; et 6, 297. Prima peregrinos obscena pecunia mores Intulit. *Pl. Stich.* 5, 2, 21. Peregrina omnia relinque: Athenas nunc colamus. *Tac. A.* 14, 53. Augustus Maecenati urbe in ipsa velut peregrinum otium permisit. *Catull.* 31, 8. peregrino labore fessus, *h. e.* quem peregrinando exantlavi. *Ov. Her.* 9, 47. peregrini amores, *h. e.* quibus peregrinae mulieres amantur. *Id. Fast.* 3, 87. peregrini fasti, *h. e.* in quibus externa narrantur; et *ib.* 2, 359. Adde peregrinae causam, mea Musa, Latinam, *h. e.* causae petitae ex rebus externis. *Quint.* 6, 3. *f.* Illa est urbanitas, in qua nihil absonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum neque sensu, neque verbis, neque ore gestuve possit deprehendi. *Id.* 1, 1. Oris plurima vitia in peregrinum sonum corrupti. *Id.* 8, 1. Verba peregrina et externa. ℙ *Peregrina sacra* appellantur, quae aut evocatis Diis in oppugnandis urbibus Romam sunt collata; aut quae ob quasdam religiones per pacem sunt petita, ut ex Phrygia Matris Magnae, ex Graecia Cereris, Epidauro Aesculapii: quae coluntur eorum more, a quibus sunt accepta. *Festus.* ℙ *Peregrinus homo* est, quicumque extra patriam et provinciam suam versatur. Differt ab *advena*, *hospes*, *incola:* nam *peregrinus* dicitur respectu loci, unde est; *advena* loci, ad quem venit; *hospes* loci, ubi est; *incola* respectu morae et habitationis. Praeterea *hospes* potest esse, etiam si peregrinus non sit; *incola*, etiamsi non sit hospes. *Pl. Poen.* 5, 2, 71. Nequam te esse oportet, hominem peregrinum atque advenam qui irrideas. *Cic. Agr.* 2, 34. *extr.* Nos hinc Roma qui veneramus, jam non hospites, sed peregrini atque advenae nominabamur. *Id. Off.* 1, 34. *f.* Peregrini et incolae officium est, nihil praeter suum negotium agere, nihil de alio anquirere, minimeque in aliena republica esse curiosum. *Id. Sull.* 7. *med.* Non tam est admirandum, regem esse me, quia ut tu vis, etiam peregrini reges Romae fuerunt; quam consulem fuisse Romae peregrinum. *Colum. praef.* 1. Longinqui litoris peregrinus. *Ter. Andr.* 3, 1, 11. Adeon' est demens? ex peregrina? Ubi *Donat.* idest ex meretrice. Mulieres enim peregrinae, inhonestae ac meretrices habebantur. ℙ Saepe refertur ad ignorantiam, quia peregrini, quae fiunt ibi, ubi versantur, scire non solent. *Cic. Or.* 1, 50. *extr.* Oratorem nulla in re tironem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere. *Id. Att.* 6, 3. *med.* Est enim quiddam, advenientem non esse peregrinum atque hospitem. ℙ Saepe etiam sic dicitur, qui civis R. non est. *Cic. Verr.* 2, 4, 35. Repertum esse scitote neminem neque liberum, neque servum, neque civem, neque peregrinum, qui, etc. *Ulp. Regul. tit.* 11. Peregrinus fit is, cui aqua et igni interdictum est. *Id. Dig.* 28, 5, 6. Civis R. scriptus heres, vivo testatore factus est peregrinus; mox ad civitatem R. pervenit. ℙ *Peregrinus praetor*, qui Romae inter peregrinos jus dicebat. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* ℙ *Peregrinus ager* est, qui neque Romanus, neque hostilis habetur. *Festus.* Clarius *Varr. L. L.* 4, 4. Ut nostri augures publice dixerunt, agrorum sunt genera quinque, Romanus, Gabinus, peregrinus, hosticus, incertus. Romanus dictus, unde Roma, ab Romulo: Gabinus ab oppido Gabiis: peregrinus, ager pacatus, qui extra Romanum, et Gabinum: quod uno modo in his feruntur auspicia. Dictus peregrinus a pergendo, id est progrediendo: eo enim ex agro Romano primum progrediebatur. Quocirca Gabinus, sive peregrinus secundum hos auspicia habent singularia. Hosticus dictus ab hostibus. Incertus is ager, qui de his quatuor qui sit, ignoratur. Haec *Varr.*

PĔRĔLĔGANS, antis, adj. omn. gen. valde elegans. *Cic. Or.* 2, 67. Genus est perelegans, et cum gravitate salsum. *Id. Planc.* 24. Et quoniam tua fuit perelegans ac persubtilis oratio. *Vell.* 1, 7. Perelegantis ingenii vir.

PĔRĔLĔGANTER, adv. παγκάλως, valde eleganter. *Cic. Brut.* 52. *extr.* Et satis ornate et pereleganter diceret.

PĔRĔLIXO, as, a. 1. perfecte elixo. *Apic.* 7, 7. Denuo eum perelixabis. Alii leg. *perlaxabis.*

PĔRĔLŎQUENS, entis, adj. omn. gen. valde eloquens. *Cic. Brut.* 70. C. autem Lentulus Marcellinus nec unquam indisertus, et in consulatu pereloquens visus est.

[PĔRĔMENSUS, a, um, adj. omnino emensus. *Not. Tir.* p. 118. Mensus, emensus, inmensus, inemensus, permensus, peremensus. *F.*]

PĔRĔMĔRĔ. V. PERIMO.

PĔREMNĔ, is, n. genus auspicii, cum magistratus amnem, aut fontem auspicato transibant. *Fest.* Peremne dicitur auspicari, qui amnem, aut aquam, quae ex sacro oritur, auspicato transit. *Id.* Petronia amnis est in Tiberim profluens, quam magistratus auspicato transeunt, cum in Campo quid agere volunt, quod genus auspicii peremne vocatur. *Cic. N. D.* 2, 3. Bella nullis auspiciis administrantur, nulla peremnia servantur. Alii leg. *perennia*, et interpretantur sacras quasdam caeremonias quotannis observari solitas.

PĔREMPTĀLĬA Fulgura, inquit *Festus*, Gracchus ait vocari, quae superiora fulgura, aut portenta vi sua perimant, duobus modis, prioribus tollendis, aut majore manubia, ut tertia secundae, secunda primae cedat: nam ut omnia superantur fulgure, sic ictum fulgur manubiis vinci. V. MANUBIAE. *Id.* in *Postularia:* Peremptalia fulgura, quae superiora fulgura, aut portenta peremunt, idest tollunt. *Sen. Q. N.* 2, 49. Peremptalia fulmina, quibus tolluntur priorum fulminum minae. V. PERIMO f.

PĔREMPTĬO et Peremtio, onis, f. actus perimendi, occisio. *August. Tract. in Joann.* 27. *f.*

PĔREMPTOR et Peremtor, oris, m. qui tollit, delet, interimit. *Sen. Oed.* 221. Ecquis peremptor inclyti regis fuit? *Appul. Met.* 3, 7 et 8. Cruentus mei mariti peremptor.

PĔREMPTŌRĬUS et Peremtorius, a, um, adj. ἀναιρετικός, mortiferus: a perimendo. *Appul. Met.* 10. Venenum peremptorium. *Tert. Anim.* 25. Spiculum peremptorium. ℙ Translate *peremptorium edictum* dicitur, quod tribus edictis propositis, vel uno pro tribus fieri solet, quia dirimit disceptationem inter litigatores, idest non patitur, adversarium tergiversari. Hoc edictum qui spernit, contumax vocatur. *Ulp. Dig.* 5, 1, 70. Sic *peremptoriae exceptiones*, quae semper locum habent, nec evitari possunt. *Cajus ib.* 44, 1, 2. et 3.

PĔREMPTRĪX, icis, f. quae perimit. *Tert. Anim.* 42. Mors peremptrix sensus.

PĔREMPTUS et Peremtus, a, um, part. a *perimo*, sublatus, deletus, exstinctus. *Cic. Har. resp.* 11. Si ludi non intermissi, sed peremti atque sublati sunt. *Id. Tusc.* 1, 37. Nec enim potest esse miser quisquam, sensu perempto. *Id. Div.* 1, 11. Cum claram speciem concreto lumine luna Abdidit, et subito stellanti nocte perempta est. *Virg. A.* 5, 787. Trojae cineres atque ossa peremptae Insequitur. *Liv.* 2, 23. Obsita erat squalore vestis, foedior corporis habitus pallore ac macie perempti, i. e. enecti. *Paul. Dig.* 22, 2, 6. Navis perempta, *h. e.* quae naufragio periit. ℙ occisus, interemptus. *Virg. A.* 6, 163. crudeli morte peremptus; et *ib.* 9, 453. et primis una tot caede peremptis; et *ib.* 11, 110. Pacemne exanimis, et Martis sorte peremptis Oratis? *Festus:* Perempta, et interempta pro interfectis poni solet a poetis: Lucretius (4, 44.) Cum corpus simul atque animi natura perempta. *Just.* 7, 6. Caedes fratrum indigne peremptorum.

PĔRENDĬĒ, adv. μεταύριον, post cras, die tertio. *Charis.* 2, 191. Perendie, quasi perempta die: quod notaverunt grammatici, quia cum de futuro dicimus *diem*, novissimo loco dicemus, non ut *die quarto.* *Cic. Att.* 12, 44. Scies igitur fortasse cras, summum perendie. *Pl. Aul.* 2, 1, 33. His legibus, si quam dare vis, ducam: quae cras veniat, perendie foras feratur. *Id. Stich.* 4, 1, 11. Cras apud me eritis. *Pamph.* et apud me perendie.

PĔRENDĬNĀTĬO, onis, f. in perendinum dilatio. *Capell.* 9, 304.

PĔRENDĬNUS, a, um, adj. a *perendie.* *Cic. Mur.* 12. *extr.* Tot homines tam ingeniosos, per tot annos statuere non potuisse, utrum diem tertium, an perendinum dici oporteret. *Caes. B. G.* 5, 30. Perendino die cum proximis hibernis conjuncti, etc. *August. ep.* 23, 9. Crastina, vel perendina Domini passio. ℙ Absolute. *Pl. Trin.* 5, 2, 65. Tu in perendinum paratus sis, ut ducas. *Gell.* 10, 24. Sacerdotes populi R. cum condicunt in diem tertium, diem perendini dicunt. Hoc dictum est, ut die crastini, pristini, quinti, etc.

PĔRENNĀ, ae, f. Anna Perenna Dea fuit apud Romanos, cui sacrificia fiebant, ut annare, et perennare prospere liceret, teste *Macr. Sat.* 1, 12. De ea multa *Ov. Fast.* 3, 523. et sqq. Rationem nominis ibi tradit, quod in amnem Numicium se abdiderit *ib.* 654. Amne perenne latens, Anna Perenna vocor. V. ANNA. Legitur et *Peranna.*

PĔRENNĔ, adv. V. PERENNIS.

PĔRENNĬĀ. V. PEREMNE.

PĔRENNIS, e, adj. ἀΐδιος, continuus, perpetuus, quasi *per annos* durans. [**Doederl.* 1, 8. missa hujus verbi c. v. *annus* cognatione, a *per* et *amnis* derivat, ita ut proprie signif. id, quod semper manat, Gr. ἀείρυτος.] *Cic. Verr.* 2, 4, 48. Aquae perennes. [*Alia exempla, in quibus *perennis* de aqua dictum, *Doederl. l. c.* laud. ista: *Caes. B. G.* 8, 43. fons perennis. *Liv.* 1, 21. perennis aqua; et 42, 12. ex perenni fonte; et c. 54. circumjectis fontibus perennium aquarum; et 4, 30. Amnis perennis. *Plin. ep.* 5, 6, 11. Cuncta perennibus rivis nutriuntur. De discrimine inter *perennis* et *jugis* v. quae notavimus in h. v.] *Cic. Fl.* 11. Perennis, et contestata majorum virtus. *Id. Tusc.* 1, 10. *extr.* Continuata motio, et perennis. *Id. N. D.* 2, 21. Stellarum perennes cursus, atque perpetui. *Id. Or.* 3, 48. Rudis et impolita putanda est illa sine intervallis loquacitas perennis. *Id. Prov. cons.* 9. *f.* Meus in rempubl. animus pristinus ac perennis. *Id. in Sen.* 4. Si illud de duobus consulibus perenne ac proprium manere potuisset. *Id. Brut.* 97. Contine te in tuis perennibus studiis. *Colum.* 3, 2. *med.* Vinum perenne, *h. e.* quod fert aetatem; et *Hor. Od.* 3, 30, 1. Exegi monumentum aere perennius; et *Ov. Am.* 3, 4, 21. In thalamum Danaes saxo ferroque perennem, *h. e.* firmum, et contra omnem vim duraturum. Sic *Met.* 15, 813. adamas perennis. *Plin.* 10, 25, 36. Aves perennes, *h. e.* quae toto anno apud nos sunt, nec unquam abeunt. *Id.* 2, 25, 23. Stellae perennes, *h. e.* quae semper apparent, cujusmodi non sunt cometae. ℙ *Perennia sacra* V. in PEREMNE. ℙ In ablat. etiam in *e* desinit. *Ov. Her.* 8, 64. Hument incultae fonte perenne genae. *Id. Fast.* 3, 654. Amne perenne latens. ℙ *Perenne* adverbii more, per annum, per decursum anni. *Colum.* 12, 18. Si ager amplus, aut vineta, aut arbusta grandia sunt, perenne fabricandae decimodiae, et trimodiae, et fiscellae texendae. ℙ Pro perenniter. *Pall.* 12, 15. Abies in operibus siccis perenne durabilis. *Paul. Nol. carm.* 11. *f.* Perenne vivax, et memor. ℙ *Perenne auspicari.* V. PEREMNE. ℙ Sunt qui scribunt *peremnis*, sicut *solemnis:* sed improbant *Manut.*, *Dausqu.*, *Cellar.* At in *Inscr.* ap. *Guattani, Monum. ined. l.* 5. p. 39., quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCCXLI. legitur: Ordo et cives splendidissimae civitatis Ocricolanae statuam marmoream patrono dignissimo ad peremne testimonium publice censuerunt feliciter.

PĔRENNĪSERVUS, i, m. ἀείδουλος, qui perpetuo servit sine spe manumissionis. *Pl. Pers.* 3, 3, 16. Perenniserve, lurco, edax, furax.

PĔRENNĪTAS, atis, f. ἀϊδιότης, duratio, perpetuitas. *Cic. N. D.* 2, 39. Adde huc fontium gelidas perennitates. [*Praeter *cod. G.* omnes libri mss. *peremnitates* exhibent. V. in *perennis.*] *Colum.* 1, 6. *med.* Perennitatem conditis frumentis afferunt. *Pl. Pers.* 3, 1, 2. Cibus perennitatis, *h. e.* cibus perennis. ℙ Olim *perennitas* fuit in titulis principum. *Sext. Ruf. Brev.* 2. Ab Urbe igitur condita in ortum perennitatis vestrae, etc. (de Valente Imp. loquitur) *Sym. ep.* 10, 45. (al. 52.) Perennitas vestra. ℙ Verum haec longe absunt a Latini sermonis majestate.

PĔRENNĪTER, adv. perpetuo. ἀεί. *August. Doctr. Christ.* 2, 16. *med.* Arbor frondens perenniter. *Sidon. ep.* 7, 9. *in conc. f.* Amicitias constanter retinet, perenniter servat. Adde *Imp. Constant. Cod.* 12, 47, 1.

PĔRENNO, as, avi, atum, n. 1. per multos annos duro: a *perennis.* *Colum.* 1, 9. Ut diutius perennent boves, non confecti vexatione simul verberum, operumque. *Ov. A. Am.* 3, 42. Arte perennat amor. *Id. Fast.* 1, 721. domus cum pace perennet. *Colum.* 2, 9. *f.* Semina ita disposita perennant diutius, quam cetera. ℙ Active diu servare. *Colum.* 12, 20. *f.* Defruti sextarios binos singulis amphoris misceri oportebit. Ea res, etiamsi non in totum perennat, certe usque in alteram vindemiam plerumque vini saporem servat; et *ib.* 19. Quaecumque vini nota sine condimento valet perennari, optimam eam esse censemus. ℙ *Perennare*, proprie per annum durare. *Suet. Vesp.* 5. V. PERANNO. [**B. Crus. cl. Suet.* p. 582.] ℙ Part. *Perennans* ap. *Solin.* 52. *med.* Gens ultra aevi nostri terminos perennans.

PĔRENTĪCĪDĀ, ae, m. vox jlocaliter ficta, significans eum, qui peram, seu marsupium incidi, seque auro emungi patitur. *Pl. Ep.* 3, 2, 13. Ego tuum patrem faciam perenticidam.

PĔRĔO, is, ii, *raro* ivi, n. 4. [*Prima vocis significatio ea esse videtur, qua *per*, *trans aliquid ire* denotat. Hinc primo loco posuimus ista:] *Hor. Od.* 3, 11, 26. et inane lymphae Dolium fundo pereuntis imo, i. e. perlabentis, perfluentis. *Plin.* 21, 6, 17. *de croco:* Gaudet calcari, et atteri pereundo, quo melius provenit. Ita *Ponted. Antiquit. Gr. et. Lat. ep.* 11. Alii *pereundoque melius.* [*At *Doederl.* in *Hor. l. modo c. perire* vulg. notione evanescendi, intereundi positum contendit, ut ap. *Lucr.* 1, 257. Postremo pereunt imbres. ℙ Hinc *perire* est abire, evanescere, nostr. *verloren gehen, sich verlieren, verschwinden.* *Ter. Eun.* 3, 3, 15. ecqua inde parva periisset soror. Ita *Plaut.* nescio quo loco dixit *perire e patria.* ℙ Deinde in universum ponitur de iis, quae consumuntur, quae sine fructu quasi intercidunt, praeterlabuntur, pessum dantur. Gr. ἀπόλλυμαι.] *Cic. Phil.* 5, 4. Portenti simile videtur, tantam pecuniam tam brevi tempore perire potuisse. *Ov. Fast.* 3, 236. Et pereunt victae sole tepente nives. *Pl. Most.* 1, 2, 69. Aedes cum fundamento perierint. *Petr. Sat.* 21. Uterque juravit, periturum inter nos secretum, i. e. non vulgatum iri. *Ov. Trist.* 3, 7, 16. Ne male fecundae vena periret aquae. *Nep. Ep.* 7. Totum exercitum propter imprudentiam inscitiamque belli periturum. *Hor. Od.* 1, 16, 19. Urbes pereunt funditus. *Virg. G.* 2, 498. peritura regna. *Tac. H.* 3, 1. *extr.* Ita novas vires affore, et praesentibus nihil periturum, *h. e.* decessurum. *Lucr.* 3, 344. artus penitus pereunt, conque putrescunt. *Pl.*

Truc. 1, 1, 22. Si semel amoris poculum accepit mere, Extemplo et ipsus periit, et res, et fides. *Ov. R. Am.* 107. auxilii perierunt tempora primi, *h. e.* praeterierunt sine fructu. *Sen. Herc. Oet.* 1175. Herculis vestri placet mortem perire? *h. e.* sine fructu, et sine gloria. *Plin.* 11, 6, 5. Nullus, cum per coelum licuit, perit otio dies. *Cic. Att.* 2, 17. Ne et oleum et opera philologiae nostrae perierit. ℙ Saepe mori significat. [*Sed notandum *perire* hoc sensu nonnisi de morte vi illata, seu nece usurpari. Quo differt ab *interire*, quod aut placidum, aut lentum cumque cruciatu conjunctum mortis genus signif.] *Cic. Cat.* 2, 10. Non intelligo, quamobrem, si vivere honeste non possunt, perire turpiter velint; aut cur minore dolore perituros se cum multis, quam si soli pereant, arbitrentur. *Id. N. D.* 3, 33. Summo cruciatu supplicioque Q. Varius periit. *Virg. A.* 3, 606. Si pereo, hominum manibus periisse juvabit. *Hirt. B. Afr.* 43. Perire morbo. ℙ [*Imprimis dicitur de morte, sponte sumpta. *Doederl.* 3, 179. sq. laudat *Cic. Div.* 1, 26, 56. Eodem sibi (C. Graccho) leto, quo ipse (T. Gracchus) interiisset, esse pereundum: coll. *Hor. A. P.* 466. Liceatque perire poetis. *Auson. Caes.* 8. Otho hoc solum fecit nobile, quod periit. *Cic. Inv.* 2, 57, 172. Quod genus homines mortales necesse est interire sine adjunctione, ut cibo utatur, non necesse est, nisi cum illa exceptione: extra quam si nolint fame perire. *Tac. H.* 2, 48. Otho — pecunias distribuit, parce nec ut periturus.] ℙ *Perire ab aliquo*, vi et opera alicujus. *Ov. A. Am.* 2, 208. Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus. *Id. Pont.* 3, 3, 46. Discipulo perii solus ab ipse meo. *Propert.* 2, 20, 69. Solus amans novit, quando periturus, et a qua Morte. ℙ Alio sensu *Pl. Truc.* 1, 1, 25. Si iratum est scortum forte amatori suo, bis periit amator, ab re, atque animo simul, *h. e.* mentem, et rem simul amittit. ℙ Et omissa praepos. *Claud. Laud. Stil.* 2, 250. Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit, Munivit Stilicho. *Plin.* 11, 37, 73. Marcellus cum periit ab Annibale, etc. ℙ *Perire* dicuntur, qui fortunas, aut dignitatem, aut statum amittunt. *Cic. Att.* 14, 10. Quid fieri tum potuit? jampridem perieramus; et *ib.* 11, 9. Meo vitio pereo. ℙ Speciatim perire dicuntur amantes. *Virg. Ecl.* 10, 10. indigno cum Gallus amore periret. *Catull.* 45, 3. atque amare porro Omnes sum assidue paratus annos, Quantum qui pote plurimum perire. *Val. Aedituus* ap. *Gell.* 19, 9. Duplo ideo pereo. *Hor. Od.* 1, 27, 11. quo beatus Vulnere, qua pereat sagitta. *Propert.* 2, 12, 13. Ipse Paris nuda fertur periisse Lacaena. ℙ Cum accusat. personae, ut depereo. *Pl. Poen.* 5, 2, 135. Earum hic alteram efflictim perit. ℙ *Peream, si, nisi*, formula jurandi. *Ov. Her.* 17, 183. Et peream, si non invitant omnia culpam. *Id Pont.* 3, 5, 45. Ipse quidem Getico peream violatus ab arcu: (Et, sit perjuri quam prope poena, vides) Te nisi momentis videō paene omnibus absens. *Cass.* ad *Cic. Fam.* 15, 19. Peream, nisi sollicitus sum. ℙ *Perii* exclamatio desperantis, frequentissima *Plauto*, et *Terentio*, ut *actum est, interii, disperii, occidi:* quae conjunxit *Pl. Most.* 4, 3, 36. Hei mihi, disperii! vocis non habeo satis: vicini, interii, perii; et *Aul.* 4, 9, 1. Perii, interii, occidi! quo curram? quo non curram? *Ter. Adelph.* 3, 2, 26. Periimus, actum est. Sic *Ov. A. Am.* 3, 607. Callida prosiliat, dicatque ancilla, perimus. *Pl. Poen.* 1, 2, 142. Jam hercle tu periisti, nisi illam mihi tranquillam facis. ℙ Passive. *Pl. As.* 1, 3, 91. Nisi illud perdo argentum, pereundum est mihi. *Id. Ep.* 1, 1, 70. Puppis pereunda est probe, *h. e.* necesse est puppim perire. Simile est illud *Trin.* 5, 2, 35. Si illa tibi placet, placenda dos quoque est. Alii tamen aliter legendum putant. ℙ Item valde ire, properare. *Colum.* 5, 10. *med.* At si eodem anno et scrobem facere, et arbores serere peribis. Ita *Id. Pont. ib. ep.* 59. Alii *serere voles;* alii aliter. ℙ Part. *Periens* in recto non est usitatum, quamvis *iens* a *Cic.* usurpetur: in obliq. adhibitum V. supra. ℙ *Perisse* trisyllab. ap. *Ov. Am.* 2, 19, 56. Nil facies, cur te jure perisse velim? ℙ Praeteritum *perivi* rarum est. *Appul. Met.* 4. Sic Thrasyleon nobis perimitur: sed a gloria non perivit. *Periet* pro *peribit* ap. *Coripp. Johann.* 7, 27. perient nihilominus hostes. V. EO, is.

PĔRĒQUĪTO, as, avi, atum, n. 1. *διϊππεύω*, circumequito, equito in omnem partem. *Caes. B. G.* 4, 33. Primo per omnes partes perequitant. *Id. B. C.* 1, 46. Inter duas acies perequitans. *Liv.* 5, 28. *f.* Cum perequitasset aciem, promissa repetens; et 23, 47. Cum ex via longe perequitasset. *Plin.* 9, 8, 8. Puer delphino maria perequitans.

PĔRERRĀTUS, a, um, part. a *pererro*, lustratus, percursus. *Virg. A.* 2, 295. Magna pererrato statues quae denique ponto. *Ov. Fast.* 1, 234. Orbis pererratus.

PĔRERRO, as, avi, atum, n. 1. *περιπλανῶμαι*, per multa loca erro, vagor, peragro, percurro. *Colum. praef.* 1. Semperque ritu volucrum, longinqui litoris peregrinus, ignotum pererret orbem. *Plin.* 2, 16, 13. Mercurii stella e duodenis partibus Zodiaci non amplius octonas pererrat. *Petr. Sat.* 97. Pererravit omnes cum viatore cellas. *Hor. Sat.* 1, 6, 113. Fallacem circum, vespertinumque pererro Saepe forum. *Ov. Her.* 14, 103. quid Io freta longa pererras? *Val. Fl.* 3, 537. Pererrare saltus et fontes. *Sen. Herc. Fur.* 1632. sedibus pulsae suis Volucres pererrant, nemore succiso, diem, *h. e.* aera, coelum. *Id. Thyest.* 500. Umber suem odore sentit, et tacito locum rostro pererrat. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 338. ungularum sulcos pererrare oculis, *h. e.* errat per vulnera osculabundus. *Sil.* 4, 174. sonus pererrat cornua, *h. e.* errat per tubam. *Virg. A.* 4, 363. totumque pererrat Luminibus tacitis, *h. e.* lustrat oculis, circumspicit. *Sen. Q. N. praef.* 3. *med.* Annibal, fractis rebus etiam post Carthaginem pertinax, reges pererravit, contra Romanos ducem se promittens. ℙ Passive. *Ov. Amor.* 2, 16, 5. Arva pererrantur Peligna liquentibus undis. ℙ Pro simplici *erro*, aberro, frustra sum. *Plin.* 8, 45, 70. de bobus: Conceptio uno initu peragitur: quae si forte pererravit, etc. Ita *Hard.* ex MSS.; alii *erravit.*

PĔRĒRŪDĪTUS, a, um, part. ab inusit. *pererudio*, *πολυμαθής*, valde eruditus. *Cic. Att.* 4, 15. Et homo pereruditus, ut ajunt. *Calvus* ap. *Ascon.* in *Cic. in toga cand. f.* Et talis Curius pereruditus.

PĔRĒSUS, a, um, part. a *peredo:* ambesus, exesus, consumptus. *Lucr.* 1, 326. mare quae impendent vesco sale saxa peresa. *Id.* 3, 414. At si tantula pars oculi media illa peresa est. *Virg. G.* 3, 561. Vellera morbo illuvieque peresa. *Sil.* 14, 605. membrisque cutis tegit ossa peresis. ℙ Translate. *Catull.* 55, 31. Et multis languoribus peresus Essem te, mi amice, quaeritando.

PĔREXCRŪCĬO, as, a. 1. vehementer crucio. *Pl. Stich.* 3, 1, 32. Meam culpam habeto, nisi perexcruciavero. Alii leg. *probe excruciavero:* sed nihil mutandum; his enim compositis saepe utitur *Plautus.*

PĔREXĬGŪĒ, adv. valde exigue. *Cic. Att.* 16, 1. Perexigue et *γλισχρῶς* praebere.

PĔREXĬGŪUS, a, um, adj. valde exiguus. *Cic. Verr.* 1, 2. Itaque cum ego diem in Siciliam inquirendi perexiguam postulavissem. *Id. N. D.* 2, 32. Semen perexiguum. *Id. Tusc.* 2, 13. Bona corporis et fortunae perexigua et perminuta. *Nep. Ann.* 9. Ignes perexiguos facere. *Caes. B. G.* 5, 15. Perexiguum loci spatium. *Id. B. C.* 3, 42. Omnibus castellis quod esset frumenti, conquiri jussit: id erat perexiguum.

PĔREXĬLIS, e, adj. valde exilis. *Colum.* 11, 2. *med.* Si perexilis est, vel rara ipsa vitis.

PĔREXOPTĀTUS, a, um, part. ab inus. *perexopto*, valde exoptatus. Tmesis est in illo *Gell.* 18, 4. Per, magister optime, exoptatus mihi nunc venis. V. PER.

PĔREXPĔDĪTUS, a, um, part. ab inus. *perexpedio*, valde expeditus. *Cic. Fin.* 3, 11. Haec quidem est perfacilis et perexpedita defensio.

[PĔREXPLĪCĀTUS, a, um, part. ab inus. *perexplico*, valde explicatus, finitus. *Sidon. carm.* 23, 385. de stadio circi: Jam sexto reditu perexplicato. *F.*]

PĔREXSICCĀTUS, a, um, part. ab inus. *perexsicco*, valde exsiccatus. *Arnob.* 7, 230. Proluvies succis perexsiccata vitalibus.

[PĔREXTĪMĒO, es, ui, n. 2. et

[PĔREXTĪMESCO, is, a. 3. valde extimesco. *Not. Tir.* p. 71. Extimuit, extimescit, perextimuit, perextimescit. *F.*]

PERFABRĬCO, as, a. 1. *κατασκευάζομαι*, translate ponitur pro technis, et dolis fallere. *Pl. Pers.* 5, 2, 4. Ita me Toxillus perfabricavit.

PERFĀCĒTĒ, adv. valde facete, perjucunde. *Cic. Verr.* 2, 1, 46. *f.* Neque enim perfacete dicta, neque porro hac severitate digna sunt.

PERFĀCĒTUS, a, um, adj. admodum facetus. *Cic. Brut.* 27. Atque eundem et vehementem, et valde dulcem, et perfacetum fuisse dicebat. Adde *Planc.* 14.

PERFĀCĬLĒ, adv. valde facile. *Cic. Rosc. Am.* 7. Perfacile hunc hominem incautum, et rusticum, et Romae ignotum de medio tolli posse. *Id. Verr.* 2, 5, 4. Perfacile Sicilia sese tuebatur, ne, etc. *Accius* ap. *Non.* 5, 40. Perfacile patior. *Pl. Most.* 3, 1, 93. Perfacile ictus perpetior argenteos.

PERFĀCĬLIS, e, adj. valde facilis. *Cic. Tusc.* 4, 3. Sive quod erat cognitu perfacilis. *Id. Leg.* 2, 7. *med.* Nam sententias interpretari perfacile est. *Caes. B. G.* 1, 3. Perfacile factu esse, conata perficere. *Cic. Or.* 1, 20. *extr.* Me perfacilem in audiendo, te perpugnacem in disputando esse visum.

PERFĀCUL et Persefacul antiqui dicebant, quod nunc facile, et perfacile dicimus. Inde permansit in consuetudine facultas. *Paul.* ex *Festo.*

PERFĀCUNDUS, a, um, adj. valde facundus. *Just.* 22, 1. Et manu strenuus, et in concionibus perfacundus habebatur.

PERFĀMĬLIĀRIS, e, adj. valde familiaris. *Cic. Fin.* 5, 31. Carneades Epicuri perfamiliaris. *Id. Brut.* 45. M. Gratidius M. Antonii perfamiliaris. *Id. Q. Fr.* 2, 13. *f.* Ipse est veterator magnus, et perfamiliaris Philisto. *Id. Fam.* 13, 51. P. Messienum, meum perfamiliarem tibi commendo. *Gell.* 2, 18. Phaedon Socrati, et Platoni per fuit familiaris. V. PER.

PERFĀTŪUS, a, um, adj. valde fatuus. *Mart.* 10, 18. Heu quam perfatuae sunt tibi, Roma, togae! Alii leg. *Eheu quam fatuae.*

PERFECTĒ, adv. *τελέως*, absolute, plene, cumulate. *Cic. Brut.* 18. Perfecte planeque eruditus. *Id. Or.* 1, 28. *f.* de Roscio: Nihil ab eo, nisi perfecte, nihil nisi cum summa venustate fit. *Afric. Dig.* 46, 3, 38. *med.* Isto casu nullo tempore perfecte hominem meum feceris, *h. e.* pleno et perfecto jure. *Appul. Flor. n.* 16. *f.* Sed de hoc tum ego perfectius, cum vos effectius. *Gell.* 11, 16. *extr.* Quod a Graecis perfectissime uno verbo, et planissime dicitur.

PERFECTĬO, onis, f. *τελείωσις*, absolutio, expletio. *Cic. Or.* 1, 28. *f.* Hanc ego absolutionem perfectionemque in oratore desiderans. *Id. Brut.* 36. In omnibus rebus difficilis est optimi perfectio atque absolutio. *Id. Or.* 29. *f.* Nulla est ullo in genere laus oratoris, cujus in nostris orationibus non sit aliqua si non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio. *Id. Fin.* 3, 9. *extr.* Ea, quae profiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione sunt judicanda.

PERFECTISSĬMĀTUS, us, m. dignitas perfectissimi. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 8, 4, 3. V. PERFECTUS. Adde *ib.* 6. *tit.* 37. qui *De perfectissimatus dignitate* inscribitur, estque etiam in *Cod. Just.* 12. *tit.* 33.

PERFECTOR, oris, m. qui perficit. *Cic. Or.* 1, 60. *f.* Quem tu vere dixisti perfectorem dicendi esse, ac magistrum. *Ter. Eun.* 5, 9, 4. O mearum voluptatum omnium inventor, inceptor, perfector!

PERFECTRIX, icis, f. quae perficit. *Nep.* ap. *Lact.* 3, 15. Philosophia beatae vitae perfectrix.

PERFECTUS, a, um, part. a *perficio: τετελεσμένος*, absolutus, completus, perpolitus, suis omnibus partibus expletus. *Cic. Brut.* 18. Nihil est simul et inventum, et perfectum. *Id. Verr.* 2, 4, 28. Candelabrum e gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum; et *ib.* 56. Valvas perfectiores nullas ullo unquam tempore fuisse. *Id. N. D.* 2, 12. Si a primis inchoatisque naturis, ad ultimas perfectasque volumus procedere; et *ib.* 13. *extr.* Quod aptum atque perfectum, expletumque sit omnibus suis partibus. ℙ Translate. *Id. Or.* 1, 13. Perfecti homines in dicendo, et perpoliti; et *ib. f.* Oratorem plenum atque perfectum esse eum dicam, qui, etc. *Id. Div.* 2, 72. Philosophi absoluti et perfecti. *Id. Off.* 3, 3. *med.* Officium perfectum atque absolutum. *Id. Or.* 50. Aures perfecto completoque verborum ambitu gaudent. *Id. ib.* 1. Quod ego summum et perfectissimum judico. *Id. Or.* 1, 2. Aliquid politius a nobis, perfectiusque proferri. *Id. Sext.* 40. Perfecta cumulataque virtus. *Id. Fin.* 2, 15. Habes undique expletam et perfectam formam honestatis. *Id. Off.* 1, 15. Quoniam vivitur non cum perfectis hominibus pleneque sapientibus, sed, etc. ℙ De eo, qui in aliqua re plane doctus et peritus est. *Cic. Brut.* 70. C. Memmius perfectus litteris Graecis. *Id. Fin.* 1, 6. *f.* Homo eruditus, in geometriaque perfectus. *Ov. A. Am.* 2, 547. Hac ego, confiteor, non sum perfectus in arte. *Id. Amor.* 2, 8, 1. Ponendis in mille modos perfecta capillis. ℙ *Perfecta aetas* ap. JCtos est, quae vicesimo quinto anno inchoatur, quae et legitima, et robusta, et justa dicitur. *Paul. Dig.* 4, 4, 32. Minor vigintiquinque annis, adito praeside, ex aspectu corporis falso probavit perfectam aetatem. Adde *ib.* 22, 3, 25. ℙ *Ad perfectum*, perfecte, plene, omnino. In *fr. Lact.* p. *m.* 575. Magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi. ℙ *Perfectus*, transcursus, transactus. *Ov. Met.* 15, 816. Hic sua complevit (pro quo Cytherea laboras) Tempora, perfectis, quos terrae debuit, annis. ℙ *Perfectissimus*, *διασημότατος*, sequiori aevo, sub posterioribus imperatoribus titulus est dignitatis, qua ut decorari quis possit, quot conditiones requirantur, *Imp. Constant. Cod.* 12. *tit.* 33. docet. *Eumen. Restaur. schol. c.* 1, 3. et 4., *Ammian.* 21, 16., *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 9, 41, 11., *Lactant.* 5, 14. *f.* et *Mort. persecut.* 21. et *Impp. Constant. et Licin. in ep. ad Procons. Africae*, ap. *August. ep.* 68. Porro haec dignitas multo ante Constantini tempora instituta est, et plerumque his fere notis P. V., vel aliquando V. P. designatur, ut constat ex *Inscr.* ap. *Grut.* 32, 6. et 313, 6., quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCI. Claudius Julianus P. V. Praef. annonae. Adde aliam ap. *Fabr.* p. 278. *n.* 170., quae ad ann. spectat CCXXVI., et aliam ap. *Grut.* 272, 1., quae ad ann. CCXXXIX., ubi legitur: Numisius Quintianus V. P. Ceterum multo etiam prius hujusmodi dignitatis vestigia apparent ex *Cod.* 9, 41, 11., ubi Diocletianus Aug. narrat, M. Aur. Antonium decrevisse, ne filii perfectissimorum virorum poenis plebejorum, vel quaestionibus subjicerentur.

PERFECTUS, us, m. perfectio, perfectum opus.

Vitr. 1, 2. *med.* Si interiora perfectus habuerint elegantes. Adde *Tert. Anim.* 20.

PERFĔCUNDUS, a, um, adj. valde fecundus. *Mela* 1, 9. Terra hominum, aliorumque animalium perfecunda generatrix.

PERFĔRENS, entis, part. a *perfero:* tolerans. *Cic. Or.* 2, 43. *med.* Exprimere mores integros, religiosos, perferentes injuriarum, etc. Hic vim nominis habet, cum genitivum pro accusativo regat.

PERFĔRENTIA, ae, f. tolerantia. *Lactant.* 3, 11. *med.* Virtutis vis in malorum perferentia posita est.

PERFĔRO, fers, tuli, latum, a. anom. *διαχομίζω, ἀναφέρω*, usque ad locum destinatum, vel usque ad finem constitutum fero. *Virg. A.* 12, 906. lapis vacuum per inane volutus Nec spatium evasit, totum nec pertulit ictum. *Sen. Ben.* 3, 37. Aeneas tulit patrem per ignes, et (quid non pietas potest?) pertulit. *Sen. alter Thyest.* 307. Leve est miserias ferre, perferre est grave. *Nep. Ar.* 1. Decem annorum legitimam poenam non pertulit, nam sexto fere anno restitutus est. *Colum.* 3, 20. Si varii generis vineta fecerimus, aliquid ex iis inviolatum erit, quod fructum perferat: *scil.* usque ad maturitatem et vindemiam. *Id.* 6, 27. *med.* Equas ventrem pertulisse, *h. e.* fetum tulisse usque ad partum. Sic *Plin.* 7, 11, 9. et *ib.* 13, 11. Perferre partum. V. infra. *Ov. Met.* 13, 478. Pertulit intrepidos ad fata novissima vultus, i. e. usque ad mortem retinuit; et *Plin. ep.* 1, 23. *extr.* Plurimum interest, quam personam tibi imponas, quae sapienti viro ita aptanda est, ut perferatur. *Stat. Th.* 12, 406. Eja agite inceptum potius: jam sidera pallent Vicino turbata die, perferte laborem, *h. e.* perficite. ℙ *Perferre legem* est ita ferre, ut accipiatur. *Cic. fragm. pro Corn.* ap. *Ascon.* Est utique jus vetandi, cum lex feratur, quamdiu non perfertur. *Liv.* 33, 46. Legem extemplo promulgavit, pertulitque, ut in singulos annos judices legerentur. *Id.* 3, 11. Legem interim non tam ad spem perferendi, quam ad lacessendam Caesonis temeritatem, ferre. Adde *Suet. Aug.* 34. Sic *Cic. Q. Fr.* 2, 2. *f.* Suspicor, per vim rogationem Caninium perlaturum. Sic ap. JCtos *perferre actionem, causam, quaestionem* est usque ad exitum deducere. *Paul. Dig.* 48, 16, 11., *Papin. ib.* 5, 2, 6., *Appul. Met.* 7. ℙ Significat etiam afferre, deferre, referre. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 5. Perferre mandata alicujus de re quapiam ad aliquem. *Id. ib.* 1, 1, 1. alicui nuncium rei cujuspiam. *Id. Fam.* 2, 6. litteras ad aliquem; et *ib.* 14, 1. Et litteris multorum, et sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem et fortitudinem esse. *Liv.* 7, 36. *f.* Perfertur circa collem clamor. *Id.* 28, 13. Cum ad eum fama tanti exercitus perlata esset. [**Quint. Inst.* 11, 3, 33. plerisque extremas syllabas non perferentibus, i. e. ad audientes. Cf. *ib.* 8. *prol.* 15. item 4, 1, 47.] *Val. Fl.* 5, 386. Perfer opem, regina, viris. Alii leg. *Sed fer.* ℙ Saepe est obdurare ferendo, tolerare, patienter ferre, perpeti. *Cic. Att.* 5, 21. *med.* Fortasse tibi sum molestus, qui haec praedicem de me: perfer, si me amas. *Id. Or.* 2, 19. Facile omnes perpetior et perfero. *Id. Tusc.* 2, 7. Pati, perferre, non succumbere. *Ter. Andr.* 1, 1, 35. Facile omnes perferre ac pati. *Ov. Amor.* 3, 11, 7. Perfer et obdura: dolor hic tibi proderit olim. *Cic. Cat.* 2, 5. Frigore, et fame, et siti, ac vigiliis perferendis fortis ab istis praedicabatur. *Id. Verr.* 2, 2, 3. Cum perferre non possent luxuriem, crudelitatem, avaritiam, superbiam. ℙ Cum infinito. *Prop.* 2, 7, 17. abrepta desertus conjuge Achilles Cessare in tectis pertulit arma sua. ℙ Item sentire, pati, experiri, obnoxium esse. *Caes. B. G.* 2, 14. Aeduos a Caesare in servitutem redactos, omnes indignitates contumeliasque perferre. *Virg. A.* 6, 436. quam vellent aethere in alto Nunc et pauperiem, et duros perferre labores! *Id. ib.* 3, 584. Noctem illam tecti silvis immania monstra Perferimus. *Cic. ad Pompej.* 2. *f. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Pro meis maximis in rempubl. meritis supplicia miserrima et crudelissima pertuli. *Ov. Met.* 14, 559. Non tamen oblitae, quam multa pericula saevo Pertulerint pelago. *Pall.* 10, 3. Segetes perferunt noxia animalia. ℙ Pro simplici *fero. Colum.* 6, 24. Vaccae decem mensibus ventrem perferunt. ℙ Pro abripere, vi ferre. *Liv.* 7, 15. Eorum, quos pavor pertulerat in silvas, atrox caedes fuit. ℙ *Perferre se*, ferre se, ire. *Virg. A.* 1, 393. Perge modo, atque hinc te reginae ad limina perfer. ℙ *Perferre legationem pro aliquo*, fungi. *Suet. Claud.* 6. Equester ordo bis patronum eum perferendae pro se legationis elegit.

PERFERVĔFĬO, is, anom. pass. perfervidus fio. Tmesis est in illo *Varr. R. R.* 1, 9. Terra, quae sole perferve ita fit, ut radices satorum comburat. Sunt qui leg. *perfervet ita, ut* etc. [Ceterum haec verba glossema esse putant *Gesn.* et *Schneid.* ideoque ea uncis includunt. V. v. sq. *F.*]

PERFERVĔO, es, n. 2. valde ferveo. *Mela* 1, 8. de fonte solis: Cum est *(nox)* media, perfervet.

PERFERVĬDUS, a, um, adj. valde fervidus. *Colum.* 5, 5. Aestas perfervida. Alii leg. *praefervida.* [*Ita *Schneid.*]

PERFĔRUS, a, um, adj. *παράγριος*, valde ferus. *Varr. R. R.* 2, 1. Boves perferi etiam nunc multi sunt in Dardania, et Media, et Thracia.

PERFĬCA, ae, f. Dea rerum obscenarum, quibus perficiendis praeerat. *Arnob.* 4, 131. Perfica una est e populo numinum, quae obscenas illas et luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffensa procedere.

PERFĬCĔ, adv. perfecte. *Lucr.* 2, 1114. ad extremum crescendi perfice finem Omnia perduxit rerum natura creatrix. Ita perperam legit *Pareus*, et alii ex corrupto loco *Nonii* 2, 698. Perfice, perfeceris; ubi certissime reponendum est *perfica, perficiens:* adde ultimam in *perfice* longam esse. ℙ Sup. *Perficissime* ap. *Pl. Rud.* 2, 5, 4. Perficissime satis nequam sum. Plerique rectius leg. *Praefiscine, satis* etc.

PERFĬCIO, is, eci, ectum, a. 3. *ἀποτελέω*, usque ad finem facio, perfectum reddo, absolvo, conficio, perago. *Caes. B. C.* 3, 2. Comitiis perficiendis undecim dies tribuit. *Cic. Arch.* 11. Quas res nos gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit: quibus auditis, hunc ad perficiendum hortatus sum. *Id. N. D.* 2, 13. In omni natura necesse est absolvi aliquid, et perfici. V. ABSOLVO. *Id. Or.* 30. Vides profecto, illum multa perficere, nos multa conari: illum posse, nos velle. *Id. Cluent.* 68. et *Sull.* 27. Perficere scelus. *Val. Fl.* 7, 61. jussa alicujus; et *Ter. Andr.* 4, 1, 7. promissa; et *Cic. Dejot.* 7. cogitata. *Caes. B. G.* 1, 3. conata; et *ib.* 39. opus. *Plin.* 36, 4, 4. *n.* 1. simulacrum; et 23, 1, 16. coria; et 35, 15, 52. lanas; et *ib.* 50. sulphur igni. Sic 33, 7, 40. minium, et excoquere. *Id.* 37, 7, 25. carbunculos. *Id.* 23, 1, 26. Stomacho cibos perficiente. Sic 11, 53, 118. Perficere cibus ambulatione; et 19, 5, 23. Cucumeres perfici non queunt in cibis. Et translate *Ov. A. Am.* 1, 11. Phillyrides puerum citharа perfecit Achillem, *h. e.* erudivit, expolivit. ℙ *Perficere annos*, transigere, vivere. *Hor. Ep.* 2, 1, 39. Est vetus, atque probus, qui centum perficit annos. Adde *Ov. Met.* 15, 816. V. PERFECTUS. ℙ Saepe est ad optatum exitum perducere, assequi, pervincere, efficere ut. *Cic. Agr.* 1, 9. Si vestrum mihi studium ad communem dignitatem defendendam profitemini, perficiam profecto, ut hujus ordinis auctoritas reipubl. restituta esse videatur. *Ter. Eun.* 1, 2, 100. Quam joco rem voluisti a me tandem, quin perfeceris? *Id. ib.* 5, 9, 24. Perfice hoc precibus, pretio, ut, etc. *Nep. Ep.* 6. *extr.* Eloquentia perfecit, ut auxilio sociorum Lacedaemonii privarentur. *Sall. Jug.* 19. Dando, et pollicendo multa perfecit, uti, etc. *Caes. B. G.* 1, 9. Sic in disputando ille perficit, qui pervincit et convincit. *Cic. Tusc.* 1, 8. Quoniam coegisti ut concederem, qui mortui essent, eos miseros non esse; perfice, si potes, ut ne moriendum quidem esse, miserum putem. ℙ Cum infinito. *Arnob.* 4, 131. V. PERFICA. ℙ Obsceno sensu. *Capitol. Maxim.* 4. Potes tricies cum muliere perficere. Adde *Mart.* 3, 79.

PERFĬCUS, a, um, adj. perficiens, ut Perfica natura, ap. *Lucr.* 2, 1114. V. PERFICE.

PERFĬDĔ, adv. perfidiose. *Gell.* 20, 1. *f.* Qui quoniam pactum perfide ruperat, laceratus est. *Sen. Controv.* 4, 26. *med.* Crudeliter exponentem, perfide recuperantem.

PERFĬDĔLIS, e, adj. *πολύπιστος*, valde fidelis. *Cic. Att.* 2, 19. *f.* Si perfidelem habebo, cui dem, scribam plane omnia.

PERFĬDENS, entis, part. ab inus. *perfido*, valde fidens, confidens. *Aurel. Vict. Caes.* 17. Audacia et robore corporis, pugnandique arte perfidens. Addunt et *Cic. Off.* 1, 26., sed ibi plerique alii *praefidens.*

PERFĬDĬA, ae, f. *ἀπιστία*, infidelitas, fidei minime observatae crimen, iniquitas. *Pl. Capt.* 3, 3, 7. Neque deprecatio perfidiis meis, neque malefactis fuga est. *Cic. Rosc. Am.* 38. Istius fide, ac potius perfidia deceptus sum. *Id. Fam.* 1, 2. *med.* Ut potest in tanta hominum perfidia et iniquitate. *Id. Phil.* 11, 5. Dexterae, quae fidei testes esse solebant, sunt perfidia et scelere violatae. *Id. Rosc. Am.* 40. Fraude et perfidia aliquem fallere. *Gell.* 14, 2. Homo plenus perfidiarum et fraudum. *Sall. Jug.* 115. Sceleris atque perfidiae testem esse. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. Increpare perfidiam alicujus in aliquem. *Caes. B. G.* 4, 13. Perfidia et simulatione uti; et *ib.* 7, 5. *f.* Perfidia adductum facere quippiam. *Nep. Dat.* 11. capere aliquem. *Suet. Caes.* 75. Admittere perfidiam in aliquem. *Ov. Met.* 11, 206. addit Perfidiae cumulum, falsis perjuria verbis. *Quint. decl.* 12, 4. Qualis alias ab agricolis accusari solet, perfidia terrarum, et ingratae messis irritus labor. ℙ De iis, qui debita inficiantur. *Suet. Ner.* 5. Perfidiae tantae *(fuit)*, ut non modo argentarios pretiis rerum coemptarum, sed et in praetura mercede palmarum aurigarios fraudaverit. ℙ Translate. *Arnob.* 1, 12. Sub ipsis positum labris in acoris perfidiam vinum repente mutari.

PERFĬDĬOSĔ, adv. *ἀπίστως*, infideliter, perverse. *Auct. ad Her.* 1, 5. Si quid eorum spurce, et superbe, perfidiose, crudeliter factum proferemus. *Cic. Rosc. Am.* 40. Ubi multa avare, multa audacter, multa improbe, multa perfidiose facta videtis. *Suet. Aug.* 21. Crebrius, aut perfidiosius rebellantes ulcisci.

PERFĬDĬOSUS, a, um, adj. qui perfidus esse solet, qui perfidia abundat. Differt a *perfidus*, ut ab *ebrio ebriosus:* non tamen semper. *Tac. A.* 16, 32. Animo perfidiosus et subdolus. *Cic. Fam.* 3, 10. Nihil in me perfidiosum, et insidiosum, et fallax in amicitia debes agnoscere. *Id. Pis.* 27. Fallax, perfidiosus, impudens. *Id. Rosc. Com.* 6. Perfidiosum et nefarium est fidem frangere. *Id. N. D.* 3, 32. *f.* Omnium perfidiosissimus C. Marius.

PERFĬDUS, a, um, adj. *ἄπιστος*, qui fidem violat, qui per fidem decipit, prodit. *Cic. Off.* 3, 14. *f.* Omnes, aliud agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi sunt. *Id. ad Quir.* 9. Perfidos amicos ulcisci nihil credendo, atque omnia cavendo. *Virg. A.* 4, 305. Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum Posse nefas? *Sil.* 15, 819. Perfida bella. *Sen. Agam.* 887. Perfidae neci tradere aliquem, *h. e.* insidiosae, et per simulationem amoris illatae. *Ov. Fast.* 4, 380. Caesar Perfida magnanimi contudit arma Jubae. *Id. R. Am.* 722. perfida verba. ℙ Cum genitivo. *Sil.* 1, 5. sacri perfida pacti Gens Cadmea. ℙ Translate. *Sen. Med.* 302. Perfida freta, *h. e.* mare infidum. *Id. Agam.* 570. de Nauplio: In saxa duxit perfida classem face. *Lucan.* 5, 415. Perfida nubiferi vetat inconstantia veris. *Claud. VI. cons. Honor.* 264. Perfida deplorat vacuis examina ceris, *h. e.* apes alio migrantes. *Flor.* 3, 4. *med.* Minutius Scordiscos toto vastavit Hebro, multis quidem amissis, dum perfidum glacie flumen equitatur. Sic *Ammian.* 15, 10. Patulae valles, per spatia plana glacie perfidae, vorant nonnunquam transeuntes. *Prop.* 4, 4, 49. Lubrica tota via est, et perfida: quippe tacentes Fallaci celat limite semper aquas. *Mart.* 12, 48. Et Vaticani perfida vappa cadi, *h. e.* valde noxia: nam *Id.* 6, 92. Vaticana bibis, bibis venenum. Vel *perfida*, quia illud vinum cito vappa fit, et minime aetatem ferens fallit dominum. ℙ *Perfidum* adverbii more pro *perfide* ap. *Hor. Od.* 3, 27, 67. aderat querenti Perfidum ridens Venus.

*PERFINGO, is, a. 3. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 685. Hic sita sum varios avium perfingere cantus. *B. A.*

PERFĪNĬO, is, a. 4. idem quod finio, finem impono. *Lucr.* 1, 611. pars semper habebit Dimidiam partem, nec res perfiniet ulla.

PERFIXUS, a, um, part. ab inus. *perfigo*, transfixus. *Lucr.* 3, 306. Nec gelidis torpet telis perfixa pavoris. *Id.* 2, 360. et crebra revisit Ad stabulum desiderio perfixa juvenci.

PERFLĀBĬLIS, e, adj. qui vento perflari potest, penetrabilis, pervius, tenuis. *Cic. Div.* 2, 17. Deos ipsos jocandi causa induxit Epicurus perlucidos, et perflabiles. *Solin.* 27. Auctor est Varro, perflabilem ibi terram, ventis penetrantibus, etc. *Pall.* 1, 6. *med.* Aer oleas tepidus juvat, et ventis mediocribus sine vi et horrore perflabilis; et *ib.* 36. Sit area loco sublimi, et undecumque perflabili.

PERFLĀGĬTĬOSUS, a, um, adj. valde flagitiosus. *Cic. Coel.* 20. *f.* Num tibi perturpe, aut perflagitiosum esse videatur?

[PERFLAGRĀTUS, a, um, part. ab inus. *perflagro:* idem ac valde flagratus. *Capell.* 6, 189. Dispendiaque lini perflagrata cassum devorante Mulcibero. *F.*]

PERFLĀMEN, inis, n. idem quod flamen, flatus. *Prud. Apoth.* 760. sine divino Domini perflamine summi Arida terra fuit.

PERFLĀTĬLIS, e, adj. idem quod perflabilis. *Appul. Met.* 4. Domus tuae patulus et perflatilis locus. Alii leg. *perflabilis;* et *ib.* 3. Aedium patore perflatili.

[PERFLĀTĬO, onis, f. idem ac perflatus. *Capell.* 1, 11. Virtus praecedentis officio, ac Mercurialis virgae perflatione concussa, in coelum itura sustollitur. *F.*]

PERFLĀTUS, us, m. *διαπνοή*, actus perflandi, aer, aut ventus perflans. *Cels.* 3, 19. Aeger positus loco non calido, fenestris patentibus, sic ut perflatus quoque aliquis accedat; et 1, 2. Aedificium habens perflatum aestivum, et solem hibernum. *Colum.* 1, 5. *med.* Quanto fuerit aedificii solum pronius orienti, tanto et aestate liberius capere perflatus poterit. *Plin.* 17, 19, 31. Aliubi ablaqueant, perflatusque admittunt; et 16, 40, 79. Ulmus in perflatu firma, robur defossum; et 18, 17, 44. *n.* 2. Loca perflatum non habentia.

PERFLĒTUS, a, um, part. ab inus. *perfleo*, multum fletus. *Appul. Met.* 2. Diutine visu perfleto. Est qui leg. *praefleto* eod. sensu.

PERFLO, as, avi, atum, n. 1. *διαπνέω*, valde flo, sive multum flando commoveo. *Varr. R. R.* 1, 13. Nubilarium fenestras habere oportet ex ea parte, unde commodissime perflari possit. *Virg. A.* 1, 87. venti ruunt, et terras turbine perflant. *Colum.* 2, 21. Favonius, qui lenis aequalisque ae-

stivis mensibus perflat. *Lucr.* 6, 131. cum venti nubila perflant. *Ov. R. Am.* 369. perflant altissima venti. *Lucan.* 5, 418. Hic (*aquilo*) utinam summi curvet carchesia mali, Incumbatque furens, et Graja ad moenia perflet, *h. e.* perflando impellat: vel usque ad Graja moenia flet. *Plin.* 2, 107, 111. Perflantibus undique procellis. *Id.* 18, 30, 73. Suspendunt granaria lignea columnis, et perflari undique malunt. *Lucan.* 9, 348. Deus, quem toto litore pontus Audit, ventosa perflantem murmura concha, *h. e.* tuba inspirata sonos edentem.

PERFLUCTŪO, as, n. 1. multum fluctuo, fluctuum more circa aliquid moveor. *Lucr.* 3, 722. Unde cadavere, rancenti jam viscere, vermes Exspirant? atque unde animantum copia tanta Exos, et exsanguis tumidos perfluctuat artus?

PERFLŪO, is, uxi, n. 3. *διαῤῥέω*, fluo per aliquem locum, vel valde fluo. *Lucr.* 2, 392. subito per colum vina videmus Perfluere: at contra tardum cunctatur olivum. *Id.* 3, 949. si grata fuit tibi vita anteacta priorque, Et non omnia pertusum congesta quasi in vas Commoda perfluxere, atque ingrata interiere. *Petr. Sat.* 23. Perfluebant per frontem sudantis acaciae rivi. *Appul. Met.* 1. Sudore perfluere. *Plin.* 36, 26, 65. Belus amnis in mare perfluens. *Arnob.* 6, 191. Hiemalia sentiunt frigora, solibus torrentur aestivis, pluvialibus nimbis perfluuntur. ℙ Translate. *Quint.* 2, 5. *med.* Sic audientibus securitas aberit, nec quae dicentur, perfluent aures. Alii leg. *superfluent.* [*Ita *Spalding.* c. plurimis edd.] ℙ Item humorem transmitto. Translate. *Ter. Eun.* 1, 2, 25. Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo, *h. e.* arcana continere nescio. ℙ Pro affluere, abundare. *Cic. Fin.* 2, 35. Percunctare ipse te, perpetuisne malis voluptatibus perfluens in tranquillitate degere, etc. Al. leg. *perfruens.* [*Ita recte *Orell.* c. recentt.] ℙ De veste ampla, et fluenti. *Appul. Met.* 11. Insignis illius pallae perfluebat amictus.

PERFLŪUS, a, um, adj. qui perfluit. Translate. *Appul. Met.* 11. Incessu perfluo feminam mentiebatur, *h. e.* molli et diffluente.

PERFLUXUS, a, um, part. a *perfluo*, valde fluxus, qui facile corrumpitur et perit. *Quint. decl.* 314. *extr.*, ubi alii aliter legunt.

PERFOCO, as, avi, atum, a. 1. effoco. *Paul. Dig.* 25, 3, 4. Necare videtur non tantum is, qui partum perfocat, sed et is, qui abjicit. Ita *Torrent.*; alii *praefocat.*

PERFODĬO, is, ōdi, ossum, a. 3. *διορύττω.* perforo, transfigo, rumpo. *Cic. Vat.* 5. Licet impune parietes perfoderis, vicinos compilaris. *Varr. R. R.* 3, 17. *med.* Perfodere montem. *Colum.* 10, 71. Tu gravibus rastris cunctantia perfode terga. *Petr. Sat.* 32. *extr.* Spina argentea dentes perfodere. *Plin. ep.* 3, 16. Ferrum stringere, perfodere pectus *Lucan.* 8, 618. postquam mucrone latus funestus Achillas Perfodit. *Gell.* 5, 2. Conjectis undique in Alexandrum telis, vulneribus alte in cervice, atque in latere equus perfossus est.

PERFOECUNDUS. V. PERFECUNDUS.

[PERFOEDĔRĀTUS, a, um, part. ab inusit. *perfoedero*, multum foederatus. *Not. Tir.* p. 71. Foedus, foederatus, perfoederatus. *F.*]

PERFŌRĀCŬLUM, i, n. *τρύπανον*, parva terebra: est a *perforo*, ut furfuraculum etiam est appellatum a furfure, quia scobem furfuribus similem in forandis lignis faciat. *Arnob.* 6, 200. Simulacra ista, quae vos terrent, quaeque adoratis, sunt fornacibus incocta figulinis, ex incudibus et malleis nata, grosphis rasa, descobinata de limis, serris, perforaculis, asciis secta, dolata, effossa, terebrarum excavata vertigine, runcinarum levigata de planis. Ex his patet, *perforaculis dolata* esse *traforati coi succhielli*, ut *terebrarum excavata vertigine* sunt *scavati col girar delle trivelle. Gloss. Philox.* Perforaculum, *τρύπανον, τέρετρον.* [*Longe plurima h. l. ex suis dedit *F.*]

PERFŌRĀTUS, a, um, part. a *perforo:* perterebratus. *Cic. N. D.* 3, 4. Et cum rerum natura duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluisset. *Sen. ep.* 99. *med.* Perforato animo hauriebamus, et transmittente quidquid acceperat. *Hirt. B. Alex.* 46. Multae naves rostris perforatae merguntur. *Plin.* 37, 5, 20. Berylli perforati gratiores, medulla candoris exempla.

PERFORMĪDĀTUS, a, um, part. a *performido*, multum formidatus. *Sil.* 3, 608. Jam puer auricomo performidate Batavo. Alii leg. *praeformitate:* quod magis placet.

[PERFORMĪDO, as, a. 1. valde formido. *Not. Tir.* p. 71. Formidat, reformidat, performidat. *F.*]

PERFORMĪDŌLOSUS, a, um, adj. valde formidolosus. *Aurel. Vict. Caesar.* 4. *med.* Natura performidolosus.

PERFORMO, as, a. 1. conformo, informo. *Tert. Apol.* 1. *med.* Ad malum performantur. Alii leg. *praeformantur.*

PERFŌRO, as, avi, atum, a. 1. *διατρυπάω*, ab una ad alteram partem foro, pertundo, perterebro. *Cic. fr.* ap. *Quint.* 8, 6. *med.* Hoc miror, quemquam hominem ita pessundare alterum verbis velle, ut etiam navem perforet, qua ipse naviget. *Hirt. B. Alex.* 25. Cum triremem hostium perforasset, ac demersisset. *Ov. Met.* 12, 377. Perque armos uno duo pectora perforat ictu. *Id. Trist.* 3, 9, 26. Innocuum rigido perforat ense latus; et *Stat. Silv.* 1, 5, 45. Multus ubique dies, radiis ubi culmina totis Perforat, atque alio sol improbus uritur aestu. *Cic. Fam.* 7, 1. In illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforasti, et patefecisti Sejanum, *h. e.* fenestram fecisti, qua Stabianum prospiceres. ℙ Obsceno sensu idem est ac paedico. *Auct. Priap.* 78. Deprensos ego pertorare possum, Tithonum, Priamumque, Nestoremque. V. INFORO. ℙ Part. *Perforandus* ap. *Cels.* 8, 9. Si latius aliquid abscedet, duobus aut tribus locis erit perforandum. ℙ Tmesis est in illo *Lucr.* 5, 1267. Et terebrare etiam, ac pertundere, perque forare.

PERFORTĬTER, adv. valde fortiter. *Ter. Ad.* 4, 2. 28. Me servulum, qui referire non audebam, vicit: hui perfortiter!

[PERFOSSIO, onis, f. actus perfodiendi. *Gloss. Phil.* Perfossio, *διορυγή, διορυγμός. F.*]

*PERFOSSO, *διορύσσω Gloss. Gr. Lat. B. A.*

PERFOSSOR, oris, m. qui perfodit, *διωρυχτής. Pl. Ps.* 4, 2, 23. Perfossor parietum. *Appul. Apol.* Eo quidem pacto et qui myoparones quaesierit, pirata erit; et qui vectem, perfossor; et qui gladium, sicarius.

*PERFOSSŪRA, ae, f. *διορυγὴ Gloss. Gr. Lat. B. A.*

PERFOSSUS, a, um, part. a *perfodio:* perforatus, cavatus, transfixus. *Cic. Fin.* 2, 34. Hellesponto juncto, Athoque perfosso. *Gell.* 3, 7. Quadringenti tum una perfossi gladiis cadunt. *Virg. A.* 11, 10. Thorax perfossus.

[PERFOVĔO, es, a. 2. valde foveo. *Sedul.* 4, 25. Solatur nexos in carcere, perfovet aegros. *Not. Tir.* p. 134. Fovet, refovet, perfovet. *F.*]

PERFRACTUS, a, um, part. a *perfringo:* omnino fractus. *Virg. A.* 11, 614. perfractaque quadrupedantum Pectora pectoribus rumpunt. *Tibull.* 1, 11, 53. scissosque capillos Femina, perfractas conqueriturque fores. *Cels.* 8, 9. Tota costa perfracta. *Plin.* 11, 37, 48. Capitis ossa perfracta non queunt solidari. *Val. Fl.* 6, 184. perfractaque caedibus arma. *Sil.* 16, 412. perfracto volvitur axe Cernuus. V. PERFRINGO.

PERFRĔMO, is, ui, n. 3. vehementer fremo. *Attius* ap. *Cic. N. D.* 2, 35. Inciti atque alacres rostris perfremunt delphini.

PERFRĔQUENS, entis, adj. valde frequens. *Liv.* 41, 1. In portu emporium brevi perfrequens factum.

PERFRĔTO, as, n. 1. transfreto, pertranseo. *Solin.* 27. *med.* Inter haec vadosa classem Romanam accepimus perfretasse.

PERFRĪCĀTUS, a, um, part. a *perfrico*, bene fricatus. *Vitr.* 7, 1. *med.* Testacea spicata sint extenta, et ad regulam perfricata. *Plin.* 28, 12, 51. Faucibus felis fimo extrinsecus perfricati. *Petr. Sat.* 132. *med.* Mox perfricata diutius fronte, etc. Est qui leg. *perfricta.* V. PERFRICTUS.

PERFRĪCO, as, cui, a. 1. *περιτρίβω*, valde frico, vel totum frico. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. Cum interea Apronius caput atque os suum unguento perfricaret. [*Suet. Tib.* 60. perfricare alicui faciem pisce: ubi in prox. sequentibus respondet *os lacerare.*] *Petr. Sat.* 22. Totam faciem ejus fuligine longa perfricuit. *Cels.* 3, 14. *f.* In lectulo se contineat, post febrem perfricetur. *Id.* 1, 3. Totum corpus leniter perfricare ex oleo. *Plin.* 28, 12, 52. Cervicum dolores butyro, aut adipe ursino perfricantur. *Ov. A. Am.* 3, 216. Nec dentes coram perfricuisse probem. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Alvus, in quam transiturae sunt apes, apiastro perfricanda. ℙ *Perfricare caput* dicuntur, qui in re aliqua haerent, neque quid faciendum sit, plane sciunt, [*nos: *sich hinter den Ohren kratzen.*] *Cic. Pis.* 25. *extr.* Ut scriba, perscriptis rationibus, secum ipse, caput sinistra manu perfricans, commurmuratus sit: ratio quidem hercle apparet, argentum *οἴχεται.* [*Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v. etiam hic de impudentia sermonem esse putat, de homine, qui nihil vereatur, nihil timeat. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v. neque sollicitudini hic locum, neque impudentiae vestigium esse vult, sed *caput perfricandi* gestus esse aliquid cum risu admirantis. V. utrumque *l. c.*] ℙ *Perfricare frontem, faciem, os*, pudorem abjicere, impudentem fieri, *περιτρίψασθαι τὸ μέτωπον:* nam cum in pudore sanguis in os diffundatur, qui erubescere nolunt, hi solent faciem manu perfricare ad ruborem illum detergendum, et sanguinem ad interiora repellendum. *Cic. Tusc.* 3, 18. Quid tergiversamur, Epicure, nec fatemur, eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, cum os perfricuisti, soles dicere? *Mart.* 11, 27. Aut cum perfricuit frontem, posuitque pudorem. *Quint.* 11, 3. *med.* Perfricare faciem, et quasi improbam facere. *Calvus* ap. *eund.* 9, 2. *med.* Perfrica frontem, et dic te digniorem, qui praetor fieres, quam Catonem. [*Hanc locutionem illustrat *Victor. Var.* 8, 6. cf. *Spald.* ad *Quint.* 4, 1, 42.]

PERFRICTĬO, onis, f. *περίψυξις, κατάψυξις:* a *per* et *frigeo:* morbus est, quo frigore totum corpus corripitur, ut fieri solet in febris accessione; interdum aliqua pars tantum corporis laborat, et ex eo torpescit, ut cum occupantur fauces, raucedo sequitur, et tussis; cum nasi meatus obstruitur, sequitur spiritus difficultas; cum brachium, aut pes torpet, etc. *Plin.* 20, 14, 55. Tussi in perfrictione fricari ante balnea convenit. *Id.* 23, 8, 80. In fatigatione, aut perfrictione lauri succo perungi. *Id.* 20, 22, 87. Oleo ex sinapis semine utuntur ad nervorum rigores, lumborumque, et coxendicum perfrictiones. *Id.* 26, 12, 76. Bibitur in loco calido, et a perfrictionibus tuto. *Scrib. Comp.* 57. Si quando moventur dentes ex perfrictione, confirmandi erunt gargarizatione lactis asinini. ℙ *Perfrictio* a *frico* est, cum frictione cutis atteritur, rumpiturque. *Plin.* 21, 18, 69. de cypiro: Intertriginum, et alarum vitiis, perfrictionibusque, cum oleo illitum, non dubie mederi.

[PERFRICTĬUNCŬLA, ae, f. dimin. perfrictionis, quatenus febriculam significat, commotiuncula. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 6. Ego aliquantum prodormivi propter perfrictiunculam, quae videtur sedata esse. *F.*]

PERFRICTUS, a, um, part. a *perfrico*, idem ac perfricatus. *Appul. Met.* 2. Perfrictis oculis. V. PERFRICATUS.

PERFRĪGĔFĂCĬO, is, eci, actum, a. 3. valde frigidum facio. *Pl. Ps.* 4, 7, 117. Mihi jamdudum ille Syrus cor perfrigefacit, *h. e.* metu, et horrore perfundit.

PERFRĪGĔO, es, ixi, n. 2. idem ac perfrigesco. *Gloss. Philox.* Perfrigeo, *καταψύχω. Cels.* 1, 3. Ei, qui perfrixit, opus est in laconico sedere, donec insudet. *Mart.* 3, 18. Perfrixisse tuas questa est praefatio fauces. *Juven.* 7, 194. Et si perfrixit, cantat bene. ℙ [Translate. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 5. Ego videor mihi perfrixisse, quod mane soleatus ambulavi, an quod male scripsi, non scio. Certe homo alio qui pituitosus, hodie tamen multo mucculentior mihi esse videor. Jocus hic est in ambiguo: fatetur enim, se quaedam crassa Minerva scripsisse, et admodum frigida, ac nullius pretii. *F.*]

PERFRĪGĔRĀTUS, a, um, part. a *perfrigero*, refrigeratus. *Scrib. Comp.* 271. Haec omnia infervescunt super carbones, deinde perfrigerata eodem cacabo reponuntur.

PERFRĪGĔRO, as, a. 1. idem ac refrigero. *Plin.* 25, 13, 103. Omnium harum vis eadem perfrigerare, et astringere. *Hard.* legit *refrigerare* ex MSS. *Not. Tir.* p. 113. Refrigerat, perfrigerat.

PERFRĪGESCO, is, n. 3. valde frigeo, perfrictione laboro. *Varr. R. R.* 2, 9. *med.* Pluviis diebus cubilia substernenda fronde aut pabulo (fortasse legend. *sabulo*) duabus de causis, ut ne *(canes)* oblinantur, aut perfrigescant. *Plin.* 31, 6, 33. Difficilius perfrigescunt *(aqua)* marina calefacti. *Scrib. Comp.* 268. Acopum hieme non patitur perfrigescere artus. [*Multis hunc locum emendavit *F.*]

PERFRĪGĬDUS, a, um, adj. valde frigidus. *Cic. Verr.* 2, 4, 40. Erat hiems summa, tempestas perfrigida. *Cels.* 1, 3. *med.* Vini non perfrigidi potio.

PERFRINGO, is, fregi, fractum, a. 3. *διαῤῥήγνυμι*, omnino, vel totum frango, confringo, effringo. *Cic. Div.* 2, 41. Perfracto saxo, sortes erupere. *Plin.* 5, 24, 20 de Euphrate: Occurrit ei Taurus mons, nec resistit: Omiram vocant irrumpentem, mox ubi perfregit, Euphratem, *h. e.* frangendo perrumpit. *Caes. B. G.* 1, 25. Pilis missis facile hostium phalangem perfregerunt: ea disjecta, etc. *Tac. H.* 3, 20. Perfringere ac subruere muros. *Val. Fl.* 1, 192. Pinguia letifera perfringere colla bipenni. *Plin.* 10, 12, 14. Perfringere nucem. *Lucan.* 3, 343. vi portas. *Tac. H.* 4, 1. domos. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Campi, quos ingentes boves, et fortissima aratra perfringunt. *Sen. Herc. Fur.* 1024. In conjugem nunc clava libratur gravis, Perfregit ossa. ℙ *Perfringere* dicitur (ut *frangere)* is ipse, cui quippiam externa vi frangitur, v. gr. crus, brachium. *Ter. Adelph.* 1, 1, 11. Et quibus nunc sollicitor rebus! ne aut ille alserit, aut uspiam ceciderit, aut perfregerit aliquid. *Liv.* 21, 36. *extr.* Jumenta prolapsa, jactandis gravius in continendo ungulis, penitus perfringebant. *Id.* 22, 20. Naves omnes, quae non perfregerant proras litore illisas, religatas puppibus in altum extraxere. [*Huc pertinet etiam locus *Lucretii* 6, 137. de ventis: nubem perfringens impetu recto: quem Noster nescio cur infra laud. ℙ Translate illam primam agendi rationem significat, qua res cujuscunque generis obstantes, adversas ita quasi medias frangimus ac delemus, ut concidant, atque impedimento esse amplius non possint, i. q. superare, vincere.] *Cic. Har. resp.* 23. Qui omnes angustias, omnes altitudines, omnium objecta tela semper vi et virtute perfregit. *Sen. Herc. Fur.* 1274. Surge, et adversa impetu perfringe solito. [*His adjungi poterat locus, quo disturbandi, disjiciendi notionem habet,] *Cic. Cat.* 4, 10. *extr.* Neque ulla tanta vis reperietur, quae tantam conspirationem bonorum omnium perfringere et labefactare possit. [*Nunc sequi poterat locus:] *Cic. Brut.* 9. *f.* Suavis videri maluit, quam gravis, sed suavitate ea, qua

perfunderet animos, non qua perfringeret. [*Ubi *suavitate perfringere* recte *Ellendt.* explicat: innarrabili quadam dicendi suavitate, cum vi conjuncta ad audientium animos obstinatos sibi aditum munire, eos demulcere devinctosque secum abripere. ℙ Secundo loco *perfringere* in malam partem adhibetur pro violare, tollere:] *Cic. Verr.* 2, 5, 15. Ut earum rerum vi et auctoritate omnia repagula juris, pudoris et officii perfringeres. *Id. Cat.* 1, 7. Tu non solum ad negligendas leges ac quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. *Id. Mil.* 32. Perfringere decreta senatus. *Id. Cluent.* 6. Perfregit ac prostravit omnia cupiditate ac furore.

PERFRĪVŌLUS, a, um, adj. valde frivolus. *Vopisc. Aurel.* 6. *extr.* Haec video esse perfrivola.

PERFRUCTĬO, et Perfruitio, onis, f. *ἀπόλαυσις*, actus perfruendi: a part. *fruitus*, et *fructus*. *August. Quant. anim.* 33. *med.* Quae sint gaudia, quae perfructio summi et veri boni. *Id. Trin.* 6, 10. Ille ineffabilis complexus Patris et imaginis non est sine perfruitione, sine caritate, sine gaudio. MSS. hic habent *perfectione*, vel *perfunctione.*

PERFRUCTUS, a, um, part. a *perfruor*, qui plene fructus est, *Lucr.* 3, 969 Omnia perfructus vitai praemia, marces? Est qui leg. *perfunctus.* [*Ita *Eichst.*]

PERFRŪOR, eris, fructus sum, dep. 3. *ἀπολαύω*, plene fruor, diu et constanter fruor: omnem fructum percipio, potior. *Cic. Pis.* 20. His ego rebus pascor, his delector, his perfruor. *Id. Cat.* 1, 10. Hic tu qua laetitia perfruere? quibus gaudiis exsultabis? quanta voluptate bacchabere! et *ib.* 4, 6. Ita mihi salva republ. vobiscum perfrui liceat. *Id. Brut.* 2. Perfrui auctoritate, rerum gestarum gloria, sapientiae laude. *Id. Leg.* 1, 21. *f.* vita modica et apta virtute. *Id. Fam.* 7, 1. otio; et *ib.* 5, 12. Ut vel auctoritate testimonii tui, vel indicio benevolentiae, vel suavitate ingenii, vivi perfruamur. *Id. fragm.* ap. *Prisc.* 10, 883. Amoenitate summa perfructus est. ℙ Ap. *Ov. Her.* 11, 128. mandatis perfruar ipsa patris, *h. e.* exsequar. Alii leg. *mandatum persequar.* Alii totum illud distichon spurium arbitrantur. ℙ Part. *Perfruendus* ap. *Cic. Off.* 1, 8. Expetuntur divitiae cum ad usus vitae necessarios, tum ad perfruendas voluptates.

PERFŬGĂ, ae, m. *αὐτόμολος*, *Festus:* Perfugam Gallus Aelius ait, qui liber, aut servus, aut hostis sua voluntate ad hostes transierit: qui idem dicitur transfuga. Quamquam sunt, qui credant, perfugam esse, non tam qui alios fugiat, quam qui ob spem commodorum ad quempiam perfugiat. Haec *Fest.* Differt a *transfuga*, si vim verbi spectes, quia *perfuga* est respectu eorum, ad quos confugit: *transfuga* eorum, a quibus discedit: tametsi in usu loquendi id non servatur. Dicitur autem non solum de militibus, sed etiam de aliis. *Cic. Rosc. Am.* 40. Iste, qui initio proditor fuit, deinde perfuga: qui primo sociorum consilia adversariis enunciavit, deinde societatem cum ipsis adversariis coiit. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 66. Cur de perfugis nostris copias comparant contra nos? *Caes. B. G.* 3, 18., *Liv.* 27, 15. *med.* et *Nep. Dat.* 6. Qui ubi pro perfuga ad eos venit, etc. et *Cic. Off.* 3, 22. Cum Pyrrhus populo R. bellum intulisset, perfuga ab eo venit in castra Fabricii, eique est pollicitus, etc. ℙ Differt a *fugitivo*. *Liv.* 30, 43. *extr.* De perfugis gravius, quam de fugitivis consultum. V. FUGITIVUS.

PERFŬGĬO, is, ūgi, n. 2. *καταφεύγω*, plane fugio, confugio, refugio, praesertim auxilii petendi causa. *Cic. Pis.* 36. *f.* Cum concursum plorantium, et tempestatem querelarum ferre non posses, in oppidum Beroeam perfugisti. Al. leg. *profugisti.* [*Ita *Orell.*] *Liv.* 1, 9. Jam Tarquinii ad Lartem Porsenam perfugerant. *Nep. Dion.* 5. Corinthum perfugit Heraclides, expulsus a Dionysio. *Tac. A.* 1, 32. Cum perfugisset ad tribunal, pedibusque Caecinae advolveretur. ℙ Speciatim de iis dicitur, qui ad hostes transeunt: unde *perfuga. Caes. B. C.* 3, 61. Ante id tempus nemo a Caesare ad Pompejum transierat, cum paene quotidie a Pompejo ad Caesarem perfugerent. *Hirt. B. Afr.* 35. *extr.* Legionarii complures a Scipione in castra Caesaris perfugerunt. ℙ Translate. *Gell.* 6, 2. *f.* Qui cum in culpa, et in maleficio revicti sunt, perfugiunt ad fati necessitatem, et quae pessime fecerunt, ea non suae temeritati, sed fato esse attribuenda dicunt.

PERFŬGĬUM, ii, n. *καταφυγή*, locus tutus, quo in molestia, periculo, calamitate perfugere contendimus. *Caes. B. G.* 4, 38. Cum propter siccitates paludum, quo se reciperent, non haberent, quo perfugio superiore anno fuerant usi. *Cic. Cluent.* 3. Spes me tenet, hunc locum, consessumque vestrum ejus fortunae miserae, multumque jactatae portum ac perfugium futurum. *Id. Rabir. perd.* 2. Nullum extremis reipubl. temporibus perfugium, et praesidium salutis. *Id. Arch.* 7. *f.* Haec studia rebus adversis perfugium ac solatium praebent. *Id. Sull.* 28. *extr.* Munite communem arcem bonorum, obstruite perfugia improborum. *Id. Rosc. Am.* 52. Unum perfugium, judices, una spes reliqua est Sex. Roscio, vestra pristina bonitas et misericordia. *Pl. Cas.* 3, 5, 2. Nescio, unde auxilii, praesidii, perfugii mihi, aut opum copiam comparem. *Sall. Jug.* 57. In Caesare miseris perfugium, in Catone malis pernicies. *Cic. Or.* 1, 45. Senectuti vero celebrandae et ornandae quod honestius potest esse perfugium, quam juris interpretatio? *Id. Verr.* 2, 2, 41. *extr.* Postremo illo desperatissimo perfugio uti posset, se imprudentem fecisse. *Id. Div.* 2, 72. Perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus. [**Id. Manil.* 13, 39. hiemis enim, non avaritiae, perfugium majores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt, i. e. hiemis vitandae, non explendae avaritiae causa confugerunt ad tecta etc, V. *Matth.*]

PERFULCĬO, is, lsi, ltum, a. 4. bene fulcio. *Auct. Pan. ad Pis.* 86. Eloquio sanctum modo perfulcire senatum, Alii leg. *permulcire. Not. Tir.* p. 117. Perfulsit.

PERFULGĔRAT, abat, impers. valde fulgurat. *Stat. Th.* 7, 502. multoque latus perfulgerat ense. Alii leg. *praefulgurat. Not. Tir.* p. 118. Fulgerat, perfulgerat.

PERFUNCTĬO, onis, f. *λειτουργία*, administratio, exercitatio, actus et terminus perfungendi. *Cic. Or.* 3, 2. Qui ei annus primus ab honorum perfunctione aditum omnium concessu ad summam auctoritatem dabat. *Id. Fin.* 1, 15. Nam neque laborum perfunctio, neque perpessio dolorum per se ipsa allicit.

PERFUNCTORĬĒ, adv. *πρὸς ἀφοσίωσιν*, languide, remisse, neglecte, oscitanter, cum quid non serio accuratur, sed ut officio perfuncti videamur, et quantum satis sit aut ad reprehensionem vitandam, aut ad veniam emerendam. *Petr. Sat.* 11. Me coepit non perfunctorie verberare. *Papin. Dig.* 29, 5, 21. *extr.* Qui non perfunctorie debitum officium impleverant. *Torrent.* habet *defunctorie.* Adde *August. ep.* 148. *ad Valer.*

PERFUNCTUS, a, um, part. a *perfungor:* qui plene functus est, qui peregit, confecit. *Cic. Or.* 1, 45. Quid enim est praeclarius, quam honoribus, et reipubl. muneribus perfunctum senem posse dicere, etc.? *Id. Brut.* 2. Quo tempore aetas nostra perfuncta rebus amplissimis, tanquam in portum confugere deberet. *Id. Dom.* 52. Quos memoriae proditum est ab ipso Hercule, perfuncto jam laboribus, sacra didicisse. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *med.* Reminiscere, illam omnibus bonis prope perfunctam esse, *h. e.* omnia bona percepisse, habuisse. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Ut mihi tam multa pro se perpesso atque perfuncto concederet, ut, etc. Sic *ib.* 5, 12. Ceteris nulla perfunctis propria molestia, casus autem alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est jucunda. *Lucr.* 3, 982. Quae tamen omnia te vita perfuncta sequentur, *h. e.* cum vitam, seu durationem peregerint. *Gell.* 10, 18. Perfunctus fato. *Varr. R. R.* 2, 4. Sues perfunctas esse a febri, et a foria, *h. e.* a febri, qua laboraverint, liberatas esse. Alii *omitt.* a. *Appul. Met.* 3. Perfunctus coena, *h. e.* qui coenavit. Sic *Ov. A. Am.* 2, 227. Nocte domum repetens epulis perfuncta redibit. ℙ Cum accusat. *Appul. Met.* 8. Timorem illum satis inanem perfuncti. V. PERFUNGOR. ℙ Absolute. *Cic. Cluent.* 41. *med.* Judices, quod se perfunctos jam esse arbitrantur, cum de reo judicarunt, negligentius attendunt cetera; et *Dom.* 17. Equidem jam perfunctus sum, explevi animos invidorum. ℙ Passive. *Cic. Sext.* 4. *med.* Recito memoriam perfuncti periculi, praedicationem amplissimi beneficii, etc.

PERFUNDO, is, ūdi, usum, a. 3. *διυγραίνω*, per omnes partes humore conspergo, madefacio, respergo. *Virg. G.* 3, 445. Dulcibus idcirco fluviis pecus omne magistri Perfundunt. *Varr. R. R.* 1, 13. Cohors habeat lacum: boves enim ex agro reducti hic bibunt, hic perfunduntur. *Hor. Sat.* 2, 4, 50. pisces perfundere olivo. *Id. Epod.* 13, 9. Perfundi nardo. *Cels.* 6, 6. *n.* 7. Debet per caput prius calida, tum egelida perfundi. *Ov. Her.* 11, 115. Perfundere aliquem lacrimis. *Stat. Th.* 2, 143. illos post verbera fessos Exceptamque hiemem cornu perfuderat omni Somnus. ℙ Ipse etiam liquor perfundere dicitur. *Virg. A.* 7, 459. ossaque et artus Perfudit toto proruptus corpore sudor. *Plin.* 3, 5, 6. Tot amnium fontiumque ubertas totam Italiam perfundens. ℙ Flumina perfundere locum aliquem dicuntur, quem alluunt. *Plin.* 5, 29, 29. Trallis alluitur Audone amne, perfunditur Thebaide; et 4, 12, 23. Insula perfunditur amne Ilisso. ℙ Pro defundere, effundere. *Colum.* 12, 24. *f.* Sextarios musti in id vas perfundere, et rutabulo peragitare. ℙ *Perfundere alicui oculum*, excutere. *Ulp. Dig.* 9, 2, 5. *f.* Sutor puero forma calcei cervicem ita percussit, ut oculus perfunderetur. Ita *Torrent.* et *Haloand.* Est qui leg. *profunderetur.* ℙ Pro obducere, contegere. *Sen. ep.* 115. *med.* Cum auro tecta perfundimus, quid aliud quam mendacio gaudemus? scimus enim, sub illo auro foeda ligna latitare. *Sen. alter Hippol.* 394. temere jactae colla perfundunt comae. *Id. Oed.* 1000. atra nube perfundit caput; et *ib.* 553. Lugubris imos palla perfundit pedes. *Mart.* 7, 33. Dejecto quid, inepte, pedes perfundis amictu? ℙ Et pro impiplere. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Cubiculum hieme tepidissimum, quia plurimo sole perfunditur. *Lucan.* 7, 215. totos perfudit lumine colles; et 546. Quod totos errore vago perfuderat agros, Constitit hic bellum. *Stat. Th.* 2, 208. de Fama: Nec minus Ogygias eadem Dea turbida Thebas Insilit, et totis perfundit moenia pennis, i. e. spargit rumores tota urbe. ℙ Saepe refertur ad animum pro imbuere, replere. *Cic. Tusc.* 4, 9. Qualis est haec voluptas aurium, tales sunt oculorum, et tactionum, et odorationum, et saporum: quae sunt omnes unius generis, ad perfundendum animum tanquam illiquefactae voluptates. *Id. Fin.* 2, 3. Voluptas, quam sensus accipiens movetur, et jucunditate quadam perfunditur. *Liv.* 10, 38. Erat apparatus sacri, qui perfundere religione animum posset. *Cic. Att.* 8, 6. Dii immortales, qui me horror perfudit! quam sum sollicitus, quidnam futurum sit! *Petr. Sat.* 132. Secreto rubore perfundi. *Liv.* 30, 16. gaudio; et 2, 63. timore. *Cic. Fin.* 5, 24. laetitia. *Catull.* 64, 330. mentem amore. ℙ *Perfundi studiis*, leviter imbui. *Sen. ep.* 36. Perseveret perbibere liberalia studia, non illa, quibus perfundi satis est, sed haec, quibus tingendus est animus; et *ep.* 110. *med.* Si quis hanc humanorum divinorumque notitiam acceperit: si illa se non perfuderit, sed infecerit. Translatio hic est ab iis, quae aqua perfunduntur, quae licet probe madefiant, siccari brevi possunt: contra quae inficiuntur colore aliquo, ut lana, elui amplius fere nequeunt. ℙ *Perfundere aliquem judicio*, judicii vexationem, ceu aquam, offundere, in jus vocare, et afficere molestia sistendi se ante judicem, parandae defensionis, et causae dicendae. *Cic. Rosc. Am.* 29. Mihi videris, Eruci, una mercede duas res assequi velle, nos judicio perfundere, accusare autem eos ipsos, a quibus mercedem accepisti. Eadem ratione *aspergere alicui molestiam* dixit *Cic. Q. Fr.* 2, 10. [*V. *Matth.* cui *Facciolati* explicatio maxime probatur, qui *perfundere* accipit pro speciem aliquam judicii offundere, revera autem adversarios accusare. ℙ *Perfundere* est etiam horrore *percellere. Tac. Agr.* 45. Nos Maurici Rusticique visus, nos innocenti sanguine Senecio perfudit: ubi v. *Walch.* qui contra *Ernest.* eumque secutum *Böttich.* in *Lex. Tac. prol.* p. 79. recte abesse ab hoc loco zeugma, quod dicunt, contendere videtur.] ℙ *Perfundere membra turbam pilarum* pro *fundere turbam pilarum per membra* dixit de pilario *Manil.* 5, 168. Ille potens turbam perfundere membra pilarum. ℙ [*Confund. *perfundere* et *profundere.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 159.]

PERFUNGOR, eris, unctus sum, dep. 3. *ἐπιτελέω*, fungor, obeo, ago: vel plene, et usque ad finem fungor. Differt a *defungor*, quia *defungimur* fere in malis, molestis, gravibus rebus, *perfungimur* saepius in bonis. [*Hoc discrimen nihili esse, exempla, quae Noster laud., satis docent.] *Cic. Sen.* 21. Dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis, et gravi opere perfungimur. *Id. Fam.* 1, 8. Cum et honoribus amplissimis, et laboribus maximis perfuncti essemus. *Id. Mur.* 2. Ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediuntur; et *Marcell.* 10. Perfuncta respublica est hoc misero fatalique bello, *h. e.* subiit, tulit, sensitque et evasit denique. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 11. Dignitate perfuncturus es. V. alia in PERFUNCTUS. ℙ [Cum accus. *Front. ad Verum imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 7. Ceterum parsimonia et officiis, et frugalitate onera quaestoria, aedilicia, et praetoria perfunctus est. *F.*]

PERFŪRO, is, n. 3. valde furo. *Virg. A.* 9, 343. incensus et ipse Perfurit. *Lucr.* 1, 275. ita perfurit acri Cum fremitu, saevitque minaci murmure pontus. *Sil.* 4, 243. Perfurit Ausonius turbata per aequora ductor. *Stat. Theb.* 4, 388. Eoasque domos flagrante triumpho Perfuris, *h. e.* furis per domos.

PERFŪSĒ, adv. profuse, abunde, affluenter. *Sisenn.* ap. *Non.* 11, 61. Perfuse atque abunde sparsa vasa, magnum pondus auri argentique. *Lips.* leg. *profuse.*

PERFŪSĬO, onis, f. actus perfundendi, et madefaciendi. *Cels.* 4, 8. *f.* Perfusio corporis multa prodest ex aqua calida. *Plin.* 18, 7, 14. Italia hordeum sine perfusione tostum in subtilem farinam molit. *Id.* 23, 9, 82. Myrtidano utuntur ad capillorum nigritiam, malarum perfusiones, purgationes lentiginum, *h. e.* tingendis fucandisque malis.

*PERFŪSOR, oris, m. *προοχύτης Gloss. Gr. Lat. B. A*

PERFŪSORĬĒ, adv. vago et ambiguo sermone, non clare, nec disertis verbis, non expresse, quasi

perfundendo sermonem obscuritate et tenebris. *Ulp. Dig.* 43, 24, 5. *in.* Si quis se denunciaverit opus facturum, non semper non videtur clam fecisse, si post denunciationem fecerit: debebit enim et diem, et horam denunciatione complecti, et ubi, et quod opus facturus sit: neque quidem perfusorie, aut obscure dicere, aut denunciare. *Scaev. ib.* 21, 2, 69. *med.* Si quis in venditione statuliberum perfusorie dixerit, conditionem autem libertatis celaverit, etc. et *paulo post:* Sic et qui fundum tradiderit, et cum sciat, certam servitutem deberi, perfusorie dixerit: itinera, actus, quibus sunt, ut ita sint.

PERFŪSORIUS, a, um, adj. leviter perfundens, nec intus penetrans. *Sen. ep.* 23. Haec, quibus delectatur vulgus, tenuem habent, et perfusoriam voluptatem: hoc de quo loquor, solidum est, et quod plus pateat introrsus. ℙ *Perfusoria assertio* dicitur subdola vindicatio alicujus servi in libertatem, qua nempe per calumniam litis justus dominus in periculum servi amittendi adducitur: etenim quandoque servus aliquis se liberum esse asserebat, et vindicias secundum libertatem a recuperatoribus sive a judicibus postulabat. V. ASSERTIO et VINDICIAE. *Suet. Dom.* 8. Recuperatores, ne se perfusoriis assertionibus accommodarent, identidem admonuit. Est qui perperam leg. *persuasoriis.* V. PERFUNDO et v. praec. [*Cf. *excurs. Ernest.* ad h. l.]

PERFŪSUS, a, um, part. a *perfundo*, ἐπιβρεχής, aspersus, madefactus, madens. *Auct. ad Her.* 4, 9. *extr.* Coepit postquam perfusus est, defricari. *Virg. A.* 5, 135. oleo perfusa juventus. *Suet. Aug.* 77. Panis perfusus aqua frigida. *Petr. Sat.* 126. Perfusus pulvere mulio. *Hor. Od.* 1, 5, 2. Perfusus liquidis odoribus. *Ov. Fast.* 5, 407. lacrimis. *Virg. A.* 12, 611. Canitiem immundo perfusam pulvere turpans. *Id. G.* 1, 78. Lethaeo perfusa papavera somno. *Lucr.* 2, 416. scena perfusa croco. ℙ Translate. *Virg. A.* 5, 112. ostro perfusae vestes, *h. e.* contectae, ornatae, intextae. *Arnob.* 3, 108. Dii fluidarum vestium superjectione perfusi, *h. e.* contecti, vestiti. *Nemes. Ecl.* 3, 20. Bacchus odorato perfusus colla capillo. *Ov. Fast.* 1, 303. perfusaque gloria fuco. *Lucr.* 4, 922. cor perfusum frigore leti; et 80. haec intus perfusa lepore; et 2, 820. omnigenis perfusa coloribus. *Petr. Sat.* 128. Rubore manifesto perfusus. *Cic. Fin.* 2, 34. *med.* Sensus dulcedine omni quasi perfusi. ℙ Refertur ad animum. *Liv.* 2, 63. Perfusi vano timore Romani; et 9, 16. *f.* Perfusus ultimi supplicii metu; et 30, 16. Perfusus gaudio. *Stat. Theb.* 3, 228. Mars perfusus pectora belli Tempestate, *h. e.* furore bellico plenus. *Appul. Met.* 10. Bilis furore perfusus. ℙ De ipsis liquoribus. *Prop.* 2, 3, 5. Nequidquam perfusa meis unguenta capillis. V. PERFUNDO.

PERGAEUS, a, um, adj. Περγαῖος, ad Pergam pertinens, quod est oppidum Pamphyliae, cujus meminit *Plin.* 5, 27, 26., in quo Diana colebatur. Hinc in nummo Nervae ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 8. p. 410. Diana Pergensis. *Mela* 1, 14. Diana, quam ab oppido Pergaeam vocant. ℙ Ap. *Vitr.* 1, 1. *f.* est *Pergeus*, Apollonius Pergeus, *h. e.* Περγαῖος.

PERGĂMĒNUS, a, um, adj. ad Pergamum pertinens, urbem Troadis, ut Pergamena civitas, *Cic. Fl.* 30. *extr.* Pergamenus ager, *Liv.* 37, 21. rex, *Flor.* 3, 12. Pergamenae naves, *Nep. A.* 11. V. v. sq. ℙ *Pergamena, ae*, absolute, est genus chartae ex membranis bestiarum, praesertim ovium, a Pergamo urbe, ubi inventum est ab Eumene rege, cum Ptolomaeus rex Aegypti, orta circa bibliothecas aemulatione, chartas supprimeret, ut *Plin.* 10, 11, 21. ex *Varr.* narrat, *Hieron. ep.* 7. *n.* 2. Chartam defuisse non puto, Aegypto ministrante commercia. Et si alicubi Ptolomaeus maria clausisset, tamen rex Attalus *(Eumenes patruelis et successor)* membranas a Pergamo miserat, ut penuria chartae pellibus pensaretur. Unde et pergamenarum nomen ad hunc usque diem, tradente sibi invicem posteritate, servatum est. V. MEMBRANARIUS. ℙ Item *Pergamena, ae*, est regio circa Pergamum. *Plin.* 5, 30, 33. Longe clarissimum Asiae Pergamum: Pergamena vocatur ejus tractus jurisdictio. ℙ *Pergameni, orum*, sunt ejus urbis incolae, ap. *Cic.* et *Nep. l.* in §. 1. *c.*

PERGĂMĒUS, a, um, adj. idem ac Pergamenus, ut Pergameus Deus, *h. e.* Aesculapius, qui Pergami urbe Troadis praecipue colebatur: ibi enim medicinam exercuisse, et officinam habuisse dicitur, ut ap. *Lucian.* in Ἰκαρομενίππῳ *c.* 24. legitur. *Mart.* 9, 17. Pergameo posuit dona sacrata Deo. Hinc *Inscr.* ap. *De-Vita Antiq. Benev. cl.* 1. *n.* 30. Aesculapio Pergameno sacrum, etc. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 3. *ep.* 9. Jam primum Pergami arcem ascendo, et Aesculapio supplico, ut valetudinem magistri mei bene temperet, vehementerque tueatur. V. PERGAMUM. ℙ *Pergameus* item ad Pergamum, seu Pergama pertinens, Trojae arcem, Trojanus. V. PERGAMUS. *Virg. A.* 5, 744. Pergameumque Larem, et canae penetralia Vestae; et *ib.* 3, 110. Pergameae arces; et 476. bis Pergameis erepte ruinis; et *ib.* 6, 63. Pergamea gens. *Prop.* 4, 1, 51. vates, *h. e.* Cassandra filia Priami Trojae regis. ℙ Item Romanus a Troja oriundus. *Sil.* 1, 47. Sanguine Pergameo Trebia, et stipantibus armis, Corporibusque virum retro fluat. [*Multa addidit *F.*]

[PERGĂMĪNA, ae, f. idem ac pergamena. *Not. Tir.* p. 124. Pagina, paginula, pergamina. V. PERGAMENUS. *F.*]

*PERGĂMIS, idis, Epiri opp. *Varr. R. R.* 2, 2. Quid Pastores a Pergamide Maleolove potis sint? *B. A.*

PERGĂMUM, i, n. Πέργαμον, urbs Troadis, seu Mysiae mediterranea, ad Caicum fluvium, olim sedes regum Attalicorum. Nam πέργαμον vocant Iones quidquid in edito loco situm est, a Celtica voce *berg*, mons (V. BERGIMUS.). Fuit ita dicta, quod sita sit in rupe excelsa (v. v. sq.). Ibi primum charta illa inventa est, quae inde *pergamena* vocatur. V. PERGAMENUS. Ejus urbis meminit *Plin.* 5, 30, 33. et 13, 11, 21. ℙ Fuit etiam Pergamum urbs in Creta. *Id.* 4, 12, 23.

PERGĂMUS et Pergamos, i, f. Πέργαμος, ἡ, et Pergamum, i, n. et frequentius in plur. Pergama, orum, n. τὰ Πέργαμα, arx Ilii, seu Trojae: ita dicta, quod excelso loco sita erat, quia loca editiora πέργαμα dixere. Ponitur saepe pro ipsa Troja. *Sen. Troad.* 14. Excisa est ferro Pergamus. Alii leg. *Pergamum* (Sic ap. *Ov. Met.* 14, 466. postquam alta cremata est Ilion. V. PELION.) *Sever. Aetn.* 18. Quis non Argolico deflevit Pergamon igni Impositam? Alii leg. *impositum. Sen. Ag.* 421. Pergamum omne Dorica cecidit face. *Virg. A.* 2, 177. Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis. *Ov. Met.* 12, 591. Hector circum sua Pergama tractus. ℙ *Lavinia Pergama* fuit appellata urbs Lavinium, quasi altera Troja. *Sil.* 13, 64. Jam Phryx condebat Lavinia Pergama victor, *h. e.* Aeneas victor Turni.

PERGAUDĔO, es, n. 2. vehementer gaudeo. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. Trebonium meum a te amari, teque ab illo pergaudeo.

[PERGĔNĪTUS, a, um, adj. idem fere ac genitus. *Pelag. Vet.* 11. *med.* Flemina in geniculis pergenita. *F.*]

[PERGENSIS, e, adj. idem ac Pergaeus, q. v. V. *F.*]

PERGĒUS, a, um. V. PERGAEUS.

PERGIGNO. V. PROGIGNO.

PERGLISCO, is, n. 3. *Colum.* 8, 7. *f.* Gallina prima luna saginari coepta, vigesima pergliscit.

PERGNĀRUS, a, um, adj. valde gnarus. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 18, 14. Ii locorum pergnari, et soliti nectere ex viminibus vasa agrestia. Alii leg. *perignari. Appul. Apol.* Magia ars colendi Deos, ac venerandi pergnara.

PERGO, is, perrexi, perrectum, n. 3. πορεύομαι, recta eo, vado, tendo, contendo: a *per*, et *rego. Cic. Div.* 2, 54. Eadem, qua ceteri, fugere noluit: quibus quaerentibus, cur non eadem via pergeret, deterreri se a Deo dixit. *Id. Planc.* 41. Cum tum abessent aliquot dierum viam, in Macedoniam, ad Planciumque perrexi. *Sall. Jug.* 45. Priusquam domum pergerent; et *ib.* 77. Modo advorsum hostes, modo in solitudines pergere. *Ter. Hec.* 3, 4, 36. Horsum pergunt. *Id. Eun.* 2, 1, 22. Quis hic est, qui huc pergit? *Sen. Med.* 974. Perge tu mecum comes. *Id. Thyest.* 490. Perge non dubio gradu. *Caes. B. G.* 3, 18. *extr.* Laeti, velut explorata victoria, ad castra pergunt. *Sil.* 7, 171. ad litora pergens. *Sall. Jug.* 51. Non longe ab eo itinere, quo Metellus pergebat. *Lucr.* 6, 323. Et celeri ferme pergunt sic fulmina lapsu. *Auct. ad Her.* 4, 51. Frater venit ex Salerno: ego illi obviam pergam. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 43. Pergamus ergo ad reliqua, et institutum ordinem persequamur; et *Tusc.* 5, 5. *med.* Ut ad eas *(virtutes)* cursim perrectura beata vita videatur. ℙ Passive impersonaliter. *Caecil.* ap. *Non.* 11, 27. Ad plebem pergitur: publicitus defendendum est. *Macr. Sat.* 7, 16. *med.* Non potest ad similitudinem pergi rei, quae necdum est. ℙ Cum infinito. *Cic. Acad.* 1, 1. Nullam moram interponendam putavimus, quin videremus hominem: itaque confestim ad eum ire perreximus, *h. e.* ire contendimus. *Id. Part.* 8. Perge igitur ordine quatuor mihi istas partes explicare, *h. e.* aggredere, explicare. ℙ Hac ratione significat iter, vel aliud quippiam coeptum continuare, prosequi, perseverare. *Cic. Or.* 2, 71. *med.* Censeo, ut satis diu te putes requiesse, et iter reliquum conficere pergas. *Id. Att.* 11, 7. *med.* Haec tu perge, ut facis, mitigare, et probari quamplurimis. *Id. Caecin.* 21. Perge porro hoc idem interdictum sequi. *Sen. Hippol.* 882. Silere pergit. *Liv.* 32, 6. Ad hostem ducere pergit. *Q. Cic. Petit. cons.* 14. Quare etiam atque etiam perge tenere istam viam. *Pl. Ps.* 5, 1, 4. et *Poen.* 1, 3, 24. Pergitin' pergere? et *Auct. ad Her.* 3, 1. Nos proficisci ad instituta pergemus. ℙ *Pergin'* comicum est, et increpantis. *Ter. Eun.* 5, 1, 1. Pergin', scelesta, mecum perplexe loqui? *h. e.* non cessas? *Pl. Amph.* 1, 1, 193. Pergin' argutarier? ℙ Tacito infinito. *Cic. Verr.* 2, 3, 20. Pergam, atque insequar longius, *h. e.* pergam dicere. *Id. Brut.* 74. Sed perge, Pomponi, de Caesare, et redde quae restant, *h. e.* perge narrare. *Liv.* 2, 40. De his videris, quos, si pergis, aut immatura mors, aut longa servitus manet, *h. e.* si ita agere pergis. *Cic. Phil.* 13, 19. Pergit in mea maledicta, quasi vero ei pulcherrime priora processerint, *h. e.* pergit effundi. *Tac. A.* 1, 28. Prospere cessura, quae pergerent, si, etc., *h. e.* quae aggrederentur. *Virg. Ecl.* 6, 13. Pergite, Pierides. *h. e.* agite: vox hortantis. ℙ *Pergere iter*, itidem ellipsis est, pro iter ire, vel facere, pergere. *Hirt. B. Afr.* 69. Cum Caesar iter coeptum pergere coepisset. *Sall. Jug.* 81. Duo fratres maturavere iter pergere. *Ter. Hec.* 1, 2, 119. Pergam, quo coepi, hoc iter. ℙ *Porgo*, antique. V. s. l.

PERGRĂCĬLIS, e, adj. valde gracilis. *Plin.* 25, 13, 101. Longiore caule, sed pergracili.

PERGRAECOR, aris, dep. 1. ἑλληνίζω, est Graecorum more intemperantius bibere, epulis et potationibus inservire. *Pl. Most.* 1, 1, 21. Dies, noctesque bibite, pergraecamini. *Titin.* ap. *Fest.* Nunc ruri pergraecatur.

PERGRANDESCO, is, n. 3. grandis fio. *Accius* ap. *Non.* 2, 358. Fruges prohibet pergrandescere.

PERGRANDIS, e, adj. valde grandis. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Vas vinarium ex una gemma pergrandi. *Liv.* 29, 29. Regnum ad fratrem regis pergrandem natu pervenit. *Pl. Pers.* 4, 3, 23. Pergraude lucrum facere.

PERGRAPHĪCUS, a, um, adj. idem ac graphicus, idest ad unguem factus, absolutus, quasi pictoris manu expolitus. *Pl. Trin.* 5, 2, 15. Nimis pergraphicus sycophanta.

PERGRATUS, a, um, adj. valde gratus. *Cic. Amic.* 4. *f.* Pergratum mihi feceris, si, etc. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 6. Litterae tuae pergratae fuerunt; et *ib.* 4. Id mihi pergratum, perque jucundum erit. ℙ Elegans est tmesis in illo *Att.* 1, 20. *f.* Per mihi, per, inquam, gratum feceris. V. PER.

PERGRĂVIS, e, adj. valde gravis. *Cic. Sext.* 50. Hujus oratio et pergravis, et grata concioni fuit. *Id. Coel.* 26. Testes pergraves. *Ter. Hec.* 3, 1, 12. Levia sunt haec, quae tu pergravia esse in animum induxti tuum.

PERGRĂVĬTER, adv. admodum graviter. *Cic. Att.* 1, 10. Pergraviter illum esse offensum. *Id. Or.* 1, 53. reprehendere aliquem.

PERGŪLA, ae, f. προβολή, pars domus exporrecta et propendens, seu locus apertus, extra parietem porrectus, et modo tectus, modo sub dio positus: a *pergo*, ut *regula* a *rego*, quia extra parietem pergit, seu porrigitur. *Plin.* 21, 3, 6. L. Fulvius argentarius cum corona rosacea interdiu e pergula sua in forum prospexisse dictus, ex auctoritate senatus in carcerem abductus est. ℙ Pictores in pergulis sua opera proponebant. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 12. de Apelle: Perfecta opera proponebat pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia, quae notarentur, auscultabat. *Lucil.* ap. *Lact.* 1, 22. Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta. ℙ Res quoque venales ibi proponebantur. *Ulp. Dig.* 5, 1, 19. *med.* Tabernulam, pergulam, horreum, armarium, seu officinam conducens. ℙ In pergulis mathematici artem suam profitebantur, praeceptores erudiebant discipulos. *Suet. Aug.* 94. *f.* Theogenis mathematici pergulam, comite Agrippa, ascenderat. *Id. Gr.* 18. Initio circa scenam versatus est, deinde in pergula docuit. *Vopisc. Sat.* 10. *extr.* Romae frequentaverat pergulas magistrales. *Juven.* 11, 137. Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis Pergula, *h. e.* omnes, qui structoriam artem docent in pergula, aut discunt. ℙ Ponitur et pro coenaculo, vel casa, tugurio. *Petr. fragm. Trag.* 74. *Burm.* Hic, qui in pergula natus est, aedes non somniat, *h. e.* qui pauper est. *Auson. ep.* 4, 6. Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis. ℙ Et pro cella meretricum, ubi prostabant. *Pl. Ps.* 1, 2, 78. Si mihi non jam huc culleis oleum deportatur, te ipsam culleo ego cras faciam deportare in pergulam; et 92. Cras, Phoenicium, phoenicio corio invises pergulam. ℙ In vineis est ramorum porrecta dispositio in modum pergulae. *Colum.* 4, 21. Illa enim pergulae magis, quam vineae figuram obtinet, quae supra hunc modum *(h. e. supra octo palmites)* materiis distenditur. *Id.* 11, 2. *med.* Si quae pergulae vitium generosarum a putatoribus relictae sunt, utique deputari debent. *Plin.* 14, 1, 3. Una vitis Romae in Liviae porticibus, subdiales inambulationes umbrosis pergulis opacat.

PERGŪLĀNA, ae, f. genus est vitis, quam nuper sibi cognitam esse ait *Colum.* 3, 2. *med.*, ita fortasse dicta, quod in modum pergulae ejus palmites disponebantur.

*PERGUS, i, m. lacus Siciliae apud Ennam urbem, ubi Proserpina a Plutone rapta dicitur. *Ov. Met.* 5, 386. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 112. *E. A.*

PERHAURĬO, is, ausi, stum, a. 4. exhaurio. *Tert. ad Nat.* 1, 15. *extr.* Infantem totum praecoquum perhauritis. *Appul. Met.* 10. Calicem uno haustu perhausi. [*Pl. Mil.* 1, 1, 34. Auribus perhaurienda sunt. V. PERAUDIENDUS. *F.*]

PERHAUSTUS, a, um, part. a *perhaurio*, exhaustus. *Sever. Aetn.* 420. mille perhaustis Ignibus instaurat vires.

PERHĪBĒO, es, bui, bitum, a. 2. exhibeo, praebeo: a *per*, et *habeo*. *Cato* ap. *Gell.* 3, 7. Saepe post illa operam reipublicae fortem atque strenuam perhibuit. *Pl. Ps.* 1, 2, 49. Cur ego vestem, aurum, atque ea, quibus est vobis usui, perhibeo? Alii leg. *praehibeo*. *Id. Merc.* 3, 1, 46. Oravit, ut apud me perhiberem sibi locum. *Plin.* 7, 25, 26. Idem magnanimitatis perhibuit exemplum, cui comparari non possit aliud. Alii leg. *praehibuit*. ℙ Item tribuere. *Plin.* 29, 6, 39. Magnam auctoritatem huic animali perhibet Nigidius, majorem magi. *Id.* 31, 7, 39. Cui jampridem palma a plerisque medicis inter omnia salis genera perhibetur. *Id.* 25, 8, 55. Morsibus imponitur vettonica praecipue, cui tanta vis perhibetur, ut, etc. *Id.* 18, 11, 26. Cum ponderosissimo cuique tritico praecipua salubritas perhibita sit. ℙ *Perhibere alicui gratias* est gratias habere alicui pro aliqua re. *Appul. Met.* 6. Si me domum pervexeris incolumem, quas tibi gratias perhibebo? quos honores habebo? ℙ *Perhibere honorem* est habere. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 3. Virgilio quoque confesso, quam sit difficile verborum honorem tam parvis perhibere; et 29, 1, 9. Ordiemur autem a confessis, hoc est lanis ovisque, ut obiter rebus praecipuis honos in primis perhibeatur. ℙ *Perhibere se*, offerre se. *Quint.* 1, 1. A Graeco sermone puerum incipere malo, quia Latinus, qui pluribus in usu est, vel nobis nolentibus se perhibet. Alii leg. *praebet*. ℙ *Perhibere aliquem*, offerre, exhibere, sistere. *Cic. Att.* 1, 1. *med.* In causa hominum amplissimorum, qui sine eo, quem Caecilius suo nomine perhiberet, facile causam communem sustinerent. ℙ *Perhibere testimonium*, dare, ferre. *Varr. R. R.* 2, 5. Veni mi advocatus, dum asses solvo Palilibus, si postea a me repetant: ut testimonium perhibere possis. Adde *Plin.* 7, 30, 31. et *ib.* 38, 39. et *Colum.* 3, 9. *med.* ℙ *Perhibere verba*, habere, adhibere. *Pl. As.* 1, 3, 36. Si ecastor nunc habeas, quod des, alia verba perhibeas, i. e. aliud diceres. *Id. Rud.* 1, 2, 50. Ut verba perhibes, me periisse praedicas. Alii leg. *praehibes*. ℙ Hinc saepissime absolute ponitur pro dicere, affirmare, praedicare, καταφημι. *Pl. Cist.* 1, 1, 68. Quod neque ego habeo, neque quisquam, ut perhibent viri. *Cic. Lig.* 8. Prohibiti estis in provincia vestra pedem ponere, et prohibiti, ut perhibetis, summa cum injuria. *Id. Div.* 2, 5. Est quidam Graecus vulgaris in hanc sententiam versus: Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum. *Virg. G.* 4, 323. Si modo, quem perhibes, pater est Thymbraeus Apollo; et 507. Septem illum totos perhibent ex ordine menses Flevisse; et *ib.* 1, 247. Illic, ut perhibent, aut intempesta silet nox, etc. *Id. A.* 8, 135. ut Graji perhibent. *Catull.* 64, 76. Nam perhibent, olim crudeli peste coactam Androgeoneae poenas exsolvere caedis, *h. e.* exsolvisse. ℙ Passive. *Cic. Tusc.* 1, 12. *f* Tyndaridae fratres, qui non modo adjutores in proeliis, sed etiam nunquam fuisse perhibentur. *Ter. Ad.* 3, 5, 58. Vos aequo animo aequa noscere oportet, si vos vultis perhiberi probos. *Pl. fragm.* ap. *Gell.* 7, 7. Sane ego me volo fortem perhiberier virum; et *Trin.* 3, 2, 66. Quis me improbior perhibeatur esse. *Id. Stich.* 1, 1, 25. Montes, qui esse aurei perhibentur. *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* Nec minus est Spartiates Agesilaus ille perhibendus, *h. e.* dicendus, commemorandus.

PERHĪBĪTUS. V. v. praec.

PERHIĒMO, as, n. 1. hiemo, hiemem totam transigo. *Colum.* 11, 3. Sub initium sulcos vacuos perhiemare patiemur.

PERHĪLUM, adv. perpaulum. *Lucr.* 6, 574. Hac igitur ratione vacillant omnia tecta, Summa magis mediis, media imis, ima perhilum.

PERHŌNESTUS, a, um, adj. valde honestus. *Arnob.* 2, 76. Sint licet perhonesti, fuerintque laudabiles.

PERHŌNORĪFĪCĒ, adv. πολυτίμως, valde honorifice. *Cic. Att.* 14, 12. Hic perhonorifice, et amice Octavius, quem quidem sui Caesarem salutabant.

PERHŌNORĪFĪCUS, a, um, adj. πολύτιμος, valde honorificus. *Cic. Att.* 2, 18. Consalutatio forensis perhonorifica. *Id. ib.* 1, 13. Collega et in me perhonorificus, et partium studiosus. *Id. Prov. cons.* 19. Discessus mihi omnino perhonorificus.

PERHORRĒO, es, ui, n. 2. valde horreo, horridus fio. *Ov. Met.* 6, 704. quorum *(ventorum)* jactatibus omnis Afflata est tellus, latumque perhorruit aequor; et *ib.* 13, 876. Tantaque vox, quantam Cyclops iratus habere Debuit, illa fuit: clamore perhorruit Aetne. ℙ [Cum accusativo. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 9. Deinde illi nos horum tela atque aciem perhorrebimus. *F.*]

PERHORRESCO, is, n. 3. valde horreo, horridus fio. *Cic. Div. Verr.* 13. Non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco. ℙ Cum accusativo est valde metuo, pertimesco. *Cic. Verr.* 2, 4, 35. Hanc tu tantam religionem si tum in imperio non pertimescebas, ne nunc quidem in tanto tuo periculo perhorrescis? *Id. Cat.* 4, 6. Fugam virginum atque puerorum, ac vexationem virginum Vestalium perhorresco. *Id. Pis.* 20. Nemo est qui vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique ipsa consulatus vestri perhorrescat. ℙ Pleonasmus est in illo *ejusd. Fin.* 5, 11. Dissolutionem naturae tam valde perhorrescere.

PERHORRĪDUS, a, um, adj. valde horridus. *Liv.* 22, 16. Poenus contra intra Formiana saxa, ac Literni arenas, stagnaque perhorrida situ hibernaturus esset.

PERHOSPĪTĀLIS, e, adj. valde hospitalis. *Cic. Verr.* 2, 4, 2. Hujus domus est vel optima Messanae, notissima quidem certe, et nostris hominibus apertissima, maximeque perhospitalis. Pleraeque optim. editiones habent *hospitalis*.

PERHOSPĪTUS, a, um, adj. perhospitalis. *Tibull.* 4, 1, 141. aut rapidus, Cyri dementia, Gyndes, Ardet Arecteis aut unda perhospita campis. Alii rectius leg. *Gyndes Radit Arecteos haud una per ostia campos*, *h. e.* Gyndes fluvius a Cyro in CCCLX. canaliculos divisus alluit campos Arecteos circa Babylonem. Tantae molitionis causam satis ridiculam affert *Herodot* 1, 189.

PERHŪMĀNĪTER, adv. valde humaniter. *Cic. Fam.* 7, 8. Scripsit ad me Caesar perhumaniter.

PERHŪMĀNUS, a, um, adj. admodum humanus. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Multumque is mecum sermonem habuit, et perhumanum. *Id. Att.* 16, 12. Epistola perhumana.

PĒRIAMBUS, i, m. pes duabus syllabis brevibus constans. *Quint.* 9, 4. *med.* Spondeus constat longis duabus, pyrrhichius, quem alii periambum vocant, brevibus.

*PERIANDER, dri, m. Περίανδρος, Corinthiorum rex, unus e septem sapientibus, apud quem reliquos in convivio fuisse fingit Plutarchus. De eo V. *Gell.* 16, 19. *Auson.* in *ludo septem sapient. f.* et *Hyg. fab.* 221. *B. A.*

[PĒRIBLEPTUS, i, m. περίβλεπτος, conspicuus: a περὶ, circum, et βλέπω, conspicio. Est cogn. libert. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 616, 6. Peribleptus Aug. Lib. Ulpiae Arete conjugi carissimae fecit. *F.*]

PĒRIBOĒTOS, i, m. et f. περιβόητος, celebratus. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 10. Praxiteles fecit et Satyrum, quem Graeci peribocton cognominant.

[PĒRIBOLUM, i, n. περίβολον, septum, ambitus. V. CHALCIDICUS. *F.*]

*PERIBOMĪUS, i, m. homo impudicus, de quo *Juven.* 2, 16. ℙ Nomen hoc fortasse effictum ex Gr. περιβώμιος, *qui circa aram est*, *Archigallus. B. A.*

PĒRĪCARPUM, i, n. περίκαρπον, bulbi genus, cujus duae species: cortice rubro alterum, alterum nigro papaveri simile: sed vis major, quam priori: utrique autem excalfaciendi. Haec *Plin.* 25, 10, 82. Ita porro est appellatum, quia ejus fructus undique cingit et ambit: a περὶ, circum, et καρπὸς, fructus.

[PĒRICHRISTĀRĪON, ii, n. collyrii nomen, ita appellatum, quia oculis illinitur: a περίχριστος, circumlitus. *Marc. Empir.* 8. *med.* Est hujusmodi medicamentum, quod perichristarion vocant Graeci, quo ita uti oportet, ut palpebrae subtiliter inde superlinantur, ne quid intra oculum fluat. *F.*]

[PĒRICHYTĒ, es, f. περιχυτή, circumfusio: a περὶ, circum, et χέω, fundo. Proprie est colluctatio, lucta, qua corpora athletarum circumplicantur. *Imp. Justin. Cod.* 3, 43, 3. Ordinet quinque ludos, monobolon, contomonobolon, Quintanum contacem sine fibula, et perichyten, et hippicen, quibus sine dolo atque callidis machinationibus ludere permittimus. *F.*]

PĒRICLES, is, et i, (ut Ulyssi) m. Περικλῆς, Atheniensis, Anaxagorae discipulus, egregius vir ingenio, ut ait *Gell.* 1, 3. bonisque omnibus disciplinis ornatus, praesertim eloquentiae facultate, qua tonare, cum concionaretur, et fulgere, et permiscere Gracciam dictus est ab Aristophane ap. *Cic. Or.* 9., unde in sua civitate plurimos annos princeps fuit consilii publici. In re quoque bellica laudem habuit, diciturque a *Plin.* 7, 56, 57. *extr.* harpagonum seu manuum inventor exstitisse. Ob tam praeclaras animi dotes Olympius cognomine dictus est, quasi divinus, coelestis, et Jovis filius. *Cic. Or.* 2, 22. *f.* Retinebant illum Pericli succum. *Nep. Alc.* 2. Educatus est in domo Periclis. *Plin.* 22, 17, 20. Verna carus Pericli Atheniensium principi. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 14. Olympium Periclem dignum cognomine. *Quint.* 12, 10. *med.* Quid Periclea? τὸν Περικλέα. *Cic. Off.* 1, 40. O puerum pulcrum, Pericle! ὦ Περικλῆ. De eo V. etiam *Val. Max.* 5, 10. *n.* 1. *extr.* et 8, 9. *n.* 2. *extr.* et *Just.* 3, 6. et 7. Totam ejus vitam scripsit *Plutarchus*.

PĒRICLĪTĀBUNDUS, a, um, adj. periclitans, experiens, tentabundus. *Appul. Met.* 3. Jam sui periclitabunda, paulatim terra resultat, mox in altum sublimata totis alis evolat; et *ib.* 5. Depromit unam de pharetra sagittam, et puncto pollicis extremam aciem periclitabunda, etc. et *Apol.* Voluntatem meam periclitabundus.

PĒRICLĪTANS, antis, part. a *periclitor:* qui periclitatur, et est in discrimine. *Petr. Sat.* 96. Periclitanti succurrere; et 110. ¦Periclitantium advocatus.

PĒRICLĪTĀTĬO, onis. f. κινδύνευμα, experimentum, usus. *Cic. N. D.* 2, 64. Quarum utilitatem longinqui temporis usu et periclitatione percipimus.

PĒRICLĪTĀTUS, a, um, part. a *periclitor:* qui periculum fecit. *Hirt. B. Alex.* 13. In portu periclitati remigio, quid quaeque earum (*navium*) efficere posset, etc. ℙ Cum infinito. *Plin.* 7, 44, 45. Periclitatus Metellus Macedonicus funus tantum ac tale perdere. ℙ Passive. *Cic. Amic.* 17. Aliqua parte periclitatis moribus amicorum.

PĒRICLĪTOR, aris, atus sum, dep. 1. periculum facio, experior, tento, κινδυνεύω. *Cic. Verr.* 2, 5, 50. Homines in proeliis belli fortunam tentare ac periclitari solent. *Id. Quint.* 31. Omnia circumspexit Quintius, omnia periclitatus est. *Pl. Amph.* 3, 2, 33. Periclitatus animum sum tuum, quid faceres, et quo pacto, etc. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 18. Periclitari volui, si possem Lepidum tueri. *Caes. B. G.* 2, 8. Quotidie equestribus proeliis, quid hostis virtute posset, et quid nostri auderent, periclitabatur. *Sisenn.* ap. *Non.* 4, 351. Periclitantur tormenta ac tela, multaque genera machinamentorum. *Id. ib.* 165. Funes expediunt, claustra foribus imposita periclitantur. *Solin.* 19. Periclitari fidem alicujus, *h. e.* experiri, an verum dicat. ℙ Passive. *Liv.* 1, 42. Tullius haud dubius rex, seu patrum, seu plebis animus periclitaretur, *h. e.* tentaretur. Ita in edit. anni 1470. 1482. et *Aldi* 1518. et *quibusd. MSS.* Alii leg. *animos*. *Cic. Div.* 2, 46. *f.* In periclitandis experiundisque pueris. *Id. Or.* 1, 34. Subeundus usus omnium, et periclitandae vires ingenii. *Gell.* 13, 8. Exerceri in rebus cominus noscendis periclitandisque. ℙ Est etiam discrimen subire, in periculo versari. *Tac. G.* 40. Plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed proeliis, et periclitando tuti sunt. *Caes. B. G.* 6, 33. Ut potius in silvis Gallorum vita, quam legionariorum periclitaretur. *Aug.* ap. *Suet. Aug.* 21. *f.* Ne de summa imperii populus R. periclitetur. [*Al. omittunt *de*. V. *Oudend.* ad h. l., *Gronov.* et *Drakenb.* ad *Liv.* 38, 25, 7.] *Mart.* 6, 26. Periclitari capite, *h. e.* reum esse capitis. *Quint. decl.* 3, 1. vita; et 7, 2. causa; et *Liv.* 40, 15. *med.* fama ingenii. *Cels.* 5, 26. *n.* 24. Quod nimis adstrictum est, cancro periclitatur; et *Just.* 37, 3. *f.* veneno; et *Plin.* 20, 15, 59. paralysi; et 30, 13, 39. Ulcera, quae vermibus periclitantur; et 17, 24, 37. *n.* 1. Nec infirmissimae arbores gelu periclitantur, sed maximae; et 32, 5, 19. Pavore potus periclitantes ex canis rabiosi morsibus: ὑδροφόβοι: laborantes hydrophobia. *Liv.* 38, 25. Ut tererent tempus, donec res suas, cum quibus periclitari nolebant, trans flumen trajicerent. Alii omitt. *cum*. ℙ Cum gen. *Appul. Met.* 8. Hic ego me potissimum capitis periclitatum memini. ℙ Cum infinito. *Petr. Sat.* 140. Periclitabatur totam paene tragoediam evertere. *Plin.* 26, 11, 69. Omnia, quae periclitantur secari, argemonia discutit. *Quint.* 12, 3. *med.* Ima vox vim non habet, summa rumpi periclitatur. Adde *Plin. Pan.* 84. et *Tryphon. Dig.* 42, 1, 50. ℙ Translate. *Quint.* 11, 1. In juvenibus etiam uberiora paulo, et paene periclitantia feruntur; et 7, 3. Optima est illa media via, qua utitur Cicero pro Caecina, ut res proponatur, verba non periclitentur, *h. e.* non incidant in periculum prodendi causam. ℙ [*Etiam passive sensu subeundi discriminis ponitur. *Cic. Cat.* 1, 5. Non est saepius in uno homine salus summa periclitanda reipublicae: quem locum Noster perperam iis adscripserat, in quibus tentandi notionem habet.]

PĒRICLYMĒNOS et Periclymenus, i, m. περικλύμενος, herba fruticans, ex intervallo duo folia habens subcandida, mollia, in cacumine autem semen inter folia durum, et quod difficile vellatur. Nascitur in arvis, ac sepibus, convolvens se adminiculis quibuscumque. *Plin.* 27, 12, 94. Haec eadem *clymenus* etiam dicitur, q. v. V. ℙ Fuit hoc nomine Nelei filius, frater Nestoris, unus ex Argonautis, cui ab avo Neptuno datum fuerat, ut in omnes se, quascumque vellet, formas verteret. Hic cum adversus Herculem se in aquilam transformasset, ab eo sagitta detractus est. *Ov. Met.* 12, 556. et sqq., *Sen. Med.* 635. et *Val. Fl.* 1, 388.

PĒRĪCOPĒ, es, f. περικοπή, resegmen: a περὶ, circum, et κόπτω, caedo. Translate. *Hieron.* in *Joel.* 2. Junctam, et cohaerentem sibi pericopen dividere nolui, *h. e.* S. Scripturae partem, seu ῥῆσιν.

PĒRĪCŪLĀTUS sum, *Cato* ait in ea oratione, quam scripsit ad lites censorias. *Festus.* Est ab inusit. *periculor.*

PĒRĪCŪLOSĒ, adv. ἐπικινδύνως, cum periculo. *Sall. Jug.* 8. Periculose a paucis emitur, quod multorum est. *Cic. Att.* 8, 2. Periculose aegrotans. *Id. Phil.* 7, 3. Periculose dico: quemadmodum accepturi, P. C., sitis horreo. *Hirt. B. Alex.* 64. Nihilo periculosius se navigaturum credens. *Sen. Ira* 3, 22. Quod homines et periculosissime et libentissime faciunt, de rege suo male existimant.

PĒRĪCŪLOSUS, a, um, adj. κινδυνώδης, cum

periculo conjunctus, periculis plenus, anceps, praeceps, lubricus. *Caes. B. G.* 1, 32. In Galliam magnam eorum multitudinem venire, populo R. periculosum videbat. *Cic. Acad.* 4, 21. Consuetudo assentiendi periculosa esse videtur, et lubrica. *Id. Off.* 1, 24. Gravioribus morbis periculosas curationes et ancipites adhibere. *Id. Manil.* 2, Bellum grave et periculosum. *Id. Phil.* 12, 10. Committere se itineri infesto et periculoso; et *ib.* 14, 9. Duobus periculosis vulneribus acceptis; et *ib.* 7, 3. Periculosissimum locum silentio sum praetervectus. *Just.* 39, 4. Periculoso regno securam ac tutam vitam anteponens. *Liv.* 27, 35. Periculosissimus annus imminere videbatur. *Sen. Ira* 3, 5. Ira eo turpior, et periculosior. *Tac. G.* 21. Periculosiores sunt inimicitiae juxta libertatem. *Flor.* 1, 17. Periculosissimum bellum sine periculo explicavit. ℙ *Periculosum esse in aliquem*, periculum creare alicui. *Cic. Att.* 13, 27. Aliter fuissemus et in hos inofficiosi, et in nosmetipsos, si illum offensuri fuimus, paene periculosi.

PĔRĪCŬLUM, i, n. *πεῖρα*, experimentum. Volunt esse ab obsoleto *perio*, a *πειράω*, tento, unde *experior*. *Ascon.* in *Div. Verr.* 8. *ἀπὸ τῆς πείρας*. Fere cum *facio* jungitur. *Ter. Eun.* 3, 1, 23. Fac periculum in litteris, fac in palaestra, in musicis: quae liberum scire aequum est adolescentem, solertem dabo. *Cic. Verr.* 1, 12. Siculos velle meae fidei diligentiaeque periculum facere, qui innocentiae abstinentiaeque fecissent; et *Div. Verr.* 8. *f.* Quo tempore, aut qua in re non modo specimen ceteris aliquod dedisti, sed tute tui periculum fecisti? ℙ Sic etiam dicitur id, quod fit periclitandi ingenii causa, et dandi speciminis. *Cic. Leg.* 1, 1. *f.* Faciunt imperite, qui in isto periculo non ut a poeta, sed ut a teste, veritatem exigant, *h. e.* in isto carmine, quod *Cicero* in P. Marii honorem scripserat, quoque periculum virium suarum fecerat. *Auson. Idyll.* 10, 215. Aut Pompejani Mylasena pericula belli. ℙ Est item discrimen, dimicatio, *κίνδυνος*. *Cic. Off.* 1, 43. *f.* Si ei subito sit allatum periculum discrimenque patriae. *Id. Manil.* 5. Salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur. *Id. N. D.* 2, 66. Principibus heroum certos Deos, discriminum, et periculorum comites adjungere. *Liv.* 1, 54. Obire pericula ac labores. *Tac. H.* 3, 69. Periculum sumere, *h. e.* suscipere. *Cic. Rosc. Am.* 38. adire capitis. *Id. Part.* 19. subire pro amico. *Id. Mur.* 36. suscipere; et 2. ingredi. *Id. Sull.* 4. conflare alicui. *Id. Rosc. Am.* 3. intendere in aliquem; et *Att.* 2, 19. intendere alicui. *Id. Caecin.* 29. mortis alicui injicere. *Id. Div. Verr.* 14. facessere innocenti. *Sall. Cat.* 34., *Tac. A.* 13, 33. et *Cels.* 5, 26. *n.* 4. facere alicui. *Id. Tac.* 14. *ib.* 28. facere pecuniae, *h. e* jacturam; et *ib.* 15, 6. gloriae; et *H.* 4, 71. summae rei, *h. e.* in discrimen adducere. *Plin.* 21, 31, 105. afferre majoris mali. *Id.* 25, 5, 22. inferre. *Cic. Fl.* 1. et 2. *Att.* 22. creare alicui; et *ib.* 20. denunciare cuipiam; et *Fl.* 38. comparare alicui. *Id. Sext.* 1. moliri optimis civibus. *Id. ad Quir.* 10. propulsare a republica. *Id. Cluent.* 6. amici depellere. *Plin.* 32, 2, 11. amoliri. *Varr. L. L.* 6, 5. *f.* avertere. *Cic. Fam.* 15, 1. *med.* subterfugere. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 31. refugere aut deprecari. *Id. Phil.* 7, 1. Adducta est res in maximum periculum, et extremum paene discrimen. *Id. Balb.* 10. Ne quis se pro nostro imperio in periculum capitis, atque in vitae discrimen inferret. *Id. Mur.* 27. Dum unum gradum ascendere dignitatis conatus est, in periculum venit, ne ad ea, quae ab ipso parta sunt, amittat. *Id. Rab. perd.* 9. Arcessere aliquem in summum capitis periculum. *Id. Cluent.* 55. Includere in periculum. *Auct. ad Her.* 4, 5. et *Virg. A.* 9, 200. inconsulto se mittere. *Cic. Inv.* 2, 8. *f.* se committere. *Nep. Att.* 10. Incidere periculum, *h. e.* in periculum. *Cic. Cluent.* 26. Eripere ex periculo. *Id. Sext.* 4. *f.* extrahere. *Id. Man.* 7. *f.* Rempubl. a periculo prohibere. *Id. Or.* 1, 8. Liberare periculis. *Id. Fam.* 4, 15. Esse in periculo. *Id. Rab. Post.* 9. versari. *Pl. Merc.* 1, 2, 12. et *Phaedr.* 2, 8. Res in periculo vertitur. ℙ ℙ *Esse periculo* pro *in periculo*. *Nep. Dion.* 2. Quaesivit a medicis, quemadmodum se haberet: simulque ab his petiit, si forte majore esset periculo, ut sibi faterentur. *Cic. Fam.* 4, 15. Ne quo periculo te proprio existimares esse. *Coel.* ad *Cic. ib.* 8, 2. Majore esse periculo videtur. *Petr. Sat.* 129. Nunquam ego aegrum tam magno periculo vidi. ℙ *Periculo* pro *cum periculo*. *Att.* ad *Cic. Att.* 9, 10. Tibi non sim auctor, te quoque profugere: summo enim periculo facies, nec reipublicae proderis. *Cic. Mur.* 13. Quae consuluntur, minimo periculo respondentur. ℙ *Periculo meo, tuo*, me, te periclitante. *Id. Verr.* 2, 5, 20. Qui ex foedere navem vel usque ad oceanum, si imperassemus, sumptu periculoque suo armatam atque ornatam mittere debuerunt. *Id. Fl.* 17. *med.* Facis injuste, si putas, periculo nostro vivere tuos contubernales. *Id. Sext.* 52. Tu meo periculo, gurges ac vorago patrimonii, helluabare. *Id. Att.* 6, 1. *med.* Impingit mihi epistolam Scaptius Bruti, rem illam suo periculo esse. *Ter. Andr.* 3, 1, 22. Nunc hujus periclo fit, ego in portu navigo. *Pl. Poen.* 4, 2, 56. Crede audacter meo periculo. Sic *Marc. Dig.* 46, 1, 24. Si petierit a te frater meus, peto, des ei nummos fide et periculo meo. *Pl. Bacch.* 4, 4, 100. Mea fiducia opus conduxi, et meo periculo rem gero. *Id. Asin.* 2, 4, 51. Da modo meo periculo: rem salvam ego exhibebo. ℙ *Rem periculi sui facere*, ut periculo suo sit. *Thryphon. Dig.* 23, 5, 16. Si fundum, quem Titius bona fide possidebat, mulier ut suum marito dedit in dotem, eumque petere neglexit vir, cum id facere posset, rem periculi sui fecit. ℙ *Bono periculo* quippiam facere, est tuto, et sine periculo. *Appul. Apol.* Videbatur sibi peridoneum maritum reperisse, cui bono periculo totam domus fortunam concrederet. ℙ *Periculum est*, adest, inest. *Cic. Verr.* 2, 5, 44. *med.* A securi negat ei periculum esse. *Id. Tusc.* 5, 40. *f.* Haud sane periculum est, ne, etc. *Pl. Rud.* 1, 2, 56. Nullum est periculum, te hinc ire impransum domum, *h. e.* nullum est dubium. *Ter. Heaut.* 3, 1, 6. Cum illi pericli nihil ex indicio siet. ℙ Speciatim dicitur de intentatione judicii, accusationis, litis, in quibus vel capitis, vel fortunarum amittendarum periculum aditur. [*V. *Math.* ad *Cic. Rosc. Am.* 52, 152. et quem *ib.* laudat, *Spalding.* ad *Quint.* 10, 1, 36. Adde *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 7. p. 102. *ed. Fr.*] *Cic. Manil.* 1. Meus labor in privatorum periculis caste integreque versatus. *Id. Arch.* 2. In ejusmodi persona, quae propter otium ac studium minime in judiciis periculisque tractata est. *Nep. Phoc.* 2. Hunc non solum in periculis non defendit, sed etiam prodidit. ℙ Item de morbis. *Plin.* 23, 1, 29. In acutis vero periculis nullis dandum est vinum, nisi qui manifestas remissiones habent. ℙ De interitu. *Arnob.* 1, 4. Terrarum validissimis motibus tremefactae nutant usque ad periculum civitates. ℙ De libello, seu elogio damnationis. *Nep. Ep.* 8. Unum ab iis petivit, ut in periculo suo conscriberent, etc. Huc quadrat locus *Cic. Verr.* 2, 3, 79. Eorum hominum (*scribarum*) fidei tabulae publicae periculaque magistratuum committuntur, *h. e.* sententiae judicialibus verbis conceptae, quae praelegi damnato solebant, deinde tabulis publicis inferri. V. BREVICULUS.

PĔRĪDŌNĔUS, a, um, adj. valde idoneus. *Caes. B. C.* 2, 24. Quod is locus peridoneus castris habebatur. *Tac. A.* 4, 12. Delegerat hominem consiliis suis peridoneum. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 203. et *Serv.* ad *A.* 11, 515. Gens ad furta belli peridonea.

PĔRĬĒGĒSIS, is, f. *περιήγησις*, Graece est circumductio: a *περὶ*, circum, et *ἡγέομαι*, duco. Translate *περιήγησις τῆς οἰκουμένης* est descriptio geographica terrarum, qua auctor lectores velut circumducit per omnes terrae partes, singillatim eas verbis describens. Ita inscripserunt *Avienus*, et *Prisc.* poema suum fere totum ex *Dionysio Alexandrino* Latine versum: ex quibus aliquoties exempla in hoc opus transtulimus.

PĔRĬERGĬA, ae, f. *περιεργία*, curiositas, sedulitas, nimia anxietas, et veluti redundans diligentia. *Quint.* scribit Graecis litteris 8, 3. *med.* Est etiam quae *περιεργία* vocatur, supervacua, ut sic dixerim, operositas. ℙ [*Periergia* est etiam nomen proprium pedisequae et collacteae Philologiae virginis; quo significatur, studium inane et supervacaneum vix evitari posse a philologis. *Capell.* 2, 27. Pedisequa Philologiae Periergia, utpote ejus collactea, trepidatione sollicita quid ageret, conspicatur. *F.*]

PERJĔRO. V. PEJERO.

[PĔRĬGĔNES, is, m. superstes: a *περιγίγνομαι*, supersum, superstes sum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1132, 7. Ti. Claudius Perigenes. *F.*]

PĔRIGNĀRUS. V. PERGNARUS.

PĔRĬHODUS. V. PERIODUS.

PĔRĬLEUCOS, i. f. *περίλευκος*, gemma: a *περὶ*, circum, et *λευκὸς*, albus. *Plin.* 37, 10, 66. Perileucos fit ab ora gemmae ad radicem usque candido descendente.

[PĔRILLĀ, ae, f. nomen fictum cujusdam puellae, quam poetriam cultissimam fuisse testatur in ea, quam eidem scripsit epistolam. *Ov. Trist.* 3, 7, 1. Vade salutatum subito perarata Perillam Littera, etc. Sunt qui perperam putant hanc fuissse *Ovidii* filiam. ℙ Alia fuit *Perilla* A. Ticidae poetae amica, ita ficto nomine dicta, cum reapse Metella fuerit. *Id. ib.* 2, 437. Et quorum (*A. Ticidae, aliorumque*) libris modo dissimulata Perillae Nomine, nunc legitur dicta Metella suo. *Appul. Apol.* Ticidam similiter accusent, quod quae Metella erat, Perillam scripserit. *F.*]

PĔRILLĔUS, a, um, adj. ad Perillum pertinens. *Ov. Ib.* 439. Aere Perilleo veros imitere juvencos.

PĔRILLUS, i, m. *Πέριλλος*, faber Atheniensis ingenio praestans, qui Phalaridi tyranno Agrigentino taurum ex aere fabricavit, in quo reus clauderetur, ac subjecto igne mugitum bovis ederet: cujus muneris nomine cum amplissimum a tyranno, qui novis semper tormentis delectabatur, speraret munus, inclusus tauro, suppositisque ignibus, primus suae artis experimentum praebuit. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 32., *Ov. A. Am.* 1, 653. et *Trist.* 3, 11, 41. et sqq. et *Sil.* 14, 211. et sqq.

PĔRILLUSTRIS, e, adj. admodum illustris. *Cic. Att.* 5, 20. Ibi morati biduum perillustres fuimus. ℙ Est etiam valde notus. *Nep. Att.* 12. Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit, *h. e.* omnibus patefactum fuit.

PĔRĪMACHĬA, ae, f. *περιμαχία*, aggressio, oppugnatio. *Sidon. ep.* 1, 7. *med.* Deferimus igitur nihil tale metuenti totam perimachiam, quam summo artificio acres et flammei viri occulere in tempus judicii meditabantur, *h. e.* totum susceptae accusationis ordinem et apparatum.

PĔRĪMBĔCILLUS, a, um, adj. valde imbecillus. *Cic. Att.* 10, 18. Quod quidem est natum, perimbecillum est. *Varr. R. R.* 3, 10. *med.* Collum anserum perimbecillum.

PĔRĪMĔDĔUS, a, um, adj. ad Perimeden, *Περιμήδην*, pertinens, quae insignis venefica fuisse dicitur: cujusque mentio ap. *Theocrit. Idyll.* 2, 16. est. *Propert.* 2, 1, 74. Perimedea gramina cocta manu.

PĔRĪMĔLĔ, es, f. Nympha Hippodamantis filia, in insulam sui nominis mutata. *Ov. Met.* 8, 590. et sqq

[PĔRĪMĔLIS, ĭdis, f. *Περιμηλίς*, ovium Nympha: a *περὶ*, circum, et *μῆλον*, ovis. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 10, 62. Sane ab ovibus Nymphae Perimelides, a fluminibus Najades, a pratis Limoniades. *F.*]

PĔRĪMETROS, i, f. *περίμετρος*, circuitus, ambitus: a *περὶ*, circum, et *μέτρον*, mensura. Est autem proprie adjectivum, et subintelligitur *γραμμή*, linea. *Vitr.* 5, 6. Theatri conformatio sic est facienda, uti quam magna futura est perimetros imi, circumagatur linea rotundationis, centro medio collocato. *Front. Aquaed.* 26. Omnis modulus colligitur aut diametro, aut perimetro; et *ib.* 40. Fistula senaria habet diametri digitum unum, perimetri digitos quatuor.

PĔRĪMO, is, ēmi, emptum, et emtum, a. 3. *ἀναιρέω*, adimo, tollo, aufero, exstinguo, destruo, interimo, deleo. *Cic. Tusc.* 1, 49. Si supremus ille dies non exstinctionem, sed commutationem affert loci, quid optabilius? sin autem perimit ac delet omnino, quid melius? *Id. fragm.* ap. *Non.* 6, 9. Ne qui casus perimeret superiora. *Id. Div.* 1, 12. Et Divum simulacra peremit fulminis ardor. *Id. Planc.* 42. Si vitam mihi sors ademisset, aut vis aliqua major reditum peremisset. *Id. Off.* 3, 7. Ejusmodi credo res Panaetium persecuturum fuisse, nisi aliqui casus aut occupatio consilium ejus peremisset. *Id. Sext.* 22. Hoc videbam, si causam publicam mea mors peremisset, neminem fore, qui auderet suscipere contra improbos cives reipublicae salutem. *Plin. ep.* 8, 14. Utrumne sententiae duae, collatis viribus, novissimam periment, an separatim unaquaeque tantumdem, quantum altera, valebit? *Plin. alter.* 11, 37, 63. Caput extorum tristis ostenti caesum quoque est, praeterquam in sollicitudine ac metu: tunc enim perimit curas. *Id.* 2, 53, 54. In fulgurum interpretatione eo profecit scientia, ut ventura alia finito die praecinat: et an peremptura sint fatum, aut apertura potius alia fata, quae latent. V. PEREMPTALIA. ℙ Interimere, interficere, occidere. *Cic.* vertens *Homeri* carmina, *Div.* 2, 30. Hunc, ubi tam teneros volucres, matremque peremit, etc. *Ov. Met.* 8, 395. Hunc tamen invita perimet mea dextra Diana; et *ib.* 13, 250. petii tentoria Rhesi, Inque suis ipsum castris, comitesque peremi. *Plin.* 8, 44, 69. Conceptum abortu perimere. *Mart.* 10, 61. et *Sen. Trag.* saepissime. Sic de herbis *Colum.* 2, 11. Ne alterius generis herba invalidam Medicam perimat; et *ib.* 12. de lupino: Sola haec res adeo non infestatur herbis, ut ipsa herbas perimat. ℙ Pro *perimo* dixere etiam *peremo. Festus:* Peremere Cincius in libro de verbis priscis ait significare idem quod prohibere: at Cato in libro, qui est de re militari, pro vitiare usus est, cum ait: Cum magistratus nihil aliud audet imperare, ne quid consul auspicii peremat. *Id.* in *Postularia:* Peremptalia fulgura, quae superiora fulgura, aut portenta peremunt, idest tollunt. Haec *Festus.* Hac ratione saepe legitur in libris *Digestorum*, unde multa loca congessit *Brisson. l.* 14. *de* V. S., v. gr. *Papin.* 31, 1, 68. Solutio prior peremit alteram actionem. *Venulej.* 45, 2, 13. Alteram obligationem ab altera peremi, etc. Quae tamen non in omnib. lib. constans est lectio.

PĔRIMPĔDĪTUS, a, um, part. ab inus. *perimpedio*, valde impeditus. *Hirt. B. Afr.* 58. *f.* Locus perimpeditus ante aciem Scipionis.

*PERIMULA, ae, f. Indiae opp., cis Gangem, in Chersoneso aurea (*h. e.* paeninsula *Malacca* hodierna), cum promontorio cognomine. *Plin.* 6, 20. Promontorium Perimulae. *Id.* 9, 35. Fertilissima est Taprobane —: item Perimula promontorium Indiae. Oppidi mentio facta est ap. *Aelian. H. An.* 15, 8. *in.* itemque ap. *Ptolem. B. A.*

[PĔRĪNAEON et Pērīnĕon, i, n. *περίναιος* et *περίνεος*, spatium illud, quod inter pudenda et anum est. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 4. Circa vere-

tri initium, quod Graeci perineon vocant, dolor sentitur. *F.*]

[PĔRĪNANIS, e, adj. valde inanis. *Ov. A. Am.* 1, 337. Flevit Amyntorides perinania lumina Phoenix. Alii disjunctim leg. *per inania*. *Mart.* 1, 77. Praeter aquas Helicon, et serta lyrasque Dearum Nil habet, et magnum, sed perinane sophos. Alii leg. *semper inane*. *F.*]

*PERĪNANS, antis, part. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 78. Quin etiam nuntiatur jam planiora perinantibus, Bessum etc. Sed *Maio* scribendum videtur *peregrinantibus* vel *permeantibus*. Ni verbum neutrum esset *pervio*, suspicatus essem scribendum *perviantibus*. Plane emendandum *peregrinantibus*. *B. A.*

PĔRINCERTUS, a, um, adj. valde incertus. *Sall. fragm.* ap. *Gell.* 18, 4. Perincertum, stolidior, an vanior.

PĔRINCOMMŌDĔ, adv. valde incommode. *Cic. Att.* 1, 17. Accidit perincommode, quod eum nusquam vidisti.

PĔRINCOMMŌDUS, a, um, adj. valde incommodus. *Liv.* 37, 41. Quae nihil admodum Romanis, ac perincommoda regiis erant.

PĔRINCONSĔQUĔNS, entis, adj. valde inconsequens, valde absurdum. *Gell.* 14, 1. *med.* Per autem, inquit, inconsequens, ipsum quidem corpus, et habitum tam profundi aeris sub alio, atque alio coeli curvamine non eundem manere.

PĔRINDĔ, adv. *ἴσως, ὁμοίως*, aeque, similiter, ad eundem modum: [*pr. inde a principio aliquo v. causa continuo ad finem: nostr. *gleichmässig*. *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. h. v.] *Cic. Fin.* 1, 21. Eas ergo artes persequeretur, vivendi artem tantam, tamque operosam, et perinde fructuosam relinqueret? Alii omitt. *perinde*. *Liv.* 8, 17. *f.* Eo certamine superior Alexander, incertum qua fide culturus, si perinde cetera processissent, pacem cum Romanis fecit. *Tac. A.* 2, 63. Non Philippum Atheniensibus, non Pyrrhum, aut Antiochum populo R. perinde metuendos fuisse. *Plin. ep.* 1, 8. *med.* Utilissimum munus, sed non perinde populare. [*Nubem exemplorum absolute hujus vocabuli positi, praecipue ex *Tacito*, utpote qui cum reliquis argent. aetatis scriptoribus hanc dicendi consuetudinem vel maxime frequentat, praebet *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 352. sq. ℙ Inde est: ut convenit rei vel causae, nostr. *verhältnissmässig, dem gemäss.*] *Sall. fragm.* ap. *Quint.* 8, 3. *f.* Mithridates corpore ingenti, perinde armatus, *h. e.* paribus armis. *Flor.* 3, 2. Nihil hac plaga infestius: atrox coelum: perinde ingenia. [Alia exempla haec sunto: *Liv.* 27, 8. perinde laudaret castigaretque; cp. 17. quales ex hac die experiundo cognovit, perinde operae eorum pretium faceret. *Tac. H.* 2, 97. integrum illic ac favorabilem proconsulatum Vitellius, famosum invisumque Vespasianus egerat: perinde socii de imperio utriusque conjectabant; *Ann.* 12, 41. spectaret populus hunc decore imperatorio, illum puerili habitu ac perinde fortunam utriusque praesumeret.] ℙ *Perinde ac, atque, ut, ac si, quasi, tanquam, prout, quam*, est similiter atque, ita ut, tanquam si. *Caes. B. C.* 3, 60. *f.* Quam maximas potuerunt pecunias mutuati, perinde ac satisfacere, et fraudata restituere vellent; et *Cic. Marcell.* 4. *f.* Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. *Id. Att.* 16, 5. *med.* Non perinde atque ego putaram, arripere visus est. *Id. Brut.* 50. *med.* Haec perinde accidunt, ut eorum qui adsunt, mentes verbis, et sententiis, et actionibus tractantur. [**Id. Or.* 3, 56, 213. perinde sunt, ut aguntur. *Off.* 3, 33, 121. sed perinde erit ut acceperis: ubi v. *Beier*. *Liv.* 7, 5. nec perinde, ut maluisset plebes — ita aegre habuit cet. et 7, 6. perinde ut eveniret res, ita communicatos honores pro bene aut secus consulto habitura. *Plin. ep.* 1, 26. perinde ut brevitas. *Suet. Claud.* 15. perinde ut afficeretur, i. e. prout, nostr. *je nachdem*. V. *Tursell.* p. 567. *n.* 3. *ed. Schwarz.*] *Cic. Div.* 2, 42. *f.* Perinde utcumque temperatus sit aer, ita pueros orientes animari, atque formari. *Id. Rosc. Com.* 5. *f.* Perinde ac si in hanc formulam omnia judicia legitima comprehensa sint, perinde dicemus. *Caes. B. C.* 3, 2. Perinde aestimans, ac si usus esset. *Cic. Quint.* 26. *f.* Atque haec perinde loquor, quasi debueris, aut potueris, etc. *Liv.* 4, 3. *med.* Et perinde hoc valet, plebejusne consul fiat, tanquam servum aut libertinum aliquis consulem futurum dicat? *Plin. Pan.* 20. *extr.* Memineriut, perinde conjecturam de moribus suis homines esse facturos, prout hoc vel illud egerint. [*Sequitur etiam *et* et *que*, maxime quidem ap. *Tacitum A.* 2, 2. perinde odium pravis et honestis; 16, 13. servitia perinde et ingenua plebes; *H.* 4, 43. perinde dives et eloquentia clarus. — *Ann.* 1, 26. perinde divina humanaque obtegens. *H.* 2, 97. perinde legati provinciaeque cunctabantur; 4, 36. miles secundis adversisque perinde in exitium ducum accendebatur; 5, 6. periti imperitique nandi perinde attolluntur.] ℙ *Perinde ut*, ita ut. *Eutrop.* 10, 16. *extr.* Julianus nimius religionis Christianae insectator, perinde tamen, ut cruore abstineret. ℙ *Perinde quam*, tam quam, tantum quantum. [*Fieri hoc argenteae aetatis more solet.] *Suet. Dom.* 15. *med.* Nulla tamen re perinde motus est, quam responso mathematici. *Flor.* 3, 3. *med.* Perinde speciosa mors earum fuit, quam pugna. *Tac. H.* 4, 72. Nec perinde periculum aut metus, quam pudor ac dedecus obstupefecerat. [*Plura Taciti exempla praebet *Boettich.* in *Lex. Tac.* s. h. v. ℙ Solus fortasse *Tacitus quam si* usurpat *perinde* particulae adjunctum. *Ann.* 1, 73. jusjurandum perinde aestimandum, quam si Jovem fefellisset; 13, 49. Cetera per omnes imperii partes perinde egregia, quam si non Nero, sed Thrasea regimen eorum teneret? ℙ *Haud perinde, quam*, nostr. *nicht so wohl, — als vielmehr*, vix ap. priores repereris. *Tac. H.* 2, 39. nec perinde dijudicari potest quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse quod factum est. *Ann.* 2, 1. Haud perinde nostri metu, quam fidei popularium diffisus; cp. 5. suum militem haud perinde vulneribus, quam spatiis itinerum cet. affici. Cf. *ib.* 14, 48. 15, 42. 44.] ℙ Videtur etiam poni pro multum, admodum, valde, sed ellipsis est, aliquid enim supplendum. [*Hic quoque dicendi usus maxime ad *Tac.* ejusque aequales pertinet; nec desunt prorsus priorum exempla; *Livius* saltem 4, 37. in hunc modum locutus est: nec perinde patres moti sunt, et C. Sempronius — negligenter egit.] *Suet. Tib.* 52. Itaque ne mortuo quidem perinde affectus est. [*Quod plena sententia esset: perinde s. aeque ac debebat v. exspectari poterat.] *Id. Galb.* 13. Quare adventus ejus non perinde gratus fuit, *h. e.* perinde ac debebat. Ita *Id. Aug.* 80. Coxendice et femore et crure sinistro non perinde valebat: *supple* ac dextro. [**Taciti* exempla satis largo numero praebet *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 353. Caeterum notandum, haud paucos ap. *Tac. G.* 5.; *Agr.* 10.; *Ann.* 12, 60.; *H.* 1, 30. non *perinde* sed *proinde* legere. At *I. Bekkerus* omnibus his locis retinuit *perinde*, neque est, cur Tacitum promiscue usum esse his vocibus credas, cum in aliis quoque vv. usurpandis summam exhibeat constantiam, librorumque fides in hac re non satis certa sit, quod *per* et *pro* particulae eodem modo exaratae leguntur in MSS. Discrimen inter *perinde* et *proinde*, locosque, in quibus utrumque vocabulum promiscue positum est, V. in PROINDE.]

PĔRINDĪGĔO, es, n. 2. valde indigeo. *Tert. adv. Gnost.* 13. Indigeamus, sed non perindigeamus.

PĔRINDIGNĔ, adv. valde moleste, indigne, graviter. *Suet. Tib.* 50. *med.* Tulit perindigne actum a senatu, ut, etc.

PĔRINDIGNUS, a, um, adj. valde indignus. *Sidon. ep.* 4, 4. *f.* Quae vos non perindignum est deliberare.

PĔRINDULGĔNS, entis, part. ab inus. *perindulgeo*, valde indulgens. *Cic. Off.* 3, 31. *extr.* Et qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in fratrem. [*V. *Beier.*] Est qui leg. *nuper indulgens*.

PĔRINFĀMIS, e, adj. valde infamis. *Suet. Vitell.* 2. *med.* Vir innocens et industrius, sed amore libertinae perinfamis. *Appul. Met.* 3. Alioqui publicitus maleficae disciplinae perinfames sumus.

PĔRINFIRMUS, a, um, adj. valde infirmus. *Cic. Fin.* 2, 16. *med.* Sunt enim levia et perinfirma, quae dicebantur a te. *Cels.* 2, 14. *f.* Si quis perinfirmus est.

PĔRINGĔNĬOSUS, a, um, adj. valde ingeniosus. *Cic. Brut.* 24. Quod peringeniosis hominibus, neque satis doctis plerumque contigit.

PĔRINGRĀTUS, a, um, adj. valde ingratus. *Sen. ep.* 98. *med.* Peringratus est, qui cum amiserit, pro accepto nihil debet.

PĔRĪNĪQUUS, a, um, adj. valde iniquus. *Cic. Manil.* 22. Quare videant, ne sit periniquum, et non ferendum; et *Fam.* 12, 18. Etsi periniquo patiebar animo, te a me digredi.

PĔRINJŪRĬUS, a, um, adj. valde injurius, periniquus. *Cato* ap. *Prisc.* 6, 694. Nam perinjurium siet: cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur, ubi datus est, tum uti eos mutem.

PĔRINSIGNIS, e, adj. valde insignis. *Cic. Leg.* 1, 19. An corporis pravitates, si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis?

[PĔRINSOLENS, entis, adj. valde insolens. *Not. Tir.* p. 47. Insolens, perinsolens. *F.*]

PĔRINTĔGER, egra, egrum, adj. valde integer, omnino inviolatus. *Gell.* 3, 5. Incorruptus, et castus, et perinteger.

PĔRINTHĬUS, a, um, adj. *Περίνθιος*, ad Perinthum pertinens, quod est oppidum Thraciae in ora Propontidis. *Ter. Andr. prol.* 9. Menander fecit Andriam, et Perinthiam, *h. e.* fabulam, in qua induxit mulierem ex Andro, et Perintho. Perinthi meminere *Plin.* 4, 11, 18. et *Mela* 2, 2.

PĔRINVĪSUS, a, um, part. ab inus. *perinvideo*: valde invisus. *Cic.* pro *Cornel.* ap. *Ascon. f.* Homo Diis ac nobilitati perinvisus.

PĔRINVĪTUS, a, um, adj. valde invitus. *Cic. Fam.* 7, 33. Ne perinvitus legerem tuas litteras. Adde *Liv.* 40, 57.

PĔRĪNUNDO, as, a. 1. valde inundo. *Alcim.* 1, 267. et nigris *(Nilus)* campos perinundat arenis.

PĔRĪNUNGO, is, a. 3. valde inungo. *Varr. R. R.* 2, 11. Tonsas recentes eodem die perinungunt vino et oleo. *In edd. *Gesner.* et *Schneid.* legitur *perungunt*, nulla subjecta lectionis varietate. *Id. ib.* Et si ea *(oris)* tecta solet esse, quam habuit pellem injectam, eam intrinsecus eadem re perinungunt. Sic edd. *Gesn.* et *Schneid.*, quanquam edd. praecedentes omnino legunt *perungunt*. *B. A.*

PĔRĬOCHĀ, ae, f. *περιοχή*, summa, compendium, argumentum: a *περιέχω*, contineo, comprehendo. Periochas in Iliadem Homeri scripsit *Auson.*; in comoedias Terentii *Sulpicius Apollinaris* grammaticus, qui Pertinacis Imp. praeceptor fuit: de quo *Capitol. Pert.* 1.

PĔRĬODEUTĀ, ae, m. *περιοδευτής*, circuitor, visitator. Sic dicitur a *Just. Cod.* 1, 3, 42. qui in locum remotioris episcopi substituitur, ut circumeat, et visitet quocumque opus est: a *περί*, circum, et *ὁδή*, via. ℙ Etiam medici *περιοδευταί*, dicuntur, qui oppidatim medicinam exercebant. *Modest. Dig.* 27, 1, 6.

PĔRĬODĬCUS, a, um, adj. *περιοδικός*, qui statis temporibus ad id, unde discessit, quasi facta periodo, revertitur, ut febres periodicae, quae certis temporibus abeunt, et quodam quasi circuitu facto rursus redeunt, ut sunt tertianae, et quartanae. *Plin.* 20, 3, 8. Semina ejus si fuerint pari numero adalligata febribus, sanare dicuntur, quas Graeci periodicas vocant. ℙ [*Periodicum certamen* est, in quo athletae vincere periodum poterant, idest eosdem honores adipisci, ac si Pythia, Isthmia, Nemeaea, Olympia vicissent. In nummo Sidonis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 2. p. 449. Cert*amen* Sa*crum* Peri*odicum* Oecume*nicum* Isela*sticum*. V. OECUMENICUS. *F.*]

PĔRĬODUS, i, f. *περίοδος*. Apud rhetores est compositum quoddam ex pluribus membris, vel incisis, quorum unum ab alio conjunctionibus et aliis orationis partibus quasi vinculis quibusdam ligatum, dependet. *Cic. Or.* 61. In toto circuitu illo orationis, quem Graeci *περίοδον*, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem, aut continuationem, aut circumscriptionem dicimus. *Quint.* 9, 4. Periodo plura nomina dat Cicero, ambitum, circuitum, etc. ℙ Item apud Graecos accipitur pro itinere et circuitu: quo sensu adhibetur ab *Hieron. Vir. illustr.* in *Luca:* tametsi optimae editiones Graece habent *περιόδους*. ℙ Item pro complexione quatuor sacrorum Graeciae certaminum, Pythiorum, Isthmiorum, Nemeaeorum, Olympiorum, quod haec spectacula unum post aliud celebrarentur, et per circuitum, sive orbem renovarentur. Hinc ap. *Festum* periodum vicisse is dicitur, qui quatuor illa certamina obivit, et in omnibus vicit. V. v. praec. ℙ Scribitur et *perihodus*.

PĔRĬPĀTĒTĬCI, orum, m. plur. *Περιπατητικοί*, philosophi illi, qui ab Aristotele originem habuere: a *περιπατέω*, obambulo, quod Aristoteles philosophiam solitus fuerit docere inambulando in Lyceo. *Cic. Acad.* 1, 4.

PĔRĬPĀTĒTĬCUS, a, um, adj. ad Peripateticos pertinens. *Colum.* 9, 3. Peripatetica secta. *Gell.* 1, 3. philosophia. *Id.* 19, 5. disciplina. *Id.* 2, 18. Theophrastus Peripateticus.

PĔRĬPĒTASMĀTĀ, um, n. plur. *περιπετάσματα*, peristromata, aulaea, et tapetia, quibus parietes aularum, ornatus gratia, teguntur, et pavimenta insternuntur: a *περιπετάζω*, circumquaque obtendo. *Cic. Verr.* 2, 4, 12. Quid? illa Attalica, tota Sicilia nominata, ab eodem Hejo peripetasmata emere oblitus es? et *paulo post*: Nunc de peripetasmatis quemadmodum te expedias, non habes: [*peripetasmatis* pro *peripetasmatibus*. V. EMBLEMA. *F.*]

[PĔRIPHAS, antis, m. *Περίφας*, rex Atticae, de quo *Ov. Met.* 7, 400. ℙ Unus e comitibus Pyrrhi, quem una cum illo Priami regiam oppugnantem inducit. *Virg. A.* 2, 476. ℙ Fuit hoc nomine etiam unus Lapitharum, qui Pirithoi nuptiis interfuit. *Ov. Met.* 12, 449. *F.*]

PĔRĬPHĔRĬA, ae, f. *περιφέρεια*, linea circuli circumcurrens. *Capell.* 8, 278. Unum quod centrum, alterum quod peripheriam demonstraret.

*PERIPHĒTES, ae, *Περιφήτης*, Vulcani filius ex Anticlia. *Ov. Met.* 7, 437. *B. A.*

[PĔRIPHORĒTUS, i, m. *περιφόρητος*, circumdaticius. Ita est cognominatus Artemon quidam deliciis adeo effeminatus, ut nunquam nisi lectica pensili circumlatus, domus suae limen transiret. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2. Polycletus fecit Artemona, qui Periphoretus appellatus est. *F.*]

PĔRĬPHRĀSIS, is, f. *περίφρασις*, circumlocutio, circuitio, tropus, cum id, quod uno, aut certe paucioribus verbis dici poterat, pluribus explicatur: a *περιφράζω*, circumloquor. *Quint.* 8, 3. et 6. et al. *Gell.* 3, 1. Ut Sallustium, vel subtilissimum brevitatis artificem, periphrasin poetarum facere diceret. *Suet. Gr.* 4. *med.* Instituere quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam, ut problema, periphrases, elocutiones, ethologias.

PĔRĬPLUS, i, m. *περίπλους*, Graece significat circumnavigationem. Hinc quidam scriptores, qui

oram maritimam aliquam descripserunt, hujusmodi libros Periplus inscripsere, ut Xenophon. *Plin.* 7, 48, 48. Xenophon in Periplo, etc.

PĔRIPNEUMONIA, ae, f. *περιπνευμονία*, morbus pulmonum, de quo V. in v. sq.: a *πνεύμων*, pulmo. *Cael. Aurel. Acut.* 2, 25, 26 et 27.

PĔRIPNEUMONĬCUS, a, um, adj. qui morbo laborat, qui *περιπνευμονία* dicitur, qua totus pulmo afficitur: sequitur tussis bilem, vel pus trahens, praecordiorum totiusque pectoris gravitas, spiritus difficultas, magnae febres, continua vigilia, cibi fastidium, tabes: quae est descriptio *Celsi* 4, 7. *Plin.* 26, 7, 25. Pleuriticis et peripneumonicis centaurium majus bibitur. Adde 20, 17, 68. et al. ℙ Ap. *Veg. Vet.* 1, 38. legitur *peripleumonicus;* et ap. *Theod. Prisc.* 2, 4. *med.* et *ib.* 5. *peripleumoniacus.* [Graece item *περιπλευμονικὸς* pro *περιπνευμονικὸς* dicitur eadem significatione. *F.*] ℙ *In *Vegetii* loco pro *peripleumonici*, quod habet *Gesn.* cum edd. aliis, *Schneid.* omnino *peripneumonici. B. A.*

PĔRIPSĒMA, ătis, n. *περίψημα*, sordes, et purgamenta, quae abstergendo, et defricando colliguntur: a *περὶ*, circum, et *ψάω*, radendo detergeo. *Tert. Pud.* 14. ex *Paul. Cor.* 1, 4, 13.

PĔRIPTĔROS, i, m. *περίπτερος*, genus aedificii, quod ex omni parte columnarum ordine cingitur, quasi circum alatus: a *περὶ*, circum, et *πτερὸν*, ala. *Vitr.* 3, 1. et 4, 7. V. *Bald. in Lex.*

PĔRIRĀTUS, a, um, adj. valde iratus. [*Pl. Truc.* 3, 1, 11. Fuit edepol Mars meo periratus patri *F.*] *Cic. Fam.* 9, 6. Erant nobis perirati.

*PERIRRHEUSA, ae, f. insula maris Aegaei, Ioniae objecta. *Plin.* 5, 31. ℙ Revera adjectivum est Graecum, *περιῤῥέουσα* sc. *B. A.*

PĔRISCĔLIS, ĭdis, f. *περισκελὶς*, ornamentum muliebre, nempe circulus aureus, vel argenteus crura supra talos ambiens: a *περὶ*, circum, et *σκέλος*, crus. *Hor. Ep.* 1, 17, 56. Nota refert meretricis acumina, saepe catellam, Saepe periscelidem raptam sibi flentis. [*Petr. fragm. Trag.* 67. *Burm.* Venit ergo galbino succincta cingillo, ita ut infra cerasina appareret tunica, et periscelides tortae, phaecasiaeque inauratae. *Plin.* 32, 12, 34. easdem *compedes* vocat, et argenteas plebejis mulieribus, aureas patriciis tribuit. *F.*]

PĔRISCĔLĬUM, ii, n. *περισκέλιον*, idem ac periscelis. *Tert. Cult. fem.* 13. [Nescio, an crus de periscelio in nervum se patiatur artari. *F.*]

PĔRISSEUMA vel Peritteuma, ătis, n. *περίσσευμα* vel *περίττευμα*, abundantia, idest donatio ex abundanti facta, perissochoregia, quam vocem vide. Huc retrahendus locus ex *Cod. Justin.* allatus in V. PARAPETEUMA, ubi pro *nomine parapeteumatis* legendum *nomine peritteumatis.*

PĔRISSOCHORĒGIA, ae, f. *περισσοχορηγία*, annonae praebitio copiosior justo: a *περισσὸς*, copiosus, et *χορηγία*, erogatio, largitio. *Impp. Theod.* et *Valent. Cod. Theod.* 14, 26, 2. [Nemo privetur eo, quod nunc usque percepit, et perissochoregiae nomen penitus amputetur. *F.*]

PĔRISSOLŌGIA, ae, f. *περισσολογία*, superflua locutio, vitiosa quaedam periphrasis, vitium grammaticale, cum oratio inani verborum turba, et copiosa loquacitate obruitur: a *περισσὸς*, redundans, et *λόγος*, sermo. *Virg. A.* 1, 662. faciem mutatus, et ora Cupido. Ubi *Serv.* Et ora, perissologia est. *Quint.* 4, 2. et 8, 6. Graecis litteris scribit.

[PĔRISSON, i, n. *περισσὸν*, nimius, supervacuus. Ita appellatur herba strychnon a *Plin.* 21, 31, 105. Qui parcius insectantur, manicon cognominavere; qui nequiter occultabant, erythron, aut neurada; ut nonnulli, perisson. Adde *Appul. H.* 74. *F.*]

PĔRISTĂSIS, is, f. *περίστασις*, circumstantia: a *περιΐσταμαι*, circumsto. *Petr. fragm. Trag.* 48. *Burm.* Dic ergo, si me amas, peristasin declamationis tuae, *h. e.* argumentum, in quo versatur declamatio tua, cum omnibus circumstantiis ad illud pertinentibus.

PĔRISTĔRĔON, onis, m. *περιστερεὼν*, et

PĔRISTĔRĔOS, i, m. herba caule alto, foliato, cacumine in alios caules se spargens, columbis admodum familiaris, unde et nomen (a *περιστερὰ*, columba). Haec *Plin.* 25, 10, 78. Hanc eandem *Id. ib.* 9, 59. et *Appul. H.* 3. Graeca positione *peristereona* in accusat. sing., et *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. in genit. *peristereonis* efferunt. [**Taubenkraut, Eisenkraut.*]

*PERISTERĬDES INSULAE, *περιστερίδες*, in mari Aegaeo, prope Smyrnam. *Plin.* 5, 31. ℙ Sic dictae, quia columbis abundabant, a *περιστερὰ*, *columba. B. A.*

PĔRISTRŌMA, ătis, n. *περιστρῶμα*, idem quod peripetasma: a *περιστρώννυμι*, circum sterno. *Pl. Ps.* 1, 2, 12. Ita vestra latera loris faciam ut valide varia sint, ut ne peristromata quidem aeque picta sint Campanica. *Id. Stich.* 2, 2, 54. Babylonia peristromata. *Cic. Phil.* 2, 27. Conchyliatis Cn. Pompeji peristromatis servorum in cellis lectos stratos videres.

PĔRISTROPHE, es, f. *περιστροφὴ*, conversio. *Capell.* 5, 186. Cum adversarii propositionem in nostram partem convertimus, peristrophen vocamus.

PĔRĪTĬA, ae, f. *ἐμπειρία*, cognitio ex experientia, ars, artificium, scientia. *Sall. Jug.* 50. *f.* In Jugurtha tantus dolus, tantaque peritia locorum, et militiae erat, ut, etc. *Suet. Tib.* 67. Existimant quidam, praescisse haec eum peritia futurorum, [*i. e. arte, scientia res futuras praesagiendi, perspiciendi. V. *Brem.* ad h. l. et cf. PERITUS.] *Tac. A.* 1, 69. Accendebat haec Sejanus, peritia morum Tiberii odia in longum jaciens; et *ib.* 4, 58. Peritia legum. *Plin.* 18, 6, 7. castrametandi. *Gell.* 15, 31. et disciplina faciendi obsidii. *Quint.* 2, 15. *med.* gratiae ac voluptatis: *scil.* conciliandae. *Tac. H.* 4, 30. Legionarii peritia et arte praestantes. *Ulp. Dig.* 7, 1, 27. Si servum disciplinis, vel arte instituerit usufructuarius, arte ejus, vel peritia utetur.

PĔRĪTO, as, n. 1. frequent. a *pereo. Pl. Capt.* 3, 5, 32. Qui per virtutem peritat, non interit. [**Lindem.* leg. *periit, at non interit.*] Adde *Lucr.* 3, 710.

PĔRĪTŌNAEUM, et Peritonēum, i, n. *περιτόναιον*, et *περιτόνειον*, membrana tenuissima omnibus visceribus, reliquisque inferioris ventris partibus circumtensa, unde et nomen: a *περὶ*, circum, et *τείνω*, tendo. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. Membrana major, quam peritonaeum vocant, scilicet quae omnia interius tegit, atque continet viscera. ℙ Adjective *peritonaeos membrana* dicitur ab *eod. Tard.* 3, 4. et *ib.* 4, 7. ℙ *Cels.* 4, 1. et 7, 4. Graecis litteris utitur.

PĔRĪTUS, a, um, part. ab inus. *perior*, unde *experior:* expertus. *Flor.* 3, 1. Sed rex peritus, fortius adversus Romanos aurum esse, quam ferrum, pacem emit. Est fere adj. *ἐμπειρος*, sciens, gnarus, doctus. Inter doctum, et peritum, inquit *Non.* 5, 26., cum simile videatur, a Tullio discretum est, ut sit peritus plus, quam doctus (*Off.* 3, 3. *extr.*). Itaque cum sunt docti a peritis, facile desistunt a sententia. Haec *Non.* Sed locus *Cic.* nihil pro eo facit. Illud potius dicas, *doctum* esse, qui studio: *peritum*, qui usu et experientia didicit: tametsi ne hoc quidem fortasse perpetuum est. *Pl. Pers.* 2, 3, 16. Quid faciet mihi? verberibus caedi jusserit, compedes imponi? vapulet: ne sibi me credat supplicem fore. Mihi jam nihil novi offerri potest, quin sim peritus. *Cic. Off.* 1, 41. Ad ea eligenda, quae dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam usu peritos. *Id. Font.* 7. *extr.* Sapiens homo, ac multarum rerum peritus. *Id. Or.* 1, 23. *f.* Haec ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata sunt; et *ib.* 15. Homo prudentissimus et peritissimus. *Caes. B. C.* 1, 48. *f.* Periti earum regionum; et *ib.* 3, 61. Peritiores rei militaris; et 73. Peritissimi, atque exercitatissimi duces. *Nep. Them.* 2. Peritissimos belli navalis fecit Athenienses. *Plin. ep.* 2, 11. Vir movendarum lacrimarum peritissimus. *Cic. Font.* 15. *f.* Vir ad labores belli impiger, ad pericula fortis, ad usum et disciplinam peritus. *Just.* 31, 2. Sed res Annibalem non diu latuit, virum ad prospicienda cavendaque pericula peritum. Alii leg. *paratum. Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Qui de agricultura Romanus peritissimus existimatur. *Auson. epigr.* 137. Arma virumque docens, atque arma virumque peritus. *Id. ep.* 16, 92. Suescat peritis fabulis Simul jocari et discere. ℙ [**Periti* sunt etiam i. q. haruspices. *Suet. Aug.* 95. nemine peritorum aliter conjectante, quam laeta per haec et magna portendi. Ita saepissime *peritus* dicitur de arte haruspicum. *Liv.* 1, 34. Perita coelestium prodigiorum mulier. *Curt.* 4, 10, 4. peritissimi coeli ac siderum vates.] ℙ Cum abl. *Cic. Cluent.* 38. Quis P. Octavio Balbo ingenio prudentior, jure peritior? [**Vell.* 2, 29, 3. peritus bello: ubi v. *Ruhnk. Gell.* 4, 8. peritus disciplina militari: ubi v. *J. Fr. Gron.* et adde *Torren.* ad *Val. Max.* 1, 1. *n.* 19.] *Hirt. B. Afr.* 31. Mirabili peritus scientia bellandi. *Lucil.* ap. *Charis.* 1, 62. Ut jure peritus. *Aurel. Vict. Ep.* 19. Jure peritissimus. *Paul. Dig.* 33, 7, 19. Servus arte fabrica peritus. ℙ *Peritus in aliqua re* qui dixerit, inveni adhuc neminem. [**Propert.* 2, 34, 82. Sive in amore rudis, sive peritus erit. V. *Ruddim.* 2, 71. *n.* 5.] ℙ Cum infinito. *Virg. Ecl.* 10, 32. soli cantare periti Arcades. *Tac. Agr.* 8. Peritus obsequi. Adde *Pers.* 2, 34. ℙ [**Confund. peritissimus* et *perfectissimus.* V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 227. *a. b. ed. Fr.*]

PERJŪCUNDE, adv. valde jucunde. *Cic. Att.* 13, 52. O hospitem mihi tam gravem *ἀμεταμέλητον!* Fuit enim perjucunde; et *Coel.* 11. Versari perjucunde in re aliqua.

PERJŪCUNDUS, a, um, adj. valde jucundus. *Cic. Fam.* 1, 7. Cui quidem litterae tuae perjucundae fuerunt; et *Or.* 2, 7. Disputatio perjucunda. Tmesi *Id. Q. Fr.* 3, 1, 4. Id mihi pergratum, perque jucundum erit. V. PER.

PERJŪRĀTĬUNCŪLA, ae, f. parvum perjurium. *Pl. Stich.* 1, 3, 76. Ac perjuratiunculas parasiticas (*dabit*).

PERJŪRĀTUS, a, um, part. a *perjuro*, perjurio violatus. *Ov. Amor.* 3, 11, 22. Et perjuratos in mea damna Deos.

PERJŪRĬOSUS, a, um, adj. idem ac perjurus. *Pl. Truc.* 1, 2, 52. Procaciores estis vos, sed illi perjuriosi.

PERJŪRĬUM, ii, n. *ἐπιορκία*, jusjurandum violatum, juramentum falsum. *Cic. Off.* 3, 29. *f.* Quod ex animi tui sententia juraris, id non facere, perjurium est. *Id. Leg.* 2, 9. Perjurii poena divina exitium, humana dedecus. *Ov. A. Am.* 1, 657. perjuras merito perjuria fallunt. *Id. Fast.* 5, 681. Ablue praeteriti perjuria temporis, inquit. ℙ *Perjuria Graja* ap. *Sil.* 17, 425. Sunt phalanx Macedonum pugnantium pro Poenis contra Romanos post pactam cum iis pacem.

PERJŪRO. V. PEJERO.

PERJŪRUS, a, um, adj. *ἐπίορκος*, qui jusjurandum violat, qui jurando jus pervertit. *Cic. Rosc. Com.* 16. At quid inter perjurum, et mendacem? et *ib* 7. Ballionem illum improbissimum, et perjurissimum lenonem cum agit. *Virg. A.* 5, 811. Structa meis manibus perjurae moenia Trojae, *h. e.* Laomedontis Trojanorum regis, de quo *Id. G.* 1, 502. Laomedonteae luimus perjura Trojae. *Hor. Or.* 3, 24, 59. Cum perjura patris fides Consortem socium fallat, et hospites. ℙ Item mendax, simpliciter. *Pl. Mil.* 4, 2, 74. Heu ecastor hominem perjurum! et 1, 1, 21. Perjuriorem hoc hominem si quis viderit etc.

*PERĪUS, i, m. unus e quinquaginta Aegypti filiis. *Hyg. Fab.* 170. *B. A.*

PĔRIXYŌMĔNOS, i, m. nomen statuae referentis hominem se strigili destringentem, extergentemve: a *περιξύω*, circum rado. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 26. V. DESTRINGO.

[PĔRIZŌMA, ătis, n. *περίζωμα*, subligaculum: a *περὶ*, circum, et *ζώννυμι*, cingo. *Isid. Or.* 19, 22. Perizoma est succinctorium, quo tantum genitalia conteguntur. Hoc primum primi mortales e foliis arborum sibi fecerunt, quando post praevaricationem erubescentes pudenda velarunt. *F.*]

PERLĂBOR, eris, dep. 3. per aliquem locum labor. *Lucr.* 4, 248. Isque (*aer*) ita per nostras acies perlabitur omnis; et 5, 765. supra solis perlabier orbem. *Virg. A.* 1, 151. Atque rotis summas levibus perlabitur undas; et *ib.* 7, 646. Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.

PERLAETUS, a, um, adj. vehementer laetus. *Liv.* 10, 21. Supplicatioque perlaeta fuit.

PERLAPSUS, a, um, part. a *perlabor*: qui per aliquem locum lapsus est. *Stat. Silv.* 4, 6, 4. haec imos animi perlapsa recessus Inconsumpta manet. *Cic. Tusc.* 1, 12. *med.* Indeque perlapsus ad nos, et usque ad Oceanum Hercules.

PERLĀTIO, onis, f. translatio, verbale a *perfero. Hyg. Astron. praef.* 1. Exinde uniuscujusque signi historias causamque ad sidera translationis ostendimus, *h. e.* causam, ob quam ad sidera perlatum quodque signum est. ℙ Translate est tolerantia. *Lactant.* 5, 22. Patientia est malorum cum aequanimitate perlatio.

PERLĀTOR, oris, m. qui affert. *Ammian.* 21, 16. Perlatore capto. *Sym. ep.* 5, 28. (al. 30.) Perlator harum litterarum. Adde *August. ep.* 146. *extr.* et 199.

[PERLĀTRIX, icis, f. quae perfert. *Ennod. ep.* 1, 22. Perlatrices querelarum litterae. *F.*]

PERLĀTUS, a, um, part. a *perfero*, allatus, illatus. *Virg. A.* 11, 803. Hasta sub exsertam donec perlata papillam Haesit. *Plin.* 34, 6, 15. Lex perlata in aliquem. *Suet. Ner.* 49. Perlatos codicillos praeripuit.

PERLAUDĀBĪLIS, e, adj. valde laudabilis. *Dictys Cret. B. Troj.* 6, 14. Simulacrum formae perlaudabilis.

PERLĀVO, as, avi, atum, a. 1. perfecte lavo. *Tert. Poen.* 4. Te peccatorum fluctibus mersum perlavabit. *Pelag. Vet.* 26. *med.* Ita ut prius scabies ferro erasa perlavetur urina hominis.

PERLAXO, as, a. 1. valde laxo. *Apic.* 7, 7;

PERLĔCEBRA, ae, f. idem ac illecebra. *Pl. As.* 1, 2, 7. Te perdam ego, et filiam, perlecebrae, pernicies, adolescentum exitium. *Id. Bacch.* 5, 2, 47. Eccas tandem probri perlecebras, et persuastrices. ℙ Scribitur et *pellecebra.*

PERLECTIO. V. PELLECTIO.

PERLECTO. V. PROLECTO.

PERLECTUS, a, um, part. a *perlego*, usque ad finem lectus. *Caes. B. G.* 5, 46. Perlectam epistolam in conventu militum recitat. *Ov. Amor.* 1, 11, 19. perlectis rescribat multa jubeto.

PERLĔGO, is, egi, ectum, a. 3. ἐπιλέγομαι, a principio ad finem usque lego. *Cic. Div.* 1, 5. Perlegi, ille inquit, tuum paulo ante tertium de natura Deorum. *Liv.* 38. 28. Censores senatum perlegerunt, *h. e.* omnium senatorum nomina recitarunt. Adde *Sen. ep.* 46. et *Suet. Claud.* 41. ℙ *Perlegere oculis*, lustrare, diligenter intueri, contemplari. *Virg. A.* 6, 33. quin protinus omnia Perlegerent oculis, ni, etc., *h. e.* picturam omnem contemplarentur. *Ov. Fast.* 1, 591. Perlege dispositas generosa per atria ceras. *Stat. Th.* 3, 499. Postquam rite diu partiti sidera, cunctas Perlegere animis oculisque sequacibus auras. ℙ Part. *Perlecturus* ap. *Appul. Flor. n.* 16. Reliquum sine intermissione deincipe die perlecturus. *Perlegendus* ap. *Plin. H. N.* 1. *praef. extr.* Libri perlegendi. ℙ Scribitur et *pellego:* quod et *Prisc.* 2, 571. admonuit. *Pl. Pers.* 4, 3, 27. Tabellas tene has, pellege. Adde *Bacch.* 4, 9, 101.

PERLĔPIDE, adv. valde lepide. *Pl. Cas.* 5, 2, 39. Perlepide narras.

PERLĔPIDUS, a, um, adj. valde lepidus. *Pl. Ps.* 2, 4, 53. Euge perlepide Charine, me meo ludo lamberas. Alii leg. *Eugepae lepide.*

PERLĔVIS, e, adj. valde levis. *Cic. Agr.* 2, 29. An ignoratis cetera illa magnifica populi R. vectigalia perlevi saepe momento fortunae, inclinatione temporis pendere?

PERLĔVITER, adv. valde leviter. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Perleviter commotus; et *Tusc.* 3, 25. *extr.* Perleviter pungit animi dolor.

PERLĪBENTER, adv. valde libenter. *Cic. Univ.* 1. Perlibenter et Nigidium vidi, et cognovi Cratippum; et *Att.* 8, 14. Tecum perlibenter loquor. ℙ Dicitur et *perlubenter.*

PERLIBĔRALIS, e, adj. valde liberalis. *Ter. Hec.* 5, 4, 24. Perliberalis visa est.

PERLIBĔRALITER, adv. valde liberaliter. *Cic. Att.* 10, 4. *med.* Hoc loco multa perliberaliter. Adde *Rosc. Am.* 37.

PERLIBRĀTIO, onis, f. actus perlibrandi. *Vitr.* 8, 6. Perductionis (*aquarum*) prima ratio est perlibratio. V. LIBRATIO et LIBRAMENTUM.

PERLIBRĀTUS, a, um, part. a *perlibro:* aequilibratus, aequatus. *Colum.* 3, 13. *f.* Sic permensum et perlibratum opus in similitudinem vervacti semper procedit. *Id.* 2, 2. Planicies non perlibrata, sed exigue prona. Adde *Vitr.* 8, 6.

PERLIBRO, as, avi, atum, a. 1. διαστα θμίζω, est diligenter ac perfecte mensurare, et ad libram aequare, sive aequalem facere. *Colum.* 3, 13. *f.* Nam stella pariter imae fossae solum metitur atque perlibrat. ℙ Pro librando torquere. *Sil.* 2, 189. saevamque bipennem Perlibrans mediae fronti; et 5, 321. fervidus hastam Perlibrat; et 15, 699. jaculum a tergo perlibrat ad ossa.

[PERLĪCET, ebat, impers. 2. valde licet. *Not. Tir.* p. 35. Licet, perlicet. *F.*]

PERLĬCIO. V. PELLICIO.

PERLĪMO, as, a. 1. *Vitr.* 5, 9. *med.* Ex viridibus subtilis, et extenuatus aer oculorum perlimat speciem, *h. e.* extergit, acutam reddit, et puriorem, quasi lima expoliens.

PERLĪNIO, is, ivi, itum, a. 4. valde linio, multum, perfecte, undique, totum oblinio. *Colum.* 9, 12. Protinus custos novum loculamentum in hoc praeparatum perliniat intus praedictis herbis.

PERLĪNO, is, lĭni, vel lĭvi, vel lēvi, lĭtum, a. 3. idem ac perlinio. *Colum.* 7, 5. *f.* Et tunc pice liquida cum adipe suillo perlinuntur. *Pall.* 3, 30. Insulsa amurca plagae excisio perlinetur.

[PERLIPPĬDUS, a, um, adj. valde lippus. *Plin. Valer.* 1, 34. in lemmate: Ad os salivosum, et perlippidum, *h. e.* valde stillans, et quasi lippiens. *F.*]

PERLĪQUĬDUS, a, um, adj. valde liquidus. *Cels.* 2, 4. *f.* Si quod descendit, est perliquidum.

PERLĬTATUS, a, um. V. in v. sq.

PERLĬTO, as, n. 1. καλλιερέω, perfecte lito, sacrificio facto Deos placo, votumque impetro. *Liv.* 41, 15. Saluti Petilium perlitasse negant. *Valer. Antias* ap. *Gell.* 1, 7. Si hae res divinae factae, riteque perlitatae essent. ℙ Et impers. *Liv.* 36, 1. Ea omnia sacrificia laeta fuere, prius quam hostiis perlitatum est. ℙ Absolute. *Id.* 7, 8. *f.* Diu non perlitatum, tenuerat dictatorem, ne ante meridiem signum dare posset, *h. e.* cum diu perlitatum non esset, id tenuerat dictatorem, ne, etc. [Cum enim hostiae immolatae sinistrum quid in extis suis portenderent, augeri hostias imperabant, *h. e.* majoribus hostiis usque ad litationem (usque dum exta probarentur) sacrificabant. *F.*]

PERLITTĔRĀTUS, a, um, adj. valde litteratus. *Cic. fragm. pro Q. Gall.* ap. *Hieron. ep.* 52. *n.* 8. Homo perlitteratus.

PERLĪTUS, a, um, part. a *perlino*, aspersus, respersus. *Cic. Rosc. Am.* 52. Si non satis habet avaritiam suam pecunia explere, nisi etiam crudelitate sanguinis perlitus sit. Alii leg. *praeditus.* [**Orell.* vulg. serv.] Addunt et *Pl. Cas.* 2, 3, 23., sed ibi quoque plerique al. aliter. Certior est auctoritas *Appul. Met.* 8. Arreptum servulum, nudum ac totum melle perlitum, firmiter alligavit arbori ficulneae.

PERLONGE, adv. valde longe. *Ter. Eun.* 3, 5, 61. Perlonge est, sed tanto ocius properemus.

PERLONGĬNQUUS, a, um, adj. valde longinquus. *Pl. Bacch.* 5, 2, 77. Jam pol id quidem esse haud perlonginquum.

PERLONGUS, a, um, adj. valde longus. *Pl. Trin.* 3, 3, 17. Nunc si opperiri vis adventum Charmidis, perlongum est. *Cic. Att.* 5, 20. *med.* Perlonga, et non satis tuta via. ℙ [*Perlongum* adverbii more, diu. *Auson. epigr.* 1, 7. Tu quoque venturos perlongum consere Janos. *F.*]

PERLŪBENS, entis, part. a *perlubet*, valde lubens, seu gaudens. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *f.* In quibus me perlubente Servius allisus est.

PERLŪBENTER. V. PERLIBENTER.

PERLŪBET, ebat, buit, vel bitum est, impers. 2. vehementer lubet, valde cupio. *Pl. Capt.* 4, 2, 53. Perlubet hunc hominem colloqui. Adde *Rud.* 2, 3, 23. ℙ Part. *Perlubens.* V. s. l.

PERLŪCĔO, etc. V. PELLUCEO, etc.

PERLUCTŪOSUS, a, um, adj. valde luctuosus. *Cic. Q. Fr.* 3, 8. *med.* Serrani funus perluctuosum fuit.

PERLŪDO, is, usi, usum, a. 3. idem ac ludo, aut valde ludo. *Manil.* 5, 81. Obstantemque mora totum perludere circum, *h. e.* ludere per totum circum. Est qui legit *praelidere*, h. e. perstringere, percurrere. Item qui *praecludere.*

PERLŪMINO, as, a. 1. valde illumino. *Tert. Car. Chr.* 4. *med.* Carnem caecam perluminat.

PERLŬO, is, ui, utum, a. 3. idem ac lavo, vel multum lavo: Quid ab *abluo*, *colluo*, *eluo*, *lavo*, *elavo*, *diluo*, *proluo*, *subluo* differat, V. in LAVO. *Ov. Fast.* 5, 435. Cumque manus pure fontana perluit unda. Alii leg. *proluit. Colum.* 12, 20. Cum eam diligenter aqua marina perlueris. *Hor. Ep.* 1, 15, 4. gelida cum perluor unda. *Petr. Sat.* 120. Nec mea Tisiphone sitientes perluit artus. *Caes. B. G.* 6, 20. *extr.* Promiscue in fluminibus perluuntur. *Plin.* 10, 44, 61. Aedem eam madentibus pennis perluunt atque purificant. *Id.* 8, 27, 41. Ibis rostri aduncitate per eam partem se perluens, etc., *h. e.* se purgans. *Colum.* 9, 16. Expressae favorum reliquiae postquam diligenter aqua dulci perlutae sunt. ℙ Ap. *Front. ad M. Caes. l. c.* 4. in LAVO §. 1. legitur pelluere.

PERLUSORIUS. V. PROLUSORIUS.

PERLUSTRĀTUS, a, um, part. a *perlustro*, peragratus. *Vell.* 2, 106. Perlustrata armis tota Germania.

PERLUSTRO, as, avi, atum, a. 1. idem ac lustro, vel diligenter et attente lustro. *Liv.* 7, 33. *f.* Perlustravitque hostium agros. *Id.* 25, 9. Perlustrarentque omnia oculis. *Cic. Part.* 11. Hujus igitur materiae ad argumentum subjectae perlustrandae animo partes erunt omnes. *Colum.* 8, 5. *med.* Paleas, quas substraturi sunt, sulphure et bitumine, atque ardente taeda perlustrant, *h. e.* purgant, expiant. Adde *Stat. Silv.* 4, 3, 143. ℙ Part. *Perlustrans* ap. *Liv.* 23, 46. Hunc cum perlustrans diu oculis obequitasset hostium turmis.

PERLŪTUS, a, um, part. a *perluo:* lavatus. *Appul. Met.* 2. *f.* Anhelans et sudore perlutus.

PERMĀCĔO, es, n. 2. valde maceo. *Enn.* ap. *Fest.* in *Trifax.* Aut permaceret paries percussu' trifaci, *h. e* labefactaretur, debilitaretur.

PERMĀCER, cra, crum, adj. valde macer. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 2. Omnis creta coquit, nisi permacra. *Cels.* 2, 21. Caro domestica permacra.

PERMĀCĔRO, as, a. 1, valde, seu perfecte macero, subigo. *Vitr.* 7, 2. Calculi in opere cum permacerantur, dissolvunt tectorii expolitiones.

PERMADĔFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. valde madefacio. *Pl. Most.* 1, 2, 63. Pro imbre amor advenit, permadefecit cor meum.

PERMĀDĔO, es, ui, n. 2. et

PERMĀDESCO, is, n. 3. valde madeo, διαβρέχομαι. *Colum.* 2, 4. Quasi hibernis pluviis terra permaduerit. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 1010. boum caede permadescitis. ℙ Translate. *Sen. Prov.* 4. Fugite enervatam felicitatem, qua animi permadescunt, *h. e.* debilitantur. *Id. ep.* 20. *f.* Deliciis permaduimus.

*PERMAGNIFĪCUS, a, um, adj. *Vulg. Interpr. Esth.* 2, 18. Permagnificum convivium. *B. A.*

PERMAGNUS, a, um, adj. valde magnus. *Cic. Fin.* 1, 17. Fieri tamen permagna accessio potest. *Caes. B. G.* 7, 31. Sagittariorum permagnus numerus. *Hirt. B. Afr.* 40. Villa permagna. *Cic. Verr.* 2, 1, 10. Permagna hereditas; et *ib.* 2, 3, 39. *extr.* Decumas permagno vendere. *Id. Tusc.* 1, 46. *med.* Permagnum existimans, tres Olympionicas una e domo prodire. *Id. Part.* 24. Quod permagni interest, pro necessario saepe habetur. *Id. Agr.* 2, 1. Hoc tam insigne beneficium, Quirites, cum ad animi mei fructum ac laetitiam duco esse permagnum, tum ad curam sollicitudinemque multo magis. ℙ Tmesis est in illo *ejusd. Att.* 10, 1. Per enim magni aestimo, tibi factum nostrum probari. V. PER.

PERMALĔ, adv. valde male. *Cic. Att.* 1, 19. Sequani permale pugnarunt. Al. leg. *male.* [**Orell. vulg.* retinuit.]

PERMANANTER, adv. καταβρυόντως, permanando, penetrando. *Lucr.* 6, 916. Usque adeo permananter vis pervalet ejus.

PERMANASCO, is, n. 3. idem ac permano, vel incipio permanare. *Pl. Trin.* 1, 2, 118. Unde ad eum id posset permanascere, *h. e.* ad ejus notitiam pervenire.

PERMĀNĔO, es, ansi, ansum, n. 2. διαμένω, καταμένω, usque maneo, duro, persevero. *Cic. Fam.* 5, 2. *f.* Maneo in voluntate, et quoad tu voles, permanebo. *Sall. Jug.* 5. Amicitia Masinissae bona atque honesta nobis permansit, sed imperii vitaeque ejus finis idem fuit. *Ter. Hec.* 3, 1, 25. Ira inter eas intercessit, quae tam permansit diu. *Cic. Tusc.* 1, 45. Mortui cera circumliti, ut quam maxime permaneant diuturna corpora. *Id. Leg.* 2, 15. Athenis jam ille mos a Cecrope permansit. *Ov. A. Am.* 2, 120. Solus ad extremos permanet ille rogos. *Id. Trist.* 4, 10, 73. Ultima, quae mecum seros permansit in annos, Sustinuit conjux exsulis esse sui. *Id. Her.* 5, 6. Ne tua permaneam, quod mihi crimen obest? *Id. Met.* 14, 141. contempto munere Phoebi, Innuba permaneo. *Cic. Att.* 1, 20. In mea pristina sententia permanebo. *Caes. B. G.* 5, 4. Permanere in officio. *Hirt. B. G.* 8, 26. perpetuo in amicitia alicujus. *Cic. Off.* 1, 31. in proposito susceptoque consilio. *Luccej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. *f.* in incepto. *Sen. ep.* 76. *med.* Una indepravata virtus est, et sola permanet tenoris sui. *Cinna* ap. *Suet. Gr.* 11. Saecula permaneat nostri Diana Catonis. ℙ Part. *Permanens* ap. *Liv.* 37, 21. Seleucus in maritima ora permanens. *Permansurus* ap. *Cic. Fin.* 2, 27. Quis enim confidit, semper sibi illud stabile et firmum permansurum, quod fragile et caducum sit?

PERMANO, as, avi, atum, n. 1. καταῤῥέω, penitus mano, penetro, permeo, pervenio, descendo. *Lucr.* 6, 951. per dissepta domorum saxea voces Pervolitant, permanat odos, frigusque, vaposque Ignis. *Id.* 1, 494. Permanet calor argentum, *h. e.* manat per argentum. *Id.* 3, 700. insinuatam Permanare animam nobis per membra solere. *Cic. Cluent.* 62. Celeriusne venenum potuit comesum, quam epotum, in venas, atque in omnes partes corporis promanare? *Id. N. D.* 2, 55. Succus is, quo alimur, permanat ad jecur per quasdam directas vias. ℙ Translate. *Lucr.* 1, 122. Acherusia templa, Quo neque permanent animae, neque corpora nostra, *h. e.* penetrent, adeant, perveniant. *Cic. Tusc.* 2, 18. Conclusiunculae ad sensus permanantes. *Id. Balb.* 25. Ut aliqui sermones hominum etiam ad vestras aures permanarent, et in judicio ipso redundarent. *Id. Rosc. Am.* 24. Ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut, etc. *Id. Tusc.* 4, 1. Pythagorae doctrina cum longe lateque flueret, permanavisse mihi videtur in hanc civitatem. *Pl. Most.* 1, 63. Amor usque in pectus permanavit. ℙ Palam fieri, divulgari. *Pl. Capt.* 2, 1, 29. Ne permanet palam haec nostra fallacia. *Ter. Ad.* 2, 4, 19. Ne aliqua ad patrem hoc permanet.

PERMANSĬO, onis, f. διαμονή, perseverantia. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Nunquam praestantibus in republ. gubernanda viris laudata est in una sententia perpetua permansio; et *Inv.* 2, 54. Perseverantia est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio. *Id. Att.* 11, 18. Quodvis enim supplicium levius est hac permansione.

PERMARĪNUS, a, um, adj. qui mari potens est. *Gloss. Philox.* Permarini, διαπόντιοι: sc. Dii. Hi videntur fuisse appellati etiam *Dii litorales*, et *Lares marini*, quibus nempe vota nuncupabant navigantes. V. LITORALIS. Marinos vero ita memorat *Varr.* ap. *Non.* 14, 8 et 32. Suspendit Laribus Marinis molles pilas, reticula, et strophia. *Foggin ius* ad *Verrii Flacci Fast.* p. 79. probat, iisdem diem sacram fuisse XI. Kalendas Januarias ex *Kalend. Praenestin.*, et ex verbis his *Macr. Sat.* 1, 10. Undecimo Kalend. Januar. feriae sunt Laribus consecratae, quibus aedem bello Antiochi Aemilius Regillus praetor in campo Martio curandam vovit. *Liv.* 40, 52. Idem (*M. Aemilius Lepidus censor* ann. U.

C. DLXXV.) dedicavit aedem Larium Permarinum in campo: voverat eam annis undecim ante L. Aemilius Regillus navali proelio adversus praefectos regis Antiochi: et *mox*, postquam retulit antiquam votivam inscriptionem ibidem positam, ait: Ejus rei ergo aedem Laribus Permarinis vovit. *M. Aurel.* ap. *Front.* ad *M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 3, 9. Nunc redeo Romam, Deosque viales et promarinos (fortasse legendum *permarinos*) votis imploro, ut mihi omne iter tua praesentia comitatum sit. [*Multa hic addidit *F.*]

PERMĀTŪRESCO, is, rui, n. 3. prorsus maturus fio. *Ov. Met.* 4, 165. Nam color in pomo est, ubi permaturuit ater. *Cels.* 2, 24. Oleae, quae in arbore permaturuerunt.

PERMĀTŪRO, as, a. 1. ad perfectam maturitatem perduco. *Hyg. fab.* 136. Morum cum permaturavit nigrum. Alii leg. *permaturuit.*

PERMĀTŪRUS, a, um, adj. valde maturus. *Colum.* 12, 48. Cum jam nigruerint, nec adhuc tamen permaturae fuerint. *Cels.* 6, 13. *f.* Non permatura mandere.

PERMAXĪME, adv. quam maxime. *Cato R. R.* 38. *med.* Austrum caveto permaxime. *Appul. Met.* 10. Metu etiam mortis cruciabar permaxime. Utroque loco al. leg. *maxime.*

PERMAXĪMUS, a, um, adj. *Auct. decl.* quae inscribitur *Tribunus Marianus*, 8. Quid tibi, imperator permaxime, prodest? Sed haec *decl.* nullius est auctoritatis. Non modicam habet *Porc. Latro decl. in Cat.* 21. si salva est lectio: Solitudine locorum permaxima et singulari.

PERMĔĀBĬLIS, e, adj. qui transiri potest. *Solin.* 47. Latitudo vix est plaustro permeabilis.

PERMĔĀTOR, oris, m. qui permeat. *Tert. Apol.* 21. Permeator universitatis spiritus.

PERMĔĀTUS, a, um, part. a *permeo:* transitus. *Ammian.* 21, 13. Permeato amne. Adde 24, 2. *f.*

PERMĔDĬOCRIS, e, adj. πολυμέτριος, admodum mediocris. *Cic. Or.* 1, 51. Permediocres, ac potius leves motus debere esse dicunt.

PERMĔDĬTĀTE, adv. cum diligenti meditatione. *Plauti* exemplum V. in MEDITATE, ubi per tmesim *perquam meditate* legitur.

PERMĔDĬTĀTUS, a, um, part. ab inus. *permeditor. Pl. Ep.* 3, 2, 39. Eam *(fidicinam)* permeditatam meis dolis mittam, *h. e.* probe instructam. Alii rectius leg. *praemeditatam.*

PERMENSIO, onis, f. perfecta dimensio. *Capell.* 7. *in.* Postquam conticuit prudens permensio terrae, *h. e.* Geometria.

PERMENSUS, a, um, part. a *permetior:* qui permensus est. *Cic. Acad.* 4, 41. Vos solis magnitudinem quasi decempeda permensi. ℙ Item peragratus. *Virg. A.* 3, 157. Nos tumidum sub te permensi classibus aequor. *Stat. Silv.* 1, 2, 202. durum permensus iter. *Sen. Herc. Fur.* 393. Illyrica Cadmus regna permensus fuga; et *Oed.* 740. proles Uno aetatem permensa die. Adde *Mart.* 9, 30. ℙ Passive. *Colum.* 3, 13. *f.* Permensum et perlibratum opus. *Tibull.* 3, 3, 9. permenso defunctus tempore lucis, *h. e.* transacto. Alii leg. *praemensae defunctus tempora lucis. Appul. Met.* 8. Aliquanto viae permenso spatio; et *ib.* 10. Gradatim permensis honoribus. [*Emendavit hunc locum *F.*]

PERMĔO, as, avi, atum, n. 1. διαδύνω, meo per aliquam rem, praetergredior, penetro. *Cic. Acad.* 4, 37. *f.* Quod quaedam animalis intelligentia per omnia ea permeet et transeat. *Plin.* 31, 5, 30. Quoniam Alpheus in ea insula sub ima maria permeat. *Id.* 5, 26, 21. Euphrates mediam Babylonem permeans, *h. e.* means per mediam Babylonem. *Ov. Pont.* 4, 11, 15. Dum tua pervenit, dum littera nostra recurrens Tot maria ac terras permeat, annus abit. *Colum.* 8, 15. Anates offenduntur, si non sint libera spatia, qua permeent. *Tac. A.* 15, 9. Saxa et sagitttae longius in hostes permeabant. *Plin.* 10, 29, 41. Larius lacus, ad quem ciconiae non permeant. ℙ Pro simplici ire, aut progredi. *Colum.* 11, 1. *med.* Ut in itinere conficiendo saepe dimidio maturius pervenit is, qui naviter, et sine ullis concessationibus permeabit, quam is, qui cum sit una profectus, umbras arborum, fonticulorumque amoenitatem, vel aurae refrigerationem captavit; sic, etc. [*Permeare* nullo modo pro simplici *meare* positum, sed continuum nulloque impedimento interruptum proficiscendi actum significat.] ℙ Passive impers. *Aurel. Vict. Caesar.* 13. Iter, quo ab usque Pontico mari in Galliam permeatur.

PERMĔRĔO, es, rui, ritum, a. 2. multum et legitime mereo: de militantibus dictum. *Stat. Silv.* 1, 4, 73. sole sub omni Permeruit jurata manus.

PERMESSIS, ĭdis, f. patronym. a *Permessus. Mart.* 1, 77. Quid tibi cum Cirrha? quid cum Permesside lympha? (Alii leg. *Permessidos unda.* V. CIRRHA.) quo pacto accipitur pro Permesse. Adde 8, 70., ubi al. leg. *Parmessis* eod. sensu,

PERMESSĬUS, a, um, adj. ad Permessum pertinens. *Claud. Laud. Seren.* 8. Fons Aganippea Permessius educat unda.

PERMESSUS, i, m. Ἑρμησσός, fluvius Boeotiae, Phoebo et Musis sacer, qui ex Helicone monte ascitur, et in Copaidem lacum apud Haliartum opp. influit. *Virg. Ecl.* 6, 64. errantem Permessi ad flumina Gallum, Aonas in montes ut duxerit una Sororum. V. AGANIPPE.

PERMĔTĬOR, iris, ensus sum, dep. 4. idem ac metior, vel totum metior. V. PERMENSUS. ℙ Item peragro. *Pl. Truc.* 2, 2, 49. Permensus est viam ad vos, *h. e.* confecit, ad vos transiit. *Sen. Consul. ad Polyb.* 36. *med.* Italiae ac Siciliae oras errabundus permetiens. *Vitr.* 9, 4. *med.* Jovis stella CCCLXV. diebus singula signa permetitur. V. PERMENSUS. ℙ In aliis temporibus raro invenitur.

PERMĔTŬENS, entis, part. ab inus. *permetuo.* valde metuens. *Virg. A.* 2, 572. Et poenas Danaum, et deserti conjugis iras Permetuens.

PERMĪLĬTO, as, avi, atum, n. 1. idem ac milito, seu potius justum militiae tempus milito. *Ulp. Dig.* 27, 1, 9. Si tribunus in cohortibus praetoris permilitaverit.

PERMINGO, is, inxi, ictum, n. 3. mingendo conspurco. Translate paedico. *Hor. Sat.* 1, 2, 44. Hunc perminxerunt calones.

PERMĪNĪMUS, a, um, adj. quam minimus. *Juvenc.* 3, 584. Nam multos homines dignatio sancta vocavit, E queis perminimam dignum est secernere partem.

PERMĪNŪTUS, a, um, adj. valde minutus. *Cic. Tusc.* 2, 13. Ut omnia praeterea, quae bona corporis et fortunae putantur, perexigua et perminuta videantur. Alii leg. *minuta.* [*Ita *Orell.* q. v.]

PERMĪRĀBĬLIS, e, adj. valde mirabilis. *August. Genes. ad litt.* 1, 10. Immo vero id ipsum permirabile est.

PERMĪRANDUS, a, um, adj. valde mirandus. Tmesi *Gell.* 3, 6. Per hercle rem mirandam Aristoteles dicit. V. PER. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 27. Serpentium quoque genera permiranda. *B. A.*

PERMĪRUS, a, um, adj. valde mirus, magnopere admirandus. *Cic. Div.* 2, 47. *f.* Ut mihi permirum videatur, quenquam exstare, etc. *Id. Fam.* 3, 10. Illud vero mihi permirum accidit. *Id. Or.* 1, 49. Per mihi mirum visum est.

PERMISCĔO, es, iscui, ixtum, et istum, a. 2. καταμίγνυμι, valde misceo, commisceo, confundo. *Colum.* 12, 24. *extr.* Sextarios musti in id vas perfundere, et ut permisceatur medicamen, rutabulo ligneo peragitare. *Plin.* 28, 17, 67. Uncia in cyathum addatur, rutaeque ramo permisceatur. *Colum.* 2, 2. *med.* Glebas dulci aqua permiscere. *Just.* 36, 4. noxia gramina innoxiis. *Cic. Univ.* 7. naturam cum materia. *Sil.* 15, 717. coelum pelago. *Ov. Met.* 14, 801. generique cruorem Sanguine cum soceri permiscuit impius ensis. *Sil.* 10, 259. aegrum coeptanti attollere corpus Arduus insurgens totum permiscuit ensem, *h. e.* immisit in viscera, et quasi cum iis permiscuit. ℙ Translate. *Cic. Vat.* 5. *f.* Ne tuas sordes cum clarissimorum virorum splendore permisceas. *Id. Or.* 9. Pericles ab Aristophane fulgere, tonare, permiscere Graeciam dictus est. Ita enim *Aristoph. Acarn.* v. 536. Ποτοῦπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα. *Lucan.* 2, 332. geminas (*Marcia*) e sanguine matris Permixtura domos. *Sil.* 13, 385. Fortuna permiscens tristia laetis. [*Lucan.* 7, 100. Ut mallet sterni gladiis, mortemque suorum Permiscere suis: ubi v. *Cort.*] ℙ Pro turbare, confundere. *Cic. Verr.* 2, 2, 50. Non modo illa, quae erant aetatis, ordinis, quaestusque, permiscuit, sed etiam in his duobus generibus delectum ordinemque turbavit. *Id. Planc.* 17. Omnia potius permiscuerunt, quam ei legi conditionique parerent. *Lucan.* 2, 253. mundique ruinae Permiscenda fides. *Virg. A.* 7, 348. Quo furibunda domum monstro permisceat omnem. *Sall. Jug.* 5. Quae contentio divina et humana cuncta permiscuit. Adde *Caes. B. C.* 1, 6. *extr. Flor.* 1, 18. *med.* Omnia gravi timore permiscuit.

PERMISSIO, onis, f. συγχώρησις, actus permittendi, concessio. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. Quod tibi mea permissio mansionis tuae grata est, gaudeo. *Liv.* 37, 7. Ut si dare vere pacem vellent, aut ex summa pecuniae demerent, aut permissionem extra civium corpora fieri juberent, *h. e.* deditionem, qua omnia arbitrio victoris permitterentur, excepto si saevire vellet in corpora. ℙ Apud rhetores est figura sententiarum, Graece ἐπιτροπή, qua orator alicui rei vehementer confidens, dicit, se eam tradere et permittere aliorum voluntati. *Auct. ad Her.* 4, 29. et *Quint.* 9, 2. [*V. *Ernest. Lex. technol. Lat. rhet.* p. 281.]

PERMISSOR, oris, m. qui permittit. *Tert. adv. Marc.* 1, 22. *f.* Mali permissor.

PERMISSUS, a, um, part. a *permitto:* arbitrio alicujus concessus. *Cic. Verr.* 2, 3, 12. Hac licentia permissa. *Id. Sull.* 7. Non institutum est a me regnum, sed non permissum. *Id. Cat.* 1, 2. Senatusconsulto consulibus permissa respublica. *Lucan.* 1, 595. Pontifices, sacri quibus est permissa potestas. *Liv.* 4, 30. Cognitio ejus rei Sergio permissa. *Appul. Apol.* Filia quibusdam etiam procis ad experiendum permissa. ℙ *Permissum*, res permissa, permissio. *Hor. Ep.* 2, 1, 45. Utor permisso. *Inscr.* ap. *Grut.* 80, 13. Ex permisso Aeliorum V. S. L. M. ℙ Immissus, incitatus. *Grat. Cyn.* 227. spatiis permissa Lechaeis Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum Excitat, et primae spes ambitiosa coronae. *Val. Fl.* 1, 574. saevo permissa profundo Carbasa. Possis haec et alio modo intelligere, ut *permissa quadriga* sit *lasciata andare*, et *permissa navis* sit *data in balia del mar crudele.* ℙ Permissus appellatur aries, qui annis compluribus tonsus non est. *Paul.* ex *Festo.*

PERMISSUS, us, m. permissio. *Cic. Har. resp.* 12. Permissu magistratus. *Id. Agr.* 2, 11. legis. *Id. Verr.* 2, 3, 80. tuo. *Liv.* 3, 43. decemvirorum. *Ulp. Dig.* 11, 7, 8. Ait Labeo exspectandum seu permissum pontificalem, seu jussionem principis. (*Torrent.* habet *pontificale.*) *Id. ib.* 42, 1, 15. *extr.* Pecunia etiam citra permissum praetoris solet capi.

PERMĪTIS, e, adj. valde mitis. *Colum.* 12, 41. Sorba non permitia, divisa exemptis seminibus.

PERMITTO, is, isi, issum, a. 3. διαπέμπω, idem quod mitto. *Colum.* 7, 8. *med.* Hoc genus casei potest etiam trans maria permitti. [*Permittere* h. l. est quod nos dicimus, *versenden*, *verschicken*: unde vides, neutiqnam idem esse quod simplex *mitto.*] *Sen. Clem.* 2, 6. Sapiens etiam ad calamitosos bonitatem suam permittet, i. e. transferet. ℙ Item admitto. *Colum.* 6, 24. Mense Julio feminae maribus plerumque permittendae. *Nem. Ecl.* 1, 7. viridique greges permittere campo, Et ros, et primi suadet clementia solis. ℙ Item prorsus mitto, immitto, impello, incito. *Liv.* 3, 61. Concitant equos, permittuntque in hostem. Adde 9, 22. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 710. Equum concitatum princeps ad hostium permittit aciem; et *Hirt. B. G.* 8, 48. Incautius se in hostem permittere; et *Sisenn. l. c.* Multi praemissis armis, ex summo se permitterent. ℙ Item jacio, conjicio. *Lucr.* 4, 688. Hic odor ipse igitur, nares quicumque lacessit, Est alio ut possit permitti longius alter. *Ov. Met.* 12, 282. saxum permittit in hostem. *Sil.* 3, 534. quacumque datur permittere visus. *Hirt. B. G.* 8, 9. Longius tela permittere. *Ov. Met.* 14, 182. Immanem scopulum medias permisit in undas. ℙ Translate. *Gell.* 6, 16. Quispiam tumultuariis et modicis linguae exercitationibus ad famam se facundiae permiserat, i. e. consectatus est famam. ℙ Saepe est sinere, concedere, potestatem facere. *Cic. Fam.* 13, 71. Neque hoc tempore discessisset a me, nisi ego ei permisissem. *Id. N. D.* 3, 1. *f.* Tibi permitto, respondere ne mihi malis, an universam audire orationem meam. *Id. Or.* 2, 90. Quis Antonio permisit, ut partes faceret? *Id. Verr.* 2, 5, 9. Ipsis judicibus conjecturam facere permittam. *Liv.* 35, 20. Consuli permissum, ut duas legiones scriberet. *Id.* 24, 14. De eo permissum ipsi erat, faceret quod e republica duceret esse. Adde 33, 45. *Nep. Con.* 4. Ei permisit, quem vellet, eligere ad dispensandam pecuniam. *Caes. B. C.* 1, 50. Conatus est Caesar reficere pontes: sed nec magnitudo fluminis permittebat, etc. *Liv.* 34, 31. Ibi permisso, ut seu dicere prius, seu audire mallet, ita coepit tyrannus *Lucan.* 7, 731. permittere aliquem vitae. ℙ Passive. *Sen. Ben.* 4, 12. Latronibus circumventum defendo, ut tuto transire permittatur. *Id. Ira* 1, 7. *f.* Animus, si in iram se projecit, non permittitur reprimere impetum. In *aen. Tab. Heracl.* ap. *Mazoch.* p. 465. *n.* 85. Qui permissus est, fuit, uti leges municipibus daret. ℙ Impersonaliter. *Plin.* 4, 14, 28. Si conjectare permittitur. ℙ Item concedere, dare, condonare. *Cic. Sull.* 16. Permitto aliquid iracundiae tuae, do adolescentiae, cedo amicitiae, tribuo parenti. *Id. Sext.* 33. *extr.* Inimicitias cum aliquo susceptas patribus conscriptis, et temporibus reipublicae permittere. *Virg. A.* 4, 640. rogum permittere flammae. ℙ Item committere, deferre, arbitrio alicujus tradere. *Cic. Q. Fr.* 2, 9. Totum ei negotium permisi, meque in ejus potestate dixi fore. *Id. Agr.* 2, 13. Permittere alicui potestatem infinitam innumerabilis pecuniae. *Id. Font.* 14. aliquem judicum potestati. *Id. Dom.* 21. *med.* alicui omnia. *Sall. Jug.* 110. *extr.* agendarum rerum, et quocumque modo belli componendi licentiam alicui. *Caes. B. C.* 1, 36. alicui summam belli administrandi. *Id. B. G.* 5, 3. *extr.* Suas civitatisque fortunas ejus fidei permissurus. ℙ *Permittere sibi*, sibi potestatem arrogare. *Quint.* 1, 4. Grammatici libros, qui falso viderentur inscripti, tanquam subditicios, submovere familia, permiserunt sibi. ℙ *Permittere habenas equo* ap. *Sen. Hippol.* 1006. et *Tibull.* 4, 1, 92. dare habenas equo; et *permittere vela ventis* ap. *Quint. in ep. ad Tryphon.* est dare vela ventis. Sic *classem ventis permittere*, ap. *Plin. Pan.* 35. ℙ *Permittere se* dicuntur, qui se dedunt. *Caes. B. G.* 2, 3. Legatos ad eum miserunt, qui dicerent, se suaque omnia in fidem atque potestatem populi R. permittere; et *ib.* 31. Se suaque omnia eorum potestati permittere dixerunt. *Liv.* 36, 28. Aetolos se suaque omnia fidei populi R. permittere; et *ib.* 35. Ut mittere legatos Romam possitis, per

quos senatui de vobis permittatis. *Id.* 8, 20. Ipsi se in deditionem consulis caduceum praeferentes permiserunt. *Vell.* 2, 37. Se, regnumque ditioni ejus permisit. *Liv.* 31, 17. Quibus cum Philippus nihil pacati, nisi omnia permittentibus, respondisset, etc.

PERMIXTĒ et Permiste, adv. permiscendo. *Cic. Part.* 7. Permixte aliquid dicere. *Id. Inv.* 1, 22. *f.* Si genera ipsa rerum ponuntur, neque permixte cum partibus implicantur.

PERMIXTIM et Permistim, adv. permixte. *Prud. περὶ στεφ.* 11, 191. Conglobat in cuneum Latios simul, ac peregrinos Permixtim populos. *Justin. Institut.* 2. *tit.* 20. §. 3. Permixtim exponere.

PERMIXTIO et Permistio, onis, f. *διάμιξις*, idem ac mistio, et ipsae res permixtae. *Cic. Univ.* 12. Superiorisque permistionis reliquias fundens aequabat. *Pall.* 11, 20. Decoques, donec tota permixtio pinguedinem puri mellis imitetur. ℙ [*Translate est perturbatio. Huc pertinet locus, quem *Forc.* perperam antecedenti §. adscripserat:] *Aurel. Vict. Caes.* 41. *med.* Cujus gratia reipublicae permixtionem fore, ostentorum mira prodidere, i. e. confusionem, turbas, discordias.

PERMIXTUS et Permistus, a, um, part. a *permisceo:* valde mixtus, confusus, admixtus. *Cic. Or.* 57. *f.* Omnes in oratione esse quasi permixtos et confusos pedes; et *ib.* 56. Intervallorum longorum et brevium varietate implicata atque permixta oratio; et 57. *f.* Oratio permixta et temperata numeris. *Id. Planc.* 38. Fructus magna acerbitate permixtos tuli. *Caes. B. G.* 7, 62. Sic cum suis fugientibus permixti, ab equitatu sunt interfecti. *Plin.* 36, 19, 34. Gagates lapis cerae permixtus strumis medetur. *Id.* 12, 19, 42. Aethiopia Troglodytis connubio permixta; et *Lucr.* 3, 644. et 5, 1312. Permixta caedes, *h. e.* promiscua.

PERMŌDESTUS, a, um, adj. admodum modestus. *Cic. Cat.* 2, 6. Homo enim videlicet timidus, et permodestus vocem consulis ferre non potuit. Adde *Att.* 4, 8. Sic *Tac. A.* 1, 7. Verba edicti fuere pauca, et sensu permodesto.

PERMŌDICĒ, adv. valde modice, valde parum. *Colum.* 5, 11. Medium truncum acuto scalpello permodice findito.

PERMŌDICUS, a, um, adj. *πολυπαύρος*, valde modicus. *Suet. Aug.* 6. Locus permodicus, et cellae penuariae instar. *Id. Tib.* 47. Permodica res familiaris. *Ulp. Dig.* 11, 7, 20. *f.* Si dos, quia permodica fuit, in funus non sufficit.

PERMOESTUS, a, um, adj. valde moestus. *Dictys Cret. B. Troj.* 1, 23. Eum interitu filiae permoestum consolati. *Paul. Petr. Vita S. Mart.* 5, 712. Nam cum Treverica permoestus ab urbe rediret.

PERMŌLESTĒ, adv. valde moleste. *Cic. Verr.* 2, 4, 58. *f.* Archimedem cum audisset interfectum, permoleste tulit. Adde *Att.* 15, 17.

PERMŌLESTUS, a, um, adj. vehementer molestus. *Cic. Att.* 1, 18. Atque hi non sunt permolesti.

PERMOLLIS, e, adj. valde mollis. *Quint.* 9, 4. *med.* Quod etiam in carminibus est permolle.

PERMŌLO, is, a. 3. valde molo. *Ser. Samm.* 19, 334. Allia parva novem, piperis tot permole grana. ℙ Translato et obsceno sensu. *Hor. Sat.* 1, 2, 34. Huc juvenes aequum est descendere, non alienas Permolere uxores, *h. e.* subagitare. V. MOLO.

PERMONSTRANS, antis, part. ab inus. *permonstro*, monstrans, commonstrans. *Ammian.* 18, 6. Erupisse hostium manus, permonstrantes.

[PERMŌRIOR, eris, dep. 3. idem fere ac morior. *Commod. Instruct.* 27. Stulte, non permoreris. Adde 29. *F.*]

[PERMŌROR, aris, dep. 1. multum, vel diu moror. *Not. Tir.* p. 104. Mora, moratur, commoratur, demoratur, remoratur, permoratur. *F.*]

[PERMŌTĀTUS, a, um, part. ab inus. *permoto*, valde motatus. *Commod. Instruct.* 12. Vino permotati honorem illi *(Baccho)* dedere. *F.*]

PERMŌTIO, onis, f. *καταχίνησις, παρόρμησις*, commotio, motus, perturbatio. *Cic. Div.* 2, 3. Mentis permotione magis, quam natura haec sentimus. ℙ Speciatim dicitur de perturbationibus animi. *Cic. Acad.* 4, 44. Atque illi quidem etiam utiliter a natura dicebant permotiones istas animis nostris datas.

PERMŌTUS, a, um, part. a *permoveo:* valde motus, commotus. *Lucr.* 6, 726. Cum mare permotum ventis ruit intus arenam. ℙ Saepe refertur ad animum. *Caes. B. G.* 1, 3. His rebus adducti, atque auctoritate Orgetorigis permoti. *Cic. Att.* 10, 4. *med.* Haec sive iracundia, sive dolore, sive metu permotus, gravius scripsi, quam, ut, etc. *Sall. Cat.* 34. Plebes aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum. *Petr. Sat.* 101. Permotus misericordia. *Stat. Th.* 12, 589. lacrimis. *Tac. A.* 1, 61. ad miserationem exercitus; et *H.* 1, 64. animus in gaudium, aut formidinem. ℙ *Permotus mente*, turbatus, dejectus, insanus. *Cic. Div.* 1, 57. Quod maxime contingit aut dormientibus, aut mente permotis.

PERMŌVĒO, es, ōvi, ōtum, a. 2. *διασείω*, valde, aut diligenter moveo. *Colum.* 2, 12. Plana sarritione terram permovere. *Pall.* 11, 14. Resinae uncias tres dolio immergunt, et permovent. ℙ Saepe refertur ad animum. *Sall. Cat.* 50. Quem res tanta atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet? *Caes. B. C.* 3, 9. Cum neque pollicitationibus, neque denunciatione periculi permovere posset, oppidum oppugnare statuit. *Id. B. G.* 7, 40. Adhortatus milites, ne necessario tempore itineris labore permoveantur; et *ib.* 53. Confirmatis militibus, ne ob hanc causam animo permoverentur. *Cic. Verr.* 2, 3, 62. Si quem aratorum fugae, calamitates, exsilia, suspendia denique non permovent; et *Or.* 38. Miseratione mens judicum permovenda est. *Id. Or.* 2, 45. *med.* In commovendis judicibus, iis ipsis sensibus, ad quos illos adducere volo, permoveor. *Tac. A.* 1, 21. Nihil reliqui faciunt, quo minus invidiam, misericordiam, metum, et iras permoverent. *Claud. VI. cons. Honor.* 368. Nec duras tantis precibus permovimus aures? *Tac. A.* 4, 57. Causam abscessus *(Tiberii)* ad Sejani artes retuli: quia tamen, etc. plerumque permoveor, num ad ipsum referri verius sit.

PERMULCĒO, es, si, sum, et ctum, a. 2. *καταψάω*, leniter contrecto, et destringo, demulceo. *Pacuv.* ap. *Gell.* 2, 26. Cedo tamen pedem lymphis flavis, flavum ut pulverem manibus iisdem, quibus Ulyssi saepe permulsi, abluam. Adde *Catull.* 64, 162. *Suet. Ner.* 1. Permulcere alicui malas. *Ov. Fast.* 4, 550. Triptolemum gremio sustulit illa suo, Terque manu permulsit eum. *Id. Met.* 2, 733. Permulcetque comas, chlamydemque ut pendeat apte, Collocat; et *ib.* 1, 716. firmatque soporem, Languida permulcens medicata lumina virga. *Liv.* 5, 41. Permulcens barbam. ℙ Translate. *Cic. in Arat. N. D.* 2, 44. Aram, quam flatu permulcet spiritus austri, *h. e.* leniter afflat. *Pall.* 10, 11. Cera picem lenitate permulcet. ℙ Saepe ad animum refertur, et est delinire, solari, mitigare, placare. *Cic. Fin.* 2, 10. *f.* Permulcere sensum voluptate. *Id. Or.* 49. Duae sunt res, quae permulceant aures, sonus, et numerus. *Id. ib.* 2, 78. Prima est quasi cognitio, et commendatio orationis in principio, quae eum, qui audit, permulcere atque allicere debet. *Liv.* 3, 14. *f.* Paulatim permulcendo tractandoque mansuefecerant plebem. *Cic. Sen.* 2. Praeterita aetas, quamvis longa, cum effluxisset, nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem. *Liv.* 39, 23. et 25. Cum leniter permulsissent iram ejus. *Sil.* 13, 343. malamque Sedavit rabiem, et permulsit corda furentum. *Tac. A.* 2, 34. Mitibus verbis permulcere aliquem; et *ib.* 1, 29. comitate militem. *Val. Max.* 2, 4. *n.* 4. Ludii decora pernicitas novitate grata Romanorum permulsit oculos.

PERMULCTUS, a, um, part. a *permulceo. Sall. fr.* ap. *Prisc.* 9, 871. Dein, lenita jam iura, postera die liberalibus verbis permulcti sunt. *Gell.* 1, 11. Si permulcti sonis mitioribus non immodice ferocirent. Alii leg. *permulsi.*

PERMULSIO, onis, f. actus permulcendi. V. *Nonii l. c.* in MANSUETUS.

PERMULSUS, a, um, part. a *permulceo*, idem ac permulctus. *Auct. ad Her.* 3, 12. Arteriae leni voce permulsae. *Caes. B. G.* 4, 6. Eorum animis permulsis et confirmatis. *Cic. fr.* ap. *Prisc.* 9, 871. Permulsa, atque recreata est. *Varro ib.* Capite permulso. *Capell.* 9, 312. Talibus carminibus oblectati omnes permulsique Divi. *Catull.* 64, 283. Hos *(flores)* indistinctis plexos tulit ipse corollis, Queis permulsa domus jucundo risit odore.

PERMULTO, et

PERMULTUM, adv. *Cic. Div.* 2, 61. Permulto clariora et certiora esse dicit. *Id. Fam.* 3, 11. De qua etsi permultum ante certior factus eram litteris, nunciis, etc. *Id. Off.* 1, 8. *med.* In omni injustitia permultum interest, utrum, etc.

PERMULTUS, a, um, adj. valde multus. *Varr. L. L.* 7, 1. Habet permultas, et magnas partes. *Cic. Leg.* 3, 14. Permulti imitatores principum exsistunt. *Hor. Sat.* 1, 4, 97. causaque mea permulta rogatus Fecit. *Pl. Bacch.* 2, 3, 86. Eo ego nescio quantulum attulerit: verum haud permultum attulit. *Cic. Fam.* 5, 16. *med.* Permultum erit ex moerore tuo diminutum.

*PERMUNDO, as, a. 1. perfecte mundo. *Theod. Prisc.* 1, 19. *B. A.*

PERMUNDUS, a, um, adj. valde mundus. *Varr. R. R.* 3, 7. de columbis: Aquam esse oportet, ubi lavari possint: permundae enim sunt hae volucres.

PERMUNIO, is, ivi, itum, a. 4. absolvo quod munire coeperam: item probe munio. *Liv.* 30, 16. Ad Tuneta castra refert, et quae munimenta inchoaverat, permunit. *Just.* 24, 7. *med.* Urbem suam Delphi permunivere. *Tac. A.* 4, 24. Locorum opportuna permunivit.

PERMUNITUS, a, um, part. a *permunio*, probe munitus. *Liv.* 7, 16. Cum ante moenia sua castris permunitis consedissent. *Tac. A.* 2, 7. *extr.* Cuncta novis limitibus aggeribusque permunita. *Just.* 2, 15. Permunitas Athenas esse, et posse jam illatum bellum non armis tantum, sed etiam muris sustinere, i. e. perfectas esse Athenarum munitiones. V. v. praec.

PERMŪTĀTIO, onis, f. *διάλλαγμα*, mutatio. *Cic. Sext.* 34. Magna rerum permutatione impendente, declinavi paululum. Al. leg. *perturbatione. Id. Par.* 6. *f.* Virtus nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur. ℙ Item *Umtausch*, cum una res pro alia datur, accipiturve, ut fit in mercibus. *Paul. Dig.* 19, 5, 5. Si pecuniam dem, ut rem accipiam, emptio, et venditio est: si autem rem do, ut rem accipiam, quia non placet, permutationem rerum emptionem esse, dubium non est, nasci civilem obligationem. *Cic. Pis.* 21. Cum partim ejus praedae profundae libidines devorassent, partim etiam in illis locis emptiones, partim permutationes ad hunc Tusculanum montem exstruendum. *Papin. Dig.* 30, 1, 51. Haec res permutationem non recipit. *Juven.* 6, 652. similis si permutatio detur, Morte viri cupiant animam servare catellae, *h. e.* ut alter pro altera mori possit. ℙ *Permutatio pecuniae* est *Geldwechsel. Cic. Fam.* 3, 5. *med.* Perpaucos dies, dum pecunia accipitur, quae mihi ex publica permutatione debetur, commorabor. *Id. Att.* 5, 13. Facere permutationem cum aliquo. V. PERMUTO. ℙ Ap. rhetores est oratio aliud verbis, aliud sententia demonstrans. Ea dividitur in tres partes, similitudinem, argumentum, contrarium. *Auct. ad Her.* 4, 34. V. [*V. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 281. sq.]

PERMŪTĀTUS, a, um, part. a *permuto:* mutatus. *Lucr.* 1, 826. Tantum elementa queunt, permutato ordine solo. *Plin.* 19, 6, 32. Sequenti anno, permutata ratione, semen gignitur, caput ipsum corrumpitur. *Mart.* 9, 23. Quem permutatum nec Ganymede velim. ℙ Item comparatus, emptus. *Plin.* 19, 1, 4. Quaternis denariis scripula byssini permutata quondam, ut auri, reperio. V. v. sq.

PERMŪTO, as, avi, atum, a. 1. *ἀνταλλάττω, ἀμείβω*, idem quod muto, aut prorsus muto. *Cic. Cat.* 2, 7. Si Catilina subito pertimuerit, sententiam permutaverit. Al. leg. *mutaverit. Petr. Sat.* 107. Vultum qui permutat, fraudem parat. *Plin. ep.* 9, 40. Cognovisti quemadmodum in Tuscis otium aestatis exigerem: requiris, quid ex hoc in Laurentino hieme permutem. *Plin. alter* 5, 3, 2. Numidae dicti Nomades a permutandis pabulis. *Id.* 28, 2, 4. Magnarum rerum fata et ostenta verbis permutari. *Pl. Capt.* 3, 5, 19. Nomina inter vos permutastis; et *Pers.* 4, 5, 8. At ne cum argento protinam permutes domum, *h. e.* in aliam domum divertas. *Plin.* 11, 37, 80. Lien cum jecore locum aliquando permutat. *Mart.* 6, 93. Virus ut hoc alio fallax permutet odore. *Cic. Leg.* 3, 9. C. vero Gracchus runis, et emissiciis, quas ipse se projecisse in forum dixit, quibus digladiarentur inter se cives, nonne omnem reipublicae statum permutavit? *h. e.* perturbavit. ℙ Frequenter refertur ad contractum permutationis, quo merx pro merce datur, et accipitur. *Mart.* 1, 42. Qui pallentia sulphurata fractis Permutat vitreis. *Plin.* 34, 17, 48. India neque aes, neque plumbum habet, gemmisque suis ac margaritis haec permutat. ℙ Hinc ponitur pro emere: ductum ab antiquo more, quo ante inventam pecuniam, omnes emptiones venditionesque permutatione peragebantur, quod et Trojanis temporibus factitatum, *Homerus* ap. *Plin.* 33, 1, 3, tradit. *Id.* 6, 31, 36. Insula adeo dives, ut equos incolae talentis auri permutarent. *Id.* 35, 9, 36. *n.* 2. Zeuzis donare opera sua instituit, quod ea nullo satis pretio permutari posse diceret. *Id.* 12, 21, 45. Serichatum permutatur in libras denariis sex. *Id.* 33, 3, 13. Placuit, denarium sedecim assibus permutari. ℙ *Pecuniam permutare* dicitur, qui pecuniam dat cuipiam, a quo solvatur alteri nomine suo, vel alibi sibi: et qui pecuniam accipit ab aliquo cum onere eam reddendi alteri nomine ejus, a quo accepit, vel illi ipsi alio loco. *Cic. Fam.* 2, 17. *med.* Ait se curasse, ut cum quaestu populi permutaretur. *Id. Att.* 12, 24. De Cicerone tempus esse jam videtur: sed quaero, quod illi opus erit Athenis, permutari ne possit, an ipsi ferendum sit; et *ib.* 15, 15. *f.* Velim cures, ut permutetur Athenas, quod sit in annuum sumptum ei. Alii leg. *Athenis*; et *ib.* 5, 15. Vereor, ne illud, quod tecum permutavi, versura mihi solvendum sit, *h. e.* quam pecuniam a te accepi, solvendam hic tuis procuratoribus. *Manut.* ℙ Denique *permutare* interdum est vertere, convertere. *Plin.* 16, 40, 77. Rigorem fortissime servat ulmus: ob id cardinibus, crassamentisque portarum utilissima, quoniam minime torquetur: permutanda tantum sic, ut cacumen ab inferiore sit cardine radix superior. *Id.* 17, 11, 16. Permutantes arborem in contrarium.

PERNA, ae, f. *πέρνα, κωλεὰ, ἡ*, et *κωλὴν, ῆνος*, coxa suis usque ad poplitem: vox Etrusca; eodem enim sensu legitur in *Tab. Eugub.* ap. *Lanzi, Sagg. di ling. Etr. T.* 2. p. 712., qui *ib.* et p. 679. et sq. putat, *perna* dici pro *pesna*, derivari autem ab antiquo *pesnis* pro *penis*, quia perna tum peni, tum caudae est proxima: hinc *offa penita* est absegmen carnis suillae ex perna simul cum cauda. Porro

Varr. L. L. 6, 3. docet, in quibusdam vocabulis vetustiores Latinos *s* pro *r* usurpasse, recentiores vero interdum *r* extrivisse, ut *Lases* pro *Lares*, et *Camenae* pro *Casmenae*. Nihili itaque est facienda ejusd. *Varr.* auctoritas, qui *ib.* 4, 22. *med.* pernam a pede derivat. Graeci recentiores a Latinis eam vocem mutuati, *πέρνα* dixerunt: cum antiquiores *κωλῆ* seu *κωλῆν* perpetuo usurpaverint. Hinc *Hesych. Κωλεὰ, σκέλος ὑὸς ὀπίσθιον. Plin.* 8, 51, 77. Castrantur feminae (*sues*) post bidui inediam suspensae pernis prioribus, vulva recisa. Alii rectius leg. *primoribus*, *h. e.* summis. Hic enim *Plin.* vertit ea verba *Arist. Hist. anim.* 9, 50. *Ἐκτέμνεται δὲ ἡ καπρὶὰ τῶν θηλειῶν ὑῶν νευστάσασα δύο ἡμέρας· εἶτα χρεμάσαντες τῶν ὀπισθίων σκελῶν* etc. ℙ Usurpatur praecipue de coxa suis salida in usum cibi. *Pollux Onom.* 6, 9. §. 52. *Κωλῆνες τεταριχευμένοι, σκελίδες ὁλόκνημοι, αἱ πέρναι. Id. ib.* 2, 4. §. 193. *Σκελὶς, ἡ νῦν καλουμένη πέρνα. Cato R. R.* 158. Addito ungulam de perna; si ungulam non habebis, addito de perna frustum pondo semis, quam minime pingue; et 162. Pernam salire sic oportet. Cum pernas emeris, ungulas earum praecidito. Ubi jam dies quinque in sale fuerint, eximito omnes cum suo sale, suspendito in vento biduum; et *mox:* Suspendito in fumo biduum; et *mox.* Suspendito in carnario. *Pl. Pers.* 1, 3, 25. Pernam quidem jus est apponere frigidam postridie. *Mart.* 10, 48. Pullus ad haec, coenisque tribus jam perna superstes Addetur. *Hor. Sat.* 2, 2, 117. praeter olus fumosae cum pede pernae, *h. e.* eum parte extrema, eaque sicciore, quam *Id. ib.* esse ait cibum coloni. *Coel. Sympos. aenigm.* 83., cujus lemma est *Perna.* Una mihi soror est, plures licet esse putentur, *h. e.* altera ejusd. porci perna mea soror est, quamvis pernae omnes aliorum porcorum haberi pro sororibus possint. *Apic.* 8, 1, *f.* Perna aprina ita impletur recens. Per articulum pernae palum mittes ita, ut cutem a carne separes, ut possit condimentum accipere per cornulum, ut universa impleatur. *Per articulum pernae* est, juxta, secundum os pernae. ℙ Ex pernae osse combusto optimum fiebat dentifricium. *Plin.* 28, 11, 49. Eundem dentifricii usum praebent ossa ex acetabulis pernarum, circa quae coxendices vertuntur. *Marc. Emp.* 13. Pernae scrofinae os, quod est amplissimum, combustum tritumque optimum et salubre dentifricium praestat. ℙ Aliquando perna differt a petasone; quandoque enim petaso, qui recens salitus, et nondum siccatus comedi solebat, habetur pro parte pernae, quatenus illa est tota coxa suis usque ad poplitem, iste vero ejus pars carnosa, et quidem lautior, et mollior circa coxendicem; ideo autem petaso vocatur, quia ita expansus est, ut petasi quandam figuram referat. Hinc *Athenaeus* 14, 21. *med. Ἐπεὶ δὲ καὶ πετασῶνος μέρος ἑκάστῳ κεῖται, ἣν πέρναν καλοῦσιν, h. e.* deinde vero etiam petasonis pars unicuique apponitur, quam pernam (*Latini*) vocant. *Mart.* 13, 54., cujus lemma est *Perna:* Cerretana mihi fies, vel massa licebit De Menapis: lauti de petasone vorent. *Id. ib.* 55., cujus lemma est *Petaso:* Musteus est: propera, caros nec differ amicos: Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil. *Id.* 3, 77. Et pulpam dubio de petasone voras. *Apic.* 5, 3. Pulpa petasonis. *Id.* 7, 9. pernam a petasone distinguit, et musteos petasones coquere, et parare docet. *Edict. Dioclet.* p. 14. Pernae optimae petasonis sive Menapicae, sive Cerretanae Ital. P. unum ℔ viginti, *h. e.* pondo unum (seu *libra una*) Italicum pernae optimae ex petasone etc. ℙ Ex *Petr. fragm. Trag.* 56. *Burm.*, ubi coena Trimalchionis describitur, patet, olim apud Romanos pernas integras ac inargentatas in mensam afferri solitas. V. ARGENTABULUM. Idem ex eo etiam confirmatur, quod e ruinis Herculanensibus eruta est paucis abhinc annis perna aere ductili fabrefacta, quae argenteae bracteae, qua tota fuerat obducta, vestigia adhuc servat, et in parte interiore horologium sciothericum delineatum exhibet. V. *Pitture d'Ercolano T.* 3. *in praef.* p. 1. et sqq. ℙ Perna etiam dicitur coxa hominis. *Enn.* ap. *Fest.* in *Suppernatus:* his (*militibus*) pernas succidit iniqua superbia Poeni, *h. e.* Annibalis. Hic agitur de pugna Cannensi, de qua ita *Liv.* 22, 51. Quosdam et jacentes vivos, succisis feminibus poplitibusque, invenerunt. V. SUPPERNATUS. ℙ Item genus quoddam marinae conchae, quae et pinna vocatur. *Plin.* 32, 11, 54. Appellantur et pernae concharum generis, circa Pontias insulas frequentissimae. Stant veluti suillo crure longo in arena defixae, hiantesque, qua limpitudo est, pedali non minus spatio, cibum venantur. Dentes in circuitu marginum habent pectinatim spissatos: intus pro spondylo grandis caro est. ℙ Item arborum surculus. *Id.* 17, 10, 13. Stolones cum perna sua avel luntur, partemque aliquam e matris quoque corpore auferunt secum fimbriato corpore. *Cum sua calce* dixit *Id. ib.* 35. *n.* 3. Malleolus avelli cum sua calce coeptus est. ℙ Est etiam convicium hominis fatui, ap. *Pl. Truc.* 2, 7, 39. Observavi, quem pernam novi, hominem nihili. *Bothe* tamen ita rectius ex MSS. edidit: Observavi, inquam, perulam. *Ge.* Novi hominem nihili. [*Hujus loci *F.* ita curam gessit, ut adjectis suis doctissimis iisque elegantissimis emendationibus prorsus novum ejus ordinem constituerit.]

[PERNĀRIUS, ii, m. pernarum venditor. *Inscr.* in *Giorn. Arcad. T.* 28. p. 358. Valerius Felicissimus pernarius. *F.*]

[PERNARRO, as, a. 1. totum narro. *Gloss. Phil.* Pernarro, *ἀφηγοῦμαι. F.*]

PERNĀVĪGĀTUS, a, um, part. ab inusit. *pernavigo*, navigando peragratus. *Plin.* 2, 67, 67. Pars tota vergens in Caspium mare pernavigata est Macedonum armis.

PERNĔCESSĀRĬUS, a, um, adj. admodum necessarius. *Cic. Att.* 5, 21. Non esse Romae meo tempore pernecessario: submoleste fero. ℙ Pro valde conjuncto et propinquo. *Cic. Fl.* 6. Contendisse a Laelio paterno amico ac pernecessario.

[PERNĔCESSĔ, adj. n. indecl. idem ac pernecessarius. V. NECESSE. *Cic. fragm. or. pro Tull.* (ed. *A. Peyronio*) 49. Istae ipsae leges, quas recitas, significant, quam noluerint majores nostri, nisi cum pernecesse esset, hominem occidi. *F.*]

PERNĔCO, as, avi, atum, a. 1. idem quod neco, aut prorsus neco. *Sil.* 4, 608. Experiar, sit ne in terris, domitare quod ensis Non queat Ausonius, Tyrrhenave pernecet hasta. Alii rectius leg. *permeet. August. serm.* 17. (al. 21.); de Temp. Diabolum cum suis legionibus pernecavit. In Edit. *Monachor. S. Mauri* est 120. in Appendice, et *Augustini* esse negatur.

PERNĔGO, as, avi, atum, a. 1. *ἐξαρνέομαι*, prorsus nego, constanter nego. *Pl. Aul.* 4, 10, 34. Negas? *Ly.* pernego imo. *Cic. Coel.* 27. Imploraret hominum fidem, atque a se illa pyxidem traditam pernegaret. *Ter. Eun. prol.* 33. Sed eas fabulas factas prius Latinas, scisse se, id vero pernegat. *Pl. As.* 2, 2, 56. Pernegabo, atque obdurabo, perjurabo denique. *Id. Men.* 2, 3, 62. Hercle omnino pernegari non potest. *Sen. Ben.* 5, 17. Catoni populus R. praeturam negavit, consulatum pernegavit, *h. e.* semel negavit praeturam, at postea dedit: consulatum vero nunquam. Sic *Mart.* 4, 82. Negare jussi, pernegare non jussi.

PERNĔO, es, evi, a. 2. idem quod neo, vel totum pensum neo. *Mart.* 1, 89. Cum mihi supremos Lachesis perneverit annos.

PERNĔTUS, a, um, part. a *perneo*, absolute netus. *Sidon. carm.* 15, 167. vitam Rumpere Parcarum vellere in ipso Nondum pernetam.

PERNĬCĬĀBĬLIS, e, et

PERNĬCĬĀLIS, e, adj. *ὀλέθριος*, perniciem afferens, mortem inferens, exitiabilis, noxius, mortifer, perniciosus. *Lucr.* 1, 451. Conjunctum est id, quod nunquam sine perniciali Discidio potis est sejungi, seque gregari. *Liv.* 27, 23. Pestilentia gravis incidit in urbem, quae tamen magis in longos morbos, quam in perniciales evasit. *Plin.* 8, 5, 5. Pernicialia proelia. *Id.* 24, 1, 1. odia. *Tac. A.* 4, 34. Id perniciabile reo. *Curt.* 7, 3. Nix plurimorum oculis perniciabilis.

PERNĬCĬES, ei, f. *ὄλεθρος*, exitium, interitus, ruina, labes, pestis, calamitas: a *per* et *nex*, *necis. Nep. Thras.* 2. Quae res et illis contemnentibus perniciei, et huic despecto saluti fuit. *Cic. Cat.* 4, 5. Cum de pernicie populi R., et exitio hujus urbis tam crudeliter cogitarit. *Id. ib.* 1, 5. Videbam, perniciem meam cum magna calamitate reipublicae esse conjunctam; et *ib.* 2. Intestinam aliquam quotidie perniciem reipublicae moliens; et *ib.* 13. Hisce omnibus, Catilina, et cum tua peste ac pernicie, cumque eorum exitio, qui se tecum junxerunt, proficiscere. *Id. Verr.* 1, 1. Labes atque pernicies provinciae Siciliae. *Id. Mur.* 28. Incumbere ad perniciem alicujus. *Id. Dom.* 35. Depellere perniciem a patria. *Sall. Cat.* 18. machinari cuipiam. *Phaedr.* 2, 4. alicui parare. *Tac. A.* 1, 74. invenire sibi, et aliis. *Cic. N. D.* 3, 28. Spe dubiae salutis in apertam perniciem incurrere. *Plin.* 28, 8, 30. Plus quam drachmae pondere potum perniciem affert. *Phaedr.* 4, 12. Ad perniciem agi. *Plin.* 24, 16, 94. in perniciem. *Just.* 39, 5. Vires suas in perniciem mutuam converterunt. *Tac. A.* 11, 37. Pernicies in accusatorem vertit. *Phaedr.* 1, 20. Stultum consilium ad perniciem mortales devocat. *Tac. H.* 3, 27. Primo sagittis saxisque eminus certabant, majore Flavianorum pernicie. *Plin.* 24, 11, 62. Hanc herbam contra omnem perniciem habendam prodidere, *h. e.* contra venena, maleficia, morbos. *Colum.* 1, 5. Coelestis aqua maxime salubris intelligitur, quod etiam venenati liquoris eluit perniciem. *Catull.* 27, 5. hinc abite lymphae, Vini pernicies. *Pl. Bacch.* 4, 7, 29. Magno in periculo, et pernicie esse, *h. e.* calamitate, aerumna. [*— Notandus hujus vocis usus est etiam his locis: *Cic. Or.* 2, 9. eadem facultate (oratoris) et fraus hominum ad perniciem et integritas ad salutem vocatur: ubi *pernicies* de poena ex condemnatione dictum docet *Schütz.* in *cl. Cic.* Porro *Off.* 3, 15, 62. Haec igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant: ubi *pernicies* pro opinione perniciosa dictum. V. *Beier.*] ℙ De homine pernicioso et exitiabili. *Pl. Ps.* 1, 3, 130. et *Ter. Ad.* 2, 1, 34. Leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium. *Pl. Most.* 1, 1, 3. de malo servo: Egredere, herilis pernicies, ex aedibus. *Hor. Ep.* 1, 15, 31. Pernicies, et tempestas, barathrumque macelli. ℙ In gen. sing. *pernicies* pro *perniciei* olim dictum est, teste *Diomed.* 1, 281. Item *pernicii. Sisenn.* ap. *Gell.* 9, 14. et *Non.* 8, 24. Romanos inferendae pernicii causa venisse. *Cic. Rosc. Am.* 45. Quorum nihil pernicii causa factum putamus. Ita legit cum aliis *Non. l. c.* At *Charis.* 1, 53. ubi docet, *Ciceronem* dixisse *pernicies causa*, hunc ipsum fortasse locum designavit. V. DIES et *Gell. l. c.* ℙ In plurali numero usurpasse dicitur *Arnob.*, nec abhorret analogia: sic enim et *labes* et *progenies*, et alia hujus generis pluraliter dicta sunt. Quidam etiam legunt ap. *Pl. As.* 1, 2, 7. Pellecebris, perniciis adolescentum exitium. Et ita *Non.* quoque legisse videtur 2, 652. Alii tamen plures *pellecebrae*, *pernicies*, etc.

[PERNĬCĬO, onis, f. idem ac pernicies. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 6. Hosce barbaros intelligitis prudentia nostra ad pernicionem sui uti posse, *h. e.* ad internecionem. *F.*]

PERNĬCĬOSĒ, adv. *ὀλεθρίως*, cum pernicie, pestifere. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 11. Vitis perniciose luxuriat. *Cic. Leg.* 2, 5. *med.* Multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis. Alii leg. *perniciosa* et *pestifera;* et *ib.* 3, 14. Quo perniciosius de republica merentur vitiosi principes. *August. ep.* 39. Rebus mortalibus validissime, et perniciosissime compediri.

PERNĬCĬOSUS, a, um, adj. *ὀλέθριος*, exitiosus, perniciem afferens, pestifer, damnosus. *Cic. Dom.* 43. *f.* Capere consilia perniciosa reipublicae. *Caes. B. C.* 1, 7. Perniciosae leges. *Ov. Trist.* 5, 1, 67. ulli nec scripta fuerunt Nostra, nisi auctori perniciosa suo. *Sall. Jug.* 50. Ut Jugurtha pacem, an bellum gerens perniciosior esset, in incerto haberetur. *Cic. Tusc.* 3, 3. Morbi perniciosiores, pluresque sunt animi, quam corporis. *Nep. Ag.* 6. Perniciosissimum fore videbat, si, etc. *Inscr.* ap. *Grut* 113, 2. Sublato hoste perniciosissimo P. R. *h. e.* Sejano.

PERNĬCĬTAS, atis, f. *ὠκύτης*, velocitas, celeritas, agilitas. *Cic. Tusc.* 5, 15. Praestans valetudine, viribus, forma: adde etiam, si libet, pernicitatem, et velocitatem. V. PERNIX. *Caes. B. C.* 3, 84. Adolescentes atque expeditos milites ad pernicitatem armis inter equites proeliari jubebat. *Pl. Men.* 5, 2, 4. Pernicitas deserit: consitus sum senectute. *Liv.* 9, 16. de L. Papirio Cursore: Praecipua pedum pernicitas inerat, quae cognomen etiam dedit. *Tac. H.* 1, 79. Equorum pernicitas. *Gell.* 9, 4. Homines singulis cruribus saltuatim currentes, vivacissimae pernicitatis. [*Magis argenteae quam aureae aetati frequentatur. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 355.]

PERNĬCĬTER, adv. *ὠκέως*, velociter, celeriter. *Pl. Amph.* 5, 1, 63. Facit recta in angues impetum: alterum altera apprehendit eos manu perniciter. *Liv.* 26, 4. Equo desilire perniciter. *Catull.* 61, 8. Perniciter exsilire. *Plin.* 8, 14, 14. Alites alte, perniciterque volantes; et *ib.* 53, 79. Ibices pernicius, quo libuerit, exsultant. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 199. tortaque ruunt pernicius hasta.

PERNĪGER, igra, rum, adj. valde niger. *Pl. Poen.* 5, 2, 153. Ore parvo, oculis pernigris.

PERNĪMĬUM, adv. plusquam nimium. *Ter. Ad.* 3, 4, 28. Nimium inter vos, ac pernimium interest. *Papin. Dig.* 48, 3, 2. Haec interpretatio perdura et pernimium severa est.

[PERNĪMĬUS, a, um, adj. plusquam nimius. *Paul. Petroc. Vit. S. Mart.* 5, 825. Qui, quamquam durae jam laeso judice causae Pernimium sentiret onus, etc. *F.*]

PERNĪO, onis, m. *μάλκη, χίμεθλον*, morbus pedum ex frigore, calcanea praecipue infestans: a *perna*, qua pedem, aut calcaneum significat. *Plin.* 23, 3, 37. Pernionibus nigrae olivae amurca utilior; et *ib.* 6, 58. Cortice punici ex vino decocti perniones sanantur; et 28, 16, 62. Perniones ursinus adeps, rimasque pedum sarcit.

PERNĪTĔO, es, n. 2. valde niteo. *Mela* 3, 9. Est lacus, quo perfusa corpora, quasi oleo, pernitent.

PERNĬUNCŬLUS, i, m. dimin. *pernionis*, sed ejusd. usus. *Plin.* 26, 11, 66. *n.* 2. Cyclaminos decocta in aqua perniunculos curat.

PERNIX, īcis, adj. omn. gen. qui in nitendo perseverat, atque in labore patiens et constans est: a *per* et *nitor*, ut docet *Servius* ad illud *Virg. G.* 3, 229. Ergo omni cura vires exercet, et inter Dura jacet pernix instrato saxa cubili. Ubi *Pierius* eos reprehendit, qui *pernox* legunt, cum omnia MSS. uno consensu *pernix* exhibeant. Quamquam non desunt primi subsellii critici, qui *pernox* defendunt. Huc trahit *Serv.* illud *Hor. Epod.* 2, 41. perusta solibus Pernicis uxor Appuli. Ceterum pernix videtur esse a *πέρνα*, perna, unde *περνάω*, in longinquam regionem venum exporto, ut perdix est a *πέρδω*, pedo. [*Unice vera videtur facta hujus vocis a *niti* originatio. V. *Doederl.* 2, 126. De usu v. in *pernicitas.*] ℙ Praecipue dicitur de

eo, qui multo nisu se movet, et celeritate pollet: et differt a veloci, quia *velox* celeritatem habet, *pernix* patientiam, fortitudinem et constantiam in motu ipso celeritatis. Unde *Cic. Tusc.* 5, 15. pernicitatem et velocitatem distinguit. Nihilominus universim accipitur pro veloci, celeri, cito, *ὠκὺς, ταχίς. Pl. Mil.* 3, 1, 36. Clare oculis video, pernix sum manibus, pedibus mobilis. *Tac. H.* 2, 13. Neo agrestes capi poterant, pernix genus, et gnari locorum. *Liv.* 28, 20. Levium corporum homines, et multa exercitatione pernicium. *Colum.* 3, 9. *med.* Pernicissimae quadrigae. *Virg. A.* 11, 718. et pernicibus ignea plantis Transit equum cursu. *Id. ib.* 4, 180. de Fama: pedibus celerem, et pernicibus alis. *Stat. de cad. Th.* 9, 33. solito pernicior index, Cum lugenda refert. *Colum.* 7, 12. *med.* Pecuarius canis neque tam strigosus, aut pernix esse debet, etc. *Stat. Th.* 4, 312. fugit silvas pernicior alite vento. De Atalanta loquitur, quam *pernicem puellam* vocat *Catull.* 2, 12. *Sen. ep.* 108. *med.* Temporis pernicissimi celeritas, quam retinere non possumus. *Plin.* 9, 47, 71. Pernici saltu exsistere. *Tac. H.* 3, 40. Proditam Ravennatem classem, pernicibus nunciis accepit. *Plin.* 19, 5, 24. de cucurbitis: Vires sine adminiculo standi non sunt, velocitas pernix, *h. e.* celeritas crescendi. ℙ Cum infinito. *Hor. A. P.* 165. Sublimis, cupidusque, et amata relinquere pernix.

PERNOBĪLIS, e, adj. valde nobilis. *Cic. Verr.* 2, 4, 57. Tum epigramma Graecum pernobile incisum habuit in basi.

*PERNOCTATIO, onis, f. actus pernoctandi. *Ambros. Serm.* 90. *B. A.*

PERNOCTO, as, avi, atum, n. 1. *ἀπονυκτερεύω*, noctem totam aliquo in loco transigo, sive vigilando, sive dormiendo, sive aliud quid operis faciendo. [*Varr. R. R.* 2, 3. Foris non est pernoctandum. *F.*] *Cic. Cluent.* 37. Cum esset adolescens apud mulierculam quandam, atque ibi pernoctaret. [*Pl. Truc.* 2, 2, 22. Noctem pernoctare perpetem. *Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. *med.* Juppiter animadvertit, Venerem, et Liberum multo maxime pernoctantibus favere. *Liv.* 27, 38. Jurejurando adacti, non pernoctaturos se esse extra moenia coloniae suae. *Cic. Dom.* 30. Propter inopiam tecti in foro pernoctans. *F.*] ℙ Etiam rebus inanimatis tribuitur. *Cic. Arch.* 7. Haec studia pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. *Pall.* 11, 10. Olivam in canistris esse patieris, ut pernoctet cum salibus, et ducat in se eosdem sapores.

PERNONIS, ĭdis, f. vox a parasito joculariter ficta, a *perna*. *Pl. Men.* 1, 3, 27. Atque aliquid scitamentorum de foro obsonarier. *Pen.* Glandionidem, suillam, laridum, pernonidem.

PERNOSCO, is, ovi, otum, a. 3. *διαγινώσκω*, perfecte nosco. *Cic. Fat.* 5. Qui se profitebatur hominum mores, naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere. *Ter. Ad. prol.* 12. Pernoscite, furtum ne factum existimetis, an, etc. *Id. Andr.* 3, 2, 23. Non satis me pernosti etiam, qualis sim. *Pl. Bacch.* 2, 3, 42. Ingenium haud pernoram hospitis. *Id. Aul.* 3, 5, 29. Matronarum hic facta pernovit probe. [*Cic. Or.* 1, 5. Motus animorum sunt penitus oratori pernoscendi. *F.*]

PERNOTESCO, is, tui, n. 3. perfecte et certe cognoscor. *Tac. A.* 1, 23. Neque illi fuisse unquam fratrem, pernotuisset. Adde *ib.* 13, 25. [*Adde 14, 8. ubi incolumem esse pernotuit.] et *Quint. decl.* 3, 1.

PERNOTUS, a, um, part. a *pernosco*, valde notus. *Curt.* 9, 7. Dioxippus regi pernotus et gratus. *Mela* 2, 3. Marathon Persica maxime clade pernotus.

PERNOX, octis, adj. comm. gen. *πάννυχος*, qui totam noctem durat. *Liv.* 5, 28. et 21, 49. *med.* Luna pernox erat. *Ov. Met.* 7, 268. Addit et exceptas luna pernocte pruinas. *Stat. Th.* 7, 411. Et non adsuetis pernox ululavit Eleusin Mensibus. *Juven.* 8, 10. luditur alea pernox. *Gell.* 2, 1. Stare solitus Socrates dicitur pertinaci statu, perdius, atque pernox inconnivens, etc. *Appul. Met.* 9. Ego misera et pernox, et perdia lanificio nervos meos contorqueo. [*Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) 1. *f.* Somnus pernox. *F.*]

[PERNUNCIO, as, a. 1. *Not. Tir.* p. 42. Nuncius, enunciat, pernunciat. *F.*]

[PERNUNCŬLUS, i, m. dimin. pernae. *Not Tir.* p. 167. Perna, pernunculus. *F.*]

PERNOXĬUS, a, um, adj. valde noxius. *Mela* 1, 19. *med.* Populi asperi, inculti, pernoxii appulsis.

PERNŪMĔRĀTUS, a, um, part. a *pernumero*, numeratus. *Pl. Epid.* 5, 1, 25. Age, absolve me, atque argentum numera. *Stra.* pernumeratum est.

PERNŪMĔRO, as, avi, atum, a. 1. idem quod numero. *Liv.* 28, 34. *f.* Dum imperatam pecuniam Hergetes pernumerarent. *Mart.* 12, 62. Quae, Saturne, tibi pernumerentur opes.

PĔRO, onis, m. *ἐμβάς*, genus calceamenti rustici, praealti ex corio crudo, quod adversus imbres, nives et frigora commodum est: [ejus etymon videtur esse a pera quicum convenit et quoad materiam et quoad formam *F.*] hoc prisci Latini in bello usi sunt. *Virg. A.* 7, 690. vestigia nuda sinistri Instituere pedis: crudus tegit altera pero. *Juven.* 14, 185. quem non pudet alto Per glaciem perone tegi. [*Appul. Met.* 7. Peronibus suis ab aquae madore consulens agaso, ipse quoque insuper lumbos meos insiliens residebat. Ita loquitur asinus. *Sidon. ep.* 4, 20. de militib. barbaris: Quorum pedes primi perone setoso talos ad usque vinciebantur: genua, crura, suraeque sine tegmine. ℙ Perones fuerunt etiam in usum elegantiorum hominum. *Tert. Pall.* 5. Magnum incessui munimentum sutrinae Venetiae prospexere, perones effeminatos. *F.*] ℙ Perones quoque pro saccis legi quidam putant; sed V. AERO, onis.

[PĔRO, onis, f. *Πηρώ*, filia Nelei, soror Nestoris et Periclymeni, adeo mirae pulcritudinis, ut eam omnes accolae uxorem ducere exoptarent. Ejus vero pater illam ei se nuptui daturum promisit, qui boves Iphicli surripuisset, quod in gratiam Biantis fratris, et virginis amore capti, facere aggressus Melampus Amythaonis filius, ab Iphiclo captus et in vincula conjectus est, ex quibus ob medelam ejusdem sterilitati adhibitam dimissus, boves ipse impetravit, et, ut Pero Bianti fratri in nuptias concederetur, obtinuit. *Prop.* 2, 2, 17. Turpia perpessus vates est vincla Melampus, Cognitus Iphicli surripuisse boves: Quem non lucra, magis Pero formosa coegit, Mox Amythaonia nupta futura domo. *F.*]

PĔROBSCŪRUS, a, um, adj. valde obscurus. *Cic. N. D.* 1, 1. Tum perdifficilis, et perobscura quaestio est de natura Deorum.

PĔRŌDI, isti, anom. valde odi. *Manil.* 5, 409. Et quisquis vero favit, culpamve perodit.

[PĔRODIĀTUS, a, um. V. INODIATUS. *F.*]

PĔRODIOSUS, a, um, adj. valde odiosus. *Cic. Att.* 10, 17. Crebro refricat lippitudo, non illa quidem perodiosa, sed tamen quae impediat scriptionem meam. Adde *ib.* 13, 22.

PĔROFFICIŌSE, adv. valde offiiciose. *Cic. Fam.* 9, 20. Me perofficiose et peramanter observant.

PĔRŌLĔO, es, evi, n. 2. valde oleo. *Lucr.* 6, 1153. Rancida quo perolent projecta cadavera ritu. ℙ Item valde cresco. *Lucil.* ap. *Prisc.* 9, 872. Quis totum scis corpus jam perolesse bisulcis: syncope pro *perolevisse*.

PĔRONĀTUS, a, um, adj. peronibus calceatus. *Pers.* 5, 102. Navim si poscat sibi peronatus arator.

PĔRŌPĀCUS, a, um, adj. valde opacus. *Lact.* 1, 22. Spelunca peropaca in nemore Aricino.

PĔROPPORTUNE, adv. valde opportune. *Cic. Verr.* 2, 5, 15. *extr.* Peropportune fortuna te obtulit. *Id. Or.* 2, 4. Sed hoc tamen cecidit peropportune, quod, etc. *Id. N. D.* 1, 6. *extr.* Peropportune, inquit, venis.

PĔROPPORTUNUS, a, um, adj. valde opportunus. *Cic. Or.* 2, 57. *extr.* Requiescam in Caesaris sermone, quasi in aliquo peropportuno diversorio.

PĔROPTĀTO, adv. valde optato, sive ex animi sententia. *Cic. Or.* 2, 5. Nunc peroptato nobis datum est.

PĔRŌPUS EST, valde opus est. *Ter. Andr.* 1, 5, 30. Sed nunc peropus est, hunc cum ipsa loqui.

PĔRŌRĀTIO, onis, f. *ἐπίλογος, ἀνακεφαλαίωσις*, conclusio orationis, et brevis repetitio eorum, quae dicta sunt. Docet *Auct. ad Her.* 2, 30. tres eam habere partes, enumerationem, amplificationem, et commiserationem. Tres item ei tribuit *Cic. Inv.* 1, 52. enumerationem, indignationem, conquestionem. *Id. Brut.* 33. *f.* Exstat ejus (*C. Galbae*) peroratio, qui epilogus dicitur: qui tanto in honore, pueris nobis, erat, ut eum etiam disceremus. *Id. Or.* 2, 19. *med.* Jubent exordiri, etc. deinde rem narrare, etc. post autem dividere causam, etc. Tum alii conclusionem orationis, et quasi perorationem collocant: alii jubent, antequam peroretur, digredi, deinde concludere, ac perorare. ℙ In peroratione maxime locum habet tractatio affectuum, quibus judicis et auditorum animus permovetur: qua in re praecipuus et admirabilis *Cicero* fuit, ut *Brut.* 51. et *Or.* 37. ipse affirmat. *Id. Or.* 35. Post omnia perorationem inflammantem, restinguentemve concludere. [*V. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* p. 282.]

PĔRŌRĀTUS, a, um, part. a *peroro*, dicendo finitus. *Cic. Coel.* 29. *med.* Dicta est a me causa et perorata. *Id. Invent.* 2, 15. Quo loco, nisi causa perorata, et probata, non est utendum. *Auct. ad Her.* 1, 10. Perorata narratione, aperiemus, quid, etc. ℙ Item universim finitus. *Cic. Att.* 5, 10. Sed haec tum laudemus, cum erunt perorata. ℙ *Causa perorata* dicitur a *Cic. Quint.* 30., cum peracta est causae dictio, antequam *peroratio* fiat.

PĔRŌRĪGA, vel Praeuriga, vel Proriga, vel Pruriga, ae, m. qui admissarii curam habet, eumque in equas geniturae causa admittit. *Varr. R. R.* 2, 7. Admittere (*equum*) oportet, cum tempus anni venerit, bis in die, mane et vespere, perorigam. Is ita appellatur, quiqui admittit. Alii leg. *mane et vespere*. Peroriga enim appellatur, quisquis, etc. *Id. ib.* 8. Eodem tempore, quo equos adducentes, iidemque ut ineant equas per origas curamus. Alii suspicantur legend. *per perorigas cucramus*. *Id. ib.* 7. Cum equus matrem ut saliret, adduci non posset, et cum capite obvoluto proriga adduxisset, et coegisset matrem inire, etc. Alii leg. *auriga*. Eandem rem ita narrat *Plin.* 8, 42, 64. Alium (*equum*) detracto oculorum operimento, et cognito cum matre coitu, petiisse praerupta, atque exanimatum. Equae eadem ex causa in Reatino agro laceratum prorigam invenimus. Alii leg. *laceratum pariter aurigam invenimus*. *Tert. Monog. in.* Quid agis lex creatoris? inter alienos spadones, et aurigas tuos tantumdem quereris de domestico obsequio, quantum de fastidio extraneo, *scil.* spadones sunt osores nimii nuptiarum, aurigae vero conciliatores. Alii pro *aurigas* leg. *prurigas*, nempe prurigini equorum praefectos: alii *praeurigas*, eodem sensu. Mutila *Inscr.* ap. *Grut.* 1003, 2. Si quis hac transeat juncto, dejunctove jumento..... iter..... sciat..... proriga..... ℙ Ex locis allatis satis liquet, voces *peroriga*, similesque *praeuriga*, *proriga* et *pruriga* valde dubiae esse auctoritatis, ut etiam putat *Pontedera Antiq. Gr. et Lat.* p. 434. et *Gesn.* in *Thes. L. L.*, ideoque ubique *auriga*, sive *origa* legi et intelligi posse, quamvis inter eas voces aliqui putent id esse discriminis, ut *auriga* ab *aurea* et *ago*, *origa* ab *orea* originem ducat; alii vero *auriga* ab *origa* sola pronunciatione differre, ut *plaustrum* et *plostrum*. [*Hunc locum, quem paucis *Forc.* absolverat, tot instruxit additamentis *F.*, ut totum jure vindicare sibi possit.]

PĔRORNĀTUS, a, um, part. a *perorno*, valde ornatus. *Cic. Brut.* 43. Crassus in dicendo et perornatus, et brevis.

PĔRORNO, as, avi, atum, a. 1. valde orno. *Tac. A.* 16, 26. Detraheret potius senatui, quem perornavisset, infamiam tanti flagitii. Adde *Paul. Nol. carm.* 20, 304.

PĔRORO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπιλέγω, ἀνακεφαλαιόω*, orationem finio et absolvo, quomodo in PERORATIO dictum est. *Cic. Att.* 4, 2. Cum horas tres fere dixisset, odio et strepitu senatus coactus est aliquando perorare. *Id. Or.* 2, 19. Alii jubent, antequam peroretur, digredi. *Id. Verr.* 2, 3, 66. De qua cum dixero, totum hoc crimen decumanum perorabo. Alii leg. *perororo*. *Id. Acad.* 4, 48. Quoniam satis multa dixi, est mihi perorandum. *Id. Verr.* 2, 2, 29. Res illo die non peroratur: dimittitur judicium. ℙ Sumitur etiam universim pro dicere, aut diligenter et omnia dicere. *Cic. Sext.* 2. Quamquam a Q. Hortensio causa est P. Sextii perorata. *Id. Quint.* 24. *med.* Mihi perdifficile est contra tales oratores non modo tantam causam perorare, sed omnino verbum facere conari. *Plin.* 29, 1, 5. Rabie quadam in omnes aevi medicos perorans. *Suet. Cal.* 53. Peroraturus, stricturum se lucubrationis suae telum, minitabatur. *Liv.* 34, 31. *extr.* Et breviter peroratum esse potuit, nihil me commisisse, etc. [*In hujus §. exemplis *pororare* est cum intentione animi vocisque orare, dicere: quae argenteae aetati usitatissima est dicendi ratio. Ita *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 355. ubi hos laudat *Taciti* locos: *A.* 2, 30. Certabant, cui jus perorandi; 3, 17. cum accusatores et testes certatim perorarent.]

PĔROSCŬLOR, aris, atus sum, dep. 1. valde osculor. *Mart.* 8, 81. Hos (*uniones*) amplectitur, hos perosculatur. Ita *Heins.* ex MSS. Alii *deosculatur*.

PĔRŌSUS, a, um, *διαμισῶν*, qui valde odit: a *per* et *osus*, part. verbi antiqui *odio*, voce passiva, sed activa significatione. *Liv.* 3, 34. *f.* Plebs consulum nomen, haud secus quam regum, perosa erat. *Virg. A.* 6, 435. lucemque perosi. *Val. Fl.* 6, 289. si fata peroso Tarda tibi, turpesque moras non segnius ipsi Paruimus, *h. e.* tibi qui odio habebas tardam mortem. *Colum.* 9, 5. Res apiaria non curatorem fraudulentum tantum, sed etiam immundae segnitiae perosa est. *Prud. περὶ στεφ.* 3, 41. Illa perosa quietis opem Degeneri tolerare mora, etc. ℙ Passive. *Tert. Anim.* 1. *f.* Veritas tanto perosior, quanto plenior. *Id. Virg. vel.* 16. Nihil Deo carius humilitate, nihil perosius gloria. *Juvenc. in Matth.* 3, 19. Ut melius fuerit thalamis caruisse perosis.

PERPĂCĀTUS, a, um, part. a *perpaco*, omnino pacatus. *Liv.* 36, 21. Paucosque per dies omnibus perpacatis, etc.

PERPĂCO, as, a. 1. idem ac paco. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 33. Quos usque ad mare superum perpacavit. *Flor.* 4, 12. *in.* Brennos, Senones per Claudium Drusum perpacavit.

PERPALLĬDUS, a, um, adj. valde pallidus. *Cels.* 2, 6. Color perpallidus.

PERPARCE, adv. admodum parce. *Ter. Andr.* 2, 6, 24. Tu quoque perparce nimium.

PERPĂRUM, adv. valde parum. *Cic. Verr.* 2, 3, 57. Perparum ex illis magnis lucris ad se pervenire. Alii leg. *perparvum*. *Veg. Vet.* 3, 3. *med.* Potestas bibendi, nisi perparum, concedenda est.

PERPARVŬLUS, a, um, adj. dimin. perparvi. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. *f.* Duo tamen sigilla perparvula tollunt.

PERPARVUS, a, um, adj. admodum parvus. *Cic. Leg.* 1, 19. *f.* Quae et cum adsunt, perparva

sunt. *Id. Dejot.* 3. Perparva culpa. *Id. Verr.* 2, 3, 38. et tenuis civitas. *Id. Leg.* 1, 20. *f.* controversia. *Lucr.* 3, 217. Ergo animam totam perparvis esse necesse est Seminibus.

PERPASCO, is, a. 3. idem quod pasco, vescor. *Varr. L. L.* 4, 19. Pecus ab eo quod perpascat. ℙ Passiva positione. *Sever. Aetn.* 487. inaequales volvens perpascitur agros.

PERPASTĬNANS, antis, adj. quidam leg. ap. *Tert. Cult. fem.* 9., ubi alii rectius *repastinans.*

PERPASTUS, a, um, part. a *perpasco*, bene pastus, ut Perpastus canis, ap. *Phaedr.* 3, 7.

PERPAUCŬLUS, a, um, adj. dimin. perpauci. *Cic. Leg.* 1, 21. Deduxitque in Academiam perpauculis passibus. [*M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 1, 3. Accipe nunc perpaucula contra somnum ad tua pro somno. *F.*]

PERPAUCUS, a, um, adj. valde paucus. *Cic. Acad.* 4, 43. Erat quidem, si perpauca mutavisset, germanissimus Stoicus. *Hor. Sat.* 1, 4, 18. Dii me Finxerunt animi raro et perpauca loquentis. *Colum.* 3, 20. *f.* Tum perpaucissimis agricolis contigerit.

PERPĂVĔFĂCĬO, is, a. 3. valde pavefacio. *Pl. Stich.* 1, 2, 28. Perplexabiliter earum hodie perpavefaciam pectora.

PERPAULŬLUS, a, um, adj. dimin. perpauli. *Cic. Or.* 2, 35. Inter ingenium quidem, et diligentiam perpaululum loci reliquum est arti.

PERPAULUM, adv. valde paulum. *Cic. Fin.* 1, 6. Declinare dixit atomum perpaulum.

PERPAUPER, eris, adj. omn. gen. valde pauper. *Cic. Att.* 6, 3. *med.* Erat enim rex perpauper. *Afran.* ap. *Non.* 4, 122. De rustico nescio cui vicino suo perpauperi.

PERPAUXILLUM, adv. dimin. a *perpaulum. Pl. Capt.* 1, 2, 74. Ne perpauxillum modo.

PERPĔDĬO, is, a. 4. impedio. *Accius* ap. *Non.* 4, 10. Si unquam perpediar, *scil.* morbo, vel senectute. Alii leg. *praepediar.*

PERPELLO, is, puli, a. 3. *ἐπωθέω*, idem quod pello, aut valde pello. *Naev.* de impudica ap. *Isid. Or.* 1, 26. Alii perpellit pedem, alii dat annulum spectandum. Al. leg. *percellit*, al. *pervellit. Nigid.* ap. *Non.* 2, 584. Nixurit, qui niti vult, et in conatu saepius aliqua re perpellitur. ℙ Transfertur ad animum, et significat permovere, commovere, afficere. *Cic. Coel.* 15. Adolescentulum aspexisti: candor hujus te, et proceritas, vultus, oculique perpulerunt. Al. leg. *pepulerunt*, al. *perculerunt.* [*Orell.* cum optimis cdd. leg. *pepulerunt.*] *Pl. Trin.* 2, 2, 24. Qui homo cum animo depugnat suo, si animus hominem perpulit, actum est; animo servibit, non sibi: sin ipse animum perpulit, dum vivit, victor victorum cluet, *h. e.* loco movit, et vicit. ℙ Saepe est inducere, impellere ad aliquid faciendum, *ἐπαναγκάζω. Liv.* 2, 61. Illum non minae plebis, non senatus preces perpellere unquam potuere, ut, etc. *Id.* 29, 23. Perpellit, ut legatos ad Scipionem mittat. *Id.* 32, 32. Nec ut discederent inde auctoritate consulis perpelli potuere. *Tac. A.* 12, 50. Perpellunt Vologesem omittere praesentia. [*Solus *Tac.* ita c. infin. v. *perpellere* usurpasse videtur. Cf. *A.* 6, 33. 11, 29. 13, 54. *H.* 2, 62.] ℙ Frequentem habet usum in praeteritis. *Ter. Andr.* 4, 1, 38. Nunquam destitit suadere, orare, usque adeo, donec perpulit. *Pl. Bacch.* 4, 4, 4. Callidum senem callidis dolis compuli et perpuli, mihi omnia ut crederet. *Sall. Cat.* 27. Collegam suum pactione provinciae perpulerat, ne contra rempubl. sentiret. *Id. Jug.* 42. Aulum spe pactionis perpulerat, ut, etc. *Liv.* 32, 14. Urbem metu ad deditionem perpulit.

PERPENDĬCŪLĀRIS, e, et

PERPENDĬCŪLĀRĬUS, a, um, adj. ad perpendiculum positus, *κάθετος.* Utrumque usurpatur a *Front.* in *Exposit. formar.* p. 32. *Goes.*

PERPENDĬCŪLĀTOR, oris, m. artifex, qui perpendiculo utitur. *Aurel. Vict. Epit.* 14. Fabros, perpendiculatores, architectos in cohortes centuriavit.

PERPENDĬCŪLĀTUS, a, um, part. ab inusit. *perpendiculo*, ad perpendiculum positus. *Capell.* 6, 193. Canopum, ac Berenices crinem prorsus non cernit Italia, cum illae antarticis terris conspicuae ac praenitentes, et velut perpendiculatae capitibus suspectentur.

PERPENDĬCŪLUM, i, n. *κάθετος*, instrumentum fabri materiarii, seu caementarii, quo plumbo a filo pendente, rectitudo, aut obliquitas operis perpenditur et examinatur. Ejus inventor, teste *Plin.* 7, 56, 57., fuit Daedalus. *Cic. fr.* ap. *Non.* 2, 718. Si id crederemus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis. *Id. Verr.* 2, 1, 51. Ad perpendiculum columnas exigere: *κατὰ κάθετον*; et *ib.* Nullam esse columnam, quae ad perpendiculum esse possit. *Ascon. ib.* Perpendiculum, linea laterum aequalitatem a summo ad imum latitudine probans: hoc autem cum in columnis omnibus, tum maxime in structilibus vetustis, ubi tumoris est aliquid, evenit, in quibus aut media, aut ima crassiora sunt. *Plin.* 35, 14, 49. Si ad perpendiculum fiunt. *Vitr.* 6, 11. Uti omnes structurae perpendiculo respondeant, neque habeant in ulla parte proclinationes. *Cic. Fat.* 10. *med.* Si gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis. *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna non directa ad perpendiculum, sed prona et fastigiata. *Colum.* 3, 13. *f.* Ut tanquam suppositae basi, ad perpendiculum normata insisteret. ℙ Translate. *Auson. Parent.* 5. Haec non deliciis ignoscere prompta pudendis, Ad perpendiculum seque suosque habuit, *h. e.* ad normam et amussim rectae rationis et virtutis.

PERPENDO, is, pendi, pensum, a. 3. *σταθμάομαι*, diligenter pendo, ac pondero. *Gell.* 20, 1. *med.* Aut talionem in eo vel ad amussim aequiperarent, vel in librili perpenderent. ℙ Translate est diligenter considerare, examinare. *Cic. Mur.* 2. Cato vitam ad certam rationem dirigens, et diligentissime perpendens momenta officiorum; et *ib.* 36. *f.* Haec omnia ad rationem civitatis si dirigas, recta sunt: sin perpendere ad disciplinae praecepta velis, reperientur pravissima. *Id. Or.* 3, 37. *f.* Hoc non arte aliqua perpenditur, sed quodam quasi naturali sensu judicatur. *Q. Cic. Pet. cons.* 6. Judicare et perpendere, quantum quisque possit. *Just.* 29, 3. *f.* Poenorum Romanorumque bella respiciens, singulorum vires perpendebat. *Lucr.* 2, 1040. Acri judicio aliquid perpendere. *Ulp. Dig.* 4, 4, 13. Perpendendum erit praetori, cui potius subveniat.

PERPENSĂ. V. PERPRESSA.

PERPENSĀTĬO, onis, f. diligens examen. *Gell.* 2, 2. Perpensatio honorum, atque officiorum.

PERPENSĔ, adv. *ἐξηκριβωμένως*, ponderate, considerate. *Ammian.* 26, 5. *f.* Utilitate rei penpensius cogitata. Adde 25, 10. *f.*

PERPENSO, as, a. 1. frequent. a *perpendo*, saepe perpendo, examino. *Grat. Cyn.* 298. Illius (*catuli*) et manibus vires sit cura futuras Perpensare. *Ammian.* 19, 11. Longe alia, quam quae gestu praeferebant, et verbis, altis mentibus perpensantes.

PERPENSUS, a, um, part. a *perpendo*, accurate consideratus, examinatus. *Colum.* 3, 3. Ut ante perpensum et exploratum habeamus, an, etc. *Arnob.* 2, 52. Homo exanimis judiciique perpensi. *Mart. Dig.* 48, 19, 11. Perpenso judicio, prout quaeque res postulat, statuendum est.

PERPĔRAM, adv. *ἐναμάρτως, προπετῶς, κακῶς*, prave, perverse, praepostere, male: cui *recte* opponitur. [*Est accus. fem. adjectivi *perperus:* ubi v.] *Suet. Aug.* 92. Si mane sibi calceus perperam, ac sinister pro dextero induceretur, etc. *Cic. Quint.* 8. *f.* Seu recte, seu perperam fecerunt. *Id. Caecin.* 24. Recte, aut perperam judicare. *Pl. Amph.* 1, 1, 92. Perperam loqui. *Id. Capt.* 2, 2, 78. suadere aliquid. *Id. Men.* 5, 5, 59. insanire. *Plin. ep.* 3, 5. pronunciare. *Petr. Sat.* 4. discere. *Gell.* 2, 7. imperare. *Id.* 4, 9. Prave et perperam appellare aliquid. *Nig.* ap. *eund.* 13, 6. Rusticus fit sermo, si adspires perperam. ℙ falso. *Ter. Ph.* 5, 1, 18. Verum istoc de nomine, eo perperam olim dixi, ne vos forte imprudentes foris effutiretis, atque id porro aliqua uxor mea rescisceret. ℙ Inconsiderate, imprudenter, per errorem. [*A *falso* ita differt, quod hoc ad subjectum, *perperam* ad objectum spectat. *Doederl.* 1, 66.] *Auct. B. Hisp.* 12. Tabellarii, qui ad Pompejum missi erant, perperamque ad castra nostra pervenerant. *Varr. R. R.* 1, 69. Ab nescio quo percussum cultello concidisse: quem qui esset, animadvertere in turba non potuisse, sed tantummodo exaudisse vocem, perperam fecisse. *Suet. Dom.* 10. Perperam praeco non consulem, sed imperatorem pronunciavit.

PERPĔRE, adv. perperam. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 1. Opiniones perpere praesumptae. *Sic ed. *Barth.* annotante ad locum *Schotto*, in membranis *perperam* reperiri. *B. A.*

[PERPĔRENI, orum, m. plur. incolae Perperenes, urbis Mysiae, ab aliis Aeolidi tributae, versus Adramytteon. *Plin.* 5, 30, 33. Perpereni, Tyareni, Hierapolenses. *F.*]

PERPĔRĪTŪDO, inis, f. pravitas: a *perperus. Accius* ap. *Non.* 2, 626. Et eo plectuntur poetae, quam suo vitio, saepius, ductabilitate nimia vestra, aut perperitudine.

*PERPERNA, ae, m. nomen propr. Rom. ut M. Perperna, Consul, qui Aristonicum Eumenis filium devicit. V. *Aristonicus.* Alius M. Perperna, bello Sertoriano a Pompeio in Hispania victus. *Epit. Liv.* 96. V. et *Plutarch.* in *Sertorio.* ℙ In multis editionibus, ubi occurrit hoc nomen, *Perpenna* scribitur; quam formam tueri videtur *Plutarch.* in *Sertor.* 25. 26. sq. qui *Περπέννας* Graece vertit. *Perperna* tamen praeferunt *Burm.* ad *Vell.* 2, 4. *Duk.* ad *Flor.* 2, 20. *Graev.* ad *Cic. Rosc. Com.* 1. *Drakenb.* ad *Liv.* 44, 27. et *P. Manut. Orthograph.* p. 593. nam sic in inscriptt., nummis, et fastis Capitol. ℙ Hostilius Licinianus Perperna, Imperator Decii temporibus salutatus, paullo post peste obiit. *B. A.*

PERPĔRUS, a, um, adj. *πέρπερος*, pravus, vitiosus, temerarius, inconstans. [*Etymon est a *per*, sicut in *properus* a *pro*, *inferus* ab *in:* vel reduplicationis lege, qua *βάρβαρος* a *βαρὺς*, *τάρταρος* a *τείρω*, *μάρμαρον* a *μαίρω*, *verbero* a *ferio.* Hinc *perperus* cognata forma vocis *pravus.* Ita *Doederl.* 1, 65. sq. ubi cognationem quidem, ut manifestam inter *perperus* et Gr. *πέρπερος* concedit, sed etymon a Gr. esse negat, quod parum intelligat, quomodo perversitatis notio a Gr. *πέρφερες* i. e. celeber, (ab hoc enim Gr. *πέρπερος* formatum docent) derivari queat.] *Accius* ap. *Non.* 2, 626. Describere in theatro perperos populares. Ubi *Non.* interpretatur stultos, indoctos, rudes, insulsos, mendaces. *Vopisc. Tac.* 6. Nihil immaturum, nihil perperum. *Pl. Truc.* 3, 1, 9. Ego perperas, minas oves in crumena hac in urbem detuli. Alii rectius leg. *Ego propere minas*, etc. V. MINA.

PERPES, ĕtis, adj. omn. gen. [*Brevior forma est adjectivi perpetuus (ubi v.), idemque proprie significat, i. e. continuus, non interruptus. Noster secundo loco hanc vocis notionem posuerat his laudatis exemplis:] *Pacuv.* ap. *Fest.* Fac, ut coepisti, hanc operam mihi des perpetem. *Prud. Cath.* 10, 42. Sistitur rivus, cruore qui fluebat perpeti. *Appul. de Deo Socrat. in.* Luna proprio seu perpeti candore, etc. *Id. Flor. n.* 17. Vox cohibita silentio perpeti. Adde *Sedul.* 5, 36. ℙ [*Hinc in universum dicitur pro integer, totus.] *Pl. Amph.* 1, 1, 123. Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo, nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem. Adde 2, 2, 10. et *Truc.* 2, 2, 23. Sic *Capitol. Ver.* 4. Nocte perpeti alea ludere. *Solin.* 52. *med.* Arenis ferventibus perpetem diem alternis pedibus insistunt. *Lactant. Mort. persecut.* 33. *f.* Per annum perpetem. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 34. Perpes aevi aeternitas. *B. A.*

PERPESSĬCĬUS et Perpessitius, a, um, adj. *πολυτλήμων*, qui ex multorum malorum perpessione jam didicit facile pati. *Sen. ep.* 53. Levis aliquem motiuncula decipit; sed cum creverit, et vera febris exarserit, etiam a duro et perpessicio confessionem accipit. *Id. ep.* 104. *med.* Socrates perpessicius senex, et per omnia aspera jactatus. Adde *Not. Tir.* p. 54.

PERPESSĬO, onis, f. actus perpetiendi, passio, sensus. *Cic. Rab. perd.* 5. Harum rerum non solum eventus atque perpessio, sed etiam exspectatio, mentio, indigna homine libero est. ℙ Item tolerantia, patientia, *ὑπομονή. Cic. Inv.* 2, 54. Fortitudo est considerata periculorum susceptio, et laborum perpessio; et *mox:* Patientia est, honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio. *Id. Fin.* 1, 15. Laborum perfunctio, et perpessio dolorum. *Sen. ep.* 67. *med.* Illic est fortitudo, cujus patientia, et perpessio, et tolerantia, rami sunt; et *ep* 66. *med.* Fortis atque obstinata tormentorum perpessio.

PERPESSUS, a, um, part. a *perpetior:* qui pertulit. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Cum ipsa quasi respublica collocutus sum, ut mihi tam multa pro se perpesso atque perfuncto concederet, ut, etc. *Caes. B. C.* 1, 84. Perpessus omnium rerum inopiam.

PERPĔTIM, adv. *ἑξαιὲ*, idem ac perpetuo. *Vossius* dicit, natura esse accusativum, pro *perpetem*, quasi dicas, perpetem diem noctemque: ut *amussim*, unde *adamussim*, pro *amussem*, hoc est ad amussem, sic *perpetim* pro *perpetem* dixisse. *Plin.* 20, 6, 21. Ulcus in angulo oculi perpetim humore manans. Ita *edd.* veteres A. 1470. et 1472. Sed *Hard.* cum aliis *perpetuo* habet. *Appul. Apol.* Non quin ego Pudentillam jam anno perpetim assiduo convictu probe spectassem.

PERPĔTĬOR, eris, pessus sum, dep. 3. *πάσχω, ἀνέχομαι, ὑπομένω*, duro in patiendo, constanter patior, suffero, perfero, tolero. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 3, 3. Animus aeger semper errat, neque pati, neque perpeti potest. *Cic. Or.* 2, 19. Ac mihi quidem non ita molesti sunt: facile omnes perpetior ac perfero. Adde *Verr.* 2, 3, 57. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Nisi hoc pejus sit, haec sufferre et perpeti. *Cic. Fin.* 5, 11. Mendicitatem multi perpetiuntur, ut vivant; et *ib.* 1, 14. *f.* Qui etiam dolorem saepe perpetiuntur, ne, si id non faciant, incidant in majorem. *Id. Fam.* 2, 16. *med.* Affirmavi, quidvis me potius perpessurum, quam ex Italia ad bellum civile exiturum. *Id. Fin.* 2, 20. *med.* Ille casus, qui nobis miserabilis videtur audientibus, illi perpetienti erat voluntarius. *Ter. Eun.* 2, 1, 11. Censen' posse me obfirmare, et perpeti, ne redeam interea? *Ov. Met.* 14, 465. Admonitu quamquam luctus renovatur amaro, Perpetiar memorare tamen. ℙ [*Perpeti* est etiam idem ac suscipere, tentare, perpetrare. *Hor. Od.* 1, 3, 25. Audax omnia perpeti Gens humana ruit per vetitum nefas. Eodem sensu etiam Graeci usurpant *πάσχειν*, a quibus plurima mutuatus est *Horatius. F.*] [*Nusquam neque *perpeti*, neque Gr. *πάσχω* tentandi, suscipiendi, perpetrandi notione positum est, sed ubique utrumque vocabulum passivam vim, i. e. tolerandi, sustinendi, perferendi retinet. De Gr. *πάσχω* v. *Pass. Lex. Gr.* s. v. In *Hor.* loco sensus hic esse videtur: homines ita audaces, ut omnia suis ipsorum viribus perferre posse confidant, ruunt etc.] ℙ Passive. *Cic. Agr.* 2, 3. Mihi omnia potius perpetienda esse duco, quam

non ita gerendum consulatum, ut, etc. *Id. Fin.* 4, 26. Fortiorem me fore in patiendo dolore, si eum asperum et difficilem perpessu, quam si malum dixero. *Vet. poeta* ap. *eund. Tusc.* 2, 8. O multa dictu gravia, perpessu aspera! ℙ Cum infin. pro sinere, permittere, aequo animo ferre. *Pl. Asin.* 5, 1, 17. Aliam tecum esse, equidem facile possim perpeti. *Ter. Eun.* 3, 5, 3. Nunc est profecto, interfici cum me perpeti possum. *Ov. Met.* 3, 621. Non tamen hanc sacro violari pondere pinum Perpetiar. ℙ Pro simplici ferre. *Plin. ep.* 2, 11. *med.* Cum me vehementius putaret intendi, quam gracilitas mea perpeti posset. [*Licet simplex verbum sine magna sensus commutatione et hic et in sqq. adhiberi possit, tamen nullo modo *perpeti* pro simplici positum est, retinetque *per* suam vim, qua durationem actionis ab initio usque ad finem significat.] ℙ Pro simplici pati, aut valde pati, sentire, experiri. *Ov. Met.* 14, 470. et ventis inimica per aequora rapti, Fulmina, noctem, imbres, iram coelique, marisque Perpetimur Danai, cumulumque Capharea cladis. *Val. Fl.* 4, 430. Talia prodigia, et tales pro crimine poenas Perpetitur.

PERPETRĀBILIS, e, adj. *Tert. ad Ux.* 2, 1. Nubere in Domino perpetrabile est, *h. e.* permissum est.

PERPETRĀTĬO, onis, f. actus perpetrandi. *Tert. Poen.* 3. Aliqua difficultas perpetrationem ejus intercipit. *August. Trin.* 13, 6. Perpetratio mali.

PERPETRĀTOR, oris, m. qui perpetrat. *August. C. D.* 20, 1. Homines peccati magni perpetratores. *Sidon. ep.* 8, 6. *f.* Caedis infaustae perpetratores.

PERPETRĀTUS, a, um, part. a *perpetro:* factus, confectus, peractus. *Gell.* 7, 3. *med.* Cum scelera admissa et perpetrata fuerint. *Liv.* 44, 37. *f.* Sacrificio rite perpetrato. *Id.* 1, 6. Perpetrata caede. *Tac. A.* 13, 27. *extr.* Perpetratum judicium. *Liv.* 33, 21. Pace nondum perpetrata. *Varr. L. L.* 6, 7. *extr.* Quoniam de lingua Latina tres feci partes; prima parte perpetrata, ut secundam ordiri possimus, etc.

PERPETRO, as, avi, atum, a. 1. *διαπράττω*, est peragere, perficere, ut *Festus* exponit: a *per*, et *patro. Pacuv. ib.* Neque perpetrare precibus, nec pretio quiit. Ita *Bothe* legit. *Pl. Ps.* 5, 1, 24. Postquam opus meum, ut volui, omne perpetravi. *Tac. H.* 4, 65. *med.* Legati ad Civilem missi cum donis, cuncta ex voluntate Agrippinensium perpetravere. *Id. A.* 14, 7. Perpetrare promissa. *Flor.* 3, 14. coepta. *Justin.* 1, 9. sacrilegium; et 27, 1. facinus. *Liv.* 1, 6. caedem. *Id.* 25, 12. et 44, 37. sacrificium. *Id.* 33, 21. pacem; et *Suet. Cal.* 46. Perpetraturus bellum. Adde *Just.* 12, 3. *Tac. H.* 4, 51. Ad reliqua Judaici belli perpetranda. *Id. A.* 14, 11. Quanto suo labore perpetratum, ne irrumperet curiam. *Mart. Dig.* 48, 21, 3. *med.* Qui sibi manus intulit, et non perpetravit. ℙ Cum infinito. *Pl. Truc.* 2, 5, 12. Male quod mulier fabricere incepit, nisi id efficere perpetrat, id illi morbo, id illi senio est.

PERPĔTŪĀLIS, e, adj. perpetuus. *Quint.* 2, 13. *f.* *Καθολικά*, idest, ut dicamus, quo modo possumus, universalia, vel perpetualia.

PERPĔTŪĀRĬUS, a, um, adj. perpetuus. *Sen. Apocol. med.* Perpetuarius mulio, *h. e.* qui perpetuo, et in longinquis, magnisque itineribus mulionis artem exercet. ℙ *Perpetuarii* ap. *JCtos* dicuntur, qui fundum, aut rem aliam perpetuo conduxerunt, vel perpetuo jure possident; iidem vocantur etiam emphyteuticarii. *Impp. Theod. et Val. Cod.* 11, 70, 5.

PERPĔTŪĀTUS, a, um, part. a *perpetuo*, perpetuus factus. *Arator* 1. *f.* His solidata fides, his est tibi, Roma, catenis Perpetuata salus.

PERPĔTŪĬTAS, atis, f. *ἀϊδιότης, διώρκεια*, continuatio, perennitas, diuturnitas. *Cic. Tusc.* 5, 10. *extr.* Non ex singulis vocibus philosophi spectandi sunt, sed ex perpetuitate, atque constantia. *Id. Off.* 2, 7. Malus custos diuturnitatis metus: contraque benevolentia fidelis est vel ad perpetuitatem; et *ib.* 1, 33. Ut constare in vitae perpetuitate possimus nobismet ipsis, nec in ullo officio claudicare. *Plin.* 34, 9, 21. Usus aeris ad perpetuitatem monumentorum translatus est. *Quint. decl.* 1, 15. Sciebas, caecum non aliter, si dux defecisset, ingredi posse, quam si vestigia parietis perpetuitate dirigeret, *h. e.* perpetuo, et non interrupto parietis tractu. ℙ *Perpetuitas orationis* est continuatus cursus per periodos aequaliter fusas, et invicem sibi succedentes: cui opponitur oratio incisa, et per brevia membra quodammodo interrupta. *Cic. Or.* 3, 49. *med.* Neque semper utendum est perpetuitate, et quasi conversione verborum, sed saepe carpenda membris minutioribus est oratio. ℙ Item *perpetuitas sermonis* est totus sermo: cui *pars* opponitur. *Cic. Or.* 2, 54. *med.* In utroque genere leporis excellens, et illo, qui in perpetuitate sermonis, et hoc, qui in celeritate, atque dicto est. Adde *Or.* 2. ℙ In plur. num. *Vitr.* 2, 10. Apennini pars septentrionali regioni subjecta continetur umbrosis et opacis perpetuitatibus, *h. e.* locis longo et continuo tractu umbrosis.

PERPĔTŪĪTASSINT, antique est idem ac perpetuent, perpetuum reddant: quasi a *perpetuito. Enn.* ap. *Non.* 2, 632. Libertatemque ut perpetuitassint quam maxime. Alii leg. *perpetuassint.*

PERPĔTŬO, adv. *ἀεί, ἀϊδίως*, continue, sine intermissione, assidue, semper, perenniter. *Ter. Hec.* 3, 3, 46. O fortuna, ut nunquam perpetuo es bona! *Cic. Agr.* 3, 1. Ut eam opinionem perpetuo retineatis. *Ov. Trist.* 1, 5, 83. At mihi perpetuo patria tellure carendum est. *Caes. B. G.* 1, 31. Neque recusaturos, quo minus perpetuo sub illorum ditione atque imperio essent; et *ib.* 7, 41. Cum nostros assiduo labore defatigarent, quibus, propter magnitudinem castrorum, perpetuo esset iisdem in vallo permanendum. *Cic. Acad.* 4, 19. *med.* Hortensius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuo, Lucullo loquente, fecerat. *Hirt. B. G.* 8, 26. Qui perpetuo in amicitia Romanorum permanserat. *Ter. Eun.* 5, 9, 13. Nunquid dubitas, quin ego perpetuo perierim?

PERPĔTŬO, as, avi, atum, a. 1. *ἀϊδίζω*, perpetuum reddo, continuo sine intermissione. *Cic. Or.* 3, 46. Clausulas, atque interpuncta verborum animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt. Id inventum ita suave, ut sicui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare verba nolimus. *Id. Sull.* 22. *f.* Judicum potestatem perpetuandam, legis acerbitatem mitigandam putavit. *Pl. Ps.* 1, 3, 72. Non est justus quisquam amator, nisi qui perpetuat data. *Paul. Dig.* 27, 7. *f.* Litis contestatione temporales actiones perpetuantur. ℙ *Dii te perpetuent*, formula acclamandi imperatoribus, ap. *Lamprid. Alex. Sev.* 6.

PERPĔTŬUS, a, um, adj. *διηνεκής, ἀΐδιος*, continuus, continuatus, continens, solidus, integer, non interruptus, non intercisus: a *perpes, ettis.* [*Utriusque v. et *perpes* et *perpetuus* etymon esse videtur a *petere.* Hinc *perpetuus* idem signif. q. nostr. *durchgängig.* V. *Doederl.* 3, 304.] *Cic. Pis.* 22. Meus reditus is fuit, ut a Brundisio usque Romam agmen perpetuum totius Italiae viderem *Vet. aen. Tab.* ap. *Mur.* 582. *f.* Semitam lapidibus perpetuis constratam recte habeto. *Plin.* 3, 5, 7. Apenninus perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum; et 6, 20, 23. Montes perpetuo tractu oceani orae praetenti. *Id.* 7, 51, 52. Perpetua febris. *Id.* 17, 27, 42. Exactam falcis aciem utraque manu imprimentes, perpetuis incisuris deducunt, ac veluti cutem (*arboris*) laxant. *Cato R. R.* 33. Vineam arare incipito, ultro citroque sulcos perpetuos ducito. *Colum.* 3, 13. Fossam perpetuam educere. *Caes. B. C.* 3, 44. Perpetuae munitiones, perductae ex castellis in proxima castella. *Id. B. G.* 7, 26. Palus, quae perpetua intercedebat, Romanos ad insequendum tardabat; et *ib.* 23. Perpetuae trabes, *h. e.* integrae, solidaeque. *Pl. Most.* 1, 2, 67. Non videor mihi sarcire posse aedes meas, quin totae perpetuae ruant. *Caes. B. C.* 1, 21. Milites disponit non certis spatiis intermissis, sed perpetuis vigiliis stationibusque, ut contingant inter se, atque omnem munitionem expleant. *Ov. A. Am.* 2, 285. perpetuo contendunt ilia risu. *Ter. Ad.* 4, 1, 5. Hunc diem cupio perpetuum in laetitia degere; et 4, 1, 4. triduum; et *Hec.* 1, 2, 12. biennium. *Virg. A.* 7, 176. hic ariete caeso Perpetuis soliti patres considere mensis, *h. e.* non interruptis distinctisve sedentum ordinibus per lectos tricliniares, sed longis et continuis pro numero convivarum. Sic *Ov. Fast.* 6, 305. Ante focos olim longis considere scamnis Mos erat, et mensae credere adesse Deos. Rursus *Virg. A.* 8, 182. Vescitur Aeneas, simul et Trojana juventus Perpetui tergo bovis, *h. e.* non in frusta secto, sed integro mensae illato. ℙ *Perpetua valetudo.* V. VALETUDO. ℙ *Perpetua oratio*, quae altercatione, aut interlocutione non interrumpitur. *Cic. Att.* 1, 16. *med.* Clodium praesentem fregi in senatu tum oratione perpetua, tum altercatione. *Liv.* 4, 6. Cum res a perpetuis orationibus in altercationem vertisset. *Id. Or.* 2, 4. Sum cupidus te in illa longiore et perpetua disputatione audiendi. *Id. Top.* 26. Nec solum perpetuae actiones, sed etiam partes orationis iisdem locis adjuvantur. ℙ *Perpetuae quaestiones.* V. QUAESTIO. ℙ *Perpetua historia*, quae res gestas continentes, et continuatas perscribit. *Cic. Fam.* 5, 12. bis. *Ov. Met.* 1, 3. primaque ab origine mundi Ad mea perpetuum deducite tempora carmen. ℙ Saepe *temporario* opponitur, *ἀΐδιος. Nep. Milt.* 3. Quibus singulis ipsarum urbium perpetua dederat imperia. *Hor. Od.* 1, 24, 5. Quintilium perpetuus sopor Urget. *Cic. in Sen.* 2. *f.* Cum respublica non solum parentibus perpetuis, verum etiam tutoribus annuis esset orbata. *Id. Cat.* 4, 9. Ignis Vestae perpetuus ac sempiternus. *Id. N. D.* 1, 15. Lex perpetua et aeterna; et *ib.* 2, 21. Stellarum perennes cursus atque perpetui. *Id. Inv.* 2, 54. Stabilis et perpetua permansio. *Id. in Sen.* 12. Constans, perpetua, fortis, invicta defensio salutis meae. *Id. Phil.* 13, 6. Voluntas mea perpetua et constans in rempublicam. *Id. Fam.* 6, 13. Assidua et perpetua cura salutis tuae. *Q. Cic. Pet. cons.* 7. Firma et perpetua amicitia. *Mart.* 6, 64. Quas et perpetui dignantur scrinia Sill, *h. e.* qui fama in perpetuum victurus est. Adde 7, 63. ℙ *Perpetuum*, adverb. perpetuo. *Stat. Silv.* 1, 1, 99. Utere perpetuum populi, magnique senatus Munere. ℙ *In perpetuum*, in omne tempus, *ἐσαεί. Cic. Cat.* 1, 12. *f.* Hanc pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. *Id. Agr.* 2, 21. Venire res vestras proprias, et in perpetuum a vobis alienari. *Id. Rosc. Am.* 48. Obtinere aliquid in perpetuum. *Liv.* 7, 37. Milites duplici frumento in perpetuum, in praesentia singulis bobus donati. ℙ *In perpetuum modum*, idem. *Pl. Most.* 3, 1, 5. Perii plane in perpetuum modum. Adde 4, 3, 51. ℙ Interdum *perpetuus* est generalis, universalis, et semper locum, aut veritatem habens in aliquo genere. *Cic. Or.* 2, 33. Perpetui juris, et universi generis quaestio non hominum nomina, sed rationem dicendi, et argumentationum fontes desiderat. *Cels.* 2, 10. *med.* Cum sit autem minime crudo sanguis mittendus, tamen ne id quidem perpetuum est: neque enim semper concoctionem res exspectat; et *Plin.* 17, 2, 2. Nec arbitror, perpetuum quidquam in hoc praecipi posse. ℙ *Perpetua fulmina* ap. *Sen. Q. N.* 2, 47. sunt, quorum significatio in totam vitam pertinet, nec unam rem id enunciat, sed contextum rerum per omnem deinceps aetatem complectitur. ℙ *Perpetuus* dictus est a quibusdam grammaticis infinitivus modus, quia perpetuum est, quod finem non habet. *Diomed.* 1, 331. ℙ Comp. *Perpetuior* dixit *Cato* ap. *Prisc.* 3, 601. Idque perpetuius atque firmius repsit. Sup. *Perpetuissimus* habet *Id. ib.* Ab optimis artibus fugit quam maxima fugela, perpetuissimo curriculo.

PERPEXUS, a, um, part. ab inus. *perpecto*, diligenter pexus. *Firm. Math.* 5, 5. Pectora pugnis obtundant, et perpexam barbam in omnibus cogitationibus suis permulceant.

PERPICTUS, a, um, part. ab inus. *perpingo*, exacte pictus. *Ov. Met.* 10, 262. Lilia, perpictasque pilas. Alii rectius leg. *Liliaque, pictasque pilas.*

[PERPINGUIS, e, adj. valde pinguis. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 45. Arenis circa perpinguibus. *F.*]

PERPLĂCĔO, es, n. 2. valde placeo. *Cic. Att.* 3, 23. *med.* Vide legem, quam T. Fabio scripsit T. Visellius: ea mihi perplacet. *Pl. Most.* 3, 3, 4. Ecquid placeant, me rogas? immo hercle vero perplacent.

PERPLĀNUS, a, um, adj. valde planus. *Diomed.* 2, 431. Discretio est confusarum significationum perplana expositio.

PERPLEXĂBILIS, e, adj. idem ac perplexus, implexus, involatus, obscurus. *Pl. As.* 4, 1, 47. Neque ullum verbum faciat perplexabile.

PERPLEXĂBĬLĬTER, adv. idem ac perplexe. *Pl. Stich.* 1, 2, 28. Perplexabiliter hodie earum perpavefaciam pectora.

PERPLEXĔ, adv. *πολυπλόκως*, obscure, implicite. *Ter. Eun.* 5, 1, 1. Pergin' scelesta mecum perplexe loqui? *Liv.* 6, 13. *f.* Defectionem haud perplexe indicavere. *Prud. adv. Sym.* 2, 847. Anfractus dubios habet, et perplexius errat.

PERPLEXĬM, adv. idem ac perplexe. *Pl. Stich.* 1, 2, 18. Utrum ego perplexim lacessam oratione. *Cass. Hemin.* ap. *Non.* 11, 50. Perplexim scribere alicui.

PERPLEXĬO, onis, f. Perplexitas, involucrum, ambages. *Porc. Latro decl. in Cat.* 33. Me fateor vetustissima familiaritate Catilinae conjunctum, persaepe deliravisse miris perplexionibus illius, neque unquam certi quidquam in illo ingenio comprehendere potuisse.

PERPLEXĬTAS, atis, f. dubium, ambiguitas. *Ammian.* 18, 6. *med.* His ob perplexitatem nimiam aegerrime lectis.

PERPLEXOR, aris, dep. 1. aliquid perplexum facio, et in dubium voco. *Pl. Aul.* 2, 2, 81. At scio, quo vos pacto soleatis perplexarier.

PERPLEXUS, a, um, part. ab inus. *perplecto*, *ἐπίπλοκος*, intricatus, involutus, implexus. *Plin.* 9, 2, 1. Perplexis, et in semet aliter, atque aliter nunc flatu, nunc fluctu convolutis seminibus. *Virg. A.* 9, 931. perplexum iter omne revolvens Fallacis silvae. *Stat. Theb.* 1, 502. Perplexi errores. ℙ Per translationem accipitur pro obscuro, et ita involuto, ut commode intelligi non possit. *Liv.* 40, 5. Singulos amicorum patris tentare sermonibus perplexis institit. *Id.* 25, 12. Perplexius carmen. *Id.* 35, 14. *f.* Perplexum Punico astu responsum. *Id.* 34, 57. Ignorare se dixit, quidnam perplexi sua legatio haberet. *Plin.* 2, 15, 13. Ratio perplexior, multisque involuta miraculis.

PERPLĬCĀTUS, a, um, part. ab inus. *perplico*, implicitus, perplexus. *Lucr.* 2, 394. Aut magis hamatis inter se, perque plicatis.

PERPLŌRO, as, a. 1. valde ploro. *Inscr.* ap. *Grut.* 928, 11. Cresco, percrepas: gaudeo, perploras. Invide, morere.

PERPLŬIT, ebat, impers. 3. *διαβρέχεται*, est per medium pluit. *Cato R. R.* 155. Circuire oportet, sicubi perpluat. *Pl. Most.* 1, 2, 30. Venit imber,

lavat parietes, perpluunt tigna. *Quint.* 6, 3. Cum coenaculum perplueret. *Festus* in *Patera:* Pateram perpluere, in sacris cum dicerent, significabant, pertusam esse. ℙ Translate. *Pl. Trin.* 2, 2, 46. Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant, [*i. e. ne quid vitii contrahant, ut aedes male tectae, quae imbrem transmittunt. *Perpluere* enim tecta ipsa dicuntur, cum tegulis vitiatis imbrem immittunt. *Lindem.* ad h. l.] ℙ Et transitive, cum accus. *Id. Most.* 1, 3, 6. Haec est illa tempestas, quam mihi amor in pectus perpluit meum.

PERPLŪRES, ium, adj. plur. valde plures. *Plin.* 13, 24, 47. Spondetque jugero ejus annuos perplures reditus. Alii leg. *annua* H. S.

PERPLŪRĬMUM, adv. valde plurimum. *Plin.* 2, 54, 55. Itaque perplurimum refert, unde venerint fulmina, et quo concesserint. Alii leg. *plurimum.*

PERPOL, per Pollucem, adv. jurandi. *Ter. Hec.* 1, 1, 1. Perpol quam paucos reperias meretricibus fideles evenire amatores. Ubi tamen *Donatus*, et *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 644. dictum fuisse affirmant pro *Pol perquam paucos*, etc. nam, *Donat.* inquit, *perpol* Latinum non est, et *Serv.* cui *(jurantis adverbio)* praepositio nunquam cohaeret. Quod cum sit verissimum, idem dicendum erit de illo *Pl. Cas.* 2, 6, 18. Perpol saepe peccas, *h. e.* pol persaepe peccas. Huic simile est illud *Ter. Andr.* 3, 2, 6. Per ecastor scitus puer, *h. e.* ecastor perscitus puer.

PERPŌLĬO, ōlis, ivi, itum, a. 4. *διαξέω*, valde polio, absolvo, supremam manum addo. *Cic. Or.* 2, 13. Et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus. *Id. Univ.* 13. Perpolire et absolvere aliquid. *Id. Or.* 2, 28. Perpolire atque conficere. *Id. Balb.* 7. Adhibere extremum perpoliendi operis laborem; et *Fam.* 5, 12. *extr.* Ea, quae habes instituta, perpolies.

PERPŌLĪTĒ, adv. omnino polite. Sup. *Perpolitissime* habet *Auct. ad Her.* 4, 32. *extr.* Ut continuationes perfecte et perpolitissime possint esse absolutae.

PERPŌLĪTĬO, onis, f. actus perpoliendi. *Auct. ad Her.* 4, 13. Verborum exornatio est, quae ipsius sermonis insignita continetur perpolitione.

PERPŌLĪTUS, a, um, part. a *perpolio*, valde politus. *Plin.* 33, 4, 21. Aurum cursu ipso trituque perpolitum. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 13. *f.* Perfecti in dicendo, et perpoliti homines. *Id. Pis.* 29. Non philosophia solum, sed etiam litteris perpolitus. *Id. Sext.* 42. Inter hanc vitam perpolitam humanitate, et illam immanem nihil tam interest, quam, etc. *Id. Or.* 1, 8. Sapientibus sententiis, gravibusque verbis ornata oratio, et perpolita; et *ib.* 2, 27. *f.* Explicatio illustris, et perpolita.

PERPŌPŪLĀTUS, a, um, part. a *perpopulor*, qui totum populatus est. *Tac. A.* 14, 26. Quosque aversos animis cognoverat, caedibus et incendiis perpopulatus, etc. ℙ Passive vastatus. *Liv.* 26, 9. *f.* Annibal, perpopulato agro Fregellano, in Labicanum venit. Alii leg. *populato.*

PERPŌPŪLOR, aris, dep. 1. *καταληστεύω*, totum populor, et vasto. *Liv.* 22, 3. Annibal emissus e manibus perpopuletur Italiam. Alii leg. *populetur. Id.* 34, 56. Ligurum quindecim millia agrum Placentinum perpopulatos esse. [*Plura v. in *Gloss. Liv.* s. v.]

PERPORTANS, antis, part. ab inus. *perporto*, apportans, advehens. *Liv.* 28, 46. Naves onerariae praedam Carthaginem perportantes.

PERPOTĀTĬO, onis, f. actus perpotandi. *Cic. Pis.* 10. Quid cum tuis sordidissimis gregibus intemperantissimas perpotationes praedicem?

PERPŌTĬOR, iris, dep. 4. omnino et plene potior. *Imp. Zeno Cod.* 12, 7, 2. et *Imp. Anastas. ib.* 21, 2. et *Imp. Theod. et Valent. ib.* 16, 3. *extr.*

PERPOTO, as, avi, atum, n. 1. valde poto, vel totum tempus in potationibus consumo. *Cic. Verr.* 2, 5, 33. *extr.* Similiter totus dies, in litore tabernaculo posito, perpotabat. *Id. ib.* 38. Praetore tot dies cum mulierculis perpotante. *Id. Phil.* 2, 31. Delituit in quadam cauponula, atque ibi se occultans perpotavit ad vesperum. ℙ Pro simplici poto, haurio. *Lucr.* 1, 938. et 4, 15. interea perpotet amarum Absinthi laticem. [*V. quae diximus de ratione verba c. praepos. *per* composita pro simplicibus posita accipiendi, in PERPETIOR.]

[PERPRĔHENSUS, a, um, part. ab inus. *perprehendo*, fortiter prehensus. *Appul. Met.* 6. Tunc Juppiter perprehensa Cupidinis buccula, manuque ad os suum relata, consaviat. Alii leg. *perpressa*, alii *prehensa.* V. BUCCULA. *F.*]

PERPRĔMO. V. PERPRIMO.

PERPRESSĀ, ae, f. herbae nomen. *Plin.* 21, 19, 77. Bacchar in medicinae usu aliqui ex nostris perpressam vocant. Alii leg. *perpensam. Id.* 26, 8, 55. Calculos ejicit perpressa, quae Arretii, et in Illyrico nascitur.

PERPRĪMO, is, pressi, pressum, a. 3. valde premo, *καταπιέζω*. *Hor. Epod.* 16, 37. mollis et exspes Inominata perprimat cubilia. *Sen. ep.* 99. *med.* Spiritus ictu doloris impulsus, quemadmodum totum corpus quatit, ita oculos, quibus adjacentem humorem perprimit, et expellit. Al. leg. *perpremit.* ℙ Obsceno sensu idem ac stupro. *Ov. A. Am.* 1, 394. Perprime tentatam *(ancillam).*

PERPRŌPĔRĔ, adv. valde propere. *Pl. Mil.* 2, 4, 10. Peri perpropere.

PERPROPĪNQUUS, a, um, adj. valde propinquus. *Accius* ap. *Cic. Div.* 1, 22. *f.* Commutationem rerum portendit fore perpropinquam.

PERPROSPER, ra, rum, adj. valde prosper. *Suet. Claud.* 31. Valetudine perprospera usus est.

PERPRŪRISCO, is, n. 3. *καταχνίζομαι*, admodum prurio. *Pl. Stich.* 5, 5, 20. Ubi perpruriscamus usque ex unguiculis. *Appul. Met.* 10. Mulier ex unguiculis perpruriscens.

PERPŪDESCIT, valde pudet. *Cornelia* in *ep. ad Gracch. (inter fragm. Nep.)* Quando perpudescet miscenda, atque perturbanda republica? *Locus est p. 371. ed. *Bos. cum praef. Fisch. B. A.*

PERPUGNAX, acis, adj. comm. gen. valde pugnax. *Cic. Or.* 1, 20. *f.* Perpugnacem in disputando videri. Quidam perperam leg. *repugnacem.* Adde *August. contra Acad.* 3, 4.

PERPŪLCHER, cra, crum, adj. valde pulcher. *Ter. Eun.* 3, 2, 15. Perpulcra, credo, dona, haud nostris similia.

[PERPULSUS, a, um, part. ab inus. *perpello:* valde pulsus. *Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio) ep.* 9. Me malis perpulsum, recreatumque tamen aliquantum fateor. *F.*]

PERPUNCTUS, a, um, part. a *perpungo:* punctus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 10. *med.* Perpuncti sentiunt.

PERPURGĀTUS, a, um, part. a *perpurgo*, probe purgatus. *Cels.* 5, 26. *n.* 36. Perpurgata ulcera. *Pl. Mil.* 3, 1, 179. Perpurgatis ambo damus tibi operam auribus, *h. e.* attentissimis. *Cic. Mur.* 26. Locus orationis perpurgatus ab iis, qui ante me dixerunt.

PERPURGO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκκαθαίρω*, omnino purgo, totum purgo. *Cato R. R.* 115. De eo vino cyathum in ceteram potionem indito, alvum movebit, et postridie perpurgabit sine periculo. *Cic. N. D.* 2, 50. Cervaeque ante partum perpurgant se quadam herbula. Adde *Cels.* 2, 10. *med.* ℙ Translate sumitur pro expedire, absolvere, finire. *Cic. Div.* 2, 1. Perpurgatus est is locus a nobis quinque libris. Al. leg. *pertractatus.* ℙ *Perpurgare*, scil. *rationes*, expedire aequando singula capita dati et accepti, perficere, absolvere. *Cic. Att.* 12, 12. De dote tanto magis perpurga.

*PERPŪRUS, a, um, adj. valde purus. *Varr. R. R.* 3, 16. Addunt lanam perpuram. Sic ed. *Schneid.* ubi ed. *Gesner.* cum aliis *purpuream* habet. *B. A.*

PERPŪSILLUM. *Cic. Or.* 2, 60. Non accusabis: perpusillum rogabo. (Potest hic et adv. esse et adj.)

PERPŪTO, as, a. 1. perfecte puto, declaro, profero. *Pl. Cist.* 1, 3, 7. Ut ego argumentum hoc vobis plane perputem.

PERQUAM. V. PER.

[PERQUĔO, is, ivi, n. anom. idem fere ac queo. *Appul. Met.* 1. Ut toto biduo non claustra perfringi, non fores evelli, non denique parietes ipsi perquiverint perforari. Alii leg. *quiverint. F.*]

PERQUIESCO, is, n. 3. conquiesco. *Appul. Met.* 8. Totam perquiescimus noctem.

PERQUĪRĪTĀTUS, a, um, part. ab inus. *perquirito*, perquisitus. *Claud. Mamerc. Stat. anim. praef.* 1. Opusculum usquequaque perquiritatum. Alii leg. *proquiritatum.*

PERQUĪRO, is, quisivi, itum, a. 3. *διαζητέω*, scrutando diligenter quaero. *Cic. Verr.* 2, 4, 18. Scribit ad quosdam, ut ea vasa perquirant. *Id. Fin.* 5, 18. Res contemplari, et perquirere. *Q. Cic. Pet. cons.* 8. Perquirere et investigare homines ex omni regione. ℙ Item interrogando. *Caes. B. G.* 6, 8. *extr.* Aditus, viasque in Suevos perquirit. *Pl. Stich.* 1, 3, 49. Adeunt, perquirunt, quid causae siet. *Cic. Coel.* 22. Possum etiam illa ab accusatore perquirere, ubi sit, etc. ℙ Passive impersonaliter. *Id. Cluent.* 64. Perquiritur a coactoribus. ℙ Part. *Perquirendus* ap. *eund. Fin.* 5, 18. Pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus, perquirendisque deterrentur.

PERQUĪSĪTĒ, adv. *ἐξητασμένως*, diligenter. *Cic. Inv.* 1, 41. *f.* Sed perquisitius, et diligentius conscripsisse pollicemur.

PERQUĪSĪTOR, oris, m. inquisitor. *Pl. Stich.* 2, 2, 61. Malevoli perquisitores auctionum.

PERQUĪSĪTUS, a, um, part. a *perquiro:* diligenter quaesitus. *Plin.* 6, 8, 8. In quo multa aliter, ac veteres, prodituram me non eo inficias, anxia perquisita cura.

*PERRANTHES, mons Ambraciae vicinus. *Liv.* 38, 4. *in. B. A.*

PERRĀRO, adv. *παυσπανίως*, valde raro. *Cic. Fin.* 2, 16. Quae perraro appellantur ab Epicuro. *Hor. Sat.* 2, 5, 50. perraro haec alea fallit.

PERRĀRUS, a, um, adj. valde rarus. *Liv.* 29, 38. *extr.* Quod tunc perrarum in mandandis sacerdotiis erat. *Plin.* 31, 3, 23. Quando perrarum est, ut levior sit aliqua *(aqua).*

*PERRE, es, et Perra, ae, f. Syriae oppidum, in Commagena. *Anton. Itin. B. A.*

PERRĔCONDĪTUS, a, um, part. ab inus. *perrecondo*, valde reconditus. *Cic. Or.* 1, 30. Aut perrecondita, aut valde difficilis ratio consuetudinis.

PERRECTUS, a, um, part. a *pergo*, experrectus. *Appul. Met.* 2. Perrectis oculis, et obarmatis ad vigilias. Alii leg. *perfrictis.*

PERRĔGĔRĔ. V. PEREGERE.

PERRĔPO, is, psi, ptum, n. 3. *καθέρπω*, rependo aliquo pervenio, adrepo: a *per* et *repo. Colum.* 6, 5. Ne ad praesepia sus, aut gallina perrepat. *Id.* 4, 24. Si a capite vitis emicuerit, et brachiis in aliena jugorum compluvia perrepserit. *Tibull.* 1, 5, 43. Non ego tellurem genibus perrepere supplex.

PERREPTO, as, avi, atum, n. 1. frequent. a *perrepo. Pl. Rud.* 1, 4, 4. Omnia jam circumcursavi, atque omnibus in latebris perreptavi quaerere conservam voce, oculis, auribus, *h. e.* quasi reptando cum labore, et lassitudine obivi; et *Amph.* 4, 1, 3. Omnes plateas perreptavi, gymnasia, et myropolia, *h. e.* reptavi per plateas, etc. Sic *Ter. Ad.* 4, 6, 3. Perreptavi usque omne oppidum, ad portam, ad lacum, quo non?

PERRHAEBI, orum, m. plur. *Περραιβοί*, pop. Macedoniae, in confinio Thessaliae, juxta Peneum fl. et Olympum montem, apud Pelasgiotas. Eorum oppidum Perrhaebia. Etiam in Aetolia collocantur. Causa est, quia eorum regio attingens Pindum montem Aetoliae, ex parte in Aetolia collocatur. Aliqui causam afferunt, quod Perrhaebi a Lapithis fracti in Aetoliam fugerint. Hinc adjective *Prop.* 3, 3, 55. Aut cur Perrhaebi tremuere cacumina Pindi. *Ov. Met.* 12, 172. Perrhaebum Caenea vidi, *h. e.* Thessalum. V. *Plin. prooem.* 4. et *ib.* 2, 3.

*PERRHAEBĬA vel (minus recte) Perraebia, ae, f. *Περραιβία*, tractus nomen in Thessalia, inter Pelasgiotidem, Doridem atque Epirum. *Cic. Pis.* 40. *Liv.* 31, 41. 42, 55. et 44, 2. ℙ V. et PERRHAEBI. *B. A.*

PERRĪDĬCŪLĒ, adv. valde ridicule. *Cic. Or.* 2, 59. Sed etiam, si quid perridicule possis.

PERRĪDĬCŪLUS, a, um, adj. valde ridiculus. *Cic. Or.* 2, 19. Sed tamen est eorum doctrina perridicula.

PERRĪMOSUS, a, um, adj. multum rimosus. V. PAEMINOSUS.

PERRŌDO, is, osi, osum, a. 3. vehementer rodo, totum rodo, rodendo penetro. *Plin.* 34, 18, 55. Valet purgare, sistere, excalfacere, perrodere. *Id.* 30, 16, 53. Quae non perroderetur a veneno Stygis aquae. *Cels.* 5, 28. *n.* 12. Non plures sinus perroserint.

PERRŌGĀTĬO, onis, f. rogatio. *Inscr.* mutila ap. *Maff. Mus. Ver.* 288, 4. Fiat perrogatio ordinis.

PERRŌGĪTO, as, a. 1. frequent. a *perrogo. Pacuv.* ap. *Prisc.* 4, 634. Postquam defessus perrogitando advenas de natis, neque quemquam invenit scium.

PERRŌGO, as, a. 1. idem ac rogo, seu interrogo. [*Ad unum omnes interrogo.] *Tac. H.* 4, 9. Cum perrogarent sententias consules. *Liv.* 29, 19. *med.* Perrogari eo die sententiae non potuerunt, *h. e.* omnium sententiae usque ad ultimum senatorem. *Suet. Aug.* 35. Sententias de majore negotio non more atque ordine, sed, prout libuisset, perrogabat. ℙ Perrogare legem, est ita rogare, ut perferatur, et a populo accipiatur. *Val. Max.* 1, 2. *extr. n.* 1. Minos a Jove traditas sibi leges perrogabat. *Id.* 8, 6. *f.* Tribunus plebis legem perrogavit magna cum clade reipublicae.

PERRUMPO, is, ūpi, uptum, a. 3. *διαῤῥήγνυμι*, medium rumpo, prorsus rumpo, diffindo, perfringo, disrumpo. *Caes. B. C.* 1, 26. Turres omni genere telorum completas ad opera Caesaris appellebat, ut rates perrumperet, atque opera disturbaret. *Cels.* 8, 9. Costa sic finditur, ut eam totam is casus perruperit. *Id.* 7, 5. *med.* Si vero plus est per quod telo revertendum, quam quod perrumpendum est. *Cic. Tusc.* 1, 18. *f.* Ab his perrumpitur et dividitur crassus hic et concretus aer. *Virg. A.* 2, 479. correpta dura bipenni Limina perrumpit; et *ib.* 9, 512. Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua Possent tectam aciem perrumpere. *Ov. Met.* 12, 369. Fraxineam misit hastam, quae laterum cratem perrupit. ℙ Item vi irrumpo, vi viam mihi facio, penetro, quasi obstantia perfringendo. *Caes. B. G.* 7, 19. Ut si eam paludem Romani perrumpere conarentur, haesitantes premerent ex loco superiore; et *ib.* 6, 39. Inter se cohortati, per medios hostes perrumpunt. *Liv.* 26, 7. Nec per castra eorum perrumpi ad Capuam posse. *Id.* 3, 18. *med.* Jam in vestibulum perruperant templi. *Suet. Oth.* 8. Perruperunt in triclinium usque. *Sil.* 12, 697. etiamne parabit Nostras ille domos, nostras perrumpere in arces? *Id.* 14, 16. medio *(pelagus)* perrumpens arva profundo. *Hor. Od.* 1, 3, 36. Perrupit Acheronta Herculeus labor. ℙ Translate. *Cic. Off.* 3, 8. Poe-

nam non dico legum, quas saepe perrumpunt, [*i. e. violant. V. *Beier.*] et *Part.* 32. *med.* Perrumpere periculum, superare. Sic *Plin.* 8, 23, 35. omnes difficultates; et *Cic. Verr.* 2, 1, 5. Confringat iste sane vi sua consilia senatoria, quaestiones omnium perrumpat, evolet ex vestra severitate, *h. e.* evadat, effugiat. *Sen. Ag.* 604. Perrumpere omne servitium; et *Tac. A.* 3, 15. Nullo magis exterritus est, quam quod Tiberium, sine miseratione, sine ira, obstinatum clausumque vidit, ne quo affectu perrumperetur, *h. e.* permoveretur, quasi vi affectu aliquo animum ejus irrumpente. [*Adde 4, 40. Magistratus et primores, qui te invito perrumpunt, sc. fines istos, intra quos continere te vis, modestiam tuam, qui vim faciunt modestiae tuae, eam expugnant. *Rupert.*]

PERRUPTUS, a, um, part. a *perrumpo:* perfractus, diruptus. *Colum.* 2, 1. *med.* Perruptae rastris et aratris radices herbarum. *Sil.* 13, 741. et perruptis molibus Alpes Eluctatus adest. ℙ Cum vi intratus, invasus. *Tac. A.* 4, 51. Quaedam munimenta Romani: quasi perrupta, omisere. *Id. H.* 2, 44. Media acie perrupta fugere passim Othoniani. *Id. A.* 1, 51. *f.* Uno impetu perruptum hostem redigunt in aperta, caeduntque, *h. e.* perruptis aciei ordinibus.

PERSA, ae, m. Πέρσης, Persidis incola. *Cic. Att.* 10, 8. Regnum non modo Romano homini, sed ne Persae quidem tolerabile. *Id Tusc.* 1, 45. Persae mortuos cera circumlitos condunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora; et *ib.* 5, 34. Persarum a Xenophonte victus exponitur, quos negat ad panem adhibere quidquam, praeter nasturtium. *Nep. Alc.* 11. Venisse ad Persas, apud quos summa laus esset, fortiter venari, luxuriose vivere. *Id. Pel.* 4. et *Ag.* 4. In Persas proficisci. ℙ *Persa*, una ex Plautinis fabulis, in qua parasitus pro Persa inducitur. ℙ Item Nympha, de qua V. in PERSES. ℙ [Item nomen catelli. *Cic. Div.* 1, 46. *F.*]

PERSAEPE, adv. valde saepe. *Cic. Amic.* 20. *med.* Ne quis intemperata quadam benevolentia, quod persaepe fit, etc. *Id. Q. Fr.* 1, 5. Frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur, oratio vero saepissime. *Pl. Cas.* 2, 6, 18. Per pol saepe peccas: *tmesis* pro *Pol persaepe.* V. PERPOL. Adde *Cic. Verr.* 2, 5. 50. *extr.*, *Leg.* 1, 14. et *Hor. Sat.* 1, 2, 82. etc.

PERSAEVUS, a, um, adj. valde saevus. *Mela* 2, 5. *f.* Parva flumina Telis, et Tichis: ubi accrevere, persaeva.

*PERSAGADUM, i, n. oppidum Persiae. *Curt.* 5, 6. ℙ Etiam forma *Persagadae, arum*, occurrit ap. *eund. ib.* Persagadis captis. ℙ V. PASARGADAE. *B. A.*

PERSALSE, adv. valde salse. *Cic. Q. Fr.* 2, 15. *med.* Persalse et humaniter etiam mihi gratias agit.

PERSALSUS, a, um, adj. valde salsus. *Cic. Or.* 2, 69. Persalsum illud est apud Naevium, Quid ploras pater? Mirum ni cantem, condemnatus sum.

PERSALŪTĀTĬO, onis, f. *Cic. Mur.* 21. Non placet mihi testium potius, quam suffragatorum comparatio; non minae magis, quam blanditiae; non declamatio potius, quam persalutatio, *h. e.* diligens omnium salutatio.

PERSALŪTO, as, a. 1. valde saluto, frequenter saluto, ad unum omnes saluto. *Cic. Fl.* 18. Ut omnes nos, vosque quotidie persalutet. V. SALUTO. *Phaedr.* 4, 11. Coelo receptus propter virtutem Hercules Cum gratulantes persalutasset Deos. Adde *Sen. Tranqu.* 12. *med.*

PERSĀNĀTUS, a, um, part. a *persano*, omnino sanatus. *Sen. ep.* 8. Ulcera etiamsi persanata non sunt, serpere desierunt.

PERSANCTE, adv. valde sancte, et religiose. *Ter. Hec.* 5, 2, 5. Bacchis dejerat persancte. *Suet. Tit.* 10. Persancte jurabat.

PERSĀNO, as, avi, atum, a. 1. omnino sano. *Plin.* 20, 22, 89. Vomicas rumpere, purgare, persanare promittens. Adde 24, 19, 120., etc.

PERSĀNUS, a, um, adj. perfecte sanus. *Cato R. R.* 157. *f.* Ut radices polypi persanas facias.

PERSĀPĬENS, entis, part. ab inus. *persapio*, valde sapiens. *Cic. Prov. cons.* 18. *f.* Quod magni cujusdam hominis, et persapientis videtur.

PERSĀPĬENTER, adv. valde sapienter. *Cic. Mil.* 4. *f.* Etsi persapienter, et quodam modo tacite dat ipsa lex potestatem defendendi.

[PERSCĔLĔRĀTUS, a, um, part. ab inus. *perscelero*, valde sceleratus. *Not. Tir.* p. 71. Sceleratus, persceleratus. *F.*]

PERSCĬENS, entis, part. ab inus. *perscio*, valde sciens. *Lampr. Com.* 5. Perennis Commodi animum persciens, invenit, etc.

PERSCĬENTER, adv. admodum scienter, et industrie. *Cic. Brut.* 55. Ad infirmitatem laterum perscienter contentionem omnem remiserat.

PERSCINDO, is, ĭdi, a. 3. διαῤῥήγνυμι, totum scindo, vel per medium scindo. *Lucr.* 6, 137. ut interdum validi vis incita venti Perscindat nubem perfringens impete recto; et 179. Ergo fervidus hic nubem cum perscidit atram. *Liv.* 21, 58. Omnia perscindente vento, et rapiente.

PERSCISCO, is, a. 1. plane scio, cognosco. *Dict. Cret. B. Troj.* 37. Causam tumultus cupidus persciscere.

PERSCISSUS, a, um, part. a *perscindo. Lucr.* 6, 110. Interdum perscissa (*carbasus*) furit petulantibus auris.

PERSCĪTUS, a, um, part. ab inus. *perscio*, valde scitus. *Cic. Or.* 2, 67. Quod apud Catonem est, per mihi scitum videtur, C. Publicium solitum dicere, etc. ℙ Item perpulcher. *Ter. Andr.* 3, 2, 6. Per ecastor scitus puer est natus Pamphilo: *tmesis* est pro *Ecastor perscitus puer etc.* V. PERPOL et SCITUS.

PERSCRĪBO, is, psi, ptum, a. 3. ἀναγράφω, idem fere quod scribo, aut diligenter, et totum scribo. *Cic. Att.* 3, 13. Nunc velim, mihi plane perscribas, quid videas; et *ib.* 15. *f.* Fac ut omnia ad me perspecta et explorata perscribas. *Metell.* ad *Cic. Fam.* 5, 3. De meis rebus ad Lollium perscripsi. *Cic. ib.* 4. Nunc mihi frater mitissimam tuam orationem, quam in senatu habuisses, perscripsit. *Tac. A.* 1, 11. *f.* Cuncta sua manu perscribere. *Caes. B. G.* 5, 45. *f.* Litteras Caesari dimittit, rem gestam in Eburonibus perscribit; et *ib.* 47. Perscribit in litteris, hostes ab se discessisse, etc. *Id. B. C.* 1, 53. Haec pleniora etiam atque uberiora Romam ad suos perscribebant. *Liv.* 1, 1. A primordio Urbis res populi R. perscribere. *Id.* 31. *in.* Profiteri ausus, perscripturus res omnes Romanas. *Hor. Sat.* 1, 4, 54, puris versum perscribere verbis. ℙ *Perscribi* dicuntur senatusconsulta, cum, nullo tribuno pleb. intercedente, in publicas tabulas referuntur *Caes. B. C.* 1, 6. De Fausto impedit Philippus trib. pleb., de reliquis S. C. perscribuntur; et *Cic. Cat* 3, 6. Et quoniam nondum est perscriptum S. C., ex memoria vobis, Quirites, quid senatus censuerit, exponam. *Id. Verr.* 1, 21. In tabulas publicas ad aerarium perscribenda curavit. ℙ Similiter *perscribi* dicuntur rationes rei familiaris, quae in tabulis, seu codice conscribuntur accepti et expensi. *Cic. Rosc. Com.* 1. Perscribere falsum nomen. [*Adde *ib.* egone hanc manum — et hos digitos meos impellere potui, ut falsum perscriberent nomen. ℙ Tum *perscribi* dicuntur, quaecunque in tabulis trapezitarum referuntur, sive ut ipse debeas, sive ut tibi debeantur.] *Id. Att.* 9, 12. usuras, *h. e.* pecuniam datam sub usuris. *Id. Fl.* 19. Cum illam pecuniam nominatim Flacco datam referant, majorem etiam aliam cum huic iidem darent, in aedem sacram reficiendam se perscripsisse dicunt. *Ter. Phorm.* 5, 7, 30. Argentum perscripsi illis, quibus debui, *h. e.* per scripturam ab argentario numeravi: seu illis solvendam curavi pecuniam ab argentario, cavendo ipsi chirographo meo, et promissione usurarum: quod est, per scripturam solvere, cui opponitur praesenti pecunia solvere. *Cic. Att.* 16, 2. De Publilio quod perscribi oportet, moram non puto esse faciendam: sed cum videas, quantum de jure nostro decesserimus, qui de residuis CCCC. HS. CC. praesentia solverimus, reliqua perscribamus, etc. Alii leg. *rescribamus*, quod idem est. [*Orell.* exhibet cum omnibus fere cdd. *rescribamus.* Adde *Suet. Caes.* 42. Si quid usurae nomine numeratum aut perscriptum fuisset: ubi *perscribi* de satisfactione usurpatur, non, ut alibi, si quis *perscriptione*, i. e. a trapezita solvit: ita ut *perscriptae usurae* dicantur, quae summam aeris alieni, cui adjectae essent, auxissent, ut usuris onerati defeneratique jam plus deberent. V. *Wolf.*] ℙ Pro perdiscere, *Sall. Jug.* 98. Cujus ramis modo, modo eminentibus saxis nisus Ligus, castelli planitiem perscribit, *h. e.* animo concipit situm, et formam planitiei. [*V. longam *Wassii* ad h. l. adnotationem.]

PERSCRIPTĬO, onis, f. διαγραφή, actus perscribendi, scriptio, scriptura. *Cic. Fam.* 5, 2. *med.* Jam illud senatusconsultum, quod eo die factum est, ea perscriptione est, ut, dum id exstabit, officium meum in te obscurum esse non possit. Al. leg. *praescriptione.* Facile enim in MSS. *prae*, et *per* confunduntur: sed *perscriptio* potior lectio est. [*Orell.* exhibet *praescriptione*, vulg. lectionem *perscriptione* ut consulto a se repudiatam significans. ℙ De rationibus, quae non in codice s. tabulis, sed tantum in adversariis (*in der Kladde*) perscriptae sunt. *Schütz. cl. Cic.*] *Cic. Rosc. Com.* 2. Suarum perscriptionum, et liturarum adversaria proferre, non amentia est. [*Adde *Or.* 1, 58. Si te tabulis et perscriptionibus controversia est.] *Id. Phil.* 5, 4. Illa vero dissipatio pecuniae publicae ferenda nullo modo est, per quam septies millies falsis perscriptionibus, donationibusque avertit, *h. e.* perscribendo in tabulis falsa nomina, et causas pecuniae insumendae. ℙ De solutione per scripturam, de qua in v. praec. dictum est. V. DELEGATIO. [*Hac notione positum v. *perscriptio* vult etiam in ultimo §. anteced. loco *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] *Id. Att.* 12, 11. *f.* De Caerellia quid tibi placeret, Tiro mihi narravit; debere, non esse dignitatis meae: perscriptionem tibi placere. *Id. ib.* 4, 18. Haec pactio non verbis, sed nominibus, et perscriptionibus facta est.

[PERSCRIPTITO, as, a. 1. frequent. a *perscribo*, saepius scribo. *Terent. de syllab.* p. 2391. legem metri cogimur Syllabis perscriptitare, non figuris singulis. Al. leg. *praescriptitare. F.*]

PERSCRIPTOR, oris, m. ἀναγραφεύς, scriptor, scriba. *Cic. Verr.* 2, 3, 72. Scribam tuum dicit, Verres, hujus perscriptorem fenerationis fuisse.

PERSCRIPTŪRA, ae, f. scriptura. *Ulp. Dig.* 29, 1, 3. Quemadmodum plerique pagani solent, cum testamenti faciunt perscripturam, adjicere, velle hoc etiam vice codicillorum valere. Ita *Torrent.*, at *Haloander*, cum testamentum faciunt, per scripturam adjicere, velle, etc.

PERSCRIPTUS, a, um, part. a *perscribo:* ἀναγραφθείς, litteris mandatus, scriptus, descriptus. *Cic. Agr.* 2, 32. *f.* Hoc perscriptum in monumentis veteribus reperietis, ut, etc. *Id. Pis.* 25. *f.* Rationes ita sunt perscriptae scite et litterate, ut, etc. *Id. Cat.* 3, 6. Senatusconsultum nondum perscriptum. *Nep. Dat.* 5. Haec Pandates perscripta ei mittit. ℙ Integre scriptus. *Suet. Galb.* 5. HS. namque quingenties cum praecipuum inter legatarios habuisset, quia notata, non perscripta erat summa, herede Tiberio ad quingenta revocante, ne haec quidem accepit. *Tiro Tull.* ap. *Gell.* 10, 1. *f.* Persuasit Pompejo, ut neque *tertium.*, neque *tertio* scriberetur, sed ad secundum usque *t* fierent litterae, ut, verbo non perscripto, res quidem demonstraretur, sed dictio tamen ambigua verbi lateret. ℙ *Perscriptus* est etiam linea transversa divisus. *Prisc. de ponder.* p. 1347. As nummus est libralis, et per I perscriptam notatur ⊦: dupondius nummus est bilibris per duas II perscriptas ⧺: sestertius nummus duarum semis librarum per duas II et S perscriptas IIS, unde sestertius dicitur semistertius: denarius quoque decem librarum nummus per X perscriptam notatur Ⓧ.

PERSCRŪTĀTĬO, onis, f. actus perscrutandi, inquisitio. *Sen. Consol. ad Helv.* 9. *f.* Quid opus est profundi perscrutatione?

PERSCRŪTĀTOR, oris, m. investigator. *Capitol. Max.* 1. Qui talium rerum perscrutatores fuisse dicuntur. Adde *Veg. Mil.* 3, 3.

PERSCRŪTĀTUS, a, um, part. a *perscruto:* investigatus. *Ammian.* 17, 4. Obelisci montium venis perscrutatis excisi, erectique.

PERSCRŪTO, as, a. 1. idem quod perscrutor. *Pl. Aul.* 4, 4, 30. Postremo hunc jam perscrutavi: nihil hic habet.

PERSCRŪTOR, aris, atus sum, dep. 1. διερευνάω, diligenter [*perquiro, pervestigo, *durchsuchen. Cic. Off.* 2, 7. Alexander Pheraeus antequam ad Thebn uxorem suam in cubiculum veniret — praemittebat, de stipatoribus, qui perscrutarentur arculas muliebres: alii leg. *scrutarentur.*] *Id. Tusc.* 5, 20. *med.* Speculari et perscrutari aliquid. *Id. Verr.* 2, 4, 21. *med.* Immittebantur illi Cibyratici canes, qui investigabant et perscrutabantur omnia. ℙ [*Translate i. q. inquiro, examino, *untersuchen, erforschen.*] *Cic. Inv.* 2, 44. Sententiam scriptoris domesticis suspicionibus perscrutari. *Id. Fl.* 8. *extr.* Perscrutari penitus naturam rationemque criminum.

PERSCULPTUS, a, um, part. ab inus. *persculpo*, sculptus, vel perfecte sculptus. *Coripp. Laud. Just.* 3, 377. Persculpti lapides, surdae mutaeque figurae.

PERSĔA, ae, f. περσέα, arbor Aegyptia, procera, fructu piri, aut mali magnitudine, noxio in Perside, vesco in Aegypto. *Plin.* 13, 9, 15. et 15, 13, 13., ubi multa de ea. [*Secundum alios Laurus Persea, *L.* Aliis est *der Sebestenbaum*, Cordia Myxa, *L.* Ex recentt. sententia non amplius in arborum numero *Persea* prostat.]

[PERSĔA, ae, f. idem ac Perseis, *h. e.* Hecate, Persae filia. *Virg. Cir.* 66. Sive illam monstro genuit Persea biformi. *F.*]

PERSĔCO, as, ui, ctum, a. 1. διατέμνω, idem ac seco, vel perfecte seco, medium seco. *Cic. Acad.* 4, 39. Eodem modo rerum naturas persecare, aperire, dividere possumus, *h. e.* explorare, contemplari. *Liv.* 40, 19. *f.* Vitium, ne serpat, persecare. *Vet. Orator* ap. *Quint.* 8, 6. *med.* Persecuisti reipublicae vomicas. *Cic. Att.* 13, 23. Quare da te in sermonem, et perseca, et confice, excita, compella, loquere, *h. e.* si quid obstare videtur, amputa, praecide, tolle.

PERSECTOR, aris, dep. 1. persequor, insector. *Lucr.* 4, 1003. Accipitres somno in leni si proelia, pugnasque Edere sunt persectantes, viaeque volantes. *Id.* 2, 165. Nec persectari primordia. Alii leg. *perscrutari.*

PERSĔCŪTĬO, onis, f. δίωξις, [*actus persequendi, *Verfolgung.*] *Appul. Met.* 4. Quidam de latronibus importunae persecutionis indignatione permotus etc. *Ulp. Dig.* 41, 1, 44. et *Cajus ib.* 5. Cum effugerent bestiae nostram persecutionem. [*Item insectatio, vexatio, διωγμός. Unum e scriptis suis *Tertull.* inscripsit: *De fuga in persecutione.* ℙ Hinc] actus persequendi in judicio. *Cic. Or.* 41. *med.* In altera persecutionum, cautionum-

que praeceptio. *Flor. Dig.* 46, 4, 18. Quarumque rerum mihi tecum actio, quaeque adversus te petitio, vel adversus te persecutio est, eritque. ℙ ℙ Incepti negotii persecutio, ap. *eund. ib.* 10.

PERSĔCUTOR, oris, m. διώκτης, insectator, insecutor. *Capitol. Albin.* 11. *f.* Flagitiorum turpium persecutor. Adde *Sidon. ep.* 9, 16. *in carm. med.*, *Prud. περὶ στεφ.* 1, 28. et *Lactant. Mort. persecut.* 1. *f.* ℙ Item qui jus suum persequitur. *Macer Dig.* 48, 3, 7., ubi al. leg. *prosecutor.* ℙ Item qui comitatur, seu prosequitur. V. PROSECUTOR.

PERSĔCUTORĬUS. V. PROSECUTORIUS.

PERSĔCUTRIX, icis, f. quae persequitur, et vexat. *August. Consens. Evang.* 1, 25. Juno persecutrix Herculis.

PERSĔCUTUS et Persequutus, a, um, part. a *persequor:* qui persecutus est. *Vell.* 2, 6. Ti. Gracchum L. Opimius, persecutus armis, interfecit. ℙ Item qui dicendo, vel scribendo narravit et explicavit aliquid. *Plin.* 28, 1, 2. Omnia persecuti usque ad resegmina unguium. Adde 19, 2, 10. ℙ Passive. *Pall.* 3, 26. *extr.* In porcis etiam illud est commodum, quod immissi vineis necdum turgentibus, vel exacta vindemia, gramine persecuto, diligentiam fossoris imitantur.

PERSĔDĔO, es, edi, n. 2. καθίζομαι, diu sedeo, usque ad finem sedeo, permaneo. [*nostr. *sitzen bleiben.*] *Liv.* 45, 39. *f.* Hoc quoque, quod ridetis, in equo dies noctesque persedendo habeo. *Suet. Claud.* 34. Bestiariis meridianis adeo delectabatur, ut etiam prima luce ad spectaculum descenderet, et meridie, dimisso ad prandium populo, persederet. *Sen. ep.* 108. Non novimus quosdam, qui multis apud philosophum annis persederint, et ne colorem quidem duxerint? *Lucr.* 1, 307. quo pacto persederit humor aquai, *h. e.* inhaeserit.

PERSEGNIS, e, adj. valde segnis. *Liv.* 25, 15. Pedestre proelium fuit persegne, paucis in prima acie pugnantibus Romanis.

PERSĔIS, idis, Περσηΐς, Hecate Persae filia. *Sen. Med.* 814. Causa vocandi, Persei, tuos saepius arcus etc. *Stat. Th.* 4, 481. tu separe coetu Elysios, Persei, pios etc. ℙ Ap. *Ov. Pont.* 4, 16, 25. nomen est poematis Latini. ℙ Adjective *herbae Perseides* dicuntur, quibus in veneficiis sagae utuntur. *Ov. R. Am.* 263. Quid tibi profuerunt, Circe, Perseides herbae? ℙ Est etiam Nympha Oceani filia, ex qua Sol Circen genuit, et Aeten Medeae patrem, ut *Hesiod.* in Θεογον. v. 957. et *Hyg. fab.* 156. docent. *Val. Fl.* 7, 238. Non ita me immemorem magnae Perseidos, inquit etc. ℙ Item urbs Paeoniae, quam in honorem filii sui Persei ita appellari jussit Philippus rex Macedonum. *Liv.* 39, 54.

PERSĔĬUS, a, um, adj. ad Persam pertinens. *Val. Fl.* 6, 495. Hanc residens altis Hecate Perseia lucis Flevit. *Id.* 5, 582. flammigeri proles Perseia Solis, *h. e.* Aetes Hecates frater. V. v. praec. ℙ Est etiam ad Perseum pertinens. *Ov. Met.* 5, 128. Sternitur et Menaleus Perseia castra secutus.

PERSĔNESCO, is, nui, n. 3. senex fio, usque ad ultimam senectutem vivo. *Eutrop.* 1, 11. Atque ibi per quatuordecim annos privatus cum uxore persenuit.

PERSĔNEX, adj. valde senex. *Suet. Gr.* 9. Namque jam persenex pauperem se, et habitare sub tegulis, quodam scripto fatetur.

*PERSENĪLIS, e, adj. *Vulg. Interpr. Josuae* 23, 1. Josua jam longaevus et persenilis aetatis. *B. A.*

PERSENTĬO, is, ensi, a. 4. idem ac sentio, aut valde sentio. *Virg. A.* 4, 90. Quam simul ac tali persensit peste teneri Cara Jovis conjux, etc.; et 448. magno persentit pectore curas. *Appul. Met.* 7. Quid, si ceteri latrones persenserit?

PERSENTISCO, is, a. 3. διαισθάνομαι, idem ac persentio, vel incipio persentire. *Ter. Heaut.* 5, 1, 43. Ubi possem persentiscere, nisi essem lapis; et *Lucr.* 3, 250. Concutitur tum sanguis, viscera persentiscunt.

PERSEPHŌNĒ, es, f. Περσεφόνη, Graeca appellatio Proserpinae, filiae Cereris, uxoris Plutonis: a πέρθω, vasto, et φόνος, caedes. Est enim Proserpina ipsa mors, quae caedibus omnia vastat. *Ov. Fast.* 4, 591. At neque Persephone digna est praedone marito. *Stat. Th.* 12, 276. Persephonem amnes, silvae, freta, nubila clamant. ℙ Pro morte. *Ov. Her.* 21, 46. Persephone nostras pulsat acerba fores. Adde *Tibull.* 3, 5, 5. V. CATAMITUS.

PERSEPHŌNĬUM, ii, n. περσεφόνιον, herba, papaver silvaticum, album. *Appul. Herb.* 53.

PERSĔQUAX, acis, adj. strenuus in persequendo. *Sidon. ep.* 4, 9. *med.* In reatu pervestigando persequax. *Appul. Flor. n.* 23. Ales oculis persequax, unguibus pertinax.

PERSĔQUENS, entis, part. a *persequor*, qui persequitur, seu sectatur. *Pl. Cas.* 2, 1, 12. Acheruntis pabulum, flagitii persequentem, *h. e* amatorem. *Auct. ad Her.* 2, 19. Virum integerrimum, inimicitiarum persequentissimum, *h. e.* ulciscentem inimicitias.

PERSĔQUOR, eris, utus sum, dep. 3. παρακολουθέω, idem ac sequor, pone sequor, praeeuntem usque sequor assequendi causa. *Cic. Verr.* 2, 5, 35. Reliqui praefecti, appulsis ad Elorum navibus, Cleomenem persecuti sunt. *Petr. Sat.* 6. Cursim persequi aliquem. *Ter. Andr.* 5, 4, 32. Is hinc, bellum fugiens, meque in Asiam persequens, proficiscitur. Ubi *Donatus: Persequens* dicit, perseverationem sequentis ostendens: persequitur enim qui non desinit sequi. *Id. Ph.* 3, 3, 18. Quoquo hinc asportabitur terrarum, certum est persequi, aut perire. *Cic. Brut.* 90. Ut possis videre, quemadmodum simus in spatio Q. Hortensium ipsius vestigiis persecuti; et *Or.* 1, 23. Vestigia alicujus persequi. ℙ [*Hinc consectari, consequi, *nachkommen, einholen. Cic. Fam.* 3, 6. eo discessisti, quo ego ne persequi possem triginta diebus. *Id. Div.* 2, 71. superstitionis stirpes omnes ejiciendae. Instat enim et urget, et quo te cunque verteris persequitur. *Schütz. cl. Cic.* ℙ Translate varios usus habet: ac primum quidem huc referri poterant ista: *Cic. Pis.* 23. quos tu Maeandros, dum omnes solitudines persequeris, quot diverticula flexionesque quaesisti? ubi *persequi* i. q. perlustrare, pervestigare. Tum sequi debebant, quae *Noster* in fine laudaverat:] *Cic. Fin.* 1, 21. Ergo eas artes persequeretur, vivendi artem tantam, tamque operosam relinqueret? *Virg. G.* 2, 407. Rusticus et curvo Saturni dente relictam Persequitur vitem attondens: [*ubi *persequi* est colere, exercere, circa rem aliquam studiose versari. Porro] *Cic. Phil.* 12, 7. ut cedamus, abeamus, vitam inopem et vagam persequamur, [*i. e. transducamus.] *Persequi viam*, tenere. *Ter. Hec.* 3, 5, 4. Certum obfirmare est viam me, quam decrevi persequi, *h. e.* rationem, quam sequi decrevi. *Cic. Fam.* 4, 13. *f.* Et certe omnes vias pesequar, quibus putabo ad id, quod volumus, perveniri posse. ℙ Item affecto, appeto. *Cic. Leg.* 3, 8. Qui legatione hereditates aut syngraphas suas persequuntur. *Pl. Merc.* 5, 1, 7. Ego mihi alios Deos penatos persequar, alium Larem, aliam urbem, aliam civitatem, [*i. e. mihi quaeram, acquiram.] ℙ *Mortem inedia persequi* ap. *Petr. Sat.* 111. est quaerere, appetere, oppetere. ℙ [*Hinc i. q. imitari. *Cic. Acad.* pr. 2, 23. ironiam persequi. *Fam.* 9, 3. ego neglecta barbarorum inscitia te persequar. — Unde ad philosophorum partes translatum signif. doctrinas, placita alicujus sectae probare, sequi. *Cic. Ac. post.* 1, 2. Si Academiam veterem persequamur. *Verr.* 5, 71. Sectam et instituta alicujus persequi.] ℙ Item prosequor. *Cic. Dom.* 55. *extr.* Neque institutas caeremonias persequi, neque verbum ullum solemne potuit effari. *Liv.* 6, 33. Persequi incepta. *Just.* 22, 8. *extr.* Poeni ad persequendum belli reliquias duces in Siciliam miserunt, *h. e.* ad conficiendas, ad debellandum. *Cic. Prov. cons.* 8. *f.* Si idem extrema persequitur qui inchoavit, jam omnia perfecta videmus. [*Plura praeb. *Schütz. cl. Cic.* p. 2. v. p. 228. ℙ Hinc i. q. exsequi, perficere, facere.] *Cic. Q. Fr.* 2, 14. *med.* Ut mea mandata digeras, persequare, conficias. *Ter. Hec.* 4, 3, 10. Ex usu quod est, id persequar. *Pl. Stich.* 1, 2, 84. Persequi imperium patris. *Id. Merc.* 3, 2, 11. Hoc, ut dico, factis persequar. ℙ [*Tunc de iis dicitur, qui orationem, dum habetur, celerrime literis consignant, *nachschreiben. Cic. Sull.* 14. Celeritate scribendi facillime, quae dicuntur, persequi. ℙ Unde in universum i. q. vel scribendo, vel dicendo aliquid pertractare, explicare, enarrare.] *Cic. Sen.* 6. Quae versibus persecutus est Ennius. *Id. Acad.* 1, 3. *f.* Brutus philosophiam Latinis litteris persequitur. *Nep. Cat. f.* Hujus de vita et moribus plura in eo libro persecuti sumus, quem, etc. *Cic. N. D.* 1, 40. Epicurus obscenas voluptates persequitur omnes nominatim. *Id. Fam.* 15, 21. Persequi aliquid scriptura. Etiam *sequor* et *insequor* narrare significant. ℙ [*Hinc i. q. legere, Gr. διέρχεσθαι, quasi sequi a verbo ad verbum. *Suet. Caes.* 56. Quae si quis investigare et persequi vellet, etc.] ℙ Item insequor, insector, διώκω. *Caes. B. C.* 3, 83. Omnes aut de honoribus suis, aut de persequendis inimicis agebant. *Id. B. G.* 5, 1. Nisi ita fecerint, sese bello civitatem persecuturum demonstrat; et *ib.* 7, 67. Fugientes usque ad flumen persequuntur, compluresque interficiunt. *Ov. Her.* 9, 34. Persequi feras. *Nep. Amilc.* 1. Romanos armis persequi. *Sall. Jug.* 54. Deterrere hostes a persequendo. *Phaedr.* 3, 20. post obitum quoque Persequitur illum dura fati miseria. ℙ Pertinet etiam ad forum, et judicia. *Cic. Fl.* 20. *med.* Hunc aestuantem et tergiversantem judicio ille persequitur; et *Verr.* 2, 3, 13. Bona sua repetere, ac persequi lite ac judicio. *Id. Div. Verr.* 6. et *Caecin.* 3. Jus suum persequi; et *Quint.* 13. *f.* rem suam; et *Fam.* 1, 9. *med.* Cum tribunus plebis poenas a seditioso cive per bonos viros judicio persequi vellet. ℙ [*Transfertur etiam ad id ipsum, propter quod aliquem insectamur: unde notionem ulciscendi vindicat *persequi.*] *Caes. B. G.* 7, 38. Persequamur eorum mortem, qui indignissime perierunt. *Cic. Verr.* 2, 2, 3. *f.* Injurias alicujus ulcisci et persequi. *Sall. Jug.* 54. Pesequi maleficia. *Cic. Att.* 9, 14. poenas. ℙ [*Tum in universum inservit significandis iis, quae odium, vituperationem cet. contra aliquem exserunt.] *Sen. Hippol.* 138. Tibi ponet odium, cujus odio forsitan persequitur omnes? [*Suet. *Aug.* 86. Cujus μυροβρεχεῖς cincinnos usquequaque persequitur, i. e. verbis insectatur, reprehendit.] ℙ *Persequi promissa*, urgere, ut impleantur. *Pl. Merc. prol.* 85. Sed mea promissa non neglexit persequi. ℙ Passive *Hyg. fab.* 198. Illa se in mari praecipitavit, ne persequeretur. Al. aliter leg.

PERSĔRO, is, a. 3. immitto, insero. *Varr. R. R.* 1, 41. *f.* Resticulam per ficos, quas edimus, maturas perserunt, et eas, cum inaruerunt, complicant, ac quo volunt, mittunt. ℙ Item totum consero. *Sidon. carm.* 7, 385. atque ad sua tecta ferentem (*Cinnamum*) Quod (*semen*) non persevit.

PERSERVĬO, is, n. 4. idem quod servio. *Vopisc. Prob.* 18. Probo potius perservire maluerunt, quam cum Bonoso esse. Al. aliter leg.

[PERSERVO, as, avi, atum, a. 1. constanter servo. *Tert. Patient.* 5. *med.* Nunquam omnino (*Heva*) peccasset, si in divino interdicto patientiam perservasset. Alii leg. *praeservasset. F.*]

PERSES, ae, m. et Perseus, i, m. Πέρσης, filius Persei filii Danaes ex Andromeda Cephei filia, a quo Persae originem habuerunt. *Plin.* 7, 56, 57. Alii sagittas Persen Persei filium invenisse dicunt. ℙ Fuit et alter Perses, Solis et Persae Nymphae filius, et pater Hecates, ut aliqui dicunt, rex Tauricae regionis crudelissimus. *Hyg. praef.* Ex Sole et Persa Circe, Pasiphae, Aeta, Perses. Adde *Val. Fl. l.* 3, 5. et 6. ℙ Denique est nomen regis Macedonum, a L. Aemilio Paulo victi, capti, et in triumphum ducti, qui *Perseus* a *Livio* dicitur. *Cic. Agr.* 2, 19. Agros in Macedonia, qui regis Philippi, sive Persae fuerunt; et *ib.* 1, 2. L. Paulus, qui Persen vicit. *Id. Tusc.* 3, 22. Rege Perse capto. ℙ In vocativo *Perse*, ut *Achille, Ulysse. Val. Fl.* 6, 605. et *Prisc.* 6, 723. ubi de hac positione verba facit. ℙ Adjective est Persicus. *Quint.* 3, 7. *med.* Vir Perses. [*Coripp. Iohann.* 6, 28. novit ferus omnia Perses Facta viri. *F.*]

PERSĔVĔRĂBĬLIS, e, adj. constans, perseverans. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 21. Perseverabilis tenacitas.

PERSĔVĔRANS, antis, part. a *persevero. Curt.* 6, 7. Aversari scelus perseverantem metu mortis terret. *Liv.* 5, 31. Valerius perseverantior fuit caedendis hostibus in fuga. *Val. Max.* 6, 6. *n.* 1. *extr.* Perseverantissimus sui cultus. *Colum. praef.* 1. *med.* Isque mos servatus est perseverantissimo colendorum agrorum studio.

PERSĔVĔRANTER, adv. ἐμμόνως, constanter. *Liv.* 4, 60. Patres bene coeptam rem perseveranter tueri. *Id.* 21, 10. Vereor, ne perseverantius saeviant. *Plin. ep.* 4, 21. Nam patrem illarum defunctum quoque perseverantissime diligo.

PERSĔVĔRANTĬA, ae, f. ἐμμονή, est in ratione bene considerata stabilis et perpetua permansio, ut *Cic. Inv.* 2, 54. definit. *Id. Phil.* 7, 5. Retinenda est vobis constantia, gravitas, perseverantia. *Id. Part.* 19. Disputandum est, aliud, an idem sit pertinacia, et perseverantia. (V. PERTINACIA.) *Caes. B. C.* 3, 26. Labore et perseverantia nautarum vim tempestatis superare. *Hirt. B. Alex.* 26. Perseverantia, constantiaque oppugnandi, in suam potestatem oppidum redegit. *Just.* 3, 4. Perseverantia belli.

PERSĔVĔRĀTĬO, onis, f. perseverantia, constantia. *Appul. Trismeg. f.* de Deo loquens. Cognovimus te, aeterna perseveratio.

PERSĔVĔRĀTUS. V. PERSEVERO.

[PERSĔVĔRĔ, adv. cum severitate. *Plin. ep.* 9, 5. *in.* Egregie facis (inquiro enim, et persevere), quod justitiam tuam provincialibus multa humanitate commendas. Alii minus recte leg. *persevera. F.*]

PERSEVĔRO, as, avi, atum, n. 1. διαμένω, [*aliquod consilium v. coeptum constanter persequi, non desistere, nostr. *bei etwas bleiben, aushalten.*] *Plin ep.* 8, 6. Et perseveraturum fuisse se, nisi obsequeretur principis voluntati. *Cic. Leg.* 3, 12. Perseveras tu quidem, et in tua vetere sententia permanes. *Caes. B. C.* 1, 72. et *Cic. Phil.* 4, 4. *extr.* Perseverare in sua sententia. *Id. Inv.* 2, 2. in vitiis. *Id. Phil.* 12, 2. in errore. *Just.* 38, 4. *med.* Quosdam pro jure imperii bellis continuis perseverasse. ℙ Cum infinito. *Cic. Prov. cons.* 5. Statuit ab initio, et in eo perseveravit, jus publicano non dicere. *Id. Quint.* 8. *f.* Dolabella injuriam facere fortissime perseverat. *Curius* ad *Cic. Fam.* 7, 29. Persevera constanter nos conservare. *Caes. B. C.* 2, 22. Fugere perseveravit; et *ib.* 3, 37. discedere. *Mart.* 8, 38. At si quis dare nomini relicto Post manes, tumulumque perseveret, etc. [*Idem usus Gr. διαγίγνεσθαι et διατελεῖν c. partic., ut semper, perpetuo aliquid factum significent.] ℙ Ellipsis est in his. *Cic. Amic.* 7, Cum Pylades Orestem se esse diceret, Orestes autem Orestem se esse perseveraret: *supple* dicere. *Vell.* 2, 92. Et cum, id facturos se, perseverarent: *supple* profiteri. *Suet. Vesp.* 6. Aquilejam us-

que perseveraverunt: *supple* ire. [*Nulla ellipsis est: sequitur accusativus cum infin. eodem modo, quo in antecedd. solus infin. Ceterum observa duplicem hujusvet intransitivam et transitivam significationem, ut intelligas, neque in sequentibus de supplendo aliquo vocabulo esse cogitandum.] ℙ Passive. *Just.* 12, 6. *f.* Ob haec illi quatriduo perseverata inedia est, *h. e.* perseveravit ille in inedia. *Sym. ep.* 10, 73. Quae clementia vestra divino judicio, et perseverandae religionis reverentia decernenda credidit, *h. e.* retinendae, conservandae, tuendae. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 2, 35. Ipse cum die dicta non adesset, perseveratum in ira est. *Cic. Verr.* 2, 4, 39. Non est ab isto perseveratum. ℙ Cum accusativo (nisi malis esse ellipsin, et verbum aliquod subaudiri.) *Sym. ep.* 1, 90. (al. 96.) *extr.* Vale, et ut es nostri diligens, religiosam observantiam persevera. *Firm. Math.* 5, 2. *med.* Iras suas perpetuis indignationibus perseverantes. ℙ Cum accusativo communi. *Cic. Quint.* 24. Neque te ipsum id, quod turpissime suscepisset, perseverare, et transigere potuisse.

PERSĔVĔRUS, a, um, adj. valde severus. *Tac. A.* 15, 48. *extr.* Imperium perseverum.

PERSĔUS, a, um, adj. ad Perseum pertinens, *Περσεῖος*. *Prop.* 3, 21, 8. Sectaque Persea Phorcidos ora manu. *Stat. Th.* 1, 225. Perseos alter in Argos Scinditur, *h. e.* ubi regnavit Acrisius Persei avus. *Id. ib.* 3, 633. Persei culmina montis, *h. e.* Aphesantis montis Nemees, unde primum Perseus insidens Pegaso volare coepit. *Lucan.* 3, 225. Persea Tarsos, *h. e.* a Perseo condita. ℙ Item ad Persas pertinens, Persicus. *Stat. Th.* 1. *f.* seu Persei sub rupibus antri Indignata sequi torquentem cornua Mithran. V. MITHRAS. *Lucan.* 6, 449. Babylon Persea, *h. e.* quae sub Persarum ditione fuit.

PERSEUS, i, m. *Περσεύς*, filius Jovis ex Danae Acrisii Argivorum regis filia. Educatus fuit a Polydecte rege Seriphi insulae, qui Persei ingenium veritus, audaciamque et felicitatem, sub praetextu immortalis gloriae eum misit in Gorgones insulas, quae sunt in mari Atlantico ad debellandam Medusam. Accepto igitur a Vulcano, vel Mercurio, ense adamantino, quem vocant harpen, a Mercurio talaribus, a Pallade clypeo, Pegaso equo insidens in regnum Medusae pervenit, quam Palladis clypeo impune vidit (illa enim sese aspicientes in saxa commutabat), et in aere certans Vulcanio ense interfecit. Abstulit Medusae caput, cum quo per aerem volans a ventis discordibus in varias mundi partes nunc ad Boream, nunc ad Austrum, nunc in Ortum, nunc in Occasum delatus est. Cum super Libycas arenas penderet, guttae sanguinis ex capite Medusae cecidisse dicuntur, et in varios serpentes animatae fuisse: inde esse, quod Libya tanta serpentum multitudine infestetur. Sole occidente constitit in Mauritania, ubi Atlantem regem in saxum convertit, quod sibi hospitium denegavisset. Sequenti die, cum per Aethiopiam, vel potius per Chaldaeam Assyriae regionem transiret, vidit Andromedam filiam Cephei, et Cassiopes scopulo alligatam, eamque, facta de illius nuptiis pactione, bellua interfecta, liberavit, cui virgo devoranda exposita fuerat Jovis Hammonis sententia, ob crimen matris, quae se Nereidibus formae praestantia praetulerat. In nuptiali convivio Phineus frater Cephei, cui Andromeda desponsata ante fuerat, sponsam repetiit. Ingens igitur rixa exorta est, in qua Perseus multos occidit, tandem ostenso Medusae capite omnes, qui Phineo favebant, in lapides immutavit. Postremo Phineus, cum supplex a Perseo veniam petiisset, et impetrasset, casu et temere monstrum intuitus, et ipse conversus est in lapidem. Ex Assyria Perseus cum Andromeda in Graeciam venit, et capite Medusae in saxum vertit Proetum, qui Acrisium Argivorum regno expulerat. Eadem ratione Polydectem ultus est, de sua gloria ob invidiam assidue detrahentem. Denique Acrisium avum casu lapidem fecit. Post multas tandem res praeclarissime gestas, cum a Megapente Proeti filio in ultionem patris occisus esset, in coelum translatus dicitur, ejusque meritis etiam Cepheus, Cassiope, et Andromeda. Constat stellis sex et viginti. Filios reliquit Gorgophontem, Sthelenum, Erythraeum, Bacchemonem. Haec ex *Hyg. fab.* 64. et 244. et 2. *Astron.* 12., *Serv.* ad *A.* 4, 246. et *ib.* 6, 289., *Ov. Met.* 4, 609. et sqq. et 5. *in.* et *Cic. N. D.* 2, 44. etc. *Prop.* 2, 23, 55. Non si Pegaseo vecteris in aere dorso, Nec tibi si Persei moverit ala pedes. ℙ Fuit etiam hoc nomine rex Macedonum Philippi filius, qui et *Perses* dicitur: de quo *Liv. l.* 39. etc. ℙ *Persea* in accusat. et in vocativo *Perseu* Graecae positiones sunt. *Ov. Met.* 4, 610. et *Liv.* 40, 12. ℙ In gen. *Perseos* pro *Persei* Graeca item positio est. *Lucan.* 9, 676, et 682. ℙ Eodem casu *Persi* pro *Persei* dixit *Sall. fr.* ap. *Charis.* 1, 52. et *Tac. A.* 4, 55. et in dativo *Sen. Consol. ad Marc.* 13. *extr.* V. dicta in OGYGES.

PERSĬA, ae, et frequentius Persis, idis, f. *Περσίς*, provincia Asiae, ampla, ad mare rubrum, quod propterea et sinus Persicus appellatur: a *Perse*, vel *Perseo* rege sic dicta. *Pl. Pers.* 4, 3, 28. Tabellae e Persia allatae. *Virg. G.* 4, 290. Quaque pharetratae vicinia Persidis urget. *Nep. Eum.* 7. Peucestes, qui tunc obtinebat Persidem. *Plin.* 6, 26, 29. Habet a meridie Sittacenen, et Persida. Adde *Lucan.* 3, 258.

PERSĬĀNUS, a, um, adj. ad A. Persium Flaccum pertinens. *Lactant.* 2, 2. Juvat Persianum illud proclamare: (*Pers.* 2, 61.) O curvae in terras animae! ℙ *Appul. Flor. n.* 16. Prius volo causam vobis allegare, cur contulerim me ad Persianas aquas, gratissima prorsus et sanis natabula, et aegris medicabula, *h. e.* ad quendam Julium Persium pertinentes, earum repertorem, vel possessorem, cujus *Id. ib. n.* 18. meminit. Erant autem earum aquarum scaturigines non procul Carthagine.

PERSĬBĔ, adv. acute, callide. *Naev.* ap. *Varr. L. L.* 6, 6., ut *Scal.* legit: Persibe, perite; mox *Varro* addit: Itaque sub hoc (*persibe* grammatici) glossema callide subscribunt. In edd. vulgo leg. *Persibus aperite.*

PERSĬBUS, a, um, adj. peracutus. V. PERSICUS.

PERSICCĀTUS, a, um, part. ab inus. *persicco*, valde siccatus. *Apic.* 7, 6. Persiccatam, et sabano expressam elixam perfundis.

PERSICCUS, a, um, adj. valde siccus. *Cels.* 3, 6. *med.* Si oculi graves, et aut persicci, aut subhumidi sunt. Adde *Festum* in *Substillum.*

PERSĬCĔ, adv. Persarum more, aut lingua. *Quint.* 11, 2. *f.* Themistoclen intra annum optime locutum esse Persice, constat.

PERSĪCUS, peracutum significare videtur, ut Plautus: Nihil deconciliare sibi, nisi qui persicus sapis. Naev.: Et qui fuerit persicus carpenti est ratio. Haec *Festus*, quae corrupta esse putant critici, et sic legenda: Persibus peracutum significare videtur, ut Plautus: Nihil deconciliares illi, nisi quid persibus sapis. Naevius: Et qui fuerit persibus carpenda est ratio. V. SIBUS.

PERSĪCUS, a, um, adj. ad Persidem spectans. *Juven.* 14, 328. Persica regna. *Plin.* 6, 13, 16. et *ib.* 26, 29. et 12, 9, 20. Persicum mare. *Id.* 6, 24, 28. et *ib.* 26, 29. Persicus sinus. *Hor. Od.* 1, 38, 1. apparatus, *h. e.* opulentus, delicatus, splendidus: a Persarum deliciis et luxu. Ap. *Cic. Att.* 15, 9. *Persice porticus* in Lanuvina villa M. Bruti dicitur, quia structa erat ad similitudinem illius, quam Lacedaemonii fabricaverant ex manubiis proelii Plataeensis a Pausania adversus Mardonium Persarum ducem devicti, quaeque a *Vitr.* 1, 1. *Persica porticus* appellatur. *Persicus* cognominatur Carus Aug. in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 519., quia, ut ait *Vopisc. Car.* 8., contra Persas profectus Mesopotamiam cepit, et Ctesiphontem usque pervenit, occupatisque Persis domestica seditione, imperatoris Persici nomen meruit. Item *Persicus Maximus* cognominatus Galerius Maximianus in *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 307, 1., quia, ut narrat *Sex. Aur. Victor Caesar.* 39., provincia credita Maximiano Caesari, uti in Mesopotamiam progrederetur ad arcendos Persarum impetus, Narseum Persarum regem in ditionem subegit. ℙ *Persica malus* est *περσικὴ μηλέα*, arbor humilis, folio linguae simili, et amygdalae, paulo majore, flore subpuniceo, fructu simili cordi, quod *Persicum malum* vocatur. Nomen habet a Perside, ex qua a Macedonibus post victum Darium in Graeciam translata est. Sacra fuit Harpocrati silentii Deo, ut auctor est *Plut. l. de Iside, et Osiride*, quia ejus folium linguae simile est, fructus cordi. V. *Macr. Sat.* 2, 15. et *Plin. l.* 12. et 13. et *Colum.* 10. a *v.* 409. et *Pall.* 12, 7. ℙ Dicitur etiam *Persicus*, *i*, f. absolute. *Pall.* 1, 37. Persicus, pirus, pomiferaeque arbores. Adde 12, 7. ℙ *Persicum malum* est fructus Persicae arboris, foris molli lanugine vestitus, carnosus, succulentus, intus osse duro, et scabro, quod nucleum amygdalae similem habet. *Plin.* 15, 12, 11. Sed Persicorum palma duracinis, etc. ℙ Est etiam *Persica malus* ap. *Macrob. l. c.* eadem quae Medica, et citrea: de qua V. ASSYRIUS. ℙ Denique alia ab his, neque cognita nobis est *Persica arbor*, similis piro, folia retinens, quam describit *Plin.* 13, 9, 17. ℙ *Persicum sacrum* erat unus ex pluribus gradibus, per quos mystae Dei Mithrae paulatim ascendebant. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 12. L. Aponius Chrysomallus ob gradum Persicum dedicavit. Alia ap. *Grut.* 1087, 4. Nonius Victor Olympius V. C. P. P., Aur. Victor Augentius V. C. P. tradiderunt Persica prid. Non. April. feliciter. V. MITHRAS. ℙ Persicum portum *Pl.* cum ait (*Amph.* 1, 1, 248. et 256.) mare Euboicum videtur significare, quod in eo classis Persarum dicitur stetisse non procul a Thebis. *Fest.* ℙ Denique *Persicus* idem est ac adj. *Perseus*, h. e. ad Persea Macedoniae regem pertinens, in illo *Cic. Off.* 1, 11. *f.* Cum in Macedonia Persico bello miles esset. In *Fastis consularib.* ap. *Grut.* 293. ad ann. U. C. DLXXXII. C. Popillius Laenas, P. Aelius Ligus, ambo primi de plebe. Bellum Persicum.

PERSĪDĔO, es, ēdi, essum, n. 2. *διακαθέζομαι*, permaneo: ex *per*, et *sedeo*. *Plin.* 17, 24, 36. *n.* 4. Pruinae perniciosior natura, quoniam lapsa persidet, gelatque.

PERSĪDĬCUS, a, um, adj. Persicus. *Inscr.*, quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCCLXXVII, ap. *Grut.* 28, 6. Persidicique Mithrae antistes Babylonie templi. V. MITHRAS.

PERSĪDO, is, n. *ἐπικάθημαι*, deorsum feror, prorsus sido, subsido, descendo, penetro. *Lucr.* 6, 1123. pestilitasque Aut in aquas cadit, aut fruges persidit in ipsas.

PERSĪGNO, as, a. 1. *ἐπισημαίνω*, signo, obsigno, notam, signum appono. *Liv.* 25, 7. Creati sunt triumviri bini: uni sacris conquirendis, donisque persignandis: alteri etc. *Mela* 1, 19. Mossyni notis corpus omne persignant, propatulo vescuntur. Adde *Firm. Math.* 3, 7. *n.* 12.

[PERSĬLĬO, is, n. 4. per aliquem locum salio. *Not. Tir.* p. 146. Salit, persilit. *F.*]

PERSILLUM vocant sacerdotes rudiculum picatum, quo unguine flamen Portunalis arma Quirini unguet. *Fest.* Quae verba *Paulus* ita contraxit: Persillum dicebant vas quoddam picatum, in quo erat unguentum, unde arma Quirini ungebantur.

PERSĪMĬLIS, e, adj. valde similis. *Cic. Part.* 7. Memoria est germana litteraturae quodammodo, et in dissimili genere persimilis. *Id. Pis.* 38. *med.* Illi autem statuam, istius persimilem, deturbant. *Hor. A. P.* 6. Credite, Pisones, isti tabulae fore librum Persimilem.

PERSIMPLEX, plicis, adj. valde simplex. *Tac. A.* 15, 45. *extr.* Persimplici victu tolerare vitam.

PERSIS, idis, f. adj. Persica. *Ov. A. Am.* 172. Persidas induxit, Cecropidasque rates. *Claud. Laud. Stil.* 1, 51. defixae hospite pulcro Persides. ℙ *Persis*, absolute, regio Persica. *Ov. A. Am.* 1, 225. Danaeia Persis. Adde *Lucan.* 2, 258. et V. PERSIA.

PERSĬSTO, is, n. 3. *ἐμμένω*, persto, persevero, permaneo. *Liv.* 38, 14. *med.* Nisi praesens quoque in eadem impudentia persistas. ℙ Praeteritum *perstiti* commune cum *persto* habet. Extra praeteritum perrari est usus: atque ego praeter *Liv.* allatum, *Auron. Eclog.* 1, 22. et *Prud. adv. Sym.* 2, 772., qui usurpaverit, inveni adhuc neminem.

[PERSĪTES, ae, m. tithymali species ap. *Appul. Herb.* 108. *F.*]

PERSĬUS, ii, m. C. Persius, civis R., Lucilii aequalis, sui temporis doctissimus fuit. *Cic. Or.* 2, 6. et *Brut.* 126. et *Fin.* 1, 3. ℙ Persius Flaccus, eques R. et poeta satyricus, natus Volaterris in Etruria, magistros habuit Remmium Palaemonem grammaticum, et Verginium Flaccum rhetorem, Floruit sub Nerone, decessitque anno aetatis vigesimo octavo. Ejus vita legitur in fine vitarum *Suet.*, qui eam quoque scripsisse creditur. Exstat ejus liber sex Satyrarum, multo quidem sale et acumine, sed non minore obscuritate, adeo ut affectasse eum quidam putent, et in eo dedisse operam, ut minus intelligeretur. *Quint.* 10, 1. *med.* Multum et verae gloriae, quamvis uno libro, Persius meruit. *Mart.* 4, 29. Saepius in libro memoratur Persius uno, quam levis in tota Marsus Amazonide. *F.*]

PERSOLĀTĂ, ae, f. nomen herbae. *Plin.* 25, 9, 66. Persolata, quam nemo ignorat, Graeci vero arcion (*ἄρκειον*) vocant, folia habet majora etiam cucurbitis, et hirsutiora, nigrioraque, et crassiora, radicem albam et grandem. Alii leg. *persollata.* A foliorum vero amplitudine est appellata, quibus caput ab insolatione et pluviis vindicare possis. V. PERSONATA.

PERSOLEMNIS, e, adj. valde solemnis. *Suet. Ner.* 28. Puerum Sporum cum dote et flammeo persolemni nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se pro uxore habuit. Alii rectius leg. *per solemne nuptiarum.*

PERSOLĪDO, as, avi, atum a. 1. idem ac solido. *Stat. Th.* 1, 352. sicco quos asper hiatu Persolidat Boreas, *h. e.* congelat.

[PERSOLĪTUS, a, um, adj. multum solitus. *Not. Tir.* p. 46. Solitus, persolitus. *F.*]

PERSOLLĂ, ae, f. dimin. personae, syncop. pro personula, ut corolla a corona. *Pl. Curc.* 1, 3, 35. Tun' etiam cum noctuinis oculis odium me vocas, ebriolae persolla, nugae?

PERSOLLĀTĂ. V. PERSOLATA et PERSONATUS.

PERSOLVO, is, solvi, lutum, a. 3. *διαλύω*, idem quod solvo, aut totum solvo, [*explico ita, ut nihil restet, quod enodatione, expositione egeat: nostr. *auflösen*, *entwickeln*, *erklären*: quam significationem Noster pravo consilio ad finem rejecerat hoc laudato exemplo. *Cic. Att.* 7, 3. *f.* Si mihi hoc *ζήτημα* persolveris, magna me molestia liberaris. ℙ Hinc derivata est notio, qua de iis dicitur, qui debitam sive pecuniam, sive rem qualemcumque reddunt.] *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 11. Tantum me tibi debere existimo, quantum persolvere difficile est. *Sall. Cat.* 37. Cum alienis nominibus liberalitas Orestillae suis copiis persolverit. *Tac. A.* 1, 37. Pecuniam alicui persolvere. *Suet. Cal.* 16. legata cum fide. *Cic. Att.* 5, 14. stipendium

militibus. ℙ Item dare, reddere, et de iis saepe dicitur, quae aliqua ratione debentur. *Ter. Andr.* 1, 1, 12. Quod habui summum pretium, persolvi tibi. *Cic. Planc.* 42. Pollicebar, hos omnia tibi illorum laborum praemia pro me persoluturos. *Suet. Cal.* 26. Quibus omnibus pro necessitudinis jure prope meritorum gratia mors persoluta est. *Id. Aug.* 15. Veteranis promissa praemia persolvere. Adde *eund. Vesp.* 8. Sic *Flor.* 4, 5. Agri, quos Caesar veteranis pretium militiae persolvebat. *Sen. Ben.* 5, 16. Inferias alicui persolvere. *Virg. A.* 5, 483. Hanc tibi, Eryx, meliorem animam pro morte Daretis Persolvo. ℙ *Persolvere grates, gratiam*, reddere. *Virg. A.* 1, 604. grates persolvere dignas Non opis est nostrae. Adde *ib.* 2, 537. *Cic. Planc.* 33. Meritam Diis immortalibus gratiam justis honoribus, et memori mente persolvere. ℙ *Poenas*, luere, dare, pendere. *Phaedr.* 3, 5. Comprensus namque poenas persolvit cruce, et *Cic. Phil.* 11, 12. Poenas Diis hominibusque meritas debitasque persolvat. Adde *Caes. B. G.* 1, 12., *Sen. Ag.* 1001. et *Virg. A.* 9, 423. Sic *Tac. A.* 6, 26. *extr.* Sera magis, quam immerita supplicia persolvit; et *Claud.* in *Ruf.* 2, 437. Persolvere fraudes, *h. e.* luere. ℙ *Honorem Diis*, facere debito sacrificio pro accepto munere. *Virg. A.* 8, 62. ℙ *Vota*, implere. *Cic. Har. resp.* 13., *Tac. A.* 3, 64. *extr.* et *Sen. Herc. Fur.* 1037. ℙ *justa*, praestare, facere. *Id. Oedip.* 998. Justa persolvi patri. Adde *Curt.* 6, 6. ℙ *Promissa*, praestare. *Cic. Fam.* 3, 9. Velim, reliquum quod est promissi ac muneris tui, mihi persolvas. Sic *Verr.* 2, 5, 71. Cum et populo R. satisfactum, et receptum officium Siculis necessariis meis erit persolutum; et *Planc.* 42. Sinite me, quod vobis fretus huic saepe promisi, id a vobis ei persolvere, *h. e.* per vos, de vestro. ℙ *Epistolae*, respondere. *Cic. Att.* 14, 20. Persolvi primae epistolae: venio ad secundam. ℙ In carmine diaeresin patitur. *Ov. Fast.* 5, 329. consul cum consule ludos Postumio Laenas persoluere mihi. *Albin.* 1, 370. Mutua, nec certa persoluenda die.

PERSŌLUS, a, um, adj. idem ac solus, seu merus. *Pl. Men.* 1, 2, 46. Oculum effodito persolum mihi, si ullum verbum faxo, nisi quod jusseris.

PERSŌLŪTĀ, ae, f. herba hortensis, ap. Aegyptios. *Plin.* 21, 33, 108. Et persolutam Aegyptus in hortis serit coronarum gratia. Alii leg. *persolatam.*

PERSŌLŪTUS, a, um, part. a *persolvo*, solutus. *Cic. Att.* 5, 14. Stipendium militibus persolutum. *Id. Or.* 63. Poenae persolutae, *h. e.* datae. *Curt.* 4, 12. *in.* Alexander corpori uxoris ejus *(Darii)* justis persolutis.

PERSŌNA, ae, f. *μορμολύκειον, προσωπεῖον*, larva histrionalis, h. e. ficticia facies, qua fabularum actores utebantur, instar galeae, et totum caput obtegens, aversa parte capillamento instructa, adversa humanum vultum senis, aut adolescentis, aut mulieris, etc. referens, ore tamen justo latiore, et rotundo, qua vox exiret facilius: a *personando. Gabius Bassus* ap. *Gell.* 5, 7. Caput et os cooperimento personae tectum undique, unaque tantum vocis emittendae via pervium, quoniam non vaga neque diffusa est, in unum tantummodo exitum collectam coactamque vocem, et magis claros canorosque sonitus facit. Quoniam igitur indumentum illud oris clarescere et resonare vocem facit, ob eam causam persona dicta est, *o* littera, propter vocabuli formam, productiore. Haec *Bassus.* Alii, quia obstat quantitas, ducunt a *πρόσωπον*, quod veteres Romani vitiosa pronunciatione in *personam* mutarunt, ut alia multa. V. CATAMITUS. *Phaedr.* 1, 7. Personam tragicam forte vulpis viderat: O quanta species, inquit, cerebrum non habet! *Mart.* 3, 43. scit te Proserpina canum: Personam capiti detrahet illa tuo. *Plin.* 12, 14, 32. Alicui personam capiti adjicere. ℙ Ligneas fuisse personas colligitur ex illo *Prud. adv. Sym.* 2, 646. Ut tragicus cantor ligno tegit ora cavato, Grande aliquod cujus per hiatum crimen anhelet. Huc pertinet et illud *Virg. G.* 2, 387. Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis. ℙ Fictilem memorat *Mart.* 14, 176. et *Lucr.* mox afferendus. ℙ Olim, inquit *Diomed.* 3, 486., galeris utebantur, ut qualitas coloris indicium faceret aetatis, cum essent aut albi, aut nigri, aut rufi. Personis uti primus coepit Roscius Gallus praecipuus histrio, quod oculis obversis erat, nec satis decorus in personis, nisi parasitus, pronunciabat. Haec *Diomed.* ℙ De ore lato *personae* est illud *Juven.* 3, 175. cum personae pallentis hiatum In gremio matris formidat rusticus infans. ℙ Prov. aut *γρῦμη* est illud *Publii Syri* ap. *Gell.* 17, 14. Heredis fletus sub persona risus est. ℙ A similitudine dicuntur *personae* simulacra et imagines, hominum aut animalium capita vultusque ferentes. *Lucr.* 4, 296. ut si quis prius, arida quam sit Cretea persona, allidat pilaeve trabique. *Plin.* 35, 12, 43. Dibutades primus personas tegularum extremis imbricibus imposuit. *Ulp. Dig.* 19, 1, 17. *f.* Item constat, sigilla, columnas quoque, et personas, e quarum rostris aqua salire solet, villae esse. ℙ Translate ab histrionibus dicitur *persona* quidquid simulandi causa assumitur. *Cic. Mur.* 3. Partes lenitatis et misericordiae semper egi libenter; illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi, sed a rep. mihi impositam sustinui. *Liv.* 3, 36. Ille finis Appio alienae personae ferendae fuit: suo jam vivere ingenio coepit. *Sen. ep.* 24. *med.* Non hominibus tantum, sed et rebus persona demenda est, et reddenda facies sua. ℙ Item ipse actor et histrio. Hinc in fronte fabularum *Terentii* et *Plauti* enumerantur *personae*, quae in iis inducuntur loquentes: et *muta persona* est histrio qui prodit quidem, sed non loquitur *κωφὸν πρόσωπον*. *Ter. Eun. prol.* 25. Colacem esse Naevii et Plauti veterem fabulam: parasiti personam inde ablatam, et militis. Adde *ib.* 32 et 35. Huc pertinet illud *Gell.* 13, 22. Plautus in Truculento, conjugem esse Nerienem Martis, dicit: atque id sub persona militis, in hoc versu: Mars peregre adveniens, etc. *Vell.* 1, 3. Nihil enim ex persona poetae, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerant, dixerunt. ℙ Universim *persona* est conditio, status, munus, quod quisque inter homines, et in vita civili gerit: [*εἶδος, χαρακτήρ.*] *Cic. Phil.* 8, 10. Quam magnum est personam in republica tueri principis! *Plin.* 18, 3, 4. Ipse sua lege damnatus, cum, substituta filii persona, amplius quingentorum jugerum possideret. *Nep. Pel.* 4. *extr.* Denique haec fuit altera persona Thebis, sed tamen secunda, ita ut proxima esset Epaminondae. *Cic. Pis.* 11. Non capiunt angustiae pectoris tui, non recipit levitas ista, non infirmitas ingenii sustinet tantam personam, tam gravem, tam severam, *h. e.* munus consulatus. *Id. Sull.* 3. Istam ipsam personam vehementem et acrem, quam mihi tum tempus et respublica imposuit, jam voluntas et natura ipsa detraxit. *Id. ad Caes. post ep.* 11. *l.* 9. *ad Att.* Ad eam rationem existimabam satis aptam esse et naturam, et personam meam. *Id. Quint.* 13. *extr.* Petitoris personam capere, accusatoris deponere. *Id. Or.* 1, 37. Qui hanc personam susceperit, ut amicorum causas tueatur. *Id. Pis.* 29. Qui philosophiam profitetur, gravissimam mihi sustinere videtur personam. *Id. Or.* 3, 14. *med.* Neque adhuc quam personam teneant, aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. *Id. Off.* 1, 32. Ipsi gerere quam personam velimus, a nostra voluntate proficiscitur. Alii leg. *agere. Id. Planc.* 41. *extr.* Abjecta quaestoria persona, comitisque sumpta. *Quint. decl.* 9, 22. Ferre personam sceleris. ℙ Item ipse homo, quatenus hanc vel illam personam gerit. *Cic. ad Pomp.* 2. *f. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Ut mea persona semper ad improborum civium impetus aliquid videretur habere populare. *Id. ib.* 12. *med.* Ecquae pacifica persona desideretur, an in bellatore sint omnia. *Id. Cluent.* 29. Hujus Staleni persona, populo jam nota atque perspecta, ab nulla turpi suspicione abhorrebat. *Id. Fam.* 6, 6. *med.* Caesar nunquam, nisi honorificentissime, Pompejum appellat. At in ejus personam multa fecit asperius, etc. *Sen. Apocol. med.* Ne videar in personam, non in rem, sententiam dicere. [*Adde *Suet. Caes.* 43. Certis personis et aetatibus, i. e. hominibus certae conditionis et aetatis. *Tib.* 32. minoribus quoque et personis et rebus, i. e. in minore conditione versantibus, nos: *bei Menschen und Sachen von geringer Bedeutung. Aug.* 27. Illis in multorum saepe personam per gratiam et preces exorabilibus, h. e. *προσωποληπτούντων*, ut est in *N. T.*, quum conditionem, mores, preces, gratiam in singulis magis respicerent, quam legem de proscriptione universa latam. *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. v.] ℙ Item pro homine, absolute *Suet. Ner.* 1. Praenomina Cnaei, et Lucii usurparunt, eaque ipsa notabili varietate, modo continuantes unumquodque per ternas personas, modo alternantes per singulas. *Paul. Dig.* 1, 5, 1. Omne jus, quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. ℙ Apud grammaticos *persona* in verbis, et nominibus est substantia ad propriam significationem dicendi relata, ut *Charis.* 2, 142. definit. Adde *Varr. L. L.* 7, 8. et *ib.* 8, 23. *extr.* et *ib.* 57. et 58., *Quint.* 1, 4., *Diomed.* 1, 323. et *Prisc.* 8, 840.

PERSŌNĀLIS, e, adj. *προσωπικός*, ad personam seu hominem pertinens. *Personalia* dicuntur a JCtis, quae personae adhaerent, non rei, aut causae. *Paul. Dig.* 8, 3, 37. Usum aquae personalem ad heredem transmitti non oportere. *Id. ib.* 24, 3, 13. Tale beneficium personale est, et cum persona exstinguitur. *Ulp. ib.* 50, 16, 178. Personales actiones. ℙ Ap. grammaticos verbum personale est, quod personas tres habet utroque numero. *Charis.*, *Diomed.*, *Prisc.* passim.

PERSŌNĀLĪTER, adv. cum respectu ad personam. *Arnob.* 3, 124. Etiamsi personaliter ignoramus, qui sint Lares, qui Novensiles, qui Penates, esse illos tamen consensio ipsa vindicat auctorum. *Salv. Gub. D.* 6. *in.* Personaliter diu locuti sumus, et excessisse videmur regulam disputandi. Cogitat enim absque dubio is qui legit: Cogitat de me forsitan, vel dicit. ℙ Ap. grammaticos significat, cum personis, ut Verbum personaliter dictum, *Gell.* 15, 13.

PERSŌNĀTĀ, ae, f. herba, quam eandem cum persolata esse volunt. *Colum.* 6, 17. Venena viperae depellit herba, quam vocant personatam. *Apul. Herb.* 36. *personaciam* vocat. V. v. sq. et PERSOLATA.

PERSŌNĀTUS, a, um, part. ab inus. *persōno*; *ὑποδεδυκὸς, ὁ ἐν προσωπείῳ*, qui persona, h. e. larva indutus est. Proprie personati, teste *Festo*, dicebantur histriones Atellani, quia jus erat iis non cogi in scena ponere personam, quod ceteris histrionibus pati necesse erat. *Cic. Or.* 3, 59. Qui personatum ne Roscium quidem magnopere laudabant. *Hor. Sat.* 1, 4, 54. Quem *(versum)* si dissolvas, quivis stomachetur eodem, Quo personatus pacto pater, *h. e.* pater in comoedia inductus. Intelligit autem Demeam in Adelphis *Terentii.* ℙ *Personata fabula* dicitur, quae agitur a personatis histrionibus. Hoc nomine fabula quaedam *Naevii* inscribitur, non quod primum ab histrionibus personatis acta sit, ut quidam putant, cum multis post annis comoedi et tragoedi personis uti coeperint, sed quia propter inopiam comoedorum acta nova est per Atellanos, qui proprie vocabantur personati. *Fest.* ℙ Per translationem etiam folia herbae persolatae personata dicuntur. *Plin.* 21, 15, 51. Foliis latissimis ad similitudinem eorum, quae personata in nostris amnibus vocamus. ℙ Item translate *personatus* dici potest, quisquis foris aliud ostendit, et intus aliud sentit, et machinatur. *Cic. Att.* 15, 1. Quid est autem, cur ego personatus ambulem? ℙ *Personata felicitas*, quae vera non est, sed simulata, *Sen. ep.* 80. *f.* et *Personati fastus*, supercilium, et severitas affectata et ficta, *Mart.* 11, 2.

PERSŌNO, as, ui, *raro*, avi, itum, n. 1. *ἐξηχοῦμαι*, valde sono, [*quasi per omnes partes sono impleri. *Cic. Pis.* 10. quum collegae tuae domus cantu et cymbalis personaret. *Id. Rosc. Am.* tota vicinitas nocturnis conviciis personet. *Id. Phil.* 2, 41. personabant omnia vocibus ebriorum.] *Hor. Sat.* 2, 6, 114. simul domus alta Molossis Personuit canibus. [*De auribus: *Cic. Fam.* 6, 18. Jam personare aures ejus hujusmodi vocibus non est inutile. ℙ Instrumento musico canere. *Virg. A.* 1, 744. cithara crinitus Jopas Personat aurata. ℙ Hinc transitive, sonum quasi per aliquem locum mittere, clamore implere.] *Virg. A.* 6, 417. Cerberus haec ingens latratu regna trifauci Personat. *Hor. ep.* 1, 1, 7. Est mihi purgatam crebro qui personet aurem, h. e. in aurem clamet. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 314. qui pulpita socco Personanat, *h. e.* comoedum agit. *Paul. Nol. carm.* 24, 561. castis sanctos quoque vocibus hymnos Personat. ℙ [*Alta voce clamare.] *Cic. Coel.* 20. Illae vero non loquuntur solum, verum etiam personant, huc unius mulieris libidinem esse prolapsam, etc. *Val. Fl.* 2, 163. totam inde per urbem Personat, ut, etc. *h. e.* clamat suadendo, et hortando. [*Tac. A.* 16, 4. plebs personabat certis modis plausuque composito; et 14, 15. plausibus personare formam principis: ubi notanda structura, qualem hujus verbi vix ap. alium invenias.] ℙ Passive. *Solin.* 21. *med.* Mons choris Aegipanum undique personatur. ℙ *Personavi* pro *personui. Appul. Met.* 5. Jam sumpsit arma, et castra commovit, et aciem direxit, et classicum personavit.

PERSŌNUS, a, um, adj. *Val. Fl.* 4, 418. Io Aspide cincta comas, et ovanti persona sistro. *Petr. Sat.* 120. verno persona cantu virgulta. *Mamert. Grat. act. ad Jul.* 10. Lata camporum balatu, hinnitu, mugitibus persona.

PERSORBĔO, es, ui, a. 2. multum sorbeo. *Not. Tir.* p. 168. Sorbet, sorbuit, persorbet, persorbuit. *Plin.* 31, 11, 47. Spongiae persorbentes.

PERSPECTĒ, adv. *διωρισμένως*, diligenter, et docte. *Pl. Mil.* 3, 1, 161. Ut docte et perspecte sapit!

PERSPECTĬO, onis, f. perspicientia. *Lact.* 2, 8. *f.* Terrenum animal rerum coelestium perspectionem non capit. Adde *eund. Ira D.* 1.

PERSPECTO, as, avi, atum, frequent. a *perspicio*, diligenter ac totum specto. *Pl. Most.* 3, 2, 128. Quin tu is intro, atque otiose perspectas, ut lubet? *Suet. Aug.* 98. Quamquam non infirmis intestinis, tamen quinquennale certamen gymnicum perspectavit, *h. e.* usque ad finem spectavit. ℙ [*De confusione v. *perspectare* et *prospectare* v. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 63, 4.]

PERSPECTOR, oris, m. qui perspicit. *Juvenc.* 2, 275. mentis perspector Iesus. Al. leg. *prospector.*

PERSPECTUS, a, um, part. a *perspicio: διωρισμένος*, diligenter animadversus, inspectus, exploratus, cognitus, certus. *Cic. Or.* 1, 20. Ars rebus cognitis, penitusque perspectis continetur; et 23. Ars definitur ex rebus penitus perspectis, planeque cognitis, etc. et *ib.* 2, 78. Tota causa pertentata atque perspecta. *Id. ad Brut.* 1, 1. Clodii animum perspectum habeo, cognitum, judicatum. *Id. Balb.* 6. *extr.* Virtus alicujus experta atque perspecta. *Id. Or.* 34. *f.* Erit ei perspectum, nihil ambigi posse, in quo, etc. *Id. Att.* 3, 15. *f.* Fac, ut omnia ad me perspecta et explorata perscribas; et *ib.* 11, 1. Omnem spem habeo in tua erga me mihi perspectissima benevolentia.

[PERSPĔCŪLĀTUS, a, um, part. a *perspeculor*: qui diligenter speculatus est. *Suet. Caes.* 58. Ex-

ercitum neque per insidiosa itinera duxit unquam, nisi perspeculatus locorum situs. *F.*]

PERSPĔCŬLOR, aris, dep. 1. *περιαχοποῦμαι*, diligenter speculor. *Hirt. B. Afr.* 31. Cum de vallo perspecularetur.

PERSPERGO, is, rsi, rsum, a. 3. *καταπάσσω*, idem ac aspergo. *Cic. Or.* 1, 34. *f.* Quo tanquam sale perspergatur omnis oratio. *Cato R. R.* 130. Ligna amurca cruda perspergito. *Solin.* 42. Prusiadem urbem alluit Hylas flumen, et perspergit Hylas lacus,

PERSPĬCĀBĬLIS, e, adj. conspicuus. *Ammian.* 14, 8. Tarsus urbs perspicabilis. Adde *August. ep.* 32. *ad Paul.*

PERSPĬCĀCĔ, adv. perspicaciter. *Afran.* ap. *Non.* 11, 31. Quam perspicace, quam benigne, quam cito! Al. leg. *perspicate.*

PERSPĬCĀCĬA, ae, f. idem ac perspicacitas. *Cic. Att.* 15, 16. Quod ipsum perspicaciam aliquam significaret. Alii pro *perspicaciam* reponunt, et rectius, *προχοπήν*, h. e. progressum, profectum.

PERSPĬCĀCĬTAS, atis, f. *πολυδέρκεια*, acumen. *Cic. Att.* 1, 18. *f.* Et si ex iis, quae scripsimus (tanta es perspicacitate) etiam a me non scripta perspicis, etc.

PERSPĬCĀCĬTER, adv. acute, cum perspicientia. *Ammian.* 29, 4. *med.* Omnibus perspicaciter inquisitis.

PERSPĬCĀTĔ. V. PERSPICACE.

PERSPĬCAX, acis, adj. omn. gen. *ὀξυδερκής*, qui valde perspicit, acutus, solers. *Cic. Off.* 1, 28. *f.* Sequemur et id, quod acutum et perspicax natura est, etc. *Vet. Poeta* ap. *eund. ib.* 3, 26. Palamedis perspicax prudentia. *Ter. Heaut.* 5, 1, 1. Ego, me non tam astutum, neque ita perspicacem esse, id certo scio; et 2, 3, 129. Patrem novisti, ad has res quam sit perspicax. *Appul. Met.* 2. Homo perspicacior Lynceo, vel Argo, et oculeus totus.

PERSPĬCĬBĬLIS, e, adj. qui perspici potest. *Vitr.* 9, 4. *med.* Perspicibilis et patens solis splendor.

PERSPĬCĬENTĬĂ, ae, f. *θεωρία*, perfecta visio, vel cognitio. *Cic. Off.* 1, 5. Aut enim in perspicientia veri, solertiaque versatur, etc.

PERSPĬCĬO, is, exi, ectum, a. 3. *διοράω*, introspicio, pervideo. *Caes. B. G.* 2, 17. *f.* Sepes instar muri munimenta praebebant, quo non modo non intrari, sed ne perspici quidem posset. ℙ Item *συνοράω*, penitus inspicio, diligenter animadverto, plane video, cognosco, intelligo: et tum ad oculos, tum ad animum refertur. *Val. Max.* 1, 7. *n.* 2. Augustus vero, praeter naturalem animi in omnibus rebus subtiliter perspiciendis vigorem, etiam, etc. *Pl. Cas.* 3, 6, 24. Perspicito prius, quid intus agatur. *Cic. Fam.* 5, 6. *f.* Domum tuam, atque aedificationem omnem perspexi, et vehementer probavi. Adde *ib.* 9, 15. *extr. Plin.* 17, 10, 14. Minimis id granis constat, ut vix perspici quaedam possint. *Cic. Leg.* 1, 22. Cum se ipse perspexerit, totumque tentarit, intelliget, etc. *Id. Sull.* 27. Perspicite etiam atque etiam judices, etc. penitus introspicite Catilinae, Autronii, ceterorumque mentes. *Lucr.* 1, 478. Perspicere ut possis res gestas funditus omnes. *Cic. Q. Fr.* 1, 4. *f.* Sed tu perspice rem, et pertenta. *Id. Agr.* 2, 35. Hoc, quaeso, perspicite, atque cognoscite. *Id. Manil.* 9. *f.* Conjectura perspicere aliquid. *Id. Or.* 2, 78. Totam causam pertentare, atque perspicere. *Caes. B. G.* 5, 5. Perpaucos, quorum in se fidem perspexerat, relinquere in Gallia decreverat. *Cic. Verr.* 2, 2, 2. Cujus virtutem hostes, misericodiam victi, fidem ceteri perspexerunt. *Id. Fam.* 3, 10. Nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses, quanti te facerem: quamquam in consuetudine quotidiana perspexisses, sicut perspicies. *Id. Amic.* 17. Quidam saepe in parva pecunia perspiciuntur, quam sint leves. ℙ [*Confund. *perspicere* et *prospicere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 484. 7, 199.]

PERSPĬCŬĒ, adv. *φανερῶς*, dilucide, aperte, manifeste. *Cic. Fin.* 3, 3. *extr.* Plane et perspicue expedire aliquid. *Id. Verr.* 1, 7. *med.* Aperte et perspicue nulla esse judicia. *Id. Coel.* 11. Non me haec movent, quae perspicue falsa sunt. *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 3. Dilucide atque perspicue.

PERSPĬCŪĬTAS, atis, f. *ἐναργεια*, evidentia. *Cic. Acad.* 4, 6. Nihil est clarius *ἐναργείᾳ*, ut Graeci, perspicuitatem aut evidentiam nos, si placet, nominemus. *Id. N. D.* 3, 4. Neque ego in causis, si quid est evidens, argumentari soleo: perspicuitas enim argumentatione elevatur. ℙ Proprie est pelluciditas. *Plin.* 37, 10, 54. Sunt qui maxime probent vitream perspicuitatem in his. Adde *ib.* 5. *f.* ℙ In verbis, inquit *Quint.* 8, 2. *in.* praecipuam habet proprietatem.

PERSPĬCŪUS, a, um, adj. *διαφανὴς*, qui usquaque perspici potest, pellucidus. *Ov. Met.* 5, 588. Perspicuas *(aquas)* imo, per quas numerabilis alte Calculus omnis erat. *Plin.* 31, 7, 39. Sal maxime perspicuus. *Mart.* 8, 68. Perspicua gemma. *Id.* 4, 86. Perspicuus calix. *Stat. Silv.* 3, 3, 94. Nives perspicuae, *h. e.* crystalla. ℙ Translate est apertus, manifestus, evidens, minime dubius. *Cic. N. D.* 3, 4. Quasi vero hoc perspicuum sit, constetque inter omnes, esse Deos; et *ib.* 2, 2. Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum, etc.? *Id. Rosc. Am.* 7. Quod adhuc est suspiciosum, perspicuum res ipsa faciet. *Id. Dom.* 24. *f.* Se in medios hostes ad perspicuam mortem injecisse. [*De discrimine inter *perspicuus* et *pellucidus* v. in h. v.]

PERSPĪRO, as, a. 1. valde spiro, aut spirando transeo. *Cato R. R.* 157. *med.* Venae omnes ubi sufflatae sunt ex cibo, non possunt perspirare in toto corpore. *Plin.* 2, 45, 45. Venti flati, atque perspirantes.

PERSTERNO, is, a. 3. perfecte vel totum sterno. *Liv.* 10, 47. Damnatis aliquot pecuariis, via a Martis silice ad Bovillas perstrata est. *Vitr.* 7, 1. *f.* Cum fuerit hoc ita perstratum, supra nucleus inducatur.

PERSTĬMŬLO, as, a. 1. idem ac stimulo. *Tac. A.* 4, 12. *extr.* Agrippinae proximi illiciebantur pravis sermonibus spiritus perstimulare.

PERSTĬNO. V. PRAESTINO.

PERSTO, is, stiti, statum, n. 1. *διαμένω*, *ἐμμένω*, permaneo, persevero, persisto. *Cic. Off.* 3, 9. *f.* Urgent rustice sane: negant enim posse, et in eo perstant. *Id. Fin.* 2, 33. Pertinacissimus fueris, si in eo perstiteris, ad corpus ea, quae dixi, referre. *Id. Acad.* 4, 8. *med.* Tamenne in ista pravitate perstabitis? *Id. Rosc. Com.* 9. *f.* Perstat in impudentia. *Caes. B. G.* 7, 26. Ubi eos perstare in sententia viderunt. *Val. Fl.* 4, 143. dictis perstantem cernit in Isdem. *Liv.* 8, 34. Se tamen perstaturum in incepto; et *ib.* 33. Cum perstaret incepto immitis animus. Al. leg. *in incepto. Sen. Troad.* 589. Hic ipse, quo nunc contumax perstas, amor monet, etc. *Virg. A.* 2, 650. Talia perstabat memorans, fixusque manebat; et *ib.* 5, 812. Nunc quoque mens eadem perstat mihi. *Hor. Sat.* 2, 5, 39. Persta, atque obdura. *Ov. Pont.* 4, 10, 83, Haec tibi, qui perstas indeclinatus amico. ℙ Cum infinito. *Id. ib.* 1, 5, 34. Damnosa persto condere semen humo. *Val. Fl.* 7, 58. perstas non cedere terris. *Tac. A.* 4, 38. Perstititque posthac aspernari talem sui cultum. *Sil.* 5, 104. ne coelicolis contendere perstet. ℙ Passive impersonaliter. *Liv. Epit.* 49. Catonis sententia pervicit, ut in decreto perstaretur. Alii omitt. *in. Liv.* 37, 9. Senatus et optimates in Romana societate perstandum censebant. [*Tac. A.* 13, 37. si perstaretur in bello.] ℙ Pro durare. *Ov. Fast.* 3, 137. Laurea flaminibus, quae toto perstitit anno, Tollitur, et frondes sunt in honore novae. *Id. Met.* 15, 177. nihil est toto, quod perstet, in orbe: Cuncta fluunt. *Id. Her.* 18, 206. Cum tua contigero litora, perstet hiems. ℙ [*Confund. *perstat* et *prostat*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 211.]

PERSTRĀTUS. V. PERSTERNO.

PERSTRĒNŬĒ, adv. valde strenue. *Ter. Ad.* 2, 1, 13. Abi perstrenue, ac fores aperi. Ita legit *Non.* 4, 5., alii *abi praestrenue*, aut *abi prae strenue.*

PERSTRĔPO, is, pui, pitum, n. 3. *καταψοφέω*, valde strepo. *Ter. Eun.* 3, 5, 52. Abeunt lavatum, perstrepunt. *Stat. Ach.* 2, 76. Rumor in arcana jamdudum perstrepit aula, Virginibus qua fida domus, venisse Pelasgum Ductores. *Claud. in Ruf.* 1, 213. Turba salutantum latas ibi perstrepit aedes, *h. e.* strepit per aedes, ut *Virg. A.* 6, 171. personat aequora concha. [*M. Aur.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 5. Jubilis suis cubiculum meum perstrepunt. *F.*] ℙ Passive. *Appul. Met.* 3. *in.* Quati fores interdum, et frequenti clamore januae nostrae perstrepi.

PERSTRICTĬO, onis, f. perfrictio. *Veg. Vet.* 1, 35, Qui ex perstrictione febrit, rigidus est. Adde *ib.* 38.

PERSTRICTUS, a, um, part. a *perstringo*, valde strictus. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 1. Quoniam perstrictus gelu non potuit eo pervenire humor. Alii leg. *praestrictus. Veg. Vet.* 3, 53. Stomachus nimio rigore perstrictus, nec coquere poterit, etc.

*PERSTRĪDO, is, n. 3. *German. in Arat.* 1, 6. Leviter perstridunt caerula *(maria)* venti. *B. A.*

PERSTRINGO, is, inxi, ictum, a. 3. *διασφίγγω*, valde stringo. *Cato R. R.* 32. Vites bene nodentur per omnes ramos: diligenter caveto, ne vitem praecipites, et ne nimium perstringas. *Grat. Cyn.* 296. Verum ubi Caurino perstrinxit frigore vesper. ℙ Translate. *Liv.* 1, 25. Ut micantes fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit, *h. e.* corripit. Eodem modo et *Val. Fl.* 7, 81. locutus est. Sic 7, 194. Virginis ecce novus mentem perstringere languor Incipit. ℙ Est etiam percurrere feriendo, aut sulcando. *Cic. Agr.* 2, 25. *f.* Quod solum tam exile et macrum est, quod aratro perstringi non possit? *h. e.* aratro tanquam radi, et scindi. Sic *Phil.* 2, 40. Aratri vomere portam Capuae paene perstrinxisti. *Sen. Ag.* 534. Ajacem flamma perstrinxit cadens, *h. e.* fulmen ambussit. *Virg. A.* 10, 344. magnique femur perstrinxit Achatae, *h. e.* scarificavit, leviter vulneravit. *Sil.* 4, 118. rostroque coruscae Perstringens *(Jovis ales)* conum galeae. ℙ Translate. *Cic. Planc.* 14. Ille L. Crassi, ille M. Antonii voluntatem asperioribus facetiis perstrinxit impune, *h. e.* pupugit, carpsit; et *Sext.* 6. Qua in oratione si asperius in quosdam homines invehi vellem, quis non concederet, ut eos, quorum sceleris furore violatus essem, vocis libertate perstringerem? *Id. Sull.* 16. Nemo unquam me tenuissima suspicione perstrinxit, quem non praeverterim. [*Hoc dicendi genus maxime Tacito frequentatur. Exempla v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 356.] Item strictim breviterque dicere, et veluti in transcursu atque obiter: ducta metaphora vel a sagitta, quae leviter pungit, et praetervolat, nec infigitur, vel ab aratro, quod proscindit, et transit. *Cic. Rosc. Am.* 32. *extr.* In animo est leviter transire, ac tantummodo perstringere unamquamque rem. *Id. Or.* 2, 49. Perquam breviter perstringere, atque attingere. *Id. Phil.* 2, 19. Sed reliquum vitae cursum videte: quem quidem celeriter perstringam. ℙ *Oculos perstringere* est ferire nimio lumine, atque adeo restringere et coarctare, (nam et palpebras ad nimium lumen claudere solemus) ut cernendi facultatem amittant: et refertur etiam ad animum. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 149. Perstringatque oculorum aciem splendore micanti. Adde *Pl. Mil.* 1, 1, 4. *Plin.* 2, 18, 16. Cum solis radii visus perstrinxere nostros. *Auct. ad Her.* 4, 50. Existimat se gemmae nitore, et auri splendore aspectus omnium perstringere. *Cic. Sen.* 12. *med.* Impedit enim consilium voluptas rationi inimica, ac mentis, ut ita dicam, perstringit oculos. *Id. Rab. Post.* 16. Nec illius animi aciem perstringit splendor sui nominis, nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunae et gloriae. *Id. ad Brut.* 1, 18. Qui splendore falsi honoris objecto, aciem boni ingenii perstringi posse confidunt. *Id. Phil.* 12, 2. Quod videbam equidem, sed quasi per caliginem: perstrinxerat aciem animi Bruti salus. *Gell.* 11, 13. *f.* Uti caveretis, ne vos facile perstringeret modulatus aliquis currentis facundiae sonitus. *Stat. Th.* 5, 666. Et juvenem multo perstringunt lumine. ℙ *Perstringere aciem gladii*, ap. *Plin.* 15, 14, 15. est obtundere, hebetare. Quo sensu *Hor. Od.* 2, 1, 17. Jam nunc minaci murmure cornuum Perstringis aures, nimio strepitu obtundis, et exsurdas. ℙ In plerisque ex allatis exemplis, praesertim vero cum de acie oculorum sermo est, *praestringo* legunt alii ex probatis MSS. Facile enim fuit librariis alterum pro altero ponere, cum in codicibus manu exaratis soleant *per*, *pro*, et *prae* per notam unius *p* transversa subter lineola exhiberi. Hujus varietatis plura exempla affert *Drakenb.* ad *Sil.* 1, 358., 5, 548. et 6, 43.

PERSTRUCTUS, a, um, part. a *perstruo*, usque ad finem exstructus. *Vitr.* 7, 4. Cum paries in altitudinem fuerit perstructus.

PERSTRŬO. V. PRAESTRUO.

PERSTŪDĬOSĒ, adv. valde studiose. *Cic. Brut.* 56. *f.* Eumque audire perstudiose solerem.

PERSTŪDĬOSUS, a, um, adj. *πολυσπουδαῖος*, valde studiosus. *Cic. Tusc.* 5, 22. Musicorum vero perstudiosus. *Id. Sen.* 1. *f.* Graecarum litterarum perstudiosum esse.

PERSUĀDĔO, es, asi, asum, a. 2. *ἀναπείθω*, eo usque suadeo, ut credatur, probetur, fiat id, quod suadeo, fidem facio, probo. *Ov. A. Am.* 1, 371. Tum de te narret: tum persuadentia verba Addat. *Cic. Or.* 1, 31. Oratoris officium est dicere ad persuadendum accommodate. *Pl. Truc.* 1, 2, 98. Metuebat, ne sibi persuaderes, ut, etc. *Caes. B. G.* 6, 13. In primis hoc volunt persuadere, non interire animas. *Sall. Jug.* 39. Huic Albinus persuadet, regnum Numidiae ab senatu petat. *Caes. B. G.* 3, 18. Huic magnis praemiis pollicitationibusque persuadet, uti ad hostes transeat. *Id. ib.* 1, 6. Allobrogibus sese persuasuros existimabant. *Cic. Phil.* 2, 10. Duo sunt tempora, quibus aliquid contra Caesarem Pompejo suaserim: unum, ne, etc. alterum, ne, etc. quorum si utrumvis persuasissem, in has miserias nunquam incidissemus. *Id. Tusc.* 4, 27. *f.* Ne si forte de paupertate non persuaseris, sit aegritudini concedendum. *Id. Fam.* 11, 5. *f.* Velim sibi ita persuadeas, me tuis consiliis nullo loco defuturum. *Ant.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Sic enim volo te tibi persuadere, mihi neminem esse cariorem te. *Nep. Eum.* 3. Militibus persuasit, se contra Barbaros proficisci; et *Cic. Att.* 16, 5. Hoc cum mihi non modo confirmasset, sed etiam persuasisset. ℙ inducere, illicere. *Ter. Ad.* 3, 4, 23. Hoc quidem ferendum aliquo modo est: persuasit nox, amor, vinum, adolescentia. ℙ Cum infinito. *Gell.* 4, 5. Quod cum ita fieri persuasissent, delati ad populum, proditique sunt; et *Nep. Dion.* 3. Persuasit ei tyrannidis facere finem. ℙ Cum accus. personae. *Petr. fragm. Trag.* 46. *Burm.* Aliqua die te persuadeam, ut ad villam venias; et 62. Persuadeo hospitem nostrum, ut, etc. *Serv.* quoque ad *A.* 10, 10. affert, tanquam ex *Ennio:* Quis te persuasit? Etiam *suadeo* hunc casum admittit. ℙ Passive impersonaliter. *Caes. B. G.* 1, 40. Sibi quidem persuaderi, cognitis suis postulatis, eum neque suam, neque populi R. gratiam repudiaturum; et *ib.* 2, 10. *extr.* His persuaderi, ut diutius morarentur, non poterat. *Pl. Bacch.* 4, 9, 93. Persuasum est facere, cujus nunc me facti pudet.

P Pro simplici suadeo, aut valde suadeo. *Ter. Andr.* 3, 3, 45. Et is mihi persuadet, nuptias, quantum queam, ut maturem. Al. plerique legunt *suadet.*

PERSUĀSĪBĬLIS, e, adj. *πιθανὸς*, qui persuaderi potest, probabilis, veri similis. *Quint.* aliquoties 2, 15., ubi de rhetoricae definitione disserit, et Latine vertit vocem *Aristotelis*, et aliorum, *πιθανός*. Est qui legit *persuadibilis.*

PERSUĀSĪBĬLĬTER, adv. *πιθανῶς*, verisimiliter, probabiliter. *Cels.* ap. *Quint.* 2, 15. Finis rhetorices est, dicere persuasibiliter in dubia, et civili materia. Adde *Quint. ib.* Hermagorae Graeca verba yertentem. *Cic. Inv.* 1, 5. dicit, apposite ad persuasionem.

PERSUĀSIO, onis, f. *πεῖσις, ἀνάγνωσις*, actus persuadendi. *Cic. Inv.* 1, 5. Officium ejus facultatis videtur esse, dicere apposite ad persuasionem. *Just.* 34, 4. Hortati sunt, ut in auctorem retorqueat scelus: nec difficilis persuasio fuit. P Passive est credulitas, firma opinio, fides. *Plin.* 25, 2, 3. Durat tamen tradita persuasio in magna parte vulgi, veneficiis et herbis id cogi. *Id.* 30, 13, 39. Nervos abscissos illitis vermibus solidari, persuasio est. *Quint.* 1, 1. Qui paulum aliquid ultra primas litteras progressi, falsam sibi scientiae persuasionem induerunt. *Id.* 2, 4. *med.* Arrogans de se persuasio. *Suet. Tib.* 69. Persuasionis plenus, cuncta fato agi.

PERSUĀSORĬUS. V. PERFUSORIUS.

PERSUASTRIX, icis, f. quae persuadet. *Pl. Bacch.* 5, 2, 47. Eccas tandem probri perlecebrae, et persuastrices. Apud *Capell.* 5, 167. habetur *persuasitrices.*

PERSUĀSUS, a, um, part. a *persuadeo: πεπεισμένος*, creditus, pro certo habitus. *Cic. Tusc.* 3, 29. Opinio mali, quo viso, et persuaso aegritudo insequitur necessario. *Id. Verr.* 2, 5, 25. *extr.* Hodieque omnes sic habent persuasum, istum, etc. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 9. Sed quod mihi persuasissimum est, Lepidum recte facturum nunquam. *Colum.* 12, 1. *med.* Ea porro persuasissimum habere debebit, etc. P *Homo persuasus*, cui persuasum est, qui pro certo habet, qui decrevit. *Auct. ad Her.* 1, 6. Cum animus auditoris persuasus videtur esse ab iis, qui ante contra dixerunt. *Ov. A. Am.* 3, 679. Jamdudum persuasus erit, miserebitur ultro. *Phaedr.* 1, 8. Tandem persuasa est jurejurando gruis. *Val. Max.* 3, 8. *n.* 1. Capua Italiae regnum nefaria defectione pacisci persuasa. *Just.* 2, 11. Nihil est difficile, persuadere persuasis mori: *γνώμη.*

PERSUĀSUS, us, m. persuasio: In sexto casu sing. *Cic. fragm.* ap. *Quint.* 5, 10. *med.* Hujus persuasu, et inductu. *Pl. Epid. argum.* 1. Emit fidicinam, filiam credens, pater, persuasu servi.

[PERSUĀVIS, e, adj. valde suavis *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio)* 3, 30. Persuavis potus. *F.*]

PERSUĀVĬTER, adv. valde suaviter. *August. Music.* 4, 13. Dic mihi, quomodo tibi aurem tangat metrum hoc. *D.* persuaviter.

PERSUBTĪLIS, e, adj. valde subtilis. *Cic. Planc.* 24. Et quoniam tua fuit perelegans, ac persubtilis oratio. *Lucr.* 3, 180. Animus persubtilis, atque minutis Perquam corporibus factus.

PERSULCANS, antis, part. ab inus. *persulco*, sulcos ducens, translate navigans. *Appul. Met.* 4. Passim maria persulcantes tritonum catervae. Al. leg. *persultantes.*

PERSULCĀTUS, a, um, part. ab inus. *persulco*, sulcis cavatus, aratus. *Claud. in Ruf.* 1, 136. rugisque severas Persulcata genas.

PERSULTĀTOR, oris, m. qui persultat. *Symm. ep.* 6, 23. (al. 22.) Bajani litoris persultator.

PERSULTO, as, avi, atum, n. 1. *σκιρτάω*, super rem aliquam salto: quod proprie ferarum est, et pecudum, quae in pabuli ubertate identidem subsiliunt. *Lucr.* 1, 14. Inde ferae pecudes persultant pabula laeta. *Sen. Prov.* 4. *f.* Super durata glacie stagna persultant. *Tac. H.* 5, 15. Germani notis vadis persultabant. *Id. A.* 4, 47. Qui ante vallum more gentis cum carminibus et tripudiis persultabant. Adde *Sil.* 3, 385. et *Sen. Ira* 2, 31. P Est item cum petulanti quadam insultatione locum agrumve percurrere, et interdum saltando laetitiam animi ostendere. *Liv.* 34, 20. Quam saepe in agro eorum impune persultassent. *Tac. H.* 3, 49. Captam Italiam persultare. *Id. A.* 11, 9. Ibero exercitu campos persultante. *Prud. περὶ στεφ.* 11, 77. Haec persultanti, *h. e.* superbe imperanti. P De voce *Id. Hamart. praef.* 10. Vox ecce summo missa persultat throno, *h. e.* resonat, resultat.

[PERSŬO, is, a. 3. per aliquam rem suo. *Not. Tir.* p. 136. Suit, persuit. *Gloss. Philox.* Persuo, *διαῤῥάπτω. F.*]

PERTĂBESCO, is, ui, n. 3. valde tabesco. *Sever. Aetn.* 472. Tum si quis lapidum summo pertabuit igni, *h. e.* excoctus est, exesus, comminutus.

PERTAEDĔO, es, ui, n. 2. *ἀδημονέομαι*, taedio vehementer afficior. *Gell.* 1, 2. Jamque omnes finem cuperent, verbisque ejus defatigati pertaeduissent. P *Pertaedet*, *ebat.* V. infra.

PERTAEDESCIT, ebat, impers. 3. idem ac pertaedet. *Cato R. R.* 156. *f.* Nolito multum dare, ne pertaedescat.

PERTAEDET, ebat, taesum est, impers. 2. *ἀδημονεῖται*, taedio vehementer affici. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. Pertaesum est enim levitatis. *Gell.* 15, 20. Quarum matrimonii pertaedebat. *Nep. Att.* 15. Nunquam suscepti negotii eum pertaesum est. *Pl. Most.* 1, 4, 4. Ita me ibi male convivii, sermonisque pertaesum est. *Lucr.* 3, 1074. Exit saepe foras magnis ex aedibus ille, Esse domi quem pertaesum est. P Cum dativo. *Gracch.* ap. *Diomed.* 1, 291. Usque adeo pertaesum vos mihi esse.

PERTAESUS, a, um, part. a *pertaedeo:* qui pertaeduit, *ἐξαποροῦμενος. Tac. A.* 15, 51. Lenitudinis eorum pertaesa. *Suet. Caes.* 7. Et quasi pertaesus ignaviam suam, quod nihil dum a se memorabile actum esset. P Antiqui dixere *pertisus.* V.

PERTANGO, pro Pertingo, is, a. 3. *Apic.* 6, 9. Pullum assabis, et suo sibi jure pertangis, *h. e.* perfundis. Adde 8, 8.

PERTĔGO, is, exi, ctum, a. 3. *καταστεγάζω*, omni ex parte tego. *Pl. Rud.* 1, 2, 35. Qui pertegamus villam. P Translate. *Id. Trin.* 2, 2, 41. Benefacta benefactis aliis pertegito, ne perpluant.

PERTĔMĔRĀRĬUS, a, um, adj. valde temerarius. *Imp. Anastas. Cod.* 12, 21, 2. Cum perabsurdum, perque temerarium sit, etc.

PERTENDO, is, endi, ensum, a. 3. *διατείνω*, usque tendo, contendo: et translate persisto, persevero. *Varr. L. L.* 4, 1. Cum demonstratur, in quo non debet pertendere, et pertendit, pertinacia est. *Prop.* 2, 12, 17. Quod si pertendens animo vestita cubaris, etc. *Ter. Eun.* 1, 1, 6. Verum si incipies, usque pertendes naviter. P *Pertendere aliquid*, usque ad finem perducere. *Id. Heaut.* 5, 5, 9. Video non licere, ut coeperam, hoc pertendere. P Significat etiam recta tendere, contendere, pergere usque ad aliquem locum. *Liv.* 5, 8. *f.* Perpauci in majora castra, pars maxima Romam pertenderunt. *Hirt. B. Alex.* 30. Protinus victor ad regis castra pertendit. [**Suet. Caes.* 4. ab Rhodio, quo pertenderat in Asiam, i. e. totum iter, s. finem itineris destinaverat; et *ib.* 32. pertendit ad alteram ripam, Gr. *διέβη. Id.* in vita *Plinii:* quum flagrante Vesevo ad explorandas propius causas Liburnica pertendisset.] P Item conferre, contendere, comparare. *Cic. Balb.* 5. Nos Pompeji decretum cum legibus conferemus? cum foederibus omnia acerbissima diligentia pertendemus? Al. leg. *perpendemus.*

[PERTĔNĔO, es, ui, a. 2. semper teneo. *Hieron. ep.* 66. *n.* 13. Ego quidem Romae non eram, et tuus me tenebat eremus, atque utinam pertenuisset! *F.*]

PERTENTĀTUS, a, um, part. a *pertento:* valde tentatus. *Vitr.* 8, 1. *f.* Cum haec ita erunt pertentata, etc. *Tac. A.* 6, 20. Quem accitum, et diversis sermonibus pertentatum, postremo Graecis verbis adlocutus, etc. P affectus. *Appul. Met.* 1. Insolita vinolentia ac diuturna fatigatione pertentatus, sopitus jam stertebat altius.

PERTENTO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποπειράομαι*, vehementer tento, exploro, expiscor. *Tac. H.* 2, 49. Allatis pugionibus duobus, cum utrumque pertentasset. *Id. ib.* 1, 29. Placuit pertentari animum cohortis. *Ter. Andr.* 3, 4, 9. Sed ea gratia simulavi, vos ut pertentarem. *Plin. ep.* 1, 20. *med.* Omnia pertento, omnia experior, *πάντα* denique *λίθον κινῶ.* P Item pro considerare. *Cic. Q. Fr.* 1, 4. *f.* Sed tu perspice rem, et pertenta. P Item pro permovere, commovere. *Virg. A.* 1, 506. Latonae tacitum pertentant gaudia pectus. *Id. G.* 3, 250. ut tota tremor pertentet equorum Corpora. *Id. A.* 7, 354. Ac dum prima lues udo sublapsa veneno Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem. *Petr. Sat.* 127. Tam dulcis sonus pertentabat aera, ut putares inter auras canere Sirenum concordiam. Al. leg. *pertentatum mulcebat aera.*

PERTĔNŬIS, e, adj. *πολύλεπτος*, valde tenuis. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 2. Sabulum pertenue. P Translate sumitur pro valde parvo. *Cic. Fam.* 14, 3. Spes salutis pertenuis ostenditur. *Id. Agr.* 2, 32. Cum pertenui discrimine separarentur. *Id. Or.* 1, 23. Mihi dicendi aut nullam artem, aut pertenuem videri. *Id. Verr.* 1, 6. *f.* Pertenue argumentum. *Id. Cluent.* 60. *f.* Pertenuis suspicio.

PERTĔPĬDUS, a, um, adj. valde tepidus. *Vopisc. Carin.* 17. Fons aqua pertepida.

PERTĔREBRĀTUS, a, um, part. a *perterebro:* perforatus. *Vitr.* 8, 7. *med.* Lapis perterebratus. *Arnob.* 3, 107. Aures etiam sequitur ut habeant curvis perterebratas anfractibus, *h. e.* aures, quae habent introitus multis cum flexibus, ut *Cic. N. D.* 2, 57. *med.* loquitur.

PERTĔREBRO, as, avi, atum, a. 1. *διατρυπάω*, idem ac terebro, seu plane terebro. *Cic. Div.* 1, 24. Annibalem Coelius scribit columnam auream perterebravisse.

[PERTĔRES, ĕtis, adj. omn. gen. valde teres. V. *Appul. l. c.* in ORRHOPYGIUM. *F.*]

PERTERGĔO, es, ersi, a. 2. *ἀπομάττω*, diligenter tergeo, abstergeo. *Colum.* 12, 9. Munda spongia vasa pertergeo. *Hor. Sat.* 2, 8, 11. Gausape purpureo mensam pertersit. *Lucr.* 4, 248. Isque *(aer)* ita per nostras acies perlabitur omnis, Et quasi perterget pupillas, atque ita transit. Est qui leg. *praeterget.*

PERTĔRO, is, trivi, itum, a. 3. *καταρρίβω*, valde tero, perfrio, protero, comminuo. *Colum.* 12, 38. *f.* Myrti baccam cum paulum siccaverunt, perterunt ita, ut quantum fieri potest, interiora semina integra permaneant: tum per lineum fiscum, quod pertriverunt, exprimunt.

PERTĔRĔFĂCIO, is, a. 3. *ἐκπλήσσω*, valde terrefacio, perterreo. *Ter. Andr.* 1, 1, 142. Perterrefacias Davum.

PERTERRĔFACTUS, a, um, part. a *perterrefacio:* valde terrefactus. *Brut.* ap *Cic. Fam.* 11, 20. Sperare eos, te perterrefacto, adolescente impulso, posse magna consequi praemia. Alii leg. *pertimefacto.*

PERTERRĔO, es, ui, itum, a. 2. *καταπλήττω*, valde terreo. *Cic. Caecin.* 9. Ferro, inquit, te rejeci, atque perterrui. *Ter. Eun.* 5, 3, 13. Hunc perterrebo sacrilegum. *Caes. B. G.* 7, 4. *extr.* Magnitudine poenae perterrere alios; et *ib.* 7, 5. Similitudine armorum vehementer nostros perterruerunt.

PERTERRICRĔPUS, a, um, adj. *ἐκπληκτικὸς*, terrorem crepando incutiens. *Lucr.* 6, 128. de tonitru: Tum perterricrepo sonitu dat missa *(nubes)* fragorem. *Cic. Or.* 49. ex Poeta: Habeo istam ego perterricrepam.

PERTERRĪTO, as, a. 1. frequent. a *perterreo. Avien. Arat.* 1169. Scorpius ingentem perterritat Oriona. *Coripp. Johann.* 2, 479. perterritat hostis Cuncta ferus.

PERTERRĪTUS, a, um, part. a *perterreo: καταπλαγείς*, valde territus. *Cic. Coel.* 28. Ne tot unum, valentes imbecillum, alacres perterritum superare non possent. *Id. Caecin.* 10. Omnes metu perterriti. *Id. Cluent.* 13. *med.* Recentis maleficii conscientia perterritus. *Id. Cat.* 2, 7. Spoliatus armis audaciae, obstupefactus ac perterritus mea diligentia. *Id. Caecin.* 13. Tu solus prohibitus, et a tuis aedibus vi atque armis perterritus, *h. e.* perterrendo summotus.

PERTEXO, is, xui, xtum, a. 3. *διϋφαίνω*, ad finem usque texo, perago, perficio. *Vitr.* 5, 9. Odeum, quod Pericles columnis lapideis disposuit, naviumque malis, et antennis pertexuit. *Id. praef.* 7. *f.* Cereris cellam Dorico more pertexit. P Saepe transfertur ad sermonem, et narrationem. *Cic. Or.* 2, 33. *f.* Pertexe modo, quod exorsus es. *Id. Att.* 1, 14. Totum hunc locum valde graviter pertexuit. *Lucr.* 6, 41. Quo magis inceptum pergam pertexere dictis.

PERTEXTUS, a, um, part. a *pertexo:* totus textus. *Appul. Met.* 11. Palla bysso tenui pertexta. V. DETEXTUS.

PERTĬCA, ae, f. *κάμαξ*, lignum, seu baculus oblongus ad varios usus. *Ov. Fast.* 3, 117. Pertica suspensos portabat longa maniplos. *Id. de nuce* 67. At cum maturas fisso nova cortice rimas Nux agit, ad partes pertica saeva venit: Pertica dat plenis immitia vulnera ramis. *Plin.* 15, 3, 3. Perticis oleas decutere. *Id.* 18, 30, 72. Messis alibi tribulis in area, alibi equarum gressibus exteritur, alibi perticis flagellatur; et 16, 37, 68. Salices in proceritatem magnam emittunt jugis vinearum perticas. *Pl. As.* 3, 2, 43. Nimis vellem habere perticam, qui verberarem asinos. *Appul. Met.* 7. *f.* Pertica, qua stabuli fores offirmari solebant, arrepta, non prius me desiit obtundere, quam manibus ejus fustis esset elapsus. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *med.* Perticae, quibus araneae detergunter. P De ramo tereti, oblongo, suae arbori conjuncto. *Colum.* 4, 33. de castanea: Melius ex vicino, si competit, mergi more, pertica declinata propagatur, quam exempta reseritur. P De arundine. *Id. ib.* 32. Bulbus arundinis obrutus anno celerius perticam praebet, *h. e.* adeo crescit, ut perticae vicem jugandis vitibus praebeat. P Saepe dicitur de longa regula, qua agros dimetiri mos est, quae et decempeda. Unde in *Gloss. Philox.* non solum *κάμαξ*, sed etiam *κανὼν* vertitur. Crebra ejus mentio apud auctores rei agrariae *Goesii.* P *Pertica militaris* est, qua dividebantur militibus in praemium agri adempti privatis. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 9, 7. qua se subducere colles Incipiunt: Usque ad eum locum, inquit, perticam militarem Octavius Musa porrexerat, limitator ab Augusto datus. De ea *Valer. Cato* in *Diris*, 45. Pertica, quae nostros metata est impia agellos; et *Prop.* 4, 1, 130. Abstulit excultas pertica tristis opes. P Ap. *eosd. Auctor. Agrar.* dicitur etiam *pertica* universus ager alicui coloniae assignatus Solum, inquit *Front. de limit. agr.* p. 43. *Goes.*, quodcumque coloniae est assignatum, id universum pertica appellatur. Quidquid huic universitati applicitum fuerit ex alterius civitatis fine, sive solidum, sive cultellatum fuerit, praefectura appellatur. Haec *Frontin.* P *Una pertica*, uno modulo, una ratione ac modo.

Plin. ep. 8, 2. *f.* Ex ipsis etiam, quos non una, ut dicitur, pertica, sed distincte gradatimque tractavi, quanto quis melior et probior, tanto mihi obligatior abiit.

PĔRTĬCĀLIS, e, adj. ex quo fiunt perticae. *Colum.* 4, 31. Perticalis fere salix eundem agrum, quem viminalis, desiderat. Adde *Plin.* 17, 20, 32.

[PERTĬCĀRĬUS, a, um, adj. ad perticam pertinens. *Inscr.* ap. *Marangon. Delle cose gentil.* p. 488. M. Licinio Moscho negotianti perticario, et Corneliae Proclae conjugi Pomponius Olympus frater, et Filumenus, Sotus, Zosimus liberti et heredes fecer. *F.*]

PERTĬCĀTUS, a, um, adj. *Mart.* 5, 12. Quod nutantia fronte perticata Gestat pondera Masthlion superbus, *h. e.* frons, quae perticam gerit. Alii rectius leg. *pertinaci.*

PERTĬCĬANENSES AQUAE, locus in Sicilia, ad littus Tyrrheni maris, inter Cetariam ac Parthenium. *Ant. Itin. B. A.*

PERTĬMĔFACTUS, a, um, part. ab inus. *pertimefacio*, perterritus. *Pacuv.* ap. *Non.* 7, 2. Is triplici pertimefactus moerore animi, incerte errans vagat. V. PERTERREFACTUS.

PERTĬMĔO, es, ui, n. 2. *Nep. Alc.* 5. Pertimuerunt, ne descisceret. *Lactant.* 6, 17. *med.* Pusillitas animi aut pertimentis, ne desit, aut desperantis, posse illam reparare. Alii leg. *praetimentis.*

PERTĬMESCO, is, a. 3. *περιφοβέομαι*, valde timeo. *Cic. Verr.* 2, 4, 35. Hanc tu tantam religionem si tum in imperio propter cupiditatem et audaciam non pertimescebas, etc. *Id Div. Verr.* 21. *f.* Eos, qui alterum accusant, non minus de laude, de honore, de fama sua, quam illos, qui accusantur, de capite ac fortunis suis pertimescere. *Id. Quint.* 1. Id vero non mediocriter pertimesco. ℙ Passive. *Id. Agr.* 2, 17. Grave est enim nomen imperii, atque id etiam in levi persona pertimescitur. *Caes. B. G.* 5, 29. *extr.* In quo si non praesens periculum, at certe longa obsidione fames esset pertimescenda.

PERTĬNĀCĬA, ae, f. *αὐθάδεια*, firmitas, obstinatio, pervicacia, cum in re mala desistere, aut cedere nolumus. *Cic. Inv.* 2, 54. *f.* Unicuique virtuti finitimum vitium reperietur, ut audacia, quae fidentiae; pertinacia, quae perseverantiae finitima est. *Varr. L. L.* 4, 1. In quo non debet pertendi, et pertendit, pertinacia est: in quo oportet manere, si in eo perstet, perseverantia est. *Cic. Marc.* 10. Quae enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest. *Id. Acad.* 1, 12. Cum Zenone Arcesilas certamen instituit, non pertinacia et studio vincendi, sed earum rerum obscuritate, quae etc. *Caes. B. G.* 1, 42. In spem veniebat, fore, ut pertinacia desisteret. *Id. B. C.* 3, 10. Pertinaciae finem facere. *Tac. H.* 4, 56 et *Just.* 39, 3. Muliebri pertinacia accendi. *Id. A.* 2, 81. Pertinaciam alicujus vincere. *Petr. Sat.* 111. expugnare; et *ib.* frangere. ℙ In bonam partem pro constantia. *Liv.* 42, 62. *f.* Miraculo ignaris moris pertinacia Romanorum esse. *Suet. Caes.* 68. Ne patientia et pertinacia hostis, animi suorum frangerentur. *Plin.* 37, 3, 13. De lyncurio dici cogit auctorum pertinacia: quippe gemmam esse contendunt. ℙ In fabulis est soror Aetheris et Diei, habetque praeterea fratres Fatum, Laborem, Dolum, etc. sorores Invidentiam, Miseriam, Querelam, etc. *Cic. N. D.* 3, 17. *f.*

PERTĬNĀCĬTER, adv. valde tenaciter. *Plin.* 33, 6, 32. de argento vivo: Cum aera inaurantur, sublitum bracteis pertinacissime retinet. *Id.* 16, 43, 83. Ligna viridia serrae pertinacius resistunt, *h. e.* validius, fortius, retinendo serram, et remorando. *Suet. Tib.* 74. Cinis exarsit repente, atque in multam noctem pertinaciter luxit, *h. e.* constanter ignem retinuit. *Quint.* 1, 1. Haec ipsa magis pertinaciter haerent, quae deteriora sunt; et *ib.* Pertinacissime durare. ℙ Item obstinate, contumaciter, nimis perseveranter, pervicaciter, *ἐπιμόνως*. *Sall.* in *or. Licinii* ad *pleb. med.* Si res pertinaciter retinebunt. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 22. Ne cui obtrectatorum viderer nimium pertinaciter Lepido offensus. *Suet. Caes.* 1. Pertinaciter contendere; et *ib.* 16. Caecilio Metello turbulentissimas leges ferenti, auctorem se pertinacissime praestitit. ℙ Constanter, perseveranter, *ἐπιμόνως*. *Varr. R. R.* 1, 20. Neque pertinaciter, quem juvencum feceris dexterum, in eo manendum, *Hirt. B. G.* 8, 13. Cum constantius universi paludem transissent, et pertinacius reliquam multitudinem essent insecuti. *Suet. Claud.* 40. *extr.* Pertinacissime liberalibus studiis deditus. *Sen. ep.* 5. Pertinaciter studes, et omnibus omissis, hoc unum agis.

PERTĬNAX, acis, adj. omn. gen., valde tenax, fortiter retinens. *Hor. Od.* 1, 9, 23. Pignusque dereptum lacertis, Aut digito male pertinaci. *Appul. Flor. n.* 23. Ales oculis persequax, unguibus pertinax. *Pl. Capt.* 2, 2, 39. Tenaxne pater ejus est? *Phi.* immo edepol pertinax. ℙ Item qui diu, et constanter, et plus justo durat. *Plin.* 10, 29, 43. de luscinia: Tanta vox tam parvo in corpusculo, tam pertinax spiritus. (Adde *Quint.* 11, 3. *med. Id.* 18, 8, 20. Siligo in Allobrogum agro pertinax: in ceteris biennio in triticum transit. *Id.* 24, 17, 101. Hoc volumen Pythagorae pertinax fama, antiquitasque vindicant. *Quint. prooem.* 1. *extr.* Pertinax studium. *Plin.* 24, 1, 1. odium. *Liv.* 2, 40. *f.* certamen. *Sen. Herc. Oet.* 1854. dolor. *Quint. decl.* 9, 8. *f.* Pertinaces lacrimae. *Gell.* 2, 1. Stare solitus Socrates dicitur pertinaci statu, perdius atque pernox etc. ℙ Transfertur ad animum, et significat obstinatum, obfirmatum, pervicacem, contumacem, nimisque in sententia persistentem, *δυςέριστος*. *Cic. Fin.* 1, 8. Concertationes in disputando pertinaces, indignae mihi philosophia videri solent; et *f.* Certe pertinax non ero, tibique, si mihi probabis ea quae dices, libenter assentiar; et *ib.* 2, 33. Pertinacissimus fueris, si in eo perstiteris. ℙ Item constantem, perseverantem, *ἐπίμονος*. *Liv.* 25, 14. Vicit tamen omnia pertinax virtus. *Id.* 28, 22. *f.* Vetus miles adversus temerarios impetus pertinax; et 29, 33. Turma pertinacior in repugnando, telis obruta est. *Mart.* 8, 38. Qui praestat pietate pertinaci etc. Adde *Sen. ep.* 120. *med.* ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 3, 29, 51. Fortuna Ludum insolentem ludere pertinax. ℙ Cum gen. *Appul. Apol. f.* Virum aequum, et justitiae pertinacem. *Val. Max.* 6, 3. *n.* 3. irae. Alii leg. *ira.* Sed et *tenax* genitivum regit. ℙ *Pertinax* fuit cognomen P. Helvii, qui Romae imperavit post Commodum. *Capitol. Pert.* 1. *in.* P. Helvio Pertinaci pater libertinus Helvius Successus fuit: qui filio nomen ex continuatione lignariae negotiationis, quod pertinaciter eam rem gereret, imposuisse fertur. *Sex. Aurel. Vict. Epit.* 18. Helvius Pertinax coactus repugnansque imperium suscipiens, tale cognomentum sortitus est. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 140. has hujus cognominis causas merito inter nugas referendas putat.

PERTĬNENTER, adv. convenienter, apte. *Tert. adv. Marc.* 4, 38. Vides quam pertinenter ad causam? et *ib.* 9. Pertinentius volebat agnosci; et *ib.* 31. Pertinentissime ad hanc parabolam.

PERTĬNĔO, es, nui, n. 2. *καθήκω*, *παρήκω*, pervenio, pertingo, penetro, permeo, dirigor, porrigor, extendor: a *per*, et *teneo.* Usum habet in tertiis personis, in infinito, et partic. *Cic. N. D.* 2, 54. Aspera arteria ad pulmones usque pertinet. *Plin.* 11, 37, 55. Venas ab oculis pertinere ad cerebrum, peritissimi auctores tradunt. *Caes. B. G.* 1, 1. Belgae ab extremis Galliae finibus oriuntur, pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni. *Id. B. C.* 3, 49. Omnes rivos, qui ad mare pertinebant, Caesar averterat; et *B. G.* 6, 9. Silvam ibi esse infinitae magnitudinis: hanc longe introrsus pertinere. *Ulp. Dig.* 43, 22, 1. *med.* Quod ait praetor, pertinet, hoc significat: quod ex aedibus ejus in tuas pertinet, hoc est dirigitur, extenditur, pervenit. *Liv.* 25, 24. In vastae magnitudinis urbe, partium sensus non satis pertinens in omnia. *Cic. N. D.* 2, 55. Venae in omnes partes corporis pertinentes; et *ib. f.* Nervorum implicatio toto corpore pertinens; et *ib.* 28. Deus pertinens per naturam cujusque rei, per terram Ceres, per maria Neptunus, alii per alia. *Hirt. B. Alex.* 2. In omnes partes, per quas Aegypti regnum pertinet, legatos miserant. ℙ Translate. *Plin.* 18, 35, 78. Quamobrem et haec breviter attingemus, scrutati maxime pertinentia; et 29, 1, 1. Quae tam parata atque pertinentia erant. *Gell.* 16, 3. Verba Erasistrati ad eam rem pertinentia. *Liv.* 23, 27. Ea caritas patriae per omnes ordines, velut tenore uno, pertinebat. *Sen. Q. N.* 2, 47. Fulmina perpetua, quorum significatio in totam vitam pertinet. *Id. ep.* 12. *med.* Hic pertinet a natali ad diem extremum. *Cic. Amic.* 14. Constat, bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam esse, sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet; et *Scaev. Dig.* 17, 1, 60. Semproniam ad animum meum pertinere cognovisti, *h. e.* a me amari, vel mihi curae esse. *Cic. Or.* 2, 2. Non cognitis rebus omnibus, quae in tantam prudentiam pertinerent; et *Sen.* 23. Magnos viros tanta esse conatos, quae ad posteritatis memoriam pertinerent; et *Agr.* 2, 8. Illud de minore parte populi, quo pertineat, videte, i. e. quo tendat. Sic *Varr. R. R.* 2, 1. *f.* Habent in villis mulieres; et id pertinere putant, quo facilius ad greges pastores retineant. *Cic. Att.* 8, 9. Eo scripsi, quo in suadendo plus auctoritatis haberem: eodemque pertinet, quod causam ejus probo; et *Brut.* 87. Quod autem plures a nobis nominati sunt, eo pertinuit, quod intelligi volui, in eo, cujus omnes cupidissimi essent, quam pauci digni nomine evaderent. *Id. Verr.* 2, 5, 10. Summa illuc pertinet, ut sciatis, quoniam plura genera sunt imperatorum, ex quo genere iste sit; et *N. D.* 3, 23. *extr.* Interpretando, quorsum quidque pertineat. Sic *Pl. Merc.* 2, 1, 28. Hoc quam ad rem credam pertinere somnium, nequeo invenire. ℙ *Pertinet ad me*, cadit in me. *Id. Truc.* 4, 3, 36. Magis pol haec malitia pertinet ad viros, quam ad mulieres. *Cic. Rosc. Am.* 7. Spero, ex hoc ipso non esse obscurum, ad quem suspicio maleficii pertineat. *Phaedr.* 1, 14. Hoc pertinere vere ad illos dixerim, etc. ℙ attinet, spectat, *προσήκει*. *Pomp. Dig.* 50, 16, 181. Verbum illud pertinere latissime patet: nam et eis rebus petendis aptum est, quae nostri dominii sint, et eis, quas jure aliquo possideamus, quamvis non nostri dominii sint. Pertinere ad nos etiam ea dicimus, quae in nulla earum causa sint, sed esse possint. *Tac. H.* 3, 19. Expugnatae urbis praedam ad militem, deditae ad duces pertinere. *Cic. Fin.* 5, 9. Cum animal processit paulum, et quatenus quidquid se attingat, ad seque pertineat, perspicere coepit, etc. *Id. Fam.* 13, 13. Cum virtutibus, tum etiam fortuna, si quid hoc ad rem pertinet, ornatus; et *Pl. Rud.* 4, 4, 62. Quid ista ad vidulum pertinent, servae sint istae, an liberae? et *Nep. Thras.* 2. *f.* Nil attigit, nisi arma, et quae ad victum pertinebant. *Tac. A.* 3, 48. Nihil ad patriciam Sulpiciorum familiam Quirinius pertinuit. *Mart.* 7, 10. Illud dissimulas, ad te quod pertinet, Ole, Quodque magis curae convenit esse tuae, i. e. tua interest. V. reliquum epigramma. *Cic. Rosc. Am.* 13. Illa res ad meum officium pertinet. *Id. ad Brut* 1, 2. Et id valde pertinuit, ut ego tum intelligebam, ad rempublicam; ut nunc judico, ad dignitatem tuam, *h. e.* fuit e republica, expediit, interfuit, utile fuit.

PERTINGO, is, a. 3. pervenio, pertineo. Afferuntur loca *Cic. N. D.* 2, 9., *Caes. B. C.* 3, 68., *Sall. Jug.* 52., *Liv.* 25, 24., *Quint.* 2, 4. *med.* et *Plin.* 11, 37, 55., sed ubique lectio variat, et *pertineo* ab aliis reponitur. Sic ap. *Lucr.* 4, 278. non *pertingit*, sed *perterget* legendum est.

PERTĬSUM pro *pertaesum* dixerunt antiqui: ridetque ob id Scipionem Africanum Pauli filium *Lucilius* ap. *Fest.* in *Rederguisse* cum ait: Quo facetior videare, et scire plus quam ceteri, pertisum hominem, non pertaesum dicere ferunt. V. DISTISUM et PERCESSUS.

PERTŌLĔRO, as, a. 1. valde, aut usque ad finem tolero. *Lucr.* 5, 315. neque enim caderent avolsa repente, Ex infinito quae tempore pertolerassent Omnia tormenta aetatis.

PERTŌNO, as, ui, n. 1. valde tono. Translate. *Hieron. ep.* 53. *n.* 8. Abdias pertonat contra Edom sanguineum, terrenumque hominem. *Id. adv. Helv. n.* 20. Quando vero vox illa pertonuit. *Id. ep.* 51. *n.* 4. Doctrina nobis est dimittenda ipsius Domini Salvatoris in Evangelio pertonantis.

PERTORQUĔO, es, orsi, rtum, a. 2. idem ac torqueo, distorqueo. *Lucr.* 2, 401. ferique Centauri foedo pertorquent ora sapore.

PERTRACTĀTĒ, adv. *Pl. Capt. prol.* 54. Profecto expedie fabulae huic operam dare: non pertractate facta est, neque item ut ceterae, *h. e.* non vulgariter, non ratione in aliis usitata, et pertractata, sed nova et singulari.

PERTRACTĀTĬO et Pertractio, onis, f. *ἐγχείρησις*, frequens et assidua tractatio. *Cic. Or.* 1, 42. In grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio; et *ib.* 11. Non enim sine multa pertractatione rerumpublicarum, etc. *Gell.* 5, 1. Proinde ut eum affecerit animi partium aut sincerarum aut aegrarum philosophi pertractatio.

PERTRACTĀTUS et Pertractatus, a, um, part. a *pertracto*: saepe tractus, tractatus, versatus, exploratus. *Petr. Sat.* 24. Pertractato vasculo tam rudi, hoc, inquit, etc. ℙ Translate. *Cic. Div.* 1, 56. *f.* Qui cursum rerum, eventorumque consequentiam diuturnitate pertractata notaverunt; et *Tusc.* 3, 14. Perceptas penitus, et pertractatas res humanas habere.

PERTRACTO et Pertrecto, as, avi, atum, a. 1. *ἐγχειρέω*, manibus tracto, verso, contingo, contrecto. *Cic. Par.* 5, 2. Reviviscat M'. Curius, et videat aliquem barbatulos mullos exceptantem de piscina, et pertractantem. *Pl. Asin.* 1, 3, 71. Si papillam pertractavit. *Just.* 1, 9. Tum pertrectare dormienti caput jubet. *Hirt. B. Afr.* 72. Nam et milites bestias manibus pertractabant. *Plin.* 25, 6, 30. Chironi Herculis hospitio excepti pertractanti arma, sagitta excidit in pedem. ℙ Translate est diligenter versare, persolvere, percurrere, considerare. *Cic. Fin.* 2, 35. Introspice in mentem tuam, eamque omni cogitatione pertractans, percontare ipse te, an, etc. *Id. Or.* 1, 51. Orator ita peragrat per animos hominum, ita sensus mentesque pertractat, ut, etc.; et *ib.* 2, 8. et 44. Pertractare animos hominum. *Id. Inv.* 2, 14. Facilius ad inventionem animus incedet, si gesti negotii et suam, et adversarii narrationem saepe et diligenter pertractabit. *Plin. ep.* 7, 17. Primum quae scripsi, mecum ipse pertracto, deinde duobus aut tribus lego; et *Cic. N. D.* 1, 4. *f.* Ad totam philosophiam pertractandam se dare; et *Tusc.* 4, 10. Qua oratione praetermissa, ea, quae rem continent, pertractemus, *h. e.* disseramus, disputemus, explicemus. ℙ *Pertractare visu vulnera* ap. *Sil.* 10, 452. est diligenter attenteque perspicere, et quasi manu explorare: catachresis. Simile est *devorare oculis* ap. *Just.* 21, 5. et *oculis comedere* ap. *Mart.* 1, 97.

PERTRACTUS, a, um, part. a *pertraho*: vi tractus, perductus. *Plin.* 7, 2, 2. *med.* Homines sil-

vestres ad Alexandrum M. pertractos, Baeton itinerum ejus mensor prodidit. *Tac. H.* 2, 72. Pertractus ad Vitellium. *Aurel. Vict. Caes.* 8. *med.* Ad scalas Gemonias, perque eas pertractus, in Tiberim dejicitur.

PERTRACTUS, us, m. mora, perduratio. *Tert. Orat.* 5. Quidam pertractum quendam in saeculo postulant. V. v. sq.

PERTRĀHO, is, axi, actum, a. 3. *ἑφέλκω*, traho, perduco, ad destinatum finem traho, cum molimine traho. *Liv.* 7, 39. *f.* Somno gravi Quintium oppressum, mortem, ni sequeretur, denunciantes, in castra pertraxerunt. *Id.* 21, 28. *med.* Ratis ab actuariis aliquot navibus ad alteram ripam pertrahitur. *Phaedr.* 3, 10. Accusatores postularunt mulierem, Romamque pertraxerunt ad centumviros. *Val. Max.* 5, 2. *n.* 3. *extr.* Pertrahere aliquem in jus; et 1, 7. *n.* 8. *extr.* aliquem intra moenia vinctum. ℙ in longum traho, produco. *Plin.* 28, 1, 2. Vitam quidem non adeo expetendam censemus, ut quoquo modo pertrahenda sit. Al. leg. *trahenda.*

PERTRANSĔO, is, ivi, itum, n. anom. *διέρχομαι, διαβαδίζω*, per medium transeo. *Sen. ep.* 4. Mors ad te venit: timenda erat, si tecum esse posset: necesse est aut non perveniat, aut pertranseat. *Plin.* 37, 5, 18. de smaragdo: Nubecula albicantis est vitium, cum viridis non pertransit aspectus, sed aut intus occurrit, aut, etc.

PERTRANSLŪCĬDUS, a, um, adj. valde translucidus. *Plin.* 13, 12, 24. Charta indecoro visu pertranslucida.

PERTRECTO, etc. V. PERTRACTO.

[PERTRĒMISCO, is, n. 3. valde tremo. *Hieron. in Isaj.* 3, 7, 2. Populus David, simpliciter credens in Dominum, pertremiscet. *Id. ib.* 4, 10, 4. Semper sibi impendentem manum Domini pertremiscant. *F.*]

PERTRĒPĬDUS, a, um, adj. valde trepidus. *Capitol. Max. et Balb.* 1. Senatus pertrepidus in aedem Concordiae concurrit.

PERTRĪBŬO, is, a. 3. idem ac tribuo. *Plin. ep.* 10, 18. Apud me et milites et pagani certatim ei, qua privatim, qua publice, testimonium pertribuerunt. Alii leg. *retribuerunt.*

PERTRĪCOSUS, a, um, adj. valde tricosus, tricis plenus, difficilis. *Mart.* 3, 63. Res pertricosa est, Cotile, bellus homo. Alii leg. *pertricosus;* alii *praetricosus.*

PERTRISTIS, e, adj. valde tristis. *Cic. Coel.* 11. Fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister, *h. e.* perseverus. *Id. Div.* 1, 8. Saepe etiam pertriste canit de pectore carmen, *h. e.* augurii valde infelicis.

PERTRĪTUS, a, um, part. a *pertero:* valde tritus, comminutus. *Colum.* 8, 5. *f.* Uva pertrita, et cum aqua potui data. ℙ Item usu tritus, vulgaris. *Sen. Controv.* 18. *med.* Vulgaris in ejusmodi controversiis, et pertrita quaestio. Adde *ep.* 63. *med.*

PERTRUX, ūcis, adj. omn. gen. valde trux. *Appul. Met.* 5. Quae te pertrucis bestiae nuptiis destinatam esse clamavit. Alii leg. *trucis*, et quidem, ut probat *Oudendorp.*, multo melius.

[PERTŪMĒO, es, ui, n. 2. et

[PERTŪMESCO, is, n. 3. valde tumeo, vel tumesco. *Not. Tir.* p. 115. Tumet, tumescit, pertumuit, pertumescit. *F.*]

PERTŪMĬDUS. V. PROTUMIDUS.

PERTŪMULTŪOSĒ, adv. valde tumultuose. *Cic. Fam.* 15, 4. Pertumultuose, neque tamen non vere, Parthos in Syriam transisse, nunciaverunt.

PERTUNDĂ, ae, f. Dea, quae pertundendo novae nuptae eugio praeesse credebatur. *August. C. D.* 6, 9. *med.* Dea Pertunda ibi quid facit? Erubescat, eat foras: agat aliquid et maritus. Sed forte ideo toleratur, quia Dea dicitur esse, non Deus. Nam si masculus crederetur, et Pertundus vocaretur, etc. Adde *Arnob.* 4, 131. et *Tert. ad nat.* 2, 11.

PERTUNDO, is, ŭdi, usum, a. 3. *διατρυπάω, διακόπτω*, tundendo perforo. *Lucr.* 4, 1282. Nonne vides etiam guttas, in saxa cadentes Humoris, longo in spatio pertundere saxa? et 5, 1266. levare, et radere tigna, Et terebrare etiam, et pertundere, perque forare. *Cato R. R.* 41. Terebra vitem pertundere; et 52. Calicem pertundito per fundum. *Enn.* ap. *Prisc.* 10, 891. latu' pertudit hasta. *Pl. Ps.* 1, 2, 37. Ne quisquam pertundat crumenam, cautio est. *Catull.* 32, 11. Nunc pransus jaceo, et satur supinus Pertundo tunicamque, palliumque. *Colum.* 6, 15. Si bos surculum calcaverit, aut acuta testa, vel lapide ungulam pertuderit; et *Vitr.* 10, 22. *f.* Crebra foramina pertudit.

[PERTUNDUS, i, m. V. PERTUNDA. *F.*]

PERTURBĀTĒ, adv. *διαταράκτως*, confuse, non servato ordine rerum et temporum. *Cic. Inv.* 1, 20. *med.* Ne quid perturbate, ne quid contorte dicatur. [*Id. Or.* 35. sua confirmare, adversaria evertere, eaque efficere non perturbate, sed singulis argumentationibus ita concludendis, ut efficiatur, quod sit consequens iis, quae sumentur ad quamque rem confirmandam: ubi *Schütz.* in *cl. Cic.* s. v. *perturbate* expl. per *sine nexu idoneo.*]

PERTURBĀTIO, onis, f. *ταραχή*, turbatio, confusio. *Cic. Par.* 3. *f.* Quidquid peccatur, perturbatione peccatur rationis atque ordinis. *Id. Agr.* 1, 8. Hoc motu atque hac perturbatione animorum atque rerum. *Id. Fl.* 37. *extr.* Videtis, in quo motu temporum, quanta in conversione rerum, et perturbatione versemur. *Caes. B. G.* 4, 29. Magna totius exercitus perturbatio facta est. *Cic. Div.* 2, 45. Tum serenitas, tum perturbatio coeli. ℙ [*Hinc i. q. mutatio in pejus. *Cic. Fam.* 9, 5. perturbatio valetudinis. *N. D.* 1, 2. perturbatio vitae et magna confusio. Porro huc pertinet exemplum, quod Noster primo loco posuit *Par.* 3. *f.*] ℙ Saepe dicitur de commotione animi, affectione, *πάθος*. *Cic. Tusc.* 4, 5. *med.* Quae Graeci *πάθη* vocant, nobis perturbationes appellari magis placet, quam morbos; et *ib.* 6. Est igitur Zenonis haec definitio, ut perturbatio sit aversa a recta ratione, contra naturam, animi commotio: quidam brevius perturbationem esse appetitum vehementiorem; et 15. Ex vitiositate concitantur perturbationes, quae sunt turbidi animorum, concitatique motus, aversi a ratione, et inimicissimi mentis, vitaeque tranquillae. *Id. Fin.* 3, 10. *f.* Perturbationes sunt genere quatuor, partibus plures, aegritudo, formido, libido, laetitia. *Id. Or.* 2, 42. Impetu quodam animi, et perturbatione magis, quam judicio, aut consilio regi. *Id. Div.* 1, 30. Perturbationem afferre. *Id. Off.* 1, 7. *f.* Perturbatione incitatus; et *ib.* 36. In perturbationes atque exanimationes incidere. [*Plura v. ap. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. v.]

PERTURBĀTOR, oris, m. *ταραχτής*, qui perturbat. *Sulpic. Sev. Hist. sacr.* 2, 49. Perturbator Ecclesiarum.

PERTURBATRIX, icis, f. quae perturbat. *Cic. Leg.* 1, 13. *f.* Perturbatricem autem harum omnium Academiam, hanc ab Arcesila et Carneade recentem, exoremus, ut sileat.

PERTURBĀTUS, a, um, part. a *perturbo: διατάραχτος*, confusus. Translate. *Sen. Q. N.* 7, 10. Perturbatissimum tempestatis genus. *Cic. Or.* 3, 13. Non confusis personis, non perturbato ordine. *Id. Agr.* 1, 8. Civitas seditionibus perturbata. *Id. Div.* 1, 30. Somnia vero multo plura evenirent, si ad quietem integri iremus: nunc onusti cibo et vino perturbata et confusa cernimus. Adde *Har. resp.* 21. ℙ De animo, qui aliquo affectu et perturbatione afficitur et commovetur. *Id. Att.* 8, 11. Quod me magno animi motu perturbatum putas, sum equidem; et *ib.* 10, 14. Nunquam vidi hominem perturbatiorem metu.

PERTURBĬDUS, a, um, adj. valde turbidus, perturbatus. *Vopisc. Saturn.* 7. Si perturbidam civitatem vidisset, etc.

PERTURBO, as, avi, atum, a. 1. *διαταράττω*, valde turbo, confundo, misceo. *Cic. Sull.* 20. Cincius est ab hoc in ulteriorem Hispaniam missus, ut eam provinciam perturbaret. *Id. Brut.* 62. Ut in iis perturbem aetatum ordinem. *Id. Off.* 3, 29. *f.* Conditiones pactionesque bellicas perturbare perjurio. *Sall. Jug.* 63. Implicare ac perturbare aciem. *Caes. B. G.* 4, 32. *extr.* Paucis interfectis, reliquos incertis ordinibus perturbaverunt; et *ib.* 5, 36. Impetu perturbare ordines. *Plin. ep.* 1, 20. Oratio magnifica et excelsa tonat, fulgurat, omnia denique perturbat et miscet. ℙ Saepe refertur ad animum, et significat aliquo affectu et perturbatione commovere. *Cic. Rab. perd.* 6. Nunquam populus R. consulem me fecisset, si vestro clamore perturbatum iri arbitraretur. *Id. Or.* 37. Alterum, quod *παθητικὸν* nominant, quo perturbantur animi, et concitantur. *Id. Mil.* 1. Cum Milo magis de reipublicae salute, quam de sua perturbetur. *Id. Verr.* 2, 3, 57. *f.* Haec te vox non perculit? non perturbavit? *Capell.* 5, 139. Perturbantes pectora, sensusque cunctorum. ℙ Pro deturbare, expellere, proturbare. *Auct. ad Her.* 4, 8. *extr.* Ut eum praecipitem perturbetis ex ea civitate, quam, etc. Alii leg. *proturbetis.* Addunt *Ov. Met.* 3, 80 et 526. et *Stat. Theb.* 3, 81., sed eodem modo lectione variante: item *Caes. B. G.* 7, 81., ubi alii leg. *deturbare.* V. PERSTRINGO. ℙ permiscere. *Pall.* 12, 18. Inulam, lauri folia, et cyperum permiscere cum salibus, et diu oleo injecta perturbare.

PERTURPIS, e, adj. valde turpis. *Cic. Coel.* 20. Cum hac aliquid adolescentem hominem habuisse rationis, non tibi perturpe, aut perflagitiosum esse videatur?

*PERTŪSA vel Ad Pertusa, opp. Africae Propriae, in Zeugitana. *Ant. Itin. B. A.*

PERTŪSŪRĂ, ae, f. perforatio. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 1. *n.* 18. Pertusurae patiens locus.

PERTŪSUS, a, um, part. a *pertundo, διάτρητος*, perforatus. *Cato R. R.* 157. *med.* Sub sellam supponito pertusam: eo mulier assidat. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. *f.* Si uxor margaritas perforasset, ut pertusis in linea uteretur. *Pers.* 4, 28. jugum pertusa ad compita figit, *h. e.* pervia. ℙ *In pertusum dolium quippiam congerere*, prov. frustra laborare, tempus terere, operam ludere, nihil proficere. Ductum est a fabula Danaidum. *Pl. Ps.* 1, 3, 135. In pertusum ingerimus dicta dolium. *Lucr.* 3, 949. Nam si grata fuit tibi vita anteacta priorque, Et non omnia pertusum congesta quasi in vas Commoda perfluxere, atque ingrata interiere, Cur non ut plenus vitae conviva recedis? Adde *ib.* 1023. et 6, 19.

PERVĀDO, is, si, sum, n. 3. *διαβαίνω*, per aliquam rem vado, ingredior, invado, penetro, pertranseo. *Cic. Verr.* 2, 3, 16. *extr.* Quacumque iter fecit, ejusmodi fuit, non ut legatus populi R., sed ut quaedam calamitas pervadere videretur. *Tac. A.* 2, 17. Nisu tamen corporis, et impetu equi pervasit, *h. e.* perrupit, evasitque. *Cic. Verr.* 2, 3, 89. Locus intra oceanum jam nullus est, quo non nostrorum hominum libido iniquitasque pervaserit. ℙ Cum praeposs. *per, in, ad, ob. Id. ib.* 26. Incendium per agros, et reliquas fortunas aratorum pervasit. *Liv.* 25, 14. *med.* Per aequa et iniqua loca pervadunt, irrumpuntque. *Cic. Manil.* 9. Opinio, quae per animos gentium barbararum pervaserat. *Id. N. D.* 2, 57. *f.* Nares contractiores habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit pervadere. *Liv.* 7, 36. Inter trepidationem tumultumque Samnitium, praesidium Romanum, obviis custodibus caesis, ad castra consulis pervadit. *Id.* 26, 5. *med.* Cohors Hispanorum usque ad vallum pervasit. *Sil.* 5, 390. gelidusque sub ossa Pervasit miseris conspecti consulis horror. *Liv.* 37, 25. Per omnes proximos velut continens incendium pervasurum. ℙ Cum solo accus. sine praepos. quae inest ipsi verbo. *Cic. Sull.* 19. Quas oras quasi morbus quidam illius furoris pervaserat. *Sall. or. ad Caes. de republ. ord.* 1, 6. Quare capesse per Deos rempublicam, et omnia aspera, uti soles, pervade, *h. e.* aggredere, et vince. *Liv.* 5, 7. Cum fama ea forum atque urbem pervasisset; et 26, 15. Murmur a tribunali totam concionem pervasit. *Accius* ap. *Varr. L. L.* 6, 2. *med.* Pervade polum, *h. e.* vade per polum, ut ipsemet *Varro* explicat. *Tac. A.* 13, 16. Venenum ita cunctos artus pervasit, ut, etc. *Sil.* 7, 427. quisque ora repente Pervasit pallor? *h. e.* invasit, infecitque. *Quint.* 8, 2. *med.* Pervasit jam multos ista persuasio, ut id eleganter dictum putent, quod interpretandum sit. *Lucr.* 1, 554. Ut nihil ex illis a certo tempore posset Conceptum, summum aetatis pervadere florem, (alii *finem*) *h. e.* vadere usque, seu pervenire ad summum aetatis florem.

PERVĀGĀBĪLIS, e, adj. pervagans. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* de lacu: Pelagi campus cymbulis late secatur pervagabilibus.

PERVĀGĀTUS, a, um, part. a *pervagor*, qui pervagatus est. *Liv.* 38, 17. Inter mitissimum genus hominum ferox natio, pervagata bello prope orbem terrarum, sedem cepit. *Cic. Verr.* 2, 4, 28. Quod in exteris nationibus usque ad ultimas terras pervagatum est. ℙ Saepe passive usurpatur, et divulgatum, pervulgatum significat. *Cic. Planc.* 19. Desinamus aliquando vulgari et pervagata declamatione contendere. *Id. Or.* 57. *f.* Ut pervagatum et vulgare videatur. *Id. Or.* 1, 36. De communibus et pervagatis rebus audire. *Id. Top.* 18. Mala pauciora anteponantur malis pluribus, diuturniora bona brevioribus, longe et late pervagata angustis. *Id. Marcell.* 8. *extr.* Gloria est illustris et pervagata fama meritorum. *Id. Inv.* 2, 14. *extr.* Pars argumentorum est adjuncta causae, pars pervagatior. *Id. Or.* 43. Pervagatissimus ille versus, qui vetat Artem pudere proloqui, quam factites. ℙ [*Confund. *pervagatus* et *pervulgatus.* V. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 187. *b.*]

PERVĀGOR, aris, atus sum, dep. 1. *περιφέρομαι*, per aliquem locum vagor. *Cic. Verr.* 2, 5, 37. *f.* Hic, te praetore, praedonum naviculae pervagatae sunt; et *Leg.* 1, 11. Molestiae, laetitiae, cupiditates, timores similiter omnium mentes pervagantur. *Liv.* 1, 29. Nunc errabundi domos suas, ultimum illas visuri, pervagarentur. *Plin.* 5, 29, 31. Maeander Apamenam pervagatur regionem. *Plin. alter ep.* 1, 12. Dolor omnia membra pervagabatur; et *ep.* 6, 10. Cujus memoria orbem terrarum pervagatur. *Caes. B. G.* 7, 45. Imperat, ut paulo tumultuosius omnibus in locis pervagarentur. *Cic. Inv.* 2, 39. Ne is honos nimium pervagetur, *h. e.* nimis multis habeatur. *Vitr.* 2, 6. Pervagantes in agris ardores.

PERVĀGUS, a, um, adj. valde vagus. *Ov. A. Am.* 2, 18. tam vasto pervagus orbe puer. Adde *Sabin. ep.* 1, 91.

PERVĀLĔO, es, ui, n. 1. multum valeo. *Lucr.* 6, 916. Usque adeo permananter vis pervalet ejus. Alii leg. *praevalet.*

PERVĀLĬDUS, a, um, adj. multum validus. *Ammian.* 29, 1. *in.* Agminibus pervalidis. Aliud exemplum, quod affertur ex *Liv.* 40, 47. dubiam habet lectionem.

PERVĀRĬĒ, adv. *πολυποικίλως*, valde varie. *Cic. Or.* 2, 80. Reliqua pervarie jucundeque narrantur.

PERVĀRĬUS, a, um, adj. valde varius. *Appul. de Deo Socrat.* Pervariae utilitates in vita agenda animadversae. Al. aliter leg.

[PERVĀSĬO, onis, f. actus pervadendi, invasio. *Salv. Gub. D.* 5, 10. A rerum alienarum pervasione non abstinent. *F.*]

[PERVĀSOR, oris, m. qui per vim aliena invadit. *Cass. Var.* 4, 20. Manente poena pervasori, qui veterum dona, et Ecclesiae probatur violasse compendia. *Paul. Petroc.* 6, 44. proprias alieno in corpore voces Edere pervasor captivo ex ore jubetur. *F.*]

PERVASTĀTUS, a, um, part. a *pervasto*, omnino vastatus. *Liv.* 8, 19. Pervastatis passim agris, praedaque abacta. *Tac. A.* 15, 45. Conferendis pecuniis pervastata Italia.

PERVASTO, as, avi, atum, a. 1. prorsus vasto. *Liv.* 33, 37. Cum Boji Laevos, Libuosque pervastassent. *Id.* 6, 4. Ad pervastandos fines duxere.

PERVĀSUS, a, um, part. a *pervado*, penetratus, invasus. *Ammian.* 24, 3. Pervasa urbe. *Id.* 31, 3. Pervasis regionibus.

PĔRŪBĬQUĔ, adv. idem quod ubique, addita per pleonasmum praeposit. *Tert. Pall.* 2. *f.*

PERVECTOR, oris, m. qui pervehit. *Sym. ep.* 4, 65. (al. 64.) Pervector apicum, *h. e.* tabellarius. V. APEX.

PERVECTUS, a, um, part. a *perveho*, usque ad aliquem locum vectus, delatus. *Plin.* 9, 8, 8. Arionem, cum se jecisset in mare, exceptum a delphino Taenarium in litus pervectum. *Id.* 2, 67, 67. Gades usque pervectus; et 12, 1, 3. ad Morinos usque. *Vell.* 2, 55. in Africam. *Liv.* 31, 23. Chalcidem. *Sil.* 4, 51. Jam consul volucri pervectus litora classe. V. v. sq. ℙ De eo, qui pedibus procedit. *Id.* 8, 126. Illa cito passu pervecta ad litora, etc.

PERVĔHO, is, exi, ectum, a. 3. *διαχομίζω*, usque ad aliquem locum veho, defero, navi, equo, aut curru. *Liv.* 5, 40. *extr.* et *Val. Max.* 1, 1. *n.* 10. Sacra in plaustrum imposuit, et Caere pervexit. [**Suet. Tib.* 7. *f.* Drusum fratrem in Germania amisit, cujus corpus, pedibus toto itinere praegrediens, Romam usque pervexit.] *Plin.* 35, 6, 22. Sandaracham et ochram in insula rubri maris nasci: inde nunc pervehuntur ad nos. *Appul. de Deo Socrat.* de equo: Volo enim non modo perniciter, sed etiam molliter pervehat. ℙ Passive saepius adhibetur. *Enn.* vel *Naev.* ap. *Varr. L. L.* 4, 32. *med.* Dictator ubi currum insidit, pervehitur usque ad oppidum. *Cic. Att.* 14, 19. Alium portum videbamus, in quem mallem pervehi. *Id. Tusc.* 1, 49. Quo utinam velis passis pervehi liceat. *Liv.* 44, 6. Neque commeatibus pervehendis eo patuisset iter. ℙ Cum solo accusat. *Tac. A.* 2, 8. Lacus inde, et Oceanum secunda navigatione pervehitur. ℙ Translate. *Cic. Off.* 2, 6. Cum prospero flatu fortunae utimur, ad exitus pervehimur optatos. Alii leg. *provehimur*. Est autem inter haec discrimen: nam *provehimur* a terra in altum, *pervehimur* ab alto ad portum. Tametsi ne hoc quidem perpetuum est. [**Curt.* 8, 5, 17. Credisne illos unius convivii decreto deos factos? Prius ab oculis mortalium amolita natura est, quam in coelum fama perveheret.]

PERVELLO, is, elli, a. 3. *διαπάλλω*, valde vello, vellico, aliquid in corpore summis digitis evellendi causa attraho, aut comprimo. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 13. *f.* Compilarit: pilos pervellerit. *Pl. Pers.* 5, 2, 66. Hei, nates pervellit. *Phaedr.* 5, 5. Pervellit aurem vero *(porcello)* quem celaverat, Et cum dolore vocem naturae exprimit. ℙ *Pervellere alicui aurem* translate est admonere, et memoriam alicujus rei renovare. *Val. Max.* 1, 5. *n.* 8. et *Sen. Ben.* 5, 7. *f.* et *ib.* 4, 36. et *ep.* 94. *med.* Simile est illud *ejusd. cit. Ben.* 5, 23. Quorundam ad referendam gratiam fides non cessat, sed languet: hanc pervellamus, *h. e.* excitemus, admoneamus, tanquam aurem pervellendo. V. AURIS. ℙ [*Excitandi notionem habet etiam in loco, quem Noster in f. §. sq. laud.,] *Hor. Sat.* 2, 8, 8. Rapula, lactucae, radices qualia lassum Pervellunt stomachum, i. e. irritant, excitant, et orexim faciunt. ℙ Significat etiam irritare, torquere, mordere, pungere, dolorem afferre. *Cic. Tusc.* 3, 17. Fortuna pervellere te forsitan poterit, et pungere, non poterit certe vires frangere; et *ib.* 2, 20. Si te forte dolor aliquis pervellerit, exclamabis ut mulier? ℙ Hinc *Cic. Or.* 1, 62. *f.* Neque tam mihi molestus fuit, quod jus nostrum civile pervellit, quam, etc. *h. e.* convellit, dictis pupugit, ei obtrectavit.

PERVĔNĬO, is, vēni, ventum, n. 4. *ἀφικνέομαι*, usque ad constitutum locum venio, devenio, accedo, perducor, pertineo. *Caes. B. G.* 4, 6. Germani in fines Eburonum pervenerant. *Nep. Ep.* 4. Praesidium dedit, ut eo tuto perveniret. *Cic. Pis.* 25. Ipse cum hominibus quindecim male vestitis ad portam Coelimontanam sitiens pervenerim. *Nep. Chabr.* 4. Nando in tutum pervenerunt. *Cic. Manil.* 12. Duodecim secures in praedonum potestatem pervenerunt. *Virg. A.* 9, 396. clamor ad aures Pervenit. *Quint.* 2, 17. *med.* Gubernator vult salva nave in portum pervenire. *Ov. Met.* 13, 909. Pervenire in summum montis. *Val. Fl.* 7, 394. utque sub altas Pervenere trabes. ℙ *Varr. R. R.* 1, 23. Si ad siliquas non ita pervenit, ut fabam legere expediat; et *ib.* 4. Calamitas colonum ad fructus pervenire non patitur. *Ter. Eun.* 1, 2, 44. Sine, me pervenire, quo volo, *h. e.* dicere omnia, quae institui. *Caes. B. C.* 1, 52. Jam ad denarios L in singulos modios annona pervenerat. ℙ Dicitur *pervenire*, quod cuipiam contingit: item qui boni aliquid adipiscitur, vel in malum aliquod incidit. *Sall. Jug.* 35. Aestimabitis, qualis illa pax, aut deditio sit, ex qua ad Jugurtham scelerum impunitas, ad paucos potentes maximae divitiae, in rempublicam damna atque dedecora pervenerint. *Caes. B. C.* 1, 26. Cujus rei magnam partem laudis ad Libonem perventuram. *Nep. Epam.* 4. Ne, si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat, ad me pervenisse. *Cic. Fin.* 2, 17. Ut omnis hereditas ad filiam perveniret. *Id. Cluent.* 64. Perquiritur a coactoribus: invenitur ea serrula ad Stratonem pervenisse: *scil.* in auctione empta. *Id. Verr.* 2, 2, 18. Populum Syracusanum in maximam invidiam sua infamia alieno praemio pervenisse. *Nep. Lys.* 1. et *Phoc.* 2. Pervenire in odium alicujus. *Id. Cim.* 2. ad principatum; et *Alc.* 5. in amicitiam alicujus intimam. *Id. Att.* 10. *extr.* ex tot procellis civilibus ad incolumitatem. *Id. Amilc.* 2. et *Caes. B. C.* 2, 42. ad desperationem; et *ib.* 1, 61. in magnum timorem, ne, etc. *Cic. Fl.* 18. et *Sall. Jug.* 4. in senatum, *h. e.* ad ordinem senatorium. *Cic. Fam.* 5, 12. in scripta alicujus, *h. e.* obtinere, ut aliquis de nobis scribat. *Id. Rosc. Com.* 11. ad primos comoedos. [**Id. Off.* 1, 31, 113. ut ad id aliquando, quod cupiebat, perveniret: ubi *Beier.*, q. v., laudat *fragm. or. pro Scauro ed. Schütz.* 16, 2. p. 46. posse virtutem sine praesidio fortunae, quo contendisset, labore et constantia pervenire.] ℙ Item qui certum vitae terminum attigit. *Cic. Div.* 1, 23. Ad septuagesimum regni annum pervenit. *Quint.* 5, 10. Eum, qui recte valeat, in crastinum perventurum. ℙ *Pervenire ad aliquem*, ad notitiam alicujus: *ad aures*, *ad oculos hominum*, sciri, videri. *Pl. Mil.* 2, 4, 50. Si ad herum haec res pervenerit, peristi pulcre. *Colum.* 5, 8. Olearum plura genera esse arbitror, sed in meam notitiam decem modo pervenerunt. *Cic. Verr.* 2, 4, 28. Cum pulcritudo ejus recens ad oculos hominum, atque integra perveniret; et *mox:* Pervenit res ad istius aures, nescio quomodo. ℙ Cum solo accusativo. *Ov. Met.* 3, 462. Verba refers aures non pervenientia nostras. *Claud. B. Get.* 73. non pervenere juventae Robur Aloidae. ℙ Pro simplici venio. *Pomp. Dig.* 1, 2. *med.* Evenit, ut plebs in discordiam cum patribus perveniret. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Att.* 1, 17. *f.* Quin erat dicturus (ad quem propter dici brevitatem non est perventum) heros ille noster Cato. *Caes. B. C.* 3, 6. Quoniam prope ad finem laborum esset perventum. *Ter. Ph.* 4, 3, 35. Non potuit melius pervenirier eo, quo nos volumus. *Cic. Sext.* 36. Raro ad manus pervenitur. ℙ *Pervenibo* pro *perveniam*, positio non infrequens in 4. conjugat. *Pomp.* ap. *Non.* 10, 27. Quo illae pervenibunt divitiae.

PERVĒNOR, aris, atus sum, dep. 1. *καταθηρέω*, diligenter venor, solertia adhibita investigo. *Pl. Merc.* 4, 5, 3. Defessus sum urbem totam pervenarier.

PERVENTĬO, onis, f. actus perveniendi. *August. Confess.* 6, 1. et *Consens. Evang.* 2, 20. et *Capell.* 4, 126.

PERVENTOR, oris, m. qui pervenit. *August. Consens. Evang.* 2, 20. Vulgo perventores appellantur, qui potentium quorumlibet tanquam inaccessibiles animos, per convenientium personarum interpositionem, ambitionis arte pertingunt.

PERVĒNUSTUS, a, um, adj. valde venustus. *Sidon. ep.* 3, 13. *med.* Elegans homo, pervenustusque.

PERVERRO. V. PRAEVERRO.

PERVERSĔ et Pervorse, adv. *διαστρόφως*, [*inversa ratione, *verkehrt.*] *Suet. Galb.* 18. *extr.* Sella curulis in senatu perverse collocata. ℙ [*Hinc translate significat omnia ea, quae secus fiunt ac debent, i. q. praepostere, perperam, prave.] *Pl. Merc.* 2, 2, 19. *De.* Quid tibi ego aetatis videor? *Ly.* Acherunticus, senex, vetulus, decrepitus. *De.* pervorse vides: puer sum septuennis. *Id. Most.* 4, 2, 36. Erras pervorse, pater. *Id. Trin.* 1, 2, 146. Haec sunt: seu recte, seu pervorse facta sunt. *Cato* ap. *Gell.* 10, 23. Si quid perverse tetreque factum est a muliere, multatur. *Pl. Truc.* 1, 2, 41. Pervorse interpretari. *Cic. N. D.* 3, 28. Deorum beneficio perverse uti. *Id. Off.* 3, 32. Stulta calliditas perverse imitata prudentiam. *Id. Or.* 1, 33. Perverse dicere homines, perverse dicendo, facillime consequi. *Sall. or. ad Caes. de Republ. ord.* 1, 1. Plerique rerum potentes perverse consulunt. *Tert. Apol.* 2. Perversius cogitis tormentis de confessione decedere. *Hieron. in Matth.* 1, 25. Quidam perversissime suspicantur.

PERVERSĪBĬLIS, e, adj. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 136. Cave benignus esse perversibilis. Plerique alii leg. *Cave, benignus esse perverse velis.*

PERVERSĬO, onis, f. actus pervertendi, inversio, *διαστροφή*. *Auct. ad Her.* 4, 32. *f.* Transgressio est, quae verborum perturbat ordinem perversione, aut transjectione. Perversione sic: Hoc vobis Deos immortales arbitror dedisse pietate pro vestra. *Tert. adv. Marc.* 4, 5. *med.* Competit, ut si qui Evangelium pervertebant, eorum magis curarent perversionem, quorum sciebant auctoritatem receptiorem.

PERVERSĪTAS, atis, f. *διαστροφή*, *κακοήθεια*, ordo praeposterus, inversio, perturbatio, pravitas. *Cic. Or.* 9. Quae est autem in hominibus tanta perversitas, ut, inventis frugibus, glande vescantur? *Id. Tusc.* 3, 1. In omni pravitate, et in summa opinionum perversitate versamur. *Id. Off.* 1, 40. *f.* Quae multum ab humanitate discrepant, ut si quis in foro cantet, aut si qua est alia magna perversitas. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. Cum te alicujus improbitas perversitasque commoverit. *Quint.* 1, 6. Inhaerent quidam molestissima diligentiae perversitate, ut *audaciter* potius dicant, quam *audacter*. *Suet. Aug.* 62. Pertaesus morum perversitatem ejus.

PERVERSUS et Pervorsus, a, um, part. a *perverto*: *διάστροφος*, inversus, distortus, pravus, praeposterus. *Cic. N. D.* 1, 28. *extr.* Erat, sicut hodie est, perversissimis oculis. *Plin.* 10, 16, 18. Pondere capitum perversa ova. *Sen. Ira* 1, 16. et *Petr. fragm. Trag.* 58. *Burm. f.* Perversa vestis, *h. e.* pulla. V. Interpr. ad scriptorem utrumque. *Varr.* ap. *Gell.* 16, 16. *extr.* Rectus, perversusque partus. *Ov. A. Am.* 3, 246. Dictus eram cuidam subito venisse puellae: Turbida perversas induit illa comas; et *ib.* 287. perverso distorquere ora cachinno. *Liv.* 21, 33. Perversis rupibus, juxta invia ac devia, discurrunt. *Pelag. Vet.* 5. Equus perversus ambulabit pedibus incertis, et interdum cuilibet aut stipiti, aut jacentibus lapidibus pedes offendit. ℙ Translate. *Pl. Men.* 5, 5, 1. Nae hic dies pervorsus atque advorsus mihi obtigit. *Cic. Har. resp.* 12. Quid magis deformatum, inquinatum, perversum, conturbatum dici potest? *Id. Rosc. Com.* 10. *f.* Nihil ab hoc pravum et perversum produci posse arbitrabantur; et *ib.* 18. Perverso more quippiam facere. *Id. Tusc.* 5, 17. *f.* Ita erit beata vita melius aliquid: quo quid potest dici perversius. *Id. Cluent.* 26. Itaque ut erat semper praeposterus atque perversus, initium facit a Bulbo. *Id. Mur.* 36. Perversa sapientia: *scil.* Stoicorum. *Sen. Hipp.* 984. Tristis virtus perversa tulit praemia recti, *h. e.* poenas, calamitates pro bonis. *Virg. A.* 7, 584. bellum Contra fata Deum, perverso numine poscunt, *h. e.* averso, adverso, irato. *Stat. Th.* 1, 59. perversa vota, *h. e.* quibus mala petuntur. *Plin.* 35, 3, 4. Scutis continebantur imagines: unde et nomen habuere clypeorum, non, ut perversa grammaticorum subtilitas voluit, a cluendo. *Sen. V. B.* 5. *med.* Ratio prava, et malo suo, atque in perversum solers. ℙ *Perversus homo* interdum est malevolus, invidus, malignus, tanquam si perversis obliquisque oculis alterius bona aspiciat. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Gratiorem me esse in te posse, quam isti perversi sunt in me, exploratum habes. (*Manut.* hic adscribit illud *Cic. ad Brut.* 1, 15. *med.* Decrevi, ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur, etc. Atque illo die cognovi, paulo plures in senatu malevolos esse, quam gratos.) *Virg. Ecl.* 3, 12. Aut hic ad veteres fagos, cum Daphnidis arcum Fregisti, et calamos, quae tu, perverse Menalca, Et, cum vidisti puero donata dolebas: Et si non aliqua nocuisses, mortuus esses.

PERVERTO, et Pervorto, is, ti, sum, a. 3. *διαστρέφω*, everto, percello, subverto, [**um und um stürzen.*] *Pl. Cas.* 4, 1, 16. Coqui aulas per vortunt, ignem restinguunt aqua. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. Pinus proceras pervertunt. *Cic. Div.* 2, 56. Cum sors illa edita est opulentissimo regi Asiae, *Croesus Halym superans magnam pervertet opum vim*, hostium vim sese perversurum putavit: pervertit autem suam; et *ib.* 1, 24. Tum visam belluam vastam et immanem, quacumque incederet, omnia arbusta, virgulta, tecta pervertere. *Pl. Bacch.* 4, 4, 59. Balista pervortam turrim et propugnacula. *Id. Stich.* 2, 1, 14. Si rex obstabit obviam, regem ipsum prius pervortito. *Hirt.* ad *Cic. post ep. l.* 6, 15. *ad Att.* Noli sinere haec omnia perire, quae funditus medius fidius rapinis, incendiis, caedibus pervertuntur. *Petr. Sat.* 102. *f.* Tanquam hic solus color figuram possit pervertere. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 3, 21. Labefactare atque pervertere amicitiam, aut justitiam. *Id. Off.* 1, 2. Omne officium pervertere; et *ib.* 8. omnia jura divina atque humana. *Id. Har. resp.* 27. sacra inexpiabili scelere. ℙ Subvertere, efficere, ut aliquis a recto deflectat, deficiat, desciscat. *Nep. Lys.* 2. Quod ea civitas praecipua fide fuerat erga Athenienses, eam pervertere concupivit. *Id. Amic.* 3. Et princeps largitione vetustos pervertit mores Carthaginiensium. *Cic. Brut.* 79. Nescio quomodo, discessit a sese: ceciditque, postquam eos imitari coepit, quos ipse perverterat. ℙ Labefactare, evertere, de statu dejicere, perdere. *Cic. Div. Verr.* 14. Nunquam ille me opprimet consilio, nunquam ullo artificio pervertet. *Tac. H.* 3, 38. Ubi, asperatum Vitellium, et posse Blaesum perverti, satis patuit iis, qui principum offensas acriter speculan-

tur. *Id. A.* 13, 45. Nam Ollium honoribus nondum functum amicitia Sejani pervertit; et *ib.* 16, 22. *f.* Ut imperium evertant, libertatem praeferunt: si perverterint, libertatem ipsam aggredientur.

PERVESPĔRI, adv. sero vesperi. *Cic. Fam.* 9, 2. Caninius cum ad me pervesperi venisset. Alii leg. *nuper vesperi.* [**Orell.* vulg. probe retinuit.]

PERVESTIGĀTĬO, onis, f. 3. ἐξιχνιασμὸς, actus pervestigandi. *Cic. Or.* 1, 3. Sed omnia, quaecumque essent, vel scientiae pervestigatione, vel disserendi ratione comprehenderint.

PERVESTIGĀTOR, oris, m. ἀνιχνευτὴς, qui pervestigat. *Hieron. Vir. illustr.* 81. de Eusebio: Bibliothecae divinae diligentissimus pervestigator.

PERVESTĪGĀTUS, a, um, part. a *pervestigo:* perquisitus, inventus. *Cic. Verr.* 2, 5, 68. Quae tentata jam et coepta ab isto sunt, a me autem pervestigata et cognita.

PERVESTĪGO, as, avi, atum, a. 1. ἀνιχνεύω, vestigia sequendo (ut canes venatici solent) inquiro, invenio, reperio. *Cic. Verr.* 2, 4, 13. In Siciliam posteaquam venerunt, mirandum in modum, canes venaticos diceres, ita odorabantur omnia, et pervestigabant, ut ubi quidque esset, aliqua ratione invenirent. *Id. Or.* 2, 34. *f.* Nosse regiones, intra quas venias, et pervestiges, quod quaeras. *Pl. Merc.* 5, 2, 94. Operam ut sumam ad pervestigandum, ubi sit illaec.

PERVĔTUS, tĕris, adj. omn. gen. πολύχρονος, valde vetus. *Cic. Verr.* 2, 4, 3. *extr.* Signum pervetus ligneum; et *ib.* 33. oppidum. *Id. Fam.* 13, 17. Pervetus amicitia. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 4. epistola, sed sero allata. *Hirt. B. Afr.* 37. Turres, speculaeque perveteres. *Cels.* 5, 26. *n.* 30. Vinum non pervetus.

PERVĔTUSTUS, a, um, adj. idem ac pervetus. *Cic. Or.* 3, 52. Ut translatis verbis utamur frequenter, interdumque factis, raro etiam pervetustis.

PERVĬAM, adv. ut obviam, ex *per*, et *via. Charis.* 2, 187. Divus Augustus reprehendens Ti. Claudium ita loquitur: Scribis enim perviam ἀντὶ τοῦ obiter. *Pl. Aul.* 3, 2, 24. Quia angulos omnes mearum aedium et conclavium mihi perviam facitis, *h. e.* accessibiles, et qui adiri ab omnibus possint. [*Front. de oration.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *f.* Regiones verborum et saltus noverimus, ut, ubi quaesitis *(verbis)* opus sit, per viam potius ad vestigandum, quam invio progrediamur. Ita divisim *per viam* perperam editum est, cum recte in 1.ª editione junctim *perviam.* V. INVIUS. *F.*]

[PERVIĀTĬCUM, i, n. idem ac viaticum. *Front. ad amic.* (ed. *A. Maio*) 2, 6. Estne Volumnio legato perviaticum publice decretum? Alii legendum putant *semper viaticum. F.*]

PERVĬCĀCĬA, ae, f. ἀνθάδεια, μονοτονία, obstinatio, durities, firmitas. Quomodo a *pertinacia* differat, V. in PERVICAX. *Cic. Tusc.* 4, 11. *med.* Aegrotationi talia quaedam subjecta sunt, avaritia, ambitio, mulierositas, pervicacia, etc. *Liv.* 9, 34. *f.* Haec, quae adhuc egi, pervicacia tua et superbia coegit me loqui. ℙ Pro perseverantia, firmitate. *Tac. A.* 12, 20. *extr.* Ita majoribus placitum, quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum. *Plin.* 17, 20, 34. Castanea pedamentis omnibus praefertur perdurandi pervicacia.

PERVĬCĀCĬTER, adv. ἐνστατικῶς, pertinaciter. *Ulp. Dig.* 26, 10, 3. *f.* Neque pecuniam deponere pervicaciter perstant. *Tac. A.* 4, 42. Inclementiam pervicacius amplecti; et *ib.* 13, 54. *extr.* Caesis qui pervicacius restiterant. *Liv.* 42, 14. Pervicacius causam belli quaerere.

PERVĬCAX, acis, adj. omn. gen. αὐθάδης, μονότονος, obstinatus, obfirmatus, pertinax, contentiosus, neque cessans, donec pervicerit. *Ter. Hec.* 4, 1, 17. Adeon' pervicaci esse animo, ut puerum praeoptares perire, potius quam, etc? *Flor.* 1, 11. *med.* Pervicacissimi tamen Latinorum Aequi, et Volsci fuere, et quotidiani, ut ita dixerim, hostes. *Tac. A.* 13, 33. Pervicaci accusatione conflictatus. *Id. ib.* 3, 33. *f.* Pervicacia, et praepotentia mulierum jussa. *Colum.* 6, 2. *med.* de bove domando: Pervicax contumacia plerumque saevientem fatigat. *Curt.* 8, 6. In Callisthenem pervicacioris irae fuit. ℙ Olim inter *pertinacem* et *pervicacem* ita distinguebant, ut ille in malam partem semper acciperetur, hic in bonam. *Accius* ap. *Non.* 5, 40. Tu pertinaciam esse, Antioche, hanc praedicas: Ego pervicaciam ajo, et ea me uti volo. Nam pervicacem dici me esse, et vincere, Perfacile patior: pertinacem nil moror. Haec fortis dicitur; illam indocti possident. Tu addis quod vitio est; demis quod laudi datur. Haec *Accius.* Utrumque tamen in utramque partem adhibetur, ut hic, et in PERTINAX videre est. Aliud est discrimen in ipsa vi verbi: nam *pertinax* firmiter tenet, tueturque quod habet: *pervicax* obstinate perstat, ut quod non habet, acquirat. *Appul. Met.* 9. Mulier scaeva, saeva, virosa, ebriosa, pervicax, pertinax. *Id. de Deo Socrat.* Homines pervicaci audacia, pertinaci spe. ℙ Sed ne hoc quidem servari solet: nam *pervicax* pro *pertinax* aperte est in illo *Sen. Herc. Fur.* 501. Conjugia quoniam pervicax nostra abnuis. ℙ Et in bonam partem pro constanti, firmo. ap. *Tac. H.* 4, 5. *extr.* Opum contemptor, recti pervicax, constans adversus metus. Ubi notandus genitivus *Tacito* familiaris. Sic *A.* 4, 53. Agrippina pervicax irae. [**V. Boettich. Lex. Tac.* p. 356. sq.]

*PERVICIĀCUM, i, n. oppidum Aduaticorum. *Ant. Itin.* ℙ Hodie *Pervis* in Brabantia multorum opinione videtur esse. *B. A.*

PERVĬCTUS, a, um, part. a *pervinco*, omnino victus, superatus. *Seren. Sam.* 32, 585. Si cui vesicae tardus cunctabitur humor, Haec mora rumpetur vino pervicta vetusto.

PERVĪCUS, a, um, adj. idem ac pervicax, ap. veteres. *Accius* ap. *Non.* 8, 28. Pervico Ajax animo. *Plaut. fragm. ib.* Hic quidem pervicus custodem addidit.

PERVĬDENS, entis, part. a *pervideo:* valde videns, providus, sagax. *Front. Aquaed.* 11. Quae ratio moverit Augustum, pervidentissimum principem, producendi Alsietinam aquam, non satis perspicio. Alii leg. *providentissimum.*

PERVĬDĔO, es, īdi, isum, a. 2. διοπτεύω, diligenter et perfecte video, perspicio, [**nostr. überschauen, durchschauen.* Primum locum vindicat *Ov. Met.* 14, 375. sol, qui pervidet omnia — Hinc i. q. perlustrare. Ita *Heindf.* expl. *Hor. Sat.* 1, 3, 25. Cum tua pervideas oculis male lippus inunctis: coll. *Ov. Pont.* 1, 8, 33. Eque domo rursus pulchrae loca vertor ad urbis, Cunctaque mens oculis pervidet illa suis. *Noster pervidere* in *Hor. l. c.* pro simplici *videre* positum dixerat. *Bentl.* ex uno cd. leg. *praevideat*, quod pro *praetervidere*, Gr. παραβλέπειν, adhibitum exemplis adhuc caret, ut recte monet *Heindf.* Tum sequi poterant ista: *Cic. Att.* 4, 11. videbo te et pervidebo. *Id. ib.* 15, 4. ibi te quam primum pervidere velim. *Lucr.* 2, 88. Et quo jactari magis omnia materiai Corpora pervideas, reminiscere, etc. ℙ Hinc transfertur ad animum, assumta perpendendi, intelligendi, penitus perspiciendi notione. *Col.* 2, 1. Videt sine dubio, quid eveniat, sed cur id accidat, non pervidet. *Cic. Fam.* 10, 9. meritorum meorum fieri accessiones pervidere te spero. *Id. Att.* 12, 38. Oportere jam pervideri animi infirmitatem. *Lucr.* 1, 954. Pervideamus, utrum finitum funditus omne Constet, an immensum pateat, i. e. expendamus.]

PERVĪGĔO, es, gui, n. 2. καταχμάζω, valde vigeo. *Tac. A.* 4, 34. Et uterque opibus, atque honoribus perviguere.

PERVĪGIL, ilis, adj. comm. gen. παννύχιος, valde vigil: et qui tota nocte vigilat. *Ov. Her.* 12, 60. Ante meos oculos pervigil anguis erat; et *Am.* 1, 6, 44. Pervigil in mediae sidera noctis eras. *Id. Met.* 10, 369. at virgo Cinyreia pervigil igni Carpitur indomito. *Plin. Pan.* 63. Pervigiles et insomnes. *Just.* 12, 13. Cum diei noctem pervigilem junxisset, *h. e.* integram vigilando. Adde *Plin.* 33, 4, 21. ℙ *Cura pervigilis* in recto singulari dixit *Appul. Met.* 11.

PERVĪGĬLĀTĬO, onis, f. παννυχὶς, actus pervigilandi. *Cic. Leg.* 2, 15. Et in his colendis nocturnas pervigilationes.

PERVĪGĬLĀTUS, a, um, part. a *pervigilo:* usque ad finem vigilatus. *Ov. Fast.* 6, 326. In multo nox est pervigilata mero.

PERVĪGĬLĬA, ae, f. pervigilatio. *Just.* 24, 8. Fames et lassitudo, super haec maximum pervigiliae malum. Alii leg. *pervigilii. Charis.* 1, 43. contendit in plur. num. semper *pervigilias* dici debere, non *pervigilia.*

PERVĪGĬLĬUM, ii, n. παννυχὶς, παννυχισμὸς, vigilatio integrae noctis. *Plin.* 11, 53, 118. Pervigilio quidem praecipue vincuntur cibi. *Just.* 13, 8. Securis in itinere, et pervigilio fatigatis occursum est. ℙ Speciatim est sacrum nocturnum, in quo tota nocte vigilatur. *Liv.* 23, 35. *f.* Castra Campana, ut pervigilio neglecta, simul omnibus portis invadit. *Plin.* 18, 12, 32. Cicer, quod religio pervigilio adhibet. *Suet. Galb.* 4. Menstruis supplicationibus, et pervigilio anniversario coluit. *Id. Vit.* 10. *f.* Pervigilium agere. *Id. Cal.* 54. indicere. *Tac. A.* 15, 44. celebrare. *Petr. Sat.* 21. *extr.* Dormire vobis in mente est, cum sciatis, Priapi genio pervigilium deberi? ℙ *Pervigilium Veneris* titulus est carminis incerti poetae; sed antiqui tamen, in quo Veneris, et veris laudes celebrantur. *Catullo* perperam est qui tribuit, alii *Q. Catulo Urbicario*, alii *Senecae Floro*, alii aliis. [V. *Wernsdorf.* ad *Poet. Lat. min.* T. 3. p. 425. et T. 4. p. 854., ubi accurate illius auctor, et tempus, et argumentum inquiritur. V. v. sq. *F.*]

PERVĪGĬLO, as, avi, atum, n. 1. παννυχίζω, valde vigilo, diu vigilo, usque ad finem, et tota nocte vigilo. *Cic. Rosc. Am.* 35. Non erat, ut eam noctem pervigilet? *Liv.* 24, 38. Pervigilare in armis. *Virg. G.* 1, 291. seros hiberni ad luminis ignes Pervigilat. *Mart.* 9, 69. Vicini somnum non tota nocte rogamus. Nam vigilare leve est, pervigilare grave. *Tibull.* 3, 6, 54. Et tecum longos pervigilare dies. [*Prop.* 1, 16, 40. Sollicitas trivio pervigilare moras, *h. e.* ducere longam, tristem, et insomnem in trivio noctem. *Liv. fragm.* (ed. *Niebhurnio*) 91. p. 91. Nocte tamen insequenti, ipso pervigilante, in eodem loco alia excitata turris prima luce miraculo hostibus fuit. *F.*] ℙ *Pervigilare Veneri* est nocturnum sacrum Veneri facere. *Pl. Curc.* 1, 3, 25. Tu Veneri pervigilare te vovisti. V. v. praec. [*Perviglandus* sync. pro *Pervigilandus* ap. *Auct. Pervigil. Ven.* 46. De tenente tota nox est perviglanda canticis. *F.*]

PERVĪLIS, e, adj. admodum vilis. *Liv.* 31, 50. Annona quoque eo anno pervilis fuit. *Paul. Nol. carm.* 18, 219. de nummis pauperis viduae: Queis pretium pietas pervilibus aurea fecit.

PERVINCĀ. V. VINCA PERVINCA.

PERVINCO, is, ici, ictum, a. 3. ἐχνικάω, prorsus vinco, devinco, longe supero. [**Primo loco* poni debebat *Tac. A.* 11, 10. In transgressu amnis multum certato pervicit Bardanes. Tunc sequi poterat locus, ubi *pervincere* eodem modo absolute dicitur de sententia, quae perfertur, victoriam obtinet. *Cic. Att.* 2, 1. *med.* Restitit ac pervicit Cato. ℙ Secundo loco recte collocari videntur, quae transitivi usus *Noster* exempla laud. ista:] *Sen. Herc. Fur.* 654. Pervince, Theseu, quidquid alto in pectore Remanet pavoris. *Pl. Mil.* 3, 3, 67. Haud vereor, ne nos subdola perfidia pervincamur. [**Adde Prop.* 1, 17, 15. Nonne fuit levius dominae pervincere mores? ℙ Hinc i. q. praestare, superare, nostr. *zuvorthun, übertreffen.*] *Hor. Ep.* 2, 1, 200. Nam quae pervincere voces Evaluere sonum, referunt quem nostra theatra? *Pl. Curc.* 1, 3, 57. Facito, ut pretio pervincas tuo. ℙ [**Tum in universum *pervincere* est magno conatu, multo molimine evincere, obtinere, *es wohin bringen.*] *Liv.* 42, 45. Hegesilochus multis rationibus pervicerat Rhodios, ut Romanam societatem retinerent. *Tac. A.* 15, 57. At illam non verbera, non ignes pervicere, quin objecta denegaret. *Liv.* 37, 16. Pervicerunt quidem remis, ut tenerent terram, sed neque tuta statio erat, etc.; et 4, 12. Neque, ut de agris dividendis plebi referrent Coss. ad senatum, pervincere potuit. *Catull.* 76, 15. Una salus haec est: hoc est tibi pervincendum. *Tac. A.* 14, 14. Senecae ac Burro visum, ne utraque pervinceret, alterum concedere. ℙ *Pervincere aliquid dictis*, probare, ostendere, manifestum facere. *Lucr.* 5, 100.

[PERVINCUS, a, um, adj. pervincens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 16, 7. Q. Vindilius Pervincus; et 426, 3. Secundinia Pervinca. *F.*]

[PERVĬO, as, n. 1. idem fere ac vio. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 104. Itaque perviant, multis aliis gentibus caesis, et oppidis captis. *F.*]

PERVĪRENS, entis, part. ab inus. *pervireo*. valde virens. *Paul. Nol. carm.* 7, 11. Et fronde nunquam defluente pervirens, Stabit perenni vividum lignum coma.

PERVĪRĬDIS, e, adj. valde viridis. *Plin.* 6, 22, 24. et *Solin.* 53. *med.* Mare colore perviridi. *Mela* 2, 5. *med.* Campus minuta arundine gracilique perviridis.

PERVĪSO, is, a. 3. pervideo, cerno. *Manil.* 4, 925. Parvula sic magnum pervisit pupula coelum.

PERVĪVO, is, n. 3. διαζάω, usque vivo, superstes vivo. *Pl. Capt.* 3, 5, 84. Etsi pervivo usque ad summam aetatem, tamen breve spatium est perferundi, quae minitas mihi. *Accius* ap. *Non.* 4, 9. Pervixi usque adhuc.

PERVĬUS, a, um, adj. διάβατος, εὔπορος, qui adiri, et transiri potest, patens, apertus: a *per*, et *via. Virg. A.* 2, 453. Limen erat, caecaeque fores, et pervius usus Tectorum inter se Priami. *Ter. Adelph.* 5, 7, 14. Fratri aedes fient perviae. *Cic. N. D.* 2, 27. Jani ab eundo nomen est ductum: ex quo transitiones perviae, Jani nominantur. *Liv.* 9, 43. Omnia itinera obsepserant hostes, saltusque pervios ceperant. *Lucan.* 6, 645. Phoebo non pervia taxus, *h. e.* quae solis radios non transmittit. [**V. Cort.*] *Val. Fl.* 1, 719. Freta puppibus pervia; et *ib.* 127. moles non pervia ponto, *h. e.* navis, in quam aqua maris penetrare non potest. *Sen. Herc. Oet.* 151. Nullis vulneribus pervia membra sunt. *Lucan.* 2, 310. cunctis pervius hastis. *Plin.* 6, 4, 4. Phasis pontibus CXX. pervius. *Ov. Met.* 15, 301. cum carcere rima Nulla foret toto, nec pervia flatibus esset; et *ib.* 8, 376. Vulnera fecissent, nisi setiger inter opacas, Nec jaculis, isset, nec equo loca pervia, silvas. *Tac. A.* 12, 12. Unde maxime pervius amnis, *h. e.* vadosus. *Fabius Pict.* ap. *Gell.* 10, 15. Annulo uti, flaminem Dialem, nisi pervio cassoque, fas non est, *h. e.* cavo, non solido. [**Liv.* 26, 39. frontibus velut pedestris acies urgebant, perviaeque naves pugnantibus erant, i. e. ordines navium laxi, ut transitus navibus aliis esset.] ℙ Translate. *Pl. Ps.* 2, 4, 69. Quidquid incerti mihi in animo prius, aut ambiguum fuit, nunc liquet, nunc defaecatum est: cor mihi nunc pervium est. *Tac. A.* 13, 4. Nihil in penatibus suis venale, aut ambitioni pervium. *Claud. B. Get.* 130. nulli pervia culpae Pectora Fabricii. ℙ Active est qui aperit, transit, pervium facit. *Sil.* 10, 249. qua flatus agit, qua pervius ensis. ℙ [*Pervium, ii*, n. abso-

lute, est via angusta inter montium saltus patefacta. *Inscr.* quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCCLXX., et insculpta in vertice montis ultra Julium Carnicum, ap. *Filias. Mem. de Veneti*, etc. T. 2. p. 457. *ed.* 2. In hoc pervio homines, et animalia cum periculo pertransibant. *F.*] [*Huc referendus erat locus, quem *Noster* supra laud., *Tac. H.* 3, 8. Ne pervium illa Germanis exercitibus foret: ubi v. *iter* frustra intellig. docuerat.]

PĔRŬLA, ae, f. dimin. parva pera, sacculus. *Sen. ep.* 90. *med.* Diogenes, cum vidisset puerum cava manu bibentem aquam, fregit protinus exemptum e perula calicem. ℙ Translate. *Appul. Met.* 5. Psyche, non ita ut pridem parvula, et ipsa jam mater es. Quantum putas boni nobis geris in ista perula? [*h. e.* in hoc utero? sermo enim est sororum Psyches, quae eam gravidam alloquuntur, et illius uterum intumescentem manu tangunt. ℙ *Perula* alio sensu. V. PIRULA. *F.*]

PĔRUNCTIO, onis, f. inunctio, unctio. *Plin.* 28, 16, 63. Perunctione prodesse dicitur. Adde 24, 15, 80.

PĔRUNCTUS, a, um, part. a *perungo*, unctus, inunctus. *Hor. Epod.* 5, 59. Nardo perunctus. *Id. A. P.* 277. faecibus ora peruncti.

PĔRUNGO, is, unxi, unctum, a. 3. valde ungo, circumquaque ungo. *Cic. Tusc.* 1, 47. Corpora oleo perunxerunt. *Ov. A. Am.* 3, 755. Carpe cibos digitis: est quidam gestus edendi: Ora nec immunda tota perunge manu. *Plin.* 31, 9, 45. Fervores febrium sale cum oleo perungere. *Id.* 29, 4, 28. Perungere vulnera. *Id.* 28, 9, 37. Adipe verrino axibus vehiculorum perungendis uti. V. AXUNGIA.

PERVOLĀTĬCUS, a, um, adj. qui pervolat. *Tert. Anim.* 46. *f.* Vis vaga et pervolatica.

PERVOLGO. V. PERVULGO.

PERVOLĬTANTĬA, ae, f. circumvolutio. *Vitr.* 9, 7. Mundi circa terram pervolitantia. Alii leg. *pervolitantis.*

PERVOLĬTO, as, n. 1. multum volito. *Virg. A.* 8, 24. Omnia pervolitat late loca. *Val. Fl.* 4, 505. Pervolitare tecta. *Lucr.* 6, 952. per dissepta domorum saxea voces Pervolitant. *Id.* 2, 346. Et quae pervolgant nemora avia pervolitantes.

PERVOLO, as, avi, atum, n. 1. *διαπέτομαι*, celeriter volo, per aliquem locum volo, percurro. *Virg. A.* 12, 473. Nigra velut magnas domini cum divitis aedes Pervolat, et pennis alta atria lustrat hirundo. [*Hic sequi debebat *Ov. Fast.* 2, 252. Corvus et aerium pervolat altus iter; et *ib.* 6, 527. Rumor, ut est velox, agitatis pervolat alis. *Claud.* 22, 408. Jam fama loquacibus ales Pervolat Oceanum linguis. ℙ Hinc dicitur de quocunque celeri, veloci et quasi volatum imitante motu per spatium aliquod facto. *Lucr.* 4, 203. de solis radiis et vaporibus: perque volare mare ac terras, cet. Cf. *ib.* 6, 1059. *Claud. de Apono*, 10. Hunc, qui tot populis pervolat ora, locum. *Cic. Rosc. Am.* 7. Decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit. *Juven.* 6, 397. totam pervolet urbem; et 1, 60. dum pervolat axe citato Flaminiam. ℙ Denique *pervolare* est etiam volare in locum aliquem, quod *per* non solum *transitum*, sed etiam *terminum*, *ad quem* innuit. *Vet. Poeta* ap. *August. Music.* 3, 3. Pegasus in nitentem Pervolaturus aetheram. Hic perperam media in *pervolaturus* corripitur. ℙ Hinc in universum significat pervenire in locum aliquem, *wohin gelangen:* ita tamen, ut semper velocitatem quandam motus denotet. *Cic. Somn. Scip.* 9. Animus velocius in hanc sedem ac domum suam pervolabit. ℙ *Confund. *pervolare* et *provolare.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 753.]

PERVOLO, vis, a. anom. a *volo*, *vis.* Quibusdam enim temporibus et personis ejus verbi additur *per* ad significandum prorsus velle, vehementer cupere. *Cic. Att.* 11, 14. *extr.* Te exspecto, quem videre pervellem; et *ib.* 1, 1. Abs te mihi ignosci pervelim. *Liv.* 39, 43. Illa negavit unquam vidisse, et pervelle id videre. *Lucr.* 2, 1045. Atque animi tactus liber quo pervolit ire, *h. e.* pervelit: antiqui enim *volim* pro *velim* dixere, teste *Prisc.* 9, 848.

PERVOLVO, is, olvi, utum, a. 3. *διαγλινδέω*, magna vi volvo, valde verso. *Ter. Andr.* 4, 4, 37. Nisi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam provolvam, teque ibidem pervolvam in luto. ℙ Translate sumitur pro valde versari. *Cic. Or.* 2, 35. Deinde ut in iis locis pervolvatur animus. ℙ Pro diligenter legere. *Catull.* 95, 6. Smyrnam incana diu saecula pervoluent: (ubi diaeresi usus est metri causa.)

PERVOLŪTĀTUS. V. PERVOLUTUS *f.*

PERVOLŪTO, as, a. 1. *ἀναπτύσσω*, multum voluto, et usurpatur pro omni adhibita diligentia legere. *Cic. Att.* 5, 12. Quoniam meos cum Thallumeto nostro pervolutas libros. *Id. Or.* 1, 34. *med.* Omnium bonarum artium scriptores ac doctores et legendi, et pervolutandi.

PERVOLŪTUS, a, um, part. a *pervolvo. Liv.* 24, 34. *f.* Ut non solum missa tormento, sed etiam quae pondere suo pervoluta essent, graviter in hostem inciderent. Alii leg. *provoluta. Appul. Met.* 8. Ferro sub papillam transadacto corruit, et in suo sibi pervoluta sanguine, etc. [*Oudend.* ex plurib. codd. MSS. probavit legend. *pervolutata.* Porro *Appulejus* saepe utitur simplici *volutatus. F.*]

PĔRURBĀNE, adv. *Sidon. ep.* 5, 17. *f.* Respondit ille perurbane, *h. e.* perfacete.

PĔRURBĀNUS, a, um, adj. valde urbanus. *Cic. Brut.* 68. Etiam L. Torquatus elegans in dicendo, in existimando admodum prudens, toto genere perurbanus. Adde *Or.* 1, 16. Utroque autem loco perfacetum significare videtur. ℙ Pro studioso urbis, seu rerum urbanarum videtur poni in illo *ejusd. Att.* 2, 15. *f.* Denique si solus non potero, cum rusticis potius, quam cum his perurbanis.

PĔRURGĔO, es, si, a. 2. valde urgeo, impello, insto. *Suet. Tib.* 25. Summa vi Germanicum ad capessendam rempublicam perurgebant. *Ammian.* 29, 1. Nocentes, innocentesque maligna insectatione volucriter perurgebat. *Spart. Sev.* 23. Cum videret se perurgeri sub hora mortis. *Treb. Gall.* 5. Cum bellum Odenatus inferret, Aureolus perurgeret Illyricum. ℙ *Perurgere sacra*, ap. *Sever. Aetn.* 226. est incumbere, et instare inquirendis, perscrutandisque sacrorum, rerumque coelestium arcanis, et latentibus causis. ℙ [Part. *Perurgendus* ap. *Imppp. Grat., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 1, 2, 6. Cum sint acerbius perurgendi, qui, etc. *F.*]

PĔRŪRO, is, ussi, ustum, a. 3. *διακαίω*, valde uro, urendo consumo. [*Lucr. 5, 397. Perussit ignis multa.] *Plin.* 34, 17, 49. Eadem in aqua calculus aereus quadrans si addatur, vas peruri. [*Curt. 4, 3, 26. quippe ubi loricam corpusque fervens arena penetraverat, nec ulla vi excuti poterat, et quidquid attigerat, perurebat. *Lucan.* 6, 521. Semina fecundae Tegetis calcata perussit. V. PERUSTUS. — Hinc transfertur ad ea, quae vim quasi igneam exserunt.] *Plin. alter ep.* 7, 1. Ardentissima febre peruri. [*Curt. 4, 16, 12. Sitis praecipue fatigatos et saucios perurebat.] ℙ Translate. *Ov. A. Am.* 3, 543. Sed facile haeremus, validoque perurimur aestu, *h. e.* amore accendimur. *Mart.* 12, 49. Illos (*uniones*) qui male cor meum perurunt, *h. e.* accendunt cupiditate habendi. *Val. Fl.* 1, 76. tu sola animos mentemque peruris Gloria. *Sen. Const. Sap.* 17. Paupertatis maledictum quosdam perussit. ℙ De iis, qui rivalem in amore ferre non possunt. *Catull.* 77, 3. atque intestina perurens Mi misero eripuisti omnia nostra bona. ℙ Dicitur etiam de gelu et frigore. V. URO. *Cato R. R.* 161. Substramentis per hiemem operito, ne peruratur. *Colum.* 4, 8. Hiemalis aqua brumae congelationibus nova vulnera peruret. *Sen. Q. N.* 4, 13. Viscera istorum vitiis torpentia nihil sentiunt, nisi frigore illa vehementiore perusseris. ℙ De iis, quae deterunt cutem. *Lucan.* 6, 193. Et galeae fragmenta cavae compressa pressa perurunt Tempora. V. PERUSTUS.

PĔRŪSĬA, ae, f. *Περουσία*, urbs Italiae, una ex XII. primis Tuscorum coloniis, condita ab Achaeis, cum arce munita in monte, inter Tiberim, et Trasimenum lacum, in confinio Umbriae, media fere inter urbem Romam, et Florentiam. *Vell.* 2, 74. Antonius pulsus undique Perusiam se contulerat. *Plin.* 3, 5, 8. Praefectura Claudia Foroclodii, Pistorium, Perusia. Adde *Liv.* 9, 37. et *Epit.* 126. *Suet. Aug.* 14., *Flor.* 4, 5. et 6. et *Inscr.* ap. *Grut.* 164, 7. et 8. ℙ Ap. *Eutr.* 7, 3. *extr.* quidam leg. *Perusium.* [*V. *Tzschuck.* ad h. l.]

PĔRŪSĪNUS, a, um, adj. ad Perusiam pertinens. *Liv.* 23, 17. Perusina cohors. *Plin.* 7, 45, 46. contentio, *h. e.* qua Augustus Perusiam obsedit, et non sine magno conatu, et discrimine ad deditionem fame compulit: fame, inquam, turpi, et nihil non experta, ut ait *Flor.* 4, 5. Deditam irati milites incenderunt. Hinc *Perusina fames* in proverb. abiit. *Lucan.* 1, 41. His, Caesar, Perusina fames, Mutinaeque labores Accedant fatis. *Auson. ep.* 22, 42. Jam jam Perusina, et Saguntina fame Lucaniacum liberet. V. et *Prop.* 1, 22. et historicos laudatos in v. praec. ℙ *Perusini*, *orum*, cives ipsi. *Liv.* 10, 30. et 31. et 28, 45. ℙ *Perusinum*, *i*, n. rus in agro Perusino. *Plin. ep.* 1, 4.

PĔRUSTUS, a, um, part. a *peruro: διακαείς*, combustus, exustus. *Ov. Fast.* 5, 464. Spargebant lacrimis ossa perusta suis. [*Liv. 24, 20. perusti late agri; cf. 26, 13. — Imprimis *perustus* dicitur de iis, quae solis ardore colorem perusti referunt.] *Prop.* 4, 9, 46. Libyco sole perusta coma. *Sen. Med.* 484. Usque a perustis Indiae populis petunt; et *Macr. Somn. Scip.* 2, 8. Zona perusta. [*Lucan. 4, 679. mixti Garamante perusto: ubi v. *Cort.*] ℙ Translate. *Cic. Fam.* 13, 15. Hominem perustum gloria volunt incendere: sed minus jam movent. *Sen. Med.* 547. Pectus perustum curis. ℙ Gelu constrictus, et quasi igne ustus. *Ov. Trist.* 3, 4, 48. adstricto terra perusta gelu. V. URO. Sic *Quint. decl.* 3, 3. Praedura priscis moribus mater, frigoribus ac solibus perusta. ℙ De cute rupta, detrita, pertrita, et quasi igne ambusta. *Ov. Pont.* 1, 5, 24. Subducant oneri colla perusta boves. *Hor. Epod.* 4, 3. Ibericis peruste funibus latus, Et crura dura compede. V. PERURO.

PĔRŪTĬLIS, e, adj. *πάγχρηστος*, valde utilis. *Cic. Att.* 9, 17. In hac enim fortuna perutilis ejus et opera, et fidelitas esset.

PERVULGĀTE, adv. usitato more vulgi. *Gell.* 16, 7. *Cocionem* pervulgate dicit, quem veteres *arulatorem* dixerunt. Adde 12, 10.

PERVULGĀTUS et Pervolgatus, a, um, part. a *pervulgo: ἀνάπυστος*, divulgatus, diffusus, disseminatus. *Cic. Fin.* 2, 5. De re illustri et facili etiam in vulgus pervulgata loquitur. *Id. Verr.* 2, 2, 42. In re tam clara, tam testata, tam abs te ipso pervulgata; et *ib.* 34. Cupiditate illa sua nota, atque apud omnes pervulgata. ℙ Item communis, consuetus, valde usitatus. *Cic. Coel.* 3. Sunt ista maledicta pervulgata in omnes, quorum, etc. *Id. Fam.* 5, 16. Est autem consolatio pervulgata, homines nos ut esse meminerimus. *Pl. Bacch.* 4, 9, 149. Ne miremini, quod non triumpho: pervolgatum est, nihil moror. *Id. Ps.* 1, 2, 121. *Ps.* De istac re in oculum utrumvis conquiescito. *Ca.* Oculum utrum, an in aurem? *Ps.* at hoc pervolgatum est nimis. *Gell.* 7, 17. *med.* Quod videtur notius, pervulgatiusque esse, id me doce. *Auct. ad Her.* 4, 8. Infima et pervulgatissima verborum dignitas.

PERVULGO et Pervolgo, as, avi, atum, a. 1. *διασπείρω*, cum vulgo communico, in vulgus spargo, divulgo, dissemino. *Lucr.* 5, 1160. quae causa Deûm per magnas numina gentes Pervulgarit, et ararum compleverit urbes. *Cic. Sull.* 15. Illas tabulas non occultavi, non continui domi, sed describi ab omnibus statim librariis, dividi passim, et pervulgari atque edi populo R. imperavi. *Id. Inv.* 2, 39. Praemia virtutis et officii sancta et casta esse oportere, neque ea aut cum improbis communicari, aut in mediocribus hominibus pervulgari. *Q. Cic. Pet. cons.* 11. *med.* Operam suam pervulgare, et communicare, *h. e.* vulgo passim offerre. *Sil.* 7, 193. Viticolae nomen pervulgatura Falerni Munera. ℙ Significat etiam prostituere. *Cic. Coel.* 16. Mulier, quae se omnibus pervulgaret. ℙ Saepe est pervagari, pererrare, obire, lustrare, quasi per vulgus ire. *Enn.* ap. *Non.* 3, 92. Crassa pulvis oritur: omnem pervolgat coeli fretum. Alii leg. *pervolat. Pacuv.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. Halcyonis ritu litus pervolgans furor. (Sic *Sen. Ag.* 775. Jam pervagatus ipse se fregit furor.) Alii leg. *pervolans feror. Lucr.* 2, 163. et 4, 208. Tempore, quo solis pervolgant lumina coelum. *Id.* 2, 346. Et quae pervolgant nemora avia pervolitantes.

PES, pĕdis, m. *πούς*, *ποδός*, extrema, et infima pars corporis, qua animal insistit, et ingreditur: a voce Graeca allata. *Cic. Univ.* 6. Itaque nec ei manus affinxit, nec pedes, nec alia membra, quibus, etc. *Id. Tusc.* 2, 22. Nos, si pes condoluit, si dens, ferre non possumus. *Id. Or.* 1, 54. Calcei habiles et apti ad pedem. *Ov. Met.* 5, 264. ictus pedis; et *ib.* 12, 304. Certamine pedum vincere; et *Pl. Epid.* 5, 1. *f.* Provocare aliquem pedibus; et *Liv.* 8, 8. Pede presso. [*Sic *Liv.* presso gradu dixit 28, 14. et *Ov. Met.* 3, 17. presso gressu. *Bail.*] et *Liv.* 9, 22. *f.* Descendere ad pedes. *Prop.* 2, 5, 29. quae limina ponam, Quae nunquam supra pes inimicus eat? *Pl. As.* 4, 1, 30. Neque illaec ulli pede pedem homini premat. ℙ *Pedem ferre*, est ire. *Virg. G.* 1, 11. Ferte simul Faunique pedem, Dryadesque puellae; et *Sen. Med.* 862. Huc fert pedes et illuc. *Catull.* 14, 21. abite Illuc, unde malum pedem tulistis, *h. e.* extulistis. Et *inferre pedem*, introire. *Cic. Caecin.* 14. Pedem cum intulero, atque in possessionem vestigium fecero. Et *ponere* eod. sensu. *Id. ib.* 11. Si in fundo pedem posuisses. *Id. Phil.* 2, 19. *extr.* Quid erat in terris, ubi in tuo pedem poneres? *Id. ib.* 3, 11. Hodierno die primum in possessionem libertatis pedem ponimus. Et *efferre*, egredi. *Pl. Bacch.* 3, 3, 19. Digitum longe a paedagogo pedem ut efferres aedibus. *Cic. Att.* 6, 8. Pedem porta non plus extulit, quam domo sua. Et *referre*, *revocare*, regredi, retro ire. *Ov. Her.* 15, 186. Cum profugum possis ipse referre pedem; et *Quint.* 6, 4. *f.* Ab iis, quae non adjuvant, quam mollissime pedem oportet referre; et *Virg. A.* 9, 125. revocatque pedem Tiberinus ab alto. *Conferre*, congredi. *Liv.* 26, 39. *med.* Collato pede rem gerere. [*Id. 21, 46. ad pedes pugna erat: ubi *Kreyss.* leg. cens. *venerat.*] *Cic. Planc.* 19. *med.* Non possum magis pedem conferre, ut ajunt, aut propius accedere. ℙ [*Ire in sententiam pedibus*, quid sit, dictum est in EO, ubi v.] ℙ *Pedibus*, ambulando, non equo, aut curru, aut navi. *Cic. Sen.* 10. *f.* Masinissam nonaginta annos natum, cum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere; et *Suet. Aug.* 53. In consulatu pedibus fere, extra consulatum saepe adoperta sella per publicum incessit. ℙ Item terra, non mari. *Cic. Vat.* 5. Cum illud iter Hispaniense pedibus fere confici soleat: aut si quis navigare velit, certa sit ratio navigandi. *Prop.* 2, 20, 63. Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britan-

nos. Adde *Cic. Att.* 5, 9. et *Caes. B. C.* 2, 21. *f.* [*ubi v. *Moeb.*] ℙ *Pedibus merere*, peditem militare. *Liv.* 24, 18. [**Id.* 3, 27. stipendia pedibus facere.] ℙ *Conjicere se in pedes*, fugae se dare, ap. *Ter. Ph.* 1, 4, 13. Et omisso verbo, *Eun.* 5, 2, 5. Ubi vidi, ego me in pedes, quantum queo, in angiportum quoddam desertum. [*V. ad utrumque locum *Ruhnk.* ℙ Solos tibi, Magne, reliquit Parthorum fortuna pedes? ap. *Lucan.* 8, 335. est, fugaces Parthos. V. *Cort.* ad h. l. et ad 7, 253. ℙ *Manibus et pedibus*, quid sit, v. in MANUS.] ℙ *Servus a pedibus*, quo mittendo ultro citroque dominus utitur, cursor. *Cic. Att.* 8, 5. Pollicem, servum a pedibus meum, Romam misi. Al. leg. *a pedibus meis*, [*i. q. prorsus inauditum. Ita *Orell.* coll. *Manut.* et *Hand.* ad *Tursell.* 1. p. 59.] Sunt etiam qui suspicantur illa *servum a pedibus* non esse *Ciceronis*, sed alicujus grammatici explicantis. Hujus Pollicis meminit *Cic.* etiam *ib.* 11, 4. *extr.* et *ib.* 13, 46. et *Fam.* 14, 6., quibus locis officium quidem ejus huc illuc itandi indicat, sed *a pedibus* nunquam appellat. [Idem servile officium memoratur in *Inscr.* ap. *Gor. Columb. Liv.* p. 76. Anthus Liviae puer a pedibus. Ceterum *Scheid.* ad *Sanctii Minerv.* p. 726. recte putat, *servum a pedibus* idem significare ac *servum ad pedes.* V. in litera A. Etenim simili modo *servus a cyatho* idem est ac *servus ad cyathum*, V. CYATHUS; et *servus a manu* idem ac *servus ad manum*, V. MANUS. Hos vero *servos a pedibus*, vel *ad pedes* vocat pedum turbam *Mart.* 3, 82. At ipse retro flexus ad pedum turbam, etc. *Id.* 3, 23. Omnia cum retro pueris obsonia tradas, Cur non mensa tibi ponitur a pedibus? V. sqq. et CIRCUMPEDES. *F.*] ℙ Servus *ad pedes*, qui ad pedes domini coenantis praesto erat. *Id.* 12, 88. Bis Cotta soleas perdidisse questus, Dum negligentem ducit ad pedes vernam. *Sen. Ben.* 3, 27. Servus, qui coenanti ad pedes steterat, narrat quae inter coenam ebrius dixisset. ℙ *Sub pedibus* esse dicuntur, quae in ditione et potestate sunt. *Virg. A.* 7, 99. quorumque ab stirpe nepotes Omnia sub pedibus, qua sol utrumque recurrens Aspicit Oceanum, vertique regique videbunt. Adde *Sil.* 17, 145. Sic *Liv.* 34, 32. Argos et Lacedaemonem, duas clarissimas urbes sub pedibus tuis relinquemus? ℙ *Sub pedibus ponere*, nihili facere. *Sen. Herc. Oet.* 107. Quisquis sub pedibus fata rapacia, Et puppem posuit fluminis ultimi, etc. Sic *Ov. Met.* 14, 490. dum pejora timentur, Est in vota locus: sors autem ubi pessima rerum, Sub pedibus timor est, securaque summa malorum. Adde *Trist.* 1, 8, 15. ℙ *Pedem opponere*, adversari, obstare, supplantare. *Ov. Pont.* 4, 6, 7. Perstat enim Fortuna tenax, votisque malignum Opponit nostris insidiosa pedem. ℙ *Pedem trahere*, claudicare. Translate de versu scazonte *Ov. R. Am.* 377. Liber in adversos hostes stringatur iambus, Seu celer, extremum seu trahat ille pedem. V. HIPPONAX. ℙ *Trahantur haec pedibus*, formula, qua de iis utimur, quae nihil curamus, aut timemus, quae contemnimus: ductum ex eo, quod reos, et contemptibiles homines, et victos hostes pedibus trahi mos fuit, ut de Hectore ab Achille tracto, et Caco ab Hercule legimus: item de Sejano, etc. *Cic. Att.* 4, 16. Fratrem mecum, et te si habebo, per me ista pedibus trahantur; [*nos: *Meinetwegen mag darin alles drunter und drüber gehen.*] Al. leg. *trahuntur. Id. Fam.* 7, 32. De judiciis quod quereris, multo laboro minus: trahantur per me pedibus omnes rei. V. *Juven.* 5, 125. ℙ *Ante pedes*, quae sub oculis, et praesentia sunt, et omnibus obvia. *Ter. Ad.* 3, 4, 22. (al. 3, 3, 32.) Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est, videre, sed etiam illa, quae futura sunt, prospicere. *Cic. Or.* 3, 40. Ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita, et alia longe repetita sumere. [*V. quos laud. *Ruhnk.* ad *Ter. l. c.*] ℙ *Pedem*, aut *pedes tollere, extollere* in re turpi obscenaque locum habet. *Mart.* 10, 81. et 11, 71. et *Petr. fragm. Trag.* 55. *Burm.* et *Novius* ap. *Non.* 7, 49., quibus locis illustratur jocus Ciceronis in Clodium, ejusque sororem *Att.* 2, 1. ℙ *Stans pede in uno* quippiam facere dicitur, qui cito, et nullo labore facit. *Hor. Sat.* 1, 4, 9. de Lucilio: in hora saepe ducentos, Ut magnum, versus dictabat, stans pede in uno. ℙ Contra *omni pede stare*, omni contentione adhibita, et totis viribus incumbendo. *Quint.* 12, 9. *f.* Itaque in his actionibus omni, ut agricolae dicunt, pede standum est. [*Comparat *Heindf.* ad *Hor. l. c.* hunc *Quinct.* locum laudans Gr. ὅλῳ ποδὶ, ἐκ δυοῖν ποδοῖν, ἀμφοῖν ποδοῖν.] ℙ *In pedes*, praemissis pedibus. *Plin.* 10, 53, 74. Aves omnes in pedes nascuntur, contra quam reliqua animalia. ℙ *Pede terram pulsare*, saltare. *Hor. Od.* 1, 37, 1. nunc pede libero Pulsanda tellus. Sic *ib.* 4, 7. alterno pede terram quatere; et *ib.* 4, 1, 27. pede candido In morem Salium ter quatient humum. ℙ Illa supplicis et demissi sunt. *Cic. Att.* 1, 14. *med.* Ad pedes omnium singillatim accidente Clodio, ut, etc.; et *ib.* 4, 2. *med.* Abjecta toga, se ad generi pedes abjecit; et *Sext.* 11. *f.* Vos pro meo capite ad pedes lenonis impurissimi projecistis; et *Phil.* 2, 18. Filius se ad pedes meos prosternens, lacrimans te mihi commendabat. *Id. Verr.* 2, 5, 49. Mater mihi ad pedes misera jacuit. *Ov. Met.* 9, 605. Amplectique pedes, affusaque poscere vitam. *Id. Her.* 12, 186. Ante pedes alicujus procumbere. *Flor.* 4, 11. *f.* Regina ad pedes Caesaris provoluta. ℙ Religio fuit veteribus locum aliquem ingressuris, nisi dextrum pedem priorem intulissent: sinistrum enim omen habebatur, aliter fecisse. Habes exemplum ap. *Petr. Sat.* 30. atque hinc est, quod *Vitr.* 3, 3. gradus templorum impares esse jubet, ut cum dextro pede primus gradus ascenditur, idem in summo primus ponatur. ℙ Etiam offensio pedis in limine exeuntis aut ingredientis habita est mali ominis. *Tibull.* 1, 3, 19. O quoties ingressus iter mihi tristia dixi Offensum in porta signa dedisse pedem! Adde *Ov. Amor.* 1, 12, 3., *Val. Max.* 1, 4. *n.* 2. et *Plin.* 2, 7, 5. ℙ *Dexter, felix, secundus pes*, felix accessus, adventus boni ominis. *Virg. A.* 8, 302. Et nos, et tua dexter adi pede sacra secundo. *Sil.* 7, 171. Attulit hospitio pergentem ad litora Calpes, Extremumque diem, pes dexter, et hora Lyaeum. *Ov. Fast.* 1, 514. Ripaque felici tacta sit ista pede. *August. ep. ad Maxim. gramm.* 44. *med.* Nymphanio quid aliud significat, quam boni pedis hominem, id est cujus adventus afferat aliquid felicitatis? sicut solemus dicere, secundo pede introisse, cujus introitum prosperitas aliqua consecuta sit. ℙ *Nec caput, nec pedes*, proverb. V. CAPUT. ℙ *Pedibus pecunia compensatur*, aliud proverb. *Catonis* ap. *Cic. Fl.* 29., quo significatur, agros ab urbe remotos minore quidem pretio emi, sed itinerum labore pretium compensari. ℙ Translate *pes* dicitur de aliis rebus. *Sen. Ben.* 2, 34. Pedem et nostrum dicimus, et lecti, et veli, et carminis. *Ov. Met.* 8, 660. mensam succincta tremensque Ponit anus: mensae sed erat pes tertius impar; Testa parem fecit. *Plin.* 34, 2, 4. Antiquissima aeris gloria Deliaco fuit, tricliniorum pedibus, fulcrisque. *Varr. R. R.* 1, 27. *f.* Malo de meis pedibus audire, quam quemadmodum pedes betaceos seri oporteat, *h. e.* cauliculos. *Ammian.* 14, 8. Orontes imos pedes Casii montis praetermeans, funditur in Parthenium mare. [Etiam *Hom. Il.* 2, 824. πόδας vocat. *F.*] ℙ In aedificiis quid sit *pes planus*, V. in PLANUS. ℙ *Pes veli* est imus veli angulus, vel potius funis; quo imus veli angulus utrinque religatur ad latera navis, ut expansum sit, et ventum concipiat: quod munus in summo velo antenna praestat. Hunc et Graeci πόδα vocant. Duplex est, dexter, et sinister: ille dicitur Italice *poggia*, hic *orza*. *Catull.* 4, 19. laeva sive dextera Vocaret aura, sive utrumque Juppiter Simul secundus incidisset in pedem. *Ov. Fast.* 3, 565. Nacta ratem, comitemque fugae, pede labitur aequo, *h. e.* vento secundo et prospero cursu: quod *Virg.* dixit *A.* 4, 587. aequatis classem procedere velis. V. AEQUATUS. [*V. quae laudata sunt ad v. AEQUUS; cf. *Schütz. cl. Cic.* s. v. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 428.] ℙ Hinc *facere pedem* est velum, extensis imis funibus, expandere, ut ventum concipiat. *Virg. A.* 5, 828. jubet ocius omnes Attolli malos, intendi brachia velis. Una omnes fecere pedem: pariterque sinistros, Nunc dextros solvere sinus: una ardua torquent Cornua, detorquentque. *Proferre pedem*, alterutrum veli angulum, lassato remissoque fune pro venti flatu, in anteriorem partem protendere. *Plin.* 2, 47, 48. Iisdem autem ventis in contrarium navigatur, prolatis pedibus, ut noctu plerumque adversa vela concurrant. *Lucan.* eod. sensu dixit 5, 427. obliquare laevo pede carbasa; et *Virg. A.* 5, 16. obliquare sinus. V. OBLIQUO. ℙ *Pedes* in navi sunt remiges. V. NAVALIS. ℙ In carmine (atque etiam in soluta oratione, ubi oratorius numerus servandus est. V. *Cic. Or.* 3, 47. et sqq.) *pes* est pars versus, duabus, aut tribus, aut etiam pluribus syllabis constans, ut spondeus, dactylus, dichoreus, etc. de quibus V. *grammaticos:* quia his quasi quibusdam pedibus versus procedit. *Hor. Sat.* 2, 1, 28. me pedibus delectat claudere verba. Sic *Ov. Trist.* 5, 12, 34. Inque suos volui cogere verba pedes. *Cic. Or.* 3, 47. Ad heroum nos dactyli, et anapaesti, et spondei pedem invitas. *Ov. Amor.* 1, 1, 30. Musa per undenos emodulanda pedes, *h. e.* per versus hexametrum, et pentametrum, illum sex, hunc quinque pedes habentem. ℙ Per synecdochen ponitur pro genere carminis. *Hor. Od.* 4, 6, 35. Lesbium servate pedem, meique Pollicis ictum. *Ov. Ib.* 645. Postmodo plura leges, et nomen habentia verum, Et pede, quo debent fortia bella geri. ℙ Frequenter poetae fontibus, et fluminibus *pedes* tribuunt. *Hor. Epod.* 16, 47. montibus altis Levis crepante lympha desilit pede. *Virg. A.* 9, 125. revocatque pedem Tiberinus ab alto. *Id. Cul.* 17. Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda. *Sil.* 6, 140. Turbidus arentes lento pede sulcat arenas Bagrada. ℙ *Suo pede fluere*, ex se, et sponte sine opera hominum. *Sev. Aetn.* 13. de aurea aetate: Ipse suo flueret Bacchus pede. Alii aliter explic. Sed etiam *Tibull.* 2, 1, 45. significare videtur olim homines non calcasse uvam, sed sponte fluens mustum bibisse. ℙ Est etiam mensurae genus, quae quinquies producta passum efficit: constat autem quatuor palmis, quorum singuli quatuor transversos digitos longitudinis habent: ita efficitur, ut habeat pes sexdecim digitos, ut est ap. *Vitr.* 3, 1. *med.* Dividitur autem in duodecim partes, seu uncias, ut *as.* V. *Colum.* 5, 1. *Front. Exposit. form.* p. 30. *Goes.* et alterum *Front. Aquaed.* 24. et notas *Poleni* ad *artic.* 5., ubi de pedis Romani longitudine agit accurate. *Caes. B. G.* 7, 72. Duas fossas quindecim pedes latas, eadem altitudine perduxit. Post eas aggerem, et vallum duodecim pedum exstruxit. *Cic. Att.* 7, 22. Pedem in Italia video nullum esse, qui non in istius sit potestate, [*keinen Fuss breit Land.*] Docet *Plin.* 6, 26, 30. pedem Babylonium tribus digitis longiorem fuisse, quam Romanum. ℙ In his, quae subjicio, non tam pro mensura modo dicta accipitur, quam pro magnitudine ipsa humani pedis. *Cic. Dejot.* 15. Negat, unquam se a te pedem discessisse; et *Att.* 13, 16. Pedem e villa adhuc egressi non sumus. *Quint decl.* 6, 14. Non reliqui, non abscessi, neque pede, quod ajunt, uno a parente discessi. ℙ De mensura, aut modo generatim, seu universa cujuspiam rei quantitate. *Plin.* 18, 31, 74. Pressura una culeos viginti implere debet. Hic est pes justus. *Sen. Trang.* 10. *med.* Exiguae saepe areae in multos usus describentis arte patuere, et quamvis angustum pedem dispositio fecit habitabilem. ℙ Pede suo se metiri, [*i. e. ex viribus, facultatibus suis], est *Hor. Ep.* 1, 7. *extr.* ℙ *Pedes musici*, mensurae, et moduli, quibus metiuntur cantus. *Plin.* 29, 1, 5. Herophilus in musicos pedes venarum pulsu descripto, etc. *Id.* 11, 37, 88. Arteriarum pulsus in modulos certos, legesque metricas descriptus ab Herophilo medicinae vate, etc. ℙ *Pes* pro tractu, vel limite, vel solo. *Solin.* 32. Nilus in Caesariensis pede prorumpens amplior; et 27. Omnis Africa a Zeugitano pede incipit. *Auson. Idyll.* 10, 327. Quin etiam riguis humili pede condita pratis, *h. e.* humili solo. [*Inscr.* ap. *Mur.* 821, 4. Julius Nero Mil. Coh. III. Pr. oriundus in Pannonia superiore, pede Faustiniano. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 269. Candidio Valentino equiti numeri sing. natione Pann. civi Faustiano, etc. Hinc patet, *pedem Faustinianum*, sive *Faustianum* fuisse appellatum limitem quendam in Pannonia, ibique oppidum eodem nomine exstitisse. *F.*] ℙ De pediculis vinaceorum, et de ipsa vinaceorum massa prelo subjecta ad vinum exprimendum. *Colum.* 12, 43. *f.* Tum vinaceorum pes bene prelo expressus proruitur, et modice separatis scopionibus, resolutaque intrita folliculorum, in dolio substernitur; et *ib.* 36. Mustum tortivum est, quod post primam pressuram vinaceorum circumciso pede exprimitur; et *ib.* 19. Antequam prelo pes eximatur. *Plin.* usurpat de sampsa, *h. e.* massa olearum prelo subjectarum, 15, 1, 2. Prima unda preli laudatissima, ac deinde per diminutiones: sive, ut nuper inventum est, exilibus regulis pede incluso. ℙ De pediculis. *Pl. Curc.* 4, 2, 13. Muscaeque, culicesque, pedesque, pulicesque. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Pedibus:* Ubi me videt, caput scabit, pedes legit. *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* de pullis gallin.: E capite, et e collo eorum crebro eligendi pedes. ℙ *Pes milvinus*, et *milvi*, est coliculus batidis. *Colum.* 12, 7. ℙ *Pedes gallinacei*, alia herba, de qua *Plin.* 25, 13, 98. Capnos prima, quam pedes gallinaceos vocant, nascens in parietinis, et sepibus, etc.

PESCENNĬĀNUS, a, um, adj. ad Pescennium Nigrum Imp. Rom. a Septim. Severo occisum pertinens. *Spart. Pesc.* 12. Domus ejus Romae visitur in campo Jovis, quae appellatur Pescenniana. *Id. Sev.* 15. Pescennianas reliquias persequi. V. NIGRIANUS.

*PESCENNĬUS, Romanae gentis nomen, v. g. ap. *Cic. Fam.* 14, 4. Pescennius est perbenevolus nobis, quem semper spero tui fore observantem. ℙ Pescennius Niger, Imp. Rom. V. in PESCENNIANUS, a, um. *B. A.*

PESCĬA, orum, n. plur. in Saliari carmine Aelius Stilo dici ait, capitia ex pellibus agninis facta, quod Graeci vocent pelles πέσκη neutro genere pluraliter. *Festus.*

PESESTAS, inter alia, quae inter precationes dicunt, cum fundus lustratur, significare videtur pestilentiam. *Festus.* [*V. *Doederl.* 2, 60.]

PESSĀRĬUM, ii, n. genus medicamenti, idem quod pessum, vel ei simile, ap. *Theod. Prisc.* 3, 5.

PESSĪMĒ, adv. superl. anom. a *male:* κάκιστα, omnino male. *Cic. Verr.* 2, 3, 50. *extr.* Intelliget, secum actum esse pessime. *Id. Phil.* 14, 7. Pessime de republica sentire. *Ter. Heaut.* 3, 1, 28. Pessime istud in te consulis. *Pl. Amph.* 2, 1, 59. Sum obtusus pugnis pessime. *Id. Aul.* 4, 9, 10. Perii male perditus, pessime ornatus eo. *Sall. Jug.* 34. *f.* Quam quisque pessume fecit, tam maxime tutus est. *Plin.* 19, 7, 37. Apes furtivae pessime proveniunt. ℙ Pro valde. *Pl. Curc.* 5, 3, 6. Pessime metui, ne mihi hodie apud praetorem solveret. ℙ *Pessime mihi est*, maxime metuo. *Petr. fr. Trag.* 54. *Burm.* Pessime mihi erat, ne, etc.

PESSĬMO, as, a. 1. *κακόω*, pessime afficio. *Vulg. Sirac.* 36, 11. Qui pessimant plebem tuam. *Id.* 38, 22. Hinc nihil proderis, et teipsum pessimabis. *Id.* 11, 26. Ne dicas: sufficiens mihi sum, et quid ex hoc pessimabor? ℙ Part. *pessimatus* ap. *Lact.* 1, 11. Aetate pessimata: ubi tamen hodie legitur *pessum acta. B. A.*

PESSĬMUS, a, um, adj. superl. anom. a *malus: πονηρότατος, κάκιστος.* Duci putat *Voss.* a *pessum. Pl. Men.* 3, 2, 22. Quid ais, homo levior, quam pluma, pessime et nequissime, flagitium hominis? *Sall. Cat.* 5. *extr.* Ut paulatim immutata, ex pulcherruma pessuma ac flagitiosissima facta sit. *Id.* in *or. Philippi contra Lep.* Pessume omnium, atque impudentissume, tibine, etc.? *Gell.* 2, 6. *med.* Isque omnium pessimus, deterrimusque est. *Catull.* 49, 6. Tanto pessimus omnium poeta, Quanto tu optimus omnium patronus. *Brut.* ad *Brut.* et *Cass. Fam.* 11, 1. Qua mente esset Antonius, demonstravit, pessima scilicet, et infidelissima. *Sall. Cat.* 18. Eo die post conditam urbem pessimum facinus patratum foret. ℙ *Pessimum*, res pessima, maximum malum. *Plin.* 11, 37, 74. Fel est purgamentum, pessimumque sanguinis; et 17, 22, 35. *n.* 14. Cum induruit vitis, pessimum in vinea palmitem traducere. *Varr. R. R.* 1, 13. *f.* Cum Metelli ac Luculli villis pessimo publico aedificatis certant. Etiam *Liv.* 2. *in.* ita locutus est. ℙ *Pessimum esse*, pessime se habere. *Cels.* 3, 5. *med.* Alii vespere tali aegro cibum dant. Sed cum eo tempore fere pessimi sint, qui aegrotant, verendum est, ne, etc. ℙ Aliquando *pessimus* vox est blandientis. *Catull.* 55, 10. Camerium mihi, pessimae puellae, etc.; et 36, 9. Et haec pessima se puella vidit Jocose, et lepide vovere Divis.

PESSĪNUNTĪCUS et Pessinuntius, a, um, adj. a Pessinunte. *Cic. Sext.* 26. Pessinuntius sacerdos magnae Matris. *Gell.* 7, 16. Aselli Pessinuntii, ostrea Tarentina. ℙ Ipsa Cybele *Pessinuntica* dicitur ab *Appul. Met.* 11.

PESSĪNUS et Pesinus, untis, f. *Πεσσινοῦς*, et *Πεσινοῦς*, urbs Galatiae in Phrygiae magnae confinio, in qua celebre fuit templum Cybeles, quae ideo *Pessinuntia* dicta est. Urbs vero inde nomen habuit, quod ejus Deae simulacrum de coelo *πεσεῖν*, h. e. delapsum esse creditum est, ut *Ammian.* 22, 9. docet. Alii a conditore sic appellatam putant. *Plin.* 3, 32, 45. Trocmorum oppidum Tavium, Tolistobogorum Pesinus. *Liv.* 29, 10. Si mater Idaea a Pessinunte Romam advecta foret; et *ib.* 11. Legatos Pessinuntem in Phrygiam deduxit.

PESSŬLUM, i, n. idem quod pessum, i. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 18. *med.* In mulieribus etiam pessulum oleo calido infundentes. ℙ Est etiam idem ac pessulus. *Paul. Nol. carm.* 18, 412. removens et pessula claustris.

PESSŬLUS, i, m. *μοχλὸς, βλῆτρον, ἐπιβλής, μάγγανον*, vectis ferreus, vel ligneus, quo fores clausae obfirmantur intus: a *πάσσαλος*, paxillus, clavus. Duos obdebant, qui tutiores esse vellent. *Pl. Aul.* 1: 2, 25. Occlude sis fores ambobus pessulis. *Ter. Heaut.* 2, 3, 37. Anus foribus obdit pessulum; et *Eun.* 3, 5, 55. Pessulum ostio obdo. *Appul. Met.* 3. Et cum dicto pessulis injectis, et uncino firmiter immisso, sic ad me reversa, etc; et *ib.* 1. Adducta fore, pessulisque firmatis; et *ib.* Postes ad repagula redeunt, ad claustra pessuli recurrunt; et *paulo post:* Subdita clavi pessulos reduco. V. v. praec.

PESSUM, adv. vel adverbii simile, idem significat, quod in profundum, vel deorsum, quasi sub pedes, fortasse a *βυσσὸς* Ionice pro *βυθὸς*, profunditas. [*V. *Doederl.*, qui 1, 67. sqq. multa de hujus vocis origine et significatu disputat, non a Gr. derivatum, sed e *perversum* contractam esse docens.] *Colum.* 12, 6. *extr.* Est aliud muriae naturae experimentum: nam ubi dulcem caseum demiseris in eam, si pessum ibit, scies esse adhuc crudam; si innatabit, maturam. *Lucr.* 6, 588. multae per mare pessum Subsedere suis pariter cum civibus urbes. *Lucan.* 3, 674. sidentia pessum Corpora caesa tenent. Sic *abire pessum*, dictum de navi et rete, a *Pl. Truc.* 1, 1, 15., *Aul.* 4, 1, 12., *Rud.* 2, 3, 64. Sic *Tac. A.* 1, 79. Pessum ituros fecundissimos Italiae campos, si amnis Nar in rivos deductus superstagnavisset; et *Prud. praef. in Sym.* 2, 36. pessum mergere pedes. ℙ *Pessum accipere*, est in imum recipere. *Mela* 3, 9. Lacus adeo ad sustinenda quae incidunt, infirmus, ut folia etiam proximis decisa frondibus, non innatantia ferat, sed pessum penitus accipiat. ℙ Translate *pessum ire*, est ruere, perdi. *Pl. Cist.* 2, 1, 12. Neque, nisi quia miser non eo pessum, mihi ulla abest perdito pernicies. *Plin. prooem. l.* 14. *med.* Pessum iere vitae pretia. Sic *Sen. Const. Sap.* 2. Cato adversus vitia civitatis degenerantis, et pessum sua mole sidentis, stetit solus. ℙ *Pessum dejicere* ap. *Appul. Met.* 5. Nec sum mulier, nisi eam pessum de tantis opibus dejecero, *h. e.* exturbavero. ℙ *Pessum premere*, pessundare, perdere. *Pl. Most.* 5, 2, 49. Quidvis impetrari a me facilius perferam, quam ut non ego istum pro suis factis pessimis pessum premam. ℙ *Pessum acta aetas*, usque ad senium, ad terminum vitae. *Enn.* ap. *Lactant.* 1, 11. Aetate pessum acta, in Creta vitam commutavit, et ad Deos abiit. ℙ *Pessum do.* V. PESSUMDO.

PESSUM, i, n. *πεσσὸς*, medicamentum molli lana compositum, quod feminis inter naturalia inditur, si doleant. Describit illud *Cels.* 5, 21., sed Graeca voce utitur, quam attulimus, Latina vero pluries *Theod. Prisc.* 3, 5. *Appul. Herb.* 121. Herbae anethi medicamine pessum factum injiciatur ab obstetrice. V. PESSARIUM et PESSULUM.

PESSUMDO et Pessundo et Pessum do, as, dedi, datum, a. 1. *βυθίζω, καταποντίζω, ἀποσφάλλω*, deorsum, aut in profundum mitto, demergo: et dicitur de iis, quae subsidunt, et aquis merguntur, ut in *Pessum* adv. habetur. *Lucan.* 5, 616. quam celsa cacumina pessum Tellus victa dedit! ℙ Translate est perdere, evertere: ducta metaphora a mergendis navibus, ut monet *Donat.* ad illud *Ter. Andr.* 1, 3, 3. Quae si non astu providentur, me, aut herum pessundabunt. Alii divisim leg. *pessum dabunt. Cic. fr.* ap. *Quint.* 8, 6. *med.* Hoc miror querorque, quemquam hominem ita pessundare alterum verbis velle, ut etiam navem perforet, qua ipse naviget. [*V. *Beier.* ad h. l. p. 213. b.] *Pl. Rud.* 2, 6, 23. Pessum dedisti me blandimentis tuis. *Tac. A.* 3, 66. *extr.* Quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio properarant. *Ov. Trist.* 3, 5, 45. Non mihi quaerenti pessum dare cuncta, petitum Caesareum caput est, quod caput orbis erat. *Pl. Merc.* 5, 2, 4. Domi erat quod quaeritabam: ibi sex sodales reperi, vitam, amicitiam, civitatem, etc. Eorum inventu res decem simitu pessimas pessundedi, iram, inimicitiam, stultitiam, etc. *h. e.* expuli, perdidi, et quasi in mare projeci. *Id. Rud.* 3, 2, 3. Exemplum pessumum pessundate, *h. e.* tollite, delete. *Val. Max.* 4, 4. *n.* 5. Ingentes hostium copias pessundare. ℙ [Part. *Pessumdatus* ap. *Sall. Jug.* 4. Animus ad inertiam et voluptatem corporis pessumdatus. Alii divisim leg. *pessum datus. F.*]

PESSUS, i, m. idem quod pessum medicamentum. *Plin. Val.* 1, 5. *f.* Pessus Livianus, quo utebatur Livia regina, faciens ad secundas, etc. [Eundem *Theod. Prisc.* 2, 5. *Livianum pessarium* appellat. *F.*]

PESTĪBILIS, e, adj. pestilens. *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 4, 58, 4. Pestibilis fundus, hoc est pestibiles herbas, vel letiferas habens. Alii legunt: *Pestilis fundus, h. e.* pestibulas, vel herbam letiferam habens. *Pestibulas* autem interpretatur *Cujac. Observ.* 6, 24. natricum, et aliarum noxiarum serpentum pestes.

PESTĪBŬLA, ae, f. V. in v. praec.

PESTĪFER et Pestiferus, a, um, adj. *λοιμώδης*, pestem afferens, perniciosus, exitiosus, noxius. *Cic. Dom.* 31. Tu unus pestifer civis. *Cels.* 2, 6. Sudor frigidus in acuta febre pestiferus est; et *mox:* Sanguinem in febre vomuisse, pestiferum est. *Id.* 4, 1. *n.* 1. Acutus, et pestifer morbus. *Virg. A.* 7, 569. ruptoque ingens Acheronte vorago Pestiferas aperit fauces. *Val. Fl.* 4, 594. Pestiferae aquae. *Cic. Fam.* 4, 3. Pestiferum bellum. *Colum.* 10, 331. Pestifer aer. *Cic. Har. resp.* 24. Vipera venenata et pestifera. *Id. N. D.* 2, 47. Res pestiferae et nocentes. *Id. Dom.* 1. Pestifer et funestus tribunatus. *Id. Phil.* 3, 2. Antonii reditus crudelis et pestifer. *Plin.* 4, 11, 18. Scopulum dirum ac pestiferum. *Cic. N. D.* 2, 12. *f.* Accessus ad res salutares, a pestiferis recessus. ℙ Pestifera auspicia esse dicebant, teste *Festo*, cum cor in extis, aut caput in jecinore non fuisset.

PESTĪFĔRĔ, adv. *λοιγίως*, perniciose. *Cic. Leg.* 2, 5. *med.* Quid, quod multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis?

PESTĪLENS, entis, adj. *λοιμώδης*, pestifer, perniciosus, nocens. *Cic. Fat.* 4. Inter locorum naturas quantum intersit videmus: alios salubres, alios pestilentes. *Id. Off.* 3, 13. Aedes pestilentes. *Varr. R. R.* 1, 4. Fundus pestilentior. *Liv.* 4, 21. annus. Sic *Cic. Fam.* 5, 16. Gravissimus et pestilentissimus annus. *Id. Div.* 1, 57. Aspiratio gravis et pestilens. *Hor. Od.* 3, 23, 5. Nec pestilentem sentiet Africum Fecunda vitis. ℙ Translate. *Liv.* 2. 71. Pestilens collegae munus esse: agros illos servitutem iis, qui acceperint, laturos. *Cic. Fam.* 7, 24. de Tigellio Sardo: Homo pestilentior patria sua. *Sen. Hippol.* 489. Pestilens invidia.

PESTĪLENTIA, ae, f. *λοιμὸς*, pestis, seu morbus contagione in plurimos se effundens, ac tum homines, tum varia brutorum genera vulgatis funeribus absumens. [*Compositum est ex *pestis* et *olere*. V. *Doederl.* 2, 60.] *Caes. B. C.* 2, 22. Massilienses gravi pestilentia conflictati ex diutina conclusione, et mutatione victus. *Colum.* 6, 5. Id praecipue, quod egerit sus aegra, pestilentiam facere valet. *Id.* 7, 7. Alia genera pecorum cum pestilentia vexantur. *Liv.* 27, 23. Eo anno pestilentia gravis incidit in urbem agrosque, quae tamen magis in longos morbos, quam in perniciales evasit. *Colum.* 9, 13. Morbo, vel pestilentia laborare. *Liv.* 10, 47. Pestilentia urens urbem atque agros. *Tac. A.* 16, 13. In urbe omne mortalium genus vis pestilentiae depopulabatur. *Plin.* 23, 8, 80. Pestilentiae contagia prohibere. *Id.* 10, 28, 40. Pestilentiam afferre. ℙ Pestilentiae descriptionem habes ap. *Virg. G.* 3, 478. et sqq., *Ov. Met.* 7, 523. et sqq., *Lucr.* 6, 1136. et sqq., *Liv.* 25, 26., *Sil.* 14, 582. et sqq. ℙ Differt a *peste*, quae est generale nomen, et non solum de morbis, sed de quacumque clade, malo, calamitate, noxa, pernicie usurpatur. ℙ Translate *Catull.* 44, 11. Orationem in Antium petitorem, Plenam veneni, et pestilentiae legit, *h. e.* quae pestilentiae modo enecare auditores posset. In plur. numero. *Gell.* 1, 2. Animorum labes, et pestilentias. ℙ Sumitur et etiam pro gravitate coeli, aut loci: cui *salubritas* opponitur. *Cic. Agr.* 2, 26. *f.* Agrorum genus propter sterilitatem incultum, propter pestilentiam vastum atque desertum. *Id. Div.* 1, 57. Ex habitu extorum, atque ex colore tum salubritatis, tum pestilentiae signa percipiuntur. *Id. Agr.* 1, 5. Locupletatis aut invidiae, aut pestilentiae possessoribus, agri tamen emantur, *h. e.* iis qui possident agros vel Sullana proscriptione coemptos et invidiae subjectos, vel gravitate coeli pestilentes. V. *Agr.* 2, 26.

PESTĪLENTĬĀRĬUS, a, um, adj. pestilens. *Tert. Spect.* 27. Cathedra pestilentiaria.

PESTĪLENTĬOSUS, a, um, adj. idem ac pestilens. *Ulp. Dig.* 43, 8, 2. *med.* Si odore soli locus pestilentiosus fiat.

PESTĪLENTUS, a, um, adj. pestilens. *Laevius* ap. *Gell.* 19, 7. Loca pulverulenta et pestilenta.

PESTĪLIS, e, adj. pestilentiosus. *Arnob.* 1, 11. Possunt nos auris pestilibus enecare.

PESTĪLĬTAS, atis, f. idem ac pestis. *Lucr.* 6, 1096. Atque ea vis omnis morborum, pestilitasque. Adde 1123. et 1130. *Non.* 2, 684. tribuit *Lucilio* versiculum allatum *Lucretii.*

*PESTĪMUS, a, um. adj. *λοιμοφόρος Vet. Gloss. B. A.*

PESTIS, is, f. *κακὸν, βλάβη*, nomen est generale omnis mali, perniciei, morbi, exitii, calamitatis, ruinae, cladis, noxae, sive hominibus incidat, sive brutis, sive rebus inanimis. Quare differt a pestilentia, ut genus a specie. V. PESTILENTIA. Ita *Liv.* 4, 25. et 5, 14. et 25, 26. utitur quidem voce *pestis* ad pestilentiam significandam, sed postquam *pestilentiae* mentionem fecit. *Cic. Off.* 2, 5. Nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur. *Id. Rab. perd.* 1. Pestis ac pernicies civitatis; et *ib.* 9. Ista imago, quae domi posita pestem atque exsilium Sex. Titio attulisset. *Lucr.* 3, 348. Discidium ut nequeat fieri sine peste maloque. *Cic. N. D.* 1, 36. Ibes avertunt pestem ab Aegypto, cum volucres angues vento invectas interficiunt atque consumunt. *Liv.* 25, 19. *extr.* Adeo ne fugae quidem iter patuit, ut vix mille evaserint: ceteri passim, alii alia peste, absumpti sunt. *Cic.* vertens locum *Sophocl. Tusc.* 2, 8. Ipse illigatus peste interimor textili, *h. e.* veste imbuta Nessi sanguine. *Virg. A.* 5, 699. servatae a peste carinae, *h. e.* ab incendio. *Id. ib.* 10, 55. belli evadere pestem. *Tac. A.* 2, 47. Improvisior, graviorque pestis fuit, *h. e.* damnum ex terrae motu; et *ib.* 4, 62. Unde gravior pestis fuit, *h. e.* clades ex ruina theatri. *Pl. Capt.* 4, 3, 3. Quanta pernis pestis veniet! quanta labes larido! *h. e.* ex parasiti edacitate. *Catull.* 69, 9. crudelem nasorum interfice pestem, *h. e.* mali odoris hircum sub alis. *Cic. Har. resp.* 4. T. Annius ad illam pestem comprimendam, exstinguendam, funditus delendam natus esse videtur. *Id. ad Brut.* 1, 15. Pestem depellere. *Id. Dejot. f.* miserrimam importare alicui. *Id. N. D.* 3, 26. machinari alicui. *Liv.* 2, 49. minitari. *Sall. Jug.* 73. Monere, ne praemia Metelli in pestem suam converteret; et *ep. Mithrid. ad Arsac. f.* Romani peste conditi orbis terrarum. ℙ Metonymice dicitur de homine publice pernicioso. *Cic. Sext.* 14. *f.* Producti in concionem ab illa furia ac peste patriae. *Id. Verr.* 2, 3, 54. Ne post abitum quidem hujus importunissimae pestis. ℙ In plur. numero. *Id. Har. resp.* 2. *f.* Cum his furiis et facibus, cum his, inquam, exitiosis prodigiis, ac paene hujus imperii pestibus bellum mihi, etc. *Id. Fam.* 5, 8. Quaedam pestes hominum laude aliena dolentium. *Virg. G.* 1, 181. Tum variae illudunt pestes: saepe exiguus mus, etc. Adde *ib.* 3, 471. et al. Sic *Colum.* 7, 5. *f.* Quod in omnibus morbis ac pestibus faciendum esse censemus; et 2, 9. *med.* Quaedam subterraneae pestes adultas segetes enecant. ℙ Absolute pro morbo, pestilentia, *Enn.* apud *Prisc.* 9, 861. Hos pestis necuit, pars occidit illa duellis. Addunt *Lucan.* 6, 89., *Sil.* 14, 582. et 622., sed haec non videntur rem conficere, nisi eo modo, quo de *Livii* locis supra dictum est. ℙ *Oppetere pestem* ap. *Pl. Capt.* 3, 3, 11. est mortem oppetere.

PĒTA, ae, f. Dea, quae rebus petendis praeerat. *Arnob.* 4, 131. Putationibus arborum Puta praesto est, rebus petendis Peta. ℙ Hoc nomine est etiam appellata urbs Aethiopiae, vel Aegypto Aethiopiaeque contermina. *Plin.* 6, 29, 35.

*PETALĬA, ae, f. oppidum Euboeae. *Plin.* 4, 12. Petaliae quatuor insulas primo Euripi introitu, *h. e.* oppido Petaliae obversas. *Strab.* 10. *in.* Γεραιστὸς καὶ Πεταλία πρὸς Σούνιον. *B. A.*

PĔTĂLĬUM, ii, n. πεταλιον, genus unguenti, Latine foliatum, et nardinum: a πέταλον, folium. *Pl. Curc.* 1, 2, 7. Tu mihi stacte, tu cinnamum, tu rosa, tu crocum, et casia es, tu petalium. Alii leg. *bdellium.*

[PĔTĂLUM, i, n. πέταλον, lamina, bractea. *Isid. Or.* 19, 21. Petalum, aurea lamina in fronte pontificis, quae nomen Dei tetragrammaton Hebraicis litteris habebat scriptum. *F.*]

[PĔTĂLUS, i, m. πέταλος, expansus, ut folium, quod Graeci πέταλον vocant. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1010, 10. Valerianus Petalus. *F.*] ℙ *Petalus, i, m. Πήταλος, nomen unius ex his, qui in aula Cephei regis Perseo vim inferre conati ceciderunt. *Ov. Met.* 5, 115. Petalus irridens *Stygiis cane caetera* dixit. *B. A.*

PĔTĂMĬNĂRĬUS vel Petamenarius, ii, m. qui strenua corporis agilitate saltans volare videtur: a πετάμενος, volans. *Firm. Math.* 8, 15. Cum Marte vero, et Mercurio petaminarius, ephalmator, orchestopolarius, petauristarius. *Salv. Gub. D.* 6, 3. Longum est nunc dicere de omnibus, amphiteatris scilicet, odeis, lusoriis, pompis, athletis, petaminariis, pantomimis, ceterisque portentis.

PĔTĂSĀTUS, a, um, adj. πεπασώμενος, petaso tectus. *Cic. Fam.* 15, 17. de tabellariis: Id facerent commodius, si mihi aliquid spatii ad scribendum darent; sed petasati veniunt, comites ad portam exspectare dicunt. *Suet. Aug.* 82. Domi quoque non nisi petasatus sub dio spatiabatur. *Hieron. prooem. in Zachar. l.* 2. Urget petasatus libri portitor. Adde *Varr.* ap. *Non.* 4, 319.

PĔTĂSĬO. V. v. sq. *f.*

PĔTĂSO, onis, m. πεπασῶν, coxa suis salita, seu potius pernae portio. Quomodo a perna differat, diximus in PERNA. *Mart.* 3, 77. Et pulpam dubio de petasone voras, *h. e.* jam corrumpi incipiente. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Succidias Galli optimas et maximas facere consueverunt. Optimarum signum, quod etiam nunc quotannis e Gallia apportantur Romam pernae, tomacinae, et taniacae, et petasones. Alii perperam leg. *petasiones.*

PĔTĂSUNCŪLUS, i, m. parvus petaso. *Juven.* 7, 119. Quod vocis pretium? siccus petasunculus, et vas Pelamidum: *siccus*, h. e. parvi pretii: nam petasoni gratia, si musteus sit. V. *Mart.* 13, 55. ℙ Item parvus petasus. *Arnob.* 6, 198. Mercurio det radios: Solis capiti petasunculum superponat.

PĔTĂSUS, i, m. πέτασος, capitis tegmen, galeri genus: a πετάννυμι, extendo, quod latos haberet margines, quemadmodum videre est in imaginibus Mercurii, qui petasatus pingitur. Utebantur petaso longum iter facientes, quo adversus solis, et imbrium injurias faciem tuerentur. V. PETASATUS. *Pl. Ps.* 2, 4, 45. Ftiam opu' st chlamyde, et machaera, et petaso. *Arnob.* 6, 197. Cum petaso gnatus Majae, tanquam vias aggredi praeparet, et solem pulveremque declinet. ℙ Translate petasus dicitur quiddam in galeri formam aedificiis superpositum, extensum, et explicatum, in metae formam se contrahens. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 4. Ut in summo orbis aeneus, et petasus unus omnibus sit impositus, *h. e.* fornix. ℙ Ap. *Calpurn. Ecl.* 6, 51. est nomen equi, a πετᾶσθαι, volare.

*PETAVĬO, i. q. Petovio, Daciae oppidum. *Tab. Peut. B. A.*

PĔTAURISTĂ, ae, m. πεταυριστής, qui ex petauro se in aerem excutit, atque in terram devolat. *Festus:* Petauristas Lucilius a petauro appellatos existimare videtur, cum ait, Sicuti mechanici cum alto exsiluere petauro. At Aelius Stilo, quod in aere volent, cum ait, petaurista proprie Graece, quod ii πρὸς ἀέρα πετῶνται. *Scaliger* ad *Festum* hujusmodi fuisse docet, qui desperata audacia in machina, vel rota trajiciebant se. V. v. sq. A *Nonio* 1, 277. petauristae definiuntur, qui saltibus, vel schoenis levioribus moventur. *Varro ib.* Nec minus aliquo in genere sunt ludi velitis Galli, Germani petauristae. Adde alium ejusdem *Varr.* locum *ib.*, ubi Graece ponitur ex lectione *Scal.*, et pro saltatore tantum accipiendus esse videtur. [*Paciaudius* in *Comment.* de κυβιστήσει §. 7. putat, petauristam esse, quem Itali *capitombolatore* vocant, atque ideo haberi in *Gloss. Philox.* Πεταυριστής, cernulus, πεταυρισταὶ, cernuli. V. CERNUUS. ℙ Translate ita vocantur etiam animalia, quae, ut pulices, mira pedum alacritate praedita sunt. *Plin.* 11, 33, 39. Alia (*animalia*) generantur sordibus e radio solis, posteriorum lascivia crurum petauristae. *F.*]

PĔTAURISTĂRĬUS, ii, m. idem qui petaurista. *Petr. fragm. Trag.* 53. *Burm.* Petauristarii tandem venerunt: baro insulsissimus cum scalis constitit, puerumque jussit per gradus, et in summa parte odaria saltare, circulos deinde ardentes transire, et dentibus amphoram sustinere. Adde *ib.* 60., *Firm. Math.* 8, 15. [et *Not. Tir.* p. 173. *f. F.*]

PĔTAURUM, i, n. πέταυρον, machina in sublimi suspensa, ex qua se in aerem excutiebant, atque in terram devolabant: ab ἀὔρα, aura, et πέτομαι, volo, as. Hoc nomine comprehendunt et machinam ligneam, genus ludi, quo homines per aerem rotarum pulsu jactantur, et omne id, supra quod homines agilitate corporum insignes ludunt, ut sunt hastae, circa quas se volvunt, funes, supra quos etiam reciproci ambulant, circuli, per quos se more piscium transmittunt, tabulae, e quibus in aere pendent, uno brachio se sustinentes. Graece significat perticam, tignum, asserem, super quo gallinae dormiunt. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Petauristas:* Sicuti mechanici cum alto exsiluere petauro. *Juven:* 14, 265. An magis oblectant animum jactata petauro Corpora, quique solet rectum descendere funem? *Manil.* 5, 434. Corpora, quae valido saliunt excussa petauro, Alternosque cient motus: elatus et ille Nunc jacet, atque hujus casu suspenditur ille, Membraque per flammas, orbesque emissa flagrantes. Ubi *Scal.* Rota in sublimi posita a duobus versabatur: alter superne, alter inferne nitebatur. Ita fiebat, ut alternis dejecti, nunc penderent, nunc erecti sederent. Haec *Scal.* quae confirmari videntur fragmento illo *Petronii* p. 674. *Burm.* Petauro jubente modo superior. *Mart.* 2, 86. Quid si per graciles vias petauri Invitum jubeas subire Ladam? In illo *ejusd.* 11, 21. Quam rota transmisso toties impacta petauro. *Turneb. Adv.* 8, 4. putat *petaurum* esse lignum per rotam a petaurista transmissum. Est qui ipsum petauristam intelligit. *Scal. ad Manil.* mallet *intacta* pro *impacta.* V. PETAURISTA.

PĔTAX, acis, adj. omn. gen. qui multum petit. *Fulg. Myth.* 2, 1. Vita activa est, quae tantum vitae commodis anxia, ornatus petax, habendi insatiata, rapiendi cauta, servandi sollicita geritur. [*Id. ib.* 3. Junonis in tutelam pavum ponunt, quod omnis vita potentiae petax in adspectum sui semper quaerat ornatus. *F.*]

PĔTĔLĬA et Petilia, ae, f. Πετηλία, urbs Bruttiorum, nunc *Strongoli* appellata, haud longe a Crotone, in Magna Graecia, a Philoctete condita. Ejus meminere *Liv.* 23, 30., *Plin.* 3, 10, 11. et *Virg. A.* 3, 402., ubi *Serv.* dictam esse ait, ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι, volare, quod captato augurio condita sit. ℙ [Alia fuit ejusdem nominis urbs in Lucania inter Paestum et Veliam, in monte, qui nunc *Stella* appellatur, ut probat *Romanelli Topogr. Napol.* T. 1. p. 346. et sqq. Hujus meminit *Val. Max.* 9, 8. *extr.* 1. Quem gubernatorem a Petilia classe Africam repetens freto appulsus, dum tam parvo spatio Italiam Siciliamque inter se divisas non credit, velut insidiosum cursus rectorem interemit. *F.*] ℙ Scribitur et *Petellia.*

PĔTĔLĪNUS, a, um, adj. ad Peteliam pertinens, urbem Bruttiorum, ut Petelina fides ap. *Val. Max.* 66. *f.* h. e. constantiâ in non desciscendo a Romanis, et in toleranda Poenorum obsidione: de qua *Liv.* 23, 30. et *Sil.* 12, 431. ℙ *Petelini, orum,* absolute sunt cives et incolae urbis ejusdem ap. *Val. Max. l. c.* ℙ *Petelini*, sunt etiam cives et incolae urbis Peteliae in Lucania, de qua V. PETELIA. *Inscr.* ap. *Romanelli Topogr. Napol.* T. 1. p. 348. L. Varilio Sannae, quod ejus arbitr. rite recte de finibus cum Veliens. actum sit limitibus constitutis, civi opt. ordo et *populus* Petelinorum. ℙ Scribitur et *Petellinus.* ℙ *Petelinus lucus* prope muros Romae fuit, extra portam Nomentanam, memoraturque ab *Liv.* 6, 20. Hunc *Varr. L. L.* 4, 8. *Petilium*, aut *Poetilium* appellat.

*PETENISCA, ae, f. opp. Helvetiorum, medio inter Aventicum et Salodurum loco. *Tab. Peut.* ℙ *Penestica* audit *Ant. Itin. B. A.*

*PETĔON, onis, f. Πετεών, opp. Boeotiae. *Plin.* 4, 7. *Stat. Th.* 7, 333. *B. A.*

PĔTESSO et Petisso, is, a. 3. idem quod peto, aut frequenter peto. *Festus:* Petissere antiqui pro petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua sunt lacessere, et incessere. Sed, ut mihi videtur, tum significabant saepius petere. Haec *Festus*, ubi, si rem spectes, *petesso* legendum videtur: si seriem litterarum *petisso. Cic. Tusc.* 2, 26. Apud quos venandi et equitandi laus viget, qui hanc petessunt, nullum fugiunt dolorem. *Lucr.* 3, 649. pugnam caedesque petissit; et 5, 808. fugiens humorem, aurasque petissens.

*PETESUCCUS, i, m. rex Aegyptiorum antiquissimus, de quo *Plin.* 36, 13. *B. A.*

[PĔTĪCĬUS et Petitius, a, um, adj. petax. *Gloss. Isid.* Petitius, qui frequenter petit. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 288, 5. C. Julius, qui vocatur Peticius. *F.*]

[PĔTĪCUS, i, m. idem videtur esse ac peticius. Est cogn R., ut C. Sulpicius Peticus Cos. ann. U. C. CCCXC. ap. *Grut.* 290. et *Liv.* 7, 9. *F.*]

PĔTĪGĬNOSUS, a, um, adj. petiginibus laborans. *Theod. Prisc.* 1, 12.

PĔTĪGO, iginis, f. eadem quae impetigo. *Cato R. R.* 157. *f.* Petigini parce brassicam opponito, sanam faciet. Alii leg. *depetigini*, al. *impetigini*, qua voce *Plin.* utitur eandem *Cat.* sententiam referendo, 20, 9, 33. Sic *Lucil.* ap. *Non.* 2, 437 et 700. Illuvies, scabies, oculos huic, deinque petigo Conscendere. Alii leg. *deque petigo.*

*PETILIĀNA, ae, f. opp. Siciliae. *Ant. Itin. B. A.*

PĔTĪLĬĀNUS, a, um, adj. ad Petilium aliquem pertinens. *Mart.* 12, 57. Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire, Petilianis delicatus in regnis, *h. e.* in villa, quae cujusdam Petilii olim fuit.

PĔTĪLĬUM, ii, n. flos autumnalis, et circa vepres nascens, et tantum colore commendatus, qui est rosae silvestris, foliis parvis, quinis. Mirumque in eo flecti cacumen, et non nisi retorto folia nasci, parvo calyce, ac versicolori, luteum semen includente. *Plin.* 21, 8, 25.

PĔTĪLĬUS, a, um, adj. ad Petilium aliquem pertinens. *Petilia lex* de peculatu, lata a duob. Q. Petiliis tribb. pleb. memoratur a *Liv.* 38, 55. ℙ Alia de ambitu coercendo, auctorem habuit C. Petilium trib. pleb., teste *eod.* 7, 15. *extr.* Sed horum tribunorum nomina aliter alibi leguntur, *Petillius, Poetelius, Poetilius.*

PĔTĪLUS, a, um, adj. siccus, tenuis, exilis, strigosus. *Lucil.* ap. Non. 2, 620. Insignis varis est cruribus, atque petilis. *Pl. ib.* Petila labra. *Festus:* Petilam suram, siccam et substrictam vulgo interpretantur: Scaevola ait, ungulam equi albam ita dici. *Dacerius* putat esse a πέταλον (quod Ionice πέτηλον) folium.

PĔTĪMEN, inis, n. in humeris jumentorum ulcus, et vulgus appellat et Lucilius meminit, cum ait: Ut petimen naso, aut lumbos cervicibu' tangat. Eo nomine autem et inter duos armos suis quod est, aut pectus, appellari solitum, testatur Naevius in descriptione suillae, cum ait: petimine piscino qui meruerat. Haec *Festus.* Pro *piscino* est qui malit *porcino.* At *Scal.* qui verba illa *Naevii* de jugulo thynni intelligenda esse putat, miratur, cur *Festus* ad suillam traxerit.

*PETĪNA, ae, f. Aelia Petina, e familia Tuberonum, Claudii Caesaris uxor, ex qua Antoniam genuit, sed repudiata, inducta Messalina. *Suet. Claud.* 26. *B. A.*

PĔTĬŌLUS, i, m. πόδιον, parvus pes. *Cels.* 2, 18. *med.* Ex agno, haedove, cum petiolis totum caput aliquanto, quam cetera membra, leviora sunt. ℙ Est etiam pediculus fructuum, quo ramis adhaerent. *Colum. Arb.* 23. Cum matura mala fuerint, antequam rumpantur, petiolos, quibus pendent, intorqueto.

PETISIA Māla, n. genus malorum minutorum, sed sapore gratissimo. *Plin.* 15, 14, 15. *Petilia* fortasse legend., a quodam Petilio sic appellata.

PĔTISSO. V. PETESSO.

*PETITARUS, i, fluvius Aetoliae. *Liv.* 43, 22. *B. A.*

PĔTĪTĬO, onis, f. actus petendi, [*impetendi, et ictum in aliquem intendendi, ut gladiatorum, sicariorum, cet. Haec prima vocis est significatio, quam *Noster* in f. posuerat.] *Cic. Cat.* 1, 6. *f.* Quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione, et, ut ajunt, corpore effugi? *Serv.* ad *Virg. A.* 9, 439. Petitiones proprie dicimus impetus gladiatorum. ℙ Translate. *Cic. Or.* 68. *f.* Sic oratio nec plagam gravem facit, nisi petitio fuerit apta, etc. ℙ In re forensi est intentio auctoris, qua rem suam persequitur. *Papin. Dig.* 44, 7, 27. Actio in personam infertur, petitio in rem. *Ulp. ib.* 5. *tit.* 3. qui est *De petitione hereditatis*, 16. petitione hereditatis teneri, *h. e.* actione, qua hereditas petitur. *Quint.* 4, 4. Recusatio quoque plures interim propositiones habet, ut contra petitionem pecuniae: Male petis: procuratori enim tibi esse non licuit. *Cic. Brut.* 5. Tibi ego non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cujus petitio sit, petiturum, *h. e.* jus petendi. Sic *Florent. Dig.* 2, 14, 56. Heres meus ab omnibus vobis petitionem habebit. ℙ Praesertim est actus petendi honores, ambitus, ambitio. *Cic. Att.* 1, 1. Petitionis nostrae, quam tibi summae curae esse scio, hujusmodi ratio est, etc. Prensat Galba sine fuco ac fallaciis, more majorum. *Caes. B. C.* 1, 22. Quod in petitione consulatus ab eo erat sublevatus. *Sall. Cat.* 49. Petitio pontificatus. *Just.* 1, 10. *f.* In regni petitione superatus. *Val. Max.* 6, 4. *f.* In petitione magistratus victus. *Suet. Caes.* 26. Dare alicui petitionem consulatus, *h. e.* ad petendum admittere; et *ib.* 28. Absentes a petitione honorum submovere. *Tac. A.* 2, 43. Abstinere petitione honorum. *Cic. Fam.* 13, 10. Petitioni se dare. ℙ [*Hinc in universum est ejus, qui aliquid ab aliquo postulat,] αἴτησις. *Plin.* 29, 4, 19. Magi sanguini basilisci tribuunt et successus petitionum a potestatibus, et a Diis etiam precum. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 23. Cum Harpocrati civitatem impetraveris, huic quoque petitioni tuae negare non sustineo. Adde *Gell.* 11, 16. *f.* et *Appul. Flor. n.* 16.

[PĔTĪTĬUNCŪLA, ae, f. dimin. petitionis. *Gloss. Philox.* Petitiuncula, δεηδίον. *F.*]

PĔTĪTOR, oris, m. αἰτητής, qui petit. *Front. Aquaed.* 109. Cum vacare aliquae coeperint aquae, adnunciatur, ut petitoribus ex vacuis dari possint. *Appul. Met.* 4. *f.* Nec quisquam cupiens ejus nuptiarum, petitor accedit, *h. e.* procus: quo sensu

adhibetur etiam a *Sen. fragm.* ap. *August. C. D.* 6, 10. *f.* ℙ Speciatim de eo, qui bona petit, rem suam judicio persequitur, et litem intendit, cui *reus*, et *possessor* respondet. *Cic. Rosc. Com.* 14. Quis erat petitor? Fannius: quis reus? Flavius: quis judex? Cluvius. *Id. Caecin.* 3. Praetor nunquam petitori praestituit, qua actione illum uti velit. *Id. Quint.* 13. *f.* Possumus petitoris personam capere, accusatoris deponere. *Plin. ep.* 6, 2. Oculum modo dextrum, modo sinistrum circumlinebat: dextrum, si a petitore; alterum, si a possessore esset acturus. ℙ Item qui honores petit, candidatus. *Hor. Od.* 3, 1, 10. hic generosior Descendat in campum petitor. *Scip. Afr. Aemil.* ap. *Macr. Sat.* 2, 10. Vidi in his unum puerum bullatum, petitoris filium, cum crotalis saltare. ℙ Translate. *Lucan.* 1, 131. de Pompejo: famaeque petitor Multa dare in vulgus. ℙ [*Petitor militiae* in *Inscr.* ap. *Mur.* 788, 7. et 794, 7. et ap. *Grut.* 531, 10. videtur labente Latinitate dictus fuisse, qui supplementa peteret, et quaereret ad militiam, quique Italice *ingaggiatore* appellatur. *F.*]

PĔTĪTŌRĬUS, a, um, adj. ad petendum, seu judicio et lite postulandum pertinens. *Cajus Dig.* 6, 1, 36. Qui petitorio judicio utitur, ne frustra experiatur, requirere debet, an is, cum quo instituit actionem, possessor sit. ℙ *Mamert. Grat. act. ad Jul.* 16. Blandiri populo, palpare obvios, et artes petitorias exercere.

PĔTĪTRIX, icis, f. quae petit judicio aliquid. *Paul. Dig.* 36, 1, 74. *extr.* Contra petitricem pronunciavit. ℙ Item quae honores petit. *Quint. decl.* 252. *med.* Quid poenae adjicitur, quod adversus petitricem, quod adversus eam, quae sacerdotium jam prope acceperat?

PĔTĪTŪRĬO, is, a. 4. honores petere cupio. *Cic. Att.* 1, 14. *f.* Cum Luccejo in gratiam redi. Video hominem valde petiturire, *h. e.*, ut *Id.* ait *ib.* 1, 17. Luccejum scito consulatum habere in animo statim petere.

PĔTĪTUS, a, um, part. a *peto:* [*impetitus. Noster secundo loco posuerat ista:] *Hor. Epod.* 5, 10. Petita ferro bellua. Et translate. *Cic. Har. resp.* 21. *f.* Injecta est fax luctuosa reipublicae, petita est auctoritas vestra. ℙ Ad quem iter est constitutum, ad quem accessum est. *Ov. Pont.* 4, 10, 52. Et quondam Grajis Phasi petite viris. ℙ [*Arcessitus.] *Hor. Sat.* 2, 2, 120. Piscibus urbe petitis. ℙ Tractus. *Hor. Epod.* 11, 10. latere petitus imo spiritus; et *Ov. Met.* 2, 622. gemitus alto de corde petiti. *Tac. H.* 3, 51. Haec ex veteri memoria petita. ℙ Quaesitus, rogatus, postulatus. *Caes. B. G.* 4, 13. Petita pax. *Cels.* 2, 8. *med.* Sanguinis profusio vel fortuita, vel petita. ℙ *Petitum, i,* petitio. *Catull.* 68, 39. Quod tibi non utriusque petiti copia facta est. Alii leg. *petenti.*

PĔTĪTUS, us, m. idem ac petitio. *Gell.* 18, 3. *f.* Jussitque cum consensu, petituque omnium, etc. *Lucr.* 3, 173. Attamen insequitur languor, terraeque petitus, *h. e.* cupido humi decumbendi.

PĔTO, is, ivi et ii, ītum, a. 3. *αἰτῶ*, posco, postulo, rogo, contendo, quaeso: a voce Graeca allata: vel a *ποθῶ*, desidero. V. POSCO. [*Perizon.* ad *Sanct. Min.* p. 740. sq. *ed. Scheid.* deducit a Gr. *πέτω, πέτομαι;* cf. *Scheid.* ad *Lennep. Etymol.* s. v. *πέτω* et *πίπτω. Doederl.*, q. v. 3, 180. sq., docet, *petere* esse frequentat. ab *ire.* Verum utut ista se habent, hoc stare videtur, proprie *petere* signif. studiose ire ad aliquid, citatum ad aliquid cursum facere. Unde vel de re dicitur, quam consequi studemus, vel de loco, ad quem tendimus, ut Gr. *ἱέσθαι.* Hinc primo loco poni debebant exempla, in quibus *petere* de gladiatoriis, sicariis cet. usurpatum, notionem impetendi, invadendi habet: quae *Forc.* infra laud.:] *Cic. Or.* 68. *med.* Gladiatores et vitando caute, et petendo vehementer, etc. *Id. Lig.* 3. *f.* Cujus latus mucro ille petebat. *Id. Mur.* 26. Sciebam, Catilinam non latus aut ventrem, sed caput et collum solere petere. [*Adde *Suet. Caes.* 82. Undique se strictis pugionibus peti.] *Ov. A. Am.* 2, 452. alicui genas ungue. *Id. de nuce* 2. et 122. aliquem saxis. [*Adde *Suet. Tib.* 72. petere aprum jaculis. *Tibull.* 2, 1, 71. Nec pecudes, velut ante, petit; fixisse puellas Gestit. *Id.* 1, 2, 8. petant fulmina te. *Ov. Met.* 11, 57. anguis os petit; et 5, 350. facibus oculos atque ora petentes.] *Hor. Sat.* 2, 2, 13. petere aera disco. ℙ Translate. *Cic. Cat.* 1, 5. Quotiescumque me petisti, per me tibi obstiti: nunc jam aperte rempubl. universam petis. *Id. Att.* 2, 2. Qui me epistola petivit: ad te cominus accessit. *Auct. ad Her.* 4, 16. Veneficio aliquem petere. *Tac. A.* 4, 31. falsis criminibus. *Liv.* 40, 55. fraude et insidiis. *Virg. A.* 3, 603. bello urbem. [*Vell.* 2, 68, 3. Petere armis patriam.] *Just.* 9, 5. imperium apparatibus. *M. Coel.* ap. *Quint.* 4, 2. *med.* collum alicujus amplexu. *Virg. A.* 9, 128. Trojanos haec monstra petunt, *h. e.* designant, spectant: in Trojanos recidunt. ℙ Frequentissime est iter dirigere, versus aliquem locum tendere, ire, proficisci. *Cic. N. D.* 2, 49. Grues loca calidiora petentes maria transmittunt. *Id. Fam.* 14, 4. Per Macedoniam Cyzicum petebamus. *Id. Planc.* 41. Dyrrachium petere contendi. *Nep. Milt.* 5. Adeo perterruerunt, ut Persae non castra, sed naves peterent. *Liv* 25, 27. *med.* Classis petere altum visa est. *Virg. G.* 3, 521. per prata volutus Purior electro campum petit amnis. *Ov. Fast.* 3, 457. Petere coelum pennis. *Id. Met.* 1, 316. Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus, Nomine Parnassus; et *Plin.* 27, 12, 96. Polygala palmi altitudinem petit; et *Virg. A.* 9, 119. Delphinumque modo demersis aequora rostris Ima petunt. ℙ *Petere iter, viam,* ingredi, inire. *Cic. Planc.* 40. *extr.* Iter a Vibone Brundisium terra petere contendi. Adde *Liv.* 44, 2. *Val. Fl.* 1, 91. celerique per aethera lapsu Diversas petiere vias. *Cic. Att.* 3, 8. Ille incertus, ubi ego essem, fortasse alium cursum petivit. ℙ *Petere fugam,* quaerere fugiendi locum, aut rationem. *Caes. B. G.* 2, 24. Aliam in partem petebant fugam. *Liv.* 28, 6. Nec fuga effuse petita, nec pertinaciter proelio inito. ℙ *Petere salutem fuga* ap. *Nep. Ann.* 11. Sic *Ov. Met.* 1, 533. Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo Vidit, et hic praedam pedibus petit, ille salutem. ℙ Petere aliquem, adire, convenire, visere. *Virg. A.* 6, 115. ut te supplex peterem, et tua limina adirem. ℙ *Petere aliquem,* rogare, ut videtur. *Pl. Curc.* 1, 2, 60. Pessuli, heus pessuli, vos saluto lubens, Vos amo, vos volo, vos peto atque obsecro. *Capitol. Maxim.* 2. Imperatorem publice petiit, ut sibi daret licentiam contendendi cum iis, qui, etc. ℙ Saepe est appetere, sectari, cupere. *Sall. Cat.* 57. *extr.* Quo minus gloriam petebat, eo magis sequebatur. *Id. ep. Mithridat. ad Arsac. med.* Ea re a nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris. *Cic. Or.* 15. *f.* Qui eloquentiae principatum petit. ℙ Hinc ea significatio in rebus amatoriis. *Prop.* 2, 7, 61. Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit. *Id. ib.* 16, 27. Cum te tam multi peterent, tu me una petisti. *Sall. Cat.* 25. Lubidine sic accensa Sempronia, ut viros saepius peteret, quam peteretur. *Catull.* 61, 151. Nupta tu quoque, quae tuus Vir petet, cave, ne neges; Ne petitum aliunde eat. ℙ Interdum est exigere, postulare, poscere. *Cic. Or.* 3, 31. Ex iis tantum, quantum res petet, hauriemus. *Varr. R. R.* 1, 23. Ita petit asparagus. *Quint.* 7, 1. *med.* Petuntur in vincula, qui parentes suos non alunt; et *ib.* 6. Petere aliquem ad supplicium. *Virg. A.* 6, 395. Tartareum ille manu custodem in vincla petivit. ℙ Item judicio aliquid postulare, litem intendendo rem suam repetere. *Cic. Rosc. Com.* 18. Qui per se litem contestatur, sibi soli petit: alteri nemo potest, nisi qui cognitor est factus. *Id. Cluent.* 59. *med.* Aliquando cum servo Aviti furti egit: nuper ab ipso Avito petere coepit. *Id. Mil.* 27. Qui non calumnia litium, non injustis vindiciis ac sacramento alienos fundos, sed castris, exercitu, signis inferendis petebat. V. PETITIO et PETITOR. Hinc *unde petitur* est is, a quo in judicio quippiam petitur. V. UNDE. ℙ [*Hinc precibus aliquid petere; atque imprimis de iis dicitur, qui honores, munera reipublicae sectantur. Ita saepissime legitur *petere praeturam, consulatum, centuriatum, pontificatum,* cet. ℙ Etiam absolute *petere* est honoribus, muneribus publicis operam dare.] *Sall. Jug.* 67. Tamen ad id locorum talis vir (nam postea ambitione praeceps datus est) petere non audebat; et *ib.* 68. Marius ab Metello petundi gratia missionem rogat. *Cic. Att.* 1, 1. Nemo est ex iis, qui nunc petunt, qui firmior candidatus fore videatur. *Liv.* 1, 35. Ergo virum, cetera egregium, secuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio est. V. PETITIO et PETITOR. ℙ [*Hinc in universum est rogare.] *Cic. Fam.* 13, 7. *med.* A te etiam atque etiam, pro nostra conjunctione, majorem in modum peto atque contendo, ut, etc. *Id. ib.* 5, 4. Peto quaesoque, ut, etc. et *ib.* 9, 13. Peto igitur a te, vel, si pateris, oro, ut, etc. *Id. Verr.* 2, 4, 29. Id sibi ut donaret, rogare et vehementer petere coepit; et *ib.* 28. Petit a rege, et eum pluribus verbis rogat, ut, etc. et *ib.* 5, 82. Petivit in beneficii loco et gratiae, ut, etc. *Petr. Sat.* 17. Peto et oro, ne religiones jocum faciatis, etc. *Caes.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Quod ne facias, pro jure amicitiae nostrae a te peto. *Cic. Sull.* 19. *f.* Per litteras precibus a Sulla petit, ut, etc. *Phaedr. prol.* 3. sincerum mihi Candore noto reddas judicium, peto. *Ulp. Dig.* 13, 6, 5. *f.* Si de me petisses, ut triclinium tibi sternerem, *h. e.* a me. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Si Octavius tibi placet, a quo de nostra salute petendum sit. *Caes. B. G.* 2, 13. *extr.* Passis manibus pacem a Romanis petierunt. *Cic. Tusc.* 5, 2. Petere opem ab aliquo. *Id. Q. Fr.* 2, 15. M. Curtio tribunatum a Caesare petivi, *h. e.* pro M. Curtio. Sic *Tac. A.* 2, 31. Petere vitam nocenti. *Just.* 43, 5. Petito, ut intrare urbem liceret, *h. e.* cum petisset. ℙ Cum duobus accusativis. *Ov. Met.* 7, 295. admonitus, juvenes nutricibus annos Posse suis reddi, petit hoc Aeetida munus; et *ib.* 14, 787. Has petit auxilium. *Quint. decl.* 9, 2. Quidquid petii patrem, exoravi. *Phaedr.* 1, 2. Ranae regem petierunt Jovem. Haec congessere *Heins.* et *Burm.* ad primum *Ov.* loc.: fatentur tamen, incertae lectionis esse omnia. [*Ruddim.* et *Zumpt.* negant v. *petere* ita cum duplici accus. recte posse construi.] ℙ Cum infinito. *Stat. Ach.* 1, 352. arma humeris arcumque animosa petebat Ferre, et Amazonio connubia pellere ritu. *Mart.* 5, 50. Meque petis stricto medium transfigere ferro. Adde *Sil.* 3, 12. ℙ Item parare, *Cic. Q. Fr.* 3, 8. Praesidium firmissimum petebamus ex optimi et potentissimi viri benevolentia ad omnem statum nostrae dignitatis. *Ter. Heaut.* 5, 2, 25. Unde mihi peterem cibum. *Tibull.* 1, 10, 9. Luera petituras freta per parentia ventis Ducunt instabiles sidera certa rates. ℙ *Petere aliquid aliquo,* ire aliquo ad quippiam sumendum, accipiendum. *Plin.* 9, 54, 79. Visum est tanti in extremam Italiam petere Brundisium ostreas. *Id.* 12, 15, 33. Myrrham petunt ad Troglodytas; et 36, 6, 9. Arena ad Aethiopas usque petitur. *Id.* 16, 10, 15. Collis, in quem vimina petebantur. *Id.* 19, 4, 19. *n.* 3. Quaeque trans maria petimus; et *ib. n.* 2. Aves ultra Phasidem peti. *Id.* 5, 1, 1. Colonia jura Baeticam petere jussa. *Id.* 6, 22, 24. Si perducta mens illuc usque cogitet, quid, et quo petatur, et quare. ℙ Item ducere, sumere, *Pl. Cist.* 1, 1, 57. Hoc sis vide, ut petivit suspirium alte! *Ter. Eun.* 3, 2, 38. E flamma petere te cibum posse arbitror. *Cic. Caecin.* 4. Si forte videbor altius initium rei demonstrandae petisse. *Id. Acad.* 1, 2. Quae docti a Graecis petere mallent, indocti ne a nobis quidem accipiunt. *Id. Fam.* 5, 15. *f.* Sic litteris utor, non ut ab his medicinam perpetuam, sed ut exiguam doloris oblivionem petam. *Id. Inv.* 1, 14. et *Att.* 1, 16. *med.* et *Sall. Jug.* 69. Petere poenas ab aliquo. *Quint. prooem.* 7. *extr.* consilium a se ipso. *Id.* 12, 11. rerum exempla ab historicis, aut dicendi ab oratoribus. *Virg. G.* 4, 8. Principio sedes apibus, statioque petendae, *h. e.* capiendae, eligendae. ℙ *Petit* pro *petiit* habet ultimam longam, quia duas vocales in unam contrahit. *Ov. Fast.* 1, 109. Flamma petit altum, propior locus aera cepit. *Virg. A.* 9, 9. Sceptra Palatini sedemque petit Evandri.

PĔTŌRĬTUM et Petorritum, i, n. genus vehiculi Gallici. Nituntur etymologi ex Graeco ducere. V. *Voss.* Negat *Gell.* 15, 30. e Graeco esse, sed vocem mere Gallicam: idque Varronis auctoritate confirmat. *Festus:* Petoritum et Gallicum vehiculum esse, et nomen ejus dictum existimant a numero quatuor rotarum: alii Osce, quod ii quoque petora, quatuor vocent: alii Graece, sed *Αἰολικῶς* dictum. *Hor. Ep.* 2, 1, 192. Esseda festinant, pilenta, petorita, naves. *Id. Sat.* 1, 6, 103. plures calones, atque caballi Pascendi, ducenda petorrita. *Plin.* 34, 17, 48. Stanno esseda, et vehicula, et petorita exornare. *Auson. ep.* 5. 35. Invenies praesto subjuncta petorita mulis; et *ib.* 8, 5. Cornipedes raptant imposta petorita mulae. [Adde *Not. Tir.* p. 174., ubi tamen mendose legitur *petrotum. F.*]

PĔTŌSĪRIS, ĭdis, m. *Πετοσῖρις*, Aegyptius mathematicus insignis. *Plin.* 2, 23, 21. et 7, 49, 50. et *Firm. Math. praef.* 4. Hinc pro quolibet mathematico ponitur a *Juven.* 6, 580. capiendo nulla videtur Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris.

*PETOVĬO vel Petobĭo, onis, *Πετανίων, Ptolemaeo,* oppidum Pannoniae inferioris, ad Dravum flumen, in Norici finibus. *Tac. H.* 3, 1. Noricorum oppidum appellat *Ammian.* 14, 37. ℙ *Petavio* vocatur in *Tab. Peut. Poetavio* in *Ant. Itin. Poetevio* denique in *Inscr.* ap. *Grut.* p. 533. n. 8. et p. 766. n. 2. ℙ Hodiernum nomen est *Petau* vel *Pettau. B. A.*

PETRA, ae, f. *πέτρα*, rupes, cautes, scopulus. *Plin.* 10, 32, 48. Gaviae in petris nidificant. *Petr. fragm.* 675. *Burm.* exciso defossa marmore petra. *Sen. Herc. Oet.* 804. Petrae Capharides. *Id. Hippol.* 1022. Et scelere petrae nobiles Scironides. *Plin.* 32, 6, 22. Laudatissima alga, quae juxta terram in petris nascitur. *Id.* 34, 12, 29. Lapis ex subdialibus petris caeditur. Adde *Gell.* 10, 16. *med.* ℙ Hinc nomen est aliquot oppidorum, quae in rupibus sita sunt, ut Petra metropolis Arabiae Petraeae, ap. *Plin.* 6, 28, 32. Petra Oxi, ap. *Curt.* 7, 11. Adde *Lucan.* 6, 16. ℙ *Fuit et Petra opp. Siciliae, cujus meminit *Ptolemaeus.* Hujus incolae appellantur *Petrini* a *Cic. Verr.* 2, 3, 39. et *Plin.* 3, 8. *Petraea* appellatur a *Sil.* 14, 249. et *Petrinae* ab *Ant.* in *Itin.* ℙ Item opp. Pieriae. *Liv.* 29, 26. ℙ et Thraciae, in terra Maedica. *Id.* 40, 22. ℙ item Umbriae, Petra Pertusa dictum. *Aurel. Vict. Epit.* in *Vespas.* 17. ℙ Fuit et Petra collis nomen prope Dyrrhachium, prope quem facilis appulsus litoris. *Caes. B. C.* 3, 42. *Lucan.* 6, 16 et 70. *B. A.* ℙ Est etiam lapis, saxum. *Pl. fragm.* ap. *Serv.* et *Philarg.* ad *G.* 4, 171. Quam folles taurini habent, cum liquescunt petrae, ferrum ubi fit. *Plin.* 37, 10, 56. Cytis *(gemma)* videtur intus habere petram, quae sentiatur etiam strepitu. Ita *Hard.* ex MSS. Libri editi *partum, qui.* Adde *Fest.* in *Petreja*, ubi petras agri vitium vocat. ℙ Petrarum, inquit *Festus*, genera sunt duo, quorum alterum naturale, saxum prominens in mare, cujus Ennius meminit *l.* 11. *(de specu)* Alte delata, petrisque ingentibu' tecta: et Livius in Centauris: ubi ego saepe petris: (alii leg. *ubi*

echo septa petris). Alterum manufactum, ut docet Aelius Gallus, petra est, quae Jovis (al. leg. *domus*) dextra ac sinistra fornicem expletura est ad libramentum summi fornicis. Haec *Festus*. ℙ [*Petra* est etiam cogn. R. *Tac. A.* 11, 4. Pergitque Suilius addere reos equites Rom. illustres, quibus Petra cognomentum. *Lipsius* putat, ab his denominatam fuisse *alam Petrianam*, cujus mentio est ap. *Tac. H.* 4, 49. Cladius Sagitta praefectus alae Petrianae: et in *Notit. imper.* Praefectus alae Petrianae legitur in Britannia per lineam valli. Adde *Inscr.* allatam in PETRAEUS. *F.*]

[PETRĂBŬLUM, i, n. *πετροβολον*, catapulta, quae lapides jacit: a *πέτρα*, lapis, et *βάλλω*, jacio. *Not. Tir. p.* 179. Petra, petrabulum. *F.*]

PETRAEUS, a, um, adj. in petris nascens, ut Petraea brassica, ap. *Plin.* 20, 9, 36. et Alum petraeum. *Id.* 27, 6, 24. V. OCRIS. ℙ Arabia Petraea dicta est ab oppido Petra, de quo in PETRA. Hinc Petraea balanus, quae circa illud nascitur. *Plin.* 12, 21, 46. et Petraeum hypericon, ead. ratione. *Id. ib.* 25, 54. ℙ [Hinc *Petraei, orum*, sunt milites ex ea regione. *Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 686, 6. et 1096, 3., emendatior ap. *Oderic. Orciget.* p. 57. C. Camurio C. F. Lem. Clementi Trib. Mil. Coh. II. Ulpiae Petraeo*rum* milliari*ae* equitat*ae*, Praef. alae Petrianae milliari*ae* Civium Romanorum bis torquatae, etc. *F.*]

PETRĒIA vocabatur, quae pompam praecedens, in coloniis, aut municipiis, imitabatur anum ebriam, ab agri vitio, scilicet petris, appellata. *Festus*. Similia fuere *Citeria*, et *Manducus*, quae V.

PETREJĀNUS, a, um, adj. ad Petrejum pertinens, quod est nomen propr. civis R., ut Petrejanum auxilium, *Hirt. B. Afr.* 19.

PETRENSIS, e, adj. petraeus, ut Petrenses pisces. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *n.* 26. h. e. saxatiles. ℙ *Petrenses, ium*, Petrae oppidi incolae. *Solin.* 5. *med.* Stagnum Petrensium serpentibus noxium est.

PETRĔUS, a, um, adj. a *petra* aut *Petro. August. serm.* 297, 2. *extr.* Aspera via mortis, spinis plena: sed istae spinae, Petra et Petro transeunte, petreis pedibus tritae sunt.

*PETRICHUS, i, m. *Πέτριχος*, poeta Graecus, qui scripsit *Ὀφιακά*, sive de serpentibus. *Plin.* 20, 23. Petrichus, qui Ophiaca scripsit. Sic ed. *Hard.* Olim legebatur *Petridius. Id.* 22, 22. Illinitur et contra venena marinorum, sicut Petrichus in carmine suo significat. Sic ed. *Hard.*, ubi antea *Petricus* legebatur. ℙ *Schol.* ad *Nicand. Theriac.* p. 27. *Πέτριχος, ἐν Ὀφιακοῖς*. Et p. 30. *Πέτριχος ἐν τῷ Ὀφιακῷ*, hoc est, in eo libro, quo de serpentium natura disputat. *B. A.*

PETRĪCOSUS. V. PERTRICOSUS.

PETRĪNI, orum, m. plur. incolae Petrae, urbis Siciliae, nunc *Petralla*, cujus meminit *Ptolem.* 3, 4. et nummus ap. *Sestin. cl. gen.* p. 21. ΠΕΤΡΕΙΝΩΝ. *Cic. Verr.* 2, 3, 39. Gloriatur non Turpioni lucrum datum, sed Petrinis pecuniam ereptam. *Plin.* 3, 8, 14. Noaei, Petrini, Paropini.

PETRĪNUM, i, n. *Petrino*, collis haud procul a monte Massico in Campania, quos inter erat Sinuessa urbs excisa: in eodem erat praedium, cujus meminit *Cic. Fam.* 6, 19. *Hor. Ep.* 1, 5, 5. Inter Minturnas, Sinuessanumque Petrinum.

PETRĪNUS, a, um, *πέτρινος*, qui est ex petra, ut Petrina acies, ap. *Tert. advers. Marc.* 3, 16. et *adv. Jud.* 9. *med.*, qua scilicet circumcisio fiebat. Adde *Lactant.* 4, 17.

PETRĪTES, ae, m. genus vini ita dictum, ut videtur, quia circa Petram, Arabiae urbem nascitur. *Plin.* 14, 7, 9.

PETRO, onis, m. rusticus: a petrarum asperitate, duritiaque. *Fest.* ℙ A petra quoque arietes vocantur petrones, idest a duritie et asperitate. *Pl. Capt.* 4, 2, 40. Qui petroni nomen indunt verveci tectario, *h. e.* qui petronum, sive arietum carnem vendunt pro vervecina, quae sapore magis commendatur. ℙ [Fuit etiam cogn. R., ut T. Flavius Petro, avus Vespasiani Aug., ap. *Suet. Vesp.* 1. *F.*]

[PETROCŌRĬUS, a, um, adj. *Πετροκόριος*, ad Petrocorios pertinens, Aquitaniae populos, quorum regio nunc *Périgord*, hujus urbs primaria Vesunna, nunc *Périgueux* appellatur. Eorum meminere *Caes. B. G.* 7, 75. *Plin.* 4, 19, 33. et *Ptolem.* 2, 7. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 450, 8. Adbogius Coinagi F. nat*ione* Petrocorius. *F.*]

PETRŌNĬA, ae, f. annis est in Tiberim profluens, quam magistratus auspicato transeunt, cum in campo quid agere volunt: quod genus auspicii peremne vocatur. Amnem autem feminine antiqui enunciabant *Fest.*, qui etiam in *Catifons* ejus mentionem facit. ℙ *Petronia Lex* de servis, quae eadem esse videtur ac Junia Petronia, ideoque minime pertinet ad P. Petronium Turpilianum Cos. ann. a Chr. n. LXI., ut quidam falso putarunt (hujus enim collega non Junius aliquis fuit, sed C. Caesonius Paetus, cui, cum abdicasset, successit P. Calvisius Ruso); sed potius ad duos consules suffectos hactenus ignotos, e gente Junia unum, ex Petronia alterum. *Modest. Dig.* 48, 8, 11. §. 3. Post legem Petroniam, et senatusconsulta ad eam legem pertinentia, dominis potestas ablata est ad bestias depugnandas suo arbitrio servos tradere: oblato tamen judici servo, si justa sit domini querela, sic poenae tradetur. *Hermog. ib.* 40, 1, 24. Lege Junia Petronia si dissonantes pares judicum exsistant sententiae, pro libertate pronunciari jussum. ℙ Altera fuit *Petronia Lex* de magistratibus municipalibus, lata a P. Petronio, filio P. Petronii Turpiliani IIIIviri A. A. A. F. F. ann. U. C. DCCXXXV., ante Chr. n. XIX., et patre P. Petronii Turpiliani Cos. a Chr. n. LXI. Is autem ann. a Chr. n. VII. cooptatus fuit in collegium augurum, ut patet ex *Inscr.* ap. *Fea, Framm. difasti n.* 10., deinde fuit consul suffectus ex *Tac. A.* 6, 45., quo vero anno incertum est, at certe post ann. a Chr. n. XVI., tum Asiae proconsul sub Tiberio, et legatus Syriae sub Cajo, ut constat ex *Philone* in *Leg.* ad *Cajum*, et ex *Josepho Flav.* in *Antiq. Jud.* 18, 9. *Inscr.* Pompejis reperta, edita autem, commentario adjecto, a *Mich. Ardito* p. 5. C. Cuspius C. F. Pansa pater D. V. I. D. (*duumvir juri dicundo*) IIII., quin*quennalis*, Praef. I. D. ex D. D. lege Petron*ia*. Alia ap. *Fabr.*, quae ad Casinum pertinet, p. 485. *n.* 159. *Imp.* Galba II. T. Vinio Cos..... ius Verus IIIIvir I. D..... S Rullus IIIIvir P. L. P., *h. e.* praefectus lege Petronia, minime vero *per legem Pompejam*, ut interpretatur *Fabr.* V. PRAEFECTUS, *F.*] ℙ **Petronia*, *ae*, f. prima Vitellii uxor. *Suet. Vit.* 6. *Tac. H.* 2, 64. *B. A.*

PETRONĬĀNUS, a, um, adj. ad Petronium aliquem pertinens, ut Petroniana Albucia, ap. *Fulg. Myth. praef.* 1. *med.* [Albucia scilicet, quae a *Petronio* memoratur; ceterum in ejusd. *Sat.* nulla hodie de hac Albucia mentio est. *F.*]

PETRŌNĬUS ARBITER (praenomine T. vel C.) Massilliensis, equestri genere natus, vir consularis, et inter familiares Neronis imp. a cujus familiaritate et favore cum artibus Tigellini aemuli excidisset, sectis venis vitam finivit. Scripsit Satyricon, quo corruptissimos suorum temporum mores insectatur eleganti quidem, et polito loquendi genere, verum tot obscenitatibus asperso, ut non sine pudoris detrimento perlegi possit. ℙ [Porro *Nic. Ignarra de palaestr. Neap.* p. 193. et sqq. probare conatur, *Petronium* nomen esse confictum, hujus *Satyrici* auctorem fuisse Neapolitanum, ac Neapoli operis scenam collocandam, denique illum circa Antoninorum tempora vixisse. At *Cat. Janellius* in *dissert. III.* ad *Perott. Cod. MS. Neap.* invicte probat, Petronium Arbitrum sub Claudio, et Nerone floruisse, et Saturam, non Satyram scripsisse, tandem eandem Puteolis habitam fuisse. *F.*] ℙ Adjective *petronios canes* ap. *Grat. Cyn.* 202. et 206. intelligit *Ulitius* per rupes, seu petras, et aspera montium venari solitos. V. PETRO.

PETROSĔLĪNUM, i, n. *πετροσέλινον*, genus apii in petris nascens, et in aspretis: a *πέτρα*, petra, et *σέλινον*, apium. *Plin.* 20, 12, 47. et *Pall.* 5, 3.

PETRŌSUS, a, um, adj. *πετρώδης*, petris abundans. *Plin.* 9, 31, 50. de locutis aquatilib.: Vivunt petrosis locis, cancri mollibus. *Id.* 26, 8, 29. Crethmus nascitur in maritimis petrosis.

[PETTĂLUS, m. nomen proprium viri, qui in aula Cephei, regi Perseo vim inferre conati, citharoedum interfecit, ipse autem vicissim a Lycorma occiditur: a *πήτταλος* Ionice pro *πάσσαλος*, pessulus. *Ov. Met.* 5, 115. Pettalus, I, ridens, Stygiis cane cetera dixit, Manibus. *F.*]

PETTEUMA. V. PYTISMA.

PĔTŪLANS, antis, part. ab. inus. *petulo*, *ὑβριστής*, procax, improbus, immodestus, qui quos libet sine discrimine petit et lacessit et laedit. *Festus:* Petulantes, et petulci etiam appellantur, qui protervo impetu, et crebro petunt laedendi alterius gratia. *Cic. Or.* 2, 75. Illud assequor, ut si quis mihi forte maledicat, petulans, aut plane insanus mihi esse videatur. *Id. Pis.* 5. Quam potestatem minuere, quo minus de moribus nostris quinto quoque anno judicaretur, nemo tam effuse petulans conatus est. *Id. Brut.* 68. *f.* Fervidum quoddam, et petulans, et furiosum genus dicendi. *Arnob.* 4, 151. Ne vestras aures convicio aliquis petulantiore pulsaret. *Pers.* 1, 12. sum petulanti splene cachinno. *Lucr.* 6, 110. Carbasus perscissa petulantibus Euris. *Juven.* 12, 5. Hostia petulans, *h. e.* vitulus, qui cornu petit. *Petr. Sat.* 92. Et me quidem pueri, tanquam insanum, imitatione petulantissima deriserunt. ℙ Item lascivus, *h. e.* ad quidlibet sine modo agendum proclivis, etiam si non laedat. *Gell.* 17, 20. *med.* Uti quaedam animalium parva et vilia, ad imitandum sunt, quas res cumque audierint, viderintve, petulantia. *Petulantem picturam* vocat *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 33. qua Juppiter pictus fuit mitram habens, et habitu parturientis Bacchum inter obstetricia Dearum muliebriter ingemiscens. Dedecent enim haec maxime regem Deum atque hominum et fulmina jaculantem. ℙ Speciatim significat lascivum in turpi libidine. *Cic. Par.* 3, 1. Lapsa est libido in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet, quam si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine. [*Negat *Doederl.* 3, 42. sq. ap. aureae aetatis scriptores v. *petulans* ita dici, ut [*lascivi* notionem assumserit: serioribus demum hoc sensu adhiberi v. *petulantiae*: coll. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 126. *a. ed. Fr.* ℙ De discrimine inter *petulans*, *procax* et *protervus Doederl. ib.* 40. sq. haec habet, ut *petulans* quietis pacisque odio, etiam malitia, *procax* audacia vel potius impudentia, *protervus* nimia virium conscientia modestiam excedat. *Lascivus* in eo ab his tribus vocabulis differre, quod nusquam impetendi, insultandi, laedendi animum contineat. *F.*]

PĔTŪLANTER, adv. *ὑβριστικῶς*, licenter, procaciter, improbe. *Cic. Att.* 2, 19. Diphilus tragoedus in nostrum Pompejum petulanter invectus est. *Id. Coel.* 16. *extr.* Si vidua libere, proterva petulanter, dives effuse, libidinosa meretricio more viveret; et *ib.* 3. Contumelia si petulantius jactatur, convicium; si facetius, urbanitas nominatur. *Id. Att.* 9, 19. Ea, quae cum a bonis viris, cum justo in bello, cum modeste fiant, tamen ipsa per se molesta sunt; quam censes acerba nunc esse, cum a perditis in civili nefario bello petulantissime fiant?

PĔTŪLANTĬA, ae, f. *ὕβρις*, immodestia, improbitas illa, qua alios per contumeliam petimus, et generatim effrenatio immodica ad quodlibet vitium. *Cic. fr.* ap. *Non.* 1, 89. Itaque a petendo petulantia, a procando, idest poscendo, procacitas nominata est. *Id. Sen.* 11. Petulantia et libido magis est adolescentium, quam senum, nec tamen omnium adolescentium, sed non proborum. *Gell.* 3, 3. *extr.* Cum delicta sua, et petulantias dictorum diluisset. *Cic. Cat.* 2, 11. Ex hac parte pugnat pudor, illinc petulantia. *Id. Pis.* 14. Abjecti hominis furorem et petulantiam fregistis. *Id. Caecin.* 35. *extr.* Neque quicquam illius audaciae petulantiaeque concessit. *Id. Font.* 12. *extr.* Nulla turpitudo, quae a libidine, aut a petulantia, aut ab audacia nata esset. ℙ Petulantiam vocat *Pl. Men.* 5, 1, 43. cum quis alterum falso insimulat. ℙ Item negligentiam, socordiam, qua quis amittit aliquid, quod magni momenti erat, *Id. Cist.* 4, 2, 3. ℙ Dicitur proprie de bestiis, quae cornu petunt. *Colum.* 7, 6. Maritos gregum mutilos esse oportebit: quoniam cornuti fere perniciosi sunt propter petulantiam. ℙ Translate. *Plin.* 16, 30, 53. Praecipue domibus expetitur ramorum petulantia, brevi caudice latissima exspatiantium umbra, et in vicinas domos saepe transilientium, *h. e.* dilatatio exuberans, luxuria. *Gell.* 12, 5. *med.* Vidistis philosophum, ratione decreti sui nixum, cum petulantia morbi, dolorisque exsultantia colluctantem.

PĔTULCUS, a, um, adj. *κορυπτίλος*, qui cornu petit, petulans, lascivus: a *peto*, *is*, ut hiulcus, ab *hio*, *as:* et dicitur etiam de pecudibus, quae cornibus carent, sed lasciviunt tamen, exsultant, insolescunt. *Colum.* 7, 3. Capri, vel arietis petulci saevitiam pastores hac astutia repellunt. *Virg. G.* 4, 10. neque oves, haedique petulci Floribus insultent. *Lucr.* 2, 267. agnique petulci. *Afran.* ap. *Fest.* in *Petulantes:* Nostrum in conventum aut consessum ludum, lapsumque petulcum. ℙ Subdit *Festus:* Interdum pro veloci usi videntur antiqui, ut hoc versu intelligitur: Exsilivit, quasi petulcus quidam, pedibus convibravit. Ita *Fest.*, sed non est necesse a priore notione discedere. ℙ Translate ita vocantur etiam meretrices. *Serv.* ad *Virg. G.* 4, 10. Haedi petulci dicti ab appetendo: unde et meretrices petulcas vocamus.

PEUCĒ, es, f. *πεύκη*, Graece est picea, pinus, aut larix. *Plin.* 11, 35, 41. Cantharidas vermiculi ficorum, et piri, et peuces generant. ℙ Ap. *eund.* 14, 7, 9. est genus uvae in Aegypto. ℙ Item nomen insulae Danubii, sic dictae ab vicino ejus ostio cognomine. *Id.* 4, 12, 24., *Lucan.* 3, 202. et *Claud. IV. cons. Honor.* 629. ℙ In fabulis est Nympha Sarmatica, quam Ister compressit. *Stat. Silv.* 5, 2, 137. undoso circumflua conjuge Peuce. Adde *Val. Fl.* 8, 217. et 256.

PEUCĒDĂNUM, i, n. et Peucedanos, i, m. *πευκέδανος*, herbae genus, a *πεύκη*, pinus, quia ejus folia imitatur, ut *myrtidanum* a *myrtus:* unde et pinastellum nonnulli ex recentioribus appellaverunt. *Plin.* 25, 9, 70. Sed inter primas celebratur peucedanum, laudatissimum in Arcadia, mox Samothrace. Caulis ei tenuis, longus, foeniculo similis, juxta terram foliosus, radice nigra, crassa, gravi odore, succosa: gignitur in montibus opacis, etc. *Appul. Herb.* 94. A Graecis dicitur peucedanos: Latini pinastellum vocarunt. [**Haarstrang*, *Saufenchel*, Peucedanum officinale, *L.*] ℙ Vim habet praecipue contra serpentes. *Plin. l. c.*, *Lucan.* 9, 919.

*PEUCELAĬTAE, arum. V. in v. sq. *B. A.*

*PEUCELAĬTIS (Peucolaitis), idis, f. opp. Indiae cis Gangem, quae *Πευκέλα* appellatur ab *Arriano. Plin.* 6, 17. ℙ *Peucelaitae* (Peucolaitae), *arum*, audiunt incolae *Plin.* 6, 20. *B. A.*

[PEUCĒNI et Peucini, orum, m. plur. *Πευκηνοί*, populi Germaniae, qui Peucen incolebant, Danubii insulam. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 31. Nereus natione Germanus Peucenus. *Plin.* 4, 14, 28. Quinta pars Peucini, Bastarnae supra dictis con-

termini Dacis, *Tac. G.* 46. Peucini, quos quidam Bastarnas vocant. *F.*]

*PEUCETĬAE, arum, populi Liburniae vel Illyriae. *Plin.* 3, 21. *B. A.*

PEUCĒTĬUS, a, um, adj. ad Peucetiam pertinens, quae est regio Italiae, pars Appuliae, inter Aufidum fluvium, et Calabriam: nunc *Terra di Bari* dicta. *Ov. Met.* 14, 512. Venulus Calydonia regna, Peucetiosque sinus, Messapiaque arva relinquit. *Serv.* ad *A.* 8, 9. tradit, Peucetiam, et Messapiam a duobus fratribus dictas, qui illic imperarunt. *Plin.* 3, 11, 16. *Peucetiam* scribens dictam a Peucetio Oenotri fratre, ipsam Calabriam appellare videtur.

*PEUCOLĀIS, idis, f. opp. Gedrosiae, cujus meminit *Plin.* 6, 23. *B. A.*

PEUMĒNĒ, es, f. πευμένη, spumae argenteae genus. *Plin.* 33, 6, 35.

PEXĀTUS, a, um, adj. qui pexa veste est indutus, hoc est cujus flocci nondum sunt detriti. *Mart.* 2, 58. Pexatus pulcre rides mea, Zoile, trita. *Sen. V. B.* 25. Pexatus, et gausapatus.

PEXĪTAS, atis, f. Pexitas telae est lanugo telae pexae. *Plin.* 11, 24, 28. de tela aranei: Quanta arte celat pedicas, scutulato rete grassantes! quam non ad hoc videtur pertinere crebratae pexitas telae, et quadam politurae arte ipsa per se tenax ratio tramae!

PEXUS, a, um, part. a *pecto:* ἐκτετριμένος, εὔπεκτος, qui capillos comptos, et pectitos habet, depexus. *Juven.* 11, 149. tonsi, erectique capilli, Atque hodie tantum propter convivia pexi. *Mart.* 7, 58. Dum coma te nimium, pexaque barba juvat. *Quint.* 1, 5. At ille pexus pinguisque doctor putabit, etc. *Pers.* 1, 15. Scilicet haec populo pexusque, togaque recenti Sede leges celsa. ℙ *Pexa vestis* est nova, et minime trita, villis adhuc planis, et politis, ac texturam tegentibus, ut in laneis pannis recentibus videmus: cui opponitur trita. *Hor. Ep.* 1, 1, 95. si forte subucula pexae Trita subest tunicae. *Plin.* 8, 48, 73. Lana Istriae, Liburniaeque pilo propior, quam lanae, pexis alienа vestibus. ℙ A similitudine *Colum.* 11, 3. *med.* de lactucae generib.: Cappadocia, quae pallido, et pexo, densoque folio viret, *h. e.* leviter villoso, et laevi. ℙ *Pexa munera* ap. *Mart.* 7, 46. quidam intelligunt pexam togam: alii aliter. ℙ [Scribitur etiam *pexsus* in antiquis lapidibus, ubi est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 487, 1. Q. Veturius Q. F. Pom. Pexsus. Alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 91. Jucunda Pexsa. *F.*]

PEZĪCAE vel Pezītae, m. plur. πέζικες, πέζεαι, fungi sine radice, aut pediculo: a πέζις, vel πέζις, pedes, quasi pedestres, quod non tollant sese altius a terra, ap. *Plin.* 19, 3, 14. [et *Athenaeum* 2, 19. *F.*]

PH

PH. De pronunciatione harum litterarum, quas Graeci unica φ comprehendunt, haec habet *Quint.* 12, 10. *med.* Latina facundia est ipsis sonis durior, quando et jucundissimas ex Graecis litteras (*h. e.* υ et φ) non habemus, vocalem alteram, alteram consonantem, quibus nullae apud eos dulcius spirant: quas mutuari solemus, quoties illorum nominibus utimur. Quod cum contingit, nescio quomodo hilarior protinus renidet oratio, ut in *Ephyris* et *Zephyris*, quae si nostris litteris scribantur, surdum quiddam et barbarum efficient, et velut in locum earum succedent tristes et horridae, quibus Graecia caret. Nam et illa, quae est sexta nostrarum (*h. e.* f) paene non humana voce, vel omnino non voce potius, inter discrimina dentium efflanda est: quae, etiam cum vocalem proxima accipit, quassa quodammodo, utique quoties aliquam consonantem frangit (V. FRANGO), ut in hoc ipso *frangit*, multo sit horridior.

[PHĂBĀTON, onis, m. nomen propr. pantomimi, ap. *Sidon. carm.* 23, 268. *F.*]

[PHĂCĒLĪNUS, a, um, adj. a φάκελος, fascis. Diana Phacelina est dicta a fasce sarmentorum, quo Orestes ejus simulacrum ex Scythia Ariciam in Italiam attulisse dicitur. V. *Serv.* ad *Virg. A.* 2, 117. et *Hyg. fab.* 261. *Sil.* 14, 260. Mille Thoanteae sedes Phacelina Dianae, *h. e.* fanum Dianae Phacelinae inter Mylas, et Naulochum, non longe a Peloro, promontorio Siciliae. Hinc Melas fluvius oppidum praeterfluens *Phacelinus* dictus est. *Vib. Sequest. de flumin.* Phacelinus Siciliae juxta Peloridem: confinis templo Dianae. V. FASCELIS. *F.*]

PHĂCĒLIS. V. FASCELIS.

*PHACĬUM, i, n. Φάκιον, opp. Thessaliae. *Liv.* 32 et 36. c. 13. *B. A.*

*PHACUSSA, ae, f. maris Aegaei insula, una e Sporadibus. *Plin.* 4, 12. ed. *Hard.*, ubi ed. *Elzev.* habet *Phocussa. B. A.*

PHAEĂCĬA, ae, f. insula maris Ionii, eadem ac Corcyra. *Plin.* 4, 12, 19. Corcyra Homero dicta Scheria, et Phaeacia, Callimacho etiam Drepane. *Tibull.* 1, 3, 3. Me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris.

PHAEĂCIS, ĭdis, f. Φαιακίς, quae est ex Phaeacia. *Ov. Pont.* 4, 12, 27. Dignam Maeoniis Phaeacida condere chartis Cum te Pierides perdocuere tuae. Adde *ib.* 16, 27. Intelligitur autem poema Tuticani, inscriptum *Phaeacis*, in quo Ulyssis naufragium ad Phaeaciae litora, et ejus mora in ejus insula describebatur. Fortasse autem *Phaeacidis* nomine designabatur Nausicaa Alcinoi Phaeacum regis filia, a qua primum Ulysses naufragus exceptus fuit. V. *Homer. Odyss.* 5, 6, 7. etc.

PHAEACĬUS, a, um, adj. Φαιάκιος, ad Phaeaciam pertinens. *Tibull.* 4, 1, 78. Phaeacia tellus. Adde *Ov. Amor.* 3, 9, 47.

PHAEĂCUS, a, um, adj. Φαίαξος, idem ac Phaeacius. *Prop.* 3, 1, 51. Nec mea Phaeacas aequant pomaria silvas.

PHAEAX, ăcis, m. qui est ex Phaeacia. *Juven.* 15, 23. Tam vacui capitis populum Phaeaca putavit? *Hor. Ep.* 1, 15, 24. Pinguis ut inde domum possis Phaeaxque reverti, *h. e.* obesus, bene nutritus. Phaeaces enim luxu infames fuere. ℙ *Phaeaces, um*, sunt incolae illius insulae. *Ov. Met.* 13, 719. Phaeacum felicibus obsita pomis Rura.

PHAECĀSĬA. V. PHAECASIUM.

PHAECĀSĬĀNI Dii dicebantur, quorum simulacra phaecasiis induta erant. Alii intelligunt Deos, quorum sacerdotes *phaecasiani* dicebantur, quod phaecasia gestarent, quales Athenis, et Alexandriae fuisse, *Appian. de B. Civ.* 5, 11. ostendit. *Juven.* 3, 216. hic nuda et candida signa, Hic aliquid praeclarum Euphranoris, et Polycleti, Phaecasianorum vetera ornamenta Deorum. Alii leg. *Phaecasiatorum*, eod. sensu.

PHAECĀSĬĀTUS, a, um, adj. phaecasiis indutus. *Sen. ep.* 113. Quae decent phaecasiatum, palliatumque, *h. e.* Graecum philosophum. *Petr. Sat.* 72. Age ergo, inquit ille, in exercitu vestro phaecasiati milites ambulant? V. v. praec.

PHAECĀSĬUM, ii, n. et Phaecasia, ae, f. φαικάσιον, genus calceamenti, e corio, Graecorum proprium, tum viris, tum mulieribus commune, tum rusticis, tum urbanis: quin et Deorum simulacris aliquando inditum. *Sen. Ben.* 7, 21. Pythagoricus quidam emerat a sutore phaecasia. *Petr. fragm. Trag.* 67. *Burm.* Galbino succincta cingillo, ita ut infra cerasina appareret tunica, et periscelides tortae, phaecasiaeque inauratae.

[PHAEDĪMUS, ă, et ē, um, adj. φαίδιμος, illustris, clarus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 694, 7. M. Cornelius Phaedimus. Alia ap. *eund.* 807, 8. Laberia Phaedima; et 975, 8. Salvia M. L. Phaedime. ℙ *Phaedimus* fuit etiam nomen unius ex filiis Amphionis, et Niobes, qui ab Apolline sagittis confossus periit. *Ov. Met.* 6, 239. *F.*]

*PHAEDON vel Phaedo, onis, m. Φαίδων, Socratis discipulus, philosophus Elidensis, ingenio liberali, Platoni valde amatus, unde et praeclarum illum de animae immortalitate librum ejus nomine perscripsit. *Gell.* 2, 18. ℙ Contra perversam pronuntiationem, qua, *Sidonio* auctore, paenultimam in obliquis corripiunt, observari semel licet, semper apud Platonem vocalem longam in obliquis servari. ℙ Phaedon, Atheniensis, in convivio a triginta Atheniensium tyrannis necatus fuit. Hujus filiae virgines erant, quae ut virginitatem servarent morte, invicem se complexae, in puteum desiluere. *B. A.*

PHAEDRĀ, ae, f. Φαίδρα, Minois Cretensium regis filia ex Pasiphae, soror Ariadnes, uxor Thesei filii Aegaei regis Athenarum, qui eam se secutam, relicta Ariadne, uxorem sibi copulavit, atque ex ea Demophoontem, et Antigonum suscepit. Haec amore Hippolyti privigni capta, cum ipsum adducere non potuisset, ut paternum thalamum conspurcaret, apud patrem eum detulit, tanquam stuprum sibi per vim inferre voluisset. Tandem Hippolyti morte audita, qui patris iram fugiens ab equis discerptus fuerat, scelus suum Theseo narravit, et Hippolyti ense, vel laqueo ipsa sibi mortem conscivit. *Serv.* ad *A.* 6, 14. et 445., *Hyg. fab.* 47. et 243. et *Sen. Hippol.*

PHAEDRUS, i, m. Φαίδρος, natione Thrax, conditione servus, et ab Augusto manumissus, sub Tiberio maxime floruit, et quinque libros fabularum Aesopiarum suavissimis versibus senariis, nitidissimis, elegantissimis composuit, aureaque illa linguae aetate dignissimos, praeclaris insuper sententiis, et memoriae mandari dignis locupletissimos. In recto casu non sine ratione *Gudius* putat *Phaeder* dicendum esse, tum ex analogia, quod Σώπαιρος, Μέναιδρος, Ἀλέξανδρος, Περίανδρος, et similia in *er* exeunt; tum quia sic habetur in *Inscr.* ap. *Grut.* 1111, 3., et in alia, quam ipse refert. Ejus vitam fusius est persecutus *Jo. Schefferus*, deinde *J. G. S. Schwabius*, tandem omnium accuratissime *Cat. Jannellius* ad *Phaedri Fabulas* XXXII. *novas ex Cod. Perottino* ann. 1811. Neapoli ab eodem editas, et perpetuo commentario illustratas, de quarum tamen αὐθεντία adhuc sub judice lis est. Idem vero *ibid.* probavit, Phaedrum a *Mart.* 3, 20. memoratum, eundem esse ac nostrum fabulatorem. Quod vero improbum vocat *Id. l. c.* An aemulatur improbi jocos Phaedri? non alium ab hoc intelligit, scilicet Phaedro Augusti liberto juniorem, ut quidam putarunt; sed hunc ipsum improbum vocat, quia vafer et astutus blanda saepe fabella utitur ad grave aliquid et magnum significandum, quo plures decipiuntur; vitia enim sui saeculi sub fabellarum allegoria acutissime notat. Simili ratione usurpatur *improbus* a *Stat. Th.* 6, 804. ℙ *Alius, Epicureus philosophus, memoratur a *Cic. Fam.* 13, 1. Adde *Fin.* 5, 1. *extr. N. D.* 1, 33. *Phil.* 5, 5. *Att.* 13, 39. ℙ Alius, discipulus Platonis, cujus nomine Plato nobilem dialogum edidit. *Cic. Or.* 1, 7. Adde *Div.* 1, 37. ℙ *Phaeder* in recto habet *Inscr.* ap. *Grut.* p. 1111. *n.* 3. V. *Gud.* ad *Phaedr. B. A.* ℙ Ipsa vox Graece significat hilarem, alacrem, item splendidum, luculentum, et in tabula marmorea ap. *Grut.* 341. *f.* nomen est equi circensis, [et in alia ap. *eund.* 1111, 3. est nomen servi. *F.*]

[PHAENĪON, ii, n. φαινίον, dimin. φανὶς, anemone. *Plin.* 21, 23, 94. Anemonas coronarias tantum diximus, nunc reddemus et medicas. Sunt qui phaenion vocent. Duo ejus genera, etc. Alii minus recte leg. *phrenion. F.*]

[PHAENĬPPUS, i, m. clarus equis: a φανὸς, clarus, et ἵππος, equus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1130, 6. L. Annaeus Phaenippus. *F.*]

PHAENŌMĒNA, orum, n. plur. φαινόμενα, a φαίνω, ostendo, ab astronomis dicuntur, quae in aere, et coelis digna observatione apparent. *Lactant.* 2, 5. *med.* Is (*Naso*) eum librum, quo Phaenomena breviter comprehendit, his tribus versibus terminavit, etc. De his exstat *Arati* carmen ab *Avieno* Latine redditum. ℙ [Medici *phaenomena* vocant, quae in corpore observantur, et in sensus incurrunt. *Theod. Prisc.* 2, 7. Rheumatismus fauces inquietaverit, gargarismatis stypticis immineبo, quae in primo phaenomeno ordinata transegimus. *F.*]

[PHAENŌMĒNĒ, es, f. φαινομένη, quae ostenditur, part. pass. a φαίνω, ostendo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 750, *n.* 574. Julia Aug. L. Phaenomene. *F.*]

PHAENON, onis, m. φαίνων, stella Saturni: a φάω, luceo. *Auson. Idyll.* 18, 11. Quae Stilbon volvat, quae saecula Phaenon. *Capell.* 8, 287. Nam Saturnum Phaenona vocant. *Phaenona* est accusat. sing. Graecae positionis. *Id. ib.* p. 299. Phaenonis autem, hoc est Saturni praealtius omnibus sidus, etc. Adde *Cic. N. D.* 2, 20., qui Graecis litteris scribit. [*Plurima addidit *F.*]

[PHAENUSĂ, ae, f. φαίνουσα, lucens, partic. a φαίνω, luceo, ostendo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 150, 3. Attia Phaenusa. *F.*]

PHAESTĬAS, ădis, f. Φαιστιάς, quae est ex Phaestio oppido Cretae in mediterraneo, ut *Plin.* ait 4, 12, 20., non procul tamen ab Olyssa, et Metallo promontorio. *Ov. Met.* 9, 715. Inter Phaestiadas quae laudatissima formae Dote fuit virgo.

PHAESTĬUS, a, um, adj. Φαίστιος, ad Phaestum oppidum pertinens, de quo in v. praec. *Ov Met.* 9, 668. Proxima Gnosiaco nam quondam Phaestia regno Progenuit tellus. ℙ *Phaestius Apollo* ap. *Plin.* 4, 3, 4. dictus est a Phaesto oppido Locrorum in Graecia.

PHAETHON, ontis, m. Φαέθων, filius Solis Aegyptii et Clymenes: a φαέθω, quod idem ac φάω, splendeo. Hic cum a patre impetrasset, ut uno die currus sui habenas sibi permitteret, aurigandique imperitus coelum et terram combureret, a Jove fulmine e curru excussus in Padum fluvium decidit. *Cic. Off.* 3, 25. et *N. D.* 3, 31., *Ov. Met.* 2., *Hyg. fab.* 152. 154. et *Astron.* 2, 42. et *Serv.* ad *A.* 6, 659. et ad *ib.* 10, 189. ℙ Gutta Phaethontis est electrum. *Mart.* 4, 32. V. PHAETHONTIADES et PHAETONTIS. ℙ Graeci poetae interdum Phaethontem vocant ipsum Solem. Notatio enim nominis aptius in Solem, quam in Phaethontem cadit. Hos itaque imitatus videtur *Virg. A.* 5, 105. Auroram Phaethontis equi jam luce vehebant; et *Sil.* 6, 3. primique novo Phaethonte retecti Seres. Eadem ratione quidam accipiunt illud *Val. Fl.* 3, 213. trepidam Phaethon afflavit ab alto Tisiphonen. Sunt etiam qui hic intelligunt equum Aurorae. ℙ Per synaeresin fit dissyllabum *Varro Atratinus* ap. *Quint.* 1, 5. Cum te flagranti dejectum fulmine Phaeton. ℙ [*Phaethon* etiam dicta stella Jovis. *Cic. N. D.* 2, 20. et *Capell.* 8, 287. *F.*]

PHAETHONTĔUS, a, um, adj. ad Phaethontem pertinens. *Ov. Met.* 4, 246. Post Phaethonteos vidisse dolentius ignes. *Mart.* 10, 12. Phaethonteus Padus: *scil.* quia in Padum decidisse Phaethon narratur. V. v. praec. *Claud. de Phaenice* 107. Phaethontei errores. *Id. Cons. Prob. et Olybr.* 258. Phaethontea ruina. *Stat. Th.* 1, 221. favilla, *h. e.* fulmen. *Mart.* 6, 15. umbra, *h. e.* populi arboris. V. v. sq.

PHAETHONTĬADES, um, f. plur. tres Heliades virgines, Phaethusa, Lampetie, et Lampetusa, filiae Solis et Clymenes, sorores Phaethontis, quae dum exstinctum fratrem flerent, conversae sunt in alnos arbores, seu in populos, ex quibus perpetuo guttae, tanquam lacrimae, fluunt, quae deinde in electrum rigescunt et durantur. *Virg. Ecl.* 6,

62. et *A.* 10, 190., *Ov. Met.* 2, 340. et sqq. *Sen. Herc. Oet.* 185. Ubi moesta sonat Phaethontiadum silva sororum.

PHAETHONTIS, ĭdis, f. patronym. *Avien. Arat.* 792. Illum prolixis durae Phaethontides ulnis Planxerunt, *h. e.* sorores Phaethontis. *Mart.* 4, 32. Et latet, et lucet Phaethontide condita gutta, *h. e.* electro, quo sudare dicuntur Phaethontis sorores in populos versae.

PHAETHONTĬUS, a, um, adj. Φαεθόντιος, ad Phaethontem pertinens. *Stat. Silv.* 2, 4, 9. cedat Phaethontia vulgi Fabula. *Sil.* 7, 149. nunquam Phaethontius amnis Sanguinea pontum turbasset decolor unda, *h. e.* non fuisset adversum Romanis proelium, et caedes facta ab Annibale ad Ticinum et Trebiam amnes, qui in Padum incidunt, et cruentas undas cum ejus aquis miscuerunt. Eodem refer illud *ejusd.* 17, 497. Qui sacros, Trasymene, lacus, Phaethontia quique Polluerant tabo stagna; et *ib.* 602. et Tyrrhena vada, et Phaethontis viderat amnem Strage virum undantem; et 1, 131. fluit ecce cruentus Eridanus. ℙ Refertur etiam ad Solem. *Id.* 10, 110. de aquila: Obversam spectans ora ad Phaethontia prolem, Explorat dubios Phoebea lampade natos. V. PHAETHON.

PHAETHUSA, ae, f. Φαέθουσα, filia Solis et Clymenes, soror Phaethontis, Lampeties, et Lampetusae. *Ov. Met.* 2, 346.

PHAGĔDAENA, ae, f. φαγέδαινα, immodicus cibi appetitus, edacitas praeter consuetudinem: a φάγω, edo, et ἄδην, affatim. Translate sic dicitur exulceratio usque ad ossa, celeriter depascens, saniem male olentem emittens, et ad mortem perducens. *Plin.* 26, 11, 68. Phagedaenis (quod nomen sine modo esurientium est, et alias ulcerum) tithymali medentur cum sesamis sumpti. *Id.* 28, 18, 74. Ea, quae phagedaenas vocant in ulcerum genere; et 35, 15, 52. Strongyle phagedaenas ulcerum ex aceto sanat; et 23, 7, 63. Phagedaenae remedium est, ficum imponi. ℙ Item de morbo apum, cum cerae partes vacuae computrescunt, et serpente latius vitio ipsae quoque apes intereunt. *Colum.* 9, 13. *med.* Saepe etiam vitio, quod Graeci φαγέδαιναν vocant, intereunt.

PHAGĔDAENĪCUS, a, um, adj. ad phagedaenam pertinens, ut Phagedaenica vulnera, *Plin.* 24, 4, 5.

PHAGER vel Phagrus, i, m. φάγρος, genus piscis, qui lapidem in capite habere existimatur. *Plin.* 32, 11, 53., qui 9, 16, 24. pagrum vocat: nam Graece etiam πάγρος dicitur. V. PAGRUS.

[PHAGĪTA, ae, m. qui multum edit: a φάγω, edo. Est cogn. R., ut Cornelius Phagita, apud *Suet. Caes.* 74. *F.*]

PHAGO, ōnis, m. edax, vorax, heluo. Edones, et phagones, inquit *Non.* 1, 237., ab edacitate (scil. a φάγω, edo) unum Latinum, alterum Graecum. *Varr. ib.* Sed propter phagones ficedulam pinguem, aut turdum nisi volantem non video. *Vopisc. Aurel.* 50. Vehementissime delectatus est phagone, qui eo usque multum comedit, ut uno die aprum integrum, centum panes, vervecem, et porcellum comederet, biberet autem, infundibulo apposito, plus orca. V. *Lips. Centur. miscell.* 3, *ep.* 51., ubi alia exempla hujusmodi phagonum refert.

PHAGRUS. V. PHAGER.

[PHAĪNUS, i, m. φαῖνος, clarus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 847, 7. Ser. Asinius Phainus. *F.*]

*PHALACRĪNE, es, vel Phalacrina, ae, f. vicus Italiae, in Sabinis, ubi natus Vespasianus Imperator. *Suet. Vesp.* 2. ℙ *Anton.* in *Itin.* est *Falacrinum. B. A.*

PHALACROCORAX, ācis, m. φαλακροκόραξ, corvus aquaticus: ita dictus a naturali calvitie: nam φαλακρὸς calvum, κόραξ corvum significat. *Plin.* 10, 48, 68. Per Alpes capiuntur et phalacrocoraces, aves Balearium insularum peculiares. *Cf. *Plin.* 11, 37. Et quaedam animalia naturaliter calvent, sicut struthiocameli, et *corvi aquatici*, quibus apud Graecos nomen est inde: scil. phalacrocoraces, φαλακροκόρακες. *B. A.*

PHALA. V. FALA.

PHALAECĬUM et Phaleucium et Phalaecum, carmen est hendecasyllabum, ut *Vidi credite per lacus Lucrinos:* et constat spondeo, dactylo, et tribus choreis. Dictum est a Phalaeco poeta Graeco inventore, ut docet *Diomed.* 3, 509. *Serv.* in *Centim.* p. 1825. et *Terent.* p. 2440., ubi pro spondeo docet admittere etiam iambum, et choreum, et *Catulli* exemplis confirmat. *Sulp. Sat.* 4. quare nec carmine curro phalaeco, Nec trimetro iambo, nec, etc. ℙ Aliud est phalaecium choriambicum, de quo idem *Terent.* p. 2424. ut *Jane pater*, *Jane tuens*, *dive*, *biceps*, *biformis*. V. grammaticos.

PHALANGAE et Palangae, arum, f. plur. φάλαγγες vel φαλάγγια. De his ita *Non.* 2, 725. Phalangae dicuntur fustes teretes, qui navibus subjiciuntur, cum attrahuntur ad pelagus, vel cum ad litora subducuntur; unde etiam nunc phalangarios dicimus, qui aliquid oneris fustibus transvehunt. *Varro* ap. *eund. ib.* Cum Poenus in fretum obviam venisset nostris, et quosdam cepisset, crudelissime pro palangis carinis subjecerat, quo metu debilitaret nostros. *Caes. B. C.* 2, 10. *extr.* Palangis subjectis ad turrim hostium admovent. ℙ Item vectes, quibus onera majora a bajulis portantur. *Vitr.* 10, 8. Onerum maxima pondera cum feruntur a phalangariis hexaphoris et tetraphoris, examinantur per ipsa media centra phalangarum, etc. ℙ Item fustes generatim. *Plin.* 7, 56, 57. Proelium Afri contra Aegyptios primum fecere fustibus, quos vocant phalangas. *Id.* 12, 4, 8. In tributi vicem regibus Persidis e materie ebeni centenas phalangas tertio quoque anno pensitasse Aethiopas.

PHALANGĀRĬUS et Palangarius et Palancarius, ii, m. qui aliquid oneris fustibus transvehit. V. v. praec. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 10. *n.* L. Q. Caecilius Q. L. Primus emit in monumento palangariorum, in agro Fontejano, quod est via Aurelia in clivo rutario parte sinisteriore, columbaria N. X. ollarum N. XXXX. etc. Alia in *Giorn. Pisan.* T. 16. p. 192. Palancarii, qui de ciconiis ad templum cupas referre consuerunt, etc. ℙ *Phalangarii* dicuntur etiam milites phalangis. *Lampr. Alex. Sev.* 50. Fecerat et phalangem triginta millium hominum, quos phalangarios vocari jusserat.

PHALANGĪTAE, arum, m. plur. milites ex phalange. *Liv.* 37, 40. Decem, et sex millia peditum more Macedonum armati fuere, qui phalangitae appellabantur. Adde 42, 51.

PHALANGĪTES, ae, m. φαλαγγίτης, genus herbae. *Plin.* 27, 12, 98. Phalangites a quibusdam phalangion vocatur, ab aliis leucanthemon, vel (ut in quibusdam exemplaribus invenio) leucacantha. Ramuli sunt ei nunquam pauciores duobus, in diversa tendentes: flos candidus, lilio rubro similis: semine nigro, lato ad lenticulae dimidiae figuram, multo tenuiore: radice tenui herbacei coloris. Haec *Plin.* addens, ejus folio, flore, vel semine sanari phalangiorum ictus. [**Spinnenkraut*, Anthericum liliastrum, *L.*]

PHALANGĬUM, ii, n. φαλάγγιον, genus aranei: a φάλαγξ, quod idem notat. *Plin.* 18, 17, 44. *n.* 3. Nascitur et phalangion in ervo, bestiola aranei generis, si hiems aquosa sit. *Id.* 8, 27, 41. Cervi percussi a phalangio, quod est aranei genus, cancros edendo sibi medentur. *Id.* 11, 24, 28. Phalangia ex his *(araneis)* appellantur, quorum noxii morsus, corpus exiguum, varium, acuminatum, assultim ingredientium. Adde *Cels.* 5, 27. *n.* 9. ℙ Etiam *Falangio*, *onis*, m. scribitur, et declinatur ap. *Pelag. Veter.* 20. Item si equum falangio percusserit; et *mox:* Item si vipera, aut falangio, aut mus araneus momorderit, etc. ℙ Ap. *Veg. Vet.* 3, 76. et 79. legitur in quibusdam editionibus et *sphalangium:* et *ib.* 81. in recto *sphalangius.* ℙ Est etiam herbae nomen. V. v. praec.

PHALANGO, seu Palango, as, a. 1. onus aliquod fuste transveho: a *phalangis. Afranius.* Et capream unam semilaceram quaterni simul phalangabant. Ita *Perottus* in *Cornucop. ad epigr.* 115. *Mart.*, quem penes sit fides.

[PHALANNAEUS, a, um, adj. ad Phalannam pertinens, Thessaliae urbem in Pelasgiotide, cujus meminit *Plin.* 4, 12, 16. Hinc *Liv.* 42, 65. Romani, demessis Crannonis segetibus, in Phalannaeum agrum transeunt. *F.*]

PHALANTEUS, a, um, et

PHALANTĪNUS, a, um, adj. a Phalanto. *Sil.* 11, 16. Phalanteum Tarentum, *h. e.* a Phalanto conditum. *Mart.* 5, 37. Agna Galesi mollior Phalantini. Est autem Galesus fluvius Tarentini agri.

PHALANTUS, i, m. vir quidam Lacedaemonius, qui cum aliquibus sociis in Italiam venit, et Tarentum condidit. *Hor. Od.* 2, 6, 11. et regnata petam Laconi Rura Phalanto. Adde *Just.* 3, 4. *Mart.* 8, 28. Appula Ledaei tibi floruit herba Phalanti.

PHALANX, angis, f. φάλαγξ, in exercitu Macedonum fuit agmen peditum fortissimorum confertis ordinibus, quadrata acie, aut cuneata: simile Romanae legionis, nisi quod in exercitu Macedonico una tantum phalanx erat ex selectis militibus composita, robur totius aciei; in Romano plures erant legiones: praeterea phalanx sexdecim millibus peditum fere constabat, ut ex *Liv.* 33, 4. et 37, 40., item ex *Appiano*, et *Xiphilino* colligitur: legio sex millia nunquam excessit. *Curt.* 3, 2. Ipsi phalangem vocant peditum stabile agmen: vir viro, arma armis conserta sunt. *Liv.* 31, 39. Erant pleraque silvestria circa, incommoda phalangi maxime Macedonum, quae nisi ubi praelongis hastis velut vallum ante clypeos objecit, (quod ut fiat, libero campo opus est) nullius admodum usus est. ℙ *Veg. Mil.* 2, 2. etiam Graecis, et Dardanis tribuit, et octo millia hominum habuisse dicit: unde colligi potest, plures in uno justo exercitu habuisse phalanges. Sed haec pro temporum, et opum varietate mutari potuerunt: nam et *Lampr. Alex. Sev.* 50. *extr.* narrat, Alexandrum Severum phalangem sibi fecisse triginta millium hominum, quae erat ex sex legionibus similium armorum. ℙ Dicitur universim de cujuscumque gentis agmine, aut caterva. *Virg. A.* 6, 489. At Danaum proceres, Agamemnoniaeque phalanges, Ut videre virum, etc.; et *ib.* 12, 662. de Latinis: Soli pro portis Messapus, et Acer Atinas Sustentant aciem: circum hos utrinque phalanges Stant densae; et *ib.* 551. Tuscorumque phalanx; et 277. phalangem vocat octo fratrum pugnantium numerum. Imitatus est *Val. Fl.* 1, 436. ℙ De quacumque multitudine. *Prud. Psych.* 816. Phalanges culparum. ℙ *Phalangem facere*, arctare et densare ordines. *Caes. B. G.* 1, 24. *extr.* Helvetii confertissima acie, phalange facta, sub primam nostram aciem successerunt; et *ib.* 25. Milites pilis missis facile hostium phalangem perfregerunt. Adde *ib.* 52. ℙ Videtur de classe dici a *Virg. A.* 2, 254. Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat A Tenedo. Nisi velis intelligere Graecorum exercitum navibus instructis impositum.

PHALĀRĪCA. V. FALARICA.

PHALĀRIS, ĭdis, m. Φάλαρις, tyrannus immanissimus Agrigentinorum in Sicilia. Praeter cetera novorum suppliciorum instrumenta, taurum habuit aeneum, Perilli arte fabricatum, in quem immissi damnati, igneque subjecto, bovis mugitum edebant: cujus muneris nomine cum artifex non leve munus speraret, jussu tyranni in taurum conjectus, primus artis suae specimen praebuit. Ad extremum ipse quoque Phalaris, cum nimia ejus atrocitas ulterius ferri non posset, facto in eum universorum civium impetu, correptus, et ipsi tauro, quo alios exusserat, inclusus, vivus crematus est. *Cic. Off.* 2, 7., *N. D.* 3, 33. et *Verr.* 2, 4, 33., *Plin.* 7, 56, 57. et 34, 8, 19. *n.* 32., *Ov. A. Am.* 1, 653. et *Pont.* 3, 1, 51. et *Sil.* 14, 211. et sqq. ℙ In accusativo *Phalarin* habet pro *Phalaridem. Claud. B. Gild.* 186. Phalarin, tormentaque flammae Profuit, et Siculi mugitus ferre juvenci.

PHĀLĀRIS, idis, f. φαλαρὶς, et φαληρὶς, genus herbae: a φαληρὸς, albus, splendidus. *Plin.* 27, 12, 102. Phalaris thyrsum habet longum, tenuem, ceu calamum, in summo florem inclinatum, semen simile sesamae. [*Fortasse Phalaris canariensis *L.*, *Kanariengras.*] ℙ Est etiam hoc nomine genus avis seu gallinae aquaticae, ap. *Varr. R. R.* 3, 11., *Plin.* 10, 48, 67. et *Colum.* 8, 15., ap. quos legitur et *phaleris.* [*Fulica, *L.*]

[PHALASARNEUS, a, um, adj. φαλασαρνεῖος, ad Phalasarnen pertinens, Cretae urbem, cujus *Plin.* 4, 12, 20. meminit. *Liv.* 42, 51. Cretensium par paene numerus suos duces sequebatur Susum Phalasarneum, et Syllum Gnossium. *F.*]

PHĀLĒRAE, arum, f. plur. τὰ φάλαρα, ornamenta ex auro vel argento, bullarum forma, quae viri nobiles ac praesertim milites, honoris causa, in pectore pensilia gestabant, quaeque alicujus Numinis, vel Augusti, vel alius cujuspiam rei imaginem referebant: a φαληρὸς, Dorice φαλαρὸς, splendidus; cujus vocis paenultima licet longa sit, brevis tamen est tum in τὰ φάλαρα, tum in *phalerae.* Hinc *Plut.* in *Quaest. Rom.* Ἑρών τις ἐπὶ χλευασμῷ προάγεται, παιδικὸν ἐναψάμενος περιδέραιον, ὃ καλοῦσι βοῦλλαν. *Liv.* 9, 46. *med.* Tantum Flavii comitia indignitatis habuerunt, ut plerique nobilium annulos aureos, et phaleras deponerent. V. infra. ℙ Ex *Floro* 1, 5. discimus, ab Etruscis ad Romanos phalerarum usum transisse una cum trabeis, sellis curulibus, praetexta, annulis, ceterisque insignibus: quin aliquandiu ipsorum regum proprias fuisse. Etenim sic *Id.* 3, 10. *f.* Ipse ille rex, supplex cum in castra venisset, tum et phaleras, et sua arma ante Caesaris genua projecit. ℙ Fuere praesertim inter militaria praemia. *Liv.* 39, 31. *f.* Pro concione postero die laudati, donatique a C. Calpurnio equites phaleris: Quintius alter praetor suos equites catellis ac fibulis donavit. *Plin.* 7, 28, 29. L. Siccius Dentatus donatus hastis puris XVIII., phaleris XXV., torquibus LXXXIII., armilis CLX., coronis XXVI, civicis XIV., aureis VIII., muralibus III., obsidionali una. Adde de eodem *Val. Max.* 3, 1. *n.* 24. et *Gell.* 2, 11. et *Dionys. Halic. l.* 10. p. 663. *Sil.* 15, 254. Tum merita aequantur donis, et praemia virtus Sanguine parta capit: phaleris hic pectora fulget, Hic torque aurato circumdat bellica colla. *Juven.* 16, 59. Ut, qui fortis erit, sit felicissimus idem, Et laeti phaleris omnes, et torquibus omnes. *Virg. A.* 9, 359. Euryalus phaleras Rhamnetis, et aurea bullis Cingula ... rapit, atque humeris nequidquam fortibus aptat. Militis porro phaleris ornati figuram habes ap. *Mur. Inscr.* p. 2030. *n.* 1. et *Maff. Mus. Ver.* 121, 4. ℙ Etiam mulieres phaleras gestabant. *P. Syrus* ap. *Petr. fragm. Trag.* 55. *Burm.* Quo margarita cara tribacca et Indica? An ut matrona ornata phaleris pelagiis Tollat pedes, etc? *Vet. epithalam.* ap. *Wernsdorf.* in *Poet. Lat. min.* T. 4. p. 491. Denique miramur, quid colla monilia gestent; Ex humeris frustra phaleras imponis eburnis, Nam tibi non gemmae, sed tu das lumina gemmis. ℙ Item equorum phalerae propriae sunt. *Virg. A.* 5, 310. Primus equum phaleris insignem victor habeto. *Liv.* 32, 52. Argenti plurimum in phaleris equorum erat. *Cic. Verr.* 2, 4, 12. A Philarcho Centuripino, homine locuplete ac nobili, phaleras pulcherrime factas, quae regis Hieronis fuisse di-

cuntur, utrum tandem abstulisti, an emisti? alias item nobiles ab Aristo Panormitano, tertias a Cratippo Tyndarytano? *Claud. IV. Cons. Honor.* 548. Turbantur phalerae, spumosis morsibus aurum Fumat. *Id. epigr.* 20. Dumque auro phalerae, gemmis dum frena renident. *Gell.* 5, 5. Inducebat etiam currus cum falcibus, et elephantos cum turribus, equitatumque frenis, ephippiis, monilibus, phaleris praefulgentem. *Plin.* 37, 12, 74. Gemmae cochlides nunc vulgatissimae fiunt verius, quam nascuntur; et *mox:* Quondamque tantae magnitudinis fecere, ut equis regum in oriente frontalia, atque pro phaleris pensilia facerent. *Inscr.* ap. *Grut.* 416, 1. C. Gavio L. F. Stel. Silvano donis donato a Divo Claudio bello Britannico torquibus, armillis, phaleris, corona aurea. Alia ap. *eund.* 1096, 6. Cn. Marcio Cn. F. Gal. Plaetorio Celeri donis donato a Divo Trajano in bello Parthico, corona murali, torquibus, armillis, phaleris. *Suet. Aug.* 25. Dona militaria, aliquanto facilius, phaleras, et torques, et quidquid auro argentoque constaret, quam vallares ac murales coronas, quae honore praecellerent, dabat: has quam parcissime, et sine ambitione, ac saepe etiam caligatis tribuit. *Appul. Met.* 10. Me phaleris aureis, et fucatis ephippiis, et purpureis tapetis, et frenis argenteis, et pictilibus balteis, et tintinnabulis perargutis exornatum ipse residens comissimis affatur sermonibus. *Id. de Deo Socrat.* Neque enim in emendis equis phaleras consideramus, et baltei polimina inspicimus, et ornatissimae cervicis divitias contemplamur; si ex argento et auro et gemmis monilia variae gazae dependent; si plena artis ornamenta capiti et collo circumjacent; si frena caelata, si ephippia fucata, si cingula aurata sint. ℙ Translate dicuntur de rebus externis, fucatis, et speciem boni prae se ferentibus. *Pers.* 3, 27. an deceat pulmonem rumpere ventis, Stemmata quod Tusco ramum millesime ducis, Censoremque tuum vel quod trabeate salutas? Ad populum phaleras, *h. e.* coram populo jacta fortunae bona, qui stupet in titulis et imaginibus; phalerae enim sunt equestris ordinis ornamenta. ℙ De ornatu dicendi. *Capell.* 3. *in.* Rursum Camena parvo Phaleras parat libello. *Sym. ep.* 83. (al. 89.) Praefer loquendi phaleras, quibus te natura ditavit. *Sidon. ep.* 1, 9. *f.* Collata vestris mea carmina, non heroicorum phaleris, sed epithaphistarum neniis comparabuntur. ℙ *Plin.* 33, 1, 6. de Flavio: Quo facto tanta senatus indignatio exarsit, ut annulos ab eo abjectos fuisse in antiquissimis reperiatur annalibus. Fallit plerosque quod tum et equestrem ordinem id fecisse arbitrantur: etenim adjectum hoc quoque: sed et phalera posita, proptereaque nomen equitum adjectum est. Ea verba: *sed et phalera posita* femininum genus singul. numeri ostendere videntur; sed similius est veri, esse neutrum plurale, Graeco more, *τὰ φάλαρα.* V. *Liv. l. c.* in §. 1. [*Hunc locum *F.* tot additamentis auxit atque emendavit, ut jure totum sibi vindicare possit.]

PHĂLĔRĀTUS, a, um, part. a *phalero*, phaleris ornatus. *Petr. Sat.* 28. Lecticae impositus est, praecedentibus phaleratis cursoribus quatuor. *Suet. Ner.* 30. *extr.* Soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata et phalerata cum Mazacum turba, atque cursorum. *Prud. Psych.* 30. Illa hostile caput, phaleratque tempora vittis Altior insurgens labefactat. ℙ De equis. *Liv.* 30, 17. *f.* Munera, quae legati ferrent regi, sagula duo purpurea, et equos duo phaleratos, etc. ℙ Translate. *Ter. Ph.* 3, 2, 14. Adeon' te esse incogitantem atque impudentem, ut phaleratis dictis ducas me, et meam ductes gratiis? i. e. verbis specie honestis, sed dolosis.

PHĂLĔREUS, i, m. trisyll. *Φαληρεύς*, ad Phalerum, *Φαληρόν*, pertinens, Athenarum portum prope Piraeeum, ut *Plin.* 4, 7, 12. docet. Hinc Demetrius Phalereus, philosophus physicus, et Alexandrinae bibliothecae praefectus. *Phaedr.* 5, 1. Demetrius, qui dictus est Phalereus, Athenas occupavit imperio improbo. Hic Phălērĕus est quatuor syllabarum. *Quint.* 10, 1. Quin etiam Phalerea illum Demetrium multum ingenii habuisse et facundiae fateor. Hic *Phalerea* est accus. Graecae positionis. *Nep. Milt.* 6. Idem ille populus (*Atheniensis*) trecentas statuas Demetrio Phalereo decrevit. *Id. Them.* 6. Cum Phalereo portu neque magno, neque bono Athenienses uterentur, hujus consilio triplex Piraeei portus constitutus est. Alii leg. *Phalerico.* [*Hic quoque multa adjecit *F.*]

[PHĂLĔRĪCUS, a, um, adj. *Φαληρικός*, ad Phalerum pertinens, Athenarum portum. *Plin.* 2, 103, 109. Quae in Aesculapii fonte Athenis immersa sunt, in Phalerico redduntur. V. v. praec. f.

*PHALERĪON, onis, m. insignis pictor. *Plin.* 35, 11. *B. A.*

PHĂLĔRIS. V. PHALĂRIS.

[PHĂLĔRO, as, a. 1. phaleris orno. Translate. *Ambros.* in *Luc.* 2, 18. Plebem Dominus simplicem requirebat, quae phalerare auditu, et fucare nesciret. *Id. Off.* 1, 12. Eloquentiae phalerandae gratia. *F.*]

*PHALĔRUS, i, m. comes Jasonis Argonautae. *Val. Max.* 1, 397. Adde 6, 217. *Hyg. fab.* 14. *B. A.*

*PHALESĪNA, ae, f. Thraciae opp., ubi fere Abdera, Maronea, etc. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

PHĂLEUCĪUM. V. PHALAECIUM.

*PHALIGES, um, populi Aethiopiae, qui canem pro rege habebant. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

[PHALLAEUS, a, um, adj. ad phallum pertinens. Est nomen propr. serv. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 364, 2. Phallaeus Dioclis. *F.*]

PHALLĬCA, orum, n. plur. *φαλλικά*, carmina in honorem Bacchi, item Priapi; a *φαλλός*, penis. Phallicus auctor est ille, qui Priapea scripsit, quae perperam *Virgilio* quidam tribuunt. Sed haec Graeca sunt.

PHALLŌPŌTĂ. V. DRILOPOTA.

PHALLOVITROBŌLUS, i, m. poculum obscenae figurae, Priapus ex vitro, ap. *Capitol. Pert.* 8., ubi alii leg. *phallovitrobelum*, alii *phalloveretroboli* eod. sensu. [Alii leg. *alvei vitrei belli*, h. e. alvei, seu tabulae latruncullariae, in quibus vitreum bellum ludebant veteres. *F.*]

PHALLUS, i, m. *φαλλός*, penis ligneus, vel vitreus, vel coriaceus, quem in Bacchi festis plaustro impositum per rura et urbes magno honore circumferebant, ut *August. C. D.* 7, 21. narrat. *Arnob.* 5, 176. Pudor me habet, Alimontia illa proferre mysteria, quibus in Liberi honorem Patris phallos subrigit Graecia, etc. [Alii leg. *ithyphallos.* V. ALIMONTIA. *F.*]

PHĂNAEUS, a, um, adj. ad Phanas pertinens; Phanae autem est portus, et promontorium in insula Chio, optimo vino celebre, de quo mentio est ap. *Liv.* 36, 43. *Virg. G.* 2, 98. rex Phanaeus, *h. e.* mons in eo promontorio: nihili autem facienda auctoritas *Servii*, qui ad *Virg. l. c.* affirmat, montem a Phanaeo rege ita fuisse appellatum. [*Auxit h. l. *F.*]

*PHANAGORĬA, ae, f. *Φαναγορία*, Asiae opp., supra Cepos, ad Bosporum. *Mela* 1, 19. *Plin.* 6, 6. ℙ *Φαναγόρου πόλις* est *Scylaci* ac *Straboni. B. A.*

*PHANARAEA, ae, f. opp. Ponti cum castello, ad Thermodontem amnem. *Plin.* 6, 3. ℙ Aliis Phanaraea campi nomen est seu regionis. *B. A.*

PHĂNĔRŌSIS, is, f. *φανέρωσις*, manifestatio. Vox Graeca, qua librum quendam suum inscripsit Valentinus, in quo arcana multa, a mala femina dictata, perscripserat. *Tert. adv. Haer.* 30 et 51.

[PHĂNOS, i, m. *φανός*, laterna, fax. Est nomen propr. serv. *Inscr.* ap. *Mur.* 1011, 1. Phanos Aug. servus. *F.*]

*PHANŌTE, es, et Phanotēa, ae, f. *Φανότη*, *Φανότεια*, opp. Epiri cum castello. *Liv.* 43, 21. Phanotem (Phanoten) Epiri castellum adortus oppugnare. ℙ Item opp. Phocidis, olim Panope. *Liv.* 32, 18. *B. A.*

PHANTĂSĬA, ae, f. *φαντασία*, visum, imago rerum animo insidentium. Ita dicta est a *φαίνομαι*, appareo, quia species rerum, quas sentimus, vel etiam sentire nos putamus, intus apparent. Graece *Cic. Acad.* 1, 11. In qua primum de sensibus ipsis quaedam dixit nova, quos junctos esse censuit e quadam quasi impulsione oblata extrinsecus, quam ille *φαντασίαν*, nos visum appellemus, licet. ℙ Ap. rhetores accipitur pro mentis conceptu. *Sen. Suas.* 2. *med.* Cestius cum descripsisset honores, quos, etc. adjecit: per sepulcra nostra jurabitur. Nicetas longe disertius hanc phantasiam movit, etc. ℙ *Phantasia, non homo,* convicium ap. *Petr. fragm. Trag.* 38. *Burm. f.* quasi species et simulacrum hominis, non homo: vel homo jactabundus et vanus.

PHANTASMĂ, ătis, n. *φάντασμα*, species, vel imaginatio falsa, quales sunt, quas dormientes videre sibi videntur. Hinc et pro spectro sumitur. *Plin. ep.* 7, 27. *in.* Velim scire, esse aliquid phantasmata, et habere propriam figuram, numenque aliquod putes, an inanem et variam ex metu nostro imaginem accipere. *Tert. adv. Marc.* 5, 7. Si phantasma fuit Christus. Adde *Prud. Hamart.* 59. **August. de Trinit.* 8, 6. Alexandriam cum eloqui volo, quam nunquam vidi, praesto est apud me phantasma ejus, *h. e.* imaginatio rei, sive idea; (*simulacra*, id quod dixit *Lucr.* 4, 1054.) *Alcim. Avit.* 2, 68. de Satana: Delusos fugiens vano phantasmate tactus. *Vulg. Marc.* 6, 49. Putaverunt esse phantasmata. Cf. *Vulg. Matth.* 14, 26. *B. A.*

*PHANTASMATĬCUS, a, um, adj. *φανταστικός*, phantasmatis plenus. *Sarisb.* 2, 15. Locus imaginum phantasmaticarum fecundior. *B. A.*

PHANTĂSOS. V. MORPHEUS.

PHĂON, onis, m. *Φάων*, juvenis Lesbius, quem Sappho poetria perdite amavit, et ab eo contempta fuit. *Mart.* 10, 35. V. *Ov. Her.* 15. ℙ [*Phaon, ontis*, fuit libertus Neronis. *Suet. Ner.* 48. et 49., ubi ablat. *Phaonte*, et gen. *Phaontis* scribitur. ℙ Est quoque cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 454, 3. P. Aelio Aug. Lib. Phaonti, etc. *F.*]

PHĂRAEUS, a, um, adj. *Φαραῖος*, ad Pharas pertinens: quod est multorum oppidorum nomen: h. e. in mediterraneis Cretae, teste *Plin.* 4, 12, 20., item in Laconia, quod saepius *Pherae* dicitur: in Thessalia: in Boeotia. *Stat. Theb.* 2, 163. longum enumerare Pharaeos, Oebaliosque duces.

[PHĂRANĪTIS, ĭdis, f. patron. a Pharan, urbe inter Aegyptum, et Arabia sita, et a *Stephan. Byzant.* memorata. *Plin.* 37, 9, 40. Amethysti gemma Pharanitis *(vocatur)* in contermino Arabiae, gentis nomine. *F.*]

[PHĂRĂO, onis, m. *Φαραώ*, dignitatis nomen, quo primitus reges Aegypti appellati fuere; nomen enim Pharaonis ap. Aegyptios significare regem, affirmat *Joseph. Antiq. Hebr.* 8, 6. §. 2. Ceterum vox est Aegyptia, unde et Hebraice פַּרְעֹה *Pharhó. Isid. Or.* 7, 6. Pharao nomen est non hominis, sed honoris, sicut apud nos Augusti appellantur reges, cum propriis nominibus censeantur. *Prud. Cath.* 12, 141. Sic stulta Pharaonis mali Edicta quondam fugerat. *F.*]

[PHARBAETHĪTES, ae, m. Aegypti nomus, cujus urbs Pharbaethus, nunc *Pharbait*, seu *Horbait* in Delta, alveis Pelusiaco et Tanitico intercepta. *Plin.* 5, 9, 9. Quae juxta Pelusium est regio, nomos habet Pharbaethiten, Bubastiten, Sethroiten, Taniten. *F.*]

PHĂRETRA, ae, f. *φαρέτρα*, theca, ubi sagittae reponuntur: *παρὰ τὸ φέρειν τὰ τρῶσαι δυνάμενα. Virg. A.* 1, 327. Succinctam pharetra, et maculosae tegmine lyncis. *Hor. Od.* 1, 22, 3. Nec venenatis gravida sagittis, Fusce, pharetra. *Virg. A.* 1, 504. illa pharetram Fert humero. *Stat. Th.* 4, 259. Amyclaeas humeris aptasse pharetras. *Prop.* 2, 9, 10. Et pharetra ex humero Gnosia utroque jacet. *Ov. Met.* 2, 419. Pharetram exuere humero; et *ib.* 5, 379. solvere, *h. e.* aperire ad depromendas sagittas.

PHĂRETRĀTUS, a, um, adj. pharetra instructus. *Virg. A.* 11, 649. pharetrata Camilla. *Id. G.* 4, 290. Persis, *h. e.* quae sagittis maxime delectatur, et pollet. Sic *Hor. Od.* 3, 4, 35. pharetrati Geloni. *Ov. Met.* 10, 525. pharetratus puer, *h. e.* Cupido. *Id. Amor.* 1, 1, 10. pharetrata virgo, *h. e.* Diana. *Val. Fl.* 6, 696. pharetrata tapeta, *h. e.* in quibus est pharetra.

[PHĂRETRAZONĬUM, ii, n. zona, ex qua pendet pharetra. *Not. Tir.* p. 126. Pharetra, pharetrazonium. *F.*]

PHĂRETRĪGER, ra, rum, adj. qui pharetram fert. *Sil.* 14, 286. Clade pharetrigeri subnixas regis Athenas, *h. e.* Xerxis Persarum regis.

PHĂRĬA, ae, f. insula Illyrici maris cum oppido, nunc *Liesina*, ap. *Plin.* 3, 26, 30. ℙ *Pharia uva* nobilis olim in Pisano agro. *Id.* 14, 3, 4. *n.* 7. ℙ *Pharia* absolute. V. PHARIUS.

PHĂRĬĂCUS, a, um, adj. Pharius, Aegyptius. *Appul. Met.* 2. Per incrementa Nilotica, et arcana Memphitica, et sistra Phariaca.

PHĂRĪCON vel Pharicum, i, n. *φαρικόν*, genus veneni, ita dicti a Pharico inventore. *Plin.* 28, 10, 41. *Scrib. Comp.* 195.

*PHARIS, *Φάρις*, oppidum Messeniae, pustea Pharae vel Pherae dictum. *Stat. Th.* 4, 226. *B. A.*

PHĂRĪSAEUS, i, m. *Φαρισαῖος*, una ex tribus Judaeorum sectis, a ceteris religione et sanctitate distincta. Quare ipsum nomen Hebraice separationem sonat. Secunda secta erat Sadducaeorum, tertia Essaeorum. *Tert. Praescr.* 45. Praetermitto Pharisaeos, qui additamenta quaedam legi adstruendo, a Judaeis divulsi sunt; unde etiam hoc accipere ipsum, quod habent, nomen digni fuerunt. Adde *Hieron. adv. Lucifer. n.* 23. ℙ Adjective. *Sedul.* 4, 66. Post dominus Pharisaea petit convivia coenae.

PHĂRĪSAĬCUS, a, um, adj. *Φαρισαϊκός*, ad Pharisaeos spectans. *Hieron. contra Vigil. n.* 9. Quasi sepulcra Pharisaica foris dealbata.

PHĂRĪTAE, arum, m. plur. incolae Phari. *Hirt. B. Alex.* 17. *f.* et *ib.* 19.

PHĂRĬUS, a, um, adj. ad Pharum pertinens. *Lucan.* 9, 1004. Septima nox, Zephyro nunquam laxante rudentes, Ostendit Phariis Aegyptia litora flammis, *h. e.* ignibus, qui in turri Phari ardebant. ℙ Item universim Aegyptius. *Ov. Fast.* 5, 619. et *Mart.* 10, 48. Pharia juvenca, *h. e.* Io, Isis. *Id. Pont.* 1, 1, 38. Jactantem Pharia tinnula sistra manu. *Tibull.* 1, 3, 32. Pharia turba, *h. e.* Isiaci. *Mart.* 4, 11. conjux, *h. e.* Cleopatra uxor M. Antonii. *Val. Fl.* 4, 408. terra; et 1, 644. Phariae carinae; et 7, 113. matres. *Lucan.* 3, 260. Pharia unda, *h. e.* Nilus; et 4, 257. Pharium aequor; *et* 2, 636. Pharii reges. *Id.* 4, 724. Phariae aspides; et 9, 209. Pharium scelus, *h. e.* quo Pompejus occisus est. *Mart.* 1, 89. Phario nutantia pondera saxo, *h. e.* Aegypti pyramides. Alii leg. *Pario. Stat. Silv.* 2, 1, 161. Pharii Palaestinique liquores, *h. e.* unguentum quoddam Aegyptiis familiare. V. *Gevart.* Ap. *eund. ib.* 3, 2, 22. Pharius annus est annona annua ex Aegypto. Sic *Claud. B. Gild.* 57. Memphis si forte negasset, Pensabam Pharium Gaetulis messibus annum. *Juven.* 13, 85. Pharium acetum. V. ACETUM. *Stat. Silv.* 5, 3, 244. Pharii dolores, *h. e.* luctus Aegyptiarum matrum in sacris Isidis, ob memoriam mutationis ejus in vaccam, vel ob amissum maritum Osiridem. *Ov. A. Am.* 3, 270. Pharius piscis, *h. e.* crocodilus, cujus stercus habet usum

in fucis mulierum. V. CROCODILEA. ℙ *Pharia, ae*, absolute, est Dea Pharia, seu Isis. *Vet. Kalend.* ap. *Grut.* 138. mensis Aprilis. Sacrum Phariae, item Sarapia. Hinc in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 8. p. 140. Isis Faria. *F.*]

PHARMĂCEUTRĬĂ, ae, f. *φαρμακεύτρια*, saga, venefica. Hoc nomine *Virg.* Eclogam octavam inscripsit, in qua Theocriti imitatione venefica quaedam inducitur, quae magicis incantationibus animum viri, a quo spernebatur, ad sui amorem conatur revocare.

*PHARMACĬAS, ae, m. Bithyniae amnis. *Plin.* 5, 32. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* habet *Pharmicas. B. A.*

PHARMĂCŌPOLĂ, ae, m. *φαρμακοπώλης*, qui pharmaca vendit: a *φάρμακον*, medicamentum, et *πωλέω*, vendo. Olim alii erant pharmacopolae, quam hodie. Nunc etiam simplicia divendunt, atque ex medicorum praescripto pharmaca concinnant. Olim simplicia divendebant seplasiarii, qui Graecis *παντοπῶλαι*; pharmacopolae autem non ex alieno agebant praescripto, sed ipsimet remedia concinnabant, venaliaque habebant, quales nunc medici circumforanei, qui per fora, atque urbes cursitant, et peritiam suam, ac remedia jactando simplici popello sublinere os solent. *Cato* ap. *Gell.* 1, 15. Itaque auditis, non auscultatis, tanquam pharmacopolam. Nam ejus verba audiuntur, verum ei se nemo committit, si aeger est. *Cic. Cluent.* 14. Tum repente Anconitanum quendam L. Clodium pharmacopolam circumforaneum aggreditur. Adde *Hor. Sat.* 1, 2, 1. et *Scrib. Comp.* 199.

*PHARMACOTROPHI, orum, *φαρμακότροφοι*, populi Asiae, Margianis et Susianis finitimi, qui se venenis alere consueverunt: unde et nomen illis inditum. *Plin.* 6, 16. *Mela* 1, 2. *B. A.*

PHARMĂCUM, i, n. *φάρμακον*, medicamentum. Vox media est, quales multas recenset *Gell.* 12, 9. et *Cajus Dig.* 50, 16, 236. Sumitur enim et pro medicamento salutifero, et pro veneno malo, seu toxico, quemadmodum et Latine *medicamentum* vox media est, et tam in malam, quam in bonam partem accipitur, ut *Non.* 4, 297. auctor est.

PHARMĂCUS, i, m. *φαρμακός*, homo sacer, exsecrabilis, devotus. *Serv.* ad *A.* 3, 57. ex *Petr. Sat.* 141. narrat, morem fuisse apud Massilienses, ut quoties pestilentia laborarent, unum aliquem abjectum, et pauperem hominem eligerent, qui se pro civitate devoveret, et annum publice altus exquisitis ciborum deliciis, tandem ornatus verbenis, et sacris vestibus, tota urbe circumductus, omniumque exsecrationibus oneratus, ut in eum mala civium reciderent, extra urbem saxis obrueretur, aut praeceps daretur e rupe, aut ad aras communis victima mactaretur. Quam rem habet etiam *Vet. Schol. Statii* ad *Th.* 10, 793. Hic igitur *φαρμακὸς* dicebatur. *Hesych. Φαρμακοὶ, καθαρτήριοι, περικαθάροντες τὰς πόλεις.* Hinc de eo, qui partem corporis quasi devoverat, vel qui scelestus est et detestabilis, ita *Petr. Sat.* 107. *extr.* Cui Deo crinem vovisti? Pharmace, responde.

*PHARMACŪSA, ae, f. *Φαρμακοῦσα*, insula juxta Cretam, Asiam versus, circa quam a praedonibus captus est Julius Caesar. *Suet. Caes.* 4. *Plin.* 5, 12. *B. A.*

*PHARNACĒA vel Pharnacia, ae, f. *Φαρνάκεια, Φαρναχία*, opp. Ponti. *Plin.* 6, 4. *B. A.*

PHARNĂCĒON, i, n. herba, genus panacis, folio longiore, et serrato, ita dictum a Pharnace rege Ponti inventore. *Plin.* 25, 4, 14.

*PHARNĂCES, is, m. rex Ponti, Mithridatis filius, quem in bello adversus Pompeium Caesar vicit, ac de eo postea illud jactavit *Veni, vidi, vici. Suet. Caes.* 37. *Hirt. B. Alex.* 34. sq. *Cic. Dejot.* 5. *Fam.* 15, 15. et *Att.* 11, 21. et 22. *Lucan.* 10, 476. Non Pontus et impia signa Pharnacis, et gelido, etc. ℙ Alius Ponti rex, Mithridatis avus vel proavus, a quo pharnaceon herba appellata. *Plin.* 33, 12. *Just.* 38, 6. V. *Spanhem. de usu et praest. num. diss.* 8. p. 479. sq. ℙ Item nomen servi librarii. *Cic. Att.* 13, 30. et 44. ℙ *Pharnaces* mendose legitur a nonnullis ap. *Vell.* 1, 6. V. *Arbaces. B. A.*

*PHARNACES, um, gens fabulosa in Aegypto, quae, praeterquam quod geminas pupillas habet, aspectu etiam nocet. *Plin.* 7, 2. Haud dissimile iis genus Pharnacum in Aethiopia prodidit Damon, quorum sudor tabem contactis corporibus adferat: ubi *Pharmaceum*, *Φαρμακέων*, legi vult *Salmasius. B. A.*

PHARSĂLĬĂ, ae, f. regio circa Pharsalum. *Ov. Met.* 15, 824 et *Catull.* 64, 37. V. v. sq. ℙ Pharsalia terra, dixit *Liv.* 33, 6. *f.* V. ARABIA.

PHARSĂLĬCUS, a, um, adj. ad Pharsaliam pertinens, quae regio est Thessaliae, ubi Pharsalus oppidum, et Pharsalici campi, celebres pugna et victoria C. Caesaris contra Pompejum, de qua V. *Caesarem ipsum B. C.* 3, 82. et sqq., *Flor.* 4, 2., *Lucan. l.* 7. etc., et Augusti contra Brutum et Cassium, de qua *Flor.* 4, 7., *Vell.* 2, 70. etc. *Ov. Met.* 15, 823. Illius auspiciis obsessae moenia pacem Victa petent Mutinae. Pharsalia sentiet illum, Aemathiaque iterum madefacti caede Philippi. ℙ Secunda syllaba corripi etiam potest. V. in v. sq.

PHARSALĪUS, a, um, adj. Pharsalicus. *Catull.* 64, 37. Pharsaliam coeunt, Pharsalia tecta frequentant. Alii priore loco leg. *Pharsalum*, alii inducunt synaeresin. *Calpurn. Ecl.* 4, 101. Nec mora, Pharsaliae solverunt sibila cannae. Alii aliter leg.

PHĂRSĂLOS et Pharsalus, i, f. nomen urbis, de qua V. in PHARSALICUS. *Lucr.* 6, 350. Emathis aequorei regnum Pharsalos Achillis.

PHĂRUS et Pharos, i, f. *Φάρος*, opp. Aegypti apud Alexandriam, in insula cognomine, oblonga, parvaque, continenti paene juncta, contra Canopicum ostium Nili. In ea ingens turris a Ptolemaeo Philadelpho rege, Sostrati Gnidii opera, DCCC. talentis exstructa est, albo lapide, quae inter septem orbis miracula numeratur, ex qua lumen per noctem navigantibus elucebat, ut est ap. *Plin.* 36, 12, 18. Unde, ut scribit *Solin.* 32. *f.*, machinae in portubus ad praelucendi ministerium aedificatae phari deinceps apud omnes gentes appellari coeptae sunt. *Val. Fl.* 7, 84. claramque serena Arce pharon subiit. *Suet. Tib.* 74. Turris phari terrae motu Capreis concidit. *Stat. Silv.* 3, 5, 100. Teleboumque domos, trepidis ubi dulcia nautis Lumina noctivagae tollit pharus aemula lunae. ℙ Hanc turrim cum diruisset Caesar bello Alexandrino, restituit Cleopatra Aegypti regina. Sic enim intelligendus est *Ammian.* 22, 16., ut adscripsit *Valesius.* ℙ *Pharus* ponitur interdum pro Aegypto, ut regina Phari, *Stat. Silv.* 3, 2, 102. Sic *Lucan.* 8, 433. petimus Pharon, arvaque Lagi. ℙ *Fuit et Pharos insulae nomen Brundisio adjacentis. *Mela* 2, 7. *med.* ℙ Eleganti (ut nonnullis placet) metaphora *Tert.* Poenitentiam et Exomologesin *duas humanae salutis Pharos* appellavit l. ext. *de poenitentia.* Sed de lectione *Rigaltius* dubitat; q. v. *B. A.*

*PHARUSĪI, orum, *Φαρούσιοι*, populi Libyae interioris, olim Persae, nam comites dicebantur Herculis ad Hesperidas tendentis. *Mela* l. et 3, 4. *Plin.* 5, 8. ℙ In illo *Plin.* 6, 30. qui *Pharusi* dicuntur, idem, ni fallor, populus est. *B. A.*

*PHASANĪA, ae, f. Africae opp., supra minorem Syrtim. *Plin.* 5, 5. *B. A.*

PHĂSCOLĂ (*φάσκωλα, τὰ*) appellant Graeci, quas vulgus peras vocat. *Paul.* ex *Festo.*

PHĂSĒLĪNUS, a, um, adj. ad Phaselidem pertinens. *Phaselinum oleum*, quod memorat *Plin.* 23, 4, 49., est e Phaselide convalle Judaeae (V. v. sq.), ubi plurima lilia: unde saepius *lirinon* dicitur.

PHĂSĒLIS, ĭdis, f. *Φασηλίς*, urbs Lyciae, olim piratarum sedes, ut *Cic. Verr.* 2, 4, 10. innuit. *Lucan.* 8, 251. te primum, parva Phaseli, Magnus adit. *Plin.* 5, 27, 26. Catarrhactes, juxta quem Lyrnessus et Olbia, ultimaque ejus orae Phaselis. ℙ Item convallis Judaeae. *Id.* 13, 4, 9. Caryotae laudatae, et Archelaide, et Phaselide, atque Liviade, gentis ejusdem *(Judaeae)* convallibus. ℙ *Non convallis tantum, sed et urbis nomen in Judaea Phaselis fuit, teste *Plin.* 13, 4. et 21, 5. V. et *Lucan.* 8, 251. Hanc urbem in memoriam fratris sui Phasaeli exstruxit Herodes; unde nomen. *B. A.*

[PHĂSĒLĪTĂ, ae, adj. comm. gen. incola Phaselidis, urbis maritimae Lyciae, nunc *Fionda. Cic. Agr.* 2, 19. Jubet venire, quae Attalensium, quae Phaselitum, quae Olympenorum sunt. *Phaselitum* est per syncop. pro *Phaselitarum*, Graece *Φασηλιτῶν. F.*]

PHĂSĒLUS et Faselus, i, m. et f. *φάσηλος*, navigii genus, mixtam habens formam ex oneraria, et longa triremi, quod tam velis, quam remis agi poterat. *Serv.* ad *Virg. G.* 4, 289. monet, esse brevem naviculam; *Acro* ad *Hor. Od.* 3, 2, 29. scribit, esse navem velocem et oblongam; *Non.* 13, 7. dicit, esse navigium Campanum; *Bayfius* eundem putat ac myoparonem, aut certe ab illius figura non multum distantem. *Cic. Att.* 1, 13. Accepi tertiam *(epistolam)*, quam, ut scribis, ancora soluta, de phaselo dedisti. *Sall.* ap. *Non. l. c.* et *ib.* 6. Cohors una grandi phaselo vecta, a ceteris deerravit. *Mart.* 10, 30. Pictam phaselon adjuvante fert aura: *phaselon* est accus. Graecae positionis. *Catull.* 4, 1. Phaselus ille, quem videtis hospites. *Lucan.* 5, 518. Et latus inversa nudum munita phaselo. ℙ Fictiles etiam phaselos fuisse in usu apud Aegyptios, testatur *Strabo l.* 17. et *Juven.* 15, 127. Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis. ℙ Scribitur et *phasellus.* ℙ Est etiam *phaselus*, et *faselus*, aut *fasellus*, m. et f. genus leguminis: quod quidam in duo genera dividunt, majus et minus: majus putant esse quod Itali dicunt *fava:* minus quod appellant *fagiuolo.* De hoc minore intelligunt illud *Virg. G.* 1, 227. viciamque seres, vilemque phaselum; et *Colum.* 10, 377. Et gravis atriplici consurgit longa fasellus. Adde 2, 10. et *Pall.* 10, 12. At *Schneiderus* ad *Colum. ll. cc.* putat, unum tantummodo esse leguminis genus, quod *phaselus*, et *phaseolus*, et *faselus*, et *faseolus* scribi solet. [*Quaedam adjecit *F.*]

PHĂSĒŌLUS et Faseolus, i, m. *φάσηλος*, genus leguminis, siliquam ferens longiorem, quam foenograecum, quae una cum semine manditur viridis ex oleo, et aceto. Pro eo *phasiolus*, vel *passiolus* legas in antiquis *Plinii* codicibus, qui ejus meminit 24, 9, 40. Sic *Colum.* 11, 2. *med.* Milium et panicum hoc tempore demetitur, quo faseolus ad escam seritur. V. v. praec.

PHASGĂNĪON, ii, n. gladiolus herba. *Plin.* 25, 11, 88. V. LONCHITIS.

PHĂSĪĂCUS, a, um, adj. ad Phasidem pertinens, Colchicus, ut Phasiaca conjux, *h. e.* Medea, *Sen. Herc. Oet.* 950. unda, *Ov. Trist.* 2, 439. terra, *Id. R. Am.* 261. corona, *Id. Ib.* 605. *h. e.* quam Medea Creusae pellici dono dedit, qua illa cum regia igne absumpta est. Coronam enim scribunt fuisse *Hyg. fab.* 25., *Plin.* 2, 105, 109. et *Appul. Met.* 1., alii pallam, ut *Hor. Epod.* 5, 65., *Sen. Med. a.* 4. etc., *Petr. Sat.* 93. Ales Phasiacis petita Colchis, *h. e.* Phasianus.

PHĂSĪĂNĀRĬUS, i, m. *φασιανοτρόφος*, qui phasianos pascit. *Paul. Dig.* 32, 64. Phasianarii, et pastores anserum non continentur.

PHĂSĪĂNĪNUS, a, um, adj. ad phasianum pertinens, ut Phasianina ova, *Pall.* 1, 29.

PHĂSĪĂNUS, a, um, adj. ad Phasim pertinens, ut *Phasianae aves*, et *Phasianae* absolute, quae plurimae circa Phasidis ostia conveniebant: indeque in Europam ab Argonautis advectae sunt, et in deliciis coenarum habitae: de quibus *Mart.* 13, 72. Argiva primum sum transportata carina: Ante mihi notum nil, nisi Phasis, erat. *Id.* 3, 58. Et implorum phasiana Colchorum. *Plin.* 10, 48, 67. Phasianae aves in Colchis geminas ex pluma aures submittunt, subriguntque. *Id.* 11, 37, 44. has *aures* cornicula appellat. *Id. ib.* 33, 39. de pediculis: Hoc quidem et aves infestat: phasianas vero interimit, nisi pulverantes sese. ℙ Dicitur etiam *phasianus, i*, absolute. *Suet. Vit.* 13. Phasianorum et pavonum cerebella. *Pall.* 1, 29. Si pituitam patientur phasiani. *Lampr. Alex. Sev.* 41. *f.* Aviaria instituerat pavonum, phasianorum, gallinaceorum. Adde *Sen. Consol. ad Helv.* 9. *med.* et *Paul. Dig.* 32, 64. ℙ [Scribitur etiam *fasianus* et *fasiana. Edict. Diocl.* p. 14. Fasianus pastus Ж ducentis quinquaginta, fasianus agrestis Ж centum vigintiquinque; fasiana pasta Ж ducentis, fasiana non pasta Ж centum. *F.*] ℙ In fabulis est Itys Terei filius, in hanc avem conversus. V. ITYS.

PHĂSĪAS, ădis, f. Medea filia Aeetae regis Colchorum, ubi Phasis fluvius. *Ov. A. Am.* 2, 381. Conjugis admissum, violataque jura maritae Barbara per natos Phasias ulta suos. Adde *ib.* 103. ℙ Adjective. *Id. Her.* 6, 103. Phasias Aeetine. *Id. Pont.* 3, 3, 80. Phasias est telis fixa puella meis. Hic loquitur Amor.

PHĂSĪŌLOS, i, m. *φασίολος*, idem quod phaseolus. Est autem nomen herbae isopyri, quoniam ejus folium, quod est aniso simile, more phaseoli in pampinos torquetur. Capitula sunt in summo capite tenuia, plena seminis melanthii. *Plin.* 27, 11, 70.

PHĂSIS, is, et idis, m. *Φᾶσις*, nunc *Facks*, fluvius Colchidis clarissimus, qui oritur in Moschis, navigatur quamlibet magnis navigiis XXXVIII. mill. D. pass., inde minoribus longo spatio, pontibus CXX. pervius. Oppida in ripis habuit complura celeberrima, in faucibus (ubi in Pontum Euxinum septem ostiis influit in parte ejus orientali) Phasin. Haec, et alia de eo *Plin.* 6, 4, 4. *Ov. Met.* 7, 6. Contigerant rapidas limosi Phasidos undas. *Stat. Th.* 5, 457. sua jura cruentum Phasin habent. *Ov. Pont.* 4, 10, 52. Et quondam Grajis Phasi petite viris. *Stat. Silv.* 4, 6, 8. Phasidis ales, *h. e.* phasianus. ℙ Adjective. *Mart.* 13, 45. Si Libycae nobis volucres, aut Phasides essent. ℙ Est etiam *Phasis* Medea filia regis Colchorum, quae et *Phasias*, q. v. V. *Ov. Fast.* 2, 41. Vectam frenatis per inane draconibus Aegeus Credulus immerita Phasida juvit ope. Adde *A. Am.* 3, 33. et *Her.* 16, 345.

PHASMĂ, ătis, n. *φάσμα*, visum, spectrum, idem ac phantasma. Hinc nonnulli *phasmata* legunt pro *phantasmata* in *ep. Plinii*, quam in PHANTASMA attulimus. ℙ Est etiam nomen unius ex fabulis Menandri, *Ter. Eun. prol.* 9., cujus argumentum ibi *Donatus* enarrat. Item cujusdam Catulli mimographi ap. *Juven.* 8, 186.

[PHATHMĒTĪCUS, a, um, adj. *Φαθμητικὸς*, ita appellatur ostium Nili fluminis medium ex septem, ab Aegyptia voce, quae medium significat. *Plin.* 5, 10, 11. Ostia (*Nili*) celeberrima septem, proximum Alexandriae Canopicum, deinde Bolbitinum, Sebennyticum, Phathmeticum, Mendesicum, Taniticum, ultimumque Pelusiacum. Adde *Mel.* 1, 9. Alii ap. *Plin. l. c.* perperam *Phatniticum*, ap. *Mel.* vero *Pathmeticum* legunt. *F.*]

PHATNAE, arum, f. plur. *φάτναι*. Vox Graeca, qua praesepia significantur. *Plin.* 18, 35, 80. Sunt in signo Cancri duae stellae parvae, Aselli appel-

latae, exiguum inter illas spatium obtinente nubecula, quam Praesepia appellant. *Cic. Prognost.* ap. *Prisc.* 16. *f.* et 18, 1170. Ast autem tenui quae candent lumine Phatnae. V. ASELLUS.

[PHATURITES, ae, m. nomos seu praefectura Aegypti in Thebaide. *Plin.* 5, 9, 9. Thebais dividitur in praefecturas oppidorum, quas nomos vocant, Ombiten, Apollopoliten, Hermonthiten, Thiniten, Phaturiten, etc. Huc spectare videtur terra Phathures, quam memorat *Vulg. interpr. Ezech.* 30, 14. Dabo terrorem in terra Aegypti: et disperdam terram Phathures. *F.*]

PHAULIAE, arum, f. plur. *φαυλαι*, olivae grandissimae, sed minimo succo, quae et regiae ab aliis, ab aliis majorinae appellantur: a *φαῦλος*, vilis, nullius pretii. *Plin.* 15, 3, 4. Ap. *Macr. Sat.* 2. *f.* legitur *pauliae*, sed *phauliae* corrigendum videtur.

PHAYLLEUS. V. PAPHAGEUS.

PHEGEIUS, a, um, adj. ad Phegeum pertinens. *Ov. Met.* 9, 412. Cognatumque latus Phegeius hauserit ensis.

PHEGEUS, i, m. *Φηγεύς*, dissyllab. Alphei filius, qui filiam Alphesiboeae filiae suae occidit. *Hyg. fab.* 244. ℙ Ap. *Virg. A.* 5, 263. est nomen famuli, et *ib.* 9, 765. militis Trojani, ut et *ib.* 12, 371. Ap. *Stat.* quoque *Th.* 2, 609. miles Thebanus est, ut et *ib.* 12, 596. miles, aut dux Atheniensis.

PHEGIS, ĭdis, f. *Φηγίς*, Alphesiboea Phegei filia. *Ov. R. Am.* 455. Amphilochi frater ne Phegida semper amaret, etc.

[PHELETA, ae, m. *φηλητής*, fallax, fur: a *φηλέω*, decipio. *Sen. ep.* 51. *f.* Voluptates exturba, latronum more, quos pheletas Aegyptii vocant: in hoc nos amplectuntur, ut strangulent. Alii perperam leg. *philetas*, a *φιλητής*, amator, basiator. *F.*]

PHELLANDRION, ii, n. *φελλάνδριον*, herba palustris, folio apii, cujus potu levari vesicae vitia, tradit *Plin.* 27, 12, 101.

PHELLOS, i, m. *φελλός*, Graece est suber, genus arboris. [Accipitur autem pro tympano ex subere, Italice *rotella di sovero*, quod locum habet in horologio aquario. *F.*] *Vitr.* 9, 9. de horolog. Aequaliter per id cavum influens aqua sublevat scaphum inversum, quod ab artificibus phellos, sive tympanum dicitur.

PHEMIUS, ii, m. citharoedus, Homeri praeceptor, quem ipse cantantem inducit *Odyss.* 1, 325. Hinc *Ov. Amor.* 3, 7, 61. Quid juvat, ad surdas si cantet Phemius aures? Ap. *Hyg. fab.* 81. est unus e procis Helenae. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 680, 7. M. Aurelius Phemius. *F.*]

PHEMONOE, es, f. *Φημονόη*, vates, et augur peritissima, Apollinis filia, quae carmen heroicum invenisse dicitur, scripsisse etiam multa de auguriis. *Plin.* 10, 3, 3. et *ib.* 8, 9. et *Stat. Silv.* 2, 2, 39. ℙ Ap. *Lucan.* 5, 126. nomen est cujusdam Phoebadis.

PHENEATAE, arum, m. plur. *Φενεᾶται*, cives Phenei oppidi, quod est in Arcadia apud Cyllenem montem. *Cic. N. D.* 3, 22., *Plin.* 4, 6, 10. et *Virg. A.* 8, 165.

PHENEUM, i, n. *Φένεον*, opp. Arcadiae, de quo in v. praec. Item lacus juxta, de quo *Ov. Met.* 15, 332. Est lacus Arcadiae (Pheneon dixere priores) Ambiguis suspectus aquis, quas nocte timeto: Nocte nocent potae, sine noxa luce bibuntur. ℙ [*Pheneos*, *i*, f. dicitur a *Stat. Th.* 4, 291. Et Pheneos nigro Styga mittere credita Diti. Etiam *Homer. Il.* 2, 605. est *Φένεος*. *F.*]

[PHENGIS, ĭdis, f. parva lux: a *φέγγος*, lux. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1677, 3. Antonia Phengis. *F.*]

PHENGITES, ae, m. *φεγγίτης*, lapis ita appellatus a *φέγγος*, splendor. *Plin.* 36, 22, 46. Nerone principe, in Cappadocia repertus est lapis duritia marmoris, candidus, atque translucens, etiam qua parte fulvae inciderant venae, ex argumento phengites appellatus. *Suet. Dom.* 14. Porticuum, in quibus spatiari consueverat, parietes phengite lapide distinxit; e cujus splendore per imagines quidquid a tergo fieret, provideret.

PHEOS, i, n. *φέως*, herba foliis et caule spinoso, alio nomine stoebe. *Plin.* 21, 15, 54. et 22, 11, 13., ubi alii leg. *phleos*.

PHERAE, arum, f. plur. *Φέραι*, opp. mediterraneum Thessaliae. *Plin.* 4, 8, 15. ℙ Item Boeotiae. *Id. ib.* 7, 12. ℙ Item agri Laconici. *Id. ib.* 5, 8. ℙ Item Achaiae. *Id. ib.* 6.

PHERAEUS, a, um, adj. ad Pheras pertinens, ut Pheraeus Iason, vir Thessalus, ap. *Plin.* 7, 50, 51., *Cic. N. D.* 3, 28. et *Val. Max.* 1, 8. *n.* 6. *extr.* Alexander Pheraeus, qui in Thessalia tyrannidem adeo saevam exercuit, ut ab uxore noctu occisus sit, *Cic. Inv.* 2, 49. *Ov. Ib.* 321. Inque tuo thalamo ritu jugulere Pheraei, Qui datus est leto conjugis ense suae. Hinc *Pheraea gens* ap. *eund. Pont.* 2, 9, 43. videtur esse genus et sanguis Pheraei tyranni. ℙ *Pheraeus conjux* ap. *Sen. Med.* 662. est Admetus rex Thessaliae, et *Pheraeae vaccae* ap. *Ov. Her.* 5, 151. et *A. Am.* 2, 239. armenta ejusdem Admeti, quae Apollo passive dicitur. *Pheraei duces* ap. *Stat. Th.* 2, 163. Thessali. *Pheraei campi* ap. *Val. Fl.* 1, 444. Thessaliae. ℙ [*Pheraei*, *orum*, absolute sunt Pherarum incolae. *Cic. Inv.* 2, 49. et *Liv.* 36, 9. et 42, 56. *F.*]

PHERECLEUS, a, um, adj. *Φερέκλειος*, ad Phereclum, *Φέρεκλον*, pertinens, qui fuit architectus, et Paridi naves fabricavit ad rapiendam Helenam. Illius autem *Homer. Il.* 5, 59. meminit. *Ov. Her.* 16, 21. Hac duce Sigaeo dubias a litore feci Longa Phereclea per freta puppe vias.

[PHERECRATIUS, a, um, adj. ad Pherecratem, *Φερεκράτην*, poetam comicum Atheniensem pertinens, quem Pherecratii versus inventorem fuisse ferunt. *Mall. Theod. de metr.* 4. Metrum dactyliferunt. *Mall. Theod. de metr.* 4. Metrum dactyliferunt. *Mall. Theod. de metr.* 4. Metrum dactyli

qui bibliothecam instituit Alexandriae fere quinquaginta millia voluminum continentem, et Vet. Testamenti libros per LXX., qui vocantur, Interpretes, ex Hebraica in Graecam linguam vertendos curavit. V. *Just.* 17, 2. *Plin.* 13, 11, 21., *Gell.* 6, 17. et *Hieron. in Daniel.* 11, 5. *F.*]

[PHĬLĂDESPŎTUS, i, m. qui non amat dominum: a *φίλος*, amicus, *α* privat. et *δέσποτος*, dominus: contrarium est *philodespotus*. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 697, 4. T. Navinius Philadespotus. *F.*]

*PHILAE, arum, *αἱ Φίλαι*, insula parva, cum oppido cognomine, a Nilo formata, in Thebaide, Aethiopiae contermina. *Plin.* 5, 9. *Sen. N. Q.* 4, 2. *Lucan.* 10, 343. ℙ *Filae* est *Notit. Imp. B. A.*

*PHILAENI, orum, *Φίλαινοι*, fratres Carthaginienses duo, qui vivi se obrui in loco controverso passi sunt, ut ita fines suorum civium sancirent. *Sall. B. J.* 79. *Val. Max.* 5, 6. ℙ Locus et monumentum vocantur *arae Philaenorum*, *Φιλαίνων βωμοί*, erantque circa majorem Syrtim. *Mela* 1, 7. *in. Plin.* 5, 4. In *Sall. B. J.* 19. *Philaenon* (*Φιλαίνων* Graece) *arae* appellantur, ubi legitur etiam *Philenon*, v. g. in edd. *Amstelod.* 1690. et *Cort. Sil.* 15, 704. Qua celebre invicti nomen posuere Philaeni. *B. A.*

[PHĬLAENIS, ĭdis, f. et

[PHĬLAENUS, i, m. amans laudis: a *φίλος*, amicus, et *αἶνος*, laus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 332, 8. Statilia Philaenis. *Mart.* 10, 102. Qua factus ratione sit, requiris, Qui nunquam futuit, pater Philaenus? *F.*]

[PHĬLAETĔRUS, i, m. *φιλαίτερος*, amicior, comparat. a *φίλος*, amicus, unde superlat. *φιλαίτατος*, amicissimus. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 296. *n.* 257. Philaeterus verna libertus. Hic vitio saeculi, vel quadratarii perperam legitur *Phileterus*; inscriptio autem pertinet ad ann. a Chr. n. CXCVIII. *F.*]

PHĬLAGRĬANUS, a, um, adj. ad Philagrium pertinens, quod est nomen viri proprium, de quo *Sidon. ep.* 7, 14. et al. *Id. ib.* 2, 3. In lares Philagrianos remeare.

PHĬLAMMON, onis, m. filius Apollinis, ex Chione Nympha, clarissimus carmine et cithara. *Ov. Met.* 11, 317.

[PHĬLANDER, ri, m. *φίλανδρος*, amans viros: a *φίλος*, amicus, et *ἀνήρ*, vir. Est cogn. R. *Inscr. Fabrett.* p. 61. *n.* 362. Aurelius Philander. *F.*]

PHĬLANTHRŌPĬA, ae, f. *φιλανθρωπία*, humanitas, amor erga homines, liberalitas: a *φίλος*, amicus, et *ἄνθρωπος*, homo. *Ulp. Dig.* 50, 14, 2. Si quid philanthropiae nomine acceperit. Meliores libri habent *philantropii*, h. e. praemii, quod proxenetis pro navata opera datur. V. PROXENETICUM.

PHĬLANTHRŌPOS, i, m. lappae genus, Dioscoridi aparine: a *φίλος*, amicus, et *ἄνθρωπος*, homo, quia vestibus hominum adhaerens, eos amare videtur. *Plin.* 24, 19, 116. et 27, 5, 15. [**kleine Klette*, *Klebkraut*, Galium aparine, *L.*]

[PHĬLANTHRŌPUS, i, m. *φιλάνθρωπος*, amans homines: a *φίλος*, amicus, et *ἄνθρωπος*, homo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1749, 11. L. Suestilius C. L. Philanthropus. *F.*]

[PHĬLANTHUS, i, m. *φιλανθής*, florum amans: a *φίλος*, amicus, et *ἄνθος*, flos. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 272, 10. T. Flavius Philanthus. *F.*]

[PHĬLARGĪCUS, a, um, adj. amans otii: a *φίλος*, amicus, et *ἀργικός*, otiosus. *Fulg. Myth.* 2, 1. Philosophi tripartitam humanitatis voluerunt esse vitam, ex quibus primam theoreticam, secundam practicam, tertiam philargicam voluere, quas nos Latine contemplativam, activam, voluptariam nuncupamus. Haec mutuatus est ex his *Plut. de liber. educat. c.* 10. *med.* *Τριῶν γὰρ ὄντων βίων, ὧν ὁ μέν ἐστι πρακτικός, ὁ δὲ θεωρητικός, ὁ δὲ ἀπολαυστικός*, etc. *Philargicus* igitur idem est ac voluptarius. *F.*]

[PHĬLARGYRĬO, onis, m. dimin. philargyri. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 972, 5. C. Decimio C. L. Philargyro patri C. Decimius C. L. Philargyrio. *F.*]

[PHĬLARGYRIS, ĭdis, f. et

[PHĬLARGYRUS, i, m. *φιλαργυρὶς* et *φιλάργυρος*, amans argenti, *h. e.* avara, et avarus: a *φίλος*, amicus, et *ἄργυρος*, argentum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fea*, *Framm. di fasti* p. 106. Clodia P. L. Philargyris. Alia ap. *Mur.* 63, 2. C. Baebius Philargyrus. *F.*]

[PHĬLĂRISTUS, i, m. amans optimum, vel optimates: a *φίλος*, amicus, et *ἄριστος*, optimus, vel *ἄριστοι*, optimates. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 764, 7. C. Caecius C. L. Philaristus. *F.*]

[PHĬLAUTUS, i, m. *φίλαυτος*, amans sui ipsius, *egoista* nostrates vulgo dicunt: a *φίλος*, amicus, et *αὐτός*, ipse. Est cogn. R. *Inscr.* in fistula aenea ap. *Gor. Inscr. Etr. T.* 2. p. 59. Imp. Domitiani Augusti Germanici, cura Polludovicis (lege *Polydeucis*) L., proc. Philiatus (lege *Philautus*) Lib. fecit. *F.*]

*PHILĔA, ae, f. una ex quinquaginta Danai filiabus. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

*PHILĔAE, arum, Thraciae oppidum, ad Pontum Euxinum. *Mela* 2, 2. *med. B. A.*

[PHĬLĔCUSA, ae, f. *φιλεκοῦσα*, audiendi cupida, part. verbi *φιλεκόω*, audiendi studio teneor: a *φιλήκοος*, audiendi cupidus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1616, 9. Passenia Philecusa. *F.*]

PHĬLĒMA, ătis, n. *φίλημα*, osculum. Translate accipitur de muliere, quae totum osculum est, vel omnibus osculanda, et *Philema*, *ae*, f. declinatur. V. SCHEMA. Hinc *Lucr.* 4, 1162. Simula, Silena, ac Satyra est; labiosa, philema. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1160, 8. M. Baebius M. F. Licinus sibi, et Volumniae C. F. Philemae. [Quaedam addidit *F.*]

[PHĬLĒMĂTĬA, ae, f. et

[PHĬLĒMĂTĬO, onis, f. et

[PHĬLĒMĂTĬUM, ii, n. et

[PHĬLĒMĂTĬUS, ii, m. dimin. philematis, *φιλημάτιον*. Est nomen propr., vel cogn. R. *Sidon. ep.* 2, 8. *in carm.* Hoc flentis patriae manus locarunt Matronam Philimatiam sepulcro. Hic licenter secunda corripitur, et vitio saeculi, ac ex vulgari pronunciatione *e* in *i* mutatur; tum tertia perperam producitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 883, 3. C. Oscius C. L. Felix sibi, et Aeliae Philemationi. Alia ap. *Fabr.* p. 421. *n.* 388. Aurelia L. L. Philematio. Viva Philematium sum Aurelia nominitata. Est etiam nomen meretricis in *Pl. Most. Sidon. ep.* 5, 17. *in carm.* Hoc (*linteo*) foveat pulcher faciem Philimatius udam. Hic quoque *i* pro *e* scribitur et perperam corripitur, tum tertia syllaba producitur. *F.*]

[PHĬLĒMO et Philemon, ōnis, m. *φιλήμων*, basiator: a *φίλημα*, basium, osculum. Hoc nomine fuit poeta comicus, pravis sui temporis judiciis Menandro saepe praelatus, consensu tamen omnium meritus credi secundus, ut ait *Quint.* 10, 1. *med.* et *Gell.* 17, 4. Solis in Cilicia natus, teste *Strab.*, ex *Suida* vero Syracusis, mediae (ut placet *Appul. Flor. n.* 16. qui ejus mortem pluribus verbis narrat) comoediae scriptor, aliis autem novae. *Philemon* scribitur a *Quint.*, *Gell.*, *Appul. l. c. Philemo* vero a *Pl. Trin. prol.* 10. Philemo scripsit, Plautus vortit barbare: Nomen Trinummo fecit. ℙ Alius fuit *Philemon* historicus, memoratus a *Plin.* 4, 13, 27. ℙ Item rusticus fuit, qui una cum uxore Baucide in arborem mutatus est, et domus ejus in templum. *Ov. Met.* 8, 710. V. BAUCIS. ℙ Est etiam cogn. R. frequens. *Inscr.* ap. *Grut.* 1096, 3. L. Lepidius L. L. Philemo. *F.*]

[PHĬLĒROS, ōtis, m. *φιλέρως*, amoribus deditus: a *φιλέω*, amo, et *ἔρως*, amor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 631, 1. P. Octavius Phileros. *F.*]

PHĪLĒSĬA Regna, quod legunt aliqui ap. *Ov. Ib.* 329., et intelligi putant regionem quandam Ponto conjunctam; rem valde incertam affirmant, et in corruptum codicem incidisse videntur. Legunt alii *Phylleia* a Phyllo Thessaliae oppido: alii *Piseia*, a Pisis in Elide: alii *Phliasia* a Phliunte Achaiae oppido. ℙ [*Philesia*, *orum*, sunt etiam sacra instituta in honorem Apollinis Philesii: a *φιλέω*, osculor. V. BRANCHUS. *F.*]

*PHILESĬUS, i, m. (*φίλησιος*, *h. e.* amabilis,) cognomen Apollinis. *Plin.* 34, 8. Canachus Apollinem nudum (*in aere finxit*), qui Philesius cognominatur. *B. A.*

PHILETA. V. PHELETA.

PHILĒTAERĬA, ae, f. *φιλεταίριον*, herba alio nomine polemonia, a certamine regum inventionis. V. CHILIODYNAMA.

[PHĬLĒTAERUS, a, um, adj. amans sodales: a *φιλέω*, amo, et *ἑταῖρος*, sodalis. Est cogn. R. *Cic. Fam.* 14, 4. Clodium Philetaerum hominem fidelem remisi. *Inscr.* ap. *Mur.* 1625, 11. Aemilia M. L. Philetaera. *F.*]

PHĪLĒTAS, ae, m. poeta Graecus, elegiacus, patria Cous, acerrimus poetarum censor, Ptolemaei Philadelphi praeceptor. *Prop.* 3, 1, 1. Callimachi manes, et Coi sacra Philetae.

PHĪLĒTĔUS, a, um, adj. a Phileta. *Prop.* 3, 2, 52. Ora Philetea nostra rigavit aqua, *h. e.* docuit me elegiaci carminis rationem. *Id.* 4, 6, 3. Serta Philetis certent Romana corymbis, *h. e.* elegia Latina Graecae.

[PHĬLĒTĬO, onis, m. dimin. phileti, amasiunculus: a *φιλητός*, dilectus. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1616, 2. Philetioni servo Flavius Successus B. M. F. *F.*]

[PHĬLĒTOR, ōris, m. *φιλήτωρ*, *ορος*, amator. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 941, 8. Q. Herennius Q. F. Philetor. *F.*]

[PHĬLĒTUS, a, um, et Phīlētē, es, f. *φιλητός*, *ή*, *όν*, dilectus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 55. M. Aemilius Philetus. Alia ap. *eund. Iscriz. Alb.* p. 232. Similia Phileta. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 418, 2. Alleja Philete. *F.*]

[PHĬLĬA, ae, f. *φιλία*, amica, cara: a *φίλιος*, *ία*, *ιον*, carus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 737, 9. Pomponiae Philiae matri dulcissimae C. Pomponius Philon filius fecit. *F.*]

[PHĬLĬCUS, i, m. *φιλικός*, aptus amicis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 350, 1. M. Ulpius Philicus. *F.*]

[PHĬLĪNUS, i, m. *φίλινος*, amicorum proprius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 262, 5. L. Fenius Filinus. Hic *Filinus* vitio saeculi est pro *Philinus*. *F.*]

PHĬLIPPENSIS, e, adj. a Philippis. *Suet. Aug.* 9. et 13. Philippense bellum. *Plin.* 7, 45, 46. proelium. *Id.* 34, 8, 19. *n.* 21. Philippensis Brutus, *h. e.* qui Philippensi acie cecidit. V. PHILIPPI. *Val. Max.* 1, 5. *n.* 7. acies.

PHĬLIPPĔUS, a, um, adj. *Φιλίππειος*, ad Philippum Macedonum regem pertinens. *Prop.* 3, 9, 39. Scilicet incesti meretrix regina Canopi, Una Philippeo sanguine inusta nota, *h. e.* Cleopatra, quae descendebat ex sanguine Philippi regis Macedonum. V. PELLAEUS. ℙ *Philippeus nummus*, est nota signatus Philippi regis. *Pl. Rud.* 5, 2, 27. Nummi octingenti aurei in marsupio infuerunt: praeterea centum denaria Philippea in pasceolo seorsus. *Id. As.* 1, 3, 1. Unumquodque istorum verbum nummis Philippeis aureis non potest auferre hinc a me. *Id. Trin.* 4, 2, 112. An ille tam esset stultus, qui mihi mille nummum crederet Philippeum? *Liv.* 39, 7. Philippeorum aureorum nummorum sedecim millia. *Pl. Curc.* 3, 70. Statuam vult dare auream solidam faciundam ex auro Philippeo, *h. e.* ex eo auro, unde cuduntur Philippei nummi. Porro Philippeorum nummorum valor duos fere aureos Gallicos aequasse creditur. ℙ *Philippeum* absolute, *h. e.* nomisma. *Varr.* ap. *Non.* 2, 76. Nobilius est Philippeum, quod accepimus, quam quod bibimus, cum alterum addamus in bulgam, alterum in vesicam. ℙ De aliis quoque nummis, *h. e.* alia forma vultuve signatis, dicitur. V. PHILIPPUS. *Valer. Imp.* ap. *Vopisc. Aurel.* 9. *extr.* Ipsi ad sumptus dabis argenteos Philippeos minutulos quinquagenos. Adde *ib.* 12. et 14. ℙ *Philippei campi* prope Philippos urbem, ubi pugnatum est in Brutum et Cassium. *Manil.* 1, 906. cum ducibus jurata cruentis Arma Philippeos implerunt agmine campos. Adde *Vell.* 2, 86.

PHĬLIPPI, orum, m. pl. urbs Macedoniae extremae, in Thraciae confinio, ad radices Pangaei montis, et apud oram maris Aegaei: dicta a Philippo Alexandri M. patre, qui eam refecit. Quidam locant in Thracia, quia prope ejus fines sita est. Celebris fuit pugna Octaviani et M. Antonii contra Brutum et Cassium, qua hi victi et debellati, se uterque a suis interficiendos curarunt. V. *Flor.* 4, 7. et *Vell.* 2, 70. Meminit etiam *Tac. H.* 1, 50. et *ib.* 2, 38., item *Prop.* 2, 1, 27. et *Hor. Od.* 2, 7, 9. ℙ In illo *Virg. G.* 1, 489. Ergo inter sese paribus concurrere telis Romanas acies iterum videre Philippi: v. *iterum* ad *concurrere* referri quidam putarunt, non ad *videre Philippi:* et respicere pugnam Pharsalicam, quae ante hanc facta est. Alii putant, *Virgilium* male confundere Pharsaliam cum Philippis. Alii geminos Philippos faciunt, in Thessalia, ubi Pharsalia est, et in Macedonia, seu Thracia. *Ov.* quoque Philippos in Pharsalia locare videtur, cum ait *Met.* 15, 823. de Octaviano: Pharsalia sentiet illum, Aemathiaque iterum madefacti (al. *madefient*) caede Philippi. Nam si Pharsalia hoc loco pugnam Caesaris cum Pompejo notaret, falso diceret, Pharsaliam sensuram Octavianum, cum illi pugnae is non interfuerit. Est et locus *Petronii* ad hanc rem pertinens. *Sat.* 121. Cerno equidem gemina jam strictos morte Philippos, Thessaliaeque rogos. Ubi *morte* pro strage quidam accipiunt. Ego malim intelligi de morte Bruti et Cassii. Sed alii leg. *gemino jam stratos Marte*, quasi ap. eosdem Philippos Thessalicos utraque pugna pugnata sit: quod affirmant *Serv.* ad *l. Virg. c.* et *Flor.* cum scribit *l. c.* Caesar cum Antonio in Cassium Brutumque succingitur. Illi comparatis ingentibus copiis, eandem illam, quae fatalis Cn. Pompejo fuit, arenam insederant. Dixerat autem *ib.* 2. priori pugnae Caesaris cum Pompejo Thessaliam, et Philippicos campos sumptos fuisse. Idem significant *Lucan.* 7, 852. et sqq. et *Manil.* 1, 905. et sqq. V. THESSALICUS f., et *Heyn.* ad *Virg. l. c.*

PHĬLIPPĬĀNUS, a, um, adj. Philippianae cohortes, *h. e.* quae sub Philippis Impp. R. militaverunt. *Vet. Tabulae aerea* ap. *Maff. Mus. Ver.* 325.

PHĬLIPPĪCUS, a, um, adj. ad Philippum pertinens. *Pl. Truc.* 5, 1, 60. Hem tibi talentum argenti. Philippicum est: tene tibi. ℙ *Philippicum aurum* ap. *Plin.* 37, 4, 15. est auri fodina Philippi regis in Macedonia, ubi repertum ait genus adamantis par semini cucumis. ℙ *Philippicae orationes*, *Φιλιππικοὶ λόγοι*, dictae sunt, quas Demosthenes in Philippum regem Macedonum habuit: quem imitatus *Cicero*, eodem nomine suas inscripsit in Antonium. *Cic. Att.* 2, 1. In iis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus Demosthenes. *Juven.* 10, 129. ridenda poemata malo, Quam te conspicuae divina Philippica famae, Volveris a prima quae proxima. ℙ Item ad Philippos Macedoniae opp. pertinens. *Plin.* 33, 3, 12. M. Bruti in Philippicis campis epistolae reperiuntur frementes, etc. ℙ *Flor.* 4, 2. *med.* Sic praecipitantibus fatis, proelio sumpta est Thessalia, et Philippicis campis Urbis, imperii, generis

humani fata commissa sunt. Loquitur *Flor.* de Pharsalia, et *Philippicos campos* pro Pharsalicis posuit. V. in v. PHILIPPI.

[PHĪLIPPĪNUS, a, um, adj. ad Philippum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 450, 4. Valeria Philippina. *F.*]

[PHĪLIPPŌPOLĪTĀNUS, a, um, adj. ad Philippopolin pertinens, Thraciae urbem, nunc *Filibè*, cujus meminit *Liv.* 39, 53. et *Plin.* 4, 11, 18. *Inscr.* ap. *Oderic. de nummo Trallianor.* p. 12. Aesculapius Philippopolitanus. *F.*]

PHĪLIPPUS, i, m. *Φίλιππος*, rex Macedonum, filius Amyntae, pater Alexandri M., item alius, Persei pater, qui cum Romanis bella gessit. De utroque V. *Just.*, et de posteriore *Liv.* Fuerunt et alii Macedonum reges hoc nomine. ℙ Metonymice est nummus Philippeus. *Hor. Ep.* 2, 1, 233. incultis qui versibus et male natis Rettulit acceptos, regale nomisma, Philippos. ℙ Dicitur etiam de aliis nummis. *Auson. ep.* 5, 19. Bis septem rutilos, regale nomisma, Philippos. *Darios* appellat *ib.* 23. Sic *Valer.* ap. *Trebell. Claud.* 14. Philippeos nostri vultus annuos centum quinquaginta. ℙ [*Philippus* est etiam cogn. R., ut L. Marcius Philippus in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 248. *F.*]

*PHILISCUM, i, n. Parthorum opp. ad Euphratem fluvium. *Plin.* 5, 26. *B. A.*

[PHĪLISCUS, i, m. *φιλισκός*. dimin. phili, amiculus. Est cogn. R., ut P. Atilius Philiscus ap. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 6. *F.*] ℙ *Pictor quidam, de quo *Plin.* 35, 11. ℙ Philiscum, tragoediarum scriptorem meditantem pinxit Protogenes, teste *eod. ib.* 10. *B. A.*

[PHĪLISTHAEĂ, ae, f. regio eadem ac Palaestina. *Hieron. in Isaj.* 6, 14, 32. Cum Philistaea corruerit. *F.*]

*PHILISTĪDES MALLOTES (sc. e Mallo Ciliciae oppido oriundus), scriptor quidam, de quo *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*PHILISTĪNAE FOSSIONES circa Padi ostia fuere. *Plin.* 3, 16. Inde ostia plena: Carbonaria, ac fossiones Philistinae, quod alii Tartarum vocant: omnia ex Philistinae fossae abundatione nascentia: accedentibus, etc. *B. A.*

*PHILISTĪON, onis, m. medicus insignis, de quo *Gell.* 17, 11. *Plin.* 20, 5. 9 et 12. ℙ Et nomen pantomimi. *Mart.* 2, 41, 15. *B. A.*

*PHILISTUS, i, m. historicus doctus et diligens, Syracusius, aequalis Dionysii tyranni, Thucydidis imitator. *Nep. Dion.* 3. *Cic. Or.* 2, 13 et 23. *Div.* 1, 20 et 33. *Brut.* 17. et *Q. Fr.* 2, 13. *B. A.*

PHILLYRĪDES. V. PHILYRIDES.

[PHĪLO et Philon, ōnis, m. *Φίλων*, philosophus ac rhetor, Clitomachi auditor, princeps Academiae, Ciceronem, Antiochumque auditores habuit. *Cic. Brut.* 89., *Tusc.* 5, 37. et *Acad.* 4, 6. et alibi. ℙ *Philon* Judaeus, Alexandriae natus, Platonis aemulus, et alter Plato, ut de eo Graeci testantur: *Ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ Φίλων πλατωνίζει.* Caesaris Caligulae temporibus vixit, ad quem pro Hebraeis legationem habuit. V. *Voss. de Hist. Gr.* p. 191. ℙ Fuit etiam cogn. R., ut Q. Poblicius Q. F. Philo Cos. ann. U. C. CDXXXIX. ap. *Grut.* 291. V. PHILIA. *F.*]

*PHILOCALEA vel Philocalia, ae, f. *Φιλοκάλεια*, oppidum Ponti cum castello. *Plin.* 6, 4. *B. A.*

PHĪLOCĂLĬĂ, ae, f. *φιλοκαλία*, amor pulcritudinis: a *φίλος*, amicus, et *καλός*, pulcher: item studium honestatis, elegantiae, nitoris, urbanitatis in rebus omnibus, in cultu corporis, in conviviis, supellectile, aedibus, convictu, etc. *August. contra Acad.* 2, 3. et *ib.* 2. *f.* ℙ *De usu et significatione vocis V. *Huetii Origenian.* 3, 3. §. 2. p. 318. in T. 4. *Origenis Op. Om.* ed. *Paris.* 1733. ℙ Philocalia, oppidum. V. PHILOCALEA. *B. A.*

[PHĪLOCĂLUS, a, um, adj. *φιλόκαλος*, pulcritudinis amator. *Pelag. Vet. praef.* Talem autem equum aut comparare, aut e gregibus eligere, philocalum dominum convenit, ut sit exiguo capite, etc. Adde *ib.* 10. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1125, 7. L. Asinius Philocalus. *F.*]

PHĪLOCHĂRES, is, n. *φιλοχαρές*, a *φίλος*, amicus, et *χάρις*, gratia, venustas: herba eadem quae philopaes, et marrubium. *Plin.* 20, 22, 89. ℙ *Philochares, is, m. *Φιλοχάρης*, pictor quidam, de quo *Plin.* 35, 4. *B. A.*

*PHILOCHŌRUS, i, m. *Φιλόχορος*, historicus Graecus, qui Ptolemaei Philopatoris vel Epiphanis temporibus vixit. *Gell.* 15, 20. *med. B. A.*

[PHĪLOCLES, i, m. *φιλοκλῆς*, amans gloriam: a *φιλέω*, amo, et *κλέος*, gloria. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 319, 7. P. Veidius P. L. Philocles. ℙ Hoc nomine fuit etiam pictor Aegyptius, qui, teste *Plin.* 35, 3, 5., linearem picturam invenisse dicitur. *F.*]

PHĪLOCŌMĀSĬUM, ii, f. *φιλοκωμάσιον*, h. e. comissationum amica, nomen est meretricis in *Milite Plauti:* a *φίλος*, amicus, et *κῶμος*, comissatio: et est dimin. vox, ut *Glycerium*, *Phronesium*, *Eustochium*, etc.

[PHĪLOCŌMUS, i, m. *φιλόκωμος*, amator comissationis: a *φίλος*, amicus, et *κῶμος*, comissatio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 277, 8. L. Camerius Atimetus pater Philocomo, vixit an. XXV. *F.*]

[PHĪLOCRĂTES, is, m. amans potentiae: a *φίλος*, amicus, et *κράτος*, potentia. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1046, 7. P. Valerius Philocrates. *F.*]

PHĪLOCTĒTĂ et Philoctetes, ae, m. *Φιλοκτήτης*, Poeantis et Demonassae filius, et comes Herculis. Huic Hercules moriens in Oeta monte mandavit, ne cui corporis sui reliquias indicaret, idque jurare eum adegit, deditque pro munere pharetram et sagittas Hydrae felle tinctas. Sed cum Delphico oraculo moniti essent Graeci, ad evertendam Trojam sagittis Herculis opus esse, inventus Philoctetes, et de Hercule interrogatus, negavit primo, se aliquid de Hercule scire, tandem vero mortuum esse confessus est, et cum graviter ad indicandum sepulcrum cogeretur, ne jusjurandum violaret, ictu pedis locum ostendit. Igitur constituere principes Graeciae, ut ad bellum Trojanum deduceretur, quia ipse solus Lernaeis sagittis uti poterat, quibus Paris erat occidendus. Verum unius sagittae casu in pede, quo Herculis tumulum monstraverat, vulnere paene immedicabili affectus est. Quare cum vulneris foetor a Graecis ferri non posset, in Lemno relictus est. Sed occiso Achille, Ulysses in Lemnum regressus, ad Trojam illum perduxit. Devicta autem Troja, pudore ne in patriam aeger rediret, impeditus, in Calabriam venit, ibique Petiliam condidit. Tandem opera Machaonis medici sanatus est. *Serv.* ad *A.* 3, 402., *Cic. Fin.* 2, 29. et *ib.* 5, 11., *Tusc.* 2, 7. et al., *Auct. ad Her.* 4, 30. *extr.*, *Ov. Met.* 13, 328. et sqq., *Trist.* 5, 1, 61., *Prop.* 2, 1, 61. etc. Sed *Servio* auctore, *l. c.* Graeci Philoctetem in Lemno, ablatis sagittis, reliquerunt. Alii narrant, non sagittae casu, sed morsu serpentis vulneratum fuisse, curante Junone irata, quod ausus fuisset Herculis pyram construere. *Hyg. fab.* 102., *Cic. Fat.* 16. et *Ov. Trist.* 5, 4, 12. ℙ Ad declinationem quod attinet, *Cic. Fin.* 2, 29. Sit Epicurus Philocteta. *Ov. Trist.* 5, 4, 12. Quidve Philoctetes ictus ab angue gemat. *Prop.* 2, 1, 61. Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon. *Cic. Fin.* 5, 11. Ea perferant, quae Philoctetam videmus in fabulis. *Id. Q. Fr.* 2, 10. *f.* Meliorem civem esse, quam Philoctetem. *Ov. Met.* 13, 328. Sis licet infestus sociis, regique, mihique, Dure Philoctete. ℙ [Etiam *Philotes*, ētis, m. scribitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 42, 7. Hercules, et Philotes. Alcides hominum victor domitorque ferarum, Philotetis amicus, etc. *F.*]

PHĪLOCTĒTAEUS, a, um, adj. *Φιλοκτητάιος*, ad Philoctetem pertinens. *Cic. Fin.* 2, 29. Saxum illud Lemnium clamore Philoctetaeo funestare.

[PHĪLOCYRĪUS, ii, m. amans dominum: a *φίλος*, amicus, et *κύριος*, dominus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 383, 4. C. Calpurnius Philocyrius. *F.*]

[PHĪLODĀMUS, i, m. *φιλόδαμος*, Dorice pro *φιλόδημος*, amans populi, poplicola: a *φίλος*, amicus, et *δῆμος*, populus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 450. *n.* 25. P. Cornelius Philodamus. *F.*]

[PHĪLODĒMUS, i, m. *φιλόδημος*, nomen propr. philosophi Epicurei, qui floruit Ciceronis aetate. *Cic. Fin.* 2, 35. et *Hor. Sat.* 1, 2, 121. Est a *φίλος*, amicus, et *δῆμος*, populus. *F.*]

[PHĪLODESPOTUS, i, m. *φιλοδέσποτος*, amans domini: a *φίλος*, amicus, et *δέσποτος*, dominus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 95. *n.* 215. C. Octavius C. L. Philodespotus. V. LANIPENDĬUM. *F.*]

[PHĪLOGĂMUS, i, m. *φιλόγαμος*, nuptiarum cupidus: a *φίλος*, amicus, et *γάμος*, nuptiae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1787, 3. A. Mevius Philogamus. *F.*]

[PHĪLOGĒNES, is, m. amans familiam: a *φίλος*, amicus, et *γένος*, genus, familia. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 858, 1. Aponius Philogenes. *F.*]

PHĪLOGRAECUS, i, m. *φιλέλλην*, qui libenter utitur dictionibus Graecis: vox hybrida ex Graeco *φίλος*, amicus, et *Graecus* Latino. *Varr. R. R.* 3, 10. Transi, inquit Axius, nunc in illud genus, quod vos philograeci vocatis *ἀμφίβιον*.

[PHĪLOGYRUS, i, m. amans ambitus: a *φίλος*, amicus, et *γῦρος*, ambitus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 996, 1. C. Sulpitius Philogyrus. *F.*]

*PHILOLĂUS, i, m. *Φιλόλαος*, philosophus nobilis Pythagoreus, Archytae discipulus, Crotoniata. *Cic. Or.* 3, 34. *B. A.*

PHĪLOLOGĬĂ, f. *φιλολογία*, studium eruditionis, seu humaniorum litterarum, quam eruditionem appellat *Suet. Aug.* 89. etc. *Cic. fil. Fam.* 16, 21. Quid de Bruttio dicam? cujus cum frugi severaque est vita, tum etiam jucundissima convictio: non est enim sejunctus locus a philologia, et quotidiana *συζητήσει. Cic. Att.* 2, 17. Ne et opera et oleum philologiae nostrae perierit. *Vitr. praef.* 7. Reges Attalici magnis philologiae dulcedinibus inducti, cum egregiam bibliothecam Pergami instituissent; et *mox:* Homerus poetarum parens, et philologiae omnis dux. ℙ Proprie est amor sermonis, loquacitas, nimium verborum studium: a *φίλος*, amicus, et *λόγος*, sermo. Hinc *Sen. ep.* 108. *med.* Quae philosophia fuit, facta est philologia.

PHĪLOLOGUS, i, m. *φιλόλογος*, studiosus philologiae. *Cic. Att.* 13, 12. In qua homines nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi, nimis acute loquuntur. *Sen. ep.* 108. *med.* Cum Ciceronis libros de Republica prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philosophiae deditus. V. ibi reliqua, unde intelliges, quodnam philologi simul, et grammatici officium et studium sit. *Suet. Gr.* 10. de Attejo: Philologi appellationem sumpsisse videtur, quia, sicut Eratosthenes, qui primus hoc cognomen sibi vindicavit, multiplici variaque doctrina censebatur. ℙ Adj. *Vitr. prooem.* 6. Cum et parentum cura, et praeceptorum doctrinis auctas haberem copias disciplinarum, philologis et philotechnis rebus, commentariorumque scripturis me delectans, etc. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 896, 6. Ti. Claudius Augusti L. Philologus. Alia ap. *Grut.* 347, 3. P. Aelius P. Fil. Philologus. *F.*]

PHĪLOMĒLĂ, ae, f. *Φιλομήλη*, Pandionis regis Atheniensium filia. Tereus rex Thracum, cum Atheniensibus tulisset auxilium, ac Pandionis filiam Prognen uxorem duxisset, post aliquot annos rogatus ab ea est, ut sibi Philomelam sororem suam videndam arcesseret. Profectus Athenas, dum adducit puellam, eam in itinere vitiavit, eique linguam, ne facinus indicaret, abscidit, inclusamque in stabulis reliquit, ementitus conjugi, eam periisse naufragio. Sed Philomela rem in veste suo crurore descriptam, vel multa arte intextam, misit sorori. Qua re cognita Progne Ityn filium interemit, patrique epulandum apposuit. Cognito scelere Tereus dum in ambas insurgit ulciscendi causa, omnes in aves mutati sunt, ipse in upupam, Progne in hirundinem, Philomela in lusciniam. Alii Tereum socero finxisse dicunt, Prognen uxorem mortuam, et petiise Philomelam in matrimonium: hoc dolore compulsam Prognen impias epulas parasse viro, etc. Alii narrant, eas navibus effugisse periculum, Tereum nave insecutum: et ob celeritatem aves fuisse appellatos. *Serv.* ad *Ecl.* 6, 78., *Hyg. fab.* 45. et fusius *Ov. Met.* 6, 424. et sqq. Lepide *Mart.* 14, 75. Flet Philomela nefas incesti Tereos: et quae Muta puella fuit, garrula fertur avis. ℙ Interdum cum Progne poetica licentia confunditur, ut adnotavit *Serv.* ad illud *Virg. l. c.* Quas illi Philomela dapes, quae dona pararit. ℙ Pro luscinia, aut pro quavis ave. *Id. G.* 4, 511. Qualis populea moerens philomela sub umbra Amissos queritur fetus, quos durus arator Observans nido implumes detraxit. V. PELOPEA.

[PHĪLOMĒLĬENSES, ium, m. plur. incolae Philomelii, urbis in Phrygia magna, quae Graece *Φιλομήλιον*, nunc *Ilgun* vocatur, cujus meminit *Cic. Fam.* 3, 8. et *ib.* 15, 4. *Id. Verr.* 2, 3, 85. Video Philomeliensibus expedire, quanti Ephesi sit frumentum, tantum dare potius in Phrygia, quam Ephesum portare. *F.*]

[PHĪLOMĒLUS, i, m. *φιλόμηλος*, qui pomis delectatur: a *φίλος*, amicus, et *μῆλον*, pomum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 634. *n.* 294. L. Nymphidius L. L. Philomelus. *Mart.* 4, 5. Hoc nihil est: nunquam sic Philomelus eris. *F.*]

[PHĪLOMĒTOR, ōris, m. *φιλομήτωρ*, matris amans: a *φίλος*, amicus, et *μήτηρ*, mater. Ita cognominatus est Ptolomaeus sextus Aegypti rex ob matris suae Cleopatrae amorem, quia regnum Aegypti, dum ipse minor fuisset, optime administraverat. Hujus meminit *Just.* 34, 2. *F.*]

PHĪLOMŪSUS, a, um, adj. *φιλόμουσος*, Musarum amans: a *φίλος*, amicus, et *Μοῦσα*, Musa. Est cogn. R. *Inscr.* in *Giorn. Arcad.* T. 28. p. 347. A. Granius Philomusus. *Mart.* 7, 76. Delectas, Philomuse; non amaris.

[PHĪLŌNĪCUS, i, m. et Philonice, es, *φιλόνεικος*, *η*, contentiosus, a; vel *φιλόνικος*, *η*, amans victoriae: a *φίλος*, amicus, et *νεῖκος*, contentio, vel *νίκη*, victoria. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 127. *col.* 4. P. Curtius Philonicus. Alia ap. *Fabrett.* p. 402. *n.* 300. Rustia Philonice. *F.*]

*PHILONĪDES, is, m. cursor Alexandri M. qui ex Sicyone Elin mille et ducenta stadia novem diei confecit horis. *Plin.* 2, 71. *Id.* tamen 7, 20. uno die spatium illud refert eum cucurrisse. ℙ Item scriptor quidam, cujus meminit *Plin.* 5, 32. *B. A.*

[PHĪLŌNIS, ĭdis, f. *Φιλωνίς*, Luciferi, vel Hesperi uxor, mater Ceycis. *Hyg. fab.* 65. ℙ Item mater Philammonis ex Apolline, alias Chione dicta. *Hyg. fab.* 200. *F.*]

PHĪLŌNĬUS et Phīlōnĭānus, a, um, adj. est a *Φιλώνιον*, pharmaci genus, ita appellatum a Philone medico, cujus collyrium memorat *Cels.* 6, 6. *n.* 3. Hinc *Philonianum antidotum* celebrat *Marcell. Empir.* 20. et *Seren. Sammon.* 22, 396. Quid referam multis composta Philonia rebus? V. PACCIANUS.

[PHĪLŌPAES, aedis m. amans puerorum: a *φίλος*, amicus, et *παῖς*, puer. *Plin.* 20, 22, 89. Mar-

rubium nonnulli philopaeda vocant. *Philopaeda* est accusativus Graecae positionis. *F.*]

[PHĬLŌPAPPUS, i, m. avi amans: a φίλος, amicus, et πάππος, avus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 117, 5. L. Flavius Philopappus. *F.*]

*PHILOPARABOLOS, *h. e.* periculosa, ut *curatio philoparabolos* ap. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 16, 131. et 144. V. *Parabolani. B. A.*

PHĬLŌPĂTOR, oris, m. φιλοπάτωρ, h. e. amans patris: cognomen additum δι' ἀντίφρασιν regi ex Ptolemaeis quarto, qui patrem matremque interfecit. *Just.* 29. *Plin.* 7, 56. *Arnob.* 6, 193. *B. A.* ℙ [Latina positione *philopater*, *atris* est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1490, 11. D. M. L. Pompeji Philopatris Pontia Marcellina. *F.*]

*PHILOPOEMEN, enis, Φιλοποίμην, Megalopolitanus, dux Achaeorum praestantissimus, Lacedaemonios et Messenios multis cladibus afflixit, ut auctor est Plutarchus. De eo etiam *Liv.* 35, 25. *sq.* et 39, 49. sq. *Auson. Idyll.* 12, 82. Carcere in Argivo Philopoemena lenta adiit mors. *B. A.*

[PHĬLŌPŌNUS, i, m. φιλόπονος, amans laboris: a φίλος, amicus, et πόνος, labor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1002, 9. P. Utius Philoponus. *F.*]

*PHILOS, insulae nomen Persidi vicinae. *Plin.* 6, 25. *B. A.*

PHĬLŌSARCĂ, ae, m. amator carnis: a φίλος, amicus, et σάρξ, caro. *Joann. Jerosolymit.* ap. *Hieron. adv. eund. n.* 25. Nos simplices et philosarcas dicere, quod eadem ossa, et sanguis, et caro resurgat.

PHĬLŌSĔRĀPIS vel Filoserapis, ĭdis, m. amans Serapidem: a φίλος, amicus, et Σέραπις, Serapis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1425, 4. Volusia Parthenope L. Aurelio Filoserapidi conjugi. *F.*]

[PHĬLŌSĬTUS, i, m. φιλόσιτος, panis appetens: a φίλος, amicus, et σῖτος, frumentum, panis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Sperandio*, *Sabina* p. 71. Sex. Valerius Sex. L. Philositus. *F.*]

[PHĬLŌSOPHASTER, tri, m. malus philosophus. *August. C. D.* 2, 27. Vir gravis, et philosophaster Tullius aedilis futurus clamabat in auribus civitatis, inter cetera sui magistratus officia sibi Floram matrem ludorum celebritate placandam; qui ludi tanto devotius, quanto turpius celebrari solent. V. *Cic. Verr.* 2, 5, 14.

PHĬLŌSOPHĬA, ae, f. φιλοσοφία, amor et studium sapientiae: a φίλος, amicus, et σοφία, sapientia. *Cic.* ita descripsit *Off.* 2, 2. Nec quicquam aliud est philosophia, si interpretari velis, quam studium sapientiae. Sapientia autem est, ut a veteribus philosophis definitum est, rerum divinarum, et humanarum, causarumque, quibus hae res continentur, scientia. V. *Sen. ep.* 89. ℙ Triplex est, physica, ethica, logica, quo nomine etiam metaphysica a veteribus comprehenditur. Prima rerum naturam scrutatur, secunda animum componit, tertia bene disserendi rationem docet. *Cic. Acad.* 1. et 2., *Fin.* 5, 1., *Or.* 15., item *Sen. ep.* 89., ubi varias ejus divisiones persequitur. De divisione philosophiae secundum sectas *Cic.* disserit *Acad.* 1., *Leg.* 1. et *Or.* 3. ℙ [Ita vero dividitur ab *Isid. Or.* 2, 24. Alii definierunt, philosophiae rationem in duabus consistere partibus, quarum prior *inspectiva* est, secunda *actualis*. Inspectivae definitionem V. in INSPECTIVUS. Porro inspectiva dividitur in naturalem, doctrinalem, et divinalem. Actualis dicitur, quae res propositas operationibus suis explicat, cujus partes sunt tres, moralis, dispensativa, et civilis. Civilis dicitur, per quam totius civitatis utilitas administratur. *F.*] ℙ Per antonomasiam, seu per excellentiam philosophiae nomine ethica, seu moralis intelligitur. *Cic. Div.* 2. et *Or.* 1. et *Sen.* passim. ℙ In plur. num. usurpat *Cic. Or.* 3, 27. et *Gell.* 4, 1. et 5, 3. Ille significat sectas Academicorum et Peripateticorum: hic vero priore loco subtiles disputandi rationes, posteriore partes ipsas philosophiae, dialecticam, ethicen, etc.

*PHILOSOPHIĀNA, opp. Siciliae, ad fontes Gelae amnis. *Ant. Itin. B. A.*

PHĬLŌSOPHĬCĒ, adv. philosophorum more. *Lactant.* 3, 14. *f.* Philosophice vivere.

PHĬLŌSOPHĪCUS, a, um, adj. φιλοσοφικός, ad philosophiam spectans. *Cic. Tusc.* 5, 41. A quo non modo impulsi sumus ad philosophicas scriptiones, verum etiam lacessiti. Al. leg. *philosophas.* [*Ita *Orell.*, cui tamen *vulg. philosophicas* vehementer probatur, nec non alia lectio *philosophiae.*] *Macr. Sat.* 7, 1. *in.* Tanquam debeat servis, vel etiam philosophicis carere tractatibus tale convivium.

PHĬLŌSOPHOR, aris, atus sum, dep. 1. φιλοσοφέω, sapientiae studeo, rerum naturas perscrutor, philosophorum more disputo. *Cic. N. D.* 1, 3. Et cum minime videbamur, tum maxime philosophabamur. *Id. Or.* 2, 37. Decrevi philosophari potius (ut Neoptolemus apud Ennium) paucis: nam omnino haud placet. ℙ Reperitur etiam impers. *Pl. Ps.* 2, 3, 21. Sed satis est philosophatum. ℙ *Scribitur et *filosophor*, v. g. in *Cic. de re publ.* 1, 18. ed. *A. Maio. B. A.*

PHĬLŌSOPHUS, i, m. φιλόσοφος, amator sapientiae, naturae interpres, magister virtutis, qui rerum cognitione delectatur: a φίλος, amicus, et σοφός, sapiens. *Cicero* sic describit *Or.* 1, 49. Philosophi denique ipsius, qui de sua vi ac sapientia unus omnia paene profitetur, est tamen quaedam descriptio, ut is, qui studeat, omnium rerum divinarum atque humanarum vim, naturam, causasque nosse, et omnem bene vivendi rationem tenere et persequi, nomine hoc appelletur. *Varr.* ap. *Non.* 1, 275. Nemo aegrotus quicquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus. ℙ Hoc nomen a Pythagora originem habuit. Cum enim Phliuntem venisset, et cum Leonte principe Phliasiorum docte et copiose disseruisset, ejus ingenium et eloquentiam cum admiratus esset Leon, quaesivit ex eo, qua maxime arte confideret; at ille, artem quidem se scire nullam, sed esse philosophum, respondit. *Cic. Tusc.* 5, 3. ℙ Primus philosophus Thales Milesius fuit. *Cic. N. D.* 1, 10. et *fragm.* ap. *Lactant.* 3, 16. *f.* ℙ Adjective. *Pacuv.* ap. *Gell.* 13, 8. Ego odi homines ignava opera, philosopha sententia. [*Cic. Q. Fr.* 3, 1. *med.* Ea villa, quae nunc est, tanquam philosopha videtur esse, quae objurget ceterarum villarum insaniam. *Macr. Sat.* 7, 1. *med.* Philosophum verbum. *F.*] *Imp. Verus* in *ep.* ap. *Vulcat. Avid. Cass.* 1. Te philosopham aniculam vocat. ℙ Primam syllabam poetae necessitate producunt. *Sidon. carm.* 15, 43. Innumerabilium primordia philosophorum. Adde *ib.* 182. ℙ *Scribitur et *filosophus. B. A.*

[PHĬLOSTĔPHĂNUS, i, m. φιλοστέφανος, coronae cupidus: a φίλος, amicus, et στέφανος, corona. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 974, 2. M. Regulus Philostephanus. *F.*] ℙ *Item scriptor quidam, Callimachi Cyrenaei conterraneus, et σύγχρονος sive aequalis, eidemque familiaris, uti refert *Athenaeus.* Ejus meminit *Plin.* 7, 56. *B. A.*

[PHĬLOSTORGUS et Philostergus, i, m. φιλόστοργος, propensus in mutuum amorem parentum erga liberos, et liberorum erga parentes: a φίλος, amicus, et στέργω, amo liberos et parentes. *Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 7. Simplicitas *(Gavii Clari)*, castitas, veritas, fides Romana plane: φιλοστοργία vero nescio an Romana; quippe qui nihil minus in tota mea vita Romae repperi, quam hominem sincere φιλόστοργον; ut putem, quia reapse nemo sit Romae φιλόστοργος, ne nomen quidem huic virtuti esse Romanum. *Id. ad Amic. ep.* 1, 6. Frugi, probus, philostorgus, cujus rei nomen apud Romanos nullum est. ℙ Est etiam cogn. R., et scribitur *Philostergus. Inscr.* ap. *Grut.* 240. col. 1. L. Antistius Philostergus, L. Cluvius Philostergus. *F.*]

[PHĬLOSTRĀTUS, i, m. amans castrorum: a φίλος, amicus, et στρατός, exercitus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Bartoli Ant. d' Aquileja* p. 239. T. Vejus Philostratus. *F.*]

[PHĬLŌTAS, ae, m. Φιλώτας, unus ex ducibus Alexandri magni. *Curt.* 10, 10. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 931, 12. A. Annius Philotas. *F.*]

PHĬLŌTECHNUS, a, um, adj. φιλότεχνος, qui ad optimarum artium studium pertinet: a φίλος, amicus, et τέχνη, ars. *Vitr. praef.* 6. Philologis, et philotechnis rebus me delectans.

[PHĬLŌTECNUS, a, um, adj. φιλότεκνος, liberorum amans: a φίλος, amicus, et τὸ τέκνον, filius. Est cogn. R. *Inscr.* in *Giorn. Arcad.* T. 28. p. 347. L. Furius Philotecnus. *F.*]

*PHILOTĔRA (φιλωτέρα, i. e. amicior), dicta est urbs Aegypti superioris, ad oram Arabici sinus. *Plin.* 6, 29. ℙ *Philoteris*, *idis*, est *Melae* 3, 8. ℙ *Straboni πόλις Φιλωτέρα* est, *Ptolemaeo Φιλωτέρας λιμήν. B. A.*

[PHĬLŌTĔRUS, a, um, adj. φιλώτερος, amicior, compar. a φίλος, amicus. Est nomen libert. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 729, 9. Sex. Rubrius Aristobulus sibi, et Philoterae, et Tyche libertabus suis. *F.*]

[PHĬLŌTHĔUS, i, m. φιλόθεος, Dei amans: a φίλος, amicus, et Θεός, Deus. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 307. *n.* XXXV. Philotheus contubernali suae. *F.*]

[PHĬLŌTĪMUS, i, m. φιλότιμος, honoris cupidus: a φίλος, amicus, et τιμή, honor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Delfico*, *Interamna Praetut.* p. 124. P. Vibius Philotimus. Fuit etiam cogn. liberti Ciceronis, de quo ap. *eund. Fam.* 3, 9. etc. mentio est. *F.*]

[PHĬLOXĔNUS, i, m. φιλόξενος, hospites amans, hospitalis: a φίλος, amicus, et ξένος, hospes, peregrinus. Est cogn. R., ut C. Avianus Philoxenus ap. *Cic. Fam.* 13, 35. *F.*] ℙ *Item insignis pictor, Eretrias. *Plin.* 35, 10. *B. A.*

[PHILTĀTUS, i, m. et Philtātē, es, f. φίλτατος, άτη, amicissimus, a superl. v. φίλος, amicus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 36, 11. C. Pettius C. F. Pal. Philtatus. Alia ap. *Maff. Mus. Ver.* 91, 1. Pantheo Juventii Herma, et Philtate V. S. L. M. *F.*]

[PHILTRODOTES, ae, m. qui philtrum praebet: a φίλτρον, philtrum, et δότης, dator. Ita appellatur herba, quae et splenium. *Appul. Herb.* 56. ℙ Item quae peristereos. *Id. ib.* 65. *F.*]

PHILTRUM, i, n. φίλτρον, amatorium poculum, quod in amorem, et plerumque in insaniam inducit: a φιλέω, amo. *Ov. A. Am.* 2, 105. Nec data profuerint pallentia philtra puellis: Philtra nocent animis, vimque furoris habent. *Juven.* 6, 609. Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti, Et solea pulsare nates.

[PHĬLŪMĒNUS, ă et ē, um, φιλούμενος, qui amatur, part. pass. a φιλέω, amo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 94. *n.* 209. L. Aurelius L. L. Philumenus Aureliae Philumene filiae. Alia ap. *Grut.* 476, 2. Trebia C. F. Philumena. *F.*]

PHĬLUS, a, um, adj. φίλος, amicus. *Petr. Sat.* 110. Quam facile *(mulieres)* adamarent! quam cito etiam philorum obliviscerentur! Alii minus recte leg. *filiorum.* ℙ [Est etiam cogn. R., ut L. Furius Philus in nummo ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 222. Idem vero in *Cod. Cic. de Rep.* 1, 11., teste *A. Maio*, modo Philus, modo Pilus scribitur, quae scriptio magis propria est Latini sermonis: etenim, ut ait *Cic. Or.* 48., ita majores Latini locuti sunt, ut nusquam, nisi in vocali, aspiratione uterentur. *Inscr.* ap. *Fea*, *Framm. di fasti* p. 18. *n.* 55. Procilia Phila. *F.*]

[PHĬLŪSĂ, ae, f. φιλοῦσα, amans, part. praes. verbi φιλέω, amo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 852, 4. Julia Philusa. *F.*]

PHĬLYRĀ et Philura, ae, f. φιλύρα, membrana tenuissima inter corticem et lignum tiliae arboris: nam Graeca vox tiliam significat. *Plin.* 16, 14, 25. de tilia: Inter corticem et lignum tenues tunicae multiplici membrana, e quibus vincula, tiliae vocantur: tenuissimae earum, philyrae, coronarum lemniscis celebres, antiquorum honore. *Hor. Od.* 1, 38, 2, Displicent nexae philyra coronae. *Plin.* 21, 3, 4. Lemniscos caelare primus instituit P. Claudius Pulcher, bracteasque etiam philyrae dedit, *h. e.* lemnisco tenuissimo aureo adjecit bracteas aureas. *Ov. Fast.* 5, 337. Ebrius incinctis philyra conviva capillis Saltat. *Plin.* 24, 1, 1. Philyra coci, et polline nimium salem cibi eximunt. *Id.* 19, 2, 9. Junco Graecos ad funes usos, postea palmarum foliis, philyraque manifestum est. ℙ Etiam ad scribendum philyris tiliarum sunt usi veteres. *Ulp. Dig.* 32, 1, 52. Librorum appellatione continentur omnia volumina, sive in charta, sive in membrana sint, sive in quavis alia materia. Sed et si in philyra aut tilia, ut nonnulli conficiunt, aut in aliquo corio, idem erit dicendum. *Capell.* 2, 35. Alia *(volumina)* ex papyro, quae cedro perlita fuerant, videbantur; alii carbasinis voluminibus complicati libri, ovillis multi quoque tergoribus: rari vero in philyrae cortice subnotati. *Inscr.* ap. *Fea*, *Var. di notiz.* p. 172. Philura calculatoria, *h. e.* in qua calculi fiunt. ℙ Dicitur item de tenuissimis papyri membranis, ex quibus charta fit. *Plin.* 13, 11, 23. de papyro: Praeparantur ex eo chartae, diviso acu in praetenues, sed quam latissimas philuras. ℙ Est etiam hoc nomine Nympha Oceani filia, cum qua concumbens Saturnus, adveniente Ope conjuge, in equum se vertit, et aufugit. Ex eo autem concubitu natus est Chiron dimidia parte homo, dimidia equus: quo territa monstro Philyra, petiit a Jove, ut se ex tanto opprobrio eriperet, qui eam vertit in arborem sui nominis. *Hyg. fab.* 138. et *Serv.* ad illud *Virg. G.* 3, 92. Talis et ipse jubam cervice effudit equina Conjugis adventu pernix Saturnus, et altum Pelion hinnitu fugiens implevit acuto. Adde *Val. Fl.* 5, 153. [*Ordinem hujus loci probe emendavit *F.*]

PHĬLYRĒĬUS et Philyrēus, a, um, adj. ad Chironem pertinens Philyrae filium. *Ov. Met.* 2, 676. et *Fast.* 5, 391. Philyreius heros. *Id. Met.* 7, 352. Philyreia tecta. Alii leg. *Philyreaque tecta.*

PHĬLYRĪDES, et Poetice Phillyrides, ae, m. Φιλλυρίδης, Chiron filius Philyrae. *Prop.* 2, 1, 61. Tarda Philoctetae sanavit crura Machaon: Phoenicis Chiron lumina Phillyrides. *Ov. A. Am.* 1, 11. Phillyrides puerum cithara perfecit Achillem. Adde *Virg. G.* 3, 550.

PHĬLYRĪNUS, a, um, adj. φιλύρινος, qui est e philyra, ut *Philyrinus liber*, philyrae tunica, qua coronae alligantur. *Serv.* ad *G.* 3, 93. V. PHILYRA.

PHĪMUS, i, m. φιμός, fritillus, pyrgus. Quidam legunt in illo *Hor. Sat.* 2, 7, 17. Mitteret in phimum talos. At plerique *pyrgum.* [*Heindf.*, q. v., retinuit *phimum*, nulla lectionis varietate notata.]

PHĪNĒĬUS et Phīnēus, a, um, adj. ad Phineum pertinens. *Virg. A.* 3, 212. Phineia postquam Clausa domus. *Ov. Fast.* 6, 131. Sunt avidae volucres, non quae Phineia mensis Guttura fraudabant, etc. *Val. Fl.* 4, 504. Phineia tecta. *Petr. Sat.* 136. cum Phineo maduere veneno Fallaces epulae. *Ov. Met.* 5, 109. Phinea cecidere manu, *h. e.* Cephei. *Sen. Herc. Fur.* 759. Terretque mensas avida Phineas avis. *Id. Thyest.* 154. Phineae aves, *h. e.* Harpyiae.

PHĪNEUS, i, et eos, m. dissyllab. Φινεύς, filius fuit, teste *Hellanico*, Agenoris, vel, ut *Hesiodus* ait, Phoenicis et Cassiopeae, nepos Agenoris, frater Cilicis, Dorycli, et Atamini. Hic vates Apollineus, et rex Arcadiae, vel, ut alii scribunt, Thraciae, vel, ut rursus alii, Paphlagoniae, uxorem duxit Cleopatram, quam quidam Sthenoboeam, seu Sthenoboen vocant, ex qua genuit Orytum, et

Crambum, ut *Sophocles;* ut alii, Mariandynum, et Thynum; vel, ut rursus alii, Palaemonem et Phineam, quibus, mortua priore conjuge, Harpalycen filiam Boreae et Orithyiae, sororem Calais, et Zethi, novercam superinduxit. Sed alii dicunt, Phineum Cleopatram filiam Boreae et Orithyiae, uxorem duxisse, secundam vero Idaeam Dardani filiam novercam superinduxisse. Suasu secundae uxoris filios suos ex priore susceptos excaecavit, quasi eam illi de stupro interpellassent. Quapropter et ipse excaecatus est a Diis, et Harpyiae contra eum missae, quae mensam ejus et cibos turpissime foedabant. Postea vero, cum Argonautas humanissime excepisset, Iason praecepit Calai et Zetho fratribus alatis, ut aves illas ex ejus regno expellerent, a quibus usque ad Strophades insulas fugatae sunt. Postremo occisus est ab Hercule, cum is in solitudine liberos Phinei invenisset excaecatos, audivissetque, eos calumniis novercae ejectos fuisse. *Serv.* ad *A.* 3, 209., *Hyg. fab.* 19., *Ov. Met.* 7, 3., *A. Am.* 1, 339. et *Val. Fl.* 4, 425. et sqq. et alii. *Ov. R. Am.* 355. Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas. *Val. Fl.* 4, 425. Litora fatidici poenis horrentia Phinei; et *ib.* 473. Sustulit hic geminas Phineus ad sidera palmas. ℙ *Phineus* pro quocumque caeco. *Mart.* 9, 26. Si non vis teneros spectet conviva ministros, Phineas invites, Afer, et Oedipodas. *Phineas* est accusat. plur. Graecae positionis, *Φινέας.* ℙ Phineus alter, Cephei frater, qui cum promissam sibi Andromedam filiam fratris a Perseo, cui ex pacto postea nupserat, repeteret, post ingentem rixam, viso casu capite Medusae, in lapidem mutatus est. *Ov. Met.* 5. *in. Id. ib.* 210. Poenitet injusti tum denique Phinea belli.

PHINĪDES, ae, m. *Φινείδης*, Phinei filius. *Ov. Ib.* 273. Ut duo Phinidae, quibus idem lumen ademit, Qui dedit.

*PHINOPOLIS, is, f. *Φινόπολις*, Thraciae opp., ad Pontum Euxinum, prope Bosphorum Thracium. *Mela* 2, 2. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

*PHINTHĪA, ae, Siciliae fons, in quem, ut Apion refert, nihil immergi potest. *Plin.* 31, 2. ℙ Item opp. Siciliae. V. PHINTIA. *B. A.*

*PHINTHIENSES, ium, Phinthiae sive Phintiae incolae. *Plin.* 3, 8. *B. A.*

*PHINTĪA sive Phinthia, ae, f. Siciliae opp., medio inter Agrigentum Gelamque loco. *Cic. Verr.* 2, 3, 83. *B. A.*

*PHINTONIS INSULA, *Φίντωνος νῆσος*, prope Sardiniam fuit, Corsicam versus, vulgo *Isola de Figo*, uti censebat *Cluverius. Plin.* 3, 6. V. PHITONIA. *B. A.*

*PHISADIE, es, vel Phisadia, ae, f. soror Pirithoi, de qua sic *Hygin. fab.* 79. Castor et Pollux fratres belligerarunt, et Aethram Thesei matrem et Phisadiem Pirithoi sororem ceperunt, et in servitutem sorori dederunt. *Id. fab.* 92. Helenam — abduxit (Paris), eamque in conjugio habuit cum ancillis duabus Aethra et Thisadie *(sic)*, quas Castor et Pollux, etc. V. *Munkerum. B. A.*

PHĪSON, onis, m. unus ex quatuor fluviis, qui e terrestri Paradiso egrediuntur. Aliis est Ganges, aliis Nilus, aliis Phasis, qui est in Colchide. *Alcim.* 1, 290. Quartus Phison erit, quem possidet India Gangem.

*PHITONIA, ae, f. maris Etrusci insula, ad littus Italicum. *Mela* 2, 7. *med.* ℙ Eandem cum Phintonis Insula esse censet *Is. Voss.* ad l. *B. A.*

[PHLASCA, ae, f. vas vinarium: videtur esse composita vox a *φιάλης ἀσκός, h. e.* phialae culleus, unde Graeci vulgo *φλάσκη. Hesych. Φλάσκων δέ εστι εἶδος ποτηρίου. Isid. Or.* 20, 6. Phlascae a Graeco vocabulo dictae. Hae pro vehendis ac recondendis phialis primum factae sunt, unde et nuncupatae. Postea in usum vini transierunt, manente Graeco vocabulo, unde et sumpserunt initium. *Id.* in *Gloss.* Pilasca, vas vinarium ex corio. ℙ Scribitur etiam *flasca. F.*]

PHLEBOTOMĀTUS, a, um, part. a *phlebotomo:* cui incisa vena sanguis extractus est. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 13. Deinc erit anceps, utrum irruente rursum tumore phlebotomandi, necne sint aegrotantes: sed phlebotomati apertissime interficiuntur, non phlebotomati magno adjutorio privantur.

PHLEBOTOMIA, ae, f. incisio venae, *φλεβοτομία*: a *φλὲψ, βός*, vena, et *τέμνω*, seco. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 18. Si dolor vehemens fuerit, phlebotomiam convenit adhibere. *Veg. Vet.* 1, 14. Si phlebotomia uti volueris. ℙ Scribitur et *flebotomia.*

PHLEBOTOMĪCE, es, f. *φλεβοτομική*, phlebotomia. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 3. *med.* Phlebotomice adhiberi prohibetur.

PHLEBOTOMO et Flebotomo, as, avi, atum, a. 1. *φλεβοτομέω*, incisa vena sanguinem extraho curationis causa. *Veg. Vet.* 1, 24. Admissarios flebotomare non est opus. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 14. Phlebotomat eos, qui, etc. Adde *ib.* 2, 19. *med.* [*Theod. Prisc.* 1, 10. Oculi phlebotomandi. *Id.* 1, 12. Phebotomandus erit. *F.*]

PHLEBOTOMUS, i, m. *φλεβότομον*, incisio venae, phlebotomia: item scalpellum, quo vena inciditur. *Veg. Vet.* 1, 19. Quae in cauteriis, vel phlebotomo facienda sunt; et *ib.* 27. *extr.* Caute transverso phlebotomo percuties. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 19. *med.* Phlebotomo uti. *Theod. Prisc.* 2, 21. Phlebotomus adhibendus. ℙ Scribitur et *flebotomus.*

PHLEGĒTHON, ontis, m. *Φλεγέθων*, fluvius Inferorum igneis undis fluens: a *φλεγέθω*, uro; incendo. In fabulis Cocyti filius dicitur. *Stat. Th.* 4, 522. liventes Acheron ejectat arenas: Fumidus atra vadis Phlegethon incendia volvit. *Sen. Thyest.* 1018. ardenti freto Phlegethon arenas igneus tortas agens. *Id. Oed.* 162. Phlegethonque sua motam ripa Miscuit undis Styga Sidoniis. *Id. Ag.* 752. haec hodie ratis Phlegethontis atri regias animas vehet. ℙ *Virg. A.* 6, 264. Dii, quibus imperium est animarum, umbraeque silentes, Et Chaos, et Phlegethon, loca nocte silentia late. Ubi *Serv.:* per Phlegethonta ignem significat, unde secundum Heraclitum cuncta procreantur.

PHLEGĒTHONTĒUS, a, um, adj. *Φλεγεθόντειος*, ad Phlegethontem pertinens. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 88. Et Phlegethonteae requierunt murmura ripae.

PHLEGĒTHONTIS, ĭdis, f. quae est e Phlegethonte. *Ov. Met* 15, 532. Et lacerum fovi Phlegethontide corpus in unda. Adde *ib.* 5, 514.

PHLEGMA et Flegma, ătis, n. *φλέγμα*, humor in corpore frigidus, et humidus, hieme potissimum exuberans. *Pall.* 8, 6. Hoc vini genus ventrem purgabit, flegma dissolvet. *Veg. Vet.* 2, 12. Jumentum insaniens multum flegmatis ex ore profundet; et *ib.* 3, 19. Flegma in genibus jumenti curare. ℙ Volunt esse a *φλέγω*, inflammo, per antiphrasin, quia minime calidum est: et sunt qui *Plin.* etiam tribuunt 23, 1, 17., sed ibi *flemina* legendum est.

[PHLEGMĀTĪCUS, a, um, adj. *φλεγματικός*, phlegmate abundans. *Theod. Prisc.* 4, 2. Omnes viri artus phlegmatico humore sunt corroborati. *F.*]

PHLEGMONE, es, f. *φλεγμονή*, collectio sanguinis in aliqua parte corporis cum rubore, tumore, calore, et dolore, quae quatuor *Cels.* 5, 10. signa inflammationis esse posuit: a *φλέγω*, inflammo. *Plin.* 20, 4, 13. Raphanos tusos phlegmone illinere.

PHLĒGON, ontis, m. *Φλέγων*, unus ex equis Solis: a *φλέγω*, ardeo. *Ov. Met.* 2, 154. volucres Pyroeis, Eous, et Aethon, Solis, equi, quartusque Phlegon. ℙ [Est quoque cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 72. Dis Manib. Ti. Claudii Phlegontis, etc. *F.*]

PHLĒGONTIS, ĭdis, f. *φλεγοντίς*, gemmae genus, a *φλέγω*, uro, quod in ea flamma quaedam intus ardere videatur. *Plin.* 37, 11, 73.

PHLEGRA, ae, f. *Φλέγρη*, postea Pallene, urbs Macedoniae, circa quam vallis fuit, in qua Gigantes olim cum coelestibus conflixisse, et ab Hercule exstincti esse dicuntur. *Plin.* 4, 10, 17. et *Solin.* 9. Qui ad historicam fidem pugnam hanc conantur reducere, ita scripserunt: Pallenen, quae veteri nomine Phlegra vocabatur, homines tenuerunt, quibus immanitas et superbia morum Gigantum cognomen peperit. In hos ineunte proelium Hercule, fulmina de coelo missa sunt, donec ii fugere coacti sunt, sicque ingenti victoria superati. Ex hac re rumor in vulgus ortus, ut Gigantes moverint bellum Diis. *Stat. Th.* 2, 595. Non aliter Geticae si fas est credere Phlegrae, Armatum immensus Briareus stetit aethera contra. *Sen. Herc. Fur.* 444. Post monstra tot perdomita, post Phlegram impio Sparsam cruore, postque defensos Deos. *Val. Fl.* 1, 564. Iapeti post bella trucis, Phlegraeque labores. V. v. sq.

*PHLEGRAEOS vel Phlegraeus, i, m. *Φλέγραιος*, Centauri nomen, qui Pirithoi interfuit nuptiis. *Ov. Met.* 12, 378. *B. A.*

PHLEGRAEUS, a, um, adj. *Φλεγραῖος*, ad Phlegram pertinens. *Ov. Met.* 10, 150. cecini plectro graviore Gigantas, Sparsaque Phlegraeis victricia fulmina campis. *Prop.* 2, 1, 39. Phlegraeos Jovis Enceladique tumultus. *Stat. Achill.* 1, 484. Phlegraea castra. *Sen. Thyest.* 810. Phlegraei hostes. *Val. Fl.* 5, 693. Phlegraeae pugnae. *Mart.* 8, 78. Phlegraea victoria. *Stat. Silv.* 5, 3, 196. proelia, *h. e.* civilia ac tam impia, quam fuere Gigantum cum Diis. ℙ In illo *Prop.* 3, 9, 37. Issent Phlegraeo melius tibi funera campo: intellige campum Pharsalicum, vel Philippensem, ubi belli civilis Pompeji ac Caesaris furor detonuit. Sunt enim qui Phlegram in Thessalia (ubi campi Pharsalici) ponunt. ℙ *Phlegraei campi* sunt etiam in Campania Italiae regione, ubi Forum Vulcani, prope Puteolos, et Acherusiam paludem, teste *Plin.* 3, 5, 9., *Sil.* 8, 540. et *Strabone l.* 5. et 6., quibus similiter poetae tribuunt pugnam Gigantum cum Diis, quia sulphure et ignibus ea loca abundant. Unde illud *Prop.* 1, 20, 8. Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes: Sive Gigantea spatiabere litoris ora. ℙ *Phlegraeus vertex* ap. *Sil.* 8, 657. est flamma erumpens e cacumine Vesuvii montis, quia tam alte ascendit, ut sidera tangere videatur, et cum Diis Gigantum more pugnare: vel quia a *φλέγω*, uro, incendo. ℙ [*Phlegraeus* est etiam nomen proprium unius ex Centauris, qui interfuit Pirithoi nuptiis. *Ov. Met.* 12, 378. *F.*]

[PHLEGUSA, ae, f. *φλέγουσα*, ardens, particip. praes. a *φλέγω*, ardeo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 303, 6. Passenia Phlegusa. *F.*]

PHLEGYAS, ae, m. *Φλεγύας*, Martis filius, rex Lapitharum in Thessalia, pater Ixionis et Coronidis Nymphae, quam cum ab Apolline vitiatam sensisset, confestim ira percitus, templum ejus Delphis incendit. Quapropter Apollo iratus ipsum sagittis interfectum ad Inferos detrusit, ubi hac poena afficitur, ut sub ingenti saxo, ruinam minitante, sedens semper illud casurum suspicetur et timeat. *Serv.* ad *A.* 6, 618. et *Stat. Th.* 1, 713.

PHLEOS. V. PHEOS.

*PHLIAS, antis, m. *Φλίας*, Bacchi filius, Argonautarum unus, ut scribit *Val. Max.* 1, 411. *B. A.*

PHLIASIUS, a, um, adj. *Φλιάσιος*, ad Phliuntem pertinens. *Cic. Tusc.* 5, 4. Phliasius sermo. *Ov. Ib.* 329. Quaeque in Adimantum, Phliasia regna tenentem. ℙ *Phliasii, orum*, absolute sunt Phliuntis incolae. *Cic. ib.* 3. et *Att.* 6, 2. [Phliasios dici sciebam; et ita fac habeas, nos quidem sic habemus, sed primo me *ἀναλογία* deceperat, *Φλιοῦς, Ὀποῦς, Σιποῦς;* quod *Ὀποῦντιος, Σιπούντιος.* Sed hoc continuo correximus. At in *de Rep.* 2, 4. (ed. *A. Maio*) adhuc *Phliantios* pro *Phliasios* in *Cod.* legitur, quia politici hi libri, statim ac ab auctore scripti sunt, distractis exemplaribus ita sunt evulgati, ut ipsius Tullii emendationes recipere minime potuissent. *F.*]

*PHLIUNTII, orum, *Φλιούντιοι*, i. q. Phliasii. *Cic. de re publ.* 2, 4. Nec praeter Phliuntios ulli sunt, etc. ubi V. notam *Maii. B. A.*

PHLIUS, untis, m. *Φλιοῦς*, opp. Peloponnesi in Sicyonia, ad fontes Asopi amnis. *Plin.* 4, 5, 7.

[PHLOESBUS, i, m. *φλοῖσβος*, murmur maris proprium. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Visc. Monum. degli Scip. tab.* 6. *n.* 2. Cn. Cornelius Phloesbus. *F.*]

PHLOGĪNOS, i, m. *φλόγινος*, gemma colore flammeo: a *φλέγω*, inflammo. *Plin.* 37, 10, 66.

PHLOGITES, ae, m. *φλογίτης*, gemma eadem, quae phlogitis. *Solin.* 37. *extr.* Phlogites ostentat intra se quasi flammas aestuantes.

PHLOGĪTIS, ĭdis, f. *φλογῖτις*, gemma, in qua intus ardere flamma quaedam videtur, quae non exeat. *Plin.* 37, 11, 73. V. v. praec.

PHLOMIS, ĭdis, f. *φλομίς*, herba hirsuta, rotundis foliis, humilis, quasi parvum verbascum. Ejus tria genera recenset *Plin.* 25, 10, 74., et tertium genus ait habere folia crassa et piuguia, aptaque lucernarum luminibus: unde et lychnitis dicta est.

PHLOMOS, i, m. *φλόμος*, herba eadem quae verbascum. *Plin.* 25, 10, 73.

PHLOX, phlogis, f. *φλόξ, ογός*, Graece flammam significat: a *φλέγω*, incendo. Est etiam nomen violae silvestris, colore flammeo. *Plin.* 21, 11, 38. ℙ Unde *phlogium* est collyrii genus ex phlogis floribus. V. FLOGIUM.

*PHLYGONE, es, f. Boeotiae opp. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

PHOBĒTOR. V. MORPHEUS.

PHOCA, ae, et Phōcē, es, f. *φώκη*, vitulus marinus, belua, quae corio, et pilis tecta est, canum modo coit, parit in terra pecudum more, et in somno instar bovis mugit. [*Phoca vitulina, *L.*] *Plin.* 9, 7, 6. et *ib.* 13, 15. *Virg. G.* 4, 432. Sternunt se somno diversae in litore phocae; et *ib.* 395. de Proteo: et turpes pascit sub gurgite phocas. *Ov. Met.* 1, 300. Deformes phocae; et *ib.* 2, 267. Corpora phocarum summo resupina profundo Exanimata jacent. ℙ Fingunt poetae, Protea vehi curru, quem junctae phocae trahant. *Val. Fl.* 2, 319. ℙ Fabulantur etiam unum quendam nepotem Cephisi ab Apolline in hunc piscem conversum. *Ov. Met.* 7, 388. Cephison procul hinc deflentem fata nepotis Respicit in tumidam phocen ab Apolline versi.

PHOCAEA, ae, f. *Φωκαία*, urbs Ioniae, in ora maris, in confinio Aeoliae, Atheniensium colonia, cum portu. Dicta creditur, quod ingens phocarum numerus condentibus apparuerit. *Plin.* 5, 29, 31. et *ib.* 30, 33. et *Mela* 1, 17. *f.* ℙ Ejus forma et situs describitur a *Liv.* 37, 31.

PHOCAEENSIS, e, adj. *Φωκαιεύς*, ad Phocaeam pertinens. Hinc *Phocaeenses, ium*, incolae illius urbis. *Plin.* 3, 4, 5. Massilia Graecorum Phocaeensium foederata; et *ib.* 3, 4. Phocaeensium soboles. *Just.* 43, 3. Phocaeensium juventus. Adde *Liv.* 37, 32. et 38, 39.

PHOCAEUS, a, um, adj. ad Phocaeam pertinens. *Hor. Epod.* 16, 17. Phocaeorum Velut profugit exsecrata civitas Agros, atque Lares patrios. *Gell.* 10, 16. narrat, Phocidis (intellige *Phocaeae*) incolas ab Harpalo Cyri praefecto vexatos bello, reliquisse patriam, et in Europam migrasse, ubi inter alias urbes Massiliam condidere. ℙ Aliud est *Phocēus*, de quo V. infra.

PHOCAICUS, a, um, adj. *Φωκαϊκός*, ad Phocaeam urbem Ioniae pertinens. *Ov. Met.* 6, 8. Colophonius Idmon Phocaico bibulas tingebat murice lanas, *h. e.* qui in mari juxta Phocaeam capiebatur. Unde ex hoc loco discimus Phocaicam purpuram in pretio fuisse. ℙ Item ad Massiliam perti-

nens, cujus incolae a Phocaea oriundi. *Sil.* 4, 52. Scipio Phocaicis sese referebat ab oris. *Sen. epigr.* 1, 1. Corsica Phocaico tellus habitata colono. (V. *eund. Consol. ad Helv.* 8.) Alii leg. *Phocaeo.* ℙ *Phocaicas Emporias* appellat *Sil.* 3, 369. urbem Hispaniae Tarraconensis, quia a Massiliensibus condita est. V. *Liv.* 34, 9. et *Plin.* 3, 3, 4. *med.* ℙ Item ad Phocidem pertinens, *Φωκικός*. *Ov. Met.* 2, 569. Phocaica clarus tellure Coroneus. *Lucan.* 3, 172. Phocaicas Amphisa manus, scopulosaque Cirrha, Parnasusque jugo misit desertus utroque. *Id.* 5, 143. crinesque in terga solutos Candida Phocaica complectitur infula lauro, *h. e.* Parnasia, quia Parnasus in Phocide est. ℙ Cur Erymanthum, qui mons est, et fluvius Arcadiae in Peloponneso, *Phocaicum* dixerit *Ov. Met.* 2, 244., causam reperire nesciunt interpretes. Itaque alii *Psophaicum*, aut *Psophaeum* mallent, a Psophide, quod est oppidum Arcadiae ad fontes Erymanthi, *Ψωφίς*, ap. *Plin.* 4, 6, 10. et 12, 26, 57., *Ov. Met.* 5, 607. et *Stat. Th.* 4, 296.

PHOCAIS, ĭdis, f. adj. ad Phocaeam Ioniae pertinens. *Lucan.* 3, 301. Phocais in dubiis ausa est servare juventus Non Graja levitate fidem, *h. e.* Massiliensis, quae a Phocaea originem duxit. Adde *Sil.* 15, 172. ℙ *Phocais ballista* dicta a Massiliensibus, qui in hoc armorum genere excelluerunt, et a Phocaea in Europam invexerunt, ponitur pro quavis ballista per synecdochen, in illo *Silii* 1, 334. adductis stridula nervis Phocais effundit vastos ballista molares.

*PHOCARÌA, ae, f. maris Aegaei insula, Graeciae adjacens. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*PHOCE, es, f. *Φώκη*, insula Cretae vicina. *Plin.* 4, 12. ℙ Phoce, vitulus marinus. V. *Phoca. B. A.*

PHOCENSIS, e, adj. *Φωκικός*, ad Phocidem Graeciae regionem pertinens. *Phocenses*, *ium*, *Φωκεῖς*, ejus regionis homines. *Just.* 8, 1. 2, 4. et 11, 3., *Plin.* 3, 5, 10. et *Solin.* 2. ℙ Item ad Phocaeam pertinens, pro *Phocaeensis*. unde *Phocenses* ejus urbis cives, *Φωκαιεῖς*. *Just.* 37, 1. Massilienses pro Phocensibus conditoribus suis legatos Romam deprecatum misere. Adde 43, 3. et *Solin.* 2. *f.* Sunt tamen, qui his locis *Phocaeenses* legendum censent. Alii putant, erratum esse in hac re a Latinis scriptoribus, qui *Phocenses* pro *Phocaeensibus* perperam sumpserint: quod et in PHOCAICUS, PHOCEUS et PHOCIS videre est.

PHOCĒUS, a, um, adj. *Φώκειος*, ad Phocidem pertinens. *Ov. Met.* 5, 276. Daulia Threicio, Phoceaque milite rura Ceperat; et *ib.* 11, 348. Phoceus Anetor. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 9. Telephanes Phoceus. *Ov. Trist.* 1, 5, 21. et *ib.* 4, 71. juvenis Phoceus, *h. e.* Pylades filius Strophii regis Phocidis. Adde *Sen. Oedip.* 772. His autem locis alii male leg. *Phocaeus*: nam hoc ad Phocaeam pertinet.

[PHOCĪI, orum, m. plur. Phocenses. *Cic. Pis.* 40. Locri, Phocii, Boeotii exsuti. *F.*]

*PHOCĪON, onis, m. *Φωκίων*, Atheniensis, Phoci filius, ex optimis illis Graecis, quos pauperrimos fuisse *Aelianus* scripsit, unus; qui post multa in rempublicam Atheniensium merita, pro laude invidiam, pro gratia odium reportavit. Damnatus mortis cum aliis, veneni sibi sumendi solutionem, cum id solvere se posse carnifex negaret, ab amico impetravit: idque antequam biberet, filio mandavit, ne quid harum memoria rerum Atheniensibus irasceretur. Ejus ingenua illa ad Antipatrum vox fuit: *Οὐ δύναμαί μοι καὶ φίλῳ χρῆσθαι καὶ κόλακι, τουτέστι καὶ φίλῳ καὶ μὴ φίλῳ*, i. e. Non potes me simul et amico uti et adulatore, *h. e.* amico et non amico. V. *Plutarch.* in *Apophth. Aelian. V. H.* 2, 16. et 43. Adde de laudibus ejus *C. Nep.* in ejus vita, qui de morte paulo aliter tradit. *B. A.*

PHOCIS, ĭdis, f. *Φωκίς*, regio Achaiae inter Boeotiam, et Aetoliam, in qua Delphi urbs, Parnasus, et Helicon montes, Castalius fons, et Cephisus fluvius. *Ov. Met.* 1, 313., *Mela* 2, 3., *Liv.* 28, 5. et 32, 18. et *Stat. Th.* 1, 64. ℙ Dictam ferunt a Phoco Aeaci filio, quem Peleus, et Telamon occidisse dicuntur. ℙ Sumitur et pro Phocaea urbe Ioniae, tum substantive, tum adjective. V. dicta in PHOCENSIS. *Gell.* 10, 16. Qui ab Harpalo ex terra Phocide fugati sunt, Massiliam condiderunt. *Sen. Consol.* ad *Helv.* 8. Phocide relicta, Graji, qui nunc Massiliam colunt, prius in hac insula (*Corsica*) consederunt. *Lucan.* 4, 256. nec Phocidos undis Massiliae, Pharioque nec tantum est aequore gestum. (Etiam *Sidon. carm.* 23, 13. Phocida pro Massilia posuit.) *Id.* 3, 340. Et post translatas exustae Phocidos arces. Adde 5, 53. ℙ *Phocis* ap. Chios genus est piri, quam si lambat aut mordeat capra, utiliorem fieri, scribit *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 19., cum aliae arbores ea injuria fiant deteriores, aliae moriantur.

PHŌCUS, i. m. *Φῶκος*, Aeaci filius, Pelei frater, et ab hoc occisus. *Ov. Met.* 7, 476. et *ib.* 11, 267. et 381.

*PHODA, ae, f. Arabiae Felicis oppidum. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

PHOEBAS, ădis, f. mulier Phoebi vates, quae ejus numine concepto furere et bacchantis more agitari, et futura praedicere credita est. Eadem et Pythia dicitur. *Lucan.* 5, 128. Limine terrifico metuens consistere Phoebas; et *ib.* 165. tandemque potitus Pectore Cirrhaeo non unquam plenior artus Phoebados irrupit Paean. V. ibi reliqua, et adde *Sil.* 15, 282. ubi Phoebas Iliaca est Cassandra. Sic *Ov. Amor.* 2, 8, 12. Serva Mycenaeo Phoebas amata duci. Adde *eund. Trist.* 2, 400., *Prop.* 3, 11, 61., *Sen. Agam.* 586. et 710. et *Sidon. carm.* 15, 2. et *carm.* 5, 194.

PHOEBE, es, f. *Φοίβη*, Phoebi soror, Luna, Diana. *Virg. G.* 1, 431. vento semper rubet aurea Phoebe. *Id. A.* 10, 215. almaque curru Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum. *Val. Fl.* 7, 366. quae lampade Phoebes Sub decima juga feta metit. *Ov. Amor.* 3, 2, 51. Auguribus Phoebus, Phoebe venantibus adsit. *Id. Her.* 20, 229. jaculatrix Phoebe. *Id. Met.* 1, 476. innupta. ℙ Fuit etiam hoc nomine filia Ledae, soror Helenes. *Ov. Her.* 8, 77. Flebat avus, Phoebeque soror, fratresque gemelli. Al. aliter leg. ℙ [*Phoebē*, ēnis, est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 300, 1. Ossa condita Titiae T. L. Phoebenis. *F.*]

[PHOEBĒUM, i, n. *Φοιβεῖον*, Phoebi templum, quod nomen dedit loco Spartae adjacenti. *Liv.* 34, 38. *F.*]

PHOEBĒIUS, et

PHOEBĒUS, a, um, adj. *Φοιβήϊος* et *Φοίβειος*, ad Phoebum pertinens. *Ov. Met.* 5, 389. Silva suis frondibus Phoebeos submovet ictus, *h. e.* radios et calorem. *Lucr.* 2, 504. Phoebea carmina. *Virg. A.* 4, 6. lampas. *Ov. Trist.* 4, 2, 51. laurus. *Id. Pont.* 2, 2, 82. virgo, *h. e.* Daphne in laurum conversa. *Id. Her.* 16, 180. lyra. *Id. Met.* 7, 365. Rhodos, *h. e.* in qua praecipue Phoebus colebatur. *Id. Fast.* 3, 827. Phoebea arte morbos pellere. *Id. Met.* 3, 130. Phoebeae sortes, *h. e.* oracula, responsa. (V. *ib.* 8.) *Id. A. Am.* 3, 789. Phoebei tripodes. *Id. Met.* 15, 642. et *Stat. Silv.* 3, 4, 6. et 69. Phoebeius juvenis, *h. e.* Aesculapius Phoebi filius. Rursus *Ov. ib.* 742. anguis, *h. e.* idem in anguem versus; et *ib.* 2, 545. et *Stat. Silv.* 2, 4, 17. ales, *h. e.* corvus a Phoebo ex albo mutatus in nigrum, qui in auguriis praecipuum locum habet. Sic *Auson. Idyll.* 11, 15. Phoebeius oscen. *Lucan.* 3, 103. Phoebea palatia complet Turba patrum, *h. e.* templum Apollinis in Palatio exstructum ab Augusto. *Petr. Sat.* 135. Phoebeia Circe, *h. e.* Solis filia. Sic *Val. Fl.* 1, 228. Phoebeius Idmon, *h. e.* Phoebi filius et vates. *Id.* 3, 372. Phoebeus Mopsus, *h. e.* Phoebi vates et augur. *Sen. Agam.* 176. senex, *h. e.* Chryses Phoebi sacerdos. V. CHRYSES. *Lucan.* 9, 965. murus, *h. e.* Trojae a Phoebo et Neptuno exstructus. De Phoebeis navalibus ap. *eund.* 3, 182. V. interpretes.

[PHOEBĬĀNUS, i, m. nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 601, 1. Masurius Agatho, Phoebianus Primus. *F.*]

PHOEBĪGĒNĀ, ae, m. Phoebi filius. *Virg. A.* 7, 773. de Aesculapio: Fulmine Phoebigenam Stygias detrusit ad undas. Adde *Ser. Samm.* 12, 186. et 20, 364.

[PHOEBĪON, onis, m. *Φοιβίων*, dimin. Phoebi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 10. *n.* 1. P. Acilius Phoebion. Alia ap. *Mur.* 1585, 1. Hermes Phoebioni conservo. *F.*]

PHOEBUS, i, m. *Φοῖβος*, idem ac Apollo: ita dictus a specie et nitore, ut aliqui sensere apud *Macr. Sat.* 1, 17. Nam *φοῖβος* notat splendidum, lucidum, purum, teste *Hesych. Hor. Carm. saec.* 61. Augur, et fulgente decorus arcu Phoebus. ℙ ℙ Revera *Φοῖβος* adj. est: quare *Homerus* saepe *Φοῖβος Ἀπόλλων* habet; eumque imitatus *Virg. A.* 3, 251. Quae Phoebo pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo Praedixit. ℙ Pro sole. *Hor. Od.* 3, 21, 24. Dum rediens fugat astra Phoebus. *Ov. Met.* 2, 109. positaeque ex ordine gemmae Clara repercusso reddebant lumina Phoebo. *Id. R. Am.* 585. Tristior idcirco nox est, quam tempora Phoebi. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Cavedoni, Marm. Moden.* p. 172. M. Aemilius Phoebus. *F.*] ℙ *Fuit et Phoebus quidam, Neronis libertus. *Tac. A.* 16, 5. *B. A.*

*PHOENĪCA, ae, opp. Mesopotamiae cum castello. *Ammian.* 20, 15 et 18. *B. A.*

PHOENICĒ, es, f. *Φοινίκη*, regio Syriae maritima, inter reliquam Syriam ad Bor. Eleuthero fl. disterminante, et Palaestinam ad Mer. Cherseo fl. ab ea divisa. Olim Phoenice erat, quicquid terrarum inter Eleutherum fl. et Pelusium opp. Aegypti mari interno objacebat. Dicta est a Phoenice filio Neptuni et Libyes, qui in hac regione regnavit. Inter alia abundat murice, gypso, gentiana, liliis, myrtis, et circa Orontem myrrha. Sed ostro maxime Tyrio claret. *Plin.* 5, 12, 13. et *ib.* 19, 17. et 36, 26, 65. et *Mela* 1, 12. ℙ Phoenice item insula parva maris Aegaei, alio nomine Ios. *Plin.* 4, 12, 23. Item alia adversa Sygeo litori, alio nomine Tenedos. *Id.* 5, 31, 39. ℙ Item urbs Epiri. *Liv.* 29, 12.

PHOENĪCĒA, ae, f. *φοίνιξ*, herba, quam Latini hordeum murinum appellant, quidam hodie sterilem avenam. *Plin.* 22, 25, 65.

PHOENĪCES, um, m. plur. *Φοίνικες*, populi Phoeniciae, qui a poetis etiam Agenoridae, et Pygmalionei dicuntur. Nomen accepere a Phoenice filio Neptuni et Libyes. A mari rubro profecti Tyrum, Sidonem, et alias urbes in Phoenicia condidere. Iidem Thebas, Uticam, Hipponem, Leptim, Massiliam, Emporias, et alias urbes aedificavere in Boeotia, Africa, Gallia, Hispania, et aliis provinciis. Fuere inventores litterarum, siderum in navigando, navaliumque ac bellicarum artium. *Cic. N. D.* 2, 41., *Lucan.* 3, 220., *Plin.* 5, 12, 13. ℙ Iidem primi mercaturam exercuere. *Cic. fr.* ap. *Non.* 5, 35. ℙ In illo *Sil.* 13, 730. primo qui foedera bello Phoenicum pepigit: *Phoenices* sunt Poeni, seu Carthaginienses, qui Tyro Phoeniciae urbe profecti Carthaginem condiderunt.

PHOENĪCĒUS, a, um, adj. Phoeniceus color, *φοινικοῦν χρῶμα*, idem qui spadiceus, et badius. *Gell.* 2, 26. *f.* Phoeniceus, et rutilus, et spadix phoenicei *συνώνυμος*, exuberantiam splendoremque significant ruboris: quales sunt fructus palmae arboris, non admodum sole incocti: unde spadici et phoeniceo nomen est. Hic *Gell.* ostendit notationem nominis: nempe a *φοῖνιξ*, palma. Differt a *purpureo*, qui proprie ad nigrum magis accedit. *Plin.* 21, 23, 94. Aut phoeniceum florem habet, aut purpureum, aut lacteum. V. tamen quae in ea voce dicemus. ℙ *Phoeniceum colorem* Latini aliquando *poeniceum*, et *puniceum* dixere, et secundam syllabam corripuerunt, derivarunt a *poenicus*, et *punicus*, q. v. v. s. l. ℙ Scribitur et *foeniceus*. V. BABYLONICUS.

PHOENĪCĪA, ae, f. eadem quae Phoenice. *Cic. Phil.* 11, 13. *extr.* (ubi alii leg. *Phoenice.*) *Inscr.* ap. *Gud.* 69, 1. *f.*, *Capell.* 6, 219. et 220. et *Serv.* ad *A.* 1, 450. et *ib.* 3, 88.

PHOENĪCIAS, ae, m. *Φοινικίας*, ventus a Phoenice veniens. V. PHOENIX.

[PHOENĪCĪNUS vel Foenicinus, a, um, adj. *φοινίκινος*, idem ac phoeniceus. *Edict. Dioclet.* p. 25. Mellis optimi Ital. P. unum ✠ quadraginta, mellis secundi Ital. P. unum ✠ viginti, mellis phoenicini Ital. P. unum ✠ octo. *F.*]

PHOENĪCĪTIS, ītĭdis, f. gemma ex balani similitudine appellata, inquit *Plin.* 37, 10, 56.

[PHOENĪCĪUM, ii, dimin. graecum, nomen proprium meretricis. *Pl. Ps.* 1, 2, 92. Cras, Phoenicium, phoenicio corio invises pergulam, *h. e.* postquam flagris tergum tuum factum fuerit phoeniceum. Alii leg *phoeniceo.* Hinc *Id. Rud.* 4, 3, 61. Fiet tibi puniceum corium, postea atrum denuo. *F.*]

PHOENĪCĪUS, a, um, adj. ad Phoeniciam pertinens, ut Phoenicium mare, *Plin.* 5, 12, 13. Phoenicia cedrus, *Id.* 15, 5, 11. ℙ *Phoenicium corium.* V. v. praec.

*PHOENĪCO, onis, *Φοινικών*, opp. Aegypti superioris, prope sinum Arabicam. *Not. Imp. B. A.*

PHOENĪCOBĀLĀNUS, i, m. *φοινικοβάλανος*, h. e. palma cum nucleo, palmae Aegyptiae fructus prae maturitate nigrescens, vescentesque inebrians. *Plin.* 12, 22, 47.

PHOENĪCOPTĔRUS, i, m. *φοινικόπτερος*, species avis rubentes pennas habentis. [**Rothfeder*, Phoenicopterus, *L.*, *Flamingo.*] Suapte natura nomen adjectivum est, et commune, quod significat pennas habens punicei coloris: ex *φοῖνιξ*, qua colorem notat puniceum, et *πτερόν*, penna. *Plin.* 10, 48, 68. Phoenicopteri linguam praecipui saporis esse, Apicius docuit nepotum omnium altissimus gurges. *Mart.* 13, 71., cujus lemma *Phoenicopterus:* Dat mihi penna rubens nomen, sed lingua gulosis Nostra sapit: quid, si garrula lingua foret? *Id.* 3, 58. de eod.: Nomenque debet quae (*avis*) rubentibus pennis. *Sen. ep.* 110. *med.* Quod non desideras milliarios apros, nec linguas phoenicopterorum, et alia portenta luxuriae. *Lampr. Elag.* 20. Exhibuit et Palatinis ingentes dapes extis mullorum refertas, et cerebellis phoenicopterum, et perdicum ovis, etc. *Cels.* 2, 18. In media materia numerari debere ex quadrupedibus leporem, aves omnes usque ad phoenicopterum, pisces omnes, etc. *Juven.* 11, 139. Et Scythicae volucres, et phoenicopterus ingens.

PHOENĪCŪRUS, i, m. *φοινίζουρος*, avis a caudae rubore sic dicta. *Plin.* 10, 29, 44.

*PHOENĪCUS, untis, *Φοινικοῦς*, portus Ioniae, Erythris vicinus. *Liv.* 36, 46. ℙ Alius, in Lycia, cujus meminit *Liv.* 37, 16. *B. A.*

*PHOENĪCŪSA vel Phoenicussa, *Φοινικοῦσσα*, una ex Vulcaniis insulis. *Plin.* 3, 9. *B. A.*

PHOENISSA, ae, adj. Phoenicia. *Virg. A.* 1, 674. Hunc Phoenissa tenet Dido. *Ov. Fast.* 3, 595. Jactatur tumidas exsul Phoenissa per undas. *Sil.* 6, 312. vidissem moenia flammis Phoenissae ruere, *h. e.* Carthaginem. *Ov. Met.* 15, 288. Et Phoenissa Tyros. *Stat. Th.* 9, 527. cohors, *h. e.* Thebana: nam Thebae a Phoenicibus conditae. *Sil.* 7, 409. classis; et 17, 632. juventa. ℙ Neutro gen. sed eadem positione. *Id. ib.* 174. Phoenissa agmina. ℙ *Phoenissae* inscribitur una ex tragoediis *Senecae*

(ad exemplum *Euripidis*), quae vulgo *Thebais*: sed lacerata, et curta ad nos pervenit. ℙ *Phoenissus* ne dixeris, ut neque *Threissus*, nec *Cilissus*, etc.

PHOENIX, īcis, m. *Φοῖνιξ*, filius Agenoris, nepos Beli Prisci Aegyptii, frater Taygetae, Polydori, Cilicis, Europae, Cadmi, Labdaci, pater Philithenis, et Beli secundi. Aliqui dicunt, non filium, sed patrem Agenoris fuisse. Regnavit in parte maritima Syriae, quae ab eo Phoenice, seu Phoenicia dicta est, tempore Danai regis Argivorum. ℙ Phoenix alius, fil. Amyntoris, qui Achilli a Peleo patre comes datus est ad bellum Trojanum, ut illum efficeret oratorem verborum, actoremque rerum. *Ov. Met.* 8, 307. et *A. Am.* 1, 337. et *Cic. Or.* 3, 15. Cum in caecitatem incidisset (V. AMYNTORIDES), a Chirone sanatus fuit. *Prop.* 2, 1, 62. ℙ Achille mortuo, ejus rei nuncium ad patrem detulit. Hinc *Pl. Bacch.* 1, 2, 48, Metuo magis, ne Phoenix tuis factis fuam, teque ad patrem esse mortuum renunciem. ℙ Item fluvius Thessaliae, qui in Apidanum influit. *Plin.* 4, 8, 15. et *Lucan.* 6, 374. ℙ Item avis in Arabia nobilis, de qua *Plin.* 10, 2, 2. Haud scio, inquit, an fabulosus, unus in toto orbe, nec visus magnopere. Aquilae narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cetero purpureus, caeruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis fauces caputque plumeo apice honestante. Haec *Plin.*, qui deinde ex sententia aliorum narrat, nulli visum vescentem, sacrum Soli esse, vivere annis DIX., senescentem casia turisque surculis construere nidum, replere odoribus (addunt alii, accendere Solis radiis, alarum agitatu), et superemori: ex ossibus deinde et medullis ejus nasci primo ceu vermiculum, inde fieri pullum, principioque justa funera priori reddere, et totum deferre nidum prope Panchaiam in Solis urbem, et in ara ibi deponere: Q. Plautio, Sex. Papinio Coss. devolavisse in Aegyptum: allatum etiam esse in Urbem Claudii principis censura, A. U. DCCC. et in Comitio propositum. Similia his multa habes ap. *Solin.* 33. *Tac. A.* 6, 28. et *Aurel. Vict. Caes.* 4. Describitur etiam a *Claud.* et *Ov. Met.* 15, 391. et sqq. Varie de longitudine vitae ejus varii prodiderunt: et falsum denique esse, tum *Plin.*, tum *Tac. l. c.*, merito suspicantur. *Ov. Amor.* 2, 6, 54. Et vivax Phoenix, unica semper avis. *Claud. Laud. Stil.* 2, 417. Unicus extremo Phoenix procedit ab Euro. *Id. ep. ad Seren.* 15. Venit et extremo Phoenix longaevus ab Euro. *Stat. Silv.* 2, 4, 36. senio nec fessus inerti Scandit odoratos Phoenix felicior ignes. *Ov. Met.* 15, 393. Assyrii Phoenica vocant. ℙ Item ventus spirans media regione inter ortum brumalem et meridiem. *Plin.* 2, 47, 46. Alii hic leg. *Phoenicias*. V. EURONOTUS. ℙ Adjective, qui est e Phoenicia. *Id.* 29, 3, 13. Fit medicamentum adipe avium, xylobalsamo, Phoenice elate, etc. ℙ Ap. *Sil.* 16, 25. Phoenix est Poenus: quia Poeni sunt e Phoenicia oriundi: et ipsa vox *Poenus* est a *Phoenix*. Adde 1, 33. ℙ *Fuit et Phoenix architectus, qui Ptolemaei Philadelphi vixit temporibus. *Plin.* 36, 9. ℙ Alius, statuarius, Lysippi discipulus. *Id.* 34, 8. *B. A.*

[PHOETAS, ădis, f. *φοιτὰς*, insana, furiosa. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1458, 13. Ennia Phoetas. *F.*]

*PHOLEGANDROS vel Pholegandrus, i, f. *Φολέγανδρος*, insula maris Aegaei, una e Sporadibus, Sicino Meloque adjacens. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

PHOLOE, es, f. *Φολόη*, mons Peloponnesi in Arcadia, excelsus, silvosus, nivosus, Pisae Olympiae proximus. *Ov. Fast.* 2, 273. et *Stat. Ach.* 1, 168. ℙ Item mons Thessaliae, ubi Hercules Centauros occidit. *Lucan.* 3, 198. ℙ Est item nomen mulieris ap. *Virg. A.* 5, 283. Olli serva datur operum haud ignara Minervae, Cressa genus Pholoe. Adde *Hor. Od.* 1, 33, 7. *F.*]

PHOLOETICUS, a, um, adj. ad Pholoen montem Thessaliae spectans, ut Pholoetica monstra, idest Centauri. *Sidon. carm.* 5, 230. non sic Pholoetica monstra, Atque Pelethronios Lapithas Semeleius Euan Miscuit.

PHOLUS, i, m. *Φῶλος*, unus ex Centauris, filius Ixionis ex Nube, qui Herculem suscepit hospitio, cum ad expugnandos Centauros pergeret. *Serv. ad A.* 8, 294. et Lucan. 6, 391. Periit in nuptiis Pirithoi. *Virg. G.* 2, 456.

PHONASCUS, i, m. *φωνασκὸς*, vocis exercitator, vocis pronunciationisque magister et moderator: a *φωνὴ*, vox, et *ἀσκέω*, exerceo. *Varr.* ap. *Non.* 2, 826. Phonascus adsum, vocis suscitabulum. *Suet. Aug.* 84. Pronunciabat dulci et proprio quodam oris sono, dabatque assidue phonasco operam, *h. e.* qui vocem intorquere, remittere, lenire, exasperare docebat. *Id. Ner.* 23. Conservandae vocis gratia nihil quidquam serio jocoque egerit, nisi adstante phonasco, qui moneret, parceret arteriis. *Quint.* 11, 3. Sed cura non eadem oratoribus, quae phonascis. Ubi *Turneb.* Illi vocem efficiunt mollem et teneram: cum orator desideret fortem et durabilem. *Inscr.* ap. *Grut.* 1089, 9. Ti. Claudius Qui. Macedo phonascus. ℙ Interdum phonascus dicitur praecentor in choro canentium, quem ducem carminis *Appul. de Mundo* vocat. *Sidon. ep.* 4, 11. in carm.: Psalmorum hic modulator, et phonascus: ubi contra naturam Graecae vocalis *ω*, primam corripuit.

[PHONE, es, f. *φονὴ*, caedes, vel *φωνὴ*, vox. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 932, 8. Arria Phone. *F.*]

[PHONĒMA et Fonema, ătis, n. *φώνημα*, dictum, sententia. *Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) p. 236. Nam illic quoque in philosophiae disciplinis, ubi tutum sibi perfugium putant, Platonis fonemata erunt audienda. *F.*]

*PHONOLENIDES, ae, m. Phonoleni filius. *Ov. Met.* 12, 433. *B. A.*

[PHONOS et Phonus, i, m. *φόνος*, caedes. *Plin.* 21, 16, 56. Atractilis sanguineum succum fundit: qua de causa phonos vocatur a quibusdam. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 143. *n.* 162. P. Julius P. O. L. Phonus. *F.*]

*PHORBAS, antis, m. *Φόρβας*, pater Tiphyos. *Hyg. fab.* 14. ℙ Alius, teste *Servio*, pater Ilionei Trojani, Aeneae in fuga comitis: Mercurio deo eloquentiae favente semper pugnavit. Unde *Virg. A.* 5, 842. Puppique has ore querelas. ℙ Alius Phorbas, cujus meminit *Ov. Met.* 12, 322. etc. *B. A.*

[PHORBE, es, f. *φορβὴ*, pabulum, esca. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1275, 6. Sallustia Phorbe. *F.*]

*PHORCIDES, um, i. q. Phorcydes. *Hyg. fab. praef.* Cf. *Apollod.* 2, 4. *B. A.*

PHORCUS, i, et *Graeco more* Phorcys, os, aut etiam Phorcyn, ynos, *Φόρκυς*, *Φορκυν*, filius Neptuni et Thoosae Nymphae, vel Oceani et Salaciae, ut *Cicero* scripsit *Univ.* et *Varr.* ap. *Serv.* 11. Rex Corsicae, et Sardiniae insularum, quem ab Atlante navali proelio victum, undisque obrutum, postea socii superstites in marinum Deum conversum dixere, eique divinos honores exhibuere. Reliquit filium Bathyllum, et quinque filias, Thoosam, Scyllam, Medusam, Sthennionem, Euryalen. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 5, 240. Nereidum, Phorcique chorus; et ad illud *ib.* 824. Tritonesque citi, Phorcique exercitus omnis. *Val. Fl.* 3, 726. Dat procul interea toto pater aequore signum Phorcys, et immanes intorto murice phocas Contrahit, antra petens. *Lucan.* 9, 645. numenque secundum Phorcys aquis. *Cic. Univ.* 11. Ex his Phorcyn, Saturnum, et Opem generatos memoremus. *Prisc.* 6, 690. agnoscit *Phorcyn*, *ynos*. ℙ Est etiam nomen piscis cujusdam, ap. *Plin.* 32, 11, 53. Alii leg. *porcus*.

PHORCYNIS, ĭdos, f. Medusa filia Phorci. *Ov. Met.* 5, 230. in partem Phorcynida transtulit illam, Ad quam, etc. Adde *Lucan.* 9, 626.

PHORCYS, ydis, f. Medusa filia Phorci. *Prop.* 3, 21, 8. Sectaque Persea Phorcydos manu. *Ov. Met.* 4, 773. geminas habitasse sorores Phorcydas, unius partitas luminis usum. ℙ *Phorcys*, m. V. in PHORCUS.

PHORMIO, onis, m. parasitus, ap. *Ter.*: a *φορμὸς*, sporta. *Donat.* in *Ter. Ph.* 1, 2, 72. Phormio non a formula, sed a phormione dicitur sparteo, quem nos aeronem dicimus trivialiter, et pro consuetudine. *Id. ib. prol.* 27. scribit phormium dici tegeticulum, quo pavimentum insternitur. Porro *φορμὸν* Graece est dimin. a *φορμὸς*, sporta, corbis, item teges, storea. *Ulp. Dig.* 33, 7, 12. *med.* Centones, phormiones, spongias, et hamas. Sunt qui scribunt *formiones*. ℙ [*Phormio* item fuit philosophus Peripateticus, qui coram Annibale Carthagine expulso, et Ephesi apud Antiochum exsultante aliquot horas de imperatoris officio, et de omni re militari locutus esse dicitur. Hic Poenus interrogatus, quidnam ipse de illo philosopho judicaret, respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse, sed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem. *Cic. Or.* 2, 18. ℙ Hinc *Phormiones* dicuntur, qui de re, quam ignorant, disserunt. *Id. ib.* 19. Erras, Catule, inquit Antonius; nam egomet in multos jam Phormiones incidi. *F.*] ℙ *Alius, argentarius, de quo sic *Cic. Caecin.* 10. Argentarius, cui nomen est Phormio, nec minus niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus est Phormio. ℙ Item dux Atheniensis, cujus meminit *Gell.* 17, 21. *B. A.*

PHORONEUS, a, um, adj. *Φορωνεύς*, ad Phoroneum spectans. *Stat. Silv.* 3, 2, 101. Isi Phoroneis quondam stabulata sub antris, *h. e.* Argivis.

PHORONEUS, i, m. trisyll., *Φορωνεύς*, filius Inachi fluvii, frater Ius, sive Ionis, rex Argivorum. Aliqui dicunt, filium habuisse Inachum, qui a se fluvium Inachum denominarit, hinc esse, quod poetae fluvium pro filio Phoronei accipiant. Primus dicitur regnasse in Graecia, primus Junoni struxisse templum, eique primus fecisse sacra: primus invenisse arma, et eidem consecrasse. Filium habuit Aegialeum, et filiam Nioben, quam primam mortalium a Jove compressam dicunt. *Hyg. fab.* 124. 143. 225 et 274., *Plin.* 7, 56, 57. et *Stat. Theb.* 4, 589.

PHORONIS, ĭdis, f. *Φορωνὶς*, Io filia Inachi, soror Phoronei. *Ov. Met.* 1, 668. Nec superum rector mala tanta Phoronidos ultra Ferre potest. Adde *ib.* 2, 524. ℙ Adjective. *Sen. Thyest.* 115. Phoronides latuere venae, *h. e.* undae Inachi fluvii, filii, vel patris Phoronei.

*PHORONTIS, idis vel idos, f. Cariae opp. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

PHOSPHORĔUS, a, um, adj. ad Phosphorum pertinens. *Prud. Cath.* 5, 147. Et qua Phosphoreum temo regit jugum. Alii leg. *Bosphoreum*.

PHOSPHORUS, i, m. *Φωσφόρος*, Lucifer, stella Veneris matutino tempore. Nam vespere eadem *Hesperus* vocatur. Est a *φῶς*, lumen, et *φέρω*, porto. *Cic. N. D.* 2, 20. *Mart.* 8, 21. Phosphore, redde diem. [*Capell.* 9, 305. Hesperus intactam servet licet usque puellam, Nuptam videbis, Phosphore. ℙ *Phosphorus* etiam vocatur Harpocrates, qui, ut probat *Jablonsk. Panth. Aegypt.* 2, 6., infantulus esse putabatur, quia significabat, solem post solstitium hiemale iterum nostrae telluri appropinquantem. *Inscr.* ap. *Grut.* 88, 13. Bono Deo puero Posphoro. Hic *Posphoro* est pro *Phosphoro*. *F.*]

[PHOTINIANI, orum, m. plur. *Isid. Or.* 8, 5. Photiniani a Photino Gallograeciae, Sirmii episcopo, nuncupati, qui Ebionitarum haeresim suscitans, asseruit, Christum a Maria per Josephum nuptiali coitu fuisse conceptum. Horum mentio est etiam in *Cod. Just.* 1, 5, 5. *F.*]

[PHOTINUS, i, m. *φωτεινὸς*, lucidus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 134, 2. Q. Claudius Photinus. ℙ Est etiam nomen episcopi, de quo V. in v. praec. *F.*]

[PHOTIS, ĭdis, f. *φωτὶς*, parva lux. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 772, 1. Ti. Claudius Trophimus fecit sibi, et Claudiae Photidi conjugi suae. ℙ Scribitur etiam *Fotis*, quod est ancillae nomen ab *Appulejo* adamatae, cujus ipse saepissime meminit in *Metamorph.* *F.*]

[PHOTUS, i, m. *ὁ φως*, *ωτὸς*, vir. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 617, 1. Magnius T. L. Hilario frater Photi Caesar. Aug. L. *F.*]

*PHRAATES vel Phrahates, ae, m. rex Parthorum et Persarum. *Hor. Ep.* 1, 12, 27. Jus imperiumque Phraates Caesaris accepit genibus minor. *Id. Od.* 2, 2, 17. Redditum Cyri solio Phraaten Dissidens plebi numero beato-rum Eximit virtus. Adde *Just.* 43, 5. *B. A.*

PHRADMON, ōnis, m. *Φράδμων*, sculptor, et pictor nobilis Argivus. *Plin.* 34, 8, 19. et *Colum.* 10, 30.

*PHRAGANDAE, arum, opp. Thraciae. *Liv.* 26, 25. *B. A.*

PHRAGMITIS, is, f. *φραγμίτης*, *ὁ*, genus calami, seu arundinis tenuis et gracilis: ita appellatum a *φράγμα*, sepes, quia circa sepes nascitur. *Plin.* 32, 10, 52. Phragmitis radix recens tusa luxatis medetur.

PHRASIS, is, f. *φράσις*, dictio, stilus, elocutio, genus elegans et ornatum loquendi: a *φράζω*, dico, loquor. A *Quint.* 8, 1. dicitur Latine elocutio, et 10, 1. corpus eloquentiae. Macer, *inquit*, et Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasim, idest corpus eloquentiae faciant. *Sen. Contr. proocm.* 3. de Albucio: Splendor orationis, quantus nescio an in ullo alio fuerit: non lexis magna, sed phrasis.

PHRENESIS, is, f. *φρένησις*, insania, furor: a *φρὴν*, *φρενὸς*, mens. *Sen. Ira* 1, 13. Dic et phrenesin, et insaniam viribus necessariam, quia saepe validiores furor reddit. *Juven.* 14, 136. Cum furor haud dubius, cum sit manifesta phrenesis. *Ser. Sam.* 7, 90. et *Prud. Hamart.* 125. secundam corripuere: qua in re imitandi non sunt.

PHRENETICUS, a, um, adj. *φρενητικὸς*, qui phrenesi laborat. *Cic. Div.* 1, 38. Ego autem haud scio, an nec cardiacis hoc tribuendum sit, nec phreneticis. *Mart.* 11, 28. Invasit medicus Nasica phreneticus Eucli, etc. *Varr.* ap. *Non.* 1, 222. ventos vocat phreneticos Septentrionum filios.

PHRENITICUS, a, um, adj. *φρενιτικὸς*, phrenitide laborans. *Cels.* 3, 18. Ex phreniticis alii hilares, alii tristes sunt. Adde *Coel. Aurel. Acut. praef.*

PHRENITIS, ĭtĭdis, f. *φρενῖτις*, phrenesis, morbus, in quo febris cum insania. *Cels.* 3, 18. Phrenitis tum demum est, cum continua dementia esse incipit; aut cum aeger, quamvis adhuc sapiat, tamen quasdam vanas imagines accipit: perfecta est, ubi mens illis imaginibus addicta est.

PHRENITIZO, as, n. 1. *φρενιτίζω*, phrenesi laboro. *Coel. Aurel. Acut. praef.* Phrenitizandi causas dicere.

PHRIXEUS (melius quam *Phryxeus*), a, um, adj. *Φριξεῖος*, ad Phrixum pertinens. *Ov. Her.* 6, 104. Aurea Phrixeae terga revellit ovis. *Id. Met.* 7, 7. Phrixeaque vellera poscunt. *Mart.* 14, 211. Mollia Phrixei secuisti colla mariti, *h. e.* arietis cujuscumque, synecdoche. *Id.* 10, 51. Sidera jam Tyrius Phrixei respicit agni Taurus, *h. e.* Arietis, signi coelestis. *Ov. Fast.* 4, 278. Longaque Phrixeae stagna sororis adit, *h. e.* Hellespontum, qui *Lucano* est 6, 56. Phrixeus pontus; *Sen. Herc. Oet.* 776. Phrixeum mare; *Stat. Th.* 6, 542. aequor. *Val. Fl.* 1, 391. Phrixei Colchi, *h. e.* ubi Phrixus habitavit, et mortuus est. ℙ *Phrixeum mare* inter-

dum ponitur pro Aegaeo, per synecdochen, quia Hellespontus Aegaei pars est. *Sen. Agam.* 564. Et Isthmon, arcto qui recurvatus solo, Ionia jungi maria Phrixeis vetat.

PHRIXUS (melius quam *Phryxus*) i, m. *Φρίξος*, filius Athamantis et Nepheles, qui cum ab Ino noverca ad necem quaereretur, una cum Helle sorore profugit, accepto a matre ariete velleris aurei, in quem conscendentes mare transmitterent. Cum itaque ad fretum Aegaei maris pervenissent, Helle exterrita decidit, et mersa est, Hellespontoque nomen dedit. Phrixus incolumis in Colchidem pervenit, ad regem Aeeten, ubi ariete mactato, aureum vellus Jovi, vel Marti sacravit: quod postea Iason cum Argonautis ope Medeae inde abstulit. Aries inter sidera translatus est. V. ARIES. Phrixus, accepta in uxorem Chalciope Aeetae filia, Medeae sorore, plures filios genuit: demum ab socero, metu ne regno pelleretur, interfectus est. *Hyg. fab.* 2. et 3. etc. *Ov. Her.* 18, 143. Invideo Phrixo, quem per freta tristia tutum Aurea lanigero vellere vexit ovis. (V. *eund. Fast.* 3, 853. et sqq.) *Stat. Ach.* 1, 28. Phrixi litora, *h. e.* Hellesponti; et *ib.* 409. Phrixi qua semita jungi Europamque, Asiamque vetat.

[PHRONĒSIS, is, f. *φρόνησις*, prudentia. Hoc nomine appellatur mater Philologiae ap. *Capell.* 2, 27. Verum secretum cubiculi repente Phronesis mater irrumpit; et p. 28. At cingulum, quo pectus annecteret, sibi prudens mater exsolvit: et, ne Philologia ipsius Phronesis careret ornatibus, ejus pectori, quo verius comeretur, apposuit. *F.*]

PHRONĒSIUM, ii, f. *φρονήσιον*, dimin. Graecum, nomen meretricis in Truculento *Plauti. Id. ib.* 1, 1, 58. Nam mihi haec meretrix, quae hic habet, Phronesium, suum nomen omne ex pectore exmovit meo, Phronesium: (nam phronesis est sapientia.)

[PHRONĪMUS, i, m. et Phronime, es, f. *φρόνιμος, η*, prudens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 616, 8. Flaviae Phronime T. Flavius Phronimus matri pientissimae. *F.*]

[PHRONTIS, idis, f. *φροντίς*, cura. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1186, 7. Phrontis mater. Alia ap. *Fabrett.* p. 308. *n.* 311. Phrontidi conjugi Euzelus conser. fecit. *F.*]

[PHRYGĀNĬON, ii, n. animal quoddam, quod se ignorare *Plin.* 30, 11, 30. fatetur, cum tamen remedio esse quartanis febribus ex Chrysippo commemoret. Fortasse nomen habuit a *φρύγανον*, virgultum, vel ab ejus diminutivo *φρυγάριον*, parvum virgultum. *F.*]

PHRYGES, um, m. plur. populi Phrygiae. *Val. Fl.* 7, 635. Qualis ubi attonitos moestae Phrygas annua matris Ira, vel exsectos lacerat Bellona comatos. ℙ Barbari, ac servili ingenio esse feruntur, solisque verberibus in officio contineri. Hinc adagium, *Phryx plagis melior fieri solet*, in eos, qui non monitis, nec pudore, sed verberibus tantum emendantur. *Cic. Fl.* 27. Utrum igitur nostrum est, an vestrum hoc proverbium, Phrygem plagis fieri solere meliorem? ℙ Pastores erant. *Cic. Div.* 1, 41. ℙ Avibus, et earum significationibus obtemperabant. *Id. ib* 42. ℙ Populi Phrygiae minoris, idest Trojani, innumeris acceptis calamitatibus ob Helenae raptum, vix decimo demum anno de ea restituenda consultare coeperunt, quam si statim reposcenti Menelao reddidissent, iis aerumnis sese subduxissent. Hinc proverb.: *Sero sapiunt Phryges*, quod est in tragoedia Livii Andronici, quae inscribitur *Equus Trojanus*, in eos, quos sero poenitet male, vel stulte factorum. *Cic. Fam.* 7, 16. In Equo Trojano scis esse in extremo, Sero sapiunt. ℙ In singul. num. V. PHRYX.

PHRYGIA, ae, f. *Φρυγία*, regio Asiae minoris, ita dicta a Phryge fl., qui eam a Caria dividit, vel a Phrygia filia Cecropis, vel a Phrygio, sive Brygio oppido Macedoniae, unde colonos profectos ajunt in Phrygiam. Duplex est, magna seu major, et parva seu minor. Phrygia magna est regio ampla in mediterraneis, Galatiae, Pamphyliae, Lydiae, Cariaeque confinis. Minor est regio inter Lydiam, Phrygiam magnam, et Cariam. Etiam Troas a Phrygibus occupata Phrygia minor dici coepit. *Plin.* 5, 32, 40. et *Liv.* 37, 56.

PHRYGIĀNUS, a, um, adj. Phrygionum opera confectus, ut Phrygianae vestes, idest acu pictae, et filis aureis decorae. *Plin.* 8, 48, 74. Togas rasas, Phrygianasque Divi Augusti novissimis temporibus coepisse, scribit *Fenestella.* (*Hard.* leg. ex quibusdam MSS. *Phryxianas*, et exponit ex *Turneb.* vestes villosas et crispas ad similitudinem Phryxei velleris.) *Sen. Ben.* 1, 3. de Gratiis: Inveniam alium poetam, apud quem praecingantur, et spissis auro Phrygianis prodeant. [*Virg. A.* 3, 483. *picturatas auri subtemine vestes* vocat. *F.*]

PHRYGĬCUS, a, um, adj. Phrygius. *Val. Max.* 7, 5, 2. Qui Matrem Idaeam Phrygicis sedibus ad nostras aras focosque migrantem excepit. [*Sed *ed. Torrent.* habet *Phrygiis. B. A.*]

PHRYGIO, nis, m. *φρύγιος*, qui acu pingit, vel qui vestes auro intexit: a *Phrygibus*, qui artificio vestes acu pingendi nobiles erant, atque adeo artem hanc invenisse existimantur, ut auctor est *Serv.* ad *A.* 3, 484. et *ib.* 9, 614. et *Plin.* 8, 48, 74. his verbis: Acu facere Idaei Phryges invenerunt: ideoque Phrygiones appellati sunt. *Hard.* ex MSS. omnibus legit: *ideoque Phrygioniae appellatae sunt*, subaudi *vestes. Titin.* ap. *Non.* 1, 10. Phrygio fui primo, beneque id opus scivi: reliqui acus, aciasque hero atque herae nostrae. *Varr. ib.* ex lectione *Scal.* Phrygio qui pulvinar poterat pingere, soliar laevigabat. *Pl. Aul.* 3, 5, 34. Stat fullo, Phrygio, aurifex, lanarius. *Id. Men.* 2, 3, 72. Pallam illam ad Phrygionem ut deferas, ut reconcinnetur, atque ut opera addantur, quae volo. V. BARBARICARII.

PHRYGIONĬUS, a, um, adj. V. v. praec.

[PHRYGISCUS, a, um, adj. ad Phryges pertinens. *Veg. Vet.* 4, 6. Tertio loco Phrygisci (*equi*) non minus velocitate, quam continuatione cursus invicti. Hinc est, quod ait *Plin.* 7, 56, 57. *med.* Bigas primas junxit Phrygum natio. *F.*]

PHRYGĬUS, a, um, adj. *Φρύγιος*, ad Phrygiam pertinens: et saepissime de Phrygia minore, ac Trojanis intelligitur. *Cic. Rosc. Am.* 32. Multos caesos ad Servilium lacum vidimus: quis ibi non est vulneratus ferro Phrygio? *h. e.* servorum Phrygum, quibus Sulla usus est in occidendis una die multis millibus civium Rom., ut est ap. *Sen. Prov. Stat. Th.* 3, 1, 548. Phrygius venator, *h. e.* Ganymedes; et *Silv.* 5, 1, 57. raptor. *Virg. G.* 4, 41. Phrygia Ida. *Id. A.* 2, 68. agmina; et *ib.* 7, 358. Phrygii hymenaei, *h. e.* Aeneae cum Lavinia *Id. ib.* 1, 385. Phrygium aequor; et *ib.* 622. Phrygius Simois; et *ib.* 7, 363. pastor, *h. e.* Paris; et *ib.* 12, 75. tyrannus, *h. e.* Aeneas. *Val. Fl.* 5, 695. et 2, 417. minister, *h. e.* Ganymedes pincerna Jovis. *Id.* 3, 512. Phrygia monstra, *h. e.* marinum monstrum a Neptuno immissum in Laomedontem, et ab Hercule occisum. V. HESIONE. *Prop.* 1, 2, 19. Phrygius maritus, *h. e.* Pelops filius Tantali regis Phrygiae. *Stat. Th.* 5, 752. Phrygii anni, *h. e.* Priami vel Tithoni. *Ov. Met.* 13, 337. Phrygia Minerva, *h. e.* Palladium, quod Trojae olim servabatur. *Lucan.* 9, 41. Phrygius magister, *h. e.* Palinurus classis Aeneae primus gubernator. *Sen. Herc. Oet.* 1077. senex, *h. e.* Tantalus Phrygiae rex. Sed *Ov. Pont.* 4, 16, 18. est Antenor. *Id. Met.* 13, 721. vates, *h. e.* Helenus Trojanus rex Epiri. *Stat. Silv.* 5, 3, 87. silex. Phrygium silicem *Domitius* putat esse Hecubam: sed haec in canem versa est. Videndum ergo, quid *Statius* ibi significet: num Palladium, quod furto ablatum ab Ulysse Trojae exitium fuit? num saxa, quae Neptunus, Apollo, Hercules struendis Trojae moenibus congessere? num lapidem, in quem versa dicitur Niobe in Sipylo monte Lydiae in confinio Phrygiae magnae? Hoc verius puto. V. NIOBE. ℙ Saepe de iis dicitur, quae ad Matrem Deum Magnam Idaeam pertinent, quia in Ida Phrygiae monte praecipue sacra ejus colebantur. *Virg. A.* 7, 139. Phrygia mater; et *ib.* 10, 157. Phrygii leones, *h. e.* qui ejus currum trahunt. *Ov. Pont.* 1, 1, 45. Phrygium buxum, *h. e.* tibia, cujus plurimus usus in sacris Matris Deum. Sic ap. *Sil.* 11, 432. et *Colum.* 10, 258. Phrygia lotos. *Lucan.* 9, 288. Phrygium aes, *h. e.* cymbala, quae in iisdem sacris pulsabantur. *Stat. Th.* 12, 224. Nocte velut Phrygia, cum lamentata resultant Dindyma etc., *h. e.* qua Phrygii sacra Cybeles celebrabant. ℙ *Phrygii modi* erant genus musices vehemens et concitatum, quo audientes in furorem accendebantur: adhibebanturque in sacris Matris Deum, in quibus se cultris vulnerabant. *Quint.* 1, 10. *med.* Tibicen, qui sacrificanti Phrygium cecinerat, acto illo in insaniam, et per praecipitia delato, accusatur, quod causa mortis exstiterit. V. LYDIUS. *Ov. Ib.* 456. Attonitusque seces, ut quos Cybeleia mater Incitat, ad Phrygios vilia membra modos. Adde *Tibull.* 1, 4, 64., *Propert.* 2, 18, 15., *Juven.* 2, 115. et *Mart.* 11, 84. De tibiis Phrygiis V. in SARRANUS. ℙ *Phrygium marmor*, puniceum et maculosum, in magno pretio habitum fuit, Synnadicum etiam, quia circa Synnadem majoris Phrygiae urbem, effodiebatur, et Mygdonium dictum. *Tibull.* 3, 3, 13. domus Phrygiis innixa columnis. *Stat. Silv.* 2, 2, 87. Synnade quod moesta Phrygiae fodere secures Per Cybeles lugentis agros. Adde *Hor. Od.* 3, 1, 41. et *Mart.* 6, 42. et 9, 76. ℙ *Phrygius lapis* gentis nomen habet. Est autem gleba pumicosa: uritur ante vino perfusus, flaturque follibus, donec rubescat, ac rursus vino dulci exstinguitur, et hoc ternis vicibus: tingendis vestibus tantum utilis. *Plin.* 36, 19, 36. ℙ *Phrygiae vestes* Phrygum arte acu pictae, ut in PHRYGIO dictum est. *Virg. A.* 3, 483. Fert picturatas auri subtemine vestes, Et Phrygiam Ascanio chlamydem. *Ov. Met.* 6, 166. de Niobe: Vestibus intexto Phrygiis spectabilis auro. ℙ *Phrygiae, arum*, mulieres e Phrygia. *Virg. A.* 9, 617. O vere Phrygiae, neque enim Phryges; et *ib.* 6, 517. euantes Orgia circum Ducebat Phrygias. Ap. *Pl.* est *Phrygia* nomen ancillae, *Aul.* 2, 5, 7. ℙ *Phrygius, ii*, amnis, qui et Phryx. *Liv.* 37, 37. *f.* V. PHRYX.

*PHRYLUS, i, m. insignis pictor, qui nonagesima Olympiade vixit. *Plin.* 35, 9. *B. A.*

PHRYNĒ, es, f. *Φρύνη*, quae et Mnesarete, mulier Thespia nobilis Athenis et pulchritudine et quaestu meretricio. Illa adeo valuit, ut in judicium capitis adducta, gravissimorum criminum delatione, ostenso judicibus ejus pectore ab Hyperide oratore, tanquam Veneris sacerdos dimitteretur. Haec tantas divitias confecit, ut Thebas ab Alexandro excisas de sua pecunia refecturam se polliceretur, si permitteretur adscribere, *Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη ἡ ἑταίρα. Propert.* 2, 5, 5. Nec quae delatas potuit componere Thebas, Phryne, tam multis facta beata viris. Meminit et *Quint.* 2, 15. et *Val. Max.* 4, 3. *extr.* V. *Athen.* 13, 6. etc. ℙ Ap. *Hor. Ep.* 14, 16. nomen Romani scorti est. [Ap. *Tibull.* 2, 7, 27. nomen lenae cujusdam Romanae. *F.* *al. 2, 6, 45.]

PHRYNĬON, ii, n. *φρύνιον*, herba, quae et posterior dicitur, et neuras, large fruticans, spinis retorrida, lanugine spissa, foliis parvis, rotundis, ramulis longis, mollibus, lentis, tenuibus, flore longo herbacei coloris: seminis nulli usus, sed gustu acuto et odorato. Invenitur in aquosis collibus. Radices habet duas aut tres binum cubitorum in altitudine, nervosas, candidas, firmas. Nomen habet a *φρῦνος*, rubeta, quia contra hujus venenum auxilio est. *Plin.* 27, 12, 97. et 25, 10, 76.

*PHRYNON, onis, m. statuarius celebris, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

PHRYX, ygis, adj. m. et f. *Φρύξ*, qui est e Phrygia, Phrygius. *Phaedr. prooem.* 3, 52. Si Phryx Aesopus potuit, etc. *Prop.* 4, 1, 2. maxima Roma Ante Phrygem Aeneam collis et herba fuit. *Ov. Fast.* 4, 274. Phryx pius, *h. e.* pius Aeneas. *Juven.* 6, 584. augur. V. PHRYGES. *Stat. Th.* 1, 709. Tu Phryga submittis citharae, *h. e.* Marsyam Phrygium. *Id. Achill.* 2, 345. Ille Phrygas lucos, matris penetralia caedit Turrigerae. *Claud. in Eutr.* 2, 154. Phryx ager. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 1. Basilica columnis e Phrygibus mirabilis. *Mart.* 11, 4. Sacra, Laresque Phrygum. *Id.* 9, 37. Phryx puer, *h. e.* Ganymedes. Sic 10, 19. avemque regis, Raptum quae Phryga pertulit Tonanti. ℙ De ministris, seu Gallis Cybeles, *Id.* 8, 46. Te Cybele secum vellet habere Phrygem. *Prop.* 2, 18, 16. Et Phrygis insanos caeditur ad numeros. *Virg. A.* 12, 98. da sternere corpus Semiviri Phrygis, *h. e.* Aeneae, per convicium. ℙ Est etiam *Phryx* fluvius Phrygiae minoris, qui eam a Caria dividit, et utrique Phrygiae nomen dedit. *Plin.* 5, 29, 31. V. PHRYGIUS. ℙ De populis Phrygiae V. PHRYGES.

PHRYXĒUS. V. PHRIXEUS.

PHRYXIĀNUS. V. PHRYGIANUS.

PHRYXONĬDES Nymphas ex Euhemero poeta memorat *Colum.* 9, 2. tanquam primas apum nutrices.

PHRYXUS. V. PHRIXUS.

[PHTHAS, a, m. *Φθᾶς*, nomen Aegyptium Vulcani, ab Aegyptiis praecipue culti. Hinc Ptolemaeus Epiphanes rex Aegypti in *Inscr. Rosett.* quinquies dicitur *ἠγαπημένος ὑπὸ τοῦ Φθᾶ. Cic. N. D.* 3, 22. Secundus Vulcanus Nilo natus, Phthas, ut Aegyptii appellant, quem custodem esse Aegypti volunt. *Jo: Lydus de mensib.* p. 105. *Δεύτερος Ἥφαιστος Νείλου παῖς, ὃν Αἰγύπτιοι καλοῦσι Φθᾶν. F.*]

*PHTHEMPHU, nomi nomen in Aegypto, in Delta. *Plin.* 5, 9. ℙ *Ptolemaeo* est *Φθεμβοῦθι. B. A.*

PHTHIĀ, ae. } V. PHTHIUS.
PHTHĪAS ădis. }

PHTHIŌTĀ et Phthiotes, ae, m. *Φθιώτης*, qui est ex Phthia, vel Phthiotide. *Cic. Tusc.* 1, 10. Pherecratem quendam Phthiotam senem disserentem inducit. *Plin.* 4, 7, 14. Phthiotae nominantur Dorida incolentes. Adde *Liv.* 36, 15.

PHTHĪŌTĬCUS, a, um, adj. *Φθιωτικός*, ad Phthiam, vel Phthiotidem pertinens: et pro Thessalico poetica libertate ponitur. *Catull* 64, 35. linquunt Phthiotica Tempe. *Liv.* 33, 3. *med.* Phthioticus ager.

PHTHĪŌTIS, idis, f. *Φθιῶτις*, regio Graeciae prope Thessaliam, vel pars Thessaliae meridionalis. *Plin.* 4, 8, 15., *Mela* 2, 3.

PHTHĪRĬĀSIS, i, f. *φθείριασις*, morbus pediculari, quo, corrupto sanguine, nascuntur in homine animalia exesura corpus, ut *Plin.* loquitur 26, 13, 86., ubi tradit, eo Sullam dictatorem consumptum fuisse. *Id. ib.* Phthiriasi resistitur uvae taminiae succo. *Id.* 20, 6, 23. Allium phthiriases et porrigines compescit. *Id.* 25, 5, 26. Elleboro phthiriasis emendatur. *Id.* 24, 10, 47. Lacrima hederae psilotrum est, phthiriasimque tollit. Adde *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 75. *extr.* V. PEDICULARIS. ℙ *Cels.* 6, 6. *n.* 15. *φθειρίασιν* vocat, cum inter pilos palpebrarum pediculi nascuntur.

PHTHĪROPHĀGI, orum, m. plur. *Φθειροφάγοι*, gens Sarmatiae Asianae ad Pontum Euxinum, ita dicti a sordibus et squalore, ut *Strabo* docet *l.* 11., quasi semper sint pediculis obsiti, iisque vescan-

tur. Meminere etiam *Plin.* 6, 4, 4. et *Mela* 1, 19. *med.*

PHTHĪROPHŌROS, i, f. *φθειροφόρος*, genus piceae nucleos ferentis: a *φθεὶρ*, nucleus, et *φέρω*, gigno. *Plin.* 16, 10, 19. [*Pinus orientalis, *L.*]

PHTHĪSĬCUS, a, um, adj. *φθισικὸς*, phthisi laborans. *Vitr.* 2, 9. *f.* Resina, quae medetur phthisicis. *Plin.* 20, 6, 21. Sanguinem vero excreantibus, et phthisicis succus prodest. Adde 24, 16, 19. et 28, 17, 67. et al. *Scrib. Comp.* 186. Minutatimque per tabem, quasi phthisici, consumuntur. [*Mart.* 11, 21. Phthisicus cinaedus. *F.*]

PHTHĪSIS, is, f. *φθίσις*, tabes, morbus totius corporis, quo ex pulmonum vitio macies cum febri, tussi et sputo purulento totum corpus paulatim extenuat et consumit: a *φθίω*, corrumpo. *Sen. ep.* 91. *med.* Invadit temperantissimos morbus, validissimos phthisis. *Id. ep.* 75. *med.* Distillatio una, nec adhuc in morem adducta, tussim facit: assidua et vetus phthisim. *Colum.* 6, 14. de morbis boum: Est etiam illa gravis pernicies, cum pulmones exulcerantur, inde tussis, et macies, et ad ultimum phthisis invadit. *Juven.* 13, 95. Et phthisis, et vomicae putres, et dimidium crus, etc. *Plin.* 26, 7, 21. Peculiariter pulmonibus, et quos ab his phthisis tentat, radix herbae consiliginis medetur. *Id.* 19, 5, 26. *n.* 4. Phthisim cordi intus inhaerentem depellere. *Id.* 20, 6, 23. Phthisim extenuat allium. *Id.* 31, 6, 33. Phthisi affectus.

PHTHĪSISCENS, entis, part. ab inus. *phthisisco*, phthisicus fieri incipiens. *Sidon. ep.* 5, 14. Jecorosis, ac phthisiscentibus medicabilis piscina.

PHTHĪTĀRUS, i, m. nomen piscis nostris temporibus incogniti. *Plin.* 32, 11, 53.

PHTHĪUS, a, um, adj. *Φθῖος*, ad Phthiam pertinens, quae est urbs Phthiotidis, seu Thessaliae, Achillis natalibus nobilis. *Virg. A.* 1, 288. Cum domus Assaraci Phthiam, clarasque Mycenas Servitio premet. *Hor. Od.* 4, 6, 3. Trojae prope victor altae Phthius Achilles. *Prop.* 2, 10, 38. Phthii busta cruenta viri, *h. e.* Achillis. *Ov. Amor.* 2, 17, 17. Phthius rex, *h. e.* Peleus Achillis pater. *Id. Her.* 7, 165. Non ego sum Phthia, magnisve oriunda Mycenis. Alii leg. *Phthias*, *Φθιὰς*, *ἀδος*, ex Phthia urbe. Dido enim hic loquitur.

PHTHONGUS, i, m. *φθόγγος*, sonus: a *φθέγγομαι*, vocem edo, sono. In musica est sonus, et vox unius tenoris, quae a proximo uno integro, aut dimidio intervallo distinguitur. Item plurium sonorum conformatio, vel gravis et lenta, vel acuta et incitata, vel inter has media, qua ratione Pythagoras ap. *Plin.* 2, 22, 20. planetarum motus explicabat, et Saturnum dicebat Dorio moveri phthongo, Jovem Phrygio, etc. V. LYDIUS. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 225. *n.* 600. C. Maecenas Pthongus. Ita pro *Phthongus. F.*]

PHTHŌRĬUS, a, um, adj. *φθόριος*, corrumpendi, seu exstinguendi vim habens: a *φθορὰ*, pernicies. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 6. Hoc vinum phthorium vocant, quoniam facit abortus.

*PHTHURIS, opp. Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. ubi accusativum *Phthurin* habes. ℙ *Φθοῦρι* est *Ptolemaeo. B. A.*

PHU, n. indecl. *φοῦ*, nardus Cretica, quae et agria nardus dicitur, herba folio olusatri, caule cubitali, geniculato, in purpura albicante, radice obliqua villosaque, et imitante avium pedes. *Plin.* 12, 12, 26. et *Scrib. Comp.* 176. et 177. [*Silthorp* descripsit sub nomine *Valerianae Dioscoridis.*] ℙ Est etiam interjectio malum odorem aspernantis. *Pl. Ps.* 5, 2, 5. Phu! in malam crucem. Alii leg. *phui*, alii *fu*, eodem sensu. Dicitur et *fi*. V. *Charis.* 2, 213. et *Prisc.* 15, 1024. V. FI et FUE.

PHY, interjectio mirantis, teste *Donato* ad illud *Ter. Ad.* 3, 3, 59. Phy! domi habuit, unde disceret. *Prisc.* 15, 1024. recenset inter eas, quas vocat illitteratorum sonituum imitationes, ut *haha*, *heu*, *ohe*, *au*, etc. V. FI et FUE.

*PHYĀCES, ae, m. nomen fortasse Getici regis vel ducis. *Ov. Pont.* 4, 10, 23. Nec vincet saevum Cyclops feritate Phyacen. *B. A.*

*PHYCARI, orum, populi Asiae ulterioris, circa Caucasum montem. *Plin.* 37, 8. Nascitur post aversa Indiae, apud incolas Caucasi montis Phycaros. *B. A.*

PHYCIS, idis, f. *φυκὶς*, piscis verno tempore varii coloris, reliquis anni partibus candidus. *Plin.* 9, 26, 42. Est a *φυκίον*, alga, quia in ea nidificat. [*Sunt qui eum piscem intell., quem nos dicimus *Pricke* vel *Neunauge*, Petromyzon fluviatilis, *L.*]

PHYCĪTIS, ĭdis, f. *φυκῖτις*, gemma algae colorem referens: a *φυκίον*, alga. *Plin.* 37, 10, 66.

PHYCOS, i, n. *φῦκος*, frutex marinus, idem ac fucus, folio lato, colore viridi, nascens in vadis haud procul litore. Aliud genus capillaceo folio simile foeniculo, in saxis nascens: tertium gramini simile, radice geniculata et caule qualiter calami. *Plin.* 13, 25, 48.

*PHYCUS, untis, *Φυκοῦς*, Cyrenarum promontorium, ut scribit *Plin.* 4, 12. V. et 5, 5. *Mela* 1, 7. *Lucan.* 9, 40. Tunc ausum classi praecludere portus Impulit, ac saevas meritum Phycunta rapinas Sparsit. *B. A.*

*PHYGĒLA, ae, f. Ioniae opp. *Mela* 1, 17. *Plin.* 5, 29. ℙ *Pygela* est *Liv.* 37, 11. *Πύγελα Straboni* et *Steph. Byz. B. A.*

PHYLĂCĀ, ae, f. *φυλακὴ*, carcer: item locus in aedibus urbanis, in quo vincti custodiuntur servi. Vox Graeca, a *φυλάττω*, custodio. *Pl. Capt.* 3, 5, 93. Illic abductus est recta in phylacam, ut dignus est.

*PHYLACAEI, orum, incolae Phylacarum. Fuit autem Phylacae, *Φυλακαὶ*, Macedoniae opp., in Pieria. *Plin.* 4, 10. *B. A.*

PHYLĂCĒ, es, f. opp. Thessaliae, al. Magnesiae, in Epiri, seu Molossidis, quae Epiri regio est, confinio, conditum a Phylaco Dejonis filio, ubi Protesilaus regnavit. *Plin.* 4, 9, 16.

PHYLĂCĒIS, ĭdis, f. *Φυλακηΐς*, quae est ex Phylace urbe Thessaliae. *Ov. Her.* 13, 35. Conveniunt matres Phylaceides, et mihi clamant: Indue regales, Laodamia, sinus. Alii leg. *Phylleides* a Phyllo itidem Thessaliae oppido (quam *pecorosam* vocat *Stat. Th.* 4, 45.), teste *Steph. de Urbib.* et *Strab. l.* 9. ℙ Ap. *Stat. Silv.* 5, 3, 273. Phylaceis est Laodamia.

PHYLĂCĒĬUS, a, um, adj. ad Phylacen urbem spectans. *Ov. Trist.* 5, 14, 39. Ut vivat fama conjux Philaceia: *id est* Laodamia uxor Protesilai.

PHYLĂCĪDES, ae, m. *Φυλακίδης*, Protesilaus a Phylace urbe Thessaliae, vel a Phylaco Iphicli patre, avo suo. *Ov. A. Am.* 2, 356. Phylacides aberat, Laodamia, tuus; et *ib.* 3, 17. Respice Phylaciden, et quae comes isse marito Fertur. *Claud. Laud. Ser.* 150. Laodamia sequens remeantem rursus ad umbras Phylaciden. Adde *Prop.* 1, 19, 7. ℙ Quod in his prima syllaba producitur, quae natura est brevis, vel metrica necessitate fit, vel, quod multi faciunt, *Phyllacides* scribendum est.

PHYLĂCISTĀ, ae, m. *φυλακιστὴς*, carceris custos: a *φυλάττω*, custodio. *Pl. Aul.* 3, 5, 44. Trecenti cum stant phylacistae in atriis. Ubi translate intelligit importunos creditores, qui non minus custodiunt debitores suos, quam custos carcere detentos.

[PHYLĂCĬUM, ii, f. *φυλάκιον*, custodiola, dimin. a *φυλακὴ*, custodia. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1592, 11. Oppidia Ɔ. L. Philacium. *F.*]

PHYLACTĒRĬUM, ii, n. *φυλακτήριον*, amuletum. Apud Hebraeos erat membrana continens verba Decalogi, quam complicatam et ligatam gestabant in fronte, et in brachio sinistro, ut viderentur legem Dei semper habere ante oculos, et diligenter custodire, qua de re *Hieron.* in *Matth.* 4, 23, 5. ℙ Pro amuleto quocumque. *Marc. Empir.* 8. ad epiphor. et lippitud. etc. Dolorem oculorum ut non patiaris etc. de tribus cerasis lapillos pertundes, et lino inserto pro phylacterio uteris. ℙ [Item pro torque, seu tesseris torqui adnexis, quas palaestritae et gladiatores pro victoriarum numero ex collo suspensas ferebant. V. SPECTATUS. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 3, 68. Et est sensus: En tibi, o Romule, rustici tui in omnem diffundi luxum jam didicerunt, et palaestris frui, et phylacteriis. Nam et niceteria phylacteria sunt, quae ob victoriam fiebant, et de collo pendentia gestabantur. Alii mendose leg. *syllacteriis* et *syllactaria* pro *fylacteriis* et *fylacteria*, mutata scilicet Graecorum littera *φ* in Latinorum *f*, ut *fama* pro Dorico *φάμα*. V. *Ducang. Gloss. med.* et *inf. Lat.* in *Filaterium. F.*]

PHYLARCHUS, i, m. *φύλαρχος*, tribunus, vel tribuum princeps, regulus, dynasta: a *φυλὴ*, tribus, et *ἄρχων*, princeps. *Cic. Fam.* 15, 1. Jamblichus phylarchus Arabum. *Ammian.* 24, 2. Malechus phylarchus Saracenorum Assanitarum. *Sex. Ruf. Brev.* 14. Phylarchi Saracenorum in Osroene superati cessere.

[PHYLAX, ăcis, m. *φύλαξ*, vigil, excubitor. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 9. *n.* 100. Faustus Liviae Aug. Lib. phylax. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 930, 7. Sex. Classidius Phylax. *F.*]

*PHYLE, es, f. *Φυλὴ*, castellum Atticae. *Nep. Thras.* 2. *Just.* 5, 9. V. *Meurs. de pop. Att.* p. 144. ℙ Item insula maris Aegaei. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

PHYLLĂCĪDES. V. PHYLACIDES.

[PHYLLANTHES, is, n. *φυλλανθὲς*, herba ex genere aculeatarum, sed mitioribus aculeis, ab radice tantum foliata, ap. *Plin.* 21, 16, 59. Est a *φύλλον*, folium, et *ἄνθος*, flos. *F.*]

PHYLLĒIS, ĭdis, f. *Φυλληΐς*, ad Phylluntem Thessaliae opp. pertinens, ut Phylleides matres, *Ov. Her.* 13, 35. h. e. Thessalicae.

PHYLLĒĬUS, a, um, adj. *Φυλληΐος*, ad Phylluntem Thessaliae oppidum pertinens. *Ov. Met.* 12, 479. Nudaque Phyllei juvenis ferit ora sarissa, *h. e.* Caenei. Alii leg. *Pellaei.*

PHYLLIS, ĭdis, f. *Φυλλὶς*, filia Lycurgi regis Thracum, quae Demophoontem Thesei filium regem Atheniensium ex Trojano bello redeuntem hospitio lectoque excepit, accepta prius ab eo fide, ut domi compositis rebus, illam uxorem duceret. Profectus itaque Demophoon cum ultra statutum tempus, variis districtus negotiis, in patria detineretur, Phyllis et amoris impatientia, et doloris impulsu, quod se spretam esse crederet, laqueo vitam finivit, et conversa est in arborem amygdalum sine foliis. Postea reversus Demophoon, cognita re, ejus amplexus est truncum, qui velut sponsi sentiret adventum, folia emisit. Unde etiam *phylla* sunt dicta a Phyllide, quae ante *petala* dicebantur. Aliqui dicunt, Phyllidem, cum se vellet in mare dejicere, Deorum miseratione in amygdalum esse conversam. Haec *Serv.* ad illud *Ecl.* 5, 10. si quos aut Phyllidis ignes, etc. Adde *Hyg. fab.* 59 et 243. *Ov. Her.* 2, 98. Phylli, face exspectes Demophoonta, tuum; et *ib.* 105. Utque tibi excidimus, nullam puto Phyllida nosti. *Pers.* 1, 34. Phyllidas, Hypsipylas, vatum, et plorabile si quid Eliquat, etc. *Cremutius* auctor est nusquam virere arborem, ex qua Phyllis se suspenderit. Ita *Plin.* 16, 26, 45. ℙ De quacumque puella. *Virg. Ecl.* 3, 78. Phyllida amo ante alias: nam me discedere flevit, etc. Adde *Hor. Od.* 4, 11, 3. et *Mart.* 10, 81. et 12, 65. etc. ℙ De arbore amygdali. *Pall. de insit.* 149. Phyllis odoratos primaevis floribus artus Discissi pruni cortice fixa tegit. Adde *ib.* 61 et 97. ℙ [*Phyllis* fuit etiam nutrix Domitiani Aug., quae cadaver ejus populari sandapila per vespillones exportatum in suburbano suo Latina via funeravit. *Suet. Dom.* 17. *F.*]

*PHYLLĪUS, i, m. Boeotius, Cygnum Hyries filium dilexit. *Ov. Met.* 7, 372. *B. A.*

[PHYLLODŌCE, es, f. Nympha marina, Nerei, Doridisque filia. *Virg. G.* 4, 336., *Macr. Sat.* 5, 17. et *Hyg. fab. praef. F.*]

PHYLLON, i, n. *φύλλον*, a Graecis vocatur herba in saxosis montibus, mas, et femina: haec magis herbacei coloris, caule tenui, radice parva, semine rotundo, papaveris simili: mas semine tantum differens, quod est incipientis olivae. Haec *Plin.* 27, 12, 190. ℙ Alia est, quae et leucacantha, et ischias, et polygonaton dicitur, radice cyperi. *Id.* 22, 16, 16.

*PHYLLOS, i, f. regio Arcadiae. *Stat. Theb.* 4, 45. Pecorosaque Phyllos. *B. A.*

PHYMĀ, ātis, n. *φῦμα*, tuberculum furunculo simile, sed rotundius, et planius, saepe etiam majus. *Cels.* 5, 28. *n.* 9., ubi plura de eo. Adde 5, 18. *n.* 23 et 33. Est autem a *φύω*, nascor, quia est ex iis, quae sponte enascuntur, sine externa causa.

PHYNON, onis, m. *φύνων*, nomen est collyrii, cujus conficiendi rationem tradit *Cels.* 6, 6. *n.* 20. [At *Targa* reposuit ex MS. *chiron*, ita fortasse appellatum a Chirone Centauro. *F.*]

PHYRĀMĀ, ātis, n. *φύραμα*, lacrymae genus, ex metopio arbore stillans, pingue et resinosum. *Plin.* 12, 23, 49. Est autem a *φυράομαι*, misceo, et proprie mixturam significat, quia cum in terram decidat, miscetur terrae calculis, et sordibus. Alterum lacrymae genus, nobilius et pretiosius, vocant thrauston, *θραυστὸν*, masculi turis simile: a *θράω*, frio, frango, quasi fragmentum, aut particula friando detrita.

*PHYSCELLA, ae, opp. Macedoniae. *Plin.* 4, 10. *Mela* 2, 3. *B. A.*

[PHYSCON, onis, m. *φύσκων*, ventricosus. Ita cognominatus est septimus rex Aegypti Ptolemaeus Evergetes II. propter nimiam ventris saginam, qui cum et vultu deformis, et statura brevis itidem esset, non homini, sed beluae similis videbatur, ut ait *Just.* 38, 8. Is etiam libidinosus et crudelis fuisse perhibetur; hinc de eo ita *Tert. Pall.* 4. *med.* Physconem, et Sardanapalum tacendum est, qui nisi insignes libidinum, alias reges nemo nosset. Tacendum autem, ne quid et illi de Caesaribus quibusdam vestris obmussitent, pariter propudiosis: ne caninae forte constantiae mandatum sit, impuriorem Physcone, et molliorem Sardanapalo, Caesarem designare, et quidem Subneronem. *F.*]

[PHYSĒMĀ, ătis, n. bulla, vesica, inflatum quiddam, velut abortus quidam margaritarum. *Plin.* 9, 35, 54. de margaritis: Si vero etiam tonuerit, pavidas ac repente compressas, quae vocant physemata, efficere, speciem modo inani inflatam sine corpore: hos esse concharum abortus. *F.*]

PHYSĒTER, ēris, m. *φυσητὴρ*, belua ex balaenarum genere, in mari Gallico, et Indico. Nomen habet a *φυσάω*, flo, quod non ore, sed fistulis quibusdam in vertice prope oculos positis, ingentem aquarum vim eructet. [*Der Sprützwall.*] *Plin.* 9, 4, 3. Maximum animal in Indico mari pristis, et balaena est, in Gallico Oceano physeter, ingentis columnae modo se attollens, altiorque navium velis diluviem quandam eructans. *Sen. Hippol.* 1030. Qualis per alta vehitur oceani freta Fluctus refundens ore physeter capax. ℙ Proprie significat fistulam. *Pelag. Veter. f.* Fundum oenophori vitrei in pulverem mollissimum redige, et ei *(equo)* per physeterem in pupulam eundem pulverem sparge. Hic ex vitio saeculi, seu librarii imperitia *fiseterem* scribitur.

PHYSĬCĀ, ae, vel Physice, es, f. *φυσικὴ*, scientia naturalis, idest quae circa res naturales versatur. *Cic. Acad.* 1, 7. Sed enitar, ut Latine loquar, nisi in hujuscemodi verbis, ut philosophiam, aut rhetoricam, aut physicam, aut dialecticam appel-

lem, quibus, ut aliis multis, consuetudo jam utitur pro Latinis. Alii leg. *physicen.* Adde *Fin.* 3, 21.

PHYSĪCĀ, orum, n. plur. *φυσικά*, res naturales, scientia naturalis, libri, in quibus de rebus naturalibus disseritur. *Cic. Or.* 34. Quem etiam quo grandior sit, et quodammodo excelsior, ne physicorum quidem esse ignarum volo. Adde *Fin.* 1, 6.

PHYSĪCĒ, adv. more physicorum. *Cic. N. D.* 3, 7. *f.* Quae a te physice dicta sunt de vi ignea.

PHYSĪCŪLĀTUS, a, um, part. ab inus. *physiculo*, physice inquirendo examinatus, ut Physiculatae extorum prosiciae ap. *Capell.* 1, 5. [At omnino legendum *fissiculatae.* V. FISSICULO. *F.*]

PHYSĪCUS, a, um, adj. *φυσικός*, naturalis, sive ad rerum naturam pertinens: a *φύσις*, natura. *Cic. Div.* 2, 59. Aut geometricum quiddam, aut physicum, aut dialecticum explicare. *Id. N. D.* 2, 21. Physica ratio. *Marcell. Empir. carm. de medic.* 19. Quae curis hominum physicorum inventa pararint. ℙ *Nimis* licenter produxit primam *Sidon. carm.* 15, *101.* Physica vel logico, logicum vel jungit ad ethos. V. MACISCO.

PHYSĪCUS, i, m. *φυσικός*, philosophus naturalis, seu qui physicae dat operam, qui rerum naturam rimatur, vel, ut *Cic. Univ.* 1. definit, acer investigator et diligens earum rerum, quae a natura involutae videntur. *Id. N. D.* 1, 30. Non pudet igitur physicum, idest speculatorem venatoremque naturae, ab animis consuetudine imbutis petere testimonium veritatis? *Varr. R. R.* 1, 40. Si sunt semina in aere, ut ait physicus Anaxagoras. **Cic. de re publ.* (ed. *A. Maio*) 5, 3. Sed ita ut astrorum gubernator, physicorum medicus. *B. A.*

[PHYSĪODĪOCAS, ae, m. qui naturam persecutus est: a *φύσις*, natura, et *διώκας* pro *διώξας*, part. aor. 1. verbi *διώκω*, persequor. Est cogn. R. *Tab. aen. Vell.* edita a *P. De-Lama, col.* 2. *l.* 90. Adfinibus Maelio Severo, M. Vellejo Fisiodioga. Patet scribendum *Physiodioca.* Hinc corrige vocis derivationem, quam dedimus in DIOCAS. *F.*]

PHYSĪOGNOMON, ōnis, m. *φυσιογνώμων*, qui hominum mores ex vultu et corpore cognoscit. *Cic. Fat.* 5. Quid? Socratem nonne legimus, quemadmodum notarit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Est a *φύσις*, natura, et *γνώμων*, cognoscens.

PHYSĪOLOGIĀ, ae, f. *φυσιολογία*, scientia, quae de naturis rerum disserit, eadem ac physica. *Cic. N. D.* 1, 8. Hunc censes primis, ut dicitur, labris gustasse physiologiam? *Id. Div.* 1, 41. Qui et naturae rationem, quam physiologiam Graeci appellant, notam sibi esse profitebatur.

[PHYSĪOLOGĪCĒ, adv. secundum naturam. *Tert. ad nat.* 2, 12. Sed eleganter quidam sibi videntur physiologice per allegoricam argumentationem de Saturno interpretari tempus esse, et ideo Caelum et Terram parentes, ut et ipsos origini nullos, et ideo falcatum, quia tempore omnia dirimantur. *F.*]

[PHYSĪOLOGĪCUS, a, um, adj. ad physiologiam pertinens. *Tert. ad nat.* 2, 4. Sed quid ego cum argumentationibus physiologicis? *F.*]

[PHYSĪOLOCUS, a, um, adj. *φυσιολόγος*, qui de rebus ad naturam pertinentibus tractat. *Fulg. Myth.* 2, 4. Sicut Juba in Physiologis narrat. *F.*]

PHYSIS, is, f. *φύσις*, Graece naturam significat. [*Vet. carm.* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 474. *Burm.* O Priape potens, amice, salve, Seu cupis genitor vocari, et auctor Orbis, aut physis ipsa, Panque, salve. *F.*] Hinc *physes* appellari ait *Plin.* 37, 12, 74. quasdam gemmas proprio nomine carentes, quia ipsius naturae admirationem in se continent. ℙ *Venus Physica* videtur esse, quae *γεννητικοῖς μορίοις* utriusque sexus praeesse putabatur, quas partes *φύσιν* Graeci, naturam Latini dicunt. *Inscr.* Pompejis reperta, edita vero a *Fleetwood. Syllog. inscr.* p. 32. et a *C. Rosin. Dissert. isagog.* p. 60. Imperio Veneris Physicae Jovi O. M. Antistia Methe Antistii Primigenii ex D. D., *h. e.* Antistia Methe Antistii Primigenii uxor desiderio concipiendae e marito, et prolis generandae donum dedicat Jovi O. M., ex decreto seu permissu decurionum. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 956, 10. Variae Physi Varia Saturnina patronae benemerenti fecit. *F.*]

PHYTEUMĂ, ătis, n. *φύτευμα*, herba amatoria. *Plin.* 27, 12, 99. Phytheuma quale sit, describere supervacuum habeo, cum sit usus ejus tantum ad amatoria. [**Kreuzwurz.*]

*PHYTRĪA, ae, opp. Phrygiae magnae. *Not. Imper. B. A.*

P I

PĬĂBĬLIS, e, adj. qui piari potest et purgari. *Ov. Fast.* 3, 289. Cui Dea: ne nimium terrere: piabile fulmen Est, ait, et saevi flectitur ira Jovis.

PĬĂCŬLĀRIS, e, adj. *καθάρσιος*, vim habens expiandi, purgandi, placandi, satisfaciendi pro scelere admisso. *Varr. L. L.* 5, 4. Praetor, qui tum fatus est, si imprudens fecit, piaculari hostia facta piatur. *Liv.* 1, 26. *f.* Is quibusdam piaculari-bus sacrificiis factis, transmisso per viam tigillo, velut sub jugum misit juvenem. *Id.* 42, 3. *f.* Ut piacularia Junoni fierent. ℙ Urbane *Pl. Ep.* 1, 2, 36. Men' piacularem oportet fieri ob stultitiam tuam? ut meum tergum stultitiae tuae subdas succidaneum? ℙ *Piacularia auspicia*, inquit *Festus*, appellabant, antiqua loquendi consuetudine, cum aut hostia ab ara effugit, aut percussa mugitum dedit, aut in aliam, quam oportuit, partem corporis decidit. Scilicet quia piaculari sacro opus erat ad tristia illa avertenda. ℙ *Piacularis porta* Romae appellabatur propter aliqua piacula, quae ibidem fiebant. *Idem.*

PĬĂCŬLĀRĬTER, adv. ita ut piaculo opus sit, impie. *Tert. Pud.* 22. *extr.* Piacullariter negare. Alii leg. *peculiariter.*

PĬĂCŬLO, as, avi, atum, a. 1. expio, piaculis placo. *Cato R. R.* 141. Mars Pater, te hisce suovetaurilibus piaculo.

PĬĂCŬLUM, i, n. *ἁγισμός, καθάρσιον*, sacrum piaculare, et quidquid ad piandum et purgandum pertinet. *Cic. Leg.* 2, 22. *f.* Habendas triduum ferias, et porco femina piaculum pati. *Hor. Od.* 1, 28, 33. precibus non linquar inultis, Teque piacula nulla resolvent. *Gell.* 4, 5. Fulgur piaculis luere. *Cato R. R.* 139. Porco piaculo facere, *h. e.* piaculum facere porcum immolando: vel facere porco (*h. e.* sacrificare porco) in piaculum seu piaculi causa. Sic *ib.* 140. Si fodere velis, altero piaculo, eodem modo facito. *Liv.* 8, 10. ex vet. formula: Signum in terram defodi, et piaculum hostia caedi, *h. e.* caesa hostia piaculum fieri. ℙ Translate. *Liv.* 29, 18. *med.* Dea suum templum aut tutata est, aut a violatoribus gravia piacula exegit, *h. e.* poenas repetiit piaculi loco. Eodem modo locuti sunt *Just.* 8, 2., *Sil.* 13, 702. et *Val. Max.* 1, 1. *n.* 14. ℙ Metonymice est ipsa res, quae piaculi causa adhibetur. *Virg. A.* 6, 153. Duc nigras pecudes: ea prima piacula sunto. *Ov. Met.* 6, 569. et inane sepulcrum Constituit, falsisque piacula Manibus infert. ℙ Metaphorice. *Liv.* 21, 10. *med.* Nec dedendum solum (*Annibalem*) id piaculum rupti foederis, sed, si nemo deposcat, devehendum in ultimas oras, etc. ℙ Item ipsum scelus piaculo purgandum. *Virg. A.* 6, 568. Quae quis apud Superos, furto laetatus inani, Distulit in seram commissa piacula mortem. *Pl. Truc.* 2, 1, 13. Piaculum est, misereri nos hominum rem male gerentum. *Fab. Pict.* ap. *Gell.* 10, 15. de flamine Diali: Si quis ad verberandum ducatur, si ad pedes ejus supplex procubuerit, eo die verberari piaculum est. *Enn.* ap. *Fest.* in Mutire: Palam mutire, plebejo piaculum est. *Tac. A.* 1, 30. Solutus piaculo. *Plin. Pan.* 37. *f.* Nec sine piaculo quodam sanctissimas necessitudines scindi. *Liv.* 39, 47. *f.* Ut si quid minus factum sit, quam debuerit, tum quoque sine piaculo rerum praetermissarum fiat, *h. e.* sine culpa, et obligatione satisfaciendi. *Plin.* 7, 30, 31. Sed et quo te, M. Tulli, piaculo taceam? quove maxime excellentem insigni praedicem? ℙ Item triste augurium, maleficium, periculum, quod piaculo egeat. *Plin.* 25, 8, 46. Vettonica herba tantum gloriae habet, ut domus, in qua sata sit, tuta existimetur a piaculis omnibus. ℙ *Piaclum* syncope est ap. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 219.

*PĬĂLAE, arum, populi Scythiae, cis Imaum flumen. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

PĬAM, syllabica adjectio, quae extra compositionem nihil significat, in compositione aliquid addit significationi dictionis, cum qua componitur, ut *quispiam, uspiam. Vossius* etiam in *Usque* meram vocis productionem esse putat. *Dacerius* ad *Fest.* in *Quispiam* docet, Oscos dixisse *piam*, pro *quam*, ut *pitpit* pro *quidquid:* inde esse *quispiam, nuspiam, uspiam* pro *quisquam, nusquam, usquam.*

PĬĀMEN, inis, n. idem ac piamentum. *Ov. Fast.* 2, 19. Februa Romani dixere piamina patres.

PĬĀMENTUM, i, n. *κάθαρσις*, expiatio, actus expiandi: idem id ipsum, quo in expiando utebantur, ut *Fest.* ait in *Piatrix. Plin.* 25, 4, 10. Hac evulsa, scrobem repleri vario genere frugum, religio est, ac terrae piamentum; et *ib.* 9, 59. Favis ante, et melle terrae ad piamentum datis. ℙ Translate. *Id.* 37, 1, 2. Ut Polycrati Samio felicitatis suae, quam nimiam fatebatur etiam ipse, satis piamenti in unius gemmae voluntario damno videretur. *Sen. Consol. ad Helv.* 16. Fuerim tantum dolituraе domus piamentum.

PĬĀTĬO, onis, f. piamentum, expiatio. *Plin.* 28, 2, 5. In mensa id reponi, adolerique ad Larem, piatio est.

PĬĀTRIX, icis, f. dicebatur sacerdos, quae expiare erat solita, quam quidam simulatricem, alii sagam, alii expiatricem vocant. *Fest. Pl. Mil.* 3, 1, 101. Tum piatricem clementer non potest quin munerem. ℙ *Simulatrix* dicta est, quia quae in sacris suis vera repraesentare non poterat, ficta et simulata adhibebat. *Virg. A.* 4, 512. Sparserat et latices simulatos Averni. Ubi *Serv.*: In sacris, quae exhiberi non poterant, simulabantur, et erant pro veris.

PĬĀTUS, a, um, part. a *pio:* purgatus, lustratus, expiatus. *Plin.* 2, 25, 23. Cometes, terrificum magna ex parte sidus, ac non leviter piatum, ut civili motu Octavio consule, iterumque Pompeji et Caesaris bello, *h. e.* non levi calamitate et clade reipublicae expiatum. *Ov. Her.* 19, 193. Nec minus hesternae confundor imagine noctis: Quamvis est sacris illa piata meis.

PĪCĀ, ae, f. *πίττα*, avis magnitudine palumbis, alis vario colore, et praesertim caeruleo depictis, humana imitans verba. In has aves fabulantur poetae mutatas esse Pierides, idest novem filias Pieri et Euippes, quod cum Musis certare ausae essent, indeque illis pristinam loquacitatem, humanaeque linguae studium remansisse. *Pers. prol. f.* Quod si dolosi spes refulserit nummi, Corvos poetas, et poetrias picas Cantare credas Pegaseium melos. V. *Plin.* 10, 33, 50. et *ib.* 42, 59. et *Ov. Met.* 5, 294. et sqq. et 663. et sqq. et *Mart.* 14, 76. ℙ Est et alia pica, sub ventre alba, superius nigra, cauda longa, quae varia appellatur, quae ab Apennino Romam versus *Plinii* aetate cerni coepit. *Plin.* 10, 29, 41. Eadem et monedula dicitur. V. MONEDULA. ℙ Ap. *Fest.* in *Picati* phica et pica sphingem significat, Graece *φίκα*, et *φίγα*. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 332. T. Geminius L. F. Stel. Pica centurio. *F.*]

PĪCĀNUS, i, m. nomen est montis excelsi in Picentina regione, ap. *Sil.* 4, 30., qui primam syllabam corripit, et *Avien. Perieg.* 500. qui producit. Alii tamen hic leg. *culmina Piceni.*

PĪCĀRĬĀ, ae, f. locus, ubi pix effoditur, (est enim pix quaedam fossilis, teste *Plin.* 16, 12, 23.) vel ubi coquitur. *Cic. Brut.* 22. Liberi societatis ejus, quae picarias redemisset. Alii leg. *picearias*, alii *pecuarias. Ulp. Dig.* 50, 16, 17. Vectigal salinarum, metallorum, et picariarum. Ita *Torrent.*, alii *piscariarum.* [Sed cum *Cic. l. c.* de silva Sila in Bruttiis agat, Bruttia autem pix celeberrima sit, (V. BRUTTIUS.) *Ciceronis* lectio *picarias*, et *Ulpiani* altera *picariarum* minime est sollicitanda. *F.*]

[PĪCATRIX, icis, f. *πιττώτρια, παραπλόκια*, quae pilorum succrescentem segetem pice calente suburit. V. PISCATRIX, et RESINARIA. *F.*]

PĪCĀTUS, a, um, part. a *pico: πιττωτός*, pice illitus. *Colum.* 11, 2. *med.* Dolia partim picata, partim defricata. *Virg. Cop.* 11. Est et vappa cado nuper diffusa picato. *Cato R. R.* 25. Dolia picata, lacus vinarius picatus. ℙ *Vinum picatum* dicitur, quod pice conditum est. Solebat enim musto in primo fervore (qui fere novem diebus peragitur) pix aspergi, ut odor vino conciliaretur, et quoddam saporis acumen. *Plin.* 14, 19, 24. et *ib.* 20, 25. et *Colum.* 12, 23. ℙ Fuit et vinum picatum naturale ex uva picata, quae natura picis odorem et saporem habebat, in agro Viennensi. *Plin.* 14, 1, 3. et *ib.* 2, 4. *n.* 3. *Id.* 23, 1, 24. Ad omnia haec utilius id, quod sponte naturae suae picem resipit, picatumque appellatur. *Mart.* 13, 107., cujus lemma *Picatum vinum.* Haec de vitifera venisse picata Vienna, Ne dubites. ℙ Praeterea *picati* appellantur quidam, quorum pedes formati sunt in speciem sphingum, quod eas Dorii picas vocant. *Festus.*

PĪCĒĂ, ae, f. *πεύκη*, genus arboris picem fundens: a voce Graeca allata, [**die Pechföhre, Kiefer*, Pinus silvestris, *L.*] *Plin.* 16, 10, 18. Picea montes amat, atque frigora, feralis arbor, et funebri indicio ad fores posita, ac rogis virens: jam tamen et in domos recepta tonsili facilitate. Haec plurimam resinam fundit, interveniente candida gemma, tam simili turis, ut mixta visu discerni non queat: et *mox:* Piceae rami paene statim ab radice modici, velut brachia lateribus inhaerent: et *mox:* Materies piceae ad fissiles scandulas, cupasque, et pauca alia secamenta; et *ib.* 19. Picea minus alta, quam larix. Illa crassior leviorque cortice, folio villosior, pinguior, et densior, molliorque flexu. At piceae rariora siccioraque folia, et tenuiora, ac magis algentia: totaque horridior est, et perfusa resina: lignum abieti similius; et *ib.* 24, 38. Folia insecta pectinum modo piceae, abieti: et *mox:* pungentia pino, piceae, abieti, larici. *Ov. Her.* 12, 67. Est nemus et piceis, et frondibus ilicis atrum.

PĪCĔĀRĬĂ. V. PICARIA.

PĪCĔASTER, stri, m. picea silvestris. *Plin.* 14, 20, 25. Fit e picea resina, in Hispania autem e piceastris minime laudata. *Hard.* habet *pinastris.*

PĪCĔĀTUS, a, um, part. ab inus. *piceo*, pro quo est *pico*, *πισσόχριστος*, pice illitus. *Mart.* 8, 59. Non fuit Autolyci tam piceata manus. Ubi *piceatam manum* dicit pro furaci, quasi quae picis instar, quod tangit, auferat. (Sic *Catull.* 25, 9. Quae nunc tuis ab unguibus reglutina, et remitte.) Al. leg. *piperata:* quod explicare conatur *Barth.* ad *Claud. in Ruf.* 2, 438. et *Advers.* 14, 14. V. GLUTINEUS.

PĪCĒNĪĀNUS, a, um, adj. idem ac Picenus, ut Picenianus consularis in *Inscr.* ap. *Grut.* 471, 8. [Tarrutenio Maximiliano V. C. eloquentissimoque, consulari Piceniano aetatis nonodecimo, etc. Corrige *consulari Piceni anno aetatis nonodecimo*, etc.

Ita optime *Visc. Mus. Jenkins. n.* 13. qui lapidem vidit. *F.*]

PĪCENS, entis, adj Picentinus, item Picenus. *Liv.* 10, 10. *extr.* Foedus ictum cum Picenti populo est. *Gell.* 15, 4. Eum Picentem fuisse, genere et loco humili. *Varr. R. R.* 1, 2. Ultra agrum Picentium. *Sil.* 10, 313. Hic Picentum acies. *Cic. Sull.* 8. Doceat, Picentes solos non esse peregrinos. *Plin.* 3, 13, 18. Quinta regio Piceni: CCCLX. millia Picentium in fidem populi R. venere. [*Macrob. Sat.* 2, 9. Panes Picentes. V. PICENTINUS. [*Discrimen inter *Picens* et *Picenus* v. in h. v.] ℙ *Picens* fuit etiam cogn. R. V. *Inscr.* in INTRAMURANUS. *F.*]

PĪCENTĀ, ae, f. opp., a quo ager Picentinus nomen habet. *Plin.* 3, 5. 9. V. v. sq.

PĪCENTĪNUS, a, um, adj. ad Picentes pertinens. *Pompej. ad Dom.* 2. *post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Picentinae cohortes. *Tac. H.* 4, 62. Picentina ala. *Plin.* 15, 15, 16. pira. *Id.* 3, 5, 9. A Surrento ad Silarum amnem triginta millia passuum ager Picentinus fuit Tuscorum, templo Junonis Argivae ab Iasone condito insignis. Intus oppidum Salerni, Picentia. Haec *Plin.* Porro haec regio nunc dicitur *Costa d' Amalfi*, et *Principato citra*, in ora maris Tyrrheni. ℙ Item Picenus. *Mart.* 13, 47. Picentina Ceres niveo sic nectare crescit, Ut levis accepta spongia turget aqua, *h. e.* Picenus panis, de quo *Plin.* 18, 11, 27. Durat sua Piceno in panis inventione gratia, ex alicae materia, Eum novem diebus macerant: decimo ad speciem tractae subigunt uvae passae succo: postea in furnis, ollis inditum, quae rumpantur, ibi torrent: neque est eo cibus, nisi madefacto, quod fit lacte maxime mulso. Haec *Plin.*

PĪCĒNUM, i, n. regio Italiae in ora maris Adriatici, quae olim a Truento amne usque ad Aesim, intus ad Apenninum, quo a Sabinis (unde ejus populi origo est) sejungitur. Deinde vero eidem tres agri, Hadrianus, Praetutianus, Palmensis, adjecti sunt. Nunc est pars regionum, quae *Marca d'Ancona*, quaeque *Abruzzo* nominantur. Ejus oppidum nobilissimum, et colonia R. Asculum. Nomen duxit ex eo, quod Sabini cum in hanc regionem migrarent, in vexillo eorum picus insedit, ut *Festus* tradit. *Plin.* 3, 13, 18. Quinta regio Piceni est, quondam uberrimae multitudinis. Picentes orti sunt a Sabinis voto vere sacro. *Suet. Caes.* 34. Picenum, Umbriam, Etruriam occupavit. Adde *Cic. Att.* 8, 8., *Caes. B. C.* 1, 12, 15. et 29. et *Liv.* 27, 43. *f.* [*Emendavit h. l. *F.*]

PĪCĒNUS, a, um, adj. ad Picenum pertinens. *Cic. Brut.* 14. et *Liv.* 21, 62. Picenus ager. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7. Picena vitis; et 18, 11, 27. Picenus panis. (V. PICENTINUS.) *Mart.* 13, 35. Filia Picenae venio Lucanica porcae. *Hor. Sat.* 2, 3, 272. et *ib.* 4, 70. Picenis cedunt pomis Tiburtia succo. Nam facie praestant. [**Schol. Acr.* ad h. l.: Inter *Picenum* et *Picentem* hoc interest: Picenum vas dicimus, Picentem hominem esse.] ℙ Picenas olivas memorat *Plin.* 15, 3, 4. Hae conditae gratissimae erant in cibis. *Mart.* 5, 78. Succurrent tibi nobiles olivae, Piceni modo quas tulere rami. *Id.* 13, 36. Haec, quae Picenis venit subducta trapetis, Inchoat, atque eadem finit oliva dapes. *Id.* 4, 89. Nec rugosarum vimen breve Picenarum. Adde 11, 52. et 1, 44.

PĪCĒUS, a, um, adj. πισσώδης, qui est ex pice, et qui picis instar niger est. *Virg. G.* 2, 308. de igne: Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram Ad coelum picea crassus caligine nubem. *Id. A.* 3, 572. de Aetna: Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem, Turbine fumantem piceo, et candente favilla; et *ib.* 9, 75. piceum fert humida lumen Taeda; et *ib.* 813. toto corpore sudor Liquitur, et piceum flumen agit. *Ov. Met.* 11, 549. inducta piceis e nubibus umbra Omne latet coelum. *Val. Fl.* 2, 115. piceus nimbus; et *ib.* 517. piceum coelum; et *ib.* 3, 439. Tum piceae mactantur oves. *Mart.* 2, 41. dentes piceique, buxeique. *Lucan.* 10, 491. piceo unguine tinctus. *Plin.* 16, 33, 61. Imber piceus crassusque.

PĪCĪNUS, a, um, adj. Picina uva, a colore picis dicta, omnium nigerrima est, teste *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9., ut quidem legit *Hard.* ex MSS. ℙ Picinum oleum. V. PISSINUS.

PĪCO, as, a. 1. πιττόω, pice linio. *Colum.* 12, 18. Et ferventissima pice infusa novo alio rutabulo, et scopula picatur. *Suet. Claud.* 16. Picare dolia. *Plin.* 36, 22, 48. Totum cura tuentur, picando parietes. *Vitr.* 7, 4. Interiores tegularum partes curiosius picentur. *Plin.* 11, 7, 6. Pissoceros super eam venit, picantium modo, ceu dilutior cera.

[PICRA, ae, f. videtur esse medicamentum ex aloe, quod Graece πικρὰ ἱερὰ dicitur. *Theod. Prisc.* 1, 19. *med.* Praeungendum est vulnus picrae solutione. V. HIERA et HIERACIUM. *F.*]

PICRĪDĪAE, arum, f. plur. picrides, lactucae agrestes. *August. Serm. ad Catechum. de cataclysm.* 4. *f.* V. v. sq.

PĪCRIS, idis, f. πικρίς, lactucae, vel cichorei agrestis genus: a πικρὸς, amarus. *Plin.* 19, 8, 38. Pessimum autem genus cum exprobratione amaritudinis appellavere picrida. ℙ Est et alia herba hoc nomine, toto anno florens, rotundo folio. *Plin.* 21, 17, 65. et 22, 22, 31.

PICTĀCĬUM. V. PITTACIUM.

PICTĀVI, orum, m. plur. populi Galliae Aquitanicae, quorum regio Pictaviensis provincia, quae nunc *le Poitou*. *Venant. carm.* 6, 7, 215. Post aliquas urbes, Pictavas attigit arces. *Id.* secundam corripit *carm.* 2, 19, 2. Allobroges referunt Pictaviis genitum. ℙ Pictavorum meminit et *Ammian.* 15, 21. Antiquiores *Pictonas* vocant.

PICTĀVĬCUS, a, um, adj. ad Pictavos pertinens. *Auson. epigr.* 51, 2. Imago Rufi rhetoris Pictavici.

*PICTI, orum, populi Britanniae secundae, *h. e.* Scotiae, quorum regio Deucaledonia *Ammiano*, aliis Laudonia putatur. Hos e Scythia in Britanniam profectos, inque Scotia consedisse, auctor est *Beda*. Alii e Dania advenisse dicunt. *Ammian.* 17, 8. (al. 18.) *Mela* 2, 1. *Serv.* in *Virg. A.* 4, 146. *Claud. III. Cons. Honor.* 54. ℙ Singularem numerum exhibet *Claud. Laud. Stil.* 2, 254. Ne Pictum tremerem, ne litore toto Prospicerem etc. *B. A.*

PICTĬLIS, e, adj. pictus, ornatus. *Appul. Met.* 10. Asinus phaleris aureis, et frenis argenteis, et pictilibus balteis exornatus.

PICTŌNES, um, m. plur. iidem ac Pictavi. *Plin.* 4, 19, 33. *Lucan.* 1, 436. Pictones immunes subigunt sua rura, nec ultra, etc. Multi hunc vers. *Lucani* esse negant. [*Non solum hunc versum, sed quinque, i. e. usque ad verba *dissolvitur alis*. Et recte quidem, cum neque in *edd.* neque in *edd. vett.* compareant. V. *Cort.* ad h. l.]

PICTŌNĬCUS, a, um, adj. ad Pictones pertinens. *Auson. epist.* 9, 36. Et quae Pictonici legit accola litoris.

PICTOR, oris, m. γραφεύς, qui pingit, seu picturam exercet. *Cic. Acad.* 4, 7. Multa vident pictores in umbris, et in eminentia, quae nos non videmus. *Hor. A. P.* 9. pictoribus atque poetis Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. ℙ De priscis pictoribus multa *Plin.* 35, 8. et sqq. et *Quint.* 12, 10. ℙ Fuit cognomen familiae R. in gente Fabia. Primus enim C. Fabius M. F. ita cognominatus est, quia picturam exercuit. *Plin.* 35, 4, 7. Apud Romanos honos mature huic arti contigit. Siquidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Pabii clarissimae gentis, principesque ejus, cognominis ipse, aedem Salutis pinxit anno U. C. CCCCL., quae pictura duravit ad nostram memoriam, aede Claudii principatu exusta. ℙ Ex hac familia fuisse creditur etiam Q. Fabius Pictor, qui post cladem Cannensem Delphos legatus missus est, ut est ap. *Liv.* 22, 57. Hic historiam scripsit rerum R., et longe antiquissimus auctor dicitur ab *eod.* 2, 40., sed ejus scripta exciderunt injuria temporum.

PICTŌRĬUS, a, um, adj. ad pictores pertinens. *Tert. adv. Marc.* 1, 3. Poetica, et pictoria licentia. *Jul. Dig.* 38, 1, 23. Fabriles, vel pictoriae operae.

PICTŪRA, ae, f. γραφικὴ, ars pingendi. *Cic. Or.* 2, 7. Una est ars ratioque picturae, dissimillimique tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles. ℙ Metonymice accipitur pro tabula, vel tela, vel alia re picta. *Cic. Verr.* 2, 4, 1. Nego, ullam picturam neque in tabulis, neque textilem fuisse, quin conquisierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit. *Id. Or.* 11. In picturis alios horrida, inculta, abdita, et opaca: contra alios nitida, laeta, collustrata delectant. *Lucr.* 2, 35. Textilibus si in picturis ostroque rubenti Jactaris. [*Etiam de opere musivario dicitur. *Virg. Cul.* 61. Picturaeque decus, lapidum nec fulgor in ulla Cognitus utilitate manet.] ℙ Translate est fucus, pigmentum, quo mulieres faciem illinunt. *Pl. Most.* 1, 3, 104. *Ph.* Tum tu igitur cedo purpurissam. *Sca.* Non do: scita es tu quidem: nova pictura interpolare vis opus lepidissimum? *h. e.* pigmento corrumpere vis faciem pulcherrimam? ℙ [*De imaginibus poeticis. *Cic. Tusc.* 5, 39. Homerum tradunt caecum fuisse, ut ejus picturam non poesin videmus, i. e. imagines rerum visibilium ad vivum expressas. — De descriptione philosophica. *Id. ib.* 5, 5. iste chorus virtutum (ex disciplina Stoicorum) in equuleum impositus, imagines constituit ante oculos cum amplissima dignitate, ut ad eas cursim perrectura, nec eas beata vita a se desertas passura videatur. Quum autem animum ab ista pictura imaginibusque virtutum cet. *Schütz. cl. Cic.*]

PICTŪRĀTUS, a, um, adj. ποικιλόγραπτος, pictura, et variis coloribus exornatus. *Claud. epist. ad Seren.* 3. picturatae volucres. *Stat. Th.* 6, 58. picturatus floribus agger. ℙ Vestes picturatae dicuntur, quae acu pictae sunt. *Virg. A.* 3, 483. Fert picturatas auri subtemine vestes.

PICTUS, a, um, part. a *pingo*: γραπτός. *Cic. Fin.* 5, 27. Quae quidem dicunt, qui nunquam philosophum pictum, ut dicitur, viderunt. [*Quo quasi proverbio notantur ii, qui prorsus sunt philosophiae ignari et sensum tantum communem sequuntur.] *Prop.* 4, 6, 50. Tigna cava, et pictos experiere metus, *h. e.* vanos: picti enim erant Centauri in prora navis Cleopatrae. [**Bail.* leg. videtur *fictos*. Ceterum laud. ista: *Ov. Met.* 3, 669. Pictae pantherae; et *Virg. G.* 4, 13. Picti lacerti. Pictae pantherae; et *Virg. G.* 4, 13. Picti lacerti. ℙ De pictura in textili.] *Cic. Tusc.* 5, 21. Stragulum textile magnificis operibus pictum. *Mart.* 10, 72. Picti reges, *h. e.* pictis vestibus induti. [**Ov. Her.* 12, 30. Picti tori, i. e. lecti instrati vestibus, quas Phrygiones acu pinxerunt. Ita *Ruhnk.* ad h. l. q. v.] ℙ *Picta toga*, quae triumphantium fuit, itemque consulum sub imperatoribus, et praetorum, quoties ludos ederent; ita dicta est, quod acu elaborata esset, et opere Phrygio distincta. Eadem et *palmata* dicta est, quamquam saepius apud Latinos scriptores invenies *palmatam tunicam*, quam *palmatam togam*. V. PALMATUS. Item *Capitolina* aliquando dicitur, tum quod ea Juppiter Capitolinus indutus esset, tum quod vestes triumphales in templo Jovis Capitolini servarentur, et inde, cum opus foret, depromerentur. *Lampr. Alex. Sev.* 40. Praetextam, et pictam togam nunquam nisi consul accepit, et eandem quidem, quam de Jovis templo sumptam alii quoque accipiebant aut praetores, aut consules. ℙ [*Hinc i. q. ornatus.] *Virg. Cul.* 69. Florida cum tellus gemmantes picta per herbas. [**Prop.* 4, 6, 26. picta armorum radiis aqua. ℙ Unde ad rem oratoriam translata vox est.] *Cic. Brut.* 85. Lysia nihil potest esse pictius, [*i. e. venustius et politius: cf. c. 9. Adde *Att.* 2, 21. hunc (Pomp. Magn.) omnibus a me pictum et politum artis coloribus, (*h. e.* ornatissime laudatum), subito deformatum non sine magno dolore vidi.]

PĪCŪLA, ae, f. dimin. picis. Translate usurpatur de strigmento puerili, seu sordibus, quas a corpore puerorum oleo unctorum in balneis, aut palaestra, deradebantur: Graecis vocatur γλοῖος παιδικὸς, cujus meminit bis *Pelag. Veter.* 26. *med*, ejusque virtutem praedicat *Plin.* 28, 4, 13. V. STRIGMENTUM. *Appul. H.* 36. Ipsam herbam cum nitro, et axungia, et picula ex aceto teres. Adde *Veg. Vet.* 1, 11., *ib.* 2, 46. et *ib.* 3, 16, 70. et 71. [*Hic, praeter locum *Appul.*, omnia debentur *F.*]

PĪCUMNUS et Pilumnus Dii praesides auspiciis conjugalibus habiti sunt, inquit *Non.* 12, 36. *Varro ib.* Natus si erat vitalis, ac sublatus, ab obstetrice statuebatur in terra, ut auspicaretur rectus esse: Diis conjugalibus Pilumno et Picumno in aedibus lectus sternebatur. *Aemil. Macer* ap. *Non. ib.* 3. Et nunc agrestes inter Picumnus habetur. *Serv.* ad *A.* 9, 4. pro *Picumnus* habet *Pithumnus*: docet etiam, Pilumni fratrem fuisse, et stercorandorum agrorum usum invenisse: Pilumnum vero pinsendi frumenti: ideo a pistoribus coli: ab ipso etiam *pilum* dictum (quod et *Plin.* tradit 18, 3, 3.). A nonnullis hos credi Castorem et Pollucem: a Varrone Deos conjugales credi. Eadem fere habet *Id.* ad *A.* 10, 76., ubi addit, *Pisonem* dicere, Pilumnum dictum, quia pellat mala infantiae. Deinde Pilumnum cum Picumno seu Pithumno confundit, dum ait, eundem cum Stercutio esse. Sed haec inania videntur. ℙ *Non.* 12, 3. ex *Hygino* docet, Picumnum esse etiam avem Marti dicatam, quae et picus, vel pica dicitur.

PĪCUS, i, m. πελεκὰν, avis praecipui usus in auspiciis. *Plin.* 10, 18, 20. Sunt et parvae aves uncorum unguium, ut pici, Martio cognomine insignes, et in auspicatu magni: quo in genere arborum cavatores scandentes in subreptum felium modo: illi vero et supini, percussi corticis sono, pabulum subesse intelligunt. Pullos in cavis (*arborum*) educant avium soli. Adactos cavernis eorum a pastore cuneos, admota quadam ab his herba, elabi, creditur vulgo. Ipsi principales Latio sunt in auguriis, a rege, qui nomen huic avi dedit; et *ib.* 33, 50. Picorum alicui suspenditur nidus surculo primis in ramis cyathi modo, ut nulla quadrupes possit accedere. *Id.* 11, 37, 44. Cirros natura pico quoque Martio dedit, et grui Balearicae. *Pl. Asin.* 2, 1, 12. Quovis admittunt aves: picus et cornix est ab laeva, corvus porro ab dextera. ℙ Picos, inquit *Non.* 2, 641., veteres esse voluerunt, quos Graeci γρύπας appellant, fortasse quia sicut gryps effodere terram dicitur in montibus Hyperboreis, et aurum scrutari; ita picus tundit et cavat arborum cortices, et formicas venatur: unde δρυοκολάπτης, et Italice *picchio* appellatur; hinc *picchiare* Italorum verbum. *Pl. Aul.* 4, 8, 1. Picos divitiis, qui aureos montes colunt, ego solus supero. ℙ Picus ille, qui a *Plinio* dicitur huic avi nomen dedisse, fuit filius Saturni, pater Fauni, avus Latini, rex Aboriginum, peritissimus augurio-rum. Hunc Pomona, ut est in fabulis, adamavit, et ejus volentis sortita est conjugium. Postea a Circe quoque amatus est, quam cum sperneret, ab illa irata in picum Martium conversus, ut est ap. *Ov. Met.* 14, 320. et sqq., quamquam *Val. Fl.* 7, 232 Circem quoque Pici uxorem facit, ut mos est poetis fabulas confundere. Hoc ideo finxere, quia ejus avis augurio plurimum utebatur, unde futura noscebat: quod et pontificales indicant libri, inquit

Serv. ad illud *Virg. A.* 7, 189. Picus equum domitor, etc. Uxorem habuit Canentem filiam Jani et Veniliae. *Ov. l. c.* a *v.* 333.

*PIDE, es, Aethiopiae opp., fortasse in confinio Aegypti. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*PIDIBOTAE, arum, populi Aethiopiae, vel fortasse Aegypto Aethiopiaeque contermini. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

*PIDOSUS, i, insula Cariae adjacens, e regione Halicarnassi. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

PIĒ, adv. *εὐσεβῶς*, cum pietate in Deum, patriam, majores, consanguineos, mortuos, religiose, sancte. *Cic. N. D.* 1, 17. et 20. *f.* Pie sancteque colere Deos. *Id. Mil.* 38. Pace tua, patria, dixerim: metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie. *Id. Sen.* 22. *extr.* Memoriam nostri pie inviolateque servabitis. *Id. Fam.* 11, 27. *f.* Alia sunt, quae defendam a te pie fieri, et humane, ut de curatione ludorum. *Id. Or.* 2, 40. Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moveri, cum Q. Metellum tam pie lugere videatis. *Id. Att.* 6, 7. Q. filius pie sane animum patris sui sorori tuae reconciliavit. *Appul. Dogm. Plat.* 2. *f.* Pie vivere. *Ov. Her.* 15, 153. Sola virum non ulta pie moestissima mater. *Sen. Consol. ad Polyb.* 34. *med.* Quod utrumque piissime, et fortissime tulit.

PĪENS. V. PIUS in fine.

PĪĒRES, um, m. plur. *Πιερεῖς*, populi Macedoniae. *Plin.* 4, 10, 17.

PĪĒRĬA, ae, f. *Πιερία*, regio Macedoniae, in confinio Dardaniae. Picem habet Indicae, Nariciae, Idaeae, et Illyricae comparandam. *Plin.* 4, 10, 17. et 14, 20, 25. ℙ Pieria altera, regio Syriae, in ora, inter Ciliciam et Phoenicen, ubi mons ejusdem nominis, qui Amani pars est, ubi etiam Seleucia urbs praecipua cognomento Pieria. *Plin.* 5, 12, 13. et *ib.* 21, 18.

PĪĒRĬCUS, a, um, adj. ad Pieriam pertinens, ut Pierica pix, ap. *Plin.* 14, 20, 25. V. v. praec.

PĪĒRĬDES, um, f. plur. *Πιερίδες*, novem filiae Pieri Macedonis, vel Thessali, ex Euippe, al. Enippe, quae Musas ad carminum et cantus certamen provocare ausae, ab iis victae sunt, judicio Nympharum, cumque convicia facerent, ab illis in picas versae fuere. V. PICA. ℙ Vulgo hoc nomine Musae appellantur, dictaeque creduntur a Pieria regione Macedoniae; vel a Pierio monte Thessaliae in Macedoniae confinio, ubi ex Jove et Mnemosyne natae sint; vel a Pierio Apollinis filio, cujus meminit *Serv.* ad *Ecl.* 7, 21.; vel ab Jove tertio Pierio, quem *Cic. N. D.* 3, 21. eas ex Antiopa suscepisse tradit. *Virg. Ecl.* 8, 63. Dicite Pierides. ℙ In singulari num. *Ov. Fast.* 4, 222. Pieris orsa loqui. *Hor. Od.* 4, 3, 17. O testudinis aureae Dulcem quae strepitum, Pieri, temperas.

PĪĒRĬUS, a, um, adj. *Πιέριος*, ad Pieriam regionem vel ad Pierum montem aut fluvium, vel ad Pierides, vel ad Musas et litteras spectans. *Ov. Pont.* 2, 9, 62. Lucida Pieria tendis ad astra via. *Hor. Od.* 3, 4, 40. Pierium antrum. *Id. A. P.* 405. Pierii modi. *Ov. Pont.* 1, 5, 58. chori. *Stat. Silv.* 1, 3, 23. dies, *h. e.* quos impendimus litteris. *Mart.* 8, 70. Pieria frons, *h. e.* poetae. *Id.* 10, 64. tuba, *h. e.* carmen heroicum. *Id.* 12, 52. corona, *h. e.* laurus. Et *ib.* 11. Pierius grex, *h. e.* Musarum et vatum. ℙ Ad Pierum Thessaliae montem. *Propert.* 2, 10, 5. Non ut Pieriae quercus mea verba sequantur. *Phaedr. prol.* 3. Pierium jugum. ℙ Item idem ac Thessalius. *Hor. Od.* 3, 10, 15. Nec vir Pieria pellice saucius.

PĪĒRUS, i, m. *Πιέρος*, Macedo quidam, vel Thessalus, qui ex Euippe, al. Enippe genuit novem filias, quae Pierides appellatae sunt. *Ov. Met.* 5, 302. Idem Linum filium ex Euippe suscepit. Condidit urbem Pieriam in Macedonia, al. in Boeotia. ℙ Item mons Thessaliae, al. Boeotiae, in confinio Macedoniae, apud Olympum montem, ubi oppidum ejusdem nominis, Pheris proximum, cum lacu cognomine. *Plin.* 4, 8, 15. ℙ Vulgo dicitur Musis sacer esse. Sed filiae Pieri cum Musis confunduntur. V. PIERIDES.

PĬĒTAS, atis, f. *εὐλάβεια*, *εὐσέβεια*, est virtus justitiae subjecta, qua [*proprie Deos colimus, quibus omnia debemus. Ita *Manutius* ad *Cic. Fam.* 1, 1., quem secuti primo loco posuimus, quae nescio quo pacto Noster tertio collocaverat ista:] *Cic. N. D.* 1, 41. *f.* Est enim pietas justitia adversus Deos. *Id. Dom.* 41. Nec est ulla erga Deos pietas, nisi honesta de numine eorum ac mente opinio. [*Adde *N. D.* 1, 2. Quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? haec enim omnia pure, ac caste tribuenda deorum numini sunt. *Fin.* 3, 22. Nec vero pietas adversus deos, nec quanta his gratia debeatur, sine explicatione naturae intelligi potest. *Off.* 2, 3. Deos placatos pietas efficiet et sanctitas. *Top.* 23. Aequitas tripartita dicitur esse: una ad superos deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Prima pietas, secunda sanctitas, tertia justitia, aut aequitas nominatur.] ℙ Item justitia, qua Dii res hominum regunt, et pro meritis poenas, aut praemia tribuunt, miseros fovent, malos exagitant, etc. *Virg. A.* 2, 535. At tibi pro scelere exclamat, pro talibus ausis Dii, si qua est coelo pietas, quae talia curet, Persolvant grates dignas, et praemia reddant Debita. *Id. ib.* 5, 687. Juppiter omnipotens, si nondum exosus ad unum Trojanos, si quid pietas antiqua labores Respicit humanos, da flammam evadere classi. [*Adde *Stat. Silv.* 3, 1. Summa Deum pietas. ℙ Deinde *pietas* in patriam atque in parentes, propinquos etiam convenit.] *Cic. Inv.* 2, 22. Pietas, quae erga patriam, aut parentes, aut alios sanguine conjunctos officium conservare monet. *Id. Part.* 22. *extr.* Justitia erga Deos religio, erga parentes pietas nominatur. *Id. Planc.* 33. Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes? *Id. Somn. Scip.* 3. Justitiam cole, et pietatem, quae cum sit magna in parentibus et propinquis, tum in patria maxima est. *Id. Rosc. Am.* 13. Si (id quod praeclare a sapientibus dicitur) vultu saepe laeditur pietas, quod supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti? [*Male *Forc.* ab his sejunxit locum *Tac. Agr.* 7. Solemnia pietatis, i. e. justa funeris, quae matri defunctae filius persolvit. Plura v. ap. *Manut.* l. c., ubi etiam *Cic.* loc., quo *pietas* de amore parentum in filios dicitur, laudatur iste: *Att.* 13, 39. Ad patrem domo sibi carendum propter matrem: plena pietatis; et *Catulli* 66, 29. Egregium narras mira pietate parentem, Qui ipse sui nati minxeris in gremium. Noster haec laudaverat:] *Mart. Dig.* 48, 9, 5. Patria potestas in pietate debet, non atrocitate consistere. *Just.* 10, 1. Darius post nova paternae pietatis exempla interficiendi patris consilium cepit. [*— Porro hic sequi posse videtur illud *Plin. Pan.* 21, 3. nec publicae pietatis intererat, quid vocarere, i. e. amoris omnium erga te civium. — Etiam de militibus erga ducem. *Lucan.* 6, 155. Non ira saltem juvenes, pietate remota, Stabitis? et 4, 499. quaecunque per aevum Exhibuit monumenta fides, servataque ferro Militiae pietas, transibat nostra juventus; et 10, 407. Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur. Hinc vice versa *Suet. Dom.* 11. Permittite, P. C., a pietate vestra impetrari, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Adde *Plin. Pan.* 79, 4. Pietas senatus: coll. *Suet. Aug.* 66. *Vit.* 3. *Dom.* 11.] ℙ Hinc *pietatis causa*, vel *ex pietate* in vetustis monumentis sepulcralibus quandoque adjicitur, quod quidem *ex testamento* opponitur, ut nempe appareat, nihil a parentibus vel conjunctis testamento cautum, ut sibi sepulcrum conderetur, filium tamen, vel conjugem pietatis, ut par erat, officio functum fuisse. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 710. *n.* 314. Q. Fabio Q. F. Esquilina Calatino Fabius Q. F. Esq. Silvester pietatis caussa. Alia ap. *Zaccar. Marm. Salon.* p. 37. *n.* 191. Statia Prima Statio Ursino conjugi bene merenti ex pietate posuit. [*Addidit haec *F.* ℙ Tertio loco *pietas* pertinet ad omnes de nobis bene meritos, quos diligere ut propinquos, et colere parentum fere loco, aequum est.] *Cic. Fam.* 1, 1. Ego omni officio, ac potius pietate erga te ceteris satisfacio omnibus; et *ib.* 9. Te perspicere meam in te pietatem: quid enim dicam benevolentiam, cum illud ipsum gravissimum et sanctissimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis videatur? et *ib.* 6, 20. *extr.* Hic tui omnes valent, summaque pietate te desiderant. [*V. *Mannt.* l. c.] ℙ In plur. numero *Auct. Pan. ad Maxim. et Constant.* 13. Perpetuis profecto pietatibus affinitas ista coalescat. Alii aliter leg. ℙ Romanis *Pietas* Dea fuit, quae prius sacellum, dein templum Romae in foro Olitorio habuit, ubi postea Marcelli theatrum dedicavit Augustus. Locus sacello eidem Deae exstruendo delectus, ubi memorabile pietatis exemplum editum fuerat (quo vero anno, ignotum est) a quadam ignobili puerpera, quae, ut *Plin.* 7, 36, 36. et *Val. Max.* 5, 4. *n.* 7. narrant, supplicii causa carcere inclusa matre, ibique inedia consumenda, cum impetrasset aditum, a janitore semper excussa, ne quid inferret cibi, deprehensa est uberibus suis alens eam. (*Festus* in *Pietati*, et *Solin.* 1. *med.* patrem fuisse tradunt.) Quo miraculo matris salus donata filiae pietati est, ambaeque perpetuis alimentis: et locus ille eidem consecratus est Deae. [M'. autem Acilius Glabrio consul ann. U. C. DLXIII., quo die cum Antiocho prospere pugnavit ad Thermopylas, ut est ap. *Liv.* 40, 34., templum Pietati vovit, quod exstructum prope Pietatis sacellum decem post annis dedicavit M.' Acilius Glabrio filius ejus, idemque ante ipsum templum statuam equestrem auratam, (quae, teste *Liv. l. c.* et *Val. Max.* 2, 1. *in.*, prima omnium in Italia statua aurata fuit) patri Glabrioni posuit. Tandem ann. U. C. DCIV., loco sacelli, templum Pietatis aedificatum in illius carceris sede narrat *Plin. l. c.*, ubi postea Marcelli theatrum fuit, in quo ipsum Deae templum inclusum fuisse videtur. Utriusque porro templi inter se proximi, tum subterranei carceris, et hypobasis equestris statuae vestigia ingentia paucis abhinc annis ibidem detecta sunt, ubi nunc ecclesia est *di S. Niccola in carcere*, ut fuse persequitur *Guattanius* in *Mem. Enciclop. delle antich. di Roma per il MDCCCXVI.* p. 17—23. *F.*] ℙ *Pietas Julia* vocata est, quae nunc *Pola*, urbs Istriae, R. colonia, quondam a Colchis condita. *Plin.* 3, 19, 23. ℙ [Fuit quoque cogn. R., quod L. Antonius M. Antonii triumviri frater sibi imposuit, ut refert *Dion.* 48, 5., propter suam in fratrem pietatem; id ejus nummi confirmant ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 42. Alii etiam hujusmodi cognomen habuerunt, ut C. Pompejus C. F. An. Pietas in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 329. *F.*]

PĬĒTĀTĪCULTRIX, icis, f. quae pietatem colit. *P. Syrus* ap. *Petr. Sat.* 55. Ciconia etiam grata, peregrina, hospita, pietaticultrix. Ita porro appellatur, quia ciconiae, ut ait *Plin.* 10, 23, 32., genetricum senectam invicem educant; et *Solin.* 40. *f.* eximiam illis inesse pietatem praedicat.

[PĬĒTOSUS, a, um, adj. idem ac pius. Vox cadentis Latinitatis, unde est *pietoso* Italorum. *Inscr.* ap. *Donat.* 394, 9. Femine caste, bone bite et pietose, in omnibus gloriose, Brattiae Dignitati, que vixit, etc. *F.*]

PĪGER, gra, grum, adj. *ὀκνηρός*, *βράδυμος*, *ἀργός*, segnis, tardus. Putant quidam esse a *πικρός*, quod *Hesych.* *ἀργαλέον* interpretatur, *h. e.* difficilem, molestum, quasi difficile moveatur. *Cic. Fam.* 7, 17. Interdum piger, interdum timidus in re militari videbare. *Virg. G.* 4, 259. apes contracto frigore pigrae. *Mart.* 3, 67. pueri Vatreno, Eridanoque pigriores. *Liv.* 21, 25. Gens pigerrima ad militaria opera. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. Ad litteras scribendas pigerrimus. *Hor. Sat.* 1, 4, 12. piger scribendi ferre laborem. [*V. *Heindf.* ad h. l.] *Id. ib.* 1, 7, 17. discedat pigrior ultro Muneribus missis. ℙ Cum genitivo. *Id. Ep.* 2, 1, 124. Militiae piger et malus. *Sil.* 14, 264. Non Herbesos iners, non Naulocha pigra pericli Sederunt. *Id.* 15, 504. serpit Arar per rura pigerrimus undae. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 1, 21. piger annus Pupillis, quos dura premit custodia matrum, *h. e.* longus. Sic *Ov. Fast.* 2, 727. Dum nos difficilis pigro tenet Ardea bello. *Id. Pont.* 4, 10, 61. stagno similis, pigraeque paludi, *h. e.* immotae, stanti. [*Adde *Tac. G.* 45. Trans Sinonas aliud mare, pigrum ac prope immotum. *Agr.* 10. mare pigrum et grave. V. *Hessii not.* ad *Tac.* l. prius laud. coll. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 434.] *Claud. Laud. Stil.* 2, 355. Elephanti pigra moles, *h. e.* gravis. *Colum.* 7, 8. Pigro humore defluere, *h. e.* spisso et lento. *Hor. Od.* 1, 22, 17. Pone me, pigris ubi nulla campis Arbor aestiva recreatur aura, *h. e.* perpetuo frigore obsitis, atque adeo sterilibus. *Colum.* 2, 18. Pigriora sunt ista remedia, cum sit efficacissimum de integro locum exarare. *Stat. Silv.* 1, 4, 57. pigra vita, *h. e.* otiosa. *Ov. Amor.* 2, 3, 14. Indigna est pigro forma perire situ, *h. e.* quae nec amet, nec ametur. *Mart.* 10, 104. Pigrum aliquem facere, *h. e.* otiosum reddere, et securum a labore. Ap. *eund.* 2, 11. piger vultus est demissus, torpens, moestus. Sic *Appul. Met.* 1. Rex olim beatus, affatu sanctae vaticinationis accepto, piger tristisque retro domum pergit. Al. leg. *pigens.* ℙ Metonymice, pigros faciens. *Catull.* 63, 37. Piger sopor. *Tibull.* 1, 2, 29. Pigra frigora; et *ib.* 11, 40. senecta. ℙ *Ingerere pigros in os senatoris*, ap. *Sen. Ben.* 2, 12. *extr.* V. EPIGRUS.

PĪGET, ebat, guit, et pigitum est, impers. 2. *μεταμέλει*, *κατοκνῶ*, taedet, molestum est, dolorem affert. *Ter. Ad.* 3, 3, 37. Fratris me quidem pudet, pigetque. Ubi *Donat.* Pudet, quod turpe est, piget, quod dolet. Sic *Non.* 5, 10. Pudet verecundiae est, piget poenitentiae. *Sall. or. Philippi contra Lep. med.* Nisi forte pudet, aut piget recte facere. *Id. Jug.* 100. *extr.* Nam postea quae fecerit incertum habeo, pudeat magis, an pigeat disserere. *Pl. Ps.* 1, 3, 47. Nimio id quod pudet, facilius fertur, quam illud, quod piget: Non dedisse, istum pudet; me, quia non accepi, piget. *Sall. Jug.* 4. *extr.* Dum me civitatis morum piget, taedetque. *Appul. Met.* 1. Ne pigeat te, vel taedeat reliqua pertexere. *Cic. Dom.* 11. Ut me non solum pigeat stultitiae meae, sed etiam pudeat. *Acc.* ap. *eund. Div.* 1, 31. Mea mater, tui me miseret, mei piget. *Pl. Men.* 5, 9, 7. Quaeso, loquere tuum mihi nomen, ni piget. *Cic. Brut.* 50. Oratione multitudo ad misericordiam inducitur, ad pudendum, ad pigendum. *Petr. Sat.* 127. Neque enim me piguit quaerere. *Sil.* 7, 173. Nec pigitum parvosque lares, humilisque subire Limina coelicolam tecti. *Castricius* ap. *Gell.* 13, 21. Pigitum est, cinctos saltem esse, et paenulatos? [*Tac. A.* 15, 25. quia Paeti piguerat.] ℙ Cum accus. communi, vel nominativo. *Ter. Heaut. prol.* 18. Factum esse id non negat, neque se id pigere. *Id. Phorm.* 3, 3, 31. Ne quid plus minusve faxit, quod nos post pigeat. ℙ Pro poenitere. *Just.* 12, 6. Postquam in irae locum successit aestimatio, pigere eum facti coepit. *Appul. Met.* 7. Profecto vos hujus omnis injuriae pigeret. ℙ *Paul.* ex *Fest.* Pigere interdum pro tardari, interdum pro poenitere poni solet. ℙ Pro pudere. *Appul. Apol.* Hic etiam pro sua gravitate vitio mihi vortebat, quod me nec sordidiora dicere honeste pigeret. ℙ Part. *Pigens*

ap. *Appul. Met.* 4. Pigens tristisque retro domum pergit. Alii tamen leg. *piger*. *Pigendus* ap. *Prop.* 4, 1, 76. aversus Apollo Poscitur invita verba pigenda lyra. ℙ *Pigeo*. V. in PUDET. ℙ [*Confund. *piget* et *pudet*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 209.]

PIGMENTĀRIUS, ii, m. qui pigmenta vendit, item medicamenta, aromata, unguenta. *Gloss. Philox.* Pigmentarius, *χρωματοπώλης, φαρμακοπώλης, μυροπώλης*. Vox est adjectiva. *Cic. Fam.* 15, 17. Attius pigmentarius valde gaudebat, etc. *Mart. Dig.* 48, 8, 3. Ut pigmentarii, si cui temere cicutam, salamandram, aconitum dederint, poena teneantur hujus legis. *Inscr.* ap. *Grut.* 1033, 1. C. Attius Stephanus pigmentarius de sacra via. *Pelag. Veter.* 13. Prodesse etiam ferunt, si *(equi)* deambulent inter pigmentarios; quia odores diversi latenter pulmonibus prosunt. *Scrib. Comp.* 22. Collyrium ex lacte ipso papaveris capitum fit, non ex succo foliorum ejus, ut pigmentarii institores ejus rei compendii causa faciunt. *Firm. Math.* 8, 27. *med.* Turarios faciet, vel pigmentarios, seu pharmacopolas. *Fulg. Exposit. sermon. antiq. n.* 43. Myropolae sunt, qui unguenta vendunt, ut sunt pigmentarii.

PIGMENTĀTUS, a, um, part. ab inus. *pigmento*, *πεφαρμακωμένος*, pigmentis ornatus. *Tert. Cult. fem. f.* Taliter pigmentatae Deum habebitis amatorem. *Prud. Hamart* 316. Quas (*illecebras*) pigmentato meretrix jacit improba crine.

PIGMENTUM, i, n. *χρώματα*, colores pictorum: a sup. *pictum* verbi *pingo*, *c* in *g* converso. Adhibetur fere in plur. numero. *Pl. Epid.* 5, 1, 20. Quem Apelles, Zeuxisque duo pingent pigmentis ulmeis, *h. e.* virgis ulmeis utentur ad corpus meum sanguine pingendum. *Cic. Div.* 1, 13. Aspersa temere pigmenta in tabula, oris lineamenta efficere possunt. *Plin.* 35, 11, 42. Vela in cortinam pigmenti ferventis mersa, post momentum extrahuntur picta. ℙ Speciatim sumitur pro unguento, quo mulieres utuntur ad venustandam faciem, qualis est cerussa, aliique id genus fuci, quibus cuti candorem et ruborem inducunt, *φῦκος*. *Plin.* 16, 43, 84. Nuper portentosis ingeniis principatu Neronis inventum, ut pigmentis (*testudo*) perderet se. ℙ Quandoque accipitur pro succo herbarum, unde pigmenta fiunt, et pharmaca. *Firm. Math.* 8, 17. Marsi erunt, vel qui venenis ex herbarum pigmentis confectis salutaria soleant hominibus remedia comparare. Adde *Coel. Aurel. Acut.* 2, 9. *med.* ℙ Translate dicitur de coloribus rhetoricis, idest de exornationibus. *Cic. Att.* 2, 1. Meus autem liber totum Isocratis *μυροθήκιον*, atque omnes ejus discipulorum arculas, et nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit. *Id. Brut.* 87. Volvendi sunt libri Catonis: intelliges nihil illius lineamentis, nisi eorum pigmentorum, quae inventa nondum erant, florem et colorem defuisse. ℙ Item de ornamentis inanibus, de mendaciis, de fraudibus. Nam ejus qui pingitur, non est naturalis color, sed artificialis. *Cic. Or.* 2, 45. Tam integrae sententiae, tam verae, tam novae, tam sine pigmentis fucoque puerili.

PIGNĔRĀTĪCĬUS et Pignoraticius, a, um, adj. ad pignus pertinens. *Pomp. Dig.* 13, 7, 6. Pigneraticius fundus, *h. e.* qui pignori datur. *Ulp. ib. leg.* 1, 9, 11. etc. Pigneraticia actio: et absolute pigneraticia, *h. e.* quae de pignore instituitur: et datur debitori ad repetendum pignus, debito soluto. *Mart. ib. leg.* 1, 32. etc. Contraria pigneraticia actio, *h. e.* quae datur creditori rem sibi oppigneratam repetenti adversus debitorem. *Id. ib.* 39, 2, 15. *med.* Pigneraticius creditor, *h. e.* qui sub pignoribus credidit. *Id. ib.* 13, 7, 24. et 36. Pigneraticium judicium, *h. e.* quod de pignore instituitur.

PIGNĔRĀTĬO et Pignoratio, onis, f. actus pignerandi, pignus. *Cajus Dig.* 20, 1, 9. Quod emptionem venditionemque recipit, etiam pignerationem potest recipere.

PIGNĔRĀTOR et Pignorator, oris, m. *ἐνεχυραστής*, qui pignus accipit. *Cic. Verr.* 2, 3, 11. Cum in his quidem rebus omnibus publicanus petitor, ac pignerator, non ereptor, neque possessor soleat esse.

PIGNĔRĀTUS, a, um, part. a *pigneror*, significatione activa, qui pignus cepit. Translate. *Suet. Claud.* 10. *extr.* Primus Caesarum fidem militum etiam praemio pigneratus. ℙ Saepius est passivum a *pignero:* pignori obligatus. *Ulp. Dig.* 40, 5, 24. *med.* Si quis servo pignerato directam libertatem dederit; et *ib.* 46. Ancillam suam pigneratam manumittere. ℙ Translate. *Liv.* 24, 1. Velut obsidibus datis, pigneratos habere animos.

PIGNĔRO, as, a. 1. *ὑποτίθεμαι*, est rem pignori dare: ab antiquo *pignera* pro *pignora*. *Suet. Vit.* 7. Utque ex aure matris detractum unionem pigneraverit ad itineris impensas. *Modest. Dig.* 41, 5, 5. Si rem, quam tibi pigneravi, subripuero. *Liv.* 29, 36. *extr.* Cum absentes damnati essent, corporibus subtractis, bona tantum, quae publicari poterant, pigneranda poenae praebebant, [*i. e. relinquebant, ut iis publicandis poena sumeretur.] *Juven.* 7, 73. Cujus et alveolos, et laenam pignerat Atreus, *h. e.* Rubrenus poeta (de quo sermo est) dum tragoediam de Atreo scribit, cogitur ob paupertatem alveolos et laenam pignori dare. Itaque perperam quidam hoc loco *pignerare* accipiunt pro pignus capere. ℙ Item pignore obligo, devincio. *Appul. Met.* 3. Tuumque mancipium irremunerabili beneficio tibi perpetuo pignera. *Nazar. Pan. ad Constant.* 35. Cum ex omnibus provinciis optimates viros curiae tuae pigneraveris. ℙ Hoc sensu dixere etiam *pigneror* deponentis forma, ut *Gell.* 18, 12. *extr.* et *Prisc.* 8, 799. adnortarunt. V. v. sq.

PIGNĔROR, aris, atus sum, dep. 1. pignus capio, obnoxium mihi reddo. Translate. *Cic. Phil.* 14, 12. Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet, *h. e.* sibi asserere, vindicare, veluti in pignus accipere: itaque sensus est, fortissimum quemque primum in proelio occumbere solere. *Id. fragm.* ap. *Non.* 7, 84. Sed ut plurimas et maximas nostri animi, ingenii, consilii prima ipsa sibi ad utilitatem pigneraretur, *h. e.* vindicaret. *Ov. Met.* 7, 620. sint ista, precor, felicia mentis Signa tuae, dixi: quod das mihi, pigneror omen, *h. e.* accipio tanquam pignus, et fidem tuae in me voluntatis.

PIGNŌRISCĀPIO, onis, f. quasi captio pignoris. *Cato* ap. *Gell.* 7, 10. Pignoriscapio ob aes militare, quod aes a tribuno aerario miles accipere debebat, vocabulum seorsum fit.

PIGNŌSA, pignora, eo modo, quo Valesii pro Valerii, etc. *Festus.* ubi mallet *Voss.* in *Etym.* legi *pignesa*, quia et *pignera* olim dictum fuit, ut *Prisc.* docet 6, 721.

PIGNUS, ŏris, (aliquando ĕris) n. *ὑποθήκη*, id quod alteri datur, ut sit securus vel de re sua nobis tradita, vel de re, aut opera nostra ei promissa. Quomodo ab *hypotheca* differat, in ea voce dictum est. *Cajus Dig.* 50, 16, 238. a *pugno* dictum putat, quia quae pignori dantur, manu traduntur: alii a *pango* derivant, quia pactione pignus traditur. Utraque notatio nimis longe peti videtur. *Caes. B. C.* 1, 39. A tribunis militum, centurionibusque mutuas pecunias sumpsit; has exercitui distribuit: quo facto, pignore animos centurionum devinxit, et largitione redemit militum voluntates. *Suet. Aug.* 21. Novum genus obsidum feminas exigere tentavit, quod negligere marium pignora sentiebat. *Papin. Dig.* 20, 1, 1. Servum pignori dare; et *mox:* Cum praedium pignori daretur, nominatim, ut fructus quoque pignori essent, convenit; et *ib.* 3. Rem aliquam pignori obligare; et *ib.* 2. Fidejussor, qui pignora, vel hypothecas suscepit, atque ita pecunias solvit. *Paul. ib.* 28. et *Tac. H.* 3, 65. Rem alicujus pignori accipere. *Cajus Dig.* 13, 7, 12. Sub pignoribus mutuas pecunias accipere. *Papin. ib.* 20, 4, 2. Habere aliquid pignori. *Pompon. ib.* 4. Liberare pignus a creditore. *Mart. ib.* 5, 7. Reddere pecuniam, et pignus recuperare. *Ulp. ib.* 43, 3, 2. Pignoribus cavere alicui. *Id. ib.* 13, 7, 27. Aurum pignori apud aliquem ponere: quod saepius probati scriptores *opponere* dicunt. *Pl. Ps.* 1, 1, 84. Potes nunc mutuam drachmam dare mihi unam? *Ps.* vix hercle opinor, si me opponam pignori. V. OPPONO. ℙ Est etiam pignus, quod magistratus capit contumaciae vincendae causa, ut si v. gr. senator per viatorem accitus venire in senatum recusaverit, vel in senatu contra magistratum oblocutus fuerit, etc. [*Gr. *ἐνέχυρα λαμβανειν.*] *Liv.* 3, 38. *f.* Dimissi circa domos apparitores simul ad pignora capienda, sciscitandumque, num consulto detrectarent. Adde 37, 51. *Cic. Or.* 3, 1. *med.* Hic cum Philippo quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille, et graviter exarsit, pignoribusque ablatis Crassum instituit coercere. *Id. Phil.* 1, 5. Senatores pignoribus cogere. ℙ *Pignora caedere, concidere*, est pignora contumaci ablata a magistratu distrahere, sub hasta vendere, consumere. V. CAEDO. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 3, 1. *f.* An tu, cum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris, eamque in conspectu populi R. concideris, meis pignoribus existimas posse terreri? Non tibi illa sunt caedenda, si Crassum vis coercere: haec tibi est excidenda lingua, etc. Hinc *sua pignora caedere*, sibi ipsi damno esse, seipsum laedere: proverbialis locutio. *Tibull.* 4, 13, 17. Quid facio demens? heu heu mea pignora caedo. Sunt qui leg. *cedo:* sunt qui *credo:* sed *caedo* ex *Crassi* verbis satis firmatur. ℙ Est et aliud pignoris genus, quod praetorium dicitur, cum creditor, aut fideicommissarius in possessionem rei a praetore mittitur, ejus servandae causa. *Ulp. Dig.* 13, 7, 26. et *Paul. ib.* 41, 5, 12. etc. ℙ Quod deponitur ab iis, qui simul de re aliqua decertant, ut sit victoris. *Virg. Ecl.* 3, 31. Certare pignore cum aliquo. Sic *Catull.* 44, 4. Quovis Sabinum pignore esse contendunt, *h. e.* parati quamvis pecuniae summam pignori opponere. Adde *Phaedr.* 4, 20. *Gell.* 5, 4. Contra librarius in quodvis pignus vocabat, ni in una uspiam littera delictum esset. (Alii leg. *si in una nuspiam,*) *h. e.* provocabat ad quodvis pignus deponendum. *Pl. Epid.* 5, 2, 34. Da pignus, ni ea sit filia; et *mox:* Ni ergo matris filia est, in meum nummum, in tuum talentum pignus da, *h. e.* ut ego nummum amittam, tu talentum. *Ov. A. Am.* 1, 168. Et quaerit, posito pignore, vincat uter. *Val. Max.* 4, 3. *n.* 3. *extr.* Pignore cum quibusdam posito, an posset, etc.; et *mox:* Ponere pignus cum aliquo de re quapiam. [*Pignus* et *sacramentum Beier.* ad *Cic. Off* 3, 19, 77. p. 329., ubi multa de hac re, ita differre docet, ut prius illud privatum sit, cujus sive promissi tantum sive sequestro positi addictione in sponsionibus victoris indemnitati consulebatur: *sacramentum* publicum, ea lege ap. pontificem depositum, ut victi pecunia sacris impenderetur.] ℙ Jurisconsulti *pignus* dicunt quemvis contractum, in quo pignus detur. Hinc apud eos, contrahere, finire, solvere pignus. *Ulp. Dig.* 13, 7, 1. et *ib.* 20, 6, 3. etc. ℙ Translate pignus dicitur quidquid facit ad continendum in officio, fidem alicujus rei faciendam, aut retinendam, aut obligandam. *Cic. Phil.* 1, 2. Magnum pignus ab eo reipublicae datum, se liberam civitatem esse velle, cum dictatoris nomen sustulit. *Id. Coel.* 32. Habet a M. Coelio respubl. duas accusationes, vel obsides periculi, vel pignora voluntatis. *Plin. ep.* 10, 11. Tantam mihi post consulatum reverentiam praestat, ut publicae necessitudinis pignora privatis cumulet officiis. *Cic. Phil.* 13, 3. *med.* Nec pro his libertatem, sed pro libertate haec projicias, tanquam pignora injuriae, *h. e.* tanquam pignora injuriae subeundae: quia dum vis fortunas, et vitam servare, fis obnoxius certae servituti. *Tac. H.* 3, 72. Sedes Jovis Opt. Max. auspicato a majoribus pignus imperii condita; et *ib.* 4, 61. Pauci centurionum reservantur, pignus societatis; et *ib.* 57. Militum emebantur animi, ut pignus tanti sceleris nece aut vinculis legatorum daretur. *Curt.* 6, 7. *extr.* Dextram ei reconciliatae gratiae pignus obtulit. ℙ Certum argumentum, signum. *Sev. Aetn.* 459. Certaque venturae praemittit pignora flammae. *Ov. Met.* 2, 38. Pignora da genitor, per quae tua vera propago Credar. *Id. A. Am.* 2, 378. Ardet, et in vultu pignora mentis habet. *Phaedr.* 5, 5. Turpemque aperto pignore errorem probans, etc. ℙ *Pignora* sunt filii, et nepotes, quia conjugalis amoris, et fidei vinculum. *Prop.* 4, 11, 69. Nunc tibi commendo communia pignora, natos. *Ov. Met.* 11, 542. subeunt illi fratresque, parensque: Huic cum pignoribus domus. *Id. Her.* 6, 121. prolemque gemellam, Pignora Lucina bina favente dedi. *Id. Met.* 3, 134. Tot natos, natasque, et, pignora cara, nepotes. *Stat. Silv.* 2, 1, 86. adscita pignora. ℙ Item parentes, fratres, uxor, cognati. *Plin. ep.* 1, 12. Habens filiam, uxorem, nepotem, sorores, interque tot pignora veros amicos. *Quint.* 6, 1. *med.* Quare et obsecratio illa judicum, per carissima pignora, utique si et reo sint liberi, conjux, parentes, utilis erit. [**Tac. A.* 12, 2. haudquaquam novercalibus odiis usura in Britannicum et Octaviam, proxima suis pignora; 15, 36. ut in privatis necessitudinibus proxima pignora praevalerent, ita populum Rom. vim plurimam habere; 16, 26. ne in conjugem, in familiam, in cetera pignora ejus saeviret; *G.* 7. et in proximo pignora, unde feminarum ululatus audiri, unde vagitus infantium. *Agr.* 38. aliquando frangi adspectu pignorum suorum, saepius concitari. Cf. quae *Schulting* laud. ad *Quint. Decl.* 1, 2, 370. et 2. p. 7. *ed. Burm. Cort.* ad *Lucan.* 5, 474. *Christ. ib.* 7, 257. *ed. Web.* — Dicitur etiam in universum de omnibus, quae singularem considerationem aut religionem habent, ut patria, senatus, matronae, aliaque talia, quibus animus devincitur. Ita *Cort.* ad *Lucan.* 7, 376. Si quis post pignera tanta Pompejo locus est, cet.] ℙ De surculis insitis, qui sunt quasi filii adoptivi. *Pall. de insit.* 109. Necnon et citrei patiuntur mutua rami Pignora, quae gravido cortice morus alit.

PIGRĔ, adv. *ὀκνηρῶς*, segniter, tarde. *Sen. Ira* 3, 17. Pigre in servitutem transiens. *Colum.* 7, 5. Pigre ac segniter agere. *Lucan.* 5, 434. alto torpore ligatae Pigrius immotis haesere paludibus undae. *Plin.* 10, 34, 52. Pigrius intrante femina ad pullos.

*PIGRĒDO, inis, f. pigritia. *Vulg. Interpr. Proverb.* 19, 15. Pigredo immittit soporem. *B. A.*

PIGRĒO, es, n. 2. piger sum. *Enn.* ap. *Non.* 3, 170. Pro aetate pigret sufferre laborem. *Accius ib.* Omnes gaudent recte facere, mali pigrent. Ubique al. aliter leg.

PIGRESCO, is, n. 3. *χατοχνέω*, fio piger, vel lentus. *Plin.* 18, 18, 47. de Nilo: Mox pigrescit, in Virginem transgresso sole.

*PIGRĪTAS, atis, f. *ἀργία Gloss. Lat. Gr. B. A.*

PIGRĪTĬA, ae, f. et Pigrities, ei, f. *ὀκνία*, tarditas, ignavia, negligentia. *Cic. Tusc.* 4, 8. Pigritiam definiunt, metum consequentis laboris. *Id. Off.* 1, 29. Ut appetitus rationi obediant, eamque neque praecurrant, nec propter pigritiam, aut ignaviam deserant. *Id. Att.* 16, 15. Noli putare, pigritia me facere, quod non mea manu scribam. *Petr. Sat.* 85. Pigritiamve recedendi imposuerat hilaritas longior. *Liv.* 54, 42. *extr.* Nox et fugientes texit, et Romanis pigritiem ad sequendum ignotis locis fecit. *Mart.* 11, 79. Arguimur lentae crimine pigritiae. ℙ *Ingenua pigritia* ap. *eund.* 12, 4. est honestum otium. ℙ Translate. *Sen. Prov.* 3. *med.*

Conchyliis superi atque inferi maris pigritiam stomachi nauseantis erigere, *h. e.* ostreis.

*PIGRĪTOR, aris, dep. 1. i. q. pigror. *Vulg. Interpr. Act.* 9, 38. V. *Goclen. Observat. L. L.* p. 440. *Gloss.* Ὤκνησα, pigritatus sum. *B. A.*

PIGRO, as, n. 1. piger sum, tardo, idem ac pigror. *Non.* 2, 655. exponit retinere. *Accius ib.* Meliu' st pigrasse: nam properasse est nefas. *Id. ib.* Sed cur propter te pigrem haec, aut hujusce dubitem parcere capiti? *Lucr.* 1, 410. Quod nisi pigraris, paulumve recesseris ab re: pro *pigraveris.* Potest etiam esse a *pigror, aris.* V. v. sq.

PIGROR, aris, dep. 1. ὀκνέω, per pigritiam cunctor, moror, tardo, differo. *Cic. Att.* 14, 1. Tu, quaeso, quicquid novi, scribere ne pigrere.

PIGROR, oris, m. pigritia. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 169. Languor et oppressit, pigror, torporque quietem.

*PIGUNTĬAE, arum, opp. Dalmatiae, cum castello. *Plin.* 3, 22. ¶ Πηγούντιον est *Ptolemaeo. B. A.*

PĬGŬUS, a, um, adj. quem piget. Agnoscitur a *Prisc.* 4, 635., sed sine exemplis. **Schol. ib.* Piguus est, qui et piger. *B. A.*

PĪLA, ae, f. ὅλμος, ἴγδη, θυεία, mortarium, vas aereum, lapideum, aut ligneum, in quo aliquid pinsitur, et comminuitur: a πιλόω, stipo, denso. Quomodo a mortario differat, vide in MORTARIUM. *Cato R. R.* 14. Pilam, ubi triticum pinsant, unam. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 2. Zeae granum tunditur in pila lignea, ne lapidis duritia conterat. *Colum.* 12, 51. Aromata in pila quam mundissime contundito. *Ov. Ib.* 573. Aut, ut Anaxarchus, pila minuaris in alta, Ictaque pro solidis frugibus ossa sonent. ¶ Item structura erecta in modum columnae, ad aliquid fulciendum, κίων. Differt a columna, quae uno scapo constat, h. e. lapide oblongo perpetuo: pila vero structilis est pluribus lapidibus, aut lateribus. *Vitr.* 6, 11. Eorum parietes, pilae, columnae ad perpendiculum collocentur. *Id.* 2, 8. *med.* Pilis lapideis, structuris testaceis altitudines exstructae. *Hor. Sat.* 1, 4, 71. Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos, *h. e.* venales non sint mei libelli; nam, ut ait ad hunc locum *Acro*, bibliopolae stationes vel armaria circa pilas, vel columnas habebant. [*V. *Heindf.* ad h. l.] *Catull.* 37, 1. Salax taberna, a pileatis nona fratribus pila, *h. e.* nona a Castoris et Pollucis templo taberna; quae a numero pilarum, quibus a proximis distinguebatur, nomen habet. *Mart.* 7, 61. Nulla catenatis pila est praecincta lagenis. *Nep. Alc.* 4. Ejus devotionis exemplum in pila lapidea incisum. *Sen. Q. N.* 6, 30. Pilas operibus subdere. *Liv.* 40, 51. Locavit pilas pontis in Tiberim: quibus pilis fornices post aliquot annos locaverunt imponendos. *Plin.* 11, 10, 10. Apes ruentes ceras fulciunt, pilarum intergerinis a solo fornicatis. ¶ Quod scribit *Paul.* ex *Festo:* Pila, quae parietem sustentat, ab opponendo dicta est; *Voss.* putat legendum *ab oppilando*, h. e. stipando, firmando. ¶ Item saxea moles, quae praestruitur litori ad frangendam undarum vim, ἐνδόμησις, χηλή. Ejus conficiendae, et in mare jaciendae *Vitr.* 5, 12. rationem docet. *Virg. A.* 9, 711. Qualis in Euboico Bajarum litore quondam Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante Constructam ponto jaciunt. Adde *Sil.* 4, 297. [**Suet. Claud.* 20. ubi *B. Crus.* in *cl. Suet.* comp. Gr. κρηπῖδες.]

PĬLA, ae, f. σφαῖρα, sphaera, globus, quo luditur: videtur esse a πέλω seu πέλομαι, versor. *Cic. Or.* 3, 23. Ut si velim ego talis optime ludere, aut pilae studio tenear. *Hor. Sat.* 1, 5, 49. Namque pila lippis inimicum et ludere crudis. *Prop.* 3, 12, 5. Cum pila veloci fallit per brachia lapsu. *Virg. Cir.* 149. Cum lapsa e manibus fugit pila, cumque relapsa Procurrit virgo. (Hinc disces, Graecis virginibus morem fuisse pila ludere, leviore tamen, et minori, quam viris, artificio, et labore corporis. V. *Ov. A. Am.* 3, 381. et sqq.) *Petr. Sat.* 27. Pilam repetere, quae terram contigit; et *mox:* Pilas inter manus lusu expellente vibrare. *Varr.* ap. *Non.* 2, 281. Videbis Romae in foro ante lanienas pueros pila expulsim ludere. *Mart.* 14, 46. cujus lemma *Pila trigonalis:* Si me mobilibus scis expulsare sinistris, Sum tua; si nescis, rustice, redde pilam. *Auct. Pan. ad Pis.* 173. Nec tibi mobilitas minor est, si forte volantem Aut geminare pilam juvat, aut revocare cadentem, Et non sperato fugientem reddere gestu. *Sen. Ben.* 2, 17. Pilam cadere non est dubium aut mittentis vitio, aut accipientis. Tunc cursum suum servat, ubi inter manus utriusque, apte ab utroque et jactata et excepta, versatur. Necesse est autem, lusor bonus aliter illam collusori longo, aliter brevi mittat; et *mox:* Pila utcumque venerit, manus illam expedita et agilis repercutiet. Si cum tirone negotium est, non tam rigide, nec tam excusse, sed languidius, et in ipsam ejus dirigentes manum, remisse occurremus; et *ib.* 32. In lusu est aliquid, pilam scite et diligenter excipere: sed non dicitur bonus lusor, nisi qui apte et expedite remisit, quam exceperat. *Manil.* 5, 165. Ille pilam celeri fugientem reddere planta, Et pedibus pensare manus, et ludere saltu. V. DATOR. Tres autem modos ludendi pila observant eruditi, datatim, raptim, expulsim. V. ss. ll. *Alphen. Dig.* 9, 2, 52. *f.* Cum pila complures luderent, quidam ex his servulum, cum pilam percipere conaretur, impulit. ¶ Alium pilae ludum puellis aptum V. ap. *Ov. l. c.* in RETICULUM. ¶ Pilam lusoriam, inquit *Plin.* 7, 56, 57., Pythus invenit. Ejus quatuor sunt genera, trigonalis, paganica, follis, et harpastum. V. ss. ll. ¶ *Pila vitrea ludere* primus coepit Ursus Togatus. V. PILICREPUS. ¶ *More claudi retinere pilam*, prov. ap. *Cic. Pis.* 28. V. CLAUDUS. ¶ *Mea pila est*, aliud proverb., res est in mea manu et potestate. *Pl. Truc.* 4, 1, 7. Totus gaudeo: mea pila est. ¶ Enimvero Dii nos quasi pilas homines habent, *Pl. Capt. prol.* 22., h. e. agitant, versant, et fortunae ludenti in rebus humanis objiciunt. Simile est illud *Petr. fragm. Trag.* 44. *Burm.* Singulos velut pilas tractabat. Alii aliter leg. *Aurel. Vict. Epit.* 18. Hoc exitu obiit vir ad humanae conversationis exemplum per laboris genera universa assumptus, provectusque eo, ut Fortunae vocaretur pila. ¶ *Pila* etiam dicitur quidquid rotundum est instar pilae. *Plin.* 12, 10, 21. Pilae lanuginis, ex quibus vestes pretioso linteo faciunt; et 11, 28, 34. Scarabaei e fimo ingentes pilas aversi pedibus volutant. ¶ *Pila vitrea* vel *crystallina*, eaque aqua plena et adversi solis radiis opposita utebantur veteres ad comburendum. *Plin.* 36, 26, 67. Cum addita aqua vitreae pilae sole adverso in tantum excandescunt, ut vestes exurant. *Id.* 37, 2, 10. Invenio medicos, quae sunt urenda corporum, non aliter utilius id fieri putare, quam crystallina pila adversi posita solis radiis. *Lactant. de ira Dei* 10. *med.* idem narrans, *orbem vitreum plenum aqua* vocat, ¶ *Pilam crystallinam* vel *succineam* matronae delicatiores aestivo tempore ad calorem ex ejusdem frigore mitigandum manibus tenere solebant. *Prop.* 2, 18, 60. Et manibus dura frigus habere pila. Huc pertinet illud *Mart.* 11, 8. Succina virginea quod (*fragrant*) regelata manu. ¶ De terra, quae instar pilae rotunda est. *Enn.* ap. *Scal.* ad *Festum* in *Cohum:* pilam vix Sol mediam: complere cohum terroribu' coeli. *Varr.* ap. *Non.* 4, 273. Hinc liquit homines omnes in terrae pila. ¶ *Colum.* 5, 9. *med.* pilam vocat glebam adhaerentem arbusculae radicibus, cum e seminario cum sua terra evellitur, alio transerenda. ¶ De suffragiis. *Ascon. f. argum. Milonianae:* Ut coram accusatore ac reo pilae, in quibus nomina judicum inscripta essent, aequarentur. *Prop.* 4, 11, 19. Aut si quis posita judex sedet Aeacus urna, In mea sortita vindicet ossa pila. ¶ Sunt etiam *pilae* globi ex lana, aut veste farta in modum pilae, et humana capita referentes: de quibus *Festus:* Pilae, et effigies viriles, et muliebres ex lana Compitalibus suspendebantur in compitis, quod esse Deorum inferorum hunc diem festum, quos vocant Lares, putabant: quibus eo die tot pilae, quot capita servorum; tot effigies, quot essent liberi, ponebantur, ut vivis parcerent, et essent his pilis, et simulacris contenti. ¶ Ad harum instar *pilae* dictae sunt stramenticiae effigies, scil. e vestibus stramento fartis, quibus objectis ad spectaculum praebendum tauri irritarentur, ut *Ascon.* loquitur ad illud *fragm. Cic. pro C. Cornel.* Videlicet homines foeneos in medium ad tentandum periculum projectos. *Mart. Spect.* 19. Qui modo per totam flammis stimulatus arenam Sustulerat raptas taurus in astra pilas; et *ib.* 9. de rhinocerote: Quantus erat cornu, cui pila taurus erat! *Id.* 2, 43. de toga trita et lacera: quae passa est furias et cornua tauri: Noluerit dici quam pila prima suam. Hinc *Id.* 10, 86. Sed qui primus erat lusor, dum floruit aetas: Nunc, postquam desit ludere, prima pila est. ¶ Denique *pila* est sphaera, in illo *Prop.* 4, 1, 76. Nescius aerata signa movere pila, *h. e.* astrologus nescius versare signa coelestia in sphaera ex aere. ¶ *Pilai* in genit. more suo dixit *Lucr.* 5, 711.

PĪLĀNUS, i, m. idem qui triarius, ut *Varr. L. L.* 4, 16. docet: a *pilum*, telum sive hastile Romanorum proprium. *Ov. Fast.* 3, 127. Inde pares centum denos secrevit in orbes Romulus, hastatos instituitque decem. Et totidem princeps, totidem pilanus habebat Corpora. *Paul.* ex *Fest.* Pilani, pilis pugnantes. V. TRIARIUS.

PĬLĀRIS, e, adj. ad pilam lusoriam pertinens. *Stat. praef. Silv.* 4. Sed et sphaeromachias spectamus, et pilaris lusio admittitur.

[PĪLĀRĬUM, ii, n. loculus ad mortuorum cineres in pila figulini operis adservandas; ut ollarium, ubi ollae erant. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 13. *n.* LII. Fabia Agathangelis fecit libertis, libertabusque suis ollaria, et pilaria. *F.*]

PĬLĀRĬUS, ii, m. praestigiator, qui levi agitatione parvas pilas videtur emittere, aut in vas injicere, cum secus faciat, vel qui plures pilas in altum, et circa se jacit, easque manibus vel ore excipit, iterumque continua circuitione jacit excipitque. *Not. Tir.* p. 173. Hierosalpinctes, pilarius. *Quint.* 10, 7. *med.* Quo constant miracula illa in scenis pilariorum, ac ventilatorum, ut ea, quae emiserint, ultro venire in manus credas, et qua jubentur, decurrere. Hinc *Manil.* 5, 168. Ille potens turbam perfundere membra pilarum, Per totumque vagas corpus disponere palmas, Ut teneat tantos orbes, sibique ipse reludat, Et velut edoctos jubeat volitare per ipsum. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 250. *n.* 2. P. Aelio Aug. Lib. Secundo pilario omnium eminentissimo, etc. V. PILILUDIUS et PRAESTIGIATOR. [*Multa ex suis adjecit *F.*]

[PILASTILUS, i, m. *Inscr.* ap. *Mur.* 538. et *Bertol. Antich. di Aquileja* p. 161. *n.* 154. Ti. Claudius Epaphroditianus Vet. Leg. VII. Cl. P. F. pilastilus dolabrar. Col. Fab. *Muratorius l. c.* interpretatus est, qui pilas in hasta gerebat, sed *Bertol. l. c.* rectius putat interpretandum, qui dolabram gerebat; nam imago hujus Claudii in eodem marmore sculpta non vexillum laeva tenet, sed dolabram. Quare pilastilus nobis videtur faber, qui pilum seu cuspidem dolabris sistit, *che rimette la punta ai picconi*, cujus opera dolabrariis quotidie necessaria profecto fuit; vel, si a Graeca lingua deducenda vox est, nempe a πιλόω, constipo, coarcto, et στειλεόν, manubrium securis, est qui dolabras manubrio instruit. Ceterum, si vera vocis scriptio est *pilastylus*, ut habent *Ephemer. Venet. Litterat.*, teste eodem *Muratorio*, aliud quaerendum vocis etymon, nempe ab eod. πιλόω, et ἄστυλος, columnis carens; sed quaenam sit ejusdem interpretatio, aliis inquirendum relinquimus. ¶ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ex *Vet. Cod.*, quam mecum per litteras communicavit *Hieron. Asquinius:* Pro salute P. Terentii Pilastyli, et Caereliae cojugi V. S. L. M. *F.*]

PILATES, genus lapidis, cujus meminit Cato Originum libro quinto: Lapis candidior, quam pilates. *Fest.*

PĪLĀTIM, adv. per pilas, seu columnas structiles. *Vitruv.* 6, 11. Item quae pilatim aguntur aedificia, et cuneorum divisionibus, coagmentis ad centrum respondentibus, fornices concluduntur. ¶ Est etiam militare verbum, pertinens ad ordinem aciei densae, et in longum directae, pilaeque figuram referentis. *Asellio* ap. *Serv.* ad *A.* 12, 121. Triariorum quartum signum antecedebat, sive pilatim, sive passim iter facere volebat; et *Scaur. ib.* In agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi, *h. e.* strictim et dense, inquit *Serv.* V. PILATUS.

PĪLĀTRIX, icis, f. quae pilat, *h. e.* spoliat. *Titin.* ap. *Non.* 2, 259. Quam ego hodie hac domo pilatricem pallii pulcre evallavero.

PĪLĀTUS, a, um, part. a *pīlo*, pilo armatus. *Virg. A.* 12, 121. Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis Agmina se fundunt portis. *Mart.* 10, 48. Et pilata redit jamque, subitque cohors, *h. e.* cohors militum praetorianorum, quae in palatio excubias agebat. ¶ Locum *Virg.* alii aliter explicant: nam *pilata agmina* intelligunt densa, spissa: a πιλόω, cogo, coarcto, stipo. *Varr.* apud *Serv.* ad h. l.: Quadratum agmen, quod immixtis etiam jumentis incedit, ut ubivis possit considere: pilatum, quod sine jumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca transmittatur. *Enn. ib.* Inde loci liquidas pilatasque aetheris oras Contemplo. Alii *pilata agmina* volunt esse in longitudinem directa, *in Colonne:* a pila structili: vel fixa et stabilia, instar pilae structilis, quae fixa manet. Translate *Hostius ib.* Sententia praesto pectore pilata, *h. e.* fixa. [*Heyn.* tamen ad *Virg. l. c.* doctam quidem esse *Servii* notam, sed minus recte locum esse interpretatum putat; ideoque *pilata* est pilo armata. *F.*] ¶ Similiter aliter leg. alii locum *Mart.* Atque pilata redit etc., *h. e.* calva et depilata: a *pilis*, seu capillis: unde *pilare*, capillis spoliatus. Putant autem sermonem esse de sacerdotibus Isidis, quos calvos fuisse, *id.* 12, 29. significat. ¶ *Pilatus*, spoliatus. *Ammian.* 14, 2. Cognitis pilatorum caesorumque funeribus, nemo deinde ad has stationes appulit navem. ¶ [*Pilatus* fuit etiam cogn. R., ut Pontius Pilatus praeses seu procurator Caesaris in Judaea, cujus jussu JESUS CHRISTUS cruci affixus est. Ejus meminit *Tac. A.* 15, 44. et *Joseph Flav.* in *Antiq. Jud.* 18, 2, 3. et *Sedul.* 4, 5, 116. Mox igitur Dominum Pilati ad moenia duci Nexibus adstrictum Judas ut vidit iniquus etc. Primam syllabam male corripuit *Lactant. carm. de pass. Chr.* 35. Fige animo et testes, et caeci infanda Pilati Judicia.

PĬLĀTUS, a, um, part. a *pĭlo.* V. in v. praec.

PĬLĔĀTUS, a, um, part. a *pileo:* πιλοφόρος, pileo tectus. *Liv.* 24, 16. *f.* Pileati, aut lana alba velatis capitibus volones epulati sunt. *Id.* 45, 44. *f.* Regem pileatum capite raso, obvium ire legatis solitum libertumque se populi R. ferre, et ideo insignia ordinis ejus gerere. [*Adde 33, 23. magis in se convertit oculos Cremonensium — colonorum turba pileatorum, currum sequentium, i. e. tanquam libertorum imperatoris.] *Sen. ep.* 18. Nec per omnia nos similes esse pileatae turbae voluisses, *h. e.* populo R., qui Saturnalibus pileos sumebat. Hinc *Mart.* 11, 6. Versu ludere non laborioso Permittis, puto, pileata Roma. *Suet. Ner.* 57. Tantum gaudium (*mors ejus*) publice praebuit, ut plebs pileata tota urbe discurreret, *h. e.* quasi

e servitute in libertatem emersisset: vel quasi Saturnalicios dies ageret. *Aurel. Vict. Caes.* 13. Vires Romanis trans Istrum propagavit, domitis in provinciam Dacorum pileatis, *h. e.* quibus mos, et patrium gestare pileos. Eadem ratione *Mart.* 10, 72. Ad Parthos procul ite pileatos. Hinc *Paul. Nol. carm.* 17, 242. Et Getae currunt, et uterque Dacus, Qui colit terrae medio, vel ille Divitis multo bove pileatus Accola ripae. Alii perperam leg. *pelleatus.* ℙ *Pileati fratres* ap. *Catull.* 37, 2. sunt Castor et Pollux, quorum proprium gestamen pileus. V. PILEUM et OBBATUS. ℙ *Pileati servi,* qui pileo imposito vendebantur: de quibus *Gell.* 7, 4. Pileatos servos venum solitos ire, quorum nomine venditor nihil praestaret, Coelius Sabinus jurisperitus scriptum reliquit. Cujus rei causam esse ait, quod hujusmodi conditionis mancipia insignia esse in vendundo deberent, ut emptores errare et capi non possent. V. ibi reliqua.

PĪLENTUM, i, n. *μετέωρον ὄχημα,* vehiculi genus, quo matronae ferebantur, ita libratum duabus rotis, ut considentes in pulvinis, in aere suspensae agitari viderentur. Differebat a petorito, quod quatuor rotis constabat: pilentum fuit inventum Hispanorum, petoritum Gallorum. Alii tamen dicunt, pilentum a Tuscis esse. *Fest.:* Pilentis et carpentis per urbem vehi matronis concessum est, quod, cum aurum non reperiretur, ex voto, quod Camillus voverat Apollini Delphico, contulerunt. De hac eadem collatione ita *Liv.* 5, 25. Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur. *Virg. A.* 8, 665. castae ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus. *Hor. Ep.* 2, 1, 192. Esseda festinant, pilenta, petorita, naves. ℙ Ex loco *Livii* allato discimus, pilenti usum matronis concessum sacrorum tantum, et ludorum causa. Ex iis vero, quae habet *Macrob. Sat.* 1, 6. ex *Verr. Fl.*, sacra solummodo, et instrumenta atque arcana sacrorum pilentis gestari solita in arca super his composita, antequam vectandis matronis destinarentur: eosque pellibus aut lana coactili (quae *πῖλος* Graece dicitur, unde his nomen) contegi consuevisse, ne vulgo conspicerentur.

[PĪLĔO, as, avi, atum, a. 1. pileum alicui servo impono in signum libertatis. *Ulp. Collat. Leg. Mosaic. tit.* 11. *leg.* 7. Qui in ludum damnantur, non utique consumuntur, sed etiam pileari, et rudem accipere possunt post intervallum; siquidem post quinquennium pileari, post triennium autem rudem induere eis permittitur. V. PILEUM. *F.*]

PĪLĔOLUS, i, m. et Pileolum, i, n. *πιλίδιον,* parvus pileus. *Hor. Ep.* 1, 13, 15. Ut cum pileolo *(portes)* soleas conviva tribulis. *Colum. Arbor.* 25. *f.* Antequam frigus cacumina adurat, omnia folia decerpere expediet, et ita crassis arundinibus, quae ab una parte nodos integros habent, quasi pileolos induere. *Hieron. ep.* 85. *n.* 6. Pileolum textura breve, caritate latissimum, senili capiti confovendo, libenter accepi, [et munere, et muneris auctore laetatus. *Id. ep.* 61. *n.* 13. Rotundum pileolum, quale pictum in Ulyxi conspicimus, quasi sphaera media sit divisa, et pars una ponatur in capite: hoc Graeci et nostri *τιάραν,* nonnulli galerum vocant: non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit; sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit. Hoc pileo tam sacerdotes, quam pontifices utuntur. Ex his patet, pileolum esse, quod Galli nunc *calotte,* Itali *berrettino* vocant. *F.*]

PĪLĔUM, i, n. et Pileus, i, m. *πῖλος, πίλιον,* tegmen et indumentum virile capitis, ut calvatica et mitra muliebre, ut *Serv.* ad *A.* 9, 616. docet. Ejus figura fere similis erat dimidio ovi putamini, ut sunt qui hodieque a nobis gestantur in cubiculo et in lecto. Ideo Castori et Polluci tribuuntur, ut in PILEATUS dictum est, quia ex ovo nati finguntur. *Fest.* aliam causam affert: Pilea, inquit, Castori et Polluci dederunt antiqui, quia Lacones fuerunt, quibus pileatis pugnare mos est. *Pl. fr.* ap. *Non.* 3, 178. Pileum, quem habuit, deripuit. ℙ Ap. Romanos pileus erat libertatis insigne, gestabaturque a novis libertis, qui, cum in servitute promissum capillum, et nudum caput gererent, manumissi capillum statim radebant, pileumque induebant: idque in templo Feroniae, quae libertorum Dea, ut *Serv.* ad *A.* 8, 564. docet. Causam affert *Non.* 12, 38., quam V. in RADO. *Pl. Amph.* 1, 1, 305. Quod ille faciat Juppiter, Ut ego hic hodie raso capite calvus capiam pileum. *Pers.* 5, 82. Haec mera libertas: hanc nobis pilea donant. *Serv. l. c.* tradit, Tarracinae templum Feroniae fuisse, et in eo sedile lapideum, in quo hic versus incisus erat: Benemeriti servi sedeant, surgent liberi. ℙ Hinc *servos ad pileum vocare* est vocare ad libertatem, excitare ad arma cum promissione libertatis: quod fere seditiosum fuit. V. *Liv.* 24, 32. *f.*, *Suet. Tib.* 4., *Sen. ep.* 47. *f.* tt *Val. Max.* 8, 6. *n.* 2. ℙ Ap. *Mart.* 2, 68. Toteis pilea sarcinis redemi, *h. e.* libertatem, vendita omni mea supellectili, recuperavi, effecique, ut sine aliena sportula vivere possem, quae me obnoxium, et quasi servum aliorum fecerat. ℙ Etiam ingenui, qui aliquando in captivitatem incidissent, libertate recuperata pileum tantisper sumebant. Exemplum habes in Q. Terentio Culeone ap. *Liv.* 30, 45., *Quint. decl.* 9, 20. et *Val. Max.* 5, 2. *n.* 5. et 6. V. et *Liv.* 34, 52. *f.* ℙ [Etiam gladiatores, si pluries vicissent, post quinquennium manumissi pileum accipere poterant. *Tert. Spect.* 21. *f.* Qui insigniori cuique homicidae leonem poscit, idem gladiatori atroci petat rudem, et pileum praemium conferat. V. PILEO. *F.*] Praeterea Romani passim Saturnalibus pilea gestare solebant, quo tempore maxima voluptatum, risus, et joci tota urbe libertas erat, et servi ipsi temporaria quadam libertate fruebantur. V. PILEATUS, et *Mart.* 14, 1. ℙ De tribus pileorum generibus V. in GALERUS. ℙ Quod *Appul. Apol.* Mercurio pileum tribuit, videtur cum petaso confundere. ℙ Pileorum materia fere fuit lana coacta: id enim indicat Graeca vox *πῖλος,* unde *πιλόω,* cogo, denso. Pauperiores etiam ex segmentis tritae lacernae pilea sibi consuebant. *Stat. Silv.* 4, 9, 23. usque adeone defuerunt Caesis pilea suta de lacernis? *Mart.* 14, 132. cui titulus, *Pileus.* Si possem, totas cuperem misisse lacernas: Nunc tantum capiti munera mitto tuo. V. *Lips. de Amph. c.* 19. et 20. ℙ [Etiam ex pelle fiebat pileum, eoque utebantur milites extra proelium. *Veg. Mil.* 1, 20. Usque ad praesentem prope aetatem consuetudo permansit, ut omnes milites pileis, quos pannonicos vocabant, ex pellibus uterentur, quod propterea servabatur, ne gravis galea videretur in proelio homini, qui gestabat aliquid semper in capite. *F.*] ℙ *Pileum meum* appellatio hominis amici, et nos nostraque tuentis et foventis. *Pl. fr.* ap. *Non.* 3, 178. Te obsecro, Lyde, pileum meum, mi sodalis, mea salubritas. Alii melius leg. *Obsecro te, pileum vide meum* etc. ℙ Hoc nomine appellatur etiam membrana, seu pellicula, qua fetus contecti nascuntur. *Lampr. Diadum.* 4. Solent pueri pileo insigniri naturali, quod obstetrices rapiunt, et advocatis credulis vendunt: siquidem causidici hoc juvari dicuntur: at iste puer pileum non habuit, sed diadema tenue etc. [Hoc Itali *nascere vestito* dicunt. *F.*]

*PĪLĬA, ae, f. uxor T. Pomponii Attici. *Cic. Att.* 4, 6, 2. *extr.* 3. *extr.* 4. *extr.* et 5. *extr.* Adde 12, 26. *extr.* sqq. *B. A.*

PĪLICRĔPUS, i, m. qui pila ludit, eamque mittendo et remittendo, et solo impingendo, crepat, et sonitum edit. [*Gloss. Isid.* Pilicrepus, qui pila ludit. V. v. sq. *F.*] *Sen. ep.* 56. Si vero pilicrepus supervenerit, et numerare coeperit pilas, actum est. *Inscr.* ap. *Grut.* 637, 1. Ursus Togatus, vitrea qui primus pila Lusi decenter cum meis lusoribus, Laudante populo maximis clamoribus, Thermis Trajani, thermis Agrippae, et Titi, Multum et Neronis, si tamen mihi creditis, Ego sum. Ovantes convenite pilicrepi, etc. [Hujus Inscr. interpretationem attulit *Marcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 454. *ed. Patav. F.*] [*V. *Orell.* ad h. l. 1. p. 454.] *Lips.* ad *l. Sen. c.* vult intelligi eos, qui lusoria pila se exercebant in balneis, super tabulatis valde ex ictu pilae crepantibus. Unde *Stat. Silv.* 1, 5. quae est de balneo Etrusci, 57. Quid nunc strata solo referam tabulata, crepantes Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat Aedibus, et tenuem volvunt hypocausta vaporem? Aliter alii hanc vocem explicant. *Turneb., Hieron. Mercurial., Coel. Rhodigin.,* item *Hadrian. Jun.* qui *pilicrepum* intelligit pilos evellentem e corpore: sed hoc in allata Inscriptione locum non habet. [*Inscr.* inscripta in externo pariete balnei Pompejis reperta, edita vero a *Car. Rosino Dissert. isagog.* p. 66. A. Vettium Firmum aedilem orat, ut faveat; dignum rei publicae orat, ut faveat: pilicrepi facite, *h. e.* qui pila hic luditis' magno pilarum crepitu plaudite. *F.*]

[PĪLĬLŪDĬUS, ii, m. idem ac pilarius, qui duabus, vel pluribus pilis utraque manu alternatim jactatis ita ludit, ut a tergo eas capiat, quas ab antica parte projecerit, et quas manu recipiat ab antica; quod apprime convenit *Manilii l. c.* in PILARIUS. *Gloss. Isid.* Pilicrepus, qui pila ludit: pililudius, qui pilotello ludit. *Pilotello* videtur vox corrupta ex *pila alterna,* vel *pila a tergo. F.*]

[PĪLĬTUS, a, um, adj. idem ac pilosus. Est cogn. R., ut L. Otacilius Pilitus rhetor, cujus meminit *Suet. Rhet.* 3. *F.*]

*PĪLĬUS, i, m. necessarius Attici. *Cic. Att.* 13, 31. Adde *Fam.* 8, 8. *B. A.*

PĪLO, as, avi, atum, a. 1. *ουλάω,* furor, expilo, suppilo. *Festus:* Pilare, et compilare sunt qui Graecae originis putant. Graeci enim fures *φιλητὰς,* et Aeolice *πιλητὰς,* immo *φηλητὰς* vocant. V. PHELETA. Alii ducunt a *πιλοῦν,* aut *πιλεῖν,* stipare, densare: quia fures stipant ea quae furantur. *Ammian.* 31, 2. Nec castra inimica pilantes; et *ib.* 5. Jam turmae praedatoriae concursabant, pilando villas, et incendendo. Tribuitur etiam *Petron. fragm. Trag.* 43. et 44. *Burm.* ℙ Item figere, premere: ab allato *πιλοῦν. Hostius* ap. *Serv.* ad *A.* 12, 121. Percutit, atque hastam pilans prae pondere frangit.

PĪLO, as, avi, atum, n. 1. *τριχόω,* pilos accipio, vel emitto: a *pilus. Fest.* Pilat, pilos habere incipit; alias pro detrahit pilos, a quo depilati. *Non.* 1, 184. Pilare dictum est, ut plumare plumis vestiri. *Afranius* in *Compitalibus.* Praeterea corpus meum nunc pilare primum coepit. *Nov. ib.* Pati dum poterunt, antequam pugae pilant. ℙ Est etiam activum, pro pilos evellere, seu detrahere. *Mart.* 6, 56. Teque pilare tuas testificare nates; et 12, 32. Summoenianae qua pilantur uxores.

PĪLOSUS, a, um, adj. *τριχώδης,* pilis plenus. *Cic. Pis.* 1. Non enim nos color iste servilis, non pilosae genae, non dentes putridi deceperunt. [*V. *Doederl.* 3, 22.] *Varr. R. R.* 2, 2. Ovis ventrem habeat pilosum. *Plin.* 20, 16, 64. E contrario quae mollis vocatur, pilosioribus foliis, ac ramis aculeatis. *Mart.* 12, 59. Te vicinia tota, te pilosus Hircoso petit osculo colonus. *Auct. Priap.* 47. Ursis asperior, pilosiorque.

PĪLŬLA, ae, f. *σφαιρίδιον,* parva pila, globulus, sphaericum quiddam, et rotundum. *Plin.* 16, 7, 10. Nascuntur in eo pilulae nucibus non absimiles. *Pelag. Vet.* 14. Pilulae cupressi. ℙ Speciatim usurpatur de pharmacis, quae hac forma sumimus, quaeque Graecis dicuntur *καταπότια* a *καταπίνω,* deglutio. Non enim comminuendae dentibus, aut gustandae sunt pilulae, sed integrae devorandae. *Plin.* 28, 9, 37. Vetus axungia phthisin in pilulis sumpta sanat. V. CATAPOTIUM.

PĪLUM, i, n. *ὕπερον,* pistillum, instrumentum, quo quippiam mortario teritur: a *πιλόω,* denso, constipo. *Cato R. R.* 10. Pilas duas, pilum fabarium unum, farrearium unum; et 18. *f.* de pavim ent.: De glarea, et calce arenato primum corium facito: id pilis subigito. *Plin.* 18, 10, 23. Pinsente pilo praeferrato. ℙ Pilum Graecum est, teste *Turnebo Advers.* 6, 18. et 17, 8., quod in pinsendo tritico una deprimitur parte, altera attollitur. *Plaut. fragm.* ap. *Fest.* in *Reciprocare:* Quasi tollenonem, aut pilum Graecum reciproces plana via. ℙ Pilum item, *πῖλος,* fuit telum missile Romanum, cujus hastile, teste *Veg. Mil.* 2, 15., erat quinque pedum, et semis, et ferrum trigonali figura novem unciarum. Generaliter tamen *pila,* ut ait *Serv.* ad *A.* 7, 664., tela Romana sunt, sicut gaesa Gallorum, et sarissae Macedonum. *Cic. Phil.* 2, 2. Cervicibus caput abscidit, idque fixum gestari jussit in pilo. *Lucan.* 1, 7. pares aquilas, et pila minantia pilis. *Liv.* 9, 19. Macedonibus arma, clypeus, sarissaeque: Romano scutum, majus corpori tegumentum, et pilum, haud paulo, quam hasta, vehementius ictu missuque telum. [*Polybii aetate (hic enim descripsit 6, 21.) hastile ligneum trium cubitorum fuit, ferro ejusdem longitudinis ita praefixum, ut ferrum in medio hastili inciperet. *Mor.* in ind. *Caes.* s. v. Cf. *Herz.* ad *Caes. B. G.* 1, 25. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 1, 13.] ℙ *Pilum alicui injicere* ap. *Pl. Most.* 3, 1, 43. est impedimentum afferre, et quasi injecto pilo morari. ℙ Ex hoc pilo fecere *primum pilum,* quo nomine significatur prima centuria pilanorum, seu triariorum. *Caes. B. G.* 5, 35. Superiore anno primum pilum duxerat. *Id. B. C.* 1, 46. T. Caecilius primi pili centurio. ℙ Quidam lexicographi neutrius generis fecere, ita nimirum postulante analogia: sed nullo exemplo genus confirmant. Certe masculini generis est ap. *Suet. Cal.* 44. Plerisque centurionum maturis jam primos pilos ademit. ℙ Poetae carminis causa *pilum* simpliciter dicunt pro *primum pilum. Mart.* 1, 32. Grata Pudens meriti tulerit cum praemia pili. Adde 6, 58. V. PRIMIPILUS. ℙ Sunt qui putant, pilum significare etiam pilam seu columnam structilem, ex illo *Liv.* 1, 26. Spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc Pila Horatia appellatur: et *mox:* Modo inter illa pila, et spolia hostium? et *Prop.* 3, 2, 7. Et cecinit Curios fratres, et Horatia pila. Porro *Dionys. Halic. l.* 3. *Συλλὶς,* inquit, *Ὀβελία καλουμένη πίλα,* h. e. columella appellata Pila Horatia. Sed haec rem non conficiunt. Nam *pila Horatia* commode intelliguntur arma Horatiorum seu Horatii pilati: quod de loco *Propertii* affirmant *Passerat.* et *Brouchus. Dionys.* vero hoc dicit, columellam illam sic vocatam fuisse, quia Horatia arma olim habuit imposita. ℙ **Schol. Antiq.* in *Juven.* 1, 6. p. 572. ed. *Cram.* Ex parte pili antiqui scribere non solebant, ex parte enim carnis tantum scribebant: ex parte vero pilorum imagines depingebant, in honores principum: ubi notandam observationem jubet *Barthius,* veram esse magis persuasus, quod in antiquissima membrana *in tergo, ex parte pili,* signatis litteris exponitur. Atque hinc etiam originem ducere arbitratur, quod veteres superficiem rei *pilum* consueverint dicere. *Gloss. Lat. Gr.* Pilum, *ὑπερῶον. Gloss. Lat. Gr. ὑπερῶον,* imperficium, superficies. V. et *D. A. G. Cramer.* ad l. *B. A.*

PĪLUMNI, Romani. *Festus:* Pilumnoe poploe in carmine Saliari, Romani, velut pilis uti assueti: vel quia praecipue pellant hostes. Alii putant, *Pilumnoe* esse genitivum singularem, *poploe* rectum

plurale, ut significetur populus Pilumni, *h. e.* Romuli, qui Pilumnus dictus est a pilo, ut Mars a pico Picumnus. Sed hoc est minus probabile.

PĪLUMNUS, i, m. filius Jovis, Deus pistorum, itemque infantium, alio nomine Stercutius, frater Picumni, seu Pithumni. V. PICUMNUS, et DEVERRA. ℙ Ad hunc Danae Acrisii filia, quae forte ad Apulum litus acta fuerat, a pastore una cum Perseo parvulo ducta est, quam ipse cognito genere uxorem duxit, ex qua Daunum filium suscepit. V. DANAE, et DAUNUS.

PĪLUS, i, m. θρίξ, excrementum in pelle animalis. Differt a *capillo*, quia *pilus* est in omnibus corporis partibus: *capillus*, qui caput contegit. Sed hoc discrimen nonnunquam confunditur. [*Plura] *Phaedr.* 5, 6. Invenit calvus forte in trivio pectinem: Accessit alter aeque defectus pilis, *h. e.* capillis. *Ov. A. Am.* 3, 194. Neve forent duris aspera crura pilis. *Plin.* 11, 37, 47. In capite cunctorum animalium homini plurimus pilus. *Varr. R. R.* 2, 11. *med.* Ut fructum ovis e lana ad vesticum. *Cic. N. D.* 2, 57. Munitae sunt palpebrae tanquam vallo pilorum. *Hor. Ep.* 2, 1, 45. Utor permisso, caudaeque pilos ut equinae Paulatim vello. ℙ [*Contra pilum*, Italice *a contrappelo*. *Pelag. Veter.* 26. *f.* Pice cum melle, sulphureque, et vini faecibus veterrimis, et stercore ovillo commixtis *(equum)* contra pilum fricato: et *mox:* Contraque pilum jumentum ungis. *F.*] ℙ Translate dicitur de re minima et nullius momenti. *Cic. Q. Fr.* 2, 16. *extr.* Ego ne pilo quidem minus me amabo; et *Att.* 5, 20. *med.* Interea e Cappadocia ne pilum quidem. *Id. Rosc. Com.* 7. Qui capite et superciliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur. *Catull.* 10, 13. non facit pili cohortem. Sic 17, 16. Ludere hanc sinit, ut lubet, nec pili facit uni, *(uni* pro *unius.)* ℙ *Pilus* de ordine aciei, V. in PILUM. ℙ *Pilus* pro *Philus*, V. h. v.

PIMPLĀ, ae, f. fons Macedoniae. V. PIMPLEIS. Aliis est mons ejusdem regionis, Olympo vicinus, et Musis sacer. Item locus in Phocide, apud Parnassum.

PIMPLĒĀ, ae, f. Πιμπλεια, idem ac Pimpla, sive opp. sive mons sit, sive fons. Item Musa. *Stat. Silv.* 1, 4, 25. licet enthea vatis Excludat Pimplea sitim. Adde *ib.* 2, 2, 7. et *Hor. Od.* 1, 26, 8. Sed V. v. sq. ℙ Legitur et *Piplea:* item *Pimplaea*, sed hoc minus recte. V. PIMPLEUS.

PILPLĒIS et Pipleis, idis et idos, f. Πιμπληΐς, Pimpla, sive fons sit, sive mons. *Auson. ep.* 14, 9. Si riguam laetis recolis Pimpleida Musis. ℙ Item Musa. *Festus*: Pimpleides Musae a fonte Macedoniae dictae, propter liquoris ejus unicam subtilitatem. *Varr. L. L.* 6, 2. *f.* Musae ab terrestribus locis cognominatae Libethrides, Pipleides, Pimpliades, Thespiades, Heliconiades. *Mart.* 11, 3. Non urbana mea tantum Pimpleide gaudent Otia. *Hor. Od.* 1, 26, 8. Necte meo Lamiae coronam, Pimplei dulcis. Ita *Heins.* et *Bentl.*, qui eos reprehendunt, qui *Pimplea* legunt, licet plerique omnes sint.

PIMPLĒUS, a, um, adj. Πιμπλειος, ad Pimplam, seu Musas pertinens. *Catull.* 105, 1. Pimpleum scandere montem. *Mart.* 12, 11. Cujus Pimpleo lyra clarior exit ab antro. ℙ Legitur et *Pipleus:* item *Pimplaeus:* sed hoc *Bentl.* improbat, et Graecae litterae non patiuntur.

PIMPLĪAS, ādis, f. Πιμπληάς, et Πιμπληϊάς, eadem quae Pimpleis. *Varr. L. L.* 6, 2. cujus verba V. in PIMPLEIS. Subducta altera vocali diphthongi, secunda syllaba corripitur. *Sid. carm.* 10, 17. Hic et Pimpliades induxerat optimus Orpheus; et *carm.* 22, 77. Ibant Pimpliades pariter, mediumque noveno Circumsistentes umbrabant syrmate currum.

PĪNĀCOTHĒCĂ, ae, et Pinacothece, es, f. πιναχοθήκη, locus in aedibus amplus, pictis tabulis, et veterum imaginibus exornatus: a πίναξ, tabula, et θήκη, repositorium. *Vitr.* 6, 5. Pinacothecae, uti exedrae, amplis magnitudinibus sunt constituendae; et *ib.* 18. Habent eae domus *(Graecorum)* vestibula egregia, porticusque ornatas, et in porticibus, quae ad septentrionem spectant, triclinia Cyzicena, et pinacothecas: ad orientem autem bibliothecas, etc. *Varr. R. R.* 1, 2. Hujus spectatum veniunt, non ut apud Lucullum, ut videant pinacothecas, sed oporothecas; et *ib.* 59. Ut in pinacothece faciant, quod spectaculum datur ab arte. *Plin.* 35, 2, 2. Et inter haec pinacothecas veteribus tabulis consuunt, alienasque effigies colunt; et *ib.* 11, 40. *n.* 43. Celeberrimi pictores, quorum tabulae pinacothecas implent. [*Inscr.* ap. *Fabr.* p. 724. *n.* 443. Flavius Appollonius procurator Augusti, qui fuit a pinacothecis, et M. Ulpius Aug. Lib Capito adjutor ejus, etc. *custode dimostratore delle gallerie*, et *ajutante del custode*, etc. *F.*]

PĪNĂRII, orum, m plur. familia nobilissima in Latio, quae una cum familia Potitiorum sacris Herculis operabatur: a πεινάω, esurio. Cum enim Euander Herculi adhuc viventi, qui ex Hispania, victo Geryone, cum armento boum in Italiam venerat, rem divinam facere vellet, adhibuit ad ministerium dapemque duas familias, ex quibus una ad tempus praesto fuit, altera extis jam adesis venit. Igitur Hercules instituit, ut ii, qui ad tempus praesto fuere, eorumque posteri extis solemnibus vescerentur, qui tarde et negligenter accesere, ii cum omni posteritate extis excluderentur, et interea ministrarent, his verbis: ὑμεῖς δὲ πεινάσετε, *vos vero esurietis.* Hinc primi Potitii appellari coepti sunt, quod extis potiti essent, ceteri Pinarii, quod iis fames extorum indicta fuisset. *Liv.* 1, 7., *Fest.* in *Potitium*, et *Serv.* ad *A.* 8, 269., ubi alia in hanc rem. *Festi* verba sunt *l. c.* Potitium, et Pinarium Hercules, cum ad aram, quae hodieque maxima appellatur, decimam boum, quos a Geryone abductos abigebat Argos in patriam, profanasset, genus sacrificii edocuit. Quae familia, et posteri ejus non defuerunt decumantibus usque ad Appium Claudium censorem, qui quinquaginta millia aeris gravis his dedit, ut servos publicos edocerent ritum sacrificandi: quo facto Potitii, cum essent ex familia numero duodecim, omnes interierunt intra diem trigesimum. Pinarius quod non affuit sacrificiis, postea cautum est, nequis Pinariorum ex eo sacrificio vesceretur. ℙ Adjective. *Aurel. Vict. Orig. gent. R.* 8. Pinaria gens. *Virg. l. c.* primusque Potitius auctor, Et domus Herculei custos Pinaria sacri. *Macr. Sat.* 3, 6. docet, ideo custodem factam, quia cum ara maxima vicino conflagraret incendio, liberatam a Pinariis ferunt. *Pl. Bacch.* 1, 2, 15. Stultior es barbato Potitio, qui tantus natu Deorum nescis nomina, *h. e.* Potitio illo Latino, qui Appio Claudio jus sacrificii vendidit, ut modo ex *Festo* dictum est. ℙ *Pinaria tribus*, ap. Romanos, nomen habuit a sorore Pinarii. *Festus* in *Popillia.* Sed de hac nulla alibi praeterea mentio.

*PĪNĂRUS, i, m. Πίναρος, Ciliciae fluvius. *Plin.* 5, 27. *Curt.* 3, 12. *Avien. Descript. Orb.* 1030. qui priorem syllabam producit, pro brevi habente *Dionys. Perieg.* 868. *B. A.*

PĪNASTELLUS. V. PEUCEDANUM.

PĪNASTER, tri, m. πίτυς ἄγρια, pinus silvestris. *Plin.* 16, 10, 16. Pinaster nihil aliud est, quam pinus silvestris, mira altitudine, et a medio ramosa, sicut pinus in vertice.

PĪNAX, ācis, m. tabula, πίναξ. Graeca vox. *Pinax Cebetis* est libellus Cebetis philosophi Thebani, in quo humanae naturae, et vitae rationem tanquam in tabula descripsit. *Tert. adv. Haer.* 39. Inter cetera stili sui otia Pinacem Cebetis explicuit. ℙ Etiam *Aurelius Opilius* grammaticus libellum scripsit, qui Pinax inscribitur. *Suet. Gr.* 6. *extr.* ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1590, 13. Q. Granius Q. L. Pinax. *F.*]

[PINCENSIS, e, adj. ad Pincum pertinens, Moesiae superioris urbem, quam quidam putant nunc *Gradisca* vocari. Nummus Hadriani Aug. ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 446. Aeliana Pincensia, scil. metalla. *F.*]

PINCERNĂ, ae, m. οἰνοχόος, pocillator, servus a cyatho, a potione, minister vini: a πίνειν κίρνα, ad bibendum misce, vel potius ab ἐπικέρνης, quod ab ἐπικεράννυμι, admisceo. V. *Ducang. Gloss. Graecit.* in V. Πιγκέρνης. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 26. Provocant se invicem; majoribus autem poculis poscunt a pincerna, id est petunt: ut subaudiatur bibere. V. POSCO. *Lampr. Alex. Sev.* 41. Ita ut annonas, non dignitates acciperent fullones, et vestitores, et pictores, et pincernae. [*Inscr.* Christiana ap. *Marin. Iscriz. Alb* p. 188. Antilocho pincernae *qui vixit ann.* XXX. Hic videtur Christianus de domo Caesarum fuisse, ibique pincernae officium exercuisse. V. *Lamium. de erudit. Apostol.* p. 320. *Hieron. Quaest. in Genes.* 40, 1. Quem servum nos possumus more vulgi vocare pincernam. Nec vile putetur officium, cum apud reges barbaros usque hodie maximae dignitatis sit, regi poculum porrexisse. *F.*]

[PINCIĀNUS, a, um, adj. ad Pincium pertinens, unum ex Romae collibus, qui et collis hortorum dicebatur, quique ab Honorio Aug. urbi est inclusus, nunc *il monte Pincio*. *Inscr.* ap. *Donat.* 221, 6. Aqua Pinciana D. N. Valentiniani Aug. *Cassiod. Variar.* 3, 10. Magnitudini tuae praesenti admonitione declaramus, ut marmora, quae de domo Pinciana constat esse deposita, ad Ravennatem urbem per catabolenses vestra ordinatione dirigantur. *F.*]

*PĪNCUM, i, n. opp. Moesiae. *Notit. Imper.* ℙ Dictum fortasse a Pingo flumine (fortasse Pincus verum nomen), cujus meminit *Plin.* 3, 26. *B. A.*

PINDĂRĒUS, a, um, adj. Pindaricus. *Capell.* 2, 29. Et scis Pindaream chelyn referre; *ubi paenultima corripitur. Potest autem et *Pindarēus* dici, Πινδάρειος sc. *B. A.*

PINDĂRĪCUS, a, um, adj. ad Pindarum pertinens. *Hor. Od.* 4, 9, 6. Pindaricae Camenae. *Id. Ep.* 1, 3, 10. Pindarici fontis qui non expalluit haustus. *Ov. Pont.* 4, 4, 28. Pindarica lyra. *Martial.* 8, 18. Pindarici modi. *Prop.* 3, 15, 40. Qualis Pindarico spiritus ore sonat. ℙ *Pindaricum metrum* constat trimetro brachycatalecto, ut est hoc: Medium rapido mare Tibris adit fluvio. *Serv. Centimetr.* p. 1822.

PINDĂRUS, i, m. Πίνδαρος, poeta Thebanus, novem Lyricorum apud Graecos princeps, temporibus Aeschyli poetae, et Persarum expeditionis in Graeciam. Primus a patre tibiam, mox ab Hermione lyram edoctus est. Scripsit lingua Dorica Olympia, Pythia, Nemeaea, Isthmia, quae exstant. Altissimus fertur et verborum et sententiarum copia. Nam, ut ait *Quint.* 10, 1., spiritus magnificentia, sententiis, figuris, beatissima rerum verborumque copia, et velut quodam eloquentiae flumine adeo excellit, ut Horatius (*Od.* 4, 2.) nemini crediderit imitabilem. Ejus gratia Lacedaemonii in reliquam Boeotiam saevientes Thebis, pepercerunt. Alexander etiam cum Thebas everteret, et in omnes saeviret sine discrimine, Pindari vatis penatibus familiaeque parci jussit. ℙ *Pindarus, decumanus. *Cic. Att.* 16, 1. *B. A.*

*PINDASUS, i, m. Πίνδασος, mons Troadis, in quo Cetius fluvius nascitur, qui Pergamum praeterfluit. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

[PINDENISSAE, arum, m. plur. incolae oppidi Pindenissi, altissimo et munitissimo loco siti prope montem Amanum in Cilicia, a Cicerone expugnati. V. ELEUTHEROCILICES. *Cic. Att.* 5, 20. Saturnalibus mane se mihi Pindenissae dediderunt, XLVII. die, postquam oppugnare eos coepimus. Qui (malum!) isti Pindenissae? qui sunt? inquies; nomen audivi nunquam. Quid ergo? num potui Ciliciam Aetoliam, aut Macedoniam reddere? *F.*]

*PINDICITORA, opp. Aethiopiae, in confinio Aegypti. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

PĪNDUS, i, m. Πίνδος, mons ingens Thessaliae, inter illam, et Epirum. Ab Acrocerauniis jugis ad Thermopylas excurrit, et ex medio sui brachium emittit, quod Parnassum in Phocide facit, et desinit in Heliconem. Haec causa est, cur ap. poetas tria haec nomina *Pindus*, *Parnassus*, *Helicon* confundantur, et in omnibus promiscue Musae collocentur. Aetolos ab Acarnanibus dividit. *Plin. prooem.* 4. et *ib.* 8, 15. *Virg. Ecl.* 10, 11. Nam neque Parnassi vobis juga, nam neque Pindi Ulla moram fecere. ℙ *Item opp. nomen, ad fluvium (cujus meminit *Strabo*) cognominem, in Doride. *Plin.* 4, 7. *Mela* 2, 3. *med. B. A.*

PĪNĒĀ. V. PINEUS.

PĪNĒTUM, i, n. πιτυών, locus pinis consitus, pinorum silva: et per synecdochen sumitur pro quovis nemore. *Ov. Fast.* 2, 275. Cinctaque pinetis nemoris juga Nonacrini. *Id. Met.* 15, 603. Qualia succinctis, ubi trux insibilat Eurus, Murmura pinetis fiunt. *Id. Fast.* 4, 273. innumerae caedunt pineta secures. *Plin.* 27, 8, 43. Chrysolachanum in pineto lactucae simile noscitur.

PĪNĔUS, a, um, adj. πιτύϊνος, qui est ex pinu. *Virg. A.* 11, 788. cui pineus ardor acervo Pascitur, *h. e.* ignis e pineis lignis succensus; et *ib.* 320. et celsi plaga pinea montis, *h. e.* ubi mons est pinis consitus. Sic *Val. Fl.* 3, 521. juga pinea montis. *Virg. A.* 9, 85. pinea silva; et *ib.* 2, 258. claustra, *h. e.* latus equi duratei. *Prop.* 4, 6, 20. moles, *h. e.* navis. *Ov. Met.* 14, 530. fert avidas in pinea Turnus Texta faces, *h. e.* in tabulata navium. (Adde *Catull.* 64, 10. et *Ov. Fast.* 1, 506.) *Mart.* 9, 76. Pinea compages, *h. e.* tabularum pinearum. *Plin.* 15, 10, 9. Pineae nuces; et *ib.* Pinea corona victores apud Isthmum coronantur. *Lucr.* 4, 588. Pan Pinea semiferi capitis velamina quassans. ℙ *Pinea*, *ae*, f. absolute est nux, vel arbor pinea. *Colum.* 5, 10. *med.* Eodem tempore juglandem, et pineam, et castaneam serere oportet. *Id.* 10, 239. de cinara: deflexaque collo Nunc adoperta manet, nunc pinea vertice pungit, *h. e.* velut pinea nux. *Lampr. Commod.* 9. Isiacos pineis usque ad perniciem pectus tundere cogebat, *h. e.* strobilis.

PINGO, is, pinxi, pictum, a. 3. γράφω, formam alicujus rei ductis lineis, et inductis coloribus repraesento. Volunt esse a *fingo*. *Cic. Fam.* 5, 12. (et *Hor. Ep.* 2, 1, 239.) Neque Alexander gratiae causa ab Apelle potissimum pingi, et a Lysippo fingi volebat. *Id. Inv.* 2, 1. Tabulas pingere; et *ib.* Helenae simulacrum. *Id. Or.* 2, 16. hominis speciem. *Tibull.* 1, 11, 31. Ut mihi potanti possit sua dicere facta Miles, et in mensa pingere castra mero. [*Erat haec veterum consuetudo in conviviis. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 32.] *Phaedr.* 4, 5. Cum victi mures mustelarum exercitu, Historia quorum in tabernis pingitur, etc. *Ov. A. Am.* 2, 131. Ille levi virga, etc. in spisso litore pingit opus. *Plin.* 35, 7, 33. Nero princeps jusserat colosseum se pingi CXX. pedum in linteo, incognitum ad hoc tempus. ℙ Item universim colores inducere, inficere. *Virg. Ecl.* 6, 22. Sanguineis frontem moris, et tempora pingit. *Lucr.* 4, 336. palloribus omnia pingunt. ℙ Item variis coloribus ornare, variare. *Lucr.* 2, 374. Concharumque genus parili ratione videmus Pingere telluris gremium; et 5, 1395. anni Tempora pingebant viridantes floribus herbas. *Sen. Med.* 310. stellis pingitur aether. *Virg. Ecl.* 2, 50. Mollia luteola pingit vaccinia caltha. *Mart.* 14, 5. Nigra tibi niveum littera pingat ebur; et *ib.* 77. Gaudebatque suas pingere barba genas. *Auct. Priap.* 16. Quale fuit malum, quod littera pinxit

Acontl. V. *Ov. Her.* 20, 237. ℙ Translate est ornare. *Cic. Att.* 4, 5. *extr.* Bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione, et sillybis. ℙ [*Usurpatur etiam de opere textili, adjecto plerumque v. *acu.*] *Ov. Met.* 6, 23. Seu pingebat acu, scires a Pallade doctam. [*Plura v. in PICTUS. Etiam absolute ita ponitur. *Virg. Cir.* 31. Horrida sanguineo pinguntur proelia cocco: idem, quod v. 29. texuntur.] ℙ Transfertur concinne ad orationem. *Cic. Brut.* 37. *extr.* Σχήματα non tam in verbis pingendis habent pondus, quam in illuminandis sententiis, *h. e.* per tropos ornandis. *Id. Att.* 1, 14. Totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus soleo pingere, de flamma, de ferro, valde graviter pertexuit. [*Cf. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 284. sq.] *Cic. Q. Fr.* 2, 15. Modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis, penicillo meo: [*h. l. de imagine poetica et oratoria intelligendum.]

*PINGUĀMEN, inis, n. λίπος *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

PINGUĒDĬNĒUS, a, um, adj. pinguis, oleosus. *Plin.* 35, 15, 51. Gignitur et pinguedinei liquoris. Ita *Salmas.*, alii *et pingue, liquorisque*, etc.

PINGUĒDO, inis, f. λίπος, λιπαρία, substantia oleosa in animalibus, et aliis rebus. *Plin.* 12, 15, 35. de myrrha: Unguentarii digerunt haud difficulter, odoris atque pinguedinis argumentis. Hoc uno in loco ita legit *Hard.*, nam in ceteris, quae a lexicographis afferri solent, *pinguitudo* reponit. Quin, nunquam *Plinium* voce *pinguedinis* usum, sed *pinguitudinis*, asserit *Gronovius. Pall.* 3, 29. *f.* Succus ex aqua ad sapae pinguedinem resolutus. *Id.* 11, 20. Decoques donec tota permixtio pinguedinem puri mellis imitetur. *Sidon. ep.* 2, 2. *med.* Limi bibuli pinguedo coalescit. Agnoscit etiam ut Latinum, *Eutyches de discern. conjugat.* 1, 2155. Itaque *Serv.* ad *G.* 3, 124. Latinum esse frustra negat.

PINGUĒFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. λιπαίνω, pinguem efficio. *Plin.* 16, 44, 93. Hyphear ad saginanda pecora utilius. Vitia modo purgat primo, deinde pinguefacit quae suffecere purgationi.

PINGUĒFACTUS, a, um, part. a *pinguefacio*, σιτευτὸς, saginatus. *Tert. adv. Psych.* 6. ex *Deuter.* 32, 15. Incrassatus est dilectus, et pinguefactus, et dilatatus est.

PINGUESCO, is, n. 3. λιπάω, παχύνομαι, pinguis fio. *Colum.* 2, 11. Omne emaciatum armentum medica pinguescit. *Plin.* 18, 14, 36. Pinguescere lupini satu arva vineasque; et 17, 2, 2. Ita maxime frumenta pinguescunt; et 19, 5, 30. Bulbus pinguescit; et 15, 22, 24. Nuces juglandes vetustate pinguescunt. *Id.* 14, 4, 6. Vinum Maroneum vetustate pinguescit, *h. e.* crassescit instar pinguis. *Id.* 37, 10, 65. Achates politura pinguescit, *h. e.* nitorem induit instar pinguis. *Virg. G.* 1, 491. bis sanguine nostro Emathiam, et latos Haemi pinguescere campos. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 54.] *Plin.* 9, 15, 17. Attilus *(piscis)* in Pado inertia pinguescens. ℙ Translate pinguescere dicuntur dictiones, cum aspirantur; pinguius enim quiddam tunc sonant. *Serg. in Donat.* p. 1827. Aeolenses Graeci quibusdam dictionibus, ut pinguescant, digamma apponunt, ut pro *Elena* dicant *Velena.* V. PINGUIS. [*Quaedam h. l. addidit *F.*]

PINGUIĀRĬUS, ii, m. qui pinguia amat. *Mart.* 11, 100. Carnarius sum, pinguiarius non sum. V. CARNARIUS.

[PINGUĬCŬLUS, a, um, adj. dimin. pinguis, aliquantisper pinguis, pinguiusculus. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 12. Periculum est, ne Faustina filia tua poscenti mihi manus et plantas ad saeviandum ea causa iratior subtrahat, aut gravatius porrigat; cujus ego manus parvolas, plantasque illas pinguiculas tum libentius exosculabor, quam tuas cervices regias, tuumque os probum et facetum. *F.*]

PINGUIS, e, adj. λιπαρὸς, opimus, crassus, obesus: a πιμελὴς, quod idem significat: vel a παχὺς, crassus. Dicitur de animalibus carne et adipe abundantibus. *Cic. Fat.* 4. Crassum Thebis coelum: itaque pingues Thebani, et valentes. *Hor. Sat.* 2, 5, 40. pingui tentus omaso Furius. *Id. Ep.* 1, 4, 15. Me pinguem et nitidum bene curata cute vises. *Pl. Aul.* 2, 5, 5. Pinguiorem agnum isti habent. *Stro.* At nunc tibi dabitur pinguior fidicina. *Juven.* 11, 65. pinguissimus haedulus. *Colum.* 8, 7. Pinguem facere gallinam. *Hor. Sat.* 2, 6, 64. Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo. ℙ *Pingue* absolute est ipse liquor crassus, πιμελὴ, στέαρ: et differt ab adipe, ut *Plin.* docet 11, 37, 85., quia adeps concretus est, et cum refrixit, fragilis, semperque in fine carnis: contra pingue inter carnem cutemque, succo liquidum. Sed h. l. *Plin.* pingue cum sevo confundere videtur. *Virg.* vero cum adipe, cum ait *G.* 3, 124. omnes Impendunt curas denso distendere pingui Quem legere ducem, et pecori dixere maritum. *Plin. l. c.* Omnibus animalibus est quoddam in oculis pingue. *Id.* 28, 9, 38. Taurorum, leonum, ac pantherarum pinguia. ℙ *Ager pinguis* dicitur, qui glebas habet humore veluti maceratas, tenaces, spissas, et digitis adhaerentes, instar adipis: cui *macer* opponitur. *Colum.* 1, 4. et 2, 2., *Plin.* 17, 4, 3. et 18, 19, 49. *n.* 1., *Virg. G.* 1, 64. et *Ov. Fast.* 1, 689. Sic *Hor. Od.* 2, 1, 29. (et *Stat. Th.* 7, 545.) Quis non Latino sanguine pinguior Campus? [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 1, 54.] *Lucan.* 6, 382. pinguis sulcus, *h. e.* in agro pingui ductus. ℙ *Pinguis fimus* dicitur et ob eandem rationem, et quia campos pinguefacit. *Virg. G.* 1, 80. Ne saturare fimo pingui pudeat sola. Sic *Id. A.* 9, 31. aut pingui flumine Nilus Cum refluit campis. ℙ *Pinguis hortus* idem et fecundus, et fructu dives habetur. *Virg. G.* 4, 118. Pingues horti. ℙ Hinc *pinguis* pro divite, opulento. *Hor. Od.* 2, 12, 22. Aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes. *Pers.* 2, 52. Si tibi crateras argenti, incusaque pingui Auro dona feram, *h. e.* crasso, solido, atque adeo multi pretii. ℙ *Pinguia folia*, crassa, et veluti carnosa. *Plin.* 10, 34, 62. Duo genera hederae: major traditur mas, corpore, et folio duriore etiam, ac pinguiore. *Id.* 21, 9, 29. Sertula Campana foliis brevissimis, atque pinguissimis. ℙ *Pinguia stabula* de apum alvearibus dixit *Virg. G.* 4, 14., quae *Serv.* interpretatur plena, sicut inanes res, tenues nominamus. Rectius dices, respexisse ad pinguitudinem cerae, et mellis. ℙ *Pingues ficus*, crassae et succi plenae. *Hor. Sat.* 2, 8, 88. Pinguibus et ficis pastum jecur anseris albi. ℙ *Pinguis liquor*, crassus, oleosus, et lente fluens, adipisque similior, quam aquae. Hujusmodi est oleum, unguenta, mustum. *Ov. Met.* 10, 176. Corpora veste levant, et succo pinguis olivi Splendescunt. *Hor. Epod.* 2, 55. lecta de pinguissimis Oliva ramis arborum. *Ov. Medic. fac.* 88. Myrrhae pingues. *Sen. Thyest.* 948. Pingui madidus crinis amomo. *Lucan.* 3, 681. Pingues taedae, *h. e.* multa pice fluentes. *Tibull.* 1, 1, 6. et *Colum.* 10. *f.* pleno pinguia musta lacu. Sic dicitur *fumus*, *flamma pinguis*, h. e. crassior, oleosior, et quae contigerit facile inficiens. *Sen. Herc. Fur.* 909. quidquid Indorum seges, Arabesque odoris quidquid arboribus legunt, Conferte in aras: pinguis exundet vapor. *Lucan.* 8, 730. non pinguis ad astra Ut ferat e membris Eoos fumus odores. *Ov. Trist.* 5, 5, 11. Da mihi tura, puer, pingues facientia flammas. ℙ *Pingues arae*, sanguine delibutae propter frequentiam victimarum. *Virg. A.* 4, 62. et *ib.* 7, 764. ℙ *Pinguis coma* et unguentis madens intelligitur, et densa ac multo capillo abundans. Posteriori sensu *Suet. Ner.* 20. *extr.* Insignes pinguissima coma, et excellentissimo cultu pueri. Priori *Mart.* 2, 29. Cujus olet toto pinguis coma Marceliano. ℙ Pinguia Herodis palmeta *Hor.* dicit *Ep.* 2, 2, 184. propter opobalsami copiam. ℙ *Pingue merum* ap. *eund. Sat.* 2, 4, 65. quidam intelligunt, non defaecatum: alii plenum, cui opponitur tenue. Nostrates vulgo *tondo* dicunt, et *pieno:* quo sensu videtur etiam *Cels.* 2, 18. *med.* dixisse, *pingue vinum.* V. PLENUS. [*Cf. *Bentl.* ad *Hor.* l. l.] ℙ Pinguis saliva, *Sen. Ira* 3, 38. *extr.* ℙ *Pingue coelum*, crassi et humidi aeris. *Cic. Div.* 1, 57. Si Canicula obscurior exstiterit, pingue et concretum esse coelum, ut ejus adspiratio gravis et pestilens futura sit: sin illustris et perlucida apparuerit, significari coelum esse tenue, purumque, et propterea salubre. ℙ *Pinguis toga*, crasso filo contexta et densa. *Suet. Aug.* 82. Hieme quaternis cum pingui toga tunicis muniebatur: [*παχὺ ἱμάτιον.] *Juven.* 9, 28. pingues aliquando lacernas, Munimenta togae, duri crassique coloris, Et male percussas textoris pectine Galli. *Mart.* 6, 11. Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia vestit. ℙ *Pinguis mensa*, epulis copiosa, lauta. *Catull.* 62, 3. Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas. ℙ *Pinguia crura luto* ap. *Juven.* 3, 247. sunt oblita, et crasso luto quasi peruncta. Sic *Mart.* 9, 55. Pinguis et implicitas virga teneret aves, *h. e.* visco illita. [*V. *Gronov. Observv.* p. 291. *ed. Fr.*] ℙ *Pinguis color*, saturus, et veluti crassus, obtususque. *Plin.* 37, 8, 37. Iaspidem smaragdo similem ferunt Indi, Cypros duram, glaucoque pingui, Persae aeri similem. ℙ *Pinguis sapor*, obtusus, et surdus, non acer, non acutus, qualis est in lacte, oliva, lauro, nuce juglande, amygdalis, ut est ap. *Plin.* 15, 27, 32. et *ib.* 28, 33. ℙ Translate *pingue otium*, in quo minima est corporis agitatio, aptum proinde alendo corpori, et pinguefaciendo. *Plin. alter ep.* 1, 3. Quin tu humiles et sordidas curas aliis mandas, et ipse te in alto isto pinguique secessu studiis adseris? *Id. ep.* 7, 29. Mollis et pinguis vita. *Id. ep.* 5, 6. *f.* Altius ibi otium, et pinguius, eoque securius. Adde *eund. ep.* 9, 3. et *Sen. ep.* 73. *med.* ℙ *Pinguis somnus*, tranquillus et profundus, et pinguefaciendo corpori idoneus. *Ov. Amor.* 1, 13, 7. et *Lucan.* 10, 354. Sic *Ov. R. Am.* 206. et pingui membra quiete levat. ℙ *Pinguis amor*, qui redamantem facile invenit, nullo labore, aut metu, aut zelotypia exercitus, quietus, securus. *Ov. Amor.* 2, 19, 25. Pinguis amor, nimiumque patens in taedia nobis Vertitur, et stomacho, dulcis ut esca, nocet. ℙ Aliquando ad ingenium refertur, et crassum, stupidum, hebes, tardumque significat. *Ov. Met.* 11, 148. Pingue sed ingenium mansit: nocituraque, ut ante, Rursus erant domino stolidae praecordia mentis. *Cic. Arch.* 10. *extr.* Ut etiam Cordubae natis poetis, pingue quiddam sonantibus atque peregrinum, tamen aures suas dederet. *Quint.* 1, 5. At ille pexus pinguisque doctor putabit, etc. (hic simul ad corporis obesitatem, et ingenii tarditatem respicitur.) [*Spalding. ad h. l. docet, *pinguis* hic esse idem, quod nitidus, elegans, sed in arte sua, non in victu et vestitu.] *Colum.* 9, 14. *med.* Nec tamen Hipparchi subtilitas pinguioribus, ut ajunt, rusticorum litteris necessaria est. Sic *Virg. Catal.* 11. *f.* pingui nil mihi cum populo. Hinc proverb. *pingui Minerva.* V. MINERVA. *Hor. Ep.* 2, 1. *f.* Nec prave factis decorari versibus opto, Ne rubeam pingui donatus munere. *Cic. Acad.* 4, 34. Quod ipsi Antiocho pingue videbatur, et sibi contrarium. *Gell.* 13, 20. Verte et muta, ut *urbes* dicas, insubidius nescio quid facies, et pinguius. V. PINGUESCO. ℙ *Pinguia verba*, quasi crassa, plena, inflata, sonantia, et quae efferendo buccas implent, quibus opponuntur tenuia, gracilia, subtilia. *Quint.* 12, 10. *med.* Nec rerum nimiam tenuitatem, ut non dicam pinguioribus, fortioribus certe verbis miscebimus: et *mox:* Non possumus esse tam graciles? simus fortiores. *Gell.* 17, 10. Ejusmodi sententias et verba molitus est, ut Pindaro quoque ipso, qui nimis opima pinguique esse facundia existimatus est, insolentior tumidiorque sit. ℙ *Pinguis vitiis*, qui crapula, et voluptatibus tum corpus pingue reddidit, tum simul animum depravavit, corrupitque. *Hor. Sat.* 2, 2, 21.

PINGUĬTER, adv. λιπαρῶς, cum pinguitudine. *Colum.* 2, 2. Solum pingue ac putre praestantissimum: proximum huic pinguiter densum. ℙ Translate. *Paul. Dig.* 44, 2, 14. Pinguius accipere aliquid, *h. e.* crassiore Minerva, et laxius; et *ib.* 42, 1, 49. Pinguius donatori succurrere debemus, quam ei, qui verum debitum persolvere compellitur, *h. e.* uberius, largius, et plura ei condonando.

PINGUĬTĬA, ae, f. et

PINGUĬTĬES, ei, f. pinguitudo. *Arnob.* 7, 226. Non videtis albas esse hostiarum carnes, ossa, dentes, pinguitias? *Appul. Met.* 10. Corpus obesa pinguitie compleveram.

PINGUĬTŪDO, inis, f. πιμελὴ, λίπος, pinguitia, pinguetudo, pingue. *Varr. R. R.* 2, 4. de sue: Quae res non modo pinguitudinem efficit, sed etiam carnis jucundum saporem. *Cato* ap. *eund. ib.* Vere sus usque adeo pinguitudine crescere solet, ut se ipsa stans sustinere non possit. *Plin.* 11, 37, 71. In corde summo pinguitudo est quaedam, laetis extis. *Colum.* 12, 50. *med.* Pinguitudo olei. *Id.* 4, 24. *med.* soli. *Pall.* 3, 12. palmitis. ℙ Translate. *Quint.* 1, 11. Vitia, siqua sunt, oris emendet, ut expressa sint verba, ut suis quaeque litterae sonis enuncientur. Quarundam enim vel exilitate, vel pinguitudine nimia laboramus, *h. e.* vastum, crassum, et justo pleniorem sonum habentium. ℙ Scribitur et *pinguetudo*, unde *pinguedo* per syncop. facta esse videtur.

[PINGUĬUSCŬLUS, a, um, adj. dimin. a *pinguior*, idem ac pinguiculus. *Solin.* 11. *med.* Plurimum se aquilonibus credunt *(coturnices)*, ut corpora pinguiuscula, atque eo tarda facilius provehat siccior et vehementior spiritus. *F.*]

*PINGUS, i, m. Moesiae fluvius, de quo *Plin.* 3, 26. *Cellario* est *the Morawa;* dissentiente *Harduino*, qui in Margim (hodiernum *Morawa*) cadere eum asserit. V. PINCUM. *B. A.*

PĪNĬFER, ra, rum, adj. pinum ferens, pini ferax, πιτυόεις. *Virg. A.* 4, 248. de Atlante: cinctum assidue cui nubibus atris Piniferum caput. *Id. Ecl.* 10, 14. Pinifer Maenalus. *Stat. Silv.* 3, 4, 12. Pinifera Ida.

PĪNĬGER, ra, rum, adj. pinum gerens. *Ov. Fast.* 3, 84. Pinigerum Fauni Maenalis ora caput: *scil.* colit. *Val. Fl.* 6, 393. Piniger Othrys. *Stat. Th.* 12, 225. pinigeri Simoentis ad amnem; et 7, 272. Pinigeri agri.

PINNA, ae, f. πτέρις, penna, pluma avium crassior et longior, in cauda praesertim, et alis. Est idem omnino quod *penna*, et in veterib. libris promiscue unum pro altero ponitur. Neque verum est, quod scripsit *Caper de Orthogr.* p. 2243., murorum pinnas dici, avium pennas; et *Quint.*, qui 1, 4. videtur negare, *pinnas* de avibus dici. *Colum.* 8, 2. *med.* de gallis gallinaceis: Tum procerissimae caudae, duplici ordine singulis utrinque prominentibus pinnis inflexae; et *ib.* 4. Nam his rebus plumam pinnasque emundant. *Varr. R. R.* 3. 9. Galli salaces, brevibus cruribus, caudis magnis, frequentibus pinnis. *Suet. Claud.* 33. Ut supino ac per somnum hianti pinna in os inderetur, ad exonerandum stomachum. ℙ Saepe dicitur de pennis varii coloris, quae innexae linea terrendis feris et avibus adhibentur. V. FORMIDO. ℙ Per synecdochen est ala. *Cic. Div.* 1, 47. *extr.* Hanc ubi praepetibus pinnis, lapsuque volantem etc. Al. leg. *pennis.* [*Adde *Enn.* ap. *Eund.* 3, 29, 104. O fides alma, apta pinnis, et jus jurandum Jovis! ubi *Beier.* comparat Homericum illud πτερόεις, coll. *Appul. Apol.* 2. p. 326, 26. *Elm.* si verba ita, ut poetae aiunt, pinnis apta vulgo volarent.] ℙ De alis piscium. *Plin.* 9, 13, 15. de marinis vitulis:

Pinnis, quibus in mari utuntur, humi quoque vice pedum serpunt. ℙ Praeterea *pinna* dicitur quidquid est acutum: unde murorum et turrium, valli cacumina, quae in acutum per intervalla desinunt, *pinnae* vocantur. Scribit *Varr. L. L.* 4, 32. dictas esse a pinnis, quas insigniti milites habere in galeis solent, et in gladiatoribus Samnites. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 1. Milites Metelli a pinnis hostes defendebant facillime. *Caes. B. G.* 5, 39. Turres contabulantur, pinnae loricaeque ex cratibus attexuntur; et *ib.* 7, 72. Aggerem et vallum exstruxit: huic loricam pinnasque adjecit. [*V. *Mor.* et *Herz.* ad *Caes. l.* prius laud.] *Virg. A.* 7, 159. primasque in litore sedes Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit. ℙ Quod gladiatores Samnites pinnas in galeis gestarent, argumento est, quia qui contra eos depugnarent, *pinnirapi* dicti sunt. V. h. v. s. l. ℙ Ap. *Vitruv.* 10, 10. dicuntur *pinnae* tabellae circa frontes rotarum certis intervallis infixae, in quas incurrente aqua, versationes fiunt, [**Fächer, Schaufeln.*] ℙ Item *ib.* 13. tabellas in organo hydraulico, junctas regulis, *pinnas* vocat: quia sunt veluti alae, quibus illae regulae eunt redeuntque. ℙ Denique *pinna*, πίννα, [*s. πίννη,] piscis est marinus ex genere concharum, duabus testis patulus, et parva squilla comitatus, quae ducem ei se praebet, (*pinnoteres* ideo dicta) et cibi praesentis admonet: tunc ille comprimit se, et quidquid inclusit, exanimat, partemque sociae tribuit. *Cic. N. D.* 2, 48., *Fin.* 3, 19. et *Plin.* 9, 42, 66. ℙ *Pinna* urbs. V. PINNENSIS.

PINNĀCŬLUM, i, n. extrema aedificii pars pinnis instructa, fastigium, culmen. *Tert. adv. Jud.* 8. Dicit enim Daniel, et civitatem et sanctum terminari eum duce venturo, et destrui pinnaculum usque ad interitum. V. *Daniel.* 9, 26.

[PINNĀLIS, e, adj. qui in pinnam desinit, acutus. *Front. de colon.* p. 120. *Goes.* Rigor pinnalis. Alii melius leg. *finalis.* V. h. v. *F.*]

PINNĀTUS, a, um, part. ab inus. *pinnor: πτερωτὸς*, pinnas habens, pennatus, alatus. V. PENNOR. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 2, 10. Jovis satelles Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem. *Cic. N. D.* 3, 23. Diana prima, quae pinnatum Cupidinem genuisse dicitur. *Porcius Licin.* ap. *Gell.* 17, 21. *extr.* Musa pinnato gradu intulit se etc., *h. e.* celeri. Sic *Prud. Apoth.* 679. Quis tam pinnatus, rapidoque simillimus Austro Nuncius etc.? *Coripp. Johann.* 6, 155. Pinnata Fama. *Plin.* 16, 10, 19. Abies folio pinnato densa, ut imbres non transmittat, *h. e.* ita disposito, ut aliud super aliud sedens pinnas avium referat; et *ib.* 13, 24. Fraxinus procera et teres, pinnata et ipsa folio. *Id.* 27, 9, 55. Folia utriusque lateribus pinnata: unde nomen Graeci imposuere. [Loquitur *Plin.* de filice, quae Graeco nomine pteris, πτερὶς, dicitur. *F.*]

PINNENSIS, e, adj. ad Pinnam pertinens, quae urbs est Vestinorum in Italia, *Città di Penne:* ut Pinnensis juvenis. *Val. Max.* 5, 4. *f.* ℙ *Pinnenses, ium*, ejus incolae. *Plin.* 3, 12, 17. Vestinorum Angulani, Pinnenses, Peltuinates.

PINNĪCILLUM, i, n. vel Pinnicillus, i, m. penicillum vel penicillus: quasi ex pinnis factus. *Pall.* 4, 1. *med.* Ligaturae ipsi pinnicillo tenuis debet frequenter humor affundi. Alii rectius leg. *penicillo.* V. PENICILLUM.

PINNĪGER, ra, rum, adj. pinnas habens, pennatus. *Accius* ap. *Cic. Fam.* 7, 23. Haec pinnigero, non armigero in corpore tela exercentur, *h. e.* in aves, non in homines armatos. *Lucret.* 5, 1074. Pinnigeri saevit calcaribus ictus amoris, *h. e.* Cupidinis. *Ov. Met.* 13, 963. Cruraque pinnigero curvata novissima pisce, *h. e.* pinnas, seu alas gerente. *Coripp. Johann.* 4, 981. Pinnigerum ferrum, *h. e.* sagitta pinnis instructa. V. PENNIGER.

PINNĪPOTENS. V. PENNIPOTENS.

PINNĪRĀPUS, i, m. *πτερυγολάβος*, qui cum Samnite gladiatore depugnabat, quod pinnam, idest summitatem in illius galea appeteret et raperet. *Juven.* 3, 158. Hic plaudat nitidi praeconis filius inter Pinnirapi cultos juvenes. [Haec habet ad h. l. *Vet. Schol.* Pinnis pavonum ornari solent gladiatores, si quando ad pugnam descendunt. V. PINNA. *F.*]

*PINNĪUS, i, m. nomen proprium virorum R. v. g. T. Pinnius, qui Ciceronem heredem secundum et tutorem instituit. *Cic. Fam.* 13, 61. Q. Pinnium meminit *Varr. R. R.* 3, 1. *in. B. A.*

PINNOPHYLAX, ācis, m. *πιννοφύλαξ* (a *πίννα*, pinna, et *φύλαξ*, custos) idem qui pinnoteres. *Plin.* 9, 42, 66.

PINNŌTĒRES, ae, m. *πιννοτήρης*, custos pinnae: a *πίννα*, pinna, et *τηρέω*, servo. *Plin.* 9, 42, 66. et 32, 11, 52. et *Cic. Fin.* 3, 19. ℙ Alii scribunt *pinnotheras, ae, πιννοθήρας*, a *θηράω*, venor, quasi venator pinnae, quia praedae praesentis eam admonet, ut in PINNA dictum est. ℙ Est et alius *pinnotheras*, nempe minimus piscis in cancrorum genere, ideo opportunus injuriae. Huic solertia est inanium ostrearum testis se condere, et cum accreverit, migrare in capaciores. *Plin.* 9, 31, 51. [*Cancer Bernhardus, *L.*]

PINNOTHĒRAS. V. v. praec.

PINNŪLA, ae, f. *πτερύγιον*, parva pinna, pennula. *Pl. Amph. prol.* 143. Ego has habebo hic usque in petaso pinnulas. *Colum.* 8, 5. de gallin.: Inhibetur cupiditas incubandi pinnula per nares trajecta. ℙ De parvis alis piscium. *Plin.* 9, 57, 83. Quosdam inde exire ad pabula pinnulis gradientes, crebro caudae motu etc. ℙ [De alis puerorum in Cupidinum formam ornatorum. *Appul. Met.* 10. Illos teretes et lacteos puellos diceres tu Cupidines et Cupidines veros; nam et pinnulis et sagittulis et habitu cetero formae praeclare congruebant. *F.*]

PINSĀTĬO, onis, f. actus pinsendi. *Vitr.* 7, 1. Rudus vectibus ligneis crebriter pinsatione solidetur.

PINSĪTO, as, a. 1. *ἀναμάσσω*, frequent. a *pinso. Pl. As.* 1, 1, 18. Qui polentam pinsitant. Alii rectius legunt *pransitant.*

PINSĪTUS, a, um, part. a *pinso. Colum.* 2, 9. *f.* Panicum pinsitum et evolutum furfure etc. *Id.* 6, 31. Pinsita lens, et a valvulis separata minuteque molita; et *ib.* 6. *f.* Tribus heminis vini tres unciae pinsiti allii permiscentur; et 8. Allium pinsitum cum oleo in nares infundere.

PINSO, is, si et sui, pinsum, et pinsitum, et pistum, a. 3. *πτίσσω, μάσσω*, tundo, frango, tero: *pinso*, antea *piso*, a *πίσσω*, mox *πίσσω*, quod ab inus. *πίω*, premo. *Varr. L. L.* 4, 31. Pilum, quod eo far pinsunt: id ubi fit, pistrinum. *Id.* ap. *Non.* 2, 643. Neque pistorem ullum nossent, nisi eum, qui in pistrino pinseret farinam. Alii leg. *far. Id. R. R.* 3, 16. *med.* Alii uvam passam et ficum cum pinserunt, affundunt sapam. *Pomp.* ap. *Diomed.* 1, 370. et *Prisc.* 10, 902. Cum interim neque molis molui, neque pilis pinsui. ℙ In prima conjugat. *Varr. R. R.* 1, 63. Far promendum, ut in pistrino pinsetur ac torreatur. *Non.* 2, 723. legit *pisetur*, ut sit a *piso, as*, pro *pinso*: alii *pisatur*, ut sit a *piso, is. Vitruv.* 7, 3. *f.* Mortario collocato, calce et arena ibi confusa, decuria hominum inducta, ligneis vectibus pinsunt materiam, et ita subacta utuntur. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* v. 74. p. 207. sq.] ℙ *Pinsibant* pro *pinsebant*, *ἀρχαϊκῶς. Enn.* ap. *Varr. L. L.* 4, 4. In terram cadentes, cubitis pinsibant humum, *h. e.* feriebant: quo sensu *id.* ap. *Diomed.* 1. p. 370. Pinsunt terram genibus. ℙ De illo *Persii* 1, 58. O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit. V. CICONIA. ℙ *Pinsere flagro*, verberare. *Pl. Merc.* 2, 3, 81. V. PENSUM. ℙ Part. *Pinsens* ap. *Plin.* 18, 10, 23. Pinsente pilo praeferrato. *Pinsus, Pinsitus* et *Pistus*, quae agnoscunt etiam *Diomed.* et *Prisc. ll. cc.* V. *ss. ll.* [*Cf. *Ramsh. Gram. Lat.* §. 60, 1. *a.* p. 721. — *Ruddim.* 1, 252.] ℙ In allato *Persii* loco ambiguum est, *pisat*, an *pisit* legendum sit, inquit *Prisc.* 1, 370.

*PINSO, as, a. 1. V. in *Pinso, is. B. A.*

PINSUS, a, um, part. a *pinso, is, si:* pinsitus, pistus. *Vitruv.* 7, 1. Rudus pinsum absolutum crassitudine sit dodrantis.

PINUS, us, et i, f. et *πίτυς, υος*, arbor ex earum genere, quae resinam fundunt, tametsi minime omnium ejus ferax, in magnam altitudinem se promittens, ramosa in vertice, folia habens capillamenti modo praetenuia, longa, mucrone aculeata, et nunquam decidentia, nunquam florens, fructum habens alium maturescentem, alium proximo anno ad maturitatem venturum, alium deinde tertio. Haec ex *Plinio* 16, 20, 33. et *ib.* 25, 40., qui 17, 12, 18. addit, umbram ejus necare gramina. Est secundae, et quartae declin., non tamen promiscue in omnibus casibus. *Virg. Ecl.* 7, 65. Fraxinus in silvis pulcherrima, pinus in hortis, Populus in fluviis, abies in montibus altis. *Id. G.* 2, 389. Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu. *Plin.* 23, 8, 74. Corticis e pino decoctum contra tormina datur. *Virg. Ecl.* 8, 22. argutumque nemus, pinosque loquentes. *Accius* ap. *Non.* 10, 12. Laetum in Parnaso inter pinos tripudiantem. *Virg. A.* 11, 136. evertunt actas ad sidera pinus; et *A.* 10, 230. Nos sumus Idaeae sacro de vertice pinus. *Plin.* 23, 2, 30. Contra cantharidas, buprestim, pinorum erucas. *Id.* 37, 3, 11. *n.* 2. Gummi in cerasis, resina pinis. *Pall.* 4, 10. *extr.* Locis frigidis pini semen aspergitur. *Plin.* 24, 6, 20. Herba flore pinus et odore. ℙ In fabulis est sacra Cybelae, ut *Phaedr.* 3, 17. et *Macr. Sat.* 6, 9. *f.* docent. *Ov. Met.* 10, 103. Et succincta comas, hirsutaque vertice pinus Grata Deum matri: siquidem Cybeleius Atys Exsuit hac hominem, truncoque induruit illo. ℙ Item Dianae. *Hor. Od.* 3, 22, 1. Montium custos, nemorumque, Virgo, etc. Imminens villae tua pinus esto. *Prop.* 2, 15, 17. jam nunc me sacra Dianae Suscipere, et Veneri ponere vota juvat. Incipiam captare feras, et reddere pinu Cornua, *h. e.* cornua cervorum captorum, voto promissa Dianae, reddere ei affixa pinu. ℙ Aptissimam praebet materiam construendis navibus: unde per synecdochen pro navi ponitur. *Virg. A.* 10, 206. quos Mincius infesta ducebat in aequora pinu. *Hor. Epod.* 16, 57. Non huc Argoo contendit remige pinus. *Ov. Met.* 14, 88. orbataque praeside pinus Inarimen, Prochytenque legit. ℙ Synecdoche est et in illo *Virg. A.* 9, 72. Atque manum pinu flagranti fervidus implet, *h. e.* taeda pinea; et *Stat. Th.* 8, 539. una duo corpora pinu, Cornipedemque, equitemque ferit, *h. e.* hasta. *Lucan.* 3, 531. pro remo posuit. ℙ Corona ex pinea fronde gestamen est Panos. *Ov. Met.* 14, 637. et *Fast.* 1, 412. et *Sil.* 13, 331. Hoc ideo, quia Pan amavit olim Pityn nympham, quae, cum Boream amantem se aversaretur, ab hoc allisa solo, in arborem sui nominis versa est. Hinc *Prop.* 1, 18, 20. et Arcadio pinus amica Deo. ℙ Item Fauni. *Ov. Her.* 5, 137. Cornigerumque caput pinu praecinctus acuta Faunus. ℙ Etiam victores Isthmiorum pinu coronabantur, teste *Plin.* 15, 10, 9. V. ISTHMIA. ℙ In illo *Virg. G.* 4, 112. Ipse thymum, pinosque ferens de montibus altis: *pinus* eruditis nonnullis non arbor est, sed flos, qui chamaepitys dicitur. Sic ap. *eund. Cul.* 406. Buphthalmusque virens, et semper florida pinus. Negant tamen alii: alii *tinos* legi volunt.

[PINYTUS, vel Pinitus, i, m. *πινυτὸς*, prudens. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 823. Pinitus Allei, *h. e.* Alleji servus. *F.*]

PĬO, as, avi, atum, a. 1. *σέβομαι*, placo, propitium reddo, satisfacio. *Hor. Ep.* 2, 1, 143. Telturem porco, Silvanum lacte piabant. *Ov. Fast.* 1, 318. Janus Agonali luce piandus erit. *Id. Met.* 13, 513. Piare busta, *h. e.* placare Manes. Sic *Virg. A.* 6, 367. piare ossa. *Prop.* 3, 17, 17. Nam quid Medeae referam, quo tempore matris Iram natorum caede piavit amor? *Id.* 3, 3, 9. Crassos, cladesque piate, *h. e.* Crassi cladis maculam piate. ℙ *Piare damna* est emendare ap. *Ov. A. Am.* 3, 160. Quarum sunt multis damna pianda modis. ℙ Item pie colere. [**Ernest.* primam hanc vocis significationem statuit, originatione a *pius* facta. Laudat praeter Plauti locum a *Forc.* cit *Non.* Nemo est qui magis suos piet liberos.] *Pl. As.* 3, 1, 3. Ubi piem Pietatem, si isto more moratam tibi postulem placere, mater, mihi quo pacto praecipis? *Prop.* 3, 8, 19. coronatas ubi ture piaveris aras. [*Adde 1, 1, 20. in magicis sacra piare focis, i. e. sacra magica pie facere vel tractare in aris exstructis ad Deos magicos et inferos placandos, vel eliciendos.] ℙ Item purgare, expiare, procurare, *ἀφοσιόω. Cic. Dom.* 51. *med.* Si quid tibi piandum fuisset religione domestica, ad pontificem detulisses. *Ov. Fast.* 3, 291. et 311. Piare fulmen, [*i. e. scire remedia, quibus averti possint, quae per fulminis jactum in humanis fieri Jupiter constituerit rebus.] *Virg. A.* 2, 184. Effigiem statuere, nefas quae triste piaret; et 140. et culpam hanc miserorum morte piabunt. *Sil.* 17, 565. quis nostra satis delicta piabit Tartareus torrens? *Id.* 4, 821. Dii patrii, quorum delubra piantur Caedibus. ℙ Item purgare ab amentia. *Festus*: Piari eos, veluti proprio verbo, ait Verrius, qui parum sint animati, cum mentis suae non sint: et per quaedam verba liberantur incommodo. *Pl. Men.* 2, 2, 17. Jube te piari de mea pecunia: nam ego quidem insanum te esse certo scio. Adde 3, 2, 51. ℙ Addit *Perottus:* Quandoque capitur pro eo, quod est pie amo. Naevius: Nemo est, qui magis suos piet liberos.

*PION, ōnis, m. *Πίων, h. e.* pinguis, mons Epheso vicinus. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

[PIONĪTAE, arum, m. plur. incolae Pioniae, urbis Mysiae, versus sinum Adramyttenum. *Plin.* 5, 30, 32. Polichnae, Pionitae. *F.*]

PĬPĀTĬO, onis, f. clamor plorantis, lingua Oscorum. *Festus.* V. PIPO.

PĬPĀTUS, us, m. vox pullorum. *Varr. L. L.* 6, 5, *med.* Pipulum declinatum a pipatu pullorum.

PĬPER, pĭpĕris, n. *πέπερι*, fructus cujusdam arboris in India, condimentis aptus: a voce Graeca allata, per apocopen, ut a *μέλι*, mel. Arbor est juniperis nostris similis: semen a junipero distat parvulis siliquis, quales in faseolis videmus. Hae priusquam dehiscant, decerptae, tostaeque sole faciunt quod vocatur piper longum: paulatim vero dehiscentes maturitate, ostendunt candidum piper, quod deinde tostum solibus, colore rugisque mutatur. Piperis arborem jam et Italia habet, nec absimilem. Amaritudo grano eadem, quae piperi musteo creditur esse. Haec et alia plura *Plin.* 12, 7, 14. et 15., quae tamen magna ex parte aliter se habere recentiores tradiderunt. Inter ea, quae calefaciunt, *Cels.* 2, 27. enumerat. *Hor. Ep.* 2, 1, 270. Et piper, et quidquid chartis amicitur ineptis. *Mart.* 13, 5. Cerea quae patulo lucet ficedula lumbo, Cum tibi forte datur, si sapis, adde piper. *Pers.* 3, 55. Rugosum piper; et 6, 21. sacrum inrorans patinae piper: *sacrum* dicit, quia tanquam rei sacrae, avarus ei parcit. Hinc *Hor. Sat.* 2, 3, 110. nescius uti Compositis, metuensque velut contingere sacrum. ℙ Transfertur eleganter ad acrimoniam dicendi. *Hieron. ep.* 31. *n.* 2. Ut te aliquid et piperis mordeat, etc. *Petr. fragm. Trag.* 44. *Burm.* piper, non homo, *h. e.* praeditus aspera, acrique libertate loquendi, proverbium. V. PIPERATUS.

[PĬPĔRĀTĀRĬUS, a, um, adj ad piper pertinens, qui piper continet. *Hieron.* in *Chron. Euseb.* ad ann. XCII. a Chr. n. Multa opera Romae facta, in quibus Capitolium, Forum transitorium, Isium ac Serapium, stadium, horrea piperataria, etc. *F.*]

PĬPĔRĀTUS, a, um, adj. pipere conditus. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 5. Qualia (*vina*) nunc quoque fiunt pipere et melle addito, quae alii condita, alii piperata appellant. *Colum.* 12, 47. et 57. Piperatum acetum. *Petr. fragm. Trag.* 36. *Burm.* Garum piperatum. ℙ *Piperatum* absolute condimentum ex pipere. *Cels.* 4, 19. et *Apic.* 3, 14. ℙ Translate. *Sidon. ep.* 5, 8. Piperata facundia, *h. e.* acris, mordax, sale et dictis aspersa. *Id. ep.* 8, 11. de epigrammatis: Eadem cum non pauca piperata, mellea multa conspiceres, omnia tamen salsa cernebas. V. PIPER. ℙ *Piperata manus.* V. PICEATUS.

[PĬPĔRĪNUS, a, um, adj. hoc nomine vocatus est lapis Albanus, nunc *peperino*, quia micas subnigras continet, quae piper imitantur. *Isid. Or.* 19, 10. Lapis piperinus, subalbidus cum punctis nigris, durus atque fortissimus. *F.*]

PĬPĔRĬTIS, is, vel idis, f. *πεπερῖτις*, genus herbae. *Plin.* 20, 17, 66. Piperitis, quam et siliquastrum appellavimus, contra morbos comitiales bibitur. Castor et aliter (h. e. *aliud genus*) demonstrabat, caule rubro, et longo, densis geniculis, foliis lauri, semine albo, tenui, gustu piperis, utilem gingivis, dentibus, oris suavitati, et ructibus. [*Fortasse Capsicum annuum, *L.*, *Indianischer Pfeffer.*]

PĬPĬLO, as, n. 1. idem quod pipio. *Catull.* 3, 10. de passere: Ad solam dominam usque pipilabat. *Inscr.* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 294. *Burm.* Lusciniae pulcherrimae, cantrici suaviss., omnibus gratiis ad digitum pipilanti, etc.

PĬPĬNNĀ. V. PISINNUS.

PĬPĬO, as, n. 1. pipire, vagire plorando. *Tert. Monog.* 16. *f.* Uteri nauseantes, et infantes pipiantes. *Id. adv. Valent* 15. Coelestes imbres pipiavit Achamoth, *h. e.* pipians et flens velut effudit. V. PIPATIO, PIPO et PIPULUM.

PĬPĬO, is, n. 4. *πιπίζω*, verbum exprimens vocem pullorum gallinaceorum, item passerum, et aliarum avium minutarum: a voce Graeca allata: vel a *pipo, as. Colum.* 8, 5. *med.* Aviarius animadvertat, an pulli rostellis ova percuderint: et ausculteretur, si pipiant. *Auct. carm. Phil.* 30. Pessimus at passer tristia flendo pipit. Hic prima corripitur.

PĬPĬO, onis, m. pullus avium pipiens. De pullis palumbium, aut columbarum, ut censet *Salm.*, est illud *Lampr. Alex. Sev.* 41. *extr.* Ne eorum (*palumbium*) pastus gravaret annonam, servos habuit vectigales, qui eos ex ovis et pullicenis, ac pipionibus alerent, *h. e.* ex pecunia, quae venditis ovis, pullicenis, etc. redigebatur. *Pulliceni* sunt pulli gallinacei, et *pipiones* palumbini, aut columbini. V. VIPIO.

[PĬPĬZO, onis, m. gruis pullus: a *pipio*, *onis* pro *vipio*, quam vocem vide suo loco. *Hieron. ep.* 22. *n.* 28. Prandium nidoribus probat, et altili geranopepa, quae vulgo pipizo nominatur. *F.*]

PĬPO, as, n. 1. idem ac pipio, is. *Varr.* ap. *Non.* 2, 676. Mugit bos, balat ovis, equi hinniunt, gallina pipat. ℙ Ap. *Auct. carm. Philom.* 24. tribuitur et accipitri: et prima syllaba producitur. Addit *Scal.* in *Conject. ad Varr.* p. 165. Oscos *pipare* dixisse pro eo quod est ejulando conqueri. V. PIPATIO et PIPIO, as.

[PIPPĀ, ae, f. nomen proprium mulieris Siculae: videtur esse a *πίππος*, pullus avium. *Cic. Verr.* 2, 3, 33. Aeschrionis Syracusani uxor est Pippa, cujus nomen istius nequitia tota Sicilia pervulgatum est, de qua muliere versus plurimi supra tribunal, et supra praetoris caput scribebantur. Adde *ib.* 2, 5, 31. *F.*]

PĬPŬLUM, i, n. vel Pipulus, i, m. *Pl. Aul.* 3, 2, 31. Nisi reddi mihi vasa jubes, pipulo hic differam te ante aedes. *Varr.* afferens hunc *Plauti* locum, ita explicat *L. L.* 6, 5. *med.* id est convicio: declinatum a pipatu pullorum. Vult ergo convicium ei facere, gallinarum vocem imitando. Eodem fere sensu dicebant *occentare ante ostium.* ℙ Hinc *pipulo poscere*, quod dixit *Cn. Mattius* ap. *Gell.* 20, 9., est convicio poscere, clamore, ejulatu, ploratu, quae vel flagitationem, vel irrisionem contumeliamque significent. ℙ [Est etiam ploratus infantium. *Front. ad Anton. Imp.* 1. (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. Ut orationis tuae lepidum illum et liquidum sonum nescio quo pacto in utriusque (*filioli tui*) pipulo agnoscerem. V. PIPO *f.* *F.*]

[PIQUENTES, ium, m. plur. vel

[PIQUENTĪNI, orum, m. plur. incolae Piquenti, nunc *Pinguente*, urbis mediterraneae in Histria, ap. fluvium Quaetum, nunc *Quieto*. Ejus meminit *Ptol.* 3, 1. *Inscr.* ap. *Mur.* 21, 5. Saluti Aug. pro incolumitate Piquent. L. Ventinaris Lucumo adject. junic. V. L. L. S. De eadem V. in JUNIX. *F.*]

PĪRĂCĬUM, ii, n. vinum ex piris. *Hieron. adv. Jovin.* 2. *n.* 5. *extr.* referens ipsius Joviniani verba: Paulus Timotheo dolenti stomachum, vinum suadet bibere, non piracium. [*Venant. Vit. S. Radeg.* 15. Potum vero, praeter aquam mulsam, atque piracium, non bibit. *F.*]

PĪRAEEUS, trisyll. et Piraeus, i, m. et Piraeum, i, n. *Πειραιεύς, έως, ῶς*, portus Athenarum celeber, quadraginta navium capax, quinque mill. pass ab Athenis distans, sed urbi longo muro junctus, et multo opere munitus opera Themistoclis: qui murus *μακρὰ τείχη*, longa moenia, nunc *Porto Lione* dicitur. *Plin.* 4, 7, 11. Piraeeus, et Phalera portus, quinque millia passuum muro recedentibus Athenis juncti. *Catull.* 64, 74. Egressus curvis e litoribus Piraei. *Ov. Fast.* 4, 563. Sunion expositum, Piraeaque tuta recessu Linquit. *Stat. Th.* 12, 616. et trepidis stabilem Piraeea nautis. *Piraeea* accusativus est quatuor syllabarum, et Graecae positionis: *τὸν Πειραιᾶ:* Latini *Piraeeum* dicunt. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Venio ad *Piraeea:* in quo magis reprehendendus sum, quod homo Romanus *Piraeea* scripserim, non *Piraeeum* (sic enim omnes nostri locuti sunt), quam quod *in* addiderim: non enim hoc, ut oppido, praeposui, sed ut loco. ℙ Adjective. *Ov. Met.* 6, 446. portus Cecropios intrat, Piraeaque litora tangit. Adde *Sil.* 13, 754. ℙ [**Piraeum* dicebatur vicus cum portu, Gr. *τὸ Πείραιον* v. *Πείραιον*. Huc pertinent *Ter. Eun.* 3, 4, 1. Coimus in Piraeo; et *ib.* 2, 2, 59. Miror quid ex Piraeo abierit. Porro *Cic. Off.* 3, 11. *ed. Graev.* et *Heus. Nep. Them.* 6, 1. *ed. Brem.* triplex Piraei portus constitutus est. V. supra. — Hinc *Piraeeus*, et contr. *Piraeus* adj., ad *Piraeum* pertinens, ut *Piraeeus portus:* plerumque tamen v. portus omittitur.]

PĪRĀTA, ae, m. *πειρατής*, praedo maritimus: a nomine Graeco allato, quod a *πειράω*, conor, tento. *Cic. Off.* 3, 29. *med.* Nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium. *Vell.* 2, 31. Piratae orbem classibus terrebant. *Cic. Rosc. Am.* 50. Quis unquam praedo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus, ut, etc.? *Lucan.* 3, 228. Itque Cilix justa jam non pirata carina.

PĪRĀTĬCUS, a, um, adj. *πειρατικός*, ad piratas spectans. *Cic. Verr.* 2, 5, 28. *f.* Myoparone piratico capto, dux liberatus, symphoniaci Romam missi. *Id. in Sen.* 5. Piraticum bellum, *h. e.* contra piratas. *Plin.* 3, 26, 30. *extr.* Piratica statio. *Lucan.* 1, 122. Et victis cedat piratica laurea Gallis, *h. e.* parta ob victos piratas. ℙ *Piratica* absolute, piratarum ars, et vita, *πειρατεία. Cic. in Sen.* 5. Egestate et improbitate coactus piraticam ipse fecisset. *Just.* 8, 3. *f.* et 22, 1. Piraticam exercere adversus patriam. *Quintiliani* temporibus haec vox nova videbatur. *Piraticam* (inquit 8, 3.) quoque, ut *musicam*, et *fabricam* dici adhuc dubitabant mei praeceptores. Fortasse ignorabatur, iis multo ante usum *Ciceronem* fuisse.

PĪRĒNE, es, f. *Πειρήνη*, filia Acheloi, quae a Neptuno compressa, in fontem cognominem versa est, quod filium Cenchriam, imprudenter a Diana occisum, nimium lugeret, ut est ap. *Pausan.* 2, 2. Hic autem fons in Acrocorintho fuit, ut *Pl. Aul.* 3, 6, 23. et *Plin.* 4, 4, 5. docent. ℙ Latini poetae hunc fontem faciunt ex ictu ungulae Pegasi ortum, ut Hippocrenen (quod satis indicat *Stat. Silv.* 2, 7, 4. et *Th.* 4, 60.), ac proinde Musis sacrum. Unde *Id. Silv.* 1, 4, 25. licet enthea vatis Excludat Pimplea sitim, nec conscia detur Pirene. *Pers. prol.* 4. Heliconidasque, pallidamque Pirenen. Sed *Casaub.* in h. l. observat, a nullis Graecis scriptoribus dici sacrum Musis: proinde videri, vel incogitantia, vel imperitia cum Hippocrene Latinos poetas confudisse.

PĪRĒNĬS, ĭdis, f. *Πειρηνίς*, ad Pirenen pertinens, seu ad Corinthum, quam prope Pirene est. *Ov. Met.* 7, 391. de Medea: Tandem vipereis Ephyren Pirenida pennis Contigit. *Id. Pont.* 1, 3, 75. Exsul ab Haemonia Pirenida cessit ad undam, *h. e.* Corinthum. Alii leg. *urbem* pro *undam.* Loquitur de Iasone, qui post interfectum Pelian patruum, Corinthi exsulavit, ibique Creusam duxit. *Sen. Med.* 745. Tantalus securus undas hauriat Pirenidas: *scil.* quia Corinthiorum rex fuit, ut *Serv.* ad *A.* 6, 603. tradit.

*PĪRĪNA, ae, f. opp. Siciliae, nec longe ab Himera fluvio. *Anton. Itin. B. A.*

*PĪRĪSABORA, ae, f. opp. Babyloniae. *Ammian.* 24, 2. (al. 6.) *B. A.*

PĪRĪTHOUS et Perithous, i, m. *Πειρίθοος*, Ixionis filius, non ex Nube, quemadmodum Centauri, sed ex legitima uxore, rex Lapitharum. Arctissimo amicitiae foedere Theseo Atheniensi conjunctus fuit. Duxit in uxorem Hippodamen Atracii filiam, quam cum ei Centauri eripere in nuptiis vellent, a Pirithoo ope Thesei, et Lapitharum superati sunt. Mortua autem Hippodame, cum Theseo, qui tum forte caelebs erat, convenit, ut uxorem, nisi ex Jove natam, nullam ducerent. Et cum jam Theseus Helenam Jovis et Ledae filiam rapuisset, nec alia eo tempore nosceretur, quae Jovis esset, praeter Proserpinam, Plutonis conjugem, ad rapiendam illam simul profecti sunt ad Inferos. Verum Pirithous primo impetu a Cerbero interfectus est, quem Theseus adjuvare volens, ipse quoque in vitae discrimine fuit, atque ad extremum captus, a Dite detentus est, sed postea ab Hercule liberatus, superisque restitutus. *Hor. Od.* 3, 4, 79. amatorem Pirithoum trecentae cohibent catenae; et *ib.* 4, 7, 27. Nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro Vincula Pirithoo. *Ov. Pont.* 2, 6, 26. Non haec Aegidae, Pirithoique fides. Adde *ib.* 3, 43. et *Trist.* 1, 5, 19., *Stat. Th.* 8, 54. et *Mart.* 10, 11.

PIRPIT. V. PITPIT.

[PĪRŪLĀ vel Perula, ae, f. *Isid. Or.* 1, 1. Extremitas ejus (*nasi*) pirula, a formula pomi piri. *Gloss. ejusd.* Perula, extrema pars nasi. Hinc Itali per syncopen *perla* vocant margaritam, quae parvi piri, Italice *pero*, formam habet, nostrates vero vulgo *perolo* dicunt, quod Italice *ciróndolo*, nempe inauris, quia ex margaritis plerumque fit. *F.*]

PĪRUM, i, n. *ἄπιον*, fructus piri arboris: a *πῦρ*, ignis, quia flammae instar e lato in oblongum et acutum fastigiatur, ac protenditur, *v* in *i* transeunte, ut a *φύω* est *fio*. Legitur tamen et *pyrum Hor. Epod.* 2, 19. Ut gaudet insitiva decerpens pira! *Id. Ep.* 1, 7, 19. haec (*pira*) porcis hodie comedenda relinques. Haec ait Calaber rusticus hospiti suo, qui pira agrestia comedere recusaverat, quae etiamnum Calabri Graeca appellatione vocant *agrapidi*, vel Latina *peraggine.* ℙ Pirorum varia sunt genera, quae enumerant diligenter *Plin.* 15, 15, 16., *Colum.* 5, 10. *f.* et ex *Cloatio Macr. Sat.* 2, 15. Aliquot recensent etiam *Cato R. R.* 7. et *Cels.* 2, 24. ℙ *Plautus* de hominibus ex aere magno numero decidentibus, *Poen.* 2, 38. Tam crebri ad terram accidebant, quam pira. ℙ **Pirum tortum*, opp. Norici. *Tab. Peut. B. A.*

PĪRUS, i, f. *ἄπιος*, genus arboris, cujus fructus pirum dicitur. *Virg. Ecl.* 1, 74. Insere nunc Meliboee piros. *Plin.* 16, 24, 38. Piro circinata folia; et *ib.* 26, 46. Perdunt facillime fructum ante maturitatem amygdala, malus, pirus; et *ib.* 27. Amygdala, et pirus in senecta fertilissimae.

PĪSA, ae, saepius quam Pisae, arum, f. *Πίσα*, urbs Peloponnesi in regione Pisatide, quae, Pisa ab Eleis eversa, ad Elidem pertinuit, et Elis Pisatis fuit appellata, ad Alpheum fluvium, ludis Graecorum Olympiis celebris. V. OLYMPIA et OLYMPIUS. *Virg. G.* 3, 180. Aut Alphea rotis praelabi flumina Pisae. *Ov. Ib.* 327. Utque Milon, sub quo cruciata est Pisa tyranno, Vivus in occultas praecipiteris aquas. *Mela* 2, 3. Pisae Oenomai, Elis, et fanum Jovis, etc. Adde *Stat. Th.* 4, 238. ℙ *Pisae, arum*, urbs Etruriae, *Pisa*, ad Arnum fluvium, condita a civibus Pisae Alpheae, qui Nestorem ad Trojanum bellum secuti, et in reditu tempestate disjecti, alii quidem Metapontum, alii Etruscum litus tenuerunt. Deinde colonia R. fuit. V. OBSEQUENS. *Virg. A.* 10, 179. Alpheae ab origine Pisae, Urbs Etrusca solo. (Varias de conditoribus ejus opiniones *Servius* hic recenset.) *Just.* 20, 1. Sed et Pisae in Liguribus Graecos auctores habent. *Lucan.* 2, 401. Tyrrhena vado frangentes aequora Pisae. Adde *Rut. Itin.* 1, 560. et *Plin.* 3, 5, 8.

[PĪSA, ae, f. idem ac pisum. *Apic.* 5, 4. Pisam mittis in lanceam. *Id. ib.* pluries. *Pall.* 11, 14. *med.* Si ex Afra pisa lomentum adjiciatur, etc. *Edict. Dioclet.* p. 27. Pisae fractae K. M. unum ✕ centum, pisae non fractae K. M. unum ✕ sexaginta. *F.*]

PĪSAEUS, a, um, adj. ad Pisas Peloponensi pertinens, et ad certamina equorum ibi in honorem Jovis Olympii celebrata. *Ov. Met.* 5, 409. Pisaea Arethusa, *h. e.* cujus fontes in Elide, provincia Peloponnensi, esse finguntur. *Id. Amor.* 3, 2, 15. Ah quam paene Pelops Pisaeo concidit axe, Dum spectat vultus, Hippodamia, tuos! *h. e.* curru, quo certabat cum Oenomao rege Pisae, patre Hippodamiae. Alii leg. *Pisaea hasta*, *h. e.* ipsius Oenomai, qui eam legem statuerat, ut qui filiam vellet, secum decertaret curuli certamine, victor nuptias ejus obtineret, victus moreretur: de qua *Stat. Silv.* 1, 2, 41. Pisaea lege trementem Currere, et Oenomai fremitus audire sequentis; et *Nemes. Cyn.* 23. Pisaeique tori legem. *Stat. Th.* 2, 166. Pisaeis metuendus habenis, *h. e.* certamine curuli. *Ov. Trist.* 2, 385. Quid? non Tantalides, agitante Cupidine currus, Pisaeam Phrygiis vexit eburnus equis? *h. e.* Hippodamiam. *Sen. Thyest.* 123. Pisaei currus. *Sil.* 15, 210. ubi prosiluit Pisaeo carcere praeceps, Ante suos it victor equus. *Juven.* 13, 99. Pisaeae ramus olivae. *Stat. Silv.* 1, 3, 8. Pisaeus annus, *h. e.* anni tempus, quo Olympii ludi fiunt, nempe media aestate. *Id. Th.* 1, 421. Pisaeo sua lustra Tonanti Cum redeunt. *Sen. Ag.* 938. Pisaeus Juppiter. *Accius* ap. *Prisc.* 6, 698. Pisaea praemia. *Lucan.* 2, 165. Pisaea aula, *h. e.* Oenomai regis. *Stat. Silv.* 4, 6, 29. ebur Pisaeo pollice rasum, *h. e.* ea manu, qua Phidias Pisis Jovem Olympium fecit.

*PISANDER, dri, m. Polyctoris filius, unus procorum Penelopes. *Ov. Her.* 1, 91. V. *Homer. Odyss.* 22, 243 et 268. *B. A.*

PĪSĀNUS, a, um, adj. *Pisano*, ad Pisae Etru-

riae urbem pertinens. *Liv.* 39, 2. In agrum Pisanum, Bononiensemque incursaverant. *Rut. Itin.* 2, 12. Pisanus portus. ℙ *Pisani, orum*, ejus populi. *Liv.* 40, 43. et *Rut. ib.* 1, 576.

PĪSĀTĪLEM appellat Naevius Pantaleontem e Pisis oriundum tyrannum: cum alioqui inde profecti nunc Pisani dicantur. *Festus.*

PĪSĀTĬO, onis, f. actus pisandi, hoc est pinsendi. *Sen. ep.* 86. *f.* Terram non aggessit tantum, sed calcavit, et pressit. Negat, quidquam esse hac, ut ait, pisatione utilius. Alii plerique legunt *spissatione:* [at fortasse legendum *pinsatione. F.*]

[PĪSĀTUS, a, um, part. a *piso, as*, idem ac pistatus. *Appul. Herb.* 10. Herba artemisia pisata. *Pelag. Veter.* 6. *med.* Cucumeris radix pisata; et *mox:* Panacis radix pisata. *F.*]

PĪSAURENSIS, e, adj. ad Pisaurum pertinens, opp. Umbriae ad ostia Isauri, vel Pisauri fluvii, nunc *Pesaro*, cujus meminere *Catull.* 81, 3. et *Plin.* 3, 14, 19. Coloniae, Fanum Fortunae, Pisaurum cum amne. *Cic. Brut.* 78. T. Accius Pisaurensis. *Inscr.* ap. *Grut.* 563, 1. C. Tadius C. L. Januarius Pisaurensis. ℙ *Pisaurenses, ium*, sunt incolae illius oppidi. *Inscr.* ap. *Grut.* 276, 3. Respublica Pisaurensium; et 481, 9. Splendidissimus ordo Pisaurensium; et 1085, 12. P. Cornelio Licinio Valeriano Caesari Pisaurenses. ℙ Hinc et *Pisaurius* nomen gentilicium unius ex servis ejus coloniae, ab eadem manumissi. *Inscr.* Pisaurensis ap. *Fabr.* p. 435. *n.* 17. Silvani signum cum basi P. Pisaurius Col. Lib. Achillas posuit. V. OBSEQUENS. ℙ Si credis *Servio* ad *A.* 6, 826., dictum est Pisaurum ab auro pensato: quod circa ea loca Camillus debellatis Gallis, qui Romam ceperant, et magnam vim auri ab Romanis Capitolio inclusis pro libertate extorserant, omnem pecuniam reddere coegit. [*Plurima addidit *F.*]

PĪSAURĪUS, a, um. V. v. praec.

PISCĀRĬUS, a, um, adj. *ἁλιευτικός*, ad pisces, et ad piscandum pertinens. *Pl. Cas.* 2, 8, 65. Ex copia piscaria consulere quid emam, aequum est. *Id. Cure.* 4, 1, 13. Forum piscarium: (quod *Sex. Ruf.* et *P. Vict.* ponunt in regione octava Urbis Romae.) *Id. Stich.* 2, 1, 17. Arundinem fert, sportulamque, et hamulum piscarium. ℙ *Piscaria, ae*, absolute, *ἰχθυοπωλεῖον*, piscarium forum: et *piscarius, ii*, qui pisces vendit. *Varr.* ap. *Perott. in Cornucop.* (quem penes sit fides.) Nullus in piscaria piscis erat: inter piscarios nemo vendebat. *Ulp. Dig.* 50, 16, 17. Vectigal salinarum, et metallorum, et piscariarum. Ita *Haloander*, at *Torrent.* rectius habet *picariarum.* ℙ Piscarium argumentum *Appul. Apol.* dixit, *h. e.* ductum a piscibus.

PISCĀTĬO, onis, f. *ἁλιεία*, piscatus. *Ulp. Dig.* 8, 4. 13. Piscationem thynnariam exercere. *Id. ib.* 7, 1, 9. Piscationum reditum ad fructuarium pertinere.

PISCĀTOR, oris, m. *ἁλιεύς*, qui piscatur. *Cic. Off.* 3, 14. Piscatores ad se convocat. Adde *Ter. Eun.* 2, 2, 26. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 731. *n.* 450. Piscatores propolae, *h. e.* qui pisces ab aliis captos publice divendunt.

PISCĀTORĬUS, a, um, adj. *ἁλιευτικός*, ad piscatum, et piscatores pertinens. *Caes. B. C.* 2, 4 Piscatoriae naves. *Petr. Sat.* 115. Piscatoria casa. *Plin.* 16, 36, 66. arundo. *Id.* 24, 9, 40. lina, *h. e.* ad retia piscaria facienda. *Colum.* 8, 17. *f.* Piscatorium forum. ℙ Piscatorii ludi vocantur, qui quotannis mense Junio trans Tiberim fieri solent a praetore urbano pro piscatoribus Tiberinis, quorum quaestus non in macellum pervenit, sed fere in arcam Vulcani, quod id genus pisciculorum vivorum datur ei Deo pro animis humanis. *Festus.* Meminit horum ludorum *Ov. Fast.* 6, 239. ℙ Piscatorium aes vetusto more appellatur, quod in monte Albano datur pro piscibus. *Festus.*

PISCATRIX, icis, f. *ἁλιεύτρια*, quae piscatur. *Plin.* 9, 42, 67. Nec minor solertia ranae, quae in mari piscatrix vocatur. *Inscr.* ap. *Gud.* 192, 8. Aurelia C. L. Nais piscatrix, etc. Sunt qui legend. putent *picatrix.* V. RESINARIA.

PISCĀTŪRA, ae, f. piscatus. *Tert. ad Marc.* 4, 9. Ad piscaturam respexit.

PISCĀTUS, us, m. *ἁλιεία*, piscatio. *Plin.* 6, 22, 24. Esse et in piscatu voluptatem, maxime testudinum. *Id.* 8, 16, 17. Quos venatus, aucupia, piscatusque alebant. ℙ Item ipsi pisces capti. *Pl. Most.* 1, 1, 63. Ego ire in Piraeum volo in vesperum parare piscatum mihi; et 3, 2, 41. Vino, et victu, piscatu probo vitam colitis. Adde *Cic. Fin.* 2, 8. ℙ Olim fuit secundae declinationis. *Pomp.* ap. *Non.* 8, 38. Quid habes in scirpiculis, calve? omne piscati genus. *Turpil. ib.* Inopia tum erat piscati.

*PISCENAE, arum, opp. Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4. et 8, 48. ℙ Hodie est *Pezenas. B. A.*

[PISCĬCĀPUS, i, m. qui pisces capit, piscator. *Inscr.* Pompejis reperta ap. *Arditi, Legge Petr.* p. 14. Popidium Rufum aedilem piscicapi *orant*, ut faciat. V. v. sq. *F.*]

[PISCĬCEPS, ĭcŭpis, m. qui pisces capit: vox sic improbata a *Varr. L. L.* 7, 33. Si ab avibus capiendis auceps dicatur, debuisse ajunt ex piscibus capiendis pisciceps, ut aucupem, sic piscicupem dici. V. v. praec. *F.*]

PISCĬCŬLENTUS. V. PISCULENTUS.

PISCĬCŬLUS, i, m. *ἰχθύδιον*, parvus piscis. *Cic. N. D.* 2, 48. Itaque cum pisciculi parvi in concham hiantem innataverint. *Ter. Andr.* 2, 2, 32. Olera, et pisciculos minutos ferre obolo in coenam seni. *Varr. R. R.* 3, 5. *f.* Pisciculi ultro citroque commeant. ℙ Fuit etiam cogn. R., ut Junius Pisciculus, ap. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 12.

PISCĪNA, ae, f. *ἰχθυοτροφεῖον*, lacus, et stagnum, in quo vivi pisces coercentur, ut *Gell.* 2, 20. docet. *Cic. Par.* 5, 2. Barbatulos mullulos exceptans de piscina. Adde *Att.* 2, 1. *med.* et *Colum.* 8, 17., ubi ejus conficiendae rationem tradit. V. etiam *Varr. R. R.* 3, 17. ℙ Et quoniam in piscinis etiam homines natare solebant, invaluit consuetudo, ut omnes in hunc usum collectae aquae, sive frigidae, sive calidae, piscinae dicantur, quamvis in his nihil piscium sit, *κολυμβήθρα. Plin. ep.* 5, 6. Si natare latius, aut tepidius velis, in area piscina est. *Id. ep.* 2, 17. Cohaeret calida piscina, ex qua natantes mare aspiciunt. *Sen. ep.* 86. Thasius lapis piscinas nostras circumdedit, in quas multa sudatione corpora exinanita demittimus. *Lampr. Elag.* 19. Hic non nisi unguento nobili, aut croco piscinis infectis natavit; et 24. Momentarias de rosato et rosis piscinas exhibuit. *Suet. Ner.* 27. Refotus saepe calidis piscinis, ac tempore aestivo nivatis. *Mart.* 3, 44. de importuno poeta: Ad thermas fugio, sonas ad aurem; Piscinam peto, non licet natare. V. BAPTISTERIUM. ℙ De frigidaria cella in balneis usurpat *Lampr. Alex. Sev.* 30. Inde unctus lavabatur, ita ut caldariis vel nunquam vel raro, piscina semper uteretur. ℙ Immo piscinae etiam vocantur, ubi anates innatant, unde pecora bibunt, denique ubicumque aqua est ad usum aliquem hominum collecta. *Colum.* 1, 6. Circa villam esse oportebit piscinas minimum duas, alteram quae anseribus, ac pecoribus serviat, alteram, in qua lupinum, vimina, et virgas, atque alia, quae sunt usibus nostris apta, maceremus. Has *Varr. R. R.* 1, 13. *lacus* vocat. ℙ Praeterea *piscinas* vocat *Plin.* 3, 5, 9., ubi de Tiberi verba facit, claustra in tenui fluvio ad sustinendam aquam, ut diu ibi concepta et coercita, deinde emissa, largius fluat, et aliquantisper navigabilis sit. ℙ Denique piscina dicitur quoque de vasis ligneis amplioribus, ad tenendam aquam. *Plin.* 34, 12, 32. Et in piscinas ligneas funditur.

PISCĪNĀLIS, e, adj. ad piscinam spectans. *Pall.* 1, 40. Piscinales cellae in aestivis balneis a septentrione lumen accipiant, in hiemalibus a meridie, *h. e.* cellae frigidariae. V. PISCINA.

PISCĪNĀRĬUS, a, um, adj. ad piscinam pertinens, piscinalis. *Varr. R. R.* 3, 17. Hortensius salsamenta in eas piscinas empticia conjiciebat, cum mare turbaret, ac per tempestatem macellum piscinarium, uti mare, obsonium praeberet, neque everriculo in litus educere possent vivam saginam, plebejae coenae pisces. Ita ex *Codd.* textum restituit *Pontedera Oper. post.* T. 1. p. 105. non improbante *Schneidero* pro *ac per tempestatem suis piscibus e macello cētariorum, uti e mari, obsonium praeberet.* ℙ *Piscinarius, ii*, est etiam *ἰχθυοτροφεύς*, qui amplis et sumptuosis piscinis delectatur, in quibus pisces magni pretii, gulae et deliciarum causa, aluntur, cujusmodi fuere Hortensius, Lucullus, et alii. *Cic. Att.* 1, 19. *med.* Beatos homines (hos piscinarios dico, amicos tuos) non obscure nobis invidere. Adde *eund. ib.* 20. et *Macr. Sat.* 1, 11. [*Multa ab initio adjecit *F.*]

PISCĪNENSIS, e, adj. piscinalis. *Lucil.* ap. *Festum* in *Piscinae.* Piscinensis res est.

PISCĪNELLA, et

PISCĪNŬLA, ae, f. diminutiva sunt a piscina. *Varr. L. L.* 8, 45. sed improbare videtur. Legitur *piscinula* in MSS. *Hieron. Vit. S. Hilar. n.* 31. Quare *piscinellam* ego quoque improbaverim, *piscinulam* non item.

PISCIS, is, m. *ἰχθύς*, animal, quod in aquis degit, et proprie, quod tegitur squamis, ut ex *Plin.* 9, 12, 14. apparet. *Cic. N. D.* 2, 51. Etsi pisces, ut ajunt, ova cum genuerunt, relinquunt. *Hor. Od.* 4, 3, 19. O mutis quoque piscibus Donatura cycni, si libeat, sonum! *Pl. As.* 1, 3, 26. Quasi piscis, itidem est amator lenae: nequam est, nisi recens. *Id. Truc.* 2, 3, 1. Pisces ego credo, qui usque dum vivunt, lavant, minus diu lavere, quam haec lavat Phronesium. ℙ *Piscis femina. Ov. A. Am.* 2, 481. cum quo sua gaudia jungat, Invenit in media femina piscis aqua. ℙ *Pisces* sunt unum ex signis Zodiaci, constans ex quatuor et triginta sideribus. Cum olim bello Giganteo Venus Typhonem fugiens ad Euphratem una cum Cupidine venisset, repentino arborum, et cannarum strepitu, quae circa flumen erant, perterrita in ipsum invocatis Nymphis prosiluit. Duo pisces accurrerunt, alterque Venerem, alter Cupidinem trans Euphratem incolumes detulerunt. Hoc merito in coelum translati sunt. *Ov. Fast.* 2, 457., item *Hyg. Astron.* 2, 30. et *ib.* 3, 29. qui dicit, Venerem cum filio se in piscium formam vertisse: quod et *Ov. Met.* 5, 331. narrat. Inde factum, ut Syri ea loca accolentes, piscibus in cibo abstinerent, ne aut Deorum praesidia impugnare, aut ipsos captare videantur, ut ait *Hyg. ib. Colum.* 11, 2. *med.* XV. Cal. Martii sol in Pisces transitum facit: nonnunquam ventosa tempestas. ℙ Horum alter (ut est ap. *German. Arat.* 240.) in Austros Tendit, Threicium Boream petit alter, etc. Eadem habet *Ov. Fast.* 3, 400., *Avien. Arat.* 545. et *Cic. Arat.* 11. ℙ De nodo, quo invicem connectuntur. V. NODUS. ℙ Est aliud signum, quod *Piscis major* dicitur, de quo *Avien. Arat.* 806., et videtur esse idem, de quo *Virg. G.* 4, 234. Plias sidus fugiens ubi Piscis aquosi Tristior hibernas coelo descendit in undas: *aquosus* dicitur, quia videtur ore aquam excipere a signo Aquarii. Creditur autem esse pater duorum illorum Piscium Zodiaci, et laborantem quondam Isin servasse: unde in coelum locatus est. *Hyg. l. c.* 41. et *ib.* 3, 40. et *Manil.* 1, 428. Situs est autem in Australi parte coeli infra Tropicum Capricorni, sub Aquarii pedibus. Appellatur *Notius major*, a Noto, h. e. Austro: quia *Notius minor* est alter e Piscibus Zodiaci in Austrum versus, ut modo diximus. ℙ *Non te peto, piscem peto.* V. in RETIARIUS. ℙ Quod Itali dicunt, *il pesce grosso inghiottisce il minore*, aut *divora il piccolo*, est *Varronis* ap. *Non.* 1, 98. pisces ut saepe minutos Magnu' comest, ut aves enecat accipiter.

PISCOR, aris, atus sum, dep. 1. *ἁλιεύω*, pisces venor. *Cic. Off.* 3, 14. Ut ante suos hortulos postera die piscarentur. *Hor. Ep.* 1, 6, 57. eamus, Quo ducit gula, piscemur, venemur, ut olim Gargilius. *Suet. Aug.* 25. et 83. Piscari hamo. *Id. Ner.* 30. Piscatus est rete aurato. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 3. Retia in piscando durantia. ℙ *Piscari in aere*, prov. est: operam ludere, frustra laborare. *Pl. As.* 1, 1, 86. Jubeas una opera me piscari in aere. Simile est illud, quod subdit *ib.* Venari retejaculo in medio mari.

PISCOSUS, a, um, adj. *ἰχθυώδης*, piscibus abundans, vel in quo piscari facile est. *Ov. Fast.* 3, 581. Est prope piscosos lapidosi Crathidis amnes Parvus ager. *Virg. A.* 4, 255. Piscosi scopuli.

PISCŬLENTUS, a, um, adj. idem ac piscosus. *Pl. Rud.* 4, 2, 2. Qui salsis locis incolit pisculentis. *Solin.* 5. de Sicilia: Promontorium omnibus mari nantibus pisculentissimum. *Cato* ap. *Non.* 2, 634. Naro, et Iberus fluvii pisculenti. ℙ De ipsis piscibus. *Appul. Apol.* Nunquam marino aliquo et pisculento medicavit nec Proteus faciem, nec Ulysses scrobem, etc. Alii leg. *pisciculento.*

[PĪSĬĀNAX, actis, m. obsequens regi, seu domino: a *πεῖσις*, obsequium, et *ἄναξ*, rex, dominus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 248. *n.* 8. Trebatia Eutychia manumissa a Cn. Trebatio Pitianacte. Lege *Pisianacte. F.*]

PĪSĬDAE, arum, m. plur. populi Pisidiae, quae est pars Pamphyliae Borealis. *Claud. in Eutrop.* 2, 241. Finibus obliquis Lydi, Pisidaeque feroces. *Cic. Div.* 1, 1. Pisidarum gens. ℙ Quantitas primae et secundae syllabae tum brevis, tum longa est: corripit enim *Claud. l. c.*, producunt *Prisc. Perieg.* 808. Post hoc Pisidum pinguissima culta coluntur; (*Pisidum* est per syncop. pro *Pisidarum*, ut *Aeneadum* pro *Aeneadarum.*) et singul. num. *Avien. Perieg.* 1023. Tum Pisida ferox exercet pinguia culta. Hi porro hic vertunt versum *Dionysii Περιηγ.* 858. *Τοῖς δ' ἔπι Πισιδέων λιπαρὸν πέδον: hos vero post Pisidarum pingue solum;* ubi prima quidem vocalis longa est, secunda vero brevis esse videtur, sed potius pro longa habenda, cum *ε*, ut saepe alias apud Graecos, et *e* apud Latinos (*Virg. A.* 6, 412. simul accipit alveo Ingentem Aeneam) per synaeresin ita cum sequenti vocali cohaereat, ut ambae unicam constituant syllabam. Adde, in *Inscr.* optimae notae ap. *Mur.* 582., quae pertinet ad ann. U. C. DCLXXXII, pluries *Peisidae* scribi; unde conjicere licet, utramque syllabam tam a Graecis, quam a Romanis productam fuisse.

[PISIDĬCUS, a, um, adj. ad Pisidiam pertinens. *Plin.* 21, 7, 19. Non improbatur et Pisidica iris. *F.*]

*PISINĀTES, ium, populi Umbriae, vel certe circa Umbriam, quorum civitas olim Pisinum vel Pisina dicta. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

[PĪSINNĬO, onis, m. dimin. pisinni. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 161, 7. T. Valentino Pisinioni Curtia Marcellina marito optimo, etc. Hic consona non geminatur juxta vetustiorem orthographiam. *F.*]

PĪSINNUS, a, um, adj. vetus vocabulum significans pusillum: a *pusio. Labeo* ap. *Vet. Schol. Pers.* 1, 4. Crudum manduces Priamum, Priamique pisinnos. V. LABEO. *Mart.* 11, 72. Drauci Natta sui vocat pisinnam, Collatus cui Gallus est Priapus, *h. e.* Natta mentulam sui drauci vocat pisinnam, quae si conferatur cum mentula Priapi, hic videri possit Gallus, cui nempe Samia testa ea pars omnino abscissa est. V. GALLI. Alii leg. *pipinnam* eodem sensu; alii *vepenem.*

[PĪSISTRĀTĬDAE, arum, m. plur. *Πεισιστρατίδαι*, patron. Pisistrati, tyranni Atheniensium, cu-

jus filii Hipparchus, et Hippias tyrannidem ibidem occuparunt. Illius meminere *Cic. Or.* 3, 34. et *Phaedr.* 1, 2., horum *Liv.* 31, 44. Postremo inclusum, ut omnia, quae adversus Pisistratidas decreta quondam erant, eadem in Philippum servarentur. *F.*]

PISĪTO, as, a. 1. verbum exprimens vocem sturni. *Auct. carm. Phil.* 17. sturnus tunc pisitat ore.

PISO, as, a. 1. idem ac piso, is, seu pinso. V. PINSO,

PISO, is, si, a. 3. πίσσω, pinso, calco, tundo: a verbo Graeco allato. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Alii ficum et uvam passam cum piserunt, affundunt sapam. *Cato R. R.* 136. Si communiter pisunt. *Plin.* 18, 10, 23. Etruria spicam farris tosti pisente pilo praeferrato, fistula serrata, et stella intus denticulata, ut nisi intenti pisant, concidantur grana, ferrumque frangatur. V. PISTURA. *Id. ib.* De ipsa ratione pisendi: et *mox:* Lentem torreri prius, deinde cum furfuribus leviter pisi: et *mox:* Acus vocatur, cum per se pisitur spica. Ita legit *Hard.:* alii ubique *pinso* reponunt; etiam in loco *Varr.* Nihilominus *piso* agnoscitur ut Latinum a *Diomed.* 1, 370.

PISO, onis, m. mortarium, in quo aliquid pisitur. *Marcell. Empir.* 8. Radices betae lavabis, siccabis, deinde tundes in pisone marmoreo.

PISONES, um, m. plur. Πισῶνες, familia nobilissima Romae: a pisorum satione, quod pisa optime sererent, ut *Cicerones* a cicere, *Fabii* a faba, *Lentuli* a lente. Sed *Plin.* 18, 3, 3. et *Auct. Pan. ad Pis.* 16. deducit a *pisendo.* E Calpurniorum prosapia, seu gente fuere, quae a Numa Pompilio descendit. Calpus enim Numae filius fuit, ut ait *Festus:* unde Calpurnii dicti. Ex hac familia fuit L. Piso cognomento Frugi. Item M. Piso philosophus Peripateticus, aequalis Hortensii. Item C. Piso orator. Item C. (al. *Cn.*) Piso orator gener Ciceronis. Item Cn. Piso socius Catilinae. Item L. Piso inimicus Ciceronis, homo omnibus vitiis infamis, ut quidem a *Cicerone* pingitur. ℙ Pisonum etiam familia plebeja fuit, in qua natus est L. Piso orator, qui tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis, Censorino, et Manilio Coss. tulit, *h. e.* ann. U. C. DCV. *Cic. Brut.* 27. et *Verr.* 2, 3, 84.

PISONIĀNUS, a, um, adj. ad Pisones pertinens. *Suet. Ner.* 36. Pisoniana conjuratio. *Hieron. ep.* 69. *n.* 2. Primum spinosulus noster obmutuit: postea vero, Pisoniano vitio, cum loqui nesciret, tacere non potuit, *h. e.* debilitate linguae, nam *Cic. Pis.* 1. L. Pisoni tarditatem ingenii, stuporem, debilitatemque linguae objicit.

PISSASPHALTUS, i, m. πισσάσφαλτος, pix mista bitumini, quae in Apolloniatarum agro reperitur: a πίσσα, pix, et ἄσφαλτος, bitumen. *Plin.* 24, 7, 25. et 35, 15, 51.

PISSĔLAEON, i, n. πισσέλαιον, oleum, quod ex pice cedrina fit: *Plin.* 24, 5, 11. Fit ex eo oleum, quod pisselaeon vocant.

PISSĪNUS, a, um, adj. πίσσινος, piceus, qui e pice fit: a πίσσα, pix. *Plin.* 15, 7, 7. E pice fit (*oleum*) quod pissinum appellant, cum coquitur, velleribus supra halitum ejus expansis, atque ita expressis: probatum maxime e Bruttia: est enim pinguissima et resinosissima. Quidam editi libri habent *picinum;* at MSS. omnes *pissinum*, teste *Hard. Id.* 23, 4, 50. Pissino oleo usus ad qua drupedum scabiem est. Adde 25, 5, 22.

PISSOCĔROS, m. πισσόκηρος, genus melliginis mixtum e cera et pice: a πίσσα, pix, et κηρός, cera. *Plin.* 11, 7, 6. de apib.: Prima fundamenta commosin vocant periti: secunda pissoceron, tertia propolin. Commosis crusta est prima, saporis amari: pissoceros super eam venit, picantium modo, ceu dilutior cera.

PISTACIA, ae, f. arbor pistacium ferens. *Pall.* 3, 25. *extr.* Et pistaciae planta vel nunc statui, aut inseri potest.

PISTACIUM et Pistaceum, i, n. πιστάκιον, nucis genus Syriae, et Palaestinae proprium; unde etiam vocis etymon deducendum est. *Plin.* 13, 5, 10. Syria peculiares habet arbores: in nucum genere pistacea nota. *Pall.* 11, 12. ejus arboris sationem, et culturam docet. *Id. de insit.* 157. Quin et amygdaleos subeunt pistacia ramos. Hic licenter antepaenultima producitur, breviatur autem, et quidem recte, ap. *Nicand. Theriac.* 891.

PISTĀNA, ae, f. Graecis dicitur ulvae genus, quod Latini sagittam vocant. *Plin.* 21, 17, 68.

[PISTĀTUS, a, um, part. a *pisto, as*, idem ac pisatus. *Appul. Herb.* 75. Herba senecion pistata cum axungia vetere pedum dolorem tollit. *F.*]

PISTIA, ae, f. cognomen Dianae in *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 230. et Cereris *ib. n.* 232. Est fidelis, a πίστις, fides, quasi *Fidia.* Sed *Reines.* errorem lapicidae putat, et *Fisica* corrigit: quod pro *Physica*, seu *Lucina.*

*PISTĬCUS, a, um, adj. πιστικός, sincerus. *Vulgat. Iohann.* 12, 3. Libram unguenti nardi pistici pretiosi. *B. A.*

PISTILLUM, i, n. et Pistillus, i, m. ὕπερος, pilum, h. e. instrumentum, quo quippiam in mortario feritur: a sup. *pistum* verbi *pinso. Pl. Aul.* 1, 2, 17. Cultrum, securim, pistillum, mortarium, quae utenda vasa semper vicini rogant, fures venisse, atque abstulisse, dicito. *Colum.* 12, 55. Semen sinapis in mortarium conjicito, et pistillis conterito. *Plin.* 34, 18, 50. In mortario lapideo plumbeo pistillo terere. *Auct. Moret.* 111. Sed gravior lentos ibat pistillus in orbes. *Hieron. ep.* 69. *n.* 4. Acumen omni pistillo retusius, *h. e.* argutia obtusa et infirma. De pistillo est epigramma ap. *Sympos.* 85. Una mihi cervix, capitum sed forma duorum. ℙ In neutro gen. *Vet. Scriptor* ap. *Non.* 3, 182. Pistillum grande est. Sunt qui putant, *Nonium* eo loco non de pistillo, sed de *pastillo* verba facere: cui magis congruere videntur, quae ibi afferuntur exempla.

PISTO, as, a. 1. pinso. *Veg. Vet.* 1, 32. In pila lignea pistabis, cernesque subtiliter.

PISTOLOCHIA, ae, f. πιστολοχία, herba, genus aristolochiae, densis radicis capillamentis: ita appellata a πιστὸς, fidelis, et λόχια, partus purgamenta, quasi fidelis puerperis mulieribus. Ejus meminit *Plin.* 25, 8, 54., ubi tamen *Hard.* ex MSS. legit *plistolochia*, a πλεῖστος, plurimus, *h. e.* plurimum adjuvans puerperas. V. ARISTOLOCHIA.

PISTOR, oris, m. μαγεὺς, σιτοποιὸς, qui ante inventum molarum usum frumentum in pila contundebat: a *pinsendo. Varr.* ap. *Non.* 2, 643. Nec pistorem ullum nossent, nisi eum, qui in pistrino pinseret far. *Id. ib.* Nec pistoris nomen erat, nisi ejus, qui ruri far pinsebat. *Plin.* 18, 11, 28. Certum est A. Atteji Capitonis sententia, coquos tum panem lautioribus coquere solitos: pistoresque tantum eos, qui far pinsebant, nominatos. *Plautus* quoque pistor fuit hoc sensu, scilicet molis versandis operam suam locare solitus, ut *Gell.* 3, 3. *f.* tradit. ℙ Deinde dici coepit de eo, qui farinam subigit, panemque conficit, ἀρτοποιός. *Plin. l. c.* Pistores Romae non fuerunt ad Persicum usque bellum, annis ab Urbe condita super quingentos octoginta. Ipsi panem faciebant Quirites: mulierumque id opus erat, sicut etiam nunc in plurimis gentium. *Varr.* ap. *Gell.* 15, 19. Si quantum operae sumpsisti, ut tuus pistor bonum faceret panem, etc. *Suet. Caes.* 48. Ut pistorem, alium, quam sibi, panem convivis subjicientem compedibus vinxerit. ℙ *Juppiter pistor* dictus est, quod obsessis in Capitolio Romanis eam mentem dedit, ut panes in munimenta Gallorum obsidentium dejicerent ad simulandam copiam, ne illi fame posse vinci sperarent. *Ov. Fast.* 6, 377. et sqq. et *Lact.* 1, 20. ℙ Etiam qui placentas, et alia opera dulciaria facit, *pistor* dicitur. *Mart.* 11, 32. et 14, 222. et *Petr. fragm. Trag.* 60. *Burm.* Sic *pistor dulciarius, siliginarius,* et *candidarius,* quae V. ss. ll. ℙ *Pistorum*, ut ceterorum fere artificum, corpus, et collegium Romae fuit, quod Itali dicunt *fraglia de' pistori*, ut apparet ex *Inscr.* ap. *Grut.* 81, 10. et 255, 1. et ex *Cajo Dig.* 3, 4, 1. et *Papiniano ib.* 27, 1, 46. Hoc vero collegium olim jam exstitisse, perspicuum est praesertim ex *Inscr.* ap. *Don. cl.* 9. *n.* 11., in quo illud Jovi conservatori statuam dedit pro salute Imp. Caes. Augusti; verum ex *Aur. Vict. Caesar.* 13. novimus, Trajanum Aug. annonae perpetuae mire consuluisse, recepto firmatoque eodem collegio. Quod confirmatur ex *Fragm. juris antejustin.* ab *A. Maio* editis p. 56., ubi eorum pistorum numerus centenarius fuisse dicitur. Sequiori vero tempore etiam in domo Augusta corpus pistorum fuit, ut constat ex *Inscr.* Ravennae reperta, edita autem in *Giorn. Fiorent.* ann. 1750. p. 685. Florentius pater pistorum regis Theodorici, *h. e.* praefectus pistorum. [*Ultima addidit *F.*]

[PISTORIĀNUS, a, um, adj. idem ac pistoriensis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 177. *n.* 357. P. Eppius P. F. Vol. Pistorianus. *F.*]

PISTORĬCUS, a, um, adj. idem ac pistorius. *Ulp. Dig.* 32, 1, 71. Sed quorum operas locabat vel pistoricas, vel histrionicas. Al. leg. *pistorias.*

PISTORIENSIS, is, adj. ad Pistorium pertinens, Etruriae urbem, quae a *Ptolem.* 3, 1. Πιστωρία, nunc *Pistoja* dicitur, cujus *Plin.* 3, 5, 8. meminit. *Sall. Cat.* 59. Reliquos Catilina per montes asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit. ℙ *Pistorienses milites* dicuntur a *Plauto* jocose et ambigue, *Capt.* 1, 2, 57.; possunt enim intelligi, ut sint e Pistorio, et ut strenui sint in arte pistoria, h. e. in pane, et frugibus consumendis. Verba sunt: Opus est militibus pistoriensibus, opus paniceis, placentinis, turdetanis, ficedulensibus. Alii leg. *pistorensibus.*

PISTORĬUS, a, um, adj. σιτοποϊκὸς, ἀρτοποϊκὸς, ad pistorem pertinens, ut Ars pistoria, quod fuit nomen generale ad panem, et ad omnia delicatiora panis genera, cujusmodi erant, quas placentas, et mazas appellabant. *Plin.* 18, 11, 27. Ad operis pistorii genera transeunte cura. *Cels.* 2, 18. Opus pistorium valentissimum esse, quod ex frumento, adipe, melle, caseo constat. ℙ *Forum Pistorium* Romae fuit in Aventino, quae est Regio XII. *P. Victor de Reg. U. R.*

PISTRĬGER, ra, rum, adj. a *pistrix. Sidon. ep.* 4, 8. *in carm.* Pistrigero quae concha vehit Tritone Citheren, *h. e.* Tritone in pistricis formam cauda desinente. Alii leg. *pristigero.* V. PISTRIX.

PISTRILLA, ae, f. mola trusatilis, quae manibus versatur: vel pistrina parva. *Ter. Ad.* 4, 2, 45. Apud ipsum lacum est pistrilla, et exadversum est fabrica.

PISTRĪNA, ae, f. idem ac pistrinum. *Plin.* 18, 9, 20. E siligine laudatissimus panis, pistrinarumque opera laudatissima. Adde 19, 8, 52., ubi intelligit officinam pistoris dulciarii: et *Lucil.* ap. *Charis.* 1, 55.

PISTRĪNĀLIS, e, adj. ad pistrinum pertinens, pistrinensis. Pistrinales sues dicuntur, quae in pistrino aluntur furfuribus et farina. *Colum.* 7, 9. de suib.: Si regio temperata est, glabrum pecus, vel etiam pistrinale album potest pasci. Huc facit illud *Plauti Capt.* 4, 2, 27. Pistores scrofipasci, qui alunt furfure sues, quarum odore praeterire nemo pistrinum potest. Quidam in verbis *Colum.* legunt *pristinale*, sed non facile confirmant.

PISTRĪNĀRIUS, ii, m. qui pistrinum exercet. *Ulp. Dig.* 16, 3, 1. Actionem esse adversus pistrinarium.

PISTRĪNENSIS, e, adj. μυλικὸς, ad pistrinum pertinens. *Suet. Cal.* 39. Comprehensis ad deportandum meritoriis quoque vehiculis, et pistrinensibus jumentis.

PISTRĪNUM, i, n. μύλων, locus, in quo frumentum, et aliae fruges ante molarum trusatilium inventionem in pilis conterebantur: item post molas inventas omnis locus, in quo fruges molis circumactis, opera jumentorum, vel servorum, vel impulsu aquae, aut venti comminuebantur: a *pinsendo. Ter. Andr.* 1, 2, 28. Verberibus caesum te in pistrinum, Dave, dedam usque ad necem. *Cic. Or.* 1, 11. Oratorem in judicia, tanquam in aliquod pistrinum, detrudi et compingi videbam. *Suet. Aug.* 4. Exercere pistrinum, *h. e.* artem pistoriam. *Pall.* 1, 42. Si aquae copia est, fusuras balnearum debent pistrina suscipere; ut ibi formatis aquariis molis, sine animalium, vel hominum labore frumenta frangantur. Hinc *Plin.* 18, 10, 23. Major pars Italiae ruido utitur pilo: rotis etiam quas aqua verset, et molat. ℙ Translate pro quovis operoso loco, vel labore accipitur. *Cic. Or.* 2, 33. Tibi mecum in eodem est pistrino, Crasse, vivendum.

PISTRĪNUS, a, um. V. PRISTĪNUS.

PISTRIS. V. in v. sq.

PISTRIX, īcis, f. μυλωθρὶς, ἀρτοκόπος, mulier, quae fruges pinsit: item quae panem conficit, nam panis confectio apud Romanos fuit opus praecipue mulierum, ut *Plin.* 18, 11, 28. docet. *Lucil.* usurpavit, teste *Varr. L. L.* 4, 31. Verba autem refert *Fest.* in *Mamphula*, ubi V. ℙ Item genus marinae belluae longi corporis, et angusti. *Flor.* 3, 5. Nuncius per medias hostium naves utre suspensus, et pedibus iter adgubernans, videntibus procul, quasi marina pistrix, evaserat. ℙ Hoc sensu dicitur et *pistris, is*, et rectius per metathesin pristis. *Plin.* 9, 3, 2. In Indico mari balaenae quaternum jugerum, pristes ducenum cubitorum. *Val. Fl.* 2, 530. jamque agmine toto Pistris adest, miseraeque inhiat jam proxima praedae. *Virg. A.* 3, 427. de Scylla: Prima hominis facies, et pulcro pectore virgo Pube tenus: postrema immani corpore pistrix. Ubi *Serv.:* si navem intelligas, *haec pristis, hujus pristis* facit: si de bellua, *haec pistrix, hujus pistricis. Arnob.* 3, 118. Frater Jovis Olympii germanus, tridenti armatus ferro, pistricum dominus, atque maenarum. ℙ Ut hoc discrimen sit verum, certe *pristis* est etiam navigii genus, ut ait *Non.* 13, 13., a forma pristium marinarum, quae longi corporis sunt, sed angusti. *Claud. Quadrig. ib.* Quinque pristes: navigium ea forma a marina bellua dictum est. *Virg. A.* 5, 116. Velocem Mnestheus agit acri remige pristin. Ubi *Pierius* docet (ut et ad *ib.* 10, 209.) in antiquis plerisque codicib. *pristin* legi, in aliis *pistrin:* et dictam esse a πρίζω, findo, a secandis fluctibus. ℙ Item signum coeleste, de quo satis in CETE dictum est. *Cic. Arat.* 152. Flumine mixta retro ad Pistricis terga reverti. *German. Arat.* 358. Auster Pistrin agit: duo sidera praelegit unum.

PISTŪRA, ae, f. actus pinsendi frumenta in usum panis. *Plin.* 18, 10, 23. Pistura non omnium facilis: quippe Etruria spicam farris tosti pisente (lege *pinsit*) pilo praeferrato, etc. et *paulo post*: Et ipsa quae evalluntur, variam pisturarum rationem habent. Acus vocatur, cum per se pisitur spica, etc.

PISTUS, a, um, part. a *pinso:* πισθεὶς, pinsitus, tusus, tritus. Ubi legitur ap. *Fest.* Pistum a pinsendo pro politum antiqui frequentius usurpabant, quam nunc nos dicimus. *Scal.* illud *politum* in *molitum* mutat. *Plin.* 20, 5, 20. *extr.* Caepa sale et aceto pista et arefacta. *Id.* 18, 10. *n.* 4. Tradunt, zeam ac tiphen, cum sint degeneres, redire ad frumentum, si pistae serantur, *h. e.* decorticatae, et purgatae.

[PISTUS, i, m. et Pistē, es, f. πιστὸς, ἡ, fidelis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 789, 7. Aure-

lius Pistus. Alia ap. *Fabrett.* p. 267. *n.* 112. Poppaea Piste. *F.*]

*PISUĔTAE, arum, incolae Pisuae. Fuit autem Pisua vel Pisya, *Πισύη Steph. Byz.*, Cariae oppidum. *Liv.* 33, 18. *B. A.*

PĪSUM, i, n. πίσον, et πίσσος, genus leguminis, rotundo in siliquis grano, caule oblongo, et spargente se humi, si careat adminiculo: ita dictum, quod semper pisitur, antequam coquatur. *Colum.* 2, 10. Pisum facilem et solutam terram desiderat, tepidumque locum. *Plin.* 18, 12, 31. Pisum in apricis seri debet, frigorum impatientissimum. *Id. ib.* 33. Piso siliquae cylindratae. V. PISA, ae.

*PĪTAĬUM, i, n. *Πιταΐον*, oppidum Cariae. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

[PĪTĀNAEUS, a, um, adj. ad Pitanen pertinens, Aeoliae urbem, ad Caicum flumen, cujus meminit *Plin.* 5. 30, 32. et *Ov. Met.* 7, 357. Hinc *Plin.* 29, 6, 38. Apollonius Pitanaeus. *F.*]

*PITARA, ae, f. opp. Aethiopiae, cujus meminit *Plin.* 5, 29. *B. A.*

[PĪTHĀNUS, i, m. et Pithānē, es, f. πιθανὸς, ἡ, probabilis: a πείθω, persuadeo. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 988, 11. Pithanus T. Flavii Niconis ser. Alia ap. *Fabrett.* p. 94. *n.* 204. Pithane fecit sibi. *F.*]

PITHAULES. V. PYTHAULES.

PITHAULĬCUS. V. PYTHAULICUS.

[PĪTHĔCĂ, ae, f. πίθηκος, simia. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 614, 4. Pitheca liberta. *F.*]

PITHĔCĬUM, ii, n. πιθήκιον, diminut. a πίθηκος, simia. *Pl. Mil.* 4, 1, 42. Pithecium haec est prae illa, et spinthurnicium. ¶ Est etiam nomen herbae, ap. *Appul. Herb.* 86. alio nomine canis cerebrum.

[PITHĔCUS, i. m. πίθηκος, simia. *Not. Tir.* p. 176. Pithecus, cercopithecus, cercops. *F.*]

PITHĔCŪSĂ, ae, f. insula maris Tyrrheni in sinu Puteolano, ante promontor. Miseni: quae olim et Aenaria, et Inarime, nunc *Ischia* dicitur: a πίθος, dolium, quia multa ibi dolia ex creta fiebant. *Plin.* 3, 6, 12. Aenaria a statione navium Aeneae, Homero Inarime dicta, Graecis Pithecusa, non a simiarum multitudine, ut aliqui existimavere, sed a figlinis doliariorum. ¶ Alii duas faciunt Pithecusas, et dictas putant a πίθηκος, simia, quasi πιθηκόεσσα, πιθηκοῦσσα, h. e. simiis abundans, quia multa olim ibi simiarum copia fuerit. Est enim in fabulis duos fratres, Candulum et Atlantem, omnium scelerum inventores, dolis omnibus circumvenire solitos, quicumque ad eas insulas appellerent, Jovem ipsum aliquando decipere tentasse, ab eoque in simias fuisse mutatos. *Ov. Met.* 14, 89. Inarimen, Prochytenque legit, sterilique locatas Colle Pithecusas, habitantum nomine dictas. Quippe Deum genitor, etc.

PITHEUS, i. m. disyll. πιθεὺς, et Pithīas, ae, m. πιθείας, et Pithus, i, m. πίθος, nomen globi ignei in coelo apparentis, dolii figura, in concavo fumidae lucis, ut ait *Plin.* 2, 25, 22.: a πίθος, dolium. *Sen. Q. N.* 1, 14. Sunt pithiae, cum magnitudo vasti rotundique ignis dolio similis vel fertur, vel eodem loco flagrat. *Appul. de Mundo:* Sunt et alia ejusmodi imaginum genera, quas Graeci faces, et docidas, et pithos, et bothynos, ad eorum similitudinem, unde dicta sunt, nominant. De his ita *Manil.* 1, 840. Quin etiam tumidis exaequat dolia flammis Procero distenta utero, parvosque capillos Mentitur, parvos ignis glomeratus in orbes.

[PITHO, onis, et us, f. *Πειθώ*, Dea, filia Oceani, et Tethyos, de qua *Hesiod. Theog. v.* 349., eadem ac Suada, et Suadela, quas voces vide suo loco. *Capell.* 9, 307. Post hos psallentes Pitho, Voluptas, et Gratiae admixtis lyrae vocibus, atque ipsae harmonicis dissultantes motibus advenere dextra laevaque. *F.*]

[PITHŎDĒMUS, i, m. persuadens populum, idem ac pitholaus: a πείθω, persuadeo, et δῆμος, populus. Est luctatoris nomen ap. *Plin.* 34, 8, 19. V. v. sq. *F.*]

[PITHŎLĀUS, i, m. populum persuadens, populum oratione flectens: a πείθω, persuadeo: hinc πειθὸς, persuasorius, et λαὸς, populus. Est cogn. R., ut M. Otacilius Pitholaus ap. *Macrob. Sat.* 2, 2. V. v. praec. *F.*]

[PITHŪSĂ, ae, f. persuadens, πείθουσα, part. verbi πείθω, persuadeo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 93. *n.* 198. Mettia Pithusa. *F.*]

[PITINAS, atis, adj. omn. gen. ad Pitinum pertinens. Hoc nomine trina fuere in Italia oppida: unum in Vestinis haud longe a Priferno oppido, nunc *Torre*, vel *Rocchetta di Pitino* appellatum; in *Tab. Peut.* ejus est mentio. *Plin.* 2, 103, 106. In agro Pitinate trans Apenninum fluvius Novanus omnibus solstitiis torrens, bruma siccatur. ¶ Bina vero in Umbria, quorum unum Pisautense dicebatur, in vicinia urbis, quae nunc *Macerata*, ut ex inscriptionibus nuper detectis constat; alterum Mergens, non procul, ut creditur, ab hodierno *Sascorbaro.* De his locum *Plin.* 3, 14, 19. valde corruptum ita restituit *Oliver.* in *Marm. Pis.* p. 66. Pitulani, Pitinates cognomine Pisaurenses, et alii Mergentini. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 597. *n.* 1. Abejenae C. F. Balbinae patronae municipii Pitinatium Pisaurensium etc. Alia ap. *Grut.* 417, 6. C. Hedio C. F. Clust. Vero patrono municipii, flamini, item Pitino Mergente IIII. viro Quinquennali etc. Alia ap. *Mur.* 206, 3. Ab *ordine Pitini Mergentis.* *F.*]

[PITĬO, onis, m. idem videtur esse ac *pitillus* pro *putillus*, diminutivum nempe *piti* pro *puti*, blandientium voce, significans pusillum: constat enim *u* vetustiorum saepius in *i* commutari, ut *maxumus*, deinde *maximus*, et alia sexcenta. In nummo ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 5. p. 305. L. Sempronius Pitio. *F.*]

PITISSO. V. PYTISSO.

PITPIT, Osce, quidquid. *Fest.* Hinc *corrig.* Pirpit.

PITTĂCĬUM, ii, n. πιττάκιον, schedula brevis, seu membranae, aut chartae particula, quae alicui rei pice vel cera aliave re affigitur, et paucis verbis perscribitur memoriae causa: a πίττα, pix *Petr. Sat.* 34. Allatae sunt amphorae vitreae diligenter gypsatae, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: Falernum Opimianum annorum centum. *Id. fr. Trag.* 56. *Burm.* Cum pittacia in scypho circumferri coeperunt, puerque super hoc positus officium apophoreta recitavit. De his *Pl. Poen.* 4, 2, 14. Ibi tu videas litteratas fictiles epistolas, pice signatas: nomina insunt cubitum longis litteris. Ita vinariorum habemus nostrae delectum domi. ¶ Item brevis charta, libellus, in quo memoriae causa aliquid adscribitur, licet nullibi affigatur. *Gloss. Phil.* *Πιττάκιον*, pittacium, brevis. (V. BREVIS.) *Id. Is.* Pittacia, epistola brevis, et modica. *Lampr. Alex. Sev.* 21. *f.* De promovendis etiam sibi annotabat, et perlegebat cuncta pittacia. *Impp. Valent.* et *Valens Cod. Theod.* 7, 4, 11. de erogat. annonar. milit.: Susceptor antequam diurnum pittacium authenticum ab actuariis susceperit, non eroget: quod si absque pittacio fuerit erogatio, id quod expensum est, damnis ejus potius deputetur; et *ib.* 13. Actuarii per singulos, vel, ut multum, binos dies authentica pittacia prorogent, ut hoc modo immissis pittaciis, species capitum, annonarumve ex horreis proferantur. ¶ Item emplastrum, seu panni particula aliquo medicamento illita, quae imponitur alicui parti corporis ad sedandum dolorem. *Cels.* 3, 10. Si capitis dolores sunt, oportet habere duo pittacia, quae latitudinem frontis aequent: ex his invicem alterum in aceto et rosa habere, alterum in fronte. *Laberius* ap. *Gell.* 16, 7. Induis capitium tunicae pittacium, *h. e.* quod tanquam pittacium tunicae adsutum et affixum est. ¶ Sunt qui scribunt *pitacium*, alii *pictacium*, alii *pyctacium:* sed verior est scribendi ratio, quam posuimus. *Dausq.*

PITTĂCUS, i, m. *Πιττακὸς*, philosophus Mitylenaeus, unus ex septem Graeciae sapientibus, qui ex Lesbo tyrannum Melanchrum depulit, et certantibus Atheniensibus, atque Mitylenaeis dux in bello factus, Phrynonem Atheniensium ducem singulari certamine interfecit. Hujus illud est: *Providere ne casus veniant; si forte venerint, aequo animo tolerare.* *Auson. de VII. sapientib.* Mitylena oriundus Pittacus sum Lesbius, *Γίγνωσκε καιρὸν*, qui dixi sententiam. Sed iste καιρὸς, tempus ut noris, monet, Et esse καιρὸν, tempestivum quod vocant. Romana sic est vox, Venito in tempore. *Juven.* 2, 6. Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit. *Pittacon* est accusativus Graecae positionis.

PITTHĒIS, ĭdos, f. patron. *Πιτθηΐς*, filia, vel neptis Pitthei. *Ov. Her.* 10, 131. de Theseo: Nec pater est Aegeus, nec tu Pittheidos Aethrae Filius, *h. e.* Aethrae filiae Pitthei, qui Troezene regnavit.

PITTHĒĬUS, a, um, adj. *Πιτθήϊος*, ad Pittheum pertinens, regem Troezenis. *Ov. Her.* 4, 107. Hic tecum Troezena colam, Pittheia regna.

PĬTTHĒUS, a, um, adj idem ac Pittheius, *Πίτθειος.* *Ov. Met.* 15, 506. Pittheam profugo curru Troezena petebam. Adde *ib.* 296.

PĪTŪĪNUS et Pītyīnus, a, um, adj. πιτύϊνος, qui e pinu fluit: a πίτυς, pinus. *Veg. Vet.* 4, 28. *med.* et *Scrib. Compos.* 202. et 205. et *Pelag. Vet. f.* Resina pituina. *Id. ib.* 28. *med.* et *Marc. Empir.* 36. *med.* Resina pityina.

PĪTŪĪTĂ, ae, f. φλέγμα, sanguis imperfecte coctus, humor crudus, aqueus, excrementicius, vel naturaliter, vel praeter naturam in corpore genitus: quo pertinent mucus narium, qui ex capite redundat, saliva, phlegma ventriculi, et intestinorum: a πτύω et πιτύω, spuo, et πιτυόω, coagulo. Ridet *Quint.* 1, 6. *med.* eum, qui dictam putavit, quia *petat vitam.* *Cic. Tusc.* 4, 10. Quemadmodum cum sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis, in corpore morbi aegrotationesque nascuntur. *Plin.* 25, 11, 90. Hujus radix pituitas capitis purgat. *Id.* 23, 1, 1. Pituitam oris siccare. *Id.* 24, 6, 21. detrahere per alvum. *Id.* 20, 14, 57. discutere. *Cato R. R.* 156. ejicere. *Colum.* 6, 34. elicere per nares. *Plin.* 22, 22, 40. extenuare. *Id.* 23, 8, 80. *extr.* extrahere. *Id.* 21, 23, 94. trahere. *Id.* 20, 7, 26. Pituitae lentitiem digerere. *Id.* 26, 11, 73. *n.* 2. eruptiones emendare. *Id.* 22, 25, 78. Adversus acutas pituitae fluxiones, quas Graeci rheumatismos vocant. ¶ Interdum sumitur pro morbo ex pituitae fluxu nato, quo etiam gallinae infestantur. *Colum.* 8, 5. *med.* Ipsis matribus etiam vitanda pituitae pernicies erit. *Pall.* 1, 27. Pituita his nasci solet, quae alba pellicula linguam vestit extremam. Adde *Plin.* 10, 57, 78., ubi et remedia affert: [*der *Pipps.*] ¶ Dicitur etiam de humore lento ex arboribus effluente. *Id.* 17, 27, 43. Amygdalae ex amaris dulces fiunt, si stipite ab ima parte circumforato, defluens pituita abstergeatur. *Id.* 22, 23, 47. Fungorum origo non nisi ex pituita arborum. ¶ Prima syllaba producitur, et tertia. *Catull.* 23, 17. Mucusque et mala pituita nasi. Secunda et tertia aliquando per synaeresim coalescunt. *Pers.* 2, 57. Somnia pituita quae purgatissima mittunt. *Hor. Sat,* 2, 2, 75. Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum Lenta feret pituita: vides ut pallidus omnis etc.

PĪTŪĪTĀRĬĀ, ae, f. herbae species, al. astaphisagria, seu uva agrestis, ita dicta, quod pituitam oris siccet. *Plin.* 23, 1, 13.

PĪTŪĪTŌSUS, a, um, adj. pituita abundans, φλεγματώδης. *Cic. Fat.* 4. Inter locorum naturas quantum intersit, videmus: alios esse salubres, alios pestilentes: in aliis esse pituitosos et quasi redundantes, in aliis exsiccatos atque aridos. [*M. Aurel.* ap. *Front.* ad *M. Caes.* 4. (ed. *A. Maio*) *ep.* 5. Certe homo alioqui pituitosus, hodie tamen multo mucculentior mihi esse videor. *F.*]

[PĪTŪLĀNUS, a, um, adj. ad Pitulum pertinens. Hoc nomine bina fuere in Italia oppida, unum in Latio, cujus meminit *Plin.* 3, 5, 9. Praeterea fuere in Latio clara oppida, Satricum, Pometia, Scaptia, Pitulum etc. *Inscr.* ap. *Gud.* 124, 9. M. Fuffius M. F. Sab. Albanus Eq. Rom., Praef. fabrum munic. Pitulan. fecit, etc. ¶ Alterum in Umbria, cujus incolae Pitulani memorantur a *Plin. l. c.* in PITINAS. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 1. *n.* 34. Q. Junius Q. F. Vel. Trebullianus curator R. P. Pitul. etc. et *cl.* 2. *n.* 70. P. Rutilio A. F. Pal. Fourio curatori R. P. Fulginat. ordo Pitul. etc. Alia ap. *Gud.* 137, 7. M. Praesidio M. F. Stel. Polliano Pitul. patrono munic. Pitul. etc. *F.*]

PĪTYĪNUS. V. PITUINUS.

PĪTYŎCAMPĂ, ae, et Pītyŏcampē, es, f. πιτυοκάμπη, eruca e picea nascens, venenata, et vim habens adurendi corpus, et crustas obducendi, ut *Plin.* 29, 4, 30. docet. *Id.* 28, 9, 33. Potis pityocampes, cantharidum, aut salamandrae venenis.

PĪTYĬS, ĭdos, f. πιτυΐς, nux pinea e pinastris. *Plin.* 15, 10, 9.

*PITYŌDES, *Πιτυώδης*, insula Propontidis. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

PĪTYSMĂ. V. PYTISMA.

*PITYUS, untis, f. *Πιτυοῦς*, opp. Colchidis, ad Pontum Euxinum. *Plin.* 6, 5. *B. A.*

PĪTYŪSĂ, ae, f. πιτυοῦσα, pinis abundans: a πίτυς, pinus. Nomen est cujusdam insulae in sinu Argolico, de qua *Plin.* 4, 12, 19.: item duarum in mari mediterraneo prope Hispanias. *Id.* 3, 5, 11. Praeterea ita dictae sunt Chios, et Miletus, et Lampsacum, teste *eod.* 5, 31, 38. et *ib.* 29, 31. et *ib.* 32, 40., a pinorum copia. ¶ Est etiam herbae cujusdam nomen. *Id.* 24, 6, 21. Cum honore et pityusa simili de causa dicetur, quam quidam in tithymali genere numerant. Frutex est similis piceae, flore parvo, purpureo.

PĪUS, a, um, adj. εὐλαβὴς, εὐσεβὴς, qui Deos veretur, colitque, et sanctis est moribus. *Pl. Rud. prol.* 26. Facilius, si quis pius est, a Diis supplicans, quam qui scelestus est, inveniet veniam sibi. *Id. Amph.* 5, 1, 33. At ego faciam, piam et pudicam esse tuam uxorem ut scias. *Hor. Od.* 3, 23, 19. Mollivit aversos Penates Farre pio, et saliente mica. [*Ov. Her.* 7, 24. pia tura. Cf. 21, 7.] ¶ Hinc *pii* dicuntur poetae, quia divinum aliquid habere creduntur, et Deorum numine afflari. *Catull.* 16, 5. Nam castum decet esse pium poetam, etc. *Virg. A.* 6, 662. Quique pii vates, et Phoebo digna locuti. (*Servius* intelligit vaticinantes, non mendaces. Alii *pios* doctos volunt esse, et *impios* indoctos. V. IMPIUS.) *Ov. Fast.* 3, 325. Scire nefas homini: nobis concessa canantur, Quaeque pio disci vatis ab ore licet. ¶ Item Elysii manes. *Id. Met.* 11, 62. quaerensque per arva piorum Invenit Eurydicen. *Cic. Phil.* 14, 12. Vos, qui extremum spiritum in victoria effudistis, piorum estis sedem et locum consecuti. Adde *Val. Fl.*, *Virg.*, *Sil.*, *Lucan.*, *Mart.* et alios, quorum loca congessit *Bentl.* ad illud *Hor. Od.* 3, 4, 6. audire, et videor pios Errare per lucos. Ubi Elysium plerique intelligunt, quod *Virg. Cul.* 38. et 374. *sedem piam*, et *Albin.* 1, 329. *pium arvum* vocat. Ipse tamen *pios lucos* capit nemus Heliconis, et Musarum. ¶ *Pia et aeterna pax sit*, formula adhiberi solita in foederibus, ut est ap. *Cic. Balb.* 16., ubi *pia* dicitur, quod pie sancteque colenda sit. ¶ *Pium est*, pia et Diis placens res est. *Ov. Fast.*

4, 829. Quosque pium est adhibere Deos. *Id. Trist.* 1, 2, 96. nec, quae damnaverit ille, Crimina defendi, jusve, piumve puto. *Id. Her.* 8, 4. Inclusam contra jusque, piumque tenet. Adde *A. Am.* 1, 200. ℙ *Pius*, justus, crimine carens. *Cato R. R. praef.* Ex agricolis maxime pius quaestus, stabilissimusque consequitur, *h. e.* legitimis artibus partus. ℙ Item qui parentes, majores, sanguine conjunctos, amicos, patriam amat, colit, fovet, iisque obsequitur, et inservit, benignus, misericors. *Cic. Off.* 3, 23. Ipsi patriae conducit pios habere cives in parentes. *Ter. Hec.* 1, 2, 77. Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili. *Ov. Met.* 11, 389. Pii metus, *h. e.* uxoris pro mariti vita sollicitae. *Id. ib.* 7, 482. Arma juves oro pro gnato sumpta, piaeque Pars sis militiae. *Cic. Sext.* 2. Pius dolor, et justa iracundia. *Ov. Trist.* 4, 5, 30. illo, Quo pius affectu Castora frater amat. *Id. Her.* 7, 107. seniorque parens, pia sarcina nati, *h. e.* Anchises humeris sublatus ab Aenea, qui idcirco *pius* passim a *Virg.* dicitur. *Liv.* 39, 36. *med.* et 30, 31. et *Sil.* 15, 162. Pium bellum, *h. e.* quod pro sociis, aut patria suscipitur. *Ov. Trist.* 5, 4, 43. Pro quibus affirmat fore se memoremque piumque. ℙ Est etiam benignus, clemens, misericors. *Claud. IV. cons. Honor.* 275. Sis pius in primis: nam cum vincamur in omni Munere, sola Deos aequat clementia nobis. *M. Aurel.* in *ep. ad Faustinam*, ap. *Vulcat. Gallican. Avid. Cass.* 11. Non enim quidquam est, quod imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quam clementia. Haec patrem tuum in primis Pii nomine ornavit. V. *Capitol. Anton.* 2. Hinc T. Antoninus Aug. omnium primus in nummis et marmoribus passim *Pius* appellatur, de cujus tamen appellationis causa plures sunt eruditorum sententiae, quas omnes recenset *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 36. et T. 8. p. 453. et *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 101. *ed. Patav.* Deinde alii quoque imperatores R. cognomine *Pii* donati sunt. ℙ Item minime gravis, blandus, jucundus, amoenus. *Hor. Od.* 3, 21, 2. Seu tu querelas, sive geris jocos, Seu rixam et insanos amores, Seu facilem, pia testa, somnum. (*Bentl.* ita distinguit: Seu facilem pia, testa, somnum: ut *pia* sit tantummodo, cum somnum gerit. Sed quidquid testa secum ferat, semper jucunda et blanda est, cum bibitur.) *German. Arat.* 624. Argusque ipsa pio coelo resecetur imago. Ita leg. *Grot.* et interpretatur. *Capell.* 6. p. 191. Moxque imitata pium lactea Luna diem. ℙ Comparativo caret: pro quo *magis pius* dicimus, ut *Charis.* monet 1, 88. et 2, 130. Superlativ. est *piissimus:* de quo sic reprehendit M. Antonium *Cic. Phil.* 13, 19. *f.* Tu porro ne pios quidem, sed piissimos quaeris: et quod verbum omnino nullum in lingua Latina est, id propter tuam divinam pietatem novum inducis. Post *Cic.* tamen usurparunt multi. *Sen. Consol. ad Polyb.* 26. *med.* Quod longe a sensibus tuis prudentissimis piissimisque abest. *Sen. alter Contr.* 4, 27. *med.* Piissimo patri tormentum quaesiisse. *Tac. Agr.* 43. Cohaeres optimae uxori, et piissimae filiae. Adde *Quint. decl.* 6, 3. *f.*, *Flor.* 4, 7. *f.*, *Curt.* 9, 6. et plurimas *vet. Inscr.* ap. *Grut.* et *Reines.* et alios. Sed in aeque multis, habetur *pientissimus*, tametsi *piens* non sit in usu: (quamquam legitur in *Inscr.* ap. *Maff. Mus Ver.* 129, 3. Parentes pientes filio fecerunt. Et in alia ap. *Mur.* 1624, 4. Pientes salvete.) Sed, puto, plenius, et sonantius posterioribus temporibus visum est. ℙ *Piius* geminata littera *i* scribitur in *Inscr.* ap. *Viscont. Monum. degli Scip. tab.* 6. *n.* 1., quod placuisse *Ciceroni* narrat *Quint.* 1, 4. *med.*

PIX, pĭcis, f. *πίσσα*, fluxus combustae in taeda sua resinae. Differt a *resina.* Nam *resina* est liquor crassus ex arboribus fluens, et saepe sua sponte siccatus ad solem: *pix* est, quae fit ex arborum resinis ad ignem decoctis, idque ad navium, et aliarum multarum rerum usum. *Plin.* 23, 1, 24. Sed et picem meminisse debemus non aliud esse, quam combustae resinae fluxum. *Id.* 14, 20, 25. Crassiorem resinam, et ad pices faciendas cedrus fundit. *Ov. Her.* 18, 7. Coelum pice nigrius. *Hor. Od.* 3, 8, 10. Hic dies, anno redeunte, festus Corticem adstrictum pice dimovebit Amphorae. *Ov. Trist.* 5, 10, 25. pastor junctis pice cantat avenis. *Pl. Most.* 3, 2, 140. Postes satis boni sunt, si sint inducti pice. ℙ Fuit inter tormenta servorum, cum fervens instillabatur corpori. *Lucr.* 3, 1031. Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, taedae. *Pl. Capt.* 3, 4, 64. At pol te, si hic sapiat senex, atra pix agitet apud carnificem, tuoque capiti illuceat. ℙ Picis coquendae et conficiendae rationem tradit *Plin.* 16, 11, 21.

PL

PLĂCĂBĬLIS, e, adj. *εὐίλατος, εὐπαραμύθητος*, qui facile placatur, exorabilis. *Auct. ad Her.* 4, 15. et 45. Inimicis te placabilem, amicis inexorabilem praebes. *Cic. Att.* 1, 17. *med.* Irritabiles animos esse optimorum saepe hominum, et eosdem placabiles. *Liv.* 4, 42. *f.* Placabile ad justas preces ingenium. *Cic. Verr.* 2, 2, 38. *f.* Omnia habuisset aequiora et placabiliora, quam animum praetoris. *Ov. Trist.* 3, 5, 31. Quo quisque est major, magis est placabilis ira. Al. leg. *irae.* ℙ Aram placabilem Dianae, et Palici dixit *Virg. A.* 7, 764. et *ib.* 9, 585., quia cum olim humanis hostiis coleretur, mitigata aliquando illa sacra erant, et ad victimas animalium redacta. ℙ Item qui facile placat, vel ad placandum idoneus est. *Ter. Ad.* 4, 3. *f.* Quapropter te ipsum purgare ipsis coram, placabilius est. [*Cf. *Phorm.* 5, 7, 68.] *Lact.* 4, 28. Si una hostia placabilis, placabiliores utique hostiae plures.

PLĂCĂBĬLĬTAS, atis, f. *τὸ εὐίλατον*, lenitas, mansuetudo. *Cic. Off.* 1, 25. Nihil enim laudabilius, nihil magno et praeclaro viro dignius placabilitate atque clementia.

PLĂCĂBĬLĬTER, adv. placate. *Gell.* 7, 3. Judices conciliandos esse ac propitiandos laudabiliter, ac placabiliter, et leniter.

PLĂCĀMEN, inis, n. idem ac placamentum. *Liv.* 7, 2. Ludi quoque scenici, nova res bellicoso populo, inter alia coelestis irae placamina instituti dicuntur. *Sil.* 13, 415. Duc praedicta sacris duro placamina Diti.

PLĂCĀMENTUM, i, n. id quo quis placatur. *Plin.* 21, 7, 19. Hoc veluti placamento terrae blandiuntur. *Tac. A.* 15, 44. Non largitionibus principis, non Deum placamentis decedebat infamia. *Id. H.* 1, 63. Stratis per vias pueris feminisque, quaeque alia placamenta hostilis irae, etc.

PLĂCĀTĔ, adv. *ἀναμάχως*, quiete. *Cic. Fam* 6, 1. Omnia humana placate et moderate feramus; et *ib.* 13. Sed hoc ipsum intelligamus eum quotidie remissius, et placatius ferre.

PLĂCĀTĬO, onis, f. *ἐξίλασμα*, mitigatio, pacificatio. *Cic. Tusc.* 4, 28. Sed omnis ejusmodi perturbatio animi placatione abluatur. *Cic. N. D.* 3, 2. Placatio Deorum immortalium.

PLĂCĀTORĬUS, a, um, adj. ad placandum pertinens. *Tert. Pat.* 13. Hostia placatoria.

[PLĂCĀTRIX, icis, f. quae placat. *Salv. Gub. D.* 3, 9. Ipsa Ecclesia, quae in omnibus esse debet placatrix Dei, quid est aliud, quam exacerbatrix Dei? *F.*]

PLĂCĀTUS, a, um, part. a *placo*, *ἐξιλασθείς, εὐίλατος*, lenitus. *Cic. Cat.* 3, 8. Nisi Dii immortales omni ratione placati suo numine prope fata ipsa flexissent. *Id. Or.* 10. Consequeris tamen, ut eos ipsos, quos contra statuas, aequos placatosque dimittas. *Id. Tusc.* 5, 6. Animi quietus et placatus status. *Id. Fin.* 1, 21. Placata, tranquilla, quieta, beata vita. *Id. Att.* 5, 1. Nihil tam vidi mite, nihil tam placatum, quam meus frater erat in sororem tuam. *Id. Or.* 19. Res placatae ac minime turbulentae. *Virg. A.* 3, 69. placataque venti Dant maria. *Lucr.* 1, 8. tibi rident aequora ponti, Placatumque nitet diffuso lumine coelum. *Liv.* 37, 45. Placatiore animo aliquid facere. *Plin.* 12, 18, 41. Nec minus Dii propitii erant mola salsa supplicantibus, immo vero, ut palam est, placatiores. *Cic. Tusc.* 1, 41. Qui nonnunquam etiam sine visis somniorum placatissimam quietem affert. [*Tac. *A.* 2, 8. Precatus Drusum patrem, ut se eadem ausum libens placatusque exemplo ac memoria consiliorum atque operum juvaret. V. *Schütz. cl. Cic.* et *Drak.* ad *Liv.* 3, 9, 10. ℙ Confund. *placata* et *pacata.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 373.]

PLĂCENS, entis, part. a *placeo*, qui placet, placitus. *Hor. Od.* 2, 14, 21. Linquenda tellus, et domus, et placens Uxor.

PLĂCENTĂ, ae, f. *πλακοῦς, πλακόεντος, οὖντος*, panis ex farina siliginea sine fermento coctus, caseo et melle adjecto, et in latam ac tenuem formam compositus: a Graeca voce allata, quae a *πλὰξ, πλακὸς*, crusta. Ejus conficiendae rationem fuse tradit *Cato R. R.* 76. Coctam in quadras secabant (magna enim forma fere fiebat), et convivis dividebant. *Hor. Sat.* 1, 10, 10. Utque sacerdotis fugitivus, liba recuso: Pane egeo jam mellitis potiore placentis. *Id. ib.* 2, 8, 24. absorbere placentas. *Juven.* 11, 59. pultes Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas. *Mart.* 5, 39. misi Hyblaeis madidas thymis placentas. *Id.* 6, 75. Quadram placentae alicui mittere. ℙ Erat ejus usus etiam in sacris, ut liborum. *Id.* 9, 91. Et cum ture, meroque, victimaque Libetur tibi candidas ad aras Secta plurima quadra de placenta.

[PLĂCENTĀRĬUS, ii, m. qui placentas conficit. *Gloss. Philox. Πλακουντάριος*, placentarius, dulciarius. *F.*]

PLĂCENTĬĂ, ae, f. *ἀρέσκεια*, studium, et ars ubique, et omnibus placendi. *Appul. Dogm. Plat.* 2. In homine ad placentiam, ac mediocritatem libido flectitur. ℙ Est hoc nomine urbs Italiae, in Gallia Cispadana, ad Padum fluvium, colonia R. *Piacenza. Sil.* 8, 593. Certavit Mutinae quassata Placentia bello. Hinc

PLĂCENTĪNUS, a, um, adj. ad Placentiam pertinens. *Cic. Brut.* 46. Ego memini, T. Tincam Placentinum, hominem facetissimum. Adde *Verr.* 7, 33. ℙ *Placentini milites* ambigue dicuntur a *Plauto*, vel Placentiae incolae, vel placentarum studiosi. V. PISTORIENSIS.

PLĂCĔO, es, cui et placitus sum, citum, n. 2, *ἀρέσκω*, jucundus sum, arrideo, satisfacio. *Petr. Sat.* 93. Afrae volucres placent palato. *Cic. Phil.* 2, 5. Non placet Antonio consulatus meus: at placuit P. Servilio, placuit Q. Lutatio, placuit duobus Lucullis, placuit M. Catoni. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 4. Erigonam si accepero, scribam ad te, quid sentiam: nec dubito, quin mihi placitura sit. *Ter. Hec.* 2, 2. *f.* Et quae vobis placita est conditio, datur. *Id. ib. prol.* 2, 12. Ubi sunt cognitae, placitae sunt. *Cic. Att.* 13, 1. Exspecto quid istis placeat de epistola ad Caesarem. *Ov. Am.* 2, 4, 19. Est quae Callimachi prae nobis rustica dicat Carmina: cui placeo, protinus ipsa placet. *Nep. Arist.* 1. Se ignorare Aristidem: sed sibi non placere, quod cupide elaborasset, ut praeter ceteros justus appellaretur. *Caes. B. C.* 3, 10. *f.* Interea et reipublicae, et ipsis placere oportere si uterque juravisset, etc. *Plin.* 12, 7, 14. Piper sola placet amaritudine. *Ov. Trist.* 4, 3, 57. omni tibi dote placebam. [*Liv. 24, 20. placet hibernis locus, i. e. ad hiberna; et 22, 26. Togaque et forum placuere, i. e. rebus forensibus causisque agendis operam dedit. V. *Gronov.* ad *Tac. A.* 11, 7.] ℙ Insolens, nec facile imitanda illa loquendi ratio ap. *Pl. Trin.* 5, 2, 35. Si illa tibi placet, placenda dos quoque est, quam dat tibi. [*V. *Lindem.*] Simile est illud *Epid.* 1, 1, 70. Puppis pereunda est probe. ℙ *Placetne?* increpantis, et quaerentis. *Ter. Eun.* 5, 2, 11. Bone vir, salve: dic mihi, aufugistin'? *Cher.* hera, factum. *Tha.* satin' id tibi placet? [*V. *Ruhnk.*] *Cic. Att.* 6, 6. Sed heus tu, *πυρὸς εἰς δῆμον* Athenis? placet hoc tibi? ℙ *Velle placere alicui*, velle gratificari. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Longilium redemptorem cohortatus sum: fidem mihi faciebat, se velle nobis placere. *Id. Att.* 13, 13. Volo Dolabellae valde desideranti placere: non reperio quid. Alii *placere* omitt. [*In his *Orell.*] ℙ *Placere sibi*, efferri, gloriari. *Cic. Or.* 2, 4. Ego nunquam mihi minus, quam hesterno die, placui. *Plin.* 35, 9, 36. *n.* 2. de Zeuxi: Adeo sibi in illo *(athleta picto)* placuit, ut versum subscriberet, etc. *Petr. Sat.* 126. Nolo tibi tam valde placeas. *Sidon. ep.* 7, 9. Omnes competitores placebant sibi, omnes omnibus displicebant. Huc spectat illud *Liv.* 33, 31. Antiochum transgressurum in Europam, cum primum ei res suae placuissent. [*Kreyss. scribendum censet: quum primum ei vires suae satis placuissent, i. e. satis magnae et idoneae visae essent. Cf. 39, 50.] Sic enim et *Tac. H.* 4, 23. Non loco, neque munimentis labor additus: vis, et arma satis placebant. [*Vell. 2, 112, 3. Placebat barbaris suus numerus, i. e. fidebant numero: ubi v. quae laudat *Ruhnk.*] ℙ *Si Diis placet.* V. DEUS. ℙ *Placet, ebat, cuit,* et *placitum est*, saepe ponitur pro videtur, voluntas, aut sententia est, docetur, tenetur. *Cic. Acad.* 4, 31. Duo placet esse Carneadi genera visorum. *Id. Div.* 1, 49. Natura Deorum, a qua, ut doctissimis sapientissimisque placuit, haustos animos et libatos habemus. *Auct. ad Her.* 2, 1. Ita nobis placitum est, ut ea potissimum scriberemus. *Ov. Pont.* 4, 11, 17. Non ita Diis placuit. *Plin.* 34, 18, 50. Nero (quoniam ita Diis placuit) princeps. *Val. Fl.* 3, 296. quod si jam bella manebant, Et placitum hoc superis. ℙ Pertinet etiam ad consultationes, deliberationes, edicta senatus, magistratus, concilii. [*Gr. *δοκεῖν*. V. *Herzog.* ad *Caes.* l. mox seq. et ad 7, 37.] *Caes. B. G.* 7, 15. Deliberatur de Avarico in communi concilio, incendi placeret, an defendi. *Pompej. ad Coss. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Placitum est mihi, ac ita video censeri Marcello et ceteris nostri ordinis, ut Brundisium ducerem hanc copiam, quam mecum habeo. *Cic. Phil.* 11, 12. Senatui placere, C. Cassium proconsulem provinciam Syriam obtinere; et *ib.* 14. *f.* Senatui placere, ut consules curent, etc. In *edicto censor.* ap. *Suet. Rhet.* 1. Quapropter et iis, qui eos ludos habent, et iis, qui eo venire consuerunt, videtur faciendum, ut ostendamus nostram sententiam, nobis non placere. *Suet. Aug.* 44. *extr.* Edixit, mulieres ante horam quintam venire in theatrum, non placere. ℙ Part. *Placens* V. s. l.

*PLACĬA, ae, f. *Πλακία, Πλακίη*, Mysiae minoris oppidum, juxta Cyzicum, Milesiorum oppidum, ut scribit *Plin.* 5, 32. Addatur *Mela* 1, 19. ℙ Item opp. Sarmatiae Europaeae. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

PLĂCĪBĬLIS, e, adj. qui placere potest, placens, placitus. *Tert. Resurr. carn.* 43. ex *Corinth.* 2, 5, 9. et *ib.* 47. ex *Rom.* 12, 1.

PLĂCĬDĒ, adv. *ἡσυχῇ*, sine strepitu, quiete, leniter, sedate, placate, tranquille. *Pl. Bacch.* 4, 7, 35. Forem hanc pauxillulum aperi, placide, ne crepa. *Id. Mil.* 2, 2, 65. Propere hoc, non placide decet. *Virg. A.* 5, 86. Amplexus *(anguis)* placide tumulum. *Caes. B. G.* 6, 7. Placide progredi. *Ter. Ph.* 5, 6, 28. Suspenso gradu placide ire perrexi. *Plin.* 10, 18, 20. Picus in capite praetoris ita placide sedit, ut manu prehenderetur. *Pl. Poen.* 3, 1, 42. Placide otioseque agere aliquid. *Cic. Tusc.* 2, 24. *med.* Placide et sedate ferre dolorem. *Id. Or.* 27. Sedate placideque loqui. *Plin. ep.* 7, 1. Spe balinei placide leniterque dimissa. *Gell.* 13, 24. *med.* Leniter ac pla-

cide objurgare. *Sall. Jug.* 45. Populus et senatus placide modesteque inter se rempubl. tractabant; et 110. Placide et benigne simul verba facit. *Gell.* 19, 1. *med.* Placide et comiter loqui. *Sall. Cat.* 40. Plebem placidius tractare. *August. Confess.* 6, 1. Placidissime respondit.

PLĂCĬDEJANUS, i, m. nomen celebris gladiatoris, cujus meminit *Hor. Sat.* 2, 7, 97. Aut Placidejani contento poplite miror Proelia. V. AESERNINUS, ubi perperam *Pacidianus* scribitur.

PLĂCĬDĬTAS, atis, f. εὐαρέστησις, lenitas. *Varr. R. R.* 2, 1. Oves assumptas et propter utilitatem, et propter placiditatem. Hinc *Ov. Met.* 15, 116. oves vocat *placidum pecus*, easdemque *ib.* 13, 925. *placidas* dicit. *Gell.* 13, 21. *ex comment. Servilii Claudii.* Nerio dictum quasi Neirio, hoc est sine ira, et cum placiditate.

[PLĂCĬDO, as, avi, a. 1. placidum reddo. *Ambros. de Virg.* 3. Ubi cursus suos ab equorum perturbatione placidaverit. *F.*]

PLĂCĬDŬLUS, a, um, adj. dimin. placidi. *Auson. Parent.* 27. Cinis placidula.

PLĂCĬDUS, a, um, adj. πρᾷος, εὐμενής, sedatus, placatus, tranquillus, lenis, quietus, mitis, perturbatione animi carens: a *placeo*. Differt a clemente, quia, teste *Donato*, clemens est circa recte agentes, placidus etiam circa delinquentes: clemens animo, placidus vultu. *Ter. Ad.* 5, 4, 9. Ille semper egit suam vitam in otio, in conviviis, clemens, placidus, nulli laedere os, arridere omnibus. *Id. ib.* 4, 1, 18. Cum fervet maxime, tam placidum, quam ovem, reddo. *Cic. Tusc.* 4, 5. Tranquillitas animi, id est placida quietaque constantia. *Id. Sen.* 5. Placida ac lenis senectus. *Id. Caecin.* 10. Ita eum placidum mollemque reddidi. *Id. Or.* 2, 43. Non semper fortis oratio quaeritur, sed saepe placida, summissa, lenis. *Id. Tusc.* 5, 16. *f.* Semper in ejus animo placidissimam pacem esse. *Lucr.* 5, 1121. Placidam vitam degere. *Liv.* 3, 14. Nihil illis placidius, aut quietius erat. ℙ *Placida arbor* est, cui silvestris opponitur. *Plin.* 16, 5, 6. Praeterea sunt aliquae silvestres, aliae placidiores, quae culta obtinent. ℙ *Coelum placidum*, serenum notat. *Sil.* 12, 667. nec placido commota tonitrua coelo. ℙ *Dies placidus*, tranquillus, et serenus. *Plin. ep.* 5, 6. Accipit ab hoc auras quam libet sereno et placido die. ℙ *Placidum mare*, aut *flumen*, est nullis fluctibus turbatum, leni motu fluens. *Id. ep.* 9, 26. Nequaquam par gubernatoris est virtus, cum placido, et cum turbato mari vehitur. *Ov. Met.* 1, 702. placidum Ladonis ad amnem. Sic dicitur placida mors, *Virg. A.* 6, 522. placidus somnus, *Ov. Fast.* 3, 185. urbs placida, *h. e.* quae belli expers est, *Virg. A.* 7, 46. loca placidiora, *Pall.* 1, 6. *med.* h. e. quae coeli injuriis minus infestantur: quibus opponit *molestiora*. ℙ *Placidae uvae*, maturae. *Sedul.* 1, 29. Labruscam placidis quid adhuc praeponitis uvis?

PLĂCĬFER. V. PACIFER.

PLĂCĬTIS, ĭtĭdis, f. tertium genus Cadmiae, in lateribus fornacum adhaerens, quae propter gravitatem ad cameras pervenire non potuit. Est a πλάξ, πλακὸς, crusta, quia crusta est verius, quam pumex, intus varia. *Plin.* 34, 10, 22.

PLĂCĬTO, as, n. 1. frequent. a *placeo*. *Pl. Bacch.* 4, 10, 10. Neque placitant mores, quibus video vulgo gnatis esse parentes.

PLĂCĬTUM, i, n. τὸ ἀρεσκον, δόγμα, sententia, opinio, decretum: a *placeo*, qua significat sentire, censere, tenere. *Plin.* 15, 5, 6. Nunc dicentur Catonis placita de olivis. *Id.* 14, 22, 28. *med.* Medicorum placita, novitate aliqua se commendantium.

PLĂCĬTUS, a, um, part. a *placeo*: ἀρεστὸς, placens, gratus. *Virg. G.* 2, 425. et placitam paci nutritor olivam. *Ov. Amor.* 2, 4, 17. Sive es docta, places raras dotata per artes: Sive rudis, placita es simplicitate tua. *Id. Her.* 17, 98. Est virtus placitis abstinuisse bonis. *Just.* 6, 7. *f.* Atque ita veluti ex placito consensu, a proelio discedituur. *Id.* 18, 3. Eum regem placitissimum Diis, qui solem orientem primus vidisset. Al. leg. *acceptissimum*. [*Tac. A.* 2, 66. nec tamen Caesar placitas semel artes mutavit; et 4, 37. placitum jam exemplum promptius secutus sum.] *Stat. Th.* 12, 302. cultrix placitissima nostri Inachis Argia. Al. leg. *placidissima*.

*PLĂCĬVUS, a, um, adj. ἀρεστὸς *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

PLĂCO, as, avi, atum, a. 1. πραΰνω, ἀρέσκομαι, placidum reddo, lenio, mitigo, sedo, reconcilio. *Ter. Ph.* 5, 3, 1. Agedum, fac, illa ut placetur nobis. *Nep. Pelop.* 5. Nunquam is animo placari potuit in eum, a quo erat violatus. *Cic. Cat.* 2, 8. Quos quidem ego, si ullo modo fieri posset, non tam ulcisci studeo, quam sanare, et ipsos placare reipublicae. *Id. Fin.* 1, 14. Temperantia pacem animis affert, et eos quasi concordia quadam placat ac lenit. *Id. Phil.* 10, 3. Placa animum istum aliquando, et mitiga. *Caes. B. G.* 6, 15. Pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum immortalium numen placari arbitrantur. *Virg. A.* 2, 116. Sanguine placastis ventos, et virgine caesa. *Liv.* 4, 33. Placare aliquem beneficiis. *Cic. Leg.* 2, 9. Impius ne audeto placare donis iram Deorum. *Id. Har. resp. f.* Nostrae nobis sunt inter nos irae discordiaeque placandae. *Id. N. D.* 1, 3. Benevolos objurgatores placare. *Id. Dom.* 55. Divinum numen scelere violatum placare precibus; et 17. Placare odia improborum. *Hor. Sat.* 2, 3, 13. invidiam. ℙ Translate. *Ov. Met.* 11, 432. Hippotades cum vult, aequora placat. *Phaedr.* 4, 9. Parva libellum sustine patientia, Severitatem frontis dum placo tuae, *h. e.* lenio et minuo tuum legendi fastidium. *Hor. Od.* 1, 36, 1. Et ture et fidibus juvat Placare et vituli sanguine debito Deos, *h. e.* vota sacra Diis persolvere, qui merito irascentur, nisi reddamus ea, quae voto promisimus. ℙ *Placare aliquem*, placare conari. *Hor. Od.* 2, 14, 5. Non si trecenis, quotquot eunt dies, Amice, places illacrimabilem Plutona tauris. ℙ *Placare esca ventrem iratum* ap. *Hor. Sat.* 2, 8, 5. est satiare famem. Sic *Mart.* 1, 50. placare sitim. ℙ Part. *Placans* ap. *Val. Fl.* 5, 99. placantia carmina Manes. *Placaturus* ap. *Just.* 18, 6. Velut placatura viri Manes. *Placandus* ap. *Tibull.* 4, 1, 46. seu judicis ira Sit placanda. ℙ [*Confund. *placare* et *pacare*. V. *Drakenb.* ad *Sil.* 2, 483.]

*PLACOR, oris, m. i. q. placentia. *Vulg. Siracid.* 4, 13. Adde 39, 23. ℙ Ἀρέσκεια *Gloss. Cyrill. B. A.*

PLAETORĬUS, a, um, adj. *Plaetoria lex*, cujus meminit *Varr. L. L.* 5, 2., fuit plebis scitum, quod tulit M. Plaetorius trib. plebis, in quo scriptum erat: Praetor urbanus, qui nunc est, quique post hac fuat, duos lictores apud se habeto: isque usque ad supremam jus inter cives dicito. Ita *Censorin. de die natal.* 24. refert. *Varr. l. c.* Sed postea lex Plaetoria id quoque tempus jubet esse supremum, quo praetor in comitio supremam pronuntiavit populo. ℙ Alia fuit lex Plaetoria, cujus meminit *Cic. Off.* 3, 15. (ubi alii leg. *Laetoria*) et habetur in vet. *Tab. aenea* ap. *Mazoch.* p. 423. cavens, ne pueri circumscriberentur. V. LAETORIUS. [*V. *Beier.* ad *Cic. l. l.*]

PLĂGA, ae, f. πληγὴ, ictus, percussio: a voce Graeca allata, quae a πλήττω, percutio. *Cic. Verr.* 2, 5, 51. *med.* Dico, in illo supplicio mercedem lacrimarum, mercedem vulneris atque plagae, mercedem funeris ac sepulturae constitui, nefas fuisse. *Virg. A.* 7, 382. de trocho: Dant animos plagae. *Gell.* 5, 15. Non percussus aer, sed plaga ipsa atque percussio vox est. *Ov. Met.* 12, 487. Plaga facit gemitus, ceu corpore marmoris icti. ℙ De incursu, et impulsione atomorum. *Cic. Fat.* 20. Atomi aliam quandam vim motus habebunt a Democrito impulsionis, quam plagam ille appellat: a te, Epicure, gravitatis et ponderis. Adde *ib.* 10. et *Lucr.* qui saepe *plagam* dicit concursum atomorum, alias aliis ferientibus, unde variae res gigni in natura, et dissolvi possint. V. *eund.* 1, 626. et 1040. et 2, 223. etc. ℙ Metonymice est ipsa ruptio, et fissio membri, quae inflicta plaga fit. Distinguit *Plin.* inter *plagam*, et *vulnus*, ut illa sit, qua perforatur, et finditur corpus, ἐντομὴ, hoc, quo pars ejus laceratur, et avellitur, ἕλκος. Sic enim ait 16, 12, 23. Aperitur picea a parte solari, non plaga, sed vulnere ablati corporis. Alio modo *Celsus* 8, 4. *med.* Plagam, si ex vulnere est, talem necesse est habeamus, qualem acceperimus: si manu facienda est, ea fere commodissima, quae litterae X figuram accipit. *Id.* 5, 26. saepe plagam, et vulnus promiscue accipit. Ap. *Suet. Vit.* 10. Verbera, et plagas, saepe vulnera, nonnunquam necem repraesentantes adversantibus: *verbera* sunt, quae virgis, fuste, loro infliguntur; *plagae*, quae pugnis, calcibus, saxis, aliove duro instrumento; *vulnera*, quae gladio, hasta, aut hujusmodi, unde membrum rumpitur. V. *Vall.* 6, 47. *Elegantiar.* [*B. *Crus.* in *cl. Suet.* p. 596. *plagae* incruentae, *vulnera* cruenta sunt.] In illo *Caton.* ap. *Gell.* 10, 3. *f.* Insignitas injurias, plagas, verbera, vibices, eos dolores atque carnificinas te facere ausum, etc. *plagas* puto esse flagrorum ictus: *verbera* addi amplificandi gratia, quia loquitur de liberis hominibus flagro caesis. V. integr. loc. *Hieron. in Isaj.* 1, 1, 5. Verberibus livent corpora, plagis tument, hiant vulneribus. ℙ Promiscue ad *plagam*, sive ictum, sive vulnus significet, haec pertinent. *Virg. A.* 10, 797. Jamque assurgentis dextra, plagamque ferentis Aeneae subiit mucronem. *Pl. Ps.* 1, 2, 4. Neque homines magis asinos unquam vidi: ita plagis costae callent. *Ter. Eun.* 2, 2, 13. Ego neque ridiculus esse, neque plagas pati possum. *Cic. Tusc.* 2, 17. Plagas perferre. *Id. Phil.* 7, 6. Plagam luculentam accipere. *Id. Vat.* 8. mortiferam infligere. *Id. Or.* 68. gravem facere. *Id. Sext.* 10. et *Petr. Sat.* 105. alicui imponere. *Plin.* 28, 18, 74. inferre. *Hirt. B. Alex.* 52. Sauciare aliquem plagis. *Suet. Caes.* 82. confodi. *Cic. Verr.* 2, 5, 54. confectus. *Cels.* 5, 26. *n.* 24. Plagam curare; et *n.* 23. suere. *Plin. prooem. l.* 23. *med.* Scorpionum, et canum plagas sanare. ℙ Translate. *Cic. Mur.* 23. *med.* Illa plaga est injecta petitioni tuae maxima. *Id. Or.* 68. Sic nec oratio plagam gravem facit, nisi petitio fuerit apta. *Id. Fam.* 9, 16. *f.* Levior est plaga ab amico, quam a debitore, *h. e.* jactura. *Nep. Eum.* 5. Hac ille perculsus plaga non succubuit, *h. e.* calamitate.

PLĀGA, ae, f. κλίμα, χώρα, tractus, spatium, regio: a πλάξ, πλακὸς, planities: vel a πλάγιος, obliquus, transversus, ut proprie transversum, obliquumve spatium significet. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Div.* 2, 13. Quod est ante pedes, nemo spectat: coeli scrutantur plagas. *Gell.* 17, 10. *f.* Fluere amnes fumi, et flammarum fulva et tortuosa volumina in plagas maris ferre. *Pindari* locum interpretatur, qui habet ἐς βαθεῖαν πόντου πλάκα, in profundum maris aequor. *Virg. A.* 7, 226. et si quem extenta plagarum Quatuor in medio dirimit plaga solis iniqui. (*Sen. Herc. Oet.* 67. zonam torridam, *ardentem plagam;* et 1219. *ferridam* appellat;) et *ib.* 11, 320. Haec omnis regio, et celsi plaga pinea montis Cedat amicitiae Teucrorum. *Id. ib.* 1, 394. Aetheria quos lapsa plaga Jovis ales aperto Turbabat coelo. *Sen. Oed.* 426. Omnis Eoae plaga vasta terrae. *Id. Hippol.* 930. te licet terra ultimo Summota mundo dirimat Oceani plagis. *Plin.* 16, 32, 59. Septentrionalis plaga. *Stat. Silv.* 4, 3, 95. pariterque se levarat Ingenti plaga marmorata dorso. ℙ Item retis genus ad capiendas feras, θήρατρον, ἄρκυς: et plerumque in plur. numero. Sunt enim qui putant, *plagas* proprie esse maculas, seu foramina, quibus rete constat. *Serv.* ad illud *A.*, 4, 131. Retia rara, plagae: multi, inquit, dividunt, ut sint *retia rara* majora: *plagas* vero minora intelligamus. Alii plagas per definitionem accipiunt, ut intelligamus quae sunt retia rara, plagae. Sciendum tamen proprie plagas esse funes illos, quibus retia tenduntur circa imam et summam partem. Haec *Serv. Cic. Off.* 3, 17. Suntne insidiae, tendere plagas, etiamsi excitaturus non sis, nec agitaturus? *Hor. Od.* 3, 5, 3. extricata densis cerva plagis. *Ov. Met.* 7, 767. de vulpe: Illa levi velox superabat retia saltu, Summaque transibat positarum lina plagarum; et *ib.* 2, 499. Nexilibusque plagis silvas Erymanthidas ambit. *Id. Fast.* 6, 110. Nodosasque cava tendere valle plagas. *Id. A. Am.* 3, 428. Inque plagam nullo cervus agente cadit. Alii leg. *plagas*. *Plin.* 11, 24, 28. de aranea: Cum vero captura incidit, quam vigilans et paratus ad cursum? licet extrema haereat plaga, semper in medium currit. *Pl. Poen.* 3, 3, 35. Canes compellunt in plagas lupum. ℙ Distinguit inter plagas, et retia *Nemes. Cyn.* ubi ait, 299. Nec non et casses iidem *(servi)* venatibus aptos, Atque plagas, longoque meantia retia tractu Addiscant raris semper contexere nodis, Et servare modum maculis, linoque tenaci. Ad quem locum *Ulitius* observat, etiam *Hor.* distinguere *Ep.* 2, 31. Aut trudit acres hinc et hinc multa cane Apros in obstantes plagas: Aut amite levi rara tendit retia, Turdis edacibus dolos: item *Virg. l. c.* Retia rara, plagae. Vult itaque, (id quod ex *Servio* diximus) *retia* esse majora, et quae in amplis tractibus tendantur, plagas minores, et quarum sit usus in viis angustis, ubi magnis retibus locus non est. Dictas autem esse a πλάγιος, obliquus, quia obliquae objiciuntur. Potest etiam dici ex loco *Horatii*, esse *plagas* majoribus feris capiendis aptas, *retia* minoribus, et avibus. ℙ Translate. *Pl. Mil.* 4, 9, 11. Ipsus illic sese jam impedivit in plagas. *Id. Trin.* 2, 1, 11. Amor quemquam, nisi cupidum hominem, postulat se in plagas conjicere. *Petr. Sat.* 107. Juvenes casu in has plagas incidisse; et *Cic. Acad.* 4, 48. De sorite, aut pseudomeno: quas plagas ipsi contra se Stoici texuerunt. *Id. Verr.* 2, 5, 58. Si ex his laqueis te exueris, in illas tibi majores plagas incidendum est. *Id. Fam.* 12, 25. *med.* Antonium conjeci in Caesaris Octaviani plagas. *Pl. Mil.* 3, 1, 14. Speculabor, ne quis nostro consilio venator adsit cum auritis plagis, *h. e.* arrectis attentisque auribus. ℙ In illo *Varr.* ap. *Non.* 2, 716. Nulla potest bene judicare, quid sit bene pictum a plumario in pulvinaribus plagis: *pulvinares plagae* videntur esse reticula, quibus pulvini involvuntur. Addit *Non.* 4, 361. et 14, 5. sumi *plagam* pro sindone, seu velo, quo lectica, aut lectus integitur. *Varr. ib.* Eburneis lectis et plagis sigillatis. *Id. ib.* Chlamydes, plagae, vela aurea. V. PLAGULA. Idem fortasse significat *Varro* priore loco allato. ℙ Item pro clavo vesti adsuto. *Pacuv. ib.* Et simitu pictae plagae pallam. Ita leg. *Voss.* ℙ Alio sensu *Liv.* 9, 41. *med.* Repens adventus consulis ita exterruit Umbros, ut bellum omittendum censerent. Plaga una (Materinam ipsi appellant) non continuit modo ceteros in armis, sed confestim ad certamen egit, *h. e.* pars aciei: et fortasse, inquit *Glarean.*, acies quadrata altera parte longior, quae πλαγία Graece dicitur, quia transversa hosti opponitur. *Gloss. Philox.* Πλαγία, transversa. Alii intelligunt regionis, seu pagi unius milites.

*PLAGARIUM, i, n. vox incerto sensu. *Schol. Antiq.* in *Juven.* 3, 76. (p. 588. ed. *Cram.*) Aliptes. Plagarii curator. *B. A.*

*PLAGIARĬA, ae, f. Hispaniae oppidum. *Ant. Itin. B. A.*

PLĂGĬĀRĬUS, ii, m. qui mancipia aliena sollicitat, celat, supprimit, item qui liberum hominem sciens emit, abducit, invitum in servitute retinet. *Sen. Tranq.* 8., *Ulp. Dig.* 21, 1, 17. et 47, 2, 49. et 53. et 48, 15, 1. et *Callistrat. ib.* 6. Et videtur etiam *Cic.* usurpasse, ubi ait *Q. Fr.* 1, 2, 3. Licinium plagiarium cum suo pullo milvino tributa exigere. ℙ Transfertur ad eum, qui alieni libri se auctorem falso praedicat. *Mart.* 1, 53. Impones plagiario pudorem.

[PLĂGĬĀTĬCIUS, a, um, adj. ad plagiatorem pertinens. *Not. Tir.* p. 80. Plagium, plagiarius, plagiaticius. *F.*]

PLĂGĬĀTOR, oris, m. idem ac plagiarius. *Tert. adv. Marc.* 1, 23. [Talis assertor *(servi)* etiam damnaretur in saeculo, nedum plagiator. ℙ Item qui seducit pueros. *Hieron. ep.* 5. *n.* 3. Magistrum autem pueri tui, de quo dignatus es scribere, (quem plagiatorem ejus esse non dubium est) saepe Euagrius presbyter, dum adhuc Antiochiae essem, me praesente corripuit. *F.*]

[PLĂGĬAULES, ae, m. *πλαγιαύλης*, obliqua tibia canens: a *πλάγιος*, obliquus, et *αὐλός*, tibia. *Not. Tir.* p. 173. Plagiaules, monaules, ascaules. *F.*]

PLĂGĬGER, ra, rum, adj. *πληγοφόρος*, qui plagas gerit, qui natus est ad plagas ferendas: et dicitur de servis. *Pl. Ps.* 1, 2, 20. Plagigera genera hominum.

PLĂGĬGĔRŬLUS, a, um, adj. idem ac plagiger. *Pl. Most.* 4, 1, 19. Peculii sui prodigi, plagigeruli.

PLAGĬŌSIPPUS et Plagioxippus, i, m. vox ficta ad significandum eum, qui plagas infert: vel *(si malis ducere a plagium)* eum, qui furtis delectatur. *Auct. ad Her.* 4, 31. Pronominatio est, quae cognomine quodam extraneo demonstrat id, quod suo nomine appellari non potest, ut si quis de adversario dicat: Videte, judices, quemadmodum me plagiosippus iste tractarit. *Turneb.* 20, 25. ex conjectura lectionem mutare conatur. [*V. *Graev.*]

PLĂGĬPĂTĬDĂ, ae, comm. gen., qui plagas patitur, plagarum patiens. *Pl. Capt.* 3, 1, 12. Nihil morantur jam Laconas imi subsellii viros plagipatidas. [V. BOMONICAE. *Id. Most.* 2, 1, 9. Ubi sunt isti plagipatidae, ferritribaces viri? *F.*]

PLĂGĬUM, ii, n. *ἀνδραποδισμός*, crimen illud, quo quis hominem, quem scit liberum esse, emit, et pro servo tenet, vel vendit: item qui alieno mancipio persuadet, ut a domino fugiat, vel ipsum, invito vel insciente domino, celat, vinctum habet, emit, vendit, donat. Est a *πλάγιος*, quod proprie notat obliquum, metaphorice autem pro doloso sumitur. *Callistrat. Dig.* 48, 15, 6. et *Ulp. ib.* 1. ℙ Est etiam rete pluribus plagis contextum. *Grat. Cyn.* 23. Carmine et arma dabo, et venandi persequar artes, Armorum casses, plagiique exordiar astus. [Alii rectius leg. *Carmine et arma dabo venanti, et persequar artes Armorum, cassesque plagarumque ordiar astus.* F.]

PLĂGO, as, a. 1. plagam facere. *August. C. D.* 21, 11. Servus, qui verbo, aut ictu lacessivit dominum, vel plagavit.

PLĂGOSUS, a, um, adj. *πληγώδης*, plenus plagis. *Appul. Met.* 9. Plagosum dorsum; et *ib.* 8. Plagosa crura. ℙ Active pro eo, qui frequentes et multas plagas infert. *Hor. Ep.* 2, 1, 70. memini, quae plagosum mihi parvo Orbilium dictare.

PLĂGŬLA, ae, f. *περιστρωμάτιον*, velum, aut pars veli, quo lectus, aut lectica integitur, aut insternitur. V. PLĂGA. *Afran.* ap. *Non.* 4, 361. Demitto plagulam de lecto. *Varr.* ap. *eund.* 2, 131. Qui primus uxorem ducebat, duabus culcitis, ac duabus toros plagulis cum strasset. *Suet. Tit.* 10. Cum inde lectica transferretur, suspexisse dicitur dimotis plagulis coelum. *Liv.* 39, 6. Luxuriae peregrinae origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est: ii primum lectos aeratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, et alia textilia Romam advexerunt. ℙ Item pars vestis. *Varr. L. L.* 8, 47. Si quis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis. ℙ Item chartae folium. *Plin.* 13, 12, 23. Premitur deinde prelis, et siccantur sole plagulae, atque inter se junguntur, etc. nunquam plures scapo quam vicenae.

PLĂGŬSĬĂ, ae, f. genus piscis. *Pl. Rud.* 2, 1, 9. Captamus conchas, marinam urticam, musculos, plagusias. A *πλάγιος*, obliquus, dictam volunt, quia obliqua incedat. Alii legi mallent *pelagias*: alii aliter.

[PLĀNĂ, ae, f. instrumentum fabrile, quo utuntur fabri lignarii ad aequandas tabulas ligneas, quodque nostrates vulgo *piana* vocant. *Arnob.* 6, 200. Simulacra terebrarum excavata vertigine, runcinarum levigata de planis. *Plana et runcina* idem significant, has tamen voces more suo auctor conjungit; nisi *planis* accipere velimus de parte runcinae lignum levigante. *F.*]

PLĀNĂRĀTRUM, i, n. aratrum cum duabus rotis, quo primum usi sunt Galli Cisalpini seu Raeti; cum Romani rotis non uterentur, ut passim videre est in antiquis monumentis. *Plin.* 18, 18, 48. Non pridem inventum in Raetia Galliae, ut duas adderent alii rotulas, quod genus vocant planaratri. *Hard.* leg. *plaustrarati*, at fortasse rectius *plaustraratri*, aratrum nempe, cui adjectum est plaustrum. Idem describit *Virg. G.* 1, 174. ubi *Serv.* Currus autem dixit propter morem provinciae suae, in qua aratra habent rotas, quibus juvantur. [*Plurima addidit *F.*]

[PLĀNĀRĬS, e, adj. idem ac planarius. *Capell.* 6, 228. Primae formandorum schematum partes duae sunt: una, quae dicitur planaris, quam *ἐπίπεδον* Graece soleo memorare; alia solida, quam *στερεὸν* dicimus. *F.*]

PLĀNĀRĬUS, a, um, adj. qui in plano fit, ut Planarius conflictus, ap. *Ammian.* 19, 5. Planaria interpellatio, *Imp. Constant. Cod.* 3, 11, 4. h. e. compellatio magistratus, quae fit de plano, h. e. antequam in tribunal ascendat. ℙ *Planaria* etiam dicta est insula parva maris Ligustici, inter Capprariam, et Corsicam, quia plana est, et aequalis freto, ideoque navigiis fallax. *Plin.* 3, 6, 12. ℙ Alia eodem nomine, et itidem plani situs, est inter Fortunatas, eadem ac Canaria. *Id.* 6, 32, 37.

*PLĀNĀSĬA, ae, f. *Πλανασία*, insula in mari Tyrrheno, non longe ab Ilva. *Plin.* et *Varr. R. R.* 3, 6. *Tac. A.* 1, 3. ℙ Hodie est *Pianosa*, quod cognatum nomen. *B. A.*

PLĀNCĀ, ae, f. *πλαξ*, tabula plana, vel complanata. *Fest.* Plancae, tabulae planae: ob quam causam et planci appellantur, qui supra modum pedibus plani sunt. *Plin.* 8, 43, 68. Nec pontes asini transeunt, per raritatem plancarum translucentibus fluviis. Ita in vet. ed. anni 1470. et 1472. At antiquior 1469. et *Hard.* ex MSS. *per raritatem eorum* habent. *Pall.* 1, 21. Plancae roboreae supponantur stationibus equorum cum stramine. ℙ [Est etiam tabula marmorea, qua sarcophagum cooperitur. *Inscr.* ap. *Mur.* 1427, 4. Si Q. H. Planc. P. Exc. Eor. Q. S. S. S. A. D. In F. C. IIS. I N. *h. e.* Si quis hanc plancam post excessum eorum, qui supra scripti sunt, amoverit, dabit in fiscum Caesaris sestertiorum quinquaginta millia nummum. Alia ap. *Donat.* 278, 3. S. P. Obit. E. Q. S. S. S. H. Planc. A. D. D. Ⓡ. Ⓟ. Ⓡ. IIS. M. M. Ⓝ. *h. e.* Si post obitum eorum, qui supra scripti sunt, haec planca amovebitur, dari debebunt Reipublicae Ravennatium sestertiorum duo millia nummum. *F.*]

PLANCĬĀNUS, a, um, adj. ad Plancum aliquem pertinens, cogn. R. hominis: ut Plancianum senatusconsultum, ap. *Ulp. Dig.* 25, 3, 1. *med.*, ubi al. leg. *Plautianum:* et Diana Planciana, *h. e.* quae in domo Plancorum aedem habebat, in *Inscr.* ap. *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 2. p. 21. *ed. Mediol.*

[PLANCĪNUS, a, um, adj. ad Plancum pertinens, cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 985, 8. DIs Manibus L. Munatii Plancinae L. Polycliti, *h. e.* Munatiae Plancinae liberti, filiae L. Munatii Planci Cos. ann. U. C. DCCXII. Ejus quoque meminit *Tac. A.* 2, 43. Cn. Calpurnius Piso uxoris quoque Plancinae nobilitate et opibus accendebatur. *F.*]

*PLANCTAE, arum, insulae maris Euxini, notiore nomine Cyaneae et Symplegades dictae. *Plin.* 6, 12. ℙ Vetus harum insularum hoc nomen fuit, testibus *Herodoto* et *Scylace. B. A.*

PLANCTUS, us, m. *πλῆξις*, *κοπετὸς*, percussio, plaga, ictus cum strepitu, plangor; a *plango. Val. Fl.* 4, 491. unum omnes incessere planctibus, unum Infestare manus. De Harpyis loquitur, alarum agitatione strepitum facientibus. Sic de iisdem *Petr. Sat.* 136. tremuit perterritus aether Planctibus insolitis. *Lucan.* 6, 690. quod sibilat anguis, Exprimit, et planctus illisae cautibus undae, Silvarumque sonum. ℙ Praecipue vero dicitur de ictibus, qui in fletu et lamentis fiunt, cum querentes pectus tundunt, brachia, vultum feriunt. *Sen. Troad.* 92. Vacet ad crebri verbera planctus Furibunda manus. *Id. Thyest.* 1045. pectora illiso sonent Contusa planctu. *Petr. Sat.* 81. Verberabam aegrum planctibus pectus. *Lucan.* 2, 23. nec mater crine soluto Exigit ad saevos famularum brachia planctus. *Id.* 2, 37. planctu liventes contusa lacertos. *Id.* 9, 49. luctus planctusque ferebant. *Val. Fl.* 2, 175. Flet Venus, et saevis ardens Dea planctibus instat. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 248. planctuque lacertos Verberat, et questus ad nubila rumpit inanes. *Tac. A.* 1, 41. Gemitus ac planctus. *Sen. Troad.* 902. Planctus et gemitus sonent. *Flor.* 4, 1. *med.* Theatri plausum in modum planctus circumsonare.

PLANCUS, a, um, adj. *στεγανόπους*, *πλατύπους*, ut in *Gloss. Philox.* exponitur, qui pedes supra modum planos habet, ut *Fest.* docet in *Plancae*, h. e. sine vola, seu cavitate in solo medio pedis. *Plin.* 11, 45, 105. Vola homini tantum, exceptis quibusdam: namque et hinc cognomina inventa Planci, Plauti, Scauri, Pansae. V. PLANCINUS. ℙ Ab *Aristot. Hist. anim.* 9, 41. dicitur *πλάγκος* species quaedam aquilae, quam *plancum* itidem appellat *Plin.* 10, 3, 3.

PLĀNĔ, adv. *φανερῶς*, *προδήλως*, manifeste, clare, aperte, plano et facili ad intelligendum modo. *Cic. Or.* 2, 80. *f.* Alia potes, semel si obscurius dixeris, dicere alio loco planius. *Pl. Amph.* 2, 1, 30. Satin' hoc plane, satin' diserte, here, nunc video tibi locutus? *Cic. Or.* 1, 32. Plane et dilucide loqui. *Id. Fin.* 3, 5. *f.* Plane et perspicue expedire aliquid. *Id. Rosc. Com.* 14. *extr.* Planius atque apertius dicere. *Id. Verr.* 2, 2, 61. *extr.* Apertissime planissimeque explicare. *Id. Phil.* 7, 6. Plane et Latine loqui. ℙ Item omnino, prorsus, penitus. *Id. Att.* 13, 6. Quod reliquos coheredes convenisti, plane bene. *Id. Fam.* 3, 10. Illud plane moleste tuli, quod, etc. *Auct. ad Her.* 4, 20. Fieri potest, ut non plane par sit numerus syllabarum. *Cic. Or.* 1, 23. Ex rebus penitus perspectis, planeque cognitis. *Ter. Heaut.* 5, 1, 24. Sed te miror, qui alia tam plane scias. *Hor. Sat.* 1, 3, 66. Communi sensu plane caret. *Pl. Epid.* 3, 4, 55. Tibi os est sublitum plane et probe. *Cic. Brut.* 97. Quod jam propemodum, vel plane potius effeceras; et 81. Erat autem cum institutus optime, tum etiam perfecte planeque eruditus; et 59. Nec vero Sulpicio, neque Cottae dicere possumus rem ullam plane atque omnino defuisse. *Inscr.* ap. *Grut.* 208. Plane cum in re praesenti inspexerim lituratum AG. et erasum, *h. e.* praesertim cum. ℙ In responsionibus affirmandi vim habet. *Ter. Phorm.* 5, 2, 3. *De.* Nonne id sat erat, accipere ab illo injuriam? etiam argentum est ultro objectum, ut sit, qui vivat, dum aliud aliquid flagitii conficiat. *Ge.* planissime: *De.* His nunc praemium est, qui recta prava faciunt: *Ge.* verissime. Sic *Pl. Truc.* 2, 7, 57. Ego et donis privatus sum, et perii: *Ge.* plane istuc est.

PLĀNES, ētis. V. PLANETA.

PLĀNĒSĬUM, ii, f. *Πλανήσιον*, nomen mulieris in Curculione Plautino, *ἀπὸ τῆς πλάνης*, h. e. ab errore factum.

PLĀNĒTĂ, ae, m. *πλανήτης*, sidus errans: a *πλανάομαι*, erro, vagor. Ita autem planetae vocantur, non quia errent re vera, sed quia errare videantur, quia nunc alio, atque alio distent intervallo, cum idem semper spatium servent sidera cetera. Sunt autem septem: Saturnus summum locum obtinet, proximum Juppiter, tertium Mars, quem deinde Sol subsequitur, Solem Venus, sub Venere Mercurius situs est, Luna ultimum, terrisque proximum, eundemque minimum orbem possidet. *Cic.* vocat *stellas errantes*, at *Sen.*, *Nigid.* et *Varr.* appellant *erraticas*, et *errones*. V. *Plin.* 2, 8, 6. et sq., *Macr. Somn. Scip.* 1, 17, 19. et 21. et *Cic. Somn. Scip.* 4. et *Lucan.* 10, 199. qui omnes de his verba faciunt: sed *planetas* qui appellaverit Latinus scriptor, inveni adhuc neminem, praeter *Auson. Eclogar. de nominib. VII. dier.. Firm. Math.* 2, 2., *Isid. Or.* 3, 71. et *ib.* 19, 24. *f.* et *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 709. *n.* 307. ℙ In tert. decl. *planes*, *ētis*, m. *πλανής*, *ῆτος*, legitur ap. *Gell.* 14, 1. *med.* Ut alii quidam planetes pari potestate essent.

PLĀNĒTĀRĬUS, ii, m. astrologus. *Aug. Conf.* 4, 3. Illos planetarios, quos mathematicos vocant, consulere non desistebam. Al. rectius leg. *planos.* Adde *Serv.* ad *A.* 3, 284.

PLĀNĒTĬCUS, a, um, adj. *πλανητικὸς*, ad planetam pertinens. *Sidon. ep.* 8, 11. *med.* Planeticorum siderum globus.

*PLANGENSES, ium, incolae oppidi cujusdam Umbriae, sed excisi, cui nomen Plangae fortasse erat. *Plin.* 3, 14. *B. A.*

PLANGO, is, nxi, nctum, a. 3. *πλήττω*, *κόπτω*, percutio, verbero. Verbum est fere poeticum, a plago (ut *tango* a *tago*) quod a *πλαγὰ* Dorico pro *πληγή*, percussio. *Lucr.* 2, 1154. Nec mare, nec fluctus plangentes saxa crearunt. *Id.* 6, 114. chartasque volantes Verberibus venti versant, planguntque per auras. *Ov. Met.* 12, 118. plangens moribundo vertice terram. *Id. Her.* 16, 334. Caesaque sanguineam victima planget humum; et *ib.* 19, 121. Me miseram! quanto planguntur litora fluctu! *Sil.* 1, 588. de Borea: semperque rigens nunc litora pulsat, Nunc ipsas alis plangit stridentibus Alpes. *Catull.* 61, 261. Plangebant aliae proceris tympana palmis. ℙ Translate. *Stat. Th.* 3, 505. ales fugiens placabile planxerit omen, *h. e.* alis aera verberando omen dederit. Al. leg. *plauserit.* ℙ Saepe dicitur de iis, qui flentes, querentesque pectus tundunt, vultum, brachia feriunt prae dolore, [*κόπτεσθαι, ὀλοφύρεσθαι.] *Petr. Sat.* 111. Funus sparsis prosequi crinibus, et nudatum pectus in conspectu frequentiae plangere. *Ov. Met.* 6, 248. laniataque pectora plangens; et *ib.* 11, 81. femur moerenti plangere dextra; et *ib.* 9, 635. a pectore vestem Deripuit, planxitque suos furibunda lacertos. ℙ Passive. *Ov. Met.* 8, 525. scissaeque capillos Planguntur matres Calydonides Eueninae, *h. e.* tundunt se prae dolore. Alii leg. *plangunt se:* alii *plangebant:* sed *Heins.* v. *planguntur* defendit. Sic *ib.* 5, 675. Dumque volunt plangi. Alia est sententia in illo *ejusd. ib.* 11, 73. Utque suum laqueis, quos callidus abdidit anceps, Crus ubi commisit volucris, sensitque teneri, Plangitur, ac trepidans adstringit vincula motu, *h. e.* agitat se, et alas diverberat, ut effugiat. ℙ Absolute. *Id. ib.* 3, 505. planxere sorores Naides, et sectos fratri posuere capillos: Planxere et Dryades: plangentibus adsonat Echo. *Stat. Th.* 11, 417. Cuncta madent

lacrymis, et ab omni plangitur arce. *Just.* 19, 2. *extr.* Toto litore plangentium gemitus. *Appul. Met.* 5. Ibique deflebant oculos et plangebant ubertim. ℙ *Plangere aliquem*, aut *aliquid*, fletu, lamentis, et pectoris verberatione prosequi. *Tibull.* 1, 8, 27. suum pubes miratur Osirim Barbara, Memphitem plangere docta bovem. *Val. Fl.* 3, 297. nonne haec mea justius essent Funera, meque tuus potius nunc plangeret error? *Germ. Arat.* 198. tendit palmas, ceu sit planctura relictam Andromedam. *Stat. Silv.* 2, 1, 123. Et monstrare artes, et verba refringere, quae nunc Plangimus. *Id. Th.* 11, 117. plangunt sua damna coloni; et *ib.* 12, 383. Mene times? mea membra tenes, mea funera plangis. *Claud. in Eutrop. prol.* 2, 49. Direptas quid plangis opes? *Id. Rapt. Pros.* 3, 159. Nec deflet, plangitve malum. *Stat. Th.* 3, 196. et longo examine matres Invidiam planxere Deis, *h. e.* lamentando necem naturum Niobes, invidiam in Deos moverunt, a quibus interfecti fuerant.

PLANGOR, oris, m. κοπετὸς, percussio, ictus cum strepitu. *Catull.* 64, 272. Quae *(undae)* primum clementi flamine pulsae Procedunt, leni et resonant plangore cachinni. *Ov. Met.* 3, 497. de Echo: Cumque suos manibus percusserat ille lacertos, Haec quoque reddebat sonitum plangoris eundem. ℙ Praecipue vero sic dicitur percussio pectoris, aut vultus in lamentatione et fletu, ut *planctus*. *Cic. Or.* 38. Plangore et lamentatione compleremus forum. *Virg. A.* 2, 487. penitusque cavae plangoribus aedes Femineis ululant. *Ov. Met.* 6, 532. caesis plangore lacertis; et *ib.* 4, 553. dum solito tentat plangore ferire Pectora; et *ib.* 14, 420. Nec satis est Nymphae flere, et lacerare capillos, Et dare plangorem. *Val. Fl.* 3, 274. Tum super exsangues consertae caedis acervos Praecipiti plangore ruunt.

PLANGUNCŪLA, ae, f. pusilla pupa: a πλαγγὼν, pupa. Unde *Schol.* ad *Callimachi Hymn. in Cerer.* 92. exponit κήμινον νύμφην, cereum nympham. *Cic. Att.* 6, 1. *f.* Inventae sunt quinque plangunculae matronarum. Alii perperam leg. *lagunculae*, alii *imagunculae*.

PLĂNĪLŌQUUS, a, um, adj. qui plane loquitur. *Pl. Truc.* 4, 4, 11. Dii immortales, ut planiloqua est! paucis ut rem ipsam attigit!

[PLANĪNENSES, ium, m. plur. incolae Planini, oppidi in Piceno, quod memorat *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 324. *Plin.* 3, 13, 18. Falerienses, Pausulani, Planinenses, Ricinenses. In editionib. perperam legitur *Pleninenses*, ab aliis *Planienses. F.*]

PLĂNĬPĔDĬUS, a, um, adj. humilis, ut Planipedia comoedia. *Donat.* in *fragm. de comoed. et trag.* Planipedia dicta ob humilitatem argumenti, ac vilitatem actorum, qui non cothurno aut socco utuntur in scena aut pulpito, sed plano pede: vel ideo quod non ea negotia continet, quae personarum in turribus, aut in coenaculis habitantium sunt, sed in plano et humili loco. V. v. sq.

PLĂNĬPES, ĕdis, m. mimus, qui interim dum in scena fabulae explicarentur, non in suggestu scenae seu podio, sed in plano orchestrae riciniatus actitabat, vel nudis pedibus, h. e. non cum soccis, ut comici, neque cum cothurnis, ut tragici, scenam ingrediebatur. Utramque opinionem affert *Diomed.* 3, 487., sed priorem praeferunt *Scal.* ad *Fest.* in *Orchestra*, et *Voss. Instit. poet.* 2, 32., quamvis enim, inquiunt, verum est, pedibus nudis fuisse; tamen falsum, pedem nudum esse pedem planum: patet igitur, planipedem esse, qui, uti dicunt Itali, *a piè piano recita*. V. PEDEPLANA et PLĂNUS. *Atta* ap. *Diomed. l. c.* Daturin' estis aurum? exsultat planipes. *Gell.* 1, 11. *med.* Quid enim foret ista re ineptius, si ut planipedi saltanti, ita Graccho concionanti numeros et modos tibicen incineret? *Juven.* 8, 189. populi frons durior hujus, Qui sedet et spectat triscurria patriciorum, Planipedes audit Fabios. *Macr. Sat.* 2, 1. Haec nobis sit litterata laetitia, et docta cavillatio, vicem planipedis, et fabulonis, impudica et praetextata verba jacientis, ad pudorem ac modestiam versus imitata. *Cassius* ap. *Quint.* 5, 11. *med.* Quis istam faciem planipedis senis torquens? Alii leg. *Quis iste? faciem*, etc. Alii melius *lanipedis*, h. e. laneis vinculis pedes deligatos habentis, tanquam ulcerosi sint: atque adeo tardigradi, lenti. Plura de planipedibus habent *Reuvensius Collect. litter.* T. 1. p. 51 — 62. et *Osannus* in *Analect. crit.* T. 1. p. 67. et sqq.

PLĂNĬTAS, atis, f. *Auct. dial. de Or.* 23. *f.* Ea est electio inventionis, is ordo rerum, is compositionis decor, sententiarum planitas, etc. *h. e.* aequabilitas, vel perspicuitas. Alii mallent *plenitas*, alii *sanitas*, alii *gravitas*.

PLĂNĬTĬA, ae, f. et

PLĂNĬTĬES, ei, f. ὁμαλότης, πεδίον, aequalitas loci, aequor, locus planus. *Cic. Div.* 1, 1. Principio Assyrii propter planitiem, magnitudinemque regionum, quas incolebant, etc. *Vitr.* 7, 3. Planitiae coronarum sunt periculosae. *Caes. B. C.* 1, 43. Erat inter oppidum et collem planitia circiter passuum CCC. *Sall. Cat.* 62. Planities erat inter sinistros montes. *Lucr.* 4, 294. Planitiem ad speculi veniens cum offendit imago. *Id. ib.* 290. dixerat *aequor speculi*. *Inscr.* ap. *Grut.* 152, 7. Senatus, populusque Romanus clivom Martis pecunia publica in planitiam redigendum curavit. Alia eadem sententia quae sub Constantio et Constante Augg. insculpta est, ap. *Mur.* 463, 9. Senatus, populusque Romanus clivum Tiburtinum in planitiem redegit.

PLĂNĬTŪDO, inis, f. planitia. *Gloss. Philox.* Planitudo, ὁμαλία. Tribuunt et *Columellae* 4, 30. Sed V. PLENITUDO.

PLĂNĬTUS, adv. plana via. *Tert. Pall.* 4. Quo planitus adeantur. Alii melius leg. *plenius*.

PLĂNO, as, a. 1. ὁμαλίζω, planum facio, complano. *Coripp. Laud. Justin.* 2, 223. Ante pedes planate vias. *Id. Johann.* 4, 1063. Implicitas planate vias.

PLANTĂ, ae, f. κλαδίσκος, κλών, ωνὸς, surculus, seu ramus tenerior, et virens, qui in summitate ramorum ab arbore emittitur, et desectus transferri, aut inseri potest. Vocis notatio apud etymologos valde est incerta. *Cic. Sen.* 15. Malleoli, plantae, sarmenta, viviradices, propagines, nonne ea efficiunt, ut, etc.? *Varr. R. R.* 1, 55. Qui quatiet, ne adversam caedat: saepe enim ita percussa olea defert de ramulo plantam. *Virg. G.* 2, 23. Hic plantas tenero abscindens de corpore matrum, Deposuit sulcis; et 300. neve flagella Summa pete, aut summa destringe ex arbore plantas; et 78. enodes truncı resecantur, et alte Finditur in solidum cuneis via: deinde feraces Plantae immittuntur. ℙ Apud *Fest.* planta oleaginea est virga foliata ex olea deplantata. ℙ Si cum *ramus* jungatur, ita ab eo differt, ut minor a majore: vel *planta* una virga constat, *ramus* pluribus. *Colum.* 5, 10. Semina si ex veteribus ramis sumes, illos magis eligito, qui sunt contra solem, quam qui umbris, ramis, aut plantis continentur. *Id. Arbor.* 20. Arbor insita fructuosior est, quam quae insita non est, idest quam quae cum ramis, aut plantis ponitur. ℙ Per synecdochen est tota arbor, aut herba, *planta*, φυτὸν, sed cum respectu ad translationem, aut sationem. *Plin.* 17, 11, 14. Plantas ex seminario transferre in aliud, priusquam suo loco ponantur. *Colum.* 11, 3. *med.* Hae res (h. e. *herbae*, *quae condimentorum causa seruntur*) et semine, et plantis circa aequinoctium vernum seruntur. *Ov. R. Am.* 193. Ipse potes riguis plantam deponere in hortis. *Pall.* 5, 2. Aliqui oleas in radicibus inserunt, et ubi comprehenderint, cum aliqua parte radicis avellunt, et transferunt more plantarum. ℙ Et universim quidquid e terra germinat. *Juven.* 3, 226. Hortulus hic, puteusque brevis, nec reste movendus, In tenues plantas facili diffunditur haustu. ℙ Ap. *Fest.* dicuntur *plantae* etiam semina olerum, quod plana sunt. Appellantur etiam, inquit *Id.*, ex simili plantae nostrorum pedum. Dicitur enim *planta pedis*, et *planta* absolute, solum pedis, et ipse pes, πέλμα. *Plin.* 7, 2, 2. In meridianis Indiae viris plantas esse cubitales, feminis adeo parvas, ut struthopodes appellentur; et *ib. in.* Homines aversis post crura plantis, eximiae velocitatis. *Virg. Ecl.* 10, 49. Ah! tibi ne teneras glacies secet aspera plantas. *Id. A.* 8, 458. Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis. *Ov. Met.* 10, 591. Aura refert oblata citis talaria plantis. *Sil.* 13, 246. per aperta volantem Assequitur planta, *h. e.* cursu. Sic *Id.* 16, 458. laeta ad certamina plantae Invitat. *Id.* 6, 212. Quadrupedem planta fodiens, *h. e.* calcaribus. *Sen. ep.* 111. Exsurgere in plantas. *Val. Fl.* 6, 702. Improba barbaricae procurrunt tegmina plantae, *h. e.* pedis barbarico calceo induti, vel etiam ipsius calcei. ℙ *Supra plantam*, proverb. ap. *Val. Max.* 8, 12. *extr.* et *Ammian.* 28, 1. *med.* eandem habet sententiam, ac *supra crepidam*. V. CREPIDA. ℙ [Est etiam cogn. R., ut Pompejus Planta praefectus Aegypti ap. *Plin. ep.* 10, 5. *F.*]

PLANTAGO, inis, f. herba vulgaris, cujus duo genera. Minor angustioribus foliis et nigrioribus, linguae pecorum similis (unde ἀρνόγλωσσον dicitur) caule anguloso, in terram inclinato, in pratis nascens. Altera major, foliis laterum modo inclusa, quae quia septena sunt, quidam eam heptapleuron vocavere. Hujus et caulis cubitalis est, et napi similis. Nascitur in humidis multo efficacior. *Plin.* 25, 8, 39.

PLANTĀRIS, e, adj. πελματώδης, ad plantam pedis spectans. *Stat. Theb.* 1, 304. de Mercurio: Summa pedum propere plantaribus alligat alis. *Val. Fl.* 1, 67. nunc aerii plantaria vellet Perseos. ℙ Item ad plantas, quae seruntur: unde *plantaria* sunt ipsae plantae. *Virg. G.* 2, 26. Silvarumque aliae pressos propaginis arcus Exspectant, et viva sua plantaria terra. *Plin.* 21, 10, 34. Abrotonum seritur semine melius, quam radice aut surculo: semine quoque non sine negotio: plantaria transferuntur. *Juven.* 13, 123. non Epicurum Suspicit exigui laetum plantaribus horti, *h. e.* oleribus. Haec etiam ad v. sq. pertinere possunt.

PLANTĀRĬUM, ii, n. φυτευτήριον, locus plantarum, seminarium. *Plin.* 13, 4, 8. de palmis: Ergo plantaria instituunt, anniculasque transferunt, et iterum bimas. *Id.* 17, 20, 34. Ideo nucibus potius, quam viviradicibus, plantaria caedua implentur. *Id.* 16, 33, 60.: de cupressu: Quaestuosissima in satus ratione silva: vulgoque dotem filiarum antiqui plantaria appellabant. ℙ Metaphorice. *Pers.* 4, 39. Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant, *h. e.* inguina densis pilis obsita. ℙ [Alio sensu. *Coripp. Johann.* 2, 38. Tunc furor incerti posuit plantaria Martis, *h. e.* serit causas belli. *F.*] ℙ Metonymice *plantaria* ipsae plantae. V. in v. praec.

PLANTĀTĬO, onis, f. φύτευσις, actus plantandi, aut transferendi. *Plin.* 21, 4, 10. de rosis: Pangaeus mons fert numerosis foliis ac parvis: unde accolae transferentes conserunt, ipsaque plantatione proficiunt.

PLANTĀTOR, oris, m. qui plantat. Est *August. ep.* 89. (al. 157.) 20. et *ep.* 112. (al. 147.) *in.* et *serm.* 358. *ed. rec. f.*

PLANTĪGER, ra, rum, adj. φυτοφόρος, plantas gerens, vel ex se pullulando emittens. *Plin.* 13, 8, 16. Siliqua plantigera est in imis partibus.

PLANTO, as, a. 1. φυτεύω, μεταφέρω, per plantam arborem sero aut transero. *Plin.* 17, 10, 13. Stolones cum perna sua avelluntur, partemque aliquam e matris quoque corpore auferunt secum. Hoc modo plantantur punicae, coryli, mali, sorbi. *Pall.* 4, 5. Sinapis, et caules optime seruntur, vel plantantur, *h. e.* semine, vel planta.

[PLĂNŪLA, ae, f. dimin. planae. *Gloss. Phil.* Planula, ἐγκοπίς. V. PLANA. *F.*]

PLĂNUS, a, um, adj. ὁμαλὸς, aequus, aequalis, aequabilis, in quo nihil eminet, non clivosus, non editus. *Cic. N. D.* 2, 18. Cum duae formae praestantes sint, ex solidis globus, ex planis circulus aut orbis. *Id. Univ.* 5. Si universitatis corpus planum et aequabile explicaretur. *Id. Caecin.* 17. *f.* Aequus et planus locus. *Id. Agr.* 2, 35. Capua planissimo in loco explicata. *Caes. B. G.* 4, 23. *extr.* Aperto ac plano litore naves constituit. *Plin.* 9, 20, 27. et *ib.* 51, 74. Plani pisces. V. in JACENS. *Pl. Trin.* 3, 2, 19. Facilis et plana via. *Liv.* 34, 29. A porta unde aditus planior erat, irrumpere conabantur. *Ulp. Dig.* 43, 8, 2. *med.* Deteriorem viam fieri, si, cum plana fuerit, clivosa fiat. ℙ *Pes planus* idem ac pedeplanus. V. PEDEPLANA. *Vitr.* 6, 11. Aedificia, quae plano pede instituuntur, *h. e.* sine hypogaeis et concamerationibus. *Id.* 7, 1. Si plano pede erit ruderandum: cui opponitur *in contignatione*. Sic *ib.* 4. Conclavia, quae plano pede sunt. ℙ *Planum*, planities. *Just.* 2, 10. *f.* de Xerxe: Montes in planum ducebat, et convexa vallium aequabat. *Sall. Jug.* 53. *extr.* Aciem in planum deducit. *Ov. A. Am.* 2, 343. per planum ire: cui mox opponit *per praeceps*. *Id. Trist.* 3, 4, 17. cadere in plano: cui mox opponit *tecto delapsus ab alto*. *Sen. Tranq.* 10. *med.* In planum deferre aliquid. *Flor.* 4, 12. Castra quae in plano erant. *Id.* 3, 5. In plana descendere. *Phaedr.* 2, 4. quercum vult evertere, Ut nostram in plano facile progeniem opprimat. ℙ *De plano*, ex aequo loco, non ex edito, χαμόθεν, ἐξ ἐπιπέδου. *Ulp. Dig.* 13, 6, 5. *med.* Hoc verum puto, si servum tibi commodavi, ut in machina operaretur: ceterum si ut de plano opus faceret etc. *Auson. Grat. act.* 21. Has litteras si in omnibus pilis atque porticibus, unde de plano legi possint, instar edicti pendere mandavero. Hinc illae notae V. D. P. R. L. P. in edictis et legibus proponendis, quae habentur in aenea Tabula optimae notae ap. *Mur.* 582, 2. *lin.* 16. hoc est *Unde*, vel *ubi de plano recte legi possint*: quae verba integra habentur in *Inscr.* ap. *Grut.* 509. *lin.* 22. ℙ Ap. JCtos significat omissa forma judicii, vel extra tempus juris dicendi: cui *pro tribunali* opponitur: [hinc judices *pedanei*, et decuriones *pedani* vel *pedarii* dicebantur, qui non in tribunali, seu biselliis, sed in subselliis sedebant. V. PEDANEUS et PEDARIUS. *F.*] *Suet. Tib.* 33. Judices aut e plano, aut e quaesitoris tribunali, legum et religionis admonebat. *Paul. Dig.* 48, 18, 18. *extr.* Custodiae non solum pro tribunali, sed et de plano audiri possunt, atque damnari. Adde *Ulp. ib.* 33, 1, 3. *f.* et alibi. Huc pertinet illud *Sen. Clem.* 5. Haec magnanimitas in bona fortuna laxiorem locum habet, meliusque in tribunali, quam in plana conspicitur, *h. e.* in homine divite ac nobili, quam paupere et humili loco nato. ℙ Praeterea *de plano* translate est facili negotio, nullo labore, non multa opera et cura adhibita. *Lucret.* 1, 411. Hoc tibi de plano possum promittere, Memmi. ℙ Est etiam *planus*, apertus, clarus, manifestus, qui facile intelligitur. *Pl. Pers.* 2, 2, 1. Satin' haec sunt tibi plana et certa? *Cic. Top.* 26. Ut narrationes planae sint, breves, evidentes. *Plin.* 2, 7, 5. Minus plana de Deo conjectatio. ℙ Planum est. *Pl. Capt.* 3, 4, 32. Pol planum id quidem est, non novisse. Adde *Mil.* 2, 4, 52. ℙ *Planum facere*, patefacere, declarare, ante oculos ponere. *Cic. Verr.* 2, 5, 64. Cum haec omnia quae polliceor, cumulate tuis proximis plana fecero. *Id. ib.* 1, 14. Cum planum facere multis testibus possim, Verrem dixisse etc. *Lucret.* 2, 932. planum facere atque probare.

PLĀNUS, i, m. πλάνος, proprie est erro, vaga-

bundus: a πλάνη, error: sed accipitur etiam pro eo, qui decipiendi causa vagatur, impostore, nebulone, sycophanta, fraudulento, fallaci, ut et *Gell.* observat 16, 7. *Cic. Cluent.* 26. *med.* Hic ille planus improbissimus, qui etc. *Petr. Sat.* 82. Notavit me miles, sive ille planus fuit, sive nocturnus grassator. *Acron* ad *Hor. Ep.* 1, 17. scribit, *Planum* nomen fuisse notissimi impostoris, qui cum finxisset aliquoties, se crus fregisse, ut in vehiculo tolleretur, cum postea vere crus fregisset, rogaretque, ut vehiculo in Urbem reportaretur, non fuit ei creditum. *Hor. l. c. f.* Nec semel irrisus triviis attollere curat Fracto crure Planum. *Capit. M. Aurel.* 13. Planus quidam concionabundus, ignem de coelo lapsurum, finemque mundi affore dicebat. Adde *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 14. et *Arnob.* 2, 66. etc.

PLASEA. V. PALASEA.

PLASMA, ătis, n. πλάσμα, a πλάσσω, fingo. Opus fictile figuli arte e luto formatum. Hinc a poetis Christianis nonnunquam de homine dicitur, qui e luto factus est. *Prud. Cath.* 7, 184. Emancipator servientis plasmatis: et *ib.* 9, 91. Quid tibi, profane serpens, profuit rebus novis, Plasma primum perculisse versipelli hortamine? ℙ Fictio, figmentum. *Auson. ep.* 10, 1. Si qua fides falsis unquam est adhibenda poetis, Nec plasma semper allinunt. *Capell.* 9, 336. disciplinas cyclicas Garrire agresti nuda finxit plasmate. ℙ Est etiam potio ex dulcioribus quibusdam rebus composita, qua colluebant os et fauces ad fingendam vocem, ut liquida esset, clara, et suavis. *Pers.* 1, 17. Sede leges celsa, liquido cum plasmate guttur Mobile collueris. *Quint.* 1, 8, 2. Sit lectio non in canticum dissoluta, nec plasmate, ut nunc a plerisque fit, effeminata. [*V. *Spald.*, qui recte assentitur *Salm. plasma* hic et in *Persii* loco non de potione, ut *Casaub.* et *Noster*, sed de voce molli et eliquata intelligenti. Cf. etiam *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 286. sqq.]

PLASMĀTĬO, onis, f. actus plasmandi. *Hieron. ep.* 22. *n.* 38. Quomodo possunt honorare plasmationem hostis sui?

PLASMĀTOR, oris, m. qui plasmat. *Tert. adv. Jud.* 2. Deus universitatis conditor, hominis plasmator.

PLASMĀTUS, a, um, part. a *plasmo*, fictus, factus. *Tert. adv. Jud.* 13. *med.* Illa terra virgo, ex qua homo tunc primum plasmatus est. Adde *Prud. Apoth.* 934.

PLASMO, as, a. 1. πλάσσω, e luto fingo, formo. *Prud. Apoth.* 933. Ut per corpoream speciem plasmasse feratur Corporis effigiem. [*Tert. Spect.* 23. Ideo homini oculos Deus plasmavit, ut vapulando deficiant? *F.*]

PLASSO, as, a. 1. plasmo, fingo, formo, πλάσσω. Est *Apicii* 2, 1. Isicia plassantur.

PLASTES, ae, m. πλάστης, qui vasa vel statuas, aliave opera ex argilla vel gypso facit, figulus: a πλάσσω, fingo. *Vell.* 1, 17. Hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribus. *Plin.* 35, 12, 45. Plastae laudatissimi fuere Damophilus, et Gorgasus, iidemque pictores. *Tert. Idol.* 3. Neque interest, an plastes effingat idolum, an caelator exsculpet. V. GYPSARIUS et GYPSOPLASTES.

PLASTĬCĀ. V. PLASTICE.

PLASTĬCĀTOR, oris, m. qui ex argilla opus facit. *Firm. Math.* 8, 16. Erunt aurifices, bracteatores, inauratores, plasticatores, margaritarii.

PLASTĬCE, es, f. πλαστική, ars faciendi statuas, aliudve opus ex gypso, creta, aut argilla: a πλάσσω, fingo. V. GYPSOPLASTES. *Plin.* 35, 12, 43. narrat, Dibutadem Sicyonium figulum, primum invenisse Corinthi, filiae opera, quae capta amore juvenis, illo abeunte peregre, cum umbram ex facie ejus ad lucernam in pariete lineis circumscripsisset, illis pater impressa argilla typum fecit, et cum ceteris fictilibus induratum igni proposuit. *Id. ib.* Qui plasticen matrem statuariae, scalpturaeque, et caelaturae esse dixit. ℙ *Plastica, ae*, Latina positione usurpatur a *Tert. Cult. fem.* 2. *f.* et *ib.* 5. et *Spect.* 18.

PLASTĬCUS, a, um, adj. πλαστικός, ad plasticen pertinens, *h. e.* ad fingendum ex argilla. *Vitr.* 1, 1. *med.* Architectus non potest esse plastes, ut Myron, sed rationis plasticae non ignarus. *Tert. ad Nat.* 1, 12. Plastica manus. ℙ *Plasticus, i*, plastes. *Firm. Math.* 7, 25. Faciet pictores, plasticos, aurifices.

[PLASTUS, a, um, adj. idem ac plasticus. *Fulg. Myth. praef.* 1. *f.* Jam simulacra modis mentes fallentia plastis, *h. e.* fictis et fallacibus. *F.*]

PLATAEAE, arum, f. plur. Πλαταιαί, urbs excisa Boeotiae, apud Cithaeronem montem Thespiis proxima, inter Cithaeronem et Thebas. Apud hanc urbem Aristides praetor Atheniensium, et Pausanias dux Spartanorum vicerunt Mardonium ducem Xerxis caesis trecentis millibus peditum, et viginti millibus equitum, idest universis fere copiis Persarum, quos illi Xerxes in regnum revertens reliquerat. *Cic. Off.* 1, 18., *Nep. Arist.* 2. et *Paus.* 1., *Just.* 2, 12. et 14., *Vitr.* 1, 1. ℙ In sing. num. οὔ τε Πλάταιαν ἔχον dixit *Homer. Iliad.* 3, 504. ℙ Ap. *Nep. ll. cc.* legitur *Plataeae*, alii tamen rectius leg. *Plataeae* ex Gr. Πλαταιαί.

PLATAEENSIS, e, adj. ad Plataeas pertinens. *Plataeenses*, Plataearum cives. *Nep. Milt.* 5. et *Just.* 2, 9.

PLATAEĒUS, a, um, adj. Plataeensis. *Vitr.* 1, 1. Plataeeum proelium.

PLATALEA, ae, f. avis, de qua *Cic. N. D.* 2, 49. Legi etiam scriptum, esse avem quandam, quae platalea nominetur: eam cibum quaerere advolantem ad eas aves, quae se in mari mergerent, quae cum emersissent, piscemque cepissent, usque eo premere earum capita mordicus, dum illae captum amitterent, id quod ipsa invaderet. Eademque haec avis scribitur conchis se solere complere, easque cum stomachi calore concoxerit, evomere, atque ita eligere ex iis, quae sunt esculenta. Haec *Cicero.* Eadem narrat *Plin.* 10, 40, 56., sed *plateam* vocat. *Arist. H. anim.* 9, 10. πελεκᾶνα. Ex Italis multi dicunt *palettone.* [**Löffelgans.* Aliis est *Rohrdommel.*]

[PLATANĒTUM, i, n. idem ac platanon. *Gloss. Philox.* Πλατανών, platanetum. *F.*]

*PLATANEUS, ei vel eos, Πλατανεύς, fluvius Bithyniae. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

PLATANĪNUS, a, um, adj. πλατανινός, qui ex platano est. *Colum.* 12, 16. Alii foliis vitigineis, nonnulli plataninis semivietas uvas contegunt.

PLATANISTA, ae, m. πλατανιστής, piscis, de quo *Plin.* 9, 15, 17. In Gange Indiae platanistas vocant, rostro delphini et cauda, magnitudine autem quindecim cubitorum.

PLATANON, onis, m. πλατανών, locus platanis consitus. *Petr. Sat.* 131. Postero die in eundem platanona descendi. *Mart.* 3, 19. Exornant fictaeque platanona ferae. *Vitr.* 5, 11. *f.* Faciunda autem xysta sic videntur, ut sint inter duas porticus silvae, aut platanones. ℙ Rectus casus *platanon* est ap. *Plin. ep.* 1, 3., et in quibusdam editionib. Graecis litteris πλατανών.

PLATANUS, i, f. πλάτανος, arboris genus, quod umbrae tantum gratia expetitur: a πλατύς, latus. [*Platanus orientalis, *L.*] Hinc ab *Hor. Od.* 2, 15, 4. caelebs dicitur, quia non solet adhiberi ad vites fulciendas, ut ulmus. *Cic. Or.* 1, 7. Nam me haec tua platanus admonuit, quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa, cujus umbram secutus est Socrates, quae mihi videtur non tam ipsa aquula, quae describitur, quam Platonis oratione crevisse. *Plin.* 12, 1, 3. Quis non jure miretur, arborem umbrae gratia tantum ex alieno petitam orbe? Platanus haec est, mare Ionium in Diomēdis insulam primum invecta, inde in Siciliam transgressa, atque inter primas donata Italiae, et jam ad Morinos usque pervecta, etc.; et *mox:* Celebratae sunt primum in ambulatione Academiae Athenis cubitorum XXXIII. Nunc est clara in Lycia, gelidi fontis socia amoenitate, itineri apposita, domicilii modo cava, octoginta atque unius pedum specu, nemorosa vertice, et se vastis protegens ramis, arborum instar, agros longis obtinet umbris, etc. V. ibi reliqua. *Virg. G.* 2, 70. Et steriles platani malos gessere valentes. ℙ In quarta decl. *Virg. Cul.* 122. prona surgebant valle patentes Aeriae platanus. Est qui leg. *platani.*

*PLATE, es, f. insula e regione Troadis. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

PLATĒA, ae, f. πλατεῖα, via lata in urbe: a Graeca voce allata, in qua supplendum est ὁδός, via. Est enim adj. femin. nominis πλατύς, latus. *Ter. Andr.* 4, 5, 1. In hac habitasse platea dictum est Chrysidem. *Caes. B. C.* 1, 27. Portas obstruit, vicos plateasque inaedificat. *Hirt. B. Alex.* 2. *extr.* Turres subjectis rotis, funibus, jumentisque, directis plateis, in quamcumque erat visum partem movebant. ℙ Extrita subjunctiva diphthongi paenultima corripitur. *Hor. Ep.* 2, 2, 69. Purae sunt plateae, nihil ut properantibus obstent. Adde *Catull.* 15, 7. ℙ Quandoque etiam capitur pro area in mediis aedibus. *Lampr. Elag.* 24. Plateas in Palatio stravit Lacedaemoniis et porphyreticis saxis. ℙ *Platea* item, πελεκᾶν est nomen avis. V. PLATALEA. ℙ *Fuit et Platea insulae nomen Cretae adjacentis. *Plin.* 4, 12. ℙ *Plateae, arum*, insulae duae, Troadi objectae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

PLATESSA, ae, f. genus piscis plani, et jacentis. *Auson. ep.* 4, 58. mollesque platessae. [**Plattfisch, Platteise.*]

PLATĬCE, adv. πλατικῶς, ruditer, laxe, universim. *Firm. Math.* 2, 16. Debet enim is, qui instituitur, primum platice institui, ut his apertioribus levioribusque compositus, secretiora deinceps confidentius consequatur.

PLATĬCE, es, f. πλατική, rudis et compendiaria instructio, quam postea sequitur plenior doctrina. *Firm. Math.* 2, 16. *extr.* Nunc ad platicen, locorumque definitionem revertamur.

PLATĪCUS, a, um, adj. πλατικός, laxus, latus, remotus. *Firm. Math.* 3, 2. *med.* Et quamvis quidam putent, platicam istam dispositionem esse, discentis tamen ingenium facili institutionis magisterio componit.

PLATO et Platon, onis, m. Πλάτων, ωνος, philosophus Atheniensis, sic dictus ab humerorum et pectoris latitudine (a πλατύς, *latus*), ut ait *Sen. ep.* 58. *med.*, nam primis annis Aristocles est appellatus, teste *Appul. Dogm. Plat. in.* 1., ubi plura de eo. Patrem habuit Aristonem, matrem Perictionem Glauci filiam: natusque fertur eo die, quo Apollinem et Dianam Latona peperit, vel prodie ejus diei. Parvulo in cunis dormienti, ut est ap. *Cic. Div.* 1, 36., cum in labellis apes consedissent, responsum est, singulari illum suavitate orationis fore. Miro fuit ingenio, primisque annis tantum profecit in litteris et ingenuis artibus, ut singularem in omnibus laudem assequeretur. Philosophiae mox deditus, atque ejus gratia in Italiam profectus, Pythagoram audivit: deinde in Aegyptum navigans, libros Moysi ibi legisse dicitur: tantaque coepit clarere luce doctrinae et sapientiae, ut totum terrarum orbem illustraverit, *divinus* vulgo appellatus. Vixit annos LXXXI., decessit die natali suo, (falsum id esse probat *Odoard. Corsinius* ap. *Gorium Simbol. litt. Florent.* T. 6. p. 80.) teste *Sen. l. c.* Errare, inquit *Cic. Tusc.* 1, 17., malo cum Platone, quam cum istis vera sentire. *Id. Or.* 3. Ille non intelligendi solum, sed etiam dicendi gravissimus auctor et magister Plato. *Id. Brut.* 31. *f.* Quis uberior in dicendo Platone? Jovem ajunt philosophi, si Graece loquatur, sic loqui. *Id. opt. gen. Or.* 6. Divinus auctor Plato. *Id. N. D.* 2, 12. Audiamus Platonem, quasi Deum quendam philosophorum. *Hor. Sat.* 2, 4, 3. Pythagoran, Anytique reum, doctumque Platona. *Macr. Sat.* 1, 11. Nescis, qua aetate Hecuba servire coepit, qua Diogenes, qua Platon. *Manil.* 1, 772. Aetheriusque Platon, et qui fabricaverat illum. V. RUBICO.

[PLATONĬA, vel Platunia, ae, f. lapis in tabulae formam dissectus: ex dimin. πλατύνιον, tabella, ut videtur. *Auct. de limit.* p. 248. *Goes.* Terminos in modum platuniae posuimus, ut qui nesciunt, militarios eos putent. Alii leg. *platumae. Cass. Varr.* 3, 9. In municipio itaque vestro sine usu jacere comperimus columnas, et lapides vetustatis invidia demolitos; et *mox:* Supra memoratas platonias, vel columnas ad Ravennatem civitatem contradat modis omnibus devehendas. Alii leg. *platomas.* V. *Ducang.* in *Gloss. med. et inf. Lat.* in V. *Platonae. F.*]

PLATONĬCUS, a, um, adj. ad Platonem pertinens, ut Platonica sublimitas. *Plin. ep.* 1, 10. Platonicus philosophus, *Gell.* 15, 2.

[PLATORĪNUS, a, um, adj. ad Platorem (qui Graece Πλάτωρ, ορος) pertinens, a Philippo Macedoniae rege praepositum urbi Oreo in Euboea, qui ann. U. C. DXLVII. eandem, Romanis per proditionem in arcem acceptis, P. Sulpicio Galbae proconsuli tradidit. Is fortasse in praemium fraudis ab eodem Sulpicio civitate Romana donatus Platorinorum familiae originem dedit. Hinc in nummo G. Sulpiciae, qui cusus videtur ann. U. C. DCCXLI., unus ex ejus posteris appellatur ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 317. C. Sulpicius Platorinus III. vir A. A. A. F. F. Haec autem ex conjectura *C. Cavedoni* in *Sagg. di oss. sulle medaglie* etc. p. 110. *F.*]

PLATYCĒROS, ōtis, m. πλατύκερως, lata cornua habens: a πλατύς, latus, et κέρας, cornu. *Plin.* 11, 37, 45. Aliorum *(animalium cornua)* finxit in palmas, digitosque emisit ex iis: unde platycerotas vocant, *h. e.* dorcades. Πλατυκέρωτας quidam leg. et ap. *Varr. R. R.* 2, 1., ubi libri habent *caprarum quas Latine rotas appellant.* [Alii melius leg. *strepsicerotas* pro inepta lectione *rotas.* Adde *Not. Tir.* p. 175., ubi tamen mendose *platocerus* pro *platiceros* legitur. *F.*]

PLATYCORĬASIS, is, f. pupillae ultra naturalem modum dilatatio, morbus equorum oculos infestans: a πλατύς, latus, et κόρη, pupilla. *Veg. Vet.* 2, 16.

PLATYOPHTHALMUS, i, m. πλατυόφθαλμος, ita cognominatur stibium, lapis spumae candidae nitentisque, oculos dilatans: a πλατύς, latus, et ὀφθαλμός, oculus. *Plin.* 33, 6, 34.

PLATYPHYLLON, i, n. πλατύφυλλον, genus tithymali latis foliis. *Plin.* 26, 8, 44. et *ib.* 11, 73. Est autem a πλατύς, latus, et φύλλον, folium.

[PLATYS, yos, m. πλατύς, latus. *Plin.* 26, 8, 58. Nervus, qui platys appellatur. *F.*]

PLAUDO, is, si, sum, a. 3. κροτέω, cum sonitu percutio, plango, verbero, pulso, ferio. *Virg. Cir.* 179. Non Libyco molles plauduntur pectine telae. *Ov. Met.* 2, 866. modo pectora praebet Virginea plaudenda manu. *Stat. Th.* 7, 134. clypeum ter pectore plausit. *Id. Silv.* 1, 3, 74. vitreasque natatu Plaudit aquas. *Virg. A.* 6, 644. Pars pedibus plaudunt choreas, *h. e.* pede terram pulsando choreas agunt. ℙ *Plaudere aliqua re*, sonitum edere. *Virg. A.* 5, 515. alis Plaudentem figit sub nube columbam. *Ov. Met.* 8, 238. prospexit ab ilice perdix, Et plausit pennis, testataque gaudia cantu est. *Id. ib.* 6, 97. plaudit crepitante ciconia rostro. ℙ Absolute. *Sen. Q. N.* 2, 28. Aversae inter se manus collisae non plaudunt, sed pal-

ma cum palma collata plausum facit. ℙ Saepe est collisis manibus sonitum edere, quod fit cum alicui re bene gesta gratulamur, cum probamus aliquid, cum laetitiam ostendere volumus. *Cic. Att.* 16, 2. Populum R. manus suas non in defendenda republ., sed in plaudendo consumere. Alii leg. *in laudando;* et *ib.* 2, 19. Huic ita plausum est, ut salva republ. Pompejo plaudi solebat. *Hor. Ep.* 2, 1, 88. favere et plaudere alicui. *Cic. Q. Fr.* 2, 4. Vatinium arbitratu nostro concidimus, Diis hominibusque plaudentibus. ℙ *Plaudite*, extrema vox actorum, aut cantoris in theatro peracta fabula, ut ap. *Ter.* et *Plaut.* videre est. *Quint.* 6, 1. *f.* Tunc est commovendum theatrum, cum ventum est ad ipsum illud, quo veteres tragoediae comoediaeque clauduntur, Plaudite. *Hor. A. P.* 155. usque Sessuri, donec cantor, vos plaudite, dicat. ℙ *Plaudere sibi*, sibi placere, blandiri, sua nimium amare, probare. *Plin. ep.* 9, 14. Nec ipse tibi plaudis, et ego nihil magis ex fide, quam de te scribo. *Hor. Sat.* 1, 1, 66. populus me sibilat: at mihi plaudo Ipse domi, simulac nummos contemplor in arca. ℙ *Plaudere in aliquem*, contra aliquem, et quasi exsibilare. *Minuc. Fel. Octav.* 14. ℙ Pro *plaudo* dixere etiam *plodo*, ut pro *cauda coda*, pro *plaustrum plostrum*, etc., unde *explodo*, *complodo*. *Varr.* ap. *Non.* 7, 85. In balneis plodere coepimus, et murmurari. Adde *Cic. fragm.* ap. *Diomed.* 1, 378.

PLĂVIS, is, m. *Piave*, flumen Venetiae, quod ex Alpibus per Bellunum urbem descendit, aliisque parvis fluviis acceptis per agrum Tarvisinum inter Silim et Liquentiam fluens in mare Adriaticum influit: olim Tarvisio magis proximum erat, et per alveum Silis prope Altinum mari miscebatur: hinc *Plin.* 3, 18, 22. memorat tantummodo fluvium Silim, minime vero Plavem, cujus mentio est apud *Venant. praef. Carm. l.* 1. Praesertim quod ego de Ravenna progrediens, Padum, Athesim, Brintam, Plavem, Liquentiam, Tiliaventumque tranans, etc. Adde *Anonym. Ravennat.* 4, 36. et *Paul. Diac. Hist. Langob.* 2, 12. ℙ Plavi proximus olim fuit pagus Duplavilis, nunc *Valdobbiadene*, cujus incolae *Duplavilenses*, q. v. v. s. l. [*Hic plurima addidit *F.*]

PLAUSĪBĬLIS, e, adj. κροτητὸς, qui placet, qui plausum meretur, popularis, gratus. *Cic. Div. Verr.* 3. Censorium nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id nunc populare atque plausibile factum est. *Sen. ep.* 59. Antiqui, apud quos nondum captabatur plausibilis oratio. *Quint.* 4, 3. Plerisque moris est, prolato rerum ordine, protinus utique in aliquem laetum ac plausibilem locum, quam maxime possint, favorabiliter excurrere.

PLAUSĪBĬLĬTER, adv. cum plausu. *Sidon. ep.* 8, 10. Magnus orator, si negotium aggrediatur angustum, tunc amplum plausibilius manifestat ingenium.

PLAUSĪLIS, e, adj. plausibilis. *Sidon. ep.* 9, 14. Plausilibus aliquem fovere ulnis. Alii leg. *plausibilibus*. *Not. Tir.* p. 172. Plausilis, plausibilis.

PLAUSĪTO, as, n. l. frequent. a *plaudo*. *Auct. carm. Philom.* 21. Plausitat arborea clamans de fronde palumbes.

PLAUSOR, oris, m. qui plaudit. *Hor. Ep.* 2, 2, 130. In vacuo laetus sessor, plausorque theatro. *Petr. Sat.* 5. neve plausor in scena Sedeat redemptus histrioniae addictus. *Suet. Ner.* 25. Sequentibus currum ovantium ritu plausoribus. ℙ Dicitur etiam *plosor*, ut *plodo* pro *plaudo*. *Sidon. ep.* 9, 3. *med.* et *carm.* 9, 300.

PLAUSTRĂRATRUM. V. PLANARATRUM.

PLAUSTRĂRĬUS, ii, m. ἁμαξοπηγὸς, opifex plaustrorum. *Lampr. Alex. Sev.* 24. Linteonum, vitreariorum, plaustrariorum, et ceterarum artium vectigal pulcherrimum instituit. ℙ Item qui plaustrum regit, ἁμαξεύς. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. *f.* Si ex plaustro lapis ceciderit, et quod ruperit, vel fregerit, Aquiliae actione plaustrarium teneri placet. Alii leg. *plostrarium*.

PLAUSTRĬLŪCUS, a, um, adj. lucens instar sideris, quod plaustrum dicitur, q. v. v. *Capell.* 9, 309. Sub te plaustrilucis luminat ignibus Anguis Parrhasias disjiciens feras. *Grotius* mallet *plaustriducis* a *plaustriducus*, *a*, *um*, qui plaustro ducitur. *F.*]

[PLAUSTRIX, icis, f. quae plaudit. Tanquam Latinum agnoscit *Non.* 2, 631. Ita tonstrix, ita impulstrix, ita curatrix, ita plaustrix, ita assestrix. *F.*]

PLAUSTRUM, i, n. ἅμαξα, ὄχημα, currus, vehiculum magnis oneribus ferendis aptum, praesertim apud rusticos: a *plaudendo:* quod terram plaudat, ut *Scal.* placet. *Pl. Aul.* 3, 5, 31. Plus plaustrorum in aedibus videas, quam ruri, quando ad villam veneris. *Cic. Div.* 1, 27. *med.* Se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum, et supra stercus injectum. *Ov. Trist.* 3, 10, 59. Ruris opes parvae, pecus, et stridentia plaustra. *Id. Met.* 12, 281. inque humeros limen tellure revulsum Tollit, onus plaustri. *Id. Pont.* 4, 7, 9. Ipse vides, onerata ferox ut ducat Iazyx Per medias Istri plaustra bubulcus aquas. *Virg. A.* 11, 138. Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos. *Juven.* 3, 256. Pinum plaustra vehunt. ℙ Scythae in plaustris habitasse dicuntur. V. HAMAXOBII. *Hor. Od.* 3, 24, 9. Campestres melius Scythae, Quorum plaustra vagas rite trahunt domos. ℙ Plaustris sacra Cereris, ejusque ministras Athenis vectare mos fuit: item Romae, teste *Serv.* ad illud *Virg. G.* 1, 163. Tardaque Eleusinae matris volventia plaustra. ℙ Fabularum agendarum initium in plaustris fuit: nam, ut ait *Hor. A. P.* 275. Ignotum tragicae genus invenisse Camenae Dicitur, et plaustris vexisse poemata Thespis Qui canerent, agerentque, peruncti faecibus ora. ℙ *Plaustrum perculi*, proverb. rusticum, h. e. res meas perturbavi, everti: ductum, ut *Fest.* ait, ab eo, qui pede onusta plaustra perculit, evertitque. *Pl. Epid.* 4, 2, 22. Perii! plaustrum perculi. *Donat.* ad illud *Ter. Eun.* 2, 3, 87. Quo trudis? perculeris tu jam me: Perverteris, inquit: unde proverbium: *bene plaustrum perculi*: ubi *Scal.* ad *Festum* monet legendum *pene*, seu *paene*. ℙ Est et signum coeleste hoc nomine: de quo *Ov. Met.* 10, 447. Flexerat obliquo plaustrum temone Bootes. *Id. Pont.* 4, 10, 39. Proxima sunt nobis plaustri ducentia formam, Et quae praecipuum sidera frigus habent. V. SEPTENTRIO. ℙ Etiam *plostrum* dixere. *Suet. Vesp.* 22. Nonnulla ejus facetissima exstant, in quibus et haec: Mestrium Florum, admonitus ab eo, plaustra potius, quam plostra dicenda, die postero Flaurum salutavit. *Cato R. R.* 2. *extr.* Vendat boves vetulos, plostrum vetus. *Colum.* 6, 2. Juvenci post ejusmodi experimenta vacuo plostro subjungendi. Adde *Varr. R. R.* 1, 22., *Hor. Sat.* 1, 6, 42. et *Vet. Tab. aen.* ap. *Mur.* 582. *f.* Ex loco *Suet.* apparet, *plostrum* fuisse semper in sermone familiari, *plaustrum* vero apud cultiores homines, ut *orum* (unde Itali *oro* nunc dicunt) vulgo olim Romae, et praesertim a rusticis usurpatum fuit. [*Quaedam in f. emendavit *F.*]

PLAUSUS, a, um, part. a *plaudo:* κροτηθεὶς, percussus cum sonitu. *Virg. G.* 3, 185. de equo: blandis gaudere magistri Laudibus, et plausae sonitum cervicis amare; et *A.* 12, 80. Circumstant properi aurigae, manibusque lacessunt Pectora plausa cavis. *Ov. Met.* 14, 576. praepes Subvolat, et cineres plausis everberat alis. *Val. Fl.* 3, 527. Ipsa citatarum tellus pede plausa sororum Personat.

PLAUSUS, i, m. idem ac plausus, us. *Impp. Honor.* et *Theodos. Cod. Theod.* 15, 9, 2. Inconsulta plausorum insania.

PLAUSUS, us, m. κρότησις, percussio cum sonitu. *Virg. A.* 5, 215. de columba: plausumque exterrita pennis Dat tecto ingentem. *Sen. Q. N.* 2, 28. Palma cum palma collata plausum facit. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 2, 26. de gallis gallinac: Favent faucibus russis cantu, plausuque premunt alas. *Plin.* 10, 21, 24. de iisd.: Diem venientem nunciant cantu, ipsum vero cantum plausu laterum. *Id.* 11, 20, 22. de apib.: Gaudent plausu atque tinnitu aeris, eoque convocantur. *Appul. Met.* 9. Jamque et plausus manuum, et aurium flexus, et ductum capistri placide patiebar. *Hic loquitur asinus.* ℙ Saepius dicitur de collisione manuum in gratulatione, laetitia, studio. *Cic. Att.* 14, 16. Praesertim tantis plausibus, tanta approbatione infimorum; et *ib.* 4, 1. *med.* A plebe plausu maximo est mihi gratulatio significata. *Id.* ad *Brut.* 1, 3. Maximo clamore atque plausu in Rostris collocatus sum. *Quint.* 8, 3. Admirationem suam non acclamatione tantum, sed etiam plausu confiteri. *Cic. Sen.* 18. Quibus cum a cuncto consessu plausus esset multiplex datus, etc. *Id. Att.* 2, 18. Huic plausus maximi a bonis impertiuntur. *Id. Sext.* 58. *med.* Tantus est ex omnibus spectaculis plausus excitatus, ut, etc. *Id. Att.* 8, 9. In aliqua re plausus quaerere. *Hor. Sat.* 2, 3. 185. ferre; et *Cic. Tusc.* 2, 26. *f.* captare. *Quint.* 4, 1. *f.* petere. *Virg. A.* 1, 751. ingeminare; et *ib.* 5, 506. ingenti sonuerunt omnia plausu; et *ib.* 576. Aliquem plausu excipere. ℙ Ap. Cilices plausus supplicantium signum fuit, ut est ap. *Flor.* 3, 6. *f.* ℙ Romae aliquando plausuum ars quaedam fuit: ac tria eorum genera sub Nerone, bombos, imbrices, testas, enumerat *Suet. Ner.* 20. Olim res fuit simplex, et arte carens, ut ait *Ov. A. Am.* 1, 113. ℙ *Plosus* pro *plausus* quidam leg. in illo *Ennii* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. It eques, et plosu cava concutit ungula terram.

PLAUTĬĀNUS, a, um, adj. ad Plautium pertinens, qui fuit quidam poeta comoediarum, ut ait *Gell.* 3, 3. *med.* Hinc Plautianae fabulae, *Id. ib.* ℙ Dicitur etiam *Plotianus*. *Cic. Fam.* 13, 8. Quae praedia Laberius memorat a Caesare de bonis Plotianis, *h. e.* cujusdam Plotii, qui a Pompeji partibus steterat: et fortasse est ille M. Plotius centurio, cujus meminit *Caes. B. C.* 3, 19.

[PLAUTILLĂ et Plotillă, ae, f. dimin. plautae, et plotae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 773, 5. Clodia Plautilla. Alia ap. *eund.* 701, 2. Plotia Plotilla. *F.*]

PLAUTĪNUS, a, um, adj. ad Plautum pertinens. *Hor. A. P.* 270. At vestri proavi Plautinos et numeros et Laudavere sales, nimium patienter utrumque, Ne dicam stulte, mirati. *Cic. ad Brut.* 1, 2. *f.* Plautinus pater, *h. e.* qui a *Plauto* in comoedia Trinummi inducitur. *Quint.* 10, 1. *med.* In comoedia maxime claudicamus, licet Varro dicat, Musas, Aelii Stilonis sententia, Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui vellent. *Minuc. Fel. Octav.* 14. Quid ad haec audet Octavius, homo Plautinae prosapiae, ut pistorum praecipuus, ita postremus philosophorum? *h. e.* Christianus, seu prosapiae vilissimae, qualis erat pistorum, e quorum numero fuit poeta M. Accius Plautus. V. PLAUTUS. *Gell.* 3, 3. Qui versus, ut de Varronis more dicam, Plautinissimi sunt, *h. e.* Plauti ingenio dignissimi sunt, et absque dubio eum auctorem habent.

PLAUTĬUS, a, um, adj. *Plautia lex* lata a M. Plautio Silano trib. pleb. Cn. Pompejo Strabone, L. Portio Catone Coss., ut tribus singulae ex suo numero quinos suffragio crearent, qui eo anno judicarent: quo fiebat, ut senatores quoque, et aliquot etiam ex plebe judices essent, cum antea equester ordo in judiciis dominaretur. *Ascon.* in *or. Cic. pro C. Cornel. f.* ℙ Alia fuit de vi, ut qui vel aperte, vel per insidias alteri vim intulisset, in eum quaereretur. *Sall. Cat.* 32. Hanc *Plotiam* vocant *Cic. Mil.* 13. et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. Lata est autem M. Aemilio Lepido, Q. Lutatio Catulo Coss. a P. Plautio trib. pl. V. et *Cic. Coel.* 29. ℙ Alia fuit *Plautia rogatio*, cujus meminit *Gell.* 13, 3., item *Suet. Caes.* 5., ubi *Plotia* dicitur. Fuit autem privilegium de reducendo L. Cinna fratre uxoris C. Julii Caesaris, qui ad Sertorium confugerat.

PLAUTUS et Plotus, a, um, adj. *Festus:* Plauti appellantur canes, quorum aures languidae sunt ac flaccidae, et latius videntur patere. *Pontedera Antiquit. Lat. et Graec.* p. 433. ita canes appellatos putat, quia eorum pedes extrorsum vergunt, seu quibus pedes displodunturi, ideoque *Festum*, qui aliter docuit, falsi insimulat. ℙ Notat etiam eum, qui planis est pedibus. *Festus:* Ploti appellati sunt Umbri, pedibus planis quod essent. Unde soleas dimidiatas, quibus utuntur in venando, quo planius pedes ponerent, vocant *semiplotia*. Et ab eadem causa M. Accius poeta, quia Umber Sarsinas erat, a pedum planitie initio Plotus, postea Plautus coeptus est dici, ut idem *Fest.* docet. Hic cum propter paupertatem molam in pistrino versaret, horis subsecivis, quibus ab eo labore otium erat, aliquot fabulas composuit ex his, quae etiam hodie omnium manibus teruntur. Excelluit linguae Latinae puritate. Ceteris comicis praefertur sententia multorum, praesertim *Varronis*, qui ait: Si Musae Latine loqui vellent, Plautino sermone loquerentur. V. PLAUTINUS. Est plenus facetiis, et Latinorum omnium festivissimus. Mirifice gaudebat comoediis illis suis, quae *Truculentus*, et *Pseudolus* inscribuntur. Mortuus est P. Claudio, L. Porcio Coss. annis circiter octoginta ante natum Ciceronem, Terentio puero vix novenni, ante Christum vero ann. CLXXXIV. Haec ex *Gell.* 3, 3., *Cic. Brut.* 15. et *Or.* 3, 12. etc. De versibus et jocis ejus non bene sensit *Hor. A. P.* 270., neque omnino de stilo *Quint.* 10, 1. Utriusque verba in PLAUTINUS retulimus. *Varro* ita censet ap. *Non.* 4, 377. In argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus: *sermones* collocutiones et διαλογισμοὺς intelligit.

PLĔBĔCŪLĂ, ae, f. δημίδιον, infima plebs, popellus. *Cic. Att.* 1, 16. Illa concionalis hirudo aerarii, misera ac jejuna plebecula, me ab hoc Magno unice diligi putat. *Hor. Ep.* 2, 1, 158. media inter carmina poscunt Aut ursum, aut pugiles; his nam plebecula gaudet. ℙ **Plebicula* scriptum ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 36. Nihil enim interest quod dispescat regiam nostram et plebiculae dignitatem. *B. A.*

[PLĔBĔJĀNUS, a, um, adj. ad plebejum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1089, 6. Aurelius Plebejanus. *F.*]

PLĔBĔJUS, a, um, adj. δημοτικὸς, qui est ex plebe, h. e. ex tertio, infimoque ordine populi R. *Cic. Fam.* 9, 21. Quid tibi venit in mentem negare, Papirium quemquam unquam, nisi plebejum fuisse? fuerunt enim patricii minorum gentium. *Id. Mur.* 7. Sunt amplae et honestae familiae plebejae. *Liv.* 6, 40. Ne, si duos licebit creari patricios consules, neminem creetis plebejum. *Id.* 10, 23. Virginia Auli filia patricia plebejo nupta Volumnio consuli; et *ib.* Hanc ego aram Pudicitiae plebejae dedico. ℙ Item ad plebem pertinens, vulgaris, humilis, abjectus, vilis. *Plin.* 15, 18, 20. Vitis, atque olea, sedulitate plebeja satae. *Cic. Fam.* 9, 21. Quid tibi ego in epistolis videor? nonne plebejo sermone agere tecum? *Id. Sext.* 8. Vestitus aspere nostra hac purpura plebeja, ac paene fusca. *Id. fragm.* ap. *August. contr. Pelag.* 2, 37. De plebeja faece sellulariorum. *Id. Tusc.* 1, 23. Licet concurrant plebeji omnes philosophi: sic enim ii, qui a Platone, et Socrate, et ab ea familia dissident, appellandi videntur. *Gell.* 12, 2. Eruditio vernacula et plebeja, nihilque ex veterum scriptis habens neque gratiae, neque dignitatis. *Prop.* 2, 10, 24. Plebeji parvae funeris exsequiae.

Ov. Ib. 154. dare plebejo corpus inane rogo. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 6. Plebeja vina. *Id.* 13, 22, 23. charta. *Id.* 37, 9, 45. gemma. *Prop.* 2, 19, 81. plebejus amictus. *Mart.* 13, 8. Imbue plebejas Clusinis pultibus ollas. ℙ Absolute. *Enn.* ap. *Fest.* in *Mutire*, et ap. *Phaedr.* 4. *f.* Palam mutire, plebejo piaculum est; et *Petr. Sat.* 93. at albus anser, Et pictis anas renovata pennis Plebejum sapit. ℙ *Ludi plebeji*, a plebe R. instituti. V. CIRCENSIS. *Liv.* 29, 38. Ludi Romani biduum instaurati: idem per biduum plebeji ab aedilibus.

PLEBES, is, f. idem quod *plebs*, fortasse a πλῆθος. *Cic. Leg.* 3, 3. *f.* Plebes quos pro se auxilii ergo creassit, etc. *Sall. Cat.* 34. *med.* Saepe ipsa plebes dominandi studio permota, etc. *Phaedr.* 4, 5. *extr.* Minuta plebes facili praesidio latet. *Hirt. B. Alex.* 5. Plebes ac multitudo. *Lucan.* 7, 760. capit impia plebes Caespite patricio somnos. *Sil.* 8, 271. Martia plebes. Adde *Liv.* 6, 32. et alibi saepe, *Flor.*, *Stat.*, *Plin.*, *Tac.*, *Claud.* et alii. Hinc *plebei* in gen. et dat. paenultima correpta, pro *plebis*, *plebi*, ut sit quintae decl., ut *tribunus plebei*, in veteri decreto ap. *Gell.* 7, 19., item ap. *Cic. Fam.* 7, 27., *Liv.* 3, 64. in antiqua formula rogationis, et alibi saepe; et *Sall. or. Licinii trib. pleb.* Adde *Varr. L. L.* 4, 14. et *ib.* 5, 92. et *Prisc.* 6, 704. et 7, 780. In dativo *Plin.* 11, 11, 10. de apib.: Domos primum plebei exaedificant, deinde regibus. *Id.* 19, 4, 19. *n.* 2. Ex horto plebei macellum, quanto innocentiore victu! ℙ Verius tamen est fortasse, quod alii sentiunt, v. *plebei* non genitivum, sed dativum esse disyllabum ex consuetudine veterum Latinorum scribendi *ei* pro *i* longa, uti docet *Prisc.* 1, 552. et 561. Hinc *Salpicius* ap. *Varr. L. L.* 4, 4. *extr.* Plebei rura largitur ad aream. Quod autem affert *Prisc.* 6, 704. ex *fragm. Sall.* Plebei tribuniciam potestatem, (quae verba habentur in *Or. Philippi contra Lepid. med.*) sequitur verbum *restitui*, ex quo intelligitur esse dativum, non patrium. Neque obstat, quod *tribunus plebei* dixere *Sall.*, *Cic.*, *Liv.* etc., nam ea forma dixere, qua *imperator Romanis*, et *triumviri coloniis deducendis*, etc. Haec et alia in hanc rem *Cort.* ad *Sall.* 37. ℙ *Plebi* etiam pro *plebei* in multis *Livii* locis haberi in genitivo, docet *Drakemborch.* ad 2, 43. ℙ Cum verbis et adjectivis pluralis numeri. *Liv.* 4, 9. *f.* Plebes ad expugnandum secum Ardeam Volscos excivere. *Stat. Th.* 5, 488. fremit impia plebes Sontibus accensae stimulis. ℙ *Plebium* in genit. plur. dixit *Prud. περὶ στεφ.* 10, 709.

PLĔBĬCŌLA, ae, comm. gen. δημοκηδής, qui plebem colit, et plebi servit. *Cic. Sext.* 52. Qui credo non libidinis causa, sed ut plebicola videretur, libertinam duxit uxorem. Alii leg. *poplicola*, [quam lectionem prae ceteris aestimat *Orell.*] *Id. Agr.* 2, 31. Ab hoc plebicola tribuno plebis ejicitur. *Liv.* 3, 33. Regimen totius magistratus penes Appium erat, favore plebis: adeoque novum sibi ingenium induerat, ut plebicola repente, omnisque aurae popularis captator evaderet pro truce severoque insectatore plebis.

PLĔBIS, is, f. idem quod *plebs*, et *plebes*. Habetur in *Inscr.* ap. *Gud.* in *not. ad Phaedr.* 4, 5. *extr.* [At in hac eadem *Inscr.*, quae utpote adhuc Concordiae exstans affertur a *Bertol. Antich. d'Aquileja* p. 297. *n.* 413., legitur *plebs. F.*]

PLĔBĬSCĪTUM, i, n. ψήφισμα, χειροτονία, decretum plebis, seu populi R., cum interrogata in concione plebs rogatione magistratus, velitne, jubeatque quippiam fieri, ipsa per suffragia id jubet, aut vetat: a *scisco*, decerno. Senatus enim *censere*, et *auctor esse*, plebs *sciscere*, et *jubere* dicitur: senatus sunt *consulta*, plebis *scita* et *jussa*. *Cic. Dom.* 17. *Velitis, jubeatis, ut M. Tullius in civitate ne sit, bonaque ejus ut mea sint.* Ita enim fecit, etsi aliis verbis tulit. Hoc plebiscitum est! haec lex? haec rogatio est! *Id. Fin.* 2, 16. *f.* Ut tribunus plebis ferret ad plebem, vellentne de ea quaeri: quo plebiscito decreta a senatu est consuli quaestio. *Id. Or.* 2, 48. Plebiscitis toties consularem potestatem minui. *Liv.* 4, 49. Tribuni pleb. nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate senatus, passuros se perferri ostenderunt. *Id.* 7, 42. Aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, neu duos magistratus uno anno gereret. *Id.* 8, 12. *f.* Q. Publilius Philo (ann. U. C. CCCCXVI.) dictator legem tulit, ut plebiscita omnes Quirites tenerent. *Laelius Felix* ap. *Gell.* 15, 27. Tribuni neque advocant patricios, neque ad eos referre ulla de re possunt: ita ne leges quidem proprie, sed plebiscita appellantur, quae tribunis plebis ferentibus accepta sunt: quibus rogationibus ante patricii non tenebantur, donec Q. Hortensius dictator (ann. U. C. CCCCLXII.) eam legem tulit, ut eo jure, quod plebes statuisset, omnes Quirites tenerentur. De hoc *Q. Hortensio* mentio est in *Epit. Livii l.* 11. ℙ Divisim etiam usurpatur. V. SCITUM. ℙ In quarta decl. In *vet. decreto* ap. *Cic. Att.* 4, 2. bis.: Neque populi jussu, aut plebis scitu. Alii leg. *scito.*

PLĔBĬTAS, atis, f. conditio plebeja, ignobilitas. *Cato* ap. *Non.* 2, 619. Propter tenuitatem, et plebitatem. *Cass. Hemina ib.* Quicumque propter plebitatem agro publico ejecti sunt. Alii scribunt *plevitas* propter affinitatem litterarum *b* et *v*.

PLEBS, plebis, f. πλῆθος, δῆμος, ea pars populi R., quae a patribus seu patriciis distinguitur: a πλῆθος, unde *plebes*, et contract. *plebs*. Differt a *populus*, quia hoc nomine omnis pars civitatis, omnesque ejus ordines continentur: *plebs* vero ea dicitur, in qua gentes civium patriciae non insunt, ut ait *Gell.* 10, 20. ex Atejo Capitone. *Liv.* 2, 56. *med.* Appius negare, jus esse tribuno in quemquam, nisi in plebejum: non enim populi, sed plebis eum magistratum esse. *Cic. Mur.* 1. Ut ea res mihi, magistratuique meo, populo, plebique Romanae bene atque feliciter eveniret. ℙ Hoc sensu etiam equester ordo plebe comprehenditur. *Sall. or. ad Caes.* 2, 5. In duas partes ego civitatem divisam arbitror, sicut a majoribus accepi, in patres, et plebem. *Liv.* 2, 56. Huic actioni, gratissimae plebi, cum summa vi resisterent patres. ℙ *Populus* etiam aliquando pro *plebe* hoc sensu ponitur: ut cum dicitur *Senatus populusque R.* et *Liv.* 2, 55. Provoco ad populum, *mox enim subdit.:* Provoco, et fidem plebis imploro; et 1, 47. *f.* Non per suffragium populi, non auctoribus patribus, regnum occupasse. ℙ Frequenter *plebs* dicitur de tertio ordine populi R., exclusis equitibus et patribus. Hinc illud *Auson. Idyll.* 11, 78. Martia Roma triplex equitatu, plebe, senatu. *Hor. Ep.* 1, 1, 59. Si quadringentis sex septem millia desint, Plebs erit, *h. e.* unus plebeji ordinis. *Ov. Trist.* 4, 2, 15. Plebs pia, cumque pia lactetur plebe senatus, Parvaque cujus eram pars ego nuper, eques. ℙ In hac quoque significatione *populus* interdum pro *plebe* ponitur. *Mart.* 8, 15. Dat populus, dat gratus eques, dat tura senatus. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 359.] ℙ Universim saepissime in quacumque civitate plebs est ordo infimorum hominum, pauperiorum, viliorum. *Cic. Tusc.* 1, 45. In Hyrcania plebs publicos alit canes; optimates domesticos. *Id. Mil.* 35. Plebem et infimam multitudinem delinire. ℙ *Plebs urbana* Romae erat turba otiosorum, egenorum, factiosorum, turbulentium, et in foro assidue versantium, quos in quatuor tribus redegit Q. Fabius Max., ut *Liv.* 9, 46. *extr.* narrat. *Sall. Cat.* 38. Sed urbana plebs praeceps ierat multis de causis. Contra *plebs rustica*, quae in agris degit. *Plin.* 17, 24, 36. *n.* 2. et 18, 3, 3. ℙ Translate de quocumque infimo coetu dicitur. *Ov. Ib.* 81. Vos quoque plebs Superum, Fauni, Satyrique, Laresque, Fluminaque, et Nymphae, Semideumque genus. *Colum.* 9, 11. de apib.: dicit *plebem* vulgus apum, ut distinguatur ab earum regibus. ℙ In plur. num. *Colum. l. c.* Duas vel tres alveorum plebes. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 709. Scribas et ipsos, et coronam plebium. *August. ep.* 166. Recedite a plebibus nostris. ℙ In recto sing. habet etiam *plebes*, et *plebis*. V. supra s. l. ℙ De genitivo, et dativo *plebei*, et *plebi*, V. in PLEBES.

[PLĔCON, ontis, m. πλέκων, plicans, part. verbi πλέκω, plico. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 442, 6. Sodales A. Novio A. L. Pleconti seviro augustali. *F.*]

PLECTĪBĬLIS, e, adj. plecti dignus. *Sidon. ep.* 4, 6. *f.* Plectibilis invidia. *Id. ib.* 13. *med.* Et quoniam nemo ferme est, qui plectibilibus careat occultis, *h. e.* criminibus. Alii leg. *prolectibilibus*, h. e. malis illecebris, a *prolecto*, *as*. Ceterum *plectibilis* habetur etiam ap. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 10. et *Imppp. Grat.*, *Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 14, 3, 16.

PLECTĬLIS, e, adj. πλεκτὸς, plexus, nexilis. *Pl. Bacch.* 1, 1, 37. Pro insigni sit corona plectilis. *Prud. Apoth. praef.* 2, 36. Syllogismi plectiles.

PLECTO, is, a. 3. πλήττω, verbero, ferio, percutio: a πλήκτης, percussor: et universim punio, supplicio afficio. Fere autem passiva voce usurpatur, et *plecti* est poenas dare, luere. *Ter. Phorm.* 1, 4, 43. Tu jam lites audies: ego plectar pendens, nisi quid me fefellerit. *Hor. Sat.* 2, 7, 105. Tergo plecti. *Plin. ep.* 6, 29. *f.* Quaesitum est, an provinciales plecti oporteret: poenas luerunt. *Cic. Leg.* 3, 20. Ut in suo vitio quisque plectatur. *Id. Cluent.* 2. Ut in judiciis culpa plectatur. *Modest. Dig.* 48, 9, 9. et *Ulp. ib.* 8, 10. Capitis poena plecti. *Nep. Att.* 11. *extr.* Cavit, ne qua in re jure plecteretur. *Phaedr.* 1, 31. De reliquis tunc una: Merito plectimur; et *Cic. Off.* 2, 8. Jure igitur plectimur: nisi enim multorum impunita scelera tulissemus, nunquam ad unum tanta pervenisset licentia. *Ov. Trist.* 3, 5, 49. Inscia quod crimen viderunt lumina, plector. *Cic. Amic.* 26. *f.* Cum multis in rebus negligentia plectimur, tum maxime in amicis deligendis, *h. e.* ob negligentiam. *Ov. Pont.* 4, 14, 17. Ergo ego cessabo nunquam, per carmina laedi? Plectar et incauto semper ab ingenio? *Appul.* genitivum adjunxit in *Apol.* Ut obtentu ejus aetatulae, ipse insimulationis falsae non plecteretur. ℙ Active. *Impp. Dioclet.* et *Maxim. Cod.* 9, 20, 7. Si quem hujusmodi facinore deprehenderis, capite eum plectere non dubitabis. Addunt quidam ex *Pl. Capt.* 4, 2, 116. fusti plectito; et *Men.* 5, 7, 28. plecte pugnis. Sed utroque loco legendum est *pecto:* q. v. v. in §. 4. *Solin.* tamen dixit 15. *med.* Grypes velut geniti ad plectendam avaritiae temeritatem; et *Auson. ep. praefixa Idyll.* Quae sibi ignoscunt, et plectunt Deum. ℙ Est etiam implicare, nectere, texere: a πλέκω. *Auct. Pan.* ad *Pis.* 169. Mobilitate pedum celeres super orbibus orbes Plectis. Alii leg. *flectis.* ℙ Item plicare, flectere. *Phaedr.* 5, 9. Angusto in aditu taurus luctans cornibus, Cum vix intrare posset ad praesepia, Monstrabat vitulus, quo se pacto plecteret. Alii leg. *flecteret. Juven.* 6, 495. plectitque comas, et volvit in orbem. Alii leg. *pectit.* ℙ Hac notione *plexi* habet in praeterit., ut *Prisc.* ℙ Hac notione *plexi* habet in praeterit., ut *Prisc. Paegn. Voss. de Grammat.* 5, 31. etiam *plexui* tribuit, sed auctoritate parum idonea, qualis est in Bibliis *Judic.* 16, 13.

PLECTRĬPOTENS, entis, adj. poeticae et musicae peritus. *Sidon. ep.* 9, 13. Qua Flaccus lyricos Pindaricum ad melos Frenis flexit equos plectripotentibus.

PLECTRUM, i, n. πλῆκτρον, instrumentum citharoedi, quo ab illo fides, sive chordae percutiuntur: a nomine Graeco allato, quod a πλήσσω, ferio. *Cic. N. D.* 2, 59. *f.* Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere, chordarum dentes. (Hinc *Prud. περὶ στεφ.* 10, 6. *plectrum palati et faucium* linguam vocat.) *Ov. Met.* 11, 167. Instructamque fidem gemmis, et dentibus Indis Sustinet a laeva: tenuit manus altera plectrum. *Id. Her.* 3, 113. plectra movere. ℙ A poetis fere usurpatur pro lyra ipsa; item pro ipsis carminibus. *Tibull.* 3, 4, 39. plectro modulatus eburno. *Hor. Od.* 2, 13, 26. Et te sonantem plenius aureo, Alcaee, plectro. *Id. ib.* 2, 1, 39. Mecum Dionaeo sub antro Quaere modos leviore plectro. ℙ Est etiam *plectrum* navis gubernaculum, vel ipsius gubernaculi summa pars. *Sil.* 14, 549. Non plectro ratis, aut frangendae in vulnere prorae Parcitur; et *ib.* 403. Deduxit telum, et residentis puppe magistri Affixit plectro dextram.

[PLECUSA, ae, f. πλέκουσα, nectens, part. verbi πλέκω, necto, plico. Est nomen propr. ornatricis, ap. *Mart.* 2, 66. Unus de toto peccaverat orbe comarum Annulus, incerta non bene fixus acu. Hoc facinus Lalage speculo, quo viderat, ulta est; Et cecidit sectis icta Plecusa comis. *F.*]

PLĒGUS vel Plegius, ii, m. fidejussor. Vox cadentis Latinitatis. V. *Ducang. Gloss. med.* et *inf. Lat.* in V. *Plegius*, et infra PLIGORIAE.

PLEJĀDES, um, f. plur. Πλειάδες, septem filiae Atlantis ex Pleione Nympha, nempe Electra, Halcyone, Celaeno, Maja, Asterope, Taygete, Merope, quae in coelum translatae, et ante genua Tauri collocatae finguntur. *Ov. Fast.* 3, 105. Quis tunc aut Hyadas, aut Plejadas Atlanteas Senserat? ℙ Dictae sunt ἀπὸ τοῦ πλέειν, idest a navigando, quia exortu suo indicant tempus navigationi idoneum. Alii dictas putant, quasi πλείονες, quod nunquam singulae appareant, sed fere omnes simul, praeter Meropen, quae vix cernitur. Causa hujus rei affertur, quod cum reliquae sorores Diis nupsissent, Maja, Electra et Taygete Jovi, Halcyone et Celaeno Neptuno, Asterope Marti, sola Merope mortali viro Sisypho nupsit: quam ob causam veluti pudibunda latitat. Sed aliorum opinio est, hanc esse Electram matrem Dardani, et idcirco obscuriorem videri, quod excidium Trojae spectare non potuerit, sed oculis manum opposuerit. V. *Ov. Fast.* 4, 169. et sqq. et *Hyg. Astron.* 2, 21. ℙ A Latinis appellantur Vergiliae, a verni temporis significatione, quod indicant, dum in nostro hemisphaerio oriuntur. Nam vere exoriuntur, et circa aequinoctium earum ortus matutinus est. *Hyg. l. c.* Inter hujus tauri finitionem, et caudam Arietis stellae sunt, quas nostri Vergilias, Graeci Πλειάδας dixere. ℙ Haec dictio aliquando fit tetrasyllaba, Πληϊάς. *Propert.* 3, 3, 58. Pleiadum denso cur coit imbre chorus? ℙ Aliquando ex diphtongo *ει* poetae abjiciunt *e*, et dicunt *Pliades*, priore correpta. *Stat. Silv.* 1, 3, 95. Nec per et Aegaeas Hyadas, Pliadumque nivosum Sidus. ℙ In sing. num. *Id. ib.* 1, 6, 22. Terras obruit aut soluta Plias. (Hic prima producitur. Sic *Val. Fl.* 2, 357. Pliada lege poli nimboso moverat astro. *Virg. G.* 4, 233. Plejas, et Oceani spretos pede reppulit amnes. ℙ *Ov.* trisyllabam facit, *Met.* 1, 670. Pleias enixa est, letoque det, imperat Argum. ℙ Ponitur aliquando pro tempestate et pluvia. *Val. Fl.* 4, 268. spumanti qualis in alto Pliade capta ratis; et 2, 405. aspera si te Plias in adversae tenuisset litore Thraces. Adde *ib.* 357. et *Propert. l. c.*

PLEIŌNĒ, es, f. Πληϊόνη, Nympha filia Oceani, et Tethyos, uxor Atlantis, ex quo Plejades suscepit. *Ov. Fast.* 5, 83. Hinc sata Pleione cum coelifero Atlante. *Val. Fl.* 1, 738. magnaeque nepotem Pleiones, *h. e.* Mercurium Majae filium, quam Pleione peperit. Sic eum vocat etiam *Ov. Her.* 16, 62. Atlantis magni, Pleionesque nepos.

PLEMINIĀNUS, a, um, adj. ad Q. Pleminium pertinens, quod est nomen propr. civis R., ut Ple-

minianus tumultus, *Liv.* 38, 51. V. *eund.* 29, 9. 17, 18. etc.

PLEMMYRĬUM, ii, n. nunc *Massa Olivieri*, *Πλημμύριον*, promontorium Siciliae, in ora orientali, apud Anapi fl. ostium, cum fl. cognomine. Fortasse dictum est undosum, ut vocatur a *Virg. A.* 3, 693. a *πλημμύρω*, exundo, vel a *πλημμύρα*, maris aestuantis accessus, quod maris fluctibus alluatur. Sed aliqui putant, *undosum* esse epithetum fluvii.

PLĒNĒ, adv. ad plenum. *Plin.* 14, 22, 18. Ingentia vasa corripere ac plene infundere. ℙ Translate perfecte, cumulate. *Cic. Div.* 2, 1. Ut ejus loci quaestio plene esset cumulateque perfecta. *Caes. B. G.* 3, 3. Cum neque opus hibernorum, munitionesque plene essent perfectae, neque etc. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 13. Si hoc plene vitare non potes. *Id. Off.* 1, 15. Homines plene sapientes. *Quint.* 2, 2. Licet satis exemplorum (*praeceptor*) ad imitandum ex lectione suppeditet, tamen viva illa, ut dicitur, vox alit plenius. *Ov. Pont.* 2, 11, 20. Plenius facere aliquid, *h. e.* impensius, promptius, diligentius. *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 3. Ostendemusque jam plenius, *h. e.* fusius, copiosius, uberius. *Hor. Od.* 2, 13, 26. Et te sonantem plenius aureo, Alcaee, plectro. *Id. Ep.* 1, 11, 14. Plene praestare aliquid; et *ib.* 2, 2, 10. Plenius aequo laudare. *Plin. ep.* 5, 8. *f.* Quamvis illud plenissime, hoc restrictissime feceris.

PLĒNĪLŪNĬUM, ii, n. *παυσέληνον*, oppositio lunae et solis, cum luna soli ex diametro opposita tota ab illo illuminatur: tempus illud, cum luna quintadecima et rotunda est. *Plin.* 18, 32, 75. Cum vero occidente sole orietur ex adverso, ita ut pariter aspiciantur; tunc erit plenilunium. *Colum.* 11, 2. *med.* Ut pridie quam plenilunium sit, si minus, certe ipso plenilunio, omnem quam saturus es, fabam uno die spargas. *Plin.* 9, 15, 20. Latent in gurgitibus imis, nisi tepore aliquo evocati, aut pleniluniis.

PLĒNĪTAS, atis, f. idem quod plenitudo. *Vitruv.* 8, 2. Nubes propter plenitatem et gravitatem liquescendo disperguntur. *Id.* 5, 9. *med.* Cum corpus motionibus in ambulatione calescat, humores ex membris aer exsugendo, imminuit plenitates, extenuatque dissipando quod plus inest, quam corpus potest sustinere. *Id.* 6, 1. Sub septentrionibus nutriuntur gentes immanibus corporibus, sanguine multo, quoniam ab humoris plenitate coelique refrigerationibus sunt conformati. Adde 7, 8. [**Tac. Dial.* 23. sententiarum plenitas.]

PLĒNĪTŪDO, inis, f. *πλήρωσις*, plenitas, crassitudo. *Auct.* ad *Her.* 4, 20. Longitudo, aut plenitudo syllabarum. *Colum.* 4, 30. Perticae cacuminum modicae plenitudinis. Est qui leg. *planitudinis*, male. *Plin.* 11, 37, 88. Homo crescit in longitudinem ad annos usque ter septenos, tum deinde ad plenitudinem. *Quint. decl.*, quae *Trib. Marian.* inscribitur, 3. Attendat Romanae militiae plenitudo, *h. e.* universi Romani milites. Cave, imiteris.

PLĒNUS, a, um, adj. *πλέος*, *πλήρης*, *μεστός*, refertus, confertus, repletus: a prima Graeca voce allata. Et genitivum regit, et ablativum: sed cum genitivo est magis Latinum, ut *Quint.* 9, 3. *in.* monet. *Cic. Acad.* 4, 37. Plenum et inane. *Id. Font.* 1. Referta Gallia negotiatorum est, plena civium R. *Id. Sext.* 10. Otiosa vita, plena et conferta voluptatibus. *Id. Verr.* 2, 2, 14. Plena domus caelati argenti, multaeque stragulae vestis. *Id. ib.* 2, 4, 57. Plena domus ornamentis fanorum atque oppidorum. *Id. Att.* 3, 14. Ex tuis litteris plenus sum exspectatione de Pompejo. *Caes. B. C.* 1, 74. *f.* Erant plena laetitia et gratulatione omnia. *Liv.* 26, 42. Urbs omni bellico apparatu plena. *Id.* 1, 25. Feroces et pleni adhortantium vocibus. *Cic. in Sen.* 6. et *Varr.* ap. *Non.* 9, 6. Vini, somni plenus. *Ov. Met.* 15, 176. magno feror aequore, plenaque ventis Vela dedi; et *Virg. A.* 5, 281. et *ib.* 1, 404. velis subit ostia plenis. *Cic. Dom.* 10. Plenissimis velis navigare. ℙ Absolute. *Pall.* 2, 15. Sorba fictilibus usque ad plenum claudantur urceolis. *Virg. G.* 2, 243. dulcesque a fontibus undae Ad plenum calcentur. ℙ *Plenus*, gravidus. *Cic. Div.* 1, 45. Ut sue plena procuratio fieret. *Ov. Fast.* 4, 633. Nunc gravidum pecus est, gravidae nunc semine terrae: Telluri plenae victima plena datur. *Id. Her.* 16, 46. Plenus venter. *Id. Met.* 10, 469. de Myrrha: Plena patris thalamis excedit. *Pl. Amph.* 2, 11, 49. Et cum te gravidam, et cum te pulcre plenam aspicio, gaudeo. *Colum.* 6, 24. Bos plena fetu. *Val. Fl.* 1, 413. Nec timet Ancaeum genitrix commitere ponto, Plena tulit quem rege maris. ℙ Item crassus. *Colum.* 4, 29. *med.* Ut ab ima parte acutus surculus, latere altero sit tenuior, atque altero plenior. *Cels.* 8, 4. Specillum neque nimis tenue, neque acutum, neque nimis plenum. *Cic. N. D.* 2, 67. *med.* Quod etiam quibusdam regionibus contingere videmus, hebetiora ut sint hominum ingenia propter coeli pleniorem naturam. ℙ Item corpulentus, pinguis. *Cic. Div.* 2, 69. Pleni, enective simus, etc. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* Tauros palea ac foeno facere pleniores. *Hor. Ep.* 1, 7, 31. Vulpecula pleno corpore. *Ov. A. Am.* 2, 661. et *Rem. Am.* 327. Dic habilem, quaecumque brevis; quae turgida, plenam. *Cels.* 1, 9. Frigus inimicum est seni, tenui: at prodest juvenibus, et omnibus plenis; et 2, 1. *med.* Quae pericula plenissimi cujusque sunt. *Cic. Div.* 2, 13. Aliae pecudis jecur nitidum atque plenum est, aliae horridum et exile. ℙ Item satur, satiatus. *Ov. Amor.* 2, 6, 29. de psittaco: Plenus eras minimo. Translate *Hor. Ep.* 1, 20, 8. et scis, In breve te cogi, plenus cum languet amator, *h. e.* satur, et fastidiens; et *ib.* 2, 1, 100. Quod cupide petiit, mature plena reliquit. *Pleniores cibi* ap. *Cels.* 3, 20. *f.* sunt crassiores, valentiores, et majoris alimenti. ℙ *Vinum plenum* ap. *eund.* 1, 6. opponitur tenui. ℙ *Plenus*, dives, abundans. *Cic. Verr.* 2, 2, 4. *f.* Non tam Siciliam, quam inanem offenderant, quam Verrem ipsum, qui plenus decesserat, etc. *Id. Fam.* 7, 9. Serius potius ad nos, dum plenior. *Id. Rosc. Am.* 2. Quoniam in alienam pecuniam tam plenam, atque praeclaram nullo jure invaserit. *Id. Pis.* 37. Nobiles urbes atque plenae. *Hor. Sat.* 1, 5, 50. plenissima villa. *Id. Od.* 2, 12, 24. plenas Arabum domos. *Virg. A.* 11, 738. Exspectare dapes, et plenae pocula mensae. ℙ Item numerosus. *Ov. A. Am.* 1, 66. Hoc quoque, crede mihi, plenius agmen erit. ℙ Item onustus. *Stat. Th.* 4, 812. et pleni dominis, armisque feruntur Quadrupedes. *Ov. Amor.* 2, 14, 23. Quid plenam fraudas vitem crescentibus uvis? *Virg. G.* 4, 181. Crura thymo (*apes*) plenae. *Liv.* 41, 28. Exercitus plenissimus praeda. *Prop.* 4, 10, 6. exuviis plenus ab hoste redis. Translate *Plin. ep.* 2, 1. Plenus honoribus, *h. e.* qui ad summos honores pervenit. ℙ Item integer, cui nihil deest. *Cic. Mil.* 9. Ut haberet ad praeturam gerendam plenum annum atque integrum. *Id. Or.* 47. *Siet* plenum est, *sit* imminutum. *Id. Fam.* 3, 6. *med.* Illud me movet, in tanta militum paucitate abesse tres cohortes, quae sint plenissimae. ℙ Item perfectus, justus. *Quint.* 1, 1. *med.* Nec sum adeo aetatum imprudens, ut instandum teneris protinus acerbe putem, exigendamque plenam operam. *Auct. ad Her.* 2, 20. Perfecta et plena argumentatio ex quinque partibus constat. *Cic. Fin.* 4, 14. Perfecta et plena sententia; (cui *curta* opponitur.) *Id. Tusc.* 5, 23. *extr.* Ex perpetuis plenisque gaudiis vitam beatam exsistere. *Id. Somn. Scip.* 2. Numerus plenus. ℙ Refertur ad aetatem. *Virg. A.* 7, 53. jam plenis nubilis annis, *h. e.* idoneis ad nubendum. Sic *Val. Fl.* 5, 258. plena necdum Medea juventa. *Pl. Merc.* 3, 3, 13. Jam plenus aetatis. Alii rectius leg. *Jejunitatis plenus. Stat. Silv.* 2, 2, 129. Plenus vita. *Plin. ep.* 2, 1. annis, *h. e.* qui ad summam senectutem pervenit. *Val. Fl.* 1, 376. plenior annis. ℙ *Pleno aratro sulcare* ap. *Colum.* 2, 2. *f.* est toto aratro terrae immerso. ℙ *Pleno gradu* est ita citato, ut parum absit a cursu. Habent *Sall. Jug.* 103., *Trebon.* ad *Cic. Fam.* 12, 16., *Liv.* 4, 32. et 34, 15. et alii. ℙ *Plena manu*, tota manu, totis manus viribus. *Tibull.* 1, 6, 31. nec verbis victa fatiscit Janua, sed plena est percutienda manu. *Grat. Cyn.* 147. hastilia plena Caede manu. ℙ Translate est copiose, abundanter. *Cic. Att.* 2, 25. Hortalus quam plena manu, quam ingenue, quam ornate nostras laudes in astra sustulit! ℙ *Pleno vertice*, toto vertice, contenta cervice. *Ov. Pont.* 2, 7, 77. Sustineas ut onus, nitendum vertice pleno est. Sic *plena cervice* ap. *Stat. Th.* 2, 559. Saxum ingens, quod vix plena cervice gementes Vertere humo, murisque valent inferre juvenci. Sic *pleno lumine*, intentis oculis, diligenti obtutu. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 441. et pleno rimatur lumine campos. ℙ *Pleno ore vesci* ap. *Plin.* 8, 22, 34. avide, et buccas implendo. Translate *pleno ore laudare*, quantum potest, impense, liberaliter, large. *Cic. Off.* 1, 18. *f.* Quae magno animo, et fortiter gesta sunt; ea nescio quomodo quasi pleniore ore laudamus. ℙ *Plena vox*, magna et clara, fusa et grandis, canora, resonans: cui opponitur *exilis*, *tenuis*, ut est ap. *Quint.* 11, 3. *Cic. Brut.* 84. Subsellia grandiorem et pleniorem vocem desiderant. *Virg. G.* 1, 388. Tum cornix plena pluviam vocat improba voce. *Cic. Or.* 1, 29. Ego neminem voce pleniorem, aut suaviorem mihi videor audisse. ℙ *Plenae litterae*, quae sonantiores sunt, et plena voce efferuntur. *Cic. Or.* 3, 12. Cotta noster, cujus tu illa lata imitaris, ut iota litteram tollas, et E plenissimum dicas. *Auct. ad Her.* 4, 20. Pleniores syllabae. ℙ *Plena verba*, plene significantia. *Ov. Met.* 10, 290. Tum vero Paphius plenissima concipit heros Verba, quibus Veneri grates agat. ℙ *Plena epistola*, longa et multa continens. *Cic. Fam.* 11, 12. Tres uno die a te accepi epistolas, unam brevem, duas pleniores. ℙ *Plena oratio*, copiosa, rebus et ornamentis instructa, et referta. *Cic. Off.* 1, 1. Orationem Latinam profecto legendis nostris efficies pleniorem. Sic *plenus orator*, copiosus. *Id. Or.* 3, 4. *med.* Si quis erit, qui aut Antonium jejuniorem, aut Crassum fuisse pleniorem putet; et *ib.* 1, 13. *extr.* Oratorem plenum atque perfectum esse eum dicam, qui de omnibus rebus possit varie copioseque dicere. *Quint.* 9, 4. *f.* In prooemiis plerumque submissi, in narratione pleni atque expressi, in argumentis citati sumus: *de compositione loquitur.* ℙ *Deo plenus*, afflatus, instinctus. *Lucan.* 9, 564. Ille Deo plenus, tacita quem mente gerebat, Effudit dignas adytis e pectore voces. ℙ *Plenus inimicorum*, qui plurimos habet inimicos. *Cic. Prov. cons.* 8. *med.* Quis plenior inimicorum fuit C. Mario? ℙ Commode etiam dicuntur haec: plenus consilii, *Pl. Epid.* 1, 2, 49. vitii, probrique, *Id. Mil.* 2, 5, 13. et *Rud.* 2, 2, 13. fraudis, sceleris, parricidii, perjurii, *Id. Rud.* 3, 2, 37. officii, *Cic. Att.* 7, 4. negotii, *h. e.* occupatissimus, *Id. N. D.* 1, 20. *med.* irae, *Liv.* 3, 48. et *Just.* 14, 4. fidei, *h. e.* valde fidus, *Enn.* ap. *Cic. Sen.* 1. ingenii, *h. e.* valde ingeniosus, *Id. Fl.* 6. *f.* laboris, *h. e.* laboriosissimus, *Plin.* 6, 19, 22. Alio sensu *Virg. A.* 1, 464. Quae regio in terris nostri non plena laboris? *h. e.* ubi nota non sint mala nostra, et non sit multus sermo de his? *Stat. Th.* 2, 684. ubi tu Tritonia virgo, Flagrantem, multaque operis caligine plenum Consilio dignata virum, *h. e.* magnitudine facinoris stupentem, attonitum, et quasi amentem. ℙ Illa sunt JCtorum: *Ulp. Dig.* 32, 71. Suos servos vel ancillas eos accipimus, qui sunt pleno jure testantis, *h. e.* quorum non solum ususfructus, sed etiam proprietas ad testantem pertinet. *Mart. ib.* 48, 16, 1. *med.* An plenam habuerit aliquis accusandi facultatem. *Ulp. ib.* 50, 4, 8. Annus vicesimusquintus coeptus pro pleno habetur. *Id. tit.* 20. *regular.* de testam. Impubes nondum plenum judicium animi habet. ℙ *In plenum*, plene, omnino, summatim, universe. *Plin.* 13, 4, 7. Quod in plenum satis sit dixisse hoc in loco. Adde 16, 40, 79. *Sen. ep.* 91. *med.* In plenum cogitanda fortuna est. *Pomp. Dig.* 40, 7, 11. Si heres pecuniam donasset statulibero, ut sibi eam daret, et liber esset, non fieri liberum, Aristo ait: sed si in plenum ei donasset, fieri liberum.

PLĒO, es, m. impleo. *Paul.* ex *Festo.* Plentur antiqui etiam sine praepositionibus dicebant, *h. e.* sine *in*, *con*, *re*, *ex*, *de*, etc. ex quibus sunt hujus verbi compositа.

PLĒŌNASMUS, i, m. *πλεονασμός*, abundantia, redundantia, vitium, quo supervacaneis verbis oratio oneratur, ut *Ego oculis meis vidi: Sic ore locuta est:* nam *oculis meis*, et *ore* superflua sunt. Sed vox Graeca est, et Graecis litteris scribenda. *Quint.* 1, 5. *adjectionis vitium* appellat: et 9, 3. *abundantem supra necessitatem orationem.* Rursus *Id.* 8, 3. *med.* Emendavit hoc non inurbane in Hirtio Cicero, qui cum in Pansam declamans, *filium a matre decem mensibus in utero latum esse* dixisset, *quid? aliae*, inquit, *in paenula solent ferre?* Nonnunquam tamen affirmationis gratia adhibetur: (*Virg. A.* 4, 359.) *vocemque his auribus hausi.* At vitium erit, quoties otiosum fuerit, et supererit, non cum adjicietur. Sic 9, 3. Id cum supervacua oneratur adjectione, vitium dicitur: cum autem auget manifestam sententiam, sicut hic, virtus: *vidi oculos ante ipse meos: vidi*, *ipse*, *ante oculos*, quot verba, totidem sunt affectus. Haec *Quint.*

PLĒRĪMUS. V. PLERUS.

PLĒRĬQUĔ, aeque, aque, adj. plur. *οἱ πολλοί*, *παμπολλοι*, et ut est in *Gloss. Philox. Ἱλείονες*, *πλεῖστοι*, permulti, bona, aut major pars. Factum est ex antiquo *plerus*, adjecto *que*, ut in *quisque*, *uterque*. *Ter. Eun.* 1, 2, 38. Sororem plerique esse credebant meam. *Cic. Inv.* 1, 36. *med.* Multi nihil prodesse philosophiam, plerique, etiam obesse, arbitrantur. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* Pleraeque boves pariunt in decem annos, quaedam etiam in plures. *Liv.* 27, 3. Erant pleraque tecta ex cratibus, alia arundine texta. *Caes. B. C.* 3, 29. Plerasque naves in Italiam remittit; et *B. G.* 2, 4. Plerosque Belgas esse ortos a Germanis; et *B. C.* 1, 72. Hoc consilium Caesaris a plerisque non probabatur. *Plin.* 5, 1, 1. Plerique e Graecis, nostrisque. ℙ Minus est quam *plurimi*. *Tac. H.* 4, 8. *extr.* Deum ipsum multi Aesculapium, quidam Osirim, plerique Jovem, plurimi Ditem patrem conjectant. ℙ Cum genitivo. *Just.* 41, 1. *f.* Parthiae pleraque finium frigoris magnitudo possidet. *Plin.* 21, 15, 50. Pleraeque gentium. ℙ Multi. *Nep. Timoth.* 4. Timothei autem moderatae sapientisque vitae cum pleraque possimus proferre testimonia, uno contenti erimus. Est qui aliter leg. *Tac. H.* 1, 86. Rapti e publico plerique, plures in tabernis et cubilibus intercepti. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac* p. 359. sq.] ℙ *Pleraque* accusativus Graeco more, *h. e.* in plerisque rebus. *Gell.* 17, 19. *extr.* Is erit pleraque impeccabilis, vitamque vivet tranquillissimam. ℙ *Pleraque*, omnia. *Lucr.* 6, 44. Et quaecumque in eo (*mundo*) fiunt, fierique necesse est, Pleraque dissolvi. Alii leg. *quaecumque in eo fiunt, fientque, necesse Esse ea dissolvi. Cic. Inv.* 1, 2. Fuit quoddam tempus, cum in agris homines passim bestiarum more vagabantur, et sibi victu ferino vitam propagabant: nec ratione animi quidquam, sed pleraque viribus corporis administrabant. ℙ *Plerique omnes*, *πλείονες*, *πάντες*, ele-

gans Hellenismus, idem fere significans quod *plerique*, aut aliquid plus, paene omnes, maxima parš. Quidam putant subintelligi *vel:* et dici ut *plus minus, sex septem*, in quibus *vel* omittitur. *Ter. Andr.* 1, 1, 28. Quod plerique omnes faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adjungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, etc. *Naev.* ap. *Donat.* ad *h. l.* Plerique omnes subiguntur sub suum judicium. *Nep. Eum.* 12. Cum plerique omnes admirarentur. *Ter. Ph.* 1, 3, 20. Ita plerique ingenio sumus omnes: nostri nosmet poenitet. *Id. Heaut.* 4, 7, 2. Quid rei esset, dixti huic? *Sy.* dixi pleraque omnia. Adde *Gell.* 1, 3. et 4. ℙ In sing. num. *Sall. Cat.* 17. Juventus pleraque, sed maxime nobilium, Catilinae favebat. *Id. Jug.* 81. Qua tempestate Carthaginienses pleraeque Africae imperitabant; et *ib.* 60. Exercitum plerumque in iisdem locis opperiri jubet: ipse cum delectis equitibus Metellum sequitur. *Gell.* 17, 21. *med.* Xerxes ab Atheniensibus, et pleraque Graecia navali proelio victus. *Appul. Apol. f.* Uti rem familiarem meo adhortatu pleramque filiis condonasset; et *Met.* 9. Comae pleramque contegebant faciem. ℙ Et neutrum cum genitivo. *Sall. Jug.* 24. Ubi plerumque noctis processit, obscuro etiam tum lumine, milites castra hostium invadunt; et *Liv.* 45, 9. Finis inclyti per Europae plerumque, atque Asiam omnem regni. ℙ Hoc saepius absolute adverbii more ponitur, et significat magna ex parte, ut plurimum, fere, ἐπὶ τὸ πολὺ, ὡς τὸ πολύ. *Hor. Sat.* 1, 10, 14. ridiculum acri Fortius et melius magnas plerumque secat res. *Cic. Div.* 2, 5. Haec ipsa fortuita sunt: plerumque enim non semper eveniunt. *Id. N. D.* 2, 27. *med.* Partus maturescunt aut septem nonnunquam, aut plerumque novem lunae cursibus. *Id. Or.* 51. Quod fit etiam ab antiquis, sed plerumque casu, saepe natura. *Colum.* 7, 4. Tarentinum pecus raro foris, plerumque domi alitur. ℙ Pro nonnunquam, interdum, *Quint. decl.* 15, 11. *f.* Excussa sunt plerumque languentium verberibus, redemptaque debilitate vitia. *Paul.* et *Ulp. Dig.* 2, 14, 25. et 26. Sed quamvis fidejussoris pactum reo non possit; plerumque tamen doli exceptionem reo profuturam, Julianus scripsit: videlicet si hoc actum est, ne a reo quoque petatur. [**Tac. A.* 4, 57. *Dial.* 15.]

PLĒROMA, ātis, n. πλήρωμα, plenitudo, complementum: vox Graeca, quam usurpat *Tert. Praescr.* 49. Aeonum triacontas, quae sit in pleromate ex octoade, et decade, et duodecade.

[PLĒROMĀRĬUS, ii, m. nauta, qui in majoribus onerariis navibus operam praestat; quemadmodum lenuncularius est, qui in minoribus navigiis seu lenunculis; auxiliarius vero idem esse videtur qui et levamentarius dicitur: est a πλήρωμα, complementum. Hinc *Serv.* ad illud *Virg. A.* 11, 327. Seu plures *(naves)* complere valent, haec habet: Proprie verbum nauticum; nam Graece πλήρωμα. *Inscr.* ap. *Viscont. Op. var.* T. 2. p. 56. *ed. Mediol.* Ordo corporatorum lenunculariorum, pleromariorum, auxiliariorum Ostiensium. Haec inscriptio pertinet ad ann. a Chr. n. CC., et similis est aliae ap. *Grut.* 1077., in qua tamen, si modo certa est lectio, *tabulariorum* pro *pleromariorum* legitur. In alia vero ap. *eund.* 398, 7. Patronus corporis lenunculariorum . . . . auxiliariorum Ostiensium. ℙ *Viscontius l. c.* putat, pleromarios esse eam navalis militiae partem, quam Itali *equipaggio delle navi da guerra* vocant, fretus praesertim hoc loco *Hesych.* Πλήρωμα, ναῦς τραγική; ubi quidam pro τραγική legunt στρατηγική, alii tamen melius φορτική, nempe navis oneraria. Allatae enim inscriptiones de Ostiensibus quidem nautis, minime vero de militibus agere videntur, qui ibidem corpus seu sodalicium, Itali *fraglia* appellant, constituebant, cujus quidam *patroni*, alii *quinquennales*, ceteri *plebs* dicuntur; unde facili negotio colligi potest, eos non milites, sed operarios fuisse, qui ex mercibus illuc importatis, et quemlibet in locum ipsorum opera convehendis victum sibi quaererent. *F.*]

PLĒROTĬCUS, a, um, adj. πληρωτικός, suppletus, adjectus supplendi gratia: a πληρόω, impleo. *Frontin. de colon.* p. 131. *Goes.* Plebe deficiente, aliis paucioribus ager est assignatus terminis pleroticis. In editionib. perperam legitur *pleropicis.*

PLĒNUMQUĔ. V. PLERIQUE.

PLĒRUS, a, um, adj. antiquum. *Pacuv.* ap. *Fest.* et *Prisc.* 5, 668. Pater Achaeos in Caphareis saxis pleros perdidit, *h. e.* plerosque, majorem partem. *Id. ib.* Periere Danai, plera pars pessundata est. *Cic. Leg.* 3, 3. Minores magistratus, partiti juris, plures in plera sunto, *h. e.* in plerisque munerib. reipubl. *Cato* ap. *Prisc. l. c.* Agrum quem Volsci habuerunt, campestris plerus, Aboriginum fuit. Alii leg. *plerus Aboriginum*, h. e. plenus: a πλῆρός. ℙ Hinc *plerum* plerumque. *Asellio ib.* Fieri solet plerum, ut in victoria mitior mansuetiorque fiat. ℙ Sup. *Plerimus* ap. *Gell.* 4, 19. Plerimo cibo uti. Alii leg. *plurimo.*

PLĒRUSQUĔ. V. PLERIQUE.

[PLESTĪNI, orum, m. plur. populi Plestiae, oppidi montani nunc diruti in Umbria, ubi nunc *S. Maria di Pistia*, haud longe ab urbe Fulginia. Eorum meminit *Plin.* 3, 14, 19., quos tamen *Pelestinos* vocat. *Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 755, 1., emendata ap. *Jo. Mengozzium* in *Dissert. de Plestini Umbri* p. 23. C. Vejanio C. F. Cor. Rufo curatori reip. Plestinorum, etc. ℙ *Plestina* fuit etiam urbs Marsorum ad fluv. Sarum, ubi nunc *Pesco-Asserolo*, cujus meminit *Liv.* 22, 3. Dictator proelio uno Marsos fundit, compulsis deinde in urbes munitas, Milioniam, Plestinam, Fresiliam intra dies paucos cepit. ℙ Alia fuit *Plestia*, seu melius *Plistia* urbs Samnitium prope Saticulam, ubi nunc *Presta.* Ejus meminit *Id.* 9, 21. et 22. *F.*]

PLĒTURA, ae, f. repletio: est a πληθώρη, redundantia. *Paul. Nol. carm.* 21, 47. de naufragio: Interea navis altius decrescere, Crescente pletura sui, *h. e.* intrantibus aquis, et eam implentibus. ℙ Translate est nimia sanguinis copia, et inflammatio. *Pelag. Vet.* 5. *med.* Si *(equus)* caput a pletura, aut a perfrictionibus plenum habuerit, sanguis aut de temporibus, aut de ore emittendus est. *Veg. Vet.* 1, 35. Si quod jumentum ab indigestione, vel pletura febricitaverit. *Id. ib.* 3, 12. Animalibus otiosis et pigris contingit ex pletura sanguinem mingere; et *ib.* 44. Si animalia, dum sudant, hordeum comederint, absque dubio indigestio, et pletura comitabitur.

PLĒTUS, a, um, part. a *pleo*, impletus, plenus. *Lucr.* 2, 631. Curetes Phrygii sanguine pleti. Alii leg. *fleti:* alii *laeti:* et 6, 1201. Corruptus sanguis pletis e navibus ibat. Alii leg. *plenis:* alii *pleris* eod. sensu, nempe a πλῆρός.

PLĒVĬTAS. V. PLEBITAS.

PLEURĪCUS, a, um, adj. ad latus, vel in latus positus, obliquus: a πλευρά, latus. *Front. de colon.* p. 117. *Goes.* Termini pleurici positi sunt.

PLEURĪSIS, is, f. eadem quae pleuritis. Corripit paenultimam *Prud.* περὶ στεφ. 10, 484. Non ungularum tanta vis latus fodit, Mucrone quanto dira pulsat pleurisis.

PLEURĪTĪCUS, a, um, adj. qui pleuritide laborat, πλευριτικός. *Plin.* 27, 4, 3. Medentur ischiadicis, pleuriticis. Adde 20, 5, 15. et *ib.* 17, 68., 24, 6, 14. et 26, 7, 25.

PLEURĪTIS, idis, f. πλευρῖτις, lateris dolor acutus, ac pungens cum febre assidua, spirandi difficultate, tussi, sputo citius, vel tardius subsequente, orta ab inflammatione membranae costas succingentis, ob sanguinis effervescentis impeditum per venas ibidem fluxum. Tunc enim inter membranam, et costas sanies colligitur, et apostema generatur: a πλευρὰ vel πλευρὸν, latus. Unde *dolorem lateris* appellat *Cic. Or.* 3, 2. *Vitr.* 1, 6. Arthritis, tussis, pleuritis, phthisis. ℙ *Pleuritides* ap. *eund.* 10, 13. sunt in hydraulicis organis regulae inter tabulam, et canona interpositae, et ad eundem modum foratae, quo tabula, et oleo subactae, quo facilius impellantur, et rursus introrsus reducantur, ut obturent, aut aperiant terebrationes ipsius tabulae. Dictae sunt a πλευρὰ, costa, quia sunt veluti parvae quaedam costae per canonem, et sub tabula porrectae. Alii leg. *plinthides*, a πλινθὶς, laterculus, quia oblongorum laterculorum figuram referunt.

PLEURONĬUS, a, um, adj. Πλευρώνιος, ad Pleuronem pertinens, quod est oppidum Aetoliae mediterraneum: de quo *Plin.* 4, 2, 3. et *Stat. Theb.* 2, 727., ubi Martia Pleuron, et *ib.* 4, 103., ubi Meleagria vocatur, quia ibi Mars colebatur, et Meleager natus est. *Ov. Met.* 14, 494. Pleuronius Acmon. ℙ *Pleuronia*, absolute ipsa Aetolia, vel Aetoliae pars illa, in qua Pleuron. *Auson. Epitaph.* 10. Nec me non dignum titulo Pleuronia credit.

*PLEXIPPUS, i, m. Πλήξιππος, unus e quinquaginta Aegypti filiis. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

PLEXUS, a, um, part. a *plecto*, πλεκτὸς, implexus, intextus, implicatus. *Festus:* Plexa colligata significat, ex Graeco (scil. a πλέκω), cui nos etiam praepositionem adjicimus, cum dicimus perplexa. *Lucr.* 5, 1398. Tum caput atque humeros plexis redimire corollis. *Catull.* 64, 283. Hos *(flores)* indistinctis plexos tulit ipse corollis. *Vitr.* 10, 1. Scansoria ratio catenationibus, et transversariis, et plexis colligationibus, et erismatum fulturis continetur. *Lucr.* 4, 621. Inde quod exprimimus, per caulas omne palati Diditur, et rarae per plexa foramina linguae, *h. e.* quae recta, transversa, obliqua, intercurrentia linguam pervadunt. ℙ Translate. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 7. Plexa, non falsa autumare dictio Delphis solet, *h. e.* perplexa, ambigua.

PLEXUS, us, m. πλοκὴ, implexus, implicatio. *Manil.* 5, 147. tortos in plexum ponere crines. Alii leg. *flexum*, alii *fluctum.*

PLĬADES. V. PLEJADES.

PLĬCĀTĬLIS, e, adj. πλεκτὸς, qui plicatur, aut plicari potest. *Plin.* 10, 29, 44. Upupa crista visenda plicatili, contrahens eam, subrigensque per longitudinem capitis. ℙ *Navis plicatilis* est navis facta ex corio, quae complicata circumfertur ad trajiciendos amnes. *Id.* 5, 9, 10. Ibi Aethiopicae conveniunt naves. Namque eas plicatiles humeris transferunt, quoties ad cataractas ventum est.

PLĬCĀTURA, ae, f. actus plicandi. *Plin.* 7, 51, 52. de signis mortis: Stragulae vestis plicaturas.

PLĬCĀTUS, a, um, part. a *plico*, complicitus. *Lucr.* 6, 1085., quasi ut anellis hamisque plicata Inter se quaedam possint copulata teneri.

[PLĬCĬTUS, a, um, part. a *plico*, idem ac plicatus. *Capell.* 7, 239. Decas plena his quatuor numeris gradatim plicitis integratur, id est, uno, duobus, tribus, quatuor. *F.*]

PLĬCO, as, a. l. πλέκω, flecto, complico, contraho. *Lucr.* 4, 823. Lumina qui faciunt oculorum clara creata, Prospicere ut possimus: et ut proferre viai Proceros passus, ideo fastigia posse Surare vias Proceros passus, ideo fastigia posse Surare viai Proceros passus, ideo fastigia posse Surare viai Proceros passus, ideo fastigia posse Surare viai Proceros passus, ideo fastigia posse Surare viai Proceros passus, ideo fastigia posse Surare viai Proceros passus, ideo fastigia posse Surare viai Proceros passus, ideo fastigia posse Surare viai Proceros passus, ideo fastigia posse Surare viai Proceros passus, ideo fastigia posse Surare rum ac feminum pedibus fundata plicari. *Mart.* 4, 83. Si nimis est legisse duos, tibi charta plicetur Altera: divisum sic breve fiet opus. *Gell.* 17, 9. 279. de angue: seque in sua membra plicantem. Sic *Sen. Med.* 689. Tumidum nodis corpus aggestis plicat, Cogitque in orbes. *Nemes. Ecl.* 3, 18. Te cano, qui gravidis hederata fronde corymbis Vitea serta plicas. ℙ Praeteritum *plicui* et *plicavi* agnoscitur a *Prisc.* 9, 860., sed sine exemplis: quae in compositis non desunt: v. gr. in *applico*, *complico.*

PLIGORĬAE vel Plegoriae lineae, in re agraria sunt, quae in lateribus agrorum, pro media, quae principalis dicitur, quasi spondere videntur (*plegus* enim est fidejussor), atque in omnem eventum cavere, ne limitis rectura oblivioni mandetur. *Innocent de casis litterar.* p. 224. *Goesii*, et ipse *Goes. Antiquit. agr.* c. 8. p. 79. **V. Du Cange* in *Gloss. Lat. B. A.*

PLĪNĬĀNUS, a, um, adj. ad Plinium pertinens, ut Pliniana cerasa, *Plin.* 15, 25, 30.

C. PLĪNĬUS SECUNDUS, philosophiae naturalis scientia, et omni genere doctrinarum insignis, vixit temporibus Vespasiani Imp., cujus etiam negotia administravit. Noctibus, et subsecivis horis scripsit XXXVII. libros de Rerum natura, qui adhuc exstant, item alia plurima, quae interiere, unus omnium parcissimus temporis. Periit in Vesevi montis incendio, ann. a Chr. n. LXXIX, aetatis LVI., dum ejus causam indagare cupit. Vide quae de eo narrat C. Plinius Caecilius ejus sororis filius, *ep.* 3, 5. et *ep.* 6, 16. *Hard. f.* praefationis in ejus historiam multis contendit, Romanum fuisse. Quod autem in praefat. Pliniana dicitur conterraneus Catulli, qui certe Veronensis fuit, negat *Hard.*, ejus praefationis Plinium auctorem esse. [Sed in utroque falsus est omnino; nam *Plinium* Comensem fuisse, invicte probat *Rezzonicus a Turre* in suis *Disquisit. Plinian.* T. 1. p. 60 — 81.: *conterraneus* vero *Catullus* ab eodem dicitur, quia uterque in Gallia Transpadana natus fuerat. *F.*] ℙ *C. Plinius Caecilius* ex Novo Como, natus ex sorore C. Plinii Secundi, ut diximus, scripsit Epistolas, et Panegyricum in laudem Trajani Imp., in quo gratias egit, quod ab illo consul factus esset. Haec etiam opera usque in hodiernam diem servata sunt. ℙ *Plinius Valerianus*, medicus empiricus, scripsit libros quinque de re medica, quos quidam olim Plinio Secundo perperam tribuerunt. Floruisse eum ante Constantini M. tempora, sunt qui putant; sed *J. Hadr. Saxius* rectius censet, ignotum hujus operis auctorem multo posterius eam doctrinarum medicarum farraginem a *Plinio* majore, et a pluribus infimae aetatis scriptoribus consarcinasse. ℙ Prioris est locutio Latina quidem, sed compositione asperior subinde, et obscurior: alterius planior, suavior, nitidior. V. *Mart.* 10, 19. Apparet tamen in utroque flexus quidam linguae ab aurea puritate paulatim declinantis. Postremus vero vix ullo loco habendus.

PLĪNTHĬS, idis, f. πλινθὶς, parvus later, laterculus: dimin. a πλίνθος, later. Ap. *Vitr.* 3, 2. accipitur pro ipsa plintho, quae sub columnae spira ponitur. V. PLINTHUS. ℙ Ap. gromaticos est forma agri quadrata ad modum plinthi. *Hyg. de condit. agror.* p. 210. *Goes.*, ubi alii leg. *plinthus.*

PLĪNTHĬUM, ii, n. πλίνθιον, laterculus: dimin. a πλίνθος. Accipitur a *Vitr.* pro quadrato lapide aut tabula in modum plinthi, in qua lineae descriptae sint ad horas deprehendendas. Sic enim ille 9, 9. Plinthium, sive lacunar, quod etiam in circo Flaminio est positum, dicitur invenisse Scopas Syracusius.

*PLĪNTHĬUS, i, m. Athamantis filius, ex Themistone. *Hyg. fab.* 1. et 239. *B. A.*

PLĪNTHUS, i, f. πλίνθος, Graece est later. In architectura est membrum quadrata figura in modum lateris, quod columnis subjicitur, et firmitatem concinne facit. *Vitr.* 4, 7. Habeant spirae earum plinthum ad circinum altam suae crassitudinis dimidia parte. ℙ In re agraria est forma agri plinthum referens, et certum jugerum numerum continens. *Hygin. de condit. agror.* p. 205. *Goes.* Quaestorii dicuntur agri, quos populus R. devictis pulsisque hostibus possedit, mandavitque quaestoribus, ut eos venundarent: quae centuriae nunc appellantur plinthi, idest laterculi. Adde p. 210.

PLĪSĬMA. V. PLUSIMUS.

PLISTHĒNES, is, m. Πλισθένης, filius Pelopis et Hippodames, nepos Tantali primi, frater Atrei, Thyestis, et Lysidices. Filios duos habuit, Agamemnonem, et Menelaum, quos moriens Atreo fratri commendavit, qui ab illo instar filiorum educa-

ti fuere. Quare progressu temporis, memoria Plisthenis sublata, filii Atrei habiti sunt, et Atridae appellati. ℙ Plisthenes alter, filius Thyestis ex uxore Atrei, qui una cum fratribus Tantalo, et Harpogyge, ab Atreo interfectus, et patri epulandus appositus est. *Sen. Thyest.* 726. ℙ *Plisthenes, impudicus a poetis dicitur. *Quint.* 3, 7. Quibusdam bona vitiis corrupta odium attulerunt; ut Nerea imbellem, Plisthenem impudicum a Poetis accepimus. Cum vero (ait *Gesnerus*) de *Plisthene* impudico alia memoria nondum prolata sit, *Clisthenes* mollitiei nota ab Aristophane inustus sit, post alios *Clisthenem* legit *Burmannus*. *B. A.* [*V. *Spalding*.]

PLISTHĒNĪDES, ae, m. *Πλισθενίδης*, patronym. a Plisthene. *Sabin. ep.* 1, 107. Felix Plisthenide, quacumque in sorte fuisti Conjuge cum cara, *h. e.* Menelae fili Plisthenis.

PLISTHĒNĪUS, a, um, adj. ad Plisthenem pertinens. *Ov. R. Am.* 777. Hoc et in abducta Briseide flebat Achilles, Illam Plisthenio gaudia ferre toro, *h. e.* Agamemnonis Plisthenis filii.

*PLISTĪA, ae, f. Italiae oppidum, in Samnio. *Liv.* 9, 21. et 22. *B. A.*

PLISTŌLOCHĪA. V. PISTOLOCHIA.

PLISTŌNĪCES, ae, m. *Πλειστονίκης*, h. e. multorum victor, cognominatus fuit Apion grammaticus, teste *Gell.* 5, 14. V. CYMBALUM.

*PLITANĪAE, arum, insulae duo, Troadi objectae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*PLITENDUM, i, n. Asiae oppidum, in Bithynia vel forte in Galatia. *Liv.* 38, 18. *B. A.*

[PLŌCĀMUS, i, m. *πλόκαμος*, cirrus, crinis plexus et intortus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Guarin. Comment.* 6. p. 41. L. Melissaeus Plocamus. *F.*]

PLOCĒ, es, f. *πλοκή*, nexus: a *πλέκω*, necto. V. AGOGE. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 625. *n.* 217. Grattidia O. L. Ploce. *F.*]

[PLŌCĬUM, ii, f. *πλόκιον*, comula: dimin. a *πλόκος*, coma. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1618, 31. Julia Plocium. Hic perperam leg. *Piocium*. ℙ *Plocium* est etiam titulus comoediae Caecilii Statii, quam ipse e Menandro vertit, itidem *Πλόκιον* nominatam: ejus meminit *Gell.* 2, 23. et 3, 16. *F.*]

PLŌDO. V. PLAUDO.

[PLŌĬUS, ii, m. *πλώϊος*, navigationi aptus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1261, 7. Cn. Camillius Ploius. *F.*]

PLŌRĀBĬLIS, e, adj. *οἰμωκτός*, ploratu dignus, lugubris, flebilis. *Pers.* 1, 34. Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid Eliquat. *Claud. in Eutr.* 1, 261. verbisque sonat plorabile quiddam Ultra nequitiam fractis.

PLŌRĀBUNDUS, a, um, adj. multum plorans, *δεδακρυμένος*. *Pl. Aul.* 2, 4, 38. Homo ad praetorem plorabundus devenit. Plerique alii leg. *deplorabundus venit. *Porphyr.* ad *Hor. Ep.* 1, 17, 52. Idem, quod meretrix facit amatori suo, quem simulatis damnis plorabunda spoliat.

PLŌRĀTĬO, onis, f. ploratus, *οἰμωγή*. *August. serm. de S. S.* 17. *med.* A convalle plorationis usque ad montem pacis.

PLŌRĀTOR, oris, m. *οἰμώζων*, qui plorat. *Mart.* 14, 54. Siquis plorator collo tibi vernula pendet.

PLŌRĀTUS, a, um, part. a *ploro:* defletus. *Ov. A. Am.* 1, 75. Veneri ploratus Adonis. *Id. Fast.* 4, 856. plorato subdita flamma rogo. *Stat. Th.* 4, 460. plorata cupressus.

PLŌRĀTUS, us, m. *κλαυθμός*, actus plorandi, fletus. *Cic.* vertens *Sophoclis* versus, *Tusc.* 2, 8. Heu virginalem me ore ploratum edere. *Liv.* 29, 17. *med.* Omnia mulierum ploratibus sonant. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 8. Ploratum infantis cohibere. ℙ Translate. *Id.* 12, 25, 54. Succus e plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiae, sed tenui gutta ploratu, etc. *h. e.* quasi lacrima.

PLŌRO, as, avi, atum, a. 1. *οἰμώζω, δακρύω*, multis lacrimis et clamore fleo. *Sen. ep.* 63. Nec sicci sint oculi, amisso amico, nec fluant: lacrimandum est, non plorandum. *Cic. Att.* 15, 9. Rides, inquies, in talibus rebus? Quid faciam? plorando fessus sum. *Id. Dom.* 21. *extr.* Ut senatum pro me non modo pugnare, sed etiam plorare et supplicare, mutata veste, prohiberent. *Stat. Silv.* 5, 3, 245. plorare funera. *Ov. A. Am.* 3, 291. discunt lacrimare decenter, Quoque volunt plorant tempore, quoque modo. *Hor. Od.* 3, 27, 38. turpe commissum plorare. *Pl. Poen.* 1, 2, 164. Jam ego hercle faciam plorantem illum, nisi te facio propitiam. ℙ Translate est aegre ferre, dolere. *Pl. Aul.* 2, 4, 29. Aquam hercle plorat, dum lavat, profundere; et *Hor. Ep.* 2, 1, 9. Plorare, suis non respondere favorem Speratum meritis; et *Od.* 3, 10, 2. me tamen asperas Projectum ante fores objicere incolis Plorares Aquilonibus. ℙ *Jubeo te plorare*, male tibi cupio, infelicem esse volo. *Hor. Sat.* 1, 10, 90. Demetri, teque, Tigelli, Discipularum inter jubeo plorare cathedras: *οἰμώζειν κελεύω* dicunt Graeci eod. sensu: cui contrarium est *χαίρειν*, aut *εὐημάτειν κελεύειν:* quae illustrat *Lambin.* ad *Hor. Epod.* 5, 74. ℙ Olim *plorare* erat plane inclamare, ut ait *Festus*. Hinc illa in *Legib. XII. Tab.* ap. *eund.* Si paretem puer verberit, at oloe plorassint *parentes*, etc.

PLŌSOR. V. PLAUSOR.

PLOSTELLUM, i, n. *ἁμαξίς*, dimin. plostri. *Varr. R. R.* 1, 52. Plostellum Poenicum. V. TRIBULUM. *Hor. Sat.* 2, 3, 247. plostello adjungere mures. *August. C. D.* 7, 21. Turpe membrum plostellis impositum.

PLOSTRĀRĬUS, a, um, adj. ad plaustrum pertinens, plaustrarius. *Cato R. R.* 11. Asinos plostrarios duos: et *mox:* Jugum plostrarium.

PLOSTRUM. V. PLAUSTRUM.

PLŌSUS. V. PLAUSUS.

*PLOTAE, arum, *Πλωταὶ* (i. e. natantes, fluctuantes, sc. *νῆσοι*, insulae), insularum, postea Strophadum dictarum, vetus nomen. *Mela* 2, 7. *med. Plin.* 4, 12. *Hyg. fab.* 14, 42. *med. Munker. B. A.*

[PLOTHĒNĪUS, a, um, adj. qui est ex Plothea, uno ex Atticae demis, in tribu Aegeide. *Steph. Byz. Πλωθειά, δῆμος Αἰγηΐδος φυλῆς· ὁ δημότης, Πλωθειεὺς, καὶ Πλωθεύς. *Pl. Epid.* 3, 4, 1. Cave praeterbitas ullas aedes, quin roges, senex ubi habitat Periphanes Plothenius. Alii perperam leg. *Platenius. F.*]

PLOTĬANUS. V. PLAUTIANUS.

PLOTILLA. V. PLAUTILLA.

*PLOTINOPŌLIS, is, f. Thraciae oppidum, ad Hebrum flumen, a Plotina Pompeia Trajani uxore appellatum. *Anton. Itin. B. A.*

[PLOTĪNUS, a, um, adj. ad Plotum pertinens, ut Plautinus ad Plautum. Est cogn. R. *Aur. Victor Epit.* 42. Pompeja Plotina incredibile dictu est, quanto auxerit gloriam Trajani (*ejus mariti*). Hinc *Πλωτεινόπολις* in ejus honorem vocata est urbs Thraciae, ad Hebrum fluv., quae nunc *Demotica*, cujus meminit *Itin. Antonini* p. 175. et *Πλωτεινοπολῖται* ejus urbis incolae in nummis ap. *Mionnet. Descr. des médaill.* T. 1. p. 420. et *Supplem.* T. 2. p. 479. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 618. *n.* 157. Desticia Plotina. *F.*]

PLOTĬUS. V. PLAUTIUS.

PLŌTUS. V. PLAUTUS.

PLOXĔMUM, i, n. capsa in cisio, ut ait *Festus*. Est vox Gallica, quam *Quint.* 1, 5. dicit a *Catullo* circa Padum inventam esse. *Catull.* 97, 6. Gingivas vero ploxemi habet veteris. ℙ Scribitur et *ploximum*, et *ploxenum*.

PLŪIT, ebat, pluit, et pluvit, impers. 3. *βρέχει, ὕει*, est imbrem decidere: et translate cadere more imbris: a *πλύνω*, lavo, vel a *βλύω*, scaturio, mano. *Cic. N. D.* 2, 43. Has Graeci stellas Hyadas vocitare suerunt, a pluendo: *ὕειν* enim est pluere. *Pl. Curc.* 1, 2, 42. Pluet credo hercle hodie. *Cic. Top.* 9. Omnem aquam oportere arceri, quae pluendo crevisset. *Pl. Men. prol.* 63. Nam rus ut ibat forte, ut multum pluverat. *Virg. G.* 4, 81. Nec de concussa tantum pluit ilice glandis. *Stat. Silv.* 1, 6, 10. Jam bellaria adorea pluebant. *Id. Th.* 8, 416. stridentia fundae Saxa pluunt. *Plin.* 2, 56, 57. Effigies, quae pluit, spongiarum fere similis fuit. *Cic. Div.* 2, 27. Sanguinem pluisse senatui nunciatum est. *Liv.* 4, 19. In area Vulcani sanguinem pluit. *Id.* 27, 11. Lacte pluisse. *Id.* 1, 31. et 7, 28., et 35, 9. et alibi, lapidibus. *Plin.* 2, 56, 57. lacte, sanguine, carne. *Mart.* 3, 47. Capena grandi porta qua pluit gutta. ℙ Passive. *Appul. Flor. n.* 2. Totum illud spatium, qua pluitur, et ningitur. ℙ Part. *Pluens* ap. *Lactant. carm.* 43. de passion. Undique diva pluens vivum super ora cruorem. ℙ *Pluit* in praeterito primam habet longam, ut *Varr.* docet *L. L.* 8, 60., maxime si *pluvit* scribas. V. LUO.

PLŪMA, ae, f. *πτίλον*, in avibus est id, quo vestiuntur, exilius, mollius, densiusque. V. PENNA. *Cic. N. D.* 2, 47. Animantes alias pluma, alias squama videmus obductas. *Id. Fin.* 3, 5. *med.* Alia ad quendam ornatum, ut cauda pavoni, plumae versicolores columbis. *Virg. A.* 10, 192. mollis pluma. *Petr. Sat.* 127. *med.* Implicitum brachiis mollioribus pluma deduxit in terram. *Ov. Her.* 8, 68. in plumis delituisse Jovem, *h. e.* sub forma cycni. ℙ Pluma farciebantur a ditioribus culcitae, cervicalia, lecticae. *Mart.* 12, 17. Dormit et in pluma, purpureoque toro. *Id.* 14, 146. Tinge caput nardi folio, cervical olebit. Perdidit unguentum cum coma, pluma tenet. *Juven.* 10, 361. et potiores Herculis aerumnas credat, etc. et coenis, et plumis Sardanapali. *Id.* 1, 159. Pensilibus plumis vehi, *h. e.* lectica. ℙ Adhibetur ad significandam animi levitatem. *Cic. Att.* 8, 15. *med.* Nec me consules movent, qui ipsi pluma, aut folio facilius moventur. *Pl. Men.* 2, 3, 22. Quid ais, homo levior quam pluma, pessime et nequissime? *Id. Poen.* 3, 6, 17. Si quid benefacias, levior pluma est gratia. ℙ Translate dicitur de prima barba. *Hor. Od.* 4, 10, 2. Insperata tuae cum veniet pluma superbiae. Alii intelligunt canitiem. *Bentl.* utrumque rejicit, et *bruma* legit. ℙ De re nullius pretii. *Pl. Most.* 2, 1, 60. Pluma haud interest, patronus, an cliens probior siet. ℙ In thorace militari parvae laminae consertae, alia sub aliam adnexa, more plumarum in avibus, *plumae* dicuntur. *Stat. Th.* 11, 542. alte ensem germani in corpore pressit, Qua male jam plumis imus tegit inguina thorax. *Virg. A.* 11, 770. Spumantemque agitabat equum, quem pellis ahenis In plumam squamis auro conserta tegebat. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad h. l. Equis paria ornamenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae adnexuerant. V. PAVONACEUS.

[PLŪMĀCĬUM, i, n. culcita plumis repleta. *Ambros. ep.* 26. *n.* 12. Cum de eo convenirem comites ejus, ne sine veste, sine plumacio paterentur extrudi senem, extrusus ipse sum. Hic *Ambros.* loquitur de Hygino episcopo sene in exsilium acto, cui nihil jam nisi extremus superesset spiritus, ideoque petierat, ut fracta illius senis ossa paullo mollius jacerent. *F.*]

[PLŪMĀLIS, e, adj. qui pluma tectus est. *Auct.* incertus *eleg.* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 691. *Burm. v.* 58. de Leda: plumalem de Jove fecit avem: sc. qui ob ejus amorem in cycnum versus est. *F.*]

PLŪMĀRĬUS, ii, m. *ποικιλτής*, qui acu pingit, et tenue opus variumque in veste, plumarum instar, format. *Varr.* ap. *Non.* 2, 716. Etenim nulla, quae non didicit pingere, potest bene judicare, quid sit bene pictum a plumario aut textore in pulvinaribus plagis. *Vitr.* 6, 7. *f.* Plumariorum textrinae, pictorumque officinae. *Inscr.* ap. *Grut.* 649, 8. Artemidoro plumario conlegae. Alia ap. *Reines. cl.* 11. *n.* 114. et ap. *Mur.* 906, 13. et 924, 11. C. Julius Euphrosynus Aug. plumarius H. S. E. *Salm.* ad *Vopisc. Carin.* 20. docet, plumarios esse, qui plumas avium in vestibus acu pingunt: *plumas* autem vocasse veteres rotundas notas ex auro vel purpura, et in modum plumarum factas, quibus vestes intexebantur ac variabantur: sic lammas rotundas, vel circulos ferreos, e quibus loricae fiebant, *plumas* dixisse. V. PLUMA. Clavos quoque tunicis intextos hoc nomine fortasse appellasse, quia *Non.* 14, 22. plumatile interpretatur aut clavatum aut ex plumis factum. Sed omnino ipsum adire opus est, copiosissime de his disputantem. Aliorum eruditorum sententias in re satis obscura V. ap. *Bald.* in *Lex. Vitr.* Consule etiam, si placet, *dissert. Muratorii de antiqnitatib. Ital.* 25. p. 401. ℙ Adjective. *Hieron. ep.* 29. *n.* 6. In Exodo, ceterisque locis, ubi describuntur vestes plumaria arte contextae.

PLŪMĀTĬLIS, e, adj. ad plumas, et plumarii artem pertinens. *Pl.* enumerans varia vestium genera, *Epid.* 2, 2, 49. Cymatile, aut plumatile, cerinum, aut melinum.

PLŪMĀTUS, a, um, part. a *plumo: πτέρινος*, plumis tectus. *Cic.* vertens *Arati* carmina, *N. D.* 2, 44. *f.* plumato corpore corvus. *Plin.* 8, 32, 50. de cervi cornib.: Eadem teneris increscunt ferulis, arundineas in paniculas molli plumata lanugine. ℙ Item in plumae formam consertus. *Just.* 41, 2. *f.* Munimentum ipsis, equisque loricae plumatae sunt, quae utrumque toto corpore tegunt. V. PLUMA. ℙ Item acu pictus arte plumarii. *Lucan.* 10, 123. Strata micant, Tyrio quorum pars maxima fuco Cocta diu, virus non uno duxit aheno. Pars auro plumata nitet, pars ignea cocco.

PLUMBĀGO, inis, f. *μολύβδαινα*, genus metalli, plumbi et argenti simul naturam referens. *Plin.* 34, 18, 50., ubi et *molybdaenam* appellat, quod idem est. V. h. v. ℙ Item talis metalli color. *Id.* 37, 5, 18. de gemmis: Frequens et iis plumbago, hoc est, ut in sole plumbei videantur. ℙ Item genus herbae. *Id.* 25, 13, 97. V. MOLYBDAENA.

PLUMBĀRĬUS, a, um, adj. *μολυβδικός*, ad plumbum pertinens. *Plin.* 34, 18, 54. Psimmythium quoque, hoc est cerussam, plumbariae dant officinae. *Id.* 33, 7, 40. Plumbarium metallum. ℙ *Plumbarius*, absolute, qui opera ex plumbo facit. *Aurel. Arcad. Dig.* 50, 6, 6. Plumbarii, ferrarii, lapidarii. Adde *Inscr.* ap. *Mur.* 900, 4. et *Front. Aquaed.* 25. Sic artifices plumbarii, *Vitr.* 8, 7. *med.* ℙ *Plumbarium, ii*, absolute, locus, in quo plumbea vasa reponuntur, ut aurarium, in quo aurea; argentarium, in quo argentea. *Not. Tir.* p. 164. Plumbum, plumbeus, plumbarium.

PLUMBĀTŪRĀ, ae, f. *μολύβδωσις*, ferruminatio, et quaecumque conjunctio plumbo facta. *Cassius Paul. Dig.* 6, 1, 23. Ferruminatio per eandem materiam facit confusionem, plumbatura non efficit.

PLUMBĀTUS, a, um, part. a *plumbo:* plumbo conglutinatus. *Tert. Apol.* 29. Salutem non putamus in manibus esse plumbatis. Potest tamen *plumbatis* intelligi *plumbeis*. V. v. sq. ℙ Est fere adj. plumbeus. *Plin.* 10, 33, 50. Plumbatis sagittis nidos avium decutere. *Solin.* 33. *med.* Plumbata jacula. *Frontin. Aquaed.* 124. Plumbati canales. *Val. Max.* 3, 7. *n.* 2. Omnia vada plumbatis tabulis consternere. ℙ *Plumbatae, arum*, pilae e plumbo, quibus exercebantur milites, *μολυβδίδες*. *Veg. Mil.* 1, 17. V. MARTIOBARBULUS. ℙ *Plumbatae* quoque appellatae fuerunt pilae plumbeae pluribus funiculis seu coriis consutae, quibus reorum terga flagellabantur. *A. M. Lupius Dissert. XII.* agit de plumbatis, quae Romae in sepulcro cujusdam martyris repertae sunt. Erant il-

lae glandes ex aere, non ex plumbo, et catenulis, non funiculis aut loris alligatae. Idem suspicatur glandes initio factas fuisse ex plumbo, unde plumbatarum nomen manserit; neque enim audierat, usquam asservari plumbatas ex plumbo. *Imppp. Valentin., Valens et Grat. Cod. Theod.* 9, 35, 2. Plumbatarum vero ictus, quos in ingenuis corporibus non probamus, non ab omni ordine submovemus, sed decemprimos tantum ordinis curiales ab immanitate hujusmodi verberum segregamus, ita ut in ceteris animadversionis istius habeatur moderatio commonentis. Adde *ib.* 12, 1, 80. Hinc *Prud. περὶ στεφ.* 10, 116. Tundatur, inquit, terga crebris ictibus, Plumboque cervix verberata extuberet: et *mox:* 121. Pulsatus ergo martyr illa grandine, Postquam inter ictus dixit hymnum plumbeos, etc.

PLUMBĔUS, a, um, adj. *μολύβδινος*, qui est e plumbo. *Lucr.* 6, 305. plumbea saepe Fervida fit glans in cursu. *Plin.* 34, 18, 50. Plumbeo pistillo terere aliquid. *Id.* 33, 6, 35. Plumbeum vas. Absolute *Mart.* 6, 55. Fragras plumbea Nicerotiana, *h. e.* vasa plumbea Nicerotis unguentarii. Nam unguenta apte coquuntur plumbeis vasis, ut *Plin.* 13, 2, 3. docet. *Cato R. R.* 105. Mustum in aheneum, aut plumbeum infundito. *Colum.* 12, 19. *extr.* Oleo plumbea intrinsecus imbuere, et bene fricare; et *ib.* 50. Plumbea quadrata. *Plin.* 13, 11, 21. Publica monumenta plumbeis voluminibus confici, *h. e.* plumbeis laminis in volumen convolutis. *Id.* 26, 11, 67. Vettonica pota colorem plumbeum corporis emendat. ℙ Ictus plumbei *Prud. περὶ στεφ.* 10, 122. sunt plumbatarum. V. v. praec. ℙ *Plumbea, ae*, absolute, plumbea pila, plumbata. *Spart. Sever.* 21. Ingens periculum equi casu adiit, ita ut mortuus ictu plumbeae crederetur. V. PLUMBATUS. ℙ *Plumbeus nummus* nullius pretii. *Pl. Cas.* 2, 3, 40. Cui homini hodie peculii nummus non est plumbeus. *Id. Trin.* 4, 2, 120. Cui, si capitis reus siet, nummum nunquam credam plumbeum. *Id. Most.* 3, 2, 11. Tace sis, faber, qui cudere soles plumbeos nummos. Absolute. *Mart.* 10, 74. quamdiu salutator Anteambulones et togatulos inter Centum merebor plumbeos die toto? Intelligit autem sportulam, quae erat centum quadrantum: et *plumbeos* dicit per contemptum, nam quadrantes erant aerei. Vel respicit ad materiam, quia aes quadrantum adeo viliore mixtura erat, ut plumbum videri posset. Quo pertinet illud *ejusd.* 1, 100. Et septem veteres tui sodales Constamus tibi plumbea selibra. Supra dixerat, *Nigrae sordibus explices monetae.* [*Front. de or.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2. *f.* Monetam illam veterem sectator. Plumbei nummi, et cujuscemodi adulterini in istis recentibus nummis saepius inveniuntur, quam in vetustis. Ex his patet, nummos plumbeos esse adulterinos, cum monetam publicam neget unquam fuisse plumbeam *Eckhel. D. N. V.* T. I. p. XX. et T. 8. p. 318. *F.*] ℙ *Plumbea vina*, obscuri coloris, et vilioris pretii. *Mart.* 10, 49. Quisquam plumbea vina vult in auro? ℙ *Plumbea mala*, itidem a malo colore, et vili pretio. *Id. ib.* 94. nec furem plumbea mala timent. ℙ *Plumbea arma*, obtusa, hebetia, sine acie. *Cic. Att.* 1, 16. Cum illum plumbeo gladio jugulatum iri tamen diceret. *Id. Fin.* 4, 18. O plumbeum pugionem! *h. e.* argumentum frigidum, et sine vi. ℙ *Plumbeus auster*, humidus, gravis, et gravedinem inducens corporibus. *Hor. Sat.* 2, 6, 18. nec plumbeus Auster, Autumnusque gravis. ℙ Translate *plumbeus* est hebetis ingenii, stultus, stupidus, stolidus. *Cic. Tusc.* 1, 29. Nisi plane in physicis plumbei sumus. *Ter. Heaut.* 5, 1, 3. In me quidvis harum rerum convenit, quae sunt dicta in stultum: caudex, stipes, asinus, plumbeus. ℙ *Plumbea ira*, gravissima, et diuturna. *Pl. Poen.* 3, 6, 16. Ita sunt isti nostri divites: Si quid benefacias, levior pluma est gratia: Si quid peccatum est, plumbeas iras gerunt. ℙ *Plumbea carmina*, mala. *Auson. epist.* 6, 1. Aurea mala, Theon, sed plumbea carmina mittis.

PLUMBO, as, a. 1. *μολυβδόω*, ferrumino, plumbo conglutino. *Plin.* 34, 17, 48. Neque argentum ex stanno plumbatur. *Cato R. R.* 21. *f.* Modiolos indet, et plumbet; et 20. Modiolos oleaginos facito, et eos circum plumbato. *Pompon. Dig.* 41, 1, 27. Si tuum scyphum alieno plumbo plumbaveris.

PLUMBOSUS, a, um, adj. plurimum plumbi habens admixtum. *Plin.* 34, 18, 53. Quantoque minus plumbosa, friabilis, et modice gravis. *Id.* 33, 6, 34. Faex ejus intelligitur plumbosissima.

PLUMBUM, i, n. *μόλυβδος*, genus metalli duplicis generis, candidi, et nigri. Pretiosissimum candidum. Jungi inter se nigrum sine albo non potest, nec hoc ei sine oleo: ac ne album quidem secum sine nigro. Nigri origo duplex: aut enim sua provenit vena, nec quidquam aliud ex se parit: aut cum argunto nascitur, mixtisque venis conflatur. Ejus qui primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur; qui secundus, argentum: quod remansit in fornacibus, galena, quae est tertia portio additae venae. Haec rursus conflata dat nigrum plumbum, deductis partibus duabus. Haec et alia plura *Plin.* 34. *c.* 16. et 17., ubi *c.* 18. persequitur ejus usus in medicina. Ceterum plumbum album, quod quidem idem est cum stanno seu cassitero, etiam *Caes. B. G.* 5, 12. memorat. *Lucr.* 6, 1077. Aerique aes plumbo fit uti jungatur ab albo. *Cato R. R.* 39. Dolia plumbo vincito. ℙ Per synecdochen est glans, seu pila plumbea. *Ov. Met.* 2, 727. Balearica plumbum Funda jacit: volat illud, et incandescit eundo. Adde *ib.* 4, 709. *Virg. A.* 9, 587. fundam ter adducta circum caput egit habena, Et media adversi liquefacto tempore plumbo Diffidit. V. GLANS. ℙ Item fistula plumbea. *Hor. Ep.* 1, 10, 20. Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum. *Stat. Silv.* 1, 3, 66. Teque, per obliquum penitus quae laberis amnem, Marcia, et audaci transcurris flumina plumbo. ℙ Fortasse huc pertinet *servus a plumbo* in *Inscr.* ap. *Grut.* 640, 10., scilicet curam habens fistularum aquaeductus. *Spon. Miscell.* p. 35. tres affert plumbeos tubos, in quibus *vilici* nomen inscriptum est. ℙ Caestus plumbo onerabant, quo gravius tunderent. *Virg. A.* 5, 405. et *Val. Fl.* 1, 420. ℙ *Plumbum*, vitium oculi. *Plin.* 25, 13, 97. de plumbagine: Hac commanducata si oculus subinde elingatur, plumbum (quod est genus vitii) ex oculo tollitur. ℙ Proverb. est illud *Petr. fragm. Trag.* 43. *Burm.* Plane fortunae filius: in manu illius plumbum aurum fiebat.

[PLUMELLĂ, ae, f. dimin. plumae. *Not. Tir.* p. 171. Pluma, plumella. *F.*]

PLUMESCO, is, n. 3. *ἀναπτερόομαι*, plumas emittere incipio. *Plin.* 10, 53, 74. Vicesimo die si moveatur ovum, jam viventis intra putamen vox auditur. Ab eodem tempore plumescit.

PLUMĔUS, a, um, adj. qui est ex pluma. *Cic. Tusc.* 3, 19. Collocemus in culcita plumea. *Plin.* 10, 23, 33. Otus auribus plumeis eminentibus. *Mart.* 4, 19. Plumea seu laxi partiris pondera follis, *h. e.* levia: nam follis erat vento repletus. *Arnob.* 2, 84. Nives plumeae, *h. e.* minutae et leves. *Appul. Met.* 3. Plumea et lactea cutis. ℙ Refertur etiam ad opus acu pictum in vestibus, ut in PLUMARIUS dictum est. *Prud. Hamart.* 295. avium quoque versicolorum Indumenta novis texentem plumea telis.

PLUMĬGER, ra, rum, adj. qui plumas gerit, ut Plumigeri anseres, *Plin.* 10, 22, 27. Plumigera series, *h. e.* pennae, *Prud. Cath.* 3, 44.

PLUMĬPES, edis, m. et f. *πτερόπους*, qui pedes pennatos habet. *Catull.* 55, 27. Adde huc plumipedas, volatilesque, etc.

PLUMO, as, avi, atum, n. 1. plumas emitto. *Gell.* 2, 29. Pullis jam jam plumantibus. *Appul. Met.* 3. Indicat, dominam suam in avem se plumaturam, atque devolaturam. *Tert. carm. de Sodom.* 113. Aut si quis plumat senio modulatior ales. ℙ Sumitur etiam pro acu pingere. *Vopisc. Carin.* 20. Laneas tunicas purpura micantes, et plumandi difficultate pernobiles. V. PLUMARIUS.

PLUMOSUS, a, um, adj. plumis tectus, plumis abundans. *Prop* 4, 2, 34. sed arundine sumpta Faunus plumoso sum Deus aucupio. *Plin.* 25, 6, 29. et 27, 8, 37. Plumosa folia.

PLUMŬLĂ, ae, f. dimin. plumae, *πτίλιον*, parva pluma. *Colum.* 8. 5. *med.* Plumulae sub cauda clunibus detrahendae. *Appul. Flor. n.* 12. Color psittaco viridis et intimis plumulis, et extimis palmulis.

PLŬO. V. PLUIT.

PLŬOR, oris, m. pluvia. *Laber.* ap. *Non.* 3, 181. Qui pedem ex taberna tulimus, tantus cum staret pluor.

PLURĀLIS, e, adj. *πληθυντικὸς*, ut *pluralis numerus* apud grammaticos, quo plura significantur. *Quint.* 1, 5. Praeterea numeros, in quibus nos singularem ac pluralem habemus, Graeci et *δυϊκόν*. Adde 8, 6. *med.* et *Pomp. Dig.* 50, 16, 122.

PLURĀLĬTAS, atis, f. pluralis numerus. *Charis.* 1, 50. et 72.

PLURĀLĬTER, adv. *πληθυντικῶς*, plurali numero. *Sen. Q. N.* 2, 56. Haec antiqui fulgetra dicebant: tonitrua nos pluraliter dicimus. *Quint.* 8, 6. *med.* Cum dico vultus hominis pro vultu, dico pluraliter quod singulare est. Adde *ib.* 3. *med.* et 1, 6.

PLURĀTĪVUS, a, um, adj. *πληθυντικὸς*, pluralis. *Gell.* 19, 8. Quadrigas plurativo semper numero dicendas putat. *Id.* 20, 6. Mei interrogandi casus est, et ab eo declinatur, quod est ego. Hujus deinde plurativum est nos. Adde 1, 16. et *Arnob.* 4, 134.

PLŪRES. V. PLUS.

PLURĬES, adv. *πολλάκις*, pluribus vicibus, saepius. *Caes. B. C.* 1, 79. Cohortes agmen claudebant, pluriesque in locis campestribus subsistebant.

PLURĬFĀRĬAM, adv. *πλειστάκις, πολλαχοῦ*, pluribus locis, aut partibus. V. BIFARIAM. *Suet. Aug.* 46. Italiam operibus ac vectigalibus publicis plurifariam instruxit; et 80. Callis quibusdam ex prurigine corporis, assiduoque et vehementi strigilis usu plurifariam concretis. *Id. Tib.* 43. Cubicula plurifariam disposita. *Id. Claud.* 21. Gladiatoria munera plurifariam, ac multiplicia exhibuit. Est qui leg. *plurifaria*, ut sit adject. *Inscr.* pertinens ad ann. a Chr. n. CCI., sub Septimio Severo, et Caracalla Augg., ap. *Grut.* 187, 3. Arcus Coelimontanos plurifariam vetustate conlapsos et conruptos a solo sua pecunia restituerunt. *Gell.* 2, 22. *med.* Praeter hos sunt alii plurifariam venti, suae quisque regionis indigenae. ℙ Item pluribus modis. *Appul. Flor. n.* 17. Ceterum ipsius vocis hominis exercendae causa cassus labor supervacaneo studio plurifariam superatur. *Solin.* 38. Mons Taurus pro gentium ac linguarum varietate plurifariam nominatus.

PLURĬFĀRĬUS, a, um. V. in v. praec.

PLURĬFORMIS, e, adj. ut Pluriformi modo, *Appul. Flor. n.* 3.

PLURĬLĀTĔRUS. V. TRILATERUS.

PLURĬMUS, a, um, adj. superl. a *plus*, *pluris*: et vices gerit superlativi v. *multus*, a quo *multissimus* non fit, *πλεῖστος*. *Caes. B. G.* 6, 16. Deum maxime Mercurium colunt. Hujus sunt plurima simulacra. *Pl. Rud.* 4, 2, 4. Plurima praeda onustus. *Id. Most.* 5, 1, 11. Facio idem quod plurimi alii. *Plin.* 18, 11, 28. Ipsi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, sicut nunc in plurimis gentium. *Pl. Curc.* 1, 3, 60. Hospiti suo plurimam salutem dicit. *Hor. Od.* 4, 2, 29. per laborem Plurimum. *Nep. Ep.* 2. *extr.* In armis plurimum studii consumebat. *Cic. Inv.* 1, 18. Exordium gravitatis plurimum debet habere. *Id. Fam.* 11, 16. Hoc ego utor omnium plurimum. *Sall. Jug.* 101. Id laborare, ut illi quam plurimi deberent. *Colum.* 8, 14. et *Plin.* 10, 59, 79. Supponuntur gallinis ova plurima quinque, paucissima tria: anseribus paucissima septem, plurima quindecim. ℙ *Plurimus* pro *plurimi*. *Hor. Od.* 1, 7, 8. Plurimus in Junonis honorem Aptum dicet equis Argos, ditesque Mycenas. ℙ Illa quoque poetica sunt: *Ov. Met.* 11, 140. Spumiferoque tuum fonti, qua plurimus exit, Subde caput; et *Fast.* 2, 272. de Pane: Arcadiis plurimus ille jugis; et *Trist.* 4, 10, 128. in toto plurimus orbe legor; et *Ib.* 600. Plurima qua flammas Sicanis Aetna vomit, i. e. plurimas flammas; et *Met.* 14, 361. Plurima qua silva est, et equo loca pervia non sunt; et *Mart.* 8, 51. Plurima cum tota lampade luna nitet. Sic *plurima ales*, plurĭmae alites, *Id.* 9, 56. et *plurima mappa*, plurimae mappae. *Id.* 8, 59. et *plurima rosa*, plurimae rosae, *Ov. Fast.* 4, 441. Similia sunt his *multa avis*, *multa canis*, *multa prece*, etc. V. MULTUS. Huc pertinet illud *Stat. Th.* 1, 114. abrupta qua plurimus arce Cithaeron Occurrit coelo, *h. e.* altissimus est; et *Virg. G.* 3, 51. optima torvae Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix, *h. e.* cervix longa et crassa, nam in ea spectatur praecipue robur tauri. ℙ Cum gen. *Sil.* 16, 363. de equo: Insignis multa cervice, et plurimus idem Ludentis per colla jubae, *h. e.* plurimam jubam habens. ℙ *Plurimi*, gen. cum verbis aestimandi. *Pl. Bacch.* 2, 2, 29. Unice unum plurimi pendit. *Cic. Par.* 6, 2. *extr.* Ut quisque quod plurimi est possidet, ita ditissimus habendus est. *Nep. Eum.* 2. Quem unum Alexander plurimi fecerat. ℙ *Plurimum* adverbii more. *Cic. Fam.* 1, 7. Te plurimum diligo. *Plin.* 2, 45, 45. Plurimum interest, flatus sit, an ventus. *Nep. Cim.* 2. Plurimum valuit auctoritate. *Id. Alc.* 3. Et obesse plurimum, et prodesse poterat. *Id. Chabr.* 3. Quoad ei licebat, plurimum aberat: et *mox*: Plurimum Cypri vixit. Sic *Ter. Phorm.* 1, 4, 17. Domum ire pergam: ibi plurimum est. *Plin.* 9, 36, 60. Purpurae vivunt annis plurimum septenis. Sic 25, 5, 22. Helleborum datur ad leniter molliendam alvum, plurimum drachma, modice quatuor obolis; et 30, 6, 16. Diebus plurimum novem. ℙ *Ut*, et *cum plurimum* eodem sensu dicuntur. *Id.* 15, 3, 4. Nec tam numerosa differentia (*olei quam vini*) tribus, ut plurimum, bonitatibus distat. *Id.* 2, 17, 15. Non comparere in coelo Saturni sidus, cum plurimum, diebus centum septuaginta: Jovis triginta sex, aut, cum minimum, denis detractis diebus: Mercurii tredecim, aut, cum plurimum, octodecim. ℙ *Plurimum quantum*, *πλεῖστον ὅσον*. *Flor.* 4, 2. *med.* Plurimum quantum favoris partibus dabat fraternitas ducum. *Minuc. Fel. Octav.* 40. Octavio meo plurimum quantum gratulor. Adde *ib.* 22. ℙ *Plurimum malefacta*, plurima. *Pl. Epid.* 3, 3, 9.

PLURĬVŌCUS, a, um, adj. *Capell.* 4, 97. Quaeritur quid sit aequivocum, quid univocum, quid, ut ita dicam, plurivocum. Debetis quippe insolentiam perferre sermonis, qui Grajam dissertare Latialiter compulistis.

PLUS, pluris, et adverbii usum habet, et adjectivi, praesertim in obliquis casibus; et tunc est compar. a *multus*, a quo nec *multior*, nec *multissimus* fit: *πλείων*, et *πλεῖον*, magis, amplius. Est a *πλέος*, vel a *πολὺς*, contract. Quomodo a *magis* differat, in ea voce dictum est. *Liv.* 9, 24. Vos et numero decem, et, quod plus est, Romani. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Tantum, et plus etiam ipse mihi deberet; et *ib.* 6, 2. *f.* Quem mehercule plus plusque in dies diligo. *Hirt. B. G.* 8, 20. Abesse plus minus octo millibus passuum. Sic *Mart.* 8, 71. venerunt plusve minusve duae. Alio sensu *Ter. Ph.*

3, 3, 21. Obsecro, ne quid plus minusve faciat; et *Pl. Capt.* 5, 3, 18. Eheu! cur ego plus minusque feci, quam aequum fuit! *πλεῖον, ἢ ἔλαττον.* Rursus *Ter. Hec.* 2, 1, 39. Ut cum matre plus una esset. *Cic. Inv.* 1, 47. *f.* Vultis autem pecuniae plus habere. *Id. Leg.* 1, 2. Ex his alius alio plus habet virium. *Id. Fam.* 13, 29. Non plus duobus, an tribus mensibus. *Id. N. D.* 1, 35. *med.* Molestum est uno digito plus habere; et *Leg.* 2, 23. ex *XII. Tab.* Hoc plus ne facito. *Id. Amic.* 16. Plus aequo. *Auct. ad Her.* 4, 4. Paulo plus. *Anton.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Nimio plus. *Ter. Heaut.* 1, 1, 11. Annos sexaginta natus es, aut plus eo. *Id. ib.* 2, 1, 8. Ubi adbibit plus paulo. ℙ Sequente *quam. Id. Eun.* 1, 1, 17. Nihilo plus agas, quam si, etc. *Nep. Thras.* 2. Non plus habuit secum, quam triginta de suis, *h. e.* non plures. *Ov. R. Am.* 53. Sed bibe plus etiam, quam quod praecordia poscunt. *Caes. B. G.* 1, 17. Qui privati plus possint, quam ipsi magistratus; et *ib.* 42. Plus quam pollicitus esset, Caesarem facere. *Cic. Har. resp.* 3. Eum nunquam a me esse accusandum putavi, non plus quam stipitem illum, qui, etc. ℙ Et omisso *quam. Ter. Eun.* 1, 2, 5. Jam calesces plus satis; et *Ad.* 2, 1, 46. Plus quingentos colaphos infregit mihi. *Id. Eun.* 3, 1, 32. Plus millies audivi; et *Varr. R. R.* 3, 10. Non plus quater in anno pariunt. *Sen. Clem.* 1, 19. de apib.: Nec unquam regem plus unum patiuntur. *Cic. Att.* 6, 6. Plus annum obtinere provinciam. *Id. Tusc.* 2, 16. Ferre plus dimidiati mensis cibaria. ℙ Cum comparativo. *Pl. Bacch.* 3, 3, 58. Ingenium plus triginta annis majus est. ℙ *Pluris* cum verbis aestimandi. *Cic. Par.* 6, 2. Utrum pluris aestimemus pecuniam Pyrrhi, an continentiam Fabricii? *Hor. Sat.* 2, 3, 300. post damnum sic vendas omnia pluris. *Cic. Rosc. Com.* 12. Ager, qui nunc multo pluris est, quam tunc fuit. *Id. Fam.* 7, 2. Pluris emere. *Id. Off.* 3, 4. Pluris putare, quod utile videatur, quam quod honestum. *Id. Phil.* 6, 4. Hic pluris habetur, quam L. Trebellius. *Id. Att.* 8, 2. Pro Pompejo emori possum: facio pluris hominum neminem; et *ib.* 12, 28. Mea mihi conscientia pluris est, quam hominum sermo. *Colum.* 1, 4. *med.* Pluris aedificare. ℙ Cum adjectivis pro *magis. Nemes. Ecl.* 4, 72. Plus tamen ipse meus, plus est formosus Iolas. ℙ In plurali *plures*, et *ra, rium, ribus. Cic. Manil.* 7. *med.* Non enim possunt una in civitate multi rem atque fortunas amittere, ut non plures secum in eandem calamitatem trahant. *Plin.* 11, 29, 35. Continuata plurimum dierum fame. *Caes. B. G.* 1, 18. Pluribus praesentibus eas res jactari nolebat. *Id. B. C.* 3, 52. Plura castella pariter tentaverat. ℙ *Plures* interdum sunt mortui, *οἱ πλείονες. Pl. Trin.* 2, 2, 14. Lacrimas haec mihi eliciunt, quia ego ad hoc genus hominum duravi, quam prius me ad plures penetravi: *διὰ τὸν εὐφημισμὸν* sic dicebant, ne voce *mortui* mali ominis uterentur. Ideo autem *plures*, quia ii majori numero sunt, quam vivi. ℙ *Plura*, plura verba. *Catilina* ap. *Sall.* 36. *f.* Plura cum scribere vellem, nunciatum est mihi, vim parari. *Phaedr.* 3, 10. Haec exsecutus sum propterea pluribus, Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus. *Cic. Fam.* 13, 1. *f.* Sed, ne plura (dicendum enim aliquando est), Pomponium Atticum sic amo, ut, etc. ℙ Invenitur etiam *pluria* pro *plura:* unde *compluria. Lucr.* 1, 876. Apparere unum cujus sint pluria mixta. Adde *Cat., Claud. Quadrig., Valer. Antiat., L. Aelium, Nigid., Varr.* et *Sinnium Capiton.*, quorum auctoritate *Gell.* 5, 21. recte *pluria* dici confirmat. Sed quod ibi *Capito* docet, *pluria* Latinum esse, *plura* barbarum, contra consuetudinem est. ℙ *Plurum* pro *plurium* putat esse dicendum *Jul. Modest.* ap. *Charis.* 1, 56., sed usus rejicit. ℙ *Plure* pro *pluris*, vel tanquam adverb. *Pl. fragm.* ap. *Charis.* 2, 189. Plure altero tanto, quanto ejus fundus est, velim. *Lucil. ib.* Plure foras vendunt, quod pro minore emptum. *Cicero* quoque dixit, si *Charisio* fides *ib.* et 1, 84. plure venit, vel vaenit. ℙ Comp. *Plurior* V. in LANIOLUM. ℙ Dativ. sing. *pluri* non est in usu, nec ablativus ejusdem positionis: et si qua loca afferuntur Latini scriptoris, dubiam omnia lectionem habent.

[PLUSCŬLE, adv. aliquanto plus. V. *Appul. l. c.* in EXCORIO. *F.*]

PLUSCŬLUS, a, um, adj. dimin. a plus, aliquanto plus, plus paulo. *Ter. Ph.* 4, 3, 60. Uxori emenda ancillula est: tum pluscula supellectile opus est. *Colum.* 12, 50. *med.* Plusculo sale utendum erit. ℙ In num. plur. *Appul. Met.* 2. Ad cujus noctis exemplar similes adstruximus plusculas; et *ib.* 3. Pyxides plusculas inde depromit, *h. e.* plures. ℙ *Plusculum* substantivi more. *Id. ib.* 47. Exiguum aceti piperati, et plusculum mellis adjiciunt; et *Cic. Or.* 2, 24. Causae, in quibus plusculum negotii est. *Id. Fam.* 5, 12. Plusculum etiam, quam concedit veritas, amori nostro largiare. ℙ Et more adverbii. *Pl. Amph.* 1, 1, 127. Mira sunt, nisi invitavit sese in coena plusculum; et *Pers.* 1, 1, 121. Negotium edepol fuit plusculum annum haud probe, *h. e.* aliquando plus, quam annum. *Varr. R. R.* 2, 7. Videndum, ne equae laborent plusculum.

PLŪSĬMUS, olim pro *plurimus*, ut *pignosa, Fusii*, pro *pignora, Furii*, et alia, quae *Varr.* congerit *L. L.* 6, 3. Adde *Fest.*, licet apud hunc litterarum series *plisima* ibi, non *plusima* legi postulet.

[PLŪSĬUS, a, um, adj. *πλούσιος*, dives. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 329, 6. Aelia Plusia. *F.*]

[PLŪTARCHUS, i, m. divitiarum princeps: a *πλοῦτος*, divitiae, et *ἄρχων*, princeps. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 977, 7. Q. Granius Q. L. Plutarchus. ℙ Hoc nomine fuit etiam illustris philosophus et scriptor Graecus, Chaeronensis, qui aetate annorum LXX. in patria decessit ann. a Chr. n. CXX. Hic a Trajano consularibus ornamentis, et Illyrio praepositus, ab Hadriano, cujus praeceptor fuerat, Graeciae procurator constitutus est. Plurima opera scripsit, quae omnium eruditorum manibus teruntur. V. *Fabric. Biblioth. Gr.* 2, 1. §. 14. *F.*]

PLŪTĔĀLIS, e, adj. ad pluteum pertinens. *Cic. Att.* 1, 10. Typos tibi mando. et plutealia sigilla duo. Alii aliter leg. V. PUTEAL. [**Orell. putealia sigillata.*]

[PLŪTĔĀRĬUS seu Plutiarius, ii, m. pluteorum artifex. *Inscr.* ap. *Donat.* 417, 9. T. Caecilii Eronis plutiarii ossa hic sita sunt. *F.*]

PLŪTĔUS, i, m. saepius quam Pluteum, i, n. *θωράκιον*, machina militaris ex tabulis, asseribus, cratibus, qua milites protecti ab injuriis hostilibus, opus faciunt. *Fest.:* Plutei dicuntur crates corio crudo intentae, quae solebant apponi militibus opus facientibus, et appellabantur militares. *Ammian.* 21, 12. Pluteos igitur praeferentes oppugnatores, cratesque densius textas, sensim incedentes et caute, murorum ima suffodere ferramentorum multitudine conabantur. ℙ Alius videtur esse ille, ejusdem tamen officii, quem ita describit *Veg. Mil.* 4, 15. Plutei dicuntur, qui ad similitudinem absidis (alii leg. *cassidis*) contexuntur e vimine, et ciliciis vel coriis proteguntur, ternisque rotulis, quarum una in medio, duae in capitibus opponuntur, in quamcumque partem volueris admoventur more carpenti: quos obsidentes applicant muris, eorumque munitione protecti, sagittis, sive fundis, vel missilibus defensores omnes de propugnaculis exturbant, ut scalas ascendendi facilior praestetur occasio. V. *Lips. Poliorcet. l.* 1. *dial.* 7., ubi et figuram exhibet. Similis est etiam ille, de quo *Vitruv.* 10, 21. *med.* Supra caput eorum, qui continebant arietem, collocatum erat pluteum, turriculae similitudine ornatum, uti sine periculo duo milites tuto stantes prospicere possent, et renunciare, quas res adversarii conarentur. *Liv.* 34, 17. *extr.* Segesticam vineis, et pluteis cepit. *Sall. fr.* ap. *Non.* 2, 204. Pluteos rescindit, ac munitiones demolitur, locoque summo potitur. Translate. *Pl. Mil.* 2, 2, 111. si invenio qui vidit, ad eum vineas pluteosque agam, *h. e.* omni arte et vi eum aggrediar. ℙ Praeterea *plutei* dicuntur tabulae, quibus quid praesepitur, ut ait *Fest.* Itaque universim *plutei* sunt quaecumque tegumenta et munitiones alicui rei praefiguntur ad vim et ignem hostilem arcendum. *Caes. B. G.* 7, 41. Duabus relictis portis, obstruere ceteras pluteosque vallo addere; et *ib.* 25. Eo magis, quod deustos pluteos turrium videbant. *Id. B. C.* 3, 24. Scaphas navium magnarum cratibus pluteisque contexit; et *ib.* 1, 25. *f.* Rates a fronte atque ab utroque latere cratibus ac pluteis protegebat. Adde *Liv.* 10, 38. ℙ De sponda lecti interiore, quae tabula claudebatur, cum exterior aperta esset ascendendi gratia. *Mart.* 3, 91. Exciduntque senem, spondae qui parte jacebat; Namque puer pluteo vindice tutus erat. ℙ De lecti tricliniaris tabula, qua ejus pars exterior, et à mensa remota muniebatur. *Suet. Cal.* 26. Quosdam summis honoribus functos, coenanti modo ad pluteum, modo ad pedes stare succinctos linteo passus est. *Propert.* 4, 8, 68. Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens. In *Gloss. Phil.* exponitur Graece pluteus *ἀνάκλινον, h. e.* reclinatorium, et *παράθεμα ἐγγώνιον τρικλίνου*, additamentum angulosum triclinii, et *θυμέλη πλοίου*, pulpitum, suggestum in navi; et fortasse intelligit tabulam exstantem ad latera navis ad arcendos fluctus. Quae omnia licet confirmare Latini scriptoris testimonio facile non sit, aliquam tamen lucem afferunt his. Nam usurpatur etiam de tabula super rogum posita in modum lecti, seu de ipso lecto funebri, pluteis munito, in quo extendebatur cadaver comburendum. *Mart.* 8, 44. Supraque pluteum te jacente, vel saxum, Fartus papyro dum tibi torus crescit etc. ℙ De tabulis parieti affixis ornatus, aut innitendi gratia, v. gr. cum sedetur aut scribitur: item repositoriis librorum, tabularum pictarum, statuarum et hujusmodi. *Ulp. Dig.* 29, 1, 17. Reticuli circa columnas, plutei circa parietes, item cilicia, vela, aedium non sunt. *Juven.* 2, 7. Et jubet archetypos pluteum servare Cleanthas. *Pers.* 1, 106. Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues. ℙ Est etiam septum ex marmore, aut lateribus, aut alia materie, quo intercolumnium claudi, et sepiri solet, Itali dicunt *parapetto, cancello. Vitruv.* 4, 4. Item intercolumnia tria, quae erunt inter antas et columnas, pluteis marmoreis, sive ex intestino opere factis intercludantur, ita ut fores habeant, per quas itinera pronao fiant. *Id.* 5, 1. Pluteum, quod fuerit inter superiores columnas, item quarta parte minus quam superiores columnae fuerint, oportere fieri videtur; uti supra basilicae contignationem ambulantes ab negotiatoribus ne conspiciantur. [*Emendavit quaedam in f. *F.*]

[PLŪTĬON, onis, m. diminut. a *Πλοῦτος*, Plutus, dives. Est nomen propr. serv. *Inscr.* ap *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12. Plution essedarius veteranus. *F.*]

PLŪTO et Pluton, onis, m. *Πλούτων, Ἀΐδης*, filius Saturni et Opis, Deus Inferorum: a *πλοῦτος*, divitiae, quia opes omnes ab inferis, idest ex intimis terrae visceribus effodiuntur. Fratres habuit Jovem et Neptunum, sororem Glaucen, quae cum ipso eodem partu nata est. Fabulantur, cum ad regni divisionem venissent, Jovi imperium coeli, Neptuno maris, Plutoni, qui natu minor erat, inferorum obtigisse, quia Juppiter plagam Orientalem regni paterni, idest Cretam, sortitus est, Neptunus insulas, idest Peloponnesum, et alias, Pluto partem Occid. et inferiorem, idest Epirum. Rapuit Proserpinam filiam Cereris. Hunc raptum *Claudianus* poeta tribus libris describit. Ejus currus a tribus equis trahi dicitur, quorum nomina sint Metheus, Abaster, Nonius: alii quatuor tribuunt, Orphneum, Aethonem, Nycteum et Alastorem. Haec ex *Hyg. praef.* et *fab.* 146, *Cic. N. D.* 2, 26. et *ib.* 3, 23. et *Sen. Hippol.* 628. et *Claud. Rapt. Pros.* 1. *f.* ℙ *Pluton* in recto habent *Virg. A.* 7, 327., *Juven.* 13, 50., *Claud. l. c.* 276., *Hyg. cit. fab.* 146. ℙ *Pluto* est ap. *Hyg. praef. cit.* V. RUBICO.

PLŪTONĬUS, a, um, adj. ad Plutonem pertinens. *Hor. Od.* 1, 4, 17. Et domus exilis Plutonia, *h. e.* Inferi. ℙ *Plutonia, orum*, locus in Asia, ubi teter et pestifer halitus: quasi illa sit via ad Plutonem. *Cic. Div.* 1, 36. V. CHARONEUS.

PLŪTOR, oris, m. qui pluit. *August. serm. de divers.* 8, 3. Seminator, plutor, rigator, atque ipsius incrementi dator.

PLŪTUS, i, m. *Πλοῦτος*, Deus divitiarum. Hujus domum quidam finxerunt esse in subterraneis Hispaniae, eo quod ea regio est metallorum ferax. *Phaedr.* 4, 11. Coelo receptus propter virtutem Hercules, Cum gratulantes persalutasset Deos, Veniente Pluto, qui Fortunae est filius, Avertit oculos. Causam quaesivit pater: Odi, inquit, illum, quia malis amicus est.

PLŪVĬA, ae, f. *ὑετὸς*, aqua jugis ex aere, et nubibus decidens, imber. *Cic. Att.* 15, 16. Equidem etiam pluvias metuo, si prognostica nostra vera sunt: ranae enim *ὑητορεύουσιν. Virg. G.* 1, 92. Tenues pluviae; et *ib.* 325. Pluvia ingens; et *ib.* 4, 191. impendens. *Mart.* 9, 99. grandis. *Ov. Fast.* 2, 71. Saepe graves pluvias adopertus nubibus Auster Concitat. *Stat. Silv.* 1, 2, 186. cum pluviis rarescunt nubila. *Plin.* 33, 6, 34. Stibium teritur in mortariis, admixta pluvia.

[PLŪVĬĀLĬA, ae, f. una ex insulis Fortunatis, nunc *Lanceroto* appellata, quae et Ombrion, quia, ut ait *Plin.* 6, 32, 37., in ea non est aqua, nisi ex imbribus; *ὄμβριος* enim est pluvialis. *F.*]

PLŪVĬĀLIS, e, adj. *ὄμβριος, ὑέτιος*, ad pluviam pertinens, pluvius, pluviosus. *Virg. G.* 3, 429. Vere madent udo terrae, ac pluvialibus Austris. *Id. A.* 9, 668. Quantus ab occasu veniens pluvialibus Haedis Verberat imber humum. *Colum.* 2, 13. *f.* Pluviales dies. *Ov. Met.* 7, 393. fungi. *Id. Fast.* 4, 506., *Sen. Q. N.* 3, 7. *extr.* et *Colum.* 1, 5. Pluvialis aqua; et *Tac. H.* 5, 23. *f.* Flexu autumni, et crebris pluvialibus imbribus superfusus amnis.

PLŪVĬĀTĬCUS, a, um, adj. pluvialis. *Marcell. Empir.* 8. Teritur ex aqua pluviatica, atque conficitur.

PLŪVĬĀTĬLIS, e, adj. pluvialis. *Colum.* 9, 1. et *Cels.* 4, 12. *f.* et 7, 3. Aqua pluviatilis.

PLŪVĬOSUS, a, um, adj. *ὑέτιος*, pluviis abundans, pluvius, pluvialis. *Plin.* 18, 25, 60. Vergiliarum sidus nubilo occasu pluviosam hiemem denunciat.

PLŪVĬUS, a, um, adj. *ὑέτιος*, pluviam ferens, pluvialis, pluviosus. *Plin.* 2, 39, 39. Suculas Graeci pluvio nomine Hyadas appellant. *Virg. A.* 3, 516. Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones. *Hor. Od.* 1, 17, 4. Pluvii venti; et *ib.* 3, 3, 56. rores. *Colum.* 2, 15. *med.* dies. *Cato R. R.* 2. Pluviae tempestates. *Varr. R. R.* 1, 13. Pluvium coelum. *Colum.* 2, 10. *med.* Pluvius coeli status. *Hor. A. P.* 18. arcus, i. e. iris, quia post pluviam apparet. *Cic. Mur.* 9. *f.* et *Top.* 9. Aqua pluvia. *Tibull.* 1, 8, 26. Pluvius Juppiter: (hunc loc. *Seneca Q. N.* 4, 2. memoriae lapsu *Ovidio* tribuit.) *Ζεὺς ὑέτιος.* ℙ [*Pluvii Jovis* imago exstat in nummo G. Corneliae ap. *Morell. tab.* 3. *n.* 6. Is est Juppiter Ephesinus, qui Ephesi praesertim

Ὀμβρίου nomine colebatur. V. *Eckhel. D. N. V.* T. 2. p. 514. et NUDIPEDALIA. *F.*]

PN

[PNEUMĂ, ătis, n. *πνεῦμα*, spiritus. Est cogn. R., et quidem generis femin. *Pneuma, ae*, V. SCHEMA. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 408. *n.* 327. Decimia M. L. Pneuma. *F.*]

PNEUMĂTĬCUS, a, um, adj. *πνευματικός*, spiritalis: a *πνεῦμα*, spiritus: ut Pneumatica organa, spiritalia, hoc est, quae vi flatus, vel spiritus aliquid hauriunt, vel attrahunt. *Plin.* 19, 4, 20. E puteo rota, organisve pneumaticis, vel tollenonum haustu hortos rigandos. *Id.* 7, 37, 38. Laudatus est Ctesibius pneumatica ratione, et hydraulicis organis repertis. *Vitr.* 9, 9. Ctesibius Alexandrinus, qui spiritus naturales, pneumaticasque res invenit.

[PNEUMĂTĬUM, ii, f. *πνευμάτιον*, parva anima, dimin. a *πνεῦμα*, anima, spiritus. Est nomen propr. mulieris. *Paul. Nol. carm.* 35, 625. Cum patre, Pneumatio simul et cum matre, Fideli Dic et Paulinum, Therasiamque tuos. *F.*]

[PNEUMĂTŌMACHI, orum, m. plur. *Πνευματομάχοι, h. e.* impugnantes spiritum: a *πνεῦμα*, spiritus, et *μάχομαι*, pugno. Hoc nomine fuerunt haeretici, qui Arianae haereseos partem alteram, quae est de *Filio*, rejicientes, alteram de *Spiritu S.* mordicus retinuerunt, ejus divinitatem infitiantes. Eorum mentionem faciunt *Impp. Theodos. et Valent. Cod.* 1, 5, 5. *F.*]

PNĪGEUS, i, m. disyll. *πνιγεύς*, a *πνίγω*, suffoco, machina quaedam, seu vas ad instar infundibuli inversi, quae in organo hydraulico aerem ascendentem coercet, et veluti suffocat. *Vitr.* 10, 13. V. *Bald. in Lex. Vitr.* In quibusd. edit. *Vitr.* leg. *phigeus* male.

PNĪGĪTIS, idis, f. *πνιγῖτις*, terra quaedam eretriae simillima, grandioribus tantum glebis, et glutinosa: ita dicta, quod eam deglutienti periculum suffocationis sit: *πνίγω* enim suffocare significat. *Plin.* 35, 16, 56.

[PNOË, es, f. *πνοή*, spiritus, aura. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 280, 4. Marcia Pnoe. *F.*]

*PNYTAGŌRAS, ae, m. rex Cypri, qui Alexandro Magno auxilium tulit. *Curt.* 4, 8. *B. A.*

PO

PO. V. PA.

POBLĬLĬA, seu Publilia tribus (quae et Publicia, et Popilia, seu Popillia) una fuit ex rusticis, instituta ann. U. C. CCCXCVII. simul cum Pomptina, ut est ap. *Liv.* 7, 15. *f.* et in *ejusd. libri Epitom.*, quibus locis tot fere sunt lectionis varietates, quod adscripsimus. *In veterib. Inscriptionib.* saepissime habetur Pob. et Pop., et Pub. et Publ. Praeterea Publil. habetur in *Don. cl.* 6. *n.* 112., expresse Publia *ib. n.* 134. et ap. *Grut.* 568, 1. ℙ In hac tribu fuit Verona, ut constat ex plurib. lapidib. ap. *Maff. Ver. illustr. f. par.* 1. ℙ Sunt qui putant Popiliam, seu Popilliam a Poblilia distingui. V. *Manut. de civ. Rom.* et *Sigon.* ℙ De Popilia haec habentur ap. *Festum:* Popillia tribus una quinque et triginta tribuum (tot enim fuerunt) a Popilliae feminae felici nomine appellata: quomodo tribus quoque Pinaria a sorore Pinarii dicta, sive ab ejus nomine. Quem locum ita contraxit *Paul. Diac.* Popillia tribus a progenitrice traxit vocabulum.

POCILLĂTOR, oris, m. *οἰνοχόος*, qui est a poculis, pincerna: qualis fuit Ganymedes in mensa Jovis: a *pocillum. Appul. Met.* 6. Quo, ductu Cupidinis, Jovi pocillatorem Phrygium sustulerat; et *mox:* Tunc poculum nectaris, quod vinum Deorum est, Jovi quidem suus pocillator ille rusticus puer, ceteris vero Liber ministrabat. [*Id. ib.* 10. Sitiensque, pocillatore respecto, ciliis alterna connivens, bibere flagitarem. *F.*]

POCILLUM, i, n. dimin. *ἐκπωμάτιον*, parvum poculum. *Liv.* 10, 42. *f.* Voverat, Jovi Victori, si legiones hostium fudisset, pocillum mulsi, priusquam temetum biberet, sese facturum. Alii aliter leg. Sed *Plin.* de eadem re verba faciens 14, 13, 14. eodem *pocilli* verbo utitur: nisi quod non *mulsi*, sed *vini pocillum* narrat. *Cato R. R.* 156. In linteum exsugeto succum, quasi heminam, in pocillum fictile; et *mox:* Postea ponito pocillum in sereno noctu. *Suet. Vesp.* 2. Pocillo argenteo potare.

POCŬLENTUS, a, um, adj. *ποτὸς, πότιμος*, potui aptus. *Cic. N. D.* 2, 56. Gustatus habitat in ea parte oris, qua esculentis, et poculentis iter natura patefecit. Alii leg. *potulentis* a *potus*, quod nihil abhorret a Latina analogia. [*Ita Orell.*] *Q. Scaevola* ap. *Gell.* 4, 1. *f.* Penus est, quod esculentum, aut poculentum est. Adde ipsum *Gell.* 17, 11. ℙ In *Inscr.* ap. *Grut.* 643, 3. videtur mentio fieri *argenti poculenti*, h. e. poculorum ex argento: quod alibi *argentum potorium* dicitur.

POCŬLUM, i, n. vas, quo bibitur, *ποτήριον, ποτήρ. Virg. Ecl.* 3, 44. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit, Et molli circum est ansas amplexus acantho. *Ov. Fast.* 5, 522. Terra rubens crater, pocula fagus erant. *Tibull.* 1, 1, 31. Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Pocula, de facili composuitque luto. *Hor. Sat.* 1, 2, 114. Num, tibi cum fauces urit sitis, aurea quaeris Pocula? *Id. Od.* 3, 19, 11. tribus aut novem Miscentur cyathis pocula commodis. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. Hortatur hospes: poscunt majoribus poculis. *Id. Cluent.* 11. Exhaurire poculum. *Hor. Od.* 1, 17, 22. ducere. *Petr. Sat.* 92. avide siccare. *Pl. Cas.* 5, 2, 44. Ut senex hoc eodem poculo, quo ego bibi, biberet: *ἀλληγορικῶς*, ut eandem sentiret calamitatem. ℙ Per metonym. est ipsa potio. *Virg. G.* 2, 528. victu pascuntur simplicis herbae: Pocula sunt fontes liquidi. *Hor. Epod.* 5, 37. Exesa uti medulla, et aridum jecur Amoris esset poculum; et *ib.* 17, 80. Desiderique temperare poculum, *h. e.* philtrum. *Flor.* 2, 10. Epulantes, ac, ubi essent, prae poculis nescientes, *h. e.* prae ebrietate. Adde *Lampr. Elag.* 19., et *Petr. fr. Trag.* 66. *Burm.* V. CORONATUS. ℙ Item compotatio largior in coenis. *Cic. Phil.* 2, 25. *f.* Si inter coenam, in ipsis tuis immanibus poculis hoc tibi accidisset. *Id. Sen.* 14. Is sermo, qui more majorum a summo adhibetur in poculis. ℙ Saepe, cum de veneficis potionibus sermo est, poculi nomen usurpatur. *Cic. Cluent.* 10. *f.* Uxori suae cum ipse poculum dedisset, subito illa in media potione exclamavit, etc. Alia ex *Virg.*, *Hor.*, *Prop.* congessit *Broukus.* ad *Tibull.* 3, 5, 9., quibus adde *Ov. Met.* 14, 295. et *Val. Fl.* 2, 155. ℙ *Poclum* per syncop. In quodam carm. ap. *Arnob.* 5, 175. Inde manu poclum sumit, risuque sequenti Perducit totum cyceonis laeta liquorem. Adde *Prud. Cath.* 6, 16.

PODAGER, gra, grum, adj. *ποδαγρὸς*, podagricus. *Enn.* ap. *Prisc.* 8, 829. Nunquam poetor, nisi podager. *Claud. epigr.* 29. Atque nihil prorsus stare putat podager.

PODAGRA, ae, f. *ποδάγρα*, morbus articularis, praecipue pedes infestans: sicut *chiragra* manus. Vox Graeca, quasi *ἄγρα τῶν ποδῶν*, captura pedum. *Plin.* 26, 10, 64. Podagrae morbus rarior solebat esse non modo patrum avorumque memoria, verum etiam nostra, peregrinus et ipse. Nam si Italiae fuisset antiquitus, Latinum nomen invenisset. Insanabilis non est credendus, quippe quoniam et in multis sponte desiit, et in pluribus cura. *Catull.* 71, 2. Aut si quem merito tarda podagra secat; et *ib.* 6. Illum affligit odore, ipse perit podagra. *Mart.* 1, 99. Litigat, et podagra Diodorus, Flacce, laborat: Sed nil patrono porrigit: haec chiragra est. *Cic. Tusc.* 2, 19. *med.* Qui complures annos doloribus podagrae crucietur maximis. *Id. Fin.* 5, 31. *f.* Cum arderet podagrae doloribus *Ov. Pont.* 1, 3, 23. Tollere nodosam nescit medicina podagram. ℙ In plur. num. *Cels.* 5, 18. Malagma ad calidas podagras aptum. Adde *Plin.* saepissime.

PODAGRĬCUS, a, um, adj. *ποδαγρικός, ποδαγρὸς*, podagra laborans, podagrosus, podager. *Petr. Sat.* 132. Podagrici pedibus suis maledicunt, chiragrici manibus, lippi oculis. *Cels.* 4, 24. Vitia, quae in podagricis, chiragricisve esse consuerunt; et *f.* Equitare podagricis alienum est. Adde *Plin.* 28, 8, 29. et al. et *Laber.* ap. *Charis.* 1, 58. et *Sen. ep.* 24. etc.

PODAGRŌSUS, a, um, adj. *ποδαγρὸς*, podagricus. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 743. Quod deformi' senex, ac paedidus, ac podagrosus. *Pl. Poen.* 3, 1, 28. Nunc vos, quia mihi advocatos dixi, podagrosi estis, ac vicistis cochleam tarditudine. *Id. Merc.* 3, 4, 8. Podagrosis pedibus esse.

*PODALĬA, ae, f. opp. Lyciae, cujus meminit *Plin.* 5, 27. *B. A.*

PODALĪRĬUS, ii, m. *Ποδαλείριος*, Aesculapii filius, qui ex Creta ob insignem medicae artis peritiam una cum fratre Machaone ad bellum Trojanum evocatus fertur: ita dictus, ut aliqui ajunt, ob pedum magnitudinem: a *πούς, ὀδός*, pes, *α* privativa, et *λείριος*, tenuis. *Ov. Trist.* 5, 6, 11. Quem semel excepit, nunquid Podalirius aegro Promissam medicae non tulit artis opem? *Id. A. Am.* 2, 735. Quantus apud Danaos Podalirius arte medendi, Aeacides dextra, pectore Nestor erat. ℙ Podalirius alter vir Trojanus, qui Aeneam in Italiam navigantem secutus est. *Virg. A.* 12, 304. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Amaduzzi Anecd. litter.* T. 1. p. 463. C. Petronius Podalirius dictator Fidenarum. *F.*]

*PODARCE, es, f. una ex Harpyiis. *Hyg. fab. praef. B. A.*

*PODARCES, ae, *Ποδάρκης*, Iphicli filius, frater Protesilai. *Hyg. fab.* 97. ex lectione Munkeri: Protesilaus Iphicli filius Itone navibus XX: Podarces frater ejus itidem etc. *B. A.*

*PODARGUS, i, *πόδαργος, h. e.* albos habens pedes, unus ex equis Diomedis. *Hyg. fab.* 30. *B. A.*

*PODASĪMUS, i, m. unus ex quinquaginta Aegypti filiis. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

PODĒRES vel Poderis, is, m. *ποδήρης*, tunica sacerdotalis, linea, corpori adstricta, et usque ad pedes descendens: quae vulgo camisia vocatur. Haec *Isid. Or.* 19, 21. Adde *Tert. adv. Jud.* 11.: est a *πούς, ὀδός*, pes, et *ἄρω*, apto.

PODEX, icis, m. pars pudenda inter nates animalis, qua stercus egeritur, *πρωκτός*. Videtur esse a *pedo, is. Hor. Epod.* 8, 5. Hietque turpis inter aridas nates Podex, velut crudae bovis. *Juven.* 2, 12., sed podice levi Caeduntur tumidae, medico ridente, mariscae.

[PODIA, ae, f. funis nauticus, qui in dextro navis latere alligatur; opponitur autem ei, qui est in sinistro latere, quemque Itali *orza* vocant. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 5, 830. Una omnes fecere pedem; pariterque sinistros, Nunc dextros solvere sinus: (*Tutti a un tempo fer piede; a poggia, ad orza Spiegaro i seni.*) fecere pedem, *h. e.* podiam, funem, quo tenditur velum, quod Graeci *πόδα* vocant. *F.*]

[PODIĀRĬUS, i, m. qui ad podium seu suggestum theatri mimos recitat, ut exodiarius, qui in fine fabulae. *Not. Tir.* p. 174. Podium, podiarius. *Gloss. Isid.* Podiarius, inter mimos. *F.*]

[PODĬCUS, a, um, adj. pedalis: a *πούς, ὀδός*, pes. *Capell.* 9, 328. Sed temporum alia simplicia sunt, quae podica etiam perhibentur. Pes veri est numeri prima progressio. *F.*]

PODISMĀTUS, a, um, adj. pedibus mensuratus, ut Ager podismatus, *Front. de colon.* p. 132. *Goes.*

PODISMUS, i, m. *ποδισμός*, idem ac pedatura, idest mensura jugeri, areae, aut alterius rei pedibus definita: a *ποδίζω*, pedibus dimetior. Pedibus enim, vel passibus, vel fune, aut pertica certam pedum mensuram habente colligebatur magnitudo loci. *Veg. Mil.* 2, 7. *f.* Mensores sunt, qui ad podismum dimetiuntur loca, in quibus tentoria milites figant, etc. Adde *ib.* 3, 15., *Front. de colon.* p. 130. *Goes.* et *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 7. *n.* 16.

PODĬUM, ii, n. *πόδιον*, est quasi pes totius circi, vel amphitheatri, *h. e.* murus latissimus arenam circi, vel amphitheatri cingens, isque gradus dignissimus, quia arenae proximus, et aliis latior fuit: in eo itaque suggestus erat imperatoris, ac consules, praetores, aliique, quibus id jus, sedebant sellis curulibus, cum lictoribus, apparitoribus, et magistratus sui pompa. Sed et in eodem fuit tribunal editoris, et Virginum Vestalium sedes. Plura de eo *Lips. de amphith. c.* 11. *Juven.* 2, 145. Et Capitolinis generosior et Marcellis, Et Catulis, Paulisque minoribus, et Fabiis, et Omnibus ad podium spectantibus. *Suet. Ner.* 12. Accubans primum parvis foraminibus, deinde toto podio adaperto spectare consueverat. Adde *Plin.* 37, 3, 11. *n.* 2. ℙ Dicitur etiam de quolibet loco porrecto extra domus parietem instar pulpiti, qui aliter dicitur moenianum. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Est et aliud cubiculum a proxima platano viride, et umbrosum, marmore excultum podio tenus. Adde *Vitr.* 3, 3. et 5, 7. ℙ Et de quolibet suggestu. *Pall.* 1, 38. Podia ternis alta pedibus fabricentur, inducta testaceo, et albario opere levigata; et *mox:* Super haec podia alvearia collocentur. (*Colum.* 9, 7. *suggestus lapideos* vocat.) *Id. ib.* 18. de cella vinaria: Si cupis locum suum deputabimus, is locus ad calcatorii similitudinem podiis brevibus, et testaceo pavimento solidetur; et *ib.* 19. de horreis: Si terrae pauperies minora promittit, vel craticiis podiis erunt discernenda granaria, vel vimineis vasculis reditus tenues colligemus.

POEANTĬADES, ae, m. Poeantis filius, Philoctetes. *Ov. Met.* 13, 313. Nec Poeantiaden quod habet Vulcania Lemnos, Esse reus merui.

POEANTĬUS, a, um, adj. ad Poeantem pertinens. *Ov. Met.* 13, 45. Poeantia proles, *h. e.* Philoctetes. Sic *Id. R. Am.* 111. Poeantius heros, et Poeantius, absolute, ap. *eund. Trist.* 5, 1, 61.; et *ib.* 2, 13. et *Val. Fl.* 1, 391., *h. e.* Philoctetes. Sic *Sen. Herc. Oet.* 1485. Poeantium genus. ℙ Sunt qui scribunt *Paeantius.*

POEAS, antis, m. *Ποίας, αντος*, vir Thessalus ex Meliboea oppido, pater Philoctetae. *Ov. Met.* 9, 233., *Sen. Herc. Oet.* 1603. et *Hyg. fab.* 14. Alii scrib. *Paeas.*

POECĪLĒ, es, f. *Ποικίλη*, porticus Athenis, in qua Stoici philosophabantur, a Polygnoto Thasio gratis picta: a *ποικίλος*, varius, quia varia erat propter multiplicem picturam. *Plin.* 35, 9, 35. [Polygnotus primus capita mulierum mitris versicoloribus operuit: hic et Athenis porticum, quae Poecile vocatur, gratuito pinxit. *Nep. Milt.* 6. Miltiadi talis honor tributus est in porticu, quae Poecile vocatur, cum pugna depingeretur Marathonia, ut in decem praetorum numero prima ejus imago poneretur. *F.*] ℙ Fuit Atheniensi similis Poecile, quam Hadrianus Aug. constituit in villa sua Tiburtina. *Spart. Hadr.* 26. Tiburtinam villam mire exaedificavit, ita ut et in ea et provinciarum, et locorum celeberrima nomina inscriberet: velut Lyceum, Academiam, Prytaneum, Canopum, Poecilen, Tempe vocaret.

*POEEESSA, ae, f. *Ποιήσσα*, i. e. herbosa, insula in mari Carpathio, notiore nomine Rhodus dicta. *Plin.* 5, 31. ed. *Hard.* ubi ed. *Elzev.* ut et *Froben.* 1530. habet *Paeessa*, minus bene. ℙ Item oppidi nomen, sed excisi, in Cea insula. *Id.* 4, 12. *B. A.*

PŎĒMĂ, ătis, n. *ποίημα*, proprie est opus quodlibet factum, vel quodlibet figmentum: est a *ποιέω*, [seu potius a *ποέω*, facio, fingo: sic enim scribunt veteres Attici, et Dores, ut est in *Etym. M.* V. *Gregor. de dialect. Ling. Gr.* p. 75. *ed. Schaeffer. F.*] Dicitur praecipue de opere poetico, quia poetarum est facere, et fingere. Differunt *poema*, et *poesis:* haec est magnum et totum opus: illud parvum, aut pars operis. *Lucil.* ap. *Non.* 5, 25. Cujusvis operis pars est non magna poema. Pars est parva poema, proinde ut epistola quaevis. Illa poesis opus totum, ut tota Ilias una Est θέσις, annalesque Enni: atque istoc opus unum Est majus multo, quam quod dixi ante poema. Ita hos versus ap. *Non.* perversos, aut corruptos *Janus Dousa* ordinavit, restituitque. In eandam sententiam sunt illa *Varr.* (si modo *Varr.* sunt omnia) ap. *Non. ib.* Poema est *λέξις εὔρυθμος*, id est verba plura modice in quandam conjecta formam. Itaque etiam distichon epigrammation vocant poema. Poesis est perpetuum argumentum e rythmis, ut Ilias Homeri, et Annales Ennii. *Cic.* quoque *poema* vocat *Div.* 1, 31. paucos versus veteris poetae; et *Catull. mox citand.* carmen unum hendecasyllabum. ℙ Hoc tamen discrimen non observatur: et *poema* universim quodcumque opus poeticum dicitur, sive breve sit, sive longum. *Catull.* 50, 16. Hoc, jucunde, tibi poema feci, Ex quo perspiceres meum dolorem. *Cic. Acad.* 1, 3. de Varrone: Atque ipse varium et elegans omni fere numero poema fecisti. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 4. Poema ad Caesarem quod composueram, incidi. *Id. Att.* 1, 18. *f.* Graecum poema condere. *Hor. Ep.* 1, 18, 40. pangere; et *ib.* 2, 1, 117. scribere. *Petr. Sat.* 118. exstruere. *Cic. Or.* 1, 50. Egregium poema. *Id. Pis.* 29. ita festivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri possit argutius. *Id. Div.* 1, 31. tenerum, et moratum, atque molle. *Auct. ad Her.* 4, 28. *med.* Si poema loquens pictura est, pictura tacitum poema debet esse. ℙ In genitivo plur. *poematorum* dixere *Varro, Q. Laelius, Accius*, et ipse *Cic.* pro *Gallio*, teste *Charis.* 1, 114., tanquam a recto *poematum, i*, et *Afran.* ap. *Non.* 8, 79., a quo et *poematis* in dat. plur. usurparunt idem *Varr. L. L.* 6, 3. et *Pl. As.* 1, 3, 22. et *Flor.* ap. *Charis. ib.* et *Auct. ad Her.* 4, 4. et *Cic. Off.* 3, 3. *f.* (ut cum aliis legit *Non.* 8, 39.) et *Or.* 21. Sed et *poematibus* recte dicitur cum *Auct. ad Her.* 4, 2. et aliis. Libenter itaque *poematis* dixerim, ita jubente usu, ut *epigrammatis, emblematis, peripetasmatis*, et aliis, quae congessit *Voss. de Grammat.* 4, 14. *f.* At *poematorum* non videtur ita usu obtinuisse. V. EMBLEMA.

[POEMĀNENI, orum, m. plur. populi Mysiae, haud procul a Cyzico, quorum urbs *Ποιμάνιον* ap. *Steph. Byz. Plin.* 5, 30, 32. Miletopolitae, Poemaneni Macedones. *F.*]

POĒMĂTĬUM, ii, n. *ποιημάτιον*, breve poema. *Plin. ep.* 4, 14. *med.* Sive epigrammata, sive edyllia, sive eclogas, sive, ut multi, poematia vocare malueris, licebit voces: ego tantum hendecasyllabos praesto. Adde *ep.* 27. Utroque autem loco sunt qui aliter leg. *Auson. epist.* praefixa. *Idyll.* 7. Poematia, quae in alumnam meam luseram.

[POEMEN, ēnis, m. *ποιμήν*, pastor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 241. *c.* 2. C. Julius Poemen. *F.*]

POEMĒNIS, idis, f. nomen canis: a *ποιμήν, ένος*, pastor, quod oves servaret. *Ov. Met.* 3, 215. **Hyg. fab.* 181. *B. A.*

[POEMĒNĬUS, a, um, adj. *ποιμένιος*, pastoralis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 459, 7. T. Aelius Poemenius. Alia ap. *Fabrett.* p. 329. *n.* 485. Poemenia mater. *F.*]

[POEMNĒ, es, f. *ποιμνή*, grex. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 430, 10. Claudia Poemne. *F.*]

POENĀ, ae, f. *ποινή, τιμωρία*, animadversio, supplicium, ultio peccati, multa: a voce Graeca allata. *Cic. Fl.* 17. Poena Dorylensium gravior, quam apud alios, falsarum litterarum. *Id. fragm.* ap. *Augst. C. D.* 21, 11. Octo poenarum genera in legibus continentur, damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exsilium, mors, servitus. *Id. ad Brut.* 1, 15. In animadversione poenaque durior esse. *Id. Balb* 18. *med.* Multa et poena multare aliquem. *Ter. Heaut.* 4, 4, 6. Syrus mihi tergo poenas pendet; et *Cic. Att.* 11, 8. Maximas poenas pendo temeritatis meae. *Id. Sext.* 67. Omnes fere reipublicae poenas aut praesenti morte, aut turpi exsilio dependerunt. *Id. Tusc.* 2, 10. Prometheus poenas expendit Jovi fato supremo. *Virg. A.* 4, 386. dabis, improbe, poenas. Hoc sensu *dare poenas* etiam *Cic. Har. resp.* 18. *f.* et *Tusc.* 5, 19. dixit. *Id. Verr.* 2, 5, 63. *med.* et *C. Carbo* ap. *eund. Or.* 63. Quicumque eam violavissent, ab omnibus esse ei poenas persolutas; et *Mil.* 31. *f.* Poenas justas et debitas solvere. *Id. Dom.* 52. Ferre poenam temeritatis. *Id. ad Quir.* 1. sustinere. *Id. Agr.* 2, 34. perferre. *Id. Fl.* 38. sufferre. *Id. Off.* 3, 16. subire. *Vet. Poeta* ap. *eund. N. D.* 3, 38. et *Ov. Met.* 8, 689. luere. *Id. ib.* 9, 372. et *Fast.* 1, 483. pati. *Suet. Caes.* 14. ultimam statuere in aliquem, *h. e.* mortem. *Quint.* 6, 4. *med.* irrogare alicui. *Cic. Manil.* 3. dignam suo scelere suscipere; et *Verr.* 2, 5, 63. *med.* et *Rosc. Am.* 24. Repetere poenas ab aliquo, *h. e.* curare, ut poenas det; et *Att.* 1, 16. *med.* Ut aperte victrix nequitia ac libido poenas ab optimo quoque peteret doloris sui; et *Har. resp.* 20. *f.* Gracchum mors fraterna ad expetendas poenas domestici sanguinis excitavit; et *Fam.* 1, 9. *med.* Poenas a seditioso cive per bonos viros judicio persequi. *Plin.* 7, 44, 45. et *Ov. Met.* 4, 190. et *ib.* 8, 125. Poenam ab aliquo exigere. *Sall. Jug.* 71. et *Curt.* 4, 6. *f.* Capere poenas pro civibus, *h. e.* sumere, repetere, cives ulciscendo. *Liv.* 2, 5. Capere poenam de aliquo. *Curt.* 4, 6. *f.* capere in hostem. *Virg. A.* 2, 586. sumere poenas. *Cic. Off.* 9, 5. *extr.* Poena aliquem afficere. In *SCto* ap. *eund. Q. Fr.* 2, 3. *med.* Teneri ea poena, quae est de vi. ℙ De multa, quam in ludo victus solvit. *Ov. A. Am.* 2, 205. Seu jacies talos, victam ne poena sequatur, Damnosi facito stent tibi saepe canes. ℙ Ap. poetas *Poenae* sunt Furiae, quia sunt scelerum vindices, sic et *Ποιναὶ* Graecis. *Val. Fl.* 7, 147. Turbidus ut Poenis, caecisque pavoribus ensem Corripit, et saevae ferit agmina matris Orestes. *Stat. Th.* 8, 25. Saevaeque multi sonas exercet Poena catenas. *Varr.* ap. *Non.* 4, 418. Tertia Poenarum Infamia stans nexa in vulgi pectora, fluctuanti intonsa coma, sordido vestitu, ore severo. *Scal.* ad *Virg. Cul.* 218. et 375. praeponenda his censet illa *ejusd. Varr.* ap. *Non. ib.* 162. Videmus populum Furiis instinctum tribus Diversum ferri, exterritum formidine. *Deinde post pauca, quae intercidere*, Tertia Poenarum, etc. Quidam distinguunt Poenas a Furiis, fortasse ut Furiae sint, quae vexant animos, et cruciant conscientia sceleris; Poenae, quae animadversione, et suppliciis apud Inferos, *ποινοποιοί*. *Cic. Pis.* 37. Aetoliam, quae medio fere Graeciae gremio continetur (o poena, o furia sociorum!) decedens miseram perdidisti. *Id. Dom.* 2. Illud a te, homine vesano ac furioso, requiro, quae te tanta poena tuorum scelerum vexet, ut, etc. Vel Poena est Furiarum mater, ut in illo *Val. Fl.* 1, 796. Ultricesque Deae, Furiaeque, et saeva sororum Poena parens. ℙ Interdum *poena* est labor, molestia. *Sen. Hippol.* 439. Namque anxiam me cura sollicitat tui, Quod te ipse poenis gravibus infestus domas. *Sen. alter ep.* 5. *med.* Frugalitatem exigit philosophia, non poenam. *Plin.* 2, 7, 5. In tantis vitae poenis. *Id.* 9, 6, 5. Balaenae utero graves, pariendive poenis invalidae. *Id.* 23, 2, 28. Acetum scillinum prodest acescentibus cibis: gustatum enim discutit poenam eam. ℙ Est *ποινή* Graece etiam debita merces, pretium quod solvitur pro injuria illata, aut pro opere, aut opera. Quo sensu *Virg. Cir.* 83. Ausa quod est mulier numen fraudare Deorum, Et dictam Veneri votorum vertere poenam. ℙ [*Conf. *poena* et *pecunia*. V. *Beier.* ad *Cic. Fragm* p. 93. *b*]

POENĀLIS, e, adj. ad poenam spectans, poenam continens. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 3. Pilo vinctorum poenali opera. *Id.* 4, 8, 15. Poenales aquas, dirisque genitas. *Solin.* 46. Poenales tenebrae, *h. e.* in quas aliquis poenae causa conjectus est. *Modest. Dig.* 40, 12, 21. Poenalis actio. *Paul. ib.* 19, 2, 54. *med.* stipulatio. *Ulp. ib.* 46, 3, 7. causa. *Scaevola ib.* 22, 2, 5. conditio. *Paul. ib.* et 50, 17, 108. Poenalia judicia. *Cajus. Instit.* (ed. *Goesch.*) 1. §. 128. Cum autem is, cui ob aliquod maleficium ex lege poenali aqua et igne interdicitur. *Imp. Constant. Cod.* 10, 19, 2. Carcer poenalium, carcer hominum noxiorum est. ℙ [Sup. *Poenalissimus* ap. *Salv. Avar.* 2, 10. Cogitantes inter haec horrenda et poenalissima alia haec praeclara ac beatissima *F.*]

POENĀLĬTER, adv. per poenam. *Ammian.* 16, 8. Reus delatus, raptusque in judicium poenaliter interibat.

POENĀRĬUS, a, um, adj. idem ac poenalis. *Quint.* 4, 3. Si legem asperam tuebimur, aut poenarias actiones inferemus, *h. e.* quibus poena irrogatur. Has *poenales actiones* vocant JCti passim in *Digest.*

POENI, orum, m. plur. V. POENUS.

POENĪCĒ, adv. Punice. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Qui de agricultura scripserunt et Poenice, et Graece, et Latine.

POENĪCĔUS, a, um, adj. idem ac phoeniceus; in quo tamen secunda syllaba longa est, cum brevis sit in illo. *Ov. Met.* 12, 102. circo taurus aperto Cum sua terribili petit irritamina cornu, Poeniceas vestes, elusaque vulnera sentit; et *ib.* 14, 345. Poenicea chlamys. *Lucr.* 2, 829. Poeniceus color.

POENĪCUS, a, um, adj. ad Poenos pertinens, Punicus. *Varr. R. R.* 1, 1. *f.* Poenica lingua; et 52. Plostellum Poenicum. *Val. Max.* 2, 6. *n.* 15. Poenicae feminae. *Cato* ap. *Fest.* in *Pavimenta:* Poenica pavimenta, *h. e.* marmore Numidico strata. In *fragm. Capitol.* ap. *Grut.* 297. col. 2. Poenica classis. *Sil.* 1, 602. Poenicus ignis, *h. e.* a Poenorum exercitu illatus. ℙ *Poenicum* absolute, genus vestimenti Poenici. *Varr. L. L.* 4, 23. ℙ *Poenici, orum*, Poeni. *Id. ib.* 7, 36. Poenicorum, aut Aegyptiorum vocabula.

POENĪNUS mons. V. PENNINUS.

POENĪTĔT, ebat, uit, impers. 2. *μεταμέλει, μετανοέω*, doleo, moleste fero, displicet quod placuit. *Voss.* ducit a *poena*. Poenitere, inquit *Gell.* 17, 1., tum dicere solemus, cum quae ipsi fecimus, aut quae de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamque in iis nostram demutamus. *Phaedr.* 5, 5. Ad poenitendum rebus manifestis agi. *Cic. Tusc.* 4, 37. Alexander cum interemisset Clitum, vix a se manus abstinuit: tanta vis fuit poenitendi. *Id. fragm.* ap. *Lactant.* 6, 24. Corrigere errorem poenitendo. *Ov. Pont.* 1, 1, 57. Saepe levant *(Dii)* poenas, ereptaque lumina reddunt, Cum bene peccati poenituisse vident. Poenitet o, si quid miserorum creditur ulli: Poenitet, et facto torqueor ipse meo. *Curt.* 10, 7. Poenitebat modo consilii, modo poenitentiae ipsius. *Nep. Timoth.* 4. Cum populum judicii sui poeniteret. *Attic.* ad *Cic. Att.* 9, 10. *f.* Hoc dicam, non poenitere me consilii de tua mansione. *Cic. Or.* 2, 19. Efficiunt, ut me non didisse, minus poeniteat. *Id. Att.* 8, 5. Etsi solet eum, cum aliquid furiose fecit, poenitere; et *ib.* 7, 3. *med.* Valde ego ipsi, quod de sua sententia decesserit, poenitendum puto. *Pl. Trin.* 2, 2, 39. Is probus est, quem non poenitet, quam probus sit, et frugi bonae, *h. e.* qui ultro, libenter, et constanter probus est. ℙ Cum accus. aut nom. rei. *Cic. Tusc.* 5, 28. Sapientis est proprium, nihil, quod poenitere possit, facere. *Id Inv.* 2, 13. Quaeri oportet, utrum id facinus sit, quod poenitere fuerit necesse. *Pl. Stich.* 1, 1, 50. Et me quidem haec conditio nunc non poenitet, *h. e.* non displicet. *Just.* 11, 3. Athenienses sicuti primi defecerant, ita primi poenitere coeperunt. ℙ Latet nominativus in

illo *Liv.* 36, 22. Aetolos quoque, si poenitere possint, posse et incolumes esse. Est qui legit *possit*. ℙ In plur. num. *Pacuv.* ap. *Non.* 7, 63. Nunc poenitebunt: libant liberi grato ex loco. ℙ Dicitur etiam de iis rebus, quae nec voluntate, nec consilio nostro factae sunt: et ponitur pro displicere, dolere, pigere, taedere, aut pudere. *Cic. Sen.* 6. *med.* Num igitur, si ad centesimum annum vixisset, senectutis suae eum poeniteret? et *Somn. Scip.* 3. *extr.* Ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, poeniteret; et *Att.* 11, 13. Ait, se poenitere, quod animum tuum offenderit, sed se jure fecisse. *Stat. Silv.* 2, 3, 23. Poenituit vidisse Deam, *h. e.* displicuit Deae vidisse. Adde *Cic. Coel.* 3. ℙ Et de iis, quae contemnimus, parvi facimus, et quae non satisfaciunt. *Cic. Acad.* 4, 22. Cur non se transtulit ad alios, et maxime ad Stoicos? Quid eum Muesarchi poenitebat? quid Dardani? qui erant Athenis tum principes Stoicorum; et *Pl. Aul.* 3, 2, 20. Me haud poenitet: tuane expetam? *Liv.* 8, 23. Minime poenitere se virium suarum, si bellum placeat. ℙ *Poenitet*, parum videtur. *Ter. Eun.* 5, 7, 12. An poenitebat flagitii, te auctore quod fecisset adolescens, ni miserum insuper etiam patri indicares? Adde *Heaut.* 1, 1, 20. Sic *Pl Stich.* 4, 1, 44. Immo duas dabo, inquit ille adolescens, una si parum est: et si duarum poenitebit, addentur duae. Adde *Truc.* 2, 4, 77. et 2, 6, 52. et *Liv.* 9, 34. *med.* Sic *Caes. B. C.* 2, 32. *med.* An poenitet vos, quod salvum atque incolumem exercitum, nulla omnino nave desiderata, transduxerim? ℙ Part. *Poenitens* V. s. l. *Poeniturus* ap. *Quint.* 9, 3. Eo usque processum est, ut *non poeniturum* pro non acturo poenitentiam, et *visuros* ad videndum missos, Sallustius dixerit. *Accius* ap. *Non.* 2, 685. Neque te, neque quemquam arbitror tuae poeniturum laudis. *Poenitendus* ap. *Colum.* 3, 2. Itaque hic ager sive exercetur, seu cessat, colono est poenitendus. *Liv.* 1, 35. Sub haud poenitendo magistro. *Gell.* 1, 3. Dicta mea, factaque pleraque omnia fuisse non poenitenda. *Suet. Vesp.* 1. Gens Flavia obscura illa quidem, sed tamen reipublicae non poenitenda. ℙ Scribitur et *paenitet*. Sic enim perpetuo habetur in Pandectis Florent. Sic in Tab. aerea ap. *Grut.* 502. col. 2. *f.* Non magis sunt paenitendi senatores, quam paenitet, etc. Sic etiam in libris veterib. et Virgilio Carpensi haberi testatur *Manut.* Huc facit, quod *Gellius* 17, 1. non a *poena*, sed a *paene* et *paenuria* ducendum putat: quod sane videtur probabile, si dicamus primam et propriam hujus verbi vim esse, cum pro *parum videri* ponitur. Quod confirmat *Donat.* ad illud *Ter. Ph.* 1, 3, 20. nostri nosmet poenitet. Poenitet (inquit) eum, qui parum putat.

POENĪTĬO. V. POENIO.

POENĪTŪDO, inis, f. poenitentia. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 646. et 769. Desiderio, poenitudine. *Auson. Sept. Sap. de Thal.* 22. Praedes, vadesque poenitudinis rei. Adde *Sidon. ep.* 6, 9. et *Hieron. adv. Jovin.* 2. *n.* 8.

POENĪTUS. V. POENIO.

POENŪLUS, i, m. dimin. a *Poenus*, unde Plautina fabula nomen sumpsit, in qua Poenus Hanno Punice loquens inducitur.

POENUS, i, m. *Λίβυς*, Carthaginiensis: a *Φοῖνιξ*, Phoenix. Poeni enim e Phoenicia erant, quae Graece *Φοινικία*. *Virg. A.* 1, 306. ponuntque ferocia Poeni Corda volente Deo. *Cic. Or.* 2, 18. Hic Poenus non optime Graece, sed tamen libere respondisse fertur. ℙ Adjective pro Punicus. *Virg. Ecl.* 5, 27. Poenos ingemuisse leones. *Prop.* 2, 23, 3. porticus Poenis digesta columnis. V. NUMIDICUS. *Sil.* 6, 338. Poena insurgit vis saeva virorum; et *ib.* 407. habitu et velamine Poeno Deformis. *Stat. Silv.* 4, 3, 91. Poenos Bagrada serpit inter agros; et *ib.* 5, 45. Sermo Poenus. *Auson. ep.* 10, 42. Poena fides. ℙ Ponitur pro vafro, callido, versuto. Tales enim Poeni habiti sunt. *Pl. Poen. prol.* 111. Ita docte, atque astu filias quaerit suas: Et is omnes linguas scit, sed dissimulat sciens se scire. Poenus plane est. ℙ *Poenum* pro *Poenorum*. *Sil.* 7, 714. circumdata Poenum Agmina deturbat gladio. Adde 17, 311.

POĒSIS, is, f. *ποίησις*, opus poeticum; a *ποιέω*, facio, fingo. *Hor. A. P.* 361. Ut pictura, poesis erit: quae, si propius stes, Te capiat magis: et quaedam, si longius abstes: Haec amat obscurum: volet haec sub luce videri. *Cic. Tusc.* 4, 33. Anacreontis tota poesis est amatoria. *Id. Or.* 3, 25. *f.* Quamvis claris sit coloribus picta vel poesis, vel oratio, non potest in delectatione esse diuturna. V. POEMA, ubi de discrimine inter utramque vocem. ℙ Cave imiteris *Prud.* mediam syllabam corripientem *in Sym.* 2, 52. cum pulcrum poesis castraverit Atyn.

POESNIS, poenis, ut casmenas dicebant pro camenis, et coesnas pro coenis. *Festus.*

PŒTA, ae, m. *ποιητής*, carminum scriptor: a *ποιέω*, facio, fingo. V. POEMA. *Cic. Arch.* 8. Ceterarum rerum studia et doctrina, et praeceptis, et arte constant: poeta natura ipsa valet, et mentis viribus excitatur, et quasi divino quodam spiritu inflatur. *Id. Or.* 2, 46. *extr.* Poetam bonum neminem sine inflammatione animorum exsistere posse, et sine quodam afflatu quasi furoris. *Id. ib.* 14. *f.* Poetae quasi alia quadam lingua locuti. *Hor. A. P.* 9. pictoribus atque poetis Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas; et *ib.* 372. mediocribus esse poetis Non Dii, non homines, non concessere columnae. *Quint.* 10, 1. *med.* Cornelius Severus, versificator, quam poeta, melior: *poetam* intelligit, qui et apte invenire ac fingere imitando potest, simulque versus idoneis verbis componere: *versificatorem*, qui alterum tandummodo potest. ℙ Item artifex, architectus: nam *ποιητὴς* proprie est, qui quippiam facit. *Pl. Asin.* 4, 1, 1. Agedum, istum ostende, quem conscripsisti, syngraphum. Nam tu poeta es ad eam rem unicus. ℙ Per antonomasiam *poeta* Graecis *Homerus*, Latinis *Virgilius* est. *Justin. Institut.* 1, 2. §. 2.

POĒTICA, ae, et Poetice, es, f. *ποιητική*, ars scribendorum versuum. *Cic. Tusc.* 1, 1. *extr.* Serius poeticam nos accepimus; et *ib.* 4, 32. O praeclaram emendatricem vitae poeticam! *Nep. Att.* 18. Attigit quoque poeticen: credimus, ne ejus expers esset suavitatis. *Plin. ep.* 7, 4. Nunquam a poetice alienus fui.

POĒTICĒ, adv. *ποιητικῶς*, poetae more modoque. *Cic. Fin.* 5, 4. Ut nulla pars coelo, mari, terra, ut poetice loquar, praetermissa sit. *Plin. ep.* 8, 4. Pande vela, ac, si quando alias, toto ingenio vehere: cur enim non ego quoque poetice cum poeta? *Petr. Sat.* 90. Minus quam duabus horis mecum moraris, et saepius poetice, quam humane locutus es.

POĒTICUS, a, um, adj. *ποιητικὸς*, ad poetam pertinens. *Cic. Or.* 3, 38. Poeticum verbum; et *ib.* 1, 33. Collocatio verborum perficitur in scribendo, non poetico, sed quodam oratorio numero et modo. *Id. N. D.* 3, 31. Poetici Dii, *h. e.* qui et quales a poetis finguntur. *Id. Q. Fr.* 2, 15. Cursu corrigam tarditatem, tum equis, tum (quoniam scribis poema ab eo nostrum probari) quadrigis poeticis. *Quint.* 10, 1. de Homero: Non poetica modo, sed oratoria virtute eminentissimus. *Hor. Ep.* 1, 19, 44. manare poetica mella.

POĒTILLA, ae, m. malus poeta. *Pl. Truc.* 2, 6, 4. Et Homeronidae poetillae mille memorari potest. *Bothe* rectius edidit: *Et Homeronidae, et postilla mille memorari potis*: h. e. potis sunt.

*POETNĒUM, i, n. arx vel castellum Athamaniae, cujus meminit *Liv.* 39, 25. *B. A.*

POĒTOR, aris, dep. 1. *ποιητίζω*, poetam ago, versus facio. *Enn.* ap. *Prisc.* 8, 829. Nunquam poetor, nisi podager. *Auson. ep. praefixa Idyll.* 6. Mirandi stuporem transtuli ad ineptiam poetandi, ℙ [Etiam *Poeto, as*, a. 1. usurpatur. *Verus Aug.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 2, 8. Igitur priusquam poetare incipio, pausam tecum facio. *F.*]

[POETOVĬENSIS et Poetovionensis, e, adj. ad Poetovium, seu Poetovionem pertinens, Pannoniae urbem, nunc *Pettaw nella Stiria*, cujus meminit *Tac. H.* 3, 1. Hinc *Poetovienses*, vel *Poetovionenses, ium*, ejus oppidi incolae. *Inscr.* ap. *Grut.* 366, 5. Juliae Aug. matri castrorum Poetovienses. Alia ap. *Mur.* 1071, 5. Cives Poetovionenses. *F.*]

PŒTRĬA, ae, f. *ποιήτρια*, femina poetices perita. *Cic. Coel.* 27. Vetus et plurimarum fabularum poetria. *Ov. Her.* 15, 183. Grata lyram posui tibi, Phoebe, poetria Sappho. *Pers. prol.* 13. Corvos poetas, et poetrias picas Cantare credas Pegaseium melos. Sunt qui leg. *poetridas*, a *poetris, idis*, eod. sensu.

PŒTRIS. V. in v. praec.

POGONĬAS, ae, m. *πωγωνίας*, genus cometae, stellae barbatae similitudinem referens: *πώγωνα* enim Graeci barbam vocant. *Sen. Q. N.* 1, 15. et *Plin.* 2, 25, 22. Designatur a *Manil.* 1, 837. Et globus ardenti sequitur sub imagine barbae.

*POGONUS, i, portus Peloponnesi, in Argolide, prope Troezenem. *Mela* 2, 3. *med.* ℙ *Πώγων* est *Straboni. B. A.*

POL, per Pollucem, adv. jurandi, quod juramenti genus tam viris, quam mulieribus erat commune. *Hor. Ep.* 1, 7, 92. pol, me miserum, patrone, vocares. *Ter. Eun.* 4, 5, 5. Certe tu quidem pol multo hilarior. *Pl. Amph.* 1, 1, 215. Pol profecto. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. Non pol homo quisquam faciet impune animatus Huc, nisi tu.

[POLA, ae, f. in *Lex. barbaro* definitur: Pila ex aluta, molli tomento farta. Est cogn. R., ut Servius Pola ap. *Cic. Fam.* 8, 12. et *Q. Fr.* 2, 13. ℙ Est etiam hoc nomine urbs Histriae. V. POLENSIS. *F.*]

POLĂTĬCUS, a, um, adj. ad Polam pertinens (V. POLENSIS), unde *Polaticus sinus*, idem qui Flanaticus, ap. *Mel.* 2, 3. *f.*

POLĔA, ae, f. *πόλιον*, fimus pulli asinini. *Plin.* 28, 13, 57. Asinini pulli fimum, quod primum edidit, poleam vocant Syri.

[POLĔMĬUS, ii, m. *πολέμιος*, qui est animo hostili. Est cogn. R., illius scilicet, qui consul fuit una cum Urso ann. a Chr. n. CCCXXXVIII. *Inscr.* ap. *Grut.* 417, 4. Urso, et Polemio Coss. *F.*]

PŎLĔMO et Polemon, onis, m. *Πολέμων*, philosophus Atheniensis, filius Philostrati, discipulus Xenocratis, magister Zenonis. Cum in juventute petulans esset, et aliquando ebrius, et coronatus Xenocratis scholam ingressus fuisset, ejus oratione, quae tunc de pudicitia erat, adeo mores immutavit, tantumque in philosophia profecit, ut Xenocrati in schola succedere potuerit. V. *Val. Max.* 6, 9. *n.* 1. *extr. Hor. Sat.* 2, 3, 254. quaero, faciamne quod olim Mutatus Polemon? *Cic. Fin.* 4, 6. Polemo, secundum naturam vivere, summum bonum esse dixit. ℙ Fuit etiam hoc nomine rex Ponti, qui post devictum a Pompejo M. Mithridatem, redactaque in provinciam dimidia regni ejus parte, in reliqua regnavit, et sub Nerone hanc ipsam quoque populo R. concessit, ut est ap. *Suet. Ner.* 18. Hinc *Pontus Polemoniacus* ap. *Aurel. Vict. Caesar.* 15., *Vopisc. Aurel.* 21. *extr.* et *Eutr.* 7. 14. ℙ De positione recti casus, V. in RUBICO.

[PŎLĔMOCRĀTES, is, m. praestans in bello: a *πόλεμος*, bellum, et *κρατέω*, praesto. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 971, 8. Polemocrates ser. ab epistul. Graec. *F.*]

PŎLĔMŌNĔUS, a, um, adj. ad Polemonem pertinens. *Cic. Acad.* 4, 43. Si Polemoneus peccat Stoicus, rei falsae assentiens.

PŎLĔMŌNĬA, ae, f. *πολεμώνιον*, herba, ruta capraria. *Plin.* 25, 6, 28. V. CHILIODYNAMA.

PŎLĔMŌNĬĂCUS, a, um. V. POLEMO.

[PŎLĔMŌNĬNUS, i, m. ad Polemonem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 791, 4. Julius Polemonius. *Fabrett.* p. 5. corrigit *Polemonius*. *F.*]

*POLEMONĬUM (oppidum), i, *Πολεμώνιον*, oppidum Ponti, ad Pontum Euxinum, a Polemone rege nomen trahens. *Plin.* 6, 4. *B. A.*

*POLENDOS (us), i, insula maris Aegaei, cujus meminit *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[PŎLENSIS, e, adj. ad Polam pertinens, celebrem Histriae urbem maritimam, nunc *Pola*, cujus *Plin.* 3, 19, 23. meminit. Eadem et Pietas Julia est appellata. ℙ *Polenses, ium*, sunt illius urbis incolae. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 45. Polenses voti sui compotes. *F.*]

PŎLENTA, ae, f. *ἄλφιτον πεφυρμένον*, *μᾶζα*, cibus vilissimus ex farina hordeacea tosta, proprius tenuiter viventium. Fiebat autem a Graecis hac ratione. Perfusum aqua hordeum siccabant nocte una, postero die frigebant, deinde molis frangebant, servabantque in multos dies: cum vero uti vellent, partem illius farinae aqua aspergebant, et torrebant in sartagine. Ita narrat *Plin.* 18, 7, 14., additque alias conficiendae polentae rationes ab iisdem usurpatas: alii enim adjiciebant hordeo semina lini et coriandri, sal etc. Italia vero, subdit *Id. ib.*, sine perfusione tostum hordeum in subtilem formam molit, iisdem additis, atque etiam milio. V. *eund.* et 22, 25., ubi medicinas ex polenta recenset. *Pers.* 3, 55. de Stoicis: detonsa juventus Invigilat, siliquis, et grandi pasta polenta. *Sen. ep.* 110. *f.* Disce parvo contentus esse, et illam vocem magnus atque animosus exclama: Habeamus aquam, habeamus polentam, Jovi ipsi de felicitate controversiam faciamus. Turpe est beatam vitam in auro et argento reponere: aeque turpe est in aqua et polenta. *Ov. Met.* 5, 450. Dulce dedit, tosta quod coxerat ante polenta. Unde *ib.* 454. Cum liquido mixta perfudit Diva polenta. Videtur *Ov.* hic describere cyceonem, cujus meminit *Arnob. l.* 5. V. CYCEON et COCETUM. *Colum.* 6, 17. *f.* Epiphoram supprimit polenta conspersa mulsa aqua, et in supercilia genasque imposita. *Appul. Met.* 6. Offas polentae mulso concretas ambabus gestare manibus. *Cels.* 4, 11. Polenta vino aspersa. *Appul. Met.* 1. Polentae caseatae offula. *Plin.* 24, 1, 1. Nitrosae, aut amarae aquae polenta addita mitigantur: qua de causa et in saccos vinarios additur polenta. *Id.* 30, 12, 33. Carbunculus aboletur polenta imposita inspersa. *Id.* 27, 8, 37. Herba, quae ignes sacros cum flore polentae sanat imposita, *h. e.* cum flore farinae, ex qua polenta fit: vel cum polenta liquidiore, de qua §. 4. ℙ Differt a pulte, tum quia puls Latina vox est, et res Italiae, polenta Graeciae: tum quia puls ex farre est, polenta ex hordeo. *Plin.* 18, 8, 19. Videtur tam puls ignota Graeciae fuisse, quam Italiae polenta. ℙ Macedonibus mos fuit, urbis, quam condere pararent, muros polenta designare; teste *Curt.* 4, 8. Adde *Val. Max.* 1, 8. *n.* 1. *extr.* ℙ *Polenta, orum*, neutro genere. *Macrob. Sat.* 7, 15. Si naturalis via potum in pulmonem traheret, cum polenta bibuntur, vel cum hauritur potus admixtis granis, seu ex re aliqua densiore, quid his sumptis pulmo pateretur? *bibuntur* dicit, quia polenta ita temperari potest, ut potui sit: unde *Scrib. Comp.* 159. Polentae tenuis cyathi duo.

PŎLENTĀRĬUS, a, um, adj. *ἀλφιτικὸς*, qui est ex polenta. *Pl. Curc.* 2, 3, 16. Eos ego si offendero, ex unoquoque eorum exciam crepitum polentarium, *h. e.* adeo cubito, aut pectore, aut genu offendam, ut pedere cogam istos Graecos pal-

liatos polenta pastos. *Appul. Met.* 6. Polentarium damnum, *h. e.* jactura offae ex polenta factae.

POLENTĪNUS et Pollentinus, a, um, adj. ad Polentiam, seu Pollentiam pertinens, quae est urbs Italiae in Piceno: unde *Pollentini, orum*, ejus cives, *Plin.* 3, 13, 18. ℙ Alia est in Liguria ad Tanarum fluvium, celebris fictilibus calicibus, ut est ap. *Plin.* 35, 12, 46. et *Mart.* 14, 157. Item lanis fusci velleris, teste *eod. Plin.* 8, 48, 73. et *Colum.* 7, 2. Unde *Sil.* 8, 599. fuscique ferax Pollentia villi. *Mart.* 14, 157. in lemmate: Lanae Pollentinae. Ad hanc pertinet et illud *Stat. Silv.* 2, 6, 63. Seu Pollentinos mersissent flumina saltus. ℙ In campis circa eandem caesi sunt magna clade Gothi ab exercitu R. sub Honorio. *Claud. VI. cons. Honor.* 127. Jam Pollentini tenuatus funere campi Hostis. *Prud. in Symm.* 2, 718. inhumata cadavera late, Quae Pollentinos texerunt ossibus agros. ℙ Alia item est in Baleari insula majori, quae nunc *Puglienza* dicitur. *Plin.* 3, 5, 11. et *Mela* 2, 7.

POLET, pollet, quia nondum geminabant antiqui consonantes. *Festus.*

PŌLIA, ae, f. gemma canitiem quandam sparti indicans: a πολιὸς, canus. *Plin.* 37, 11, 73.

PŌLIA, ae, f. πωλεία, grex equorum: a πῶλος, pullus equinus. *Ulp. Dig.* 21, 1, 38. *f.* Si polia venierit, dicemus unum equum, qui vitiosus est, non omnem poliam redhiberi oportere.

[PŌLIAS, ădis, f. Πολιάς, cognomen Minervae, praesidis arcis Atheniensium, ubi celebre templum habebat: est patronym. a πόλις, urbs, quia Athenas tueri putabatur. *Arnob.* 6, 193. Erichthonius conditus Poliadis in fano. *F.*]

*POLICHNAEI, orum, incolae Polychnei vel Polychnae. Fuit autem Polychna, Πολίχνη, Πολίχνα, oppidum Troadis, in Ioae montis cacumine. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

[PŌLIDES, ae, m. civitatis filius, patron. a πόλις, civitas. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 35, 5. M. Limbricius Polides. At fortasse legendum *Polites. F.*]

*POLIMARTĪUM, i, n. oppidum Hetruriae. *Paul. Diac.* in *Langob.* 4, 8. ℙ Hodie est *Bomarzo. B. A.*

PŌLĪMEN, ĭminis, n. testiculus: videtur esse a *polio*, pila ludo; vel a *pelle*, nam veteres *poliones* pro *pelliones* dicebant. *Arnob.* 7, 230. Polimina porro sunt ea, quae nos proles verecundius dicimus: a vulgaribus autem assolent cognomine testium nuncupari. V. v. sq. ℙ A similitudine ita vocantur globuli metallici, qui ornamenti causa ex balteis equorum, vel diadematis mulierum pendent. *Appul. de Deo Socrat. med.* Neque enim in emendis equis phaleras consideramus, et baltei polimina inspicimus. *Fulgent. Mythol. praef. f.* Quarum *(mulierum)* dexterior verenda quadam majestate subnixa, elatae frontis polimina argenteis astrorum crispaverat margaritis, *h. e.* aureos diadematis globulos intersitis candidis margaritis distinxerat.

PŌLĪMENTUM, i, n. idem ac polimen. *Verr. Fl.* ap. *Fest.:* Polimenta antiqui dicebant testiculos porcorum, cum eos castrabant; a politione segetum, aut vestimentorum: quod similiter, atque illa, curentur. *Pl. Men.* 1, 3, 28. Jube de foro obsonarier sinciput, aut polimenta porcina, aut aliquid ad eum modum. Alii leg. *aut omenta porcina.* Displicet *Scal.* in *Conject.* ad *Varr.* 71. ea notatio verbi a *Festo* allata: vult autem dici *polimenta* a *polis* seu *polulis*, quae fuerint pilulae ex aluta, tomento molli farctae, quibus datatim ludebant: unde *polit*, pila ludit, ap. *Paul.* ex *Festo.*

[PŌLĬO, is, n. 3. *Paul.* ex *Festo.* Polit, pila ludit. *F.*]

PŌLĪO, is, ivi, itum, a. 4. λειαίνω, ἀποξέω, levigo, nitidum reddo, perficio et dicitur proprie de iis, quae fricando et terendo nitorem acquirunt: πολιὸς, candidus. *Vitruv.* 7, 4. *Colum.* 8, 8. Parietem tectorio polire; et *Vitruv. ib.* Supra podia abaci ex atramento sunt subigendi et poliendi. *Lucret.* 5, 1450. et daedala signa polire. *Plin.* 28, 9, 41. Polire scabritiam ferri hircorum sanguine. *Id.* 19, 5, 26. Raphani poliunt ebora. *Id.* 36, 21, 40. Lapis Samius poliendo auro utilis. *Id.* 37, 8, 32. Polire gemmas cotibus. *Id.* 9, 12, 14. et 32, 9, 34. Squatinae piscis cute polire ligna. *Id.* 36, 6, 9. marmora. In *Leg. XII. Tab.* ap. *Cic. Leg.* 2, 23. Rogum ascia ne polito. *Quint. prooem. l.* 8. *med.* Ungues polire, et capillum reponere. *Ov. Trist.* 1, 1, 11. Nec fragili geminae poliantur pumice frontes. *Pl. Poen.* 1, 2, 9. Ambae nunquam concessavimus lavari, aut ornari, poliri, expoliri, pingi, fingi. *Ov. Medic. fac.* 25. Feminea vestri poliuntur lege mariti. *Firm. de err. proph. relig.* 4. Effeminare vultum, polire cutem, et virilem sexum ornatu muliebri dedecorare. ℙ *Polire lina* et *lanas* est lavare et levigare. *Plin.* 19, 1, 2. *n.* 2. Hispania citerior habet splendorem lini praecipuum, torrentis, in quo politur, natura; et *ib.* 3. Iterum deinde in filo politur, illisum crebro in silice ex aqua. *Id.* 8, 48, 73. Quippe *(lanae)* ahenis poliendum extractae in tomenti usum veniunt etc. ℙ *Hoc politum est*, perfectum est. *Pl. Ep.* 3, 2, 3. Hoc oppido politum est. ℙ *Polire vestes* est fullonum, qui lavant, illidunt ex aqua, et pectine villos destringunt, γναπτειν. *Plin.* 35, 17, 57. Creta Umbrica poliendis vestibus assumitur. *Ulp. Dig.* 47, 2, 12. Fullo, qui curanda, poliendaque vestimenta accepit. *Cajus ib.* 19, 5, 22. Si tibi poliendа, sarciendave vestimenta dederim. ℙ *Polire agros*, rastris, bidente, crate quasi pectere, occare, radere, excolere. *Enn.* ap. *Non.* 1, 339. Rastros dente faber capsit causa poliendi agri. V. POLITIO et POLITUS. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 14. *f.* Ignarus faciundae ac poliendae orationis. *Quint.* 10, 4. *f.* Sit aliquando, quod placeat, aut certe quod sufficiat, ut opus poliat lima, non exterat. *Phaedr. prol.* 1. Aesopus auctor quam materiam repperit, Hanc ego polivi versibus senariis. *Ov. Pont.* 1, 5, 61. Cur ego sollicita poliam mea carmina cura? *Petr. Sat.* 5. mores Frugalitatis lege poliat exacta. ℙ *Polibam* pro *poliebam:* quae positio in 4. conjugatione frequens est: *Virg. A.* 8, 435. Palladis arma Certatim squamis serpentum, auroque polibant.

POLIO, onis, m. qui arma polit. *Aurel. Arcad. Dig.* 50, 6, 6. Poliones, et custodes armorum. *Torrent.* habet polliones: *Haloand.* pelliones: alii *politores.* Quidam Lexicographi addunt et locum *Firmici*, sine notatione libri, aut cap. Fortasse designant *Math.* 3, 13. *f.*, ubi tamen *pelliones*, non poliones legitur. ℙ In *Gloss. Philox.* Polio, πατροφάγος, *h. e.* glutto, qui patrimonia devorat.

POLION, ii, n. πόλιον, nomen herbae Graecum, Latine *tiniaria* ap. *Scrib. Comp.* 83., quoniam ad arcendas tineas interponitur vestibus: duplex est, campestris, major; silvestris, minor. Folia sunt canis hominis similia (unde nomen: nam πολιὸς canum significat) a radice protinus, nunquam palmo altiora. Ita *Plin.* 21, 7, 21., qui miros ejus usus in medicina recenset *ib.* 20, 84. et folia ejus aeterna esse, tradit *ib.* 17, 60. V. OMNIMORBIA. [*Fortasse *Polei-Gamander*, Teucrium polium, *L.*]

POLIORCĒTES, ae, m. πολιορκητὴς, urbium obsessor, et expugnator, urbicapus: a πόλις, urbs, et ἕρκος, septum, vallum: cognomentum est Demetrio regi Macedonum, Antigoni filio, inditum ob peritiam, et constantiam obsidendarum urbium. *Vitr.* 10, 22., *Sen. ep.* 9. *f.*, *Plin.* 7, 38, 39., *Gell.* 15, 31. et *Ammian.* 23, 4. et 24, 2.

[POLIS, is, f. πόλις, civitas. *Coripp. Johann.* 4, 64. Justiniana polis saevis tunc tradita Mauris. Adde *ib.* 75. *F.*]

POLITE, adv. γλαφυρῶς, ornate, eleganter, splendide, perfecte. *Cic. Acad.* 4, 38. Negatis haec tam polite, tamque subtiliter effici potuisse sine divina aliqua solertia. *Id. Brut.* 19. Et luculente quidem scripserunt, etiamsi minus, quam tu, polite. *Id. Coel.* 3. *extr.* Ornate politeque dicere. *Id. Fin.* 4, 3. Polite apteque dicere. *Plin. ep.* 1, 16. Causas agere acriter et ardenter, nec minus polite et ornate. *Cic. Acad.* 1, 1. Quae et sunt magna sane, et limantur a me politius. *Auct. ad Her.* 4, 32. *extr.* Ut perfecte et politissime possint esse absolutae. Ita refert *Rufin. de metr. com.* p. 2715. In editis est *perpolitissime.*

[POLITES, ae, m. Πολίτης, (*civis*) Priami filius ex Hecuba uxore, a Pyrrho, capta Troja, coram patre occisus. *Virg. A.* 2, 526. Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites, Unus natorum Priami, etc. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 436, 10. Ti. Claudius Polites. *F.*]

POLITIA, ae, f. πολιτεία, respublica, status civitatis, et, ut *Aristoteles* definit in *Rhet.*, principatus, et consuetudo rerum, secundum quam vivere unumquemque, et conversari decet. Hoc nomine inscriptum est opus Platonis de Republica, quod in decem dialogos distinguitur. *Cic. Div.* 1, 30. Vide, quid Socrates in Platonis Politia loquatur. Adde *ib.* 2, 27.

POLITICE, es, f. πολιτικὴ, civilitas, reipublicae status, et ars ejus administrandae. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Civilitatem Plato politicen vocat. Alii scrib. πολιτικὴν. *Cicero* quoque *Att.* 9, 18. Graece usurpat.

POLITICUS, a, um, adj. πολιτικὸς, ad politiam, et rempubl. pertinens, civilis. *Cic. Fam.* 7, 1. Sed quae potest esse homini politico delectatio, cum, etc.? Alii leg. *polito*, [*ita *Orell.* Idem loco sq. Graecis literis v. *politicae* exhibet.] *Id. Att.* 9, 4. Quasdam tanquam θέσεις, quae et politicae sunt, et temporum horum. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. Tui libri politici omnibus vigent. *Macr. Somn. Scip.* 1, 8. Politicae virtutes.

POLITIO, onis, f. στιλβωσις, λείωσις, actus poliendi et perficiendi. *Vitr.* 7, 4. Quibus rationibus siccis locis tectoria oporteat fieri, dixi: nunc quemadmodum humidis locis politiones expediantur, ut permanere possint sine vitiis, exponam, *h. e.* tectorii inductiones; et *ib.* 3. *med.* Speculum argenteum recipiens in se politionem, fulgentes imagines reddit; et *Festus:* Depolitum, perfectum, quia omnes perfectiones antiqui politiones appellabant. ℙ *Politio agri* est suprema et diligentior cultura, occando, et complanando terram: quod fit et ante, et post jacta semina. *Cato R. R.* 136. Politionem quo pacto dari oporteat. In agro Casinate, et Venafro, in loco bono, parte octava corbi dividat, etc. Loquitur *Cato* de contractu, quo ager colendus, et poliendus sub certa frugum mercede dabatur. *Fest.* in *Polimenta:* Politio segetum, aut vestimentorum. V. v. sq.

POLITOR, oris, m. στιλβων, qui polit. *Firm. Math.* 4, 7. *f.* Facit gemmarum politores. ℙ *Politor agri*, qui diligenter excolit, et supremam culturae manum imponit, ut in v. praec. dictum est. *Cels.* ap. *Ulp. Dig.* 17, 2, 52. Si in coeunda societate artem operamve pollicitus est alter, veluti cum pecus in commune pascendum, aut agrum politori damus in commune quaerendis fructibus. *Cato R. R.* 5. Operarium, mercenarium politorem diutius eundem ne habeat die. Adde *ib.* 136. Frustra sunt, qui his locis aliter leg. V. v. praec.

*POLITORĬUM, i, n. Latii oppidum. *Liv.* 1, 33. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

POLITŪLUS, a, um, dimin. politi. *Cic. Fam.* 7, 33. Opus est huc limatulo et politulo tuo judicio. Alii leg. *polito.* [*Ita *Orell.*]

POLITŪRA, ae, f. λείωσις, politio, perfectio. *Vitr.* 7, 1. de pavimentis: Super fricaturam, levigationibus et polituris cum fuerint perfecta, incernatur marmor, et supra loricae ex calce et arena inducantur. *Plin.* 36, 6, 9. Crassior arena plus erodit marmoris, majusque opus scabritia politurae relinquit. *Id.* 13, 12, 25. Charta politura minus sorbet, magis splendet. *Id.* 17, 26, 39. de vitib.: Gemmarum, si frigus retorridas hirtasque fecerit, repumicatio, et quaedam politura. *Id.* 11, 24, 28. de araneo: Scissa protinus reficit, ad polituram sarciens.

POLITUS, a, um, part. a *polio:* ξεστος, γλαφυρὸς, levigatus, nitidus factus, perfectus. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. Porticus tota patet, et columnae politae sunt. *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* Villa polita opere tectorio eleganter. *Suet. Caes.* 67. Argento et auro polita arma. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Fornices tecti lapide polito. *Mart.* 3, 46. Synthesis crasso figuli polita coelo. *Id.* 5, 37. Cui nec lapillos praeferas Erythraeos, Nec modo politum pecudis Indicae dentem. *Id.* 8, 72. liber Morsu pumicis aridi politus; et 9, 58. Tusca ligo vinea politus, *h. e.* detritus, atque adeo nitens. ℙ *Politus ager*, diligenter et plane cultus. *Varr. R. R.* 3, 2. Fundus cultura politus. *Enn. ap. Non.* 1. 339. Lati campi, quos gerit Africa terra politos, V. POLIO, POLITOR et POLITIO. ℙ *Polita domus*, perfecta, omnibus ornamentis instructa, plene ornata. *Phaedr.* 4, 4. Domum politam, et delicatos hortulos. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Regie polita aedificia. *Id.* ap. *Non.* 1, 339. Politum coenaculum. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Cubiculum politissimum. ℙ Translate. *Varr. R. R.* 1, 10. *med.* Vir omnibus virtutibus politus. *Pers.* 5, 116. Pelliculam veterem retines, et fronte politus Astutam vapido servas sub pectore vulpem, *h. e.* externa specie virtutibus ornatus. ℙ Refertur ad culturam ingenii, et litterarum, et orationis. *Val. Max.* 5, 4. *n.* 5. *extr.* Doctrina proficit, ut politiora, non ut meliora fiant ingenia. *Id.* 2, 2. *n.* 2. Facundia politiorem fieri. *Lucr.* 3, 308. Doctrina homines politos constituit. *Plin. ep.* 1, 16. Qui uxorem tam doctam politamque reddiderit. *Suet. Caes.* 47. Servitia recentiora, politioraque immenso pretio comparare. [*V. *Oudend.*] *Cic. Pis.* 25. Homo ad persuadendum concinnus, perfectus, politus e schola. *Id. Fam.* 13, 1. *f.* Vir omni liberali doctrina politissimus. *Id. Fin.* 1, 7. *f.* Non satis politus iis artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur. *Id. Or.* 2, 17. Homo communium litterarum, et politioris humanitatis expers. *Auct. dial. de Or.* 18. Gracchus in dicendo plenior et uberior, Crassus politior et ornatior. *Cic. Brut.* 95. Accurata et polita oratio. *Plin. ep.* 7, 13. Epistola tam polita, quae nisi a studente, non potest scribi. *Cic. Att.* 2, 21. *med.* Sic ego hunc, omnibus a me pictum et politum artis coloribus, subito deformatum non sine magno dolore vidi. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Ut Apelles Veneris caput, et summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit.

[POLIUCRAS, ātis, m. caput canum: a πολιὸς, canus, et κρᾶς, caput. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 795, 8. M. Aurelio Poliucrati etc. *F.*]

POLLA pro Paula, vel Paulla, cogn. R. feminae, legitur in quatuor veterib. Inscr., quas collegit *Manut.* in *Orthograph.*, item *Grut.* 321, 4., 366, 6., 697, 8. et 955, 6. Quibus adde sex alias ap. *eund. Grut.* 493, 1., 665, 3., 728, 11., 840, 1., 969, 10. et 1064, 3. et *Suet. Vesp.* 1. ℙ Fuit *Argentaria Polla* uxor Lucani, et eruditione carminumque laude insignis, cujus meminit *Stat. praef. Silv.* 2, 2. et *Silv.* 7, 62, 82., et 120., et *Mart.* 7, 21. et 23., et 10, 64. Fuerunt qui putarent, eandem, post Lucani mortem, nupsisse *Statio*, decepti *ejusd.* loco *Silv.* 3, 5, 52. ac praecipue hoc *Sidon. carm.* 23, 165. Quid quos duplicibus jugata taedis Argentaria Polla dat poetas? Verum *Lucani* uxor ex gente Argentaria, *Statii* vero ex Claudia fuit.

POLLEN, inis, n. et Pollis, inis, f. et m. *πάλη, πεπάλη, γύρις*, tenuissima farinae pars, quae circa molas, et loca, quibus panis pinsitur, volitat, et parietibus adhaeret. *Ter. Ad.* 5, 1, 60. Atque ibi favillae plena, fumi, ac pollinis coquendo sit faxo, et molendo. *Cato R. R.* 156. et 157. *med.* Postea salem addito, et cumini paululum, et pollinem polentae, *h. e.* farinae hordeaceae, ex qua polenta fit. *Plin.* 13, 12, 26. Glutinum vulgare e pollinis flore temperatur fervente aqua, minimo aceti aspersu. *Prisc.* 6, 708. Haec pollis, pollinis: sic Charisius, (1, 27.) Probus autem, et Caesar hoc pollen, pollinis declinaverunt. *Phocas* in *arte* p. 1697. Illa sunt generis masculini, quae in genitivo una syllaba accrescunt, ut hic lapis, idis; hic pulvis, eris; hic sanguis, inis; hic pollis, inis. ℙ Sumitur etiam pro farina tenuissima, non solum a furfuribus secreta, sed etiam densiore cribro excernendo, tenuissima facta. *Plin.* 18, 9, 20. *n.* 1. de siligine, quae est genus tritici: Si vero pollinem facere libeat, sexdecim pondo panis redeunt *(e modio)*, et cibarii tria, furfurumque semodius; et *ib.* 10, 20. *n.* 2. Ex Africo *(tritico)* justum est e modiis redire semodios *(similaginis)*, et pollinis sextarios quinque. V. *integr. c.* 9., unde etiam colliges, pollinem tenuiorem esse, quam ipsum florem farinae. ℙ Dicitur et de tenuissima farina aliarum rerum. *Plin.* 19, 5, 29. Inula in pollinem tunditur arida. *Id.* 29, 3, 11. et *Colum.* 6, 30. Pollen turis, *h. e.* tus minutum, quod et *manna turis* aliis dicitur. *Cels.* 4, 4. Polline etiam piperis palatum recte respergitur.

POLLENS, entis, part. a *polleo:* potens, valens, *δυνάμενος*. *Vell.* 1, 2. Classis plurimum pollens mari. *Pl. Capt.* 2, 2, 28. Genus pollens et honoratissimum. *Tert. adv. Psych.* 6. Multo pollentioris mentis. *Solin* 2. *med.* Pollentissima ingenia. ℙ Cum gen. *Pl. Curc.* 1, 2, 21. de Baccho: Vini pollens Liber. ℙ Cum accus. *Sen. Ag.* 805. Soror cuncta pollentis viri, Argolica Juno. ℙ Cum ablat. *Ov. Trist.* 3, 10, 55. Hostis equo pollens, longeque volante sagitta. *Lucr.* 1, 60. Pollens opibus. *Val. Fl.* 6, 85. venenis. ℙ Cum infinito. *Lucan.* 6, 685. Tum vox Lethaeos cunctis pollentior herbis Excantare Deos. *Sil.* 14, 80. tractare sereno Imperio vulgum pollens. ℙ Aliquando *pollens* cum *potens* jungitur. *Sall. Jug.* 1. Dux atque imperator vitae mortalium animus est, qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque, et clarus est, neque fortunae eget. *Liv.* 2, 34. *med.* Cur Sicinium potentem pollentemque video? *Inscr.* ap. *Grut.* 50, 3. Herculi victori, pollenti, potenti, invicto, etc. V. POLLEO. ℙ *Pollentes herbae* sunt quae vim habent in medicina. *Ov. Fast.* 2, 425. non tu pollentibus herbis, Nec prece, nec magico carmine mater eris. Adde *Met.* 7, 196. *Claud. in Ruf.* 1, 150. funestarumque potestas Herbarum, quidquid letali gramine pollens Caucasus. V. POLLEO.

POLLENTER, adv. potenter. *Claud. IV. cons. Honor.* 254. caesaque redit pollentius hydra.

POLLENTIA, ae, f. *δύναμις*, potentia. *Pl. Rud.* 3, 2, 4. Ne impiorum potior sit pollentia, quam innocentium; et *Cas.* 4, 4, 3. Nova nupta, sospes iter incipe hoc, ut viro tuo semper sis superstes, atque ut potior pollentia sis, vincasque virum, etc. *h. e.* vigore et viribus corporis. ℙ De *Pollentia* urbe V. in POLENTINUS. ℙ *Pollentia* fuit etiam Dea apud Romanos a pollendo dicta, quae eadem videtur ac Victoria ac Pellonia. *Liv.* 39, 7. Malus in circo instabilis in signum Pollentiae procidit, atque id dejecit. Ea religione moti patres et diem adjiciendum ludorum celebritati censuerunt, et signa duo pro uno reponenda, et novum auratum faciendum.

POLLĔO, es, n. 2. *ἰσχύω*, possum, valeo, vigeo, vim viresque multas habeo. Antiqui *poleo* dixere, teste *Festo*, quia nondum geminabant consonantes *Caes. fragm.* ap. *Suet. Caes.* 6. Reges, qui plurimum inter homines pollent. *Id. B. C.* 1, 4. Qui in republica, judiciisque tum plurimum pollebant. *Cic. Off.* 2, 9. *f.* Ad fidem faciendam justitia plus pollet. *Id. Brut.* 51. Perorandi locus, ubi plurimum pollet oratio; et *ib.* 69. Is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat, multorum obedire tempori, multorumque vel honori, vel periculo servire. *Flor.* 4, 2. Cum Romana majestas toto orbe polleret. ℙ Cum ablativo. *Prop.* 3, 8, 17. Pollere forma. *Suet. Caes.* 19. pecunia. *Tac. A.* 4, 55. antiquitatis gloria; et *ib.* 11, 24. armis; et *ib.* 14, 57. malis artibus. *Id. H.* 2, 92. gratia; et *ib.* 3, 45. nobilitate. ℙ Jungitur cum *possum*. *Liv.* in veteri formula foederis, 1, 24. *f.* Tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque; et 8, 33. Qui unus plus, quam tua dictatura, potest polletque. *Pl. As.* 3, 3, 46. Videtin', viginti minae, quid pollent, quidve possunt? Adde *Vet. Poet.* ap. *Cic. Tusc.* 4, 32. *extr.* V. POLLENS. ℙ Haec quidam ita distinguunt, ut *pollere* referatur ad vires insitas, et a natura: *posse* ad acquisitas, et ab exercitatione. Sed hoc incertum discrimen est, passimque negligitur, praesertim a poetis. ℙ De rebus inanimis. *Plin.* 36, 22, 47. Ex oleo et aqua Ciliciae cotes pollent, ex aqua Arsinoeticae; et 14, 6, 8. *n.* 6. Cum eadem vitis aliud aliis in locis polleat. *Id.* 19, 3, 17. Sunt etiamnum duo genera, non nisi sordido nota vulgo, cum quaestu multum polleant, *h. e.* cum valde quaestuosa sint. ℙ De iis, quae vim habent in medicina. *Id.* 24, 19, 110. Herba contra anginas efficacissime pollet, ex aqua pota. *Id.* 20, 16, 63. Cunilago pollet adversus scorpiones ex posca; et 33, 4, 24. Aurum plurimis modis pollet in remediis. *Id.* 28, 8, 29. Chamaeleonis linguam ad judiciorum eventus pollere; et *mox:* Pedem dextrum contra latrocinia, terroresque nocturnos. ℙ Part. *Pollens* V. s. l. Praeteritis, ac supinis caret.

POLLEX, icis, m. *ἀντίχειρ*, primus et crassior digitus in manu, et pede: a *polleo*, quia supra ceteros vim habet, ut *Atejus Capito* ap. *Macrob. Sat.* 7, 13. docet. *Plin.* 11, 43, 99. Hominis digiti articulos habent ternos, pollex binos, et digitis adversus universis flectitur: per se vero in obliquum porrigitur, crassior ceteris; huic minimus mensura par est. *Cato R. R.* 20. Tunicas latas digitum pollicem facito. *Caes. B. G.* 3, 13. Clavi digiti pollicis crassititudine. *Cic. Off.* 3, 11. Durius Atheniense, qui sciverunt, ut Aeginetis, qui classe valebant, pollices praeciderentur. *Hor. Epod.* 5, 47. irresectum saeva dente livido Canidia rodens pollicem. *Ov. Met.* 4, 36. levi deducere pollice filum; et *ib.* 6, 22. versare fusum. *Virg. A.* 11, 68. et *Colum.* 10, 303. duro demetere flores. *Ov. A. Am.* 2, 494. movere fila lyrae. (Hinc *Hor. Od.* 4, 6, 35. Lesbium servate pedem, meique Pollicis ictum) *Id. Met.* 8, 198. mollire ceram. (Hinc *Juven.* 7, 237. mores teneros ceu pollice ducat, Ut si quis cera vultum facit.) *Id. ib.* 10, 289. tentare venas. *Mart.* 6, 89. arguto matellam poscere, *h. e* crepando digitis. *Suet. Aug.* 24. Equitem R., quod duobus filiis adolescentibus, causa detractandi sacramenti, pollices amputasset, ipsum, bonaque subjecit hastae. V. MURCUS. ℙ In pollice erat favoris, studiique significatio: nam faventes premebant, aversantes improbantesque vertebant retro, et subrigebant. *Plin.* 28, 2, 5. Pollices, cum faveamus, premere etiam proverbio jubemur. *Hor. Ep.* 1, 18, 66. Fautor utroque tuum laudabit pollice ludum. *Juven.* 3, 36. Munera nunc edunt, et verso pollice vulgi Quemlibet occidunt populariter. *Prud. adv. Sym.* 2, 1097. pectusque jacentis Virgo modesta jubet converso pollice rumpi. Adde *Stat. Th.* 8, 26. *Auct* incertus in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 534. *Burm.* Sperat et in saeva victus gladiator arena, Sit licet infesto pollice turba minax. ℙ *Infestus* itaque *pollex* est conversus, et subrectus, quia talis esse aversantium solet, et damnantium: verum idem erat proprius etiam oratorum loqui incipientium, qui, licet in miti negotio usurparetur, *infestus* tamen dicebatur. V. DIGITUS. *Quint.* 11, 3. *med.* Fit et ille habitus, qui esse in statuis pacificator solet, qui, inclinato in humerum dextrum capite, brachio ab aure protenso, manum infesto pollice extendit. *Appul. Met.* 2. Duobus infimis conclusis digitis, ceteros eminentes porrigit, et infesto pollice clementer subridens infit. ℙ De pollice pedum exempla habes ap. *Plin.* 28, 4, 9. et al., et *Mart.* 8, 75. ℙ Per synecdochen *pollex* est tota manus. *Ov. Am.* 3, 6, 71. scindens inimico pollice crinem. ℙ Per metaphorum est palmes brevior crassiorque, figura pollicis, qui et custos, et resex, et praesidiarius, et subsidiarius dicitur, ut *Colum.* 4, 21. docet, id est sarmentum gemmarum duarum, vel trium, ex quo cum processere materiae, quidquid est supra vetusti brachii, amputatur. *Id. ib.* 24. *med.* Subsidiarius custos in pollicem subsecari non debet, cum, etc. *Plin.* 14, 1, 3. Vites excrescere ultra suos pollices prohibitae. Adde 17, 22, 35. *n.* 15. ℙ Item nodus, et velut crassus unguis exstans in trunco, et cortice palmarum. *Plin.* 13, 4, 7. Reliquae teretes atque procerae, densis gradatisque corticum pollicibus, ut orbibus, faciles se ad scandendum Orientis populis praebent. ℙ *Pollex* nomen est servi a pedibus, ap. *Cic. Att.* 8, 5., *ib.* 13, 46. et *Fam.* 14, 6.

POLLIA, Tribus Romana rustica, cujus mentio est ap. *Liv.* 8, 37. *f.* et 29, 37. *Inscr.* ap. *Grut.* 400, 1. C. Curtio C. F. Pollia Rufino tribuno laticlav. etc.

POLLĪCĀRIS, e, adj. pollicis magnitudinem habens. *Plin.* 27, 9, 49. Folia pollicari amplitudine. *Id.* 15, 24, 26. Siliqua pollicari latitudine. *Id.* 13, 23, 45. Frutex pollicari crassitudine.

POLLĪCĔOR, ēris, icitus sum, dep. 2. *ὑπισχνέομαι, ἐπαγγέλλομαι*, promitto, profiteor, defero, offero. Ducunt a *liceor*, quasi proprie dicatur de eo, qui pretium pro merce, aut opere promittit. *Ter. Andr.* 1, 1, 49. Amans accessit pretium pollicens. *Id. Ph.* 1, 2, 18. Is senem per epistolas pellexit modo non montes auri pollicens. *Sall. Jug.* 19. Dando, et pollicendo multa perfecit, ut, etc. ℙ Universim tamen adhibetur pro promittere: nisi quod nonnulli (ut *Donat.* ad *Ter. Andr.* 2, 3, 27.) ita distinguunt, ut *polliceri* majori affirmatione dicatur, quam *promittere:* [*V. *Herzog.* ad *Caes. B G.* 1, 16.] alii, (ut *Serv.* ad *A.* 1, 241.) *polliceri* ultro ac sponte, *promittere* rogatos. Sed haec discrimina aut vera non sunt, aut perraro servantur. *Cic. Planc.* 42. Nihil tibi ego tum de meis opibus pollicebar, sed horum erga me benevolentiam promittebam. *Id. Fam.* 7, 5. Neque minus ei prolixe de tua voluntate promisi, quam eram solitus de mea polliceri. *Id. Att.* 13, 1. De aestate polliceris, vel potius recipis. *Id. Fam.* 5, 8. *med.* Ego vero tibi profiteor atque polliceor meum studium in omni genere officii. *Id. Manil.* 24. Quidquid auctoritate possum, id omne ad hanc rem conficiendam tibi polliceor ac defero. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 5. Nostrae causae non videntur homines defuturi: mirandum in modum profitentur, offerunt se, pollicentur. *Id. Agr.* 2, 37. *f.* Pro certo polliceor hoc vobis atque confirmo, me esse perfecturum, ut, etc. *Pl. Truc.* 2, 4, 23. Plus pollicere tu, quam ego a te postulo. *Ter. Hec.* 4, 4, 57. Pollicita est ea, se concessuram ex aedibus. *Id. Andr.* 3, 5, 7. Qui modo sum pollicitus ducere. *Pl. Most.* 5, 1, 36. Quin jusjurandum pollicitus est dare, si vellem, mihi. *Id. Bacch.* 2, 2, 8. Hospitium et coenam polliceri peregere advenienti. *Cic. Phil.* 10, 4. *f.* praesidium suum alicui; et *Div. Verr.* 6. suam operam. *Id. Att.* 5, 13. liberalissime. *Id. Fam.* 4, 13. benigne. *Id. Dom.* 11. prolixe. *Sen. Thyest.* 619. Nemo tam Divos habuit faventes, Crastinum ut possit sibi polliceri. ℙ Olim *polliceo* activa positione dictum fuit. *Varr.* ap. *Non.* 7, 25. Ne dares, ne polliceres. ℙ Hinc *polliceor* passiva significatione. *Metellus Numidic.* ap. *Prisc.* 8, 792. Ut aliis ob metum statuae polliceantur. *Ulp. Dig.* 14, 1, 1. *med.* Exercenti navem actio non pollicetur.

POLLĬCĬTĀTĬO, onis, f. *ἐπάγγελμα, ὑπόσχεσις*, promissio iterata, vel multarum rerum, ut ait *Donat.* ad *Ter. Andr.* 3, 2, 47., item simpliciter promissio, praesertim ejus, qui ultro, et non rogatus pollicetur. *Ter. Ph.* 5, 6, 18. Quin tu hinc pollicitationes aufer: quod fers, cedo. *Caes. B. G.* 3, 18. et 26. Huic magnis praemiis, pollicitationibusque persuadet, ut, etc. et *ib.* 7, 1. Omnibus pollicitationibus, ac praemiis deposcunt, qui belli initium faciant; et *B. C.* 3, 108. Hunc incitatum suis, et regis inflatum pollicitationibus, etc. *Sall. Jug.* 65. Multis pollicitationibus aggredi aliquem. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. *med.* Cum legionem ad se arcessisset hac pollicitatione, denarios quingenos militibus daturum. ℙ A JCtis saepe de ea promissione dicitur, quae fit civitati, aut reipublicae, ut videre est *Dig.* 50. *tit.* 12. qui *de pollicitationib.* inscribitur. *Plin. ep.* 10, 48. Huic theatro ex privatorum pollicitationibus multa debentur. *Inscr.* ap. *Grut.* 422, 3. C. Julio Augusti L. Heleno ex decreto decur. municipii Aletrinat. et pollicitatione sevir. et municipum, et incolar. ob merita ejus. [*V. *Ruhnk.* ad *Vell.* locum in *pollicitus* laud.]

POLLĬCĬTĀTOR, oris, m. qui pollicitatur. *Tert. adv. Jud.* 1. Habemus Deum idoneum pollicitatorem, et fidelem sponsorem.

POLLĬCĬTATRIX, icis, f. quae pollicitatur. *Tert. Apol.* 23. Virgo pluviarum pollicitatrix.

POLLĬCĬTOR, aris, atus sum, dep. 1. *ὑπισχνέομαι*, frequent. a *polliceor*, multa, aut saepe promitto, offero. *Pl. Bud.* 4, 2, 24. Pauxillatim pollicitabor pro capite argentum, ut sim liber. *Id. Mil.* 3, 3, 6. Pollicitari alicui operam suam. *Ter. Ph.* 3, 2, 35. Ego te complures menses tuli pollicitantem, nihil ferentem. *Id. Andr.* 5, 4, 9. Sollicitando, et pollicitando eorum animos lactas. *Ulp. Dig.* 50, 12, 6. Etiam feminas, si quid ob honorem pollicitatae sunt, debere implere, sciendum est. [*Sall. Cat.* 38, 1. dein largiendo atque pollicitando magis incendere: ubi v. *Kritz.*]

POLLĬCĬTUS, a, um, part. a *polliceor:* qui promisit. *Caes. B. G.* 2, 4. Bellovacos pollicitos lecta millia LX. *Pl. Aul.* 3, 4, 11. Credo ego edepol, illi mercedem gallo pollicitos coquos. ℙ Item passive promissus. *Vell.* 2, 111. Senatorum, equitumque R. exactae ad id bellum operae pollicitae. [*Ita perperam scripsisse dicit *Ruhnk. editorem Basil.* pro *pollicitati*, quae vulgata est lectio. Ipse tamen reponendum monet *ex pollicitatione.*] *Ov. Fast.* 3, 366. Pollicitam dictis, Juppiter, adde fidem; et *Her.* 21, 140. Exige polliciti debita jura tori. Adde *ib.* 6, 110. [*V. *Heins.* ad *Ov. Her.* 6, 110. et ad *Met.* 11, 107.] ℙ *Pollicitum, i*, promissio, pollicitatio. *Colum.* 11, 3. Memores polliciti nostri subjungemus cultus hortorum. *Ov. A. Am.* 1, 632. Pollicito testes quoslibet adde Deos; et *ib.* 355. Pollicitis corrumpere aliquem; et *Amor.* 3, 7, 70. capi.

*POLLINĀRIS, e, adj. i. q. pollinarius. *Gloss. Cyrill.* Pollinare cribrum, *γνφιστηριον κόσκινον. B. A.*

POLLĪNĀRĬUS, a, um, adj. ad pollinem pertinens. *Pl. Poen.* 3, 1, 10. Iste quidem gradus succretus est cribro pollinario, *h. e.* brevissimus et minutissimus, minimumque procedens. *Plin.* 18, 11, 28. Cribrorum genera Galli e setis equorum invenere, Hispani e lino excussoria et pollinaria.

POLLINCTOR, oris, m. *ἐνταφιαστής, ταφεύς, νεκροστόλος*, qui cadaver curat, lavat, ungit et rogo parat: a *pollingo. Varr.* ap. *Non.* 2, 682. Itaque

plures dies inter medici discessum, et adventum pollinctoris interfuerunt. *Pl. Poen. prol.* 63. Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat. *Mart.* 10, 97. Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato, Heredem scripsit me Numa: convaluit. *Ulp. Dig.* 14, 3, 5. Si libitinarius servum pollinctorem habuerit. ℙ Et universim vespillo, libitinarius. *Sidon. ep.* 3, 13. *med.* Cadaver rogale, quod facibus admotis semicombustum, moxque sidente strue torrium devolutum, reddere pyrae jam fastidiosus pollinctor exhorret. ℙ Quidam scrib. *pollictor.*

POLLINCTŌRĬUS, a, um, adj. ad pollinctorem pertinens. *Pl.* in *Suppos. Aul.* scena, *Quid hic*, 4. Libitinarius, sive pollinctorius efferar.

POLLINCTŪRA, ae, f. unctio et curatio cadaveris. V. POLLUCTURA.

POLLINCTUS, a, um, part. a *pollingo*, curatus, unctus. *Ammian.* 19, 1. Lectuli figmenta vehentes hominum mortuorum, ita curate pollincta, ut imagines essent corporibus similes jam sepultis. *Appul. Flor. n.* 19. Jam miseri illius membra omnia aromatis perspersa, jam os ipsius unguine odoro delibutum, jam eum pollinctum etc. ℙ Translate. *Sen. V. B.* 7. Voluptas medicamentis pollincta. Alii leg. *polluta.*

POLLINGO, is, inxi, inctum, a. 3. cadaver curare, lavare, ungere ad rogum et sepulturam. *Gloss. Phil.* Pollingo, *περιστέλλω νεκρὸν, σιροπλόκω, ταριχεύω, ἐντιφιάζω. Pl. prol. Poen.* 63. Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat. ℙ Quidam *pollincio* esse putant in praesenti: sed *pollingo* agnoscit etiam *Charis.* 3, 218. De etymologia V. *Voss.*

POLLĬO, onis, m. cogn. R., ut C. Asinius Pollio Cnaei filius, Herii nepos, Teate, Marrucinorum urbe, oriundus, Augusti amicus, Virgilii patronus, orator, poeta et historicus, cujus meminere *Virg. Ecl.* 3, 86., *Hor. Sat.* 1, 10, 85., aliique quam plurimi: videtur esse a *pellio.* ℙ De Trebellio Pollione V. CAPITOLINUS, i.

POLLIS. V. POLLEN.

POLLUBRUM et Polubrum, i, n. *χέρνιβον*, vas excipiendae aquae, dum manus lavantur, aut pedes, malluvium, trulleum, pelvis: a *polluo*, quod a *luo*, lavo. *Liv. Andr.* ap. *Non.* 15, 11. Argenteo pollubro et aureo gutto. *Fab. Pict. ib.* Aquam manibus pedibusque dato: polubrum sinistra manu teneto, dextera vasum cum aqua. V. PELLUVIA.

POLLŪCĔO, es, uxi, uctum, a. 2. *ἀποθύω*, sacrorum verbum est, de illis, qui Diis libamenta offerunt: videtur esse idem ac porricio. V. *Varr. l. c.* in POLLUCTUM §. 1. Proprie est partem victimae populo permittere, ut vescatur, postquam pars Diis data et porrecta est. Sed accipitur etiam pro sacra facere, Diis offerre, consecrare. *Cato R. R.* 132. Jovi dapali culignam vini, quantum vis polluceto. Cum pollucere oportebit, sic facies. Juppiter dapalis, quod tibi fieri oportet, in domo familia mea culignam vini dapi, ejus rei ergo macte hac dape pollucenda esto. *Pl. Stich.* 1, 3, 80. Uti decumam partem Herculi polluceam. *Plin.* 32, 2, 10. ex *Cassio Hemina:* Numa constituit, ut pisces, qui squamosi non essent, ni pollucerent: parcimonia commentus, ut convivia publica et privata, coenaeque ad pulvinaria facilius compararentur: ni qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent, eaque praemercarentur. *Fest.* quoque ea percenset, quae pollucere licebat, *h. e.* coemere Diis offerenda, et in conviviis sacrorum causa adhibenda, nimirum far, polentam, vinum, panem fermentatum, ficum passam, suillam, bubulam, agninam, caseos, ovillam, alicam, sesama, oleum, et pisces, quibus est squama, praeter scarum. Herculi autem omnia esculenta, poculenta.

POLLŪCES. V. POLLUX.

POLLŪCĪBĪLIS, e, adj. opulentus, opiparus, splendidus: a *polluceo*, quia polluctum plane opiparum, ac sumptuosum erat. *Macr. Sat.* 2, 13. *f.* Altera die Cleopatra pertentans Antonium, pollucibilem sane coenam paravit, sed quam non miraretur Antonius. *Tert. Jejun.* 17. Quis sanctior inter vos, nisi convivandi frequentior, nisi obsonandi pollucibilior, nisi calicibus instructior? *h. e.* sumptuosior, magnificentior.

POLLŪCĪBĪLĬTAS, atis, f. *Fulg. Myth.* 1, 2. Pollucis filius, sive a pollendo, sive a pollucibilitate, quam nos humanitatem dicimus.

POLLŪCĪBĪLĬTER, adv. *πολυτελῶς*, opipare, splendide, laute. *Pl. Most.* 1, 1, 23. Pascite parasitos, obsonate pollucibiliter. *Id. fragm.* ap. *Fulg. Myth.* 1, 2. Bibite, pergraecamini pollucibiliter.

POLLUCTĒ, adv. opipare, a *polluctum. Plaut. fragm.* ap. *Fest.* in *Prodegeris:* Pollucte prodigum esse amatorem addecet. Id sine dubio verius est, quam quod in vulgatis legitur: *producte.* Ita *Voss.* in *Polluceo.*

POLLUCTUM, i, n. sacrificium, sive convivium, quod Jovi dapali, Herculi, aliive Deo fiebat. *Varr. L. L.* 5, 7. Polluctum, quod a porriciendo est fictum. Cum enim ex mercibus libamenta porrecta sunt Herculi in ara, tum polluctum est. *Cassius Hemina* ap. *Plin.* 32, 2, 10. Ni qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent. *Macr. Sat.* 2, 12. *f.* Proprie autem catillones dicebantur, qui ad polluctum Herculis ultimi cum venirent, catillos liguriebant. ℙ Proprie autem *polluctum* erat pars victimae reliqua, quae a populo consumebatur, postquam alia pars Diis data et porrecta erat. Hinc *Pl. Rud.* 5, 3, 63. Spectatores vos quoque ad coenam vocem, ni daturus nihil sim, neque sit quicquam pollucti domi.

POLLUCTŪRA, ae, f. lautum convivium, coena lauta ac sumptuosa. *Pl. Stich.* 5, 4, 6. Quisquis praetereat, comissatum volo vocari. *St.* Convenit, dum quidem hercle quisque veniat cum vino suo. Nam hinc quidem hodie polluctura, praeter nos, jactura dabitur nemini. *Bothe* rectius legend. putat *pollucturae.*

POLLUCTUS, a, um, part. a *polluceo*, in medium positus, omnibus communis: ductum a *pollictis*, ad quae quilibet conveniebat. Postquam enim pars victimae, v. gr. exta, Diis porrecta et oblata erat, reliqua cum populo communicabatur, ut ab eo consumeretur. Hinc translate *Pl. Rud.* 2, 4, 11. Non ego sum pollucta pago: potin' ut me abstineas manum? ℙ Significat etiam opipare acceptus, laute habitus, nempe quia pollucentes veteres convivia lauta instituebant. Hinc jocose *Id. Curc.* 1, 3, 37. Polluctus virgis servus. ℙ Item imbutus, quasi particeps factus alicujus rei. *Arnob.* 5, 164. Hoccine de Diis quisquam vel exigua dixerit eorum opinione polluctus?

POLLŪO, is, ui, utum, a. 3. *μολύνω, μιαίνω*, inquino, maculo, foedo, contamino: a *luo*, lavo. *Virg. A.* 3, 233. de Harpyiis: Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis, Polluit ore dapes. *Ov. Met.* 15, 98. nec polluit ora cruore. *Tac. A.* 4, 49. Pollui cuncta sanie, odore, contactu. [*Quid differant *contaminare* et *inquinare*, v. in hh. vv. et ap. *Doederl.* 2, 56.] ℙ Translate est contaminare, violare, pervertere. *Cic. Rosc. Am.* 26. Ne, cum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera, quae violata sunt, expiari putantur. *Id. Dom.* 40. Qui non solum aspectu, sed etiam incesto flagitio, et stupro polluit caeremonias. *Id. Phil.* 11, 12. Omnia Deorum hominumque jura inexpiabili scelere polluerit. *Prop.* 4, 9, 8. de Caco: furto polluit ille Jovem. *Gell.* 2, 28. Polluere ferias, *h. e.* opus faciendo violare. *Sall. Jug.* 45. Avaritia invadit, polluit, vastat omnia. *Gell.* 9, 2. *med.* Nefas ducebant, nomina libertati patriae devota servili contagio pollui. *Prop.* 3, 19, 16. Pollueritque novo sacra marita toro. *Ov. Met.* 2, 793. de Invidia: Afflatuque suo populos, urbesque, domosque Polluit. *Tac. A.* 3, 50. Nefaria voce mentem suam et aures hominum polluere. *Plin. ep.* 4, 11. Cum ipse fratris filiam incesto polluisset. *Plin. alter* 15, 30, 40. In profanis usibus pollui laurum, et oleam, fas non est. *Tibull.* 1, 10, 17. auro ne pollue formam, *h. e.* ne corrumpas pretio accepto formam tuam. ℙ *Polluere* absolute, stupro foedare. *Tac. Agr.* 31. et *A.* 12, 46. ℙ Item dedecore afficere. *Id. A.* 3, 29. *extr.* Polluisse nobilitatem familiae videbantur. *Phaedr.* 3, 10. Stuproque turpi pollui famam domus. ℙ *Polluere jejunia*, solvere, rumpere. *Nigid.* ap. *Isid.* 20, 2. Nos ipsi jejunia jentaculis levibus polluimus. *Symm. ep.* 1, 7. Non deerit, quo famem polluant. Ita leg. *Salmas.*, alii *pellant.* [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 2, 10. At ego Romae haereo compedibus aureis vinctus: nec aliter Kal. Sept. exspecto, quam superstitiosi stellam, qua visa jejunium polluant. *F.*] ℙ Part. *Polluens* ap. *Tert. Cor. mil.* 12. In his erit serti militaris superstitio ubique polluta, et polluens omnia [*Polluendus* ap. *Tac. H.* 2, 76. Polluendam perdendamque rempublicam relinquere. *F.*]

*POLLUPICE, es, opp. Liguriae. *Ant. Itin. B. A.*

*POLLUS seu Polus, i, m. histrio eximius, de quo *Gell.* 7, 5. *B. A.*

*POLLUSTĪNI, orum, incolae Poluscae. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

[POLLŪTĒ, adv. inquinate, foede. *Paul. Nol. carm.* 26, 177. Atque erat in toto quasi sanctior agmine cultor, Qui Veneris sacris pollutius incaluisset. *F.*]

POLLŪTĬO, onis, f. actus' polluendi. *Pall.* 9, 10. Aqua colore perlucido, carens musco, et omni labe pollutionis aliena.

POLLŪTUS, a, um, part. a *polluo*, *μεμιασμένος*, inquinatus, foedatus. *Plin.* 14, 19, 23. Prohibare Diis nefastum habent vina superne deciduo immundiore lapsu aliquo polluta. *Sen. Octav.* 723. Hominum cruenta caede pollutae manus. *Sil.* 11, 337. Hospitia polluta sanguine. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 5, 72. *med.* Polluta, et violata sacra. *Virg. A.* 5, 5. duri sed amore dolores Polluto, *h. e.* laeso; et *ib.* 7, 467. Polluta pax. Sic *Sil.* 11, 322. hic erit ille, Qui polluta dolis jam foedera sanciet, ensis. *Sen. Herc. Fur.* 1261. Pollutus animus, *h. e.* scelere contaminatus. *Liv.* 10, 23. *med.* Vulgata dein religio a pollutis, nec matronis solum, sed omnis ordinis feminis, *h. e.* minime pudicis. *Sil.* 11, 46. sed enim temeraria pubis Delicta augebat, pollutior ipsa, senectus, *h. e.* vitiis inquinatior. *Gell.* 1, 5. Parum virum, et ore polluto esse. ℙ *Pollutus* a *porriciendo* fictus, Diis oblatus. *Varr. L. L.* 5, 7., sed alii rectius leg. *polluctus.* ℙ Sup. *Pollutissimus* habet *Appul. Met.* 9. Pollutissimus dives. *Pollentissimus* tamen nonnulli legunt.

POLLUX, ūcis, m. Tyndari, et Laedae filius, frater Castoris, Helenae, et Clytemnestrae. V. CASTOR. ℙ Fuit studiosus pugilatus, ut ibi dictum est. Aliquando tamen cum fratre confunditur, qui equorum domitor habitus est. V. CYLLARUS. ℙ *Polluces*, rectus casus singul. pro *Pollux*, est a Graeco *Πολυδεύκης*, ut *Varr. L. L.* 4, 10. *f.* docet. *Pl. Bacch.* 4, 8, 52. Castor, Polluces, Mars, Mercurius Hercules. ℙ *Πολυδεύκης* est a *δεῦκος*, dulce, aut mustum, et *πολύς*, multum. Fortasse ita dictus est Pollux a morum suavitate. ℙ In *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 218. dicitur *Deus Vincius Pollux*, quia pugilatu maxime valebat, vincebatque omnes. ℙ *Aliquem facere de Polluce Castorem* ap. *Mart.* 7, 57. est de pugili facere equitem R.

PŌLOSE, adv. per polos. *Capell.* 1, 14. Obliqua decussata polose. Ita perperam legitur in quibusdam editionib. pro *oblique decussatos polos.*

POLTEIO, pro ulteriore. *Festus.*

POLUBRUM. V. POLLUBRUM.

POLŪLUS, a, um, adj. antique pro paululus. *Cato R. R.* 10. Labellum polulum; et *ib.* 21. Laminae polulae. Scribitur et *pollulus*, ut *paululus* et *paullulus.*

PŌLUS, i, m. *πόλος*, est cardo, seu extrema pars axis, quo rota vertitur: a *πολέω*, verto. Duo figuntur *poli* in coelo, Arcticus, seu borealis, et Antarcticus, seu austrinus: quorum prior alte, et supra nos Europam incolentes positus, alter depressus est, et absconditus. Latine *vertices* dicuntur. *Virg. G.* 1, 242. Hic vertex nobis semper sublimis: at illum Sub pedibus Styx atra videt, Manesque profundi. *Plin.* 2, 15, 13. Terra a verticibus duobus, quos appellaverunt polos, centrum coeli est, necnon Signiferi oblique inter eos siti. *Id.* 2, 70, 71. Neque enim mundus hoc polo excelsiore se attollit. *Id.* 5, 9, 10. Sol in Capricornum, et austrinum polum reversus. *Ov. Pont.* 2, 7, 64. tristior ista Terra sub ambobus non jacet ulla polis. *Id. Met.* 2, 74. poterisne rotatis Obvius ire polis, ne te citus auferat axis? ℙ Item nomen stellae in ipso boreali polo sitae, in cauda minoris Ursae, quam nos dicimus *den Polarstern. Vitr.* 9, 6. *f.* Stella, quae dicitur polus. ℙ Per synecdoch. sumitur passim a poetis pro ipso coelo. *Virg. A.* 3, 585. Nam neque erant astrorum ignes, neque lucidus aethra Siderea polus; et *ib.* 5, 721. Et nox atra polum bigis subvecta tenebat. *Hor. Epod.* 17, 77. et polo Deripere Lunam vocibus possum meis. *Val. Fl.* 1, 622. Cum picei fulsere poli.

*POLUSCA, ae, f. opp. Latii. *Liv.* 2, 33. et 39. ℙ V. POLLUSTINI. *B. A.*

PŌLYĀCANTHOS, i, f. *πολυάκανθος*, herba folio et caule spinosae lanuginis, ut ait *Plin.* 21, 16, 56.: a *πολὺς*, multus, et *ἄκανθα*, spina.

*POLYAEGOS, i, f. *Πολύαιγος*, insula maris Aegaei, una ex Sporadibus. *Mela* 2, 7. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[PŌLYAENUS, i, m. *πολύαινος*, multum laudabilis: a *πολὺ*, multum, et *αἶνος*, laus. Est cogn. R., ut C. Julius Polyaenus in nummo G. Juliae ap. *Morell. tab.* 6. *litt.* E. ℙ Item geometra insignis, Epicuri familiaris. Ejus meminit *Cic. Fin.* 1, 6. et *Acad.* 4, 33. *F.*]

PŌLYANDRĬON, ii, n. *πολυάνδριον*, sepulcretum, vel multorum commune sepulcrum: a *πολὺς*, multus, et *ἀνὴρ, ἀνδρὸς*, vir. *Arnob.* 6. p. 194. Polyandria illa Varronis quibus templis contegantur, quasque in se habeant superlati ponderis moles. *Lactant.* Graece usurpat *Epit.* 72. Latine habetur etiam in vet. *Inscr.* ap. *Elmenhorst.* in *Observat.* ad *Arnob. l. c.* In *Gloss. Philox. πολυάνδριον, strages* vertitur.

PŌLYANTHĒMUM, i, n. *πολυάνθεμον*, herba, quae et batrachion, et Latine ranunculus: a *πολὺς*, multus, et *ἄνθεμον*, flos. *Plin.* 27, 12, 90.

[PŌLYANTHUS, i, m. *πολύανθος*, idem ac *πολυάνθεμος*, multos habens flores: a *πολὺς*, multus, et *ἄνθος*, flos. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1349, 10. Cn. Grattius Polyanthus. *F.*]

*POLYBE, es, f. *Πολύβη*, una ex quinquaginta Danai filiabus. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

[PŌLYBĬUS, ii, m. *πολύβιος*, senex, vivax: a *πολὺς*, multus, et *βίος*, vita. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 522, 1. M. Vipsanius Polybius. ℙ Item historicus Graecus celeberrimus, Arcas, e civitate Megalopoli, Lycortae filius, praeceptor Scipionis Africani, qui obiit ann. U. C. DCXXXIV. Ejus meminit *Cic. Off.* 3, 32., *Fam.* 5, 12. et *Att.* 13, 30. *Liv.* 30, 45. eum appellat *haud spernendum* auctorem. *F.*]

[PŌLYBUS, i, m. *Πόλυβος*, rex Corinthiorum, qui, cum liberis careret, Oedipum Laji patris jussu expositum, inventumque a pastore, educavit. *Stat. Th.* 1, 64., *Sen. Oedip.* 12. et *Hyg. fab.* 66. et 67. ℙ Alius inter procos Penelopes. *Ov. Her.* 1, 91. *F.*]

PŌLYCARPOS, i, f. *πολύκαρπος*, herba eadem quae polygonus. *Appul. H.* 18.

[PŌLYCARPUS, i, m. *πολύκαρπος*, fructuosus: a *πολύς*, multus, et *καρπός*, fructus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 288, 3. Caelius Polycarpus. ℙ Item discipulus S. Joannis, Smyrnaeorum episcopus, pro fide Christiana combustus. Ejus meminit *Tert. Praescr.* 32. *F.*]

*POLYCHARMUS, i, m. *Πολύχαρμος*, statuarius et sculptor. *Plin.* 36, 5. *B. A.*

[PŌLYCHRESTUS, a, um, adj. valde utilis: ex *πολύ*, multum, et *χρηστός*, utilis. *Veg. Vet.* 2, 6. Potionem quoque ex antidoto polychresto per dies plurimos dabis. *F.*]

PŌLYCHRONĬUS, u, um, adj. *πολυχρόνιος*, multum, diuturnus: a *πολύ*, multum, et *χρόνιος*, diuturnus. *Firm. Math.* 8, 28. *med.* Nobiles erunt polychronii, sed qui biothanati moriantur. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 343. Aelius Polycronius. Alia ap. *Fabr.* p. 113. *n.* 287. Scipio, et Polycronia se vivi. Utrobique vitio saeculi deest aspiratio. *F.*]

[PŌLYCHRYSUS, i, m. *πολύχρυσος*, affluens auro: a *πολύς*, multus, et *χρυσός*, aurum. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 191. T. Flavius Aug. Lib. Polychrysus. *F.*]

PŌLYCLĒTĒUS, a, um, adj. ad Polycletum pertinens. *Stat. Silv.* 2, 2, 67. Aut Polycleteo jussum est quod vivere coelo.

PŌLYCLĒTUS, i, m. *Πολύκλειτος*, statuarius eximius, genere Sicyonius, discipulus Ageladae. Duas eodem argumento statuas fecit, alteram arte sua, alteram de vulgi opinione, quam de sententia cujusvis praetereuntis caelaverat. Quibus perfectis turbam admisit, et primum illam ostendit, quam arte sua caelaverat, quae magnopere laudata est, deinde eam, quam ex vulgi opinione, quae non aeque placuit. Tunc, *Atqui*, inquit, *hanc, quam tantopere laudatis, ego feci, quam vero vituperatis, vos fecistis.* Fecit astragalizontes, hoc est talis ludentes, quo opere nullum absolutius judicant. Hujus etiam Doryphorus celebratur, quem Lysippus ajebat sibi magistrum fuisse. Fecit et alia, quae recenset *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2. Meminit et *Cic. Or.* 2, 16. et *ib.* 3, 7. et *Brut.* 18. et 86. et al. *Mart.* 8, 51. Mentoris haec manus est, an, Polyclete, tua? ℙ Paenultimam corripit *Prud. περὶ στεφ.* 10, 269. non imitandus.

[PŌLYCLĪTUS et Polyclētus, i, m. *πολύκλειτος*, et *πολύκλητος*, multum celeber: a *πολύ*, multum, et *κλεῖτος*, inclitus, et *κλητός*, vocatus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1179, 9. P. Julius Polyclitus; et 1725, 16. L. Pisentius Polycletus. *F.*]

PŌLYCNĒMON, i, n. *πολύκνημον, ου*, herba cunilae bubulae similis, semine pulegii, surculosa (unde nomen, a *πολύς*, multus, et *κνήμη*, crus) multis geniculis, corymbo odorato, acri et dulci odore. *Plin.* 26, 14, 88.

PŌLYCRĀTES, is, m. *Πολυκράτης*, tyrannus, qui regnavit in Samo insula, aetate Pythagorae, et Anacreontis, celebris apud historicos opibus, et felicitate. Nihil enim ei in vita adversi unquam contigit. Annulum habuisse dicitur incredibilis pretii, sibique carissimum, quem, ut nimis sibi blandientem fortunam aliqua adversitate temperaret, in mare abjecit: quem tamen postea in praecordiis piscis inventum recuperavit. Sed ejus mors aerumnosa et infamis docuit, neminem ante obitum merito dici posse felicem. Fuit enim ab Oronte Satrapa Persarum captus, suspensusque. *Cic. Fin.* 5, 30. *f., Val. Max.* 6, 9. *n.* 5. *extr.* [et *Front. de B. Parthico med.* ℙ *Item insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. ℙ Et Atheniensis sophista, qui Busiridem laudavit, reprehensus ab Isocrate, cujus oratio ejusdem argumenti adhuc exstat. V. *Quint.* 2, 17. p. 191. ed. *Burm. B. A.* ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* p. 206. M. Publicius Polycrates. *F.*]

*POLYCRATĪA, ae, f. *Πολυκράτεια*, Arati, Achaeorum ducis, uxor. *Liv.* 27, 31. *B. A.*

[PŌLYCTĒSIS, is, f. multa possidens: a *πολύ*, multum, et *κτῆσις*, possessio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 931, 12. Anniae Polyctesi A. Annius Philotas lib. cariss. etc. *F.*]

*POLYDAEMON, onis, m. *Πολυδαίμων*, vir, Perseo infestus, *Semiramio cretus sanguine*, ut loquitur *Ov. Met.* 5, 85. *B. A.*

POLYDĀMANTĒUS, a, um, adj. ad Polydamantem pertinens. *Sil.* 12, 212. Polydamanteis juvenis Pedianus in armis, *h. e.* qui Polydamantem Trojanum generis sui auctorem jactabat.

POLYDĀMAS, antis, m. *Πολυδάμας*, vir Trojanus, filius Antenoris ex Thelamno sorore Hecubae. Alii Panthoi filium fuisse dicunt. Fuit aequalis Hectoris, ejusdemque socius, et magister. Eloquentia valuit. Lycasten Priami filiam ex concubina uxorem duxit. *Dares* historicus c. 39. hunc dicit ad castra Graecorum noctu profectum de consilio Antenoris patris, et Aeneae Trojam prodidisse. *Ov. Met.* 12, 547. et *Her.* 5, 94. ℙ Polydamas alter, pancratiastes nobilis, qui aemulatus Herculem, leonem inermis amplexus superavit, taurum ingentem apprehensis extremis pedibus retro tenebat, currum agitatum sese opponendo altera manu apprehensum ex cursu retrahebat, in equosque insiliebat dejecto auriga. Arcessitus a Dario Artaxerxis magni filio, ter apud eum ex provocatione victor fuit. Postremo post coenam in caverna, cum saxum a vertice ruinam minaretur, diffugientibus convivis, confisus ipse viribus ac manibus posse illud sustinere, oppressus est. *Pausan.* 6, 5. et *Val. Max.* 9, 12. *f.* ℙ Poetae primam syllabam producunt vel metrica necessitate, ut in *Italia*, vel quia Aeolice *Πωλυδάμας* scribitur. *Homero* est *Πουλυδάμας*, *Iliad.* 12. 60. 80. 109. etc. [*Cf. quos laudat *Jahn* ad *Ov. Met.* 12, 547.]

POLYDECTES, ae, m. *Πολυδέκτης*, filius Magnetis, rex Seriphi insulae. Hic Perseum Jovis et Danaes filium educavit. Cujus tandem ingenium veritus, audaciamque et felicitatem, sub praetextu aeternae gloriae illum ad superandam Gorgonem Medusam misit. Sed Perseus devicta Medusa victor reversus est. Polydectes, cum Perseo semper detraheret, conversus est ab illo in silicem objecto capite Medusae. *Ov. Met.* 5, 242. Te tamen, o parvae rector, Polydecta, Seriphi, etc. *Hyg. fab.* 273. et *Astron.* 2, 12. ℙ *Item sculptor et statuarius, de quo *Plin.* 36, 5. *B. A.*

*POLYDECTOR, oris, unus ex quinquaginta Aegypti filiis. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

[PŌLYDEUCĒS, is, m. *Πολυδεύκης*, Pollux. V. h. v. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1151, 7. Claudius Polydeuces. *F.*]

*POLYDŌRA, ae, f. *Πολυδώρα*, Amazonum una, cujus meminit *Hyg. fab.* 163. *B. A.*

PŌLYDORĒUS, a, um, adj. ad Polydorum pertinens. *Ov. Met.* 13, 629. Et Polydoreo manantem sanguine terram.

POLYDŌRUS, i, m. *Πολύδωρος*, filius Priami ex Hecuba, quem pater initio belli Trojani, cum magno auri pondere conservandum misit Polymnestori regi Thraciae, non solum antiquo amico et hospiti, sed etiam genero suo, data ei in matrimonium Ilione maxima filiarum. Sed ille, incensa Troja, ceterisque Priami filiis fere omnibus interfectis, auri cupiditate adductus Polydorum in litore spatiantem telis aggressus est, et frustra fidem Deorum hominumque implorantem occidit. *Virg. A.* 3, 40. et sqq. V. *Ov. Met.* 13, 429. et sqq. et *Serv.* ad *Virg. l. c.* 49. ℙ Alius fuit *Polydorus* filius Hippomedontis et Evanippes. *Hyg. fab.* 71. ℙ Fuit etiam hoc nomine sculptor quidam. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 34. et 36, 5, 19. *n.* 11. ℙ [Item cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 33. *n.* 156. P. Acilius Polydorus. *F.*]

[PŌLYDRŌMUS, i, m. *πολύδρομος*, multum currens: a *πολύ*, multum, et *δρόμος*, cursus. Est nomen propr. serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 851, 2. Polydromo Illyricus fratri B. M. F. *F.*]

[PŌLYĒNUS, i, m. *πολύενος*, qui multorum annorum est: a *πολύς*, multus, et *ἐνος*, annus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 40, 9. L. Atilius L. libertus Polyenus. *F.*]

PŌLYGĂLA, ae, f. *πολύγαλον*, herba palmi altitudinem petens, in caule summo foliis lenticulae, gustu adstricto: quae pota lactis abundantiam facit: unde nomen a *πολύ*, multum, et *γάλα*, lac. *Plin.* 27, 12, 96. [**Milchkraut, Kreuzblume.*]

[PŌLYGNŌTUS, i, m. *Πολύγνωτος*, pictor celeberrimus, Thasius. Hujus meminit *Cic. Brut.* 18. et *Plin.* 7, 56, 57. et al. *F.*]

PŌLYGONĀTON, i, n. *πολυγόνατον*, herba, genus polygoni, a geniculorum frequentia dictum: nam *πολύ*, multum, *γόνυ, γόνατος*, genu. *Plin.* 27, 12, 91. [**Weisswurz*, Convallaria polygonatum, *L.*]

PŌLYGONĬUM, ii, n. herba eadem quae poligonos. *Scrib. Comp.* 193.

PŌLYGONĬUS, a, um, adj. *πολυγώνιος*, multos habens angulos, multangulus: a *πολύς*, multus, et *γωνία*, angulus. *Vitr.* 1, 5. *med.* Turres rotundae, aut polygoniae sunt faciendae: quadratas enim machinae celerius dissipant.

PŌLYGŌNŌĪDES, is, n. *πολυγονοειδές*, herba alio nomine clematis Aegyptia, et daphnoides, folio lauri, longa tenuisque: adversus serpentes ac privatim aspidas, ex aceto pota, efficax. *Plin.* 24, 15, 99. ℙ Sic appellatur, quia propter crebra genicula speciem habet polygoni: a *πολύς*, multus, et *εἶδος*, species, forma, facies.

PŌLYGŌNOS et Polygonus, i, f. herba, quae Latine sanguinaria. Non attollitur a terra, foliis rutae, semine graminis: a *πολύ*, multum, et *γόνυ*, genu, quia geniculis abundat. *Plin.* 27, 12, 91. Poligonon Graeci vocant, etc. *Id.* 26, 15, 9. Polygonus pota menses ciet. [*Polygonum, *L.*]

[PŌLYGŌNUM, i, n. *πολύγωνον*, figura mathematica pluribus angulis constans: a *πολύς*, multus, et *γῶνος*, angulus. *Censor. de die nat.* 8. *med.* Ceterum a loco sexto conspectus omni caret efficientia; ejus enim linea nullius polygoni afficit latus. *F.*]

PŌLYGRAMMOS, i, f. *πολύγραμμος*, genus gemmae lineis albis multis distincta, cetera smaragdo similis: a *πολύς*, multus, et *γραμμή*, linea. *Plin.* 37, 9, 37.

PŌLYGYNAECON, i, n. *πολυγυναικεῖον*, frequentia, seu senatus mulierum. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 29. Pinxit in templo Eleusine Phylarchum, Athenis frequentiam, quam vocavere polygynaecon. Aliqui legunt *gynaeconitim*, alii *polygynaeceon*. *Hard.* denique *syngenicon*, h. e. cognationem, *συγγενικόν*, quae vox habetur etiam *ib. n.* 37. Sed haec Graeca sunt omnia.

PŌLYHISTOR, ŏris, adj. *πολυΐστωρ, ορος*, multiscius, varia multiplicique eruditione praeditus: a *πολύ*, multum, et *ἴστωρ*, sciens, peritus. Ita appellatus est Solinus: item Cornelius Alexander grammaticus Graecus, teste *Suet. Gramm.* 20. Ex hoc multa hausit *Plin.* in sua *Nat. Historia*, eumque inter externos auctores recenset *lib.* 1. in *indice lib.* 3. 4. 5. 6. 7. 9. etc.

PŌLYHYMNĬA, vel Polymnia, vel Polymneia, ae, f. una ex Musis: de qua V. in MUSA. Dicta videtur a *πολύς*, multus, et *ὕμνος*, laudatio, hymnus, vel potius a *μνεία*, memoria, quia laudes Deorum celebrat, vel multum memoria pollet. Ea vero fabulis pantomimicis praeest, ideoque in *Pictur. Herculan.* T. 2. tab. 7., ap. *Viscont. Mus. Pio-Clem.* T. 1. tab. 23. et in nummo G. Pomponiae ap. *Morell. n.* 2. cogitabunda et peplo involuta effingitur, quippe quae sine eloquio res gestas Deorum hominumque repraesentat. *Ov. Fast.* 5, 9. Dissensere Deae: quarum Polyhymnia coepit, etc. *Mart.* 4, 31. Quod nec Melpomene, quod nec Polyhymnia possit. *Auson. Idyll.* 20. Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia gestu. *Auct.* incertus in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 51. *Burm.* Flectitur in faciles, variosque Polymnia motus. *Virg. Cir.* 55. Nam verum fateamur, amat Polymneia verum. Hic secunda in *Polymneia* corripitur Graeco more, ut in *Clytemnestra* ap. *Auson. Epit.* 1., paenultima vero per diaeresin diphthongi in duplicem solvitur, ut Graece pro *Πολυμνεία* fit *Πολυμνηΐα*. *Cassiod. Var.* 4, 51. His sunt additae orchestarum loquacissimae manus, linguosi digiti, silentium clamosum, expositio tacita; quam Musa Polymnia invenisse narratur, ostendens homines posse et sine oris afflatu suum velle declarare. *Fulg. Myth.* 1, 14. Quinta *Πολυμνεία*, quasi *Πολυμνήμη*, id est multam memoriam faciens. [*Hujus loci curam egregie gessit *F.*]

*POLYĪDUS, i, m. *Πολύϊδος*, Corinthius, augur. *Cic. Div.* 1, 40. et *Leg.* 2, 13. ℙ Alius, Coerani filius. *Hyg. fab.* 136. ℙ Item architectus. *Vitr. praef.* 7. *B. A.*

PŌLYMACHAEROPLĂCĬDES, ae, m. nomen militis fictum a *Pl. Ps.* 4, 2, 31., quasi dicas probe quidem machaera armatum, sed placidum tamen, et imbellis animi. Vox est hybrida ex *πολύς*, multus, *μάχαιρα*, gladius, et *placidus*.

*POLYMEDĪA, ae, f. opp. vicusve Mysiae. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

*POLYMESTOR, rex Thracum. V. POLYMNESTOR. ℙ Polymestor, Milesius puer, quum a matre locatus esset ad caprarios pastus, ludicro leporem consecutus est; et ob id statim productus a gregis domino Olympiade sexta et quadragesima (ut Bocchus auctor est) victor in stadio meruit coronam. *Solin.* 6. *B. A.*

[PŌLYMĪTĀRĬUS, a, um, adj. qui polymita facit. *Venant.* in *epist.* praemissa *carm.* 6. *l.* 5. Polymitarius artifex vestes texuit sacerdotum. *F.*]

PŌLYMĪTUS, a, um, adj. *πολύμιτος*, multis liciis, atque adeo multis filis contextus: a *πολύς*, multus, et *μίτος*, filum, licium. *Plin.* 8, 48, 74. Plurimis vero liciis texere, quae polymita appellant, Alexandria instituit. V. LICIUM. *Petr. fragm. Trag.* 40. *Burm.* Barbatus ingens, fasciis cruralibus alligatus, et alicula subornatus polymita. *Hieron. ep.* 64. *n.* 12. Balteum ita polymita arte distinctum, ut diversos flores ac gemmas artificis manu non textas, sed additas arbitreris. *Mart.* 14, 150. cujus lemma est *Cubicularia polymita.* Haec tibi Memphitis tellus dat munera: victa est Pectine Niliaco jam Babylonis acus. ℙ Ex his collige, et multicolora saepe fuisse licia, seu fila in polymita veste, et a Babylonicis differre, quod acus in his, in polymita opus faceret ipsa textura. [Hinc *Ammian.* 14, 6. Tunicae varietate liciorum effigiatae in species animalium multiformes. V. MULTICIUS. *F.*]

PŌLYMNESTOR et Polymestor, ŏris, m. *Πολυμνήστωρ*, et *Πολυμήστωρ, ορος*, rex Thracum in ea regione, quae Bistonia, et Pallene dicta est, gener Priami, ejus filia Ilione uxore ducta. Hic Polydorum uxoris fratrem post Trojae excidium interfecit, ut in POLYDORUS dictum est. Quod cum Hecuba, in Graeciam cum aliis captivis mulieribus navigans, ubi in Thraciam pervenit, cognovisset, eum adiit, tanquam aliud auri pondus indicatura, seductumque, aliarum feminarum ope, unguibus excaecavit. *Ov. Met.* 13, 536.

[PŌLYMNESTUS, i, m. *πολύμνηστος*, multis desponsatus: a *πολύς*, multus, et *μνηστός*, desponsatus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 577, 3. T. Flavius T. L. Polymnestus. *F.*]

PŌLYMYXOS, i, f. *πολύμυξος*, lucerna, quae multis ellychniis lumen in diversa spargit: a *πολύς*,

multus, et *μύξα*, quod inter alia etiam de lucernae ellychnio dicitur. Legitur ap. *Mart.* 14, 14. in lemmate. V. MYXOS.

POLYNEURON, i, n. *πολύνευρον*, herba multas fibras veluti nervos habens. *Appul. Herb.* 1.

[PŌLYNĪCE, es, f. multum victrix: a *πολύ*, multum, et *νίκη*, victoria. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 892, 13. Valeria Polynice. *F.*]

PŌLYNĪCES, is, m. *Πολυνείκης*, filius Oedipi, frater Eteoclis: a *πολύς*, multus, et *νεῖκος*, rixa, jurgium, contentio. V. ETEOCLES. *Stat. Th.* 7, 689. Parcior ad cives Polynicis inhorruit ensis. *Quint.* 5, 10. *med.* Nam et illud apud Euripidem frigidum sane, quod nomen Polynicis, ut argumentum morum, frater incessit. ℙ Si *νίκη* per *ι* scribas, est multarum victoriarum compos: quo sensu nomen est equi Circensis in *Inscr.* ap. *Grut.* 341. [Item est cogn. aurigae Circensis in *Inscr.* ap. *Sirmond.* ad *Sidon.* p. 160. Aurelius Polynices. *F.*] ℙ **Polynicen* in quarto habet *Auct. fragm. mythol.* p. 106. ed. *B. G. Niebuhrio. B. A.*

[POLYNĪCUS, i, m. multum victor: a *πολύ*, multum, et *νίκη*, victoria. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1170, 9. C. Grattius Polynicus. *F.*]

POLYONYMOS, i, adj. *πολυώνυμος*, herba perdicalis: a *πολύ*, multum, et *ὄνυμα*, nomen: ita vero est appellata, quia multis praeterea nominibus appellatur. *Appul. Herb.* 81. [**Repphühnerkraut.*]

*POLYPĒMON, onis, m. pater Procrustae. *Ov. Ib.* 407. Ut Sinis et Sciron et de Polypemone natus. V. PROCRUSTES. *B. A.*

PŌLYPHAGUS, i, m. *πολυφάγος*, multum comedens, vorax, heluo: a *πολύ*, multum, et *φάγω*, edo. *Suet. Ner.* 37. Creditur etiam polyphago cuidam Aegyptii generis, crudam carnem, et quidquid daretur, mandere assueto, etc. ℙ Strenui polyphagi exemplum habes apud *Vopisc. Aurel. f.*

PŌLYPHĒMUS, i, m. *Πολύφημος*, cyclops Neptuni filius ex Thoa Phorci filia, monstrum ingenti corpore, uno tantum oculo in fronte. Galateam Nympham adamavit, a quo spretus, animi dolore Acin puerum, quem illa praetulerat, saxo interfecit. Ad hunc venit Ulysses cum duodecim comitibus, et optimo vino soporatum titione obcaecavit. *Virg. A.* 3, 619. et sqq., *Ov. Met.* 13, 770. *Polyphemon* in accus. Graeco more dixit *Mart.* 4, 49. ℙ*Alius. Elati filius, Argonauta. *Hyg. fab.* 14. *B. A.*

[POLYPHĪLUS, i, m. *πολύφιλος*, qui multos amat: a *πολύς*, multus, et *φίλος*, amicus. Videtur significare idem quod philocalus, *h. e. amante del bello, dilettante. Pelag. Vet.* 30. Hoc ex polyphitis Euranius expertum esse firmavit, *h. e. un dilettante di cavalli. F.*]

*POLYPHONTES, ae, *Πολυφόντης*, Messeniae rex, unus ex Heraclidis, qui, Cresphonte Aristomachi filio interfecto, ejus imperium et Meropem uxorem possedit. *Hyg. fab.* 137. *B. A.*

[POLYPLEURUS, a, um, adj. *πολύπλευρος*, multa habens latera: a *πολύς*, multus, et *πλευρά*, latus. *Capell.* 6, 230. Dictum de tetrapleuris, quorum similitudo polypleura schemata potest docere. *F.*]

PŌLYPLŪSĬUS, a, um, adj. *πολυπλούσιος*, valde dives: a *πολύ*, multum, et *πλούσιος*, dives. Ap. *Pl. Capt.* 2, 2, 27. et 5, 2, 20. cognomen est gentis, aut familiae joculariter conflictum.

PŌLYPODĬUM, ii, n. *πολυπόδιον*, herba, quae et serpyllum, et dolichos dicitur. *Plin.* 16, 44, 92. et 26, 12, 75. [**Engelsüss.*]

*POLYPOETES, ae, *Πολυποίτης*, Pirithoi filius ex Hippodamia, unus ex procis Helenae. *Hyg. fab.* 81. *B. A.*

POLYPOSUS, a, um, adj. qui polypo morbo laborat. *Mart.* 12, 37. Nasutum volo, nolo polyposum. Adde *Ulp. Dig.* 21, 1, 12.

[PŌLYPSEPHUS, a, um, adj. *πολύψηφος*, multis lapidibus seu gemmis constans: a *πολύς*, multus, et *ψῆφος*, lapis. *Inscr.* ap. *Mur.* 139, 1. Digito sequenti annulus polypsephus. *F.*]

PŌLYPTŌTON, i, n. *πολύπτωτον*, traductio, figura locutionis, qua casibus divevsis oratio distinguitur: a *πολύς*, multus, et *πτωτός*, cadens, ut ap. *Virg. A.* 4, 628. Litora litoribus contraria, fluctibus undas Imprecor, arma armis pugnent, etc. Graece scribitur ap. *Quint.* 9, 3., Latine vero ap. *Capell.* 5, 175.

PŌLYPTYCHUS, a, um, adj. *πολύπτυχος*, multiplex, hoc est multas plicas habens: a *πολύς*, multus, et *πτυχή*, plica. *Veg. Mil.* 2, 19. Res annonaria, vel civilis polyptychis annotatur, *h. e.* tabulis, seu libris censuum, et publicarum rationum. *Cassiod. Var.* 5, 14. *extr.* Ut omnibus a te sollicita indagatione compertis, polyptychis jubeantur adscribi. Adde *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 11, 26, 2. et *Honor. et Theodos. ib.* 28, 13. V., si lubet, *Gothofr.* ad *Cod. Theod. l. c.*

PŌLYPUS, i, m. *πολύπους*, Attice *πούλυπος*, et Dorice *πώλυπος*, piscis marinus, a multitudine pedum dictus (a *πολύς*, multus, et *ποῦς*, pes): octo enim habet qui vicem pinnarum praebent. Nulla cute tegitur: cerebrum habet, quamvis careat sanguine: in terram exit: parit vere ova tortili vibrata pampino, tanta fecunditate, ut multitudinem occisus non recipiat cavo capitis, quo praegnans tulit; excluditque ea quinquagesimo die, multis propter numerum intercidentibus: adhaeret firmissime petris, nec avelli inde potest: idem tamen, cunila admota, ab odore protinus resilit. Multa sunt polyporum genera: terreni (h. e. prope litus accolentes, et in terram exeuntes) majores, quam pelagii: omnes brachiis (quae et flagella, et crines, et cirri, et pedes dicuntur), ut pedibus ac manibus, utuntur: cauda vero bisulca et acuta. Est iis etiam fistula in dorso, qua transmittunt mare: eamque modo in dexteram partem, modo in sinistram transferunt: natant obliqui in caput, quod praedurum est. Cetero per brachia velut acetabulis dispersis, haustu quodam adhaerescunt: tenent supini, ut avelli non queant. Colorem mutant ad similitudinem loci, et maxime in metu. Haec omnia ex *Plin.* 9, 12, 14., *ib.* 19, 35., *ib.* 20, 37., *ib.* 29, 46., *ib.* 51, 74., 10, 70, 90., et 11, 37, 49. et *ib.* 48, 108. [**Sepia octopodia, L.*] ℙ Declinatur Latino more *polypus, i*: Graeco esset *polypodis. Ov. Hal.* 30. At contra scopulis crinali corpore segnis Polypus haeret, et hac eludit retia fraude. *Plin.* 12, 9, 20. Arbores sicco litore radicibus nudis polyporum modo amplexae steriles arenas. *Id.* 11, 37, 78. Intestinus ab ore incipit, et quibusdam eodem reflectitur, ut sepiae, polypo. *Id.* 9, 51, 74. Polypus femina modo in ovis sedet, modo cavernam cancellato brachiorum implexu claudit. ℙ Translate dicitur de homine rapaci. *Pl. Aul.* 2, 2, 21. Ego istos novi polypos, qui sibi, quidquid attigerint, tenent. ℙ In fem. gen. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 175. Paulisper comedens edet haec se, ut polypus ipsa. Tangit *Lucil.* opinionem vulgi credentis, polypum sua sibi brachia rodere: quod falsum esse, *Plin.* ait 9, 29, 46. Verba *Lucilii* possunt et ita legi, ut *ipsa* non ad *polypus*, sed ad *haec se* referatur: Paulisper comedens edet haec se, ut polypus, ipsa. ℙ Est etiam hoc nomine morbus in naribus, hoc est caruncula, modo alba, modo subrubra, narium ossi inhaerens, quae modo ad labra tendens narem implet: modo retro per id foramen, quo spiritus a naribus ad fauces descendit, adeo increscit, ut post uvam conspici possit; strangulatque hominem, maxime austro, aut euro flante: fereque mollis est, raro dura: eaque magis spiritum impedit, et nares dilatat: fereque *καρκινώδης* est. Ita *Cels.* 6, 8. *n.* 2. describit. Habet autem nomen a polypo pisce, quia et carne eum refert, et multas habet radices, ut ille pedes. *Hor. Epod.* 12, 4. sagacius unus odoror, Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis. *Plin.* 24, 16, 92. Ulcera omnium generum, sive phagedaenae sint, sive carcinomata, sive polypi in naribus.

*POLYRRHENĪUM, i, n. oppidum Cretae, cujus meminit *Plin.* 4, 12. *B. A.*

PŌLYRRHIZOS, i, *πολύῤῥιζος*, adj. multas radices habens: a *πολύς*, multus, et *ῥίζα*, radix. Cogn. est multarum herbarum, ut plistolochiae, ap. *Plin.* 25, 8, 54. hellebori nigri, *ib.* 5, 21. aristolochiae, *ib.* 8, 55. et peculiaris herbae folio myrti, radice multa, 27, 12, 102.

PŌLYSĒMUS, a, um, adj. *πολύσημος*, multa significans: a *πολύς*, multus, et *σῆμα*, signum. *Serv.* ad *A.* 1, 1. Polysemus sermo.

PŌLYSIGMA, ātis, n. vitium elocutionis: a *πολύς*, multus, et *σίγμα*, sigma littera Graeci alphabeti, quae *s* Latine scribitur. *Capell.* 5, 167. Polysigma, ubi s littera crebrius geminatur. Sosia in solario soleas sarciebat suas.

POLYSPASTON, i, n. machina tractoria, ita appellata, quia multis orbiculis constat: a *πολύς*, multus, et *σπάω*, traho. *Vitr.* 10, 5. [Hoc genus machinae polyspaston appellatur, quod multis orbiculorum circuitionibus et facilitatem summam praestat et celeritatem. *Id. ib.* 16. Catapultae aliae etiam vectibus et suculis, nonnullae polyspatis, aliae ergatis, quaedam etiam tympanorum torquentur rationibus. *F.*]

POLYSYNTHĒTON, i, n. figura verborum per adjectionem, per quam eadam conjunctio in membris, vel incisis orationis frequenter repetitur: a *πολύ*, multum, et *συντίθημι*, simul pono. Quidam duas figuras distinguunt, *polysyndeton*, et *polysyntheton*: et *polysyndeton* esse volunt, cum eadem conjunctio saepius in incisis repetitur: a *σύνδετος*, colligatus, quod a *δέω*, ligo; *polysyntheton*, cum in membris ejusdem conjunctionis repetitio fit, vel etiam plures conjunctiones diversae afferuntur. Exemplum prioris est in illo *Virg. G.* 3, 344. *tectumque, laremque, Armaque, Amyclaeumque canem, Cressamque pharetram.* Posterioris hoc modo ap. *Rutilium Lupum l.* 1. *Ille hunc poena constrictum trahebat, hic autem vociferabatur: concursus vero non mediocris erat, cum tamen omnes opitulari vellent, sed nemo auderet: neque ibi magistratus aderat, neque circumspicientes, quo potissimum confugeremus, reperiebamus.* Utraque haec vox Graeca est, atque Graecis litteris est scribenda.

PŌLYTĒLES, is, n. *πολυτελές*, titulus est libri septimi *Apicii*, et significat sumptuosum, impendiosum: a *πολύ*, multum, et *τέλος*, vectigal, impensa: quia in eo libro multa traduntur condimenta, quae magnas impensas requirunt.

*POLYTELĪA, ae, f. opp. Mesopotamiae. *Plin.* 6, 26. *B. A.*

*POLYTIMĒTUS, i, m. *Πολυτίμητος*, fluvius Sogdianae. *Curt.* 7, 10. *in. B. A.*

[PŌLYTĪMUS, i, m. *πολύτιμος*, valde pretiosus, multo honore dignus: a *πολύ*, multum, et *τιμή*, pretium, honor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 11. *n.* 6. Olus Publicius Polytimus. *Mart.* 12, 75. Festinat Polytimus ad puellas. *F.*]

PŌLYTRĪCHON, i, n. *πολύτριχον*, herba, capillus Veneris, a multitudine tenuium fibrarum, seu capillamentorum in radicibus sic dicta: nam *πολύ*, multum, et *θρίξ*, *τριχός*, capillum significat. *Plin.* 22, 21, 30. ℙ Eadem dicitur et polythrix, icis, *πολύθριξ*, ab *eod.* 26, 14, 87. ℙ Polythricos nomen est gemmae capillamentum referentis. *Id.* 37, 11, 73.

PŌLYXĒNA, ae, f. *Πολυξένη*, filia Priami ex Hecuba conjuge. Post Trojae excidium a Pyrrho Achillis filio ad patris sepulcrum jugulata est, quod Achilles-sub specie nuptiarum cum ea celebrandarum a Paride per insidias interfectus fuisset in templo Apollinis. V. *Ov. Met.* 13, 439. et sqq. et *Sen. Troad.*, ubi v. 368. habetur *Polyxenē* in recto casu, Graeca positione. ℙ [Fuit etiam alia *Polyxena*, una ex Danai filiabus, quae Aegyptum interfecit. *Hyg. fab.* 170. *F.*]

PŌLYXĒNĬUS, a, um, adj. ad Polyxenam spectans. *Catull.* 64, 368. Alta Polyxenia madefient caede sepulcra.

*POLYXĒNUS, i, m. *Πολύξενος*, Agasthenis filius, unus e procis Helenae *Hyg. fab.* 81. *B. A.*

PŌLYXO, us, f. *Πολυξώ*, anus Lemnia, vates Apollinis, quae, cum Lemniades a viris suis, inductis ex Thracia pellicibus, spernerentur, auctor fuit, ut omnem virilem sexum interimerent: eademque postea hortatrix fuit, ut Argonautas hospitio exciperent: quod utrumque fecere. V. *Stat. Th.* 5, 90. et sqq., *Val. Fl.* 2, 316. et sqq. [et *Hyg. fab.* 15. ℙ Item Atlantis filia ex Pleione, Hyadum una. *Id. fab.* 191. ℙ Alia, Ponti et Maris filia. *Id. fab. praef. F.*]

PŌLYZŌNOS, i, m. *πολύζωνος*, gemma nigra multis zonis candicantibus distincta. *Plin.* 37, 11, 73.

*PŌMĀNUS, i, m. Indiae fluvius, cis Gangem. *Plin.* 6, 23. Flumen navigabile Pomanus Pandarum finibus. *B. A.*

PŌMĀRĬUM, ii, n. *παράδεισος*, locus pomiferis arboribus consitus, pometum. *Cic. Sen.* 15. *f.* Nec vero segetibus solum, et pratis, et vineis res rusticae laetae sunt, sed etiam hortis, et pomariis. *Varr. R. R.* 1, 2. Non arboribus consita Italia est, ut tota pomarium videatur? *Hor. Od.* 1, 7, 13. Tiburni lucus, et uda Mobilibus pomaria rivis. *Ov. de nuce* 111. Hesperii regis pomaria tuta fuissent: Una sed immensas arbor habebat opes. *Plin.* 34, 14, 39. Serere arbusta, pomaria ponere. *Sen. ep.* 122. Pomaria in summis turribus serere. *Colum.* 5, 10. pomarii constituendi rationem tradit. ℙ Item locus in villa, ubi decerpta poma conduntur. [*Varr. R. R.* 1, 2. Hujusce pomaria summa sacra via, ubi poma veneunt contra auream imaginem. *Salm.* et *Schneid.* recte legend putant *contra aurum;* et glossam *id est magno*, quae postea in *imaginem* conversa fuerat, rejiciunt. *F.*] *Plin.* 15, 16, 18. *n.* 1. In universum de pomis servandis praecipitur: pomaria in loco frigido ac sicco contabulari, septentrionalibus fenestris sereno die patere, etc. [Hinc liquet, nihili faciendam esse auctoritatem *Charis.* 1, 85. Pometa dicuntur, ubi poma nascuntur, ut oliveta; pomaria autem, ubi servantur, ut penuaria. *F.*]

POMĀRĬUS, a, um, adj. ad poma pertinens. *Cato R. R.* 48. Pomarium seminarium ad eundem modum, atque oleagineum facito. [*Varr. R. R.* 1, 23. Neque minus ea discriminanda in conserendo, quae sunt fructuosa, propter (lege *praeter*) voluptatem, ut quae pomaria ac floralia appellantur. *F.*]

POMĀRĬUS, ii, m. *ὀπωρώνης*, pomorum venditor. *Hor. Sat.* 2, 3, 227. Edicit, piscator uti, pomarius, anceps, etc. [*V. *Torrent.* ad h. l.] Adde *Lampr. Elag.* 27. et *Inscr.* ap. *Grut* 651, 11. ℙ *Pomarius*, hoc est locus pomis condendis, agnoscitur a *Charis.* 1, 23. Sed nullo exemplo firmatur.

POMĒRĬDĬĀNUS, a, um, adj. *δειλινός*, qui post meridiem est, aut fit. *Cic. Or.* 3, 30. *f.* Ambulatio antemeridiana, aut pomeridiana sessio. *Id. ib.* 5. Pomeridianum tempus. Alii leg. *postmeridianum:* quod et ap. *Vitr.* 1, 6. et *Suet. Gr.* 24. legitur: sed *Cic. Or.* 47. libentius se ait dicturum *pomeridianus*, quam *postmeridianus*: nimirum quia est suavius. Hac ratione

PO' MĒRĬDĬEM pro postmeridiem dixisse quosdam, scribit *Quint.* 9, 4. ad evitandum consonantium concursum.

POMĒRĬUM et Pomoerium, ii, n. locus intra et extra murum urbis: a *post*, vel *pone*, et *murus*, aut *moerus*. [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 574.] De

eo ita *Liv.* 1, 44. de Servio: Ad eam multitudinem Urbs quoque amplificanda visa est. Addit duos colles, Quirinalem, Viminalemque: aggere, et fossis, et muro circumdat Urbem: ita pomoerium profert. Pomoerium, verbi vim solam intuentes, postmoerium (alii leg. *post murum*) interpretantur esse. Est autem magis circa murum (alii leg. *circamoerium*) locus: quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant, ut neque in interiore parte aedificia moenibus continuarentur, quae nunc vulgo etiam conjungunt; et extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, pomoerium Romani appellarunt: et in Urbis incremento semper, quantum moenia processura erant, tantum termini hi consecrati proferebantur. Haec *Livius.* In antiquis libris de auspiciis ap. *Gell.* 13, 14. ita definitur: Pomoerium est locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum, pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii. *Varr. L. L.* 4, 32. Principium, quod erat post murum, pomerium dictum; ejusque ambitu auspicia urbana finiuntur. Addit *Gell. l. c.* jus proferendi pomoerii fuisse penes eum, qui populum R. agro de hostibus capto auxisset. Post Servium Tullium id affectasse Sullam, deinde Julium Caesarem: quibus adde Augustum et Claudium imperatorem, ut est ap. *Tac. A.* 12, 23. et 24., ubi etiam terminos antiqui pomoerii ab Romulo constitutos enarrat. *Sullam affectasse* inquit *Gell.*, quia pomoerium proferre nunquam provinciali, sed solum Italico agro acquisito, mos fuit, ut *Sen.* docet *Br. V.* 14. Id tamen intellige sub libera republica: nam sub imperatoribus, etiam barbarico agro acquisito prolatum est pomoerium, ut colligitur ex *Vopisc. Aurel.* 21., qui Neronem quoque, et Trajanum dicit pomoerium protulisse. V. quae ad h. l. adnotavit *Salm.*, ubi inquirit, num etiam Aurelianus protulerit. Consulesis *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 237. *ed. Patav.* ℙ Translate. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Video, qui de agricultura scripserunt, latius vagatos, quam oportuerit. Ego vero, inquit Stolo, eos non in omni re imitandos arbitror, et eo melius fecisse quosdam, qui minore pomoerio finierunt. *Macr. Sat.* 1, 24. Belli isti homines certos scientiae fines, et velut quaedam pomoeria, et effata posuerunt, ultra quae etc. ℙ Ad scriptionem quod attinet, diphthongum omittunt *Inscr.* ap. *Grut.* 196, 2. et 4. et 242., et ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 264. a *Manutio* allatae, quibus adde *Dausq.*, *Cellar.* et *Harles.*, et Graecorum scriptorum consuetudinem *πωμήριον* scribendi. Quare altera scriptio per diphthongum *oe*, quae in *moerus* pro *murus* servatur, licet gravissimos auctores habeat, minime probanda videtur.

[POMĒTII, orum, m. plur. incolae urbis Pometiae, seu urbs ipsa Pometia, de qua V. in v. sq. *Virg. A.* 6, 776. Pometios, Castrumque Inui, Bolamque, Coramque. *F.*]

POMĒTĪNUS, a, um, adj. ad Pometiam pertinens, opp. Latii in Volscis, cujus meminit *Plin.* 3, 5, 9., quae et *Suessa Pometia* dicitur ad distinctionem alterius Suessae, quae in Auruncis erat. Hinc *Liv.* 1, 53. Suessam Pometiam ex his vi cepit. *Id. ib.* 55. Pometinae manubiae. Et contracte *Id.* 4, 25. In Pomtinum agrum frumenti causa misere. V. PONTINA.

POMĒTUM, i, n. idem quod pomarium. *Pall.* 1, 36. Sit area longe ab hortis, vineis, atque pometis. V. POMARIUM.

POMĪFER, ra, rum, adj. *ὀπώριμος*, poma ferens. *Hor. Od.* 4, 7, 11. simul Pomifer autumnus fruges effuderit. *Sen. Herc. Fur.* 700. Non ulla ramos silva pomiferos habet. [*Plin.* 12, 3, 7. de malo Assyria: Arbor ipsa omnibus horis pomifera est, aliis cadentibus, aliis maturescentibus, aliis vero subnascentibus. *F.*] V. SILVANUS.

*POMIFĔRO, as. *Gloss. Lat. Gr.* Pomiferat, *ὀπωροτροφεῖ*. *B. A.*

POMOERIUM. V. POMERIUM.

POMONA, ae, f. Dea pomorum, h. e. praeses fructibus arborum. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Pomona pomorum patrona. *Festus:* Maximae dignitatis flamen Dialis est inter quindecim flamines: et cum ceteri discrimina majestatis suae habeant, minimi habetur Pomonalis, quod Pomona, levissimo fructui agrorum, praesidet pomis. *Ov. Met.* 14, 623. Rege sub hoc *(Proca)* Pomona fuit, qua nulla Latinas Inter Hamadryadas coluit solertius hortos, Nec fuit arborei studiosior altera fetus: Unde tenet nomen. Pergit ibi *Ov.* narrare, mille eam procis placuisse, sprevisse omnes, uni Vertumno nupsisse, qui et ipse Deus est pomorum praeses. *Serv.* autem ad *A.* 7, 190. ait, Pomonam amasse Picum, ejusque uxorem fuisse: ipsum ob id a Circe, quae eum amabat, in avem sui nominis fuisse conversum. ℙ Translate accipitur de scientia et arte pomorum serendorum, ac servandorum. *Plin. prooem.* 23. Peracta cerealium in medendo quoque natura est. Non cessit his pomona, partesque medicas et pendentibus dedit. *Solin.* 22. *med.* Thyle larga et diutina pomona copiosa est, *h. e.* pomorum proventu et copia. V. THULE.

POMONAL est in agro Sabino via Ostiensi ad duodecimum lapidem, diverticulo a milliario octavo. *Festus.*

POMONĀLIS, e, adj. ad Pomonam pertinens, ut Pomonalis flamen. *Fest.* l. c. in POMONA.

POMOSUS, a, um, adj. pomis abundans. *Tibull.* 1, 1, 21. Pomosisque ruber custos ponatur in hortis, Terreat ut saeva falce Priapus aves. *Prop.* 4, 2, 17. Insitor hic solvit pomosa vota corona, *h. e.* facta ex ramis implexis cum suis pomis; et *ib.* 7, 81. Pomosa arva. *Colum.* 10, 138. et pomosi Tiburis arva.

POMPA, ae, f. *πομπή*, deductio, translatus, transvectio, apparatus solemnis per publicas urbis vias cum ostentatione et specie quadam triumphi, et agmine plurium incedentium, tam in laetis rebus, quam in lugubribus: a *πέμπω*, mitto, deduco, transveho. Hujusmodi erant deductio sponsae in domum sponsi, exsequiae, transvectio sacrorum in ludis, in supplicationibus, triumphis. *Lucan.* 2, 352. de nupt. Cat.: Foedera sola tamen, vanaque carentia pompa Jura placent. *Cic. Tusc.* 5, 32. Socrates, in pompa cum magna vis auri argentique ferretur, quam multa non desidero! inquit. *Id. Off.* 1, 36. Cavendum est, ne tarditatibus utamur in gressu mollioribus, ut pomparum ferculis similes esse videamur. *Id. Mil.* 13. Cadaver Clodii spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione. *Nep. Att.* 22. Elatus est in lecticula, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. *Ov. Fast.* 6, 663. Adde, quod aedilis, pompam qui funeris irent, Artifices solos jusserat esse decem: *ire pompam*, ut *ire exsequias.* Alii tamen leg. *pompa.* (De hac pompa funebri V. *Prop.* 2, 10, 19. et 25.) *Virg. G.* 3, 22. jam nunc solemnes ducere pompas Ad delubra juvat, caesosque videre juvencos. *Id. A.* 5, 53. Annua vota tamen, solemnesque ordine pompas Exsequerer, strueremque suis altaria donis. *Pl. Cist.* 1, 1, 92. Per Dionysia mater pompam me spectatum duxit. *Suet. Caes.* 37. Pontico triumpho inter pompae fercula trium verborum praetulit titulum: veni, vidi, vici. *Ov. Pont.* 3, 4, 95. Quid cessas currum, pompamque parare triumphis, Livia? *Mart.* 8, 78. Pompa Indica, *h. e.* triumphus Bacchi. ℙ Praecipue vero dicitur de solemni circensium, cujus initium erat pompa cum simulacris Deorum, ferculis, thensis, etc. *Macr. Sat.* 1, 6. Verrius Flaccus ait, cum populus R. pestilentia laboraret, essetque responsum id accidere, quod Dii despicerentur, anxiam Urbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum; evenisseque, ut circensium die puer de coenaculo pompam superne despiceret, et patri referret, quo ordine secreta sacrorum in arca pilenti composita vidisset: qui cum rem gestam senatui nunciasset, placuisse velari loca ea, qua pompa veheretur: atque ita peste sedata puerum, qui ambiguitatem sortis absolverat, togae praetextae usum munus impetravisse. *Tert. Spect.* 7. Sed circensium paulo pompatior suggestus, quibus proprie hoc nomen pompa praecedit. *Liv.* 30, 38. *f.* Ludorum ipso die, serenitate subita orta, pompa duci coepta ad portam Collinam, revocata, deductaque in circum est. *Inscr.* ap. *Grut.* 622, 9. M. Laelio Sabiniano decuriali aediliciae pompae etc. *Ov. Fast.* 4, 391. Circus erit pompa celeber, numeroque Deorum. Adde *Amor.* 3, 2, 43. et sqq. et *A. Am.* 1, 147., *Suet. Caes.* 77., et *Claud.* 11. etc. ℙ Transfertur ad quodvis agmen, longum ordinem, et comitatum incedentium. *Cic. Fam.* 2, 16. Accedit etiam molesta haec pompa lictorum meorum, nomenque imperii, quo appellor. *Q. Cic. Petit. cons.* 13. Postremo tota petitio cura ut pompae plena sit, ut illustris, ut splendida, ut popularis. *Pl. Curc.* 1, 1, 1. Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras cum istoc ornatu, cumque hac pompa, Phaedrome? *Ter. Heaut.* 4, 4, 17. Transeundum nunc tibi ad Menedemum est, et tua pompa eo traducenda. ℙ Et ad seriem atque ordinem variarum rerum, quae transferuntur. *Sen. ep.* 110. *med.* Quid sibi vult ista pecuniae pompa? *Plaut. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 2, 12. Quis est mortalis tanta fortuna affectus unquam, quanta ego nunc sum, cujus haec ventri portatur pompa? *h. e.* multiplex obsonium, et sumptuosum. *Tibull.* 3, 1, 3. Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa Perque vias urbis munera, perque domos. *Mart.* 12, 32. *f.* Sarcinarum pompa. ℙ Et ad ostentationem, fastum, jactationem, splendorem verborum in dicendo, aut in aliis rebus. *Cic. Or.* 2, 72. *med.* Adhibere quandam in dicendo speciem atque pompam. *Id. Tusc.* 4, 21. Illa quidem ex rhetorum pompa, ardores animorum, cotesque virtutum. *Sen. Ben.* 2, 13. Benignissimus fuit, descenditque in aequum, et detraxit muneri suo pompam. Dixerat *ib.* 11. *extr.* Detrahenda est inanis jactatio: res loquantur, nobis tacentibus. *Ulp. Dig.* 13, 6, 3. *extr.* Non potest commodari, id quod usu consumitur: nisi forte ad pompam, vel ostentationem quis accipiat. ℙ Commode opponitur pugnae et contentioni. *Cic. Or.* 13. *f.* Epidicticum genus proprium sophistarum, pompae, quam pugnae aptius; gymnasiis, et palaestrae dicatum; spretum, et pulsum foro. *Id. Or.* 2, 22. *extr* Exortus est Isocrates magister istorum omnium, sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt.

POMPĀBILIS, e, adj. in pompae modum ornatus, splendidus. *Trebell.* in XXX. *Tyrann.* 30. de Zenobia: Ducta per triumphum ea specie, ut nihil pompabilius populo R. videretur.

POMPĀBILĪTER. V. POMPALITER.

POMPĀLIS, e, adj. pompabilis, spectabilis. *Capitol. Gord.* 6. Et erat canitie decora, et pompali vultu.

POMPĀLĪTAS, atis, f. *Prisc.* p. 1320. de vers. comicis: Altitudinis causa, et pompalitatis, quae stilo elocutionis convenit Latinae, *h. e.* splendoris et pompae verborum, et stili grandioris.

POMPĀLĪTER, adv. in modum pompae. *Trebell. Gallien.* 8. Gladiatores pompaliter ornati. Al. leg. *pompabiliter.*

[POMPĀTĪCĒ, adv. pompaliter. *Jul. Vict. Art. rhet.* (ed. *A. Maio*) 10. At vero orator nihil horum sibi probandum putat, nisi forte haec ipsa pompatice exsequi volet alio modo, et alia ratione. *F.*]

POMPĀTĪCUS, a, um, adj. in modum pompae ornatus. *Tert. Cult. fem.* 9. Si quas vel divitiarum suarum, vel natalium, vel retro dignitatum ratio compellit ita pompaticas progredi. *Appul. Met.* 10. Ad conseptum caveae, prosequente populo, pompatico favore deducor.

POMPĀTUS, a, um, part. a *pompo*, pompam habens. *Tert. Spect.* 7. Sed circensium paulo pompatior suggestus.

*POMPĒIA, ae, f. P. Vatinii uxor. *Cic. Fam.* 5, 11. ℙ Alia, Pompeii Magni filia, Syllae Fausti uxor. *Auct. B. Afr.* 95. ℙ Alia, Q. Pompeii filia, uxor Julii Caesaris. *Suet. Caes.* 6. et 74. *B. A.*

POMPEJĀNUS, a, um, adj. ad Pompejum aliquem pertinens, et praesertim ad Cn. Pompejum Magnum, qui in Latina historia celeberrimus est. *Caes. B. C.* 3, 58. Pompejanus equitatus; et *ib.* 101. Pompejana classis. *Lucan.* 3, 166. Quae Pompejanis praelata est gaza triumphis. *Id.* 10, 350. Pompejana caedes, *h. e.* qua Pompejus in Aegypto occisus est. *Vitr.* 5, 9. porticus. V. POMPEJUS. *Cloatius* ap. *Macr. Sat.* 2, 16. ficus, *h. e.* ita dicta a quodam Pompejo auctore, ut *Plin.* 15, 18, 19. ait. *Mart.* 6, 9. et 14, 29. Pompejanum theatrum; et 11, 21. Pompejano vela negata noto, *h. e.* vento flante in theatro Pompejano in vela extenta ad arcendum solem. V. POMPEJUS. ℙ Juppiter Pompejanus, statua Jovis a Claudio Caesare in circo maximo dicata, itaque dicta a vicinitate theatri Pompejani. Ita *Plin.* 34, 7, 18. ℙ *Pompejani, orum*, milites, et quicumque a partibus Pompeji stetere. *Caes. B. C.* 3, 46. Pompejani hoc insolentius nostros premere coeperunt. *Sen. Ira* 3, 30. *extr.* de Jul. Caesare: Vidit strictis circa sellam suam gladiis commilitones suos, aliosque post Pompejum demum Pompejanos. *Lucan.* 4, 448. Pompejanus Cilix. *Tac. A.* 4, 34. T. Livius Cn. Pompejum tantis laudibus tulit, ut Pompejanum eum Augustus appellaret. *Vell.* 2, 52. Tot talesque Pompejanarum partium caesos viros. ℙ Item incolae Pompejorum, Campaniae oppidi maritimi, ad Sarnum fluvium, quod sub Nerone terrae motu desedisse, et sub Tito Vesuvii cineribus prorsus obrutum fuisse, *Sen. Q. N.* 6, 1., *Strabo*, et *Dio* scribunt. *Cic. Sull.* 21. Pompejanorum, colonorumque dissensio. *Solin.* 2. dictum putat a pompa boum, quos ex Hispania Hercules illo duxerat. ℙ Hinc Pompejana regio, quae circa id oppidum est, *Sen. l. c.* 27. Pompejani placeant magis otia Sarni, *Stat. Silv.* 1, 2, 265. Pompejanum municipium, *Plin.* 2, 51, 52. Pompejana vitis, aut uva, *Id.* 14, 2, 6. *n.* 6. et *Colum.* 3, 2. *med.*, quae quia ex oppido Siciliae Murgento translata Pompejos creditur, etiam Murgentina dicta est. Sic Pompejana vina, *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 6. et Pompejana brassica, ap. *eund.* 19, 8, 41. *n.* 3. caule ab radice tenui, intra folia crassescente. Pompejana quoque caepa, ap. *Colum.* 12, 10. (ubi alii leg. *Pompeja*) a Pompejorum agro dicta videtur. Pompejanus pumex, ap. *Vitr.* 2, 6. V. CATINENSIS. ℙ *Pompejanum, i*, villa fuit Ciceronis in Pompejano agro. *Cic. Fam.* 7, 3. et 4. et *ib.* 12, 20. et al.

POMPEJI, orum, m. plur. gens Romana, plebeja illa quidem, sed gestis honoribus nobilissima. In tres familias divisa fuisse dicitur, Nepotum, Ruforum et Magnorum. In hac fuit Cn. Pompejus Magnus, cujus nomen omnis R. historia praedicat. Ejus mores, laudes, res gestas habes ap. *Cic. Manil.*, *Plin.* 7, 26, 27. et *Vell.* 2, 29. Excitato contra C. Caesarem civili bello, victusque proelio Pharsalico, in Aegyptum fugiens miserrimo ibi fato periit. V. *Flor.*, *Vell.*, *Caes.*, *Lucan.* etc. ℙ In illo *Mart.* 11, 1. Turbam non habet otiosiorem Pompejus; porticus Pompeja intelligitur, de qua V. in POMPEJUS, a, um. ℙ De Pompejis, oppido Campaniae V. in v. praec.

*POMPEIOPOLIS, is, f. *Πομπειόπολις*, Ciliciae

urbs, prius Soli (*Soloe*) dicta. *Plin.* 5, 27. *Mela* 1, 18. *Tac. A.* 2, 58. ℙ Alia, in Paphlagonia. *Plin.* 6, 2. et *Tab. Peut. B. A.*

POMPEJUS, a, um, adj. ad Pompejum aliquem pertinens. *Ov. Pont.* 4, 5, 9. Pompeja domus. *Cic. Verr.* 2, 5, 66. via, *h. e.* quae Messana per ipsam Siciliam ferebat: sed cur ita dicta sit, incompertum. *Plin.* 15, 18, 19. ficus. V. POMPEJANUS. *Propert.* 3, 9, 60. Et modo Pompeja Bosphora capta manu, *h. e.* vi bellica, duce Cn. Pompejo M. *Caes. B. C.* 3, 1. Nonnullos ambitus Pompeja lege damnatos, *h. e.* quae lata est a Cn. Pompejo M. primis diebus tertii sui consulatus, ut poena graviore et forma judiciorum breviore in causis ambitus procederetur: nempe ut testes prius audirentur per triduum, deinde uno eodemque die et ab accusatore duabus horis, et a reo tribus perorare-tur, et sententia ferretur, ut *Ascon.* in *argum. Milonianae* docet. Aliam tulit idem de vi, eodem tempore, ut idem judicii ordo in causis de vi servaretur, teste *Ascon. ib.* Adde *Cic. Brut.* 91. et *Fin.* 4, 1. Alia fuit lex Pompeja de comitiis, lata ab eodem, ne cujus absentis in iis ratio haberetur, ut est ap. *Suet. Caes.* 28. Alia eodem auctore de judicibus, ut cum ex senatu et equitibus R. et tribunis aerariis ex lege Aurelii Cottae praetoris judices legi juberentur, ex iisdem quidem ordinibus, sed amplissimo ex censu, aliter, quam antea, legerentur, ut *Ascon.* tradit in *Cic. Pis.* 39. Alia de parricidis, lata ab eodem, qua cavebatur, ut si quis parricidium admisisset, ea poena teneretur, quae est legis Corneliae de sicariis. *Mart. Dig.* 48. *tit.* 9. qui *ad leg. Pompej. de parricid.* inscribitur, et *Ulp. ib.* 1, 1. ℙ Alia denique de civitate, lata a Cn. Pompejo Strabone, Magni patre, ut Liguribus, et Cispadanis, et Venetis civitas, Transpadanis jus Latii daretur. Meminit *Plin.* 3, 20, 40. *f.* ℙ *Pompeja porticus* fuit Romae magnificentissima prope theatrum Pompejanum, nempe a Cn. Pompejo M. exstructa, in regione Urbis nona, ante curiam itidem Pompejam. Meminit et porticus, et curiae *Plin.* 35. *c.* 9, 10. et 11., item *Suet. Caes.* 81. sed curia post occisum in ea C. Caesarem obstructa est. Porticus vero centum columnis instructa, platanis circum umbrosa, signis et picturis nobilibus, et pretiosis marmoribus, fonte, aliisque rebus ornata, populo R. amoenissimum deambulandi, aestusque, et pluviae vitandae spatium praebebat. *Propert.* 2, 23, 45. Scilicet umbrosis sordet Pompeja columnis Porticus, aulaeis nobilis Attalicis, Et creber platanis pariter surgentibus ordo etc. Hanc poetae intelligunt, cum *Pompejam umbram* dicunt, ut *Id.* 4, 8, 75., *Ov. A. Am.* 1, 67. et *ib.* 3, 387. et *Mart.* 11, 49. De theatro (quod tamen non *Pompejum*, sed *Pompejanum* dici solet, *Suet. Tib.* 47. et *Claud.* 21. et *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 7.) scribit *Tiro Tull.* ap. *Gell.* 10, 1. fuisse aedem Victoriae, cujus gradus vicem theatri erant. *Tert.* vero *Spect. c.* 10. haec habet: Pompejus M., solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exstruxisset, veritus quandoque memoriae suae censoriam animadversionem, Veneris aedem superposuit, et ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit: cui subjecimus, inquit, gradus spectaculorum. Quod *Tert.* Veneris, *Tiro* Victoriae aedem nominat, non dissentiunt: nam templum fuit Veneris Victricis, teste *Plin.* 8, 7, 7. Hoc primum theatrum fuit, quod stabile ac mansurum Romae exstrueretur, cum alia usque eo temporaria, ac statim post ludos dissolvenda, facta fuissent, ut est ap. *Tac. A.* 14, 20.

POMPĒLŌNENSIS, e, adj. ad Pompelonam pertinens, nunc *Pampluna*, urbem Hispaniae Tarraconensis, a Cn. Pompejo M., ut ferunt, conditam. Hinc *Pompelonenses*, *ium*, ejus cives. *Plin.* 3, 3, 4. et *Inscr.* ap. *Grut.* 325, 1. et 455, 11., ubi *Pompoelonensis* scriptum est. ℙ *Urbis nomen non *Pompelona*, ut est ap. *Facciol.* et *Forcell.*, sed *Pompelon* fuit, *Πομπέλων Straboni* ac *Ptolemaeo. B. A.*

[POMPĒUM, i, n. *πομπεῖον*, locus Athenis, in quo pompae parabantur, vasaque asservari solita ad pomparum solemnia in Panathenaicis. *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 33. Craterus comoedus Athenis in Pompeo pinxit. V. *Pollucis Onom.* 9, 45. *F.*]

POMPHŌLYX, ygis, f. *πομφόλυξ*, fuligo metallica, Graece bullam significans, quia instar bullae concrescit. De ea *Plin.* 34, 13, 33. Etiamnum in aerariis reperiuntur, quae vocant pompholygen, et spodon. Differentia, quod pompholyx lotura paratur: spodos illota est. Aliqui id, quod sit candidum levissimumque, pompholygem dixere, et esse aeris, et cadmiae favillam: spodon nigriorem, ponderosioremque esse, derasam parietibus fornacum, mixtis scintillis, aliquando et carbonibus. V. OPOPANAX.

[POMPĪFER, ra, rum, adj. qui pompam fert. *Auct.* incertus *epigr.* in *Anthol. Lat. T.* 1. p. 690. *Burm.* Conspicuam primum speciem, quam fata bearunt, Desine pompifero tu violare toro. *F.*]

POMPĪLIĀNUS, a, um, adj. ad Pompilium aliquem pertinens, quod est nomen Romani hominis. *Ammian.* 14, 6. Pompiliani redierit securitas tem-

poris, *h. e.* Numae Pompilii, regis Romanorum secundi: de quo *Hor. Od.* 1, 12, 33. Romulum post hos prius, an quietum Pompili regnum memorem etc. *Arnob.* 2, 95. Non doctorum in litteris continetur, Apollinis nomen Pompiliana indigitamenta nescire? *h. e.* libros sacrorum a Numa conscriptos. *Vopisc. Aurel.* 41. Pompiliana curia, *h. e.* a Numa constructa: vel intelligitur Hostilia a Tullo Hostilio facta, qui proximus post Numam fuit.

POMPĪLIUS, a, um, adj. ad Pompilium pertinens, Pompilianus. *Hor. A. P.* 292. vos, o Pompilius sanguis, carmen reprehendite, quod etc., *h. e.* o Calpurnii Pisones, quorum origo gentis a Calpo Numae Pompilii filio ducitur, teste *Festo.* ℙ De Numa Pompilio V. NUMA.

POMPĪLUS, i, m. *πομπίλος*, piscis marinus. *Plin.* 9, 15, 20. de thynnis: Iidem saepe navigia velis euntia comitantes, mira quadam dulcēdine per aliquot horarum spatia, et passuum millia a gubernaculis spectantur, ne tridente quidem in eos saepius jacto territi. Quidam eos, qui hoc e thynnis faciant, pompilos vocant. *Ov. Hal.* 100. Tuque comes ratium, tractique per aequora sulci, Qui semper spumas sequeris, pompile, nitentes. Adde *Plin.* 32, 11, 54. [**Der Lootsmann*, Gasterosteus ductor, *L.*] ℙ Quidam hoc nomine vocant etiam nautilum, piscem velificantem, de quo V. s. l. *Plin.* 9, 29, 47.

POMPO, as, n. 1. cum pompa aliquid ago. *Sedul.* 1, 2. Grandisonis pompare modis, tragicoque boatu.

POMPŌNIA gens Romana, ad Pomponem Numae filium originem suam referens, ut est apud *Plutarch.* in *Numa.* In hac fuit *T. Pomponius*, cognomento *Atticus* ex diuturna Athenarum commoratione appellatus, ditissimus idem, et litteratissimus, et Ciceronis amicissimus, ad quem exstant libri XVI. epistolarum *ad Atticum* inscripti. Ejus vitam scripsit *Cornelius Nepos.* ℙ L. Pomponius Bononiensis, poeta, Atellanarum scriptor, vixit inter Lucretium et Catullum. Ejus exstant solum fragmenta ap. *Gell.*, *Fest.*, *Nonium*, *Charis.*, *Diomed.*, *Prisc.* etc. ℙ P. Pomponius Secundus, vir consularis, poeta tragicus, temporibus Caji et Claudii Caesarum, cujus vitam scripsisse se testatur *Plin.* 14, 4, 6., et 7, 19, 18. refert, nunquam ructasse; memoratur a *Tacito*, *Plin. jun.* et *Quint.* et magna tragicae eloquentiae laude floruisse dicitur. Hujus quoque scripta periere. ℙ Sextus Pomponius JCtus, cujus responsa in Digestis referuntur, Papiniani discipulus fuit, et Alexandri Severi a consiliis, teste *Lampr. Alex. Sev.* 68., ubi legum peritissimus appellatur. ℙ *Pomponius Matho, praetor idemque augur. *Liv.* 22, 7. et 29, 38. ℙ Pomponium cognomento Vitulum meminit *Varr. R. R.* 2, 1. ℙ Pomponius Marcellus, Grammaticus. *Suet. Gr.* 22. ℙ Pomponius Mela, Geographus. V. *Mela.* ℙ Pomponius Sabinus, Grammaticus. V. *Sabinus.* ℙ *Pomponia*, *ae*, f. mater Scipionis Africani. *Sil.* 13, 615, 652. sqq. Adde *Liv.* 26, 19. *B. A.*

POMPONIĀNUS, a, um, adj. ad Pomponium aliquem pertinens. *Gell.* 10, 24. Pomponianus versus, *h. e.* L. Pomponii, de quo in v. praec. ℙ Pomponiana pira, genus pirorum ita dictum ab in itore. Eadem mammosa ob similitudinem mammae cognominantur. *Plin.* 15, 15, 16. ℙ Est etiam Pomponiana insula, uno ex Stoechadibus. *Id.* 3, 5, 15.

POMPONIUS. V. POMPONIA gens.

POMPOSĒ, adv. *Sidon. ep.* 9, 9. *med.* Scripseras autem plurima ardenter, plura pompose, *h. e.* graviter, et magnifice.

POMPŌSUS, a, um, adj. *Sidon. ep.* 4, 9. Pomposus incessus, animus serius, *h. e.* gravis, tardus, similisque pomparum ferculis, ut ait *Cic. Off.* 1, 36. [*Fragm.* incerti *Auct.* (ed. *A. Maio* inter opera *Symmach.*) 3. Hispania nobilis obstupescat, ubi roseas virgines intuemur pinnis rutilantibus alatas, quales pomposas decet esse Victorias. ℙ Translate. *Venant. carm.* 3, 23, 7. Vix modo tam nitido pomposa poemata cultu Audit Trajano Roma verenda foro. *F.*]

POMPTĪNA, palus, et tribus. V. PONTINA.

[POMŪLUM, i, n. dimin. pomi. *Paul. Petroc.* 5, 452. Monstrabat fractos mater moestissima ramos Repere consuetis per mitia pomula natis, *h. e.* per ramos pomis onustos. *F.*]

POMUM, i, n. *μῆλον*, *ὀπώρα*, (est a *πόμα* seu *πῶμα*, potus, quia potui poma sunt hominibus. *Varr.* tamen *R. R.* 1, 31. In poma, quae insita erunt, siccitatibus aquam addi quotidie vesperi: a quo, quam indigent potu, poma dicta esse possunt;) omnis fere fructus, qui ex arboribus esui aptus provenit, ut malum, pirum, prunum, persicum, cerasum, sorbum, ficus, etc. De hoc enim postremo sunt aperta *Plinii* verba 15, 18, 20., quae in v. sq. referemus, item 12, 5, 11. et 16, 26, 49. et 17, 26, 39. et *Ov. Fast.* 2, 253., quamvis ab *Afran.* et *Cic. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 2, 16. pomum a ficu, et uva distinguatur, V. infra. *Virg. Ecl.* 7, 54. Strata jacent passim sua quaeque sub arbore poma. *Ov. Pont.* 1, 7, 13. Nos habeat regio nec pomo feta, nec uvis. Adde *ib.* 3, 51. et *Met.* 13, 812. et *Amor.* 1, 10, 55. et *ib.* 2, 14, 23., quibus omnibus locis uvas a pomis excludit. Differt a *nuce*, quia haec dicitur de iis, quae duro sunt tegumento, ut juglandes, castaneae, etc. *Virg. Ecl.* 1, 82. sunt nobis mitia poma, Castaneae molles. *Pomum* de iis, quae tenero et eduli. Hoc tamen discrimen magis inter *mala* et *nuces* locum habet, ut in MĀLUM dictum est. Sed et nuces aliquando *pomi* appellatione significantur, ut ap. *Plin.* 15, 22, 24. de juglande: Solum hoc pomum natura compactili operimento clausit. Adde *Ov. de nuce* et *Mart.* 6, 13, 25., ubi agit de pineis nucibus. ℙ De fructu palmarum. *Plin.* 13, 4, 7. Coma omnis in cacumine, et pomum est. Adde *ib.* 9. ℙ De moris. *Ov. Met.* 3, 89. arbor ibi niveis uberrima pomis, Ardua morus erat. ℙ De tuberibus. *Mart.* 13, 50. Rumpimus altricem tenero de vertice terram Tubera: boletis poma secunda sumus. ℙ De glande qui usurpaverit, inveni adhuc neminem. *Plin.* 15, 24, 26. Glandes inter poma numerari non possunt. ℙ Videtur dici posse de oleis: tametsi hae inter baccas numerantur. *Id.* 15, 24, 29. Pomum cerasis primo candidum, et fere omnibus baccis. Mox aliis virescit, ut olivis, lauris: rubet vero moris, cerasis, cornis: deinde nigrescit moris, cerasis, olivis. ℙ De semine arboris balsami. *Solin.* 35. Post lacrymam secundum in pretiis locum poma obtinent. *Plin.* 12, 25, 54. semen vocat, *Dioscor.* 1, 18. *med.* *καρπόν*. ℙ De aliis. *Plin.* 15, 28, 34. In papyris, et ferulis, spinaque alba caulis ipse pomum est, *h. e.* pomi instar manditur. ℙ Etiam uvae *pomi* appellatione comprehendi possunt, sed non omnes. *Paul. Dig.* 50, 16, 205. Qui fundum vendidit, pomum recepit. Nuces, et ficus, et uvas, dumtaxat duracinas, et purpureas, et quae ejusdem generis essent, quas non vini causa haberemus, quas Graeci *τρωξίμους* appellant, receptas videri. Ita distinguit *Torrent.* et alii. *Haloand.* vero ita: Qui fundum vendidit, pomum recepit, nuces, et ficus, et uvas. Dumtaxat duracinas, etc. Sed prior distinctio magis placet: ex qua fit, ut uvae quoque pomi nomine veniant, sed conditivae solum, et cibi causa paratae, non vini: quod et *Colum.* facit 12, 43. *med.* Si enim vini causa sint, a *pomis* distinguuntur, ut supra dictum est. Tametsi *Nemes.* etiam uvas calcandas *poma* dixit *Ecl.* 3, 38. Mirantur Satyri frondes, et poma Lyaei. Ubi qui *dona* reponunt, improbantur a *Barth.*, *Ulit.*, *Burm.* ℙ Obscenum quoque sensum haec vox habere dicitur, et *τοὺς ὄρχεις* significare. *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 2, 51. Ipse ego cana legam tenera lanugine mala: Verecunde, inquit, rem inhonestam supprimit, quam *Theocrit. Idyll.* 2. *v.* 120. aperte commemorat. Adde quae in hanc rem congessit *Lips.* l. 3. *Antiq. lection. c.* 1. ex *Prop.* 1, 3, 24. et 2, 23, 95. ex *Priapejis carm.* 15. et 74. etc. V. BRACEUS. ℙ Dicitur etiam *pomum* de ipsa arbore. *Cato R. R.* 28. Oleas, ulmos, ficos, poma, vites, pinos, cupressos cum seres, bene cum radicibus eximito. *Virg. G.* 2, 426. Poma quoque, ut primum truncos sensere valentes, Et vires habuere suas, ad sidera raptim Vi propria nituntur. *Plin.* 18, 26, 65. *n.* 2. Poma serantur, inseranturque. *Plin. alter ep.* 5, 6. *med.* Alternis metulae surgunt, alternis inserta sunt poma.

POMUS, i, f. *μηλέα*, arbor pomifera. *Tibull.* 2, 1, 43. Tunc victus abiere feri, tunc insita (al. *consita*) pomus. ℙ Item ipse fructus. *Plin.* 15, 18, 20. de ficu: Interrogo vos, quando hanc pomum demptam putetis ex arbore. Cum inter omnes recentem esse constaret; atqui tertium, inquit, diem scitote decerptam Carthagine. Ita *Hard.* ex MSS. suis omnib. Alii leg. *hoc pomum demptum*, et *mox decerptum:* sed v. *recentem*, quod non variat, satis genus femin. indicat.

[POMUSCŪLUM, i, n. dimin. pomi. *Auct.* incertus *epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 461. *Burm.* Unumquemque suum referunt pomuscula succum. *F.*]

PONDĔRĂBĪLIS, e, adj. qui ponderari potest. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 4. Corpora numerabilia, ponderabilia, et mensurabilia.

PONDĔRĀLE, is, n. idem ac ponderarium. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 7. *n.* 15. Verba facta sunt, M. M. Memmios Rufos Pat. et Fil. II. vir. iter. pecunia (*sua*) ponderale, et chalcidicum, et scholam secundum municipii splendorem fecisse, etc.

PONDĔRANS, antis, part. a *pondero*, qui ponderat. *Cic. Leg.* 1, 13. Omnia, quae sequantur in vita, quaeque fugiant, voluptatibus et doloribus ponderantes. ℙ Item more neutrorum, pondus habens. *Sidon. ep.* 8, 6. *med.* Affectu ponderantiore prolata sententia. Alii leg. *ponderatiore.* V. PONDERATUS.

PONDĔRĀRĪUM, ii, n. locus, in quo pondera, et mensurae, et staterae auctoritate exiguntur, et res publice ponderantur. *Inscr.* ap. *Grut.* 1020, 10. et *Don. cl.* 2. *n.* 67. C. Caesius C. F. Ouf. Silvester P. P. ponderarium S. P. P. S. F. et charistionem aereum pos., stateram et pondera, quae antea resp. emit, etc. Vide harum siglarum interpretationem in V. CHARISTION. Adde aliam *Inscr.* in V. INTERPROMINIUS allatam. V. LIBRIPENS.

PONDĔRĀTIO, onis, f. actus ponderandi, exa-

men, libra. *Vitr.* 10, 8. *med.* In statera aequipondium cum examine progreditur ad fines ponderationum. *Theod. Prisc.* 1, 13. Aequa ponderatione confici.

PONDĔRĀTOR, oris, m. *ζυγοστάτης*, qui ponderat, pensitator. De ponderatoribus inscribitur *Cod.* 71, 10. et *Cod. Theod.* 7, 12. ℙ **Gloss. Lat. Gr.* Ponderator, *σταθμιστὴς ἢ ζυγοστάτης*. *B. A.*

*PONDERATŪRA, ae, f. ponderatio. *Gloss. Gr. Lat. σταθμὸς*, ponderatura. *B. A.*

PONDĔRĀTUS, a, um, part. a *pondero:* ponderibus examinatus. *Scrib. Comp.* 106. In unum omnia ponderata confunduntur, et cribrantur. ℙ Translate. *Nep.* in *fragm. Cod. Guelferb.* 2. Locuples ac divina natura, quo majorem sui pareret admirationem, ponderatioraque sua essent beneficia, neque uni omnia dare, nec rursus cuiquam omnia voluit negare. *Sidon. ep.* 8, 6. Sententia affectu ponderatiore prolata. Alii leg. *ponderantiore.* V. PONDERANS.

PONDĔRĬTAS, atis, f. idem quod pondus. *Accius* ap. *Non.* 2, 671. Ponderitatem gravitatemque hominis.

PONDĔRO, as, avi, atum, a. 1. *σταθμάομαι*, libro, pendo, ponderibus examino. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 2. Si quis granum ipsum ponderet. *Pl. Amph.* 1, 1, 156. Haud malum huic est pondus pugno. *So.* perii! pugnos ponderat. *Prop.* 2, 13, 12. Semper amatorum ponderat illa sinus. ℙ Translate capitur pro considerare, examinare. *Cic. Off.* 1, 15. In quo tamen imprimis, quo quisque animo, studio, benevolentia fecerit, ponderandum est. *Id. Or.* 3, 37. Verborum delectum aurium quodam judicio ponderare. *Id. Part.* 34. Non esse fidem ex fortuna ponderandam. *Id. Font.* 6. In rebus judicandis non minimam partem, ad unamquamque rem aestimandam momentoque suo ponderandam, sapientia judicis tenet. [*Plura v. ap. *Schütz.* in *cl. Cic.*] *Quint. prooem.* 8. *med.* Plerosque videas haerentes circa singula, et dum inveniunt, et dum inventa ponderant, ac dimetiuntur.

PONDĔROSUS, a, um, adj. *βαρὺς*, multum ponderis habens, gravis. *Pl. Capt.* 3, 5, 64. Ubi ponderosas, crassas capiat compedes. *Varr. R. R.* 1, 52. *extr.* Frumentum ponderosum; et *ib.* 2, 11. *med.* Ex sudore ejus lana fit mollior, et ponderosior, et colore meliore. *Plin.* 36, 19, 30. Ponderosissimi lapides. *Val. Max.* 1, 8. *f.* Silicum crebris, et ponderosis verberibus anguis procubuit. ℙ Translate. *Cic. Att.* 2, 11. Isti puero da ponderosam aliquam epistolam, plenam omnium non modo actorum, sed etiam opinionum tuarum. Sic *Id. ib.* 1, 13. Idcirco sum tardior, quia non invenio fidelem tabellarium: quotus enim quisque est, qui epistolam paulo graviorem ferre possit, nisi eam pellectione relevarit? *Val. Max.* 6, 4. *n.* 1. *extr.* Ponderosa vox, *h. e.* dictum plenum gravitatis, et severitatis.

PONDĬCŬLUM, i, n. dimin. ponderis, ponduscu-lum. De aequipondio staterae. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 4. Et numeri in corpore certus est modus, et pondiculi trutinae certum est pondus, et decempedae certa mensura est.

PONDO, indecl. pondus, quod in rebus per libram, aut stateram deprehenditur: a *pendo.* Videtur esse ablativus casus ab obsoleto *pondus, i*, ut censet etiam *Gronov. de pecun. Vet.* 1, 6. [*Adde *Perizon.* ad *Sanct.* p. 747. *ed. Scheid.*] Jungitur autem cum vocabulis varia rerum pondera significantibus, ut uncia, semis, quadrans, libra etc., quae ponuntur illo casu, quem ipsum verbum, aut constructio requirit. *Pl. Rud.* 4, 2, 8. Neque piscium ullam unciam hodie pondo cepi. *Cels.* 5, 19. *n.* 19. Habet salis ammoniaci pondo semis, aeruginis rasae pondo bessem; et *ib.* 25. *n.* 16. Croci, costi unciae singulae; styracis, resinae terebinthinae pondo sextantes. *Colum.* 12, 12. Sextarium aquae cum dodrante pondo mellis diluunt. *Plin.* 26, 7, 19. Stomacho medetur vettonicae tusae pondo libra, mellis Attici semunica. *Id.* 33, 12, 56. de sile: Pretium in pondo libras denarii duo. ℙ Illa vocabula saepe cum *pondo* in accusativo ponuntur, quamvis alium casum requirere videatur ratio syntaxeos. *Varr. L. L.* 4, 36. As erat libram pondo. Alii leg. *librae pondus:* et *ib.* Libram pondo as valebat. *Festus* in *Grave:* Grave aes dictum a pondere, quia deni asses, singuli pondo libras, efficiebant denarium. *Liv.* 26, 47. Paterae aureae fuerunt CCLXXVI., libras fere omnes pondo. Utroque loco sunt qui putant *libras* esse genitivum, ut *familias, monetas:* sed videtur refugium infelix. *Liv.* 3, 29. Ut exercitus coronam auream dictatori libram pondo decreverit. *Id.* 4, 20. Dictator coronam auream, libram pondo, in Capitolio Jovi donum posuit. Utroque loco alii leg. *librae:* sed contra stat *Gronov. l. c. Colum.* 12, 28. Irim cribratam, quae sit instar pondo quincuncem, permisceto; et *ib.* 20. *med.* Adjici debent myrrhae quincunx, calami pondo libram, casiae selibram, amomi pondo quadrans, croci quincunx, cripae pampinaceae libram. Alia congerit *Gronov. l. c.* Ex his patet *pondo libram* esse veluti formulam, qua sub quolibet verbo utebantur. [*V. *Ruddin.* I. p. 116.] ℙ Quoties *pondo* absolute ponitur, significat librae pondus, *λίτραν:* quia haec ponderis quantitas notissima omnium et usitatissima est. *Cic. Cluent.* 64. Et auri quinque pondo abstulit. *Quint.* 6. 3. *med.* Torques aureus centum pondo. *Pl. As.* 2, 2, 33. Quot pondo te censes esse nudum? *Caes. B. C.* 2, 18. Argenti pondo viginti millia. *Plin.* 33, 3, 15. Populus R. Carthagini victae argenti pondo annua in quinquaginta annos imperavit, nihil auri; et *mox:* Cyrus devicta Asia pondo XXXIV. millia auri invenerat. *Id.* 37, 9, 43. Bocchus auctor est, chrysolithon XII. pondo a se visam. *Id.* 31, 6, 31. Si fistulae quinariae erunt, sexagena pondo pendere legitimum est. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 3. LX. pondo panis e modio milii reducunt. *Id.* 11, 42, 97. Caseus Lunensis magnitudine conspicuus, quippe et ad singula millia pondo premitur. *Gell.* 2, 24. Neque argenti in convivio plus pondo, quam libras centum illaturos. ℙ Sq. gen. *Varr.* ap. *Non.* 2, 622. Retuli auri pondo mille octingentum septuaginta; et *ib.* 726. Delphos Apollini munera missa corona aurea pondo ducentum. ℙ [*Memorabilis locus est *Quint. Inst.* 1, 5, 15. Nam *dua* et *tre* et *pondo* diversorum generum sunt barbarismi: at *duapondo* et *trepondo* usque ad nostram aetatem ab omnibus dictum est, etc., ubi *Spalding.* barbarismum in v. *pondo* eo sensu putat agnosci a *Quint.*, ut semper cum *numeri* aut *librarum* vocabulo, expresso aut intellecto, constructum apparere debeat. Deinde locutionem *dua pondo, tre pondo* cum *Gron.* sic explendam putat: duas libras pondo, tres libras pondo.]

PONDUS, ĕris, n. *βάρος*, gravitas, momentum, onus: a *pendo. Cic. Somn. Scip.* 4. *extr.* In terram feruntur omnia suo nutu pondera. *Id. Fat.* 11. Cum per inane moveatur gravitate et pondere. *Caes. B. G.* 2, 29. et *ib.* 7, 22. Magni ponderis saxa; et *ib.* 5, 12. Utuntur aut nummo aereo, aut taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. *Id. B. C.* 3, 96. Triclinia strata, magnum argenti pondus expositum; et *ib.* 103. Aeris magno pondere in naves imposito; et *Cic. Verr.* 2, 1, 17. Ex aede Minervae grande auri pondus ablatum. *Virg. A.* 6, 413. gemuit sub pondere cymba. *Hor. Ep.* 1, 6, 50. Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum Qui fodiat latus, et cogat trans pondera dextram Porrigere, *h. e.* servus monendo dominum cogat exerere toga dextram, seu porrigere trans togam brachio et humero obvolutam, quae quoniam brachium premeret et oneraret, ideo poetice pondera appellatur. V. *Fea* ad *l. c.*, qui pluribus rem confirmat. V. TOGA. *Plin.* 12, 7, 14. et 35, 17, 57. Pondere emere aliquid. Ap. *Catull.* 63, 5. Devolvit illa acuta sibi pondera silice, *h. e. τὰ αἰδοῖα.* (Eod. modo *pondera* usurpasse videtur *Stat. Silv.* 3, 4, 77.) Ap. *Ov. Amor.* 2, 14, 14. et *Met.* 9, 684. et *Mart.* 14, 151. pondera sunt onus ventris, h. e. fetus. Adde *Prop.* 4, 1, 96. ℙ Pro ictu; quia ictus venit ex pondere. *Juven.* 3, 270. quoties rimosa et curta fenestris Vasa cadunt, quanto percussum pondere signent, Et laedant silicem. (Adde 15, 66.) *Cic. Fat.* 10. Tertius quidam motus oritur extra pondus et plagam, cum declinat atomus, etc. Adde *ib.* 20. ℙ Pro numero, seu multitudine, etiam earum rerum, quae non ponderantur, sed numerantur. *Varr.* ap. *Non.* 6, 102. E Graecia Asiaticas in villas comportasse magnum pondus omnium artificum. ℙ Nonnunquam ipsa res ponderosa *pondus* dicitur. *Lucan.* 6, 199. vasti muralia pondera saxi. *Mart.* 5, 65. Quot graviora cadunt Nemeaeo pondera monstro, *h. e.* apri Nemeaeo majores. *Id.* 12, 66. Et Maurusiaci pondera rara citri, *h. e.* mensae citreae. *Id.* 14, 164. Spartani pondera disci. *Virg. A.* 10, 496. rapiens immania pondera baltei. *Stat. Th.* 6, 648. ahenae lubrica massae Pondera, *h. e.* discum. *Sil.* 2, 246. nodosae pondera clavae; et 9, 335. hi sude pugnas, Hi pinu flagrante cient, hi pondere pili. Adde 15, 687. ℙ *Pondera*, quae adhibentur in statera, vel lance ponderandi gratia. *Liv.* 5, 48. *extr.* Pondera ab Gallis allata iniqua, et additus ab insolente Gallo ponderi gladius. *Ulp. Dig.* 19, 1, 32. Emptor circumscriptus a venditore ponderibus minoribus. ℙ Illa quoque JCtorum sunt: *Cajus ib.* 18, 1, 35. *med.* In his, quae pondere, numero, mensura constant, veluti frumento, vino, oleo, argento. *Ulp. ib.* 30, 1, 47. Si id petatur, quod pondere, numero, mensura continetur. ℙ Reperitur etiam pro pondere librae, ut *pondo. Varr. L. L.* 4, 36. Dupondius a duobus ponderibus, quod unum pondus assipondium dicebatur, id ideo, quia as erat librae pondus. *Mart.* 7, 53. Argenti potuit *(ferre)* pondera quinque puer. ℙ Translate est vis, auctoritas, momentum ad permovendum, et ad faciendam fidem: ducta translatione ab aequipondio librae. *Cic. Att.* 11, 6. Addis etiam, ceteris quoque, id est qui pondus habent, factum nostrum probari. *Id. Or.* 2, 74. *f.* Habet enim et voluntatem nocendi in iracundia, et vim in ingenio, et pondus in vita. *Id. Top.* 19. Persona non qualiscumque, testimonii pondus habet: ad faciendam enim fidem auctoritas quaeritur. *Id. N. D.* 3, 35. Et virtutis et vitiorum, sine ulla divina ratione, grave ipsius conscientiae pondus est. *Id. Vat.* 4. Boni viri judicent, id est maximi momenti et ponderis. *Id. Fam.* 11, 29. Quod in utramque partem in mentem multa veniebant, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem, judicium et consilium tuum; et *ib.* 2, 19. *f.* Tuae litterae maximi sunt apud me ponderis; et *ib.* 13, 25. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat, hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuisse. *Id. Att.* 9, 9. Dubitanti mihi, quid me facere par sit, permagnum pondus affert benevolentia erga illum; et *ib.* 10, 1. Ejus igitur mihi vivit auctoritas, et simillimus ejus filius eodem est apud me pondere, quo fuit ille. *Ov. Her.* 3, 4. et *Pont.* 3, 1, 158. lacrymae pondera vocis habent. *Id. Amor.* 2, 14, 42. Et sint ominibus pondera nulla meis; et *Hor. Ep.* 1, 19, 42. nugis addere pondus. Sic *Pers.* 5, 19. Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo. ℙ *Pondera verborum*, verba vim magnam habentia ad faciendam fidem. *Cic. Or.* 2, 17. *f.* Omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus est utendum. *Hor. A. P.* 319. Interdum speciosa locis, morataque recte Fabula, nullius Veneris, sine pondere et arte, Valdius oblectat populum, meliusque moratur, Quam versus inopes rerum, nugaeque canorae, *h. e.* sine verborum ponderibus. ℙ A pondere librae illa quoque translata sunt: *Cic. Tusc.* 1, 19. Cum animus sui similem et levitatem, et calorem adeptus, tanquam paribus examinatus ponderibus, nullam in partem movetur, etc.; et *Planc.* 22. *f.* Sed ego meis ponderibus examinabo, quid cuique debeam. *Lucan.* 8, 279. curarum vobis arcana mearum Expromam, mentisque meae quo pondera vergant. *Sen. Med.* 391. Quo pondus animi verget? ubi ponet minas? ℙ Translate a *pondere* simpliciter, et qua onus significat: Pondera curarum, ap. *Lucan.* 9, 951. et *Stat. Th.* 4, 39. rerum, ap. *Ov. Trist.* 2, 237. et *Mart.* 6, 64. mali, ap. *Sen. Herc. Oet.* 231. senectae, ap. *Ov. Met.* 9, 436. famae. *Lucan.* 8, 22. de Fortuna: quae tanto pondere famae Res premit adversas, fatisque prioribus urget, *h. e.* magnitudine famae antea praeclarae. In bonam partem *Claud. in II. cons. Stil.* 79. de Roma: venerabile famae Pondus, et amissas vires, et regna recepit. ℙ Hac ratione eleganter ponitur pro firmitate et constantia. *Prop.* 2, 19, 62. nulla diu femina pondus habet. *Stat. Th.* 1, 287. de Jove: neque me (detur si copia) fallit, Multa super Thebis Bacchum, ausuramque Dionem Dicere: sed nostri reverentia ponderis obstat, *h. e.* decreti, et voluntatis meae immutabilis et firmae. ℙ Item pro gravitate. *Stat. Silv.* 2, 3, 65. Blandus honos, hilarisque (tamen cum pondere) virtus; et *ib.* 5, 3, 246. Quid referam expositos, servato pondere, mores? *Val. Max.* 8, 10. *f.* Expertus acerrimum oculorum vigorem, terribile vultus pondus, accommodatum singulis verbis sonum vocis, efficacissimos corporis motus.

PONDUSCŬLUM, i, n. dimin. ponderis, *βαρύλλιον*, parvum pondus. *Colum.* 12, 51. Aromata in reticulum adjici, et cum saxi pondusculo in olei partem demitti. *Plin.* 11, 10, 10. de apib.: Si cooriatur procella, apprehensi pondusculo lapilli se librant.

PONĔ, adv. *ὀπίσω, ὄπισθεν*, post, retro, in loco postico, a tergo: cui *ante* opponitur. *Cic. Univ.* 13. *f.* Moveri et ante et pone, et ad laevam et ad dextram, et sursum et deorsum, modo huc modo illuc. *Val. Max.* 1, 7. *n.* 1. *extr.* Pone respicere. *Prop.* 3, 13, 28. venire. *Virg. A.* 10, 225. sequi. *Sil.* 8, 561. facilesque comae, nec pone retroque Caesaries brevior. ℙ Saepe est praepos. accusativum regens. *Cic. Univ.* 10. *f.* Et pone quos, aut ante labantur. *Tac. H.* 3, 85. Vinctae pone tergum manus. *Pl. Poen.* 3, 2, 34. Pone nos recede. *Id. Curc.* 4, 1, 20. Pone aedem Castoris. *Liv.* 40, 30. *extr.* Pone castra pabulatum ibant. ℙ Inter antiqua recensetur a *Quint.*, ut in OLLUS dictum est. Differt a *post*, quod etiam ad tempus refertur; *pone* ad locum tantum: quod et *Serv.* ad *A.* 2, 208. et 725. et *Caper de Orthograph.* p. 2243. docent. Idem *Serv.* ad *cit. A.* 2. et ad *ib.* 3, 3. vult accentum in ultima appingi, ad discrimen v. *pone*, cum verbum est. *Festus* quoque, Pone, inquit, gravi sono antiqui utebantur pro loci significatione. Hoc tamen non ita intelligi debet, quasi ultima sit acuenda: quia in Latinis vocibus ultima syllaba nec acuta unquam excitatur, nec flexa circumducitur, sed in gravem, vel duas graves cadit semper, ut ait *Quint.* 12; 10. *med.* et 1, 5. *med.* Adde *Diomed.* 2, 425.

*PONEROPOLIS, is, f. *Πονηρόπολις*, i. e. urbs malorum hominum, Thraciae civitas sub Rhodope monte sita, deinde Philippopolis ab instauratore, et postremo Trimontium a situ dicta. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

PONĔ VERSUS, aut vorsus, retro et versus aliquem locum. *Cato* ap. *Charis.* 2, 191. Postquam auspicavi, atque exercitum adduxi pone vorsus castra hostium. (V. *Liv.* 34, 14.) *Id. ib.* Pone vorsum illac mare est.

[PONIUS, ii, m. laboriosus; a πόνος, labor. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 241. *col.* 2. L. Marcius Ponius. *F.*]

PONO, is, sui, olim sīvi, sĭtum, a. 3. τίθημι, loco, statuo, constituo. *Caes. B. C.* 3, 108. Tabulae testamenti, quae Romam erant allatae, ut in aerario ponerentur, cum poni non potuissent. etc. *Id. B. G.* 1, 22. *extr.* Millia passuum tria ab eorum castris castra ponit. *Cic. fragm.* ap. *Quint.* 9, 3. *med.* Qui indicabantur, eos vocari, custodiri, ad senatum adduci jussi: in senatu sunt positi; et *Caes. B. G.* 2, 5. In eo flumine pons erat: ibi praesidium ponit; et *B. C.* 3, 34. Legio, quam tuendae orae maritimae posuerat; et *Cic. Agr.* 2, 18. Ponere insidias contra aliquem. *Hor. Od.* 4, 6, 11. Procidit late, posuitque collum in Pulvere Teucro. *Flor.* 1, 13. In curulibus sellis sese posuerunt; et *Val. Fl.* 4, 378. saxo posuit latus; et *Virg. A.* 1, 177. Et sale tabentes artus in litore ponunt. *Ov. Met.* 8, 452. Stipitem in flammam ponere. *Id. R. Am.* 719. aliquid in ignes. *Id. Met.* 8, 694. baculisque levati Nituntur longo vestigia ponere clivo. Sic *Sil.* 6, 397. patria vestigia primus Ponentem terra occursu celebrabat amico. *Cic. Fin.* 4, 25. Ubi pedem poneret, non habebat. [*Solet haec dicendi ratio tum proprie tum metaphorice adhiberi. V. *Schütz. cl. Cic.* Similis ratio est formae *ponere vestigia. Cic. Phil.* 3, 12. quas fecit strages, ubicumque ponit vestigia. *Fin.* 5, 2. quacumque ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus. *Hor. Sat.* 2, 6, 101. cum ponit uterque In locuplete domo vestigia.] *Q. Cic. Petit. cons.* 1. Ponere aliquid sub aspectu. *Cic. Tusc.* 4, 29. in conspectu. *Cato R. R.* 7. oleas in solem. *Sen. Ira* 1, 7. in possesione se. *Cic. Par.* 1, 3. aliquid ante oculos. *Gell.* 3, 15. coronam in caput. *Cic. ad Planc. post ep.* 2, 16. *l.* 16. *ad Att.* In te positum est, ut, etc. *Id. Att.* 5, 3. Ponere aliquem in gratiam apud alium. *Pl. Trin.* 3, 3, 11. aliquem in crimen atque infamiam populo, *h. e.* apud populum. *Cic. Sext.* 66. *f.* aliquem in laude, *h. e.* laudare. *Id. Top.* 13. *f.* in metu, *h. e.* metuere. *Quint.* 9, 3. *med.* in distinguendum, *h. e.* distinguendi causa. ℙ Item serere. *Virg. Ecl.* 1, 74. Insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vites. *Colum.* 4. 1. Quid ita censemus altius pastinare, tam humili mensura vitem posituri? *Id.* 10, 122. Atque oleris pulli radix, lacrimosaque caepa Ponitur. *Hor. Od.* 2, 13, 1. Ille et nefasto te posuit die, etc. ℙ Item exstruere. *Ov. Met.* 8, 160. ingenio fabrae celeberrimus artis Ponit opus. *Virg. A.* 6, 19. posuitque immania templa. Hinc illud *posuit* frequentissimum in antiquis monum. ℙ Item statuere, erigere. *Cic. Dom.* 30. *f.* Qui tibi statuam in meis aedibus posuit. *Nep. Dat.* 8. Ponere tropaeum. *Virg. A.* 3, 404. aras. ℙ Item formare. *Hor. Od.* 4, 8, 6. Parrhasius, aut Scopas, Hic saxo, liquidis ille coloribus Solers nunc hominem ponere, nunc Deum. *Virg. A.* 3, 44. Alcimedon duo pocula fecit, Orpheaque in medio posuit, silvasque sequentes. ℙ Item apponere, *h. e.* ponere in mensa ante aliquem. *Cato R. R.* 79. et 81. Globos melle unguito, papaver infriato; ita ponito. *Mart.* 8, 22. Invitas ad aprum, ponis mihi, Gallice, porcum. *Juven.* 5, 135. Da Trebio, pone ad Trebium: vis frater ab istis Ilibus? [*Cf. quos de hoc dicendi genere disputantes laudat *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 2, 23. — Sed ipsa etiam mensa poni dicitur. *Val. Max.* 2, 6, 1. Jonas secundae mensae ponendae consuetudinem reperisse: ubi v. quae plura congess. *intpp.*] ℙ Item apponere, *h. e.* ad latus, vel circa aliquem ponere. *Caes. B. G.* 1, 20. *extr.* Dumnorigi custodes ponit, ut, quae agat, scire possit. [*Cic. Fam.* 8, 12. ponere alicui accusatorem. *Sull.* 28. Judicem ponere.] ℙ Item disponere. *Ov. Am.* 2, 8, 1. Ponendis in mille modos perfecta capillis, Comere sed solas digna, Cypassi, Deas. V. POSITUS, us. ℙ Item demittere. *Hor. Od.* 1, 3, 15. rabiem Noti, Quo non arbiter Hadriae Major, tollere, seu ponere vult freta. ℙ Item deponere. *Cic. Tusc.* 5, 20. *med.* Cum pila ludere vellet, tunicamque poneret. *Caes. B. G.* 4, 37. Arma ponere jusserunt. *Cic. Or.* 69. Ponendus est enim ille verborum ambitus, non abjiciendus. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 8. Ponere libros de manibus. *Ov. A. Am.* 2, 613. velamina. *Id. Met.* 4, 345. velamina de corpore. *Suet. Cal.* 5. barbam. *Liv.* 1, 19. curas. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. inimicitias. *Plin. ep.* 5, 6. metum. *Virg. A.* 1, 306. ferocia corda. *Hor. Od.* 4, 12, 25. moras et studium lucri. *Cic. Or.* 3, 12. vitia. *Id. Fam.* 9, 24. *extr.* vitam. Absolute *Virg. A.* 7, 27. Cum venti posuere: supple *vim*, *flatum*. Ap. *Suet. Ner.* 22. ponere rudimentum: [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 7, 49. et quos *ib.* in hanc rem laudat;] et ap. *Just.* 12, 4. tirocinium, *h. e.* exire, exsuere. ℙ Ap. *Sil.* 4, 397. ponere proelia, *h. e.* cessare a pugna; et 2, 460. tandem aequore vano Avertunt oculos frustrataque litora ponunt, *h. e.* desinunt spectare litora, unde exspectabant auxilium. *Burm.* mallet *lumina ponunt*, quod certe est mollius. ℙ Est etiam deorsum mittere. *Sen. Phoen.* 370. Bruma ter posuit nives, *h. e.* tres jam hiemes transierunt. V. alia in POSITUS, a, um. ℙ Deponere in pignore. *Virg. Ecl.* 3, 36. pocula ponam Fagina, caelatum divini opus Alcimedontis. *Pl. Curc.* 2, 3, 77. Pono pallium. ℙ Imponere. *Cic. N. D.* 1, 17. Sunt enim rebus novis nova ponenda nomina. *Virg. A.* 7, 63. Laurentesque ab ea nomen posuisse colonis. *Hor. Sat.* 2, 3, 48., qui tibi nomen Insano posuere. ℙ Proponere, in medium afferre. *Cic. Tusc.* 1, 4. Ponere jubebam, de quo quis audire vellet: ad id aut sedens, aut ambulans disputabam. *Id. Or.* 1, 22. Ponere alicui quaestiunculam. *Petr. Sat.* 115. Cum poneremus consilium, cui nos regioni crederemus. *Sen. Suas.* 6. *f.* Solent scholastici declamatores ponere; Deliberat Cicero, an promittente salutem Antonio, orationes suas comburat. *Virg. A.* 5, 292. Invitat pretiis animos, et praemia ponit. ℙ Collocare fenori. *Hor. Ep.* 2, 69. Omnem redegit idibus pecuniam, Quaerit calendis ponere. [*Cic. fragm. or. pro Tullio* (ed. *A. Maio.*) 7. Etiam illud addam, pecuniam nescio quomodo quaesitam dum vult in praedio ponere, non posuit, sed abjecit. *F.*] ℙ [*Inde transfertur ad officia et beneficia, quae bene collocantur. *Cic. Fam.* 13, 54. peto, quum apud gratos homines beneficium ponis, ut eo libentius his commodes; et *ib.* 56. apud gratissimum hominem atque optimum virum, quam bene positurus sis studium tuum atque officium, dubitare te non existimo. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Constituere, reponere. *Caes. B. G.* 5, 34. Omnem spem salutis virtute ponere. *Cic. Att.* 2, 23. *f.* Credibile non est, quantum ego in consiliis et prudentia tua, quantum in amore et fide ponam. ℙ Censere, reputare, judicare, numerare. *Id. Fam.* 6, 1. Quod ego quasi consolationis loco pono; et *ib.* 15, 4. *med.* Quae ego in beneficii loco non pono. *Id. Top.* 18. *f.* Si consilio juvare cives et auxilio, aequa in laude ponendum est. *Id. Cluent.* 20. *extr.* Ut quaecumque dicendi potestas esset data, in honore, atque in beneficio ponerent. *Nep. Ep.* 1. Scimus musicen nostris moribus abesse a principis persona: saltare vero etiam in vitiis poni. *Cic. Fin.* 3, 8. *med.* Qui mortem in malis ponit. *Nep. praef. med.* Quae omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur. ℙ Consumere. *Cic. Brut.* 22. Unum medium diem fuisse, quem totum Galbam in consideranda causa, componendaque posuisse. *Id. Att.* 6, 2. *med.* Ibi cum Junium mensem consumpsissem, cogitabam, Quintilem in reditu ponere. *Id. Fam.* 5, 21. Unum tecum diem libentius posuerim, quam, etc. [*Plura v. ap. *Schütz.* in *cl. Cic.*] ℙ Dare, figere. *Prop.* 2, 10, 29. Osculaque in gelidis ponas suprema labellis. *Stat. Th.* 2, 354. et oscula moestis Tempestiva genis posuit. ℙ Adhibere: [*de cura, aut studio, quod certis rebus aut negotiis tribuitur.] *Cic. Mur.* 22. Ut candidatus totum animum, atque omnem curam, operam, diligentiamque suam in petitione non possit ponere. *Id. Tusc.* 1, 19. *med.* Totosque in contemplandis rebus, perspiciendisque ponemus. *Id. Q. Fr* 3, 1, 2. Praestabo, sumptum nusquam melius posse poni. *Id. Fam.* 13, 64. *extr.* Si cum adjuveris eo studio, quo ostendisti, apud ipsum praeclarissime posueris. ℙ Dicere, pronunciare, vel scribendo adjicere. *Id. Leg.* 2, 3. Recte Magnus ille noster, me audiente, posuit in judicio, rempub. nostram justissimas huic municipio gratias agere posse, quod, etc. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Quamobrem, ut paulo ante posui, si essent omnia mihi solutissima, tamen, etc. *Id. Fin.* 2, 31. Hoc ipsum elegantius poni, meliusque potuit. *Liv.* 10, 9. *f.* Id ne pro certo ponerem, vetustior annalium auctor Piso effecit. *Juven.* 1, 155. Pone Tigellinum: taeda lucebis in illa, etc., *h. e.* dic, vel scribe aliquid in Tigellinum. *Cic. Fam.* 9, 15. *med.* Et quidem cum in mentem venit, ponor ad scribendum, *h. e.* cum venit in mentem Caesari, qui senatusconsulta domi suae scribenda curat, ponitur nomen meum quasi in senatu scribendo adfuerim. V. ADSUM. ℙ Pro certo asserere, statuere, et quod in scholis dicunt, supponere. *Id. Brut.* 45. Etsi non fuit in oratorum numero, tamen pono, satis in eo fuisse orationis atque ingenii, quo et magistratus personam, et consularem dignitatem tueretur. *Id. Or.* 4. Positum sit igitur in primis, sine philosophia non posse effici, quem quaerimus, eloquentem. ℙ Fingere. *Ter. Ph.* 4, 3, 23. Sudabis satis, si cum illo inceptas homine: ea eloquentia est. Verum pone, esse victum eum: at, etc. *Ulp. Dig.* 47, 10, 5. *med.* Ponamus, studiorum causa Romae agere. *Fac* etiam hoc sensu dicimus, et Graece τίθει. ℙ Exponere, objicere. *Pl. Capt.* 3, 5, 29. Meumque me potius caput periculo praeoptavisse, quam is periret, ponere. ℙ Statuere, sancire. *Tac. H.* 5, 5. *extr.* Liber Pater festos laetosque ritus posuit: Judaeorum mos absurdus sordidusque. *Quint.* 8, 3. Ponere alia, quam quae illi primi fecerunt, fas non est, *h. e.* nova verba fingere. ℙ [*Dicitur etiam de pretio alicujus rei statuendo, constituendo. *Hor. Sat.* 2, 3, 23. Callidus hinc signo ponebam millia centum: ubi *Heindf.* laud. *Sen. ep.* 87. Quis pleno sacculo ullum pretium ponit, nisi quod pecuniae in eo conditae numerus effecit?] ℙ *Rationem ponere*, inire. *Colum.* 1, 3. et *Suet. Oth.* 7. Sic *ponere calculos* ap. *Petr. Sat.* 115. Si bene calculum ponas, ubique naufragium est, *h. e.* si rem bene expendas, et diligentem rationem ineas. *Plin. ep.* 2, 19. *f.* Sed plane adhuc, an sit recitandum, examina tecum, omnesque, quos ego movi, in utraque parte calculos pone: idque elige, in quo vicerit ratio. ℙ *Posivi*, et *poseivi* praeterit. est *Pl. Ps.* 5, 1, 35. Commuto illico pallium: illud posivi; et *Trin.* 1, 2, 108. Mihi quod credideris, sumes, ubi posiveris; et *fragm.* ap. *Prisc.* 10, 898. Apud sequestrum vidulum posivimus. Adde *Cat. R. R. prooem.* et *ib.* 4. et *Inscr.* ap. *Grut.* 150, 6. Sic in compositis *apposivi*, *composivi*, *deposivi*, *exposivi*, *imposivi*, *opposivi*, *reposivi*, *supposivi*, quae habes ss. ll. ℙ *Posit* pro *posuit* in *Inscr.* ap. *Grut.* 541, 8., 571, 9., 724, 8. et 882, 14.; ap. *Maff. Mus. Ver.* 154, 2., 160, 6., 225, 7., 256, 6.; ap. *Fabr.* p. 137. *n.* 225. et p. 247. *n.* 3. idiotismus potius dicendus est, quam error lapicidarum; etenim *posit* magis quam *posuit* Italorum *pose* respondet.

PONS, pontis, m. γέφυρα, omne id, quo super flumen, vel foveam, vel simile quid transimus. Alii ducunt a ποῦς, transitus, alii a *pendeo*. *Caes. B. G.* 1, 13., *Nep. Milt.* 3. et *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 15. Pontem in flumine facere. *Flor.* 1, 4. Interfluentem Urbi Tiberinum ponte commisit. *Cic. Verr.* 2, 4, 52. *extr.* Pars oppidi, quae appellatur Insula, mari disjuncta angusto ponte rursus adjungitur et continetur. *Tac. H.* 4, 77. Pons, qui ulteriora coloniae annectit. *Liv.* 26, 6. et *Tac. A.* 15, 9. Pontem injicere. Sic *Suet. Cal.* 22. *extr.* Super templum divi Augusti ponte transmisso, Palatium Capitoliumque conjunxit. *Id. ib.* 19. Bajarum medium intervallum trium millium et sexcentorum fere passuum ponte conjunxit. *Curt.* 5, 1. *med.* Pons lapideus flumini impositus jungit urbem. *Id.* 3, 7. et 4, 9. Fluvium ponte jungere. *Tac. A.* 13, 39. amnem transgredi. *Plin. ep.* 8, 8. flumen transmittere. *Flor.* 4, 12. trajicere. *Tac. A.* 2, 68. (et *Quint.* 2, 13. *f.*) Pontem rumpere. *Id. H.* 3, 6. *extr.* et *ib.* 4, 70. abrumpere. *Curt.* 4, 16. recidere. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. interrumpere. *Cic. Leg.* 2, 4. *med.* interscindere. *Virg. A.* 8, 650. vellere. *Nep. Milt.* 3. rescindere. *Id. Them.* 5. dissolvere. *Tac. A.* 1, 69. solvere. *Id. ib.* 13, 7. per amnem jungere; et *ib.* 6, 37. navibus efficere. *Id. ib.* 12, 57. Inditis pontibus *(in lacu)* pedestrem ad pugnam. *Just.* 2, 10. *extr.* Xerxes quaedam maria pontibus sternebat. *Hirt. B. G.* 8, 14. Pontibus palude constrata, exercitum transducit. ℙ De via lignis strata in locis paludosis. *Tac. A.* 1, 63. Pontes longos quam maturrime superare: angustus is trames vastas inter paludes, et quondam a L. Domitio aggeratus. ℙ De iis, quibus in navem ascenditur. *Virg. A.* 10, 653. Forte ratis celsi conjuncta crepidine saxi Expositis stabat scalis, et ponte parato; et *ib.* 10, 287. socios de puppibus altis Pontibus exponit. ℙ De tabulatis navium. *Tac. A.* 2, 6. Multae *(naves)* pontibus stratae, super quas tormenta veherentur. ℙ Sunt etiam *pontes* tabulata, quibus turres instruuntur: ut *Serv.* docet ad illud *Virg. A.* 9, 530. Turris erat vasto suspectu, et pontibus altis. Sic *ib.* 12, 674. Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse, Subdideratque rotas, pontesque instraverat altos. ℙ Item qui de turri lignea ex superiore ejus parte trochleis laxatur, et muro obsessae urbis imponitur, ut per illum obsidentes moenia invadant: qui a *Veg. Mil.* 4, 21. *sambuca*, et *exostra* dicitur. *Suet. Aug.* 20. Et crus et utrumque brachium ruina pontis consauciatus. *Plin.* hoc idem narrans 7, 45, 46. ruina e turri periclitatum dicit. *Hard.* autem ex *Dione* 49, 35. et *Appiano Illyr.* 20. docet, turris pontem intelligendum esse. Hinc corrigendus est error *Flori* 4, 12., ubi perperam narrat, id accidisse in trajectu fluminis. Similes his sunt pontes in illo *Tac. A.* 4, 51. In vallum manualia saxa, praeustas sudes jacere, complere fossas, pontes et scalas inferre propugnaculis: *nempe* tabulata trajiciendae fossae, et scandendo vallo apta. ℙ In illo *Virg. A.* 9, 169. nec non trepidi formidine portas Explorant, pontesque, et propugnacula jungunt: *pontes* intelligit *Serv.*, qui fiunt in muris angustioribus, ut sit facilior transitus ad divisas muri partes. Horum fit mentio et ap. *Stat. Th.* 10, 879. ℙ Romae comitiorum tempore in campo Martio, aut in foro pontes ad tempus constituebantur, *h. e.* tabulata angusta, et a solo excitata, in morem pontis, per quae populus suffragia laturus de septo in septum transibat, acceptis tabellis, quae a diribitoribus ex ipsis pontibus distribuebantur. *Cic Att.* 1, 14. *med.* Consul lator rogationis, idem erat dissuasor: operae Clodianae pontes occuparant: tabellae ministrabantur, ita ut nulla daretur, Uti rogas. V. MARIUS. ℙ Narrant autem, ut est ap. *Fest.* in *Sexagenarios* ex *Sinnio Capitone*, cum primum per pontes suffragia ferri coepta sunt, juniores conclamavisse, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, qui jam nullo publico munere fungerentur, ut

ipsi potius sibi, quam illi deligerent imperatorem. *Ov. Fast.* 5, 633. Pars putat, ut ferrent juvenes suffragia soli, Pontibus infirmos praecipitasse senes. ℙ In pontibus fluminum stabant mendici stipem petentes. *Sen. V. B.* 25. In Sublicium pontem me transfer, et inter egentes abjice. *Juven.* 4, 116. dirusque a ponte satelles. Adde 14, 134. et *Mart.* 10, 5. et 12, 32. *extr.* ℙ In pontium transitu erat etiam olim, qui a transeuntibus vectigal exigeret. *Sen. Const. sap.* 14. Nec indignabitur aliquid impendere, ut limen transeat, cogitans, et in pontibus quibusdam pro transitu dari. ℙ Ubi ait *Hor. Sat.* 2, 2, 31. Unde datum sentis, lupus hic Tiberinus, an alto Captus hiet? pontesne inter jactatus, an amnis Ostia sub Tusci? *pontes* intelligit in Tiberi, de quibus V. LUPUS.

[PONTĀRĬUS pro Punctarius, ii, m. gladiator, qui punctim ferit, *che si batte a stoccate*, seu potius qui leves conserit pugnas, quas *Festus* appellat *punctariolas*, atque adeo is esse videtur, qui pungendo tantum adversarium suum vincit; idemque fortasse habendus cum gladiatore ludicro, qui voce Graecanica *paegniarius*, Latina vero *punctarius* dicitur, qui nempe non gladio, sed palo pugnat. V. PALUS, i. *Inscr.* ap. *Gud.* 106, 1. Primo duumviratu Apollinaribus in foro pompam, tauros, taurocentas, succursores, pontarios paria III., pugiles catervarios, et pyctas *(dedit)*. Secundo duumviratu in spectaculis athletas paria XXX., glad. par. V. etc. *F.*]

*PONTATĪCUM, i, n. vectigal quod in pontis transitu datur. *Ammian.* 5, 1. *B. A.*

*PONTEZINTA vel Pontezita, Africae opp., non longe a Syrtibus. *Anton. Itin. B. A.*

PONTĬA. V. in PONTINA.

*PONTĪCA, ae, f. gemma, livore pellucida, stellas habens rubras, interdum et aureas. Dixere, per eam interrogari et fugari daemones. Haec *Plin.* 37, 10. Cf. *Isid.* 16, 14. *B. A.*

[PONTĪCILLA, ae, f. dimin. Ponticae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 935, 14. Cassia Ponticilla. *F.*]

PONTĪCULUS, i, m. dimin. pontis, *γεφύριον*, pons exiguus. *Cic. Tusc.* 5, 20. Ejusque fossae transitum ponticulo ligneo conjunxisset. *Catull.* 17, 3. Crura ponticuli adsulitantis. *Colum.* 2, 2. More ponticulorum binis saxis pilarum vice constitutis. *Inscr.* ap. *Mur.* 598. Ponticulus lapideus.

PONTĪCUS, a, um, adj. *Ποντικός*, ad Pontum provinciam spectans. *Colum.* 12, 35. Pontici absinthii pondo libra. *Ov. Trist.* 1, 2, 94. Pontica terra. ℙ Nuces Ponticae eaedem ac Praenestinae, et Avellanae, ita dictae, quod in Ponto maxime abundent circa Ponticum mare, et inde in Graeciam, et ex Graecia in Italiam translatae fuerint. *Plin.* 15, 22, 24. ℙ *Pontici mures*, ap. *Plin.* 8, 37, 55. et 10, 73, 93. sunt, qui apud nos *Hermeline*, pilo albo, et mollissimo. ℙ *Jucen.* 6, 661. Pontica ter victi medicamina regis, *h. e.* Mithridatis regis Ponti. ℙ *Ponticus serpens* ap. *eund.* 14, 114. est draco aurei velleris custos in Colchide, quae est provincia ad Pontum Euxinum sita. ℙ *Pontici fauces freti* ap. *Sen. Med.* 454. est Bosphorus Thracius. ℙ De radice Pontica V. in RHA.

*PONTĪCUS, i, m. poeta *σύγχρονος* Propertio, ad quem scribit 1, 7. quem ad locum V. *Broukhus.* Meminit et *Ov. Pont.* 4, 10, 47. ℙ Alius, apud *Mart.* 7, 100. *B. A.*

PONTĪFEX, ĭficis, m. *ἱερεύς*, sacer magistratus, sacrorum praeses, antistes, magister religionis. De notatione ita *Varr. L. L.* 4, 15. Sacerdotes universi a sacris dicti: pontifices, ut Q. Scaevola pontifex maximus dicebat, a posse, et facere: ego a ponte arbitror: nam ap iis Sublicius est factus primum, et restitutus saepe, quod eo sacra et uls, et cis Tiberim non mediocri ritu fiant. *Cic. Leg.* 2, 8. Divis aliis alii sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto. *Id. Har. resp.* 6. *f.* Meam domum P. Lentulus consul et pontifex, L. Lentulus flamen Martialis, L. Claudius rex sacrorum, Q. Cornelius, Q. Terentius pontifices minores, omni religione liberaverunt. *Id. Or.* 3, 19. *f.* Ut pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tresviros epulones esse voluerunt, cum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti; sic, etc. *Ov. Fast.* 6, 454. factum Dea rapta probavit, Pontificisque sui munere tuta fuit. *Hor. Od.* 3, 23, 12. Victima pontificum securim Cervice tinget. *Id. ib.* 2, 14. *extr.* et mero Tinget pavimentum superbo, Pontificum potiore coenis, *h. e.* quae dabantur a pontificibus, cum sacerdotium inibant. V. ADITIALIS. ℙ Pontifices diu, praeterquam e patribus, creari non licuit. Sed ann. U. C. CCCCLIV. M. Valerio et Q. Apulejo Coss. etiam plebs ad hujusmodi sacerdotium admissa est. *Liv.* 10, 6. Omnibus unus praefectus fuit a Numa, isque *pontifex maximus* appellatus; eorum primus fuit Martius Martii filius, Numae gener. Adde 1, 20. ℙ Si *Liv.* 10, 6. audias, fuerunt ab initio quatuor; si *Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 14. quinque. Postquam autem cum plebe quoque communicatus pontificatus est, quatuor alios creeri ex plebe pontifices placuit. *Liv. l. c.*, mox eorum numerum L. Sulla dictator ita auxit, ut essent XV. *Id. Epit.* 89.: hi pontifices majores sunt appellati. Alii vero erant pontifices minores, qui majorum scribae fuisse videntur. *Cic.-Har. resp.* 6., *Liv.* 22, 57. et *Capitol. Macrin.* 7., quot autem hi numero essent, incompertum se habere testatur *Noris. Cenotaph. Pis.* p. 63., *Cic.* quidem *l. c.* tres tantum nominat. ℙ Etiam in municipiis et coloniis erant pontifices, qui sex erant Capuae, ut affirmat *Cic. Agr.* 2, 35. Horum primus *praefectus sacrorum* dicebatur. *Inscr.* ap. *Grut.* 411, 3. et alia ap. *Mur.* 763, 5. ℙ In nummis et veterib. monumentis pontificatus maximi symbola sunt simpulum, instrumentum illud aquae lustrali aspergendae, quod Graeci *περιῤῥαντήριον*, Itali *aspersorio* dicunt, securis, et apex; pontificatus vero majoris, simpulum tantum, quandoque etiam securis et secespita: ut probat *B. Borghesius Dec. numism.* 7. *n.* 7.: prioris symbola videre est in nummis G. Juliae ap. *Morell. tab.* 4. *n.* 7., alterius in nummis G. Corneliae ap. *eund. tab.* 2. *n.* 3. ℙ Pontificum collegium honoratius erat ex quatuor collegiis, quae *Suet. Aug.* 100 *summa* appellat, nempe pontificum, augurum, quindecemvirorum sacris faciundis, septemvirum epulonum, quibus postea accessit collegium sodalium Augustalium. *Tac. A.* 3, 64. Hi summam potestatem habebant, et praeerant omnibus sacris publicis, privatisque. Leges etiam de sacris ferre solebant, deque omnibus causis ad sacra pertinentibus ipsi tanquam supremi judices cognoscebant: qua in re et mulctandi jus habebant, cum ipsi nulli mulctae, nulliusque arbitrio obnoxii essent. *Liv.* 1, 20. ℙ Pontifex maximus dicitur, inquit *Fest.* in *Maximus*, quod maximus rerum, quae ad sacra et religiones pertinent, judex sit, vindexque contumaciae privatorum, magistratuumque. Hujus rei exempla habemus ap. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 2. et *Macr. Sat.* 1, 16., quibus locis et in privatos, et in magistratus imperium exercuisse pontifices legimus, cum de religione ageretur. Creabatur a populo in comitiis, ut apparet ex *Liv.* 25, 5. et *Cic. Agr.* 2, 7. Habebat ex Numa sacra omnia exscripta, exsignataque, quibus diebus, quae ad templa, quibus hostiis sacra fieri deberent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Hinc commentarii, et ap. *Liv.* 4, 3. libri pontificum, et *Hor. Ep.* 2, 1, 26. Retinebat dignitatem tota vita: praetexta utebatur. Vestales eligebat, capiebatque: edicebat comitia, iisque praeerat regis sacrorum, et flaminum creandorum causa: intererat arrogationibus, et adoptionibus lege curiata factis, ne sacra privata familiarum aliquid detrimenti caperent. Alia multa ad eum pertinentia V. ap. *Pitisc.* et alios. ℙ *Pontifex* pro episcopo, ap. Christianos. *Sidon. carm.* 16, 6. [*Quaedam emendavit *F.*]

PONTĪFĪCĀLIS, e, adj. *ἱεραρχικός*, ad pontificem pertinens. *Cic. Leg.* 2, 21. Si pontificalis maneret auctoritas. *Ov. Fast.* 1, 462. Arcadiae sacrum pontificale Deae; et *ib.* 3, 420. Accessit titulis pontificalis honos, *h. e.* honor pontificatus maximi, quem Augustus post Lepidi mortem assumpsit, quod ceteri deinceps imperatores fecerunt. *Liv.* 10, 7. *med.* Pontificalia, atque auguralia insignia. *Suet. Aug.* 44. Pontificales ludi, *h. e.* editi a pontif. max. initio honoris initi. *Auson. Grat. act.* 18. Pontificalia comitia, *h. e.* quibus praeerat pontifex maximus majoribus pontificibus creandis. In *fragm. Festi:* Pontificale pomoerium appellabant locum illum, agrumque prope murum, in quo pontifices sua constituerent auspicia.

PONTĪFĪCĀTUS, us, m. *ἀρχιερωσύνη*, pontificis munus et dignitas. *Cic. Har. resp.* 9. Qui statas solemnesque caeremonias pontificatu, rerum bene gerendarum auctoritates augurio contineri putaverunt. *Vell.* 2, 59. Pontificatus sacerdotio puerum honoravit. *Tac. H.* 1, 77. Otho pontificatus, auguratusque honoratis jam senibus, cumulum dignitatis addidit.

PONTĪFĪCENSIS et Pontificiensis, e, adj. cogn. Obulconis oppidi in Hispania inter Cordubam et Giennam. *Plin.* 3, 1, 3. et *Inscr.* ap. *Grut.* 458, 5. Ordo Pontificiensis Obulconensis.

PONTĪFĪCĬUM, ii, n. proprie est auctoritas et potestas pontificis in rebus sacris. *Solin.* 16. *extr.* Devotionis, quam peregre prosequebantur, pontificium mox intra fines suos receperunt. *Imppp. Grat., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 16, 5, 13. Omnes, qui harum professionum vel pontificium sibi, vel ministerium vindicarunt. ℙ Universim sumitur pro munere, facultate, potestate, jure faciendi aliquid. *Gell.* 1, 13. Re semel statuta deliberataque ab eo, cujus negotium id, pontificiumque esset. *Sym. ep.* 3, 17. Pontificio iterati honoris auctus; et *ep.* 10, 44. (al. 51.) *med.* Ut aeternitati vestrae causae istius pontificium reservarem. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 8, 18, 1. Ut fruendi pontificium habeant, alienandi eis licentia derogetur. *Arnob.* 2, 89. Ut enim Dii certi certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates; ita unius pontificium Christi est dare animis salutem.

PONTĪFĪCĬUS, a, um, adj. pontificalis. *Cic. Dom.* 14. Nego, istam adoptionem pontificio jure esse factam. *Id. N. D.* 30. Pontificii libri. ℙ De pede pontificio, V. SPONDAEUS.

PONTĪLIS, e, adj. ad pontem pertinens, ut Stratus pontilis, *Veg. Vet.* 1, 56. [*Id. ib.* 2, 58. Roboreis pontilibus consternantur. Ita pro *pontibus* edidit *Schneid.*, quod idem conjecerat *Gesn. F.*]

PONTĪNA seu Pomptina palus, *Paludi Pontine, Aufente Palude*, palus Volscorum, in Latio, seu Campania Romana, inter Appii Forum, Tarracinam, et Circejos, olim adeo late patens, ut illam, teste *Plin.* 3, 5, 9., triginta tres urbes circumstarent, in quibus erat Pometia. In eam Ufens, et Amasenus fluv. influunt. Per hanc Trajanus viam saxo stravit ingenti sumptu, ut ejus etiamnum videntur reliquiae. *Id. Plin.* 26, 4, 9. Pontinas paludes vocat in plur. num. ut et *Mart.* 10, 74. et *Lucan.* 3, 85. et *Suet. Caes.* 44. V. DECENNOVIUM. ℙ Sedes latronum fuit, teste *Juven.* 3, 306. ℙ Pontinos, seu Pomptinos campos appellat *Mart.* 13, 112. Pomptinum agrum *Liv.* 2, 34. et 6, 5. et 6. ℙ Qui *Pontina* scribunt, ducunt cum *Festo* a Pontia urbe Volscorum, ut *Idem* ait: (est autem in insula cognomine, colonia R. contra et prope Tarracinam, ap. *Liv.* 9, 28., unde *Pontiani, orum*, ap. *eund.* 27, 10.) qui *Pomptina*, a Pometia cognomine Suessa, quod itidem Volscorum oppidum ad eam paludem situm: quasi per syncop. sit pro *Pometina.* ℙ Pontina, seu Pomptina tribus, una ex rusticis, a palude cognomine sic appellata, seu a Pontia urbe modo dicta, ut *Fest.* docet. Addita est reliquis una cum Publicia circa A. U. CCCXCVII. ut *Liv.* 7, 15. *f.* scribit. *Inscr.* ap. *Grut.* 549, 3. L. Junius L. F. Pontina Ogulnius Mil. Leg. II. etc.

[PONTĪVĀGUS, a, um, adj. qui per pontum vagatur, vel mari gaudet. Absolute more substantivi usurpat *Auct.* incertus *epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 487. Lustrent pontivagi Cumani litoris antra, Indigenae placeant plus mihi deliciae. *F.*]

*PONTĬUS, i, m. nomen proprium virorum R. ut L. Pontius Aquila, unus e percussoribus Caesaris. *Cic. Phil.* 11, 6. *As. Poll.* in *Cic. Fam.* 10, 33. *Suet. Caes.* 78. ℙ Fuit et C. Pontius, imperator Samnitium, cujus ductu Romani coacti sunt foedus Caudinum facere. *Cic. Off.* 2, 21. *med.* Cf. et *Sen.* 12. *Liv.* 9, 1. sqq. *Flor.* 1, 16. *B. A.*

PONTO, onis, m. navis transvehendis jumentis et vehiculis accommodata: sive intelligas tabulatum duobus lintribus simul colligatis fultum: cujusmodi hodieque utimur trajiciendis fluminibus, ubi pontes non sunt, religato ad utramque ripam fune, et sequente navi, ubi ille attrahitur: sive navem solam plano tabulato constratam, et in mari quoque utilem. De hac *Caes. B. C.* 3, 29. Plerasque naves in Italiam remittit, ad reliquos milites equitesque transportandos: pontones, quod est genus navium Gallicarum, Lissi relinquit. De priore *Auson. Idyll.* 12, 10. Lintribus in geminis constratus ponto sit, an pons. *Paul. Dig.* 8, 3, 38. Flumen, in quo pontonibus trajiciatur. Etiam *Gell.* 10, 25. inter varia navium nomina *pontones* recenset.

[PONTŌNĬUM, ii, n. dimin. pontonis. *Isid. Or.* 19, 1. Pontonium navigium fluminale, tardum et grave, quod nonnisi remigio progredi potest. *F.*]

PONTUS, i, m. *πόντος*, Graeca vox marc significans apud poetas. *Virg. G.* 1, 356. freta ponti Incipiunt agitata tumescere; et *ib.* 469. tellus quoque, et aequora ponti; et *ib.* 4, 430. vasti gens humida ponti. *Hor. Od.* 3, 3, 37. Dum longus inter saeviat Ilion, Romamque pontus. *Sen. Oed.* 488. Naxos Aegaeo redimita ponto. ℙ Per synecdochen dicitur de mari Euxino, seu de toto illo mari, quod est ab Hellesponto usque ad Maeotin. *Plin.* 4, 12, 24. V. EUXINUS. *Cic. Verr.* 2, 4, 58. In Ponti ore et angustiis, *h. e.* in Bosphoro Thracio. *Val. Fl.* 8, 180. Crastina namque dies trucis ad confinia Ponti, Cyaneasque vocat. ℙ Item de illa regione Asiae minoris, quae ad Ponti litus a meridie sita est, inter Bithyniam et Paphlagoniam; item quae inter Paphlagoniam et Armeniam majorem: Pontus etiam Galaticus, Cappadocius, et Polemoniacus cognominata. Sed accuratius de his geographi. Regnavit in ea Mithridates: quo devicto, in provinciam ab Romanis redacta est. *Flor.* 3, 5. et *Vell.* 2, 38. *extr.* ℙ Interdum latius accipitur de iis regionibus, quae ad Ponti litus quodcumque positae sunt, ut de Tomitana, ubi exsulavit Ovidius, et de Colchide Medeae patria. *Cic. Manil.* 9. Ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa, etc. Adde *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 6, 43. et ad *A.* 9, 682. Hinc Ovidii Epistolarum libri ex Ponto. ℙ In plur. num. *Ponti, orum*, Latinitas non recipit, inquit *Serv.* ad *A.* 3, 104.

PŌPA, ae, m. *θύτης*, victimarius, h. e. minister sacerdotis, victimas ad altare admovens, ac feriens: idem erat etiam victimarum venditor: item sacrificulus, qui circa domos, sacrificiis familias purgaturus, oberrabat. Apparebat ab umbilico involutus veste, nudus cetera. *Serv.* ad *A.* 12, 120. Limus est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes teguntur popae. Ap. *Montfaucon. Antiquit. illustr.* T. II. *tab.* 69-73. visuntur popae infra pectus tecti limo usque ad genua. *Suet. Cal.* 32. *f.* Admota

altaribus victima succinctus poparum habitu, elato alte malleo, cultrarium mactavit. *Popa* est hic, qui malleo bovem tundit: *cultrarius* qui jugulat. *Prop.* 4, 3, 61. Illa dies hornis caedem denunciat agnis: Succinctique calent ad nova lucra popae. *Cic. Mil.* 24. Quin etiam audiendus sit popa Licinius nescio quis, etc. Ubi *Ascon.* ad 25. haec adnotat: Licinium quendam de plebe, sacrificulum, qui solitus esset familias purgare. ℙ *Popa*, etiam fem. gen. videtur significare eam, quae victimis venalibus negotiatur. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 17. *n.* 75. Critonia Q. L. Philenia popa de insula. At potius legendum *copa*, quae nempe vinum vendit. Ita etiam in alia *Inscr.* M. Grunnii Corocottae Porcelli ap. *Grut.* inter spuria p. 18. *n.* 5. Coco do, lego ac dimitto popam et pistillum; legendum videtur *copam;* ibi enim est pro *cupam*, nempe mortarium. ℙ *Popa venter* translate opponitur macro ap. *Pers.* 6, 72. mihi trama figurae Est reliqua; ast illi tremat omento popa venter? *h. e.* mihi corpus ita macrum fuerit, ut vix ossibus haeream; illi vero venter sit ita obesus, ut popa esse videatur? Etenim popae, ut apud nos lanii et coci, obeso plerumque ventre esse solebant, quippe qui victimarum carnibus affatim expleri poterant. [*Alteram hujus loci partem auxit atque emendavit *F.*]

POPĂNUM, i, n. πόπανον, placenta lata, tenuis, orbicularis, teste *Suida:* a πέπτω, coquo, utpote genus rerum, quae coquuntur. Harum placentarum usus in sacrificiis fuit, quemadmodum indicat *Aristophanes* in *Pluto v.* 660., et *Lucianus de sacrificiis. Juven.* 6, 545. Scilicet et tenui popano corruptus Osiris. *Panificium* Latina appellatione vocat *Suet. Vesp.* 7.

POPELLUS, i, m. δημάδιον, plebecula. *Hor. Ep.* 1, 7, 65. Vilia vendentem tunicato scruta popello. *Pers.* 4, 15. blando caudam jactare popello.

POPILIA vel Popillia tribus. V. POBLILIA.

POPILII vel Popillii, orum, m. plur. gens Romana; ex qua familia fuit cognomine *Laenatum*, cujus princeps M. Popilius Laenas M. F., qui consul fuit quinquies. V. LAENAS, et *Liv.* 7, 12, 17, 23. et 26. et 9, 21. Fuere praeterea multi alii clari viri tum honoribus, tum eloquentia. V. *Liv.* et *Cic. Brut.* 25. ℙ C. Popilius trib. mil. olim parricidii reus, et a Cicerone defensus, ejus postea proscripti caput et manus recidit, et ad M. Antonium detulit. *Epit. Livii* 120., *Sen. Suas.* 7. ℙ *Popiliam gentem* memorat *Cic. Leg.* 2, 23. ℙ Pro utraque scribendi ratione Lapidum testimonia multa congessit *Manut.* in *Orthograph.*

POPINA, ae, f. καπηλεῖον, ὀψοπωλεῖον, ὠσωτεῖον, locus, ubi cocta obsonia, et delicatiores cibi publice venduntur, et comeduntur, ganea: a *popa.* Eo conveniebant fere gulosi homines, lurcones, heluones, et ventri dediti. *Pl. Poen.* 4, 2, 13. Bibitur, estur, quasi in popina, haud secus. *Cic. Phil.* 2, 28. Hujus in sedibus pro cubiculis stabula, pro tricliniis popinae sunt. *Suet. Tib.* 34. Dato aedilibus negotio popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent. *Id. Ner.* 16. Interdictum, ne quid in popinis coeti praeter legumina, aut olera veniret, cum antea nullum non obsonii genus proponeretur. *Cic. Phil.* 13, 11. In lustris, popinis, alea, vino tempus aetatis omne consumere. *Mart.* 5, 70. In sellariolis vagus popinis; et 1, 42. fumantia qui tomacla raucus Circumfert tepidis vagus popinis. *Hor. Ep.* 1, 14, 21. fornix tibi, et uncta popina Incutiunt urbis desiderium. *Id. Sat.* 2, 4, 62. immundae popinae. ℙ Metonymice dicitur de ipsis cibis delicatioribus, et largioribus. *Cic. Phil.* 3, 8. Vino atque epulis retentus, et alea est: si epulae potius, quam popinae nominandae sunt. *Id. Pis.* 6. Cum isto ore foetido teterrimam nobis popinam inhalasses.

POPINĀLIS, e, adj. ὀψοποιϊκός, ὀψαρτυτικός, ad popinam pertinens. *Colum.* 8, 16. Jam enim celebres erant deliciae popinales. *Appul. Met.* 8. *in.* Juvenis natalibus praenobilis, sed luxuriae popinalis.

POPINĀRIUS, ii, m. ὀψοπώλης, qui popinam exercet. *Lampr. Alex. Sev.* 49. *f.* Cum Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi. *Firm. Math.* 4, 15. Hospites, popinarii, tabernarii, myropolae.

POPINĀTOR, oris, m. qui popinam frequentat, popino. *Macr. Sat.* 7, 14. Apud popinatores pleraque scitamentorum cernimus proposita.

POPINIA tribus, una ex rusticis, eadem est ac *Pupinia*, ut frequentius legitur: dicta ab agro Pupinio, qui circa Tusculum fuit, ut *Fest.* docet in *Pupinia:* cujus agri et *Varr. R. R.* 1, 9., item *Colum.*. 1, 4., ubi pestilentem et exilem vocat, et *Liv.* et *Val. Max.* meminere. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 6. *n.* 118. L. Albidio L. F. Popin. Saturnino, etc. Alia ap. *Don. cl.* 6. *n.* 142. Furio Paulo Fur. F. Popinia Paulino, etc. Sunt aliae multae, in quib. *Pop.* scriptum est, quod et *Popiliam*, seu *Popilliam* significare potest.

POPINO, onis, m. ἄσωτος, heluo, gulo, qui se popinis dedit. *Varr.* ap. *Non.* 2, 705. Quis poculis argenteis chorum introibit? popino. *Hor. Sat.* 2, 7, 39. Imbecillus, iners, sim quidvis, adde, popino. *Suet. Gr.* 15. Lurconem, et nebulonem, popinonemque appellans.

POPINOR, aris, dep. 1. λιχνεύω, heluor, indulgeo popinis. *Trebell. in* XXX. *Tyr.* 29. de Celso: Dum Gallienus popinatur, et balneis ac lenonibus deputat vitam, etc.

POPLES, itis, m. ἰγνύα, pars ea, quae genu opposita est: ex *post*, et *plico*, quia post genu plicetur, ac curvetur. *Colum.* 6, 12. de bove: Oleo, et sale genua, poplitesque, et crura confricanda sunt. *Liv.* 22, 51. Quosdam et jacentes vivos succissis feminibus poplitibusque invenerunt. *Virg. A.* 12, 927. incidit ictus Ingens ad terram duplicato poplite Turnus, *h. e.* genu flexo. *Hor. Sat.* 2, 7, 97. Contento poplite mirari aliquid; et *Val. Fl.* 6, 245. submisso poplite; et *Stat. Th.* 6, 590. flexo poplite sidere. *Lucan.* 1, 613. Victima deposito praebebat poplite collum. *Lucr.* 4, 950. Brachia, palpebraeque cadunt, poplitesque procumbunt. *Curt.* 6, 1. et 9, 5. Excipere se poplitibus. *Plin.* 28, 6, 17. Poplites genibus imponere; et 11, 45, 102. Elephas poplites intus flectit, hominis modo. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 34. vestis poplite fusa tenus. ℙ In recto singul. *Lucan.* 9, 770. Membra natant sanie: surae fluxere: sine ullo Tegmine poples erat.

POPLĪCOLA et Poplicula, ae, m. cogn. fuit P. Valerii, qui in locum L. Tarquinii Collatini consul a populo suffectus fuit: ita dictus a *poplus* pro *populus*, et *colo*, quasi populum coleret, observaretque, ut *plebicola*, qui plebem colit, quia fasces ei in concione submisit, et de provocatione adversus magistratus legem tulit, ut *Liv.* 2, 7. et 8. et *Val. Max.* 4, 1. narrant. Fuit quater consul. Mortuus est gloria ingenti, sed re familiari adeo exigua, ut sumptus funeri deesset: quare de publico elatus est. *Liv. l. c.* 15. et 16. *Sil.* 2, 8. Poplicula, ingentis Volesi Spartana propago. *Inscr.* ap. *Grut.* 97, 2. P. Valerius Volusi F. Poplicola. Alia *ib.* 6, 5. P. Valerius Volesi F. Poplicula Jovi, Junoni, etc. Alia 480, 5. Sex. Valerio Sex. Fil. Fab. Poplicolae, etc. Graeci quoque Ποπλικόλας. *Hor. Sat.* 1, 10, 38. Cum Pedius causas exsudet Poplicola, atque Corvinus. ℙ De quocumque populi studioso. *Sidon. carm.* 23, 80. Inter publicolas manu feroces Trunco Mucius eminet lacerto. ℙ Scribitur et *Publicula*, sed minus recte.

POPLĪCĪTUS, adv. publice. *Enn.* ap. *Gell.* 16, 10. Proletariu' poplicitus scutoque feroque Ornatur ferro; et *Pl. Stich.* 3, 2, 35. Ambracia veniunt huc legati poplicitus. Alii utroque loco leg. *publicitus;* et ap. *Plaut.* etiam *publice.*

POPLĪCUS, a, um, adj. publicus: a *poplus. Enn.* ap. *Cic. Fam.* 7, 6. Nam multi suam rem bene gessere, et poplicam patria procul. *Pl. Trin.* 1, 1, 16. Remoramque faciunt rei privatae et poplicae. Alii utrobique leg. *publicus. Inscr.* optimae notae ap. *Grut.* 204. *lin.* 13. Agri poplici quod Langenses possident. Ita saepe in eod. lapide. Alia *ib.* 150, 6. Itemque fecei, ut de agro poplico aratoribus cederent pastores.

POPLĪFŪGIA, populifugia. *Vet. Calendar.* ap. *Grut.* 133. in Jul.: Non. Poplif. NP.

POPLUS, i, m. populus, per syncopen poetis concessam. *Pl. Amph. prol.* 101. et 1, 1, 103. Thebano poplo. *Id. Cas.* 3, 2, 6. Praesidium popli. *Id. As. prol.* 4. Auritum poplum. Habetur etiam in fragm. antiquissimae Inscriptionis columnae Rostratae ap. *Grut.* 404, 1.

POPOLUS, i, m. antique pro *populus.* In formula *concipiendi ferias*, ap. *Gell.* 10, 24. Die noni popolo Romano Quiritibus Compitalia erunt. In alia *capiendae Vestalis* ap. *eund.* 1, 12. Sacerdotem Vestalem facere pro popolo Romano Quiritibus. Adde *Enn.* locum ap. *Varr. L. L.* 6, 3., alium ap. *Non.* 2, 625., alium *ib.* 4, 403. etc., quibus locis per *o* mediam syllabam multi libri habent: atque hanc scriptionem agnoscit etiam *Mar. Vict. Gramm.* 1. p. 2458.

POPPAEĀNUS, a, um, adj. ad Poppaeam pertinens, quae fuit uxor Neronis, a quo ictu calcis, cum gravida et aegra esset, occisa est, ut *Suet.* 35. narrat. *Juven.* 6, 461. multo Pane tumet facies, aut pinguia Poppaeana Spirat, *h. e.* unguenta usurpata, aut inventa a Poppaea. ℙ Sunt qui scribunt *Poppea*, et *Poppeanus*, sed contra vet. libros, et lapides, teste *Manut.* in *Orthograph.*

*POPPAEUS, i, m. nomen proprium virorum R. ℙ Poppaeus Sabinus, modicus originis, principum amicitia Consulatum et triumphale decus adeptus. *Tac. A.* 6, 39. ℙ Poppaeus Sylvanus, Consularis, sex millium Dalmatarum recentem delectum Vespasiani partibus adduxit. *Id. H.* 3, 50. Adde 4, 47. ℙ Poppaeum Vopiscum meminit *Id. H.* 1, 77. *B. A.*

POPPYSMA, ātis, n. πόππυσμα, palpum, vel sonus lingua, manibus, ac similibus modis excitatus ad favorem ostendendum. Proprie est oris pressi sonus, et labiorum in se collisorum strepitus, ut fit cum cupide osculamur: a ποππύζειν, sibilare: quod quidam etiam exponunt applaudere, idest illisis manibus inter se, et palma cum palma collata plausum edere. *Juven.* 6, 583. frontemque, manumque Praebebit vati crebrum poppysma roganti. *Plin.* 28, 2, 5. Fulgetras poppysmis adorare, consensus gentium est. Hoc *poppysmis* potest esse etiam a recto *poppysmus:* sed etiam neutra in *a* dativum plur. in *is* habent, ut *egigrammatis, peristromatis,* etc. V. ℙ De sibilo cunni imitantis peditum. *Mart.* 7, 18. Quis ridere potest fatui poppysmata cunni?

POPPYSMUS. V. in v. praec.

POPPYZON, ontis, m. ποππύζων, part. verbi ποππύζω, quod significat blande contrectare, palpare, tenui sibilo ore emisso, quod facere ii solent, qui equos feroces demulcere, et mites reddere volunt. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. Cum pingeret poppyzonta retinentem equum: *poppyzonta* est accusativus singul. Graecae positionis.

POPULĀBILIS, e, adj. qui populari potest. *Ov. Met.* 9, 263. Interea quodcumque fuit populabile, flammae, Mulciber abstulerat.

POPULĀBUNDUS, a, um, adj. ἐξαλαπάζων, qui populatur, praedabundus. *Liv.* 1, 15. In fines Romanos excurrerunt, populabundi magis, quam justi more belli. *Sisenn.* ap. *Non.* 7, 26. Protinus agros populabundus ad Numeriam convertit. Adde ap. *Gell.* 11, 15.

POPULĀCIA. V. POPULARIS.

POPULĀRIA, ium, n. plur. locus in theatro, ubi populus, idest plebs sedebat, videlicet media et summa cavea; ut equestria locus, unde equites spectabant. *Suet. Dom.* 4. *extr.* Et quia pars major *(missilium)* intra popularia deciderat, etc. *Id. Claud.* 25. *med.* Germanorum legatis in orchestra sedere permisit, simplicitate eorum et fiducia motus, quod in popularia deducti, cum animadvertissent Parthos, et Armenios sedentes in senatu, ad eadem loca sponte transierant. *Tac. A.* 13, 54. idem aliis verbis, et ab Nerone factum narrat. Sunt qui utrobique ad vocem *popularia* subintelligendum putant *subsellia.* V. v. sq.

POPULĀRIS, e, adj. ad populum pertinens, δημοτικός. *Cic. Leg.* 2, 4. Ante quam ad populares leges venias, vim istius coelestis legis explana, *h. e.* populorum scito conditas. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 8. *f.* Patere aures tuas querelis omnium: nullius inopiam ac solitudinem non modo illo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem et cubiculo esse exclusam. *Id. Acad.* 4, 2. *med.* Popularis coetus: et *mox:* Populares illustresque laudes. *Id. Off.* 2, 10. Popularibus verbis est agendum, et usitatis, cum loquimur de opinione populari. *Id. Leg.* 3, 6. Veteres acute illi quidem, sed non ad hunc usum popularem atque civilem de republica disserebant. *Id. Or.* 1, 23. Sunt enim varia et ad vulgarem, popularemque sensum accommodata, omnia genera hujus forensis nostrae dictionis. *Cato R. R.* 88. Sal populare, *h. e.* vulgare, quo populus passim utitur. *Plin.* 13, 4, 9. Populari nomine a nobis appellantur balani. *Id.* 7, 56, 57. Regiam civitatem Aegyptii, popularem Attici invenerunt, *h. e.* quae populi arbitrio gubernatur; et *Colum.* 9, 11. *f.* de apib.: Populares pulli, *h. e.* fetus plebis apum, quibus opponuntur pulli regum. *Cic. fragm. pro C. Cornel.* ap. *Ascon.* Quod passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari, *h. e.* a loco, in quo considebat populus ludos spectans: qui *popularis* etiam dicitur. V. v. praec. ℙ Qui est ejusdem populi, civis, municeps, incola, conterraneus, συμπατριώτης. *Cic. Leg.* 1, 23. *med.* Seque non unis circumdatum moenibus, popularem alicujus definiti loci, sed civem totius mundi agnoverit. *Id. Acad.* 4, 37. At hoc Thales Anaximandro populari et sodali suo non persuasit. *Pl. Poen.* 5, 2, 79. O mi popularis, salve. *Ter. Eun.* 5, 9, 1. O populares, ecquis me vivit hodie fortunatior? *Id. Ad.* 2, 1, 1. Obsecro, populares, ferte misero atque innocenti auxilium. *Ov. Met.* 12, 191. Popularem esse alicui. *Sall. Jug.* 62. Metellus, converso equo, animadvortit, fugam ad se vorsum fieri: quae res indicabat populares esse. ℙ *Populare carmen* ap. *Sen. Oed.* 402. est peculiare, proprium, et solemne toti populo. ℙ Dicitur etiam de bestiis, et plantis, etc. *Plin.* 8, 57, 82. de glirib.: Qua in re notatum, non congregari nisi populares ejusdam silvae: et, si misceantur alienigenae, amne vel monte discreti, interire dimicando. *Ov. Ib.* 503. Leaena popularis. *Plin.* 15, 13, 12. de prunis: Simul dici possunt populares eorum myxae, quae et ipsae nunc coeperunt Romae nasci, insitae sorbis. *Ov. Met.* 7, 498. ramumque tenens popularis olivae, *h. e.* quae plurima in ejus patrio solo colitur, et in honore habetur. Loquitur de rege Athenarum, quae sub tutela Minervae sunt, cui sacra oliva. *Id. ib.* 1, 577. popularia flumina, *h. e.* ejusdem regionis. ℙ Item de iis, qui ejusdem sunt fortunae, et conditionis. *Ter. Phorm.* 1, 1, 1. Amicus summus meus et popularis Geta, *h. e.* servus, ut ego. ℙ Item de iis, qui ejusdem sunt factionis et societatis. *Sall. Cat.* 23. Cum ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret; et *ib.* 25. Quod factum primo populares conjurationis concusserat. *Sen. V. B.* 13. Invitis hoc nostris popularibus dicam, *h. e.* meae sectae Stoicis. ℙ Praeterea *popularis* dicitur po-

puli studiosus, et fautor, ejusque gratiam captans, φιλοπολίτης. *Cic. Cluent.* 28. L. Quintius homo maxime popularis, qui omnes rumorum et concionum ventos colligere consuesset. *Id. Agr.* 1, 7. *f.* Consul veritate, non ostentatione popularis. *Id. Cat.* 4, 5. Animus vere popularis, saluti populi consulens. V. OPTIMATES. ℙ Item populo gratus et jucundus. *Cic. ib.* 8. Nihil tam populare, quam pacem, quam concordiam, quam otium reperiemus. *Plin. ep.* 1, 8. *med.* Utilissimum munus, sed non perinde populare. *Id. Pan.* 77. Populare, gratumque audientibus. *Lact. Ira D.* 5. Favorabilis admodum, et popularis oratio. *Liv.* 7, 33. Et, quo nihil popularius est, quibus artibus petierat magistratus, iisdem gerebat. ℙ *Popularia sacra* ap. *Festum* ex *Labeone* sunt, quae omnes cives faciunt, nec certis familiis attributa sunt, Fornacalia, Parilia, Lararia, porca praecidanea. ℙ *Aura popularis*, gratia et favor populi, quem affectant, qui populares esse volunt. *Cic. Har. resp.* 20. *extr.*, *Hor. Od.* 3, 2, 20. et *Virg. A.* 6, 817. ℙ Popularis etiam dicitur humilis, vilis, sordidus, teste *Donato* ad *Ter. Phorm.* 1, 1, 1. ℙ Popularia agere, h. e. nugatoria, vel puerilia. *Laber.* ap. *Non.* 2, 630. Popularia agimus per ludum. Alii leg. *populacia* eod. sensu. ℙ *Populares*, populus urbis, plebs urbana: et distinguuntur a militibus, qui extranei plerumque esse solebant posterioribus R. imperii temporibus. *Sall. Jug.* 7. Homo tam acceptus popularibus. *Capitol. M. Aurel.* 17. Pestilentia gravis multa millia et popularium et militum interemerat. *Ulp. Dig.* 1, 12, 1. *f.* Debet dispositos milites stationarios habere ad tuendam popularium quietem. ℙ *Popolaris* antique pro *popularis*, a *populus*. *Enn.* ap. *Gell.* 12, 2. dictus ollis popolaribus olim. Alii *popularibus*.

POPŪLĀRĪTAS, atis, f. δημαγωγία, studium populi, humanitas, blanditiae, quibus populi favorem aucupamur. *Plin. ep.* 6, 31. Homo munificus, et innoxiae popularitatis. Alii leg. *innoxie popularis*. *Suet. Tit.* 8. Ne quid popularitatis praetermitteret, non nunquam in thermis suis, admissa plebe, lavit. *Tac. A.* 3, 69. Quanto rarior apud Tiberium popularitas, tanto laetioribus animis accepta. *Stat. Silv.* 2, 7, 69. Et gratus popularitate Magnus. *Sidon. carm.* 9, 295. Et carus popularitate princeps. *Id. carm.* 23, 400. Alter, dum popularitate gaudet, Dexter sub cuneis nimis cucurrit, *h. e.* plausu populi, qui in cuneis sedebat. ℙ Aliquando ponitur pro conjunctione, quae debet esse inter populares, seu pro amicitia, quae ex ejusdem patriae habitatione contrahitur. *Pl. Poen.* 5, 2, 81. Atque impera popularitatis causa.

POPŪLĀRĬTER, adv. δημοτικῶς, more populi, vulgo, pro populari inscitia, ut Populariter agere, loqui, scribere, etc. *Cic. Somn. Scip.* 7. Homines enim populariter annum tantummodo solis, idest unius astri, reditu metiuntur. *Id. Fin.* 2, 6. Loqui populariter. *Id. ib.* 5, 5. Duo genera librorum sunt, unum populariter scriptum, quod ἐξωτερικὸν appellabant; alterum limatius, quod in commentariis reliquerunt. ℙ Interdum ponitur pro seditiose, cum gratia populi. *Cic. Off.* 2, 21. Sed cum in agendo multa populariter, tum illud male, non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent. *Id. Cluent.* 34. Conciones quotidianae seditiose ac populariter excitatae. *Juven.* 3, 37. Quemlibet occidunt populariter.

POPŪLĀTIM, adv. catervatim, in universum, per populos. *Pomp.* ap. *Non.* 2, 628. Poeta placuit populatim omnibus. *Caecil. ib.* 659. Ego te perdidi, qui omnes servos perdo populatim?

POPŪLĀTĬO, onis, f. πόρθησις, actus populandi, praedatio, direptio. *Liv.* 3, 3. *f.* Aequos populationibus incursionibusque meliores esse. *Id.* 2, 64. Populationem adeo effuse fecit, ut nihil bello intactum relinqueret, multiplicique capta praeda rediret. *Caes. B. G.* 1, 15. Hostem rapinis, pabulationibus, populationibusque prohibere. ℙ Extra rem militarem. *Colum.* 1, 5. Villa juncta militari viae praetereuntium viatorum populationibus, et assiduis divertentium hospitiis divexat rem familiarem. ℙ De ipsa praeda. *Liv.* 2, 43. Vejentes, pleni jam populationum, Romam ipsam se oppugnaturos minitabantur. ℙ De bestiis fruges passim absumentibus. *Colum.* 2, 20. Ea res a populatione murium formicarumque frumenta defendit. *Id.* 3, 21. Vindemia populationibus volucrum pluviisque aut ventis lacessita dilabitur. ℙ Translate. *Plin.* 9, 34, 53. Cum populatio morum, atque luxuria non aliunde major, quam, etc. ℙ De populi multitudine. *Sedul.* 4, 275. Flebant germanae, flebat populatio praesens.

POPŪLĀTOR, oris, m. πορθητής, qui populatur, depopulator, direptor. *Liv.* 3, 68. *f.* Populatores agrorum fusos fugatosque castris exuere. *Ov. Met.* 13, 655. Trojae populator Atrides. [*V. *Ruhnk.* ad *Albinov.* 433.] ℙ Translate. *Mart.* 7, 26. Tuscae glandis aper populator. *Val. Fl.* 1, 683. Calabri populator Sirius arvi Incubuit. *Quint. decl.* 12, 24. *extr.* Populator eversorque civitatis. *Claud. in Ruf.* 1, 35. Et luxus populator opum; et *ib.* 2, 377. sic attonitos ad litora pisces Aequoreus populator agit.

POPŪLĀTRIX, icis, f. quae populatur. *Stat. Silv.* 3, 2, 86. Siculi populatrix virgo profundi, *h. e.* Scylla. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 165. attonitus stabulo ceu pastor inani, Cui pecus aut rabies Poenorum inopina leonum, Aut populatrices infestavere catervae. ℙ Translate. *Mart.* 13, 104. Hoc tibi Thesei populatrix misit Hymetti Pallados a silvis nobile nectar apis.

POPŪLĀTUS, a, um, part. a *populor*: πορθήσας, qui depopulatus est. *Stat. Th.* 3, 221. Geticas populatus caedibus urbes. *Claud. VI. cons. Honor.* 132. piratica puppis, Quae, cunctis infensa fretis, scelerumque referta Divitiis, multasque diu populata carinas, etc. *Flor.* 2, 17. *f.* Omnia igni ferroque populatus. Adde *eund. ib.* 2., et 3, 7. *Virg. A.* 12, 524. Dant sonitum spumosi amnes, et in aequora currunt, Quisque suum populatus iter, *h. e.* ruendo et corrumpendo quacumque fluunt. Hyperbole est in illo *Stat. Th.* 5, 1. populataque gurgitis alveum Agmina linquebant ripas, scil. quasi totum fluvium bibendo exsiccassent. ℙ Passive πορθηθείς. *Cic. Div. Verr.* 1. Siculi nunc populati, atque vexati, cuncti ad me publice saepe venerunt; et *Verr.* 2, 3, 52. *extr.* Populata vexataque provincia. *Hor. Od.* 3, 5, 23. et arva Marte coli populata nostro. *Plin.* 8, 55, 81. Cuniculi famem Balearibus insulis, populatis messibus, afferentes, i. e. absumptis. ℙ Translate. *Virg. A.* 6, 495. Deiphobum vidit lacerum crudeliter ora, Ora manusque ambas, populataque tempora raptis Auribus, et truncas inhonesto vulnere nares; et *Sen. Ag.* 503. Navis lacera, et omni decore populato levis; et *Ov. Hal.* 36. de polypo: Brachia dissolvit, populatumque exspuit hamum, *h. e.* esca spoliatum.

POPŪLĀTUS, us, m. πόρθησις, populatio. *Lucan.* 2, 634. Ardent Hesperii saevis populatibus agri. *Claud. in Eutr.* 1, 244. squalent populatibus agri.

POPŪLĒTUM, i, n. λευκών, locus, ubi multae populi consitae sunt. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 1. Antea Caecubo erat generositas celeberrima in palustribus populetis.

POPŪLĒUS, a, um, adj. λεύκινος, ad populum arborem pertinens. *Virg. G.* 4, 511. Qualis populea moerens philomela sub umbra. *Id. A.* 10, 190. et *ib.* 8, 32. Frondes populeae. *Hor. Od.* 1, 7, 23. Populea corona. *Sen. Herc. Oet.* 1641. silva.

POPŪLĪFER, ra, rum, adj. populorum arborum ferax. *Ov. Am.* 2, 17, 32. Frigidus Eurotas, populiferque Padus. Adde *Met.* 1, 579.

POPŪLĪFŪGIA, orum, n. plur. *Piso* ap. *Macr. Sat.* 3, 2. *med.* Postridie Nonas Jul. re bene gesta, cum pridie populus a Tuscis in fugam versus sit, unde Populifugia vocantur, post victoriam certis sacrificiis fit vitulatio. Paulo aliter *Varr. L. L.* 5, 3. Dies Populifugia videtur nominatus, quod eo die repente tumultu fugerit populus: non multo enim post hic dies, quam decessus Gallorum ex urbe: et qui tum sub urbe populi, ut Ficuleates, ac Fidenates, et finitimi alii, contra nos conjurarunt.

POPŪLĪSCĪTUM, i, n. ψήφισμα. Legitur aliquoties in quibusd. MSS. ap. *Nep.*, ut in *Arist.* 1. *extr.* et *Alc.* 5. et *Ep.* 7. et *Phoc.* 2., ubi in editis semper est *plebiscitum*. [**Bremi* quem cf. ad *Arist.* 1, 4., semper *populiscitum* exhibet.]

POPŪLĪTO, as, a. 1. frequent. a *populo*. *Papir. Dig.* 49, 1, 21. *extr.* Cum fructus agrorum populitarentur ab adversario. Ita *Torrent.*, alii *populantur*.

POPULNĔUS et

POPULNUS, a, um, adj. populeus, λεύκινος. *Cato R. R.* 5. Frondem populneam, ulmeam, querneam caedito. Alii leg. *populeam:* quomodo et *Plin.* 16, 24, 48. hunc eundem *Catonis* locum refereus. *Colum.* 6, 3. *f.* Probatur maxime ulmea, post fraxinea, et ab hac populnea. *Id.* 12, 43. Arida populnea, vel abiegna scobe virides uvas custodiunt. *Pl. Cas.* 2, 6, 32. Num ista aut populna sors, aut abiegna est tua?

POPŪLO, as, avi, atum, a. 1. et Populor, aris, atus sum, dep. 1. πέρθω, populum caedibus absumo. *Liv.* 3, 6. Urbem Romanam Deum ira morbo populari. *Prop.* 2, 7, 7. Hic olim ignaros luctus populavit Achivos. *Ov. Met.* 1, 249. feris populandas tradere gentes. ℙ Item depopulor, igni ferroque corrumpo, vasto, praedas ago, diripio, absumo: a *populus*, quia populo et integrae regioni damnum infertur. *Cic. Off.* 1, 10. *f.* Cum triginta dierum essent cum hoste pactae indutiae, noctu populabatur agros. Sic *Caes. B. G.* 5, 56. Pronunciat, se Remorum agros populaturum. *Virg. A.* 12, 263. et litora vestra Vi populat. *Plaut. fragm.* ap. *Diomed.* 1, 395. Quae ego populabo probe. *Pacuv.* ap. *Non.* 1, 185. Patriam populavit meam. *Non.* hoc aliter interpretatur, sed perperam. *Claud. Quadrig. ib.* 7, 26. Agrum Nolanum populare coeperunt. *Lucan.* 2, 445. arva ferro populatur et igni. *Sil.* 6, 649. errantibus armis, Quo spolia invitant, transfert populantia signa, *h. e.* milites sub signis populabundos. ℙ Translate est absumere, consumere, corrumpere. *Virg. G.* 1, 185. populatque ingentem farris acervum Curculio, atque inopi metuens formica senectae. *Ov. Met.* 2, 319. rutilos flamma populante capillos. *Id. Med. fac.* 45. formam populabitur aetas. *Sen. Hippol.* 377. Populatur artus cura; et *ib.* 1095. Et ora durus pulcra populatur lapis; et *Claud. Rapt. Pros.* 1. de vento subterraneo in Aetna, 174. Putria multivagis populatur flatibus antra, *h. e.* exedit, diruit, perrumpit. ℙ Populor passiva significatione, praeter allatum *Livii* locum §. 1. *Id.* 3, 3. *f.* In oppida sua se recepere, uri sua populariique passi. (Adde 28, 44. *f.*, ubi alii aliter leg.) *Eutr.* 9, 8. Pannonia a Sarmatis Quadisque populata est. V. POPULATUS, a, um. ℙ [*Permut. *populare* et *spoliare*. V. *Burm.* ad *Vell.* 2, 28, 2.]

POPŪLONĬA, ae, f. cogn. Junonis ap. *Papir.*, ut refert *Macr. Sat.* 3, 11., *Arnob.* 3, 118. et *Capell.* 2, 38., quam populus invocabat, ut se tueretur. Meminit etiam *August. C. D.* 6, 10. *f.* ex *Senecae fragm.*, sed aliam a Junone facit. Ita enim ibi *Seneca* loquitur: Quid quod et matrimonia Deorum jungimus, et, ne pie quidem, fratrum ac sororum? Quosdam tamen caelibes relinquimus, quasi conditio defecerit: praesertim cum quaedam viduae sint, ut Populonia, vel Fulgora, vel diva Rumia: quibus non miror petitorem defuisse. Ex hoc *Senecae* loco colligis, et Populoniam non esse Junonem, quia haec vidua non fingitur: et videri dictam non a populo tuendo, sed a populando, aut certe mali aliquid nomine continere: ait enim, mirum non esse, quod ei petitor defuerit. ℙ Est etiam hoc nomine opp. Etruriae, in ora maris contra Ilvam insulam: ex cujus ruinis *Piombino* crevisse creditur. *Virg. A.* 10, 172. Sexcentos illi dederat Populonia mater. Ubi *Serv.* adscribit, conditam esse secundum alios a Corsis, secundum alios a Volaterranis. Adde *Melam* 2, 4. *f.* et *Plin.* 3, 5, 8. et 14, 1, 2., ubi *Populonium* vocat. In nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 1. p. 93. *Pupluna* dicitur.

[POPŪLONĪENSIS, e, adj. ad Populoniam pertinens, Etruriae urbem. *Populonienses, ium*, absolute sunt incolae illius urbis. *Liv.* 28, 45. Polliciti sunt Populonienses ferrum, Tarquinienses lintea in vela. *F.*]

POPŪLOR, aris. V. POPULO.

POPŪLOSĪTAS, atis, f. multitudo, ut Populositas summa Deorum, *Arnob.* 3, 102. Sic *Fulg. Myth.* 1, 24. Mercurius Argum luminum populositate conseptum interemit.

POPŪLOSUS, a, um, adj. πολυάνθρωπος, populo abundans, hominibus frequens. *Nemes. Cyn.* 136. tibi si placitum populosos pascere fetus, scil. canum. *Appul. Flor. n.* 6. Indi gens populosa cultoribus, et finibus maxima. *Id. Met.* 5. Populosa familia. *Sidon. carm.* 15, 27. Plurimus hic Briareus populoso corpore pugnat. *Veg. Mil.* 3, 19. *f.* Contra quem alter populosior, vel fortior immittitur globus. *Solin.* 52. In Gange insula est populosissima.

POPŪLUS, i, m. δῆμος, multitudo hominum unius urbis, aut territorii, aut regionis. Ducunt alii ab ὄχλος, multitudo: alii a πολὺς, multus. [*V. *Doederl.* 3, 24.] Quomodo a plebe differat, in ea voce diximus.. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 1, 25. Populus autem *(est)* non omnis hominum coetus quoquo modo congregatus, sed coetus multitudinis juris consensu, et utilitatis communione sociatus. *F.*] *August. C. D.* 2, 21. et *ib.* 19, 21. et 24. fere similiter ex eodem definit. *Cic. Phil.* 6, 5. Populus Romanus victor dominusque omnium gentium. *Liv.* 22, 61. *f.* Defecere ad Poenos hi populi: Atellani, Calatini, Hirpini, Appulorum pars, Bruttii omnes, Lucani. *Ov. Met.* 2, 215. Cumque suis totas populis incendia gentes In cinerem vertunt. *Id. Fast.* 2, 679. Est via, quae populum Laurentes ducit in agros. ℙ Hoc sensu comprehendit omnes omnium ordinum. *Phaedr.* 4, 5. Quemcumque populum tristis eventus premit, Periclitatur magnitudo principum: Minuta plebes facili praesidio latet. *Festus:* Populi commune est in legibus ferendis cum plebe suffragium: nam comitia centuriata ex patribus et plebe constant. V. PLEBS. ℙ Interdum significat omnes praeter senatum; unde illud passim in publicis monumentis: *Senatus, populusque Romanus* legitur. *Liv.* 2, 56. *extr.* Et patres in populi fore potes ate. ℙ Interdum plebem tantum. *Mart.* 8, 15. Dat populus, dat gratus eques, dat tura senatus. V. PLEBS. ℙ *Populus urbanus* ap. *Nep. Cim.* 2. exercitui opponitur. ℙ *Ire, exire, mittere in populos*, in lucem, in omnium notitiam. *Sil.* 7, 711. Haec mitte in populos, et adhuc majora dabuntur. (Adde *Val. Fl.* 2, 439.) *Eumen. Grat. act. ad Constant.* 1. Ne meum studium dicendi minus, quam te dignum esset, iret in populos. *Claud. VI. cons. Honor.* 649. Exeat in populos cunctis illustrior annus. Sic ire in saecula, *Sil.* 12, 312. et *Plin. Pan.* 55. in famam et saecula mitti, *Lucan.* 10, 533. ℙ Per metonymiam contenti pro continente *populus*

est regio, locus. *Liv.* 21, 34. Perventum inde ad frequentem cultoribus alium, ut inter montana, populum. ℙ Dicitur et de quacumque multitudine, turba. *Lucan.* 3, 665. Nutaretque ratis populo peritura recepto, *h. e.* pluribus vectoribus. *Just.* 10, 1. *med.* Ubi in tanto populo non solum sociari, verum etiam sileri parricidium potuit, *h. e.* in tanto filiorum numero: quinquaginta enim fratres erant. *Appul. Apol.* Quindecim liberi homines populus est; totidem servi familia; totidem vincti ergastulum. *Quint. decl.* 5, 19. Totus ille circa nos carceris populus obticuit. ℙ De apibus. *Colum.* 9, 13. *med.* Duo populi conjungi debent, qui possint adhuc integras ceras explere. ℙ De cujuscumque rei multitudine. *Plin.* 33, 9, 45. Pocula ita figurantur, ut, vel uno intuente, populus totidem imaginum fiat. *Pall.* 7, 2. Si aequaliter spicarum populus maturato rubore flavescat. *Sidon. ep.* 6, 1. *f.* Populus scelerum. ℙ *Popolus, et Poplus* V. *ss. ll.*

POPŪLUS, i, f. arboris genus: cujus tria genera, nigra, *αἴγειρος;* alba, *λεύκη;* et quae Libyca appellatur, minima folio, ac nigerrima, fungisque enascentibus laudatissima. Alba folio bicolor, superne candicans, inferiore parte viridi. Huic, nigraeque folia in juventa circinatae rotunditatis sunt, vetustiora in angulos exeunt. Haec in alba per solstitium circumaguntur, ita ut alia parte coelum respiciant, quam spectavere pridie, quod et oleae, et ulmo, et salici, et tiliae evenit: nec aliud est certius confecti solstitii argumentum. Populus tum nigra, tum alba seritur vitium causa, post ulmos maxime utilis: alba tamen praecipue. Nullum fert fructum, carnosum rugosumque habet corticem, seritur semine, festinanter germinat, tarde senescit. Ex foliis grandissimam emittit lanuginem. Amat fluvios, et in aquosis laetissime provenit, et in magnam altitudinem excrescit. Haec ex *Plin.* 16, 23, 35., item *ib.* 18, 31., *ib.* 26, 45., *ib.* 28, 51., *ib.* 31, 55., item 17, 11, 15., *ib.* 23, 35. *n.* 22. et 18, 28, 68. *n.* 1. *Ov. Her.* 5, 27. Populo, vive, precor, quae consita margine ripae Hoc in rugoso cortice carmen habes. ℙ Herculi sacra habetur, ut est ap. *Virg. Ecl.* 7, 61., *Ov. Her.* 9, 64., *Phaedr.* 3, 17. et *Plin.* 12, 1, 2. *Serv* ad *Virg. l. c.* narrat, Leucen Oceani filiam a Plutone adamatam fuisse: post ejus mortem natam esse arborem cognominem in Elysiis, vel in ripa Acherontis, ex qua Hercules rediens ab Inferis coronam sibi fecerit, duplici foliorum colore, geminos labores, superorum, inferorumque professus. Ob hanc causam sacrificantes ei apud aram maximam populea corona ornari solebant ante Romam conditam, ut *Id.* ad *A.* 8, 276. et *Macr. Sat.* 3, 12. tradunt: quamquam post ea tempora lauro usi sunt, laureto instituto in Aventino. ℙ In hanc arborem versae finguntur sorores Phaethontis, dum ejus casum lugerent in Padi ripis. *Virg. A.* 10, 190., tametsi *Ecl.* 6, 63. in alnos dicit. V. *Ov. Met.* 2, 345. et sqq.

POR, oris, m. antique, puer, servus: unde Marcipor, Lucipor, Olipor, Publipor, Quintipor, Caipor (quae habentur suis locis), *h. e.* servus Marci, Lucii, Oli, Publii, etc., ut est ap. *Prisc.* 6, 700.: est ab Aeolico *πόϊρ* pro *παῖς*, puer. V. MARCIPOR. *Inscr.* ap. *Grut.* 952, 11. P. Rubrio Latino Sicinius P. por patrono suo B. M. ℙ Sic *pora, ae*, puera. Alia ap. *Reines. cl.* 17. *n.* 180. Julia Aexia M. Jul. pora.

PORCA, ae, f. *ὗς, σῦς*, sus femina, scrofa. *Cato R. R.* 134. Porca praecidanea. V. PRAECIDANEUS. *Pall.* 3, 26. Neque gregatim claudendae sunt porcae, sed, etc. ℙ Per quandam euphoniam de porco masculo dixit *Virg. A.* 8, 641. et caesa jungebant foedera porca. Ubi *Serv.* ad sacrificium, quod in foederibus fiebat, porcum, non porcam adhibitum ait: quod et *Liv.* tradit 1, 24. et *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Unde *Quint.* 8, 3. *med.* Quaedam non tam ratione, quam sensu judicantur, ut illud: *caesa jungebant foedera porca.* Fecit elegans fictio nominis: quod si fuisset *porco*, vile erat. V. CERVA. ℙ Porcam auream et argenteam, hoc est effigiem porcae ex auro et argento adhiberi solitam in sacrificio Ceriali, docet *Festus.* ℙ *Porcam contrahere*, quid sit, V. in PRAECIDANEUS. ℙ Etiam *τὸ αἰδοῖον γυναικεῖον* in virginibus porcam dixere, ut et Graeci *χοῖρον*, teste *Varr. R. R.* 2, 4., ubi plerique *porcum* legunt. *Cato R. R.* 157. *extr.* Petigini porcae brassicam opponito: sanam faciet, et ulcus non faciet. *Schneiderus*, duce *Pontedera*, edidit *depetigini spurcae.* Porro cum porcus Graece appelletur *δέλφαξ* a *δέλφυς*, uterus, quia porca ex omnibus animantibus maximum uterum habet; hinc porcus partem genitalem mulieris significat. ℙ In agro *porca* est quod in arando exstat, seu terra elata inter duos sulcos: quae et lira dicitur. *Varr. L. L.* 4, 4. *f.* Ab eo quod aratri vomer sustollit, sulcus: quo ea terra jacta,, id est projecta (alii *porrecta*) porca. *Id. R. R.* 1, 29. Quo aratrum vomere striam fecit, sulcus vocatur: quod est inter duos sulcos elata terra, dicitur porca, quod ea seges frumentum porricit: (alii leg. *porrigit.* Nam *Festus:* Porcas, quae in agris fiunt, ait Varro dici, quod porrigant frumentum.) *Colum.* 11, 3. *med.* In locis siccis partibus sulcorum imis disponenda sunt semina, ut tanquam in alveolis maneant: at uliginosis e contrario in summo porcae dorso collocanda, ne humore nimio laedantur. V. LIRA. ℙ Alio sensu *Festus:* Porcae appellantur rari sulci, qui ducuntur aquae derivandae gratia: dicti quod porcent, idest prohibent aquam frumentis nocere: nam crebriores sulci limi vocantur. ℙ Ap. Baeticos, teste *Colum.* 5, 1., porca est spatium agri triginta pedum latitudine, et centum octoginta longitudine.

PORCĀRIUS, a, um, adj. *χοίρινος*, idem ac porcinus. Vulva porcaria dicebatur illa, qua, edito partu, vescebantur. *Plin.* 11, 37, 84. Vulva ejecto partu melior, quam edito. Ejecticia vocatur illa, haec porcaria: primiparae suis optima. Hinc *Mart.* 13, 56. Te fortasse magis capiet de virgine porca, Me materna grave de sue vulva capit.

PORCĀRIUS, ii, m. *συβώτης*, porcorum custos, subulcus. *Firm. Math.* 3, 6. *n.* 6. Faciet armentarios, bubulcos, porcarios, etc.

PORCASTRUM, i, n. herba eadem quae porcilaca, aut portulaca. *Appul. Herb.* 103.

PORCELLĪNUS, a, um, adj. qui est ex porcello, ut Porcellinae glandulae. *Apic.* 4, 3. Adde *Theod. Prisc. de diaeta* 6.

PORCELLIO, onis, m. genus vermiculi. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *n.* 119. Porcelliones, idest animalia, quae humectis locis nascuntur, a Graecis appellata *ὄνισκοι.* Adde *Pelag. Veter.* 5. *med.*

PORCELLUS, i, m. *χοίριον*, dimin. porculi. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* Ne qui porcellus a matre opprimatur. *Suet. Ner.* 33. *f.* Venenum porcello objecit: quo statim exanimato, etc. Adde *Plin.* 30, 6, 16., item *Phaedr.* 2, 4., ubi de fetu apri usurpat.

PORCĒO, es, a. 2. *ἀνείργω*, prohibeo, impedio. Antiqua vox ex *porro* et *arceo. Enn.* ap. *Non.* 2, 696. Deum me incendit facere pietas, civium porcet pudor. *Lucil. ib.* non te porro procedere porcent. *Varr. ib.* Hunc Cereris cibi ministra frugibus suis porcet. Adde *Pacuv.* et *Accium ib.* et *Fest.* in *Porcae.* ℙ Praeteritum *porxi* ponitur a *Charis.* 3, 217., sed sine exemplis.

PORCĒTRĂ, ae, f. *χοῖρος*, al. *δέλφαξ*, porca, quae semel tantum peperit, ut scrofa, quae saepius. *Gell.* 18, 6. ex *Aelio Melisso.*

*PORCIFĒRA, ae, f. Liguriae amnis. *Plin.* 3, 5. ℙ Alio nomine est *Procobera.* V. *B. A.*

PORCĪI, orum, m. plur. familia plebeja Romae, a Tusculo municipio ortum habens, cujus princeps fuit M. Porcius Cato censorius, qui fuit consul cum L. Valerio anno U. C. DLIX. V. CATO et LATRONIATUS. ℙ Cogn. hoc Cato a *porco* traxit. Nam multa cognomina Romanorum, teste *Varr. R. R* 2, 10. *med.*, a bestiis erant, vel majoribus, ut Equitius, Taurus, vel minoribus, ut Polcius, Caprilius, Ovinius, nempe ut quisque hoc vel illud pecus alere maxime studuit.

PORCILĀCA, ae, f. herba, quae et peplis dicitur, duplicis generis, sativa, et silvestris. *Plin.* 20, 20, 81. et 13, 22, 40., ubi adrachnem nominat. ℙ Dicitur et *portulaca*, et ita refertur a *Nonio* 17, 12. ex *Varr.*

[PORCĪLIA, ae, f. porca lactens, porcula. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 41. *lin.* 22. Et porcilias piaculares epulati sunt, *h. e.* eas, quae ob piaculum immolabantur. *Not. Tir.* p. 167. Porcus, porca, porcilia. *F.*]

[PORCĪLIĀRIS, e, adj. ad porciliam pertinens. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 41. *lin.* 18. Ad aram extas reddidit porciliares. *F.*]

*PORCINĀRIUM, i, n. locus ubi sues pascuntur. *Gloss. Gr. Lat. νοφοβεῖον*, porcinarium. *B. A.*

PORCĪNĀRIUS, ii, m. qui carnes porcinas vendit. *Pl. Capt.* 4, 3, 5. Quanta laniis lassitudo! quanta porcinariis!

PORCĪNUS, a, um, adj. *χοίρειος*, qui ex porco est. *Sen. Ira* 2, 12. Elephantes porcina vox terret. *Pl. Men.* 1, 3, 28. Polimenta porcina. *Petr. fr.* p. 683. *Burm.* Judaeus licet et porcinum numen adoret. ℙ *Porcina, ae*, absolute est caro porcina. *Pl. Capt.* 4, 2, 68. Juben', alium pisces praestinatum abire? alium porcinam, atque agninam? ℙ *Porcina* cognominatus est M. Aemilius Lepidus, qui consul fuit cum C. Hostilio Mancino ann. U. C. DCXVII. *Cic. Brut.* 25., *Val. Max.* 8, 1. *n.* 7. *in damnat.* ℙ *Porcinum caput* in re militari est genus aciei, de quo ita *Veg. Mil.* 3, 19. *f.* Cuneus dicitur multitudo peditum, quae juncta acie primo angustior, deinde latior procedit, et adversariorum ordines rumpit, quia a pluribus in unum locum tela mittuntur: quam rem milites nominant caput porcinum. Contra quod ordinatio ponitur, quam forficem vocant. *Ammian.* 17, 13. *med.* Eosque desinente in angustum fronte, quem habitum caput porci simplicitas militaris appellat, impetu disjecit ardenti.

PORCĪUS, a, um, adj. ad Porcium aliquem pertinens. V. PORCII. Porcia lex lata est a P. Porcio Laeca trib. pleb., ne quis magistratus civem R. virgis caederet, necaretque: sed exsilium damnato permitteretur. *Liv.* 10, 9., *Sall. Cat.* 50. et 52., *Cic. Rabir. perduell.* 3. et 4. Haec non habebat locum in castris, quia non eadem urbana disciplina et militaris, sed haec multo severior. *Sigon. de ant. jur. C. R.* 1, 15.

PORCŪLA, ae, f. dimin. porcae, *χοιρίδιον*, parva porca. Translate de muliere. *Pl. Mil.* 4, 2, 67. Nisi huic verri affertur merces, non hic suo seminio quamquam porculam imperturus est. Est qui leg. *porculenam* eodem sensu.

PORCULĀTIO, onis, f. *χοιροβοσκία*, porcorum nutritio. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* In nutricatu, quam porculationem appellabant etc.

PORCULĀTOR, oris, m. qui porculos nutrit, qui feturae suillae curam habet. Differt a subulco, qui sues pascit, custoditque a lacte depulsos. [*Varr. R. R.* 2, 4. Sed quis e porculatoribus Italicis prodit, ac de suillo pecore expedit? Ita edidit *Schneiderus* ex *Gesneri* conjectura, cum vulgo sine sensu: *Sed quis e portu post Italico prodit? F.*] *Colum. praef.* 1. Porculatoris et subulci diversa professio, diversae pastiones. *Id.* 7, 9. *f.* Porculatoris maximum officium est, ut unamquamque scrofam cum sua prole claudat.

PORCULĒNA. V. PORCULA.

PORCULĒTUM, i, n. ager, terra in crebras porcas, seu areas et pulvinos elaborata serendi causa. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 9. Umbri, et Marsi ad vicenos pedes intermittunt *(spatium inter binas vites)* arationis gratia, in his, quae vocant porculeta.

PORCŪLUS, i, m. dimin. porci, *χοίριον*, parvus porcus. *Pl. Men.* 2, 2, 36. Si me consulas, nummum illum, quem mihi dudum pollicitus dare, jubeas, si sapias, porculum afferri tibi, *h. e.* quem nummum mihi pollicitus dare, illo jubeas porculum emi, et afferri tibi. (Sic *Amph.* 4, 1, 1. Naucratem quem convenire volui, in navi non erat; et *Virg. A.* 1, 577. Urbem quam statuo, vestra est.) Rursus *Pl. Rud.* 4, 4, 126. Quin tu i dierecta cum sucula et porculis. *Gell.* 4, 11. Porculis minusculis et haedis tenerioribus victitare. ℙ *Porculus marinus*, genus piscis rostri suilli similitudine. *Plin.* 9, 15, 17. Silurus in Danubio porculo marino simillimus. ℙ In torculari *porculus* dicitur batillus aut uncus, qui figebatur, ut teneret funem, quo, dum versabatur torcular, sucula circumplicabatur. Ita *Turneb. Advers.* 7, 25. ad illud *Cato R. R.* 19. Porculum in media sucula facito; et *mox:* Ubi porculum figere oportebit.

PORCUS, i, m. *χοῖρος, σῦς*, sus domesticus, ut *aper* ferus. De notatione V. *Voss.* in *Etym. Cic. Sen.* 16. Villa abundat porco, haedo, agno, gallina etc. *Plin.* 18, 35, 88. Turpes porci manipulos foeni lacerantes. *Mart.* 3, 58. Avidi sequuntur villicae sinum porci. *Id.* 8, 22. Invitas ad aprum, ponis mihi, Gallice, porcum. ℙ *Porcus femina* pro *porca* olim dixere. *Cato R. R.* 134. Priusquam porcum feminam immolabis. *Cic. Leg.* 2, 22. *extr.* Porco femina piaculum pati. Hinc, ut *Fest.* docet in *Recto*, saepe in libris pontificalibus dicitur *haec agnus, haec porcus:* quae non ut vitia, sed ut antiquam consuetudinem testantia debemus accipere. ℙ Ab suillo genere pecoris immolandi initium primum sumptum videtur: cujus vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur; et quod initiis pacis, foedus cum feritur, porcus occiditur; et quod nuptiarum initio antiqui reges ac sublimes viri in Etruria, in conjunctione nuptiali, nova nupta et novus maritus primum porcum immolant. Prisci quoque Latini, atque etiam Graeci in Italia idem factitasse videntur. Haec *Varr. R. R.* 2, 4. Porco fiebat etiam ad expiandam insaniam. *Pl. Men.* 2, 2, 15. *Men.* Adolescens, quibus hic pretiis porci veneunt sacres, sinceri? *Cyl.* nummo. *Men.* eum a me accipe; jube te piari de mea pecunia: nam ego quidem, insanum esse te, certo scio. Adde *ib.* 36. Item Laribus, et Genio, et Telluri. *Id. Rud.* 4, 6, 4., *Hor. Sat.* 2, 3, 164., *Od.* 3, 17. *extr.*, *Ep.* 2, 1, 143. et *Tibull.* 1, 11, 26. Et universim Divis placandis. *Hor. Ep.* 1, 16, 58. et *Ov. Amor.* 3, 13, 16. V. etiam *Mart.* 6, 47. ℙ *Porcus Trojanus*, qui aliis animalibus inclusis fartus coquebatur, qualem plenum turdis describit *Petr. fr. Trag.* 40. *Burm.* in coena Trimalchionis. Nomen tractum est ab equo Trojano, in quo multi viri inclusi fuere. *Macrob. Sat.* 2, 9. *f.* Cincius objecit saeculo suo, quod porcum Trojanum mensis inferat. ℙ *Porci caput*, forma quaedam aciei, de qua V. in PORCINUS. ℙ Porci effigies inter signa militaria quintum locum obtinebat: quia confecto bello, inter quos populos pax fiebat, caesa porca foedus firmari solebat. Ita *Fest. Plin.* inter signa legionum aprum recenset, 10, 4, 5. ℙ Porcum olim dixere *τὸ αἰδοῖον παρθενικόν.* V. PORCA. ℙ Est hoc nomine etiam marinus piscis, alius ab eo, quem in PORCULUS posuimus. *Plin.* 32, 2, 9. Apion maximum piscium esse tradit porcum, quem Lacedaemonii orthragoriscum vocant: grunnire eum, cum capiatur; et *ib.* 5, 19. Inter venena sunt piscium porci marini spinae in dorso. ℙ Per convicium dicitur de homine obeso, et corpulentiore, et ventri dedito. *Hor. Ep.* 1, 4, 15. Me pinguem et nitidum bene curata cute vises, Cum ridere vo-

les, Epicuri de grege porcum. *Catull.* 39, 11. Aut porcus Umber, aut obesus Etruscus.

PORGO, is, a. 3. idem ac porrigo, per syncop. *Virg. A.* 8, 274. et pocula porgite dextris. *Val. Fl.* 2, 656. duci porgens carchesia Grajo. *Stat. Th.* 8, 755. Imperat abscisum porgi. *Auson. Idyll.* 4, 37. vel re, vel spe mihi porge fruendum. *Fest.* in *Porigam:* Antiqui etiam porgam dixerunt pro porrigam. *Stat. Silv.* 2, 1, 204. steriles ramos, mutasque volucres Porxit. *Sil.* 9, 458. porgebat protinùs ensem. ℙ *Porgo* pro *pergo*, ut *vorto* pro *verto* etc. *Lucret.* 1, 930. Relligionum animos nodis exsolvere porgo.

*POROSELĒNE, es, f. Ποροσελήνη, insula maris Aegaei, medio inter Lesbum et littus Asiaticum loco. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

PORPHYRĒTĪCUS, a, um, adj. ad porphyriten pertinens, ut Porphyreticum marmor, *Suet. Ner.* 50. Porphyretica saxa, *Lampr. Elag.* 24. porticus, *Vopisc. Prob.* 2. Columnae porphyreticae, *Capitol.* in *Pio*, 11. V. PURPURITĪCUS.

PORPHYRIO, onis, m. πορφυρίων, genus avis, quae a nonnullis *pelecanus* dicitur. *Plin.* 10, 46, 63. Porphyrio solus morsu bibit. Idem est proprio genere, omnem cibum aqua subinde tingens, deinde pede ad rostrum veluti manu afferens. Laudatissimi in Commagene. Rostra iis, et praelonga crura rubent. *Id.* 11, 37, 79. Quaedam neutro modo, sed ventrem proximum habent, quibus praelonga colla, et angusta, ut porphyrioni. [*Der Purpurvogel*, Fulica porphyrio, *L.*]

PORPHYRION, onis, m. unus ex Gigantibus. *Hor. Od.* 3, 4, 54., *Claud. Gigant.* 35. et 115. et *Mart.* 13, 78. ℙ Item auriga Neronis, factionis Prasinae. *Mart. ib.* ℙ Porphyrion, et Porphyrio interpres Horatii, antiquior est Charisio grammatico: ab eo enim citatur 2, 196. ℙ *Alius Porphyrion, Noctis Erebique filius. *Hyg. fab. praef. in. B. A.*

*PORPHYRIONE, es, f. insula Propontidis. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

[PORPHYRIS, idis, f. πορφυρίς, purpura. Est nomen propr. mulieris. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 315. *n.* 387. Porphyris filia. *F.*] ℙ **Porphyris, idis* et *idos*, Πορφυρίς, insula duodecim non amplius passuum millibus distans a Cnido, alio nomine Nisyros appellata. *Plin.* 5, 31. ℙ Alia, in sinu Laconico sita, quinque millia passuum a Malea promontorio distans, postea Cythera dicta, ob memorabile templum, quod in hac insula erat Veneri sacrum. *Id.* 4, 12. *B. A.*

PORPHYRĪTES, ae, m. adj. πορφυρίτης λίθος, genus lapidis Aegyptii rubentis: quo in genere si albis punctis distinctus sit, leptopsephos vocatur, vel melius leucostictos, ut *Plin.* 36, 7, 11. tradit: a πορφύρα, purpura. *Id. ib.* 13, 19. *n.* 2. Intus columnae de porphyrite lapide.

PORPHYRĪTIS, idis, f. πορφυρίτις, ιτιδος, purpurae colorem referens: a πορφύρα, purpura. *Plin.* 15, 18, 19. Primo provenit porphyritis *(ficus)*, longissimo pediculo.

PORRĀCEUS, a, um, adj. πράσινος, ad porrum pertinens, porrum referens. *Plin.* 21, 18, 70. Cyperi folia porraceis exiliora. *Id.* 37, 10, 58. Eumithres gemma porracei coloris. *Id.* 24, 4, 6. Viscum extra fulvum, intus porraceum.

PORRECTĒ, adv. extense. *Ammian.* 29, 5. *med.* Firmus equo celsiori insidens, sago puniceo porrectius panso. *Id.* 21, 9. Porrectius ire pergebat, *h. e.* ulterius.

PORRECTIO, onis, f. ἐπέκτασις, actus porrigendi, extentio. *Cic. N. D.* 2, 60. Digitorum contractio facilis, facilisque porrectio propter molles commissuras. *Auct. ad Her.* 3, 15. Celeri porrectione brachii.

PORRECTUS, a, um, part. a *porrigo: προτεταμένος*, in longum extensus, protentus. *Cic. N. D.* 3, 34. *f.* Victoriolas aureas, et pateras, coronasque, quae simulacrorum porrectis manibus sustinebantur. *Ov. Her.* 10, 93. Si mare, si terras, porrectaque litora vidi. *Tibull.* 1, 3, 75. Porrectusque novem Tityus per jugera terrae. *Hor. Sat.* 2, 6, 88. pater ipse domus palea porrectus in horna. *Stat. Ach.* 2, 75. Porrectus somno. *Virg. A.* 9, 589. et multa porrectum extendit arena; et *Catull.* 67, 6. Postquam es porrecto facta marita sene, *h. e.* mortuo, et porrecto in feretro; et *Plin.* 17, 10, 11. Juglandes nuces porrectae seruntur, commissuris jacentibus. *Id.* 31, 2, 10. Porrecta coma: cui *crispa* opponitur. *Id.* 2, 81, 83. nubes in longum. *Id.* 4, 12, 26. paeninsula ad formam gladii in transversum; et *ib.* 22. insula in quindecim millia passuum. *Id.* 11, 40, 95. Delphini papillas habent paulum in obliquum porrectas. *Id.* 28, 4, 12. Porrectis manibus ultra caput. *Id.* 9, 37, 6. Porrectae linguae, *h. e.* exsertae. *Id.* 19, 8, 41. *n.* 3. Caules in orbem porrecti. *Tac. Agr.* 35. *f.* Porrectior acies. [**Liv.* 25, 21. In longitudinem porrecta acies. Clamantibus tribunis, nihil introrsus roboris ac virium esse, et quacumque impetum dedissent hostes, perrupturos.] *Hirt. B. Afr.* 30. Porrecta equitum peditumque multitudo. *Val. Fl.* 6, 234. Abies *(h. e.* hasta) porrecta per armos et caput equi. *Sil.* 6, 153. serpens centum porrectus in ulnas. *Virg. G.* 3, 351. medium Rhodope porrecta sub axem. *Plin.* 5, 5, 5. Marmaridae a Paraetonii ferme regione ad Syrtin usque porrecti. *Id.* 6, 28, 32. *med.* Ad utraque maria porrectis gentibus. *Id.* 4, 9, 16. Thessaliae in porrectum longitudo CCCCLXXX. mill. pass. traditur: latitudo CCLXXXVII. et *Cajus Dig.* 8, 3, 8. Viae latitudo ex lege XII. Tab. in porrectum octo pedes habeat: in anfractum, idest, ubi flexum est, sedecim, *h. e.* in rectum, ubi via recta est. ℙ *Minuc. Fel. Octav.* 17. *f.* Recta montium, collium flexa, porrecta camporum. Sic *Caes. B. G.* 2, 19. Porrecta ac aperta loca; et *Hor. Ep.* 1, 7, 41. locus planis porrectus spatiis. [*V. *Herzog.* ad *Caes. l. l.*] ℙ Porrecta frons, laeta, hilaris, exporrecta: cui *contracta* opponitur. *Pl. Cas.* 2, 4, 3. Ego te porrectiore fronte volo mecum loqui. ℙ *Hor. Od.* 4, 15, 14. famaque, et imperi Porrecta majestas ad ortum Solis ab Hesperio cubili, *h. e.* producta, propagata, prolata. ℙ Porrecta syllaba, producta. *Quint.* 1, 7. Porrectas syllabas geminis vocalibus scripserunt. [*Cf. *ib.* 7, 14.] *Ov. Pont.* 4, 12, 14. Et sit porrecta longa secunda mora. ℙ *Porrectus*, extensa manu oblatus. *Ov. Met.* 8, 94. sceleratque dextra Munera porrexit: Minos porrecta refugit. *Hor. Ep.* 1, 18, 91. Potores liquidi media de luce Falerni Oderunt porrecta negantem pocula. ℙ *Porrectus* a *porricio*, datus, oblatus in sacrificium: unde proverb. *Inter caesa et porrecta*, de quo V. CAESUS.

PORRĪCIAE. V. PROSICIAE.

PORRĪCIO, is, a. 4. porrigo, do, offero. Verbum est solemne sacrificantibus ex disciplina haruspicum, et praecepto pontificum, ut ait *Macr. Sat.* 3, 2., et significat Diis offerre, caesa exta arae comburenda imponere, aut in fluctus projicere expiationis causa: a *porro*, et *jacio*, ut *Festo* placet. *Verun.* ap. *Macr. ib.* Exta porriciunto, Diis danto in altaria, aramve, focumve, eove, quo exta dari debebunt. Eadem habet *Fest.* post *Prophanum. Naevius* ap. *Non.* 2, 62. Simul atrocia porricerent exta ministratores. *Pl. Ps.* 1, 3, 31. Si sacrificem summo Jovi, atque in manibus exta teneam, ut porriciam. *Liv.* 29, 27. Secundum eas preces cruda exta, caesa victima, uti mos, in mare porricit. Alii leg. *porrigit:* alii *projecit. Virg. A.* 5, 238. et 775. extaque salsos Porriciam in fluctus. Ita *Macr. l. c.*, reprehendens eos, qui *projiciam* substituunt. Nihilominus omnia antiqua exemplaria habent *projiciam*, aut *proiciam*, teste *Pierio* ad utrumque loc. V. etiam *Voss.* in *Etym.* [et *Heyn.* ad *Virg. l. c. F.*] ℙ Praeteritum *porreci* vel *porrexi. Fenestella* ap. *Non.* 2, 660. Et quaedam exta praesente suis, quaedam absente porrecissem. Alii leg. *projecissem.* ℙ Extra rem divinam. *Varr. R. R.* 1, 29. *extr.* Dicitur porca *(in agris)*, quod ea seges frumentum porricit. Sic quoque exta Deis cum dabant, porricere dicebant. Alii leg. *porrigit*, et *porrigere:* quod corruptum videtur. Minus enim apte *porca* a *porrigo* duceretur.

PORRĪGĪNOSUS, a, um, adj. πιτυροώδης, porrigine laborans. *Plin. Valer.* 1, 4. Caput porriginosum betae succo lotum.

PORRĪGO, iginis, f. πιτυρίασις, λεπίς, morbus in cute capitis, quem ita describit *Cels.* 6, 2. Porrigo est, ubi inter pilos quaedam quasi squamulae surgunt, eaeque a cute resolvuntur: et interdum madent, multo saepius siccae sunt. Idque evenit modo sine ulcere, modo exulcerato loco: huic quoque modo malo odore, modo nullo accedente. Fereque id in capillo fit, rarius in barba, aliquando etiam in supercilio. *Sammon.* 3, 34. Est insensibilis morbus, sed noxia formae, Cum caput immensa pexum porrigine ninguit, Copia farris uti frendentibus edita saxis. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 701. Tristem, et corruptum scabie, et porrigini' plenum. *Hor. Sat.* 2, 3, 125. Ungere si caules oleo meliore, caputque Coeperis impexa foedum porrigine. *Plin.* 20, 6, 23. Allium phthiriases, et porrigines compescit; et *ib.* 8, 27. Betae nigrae radices porriginem tollunt. *Id.* 28, 11, 46. Ursinus adeps porrigini cum vino prodest. *Id.* 32, 4, 14. Porrigines curare. ℙ Dicitur etiam de aliis corporis partibus, quae pilis vestitae sunt: nec solum de hominibus, sed etiam de bestiis. *Scrib. Comp.* 243. Ad papulas in capite effervescentes, vel qualibet parte corporis totius porriginem. *Juven.* 2, 79. grex totus in agris Unius scabie cadit, et porrigine porci. Alii leg. *prurigine.*

PORRĪGO, is, rexi, rectum, a. 3. προτείνω, in longum, vel planum extendo, protendo: a *porro*, et *rego. Cic. Div.* 1, 53. Animal membra, quocumque vult, flectit, contorquet, porrigit, contrahit. *Id. Coel.* 26. *f.* Cum jam manum ad tradendam pyxidem porrexisset. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 20. Pampinos teneros alligato leniter, porrigitoque. *Cato R. R.* 33., unde hoc *Plin.* sumpsit, habet: corrigitoque. *Ov. Met.* 4, 199. de sole: Spectandique mora brumales porrigis horas. *Hirt. B. Afr.* 17. Jubet aciem in longitudinem quam maximam porrigi; et 60. Porrexerat aciem usque ad, etc. *Sall. Jug.* 56. *f.* Aciem latius porrigere. *Virg. A.* 6, 596. de Tityo: per tota novem cui jugera corpus Porrigitur. *Ov. Met.* 4, 574. Ipse, precor, serpens in longam porrigar alvum; et 526. scopulus frontem in apertum porrigit aequor. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Procoeton, et cubiculum porrigitur in solem; et *ep.* 5, 6. Per latus omne vineae porriguntur. *Tac. A.* 13, 38. Locum delegit, cujus pars colles erant, pars in planitiem porrigebatur. *Just.* 42, 2. Armenia in latitudinem millia pass. DCC. porrigitur. *Plin.* 4, 12, 20. Creta inter ortum occasumque porrigitur; et 5, 20, 17. Libanus mille et quingentis stadiis Simyram usque porrigitur. *Id.* 11, 52, 114. Supercilia quibus porriguntur in rectum, molles significant. *Id.* 17, 23, 35. *n.* 25. Gallica putatio vitis in traduces porrigitur. *Ov. Trist.* 3, 11, 5. Quis gradus ulterior, quo se tua porrigat ira, Restat? ℙ Item ad terram sternere. *Id. Met.* 7, 253. in plenos resolutum carmine somnos, Exanimi similem, stratis porrexit in herbis; et *Val. Fl.* 6, 553. utrumque ab equis ingenti porrigit arvo, Et Zacorum, et Phalcen; et *Liv.* 7, 10. *f.* Uno alteroque subinde ictu ventrem hausit, et in spatium ingens ruentem porrexit hostem. *Mart. Spect.* 15. Et volucrem longo porrexit vulnere pardum. ℙ Item protrahere, differre. *Cels.* 2, 5. Neque ulla alia spes est, quam ut impetum morbi trahendo aliquis effugiat, porrigaturque in id tempus, quod curationi locum praestet. ℙ Saepe est prolata manu offerre, praebere, dare. *Cic. N. D.* 3, 34. *f.* Esse stultitiam, a quibus bona precaremur, ab iis porrigentibus et dantibus nolle sumere. *Id. Or.* 1, 40. *f.* Praesidium clientibus, atque opem amicis, et prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porrigere atque tendere. *Id. Mil.* 3. *extr.* Aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus. *Hirt. B. Afr.* 4. Porrigere litteras alicui. *Ov. Met.* 8, 95. munera; et *ib.* 3, 451. oscula lymphis. *Id. Pont.* 3, 1, 13. Nec tibi pampineas autumnus porrigit uvas. *Id. Met.* 2, 861. et flores ad candida porrigit ora. *Hor. Od.* 2, 16, 32. Et mihi forsan, tibi quod negarit, Porriget hora. *Id. ib.* 3, 16, 39. Contracto melius parva cupidine Vectigalia porrigam, Quam si, etc., *h. e.* solvam. *Prop.* 4, 1, 115. Nauplius ultores sub noctem porrigit ignes, *h. e.* profert, extollit, ostendit. ℙ *Porrigere dextram*, amicitiae, fidei, et opis signum. *Plin.* 11, 45, 103. Dextra osculis aversa appetitur, in fide porrigitur. *Cic. Dejot.* 3. Per dexteram te istam oro, quam Dejotaro hospes hospiti porrexisti. *Id. in Sen.* 9. *med.* Qui mihi primus afflicto et jacenti consularem fidem dextramque porrexit. *Id. Verr.* 2, 5, 58. Cui civi supplici non illa dextera invicta et fidem porrexit, et spem salutis ostendit? ℙ *Porrigere dextram trans pondera*, quid significet, V. in PONDUS. ℙ *Porrigere manum* aliquando refertur ad sumendum, vel rapiendum quod opus est. *Nep. Dion.* 7. Celeriter pecunia deesse coepit: neque quo manus porrigeret, suppetebat, nisi in amicorum possessiones. *Sen. V. B.* 3. Hoc eruamus: nec longe positum est, invenietur: scire tantum opus est, quo manum porrigas. *Curt.* 7, 8. *med.* Jam etiam ad pecora nostra avaras et instabiles manus porrigis. Simile est illud *Sen. ep.* 119. Fames me appellat? ad proxima quaeque tendatur manus: ipsa mihi commendabit quodcumque comprehendero. ℙ [**Porrigere* dicitur etiam de manibus suffragiorum causa sublatis. *Cic. Fl.* 6. Sic sunt expressa illa praeclara, quae recitantur, psephismata, non sententiis neque auctoritatibus declarata — sed porrigenda manu profundoque clamore multitudinis concitatae. — Hinc *porrigere manum* est assensum declarare. *Symm. ep.* 7, 15. Quare si tu quoque huic sententiae manum porrigis. V. *Barth.* ad *Claud. Ruf.* 1, 116.] ℙ Part. *Porrigendus* ap. *Cic. Fin.* 3, 17. Ne digitum quidem porrigendum in eam esse dicebant. ℙ *Porgo* per sync. V. s. l.

PORRĪMA, ae, f. soror, vel comes Carmentae vatis matris Euandri: a *porro* ante, quia quae longe ante evenerant, canebat: sicut *Postvorta* altera ejusdem comes praedicens quae postea futura erant. Vatum enim est et praeterita scire, et futura prospicere, ut ait *Macr. Sat.* 2, 7. *med.* Sed de *Postvorta* alii aliter. *Ov. Fast.* 1, 633. Porrima placatur, Postvortaque; sive sorores, Sive fugae comites, Maenali Nympha, tuae. Altera, quod porro fuerat, cecinisse putatur: Altera versurum postmodo quidquid erat. Adde *Serv.* ad *A.* 8, 336. V. ANTEVORTA.

PORRĪNA, ae, f. multitudo porrorum uno loco satorum: et locus, ubi seruntur: item ipsum porrum. *Cato R. R.* 47. Quotannis porrinam inserito: quotannis habebis quod eximas. *Arnob.* 2, 85. Quid sit triticum, dicite, far, hordeum, cicer, lenticula, portina, caepe. *Scaevola Dig.* 7, 1, 58. Sempronio do, lego ex reditu fructuum oleris et porrinae, quae habeo in agro farrario, partem sextam.

[PORRIXO, as, a. 1. frequent. a *porrigo*, vel *porricio*, identidem porrigo. *Appul.* in *fragm. Met.* 10. ap. *Oudend.* p. 717. Mordicibus ganniens ego, et dentes ad Jovem elevans, Priapum frequenti fri-

ctura porrixabam, *h. e.* penem frequenti digitorum frictione excitatum identidem porrigebam. *F.*]

PORRO, adv. loci, *πόρρω*, longe in anteriorem partem, ante oculos, sed procul, eminus, ultra: cui *retro* opponitur. *Pl. Rud.* 4, 3, 95. Ubi tu hic habitas? *Gri.* porro illic longe usque in campis ultimis. *Virg. A.* 6, 711. Inscius Aeneas, quae sint ea flumina porro. *Liv.* 1, 7. Ex loco infesto agere porro armentum coepit. *Id.* 9, 2. Aut eadem, qua te insinuaveris, retro via repetenda; aut si ire porro pergas, per alium saltum evadendum. *Ter. Hec.* 3, 1, 18. Hem nova res orta est, porro ab hac quae me abstrahat. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Pratum inde, non minus natura, quam arte visendum. Campi deinde porro, multaque alia prata, et arbusta. Alii leg. *Campi deinde, porro multa alia*, etc. *Solin.* 22. *med.* Orchades ab Hebudibus porro sunt septem dierum cursus. ℙ Item temporis, et significat postea, deinde, in posterum, in futurum, *εἶτα*. *Cato* ap. *Charis.* 2, 190. Me sollicitum habitum esse, atque porro fore. *Ter. Andr.* 4, 3, 16. Move ocius te, ut, quid agam, porro intelligas. *Id. Ph.* 5, 8, 36. Quid mihi hic affers, quamobrem sperem, porro non fore? *Id. Hec.* 5, 1, 38. Fac, eadem ut sis porro. *Id. Andr. prol.* 22. Dehinc ut quiescant porro, moneo, et desinant maledicere. *Catull.* 45, 3. te perdite amo, atque amare porro Omnes sum assidue paratus annos. *Liv.* 27, 51. Ut quisque audierat, etc. extemplo aliis porro impertiebat gaudium suum; et 40, 36. Neque se divinare posse quid in animo Celtiberi haberent, aut porro habituri essent. *Virg. A.* 5, 600. hinc maxima porro Accepit Roma, atque patrium servavit honorem, *h. e.* post longum intervallum. *Ter. Ph.* 5, 7, 44. Si porro esse odiosi pergitis. *Stat. Th.* 7, 546. tu porro sequēris? *Pl. As.* 5, 2, 25. Is etiam corruptus porro suum corrumpit filium. ℙ Refertur etiam ad tempus praeteritum. *Cic. Sen.* 13. Saepe audivi a majoribus natu, qui se porro pueros a senibus audisse dicebant, *h. e.* jam ante. [*Porro* h. l. est vicissim, nostr. *hinwiederum*. Ita *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Habet etiam vim conjungendi sermonis: ita tamen ut continuationem semper aliquam aut loci, aut temporis, aut ordinis rerum succedentium adsignificet. *Sall. Jug.* 30. Legiones per Italiam Rhegium, atque in Siciliam, porro ex Sicilia in Africam transvectae. *Cic. Att.* 7, 1. *med.* Ei porro assensus est unus, familiaris meus, Favonius. *Sall. Jug.* 27. Timebat iram senati, ni paruisset legatis: porro animus cupidine caecus ad inceptum scelus rapiebat. *Cic. Mil.* 9. Occurrebat, mancam ac debilem praeturam suam futuram consule Milone: eum porro summo consensu populi R. consulem fieri videbat. *Id. Rosc. Am.* 40. Videte jam porro cetera. *Id. Div* 2, 51. Sequitur porro, nihil Deos ignorare. *Id. Quint.* 8. *med.* Clamabat porro Quintius, sese idcirco nolle satisdare, ne, etc. sponsionem porro si istiusmodi faceret, se de capite suo priore loco causam esse dicturum. ℙ Jungitur cum *autem. Cic. Att.* 1, 5. Nunquam certior sum factus, esse cui litteras dare possem: porro autem neque mihi accidit, ut haberem qui in Epirum proficiscerentur. *Sall. Cat.* 47. Porro autem anxius erat, quid facto opus esset. *Ter. Ph.* 1, 1, 13. Porro autem Geta ferietur alio munere, ubi hera pepererit: porro autem alio, ubi erit puero natalis dies. ℙ *Porro loqui, dicere*, progredi dicendo, prosequi sermone quae narranda restant. *Pl. Amph.* 5, 1, 67. Quid fit deinde? porro loquere. *Id. Curc.* 3, 83. Immo etiam porro, si vis, dicam. ℙ Aliquando est hortantis, et ad pergendum quodammodo urgentis. *Cic. Verr.* 2, 5, 22. Age porro, tu, qui te tam religiosum existimari voluisti, cur, etc. *Ter. Ad.* 4, 4, 21. Cessatum usque adhuc est: nunc porro, Aeschine, expergiscere. ℙ *Porro Quirites*, formula inclamantis, et fidem auxiliumque exposcentis. *Laber.* ap. *Macr. Sat.* 2, 7. Porro Quirites! libertatem perdimus. *Auct. Priap.* 26. Porro (nam quis erit modus?) Quirites! Adde *Tert. adv. Valent.* 13. *Porro* hic idem esse videtur, ac adeste, id est vos qui porro et procul estis, venite, accedite, ut opem feratis. ℙ Videtur etiam esse conjunctio expletiva, ut *adeo, jam, autem*, quae nonnunquam explendae, et jungendae simul orationis gratia ponuntur. Ita accipit *Donat.* in illo *Ter. Andr.* 1, 5, 42. Adeon' me ignavum putas? adeon' porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum? *Cic. Verr.* 2, 5, 46. Neque enim perfacete dicta, neque porro hac severitate digna sunt. *Id. Fin.* 5, 26. *f.* Ea nos mala dicimus, sed exigua, et porro minima. [*Alii prob. *Orell.* leg. *et paene.* ℙ *Porro* idem etiam significat, quod *denique*, complectens ea, quae praecedunt. *Tac. Agr.* 15. porro in ejusmodi consiliis periculosius esse deprehendi quam audere; et *ib.* 31. virtus porro ac ferocia subjectorum ingrata imperatibus. V. similia *Ciceronis*, *Livii*, aliorumque exempla in *Turs.* Haec *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 363. sq. ℙ Apud seriores saepissime vis adverbii *porro* est in oppositione. *Quint. Inst.* 2, 3, 5. Ego porro eum, qui nolit, in numero praecipientium non habeo: ubi *Spald.* haec laudat: 1, 5, 46. Ego dubito, an id improprium potius appellem: significatione enim deerat: soloecismi porro vitium non est in sensu, sed in complexu; et 2, 17, 8. it. 3, ro — existimo. Denique *Cic. fragm. or. pro Scauro* 5, 13, 40. *Ego* porro — clitellis. p. 1058. Vol. 4. P. 2. *Ern.* ubi clitellae opponuntur plaustris. Assentitur *Zumpt.*, quem V. in *Gr. Lat.* §. 348. p. 301.]

PORRUM, i, n. et Porrus, i, m. *πράσον*, genus oleris duplicis generis, sectivi, et capitati: illud quia a radice in caput extuberat. Utriusque serendi *Plin.* 19, 6, 32. et *Colum.* 11, 3. *med.* rationem tradunt. *Colum.* 10, 370. Et Tartesiacos, Paphiosque revellere thyrsos, Atque apio fasces, et secto cingere porro. *Mart.* 3, 47. Et utrumque porrum, sessilesque lactucas. *Id.* 13, 19. Mittit praecipuos nemoralis Aricia porros: In niveo virides stipite cerne comas, *Id.* 5, 78. Viles Cappadocae, gravesque porri. *Cels.* 4, 6. Jus, in quo porrus cum pullo gallinaceo coctus sit. *Juven.* 3, 293. et *Mart.* 10, 48. sectile porrum. *Pall.* 3, 24. *med.* Hoc mense porrus serendus: quem si sectilem velis, etc. ℙ Sectivus porrus in fila dissectus inferebatur. *Mart.* 13, 18. Fila Tarentini graviter redolentia porri Edisti quoties, oscula clausa dato. *Id.* 11, 53. et porris fila resecta suis. ℙ Fere cum lactucis comedebatur, ut constat ex *cod. ib.* et 3, 47, 5, 78. et 10, 48. etc. Solus, erat pauperiorum cibus. *Juven. l. c.* ℙ [Porri cauda videntur usi fuisse pro ferulis ludimagistri in scholis. *Petr. fragm. Trag.* 56. *Burm.* Porri, et persica: flagellum, et cultrum accepit. Ita *Petronii* locum interpretatur *Fr. Oriolius* in *Opusc. Letter. di Bologn.* T. 1. p. 116. *F.*]

PORSĒNA et Porsenna, ae, m. Lars Porsena, rex Clusinorum in Etruria, precibus Tarquinii Superbi, Roma expulsi, bellum Romanis intulit, urbemque obsedit. Sed post multa virtutis exempla, praesertim in Horatio Coclite, et C. Mucio Scaevola, pacem ultro petiit, et Tarquinium deseruit. V. *Liv.* 2, 9. et sqq. *Plin.* 2, 53, 54. Evocatum et a Porsenna suo rege. *Virg. A.* 8, 646. Nec non Tarquinium ejectum Porsenna jubebat Accipere. *Mart.* 14, 98. Lautus erat Tuscis Porsena fictilibus. *Sil.* 10, 484. si Porsena fando Auditus tibi, si Cocles, si Lydia castra. ℙ *Bona Porsenae vendi* Romae dicebantur, quoties bello capta praeda auctioni subjiceretur. Hujus formulae causam quaerit *Liv.* 2, 14. ℙ *Porsenna* praeter *l. c Plinii*, et *Virg.* legitur etiam ap. *Liv. ll. cc.* in MSS. Graeci scribunt *Πορσήνας*, et *Πορσῖνος*: unde et *Porsēna* paenult. prod. et simplici *n* scribi potest. [*V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 424.]

PORTA, ae, f. *πύλη*, aditus urbis, vel alterius loci vallo fossave muniti, qua res importantur, et exportantur. Alii ducunt a portando, et suspendendo vomere, quo loco aditus esset relinquendus, cum aratro moenium locus designabatur. V. ARATRUM Differt a *fore*, *janua*, *ostio*, quae aedium privatarum sunt. *Ov. Am.* 1, 9, 20. hic *(miles)* portas frangit, at ille *(amans)* fores. *Pl. Mil.* 2, 4, 7. Credo, istoc exemplo tibi esse eundem actutum extra portam, dispessis manibus patibulum cum habebis. *Cic. Fin.* 4, 9. Si Annibal ad portas venisset, murumque jaculo trajecisset. *Caes. B. G.* 3, 25. Non eadem esse diligentia ab decumana porta castra munita. *Cic. Att.* 7, 2. *med.* et *ib.* 8, 2. *f.* Pedem porta efferre; et *Pis.* 23. Ad portam praesto fuere; et *ib.* Quasi ad rem pertineat, qua tu porta introieris. *Virg. A.* 8, 585. exierat portis equitatus apertis. *Id. ib.* 4, 130. it portis delecta juventus. *Id. ib.* 7, 185. portarum ingentia claustra; et *ib.* 2, 803. Danaique obsessa tenebant Limina portarum; et *ib.* 9, 45. Portas objicere; et *Ov. Met* 14, 780. claudere objice firma. *Id. A. Am.* 3, 577. reserare hosti. *Id. Met.* 6, 597. refringere. *Cic. Phil.* 14, 6. urbis occupare. ℙ *Porta itineri longissima*, proverb. ap. *Varr. R. R.* 1, 2, quo significatur plus saepe temporis consumi in apparatu, dum ad portam venias, quam in ipso itinere. ℙ Poetice fere dicitur de quovis aditu. *Ov. Met.* 6, 596. venit ad stabula avia tandem, etc. portasque refringit, Germanamque rapit. *Enn.* ap. *Hor. Sat.* 1, 4, 60. et ap. *Serv.* ad *A.* 7, 622. postquam discordia tetra Belli ferratos potes, portasque refregit, *h. e.* templi Jani. [*Id. *ib.* 1, 294. dirae ferro et compagibus arctis Claudentur belli portae. *Bail.*] *Virg. ib.* 1, 86. venti, velut agmine facto, Qua data porta, ruunt. *Pl. Pers.* 3, 3, 30. Citius a foro fugiunt, quam ex porta ludis cum emissus est lepus, *h. e.* ex ostio caveae circi, unde emittebantur bestiae. *Plin.* 28, 10, 44. Veneficiis rostrum lupi resistere ajunt, ob idque villarum portis praefigunt. ℙ De freto maris. *Manil.* 4, 604. Ast ubi se primum porta mare fudit ab illa, Enatat Ionio. ℙ De angustiis, et faucibus montium. *Plin.* 5, 27, 27. Taurus ubi dehiscit, seque populis aperit, portarum tamen nomine unitatem sibi vindicans, quae alibi Armeniae, alibi Caspiae, alibi Ciliciae vocantur. *Val. Fl.* 3, 496. primusque coacta Advehit Albana Styrus gener agmina porta. [*Nep. *Dat.* 7, 2. Ita etiam Gr. *πύλαι*.] ℙ De porta coeli. *Enn.* ap. *Sen. ep.* 19. et *Virg. G.* 3, 260. quem super ingens Porta tonat coeli. *Serv.* aerem intelligit, per quem iter in coelum est. ℙ Solis. *Macr. Somn. Scip.* 1, 12. et *Sat.* 1, 17. *med.* Duo tropica Signa Capricornum et Cancrum, Solis portas physici vocaverunt, quia in utraque, obviante solstitio, ulterius solis prohibetur accessio, etc. Per has portas animae de coelo in terras meare, et de terris in coelum remeare creduntur: ideo hominum una, altera Deorum vocatur: hominum Cancer, quia per hunc in inferiora descensus est: Capricornus Deorum, qui per illum animae in Deorum numerum revertuntur. ℙ Portae Somni ap. *Virg. A.* 6, 894. duae sunt, quarum altera fertur Cornea, qua veris facilis datur exitus umbris: Altera candenti perfecta nitens elephanto: Sed falsa ad coelum mittunt insomnia Manes. Ubi *Serv.* ex physiologia docet, per corneam oculos significari, qui cornei sunt coloris: per eburneam os et dentes. Quae loquimur enim, falsa esse possunt: ea vero, quae videmus, sine dubio vera sunt, etc. *Stat. Silv.* 5, 3. *f.* Inde tamen venias, melior qua porta malignum Cornia vincit ebur. *Prop.* 4, 7, 87. Nec tu sperne piis venientia somnia portis. Cum pia venerunt somnia, pondus habent. ℙ *Portae jecoris* dicuntur de ejus parte sima, ubi duo sunt tubercula, quas *portas* dixere, arbitrati succum confecti alimenti per eas in jecur deferri: unde et vena inde exorta, *vena portae* dicta est. *Cic. N. D.* 2, 55. Ex intestinis secretus a cibo succus is, quo alimur, permanat ad jecur per quasdam a medio intestino usque ad portas jecoris (sic enim appellant) ductas et directas vias. ℙ Ad illud *Virg. A.* 2, 612. hic Juno Scaeas saevissima portas Prima tenet; *Serv.* notat, portarum urbis Junonem praesidem esse, quia portam luminis nascentibus praebet. ℙ *Porta* etiam pro podice usurpatur. *Catull.* 15, 17. de poena moechorum: Quem, attractis pedibus, patente porta, Percurrent raphanique mugilesque. V. MUGIL. ℙ *Portae*, metaphorice. *Lucr.* 6, 31. Et quibus e portis occurri cuique deceret, *h. e.* e quibus viis, quibus rationibus: ducta translatione a portis urbis, aut castrorum, unde in hostem eruptio fit. ℙ *Portabus* pro *portis* male dicitur juxta ea, quae in ASINA dicta sunt. Dixit tamen *Cn. Gell.* ap. *Charis.* 1, 40.

PORTĀBILIS, e, adj. *φερτὸς*, qui portari potest. *Sidon. ep.* 8, 11. *med.* Et portandus quidem, sed portabilis. *August. ep.* 34. Onus tolerabilius et portabilius.

*PORTARIUS, i, m. janitor. *Vulg. Reg.* 2, 7, 11. *B. A.*

PORTĀTĬO, onis, f. *ἀγωγή*, *φορά*, actus portandi, delatio, importatio. *Sall. Cat.* 43. [*ap. *Kritz.* 42.] Nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia, etc. *Vitr.* 10, 1. *med.* Portationes eorum non essent, nisi plaustrorum per terram, navicularum per aquam inventae essent machinationes.

PORTĀTORĬUS, a, um, adj. ad portandum idoneus. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. *n.* 15. Ante cibum erit adhibenda gestatio, portatoria scilicet sella, sine vehementi motu. *Auctor. serm. de Ascens. Domini*, *inter serm. Augustini*, *de Temp.* 180. Delectat aspicere Christum Dominum portatoriis nubibus ascendentem.

[PORTATRIX, icis, f. quae portat. *Inscr.* ap. *Donat.* 33, 9. Veneri probae, sanctissimae sacrum Ti. Claudius Marcion. Salve mille animarum illustri cenare opus (lege *genre opu'* pro *genere*) salve, Pulcri oneris portatrix, inexuperabile donum. Videtur legendum *insuperabile*. V. *Ignarra de phratriis* p. 117. *F.*]

PORTĀTUS, a, um, part. a *porto:* latus, allatus, gestatus. *Plin.* 4, 8, 15. Peneus accipit amnem Orcon, nec recipit, sed olei modo supernatantem, brevi spatio portatum abdicat.

PORTĀTUS, us, m. *Plin.* 9, 35, 56. Taedia exquisita perdito portatu. *Hard.* ex MS. leg. *nepotatu*. *Sil.* 12, 443. Perque aversa tulit portatus in arva carinas. Sed rectius leges *portatas arva*. ℙ Supinum est cum dicit *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9. Uvae portatu faciles; et 23, 7, 62. Mala piraque portatu jumentis mire gravia sunt, vel pauca.

*PORTELLA, ae, f. portula. *Gloss. Lat. Gr.* Portella, *ὑμοπύλιον*. *B. A.*

PORTENDO, is, endi, entum, a. 3. *ἐπισημαίνω*, praemonstro, praedico, ante significo: a *porro* et *tendo:* et tum in bonis, tum in malis adhibetur. In malis *Pl. Poen.* 3, 5, 4. Haruspices dudum dicebant mihi, malum damnumque maximum portendier. *Id. Curc.* 2, 2, 22. Malum, quod in quiete tibi portentum est. *Accius* ap. *Cic. Div.* 1, 22. *f.* Nam quod de sole ostentum est tibi, populo commutationem rerum portendit fore. *Id. Har. resp.* 25. Caedem, periculumque aliqui portendere. ℙ In bonis. *Cic. Div.* 1, 23. Ex triplici appetitione solis, triginta annos Cyrum regnaturum esse, portendi. *Hirt. B. Afr.* 82. Victoriam sibi propriam a Diis immortalibus portendi. *Liv.* 31, 7. *extr.* Dii immortales mihi sacrificanti, precantique, ut hoc bellum mihi, senatui, vobisque feliciter eveniret, laeta omnia prosperaque portendere. *Pl. Poen.* 5, 4, 35: Nimiae voluptati est, quod in ex-

tis nostris portentum est. *Liv.* 1, 55. Magnitudinem imperii portendens prodigium. ℙ Promiscue. *Sall. Jug.* 97. Omnes credere, illi aut mentem divinam, aut Deorum nutu cuncta portendi, *h. e.* significari, praedici. *Liv.* 1, 50. Sin suos ejus poeniteat, quid spei melioris Latinis portendi? *Id.* 29, 11. Consulentes, ad quod negotium domo missi essent, ejus quam sibi spem populoque R. portenderet. [*Cf. *id.* 30, 32. Ominatur, quibus quondam auspiciis patres eorum pugnaverint ad Aegates insulas, ea illis exeuntibus in aciem portendisse deos.] *Ov. Met.* 15, 571. Quidquid, ait, Superi monstro portenditur isto, Seu laetum est, patriae laetum populoque Quirini; Sive minax, mihi sit. ℙ Interdum est significare in futurum cum effectu, secum ferre. *Sall. Jug.* 3. Omnes rerum mutationes caedem, fugam, aliaque hostilia portendunt; et *Liv.* 28, 5. Hi omnes suis quisque urbibus, quae pericula terra marique portendebantur, nunciantes, etc.

PORTENSIS. V. PORTUENSIS.

PORTENTĬFER, ra, rum, adj. portenta ferens, portentosus. *Ov. Met.* 14, 55. Hunc *(gurgitem)* Dea praevitiat, portentiferisque venenis Inficit. Est qui leg. *portentificis.*

PORTENTĬFĬCUS, a, um, adj. portentosus. In bonam partem. *Lact.* 4, 13. vertens illud Apollinis oraculum de Christo: *Θνητὸς ἦν κατὰ σάρκα σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις:* Nam quod ait, portentifica illum opera fecisse, quo maxime divinitatis fidem meruit, assentiri nobis jam videtur. Adde *ib.* 15. ℙ In malam. *Id.* 2, 13. *med.* Aegyptii portentificas animalium figuras, quas colerent, commenti sunt, *h. e.* monstrosas. V. v. praec.

*PORTENTILOQUĬUM, i, n. *τερατολογία,* sermo portentuosus. *Vulg. Interpr. Iren.* 3, 4. *B. A.*

PORTENTOSUS, a, um, adj. *τερατώδης,* portenti plenus, monstruosus, prodigiosus. Nam quae monstruosa sunt, aut praeter morem, portendere aliquid creduntur. *Cic. Div.* 2, 28. At vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude, aut ex homine nata dicuntur. *Suet. Dom.* 4. Puer portentoso parvoque capite. *Plin.* 36, 13, 19. Dicamus et labyrinthos, vel portentosissimum humani impendii opus. *Id.* 5, 1, 1. Portentosa Graeciae mendacia. *Id.* 9, 41, 65. ingenia. *Id.* 14, 22, 28. libido. *Id.* 23, 1, 27. scientia, *h. e.* quae portentosas res docet. *Id.* 30, 1, 2. ars. *Id.* 24, 17, 102. Ille magorum studiosissimus quanto portentosiora tradit? *Sen. ep.* 87. *med.* Quo quid fieri portentosius potest? *Id. ep.* 114. de Maecenate: Hanc ipsam laudem suam corrupit istis orationis portentosissimae deliciis.

PORTENTUM, i, n. *τέρας,* res praeter naturam, aut morem, ex qua aliquid futurum significatur, et portenditur, monstrum, ostentum, prodigium. Inter haec, et ostenta discrimen quidam posuere. *Festus:* Portenta existimarunt quidam gravia esse, ostenta bona. Alii portenta quaedam bona, ostenta quaedam tristia appellari: portenta, quae, quid porro tendatur, indicent; ostenta, quae tantummodo ostendant: monstra praecipiant quoque remedia. Haec *Fest.*, quae tamen scriptores non observant. V. MONSTRUM. *Paul. ib.* Portenta rerum fieri dicuntur, cum solita corpora raro se ostendunt, ut cometae, turbines, barathra, sereno coelo facta tonitrua. *Cic. N. D.* 2, 3. Praedictiones vero, et praesensiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quae sint, ostendi, monstrari, portendi, praedici? ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur. *Id. Div.* 2, 28. Nam si quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse, portentum est. Saepius enim mulam peperisse arbitror, quam sapientem fuisse. *Hor. Ep.* 2, 1, 11. diram qui contudit hydram, Notaque fatali portenta labore subegit. *Ov. Amor.* 2, 16, 23. quae virgineo portenta sub inguine latrant, *h. e.* canes Scyllae. *Sall. Cat.* 31. [*30 ap. *Kritz.*] Simul, quod in tali re fieri solet, alii portenta atque prodigia nunciabant. *Virg. A.* 8, 532. ne quaere profecto, Quem casum portenta ferant. *Vet. Poeta* ap. *Gell.* 15, 4. Portentum insuitatum conflatum est recens. Nam mulos qui fricabat, consul factus est. ℙ De homine pernicioso. *Cic. Pis.* 4. P. Clodius, fatale portentum prodigiumque reipublicae. *Id. Prov. cons.* 1. Gabinius et Piso, duo reipublicae portenta, ac paene funera. ℙ Fictio, mendacium, commentum incredibile, et naturae repugnans. *Cic. Tusc.* 1, 6. Poetarum et pictorum portenta convincere. *Lucr.* 4, 591. Cetera de genere hoc monstra et portenta loquuntur. *Gell.* 10, 12. Portenta atque praestigias scribere.

PORTENTUS, a, um, part. a *portendo:* praemonstratus, praedictus. *Not. Tir.* p. 19. Portendit, portentus.

PORTHMEUS, i, m. disyll. *πορθμεύς,* qui trans flumen, aut fretum homines navigio transducit, portitor: a *πορθμός,* fretum. *Juven.* 3, 266. Jam sedet in ripa, tetrumque novitius horret Porthmea, nec sperat coenosi gurgitis alnum, *h. e.* Charontem. Sic *Petr. Sat.* 121. vix navita Porthmeus Sufficiet simulacra virum traducere cymba. [*Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 702. *n.* 235. Sat fuerat, Porthmeu, cymba vexisse maritam. *F.*]

PORTHMOS, i, m. *πορθμός,* fretum. *Plin.* 3, 5, 10. Porthmos a Graecis, a nobis Gaditanum fretum. Adde *Melam* 1, 1. ℙ Est etiam oppid. Euboeae. *Plin.* 4, 12, 21.

PORTĬCĀTĬO, onis, f. porticuum ordo. *Macer. Dig.* 11, 7, 37. Si amplum quid aedificari testator jusserit, veluti in circuitu *(sepulcri)* porticationes, eos sumptus funeris causa non esse.

PORTĬCŬLA, ae, f. parva porticus. *Cic. Fam.* 7, 23. *med.* Exedria quaedam mihi nova sunt instituta in porticula Tusculani.

[PORTĬCŬLUS, i, m. idem ac porticula. *Inscr.* ap. *Mur.* 1716, 14. Haec autem maceria compresa *(sic)* cum munimento, et porticulo, quae facit in fronte pedes XX., in agro pedes XXVII. *F.*]

[PORTĬCUNCŬLA, ae, f. dimin. parva porticula. *Inscr.* ap. *Gor. Inscr. Etr.* T. 1. p. 195. Agathopus Aug. Lib. invitatorque ad modum in introitum porticunculae, ad monimentum Aureliae Irenes superposito titulo de suo fecit. *F.*]

PORTĬCUS, us, f. *στοά,* locus amplus, et longus, columnis, aut pilis suspenso tecto munitus, cetera apertus, deambulationis, umbraeque, et imbrium vitandorum causa. Erant privatae, quas ditiores sibi construebant tum in urbe, tum in agris: erant publicae ingenti sumptu exstructae, signis, picturis, marmoribus exornatae, in quibus non solum otiosi homines deambulare solebant, sed aliquando jus dictum, senatum habitum, exceptos legatos legimus: item varia negotia agitata, sponsalia inita, merces pretiosas expositas, etc. De his *Pitisc.* in *Lex.* fuse, et accurate. *Vitr.* 5, 11. Constituuntur in tribus porticibus exedrae spatiosae, habentes sedes, in quibus philosophi, rhetores, reliquique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possunt. *Just.* 21, 4. Plebi epulas in publicis porticibus *(Carthaginis)*, senatui in domo sua parat. *Cic. Att.* 4, 16. *f.* In Campo Martio septa tributis comitiis marmorea sumus, et tecta facturi: eaque cingemus excelsa porticu, ut mille passuum conficiatur. *Id. Dom.* 44. In Palatio, pulcherrimo prospectu, porticum cum conclavibus pavimentatam trecentum pedum concupierat, amplissimum peristylum. *Mart.* 1, 13. Hic rudis aestivas praestabat porticus umbras: Heu quam paene novum porticus ausa nefas! Nam subito collapsa ruit, cum mole sub illa Gestatus bijugis Regulus esset equis. *Virg. A.* 2, 528. Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat; et *ib.* 3, 353. Illos porticibus rex accipiebat in amplis. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. de labyrintho Aegypti. Quin et coenacula prius excelsa, porticusque ascenduntur nonagenis gradibus omnes. ℙ *Labeo* ap. *Ner. Dig.* 39, 2, 47. porticum memorat in superiore aedium parte positam. ℙ Metonymice refertur ad disciplinam Stoicorum, qui in porticu disputare soliti. *Cic. Acad.* 4, 24. Cum habeam Chrysippum, qui fulcire putatur porticum Stoicorum. *Id. fragm.* ap. *August. contr. Acad.* 3, 7. Clamat Zeno, et tota illa porticus tumultuatur. Adde *Gell.* 12, 5. *f.* ℙ De tentoriis videtur intelligendum illud veteris poetae, ubi saucius miles in exercitu Graecorum ad Trojam ita loquitur ap. *Cic. Tusc.* 2, 16. Namque Aesculapii liberorum saucii opplent porticus: Non potest accedi. ℙ De quovis tecto ad latera aperto. *Caes. B. C.* 2, 2. Pedalibus lignis conjunctis inter se porticus integebatur, *h. e.* vineae militaris tectum. *Colum.* 9, 7. Convenit alvearia porticibus supermuniri; et *ib.* 14. *med.* Porticu protecta vasa. ℙ *Porticuum* in gen. plur. *Vitr.* 5, 1. Trabes, in quibus invehuntur porticuum contignationes. Adde *Suet. Cal.* 37. et *Dom.* 14. ℙ [*Confund. *porticu* et *nocte te.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 172.]

PORTĬO, onis, f. *μέρος, μερίς,* dicta est quasi *partio*, vel *partitio*, a *pars*, et partem significat. *Plin.* 2, 9, 6. Luna modo curvata in cornua facie, modo aequa portione divisa. *Juven.* 9, 127. brevissima vitae Portio. *Just.* 24, 4. Ex his portio in Italia consedit, portio in Illyricos sinus penetravit. *Id.* 36, 2. Portio hereditatis. *Id.* 8, 5. praedae. *Id.* 21, 1. Regnum portionibus inter plures filios dividere. *Id.* 28, 1. Pars Acarnaniae, quam in portionem belli pater pupillorum acceperat, *h. e.* in mercedem belli gesti; et 5, 2. Vocare aliquem in portionem muneris. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 11. Nil natura portionibus parit, *h. e.* per partes et intervalla. *Id.* 12, 18, 41. Quota portio ex illis ad Deos jam pertinet? *Id.* 8, 28, 47. Circa quod magna mortalium portio haeret. *Id.* 34, 9, 20. Massa proflatur in primis: mox in proflatum additur tertia portio aeris collectanei. *Id.* 6, 13, 14. Asiae magna portio apposita septentrioni. *Id.* 26, 8, 49. Ad calculos vettonicam, et verbenacam, et millefolium aequis portionibus ex aqua bibere suadent. Sic *Cels.* 4, 24. *med.* Pari portione inter se mixta pix cera, alumen; et 5, 18. *n.* 4. Glandis cortex, et nitrum paribus portionibus. ℙ *Pro portione* comparationem significat, et proportionem alicujus rei ad alteram. *Cic. Varr.* 2, 5, 21. Nunquam in Sicilia frumentum publice est emptum, quin Mamertinis pro portione imperaretur. *Liv.* 34, 50. Mille ducentos ea ratione Achaia habuit. Adjice nunc, pro portione quot verisimile sit totam Graeciam habuisse. *Colum.* 1, 4. Pro portione etiam facultatum, quam optime pater familias debet habitare. *Plin.* 11, 15, 15. Aestiva mellatione decimam partem apibus relinqui placet, si plenae fuerint alvi: si minus pro rata portione: aut si inanes, omnino non attingi. *Censorin. de die nat.* 3. Sed et alii sunt Dii hominum vitam, pro sua quisque portione, adminiculantes. ℙ Etiam sine praep. et in aliis casibus *portio* proportio est. *Curt.* 7, 11. *med.* Praemium erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta decem: uno minus accipiet, qui proximus ei venerit: eademque ad decem homines servabitur portio. *Plin.* 11, 37, 49. Cerebrum omnia habent animalia, quae sanguinem: sed homo portione maximum: *κατὰ μέγεθος.* Adde *ib.* 70. et *ib.* 2, 1. *Colum.* 2, 9. Uberem campum in singula jugera tritici quinque modiis obserere praecipiunt: atque hac portione mediocribus agris semina praebenda censent; et 11, 2. *med.* Magnis arboribus quaternos modios stercoris circumspergere: in ceteris autem pro magnitudine portionem servare. *Plin.* 14, 21, 27. Mitiores plagae doliis vina condunt, infodiuntque terrae tota, aut ad portionem situs. sic 24, 8, 31. Foliis cum vino tritis ad virium portionem; et 36, 16, 25. Omnes oculorum medicamentis prosunt, ad suam quisque portionem; et *Colum.* 7, 1. de asello: Hujus animalis tam exi guae tutelae plurima et necessaria opera supra portionem respondent.

PORTĬONĀLIS, e, adj. portionem continens. *Tert. Virg. vel.* 4. *f.* Subjectum igitur est generali speciale, et portionale universali. *Id. adv. Psych.* 9. Exceptio edulium quorundam portionale jejunium est.

PORTISCŬLUS, i, m. *κελευστής,* pausarius qui remigibus signum dat, hortator remigum, et eorum in remigando ictus ac vires voce et signo moderans; a *portu*, quia in portu modum dat classi, ut ait *Aelius Stilo* ap. *Fest.* Tenebat is perticam, quae malleus dicebatur, fortasse quia una parte capitata erat: qua modum daret remigandi. Ea quoque pertica *portisculus* dicebatur, ut *Fest.* et *Non.* 2, 637. docent. *Laber.* ap. *Non. ib.* Nec palmarum pulsus, nec portisculi. *Enn.* ap. *Non. l. c.* tonsas ante tenentes Parerent, observarent, portisculu' signum Cum dare coepisset. *Cato* ap. *Fest.* C. Licinio praetore, remiges scripti cives R. sub portisculum, sub flagrum conscripti veniere passim. *Sil.* ita describit 6, 360. mediae stat margine puppis, Qui voce alternos nautarum temperet ictus, Et remis dictet sonitum, pariterque relatis Ad numerum plaudat resonantia caerula tonsis. V. CELEUSMA et HORTATOR. [*Portisculus* nusquam ipsum pausarium significat, sed ubique pertica pausarii est. V. *Gronovii observv.* 4, 16. p. 544. *ed. Fr.*] ℙ Translate. *Pl. As.* 3, 1, 14. Et meam partem loquendi, et tuam trado tibi: ad loquendum atque ad tacendum tute habeas portisculum.

PORTĬTANS, antis, part. ab inus. *portito*, saepe portans. *Gell.* 20, 1. *med.* Eum servus sequebatur, crumenam plenam assium portitans.

PORTĬTOR, oris, m. *ἑλλιμενιστής,* [*τελώνης,*] qui stipem, quae portorium dicitur, exigit a viatoribus pro transitu mercium, aut hominum ex uno in alium locum: qui fructus pecuniarios ex portu conducit: a *portus.* [*Praeferenda nobis videtur sententia eorum, quibus *portitores* proprie non publicani, sed operae eorum intelliguntur. V. *Casaub.* ad *Theophrast.* 6. et *Burm. de Vectigal.* p. 140. quos laudat *Ernest.* in *cl. Cic.* — Atque in locis, ubi de publicanis dictum est *portitor* cum contemptu translata vox est ad publicanos ab eorum operis.] *Non.* 1, 95. Portitores dicuntur telonarii, qui portum obsideptes omnia sciscitantur, ut ex eo vectigal accipiant. *Varr. ib.* Tum portitores aera induxere. *Pl. As.* 1, 3, 7. Ego pol istum portitorem privabo portorio. *Id. Men.* 1, 2, 5. Quoties foras ire volo, me retines, revocas, rogitas, quo eam, quam rem agam, quid negotii geram, quid petam, quid feram, quid foris egerim. Portitorem domum conduxi: ita omnem mihi rem necesse loqui est, quidquid egi, atque ago. *Cic. Off.* 1, 42. Improbantur ii quaestus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut feneratorum. *Id. fragm.* ap. *Non. ib.* Nolo eundem populum imperatorem et portitorem esse terrarum. *Id. Agr.* 2, 23. Est iniquum, hos decemviros, portitores omnium pecuniis constitui, qui non modo reges, atque exterarum nationum homines, sed etiam imperatores nostros excutiant. ℙ Item qui mercede ex uno in alium portum navi transducit, *πορθμεύς.* [*Sunt, quibus *portitor*, qua vectorem, v. bajulum significat, non a *portu*, sed a *porto* deducendum videatur. Sed utrumque significatum ejusdem originis esse, bene docet *Gronovius* in *observv.* 3, 20. p. 301. *ed. Fr.*] *Sen. Ben.* 6, 18. Plato cum flumen nave transisset, non ab illo quidquam portitor exegisset, etc. ℙ Saepe de Charonte usurpatur, qui transvehere dicitur defunctorum animas, et pretium exigere. *Virg. G.* 4, 502. nec portitor

Orci Amplius objectam passus transire paludem. Adde *A.* 6, 298. *Prop.* 4, 11, 7., ubi portitor aera recepit, Obserat herbosos lurida porta rogos. *Stat. Th.* 12, 559. Lethaei portitor amnis. *Albin.* 1, 357. Fata manent omnes, omnes exspectat avarus Portitor. Adde *Val. Fl.* 1, 784. et *Sen. Herc. Fur.* 768. ℙ Translate. *Colum.* 10, 155. et *Mart.* 9, 72. Quid meruit terror Nemees, quid portitor Helles? *h. e.* aries, qui Phrixum et Hellen trans mare vexit. Alia ap. *Mart.* leg. *proditor:* quae varietas lectionis etiam ap. *Lucan.* 4, 57. habetur. [*Recte *Cort.* ap. *Lucan.* quidem omnium omnino edd. lectionem *portitor* contra *Gronov.* et *Heins. proditor* legentes tuetur.] *Stat. Th.* 1, 692. sed jam temone supino Languet hyperboreae glacialis portitor Ursae, *h. e.* Arctophylax, seu Bootes, qui Ursae majoris plaustrum agere fingitur, ut portitor navem. ℙ Est etiam *portitor*, qui portat seu navi, seu manu, humerisve. *Claud. epigr.* 49, 17. Jussus post multos graditur paralyticus annos (Mirandum) lecti portitor ipse sui. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 405. Nam corvus Heliae datus Olim ciborum portitor. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 11, 4, 1. Ne quis audeat portitores frumenti ad suscipiendum onus aliqua necessitate compellere. *Sidon. ep.* 6, 3. Commendamus apicum portitorem. Adde *Arnob.* 3. *f. lib.* 1. [*Pertinent haec ad sequioris aetatis dicendi rationem.] ℙ Est etiam idem ac tabellarius. V. CONSUETUDINARIUS.

*PORTITORĬUM, i, n. τελωνεῖον. *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

PORTĬUNCŬLĂ, ae, f. dimin. portionis, μερὶς, parva portio, particula. *Plin.* 28, 7, 23. Vestis portiuncula. *Ulp. Dig.* 39, 2, 15. Si modica portiuncula aedium amplissimarum vitium faciat.

PORTO, as, avi, atum, a. 1. φέρω, βαστάζω, fero, gesto, bajulo, veho, comporto. Putatur esse a φόρτος, onus. *Cajus Dig.* 50, 16, 235. docet, proprie dici de iis, quae jumento feruntur, sicut *ferre* de iis, quae quis suo corpore bajulat. Si allatam notationem probes, cum φόρτος dicatur de onere navium, *portari* dicentur, quae navi vehuntur. Sed in usu quocumque modo ferre, *portare* est. [*Doederl.*, q. v. 1, 150. sq, docet, *portare* esse frequent. a *ferre*. De discrimine inter *portare* et *ferre* v. h. v.; quid *gerere* differat, dictum est in h. v. Cf. etiam *Duk.* de lat. *Vet. Ict.* 179. 184. 186. 480.] *Cic. Q. Fr.* 9, 10. Cum hominem portarem ad Bajas octophoro. *Nep. Phoc.* 4. Cum pedibus jam non valeret et vehiculo portaretur. *Hor. Sat.* 1, 6, 76. Sed puerum est ausus Romam portare docendum Artes; et *Ep.* 1, 13, 12. ne forte sub ala Fasciculum portes librorum, ut rusticus agnum. *Virg. A.* 5, 565. quem Thracius albis Portat equus bicolor maculis. *Val. Fl.* 2, 429. Jam remi rapuere ratem, jam flamina portant. *Lucret.* 4, 444. venti per coelum nubila portant. *Caes. B. G.* 1, 5. Frumentum omne, praeter quod secum portaturi erant, comburunt. *Id. ib.* 5, 23. Ut nulla navis, quae milites portaret, desideraretur. *Id. B. C.* 1, 78. Quorum corpora erant insueta ad onera portanda. *Nep. Dat.* 4. Quae regi portarentur, abripiebat. *Cic. Fam.* 12, 3. *f.* Portare viaticum ad hostem. *Virg. A.* 11, 281. ad aliquem munera. *Sen. Oed.* 59. mortuum ad ignem, *h. e.*, ut ait *Ov. Her.* 15, 116., portare corpus ad rogum. *Plin.* 7, 44, 45. aliquem in rogum. *Sil.* 10, 633. titubantem ad moenia gressum. *Nemes. Cyn.* 155. catulum cubili, *h. e.* ad cubile. Sic *Val. Fl.* 5, 9. robora caedunt Pars silvis, portantque arae, *h. e.* ad aram exstruendam. *Albin.* 1, 125. tumulo portaris, et igni, *h. e.* ut cremeris, et tumuleris. *Manil.* 5, 17. Et Canis in totum portans incendia mundum. *Cic. Off.* 2, 8. Portare aliquid in triumpho. *Hor. Sat.* 1, 5, 90. panem humeris. *Colum.* 9, 8. aliquid collo. *Ov. Met.* 14, 647. stimulos manu; et *ib.* 6, 138. aliquid in sinu suo. [*Sall. Cat.* 56, 3. *ed. Kr.* alii praeacutas sudis portabant.] ℙ Universim pro afferre. *Sall. Cat.* 6. Sociis atque amicis auxilia portabant. [*V. *Kritz.*] *Ter. Andr.* 2, 2, 1. Dii boni, boni quid porto! et 2, 6, 2. Aliquam alicui portare fallaciam. *Val. Fl.* 2, 326. alicujus preces alicui; et *Propert.* 1, 3, 29. timorem cuipiam; et *Ov. Pont.* 3, 4, 1. portantia verba salutem. *Ter. Heaut.* 4, 1, 12. Nescio quid peccati portat haec purgatio, *h. e.* arguit, continet. ℙ [*Confund. *porto* et *postremo.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 103.]

PORTORĬUM, ii, n. τέλος, vectigal, quod solvitur pro rerum transvectione per maria, flumina, lacus: a *portus. Cic. Verr.* 2, 2, 72. Dico, te multam Deliacam supellectilem, plurima vasa Corinthia, magnum numerum frumenti, vim mellis maximam Syracusis exportasse: his pro rebus quod portorium non esset datum, litteras ad socios misisse L. Canulejum, qui in portu operas daret. *Hirt. B. Alex.* 13. Erant omnibus ostiis Nili custodiae exigendi portorii causa dispositae. *Labeo Dig.* 19, 2, 60. *f.* Cum pontem transiret, redemptor ejus pontis portorium ab eo exigebat. *Cic. Font.* 5. Titurium Tolosae quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse. [*Id. *Verr.* 2, 2, 75. portorii vicesima, *h. e.* vicesima mercium, quam portorii loco solvebant.] *Id. Pis.* 36. Vectigalem provinciam, singulis rebus, quaecumque venirent, certo portorio imposito; servis tuis publicanis a te factam esse, meministi? *Id. Inv.* 1, 47. Si Rhodiis turpe non est portorium locare, ne Hermaereonti quidem turpe est conducere. *Caes. B. G.* 1, 18. Portoria, reliquaque omnia Aeduorum vectigalia parvo pretio redempta habere. *Pl. Trin.* 4, 4, 15. Portitori portorium solvere. *Caes. B. G.* 3, 1. Iter per Alpes, quo magno cum periculo, magnisque portoriis mercatores ire consueverant. *Inscr.* ap. *Mur.* 582. *lin.* 67. Portoria terrestria et maritima. Adde *Lucil.* ap. *Non.* 1, 169. et *Caecil.* ap. *Gell.* 15, 14. [*De portorio egit *Burm.* in *lib. de Vectig. c.* 5.] ℙ Qui *portorium* naulum intelligunt, non habent, opinor, quo se tueantur. [*Luenem. in *Lex. Lat.* s. h. v. laudat *Appul.*]

PORTŪENSIS, e, adj. ad Portum Tiberis pertinens, qui et Portus Romanus dicitur, prope Ostiam. Ibi corpus erat mensorum, qui annonum a caudicariis per Tiberim invehendam in Urbem metiebantur. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod. Theod.* 14, 4, 9. Ad excludendas patronorum caudicariorum fraudes, et Portuensium furta mensurum. *Inscr.* ap. *Grut.* 462, 1. Ut mensores nos Portuenses, quibus vetus fuit cum caudicariis, diuturnumque luctamen etc. Adde 235, 7. [Alia ap. *Fabrett.* p. 84. *n.* 144. M. Murdius M. L. Onesitrophus faber ferrarius Portuen*sis. F.*] Alia ap. *Mur.* 720, 2. Memmio Vitrasio Orfito V. C. ob ejus temporibus difficillimis egregias ac salutares provisiones susceptorum Ostiensium, sive Portuensium antiquissimum corpus statuam constituit, [*h. e.* tum Ostiensium, tum Portuensium; hic enim *sive* significat *et.* V. SIVE. ℙ Etiam *Portensis* scribitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 437, 2. et 1027, 4. P. Martio Quir. Philippo tribuno fabrum navalium Portens*ium* corpus fabrum navalium Ostiens*ium.* ℙ *Portensis* est etiam qui pertinet ad portum quemlibet. *Inscr.* Panormitana ap. *Mur.* 654, 1. Cur*ator* portensis Ka*lendarii*, *h. e.* curator exactionis, quam portitores et scripturarii solvere debebant reipublicae Panormitanae, pro mercibus in portum invehendis. *F.*]

PORTŬLĂ, ae, f. dimin. portae, πυλὶς, parva porta. *Liv.* 25, 9. Portula assueta venationem inferens; et *mox:* Portula aperitur. *Inscr.* ap. *Grut.* 207. *col.* 2. Portulam tegito tegularum ordinibus senis quoquo versus.

PORTŬLĀCA. V. PORCILACA.

PORTUMNĀLĬA et Portunalia, ium, n. plur. sacra in honorem Portumni, seu Portuni, Παλαιμόνια. *Varr. L. L.* 5, 3. Portumnalia dicta a Portumno, cui eo die aedes in portu Tiberino facta, et feriae institutae. In *vet. Calend.* ap. *Grut.* 133. et 134. et in aliis duobus ap. *Foggin.* ad *Fastus Verr. Fl.* p. 112. is dies est XVI. Kal. Septembr., et haec sacra ad pontem Aemilium, seu Sublicium fieri consuevisse dicuntur. V. TIBERINALIA. [*Emendavit h. l. *F.*]

PORTUMNĀLIS et Portunalis, e, adj. ad Portumnum pertinens: ut Portunalis flamen. V. PERSILLUM.

PORTUMNUS et Portunus, i, m. Παλαίμων, idem qui Palaemon, Deus scilicet portuum praeses. V. PALAEMON. *Fest.* Portumnus, qui et Palaemon alio nomine dicitur, inter Deos, qui praesunt mari, a Romanis colebatur. *Cic. N. D.* 2, 26. Nomenque productum, ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando etc. *Ov. Fast.* 6, 545. Leucothee Grajis, Matuta vocabere nostris: In portus nato jus erit omne tuo, Quem nos Portunum, sua lingua Palaemona dicet. ℙ Quia vero *portus* ap. veteres etiam domum significat, vel domus portam, teste *Festo*, clavium quoque tutelam ei tribuere. *Paul.* ex *Festo* in *Claudere:* Claudere, et clavis ex Graeco descendit: cujus rei tutelam penes Portumnum esse putabant, qui clavim manu tenere fingebatur, et Deus putabatur esse portarum. Alii leg. *portuum.* ℙ Hinc Janus, qui aedium foribus praeerat, cognomine hoc aliquando appellatus est. *Inscr.* ap. *Grut.* 95, 6. Jano Portuno atque Marti, etc. ℙ Etiam Neptunus interdum hoc nomine dictus videtur. *Virg. A.* 5, 241. Et pater ipse manu magna Portunus euntem Impulit. Quod enim *pater* dicitur, magis Neptuno convenit, quam Palaemoni, qui Deus quidem habetur, sed puer. Quae si vera est ratio, *Appul.* quoque Neptunum intelligit, cum ait *Met.* 4. Adest Portunus caerulis barbis hispidus. Apertius vero *Capella* tridentem ei tribuens 5. *in.* Portuni trifidam suspirans flagitat hastam. Quae confirmari videntur illo *Cic. l. c.* Datum est igitur Neptuno maritimum omne regnum, nomenque productum, ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando, paulum primis litteris immutatis.

*PORTUNĀTA, ae, f. insula Liburniae adjacens, in sinu Flanatico. *Plin.* 3, 21. *B. A.*

[PORTŪNIUM, i, n. ita videtur appellatus Romae locus, ubi flores et coronae venibant. *Vet. Schol. Front.* ad illud l. ad *M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 6. Idem evenit floribus et coronis: alia dignitate sunt, cum a coronariis veneunt, alia cum a sacerdotibus porriguntur; haec habet: In alio sic habet. Alia dignitate sunt in Portunio, cum a coronariis etc. *F.*]

[PORTŪOSĒ, adv. commode, ut in portu. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 20. *extr.* Portuosius illic alveus Nili latiusque in latera descendens. *F.*]

PORTŪOSUS, a, um, adj. λιμενώδης, portubus abundans, vel ad quem facile est appellere. *Cic. Or.* 3, 19. Superum mare Ionium portuosum, inferum Tuscum scopulosum atque infestum. *Id. Fam.* 6, 20. Navigatio longa, et hiemalis, et minime portuosa. *Sall. Jug.* 19. Pars Numidiae portuosior. *Plin.* 3, 12, 17. Flumen Trinium portuosum. *Id.* 4, 12, 23. Samothrace attollitur monte Saoce X. mill. pass. altitudinis, portuosissima omnium. *Harduin.* ex MSS. omnib. legit *importuosissima.*

PORTUS, us, m. λιμὴν, locus in secessu litoris vel natura, vel manu conclusus, aditu in mare patenti, ubi naves consistunt a ventorum injuria liberae. Est vel a *portando*, quia res per eum importantur, et exportantur: vel a πόρος, transitus, vel a ποροθμός. Ejus illustrem descriptionem poeticam *Virg. A.* 1, 163. et *ib.* 3, 533. dabit. *Cic. Manil.* 12. Portus Cajetae celeberrimus et plenissimus navium. *Id. Sen.* 19. *extr.* In portum ex longa navigatione venire. *Id. Fam.* 1, 9. In navigando tempestati obsequi artis est, etiamsi portum tenere non queas. *Id. Mur.* 2. E portu solvere. *Caes. B. G.* 3, 14. proficisci; et *B. C.* 1, 57. et *ib.* 2, 22. naves educere; et *ib.* 2, 4. exire. *Virg. A.* 3, 300. Portu progredi, *Cic. Mur.* 2. In portum ex alto invehi. *Auct. ad Her.* 1, 11. *f.* deferri. *Nep. Chabr.* 4. intrare. *Caes. B. G.* 4, 22. pervenire; et *B. C.* 2, 22. se recipere; et *ib.* 1, 58. *extr.* naves compellere. *Cic. Inv.* 2, 32. navim conjicere. *Id. Verr.* 2, 5, 37. penetrare. *Tac. A.* 16, 23. Portum aperire. *Hor. Ep.* 1, 6, 32. occupare. *Virg. A.* 1, 198. et *Cic. Planc.* 39. petere. *Virg. A.* 3, 289. linquere; et *ib.* 4, 612. tangere. Sic *Caes. B. G.* 4, 36. capere. ℙ Refertur aliquando ad portitores, et portorium, quod ab his exigitur. *Cic. Verr.* 2, 2, 70. Canulejus, qui in portu Syracusis operas dabat, furta quoque istius permulta nominatim ad socios perscripserat ea, quae sine portorio Syracusis erant exportata: portum autem, et scripturas eadem societas habebat. [*Id. Manil.* 6. Neque ex portu, neque ex decimis, neque ex scriptura vectigal conservari potest. *F.*] ℙ Dicitur de ostio fluminum. *Ov. Amor.* 2, 13, 10. de Nilo: Per septem portus in maris exit aquas. Adde *Her.* 14, 107. ℙ Translate est locus tutus, et quoddam in adversis perfugium, et quies. *Cic. Fam.* 7, 30. Quae quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiae portum contulissem. *Id. Brut.* 2. Quo tempore aetas nostra perfuncta rebus amplissimis tanquam in portum confugere deberet, non inertiae, neque desidiae, sed otii moderati atque honesti. *Id. Or.* 1, 60. Tanquam portum aliquem exspecto illam, quam tu times, solitudinem. *Id. Off.* 2, 8. Regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus. *Id. ad Brut.* 1, 5. Tum et fugae portus erat in tuis castris, et subsidium salutis in tuo exercitu. *Id. Caecin.* 34. Exsilium non supplicium est, sed perfugium portusque supplicii. *Id. Tusc.* 1, 49. Portum potius paratum nobis et perfugium putemus. *Plin. ep.* 8, 12. Colit studia, studiosos amat, multorumque qui aliqua componunt, portus, sinus, praemium. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 44. sepulcrum vocat portum corporis. *Ov. Her.* 1, 110. Tu citius venias, portus et ara tuis. [*Cf. *Ruhnk.* ad h. l. et quem laudat *Graev.* ad *Flor.* 3, 20. p. 603.] ℙ *Res est in portu*, in tuto, extra omne periculum. *Pl.* in *Suppos.* *Merc.* scena, quae incipit, *Syra non redit*, 48. Urbem hanc se deserturum autumat. *Do.* in portu res est. ℙ *In portu navigare*, extra omne periculum, in vado, in tuto esse. *Ter. Andr.* 3, 1. *extr.* Nunc hujus periclo fit: ego in portu navigo. ℙ *Impingere in portu*, in ipso statim operis initio peccare. *Quint.* 4, 1. *med.* Pessimus certe gubernator, qui navem, dum portum egreditur, impegit. Sic *Id. decl.* 12, 23. In portu naufragium fecimus. ℙ Olim *portus* erat domus, aedes. *Festus:* Portum in duodecim *(Tab.)* pro domo positum, omnes fere consentiunt: Cui testimonium defuerit, iis tertiis diebus ob portum obvagulatum ito. *Donat.* ad *Ter. Ad.* 4, 2, 39. Domos vel portus, vel insulas veteres dixerunt. ℙ Praeterea *portus* appellatus est conclusus locus, quo importantur merces, et inde exportantur, ut ait *Ulp. Dig.* 50, 16, 59. Inde est *angiportum.* ℙ In dat. plur. et *portibus* dicimus, ut *sensibus*, *curribus:* et *portubus*, ut *artubus*, *lacubus*, *specubus.* Utrumque in optimis lib. passim. ℙ In secunda decl. *Turp.* ap. *Non.* 8, 65. Neque nautae, cum essent circumventi ventis, incerto itinere, porti indigentes. ℙ [*Confund. *portus* et *portas.* V. *Burm.* ad *Virg. A.* 1, 427.]

PORUS, i, m. πόρος, meatus, via, transitus: a πείρω, transeo. De meatu urinae *Plin.* 20, 21, 84. Succus *(malvae)* decoctae pori meatus suaves facit. Alii leg. *permeatus* pro *pori meatus.*

PORUS, i, m. πῶρος, genus lapidis, servandis

corporibus, nec absumendis idonei. *Plin.* 36, 17, 28. Pario similis candore et duritia, minus tamen ponderosum, qui porus vocatur; et *ib.* 6, 9. Arena, quae fit e poro lapide. ℙ [Hoc nomine fuit etiam Indiae rex, mirae proceritatis, et animi vere regii, qui Alexandro M. fortiter restitit, sed proelio difficili victus in victoris potestatem devenit. Interrogatus, qui haberi vellet? regie, respondit: quod responsum Alexander admiratus, illum in regnum restituit. Tandem suorum dolo interfectus est. *Curt.* 8, 13. et 14., *Claud. IV. cons. Honor.* 375. et *Laud. Stil.* 1, 258. et *Cons. Mall. Theod.* 32. et *Sidon carm.* 2, 446. *F.*]

POS, potens, unde *compos*, *impos:* nam *pos* non est in usu. Videtur olim fuisse etiam rectus casus pro *pons*. *Varr. L. L.* 4, 1. Recto casu cum dicimus impos, obscurius est esse a potentia, quam cum dicimus impotem: et eo obscurius fit, si dicas pos, quam impos: videtur enim pos significare potius pontem, quam potentem.

POSCA, ae, f. ὄξυκρατον, ut in *Gloss. Philox.* exponitur, hoc est aqua aceto mixta: a πόω, poto, ut *esca* ab *edo:* quia potui idonea. [*Hinc recte videtur *Lindem.* ad loc. *Pl.* mox sq., qui *posca* ab initio fortasse omnem potionem significasse censet. Ut enim ab *esu escam*, ita a *potu poscam* esse derivatam.] *Pl. Mil.* 3, 2, 23. Alii ebrii sunt, alii poscam potitant. *Id. Trusc.* 2, 7, 48. Tun' tantilli doni causa, olerum, atque escarum, et poscarum, etc.? *Cels.* 4, 5. *f.* Si plus doloris est, dandus panis ex posca frigida. *Plin.* 27, 4, 12. Radix decoquitur in posca dolori dentium. *Id.* 28, 5, 11. Posca colluere oculos contra lippitudines, certa experimenta sunt. *Scrib. Comp.* 46. Proderit (*eruptioni sanguinis de narib.*) aqua frigida, vel posca subinde aspergere totam faciem. *Suet. Vit.* 12. Poscam vendere. ℙ *Posca*, sive acetum, dabatur etiam militibus pro annonae parte. *Spart. Hadr.* 10. Cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens, hoc est larido, casco, et posca. Hinc vero *Vulcat. Acid.* 5. Praeter laridum, ac buccellatum, atque acetum, militem in expeditione portare prohibuit. ℙ Legitur et *pusca* ap. *Veg. Vet.* 2, 48. *med.* Spongiam cum pusca acri supra vulnus imponunt. ℙ Est etiam cogn. R, ut M. Pinarius Posca ap. *Liv.* 40, 18. [*Hujus loci curam egregie gessit *F.*]

POSCINUMMIUS, a, um, adj. qui nummos poscit. *Appul. Met.* 10 Tunc exosculata pressule, non qualia in lupanari solent basiola jactari vel meretricum poscinummia, vel adventorum negantinummia, sed pura atque sincera instruit. Hinc *Mart.* 9, 33. amicam vocat *poscentem nummos*. V. NEGANTINUMMIUS.

POSCO, is, poposci, a. 3. αἰτέω, peto, requiro, postulo, flagito. *Petimus*, inquit *Donat.* ad *Ter. Andr.* 2, 5, 11. et *Heaut.* 4, 5, 27, precario: *poscimus* imperiose: *postulamus* jure. *Cic. Verr.* 2, 3, 34. Incipiunt postulare, poscere, minari. *Id. ib.* 2, 4, 20. *med.* Nemo inventus est tam amens, qui illud argentum eriperet: nemo tam audax, qui posceret: nemo tam impudens, qui postularet, ut venderet. *Varr.* ap. *Serv.* ad *A.* 9, 194. poscere ait esse, cum aliquid pro merito nostro deposcimus: petere, cum aliquid humiliter, et cum precibus postulamus. ℙ Haec sane discrimina perpetua non sunt: plus est tamen *poscere*, quam *petere*. *Ter. Heaut.* 5, 1, 52. Fac, te patrem esse sentiat: fac, ut audeat tibi credere omnia, abs te petere, et poscere. ℙ Est et minus quam *flagitare*. *Cic. Verr.* 2, 5, 28. Reliquos non desideraret solum, sed etiam posceret, et flagitaret. ℙ Universim varie construitur *Pl. Aul.* 2, 5, 9. Detrusisti me ad senem parcissimum, ubi si quid poscamus, ad ravim poscamus, priusquam quidquam detur; et 2, 2, 42. Filiam tuam mihi uxorem posco. *Cic. Rosc. Am.* 13. Criminis confictionem accusator Erucius suscepit: audaciae partes Roscii sibi poposcerunt. *Id. Or.* 1, 7. *extr.* Crassus pulvinos poposcit. *Just.* 28, 4. Ingressus urbem non humi consedit, non cibum aut potum poposcit, non, etc. *Suet. Aug.* 94. Poscere tutorem ab aliquo. *Cic. Verr.* 2, 2, 47. munus ab aliquo. *Hor. A. P.* 411. opem. *Id. Sat.* 1, 3, 74. aequum est, Peccatis veniam poscentem, reddere rursus. *Val. Fl.* 4, 194. contraque occurrere poscunt. *Pers.* 1, 128. et lusco qui poscit dicere, lusce. [*Plures locos, in quibus *poscere* cum inf. constr. legitur, collegit *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 181. *ed. Fr.*] *Juven.* 5, 112. Poscimus, ut coenes civiliter; et 7, 71. Poscimus, ut sit, etc. ℙ Cum duplici accus. *Cic. Verr.* 2, 1, 3. Qui parentes pretium pro sepultura liberum posceret. *Liv.* 27, 24. *f.* Claves portarum cum magistratus poposcisset. *Hor. Od.* 1, 24, 12. non ita creditum Poscis Quintilium Deos. *Pers.* 6, 61. cur me in decursu lampada poscis? [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 669. et 4, 387.] ℙ Passive. *Ov. Fast.* 4, 721. Palilia poscor: Non poscor frustra, si favet alma Pales, *h. e.* poscitur a me, ut canam Palilia. [*Hor. Od.* 1, 32, 1. Poscimur. Si quid vacui sub umbra Lusimus tecum, *h. e.* jubemur scribere. Sic *Vet. Schol. Cruquii* cum omnibus *Lambini cdd. Bentl.* leg. *Poscimus. Bail.*] *Gell.* 4, 18. *f.* Aegre passus, quod rationem pecuniae praedaticiae posceretur. ℙ Ap. *Just.* 11, 11. Poscere interrogatione, *h. e.* interrogare. Al. leg. *interrogationem*. ℙ *Poscere* est etiam inclamare, vocare, invitare. *Virg. A.* 8, 532. ne quaere profecto, Quem casum portenta ferant: ego poscor Olympo, *h. e.* vocor, invitor. *Sen. Herc. Oet.* 1887. Poscite magno Alciden gemitu, *h. e.* clamate, vocate. *Pl. Curc.* 5, 3, 5. Clamore hominem posco, *h. e.* inclamo, clamore voco. ℙ Item indicare pretium rei venalis. *Pl. Merc.* 2, 4, 22. Tanti quanti poscit, vin' tanti illam emi? ℙ Item pretium offerre, spondere, liceri in auctione, sibi petere rem aliquam pretio oblato. *Pl. Stich.* 1, 3, 68. Logos ridiculos vendo: agite licemini. Qui coena poscit? ecqui poscit prandio? *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 13. Percontanti, quanti liceret opera effecta, parvum nescio quid dixerat; at ille quinquagenis talentis poposcit. Adde *Merc.* 2, 3, 101. ℙ Item in conviviis petere bibere. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. Hortatur hospes: poscunt majoribus poculis. Ubi *Ascon.* Sunt, qui producta *o* littera *poscunt* legunt, quasi saepe potant: sed *poscunt*, provocant, intelligendum est, ut sit sensus, provocant se invicem. Hoc sensu *Virg. A.* 8, 614. Aut acrem dubites in proelia poscere Turnum. [*Perperam *Noster* ex *Asconio* ea omisit, quae veram illius formulae explicationem suppeditant: *majoribus* autem *poculis poscunt* a pincerna, i. e. petunt; ut subaudiatur *bibere*. Graeci dicunt αἰτεῖν πιεῖν μεγάλῃ κύλικι. V. *Gron. observv.* 4, 4. p. 370. sq. *ed. Fr.*] ℙ Item requirere, exigere. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 8. Siccus ager autumno poscit seri. *Caes. B. G.* 7, 1. Addunt ipsi, et affingunt rumoribus Galli, quod res poscere videbatur; et *ib.* 4, 2. Ad equos se celeriter, cum usus poscit, recipiunt. *Sall. Jug.* 60. Ratus id, quod negotium poscebat. *Nep. Alcib.* 1. Cum tempus posceret, laboriosus, patiens. *Petr. Sat.* 111. Si antequam fata poscant, spiritum effuderis. *Plin. ep.* 7, 17. Lyrica non lectorem, sed chorum et lyram poscunt. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 371.] ℙ Item inquirere, sciscitari. *Stat. Th.* 8, 22. Dux Erebi populos poscebat crimina vitae. *Virg. A.* 3, 59. et, quae sit sententia, posco. ℙ Item orare. *Id. ib.* 1, 670. Ad te confugio, et supplex tua numina posco. ℙ *Poscere poenas*, repetere, expetere. *Id. ib.* 2, 72. Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt. Adde *Sen. Herc. Oet.* 1006. ℙ *Poscere aliquem*, scilicet ad poenam propter scelera admissa. *Cic. Rosc. Am.* 5. *f.* Accusant ii, quos populus poscit: causam dicit is, qui, etc. [*ubi v. *Matth.*] *Sil.* 1, 677. Poscendum poenae juvenem; et 2, 44. Poscimur, o socii, Fabiusque e puppe catenas Ostentat. [*Poscere* h. l. ut saepissime de iis dictum, qui hostem ad pugnam ineundam provocant: locos bene multos laudat *Cort.* ad *Lucan.* 4, 467. poscit spe proelia nulla. — Simile dicendi genus est ap. *Eund.* 4, 541. Vultejus jugulo poscens sibi fata retecto: ubi v. *Cort.*] ℙ Addit *Non.* 4, 377. poni etiam pro accipere, et adversari: sed nihil probant, quae affert exempla. ℙ Olim *peposci* dictum a *Valer. Antiate*, teste *Gell.* 7, 9. V. MORDEO.

POSEA vel Posia. V. PAUSEA.

*POSIDĒA, ae, f. opp. Aeolidis. *Plin.* 5, 30. *B. A.*

*POSIDĒUM, i, n. Ποσείδειον, pr. montorium Ioniae, inter Miletum et Iassum. *Plin.* 5, 29. *Mela* 1, 7. ℙ et nomen opp. ibi siti. *Plin. l. c.* ℙ Item Macedoniae promontorium, in Pallene. *Liv.* 44, 11. *B. A.*

*POSIDĒUS, i, unus ex alveis Nili. *Plin.* 5, 31. Namque fallacibus vadis Alexandria, tribus omnino aditur alveis mari, Stegano, Posideo, Tauro. *B. A.*

POSIDIĀNUS, a, um, adj. ad Posidium pertinens, qui fuit Claudii Caesaris libertus: (Posiden vocat, et spadonem *Juven.* 14, 91. et *Suet. Claud.* 28.) ut Posidianae aquae prope Bajas calidissimae, *Plin.* 31, 2, 2.

[POSIDŌNIUS, a, um, adj. Neptunius, *Poseidon* enim Neptunum significat, a πόσις, maritus, et δᾶ Dorice pro γᾶ vel γῆ, terra, quasi nempe terrae maritus sit; aqua etenim terram fecundat. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 128, 3. P. Vettius P. L. Posidonius. Alia ap. *eund.* 658, 4. Domitia Posidonia. ℙ *Posidonia* fuit etiam urbs Italiae in Lucania, quae et Paestum est appellata, q. v. v. s. l. ℙ *Posidonius*, *ii*, m. fuit philosophus Stoicus, Apamensis ex Syria, sed Rhodius existimatus, quia Rhodi vixit ac philosophatus est, Panaetii discipulus, Ciceronis praeceptor. Ejus meminit *Cic. Att.* 2, 1., *Off.* 3, 2., *N. D.* 1, 3. et alibi. De ejusdem sphaera V. *Lact.* 2, 34. ℙ *Posidonius* alius insignis statuarius et sculptor, de quo *Plin.* 33, 12, 55. et 34, 8, 19. *F.*]

[POSĪMUS, a, um, adj. πόσιμος, potabilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 251. *col.* 2. M. . . . . M. L. Posimus. *F.*]

*POSINGAE, arum, populi Indiae, cis Gangem. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

[POSIO, onis. V. PUSIO. *F.*]

[POSIS, is, m. πόσις, potus, vel maritus. Est nomen propr. serv. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 299, 6. Posis, qui vixit ann. XI. ℙ Fuit etiam hoc nomine plastes quidam, de quo ita *Plin.* 35, 12, 45. M. Varro tradit, sibi cognitum Romae Posim nomine, a quo facta poma, et uvas, ut non posses aspectu discernere a veris. *F.*]

POSĪTIO, onis, f. θέσις, actus ponendi, institutio. *Quint.* 8, 6. *med.* Μετωνυμία est nominis pro nomine positio. *Colum.* 3, 3. *extr.* Spes vindemiarum cohortari nos debet ad positionem linearum; et *ib.* 17. Positio surculi. *Front. Aquaed.* 36. Sed et calicis positio habet momentum. ℙ *Positio* etiam dicitur, cum aliquid dicendo ponimus, et affirmamus. *Sen. ep.* 87. *f.* Paupertas non per positionem, sed per detractionem dicitur, vel, ut antiqui dixerunt, per orbationem. ℙ Item fundamentum, quo argumenta innituntur, θέσις. *Quint.* 2, 10. *f.* Quin aliquando etiam argumenta ex ipsis positionum vitiis ducimus. *Id.* 1, 2. *med.* Taceo de positionibus, et declamationibus rhetorum. Plerique al. leg. *partitionibus*. [*Ita *Spald.*] ℙ Item depressio, et quasi depositio, cui *sublatio* opponitur. *Id.* 9, 4. *med.* Tempus sonum metitur, ut a sublatione ad positionem iisdem sit spatiis pedum; et *paulo post:* Rhythmi qua coeperunt sublatione, ac positione, ad finem usque decurrunt. ℙ Item terminatio, seu finis. *Id.* 1, 4. *med.* Quae feminina positione mares, neutrali feminas significant, ut sunt *Muraena*, *Glycerium*. ℙ Est etiam ratio loci, quo quidque positum est, situs, positura. *Sen. Q. N.* 1, 16. *med.* Ea, quae ab aspectu corporis nostri positio submovit. *Plin.* 37, 13, 77. de Italia: Etenim contingit procurrentis positio in partem utilissimam, et inter ortus occasusque mediam. *Id.* 36, 13, 19. *n.* 2. Labyrinthi positionem, singulasque partes enarrare. *Colum.* 3, 4. Peregrina semina reformidant mutatam coeli locique positionem; et *ib.* 21. *med.* Pro situ et positione locorum. *Gell.* 14, 1. *med.* Uniuscujusque stellarum forma, et positio. [*Hac significatione sola argentea aetas usurpasse h. v. videtur. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 364.] ℙ *Positio syllabae* est situs, quo posita est, unde quantitatem mutat. *Quint.* 1, 5. *med.* Evenit, ut metri quoque conditio mutet accentum, ut *pecudes*, *pictaeque volucres* (*Virg. G.* 3, 243.); nam *volucres* media acuta legam, quia etsi natura brevis, tamen positione longa est, ne faciat iambum, quem non recipit versus heroicus. *Diomed.* 2, 423. septem tradit modos, quibus syllaba brevis fit positione longa. ℙ *Positiones rei* sunt adjuncta. *Quint.* 6, 4. *f.* Sed nec omnes mihi persequi materias in animo est, nec communes sunt earum quaestiones, quia positionibus mutantur. *Ulp. Dig.* 1, 1, 1. Hujus studii duae sunt positiones, publicum et privatum, *h. e.* membra, partes. ℙ Translate. *Sen. ep.* 64. In quacumque positione mentis sum, cum lego hunc, libet omnes casus provocare, *h. e.* in quacumque cogitatione, aut affectu sum.

POSĪTĪVUS, a, um, adj. qui ponitur. *Gell.* 10, 4. in *lemmate:* Quod P. Nigidius argutissime docuit, nomina non positiva esse, sed naturalia, *h. e.* non positu fortuito, sed quadam vi et ratione naturae facta esse, ut *Gell.* ibi loquitur. ℙ *Positiva nomina* apud grammaticos sunt, quae primo posita sunt, et rem absolute ac simpliciter significant, ut *fortis*, *doctus*, *magnus:* ex quibus comparativa, et superlativa ducuntur. *Cledon.* 1893. et *Serv. ib.* 1781. ℙ *Positivum nomen*, substantivum. *Macrob. Sat.* 1, 4. Cum dicitur *formosa facies viridiorum*, tunc *viridia* quasi positivum ponitur, non accidens. V. VIRIDIA.

POSĪTOR, oris, m. θέτης, qui ponit, conditor. *Ov. Met.* 9, 449. et in Aside terra Moenia constituis positoris habentia nomen. *Id. Fast.* 2, 63. Templorum positor, templorum sancte repostor.

POSĪTŪRA, ae, f. positus, positio, dispositio. *Lucr.* 1, 684. sunt quaedam corpora, quorum Concursus, motus, ordo, positura, figura Efficiunt ignes. *Cels. praef. med.* Eorum, quae natura ante clausisset, posituram, colorem, figuram considerarint. *Targa* pro *posituram* reposuit ex MSS. *positum*, qua voce alibi saepe *Celsus* usus est. *Prop.* 4, 3, 36. Qualis et haec docti sit positura Dei, *h. e.* descriptio et dispositio mundi. *Gell.* 5, 3. Vincturam posituramque ligni scite periteque factam considerat; et 2, 21. *med.* Sidus, quod a figura posituraque ipsa, quia simile plaustri videtur, ἅμαξαν dixerunt. *Id.* 1, 7. *f.* Sonus et positura ipsa verborum. ℙ Ap. grammaticos *positurae* sunt distinctiones, vel distinctionum notae, quas Graeci θέσεις vocant, quae inter legendum dant copiam spiritus reficiendi, ne continuatione deficiat. *Diomed.* 2, 432. et *Donat. ed.* 1, 1742.

POSĪTUS, a, um, part. a *pono:* τεθείς, situs, collocatus. *Virg. Ecl.* 2, 54. Ut vos, o lauri, carpam, et te, proxima myrte, Sic positae quoniam suaves miscetis odores. *Pl. fr.* ap. *Charis.* 2, 179. Nihil quicquam factum nisi fabre, nec quicquam positum sine luco, auro, ebore, argento, purpura, picturis, etc. [*Bothe* recte edidit *sine luxu* pro *sine luco*. *F.*] *Cic. Agr.* 2, 35. Romam in montibus positam et convallibus prae sua Capua contemnent. *Id. Manil.* 18. *f.* Delos in

Aegaeo mari posita; et *ad Brut.* 1, 10. *med.* Quandoquidem potentia jam in vi posita est et armis; et *Fl.* 1. *extr.* Ut omnia reipubl. subsidia, salutem praesentium, spem reliquorum, in vestris sententiis positam esse et defixam putetis. *Ov. Met.* 5, 40. Palpitat, et positas aspergit sanguine mensas, *h. e.* paratas, instructas. *Cic. Or.* 1, 43. Omnia sunt posita ante oculos, collocata in usu quotidiano, et *Pl. Capt.* 2, 3, 73. Cogitato, meam esse vitam hic pro te positam pignori. *Hor. Sat.* 1, 2. 13. dives positis in fenore nummis; et *Plin.* 16, 33, 60. Cupressus funebri signo ad domos posita. *Virg. G.* 2, 354. seminibus positis. *Id. A.* 5, 60. Urbs posita; et *Cic. Fin.* 2, 2. Hoc positum in Phaedro a Platone probavit Epicurus. ℙ Est etiam humi positus, depositus, dejectus. *Plin.* 37, 7, 25. Fulgorem carbunculi debere esse candidum positi, extremo visu nubilantem; si attollatur, exardescentem; et *Ov. Fast.* 2, 438. Suppliciter posito procubuere genu; et *Virg. A.* 4, 681. sic te ut posita crudelis abessem? *h. e.* exanimata. Sic *Stat.* ap. *Serv. ib.* positusque beata Morte pater. *Albin.* 1, 135. Tene ego sustineo positum scelerata videre? *h. e.* mortuum, et lecto compositum ad sepulturam. Sic *ib.* 249. Nec juvenis positi supremos destrue honores. *Ov. Fast.* 5, 480. positis justa feruntur avis. Sic ap. *Ulp. Dig.* 34, 1, 18. *f.* Ubi corpus meum positum fuerit. *Virg. A.* 4, 527. pecudes pictaeque volucres, etc. somno positae sub nocte silenti. ℙ Eleganter *posita* dicuntur, quae coelo delapsa in terra jacent, ut nix, ros, pruina. *Hor. Od.* 3, 10, 7. positas ut glaciet nives Puro numine Juppiter. *Ov. Fast.* 2, 72. posita sub nive terra latet; et *ib.* 6, 200. Factaque erit posito rore bis uda seges. *Prop.* 1, 8, 7. pedibus positas calcare pruinas. ℙ Item praepositus. *Cic. Fl.* 19. *med.* Custos frumento publico positus. *Curt.* 6, 7. Nobilis juvenis supra armamentarium positus. ℙ Item depositus, abjectus. *Liv.* 7, 19. Nisi universa gens, positis armis, in fidem consulis venisset; et *ib.* 32. Positis omnium aliarum rerum curis. *Prop.* 2, 1, 36. Et sumpta, et posita pace fidele caput. *Ov. Met.* 11, 652. positis e corpore pennis. ℙ Hoc posito. *Cic. Fin.* 3, 8. *med.* Quo posito, et omnium assensu approbato, illud assumitur, etc. *Id. Div.* 1, 52. Hoc posito atque concesso, etc. Sic *Caecin.* 11. Est haec res posita, quae ab adversario non negatur, Caecinam pulsum prohibitumque esse; et *Or.* 4. Positum sit igitur in primis (quod post magis intelligetur) sine philosophia non posse effici, quem quaerimus, eloquentem. ℙ *Postus* syncope, unde *compostus, repostus. Lucr.* 1, 1056. omnia sursum Nitier, in terramque retro requiescere posta; et 3, 871. semina in eodem ordine posta; et *ib.* 884. ut putrescant corpore posto; et *Enn. in fr.* ap. *Merul.* p. 310. postumque tyranni Tarquinii *(Prisci)* corpus bona femina lavit et unxit, *h. e.* jacentem in lecto funebri. *Sil.* 13, 553. nec coeli posta sub axe.

POSĬTUS, us, m. positio, positura, sĭtus, dispositio. *Cels. praef. med.* Sedem, positum, ordinem, figuram, similiaque cognoscere prudentem medicum. *Id.* 8. *in.* Prius positus, figurasque ossium indicabo. *Ov. Pont.* 4, 7, 23. Urbs, dubium positu melius defensa, manuve. *Id. Med. fac.* 19. Vultis odoratos positu variare capillos; et *A. Am.* 3, 151. Nec mihi tot positus numero comprendere fas est. *Tac. A.* 6, 21. Positus siderum, ac spatia dimensus. *Id. ib.* 4, 5. Positus regionis. [*Cf. *Sall. H.* 6. p. 1003. positus insulae.]

POSSESSĬO, onis, f. κτῆσις, actus, aut jus possidendi. *Festus:* Possessio est, ut definit Gallus Aelius, usus quidam agri, aut aedificii, non ipse fundus, aut ager. *Paul. Dig.* 41, 2, 1. Possessio appellata est, ut Labeo ait, a sedibus, quasi positio, quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit, quam Graeci *κατοχὴν* dicunt. *Cic. Fam.* 12, 25. Non solum spe, sed certa re et possessione deturbari. *Id. Mil.* 27. *f.* Utrique mortem est minitatus, nisi sibi hortorum possessione cessisset; et *ib.* Dejicere aliquem de possessione fundi. *Id. Quint.* 26. *extr.* Mittere aliquem in possessionem; et *ib.* 27. proficisci. *Id. Att.* 4, 2. venire. *Id. Fam.* 10, 27. restituere. *Sen. Ira* 1, 7. Ponere se in possessione. *Cic. Caecin.* 7. Esse in possessione bonorum. *Inscr.* ap. *Grut.* 208. Cum pater Rufini, et postea Rufinus semper in possessionem fuerint. *Cic. Fam.* 7, 21. Possessionem bonorum dare cuipiam. *Caes. B. G.* 1, 44. *extr.* tradere. *Nep. Tim.* 2. tenere. *Gell.* 11, 18. *med.* Fundi possessione dominum intervertere. ℙ *Possessio vacua.* V. VACUUS. ℙ Frequenter sumitur pro ipsis rebus, quae possidentur, praesertim immobilibus, *κτῆμα. Festus:* Possessiones appellantur agri late patentes, publici privatique: quia non mancipatione, sed usu tenebantur, et, ut quisque occupaverat, colebat. *Cic. Par.* 6. *f.* Prata, et areas quasdam magno aestimant, quod ei generi possessionum minime noceri potest: et *paulo sup.* Cujus possessio quo est major, eo plus requirit ad tuendam. *Caes. B. C.* 1, 17. Militibus in concione agros ex suis possessionibus pollicetur quaterna in singulos jugera. *Id. B. G.* 1, 11. Qui trans Rhodanum vicos possessionesque habebant. *Nep. Att.* 14. Omnis ejus pecuniae reditus constabat in Epiroticis, et urbanis possessionibus. *Sall. Cat.* 36. Aes alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem. ℙ [**Possessio* idem etiam est, quod occupatio, ita ut derivandum sit a *possido*, ubi v. *Tac. Agr.* 18. Monam insulam, cujus possessione, cet. *Id. A.* 2, 5. at si mare intretur, promptam ipsis possessionem et hostibus ignotam, i. e. cursu maritimo Romanis facile fore occupare hostilem agrum, aequa loca ad Visurgim seu media in Germania, ipsis insciis Germanis. Ita recte *Wolf.* contra *Gron.*, qui *possessio* refert ad mare facile occupatu Romanis. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 364.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 31. Nostra est omnis ista prudentiae doctrinaeque possessio, in quam homines, quasi caducam et vacuam abundantes otio, nobis occupatis, involaverunt; et *ib.* 2, 49. Quod ubi me sensi in possessione judicii ac defensionis meae constitisse, etc. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 7. Possessionem laudis occupare; et *ib.* 21. *med.* Respublica in possessione victoriae permanebit. *Just.* 2, 1. *med.* Ignis prima possessio rerum fuit, *h. e.* prius cuncta mundi obtinuit, occupavit: dein paulatim exstinctus sedem terris dedit.

POSSESSĬUNCŬLA, ae, f. parva possessio. *Cic. Att.* 13, 23. Mihi majori offensioni esse, quam delectationi, possessiunculas meas.

POSSESSĬVUS, a, um, adj. *κτητικὸς*, possessionem significans, ut *possessiva nomina*, quibus res possessa, vel ad aliquem pertinens significatur, ut *Ciceronianus, Pompejanus, Euandrius, Aeneius.* Ita *Charis.* 27, 128. et 133. et *Diomed.* 1, 310. Praeterea *Prisc.* 2, 585. ponit inter possessiva etiam ea, quae formam tantummodo possessivorum habent, ut *Romanus, Latinus:* item *ferreus, aureus*, et alia multa, quae ibi fuse persequitur. ℙ Possessiva pronomina sunt *meus, tuus, suus, noster, vester*, quae a pronominibus fiunt. *Serv.* 1786. *Quint.* 1, 5. *med.* In quibus patrium pro possessivo ponitur. ℙ Possessivus casus est genitivus, quia possessionem eo significamus, ut Priami regnum. *Prisc.* 5, 670.

POSSESSOR, oris, m. *κτήτωρ*, qui possidet. *Cic. Phil.* 5, 7. *f.* Tantum quisque habebat possessor, quantum reliquerat divisor Antonius. *Id. Off.* 22. Rem agrariam tentant, ut possessores suis sedibus pellantur. *Hor. Ep.* 1, 2, 49. valeat possessor oportet, Si comportatis rebus bene cogitat uti. *Cic. Or.* 2, 70. Vide, Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor. *Id. Quint.* 8. Iste, homo acerrimus bonorum possessor, expulsor, eversor. *Lucan.* 6, 779. regni possessor inertis, *h. e.* Pluto Inferorum rex. ℙ Ap. JCtos *possessor* proprie dicitur rerum duntaxat corporalium, juris vero *velut possessor*, ut ait *Ulp. Dig.* 5, 3, 18. *med.* [*Huc pertinere videtur locus *Quint. Inst.* 7, 1, 38. In schola quaeri nihil attinet, cum in declamationibus iisdem narrare, et contradictiones solvere, tam ab actore, quam a possessore concessum sit: ubi *Spald. possessor* dici videtur pro *defensor*, inde hoc loquendi genus ortum putans, quod jam tritum fuerit *petitorem* usurpari pro *accusatore*, cui rationi affine et consentaneum, *possessorem* appellari eum, qui aggressionem a se amoliatur: coll. *Dig.* 5, 1, 62. Inter litigantes non aliter lis expediri potest, quam si alter petitor, alter possessor sit.] ℙ Translate. *Petr. Sat.* 114. Saepissime Italici litoris Aquilo possessor convertebat huc illuc obnoxiam ratem.

POSSESSŌRĬUS, a, um, adj. *κτητικὸς*, possessivus. *Tryphon. Dig.* 38, 2, 50. Numquid praetor ei denegare possessorias actiones debeat? [*Cajus Instit.* 4. (ed. *Goesch.*) §. 145. Bonorum quoque emptori proponitur interdictum, quod quidam possessorium vocant. *F.*]

POSSESSUS, a, um, part. a *possideo: κτητός. Petr. Sat.* 120. Quae nova semper amas, et mox possessa relinquis. *Mart.* 9, 102. Asseruit possessa malis Pallatia regnis. *Val. Fl.* 1, 60. possessa dracone Vellera. *Lucan.* 6, 314. Deserit averso possessam numine sedem Caesar. *Tac. A.* 6, 31. Se invasurum possessa Cyro, et post Alexandro, per vaniloquentiam jactabat. *Plin.* 3, 7, 13. Possessa ab Oenotriis Italia. *Id.* 30, 1, 1. Possessis hominum sensibus triplici vinculo. *Aurel. Vict. Epit.* 1. *med.* Possessus amore conjugis. *Ov. Amor.* 1, 2, 8. Et possessa ferus pectora versat amor. ℙ [**Possessus, a, um*, est etiam part. v. *possĭdo. Tac. H.* 3, 8, 59. Possessa ipso transitu Vicetia — *et* possessa Mevania. V. in *possessio* et *possĭdo.*]

POSSESSUS, us, m. possessio. In sexto casu sing. *Appul. Apol.* Plurimis rebus possessu careo, usu fruor.

POSSESTRIX, icis, f. quae possidet. *Afr.* ap. *Non.* 2, 631. Totius monilis possestricem.

POSSĬBĬLIS, e, adj. *δυνατὸς*, qui fieri potest. *Quint.* 3, 8. *med.* Melius qui tertiam partem dixerunt *δυνατὸν*, quod nostri possibile nominant: quae ut dura videatur appellatio, tamen sola est. *Pompon. Dig.* 28, 3, 16. *f.* Conditiones si possibiles sunt, et exsistere poterunt, efficiunt, ut, etc. *Paul. ib.* 25, 2, 3. Sed et cum uxore furti agi possibile est, si, etc. *Sedul.* 4, 17. Possibile est jus omne Deo.

POSSĬBĬLĬTAS, atis, f. facultas, potentia. *Arnob.* 1, 25. Constat, Christum omnia illa, quae fecit, numinis sui possibilitate fecisse. *Pall.* 3, 14. In eis brachiis sarmenta pro vitis possibilitate servabis. *Ammian.* 19, 2. *f.* Medebatur suis quisque vulneribus pro possibilitate, aut curantium copia. *Capell.* 4, 96. Fandi possibilitatem per scholas Ausonias comparavit.

POSSĬDĔO, es, ēdi, essum, a. 2. [**κεκτῆσθαι*, *κατέχω*, teneo, habeo in mea potestate: et dicitur proprie de iis, quae tangi possunt, ut ait *Fest.* in *Possessio:* et praecipue de rebus immobilibus. Est a *pos* pro *potis*, et *sedeo*, quasi sedere possum, ut ipsum *possum* a *potis* et *sum*, conflatur. Vetus formula praetoris ap. *Fest. ib.* Uti nunc possidetis eum fundum, quo de agitur, quod nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis, ita possideatis: adversus ea vim fieri veto. *Papin. Dig.* 41, 2, 49. Qui in aliena potestate sunt, rem peculiarem tenere possunt, habere et possidere non possunt: quia possessio non tantum corporis, sed etiam juris est. *Liv.* 26, 11. Solum, quod ipse bello captum possideret, haberetque. ℙ Hoc tamen discrimen non servatur. *Id. Quint.* 6. Postulat a praetore Naevius, ut ex edicto bona possidere liceat. *Id. Verr.* 2, 2, 18. Huic omnia utenda ac possidenda tradiderat. *Caes. B. G.* 6, 11. Partem finitimi agri per vim occupatam possidebant. *Just.* 38, 4. Galli Italiam maximis plurimisque urbibus possident. *Id.* 20, 1. Aggreditur omnes Graeci nominis Italiam possidentes. ℙ Illa sunt JCtorum, possidere pro emptore, pro donato, pro legato, pro dote, pro herede, pro suo, *h. e.* jure emptoris, rei donatae, legataeve, etc., de quibus sunt tituli 4. 5. 6. 7. etc. *Dig. l.* 41. ℙ Absolute, praedia, aut domos possidere. *Callistrat. Dig.* 47, 9, 7. Hi qui juxta litora maris possiderent. *Ulp. ib.* 43, 14, 1. *med.* Qui trans flumen possidebunt. ℙ De rebus mobilibus. *Plin.* 9, 35, 58. Duo fuere maximi uniones per omne aevum: utrumque possedit Cleopatra. ℙ Translate est quocumque modo habere, tenere. *Cic. Rosc. Com.* 6. Qui medius fidius plus fidei, quam artis, plus veritatis, quam disciplinae possidet in se. *Pl. Mil.* 2, 5, 27. Possidere nomen. *Id. Most.* 1, 1, 31. palmam. *Id. Truc. prol.* 13. saecli mores in se. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Inv.* 1, 45. invercundum animi ingenium. *Cic. Dom.* 42. Cum forum armatis catervis perditorum hominum possideres. *Id. Rosc. Am.* 24. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis. *Ov. Met.* 4, 689. veniens immenso bellua ponto Eminet, et latum sub pectore possidet aequor. *Id. Fast.* 1, 586. Possidet hunc Jani sic Dea mense diem. ℙ Item obsidere, [*occupatum tenere.] *Accius* ap. *Cic. Or.* 3, 26. Ecquid video? ferro septus possidet sedes sacras.

POSSĬDO, is, [*edi, essum,] a. 3. [*occupo, *κάομαι*] ut *consido, desido.* [*Non dubitavimus huc transferre locos, quos *Forc.* in *possideo* laudaverat istos:] *Cic. Or.* 2, 70. Cum Scaurus nonnullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeji locupletis hominis bona sine testamento possederat. *Hirt. B. Alex.* 34. Ne regnum Ariobarzanis possideri, vastarique pateretur a Pharnace. [*Quibus adde *Liv.* 42, 23. Amplius septuaginta oppida — biennio proximo Masinissam vi atque armis possedisse. *Ov. Met.* 2, 739. Tres habuit thalamos, quorum tu, Pandrose, dextrum, Aglaurus laevum, medium possederat Herse.] ℙ Possidere publice. *Cic. Phil.* 11, 6. *f.* Judicavit hostem Dolabellam, bona ejus censuit publice possidenda. *Liv.* 38, 60. In bona L. Scipionis possessum publice quaestores praetor misit. ℙ [*Hinc translate i. q. sibi vindicare, in potestatem suam redigere.] *Cic. Verr.* 2, 3, 68. Quibus rebus non sensim atque moderate ad istius amicitiam adrepserat, sed brevi tempore totum hominem, totamque ejus praeturam possederat. [*Ita saepissime item dicitur pro implere.] *Lucr.* 1, 386. nempe aer omne necesse est, Inter corpora quod fiat, possidat inane, *h. e.* occupet, obtineat, impleat; et *ib.* 964. Usque adeo quem quisque locum possidit, in omnes Tantundem partes infinitum omne relinquit. *Just.* 2, 1. *med.* Ignis cuncta possedit. *Ov. Met.* 1, 31. circumfluus humor Ultima possedit, [*i. e. profundissima occupavit. Laudaverat haec item exempla *Forc.* in *possideo.*]

POSSUM, pŏtes, pŏtest, pŏtŭi, n. anom. *δύναμαι*, valeo, polleo, facultas mihi est, vires habeo: contractum ex *potis*, potens, et *sum. Cic. Fam.* 6, 5. Quotiescumque filium tuum video, polliceor ei studium meum sine ulla exceptione: gratiam autem cum hac exceptione, quantum valeam, quantumque possim. *Id. Att.* 4, 13. Velim res istas, et praesentem statum reipubl. rescribas ad me, quantum potes et vales. Ita *Aldus:* alii *quantum potest* legunt. V. infra. [*Orell. longe praeferendam lectionem censet *quantum potes.* Similis est Graecorum dicendi ratio. *Xen. Cyr.* 5, 4, 25. *ὡς ἂν δυνώμεθα:* et *id. ib.* 5, 3, 14. *Ἐγὼ δὲ, ὡς ἂν δυνατὸν ᾖ, πορεύσομαι.* Cf. *Poppo indic.* in *Xen. Cyr.* v. *ὡς.*] *Id. Phil.* 6, 7. Quamobrem, Quirites, consilio, quantum potero, labore plus paene, quam potero, excubabo. *Id. ib.* 2, 10. Nihil praetermisi, quantum facere enitique potui, quin etc. *Id. Q. Fr.*

3, 5. *med.* Facerem tamen, ut possem, sed etc. *Id. Amic.* 1. A patre ita eram deductus ad Scaevolam, ut, quoad possem et liceret, a senis latere nunquam discederem. *Id. Dom.* 36. Dico igitur, et quam possùm maxima voce dico. *Id. Fam.* 7, 17. *med.* Caesari te commendavi et tradidi, ut gravissime diligentissimeque potui. *Id. ib.* 13, 73. Mihi ita persuadeo, (potest fieri, ut fallar) eam rem laudi fore. *Id. Q. Fr.* 3, 5. *f.* Sed tamen quod fieri poterit, non negligam. *Id. Att.* 8, 14. Ut nihil ad te dem litterarum, facere non possum. *Id. fr. pro Cornel.* ap. *Ascon.* Nihil unum posse contra multos. *Id. Or.* 2, 10. Non possum quin exclamem, ut ait ille in Trinummo (*Pl. Trin.* 3, 2, 79.). *Id. ib.* 1, 10. *extr.* Hoc amplius si quid poteris, non id mihi videbitur orator, sed Crassus sua quadam propria, non communi oratorum facultate, posse. *Ter. Heaut. prol.* 13. Hic actor tantum poterit a facundia, quantum etc. ℙ Minantis, aut urgentis sunt illa *Pl. Amph.* 1, 1, 190. Possum scire, quo profectus, cujus sis, aut quid veneris? et *Ter. Eun.* 4, 4, 44. Possumne ego hodie ex te exsculpere verum? ℙ *Posse aliquam* interdum significat posse feminam vitiare. *Mart.* 3, 32. Num possim vetulam, quaeris Matrinia? possum. Adde *Pl. l. c.* in ADHINNIO. ℙ *Potest* absolute pro *potest fieri*, aut hujusmodi. *Cic. Fam.* 1, 2. *f.* Nos in senatu dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia, retinebimus. *Pl. Ps.* 2, 2, 38. Potest, ut alii ita arbitrentur, et ego ut ne credam tibi. *Liv.* 10, 23. Detisque operam, ut haec ara, quam illa, si quid potest, sanctius coli dicatur. *Ter. Ph.* 2, 1, 73. Non, non sic futurum est, non potest. *Id. Eun.* 5, 1, 20. Comprehendi hominem jube, quantum potest. *Pl. Men.* 5, 2. *f.* Ibo, atque arcessam medicum, quantum potest. ℙ Saepe est auctoritatem, vim, opes, potentiam habere. *Pl. Cas.* 2, 4, 4. Stultitia est, ei te esse tristem, cujus potestas plus potest. *Id. Truc.* 4, 2, 42. Vocat me, quae in me plus potest. *Cic. Quint.* 21. *f.* Qui tum et poterant per vim et scelus plurimum, et quod poterant, id audebant. *Id. Rosc. Am.* 1. *f.* Qui apud me et amicitia, et beneficiis, et dignitate plurimum possunt. ℙ Pro debere, oportere, aequum esse. *Cic. Att.* 2, 9. Minore sonitu, quam putaram, orbis hic in republica est conversus: citius omnino quam potuit; et *ib.* 3, 15. *med.* Si quisquam fuisset, qui me a turpissimo consilio revocaret: quod unus tu facere maxime potuisti. ℙ ⁷Tribuitur et rebus inanimis vim ad aliquid efficiendum habentibus. *Id. Verr.* 2, 3, 57. *med.* Plus aliquanto apud te pecuniae cupiditas, quam judicii metus potuit; et *Or.* 2, 42. *med.* Ordo, et dispositio tantum potest in dicendo, ut ad vincendum nulla plus possit. *Id. Div.* 1, 10. Quid scammoniae radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentum possit. ℙ Pro bene valere, sanum esse, videtur poni in illo *ejusd. Tusc.* 2, 19. Si est tantus dolor, quantus Philoctetae, bene plane magnus mihi quidem videtur, sed tamen non summus: nihil enim dolet, nisi pes; possunt oculi, potest caput, latera, pulmones, possunt omnia. Possis tamen ita interpretari, *possunt dolere oculi* etc. [*Ita recte explicandum locum censet *Schütz.* in *cl. Cic.* contra *Ern.*, qui pro bene valere *posse* positum intell.] ℙ *Possis* secundam habet communem. *Hor. Sat.* 1, 2, 103. Metiri possis oculo latus. *Juven.* 5, 10. cum possis honestius illic. Alii rectius leg. *possit.* ℙ *Potessim* pro *potis sim*, *possim*, est *Pl. Pers.* 1, 1, 41. ℙ *Potesset* pro *posset* est *Lucil.* ap. *Non.* 5, 98., ubi alii leg. *potisset:* quod alii eidem tribuunt etiam alio loco, quem refert *Ascon.* in *Div. Verr.* 13. *Potissit* enim pro *possit* veterum nonnullorum fuit, teste *Diomed.* 1, 381., et habetur ap. *Fabrett.* p. 427. in *vet. S. C. de Bacchanal. Potesse* pro *posse* est *Plauti* saepe, et *Lucret.* 1, 665. et al., et *Ter. Eun.* 4, 3, 24. ℙ *Potissum* pro *possum*, quidam leg. ap. *Pl. Curc.* 5, 3, 23., et *potessunt* pro *possunt*, ap. *eund. Poen.* 1, 2, 17.; alii *potis sum*, et *potis sunt.* ℙ Ut *siem* pro *sim*, ita *possiem*, *es*, *et*, pro *possim*, *is*, *it* dixere *Cic. Arat.* 304., *Pl. Bacch.* 4, 5, 2., *Most.* 2, 2, 34. et 4, 2, 68. et alibi. ℙ *Potestе*, *potesto*, *potestote*, *possunto*, personae imperativi, quas agnoscit *Charis.* 3, 231., nulla ab eo auctoritate firmantur. ℙ Passiva terminatione *potestur* habent *Lucret.* 3, 1024., *Pacuv.* et *Quadrig.* ap. *Non.* 10, 34., item *Scipio Afr.* ap. *Fest.* et *Enn.* ap. *Diomed.* 1, 381., item *Virg. A.* 8, 402, ut in aliquot MSS. se vidisse ait *Pierius*, tametsi ipse cum aliis plerisque non probat. *Poteratur* est *Coelii* ap. *Non. l. c.* 33. et *C. Gracch.* ap. *Fest.* in *Potestur*, et *Scauri* ap. *Diomed.* 1, 381. *Possitur* ejusdem *Scauri ib. Possetur* est *Claudii Quadrig.* ap. *Non. ib.* 30. *Possitur* item *Cat. R. R.* 154., ubi alii leg. *possit*, et in *vet. monum.* ap. *Grut.* 509. *lin.* 22. Ubi de plano recte legi possitur. Etiam *possuntur* a nonnullis veterum dictum fuisse, testatur *Diomed.* 1, 380. Verum passiva haec forma antiqua est, et omnino obsolevit. ℙ *Pote*, Part. *Potens*, et *Potis*, V. infra *ss. ll.* ℙ [*Confund. *posset* et *potuisset.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 403.]

POST, *μετὰ*, praepos. regens accusativum, quae demonstrat ordinem, [*loci et temporis. Contractum dicunt ex *ponst*, i. e. *pone est*: oppon. *ante.* Hinc ab in. posuimus exempla, in quibus loci rationem refert.] *Pl. Ep.* 2, 2, 52. Occepere mulieres post me sic fabulari inter se. *Hor. Od.* 3, 1, 40. Post equitem sedet atra cura; et *Caes. B. G.* 2, 9. Flumen, quod esse post nostra castra demonstratum est; et *ib.* 7, 88. Repente post tergum equitatus cernitur. *Plin.* 26, 8, 58. Pulegium jejunus qui legerit, si post se alliget, inguinis dolores prohibet. *Id.* 11, 45, 101. Lacertis priora genua post curvantur, posteriora in priorem partem. *Virg. Ecl.* 3, 20. tu post carecta latebas. *Id. G.* 3, 373. post montem oppositum. *Pall.* 5, 8. Cum ad eum convenerint apes, et ingressae fuerint post odorem. *Cic. Mil.* 10. *f.* Caedere incipiunt ejus servos, qui post erant. ℙ [*Unde, ut *ante* ad praestantiam, *post* ad inferiorem alicujus rei vel personae statum, gradum, conditionem referri solet.] *Sen. ep.* 104. *med.* Tantus erit ambitionis furor, ut nemo tibi post te videatur, si aliquis ante te fuerit. *Sall. Cat.* 24. *extr.* Sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia post fuere, *h. e.* posthabita sunt. [*Cf. *Kritz.*] V. POSTFUI. *Hor. Od.* 3, 9, 6. neque erat Lydia post Chloen, *h. e.* minus amabatur. ℙ [*Secundo loco *post* temporis rationi significandae inservit.] *Cic. Har. resp.* 8. Post hanc urbem constitutam. *Id. Rosc. Am.* 44. Aliquot post menses. *Id. Phil.* 2, 38. Ne post M. Brutum proconsulem sit Creta provincia. *Id. Div.* 1, 44. *extr.* Sexennio post Vejos captos. *Id. Or.* 35. Post omnia perorationem concludere. *Nep. Ar.* 3. Decessit post annum quartum, quam expulsus fuerat. *Id. Cim.* 3. Post annum quintum, quo expulsus erat. *Cels.* 2, 18. *med.* Piscium gravissimi sunt ex quibus salsamenta fieri possunt: deinde hi, qui etc. tum plani: post quos etiam leviores sunt lupi, mullique: et post hos omnes saxatiles. *Plin.* 33, 2, 8. Equester ordo et nunc post populum scribitur, quia novissime coeptus est adjici, *h. e.* extremo loco, *senatus populusque R. et equester ordo. Id.* 32, 7, 24. Post paulum, *h. e.* paulo post. *Nep. Them.* 5. *extr.* Maxima post hominum memoriam classis; et *Att.* 9. Cum fundum emisset in diem, neque post calamitatem versuram facere potuisset, *h. e.* postquam in calamitatem inciderat. *Just.* 8, 1. Quasi post arma et bellum locum legibus reliquissent, *h. e.* postquam arma sumpserant, et bellum inceperant. *Cic. Fam.* 4, 4. *med.* Sic fac existimes, post has miserias, id est postquam armis disceptari coeptum est de jure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate. ℙ *Post id, post illa*, comicis est postea. *Pl. Cas.* 1, 42. Post id cum lassus fueris etc. *Id. Curc.* 4, 2, 43. Eum qui vendidit, nunquam post illa vidi. *Ter. Ph.* 2, 2. *f.* Si eam sustinueris, post illa jam, ut lubet, ludas licet. V. POSTILLA. ℙ Saepe adverbii more ponitur, sine casu, vel cum ablativo temporis: quamquam non desunt, qui semper praepositionem esse ajunt, et ablativo etiam jungi. *Cic. Fam.* 7, 5. Ut initio mea sponte, post autem invitatu tuo mittendum duxerim. *Id. Fin.* 3, 6. *med.* Non inest in primis naturae conciliationibus honesta actio: consequens enim est, et post oritur. *Vet. Poeta* ap. *Plin.* 35, 10, 37. Quem nunc, et post semper ob artem hanc Ardea laudat. *Cic. Fl.* 23. *extr.* Pecunia recuperata est multis post annis. *Id. Brut.* 60. *extr.* et *Div.* 2, 33. *f.* et *Liv.* 2, 16. Res, quas Caesar anno post, et deinceps reliquis annis administravit; et *Pl. Men. prol.* 36. Paucis diebus post; et 5, 9, 72. Multis annis post. *Liv.* 32, 5. *med.* Ipse post paucis diebus graviore secutus agmine. *Cic. Brut.* 91. *f.* Biennio post. *Plin.* 16, 25, 42. Parvo post florent pirus et cerasus, *scil.* parvo tempore. *Pacuv.* ap. *Non.* 4, 468. Quam te post multis tueor tempestatibus? ℙ Jungitur cum aliis adverb. in *o* desinentib. *Cic. Fam.* 16, 5. *f.* Malo te paulo post valentem, quam statim imbecillum videre. *Caes. B. C.* 1, 29. et *Liv.* 5, 57. Cum senatus post paulo haberetur. [*V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 33, 3., qui praeter hujus dictionis exempla laudat *Drakenb.* ad *Liv.* 20, 60, 16.] *Cic. Att.* 12, 49. Multo post, quam tu a me discessisti. *Virg. G.* 3, 476. Nunc quoque post tanto. *Nep. Paus.* 3. At ille post non multo ad exercitum rediit; et *Cim.* 3. Post neque ita multo Cyprum missus. [*V. *Brem.* ad utrum que locum.] *Cic. Caecin.* 4. Aliquanto post Fulcinius praedia mercatur. *Id. Or.* 30. Post aliquanto sentire coepimus. *Liv.* 2, 31. Cum Aequis post aliquanto pugnatum est. ℙ Pleonasmus est in his. *Ter. Andr.* 3, 2, 3. Primum fac, istaec ut lavet: post deinde quod jussi ei dare bibere, date. *Colum.* 3, 4. Post haec deinde meminerit accurate locum vineis eligere. (Adde *Sen. Ben.* 2, 34., *Virg. A.* 5, 321. et *Pl. Men.* 3, 2, 8.) *Lucr.* 3, 530. Inde pedes et crura mori, post inde per artus etc. *Nep. Eum.* 5. Substringebat caput (*equorum*) loro altius, quam ut prioribus pedibus plane terram possent attingere: deinde post verberibus cogebat exsultare. [*Cf. *Brem.* ad *Nep. Eum.* 1, 5. et *Alc.* 6, 5.]

POSTANTĔ, adv. ut exante, inante. *Varr. L. L.* 5, 9. Postante conventionem habet. Ita *Scal.* in *Append. ad conjectan.* Alii *post autem.*

POSTAUTUMNĀLIS, e, adj. post autumnum veniens. *Plin.* 15, 15, 16. Pira Aniciana postautumnalia, acidulo sapore jucunda.

[POSTCANTĀTĪVUS, a, um. V. ANTECANTATIVUS. *F.*]

[POSTDĔLICTUM, i, n. delictum postea commissum. *Ulp. Dig.* 29, 2, 71. §. 9. Qui semel se abstinuit, quemadmodum ex postdelicto obligatur. *F.*]

POSTĔĂ, adv. *εἶτα*, *ἔπειτα*, post ea, post, post haec, post id, post illa. *Plin.* 22, 22, 46. Fraxini folia nec postea nascentia, nec ante decidentia. *Caes. B. G.* 1, 21. *extr.* P. Considius, qui in exercitu P. Sullae, et postea in M. Crassi fuerat; et *ib.* 40. Quos aliquando inermes timuissent, hos postea armatos et victores superarunt. *Cic. N. D.* 2, 35. *f.* Philosophi debuerunt, si forte eos primus aspectus conturbaverat, postea, cum vidissent motus finitos, etc. intelligere inesse aliquem, etc. *Id. Brut.* 3. Posteaque prosperae res deinceps multae consecutae sunt. *Caes. B. G.* 4, 37. Postea vero quam equitatus in conspectum venit, etc. *Cato R. R.* 156. Postea, ubi occipiet fervere, paulisper dimittito, etc. *Cic. Inv.* 1, 51. Postea aliquanto ipsos quoque tempestas jactare coepit. *Id. Cat.* 1, 6. *med.* Neque enim sunt aut obscura, aut non multo postea commissa. *Cels.* 7, 8. *med.* Trajicere id cavum acu satis est, postea deinde imponere id, quod purget. [*Amat hoc pleonasmi genus praesertim *Liv.* V. 41, 24. Legati deinde postea missi ab rege; et 44, 24. inde postea ad Demetriadem — sub ipsis moenibus urbis collocutus fuerat; et 45, 14. postea deinceps.] ℙ In comparationibus. *Plin.* 17, 16, 26. Fertilissima omnium inoculatio, postea emplastratio. ℙ Pro praeterea. *Pl. Merc.* 2, 3, 35. Nescio quid meo animo est aegre, pater: postea hac nocte non quievi satis ex mea sententia. ℙ *Postea loci*, postea. *Sall. Jug.* 108. Postea loci consul pervenit in oppidum. ℙ *Quid postea?* quid inde? quid hinc sequitur? *Cic. Rosc. Am.* 33. *med.* Quid postea, si Romae assiduus fui? *Liv.* 4, 4. At enim nemo post reges exactos de plebe consul fuit: quid postea? et *Ter. Eun.* 4, 7, 23. Dixtin', hos mihi dies soli dare te? *Tha.* quid tum postea? ℙ Videtur ultimam produxisse *Pl. Poen.* 1, 1, 10. Si auctoritatem postea defugeris. [*Bothe* ex MSS. edidit *postera*, nempe *die. F.*] ℙ Quoties ap. poetas (excipio comicos) reperies (quod perraro fiet), rectius *post ea* divisum scribes, nam conjunctum languet. Sic ap. *Ov. Fast.* 1, 165. Post ea mirabar, cur non sine litibus esset Prima dies.

POSTĔĀQUAM, adv. *quod et divisim scribitur* postea quam, *ἐπεὶ*, *ἐπειδή*, post quam. *Cic. Verr.* 2, 2, 56. Posteaquam ego inquirendi causa in Siciliam veni, repente istius amicus factus est. *Id. Off.* 2, 1. *f.* Posteaquam honoribus inservire coepi. *Id. Fam.* 3, 7. *f.* Postea vero quam ita coepi. *Sall. Jug.* 31. Postea vero quam participem negotii Scaurum acceperat.

[POSTELLĂ, ae, f. idem ac postilena. *Isid.* 20, 16. Antella, quasi ante sellam, sicut et postella, quasi post sellam. *F.*]

POSTĔO, is, n. post aliquem eo, inferior sum: cui *anteire* opponitur. *Sidon. ep.* 1, 11. *med.* Qui Severinum sicut honore postibat, ita favore praecesserat.

POSTER. V. POSTERUS.

POSTĔRI, orum. V. POSTERUS.

POSTERGĀNĔUS, a, um, adj. qui post tergum, et retro est. *Arnob.* 4, 130. In septentrionem si ora traduxero, erit mihi sinister occasus, qui ab sole posterganeus habebitur. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 6. Raptus vero posterganeus, quem episthotonon Graeci vocant, est involuntaria colli retractio.

POSTĔRĬOR, ius, oris, adj. omn. gen. compar. a *posterus: ὕστερος*, *ὀπίστερος*, *δεύτερος*, inferior, secundus ordine, loco, tempore: cui *prior*, *superior* opponitur. *Cic. Or.* 3, 48. *extr.* Paria esse debent posteriora superioribus, extrema primis. *Id. Acad.* 4, 14. *med.* Ita priori posterius, posteriori superius conjungitur. *Hor. Sat.* 1, 4, 58. et quod prius ordine verbum est, Posterius facias. *Cic. Brut.* 11. Thucydides paulo aetate posterior. *Id. Phil.* 12, 2. Posteriores cogitationes, ut ajunt, sapientiores esse solent. *Sall. Jug.* 88. Nam gerere, quam fieri, tempore posterius, re atque usu prius est. *Plin.* 11, 45, 101. Elephanto pedes majores priores; in posterioribus articuli breves; et *Ov. Fast.* 4, 717. Vacca sit, an taurus, non est cognoscere promptum: Pars prior apparet, posteriora latent. *Lampr. Elag.* 5. Nudus ingenicularet, posterioribus eminentibus in subactorem rejectis et oppositis, *h. e.* natibus. ℙ Quemadmodum omnes cognati supra tritavum, generali appellatione *majores* vocantur, ita post trinepotem *posteriores*, ut ait *Paul. Dig.* 38, 10, 10. Hi tamen saepius *posteri* dicuntur. V. POSTERUS. ℙ *Posterior*, minus carus, vilior, minor, deterior. *Cic. Att.* 10, 4. *med.* Quorum utrique semper patriae salus et dignitas posterior sua dominatione et domesticis commodis fuit. *Id. Phil.* 13, 3. *med.* Ita vitam corpusque servato, ita fortunas, ut posteriora libertate ducas. *Id. Pis.* 27. *med.* Nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil posterius, ni-

hil nequius. Alii leg. *protervius*. *Pl. Mil.* 4, 1, 7. Omnes res posteriores pono, atque operam do tibi, *h. e.* posthabeo. *Ter. Ad.* 5, 4, 26. Si id fit dando, atque obsequendo, non posteriores feram. Ubi *Donat.* Subauditur *partes:* id est non vincar a Micione. Translatio desumitur a personis comicis, in quibus aliae primarum, aliae secundarum, aliae denique posteriorum partium erant. ℙ *Posterius* adverbii usum habet, post, postea, ὕστερον. *Pl. Epid.* 2, 2, 76. Vos priores esse oportet, nos posterius dicere. *Id. As.* 1, 1, 48. Posterius istuc dicis, quam credo tibi, *h. e.* credo tibi, priusquam dicis. *Nep. Cim.* 4. Procul ab eo loco infoderunt, in quo erat mortuus: inde posterius Dei Delphici responso erutus, etc. *Cic. Verr.* 2, 4, 29. Mittit rex ad istum, si sibi videatur, ut reddat. Jubet iste posterius ad se reverti. *Id. Brut.* 83. *extr.* Thucydides si posterius fuisset, multo maturior fuisset, et mitior. ℙ *Posterior*, in neutro genere. V. PRIOR.

POSTĔRĪTAS, atis, f. *οἱ ἀπόγονοι*, posterum seu futurum tempus, et ipsi homines, qui post nos erunt. *Cic. Amic.* 4. *med.* Sperare videor, Scipionis et Laelii amicitiam notam posteritati fore. *Id. Att.* 12, 19. Domini innumerabiles fieri possunt in infinita posteritate. *Id. Phil.* 2, 22. Hujus rei ne posteritatem quidem omnium saeculorum immemorem fore. *Ov. Fast.* 1, 239. At bona posteritas puppim servavit in aere. *Id. Pont.* 3, 2, 30. Si tamen a memori posteritate legar; et *ib.* 4, 8, 48. Notitiam serae posteritatis habet. *Id. Trist.* 4, 9, 26. Perpetuae crimen posteritatis eris. *Id. Her.* 16, 374. Nomen ab aeterna posteritate feres. *Id. Pont.* 2, 6, 34. in ore frequens posteritatis eris. *Prop.* 3, 1, 34. Homerus posteritate suum crescere sentit opus. *Cic. Tusc.* 1, 15. *f.* Cum optimus quisque maxime posteritati serviat, *h. e.* famae apud posteros. *Quint.* 10, 1. *med.* Historia non ad actum rei, sed ad memoriam posteritatis componitur. ℙ *In posteritatem*, in posterum. *Just.* 2, 3. *f.* Nec passuras, ut in posteritatem Scytharum genus intercidat. ℙ Dicitur interdum de tempore mox futuro, etiam viventibus nobis. *Cic. Fam.* 2, 18. *f.* Si me audies, vitabis inimicitias, et posteritatis otio consules. *Id. Cat.* 1, 12. Verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiae mihi in posteritatem redundaret. *Caes. B. C.* 1, 13. Proinde habeat rationem posteritatis, et periculi sui. ℙ De bestiis. *Juven.* 8, 62. Sed venale pecus Corythae, posteritas et Hirpini. ℙ *Posteritas* quatenus opponitur *prioritati*, ut barbare loquuntur scholae. *Tert. Praescr.* 31. Principalem veritati, et posteritatem mendacitati deputare.

POSTĔRĬUS. V. POSTERIOR.

POSTĔRO, as, avi, n. 1. in posterum differo, ὑστερέω. *Pall.* 12, 4. Oliva cum varia coeperit esse, colligitur, ex qua primum fiet oleum: nam cum tota nigrescet, quod speciei merito posteravit, fundendi ubertate compensat.

POSTĔRŪLA, ae, f. *πυλίς*, portula, quae ab utraque portarum urbis parte esse solet. *Cassian. Instit. coenob.* 5, 11. Quantalibet urbs sublimitate murorum, et clausarum portarum firmitate muniatur, posterulae unius quamvis parvissimae proditione vastabitur. ℙ Translate est devius callis. *Ammian.* 30, 1. *med.* Cum bivium armato milite vidisset oppletum, per posterulam, tramitem medium squalentem frutectis et sentibus, vitabundus excedens, *h. e.* per posticum, vel potius per semitam reductam, et occultam.

POSTĔRUS aut Poster, ra, rum, adj. *ὕστερος*, qui post venit, sequens, consequens. *Cic. Fin.* 2, 9. *med.* Posterum quodam modo et consequens putandum est; et *f.* Haec non in posteris, et in consequentibus, sed in primis continuo peccata sunt. *Id. Cluent.* 13. Cum ibi diem posterum commoraretur. *Id. Dejot.* 7. In posterum diem distulit. *Id. Verr.* 2, 2, 17. Postero die mane. *Sall. Jug.* 78. *f.* Postera die. *Nep. Eum.* 9. nocte. *Id. Ar.* 3. Postero tempore. *Cic. fragm. pro C. Cornel.* ap. *Ascon. med.* anno. *Hor. Ep.* 2, 1, 42. et praesens, et postera aetas. *Id. Od.* 3, 30, 7. usque ego postera Crescam laude recens, *h. e.* laude posterorum. ℙ *Posteri, orum*, qui post nos vel ex nobis, vel ex aliis nascentur, *οἱ ἐπιγινόμενοι, ἀπόγονοι*, et praesertim qui post eos, quorum sunt vocabula propria, scilicet post trinepotes, ut in POSTERIOR dictum est. His *majores* opponuntur. *Cic. N. D.* 3, 38. Ut etiam si quis morte poenas sceleris effugerit, expetantur eae poenae a liberis, a nepotibus, a posteris. *Hor. Epod.* 9, 11. Romanus (eheu posteri negabitis!) Emancipatus feminae. *Inscr.* ap. *Grut.* 698, 7. Cn. Ofillio Cn. F. Quir. Pisoni, Cn. Ofillio Cn. F. Quir. Frugi Cn. Ofillius Successus, et Antonia Restituta, parentes filiis pientissimis fecerunt, et sibi, et suis libertis, libertabusque, posterisque eorum. *Posterum* pro *posterorum* habet *Tac. A.* 3, 72. Opes ornatum ad urbis, et posterum gloriam conferre. ℙ *Posteri dies*, atri, et ominosi. *Non.* 2, 40. Atri dies dicuntur, quos nunc nefastos, vel posteros vocant. *Posteros* opinor dictos, quod atri essent quicumque dies postridie calendas, nonas, idus, ut in ATER dictum est. Hujus tamen appellationis nullam auctoritatem se graviorem *Nonius* affert. ℙ *Posterus*, inferior. *Capell.* 4, 96. Posteram Romuleis virtutibus Grajam aestimans levitatem. ℙ *Postero*, postero die. *Tac. A.* 4, 45. Idem cum postero ad quaestionem retraheretur. ℙ *In posterum*, in posterum diem. *Caes. B. G.* 7, 11. Diei tempore exclusus, in posterum oppugnationem differt. Adde *Cic. Fam.* 10, 12. *med.* Sic *Just.* 11, 12, *extr.* Aut deditionem ea die, aut in posteram aciem paret. ℙ *In posterum*, in posterum tempus. *Caes. B. C.* 1, 3. et *ib.* 2, 21. Laudat promptos, atque in posterum confirmat. *Cic. Agr.* 2, 33. *extr.* Multum in posterum providerunt; et *Fam.* 2, 8. Ut ab homine longe in posterum prospiciente, futura exspecto. ℙ Non imitanda licentia illius, qui in *Inscr.* ap. *Fea, Relaz. di un viaggio* p. 11. *posteriis* dixit pro *posteris*. Hanc aedem posuit, struxitque novissima templa Manibus, et cineri, posteriisque meis. ℙ Rectus casus masculin. *posterus*ne sit, an *poster*, nondum plane constat.

POSTFACTUS et Post factus, a, um, part. ab inus. *postfacio:* postea factus. *Gell.* 17, 7. Viros doctos dubitasse, utrumne in postfacta modo furta lex valeret, an etiam in ante facta. ℙ Absolute. *Paul. Dig.* 21, 1, 44. *extr.* Neque ex postfacto decrescit obligatio.

POSTFĔRO, ers, a. anom. posthabeo, postpono. *Liv.* 3, 64. Qui libertati plebis suas opes postferrent. *Sil.* 2, 700. neu rumpite foedera pacis, Nec regnis postferte fidem. *Vell.* 2, 69. Cum et Brutus cuilibet ducum praeferendus videretur, Vatinius nulli non esset postferendus. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 10. Non postferuntur et Charites, quas Socrates fecit.

POSTFŪI et Post fui, posthabitus sum. *Sall. Cat.* 24. Ubi periculum advenit, invidia atque superbia postfuere. V. POST.

POSTFŪTŪRUS, a, um, part. ab inus. *postsum:* futurus. *Sall. in or. Lep. ad P. R.* Supplicia in postfuturos composuit. *Plin.* 7, 55, 56. Si dolere etiam postfuturi aestimatione evenit. *Gell.* 17, 7. *f.* Tum videbitur lex in postfuturum loqui.

POSTGĔNĪTUS et Post genitus, a, um, adj. post natus. *Hor. Od.* 3, 24, 30. Clarus postgenitis.

POSTHĂBĔO, es, ui, itum, a. 2. *ὕστερον τίθεμαι, δεύτερον ἄγω*, postpono, negligo. *Ter. Phorm.* 5, 7, 15. Omnes posthabui mihi res, ita uti par fuit, postquam, tantopere id vos velle, animum adverteram. *Caes. B. C.* 3, 33. Properaret ad se cum exercitu venire, omniaque posthaberet. *Virg. Ecl.* 7, 17. Posthabui tamen illorum mea seria ludo.

POSTHĂBĪTUS, a, um, part. a *posthabeo:* postpositus. *Cic. Tusc.* 5, 1. Ut, omnibus rebus posthabitis, totos se in optimo statu exquirendo collocarent. *Virg. A.* 1, 19. Quam Juno fertur terris magis omnibus unam Posthabita coluisse Samo. *Tac. A.* 2, 86. Posthabitam dote solatus est. *Id. H.* 4, 7. Ne aliis electis posthabitus haberetur.

POSTHAC, adv. *εἰσαῦθις, μετὰ ταῦτα*, post hoc tempus, deinceps, in posterum. *Ter. Eun.* 5, 2, 59. Hunc tu in aedes cogitas recipere posthac? *Id. Andr.* 3, 5, 5. Posthac incolumem sat scio fore me, nunc si devito hoc malum. *Pl. Men.* 4, 3, 21. Alium posthac invenito, quem tu habeas frustratui. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Sed in hoc genere non accusabimur posthac: neque hercule antea negligentes fuimus. *Id. Cat.* 3, 15. Vobis erit providendum, qua conditione posthac eos esse velitis. *Hor. Sat.* 2, 3, 297. Arma dedit, posthac ne compellarer inultus. *Mart.* 4, 73. Seque mori posthac credidit ille senem. Alii leg. *post hoc.* ℙ Item deinde, postea. *Pl. Amph.* 2, 2, 164. Pateram huic dedisti, posthac rursus obsignasti clanculum. *Suet. Tit.* 9. Fidem praestitit, nec auctor posthac cujusquam necis, nec conscius.

POSTHAEC et Post haec, adv. *μετὰ ταῦτα*, postea, deinde. *Cic. Inv.* 1, 23. *med.* Primum gnati vitam: deinde suum consilium: posthaec, quid Sosiam velit facere.

POSTHINC et Post hinc, adv. *ἐξῆς*, deinceps, deinde. *Virg. A.* 8, 546. Posthinc ad naves graditur, sociosque revisit.

POSTHOC et Post hoc, adv. posthaec, postea, posthac. In *fragm. legis Papir.* ap. *Fest.* in *Sacramentum.* Quicumque praetor posthoc factus erit. Alii leg. *posthac.*

POSTHŬMĬUS. V. POSTUMIUS.

POSTHŬMUS, etc. V. POSTUMUS.

POSTĬBI, adv. postea, ut *inibi, interibi. Pl. Poen. prol.* 108. Dat aurum: rogitat postibi, unde sit. *Id. Rud.* 3, 1, 8. Postibi videbatur ad me simia aggredirier; et 4, 7, 37. Nunc hic ibo intro, et sacrificabo: postibi jubebo coenam coqui.

POSTĬCĀ. V. in POSTICUS.

[POSTĬCĬPO, as, a. 1. post capio. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 21. Est ergo in pecude corruptibile corpus, et mortalis anima, quae vitam corporis nec anticipat, nec posticipat. *F.*]

POSTĬCŬLA, ae, f. parva janua in postico aedium. *Appul. Met.* 2. Me perduxit ad domum quampiam, cujus ipsis foribus obseptis, per quandam brevem posticulam introvocat me.

POSTĬCŬLUM, i, n. parvum posticum. *Pl. Trin.* 1, 2, 157. Posticulum hoc recepit, cum aedes vendidit; et 4, 3, 78. Ubi nunc filius meus habitat? *Sta.* hic in hoc posticulo.

POSTĬCUM. V. v. sq.

POSTĬCUS, a, um, adj. *ὀπισθιος*, retro positus, aversus, posterior: a *post:* cui *anticus* opponitur. *Liv.* 23, 8. *f.* Locus erat posticis aedium partibus. *Pl. Stich.* 3, 1, 40. Est etiam hic ostium aliud posticum nostrarum aedium. *Val. Max.* 5, 7. *n.* 3. et *Varr.* ap. *Non.* 3, 158. Cum domo postica clam esset egressus, *h. e.* postica parte domus. *Lucil.* ap. *Non. ib.* Non peperit, verum postica parte profudit, *h. e.* e podice. V. infra. *Solin.* 26. *med.* de ursis: Interdum posticis pedibus insistunt. *Pers.* 1, 62. posticae occurrite sannae, *h. e.* irridentium a tergo. *Ammian.* 28, 1. *med.* Ut saepe faciunt amphitheatrales ferae, diffractis tandem solutae posticis, *h. e.* cavis locis, portis in postico amphitheatri, unde in arenam emittebantur. *Auson. epigr.* 70. Perversae Veneris postico vulnere fossor, *h. e.* paedicator. ℙ *Festus:* Posticam lineam in agris dividendis Servius Sulpicius appellavit, ab exoriente sole ad occidentem quae spectabat. ℙ *Idem* in *Posticum.* Quae ante nos sunt, antica: et quae post nos sunt, postica dicuntur: et dextram anticam, sinistram posticam dicimus. Sic etiam ea coeli pars, quae sole illustratur ad meridiem, antica utique nominatur, quae ad septentrionem est, postica. *Varr. L. L.* 6, 2. Ejus templi partes quatuor: antica ad meridiem, postica ad septentrionem, etc. ℙ *Posticum* absolute, postica, et aversa pars. *Suet. Claud.* 18. Detentus quondam medio foro a turba, conviciisque, ac simul fragminibus panis ita insectatus, ut aegre, nec nisi postico evadere in Palatium valuerit. *Vitr.* 3, 1. *f.* Aditus valvarum ex utraque parte in pronao, et postico. *Titin.* ap. *Non. l. c.* Duo postica, quae loco mercede, *ὀπισθόδομοι. Hor. Ep.* 1, 5, 31. Atria servantem postico falle clientem: *ψευδοθύρῳ, παραθύρῳ.* Sic *Pl. Most.* 3, 3, 27. Ego me illa per posticum ad congerrones conferam. Adde *Tit.* ap. *Non. l. c.* et 4, 355. Sic in feminino *Appul. Met.* 9. *in.* Canem rabidam paulo ante per posticam impetu miro sese direxisse: subaudi *januam.* Sic *Ulp. Dig.* 7, 1, 13. *med.* Aditus, posticasve vertere. *Capell.* 1, 17. Contegit ex posticis caput quodam velamine rutilante, *h. e.* ex partibus posticis. ℙ Alio sensu *Lucil.* ap. *Non. ib.* Pistrinum appositum, posticum, sella, culina, *h. e.* locus exonerando ventri, qui fere in postica aedium parte est. ℙ Pro ipso podice. *Varr. ib.* Retrimenta cibi, quae exierunt per posticum, vallem fecerunt. *Arnob.* 2, 54. Cibo sustentantur et potu, et superfluas foeditates inferioribus egerunt, abjiciuntque posticis.

POSTĬDĔĀ, adv. post id, postea: cui *antidea* opponitur. *Pl. Aul.* 1, 2, 40. Nunc quo profectus sum, ibo, postidea domum me recipiam. (Alii leg. *postidem* eod. sensu: quod quidam etiam *Varroni* tribuunt *L. L.* 8, 10., sed incerta admodum lectione.) Adde *Truc.* 2, 4, 67. ℙ *Postidea loci*, idem. *Pl. Cist. f.* Ubi id erit factum, ornamenta ponent: postidea loci, qui deliquit, vapulabit. Adde *Stich.* 5, 5, 17.

POSTĪLĒNA, ae, f. *ὑπουρὶς, ὀπισθένη*, lorum, vel lignum incurvum, quod ex ephippio aut clitellis sub cauda, et posterioribus jumenti coxis alligatur, ne sarcina in anteriorem partem decidat: a *post. Pl. Cas.* 1, 1, 36. Ita te aggerunda curvum aqua faciam probe, ut postilena possit ex te fieri. V. ANTILENA, et POSTELLA.

POSTĪLIO. V. in POSTULATIO.

POSTILLĀ et Post illa, adv. post illa, postea. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 20. Postilla, germana soror errare videbar. *Cato* ap. *Gell.* 3, 7. Eum sustulere: isque convaluit: saepeque post illa operam reipublicae fortem perhibuit. *Catull.* 84, 9. Nec sibi postilla metuebant talia verba. *Ter. Phorm.* 2, 2. *f.* Prima coitio est acerrima; si eam sustinueris, postilla jam, ut lubet, ludas licet. *Pl. Curc.* 4, 2, 43. Sed eum, qui mihi vendidit illam, nunquam postilla vidi; et *Men.* 4, 3, 11. Nunc redeo, nunc te postilla video. *Ter. Andr.* 5, 4, 33. Postilla nunc primum audio.

POSTIS, is, m. *παραστάς*, lignum, aut lapis erectus ab utroque latere portae, januae, quod inferiori limine sustinetur, superius et valvas sustinet. Alter postis valvas fulcit cardinibus affixis: alter seram recipit, et repagula: haec intellige, cum valvae geminae non sunt. *Ov. Amor.* 2, 1, 27. insertaque posti, Quamvis robur erat, carmine victa sera est; et *ib.* 1, 6, 24. excute poste seram. *Id. R. Am.* 35. Rigido jurgia posti dicere. *Id. Met.* 19, 378. laqueoque innectere fauces Destinat, et zona summo de poste revincta, etc. *h. e.* de superiore parte postis. *Cic. Att.* 3, 15. *med.* Quoddam caput legis Clodium in curiae poste fixisse. *Val. Fl.* 3, 25. Et nunc ille jubas, captivaque postibus ora Imposuit. *Hor. Ep.* 1, 1, 5. armis Herculis ad postem fixis. *Virg. A.* 5, 360. Neptuni sacro clypeum de poste refixum. *Val. Max.* 9, 12. *n.* 6. Cum in carcerem duceretur, in ejus postem illiso

capite concidit. *Juven.* 6, 51. necte coronam Postibus, et densos per limina tende corymbos. ℙ *Tenere postem* erat dedicantis aedem Divis. *Cic. Dom.* 46. Postem teneri in dedicatione oportere videor audisse templi: ibi enim postis est, ubi templi aditus est, et valvae. *Liv.* 2, 8. Postem jam tenenti consuli, foedum inter precationem Deum nuncium incutiunt; et *mox:* Tenens postem precationem peragit, et dedicat templum. Adde *Val. Max.* 5, 10. *n.* 1. ℙ Etiam in aliis operibus arrectaria tigna aut saxa *postes* dici possunt. *Vitr.* 10, 20. de testudine militari: Insuper hanc compactionem erigantur postes compactiles, etc. *Cic. Dom.* 46. Ambulationis postes nemo unquam tenuit in dedicando. ℙ A poetis saepe ponuntur pro ipsis valvis, seu foribus. *Virg. A.* 2, 480. Limina perrumpit, postesque a cardine vellit Aeratos; et *ib.* 493. aerati procumbunt cardine postes; et *ib.* 8, 227. fultosque emuniit objice postes. *Val. Fl.* 7, 322. impulso sonuerunt cardine postes. Adde *Sen. Herc. Oet.* 254. *Id. Hipp.* 863. Reserate clusos regii postes laris. *Lucan.* 5, 531. poste recluso. ℙ Translate. *Lucr.* 3, 369. Jam magis exemptis oculis debere videtur Cernere res animus, sublatis postibus ipsis, *h. e.* oculis, qui sunt veluti fores, et fenestrae animi. ℙ In ablat. habet etiam *posti. Oc. Met.* 5, 120. Raptaque de dextro robusta repagula posti. Ita legit etiam *Prisc.* 7, 768.

POSTLĪMĬNĬUM, ii, n. ἐπάνοδος, ἀναπόμπιμον, ut est in *Gloss. Philox.*, definitur a *Paulo Dig.* 49. *tit.* 15. qui *De postliminio* inscribitur, 19. jus amissae rei recipiendae ab extraneo, et in statum pristinum restituendae, inter nos ac liberos populos regesque, moribus, legibus constitutum: a *post*, et *limen.* Qua de re ita *Cic. Top.* 8. *f.* Cum ipsius postliminii vis quaeritur, et verbum ipsum notatur, Servius noster nihil putat esse notandum, nisi *post:* et *liminium* illud productionem esse verbi vult, ut in *finitimo*, *legitimo*, *aeditimo* non plus inesse *timum*, quam in *meditullio tullium.* Scaevola autem P. F. junctum putat esse verbum, ut sit in eo et *post*, et *limen:* ut quae a nobis alienata sunt, cum ad hostem pervenerint, et ex suo tanquam limine exierint, deinde cum redierint post ad idem limen, postliminio videantur rediisse. Haec *Cicero*: quibus similia habet *Justin. Inst. tit.* 1, 12. §. 4. ℙ De ipso jure *Cic. l. c.* Postliminio redeunt haec, homo, navis, mulus clitellarius, equus, equa, quae frena recipere solet. *Gallus Aelius* ap. *Fest.* postliminium receptum (*postliminio* legi vult *Voss.* in *Etymol.*) ait esse eum, qui liber, ex qua civitate abierat, in eandem civitatem redit eo jure, quod constitutum est de postliminiis: item qui servus a nobis in hostium potestatem pervenit, postea ad nos rediit, in ejus potestatem, cujus antea fuit jure postliminii. Equi, et muli, et navis eadem ratio est, etc. *Cic. Or.* 1, 40. et *ib.* 2, 32. Quem pater suus, aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium. *Id. Balb.* 11. *med.* Postliminio potest civitatis fieri mutatio; et 12. Civi Romano licet esse Gaditanum, sive exsilio, sive postliminio, sive rejectione hujus civitatis, *h. e.* si redierit Gades, ubi antea civis fuerat, quam civis Romanus esset, et ejus civitatis jus recipit, civitate Romana accepta amissum. Haec *Ernest.* habet. *Papin Dig.* 29, 15, 5. Postliminii jus competit aut in pace, aut in bello. *Id. ib.* Postliminium dare alicui. *Id. ib.* Postliminio reverti. *Paul. ib.* 19. recipere aliquid; et *ib.* Transfugae nullum postliminium est; et *ib.* 17. Postliminio carent, qui armis victi hostibus se dediderunt. *Gell.* 7, 18. Octo ex iis, postliminium justum non esse sibi responderunt, quoniam dejurio vincti essent. *Papin. Dig. l. c.* 14. Duae species postliminii sunt, ut aut nos revertamur, aut aliquid recipiamus. Alia ad hoc jus pertinentia, quae *l. c. Dig.* explicantur, omittimus, vim, et usum verbi significasse contenti. ℙ Translate. *Appul. Met.* 1. *f.* Statim arrepta dextra, postliminio in forum cupedinis reducens, etc. *h. e.* iterum, rursus; et *ib.* 2. Corpus istud postliminio mortis animare; et *ib.* 3. Exibis asinum, statimque in meum Lucium postliminio redibis; et *ib.* 4. Quid repente postliminio pressae quietis lamentationes licentiosas refricas? *Tert. Pud.* 15. Cum fornicatori postliminium largitus ecclesiasticae pacis statim ingesserit, *h. e.* reconciliationem.

POSTMĔRĬDĬĀNUS. V. POMERIDIANUS.

POSTMODO, et

POSTMODUM, adv. postea, post, mox: et fere de tempore brevi futuro dicuntur. *Liv.* 1, 9. *f.* Saepe ex injuria postmodum gratiam ortam. *Id.* 4, 7. Fore, ut postmodum gaudeant, se irae moderatos. *Ter. Hec.* 2, 1, 11. Me abs te immerito esse accusatam, postmodum rescisces. Alii leg. *postmodo. Ov. Amor.* 1, 14, 55. reparabile damnum est: Postmodo nativa conspiciere coma. ℙ Cum accusativo, ut cuipiam videtur. *Hor. Od.* 1, 28, 30. Negligis immeritis nocituram Postmodo te natis fraudem committere? Sed v. *te* verius est ablativus v. *natis*, nempe *ex te natis.*

POSTŌMIS (ἐπιστομίς, ut habetur in *Gloss. Philox.*) dicitur ferrum, quod ad cohibendam equorum tenaciam paribus, vel morsui imponitur: Graece ἀπὸ τοῦ στόματος. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 84. Trulleu' postomis huic ingens de naribu' pendet. Ad quem locum *Turneb. Advers.* 17. *c. ult.* Eleganter transtulit ad potores Lucilius, quibus e naribus pocula pendere videntur. Dicitur autem *postomis* voce lacessita et laesa, veluti *epistomis*, aut *epistomium:* immo vero tanquam προοστομὶς, id est additamentum ori adjectum et appensum: atque ita scribendum videtur. Haec *Turneb.* Alii locum *Lucilii* ita leg. Prostomides hinc ingentes de naribu' pendent. Etiam *Dausquio* magis placet *prostomis.* Sunt qui legunt *pastomis.*

POSTPARTOR, oris, m. qui post nos bona nostra possidebit. *Pl. Truc.* 1, 1, 42. Unde anteparta demus postpartoribus. V. PARTOR.

POSTPŌNO, is, sui, situm, a. 3. δεύτερον ἄγω, ὕστερον ποιέομαι, posthabeo, vilius puto, negligo. *Caes. B. G.* 6, 3. Initium belli hoc esse arbitratus, ut omnia postponere videretur, concilium Lutetiam Parisiorum transfert. *Cic. fil. ad Tir. Fam.* 16, 21. *med.* Omnia postposui, dummodo praeceptis patris parerem. *Hor. Ep.* 1, 18, 34. Dormiet in lucem, scorto postponet honestum Officium. *Plin. ep.* 4, 1. Non ut rem familiarem oculis subjiciamus (id enim postponi potest), sed ut fungamur necessario officio. *Oc. Met.* 6, 211. vosque est postponere natis Ausa suis. *Plin.* 34, 7, 18. Zenodorus scientia fingendi nulli veterum postponeretur. *Just.* 3, 7. Nec Annibalem quidem Alexandro Magno postponendum.

POSTPOSĬTUS, a, um, part. a *postpono:* posthabitus, neglectus. *Caes. B. G.* 5, 7. Intermissa profectione, atque omnibus rebus postpositis. *Plin. ep.* 10, 19. Otii et senectutis ratione postposita.

POSTPRINCĬPĬA, orum, n. plur. progressus rei alicujus, qui principium subsequitur. *Varr.* ap. *Gell.* 16, 18. *extr.* de geometriae partibus: Voluptas, vel utilitas disciplinarum in postprincipiis exsistit, cum perfectae absolutaeque sunt: in principiis vero ipsis ineptae et insuaves videntur. *Id.* ap. *eund. ib.* 9. Quod si non horum omnium similia essent principia ac postprincipia, sus deque esset. *Pl. Pers.* 4, 1, 3. Ferme ut quisque rem accurat suam, sic ei procedunt postprincipia denique. Adde *Varr.* ap. *Gell.* 16, 9. ℙ Proverbii vim habet ap. *Varr. R. R.* 3, 4. Nam *postprincipia* in re militari est locus post aciem, quae principia dicuntur: Unde *Varro:* Unde velis me incipere, Axi, dic. Ille, ego vero, inquit, ut ajunt, postprincipia in castris: id est ab his potius temporibus, quam superioribus. Al. leg. *ego vero a postprincipiis, ut in castris*, etc. V. PRINCĬPĬUM.

POSTPŪTO, as, avi, atum, a. 1. ὕστερον τίθεμαι, posthabeo, postpono, minus puto. *Ter. Ad.* 2, 3, 9. Qui omnia sibi postputarit esse prae meo commodo. *Id. Hec.* 3, 5, 33. Cum te postputasse omnes res prae parente intelligo.

POSTQUAM et Post quam, adv. ἐπειδή, posteaquam, ubi, ut, simul ac. *Caes. B. G.* 1, 27. Eo postquam Caesar pervenit, obsides, arma poposcit. *Sall. Cat.* 6. Postquam res eorum satis prospera videbatur, invidia ex opulentia orta est. *Pl. Merc. prol.* 12. Biennium jam factum est, postquam abii domo. *Id. Capt.* 3, 1, 27. Abeo ab illis, postquam video, me sic ludificarier: pergo ad alios. *Phaedr.* 1, 11. Qui postquam caede fessus est, asinum evocat. *Ter. Hec.* 5, 3, 28. Postquam video nescio quid suspicarier, magis coepi instare, ut dicat. *Cic. Att.* 12, 1. Undecimo die postquam a te discesseram; et *ib.* 6, 3. Quod post accidisset, quam dedissem ad te liberto litteras. *Nep. Dion.* 10. Quartum post annum, quam redierat. *Pl. Most.* 3, 3, 22. Qui tibi nunquam quicquam, postquam tuus sum, verborum dedi: ex quo tempore servus sum tuus. ℙ Sequente *post. Id. Trin.* 2, 4, 15. Postquam comedit rem, post rationem putat. Adde 4, 2, 133. et 156. ℙ Pro quoniam, ut videtur. *Pl. Bacch.* 3, 6, 1. Reddidi patri omne aurum. Nunc ego illam me velim convenire, postquam inanis sum, contemptricem meam. *Ter. Ad. prol.* 1. Postquam poeta sensit, scripturam suam ab iniquis observari, etc. Ubi *Donatus:* postquam pro quoniam, cujus reciprocum quoniam pro postquam. Plaut. in Aulul. (*prol.* 9.) Quoniam is moritur (ita avido ingenio fuit), nunquam indicare id filio voluit suo.

POSTRĔMĪTAS, atis, f. extremitas. *Macr. Somn. Scip.* 1, 11. *med.* In terram desinat tam ima, quam summa postremitas.

POSTRĔMUS, a, um, adj. ἔσχατος, τελευταῖος, ὕστατος, ultimus, extremus: superlat. a *posterior. Cic. Or.* 15. *f.* De firmissimis alia prima ponet, alia postrema. *Sall. Jug.* 107. Postremam Romanorum aciem invadunt, *h. e.* postremam aciei partem; et *ib.* 49. In agmine in primis modo, modo in postremis, saepe in medio adesse. *Just.* 2, 10. *f.* Ipse primus in fuga, postremus in proelio semper visus est. *Pl. Cist. f.* Date plausum postrema in comoedia, *h. e.* in fine comoediae. *Just.* 43, 5. *f.* In postremo libro, *h. e.* in fine libri. *Pall.* 7, 2. Mense postremo. Rursus *Just.* 3, 4. *f.* Ut ossa sua postremasque reliquias conterant. *Catull.* 101, 3. Postremum munus, *h. e.* exsequiae, justa. *Virg. G.* 3, 404. Nec tibi cura canum fuerit postrema. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Ego autem cum illa sequor, quae paulo ante proposui, tum hoc non in postremis, de quo coeperam exponere. ℙ *Postremo*, *postremum* adverbii vim habent, τὸ τελευταῖον, ὕστατον, denique, tandem, ad extremum. *Caes. B. G.* 7, 1. *extr.* Postremo in acie praestare interfici, quam, etc. *Cic. Agr.* 2, 23. *f.* Omnes urbes, agri, regna denique, postremo etiam vectigalia vestra venierint. *Id.* bis ponit *N. D.* 1, 37. Quaero igitur, vester Deus primum ubi habitet: deinde quae causa eum loco moveat: postremo Deus quid appetat: ad quam denique rem motu mentis ac rationis utatur: postremo, quo modo beatus sit. *Id. Or.* 3, 2. Ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. *Pall.* 12, 22. *med.* Postremum mel et acetum superfundes: novissime optimi olei quantumcumque miscebis. *Ter. Andr.* 2, 1, 22. Si id facis, hodie postremum me vides. ℙ *Ad postremum* idem est. *Pl. Poen.* 4, 2, 23. Sed ad postremum nihil apparet. *Sall. fragm.* ap. *August. C. D.* 3, 17. Plurimae turbae, seditiones, et ad postremum bella civilia orta sunt. *Hirt. B. G.* 8, 43. Ad postremum cuniculis venae fontium intercisae sunt. *Liv.* 38, 16. *f.* Ut Syriae quoque ad postremum reges stipendium dare non abnuerent. *Just.* 6, 2. Ad postremum statuerunt, melius esse, etc. *Sall. in or. Philippi contra Lepid.* Qui ad postremum usque legatos, pacem, concordiam decrevere. ℙ Aliquando *postremus* est non solo loco aut ordine ultimus, sed etiam pretio, et aestimatione vilissimus, nequissimus, abjectissimus. *Cic. Cat.* 2, 10. Postremum autem genus est non solum numero, verum etiam genere ipso atque vita: quod proprium est Catilinae, de ejus delectu, etc. *Id. Rosc. Am.* 47. *f.* Sin autem id actum est, ut homines postremi pecuniis alienis locupletarentur, etc. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Quod si Romanos non esse meminissemus, non audacius dominari cuperent postremi homines, quam id nos prohiberemus. ℙ Comp. *Postremior* ap. *Appul. de Deo Socrat.* Plerique se ita depravarunt, ut possit videri, nullum animal in terris homine postremius. Sup. *Postremissimus* ap. *eund. Apol.* Cum adolescentulis postremissimis puer hoc aevi convivium agitat. Adde *C. Gracch.* ap *Gell.* 15, 12. et *Tert. Cult. fem.* 1. *in.*

POSTRĬDIĒ, adv. τῇ ὑστεραίᾳ, postero die: quasi *posteridie. Cic. Phil.* 2, 25. *med.* Tantum vini in Hippiae nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in conspectu populi R. vomere postridie. *Id. Fam.* 11, 6. et *Verr.* 2, 1, 27. Cum Romam sexto die venisset, postridie me mane convenit. *Id. Q. Fr.* 2, 8. Quod idibus, et postridie fuerat dictum de agro Campano actum iri, non est actum. *Caes. B. C.* 1, 67. *extr.* Prima luce postridie constituunt proficisci. ℙ Sequente *quam. Cic. Fam.* 14, 7. Quid causae fuerit, postridie intellexi, quam a vobis discessi. Adde *Q. Fr.* 2, 9. et *Att.* 9, 5. ℙ Cum gen. aut accus. *Caes. B. G.* 4, 13. et *ib.* 5, 10. Postridie ejus diei mane eadem perfidia usi Germani, etc. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 2. Postridie ejus absolutionis in theatrum introiit. Al. leg. *absolutionem. Cic. Att.* 16, 4. Venatio, quae postridie ludos Apollinares futura est. *Liv.* 6, 1. *f.* Postridie calendas, nonas, idus. (Ili dies atri erant. V. ATER et POSTERUS.) *Fest.* in *Repotia.* Postridie nuptias. *Suet. Aug.* 92. Postridie nundinas. ℙ Dicitur etiam *postriduo. Pl. Mil.* 4, 2, 90. Postriduo natus sum ego, quam Juppiter ex Ope natus est.

POSTRĬDŬĀNUS et Postridianus, a, um, adj. qui postridie venit, aut fit. *Macr. Sat.* 1, 15. *f.* et *ib.* 16. Omnes postriduani dies, seu post calendas, sive post nonas, idusve, ex aequo atri sunt. V. ATER et POSTERUS.

POSTRĬDŬO. V. POSTRIDIE.

POSTSCĒNĬUM, ii, n. locus post scenam, ubi multa fiebant, quae a spectatoribus non cernebantur. Translate. *Lucr.* 4, 1179. quo magis ipsae Omnia summopere hos vitae postscenia celant, *h. e.* omnia ea, quae solae domi et clam faciunt, et occulta esse volunt.

POSTSCRĪBO, is, a. 3. post scribo. *Tac. A.* 3, 64. Tiberii nomen suo postscripserat.

POSTSIGNĀNI, orum, m. plur. milites post signa in acie collocati. V. ANTESIGNANUS. *Front. Strat.* 2, 3. *n.* 17. Tum postsignanis, qui in secunda acie erant, imperavit, ut densos numerososque palos in terram defigerent: intraque eos, appropinquantibus quadrigis, antesignanorum aciem recepit. *Ammian.* 18, 8. Postsignani nostri, qui tenebant editiora collis. *Id.* 24, 6. *med.* Ne postsignani pone omnes rejecti centurias, nullo retinente licentius verterent terga.

POSTVĔNIENS, entis, part. ab inus. *postvenio:* ἐπιών, succedens. *Plin.* 18, 25, 57. Nunc praecurrente tempestatum significatu, quod προχείμασιν Graeci vocant: nunc postveniente, quod ἐπιχείμασιν.

POSTVERTĂ et Postvorta, ae, f. Dea praeses perversi partus, ut cum non caput, sed pedes primi in nascendo exsistunt: ut *Prosa* erat, quae recto partui praeerat. *Varr.* ap. *Gell.* 16, 16. Arae

statutae sunt Romae duabus Carmentibus, quarum una Postverta nominata est, Prosa altera, a recti perversique partus et potestate, et nomine. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 50, 9., ubi cum Mercurio jungitur: (sed eadem ap. *Mur.* 50, 6. habet *Fort. Vert.* quod est *Fortunae vertenti.)* item *Macr. Sat.* 1, 7. *med.*, ubi *Postvorta* etiam res futuras curare dicitur, sicut *Antevorta* praeteritas. V. PORRIMA.

POSTŪLĀRIA fulmina a *Festo* dicuntur, quae votorum, aut sacrificiorum spretam religionem designant: quasi postulent, vota, aut sacrificia instaurari. A *Caecina* ap. *Sen. Q. N.* 2, 49. dicuntur postulatoria, quibus sacrificia intermissa, aut non rite facta repetuntur. V. POSTULATIO.

POSTŪLĀTĪCIUS, a, um, adj. qui postulatur, precarius. *Postulatícii gladiatores*, qui, postulante populo, praeter ordinarios exhiberi principis benignitate solebant. *Sen. ep.* 7. Hoc *(meridianorum gladiatorum genus)* plerique ordinariis paribus, et postulaticiis praeferunt. V. in POSTULO.

POSTŪLĀTIO, onis, f. *αἴτησις*, actus postulandi, petitio, postulatum. *Cic. Rosc. Am.* 2. *extr.* Si vobis aequa et honesta postulatio videtur, ego contra brevem postulationem affero. *Id. Inv.* 2, 34. Deprecatio est, in qua ignoscendi postulatio continetur. *Id. Mur.* 23. Concedere postulationi alicujus. *Id. Q. Fr.* 1, 11. resistere. ℙ In sacris erat genus sacrificii, quod fiebat, cum Dii violati aliquid fieri postulabant ad se placandos, et avertenda mala, quae ostentis minabantur. *Cic. Har. resp.* 10. De ea re scriptum est, postulationes esse Jovi, Saturno, Neptuno, etc.; et *ib.* 14. *f.* Eodem ostento Telluri postulatio deberi dicitur. ℙ Haec antiquiore vocabulo, et haruspicum proprio *postilio*, vel *postulio* dicebatur. *Varr. L. L.* 4, 32. In eo loco dehisse terram, et ex senatus consulto ad haruspices relatum, esse responsum, Deum Manium postulionem postulare, id est civem fortissimum eo demitti. Ita leg. *Scal. Arnob.* 4, 148. In caeremoniis vestris rebusque divinis, postulionibus locus est, et piaculi dicitur contracta esse commissio, si, etc. Quidam ita legendum putant etiam in allatis *Cic.* locis. Huc pertinent *postulatoria fulmina*, de quib. V. in POSTULARIA. ℙ In re forensi *postulationes* sunt actiones oratorum, patronorumque. *Suet. Claud.* 7. *med.* Auspicatus est et jurisdictionem praefectus urbi, celeberrimis patronis non tralaticias, ut assolet, et breves, sed maximas plurimasque postulationes certatim ingerentibus. *Plin. ep.* 5, 14. Promisi scripturum me tibi, quem habuisset eventum postulatio Nepotis circa Tuscilium Nominatum. Adde *ep.* 20. et *ep.* 7, 6. et 32. ℙ Est etiam accusatio, querela. *Pl. Cas.* 3, 2, 26. Si quid ejus esset, esset mecum postulatio. *Id. Bacch.* 3, 3, 45. Acris postulatio haec est, cum hujus dicta intelligo. *Ter. Hec.* 1, 2, 105. Neque lites ullae inter eas, postulatio nunquam. ℙ Item petitio deferendi nominis cujuspiam, accusandi gratia. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. Inter postulationem, et nominis delationem uxor a Dolabella discessit. V. POSTULO.

POSTŪLĀTOR, oris, m. qui postulat, *αἰτητής*. *Suet. Ner.* 14. In jurisdictione postulatoribus, nisi sequenti die, ac per libellos, non temere respondit.

POSTŪLĀTORIUS, a, um, adj. ad postulandum pertinens, ut Postulatoria fulmina. V. POSTULARIA.

POSTŪLĀTRIX, icis, f. quae postulat. *Tert. Cor. mil.* 13. *med.* Solemnitates postulatrices. Alii rectius leg. *solemnitates, popularitates.*

POSTŪLĀTUM, i, n. *αἴτημα*, postulatio, petitio. *Cic. Fam.* 12, 4. Ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt. *Id. Phil.* 12, 12. Reliquum est, ut et accipiantur, et remittantur postulata per litteras. *Caes. B. C.* 1, 9. Deferre ad quempiam postulata alicujus; et *B. G.* 4, 11. *f.* De postulatis alicujus cognoscere. *Nep. Alc.* 8. Id etsi vere dictum Philocles animadvertebat, tamen postulata facere noluit.

POSTŪLĀTUS, a, um, part. a *postulo:* petitus. *Flor.* 4, 12. Silentio postulato. ℙ Item delatus, accusatus. *Plin.* 7, 27, 28. Sit proprium Catonis, quater et quadragies causam dixisse, nec quemquam saepius postulatum, et semper absolutum. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. *med.* Sextius a Nerio de ambitu postulatus. *Id. Vat.* 14. Postulatus lege Licinia. *Appul. Met.* 3. Nec tantillo quidem unquam crimine postulatus. ℙ De argento postulato. V. PUSULATUS.

POSTŪLĀTUS, us, m. postulatio, postulatum. *Liv.* 4, 9. Ventum in jus est: postulatu audito matris tutorumque, magistratus secundum parentis arbitrium dat jus nuptiarum.

POSTŪLIO, onis, f. V. POSTULATIO.

POSTŪLO, as, avi, atum, a. 1. *αἰτέω, δέομαι*, peto, posco, quaeso. Videtur dici proprie de iis, quae jure aliquo nobis deberi putamus, ut in POSCO ex *Donato* adnotavimus. *Curt.* 4, 1. Postulabat autem magis, quam petebat, ut accepta pecunia matrem sibi restitueret. ℙ Universim autem pro petere, et ostendere se velle, quocumque modo. *Caes. B. G.* 1, 31. Romam ad senatum venisse auxilium postulatum. *Ter. Andr.* 5, 1, 4. Quam maxime abs te postulo atque oro, Chreme, ut, etc. et 3, 3, 18. Immo ita volo, itaque postulo, ut fiat. *Cic. Amic.* 22. Neque quidquam unquam, nisi honestum et rectum, alter ab altero postulabit; et *Att.* 2, 24. Statim fidem publicam postulavit; et *ib.* 7. Orationes autem me duas postulas. Alii leg. *a me.* [*Non improb. *Orell.*, qui tamen vulg. retinet.] *Gell.* 11, 13. Ideoque veniam gratiamque malae existimationis, si quid esset erratum, postulavit. Adde *Suet. Tib.* 71. *Cic. Balb.* 15. Sapientes homines et publici juris periti Gaditani a senatu de foedere postulaverunt, *h. e.* quaesierunt, quid de foedere sentiret: vel foedus a senatu petierunt. *Caes. B. G.* 1, 42. Ariovistus legatos ad eum mittit, quod antea de colloquio postulasset, id per se fieri licere. *Cic. Fam.* 1, 2. Postulatum est, ut Bibuli sententia divideretur. *Sall. Jug.* 85. Legatos ad Bocchum mittit postulatum, ne sine causa hostis populo R. fieret. In *vet. decreto* ap. *Gell.* 7, 19. Quod P. Scipio Africanus postulavit pro L. Scipione Asiatico fratre, etc. ℙ De populo petente pugiles et gladiatores extraordinarios, qui *postulaticii* dicebantur. *Suet. Aug.* 44. Pugilum par postulatum distulit in sequentis diei tempus. *Id. Claud.* 21. *med.* Frigidus ejus jocus, qualis est, ut cum Palumbum *(gladiatorem)* postulantibus daturum se, promisit, si captus esset. Adde *Dom.* 4. ℙ De disputantibus, cum aliquid sibi dari petunt, unde aliud inferant, ut geometrae. *Cic. Leg.* 1, 7. Dasne igitur hoc nobis, Pomponi, de Deorum vi, natura, ratione, etc.? *Att.* do sane, si postulas. ℙ Saepe est exigere, requirere. *Ter. Andr.* 1, 2, 18. Nunc hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat. *Cic. Off.* 1, 23. *extr.* Cum tempus necessitasque postulat, decertandum manu est. *Id. Or.* 2, 77. *med.* Res enim hoc postulat, ut eorum exspectationi occuratur. *Id. Fam.* 2, 16. *extr.* Ut amicitia nostra, et tua fides postulabit. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 14. Ea nostra ratio est, ut omnes boni cum faveant, tum etiam a nobis omnem diligentiam virtutemque et postulent, et exspectent. *Luccej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. *med.* Non intelliges duplicari sollicitudines, quas elevare tua te prudentia postulat? ℙ Cum infinito saepe est dare operam, contendere, cupere, velle. *Ter. Eun.* 1, 1, 16. Incerta haec si tu postules ratione certa facere, nihilo plus agas, quum si des operam, ut cum ratione insanias. *Id. Andr.* 4, 1, 20. Etiam nunc me ducere istis dictis postulas? *Pl. Men.* 2, 3, 88. Sed ego inscitus, qui me hero postulem moderarier. *Id. Rud.* 2, 3, 62. O facinus impudicum! quam liberam esse oporteat, servire postulare. *Nep. Eum.* 8. Illa phalanx non parere se ducibus, sed imperare postulabat. *Plin.* 18, 14, 36. de lupino: Ne spargi quidem postulat, decidens sponte. ℙ Pertinet etiam ad forum et judicia. *Ulp. Dig.* 3. *tit.* 1. qui *De postulando* inscribitur, l. Postulare est desiderium suum, vel amici sui in jure apud eum, qui jurisdictioni praeest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. In *decreto praetor. ib. med.* Hi pro alio, quam pro quo licebit, in jure apud me ne postulent. ℙ Speciatim est petere, ut alicujus nomen deferre liceat, eumque reum facere; quod cum impetratum est, tunc rei nomen defertur: isque accusatur. *Cic. Div. Verr.* 20. Nuper cum in Gabinium Piso delationem nominis postularet, et contra Caecilius peteret, etc. ℙ Saepe tamen ponitur pro accusare. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 5. Gabinium tres adhuc factiones postulant. *Id. fr. pro C. Cornel.* ap. *Ascon.* Postulatur apud me praetorem primum de pecuniis repetundis. *Tac. A.* 3, 38. Priscus Cordum proconsulem Cretae postulaverat repetundis. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. *f.* Insolentissimi homines postulandum me lege Scantinia curant: ego Appium censorem eadem lege postulavi. *Suet. Caes.* 4. Dolabellam repetundarum postulavit. *Id. Aug.* 56. *f.* Postulari injuriarum. *Plin.* 33, 2, 8. Ut apud Claudium Caesarem Flavius quadringentos ex ea causa reos postularet. *Plin. alter ep.* 7, 33. Aliquem impietatis reum postulare. *Papin. Dig.* 46, 1, 53. Postulare aliquem capitis. ℙ *Postulare quaestionem, judicem*, petere, ut quaestio instituatur, judex detur, etc. *Liv.* 2, 29., *Cic. Verr.* 2, 3, 59. *extr.* Sic postulare servos in quaestionem. *Id. Mil.* 22. ℙ Etiam ipse magistratus *postulare* dicitur, cum pro tribunali petit aliquid. *Plin. ep.* 5, 4. Nepos praetor postulavit, ut Nominatus induceretur. ℙ *Postulare cum aliquo*, queri, expostulare. *Pl. Mil.* 2, 6, 34. Ut nesciam, utrumne postulare prius tecum aequom siet, an me expurgare hic tibi videatur aequius. ℙ Supinum *postulatu* V. in DO.

POSTŪMĀTUS, us, m. locus posterior. *Tert. adv. Valent.* 35. Sunt qui nec principatum Bytho defendant, sed postumatum.

POSTŪMIĀNUS, a, um, adj. ad Postumium aliquem pertinens. *Gell.* 1, 13. Ne ferox inexorabilisque sit: qualia fuerunt Postumiana imperia, et Manliana, *h. e.* A. Postumii Tuberti, quem dictatorem narrat *Val. Max.* 2, 7. *n.* 6. filium suum A. Postumium, quod injussu contra hostes pugnasset, securi feriri jussisse. Sed hoc de L. Manlio Torquato verum esse, ait *Liv.* 4, 29. *med.*, et argumento esse, quod imperia Manliana, non Postumiana appellata sunt; et *ib.* 51. Postumiana caedes, *h. e.* nex P. Postumii Regillensis. Ap. *Gell.* alii leg. *Postumia.* ℙ De ratione scribendi V. POSTUMIUS.

[POSTŪMĪNUS, a, um, adj. ad Postumium aliquem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 181, 2. Terentia Q. F. Postumina sibi (fortasse legend. *suo)* et C. Veturii C. F. Postumini F. sui nomine balineum et lavationem solo privato gratuitam in perpetuum dedit. *F.*]

POSTŪMĪUS, a, um, adj. Postumia lex, a Numa rege lata, erat, *vinum rogo ne respergito.* Quod sanxisse illum propter inopiam rei, nemo dubitet. Eadem lege, ex imputata vite libari vina Diis, nefas statuit. Haec *Plin.* 14, 12, 14. Postumia gens Romae patricia, praeclara fuit multis consulatibus, censuris, et dictaturis. Primus ex ea consul P. Postumius Tubertus ann. U. C. CCIL. bis eum honorem gessit. V. *Liv.* 2, 16. Hic primus ovans Urbem ingressus est, victis Sabinis, quoniam rem leviter sine cruore gesserat, inquit *Plin.* 15, 29, 38. Paucis post annis A. Postumius dictator Latinos ad Regillum lacum devicit. *Id. ib.* 19. et *Cic. N. D.* 2, 2. Hunc primum coronam ex auro donasse ei, cujus maxime opera Latinorum castra expugnata fuerant, tradit *Plin.* 33, 2, 11. ex L. Pisone. ℙ *Postumia via*, in aenea Tabella ap. *Grut.* 204. *lin.* 7. et 10. et ap. *Tac. H.* 3, 21. fuit in Gallia Togata, ap. Bebriacum, Veronensi agro, ferebatque ad occidentem Genuam versus. V. *Inscr.* ap. *Grut. l. c.* ℙ Postumia, mulier bibacissima, memoratur a *Catull.* 27, 3. ℙ Sunt qui scribunt *Posthumius*, quod a *post*, et *humus* dictum putant: praecipue vero inde appellatam *legem Posthumiam*, quia pertinet ad rogum, scil. ad ea, quae post mortem fiunt. Sed hoc leve est admodum. In antiqu. nummis, et lapidib. ap. *Manut., Cellar.* et *Dausqu.* in *Orthogr.* et *Patin. de Famil. R.* legitur *Postumianus, Postumius*, et *Postumus* sine aspiratione. V. POSTUMUS. Sunt quidem lapides ap. *Grut.* 16, 16., 38, 14., 114, 6., 151, 6., 885, 15. et 16., 1005, 3., 1032, 5. et 1035, 1., in quibus aspiratio additur: sed in his alii procul ab Roma sculpti sunt, alii sequiori aevo, quod et *Cellar.* adnotavit: quidam etiam, ut *cit.* p. 1032., minime sapit aetatem U. C. CCLIII. cujus anni consules refert. Contra longe plures sunt ap. *eund. Grut.*, in quibus nulla est aspiratio.

POSTŪMO, as, n. 1. posterior sum. *Tert. Apol.* 19. Ceteri prophetae etsi Moysi postumant, etc. *Id. Resurr. carn.* 45. Omnis consummatio, etsi ordine postumat, effectu tamen anticipat.

POSTŪMUS, a, um, adj. *ὕστατος*, ultimus, postremus, a *post*, ut a *cis citimus, extra extimus, intra intimus* (quod et *extumus*, et *intumus* olim dictum est, ut *maxumus* pro *maximus*, etc. sic *postimus postumus):* vel a *posterus*, ut *infimus* ab *inferus:* vel per sync. a *posterrumus* inus. *Virg. A.* 6, 763. Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles, Quem tibi longaevo serum Lavinia conjux Educet silvis. *Caesell. Vindex* ap. *Gell.* 2, 16. Postuma proles non eum significat, qui patre mortuo, sed qui postremo loco natus est. *Tert. adv. Gnost.* 1. Cauda erit quodcumque de postumo corporis propagatur, et verberat. *Appul. Met.* 6. *f.* Coenam quam postuma diligentia praeparaverat infelix anicula, ferinis invadunt animis: *(postumam diligentiam* dicit, quia illa anus post coenam coctam laqueo ex arbore se suspenderat;) et *ib.* 4. Tandem postumae spei fatigati, secumque collocuti, etc. *Id. Apol.* Quamquam est praecipiti aevo, tamen suscipiat disciplinam, seram plane, et postumam. *Sidon. ep.* 3, 12. *in carm.* Tempore postumo; et *carm.* 7, 160. Sunt alii, per quos se postuma jactet origo. ℙ Sunt qui scribunt *posthumus* cum aspiratione; et in loco *Virgilii* allato postumam prolem intelligunt cum *Sulpicio Apollinari* ap. *Gell. l. c.* et *Servio*, quae *post humatum* patrem nata sit. Nam, teste *Gell. ib.*, omnium ferme annalium monumentis scriptum est, Silvium post mortem patris natum esse. Praeterea *Varr. L. L.* 8, 38. *f.* Forsitan ab eo qui mane natus diceretur, ut is Manius esset: qui luci, Lucius: qui post patris mortem, Postumus. *Paul.* ex *Festo.* Postumus cognominatur post patris mortem natus. Plautus in Aulularia (2, 1, 40.) Post mediam aetatem qui mediam ducit uxorem domum, Si eam senex anum praegnantem fortuitu fecerit, Quid dubitas, quin sit paratum nomen puero, Postumus? Haec *Paulus:* quae tamen non tantam vim habent, ut nos cogant credere, *postumus* a *post*, et *humus* conflatum esse, et cum aspiratione scribendum. Nam postumus filius dicitur mortuo patre natus, non quia post ejus mortem, sed quia postremus filiorum ejus. Unde apud JCtos sic etiam appellatur is, qui vivo patre, post testamentum ab eo factum natus est, ut docet *Cajus Institut. tit.* 11., et colligitur ex *Ulp. Dig.* 26, 2, 16. *extr.* et *ib.* 28, 3, 3. et 12. et ex *Pompon. ib.* 2, 8. Itaque aspirationem rejiciunt plerique critici *Manut., Voss., Cellar., Dausqu., Cujac. Observat.* 3, 4. etc. ut in POSTUMIUS dictum est. ℙ [*Postumus* pro

Postumius dixit metri necessitate coactus. *Ov. Fast.* 6, 723. Unde suburbano clarus, Tuberte triumpho Vectus es in niveis, Postume, victor equis. V. POSTUMIUS. ℙ *Postumus* antiquitus quidem praenomen fuit, sed deinde cognomen evasit. *Inscr.* ap. *Grut.* 113, 1. C. Julius Sex. F. Cor. Postumus Praef. Aegypti. *F.*]

POSTVORTA. V. POSTVERTA.

POSTVOTA, ae, f. adjunctum Veneris. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 724. Dicitur etiam Obsequens Venus, quam Fabius Gurges post peractum bellum Samniticum, ideo hoc nomine consecravit, quod sibi fuerat obsecuta, hanc Itali Postvotam dicunt.

POSTUS. V. POSITUS.

POTĂBILIS, e, adj. πόσιμος, qui potari potest. *Auson. Clar. urb.* 14, 31. Salve urbis genius, medico potabilis haustu. Loquitur de Divona fonte Burdigalae. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *n.* 112. Utendum potabilibus medicaminibus.

POTĂCŬLUM, i, n. potio, potatio. *Tert. Apol.* 39. Non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque. Adde *Resurr. carn.* 3. *med.*

POTĂMANTIS, idis, f. herba, qua pota lymphantur homines, observantibus miraculis *Plin.* 24, 17, 102. Alii rectius leg. *potamitis*, a ποταμῖτις, quasi fluviatilis; alii *Potamocyde*, ut appellatur in *Indice l.* l., nempe a ποταμοῦ κύδος, *h. e.* fluvii gloria. V. THALASSEGLE. [*Ultima adjecit. *F.*]

POTĂMOGĒTON et Potamogiton, onis, f. ποταμογείτων, ονος, herba in aquosis locis nascens: a ποταμός, fluvius, et γείτων, vicinus: similis betae foliis, minoribus tantum hirsutioribusque, paulum supereminens extra aquam. Alii aliter novere, tenui folio, velut equinis setis, thyrso longo et laevi *Plin.* 26, 8, 33. et 32, 5, 19. [*Potamogeton, *L.*, *Samkraut.*]

*POTĂMON vel Potamo, onis, m. scriba Q. Caecilii, quaestoris in Sicilia. *Cic. in Caecil.* 9. *B. A.*

[POTĂMOPHYLĂCĬA, ae, f. fluminis custodia: a ποταμός, flumen, et φυλακή, custodia. *Inscr.* ap. *Mur.* 1056, 4. L. Valerio L. F. Quir. Proculo Praef. classis Alexandrinae, et potamopylaciai etc. *h. e.* custodiae Nili fluminis. *Potamopylaciai* scribitur extrita aspirata, ut saepissime alias, et terminatione antiqua, seu Graecanica *ai* pro diphthongo *ae. F.*]

*POTĂMOS, i, m. Ποταμός, vetus opp. Atticae. *Plin.* 4, 7. *B. A.*

POTĀTĬO, onis, f. πόσις, συμπόσιον, actus potandi, compotatio. *Pl. Bacch.* 1, 1, 46. Si apud te veniat desubito prandium, aut potatio forte, aut coena, ut solet in istis fieri conciliabulis. *Cic. fragm.* ap. *Quint.* 8, 3. *med.* Quosdam ex vino vacillantes, quosdam hesterna potatione oscitantes. *Sen. ep.* 12. *med.* Deditos vino potatio extrema delectat, illa quae mergit, quae ebrietati summam manum imponit.

POTĀTOR, oris, m. πότης, potor. *Pl. Men.* 2, 2, 31. Voluptarii, atque potatores maximi. *Hieron. ep.* 52. *n.* 11. Vini potator.

POTĀTORĬUS, a, um, adj. ad potandum aptus. *Plin. Valer.* 3, 53. Electrum est aurum, etc. ex quo si quis vase potatorio utatur, etc.

POTĀTUS, a, um, part. a *poto:* potus. *Cic. Tusc.* 5, 5. *med.*, *Cels.* 4, 19. *f.* et *Plin.* 2, 103, 106. *med.*, sed ubique alii *potus* reponunt. *Prisc.* 11, 920. Praeterea dubitabatur, utrum *potatu, potaturus*, et *potatus* secundum analogiam, an *potu, poturus* per syncopen melius dicatur, quae in usu sunt.

POTĀTUS, us, m. potio. *Appul. Met.* 7. Vinum potatui affatim sufficiens. *Sen. Controv.* 2, 9. *med.* Neque potatus objicis filio. Alii leg. *nepotatus.*

[POTAX, ācis, qui multum potat. *Gloss. Philox.* Πότης, bibax, potax. *F.*]

POTĔ, idem quod *potest*, potis est: abjectis per apoc. ultimis litteris. Vox est fere poetica. *Ter. Ad.* 2, 3, 11. Nihil pote supra. Ubi *Donatus:* Subaudiendum est *esse*, vel *dici*. Ut *pote* pro *potis*, et *mage* pro *magis*, τῷ ἀρχαϊσμῷ. *Lucr.* 3, 1053. Nec devitari letum pote, quin obeamus. *Val. Fl.* 1, 680. nec eniti remis pote. *Prop.* 2, 1, 46. Qua pote quisque, in ea conterat arte diem. *Varr.* ap. *Non.* 2, 876. Viget, veget, ut pote plurimum. *Id. R. R.* 2, 2. Nec non emptor pote ex empto vendito illum damnare. *Pers.* 1, 56. Qui pote? vis dicam? nugaris; et *Catull.* 98, 1. In te, si in quemquam, dici pote, putide Vetti, Id, quod, etc. et 67, 11. Nec peccatum a me quisquam pote dicere quidquam. *Id.* 76, 16. Hoc facito, sive id non pote, sive pote, *h. e.* sive potest fieri, sive non potest. *Mart.* 9, 16. quid pote simplicius? ℙ Usurpat et *Cicero*, sed in familiari sermone, ut *Brut.* 46. *f.* Hospes, non pote minoris, *h. e.* vendi non potest. *Id. Att.* 13, 38. Hoc quidquam pote impurius? *h. e.* potest fieri aut esse. ℙ *Quam pote*, quantum fieri potest. *Appul. Met.* 1. Aufugiamus istinc quam pote longissime; et *ib.* 2. Quam pote tutus ab ejus aspectu. ℙ *Voss. de Gram.* 4, 21. vult esse adjectivum, et positionem neutram masculini *potis:* quamvis fateatur etiam cum masculinis nominibus jungi, et *potis* cum neutris. [*Cf. *Perizon.* ad *Sanct.* 2, 10, 1. et 4, 17, 3.] ℙ Hinc *pote est*, fieri potest. *Catull.* 42, 16. Quod si non aliud pote est, ruborem Ferreo canis exprimamus ore. Tribuunt etiam *Arnobio* multis in locis *l.* 2, 4, 6. et 7., sed ubique alii *potis* reponunt. ℙ *Utpote* V. s. l.

POTENS, entis, part. a *possum:* δυνάμενος, qui potest, vires habens. *Plin.* 10, 9, 11. Accipiter jam volandi potens. *Id.* 2, 85, 87. Cum spiritus attollendo potens solo, non valuit erumpere. *Ulp. Dig.* 16, 2, 10. Si quis compensare potens solverit. *Plin.* 13, 2, 3. Inter omnes potentissimus odor, quisquis novissime additur. *Quint.* 12, 11. Quanta sit humani ingenii vis, quam potens efficiendi quae velit. ℙ De iis, quae in medicina, aut aliis rebus utilia sunt. *Ov. Her.* 5, 147. Quaecumque herba potens ad opem, radixque medenti Utilis. [*V. *Ruhnk.*] *Id. Amor.* 3, 11, 31. Desine blanditias, et verba potentia quondam Perdere. *Plin.* 25, 10, 81. Herba potens adversus ranas. *Id.* 23, 1, 12. Passum ex uvis contra haemorrhoida potens. *Quint.* 6, 1. *med.* Tanto sunt quaedam ad efficiendum potentiora, cum, etc. *Plin.* 29, 4, 30. de cantharidib.: Potentissimae inter omnes variae, luteis lineis, *h. e.* praesentissimi veneni. *Ov. Amor.* 3, 8, 29. admonitus nihil esse potentius auro. *Quint.* 6, 4. *f.* Potentissima argumenta. [*Plura laudat *Spald.* ad 4, 5, 8. Ceterum huc etiam pertinere videtur locus, quem Noster §. sq. adscripserat, *Liv.* 9, 17. Fortuna per omnia humana, maxime in res bellicas potens.] ℙ Saepissime *potens* dicitur, qui multum potest, qui divitiis, opibus, gratia apud omnes valet tum in bonam, tum in malam partem, ἰσχυρός, δυνατός. *Cic. Inv.* 2, 56. Amplae atque potentes civitates. *Id. Manil.* 2. Duo potentissimi reges. *Id. Dom.* 19. Cum tu florens ac potens per medium forum popularis volitares. *Id. Planc.* 21. Potentissimus et clarissimus civis. *Liv.* 23, 4. *f.* Familiae clarae ac potentes. *Suet. Aug.* 56. Amici magni et potentes. *Auct. ad Her.* 2, 26. Si quis potens ac factiosus in concione dixerit, etc. *Nep. Chabr.* 3. *extr.* Athenis et honoratus, et potens. [*Adde *Alc.* 3, 4. quod et potentior et major — existimabatur: ubi *potentior* ad auctoritatem, *major* ad potestatem inde apud alios ortam pertinet.] *Caes. B. G.* 6, 10. Ne quis ex plebe contra potentiorem auxilii egeret. *Phaedr.* 1, 24. Inops potentem dum vult imitari, perit; et *ib.* 5. Nunquam est fidelis cum potente societas; et *ib.* 30. Humiles laborant, ubi potentes dissident. *Suet. Vesp.* 4. Agrippina potens adhuc apud filium. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 136. *ed. Fr.* ℙ Hinc *potentes* saepius dicuntur, qui *Cic.*, *Sall.* atque alii sunt *pauci*, in quorum jus ditionemque resp. concessit, quique publica omnia pro libidine administrant. Ita *Cort.* ad *Lucan.* 4, 807. Iuitis jugulo sic arma, potentes. Adde *ib.* 1, 271. et armatos plebi miscere potentes; et 9, 171.] ℙ Cum ablativo. *Virg. A.* 1, 535. Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebae. *Ov. Fast.* 4, 255. Roma potens opibus. *Id. Met.* 13, 22. Nobilitate potens. *Id. ib.* 6, 678. Erechtheus Justitia dubium, validisne potentior armis. *Tac. H.* 1, 73. Mulier potens pecunia, et orbitate. *Mart.* 9, 87. Silius Ausonio non semel ore potens, *h. e.* eloquentia praeditus. ℙ Cum genitivo significat eum, qui in re aliqua potest, qui rei cujuspiam plene dominus est, atque ea utitur, ut libet, compos. *Liv.* 26, 13. *med.* Cruciatus contumeliasque, quas sperat hostis, dum liber, dum mei potens sum, effugere morte possum. [*Plura *Livii* exempla praebet *Gloss. Liv.* s. h. v.] *Curt.* 4, 13. *med.* Potens mei non eram; et *Ov. Trist.* 2, 139. sanus mentisque potens; et *Liv.* 23, 16. Ut potentes rerum suarum atque urbis, Poenum pro Romano acciperent; et 8, 13. *med.* Dii immortales ita vos potentes hujus consilii fecerunt, ut, sit Latium deinde, an non sit, in vestra manu posuerint; et *ib.* 39. *in.* Hostes neque pugnae, neque fugae satis potentes caeduntur; et 28, 30. *med.* Aestus totius certaminis potens. *Stat. Th.* 1, 30. maneas hominum contentus habenis Undarum terraeque potens, et sidera dones. *Vell.* 3, 65. Brutus et Cassius jam decem et septem legionum potentes erant. *Virg. A.* 1, 84. Nimborum tempestatumque potens, *h. e.* Aeolus *Hor. Od.* 1, 3, 1. Diva potens Cypri, *h. e.* Venus. *Id. ib.* 3, 25, 14. Naiadum potens Bacchus. *Id. Carm. saecul.* 1. Silvarum potens Diana. *Tac. H.* 4, 84. *extr.* Rerum omnium potens Juppiter. *Ov. Met.* 9, 315. Diva potens uteri, *h. e.* Lucina, quae praeest, et dominatur in partus. *Oc. Am.* 3, 10, 35. et *Sen. Herc. Fur.* 300. Diva potens frugum, *h. e.* Ceres. *Lucan.* 5, 199. Potens veri Paean. *Hor. Od.* 1, 6, 10. Musa potens lyrae, *h. e.* lyrici carminis praeses. *Lucan.* 6, 482. Animal potens leti, *h. e.* letum inferre potens. *Curt.* 4, 2. Potens irae, *h. e.* qui irae moderatur. *Id.* 7, 7. *med.* superstitionis, *h. e.* qui superstitione non ducitur. *Colum.* 1, 1. *med.* Agricolationem Virgilius carminum potentem fecit. ℙ *Potens imperii* ap. *Liv.* 22, 42. *extr.* et *Tac. A.* 11, 31. est qui imperare potest, ita ut ei pareatur. Sic ap. *eund. Tac. ib.* 14, 60. dicitur *potens mariti* mulier, quae in virum dominatur. Sic *Id. H.* 3, 70. *extr.* Ipse neque jubendi, neque vetandi potens, non jam imperator, sed belli causa erat. ℙ *Potens regni* ap. *Liv.* 24, 4. *extr.* est qui regnare potest, regno idoneus, et maturus. ℙ Dicitur etiam potens alicujus rei, qui ea potitus est, et compos factus. *Ov. Met.* 8, 80. et 409., *Fast.* 3, 269. et *ib.* 5, 258. Potens voti. *Val. Fl.* 6, 680. Incepti jam Juno potens. *Id.* 4, 366. Muneris illa potens. *Pl. Poen.* 5, 4, 9. Praepotentes, pulcrae, pacisque potentes, soror, fuimus. ℙ *Potens in amore*, qui feliciter amavit. *Catull.* 100, 8. ℙ *Potens jussi* ap. *Ov. Met.* 4, 509. qui jussa peregit.

POTENTĀTOR, oris, m. dominator, princeps, potens. *Tert. Resurr. carn.* 23. ex *Timoth.* 1, 6, 15. Beatus, et solus potentator, et rex regnantium. *Vulgata* habet *potens.*

POTENTĀTUS, us, m. δυναστεία, δύναμις, principatus, imperium, suprema potestas, dominium. *Caes. B. G.* 1, 31. Cum tantopere de potentatu inter se contenderent. *Liv.* 26, 38. Cum ab re aversus, tum aemulo potentatus inimicus. *Lact.* 6, 17. *med.* Opes, et honores, et potentatus, et regna ipsa contemnet. Adde *Papin. Dig.* 23, 2, 63. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 8. Post interitum Tatii cum ad eum potentatus omnis recidisset. Ita *Cod.* prima manu, tum secunda refectum *dominatus*, laevo, ut censeo, consilio, et nimia castigandi libidine: nam *potentatus* generosior vox est, eaque praeter alios utitur *Lact. l. c.* Ciceronis pedisequus, eandemque revocari vult in usum *Vorstius de Lat. negl.* 4, 1. Haec *Maius. F.*] ℙ Vires, facultas. *Arnob.* 1, 31. Si facias ipse, quod possis, et quod tuis sit viribus potentatuique conveniens.

POTENTER, adv. δυνατῶς, vi, viribus. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 1. *extr.* Se ipsam potenter atque efficaciter Dea defendit. *Quint.* 6, 4. *med.* Quod in altercatione fit potentius, quam in actione. *Id.* 12, 10. *f.* Sic fiet, ut orator dicat et utiliter, et ad efficiendum, quod intendit, potenter. [*V. *Spald.* ad 5, 8, 37.] *Hor. A. P.* 40. cui lecta potenter erit res, Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo, *h. e.* pro viribus, juxta vires, κατὰ δύναμιν. *Id. Od.* 3, 16, 9. Aurum per medios ire satellites, Et perrumpere amat saxa potentius Ictu fulmineo. *Quint. decl.* 274. *part. ult. in serm.* Ut in comparatione legum illud potentissime dicamus, eam legem esse, etc.

POTENTĬA, ae, f. δύναμις, vis, vires, potestas. *Liv.* 21, 54. *f.* Egressis aquam rigere omnibus corpora, ut vix armorum tenendorum potentia esset. *Virg. G.* 1, 92. rapidive potentia solis Acrior. *Ov. Amor.* 2, 16, 27. Neptunum ventosa potentia vincit. *Id. Met.* 10, 573. tanta potentia formae est; et *ib.* 7, 537. subiti deprensa potentia morbi. ℙ Item facultas. *Cels.* 7, 7. *n.* 14. Concrescit humor sub duabus tunicis *(oculi)*, isque paulatim indurescens interiori potentiae se opponit; et 6, 6. *n.* 35. Suffusio oculi potentiae, qua cernit, se opponit. Alii hic leg. *pupillae.* ℙ Item virtus et vis in medicina et hujusmodi. *Ov. Met.* 1, 522. Herbarum potentia. *Plin.* 25, 8, 53. Dictamnum qui legere, in ferula vel arundine condunt, ne potentia evanescat. *Id.* 37, 10, 54. Achatae potentiam habere contra scorpiones dicuntur. *Id.* 31, 1, 1. Aquarum potentiae exempla ponemus. *Id.* 28, 9, 38. Quae ratio adipis, eadem sevi est, non minoris potentiae. *Id.* 34, 15, 45. de rubigine: Potentia ejus ligare, siccare, sistere. ℙ Item captus, facultas. *Just.* 12, 16. Alexander, vir supra humanam potentiam magnitudine animi praeditus. ℙ Saepe est auctoritas, et opes civiles, tum in privata re, tum in publica, ex divitiis, honoribus, copia amicorum, eloquentia, gratia, et hujusmodi: tum in bonam, tum in malam partem. *Cic. Inv.* 2, 56. Potentia est ad sua conservanda, et alterius obtinenda, idonearum rerum facultas. *Sall. Cat.* 12. Postquam divitiae honori esse coeperunt, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur. *Caes. B. G.* 6, 14. Ut quisque est genere, copiisque amplissimus, ita plurimos circum se clientes habet. Hanc unam gratiam potentiamque noverunt. *Auct. ad Her.* 1, 5. In invidiam trahemus, si vim, si potentiam, factionem, divitias adversariorum proferemus. *Hirt. B. G.* 8, 50. Contra factionem et potentiam paucorum. *Caes. B. C.* 1, 4. Legiones, quas ab itinere Asiae ad suam potentiam dominatumque converterat. *Hirt. B. Alex.* 66. Ut sacerdos ejus Deae majestate, imperio, et potentia secundus a rege habeatur. *Cic. Off.* 1, 3. Consultant, ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam conducat id, necne. [*V. *Beier.*] *Id. Planc.* 10. Non enim opibus, non invidiosa gratia, non potentia vix ferenda, sed commemoratione beneficii, sed misericordia, sed precibus aliquid attulimus etiam nos. *Id. Mur.* 11. Erant in magna potentia, qui consulebantur. *Id. Mil.* 5. Potentiam alicujus invidiose criminari. [*Nep. Cat.* 2, 2. quod tum non potentia, sed jure respublica administrabatur.] ℙ In plur. num. *Id. Coel.* 9. Contra periculosissimas hominum potentias conditioni omnium civium providere. ℙ Interdum est imperium, dominatio. *Ov. Met.* 2, 259. Cuique fuit

rerum promissa potentia, Tibrin. *Aurel. Vict. Caes.* 28. *f.* de Philippis Impp.: Annos potentiae quinque egere. *Nep. Dion.* 9. Singularis potentia. [*Differunt *potentia* et *potestas* ita, ut hoc posterius proprie facultatem, potentiam suam s. vim in alium exercendi significet, *potentia* subjective conditionem exprimat ejus, qui viribus, opibus pollet. Ita *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. h. v. Hinc *potentia* saepissime dicitur, quae legibus non permissa, sed proprio marte, variisque artibus, velut largitionibus, gratia, eloquentia, factione aut armis parata tenetur: *potestas*, quae legibus parata, legibus concessa, institutisque reipubl. permissa est, quam magistratus ordine creati civitatis auctoritate habent, eaque pro jure suo utuntur. V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 38, 1. et quos laud. *Web. Exercc. Styli Lat.* 1. p. 65. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 196. *Herz.* ad *Caes. B. G.* et *Brem.* ad *Nep. Cat.* 2, 2.] ℙ Sunt etiam hoc nomine tres in Italia urbes. V. POTENTINUS.

POTENTIALITER, adv. *Sidon. ep.* 7, 14. *med.* Illum Philagrium cordis oculo semper inspicio, cui me animus potentialiter notum morum similitudine facit.

[POTENTILLA, ae, f. dimin. potentis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 163, 7. Vibia Potentilla. *F.*]

POTENTĪNUS, a, um, adj. ad Potentiam urbem pertinens, quae triplex in Italia fuit, una in Liguria ad confluentes Tanari, et Sturae, quae, ut ait *Plin.* 3, 5, 7., etiam Pollentia Carrea cognominatur, nunc *Polenza:* altera maritima in Piceno ad fluvium cognominem sita est, cujus meminit *Id.* 3, 13, 18., nunc *Potenza:* tertia mediterranea in Lucania, quae nunc item *Potenza*, cujus incolae Potentini memorantur ab *eod.* 3, 11, 15. et in *Inscr.* ap. *Mur.* 1073, 2. Hinc ap. *Front. de colon.* p. 100. *Goes.* Potentina praefectura: ap. *eund.* vero p. 123. Potentinus ager, *h. e.* ad Potentiam Piceni pertinens. [*Hic praeter unicum *Front.* exemplum omnia debentur *F.*]

POTĒRION, ii", n. *ποτήριον*, genus herbae, quae et phrynion appellatur. [*Fortasse *Tragant*, Astragalus Tragacantha, *L.*] V. h. v. s. l., ubi *lin.* l. perperam *posterior* pro *poterion* editum est.

POTĒRIUM, ii, n. *ποτήριον*, poculum. *Pl. Stich.* 5, 4, 11. Quibus divitiae domi sunt, scaphio et cantharis bibunt: at nos nostro Samiolo poterio tamen vivimus. *Id. Trin.* 4, 3, 10. Tribusne te poteriis memoriae esse oblitum?

POTESSĔ et Potessim. V. POSSUM.

POTESTAS, atis, f. *δύναμις*, facultas, copia, qua aliquid facere possumus. Potestatis verbo, inquit *Paul. Dig.* 50, 16, 225., plura significantur: in persona magistratuum, imperium; in persona liberorum, patria potestas; in persona servi, dominium: at cum agimus de noxae deditione cum eo, qui servum non defendit, praesentis corporis copiam facultatemque significamus. *Ter. Heaut.* 4, 3, 31. Hic me magnifice effero, qui vim tantam in me, et potestatem habeam tantae astutiae. *Cic. Fam.* 10, 13. Ut primum potestas data est augendae dignitatis tuae, nihil praetermisi in te ornando; et *ib* 1, 7. Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dem *(litteras)*, non praetermittam. Alii leg. *facultas.* [*Ap. *Orell.* nulla fit lectionis varietatis mentio.] *Id. Inv.* 2, 7. Aut potestas aliis defuisse demonstranda est, aut facultas, aut voluntas. *Id. Dom.*29. Vitae necisque potestatem habere in aliquem. *Id. Fam.* 5, 2. *med.* Privare aliquem potestate concionis habendae. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 3. Ut ea potestate, quam tu ad dignitatem permisisses, ad quaestum uteretur. *Id. Balb.* 16. *extr.* Potestatem deferre imperatoribus beneficiorum virtutis causa tribuendorum. *Id Quint.* 2. adimere. *Id. Phil.* 12, 7. peccandi cuipiam concedere. *Id ib.* 11, 12. *med.* Jus potestatemque habere faciendi aliquid. ℙ *Facere potestatem*, licentiam, facultatem, commodum dare. *Cic. Cat.* 3, 5. Si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. *Id. Phil.* 1, 15. Quae potestas si mihi saepius fiet, utar. *Id. Div. Verr.* 14. Quoties ille tibi potestatem optionemque facturus est, ut eligas, utrum velis. *Id. Rosc. Am.* 27. Facio tibi interpellandi potestatem. *Id. Verr.* 2, 4, 66. *f.* Ego legem recitare, omnium mihi tabularum et litterarum fieri potestatem oportere. *Colum.* 6, 27. *f.* de equis: Nam id praecipue genus pecudis amore natorum, nisi fiat potestas, noxam trahit. ℙ *Potestatem sui facere*, praebere se, aditum ad se et copiam secum agendi dare, nec data opera latitare. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 5. Cum neque praetores diebus aliquot adiri possent, vel potestatem sui facerent. *Id. Phil.* 8, 10. Facere omnibus conveniendi sui potestatem. Sic *Suet. Tib.* 34. Offensus interpellari se ab iis, qui potestatem sui non habuissent. ℙ *Est mihi potestas*, *est in mea potestate*, possum. *Cic. Prov. cons.* 1. Quotiescumque ei locus dicendi, ac potestas fuit. *Id. Verr.* 2, 2, 60. Petis a me quod in tua potestate est, ut id tibi facere non liceat? et *Acad.* 4, 12. Assensio, quae est in nostra sita potestate. *Id. Quint.* 14. Qui inter tot annos ne appellarit quidem Quintium, cum potestas esset agendi quotidie. ℙ Cum infinito. *Lucan.* 2, 40. nunc flere potestas, Cum pendet fortuna ducum. *Stat. Th.* 3, 296. soli cui tanta potestas Divorumque hominumque meis occurrere telis, Hos assistere equos, hunc ensem avellere dextra. Adde *ib.* 4, 249. ℙ *Esse in potestate alicujus*, parere, subjectum esse. *Cic. Phil.* 6, 2. Mittuntur legati, qui nuncient, ut sit in senatus populique R. potestate. *Id. Quint.* 2. Cogitant, quid possit is, cujus in ditione ac potestate sunt. *Id. Att.* 1, 40. Magnopere confido, illum fore in officio, et in nostra potestate. ℙ *Hoc est potestatis meae*, *tuae* etc. in mea, tua est potestate. *Liv.* 24, 39. Cum consulis ea de re jus ac potestatem esse, dixisset. Adde *ib.* 37. ℙ *Potestas mea*, *tua* etc. possum, potes, est facultas, arbitrium. *Ter. Heaut.* 4, 3, 41. Quasi non ea potestas sit tua, ut etc. *Cic. ad Planc.* 5. *post. ep.* 16. *l.* 16. *ad Att.* Praesertim cum tota potestas ejus rei tua sit, ut ea, quae consules decreverunt, comprobes. *Id. Vat.* 17. An erit haec optio, et potestas tua, ut dicas etc.? *Id. Att.* 2, 5. Si deferetur, erit quaedam nostra potestas, et tum deliberabimus; et *ib.* 4, 2. *f.* Volui meam potestatem esse vel petendi, vel exeundi. ℙ *Habere familiam in potestate* dicitur dominus, qui servos suos in servitute apud se retinet, nec manumittit. In quibus causis servi ad quaestionem postulari poterant, vetabatur dominus eos manumittere, ne manumissi et liberi facti, torqueri amplius non possent, ut *Ulp. Dig.* docet 40, 9, 2. Hinc ap. *Liv.* 8, 15. Minucia Vestalis cum in suspicionem venisset impudicitiae, jussa est a pontificibus abstinere sacris, et familiam in potestate habere. Simile exemplum habes ap. *Ascon.* in *Cic. Mil.* 25. ℙ Aliquando *potestas* mentem, ac rationem respicit. Hinc *exire de potestate:* mentis impotem fieri, rationis usum amittere. *Cic. Tusc.* 3, 5. Nihil melius, quam quod est in consuetudine sermonis Latini, cum exisse ex potestate dicimus eos, qui effrenati feruntur aut libidine, aut iracundia; et *mox:* Qui exisse ex potestate dicuntur, idcirco dicuntur, quia non sunt in potestate mentis, cui regnum totius animi a natura tributum est; et *ib.* 4, 36. Iratos proprie dicimus exisse de potestate, id est de consilio, de ratione, de mente, horum enim potestas in totum animum esse debet. *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. *med.* Suadeo, ut haec res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus. ℙ Saepissime significat imperium, ditionem, jus, dominium, sive legitimum, sive non, sive privatum, sive publicum. [*De discrimine inter *potestas* et *potentia* dictum est in h. v.] *Nep. Pel.* 5. Cum Thessaliam in potestatem Thebanorum cuperet redigere. *Liv.* 24, 31. *med.* Daret operam, ut eos in suam potestatem redigeret. *Cic. Verr.* 2, 2, 54. *f.* Scitote, in Timarchidis potestate sociorum populi R. liberos, bona, fortunasque omnes fuisse; et *ib.* 10. A certis hominibus dominationem potestatemque omnium rerum queri; et *ib.* 2, 1, 38. Tenere aliquem in sua potestate ac ditione; et *Quint.* 2. Esse in alicujus ditione ac potestate. *Id. Verr.* 2, 1, 57. Venire in arbitrium ac potestatem cujuspiam. *Id. Cat.* 3, 9. Haec omnia Deorum immortalium nutu atque potestate administrari. *Id. N. D.* 3, 36. *extr.* Vis omnis Deorum ac potestas; et *ib.* 2, 11. Omnium rerum potestate dominatuque dignissimus. ℙ De imperio, et jure magistratus. *Cic. Manil.* 24. Quidquid hac potestate praetoria possum. *Id. Phil.* 1, 7. Qui togatus in republica cum potestate imperioque versatus sit. *Id. Verr.* 2, 4, 11. Imperium aut potestatem assequi; et *ib.* 5. Cum potestate aut legatione in provinciam proficisci. *Id. ib.* 2, 4, 14. Palam per potestatem uno imperio ostiatim totum oppidum compilavit. *Id. Cluent.* 27. *med.* Tribunus plebis judicium pro potestate dimitti jussit. ℙ De magistratu ipso, praesertim civili et provinciali. *Id. Leg.* 3, 3. *med.* Imperia, potestates, legationes, cum senatus creverit, populusve jusserit, ex urbe exeunto. *Plin.* 28, 6, 17. In conciliis ducum potestatumve. *Auct. ad Her.* 3, 7. *f.* Quemadmodum habuerit in potestatibus gerendis animum. *Cic. Verr.* 2, 2, 55. Censores dederunt operam, ut ita potestatem gererent, ut etc. *Id. Tusc.* 1, 30. *f.* A magistratu, aut ab aliqua potestate legitima evocatus. *Juven.* 10, 100. An Fidenarum Gabiorumque esse potestas; *Suet. Claud.* 23. Jurisdictionem potestatibus per provincias demandare. Adde *Plin.* 9, 8, 8. Sic *Id.* 29, 4, 20 Primum spondylum draconis aditus potestatum mulcere: dentes ejus mites praestare dominos, potestatesque exorabiles. ℙ In rebus inanimis est natura, vis, potentia. *Lucret.* 5, 1241. Et simul argenti pondus, plumbique potestas; et *ib.* 878. de centauris: Ex alienigenis membris compacta potestas. *Vitruv.* 9, 4. In his locis ita naturalis potestas architectata est. *Id.* 7, 14. Potestates colorum. *Virg. A.* 12, 396. et *Plin.* 25, 2, 5. Potestates, vimque herbarum demonstrare. *Gell.* 1, 3. *med.* Ponderibus haec, potestatibusque praesentibus, non vocabulorum appellationibus dijudicanda sunt. *Ulp. Dig.* 9, 4, 1. Quarum actionum vis et potestas haec est, ut etc. *Cajus ib.* 13, 4, 3. Pecuniarum potestas. ℙ Si de numeris sermo est, significat ipsius numeri plenitudinem. *Capell.* 2, 26. Quaternarius numerus suis partibus complet decadis ipsius potestatem, ideoque perfectus est, et habetur, *h. e.* decas plena his quatuor numeris gradatim plicitis integratur, id est, uno, duobus, tribus, quatuor; ut ait *Id.* 7, 239. V. DYNAMIS.

POTESTĀTĪVUS, a, um, adj. potestatem habens. *Tert. adv. Herm.* 19. *f.* Vocabulum quod est *ἀρχή*, non tantum ordinativum, sed et potestativum capit principatum.

POTESTUR. V. in POSSUM.

[POTHĒTE, es, f. *ποθητή*, grata, desiderabilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1687, 1. Hostilia Pothete. *F.*]

[POTHIMUS, i, m. desideratus: a *ποθέω*, desidero. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 242. *col.* 1. M. Masurius Pothimus. *F.*]

[POTHINUS, a, um, adj. *ποθεινός*, desiderabilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 253, 7. A. Fabius A. F. Pothinus. Alia ap. *Mur.* 1519, 11. Arulena Pothina; et 1003, 6. Flavia Pothine: nempe Graeca terminatione: a *ποθεινή*. ℙ Hoc nomine fuit etiam aulicus Ptolemaei regis Aegypti, qui Pompejum ex acie Pharsalica Aegyptum petentem interfecit. *Lucan.* 8, 423. Ausus Pompejum leto donare Pothinus. Adde *Caes. B. C.* 3, 108. *F.*]

POTHOS, i, m. *πόθος*, flos quidam aestivus, de quo haec *Plin.* 21, 11, 39. Sed maxime spectabilis pothos. Duo genera hujus: unum cui flos hyacinthi est: alterum candidius, qui fere nascitur *(Hard.* mallet *jacitur)* in tumulis, quoniam fortius durat. Est autem Graeca vox, quae desiderium significat. ℙ *Pothos* fuit etiam signum a Scopa factum. *Id.* 36, 5, 4. *n.* 7.

[POTHUMĒNE, es, f. et

[POTHUMĒNUS, i, m. *ποθουμένη*, et *ποθούμενος*, desiderata, et desideratus, part. praes. a *ποθέω*, desidero. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 732, 3. Lappia Pothumene. Alia ap. *Mur.* 110, 4. Pothumenus P. Folii Peloris ser. *F.*]

[POTHUS, i, m. *πόθος*, desiderium. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 315, 13. C. Vesidius Ɔ L. Pothus. *F.*]

[POTHUSA, ae, f. *ποθοῦσα*, desiderans, part. act. verbi *ποθέω*, desidero. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 149, 4. Annia C. L. Pothusa. *F.*]

[POTĪCA, ae, f. *Ποτική*, Deae nomen ap. Romanos, quae puerorum potui praerat. Hujus mentionem facit *Donat.* ad *Ter. Phorm.* 1, 1, 15., quae videtur eadem esse ac Potina. *F.*]

*POTIDAEA, ae, f. *Ποτίδαια*, Macedoniae urbs, in Pallene paeninsula, ante Cassandria dicta. *Plin.* 2, 58. et 4, 10. *Mela* 2, 2. *extr. B. A.*

*POTIDANIA, ae, f. *Ποτιδανία*, opp. Aetoliae. *Liv.* 28, 8. *B. A.*

POTĪLIS, e, adj. *πόσιμος*, aptus ad potandum, potabilis. *Varr.* ap. *Non.* 2, 588., cujus verba in NIDUS retulimus. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 10. *med.* Aloe, vel styrace impositis ingni aegros hiscere jusserunt, et raptu quodam potili nidorem transvorare, *h. e.* bibentis more haurire.

POTĪN', potisne es? potesne? Vox familiaris et poetica. *Ter. Andr.* 2, 6, 6. Potin es mihi verum dicere? *Pl. fragm.* ap. *Gell.* 7, 7. Potin' es tu homo facinus facere strenuum? *Id. Amph.* 3, 2, 22. Potin' es ut abstineas manum? *Id. Poen.* 4, 2, 94. Potin' ut taceas? *Ter. Ad.* 4, 1, 23. Potin' ut desinas?

POTĪNĀ. V. EDUSA.

POTĬO, onis, f. *πόμα*, *πόσις*, actus bibendi, et ipsa res, quae bibitur, potus. *Cic. Cluent.* 10. *med.* Cum ipse poculum dedisset, subito illa in media potione exclamavit, se maximo cum dolore mori. *Id. Fin.* 1, 11. Cum cibo et potione fames sitisque depulsa est. *Id. Tusc.* 5, 35. Ne mente quidem recte uti possumus, multo cibo et potione completi. ℙ *Servus a potione*, pincerna, qui et pocillator dictus, et servus a cyatho, vel ad cyathum: est inter officia domus Augustae. *Inscr.* ap. *Grut.* 578, 1. M. Ulpio Aug. Lib. Phaedimo Divi Trajani Aug. a potione, item a laguna, et triclinarchae, lictori proximo, et a comment. beneficiorum, etc. [Ex his patet, servum *a potione* esse, qui poculum vel cyathum domino porrigebat; *a laguna*, vel *a lagena*, qui in lagenis vinum purum a cellis vinariis depromptum ad mensam ferebat, idque pocillatori subministrabat; *tricliniarcham* vero, qui totius convivii apparatui, et tricliniari ministerio praefectus erat. Priorem itaque Italice *coppiere* dixeris, alterum *bottigliere*, tertium *credenziere*. Hinc patet, hunc Phaedimum Trajani libertum, dum admodum puer esset, a potione; cum adolevisset, a lagena; cum ad virilitatem pervenisset, triclinio Augusti praefu sse, mox ejusdem lictorem proximum (V. LICTOR.), tandem a commentariis beneficiorum fuisse, *h. e. deputato al registro delle beneficenze del principe.* Adde alias ap. *eund.* 582, 2. et 3. *F.*] Speciatim dicitur de medicamento, quod bibitur. *Pl. Men.* 5, 5, 21. Quid cessas dare potionis aliquid, priusquam percipit insania? *Cels.* 4, 8. Praeter cibos, qui urinam movent, potionesque ad id efficaces. *Plin.* 20, 13, 51. Rutam de-

derunt cum bitumine infriatam potioni, propter anhelitum. ℙ De veneno. *Cic. Cluent.* 14. Pharmacopola circumforaneus prima potione mulierem sustulit. *Hor. Epod.* 5, 73. Non usitatis, Vare, potionibus Ad me recurres, *h. e.* philtris. ℙ [*Confund. *potio* et *potatio*. V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 163 *a.* et 188 *a. ed. Fr.*]

POTĬO, is, V. in POTIOR, iris.

[POTĬONĀRĬUS, a, um, adj. ad potionem pertinens. *Not. Tir.* p. 169. Potio, potionarius. *F.*]

POTĬONĀTUS, a, um, part. a *potiono:* qui potionem sumpsit. *Suet. Cal.* 50. *med.* Creditur potionatus Caesonia uxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit. Hinc *Juven.* 6, 615. Et furere incipias, ut avunculus ille Neronis, Cui totam tremuli frontem Caesonia pulli Infudit. V. HIPPOMANES.

POTĬONO, as, a. 1. potionem, seu medicamentum do. *Veg. Vet.* 1, 46. Potionabis autem illos diuretica potione. Adde 34. et 38. et *ib.* 3, 59.

POTĬOR, iris, itum sum, dep. 4. ἐπιτυγχάνω, potis, h. e. potens, compos, et dominus fio, acquiro, vindico, adipiscor. *Cic. Sen.* 12. Voluptatis avidae libidines temere et effrenate ad potiundum incitantur. *Id. Fin.* 1, 18. *med.* Potiendi spe inflammati. ℙ Cum ablat. *Cic. Tusc.* 3, 18. fore, ut natura iis potiens, dolore careat. *Caes. B. G.* 1, 2. Perfacile esse totius Galliae imperio potiri; et *ib.* 3, 24. Sine ullo vulnere victoria potiri; et *ib.* 1, 21. Impedimentis castrisque nostri potiti sunt. *Ov. Her.* 14, 113. Ille ferox solus, sceptroque potitur. *Lucil.* ap. *Prisc.* 10, 881. Deficit alma Ceres, nec plebes pane potitur. *Naevius ib.* thalamoque potitur. ℙ Cum gen. *Sall. Cat.* 48. Se tertium esse, cui fatum foret urbis potiri. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri. [*V. *Kritz.* ad *Sall.* l. l.] ℙ Cum accus. *Id. Tusc.* 1, 37. *extr.* Cur doleam, si ad decem millia annorum gentem aliquam urbem nostram potituram putem? Al. leg. *urbe nostra.* [*Omnino *Cicero potiri*, i. e. in potestatem suam redigere, struit cum accus. loci, quem quis expugnat vel capit. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 156. Contra sunt *Ramsh. Gr. Lat.* §. 142. p. 435. *n.* 2. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 466. sq. p. 383. sq. qui *potiri*, ut raro ap. melioris scriptores, ita nonnisi participio accusativum secum habere ap. *Cic.* Cf. *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 1, 2.] *Auct. B. Hisp.* 13. Oppidum potiri se posse sperarent. *Nep. Eum.* 3. *med.* Qui summam imperiii potirentur. *Lucr.* 3, 1050. et *Acc.* ap. *Non.* 7, 112. unus Homerus sceptra potitur. *Pacuv. ib.* Regnum potitur transmissu patris. *Just.* 9, 7. *med.* Spectaculo pendentis ultionem potita est. [*Plura praebet *Böttich.* in *Lex. Tac.* p. 216. *b.*] ℙ Est etiam tenere, frui, in potestate habere. *Cic. Sen.* 14. Bona aetas voluptatibus fruitur, quibus senectus si non abunde potitur, non omnino caret. *Colum.* 10, 274. Et nunc inferno potitur Proserpina regno. *Liv.* 6, 33. Quoniam oppido potirentur. *Ter. Ad.* 5, 4, 16. Hoc fructi pro labore ab his fero, odium: ille alter sine labore patria potitur commoda; et *ib.* 22. Miseriam omnem ego capio: hic potitur gaudia. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 365.] ℙ *Potiri rerum* dicuntur, qui summum imperium alicubi obtinent, et summam rerum ad se trahunt. *Cic. Acad.* 4, 41. Cleanthes solem dominari, et rerum potiri putat. *Id. Rosc. Am.* 25. Prudentissima civitas Atheniensium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur. *Nep. Att.* 9. Nemini in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum. Et absolute *Cic. Att.* 7, 12. An cuncter, et tergiverser, et iis me dem, qui tenent, qui potiuntur? ℙ *Potiri monte* quid sit, V. POTITUS. ℙ *Potiri* est etiam amantium, cum amoris sui potentes fiunt, et speratis fruuntur. *Ter. Heaut.* 2, 3, 81. Vis amare, vis potiri. *Ov. A. Am.* 1, 711. Ut potiare, roga; tantum cupit illa rogari; et *Met.* 3, 405. Sic amet iste licet, si non potiatur amato. ℙ *Potiri* etiam dicitur, qui in malum incidit. *Gell.* 13, 1. *med.* Elisa, quae mortem per vim potita est. *Accius* ap. *Donat.* ad *Ter. Ad.* 5, 4, 17. feras potiuntur plagas. *Ter. Phorm.* 3, 1, 5. Ne quid propter tuam fidem decepta poteretur mali. Ubi *Donatus:* Legitur et *potiretur*, quia *potior τῶν μέσων* fuit. [*Laudat *Ruhnk.* ad h. l. *Gronov.* in *Lectt. Plautt.* c. 66. et *Brukh.* ad *Prop.* 2, 7, 64.] *Auson. Idyll.* 15. *f.* Non nasci esse bonum, natum aut cito morte potiri. ℙ Hinc *potiri hostium* est ejus, qui in hostes incidit, et servitutem: ductum a Graecis, ut *Festus* monet, qui dicunt eadem ratione *ἁπανρεῖν δουλείας*, aut *χαχοῦ*, quasi frui servitute, aut malo. *Pl. Capt.* 1, 2, 41. [*Al. 1, 1, 24.] Postquam gnatus tuus potitus est hostium. *Id. Epid.* 4, 1, 5. et 35. Gnata mea hostium est potita, neque ego nunc, ubi sit, nescio. Quidam putant, *potitus* esse passivum a *potio*, *is:* unde *Pl. Amph.* 1, 2, 23. Qui fuerim liber, eum nunc potivit pater servitutis, *h. e.* servituti subjecit, servire coegit. [*A quorum partibus stant *Ruddim.* 2. p. 196. *n.* 61. *Lindem.* ad *Pl. Capt. l. c. al.*] ℙ In quibusdam personis ac temporibus apud poetas est tertiae conjugat. *Virg. A.* 3, 55. Polydorum obtruncat, et auro Vi potitur. (saepius apud poetas *potitur* invenies correpta paenult. quam producta.) *Manil.* 4, 882. Et capto potimur mundo. *Ov. Met.* 13, 130. Tuque tuis armis, nos te poteremur, Achille. *Catull.* 64, 402. Liber ut innuptae poteretur flore juventae. *Auson. Epit.* 35. Fortis praegressis ut potereris equis. *Pacuv*, ap. *Non.* 7, 66. Usi onere, credo, adhuc sceptrum patienter poti, pro *potiri.* Adde *Prop.* 2, 7, 64. et *Val. Fl.* 7, 54. *Serv.* ad *A.* 3, 56. putat, decipi eos, qui *potiris* dicunt: quo significare videtur, *pŏtĕris* in tertia conjugat. esse dicendum. Etiam apud prosae scriptores in optimis MSS. *poteremur* ap. *Colum.* 1, 3. *f.* et *poteretur* ap. *Suet. Caes.* 64. *extr.* reperitur, testibus *Heins.* et *Burm.* ad *Ov. Met.* 13, 130. ℙ Part. *Potiendus* ap. *Ov. Met.* 9, 751. non se negat ipsa roganti, Nec tamen est potiunda tibi. *Caes. B. G.* 3, 6. Qui in spem potiendorum castrorum venerant. Adde *cund. ib.* 2, 7. et *Sall. Jug.* 41. *extr.*

POTĬOR, ius, oris, adj. *χρείσσων, βελτίων*, melior, praestantior, antiquior, prior, quasi plus potens: [*comp.] a *potis. Cic. Or.* 3, 22. Illa semper potiora duxisti, quae ad sapientiam spectarent. *Id. Phil.* 10, 9. Mors civibus Romanis semper fuit servitute potior. *Sall. Jug.* 71. Illi turpis vita integra fama potior fuit. *Pl. Ps.* 4, 1, 17. Nunquam aedepol erit ille potior Harpax, quam ego. *Caes. B. C.* 1, 8. Semper se reipublicae commoda privatis necessitatibus habuisse potiora; et *Cic. Somn. Scip.* 1. Cum in Africam venissem, nihil mihi potius fuit, quam ut Massinissam convenirem. *Id. Fam.* 10, 3. Nemini concedens, qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse, *h. e.* conjunctior. *Id. Top.* 2. Inveniendi artem, quae Topice dicitur, quaeque ad usum potior erat, et ordine naturae certe prior, totam reliquerunt. *Nep. Alc.* 2. *extr.* Odiosa multa delicate jocoseque fecit, quae referremus, nisi majora, potioraque haberemus. *Hor. Ep.* 1, 10, 14. Novistine locum potiorem rure beato? *Id. Epod.* 16, 17. (et *Virg. A.* 4, 287.) Potior sententia. *Id. Od.* 4, 6, 24. ducti potiore alite muri; et *Plin.* 36, 22, 43. Succus potior, *h. e.* in medicina utilior. *Varr. R. R.* 1, 15. de ulmo: Nulla potior serenda, *h. e.* nulla prior, nulla magis. *Potior* dicitur is, qui jure aliquo, auctoritate, potentia, gratia, aliave re praestat, et potentior est. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 4, 32. *extr.* Dicere audet, conjugem se habuisse illum, amor quem dederat, qui plus pollet, potiorque est patre. *Cic. Amic.* 5. *f.* Itaque cives potiores, quam peregrini; et propinqui, quam alieni. *Tibull.* 1, 6, 33. At tu, qui potior nunc es, mea furta caveto, *h. e.* prior et felicior in amore, apud amicam gratiosior. Sic *Hor. Epod.* 15, 14. Non feret, assiduas potiori te dare noctes. *Ter. Ph.* 3, 2. *f.* Si mihi prior tu attuleris, mea lege utar, ut potior sit, qui prior ad dandum est. *Paul. Dig.* 18, 1, 34. *med.* Ut in judicio possessionis potior esset. Adde *ib.* 20. *tit.* 4. *cujus inscriptio* Qui potiores in pignore, etc. *Imp. Anton. Cod.* 8, 18, 4. Si fundum pignori accepisti, antequam reipublicae obligaretur, sicut prior es tempore, ita potior es jure. ℙ Superl. est *Potissimus*, h. e. optimus, praecipuus, singularis. *Cic. Inv.* 1, 12. Comparatio, in qua per contentionem, utrum potius, aut quid potissimum sit, quaeritur. *Pl. Men.* 2, 3, 7. Eccum video, qui mihi est usui, et plurimum prodest: item huic ultro fit, ut meret, potissimus nostrae domi ut sit; et *Stat. Th.* 4, 627. cur Lectus ego augurio? tantisque potissimus umbris Qui ventura loquar? *Id. Silv.* 4, 4, 20. Quid tuus ante omnes, tua cura potissima, Gallus? *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3. Potissima nobilitas vitibus vernaculis Italiae. *Plin. alter ep.* 4, 14. *f.* Si hoc opusculum nostrum aut potissimum esset, aut solum. *Tac. A.* 1, 15. Etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant; et *ib.* 4, 16. Potissimam causam afferebat. *Id. ib.* 14, 65. Potissimos libertorum veneno interficere. *Sall. Jug.* 99. Ipse cum illorum armis sequi: quae dubia nisi videbantur, potissimus tentare, *h. e.* omnium primus. Al. leg. *potissimum. Quint.* 10, 3. *med.* Ut semel, quod est potissimum, dicam. Al. leg. *potentissimum.* ℙ Adverbia *Potius*, et *Potissimum* V. ss. ll.

POTIS, adj. indecl. *δυνάμενος, δυνατὸς*, qui potest. Vox fere poetica, ex qua *potior*, et *potissimus* orta sunt. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Tusc.* 2, 16. Neque sanguis ullo potis est pacta profluens consistere. *Aedituus* ap. *Gell.* 19, 9. Istam non potis est vis saeva exstinguere venti. *Virg. A.* 11, 148. At non Euandrum potis est vis ulla tenere. *Lucr.* 1, 451. Conjunctum est id, quod nunquam sine perniciali Discidio potis est sejungi seque gregari; et 4, 718. Nec potis est cerni, quod cassum lumine fertur. *Catull.* 76, 24. Non jam illud quaero, contra ut me diligat illa, Aut, quod non potis est, esse pudica velit. *Id.* 72, 7. Qui potis est? inquis, *h. e.* quomodo fieri potest. *Varr. R. R.* 2, 2. Ut videamus, quid pastores potis sint. *Pl. Poen.* 1, 2, 17. Duae plus satis dare potis sunt. *Ter. Eun.* 2, 2, 32. Sectari jussi, si potis est. ℙ Et abjecto verbo *Enn.* ap. *Diomed.* 1, 381. Quis potis ingentes oras evolvere belli? *Virg. A.* 3, 671. Nec potis Ionios fluctus aequare sequendo. ℙ Ex his apparet, cum omnibus generibus jungi, et cum plural. num., quamquam *Prisc.* 6, 708. et 15, 1009. esse docuit *hic, et haec potis, et hoc pote.* V. POTE.

[POTISCUS, i, m. dimin. poti. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 320. *n.* 429. L. Antistius Potiscus. *F.*]

POTISSĬMĒ et Potissume, et

POTISSĬMUM et Potissumum, adv. *μάλιστα*, praecipue, maxime, prae ceteris. *Cic. Mur.* 2. Is potissime honore affecto defensor daretur, qui, etc. *Cels.* 3, 6. *med.* In ipso impetu febris, potissimeque ubi ardens ea est. *Caes. B. C.* 2, 43. Tanta erat contentio, qui potissimum ex magno numero conscenderent, ut, etc. *Sall. Jug.* 16. Quid agam? aut quo potissimum infelix accedam? *Pl. Merc.* 2, 4, 15. Responde, quo leto censes me ut peream potissimum? *Ter. Andr.* 2, 6, 23. Quem vocabo ad coenam meorum aequalium potissimum nunc? *Cic. Coel.* 14. Exsistat ex hac ipsa familia aliquis, et potissimum Caecus ille. ℙ Putant adhiberi in comparatione plurium, et *potius* duorum tantum. *Auct. ad Her.* 3, 2. Deliberationes partim sunt hujusmodi, ut quaeratur, utrum potius faciendum sit: partim hujusmodi, uti quid potissimum faciendum sit, consideretur. Utrum potius hoc modo: Carthago tollenda, an relinquenda videatur. Quid potissimum, hoc pacto: ut si Annibal consultet, in Italia remaneat, an domum redeat, an in Aegyptum profectus, etc. Sed contra est illud *Cic. Inv.* 2, 58. Ut quamquam praestet honestas incolumitati, tamen, utri potissimum consulendum sit, deliberetur.

POTISSUM. V. in POSSUM.

POTĬTĬĀNUS, a, um, adj. ad Potitium aliquem pertinens, ut Potitiana praedia, *Paul. Dig.* 33, 1, 12.

POTĬTĬI, orum, m. plur. sacerdotes Herculis, de quibus in PINARII dictum est.

POTĬTO, as, avi, atum, a. 1. frequent. a *poto, as*, saepe bibo, bibere consuevi. *Pl. Amph.* 1, 1, 105. Patera, qui Pterela potitare rex solitus est. *Id. As.* 4, 1, 26. Tecum una postea aeque pocula potitet. *Id. Mil.* 3, 2, 25. Alii ebrii sunt, alii poscam potitant.

[POTĬTOR, oris, m. qui alicujus rei potitur. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 20. Annibalem paulo ante spe sua Capuae potitorem, ne castrorum quidem suorum potentem esse passa est trium virorum fortis temeritas. *F.*]

POTĬTUS, a, um, part. a *potior:* qui adeptus est. *Stat. Th.* 1, 637. juvenes, qui caede potiti, *h. e.* caedem admiserunt. *Vell.* 2, 25. Sertorium, et multos alios, potitus eorum, dimisit incolumes. *Just.* 6, 4. Thebani victoriam potiti. *Tac. A.* 11, 10. *f.* Potitus regiam. ℙ *Potitus monte* dicitur qui in ejus cacumen scandendo pervenit. *Ov. Met.* 5, 254. Virgineumque Helicona petit: quo monte potita Constitit. Sic *Virg. A.* 11, 492. Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis Tandem liber equus, campoque potitus aperto, etc. ℙ *Potitus* dicitur etiam qui in aliquod malum incidit. *Lucr.* 4, 767. mortis letique potitus. V. POTIOR, IRIS. ℙ *Festus:* Potitus servitute apud antiquos dicebatur, qui, ut ait Labeo, servitutem servit. ℙ Est etiam cogn. R., ut C. Valerius Potitus Cos. ann. U. C. CCCXLIV. ap. *Liv.* 4, 53. [*Hujus loci exempla, paucis exceptis, quae a *potior*, *iris* transscripsit, omnia congessit *F.*]

POTĬUNCŬLA, ae, f. parva potio. *Suet. Dom.* 21. Ut modicam in ampulla potiunculam sumeret. *Petr. fragm. Trag.* 47. *Burm.* Subinde castigamus crebris potiunculis risum.

PŌTĬUS, adv. *μᾶλλον*, magis, prius, citius. *Ter. Hec.* 5, 1, 27. Sed scin', quid volo potius, sodes, facias? *Id. Andr.* 5, 3, 2. Rem potius ipsam dic, ac mitte male loqui. *Cic. Or.* 2, 68. In oratione non vis potius, sed delectatio postulatur. *Id. Off.* 1, 20. *med.* Nec vero imperia expetenda: ac potius non accipienda interdum. *Id. Brut.* 85. Cato magnus hercule homo, vel potius summus et singularis vir. *Ulp. Dig.* 1, 5, 16. Quaestio ergo facti potius est, non juris. [*Cic. *Off.* 3, 22, 88. potius diceret, i. e. facilius admitteretur sententia.] ℙ Sequente *quam. Caes. B. G.* 1, 45. Neque se judicare, Galliam potius esse Ariovisti, quam populi R.; et *Cic. Tusc.* 2, 22. Perpessus est omnia potius, quam conscios indicaret. ℙ Interdum *potius* reticetur. *Val. Fl.* 7, 428. idque sedet, quam non quaecumque subire Patris jussa tui. ℙ *Quam potius*, potius quam. *C. Titius* ap. *Macr. Sat.* 2, 12. Quid mihi negotii est cum istis nugacibus, quam potius potamus mulsum etc.? *Virg. Cop.* 5. Quid juvat aestivo defessum pulvere abesse, Quam potius bibulo decubuisse toro? ℙ *Potius est*, magis est. *Afric. Dig.* 46, 1, 21. Si vero fidejubeat in obligationem naturalem suam, potius est, ut nihil agatur. V. MAGIS. ℙ Interdum omittitur. *Pl. Rud.* 4, 4, 70. Tacita, bona est mulier semper, quam loquens. *Id. Men.* 5, 1, 26. Quin vidua vivam, quam tuos mores perferam. *Nep. Dat.* 8. Tamen statuit congredi, quam cum tantis copiis

refugere. ℙ Interdum redundat. *Cajus Dig.* 50, 17, 167. Favorabiliores rei potius, quam actores habentur.

POTNĬAS, ădis, f. patron. *Ποτνιάς*, ad Potnias pertinens, quae est urbs Boeotiae, Thebis proxima. Circa quam pascuis eam vim esse tradit *Plin.* 25, 8, 53., ut pasti asini rabie inflammentur. Ibi Glaucus Sisyphi filius, cum sacra Veneris sperneret, illa irata equabus ejus furorem immisit, quo eum morsibus dilaceraverunt. Ita *Serv.* ad illud *Virg. G.* 3, 266. Scilicet ante omnes furor est insignis equarum: Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore Glauci Potniades malis membra absumpsere quadrigae. *Ov. Ib.* 557. Potniadum morsus subeas, ut Glaucus, equarum. Paulo aliter *Philarg.* ad *Virg. l. c.* Cum Glaucus, inquit, ad Isthmicum certamen quadrigam duceret, applicuit ad vicum Boeotiae, et equas potum ad fontem sacrum per ignorantiam duxit, unde qui bibissent, in furorem agi solebant. Itaque illum equae, furore exagitante, in ipso certamine curru effudisse, ac morsibus laniasse dicuntur. Fabula ex eo ducta est, inquit *Serv. l. c.*, quod Glaucus equas arcere a Venere voluit, quo essent velociores: itaque ab his discerptus est.

POTO, as, avi, et potus sum, atum, et potum, a. 1. *πίνω*, bibo. A Graeco inus. *πόω*, unde *πέπωκα*, *πόοις*, *πόμα*, *πόιος* etc. [*Potare* frequent. est a *bibere*, vel potius a *poere*, cujus formae nonnisi partic. *potus* et *poturus*, et derivata *potio*, *poculum* etc. adhuc exstant. V. *Doederl.* 1, 149. sq.] *Cic. Brut.* 83. Si potare velit, de dolio sibi hauriendum putet. *Id. fr.* ap. *Ammian.* 15, 12. Gallos post haec dilutius esse poturos. *Suet. Ner.* 48. Aquam potaturus manu hausit. *Colum.* 12, 51. *f.* Dabitur potatum imbecillis bobus. *Pl. Ps.* 5, 2, 28. Redi simul mecum potatum. *Plin.* 27, 13, 109. Semen Smyrnii hydropicis datur potu. *Virg. Ecl.* 7, 11. Huc ipsi potum veniunt per prata juvenci. *Caecil.* ap. *Gell.* 2, 23. *med.* Ut devomas, vult, quod foris potaveris. *Pl. Rud.* 2, 7, 28. Ut edormiscam hanc crapulam, quam potavi praeter animi sententiam. *Ter. Ph.* 5, 5, 8. Nam potaturus est apud me. *Plin.* 14, 5, 7. Vinum poturus memento te bibere sanguinem terrae. *Id.* 8, 43, 68. de asinis: Nec nisi assuetos potant fontes, quae sunt in pecuariis. *Id.* 11, 37, 45. Urorum cornibus barbari potant. *Mart.* 14, 100. Potasti testa Rhaetica vina mea. ℙ Saepe est largius vino indulgere, poculis deditum esse. *Ter. Ad.* 1, 2, 37. Obsonat, potat, olet unguenta de meo. *Sen. ep.* 122. *med.* Ut in ipso paene balnei limine bibant, imo potent. *Sall. Cat.* 11. Ibi primum insuevit exercitus populi R. amare, potare, signa, tabulas pictas mirari etc. *Cic. Tusc.* 5, 41. Frui cum aliis voluptate potandi. *Id. Phil.* 2, 27. Domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum: totos dies potabatur. Adde *Pl. Men.* 3, 2, 11., *Hor. Ep.* 1, 5, 14. etc. ℙ *Plin.* 8, 2, 2. de elephantis: Plenis hominum tricliniis, accubitum iere per lectos ita libratis vestigiis, ne quis potantium attingeretur, *h. e.* convivarum. [*Respond. lat. *potare* nostr. *saufen*. Hinc explicandum illud dicendi genus, quo *potare* saepissime, sine ulla intemperantiae notione, de majoribus animalibus dicitur, quae vel ex ipsis fontibus vel ex amplioribus vasibus potum hauriunt. V. locos passim in antecedentibus laudatos; et cf. *Doederl. l. l.* et 3. p. 113., ubi plura exstant. ℙ Notandus locus est *Hor. Sat.* 2, 7, 32. Quod nusquam tibi sit potandum: ubi *Schol. potandum* explicat per epulandum prob. *Heindf.*, qui comp. Gr. *συμπόσιον*, quod, licet proprie potationem signif., tamen in universum pro epulis positum sit, propterea quod potionem principalem epularum partem habuissent.] ℙ Translate est humore imbui. *Lucr.* 4, 1121. Vestis sudorem potat. *Plin.* 9, 38, 62. Quinis lana potat *(purpurae colorem)* horis, rursusque mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem. *Hor. Ep.* 1, 10, 27. potantia vellera fucum. ℙ Poetice *potare flumen aliquod* dicuntur, qui ejus accolae sunt. V. BIBO. *Sen. Hipp.* 57. Petitur telis fera, quae gelidum potat Araxen. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 286. sonipes, qui splendida potat Stagna Tagi. ℙ De altero praeterito *Varr.* ap. *Gell.* 2, 25. A coeno, et prandeo, et poto, et coenatus sum, et pransus sum, et potus sum dicimus. V. POTUS, a, um. ℙ Part. *Potandus* ap. *Ov. Her.* 15, 198. Cum Diis potandas nectare miscet aquas.

POTOR, oris, m. *πότης*, potator. *Hor. Ep.* 1, 19, 2. Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt, Quae scribuntur aquae potoribus. *Id. Od.* 2, 20, 20. Rhodanique potor, *h. e.* Rhodani accola. ℙ Saepe est vino indulgens, bibax, ebriosus. *Id. Sat.* 2, 4, 58. Tostis marcentem squillis recreabis, et Afra Potorem cochlea; et *ib.* 8, 37. acres potores. *Mart.* 6, 78. Potor nobilis. *Propert.* 1, 16, 5. Janua nocturnis potorum saucia rixis. *Plin.* 23, 8, 75. Quinis amygdalis praesumptis ebrietatem non sentire potores; et *ib.* 4, 50. Potores certaturi; et 20, 23, 99. Cardui radix potoribus sitim facit.

POTORĬUS, a, um, adj. *πότιμος*, ad potandum pertinens. *Plin.* 36, 7, 12. Potoria vasa. *Pomp. Dig.* 34, 2, 22. Potorium argentum. *Arnob.* 6, 209. In Liberi dextera pendens potorius cantharus. [*Pelag. Veter.* 21. Sil potorium, *h. e.* liquidum. ℙ *Praepositus auri potorii* inter officia domus Augustae fuit, qui cyathorum aureorum curam habebat. *Inscr.* ap. *Grut.* 1111, 13. M. Ulpius Aug. Lib. Hierax praepositus auri potorii Caesaris N. Sic alia ap. *eund.* 582, 9. Partenius Caesaris N. ab argento potorio. Alia ap. *Mur.* 895, 2. T. Flavius Aug. L. Venustus ab auro potorio. *F.*] ℙ *Potorium* absolute, vas potorium, poculum, *ποτήριον*. *Plin.* 37, 2, 6. Potoria gemmata. *Id.* 33, 10, 47. aurea; et *ib.* 12, 55. parvula.

POTRIX, icis, f. *πότις*, quae potat, ebriosa. *Phaedr.* 4, 25. Potrici plenam antiquis apothecam cadis.

POTŪĂ, ae, f. Potina, *h. e.* Dea, quae potui praeest, ut *Victa*, quae victui. *Arnob.* 3, 115. Victa, et Potua sanctissimae victui potuique procurant.

*POTULĀNUM vinum meminit *Plin.* 14, 6. Mamertina *(vina)* circa Messanam in Sicilia genita. Ex iis Potulana ab auctore dicta in loco proximo Italiae laulantur praecipue. ℙ In *Athen.* 1, 21., ubi vulgo *Ἰωταλίτος (οἶνος)* legitur, legit *Casaubonus Ποτηλίτης*. *B. A.*

POTŪLENTUS, a, um, adj. bene potus, ebrius. *Suet. Oth.* 2. Ferebatur et vagari noctibus solitus, atque invalidum quemque obvium, vel potulentum corripere. *Appul. Met.* 3. Cum a coena me serius aliquanto reciperem, potulentus alioquin. V. POCULENTUS.

POTŪRĂ, ae, f. potio. Legitur ap. *Varr. L. L.* 4, 5., sed *Scal.* et alii aliter.

POTUS, a, um, part. a *poto:* qui potavit. *Cic Fam.* 7, 22. Etsi domum bene potus, seroque redieram. *Id. Mil.* 21. *med.* Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis. *Hor. Od.* 4, 13, 5. Anus pota. *Ov. A. Am.* 3, 753. Etsi turpis eris, formosa videbere potis. *Id. Fast.* 6, 682. Potaque se Tibur turba redire putat. ℙ Passive potatus. *Cic. Brut.* 11. Sanguine tauri poto. *Ov. Fast.* 4, 68. tanto est Albula pota Deo. *Hor. Od.* 3, 15, 16. Cadi faece tenus poti. *Plin.* 23, 8, 75. Amygdalae ex aqua potae.

POTUS, i, m. puer delicatus: a *πόοθη*, qua tum praeputium, tum ipse penis significatur: [vel ab Hebr. פּוֹת *pot*, pudendum muliebre, Italice *potta;* nam in loco *Virg.* mox citando significat puerum meritorium, qui loco feminae habetur. *F.*] *Virg. Catal.* 9. Dispeream, nisi me perdidit iste potus. Sin autem praecepta vetant me dicere, sane Non dicam; sed, me perdidit iste puer. V. ibi *Scal.* et *Voss. Etym.* in *Praeputium.* V. et PUTILLUS.

POTUS, us, m. *πόοις*, *πόμα*, potio. *Cic. Div.* 1, 30. Immoderato obstupefacta potu atque pastu. *Cels.* 2, 13. *extr.* Illud scire oportet, omne ejusmodi medicamentum, quod potui datur, non semper aegris prodesse, semper sanis nocere. *Plin.* 26, 3, 8. Medicamentorum potus stomacho inimici. *Id.* 22, 25. 82. Potus ex frugibus fiunt. *Tac. G.* 23. Potui est humor ex hordeo in quandam similitudinem vini corruptus. *Plin.* 8, 42, 65. Potum exiguum equis impertiri. *Id.* 9, 15, 17. Elephanti ad potum venientes. *Id.* 32, 4, 14. Squamae testudinis derasae, et in potu datae. *Id.* 13, 3, 5. Quidam unguenta etiam in potus addunt. *Nemes. Cyn.* 222. Disce igitur potus medicos curamque salubrem. ℙ Item compotatio. *Plin.* 21, 3, 9. In potu atque hilaritate odorum vis surrepit fallaciter. *Id.* 36, 21, 42. Immenso potu impleri. ℙ Item lotium, *h. e.* potus humani excrementum, ut *Plin.* 9, 39, 64. loquitur. *Id.* 17. 9, 6. de fimi generibus: Alii ex his praeferunt hominum potus. *Humanas dapes* simili ratione pro stercore hominum *ib.* dixit: quod est honesto vocabulo rem foedam appellare.

P R

[*PR. compendium est vocis *pater*. V. *Beier.* ad *Cic. fragm.* p. 223 *a.*]

[PRACTĬCUS, a, um, adj. *πρακτικός*, qui in agendo positus est, activus. *Fulg. Myth.* 2, 1. Vita practica. V. PHILARGICUS. *F.*]

*PRACTORES, *πράκτορες*, in *Novellis Justiniani* sunt Exactores tributorum. *Suidas: Φορολόγος ὁ τὰς εἰσφορὰς συλλέγων, οὓς πράκτορας καλεῖν ἔθος τοῖς πολλοῖς. B. A.*

PRAE, *πρὸ*, ante: praepositio ablativum regens. [*Etym. est a Gr. *παραὶ* (v. *Scheid.* ad *Lennep. Etymol.* p. 731. et ad *Sanct. Min.* p. 232.), pr. comparationi inservit, quae ad locum pertinere potest, quo alius alio prior est, vel ad vim atque momentum, quo quis superior est altero. *B. Crus. cl. Suet.* p. 608. A. de loco.] *Ter. Eun.* 5, 2, 69. I prae: sequor. *Pl. Amph.* 1, 3, 45. Abi prae, Sosia: jam ego sequar. *Liv.* 1, 7. Prae se agens armentum. *Id.* 28, 38. Urbem est ingressus, argentique prae se tulit quatuordecim millia pondo. [*Huc pertinet locus, quem Noster infra laud. *Cic. Phil.* 2, 12. Stillantem prae se pugionem tulit. Adde *Suet. Cal.* 19. Prae se ferens Darium puerum, ubi manifestum esse docet *B. Crus.* l. l. discrimen part. *ante*. Nam *ante* eum alium quem ferre potuisse puerum, non ipsum ante se. Contra *prae* notare loco priorem fuisse puerum.] *Colum.* 1, 5. Villa a tergo potius, quam prae se flumen habeat. *Sall. Jug.* 99. Singulos prae se inermes mittere. *Appul. de Mundo:* Limina alia prae aliis erant: interiores fores exteriores januae muniebant. ℙ *Prae manu*, aut *manibus*, in manu, ad manum. *Pl. Bacch.* 4, 3, 9. Patri reddidi omne aurum, quod fuit prae manu. *Ter. Ad.* 5, 9, 23. Si huic aliquid paululum prae manu dederis, unde utatur, reddet tibi cito. *Ulp. Dig.* 13, 7, 27. Petenti pecuniam creditori, cum prae manu debitor non haberet, species anri dedit. *Gell.* 19, 8. Si Caesaris liber prae manibus est, promi jubeas. ℙ [*Deinde *prae se ferre* etc. in conspectum v. omnino ad sensus hominum aliquid prodere, nostr. *äussern, zu erkennen geben.*] *Cic. Agr.* 2, 2. Vocem vivam prae vobis, indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis. *Id. Or.* 42. Ac fortasse ceteri tectiores: ego semper, me didicisse, prae me tuli. *Id. Mil.* 16. Cruentis manibus scelus et facinus prae se ferens, et confitens. *Id. Att.* 2, 23. *med.* Sampsicerano negat, ceteris prae se fert et ostentat. *Id. Tusc.* 5, 17. Beata vita glorianda, et praedicanda, et prae se ferenda est. *Id. Inv.* 2, 9. *med.* Affectionis ratio perspicuam solet prae se gerere conjecturam. *Hirt. B. Afr.* 10. Animum altum et erectum prae se gerebat. *Catull.* 64, 34. prae se declarant gaudia vultu. *Appul. Flor. n.* 3. *f.* Prae se maximam speciem ostentare. ℙ Saepe causam significat, ob, propter; et ejus causae abundantiam, seu magnitudinem quandam notat. *Pl. Truc.* 2, 3, 7. Prae lassitudine opus est, ut lavem. *Id. Stich.* 3, 2, 13. Prae laetitia lacrimae praesiliunt mihi. *Lucr.* 4, 1160. vivere non quit Prae macie. *Cic. Planc.* 41. Nec loqui prae moerore potuit. *Id. Phil.* 15, 9. Quorum ille nomen prae metu ferre non poterat. *Liv.* 31, 24. *extr.* Nec divini humanive juris quidquam prae impotenti ira est servatum; et 39, 49. Vix sibimet ipsi prae nec opinato gaudio credentes. *Cic. Tusc.* 1, 42. *f.* Solem prae jaculorum multitudine non videbitis. ℙ Cum accusativo junxit *Petr. fragm. Trag.* 46. *Burm.* Scimus te prae litteras fatuum esse. Sed ibi *σολοικίζοντα* loquentem inducit. ℙ Saepe etiam in comparationibus locum habet. *Caes. B. G.* 2, 30. Gallis prae magnitudine corporum suorum brevitas nostra contemptui est; et *Nep. Eum.* 10. Videbant, Eumene recepto, omnes prae illo parvi futuros. *Cic. Agr.* 2, 35. Romam prae sua Capua irridebunt atque contemnent. *Id. Brut.* 83. Veros illos Atticos prae se paene agrestes putat. *Id. Fam.* 4, 4. Non tu quidem vacuus molestiis, sed prae nobis beatus. *Pl. Stich.* 2, 2, 38. Immo res omnes relictas habeo, prae quod tu velis. *Gell.* 1, 3. Visum est esse id, quod feci, prae hoc quod erant alia, toleratu facilius. ℙ *Prae ut*, *prae quam*, *prae quod* comicorum fere sunt. *Ter. Eun.* 2, 3, 8. Ludum jocumque dices fuisse illum alterum, prae ut hujus rabies quae dabit. *Pl. Men.* 2, 3, 24. Folia nunc cadunt: prae ut, si triduum hoc hic erimus, tum arbores in te cadent. *Id. Most.* 4, 2, 65. Nihil hoc quidem est, triginta minae, prae quam alios dapsiles sumptus facit. *Id. Amph.* 2, 2, 1. Satin' parva res est voluptatum in vita prae quam quod molestum est? *Prae quam* etiam *Gell.* 16, 1. et [*Prae ut* habet *Front. ad Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) 2, 12. *F.*] ℙ Pro *praeter. Appul. Met.* 7. Me, prae ceteris flagitiis, nunc novis periculis etiam angit. ℙ In compositione vim suam saepe retinet, ut *praedico*, ante dico, *praemoneo*, ante moneo, *praematurus*, ante tempus maturus: saepe auget, ut in *praealtus*, *praeclarus*, *praevalidus*, etc. ℙ In carmine, si sequatur vocalis, corripi solet: produxit tamen *Paul. Nol. carm.* 21, 752. et 871. in *praeerit*, et *praeeunt;* non imitandus. ℙ [*Prae et *pro* confund. V. *Beier.* ad *Cic. fragm.* 15 *a.* — *Prae* et *per* confund. in comp. *Id.* ad *Off.* 2. p. 376. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 154. et 5, 583.]

PRAEĂCŪO. V. PERACUO.

PRAEĂCUTĒ, adv. Ita nonnulli perperam pro *peracute* legunt ap. *Appul. Apol. l. c.* in PERACUTE.

PRAEĂCŪTUS, a, um, adj. in anteriore parte acutus, vel valde acutus. *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna paulum ab imo praeacuta. *Cato R. R.* 40. Surculus aridus praeacutus. *Sall. Cat.* 59. Praeacutae sudes. *Ov. Met.* 7, 131. praeacutae cuspidis hastae. *Plin.* 8, 8, 8. Praeacuta bipennis. *Id.* 9, 10, 12. Praeacuti scopuli.

[PRAEAEQUO, as, a. 1. ante aequo. *Not. Tir.* p. 76. Aequat, adaequat, exaequat, praeaequat. *F.*]

PRAEALTĒ, adv. valde alte. *Veg. Mil.* 4, 21. Trabes in terram praealte defigitur.

PRAEALTUS, a, um, adj. *ὑπερύψηλος*, valde altus. *Liv.* 40, 58. Praealtae rupes. *Id.* 10, 2. Ostium fluminis praealti. *Plin.* 2, 10, 7. Volucrum praealti volatus. *Id.* 5, 19, 17. Praealtum mare: quo sensu *Sall. Jug.* 80. Proxima terrae praealta sunt; et *Tac. H.* 5, 15. Cum praealtis paludibus arma, equi haurirentur. *Capell.* 8, 299. Saturni praealtius omnibus sidus modico minus annis triginta circulum suum per longitudinem circumcur-

rit. *Appul. Met.* 8. Praealtissimus puteus. [*Curt.* 4, 2, 9. praealtum mare.]

PRAEAMBŬLO, as, n. 1. ante ambulo. *Capell.* 9, 306. Tanti comitatus praeambulare visuntur.

PRAEAMBŬLUS, a, um, adj. qui ante ambulat, praecedens. *Capell.* 9. *f.* Jove assurgente, Divisque praeambulis. *Id.* 2. *f.* Matre praeambula.

PRAEAUDĪTUS, a, um, part. ab inus. *praeaudio*, ante auditus. *Ulp. Dig.* 1, 16, 6. Custodiarum cognitionem mandare legatis, scilicet ut praeauditas custodias ad proconsulem remittant.

PRAEBĔO, es, ui, itum, a. 2. παρέχω, [*offero, porrigo, nostr. *vorhalten*, *hinhalten:* a *praehibeo* per sync. Hinc primo loco posuimus exempla, quae *Noster* nescio quo pacto reliquis immiscuerat ista.] *Just.* 1, 4. *med.* Canis parvulo praebens ubera. *Lucr.* 3, 1005. et *Colum.* 9, 1. Praebere cibum de manu. *Juven.* 10, 269. collum cultris. *Sen. Ag.* 973. jugulum. *Petr. Sat.* 97. cervicem. *Liv.* 4, 35. *f.* ad contumeliam os. *Ov. A. Am.* 1, 16. manus verberibus. [**Praebere manus* dicitur etiam ap. *Lucan.* 5, 558. de eo, qui alteri concedit, et cum resistere posset, aut dubitandi rationes haberet, in alterius potestate est. V. *Cort.* ad h. l.] *Liv.* 38, 52. *extr.* et *Plin. ep.* 2, 14. *med.* aures, et aurem. [**Oudend.* ad *Suet. Cal.* 22. notat *praebere aurem* et *aures* ita differre, ut hoc dicatur de eo, qui porrigat, ut alter insusurret; illud de eo, qui attente aliquem audiat.] *Plin. alter* 9, 8, 8. ascensuro dorsum. ℙ [*Hinc in universum est dare, suppeditare, praestare: nostr. *geben*, *gewähren*.] *Cic. Q. Fr.* 2, 6. A. d. VIII. id. April. sponsalia Crassipedi praebui. Huic convivio Quintus tuus defuit. [**Id. Off.* 2, 18, 64. ita enim instituisse et villicis imperavisse, ut omnia praeberentur, quicumque Laciades in villam suam devertisset, ubi *Beier.*, q. v., *omnia praebet*, nempe gratis, qui curat, ne quid hospiti desit.] *Nep. Them.* 10. Urbem ei donarat, quae panem praeberet. *Just.* 31, 4. Asiam et vires belli, et sumptum praebituram. *Plin.* 15, 4, 5. honorem alicui. *Id.* 21, 32, 107. auxilium. *Id.* 8, 40, 61. occasionem. *Liv.* 5, 4. suo sumptu operam reipublicae. *Id.* 3, 46. materiam seditionis. *Id.* 30, 4. causam tollendi indutias. *Id.* 8, 5. *med.* et *Sen. Troad.* 180. iter. *Colum.* 11, 1. *med.* spem impunitatis, aut locum peccandi. *Nep. Dat.* 6. suspicionem insidiarum. *Sall. Jug.* 17. *med.* spectaculum. *Id. ep. Mithrid. ad Arsac.* exemplum. *Plin. Pan.* 64. jusjurandum, *h. e.* deferre, proponere. *Liv.* 25, 27. gaudium et metum, *h. e.* afferre. Sic 28, 7. tumultum; et *Hirt. B. Alex.* 6. admirationem hominibus; et *Caes. B. G.* 3, 17. opinionem timoris. *Cic. Arch.* 7. *f.* perfugium et solatium rebus adversis. *Nep. Att.* 4. fidem alicui in periculis, *h. e.* praestare. *Ov. Fast.* 5, 429. nox somno silentia praebet. *Liv.* 7, 36. Offenso scuto praebuit sonitum. *Prop.* 3, 19, 18. Et caput argutae praebeat historiae, *h. e.* praebeat argumentum fabulae lepidae. ℙ [**Praebere aquam* dicitur de eo, qui pascit, qui prandium exhibet. *Hor. Sat.* 1, 4, 88. E quibus unus amet quavis aspergere cunctos Praeter eum, qui praebet aquam, etc.: ubi v. *Heindf.*] ℙ Speciatim dicitur de iis, qui quaedam necessaria ad vitam certa mensura suppeditant. *Hor. Sat.* 1, 5, 46. tectum Praebuit, et parochi quae debent ligna salemque. *Gell.* 15, 4. Muli et vehicula, quae magistratibus, qui sortiti provincias forent, publice praebenda conduxisset. *Varr. R. R.* 2, 5. *f.* Si quae vitulum amisit, ei supponere oportet eos, quibus non satis praebent matres. V. PRAEBITUS. ℙ *Praebere speciem*, videri. *Caes. B. G.* 3, 24. Auxiliares speciem atque opinionem pugnantium praebebant. [**Vell.* 2, 43, 2. arbores praebuere imaginem autemnorum.] *Plin.* 24, 15, 87. Clinopodion speciem lecti pedum praebens. *Id.* 34, 8, 20. Aes coronarium taurorum felle tinctum speciem auri in coronis histrionum praebet. ℙ *Praebere ludos*, edere, ridendi materiam praebere. *Ter. Eun.* 5, 7, 9. Non potest satis narrari, quos ludos praebueris intus. ℙ *Praebere vicem*, praestare, fungi vice. *Plin.* 8, 10, 10. Elephanti dentes postium vicem in domiciliis praebent. *Id.* 13, 12, 23. Turbidus liquor glutinis praebet vicem. ℙ *Praebere usum*, utilem esse. *Plin. ib.* Charta emporetica inutilis scribendo, involucris chartarum, segestriumque in mercibus usum praebet; et 28, 11, 49. Tali bubuli cinis dentifricium est: ossa ex ungulis suum combusta eundem usum praebent. *Id.* 19, 1, 3. Corticis lini clibanis et furnis praebent usum. ℙ *Praebere se*, exhibere, ostendere, se dare, gerere se. *Sall. or. Licinii ad pleb.* More pecorum vos multitudo singulis habendos fruendosque praebetis. *Just.* 43, 2. Lupa nutricem se infantibus praebuit. *Plin.* 9, 8, 8. Delphinus praebens se tractandum. *Id.* 5, 15, 15. Amnis amoenus, et, quatenus locorum situs patitur, ambitiosus, accolisque se praebens. *Sen ep.* 70. *med.* et *Sen. alter Controv.* 23. Praebere se legibus, *h. e.* permittere se, subjicere, judiciorum aleam subire. *Nep. Ag.* 6. Talem se imperatorem praebuit, ut, etc. *Id. Ann.* 7. In magistratu pari se diligentia praebuit. *Cic. Rosc. Am.* 4. *f.* Te magnopere quaeso, ut qualem te antea populo R. praebuisti, talem te et nobis impertias. *Id. Caec.* 10. In re misericordem se praebuit, et in testimonio religiosum. *Id. Fam.* 5, 18. Rogo atque oro, te colligas, virumque praebeas. *Id. ib.* 15, 17. Multos miseriis levavit, et se in malis hominem praebuit. *Id. ib.* 2, 18. *f.* Praebere se dignum suis majoribus. *Anton. ad Cic. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att. f.* se placabiliorem alicui. *Id. Verr.* 2, 1, 32. Non legatum populi R., sed tyrannum. ℙ Et omisso *se*. *Ter. Ph.* 3, 1, 12. Tum Phormio itidem in hac re, ut aliis, strenuum hominem praebuit. ℙ Item absolute *praebere* dicitur mulier, quae sui copiam alicui viro facit. *Ov. A. Am.* 2, 685. Odi quae praebet, quia sit praebere necesse. ℙ [**Praebere vota deo* ap. *Lucan.* 5, 536. est vota sua Diis tradere, explenda relinquere. Ita leg. *Mart. Lag.* pro vulg. *praebere deo tua fata:* quam ideo nihili esse contendit, quod fata non sint in potestate hominis, ut deo praeberi possint. Comp. similia Graeca *Aristoph.* ap. *Plat. Symp.* p. 184. *Bas.* ἡμῶν παρεχομένων πρὸς θεοὺς εὐσέβειαν. ℙ *Praebere exorandum*, scil. populos, ap. *Suet. Vit.* 4. dicitur de eo, qui reduxit aliquem, et hominibus exorandi ejus potestatem facit. Ita *Wolf.*] ℙ Cum infinito. *Id. Her.* 5, 132. Quae toties rapta est, praebuit ipsa rapi, *h. e.* se rapiendam ultro obtulit. *Pers.* 2, 28. Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam Juppiter? *Stat. Th.* 8, 527. mortemque invenerat hasta: Sed prohibet, paulumque humeri libare sinistri Praebuit, et merito paruit Tritonia fratri, *h. e.* permisit, concessit. ℙ [*Confund. *praebere* et *tribuere*. V. *Freinsh.* ad *Curt.* 3, 8, 17. — *Praebere* et *debere*. V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* p. 207. et 570. — *Praebere* et *praestare*. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 369. et 8, 615.]

*PRAEBĬA, ae, f. φυλακτήριον, servatorium, amolimentum, amuletum, praebia. *Gloss. Cyrill. B. A.*

PRAEBĬA, orum, n. plur. ἀλεξιφάρμακα, amuleta. *Festus:* Praebia dicuntur curandi mali remedia, videlicet quae curationis causa praebeantur. *Varr. L. L.* 6, 6. Praebia a praebendo, ut sit tutum, quod sunt remedia in collo pueris. Usus est *Naevius* in *Stigmatia*. Critici mallent scribi *proebia* a *prohibendo:* afferuntque alium *Festi* locum post *Praecidere*, his verbis: Proebia Verrius vocari ait ea remedia, quae Caja Caecilia uxor Tarquinii Prisci invenisse existimatur, et immiscuisse zonae suae, qua praecincta est ejus statua in aede Sanci, qui Dius Fidius vocatur: ex qua zona periclitantes ramenta sumunt, ea vocari proebia, quod mala prohibeant.

PRAEBĪBO, is, a. 3. προπίνω, ante bibo. *Appul. Met.* 10. Cantharum mulso contempera, et offer parasito meo: simul, quod ei praebiberim, commoneto; et *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *n.* 93. Dabimus aquam praebibendam.

PRAEBĬTĬO, onis, παροχή, actus praebendi. De praebitione coenae. *Varr.* ap. *Non.* 2, 647. Quod ea die mea erat praebitio, in januam, cave canem, inscribi jubeo. V. CANIS. ℙ De iis, quae dari publice jubentur. *Just.* 38, 10. Cum gravari se copiarum praebitione, et injuriis militum civitates viderent. *Aurel. Vict. Caesar.* 41. *med.* Remotae olei frumentique adventiciae praebitiones, quibus Tripolis ac Nicaea acerbius angebantur.

PRAEBĬTOR, oris, m. πάροχος, qui praebet, dator. *Cic. Off.* 2, 15. An tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et praebitorem sperent fore? [*Inscr.* in *Giorn. Arcad.* T. 24. p. 82. Aurelius Hylas praebitor, *h. e.* qui ligna, salem, hospitium iter facientibus reipublicae causa praebet. *F.* *V. *Ernest.* et *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.]

PRAEBĬTUS, a, um, part. a *praebeo:* oblatus. V. in PRAEBEO. *Ov. Met.* 13, 476. Praebita conjecto rupit praecordia ferro, *h. e.* ultro oblata ad feriendum. ℙ Hinc datus, suppeditatus, gratis, et ultro, et copiose largitus. *Sall. Jug.* 58. *med.* Frumentum, et alia, quae usui forent, affatim praebita. *Colum.* 7, 3. *med.* Nisi pecudum fastidio pastor occurrerit praebito sale. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 9. Gratuita praebita balinea. *Hirt. B. G. prooem.* 8. Ut praerepta, non praebita facultas scriptoribus videatur. ℙ *Praebita*, *orum*, quae alicui suppeditantur ad victum necessaria. *Suet. Tib.* 50. Sed et peculio concesso a patre, praebitisque annuis privavit. *Colum.* 1, 8. *med.* Ne servi in ceteris praebitis injuriose tractentur.

PRAECĂDENS, entis, part. ab inus. *praecado*, procidens. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 4. Podex praecadens.

PRAECAEDO pro praecido legunt nonnulli in verbis *Claudii Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 13. *f.* Ubi eum evertit, caput praecaedit.

PRAECĂLĔFACTUS et Praecalfactus, a, um, part. ab inus. *praecalefacio*, ante aut valde calefactus. *Scrib. Comp.* 156. In sole, aut loco flamma praecalfacto; et *ib.* 238. Cera praecalfacta. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 17. *med.* Praecalefacta apponere.

PRAECĂLĬDUS, a, um, adj. διάθερμος, valde calidus. *Tac. A.* 13, 16. Praecalida potio. *Prud. in Sym.* 2, 320. Sanguine praecalido fervet nervosa juventa.

PRAECALVUS, a, um, adj. in parte anteriore calvus, vel valde calvus. *Suet. Galb.* 21. Statura fuit justa, capite praecalvo.

[PRAECANDĬDUS, a, um, adj. valde candidus. *Maecenas* ap. *Isid. Or.* 19, 32. *f.* Nec praecandida margarita quaero. Alii leg. *percandida*. *F.*]

PRAECĂNO, is, a. 3. praecino, praedico. *Tert. adv. Jud.* 10. *f.* Cum amaritudine manducaturos praecanebat. *Id. adv. Marc.* 4, 40. Quantitatem pretii Hieremias praecanit. *Mamert. Genethl.* 10. Trasimenum et Cannas dolore praesago praecanebant. Alii leg. *praecinebant*. ℙ Alio sensu *Plin.* 29, 4, 21. Ajunt, viperam praecanere, *h. e.* incantationem ante repellere, recanere. Ita *Hard.* ex MSS.

PRAECANTĀTĬO, onis, f. incantatio, incantamentum. *Quint. decl.* 14, 4. Virus diris carminibus, et feralium praecantationum terrore permixtum. *August. tract. in Joann.* 7. *med.* Qui seducunt per ligaturas, per praecantationes, etc. [Adde *Isid. Or.* 8, 9. et *Pelag. Vet.* 7. *med. F.*]

PRAECANTĀTĪVUS. V. ANTECANTATIVUS.

PRAECANTĀTOR, oris, m. ἐπῳδός, qui incantationibus medetur. *August. serm. de Temp.* ap. *Gronov. Observ.* 2, 1. Nullus sibi praecantatores adhibeat; et *mox:* Sed iterum dicis: aliquoties, si praecantatores non fuerint, aut de morsu serpentis, aut de alia qualibet infirmitate, prope usque ad mortem multi periclitantur. *Id. tract. in Joann.* 7. *med.* Non, quando nobis dolet caput, curramus ad praecantatores, ad sortilegos, ad remedia vanitatis.

PRAECANTATRIX, et

PRAECANTRIX, ĭcis, f. saga, quae incantationibus medetur. *Varr.* ap. *Non.* 8, 92. Quod faciunt pleraeque, ut adhibeant praecantrices, nec medico ostendunt. Al. leg. *praecentrices*. *Pl. Mil.* 3, 1, 99. Quod dem Quinquatribus praecantatrici, conjectrici, hariolae, atque haruspicae. Sunt qui leg. *precatrici*.

PRAECANTĀTUS, a, um part. a *praecanto:* incantatus, vel ante incantatus. *Petr. Sat.* 131. Ter me jussit exspuere, terque lapillos conjicere in sinum, quos ipsa praecantatos purpura involverat.

PRAECANTO, as, a. 1. praecino, praedico. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 260. Quae nunc Aemilio praecanto, atque exigo.

PRAECĂNUS, a, um, adj. valde, vel ante tempus canus. *Hor. Ep.* 1, 20, 24. Corporis exigui, praecanum, solibus aptum.

PRAECARPO. V. PRAECERPO.

PRAECĂRUS. V. PERCARUS.

*PRAECATECHIZĀTUS, a, um, adj. *Vulgat. Interpr. Iren.* 4. Praecatechizatus a prophetis. *B. A.*

PRAECĂVĔO, es, āvi, autum, a. 2. προφυλάττομαι, ante caveo, provideo, declino. *Caes. B. G.* 1, 38. Quod ne accideret, magnopere praecavendum sibi Caesar existimabat. *Pl. Men.* 5, 2, 107. Illud praecavendum est, atque accurandum mihi. *Plin.* 20, 13, 51. Praecavendum est gravidis, abstineant hoc cibo. *Cic. Planc.* 22. Qui te incautum loco demovere potuerunt, providentem autem ante et praecaventem nunquam certe movebunt. *Pl. Truc.* 2, 5, 21. Iste hic haud multo post, credo, aderit: nunc prius praecaveo sciens. *Ter. Andr.* 3, 3. *f.* Hoc tempus praecavere mihi me, haud te ulcisci sinit. *Liv.* 9, 17. *f.* Praecavere ab insidiis. *Suet. Cal.* 23. *f.* Antidotum ad praecavenda venena sumptum. *Tac. A.* 16, 32. Dedit exemplum praecavendi, quomodo fraudibus involutos, aut flagitiis commaculatos, sic specie bonarum artium falsos, et amicitiae fallaces. *Gell.* 7, 3. *med.* Injurias imminentes praecavisse justum est, quam exspectavisse. [**Vell.* 2, 12, 1. ut praecaventibus fatis.] ℙ Cum infin. *Paul. Nol. carm.* 27, 286. Praecaveant de terrenis sibi parcere rebus. ℙ Passive. *Cic. Rosc. Am.* 40. Ea sunt animadvertenda peccata maxime, quae difficillime praecaventur. *Cic. Att.* 2, 1. *med.* Quod a me ita praecautum, atque ita provisum est. *Id. Verr.* 2, 4, 42. Res mihi tota praevisa, atque praecauta est. ℙ Impersonaliter. *Liv.* 36, 17. *med.* Satis undique provisum, antequae praecautum est, ne, etc. [*Cf. 22, 42. *it.* 24, 8.]

PRAECAUTĬO, onis, f. ante cautio. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 15. *med.* Passionis avertendae praecautio.

PRAECAUTUS, a, um, part. a *praecaveo*. V. PRAECAVEO. Absolute. *Pl. Merc.* 2, 2, 61. Sed praecauto est opus, ne ad illam me animum adjecisse aliqua sentiat.

PRAECĔDENS, entis, part. a *praecedo:* qui praegreditur. *Plin.* 8, 32, 50. Cervi maria tranant capita imponentes praecedentium clunibus. *Id.* 28, 16, 63. Dantur triti in lacte, praecedente vini abstinentia. *Id.* 11, 37, 55. Multis repente ablatus visus, nulla praecedente injuria.

PRAECĔDO, is, essi, essum, a. 3. προβαίνω, antecedo, praegredior, ante eo. *Caes. B. G.* 7, 54. Litavicum ad sollicitandos Aeduos profectum: opus esse et ipsos praecedere ad confirmandam civitatem. [**Liv.* 22, 51. Cum equite, ut prius venisse quam venturum sciant, praecedam; cf. 38, 41. Adde 8, 7. is, ubi Rom. equites, insignemque inter eos praecedentem consulis filium, — cognovit; cf. 26, 21.

Suet. Dom. 14. ut equites Rom. — praecederent eum. *Vell.* 2, 114, 4. nemo e nobis, gradumve nostrum aut praecedentibus aut sequentibus.] *Just.* 14, 4. *f.* Custodes suos praecedere ad Antigoni castra coepit. *Virg. A.* 9, 47. ante volans tardum praecesserat agmen. *Ov. Met.* 9, 137. Fama loquax praecessit ad aures Deianira tuas; [**Suet. Galb.* 12. praecesserat de eo fama. *Vell.* 2, 129, 3. nunciosque periculi victoriae praecederet nuntius.] *Ov. Met.* 5, 614. Sol erat a tergo: vidi praecedere longam Ante pedes umbram. *Id. Fast.* 1, 705. At quae venturas praecedet sexta calendas. *Plin.* 31, 6, 33. In quo usu praecedere vomitum volunt. ℙ Translate est antecellere, praestare. *Juven.* 13, 58. Tam venerabile erat praecedere quatuor annis. *Plin.* 18, 3, 5. In quo praecessit omnes D. Silanus. *Id.* 3, 1, 3. Baetica cunctas provinciarum diviti cultu ac nitore praecedit. *Caes. B. G.* 1, 1. Helvetii reliquos Gallos virtute praecedunt. *Stat. Silv.* 2, 2, 145. et priscae titulos praecedite famae. [**Liv.* 38, 51. ita si ab annis septemdecim ad senectutem semper vos aetatem meam honoribus vestris anteistis, ego vestros honores rebus gerendis praecessi.] ℙ Cum dativo. *Pl. As.* 3, 3, 39. Ut vestrae fortunae meis praecedunt, Libane, longe.

PRAECĔLER, ĕris, e, adj. valde celer. *Plin.* 9, 46, 70. Praeceleri vi rapere aliquid. *Id.* 8, 23, 35. Praeceleri fuga. *Stat. Th.* 6, 550. Viri cursu praeceleres.

PRAECĔLĔRO, as, n. 1. valde celero, deprope-ro. *Stat. Th.* 2, 496. Fert via per dumos propior, qua calle fatenti Praecelerant. ℙ Cum accus. *Id. ib.* 4, 798. pars cingunt, pars arcta plebe sequuntur, Praecelerantque ducem, *h. e.* properantes antecedunt.

PRAECELLENS, entis, part. a *praecello: ὑπέρ-οχος*, valde excellens, praestans. *Cic. Balb.* 10. Vir et animo et virtute praecellens. *Gell.* 19, 8. C. Caesar vir ingenii praecellentis. *Plin.* 7, 53, 54. Homines forma praecellente. *Id.* 9, 35, 56. Uniones magnitudine praecellentes. *Id.* 12, 6, 12. Arbor pomo et suavitate praecellentior. *Cic. Verr.* 2, 4, 44. Vir omnibus rebus praecellentissimus.

PRAECELLENTĬA, ae, f. excellentia, praestantia. *Tert. Apol.* 23. Ubi est ergo praecellentia divinitatis, quam utique superiorem omni potestate credendum est?

PRAECELLĔO, es, n. 2. idem quod praecello, ut *excelleo* excello. *Pl. Ps.* 2, 3, 13. Ut quisque fortuna utitur, ita praecellet.

PRAECELLO, is, a. 3. *προέχω*, excello, praesto, antecello, supero. *Claud. Quadr.* ap. *Gell.* 17, 2. Simul forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia pariter praecellebat. *Lucr.* 2, 160. Praecellere mobilitate. *Plin.* 15, 21, 23. odore et suavitate. *Suet. Ner.* 23. arte. *Id. Aug.* 25. honore. *Tac. A.* 2, 43. aliquam fecunditate; et *ib.* 3, 24. per insignem nobilitatem et eloquentiam. *Papin. Dig.* 50, 2, 6. *extr.* ceteros honoris ordine. *Id. ib.* 2, 14, 8. dignitate inter aliquos. ℙ Cum dativo pro imperare, praeesse. *Tac. A.* 12, 15. Missis legatis ad Eunoëm, qui Adorsorum genti praecellebat.

PRAECELSUS, a, um, adj. valde celsus, praealtus. *Cic. Verr.* 2, 4, 48. Enna est loco praecelso atque edito. *Virg. A.* 3, 245. Praecelsa rupes. ℙ Translate. *Stat. Silv.* 3, 3, 85. Jamque piam lux alta domum, praecelsaque toto Intravit fortuna gradu.

PRAECENTĬO, onis, f. *πρόφθογγα*, cantus tibicinum, qui praemittitur sacris, aut proelio. *Cic. Har. resp.* 10. Te appello, Lentule. Tui sacerdotii sunt thensae, curricula, praecentio, ludi, libationes, epulaeque ludorum publicorum. *Gell.* 1, 11. Cum instructae erant acies, coeptumque in hostes progredi, tibicines canere inceptabant. Ea praecentione tranquilla et delectabili vis et impetus militum cohibebatur.

PRAECENTOR, oris, m. *χοροστάτης*, qui canentibus praeest. *Appul. de Mundo:* Quod est in triremi gubernator, in curru rector, praecentor in choris, hoc est in mundo Deus. *August. Enarr. in Psalm.* 87. Quemadmodum dicuntur in arte musica, sicut ea docti homines Latine dicere potuerunt, praecentor, et succentor: praecentor scilicet, qui vocem praemittit: succentor autem, qui subsequenter.

PRAECENTORĬUS, a, um, adj. ad praecinendum pertinens. *Solin.* 5. *med.* Arundines accommodatissimae in omnem sonum tibiarum, seu praecentorias facias, quarum locus est ad pulvinaria praecinendi; seu vascas, quae foraminum numeris praecentorias antecedunt, etc.

PRAECENTRIX. V. PRAECANTRIX.

PRAECEPS, ĭpĭtis, adj. omn. gen. *προκάρηνος, προπετής, προπρηνής*, qui in caput deorsum et celeriter fertur: a *praecipes* per sync., quod a *prae* ante, et *caput*, ut ab *ancipes* anceps. *Pl. Ps.* 1, 5, 79. Juberes hunc praecipitem in pistrinum trahi. *Cic. Verr.* 2, 4, 40. Sopatrum de porticu praecipitem in forum dejiciunt. *Liv.* 31, 37. Ruente saucio equo, praeceps ad terram datus. *Ov. Ib.* 259. ab equo praeceps in Aleia decidit arva. *Id. Met.* 12, 128. praeceps curru fremebundus ab alto Desilit. [*Huc pertinet etiam locus, quem *Noster* infra laud.] *Auct. B. Hisp.* 15. *f.* Hospites jugulare, et de muro praecipites mittere. [**Tac. A.* 4, 22. Aproniam conjugem in praeceps jecit; et 6, 49. Jacto in praeceps corpore. *Suet. Cal.* 35. ut praeceps per gradus iret. ℙ Tum sequi debebat illud:] In vitibus *praecipites palmites* dicuntur, qui de hornotinis virgis enati, in duro alligantur. Hi plurimum fructus afferunt, sed plurimum matri nocent. Itaque nisi extremis ramis, aut si vitis arboris cacumen superaverit, praecipitari palmitem non oportet. Ita *Colum.* 5, 6. *f.* Nomen autem inde habent, quia deorsum, et quasi in caput pendentes alligantur: vel quia velut praecipites feruntur in fructum. ℙ [*Hinc de iis, qui celerrime currunt, aguntur, abiguntur: nostr. *über Hals und Kopf.*] *Hor. Sat.* 1, 2, 41. Hic se praecipitem tecto dedit. *Catull.* 64, 244. Praecipitem sese scopulorum e vertice jecit. *Id.* 17, 9. de ponte Ire praecipitem in lutum per caputque pedesque. *Cic. Caecin.* 21. Si fustibus aliquem de fundo praecipitem egeris. *Caes. B. G.* 2, 24. Praecipites se fugae mandabant. *Ov. Met.* 7, 844. Conjugis ad vocem praeceps amensque cucurri. Adde *eund. Am.* 3, 11, 25. *Hor. Sat.* 1, 4, 30. praeceps Fertur, uti pulvis collectus turbine. [**Tac. H.* 2, 6. praecipites nuntii. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 1, 3. Agunt eum praecipitem poenae civium Romanorum. *Sall. Cat.* 31, 9. quoniam — ab inimicis praeceps agor.] ℙ De iis, quae celerrime feruntur, aut fiunt. *Id. Od.* 1, 7, 13. et *Ov. Met.* 14, 330. Praeceps amnis. *Id. ib.* 2, 185. et *Her.* 10, 30. ventus. *Id. Met.* 9, 485. nox, *h. e.* brevissima. *Stat. Th.* 5, 419. procella. *Val. Fl.* 3, 404. oceani fragor. *Cic. Planc.* 20. *f.* Cum se homo volubilis quadam praecipiti celeritate dicendi illa oratione jactaret. *Att.* ad *Cic. Att.* 9, 10. *med.* Subitum discessum, et praecipitem profectionem periculosam puto. ℙ *Dies, nox praeceps*, ad occasum properans. *Liv.* 4, 9. *f.* Praecipitique jam die curare corpora milites jubet. *Virg. G.* 3, 359. sol praecipitem lavit aequore currum. *Liv.* 10, 42. Jam praeceps in occasum sol erat. Similiter *ver praeceps, mensis praeceps*, ad finem accedens. *Serv.* ad illud *Virg. G.* 1, 43. Vere novo, etc. Vere novo accipiamus prima parte veris. Nam anni quatuor sunt tempora, divisa in ternos menses, qui ipsorum temporum talem faciunt discretionem, ut primo mense veris novum dicatur ver, secundo adultum, tertio praeceps. Sicut etiam Sallustius dicit ubique *nova aestas, adulta, praeceps.* Haec *Serv.* Sic *Auct. ep. ad Octav. med.* Calamitosa ac praeceps senectus, *h. e.* quae proxime accedit ad mortem. ℙ Transfertur ad animum, et festinationem nimiam, ac temeritatem significat caeco velut impetu agentis. *Cic. Phil.* 5, 13. *med.* Homo amentissimus, atque in omnibus consiliis praeceps, et devius. *Id. Har. resp.* 24. Ille demens, et jampridem ad poenam exitiumque praeceps. *Id. Verr.* 2, 5, 46. Praeceps amentia ferebare. *Sall. Cat.* 26. [*25, 4. ap. *Kritz.*] Saepe fidem prodiderat, creditum abjuraverat, caedis conscia fuerat, luxuria atque inopia praeceps abierat, [*i. e. in pravum abstracta erat. *Jug.* 63, 6. postea ambitione praeceps datus est, i. e. modestia, qua excelluerat, deposita, ambitione pessimus et profligatissimus factus est. *Cat.* 37, 4. Sed urbana plebes, ea vero praeceps ierat multis de causis, i. e. pessumdatus est, in morum perversitatem delapsus est: ubi *Kritz.* recte quidem monet, *Sallustium* non statum plebis *qui esset* exponere, sed quibus rebus effectum sit, ut ad eum statum perveniret: sed in eo falsus est, quod *praeceps* nonnisi cum verbo motus, neque quietis conjungi posse putat. *Liv.* 27, 27. in praeceps dare rempublicam. *Tac. Agr.* 41. Sic Agricola simul suis virtutibus, simul vitiis aliorum in ipsam gloriam praeceps agebatur: ubi v. *Walch.*] *Cic. Planc.* 3. Caecum et praecipitem ferri in causa. *Liv.* 26, 38. Praeceps in avaritiam et crudelitatem animus. *Id.* 23, 7. *extr.* Praeceps ingenio in iram erat. *Tac. A.* 16, 21. Animus ad flagitia praeceps. *Virg. A.* 9, 685. Vir praeceps animi. *Cic. Dom.* 34. Praeceps furor. *Val. Max.* 1, 6. *n.* 7. audacia. *Suet. Aug.* 8. consilium, et immaturum. *Id. Cal.* 48. cogitatio. ℙ Dicitur etiam de loco edito, maxime declivi, praerupto, et unde facile quis praeceps cadere potest. *Caes. B. G.* 4, 33. In declivi ac praecipiti loco incitatos equos sustinere. *Cic. Fl.* 42. Viam praecipitem et lubricam planae et stabili praeponere. *Liv.* 38, 23. Ruunt caeci per vias, per invia: nulla praecipitia saxa, nullae rupes obstant. *Plin. Pan.* 16. Mons praeceps. *Virg. G.* 11, 888. et *Ov. Met.* 1, 97. Fossae praecipites. *Id. Trist.* 4, 3, 74. Vadere per iter praeceps. *Colum.* 1, 2. *med.* Segetes campis melius, quam praecipitibus locis proveniunt. ℙ [*Hinc translate. *Plin. ep.* 9, 26. Debet orator erigi, attolli, interdum etiam effervescere, efferri, ac saepe accedere ad praeceps, i. e. magnifice dicere.] ℙ *Praeceps* absolute, locus praeceps. *Vell.* 2, 3. *extr.* Ubi semel recto deerratum est, in praeceps pervenitur. *Juven.* 10, 107. altior Casus, et impulsae praeceps immane ruinae. *Appul. Met.* 4. Per altissimum praeceps in vallem proximam asinum praecipitant. *Virg. A.* 2, 464. Turrim in praecipiti stantem. *Plin.* 2, 45, 44. Specus vasto in praeceps hiatu. *Sen. ep.* 8. *med.* In praecipitia cursus iste deducit. ℙ Translate. *Liv.* 27, 27. *f.* Tam improvide se collegamque, et prope rempublicam in praeceps dederat, *h. e.* in summum discrimen adduxerat. *Cels.* 2, 6. *med.* Aeger est in praecipiti; et *Hor. Sat.* 2, 3, 292. casus, medicusne levarit Aegrum ex praecipiti. [**Curt.* 3, 6, 2. praeceps remedium, i. e. quod *Cic. Off.* 1, 24, 83. dicitur *curatio anceps.*] *Juven.* 1, 147. Omne in praecipiti vitium stetit, i. e. ultra progredi non potest sine ruina reipublicae. *Ov. Met.* 13, 378. Si quid adhuc audax, ex praecipitique petendum. *Cic. Coel.* 15. Mens nescio quae effrenata et praeceps. *Stat. Silv.* 1, 4, 51. subiti praeceps juvenile pericli. V. JUVENILIS. [**Ov. Fast.* 2, 400. In tam praecipiti tempore ferret opem.] ℙ More adverbii. *Ammian.* 29, 1. *med.* Ut penatibus multi protruderentur insontes, praeceps in exsilium acti. [*Imprimis *Tacito* haec dicendi ratio frequentatur. *A.* 4, 62. immensam vim mortalium — praeceps trahit atque operit; 6, 17. eversio rei familiaris dignitatem ac famam praeceps dabat.] ℙ *Praecipes, cipis*, olim pro *praeceps, ipitis*, ut *ancipes* pro *anceps. Pl. Rud.* 3, 3, 8. Scelestus sacerdotem anum praecipem reppulit, propulit. *Id. fragm.* ap. *Prisc.* 6. *f.* Saliam in puteum praecipes. *Ennius ib.* Obcumbunt multi letum ferroque lapique, Aut intra muros, aut extra praecipe casu.

PRAECEPTĬO, onis, f. actus praecipiendi, praeoccupatio, *πρόληψις*. Hinc apud JCtos *per praeceptionem dare, legare, relinquere* est ita dare, ut percipiatur, ante quam tota hereditas dividatur, et partes aliis coheredibus distribuantur. *Ulp. regular. tit.* 24. de legat. Per praeceptionem legamus sic: L. Titius illam rem praecipito. *Scaev. Dig.* 32, 1, 31. Dedit autem per praeceptionem Mario certas species. *Id. ib.* 31, 1, 89. §. 4. Quatuor filios aequis partibus instituit, et fundum per praeceptionem singulis legavit. *Id. ib.* 32, 1, 34. §. 2. Uni ex heredibus per praeceptionem reliquit ea, quae, etc. ℙ *Praeceptio* est etiam jus ipsum, quod inde acquiritur. *Plin. ep.* 5, 7. Saturninus, qui nos reliquit heredes, quadrantem reipublicae nostrae, deinde pro quadrante praeceptionem quadringentorum millium dedit. *Papin. Dig.* 33, 7, 2. Cum pater pluribus filiis heredibus scriptis, duobus praeceptionem bonorum aviae praeter partes hereditarias dedisset. ℙ *Praeceptio dotis* est, cum ante alia omnia dos capitur. *Id. ib.* 23, 4, 26. et *Paul. ib.* 10, 2, 46. V. PRAECIPIO et PRAECIPUUS. ℙ [*Notio et sententia antecepta. *Cic. Part.* 36. uter definiendo describendoque verbo magis ad sensum judicis opinionemque penetravit, et ad eam praeceptionem *(nach den vorausgefassten Grundsätzen)*, quam inchoatam habebunt in animis, ii qui audient, magis et propius accesserit, is vincat necesse est. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Frequenter est praeceptum, doctrina, *παράδοσις, παραίνεσις. Cic. N. D.* 2, 31. Lex est recti praeceptio, pravique depulsio. *Id. Or.* 41. *med.* In juris scientia est persecutionum cautionumque praeceptio. *Id. Off.* 1, 2. *med.* Itaque propria est ea praeceptio Stoicorum, Academicorum, Peripateticorum. *Sen. ep.* 95. *med.* Posidonius non tantum praeceptionem (nihil enim nos hoc verbo uti prohibet), sed etiam suasionem, et consolationem, et exhortationem necessariam judicat, *h. e.* praeceptum philosophiae.

PRAECEPTĬVĔ, adv. praecipiendo. *Tert. adv. Marc.* 5, 10. *med.* Portemus, inquit, non portabimus, praeceptive, non promissive.

PRAECEPTĪVUS, a, um, adj. praeceptum continens. *Sen. ep.* 95. Pars philosophiae, quam Graeci *παραινετικήν* vocant, nos praeceptivam dicimus. *Tert. Resurr. carn.* 49. *med.* Portemus praeceptivo modo dicens.

PRAECEPTO, as, a. 1. frequent. a *praecipio*, saepe praecipio. *Festus.* Praeceptat, in Saliari carmine est, saepe praecipit.

PRAECEPTOR, oris, m. qui praecipit, *h. e.* praeoccupat. *Paul. Nol. ep.* 23. (al. 3.) *n.* 4. Liberalium plenus affectuum, sed servilium praeceptor operum, vix ut me aquam ministrare manibus suis sineret. Est qui malit *praereptor*, aut *praecerptor:* sed illud videtur elegantius. V. PRAECIPIO. ℙ Item *ἐπιστάτης*, qui jubet. *Gell.* 1, 13. Nam si tali praeceptori ratio reddenda sit, nihil faciendum esse monuerunt aliter, quam praeceptum est. ℙ Item qui docet, institutor, doctor. *Pl. Ps.* 4, 7, 96. Praeceptor tuus, qui te hanc fallaciam docuit. *Cic. Or.* 3, 15. Neque disjuncti doctores, sed iidem erant vivendi praeceptores, atque dicendi. *Id. Phil.* 2, 6. Hunc tu auctorem et praeceptorem omnium consiliorum, totiusque vitae debuisses habere. *Id. Fam.* 5, 13. Hoc fortiorem me puto, quam te ipsum, praeceptorem fortitudinis. *Petr. Sat.* 88. *f.* Senatus recti bonique praeceptor. *Val. Max.* 8, 7. *n.* 3. *extr.* Plato praeceptorem Socratem sortitus. *Nep. Ep.* 2. Philosophiae praecepto.

rem habuit Lysim. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 7. Pamphilus Apellis praeceptor. *Suet. Tib.* 57. Theodorus rhetoricae praeceptor. *Ov. A. Am.* 1, 17. Aeacidae Chiron, ego sum praeceptor amoris. *Juven.* 7, 209. Dii praeceptorem sancti voluere parentis Esse loco. *Ulp. Dig.* 50, 13, 1. Praeceptores studiorum liberalium. ℙ Jurisprudentiae auctor. *Cajus ib.* 39, 2, 32. Est plane nostrorum praeceptorum haec sententia, ut, etc.

PRAECEPTORĬUS, a, um, adj. ad praecipiendum, *h. e.* praeoccupandum pertinens. *Plin. ep.* 4, 13. Interim ne quid festinationi meae pereat, quod sum praesens petiturus, hac quasi praeceptoria epistola rogo. Al. leg. rectius *praecursoria.*

PRAECEPTRĬX, ĭcis, f. quae praecipit, et docet. *Vitr.* 10, 1. Omnis machinatio est a rerum natura procreata, ac a praeceptrice et magistra mundi versatione instituta. *Cic. Fin.* 1, 13. Sapientia praeceptrice, in tranquillitate vivi potest.

PRAECEPTUM, i, n. *ἐντολή, παράγγελμα*, jussio, jussum, institutum, mandatum: et praesertim quod cum monitione et doctrina conjunctum est, et non solum jubet, sed etiam, quomodo agendum sit, docet. *Cic. Fam.* 5, 13. *med.* Quamquam tuis monitis praeceptisque omnis est abjiciendus dolor. *Id. Off.* 1, 1. Abundare praeceptis institutisque philosophiae. *Id. Brut.* 76. Hermagorae disciplina dat rationes certas, et praecepta dicendi. *Id. Or.* 41. Studiosis dicendi praecepta, et quasi vias tradere, quae ad eloquentiam ferant. *Id. Tusc.* 2, 24. Hoc praeceptum, quod de dolore datur, patet latius. *Id. Off.* 2, 14. *med.* Atque etiam hoc praeceptum officii diligenter tenendum est, ne quem unquam innocentem judicio capitis arcessas. *Id. Fat.* 6. Praecepta artis. V. PERCEPTUS. *Caes. B. G.* 5, 35. Quo praecepto ab iis diligentissime observato, etc. *Nep. Att.* 17. Philosophorum ita percepta habuerat praecepta, ut his ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur. *Hor. Sat.* 2, 4, 95. Atque haurire queam vitae praecepta beatae. *Petr. Sat.* 4. Praeceptis sapientiae animos componere; et *ib.* 140. salubribus instruere aliquem. *Phaedr.* 3, 8. praecepto monere aliquem. *Prop.* 3, 7, 21. Praecepta alicujus recipere. *Virg. A.* 6, 236. exsequi; et *ib.* 5, 747. edocere. *Pl. Poen.* 3, 2, 1. tenere in corde. *Just.* 2, 12. *f.* Iones, juxta praeceptum Themistoclis, pugnae se subtrahere, *h. e.* consilium, aut hortamentum. *Sall. Cat.* 45. Allobroges ex praecepto Ciceronis ceteros conveniunt. *Colum.* 11, 1. Numerum, quem jam quasi consummaveram, voluminum excessi, et hoc undecimum praeceptum rusticationis memoriae tradidi. Sic *Pall.* 1, 43. *f.* Expletis his, quae pertinent ad generale praeceptum, nunc operas suas singulis mensibus explicabimus. ℙ Pro simplici jusso. *Virg. G.* 4, 448. Deum praecepta secuti Venimus hinc lapsis quaesitum oracula rebus; et *ib.* 548. praecepta facessere matris. *Nep. Eum.* 9. *med.* Quibus imperatum erat, diligenter praeceptum curant. *Tac. Agr.* 37. Transvectae praecepto ducis a tergo pugnantium alae. *Just.* 3, 4. *f.* Praeceptis parere. [**Liv.* 9, 31. postquam — ad signa undique coibant, et notis ordinibus in vetere disciplina militiae, jam sine praecepto ullius sua sponte struebatur acies, etc. *Suet. Tib.* 18. praecepta sequentis diei — per libellos dare. *Gall. ordres.*]

PRAECEPTUS, a, um, part. a *praecipio: προειλημμένος*, ante captus, praesumptus. *Sall. fragm.* ap. *Gell.* 10, 26. Mons a Lusitanis praeceptus. *Liv.* 1, 7. Tempore illi praecepto, at hi numero avium, regnum trahebant. *Nep. Att.* 11. *f.* Immortali memoria praeceptа retinebat beneficia. *Ov. Her.* 17, 107. Ad possessa venis, praeceptaque gaudia serus. *Mamert. Grat. act.* 28. Adventare nos principi nunciatur. Statim e solio, tanquam praeceptus, exsiluit; et *Plin.* 29. *in.* Natura remediorum, atque multitudo instantium ac praeceptorum, plura de ipsa medendi arte cogunt dicere, *h. e.* eorum quae proxime dicenda, et quae jam ante dicta sunt. Sic *Cels.* 3, 23. Utendum ductione alvi, vel nigro veratro, sicut praeceptum est, *h. e.* ante indictum ac jussum est. Rursus *Plin.* 7, 35, 35. Sulpicia electa ex centum praeceptis, quae simulacrum Veneris dedicaret, *h. e.* ante electis. V. *Val. Max.* 8, 15. *n.* 12. [**Suet. Aug.* 93. veteres ac praeceptas cerimonias: nostr. *früher angenommene, herkömmliche.* Al. *receptas.* V. *Burm.*]

PRAECERPO, is, psi, ptum, a. 3. *προαφαιρέω*, ante tempus decerpo. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Boves arаturos fiscellis capistrari, ne germinum tenera praecerpant. *Ov. Her.* 20, 143. Quis tibi permisit nostras praecerpere messes? ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 4, 37. Non praecerpo fructum officii tui: non alienam mihi laudem appeto. *Plin. ep.* 5, 20. *extr.* Ne gratiam novitatis, et florem epistolae loquacitate praecerpam, *h. e.* delibem, deflorem, corrumpam. ℙ Pro simplici carpo, decerpo, carptim evello. *Stat. Th.* 9, 192. de leone caeso a pastorib.: magno subeunt clamore coloni, Praecerpuntque jubas, immaniaque ora recludunt. ℙ Etiam *praecarpo* legitur. *Oppius* ap. *Macr. Sat.* 2, 15. In Perside omni tempore mala citrea alia praecarpuntur, alia interim maturescunt.

PRAECERPTUS, a, um, part. a *praecerpo*, ante carptus, delibatus, praegustatus. *Liv.* 41, 1. Victoriae nuncii celeriter Romam cum venissent, praecerptam tamen ejus rei laetitiam invenerunt. *Plin. Pan.* 58. *f.* Summum illud purpurae decus non nisi praecerptum praefloratumque transmittere.

PRAECERTĀTĬO, onis, f. ante certatio, vel acris certatio. *Auct. ad Her.* 4, 30. Mihi tecum praecertatio non est.

PRAECESSOR, oris, m. *πρόγονος*, decessor, praedecessor, antecessor. *Tert. adv. Prax.* 1. *med.* Praecessorum ejus auctoritates defendendo. *Hieron. in Ruf.* 3. *n.* 20. Qui praecessoris ejus habeas testimonium.

PRAECĬA, ae, m. a *prae* ante, et *cio* clamo. *Festus:* Praecias dicebant, qui a flaminibus praemittebantur, ut denunciarent opificibus, manus abstinerent ab opere: ne si vidisset sacerdos facientem opus, sacra polluerentur. *Appul. Met.* 11. Ibant dicati magno Serapi tibicines, et praeciae, qui facilem sacris viam dari praedicarent. Adde *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 268. ℙ Iidem et *praeclamitatores* dicebantur. *Festus:* Praeclamitatores dicuntur, qui flaminibus Diali, Quirinali, Martiali antecedentes exclamant feriis publicis, ut homines abstineant se opere, quia his opus facientem videre, religiosum est. *Scalig.* legi vellet: *Praeciae metatores.* ℙ *In *Festo* legitur *Preciamitatores.* Hinc *Scaligeri* emendatio. *B. A.*

PRAECĬĀNUS, a, um, adj. Praecianum vinum nobile in Adriatico sinu creditur esse, quod non procul a Timavo fonte, saxeo colle nascitur, maritimo afflatu paucas coquente amphoras. Hoc miris laudibus Graeci celebrant: nec aliud aptius medicamentis judicatur. Haec ex *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 1. V. PUCINUS.

PRAECĬDĀNĔUS, a, um, adj. qui antecedit: a *praecedendo:* sicut *succidaneus*, qui post sequitur: a *succedendo.* Hinc *porca praecidanea, agna praecidanea:* haec erat, quae ante alias caedebatur; illa quae mactabatur ab eo, qui mortuo justa non fecisset, idest glebam non objecisset; quod mos erat ei facere prius, quam novas fruges gustarent. Ita *Festus. Varr.* ap. *Non.* 2, 724. Quod humatus non sit, heredi porca praecidanea suscipienda Telluri et Cereri: aliter familia pura non est. *Gell.* 4, 6. non a *cedo*, sed a *caedo* ducit. Ejus verba sunt: Praecidaneae hostiae dicuntur, quae ante sacrificia solemnia pridie caeduntur. Porca etiam praecidanea appellata, quam piaculi gratia, ante fruges novas captas, immolari Cereri mos fuit, si qui familiam funestam aut non purgaverant, aut aliter eam rem, quam oportuerat, procuraverant. *Cato R. R.* 134. Priusquam messim facies, porcam praecidaneam hoc modo fieri oportet. V. ibi reliqua. ℙ Qui mortuo justa non fecisset, dicebatur *porcam contrahere*, ut innuitur a *Cic. Leg.* 2, 22. et clarius a *Mario Victorino* 1, 2470. ℙ *Feriae praecidaneae*, quae solemnes et legitimas ferias praecedebant. *Atejus Capito* ap. *Gell. ib.* Qui quidem putat, ut dictum est, hanc vocem non a *cedendo*, sed a *caedendo* duci, quod hostia ante caedatur, quam fruges capiantur, etc. Sed in *praecidaneis feriis* haec notatio locum non habet. V. *Voss.* in *Etym.* et infra SUCCEDANEUS.

PRAECIDĀRĬUS, a, um, adj. idem quod *praecidaneus*, ut *extraneus, extrarius*, et *pedarius, pedaneus.* Sic *praecidaria porca*, eadem quae *praecidanea. Fest.* et *Mar. Victorin. art. grammat.* 1. p. 2470.

PRAECĪDO, is, idi, isum, a. 3. *ἐπικόπτω, προτέμνω*, proprie est ante caedo, (unde *Paul.* ex *Festo.* Praecidere, ante caedere, idest ante immolare): vel in anteriori parte seu cacumine abscindo: universim vero abscindo, amputo, seco. *Pl. Aul.* 2, 2, 12. Cui ego jam linguam praecidam, atque oculos effodiam. *Hirt. B. G.* 8, 44. Omnibus, qui arma tulerant, manus praecidit. Sic *Suet. Claud.* 15. Proclamante quodam, praecidendas falsario manus, etc. *Petr. Sat.* 1. Tyranni imperant filiis, ut patrum suorum capita praecidant. *Id. ib.* 105. Praecidere capillos. *Just.* 1, 10. aures, nasum et labia alicui. *Cic. Div.* 1, 17. cotem novacula. *Id. Verr.* 2, 5, 34. ancoras. *Id. Rab. perd.* 11. fistulas, quibus aqua suppeditatur. *Plin.* 32, 10, 42. forficibus sugentia ora hirudinum; et 17, 23, 35. *n.* 26. traducem. *Cic. Att.* 9, 6. Naves, quibus usus non est, omnes aut praecidisse, aut incendisse dicunt. ℙ Translate. *Pl. Mil.* 4, 6, 56. Dum te obtuetur, interim linguam oculi praeciderunt, *h. e.* obmutescere coegerunt. *Lucan.* 6, 340. de umbra Pindi: Et maturato praecidit vespere lucem; et *Cic. Off.* 1, 33. Amicitias, quae minus delectant, magis decere censent sapientes sensim dissuere, quam repente praecidere. *Ter. Hec.* 4, 2, 22. Tempus est concedere: sic optime, ut ego opinor, omnes causas praecidam omnibus; et *Plin. ep.* 9, 1. *extr.* Temporis ratio cunctationem praecidit. *Cic. Verr.* 2, 2, 62. Da mihi hoc: jam tibi maximam partem defensionis praecideris. *Id. ib.* 3, 7. *med.* Ut reo pecunioso, profuso spem judicii corrumpendi praeciderem; et *ib.* 5, 1. *extr.* Praecidere sibi licentiam libertatemque vivendi. *Id. Pis.* 22. sibi reditum. ℙ *Praecidere sermonem*, et *praecidere* absolute, abrumpere, et, ut *Pl. Capt.* 5, 2, 12. ait, dictis compendium facere. *Auct. ad Her.* 4, 54. Per abscissionem significatio fit, si, cum incipimus aliquid dicere, praecidimus; et *Cic. Sen.* 16. *f.* Brevi praecidam. Agro bene culto nil potest esse nec usu uberius, etc. V. *brevi* videtur esse superfluum additamentum, et merito a multis rejicitur. *Id. Acad.* 4, 43. Praecide, inquit. Alii aliter leg. ℙ Hac ratione ponitur pro negare, abnuere, recusare: hoc enim paucis verbis fit, et spes obtinendi praeciditur. *Cic. Att.* 8, 4. Nunquam reo cuiquam tam humili, tam sordido, tam praecise negavi, quam hic mihi. Plane sine ulla exceptione praecidit; et *ib.* 10, 16. Cupiebam eum esse nobiscum: quod quia praeciderat, etc. ℙ *Praecidere sinum maris*, navigando ita cursum dirigere, ut non legatur terra, et curvum litus circumvehamur, sed recta ab uno ad alterum sinus cornu navis feratur: praeciduntur enim omnes circuitus, et recto tramite mare secatur. *Sen. ep.* 53. Quo celerius evaderem, protinus per altum ad Nesida direxi, praecisurus omnes sinus. Sic *Quint. decl.* 12, 22. *med.* Non praecides medium mare? non tota in fugam vela torquebis? *Lucan.* hoc sensu dixit 8, 248. magnosque sinus Telmessidos undae Compensat medio pelagi. ℙ Pro valde caedere, h. e. verberare, pulsare. *Pl. Cas.* 2, 6, 52. Praecide os tu illi. ℙ Obsceno sensu a *Mart.* 7, 62. et al.: sed passim in libris rectius in *percido* mutatur. V. PERCIDO.

PRAECINCTĬO, onis, f. In theatro est divisio graduum in orbem facta, sive gradus reliquis duplo altior, laxiorque, quo equitum v. gr. gradus a plebejis separabantur: quo loco commode in gyrum transversim, sine impedimento eorum qui in gradibus sedebant, ambulari poterat. Ratio appellationis est, quia speciem cujusdam fasciae prae se fert graduum loca cingentis, *διάζωμα.* V. BALTEUS. *Vitr.* 5, 3. Praecinctiones ad altitudines theatrorum pro rata parte faciendae videntur, neque altiores, quam quanta praecinctionis itineris sit latitudo. ℙ A similitudine. *Id.* 2, 8. *med.* Is locus est theatri curvaturae similis. In imo forum est constitutum: per mediam autem altitudinis curvaturam praecinctionemque platea ampla latitudine facta.

PRAECINCTORĬUS, a, um, adj. ad praecingendum aptus. *Vitr.* 10, 21. Eique funes praecinctoriis transversis erant religati. Alii rectius leg. *Ejusque praecincturae funes transversis erant ligati.* ℙ *Praecinctorium* absolute, subligar, praecinctura, *περίζωμα. Auct. contra Julian. Pelag.* 2, 6. **August. de Genes. cont. Manich.* 2, 2. Fecerunt praecinctoria de foliis fici. *Gloss. Cyril.* Praecinctorium, *ὑποζώνιον. B. A.* V. MUNITURA.

PRAECINTŪRA, ae, f. *διάζωσις*, zona, cingulum, aut ipse praecingendi modus. *Macr. Sat.* 2, 3. In Caesarem quoque mordacitas Ciceronis dentes suos strinxit. Nam post victoriam Caesaris interrogatus, cur in electione partis errasset, respondit: *praecinctura me decepit:* jocatus in Caesarem, qui ita toga praecingebatur, ut trahendo laciniam velut mollis incederet. V. v. sq. ℙ Alio sensu V. in PRAECINCTORIUS.

PRAECINCTUS, a, um, part. a *praecingo: περιεζωσμένος*, ante, aut circum, aut bene cinctus, circumdatus. *Ov. A. Am.* 1, 223. Euphrates praecinctus arundine frontem. *Id. Met.* 14, 638. pinu praecincti cornua Panes. *Id. Her.* 4, 71. flore capilli. *Plin.* 11. *in.* Insecta appellata ab incisuris, quae nunc cervicum loco, nunc pectorum atque alvi praecincta separant membra. *Id.* 2, 66, 66. Tellus praecincta circumfluo mari. *Ov. Fast.* 3, 263. Vallis Aricinae silva praecinctus opaca Est lacus. *Mart.* 7, 61. Nulla catenatis pila est praecincta lagenis. *Plin.* 37, 7, 27. Gemmae candida vena praecinctae. *Plin. alter ep.* 10, 48. Parietes sine caemento medio farti, nec testaceo opere praecincti, *h. e.* obducti. ℙ De vestitu. *Pl. Bacch.* 3, 3, 28. Cincticulo praecinctus in sella apud magistrum assideres. *Petr. Sat.* 95. Anus sordidissimo linteo praecincta; et *ib.* 19. Et praecincti certe altius eramus, i. e. alticincti, atque adeo expediti, parati, prompti. Sic *Hor. Sat.* 1, 5, 5. Hoc iter ignavi divisimus, altius, ac nos, Praecinctis unum; et *ib.* 2, 8, 70. ut omnes Praecincti recte pueri, comptique ministrent, *εὐζωνοι. Suet. Caes.* 45. Ut male praecinctum puerum caverent. Adde *Macr. Sat.* 2, 3. V. v. praec. ℙ In illo *Ennii* ap. *Gell.* 6, 6. Brundusium polcro praecinctum praepete portu: *praecinctum* intellige instructum, et habens ante se pulcrum portum.

PRAECINCTUS, us, m. praecinctura. *Non.* 16, 5. Castula est palliolum praecinctui, quod nudae infra papillas praecinguntur. ℙ Item ipsae vestes. *Macr. Sat.* 2, 9. Hortensius vir ex professo mollis, et in praecinctu ponens omnem decorem: fuit enim vestitu ad munditiem curioso.

PRAECINGO, is, inxi, inctum, a. 3. *διαζώννυμι*, ante, aut circum cingo. *Prop.* 4, 4, 7. fontem vallo praecingit acerno. *Sil.* 3, 243. praecingere litora muro. *Plin.* 23, 1, 17. Ajunt, si quis villam vite nigra praecinxerit, fugere accipitres. *Id.* 37,

9, 37. Gemma per transversum linea alba media praecingitur. *Id.* 5, 32, 40. Praecingitur gens mari. *Sen. Med.* 70. Praecingens roseo tempora vinculo; et *Mart.* 11, 37. tota gemmam praecingere libra: nempe auri. Urbane. *Claud. B. Get.* 296. Quid turpes jam mente fugas, quid Gallica rura Respicitis, Latioque libet post terga relicto Longinquum profugis Ararim praecingere castris? *h. e.* quasi ante se constituere, locando post ipsum castra. ℙ De cinctu vestium. *Cic. fr.* ap. *Non.* 14, 2. et 8. Cum calvaticam capiti accommodares, cum strophio accurate praecingerere. V. CALVATICA. *Mart.* 14, 153., cujus lemma est *Semicinctium.* Det tunicam dives: ego te praecingere possum. *Ov. Trist.* 2, 271. Et latro, et cautus praecingitur ense viator; et *Grat. Cyn.* 341. Ima Toletano praecingant ilia cultro.

PRAECĬNO, is, ui, a. 3. *προῴδω*, ante cano. *Cic. Tusc.* 4, 2. Et Deorum pulvinaribus, et epulis magistratuum fides praecinunt. *Flor.* 2, 2. *med.* Ubi a coena rediret, praelucere funalia, praecinere sibi tibias jussit. *Gell.* 1, 11. Cretenses in proelia ingredi solitos, praecinente ac praemoderante cithara gressibus. *Stat. Silv.* 5, 3, 58. Ipse madens oculis, umbrarum animaeque sacerdos Praecinerem gemitum, *h. e.* carmen lugubre primus canerem. ℙ De praecantatore, *h. e.* morbis remedia carminibus et incantationibus afferente, *Macrob. Somn. Scip.* 2, 3. *med.* de musica: Hinc est, quod aegris remedia praestantes praecinere dicuntur. *Tibull.* 1, 5, 11. Ipseque ter circum lustravi sulphure puro, Carmine cum magico praecinuisset anus. V. PRAECANTATOR. ℙ Saepe est praenunciare, praedicere. *Cic. Har. resp.* 10. Quis est tam impius, qui hoc tam novo tantoque motu non magnum aliquid Deos populo R. praemonstrare et praecinere fateatur? *Tibull.* 2, 5, 73. Atque tubas atque arma ferunt crepitantia coelo Audita, et lucos praecinuisse fugam. *Plin.* 8, 46, 71. Hi greges repente lymphati futura praecinunt. *Id.* 25, 9, 59. Praecinere responsa, *h. e.* de futuris responsa dare. ℙ Praeteritum *praececinit* legitur ap. *Tert. Idol.* 15.

PRAECĬPES. V. PRAECEPS.

PRAECĬPĬO, is, epi, eptum, a. 3. *προλαμβάνω*, ante capio, praeoccupo, praeripio, praevenio. *Lucr.* 6, 1047. prior aestus ubi aeris Praecepit, ferrique vias possedit apertas; et *ib.* 802. Carbonumque gravis vis, atque odor insinuatur Quam facile in cerebrum, nisi aquam praecepimus ante. *Caes. B. C.* 3, 31. A publicanis debitam biennii pecuniam exegerat, et ab eisdem insequentis anni mutuam praeceperat. *Liv.* 30, 8. *f.* Aliquantum ad fugam temporis Syphax et Asdrubal praeceperunt. *Id.* 36, 19. Aliquantum viae praeceperat rex, ut qui non ante, quam Elatiae, ab effuso constiterit cursu. *Id.* 3, 46. *med.* Sedulo tempus terens, dum praeciperent iter nuncii missi in castra; et 32, 16. Jussis navibus maturate sequi, ipse tribus quinqueremibus expeditis Piraeeum praecepit. *Val. Fl.* 4, 340. exsortia terga Laconi Praecipiunt pecudum. *Flor.* 3, 9. Et ille quidem ad rei famam veneno fata praecepit. *Stat. Th.* 8, 328. celeres neu praecipe Parcas. *Virg. Ecl.* 3, 98. si lac praeceperit aestus. [*Etiam *Tac.* ita hoc verbum usurpat. V. *Böttich. Lex. Tac.* p. 366.] ℙ Apud JCtos est per praeceptionem capere, aut habere. *Plin. ep.* 5, 7. Nec heredem institui, nec praecipere posse rempublicam constat. *Julian. Dig.* 30, 122. Si heres centum praccipere jussus sit. V. PRAECEPTIO. ℙ Refertur ad animum. *Virg. A.* 6, 105. Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi. *Cic. Off.* 1, 23. *med.* Praecipere cogitatione futura. *Caes. B. G.* 7, 9. Haec usuventura, opinione praeceperat. *Virg. A.* 11, 491. Exsultatque animis, et spe jam praecipit hostem. *Caes. B. C.* 3, 87. *extr.* Jam animo victoriam praecipiebant. *Hirt. B. G.* 8, 51. Fora templaque occupabantur, ut vel exspectatissimi triumphi laetitia praecipi posset. *M. Anton.* ap. *Cic. Phil.* 13, 20. Praecipio gaudia suppliciorum vestrorum. ℙ Est etiam ante monere, docere, tradere, instituere, et re ante praemonstrata aliquid mandare. Differt ab *impero*, et *jubeo*, quia haec etiam nihil docendo fiunt: qui autem praecipit, simul docet. *Hirt. B. Afr.* 8. Haec ita imperabat, itaque unicuique praecipiebat, ut, etc. *Nep. Paus.* 4. Itaque huic indici, quid fieri vellent, praeceperunt. *Ter. Ad.* 5, 9, 5. Ego istos usque a pueris curavi ambos sedulo: docui, monui, bene praecepi semper, quae potui omnia. *Pl. Mil.* 2, 2, 92. Simillimas dicito esse: et Philocomasio id praecipiendum est, ut sciat. *Petr. Sat.* 85. Ego studia ejus ordinare, ego docere ac praecipere. *Hor. A. P.* 335. Quidquid praecipies, esto brevis, ut cito dicta Percipiant animi dociles, teneantque fideles. *Nep. fragm.* ap. *Lact.* 3, 15. Qui in schola de pudore et continentia praecipiunt argutissime. *Cic. Or.* 2, 11. *f.* Praecipere de eloquentia. *Plin.* 18, 24, 56. de agricultura. *Cic. Mur.* 2. *med.* E portu solventibus ii, qui jam in portum ex alto invehuntur, praecipere summo studio solent et tempestatum rationem, et praedonum, et locorum. *Colum. prooem.* 10. Praecipere cultum hortorum diligentius, quam tradiderunt majores. *Ov. Trist.* 2, 486. artem nandi. *Plin. ep.* 1, 10. humanitatem. *Quint.* 3, 1. *med.* oratoriam. *Hor. Od.* 1, 24, 2. cantus lugubres. *Asin. Gall.* ap. *Suet. Gr.* 22. Qui caput ad laevam deicit, glossemata nobis Praecipit. *Cic. Amic.* 20. *med.* Recte etiam praecipi potest in amicitiis, ne, etc.; et *ib.* 16. *f.* Illud potius praecipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus, etc. *Sall. Jug.* 30. His praecipit, omnes mortales pecunia aggrediantur. ℙ Cum infinito. *Ov. A. Am.* 2, 415. Sunt qui praecipiant herbas, satureja, nocentes Sumere. *Plin.* 25, 4, 10. Paeoniam praecipiunt eruere noctu. ℙ Absolute, praeceptorem seu doctorem esse. *Suet. Gr.* 10. Scholam aperuit, sed ita ut paucis, et tantum adolescentibus praeciperet. Adde *ib.* 16. *Id. Ner.* 7. Senecam visum sibi per quietem, C. Caesari praecipere. ℙ De respondentibus ex oraculo. *Nep. Milt.* 1. Consulentibus Pythia praecepit, ut Miltiadem sibi imperatorem sumerent. ℙ De jubentibus, et imperantibus. *Caes. B. G.* 5, 58. Praecipit atque interdicit, omnes unum peterent Indutiomarum. *Pl. As.* 2, 4, 15. Cui nunquam unam rem me licet semel praecipere furi. Mox verbo *jubeo* utitur. *Curt.* 9, 6. *in.* Praecipiens, ne quies corpori impediretur. *Scaev. Dig.* 31, 1, 89. §. 7. Codicillos aperiri testator praecepit. *Callistr. ib.* 48, 10, 15. D. Claudius edicto praecepit. *Ulp. ib.* 50, 3, 1. Lege municipali praecipitur. ℙ Pro suadere, monere, suggerere, sine ulla jubendi auctoritate. *Nep. Them.* 6. *f.* Reliqui legati ut tum exirent, cum satis altitudo muri exstructa videretur, praecepit. *Curt.* 4, 13. Furum ista solertia est, quam praecipitis mihi. *Just.* 18, 6. Ituram se ad virum, sicut praeceperant. ℙ *Praecepso* antique, praecepero. *Cato R. R.* 142. Villici officia, quae dominus praecepsit. Alii leg. *praecipit*, aut *praecepit.* ℙ [*Confund. *praecipere* et *praeripere.* V. *Held.* ad *Caes. B. C.* 3, 1. *Cort.* ad *Cic. Fam.* 5, 16, 8. *Manut.* ad *Caes. B. G.* 7, 9. *Intpp.* ad *Curt.* 4, 1, 3. 4, 10, 13. 9, 10, 14. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 233. — *Praecipere* et *praeire.* V. *Intpp.* ad *Curt.* 4, 13, 8. — et *procedere. ib.* 4, 16, 2. — et *praecipitare.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 106.]

PRAECĬPĬTANS, antis, part. a *praecipito:* in praeceps cadens, ruens, in praecipiti positus. *Virg. A.* 6, 349. Namque gubernaclum multa vi forte revulsum etc. Praecipitans traxi mecum. *Lucr.* 6, 290. videtur in imbrem vertier aether, Atque ita praecipitans, etc. *Aedituus* ap. *Gell.* 19, 9. Aut imber coelo candidu' praecipitans. *Cic. Or.* 3, 48. *med.* Amnis praecipitans; et *ib.* 55. sol, *h. e.* ad occasum prope accedens. *Id. Sull.* 31. Reipublicae praecipitanti subvenire. *Id. Att.* 3, 15. *f.* Me certe ad exitium praecipitantem retinuisses. *Id. Rab. Post.* 1. Satis est homines imprudentia lapsos non erigere: urgere vero jacentes, aut praecipitantes impellere, certe est inhumanum. *Liv.* 39, 2. Ligures per invia, et rupes deruptas praecipitantes fugerunt, *h. e.* praecipitantes se. V. PRAECIPITO.

PRAECĬPĬTANTER, adv. *προπετῶς*, in praeceps, praecipiti festinatione, inconsiderate, temere. *Lucret.* 3, 1077. Currit agens mannos ad villam praecipitanter.

PRAECĬPĬTANTĬA, ae, f. *προπέτεια*, praecipitatio. *Gell.* 9, 1. Si in prona jacias, moderatio atque ratio mittentis praecipitantia ipsa et pondere cadentis teli corrumpitur; et 6, 2. *med.* Lapidem cylindrum si per spatia terrae prona atque deruta jacias, causam quidem ei et initium praecipitantiae dederis.

PRAECĬPĬTĀTĬO, onis, f. *πρηνισμός*, casus, aut cursus praeceps. *Vitr.* 5, 12. Arena fluctibus subruta efficiet in mare pilae praecipitationem. *Sen. Ira* 1, 12. *f.* Ira aliquando, ut venenum, et praecipitatio, et naufragium, ex inopinato profuit. *Appul. de Mundo:* Nimbus quanto repentinior est, tanto vehementior: et quanto improvisior ejus praecipitatio est, tanto breviore casu restringitur.

PRAECĬPĬTĀTUS, a, um, part. a *praecipito:* *πρηνιζόεις*, in praeceps datus. *Cic. Caecin.* 17. *f.* Qui se praecipitatos ex locis superioribus dicerent. *Suet. Claud.* 9. Praecipitatus in flumen. *Ov. Her.* 10, 13. conterrita surgo, Membraque sunt viduo praecipitata toro. *Val. Fl.* 4, 642. sed praecipitata profundo Siderei pars visa poli. *Ov. Met.* 11, 556. unda praecipitata ruit. *Id. Trist.* 1, 3, 47. Jamque morae spatium nox praecipitata negebat, *h. e.* in diem vergens, et prope accedens. *Matius* ad *Cic.* Fam. 11, 28. An quod adolescens praestiti, id nunc, aetate praecipitata, commutem? *Vell.* 2, 49. Quieta, aut certe non praecipitata morte fungi. ℙ De palmite praecipitato ap. *Colum.* 4, 24. et 5, 6. V. in PRAECEPS et PRAECIPITO.

PRAECĬPĬTĬUM, ii, n. *κρημνός*, locus praeceps, unde facilis est casus. *Suet. Aug.* 79. Quo minus in transitu Alpium in praecipitium propelleret. *Lact.* 2, 3. *med.* Dum aliorum praecipitium vident, non prospexerunt, quid ante suos pedes esset. ℙ Item praeceps casus. *Plin.* 22, 17, 20. de herba urceolari: Sed contra ulcera, rupta, lapsusque, et praecipitia, aut vehiculorum eversiones, singularis.

PRAECĬPĬTO, as, avi, atum, a. 1. *πρηνίζω*, *καταχρημνίζω*, pronum dejicio, praecipitem ago, in praeceps propello. *Cic. Tusc.* 4, 18. Ut si posse putet eum, qui se e Leucade praecipitaverit, sustinere se, cum velit. *Id. Fin.* 5, 11. *med.* Si quando pueris ludentes minamur, praecipitaturos alicunde. *Lucr.* 4, 1014. de montibus altis Se quasi praecipitent ad terram corpore toto. *Sen. ep.* 4. Alius se praecipitavit a tecto, ne, etc. *Caes. B. C.* 3, 69. Sese in fossas praecipitabant. *Hirt. B. Alex.* 18. Se per molem in mare praecipitaverunt. *Liv.* 23, 37. Cum armatorum multitudo de turri se praecipitaret. [**Id.* 23, 19. Praecipitasse se quosdam, non tolerantes famem, constabat, scil. in fluvium *Dukero* ita supplente.] *Ov. Fast.* 5, 634. Pars putat, ut ferrent juvenes suffragia soli, Pontibus infirmos praecipitasse senes. *Sall. Jug.* 62. *f.* Cum alii super vallum praecipitarentur. *Ov. Met.* 4, 91. lux tarde decedere visa Praecipitatur aquis, *h. e.* dies et sol ad occasum pervenit. Sic *Id. Fast.* 4, 164. Scorpios in virides praecipitatur aquas. ℙ *Praecipitare aliquid*, deorsum jacere, ruere. *Stat. Th.* 10, 881. truncas rupes in tecta domosque Praecipitat. *Ov. Met.* 15, 518. quadrupedes Praecipitant currum scopulis. *Stat. Ach.* 2, 546. vetitasque solo procumbere pinus Praecipitat. ℙ *Praecipitare vitem* ap. *Cat. R. R.* 32. est deorsum nimis intorquendo frangere. Sic *praecipitare palmitem* ap. *Colum.* 4, 20. et 5, 6. *med.* est cacumine deorsum verso alligare, ut fructu uberiore induatur. V. PRAECEPS. ℙ [*Translate.] *Cic. Dom.* 37. Praecipitari ex altissimo dignitatis gradu. *Cels.* 3, 21. Praecipitare se in exitium. *Virg. A.* 2, 317. furor iraque mentem Praecipitant. *Cels.* 6, 7. Aurium dolores interdum ad dementiam mortemque praecipitant. *Ov. Pont.* 3, 1, 140. caveque Spem festinando praecipitare meam; et *Plin.* 16, 36, 65. Calamorum usus in Creta bellatores suos praecipitavit. *Cels.* 2, 10. *med.* Satius est primum levare aegrum, deinde perpurgare, quam simul omni vi effusa fortasse praecipitare; et *Plin.* 17, 12, 19. Adultas arbores interlucare justo plus, et in senectam praecipitare. ℙ *Petr. Sat.* 118. Per ambages, Deorumque ministeria, et fabulosum sententiarum tormentum praecipitandus est liber spiritus, *h. e.* immittendus, velut praeceps furore poetico. ℙ Aliquando est accelerare, nimia festinatione urgere. *Lucan.* 7, 51. sua quisque ac publica fata Praecipitare cupit. *Quint. decl.* 4, 10. Praecipitare suprema sua. *Id. ep. ad Tryph.* Usus Horatii consilio, qui in arte poetica (a *v.* 388.) suadet, ne praecipitetur editio, nonumque prematur in annum. *Sil.* 3, 166. Praecipitat consulta viri, segnemque quietem Terret. *Colum.* 3. *f.* Praecipitare vindemiam. *Ulp. Dig.* 23, 3, 33. Parcendum marito, qui non praecipitaverit eum ad solutionem, qui donaverat. ℙ Cum infinito. *Virg. A.* 11, 3. sociis dare tempus humandis Praecipitant curae. *Stat. Th.* 1, 679. eodem modo locutus est. ℙ *Praecipitare moras*, festinando moras abjicere. *Virg. A.* 8, 443. et *ib.* 12, 699. Sic *Sil.* 13, 774. tu magna gerendi Praecipita tempus: mors atra impendet agenti. ℙ Saepe sine casu adhibetur neutrorum more, sed accusativus *se* subauditur. *Cic. N. D.* 1, 32. Praecipitare istuc quidem est, non descendere. *Virg. A.* 11, 617. excussus Aconteus Praecipitat longe, et vitam dispergit in auras; et *ib.* 9, 669. quam multa grandine nimbi In vada praecipitant. *Cic. Somn. Scip.* 5. *f.* Ubi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, praecipitat ex altissimis montibus. *Virg. A.* 2, 8. et jam nox humida coelo Praecipitat. *Caes. B. C.* 3, 25. Multi jam menses transierant, et hiems praecipitaverat. [*Maxime *Liv.* hanc hujus verbi construendi rationem amat. Ita 25, 11. Plurimi in fossam praecipitavere occisique sunt; et 7, 6. forte ita tulit casus, ut Genucius — in insidias praecipitaret. Adde 5, 18. V. *Commentaria* in *Cic. Sull.* p. 14. *ed. Fr. Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 7, 49. et 19, 77. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 74. p. 163. *Ruddim.* 1. p. 301. *Drak.* ad *Liv.* 25, 11, 6.] ℙ Translate. *Pl. Trin.* 2, 1, 30. Qui in amorem praecipitavit, pejus perit, quam si saxo saliat. *Cic. Acad.* 4, 21. Sustinenda est potius omnis assensio, ne praecipitet, si temere processerit. *Id. Att.* 3, 15. *f.* Me certe ad exitium praecipitantem retinuisses. [**Liv.* 27, 40. Quum ad Cannas praecipitasset Romana res.] ℙ *Praecipito*, frequenter praecipio, jubeo. *Pl. Trin.* 2, 2, 17. Quae ego tibi praecipito, et facito. Al. leg. *praecipio, ea facito.* ℙ [*Confund. *praecipitare* et *praecipere.* V. h. v. *in f.*]

PRAECĬPŬĒ, adv. *μάλιστα, ἐξαιρέτως*, in primis, potissimum, maxime. *Cic. Sull.* 29. *f.* Neque ego praecipue de consularibus disputo: nam haec universi senatus communis est laus. *Id. Or.* 1, 8. Haec una res in omni libero populo, maximeque in pacatis civitatibus praecipue semper floruit. *Caes. B. G.* 7, 40. Semper Aeduorum civitati praecipue indulserat. *Id. B. C.* 3, 68. Fortuna, quae plurimum potest cum in reliquis rebus, tum praecipue in bello. *Nep. Att.* 16. Eum praecipue Cicero dilexit. *Gell.* 20, 1. *med.* Populus R. omnium maxime atque praecipue fidem coluit. *Tac. A.* 12, 60.

Cum Marius et Sulla olim de eo vel praecipue bellarent. *Virg. G.* 2, 372. Praecipue dum frons tenera, imprudensque laborum. *Hor. Ep.* 1, 1, 108. Praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est, *h. e.* optima valetudine utens. [**Liv.* 42, 31. id praecipue provinciae Macedoniae datum est; et 41, 24. non, ut praecipue amici, sed ne praecipue inimici simus.]

PRAECĬPŪUS, a, um, adj. ἐξαίρετος, διάφορος, peculiaris, proprius: cui *communis* opponitur. *Cic. Sull.* 3. Necesse est, quod mihi consuli praecipuum fuit praeter alios, id jam privato cum ceteris esse commune; et *ib.* 4. Tum communibus, tum praecipuis patris tui periculis commovebatur. *Id. Fam.* 4, 15. Non debes aut propriam fortunam et praecipuam postulare, aut communem recusare. *Id. Prov. cons.* 1. *f.* Praecipuum illum et proprium sensum doloris mei, quem tamen vos communem semper vobis mecum esse duxistis, a sententia dicenda amovebo. ℙ Est a *praecipio*, h. e. ante capio, ea ratione, qua *conspicuus*, et *perspicuus* ab *aspicio* sunt: ut sit id, quod ante, et praeter alios capitur, ut *Fest.* docet in *Excipuum*. Unde apud JCtos dicitur *praecipuum*, quod inter multos in divisionem non venit, sed ab uno aliquo extra sortem percipitur. *Sidon. ep.* 6, 12. *med.* Illud autem deberi tibi quodam, ut jurisconsulti dicunt, praecipui titulo, nec tuus poterit ire pudor inficias, etc. *Suet. Galb.* 5. Liviae testamento paene ditatus est; HS namque quingenties cum praecipuum inter legatarios habuisset; etc. *Ulp. Dig.* 33, 4, 2. *f.* Habebit praecipuam dotem cum frugibus suis: id vero, quod extrinsecus ei relictum est, restituet. *Papin. Dig.* 40, 5, 23. *med.* Cum peculium castrense filius et inter legitimos heredes praecipuum retineat. *Id. ib.* 31, 1, 79. *med.* Nec ob eam rem apud arbitrum divisionis praecipuam causam filiae fore. V. PRAECEPTIO. Huc pertinere videtur illud *Ter. Ad.* 2, 3, 5. Itaque unam hanc rem me habere praeter alios praecipuam arbitror, fratrem, etc.; et *Pl. Rud.* 1, 3, 6. Hanccine ego partem capio, ob pietatem, praecipuam? [*Cf. *Turneb. Adv.* 9, 2. *Gesn.* ad *Plin. ep.* 5, 7, 1.] ℙ Saepe est insignis, singularis, eximius, potissimus. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 9. Nisi in multitudine optimorum civium impetus animi mei fuerit singularis, et opera praecipua, nihil ad meam dignitatem accedere volo suffragatione vestra. *Cic. Manil.* 19. *med.* Qui in hoc bello etiam praecipuo jure esse deberet. *Caes. B. G.* 5, 52. Quos praecipuo semper honore Caesar habuit. *Virg. G.* 3, 74. quos in spem statues submittere gentis, Praecipuum jam inde a teneris impende laborem. *Cic. Fam.* 4, 3. In communibus miseriis praecipuo quodam dolore angi. *Id. Off.* 1, 4. Natura ingenerat praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt. *Quint.* 6, 3. *in.* Cicero praecipuus in eloquentia vir. *Tac. A.* 12, 40. Praecipuus scientia rei militaris Venusius. *Plin.* 7, 48, 49. Vir praecipuus corpore viribusque. *Flor.* 3, 1. Ut rex fraude praecipuus, fraude caperetur. *Tac. A.* 6, 4. Latiaris praecipuus olim circumveniendi Sabini, et tunc luendae poenae primus fuit, *h. e.* qui praecipuam dederat operam, ut Sabinus circumveniretur. *Plin.* 11, 49, 109. Calculo humano remedia praecipua. *Id.* 8, 25, 38. Scincos contra venena praecipuus antidotis; et *ib.* 27, 41. Herba ad serpentium ictus praecipua. *Id.* 25, 13, 107. Herba dentibus praecipua. *Id.* 12, 7, 15. Piper praecipua amaritudine. *Ov. Pont.* 4, 10, 40. Et quae praecipuum sidera frigus habent. *Sen. Thyest.* 285. Quod est in isto scelere praecipuum nefas, hoc ipse faciet. ℙ Item princeps, primus. *Virg. A.* 8, 176. gramineoque viros locat ipse sedili: Praecipuumque toro, et villosi pelle leonis Accipit Aeneam, solioque invitat acerno. *Tac. A.* 15, 56. *extr.* Praecipui amicorum; et *ib.* 14, 55. *f.* Praecipuus caritate; et *ib.* 16, 33. Magnitudine opum; et *ib.* 3, 30. Praecipuus, cui secreta imperatorum inniterentur.

[PRAECĪSĀMENTUM, i, n. *Isid. Or.* 19, 22. Vestis segmentata est zonis quibusdam, et quasi praecisamentis ornata. Nam et particulas cuicumque materiae abscissas praesegmina vocant. V. SEGMENTUM. *F.*]

PRAECĪSE, adv. ἀποτόμως, breviter, paucis, sermonem praecidendo. *Cic. N. D.* 2, 29. Praecise dicitur providentia mundum administrari: plene autem et perfecte sic dici existimato, providentia Deorum mundum administrari. *Id. Att.* 8, 4. Praecise negare alicui, *h. e.* absolute, nude, simpliciter, atque adeo dure. V. PRAECIDO. *Ulp. Dig.* 36, 3, 1. *f.* Cavebitur ei non praecise, sed sub conditione, *h. e.* non absolute. *Justin. Instit. tit.* 4, 3. Quod autem non praecise de quadrupede, sed de ea tantum, quae, etc. *h. e.* simpliciter, et universim.

PRAECĪSĬO, onis, f. ἀποτομή, actus praecidendi, recisio: item locus, ubi aliquid praecisum est. *Vitr.* 5, 7. Ad ejus mensurae perpendiculum inferiores sedes praescindantur, et qua praecisio fuerit, ibi, etc. *Id.* 4, 2. Projecturas tignorum praesecuerunt, et tabellas contra tignorum praecisiones in fronte fixerunt. ℙ In re oratoria praecisio est, inquit *Auct. ad Her.* 4, 30., cum dictis quibusdam, reliquum, quod coeptum est dici, relinquitur audientium judicio, sic: Mihi tecum praecertatio non est, ideo quod populus R. me, nolo dicere, ne cui forte arrogans videar: te autem saepe ignominia dignum putavit. Meminit et *Cic. Or.* 3, 53., cujus verba V. in PERCURSIO. ℙ Quomodo ab reticentia differat, docet his verbis *Quint.* 9, 2. *med.* Est et alia non quidem reticentia, quae sit imperfecti sermonis, sed tamen praecisa, velut ante legitimum finem oratio, ut illud *(Cic. Lig.* 3. *extr.)* Nimis urgeo: commoveri videtur adolescens. Et, Quid plura? ipsum adolescentem dicere audistis.

[PRAECĪSOR, oris, m. ita appellantur quatuor primores in homine dentes, qui Graece τομικοί. *Isid. Or.* 11, 1. Horum primi praecisores dicuntur, quia omne, quod accipitur, ipsi prius incidunt. V. DENS. *F.*]

PRAECĪSŪRA, ae, f. Praecisurae asparagorum *Apicio* 4, 2. sunt, quae praecisae abjiciuntur. Praecisurae agrorum *Frontino de colon.* p. 102. et 126. et 140. *Goes.* sunt pinguiores agrorum laciniae, ut ipse *Goes.* interpretatur.

PRAECĪSUS, a, um, part. a *praecido*: ἀποτετμημένος, abscissus, decisus, abruptus. *Petr. Sat.* 102. Descendimus in scapham, praecisoque vinculo, etc. *Colum.* 11, 2. Stramenta praecisa in acervum congeruntur. *Plin.* 29, 6, 38. Vipera quatuor digitorum mensura utrinque praecisa. *Id.* 30, 11, 30. Limacum capita praecisa arundine. *Id.* 11, 39, 94. Praecisae pennae non crescunt, evulsae renascuntur. *Id.* 25, 5, 19. Praecisos nervos glutinare. *Id.* 28, 13, 55. Hircos, barba praecisa, non abire in alienum gregem. *Id.* 8, 22, 34. Praecisum iter. *Manil.* 4, 630. Trinacria Italia tantum praecisa recessit. ℙ Praeruptus, abruptus, praeceps. *Sall. Jug.* 97. *f.* Iter castellanorum angustum admodum, utrinque praecisum. *Virg. A.* 8, 233. acuta silex praecisis undique saxis. *Quint.* 12, 9. Civitates praecisis impositae rupibus. *Sil.* 13, 337. similisque volanti Cornipedem tulerit praecisa per avia plantam. *Mela* 3, 9. Vasta omnia, vastis praecisa montibus, ripae potius sunt, quam litora. ℙ Obsceno sensu idem est ac irrumatus. V. PERCISUS. ℙ Item paedicatus. V. PERCISUS. ℙ Item exsectus, castratus. *Lampr. Elag.* 7. Jactavit autem caput inter praecisos fanaticos, et omnia fecit, quae Galli facere solent. ℙ Transfertur ad orationem brevem, circumcisam, abruptam, concisam. *Quint.* 9, 2. *med.* Praecisa velut ante legitimum finem oratio. V. PRAECISIO; et 10, 2. *med.* Qui praecisis conclusionibus obscuri, Sallustium atque Thucydidem superant; et 7, 3. *med.* Praecisa comprehensio; et 4, 2. *med.* Simplex et undique praecisa, non tam narratio vocari potest, quam confusio. *Gell.* 7, 2. *f.* Praecisis interruptisque verbis exclamare. ℙ Est etiam ablatus, ereptus, aut diminutus. *Cic. ad Brut.* 1, 15. *med.* Oppressa ab impiis civitas, opitulandi potestate praecisa. *Id. Q. Fr.* 2, 11. Tenediorum libertas securi Tenedia praecisa. *Id. Verr.* 2, 3, 64. *med.* Illa quidem certe tibi praecisa defensio est. *Petr. Sat.* 82. Praecisa ultione. ℙ Pro duro, difficili. *Arr. Menand. Dig.* 49, 16, 4. Non omnis, qui litem habuit, et ideo militavit, exauctorari jubetur; sed qui eo animo militiae se dedit, ut sub obtentu militiae praecisiorem se adversario faceret. Alii leg. *pretiosiorem.* ℙ *Praecisum*, absolute, pars viscerum, aut carnis praecisa. *Naevius* ap. *Non.* 2, 633. Praecisum, omasum, pernam, callum, etc. *Lucil. ib.* Illi praeciso, atque epulis capiuntur opimis.

PRAECLĀMĬTĀTOR, oris, m. V. PRAECIA.

PRAECLĀMO, as, n. 1. προβοάω, ante clamo. *Paul. Dig.* 48, 8, 7. Si putator ex arbore cum ramum dejiceret, non praeclamaverit, et praetereuntem occiderit. Alii leg. *proclamaverit. Not. Tir.* p. 93. Proclamat, praeclamat.

PRAECLĀRĒ, adv. καταφανῶς, valde clare, dilucide, perspicue. *Cic. Acad.* 1, 9. Praeclare explicatur Academiae veteris auctoritas. *Id. Brut.* 15. Ingenii lumen eloquentia, qua virum excellentem praeclare, etc. *Id. Fam.* 13, 7. Tibi negotium datum esse a Caesare non judicium, praeclare intelligo; et *ib.* 4, 7. Ego te eum esse, qui, etc. praeclare memini. *Plin. ep.* 3, 13. Invenire praeclare, enunciare magnifice, disponere apte. *Gell.* 2, 23. Praeclare, et apposite, et facete scribere. ℙ Item cum multa gloria, aut laude. *Cic. Mil.* 35. Se nihil in vita nisi praeclarissime fecisse. *Hirt. B. Alex.* 30. Caesar re praeclarissime gesta, victor ad castra contendit. ℙ Item valde recte, commode, optime, καλῶς. *Cic. Verr.* 2, 1, 4. Praeclare nobiscum actum iri, si populus R. istius unius supplicio contentus erit; et *ib.* 4, 61. Omnino praeclare te habes, cum is ordo tibi est inimicissimus; et *ib.* 6, 58. Pugna in tabulis picta praeclare; et *ib.* 44. Simulacrum praeclare factum e marmore. *Id. Phil.* 3, 10. Praeclare facitis, qui de praesidio consulum referatis. *Id. Rosc. Am.* 13. Si (id quod praeclare a sapientibus dicitur) vultu saepe laeditur pietas. *Id. Fam.* 13, 41. Id his valde gratum fore, teque apud eos praeclare positurum, confirmo et spondeo. Sic *Rosc. Com.* 12. Praeclare suum negotium gessit Roscius: fundum fructuosissimum abstulit. ℙ De his quae utiliter adhibentur in medicina. *Plin.* 29, 4, 25. Jus quoque ex his potum praeclare medetur. *Id.* 26, 15, 90. Dictamni folia praeclare dantur ex aqua. *Id.* 22, 19, 22. Radix coeliacis praeclare facit. *Id.* 32, 4, 14. Testudinum carnes contra salamandras praeclare auxiliantur. ℙ Est vehementer approbantis. *Cic. Phil.* 13, 9. Pacem vult M. Lepidus: praeclare, si, etc.

*PRAECLARĔO, es, n. 2. valde clareo. *Alcim. Avit. ad Soror.* 6, 508. Sancto cunctis praeclaruit ore. *B. A.*

*PRAECLARĬTAS, atis, f. *Vulg. Interpr. Sapient.* 8, 18. *B. A.*

PRAECLĀRĬTER, adv. praeclare. *Claud. Quadr.* ap. *Non.* 11, 56. Et ita rebus praeclariter gestis, Romam reverterunt.

PRAECLĀRUS, a, um, adj. καταφανής, valde clarus, illustris, splendidus. *Juven.* 5, 42. Praeclara iaspis. *Lucr.* 2, 1031. lux; et 5, 121. praeclarum coeli restinguere solem. ℙ Translate formosus, pulcher. *Id.* 4, 1026. Nuncia praeclari vultus, pulcrique coloris. *Cic. Verr.* 2, 4, 52. *f.* Urbs situ cum munito, tum ex omni aditu, vel terra, vel mari, praeclaro ad aspectum. *Accius* ap. *Cic. Div.* 1, 22. Duos arietes inde eligi, praeclariorem alterum immolare me. ℙ Item illustris, nobilis. *Suet. Oth.* 1. Materno genere praeclaro. *Virg. G.* 4, 322. praeclara stirpe Deorum. *Val. Fl.* 2, 149. magni proles praeclara Dorycli. ℙ Illustris, commemorandus, famosus, egregius, eximius. *Virg. A.* 8, 480. et *ib.* 12, 347. Gens bello praeclara. *Stat. Th.* 3, 284. Praeclarus armis. *Pl. Mil.* 4, 2, 51. Hominem tam pulcrum, et praeclara virtute, et forma, et factis. *Sall. Jug.* 88. Quanto vita illorum praeclarior, tanto horum socordia flagitiosior. *Suet. Cal.* 22. Simulacra numinum, religione et arte praeclara. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Minime miramur, te tuis, ut egregium artificem, praeclaris operibus laetari. *Id. Or.* 1, 11. Multi praeclari in philosophia et nobiles. *Id. ib.* 29. In vobis egregiam quandam et praeclaram indolem ad dicendum esse cognovi; et *ib.* 2, 21. *f.* Genus dicendi magnificum atque praeclarum. *Id. Fam.* 10, 5. Nec quidquam ex omnibus rebus humanis est praeclarius, aut praestantius, quam de republ. bene mereri. *Id. Off.* 1, 20. Quae eximia plerisque et praeclara videntur, parva ducere; et *Or.* 4. Cum alia praeclara quaedam et magnifica didicisset. *Id. Phil.* 4, 2. *med.* Praeclara et luculenta reclamatione factum Martialium comprobastis. *Nep. Timol.* 1. Praeclarissimum facinus; et *ib.* 2. Praeclara victoria. *Virg. A.* 4, 665. urbs. *Hirt. B. Alex.* 24. Praeclarissima patria. *Plin. Pan.* 88. *f.* Praeclarior laus. *Ov. Trist.* 3, 5, 40. et *Pers.* 2, 10. Praeclarum funus, *h. e.* crebris funalibus, et pompa magnificum. ℙ In malam partem. *Sall. Jug.* 17. Qui nunc scelcribus suis ferox atque praeclarus est. ℙ Cum gen. *Tac. A.* 4, 34. T. Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus in primis. ℙ Copiosus, abundans, dives. *Hor. Sat.* 2, 5, 45. Si cui praeterea validus male filius in re Praeclara sublatus aletur. ℙ De iis, quae famam utilitatis habent in medicina. *Plin.* 23, 3, 36. Olivae albae praeclarum habent usum recentes, per se cibi modo devoratae. *Id.* 20, 7, 26. Succus ad multa praeclarus. *Id.* 27, 4, 14. Herba praeclara in vulneribus. *Id.* 22, 24, 51. Aqua mulsa praeclaram utilitatem habet. *Id.* 35, 6, 14. Rubrica in medicina res praeclara habetur. V. PRAECLARE.

PRAECLĀVĬUM, ii, n. vestis, cui nondum clavi, ornamenti causa, additi sunt, vestis nondum clavata, quam ita definit *Non.* 1, 326. Praeclavium, pars vestis, quae ante clavum texitur. *Afr.* ap. *cund. ib.* Tertium diem praeclavium unum texere. *Id. ib.* Mea nutrix surge, si vis, profer purpuram, praeclavium textum est.

PRAECLŪDO, is, usi, usum, a. 3. διαυλέω, ante aliquem claudo. *Caes. B. C.* 2, 19. *extr.* Per se cohortes ejecit, portasque praeclusit; et *ib.* 3, 12. Illi daturos se negare, neque portas consuli praeclusuros. *Lucan.* 9, 39. classi praecludere portus. ℙ Et universim intercludo, impedio, praecido. *Hirt. B. Alex.* 8. Quae diversae navigationes nunquam uno tempore adversis ventis praecluderentur. *Cic. Planc.* 40. *extr.* Nam maritimos cursus praecludebat hiemis magnitudo. *Hirt. B. Alex.* 8. Praecludere navigationem. *Sen. Herc. Oet.* 1920. et *Ov. Met.* 14, 790. iter. *Id. ib.* 2, 658. usum vocis. *Plin.* 8, 12, 12. spiritum; et *Colum.* 6, 18. Hirudo faucibus adhaerens transitum cibis praecludit. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 5, 65. Jam omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maxime patuit, civibus R. ista defensione praecluseris. *Id. Pis.* 17. Si non tuis nefariis in hunc ordinem contumeliis in perpetuum tibi curiam praeclusisses. *Petr. Sat.* 87. Praecludere sibi aditum. *Lucret.* 1, 973. effugium alicui; et *ib.* 321. speciem videndi. *Phaedr.* 1, 23. linguam cani, ne latret; et *ib.* 26. vocem praecludit metus. [*Cf. *Liv.* 33, 13.] ℙ Pro coercere, impedire, prohibere, excludere. *Suet. Ner.* 32. Cum interdixisset usum amethystini ac

Tyrii coloris, submisissetque qui nundinarum die pauculas uncias venderet, praeclusit cunctos negotiatores. *Budaeus* mallet *percutit*. [At *Crusius* nihil mutandum, atque ita interpretandum putat: portis praeclusis excedere prohibuit, eorumque merces, remque familiarem confiscavit. *F.*]

PRAECLŪĔO, es, n. 2. valde clueo, celebris sum. *Terent.* p. 2433. Vel qui in vetusta praecluent comoedia. *Prud. Cath.* 4, 37. Sic olim tua praecluens potestas.

PRAECLŪIS, e, adj. valde illustris, nobilis, fama celebris. *Capell.* 1, 2. Liberi praeclues; et p. 10. Praecluibus liberis; et 9, 307. Heroum conventus praeclui enituit admiratione.

[PRAECLŪO, is, n. 3. idem ac praeclueo, valde cluo. *Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 38. Ut vos, qui ex ubertate terrae praecluatis, etc. *F.*]

PRAECLŪSĬO, onis, f. *σύγκλεισις*, actus praecludendi, conclusio. *Vitruv.* 9, 9. *med.* Praeclusio aquarum.

PRAECLŪSOR, oris, m. qui praecludit. *Tert. adv. Marc.* 4, 27. *f.* Praeclusores legis, *h. e.* non admittentes quemquam ad legis intellectum.

PRAECLŪSUS, a, um, part. a *praecludo*: *διαχλειοθείς*, occlusus. *Propert.* 2, 4, 21. Nec mea praeclusas fregerit ira fores. *Caes. B. C.* 2, 20. Cum sese Italicam venturum promisisset, certior a suis factus est, praeclusas esse portas. *Suet. Oth.* 8. *extr.* Via lapidum ruina praeclusa. *Sen. Thyest.* 781. Saepe praeclusae cibum tenuere fauces. *Sil.* 9, 511. denso fauces praeclusus pulvere miles. *Suet. Cal.* 26. *extr.* Horreis praeclusis populo famem indixit. *Val. Fl.* 4, 668. scopulis praeclusa ratis, *h. e.* clausa inter duos scopulos. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 5, 8. *extr.* Facile ostendam, tua crudelitate in alios, omnes tibi aditus misericordiae judicum jampridem esse praeclusos. *Claud. VI. cons. Honor.* 265., ubi praeclusae voci laxata remisit Frena dolor.

PRAECO, onis, m. *κήρυξ*, buccinator, praedicator, minister publicus, qui voce quaestum facit. Videtur esse a *praecino*, vel quasi *praedico*, per sync. Praeconum multiplex fuit opera. Nam in auctionibus pretium rerum clamore pronunciabant, et ad emendum laudando invitabant. *Hor. A. P.* 419. Ut praeco, ad merces turbam qui cogit emendas. *Pl. Bacch.* 4, 7, 17. Stulte, nescis, nunc venire te, atque in eo ipso astas lapide, ubi praeco praedicat. *Cic. N. D.* 3, 34. *f.* Haec sublata de fanis in forum protulit, et per praeconem vendidit. *Id. Att.* 12, 40. *f.* De hortis Scapulanis hoc videtur effici posse, ut praeconi subjiciantur. *Id. Dom.* 20. Ut Cyprius rex cum bonis omnibus sub praecone subjiceretur. ℙ Magistratibus apparebant, reos citabant, silentium indicebant, eorum edicta, sententias judicum, et alia hujusmodi publicabant. *Liv.* 26, 15. *med.* Praeconi imperavit consul, ut lictorem lege agere juberet. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 1. Apud veteres et judices, et rei, et accusatores, et defensores citabantur a praecone praetoris. *Cic. Verr.* 2, 2, 30. *f.* Testes citari jubet: dicit unus et alter breviter, nihil interrogatur: praeco, dixisse pronunciat. *Suet. Tib.* 11. Citatum pro tribunali voce praeconis conviciatorem rapi jussit in carcerem. *Liv.* 3, 47. *extr.* Cum repelleretur assertor virginis, silentium per praeconem factum. ℙ Ad concionem, et comitia populum vocabant: in his eorum nomina renunciabant, qui crearentur. *Varr. L. L.* 5, 9. Ubi in templum censura auspicatur, praeconi sic imperato, ut viros vocet; et *mox:* Praeco in templo primum vocat, postea de muris vocat. *Id. ib.* 6, 3. *med.* Alterum comitiis cum recitatur, a praecone dicitur, olla centuria, non illa. *Auct. ad Her.* 4, 55. Jubet advocari concionem etc. Illi praeco faciebat audientiam. *Cic. Agr.* 2, 2. *med.* Me non singulae voces praeconum, sed una voce universus populus R. consulem declaravit. *Gell.* 12, 8. *f.* Populus eos simul censores facit: atque illi, ubi voce praeconis renunciati sunt, etc. ℙ In aliquibus conveniebant cum accensis. *Varr. l. prius c.* Quare hic accenso, illic praeconi dicit? haec est causa: in aliquot rebus idem, ut praeco, accensus acciebat. ℙ Ad ludos invitabant, et in his victores qui fuissent, clara voce, et multis laudibus enunciabant. *Suet. Claud.* 21. Quare vox praeconis irrisa est, invitantis more solemni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset. *Cic. Fam.* 5, 12. *f.* Dicant, verecundiores esse praecones ludorum gymnicorum, qui, cum ceteris coronas imposuerint victoribus, eorumque nomina magna voce pronunciarint, cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium praeconem adhibeant, ne sua voce ipsi se victores esse praedicent. ℙ Hinc translate ponitur pro laudatore. *Cic. Arch.* 10. O fortunate adolescens, qui tuae virtutis Homerum praeconem inveneris! ℙ In theatris silentium indicebant. Ap. *Pl.* ita Prologus loquitur, *Poen. prol.* 11. Exsurge, praeco, fac populo audientiam. Jamdudum exspecto, si tuum officium scias. Exerce vocem, per quam vivis et colis. Nam nisi clamabis, tacitum te obrepet fames. ℙ Adhibebantur ad res amissas investigandas. *Pl. Merc.* 3, 4, 78. Certum est praeconum jubere jam quantum est conducier, qui illam investigent, qui inveniant. *Petr. Sat.* 97. Intrat stabulum praeco cum servo publico, et haec proclamavit: Puer in balneo paulo ante aberravit, etc. Si quis cum reddere, aut commonstrare voluerit, accipiet nummos mille. V. PRAECONIUM. ℙ Item funeribus indicendis, et ad exsequias hominibus evocandis. *Fest sub litt. I.* Indictivum funus, ad quod per praeconem evocabantur. Formulam indicendi refert *Ter. Phorm.* 5, 8, 37., item *Varr. L. L.* 6, 3. V. EXSEQUIAE et OLLUS. ℙ Eorum ministerium parum honestum, et vile, quamvis quaestuosum, habebatur. Nam in *Vet. S. C.* ap. *Mazoch. Tab. Heracl.* p. 415. Neve quis qui praeconium, dissignationem, libitinamve faciet, dum eorum quid faciet, in municipio, colonia, praefectura duumviratum, quatuorviratum, aliumve quem magistratum petito, neve capito, neve gerito, neve habeto, neve ibi senator, neve decurio, neve conscriptus esto, neve sententiam dicito. V. *Cic. Quint.* 3. Ceterum C. Julius Caesar dictaturam consecutus in lege Julia, quam scripserat, et ferre jam constituerat, eorum conditionem paulo honestiorem fecit. *Id. Fam.* 6, 18. Quaesivi a Balbo, quid esset in lege. Rescripsit, eos, qui facerent praeconium, vetari esse in decurionibus; qui fecissent, non vetari. Neque enim erat ferendum, cum, qui hodie haruspicinam facerent, in senatum Romae legerentur; eos, qui aliquando praeconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere. *Mart.* 5, 56. Artes discere vult (*filius tuus*) pecuniosas! Praeconem facias, vel architectum. [*Huic §. multa ex suis adjecit *F.*] ℙ Annuli distinxere alterum ordinem (*h. e.* equestrem) a plebe, sicut tunica (*h. e.* laticlavia) ab anulis senatum tantum: quamquam et hoc sero: vulgoque purpura latiore tunicae usos invenimus etiam praecones, sicut patrem L. Aelii Stilonis, Praeconini ob id cognominati. Haec *Plin.* 33, 1, 7. V. *Suet. Gr.*

PRAECOCTUS, a, um, part. a *praecoquo*: antea coctus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 34. Mulsum, in quo praecocta, vel praeinfusa fuerit ruta. Adde *eund. Tard.* 4, 3. *n.* 26. et 38. ℙ Item valde coctus, excoctus. *Plin.* 14, 9, 11. de passo: Quidam e quacumque dulci (*uva*) dum praecocta alba, faciunt. [*Meliorem hujus loci ordinem dedit *F.*]

[PRAECOEPI, isti, defect. ante coepi. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 84. Ipse vicesima die urbem quam praecoepit, substruit. *F.*]

PRAECOGĪTĀTIO, onis, f. ante cogitatio. *Tert. adv. Marc.* 4, 39. *med.* Cohibuit praecogitationem.

PRAECOGĪTĀTUS, a, um, part. a *praecogito*: ante cogitatus. *Liv.* 40, 4. *f.* Multo ante praecogitatum facinus. *Sen. ep.* 76. *f.* Praecogitati mali mollis ictus venit.

PRAECOGĪTO, as, avi, atum, a. 1. *προνοοῦμαι*, ante cogito, praemeditor. *Quint.* 12, 9. *f.* Licet praecogitare plura, et animum ad omnes casus componere. *Imppp. Arcad., Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 8, 4, 20. Praecogitare abscessum.

PRAECOGNĪTĬO, onis, f. anticipata cognitio. *Boeth. Consol. Philos. pros.* 5, 4. Hoc igitur modo etiam si praecognitio non fuisset, necessarios futurorum exitus esse constaret.

PRAECOGNĪTUS, a, um, part. *praecognosco*: *προεγνωσμένος*, ante cognitus. *Planc.* ad *Cic Fam.* 10, 15. *f.* Si latro, praecognito nostro adventu, rursus in Italiam se recipere coeperit.

[*PRAECOGNOSCO, ovi, itum, a. 3. ante cognoscere. *Suet. Aug.* 97. Mors quoque ejus, de qua dehinc dicam, divinitasque post mortem evidentissimis ostentis praecognita est.]

*PRAECOGNOSCENTIA, ae, f. praecognitio. *Mac. Victor.* adv. *Arium.* 4. p. 201. et 231. *Bail.*

PRAECŌLO, is, a. 3. ante colo, praefero. *Tac. A.* 14, 22. Fovebantque multi, quibus nova et ancipitia praecolere, avida et plerumque fallax ambitio est. [*Apud solum *Tac.* legitur.]

PRAECOMMŌDO, as, a. 1. ante commodo, praebeo. *Impp. Theodos. et Valent. Cod. Theod.* 14, 27, 2. Quingentos solidos (*iis*) praecommodari decernimus. *Coripp. Laud. Justin.* 1, 7. Officio quocumque datur, praecommodo linguam.

PRAECOMMŌVĔO, es, a. 2. ante, aut valde commoveo. *Sen. Thyest.* 299. Si nimis durus preces spernet Thyestes, liberos ejus rudes, et faciles capi praecommovebunt.

PRAECOMPŌSĬTUS, a, um, part. ab inus. *praecompono*: ante compositus, meditatus, paratus. *Ov. Fast.* 6, 674. Cum praecomposito nuncius ore venit.

PRAECŌNANS, antis, part. ab inus. *praeconor*, praeconem agens. *Capell.* 1, 17. Ingressuros cunctos nominatim vocabat Fama praeconans.

PRAECONCEPTUS, a, um, part. ab inus. *praeconcipio*, ante conceptus; *προσυλληφθείς*. *Plin.* 2, 82, 84. Specus praeconceptum spiritum exhalant. *Hard.* ex MSS. legit *conceptum*.

[PRAECONCINNĀTUS, a, um, part. ab inus. *praeconcinno*: *Appul. Met.* 5. Illa (*Psyches soror*) praeconcinnato mendacio fallens maritum, etc. *h. e.* ante composito. Alii minus recte leg. *reconcinnato*. *F.*]

PRAECONDĬO, is, a. 4. ante condio. *Apic.* 8, 8. *med.* Leporem praecondies, sicut haedum Tarpejanum.

*PRAECONIATIO, onis, f. praedicatio. *Interpr. Iren.* 3, 3. *B. A.*

PRAECONĪNUS, a, um. V. PRAECO.

*PRAECONĬO, as, a. 1. praeconor. *Id.* 2, 58. *B. A.*

PRAECONĬUM, ii, n. *κήρυγμα*, officium, munus, et vox praeconis. *Cic. Fam.* 6, 18. Eos qui facerent praeconium, vetari esse in decurionibus. *Id. Att.* 13, 12. Ligarianam praeclare vendidisti: posthac quidquid scripsero, tibi praeconium deferam, *h. e.* quidquid venale scripsero, vendendi curam tibi tradam. Simul allegorice hoc dicit: orationem meam pro Ligario pulcre commendasti, et in causa fuisti, ut multi probarent: posthac quaecumque scripsero, edenda tibi mandabo. *Appul. Met.* 6. Nil superest, quam tuo praeconio praemium investigationis publicitus edicere, *h. e.* te praecone praedicante et rem amissam, et praemium invenientis: nam praecones adhibebantur amissis rebus investigandis. V. PRAECO. ℙ [**Praeconio contendere* ap. *Suet. Ner.* 24. est de vocis claritate certamen iniit victoriamque sibi vindicavit: nempe praecones ante ludorum missionem et ipsi coronabantur, qui optime praeconium fecissent. *Cic. Fam.* 5, 12. Cum praecones ipsi ante ludorum missionem corona donentur.] ℙ Translate est publicatio, divulgatio. *Cic. Or.* 2, 20. *f.* Homo stultitiae suae quamplurimos testes domestico praeconio colligens. *Ov. Trist.* 5, 1, 9. Ut cecidi, perago, subiti praeconia casus. *Id. Pont.* 1, 1, 55. Talia coelestes fieri praeconia gaudent, Ut, sua quid valeant numina, teste probent. *Id. Trist.* 4, 9, 19. Nostra per immensas ibunt praeconia gentes: Quodque querar, notum, qua patet orbis, erit. *Id. Her.* 17, 207. Non ita contemno volucris praeconia Famae, Ut probris terras impleat illa meis. ℙ De praedicatione, quae cum laude conjuncta est (ex more praeconum res venales laudantium). *Cic. Arch.* 9. Neque quisquam est tam aversus a Musis, qui non mandari versibus suorum laborum facile praeconium patiatur. *Id. Fam.* 5, 12. *f.* Ut non solum mihi praeconium, quod Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam grave testimonium impertitum clari hominis magnique videatur. *Plin.* 16, 13, 24. Multum Homeri praeconio Achillis hasta nobilitata est. *Ov. Pont.* 4, 8, 45. Carmina vestrarum peragunt praeconia laudum. *Id. Am.* 3, 12, 9. quid enim formae praeconia feci? Vendibilis culpa facta puella mea est.

[PRAECONĬUS, a, um, adj. ad praeconem pertinens. *Cic. Quint.* 31. Cujus vox in praeconio quaestu prostitit, *h. e.* qui vocem venalem, utpote praeco, habuit. *Inscr.* in *Novell. lett. di Fir.* T. 12. p. 438. M. Falcidio M. Fil. Pal. Hypatiano adlecto in ordinem *decurionum* Puteolanor. ordo decuriae Juliae *praeconiae consularis* ob merita M. Falcidii Cupiti praeconis et apparitor. Aug. patris ejus. Huc pertinere videtur alia ap. *Grut.* 36, 6. L. Aratius Phoebus decurialis decur. Juliae praeco .... consularis, voto suscepto, etc. Haec itaque decuria a Julio Caesare instituta dicitur *praeconia consularis*, quia solis praeconibus consuli inservientibus constabat. V. PRAECO. *F.*]

*PRAECONOR, aris, dep. 1. praedico. *Interpr. Iren.* 5. *B. A.*

PRAECONSŪMO, is, a. 3. ante consumo. *Ov. Met.* 7, 488. utilius bellum putat esse minari, Quam gerere, atque suas ibi praeconsumere vires.

PRAECONSUMPTUS, a, um, part. a *praeconsumo*, ante consumptus. *Ov. Trist.* 4, 6, 29. vires afferre recentes, Nec praeconsumptum temporis esse malis.

PRAECONTEECTO, as, a. 1. ante contrecto. *Ov. Met.* 6, 478. Spectat eam Tereus, praecontrectatque videndo; [*i. e. jam nunc membris ejus spectandis libidinem suam pascit.] [Sic dixit *Cic. Tusc.* 3, 15. mente contrectandas voluptates; et *Tac. A.* 3, 12. Nudare corpus, et contrectandum vulgi oculis permittere. *F.*]

[PRAECŌQUĔ, adv. ante tempus maturitatis. Translate. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 38. At enim Alexander praecoque properans. *F.*]

PRAECŌQUIS, e, et

PRAECŌQUUS, a, um. V. PRAECOX.

PRECŌQUO, is, oxi, octum, a. 3. *προέψω*, ante coquo. *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 4. Vapore constat culpa, acinique praecoquuntur in callum, *h. e.* priusquam crescant, decoquuntur in callum, ut ait *Id.* 17, 24, 37. *n.* 6.

PRAECORDIA, orum, n. plur. [**περικάρδια*,] *φρένες, διάφραγμα, διάζωμα*, membrana pectoris viscera ab alvo seu ventre separans: ita dicta, quia cordi praetenditur. *Plin.* 11, 37, 77. Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membrana, quae praecordia appellant, quia cordi praetenditur, quod Graeci appellaverunt *φρένας*. (Quod *φρένες* idem sint ac *διάζωμα*, et *διάφραγμα*, clare docent *Aristot. de part. anim.* 3, 10. et *Plato* in *Timaeo* p. 70.) et *mox:* In eadem praecipua hilaritatis sedes. Ob hoc in proeliis mortem cum risu trajecta praecordia at-

tulerunt. ℙ Metonymice sunt cor, pulmo, et quaecumque partes cordi vicinae. *Plin.* 30, 5, 14. Praecordia vocamus uno nomine exta in homine. *M. Coel.* ap. *Quint.* 4, 2. *med.* Ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis praecordiis stertentem. *Cels.* 4, 1. Sub corde atque pulmone transversum ex valida membrana septum est, quod a praecordiis uterum diducit. *Plin.* 11, 37, 82. Pectus, hoc est ossa, praecordiis et vitalibus natura circumdedit. *Id.* 26, 7, 19. Acoron jocinori medetur, thoraci quoque, et praecordiis. ℙ Item aliquando ea, quae ὑποχόνδρια Graeci vocant, h. e. spatium utrimque sub costis spuriis, in quo sunt ventriculus, hepar, lien, etc. *Cels.* 2, 3. et 7. Si praecordia sine ullo sensu doloris aequaliter mollia in utraque parte sunt. *Id.* 5, 26. *n.* 10. Ad spinam reducta praecordia; et *n.* 12. Praecordia cum ventriculo ab eadem parte indurescunt. *Suet. Aug.* 81. Praecordiorum inflatione tentari. ℙ Et universim viscera, intestina. *Cic. Fin.* 5, 30. *f.* Ipse annulus in praecordiis piscis inventus est. ℙ Pro pectore. *Ov. Met.* 12, 140. clypeo genibusque premens praecordia duris. ℙ Pro toto corpore. *Id. Met.* 7, 559. Non stratum, non ulla pati velamina possunt, Dura sed in terra ponunt praecordia: nec fit Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet. ℙ Ut cor, et pectus, ita praecordia sunt sedes sensuum et affectuum. *Juven.* 13, 181. quorum praecordia nullis Interdum, aut levibus videas flagrantia causis, *h. e.* ira ardentia. *Id.* 1, 167. tacita sudant praecordia culpa. *Ov. Her.* 12, 183. si forte preces praecordia ferrea tangunt. *Tibull.* 1, 1, 77. Flebis, non tua sunt duro praecordia ferro Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex. *Prop.* 2, 3, 13. Alter saepe uno mutat praecordia verbo, *h. e.* sententiam: mollitur, cedit. *Virg. A.* 2, 367. Quondam etiam victis redit in praecordia virtus; et *Petr. Sat.* 17. Major in praecordiis dolor saevit. *Hor. Sat.* 1, 4, 89. Condita cum verax aperit praecordia Liber. Sic *Pers.* 5, 21. tibi nunc, hortante Camena, Excutienda damus praecordia. ℙ *Praecordia mentis*, sedes intima mentis. *Ov. Met.* 11, 149. Pingue sed ingenium mansit: nocituraque, ut ante, Rursus erant dominos tolidae praecordia mentis. [*V. *Gierig.* ad h. l.]

*PRAECORDIALĬTER, adv. *Sarisb. Ep.* 125. Praecordialius studere promereri, i. e. majore affectu amoris. *B. A.*

PRAECORRUMPO, is, a. 3. ante corrumpo. *Ov. Met.* 14, 134. dum praecorrumpere donis Me cupit.

PRAECORRUPTUS, a, um, part. a *praecorrumpo*, ante corruptus. *Ov. Met.* 9, 295, Illa quidem venit, sed praecorrupta, meumque Quae donare caput Junoni vellet iniquae.

PRAECOX, cŏcis, Praecŏquis, e, et Praecŏquus, a, um, adj. ἄνωρος, πρώϊμος, maturescens celeriter, vel ante tempus justum et legitimum, praematurus: a *prae*, et *coquo*, maturo. Dicitur proprie de terrae fructibus. *Plin.* 19, 6, 34. Allium praecox maturescit sexaginta diebus. *Id.* 21, 4, 10. Rosa hieme tota praecox. *Id.* 17, 2, 2. Cum praecoces excurrere germinationes, evocatae indulgentia coeli, secutis frigoribus exuruntur. Qua de causa serotinae hiemes noxiae. *Colum.* 3, 2. *med.* Vites praecoquis fructus. *Id. ib.* 9. *med.* Ex una praecoque vite. *Id.* 5, 10. *med.* Pira volema, mulsa, praecocia. *Id.* 12, 37. et 39. Uvas praecoquas quam maturissimas legere. *Calpurn. Ecl.* 2, 42. et modo cogit Insita praecoquibus subrepere persica prunis. Alii leg. *praecocibus*. *Colum.* 1, 6. *med.* Vina celerius vetustescunt, quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt. ℙ De arboribus praecocem fructum ferentibus. *Colum.* 3, 1. et 2. Praecoques vites. *Plin.* 16, 27, 50. Praecoces arbores. ℙ *Praecocia loca*, in quibus fructus praecoces sunt. V. SEROTINUS. ℙ [*Praecoqua*, absolute sunt persicorum, vel prunorum, vel armeniacorum praecocium fructus, qui aestate maturescunt: hinc eosdem Graeci recentiores corrupte βερίκοκκα, nostrates vulgo *baricocoli*, Itali *albicocchi* vocant. *Pall.* 2, 15. *f.* Pruno armenia inseremus, et praecoqua. *Id.* 12, 7. *med.* Armenia, vel praecoqua prunis, duracina amygdalis melius adhaerescunt, et tempus aetatis requirunt. *Gargil. de re hort.* (ed. *A. A. Scotto*) 4, 8. Omnibus persicis, maxime tamen praecoquis, et armeniis, quoties abundantibus pomis arbor onerata est, decerpenda sint aliqua; et 9. Sed armenia, vel praecoqua peculiariter prunis insita floridiora sunt. *F.*] ℙ Translate de omnibus dicitur, quae ante tempus fiunt, vel contingunt. *Afran.* ap. *Gell.* 10, 11. Appetis dominatum demens praemature praecocem. *Nov.* ap. *Non.* 2, 627. Huic puellae praecoquis libido est. *Enn. ib.* Praecox pugna. *Lucil. ib.* et *Verr. ib.* 678. fuga. *Sen. Br. V.* 6. audacia, *h. e.* quae in puero et praetextato est. *Stat. Silv.* 2, 1, 39. modestia. *Plin. prooem.* 7. de infantib.: Risus praecox ille, et celerrimus ante quadragesimum diem nulli datur. *Quint.* 1, 3. Illud ingeniorum velut praecox genus non temere unquam pervenit ad frugem. *Tert. Anim.* 20. Pueri mense citius eloquuntur praecoce lingua. ℙ *Praecoque, adverbii more ap. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 38. At enim Alexander praecoque properans. *B. A.*

PRAECRASSUS, a, um, adj. valde crassus. *Plin.* 16, 8, 13. Suberis cortex praecrassus, ac renascens.

[PRAECRŪDESCO, is, ui, n. 3. valde crudesco. *Not. Tir.* p. 81. Praecrudescit, praecruduit. *F.*]

PRAECŬLCO, as, a. 1. ante, aut valde inculco. *Tert. Monog.* 10. Ad cujus sensum facilius perspiciendum tanto instantius praeculcandum est, mulierem teneri, etc.

PRAECULTUS, a, um, part. a *praecolo*, ante, aut valde excultus, praeparatus. *Cic. Part.* 23. Sunt alii quidam perfecti animi habitus, ad virtutem quasi praeculti, et praeparati rectis studiis et artibus. *Quint.* 11, 1. *med.* Genus eloquentiae plenum, et erectum, et audax, et praecultum senibus non convenit. *Stat. Th.* 2, 297. Tunc donis Argia nitet, vilesque sororis Ornatus sacro praeculta supervenit auro.

PRAECŪPĬDUS, a, um, adj. valde cupidus, percupidus. *Suet. Aug.* 70. Notatus est, ut pretiosae supellectilis, Corinthiorumque praecupidus.

PRAECŪRO, as, a. 1. ante curo. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37. Corpus erit praecurandum unctione olei lentiscini. *Tert. adv. Marc.* 2, 29. *f.* Res suas rationali aemulatione maturitatis praecurare.

PRAECURRENS, entis, part. a *praecurro:* praecedens. *Val. Max.* 5, 2. *extr. n.* 4. Ille, adventum Scipionis fatis suis praecurrentibus, haec praeceperat. *Cic. Part.* 2. *f.* Primordia rerum, et quasi praecurrentia. ℙ *Praecurrentia* a rhetoribus dicuntur, quae rem aliquam vel actionem praecedunt, sicut *antecedentia;* et *consequentibus* opponuntur. *Id. Or.* 2, 39. Et contraria, et consequentia, et consentanea, et quasi praecurrentia.

PRAECURRO, is, praecŭcurri, et praecurri, ursum, a. 3. προτρέχω, ante curro, praecedo. *Pl. Merc.* 1, 2. *f.* Ea huc praecucurri gratia, ne te opprimeret imprudentem. *Ter. Hec.* 3, 3, 11. Propere praecucurrit, nuncians me venisse. *Liv.* 40, 7. *med.* Praecucurrit index ad Persea. Alii leg. *praecurrit.* [*Hoc non ferendum: nam verbum *curro* in compositione reduplicationem non aeque deponit, ac *cado*, *caedo*, *tango*, etc. quamquam saepissime a librariis omitti satis quidem constat. Exempla collegit *Drakenb.* ad *Liv.* 1, 12.] *Caes. B. C.* 3, 80. Eo fama jam praecucurrerat de proelio Dyrrhachino. *Hirt. B. Alex.* 8. Praecursuri, et loca excelsiora atque aedificia occupaturi. [**Caes. B. G.* 6, 39. praecurrunt equites.] ℙ Translate. *Cic. Or.* 52. *med.* Horum uterque Isocratem aetate praecurrit. *Id. Div.* 1, 52. Ut certis rebus certa signa praecurrerent. [**Lucr.* 1, 371. sq. Illud in heis rebus ne te deducere vero Possit, quod queidam fingunt, praecurrere cogor. *Sil.* 4, 495. praecurrere fata, i. e. se priorem interficere. ℙ Est etiam antevertere, *zuvoreilen*, *vorauseilen:* in malam fere partem de temeritate ita dicitur. Huc pertinet locus, quem *Noster* in antecedd. laudaverat, *Cic. Acad.* 4, 48. Nihil esse turpius, quam cognitioni et perceptioni assertionem approbationemque praecurrere. *Id. Am.* 17. Praecurrit amicitia judicium. Adde *Off.* 1, 29. efficiendum, ut appetitus rationi obediant, eamque neque praecurrant, nec propter ignaviam deserant.] ℙ Anteeo, supero, antecello. [*Huc ex antecedd. transferendus locus est *Hor. Ep.* 1, 10, 32. licet sub paupere tecto Reges, et regum vita praecurrere amicos, *h. e.* diutius vivere.] *Nep. Thras.* 1. Cum eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate praecucurrerunt. [*V. *Brem.*] *Auct. dial. de Or.* 22. Cicero nulla re magis ejusdem aetatis oratores praecurrit, quam judicio: primus enim excoluit orationem, etc. [**Cic. Pet. Cons.* 7. ut homo iners hominem diligentem praecurrat, sine magna negligentia fieri non potest. *Id. Or.* 3, 61. cui (Hortensio adolescenti) quamquam faveo, tamen illum aetati suae praestare cupio: vobis vero illum tanto minorem praecurrere vix honestum est.]

[PRAECURSĀTOR, oris, m. idem ac praecursor. *Ammian.* 16, 12. *med.* Revocatis praecursatoribus jam antegressis. *F.*]

PRAECURSĬO, onis, f. προοδοιπή, actus praecurrendi, antecessio. *Cic. Fat.* 19. Confitentes, non fieri assensiones sine praecursione visorum. ℙ In re militari. *Plin. ep.* 6, 13. *extr.* Aestima quantum proelium, quanta pugna certamini maneat, cujus quasi praelusio atque praecursio has contentiones excitavit. ℙ Ipsa causa praecedens et praemovens. *Cic. Top.* 15. Alia praecursionem quandam adhibent ad efficiendum, et quaedam afferunt per se adjuvantia, ut amori congressio causam attulerit, amor flagitio.

PRAECURSOR, oris, m. πρόδρομος, qui praecurrit, ut in exercitu qui ante signa procurrunt. *Liv.* 26, 17. *extr.* Levia proelia inter extremum Punicum agmen, praecursoresque Romanorum fiebant. ℙ Urbane. *Cic. Verr.* 2, 5, 41. *extr.* Quem iste in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia praecursorem habere solebat, et emissarium. *Plin. Pan.* 76. *f.* Ita domo progrediebatur, ut illum nullus apparatus arrogantiae principalis, nullus praecursorum tumultus detineret, *h. e.* anteambulonum. ℙ Translate. *Nazar. Pan. Const.* 3. *med.* Quorum in annis pubescentibus non erupturae virtutis tumens germen, non flos praecursor indolis bonae, etc.

PRAECURSORĬUS, a, um, adj. qui praecurrit. *Plin. ep.* 4, 13. Interim ne quid festinationi meae pereat, quod sum praesens petiturus, hac quasi praecursoria epistola rogo; et *ep.* 9. *extr.* Habebis hanc interim epistolam ut πρόδρομον. V. PRAECEPTORIUS. *Ammian.* 15, 1. Apodemius, praecursorius index, Mediolanum advenit. Alii leg. *procursorius.* [Adde 31, 3. *Cassiod. Var.* 3, 51. Equi desultorii, per quos circensium ministri missus denunciant exituros, luciferi praecursorias velocitates imitantur. *F.*]

PRAECURSUS, a, um, adj. a *praecurro:* qui praecurrit. *Ammian.* 18, 2. Haerebat anxius, qua vi, qua celeritate, rumore praecurso, terras eorum invaderet.

PRAECURSUS, us, m. praecursio. In sexto casu sing. *Plin.* 16, 25, 42. Deflorescunt omnia intra octavum Idus Julii, etesiarum praecursu, *h. e.* praecurrendo etesias.

PRAECUSSUS, a, um, part. a *percutio*, ante, aut valde concussus. *Appul. Met.* 3. Sonitu vehementi, et largo strepitu praecussis januis. Alii leg. *percussis.*

PRAECŪTĬO, is, ussum, a. 3. ante quatio. *Prop.* 3, 14, 16. Ipse Amor accensas praecutit ante faces. *Ov. Met.* 4, 757. taedas Hymenaeus, Amorque Praecutiunt, *h. e.* dum praeferunt taedas ante sponsos, easdem quatiunt, ut magis splendescant.

PRAEDĂ, ae, f. λεία, corpora rerum, quae capta sunt, ut definit *Gell.* 13, 24. *f.* V. MANUBIAE. *Varr. L. L.* 4, 36. Praeda est ab hostibus capta, quod manu parta: ut parida, praeda. V. *Voss.* in *Etym. Cic. Agr.* 2, 23. Si est aequum, praedas ac manubias suas imperatores, non in urbis ornamenta conferre, sed ad decemviros reportare. *Id. Prov. cons.* 11. *med.* Illum putabam etiam sine hoc subsidio pecuniae, retinere exercitum praeda ante parta, et bellum conficere posse. *Sall. Jug.* 15. *f.* Regnum ejus sceleris sui praedam fecit; et *ib.* 37. Ex pacatis praedas agere. *Virg. A.* 9, 613. comportare, et vivere rapto. *Tac. A.* 4, 48. vastare, urere, trahere. *Nep. Chabr.* 2. magnas facere ab hostibus. *Cic. Dom.* 58. Praedam capere ex fortunis alicujus. *Pl. Truc.* 1, 2, 14. capere de praedonibus. *Caes. B. G.* 7, 11. *extr.* militibus donare. *Lucan.* 7, 737. Militem in praedam ducere. *Cass.* ad *Cic. Fam.* 12, 12. Sequi spem praedae et rapinarum. *Virg. A.* 9, 450. victores praeda, spoliisque potiti. *Nep. Alc.* 5. Inde praeda onusti, locupletato exercitu, Athenas venerunt. ℙ De venatione. *Hor. Od.* 4, 4, 50. Cervi luporum praeda rapacium. *Plin.* 8, 55, 81. Lepus omnium praedae nascens. Adde *Phaedr.* 1, 5., *Virg. A.* 3, 223., *Mart.* et *Ov.* saepe, *Manil.* 4, 181. et *Nemes. Cyn.* 50. De piscatu *Ov. Met.* 13, 936. et *Pl. Rud.* 4, 2, 4. De aucupio *Sen. Hippol.* 819. Praedam de mediis nubibus afferes. ℙ De quocumque lucro, quaestu. *Hor. Sat.* 2, 3, 68. Rejecta praeda, quam praesens Mercurius fert. *Tibull.* 2, 6, 17. Ferrea non Venerem, sed praedam saecula laudant: Praeda tamen multis est operata malis. *Cic. Verr.* 2, 3, 50. *f.* Maximos quaestus praedasque facere. [**Nep. Chabr.* 2, 3. a quibus magnas praedas Agesilaus faciebat: ubi v. *Brem.*] et *Plin.* 26, 1, 31. Medici hanc solam operam afferentes, magna sua praeda. ℙ Huc pertinet illud *Proverb.* 31, 14. Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum: Et de nocte surrexit, deditque praedam domesticis suis, et cibaria ancillis suis. ℙ De re inventa usurpat *Phaedr.* 5, 6. ℙ Translate. *Ov. Her.* 15, 51. Nunc tibi Sicelides veniunt, nova praeda, puellae. *Pl. Ps.* 4, 7, 23. Praeda haec mea est: scortum quaerit, habet argentum. *Verba sunt lenonis.* ℙ Olim praedam vocabant, inquit *Scal.* in *Conject.* ad *Varr.*, id, quo in locationibus, et rebus mancupi, et aliis ejusmodi publice cavebatur. Itaque ubi legitur ap. *Varr. L. L.* 4, 4. *extr.* Praedia dicta, item ut praedes, a praestando, quod, eo pignore dato, publice mancupes fidem praestent: *Scal.* ita legi mallet: *Praeda dicta*, *item ut praedes*, *a praestando*, *quod*, *ea pignori data*, etc.

PRAEDĂBUNDUS, a, um, adj. multas praedas agens. *Sall. Jug.* 95. Dicit, se praedabundum eodem esse venturum. *Liv.* 2, 26. Exercitus praedabundus.

PRAEDAMNĀTĬO, onis, f. anticipata damnatio. *Tert. Hab. mul.* 4. Notam praedamnationis inurere alicui. Adde *Apol.* 27. *med.*

PRAEDAMNĀTUS, a, um, part. a *praedamno*, ante damnatus. *Liv.* 4, 41. *f.* Culpam ejus temporis in praedamnatum collegam transferens. *Id.* 27, 18. Ostendebat hostem, praedamnata spe aequo dimicandi campo, captantem tumulos, loci fiducia, non virtutis armorumque, stare in conspectu, *h. e.* improbata, abjecta, rejecta.

PRAEDAMNO et Praedemno, as, avi, atum, a. 1. προκαταδικάζω, ante tempus, aut indicta causa damnō. *Suet. Aug.* 56. Ne si deesset, destituere ac praedamnare amicum existimaretur. *Val. Max.* 6, 9. Stultum est perpetuae infelicitatis se praede-

mnare. *Lactant.* 5, 1. Nec praedamnari quemquam incognita causa licet. V. v. praec.

PRAEDĀTĪCIUS, a, um, adj. λῃδιος, λῃστὸς, qui est ex praeda. *Gell.* 14, 18. *extr.* Aegre passus, quod rationem pecuniae praedaticiae poscerētur. Adde 13, 24. *f.*

PRAEDĀTĬO, onis, f. λῃστεία, σύλη, ἄγρευσις, actus praedandi. *Tac. A.* 12, 29. Fama ditis regni, quod Vannius praedationibus, et vectigalibus auxerat. *Vell.* 2, 73. Latrociniis ac praedationibus infestato mari. *Lactant.* 5, 9. Aperta praedatione grassari.

PRAEDĀTOR, oris, m. λῃστὴς, qui praedas agit, praedo. *Sall. Jug.* 48. Exercitus iners, imbellis, praedator ex sociis, et ipse praeda hostium. *Cic. Cat.* 2, 9. *f.* Quos ego in eodem genere praedatorum direptorumque pono. ℙ Venator. *Ov. Met.* 12, 306. Abas praedator aprorum. *Phaedr.* 2, 1. Super juvencum stabat dejectum leo: Praedator intervenit partem postulans. *Stat. Theb.* 4, 315. raptis velut aspera natis Praedatoris equi sequitur vestigia tigris. V. VENATOR. ℙ Item lucri, praedae, pecuniae cupidus, avarus. *Tibull.* 2, 6, 23. Praedator cupit immensos obsidere campos, Ut multo innumeram jugere pascat ovem. ℙ *Praedator Juppiter* dictus est, non quod praedae praeesset, sed quod praedae aliquid ei deberetur: habuitque hoc nomine Romae templum, si *Servio* credimus ad illud *A.* 3, 222. ipsumque vocamus In praedam partemque Jovem. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 85. Ne quis praedator corporis admitteretur in domum, *h. e.* pudicitiae corruptor.

PRAEDĀTORĬUS, a, um, adj. ad praedatorem, seu ad praedandum pertinens, λῃστικὸς. *Sall. Jug.* 23. *f.* Non, ut antea, cum praedatoria manu, sed magno exercitu comparato bellum gerere coepit. *Liv.* 29, 28. Praedatoriae classes, quibus exscensiones in agros maritimos factae erant. *Id.* 34, 36. Omnem oram praedatoriis navibus infestam habens. Adde *Pl. Men.* 2, 2, 69. [**Tac. A.* 4, 24.]

PRAEDĀTRIX, icis, f. λῃστὶς, quae praedatur. *Stat. Silv.* 1, 5, 22. et Herculei praedatrix cedat alumni, *h. e.* Dryope Nympha, quae Hylam rapuit. *Ammian.* 26, 6. Subsidebat, ut praedatrix bestia, viso quod capi poterat, protinus eruptura.

PRAEDĀTUS, a, um, part. a *praedor:* qui praedas egit. *Tac. Agr.* 29. Praemissa classe, quae pluribus locis praedata, magnum terrorem faceret. *Petr. Sat.* 83. Hylam Nympha praedata imperasset amori suo, si venturum ad interdictum Herculem credidisset. ℙ Item praeda potitus, ditatus, onustus. *Pl. Ps.* 4, 7, 39. et *Rud.* 5, 2, 29. Bene ego ab hoc praedatus ibo. *Id. Pers.* 4, 4, 115. Heu praedatus probe! ℙ Passive, praedando ablatus. *Id. Rud.* 4, 7, 16. Mihi istaec videtur praeda praedatum iri. *Vopisc. Prob.* 8. Cum de praedato repertus esset equus non decorus.

PRAEDĀTUS, a, um, adj. ante datus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37. *med.* Ut mediocriter cibum demus, sed per intervalla frequentius, praesentientes jam fuisse digesta praedata. Adde *ib.* 3, 17. et *Tard.* 1, 1. et *ib.* 2, 1. et *ib.* 3, 7. *f.*

PRAEDĀTUS, us, m. praedatio. *Liv.* 38, 23. Consul direptione, praedatibusque abstinet. Ita leg. ex conjectura *Gronov.* Al. *praedaque.*

PRAEDĔCESSOR, oris, m. decessor, praecessor, προάρξας. *Rut. Itin.* 1, 474. Praedecessoris major amore fuit. *Symm. ep.* 10, 47. (al. 54.) Cognitio, et relatio viri illustris praedecessoris mei.

PRAEDĔLASSO, as, a. 1. ante delasso. *Ov. Met.* 11, 730. adjacet undis Facta manu moles, quae primas aequoris iras Frangit, et incursus quae praedelassat aquarum.

PRAEDĔLĒGĀTĬO, onis, f. delegatio ante tempus facta. *Impp. Theod. et Valent. Cod.* 11, 5, 3. Ut praedelegatio manifestetur in locis, etc.

PRAEDEMNO. V. PRAEDAMNO.

PRAEDENSĀTUS, a, um, part. ab inus. *praedenso*, praedensus. *Plin.* 9, 33, 52. Praedensata, porrecta, sinuata. Ita *edd. vet.* 1469. et 1472. Alii cum *Hard.* densata.

PRAEDENSUS, a, um, adj. valde densus. *Plin.* 18, 16, 41. Farrago praedensa seritur; et *ib.* 7, 10. *n.* 3. Panicum praedensis acervatur granis; et *ib.* 18, 48. Culter vocatur, praedensam, prius quam proscindatur, terram secans.

PRAEDES. V. PRAES.

PRAEDĔSIGNĀTUS, a, um, part. ab inus. *praedesigno*, ante designatus. *Tert. Resurr. carn.* 22. *f.* Et mittat praedesignatum vobis Christum.

PRAEDĔSTĪNĀTĬO, onis, f. vox theologorum. Est *Augustini* liber, qui *de praedestinatione Sanctorum* inscribitur, et *Boethii Consol. philos. pros.* 4, 6.

PRAEDĔSTĪNO, as, a. 1. ante destino. *Liv.* 45, 40. *f.* Quos praetextatos curru vehi cum patre, sibi ipsos similes praedestinantes triumphos, oportuerat. *Auct. Pan. ad Max. et Constant.* 7. Cum tibi in illa jucundissima sede laetitiae harum nuptiarum gaudia praedestinabas. *Prud. Cath.* 12, 67. Puer o, cui trinam pater Praedestinavit indolem.

PRAEDEXTER, ra, rum, adj. valde dexter, agilis, aptus. *Grat. Cyn.* 67. ceciditque suis Ancaeus in armis, Ut praedexter erat, geminisque securibus ingens. *Barth.* intelligit aequimanum, ambidexterum, ἀμφιδέξιον: ideo duabus securibus armatum.

PRAEDĬĀTOR, oris, m. qui praedia publico obligata, et hastae subjecta ob vectigalia non soluta emit. *Gloss. Philox.* Praediator, ὠνητὴς ὑπαρχόντων: ὑπὲρ φόρου δήμου ἐνδεδεμένος. *Salmasius* ita rectius legend. putat: ὑπαρχόντων. Praediatus, ὑπὲρ φόρου δήμῳ ἐνδεδεμένος. *Cic. Att.* 12, 14. Procuratores Cornificii, et Apulejum praediatorem videbis; et *ib.* 17. Etsi reus locuples est, et Apulejus praediator liberalis. *Id. Balb.* 20. Si Q. Scaevola augur, cum de jure praediatorio consuleretur homo juris peritissimus, consultores suos nonnunquam ad Furium, et Cascellium praediatores rejiciebat, quod assiduus usus uni rei deditus et ingenium, et artem saepe vincit; quis dubitet, de foederibus, et de toto jure pacis et belli omnibus juris peritissimis imperatores nostros anteferre? [*Cf. de h. l. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.] V. *Val. Max. l. c.* in v. sq. In *Dig.* 23, 3, 54. *in lemmate:* Cajus ad edictum praetoris Urbani, titulo de praediatoribus. V. *Caji l. c.* in PRAEDIATURA.

PRAEDĬĀTORĬUS, a, um, adj. ad praediatorem pertinens. *Suet. Claud.* 9. Ad eas rei familiaris augustias decidit, ut, cum obligatam aerario fidem liberare non posset, in vacuum lege praediatoria pependerit sub edicto praefectorum. *Val. Max.* 8, 12. *n.* 1. Q. Scaevola quotiescumque de jure praediatorio consulebatur, ad Furium, et Cascellium, quia huic scientiae dediti erant, consultores rejiciebat. Quo quidem facto moderationem magis suam commendabat. Quo quidem facto moderationem magis suam commendabat, quam auctoritatem minuebat, ab his id negotium aptius explicari posse confitendo, qui quotidiano ejus usu callebant. Adde *Cic. Balb.* 20. *l. c.* in v. praec.

[PRAEDĬĀTŪRA, ae, f. emptio praediorum populo obligatorum, et ob vectigalia non soluta hastae subjectorum. *Cajus. Instit.* (ed. *Goesch.*) 2, 61. Si rem obligatam sibi populus vendiderit, eamque dominus possederit, concessa est usureceptio: sed hoc casu praedium biennio usurecipitur, et hoc est, quod vulgo dicitur ex praediatura possessionem usurecipi: nam qui mercatur a populo, praediator appellatur. *F.*]

PRAEDĬĀTUS, a, um, part. ab inus. *praedio:* praediis instructus, locuples. *Appul. Flor. n.* 22. Ipse bene vestitus, bene praediatus. ℙ [*Praediatus* lepida translatione dicitur Juppiter ap. *Capell.* 1, 16. In secunda (*mansione*) itidem mansitabant, praeter domum Jovis, quae ibi quoque sublimis est, ut est in omnibus praediatus, Quirinus, Mars, etc. *F.*] ℙ Item qui praedia sua populo obligavit ob non soluta vectigalia, aut tributa. V. *Gloss. Philox. l. c.* in PRAEDIATOR.

PRAEDĬCĀBĬLIS, e, qui praedicari, et palam dici, ac prae se ferri potest, praedicandus, gloriandus. *Cic. Tusc.* 5, 17. Est in aliqua vita praedicabile aliquid, aut gloriandum ac prae se ferendum.

PRAEDĬCĀTĬO, onis, f. κήρυξις, actus praedicandi, et palam faciendi, celebratio, commemoratio. Saepe dicitur de praeconio, h. e. praeconis munere aliquid elata voce enunciantis. *Cic. Agr.* 2, 18. Quam ego praeconi huic ipsi luctuosam et acerbam praedicationem futuram puto. *Appul. Met.* 6. Mercurius mandatae praedicationis munus exsequebatur. V. PRAEDICO. ℙ De aliis rebus. *Cic. Verr.* 2, 3, 61. Cogit Scandilium Apronio, ob singularem improbitatem, atque audaciam, praedicationemque nefariae societatis, dare, etc. *Appul. Apol.* In quibus omnia contra praedicationem istorum pro me reperiuntur. ℙ De ea, quae cum laude conjuncta est. *Pl. Mil.* 4, 6, 22. Metuo, ne praedicatio tua nunc meam formam exsuperet. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 14. Quod si in mediocri statu sermonis ac praedicationis nostrae res essent, nihil abs te eximium postularetur. *Id. Har. resp.* 8. Nec vereor, ne haec mea vestrorum beneficiorum praedicatio arrogans videatur. *Id. Arch.* 11. Praedicationem nobilitatemque fugere. *Id. Dom.* 11. Qui ab illo in me honos, quae praedicatio de mea laude praetermissa est! *Plin. ep.* 6, 8. Nam et ille amicitiam meam latissima praedicatione circumfert; et *ep.* 7, 31. *med.* et *ep.* 9, 9. *extr.* Cujus memoriam tam grata praedicatione prorogat, et extendit, ut, etc. *Plin. alter* 20, 10, 42. Radix asparagi plurimorum praedicatione trita. *Flor.* 4, 2. *med.* Nec vana de se praedicatio est Caesaris, ante victum hostem esse, quam visum. Sic *Plin.* 35, 3, 5. Aegyptii apud ipsos (*picturam*) inventam affirmant, vana praedicatione, ut palam est.

PRAEDĬCĀTĪVUS, a, um, adj. vox logicorum, ut *Praedicativa propositio* ap. *Appul. Dogm. Plat.* 3. *in.* Propositionum duae species sunt: altera praedicativa, quae etiam simplex est, ut si dicamus: *Qui regnat, beatus est*, altera substitutiva, vel conditionalis, quae etiam composita est: *Ajax, qui regnat, si sapit, beatus est*, substituis enim conditionem, etc.

PRAEDĬCĀTOR, oris, m. κήρυξ, qui praedicat, palam et saepe dicit, pronunciat, divulgat. Proprie est praeconis. *Appul. Met.* 6. Si quis a fuga retrahere, vel occultam demonstrare poterit fugitivam Psychen, conveniat retro metas Murtias Mercurium praedicatorem, accepturus indicinae nomine, etc. V. PRAEDICATIO et PRAEDICO, as. ℙ Item qui cum laude commemorat, et commendat, laudator, buccinator: ut praecones faciunt, cum res venales pronunciant. *Cic. Balb.* 2. Qui sui facti, sui judicii, sui beneficii voluit me esse et praedicatorem, et actorem. *Id. Fam.* 1, 9. Pompejo plurimum, te quidem ipso praedicatore ac teste, debebam. *Plin. ep.* 7, 33. Debemus optare, ut operibus nostris similis tui scriptor praedicatorque contingat. *Tert. adv. Marc.* 4, 28. *med.* Christus praemiserat digniores praedicatores.

[PRAEDĬCĀTORĬUS, a, um, adj. laudatorius. *Salv. adv. avar.* 19. *f.* Etiam laudari a te tales hos Deus prohibet, et tu ditare non metuis? dari his praedicatoria verba non vult, et tu etiam talenta largiris? *F.*]

PRAEDĬCĀTRIX, icis, f. quae praedicat. *Tert. Anim.* 46. Nec haec sola species erit summarum praedicatrix potestatum, sed et periculorum.

PRAEDĬCĀTUS, a, um, part. a *praedico*, de quo multa et palam dicta sunt. *Pl. Trin.* 2, 2, 54. Edepol hominem praedicatum ferme familiariter; et *Plin.* 12, 17, 39. Arborum cum miraculo historiis Claudii Caesaris praedicata; et 13, 24, 47. Frutex ab Aristomacho miris laudibus praedicatus. ℙ Praedictus, ut videtur. [*Tert. Fug. in persecut.* 12. *med.* Persecutiones praedicatas praecavere. *F.*]

PRAEDĬCO, as, avi, atum. a. 1. ἀναγορεύω, κηρύσσω, de re aliqua saepe ac palam dico, sermone celebro, commemoro, divulgo, pronuncio. Est proprium praeconum, elata voce rem aliquam publice pronunciantium, ut res venales, etc. *Cic. Verr.* 2, 3, 16. Si palam praeco jussu tuo praedicasset, non decumas frumenti, sed dimidias venire partes, et ita emptores accessissent, etc. *Pl. Stich.* 1, 3, 42. Itaque auctionem praedicem, ipse veneam. Adde *Cic. Quint.* 15. *f.*, *Off.* 2, 13. et *Fam.* 5, 12. *f.* et *Pl. Bacch.* 4, 7, 17. ℙ Universim est cujusque palam loquentis, enarrantis. *Ter. Eun.* 4, 4, 53. Utrum taceamne, an praedicem? *Sall. Cat.* 49. Ipsum Crassum ego postea praedicantem audivi, tantam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam. *Ter. Andr.* 3, 1, 7. Actum est, siquidem haec vera praedicat; et *Caes. B. G.* 4, 34. Barbari nuncios in omnes partes dimiserunt, paucitatemque nostrorum militum suis praedicaverunt, et quanta praedae faciendae facultas daretur. *Cic. Planc.* 21. Avus vero tuus tibi aedileciam praedicaret repulsam; et *Liv.* 4, 53. *med.* Consul praedam in aerarium redigere quaestores jussit, tum praedicans participem praedae fore exercitum, cum militiam non abnuisset. *Nep. Att.* 13. *extr.* Atque hoc non auditum, sed cognitum praedicamus; et *Eum.* 13. Neque quod initio praedicarunt, se Alexandri liberis regnum servare, id praestare voluerunt; et *Ter. Ph.* 4, 5, 13. Volo ipsius quoque voluntate hoc fieri, ne se ejectam praedicet; et *Pl. Amph.* 1, 1, 146. Quod mihi praedicas vitium, id tibi est, *h. e.* dicis, affirmas, me habere. Sic *Id.* 2, 1, 11. Scelestissime, audes mihi praedicare id, domi te esse nunc, qui hic ades? *Cic. Cat.* 1, 9. Si mihi, inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam. *Ter. Andr.* 5, 3, 4. Asin' tandem, civis Glycerium est? *Pam.* ita praedicant; et *Eun.* 3, 5, 17. Quid ego ejus tibi nunc faciem praedicem, aut laudem? et *Pl. Poen.* 5, 4, 75. Ei praedicabo, quomodo vos furta faciatis multa; et *Petr. fragm. Trag.* 74. *Burm.* Maledicere Trimalchionem coepit, et purgamentum dedecusque praedicare; et *Colum.* 7, 12. Canis falso dicitur mutus custos: nam quis hominum clarius, aut tanta vociferatione bestiam, vel furem praedicat, quam iste latratu? ℙ Saepe est commemorare cum laude, commendare, verbis extollere: ductum a praecone, qui, ut ait *Hor. Ep.* 2, 1, 11., laudet venales, cum vult extrudere, merces. *Cic. Arch.* 9. Nostra semper feretur et praedicabitur pugna, etc. et *ib.* 11. Praedicari de se, ac nominari volunt. *Id. Phil.* 11, 13. Quae de illo viro Sulla, quae Lucullus, quam ornate, quam honorifice, quam graviter saepe praedicaverunt! *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 3. Hortorum Cato praedicat caules. *Id.* 25, 5, 18. Praedicare aliquid miris laudibus. *Nep. Timol.* 4. laudes alicujus. *Id. Dion. f.* aliquem liberatorem patriae, tyrannique expulsorem. *Caes. B. C.* 2, 32. Qui de meis in vos meritis praedicaturus non sum. *Plin. ep.* 1, 8. *med.* Qui benefacta sua verbis adornant, non ideo praedicare, quia fecerint, sed, ut praedicarent, fecisse creduntur. *Id. ep.* 1, 14. *f.* Omnia longe ampliora, quam a me praedicantur, invenies. *Tac. Agr.* 8. *extr.* Ita virtute in obsequendo, verecundia in praedicando, extra invidiam, nec extra gloriam erat: quo sensu *Cic. Dom.* 35. Hoc reprehendis, quod solere me dicas de me ipso gloriosius praedicare. *Id. Pis.* 1. Mihi ista licet de me vera cum gloria praedicare. *Id. Tusc.* 5, 17. Beata vita glorianda, et praedicanda, et prae se ferenda est. *Caes. B. G.* 6, 17. Galli se omnes ab Dite

patre prognatos praedicant. *Nep. Thras.* 1. Fortuna, se plus valuisse, quam ducis prudentiam, vere potest praedicare. ℙ Videtur etiam sumi pro praedicere. *Tert. Fug. in persecut.* 6. Persecutiones eos passuros praedicabat, et tolerandas docebat.

PRAEDICO, is, xi, ctum, a. 3. *προλέγω*, ante, seu prius dico. *Sen. ep.* 102. At nisi aliquid praedixero, intelligi non poterunt, quae refellentur. *Plin. ep.* 10, 5. Epistolae, quas detinere, ut ante praedixi, nolui. *Ter. Andr.* 4, 4, 54. Alio pacto haud poterat fieri, ut sciret haec, quae volumus. *My.* hem praediceres. ℙ Item praenuncio, cano, praesignifico. *Cic. Fam.* 6, 6. *med.* Quo in bello nihil adversi accidit, non praedicente me. *Id. Div.* 1, 1. Chaldaei scientiam putantur effecisse, ut praedici posset, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset; et *ib.* et *Petr. Sat.* 137. *f.* Intelligere et praedicere futura. *Cic. Har. resp.* 25. Dii de clarissimorum civium dissensione praedicunt. *Id. Sen.* 14. *med.* Defectiones solis et lunae multo ante praedicere. Sic *Plin.* 2, 12, 9. In concionem productus ad praedicendam eclipsim. *Virg. Ecl.* 1, 17. malum hoc nobis De coelo tactas memini praedicere quercus, *h. e.* portendere. Sic *Sen. Q. N.* 2, 32. *med.* Nullum animal est, quod non motu et occursu suo praedicat aliquid. ℙ [*Praedicere signif. etiam supra memorare, quod *Vellejo* potissimum dicendi genus frequentatur. Huc pertinet locus, quem Noster perperam ab in. laud., *Vell.* 1, 4. Chalcidenses orti, ut praediximus, Atticis. Adde 1, 12. 2, 11. 12. 15. 35. 44. 46. 47. et cf. *Ruhnk.* in *praef. Vellejo* suo praemissa, et ad 2, 21, 1. ubi aliorum scriptt. exempla laud. Porro *Quint.* 3, 6, 89. Nihil ne in his quidem praeter tria, quae praediximus, quaeri: ubi v. *Spalding. Suet. Aug.* 90. ut praediximus: ubi v. *intpp.* Cf. etiam *praedictus.*] ℙ Item serio monere, de re aliqua, quae facienda sit, indicere, denunciare: nam quae serio volumus, multo ante quam fiant, indicere solemus. *Cic. Phil.* 6, 3. Testificor, denuncio, ante praedico, nihil M. Antonium eorum, quae legatis sunt mandata, facturum. *Nep. Them.* 7. Collegas jussit proficisci, eisque praedixit, ut ne prius legatos dimitterent, quam ipse esset remissus. *Vell.* 1, 13. Mummius jussit praedici conducentibus, si eas *(statuas)* perdidissent, novas eos reddituros. *Id.* 2, 82. Accessit nocte ad stationem Romanam, praedixitque, ne destinatum iter peterent, sed, etc. *Virg. A.* 3, 435. Unum illud tibi, nate Dea, proque omnibus unum Praedicam, et repetens iterumque iterumque monebo. [*Plura praesertim *Taciti* exempla v. in *Boettich. Lex. Tac.* p. 367.] ℙ *Praedicere diem*, constituere. *Tac. A.* 2, 79. Ubi praetor reo atque accusatoribus diem praedixisset. V. PRAEDICTUS.

PRAEDICTIO, onis, f. *προρρήσις, προαγόρευσις, προφητεία*, actus praedicendi, et ipsum id, quod praedicitur, divinatio. *Cic. N. D.* 2, 3. Praedictiones et praesensiones rerum futurarum. *Suet. Tib.* 14. Rediit magna spe futurorum, quam et ostentis et praedictionibus ab initio aetatis conceperat. *Cic. Div.* 2, 25. Omnis praedictio mali tum probatur, cum ad praedictionem cautio adjungitur; et *ib.* 42. Chaldaeis in praedictione, et in notatione cujusque vitae ex natali die, minime esse credendum; et *ib.* 1, 2. Hariolorum et vatum furibundas praedictiones audire. ℙ Rhetorica exornatio, species prolepsis. *Quint.* 9, 2. Est quaedam praemunitio, etc. quaedam confessio, etc. quaedam praedictio, ut: Dicam enim non augendi criminis gratia.

[PRAEDICTIVUS, a, um, adj. *προρρητικός*, qui praedicit, qui prognostica continet. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 12. Item libro praedictivo, quem *προρρητικὸν (Hippocrates)* appellavit. *F.*]

PRAEDICTUS, a, um, part. a *praedico: προρρηθείς*, ante, seu prius dictus, [*praenuntiatus, praedivinatus, *προειρημένος.*] *Cic. N. D.* 2, 61. Defectiones solis et lunae cognitae, praedictaeque in omne posterum tempus, quae, quantae, quando futurae sint. *Tac. A.* 6, 22. *extr.* A filio Thrasulli praedictum Neronis imperium, in tempore memorabitur. ℙ *Praedictum, i*, praedictio. *Cic. Div.* 2, 42. Chaldaeorum praedicta; et *ib.* astrologorum. *Id. Leg.* 2, 12. et *Virg. A.* 4, 464. vatum. *Val. Fl.* 4, 460. Deorum, *h. e.* portenta. *Suet. Oth.* 6. et *Plin.* 2, 7, 5. haruspicis. ℙ [*Supra commemoratus.] *Colum. prooem.* 1. Saepenumero civitatis nostrae principes audio culpantes modo agrorum infecunditatem, modo coeli noxiam frugibus intemperiem: quosdam praedictas querimonias velut ratione certa mitigantes, etc. *Quint.* 10, 1. *med.* Theopompus his proximus, ut in historia praedictis minor, ita oratori magis similis. *Plin.* 3, 3, 4. Ad oceanum reliqua vergunt, Vardulique ex praedictis, et Cantabri. *Id.* 12, 16, 35. Sembracena myrrha praedictis vitiis caret. Adde *Tac. A.* 1, 60. ℙ Item praemonstratus, praemonitus. *Val. Fl.* 7, 71. ac si quid in isto est Robore, praedicti venies in rura laboris; et 8, 127. sociis, qui tunc praedicta tenebant Ostia, etc. *h. e.* quae jam moniti, aut jussi fuerant tenere. Sic 7, 188. Et juvenem Aemonium praedicto sistere luco; et *Ov. Met.* 15, 608. Et spectant frontes, praedictaque cornua quaerunt. ℙ Item constitutus, praestitutus. *Suet. Claud.* 8. Si paulo serius ad praedictam coenae horam occurrisset. *Plin.* 10, 23, 31. de ciconiis: Abiturae congregantur in certo loco, et ceu lege praedicta die recedunt. Adde *Tac. A.* 11, 27. ℙ Item indictus, denunciatus. Absolute. *Id. ib.* 16, 33. Montanus patri concessus est, praedicto, ne in republica haberetur. ℙ Item edictum. *Liv.* 23, 19. Praedictum erat dictatoris, ne quid, absente eo, rei gereretur. Alii leg. *edictum.*

PRAEDIFFICILIS, e, adj. *παγχάλεπος*, perdifficilis. *Tert. Bapt.* 2. *f.* Praedifficilia penes homines, facilia penes Deum.

[PRAEDIGESTUS, a, um, part. ab inus. *praedigero*, nullis eruditatibus, aut obstructionibus impeditus. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 2. Adjicientes quod bibi debeat medicamen praedigesto corpore, et omnino nullo obstaculo impedito. *F.*]

PRAEDIOLUM, i, n. *χωρίδιον*, parvum praedium, agellus. *Cic. Or.* 3, 27. *f.* De nostra possessione depulsi, in parvo, et eo litigioso praediolo relicti. *Id. Att.* 16, 3. *med.* Praediola belle aedificata, et satis amoena. Adde *Plin. ep.* 1, 24. *extr.*

PRAEDIRUS, a, um, adj. valde dirus. *Ammian.* 31, 8. *med.* Facta dictu visuque praedira. [*Vet. epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 329. *Burm.* Infernas ululans mulier praedira sub umbras. *F.*]

PRAEDISCO, is, a. 3. *προμανθάνω*, ante disco. *Cic. Or.* 1, 32. *f.* Qui quae agenda sunt in foro, tanquam in acie, possunt etiam nunc exercitatione quasi ludicra praediscere ac meditari. *Virg. G.* 1, 51. Ventos, et varium coeli praediscere morem.

PRAEDISPOSITUS, a, um, part. ab inus. *praedispono*, ante dispositus. *Liv.* 40, 56. *extr.* Nuncios praedispositos, ita ut convenerat, misit ad Perseum.

PRAEDITUS, a, um, adj. *ἔχων*, qui habet, instructus, affectus, ornatus. Est a *prae*, et *datus.* [*Hinc proprie explicandum est *datus* v. *donatus prae ceteris.* V. *Doederl.* 3, 260. De discrimine inter h. v. et *exstructus, instructus* v. in h. v.] Cum ablativo jungitur. *Cic. Div. Verr.* 22. Homo parvis opibus ac facultatibus praeditus. *Id. N. D.* 1, 8. mundus animo et sensibus. *Id. Rosc. Am.* 8. *f.* miser luctu. Al. leg. *perditus. Id. Tusc.* 5, 41. Non ut parvo metu praeditus sit, sed ut nullo. *Id. Verr.* 1, 3. *f.* Ea spe istum fuisse praeditum, ut omnem rationem salutis in pecunia poneret. *Id. Univ.* 9. *f.* Siderum errores multitudine infinita, varietate admirabili praediti. *Sil.* 14, 88. bis octonis nondum rex praeditus annis. *Auct. ad Her.* 2, 27. *f.* Mortuum deformatum, tumore praeditum fuisse constat: ergo veneno necatus est. *Plin.* 8, 32, 50. Dextrum cornu cervi medicamento praeditum. *Hirt. B Afr.* 58. Cum tam magnis copiis auxiliisque regis essent praediti. *Just.* 41, 4. *f.* Duarum civitatum imperio praeditus. Adde *Sall. Cat.* 50. ℙ In malam partem. *Cic. Div. Verr.* 2. *f.* Homo singulari cupiditate, audacia, scelere praeditus. *Id Verr.* 2, 2, 42. *med.* Tanta amentia praeditus, atque audacia, ut, etc. *Id. Fl.* 3. levitate, egestate, perfidia. *Id. Sull.* 3. singulari immanitate et crudelitate. *Id. Inv.* 1, 47. vitio grandi et perspicuo. *Lucr.* 5, 200. culpa. ℙ Saepius in bonam. *Cic. Manil.* 17. Q. Hortensius summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus. *Id. Dom.* 15. Vir singulari virtute, constantia, gravitate praeditus; et *ib.* 42. singulari bonitate et modestia; et *ib.* 53. et *Att.* 8, 3. amplissimo sacerdotio. *Tac. Agr.* 44. consularibus ac triumphalibus ornamentis. ℙ [Cum dativo junctus est idem ac praepositus. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio)* 3. *ep.* 9. Me pro genere cujusque voti in eo loco constituo, de quo Deus ei rei praeditus facilius exaudiat. *Front. de eloq. med.* Minerva orationis magistra, Mercurius nunciis praeditus, Apollo paeanum auctor. *Appul. Apol.* Mitto dicere earum alteram Venerem vulgariam, quae sit praedita populari amori, alteram vero coelitem, praeditam optimati amori. *Id. de Deo Socrat. med.* At ubi vita edita remeandum est, eundem illum *(Genium)* qui nobis praeditus fuit, raptare illico et trahere veluti custodiam suam ad judicium. *F.*]

PRAEDIVES, ĭtis, adj. omn. gen. *πολύκτητος*, valde dives. *Liv.* 45, 40. Admodum inops pecuniae Philippus, Perseus contra praedives. *Tac. A.* 15, 64. Praedives et praepotens. *Ov. Met.* 9, 91. totumque tulit praedivite cornu Autumnum. *Plin.* 34, 3, 6. Receptus in torum, mox in testamentum praedives. *Juven.* 10, 16. magnos Senecae praedivitis hortos.

PRAEDIVINATIO, onis, f. *μαντεία*, divinatio. *Plin.* 8, 25, 37. Crocodilus parit ova, eaque extra eum locum semper incubat, praedivinatione quadam, ad quem summo auctu eo anno accessurus est Nilus.

PRAEDIVINO, as, a. 1. *προθεσπίζω*, divino, praesentio. *Pl. Truc.* 2, 3, 17. Vide, ut jam, quasi vulturii, triduo prius praedivinant, quo die esuri sient. *Varr. L. L.* 5, 7. Praedivinare futura. *Plin.* 11, 10, 10. Apes praedivinant ventos imbresque, et se continent tectis.

PRAEDIVINUS, a, um, adj. valde divinus, seu multum divinans. *Plin.* 37, 10, 60. Hammonis cornu, gemma aureo colore, arietini cornus effigiem reddens, promittitur praedivina somnia repraesentare. Eadem habet *Solin.* 27. *med.*

PRAEDIUM, ii, n. *χωρίον.* Ducunt etymologi a *praes, praedis*, et hoc a *praestando*, ut *praedia* proprie sint bona, quibus quispiam alteri se obligat, et pro re aliqua eidem cavet, pignori ea opponendo. [*Hinc *Doederl.* 3, 6. sq. *praedium* eo differre a *fundus* et *ager* docet, quod possidendi notionem semper innuat, atque praedis jus tribuat.] *Cic. Verr.* 2, 1, 54. *f.* et *ib.* 55. Praedibus et praediis populo cautum est. *Liv.* 22, 60. Cum dandam ex aerario pecuniam mutuam, praedibusque ac praediis cavendum populo censerent. *Cato* ap. *Fest.* in *Quadrantal.* Vinum redemisti: praedia pro vini quadrantalibus sexaginta in publicum dedisti: vinum non dedisti. ℙ Universim dicitur de quacumque possessione. Differt tamen, quia possessio omnia bona complectitur, mobilia et immobilia: *praedium* immobilia tantum. Differt etiam a *fundo*, qui fere de possessione rustica dicitur: *praedium* etiam de urbana. [*V. *Doederl.* l. supra l.] *Cic. Caecin.* 4. Huic fundo uxoris continentia quaedam praedia atque adjuncta mercatur. *Nep. Cim.* 4. Cum compluribus locis praedia hortosque haberet, nunquam eis custodem posuit. *Cic. Rosc. Am.* 15. Tot praedia, tam pulcra, tam fructuosa, filio suo colenda ac tuenda tradiderat. *Id. ib.* Illum secum omni tempore volebat esse: hunc in praedia rustica relegarat. *Id. Verr.* 2, 3, 86. Habet in nummis, habet in urbanis praediis. *Colum.* 1, 1. *f.* Suburbanum praedium commodissimum esse puto. *Suet. Caes.* 50. Amplissima praedia ex auctionibus hastae ei dono addixit. *Cic. Att.* 11, 2. In quos enim sumptus abeunt fructus praediorum? ℙ Translate. *Mart.* 12, 72. Deseris urbanas, tua praedia, Pontice, lites. ℙ Ad illud *Cic. Verr.* 2, 1, 54. *med.* Ubi illa consuetudo in bonis praedibus praediisque vendendis, omnium consulum, censorum, praetorum, quaestorum denique, ut optima conditione sit is, cuja res sit, cujum periculum? *Asconius* haec adscribit: Bona praedia dicuntur bona satisdationibus obnoxia, sive sint in mancipiis, sive in pecunia numerata: praedia vero domus, agri. Haec omnia venduntur, si rationi publicae locator sartorum tectorum non responderit; et *paulo post:* Praedia sunt res ipsae: praedes, homines, idest fidejussores, quorum res bona praedia uno nomine dicuntur. Haec *Asconii* verba, si sana credimus, satis obscura sunt, neque paucis illustrari facile possunt. In verbis *Cic.* v. *bonis* tam ad *praediis*, quam ad *praedibus* refertur: *praedes vendere* non est ipsos homines fidejussores vendere, sed eorum bona: ea ratione, qua ap. *Suet. Claud.* 9. dicitur Claudius venalis pependisse, h. e. ejus bona. Sic *Cic. Phil.* 2, 31. *f.* Et domi quidem causam amoris habuisti: foris etiam turpiorem: ne L. Plancus praedes tuos venderet. Quod additur ap. *Cic. cit. Verr.* 2, 1. *praedibus praediisque*, primum bona praedum, alterum mancipis, h. e. ejus, qui se obligaverat, significare videtur. *Hottoman.* haec aliter interpretatur. *Bona* intelligit ipsa opera quae locantur, quia fiunt veluti bona ejus, qui conducit, cum lucrum ei pariant: *vendere* positum ait pro locare, quemadmodum *redimere* est conducere: *praedibus praediisque* absolute sexto casu dici putat, ut *datis* vel *appositis* subintelligatur. V. etiam *Manut.* et *Graev.* ℙ Ap. *Festum* post *Praecidere* haec leguntur: Praedia rursus Verrius vocari ait ea remedia, etc. et *mox:* Ea vocari ait praedia, quod mala prohibeant. Utrobique legend. *praebia.* V. integrum locum in PRAEBIA, ubi insuper animadvertendum est, verba, quae *Varroni* tribuuntur, esse *Naevii* in *Stigmatia* ap. *eund. l. c.* V. PROEBIA.

PRAEDO, onis, m. *λῃστής*, praedator, latro, qui terra, marive grassatur. *Ulp. Dig.* 49, 15, 24. Hostes sunt, quibus bellum publice populus R. decrevit, vel ipsi populo R. Ceteri latrunculi, vel praedones appellantur. *Auct. ad Her.* 2, 21. Quoniam hominem occisum constat esse, necesse est, aut a praedonibus, aut ab inimicis occisum esse. *Cic. Verr.* 1, 5. Urbes piratis praedonibusque patefactae. *Liv.* 38, 40. *f.* Alibi praedo, alibi praedae vindex cadit. *Caes. B. C.* 3, 110. Huc accedebant collecti ex praedonibus latronibusque Syriae Ciliciaeque provinciae. *Nep. Them.* 2. Maritimos praedones consectando, mare tutum reddidit. *Cic. Or.* 3, 1. Deploravit casum atque orbitatem senatus, cujus ordinis a consule, qui quasi parens bonus, ac tutor fidelis esse deberet, tanquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 13, 6. Cohors una grandi vecta faselo, a duobus praedonum myoparonibus circumventa. *Cic. Dom.* 55. Omnium templorum atque tectorum, totiusque urbis praedonem. *Virg. A.* 7, 362. Perfidus alta petens, abducta virgine praedo. *Ov. Fast.* 4, 591. At neque Persephone digna est praedone marito, *h. e.* Plutone raptore. ℙ Translate. *Colum.* 9, 15. de fucis: Nec rursus multitudinem praedonum coalescere patiendum est, ne uni-

versas opes alienas diripiant. *Mart.* 14, 116. Accipiter praedo volucrum. ℙ Ap. JCtos praedo est etiam, qui cum nullam causam possidendae hereditatis habeat, invadit tamen, et possidet. *Ulp. Dig.* 5, 3, 25. Quod autem ait senatus, eos qui bona invasissent; loquitur de praedonibus, id est de his, qui cum scirent, ad se non pertinere hereditatem, invaserunt bona: scilicet cum nullam causam haberent possidendi. ℙ Item cujuscumque rei injustus possessor. *Cajus ib.* 9, 4, 13. Absurdum videretur, eos quidem, qui bona fide possiderent, excipere actionem, praedones vero securos esse.

PRAEDO, as, a. 1. V. PRAEDOR.

PRAEDOCĔO, es, a. 2. ante doceo, praemonstro. *Prud. Cath.* 12, 72. myrrheus Pulvis sepulcrum praedocet.

PRAEDOCTUS, a, um, part. a *praedoceo*, ante doctus. *Sall. Jug.* 94. Illi praedocti a duce arma mutaverant; et *Plin.* 18, 34, 77. Praedoctus esto: alia robustis prosunt, alia infantibus.

PRAEDŌMO, as, a. 1. ante domo. *Sen. ep.* 113. *med.* Et omnes casus, antequam exciperet, praedomuit meditando.

PRAEDONĬUS, a, um, adj. *ληστικὸς*, ad praedonem pertinens, praedatorius. *Ulp. Dig.* 5, 3, 25. Conscius ad se nihil hereditatem pertinere, praedonio more versari coepit. Ita *Torrent.*, nam *Haloand.* habet *praedonis*. V. PRAEDO.

PRAEDONŬLUS, i, m. dimin. ab inus. *praedonus*, quod a *praedo*, ut *decurionus* a *decurio*. *Festus:* Praedonulus Cato *ὑποχοριστικῶς* dixit in Epist. Quia saepe utiles videntur praedonuli. *Scal.* vult legi *praeduncules*, ut a *latro latrunculos*.

PRAEDOR, aris, atus sum, dep. 1. *ληΐζω, συλάω*, praedas ago, diripio, vi aufero. *Cic. Phil.* 4, 4. Spes rapiendi atque praedandi obcaecat animos eorum. *Nep. Alc.* 8. *extr.* Vulgum Atheniensium in terram praedatum exisse, navesque paene inanes relictas. *Liv.* 4, 55. Volscos et Aequos praedatum extra fines exisse in agrum Latinum, Hernicumque, affertur. *Id.* 22, 3. Ab effusa praedandi licentia hostem cohibere. *Cic. B. G.* 7, 46. *extr.* Vix se ex manibus praedantium militum eripuit. *Just.* 23, 1. Ex agris finitimorum praedari soliti. *Cic. Verr.* 2, 2, 19. Eripe hereditatem propinquis, da palaestritis: praedare in bonis alienis nomine civitatis; et *ib.* 5, 78. Tuus apparitor de aratorum bonis praedabitur; et *Off.* 3, 17. *f.* Hoc secundum naturam est, neminem id agere, ut ex alterius praedetur inscientia. ℙ Cum accusativo. *Tac. A.* 12, 49. Dum socios magis, quam hostes praedatur. *Suet. Dom.* 12. Nihil pensi habuit, quin praedaretur omni modo bona vivorum et mortuorum. *Val. Fl.* 5, 647. virgineas praeder si Cecropis arces. *Lactant.* 5, 9. *med.* Praedari maria. ℙ De venatu, piscatu, aucupio. *Ov. A. Am.* 3, 419. Ad multas lupa tendit oves, praedetur ut unam. *Plin.* 10, 71, 91. Alia dentibus praedantur, alia unguibus. *Propert.* 4, 2, 37. pisces calamo praedabor. ℙ Translate. *Ov. Amor.* 8, 8, 57. Omnia possideant: illis Campusque, Forumque Serviat: hi pacem crudaque bella gerant. Tantum ne nostros avidi praedentur amores. *Id. Am.* 1, 3, 1. quae me nuper praedata puella est. *Sen. Oed.* 557. Flamma praedatur dapes, *h. e.* populatur, absumit. *Hor. Ep.* 2, 2, 55. Singula de nobis anni praedantur euntes: Eripuere jocos, venerem, convivia, ludum: Tendunt extorquere poemata. ℙ Etiam *praedo, as*, ab antiquis dictum est, teste *Prisc.* 8, 799. *Pl. Rud.* 4, 7, 16. Mihi istaec videtur praeda praedatum irier.

PRAEDOTĬUNT, praeoptant. *Paul.* ex *Festo.* Alii leg. *praedopiunt* ab obsoleto *opio*, unde *opto:* alii *praeoptiuunt*, vel potius *praeoptinant*, ab *optino*, itidem obsoleto, quod ab *opto*.

PRAEDŪCO, is, xi, ctum, *προάγω*, ante duco, aut facio, praestruo, praetexo. *Caes. B. G.* 7, 69. Fossam et maceriam sex in altitudinem pedum praeduxerant; et *B. C.* 1, 27. Vicos plateasque inaedificat, fossas transversas viis praeducit. *Tibull.* 4, 1, 83. tutam castris praeducere fossam. *Sil.* 10, 411. fossas praeducere muris. *Plin.* 33, 4, 21. Lineas itineri praeducere, *h. e.* ductis lineis iter praesignare. *Stat. Silv.* 5, 3, 12. Quis sterili mea corda situ, quis Apolline verso Frigida damnatae praeduxit nubila menti? Alii leg. *produxit*. Quae lectionis varietas est etiam in illo *Lucani* 6, 465. nunc omnia complent Imbribus, et calido praeducunt nubila Phoebo.

[PRAEDUCTAL, alis, n. stilus, vel plumbum, quo lineae in membrana praeducuntur ad scripturam dirigendam. *Gloss. Phil.* Praeductal, *παράγραφος*. Hinc *Catull.* 22, 8. Membrana directa plumbo. *F.*]

PRAEDUCTORĬUS, a, um, adj. ad praeducendum pertinens. *Cato R. R.* 135. Lora praeductoria, *h. e.* quibus regebantur juncti boves.

PRAEDUCTUS, a, um, part. a *praeduco*, ante aliquam rem ductus. *Sen. Ira* 2, 8. *f.* Praeductam obsessis parentibus fossam. *Avien. Perieg.* 625. locus undique septus Aggere praeducto. *Vet. Poeta* in *Catalect. Pithaei* p. 129. Hesperie pulcras strophio praeducta papillas, *h. e.* strophium habens papillis praeductum. Alii leg. *producta*, sed male.

PRAEDULCIS, e, adj. *πολυγλυκὺς*, valde dulcis. *Lucret.* 4, 636. Hoc tamen esse aliis possit praedulce videri. Alii leg. *perdulce*. *Plin.* 12, 5, 11. Praedulcis sapor; et 15, 18, 19. ficus; et 13, 4, 9. Mel praedulce. *Id.* 14, 6, 8. *n.* 3. Praedulcia vina. *Id.* 24, 1, 1. Praedulcium fastidium sal temperat. ℙ Translate. *Id* 11, 17, 18. Praedulcis eloquii suavitas. *Virg. A.* 11, 155. Praedulce decus. *Val. Fl.* 4, 61. nomen. *Claud. in I. cons. Stilich.* 2, 132. Luxuries praedulce malum. *Nemes. Ecl.* 1, 22. Praedulcis tibia. ℙ *Praedulce*, adverbii more. *Stat. Silv.* 5, 3, 82. Tyrrhenae volucres (*h. e. Sirenes*) nautis praedulce minantur.

PRAEDŪRĀTUS, a, um, part. a *praeduro*, ante, aut valde duratus. *Plin.* 23, 7, 71. Succum pomi, myrrha adjecta, praeduratum ad solem torrebant.

PRAEDŪRO, as, avi, atum, a. 1. valde duro, induro. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 177. Si tanta callum pectoris Praedurat obstinatio. Adde *Apic.* 6, 9. *med.*, 7, 4. et 8. etc. Nam quod addunt *Colum.* 3, 11. *extr.*, rectius ibi aliter leg.

PRAEDŪRUS, a, um, adj. *ὑπέρκληρος*, valde durus. *Plin.* 18, 12, 30. Faba praedura, et quae percoqui non potest. *Id.* 26, 8, 29. Praedurae radices. *Id.* 9, 29, 46. Praedurum caput. *Tac. H.* 1, 79. corium. *Mart.* 13, 66. Praedurus dens. Alii leg. *perjurus*. ℙ Translate. *Virg. A.* 10, 748. homo praedurus viribus, *h. e.* praevalidus. Sic *G.* 2, 531. Corporaque agresti nudant praedura palaestra. *Quint. decl.* 3, 3. Praedura priscis moribus mater. *Val. Fl.* 1, 235. Praedurus labor, *h. e.* perdifficilis. *Colum.* 6, 2. Neque ante tertium, neque post quintum annum juvencos domari placet: quoniam illa aetas adhuc tenera est, haec jam praedura. *Quint.* 6, 4. *med.* Praeduri oris esse, *h. e.* valde impudentis, improbi. *Id.* 1, 6. Praedura verba.

[PRAEĔLĪGO, is, egi, a. 3. praefero, praecepto. *Sidon. ep.* 7, 4. Ego tamen morum illius aemulator esse praeelegerim. *F.*]

PRAEĔMĪNENS et Praeminens, entis, part. a *praeemineo:* eminens. *Ulp. Dig.* 21, 1, 12. Praeminentes oculi. Ita *Haloand.*, sed *Torrent.* habet *eminentes*. *Prud. Cat.* 1, 109. Insignis ipse et praeminens.

PRAEĔMĪNENTĬA, ae, f. excellentia, praestantia. *Claud. Mamert. ep. praefixa l.* 1. de statu anim.: Ad negotii praeeminentiam spectare.

PRAEĔMĪNĔO et Praemineo, es, n. 2. valde emineo, superior sum, praesto. *Sen. Controv.* 1, 4. *f.* Albutium, qui Graecis praeeminet. *Tac. A.* 3, 56. Ut appellatione aliqua cetera imperia praeemineret. *Id. ib.* 12, 12. Cassius ceteros praeeminebat peritia legum. *August. Conf.* 6, 9. Cancelli plumbei, qui vico argentario desuper praeeminent. Adde *Capell.* 2, 34. et *Appul. Met.* 6. Omnibus autem his locis alii primum *e* exterunt: quod in illo *Ausonii* sine dubio exterendum est, in *Caes. n.* 15. Adsciti quantum praemineant genitis.

*PRAEEMPTOR, oris, m. *προαγορανής*. *Gloss. Gr. Lat B. A.*

PRAEĔO, is, ivi et ii, itum, n. anom. *προέρχομαι*, ante eo, praecedo. *Cic. Fin.* 5, 21. Ad quorum cognitionem et usum, natura ipsa praeeunte, deducimur. *Virg. A.* 5, 186. Nec tota tamen ille prior praeeunte carina. *Ov. Fast.* 1, 81. Jamque novi praeeunt fasces, nova purpura fulget. *Stat. Th.* 6, 519. cum vacuus domino praeiret Arion. *Varr. L. L.* 4, 14. Praetor dictus, qui praeiret jure, et exercitu. *Tac. A.* 6, 21. Is corpore valido per avia ac derupta praeibat eum, cujus artem, etc.; et *ib.* 15, 4. Acto raptim agmine, ut famam sui praeiret. ℙ *Praeire verba*, et *verbis*, et *praeire* absolute, est certam verborum formulam alicui dictare, quam is totidem verbis referat. Mos enim erat, ut in exsecrationibus et devotionibus, in foederibus, in dedicationibus, in votis, juramentis et aliis hujusmodi, certa verba adhiberentur (quod *carmen* dicebatur), a quibus ne minimum quidem licebat discedere. Itaque ne quo in verbo peccaretur, praesto erat pontifex, aut sacerdos, qui vel memoriter, vel de scripto dictabat, quae dicenda erant. *Liv.* 8, 9. Agedum pontifex publicus populi R. praei verba, quibus me pro legionibus devoveam. *Id.* 31, 17. *med.* Et se facinus perpetraturos, praeeuntibus exsecrabile carmen sacerdotibus, jurejurando adacti. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 10. Cum Africanus censor lustrum conderet, inque solito fieri sacrificio scriba ex publicis tabulis solemne ei precationis carmen praeiret. *Suet. Claud.* 22. Praeire obsecrationem. *Tac. H.* 1, 36. et *ib.* 2, 74. sacramentum. *Liv.* 9, 46. Aedem Concordiae dedicavit: coactusque pontifex max. verba praeire. *Pl. Rud.* 5, 2, 47. *Gri.* Per Venerem hanc jurandum est tibi. *La.* quid jurem? *Gri.* quod jubebo. *La.* praei verbis, quid vis. *Plin. ep.* 10, 6. Praeivimus et commilitonibus jusjurandum more solemni praestantibus. *Cic. Dom.* 52. Ades, Luculle, Servili, dum dedico domum Ciceronis, ut mihi praeeatis, postemque teneatis. *Plin.* 28, 2, 3. Et ne quid verborum praetereatur, aut praeposterum dicatur, de scripto praeire. ℙ Hinc illa translata. *Cic. Mil.* 2. Qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut vobis voce praeirent, quid judicaretis. *Liv.* 43, 13. *f.* Omnia, uti decemviri praeierunt, facta. *Gell.* 14, 2. *med.* Sed si de omni quoque officio judicis praeire me tibi vis, nequaquam est vel loci hujus, vel temporis. *Id.* 1, 11. *med.* Tibiae illius concionatoriae in mentem venit, quam C. Graccho cum populo agenti praeisse ac praemonstrasse modulos ferunt. *Quint.* 2, 5. Non videntur tempora suffectura, si legentibus singulis praeire semper ipsi velint, *h. e.* praelegere. ℙ Part. *Praeiens* in recto non est usitatum; in obliquis adhibitum. ℙ Quando post *prae* sequitur *e*, aliquando in scriptis Lapidib. *e* omitti solet, *praeunte, praesse*. Ita in utroque *Cenotaphio Pisano*, et in quamplurimis aliis monumentis ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 106.

[PRAEĒSUS, a, um, part. ab inusit. *praeedo:* ante esus. *Not. Tir.* p. 166. Adesus, praeesus. *F.*]

*PRAEEXERCITĀMEN, inis, n. *Sarisb. Metal.* 1, 24. Praeexercitamina puerorum. *B. A.*

PRAEEXERCĪTĀMENTUM, i, n. *Prisc. de rhet.* p. 1329. praeexercitamenta vertit *τὰ προγυμνάσματα*, h. e. praeludia.

PRAEFĂCĬLIS, e, adj. valde facilis. *Pl. Epid.* 5, 2, 21. De praefacili exoras. Ita in quibusd. MSS. ap. *Taubmann.* Alii *facile exoras*. At in *Not. Tir.* p. 51. Facilis, praefacilis.

PRAEFACTUS. V. PRAEFECTUS.

PRAEFĀMEN, inis, n. praefatio, prooemium. *Sym. ep.* 2, 34. Nam recordaris, hoc te praefamine epistolam texuisse.

PRAEFĀMĪNO. V. v. sq.

PRAEFĀRIS, atur, atus sum, dep. 1. *προλέγω, προοιμιάζω*, ante fari, praedicere, praeloqui. *Cic. Div.* 1, 45. Majores nostri omnibus rebus agendis, Quod bonum, faustum, felix, fortunatumque esset, praefabantur. *Cic. Univ.* 10. *extr.* Quae de Deorum natura praefati sumus, habeant hunc terminum. *Colum. prooem.* 1. *f.* Quas ordine suo tunc demum persequar, cum praefatus fuero, quae reor ad universam disciplinam maxime pertinere. *Appul. Met.* 11. Tacitus haerebam, quid potissimum praefarer primarium. *Gell.* 9, 15. Introit adolescens, et praefatur arrogantius et elatius, quam aetati ejus decebat: ac deinde jubet exponi controversias. V. PRAEFATIO. *Auson. Idyll.* 4, 54. Et melicos lyricosque modos praefando novabis, *h. e.* praelegendo. ℙ *Praefari aliquem* est ejus nomen, auctoritatemque praemittere. *Plin.* 8, 16, 17. Aristoteles diversa tradit, vir, quem in iis magna secuturus ex parte, praefandum reor. ℙ *Praefari carmen*, praeire. *Liv.* 5, 41. Sunt, qui, M. Fabio pontifice max. praefante carmen, devovisse eos se pro patria, tradant. V. PRAEEO. ℙ *Praefari honorem* dicimur, cum turpe quid dicturi, aliquot verbis praemissis (v. gr. *honos auribus sit*) mollimus, quod alioqui pudicae aures aversarentur. *Cic. Fam.* 9, 22. *med.* Si dicimus, ille patrem strangulavit, honorem non praefamur: sin de Aurelia aliquid, aut Lollia, honos praefandus est. *Plin.* 7, 51, 52. Praefandi humoris e corpore effluvium. V. PRAEFATIO et PRAEFATUS, a, um. ℙ *Praefari veniam*, petere antequam loqui incipias. *Apol. Flor. in.* Mihi ingresso sanctissimam civitatem praefanda venia, et habenda oratio est. *Id. Met.* 1. *in.* Ecce praefamur veniam, si quid rudis locutor offendero. ℙ Pro praedicere, vaticinari. *Catull.* 64, 382. Talia praefantes quondam, felicia Pelei Casmina divino cecinerunt omine Parcae. Alii rectius leg. *profantes*. ℙ *Praefamino* imperativi vox est, pro *praefare*. *Cato R. R.* 141. Janum Jovemque vino praefamino, *h. e.* vinum offerens Janum Jovemque prius invocato. V. ANTESTOR. ℙ *Praefato* pro *praefator* ap. *eund. ib.* 134. Ture, vino Jano, Jovi, Junoni praelato.

*PRAEFASCINĬUS, a, um, adj. *πάνυ βάσκανος Gloss. Gr. Lat. B. A.*

[PRAEFASCĪNO, as, a. 1. ante fascino. *Not. Tir.* p. 182. Fascinum, praefascinat. *F.*]

PRAEFĀTĬO, onis, f. id quod ante aliquam rem praeloquimur. *Cic. Verr.* 2, 3, 80. *med.* Annulo est aureo scriba donatus, et ad eam donationem concio est advocata, etc. Quae porro praefatio tuae donationis fuit? Illa scilicet vetus atque imperatoria? Quando tu quidem in proelio, etc. *Liv.* 45, 5. Omnis praefatio sacrorum, eos, quibus non sint purae manus, sacris arcet. *Plin.* 7, 26, 27. de Pompejo: Triumphi vero praefatio haec fuit: Cum oram maritimam a praedonibus liberasset, etc. *Id. H. N. praef. in.* Libros naturalis historiae narrare constitui tibi, jucundissime imperator: sit enim haec tui praefatio verissima, *h. e.* appellatio. *Id. ib. med.* Vocabula rustica, aut externa, immo barbara etiam cum honoris praefatione ponenda. (V. PRAEFARIS.) *Suet. Dom.* 11. Nunquam tristiorem sententiam sine praefatione clementiae pronunciavit. *Val. Max.* 2, 8. *n.* 8. C. Cassius nunquam sine praefatione publici parricidii nominandus. ℙ Est etiam commendatio alicujus rei, vel personae magnificis concepta verbis. *Appul. Met.* 7. Ergo, evocato armentario equisone, magna cum praefatione deducendus assignor; etenim *mox* de ead. re

sic: Equorum magister, qui me curandum magna ille quidem commendatione susceperat, etc. ℙ Item brevior sermo, aut oratio, quae ante opus praemittitur, consilium scriptoris, et summam operis breviter exponens: item in declamationibus, controversiis, et causis quidquid praemittitur, et ad ipsam causam non pertinet, *προοίμιον*: quare differt ab exordio, quod causae pars est. *Plin. ep.* 1, 13. Subinde sibi nunciari jubent, an jam recitator intraverit, an dixerit praefationem, an ex magna parte evolverit librum. *Id. ep.* 4, 11. *f.* Clementia Nervae translatus est in Siciliam, ubi nunc profitetur, seque de fortuna praefationibus vindicat. *Quint.* 1, 1. *med.* Itaque Cicero, quamquam erat in Cottam gravissime dicturus, neque aliter agi P. Oppii causa poterat, longa tamen praefatione excusavit officii sui necessitatem. *Id.* 8, 3. Memini inter Pomponium et Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an *gradus eliminat* apud Accium in tragoedia dici oportuisset. *Mart.* 3, 18. Perfrixisse tuas questa est praefatio fauces. Cum te excusaris, Maxime, quid recitas? Adde *Plin. ep.* 2, 3. et *ep.* 4, 14. ℙ Mos erat declamaturis, ut in praefatione sederent, in declamatione surgerent. V. PRAELOCUTIO. ℙ Videtur etiam sumi pro exordio. *Cajus Dig.* 1, 2, 1. Si in foro causas dicentibus nefas videtur esse, nulla praefatione facta, judici rem exponere.

PRAEFĀTIUNCŬLA, ae, f. brevis praefatio. *Hieron. ep.* 64. *n.* 8. Et de observatione pontificis praefatiunculam struerem. Adde *ep.* 112. *n.* 20.

PRAEFĀTUS, a, um, part. a *praefaris:* qui praelocutus est. *Virg. A.* 11, 301. Praefatus Divos solio rex infit ab alto. ℙ Cum infinito. *Just.* 11, 5. Patrimonium omne suum, quod in Macedonia habebat, amicis dividit, sibi Asiam sufficere praefatus. ℙ Passive antedictus, praedictus, supra dictus. *Paul. Dig.* 10, 3, 19. Ut praefata jura aut mensura, aut temporibus dividantur. *Mart. ib.* 20, 4, 12. Condemnatus ex praefatis causis. *Auson. praefat.* 2. *f.* Sic etiam nostro praefatus habebere libro, *h. e.* dictus, nominatus initio libri nostri. *Quint.* 8, 3. *med.* In praefata videmur incidere. Alii rectius leg. *praefanda*, h. e. obscena, et quae sine praefatione honoris et veniae dicenda non sint. Sic *Arnob.* 5, 176. Partes illae, quas inter aures castas sine venia nefas est, ac sine honoribus appellare praefatis. *Vopisc. Aurel.* 1. Vir illustris, ac praefata reverentia nominandus, *h. e.* praemissa reverentiae commemoratione. ℙ Alio sensu. *Sen. Ben.* 5, 17. *med.* Hoc ingrati est, non esse contentum praefato tempore, *h. e.* fatis praestituto. Alii leg. *praestito*, alii rectius *praeterito.* ℙ *Praefatum* absolute, praefatio. *Sym. ep.* 6, 3. Praefato opus est, si ardua postulentur: pronis ac facilibus admoveri ambitum non oportet.

PRAEFĀTUS, us, m. In sexto casu singulari *Sym. ep.* 10, 22. (al. 29.) *med.* Ubi comperit meo praefatu, affore dona, etc. *h. e.* mea praedictione.

PRAEFECTIĀNUS, a, um, adj. ad praefectum praetorio pertinens. *Ammian.* 17, 3. *f.* Ut nec praefectianus, nec praesidialis apparitor ad solvendum quemquam urgeret. Adde *Impp. Valent. et Valent. Cod.* 12, 53, 2.

PRAEFECTIO, onis, f. actus praeficiendi. Legitur ap. *Capell.* 7, 239., ubi alii rectius *perfectio.*

PRAEFECTORIUS, a, um, adj. ad praefectum praetorio pertinens. *Vir praefectorius,* qui praefectura functus est, ut *consularis*, qui consulatu. *Ulp. Dig.* 1, 9, 1. Vir praefectorius an feminae consulari praeferatur, videndum. *Sidon. ep.* 1, 11. *f.* Mihi consul ad pectus, praefectorii ad manus cadere.

PRAEFECTŪRĂ, ae, f. *ἐπαρχία, προστασία,* dignitas, et officium praefecti. *Varr. R. R.* 1, 17. *f.* Praefectura villae. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Meministi, nos sic agere, ut quot vellet, praefecturas sumeret, dum ne negotiatori; itaque duas ei praeterea dederam. *Nep. Att.* 6. Multorum consulum, praetorumque praefecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore fuerit contentus. *Suet. Aug.* 38. Liberis senatorum militiam auspicantibus non tribunatum modo legionum, sed et praefecturas alarum dedit. *Id. Caes.* 76. Praefectura morum, *h. e.* censura. *Hirt. B. G.* 8, 12. Suscipere praefecturam equitum Gallorum. *Aurel. Vict. Caes* 9. *f.* Filium Titum victorem praefectura praetorio extulerat. *Plin.* 7, 14, 12. Volusio in Urbis praefectura exstincto. *Ulp. Dig.* 1, 12, 1. Omnia omnino crimina praefectura Urbi sibi vindicavit. Alii leg. *Urbis.* ℙ Translate. *Plin.* 28, 5, 14. Lucullus hanc de se praefecturam servo dederat, *h. e.* hoc negotium, hanc provinciam, ut ciborum mensuram coenanti sibi praestitueret. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 11. Quin ruri es in praefectura tua? *h. e.* in villicatione. Adde *Capt.* 4, 3, 7., ubi de cura ciborum et culinae dicitur. ℙ Sumitur etiam pro administratione alicujus urbis, aut provinciae: item pro ipsa urbe, aut provincia, cui praefectus praeest: Persae satrapiam vocant, Aegyptii nomon, Graeci *ἐπαρχίαν, προστασίαν* etc. *Plin.* 5, 9, 9. Aegyptus dividitur in praefecturas oppidorum, quas nomos vocant. [*Front. princip. hist.* (ed. *A. Maio*) *med.* Illa, quae Alexandri comites familiaresque tenuerunt, praefecturae magis, quam imperia appellandae. *F.*] ℙ Ap. Romanos praefecturae erant urbes Italiae cum suis agris, quarum populi cum iniqui ingratique erga populum R. fuissent, propriis legibus ac magistratibus spoliati, magistratuum Romanorum arbitrio parebant, qui in eas urbes quotannis Roma mittebantur. Exemplum habes de Capua ap. *Liv.* 26, 16. Habitari tantum, tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec senatus, nec plebis consilium, nec magistratus esse: sine consilio publico, sine imperio multitudinem, nullius rei inter se sociam, ad consensum inhabilem fore: praefectum ad jura reddenda ab Roma quotannis missuros. Haec *Liv.* Itaque quemadmodum provinciae, ita et praefecturae, non perpetuis legibus, quae a populo R. datae essent, sed arbitrariis edictis, quae ipsi praefecti promulgabant, administrabantur: erantque infima conditione post municipia, et colonias. *Festus:* Praefecturae eae appellabantur in Italia, in quibus et jus dicebatur, et nundinae agebantur, et erat quaedam earum respublica: neque tamen magistratus suos habebant: in quas legibus praefecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. Quarum genera fuerunt duo: alterum, in quas solebant ire praefecti quatuor ex XVI. viris, qui (alii leg. *ire praefecti, qui auctore* XXVI. *virum numero, populi*, etc.) populi suffragio creati erant, in haec oppida, Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellas, Calatiam: alterum, in quas ibant, quos praetor urbanus quotannis in quaeque loca miserat legibus, ut Fundos, Formias, Caere, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagniam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaque complura. Haec *Festus.* Aliquando tamen idem oppidum et praefectura, et municipium fuit, ut Cumae, Arpinum: aliquando et praefectura, et colonia, ut Venafrum, Capua, Casilinum: aliquando et praefectura, et colonia, et municipium, ut Atella, Anagnia, Fundi. Erat enim praefectura, quatenus a praefecto regebatur: municipium, quatenus jure civitatis Romanae, ex peculiari aliqua concessione, cum, vel sine suffragio, gaudebat: colonia, quatenus in eam pars aliqua civium Romanorum transscribebatur. *Cic. Sext.* 14. Nullum erat Italiae municipium, nulla colonia, nulla praefectura, etc. *Vell.* 2, 44. Bello Punico ab Romanis Capua in formam praefecturae redacta. ℙ In re agraria quid sit praefectura, docent *Siculus Fl. de condit. agrar.* p. 21. *Goes., Front. de limit. ib.* p. 43. et *Aggen. in eund. Front.* p. 56. V. PERTICA.

PRAEFECTUS, a, um, part. a *praeficio:* praepositus. *Ov. Her.* 12, 87. Conscia sit Juno sacris praefecta maritis. ℙ Absolute *ἐπιστάτης, προστάτης, ἔπαρχος*, qui alicui rei, vel negotio praeficitur, praepositus, praeses. *Nep. Eum.* 11. Cum eum in custodiam dedisset, et praefectus custodum quaesisset, etc. *Pl. Bacch.* 3, 3, 22. Ante solem orientem nisi in palaestram veneras, gymnasii praefecto haud mediocres poenas penderes. *Varr. R. R.* 1, 17. *f.* Praefectus villae. *Cic. Cluent.* 46. de censore: Tu es praefectus moribus, magister veteris disciplinae, *h. e.* censor. *Nep. Amilc.* 3. Ut a praefecto morum Amilcar cum eo vetaretur esse. *Cic. Pis.* 6. His *(Graeculis philosophis)* utitur quasi praefectis libidinum suarum. ℙ [*Praefectus sacrorum* is esse videtur in municipiis et coloniis, qui religionis curam habuit, cujusmodi erat Romae pontifex maximus. *Inscr.* ap. *Grut.* 411, 3. T. Flavio T. F. Clu. Isidoro auguri, sacerdoti, pontifici, praef. sacrorum, etc. Adde alias ap. *Mur.* 763, 5. et *Donat.* 26, 4. ℙ *Praefectus mulieribus*, vel *moribus mulierum* erat ap. Graecos qui modestiae matronali praeerat, *γυναικονόμος. Cic. fragm.* ap. *Non.* 9, 7. Nec vero mulieribus praefectus praeponatur, qui ap. Graecos creari solet, sed sit censor, qui viros doceat moderari uxoribus. *Pl. Aul.* 3, 5, 30. Moribus praefectum mulierum hunc factum velim. *F.*] ℙ In militia externa *praefectus* est, quem *Gall.* v. *General* aut *Generallieutenant* dicimus. *Nep. Alc.* 5. Ad Tissaphernem praefectum regis Darii se contulit. *Id. Ages.* 2. Tissaphernes, qui summum imperium inter praefectos habebat regius. Adde *Flor.* 3, 5. et 11. ℙ Praefectus equitum est, qui apud nos *General der Cavallerie. Hirt. B. G.* 8, 12. Amisso Vertisco, principe civitatis, praefecto equitum. ℙ In Romana, qui praeest singulis alis in equitatu, aut cohortibus in peditatu sociorum adjuncto legionibus; eratque fere in auxiliis, quod in legionibus tribunus. *Caes. B. G.* 3, 7. Praefectos, tribunosque militum complures in finitimas civitates, frumenti petendi causa, dimisit; et *ib.* 1, 39. Timor primum ortus est a tribunis militum ac praefectis. *Sall. Jug.* 50. In utrumque latus equites auxiliarios tribunis legionum, et praefectis cohortium dispertiverat. *Cic. Fam.* 3, 8. *med.* Si aut legatorum tuorum cuipiam, aut praefectorum, aut tribunorum militum male dicitur. ℙ Hujusmodi praefecti creabantur ab imperatore ipso Romano, a consule, a praetore, aut propraetore in exercitu, in provinciis. *Cic. Fam.* 7, 5. *f.* Huic ego neque praefecturam, neque ullius beneficii certum nomen peto: benevolentiam tuam, et liberalitatem peto: [*ad Caesarem loquitur.* Adde *Att.* 5, 21. *med.* ℙ *Praefectus legionis* est, qui prius legatus legionis, vel legionis praepositus dicebatur, praeerat autem toti legioni. *Tac. H.* 1, 82. Vulnerato Julio Martiale tribuno, et Vitellio Saturnino praefecto legionis. *Inscr.* ap. *Grut.* 465, 2. C. Rutilio C. F. Cocliti praef. leg. XIII. Ap. *Veg. Mil.* 9. integrum caput nonum agit de officio praefecti legionis. *F.*] ℙ Fuerunt alii praefecti, qui in exercitu, et provinciis a R. magistratibus creabantur, ut castrorum, fabrum, evocatorum, de quibus infra. *Nep. Att.* 6. Multorum consulum, praetorumque praefecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus: honore fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum. ℙ *Praefectus classis, ναύαρχος*, qui classi praeest, *Admiral.* Ita dicebatur temporibus reipublicae, qui sub auspiciis consulis, terra bellum gerentis, classi praeerat. *Liv.* 26, 48. C. Laelius praefectus classis. Adde *Flor.* 3, 7. et *Liv.* 36, 20. et 42. Sic ap. *Cic. Verr.* 2, 5, 34. Cleomenes sub praetore Siciliae Verre, *dux praefectusque classis* dicitur. Sub Augustis vero talis erat, qui classem regendam ab his accipiebat: videturque ortum habuisse ab Augusto, qui cum duas classes Ravennatium, et Misenatium, ad tutelam superi inferique maris, constituisset, ut est ap. *Suet. Aug.* 49., his praepositi *praefecti* appellati sunt, ut videre est ap. *Tac. H.* 3, 12. et *Veg. Mil.* 4, 32. ℙ *Praefecti navium* ap. *Liv.* 36, 44. et *Flor.* 2, 5. sunt *Schiffscapitäne.* ℙ *Praefectus castrorum*, et *castris* fuit in singulis legionibus: cujus erat munus castrorum positio, valli et fossae aestimatio, impedimentorum atque aegrotantium militum cura, itemque vehiculorum, ferramentorum, ligni, straminis, machinarum militarium, et hujusmodi, ut *Veg. Mil.* 2, 10. perscribit. *Tac. A.* 14, 37. Poenius Postumus praefectus castrorum secundae legionis; et *ib.* 1, 20. Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris praefectus. Adde *Vell.* 2, 119. ℙ *Praefectus fabrum, ἔπαρχος τῶν τεκτόνων*, duplicis fuit generis, alius enim in militia, praeerat artificibus in usum militarem machinas, tormentaque, etc. facientibus, cujus mentio est ap. *Nep. Att.* 12., *Caes. ad Oppium post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.*, *Plin.* 36, 6, 7. et *Vell.* 2, 76. V. FABER. Alius autem erat hoc nomine in municipiis et coloniis, de quo V. FABER. ℙ *Praefectus remigum* in classe, ap. *Tac. A.* 13, 30. ℙ *evocatorum*, qui militibus evocatis praeerat. V. EVOCATUS. ℙ *Praefectus praetorio*, et *praetorii*, qui militibus iis praeerat, quos Augusti ad sui corporis custodiam adsciverant, et Romae plerumque degebat: *ὕπαρχος τῆς αὐλῆς.* Institutus fuit ab Augusto, et primo modica initia habuit: mox paulatim ad eam dignitatem ac potentiam crevit, non solum in re militari, sed etiam in administratione rerum civilium plurimarum, ut non multum abfuerit a principatu: siquidem ipse imperator ejus fidei se committebat: *Suet. Tit.* 6. Praefecturam quoque praetorii suscepit, nunquam ad id tempus, nisi ab equite R. administratam. *Aurel. Arcad. Dig.* 1. *tit.* 11. qui est *De officio praefecti praetorio.* Ad vicem magistri equitum praefectos praetorio antiquitus esse institutos, a quibusdam scriptoribus traditum est; et *mox:* In tantum meruit augeri, ut appellari a praefectis praetorio non possit. *Tac. A.* 1, 24. et *H.* 1, 13. et 19. Praetorii praefectus Aelius Sejanus. ℙ Posterioribus temporibus quatuor fuere praefecti praetorio, vice imperatoris partem imperii administrantes: quorum primus *praefectus praetorio per Orientem*, alter *per Illyricum*, tertius *per Italiam*, postremus *per Gallias* dicebatur. Quintum addidit Justinianus I. *per Africam.* V. *Notit. dignit. Imper.*, et qui de his scripsere. ℙ *Praefectus vigilum* et *vigilibus*, *νυκτέπαρχος*, institutus est ab Augusto, qui septem cohortibus opportunis locis per Urbem constitutis, arcendorum incendiorum gratia spectabilem iis virum praeposuit, qui eo nomine est appellatus. Is cognoscebat de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, et receptoribus. Per totam noctem vigilare debebat, et coerrare cum hamis et dolabris, et inquilinos admonere, ne per negligentiam incendii casus oriretur. *Paul. Dig.* 1, 15, 3., *Julian. ib.* 47, 2, 58. et *Suet. Aug.* 30. In aliis etiam urbibus erat qui hujusmodi munere fungebatur, et *nyctostrategus* dicebatur. V. h. v. s. l. ℙ Etiam in administratione civili reipublicae multiplex est praefecti nomen, et vis. *Praefectus urbis* et *urbi* fuit magistratus Romae, qui urbanis negotiis praeerat. A principio creabatur, quotiescumque regem abesse oporteret: reipublicae tempore, quoties consules, aliique magistratus in monte Albano Feriis Latinis operam darent. At sub imperatoribus coepit esse stabilis ac perpetuus, ex institutione Augusti, teste *Suet. Aug.* 37., multaeque reipublicae partes ejus procurationi tributae sunt: de quibus V. *Ulp. Dig.* 1. *tit.* 12. V. etiam *Tac. A.* 6, 10 et 11., ubi ejus originem ab imperii usque initiis persequitur. *Varr.* ap. *Gell.* 14,

7. ponit, qui fuerint, per quos more majorum senatus haberi soleret, eosque nominat, dictatorem, consulem, praetores, tribunos plebi, interregem, praefectum urbi. *Plin.* 11, 38, 90. Volusius Saturninus Urbis praefectus nonagesimum excessit annum. [*De praefectis Urbi* accuratissime egit *Eduard. Corsinius* in opere Pisis ann. MDCCLXVI. edito. *F.*] ℙ *Praefectus aerarii* et *aerario*, qui una cum aliis aerarii curam habet. Olim aerario praefuere quaestores, deinde aediles, postea praetores: inde rursus quaestores, demum praefecti. V. *Tac. A.* 13, 29. et *Lips. excurs.* B. *ad eum libr. Plin. Pan.* 92. Nobis praefectis aerario consulatum, antequam successorem, dedisti. *Id. ep.* 3, 4. Accepto, ut praefectus aerarii, commeatu. Adde *Gell.* 13, 24. *f.* et *Capitol. Gord.* 4. ℙ *Praefectus annonae*, magistratus extraordinarius, qui a *Tac. A.* 11, 31. rei frumentariae praefectus dicitur, in annonae difficultate creabatur. Post Tiberium coepit esse ordinarius, habebatque facultatem exercendi juris in negotiatores rerum ad victum pertinentium, sub praefecto Urbi. *Liv.* 4, 12., *Tac. A.* 1, 7. ℙ *Praefectus Aegypti*, magistratus Aegypto, in provinciae formam redactae, ab Augusto impositus (unde et *Augustalis* dictus est) ad similitudinem proconsulis. *Suet. Aug.* 18. et 66. et *Vesp.* 6. et *Ulp. Dig.* 1. *tit.* 17. *Inscr.* ap. *Grut.* 113, 1. C. Julius Sex. F. Cor. Postumus Praef. Aegypt. Ti. Claudii Caesaris Aug. Germanici. De his porro praefectis accuratam seriem ab Augusto ad Caracallam texuit *Jo. Labus.* in opere, cui titulus: *Di un' Epigrafe scoperta in Egitto* etc. p. 49 — 147. V. infra. Similiter *praefectus Lydiae*, *Ioniae*, etc. ap. *Nep. Dat.* 2. *extr.*, qui Persarum regis nomine eas provincias administrabat. ℙ Denique *praefectus* nomen est generale cujuscumque magistratus proprio nomine carentis. *Suet. Caes.* 79. Utroque anno binos consules substituit sibi in ternos novissimos menses, ita ut medio tempore comitia nulla habuerit, praeter tribunorum, et aedilium plebis, praefectosque pro praetoribus constituerit, qui praesente se res urbanas administrarent. *Tac. H.* 4, 55. Julius Tutor, ripae Rheni a Vitellio praefectus. *Plin.* 10, 48, 68. et *Inscr.* ap. *Grut.* 287, 7. Egnatius Calvinus praefectus Alpium. ℙ [Quemadmodum Romae, cum ob civium dissidia consules creari non poterant, in eorum locum eligebatur interrex, qui quinto quoque die successorem accipiebat; ipse vero Caesar Augustus ann. U. C. DCCLIV. et deinceps, ut constat ex *Fragm. Fast. Gab.* a *Marin. Frat. Arv.* p. 24. edito, et a *Clem. Cardinali* in *Mem. Rom. di antich. e belle arti* T. 1. p. 179. suppleto et illustrato, ad tollendos candidatorum ambitus, pluribusque gratificandum, consules creare coepit non annuos, ut prius, sed tantum semestres: ita etiam in municipiis, et coloniis, cum quatuorviri, vel duumviri jure dicundo, et aedilicia potestate propter contentiones candidatorum, ut habemus in *Cenotaph. Pisano*, esse non possent, eorum loco *praefecti* creabantur, penes quos jurisdictio esset, donec quatuorviri, vel duumviri eligerentur. Hi porro *praefecti* semestres tantum erant, cum annui essent ordinarii magistratus, quod patet ex *Inscr.* Casinate ap. *Fabr.* p. 483. *n.* 159., in qua licet duo quotannis adnotentur *IIII. viri I. D.*, anno tamen U. C. DCCXXII. Galba II. et T. Vinio Cos. unus est *IIII. vir I. D.* et duo *praefecti* (*Fabrettus* enim *l. c.* post .... *s Rullus IIII. vir P. L. P.* omisit hunc alterum praefectum .... *ajus Niger IIII. vir P. L. P.*, quae verba in lapide adhuc exstare testantur tum *Eug. Guasco* in *Mus. Capitol.* T. 1. p. 157., tum *B. Borghesius*, qui lapidem eundem Romae inspexit); anno vero insequente quatuor numerantur *praefecti* ita descripti: *IIII. vir. P. L. P. h. e.* Quatuorviri Praefecti Lege Petronia. V. PETRONIA. Hinc *Inscr.* Patavina mendosa quidem ap. *Mur.* 759, 1., quae tamen in lapide adhuc exstante ita legitur: Publice D. D. locus sepulturae datus .... ulcio L. F. Fl .. o Ca ... IIII. Vir. Praef. fabrum, Praef. I. D. ex D. D. Alia item Patavina mendosa ap. *Grut.* 354, 8., emendatior ap. *eund.* 404, 6. T. Ennius P. F. Fab. Secundus Trib. Milit., Praef. I. D., Cur. Aer. T. F. I. Alia itidem Patavina mendosa ap. *Gud.* 119, 4., *Don. cl.* 5. *n.* 233. et *Mur.* 571, 3., at quae hodieque Patavii exstans ita incipit: L. Canius Festus, C. Aufidius Candidus, C. Avilius Q. F., L Cervius Stabilis praefecti decuriones consuluerunt VI. Nonas Majas in curia, etc. et *mox:* Quod praefecti V. F., L. Perpernam Amiantum etc. Alia Narbonensis ap. *Grut.* 488, 7. P. Vinicio M. F. Praef. pro II. viro etc. Alia Niciensis ap. *Mur.* 626, 1. C. Memmio Macrino Q., II. viro QQ., item praefecto pro II. viro QQ. etc. Alia Gaditana ap. *Grut.* 195, 4. et 1093, 9. L. Fabius L. F. Gal. Rufinus IIvir Praef. jur. dic. ab decurionibus creatus. Alia Feltriensis, nunc Ateste exstans, ap. *eund.* 555, 2. L. Oclatius L. F. Men. Rocianus IIIIvir Pr I. D. etc. Alia Brixiana ap. *eund.* 428, 2. M. Laetilius Fab. Cassianus Praef. aedil. pot. Brix. etc. ℙ Praeter hos *praefectos* in municipiis, et coloniis, ex lege Petronia, et decurionum decreto pro quatuorviris vel duumviris ordinariis creari solitos, alii itidem erant, qui, cum a municipiis, et coloniis Augusti interdum, vel eorum filii et nepotes, vel primarii Romae viri honoris causa quatuorviri vel duumviri, vel quinquennales, vel dictatores nominarentur, nec ipsi per se id muneris obire possent aut vellent, in eorum locum suffecti eorundem *praefecti* dicebantur. *Inscr.* Attidiensis ap. *Mur.* 686, 6. et 1096, 3. C. Camurio C. F. Lem. Clementi Praef. fabrum, IIII. Praef. I. D. Imper. Caes. Trajani Aug. etc. Alia Uliensis ap. *Grut.* 345, 6. P. Aelio P. F. Fabiano patri, Aed., II. viro Praefect. C. Caesaris, Praef. iterum, etc. Alia Formiana ap. *eund.* 491, 10. Ario Salano Praef. Quinq. Ti. Caesaris, Praef. Quinq. Neronis, et Drusi Caesarum designato etc. Alia Dyrrachiensis ap. *Mur.* 746, 8. L. Statilio L. F. Aem. Sulpiciano Praef. Quinq. T. Statilii Tauri patris, etc. Alia Ariciensis ap. *Grut.* 41, 7. Dianae Nemorensi Vestae sacrum, Dict*atore* Imp. Nerva Trajano Aug., Praef. ejus T. Voltedio Mamiliano, etc. Hinc est, quod Caesar Augustus, Aegypto in provinciae formam redacta, eidem non senatorem, sed equitem R. praeposuit, eundemque non proconsulem, nec propraetorem, nec praesidem, nec legatum, sed praefectum suum appellavit, quia nempe is ejus nomine ibidem summam ac paene regiam, ut affirmat *Tac. H* 1, 11., exercebat auctoritatem. V. supra. *F.*] ℙ Adjective, ante factus. Hoc sensu adhibetur a *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. *f.* et *Tard.* 2. *extr.* et *ib.* 5, 4. *med.* etc., quibus locis alii leg. *praefactus.*

PRAEFĔCUNDUS, a, um, adj. valde fecundus. *Plin.* 16, 17, 51. Omnia celerius senescunt praefecunda.

PRAEFĔRĪCŬLUM, i, n. vas aeneum sine ansa, patens summum, ut pelvis, quo ad sacrificia utebantur in sacrario Opis Consivae. Ita *Festus.* Dictum autem videtur a *praeferendo*, quod in eo res sacrae praeferrentur.

PRAEFERMENTO, as, a. 1. ante fermento. *Plin.* 18, 11, 26. Cum fieret autem panis hordeaceus, ervi aut cicerculae farina ei praefermentabatur. *Hard.* ex MSS. leg. *ipse fermentabatur.*

PRAEFĔRO, fers, tŭli, latum, a. anom. προφέρω, prae, seu ante, vel palam fero. *Cic. Verr.* 2, 4, 34. Sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem praeferebat. *Caes. B. C.* 3, 71. Neque in litteris, neque in fascibus insignia laureae praetulit. *Cic. Verr.* 2, 5, 9. Quamobrem fasces praetoribus praeferantur, cur secures datae? *Ov. Fast.* 2, 336. Et praefert cautas, subsequiturque manus. *Virg. A.* 11, 249. Munera praeferimus. ℙ In triumphi, et sacrorum pompa praecipue locum habet. *Suet. Caes* 37. Pontico triumpho inter pompae fercula trium verborum praetulit titulum: Veni, Vidi, Vici. *Id. Tit.* 2. Quae statua circensi pompa hodieque praefertur. *Liv.* 3, 29. Ducti ante currum hostium duces, signa militaria praelata. Adde 31, 49. *Flor.* 2, 7. Populus R. Ionium mare ingressus, tota Graeciae litora veluti triumphante classe peragravit. Spolia quippe Siciliae, Sardiniae, Hispaniae praeferebat. Sic *Plin.* de pompa funeris 21, 3, 7. Populus funus elocavit, quaque praeferebatur, flores e prospectu omni sparsit. Et de nuptiali *Sen. Octav.* 24. Illa illa meis tristis Erinnys Thalamis Stygios praetulit ignes. ℙ Translate est prae se ferre, ostendere, indicare. [*Hoc dicendi genus imprimis aevi sequioris scriptores frequentarunt: exempla satis multa colleg. *Boettich.* in *Lex. Tac.* s. v.; ap. *Cic.* eo sensu usitatius est *prae se ferre.*] *Planc. ad Coss.* et *Fam.* 10, 8. *med.* Ut cum praeferremus sensus aperte, tum etiam sciri, quid defensuri essemus, non esset periculosum. *Cic. Rosc. Am.* 31. Avaritiam praefers, qui societatem coieris de municipis cognatique fortunis cum alienissimo. *Ov. Her.* 17, 36. Si modo, quem praefers, non simulatur amor. *Sen. Oed.* 509. Ipse vultus flebiles praefert notas. *Plin.* 5, 16, 15. Fons Callirrhoe, aquarum gloriam ipso nomine praeferens. *Id.* 11, 37, 50. Aures in equis animi indicia praeferunt. *Just.* 12, 16. Duae aquilae supra culmen domus sederunt, omen duplicis imperii praeferentes. *Tac. A.* 13, 45. Modestiam praeferre, et lascivia uti. ℙ Saepe est anteponere, anteferre, praeponere. *Sall. Cat.* 37. Urbanum otium ingrato labori praetulerat. *Cic. Brut.* 26. *med.* Cum ille Q. Scaevolam sibi minorem natu generum praetulisset. *Id. Manil.* 24. *f.* Statui, vestram voluntatem meis omnibus commodis et rationibus praeferre. *Id Or.* 2, 84. *med.* Non praetulisse se aliis propter abundantiam fortunae. *Caes. B. G.* 5, 52. *extr.* Qui virtute belli omnibus gentibus praeferebantur. [**Id. ib.* 2, 27. omnibus in locis pugnae se legionariis militibus praeferrent: ubi v. *Herzog.*] *Plin.* 35, 11, 40. *n.* 29. Niciae comparatur, et aliquanto praefertur Athenion Maronites. *Hor. Ep.* 2, 2, 183. Cur alter fratrum cessare, et ludere, et ungi Praeferat Herodis palmetis pinguibus. *Colum.* 1, 3. Ut multi praetulerint carere penatibus. *Vell.* 2, 69. Brutus cuilibet ducum praeferendus. ℙ *Praefertur*, jactatur, disseminatur. *Caes. B. C.* 1, 47. Sed haec ejus diei praefertur opinio, ut se utrique superiores discessisse existimarent. ℙ *Praeferre opem*, afferre. *Stat. Th.* 6, 476. nec praetulit ullam Frater opem. ℙ *Praeferre causam*, praetexere. *Sisenn.* ap. *Non.* 1, 286. C. Titinius quidam, cui minus proprietas mentis ab natura tradita videretur, primo ante testudinem constitit, deinde apud consulem causam atque excusationem praeferre coepit. ℙ *Praeferre diem*, praecipere, antevertere. *Liv.* 39, 5. *med.* Triumphare medio Januario statuerat, sed cum, etc. praetulit triumphi diem: triumphavit ante diem X. Kal. Januarias. Alii leg. *retulit.* Nam *Festus:* Referri diem prodictam, id est anteferri. V. PRAELATUS.

PRAEFĔROX, ocis, adj. omn. gen. valde ferox. *Liv.* 5, 36. Mitis legatio, ni praeferoces legatos, Gallisque magis, quam Romanis similes, habuisset. *Suet. Caes.* 35. Multiplici successu praeferocem una profligavit acie. [**Tac. A.* 4, 60. gnarus praeferocem (eum esse) et insidiis magis opportunum. *H.* 4, 23. praeferoces initio et rebus secundis nimii; et cp. 32. praeferocem ingenio.]

PRAEFERRĀTUS, a, um, adj. ferro vinctus. *Cato R. R.* 11. Modium praeferratum unum, semodium unum. *Pl. Pers.* 1, 1, 22. Plusculum annum fui praeferratus apud molas tribunus vapularis, *h. e.* ferreis compedibus vinctus. ℙ *Praeferratum pilum*, ferrum habens in summitate. *Plin.* 18, 10, 23. Etruria spicam farris tosti pisens (lege *pinsit*) pilo praeferrato, fistula serrata.

PRAEFERTĪLIS, e, adj. valde fertilis. *Prud. adv. Symm.* 2, 1025. praefertile germen Luxuriat. *Alcim.* 5, 119. praefertilis ubere terra.

PRAEFERVĬDUS, a, um, adj. valde fervidus. *Colum.* 3, 1. Vitis omni paene regione, nisi tamen glaciali, vel praefervida, curae mortalium respondet. *Tac. A.* 14, 64. Praefervidi balnei vapore enecatur. V. PERFERVIDUS. ℙ Translate. *Liv.* 9, 18. Trux ac praefervida ira. [*V. *Drakenb.* ad h. l.]

PRAEFESTĪNĀTIM, adv. praefestinando. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 708. Judices, quos vellent, instituerent praefestinatim, et cupide.

PRAEFESTĪNĀTUS, a, um, part. a *praefestino:* valde festinatus. *Colum.* 11, 2. Quia neque praefestinatum opus nimium immature videri possit, ante quindecim dies factum, nec rursus post totidem nimium tarde. *Ov.* 97. de nuce: Jam tamen invenias qui me jaculentur, et ictu Praefestinato munus inane petant.

PRAEFESTĪNO, as, avi, atum, a. 1. valde festino, praepropere ago. *Pl. Rud.* 1, 2, 31. Qui praefestinet, ubi herus assit, praeloqui. *Liv.* 23, 14. *f.* Concedendo plebi senatum, ubi velint, defecturos se, ne deficere praefestinarent, effecisse. *Tac. A.* 5, 10. Thoronaeum, Thermaeumque sinum praefestinans, *h. e.* navigando propere percurrens.

PRAEFĪCĀ, ae, f. ἐπικήδεια, θρηνήτρια, mulier deflendis mortuis praeposita: a *praeficio. Festus:* Praeficae dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductae, quae dant ceteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum praefectae. *Naev. ib.* et ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Haec quidem mehercle, opinor, praefica est, quae sic mortuum collaudat. *Varr. ib.* Praefica, ut Aurelius scribit, mulier ab luctu, quae conduceretur, quae ante domum mortui laudes ejus caneret; et *mox:* Quae praeficeretur ancillis, quemadmodum lamentarentur, praefica est dicta. (*Scal. ib.* ait esse inventum Phrygum.) *Id.* ap. *Non.* 1, 340. et 2, 594. Ibi a muliere, quae optima voce esset, perquam laudari: deinde neniam cantari solitam, etc. Haec mulier vocitata olim praefica usque ad Punicum bellum. *Lucil. ib.* mercede quae Conductae flent alieno in funere praeficae, Multo et capillos scindunt, et clamant magis. *Pl. fragm. ib.* Superabo omnes argutando praeficas. *Id. Truc.* 2, 6, 14. Sine virtute argutum civem mihi habeam pro praefica, Quae alios collaudare absentes, sese vero non potest. *Inscr.* ap. *Mur.* 954, 2. Heu! Flavia Quartilla praefica *vixit* ann LXI. ℙ Adjective. *Gell.* 18, 6. Colligitis lexi dia, res tetras, et inanes et frivolas, tanquam mulierum voces praeficarum.

PRAEFĬCĬO, is, eci, ectum, a. 3. ἐφίστημι, praepono, praesidem, praefectum esse jubeo, creo: a *prae* et *facio. Pl. Ps.* 1, 2, 25. Te cum securi caudicali praeficio provinciae. *Cic. Verr.* 2, 2, 59. Aliquem curatorem praeficere, qui statuis faciundis praesit. *Id. Dom.* 8. Pecuniae deportandae, et bello gerendo M. Catonem praefecisti. *Id. Sext.* 18. *extr.* In eo exercitu inimici mei fratrem praefecerat, *h. e.* cuidam parti ejus exercitus praeposuerat. *Id. Planc.* 25. *f.* Praeficere aliquem pecori. *Id. Manil.* 16. *f.* imperatorem bello. *Id. Dom.* 33. duces populo. *Nep. Milt.* 4. aliquem classi. Sic *Liv.* 35, 42. Neque (*censebat*) minus quemquam ei classi, quam Annibalem praeficiendum. *Caes. B. G.* 5, 24. Praeficere legatos legionibus. *Cic. Leg.* 2, 26. *extr.* alicui procurationi certum magistratum. *Plin.* 9, 8, 8. aliquem sacerdotio Neptuni. *Tac. A.* 6, 8. rationibus, libellis et epistolis libertos: et *ib.* 13, 46. provinciae Lusitaniae; et *ib.* 2, 4. Ariobarzanem volentibus Armeniis praefecit. *Virg. A.* 6, 118. nec te Nequidquam lucis Hecate

praefecit Avernis. ℙ Translate. *Cic. Div.* 2, 4. *extr.* Nec omnium divinatio est, ut ratio docuit: nec locus, nec materia invenitur, cui divinationem praeficere possimus, *h. e.* in qua possimus divinationem ponere, ut in ea veluti dominetur.

PRAEFIDENS, entis, part. ab inus. *praefido*, valde confidens. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Or.* 3, 41. Exsultantem te, et praefidentem tibi Repriment validae legum habenae. *Cic. Off.* 1, 26. Homines secundis rebus effrenatos, sibique praefidentes.

PRAEFIDENTER, adv. confidenter. *Aug. ep.* 55. ad *Macedon.* Praefidentius, tanquam suis viribus, cucurrerunt.

[PRAEFĪDUS, a, um, adj. valde fidus, fidelissimus. Nisi vetaret quantitas paenultimae, quae longa profecto esse debet, admittenda esset probabilis conjectura *Caroli Fea*, qui ita edidit, et multis firmare rationibus studuit illum locum *Hor. Sat.* 1, 1, 28. Ille gravem duro terram qui vertit aratro; Praefidus hic campo miles; nautaeque, per omne Audaces mare qui currunt, hac mente laborem Sese ferre, senes ut in otia tuta recedant, Ajunt, cum sibi sint congesta cibaria. *MSS.* et editiones fere omnes habent *Perfidus hic caupo, miles* etc. Lectionem potius *Cod. Chig.*, quam ipse affert in *Miscell. Filolog. T.* 1. p. 12., amplecteñdam aliquis putaverit, si modo is Codex tanti est habendus, ubi pro *Pfidus et hic campo miles* fortasse rectius *Fidus* legendum esset. *F.*]

PRAEFIGO, is, ixi, ixum, a. 3. *προπήγνυμι*, ante aliquid figo. *Colum.* 8, 17. *med.* Rivis, per quos exundat piscina, praefigantur aenei foraminibus exiguis cancelli, quibus impediatur fuga piscium. *Plin.* 28, 10, 44. Rostrum lupi villarum portis praefigunt. *Virg. A.* 10, 80. praefigere puppibus arma; et *ib.* 9, 465. capita in hastis. *Nemes. Cyn.* 55. felemque minacem Arboris in trunco longis praefigere telis. ℙ Aliquando est praecludere. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 3. Praefigi prospectus omnes coegit multitudinis innumerae saeva latrocinatio, *h. e.* claudi omnes fenestras prospicientes in vicum. V. PRAEFIXUS. ℙ Hypallage est in illo *Virg. G.* 3, 399. Primaque ferratis praefigunt ora capistris, *h. e.* praefigunt capistra oribus haedorum, atque adeo ipsa ora claudunt. ℙ Translate. *Pers.* 4, 13. nigrum vitio praefigere theta, *h. e.* notare, damnare.

PRAEFIGURĀTĬO, onis, f. *August. C. D.* 16, 2. *med.* Haec Scripturae secreta divinae indagamus, certum tenentes, non ea sine aliqua praefiguratione futurorum gesta atque conscripta, neque nisi ad Christum, et ejus Ecclesiam esse referenda.

[PRAEFIGŪRĀTUS, a, um, part. a *praefiguro. Cypr. ep.* 2, 3. Sacramentum praefiguratum. *F.*]

PRAEFĪGŪRO, as, avi, atum, a. 1. ante figuro, formo. *Lactant.* de spectaculis agens mimorum impudicorum, 6, 20. *med.* Quid juvenes, aut virgines faciant, cum haec et fieri sine pudore, et spectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utique quid facere possint, ac se quisque pro sexu in illis imaginibus praefigurat.

PRAEFĪNĬO, is, ivi et ii, itum, a. 4. *προορίζω*, praestituo, praescribo, ante finio. *Cic. Tusc.* 5, 8. Contra Brutumne me dicturum putas? *A.* Tu vero; ut videtur: nam praefinire non est meum. *Id. Leg.* 2, 18. Sed ego cetera non tam restricte praefinio: et *ib.* 27. A Platone sumptus funerum praefinitur ex censibus. *Id. Fam.* 7, 2. Eo vidisti multum, quod praefinisti, quo ne pluris emerem. *Id. Verr.* 2, 5, 68. Neque de illo quidquam tibi praefinio, quo minus ingenio mecum contendas. *Id. Prov. cons.* 15. Praefinit successori diem.

PRAEFĪNĪTĬO, onis, f. *προορισμός*, actus praefiniendi. *Julian. Dig.* 36, 2, 19. Cum sine praefinitione temporis legatum ita datum fuerit etc. *Marcell. ib* 20. Si cum praefinitione annorum legatum sit, velut: Titio dena usque ad annos decem.

PRAEFĪNĪTUS, a, um, part. a *praefinio*: praestitutus, praescriptus. *Quint.* 11, 3. *med.* Vitium nimiae tarditatis (*in dicendo*) et segnitia solvit animos, et, in quo est aliquid, temporibus praefinitis aquam perdit. *Suet. Galb.* 14. *f.* Ad certum praefinitumque tempus. *Gell.* 1, 25. *f.* Dies certus praefinitus. ℙ *Praefinito*, adverbii more, praefinito tempore, aut modo. *Ter. Hec.* 1, 2, 19. Nam illic haud licebat, nisi praefinito, loqui quae illi placerent. Ubi *Donat.* Deest *tempore*, aut quid tale. Duo dixit, et *praefinito*, et *quae illi placerent*, ut neque quantum velles, neque quod velles, diceres.

PRAEFISCĪNE et Praefiscini, *ἀβασκάντως*, adv. ex *prae* et *fascino* conflatum, inservit avertendae fascinationi; ut deprecandae invidiae est illud, *absit verbo invidia:* et malo omini, *Dii omen avertant etc.* Putabant, cum quis impense vel ipse se laudaret, vel laudaretur ab alio, fascinationis periculum esse: cui declinando interponebant *praefiscine, ni, h. e.* quod sine fascino sit. *Prae* hoc loco pro *sine* positam esse *Charis.* docet 2, 210. *Titin. ib.* 189. Paula mea, amabo, pol tu ad laudem addito, praefiscini, ne puella fascinetur. *Afran. ib.* Scis habitum ita ut nunc obtinet praefiscini. *Pl. As.* 2, 4, 84. Praefiscine hoc nunc dixerim: nemo etiam me accusavit merito meo. *Id. Cas.* 5, 2, 43. Inde foras tacitus, praefiscini, exeo hoc ornatu, quo vides. *Petr. fr. Trag.* 73. *Burm.* Homo, praefiscini, frugi.

PRAEFIXUS, a, um, part. a *praefigo:* ante aliquid fixus. *Caes. B. G.* 5, 18. Ripa autem erat acutis sudibus praefixis munita. *Suet. Caes.* 85. Caput ejus praefixum hastae circumtulit. *Id. Cal.* 15. Praefixum in biremis puppe vexillum. ℙ Item qui habet aliquid ante, aut in summitate fixum. *Caes. B. C.* 2, 1. Asseres cuspidibus praefixi. *Liv.* 26, 4. Jacula praefixa ferro. *Virg. A.* 10, 479. ferro praefixum robur acuto. ℙ Item praeclusus. V. PRAEFIGO. *Cajus Dig.* 8, 2, 5. Si aedes tuae aedibus meis serviant, ne altius tollantur, et ego per statutum tempus fenestras meas praefixas habuero, vel obstruxero etc. ℙ Item confixus, trajectus. *Tibull.* 1, 7, 55. *de sacerdote Bellonae*: Statque latus praefixa veru, stat saucia pectus. ℙ Item incantamentis defixus. *Quint. decl.* 10, 8. Praefixum clausumque tumulum nudis cecidit uberibus.

PRAEFLETUS. V. PERFLETUS.

PRAEFLORĀTUS, a, um, a *praefloro:* flore ante tempus spoliatus: et translate delibatus, deturpatus, corruptus. *Liv.* 37, 58. *f.* Gloriam ejus victoriae praefloratam apud Thermopylas esse. Alii leg. *defloratam. Plin. Pan.* 58. Quamquam non ambitio magis, quam livor et malignitas videri potest, omnes annos (*consulatum*) possidere, summumque illud purpurae decus non nisi praecerptum praefloratumque transmittere. *Appul. Apol.* Vidua qualis nuptiis venit, talis divortio digreditur; nihil affert irreposcibile, sed venit jam ab alio praeflorata.

PRAELFORĔO, es, ui, n. 2. ante floreo. *Plin.* 16, 29, 51. Ideo et praeflorent talia, et praegerminant, atque in totum praecocia fiunt.

PRAEFLORO, as, a. 1. flore ante tempus spolio: et translate defloro, delibo. *Gell.* 14, 1. *extr.* Futurum gaudii fructum spes sibi jam praefloraverit. Alii perperam leg. *defloraverit.*

PRAEFLŪO, is, n. 3. *προῤῥέω*, ante fluo, praeterfluo. *Liv.* 1, 45. *f.* Infima valle praefluit Tiberis. *Hor. Od.* 4, 14, 26. Aufidus, Qui regna Dauni praefluit Appuli. *Plin.* 3, 18, 22. Natiso cum Turro praefluentes Aquilejam. *Tac. A.* 15, 15. Flumini Arsaniae (etenim is castra praefluebat) pontem imposuit.

PRAEFLŪUS, a, um, adj. qui praefluit. *Plin.* 19, 4, 20. Hortos riguos habendos praefluo amne.

PRAEFOCABĬLIS, e, adj. *ἀποπνιγόεις*, praefocandi vim habens. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 35. Cum gravedine thoracis, atque spiratione praefocabili; et *ib.* 37. Loca plus satis brevia sunt praefocabilia. *Id. Tard.* 3, 2. Transvorandi difficultas cum praefocabili sensu.

PRAEFOCĀTĬO, onis, f. *κατάπνιξις*, actus praefocandi, suffocatio. *Scrip. Comp.* 100. Ad suspirium et ad vocis abscisionem, et subitas praefocationes. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 6. Faucium siccitates praefocationis imitantur effectum.

PRAEFOCĀTUS, a, um, part. a *praefoco:* suffocatus. *Calpurn. Ecl.* 4, 115. nec praefocata malignum Messis habet lolium, nec inertibus albet avenis.

PRAEFOCO, as, a. 1. *ἀποπνίγω*, fauces praecludo, suffoco. *Ov. Ib.* 560. Praefocent animae Gnosia mella viam. *Paul. Dig.* 25, 3, 4. Praefocare partum. **Macr. Somn. Scip.* 1, 12. Vel ex abundantia praefocari se existimet, vel gravantibus exonerari. *B. A.*

PRAEFŌDĬO, is, ōdi, ossum, a. 3. *προορύττω*, ante fodio. *Virg. A.* 11, 473. Praefodiunt alii portas, aut saxa sudesque subvectant. Ubi *Serv.:* id est ante portas fossas faciunt. *Ov. Met.* 13, 60. et ostendit, quod jam praefoderat, aurum, *h. e.* ante fodiendo occultaverat.

PRAEFOECUNDUS. V. PRAEFECUNDUS.

[PRAEFOMENTO, as, a. 1. antea fomento. *Theod. Prisc.* 1, 19. *med.* Praefomentanda sunt interea vulnera aqua gelida. *F.*]

PRAEFORMĀTOR, oris, m. qui ante format, et instruit. *Tert. Praescript.* 30. Marcion institutor et praeformator.

PRAEFORMĀTUS, a, um, part. a *praeformo*, ante formatus. *Quint.* 2, 6. Namque incipientibus danda erit velut praeformata materia, secundum cujusque vires.

PRAEFORMĪDĀTUS. V. PERFORMIDATUS.

PRAEFORMĪDO, as, a. 1. ante formido, praetimeo. *Quint.* 4, 5. *in.* Quem judex, si providet, non aliter praeformidat, quam qui ferrum medici, prius quam curetur, aspexit. Alii leg. *reformidat.*

PRAEFORMO, as, a. 1. ante formo, instruo, praeparo. *Sil.* 7, 385. Atque his praeformat dictis, fingitque monendo. *Tert. Apol.* 1. *f.* Quanti ad malum praeformantur! quanti transfugae in perversum!

PRAEFORTIS, e, adj. valde fortis. *Tert. Car. Chr.* 5. *med.* Hinc infirmum, inde praefortem exhibuit.

PRAEFOTUS, a, um, part. ab inus. *praefoveo*, ante fotus. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 2. Praefotis partibus aqua marina, vel aceto salso.

PRAEFRACTĒ, adv. *αὐθαδῶς*, pertinaciter, obstinate. *Cic. Off.* 3, 22. Nimis mihi praefracte videbatur aerarium, vectigaliaque defendere. *Non.* 2, 664. legit *praefractum. Val. Max.* 9, 7. *f.* Dissolutam disciplinam militarem praefractius et rigidius adstringere conatum privavit vita.

PRAEFRACTUS, a, um, part. a *praefringo: διαῤῥηκτος*, ante, aut valde fractus: vel simpliciter fractus. *Lucil.* ap. *Gell.* 3, 13. scruta quidem, ut vendat, scrutariu' laudat, Praefractam strigilem, soleam improbu' dimidiatam. *Lucr.* 1, 889. Postremo in lignis cinerem fumumque videri, Cum praefracta forent, ignesque latere minutos. *Sen. ep.* 71. *med.* Quaedam rectissima, cum in aquam demissa sunt, speciem curvi praefractique visentibus reddunt. *Ov. Met.* 12, 358. solido revellere dumo Annosam pinum magno molimine tentat: Quod quia non potuit, praefractam misit in hostem. *Cels.* 5, 26. *n.* 35. Surculum si fieri potest, oportet vel manu, vel ferramento educere: si vel praefractus est, vel altius descendit, quam utita fieri possit, medicamento evocandus est. *Caes. B. C.* 2, 6. Triremes adeo graviter inter se incitatae conflixerunt, ut altera, praefracto rostro, tota collabefieret. ℙ Translate est durus, obstinatus, contumax, inflexibilis, *καρτερόφρων, ἀτρέπτων, αὐθάδης*, videturque ductum ex iis, quae nimis dura sunt, et franguntur potius, quam flectantur. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 2, 664. Huic contrarius Aristo Chius, praefractus, ferreus: nihil bonum, nisi quod rectum et honestum est. *Val. Max.* 6, 5. *f.* Sed aliquanto Charondae Thurii praefractior atque abscissior justitia. *Id.* 3, 8. *n.* 3. *extr.* Socratis autem virilitatis robore palliatus animus aliquanto praefractius perseverantiae exemplum edidit, *h. e.* constantius. ℙ Refertur etiam ad genus dicendi abruptum, durum, asperum. *Cic. Or.* 13. Nam cum concisus Socrati Thrasymachus minutis numeris videretur, Thucydides autem praefractior, nec satis, ut ita dicam, rotundus; primus instituit dilatare verbis, et mollioribus numeris explere sententias.

PRAEFRĪGĬDUS, a, um, adj. *καταψυχρος*, valde frigidus. *Ov. Pont.* 4, 12, 35. Et tepidus Boreas, et sit praefrigidus Auster. *Plin.* 17, 20, 34. Septentrionalis et praefrigidus situs. *Cels.* 2, 30. In praefrigidam undam se projecit. Adde *Just.* 11, 8.

PRAEFRINGO, is, egi, actum, a. 3. *διαῤῥήγνυμι*, in anteriore parte frango, confringo, perfringo. *Liv.* 8, 10. Cum hastas praefregissent, aut hebetassent. Alii leg. *perfregissent. Plin.* 17, 22, 35. *n.* 20. ex *Cat. R. R.* 33. Vineas novellas alligato crebro, ne caulis praefringatur. *Just.* 6, 8. Nam sicuti telo si primam aciem praefregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris, sic, etc.

PRAEFŪGĬO, is, ūgi, a. 3. ante fugio. *Tert. Anim.* 33. *med.* Sed etsi anima praefugerit, etc.

PRAEFULCĬO, is, ulsi, ultum, a. 4. *ἐρείδω, στερεόω*, ante fulcio, praemunio. Translate. *Cic. Att.* 5, 13. Per fortunas! quoniam Romae manes, primum illud praefulci atque praemuni, quaeso, ut simus annui. *Gell.* 7, 3. *med.* Cato non nudam, neque solitariam, neque improtectam hanc epagogen facit, sed multis eam modis praefulcit, multisque aliis argumentis convelat. *Pl. Pers.* 1, 1, 11. Quasi lippo oculo meus me herus manum abstinere haud quit tamen, quin mihi imperet, quin me suis negotiis praefulciat, *h. e.* praeficiat tanquam columen et fulcimentum rei suae familiaris. *Id. Ps.* 3, 1, 5. Velut haec mihi evenit servitus, ubi ego omnibus parvis magnisque miseriis praefulcior, *h. e.* undique cingor, et comprimor, quasi fulcimentis quibusdam, quae ut sustentare possint, arete haerere et comprimere debent.

PRAEFULGĔO, es, ulsi, n. 2. *περιστίλβω*, valde fulgeo. *Auct. ad Her.* 3, 19. Nec nimis illustres, nec vehementer obscuros locos haberi oportet, ne aut obcaecentur tenebris imagines, aut splendore praefulgeant. *Phaedr.* 3, 18. de pavone: Nitor smaragdi collo praefulget tuo. *Sen. Ag.* 728. gemino sole praefulget dies. *Virg. A.* 8, 552. equus, quem fulva leonis Pellis obit totum, praefulgens dentibus aureis. *Gell.* 5, 5. Equitatus frenis, ephippiis, phaleris praefulgens. ℙ Translate. *Vell.* 1, 14. Nam militarium *(rerum)* et causae, et auctores, et ipsarum praefulgent nomina. *Tac. A.* 3, 76. Sed praefulgebant Cassius atque Brutus eo ipso quod effigies eorum non visebantur; et *ib.* 13, 45. Poppaeus Sabinus consulari et triumphali decore praefulgens. *Gell.* 12, 5. *med.* Prae ceteris omnibus enituit et praefulsit decori et honesti dignitas.

PRAEFULGĪDUS, a, um, adj. valde fulgidus. *Juvenc. in Matth.* 3, 330, 18. coeli praefulgida nubes Circumjecta oculis vestibat lumine montem.

PRAEFULGŪRAT, abat, impers. valde fulgurat, praefulget. *Stat. Th.* 7, 501. longe tua jussa cohortes Exspectant, multoque latus praefulgurat ense. ℙ Active. *Val. Fl.* 3, 119. strictoque vias praefulgurat ense, *h. e.* fulgore vias implet, strictum ensem vibrando. *Coripp. Laud. Justin.* 3, 222. Narses augustam cultu praefulgurat aulam.

PRAEFULTŪRA, ae, f. V. FULTURA.

PRAEFULTUS, a, um, part. a *praefulcio. Prud. περὶ στεφ.* 5, 335. Mollire praefultum torum.

PRAEFUNDO, is, ūdi, a. 3. *Simplic. inter auctor. rei agrar. Goes.* p. 87. Subcisiva possessionibus vicinis Domitianus imperator praefudit, *h. e.* addidit, adjecit, insuper assignavit, quasi superfudit.

PRAEFURNĪUM, ii, n. os furni, aut fornacis. *Cato R. R.* 38. Fornacem calcariam pedes latam decem facito. Si uno praefurnio coques, lacunam intus magnam facito, uti satis siet, ubi cinerem concipiat. Si duobus praefurniis coques, lacuna nihil opus erit. Cum cinere eruto opus erit, altero praefurnio eruito: in altero ignis erit; et *mox:* Ventus ad praefurnium caveto ne accedat. *Vitr.* 5, 10. de hypocausto balinei, quod fornacis genus est: Suspensurae caldariorum ita sunt faciendae, ut primum sesquipedalibus tegulis solum sternatur inclinatum ad hypocausim, uti pila cum mittatur, non possit intro resistere, sed rursus redeat ad praefurnium. [*Id.* 7, 10. Fit fornacula habens in laconicum nares, et ejus praefurnium magna diligentia comprimitur, ne flamma extra dissipetur. *F.*]

PRAEFŪRO, is, a. 3. ante, aut valde furo. *Stat. Th.* 2, 420. torvus praefuris; et *ib.* 4, 822. justumque in gurgite Martem Praefurere.

PRAEFUSCUS, a, um, adj. valde fuscus. *Manil.* 4, 721. Aethiopes maculant orbem, terrasque figurant Praefuscas. Alii leg. *tetrisque figuris Perfusas*, etc.

PRAEGĔLĬDUS, a, um, adj. *κατάψυχρος*, valde gelidus, praefrigidus. *Liv.* 21, 54. *med.* In locis Alpibus Apenninoque interjectis propinquitate etiam fluminum ac paludum praegelidis. *Colum.* 4, 8. Praegelida frigora. *Plin.* 9, 16, 24. hiems. *Sil.* 4, 226. Praegelidi rivi.

PRAEGĔNĔRĀTUS, a, um, part. ab inus. *praegenero*, ante genero, *Prosper Aquit. Epitaph. haeres. Nestor. et Pelag. in.* Nestoriana lues successit Pelagianae, Quae tamen est utero progenerata meo.

PRAEGERMĬNO, as, a. 1. ante germino. V. *Plinii l. c.* in PRAEFLOREO.

PRAEGĔRO, is, a. 3. ante gero, praefero. *Appul. Met.* 4. *f.* Alius sub oculis dominae speculum praegerit.

PRAEGESTĬO, is, n. 4. ante, et valde gestio, magnopere cupio. *Cic. Coel.* 28. Praegestit animus jam videre primum lautos juvenes, etc. *Hor. Od.* 2, 5, 7. juvencae nunc in udo Ludere cum vitulis salicto Praegestientis.

PRAEGESTUS, a, um, part. a *praegero*, ante gestus, ante factus. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 5. *n.* 150. *extr.* Oblivione praegestorum affici.

PRAEGIGNO, is, a. 3. progigno, produco. *Pl. Ps.* 1, 5, 77. Quia nolebam ex me morem praegigni malum. Est qui leg. *progigni.*

PRAEGLORĬOSUS, a, um, adj. valde gloriosus. *Inscr.* sub Impp. Arcad. et Honor. ap. *Grut.* 391, 5. Cl. Claudiano inter ceteras vigentes artes praegloriosissimo poetarum, etc.

PRAEGNANS, antis, part. per sync. pro *praegenans*, a *geno* gigno: *ἔγκυος, ἐγκύμων*, in utero ferens, gravida, inciens. *Fest.* ita distinguit in *Gravida:* Gravida est, quae jam gravatur conceptu: praegnans velut occupata in generando (alii leg. *genando*) quod conceperit: inciens propinqua partui, quod incitatus sit fetus ejus. Egeriae nymphae (eod. teste in *Egeriae*) sacrificabant praegnantes, quod eam putabant facile conceptam alvum egerere. *Cic. Or.* 1, 40. Cum paterfamilias uxorem praegnantem in provincia reliquisset. *Juven.* 6, 404. Facere aliquam praegnantem. *Hor. Od.* 3, 27, 2. praegnans canis. *Varr. R. R.* 2, 4. *med.* sus; et *ib.* 2. *med.* ovis. *Plin.* 10, 63, 83. Vicisse Olympia equam praegnantem, invenimus; et *ib.* 33. Praegnantes perdices; et 29, 4, 27. Si mus araneus praegnans momordit. ℙ Translate de arboribus. *Plin.* 12, 14, 32. de arbore turis: Prior atque naturalis vindemia incidentibus qua maxime videatur esse praegnans, tenuissimusque tendi cortex. *Id.* 17, 14, 24. Surculi praegnantes; et *ib.* 21, 35. *n.* 2. Praegnantes oculi arborum. ℙ De lapidibus. *Id.* 10, 3, 4. de aetite: Est autem lapis iste praegnans, intus, cum quatias, alio, velut in utero, sonante. *Id.* 37, 10, 66. Paeantides gemmae praegnantes fieri, et parere dicuntur. ℙ Et de aliis rebus. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 3. Spumam nitri antiqui negabant fieri, nisi cum ros cecidisset, praegnantibus nitrariis, sed nondum parientibus. *Scrib. Comp.* 61. Solent gingivae quorundam fluore infestari: quas praegnantes vocant. ℙ Est etiam universim plenus, gravidus. *Plin.* 24, 15, 80. Praegnans succo herba. *Id.* 32, 6, 21. Ostrea multo lacte praegnantia. *Id.* 11, 37, 62. Praegnans veneno vipera. ℙ Item turgens, tumidus, instar uteri praegnantis. *Colum.* 10, 379. gelidas per graminis umbras Intortus cucumis, praegnansque cucurbita serpit. *Pl. As.* 2, 2, 10. Etiam de tergo ducentas plagas praegnantes dabo. *Juven.* 2, 55. tenui praegnantem stamine fusum Torquere. ℙ Etiam *praegnas, atis:* dictum est. *Pl. Truc.* 1, 2, 95. Quae nunquam fuit praegnas, qui parere potuit? Adde 4, 3, 37. Sic *Macr. Sat.* 3, 11. *f.* Cereri faciunt sue praegnate. Etiam ap. *Cicer.* ita quidam leg. ex MSS. *Att.* 1, 10. *med.* Quod soror praegnas est. [*M. Aurel.* ap. *Front. ad Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 6. Cum maenas bene praegnatis (*h. e.* praegnates) alios vorantis (pro *vorantes*) viderem. *F.*]

PRAEGNĀTIO, onis, f. *κύησις*, graviditas. De mulieribus. *Appul. Met.* 1. Eadem amatoris sui uxorem, quod in eum dicacule probrum dixerat, jam in sarcinam praegnationis obsepto utero, et repigrato fetu, perpetua praegnatione damnavit. ℙ De bestiis. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Appello feturam a conceptu ad partum: hi enim praegnationis primi et extremi fines. ℙ De arboribus. *Id. ib.* 44. Praegnantia, cum sunt matura, pariunt poma, aut spicam: nihil renascitur, quod praegnationis idem bis habere non potest. ℙ Translate. Deum ipsum ita alloquitur. *Appul. Trismeg. f.* Cognovimus te, lumen maximum; intelleximus te, o vitae vera vita, o naturarum omnium fecunda praegnatio, *h. e.* qui praegnantes facis.

PRAEGNĀTUS, us, m. praegnatio. *Tert. adv. Jud.* 9. *med.* Juvenculae praegnatus et partus. Adde *adv. Marc.* 3, 8.

PRAEGNĀVĬTER, adv. valde gnaviter, sedulo. *Pl. Pers.* 4, 4, 39. Age, indica praegnaviter. Alii leg. *prognaviter*, eod. sensu: alii cum *Non.* 2, 625. *prognariter*, h. e. valde gnare, scite, perite, aperte. Sic *Enn.* ap. *Non. ib.* Ut pro Romano populo prognariter armis Certando, prudens animam de corpore mitto, *h. e.* strenue, constanter, fortiter, ut ipse *Non.* exponit.

[PRAEGNAX, ācis, adj. omn. gen. qui multum et saepe praegnans est. *Fulg. Myth.* 2, 3. Junonem Deam etiam partus volunt, quod divitiae semper praegnaces sint, et nonnunquam abortiant. *F.*]

PRAEGRĀCILIS, e, adj. *κατισχνος*, valde gracilis, pergracilis. *Tac. A.* 4, 57. Erat illi praegracilis, et incurva proceritas.

PRAEGRĀDO, as, a. 1. praegredior, praecedo, antevenio. *Pacuv.* ap. *Non.* 1, 328. Extremum intra campterem ipsum *παρθένος* eum praegradat. Ita legit *Bothe.* V. CAMPTER.

PRAEGRANDIS, e, adj. *ὑπερμέγας*, valde grandis, pergrandis. *Pacuv.* ap. *Fest.* in *Torvus:* Feroci ingenio torvus, praegrandi gradu. *Plin.* 13, 25, 49. Praegrandes arbores. *Id.* 4, 13, 27. aures. *Id.* 8, 33, 51. (et *Suet. Tib.* 68.) oculi; et *ib.* 45, 70. boves. *Id.* 3, 16, 20. Claudius Caesar praegrandi illa domo verius quam nave intravit Adriam. *Id.* 11, 37, 74. Praegrande fel. *Id.* 8, 15, 16. labrum superius. *Suet. Tib.* 60. Praegrandis locusta. *Pers.* 1, 124. senex, *h. e.* Aristophanes.

PRAEGRĀVĀTUS, a, um, part. a *praegravo: ὑπερβαρής*, valde gravis factus, praegravis. *Liv.* 7, 23. *f.* Onerati telis Galli, quibus aut corpora transfixa, aut praegravata inhaerentibus gerebant scuta. *Colum.* 6, 7. *f.* Praegravato capite si saepius lacrimae profluent, etc.

PRAEGRĀVĬDUS, a, um, adj. valde gravidus, seu gravis. *Stat. Th.* 6, 700. Molis praegravidae castigat pulvere lapsus, *h. e.* disci ponderosi.

PRAEGRĀVIS, e, adj. *περίβαρυς*, valde gravis, pergravis. *Ov. Her.* 9, 98. Praegrave compressa fauce pependit onus. *Plin.* 8, 21, 32. Fera catoblepas caput praegrave aegre ferens: id dejectum semper in terram. *Mart.* 4, 18. hiberno praegravis unda gelu. *Plin.* 10, 33, 51. de perdice: Si auceps ad nidum coepit accedere, procurrit ad pedes ejus feta, praegravem aut delumbem esse simulans, *h. e.* tardam, et volatui inhabilem. ℙ Translate. *Id.* 7, 8, 6. Praegrave servitium. *Varr.* ap. *Non.* 5, 74. Ubi praegraves pascuntur pavonum greges, *h. e.* magni sumptus. [**Tac. A.* 4, 71. Veteres et praegraves (delatores) afflixit; 11, 19. virum insignem et ignavo principi praegravem; 14, 3. praegravem ratus interficere constituit. *H.* 2, 21. cibo vinoque praegraves.]

PRAEGRĀVO, as, avi, atum, a. 1. *ἐμβριθόω*, valde gravis sum, pondere premo, opprimo, obruo. *Hor. Sat.* 2, 2, 77. corpus onustum Hesternis vitiis animum quoque praegravat una. *Colum.* 7, 6. Caper optimus habetur plena et brevi cervice, flaccidis et praegravantibus auribus, etc., *h. e.* deorsum pendentibus quasi graves sint. *Liv.* 35, 42. *extr.* Si summa petantur, et dantem, et accipientem praegravatura. *Id.* 5, 34. Exonerare praegravante turba regnum cupiens. *Hor. Ep.* 2, 1, 13. Urit enim fulgore suo, qui praegravat artes Infra se positas, *h. e.* longe multo superat, et gravis est inferioribus. ℙ Item praeponderare, *ὑπεραθμίζομαι*, [*nostr. *überwiegen.*] *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 15. de putatione vitium: Dividi putatione pollices aequali examine, ne praegravet fructus parte aliqua. ℙ Translate. *Sen. Clem.* 1, 24. Cito apparebit, pars civitatis deterior quanto praegravet. *Suet. Caes.* 76. Praegravant tamen cetera facta dictaque ejus, ut et abusus dominatione, et jure caesus existimetur. Adde *Val. Max.* 3, 7. *n.* 6. *extr.*

PRAEGRĔDIOR, ederis, essus sum, dep. 3. *προάγω, προπορεύομαι*, ante gradior, praecedo, praeco. *Cic. Phil.* 13, 2. *f.* Latera tegentes alios, sequentes alios, alios praegredientes amicos. *Varr. R. R.* 2, 7. *med.* Equi boni futuri signa sunt, si, cum flumen travehundum est, gregi in primis praegredi-tur, ac non respectat alios. *Suet. Tib.* 7. *extr.* Praegredi aliquem pedibus toto itinere. *Liv.* 28, 1. non solum nuncios, sed etiam famam adventus sui. ℙ [*Signif. etiam praetergredi. *Tac. A.* 14, 23. fines suos praegredientem. Hinc nihil mutandum videtur ap. *Liv.* 35, 30, 11. ubi ea (castra) sunt praegressi. V. *Drakenb.* ad h. l. et ad 29, 32, 8.] ℙ Translate. *Sall. in or. ad Caes.* 1, 1. Qui tantum alios praegressus es, uti prius defessi sint homines laudando facta tua, quam, etc.

PRAEGRESSĬO, onis, f. *πρόβασις*, actus praegrediendi, praecursio. *Cic. Fat.* 19. *med.* Ut nihil fieret sine praegressione causae.

PRAEGRESSUS, a, um, part. a *praegredior:* qui praecessit. *Liv.* 35, 30. Sequi suorum agmen aliquantum praegressum insistunt. *Just.* 24, 3. Praegressa igitur virum, diem festum urbi in adventum ejus indicit. *Tac. A.* 11, 37. Raptim in hortos praegressus.

PRAEGRESSUS, us, m. praegressio. *Ammian.* 21, 5. *extr.* Expertus, quid in rebus tumultuosis anteversio valeat, et praegressus. Adde *Cic. Off.* 1, 4., ubi alii leg. *progressus.*

PRAEGŪBERNANS, antis, part. ab inus. *praeguberno*, praeeundo gubernans. *Sidon. ep.* 5, 13. Musculis similis, inter saxosa, vel brevia balaenarum corpulentiam praegubernantibus.

PRAEGUSTANS, antis, part. a *praegusto*, praegustator. *Plin.* 21, 3, 9. En ego sum, inquit, illa, Marce Antoni, quam tu nova praegustantium diligentia caves.

PRAEGUSTĀTOR, oris, m. *προγεύστης, προτένθης*, qui praegustat. Servos habere praegustatores, qui cibum potumque epulantibus dominis inferrent, et gustu explorarent, ut ait *Tac. A.* 12, 66. et *ib.* 13, 16., Persae primum ac Graeci instituerunt, tum ad judicandum, an apti essent, recteque conditi, tum praesertim ad veneni suspicionem tollendam, uti a *Xenoph. Cyrop.* 1, 3. et *Athenaeo Dipnos.* 4, 21. proditum est. E Romanis primus fortasse M. Antonius praegustatore usus est apud Cleopatram, a qua sibi injuria venenum metuebat, ut narrat *Plin.* 21, 3, 9. Mox eundem ipse adscivit Augustus, ac deinde reliqui Caesares habuere; quin etiam non uno ii aut altero praegustatore contenti, horum collegium in domo Augusta instituerunt, in qua et *procurator* et *decuriones praegustatorum* fuere. V. LIBATOR. *Suet. Claud.* 44. Veneno occisum quidam tradunt per Halotum spadonem praegustatorem. Adde *Tac. A.* 12, 66. *Inscr.* ap. *Grut.* 602, 4. Praegustator Divi Augusti. Adde *ib.* 582, 1. Alia ap. *Don. cl.* 9. *n.* 24. Chrysaori Aug. L. praegustatori benemerenti collegium praegustatorum fecit. Alia ap. *Grut.* 581, 13. Ti. Claudius Aug. Lib. Zosimus procurator praegustatorum. Alia ap. *Mur.* 907, 3. C. Julius Aug. L. Primitivus decurio praegustatorum. ℙ Etiam privati homines praegustatorem habuisse videntur. *Inscr.* ap. *Grut.* 626, 2. M. Vibio M. Lib. Catinio Vibionino M. Vibius Hilarus praegustator. ℙ Translate. *Cic. Dom.* 10. Heluoni spurcissimo, praegustatori libidinum tuarum, homini egentissimo et facinorosissimo Sex. Clodio, etc. *Lactant. Mort. persecut.* 38. Hunc jam induxerat morem (*Maximinus Daza*), ut nemo uxorem sine permissu ejus duceret, ut ipse in omnibus nuptiis praegustator esset. V. PROPINO.

PRAEGUSTĀTUS, a, um, part. a *praegusto:* ante gustatus. *Plin.* 21, 3, 9. Gratificationem ipsius reginae Antonius timens, nec nisi praegustatos cibos sumens. V. v. praec. *Just.* 12, 14. *f.* In aqua frigida venenum habuerunt, quam praegustatae jam potioni supermiserunt.

PRAEGUSTO, as, avi, atum, a. 1. *προγεύομαι*, ante gusto, praelibo, gustu exploro. *Phaedr.* 4, 23. Ubi immolatur, exta praegusto Deum. *Ov. Amor.* 1, 4, 33. Si tibi forte dabit, quos praegustaverit ipse Rejice libatos illius ore cibos. ℙ *Just.* 12, 14. *f.* Philippus, et Jollas praegustare ac temperare potum regis soliti. Adde *Juven.* 6, 633. et V. PRAEGUSTATOR. ℙ Ante sumere. *Juven.* 6, 659. At nunc res agitur tenui pulmone rubetae: Sed tamen et ferro, si praegustaret Atrides Pontica ter victi cautus medicamina regis, *h. e.* Antidota Mithridatis ante sumeret, ut se a venenis tutum redderet.

PRAEGYPSO, as, a. 1. gypso ante obduco. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 2. *f.* Sed erit primo os vasculi praegypsandum.

PRAEHĪBĔO, es, a. 2. verbum Plautinum, ex *prae*, et *habeo*, idem valens ac *praebeo*, quod ab eo contracte factum est. *Pl. Ps.* 1, 2, 49. Cur ego vestem, aurum, atque ea, quibus est vobis usui, praehibeo? et 1, 3, 131. Praehibere alicui cibum; et *Merc.* 3, 1. *f.* alicui locum; et *Pers.* 4, 3, 41. alicui operam atque hospitium; et *Rud.* 1, 2, 5. Ut verba praehibes, me periisse praedicas, *h. e.* ut verba facis, ut loqueris. Adde *Merc.* 5, 4, 63.

PRAEJĂCĔO, es, ui, n. 2. *πρόκειμαι*, ante jaceo, aut positus sum. *Plin.* 4, 12, 24. Vastum mare praejacens Asiae. *Tac. A.* 12, 36. Campus, qui castra praejacet. *Plin.* 3, 4, 5. Oppida de cetero

rara, praejacentibus stagnis; et 9, 29, 46. de polypis: Vescuntur conchyliorum carne, quorum conchas complexu crinium frangunt: itaque praejacentibus testis cubile eorum deprehenditur.

PRAEJĂCIO, is, jeci, jactum, a. 3. ante jacio, *προβάλλω*. *Colum.* 8, 17. *med.* Mox praejaciuntur in gyrum moles. ℙ Legitur et *praejicio* ap. *Festum* in *Pone*.

PRAEJACTUS, a, um, part. a *praejacio*, ante jactus. Translate. *Dictys Cret. B. Troj.* 2, 24. Multis in contumeliam Graecorum praejactis probris.

[PRAEJECTUS, a, um, part. a *praejicio*, ut *dejectus* a *dejicio*, ante jactus. Est etiam nomen propr. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 405. Praejectus se vivo visomum (*h. e.* bisomum) comparavit. *F.*]

PRAEJĬCIO. V. PRAEJACIO.

*PRAEIMPENDO, *προδαπανῶ Gloss. Gr. Lat. B. A.*

PRAEINFŪSUS, a, um, part. ab inus. *praeinfundo*, ante infusus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 34. Mulsum, in quo praecocta, vel praeinfusa fuerit ruta.

PRAEINNŪO, is, a. 3. ante innuo, praesignifico. *Varr.* ap. *Non.* 2, 172. Aut frigidos nimbos aquae caduciter ruentis Praeinnuerint aquatiles querquedulae natantes. Alii leg. *pertimuerint*.

*PRAEINSTITŪTUS, a, um. *Sarisb.* 7, 9. Male praeinstitutus. *B. A.*

[PRAEJŪDEX, icis, m. qui ante judicat. *Gloss. Philox.* Praejudex, *προδικαστής*. *F.*]

PRAEJŪDĬCĀTĬO, onis, f. praejudicium. *Quint.* 4, 2. *med.* Si jam praedicatione senatus damnatus esset Milo. Plerique alii leg. *praejudicio*.

PRAEJŪDĬCĀTUS, a, um, part. a *praejudico: προκεκριμένος*, de quo antea judicatum est, ante judicatus. *Cic. Cluent.* 17. Ita reum citatum esse illum, ut, re semel atque iterum praejudicata, condemnatus in judicium venerit. *Id. N. D.* 1, 5. Tantum opinio praejudicata poterat, ut etiam sine ratione valeret auctoritas; et *Liv.* 42, 61. Praejudicatum eventum belli habetis: meliorem partem hostium fudistis. ℙ Absolute. *Id. Cluent.* 2. Postulo, ut ne quid huc praejudicati afferatis. *Liv.* 26, 2. Ne idipsum, quod consultationi reliquerant, pro praejudicato ferret. ℙ *Vir praejudicatissimus* dicitur a *Sidon. post carm.* 22. Papinius Statius, quod de ingenii ejus praestantia jam omnium consensu judicatum sit.

PRAEJŪDĬCĬĀLIS, e, adj. ad praejudicium pertinens. *Imppp. Valent, Theodos. et Arcad. Cod. Theod.* 11, 30, 50. et *Impp. Honor. et Theodos. ib.* 65. Praejudicialem multam subire, *h. e.* quae judicio ante habito, vel legibus antea latis irrogata est. Adde *Sym. ep.* 10, 51. (al. 58.) ℙ De actionibus praejudicialibus, et formulis. V. v. sq.

PRAEJŪDĬCĬUM, ii, n. *προδικασία, προκατάγνωσις*, judicium ante factum, sententia ante lata de eadem re, aut simili, sive pro, sive contra causam, de qua nunc agitur. *Quint.* 5, 2. Praejudiciorum vis omnis tribus in generibus versatur: rebus, quae aliquando ex paribus causis sunt judicatae, quae exempla rectius dicuntur, ut de rescissis patrum testamentis, vel contra filios confirmatis: judiciis ad ipsam causam pertinentibus: unde etiam nomen ductum est: qualia in Oppianicum facta dicuntur, et a senatu adversus Milonem: aut cum de eadem causa pronunciatum est, ut in reis deportatis, et assertione secunda, et partibus centumviralium, quae in duas hastas divisae sunt. *Cic. Div. Verr.* 4. De quo non praejudicium, sed plane judicium jam factum putatur. Ubi *Ascon.* Praejudicium dicitur res, quae cum statuta fuerit, affert judicaturis exemplum, quod sequantur judicium autem res, quae causam litemque determinat. *Cic. Cluent.* 22. Apud eosdem judices reus est factus, cum is duobus praejudiciis jam damnatus esset. *Quint.* 6, 5. *f.* Cicero pro Milone non ante narravit, quam praejudiciis omnibus reum liberavit. *Suet. Caes.* 23. Functus consulatu in provinciam abiit, et statim quaestor ejus in praejudicium aliquot criminibus arreptus est, *h. e.* in spem et exemplum similis futuri de eo judicii. *Plin. ep.* 7, 6. Postulavit, ne cognitioni Caesaris praejudicium fieret, *h. e.* ut integra omnia cognitioni Caesaris reservarentur. [**Liv.* 3, 40. neminem — verum esse praejudicium rei tantae afferre, i. e. aequum esse a nemine, jurene sint magistratus, an minus, praejudicari. Ita *Gronov.* Cf. 5, 11. it. 26, 29.] ℙ In bonam partem. *Liv.* 35, 10. His obtinuit, ut praeferretur candidato, quem Africanus frater deducebat, quem Cornelia gens, quem tantum praejudicium senatus. *Plin. ep.* 5, 1. Curianus orabat, ut sibi donarem portionem meam, seque praejudicio juvarem. ℙ Translate dicitur quidquid antea gestum impulsui aut exemplo est ad quippiam faciendum. *Caes. B. C.* 2, 32. Pompejus nullo proelio pulsus, vestri facti praejudicio demotus Italia excessit; et *ib. f.* Hispaniarum deditionem, Africi belli praejudicia sequimini. ℙ Interdum ponitur pro re, quae judicio mox ferendo obest. *Sen. Ben.* 4, 35. Promisi advocationem: postea apparuit, per illam causam praejudicium in patrem meum quaeri. *Gell.* 2, 2. Invitavit Taurus patrem praesidis, ut sederet: atque ille ait: sedeat hic potius, qui populi R. magistratus est. Absque praejudicio, inquit Taurus, tu interea sede, dum inspicimus, etc. *Imp. Gord. Cod.* 7, 56, 2. Res inter alios judicatae neque emolumentum afferre his, qui judicio non interfuerunt, neque praejudicium solent irrogare. *Ulp. Dig.* 1, 6, 10. Neque enim alimentorum causa veritati facit praejudicium. *Scaev. ib.* 40, 4, 29. *med.* Filium nihil praejudicii passum fuisse, si pater eum ignoravit. *Tryph. ib.* 26, 2, 27. Sine ullo litis praejudicio. ℙ Ap. JCtos *praejudicium* dicitur quaestio controversa, de qua prius cognoscendum est, quam praecipua causa disceptetur, quia illa huic praejudicium facit. Hujusmodi sunt ea judicia, quae de statu personae redduntur, in quibus quaeritur, an filius quis sit, an pater, an servus, an libertus, an ingenuus, etc. *Ulp. Dig.* 40, 14, 6. Quoties de hoc contenditur, an quis libertus sit, sive operae petantur, sive obsequium desideretur, etc. redditur praejudicium. Sed et quoties quis libertum se quidem confitetur, libertum autem C. Seji se negat, idem praejudicium datur, *h. e.* prius disceptatur et deciditur, an libertus sit: postea, an operas, aut obsequium debeat. *Papir. Just. ib.* 42, 5, 30. Qui bona sua negant jure venisse, praejudicio experiri debere. *Ulp. ib.* 25, 3, 5. *med.* Nec tamen alimentorum decretum tollet liberto facultatem, quo minus praejudicio certare possit, si libertum se neget. *Id. ib.* 22, 3, 18. Patronus in praejudicio possessor esse videtur. *Id. ib.* 2, 4, 8. Si praejudicio pronuncietur esse libertus. ℙ Hinc *praejudiciales actiones* ap. *Justin. Instit. tit.* 4, 6. *med.*, quibus scilicet hujusmodi praejudicia instituuntur. [Et *praejudiciales formulae* ap. *Cajum Instit.* 4. (ed. *Goes.*) §. 44. Sicut in praejudicialibus formulis: qualis est, qua quaeritur, aliquis libertus sit, vel quanta dos sit, et aliae complures. *F.*]

PRAEJŪDĬCO, as, avi, atum, a. 1. *προδικάζω*, ante judico, praejudicium facio. *Cic. Verr.* 2, 3, 65. Miror, quomodo de quo homine praejudicium noluerit fieri per recuperatores, de hoc ipso non modo praejudicarit, verum gravissime ac vehementissime judicarit. *Id. Leg.* 3, 20. Apud censores qui magistratu abierint, edant et exponant, quid in magistratu gesserint: deque iis censores praejudicent: *scil.* antequam causa ad legitimos judices deferatur. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 4. Quod nondum senatus censuit, nec populus R. jussit, id arroganter non praejudico, nec revoco ad arbitrium meum. ℙ Cum dativo est obesse: eo modo, quo in v. praec. dictum est. *Marc. Dig.* 42, 1, 63. Res inter alios judicatae aliis non praejudicant. *Ulp. ib.* 47, 10, 7. Privato judicio legi Corneliae praejudicari.

PRAEJŪRĀTĬO, onis, f. juratio ante facta. Praejurationes facere dicuntur ii, qui ante alios conceptis verbis jurant: post quos eadem verba jurantes tantummodo dicunt, *idem in me.* Haec *Festus.* Cujus rei exemplum habes ap. *Liv.* 2, 45. *f.*

PRAEJŪVO, as, juvi, a. 1. ante juvo. *Tac. H.* 3, 65. Et credebatur affectam ejus fidem praejuvisse, domo agrisque pignori acceptis.

PRAELĂBOR, eris, lapsus sum, dep. 3. praefluo, ante labor, *προρρέω*. *Cic. in Arat. N. D.* 2, 43. *extr.* Pisces, quorum alter paulum praelabitur ante. *Lucan.* 9, 355. Quam juxta Lethes tacitus praelabitur amnis. *Virg. G.* 3, 180. Alphea rotis praelabi flumina Pisae. ℙ Item praeterlabor, praeterfluo. *Petr. Sat.* 99. Ira feras quidem mentes obsidet, eruditas praelabitur. *Colum.* 11, 1. *f.* Praelabentis vero temporis fuga quam sit irreparabilis, quis dubitet? [*Huc pertinet locus, quem *Forc.* perperam in antecedd. laudaverat. *Tac. H.* 2, 35. Insula in quam Germani nando praelabebantur.]

PRAELAMBO, is, a. 3. *προλείχω*, ante lambo, praegusto, praelibo. *Hor. Sat.* 2, 6, 108. nec non verniliter ipsis Fungitur officiis, praelambens omne, quod affert. V. *Bentl.* qui vult *praelibans* ex duob. MSS. [**Vulg.* praeferendam censet *Heindf.*] ℙ De fluvio lambente seu alluente ripas. *Prud. Hamart.* 357. Sed dum liventes liquor incorruptus arenas Praelambit, putrefacta inter contagia sordet. *Avien. Perieg.* 494. de Tibri: Romanosque lares lapsu praelambit alumno.

PRAELAPSUS, a, um, part. a *praelabor:* qui ante lapsus est. *Lucan.* 6, 76. Quoque modo Romae praelapsus moenia Tibris In mare descend t.

PRAELARGUS, a, um, adj. valde largus. *Pers.* 1, 14. Grande aliquid quod pulmo animae praelargus anhelet. *Juvenc.* 3, 754. Praelargae dapes.

PRAELASSĀTUS, a, um, part. ab inus *praelasso*, ante lassatus. *Front. Strateg.* 2, 5. *extr.* Praelassatos facile superavit.

PRAELĀTĬO, onis, f. *πρόκρισις*, actus praeferendi, seu anteponendi. *Val. Max.* 7, 8. *n.* 4. Ut non solum flagitiosum silentium, sed etiam praelatio contumeliosa videri posset. *Tert. Apol.* 13. Praelatio alterius sine contumelia alterius non potest procedere. Adde *adv. Valent.* 22.

PRAELĀTOR, oris, m. *προκρίνων*, qui praefert et anteponit. *Tert. Pudic.* 2. Idem misericordiae praelator, quam sacrificii.

PRAELĀTUS, a, um, part. a *praefero: πρόκριτος*, antepositus. *Virg. A.* 5, 541. Nec bonus Eurytion praelato invidit honori. *Ov. Met.* 8, 109. O patriae praelate meae, praelate parenti. *Plin.* 12, 15, 33. Sativa myrrha multum silvestri praelata. *Tert. adv. Marc.* 3, 24. *med.* Jacob, qui posterioris, et praelatioris populi figura est. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 8. *n.* 94. Neque melior, quam phlebotomia, vel praelatior usus cucurbitae esse potest. ℙ Item ante latus, praetervectus. *Tac. A.* 6, 35. Vulnus per galeam adegit, nec iterare valuit, praelatus equo. *Liv.* 2, 14. *f.* Cumanae cohortes effuse praelatos hostes ab tergo adortae sunt. *Id.* 7, 24. *med.* Praeter castra etiam sua fuga praelati, arcem petunt. *Id.* 5, 26. Ut effusa fuga castra sua praelati, urbem peterent. Adde 38, 27. ℙ *Praelatus dies* est praeceptus. *Praetor* ap. *Ulp. Dig.* 2, 13, 1. Editiones sine die et consule fieri debent, ne quid excogitetur, aut praelato die fiat. *Modest. ib.* 48, 10, 28. Si a debitore praelato die pignoris obligatio mentiatur, falsi crimini locus est. Alii utrobiq. leg. *prolato*, quod corruptum esse censet *Cujac. Observ.* 3, 7. V. PRAEFERO.

[PRAELĀVĀTUS, a, um, part. ab inusit. *praelavo, as*, ante lavatus. *Theod. Prisc.* 1, 27. *med.* Caricarum pinguium combustarum cinis vino tepido praelavatus. *F.*]

PRAELĀVO, is, a. 3. ante lavo. *Appul. Apol.* Ejus merito os, ut bono potui poculum, praelavitur.

PRAELAUTUS, a, um, adj. valde lautus. *Suet. Ner.* 30. Sordidos ac deparcos esse putabat, quibus ratio impensarum constaret: praelautos, vereque magnificos, qui abuterentur ac perderent. *Id. Vit.* 2. Praelautus alioqui, famosusque coenarum magnificentia.

PRAELAXĀTUS, a, um, part. ab inus. *praelaxo*, relaxatus. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *n.* 27. Motus beneficio praelaxatus aegrotans.

PRAELECTĬO, onis, f. *ἐξήγησις*, lectio, qua magister praeit discipulis, explanandi et docendi causa. *Quint.* usurpat de ea, qua legentibus singulis ipse praeit: ut 1, 2. *med.* At enim emendationi praelectionique numerus (*discipulorum*) obstat, etc. et 2, 5. Et hercle praelectio, quae in hoc adhibetur, ut facile atque distincte pueri scripta oculis sequantur: etiam illa, quae vim cujusque verbi, si quod minus usitatum incidat, docet, multum infra rhetoris officium existimanda est. V. integr. locum.

PRAELECTOR, oris, m. *γραμματιστής*, qui singulis discipulis praeit legendo, docendi gratia. V. v. praec. *Gell.* 18, 5. Et quid putatis, si magistrum praelectoremque habuisset alicujus aeris, *quadrupes equus* dicturum fuisse, ac non *quadrupes eques?*

PRAELECTUS, a, um, part. a *praelego*, ante lectus, seu selectus. *Appul. Met.* 7. Gregatim pecua comminantes: unde praelectum grandem hircum Marti victimant. Adde *Tert. adv. Marc.* 3, 7. *in carm.*

PRAELĒGĀTĬO, onis, f. actus praelegandi. *Ulp. Dig.* 33, 4, 1. et 2., ubi tamen plerique alii leg. *relegatio.*

PRAELĒGĀTUS, a, um, part. a *praelego*, ante legatus, seu testamento relictus, per praeceptionem legatus. V. PRAECEPTIO. *Papin. Dig.* 31, 79. *med.* Arbiter non patietur, eum partes coheredibus praelegatas restituere. Adde *Inscr.* ap. *Grut.* 551, 3. et *Scaev. Dig.* 32, 1, 31. ℙ *Obligatio praelegata*, h. e. imposita. *Pompon. Dig.* 34, 3, 8. *f.*

PRAELĒGO, as, avi, atum, a. 1. ante alicui lego, h. e. testamento relinquo, per praeceptionem lego. V. PRAECEPTIO. *Plin.* 33, 2, 11. Eam coronam testamento ei praelegavit. *Scaevol. Dig.* 33, 8, 26. Peculia filiis praelegavit. *Papin. ib.* 31, 1, 69. *med.* Fideicommissum non magis petetur, quam si alteri fundum praelegasset.

PRAELĔGO, is, ēgi, ectum, a. 3. *προαναγινώσκω*, ante lego, legendo praeeo, enarrandi et docendi causa. V. PRAELECTIO. *Quint.* 1, 5. Auctores, quos praelegunt, criminantur; et *ib.* 8. Sed pueris, quae maxime ingenium alant, praelegenda. *Suet. Gr.* 16. Primus dicitur Virgilium, et alios poetas novos praelegere coepisse. ℙ Item praetereo, praeternavigo. *Tac. A.* 6, 1. Caesar, transmisso freto, Campaniam praelegebat. *Rut. Itin.* 1, 223. Alsia praelegitur tellus, Pyrgique recedunt.

PRAELĪBĀTĬO, onis, f. actus praelibandi, delibatio. *Paul.* ex *Festo* in *Praemetium.* Praemetium, quod praelibationis causa ante praemetitur. *Tert. Anim.* 58. Salvum debet esse judicio divino negotium suum sine ulla praelibatione sententiae.

PRAELĪBER, ra, rum, adj. omnino liber. *Prud. Apoth.* 155. de natura superni ignis: Pura, serena, micans, liquido praelibera motu.

PRAELĪBO, as, a. 1. ante libo, praegusto, delibo. *Stat. Silv.* 3, 4, 60. Care puer, Superis qui praelibare verendum Nectar, etc. *Id. Ach.* 2, 87. Tum vero intentus vultus, ac pectora Ulysses Praelibat visu, *h. e.* scrutatur oculis, contemplatur,

totumque pererrat luminibus tacitis, ut ait *Virg. A.* 4, 363.

PRAELĪCENTER, adv. valde licenter. *Gell.* 16, 7. Laberius in Mimis, quos scriptitavit, oppido quam verba finxit praelicenter! Nam et mendicimonium dicit, et moechimonium, etc. *Ammian.* 16, 5. Praelicenter disponens, quid in convivio Caesaris impendi deberet. Adde 17, 8.

PRAELĪDO. V. PERLUDO.

PRAELĪGAMEN, inis, n. Usurpari dicitur a *Marc. Empir.* 8. pro amuleto. V. PRAELIGATUS.

PRAELĪGĀNĔUM Vinum ap. *Cat. R. R.* 23. a praelegendo dictum videtur, quod ante justam vindemiam legantur et premantur uvae, quae aetatem ferre non queunt. V. *Catonis* verba *l. c.* in MISCELLUS.

PRAELĪGĀTUS, a, um, part. a *praeligo:* ante vel circum ligatus. *Cic. Inv.* 2, 50. Os obvolutum folliculo, et praeligatum. *Suet. Caes.* 79. Cum quidam statuae ejus coronam candida fascia praeligatam imposuisset. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 13. Dejecta pars palmitis, aut praeligata fructum dat. *Id.* 30, 5, 12. Linum quo praeligata infra caput vipera pependerit, donec exanimaretur. *Id.* 29, 2, 10. Cauda pecoris quam arctissime praeligata. ℙ *Pl. Bacch.* 1, 2, 28. O praeligatum pectus! *h. e.* insanum, demens: quasi veneficiis et incantamentis, ceu quibusdam vinculis, ligatum et defixum.

PRAELĪGO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποδέω*, in anteriori parte, vel circum ligo. *Liv.* 22, 16. Arida sarmenta praeligantur cornibus boum. *Plin.* 17, 14, 24. Vestigio fissurae falce in truncis facto, salice praeligant marginem ipsum. *Id.* 25, 8, 53. Dictamnum qui legere, in ferula, vel arundine condunt, praeligantque, ne potentia evanescat. *Id.* 28, 6, 17. Vulnera nodo Herculis praeligare. *Petr. Sat.* 102. *extr.* Praeligemus vestibus capita, et nos in profundum mergamus, *h. e.* obvolvamus.

PRAELĪNO, is, a. 3. idem fere quod lino, vel in anteriore parte lino. Translate. *Gell.* 7, 14. *extr.* Unumquodque genus cum caste pudiceque ornatur, fit illustrius; cum fucatur atque praelinitur, fit praestigiosum.

PRAELĪTUS, a, um, part. a *praelino*, idem ac litus. *Gell.* 13, 23. Villas suas inexcultas et rudes, ne tectorio quidem praelitas fuisse.

PRAELĬUM, etc. V. PROELIUM.

PRAELŌCO, as, a. 1. ante loco, praepono, praemitto. *Capell.* 5, 170. Si pro trochaeo paenultimo spondeum praelocaveris. *August. de Gen. ad litt.* 7, 17. Sensus in sola facie praelocati sunt. *Terent. de syllab.* p. 2390. Consonans si praelocatur una, quantum differat.

PRAELŌCŪTĬO, onis, f. *προοίμιον*, praefatio, prooemium. *Sen. Excerpt. controv. praef.* 3. *med.* Silo Pompejus sedens et facundus et litteratus est: et haberetur disertus, si a praelocutione dimitteret: declamat tam male, ut videar belle optasse, cum dixi: nunquam surgas. V. PRAEFATIO. *August. Doctr. Chr.* 4, 2. Exspectationem legentium ista praelocutione cohibeo.

PRAELŌCŪTUS, a, um, part. a *praeloquor:* qui ante locutus est. *Plin. ep.* 3, 4. Collegae de communis officii necessitate praelocuti, excusare me tentarunt.

PRAELONGO, as, a. 1. valde longum facio, *ἀπομηκύνω*. *Plin.* 11, 2, 1. de insect. Qua subtilitate natura pennas annexuit! praelongavit pedum crura!

PRAELONGUS, a, um, adj. *περιμήκης*, valde longus. *Lucr.* 3, 614. Praelonga cornua senis cervi. *Liv.* 22, 46. Praelongi gladii. *Plin.* 8, 33, 51. Cauda praelonga in tenuitatem desinens. *Id.* 13, 4, 9. Praelonga gracilitas. *Tac. A.* 2, 21. Praelongas hastas protendere. *Quint.* 6, 3. *med.* Homo praelongus; et 10, 3. *f.* Praelongi sermones.

PRAELŌQUOR, eris, utus sum, dep. 3. *προλέγω*, ante loqui, praefari. *Pl. Rud.* 1, 4, 28. Occupas praeloqui, quae mea est oratio. *Plin. ep.* 8, 21. Accidit, ut in advocationem subitam rogarer, quod mihi causam praeloquendi dedit. Sum enim deprecatus, ne, etc.; et *ep.* 4, 5. Libri amplitudo non sinit me longiore epistola praeloqui.

PRAELŪCĔO, es, uxi, n. 2. *προφαίνω*, *ὑπερλάμπω*, ante luceo. *Mart.* 12, 42. Praeluxere faces, velarunt flamea vultus. ℙ *Praelucere alicui*, lumen praeferre. *Suet. Aug.* 29. Cum per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, sernum vumque praelucentem exanimasset. [*Alii *praeducentem.* V. *Oudend.*] *Stat. Silv.* 1, 2, 89. et saepe natanti Praeluxi. *Plin.* 32, 10, 51. Pulmone marino si confricetur lignum, ardere videtur: adeo ut baculum ita praeluceat. *Flor.* 2, 2. *med.* Duilius ubi a coena rediret, praelucere funalia, praecinere sibi tibias jussit. *Phaedr.* 4, 10. ne ignis noster praeluceat facinori, *h. e.* facienti facinus facem praeferat. *Sen. Troad.* 888. Taedis quid opus est? quidve solemni face? Quid igne? thalamis Troja praelucet novis. ℙ Translate. *Cic. Amic.* 7. Cum plurimas commoditates amicitia contineat, tum illa nimirum praestat omnibus, quod bona spe praelucet in posterum, nec debilitari animos, aut cadere patitur. *Hor. Ep.* 1, 1, 83. Nullus in orbe sinus Bajis praelucet amoenis. ℙ Cum accus. *Auson. Idyll.* 4, 95. lumenque tuae praeluceo vitae.

PRAELŪCĬDUS, a, um, adj. valde lucidus. *Plin.* 37, 6, 23. Sardonychae Arabicae excellunt candore circuli praelucido, atque non gracili.

PRAELŪDĬUM, ii, n. *προοίμιον*. Translate, et in malam partem tribuitur *Cic. Phil.* 14, 3. Praeludium illud et portentum L. Antonius. Sed alii *propudium* reponunt, alii *prodigium*, alii *proludium*, quidam *proluvium*. [*Orell.* exhibet quidem *propudium*, sed prae ceteris aestimandam censet lectionem *cd. Urs. prodigium;* utpote quae Ciceronis consuetudini optime conveniat.]

PRAELŪDO, is, usi, usum, a. 3. *ἀναβάλλομαι*, ante ludo, quasi per ludum aliquid facio, quod postmodum serio faciendum sit; leve quiddam, ceu majoris rei initium praemitto. *Flor.* 4, 2. Ac Mariana quidem rabies intra Urbem praeluserat, quasi experiretur. *Plin.* 37, 2, 7. Theatrum quod a populo impleri, canente se, dum Pompejano praeludit, etiam Neroni satis erat, *h. e.* dum parat se ad canendum in theatro Pompejano. *Gell.* 19, 11. Cum tragoediis quoque eodem tempore faciendis praeluderet. *Tert. adv. Marc.* 3, 5. His praeluserim, quasi de gradu primo adhuc, et quasi de longinquo. *Sidon. ep.* 4, 25. *med.* Nunc ergo Jurensia si te remittunt jam monasteria, in quae libenter solitus ascendere, jam coelestibus supernisque praeludis habitaculis. ℙ Cum accus. *Rut. Itin.* 1, 257. de tauro: Ut solet excussis pugnam praeludere glebis. *Stat. epist. praefixa Silv.* 1. Nec quisquam est illustrium poetarum, qui non aliquid operibus suis stilo remissiore praeluserit. ℙ *Virg., Ov., Sen uterque*, etc. in meliorib. lib. MSS. et excusis *proludo* dixere eod. sensu: quod jam optimi critici admonuerunt.

PRAELUM. V. PRELUM.

PRAELUMBO, as, a. 1. lumbos perfringo, delumbo. *Novius* ap. *Non.* 2, 673. Coepit unumquemque praelumbare fustibus.

PRAELŪMĬNĀTUS, a, um, part. ab inus. *praelumino*, ante illustratus, explicatus. *Tert. Resurr. carn.* 33. Parabola a commentatore Evangelii praeluminata.

PRAELŪSĬO, onis, f. actus praeludendi, prolusio. *Plin. ep.* 6, 13. *extr.* Aestima, quantum proelium, quanta pugna certamini maneat, cujus quasi praelusio, atque praecursio has contentiones excitavit. *Eumen. pro restaur. schol.* 2. Ibi praelusio, hic pugna committitur. Al. leg. ap. *Plin. prolusio. Marcell. Empir.* 20. *med.* Quae contusio frequenter gladiatoribus accidere in praelusionibus solet.

PRAELUSTRIS, e, adj. *ὑπέρλαμπρος*, valde lucidus, illustris. *Ov. Trist.* 3, 4, 5. Vive tibi, quantumque potes, praelustria vita. Saevum praelustri fulmen ab arce venit.

PRAEMĀCĔRO, as, a. 1. *προταριχεύω*, ante macero. *Scrib. Comp.* 193. Praemacerantur mala cydonia.

[PRAEMĂDĔO, es, ui, n. 2. valde madeo, ebrius sum. *Orient. Commonit.* 2, 228. Ante diem nimio praemaduisse mero. *F.*]

PRAEMĂLĔDĪCO, is, a. 3. ante maledico. *Tert. adv. Marc.* 5, 3. *med.* Quomodo praemaledixisset eum creator, quem ignorat?

PRAEMĀLO, vis, anom. idem quod malo. *Appul. Met.* 3. Adjuro per istum capilli tui nodulum, me nullam aliam meae Fotidi praemalle. Al. plerique rectius leg. *mea Fotide malle.* V. ALIUS.

PRAEMANDO, as, avi, atum, a. 1. prius mando, committo, jubeo. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. *f.* De quo tu mihi nihil mandasti: ego tamen terra marique ut conquireretur, praemandavi. Adde *Pl. Truc.* 2, 4, 49.

PRAEMANDO, is, a. 3. prius mando, manduco. Translate. *Gell.* 4, 1. *med.* Sed si me tibi praemandere, quod ajunt, postulas, faciam sane id quoque, *h. e.* diligentius et minutius explicare, et quasi cibum mansum in os inserere, ut ait *Cic. Or.* 2, 39.

PRAEMĀTŪRE, adv. *πρωϊαίτατα*, *πρὸ καιροῦ*, valde mature, ante tempus, immature, intempestive. *Gell.* 10, 11. Cum significandum est coactius quid factum, et festinatius, tum rectius *praemature* factum id dicitur, quam *mature. Pl. Most.* 2, 2, 68. Me Acheruntem recipere Orcus noluit, quia praemature vita careo. *Papin. Dig.* 45, 1, 118. Nec videri praematurius agi, non finito stipulationis die.

PRAEMĀTŪRUS, a, um, adj. *πρώϊος*, *πρόωρος*, qui ante alios maturescit, praecox. *Colum.* 11, 3. *med.* Qui praematurum fructum cucumeris habere volet. ℙ Translate est immaturus, legitimum tempus praevertens, intempestivus, praeproperus. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 8. *med.* Quod praematura denunciatio boni civis imparati, quam periculosa esset, ex casu collegae videbam. [*V. *Schütz. cl. Cic.*] *Plin.* 8, 45, 70. Domitura boum in trimatu: postea sera, ante praematura. *Id.* 7, 51, 52. Senilem juventam praematurae mortis esse signum. *Tac. A.* 1, 30. et *ib.* 2, 5. Praematura hiems; et *ib.* 4, 17. Mobiles adolescentium animos praematuris honoribus ad superbiam extollere; et *ib.* 14, 57. *extr.* Caput praematura canitie deforme; et *ib.* 3, 66. *extr.* Spretis quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio properant. *Plin.* 8, 48, 75. Castrari agnos, nisi quinquemestres, praematurum existimatur.

PRAEMĔDĪCĀTUS, a, um, part. ab inus. *praemedico*, medicamentis praemunitus. *Ov. Her.* 12, 15. Isset anhelatos non praemedicatus in ignes Immemor Aesonides. *Tert. Jejun.* 12. *med.* Antidoto praemedicatus.

PRAEMĔDĪTĀTĬO, onis, f. *προμελέτησις*, meditatio, provisio. *Cic. Tusc.* 3, 14. Praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum.

PRAEMĔDĪTĀTORĬUM, ii, n. locus ad praemeditandum. Translate. *Tert. Jejun.* 6. Cum totum illud domicilium interioris hominis, escis stipatum, vinis inundatum, decoquendis jam stercoribus aestuans, praemeditatorium efficitur latrinarum. V. MEDITATORIUM.

PRAEMĔDĪTĀTUS, a, um, part. a *praemeditor:* qui prius meditatus est. *Cic. Off.* 2, 13. *f.* Id se in foro optime jam praemeditatum facere, quod, etc. ℙ Passive praecogitatus. *Quint.* 4, 5. Qui ad agendum nihil cogitati praemeditatique detulerit. [*Cf. *Liv.* 40, 23. ibique *Gronov.* et *Vechneri Hellenolex.* p. 107. *ed. Heus.*]

PRAEMĔDĪTOR, aris, dep. 1. *προμελετάω*, prius meditor, praecogito. *Cic. Phil.* 11, 3. Est sapientis quidquid homini accidere possit, id praemeditari ferendum modice esse, si evenerit. *Id. Att.* 6, 3. Formam mihi totius reipublicae velim mittas, quae mihi obviam veniat, ex qua me fingere possim, et praemeditari, quo animo accedam ad Urbem. *Lucr.* 4, 822. Effugere illorumque errorem praemeditemur, qui, etc. *Tac. A.* 14, 15. Multa cura tentans citharam et praemeditans. [*Hoc loco sensum latiorem praeludendi vindicat.]

PRAEMENSUS, a, um, part. ab inus. *praemetior*, signific. passiva, ante mensus. *Tibull.* 3, 3, 9. praemensae defunctus tempora vitae, *h. e.* cujus spatium Parcae, quae unicuique sua vivendi tempora praefiniunt, jam mensae sunt. Ita *Brouckus.* Al. leg. *permenso tempore.* V. PERMENSUS.

PRAEMERCOR, aris, atus sum, dep. 1. ante mercor, emptione praevenio. *Pl. Epid.* 3, 3, 25. Nae istam tempore gnato tuo sumus praemercati. *Cassius Hemina* ap. *Plin.* 32, 2, 10. Ni qui ad polluctum emerent *(pisces)* pretio minus parcerent, eaque praemercarentur.

PRAEMESSUM. V. PRAEMETIUM.

PRAEMĔTĀTUS, a, um, part. ab inus. *praemetor*, qui ante metatus est. *Solin.* 40. Dinocraten Alexandri jussu Alexandriam praemetatum, supra exposuimus. ℙ Passive. *Capell.* 8, 273. *extr.* Praemetata Divum itinera.

*PRAEMETĬOR, iris, dep. 4. *προμετρέω*, ante metior. *Sarish. Ep.* 59. *B. A.*

PRAEMĔTĬUM, ii, n. quod praelibationis causa ante praemetitur, inquit *Paul.* ex *Festo* (ubi alii leg. *praemessium* aut *praemessum*), h. e. primitiae spicarum, quae praemetebantur Cereri offerendae. *Fest.* ipse in *Sacrima:* Praemessum de spicis, quas primum messuissent, sacrificabant Cereri. *Gloss. Philox.* Praemetium (alii *Praemetivum*) *ἡ πρὸ θερισμοῦ ἀμήτους θυσία.*

PRAEMĔTO, is, a. 3. ante metere. V. v. praec.

PRAEMĔTŪENTER, adv. ante metuendo, caute, provide. *Lucr.* 4, 825. errorem vitareque praemetuenter. Ita *Gronov.* ex MSS., alii aliter.

PRAEMĔTŪO, is, a. 3. *προταρβέω*, *προδείδω*, ante metuo. *Prud. in Sym.* 2, 681. Qui dum praemetuit cultus inolescere Christi. *Lucr.* 3, 1032. at mens sibi conscia facti, Praemetuens adhibet stimulos, torretque flagellis. *Caes. B. G.* 7, 49. Caesar praemetuens suis. [*V. *Herzog.*] *Phaedr.* 1, 16. Ovis praemetuens doli. [*Cf. *Burm.*]

PRAEMĬĀTOR, oris, m. nocturnus praedo, ut *Non.* interpretatur 2, 629., est a *praemior. Naev.* vel *Nov. ib.* Nam in scena nos nocturnos coepit praemiatores tollere.

PRAEMĬATRIX, icis, f. quae praemium seu mercedem dat. *Ammian.* 14, 11. Ultrix facinorum impiorum, bonorumque praemiatrix Adrastia.

PRAEMĪCO, as, n. 1. valde mico, praefulgeo. *Appul. Met.* 5. Lucernam completam oleo, claro lumine praemicantem. *Id.* 10. *in.* Galea nitore praemicans. *Prud. περὶ στεφ.* 1, 84. munera, Quae viam patere coeli praemicando ostenderent. Adde *Minuc. Fel. Octav.* 5.

PRAEMIGRO, as, n. 1. ante migro. *Plin.* 8, 28, 42. Ruinis imminentibus musculi praemigrant.

PRAEMĪNĔO. V. PRAEEMINEO.

PRAEMĪNISTER, tri, m. qui ante ministrat, qui ministrando praecedit. *Macr. Sat.* 3, 8. Tusci camillum appellant Mercurium: quo vocabulo significant praeministrum Deorum: unde Virgilius ait, Metabum camillam appellasse filiam, Dianae scilicet praeministram. Romani quoque pueros et puellas nobiles camillos et camillas appellant, flaminicarum, et flaminium praeministros. Adde *Tert. Or.* 1.

PRAEMĪNISTRĂ, ae, f. quae ministrando prae-

cedit. *Appul. Apol.* Lingua mendaciorum et amaritudinum praeministra. Adde *Macrob. l. c.* in v. praec.

PRAEMĪNISTRO, as, a. 1. ante ministro, ministrando praecedo. *Gell.* 10, 3. *f.* Bruttios magistratibus in provincias euntibus parere, et praeministrare jusserunt. Adde 12, 3. *Appul. Met.* 5. *in.* Nos tuae famulae sedulo tibi praeministrabimus. *Tert. Baptism.* 11. Semper is dicitur facere, cui praeministratur.

PRAEMĪNOR, aris, dep. 1. ante, aut valde minor, minitor. *Tert. adv. Marc.* 5, 19. *med.* Perditurum se sapientiam sapientium praeminabatur. Adde *Appul. Met.* 5. et 8.

PRAEMĪOR, aris, dep. 1. quaestum facio, lucror. V. PRAEMIUM. *Suet. Tit.* 7. Suspecta et rapacitas, quod constabat, in concionibus patriis nundinari, praemiarique solitum, [*i. e. praemia pacisci. V. *B. Crus.*]

PRAEMĪOSUS, a, um, adj. pecuniosus. *Festus:* Praemiosam, pecuniosam, dixit Cato in oratione, quam scripsit . . . . . impudentiam praemiosam. *Accius* (si *Perotto* est fides) Divitem ac praemiosam anum.

PRAEMISSUS, a, um, part. a *praemitto*, *προαπεσταλμένος*, *προπεμφθείς*, ante missus. *Cic. Cat.* 1, 9. A quo jam sciam esse praemissos, qui tibi praestolarentur. *Caes. B. C.* 1, 16. Cohortes praemissae a Domitio ex oppido pontem interrumpebant. *Suet. Cal.* 58. Alloquenti pueros cervicem gladio caesim graviter percussit, praemissa voce: Hoc age. ℙ Absolute. *Plin.* 12, 1, 2. Gallias hanc primum habuisse causam superfundendi se Italiae, quod Helico ex Helvetiis civis earum, fabrilem ob artem Romae commoratus, ficum siccam, et uvam, oleique ac vini praemissa, remeans secum tulisset, *h. e.* primitias, ut *Coel. Rhodig.* interpretatur 6, 6., vel olei ac vini selectam portionem, ut *Hard.*

PRAEMISTUS vel Praemixtus, a, um, part. ab inus. *praemisceo*, prius mixtus. *Apic.* 4, 5. Perungis patinam, et folia malvarum substernis, et praemixta olera componis.

PRAEMĪTIS, e, adj. valde mitis, mansuetus. *Juvenc.* 3, 633. quem terga sedentem Praemitis gestant asinae, pullique sequentis.

PRAEMITTO, is, isi, issum, a. 3. *προαποστέλλω*, *προπέμπω*, ante mitto, prius mitto. *Pl. Amph.* 2, 1, 55. Dudum ante lucem a portu me praemisisti domum. *Id. Truc.* 2, 4, 58. Ut praemisit nuncium mihi, non multo post hic aderit. *Caes. B. C.* 1, 39. Caesar legiones in Hispaniam praemiserat. *Sall. Jug.* 54. Legatum cum expeditis cohortibus praemiserat ad flumen. *Cic. Att.* 10, 8. *extr.* Antonius hodie venturus dicebatur: sed praemisit mihi odiosas litteras, hoc exemplo. *Caes. B. C.* 2, 19. Caesar cum equitibus progreditur, edictumque praemittit ad quam diem, etc. *Id. B. G.* 4, 11. Petebant, uti ad eos equites, qui agmen antecessissent, praemitteret, eosque pugna prohiberet: supple *nuncios*. *Curt.* 6, 4. Speculatores subinde praemittens, qui, etc. *Pl. Cas.* 2, 8, 12. Hunc Acheruntem praemittam prius. Imitatus videtur illud *Homeri Iliad.* 1, 3. *Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν Ἡρώων.* Et absolute *Sen. Apocol. f.* Quos omnes, necubi imparatus esset, praemiserat. ℙ Translate. *Sen. ep.* 5. *f.* Non ad praesentia aptamur, sed cogitationes in longinqua praemittimus. ℙ Ante statuo, ante colloco. *Plin.* 15, 19, 21. Ideoque ficetis caprificus praemittitur ad rationem venti, ut flatus evolantes *(culices)* in ficus ferat.

PRAEMĪUM, ii, n. olim pecunam significabat: unde *praemiosus*. V. Sic *Naev.* ap. *Perott.* Sine praemio sum: marsupium reliqui domi. ℙ Est item quodcumque commodum, utilitas. *Lucr.* 5, 4. qui talia nobis Pectore parta suo, quaesitaque praemia liquit; et 3, 969. Omnia perfructus vitai praemia marces. ℙ Et praecipue commodum et utilitas, quae ex praeda et spoliis est: item ipsa praeda. Hinc *Varr. L. L. f. praemium* a *praeda* ducit: unde *praemiari* et *praemiator*. *Tibull.* 1, 2, 25. Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro Vulneret, aut rapta praemia veste ferat. *Val. Fl.* 8, 252. Mox epulas, et sacra parant: silvestria laetis Praemia, venatu facili quaesita, supersunt *Prop.* 2, 23, 67. Spargere et alterna communes caede penates, Et ferre ad patrios praemia dira lares. *Id.* 3, 11, 46. Sive petas calamo praemia, sive cane. *Petr. Sat.* 119. omniaque orbis Praemia correptis miles vagus exstruit armis. *Ov. Met.* 6, 518. spectat sua praemia raptor. *Id. Fast.* 5, 204. Ausus Erechthea praemia ferre domo. Huc pertinere volunt et illud *Virg. A.* 11, 78. Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae Aggerat, et longo praedam jubet ordine duci. ℙ Saepissime est merces, quae pro labore, industria, et recte factis datur, *γέρας*, *ἆθλον*. *Cic. Or.* 1, 58. Legibus et praemia proposita sunt virtutibus, et supplicia vitiis. *Id. ad Brut.* 1, 15. Solon rempublicam duabus rebus contineri dixit, praemio et poena. *Ter. Eun.* 5, 9, 27. Quodvis donum et praemium a me optato: id optatum feres. Ubi *Donat.:* Donum Deorum est, praemium virorum fortium, munus hominum. Et donum munusque tam ante factum, quam post factum datur: praemium non nisi post factum est. Donum voluntarium, praemium debetur. *Caes. B. G.* 3, 18. et 26. Persuadere alicui magnis praemiis et pollicitationibus. *Cic. Or.* 1, 4. Praemiis ad perdiscendum amplioribus commoveri. *Id. Mur.* 4. Magna praemia alicui dare pro re aliqua. *Id. Arch.* 4. Praemio donare aliquem. *Quint.* 3, 6. *med.* afficere. *Tac. A.* 1, 42. augere. *Sall. Jug.* 13. inducere; et *ib.* 102. illicere. *Cic. Lig.* 4. invitare. *Id. Balb.* 16. *f.* elicere ad quippiam faciendum. *Quint.* 1, 1. evocare. *Cic. Coel.* 29. Praemium cuipiam persolvere. *Catull.* 64, 157. reddere alicui pro re aliqua. *Stat. Theb.* 9, 50. rependere. *Cic. Arch.* 10. *f.* tribuere. *Caes. B. C.* 1, 17. Peritos regionum, magno proposito praemio, cum litteris mittit. *Id. B. G.* 1, 42. Praemium consequi. *Liv.* 24, 45. Promittens, si sibi praemio foret, se Arpos proditurum esse. ℙ *Praemio legis*, legis beneficio. *Cic. Acad.* 4, 1. Absens factus aedilis, continuo praetor: licebat enim celerius legis praemio. ℙ Per ironiam *Ov. Met.* 8, 503. Nunc merito moriere tuo: cape praemia facti, *h. e.* da poenas sceleris. ℙ [*Confund. *praemium* et *primum*. V. *Spalding.* ad *Quint.* 10, 7, 1. — et *pretium*. *Id. ib.* 3, 17.]

PRAEMODĔRANS, antis, part. ab inus. *praemoderor*, ante moderans, moderando praecedens. *Gell.* 1, 11. Cretenses in proelia ingredi solitos praecinente ac praemoderante cithara gressibus.

PRAEMODŪLĀTUS, a, um, part. ab inus. *praemodulor*, ante modulatus. *Quint.* 11, 3. *med.* Unde id quoque fluit vitium, ut juvenes cum scribunt, gestu praemodulati, cogitationem sic componant, quomodo casura manus est.

PRAEMODUM, adv. [*i. e. supra modum,] *περιαλλα*, *ὑπερβεβλημένως*. *Gell.* 7, 7. *f.* Livius in Odyssea *praemodum* dicit, quasi *admodum*. *Parcentes*, inquit, *praemodum:* quod significat supra modum: dictumque est quasi praeter modum.

PRAEMOENIO, is, a. 4. pro *praemunio:* ita enim scriptum reperitur in opt. libris ap. *Gell.* 13, 27. Caput, et os suum manibus oppositis, quasi vallo, praemoeniunt; et 14, 2. Generalia quaedam praemonita, quibus ante causam praemoeniri judex, praepararique ad incertos casus debeat.

PRAEMOLESTIA, ae, f. idem quod timor, quia malum futurum antecedit. *Cic. Tusc.* 4, 30. Alii metum praemolestiam appellabant, quod est quasi dux consequentis molestiae.

PSAEMOLIOR, iris, dep. 4. ante molior, praeparo. *Liv.* 28, 17. Itaque praemoliendas ibi ratus jam res, conciliandosque gentium animos.

PRAEMOLLIO, is, a. 4. *προμαλάττω*, ante mollio. *Quint.* 4, 3. His velut fomentis, si quid erit asperum, praemolliemus, quo facilius aures judicum admittant.

PRAEMOLLIS, e, adj. valde mollis. *Plin.* 9, 51, 75. Torpedo intra se parit ova praemollia. *Id.* 11, 37, 69. Cor praemolli firmoque opertum membranae involucro.

PRAEMOLLĪTUS, a, um, part. a *praemollio*, ante mollitus, subactus. *Quint.* 2, 9. Frustra sparseris semina, nisi illa praemollitus foverit sulcus. ℙ Translate. *Id.* 6, 5. *f.* Quo genere defensionis etiam offendisset nondum praemollitas judicum mentes, *h. e.* placatas, mitigatas, lenitas.

PRAEMŌNĔO, es, ui, itum, a. 2. *προαγορεύω*, *προλέγω*, *προφωνέω*, ante moneo. *Cic. Verr.* 1, 8. *extr.* Sane benivolo animo me, ut magnopere caverem, praemonebat. *Plin. ep.* 6, 22. Ut te praemonerem, plurimum tibi credas, nec cuiquam satis fidas. *Sen. Herc. Oet.* 721. Hic ipse fraudes esse praemonuit Deus. *Ov. Trist.* 5, 1, 16. Praemoneo, nunquam scripta quod ista legat. (Alii aliter leg. volunt: sunt etiam, qui spurium versum putant.) *Cic. Har. resp.* 5. *f.* De impendentibus periculis voce Jovis opt. max. praemoneri. *Colum.* 11, 2. *in.* Coeli varietatem mutationemque si ex hoc commentario fuerit praemonitus villicus, nunquam decipietur. *Plin. ep.* 2, 6. *f.* Convenit amori in te meo, praemonere, quid debeas fugere; et *ep.* 3, 18. Ut futuri principes praemonerentur, qua via possent ad gloriam niti. *Liv.* 36, 34. Quae tum maxime acciderant, casura praemonens. ℙ Item praedico, praesagio. *Just.* 14, 1. Fatua, quae assidue divino spiritu impleta, velut per furorem futura praemonebat. *Plin.* 18, 35, 79. Si quartam lunam orbis rutilus cingit, ventos et imbres praemonebat. *Ov. Her.* 17, 239. Et vatum timeo monitus, quos, igne Pelasgo Ilion arsuram, praemonuisse ferunt.

PRAEMONĪTĬO, onis, f. monitio praecedens. *Tert. adv. Marc.* 2, 4. *extr.* Agnosce bonitatem Dei ex providentiis et legibus, ex praemonitionibus bonis et benignis.

PRAEMONĪTOR, oris, qui praemonet. *Appul. de Deo Socrat.* In rebus incertis prospector, dubiis praemonitor, periculosis tutator.

PRAEMONĪTORĬUS, a, um, adj. ad praemonendum aptus. *Tert. Anim.* 3. Paulus concepit praemonitorium illud edictum.

PRAEMONĪTUS, a, um, part. a *praemoneo:* ante monitus. *Plin.* 28, 2, 4. Ni praemoniti legati R. respondissent, etc. *Just.* 1, 6. Praemonitus, ut socium coeptis assumeret. *Id.* 12, 14. Praemonito filio, ne alii, quam Thessalo, crederet. ℙ *Praemonitum*, absolute, praemonitio. *Gell.* 14, 2. Generalia quaedam praemonita, et praecepta sunt, quibus ante causam praemoeniri judex debeat.

PRAEMONĪTUS, us, m. praemonitio, praedictio. *Ov. Met.* 15, 799. Non tamen insidias venturaque vincere fata Praemonitus potuere Deum.

PRAEMONSTRĀTĬO, onis, f. actus praemonstrandi. *Lactant.* 7, 14. *med.* Saepe diximus, minora et exigua magnorum figuras et praemonstrationes esse.

PRAEMONSTRĀTOR, oris m. qui praemonstrat. *Ter. Heaut.* 5, 1, 2. Sed hic adjutor meus, et monitor, et praemonstrator Chremes hoc mihi praestat.

PRAEMONSTRĀTUS, a, um, part. a *praemonstro:* praedictus. *Plin.* 10, 29, 43. Ut non sit dubium, hanc suavitatem praemonstratam efficaci auspicio, cum in ore Stesichori cecinit infantis.

PRAEMONSTRO, as, avi, atum, a. 1. *προδείκνυμι*, ante monstro, praecipio, doceo quid faciendum sit ante rem gerendam, vel ante periculum. *Pl. Pers.* 1, 3, 68. Praemonstra docte, praecipe astu filiae quid fabuletur, ubi se natam praedicet. *Id. Trin.* 2, 2, 61. Hoc verbum cum illi cuidam dico, praemonstro tibi, ut, etc. *Lucr.* 6, 92. Currenti spatium praemonstra callida Musa. *Stat. Th.* 1, 66. si Sphyngos iniquae Callidus ambages, te praemonstrante, resolvi. ℙ Item praedico, praesagio. *Cic. Har. resp.* 10. Hoc tam novo, tantoque motu magnum aliquid Deos populo R. praemonstrare et praecinere. *Id. Prognost. Divin.* 1, 7. Atque etiam ventos praemonstrat saepe futuros Inflatum mare.

PRAEMORDĔO, es, orsi, et ordi, orsum, a. 2. *ἀποδάκνω*, idem quod mordeo, aut valde mordeo. *Pl. fragm.* ap. *Gell.* 7, 9. Ni fugissem, medium, credo, praemorsisset. *Sen. Clem.* 1, 5. *méd.* Ferarum est, nec generosarum quidem, praemordere, et urgere projectos. *Lucan.* 6, 567. siccoque haerentem gutture linguam Praemordens, *h. e.* anteriorem linguae partem mordens. ℙ Translate. *Juvenal.* 7, 217. Praemordere ex aliqua re quippiam, *h. e.* deradere, demere, quasi mordendo auferre. ℙ De altero praeterito *praemordi* V. MORDEO.

[PRAEMORDĪCUS, a, um, adj. qui ante mordetur. *Hieron.* in *Reg. S. Pachom.* 52. Sed reddere poterit ei, qui attulit, sive lapsania, quod genus herbarum est viliorum, sive panes, sive olera praemordica, *h. e.* quorum priores tantum et teneriores partes, ut in asparagis, morderi sive comedi solent. *F.*]

PRAEMŌRĬOR, eris, ortuus sum, dep. 3. *προαποθνήσκω*, ante morior, ante tempus morior. *Ov. Her.* 8, 121. Aut ego praemoriar, primoque exstinguar in aevo. *Quint. decl.* 4, 10. Omnis nos hora applicat fato, et per exigua festinantis aevi momenta praemorimur. *Plin* 7, 50, 51. Hebescunt sensus, membra torpent, praemoritur visus, auditus, incessus, scil. in senectute.

PRAEMORSUS, a, um, part. a *praemordeo:* morsus. *Lucan.* 10, 445. Sic fremit in parvis fera nobilis abdita claustris, Et frangit rabidos praemorso carcere dentes.

PRAEMORTŪUS, a, um, part. a *praemorior:* *προαποθνήσκων*, ante, aut jam mortuus. *Ov. Am.* 3, 7, 65. jacuere, velut praemortua, membra. *Suet. Gr.* 3. Podagrae impatiens, veneno sibi perunxit pedes, et enecuit, ita ut, parte ea corporis velut praemortua, vixerit. ℙ Translate. *Quint. decl.* 12, 7. Figura tibi exesos vultus, decrescentem populum, jam praemortuas vires. *Liv.* 3, 72. Scaptium ipsum id quidem, etsi praemortui jam sit pudoris, non facturum.

PRAEMŌTUS, a, um, part. a *praemoveo*, ante, seu valde motus. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *med.* Praemotis vel exercitis, ut supra dictum est, consilium dabimus.

PRAEMŌVĔO, es, a. 2. ante, aut valde moveo. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 5. *med.* Quoties partes longe remotae praemoventur; et *ib.* 5, 7. Praemoveri corpus, sive praetangi accessione ventura.

PRAEMULSUS. V. REMULSUS.

[PRAEMUNDĀTUS, a, um, part. ab inus. *praemundo*, antea mundatus. *Theod. Prisc.* 1, 10. *med.* Praemundatis interea oculis molli et tepido penicillo a pituitis aegrotis oculis inhaerentibus. *F.*]

PRAEMŪNĪO, is, ivi, itum, a. 4. *προπαρασκευάζω*, ante munio. *Caes. B. C.* 3, 55. Isthmum praemunire instituit, ut Achaia Fusium prohiberet; et *ib.* 58. Aditus duos magnis operibus praemunivit. *Suet. Cal.* 29. Quem metu venenorum praemuniri medicamentis suspicabatur. *Vell.* 2, 6. Praemuniendae regalis potentiae gratia. ℙ Translate. *Cic. Att.* 5, 13. Primum illud praefulci et praemuni, quaeso, ut simus annui. *Id. Coel.* 8. Illa, quae ex accusatorum oratione praemuniri jam, et fingi intelligebam, non pertimesco. *Id. Leg.* 1, 12. *f.* Quae praemuniuntur omnia reliquo sermoni disputationique nostrae, quo facilius, etc. ℙ In illo *ejusd. Or.* 40. Ut aliquid relinquat, ac negligat;

ut ante praemuniat, etc., et pleonasmus est, et figura rhetorica significatur. V. v. sq.

PRAEMUNITIO, onis, f. *προυπεργασία, προκατασκευή*, figura sententiarum apud rhetores, species prolepseos, cum orator praeparatione aliqua praemunit, praemollitque locum duriorem, ut irrepat in animos auditorum. *Quint.* 9, 2. *med.* Est quaedam praemunitio, qualis Ciceronis (*Div. Verr.* 1.) contra Q. Caecilium, quod ad accusandum descendat, qui semper defenderit. *Cic. Or.* 3, 53. *med.* Praemunitio est etiam ad id, quod aggrediare, et rejectio in alium; et *ib.* 2, 75. Quid? si in homines caros, judicibusque jucundos, sine ulla praemunitione orationis, acerbius et contumeliosius invehare, nonne abs te judices abalienes?

PRAEMUNITUS, a, um, part. a *praemunio:* ante munitus. *Tac. H.* 3, 21. Legio septima agresti fossa (ita locus erat) praemunita. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 9. Genus dicendi vehemens, commotum in agendo, praemunitum, et ex omni parte causae septum. *August. Doct. Chr.* 3, 1. Praemunitus scientia linguarum.

PRAENARRO, as, avi, atum, a. 1. *προδιηγέομαι*, ante narro. *Ter. Eun.* 5, 6, 12. Oportuit rem praenarrasse me.

[PRAENASCOR, ĕris, dep. 3. antea nascor. *Commod. Instruct.* 6. Illum (*Saturnum*) non aliquis prophetavit praenasci. *F.*]

PRAENATO, as, n. 1. *προνήχομαι*, ante nato. *Plin.* 9, 62, 88. Praegravi superciliorum pondere obrutis balaenae oculis, infestantia magnitudinem vada praenatans musculus demonstrat. ℙ Item ante fluo, praeterfluo, *παραῤῥέω. Virg. A.* 6, 705. Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem.

PRAENAVIGATIO, onis, f. navigatio ante, aut praeter aliquem locum. *Plin.* 6, 31, 36. A Gorgonum insulis praenavigatione Atlantis dierum quadraginta ad Hesperidum insulas.

PRAENAVIGO, as, a. 1. *παραπέμπω, προπλέω*, ante, vel praeter locum aliquem navigo. *Plin.* 6, 23, 26. Deinde Ichthyophagi tam longo tractu, ut viginti dierum spatio praenavigaverint; et *ib.* 28, 32. Duo oppida longis intervallis Tigri praenavigari tradunt. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 9. Praenavigans litus. Adde *Flor.* 3, 8. ℙ Translate. *Sen. ep.* 70. Praenavigamus vitam, et quemadmodum in mari, ut ait Virgilius noster (*A.* 3, 72.): terraeque, urbesque recedunt; sic in hoc cursu rapidissimi temporis primum pueritiam abscondimus, deinde adolescentiam, etc.

PRAENESTE, is, n. opp. Latii in finibus Aequorum inter Pedum et Hortanam, Roma distans M. P. circiter XXIV., in monte: nunc *Palestrina:* conditum a Caeculo Vulcani filio, ut est ap. *Virg. A.* 7, 678., vel a Praeneste filio Ulyssis et Circes, vel Latini regis filio, Ulyssis nepote, ut *Solin.* 2. tradit. *Virg. A.* 7, 682. Quique altum Praeneste viri, etc. *Hor. Od.* 3, 4, 22. Frigidum Praeneste. *Stat. Silv.* 4, 4, 15. sacrum. *Serv.* ad *cit. A.* 7, 678. putat dictum esse *ἀπὸ τῶν πρίνων*, h. e. ab ilicibus, quae ibi abundabant. *Cato* vero ap. *eund. ib.* 682. et *Festus* ideo sic appellatum dicunt, *quia is locus montibus praestet.* Celebre fuit templo Fortunae, et sortibus, quae ibi ducebantur: de quib. *Suet. Tib.* 63. et *Prop.* 2, 23, 41. ℙ Quod *Virg.* dixit *A.* 8, 561. Praeneste sub ipsa, ad *urbem* respexit. Simile est ejusd. Centauro magna, et *Terentii* Eunuchum suam.

PRAENESTINUS, a, um, adj. ad Praeneste pertinens. *Virg. A.* 7, 678. Praenestinae fundator urbis. *Ov. Fast.* 6, 62. Praenestinae moenia sacra Deae, *h. e.* Fortunae. *Cic. Div.* 2, 41. Praenestinae sortes. ℙ Praenestinas rosas laudat *Plin.* 21, 4, 10., nuces *Cato R. R.* 8, ubi avellanas Praenestinas appellat. *Macr.* quoque *Sat.* 2, 14. Avellanas, et Praenestinas idem esse ait: additque esse nationem hominum juxta agrum Praenestinum, qui Carsitani appellantur *ἀπὸ τῶν χαρύων:* inde Praenestinas nuces dictas. Sed *κάρυον* non avellanam, sed juglandem nucem significat. V. NUCULA. ℙ *Plin.* 33, 3, 19. crassissimas auri bracteas dictas ait Praenestinas, quoniam ejusmodi inauratum fuerit Praeneste simulacrum Fortunae. ℙ *Praenestina via* Roma Praeneste ducens. Exibat olim ab Urbe porta Esquilina, postea, ab Honorio Aug. Urbe ampliata, porta itidem Praenestina appellata, quae nunc *porta Maggiore*, et Praeneste ferebat. Ejus meminere *Plin.* 31, 3, 25. et *Front. Aquaed.* 5. ℙ *Praenestini, orum*, cives Praenestis. Horum sermo ab Romanis ridebatur, quia decurtare verba solebant, et *conia* dicere pro *ciconia*, ut est ap. *Pl. Truc.* 3, 2, 23. et *tammodo* pro *tantummodo*, aut *modo*, ap. *eund. Trin.* 3, 1, 8. et *Fest.* in *Tam modo.*

PRAENEXUS, a, um, part. ab inus. *praenecto*, in anteriori parte nexus. *Solin.* 1. *in* Diva (*Angerona*) praesul silentii praenexo obsignatoque ore simulacrum habet.

PRAENIMIS, adv. *ἄγαν*, valde nimis. *Gell.* 19, 10. Hoc praenimis plebejum est.

PRAENITEO, es, ui, n. 2. valde niteo, perniteo, praefulgeo. *Appul. Met.* 5. Vestes praenitent, splendicant gemmae; et *ib.* 11. Juvenis veste nivea praenitens. *Plin.* 2, 9, 6. Luna subito praenitens. *Vell.* 2, 39. Gentes, quarum titulis forum Augusti praenitet. *Sen. Med.* 93. Haec cum femineo constitit in choro, Unius facies praenitet omnibus, *h. e.* pulcritudine praecellit. *Hor. Od.* 1, 33, 4. cur tibi junior Laesa praeniteat fide, *h. e.* ut pulcrior et amabilior ab omnibus praeferatur. *Vell.* 2, 35. Ille dies virtutem Catonis, jam multis in rebus conspicuam atque praenitentem, altissime illuminavit.

PRAENOBILIS, e, adj. valde nobilis, pernobilis. *Appul. Flor. n.* 16. Est enim in studiis tantus, ut praenobilior sit proprio ingenio, quam patrio consulatu. *Id. Met.* 10. Bili subtrahendae praenobilis potio. Adde *Prud. Hamart.* 700.

PRAENOMEN, inis, n. appellatio, quae nomini gentilicio praeponitur, ut *Cajus, Marcus, Titus, Publius, Quintus, Sextus*, etc. Nam ingenui apud Romanos trina appellatione gaudebant. V. dicta in NOMEN. *Liv.* 30, 18. Quintilius praetor cum filio, cui Marco praenomen erat. ℙ Fere per unam tantum, vel duas, aut tres litteras scribebatur, ut M. *Marcus*, N. *Manius*, C. *Cajus*, T. *Titius*, Ti. *Tiberius*, Cn. *Cnaeus*, Pub. *Publius*, Sex. *Sextus.* Vide *Auct.* libelli *de nom. praenom. cognom.* etc. qui *Val. Max.* subjici solet. Scribebatur autem per notas, quia cum per omnem Romanorum aetatem paulo plura quam triginta praenomina omnino fuerint, facile ab omnibus scirentur. In familiari tamen sermone aliquando omittebatur. Hinc *Cic. Fam.* 7, 32. Quod sine praenomine familiariter, ut debebas, ad me epistolam misisti, etc. *Hor. Sat.* 2, 5, 32. Quinte, puta, aut Publi (gaudent praenomine molles Auriculae) tibi me virtus tua fecit amicum. ℙ [Apud veteres Romanos si plures fuissent in eadem familia fratres, solo praenomine distinguebantur, ut *M.* Tullius Cicero, *Q.* Tullius Cicero. Hinc *Suet. Vit.* 2. Ejus pater eques R. quatuor filios cognomines, ac tantum praenominibus distinctos, reliquit, Aulum, Quintum, Publium, Lucium. Natu vero maximus inter fratres patris praenomine utebatur ex SC. lato ann. U. C. DXIV. C. Claudio Centone, M. Sempronio Tuditano Cos., ut habent *Excerpta Dionis* in *Nov. Collect. Scriptor. vet.* T. 2. p. 541. ab *A. Maio* Romae edita, ubi tamen perperam Claudius praenominatur *Marcus*, et Sempronius *Titus*, quod praenomen insolens omnino fuit in gente Sempronia. Eo vero loci praenomen *ἐπωνυμία* dicitur, quae et praenominum, et nominum, et cognominum Romanorum communis fuit appellatio apud Graecos, qui, cum unico uterentur nomine, opportuno, quo tria haec Romanorum nomina distinguerent, vocabulo carebant: hinc tantum in *Gloss. Philox.* praenomen *προωνύμιον* appellatur; et haec leguntur ap. *Lyd. de magistrat. R.* 1, 22. *Ὡς Ποῦβλιος Βαλέριος Ποῦβλίκολας· ὧν αἱ μὲν δύο ἐπωνυμίαι τὴν ἐκ Ῥωμαίων. καὶ Σαβίνων παρεδήλουν λαμπρότητα, ἡ δὲ τρίτη τὴν ἐκ τῆς περὶ τὸν δῆμον στοργῆς εὐείκτου διάθεσιν. Ut Publius Valerius Publicola; quorum nominum duo a Romanis Sabinisque generis claritudinem, tertium ejus erga populum amorem ostendebat.* Hac de re consule etiam *B. Borghesium* in *Giorn. Arcad.* T. 41. p. 108. ℙ Progressu vero temporis fratres eodem praenomine, et nomine, diverso tamen cognomine a se invicem, et ab eorum patre discernebantur, quod ea de causa factum est, quam attulimus in V. COGNOMEN. ℙ Hinc illud etiam deinde accidit, ut praenomen, quippe quod ad fratres inter se distinguendos nihil amplius juvaret, saepissime omitteretur, quemadmodum patet ex *Tacito, Suetonio*, aliisque historicis tum Latinis, tum Graecis, atque adeo ex lapidibus aevo sequiore insculptis, in quibus nomen tantummodo et cognomen cieri solet. V. etiam COGNOMEN. ℙ *Praenomen* antiquitus pueris, deinceps vero cognomen imponi solebat die lustrico, octavo nempe a nativitate die; puellis autem nono, ut in V. LUSTRICUS dictum est. Communi siquidem vocabulo nomen dicebatur praenomen, vel cognomen puerorum, et cognomen puellarum, ideoque *nominalia* etiam appellabatur is dies. V. NOMINALIS. ℙ Aliquando praenomen in cognomen abiit. V. LUCIUS et MARCUS. E contrario cognomen quandoque vicem praenominis sumpsit. V. COGNOMEN. ℙ Interdum etiam duplici praenomine utebantur Romani, ut probat *Marin. Frat. Arv.* p. 234. 354. et al. V. etiam COGNOMEN. ℙ Controversiam de mulierum praenominibus, fuerint, necne in usu, a summis viris agitatam, ita componi posse putat *Spanhem. de praest. et usu num.* T. 2. *diss.* 10. p. 41., ut largiamur vetustis temporibus feminis praenomina, quod *Varr. L. L.* 8, 38. et *Auct. lib.* supra *cit.* §. 2. et *Paul.* ex *Festo* tradidere: paulatim vero in desuetudinem abierint, donec postea sequiori aevo frequentior eorum usus repetitus sit. [Nonnulla horum praenominum in inscriptionibus exempla affert *Fabr.* p. 30., quibus addenda est *Inscr.*, quae etiamnum Patavii exstat, ap. *Grut.* 311, 3. P. Serviliae Virg. P. Sextilia Vir. Vest. et sibi V. F. Ita in lapide; ap. *Grut.* pro *Sextilia* perperam legitur *Servilia.* ℙ Liberti feminarum non ab iisdem, quas raro admodum praenomine usas fuisse nuper vidimus, sed ab earum patre, si ingenuae essent; a patrono, si libertae, illud sibi adsciscere solebant. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 436. *n.* 28. T. Livius Liviae T. F. Quartae L. Halys. Alia ap. *eund. ib. n.* 30. Apuleja Zosime Sex. Lib. sibi, et Sex. Apulejo Lib. meo Themistocleti, etc. ℙ Praenomine *Imp.* scil. *imperatoris*, usus est omnium primus C. Julius Caesar, eversa ab eodem republica R., teste *Suet. Caes.* 76., eodem tamen abstinuerunt Tiberius, et Claudius, teste *eod. Tib.* 26. et *Claud.* 12., quo quidem titulo praenominis loco posito summum in imperii R. provincias jus indicabatur; hinc *Imp. Caes. Vespasianus Aug.*, atque ita ceteri deinceps appellati sunt. V. IMPERATOR. *F.*]

PRAENOMINO, as, a. 1. praenomen impono. *Varr.* ap. *Non.* 4, 319. Ut qui contra celeriter erant nati, fere Numerios praenominabant. *Auct libelli cit. in v. praec.* §. 2. Tullus praenominatus est ominis gratia, quasi tollendus.

*PRAENOSCENTIA, ae, f. praecognoscentia, praecognitio. *Sarisb. Metal.* 4, 27. Praenoscentia futurorum. *B. A.*

PRAENOSCO, is, a. 3. *προγιγνώσκω*, ante cognosco, praesentio. *Pl. As.* 1. 1, 46. Tu primus sentis, nos tamen praenoscimus. *Cic. Div.* 1, 38. *f.* Neque Dii non possunt futura praenoscere. *Stat. Th.* 3, 490. venturum coeli praenosce laborem. [**Ov. Fast.* 3, 159. Promissum sibi voluit praenoscere coelum.] *Sil.* 3, 7. rerum praenoscere fata; et 16, 124. praenoscens omina mater.

PRAENOTATUS, a, um, part. a *praenoto*, ante notatus. *Appul. Met.* 11. De opertis adyti profert quosdam libros litteris ignorabilibus praenotatos. *August. Retract.* 2, 14. Liber hoc titulo praenotatus. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 629. Crux praenotata, Crux adumbrata est prius.

PRAENOTIO, onis, f, *πρόγνωσις*, cognitio praecedens, antecepta rei informatio. *Cic. N. D.* 1, 17. Hanc nos habere sive anticipationem, sive praenotionem Deorum. [*Hanc vocem ex *ed. Glog.* reposuit *Heindf. ib.* 2, 17, 45. non improb. *Orell.*]

PRAENOTO, as, a. 1. *διασημαίνω*, ante, vel in anteriori parte noto, praesigno, praescribo. *Pall.* 8, 8. Locum signo aliquo praenotare. *Appul. Met.* 10. Aureos sacculo conditos annulo praenotare; et *ib.* 6. Dolebam, quod pugillares et stilum non habebam, qui tam bellam fabellam praenotarem. *Tert. adv Jud.* 14. Prophetae duos adventus Christi praenotarunt. ℙ *Praenotare librum*, titulum, vel auctorem in fronte libri praescribere. *August. C. D.* 8, 14. *med.* Ut de Deo Socratis praenotaret librum, quem appellare de daemone Socratis debuit. *Hieron. ep.* 133. *n.* 3. Ut librum primum Eusebii Caesariensis, nomine Pamphili martyris praenotaret.

PRAENUBILUS, a, um, adj. *συννεφής*, valde nubilus. *Ov. Am* 3, 13, 7. Stat vetus, et densa praenubilus arbore locus.

PRAENUM, i, n. *Gloss. Philox.* Praenum, *ἐλωτήριον λίνου. Salm.* legit *ἐλωτήριον*, h. e. instrumentum aculeis ferreis instructum ad pectendum linum. *Id.* vero ad *Vopisc. Aurel.* 19. legend. putat *ἐλωτήριον*, et *prelum: ἐλωτήριον* autem ab *ἐλόω*, premo. ℙ Translate. *Tert. Apol.* 5. Tentaverat et Domitianus praenum Neronis de crudelitate, *h. e.* crudelitatem, qua usus Nero in opprimendis et excruciandis Christianis. Alii leg. *praenomine Neronis*, alii *portio Neronis*, alii *praemonitu Neronis tantam crudelitatem.* V. SUBNERO.

PRAENUNCUPATUS, a, um, part. ab inus. *praenuncupo*, praenominatus, ante appellatus. *Prud. Cath.* 7, 179. Praenuncupatus ore qui prophetico Emmanuel est, sive nobiscum Deus.

PRAENUNTIA. V. PRAENUNTIUS.

PRAENUNTIATIO, onis, f. actus praenuntiandi. *Tert. Anim.* 46. *f.* de oraculis: Etiam per beneficia fallentes medicinarum, et admonitionum, et praenunciationum.

PRAENUNTIATIVUS, a, um, adj. praenuntiandi, et praemonstrandi vim habens. *Plin.* 2, 71, 73. Propter piraticos terrores turres excitatae, in queis praenuntiativos ignes accensos, etc.

[PRAENUNTIATOR, oris, m. qui praenuntiat. *August. Confess.* 9, 5. Credo, quod prae ceteris Evangelii, vocationisque gentium sit (*Isajas*) praenuntiator apertior. Adde *de Genes.* 8, 4. *extr. F.*]

PRAENUNCIATRIX, icis, f. quae praenuntiat. *Prud. περὶ στεφ.* 2, 29. Extrema vox episcopi, Praenuntiatrix gloriae.

PRAENUNTIO, as, avi, atum, a. 1. *προαγγέλλω*, ante nuntio, praemonstro, praedico. *Ter. Phorm.* 5, 2, 12. Tu, Geta, abi, praenuntia, hanc venturam. *Hirt. B. Afr.* 92. Legatos domum jubet antecedere, ac suum adventum praenuntiare. *Nep. Eum.* 9. Ut suspicionem injiciat hostibus, de eorum adventu esse praenunciatum; et *Cic. Div.* 1, 6. *extr.* Est vis et natura quaedam, quae cum observatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu inflatuque divino futura praenuntiat. *Plin.* 16, 42, 81. Juglans, frangi se, praenuntiat strepitu. *Id.* 18, 35, 89. Vasa sudorem repositoriis liquentia diras tempestates praenuntiant. *Id.* 25, 2, 5. Inventa ratio est praenuntians horas. *Id.* 36, 12, 18. Usus turris nocturno navium cur-

su ignes ostendere, ad praenuntianda vada, portusque introitum.

PRAENUNTĬUS, a, um, adj. *προάγγελος*, qui praenuntiat. *Cic. N. D.* 2, 5. Stellae magnarum calamitatum praenuntiae. *Id. Mur.* 22. *med.* Non placet mihi inquisitio candidati, praenuntia repulsae. *Lucr.* 5, 736. Veneris praenuntius ante Pennatus graditur Zephyrus. [*Ap. *Eichstadt.* leg. *Veris.*] *Sil.* 16, 78. celerare gradum, conjungat ut arma, Asdrubalem ignarum cladis, praenuntius affert Explorator eques. *Ov. Fast.* 2, 767. lucis praenuntius ales, *h. e.* gallus; et *ib.* 6, 207. Hinc solet hasta manu, belli praenuntia mitti. *Plin.* 2, 84, 86. Nunquam urbs Roma tremuit, ut non futuri eventus alicujus id praenuntium esset. *Sen. Ira* 3, 10. Omnium istarum procellarum animos vexantium quaedam sunt praenuntia.

PRAEOBTŪRANS, antis, part. ab inus. *praeobturo*, idem ac obturans, vel ante obturans. *Vitr.* 10, 12. Axes praeobturantes foramina narium, non patiuntur exire, etc.

PRAEOCCĪDO, is, n. 3. ante ad occasum pervenio. *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 3. Per id quatriduum Canis occidit, cui praeoccidere Caniculam necesse est.

PRAEOCCŪPĀTĬO, onis, f. *πρόληψις*, occupatio. *Nep. Eum.* 3. *extr.* Effecit etiam illud locorum praeoccupatione, ut equitatu potius dimicaret, quo plus valebat. ℙ Est etiam figura, quae et praesumptio, quando ea, quae sequi debent, anteponuntur. *Beda de Schem. et Tropis in.* ℙ Item morbi genus. *Veg. Veter.* 1, 40. *extr.* Hinc etiam tortura et extensio ventris, dolorque cum magno periculo generatur: quae passio Graece emphragma, Latine praeoccupatio dicitur. *Ἔμφραγμα* est *obturamentum.*

PRAEOCCŪPĀTUS, a, um, part. a *praeoccupo:* ante occupatus. *Vell.* 2, 69. Qui praeoccupata Asia in Syriam pervenerat. *Caes. B. C.* 3, 13. Caesar praeoccupato itinere ad Dyrrachium, etc. *Id. ib.* 3, 72. Iniquitas loci et angustiae, praeoccupatis castris. ℙ Translate. *Liv.* 6, 20. Nunquam fore in praeoccupatis beneficio animis vero crimini locum; et 42, 14. Praeoccupatis non auribus magis quam animis.

PRAEOCCŪPO, as, avi, atum, a. 1. *προκαταλαμβάνω*, occupo, ante occupo, anticipo, anteverto, praevenio. *Nep. Dat.* 7. Hic ne intrare posset saltum, Datames praeoccupare studuit; et *Eum.* 2. Macedoniam praeoccupare destinaverat. *Id. Dion* 4. Ne, cum inter se timerent, alter alterum praeoccuparet, *h. e.* prior opprimeret. [*V. *Brem.* ad h. l.] *Liv.* 4, 48. Ubi videant collegas gratiam omnem ad plebem praeoccupasse, nec locum in ea relictum sibi. *Id.* 44, 3. Ad loca opportuna praeoccupanda. *Colum.* 7, 13. Quod si (*aures canum*) ulceribus jam praeoccupatae fuerint, etc. ℙ Translate. *Cic. Phil.* 10, 1. Quas mihi ipse partes sumpseram, eas praeoccupavit oratio tua. *Caes. B. G.* 6, 40. Sic omnium animos timor praeoccupaverat, ut, etc. *Petr. Sat.* 113. Hilaritas praeoccupaverat mentes. Adde *Liv.* 21, 20. ℙ Cum infinito. *Id.* 4, 30. Legem de mulctarum aestimatione, quam ab tribunis parari, consules unius ex collegio proditione excepissent, ipsi praeoccupaverunt ferre. [*Adde 21, 39. Occupavit tamen Scipio Padum trajicere: ubi plura exempla, in quibus *occupare* cum inf. jungitur, congessit *Drakenb.*]

[PRAEOLĔO, es, n. 2. ante, vel bene oleo. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 1, 4. Imminens tibi somnus tam elegantem hanc epistulam fecit. Namque, ut crocus, ita somnus prius quam prope adsit, longe praeolet, longeque delectat. *F.*]

PRAEOPĬMUS, a, um, adj. valde opimus. *Tert. Poen.* 8. Vitulum praeopimum immolare.

PRAEOPTO, as, avi, atum, a. 1. *προαιρέομαι*, magis hoc quam illud opto, malo, antepono, potius eligo. *Ter. Hec.* 4, 1, 17. Adeon' pervivaci esse animo, ut puerum praeoptares perire, potius quam, etc.? ubi nota pleonasmum v. *potius:* qua ratione etiam *Pl. Capt.* 3, 5, 30. et *Val. Max.* 4, 1. *n.* 5. *extr.* locuti sunt. *Just.* 8, 4. Ut perire ipsi, quam non perdere eos praeoptarent. *Tac. H.* 4, 48. Quotiens Romanae legiones perire praeoptaverint, ne loco pellerentur. *Pl. Trin.* 3, 2, 21. Tuis stultis moribus praeoptavisti, amorem tuum uti virtuti praeponeres. *Liv.* 9, 45. Suas leges Romanae civitati praeoptaverunt. *Id.* 29, 30. *extr.* Praeoptantes exsilio modicam domi fortunam. *Id.* 23, 43. Punicam Romanae societatem atque amicitiam praeoptandam esse. *Nep. Att.* 12. Ut praeoptaret equitis R. filiam generosarum nuptiis. *Caes. B. G.* 1, 25. Multi ut, diu jactato brachio, praeoptarent scutum manu emittere, et nudo corpore pugnare. ℙ Primam syllabam male produxit *Capell.* 1, 9. Praeoptare caret, si quod placet, atque necesse est. V. PRAE.

PRAEORDĪNĀTUS, a, um, part. ab inus. *praeordino*, ante ordinatus. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 4. *f.* Causae praeordinatae, atque fixae.

[PRAEORO, as, a. 1. ante oro. *Not. Tir.* p. 106. Orat, adorat, exorat, praeorat. *F.*]

PRAEOSTENSUS, a, um, part. ab inus. *praeostendo*, praemonstratus. *Tert. adv. Jud.* 4. Sabbatum praeostensum et praedictum; et *ib.* 5. Praeostensa sacrificia.

PRAEPALPANS, antis, part. ab inus. *praepalpo*, ante palpans. *Paul. Nol. ep.* 49. (al. 36.) *med.* Molli manu ante praepalpans.

PRAEPANDO, is, a. 3. [*ante extendo, expando. *Virg. Cul.* 16. seu qua Parnassia rupes Hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte: ubi tamen *Scal.* mavult *praetendit.* ℙ Hinc] ante aperio. [*Huc pertinet locus] *Plin.* 11, 24, 28. Majores interna et cavernis exigua vestibula praepandunt. ℙ [*Deinde transl. signif. monstrare, declarare.] *Lucr.* 1, 144. quo carmine demum Clara tuae possim praepandere lumina menti. *Cic. in Arat.* 40. hibernos praepandens temporis ortus, [*i. e. declarans, significans.]

PRAEPĀRĀTĬO, onis, f. *ἑτοιμασία, παρασκευή*, provisio, praemeditatio, apparatus. *Cic. Off.* 1, 21. *extr.* In omnibus negotiis, priusquam aggrediare, adhibenda est praeparatio diligens. *Id. Tusc.* 3, 14. Multum potest provisio animi et praeparatio ad minuendum dolorem. *Hirt. B. Alex.* 44. Tamen virtute vicit incommodum naturae, difficultatesque hiemis, et subitae praeparationis. *Front. Aquaed.* 124. Difficilis videbatur futurae impensae praeparatio. *Vell.* 1, 12. Aut bellum inter eos populos, aut belli praeparatio fuit. *Quint.* 7, 10. *med.* Quando in causa proponendae prooemiis quaestiones, qua praeparatione praemuniendae. ℙ Est et species praesumptionis, h. e. *προλήψεως*, apud rhetores, cum pluribus verbis, vel quare facturi quid simus, vel quare fecerimus, dici solet. Ita *Quint.* 9, 2. [*Disputat de rhet. hujus v. usu *Ernest.* in *Lex. technol. rhet. lat.* p. 298.]

PRAEPĀRĀTO. V. PRAEPARATUS, a, um.

PRAEPĀRĀTOR, oris, m. *παρασκευαστής*, qui praeparat. *Tert. adv. Marc.* 4, 33. *f.* Joannes praecursor et praeparator viarum Domini.

PRAEPĀRĀTORĬUS, a, um, adj. *παρασκευαστικός*, ad praeparandum pertinens. *Ulp. Dig.* 43, 29, 3. Prius interdictum praeparatorium est hujus interdicti.

PRAEPĀRĀTŪRA, ae, f. praeparatio. *Tert. adv. Marc.* 4, 18. Praeparatura viarum Domini in Joanne.

PRAEPĀRĀTUS, a, um, part. a *praeparo: παρασκευασθείς*, ante paratus. *Cic. Div.* 2, 58. Pythagoras et Plato, quo in somnis certiora videamus, praeparatos quodam cultu atque victu proficisci ad dormiendum jubent; et *ib.* 1, 53. *f.* Qui se tradet quieti praeparato animo cum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa et vera cernit in somnis. *Hor. Od.* 2, 10, 13. Sperat infestis, metuit secundis Alteram sortem bene praeparatum Pectus. *Cic. Or.* 28. *f.* Si is non praeparatis auribus inflammare rem coepit, furere apud sanos videtur. *Just.* 9, 7. Olympias fugienti percussori equos praeparatos habuit. *Petr. Sat.* 16. Praeparata nos implevimus coena. *Caes. B. C.* 3, 14. Res magno usui praeparata. *Plin. prooem.* 23. Lacrima vitium psoras nitro ante praeparatas sanat, *h. e.* elutas, purgatas. V. PRAEPARO. ℙ *Praeparato*, cum praeparatione, adverbii more. *Quint.* 4, 2. *med.* Quam nihil praeparato, nihil festinato fecisse videtur Milo! ℙ *Ex praeparato*, idem. *Sen. ep.* 11. Non enim ex praeparato locutus est, sed subito deprehensus. *Liv.* 10, 41. Ad nutum omnia, velut ex ante praeparato fiunt.

PRAEPĀRĀTUS, us, m. praeparatio. *Vell.* 2, 76. Adventus in Italiam Antonii, praeparatusque contra eum Caesaris habuit belli metum. *Gell.* 10, 11. In praeparatu rei rusticae.

PRAEPARCUS, a, um, adj. *κυμινοπρίστης*, valde parcus, avarus, sordidus. *Plin.* 11, 19, 21. Apes praeparcae, et quae alioqui prodigas atque edaces proturbant. ℙ Translate. *Id.* 22, 24, 51. Homines animi humilis et praeparci.

PRAEPĀRO, as, avi, atum, a. 1. *παρασκευάζω*, idem ac paro, ante paro. *Cic. Rosc. Am* 8. Cum eodem tempore et ea, quae praeterita sunt, et ea, quae videntur instare, praeparet. *Liv.* 30, 20. Jam hoc ipsum praesagiens animo, praeparaverat ante naves. *Caes. B. G.* 5, 9. Locus natura et opere munitus, quem domestici belli causa praeparaverant. *Sall. fragm.* ap. *Veg. Mil.* 1, 9. *extr.* Se, et suos milites frequentibus exercitiis praeparare ad proelia. *Plin.* 8, 20, 29. Praeparat se pugnae. *Vell.* 2, 109. Exercitum assiduis bellis exercendo, majori, quam quod habebat, operi praeparabat. *Pers.* 6, 12. Hic ego securus vulgi, et quid praeparet Auster Infelix pecori. *Suet. Ner.* 47. Praemissis libertorum fidissimis ad classem praeparandam. Sic *Curt.* 3, 5. Praeparaturus classem. *Colum.* 2, 16. Praeparare arva frumentis. *Cic. Off.* 1, 4. res necessarias ad vitam degendam. *Suet. Tib.* 38. profectionem. *Id. Cal.* 24. gladios in necem alicujus; et *ib.* 27. feras muneri. *Plin.* 8, 37, 56. cibos hiemi. *Tac. A.* 11, 8. necem fratri. ℙ Translate. *Id. H.* 1, 72. Praeparare gratiam adversus publicum odium; et *Petr. Sat.* 139. excusationem. *Curt.* 5, 9. Nabarzanes aditum nefariae spei praeparans. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 12, 23. Litteris ante excoli animos, et ad sapientiam concipiendam imbui et praeparari decet. ℙ Est etiam fullonum verbum. Nam *praeparare lanas* est eluere, purgare, et coloribus imbibendis aptas reddere. *Plin.* 22, 20, 23. Anchusae radix praeparat lanas pretiosis coloribus; et 24, 11, 58. Tingentibus et radicula lanas praeparat. Dixerat enim 19, 3, 18. At quae vocatur radicula, lavandis demum lanis succum habet. ℙ Item medicorum, quibus est eluere, purgare, ut medicamentum ad sanitatem imbibatur. *Plin.* 29, 6, 34. Alopecias in ea curatione praeparari oportet novacula et sinapi. *Id.* 32, 7, 23. Praeparant autem sepiarum crustae farina medicamentis cutem. ℙ Item medicamenta, et alia hujusmodi conficientium. *Plin.* 29, 4, 30. Praeparare potum cantharidum; et *ib.* 6, 39. Anserum omniumque avium adeps praeparatur, exemptisque venis liquatur. *Mart.* 1, 56. Et sua non emptus praeparat ova cinis, *h. e.* coquit, et esui parat. ℙ *Plin.* 13, 11, 23. Praeparantur ex papyro chartae, diviso acu in praetenues philuras.

PRAEPARVUS, a, um, adj. valde parvus, perparvus. *Juvenc.* 2, 819. Haud aliter simile est (cordis si panditis aures) Praeparvi grano regnum coeleste sinapis.

PRAEPĀTĬOR, eris, dep. 3. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 34. Praepati in cardiacis Erasistratus et Asclepiades cor dixerunt.

PRAEPĔDĪMENTUM, i, n. *ἐμπόδισμα*, impedimentum. *Pl. Poen.* 3, 2, 29. Ne fallaciae praepedimentum objiciatur.

PRAEPĔDIO, is, ivi et ii, itum, a. 4. *παρεμποδίζω*, impedio, irretio, implico. *Pl. Cas.* 3, 5, 25. Timor praepedit dicta linguae. *Ov. Trist.* 1, 3, 42. Singultu medios praepediente sonos. *Id. Her.* 14, 18. Et subitus dextrae praepedit orsa tremor. *Liv.* 8, 38. *med.* Sine modo sese praepediant. *Plin. Pan.* 68. Si forte aliquos flumina, nives, venti praepedissent. *Pacat. Pan. Theodos.* 40. Ego fugam hostium praepedivi. *Plin. ep.* 2, 19. Recitantium praecipua pronunciationis adjumenta, oculi, manus, praepediuntur. *Tac. A.* 3, 3. Praepediri valetudine. [*V. *Böttich. Lex. Tac.* p. 369. et quem laud. *Drak.* ad *Liv.* 28, 1, 6.] ℙ Proprie est compedire, vincire. V. in v. sq. ℙ Translate. *Sall. Jug.* 30. In consule nostro multae bonae artes animi et corporis erant, quas omnes avaritia praepediebat.

PRAEPĔDĪTUS, a, um, part. a *praepedio:* compeditus, *πεπεδημένος, ἐμποδισθείς*. *Pl. Poen.* 4, 2, 5. Ita me Dii ament, vel in lautumiis, vel in pistrino mavelim agere aetatem, praepeditus latera forti ferro, quam etc. *Tac. A.* 4, 25. Praepeditis Numidarum equis, aut diversos pastos pererrantibus. ℙ Item universim impeditus, irretitus, implicitus. *Cic. Rab. perd.* 7. Confectus senectute, praepeditus morbo. Alii leg. *perditus. Ter. Heaut.* 3, 1, 99. In re nostra aut gaudio sumus praepediti nimio, aut aegritudine. *Tac. A.* 2, 75. Praepeditus Germanias servitio premere. *Flor.* 4, 11. Graves, et ad omnia praepeditae naves: *quibus oppon.* habiles in omnia, quae usus poscit.

PRAEPENDĔO, es, n. 2. ante pendeo. *Caes. B. C.* 2, 9. Ut esset, ubi tegumenta praependere possent ad defendendos ictus; et *ib.* Storeae eminentibus trabibus praependentes. *Prop.* 2, 24, 37. Cum tua praependent demissae in pocula sertae. *Mart.* 9, 48. Praependet mento nec tibi barba minor. *Appul. Apol.* Lacinia praependens impedit et praecipitat. Adde *Vitruv.* 4, 6. *med.* [*et *Suet. Galb.* 21.]

PRAEPES, ĕtis, adj. omn. gen. *ὠκύπτερος*, volans, velox, celer: a *prae*, ante vel multum, et *peto. Virg. A.* 6, 15. de Daedalo: Praepetibus pennis ausus se credere coelo. *Val. Fl.* 1, 578. praepes Boreas. *Plin. prooem.* 7. Praepetes volatus. *Enn.* ap *Macrob. Sat.* 6, 3. Praepes ferrum, *h. e.* telum volatile, ut *Virg. A.* 4, 71. dixit. *Cn. Mattius* ap. *Gell.* 6, 6. Dum det vincenti praepes Victoria palmam. *Sen. Hippol.* 1061. praepeti cursu evolat, Summam citato vix gradu tangens humum. *Auson. ep.* 146, 1. Puer notarum praepetum Solers minister, advola; et *ib.* 20. praepetis dextrae fuga Tu me loquentem praevenis. ℙ Item alatus, aliger. *Ov. Her.* 8, 38. Succubuit telis praepetis ipse Dei, *h. e.* Cupidinis. ℙ Item absolute avis quaecumque, praesertim quae volatu potens. *Ov. Met.* 13, 617. Praepetibus subitis nomen facit auctor: ab illo Memnonides dictae. *Id. ib.* 4, 713. Praepes Jovis, *h. e.* aquila. *Val. Fl.* 8, 32. pavidae de more columbae, Quae super ingenti circumdata praepetis umbra etc., *h. e.* accipitris. Adde *Stat. Th.* 3, 544. et *Ov. Met.* 14, 576. ℙ Ap. *eund. ib.* 5, 257. praepes Medusaeus, *h. e.* Perseus Pegaso volans: de quo *Lucan.* 9, 688. quis enim non praepete tanto, Aethera respiceret? Adde *ib.* 662. ℙ Est verbum augurale. Nam praepetes aves *Hyg.* ap. *Gell.* 6, 6. appellari docet, quae aut opportune praevolant, aut sedes idoneas capiunt. *Nigid.* autem *ib.* ait *praepetibus* contrarias esse *aves inferas.* Ita enim loquitur *l. l. augur. privati:* Discrepat dextra sinistrae, praepes inferae. Ex quo subdit *Gell.* est

conjectare, *praepetes* appellatas, quae altius sublimiusque volitent: contra *inferas*, quae demisse. Denique *Sulpic. Apollin. ib.* ait *praepetes* sibi videri, quas Homerus *παντυπέρυγας* appellaverit (*h. e.* magnas alas habentes), quoniam istas potissimum augures spectarent, quae ingentibus alis patulae atque porrectae praevolarent. *Virg. A.* 3, 359. Trojugena, interpres Divum, qui numina Phoebi, Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis, Et volucrum linguas, et praepetis omina pennae. Ubi *Serv.:* Praepetes sunt, quae secundo auspicio ante eum volant, qui auspicatur; et *mox:* Praepetes aut superiora tenent, et *praepetes* vocantur; aut inferiora, et dicuntur *inferae*. *Praepetes* autem ideo, quia omnes aves priora petunt volantes: vel a Graeco *πέτομαι*, id est volo. Haec *Serv.* ℙ Non tantum ipsae aves, quae prosperius praevolant, sed etiam loci, quos capiunt, qui idonei felicesque sunt, *praepetes* appellantur, inquit *Gell. l. c.* et *Serv.* ad *A.* 6, 15. At *Scal.* ad *Sever. Aetn.* 326. praepetem locum intelligit declivem, et ad quem facilis est accessus, quod Graecis est *προπετής*, *προαλής*. Immo v. *praepetem* ab ipso *προπετής* factum putat. *Enn.* ap. *Gell. l. c.* Praepetibus hilares sese pulcrisque locis dant. *Id. ib.* Brundusium pulcro praecinctum praepete portu.

PRAEPĒTO, is, a. 3. *Fest.* in *Praepetes.* Praepetere dicebant pro anteire. ℙ Item valde peto. *Lucr.* 4, 1147. Et praetermittas animi vitia omnia primum, Tum quae corpori' sunt ejus, quam praepetis, ac vis. Alii leg. *percupis.* [*Ap. *Eichstadt.* leg. *perpetis.*]

PRAEPIGNERĀTUS, a, um, part. ab inus. *praepignero*, ante pignori oppositus: et translate obligatus. *Ammian.* 29, 2. Colloquiis ex aula regia praepigneratus abstrusis.

PRAEPĪLĀTUS, a, um, part. a *praepilo*, in anteriore parte in modum pilae formatus, in summitate rotundatus in pilam: ut *praepilata hasta*, quae in acumine cuspidem non habet, sed in obtusum desinens instar pilae rotunda est, ne laedat: ut apud nos ensis praepilatus, *Rappier.* Hujusmodi telis utebantur milites in pugnis ludicris: quemadmodum ap. *Hirt. B. Afr.* 72. legimus, a Caesare edoctos milites rationem pugnandi contra elephantos: hos enim in castra adductos hastis praepilatis feriebant, ut discerent, cui parti corporis tela adjicere possent, cum eos adversos in veris proeliis habuissent. Similiter Scipio ap. *Liv.* 26, 51. milites exercere volens, jussit eos rudibus inter se in modum justae pugnae concurrere, praepilatisque missilibus jaculari. *Plin.* quoque 8, 6, 6. narrat, inductos in circum elephantos a L. Pisone, atque ut contemptus eorum incresceret, ab operariis hastas praepilatas habentibus per circum totum actos. ℙ Translate. *Quint.* 5, 12. *med.* Declamationes, quibus ad pugnam forensem, velut praepilatis, exerceri solebamus. *Plin.* 9, 30, 50. Locustarum cornua, quae sunt propria rotunditate praepilata. ℙ In illo *Ammiani* 24, 6. Praepilatis missilibus per procursatores principiis pugnae tentatis etc. *Lips. Poliorcet.* 4, 4. *praepilatis* exponit conjectis, emissis: quia de vera pugna ibi agitur. Sic *Id. Ammian.* 16, 12. *med.* Utrinque magnis concursum est viribus: praepilabantur missilia etc., *h. e.* ante conjiciebantur. Sunt qui leg. *propilabantur* eod. sensu, ut *Vales.* ad *prior. Ammiani loc.* [At *Wagnerus* nihil mutandum censet, licet fateatur, *Ammian.* improprie locutum fuisse. *F.*]

PRAEPĪLO, as, a. 1. pila emitto. V. v. praec.

PRAEPINGUIS, e, adj. *εὐλιπής, καταπίμελος, ζατρεφής*, valde pinguis. *Virg. A.* 3, 698. praepingue solum stagnantis Helori. *Plin.* 8, 51, 77. Praepingues sues. *Id.* 18, 17, 45. Praepinguis et densa ubertas. ℙ Translate. *Quint.* 12, 3. *med.* Vox dura, rigida, praepinguis, aut tenuis. V. PINGUITUDO.

[PRAEPLECTO, is, a. 3. ante plecto. *Not. Tir.* p. 107. Plectitur, complectitur, praeplectitur. *F.*]

[PRAEPLEXUS, a, um, part. a *praeplecto*, ante plexus. *Not. Tir.* p. 107. Amplexus, complexus, praeplexus. *F.*]

PRAEPŌLĪO, is, ii, a. 4. ante polio. *Quint.* 2, 12. *med.* Quod litterae propolierunt. Alii leg. *perpolierunt.* [*Ita *Spalding.*, qui lectionis varietatem nullam indicat.]

PRAEPOLLENS, entis, part. a *praepolleo*, valde pollens, *ὑπερέχων*. *Liv.* 1, 57. Gens divitiis praepollens; et 5, 34. Vir virtute fortunaque cum sua, tum publica praepollens. *August. C. D.* 22, 29. Vis oculorum praepollentior.

PRAEPOLLĒO, es, n. 2. magis polleo. *Tac. A.* 2, 45. Langobardi defecere ad eum: quibus additis praepollebat; et *ib.* 51. Ut numerus liberorum in candidatis praepolleret; et *ib.* 11, 14. Phoenices, qui mari praepollebant. *Appul. Met.* 6. Si qua in terris puella praepollet pulcritudine.

*PRAEPONDERATĪO, onis, f. *ῥοπή*. *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

PRAEPONDĒRĀTUS, a, um, part. a *praepondero*, pondere valde pressus. *Solin.* 11. *med.* Coturnices globatae vehementius properant: quae festinatio plerumque exitium portat navigantibus: accidit enim in noctibus, ut vela incidant, et praeponderatis sinibus alveos vertant.

PRAEPONDĒRO, as, n. 1. *ὑπερταλαντάω, ὑπεροπαθρίζομαι*, majus pondus habeo, pondere vinco, praegravo: atque adeo inclinor, vergo. [*Beieri suspicio ex *Cic. Off* 2. p. 211. hanc vocem restituendam censet in *Cic. Tusc.* 5, 17. *f.* tantum praeponderari lancem putet, ut terram et maria deprimat: ubi in libris est *propendere. Orell.* tamen *praeponderari* vulg. lectioni haud aequiparandum consultoque a se repudiatum denotat. Tum sequi debebat *Appul. Met.* 7. quoties in alterum latus praeponderans declinarat sarcina: quod exemplum *Noster* quarto loco posuerat.] *Sen. Q. N.* 3, 10. *med.* Et natura partes suas velut in ponderibus constitutas examinat, ne portionum aequitate turbata, mundus praeponderet. *Id. Clem.* 1, 2. *extr.* Quia difficile est temperamentum, quidquid aequo plus futurum est, in partem humaniorem praeponderet. *Quint.* 7, 2. *med.* Sed mihi, si neutro litis conditio praeponderet, secundum naturam videtur incipere a persona. ℙ Translate. *Lucan.* 6, 603. Quaerere quo tanti praeponderet alea fati, *h. e.* in quem exitum magis inclinet incertus adhuc rerum eventus. ℙ Est etiam pluris aestimor, pluris sum. *Stat. Th.* 8, 615. gravis hinc miseris cunctatio voti: Nutat utroque timor, quemnam hoc certamine victum, Quem vicisse velint: tacite praeponderat exsul. *Gell.* 1, 3. *med.* Cum in rebus aut partibus, aut non longe secus, utilitas amici, et honestas nostra consistit; honestas procul dubio praeponderat. *Quint. decl.* 8, 9. Inter duos liberos pari desperatione languentes da bonum patrem: non praeponderabit: alterutrum non eliget, *h. e.* neuter praeponderabit. Alii leg. *non praeponderabit alter: neutrum eliget;* alii: *non praeponderabit alteruter: non eliget.* ℙ Passive. *Cic. Off.* 3, 4. *med.* Qui omnia metiuntur emolumentis et commodis, neque ea volunt praeponderari honestate, *h. e.* ab honestate vinci pondere et aestimatione.

PRAEPONO, is, sui, olim etiam sivi, situm, a. 3. *προτίθημι*, ante pono, priore loco colloco. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Non enim hoc (scil. *praepositionem in*) ut oppido praeposui, sed ut loco. *Ov. Trist.* 1, 7, 33. Hos quoque sex versus, in prima fronte libelli Si praeponendos esse putabis, habe. *Hor. Sat.* 1, 4, 58. si quod prius ordine verbum est, Posterius facias praeponens ultima primis. *Cic. Or.* 2, 79. Oportet, ut aedibus ac templis vestibula et aditus, sic causis principia proportione rerum praeponere. *Id. Fam.* 11, 27. De qua priusquam respondeo, pauca praeponam. ℙ *Praeponere alicui rei quempiam*, ei curandae, aut regendae praeficere. *Cic. Manil.* 22. Unum illum ex omnibus delegistis, quem bello praedonum praeponeretis. *Caes. B. G.* 1, 54. Hibernis Labienum praeposuit; et *B. C.* 3, 89. Sinistro cornu Antonium, dextro P. Sullam, media acie Domitium praeposuerat. [*Liv. 37, 41. Antipatrum in laevo cornu praeposuit.] *Just.* 6, 2. Praeponere aliquem summae rei. *Cic. Fam.* 2, 15. aliquem provinciae; et *ib.* 15, 4 *med.* negotio. *Id. Verr.* 2, 5, 38. *f.* navibus. *Tac. H.* 1, 20. exactioni; et *A.* 15, 18. vectigalibus. *Ov. Trist.* 3, 1, 67. aliquem custodem alicui loco. ℙ Est etiam praeferre, pluris facere, anteponere. *Cic. Phil.* 9, 7. Salutem reipubl. vitae suae praeposuit. [*Adde *Rab. Perd.* 8. amicitiam patriae praeponere.] *Pl. Rud.* 4, 2, 11. Lucrum praeposivi sopori et quieti. *Ter. Andr.* 1, 1, 38. Praeponere se alteri. *Id. Eun.* 1, 2, 59. Si fidem habeat, se iri praepositum tibi apud me. ℙ Notanda est ratio illa loquendi, quam *Prisc.* nullo quidem exemplo fulcit, usitatam tamen Latinis ait 18, 1203. Praepono, hunc optimum esse amicorum. Graeci quoque sic loquuntur: *Προχρίνας τουτους καλλίστους εἶναι τῶν λόγων.*

PRAEPORTO, as, a. 1. praefero, prae me fero, ostendo. *Lucret.* 2, 621. Telaque praeportant, violenti signa furoris. *Catull.* 64, 193. Eumenides, quibus anguino redimita capillo Frons exspirantes praeportat pectoris iras. *Cic.* in *Arat.* 433. E quibus ingenti exsistit cum corpore prae se Scorpius infestus praeportans flebile acumen.

PRAEPOSĪTĬO, onis, f. *πρόθεσις*, actus praeponendi aut praeficiendi. *Cic. Fin.* 3, 16. *med.* Qui ita talus erit jactus, ut cadat rectus, praepositum quiddam habebit ad finem: neque tamen illa praepositio tali ad eum finem pertinebit. *Ulp. Dig* 14, 1, 1. §. 12. Igitur praepositio certam legem dat contrahentibus. Quare si eum praeposuit navi ad hoc solum, ut etc. Adde *ib.* 3, 11. ℙ Grammaticis est pars orationis indeclinabilis, quae ceteris partibus aut separata, aut conjuncta fere praeponitur; ut *pro, in, apud, extra. Cic. Or.* 47. *med.* Una est praepositio *ab*, eaque nunc tantum in accepti tabulis manet. *Id. Top.* 11. Praepositio enim *in* privat verbum ea vi, quam haberet, si *in* praepositum non fuisset. Adde *Varr. L. L.* 5, 7., *Quint.* 1, 4. et 5., *Gell.*, *Suet.* etc.

PRAEPOSĪTĪVUS, a, um, adj. qui praeponitur, ut Vocales praepositivae, ap. *Prisc.* 1, 561. et 17, 1038., quae in diphthongis conflandis priorem locum habent. Conjunctio praepositiva ap. *Diomed.* 1, 409., quae in oratione praeponitur, ceu *ut, nam.*

PRAEPOSĪTŪRA, ae, f. officium et dignitas praepositi. *Lampr. Elag.* 6. Militaribus praeposituris, et tribunatibus, et legationibus, et ducatibus venditis. *Impp. Valent.* et *Valens Cod.* 10, 70, 2. Praepositura horreorum et pagorum.

PRAEPOSĪTUS, a, um, part. a *praepono:* [*ante, priore loco positus. *Vell.* 2, 96, 1. praepositis Gaji ac Lucii nominibus. ℙ Hinc i. q.] *προϊστάμενος*, alicui rei praefectus. *Cic. Div.* 1, 34. *extr.* Sacerdos oraculo praeposita. *Caes. B. C.* 3, 5. Bibulus toti officio maritimo praepositus. *Just.* 1, 3. Praefectus ipsius Medis praepositus. *Sen. Ira* 1, 16. *med.* Centurio praepositus supplicio. *Suet. Tib.* 4. classi; et *Dom.* 16. cubiculo. *Ulp. Dig.* 15, 7, 11. *med.* servus pecuniis exigendis. *Ov. Met.* 9, 283. Praepositam timidis parientibus Ilithyiam, *h. e.* praesidem. *Sen. Herc. Fur.* 532. Pomis divitibus praepositus draco. ℙ Absolute *praeposita, τὰ προηγμένα*, appellavit Zeno philosophus ea, quae licet vere bona non sint, pluris tamen sunt aestimanda, ut *Cic. Acad.* 1, 10. docet: quae vero minoris, rejecta. *Id. Fin.* 4, 26. Ista bona non dico, sed dicam Graece *προηγμένα*, Latine autem producta: sed praeposita, aut praecipua malo: illa autem non appello mala, sed, si libet, rejectanea; et *paulo post:* Bonum negas esse divitias, praepositum esse dicis. Bonum ex quo appellatum sit, nescio: praepositum ex eo credo, quod praeponatur aliis. V. PRODUCTUS. ℙ *Praepostus*, per sync. *Lucret.* 6, 996. Quapropter bene ubi haec confirmata atque locata Omnia constiterint nobis praeposta, parata etc., *h. e.* ante posita, ante dicta.

PRAEPOSĪTUS, i, m. *ἐπιστάτης*, qui alicui officio praeponitur, praefectus, praesertim militaris. *Cic. Pis.* 36. Praepositus legatorum tuorum optimus abs te quisque violatus. Alii leg. *Praepositus legatorum tuorum turpissimus: optimus abs te* etc. [*V. *Orell.*, qui vulg. retinet.] *Tac. H.* 1, 36. Gregarius miles caveri insuper praepositos jubebat. *Suet. Oth.* 1. Ausus est milites quosdam, quod praepositos suos occiderant, capite punire. [*Inscr.* ap. *Grut.* 1096, 6. Cn. Marcio Cn. F. Gal. Plaetorio Celeri praeposito numerorum tendentium in Ponto ab Saro. *Appul. Met.* 10. *in.* Ipse ad praepositum suum, qui mille armatorum ducatum sustinebat, sollicite proficiscitur. *Id. ib. multo post de eod.* Miles ille, qui me, nullo vendente, comparaverat, tribuni sui praecepto debitum sustinens obsequium etc. *F.*] Adde *Modest. Dig.* 49, 16, 3. *extr.* et *Arr. Menand. ib.* 6. *extr.* ℙ Extra rem militarem vetus S. C. ap. *Plin. ep.* 8, 6. *med.* Praepositi rerum curae Caesaris, *h. e.* procuratores. *Inscr.* ap. *Grut.* 582, 7. Gemello Aug. Lib. praeposito argenti potorii; et *ib.* 5. Philetaero Aug. Lib. praepos. ab auro gemmato; et 600, 15. Praep. cursorum. *Front. Aquaed.* 17. et 117. aquarum.

PRAEPOSSUM, otes, otui, n. anom. plus possum, praepolleo, praevaleo, *ὑπερέχω*. *Tac. A.* 5, 8. Postquam Macedones praepotuere.

PRAEPOSTĒRE, adv. *ἀνεστραμμένως*, inverso ordine, perverse, perperam. *Cic. Att.* 7, 16. Omnes arbitror mihi tuas litteras esse, sed primas praepostere, reliquas ordine, quo sunt missae. *Id. Acad.* 4, 20. *extr.* Ut praepostere tecum agam, mox referam me ad ordinem. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Succurrit quod praeterieram, et quidem sero: sed quamquam praepostere, reddetur. *Plin. alter* 2, 7, 5. Laevus calceus praepostere inductus, *h. e.* laevus pro dextero. *Gell.* 2, 8. Imperfecte, atque praepostere, atque inscite syllogismo uti.

PRAEPOSTĒRĪTAS, atis, f. ordo praeposterus. *Arnob.* 3, 118. Si Juno est aer, quemadmodum dictitare consuestis, Graeci nominis praeposteritate repetita, *h. e.* inverso ordine litterarum in voce *ἀήρ*, aer, unde fit *Ἥρα*, Juno. *Vet. Inscr.* non optimae notae ap. *Grut.* 684, 6. Parens afflictus praeposteritate naturae hunc filium unicum hic condidi.

PRAEPOSTĒRO, as, a. 1. inverto, perturbo, praeposterum facio. *Auct. declam.* quae inscribit. *Tribunus Marianus*, 9. Ordinem judiciarium militis inhumani praeposteravit impietas.

PRAEPOSTĒRUS, a, um, adj. *πρωθύστερος*, inverso ordine factus, perversus, cum scilicet aliquid prius fit, quod post fieri debuit, aut e contra: a *prae*, et *posterus.* [*V. *Comment.* in *Cic. Sull.* p. 186. sq. *ed. Fr.*] *Cic. Rab. Post.* 13. Quid tam insolens, tam perversum praeposterumve dici, aut excogitari potest? *Plin. ep.* 6, 5 Oratio sera, et intempestiva, et praepostera. *Lucr.* 3, 622 praeposterus ordo. *Sen. ep.* 23. Ver malignum, et frigus praeposterum. *Cic. Or.* 3, 11. Ut verba sic et casibus, et temporibus, et genere, et numero conservemus, ut ne quid perturbatum, ac discrepans, aut praeposterum sit; et *ib.* 13. Non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine. *Id. Sull.* 32. O falsam spem! o praeposteram gratulationem! *Id. Amic.* 22. *f.* Praeposteris utimur consiliis, et acta agimus. *Ov. Trist.* 1, 8, 5. Omnia naturae praepostera legibus ibunt. *Plin.* 7, 8, 6. Praeposterus natalis, *h. e.* cum quis non in caput, sed in pedes ex utero prodit. *Id.* 17, 24, 37. *n.* 1. Arbores aduri flatu frigidiore praepostero die, quoniam

suo frigora etiam prosunt; et 16, 27, 51. Praeposteri ficus, *h. e.* qui celerius, aut tardius solito proveniunt. ℙ *Praeposterus homo*, praepostere agens, perversus. *Cic. Cluent.* 26. Itaque ut erat semper praeposterus atque perversus, initium facit a Bulbo. *Id. Pis.* 38. Noster hic praeposterus imperator. *Sall. Jug.* 88. Homines praeposteri.

PRAEPOSTUS, a, um. V. Praepositus, a, um.

PRAEPŌTENS, entis, part. a *praepossum: ὑπέροχος*, valde, aut plus potens, praepollens. *Cic. N. D.* 2, 30. Non est igitur naturae Deorum praepotens, neque excellens, siquidem subjecta est necessitati. *Id. Or.* 1, 43. Praepotens et gloriosa philosophia. *Id. Rab. Post.* 16. Clari ac praepotentes viri. *Id. Balb.* 15. Cum praepotens terra marique Carthago, nixa duabus Hispaniis, huic imperio immineret. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 14. Statuarii praepotentes opibus. *Val. Max.* 5, 2. *n.* 8. Praepotens gratae mentis impetus; et 7, 2. *n.* 1. Praepotentia imperia. ℙ Cum gen. *Cic. Div.* 2, 18. Nonne perspicuum est, ex prima admiratione hominum, quod tonitrua jactusque fulminum extimuissent, credidisse, ea effi cere rerum omnium praepotentem Jovem? ℙ Absolute. *Cic. Amic.* 15. Multorum opes praepotentium excludunt amicitias fideles. *Colum.* 1, 3. *f.* More praepotentium, qui possident fines gentium, quos ne circumire equis quidem valent. *Plin.* 12, 19, 42. Id acciderit ob iniquitatem praepotentium, an forte, non satis constat.

PRAEPOTENTIA, ae, f. excellens potentia. *Tert. adv. Marc.* 2, 7. Praescientia et praepotentia Dei.

PRAEPOTO, as, a. 1. ante poto, praebibo. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 17. *n.* 159. Praepotandos jubet medicamentis myrrhae obolos duos; et *ib. n.* 160. Praepotat absinthio aegrotantes vino sincero; et *Tard.* 5, 10. *n.* 120. Praepotandus aegrotus iis, quae supra memoravimus.

PRAEPROPĔRANTER, adv. valde properanter. *Lucr.* 3, 781. certareque praeproperanter.

PRAEPROPĔRĔ, adv. *λίαν ταχέως*, nimis propere, nimis celeriter. *Liv.* 37, 23. *f.* Festinans praepropere. *Id.* 22, 19. *med.* Raptim omnia praepropere agendo.

[PRAEPROPĔRO, as, n. 1. multum propero. *Gloss. Philox.* Praeproperat, *προπετεύεται. F.*]

PRAEPROPĔRUS, a, um, adj. *οπεροχνὸς, ταχὺς*, nimis properus, festinus, celer, praeceps. *Cic. Fam.* 7, 8. et *ib.* 10, 26. Te adipiscendi magistratus praepropera festinatio abducet a tantis laudibus. *Id. Att.* 1, 1. Non aliena rationi nostrae fuit illius haec praepropera prensatio. *Liv.* 31, 42. Fatigati equi virique praepropera celeritate. *Id.* 22, 41. Temeritati consulis, ac praepropero ingenio materiam etiam fortuna dedit. *Id.* 27, 33. *f.* Toto eo bello damnosa, praepropera, ac fervida ingenia imperatorum fuisse. [**Tac. H.* 2, 76. praepropera desperatio.] *Sil.* 15, 757. Hastam praepropero nisu jacit. *Val. Max.* 5, 3. *n.* 6. Parum pudicas ratus lacrimas, quae praepropero amori dabantur.

PRAEPULCHER, ra, rum, adj. valde pulcher, perpulcher. *Juvenc.* 1, 432. fortia vobis Proveniunt hominum praepulcra indagine lucra.

PRAEPURGO, as, a. 1. *προκαθαίρω*, ante, aut valde purgo. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *n.* 128. Ut saepe imminente accessione, per somnum jactu seminis aegri praepurgentur.

PRAEPŪTIĀTIO, onis, f. praeputii conservatio, *ἀκροβυστία*: cui opponitur circumcisio. *Tert. adv. Marc.* 5, 4. *med.* ex *Apost. ad Galat.* 5, 6. Adde *ib.* 5, 13.

PRAEPŪTIĀTUS, a, um, part. a *praeputio, ἀκρόβυστος*, praeputium habens, incircumcisus. *Tert. adv. Marc.* 5, 9. *med.* Christus praeputiati sacerdotii pontifex.

[PRAEPŪTIO, as, a. 1. praeputium duco, ut ait *Juven.* 6, 237., seu masturbo. *Vet. Schol.* ad illud *Juven.* 10, 206. Et, quamvis tota palpetur (*nervus*) nocte, jacebit: Fricetur, praeputietur. Ita pro *praepudietur* legendum conjicit *Schrevelius. F.*]

PRAEPŪTIUM, ii, n. *πόσθη, ἀκροπόσθιον*, pellis glandem colis integens: a *prae*, ante, et *πόσθιον*, penis, *s* extrito. *Juven.* 14, 99. mox et praeputia ponunt. V. RECUTITUS.

PRAEQUAM, adv. plus quam. *Pl. Merc.* 1, 1, 22. Nec pol profecto quisquam sine grandi malo, praequam res patitur, studuit elegantiae. ℙ Item praeter quam. *Cato* ap. *Fest.* in *Nequitum.* Fana in eo loco compluria fuere: ea exauguravit, praequam quod Termino fanum fuit: id nequitum exaugurari. Alii leg. *praeterquam.* V. alia in PRAE.

PRAEQUESTUS, a, um, part. ab inus. *praequeror*, ante questus. *Ov. Met.* 4, 251. Multaque praequestus, tangens tamen aethera, dixit.

PRAERĀDIO, as, a. 1. [**valde radio, praefulgeo, *ὑπερλάμπω.*] *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 286. Ante fores jam pompa sonat, pilentaque sacram Praeradiant ductura nurum. ℙ [**Hinc est tanta luce radiare, ut aliud quid obscuretur.] *Ov. Her.* 6, 115. Bacchi conjux redimita corona Praeradiat stellis signa minora suis.

PRAERĀDO, is, a. 3. in anteriore parte rado. *Cato R. R.* 41. Si vitis vitem continget, vitis utrumque latus alterum praeradito oblique: inter se medullam cum medulla libro colligato. *Plin.* paulo aliter hoc idem dicit, ipsum *Cat.* locum respiciens, 17, 15, 25. Si inter sese vites contingant, utriusque in obliquum latere contrario adraso, junctis medullis colligari. Al. tamen ap. *Cat.* aliter leg. V. PRAERASUS.

PRAERANCIDUS, a, um, adj. valde rancidus, obsoletus, insipidus. *Probus Valer.* ap. *Gell.* 13, 20. Non finitiones illas praerancidas, neque faecutinas grammaticas spectaveris.

PRAERĀPIDUS, a, um, adj. *ταχὺς*, valde rapidus, praeceler. *Sen. Q. N.* 1, 1. Obliqui feruntur, et praerapida celeritate. *Sil.* 17, 180. Praerapidus juvenis; et 16, 564. Praerapida fuga. *Sen. Apocol. med.* Ubi Rhodanus ingens amne praerapido fluit.

PRAERĀSUS, a, um, part. a *praerado*, in anteriori parte rasus. *Paul. Nol. ep.* 7. (al. 22.) *sect.* 2. Inaequaliter semitonsi, et destituta fronte praerasi. ℙ Antea rasus. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 4. *med.* Praerasi capilli.

PRAEREPTOR, oris, m. qui praeripit. *Hieron. ep.* 36. *n.* 15. Ut non intelligeret, minorem esse filium, qui ad benedictionem fratris praereptor adstiterat.

PRAEREPTUS, a, um, part. a *praeripio: προαρπασθείς*, raptus ante tempus, sublatus, ablatus. *Cic. Rosc. Am.* 1. Ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut aliis eam praereptam velim. *Hirt. B. G.* 8. *prooem.* Ut praerepta, non praebita facultas scriptoribus videatur. *Plin. ep.* 3, 9. Cum ea praerepta et extorta defensioni suae cerneret, in quibus omnem fiduciam reponebat. *Sen. Thyest.* 1104. Scio quid queraris: scelere praerepto doles, *h. e.* quod ego scelus prior fecerim. *Virg. A.* 9, 138. Praerepta conjux. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 5. Immatura morte praereptus. *Val. Fl.* 5, 571. brevibus praereptus in annis, *h. e.* immatura morte sublatus. *Inscr.* ap. *Grut.* 350, 6. in primo aetatis flore praereptus. [**Vell.* 2, 116, 4. praereptus immature: ubi v. *Ruhnk.*, qui laud. *Burm.* ad *Anth. Lat.* 2, 203. — *Tac. A.* 14, 33. praerepta interim ultione, i. e. festinantius facta, anticipata.]

PRAERĪGĔO, es, ui, n. 2. valde rigeo. *Tac. A.* 13, 35. Annotatusque miles, qui fascem lignorum gestabat, ita praeriguisse manus, ut oneri adhaerentes truncis brachiis deciderent.

PRAERĪGĬDUS, a, um, adj. valde rigidus. *Quint. decl.* 17, 7. Cunctos praerigidae mentis affectus vocabulo molliore lenitis.

PRAERĪPIA, orum, n. plur. loca proxima ripis fluminum. *Appul. Apol.* Cum crocodilus egressus in praeripia fluminis hiavit. Tribuunt et *Servio* ad *A.* 6, 704. Sed utroque loco alii leg. *praerupta*, aut *praerupia.* [**Id quod perperam factum censet *Gron.* in *observv.* 1, 20. p. 84. *ed. F.*]

PRAERĪPIO, is, ipui, eptum, a. 3. *προαρπάζω*, ante rapio, praecipio. *Pl. Cas.* 1, 14. Quid huc venisti sponsam praereptum meam? *Id. Men.* 5, 9, 21. Tibi neque occupare patrem, neque praeripere postulo. *Plin.* 10, 9, 11. et *ib.* 74, 95. Praeripere alicui cibos. *Cic. Har. resp.* 3. *extr.* alicui desponsam jam et destinatam laudem. *Id. Phil.* 14, 2. *f.* Deorum beneficium festinatione praeripere. *Hirt. B. Alex.* 27. Festinantes praeripere subsequentibus victoriae societatem. *Plin. ep.* 8, 22. *med.* Qua vigilantia hanc ipsam aedilitatem, cui praereptus est, petiit! *Lucr.* 3, 909. nec dulces occurrent oscula nati Praeripere. *Suet. Ner.* 49. Perlatos a cursore codicillos praeripuit, *h. e.* manu celeri rapuit, priusquam porrigerentur. ℙ Pro vi auferre, eripere. *Ov. Am.* 1, 1, 7. Quid si praeripiat flavae Venus arma Minervae? *Ter. Eun.* 1, 2, 81. Istam nunc times, quae advecta est, ne illum talem praeripiat tibi. *Liv.* 5, 20. Non avidas in direptiones manus otiosorum urbanorum praerepturas fortium bellatorum praemia esse. ℙ Inter *praeripere* hoc sensu, et *eripere* discrimen statuit *Valla Elegant.* 5, 83., quod qui alteri quippiam *eripit*, potest non in suos usus auferre: qui vero *praeripit*, in suos proprios usus rapit. [**Discrepantia utriusque verbi in eo potius videtur posse constitui, ut *eripere* signif. alicui quasi e manibus aliquid auferre, rapere; hoc prius quam alius quis aliquid vindicare: quod nos dicimus: *vor dem Munde wegreissen, wegschnappen.*] ℙ Pro occupare, praevenire. *Cic. Off.* 1, 30. Facile celare, tacere, dissimulare, praeripere consilia hostium. [**Comparat *Beier. Plat. Polit.* 1, 8. p. 334. *A. τὰ τῶν πολεμίων κλέψαι βουλεύματα*, ibique *Ast.*] ℙ Sunt qui leg. *praecipere*, quod eandem habet sententiam. [**Ita *edd. Graev. Ernest. Beier. Orell.*] Sic ap. *Virg. A.* 10, 276. Haud tamen audaci Turno fiducia cessit Litora praeripere. *Pierius* in *antiqu. codicib.* reperit *praecipere.* Quod idem et ap. *Liv.* tum ipse, tum alii critici se vidisse testantur. V. 3, 46., 6, 5. et 31, 39. ℙ [**Praeripere signif. etiam festinantius aliquid facere, anticipare. *Cic. Att.* 10, 1. Alterum est mihi certius; non praeripiam tamen, *h. e.* non ita festinabo, ut quid tu sentias, haud exspectem: laud. h. l. *Schütz.* in *cl. Cic.* Cf. l. *Tac. l.* in PRAEREPTUS.] ℙ *Praeripere se*, se proripere. *Ulp. Dig.* 21, 1, 17. *med.* Qui cum dominum animadverteret verberibus se afficere velle, praeripuit se ad amicum, quem ad praecandum deduceret. ℙ *Praerepsit* pro *praeripuit* legitur in quadam *Inscr.* ap. *Grut.* 684, 6., sed quae tamen minus probae notae est. ℙ [**Confund. *praeripere* et *praecipere.* V. h. v. in *f.*]

PRAEROBORĀTUS, a, um, part. ab inus. *praeroboro*, ante roboratus, ut Praeroboratum corpus, *Coel. Aurel. Tard.* 4, 1.

PRAERODO, is, a. 3. ante, vel in anteriori parte rodo, corrodo, erodo. *Pl. Ps.* 3, 2, 93. Ut quisque quidque conditum gustaverit, ipsos sibi faciam ut digitos praerodant suos. *Ba.* Quaeso hercle, priusquam convivis dabis, gustato tute prius, et discipulis dato, ut praerodatis vestras furtificas manus. *Colum. Arbor.* 15. Genus est animalis, volucra appellatur: is fere praerodit teneros adhuc pampinos. *Plin.* 9, 43, 67. Vulpes marinae glutiunt hamos usque ad infirma lineae, quae facile praerodunt; et *ib.* 62, 88. Conger et muraena caudas inter se praerodentes.

[PRAERŌGĀTIO, onis, f. distributio. *Fulg. Myth.* 1, 2. *in.* Saturnus per annonae praerogationem ad se populos attrahens, a saturando Saturnus dictus est. *F.*]

[PRAERŌGĀTĪVĀRĬUS, ii, m. qui praerogativam meruit, in officio praefecti praetorio, cui nempe protectoris dignitas, tanquam pretium longi laboris accedit. *Cassiod. Varr.* 11, 27. Quis Joannem non aestimet merito esse promovendum, qui nostro judicio cancellorum olim sumpserit officium, et tunc jam praerogativam conscientiae meruit, quando secreti munus judicialis accepit? Hunc igitur praerogativarium sententia nostra confirmat.

PRAERŌGĀTĪVUS, a, um, adj. qui ante alios rogatur, seu interrogatur: ut *tribus*, aut *centuria praerogativa*, et *praerogativa* absolute, quae prima ad ferendum in comitiis suffragium per sortitionem rogabatur, seu vocabatur. Cujus quidem tam gravis auctoritas esse solebat, ut ceterae fere semper voluntatem ejus sequerentur. *Cic. Planc.* 20. An tandem una centuria praerogativa (in MS. ap. *Verburg.* habetur *praerogata*) tantum habet auctoritatis, ut nemo unquam prior eam tulerit, quin renunciatus sit? etc. *Id. Div.* 1, 45. *extr.* Praerogativam majores omen justorum comitiorum esse voluerunt. *Liv.* 26, 22. Fulvius cum comitia consulibus creandis haberet, praerogativa Veturia juniorum declaravit T. Manlium. V. integr. illud caput. *Id.* 24, 7. *extr.* Cum sors praerogativae Aniensi juniorum exisset, eaque T. Otacilium, et M. Aemilium consules diceret. *Id.* 10, 22. Nemini dubium erat, quin Q. Fabius omnium consensu destinaretur: eumque et praerogativae, et primo vocatae omnes centuriae consulem dicebant. [**Legendum est *praerogativa.* V. *Kreyss.*] Quas hic *Liv.* dicit *primo vocatas*, eas 27, 6. *jure vocatas* appellat, his verbis: Galeria juniorum, prae sorte praerogativa erat, Q. Fulvium, et Q. Fabium consules dixerat: eodemque jure vocatae inclinassent, ni, etc. *Ascon.* in *Verr.* 1, 9. Praerogativae sunt tribus, quae primae suffragium ferunt ante jure vocatas. Mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnia de iisdem candidatis comitia fieri: quorum tribus primae praerogativae dicebantur, quod primae rogarentur, quos vellent consules fieri: secundae jure vocatae, quod in his, sequente populo, ut saepe contigit, praerogativarum voluntatem, jure omnia complerentur. Haec *Ascon.* Dici etiam potest, *jure vocatas* ideo appellari, quia non sorte, ut praerogativae, sed suo jure atque ordine ad suffragium vocarentur. ℙ [**Praerogativa* construitur etiam collective c. plur. *Liv.* 5, 18. praerogativa tribunum militum non petentem creant.] ℙ *Omen praerogativum*, quod ex suffragiis centuriae praerogativae capitur. *Cic. Mur.* 18. *extr.* ℙ Videtur aliquando servatum fuisse, primis praesertim comitiorum temporibus, ut post vocatam centuriam praerogativam, latumque ab ea suffragium, aliquod spatium temporis interponeretur, antequam reliquae jure vocatae admitterentur. Nam *Varro* ap. *Fest.* centuriam praerogativam ideo introductam ait, ut Romani rustici, qui petitores ignorarent, facilius eos animadvertere possent; et *Verrius ib.* probabilius judicat, idcirco id factum, ut, cum esset aliquis designatus a praerogativa, in sermonem res veniret populi de dignis indignisve, et fierent ceteri diligentiores ad suffragia de his ferenda. Quod certe fieri non potuisset, si post praerogativam centuriae jure vocatae, nulla mora interposita, suffragium tulissent. [**Cf. *Cic. l. mox l.*] ℙ Dicitur etiam *praerogativa* ipsum suffragium, quod a centuria praerogativa fertur. [**Huc facere videtur locus *Cic. Div.* 2, 35. at haruspices divini, quos quum Tib. Gracchus propter mortem repentinam ejus, qui in praerogativa referenda subito concidisset, i. e. quum praeco ad praesidem comitiorum de suffragiis praerogativae centuriae referret. ℙ Hinc saepissime est suffragium prius latum, creatio prius facta, quam alia quaedam sequitur. Huc pertinet locus, quem pravo consilio Noster in sqq. laudaverat.] *Liv.* 21, 3. In Asdrubalis locum haud dubia res fuit, quin praerogativam militarem, qua extemplo juvenis Annibal imperator appellatus erat,

favor etiam plebis sequeretur. [*V. *Bauer.* ad h. l. p. 3. Adde 3, 51. Ne comitiorum militarium praerogativam urbana comitia iisdem tribunis plebis creandis sequerentur, i. e. creationem superiorem, tamquam praerogativam, cujus suffragia ceterae centuriae solebant sequi.] ℙ Translate autem est aliquod dictum, aut factum ejus, qui nobis benefacturus est, ante ipsum beneficium praestitum, unde probabile est, nos ipsum beneficium consecutros: et universim omne id, ex quo bonum aliquod nobis polliceri certo possumus. *Cic. Verr.* 1, 9. Qui *(Metellus consul designatus)* quam isti sit amicus, attendite: dedit enim praerogativam suae voluntatis ejusmodi, ut isti pro praerogativis eam reddidisse videatur, *h. e.* dedit testimonium suae benevolentiae pro praerogativis centuriis a Verre corruptis, ut se consulem dicerent. *Cato* ad *Cic. Fam.* 15, 5. Quod si triumphi praerogativam putas supplicationem, et idcirco casum potius, quam te laudari mavis, neque supplicationem sequitur semper triumphus, etc. [**h. e.* si, ut praerogativam centuriam ceterae fere sequi solent, ita supplicationem tibi decretam quasi signum et pignus quoddam futuri triumphi existimas: ita *Schütz.* in cl. *Cic.*] *Plin.* 7, 16, 14. Fecunditatis in feminis praerogativam accepimus, inunctis medicamine oculis salivam infici. ℙ Item praestantia, auctoritas, qua quis alteri in aliqua re praefertur. *Ulp. Dig.* 1, 16, 4. *med.* Magni enim faciunt provinciales, servari sibi consuetudinem istam, et hujusmodi praerogativas. *Arr. Menand. ib.* 49, 10, 1. Veteranorum privilegium inter cetera, etiam in delictis habet praerogativam. *Eum. Pan. ad Constant.* 2. Vetus illa imperatoriae domus praerogativa. *Plin.* 37, 9, 46. Praerogativa decoris in gemmis.

PRAEROGĀTOR. V. PROROGATOR.

PRAEROGĀTUS, a, um, part. a *praerogo*, ante rogatus. *Cic. Planc.* 20. Cujus in honore non unius tribus pars, sed comitia tota comitiis fuerint praerogata, *h. e.* praerogativae vicem ac vim habuerint. Alii leg. *praerogativa.* [*Ita recte *Orell.* c. recentt. Cf. *Schütz. cl. Cic.*] *Imp. Constant. Cod. Theod.* 16, 11, 1. Praerogata lex, *h. e.* olim lata.

PRAERŌGO, as, a. 1. ante rogo. *Suet. Aug.* 35. *f.* Sententias de majore negotio, non more atque ordine, sed prout libuisset, praerogabat. [*Dudum h. l. longe praeferendam lectionem *perrogabat* editores receperunt.] ℙ Item ante erogo, solutionem repraesento. *Ulp. Dig.* 19, 2, 19. *med.* Inter eum, qui per errorem solvit, et eum, qui pensionem integram praerogavit, multum interest. *Impp. Constant. et Constans Cod.* 10, 31, 20. Praerogare expensas.

PRAERŌSUS, a, um, part. a *praerodo*, ante, vel in anteriore parte rosus, erosus, corrosus. *Hor. Sat.* 2, 5, 24. si vafer unus et alter Insidiatorem praeroso fugerit hamo. [**Schol. Cruq.* vorata esca, consumptis tuis et perditis muneribus.] *Plin.* 7, 23, 23. Praerosam dentibus linguam in tyranni os exspuit.

PRAERUMPO, is, upi, uptum, a. 3. idem quod rumpo, aut ante, vel in anteriori parte rumpo, praefringo. *Colum.* 3, 18. Velut uncus infixus solo, antequam extrahatur, praerumpitur. *Ov. Met.* 14, 547. Stuppea praerumpit Phrygiae retinacula classis. *Caes. B. G.* 3, 14. Funes falcibus comprehensi adductique praerumpebantur.

PRAERUPIA, orum. V. PRAERIPIA.

PRAERUPTĒ, adv. abrupte. *Plin.* 34, 14, 43. Mons praerupte altus.

PRAERUPTUS, a, um, part. a *praerumpo*, ἀποῤῥώξ, ἐπίκρημνος, ἀπότομος, abruptus, arduus, directus, praecisus, praeceps: quasi in anteriori parte ruptus. *Cic. Verr.* 2, 5, 56. Aliqua promontoria, aut praerupta saxa tenuisse dicuntur. *Hor. Sat.* 2, 6, 91. Praerupti nemoris patientem vivere dorso. *Virg. A.* 1, 109. insequitur cumulo praeruptus aquae mons. *Suet. Tib.* 40. Insula septa undique praeruptis immensae altitudinis rupibus. *Hirt. B. Alex.* 74. *extr.* Praeruptam in vallem descendere. *Tac. H.* 2, 41. Praeruptis utrinque fossis via angusta. *Caes. B. G.* 7, 86. Desperatis campestribus locis, loca praerupta ex ascensu tentant. *Id. B. C.* 2, 24. Jugum directum, eminens in mare, utraque ex parte praeruptum atque asperum. *Hirt. B. G.* 8, 40. Mons, in quo positum erat praeruptum undique oppidum Uxellodunum; et *mox:* Erat autem oppidanis difficilis et praeruptus eo descensus. *Liv.* 27, 18. Per praecipitia et praerupta fugere. *Colum.* 3, 13. *med.* Campestris locus alte duos pedes infodiendus est: acclivis regio tres: praeruptior vero collis vel in quatuor pedes vertendus. *Hirt. B. G.* 8, 33. Omnes oppidi partes praeruptissimis saxis esse munitas. [**Ov. Her.* 2, 132. praerupta mole: ubi v. *Ruhnk.*] ℙ Absolute. *Just.* 41, 1. Praerupta collium montiumque ardua occupare. *Plin.* 8, 42, 64. Praerupta petere. [*Adde *Sil.* 1, 489.] ℙ Translate est praeceps, projectus, proruptus, violentus, effrenis, quasi per praerupta ruens. *Tac. A.* 16, 7. *extr.* Juvenis animo praeruptus; et *ib.* 5, 3. Praerupta et urgens dominatio. *Ulp. Dig.* 28, 3, 6. *med.* seditio. (Sic ap. *Cic. Rosc. Am.* 24. *med.* prorupta audacia.) *Vell.* 2, 2. In praeruptum atque anceps periculum adduxit rempublicam: [*ubi v. *Ruhnk.* coll. *Drak.* ad *Liv.* 38, 2, 14. ℙ Confund. *praerupta*, *praerupia* et *praeripia*. V. *Gron. Observv.* p. 155. *ed. Fr.*]

PRAERŪTILUS, a, um, adj. valde rutilus. *Auct. carm. de Judicio Dom.* 202. purpura campis Omnia praerutila miscet non invida luce.

PRAES, aedis, m. ἔγγυος, ἐγγυητής, sponsor, qui se pro alio obligat, idest promittit, si quid incommodi fiat, se plene satisfacturum. *Varr. L. L.* 4, 4. *f.* Praedia dicta, item ut praedes, a praestando: quod ea pignori data publice mancupes fidem praestent. *Id. ib.* 5, 7. *f.* Praes, qui a magistratu interrogatus, in publicum ut praestet; a quo et cum respondet, dicit praes. *Scal. ad Fest.* legit: Praes, qui a magistratu interrogatus in publicum, an praesest, etc. *(Praesest*, praesens est, significat. Unde *Auson.* in *VII. Sap.* in *Ludio*, 18. Thales, ἐγγύα, πάρεσιν ἄτη, protulit, Spondere qui nos, noxa quod praesest, vetat.) *Festus:* Praes est is, qui populo se obligat, interrogatusque a magistratu, si praes sit, ille respondet, praes. *Id.* in *Manceps:* Manceps dicitur qui quid a populo emit conducitve: qui idem praes dicitur, qui tam debet praestare populo quod promisit, quam is, qui pro eo praes factus. Haec *Fest.*, qui praedem dicens eundem esse ac mancipem, lata id significatione dicit. Nam manceps proprie quippiam emit conducitve: praes pro emente aut conducente se obligat. *Nep. Att.* 6. Nullius rei neque praes, neque manceps factus est. [*V. *Ernest.* in *cl. Cic.*] ℙ Differt etiam praes a vade: *vas* enim est, qui pro alio spondet in re capitali: *praes*, qui in re nummaria. *Auson. Idyll.* 12. de monosyll. per interrogat. et resp.: Quis subit in poenam capitali judicio? vas. Quid, si lis fuerit nummaria? quis dabitur? praes. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 45. Praedes dicuntur satisdatores locupletes pro re, de qua apud judicem lis est, ne interea, qui tenet, diffidens causae, possessionem deteriorem faciat, tecta dissipet, excidat arbores, et culta deserat. *Cic. Fam.* 2, 17. Laodiceae me praedes accepturum arbitror omnes pecuniae publicae, ut et mihi, et populo cautum sit sine vecturae periculo. *Id. Att.* 12, 52. Praedem esse pro aliquo. *Id. Rab. Post.* 4. et 13. (et *Pl. Men.* 4, 2, 28) Praedes dare. *Id. Att.* 13, 3. Praedem fieri; et *ib.* 9, 9. *f.* Per praedem agere. *Id. Fam.* 5, 20. Praedes tenentur. *Id. Verr.* 2, 1, 54. et *Liv.* 22, 60. Cavere populo praedibus ac praediis. ℙ Translate. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Cum sex libris, tamquam praedibus, me ipsum obstrinxerim. ℙ *Praedes vendere* quid sit, V. PRAEDIUM.

PRAESĀGĀTUS, a, um, part. ab inus. *praesago*, praesagiendo formatus. *Hieron. ep.* 3. *n.* 4. Bonosus scalam praesagatam Jacob somniante jam scandit.

PRAESĀGIO, is, ivi, a. 4. προφητεύω, προμαντεύομαι, ante sagio, praesentio, praedico, praevideo. *Festus:* Praesagire est praedivinare: sagax enim est acutus et solers. *Cic. Div.* 1, 31. Sagire, sentire acute est. Is igitur, qui ante sagit, quam oblata res est, dicitur praesagire, id est futura ante sentire. *Pl. Aul.* 2, 2, 1. Praesagibat mihi animus, frustra me ire, cum exibam domo. *Liv.* 30, 20. Jam hoc ipsum praesagiens animo, praeparaverat ante naves. *Cels.* 2, 2. *f.* Praesagire aliquid in futurum. *Prop.* 3, 9, 5. Venturam melius praesagit navita noctem. *Plin.* 8, 42, 64. Equi praesagiunt pugnam. [**Liv.* 45, 39. proficiscenti praesagientibus animis victoriam triumphumque destinavimus.] ℙ Item praesignificare, praemonstrare. [**Lucr.* 3, 511. praesagit id mentem mortalem vivere.] *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 10. Exiguitas copiarum recessum, non dimicationem mihi tuam praesagiebat. *Plin.* 10, 21, 24. Galli totis noctibus canendo Boeotiis praesagivere victoriam. *Id.* 18, 35, 79. Luna magnam tempestatem in mari praesagiet. ℙ Deponentis forma. *Pl. Bacch.* 4, 4, 28. Jam animus istoc dicto plus praesagitur mali. Habet haec etiam *Non.* 7, 73.

PRAESĀGĪTIO, onis, f. προμαντεία, praesensio rerum futurarum, divinatio. *Cic. Div.* 1, 31. Inest igitur in animis praesagitio extrinsecus injecta, atque inclusa divinitus. Ea si exarsit acrius, furor appellatur, cum a corpore animus abstractus divino instinctu concitatur. *Id. ib.* 54. Cum uterer, qua soleo, praesagitione divina.

PRAESĀGIUM, ii, n. προμάντευμα, προφητεία, praesensio, divinatio. *Colum.* 11, 1. *f.* Quantumvis utile continget villico tempestatis futurae praesagium. *Vell.* 2, 57. Cum plurima praesagia atque indicia Dii immortales futuri obtulissent periculi. *Ov. Met.* 15, 878. perque omnia saecula fama (Si quid habent veri vatum praesagia) vivam; et *ib.* 6, 510. timuitque suae praesagia mentis. *Suet. Ner.* 6. De genitura ejus statim multa et formidolosa multis conjectantibus, praesagio fuit etiam Domitii patris vox, negantis, etc.

PRAESĀGUS, a, um, adj. προγνώστης, προειδώς, qui praesagit, praesentit, praescius, praemonstrans, praedicens. *Virg. A.* 10, 843. Agnovit longe gemitum praesaga mali mens. *Ov. Met.* 2, 124. Praesaga luctus suspiria; et *ib.* 3, 514. verba. *Tac. H.* 2, 1. responsa. *Val. Fl.* 5, 434. ars. *Stat. Theb.* 8, 145. astra; et *ib.* 10, 324. quies; et *Val. Fl.* 3, 354. fulmina. Sic *Virg. A.* 10, 177. praesagi fulminis ignes. *Sil.* 16, 591. praesagi vates. *Firm. Math.* 8, 9. Homines, qui cubilia ferarum, et latentes latebras praesagis naribus persequuntur. [*Cf. *Lucan.* 6, 416. et 7, 186.]

*PRAESALTOR, oris, m. vocabatur magister et moderator, quem habebant Salii. *Vet. Gloss.* Praesaltor, ὁ ἐν τοῖς ἱεροῖς προορχούμενος. V. *Argol.* in *Panuin. de Lud. Circ.* 11, 2. *B. A.*

*PRAESAMARCI, orum, populi Hispaniae Tarraconensis, per quorum agrum Tamaris et Sars, flumina non longe orta, decurrunt. *Mela* 3, 1. *med.* ubi et *Praesamarchi* legitur. *B. A.*

PRAESĀNĀTUS, a, um, part. a *praesano*, ante tempus, aut nimis celeriter sanatus. *Plin.* 26, 41, 87. Vulneribus praesanatis efficacissima est asphodeli radix decocta.

PRAESĀNO, as, a. 1. ante sano: et neutrorum vi ante sanus fio. *Plin.* 24, 10, 43. Cortex ejus interior cicatrices, quae praesanavere, aperit, *h. e.* quae prius clausae et sanatae sunt, quam opus esset.

PRAESAUCIĀTUS, a, um, part. ab inus. *praesaucio*, valde, vel ante sauciatus, ut Praesauciatae vires, *Coel. Aurel. Acut.* 1, 3. *med.*

PRAESCĀTENS, entis, part. ab inus. valde scatens, abundans. *Gell.* 14, 6. Dat mihi librum grandi volumine, doctrinis omnigenis, ut ipse dicebat, praescatentem.

PRAESCIENTIA, ae, f. πρόγνωσις, rei futurae scientia, praesagitio, praesensio. *Tert. adv. Marc.* 2, 5. Dei bonitas, et praescientia, et potentia. *Augst. C. D.* 5, 9. Praescientiam Dei negat, et omnem prophetiam conatur evertere. *Capell.* 1, 12. Tuumque velle est ante praescientias.

PRAESCINDO, is, a. 3. ante scindo, separo, divido. *Vitr.* 5, 7. Inferiores sedes praescindantur.

PRAESCIO, is, ivi, itum, a. 4. προγινώσκω, ante scio, praescisco. *Ter. Andr.* 1, 5, 4. Nonne oportuit praescisse me ante? *Suet. Tib.* 67. Existimant quidam, praescisse haec eum peritia futurorum.

PRAESCISCO, is, a. 3. προγινώσκω, praescio, praenosco. *Virg. G.* 4, 69. de apib.: animos vulgi et trepidantia bello Corda licet longe praesciscere. *Colum.* 9, 9. de iisd.: Poterit exploratam fugam praesciscere, aurem alveis admovendo. *Liv.* 27, 35. Quamprimum eos sortiri provincias, et praesciscere, quam quisque eorum provinciam, quem hostem haberet, volebant. Alii leg. *praescire. Ammian.* 20, 7. Ad praesciscendos adversos subitosque motus munimentum locare.

PRAESCĪTIO, onis, f. praescientia, praesagium, praedictio. *Ammian.* 29, 1. *med.* Litato conceptis carminibus numine praescitionum auctore.

·PRAESCĪTUM, i, n. praescitio, praesagium. *Plin.* 10, 75, 98. Utrumne sint aliqua praescita animi quiescentis, qua fiant ratione, an fortuita res sit; et *ib.* 18. de pico ave: Unum eorum praescitum transire non queo.

[PRAESCĪTUS, us, m. idem ac praescitio. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1, 49. Non ausi eorum ultra aliquid adinquirere, quae sint fortassis regi praescitui. *F.*]

PRAESCĪUS, a, um, adj. προειδών, qui praescit, et quod futurum est ante videt. *Virg. A.* 6, 66. vates Praescia venturi; et *ib.* 12, 452. miseris heu praescia longe Horrescunt corda agricolis. *Ov. Fast.* 1, 538. Substitit in medios praescia lingua sonos. *Val. Fl.* 5, 529. Urit et antiquae memorem vox praescia sortis. *Tac. A.* 11, 29. Facere aliquem praescium rei cujuspiam, *h. e.* docere rem, antequam fiat; et *ib.* 6, 21. Praescius periculorum. ℙ Etiam cum accusativo *praescius futura* dici potest, teste *Donato in edit.* 2, 1749.

PRAESCRĪBO, is, psi, ptum, a. 3. προγράφω, ante seu prius scribo, in anteriori parte scribo, inscribo, praenoto. *Vell.* 2, 21. Cujus praeclara opera, ut praescripsimus, usa erat respublica. [*Recte hic secundum solemne quoddam Velleji genus dicendi scribendum censet *praediximus*, q. v.] *Virg. Ecl.* 6, 11. nec Phoebo gratior ulla est, Quam sibi quae Vari praescripsit pagina nomen. *Tac. H.* 2, 65. Diplomatibus nullum principem praescribere. [*Adde *A.* 3, 57. ut monimentis non consulum nomina praescriberentur, etc.] *Gell.* 11, 16. *med.* Nomenque ipsius virtutis libro ipsi non incommode praescripsit. *Front. Aquaed.* 93. Novum auctorem, Imperatorem Caesarem Nervam Trajanum, praescribente titulo. [**Plin. Pan.* 92, 2. et nostra quoque nomina addentur fastis, quibus ipse praescriberis. Cf. *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 1, 36. V. in PRAESCRIPTUS.] *Plin.* 18, 18, 48. Culter vocatur, praedensam, priusquam proscindatur, terram secans, futurisque sulcis vestigia praescribens incisuris. ℙ Translate est praetendere, obtendere: quasi titulum causamque praeponendo cuipiam rei faciendae. *Tac. A.* 4, 52. Frustra Pulcram praescribi, cui, etc. Adde *ib.* 11, 16. [*Ap. solum *Tac.*] ℙ Item definire, praefinire, statuere. *Ter. Andr.* 1, 1, 124. Tute ipse his rebus finem praescripsti, pater. *Quint.* 4, 1. *med.* Dicere eo modo, quem accusator actione praescripserat. [*Huc transferri posse videtur locus *Cic. Vat.* 2. quam

causam ad patronos tuos aut quod os afferes, quibus jam praescribis, quanto illis probro futurum sit, si te defenderint.] ℙ Item praecipere, praemonstrare, praestituere, denunciare; sive scribendo id fiat, sive loquendo. *Cic. Fam.* 13, 26. Sic enim praescripsimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus te arbitro uterentur. *Id. Att.* 16, 3. *f.* Cum ei praescriptum esset, ne quid sine Sexti sententia ageret. *Caes. B. G.* 1, 36. Si ipse populo R. non praescriberet, quemadmodum suo jure uteretur; non oportere se a populo R. in suo jure impediri; et *ib.* 2, 20. Quod superioribus proeliis exercitati, quid fieri oporteret, non minus commode ipsi sibi praescribere, quam ab aliis doceri poterant. *Cic. Font.* 16. *f.* Ut majorum jura moresque praescribunt. *Id. Div.* 2, 59. *f.* Aesculapius potest nobis praescribere per somnum curationem valetudinis. *Id. Sen.* 9. Praescribere jura civibus; et *ib.* 6. senatui, quae sunt agenda; et *Caecin.* 27. Constituere et praescribere aliquid. *Id. Acad.* 4, 3. aliquid, et quasi imperare. [*Tac. A.* 1, 6. patris jussa simulabat, quibus praescripsisset tribuno custodiae praeposito, ne cunctaretur.] ℙ Item plane, ac diligenter scribo: sed hoc sensu aptius adhibetur *perscribo*. Facile autem est in MSS. *prae* pro *per*, aut hoc pro illo legere. *Cic. Fin.* 4, 22. *f.* Omnium rerumpublicarum rectiones, genera, status, mutationes, leges etiam, et instituta, ac mores civitatum praescripsimus. *Sall. Jug.* 58. Castelli planitiem praescribit. Alii utroque loco rectius leg. *perscribere*. *Paul. Dig.* 29, 1, 40. Antequam testamentum literis praescriberetur. Ita *Torrent*, alii *perscriberetur*. Adde *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 2, 6, 21. ℙ In re forensi *praescribere alicui* est excipere, seu exceptionem opponere, propter aliquam circumstantiam, qua agere prohibeatur, παραγράφεσθαι. Ideo autem praescribendi verbo utimur, ut ait *Turneb.*, quia actoris intentio, seu actio praescribitur, *h. e.* praefinitur, limitatur, restringitur, quasique ligatur. *Quint.* 7, 5. Ignominioso patri filius praescribit. *Id. decl.* 12, 12 Non praescribes: te accusare male gestae legationis possum. *Macer Dig.* 47, 15, 3. Si reus accusatori publico judicio ideo praescribat, quod dicat se eodem crimine ab alio accusatum et absolutum. ℙ Pro dictare docendi causa. *Tibull.* 4, 1, 177. Non ego sum satis ad tantae praeconia laudis, Ipse mihi non si praescribat carmina Phoebus. V. PRAESCRIPTUS, a, um. ℙ [*Solemnis est permutatio vv. *praescribere* et *perscribere*. V. *Gierig.* ad *Plin. Pan.* 92, 2.]

PRAESCRIPTIO, onis, f. ἐπιγραφή, inscriptio, titulus. *Cic. Agr.* 2, 9. Collegae sui, a quibus ei locus primus invidiae in praescriptione legis concessus est. Al. leg. *primus in indice, et in praescriptione*. [*Eaque unice vera lectio. V. *Orell.* Nimirum praescriptio legis sunt nomina auctorum, latorum, quae legi praescribuntur. Adde *Fam.* 5, 2, 4. ubi *praescriptio* capiendum est vel de nominibus eorum, qui scribendo affuissent, quorumque nomina apposita essent, (v. *Manut.* ad h. l.) vel potius de verbis iis, quibus retulerat Cicero ad senatum de Metello, in quibus scil. est causa decreti senatus, quaeque honorifica erant. *Schütz.* in *cl. Cic.*] *Caes. B. C.* 3, 32. Dictitabant, se domo expulsos omnibus necessariis egere rebus, ut honesta praescriptione rem turpissimam tegerent. *Tac. A.* 1, 7. Ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciae potestatis praescriptione posuit, [*i. e. praescripto nomine suo et titulo tribuni. ℙ Translate est nomen, praetextus. Huc pertinet locus, quem *Noster* perperam in antecedd. laud. *Caes. B. C.* 3, 32. ut honesta praescriptione rem turpissimam tegerent.] ℙ Item praeceptum, regula, lex, praescriptum, νόμος. *Cic. Coel.* 18. Dummodo illa in hoc genere praescriptio moderatioque teneatur. *Id. Acad.* 4, 46. Hanc normam, hanc regulam, hanc praescriptionem esse naturae, a qua qui aberravisset, etc. *Id. Tusc.* 4, 9. Intemperantia est sic aversa a praescriptione rationis, ut, etc. Adde *Inv.* 1, 23. Hoc sensu intelligendus est titulus libri *Tertulliani* de praescriptionibus adversus haereticos: ibi enim multa praescribuntur, *h. e.* multae leges et regulae ponuntur, quas catholici cum haereticis agentes servare debent. V. *Tert. Praescr.* 15. 21. 32. 41. etc. ℙ Item praefinitio. *Cic. Rabir. perd.* 2. Quamquam in hac praescriptione semihorae patroni mihi partes reliquisti, consulis ademisti. *Tac. A.* 6, 15. *extr.* Facto large, et sine praescriptione generis, aut numeri, senatus consulto. ℙ In re forensi est exceptio, qua quis alterum ab agendo submovet, et repellit, ut in v. praec. dictum est, παραγραφή. *Quint.* 7, 5. Aut intentio, aut praescriptio habet controversiam. Ac fuerunt, qui praescriptionis statum facerent, etc.; et *mox:* Cum ex praescriptione lis pendet, etc. *Julian. Dig.* 44. *tit.* 1. qui est *De exceptionib., praescriptionib.*, etc. 11. Praescriptionem alicui opponere. *Labeo ib.* 23. Excludere aliquem praescriptione in factum data. *Papin. ib.* 40, 14, 5. submovere. *Modest. ib.* 5, 2, 12. removere. *Ulp. ib.* 5, 1, 50. *extr.* Praescriptione uti. ℙ *Quint.* 3, 6. *med.* hanc eandem *translationem* vocat his verbis: Ac similiter in translatione: non habes jus abdicandi, quia ignominioso non est actio. Sunt tamen qui *translationem* a *praescriptione* differre tradunt, quod *translatio* intentionem actoris non omnino tollat, sed in aliud tempus, vel ad alium judicem transferat: *praescriptio* oppugnet et submoveat. Commune utrique nomen *exceptio* est. Varia porro sunt praescriptionum genera, de quibus JCti: et hodieque obtinuit ea, qua quis rem alienam certo tempore, bona fide, justoque titulo cum possederit, praescribit vero domino eam in jure repetenti. Hujus mentio est ap. *Paul. Dig.* 18, 1, 76. et *Modest. ib.* 44. *tit.* 3. qui est *De diversis temporalibus praescriptionibus et accessionibus possessionum*, *l.* 3. etc. Adde *Cod.* 7. *tit.* 33. et 39. ℙ Translate. *Sen. ep.* 48. *f.* Quantum potes, reduc te ab istis exceptionibus et praescriptionibus philosophorum, *h. e.* ineptis captiunculis, et spinosis argutiis, quibus vis veritatis infirmatur, et eluditur. ℙ *Praescriptio* pro scriptione V. in PERSCRIPTIO. ℙ [*Confund. *praescriptio* et *perscriptio*. V. *Schütz. cl. Cic.*]

PRAESCRIPTITO. V. PERSCRIPTITO.

PRAESCRIPTĪVĒ, adv. utendo praescriptione et exceptione. *Tert. adv. Marc.* 4, 1. Praescriptive occurrere.

[PRAESCRIPTĪVUS, a, um, adj. qui praescriptionem admittit. *Jul. Vict. Art. rhet.* (ed. *A. Maio*) 3, 10. Non fallat autem nos, non in his solis controversiis esse praescriptivas quaestiones, quae totae praescriptione tollantur. *Id. ib.* 4, 1. Praescriptivae quaestiunculae, *Sulpic. Victor Instit. or.* p. 282. *Capperon.* De adultera occisa praescriptivum praecedens est. *F.*]

PRAESCRIPTUM. V. v. sq.

PRAESCRIPTUS, a, um, part. a *praescribo*: ἐπιγραφείς, ante scriptus, priore loco scriptus. *Gell.* 5, 21. *med.* Epistola, cui titulus praescriptus est, *pluria*, non *plura* dici debere. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 15. Apelles inchoaverat aliam Venerem: invidit mors peracta parte: nec qui succederet operi ad praescripta lineamenta, inventus est. [*Hoc loco *praescriptus* est i. q. praenotatus, *vorgezeichnet*. ℙ Hinc *praescriptum* de ludimagistris dicitur, qui pueris aliquid discendum proponentes, *praescripta* eis dant, quae imitantur. Huc pertinent, quae *Forc.* ad *f.* laudaverat, ista:] *Schol. Hor.* ad *Od.* 2, 15, 10. Hinc *Sen. ep.*94. *med.* Si ludum litterarium intraveris, scies, ista quae ingenti supercilio philosophi jactant, in puerili esse praescripto; et *ib. med.* Pueri ad praescriptum discunt: digiti illorum tenentur, et aliena manu per litterarum simulacra ducuntur. ℙ Item praeceptus, praefinitus, determinatus. *Prop.* 3, 2, 21. Cur tua praescriptos evecta est pagina gyros? *Hor. Sat.* 2, 2, 81. vegetus praescripta ad munia surgit. *Scaevola Dig.* 34, 3, 28. *med.* Ante tempus a testatore praescriptum. ℙ *Praescriptis verbis agere* ap. JCtos est certis praefinitisque verbis actionem aliquam instruere: quod fiebat, quoties illa actio, quae instituebatur, non erat ex illis, quarum formulas in edictis suis praetores edere solebant. Itaque non ex edicto praetoris, sed ex verbis a litigatore praescriptis conceptisque, in quae ipse jurabat, sponsionemque faciebat, judicium a praetore dabatur. *Cels. Dig.* 19. *tit.* 5. qui est *De praescriptis verbis, et in factum actione*, 2. Nam cum deficiunt vulgaria atque usitata actionum nomina, praescriptis verbis agendum est. V. ibi plura. ℙ *Praescriptum* absolute, praescriptio, lex, norma, regula, ὑπογραμμός. *Cic. Cluent.* 53. *f.* Omnia legum imperio et praescripto fieri videbitis. *Id. Off.* 1, 26. *extr.* Haec praescripta servantem licet magnifice vivere. *Caes. B. C.* 3, 51. Aliae sunt legati partes, atque imperatoris: alter omnia agere ad praescriptum: alter libere ad summam rerum consulere debet; et *Liv.* 10, 22. Postridie ad praescriptum consulis et consularia, et praetoria comitia habita; et *Cic. Inv.* 2, 45. Si ex suo quisque consilio, non ex communi praescripto civitatis rem administrabit. *Suet. Ner.* 10. Ex Augusti praescripto imperaturum se professus; et *Caes.* 28. *extr.* Ut colonis civitas adimeretur, quod per ambitionem, et ultra praescriptum data esset. *Hor. Od.* 2, 9, 23. Intraque praescriptum Gelonos Exiguis equitare campis. ℙ Praescripta calcis *Lucretio* 6, 91. sunt metae. V. CALX. ℙ *Praescriptus* pro *scriptus* sicubi legatur, rectius in *perscriptus* mutaveris: quod et in PRAESCRIBO admonuimus. V. et PERSCRIPTIO.

PRAESCRIPTUS, us, m. idem ac praescriptum. *Tert. Exhort. ad cast.* 3. *med.* De divino praescriptu inducere.

PRAESĒCĀ, ae, f. nomen est oleris. *Varr. L. L.* 4, 21. Brassica, ut praeseca, quod ex hujus scapo minutatim praesecatur. Alii leg. *praesica*.

PRAESĒCĀTUS, a, um, part. a *praeseco:* praecisus. *Appul. Met.* 1. Impetu teli praesecata gula.

PRAESĒCO, as, cui, atum et ctum, a. 1. ἀκροτόμω, in anteriori parte seco, praecido. *Vitr.* 4, 2. Projecturas tignorum, quantum eminebant, praesecuerunt. *Ov. R. Am.* 112. Qua laesus fuerat, partem Paeantius heros Debuerat celeri praesecuisse manu. *Varr. R. R.* 3, 16. *f.* Favorum, qui eximuntur, siqua pars mellis nihil habet, aut habet inquinatum, cultello praesecatur. *Plin.* 32, 2, 5. Anthiam infixo hamo invertere se, quoniam sit in dorso cultellato ei spina, eaque lineam praesecare. [*Ita melius instituisse hujus loci ordinem videmur, quem Noster mirum in modum distraxerat.]

PRAESECTUS, a, um, part. per sync. a *praeseco:* πρότομος, ante, aut in anteriori parte sectus, praecisus. *Colum. Arbor.* 29. Radicem arundinis acuta falce praesectam impendenti pluvia disponito. *Hor. A. P.* 294. Praesectum decies non castigavit ad unguem. *Plin.* 17, 15, 25. Praesectam vitem findi jubet per medullam. *Id.* 11, 37, 88. Vulneratis nervis summus dolor, praesectis nullus.

PRAESEGMEN, inis, n. ἀποτόμια, frustum, particula ex aliqua re desecta. *Pl. Aul.* 2, 4, 33. Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat: colligit, omnia abstulit praesegmina. *Non.* 2, 639. Praesegmina proprie Plautus in Aulularia ea dici voluit, quae unguibus eminulis praesecantur. *Appul. Met.* 2. Rogis reliquiae quaedam, et cadaverum praesegmina ad exitiabiles viventium fortunas petuntur.

PRAESĒMĪNANS, antis, part. ab inus. *praesemino*, ante seminans. Translate praestruens, praemoliens. *Ammian.* 30, 2. Majora sibi praeseminans, legato ad principem misso, etc.

PRAESĒMĪNĀTĬO, onis, f. *Vitr.* 2, 9. de feminis praegnantib.: In corpore praeseminatio crescens ex omnibus cibi potestatibus detrahit alimentum in se, *h. e.* fetus.

PRAESĒMĪNĀTUS, a, um, part. ab inus. *praesemino*, ante seminatus. *Lact.* 6, 10. *med.* Non nati sunt homines e terra, tanquam ex draconis alicujus dentibus praeseminati, ut poetae ferunt. *August. de Genes. ad litt.* 3, 14. *f.* Vis quaedam naturalis, et quasi praeseminata.

PRAESENS, entis, part. a *praesum:* παρών, ἐνεστώς, qui adest, qui est in conspectu, vel nunc est, aut fit. Dicitur enim de loco, et tempore: a *prae*, ante, et *ens*, interjecto *s*, ut *prodest* a *pro* et *est* fit, *d* interjecto. *Cic. Or.* 1, 24. Hunc esse unum ex omnibus, quo praesente ego ineptus esse minime vellem. *Id. Fin.* 1, 17. Corpore nihil nisi praesens, et quod adest, sentire possumus. *Id. Off.* 1, 4. Bellua ad id solum, quod adest, sentire possumus. *Id. Off.* 1, 4. Bellua ad id solum, quod adest, quodque praesens est, se accommodat, [*i. e. quod cum maxime adest, ac se insinuat illecebris suis. V. *Beier.*] *Ter. Ad.* 3, 4, 20. Non quia ades praesens, dico hoc. *Pl. Most.* 5, 1, 27. Si quidem pol me quaeris, assum praesens praesenti tibi. [*V. de h. dicendi genere *Herzog.* ad *Caes. B. G.* 7, 62.] Sic *Liv.* 1, 57. Quin conscendimus equos, invisimusque praesentes nostrarum ingenia? et *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 4. *med.* Si facultas mihi tui praesentis esset; et *Cic. Off.* 1, 44. Neque solum vivi atque praesentes studiosos discendi erudiunt, sed etiam post mortem, etc. *Sall. Cat.* 50. Cum praesenti diligentia consulis tanta praesidia sint. [*Kritz. recte magno codicum consensu *praesertim* edidit pro vulg. *praesenti*. Rationes v. ap. ipsum.] *Ov. Pont.* 4, 14, 9. In medias Syrtes mediam mea vela Charybdim Mittite, praesenti dum careamus humo. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 724. *n.* 443. Cenam C. Ofilius Hermes omnibus annis dandam praesentibus promisit: et *mox:* Ut praesentibus dividerentur sportulae, excepto eorum qui trans mare erunt, vel qui perpetua valetudine detinentur. ℙ *Praesens* etiam dicitur, quod fuit, aut factum est, et quod erit, vel fiet eo tempore, de quo loquimur: nam illo tempore praeterito praesens erat: item tempore illo futuro praesens erit: [*Haec parum differunt ab antecedentibus. Semper enim totius loci sententia constituit notionem vocis *praesens*. V. *Brem.* ad *Nep. Them.* 2, 1.] *Cic. Fam.* 2, 7. *med.* Praesens tecum egi. *Id. Cat.* 4, 6. Sororis suae virum praesentem et audientem vita privandum esse dixit. *Id. Inv.* 1, 54. Perinde illi videatur indignum ac si ipse interfuerit, et praesens viderit. *Id. Q. Fr.* 2, 8. Cetera praesenti sermoni reserventur: [**aufs mündliche Gespräch*.] *Id. Att.* 11, 12. Praesens in praesentem multa dixerat; et *Ter. Ad.* 4, 5, 34. Cum hanc tibi videbit praesens praesenti eripi. ℙ Olim *praesente* (ut *absente*) de pluribus personis dictum est. *Pl. Amph.* 2, 2, 194. Nec nobis praesente aliquis quisquam, nisi servus, affuit. Ita refert *Non.* 2, 66., alii *Plauti* genuinum versum esse negant. *Pomp* ap. *Non. ib.* 660. praesente testibus. *Accius ib.* praesente his. *Fenestella ib.* suis. *Novius ib.* omnibus. *Varr.* ap. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 4, 3, 7. legatis. *Pomp. ib.* amicis. *Ter.* dixerat *ib.* absente nobis. (Simile est illud *Catulli* 106, 5. insperanti ipsa refers te nobis; et *Tibulli* 3, 6, 55. Perfida, nec merito nobis inimica merenti. Alii aliter *distinguunt.*) Addit *Donat.* poni *praesente*, et *absente* pro praepositionib. *coram*, et *clam*. [*Cf. *Ruddim.* 2, 299.] ℙ *Praesentia verba*, quae nunc sunt in usu. *Gell.* 1, 10. Vive moribus praeteritis, loquere verbis praesentibus. ℙ *In praesens tempus*, et fre-

quentius *in praesens*, est praesenti tempore, in praesentia. *Hor. A. P.* 44. Pleraque differat, et praesens in tempus omittat. *Cic. Cat.* 1, 9. Video, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus, at in posteritatem impendeat. *Id. ad Brut.* 1, 15. *med.* Ut et in praesens sceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrerem, et in posterum documentum statuerem, etc. *Tac. H.* 4, 58. Si fortuna in praesens, virtusque deseruit. ℙ *Ad praesens tempus*, et *ad praesens*, idem. *Just.* 1, 5. Harpagus ad praesens tempus dissimulato dolore, etc.; et *Tac. A.* 4, 31. Quod factum aspere acceptum ad praesens, mox in laudem vertit; et *ib.* 40. *f.* Ipse quid intra animum volutaverim, omittam ad praesens referre; et *H.* 1, 44. *extr.* Omnes interfici jussit, tradito principibus more, munimentum ad praesens, in posterum ultionem. Adde *Suet. Tit.* 6. [*Respondet vernaculae formulae *vor der Hand*, εἰς τὸ παρόν. ℙ A scriptoribus post Augustum ponitur *ad praesens* pro verbis *ad praesens tempus*, et significat: non in perpetuum, sed dumtaxat in breve tempus praesens. *Plin.* 8, 22, 34. In talia quoque creditur luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad praesens. *Hand.* in *Turs.* 1. p. 128.] ℙ *Praesenti tempore*, et saepius *in praesenti*, idem. *Ov. Fast.* 3, 478. Jamque ego praesenti tempore nulla forem. *Cic. Fam.* 2, 10. *f.* Haec ad te in praesenti scripsi, ut speres, etc. *Nep. Att.* 12. Quod in praesenti utrum ei laboriosius fuerit, difficile fuit judicare. [*V. *Brem.*] ℙ *Praesentia* neutr. plur. est status rerum praesens, τὰ παρόντα. *Suet. Aug.* 87. Cum hortatur ferenda esse praesentia. *Tac. H.* 4, 59. *extr.* Veniam ostentantes, si praesentia sequerentur. ℙ Similia sunt illa *ejusd. ib.* 3, 69. Sabinus, re trepida, quod tutissimum e praesentibus, arcem Capitolii insedit; et *ib.* 4, 56. Optimum e praesentibus ratus, iisdem quibus petebatur, artibus grassari. *Id. A.* 5, 10. Laetus praesentibus, et inanium spe. ℙ *In rem praesentem*, in eum locum, de quo agitur, aut controversia est; ductum ex more forensi, quo litigantes, et aliquando ipsi judices se conferebant ad rem controversam, v. gr. domum, agrum, ut re inspecta planius certiusque judicare possent, quam si solis testibus et tabulis res ageretur. [*V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 10, 32.] *Cic. Or.* 1, 58. *f.* Si de finibus, cum in rem praesentem non venimus, controversia est. *Sen. ep.* 6. *med.* In rem praesentem venias oportet, quia homines amplius oculis, quam auribus credunt. *Quint.* 4, 2. *f.* Multum confert adjecta veris credibilis rerum imago, quae velut in rem praesentem perducere audientes videtur. Adde *Plin. ep.* 3, 9. et *ep.* 10, 24. ℙ *In re praesenti*, in ipso loco, aut in ipsa re agenda. *Pl. Cas.* 2, 8, 65. In re praesenti, ex copia piscaria consulere, quid emam, aequum est. *Liv.* 40, 9. Quod tum vociferarer in re praesenti pavidus, hoc nunc postero die queror. *Quint.* 6, 2. *f.* Ut hominem occisum querar, non omnia, quae in re praesenti accidisse credibile est, in oculis habebo? Adde 7, 10. *med.* Rursus *Liv.* 40, 17. Eodem anno inter populum Carthaginiensem et regem Masinissam in re praesenti disceptatores Romani de agro fuerunt. Adde *Ulp. Dig.* 39, 1, 5. ℙ Et universim *praesens* dicitur, quod nunc est, aut fit, nec differtur. *Cic. N. D.* 2, 59. *med.* Ne si navigare quidem velim, ita gubernarem, ut somniaverim: praesens enim poena sit. [*Die Strafe möchte gleich hinterdrein kommen.] *Prop.* 2, 23, 63. Et jam si pecces. Deus exorabilis ille est, Si modo praesentes viderit esse preces, *h. e.* quae peccatum statim sequantur, inquit *Passerat.* Vel quae animo praesenti, intento, et confidenti fiant. *Flor.* 1, 26. *med.* Maelium largitione suspectum dominationis, praesenti morte multavit; et 3, 14. Adeo praesenti metu mortis exterruit, ut, etc. [*Tac. *A.* 1, 38. praesens supplicium, i. e. quod statim sumitur. *H.* 2, 75. praesens facinus, i. e. quod patet primo adspectu.] ℙ Apud JCtos *praesens* aliquando est purus, cum de obligationibus sermo est: nempe cum neque in diem, neque sub conditione conceptae sunt: hinc Praesens obligatio, quae statim adstringit, *Ulp. Dig.* 12, 1, 9. et *Paul. ib.* 45, 1, 46. Praesens debitum, *Mart. ib.* 20, 1, 13. *f.* Si dies apposita legato non est, praesens debetur, *Paul. ib.* 36, 2, 21. ℙ Hinc *praesens*, et *in diem* opponuntur. *Ulp. ib.* 42, 9, 10. *med.* Si cum in diem mihi deberetur, fraudator praesens solverit. *Paul. ib.* 45, 1, 76. et *Scaevola ib.* 31, 1, 47. Quidquid te dare facere oportet, praesens, in diemve. Sic *Paul. ib.* 7, 1, 4. Quod vel praesens, vel ex die dari potest. ℙ *Praesenti die dari*, est praesens dari. *Ulp. ib.* 45, 1, 41. Quoties in obligationibus dies non ponitur, praesenti die pecunia debetur. *Cajus ib.* 28, 7, 22. Eum qui libertatem dare potest, ipsum debere aut praesenti die, aut sub conditione dare. ℙ Hinc etiam *praesens pecunia*, quae statim debetur, aut solvitur. *Cic. Cluent.* 12. Quae pecunia mulieri legata erat a filio, si qui natus esset, eam praesentem Oppianicus non debitam mulieri solvit. *Cl. Capt.* 2, 2, 8. Quos tam grandi sum mercatus praesenti pecunia; et *Petr. Sat.* 109. Pro singulis injuriis numerabis praesentes denarios ducentos; et *ib.* 137. Quidvis nummis praesentibus opta. ℙ [*Hinc dicitur de rebus, quarum vis, efficacia continuo, nulla mora interposita, eo, quo opus est, tempore exseritur: unde in universum orta significatio efficaciae, vehementiae, praestantiae.] *Cic. Verr.* 2, 4, 49. Multis saepe in difficillimis rebus praesens auxilium ejus oblatum est. *Hirt.* ad *Cic. post ep.* 6. *l.* 15. *ad Att.* Haec in contentione praesentes ad nocendum vires habent. *Virg. G.* 2, 126. tardumque saporem Felicis mali, quo non praesentius ullum, Pocula si quando saevae infecere novercae; et *Colum.* 6, 14. Praesentissimum est remedium sanguis de aure emissus. *Plin.* 21, 18, 70. Radix adversus serpentium ictus praesenti remedio est; et *ib.* 20, 86. Melissophyllon praesentissimum est contra ictus apum. *Quint.* 10, 7. Praesentissima pericula. *Virg. A.* 12, 152. Tu pro germano si quid praesentius audes, Perge. *Ov. Met.* 13, 756. Nec, si quaesieris, odium Cyclopis, amorne Acidis in nobis fuerit praesentior, edam. [*V. *Drakenb.* ad *Liv.* 1, 12, 6. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 2, 2, 41. *Ruhnk.* ad *Ter. Phorm.* 2, 2, 31. *Lamb.* ad *Hor. Od.* 1, 35, 2.] ℙ Item [*transfertur ad animi vires, facultates nunquam destitutas, nulla re perturbatas, dejectas, significatque i. q.] fortis, acer, alacer, confidens. *Cic. Att.* 1, 18. In republica vero quamquam animus est praesens, tamen, etc. *Id. Or.* 2, 20. Animus acer, et praesens, et acutus idem, atque versutus, invictos viros efficit. *Quint.* 6, 4. Opus est ingenio celeri ac mobili, animo praesenti et acri. *Ter. Phorm.* 5, 7, 6. Animo virili praesentique ut sis, para. *Virg. A.* 5, 363. Nunc, si cui virtus, animusque in pectore praesens, Adsit. *Liv.* 31, 46. *med.* Non plures tantum Macedones, quam ante, tuebantur urbem, sed etiam praesentioribus animis, et castigationibus regis, et simul minarum memores; et *Hirt. B. Alex.* 40. Praesentissimo animo pugnare. *Ov. Am.* 2, 8, 17. At quanto, si forte refers, praesentior ipse Per Veneris feci numina magna fidem. ℙ *Praesens ingenio* fere eodem modo dicitur, qui ingenio est prompto, et occurrente etiam subitis. *Plin.* 17, 1, 1. Crassus, ut praesens ingenio semper, et faceto lepore solers, respondit, etc. ℙ Cum infinito. *Hor. Od.* 1, 35, 1. O Diva, gratum quae regis Antium, Praesens vel imo tollere de gradu Mortale corpus, vel superbos Vertere funeribus triumphos. ℙ Item qui adest, adsistit, favet, tuetur, praesto est. *Cic. Tusc.* 1, 12. Hercules tantus, et tam praesens habetur Deus. *Virg. A.* 9, 404. Tu Dea, tu praesens nostro succurre labori. *Ov. Met.* 7, 177. modo Diva triformis Adjuvet, et praesens ingentibus adnuat ausis. [*Hor. *Sat.* 2, 3, 68. praesens Mercurius.] *Flor.* 4, 7. *med.* In Caesaris castris omnia aves victimaeque promiserant: sed nihil illo praesentius, quod Caesaris medicus somno admonitus est, ut, etc. ℙ *Praesens abest*, proverb. de quo in ABSUM. ℙ In ablat. sing. duplicem positionem habet: sed *praesente* fere de personis dicimus, *praesenti* de rebus, ut in allatis exemplis videre est. [*V. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 64. p. 58.] Poetae tamen id non servant. *Hor. A. P.* 59. praesente nota. *Mart.* 10, 25. tunica praesente molesta. *Nep.* quoque *Alc.* 4. Postulabat, ut si quid de se agi vellent, potius de praesenti quaestio haberetur, quam absens accusaretur. ℙ [*Conf. *praesens* et *praestans.* V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* p. 174.]

PRAESENSIO, onis, f. προαίσθησις, actus praesentiendi, praesagitio, divinatio. *Cic. Div.* 1, 1. *in.* Versari quandam inter homines divinationem, quam Graeci μαντικὴν appellant, id est praesensionem et scientiam rerum futurarum. *Id. N. D.* 2, 3. Praedictiones, et praesensiones rerum futurarum. *Id. Top.* 20. Atque etiam per exta inventa praesensio.

PRAESENSUS, a, um, part. a *praesentio. Cic. Div.* 1, 55. Si unum aliquid ita sit praedictum praesensumque. *Id. ib.* Pauciora divine praesensa, et praedicta reperiri.

PRAESENTĀLIS, e, adj. praesens, qui praesens adest. *Imp. Anastas. Cod.* 12, 36, 18. Praesentales milites, *h. e.* praesentes in comitatu principis. *Imp. Justin. ib.* 17, 4. domestici.

PRAESENTĀNĔE, adv. in praesenti, statim, brevi tempore. *Theod. Prisc. ad Timoth. fr. praef.* 1. Confeci nonnullos praesentanee libellos.

PRAESENTĀNĔUS, a, um, adj. παραστατικὸς, qui in praesens subito fit, qui praesentem habet efficaciam. *Quint. decl.* 17, 11. Virus praesentaneum paro, quod statim, quod subito corripiat. *Plin.* 21, 31, 105. Praesentaneum remedium ad dentium mobiles firmandos. *Id.* 24, 1, 1. venenum. *Id.* 27, 9, 46. Cocco Gnidio vis praesentanea contra cicutam. [*Suet. *Ner.* 33. venenum velocissimum ac praesentaneum, *h. e.* praesentis s. proximae efficaciae. Cf. *Gell.* 6, 4. *Sen. ep.* 95. praesentanei boleti.] ℙ Absolute. *Id.* 30, 9, 23. Articulis luxatis praesentaneum est sevum pecudis. Adde 28, 16, 65.

PRAESENTĀRIUS, a, um, adj. praesens. *Pl. Most.* 2, 1, 14. Ubi id erit factum, a me argentum petito praesentarium, *h. e.* quod statim solvam. *Id. Trin.* 4, 3, 74. Vendidit aedes praesentariis argenti minis numeratis quadraginta; et *Poen.* 3, 5, 47. Haruspices si quid boni promittunt, pro spisso evenit: id quod mali promittunt, praesentarium est, *h. e.* statim venit. [*Appul. Met.* 10. Praesentarium venenum comparat, *h. e.* quod praesentem et subitariam mortem affert. *F.*]

[PRAESENTĀTIO, onis, f. actus praesentandi aliquid. *Imp. Constant. Cod.* 12, 28, 2. Quibus omnibus condonamus, ne obsequium temonariorum, vel pentaprotiae, aut etiam tironis praesentationem agnoscant. Alii leg. *praestationem. F.*]

[PRAESENTĀTUS, a, um, part. a *praesento*: praesens factus. *Impp. Arcad. et Honor. in fragm. Cod. Theod.* (ed. *W. F. Glossio*) 1, 10, 5. Qui sine commeatu, aut sine officii publici necessitate per provincias devagantur, tuo examini praesentatos, arbitrio celsitudinis tuae condemnatione percelli praecipimus. *F.*]

PRAESENTIA, ae, f. παρουσία, praesentem esse, conspectus, aspectus. *Cic. Cat.* 1, 7. Alicujus aspectum praesentiamque vitare. *Id. Dom.* 5. Periculum in praesentia atque ante oculos propositum. Alii leg. *in praesenti. Id. Fam.* 5, 8. *extr.* Ut desiderium praesentiae tuae meo labore minuatur. [*Vell. 2, 90, 1. Hispaniae nunc ipsius praesentia, nunc Agrippae — pacatae: ubi tamen *Ruhnk.* c. *Burm.* commodius esse putat *ipsius praesentis.*] *Virg. A.* 9, 73. urget praesentia Turni. *Cajus Dig.* 50, 16, 22. Exhibere est praesentiam corporis praebere. ℙ In plur. num. *Cic. N. D.* 2, 66. Deorum praesentiae declarant. ℙ *Praesentiam sui facere* est copiam, seu potestatem sui facere. *Hermogen. Dig.* 42, 1, 53. Contumax est, qui tribus edictis propositis, praesentiam sui facere contemnit. Adde *Paul. ib.* 47. ℙ *Praesentia animi*, intentio, vis, robur, constantia, praesens et acer animus, [*Gegenwart des Geistes.] *Caes. B. G.* 5, 42. Tanta militum virtus, atque animi praesentia fuit, ut, etc. *Cic. Mil.* 23. Videbant enim facti rationem, praesentiam animi, defensionis constantiam. Adde *Plin.* 8, 25, 38. ℙ Quemadmodum praesens eum etiam significat, qui tuetur, favet, praesto est (V. PRAESENS), ita *praesentia* tutelam, favorem, auxilium. *Inscr.* ap. *Grut.* 28, 4. Praesentiae Matris Deum P. Septimius Felix ob coronam millesimi Urbis anni, *h. e.* ob coronam in ludis relatam millesimo ab U. C. anno, nempe sub Philippis Augg. ℙ *In praesentia*, in praesenti, hoc, vel illo tempore, de quo loquimur. *Nep. Alc.* 4. Quiescendum in praesentia, et illud tempus exspectandum decreverunt, quo, etc. *Id. Them.* 8. Huc cum venisset, et in praesentia rex abesset; et *Liv.* 24, 22. Tutiorem ratus esse viam, si in praesentia tempori cessisset. *Caes. B. G.* 1, 15. Suos a proelio continebat, ac satis habebat in praesentia hostem populationibus prohibere. *Cic. Fin.* 5, 8. Sed quoniam non possunt omnia simul dici, haec in praesentia nota esse debebunt; et *Ter. Ad.* 5, 2, 14. Provisum est, ne in praesentia haec hinc abeat. *Cic. Att.* 15, 20. *f.* Hoc video in praesentia opus esse; et *Plin.* 12, 3, 7. In praesentia externas arbores prosequemur; et *Plin. alter ep.* 3, 9. *med.* Fides in praesentia eos, quibus resistit, offendit: deinde ab illis ipsis suspicitur, laudaturque. Adde *Pompej. ad Dom. post ep.* 2, 12. *l.* 8. *ad Att.*, *Cic. Tusc.* 1, 7., *Fam.* 14, 14., *Hirt. B. Afr.* 10., *Cels.* 4, 3., *Quint. prooem.* 8., 9, 4. *med.* et 10, 7., *Suet. Tib.* 22. etc. Alio sensu *Nep. Alc.* 10. Id quod in praesentia vestimentorum fuit, arripuit, *h. e.* ad manum fuit, praesens se obtulit. Post tot optimorum scriptorum loca (quibus alia multa, praesertim ex *Livio*, addit *Borrich.* in *Vindic. Latinit.*) nullus remanet dubitandi locus, quin *in praesentia* Latinum sit: quod idem et de *in praesentiarum* sentiendum est. V. IMPRAESENTIARUM. [*Multis in locis *in praesentia* idem est, quod nos dicimus: *vor der Hand*, Gr. εἰς τὸ παρόν. Ceterum *Drakenb.* ad *Liv.* 6, 26. docet, lubenter uti hunc scriptorem *in praesentia*, in oppositione etiam variarum particularum: *postmodo*, *mox*, item *in perpetuum*, *in futurum*, etc. Porro *Spald.* ad *Quint.* 9, 4, 109. docet, huic locutioni inesse levem contemnendi colorem, quasi acquiescentis quidem in re, quam tamen non probet, quamque aliquando futuram meliorem exspectet. ℙ Ap. scriptores post *Aug. ad praesentiam* dicitur pro *in breve tempus praesens.* Cf. PRAESENS. Locus est *Taciti* in aliis verbis corruptus *A.* 11, 8. Sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis et ad praesentiam Caesaris vectum memoravi, monente Claudio in regnum remeavit. Legendum videtur: *et ad praesentiam Caesari suspectum*, i. e. per aliquod tempus. Ita *Hand.* in *Turs.* 1. p. 128., quae tamen *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 370. minus probantur.]

*PRAESENTIALĪTER, adv. *Sarish.* 5, 8. Praesentialiter examinare. *B. A.*

[PRAESENTĪNUS, a, um, edj. ad Praesentem aliquem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 24. *n.* 111. Aurelius Praesentinus. *F.*]

PRAESENTIO, is, ensi, ensum, a. 4. προαισθάνομαι, ante quippiam, quam fiat, sentio, cogitatio-

ne praecipio, praescio, praesagio, divino, praevideo. *Caes. B. G.* 7, 30. Animo providere et praesentire. *Plin.* 2, 79, 81. Praesentire aliquid, et praedicere. *Lucr.* 5, 1341. Animo praesentire atque videre. *Cic. Div.* 2, 48. Esse in mentibus hominum tanquam oraculum aliquod, et quo futura praesentiant. *Id. Rab. perd.* 10. *med.* Sapientissimi cujusque animus ita praesentit in posterum, ut, etc. *Pl. Trin.* 1, 2, 135. Fecisset edepol, nisi haec praesensisset canes. *Ov. Met.* 1, 610. Conjugis adventum praesenserat; et *ib.* 10, 404. Praesentire amorem *Virg. A.* 4, 297. dolos. *Just.* 25, 2. Praesentiens tempestatem. *Suet. Aug.* 96. Bellorum omnium eventus ante praesensit. *Plin. ep.* 5, 5. Quod accidit, multo ante praesensit. *Plin. alter* 28, 2, 5. Absentes tinnitu aurium praesentire sermones de se. ℙ [*Notione insita intelligere. *Cic. N. D.* 2, 17. quum talem esse deum certa notione animi praesentiamus: *da wir dieses nach sichrer angeborner Grundvorstellung ursprünglich einsehen. Schütz. cl. Cic.*] ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 21, 49. *med.* Praesensum tamen est, quia luna pernox erat. ℙ *Praesentisse* pro *praesensisse* legitur ap. *Pacat. Pan. Theodos.* 3.

PRAESENTISCO, is, a. 3. praesentire incipio, praescisco. *Ter. Heaut.* 4, 5, 21. Ne tu id praesentisceres. Ita ap. *Prisc.* 8, 824. Alii fere omnes leg. *persentisceres*: quod idem dicendum de alio loco *Plauti Amph.* 1, 3, 29. quod a quibusd. Lexicographis additur.

PRAESENTO, as, avi, atum, a. 1. *παρίστημι*, praesentem facio, aspectui subjicio, exhibeo, offero. *Quint.* 11, 2. *in.* Exemplorum quasdam copias eadem illa vis (*memoriae*) praesentat. Pleriique alii leg. *repraesentat.* [*Ita *Spald.* recte monens, se non ausum reducere, simplex *praesentat*, ne medii aevi sordibus inquinaretur. Cf. *Ruhnk.* ad *Jul. Ruf.* p. 236. *ed. Fr.*] *Auct. Pan. ad Maximian. et Constant.* 3. *extr.* Neque forma tantum in te patris, sed etiam continentia, fortitudo, justitia, prudentia sese votis gentium praesentant. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 77. Caput ab Achilla Caesari praesentatum est. Quaedam MSS. haec verba non habent. *Plin.* 37, 10, 67. Sarcitis bubulas carnes praesentat, *h. e.* speciem bubularum carnium praebet. Ita *ed. vet.* 1469. 1470. et 1472.: *Hard.*, et alii leg. *repraesentat. Appul. Met.* 6. Ad istum modum supplicanti statim sese Juno praesentat.

PRAESĒPE, is, n. et Praesepes vel Praesepis, is, f. et Praesepia, ae, f. et Praesepium, ii, n. *αὐλή, κλίοιον*, locus septus, in quo pecudes stabulantur: a *prae* et *sepes*, aut *sepio. Varr. R. R.* 1, 13. Laudabatur villa, si habebat culinam rusticam bonam, praesepias laxas, cellam vinariam, etc. Alii leg. *praesepes*, alii *praesepis. Cato R. R.* 14. Praesepis bubus hibernas et aestivas. *Calpurn. Ecl.* 1, 38. nocturnaque pastor Claudere fraxinea nolit praesepia crate. *Virg. A.* 7, 275. Stabant ter centum (*equi*) nivei in praesepibus altis; et *ib.* 17. Setigerique sues, atque in praesepibus ursi. ℙ Translate. *Pl. Cas. prol.* 56. Scit, si id impetret, futurum, quod amat, intra praesepis suas, *h. e.* in sua potestate. *Id. Rud.* 4, 3, 99. Ad meum herum arbitrum vocat me hic intra praesepis meas, *h. e.* aedes. Nam, ut ait *Non.* 1, 247., non tantum loca, quibus jumenta stabulantur, sed etiam omnia loca clausa et tuta, dicta praesepia. *Varr. ib.* Si quis melodinis sit *ὄνος λύρας*, praesepibus se retineat forensibus. *Virg. G.* 4, 168. de apib.: Ignavum fucos pecus a praesepibus arcent; et *Cic. Pis.* 18. Verum audis in praesepibus, audis in stupris, audis in cibo et vino, *h. e.* in lustris, ganeis. ℙ Per synecdochen est locus in stabulo, ubi pabulum jumentis apponitur, *φάτνη, κάπη. Phaedr.* 2, 8. Accedit ad praesepe: cur frondis parum est? *Varr. R. R.* 2, 5. *f.* Levandae matres pabulo viridi objiciendo in praesepiis. *Colum.* 1, 6. *med.* Non altius edita esse praesepia convenit, quam ut bos, aut jumentum sine incommodo stans vesci possit. *Cato R. R.* 4. Bubilia bona, bonas praesepis. *Pl. Curc.* 2, 1, 13. Quin reciperet se huc esum ad praesepiam suam. Ita leg. *Non.* 3, 160. Alii *praesepim.* Hoc autem loco translate significat domum, ubi solet aliena quadra victitare. Sic *Hor. Ep.* 1, 15, 28. Scurra vagus, non qui certum praesepe teneret. *Appul. Met.* 7. Praesepium meum hordeo passim repleri jubet; et *ib.* 9. Cibariis instruxit praesepium; et *paulo post:* Me nexu machinae liberatum applicant praesepio. ℙ *Praesepia* neutr. plur. nubecula in sidere Asello-rum. V. ASELLUS et PHATNAE.

PRAESĒPĬA, ae. V. v. praec.

PRAESĒPĬO, is, psi, ptum, a. 4. *παραφράττω*, obsepio, obstruo. *Caes. B. C.* 1, 27. Aditus atque itinera maximis defixis trabibus praesepit; et *ib.* 3, 49. Loca montuosa sublicis in terram dimissis praesepserat.

PRAESĒPIS. } V. PRAESEPE.
PRAESĒPĬUM. }

PRAESEPTUS, a, um, adj. a *praesepio:* obseptus. *Caes. B. G.* 7, 77. *med.* Si illorum nunciis confirmari non potestis, omni aditu praesepto.

PRAESĔPULTUS, a, um, part. ab inus. *praesepelio*, ante sepultus. *Quint. decl.* 9. *f.* Video senem meliore sui parte praesepultum. *Ammian.* 14, 11. *med.* Terrore propinquantis exitus jam praesepultus.

PRAESĔRO, is, a. 3. ante sero. *Paul. Nol. carm.* 32, 445. Da mihi nunc lugere, Deus, fletuque salubri Praeserere aeternae semina laetitiae.

PRAESERTIM, adv. *μάλιστα δὲ, ἄλλος τε*, praecipue, maxime. *Vossius* vult esse a *prae*, et *sero*, necto, ut proprie dicatur de his, quae in serie aliqua prima sunt. *Caes. B. G.* 2, 31. Quibusnam manibus, aut quibus viribus, praesertim homines tantulae staturae, tanti oneris turrim in muros sese collocare confiderent? *Cic. Amic.* 4. *med.* Non tam ista me sapientiae fama delectat, falsa praesertim, quam quod, etc. *Id. Fam.* 1, 4. *f.* Ego tibi a vi, hac praesertim imbecillitate magistratuum, praestare nihil possum. *Nep. Alc.* 5. Erat enim ea sagacitate, ut decipi non posset, praesertim cum animum attendisset ad cavendum. *Cic. Fam.* 2, 6. *med.* Cum praesertim confiderem, nullam esse gratiam, quam, etc. [**Quum praesertim*, quo ad causam aliquam vel diserte memoratam vel cogitatam alia quaedam cum vi adjungitur, non minus probum, quam vulgatius *praesertim quum.* Ita *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 51, 19. quum praesertim diligentia clarissimi viri, etc. ubi pro vulg. *diligenti, praesertim* restituit: coll. *Jug.* 2, 4. 3, 2. *Cic. N. D.* 1, 10, 26. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 16, 56. *Kraft.* ad *Mureti Epp.* p. 254. Nolten. *Lex. Antibarb.* p. 1712.] *Ter. Hec.* 4, 4, 83. Praesertim in ea re cum sit mihi adjutrix socrus. *Cic. Fl.* 17. *med.* Facis injuste, si putas, periculo nostro vivere tuos contubernales: praesertim quod tua negligentia factum arbitremur. *Id. Fam.* 14, 2. *f.* Velim, quam saepissime litteras mittatis, praesertim si quid est firmius, quod speremus. *Ter. Phorm.* 1, 2, 5. Praesertim ut nunc sunt mores. Adde *Virg. G.* 1, 115., *Hor. A. P.* 383. et *Prop.* 1, 2, 27.

PRAESERVĬO, is, a. 4. idem fere quod servio, vel ante servio. *Pl. Amph. prol.* 124. Ego servi sumpsi Sosiae mihi imaginem ut praeservire amanti meo possem patri. *Gell.* 1, 7. Verbum indefinitum, neque numeris, neque generibus praeserviens.

PRAESERVO, as, a. 1. observo. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 8. *med.* Quid enim tam vanum, quam ob usum cataplasmatum naturam, vel aetates, ac vitae consuetudinem praeservare? V. PERSERVO. ℙ Pro conservare, usu Latino caret.

PRAESES, idis, m. et f. *ἐπιστάτης, ἡγεμών, ἀρχηγός*, qui praeest, qui praesidet, antistes. *Sall. in or. Macri Licin. ad pleb.* Vosmet ipsi per suffragia, uti praesides olim, nunc dominos destinatis. *Virg. A.* 11, 483. Armipotens praeses belli Tritonia virgo. *Macer Dig.* 1. *tit.* 18. qui est *De officio Praesidis*, 1. Praesidis nomen generale est, eo quod et proconsules, et legati Caesaris, et omnes provincias regentes (licet senatores sint) praesides appellentur. *Hotoman.* leg. *licet senatores non sint. Suet. Aug.* 23. Praesidibus provinciarum propagavit imperium. V. PRAESIDALIS. ℙ Fere habet eam vim, ut etiam custodem, vindicem, assertorem significet, a quo tutela, et defensio, et praesidium, auxiliumque exspectandum. *Cic. Dom.* 55. *f.* Dii immortales suorum templorum custodem ac praesidem sceleratissime pulsum cum viderent. *Id. Sext.* 65. Senatus reipublicae custos, praeses, propugnator. *Id. Dom.* 57. Patrii Penates, qui huic urbi et reipublicae praesides estis. Alii leg. *praesidetis*; [*ita *Orell.*] *Sen. Thyest.* 1102. Piorum praesides testor Deos. *Cic. Agr.* 2, 6. *f.* Tribunus plebis, quem majores praesidem libertatis custodemque esse voluerunt. *Ov. Met.* 15, 758. de Augusto: quo praeside rerum Humano generi, Superi, cavistis abunde. *Liv.* 6, 16. Dii Deaeque, qui Capitolium incolitis, siccine vestrum militem ac praesidem sinitis vexari ab inimicis? Haec dextra, qua Gallos fudi a delubris vestris, jam in vinculis et catenis erit? *Id.* 23, 47. *med.* Siciliam et Sardiniam, quae ante bellum vectigales fuissent, vix praesides provinciarum exercitus alere; et *Sen. Herc. Fur.* 356. Praesides Dii, *h. e.* tutelares. Sic *Tac. H.* 4, 53. Jovem, Junonem, Minervam, praesidesque imperii Deos precatus. *Sen. Oedip.* 1042. Phoebus veri praeses, *h. e.* assertor, affirmator. ℙ Adjective. *Pl. Cas.* 5, 1, 11. Ne illum quidem nequiorem arbitror esse, qui locum praebet illi nunc praesidem, *h. e.* tutum refugium. Alii leg. *praesidium. Sen. Med.* 247. cum genua attigi, Fidemque supplex praesidis dextrae petii. ℙ *Praeses*, qui custodiae ac praesidii causa aut principem comitatur, qui et *custos corporis* dicitur, aut aliquem locum insidet. De hoc *Pl. Rud.* 4, 4, 7. Ite domum ambo nunc jam ex praesidio praesides. De illo *Aurel. Vict. Caesar.* 2. *extr.* Nam ceteros paritorum, praesidesque Augustus instituerat.

PRAESEST. V. in PRAES.

PRAESICCĀTUS, a, um, part. ab inus. *praesicco*, bene, vel ante siccatus. *Appul. Herb.* 124. Succus sole praesiccatus.

PRAESĬCCUS, a, um, adj. valde siccus. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 141. Praesicca rursus vulnera Manus resulcans diruet.

PRAESĪDĀLIS et Praesidialis, e, adj. ad praesidem provinciae pertinens. *Trebell. in* XXX. *Tyr.* 24. Qui jure praesidali omnes Gallias rexerat. Alii leg. *praesidiali. Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 4, 24, 11. Praesidalis jussio. *Iidem ib.* 9, 1, 18. Praesidale judicium. *Ammian.* 28, 1. Officium praesidiale. *Id.* 17, 3. *f.* Praesidialis apparitor. *Id.* 29, 1. et *Sym. ep.* 4, 71. (al. 70.) Praesidalis vir, *h. e.* praesidatu functus. ℙ Ap. *eund. ep.* 1, 107. et *Sext. Ruf. Brev.* 4. et 5. dicitur *praesidalis provincia*, quae neque est consularis, neque proconsularis, neque praetoria, sed a minore magistratu regitur: nimirum nomen praesidis posterioribus temporibus tres illos magistratus, licet generale esset, non comprehendebat. V. PRAESES. Confirmat rem *Lampr. Alex. Sev.* 24. Provincias praetorias, praesidiales fecit; proconsulares ex senatus voluntate ordinavit. *Sym. or. pro Fl. Severo* (ed. *A. Maio*) 3. Quis credat, summatem facundiae, diu inter fori ornamenta numeratum, praesidalem dudum recepisse provinciam? [*Hic plura ex suis adjecit *F.*]

PRAESĪDĀRĬUS. V. PRAESIDIARIUS.

PRAESĪDĀTUS, us, m. *ἐπαρχία, προστασία*, dignitas, et munus praesidis. *Vopisc. Carin.* 17. Qui tunc praesidatum Dalmatiae administrabat. *Aurel. Vict. Caesar.* 29. Qui Macedonas praesidatu regebat. *Modest. Dig.* 27, 1, 6. *med.* Legum vero doctores, in aliquo praesidatu docentes, remissionem non habebunt, *h. e.* in aliqua provincia, quae a praeside regitur. ℙ Sunt qui scribunt *praesidiatus:* et ita legitur in quadam *Inscr.* ap. *Spon. Miscell.* p. 36. Ob eximiam praesidiatus ejus integritatem.

PRAESĪDENS, entis, part. a *praesideo: προστάτης*, praeses. *Tac. A.* 3, 40. Disserebant de continuatione tributorum, saevitia ac superbia praesidentium. *Tert. Cor. mil.* 3. *med.* Eucharistiae sacramentum non de aliorum manu, quam praesidentium sumimus. *Imppp. Valent., Valens et Grat. Cod. Theod.* 8, 7, 13. Praesidentium apparitores.

PRAESĪDĔO, es, ēdi, n. 2. proprie est ante sedeo, vel anteriore loco sedeo: a *prae*, et *sedeo. Lactant.* 1, 20. *f.* Mutinus, in cujus sinu nubentes praesident. ℙ Frequentissime est praesidem esse, praeesse, *προστατεύω, προΐστημι*, praeses sum. [**Cic. Vat.* 7. praesidentibus in templo duobus non consulibus, sed proditoribus hujus civitatis. *Id. Phil.* 2, 7. in quo ego senatum illum, qui quondam florens urbi terrarum praesidebat, consulebam.] *Caes. B. C.* 1, 85. Ut idem ad portas urbanis praesideat rebus, et duas bellicosissimas provincias absens tot annos obtineat. *Ov. Fast.* 3, 85. Mars Latio venerandus erat, quia praesidet armis. [**Liv.* 24, 40. ad praetorem venerunt praesidentem classi Brundisio Calabriaeque circa litoribus.] *Suet. Aug.* 26. Cum mane pro aede Capitolini Jovis paululum curuli sella praesedisset. *Id. Tib.* 6. Praesedit et Actiacis ludis, et Trojanis circensibus, ductor turmae puerorum majorum. *Id. Claud.* 7. Praesedit spectaculis in Caji vicem. *Id. Dom.* 4. Certamini praesedit crepidatus. *Plin. ep.* 2, 11. Senatus conspectus augustissimus fuit. Princeps praesidebat, erat enim consul. [*Duplici ratione dicitur *ludis, spectaculis praesidere:* primum enim signif. singulari, conspicua sede uti in spectaculis; deinde est edere spectacula, ordinem rationemque eorum instituere, rectorem esse. ℙ Cum accus. *Tac. A.* 12, 29. Scripsit P. Atellio, qui Pannoniam praesidebat; et *ib.* 3, 39. P. Vellejus proximum exercitum praesidebat. *Forc.* haec infra laudaverat.] ℙ Absolute. *Suet. Aug.* 35. Quo tempore existimatur lorica sub veste munitus, ferroque cinctus praesedisse, *h. e.* jus et munus sui magistratus exercuisse. ℙ Saepissime significat custodem esse, tueri, defendere, praesidio esse, et quasi ante aliquem sedere ac manere, ut ipse tutus sit, ut in PRAESES dictum est: unde *praesidium* est. *Pl. Most.* 5, 1, 47. Ego hic tibi praesidebo, ne interbitat quaestio. *Sall. Cat.* 59. Metellus cum tribus legionibus in agro Piceno praesidebat. *Liv.* 22, 11. *extr.* Minores quinque et triginta annis in naves impositi: alii ut urbi praesiderent, relicti. [*Cf. 10, 17. 23, 32. 36, 5.] *Cic. Mil.* 37. Vos appello centuriones, vosque milites: vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis, et huic judicio praesidentibus, haec tanta virtus ex hac urbe expelletur? *Id. Phil.* 5, 13. *f.* Gallia, quae semper praesidet atque praesedit huic imperio, libertatique communi. *Id. Sull.* 31. Dii patrii ac Penates, qui huic urbi, atque huic imperio praesidetis. *Ov. Fast.* 1, 125. Praesideo foribus coeli cum mitibus Horis. (Janus loquitur.) *Plin.* 22, 25, 57. Cum horreis suis ventilandis praesideret. ℙ Cum accus. *Tac. A.* 4, 5. Proximum Galliae litus rostratae naves praesidebant. Adde *ib.* 72. *extr.*

PRAESĪDĔRĀRĔ dicitur, cum maturius hiberna tempestas movetur: quasi ante sideris tempus. *Festus:* cujus sententia illustratur his *Plinii* verbis 18, 25, 57. Ita fit, ut tradi non possint certa siderum tempora. Accedit confessa rerum obscuri-

tas, nunc praecurrente, nec paucis diebus, tempestatum significatu, quod προχείμασιν Graeci vocant: nunc postveniente, quod ἐπιχείμασιν: et plerumque alias citius, alias tardius coeli effectu ad terram deciduo. Haec *Plin.*

PRAESĬDĬĀLIS. V. PRAESIDALIS.

PRAESĬDĬĀRĬUS, a, um, adj. φυλακτικὸς, custodiae ac praesidii causa paratus: a *prae*, et *sedeo*. *Festus* in *Subsidium:* Dicti praesidiarii, milites ante alios collocati qui erant, aut in alio loco praepositi. *Liv.* 29, 8. Praesidiarii milites. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 34. Praesidiaria classis. ℙ Translate. *Colum.* 4, 15. Sed cum annicula *(vitis)* mensiumque sex ad vindemiam perducta est, sublato fructu protinus frequentanda est, et praesidiarii malleoli propagandi sunt, qui in hunc usum fuerant depositi, *h. e.* in subsidium positi, si forte vitis demoriatur, ut ipsemet 3, 16. docet. Ap. *eund.* 4, 21. praesidiarius palmes est idem qui custos, et resex. [*Front. Aquaed. n.* 14. Augustae (*aquae*) fons in Claudiam derivatus est, manente nihilominus praesidiario in Marciam. *F.*] ℙ *Praesidiaria toga*, qua praeses utitur. *Spart. Sev.* 1. *med.* Cum rogatus ad coenam imperatoriam palliatus venisset, qui togatus venire debuerat, togam praesidiariam ipsius imperatoris accepit. Alii leg. *praesidariam.* ℙ [*Praesidiarium, ii*, absolute videtur esse locus, in quo milites praesidii causa sunt. *Not. Tir.* p. 56. Praesidium, praesidiolum, praesidiarium. *F.*]

PRAESĬDĬĀTUS. V. PRAESIDATUS.

[PRAESĬDĬŎLUM, i, n. dimin. praesidii. V. PRAESIDIARIUS. *F.*]

*PRAESIDĬOR, aris, dep. 1. in praesidio sum, custodio. *Gloss. Lat. Gr.* Praesidior, Φρουρῶ. *B. A.*

PRAESĬDĬUM, ii, n. φρουρὰ, φρούρημα, comitatus, custodes, manus et statio militum alicubi praesidentium defendendi et custodiendi causa. *Varr. L. L.* 4, 16. Praesidium est dictum, quia extra castra praesidebant loco aliquo, quo tutior regio esset. *Caes. B. G.* 7, 55. Praesidia custodiasque ad ripas Ligeris disponere; et *ib.* 7, 69. Haec eadem noctu excubitoribus ac firmis praesidiis tenebantur. *Cic. Att.* 9, 3. Italia tota armis praesidiisque tenetur. *Id. Cat.* 1, 3. Colonia meis praesidiis, custodiis, vigiliis munita. *Id. Phil.* 2, 44. Nonne millies perire est melius, quam in sua civitate sine armatorum praesidio non posse vivere? *Caes. B. G.* 1, 38. *extr.* Occupatoque oppido, ibi praesidium collocat; et *ib.* 2, 5. *f.* In eo flumine pons erat: ibi praesidium ponit; et *ib.* 1, 42. Statuit legionarios equis imponere, ut praesidium quam amicissimum haberet; et *ib.* 8. Praesidia disponit, castella communit; et *ib.* 2, 33. Deditione facta, nostros praesidia deducturos crediderant; et *ib.* 7, 7. Praesidia in Ruthenis, Tolosatibus, circumque Narbonem constituit. *Sall. Jug.* 25. et *Cic. Fam.* 1, 7. Locum aliquem praesidiis firmare. *Cic. Agr.* 1, 16. confirmare; et *ib.* 2, 28. obsidere atque occupare. *Caes. B. C.* 1, 13. Praesidium, quod introduxerat, ex oppido educit. *Cic. Fam.* 2, 17. Praesidia, quae magna et firma paraveram, dimisi. *Liv.* 24, 7. *f.* Imponere praesidium oppido. *Nep. Ep.* 4. A quo cum quaesisset, quo se duci vellet, et ille Athenas diceret, praesidium dedit, ut eo tuto perveniret; et *ib.* 10. Praesidium ex arce expellere. *Id. Paus.* 2. ex regionibus depellere. *Id. Milt.* 4. Regis praesidia interficere. *Id. Ann.* 11. Intra sua praesidia se recipere. *Cic. Rosc. Am.* 5. *med.* Ad hoc ipsum judicium cum praesidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur. ℙ Item locus, ubi custodia et statio habetur, vel haberi potest. *Id. Tusc.* 3, 8. Qui propter metum praesidium relinquit: quod est ignaviae. *Liv.* 4, 29. Praesidio decedere. *Nep. Timol.* 1. Dum res conficeretur, procul in praesidio fuit, ne quis satelles posset occurrere. *Caes. B. C.* 3, 45. Cum legio nona praesidium quoddam occupavisset, et munire coepisset. *Id. B. G.* 7, 87. Cohortes, quas ex proximis praesidiis deductas sors obtulit; et *ib.* 34. Milites in praesidiis rei frumentariae causa disponere. [**Tac. A.* 1, 56. posito castello super vestigia paterni praesidii in monte Tauno; 4, 49. postquam castello non degrediebantur, obsidium coepit per praesidia, quae opportune jam muniebat. Cf. quae attulit *Drakenb.* ad *Liv.* 24, 22, 4. ℙ Hinc formula *in praesidiis alicujus esse*, i. e. ap. ejus exercitum, in ejus castris esse. *Cic. Fam.* 13, 19. Lyso fuerat in nostra causa nostrisque praesidiis. *Id. Lig.* 9. tantummodo in praesidiis eratis, animi vero a causa abhorrebant. *Coel.* 28. praegestit animus videre — viros ab imperatrice (sic ludibrii causa Clodium appellat,) in insidiis atque in praesidio balnearum locatos. *Id. Rosc. Am.* 43, 126. qui in adversariorum praesidiis occisi sunt. Illustrat locutionem *Duk.* ad *Liv.* 38, 11. ℙ Transl. *Cic. Sen.* 26. Vetat Pythagoras injussu imperatoris idest dei, de praesidio et statione vitae decedere. V. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Item ipsa custodia, auxilium, defensio, tutela. *Caes. B. G.* 2, 19. Legiones, quae praesidio impedimentis erant. *Nep. Ag.* 3. Proficisci praesidio suis; et *ib.* 7. Praesidio esse alicui. *Cic. Sull.* 18. Tectus praesidio firmo amicorum. *Id. Verr.* 2, 3, 8. Classis pulcherrima Siciliae propugnaculum praesidiumque provinciae. *Tac. A.* 1, 8. *med.* Die funeris milites velut praesidio stetere. [**Caes. B. G.* 7, 65. Ad hos omnes casus provisa erant praesidia cohortium duarum et viginti: ubi praesidia idem fere signif., quod nos dicimus *Reserve.* V. *Herzog.* ad 1, 8.] ℙ Translate est quodcumque auxilium, tutela, subsidium. *Paul.* ex *Festo:* Praesidium est, quod pro utilitate et salute alicujus auxilii gratia praeponitur: subsidium, quod postpositum est ad subveniendum laborantibus. *Ter. Heaut.* 4, 1, 33. Hoc te obsecro, ut meae stultitiae in justitia tua sit aliquid praesidii. *Cic. Quint.* 1. *f.* Esse praesidio contra vim et gratiam solitudini et inopiae. *Caes. B. G.* 1, 44. Amicitiam populi R. sibi ornamento et praesidio, non detrimento esse oportere. [*Ita saepius Caesar hoc vocabulum usurpare solet. V. *Herzog.* ad *B. G.* 2, 11.] *Cir. Mur.* 10. Omnia haec nostra praeclara studia latent in tutela ac praesidio bellicae virtutis. *Id. Manil.* 24. Quaerere sibi praesidia periculis, et adjumenta honoribus. *Auct. ad Her.* 4, 19. Qui sibi firmius in virtute, quam in casu, praesidium collocavit; et *ib.* 24. Aliqua ex honesta re sibi praesidium petere. *Cic. Tusc.* 2, 1. magnum sibi ad beatam vitam comparare. *Id. ad Brut.* 1, 18. ferre labenti et inclinatae reipublicae. *Id. Or.* 1, 9. *f.* Omnibus vel naturae, vel doctrinae praesidiis ad dicendum parati. [**Id. Sull.* 28. fortissimum praesidium pudoris, i. e. quod pudor praebet, ut πύργον ῥῶμα *Soph. Ai.* 159. pro πύργος, quatenus ille munimento est. V. *Matth. Gr. Gr.* p. 1315. sq. Cf. *Schütz.* ad *Div.* 1, 33. Laudat haec *Frotsch.* ad *Commentt.* in *Cic. Sull.* p. 161.] *Hor. Od.* 2, 1, 13. Insigne moestis praesidium reis, Et consulenti, Pollio, curiae. *Pl. Pers.* 5, 2, 55. Absque me foret, et meo praesidio, hic faceret te prostibilem propediem; et 1, 3, 45. Marsupium habeat, inibi paulum praesidii, qui familiarem suam vitam oblectet modo. *Colum.* 12, 50. *f.* Ubi exesa vermiculis oliva decidit, ad praesidium aquae calidae decurritur. [*— Dicitur *praesidium* etiam de alimentis ad vitam sustentandam necessariis. *Nep. Them.* 8, 5. Itaque Pydnam eum deduci jussit, et, quod satis esset praesidii, dedit: ubi v. *Brem.*] ℙ De remedio morbi. *Plin.* 22, 22, 44. Radix decocta in oleo aurium morbis praesidium est. *Id.* 30, 15, 47. Infantibus, qui lacte concreto vexantur, praesidium est agninum coagulum. *Id.* 28, 4, 7. Hominum jejunam salivam contra serpentes praesidio esse.

PRAESIGNĀNUS. V. PROSIGNANUS.

PRAESIGNĀTOR, oris, m. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 38. *n.* 184. Primo Aug. ser. praesignator. hereditat. filio piissimo B. M. *Fabr.* legit *praesignatori hereditatium*, et putat pertinere ad servum administrationi hujus vectigalis deputatum, qui fraudes detegeret, et indicia magistratibus subministraret: vel potius *praesignator* fuit, qui praefiniebat, quantum ex quaque hereditate pendendum aerario esset vicesimae partis nomine: vel qui testamenta, in quibus hereditas vicesimae subjecta perscripta esset, principis nomine, ne qua fraus interponeretur, signabat. Alia ap. *Mur.* 915, 6. Saturninus Caesaris praesignator fecit contubernali suae, etc.

PRAESIGNĪFĪCĀTĬO, onis, f. actus praesignificandi. *Lact.* 7, 15. Quod facinus quamvis ad praesens virtutem Dei hominibus ostenderet, tamen praesignificatio et figura majoris rei fuit.

PRAESIGNĪFĪCO, as, a. 1. προσημαίνω, praedico, praemoneo, ante ostendo. *Cic. Div.* 1, 38. Aut non censent, esse suae majestatis praesignificare hominibus, quae sunt futura.

PRAESIGNIS, e, adj. ἔξοχος, prae aliis insignis, praestans. *Ov. Met.* 15, 611. Exhibuit gemino praesignia tempora cornu. *Id. Fast.* 6, 628. Praesignis facie Corniculana fuit. *Stat. Silv.* 4, 8, 12. Libyca praesignis avunculus hasta. (Adde *Th.* 4, 593.) *Sil.* 6, 43. vitis Latiae praesignis honore.

PRAESIGNO, as, a. 1. προσημαίνω, prius signo. *Cato R. R.* 154. Et ad summum, qui fini culeum capiet, praesignato. Alii leg. *pertundito. Plin.* 28, 4, 7. Incipientes furunculos ter praesignare jejuna saliva.

PRAESĬLĬO, is, a. 4. προπηδάω, ante salio. *Pl. Stich.* 3, 2, 13. Ut prae laetitia lacrimae praesiliunt mihi!

PRAESĬPĬO, is, a. 3. ante sapio, praescisco. *Festus* in *Praesagire.* Praesagire est praedivinare, praesipere. *Id.* in *Adsipere.* Adsipere, et praesipere dicebant antiqui a sapiendo: sicut nos quoque modo dicimus ab aequo iniquum, a quaerendo inquirere.

PRAESŎLĬDUS, a, um, adj. valde solidus, constans. *Coripp. Laud. Justin.* 3, 291. Nec fragilis potuit crystalli firma noceri Praesolido stringente gelu. *Juvenc.* 1, 436. Praesolidum Simonem dignum cognomine Petri.

PRAESŌNO, as, ui, itum, n. 1. ante sono. *Ov. Amor.* 3, 13, 11. Hinc ubi praesonuit solemni tibia cantu. Alii leg. *personuit. Calpurn. Ecl.* 4, 65. Ille fuit vates sacer, et qui posset avena Praesonuisse chelyn, *h. e.* avena chelyn sono vincere. Alii minus recte leg. *personuisse.*

PRAESPARGO, is, rsi, rsum, a. 3. προπάσσω, ante spargo. *Lucr.* 5, 738. Flora quibus mater praespargens ante viai Cuncta coloribus egregiis, et odoribus opplet. Alii legunt *praespergens*, a *praespergo*; [*ita *Eichstadt.*]

PRAESPĔCŪLĀTUS, a, um, part. ab inusit. *praespeculo*, passiva significatione, ante examinatus, consideratus. *Ammian.* 25, 8. *med.* Gemina utilitate praespeculata.

PRAESPERGO. V. PRAESPARGO.

PRAESPERO, as, a. 1. ante spero. *Tert. adv. Marc.* 5, 17. Qui enim praesperasse potuerunt, id est ante sperasse in Deum, quam venisset, nisi Judaei, quibus Christus praenunciabatur ab initio? Qui ergo praenunciabatur, ille et praesperabatur.

PRAESPĬCĬO, is, a. 3. ante aspicio. *Not. Tir.* p. 43. Aspicit, respicit, prospicit, praespicit, perspicit.

PRAESTĀBĬLIS, e, adj. ὑπέροχος, ἔξοχος, praestans, excellens, nobilis, insignis. *Cic. Or.* 2, 85. Res aut magnitudine praestabiles, aut novitate primae, aut genere ipso singulares. *Id. Har. resp.* 19. Praestabilis insignisque virtus. *Id. Prov. cons.* 16. Nullam dignitatem praestabiliorem ea, quam per vos esset adeptus, putavit. *Id. N. D.* 2, 7. Nihil omnium rerum melius est mundo, nihil praestabilius, nihil pulcrius. *Id. Amic.* 27. Virtute excepta, nihil amicitia praestabilius. *Gell.* 18, 3. Homo lingua ac facundia nimium quantum praestabilis; et 10, 18. *f.* Viri nobiles ingenio atque lingua praestabili. ℙ Refertur etiam ad utilitatem et commodum. *Cic. Vat.* 4. Utrum huic civitati, huic reipublicae melius fuisse et praestabilius me civem nasci, an te? *Ter. Hec.* 3, 1, 4. Cui quanto fuerat praestabilius, ubivis gentium agere aetatem, quam huc redire! *Sall. Jug.* 1. Neque majus aliud, neque praestabilius invenias. ℙ [*Confund. *praestabilius* et *praestantius.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 14.]

PRAESTĀNA, ae, f. Dea, cujus ope aliquis aliis praestat seu antecellit: a *praestando*. *Arnob.* 4, 128. Praestana est, ut perhibetis, dicta, quod Quirinus in jaculi missione cunctorum praestiterit viribus.

PRAESTANS, antis, part. a *praesto:* προϊστάμενος, ὑπέροχος, supra alios bonus, excellens, praestabilis, pollens, insignis, eximius. *Cic. Tusc.* 5, 13. Praestantia debent ea dici, quae habent aliquam comparationem. *Id. N. D.* 1, 20. *f.* Pie sancteque colimus naturam excellentem atque praestantem. *Id. Fam.* 3, 10. Praestanti et singulari fide tractare aliquem. *Id. Tusc.* 1, 10. *med.* Aristoteles longe omnibus praestans et ingenio et diligentia. *Id. Acad.* 1, 4. Praestantissimi studio atque doctrina, Xenocrates et Aristoteles. *Id. Or.* 1, 50. *med.* Platonem omnes in illis artibus praestantissimum fuisse fatentur. *Id. Vat.* 3. *med.* Quid praestantius mihi potuit accidere, quam, etc.? *Nep. Alc.* 5. Acerrimi viri praestans prudentia in omnibus. *Id. Timoth.* 3. Viri usu et sapientia praestantes. *Ov. Met.* 2, 724. virginibus praestantior omnibus Herse. *Id. Fast.* 3, 467. Inter captivas facie praestante puellas. *Virg. A.* 1, 75. bis septem praestanti corpore Nymphae. ℙ Cum genit. *Tac. A.* 6, 6. Praestantissimus sapientiae. *Virg. A.* 12, 19. O praestans animi juvenis. *Sil.* 5, 92. belli. *Stat. Th.* 1, 605. armorum. ℙ Cum infinito. *Virg. A.* 6, 164. quo non praestantior alter Aere ciere viros, Martemque accendere cantu. ℙ *Lucr.* 2, 12. et 3, 62. Noctes atque dies niti praestante labore Ad summas emergere opes, *h. e.* efficiente, et conficiente id, quod sibi proposuit. Est qui mallet *perstante.* Sic *Mart.* 7, 43. Diligo praestantem: non odi, Cinna, negantem. ℙ Hinc *praestans* dicitur, qui vim et efficaciam habet, praesertim in medicina. *Plin.* 18, 13, 34. de rapis: Quando aliis usus praestantior non est. *Id.* 27, 13, 120. Praestantissima auxilia. *Id.* 13, 24, 47. Cytisus pecudum medicina a morbis omni usu praestans; et 12, 22, 48. Calamus praestantior odore. *Id.* 15, 1, 2. Succus sapore praestantissimus. ℙ [*Confund. *praestantius* et *praestabilius* v. h. v. *in f.*]

PRAESTANTER, adv. Superl. legitur ap. *Plin.* 28, 12, 50. Lichenas oris praestantissime vincit glutinum.

PRAESTANTĬĂ, ae, f. ἔξοχή, excellentia. *Cic. Off.* 1, 28. Nobis autem personam imposuit ipsa natura magna cum excellentia praestantiaque animantium reliquorum. *Id. Amic.* 19. *med.* Si quam praestantiam virtutis, ingenii, fortunae consecuti sunt. *Id. Div.* 2, 63. Dii omnium rerum praestantia excellentes. *Id. Or.* 2, 52. Si intolerantius se jactant, et aequabilitatem communis juris praestantia dignitatis aut fortunae suae transeunt. ℙ Vis, efficacia. *Plin.* 12, 3, 7. Praestantia remedii. *Id.* 27, 6, 24. Vulneribus sanandis tanta praestantia est, ut, etc.

PRAESTAT. V. PRAESTO, as.

PRAESTĀTĬO, onis, f. παροχή, actus praestandi. *Sen. Br. V.* 14. *med.* Nam ut concedas, omnia eos

fide bona dicere, ut ad praestationem scribant, tamen cujus ista errores minuent? *h. e.* ita scribant, ut praestare et probare idonei et parati sint quae scribunt; et *Paul. Dig.* 32, 1, 96. Omnes heredes onerare legatorum praestatione; et *ib.* 45, 1, 2. Stipulationum quaedam partium praestationem recipiunt, veluti cum decem dari stipulamur: quaedam non recipiunt, ut in his, quae natura divisionem non admittunt. *Modest. ib.* 31, 1, 35. *med.* Praestatio dotis. *Ulp. ib.* 10, 3, 7. vectigalium. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 3, 33, 10. Usumfructum locare sub certa annua praestatione.

PRAESTĀTOR, oris, m. qui praestat in vadimonio. *Front. de colon. praef.* p. 128. *Goes.* Qui advocantur ut praestatores.

PRAESTĀTUS. V. PRAESTITUS.

PRAESTAURO, as, a. 1. praestruo, subministro. *Diomed. Grammat.* Praestaurare materiam dicenti. Ita *Voss.* in *Etym.* in v. *Instauro*, quem penes sit fides.

PRAESTERGUS, a, um, adj. *Pl. Ps.* 1, 2, 30. Haec, cum ego a foro revortor, facite ut offendam parata; vorsa, praesterga, strata, lautaque, coctaque omnia ut sint. Al. leg. *pertersa* vel *praetersa*. Sed cum haec habeat *Diomed.* 1, 375. ap. Plautum in Pseudolo, versa, sparsa; videtur legendum *vorsa*, *sparsa*, *tersa*, *strata* etc., atque ita edidit *Bothe.*

PRAESTERNO, is, a. 3. *προστρωννύω*, ante sterno. *Stat. Silv.* 3, 2, 114. Quae sibi praesternat vivax altaria phoenix. *Pl. Poen.* 2, 32. Eo praesternebant folia farferi. Al. leg. *prosternebant. Appul. Met.* 10. Pulvillis compluribus, ventose tumentibus pluma delicata, terrestre nobis cubitum praesternunt. ℙ Translate ponitur pro praeparare. *Plin. ep.* 5, 8. *f.* Illud peto, praesternas, ad quod hortaris. Al. leg. *praestruas.*

PRAESTES, ĭtis, m. et f. *παραστάτης*, praeses. *Festus:* Praestitem in eadem significatione dicebant antiqui, qua nunc dicimus antistitem. *Macr. Sat.* 1, 18. *med.* Liberum *εὐβουλῆα* vocantes, boni consilii hunc Deum praestitem monstrant. *Capell.* 2, 40. In his etiam locis Summanes, eorumque praestites Mana, atque Manuana. ℙ *Lares praestites*, Lares publici, urbis custodes, quorum ara et signa in viis, compitis, semitis statuebantur: dicti a *praestando*, quod omnia tuta praestarent. *Ov. Fast.* 5, 129. Praestitibus Majae Laribus videre calendae Aram constitui, signaque parva Deum. Voverat illa quidem Curius: sed multa vetustas Destruit, et saxo longa senecta nocet. Causa tamen positi fuerat cognominis illis, Quod praestant oculis omnia tuta suis; et *mox:* At canis ante pedes saxo fabricatus eodem Stabat: quae standi cum Lare causa fuit? Servat uterque domum, etc. [*V. quae laudat *Gierig.* ad h. l.] ℙ Fuit etiam epitheton Jovis, ut videre est ap. *Capitol. Max. et Balbin.* 5. et in *Inscr.* ap. *Grut.* 22, 1. Praestiti Jovi S. et 1065, 2. Jovi Praestiti Hercules Victor dicavit.

PRAESTIGĬAE, arum, f. plur. *τερθρεῖαι, θαύματα, γοητεύματα*, miraculum, res specie mirae ad fallendum, uti sunt incantationes, et quidam ludi manuales, quibus illuditur oculis, et aliud cernere videmur, quam re ipsa sit: a *praestringo*, quod oculorum aciem praestringant: extrito altero *r* euphoniae causa. [*Non a *praestringo*, sed a *praestinguo*, i. e. caliginem oculis offundo, deducit *Lindem.* ad *Pl. Capt.* 3, 3, 9.] Earum inventor Mercurius habetur. Exemplum habes ap. *Flor.* 3, 19. de eo, qui in ore abdita nuce, quam sulphure et igne stipaverat, flammam inter verba fundebat, ut divinitus loqui videretur. ℙ Translate autem sunt fallaciae, doli, captiones, offuciae, imposturae, fraudes. *Pl. Capt.* 3, 3, 9. Operta quae fuere, aperta sunt: patent praestigiae. *Cic. Acad.* 4, 14. *f.* Ne ab iis, quae clara sint ipsa per se, quasi praestigiis quibusdam et captionibus depellamur. *Gell.* 14, 1. de genethliacis: Sed id praestigiarum atque offuciarum genus commentos esse homines aeruscatores, et cibum quaestumque ex mendaciis captantes. *Stat. Caecil.* ap. *Cic. N. D.* 3, 29. Ita omnes meos dolos, fallacias, praestigias praestrinxit commoditas pátris. *Id. Verr.* 2, 4, 24. Non per praestigias, sed palam per potestatem uno imperio ostiatim totum oppidum compilavit, *h. e.* non obscure et occulte. *Id. Fin.* 4, 27. Verborum praestigiae, *h. e.* splendor, et magnificentia, et inanis sonus. *Gell.* 13, 23. Graecae istorum praestigiae, philosophari sese dicentium, umbrasque verborum inanes fingentium. ℙ Nubium praestigias *Appul. de Mundo* appellat species rerum inanes in nubibus apparentes, Graece *φάσματα, φάσεις.* ℙ In singul. num. *Quint.* 4, 1. *f.* Ut ipse transitus *(ab exordio ad narrationem)* efficiat aliquam utique sententiam, et hujus velut praestigiae plausum petat. ℙ Secunda ab initio syllaba dubiae est quantitatis. Producit profecto *Pl. l. c.* et *Prud. περὶ στεφ.* 2, 85. Deprome thesauros, malis Suadendo quos praestigiis Exaggeratos obtines. Adde *Cath.* 6, 140. Corripit *Alcim.* 5, 471. Praestigiaeque diu nebulosa in fraude peractae. Nisi malis hic esse trisyll. per synaeresin.

PRAESTIGĬĀTOR, oris, m. *θαυματοποιὸς, ψηφοπαίκτης*, qui celeritate lusitandi, et ludibria illa oculorum factitandi ita praestringit visum intuentium, ut miracula facere credatur: seu qui circumstantibus ita oculorum aciem praestringit, ut non advertant dolum. *Pl. Poen.* 5, 3, 6. Praestigiator hic quidem Poenus probu' est. *Sen. ep.* 45. *med.* Quomodo praestigiatorum acetabula, et calculi, in quibus fallacia ipsa delectat. [*Front. de or.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. Oleas in altum jaciat, ore aperto excipiat, exceptas, ut calculos praestigiator, primoribus labris ostentet. *F.*] Adde *Varr. L. L.* 4, 18. [Elegantem praestigiatoris descriptionem habes ap. *Alciphron. ep.* 3, 20. *F.*]

PRAESTIGĬATRIX, icis, f. quae praestigias facit. *Pl. Amph.* 2, 2, 150. Aut pol haec praestigiatrix mulier multo maxima est.

*PRAESTIGĬO, as, a. 1. proprie videtur esse praestigias facio. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 63. En! vides, rex, quod illa tibi Numinis praestigiat divinatio, i. e. praesagit. *B. A.*

*PRAESTIGĬOR, *ψηφοπαικτῶ. Gloss. Cyrill. B. A.*

PRAESTIGĬOSUS, a, um, adj. praestigiis plenus, captiosus, ad fallendum compositus. *Gell.* 7, 14. *extr.* Unumquodque genus cum caste ornatur, fit illustrius; cum fucatur atque praelinitur, fit praestigiosum. *Arnob.* 1, 32. Nihil magicum, nihil praestigiosum, aut subdolum.

*PRAESTIGĬUM dicitur *monstrum a praestringendo* in *Gloss.* ad *Prud. Onom. Vet. γοητεία*, Praestigium. *B. A.*

PRAESTĪNĀTUS, a, um, part. a *praestino:* emptus. *Appul. Met.* 4. Socium nostrum immittimus caveae modico praestinatae pretio.

PRAESTINGUO, is, nxi, nctum, a. 3. [*σβέννυμι, σβεννύω*], exstinguo, obscurum facio, tenebras offundo. *Lucr.* 3, 1056. de Epicuro: Qui genus humanum ingenio superavit, et omnes Praestinxit, stellas exortus uti aetherius sol. *Lact.* 3, 17. *med.* hunc ipsum locum recitans, in quibusdam editionibus habet *exstinxit*, in aliis *restinxit.* Al. leg. *praestrinxit.* [*In *Eichstadt. ed.* est *restinxit.*] *Vell.* 2, 118. Praevalebant jam fata consiliis, omnemque animi ejus aciem praestinxerant. Al. leg. *praestruxerant:* al. *praestrinxerant. Lambin.* tribuit etiam *Pl. Mil.* 1, 1, 4., al. *Lucan.* 1, 154., al. *Sil.* 1, 358., al. *Ascon* in *Div. Verr.* 14. *med.*, al. *Cic.* ipsi *ib.* et *Rab. Post.* 16., al. *Non.* 4, 175., al. aliis ex var. MSS., sed ubique *praestringo* alii substituunt. Non ideo tamen *praestinguo* inter dubia reposueris. ℙ [*De librorum fluctuatione inter *praestinguere* et *praestringere.* V. *Drak.* ad *Sil.* 1, 358.]

PRAESTĪNO, as, avi, atum, a. 1. *πρίαμαι*, emo, vel emendo teneo, apud veteres. *Fest.* Praestinare apud Plautum emere est, idest, emendo tenere. *Pl. Ps.* 1, 2, 36. Ego eo in macellum, ut piscium quidquid est, pretio praestinem. *Id. Capt.* 4, 2, 68. Pisces praestinatum abire. [*Lindem.* ad h. l. docet: *praestinare*, ut *destinare*, ab antiquo verbo *stano* deducendum videri, quod statuendi, firmandi habuerit notionem. (*Caes. B. C.* 1, 25.) *Praestinare* igitur proprie ante firmare, antea constituere. Unde ad emptiones translatum esse, cujus usus sola reliqua essent exempla, ubi non emere significaret, se ante emptionem pretium constituere, licere: *um etwas handeln, einhandeln.* Eo tamen differre a verbo *licere*, quod emptionem simul assignificaret.] *Appul. Met.* 1. Et percontato pretio, viginti denariis praestinavi. Est qui leg. *perstinavi* eod. sensu. *Id. Met.* 1. Festinus accucurri id omne praestinaturus.

PRAESTĪTES Lares. V. PRAESTES.

PRAESTĪTOR, oris, m. qui praestat, seu efficit, aut tribuit. *Appul. Trism.* Praestitor, et tributor omnium, quae mortalibus videntur bona.

PRAESTĪTŪRI. V. PRAESTO, as.

PRAESTĪTŪO, is, ui, utum, a. 3. *προορίζω*, ante statuo, praescribo, praefinio. *Cic. Verr.* 2, 1, 56. *extr.* Diem praestituit operi faciundo calendas Decembr. Adde *Pl. Ps.* 1, 1, 57. *Cic. Quint.* 9. *med.* Ut nobis tempus, quamdiu diceremus, praestituerent. *Id. Caecin.* 3. Praetor nunquam petitori praestituit, qua actione illum uti velit. Adde *Ter. Ph.* 3, 2, 39.

PRAESTĪTUS, a, um, part. a *praesto:* traditus, datus. *Paul. Nol. carm.* 17, 191., ut veharis Usque felices, quibus es sacerdos Praestitus, oras. ℙ Etiam *praestatus* usurpatur. *Prisc.* 9, 863. Composita ab eo *(sto)* varie vetustissimi protulerunt, asto, astitum et astatum: praesto, praestitum et praestatum. Brutus in epistolis: Occiso C. Caesare, postquam mare transierat, praestatum est.

PRAESTĪTŪTUS, a, um, part. a *praestituo: πρόθεσμος*, constitutus, praefinitus, praescriptus. *Cic. Att.* 13, 49. Scis enim, dies illorum judiciorum praestitutos fuisse. *Id. Tusc.* 1, 39. Dedit *(natura)* usuram vitae, tanquam pecuniae, nulla praestituta die.

PRAESTO, *πάρειμι*, adv. est, vel, ut alii volunt, nomen indecl. omnis generis, quod junctum verbo *sum*, vel *adsum* significat adesse, praesentem esse, paratum esse, in promptu esse, *παρεῖναι, ἀπαντᾶν.* [*Ex eo, quod *Cassiod. Orth.* 2290. docet: *Praesto* nos per *o* scribimus, antiqui per *u* scripserunt. Sed *praesto* dicendum est, ut *sedulo*, et *optato*, et *sortito;* inde et *praestolari* non *praestulari:* ex eo *Doederl.* 3, 53. conjici posse putat, *praestu* per syncop. factum ex praestitu: indeque originem v. *praesto* a *praestando* repetendam. Alia de hujus v. etymo habet *Ruddim.* 1, 118.] *Ter. Eun.* 5, 9, 20. Sed ubi est frater? *Chaer.* praesto adest. *Id. Heaut.* 1, 1, 120. Domi praesto apud me esse ajunt. *Cic. Fam.* 3, 5. Ibi mihi praesto fuit L. Lucilius cum litteris mandatisque tuis. *Ter. Andr.* 2, 5, 4. Ipsum adeo praesto video cum Davo. *Cic. Pis.* 23. Togulae lictoribus ad portam praesto fuerunt, quibus illi acceptis sagula rejecerunt. *Lucret.* 2, 1065. Cum locus est praesto, nec res, nec causa moratur Ulla, geri debent nimirum et confieri res. *Catull.* 64, 137. tibi nulla fuit clementia praesto, Immite ut nostri vellet miserescere pectus? ℙ Sine verbo, quod facile subintelligitur. *Stat. Th.* 6, 643. Finiti cursus, operumque insignia praesto. *Pl. Mil.* 4, 6, 1. Hera, eccum praesto militem. ℙ Ponitur etiam pro advenire, comparere. *Auct. ad Her.* 4, 48. Hirundines aestivo tempore praesto sunt, frigore pulsae recedunt. *Tibull.* 1, 6, 25. Pauper erit praesto tibi, praesto pauper adibit. ℙ Metaleptice ponitur pro opem ferre, praesidio esse, juvare. *Cic. Mur.* 9. Jus civile didicit, multum vigilavit, laboravit, praesto multis fuit. *Id. Att.* 10, 8. Pati poterunt oculi, me cum Gabinio sententiam dicere? praesto esse clientem tuum etc.? *h. e.* cum patroni in rebus forensibus praesto esse, et opem ferre soleant clientibus, nunc rem contra se habere? *Id. Fam.* 4, 14. *f.* Me opera, et consilio, studio quidem certe, rei, famae, saluti tuae praesto futurum; et *ib.* 8. Ut ad omnia, quae tui velint, ita adsim praesto, ut etc. ℙ In malam partem. *Cic. Verr.* 2, 2, 4. *med.* Quaestores utriusque provinciae, cum facibus mihi praesto fuerunt. Ubi *Ascon.:* Ut impedirent scilicet meam inquisitionem, sequitur enim: Non minus acres contra me fuerunt. *Id. Caecin.* 30. Si quis mihi praesto fuerit cum armatis hominibus extra meum fundum, et me introire prohibuerit. ℙ *Praestus fui* legitur in quadam *Inscr.*, sed non optimae notae, ap. *Grut.* 669, 4. Agnoscunt tamen *Voss. et Jos. Scal.* V. PRAESTOLOR.

PRAESTO, as, stiti, stitum, a. 1. *προΐσταμαι*, ante sto. *Lucan.* 4, 30. subita circumdedit agmina fossa, Dum primae praestant acies: hostemque fefellit, *h. e.* stant in armis ante eos, qui fossam ducebant. Est qui leg. *perstant.* [*V. *Cort.* ad h. l.] ℙ Item antesto, antecello, supero, vinco, melior sum, *διαφέρω.* [**προέχω.* In his longe frequentissima est hujus verbi cum dat. constructio. Noster exempla perperam miscuit.] *Ter. Eun.* 2, 2, 1. Dii immortales! homo homini quid praestat! *Sall. Cat.* 1. Omnes homines, qui sese student praestare ceteris animalibus etc. *Cic. Or.* 1, 44. Quantum praestiterint nostri majores prudentia ceteris gentibus; et *Inv.* 1, 4. *med.* Qui, qua re homines bestiis praestent, ea in re hominibus ipsis antecellat. [*Hic sequi debebant, quae *Forc.* in fine hujus §. collocaverat, ista.] *Cic. Amic.* 5. *f.* Hoc praestat amicitia propinquitati, quod etc. *Id. Inv.* 1, 1. Zeuxin muliebri in corpore pingendo plurimum aliis praestare. *Id. Brut.* 43. *f.* Totidemque annis mihi aetate praestabat. [*— Cum accus.] *Liv.* 5, 36. Quantum Galli ceteros mortales virtute praestarent. *Nep. Att.* 18. *f.* Qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros praestiterunt. *Id. Ep.* 6. Qui eloquentia omnes eo praestabat tempore. [*—Cum ablat.] *Colum.* 11, 1. *med.* Dici vix potest, quid navus operarius ignaro et cessatore praestet. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 367. Si facies praestat facie, si corpore corpus. [*— Absolute.] *Cic. Brut.* 64. *f.* Suos inter aequales longe praestitit. ℙ Cum solo accus. *Varr.* ap. *Non.* 9, 20. Qui primus in alterutra re praestet alios. *Stat. Th.* 4, 837. Te nec Apollineus Ladon, nec Xanthus uterque Praestiterint. ℙ In malam partem. *Sall. Cat.* 38. Qui ubique probro atque petulantia maxume praestabant. [*Rarum hoc dicendi genus. Adde *Tac. A.* 2, 24. truculentia coeli praestat Germania.] ℙ *Praestat*, melius est, utilius est. *Cic. Att.* 14, 9. Mori millies praestitit, quam haec pati. *Caes. B. G.* 1, 17. Praestare dicunt, Gallorum, quam Romanorum imperia perferre. *Pl. Bacch.* 3, 2, 12. Nimio praestat impendiosum te, quam ingratum dicier. *Virg. A.* 1, 135. sed motos praestat componere fluctus. *Id. ib.* 6, 38. septem mactare juvencos Praestiterit. ℙ [*Transitive est facere ut aliquid fiat, vel non fiat (pr. *für etwas stehen*). Huc pertinent, quae *Forc.* infra laud., ista:] *Cic. Fl.* 12. Praedones nullos fore, quis praestare poterat? *Id. Fam.* 5, 17. Communem incertumque casum neque vitare quisquam nostrum, nec praestare ullo pacto potest, *h. e.* efficere, ut noxius non sit, vel ut non eveniat; et *ib.* 6, 1. *med.* Simus ea mente, quam ratio et virtus praescribit, ut nihil in vita nobis praestandum, praeter culpam, putemus, *h. e.* nihil aliud in nobis recipiamus, nisi

culpam non admissuros. Adde *ib.* 9, 16. Sic *Or.* 2, 28. *med.* Impetus populi praestare nemo potest, *h. e.* in se recipere, moderatos futuros. *Id. Fam.* 4, 15. Eo animo simus inter nos, quo semper fuimus, quod de te sperare, de me praestare possum; et *ib.* 1, 4. *f.* Ego tibi a vi, hac praesertim imbecillitate magistratuum praestare nihil possum: vi excepta possum confirmare, te, etc. *Id. Q. Fr.* 3, 1, 3. *med.* Trebatium ad Caesarem misi, qui mihi jam satisfecit: si ipsi minus, praestare nihil debeo: teque item ab eo vindico et libero. ℙ *Praestare alicui damnum, noxam, periculum,* in se recipere, et veluti vadem, et praedem se constituere, si quid periculi, aut damni in re sit. *Cic. Mur.* 2. In iis rebus repetendis, quae mancipi sunt, is periculum judicii praestare debet, qui se nexu obligavit. *Id. Off.* 3, 16. Damnum praestare alicui. *Id. Sext.* 28. *f.* invidiam. ℙ *Praestare aliquem,* efficere, aut cavere, ne quid is committat secus, quam volumus. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 3. Esse circumspiciendum diligenter, ut in hac custodia provinciae, non te unum, sed omnes ministros imperii tui sociis, et civibus, et reipublicae praestare videare. *Id. Att.* 6, 3. *med.* Quem tamen ego praestare non poteram: erat enim rex perpauper. *Plin. Pan.* 83. Quanto magis arduum est alios praestare, quam se; tanto laudabilius, quod, cum ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti. ℙ [*Factum alicujus praestare est illud defendere ac tueri, *vertreten. Cic. Sext.* 16. ea conditione gesseram, ut meum factum omnes praestare tuerique deberent. ℙ Hinc saepissime] est efficere, exsequi, perficere, facere, [*exhibere, *leisten,* Gr. *παρέχειν.*] *Cic. N. D.* 1, 3. *extr.* Si omnia philosophiae praecepta referuntur ad vitam arbitramur nos et publicis et privatis in rebus ea praestitisse, quae ratio et doctrina praescripserit. *Id. Fam.* 7, 17. *med.* Si tardior tibi erit visus, perferto, et ultima exspectato, quae ego tibi et jucunda et honesta praestabo. *Id. Or.* 2, 9. *f.* Omnes artes aliae sine eloquentia suum munus praestare possunt. *Id. Fam.* 14, 4. Neque legis improbissimae poena deductus est, quo minus hospitii et amicitiae jus officiumque praestaret. *Liv.* 30, 30. *f.* Quia a me bellum coeptum est, ne quem ejus poeniteret, praestiti. *Just.* 1, 7. Quos ante Cyrum invictos bella praestiterant. *Ov. Trist.* 5, 14, 19. Quae ne quis possit dicere temeraria, praesta. [*Cic. Leg.* 1, 4. Jcti — hoc (jus) civile quod vocant, eatenus exercuerunt, quoad populum praestare voluerunt, i. e. tutum in causis forensibus praestare; s., ut *Göerenz.* explicat, jus civ. ea tantum ex parte excoluerunt, qua populi, i. e. eorum, quibus causarum patrono etc. opus esset, partes causasque suscipere possent; vel tantummodo operae in jure civili posuerunt, quantum usus forensis desiderat. *Liv.* 31, 46. ut mille milites praestaret.] ℙ Item persolvere, servare. *Cic.* ad *Brut.* 1, 18. Afficiebar dolore, quod cum me pro adolescentulo respublica accepisset vadem, vix videbar, quod promiseram, praestare posse. *Id. Fam.* 5, 11. *f.* Quamcumque ei fidem dederis, ego praestabo. *Liv.* 30, 15. et 33, 21. et *Ov. Fast.* 3, 497. Fidem praestare cuipiam, [*i. e. facere promissa.] *Liv.* 40, 34. Pacem cum iis populus R. non ab se tantum, sed ab rege etiam Masinissa praestitit. *Cic. Att.* 10, 4. *med.* Nec tam id propter me, aut fratrem meum, quorum jam acta aetas, quam propter pueros, quibus interdum videmur praestare etiam rempublicam debuisse, *h. e.* incolumen quodammodo reservare. ℙ Et pro conservare, tueri. *Id. Fam.* 3, 10. Pomtinius, qui a te tractatus est praestanti ac singulari fide, praestat tibi memoriam benevolentiamque; quam debet; et *Manil.* 18. *med.* Non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri imperii salvos praestare poteramus. *Lucret.* 3, 215 mors omnia praestat, Vitalem praeter sensum calidumque vaporem. ℙ *Praestare se,* se ostendere, exhibere, probare, se praebere. *Cic. Fam.* 1, 6. Praesta te eum, qui mihi a teneris unguiculis es cognitus. *Sen. Ira* 2, 28. Sed ne ad illam quidem arctissimam innocentiae formulam praestare nos possumus, *h. e.* exhibere et conservare nos innocentes ad illam formulam. [*Suet. Tib.* 33. Paulatim principem exseruit praestititque.] *Lucret.* 3, 220. Praestare se incolumem. *Ov. Trist.* 4, 10, 104. se invictum; et *ib.* 5, 23. Teque, quod est rarum, praesta constanter ad omne Indeclinatae munus amicitiae, *h. e.* exhibe te constantem. *Id. ib.* 2, 169. Sic adsueta tuis semper Victoria castris, Nunc quoque se praestet, notaque signa petat. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* Juris periti consultatoribus potius, quam discere volentibus se praestabant, *h. e.* se praebebant, aditum ad se dabant. ℙ Significat etiam exhibere, adhibere, ostendere, cum quadam firmitate, aequalitate et constantia. *Cic. Phil.* 9, 5. *f.* Ut videatur honorem debitum patri praestitisse. *Id. Brut.* 33. de C. Graccho: Utinam non tam fratri pietatem, quam patriae praestare voluisset. *Id. Fam.* 14, 3. Pudet me uxori meae optimae, suavissimis liberis virtutem et diligentiam non praestitisse; et *ib.* 1, 9. Neque hercule in iis ipsis rebus eam voluntatem, quam exspectaram, praestiterunt. *Caes. B. G.* 2, 29. Hostes tantam virtutem praestiterunt, ut cum primi cecidissent, proximi jacentibus insisterent. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Urbana officia praestare alicui. *Phaedr.* 2, 8. hospitium; et *Hirt. B. G.* 8, 50. frequentiam et officium cuipiam honores petenti. *Sen. Q. N.* 2, 59. *med.* obsequium. *Ulp. Dig.* 11, 3, 1. refugium. *Cic. Att.* 11, 1. benevolentiam. *Id. Or.* 3, 33. consilium suum fidemque et in senatu, et apud populum, et in causis amicorum. *Plin. ep.* 3, 18. sedulitatem alicui rei. *Liv.* 29, 25. *med.* silentium alicui. *Just.* 5, 4. quaestum; et *Suet. Dom.* 9. cuipiam quotannis certam summam pecuniae. *Sen.* ap. *Diomed.* 1, 362. cervicem. *Lucan.* 5, 770. caput fulminibus; et 4, 23. Hiberus praestat nomen terris; et *Colum.* 8, 13. Anser praestat ex se pullos atque plumam. *Cic. Pis.* 32. Cum consuli frequens adsideret, senatui sententiam praestaret, *h. e.* exhiberet, proferret ita constantem, ut securum redderet, se ita sem per sensurum. ℙ Praestare terga hosti, ap. *Tac. Agr.* 37. ℙ Inter *praestare,* et *praebere* discrimen est, inquit *Diomed. l. c.,* ut sit *praebeo* patientis, *praesto* facientis: ac proinde *praebui occasionem* aut *operam, praestiti fidem* ac *rem* dicamus. *Manut.* quoque ad *Fam.* 4, 8. *praestare* plus esse ait, quam *praebere,* cum hoc propensi animi sit, illud rem ipsam et actionem significet. Adde quod *praestare* constantiam praebentis adsignificat: quod in *praebere* non apparet. *Cic. l. c.* Reliquum est, ut tibi me in omni re eum praebeam praestemque, ut, etc. *Sen. Clem.* 1, 10. *extr.* Hoc est non dare tantum salutem, sed praestare. ℙ *Vicem alicujus rei praestare,* esse vice. *Sall. H. in ep. Pompeji ad senat.* 3. Per Deos immortales, utrum censetis, me vicem acrarii praestare, an exercitum sine frumento et stipendio habere posse? ℙ *Praestare vicem,* explere, fungi, peragere. *Phaedr. prol.* 3. otium des corpori, Ut adsuetam fortius praestes vicem. Alii leg. *perstes.* ℙ *Re praestare,* factis ostendere. *Marc.* ad *Cic. Fam.* 4, 11. *extr.* Ut intelligas, homini amicissimo te tribuisse officium, re praestabo. ℙ Passive. *Phaedr.* 3, 4. Quale caput est, talis praestatur sapor; et *Vitr.* 2, 9. Corpora muliebria in venalibus, cum sunt praegnantia, non praestantur sana. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* Boves cum emimus indomitos, stipulamur sic: Illosce boves sanos recte, deque pecore sano esse, noxisque praestari, spondesne? *h. e.* nullam eos adhuc noxam contraxisse, caveri et fidejuberi. *Cic. Off.* 3, 16. Cum in venundando rem eam scisset, et non pronunciasset, emptori damnum praestari oportere, *h. e.* de damno caveri. ℙ Pro *praestiti, stitum,* reperitur etiam *praestavi, atum,* unde *praestaturus. Paul. Dig.* 3, 5, 18. *f.* Usuras, quas praestavimus, vel quas ex nostra pecunia percipere potuimus. *Ulp. ib.* 22, 1, 37. *extr.* Si plus tibi praestaverim incommodi, quam, etc. Priore loco *Haloand.* habet *praestitimus:* posteriore alii *praestiterim.* Sed *Torrent.* priore, ut posuimus; posteriore *praestarim* per sync. *Liv.* 30, 15. Masinissam libenter primam ei fidem praestaturum fuisse. *Trebon.* ad *Cic. Fam.* 12, 16. Cui nos tuum officium praestaturos, non debes dubitare. *Just.* 11, 12. *f.* Praestaturum se ea Dario, si, etc. Adde *Cic. Fam.* 6, 8., ubi alii leg. *praestituros.* ℙ *Praestatu iri,* et *praestitu iri* pro *praestatum* vel *praestitum iri,* h. e. praestandum esse, aut fore ut praestetur; leguntur ap. *Pomp. Dig.* 18, 1, 66. et *Jabolen. ib.* 4, 10. Sic *datu iri* ap. *Ulp. ib.* 45, 1, 38. *f.* et *debitu iri* ap. *eund.* 12, 1, 10. et *Scaevol. ib.* 38. et *traditu iri* ap. *Paul. ib.* 6, 1, 47. et *Julian. ib.* 40, 5, 47. et *redditu iri* ap. *eund. Paul.* 27, 1, 27. *med.* Ut quidem ubique legitur in celebri editione *Torrentini,* nam *Haloand.* et *praestitum,* et *datum,* et *debitum,* et *traditum,* et *redditum* in sua exhibet: quem alii plures secuti sunt. Qui *praestituiri* conjuncte scribunt, manuscriptorum morem nescire videntur, omnia fere verba jungentium. Quidam putant, illud ipsum *praestitu iri* ortum esse ex ignorantia legentium manuscripta, in quibus cum *praestituiri,* superducta syllabae *tū* lineola, appareret, hac illi aut dissimulata, aut non perspecta, *praestitu iri* fecerint, cum *praestitum* debuissent. ℙ [*Confund. *praestare* et *praebere.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 615. — *Praestat* et *perstat. Id. ib.* 5, 211.]

PRAESTOLĀTUS, a, um. V. v. sq.

PRAESTOLOR, aris, atus sum, dep. 1. *περιμένω, ὑπομένω,* exspectando praesto sum: a *praesto. Paul.* ex *Fest.* Praestolari dicitur is, qui ante standō, ibi, quo venturum excipere vult, moratur. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 5, 6, 5. Praestolari est praesto esse, et apparere, *h. e.* obsequi, *Caes. B. C.* 2, 23. Hujus adventu L. Caesar cum longis navibus ad Clupeam praestolans. *Ter. l. c.* Quem praestolare, Parmeno, hic ante ostium? *Pl. Epid.* 2, 2, 33. Ego illam illic video praestolarier. *Id Truc.* 2, 3, 15. Nescio quem praestolata est. *Cic. Cat.* 1, 9. Qui tibi ad forum Aurelium praestolarentur armati. *Id. Att.* 2, 15. *f.* Ut in Formiano tibi praestoler usque ad III. Non. Maji. Alii leg. *te:* sed *Donat.* ad *Ter. l. c.* nove dictum putat *te* pro *tibi.* ℙ Cum gen. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 109. Occulte taciteque advenientium cohortium praestolari occipiunt. Alii leg. *advenientiam,* adventum: dictum ut *habentia, variantia, retinentia.* ℙ Activa forma *Turpil.* ap. *Non.* 7, 67. Ego praestolabo illi. *Liv.* vel *Laev. ib.* Nimis pol imprudenter suis (alii *servis*) praestolaras. ℙ Part. *Praestolatus* ap. *Appul. Met.* 5. Statim voces cubiculo praestolatae novam nuptam interfectae virginitatis curant. ℙ De quantitate paenultimae iis est. Apud veteres nihil invenies, quod rem conficiat. *Valla* produxit: *Voss. de Gramm.* 2, 37. corripiendam censet. Ducit enim (tum ibi, tum 7, 34. cum *Jos. Scal. ad Fest.*) a *praesto,* a quo factum sit *praestus,* ab eo *praestulus,* et, ut dicebant antiqui, *praestolus.* [*Adde *Becmannum* in *manud.* p. 1030. Quam rationem *Doederl.* 3, 53., ubi v., non rejicit quidem, sed nescit, an *praestolari* pro diminutivo ipsius v. *praestare* haberi possit.]

PRAESTRANGŪLO, as, a. 1. multum strangulo. Translate. *Quint. decl.* quae inscribitur *Tribunus Marianus,* 3. Ne anxium oratorem praestrangulet et conficti facinoris procax invidia, et coelibatus sancti pura dilectio, *h. e.* ne cogat tacere.

PRAESTRĒNŪE. V. PERSTRENUE.

PRAESTRICTIO, onis, f. actus praestringendi, ut Praestrictio sensus ap. *Tert. Res. carn.* 49. *f.*, ubi alii leg. *praestructio.*

PRAESTRICTUS, a, um, part. a *praestringo,* valde strictus. *Ov. Ib.* 551. Utve Syracosio praestricta fauce poetae. *Sen. Troad.* 560. Praestricta manus vinculis secantibus. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 1. Praestrictus gelu non potuit eo pervenire humor. ℙ *Ammian.* 14, 7. Praestrictis palatii januis ad praetorium perrexit. *Sen. ep.* 71. *f.* Oculi cedunt nimio splendore praestricti. *Prud. Cath.* 7, 44. loquentis voce praestrictus Dei.

PRAESTRINGO, is, inxi, ictum, a. 3. *διαφλίγγω,* valde stringo, perstringo, comprimo, arcte ligo. *Tac. A.* 12, 47. Pollices vincire, nodoque praestringere. *Plin.* 8, 11, 11. Bellantes cum elephantis dracones tantae magnitudinis, ut circumplexu facili ambiant, nexuque nodi praestringant. *Id.* 17, 24, 37. *n.* 9. Praestringere et strangulare. *Id.* 10, 72, 92. Vehementer praestringere aliquid. *Id.* 18, 34, 77. Ventus praestringit atque percellit radices arborum, quas positurus afferes, *h. e.* comprimit, condensat, indurat. *Id* 22, 25, 68. Panis datur ex vino ad discutienda, quae praestringi opus est, *h. e.* coerceri, sisti, v. gr. fluxiones pituitae. ℙ Pro simplici stringo, aut circumdo. *Stat. Silv.* 5, 1, 112. Ille tuis toties praestrinxit tempora sertis. ℙ *Praestringere oculos,* aut *oculorum aciem* est valde splendenti luce obtenebrare. Nam solis radii oculos cum feriunt, cogunt eos restringere se, et palpebris connivere. Similiter praestigiatores aciem oculorum videntur quodammodo restringere, cum manuum celeritate non patiuntur ea cernere, quae perspicere apta esset. Hujus locutionis exempla multa habes ap. *Non.* 1, 149. ex *Lucil., Plaut., Varr., Cic.,* quae in PERSTRINGO attulimus, et utrumque verbum promiscue in libris legi, docuimus. Hic adde, etiam *praestringuo* a nonnullis pro istis alicubi substitui, ut adnotavit *Drakenborch.* ad *Sil.* 1, 358., et nos in eo verbo admonuimus, [*item ad *Liv.* 40, 59, 4.] ℙ *aciem ferri,* hebetare, retundere, quod ab acie oculorum translatum videtur. [*Immo a ferro translatum ad oculos, ingenium ac mentem est. V. *Mart. Lag.* ad *Lucan.* 1, 154.] *Plin.* 7, 15, 13. Speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur, acies ferri praestringitur. Adde *Pl. Truc.* 2, 6, 11. ℙ *nitorem eboris* est *offuscare,* infuscare. *Plin. ib.* ℙ Ap. *eund.* 17, 24, 37. *n.* 6. *praestringere vites* est excaecare palmites, supina falce auferendo oculos, ut *Id. ib.* 22, 35. *n.* 11. dixerat. ℙ Pro transeundo attingere, prope ire, radere. *Ammian.* 31, 3. *med.* A superciliis Gerasi fluminis adusque Danubium Taifalorum terras praestringens, muros altius erigebat.

PRAESTRUCTIM, adv. praestruendo, ante praeparando, via ante praestructa. *Tert. Pall.* 3. Multa dicendum fuit, ut ad hominem praestructim perveniretur.

PRAESTRUCTIO, onis, f. praeparatio, fundamentum. *Tert. adv. Marc.* 4, 14. *med.* Nisi hanc promissionem creator in Evangelii sui praestructionem destinasset. Adde *adv. Herm.* 16.

PRAESTRUCTURA, ae, f. praestructio. *Tert. adv. Marc.* 4, 2. Ad Evangelii praestructuram.

PRAESTRUCTUS, a, um, part. a *praestruo,* ante structus. *Colum.* 1, 5. *f.* Ab imo praestructa valenter resistent contra ea, quae postmodum superposita incumbent. ℙ Item obstructus. *Ov. Met.* 14, 797. Portaque nequicquam rigidis permissa Sabinis, Fonte fuit praestructa novo. ℙ Translate est ante praeparatus, praemissus. *Suet. Tib.* 53. Cum praestructum utrumque consulto esset. *Claud. B. G.* 285. nec nota fefellit Semita praestructum bellis civilibus hostem, *h. e.* antea instructum, edoctum.

PRAESTRŬO, is, uxi, uctum, a. 3. *προκατασκευάζω*, ante, vel in anteriori parte struo. V. v. praec. ℙ Item obstruo, claudo. *Ov. Fast.* 1, 563. de Caco: Ille aditum vasti praestruxerat objice montis. Alii leg. *perstruxerat*. *Id. A. Am.* 2, 21. Hospitis effugio praestruxerat omnia Minos. Alii leg. *praecluserat*. *Stat. Achill.* 1, 480. Quemve alium Stygios tulerit secreta per amnes Nereis, et pulcros ferro praestruxerit artus? *h. e.* firmaverit contra ferrum, et impenetrabiles fecerit. Alii leg. *perstrinxerit*. ℙ Translate a prima notione est praeparare, praemittere tanquam fundamentum rerum sequentium. *Liv.* 28, 42. Fraus fidem in parvis sibi praestruit, ut, cum operae pretium sit, cum mercede magna fallat. *Ascon.* in *Div. Verr.* 8. *f.* Praestruit ad illud quod dicturus est, multa esse crimina in Verre, quae, etc. *Claud. in Ruf.* 2, 280. sensu dolor haeret in alto Abditus, et tacitas vindictae praestruit iras. *Id. IV. cons. Honor.* 319. prius agmina duris Exerce studiis, et saevo praestrue Marti. ℙ Part. *Praestruens* ap. *Ammian.* 31, 7. Id scilicet praestruentes.

*PRAESTULTUS, a, um, adj. *πάνυ ἀνόητος*. *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

[PRAESTŪPESCO, is, n. 3. valde stupesco. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 66. Ad quam fortunam ceteris praestupescentibus prae vi malorum, etc. *F.*]

PRAESTŪPĬDUS, a, um, adj. valde stupidus. *Juvenc.* 4, 200. Altera praestupido pars est stolidissima corde.

PRAESŪDO, as, n. 1. *προϊδρόω*, ante sudo. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 120. Dum matutinis praesudat solibus aer, *h. e.* rore fluit. ℙ Translate sumitur pro ante exerceri. *Stat. Th.* 6, 4. super quo Martia bellis Praesudare paret, seseque accendere virtus.

PRAESUL, ŭlis, m. et f. praesultator, praesultor, *προορχηστήρ*: a *prae*, et *salio*. Dicitur de principe Saliorum, qui ancilia per urbem gestantes salire solebant. *Capitol. M. Aurel.* 4. Fuit in eo sacerdotio *(Saliorum)* et praesul, et vates, et magister. *Inscr.* ap. *Arditi, della legge Petronia* p. 8. Sp. Turranius L. F Fab. Proculus Gellianus flamen Dialis, flamen Martialis, Salius praesul, augur, etc. ℙ Translate *praesul* dicitur servus, qui, dum virgis in circo caederetur, furcam in collo ferens, ad verberum ictus, si modo posset, evitandos identidem saltabat. *Cic. Div.* 1, 26. Servus per circum, cum virgis caederetur, furcam ferens ductus est. Exin cuidam rustico R. dormienti visus est venire, qui diceret, praesulem sibi non placuisse ludis, etc. *Id. ib.* 2, 66. de ead. re: Pervulgatum jam illud de praesule. V. PRAESULTATOR et PRAESULTOR. ℙ Item universim qui alicui rei praeest, praeses, *πρόεδρος, προστάτης*. *Pall.* 1, 6. *med.* Recordati, arbori huic esse praesulem Castitatem; et *ib. f.* Agri praesul, *h. e.* villicus. *Rut. Itin.* 1, 550. Testis Roma sui praesulis esse potest, *h. e.* viri qui Romae honorum culmen indeptus est, ut ait *Sym. ep.* 4, 23. de eodem illo loquens, de quo *Rut.* hic. *Solin.* 1. Angerona, Diva praesul silentii. *Capell.* 6. *in.* de Pallade: Quod dux sanguineo, praesulque corusca duello. *Avien. Perieg.* 519. Et Junone calent hic arae praesule semper. *Sidon. ep.* 4, 14. Praesul fori. *Auson. ep.* 4, 79. Praesul creatus litteris. ℙ Ex locis nuper allatis satis constat, *praesul* proprie et eleganter usurpari tantum de principe Saliorum; deinceps de eo, qui in eorum morem saltat; cadente vero Latinitate etiam de eo, qui alicui rei praeest. Hinc minus proprie apud nos episcopi, sive antistites sacrorum, passim vocantur praesules.

PRAESULSUS, a, um, adj. valde salsus. *Colum.* 6, 2. *med.* Libralesque offas in praesulsae adipis liquamine tinctas.

PRAESULTĀTOR, oris, m. praesultor. *Liv.* 2, 36. Visus Juppiter dicere, sibi ludis praesultatorem displicuisse. V. PRAESUL.

PRAESULTO, as, n. 1. *προπηδάω*, ante salio. *Liv.* 7, 10. Quando adeo ferox praesultat hostium signis.

PRAESULTOR, oris, m. *ὁ ἐν τοῖς ἱεροῖς προορχούμενος*, qui in sacris choream ducit, et ante alios salit. Translate. *Lact.* 2, 7. Ti. Atinio homini plebejo per quietem obversatus esse Juppiter dicitur, et praecepisse, ut consulibus et senatui nunciaret, ludis circensibus proximis praesultorem sibi displicuisse, quod quidam diverberatum servum sub furca medio circo ad supplicium duxerat; ideoque ludos instaurari oportere. Item refert *Val. Max.* 1, 7. *n.* 4. et *Cic. Div.* 1, 26. et *Liv.* 2, 36. V. PRAESUL et PRAESULTATOR.

PRAESUM, praees, praeest, praefui, n. anom. *ἐπιστατέω, ἐφίσταμαι*, ante alios sum, praesideo, praepositus sum, praefectus sum: a *prae*, et *sum:* vel a *praes*, et *sum*, unde *praesest* pro *praeest:* de quo V. in PRAES. *Caes. B. G.* 6, 12. Omnibus Druidibus praeest unus, qui summam inter eos habet auctoritatem; et *ib.* 1, 18. et 52. Equitatu Dumnorix praeerat: pro *equitatui*. V. ASPECTUS. Sic *ib.* 16. Liscus, qui summo magistratu praeerat. *Id. ib.* 2, 6. Iccius, qui tum oppido praeerat; et *ib.* 5, 22. Quibus regionibus quatuor reges praeerant. *Sall. Cat.* 43. *extr.* Qui ei provinciae legatus praeerat; et *Cic. Verr.* 2, 3, 77. *f.* Ea provincia, in qua tu triennium praefuisti. *Nep. Cat.* 2. Censor factus, severe praefuit ei potestati. *Caes. B. C.* 3, 25. Praeesse classi; et *ib.* 57. exercitui; et *ib.* 61. alicui negotio. *Sall. Cat.* 32. *extr.* vigiliis, quae per urbem habentur. *Nep. Con.* 4. regiis opibus; et *Phoc.* 3. rebus regiis; et *Cic. Verr.* 2, 2, 59. statuis faciendis. *Id. Har. resp.* 7. sacris. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* aedibus, *h. e.* aedilem esse. *Mart.* 10, 2. At chartis nec fata nocent, nec saecula praesunt, *h. e.* non sunt superiora, non diutius durant, non vincunt. ℙ Absolute juri dicundo praepositum esse, et actionibus dandis. *Pomp. Dig. l. c. in.* Ex quibus constituebatur, quis quoque anno praeesset privatis; et *paulo post:* Augescente civitate, et qui praeerant, quaedam genera agendi composuerunt. Huc alludere videtur *Cic. Or.* 1, 10. Id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, sed multis praeessem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex jure manu consertum vocarent. ℙ *Praeesse rei alicui*, auctorem et ducem se praebere. *Cic. Amic.* 11. Non enim paruit ille Ti. Gracchi temeritati, sed praefuit: nec se comitem illius furoris, sed ducem praebuit. *Id. Att.* 9, 6. *f.* Illi crudelitati non solum praeesse, verum etiam interesse. ℙ *Praeesse alicui facultati*, aut *artificio*, profiteri, cum quadam excellentia. *Cic. Or.* 1, 45. Juris civilis cognitio, quantum afferat iis, qui ei praesunt, honoris, gratiae, dignitatis, quis ignorat? et *ib.* 55. Et clarissimi cives ei studio praefuerunt; et *Fin.* 4, 27. *f.* Prudentiam omnes, qui cuique artificio praesunt, debent habere. *Colum. praef. med.* Ignarum rei, cui praefuturus est, magistrum fieri jubet. [*V. *Ernest. cl. Cic.*] ℙ Pro tueri, praesidio esse. *Ov. Fast.* 5, 135. de Larib. Praestitib.: Stant quoque pro nobis, et praesunt moenibus Urbis, Et sunt praesentes, auxiliumque ferunt.

PRAESŪMO, is, mpsi, et msi, mptum, et mtum, a. 3. *προλαμβάνω*, ante sumo, praecipio, anticipo, anteverto, praeverto. *Ov. A. Am.* 3, 757. Neve domi praesume dapes, *h. e.* antequam in convivium venias. *Plin.* 25, 5, 21. Helleborum album non facile colligitur, caput aggravans, maxime nisi praesumatur allium. *Tac. A.* 14, 3. Praesumendo remedia munierat corpus; et *Cajus Epit. Inst. tit.* 13. *med.* Heres meus rem illam illum permitte praesumere, et sibi habere. V. PRAECIPIO; et *Plin.* 28, 4, 14. Praesumere cibis, et interponere frigidam. *Plin. alter ep.* 6, 10, *f.* Ut ipsi nobis debeamus etiam conditoria exstruere, omniaque heredum officia praesumere; et *ep.* 3, 1. *f.* Hanc ego vitam voto et cogitatione praesumo, ingressurus avidissime, ut primum ratio aetatis receptui canere permiserit. *Virg. A.* 11, 18. Arma parate animis, et spe praesumite bellum, *h. e.* bellum jam jam futurum mente et cogitatione tanquam praesens inite. Sic *ib.* 491. et spe jam praecipit hostem. *Quint.* 10, 5. Verba poetica libertate audaciora praesumunt eandem proprie dicendi facultatem. *Burm.* legit *non praesumunt*, et interpretatur, non adimunt, non impediunt: quod videtur obscurius. *Id.* 11, 1. Inviti judices audiunt praesumentem partes suas, *h. e.* praeoccupantem. *Id.* 1, 1. Quantum in infantia praesumptum est temporis, adolescentiae acquiritur; et *Plin.* 18, 25, 60. Sementibus tempora plerique praesumunt. *Tac. A.* 1, 48. Venire se valida manu, ac ni supplicium in malos praesumant, usurum promiscua caede, *h. e.* ante suum adventum sumant. *Quint.* 8, 6. *f.* de compos. verbor.: Differenda igitur quaedam, et praesumenda, atque ut in structuris lapidum impolitiorum, loco, quo convenit, quidque ponendum. *Id.* 12, 9. Praesumere male audiendi patientiam; et *Sen. ep.* 107. Mortem contemnes, si saepe cogitaveris, et futura praesumpseris; et *Val. Max.* 1, 5. *n.* 3. E fortuito dicto quasi spem certam clarissimi triumphi animo praesumpsit. *Tac. H.* 1, 62. Torpebat Vitellius, et fortunam principatus inerti luxu ac prodigis epulis praesumebat, *h. e.* usurpabat, antequam certus esset princeps. [*Adde *H.* 3, 9. in Vitellium ut inimici praesumpsere, i. e. ante tempus cum arrogantia judicavere.] Adde *Hor. Sat.* 2, 2, 87. ℙ Pro praenoscere. *Tac. A.* 12, 41. Spectaret populus, hunc decore imperatorio, illum puerili habitu, ac perinde fortunam utriusque praesumeret. *Quint.* 2, 4. Illa in pueris natura minimum spei dederit, in qua ingenium judicio praesumitur, *h. e.* intelligitur ex judicio, cum ex memoria debeat, ut *Id.* docet 1, 3. *in.* ℙ Pro audere, occipere, moliri, apud sequioris aevi scriptores, sive in bonam, sive in malam partem. *Auct. Pan. ad Constant.* 2. Tene, imperator, tantum animo potuisse praesumere, ut bellum tantis opibus conflatum, cunctantibus tunc imperii tui sociis, primus invaderes? *Sulpic. Sever. Hist. sacr.* 1, 47. Illicita praesumens, incensum Deo obtulit: quod solis facere sacerdotibus fas erat. *Sex. Ruf. Brev.* 7. Epirotae, qui ad Italiam transire praesumpserant. ℙ Item sine ratione aliquid expetere, et exspectare. *Tert. Cult. fem.* 2. Qui praesumit, minus veretur, minus praecavet, plus periclitatur. *Pacat. Pan. Theodos.* 42. Nec praesumere veniam reus, nec sperare fugam clausus, nec mortem potuit timere moriturus. ℙ Item opīnari, credere, conjicere. *Just.* 6, 2. Eo instantius debita poscentes, quo graviorem sub magno duce militiam praesumebant. *Papin. Dig.* 12, 6, 3. Ab hostibus reverso filio, quem pater obiisse falso praesumpserat. *Id. ib.* 31, 1, 69. Ne fides communium liberorum decipiat patrem, qui melius de matre praesumpserat. *Paul. ib.* 48, 10, 18. Qui se filio testatoris impuberi tutorem adscripsit, suspectus esse praesumitur. *Ulp. ib.* 12, 3, 7. Vulgo praesumitur, alium in litem non debere jurare, nisi dominum litis.

PRAESUMPTĒ, adv. *Vopisc. Car.* 4. Cari patria sic ambigue a plerisque proditur, ut praesumpte veritatem dicere nequeam, quae illa vera sit. V. *veritatem* quidam delendum censent: *praesumpte* est audacter, et nihil haesitando. Al. leg. *praesumpta gravitate*.

PRAESUMPTĬO, onis, f. *πρόληψις*, actus praesumendi, ante sumptio, et id quod ante sumitur. *Cic. Div.* 2, 53. Sed demus tibi istas duas sumptiones, ea quae *λήμματα* appellant dialectici; sed nos Latine loqui malumus: praesumptio tamen, quam *πρόληψιν* iidem vocant, non dabitur, *h. e.* major propositio syllogismi, sicuti *sumptio*, et *assumptio* est minor. ℙ Item anticipatio, seu praenotio, opinio, fiducia de re aliqua, antequam eveniat. V. PRAESUMO. *Plin. ep.* 9, 3. Beatissimum existimo, qui bonae mansuraeque famae praesumptione perfruitur, certusque posteritatis cum futura gloria vivit. *Id. ep.* 4, 15. *med.* Rerum, quas assequi cupias, praesumptio ipsa jucunda est. *Just.* 3, 4. Cum contra praesumptionem suam annis decem in obsidione tenerentur. *Spart. Hadr.* 2. Habuit autem praesumptionem imperii mox futuri ex Jovis responso. *Sen. ep.* 117. Multum dare solemus praesumptioni omnium hominum, *h. e.* praeceptae opinioni. *Papin. Dig.* 41, 3, 44. *med.* Si, ex patris hereditate ad se pervenisse rem emptam, non levi praesumptione credat. *Ulp. ib.* 29, 2, 30. *med.* Toties ei sua praesumptio proficit, quoties concurrit cum veritate; et *ib.* 43, 4, 3. *extr.* Ad exemplum praesumptionis Carboniani edicti, praetor pollicetur possessionem. *Id. ib.* 40, 5, 24. *med.* Cum ex praesumptione libertas praestita esse videtur. ℙ Item occupatio, figura rhetorum. *Quint.* 9, 2. *med.* Mire in causis valet praesumptio, quae *πρόληψις* dicitur, cum id, quod objici potest, occupamus. ℙ Sequiori aevo audacia, confidentia, nimia spes. *Sulpic. Sever. Hist. sacr.* 1, 33. Illicita praesumptione rex ad vicem sacerdotis holocaustum obtulit. *Tert. Cult. fem.* 2. Timor fundamentum salutis, praesumptio impedimentum timoris. *Appul. Apol.* Pari avaritia et egestate totum Pudentillae quadragies praesumptione cassa devorarat. ℙ Item obstinata animi praeparatio, et ultra modum obfirmata constantia. *Appul. Met.* 8. Sese multinodis commulcat ictibus, mira contra plagarum dolores praesumptione munitus; et *ib.* 10. Obfirmatus mira praesumptione, nullis verberibus, ac ne ipso quidem succubuit igni. ℙ Item falsa religio, superstitio, qua animus jam perperam imbutus fuit. *Id. Met.* 9. In vicem certae religionis, mentita sacrilega praesumptione Dei, quem praedicaret unicum confictis observationibus vacuis. ℙ Item quaevis praejudicata opinio, et falsa sententia. *Tert. Apol.* 49. Hae sunt, quae in nobis solis praesumptiones vocantur, in philosophis et poetis summae scientiae, et insignia ingenia.

PRAESUMPTĬOSUS, a, um, adj. praesumptionis et audaciae plenus. *Sidon. ep.* 1, 11. Quod juvenem dictasse praesumptiosum fuisset, publicasse periculosum. Al. leg. *praesumptuosum*, quod *Id.* usurpavit etiam *ib.* 1. Hoc a *praesumptus* fit, illud a *praesumptio*.

PRAESUMPTOR, oris, m. qui prius quam jus ei sit, aliquid sumit. *Cassiod. Var.* 1, 18. Si Romanum praedium sine delegatoris cujusdam pittacio praesumptor barbarus occupavit, illud priori domino, submota dilatione, restituat. ℙ Item qui fidenter, aut nimis audacter sibi promittit. *Tert. Poen.* 6. *f.* At ille praesumptor, cum sibi repromitteret, securus scilicet, timere non potuit. *August. ep.* 120. *c.* 14. Petrus ex egregio praesumptore tam creber negator effectus. Adde *Paul. Nol. carm.* 24, 225., *Ammian.* 26, 8. *f.* et *Imp. Theod. Cod. Theod.* 16, 2, 48.

PRAESUMPTORĬE, adv. nimis fidendo, et praesumendo. *Tert. adv. Marc.* 4, 41. Petrus praesumptorie aliquid elocutus.

PRAESUMPTŬOSE, adv. idem quod praesumptorie. *Sidon. ep.* 7, 6. Praesumptuose arroganterque loqui.

PRAESUMPTŬOSUS. V. PRAESUMPTIOSUS.

PRAESUMPTUS et Praesumtus, a, um, part. a *praesumo: προληφθείς*, [*προληπτικός], ante sumptus, praeceptus. *Sil.* 5, 213. Manibus ipsa suis praesumpta piacula mittit. *Id.* 6, 300. praesumpta piacula mortis. *Plin.* 30, 15, 51. Ebrietatem arcet pecudum assus pulmo praesumptus. *Id.* 25, 2, 2. Quotidie venenum bibere praesumptis remediis.

Claud. IV. cons. Honor. 166. festinaque voti Praesumptum diadema dedit, *h. e.* ante legitimam aetatem. *Quint. prooem.* 1. *med.* Altius ibunt qui ad summa nitentur, quam qui praesumpta desperatione quo velint evadendi, protinus circa ima substiterint. *Id.* 2, 17. *med.* Nihil invidia valeat, nihil gratia, nihil opinio praesumpta. Sic *Sil.* 7, 582. Praesumpta spes. *Tac. A.* 2, 73. Ut quis misericordia in Germanicum, et praesumpta suspicione, aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur; et *Agr.* 18. Transacta aestas, sparsi per provinciam numeri, praesumpta apud militem illius anni quies. ℙ *Praesumptum est*, praesumpta opinio est. *Ulp. Dig.* 21, 1, 31. *f.* Praesumptum est, quosdam servos bonos esse, quia nationis sunt non infamatae. Adde *ib.* 37. Sic *Scaev. ib.* 32, 1, 32. *extr.* Quod praesumptum id esse debeat, nisi contrarium ab heredibus probetur. [**Quint. Inst.* 3, 6, 35. Idem, qui ἀπόλητον et *προληπτικὸν* dicunt, id est *dubium* et *praesumtum*, quo significatur, de quo liquet: ubi v. *Spalding.*] ℙ *Praesumptum habere*, tanquam praemissum certumque habere. *Tac. A.* 14, 64. Quod ad eum finem memoravimus, ut quicumque casus temporum illorum nobis vel aliis auctoribus noscent, praesumptum habeant, quoties fugas et caedes jussit princeps, toties grates Deis actas. ℙ Comp. *Praesumptior* ap. *Coripp. Johann.* 4, 550. Natus et eximius sumptis praesumptior armis.

PRAESŪO, is, ui, utum, a. 3. ante, vel in anteriore parte consuo. *Plin.* 12, 19, 43. Consecant casiae surculos, mox praesuunt recentibus coriis.

[PRAESURGO, is, rexi, rectum, n. 3. ante surgo. *Avien. Prognost. Arat.* 172. interdum tenuis praevertere nubes Visa Deum *(Solem)*; haec celeri si praesurrexerit ortu. *F.*]

[PRAESUSPECTO, as, a. 1. ante suspecto. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 43. *extr.* Malo enim nos praesuspectantes aliquid difficultatis, etc. *F.*]

PRAESŪTUS, a, um, part. a *praesuo*, ante consutus. *Ov. Met.* 11, 8. hastam Vatis Apollinei vocalia misit in ora: Quae foliis praesuta notam sine vulnere fecit, *h. e.* thyrsus cuspidem habens foliis contectam, et quasi praepilatam. Al. leg. *praefixa, protecta, persuta, praefulta*, etc. [*Vulgata unice ferenda. V. *Gierig.*]

PRAETACTUS, a, um, part. a *praetango*, ante tactus. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 9. Praetacta nervositas, *h. e.* ante affecta. *Id. Tard.* 4, 3. Lanis mollibus venter contegendus, leviter oleo Hispano praetactus. Adde *ib.* 4.

[PRAETAEDESCIT, ebat, impers. 3. ante taedescit. *Not. Tir.* p. 177. Praetaedescit, praetaesus. *F.*]

[PRAETAESUS, a, um, part. ab inus. *praetaedeo.* V. v. praec. *F.*]

PRAETANGO, is, a. 3. ante tango. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 7. Praemoveri corpus, sive praetangi accessione ventura. Adde *ib.* 1, 4.

*PRAETECTIO, onis, f. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 9. Oculorum praetectio. *B. A.*

PRAETECTUS, a, um, part. a *praetego*, contectus. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 5. *n.* 112. Sole corpus torrendum, sed praetecto capite. Adde *ib.* 2, 7. et *ib.* 3, 8. et *Acut.* 1, 9.

PRAETĔGO, is, exi, ectum, a. 3. ἐπικαλύπτω, ante tego, contego. *Prop.* 3, 12, 12. Virgineumque cavo praetegit aere caput. Alii leg. *protegit. Plin. Pan.* 15. Quis sudores tuos hauserit campus, quae refectiones tuas arbores, quae somnium saxa praetexerint. [*V. *Gierig.*] *Lact.* 5, 2. Vitia sua capillis et pallio, et (quod maximum est velamentum) divitiis praetegebat.

PRAETENDO, is, endi, ensum, a. 3. προτείνω, ante extendo, obtendo, objecto. *Plin.* 11, 2, 1. Ubi visum in culice natura praetendit? ubi gustatum applicavit? *h. e.* extendit, et posuit in anteriore oris parte. *Id. ib.* 37, 45. Cornua cochleis bina, et ut praetendantur, ac resiliant; et *ib.* 77. Membrana, quae praecordia appellant, quia cordi praetenditur. *Virg. G.* 1, 270. segeti praetendere sepem. [*Huc pertinet etiam, quae *Noster*, nescio quo discrimine, infra posuerat, ista:] *Virg. A.* 8, 116. Paciferaeque manu ramum praetendit olivae. *Id. G.* 4, 230. fumosque manu praetende sequaces, *h. e.* praefer, ut apibus offundas. *Ov. Am.* 3, 6, 79. vestem tumidis praetendit ocellis, Atque ita se in rapidas perdita misit aquas. *Plin.* 9, 6, 5. Praetendi jussit plagas multiplices inter ora portus. *Just.* 29, 4. *extr.* Praetendere alicui insidias. [*Haud alieno loco conferri hic etiam posse videntur ista: *Virg. A.* 9, 599. Marti praetendere muros i. e. pugnam detrectare, post muros latendo. *Lucan.* 7, 338. nullasque moras praetendere bello: ubi v. *Cort.*] *Avien. Perieg.* 359. blandus praetenditur aer, *h. e.* circumfunditur. *Suet. Vit. Plin.* Cum flagrante Vesevo, ad explorandas propius causas Liburnicas praetendisset, *h. e.* ante egisset, propulsset. [*Legendum est *pertendisset*, v. in h. v. Neque abesse hic recte potest illud *Liv.* 3, 47. *(Forc.* in *f.* pos.) Quem decreto sermonem praetenderit, forsan aliquem virum auctores antiqui tradiderint, i. e. praeposuerit, ut justitiam decreti sui ostenderet.] *Plin. ep.* 7, 27. Ille non tollere oculos, non remittere stilum, sed obfirmare animum, auribusque praetendere, *h. e.* animum et constantiam quasi in custodiam aurium praetendere, ne sonitu strepituque percellerentur. *Praetendere* hic a militia ductum videtur, cum castra aut acies contra hostem, et ad custodiam limitum tenduntur. *Tac. H.* 2, 6. Quidquid castrorum Armeniis praetenditur. *Pacat. Pan. Theodos.* 10. Vix Iberum tuum videras, jam Istro praetendebas. ℙ *Praetendi* locus aliquis dicitur, qui alteri objacet, seu ante alium locum extenditur. *Plin.* 3, 1, 2. Baeticae latere septentrionali praetenditur Lusitania. *Id.* 5, 9, 9. Proxima Africae incolitur Aegyptus, introrsus ad meridiem recedens, donec a tergo praetendantur Aethiopes. *Id.* 6, 27, 31. Hyi, qui praetenduntur supra Elymaida. *Id.* 3, 3, 4. Regio Edetania, amoeno praetendente se stagno. ℙ Translate. *Virg. A.* 4, 338. nec conjugis unquam Praetendi taedas, aut haec in foedera veni, *h. e.* praetuli signa conjugii, ut maritus dicerer. *Cic. Vat.* 6. Qui te Pythagoricum soles dicere, et hominis doctissimi nomen tuis immanibus et barbaris moribus praetendere. *Quint. prooem.* 1. Non enim virtute ac studiis, ut haberentur philosophi, laborabant, sed vultum, et tristitiam, et dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus praetendebant. *Ov. R. Am.* 239. Nec te Lar patrius, sed amor revocabit amicae, Praetendens culpae splendida verba tuae. *Plin. ep.* 4, 16. *extr.* Studeamus ergo, nec desidiae nostrae praetendamus alienam. ℙ Nimirum frequenter ponitur pro afferre causam, aut praetextum faciendi quippiam, praesertim si minus vera causa sit, et alia lateat, qua revera ad agendum moveamur. *Quint.* 7, 1. *med.* Ignorantia praetendi non potest. *Flor.* 3, 5. Causam belli praetenderat apud Cassium legatum, attrectari terminos suos a Nicomede. *Tac. A.* 6, 18. Haec a se factitari praetendebat, ut parta apud principem gratia, periculis fratris mederetur. *Id. H.* 2, 85. Misso centurione ad interficiendum legatum, ob simultates, quibus causam partium praetendebat. *Id. A.* 3, 59. *extr.* Fessam aetatem et actos labores praetendere. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 327. sq. — *Livii* exempla praebet *Gloss. Liv.* p. 525.] *Sen. Troad.* 753. Vatem, et insontes praetendis Deos? *Paul. Dig.* 2, 14, 9. Unus tutor plurium pupilliorum nomine unum debitum praetendentium, si convenerit, placuit unius loco esse.

PRAETĔNER, ra, rum, adj. πολυτέρην, valde tener. *Plin.* 25, 13, 99. Sed alia est capnos, fruticosa, praetenera, foliis coriandri. Adde 14, 2, 4. *n.* 2.

PRAETENTĀTUS, a, um, part. a *praetento*, ante tentatus, exploratus. *Suet. Aug.* 35. Ne admissum quidem tunc quemquam senatorum, nisi solum, et praetentato sinu, *h. e.* explorato prius, an arma sinu abdita ferret; et *Claud.* 35. Neque aegrum quemquam visitavit, nisi explorato prius cubiculo, culcitisque et stragulis praetentatis et excussis. *Cic. Or.* 2, 78. Idcirco tota causa praetentata atque perspecta, locis omnibus inventis, atque instructis, considerandum est, etc. Alii leg. *pertentata.* [**Orell.* ne scripturae quidem notat discrepantiam.]

PRAETENTĀTUS, us, m. actus praetentandi. In sexto casu sing. *Plin.* 11, 37, 52. Cochleis oculorum vicem cornicula bina praetentatu implent.

PRAETENTO, as, avi, atum, a. 1. [*frequent. a *tendo*, i. q. obtendo, objecto, oppono. *Claud. B. Gild.* 438. Dextra movet jaculum, praetentat pallia laeva: Cetera nudus eques. Hunc locum *Noster* in f. posuerat. ℙ Hinc orta prius tentandi, scrutandi, explorandi, experiendi, inquirendi notio: nempe protenta aliqua re cavere ne offendas; vel manibus, baculo, aliave re saepius protenta inquirere, tutus, quem ingredi velis, locus sit necne,] προπειράομαι. *Val. Fl.* 1, 312. hi celso cornua malo Expediunt: alii tonsas in marmore summo Praetentant. *Tibull.* 2, 1, 77. Et pedibus praetentat iter suspensa timore, Explorat caecas cui manus ante vias; et *Ov. Ib.* 261. trepidusque ministro Praetentes baculo, luminis orbus, iter. *Plin.* 9, 32, 51. Cochleae corniculis praetentant iter. *Ov. Met.* 14, 189. de Polyphemo: Praetentatque manu silvas, et luminis orbus Rupibus incursat. *Id. ib.* 5, 339. Calliope querulas praetentat pollice chordas. ℙ Translate. *Quint.* 4, 1. *med.* In ingressu parcius et modestius praetentanda est judicis misericordia. *Ov. Met.* 8, 7. Praetentatque sui vires Mavortis in urbe Alcathoi; et *ib.* 9, 587. Ante erat ambiguis animi sententia dictis Praetentanda mihi. *Lucan.* 9, 398. Praetentare pericula. *Val. Fl.* 6, 75. vulnera. V. alia in PRAETENTATUS.

PRAETENTŪRA, ae, f. custodia militaris posita in confiniis provinciae, et veluti praetenta. *Ammian.* 14, 3. Mesopotamiae tractus, omnes crebro inquietari sueti, praetenturis et stationibus servabantur agrariis. Adde *ib.* 2. et 25, 4. et 31, 8.

PRAETENTUS, a, um, part. a *praetendo*: προτεινόμενος, ante extensus, protensus. *Suet. Claud.* 10. Inter praetenta foribus vela se abdidit. *Stat. Th.* 8, 36. praetentaque coelo Agmina nimborum. *Plin.* 11, 37, 32. Talpis visus non est: oculorum effigies inest, si quis praetentam detrahat membranam. *Id.* 10, 37, 53. Quid retia amne praetenta profuere Antonio, per coelum eunte nuncio? *Ov. Her.* 12, 43. Aere pedes solidi, praetentaque naribus aera, *h. e.* nares aere obductae. ℙ Item contra intentus. *Id. Met.* 3, 83. instantiaque ora *(anguis)* retardat Cuspide praetenta; et *ib.* 8, 341. praetentaque forti Tela tenent dextra, lato vibrantia ferro. Adde *ib.* 11, 570., ubi alii leg. *protenta.* ℙ Item simpliciter extentus. [*Hoc nihili est: significat enim *praetentus* non ex trunco procreatos, sed in eo, in anteriore ejus parte propendentes propagines.] *Fab. Pict.* ap. *Gell.* 10, 15. Propagines e vitibus altius praetentos non succidet. ℙ Item objacens, seu ante alium locum extensus. *Virg. A.* 6, 60. praetentaque Syrtibus arva. *Lic.* 10, 2. Tenue litus praetentum. *Val. Fl.* 5, 167. Armeniae praetentus Iber. *Tac. A.* 2, 56. Gens nostris provinciis late praetenta. *Plin.* 6, 20, 23. Montes perpetuo tractu oceani orae praetenti. *Claud. B. Get.* 416. extremis legio praetenta Britannis, *h. e.* opposita custodiae causa.

PRAETĒNUIS, e, adj. ὑπέρλεπτος, valde tenuis, pertenuis. *Plin.* 16, 10, 10. Pinus folium habet capillamenti modo praetenue; et *ib.* 31, 56. Praetenuia fila. *Id.* 19, 6, 34. Allium capite praetenui. *Id.* 33, 6, 32. Simplices, aut praetenues bracteae; et 25, 8, 53. Dictamnum ramis praetenue, pulegio simile. *Id.* 8, 50, 76. Praetenuis pons.

PRAETĔPĔO, es, n. 2. prius tepeo. Transiate. *Ov. Am.* 2, 3, 5. Mollis in obsequium, facilisque rogantibus esses, Si tuus in quavis praetepuisset amor, *h. e.* si ante incaluisset.

PRAETER, praepos. παρὰ, ante, juxta, cum verbis motus, et accusativo: a *prae*, ut *subter* a *sub.* [**Praeter* pr. comparativus particulae *prae* (Gr. παρὰ contr. πρᾶ, πράτερος, πράτερα, v. *Scheid.* ad *Sanct.* p. 232.) significationem illius, de qua supra dictum, auget addita motus notione. Itaque de loco dictum, ubi *prae* notabat, aliquid *juxta* vel *prope* esse, sed priori loco, ita *praeter*, juxta aliquid moveri significat, *Germ. förder*, vel obsol. forma *fürder, fürbass*, Angl. *furthur. B. Crus. cl. Suet.* p. 616. sq.] *Pl. Stich.* 3, 2, 7. Mustela murem mihi abstulit praeter pedes. *Lucr.* 4, 140. Interdum magni montes, avolsaque saxa, Montibus anteire, et solem succedere praeter. *Caes. B. G.* 1, 48. Praeter castra Caesaris suas copias transduxit, et millibus passuum duobus ultra eum castra fecit. *Liv.* 40, 41. Ligures in naves impositos praeter oram Etrusci maris Neapolim transmisit. *Id.* 38, 18. Praeter ripam euntibus Romanis Galli occurrere. *Plin.* 6, 3, 4. Praeter radices Amazonii montis lapsus amnis. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. Servi ejus praeter oculos Lollii haec omnia ferebant; et *Tac. H.* 4, 30. Praeter ora suorum. *Plin.* 36, 2, 2. Tantas moles in privatas domos trahi praeter fictilia Deorum fastigia. *Ov. Met.* 5, 158. tela volant hiberna grandine plura Praeter utrumque latus, praeterque et lumen et aures. ℙ [*Unde de rebus vi comparationis progressum ultra aliquid notat, quod relinquitur, omittitur, eximitur, ut Gr. παρά, πλήν, nostr. *über, ausser. Forc.* exempla laudaverat ista:] *Sall. Cat.* 36, 2. Ceterae multitudini diem statuit, ante quam liceret sine fraude ab armis discedere, praeter rerum capitalium condemnatis. *Just.* 13, 5. Epistolas in Graeciam scripserat, quibus omnium civitatium exsules, praeter caedis damnati, restituebantur. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 5. E Graecis ipsis diligenter cavendae sunt quaedam familiaritates, praeter hominum perpaucorum. *Suet. Ner.* 56. Religionum usquequaque contemptor, praeter unius Deae Syriae. *Id. Claud.* 4. *f.* Reliquit eum, nullo, praeter auguralis sacerdotii, honore impertitum. [*V. *Gron.* ad *Gell.* 1, 23. *f.*] *Ov. Fast.* 6, 406. Nil praeter salices, cassaque canna fuit. *Varr. R. R.* 1, 41. *f.* Potius surculos de ficeto, quam grana de fico expedit obruere: praeter si aliter nequeas. Adde *Tert. adv. Marc.* 4, 24. et *Calp. Ecl.* 4, 27. [**Suet. Tib.* 26. ex plurimis maximisque honoribus praeter paucos et modicos non recepit, *h. e.* nonnisi paucos. His locis *praeter* primitivam vim obtinet, qua adverbium est comparativum, idem significans, quod *praeterquam.* V. *Drak.* ad *Liv.* 3, 52, 13. et *Oudend.* ad *Suet. Claud.* 4. et ad *Caes. B. G.* 1, 5, 3. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 36, 2. qui adiri jubet *Matth.* ad *Cic. Manil.* 23, 67. *Heus.* ad *Off.* 2, 2, 3. ℙ Frequentius tamen, et certo statoque jam usu, accusativo jungitur. Ex iis, quae *Forc.* laud., huc pertinent ista: *Cic. Cluent.* 20. Omnibus sententiis, praeter unam, condemnatus est. *Caes. B. G.* 4, 1. *f.* Ut locis frigidissimis neque vestitus, praeter pelles, habeant quidquam. Adde *Cic. Att.* 1, 1. Hoc nemini praeter me videtur. ℙ Ponitur *praeter* etiam ita, ut iis, quorum mentio facta est, aliud quid accedit, sequentibus particulis *etiam, quoque, tum*, etc.] *Caes. B. C.* 3, 32. Exactores praeter imperatas pecunias, suo etiam privato compendio inserviebant; et *ib.* 57.

Ut praeter auctoritatem vires quoque ad coercendum haberet. *Colum.* 4, 18. Quae distinctio, praeter illud commodum, quod plus solis vitibus praebet, tum etiam oculos domini facilius admittit. ℙ *Praeterque*, praetereaque, et insuper. *Plin.* 11, 4, 3. Insecta habent oculos, praeterque e sensibus tactum, atque gustatum. *Id.* 4, 6, 10. Montes in Arcadia Pholoe, Cyllene, Lycaeus, etc. praeterque ignobiles octo. Adde 5, 1, 1. et 29, 5, 33. ℙ *Praeter haec*, praeterea. *Ter. Ad.* 5, 3, 61. Praeter haec meridie ipso faciam, ut stipulam colligat. *Cels.* 2, 4. *f.* Praeter haec periculum ostendit id quod excernitur, si, etc. ℙ *Praeterhac*, et *Praeter hac*, V. infra s. l. ℙ Saepe *praeter*, et *praeter quam*, est supra, ultra, prae, magis quam. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 15. Si, ut amplissimum nomen consequeremur, unus praeter ceteros adjuvisti, certe idem, ut idem retineamus, praeter ceteros laborabis. *Hor. Epod.* 3, 9. Ut Argonautas praeter omnes candidum Medea mirata est ducem. *Cic. Sull.* 3. Quod mihi consuli praecipuum fuit praeter alios, id jam privato cum ceteris est commune. *Ter. Andr.* 1, 1, 31. Horum ille nihil egregie praeter cetera studebat. *Id. Heaut.* 1, 1, 7. Quod mihi videre praeter aetatem tuam facere, et praeter quam res te adhortatur tua. *Pl. Pers.* 3, 1, 37. Mulier nulla erit, quin sit mala, Quae praeter sapiet, quam placet parentibus. *Id. Merc. prol.* 94. Lucrum ingens facto, praeter quam mihi meus pater dedit aestimatas merces. ℙ Item extra, citra, ultra, contra. *Cic. Phil.* 1, 4. Ut si quid mihi humanitus accidisset (multa autem impendere videbantur praeter naturam, praeterque fatum) testem relinquerem, etc. *Caes. B. G.* 1, 43. Ut praeter se denos ad colloquium adducerent, postulavit. *Nep. A.* 12. Plures praeter consuetudinem armatos apparere. *Cic. Div.* 1, 44. Cum lacus Albanus praeter modum crevisset. *Id. Cat.* 2, 7. *extr.* Cum ei nihil adhuc praeter ipsius voluntatem cogitationemque acciderit. *Auct. ad Her.* 4, 1. In superioribus libris nihil neque ante rem, neque praeter rem locuti sumus; et *Nep. Milt.* 2. Etsi praeter opinionem res ceciderat. *Pl. Bacch.* 3, 3, 14. Praeter aequum delinquere. *Id. Rud.* 2, 3, 69. Multa praeter spem scio multis bona evenisse. *Caes. B. G.* 1, 5. Frumentum omne, praeter quod secum portaturi erant, comburunt, *h. e.* praeter illud, quod, etc. Sic *Cic. Att.* 5, 3. Nullas *(litteras)* adhuc acceperam, praeter quae mihi binae semel in Trebulano sunt redditae, *h. e.* praeter illas, quae, etc. *Just.* 23, 2. Praeter illum nemo regum ditior fuit. *Nep. Milt.* 5. Nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit, praeter Platacensium. ℙ *Praeterquam*, V. infra s. l. ℙ *Praeter propter*, plus minus, circiter; adverb. ex duobus conflatum, ut *ultro citroque*, *plus minus*, *sus deque*, etc. *Gell.* 19, 10. Cum architectus dixisset, necessaria videri sestertia trecenta, unus ex amicis Frontonis, et praeter propter, inquit, alia quinquaginta. *Praeter propter* vivere, inconstantem vitam agere; modo hoc, modo illud velle; nunc huc, nunc illuc ferri, nullam vitae certam rationem sequi. *Enn.* ap. *Gell. ib.* Imus huc, hinc illuc: cum illuc ventum est, ire illinc lubet: incerte errat animus: praeter propter vita vivitur. (Usi sunt etiam *Cato*, et *Varro*, teste *Gell. ib.)* Sunt qui leg. *vitam*, quasi hoc dicat, vivitur praeter id, quod propter vitam est. Sed hoc minus placet. ℙ [*Confund. *praeter* et *praeterea*. V. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 225. *b.*]

PRAETĔRĀGO, is, a. 3. ago ultra aliquem locum. *Hor. Ep.* 1, 15, 10. Mutandus locus est, et diversoria nota Praeteragendus equus. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A Maio.*) 1, 3. Praeteracto prolapsoque Nicolao. *B. A.*

PRAETERBĬTO, is, a. 3. *παρέρχομαι*, transeo, praetereo. *Pl. Poen.* 5, 3, 43. Quid si eamus illis obviam? *Poen.* at, ne inter vias praeterbitamus, metuo. *Id. Epid.* 3, 4, 1. Cave praeterbitas ullas aedes, quin roges, senex ubi habitat.

PRAETERCURRENS, entis, part. ab inus. *praetercurro*, ante atque ultra currens. *Veg. Mil.* 3, 24 *med.* Equis praetercurrentibus.

PRAETERCURSUS, a, um, part. ab inus. *praetercurro:* currendo praeteritus. *Ammian.* 22, 9. Praetercursa Chalcedone, inde Nicomediam venit.

PRAETERDŪCO, is, xi, ctum, a. 3. ultra, vel ante aliquem duco. *Pl. Mil.* 1, 1, 67. Ut te hodie, quasi pompam illac praeterducerem.

PRAETĔREĀ, adv. *ἀλλά τε, ἔτι*, praeter ea, praeter haec, ad haec, insuper, adhuc. [*Cf. de compositione hujus v. quae dicta sunt in *interea*.] *Cic. Or.* 1, 35. Quid tacetis? nihilne vobis in mentem venit, quod praeterea Crasso requiratis? *Caes. B. G.* 3, 20. Auxiliis, equitatuque comparato, multisque praeterea viris fortibus Tolosa et Narbone evocatis; et *ib.* 4. 22. Quidquid praeterea navium habebat, legatis praefectisque distribuit. *Cic. Balb.* 12. Sed nos non possumus et hujus esse civitatis, et cujusvis praeterea. *Id. Fam.* 14, 4. Est in officio adhuc Orpheus: praeterea magnopere nemo ceterorum servorum; et *ib.* 4, 3. *f.* A me sic diligitur, ut tibi uni concedam, praeterea nemini. ℙ In distributionibus. *Sall. Cat.* 14. Quicumque bona patria lacerraverat; quique alienum aes grande conflaverat; praeterea omnes undique parricidae; ad hoc quos manus atque lingua perjurio et sanguine civili alebat; postremo omnes, quos conscius animus exagitabat, hi Catilinae familiares erant. *Cic. Fam.* 10, 3. Nam et in re militari virtutem, et in administranda provincia justitiam, et in omni genere prudentiam mihi tuam exposuit: et praeterea mihi non ignotam suavitatem tuam adjunxit: praeterea summam erga se liberalitatem. *Ter. Eun.* 1, 2, 65. Multae sunt causae, quamobrem cupio abducere: primum quod soror est dicta: praeterea ut suis restituam. *Id. Adelph.* 3, 2, 47. Primum indotata est: tum praeterea quae secunda ei dos erat, periit. ℙ Aliquando ad tempus refertur, et deinde, postea, aut posthac significat. *Virg. A.* 1, 52. et quisquam numen Junonis adoret Praeterea, aut supplex aris imponat honorem? *Id. G.* 4, 500. neque illum Prensantem nequicquam umbras, et multa volentem Dicere, praeterea vidit. ℙ [*Confund. *praeterea* et *praeter*. V. h. v. *in f.*]

PRAETĔRĔO, is, ivi et ii, itum, a. 4. *παρέρχομαι*, praeter, seu ante, aut ultra eo, praeterbito, praetergredior, transeo. *Pl. Capt.* 4, 2, 27. Alunt furfuri sues, quarum odore praeterire nemo pistrinum potest. *Id. As.* 3, 4, 15. Jam hunc non ausim praeterire, quin consistam et colloquar. *Id. Cist.* 4, 2, 15. Si nemo hac praeteriit, postquam intro abii. *Cic. Fin.* 5, 2. *f.* Epicuri horti, quos modo praeteribamus. *Hor. Od.* 4, 7, 3. et decrescentia ripas Flumina praetereunt, *h. e.* fluunt secundum ripas, non ultra aut supra. Quidam mallent divisim scribere *praeter eunt*, sed non est necesse; *Liv.* enim 33, 18. Praeter ripam euntibus Romanis. V. DECRESCO. *Ter. Adelph.* 4, 2, 35. Praeterito hac recta platea sursum. *Id. Andr.* 1, 5, 18. Praeteriens modo, mihi apud forum, uxor tibi ducenda est, Pamphile, inquit. *Pl. Merc.* 5, 4, 46. Non utibilis hic locus factis tuis, dum memoramus, ut arbitri sint, qui praetereant per vias. *Cic. Div. Verr.* 15. *extr.* Quasi praeteriens satisfaciam universis. Sic *Brut.* 54. Uno aspectu, et praeteriens de oratore judicat. ℙ Item transire, labi. [**Cic. Sen.* 19. Quum enim id advenit, tunc illud, quod praeteriit, effluxit.] *Ov. A. Am.* 3, 63. Nec, quae praeteriit, iterum revocabitur unda, Nec quae praeteriit hora, redire potest. *Pl. Merc.* 2, 1, 3. Nocte hac, quae praeteriit, proxima. *Varr. R. R.* 2, 4. *f.* Praeteritis decem diebus, sinunt exire pastum. ℙ *Non me praeterit*, haud clam me est, non fugit, memoria non excidit, haeret adhuc, scio, non ignoro. *Cic. Caecin.* 35. Non me praeterit, tametsi de hoc jure multa praetereo, tamen me longius prolapsum esse; et *ib.* 33. *f.* Certe quaeri hoc solere, me non praeterit, (ut ex me ea, quae tibi in mentem non veniunt, audias) quemadmodum etc. *Id. Fam.* 1, 8. Sed te non praeterit, quam sit difficile etc. *Pompej.* ad *Dom.* 3. *extr. post. ep.* 12. *l.* 8. ad *Att.* Quantum iis committendum sit, non te praeterit. *Plin. H. N. praef. med.* Nec dubitamus multa esse, quae et nos praeterierint. ℙ *Praeterire aliquem*, negligere, nullam rationem habere praesertim in honorum petitione, in testamentis, et hujusmodi. *Cic. Planc.* 3. Populus et potest, et solet nonnunquam dignos praeterire: nec, si a populo praeteritus est, quem non oportuit, a judicibus condemnandus est, qui praeteritus non est. *Id. Tusc.* 5, 19. Cum sapiens et bonus vir suffragiis praeteritur. *Id. Phil.* 2, 16. Vide, quam te amarit is, qui, albus, ater ne fueris, ignorans, fratris filium praeteriit. *Ov. Met.* 5, 312. Me quoque Romani praeteriere patres. *Caes. B. C.* 1, 6. Scipioni obvenit Syria, Domitio Gallia, Philippus et Marcellus praetereuntur. *Mart.* 7, 86. Ad natalicias dapes vocabar, Essem cum tibi, Sexte, non amicus. Quid factum est, rogo, quid repente factum, Quod sum praeteritus vetus sodalis? ℙ *Praeterire aliquid*, dicendo omittere, praetermittere. *Cic. Verr.* 2, 3, 44. *med.* Audistis haec, quae nunc ego omnia praetereo ac relinquo; et *ib.* 77. Ut illud missum faciam, permultos aratores, etc., ut hoc praeteream, quod, etc. *Id. Prov. cons.* 3. Omitto jurisdictionem contra leges, caedes relinquo, libidines praetereo. *Caes.* ad *Cic. post ep.* 6. *l.* 9. ad *Att.* Praeterire non potui, quin scriberem ad te. *Cic. Att.* 6, 3. *med.* Et quod paene praeterii, Bruti tui causa feci omnia. Adde *Verr.* 2, 2, 35. *Id. Marcell.* 1. Tantam mansuetudinem tacitus nullo modo praeterire possum. *Id. Brut.* 22. *f.* Ut nulla fere pars orationis silentio praeteriretur. Adde *Phil.* 3, 4. *Ov. A. Am.* 3, 612. Quaque vigil custos *(eludi possit)*, praeteriturus eram. *Id. Fast.* 6, 319. Praetereram, referamne tuum, rubicunde Priape, Dedecus? *Cic. Fl.* 3. Praetereo illa, quae praetereunda non sunt. *Appul. Met.* 3. Quod sciscitari paene praeterivi. *Pl. Merc.* 2, 3, 68. Verum, quod praeterii dicere, neque illa matrem, etc. *Plin.* 16, 10, 20. Ne quid praetereatur; et 17, 19, 30. *n.* 7. Ne quid sciens quidem praeteream. *Id.* 2, 98, 101. Ut nihil, quod equidem noverim, praeteream. ℙ Item omittere alia quavis ratione. *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 4. Prata quoties secta sunt, debent siciliri, hoc est quae foeniseges praeterierunt, secari. *Mart.* 13, 3. Praetereas, si quid non facit ad stomachum, *h. e.* transeas in legendo. *Suet. Aug.* 88. Litteras non modo, sed syllabas aut permutat, aut praeterit. ℙ Interdum est evadere, effugere. *Ter. Hec.* 3, 4, 4. O fortunate, nescis, quid mali praeterieris, qui nunc es ingressus mare. ℙ Item superare, vincere: ductum ab iis, qui cursu certant. *Virg. A.* 4, 157. Gaudet equo: jamque hos cursu, jam praeterit illos. *Varr. R. R.* 1, 1. *f.* Hos nobilitate Mago Carthaginiensis praeteriit. *Ov. Pont.* 4, 7, 51. virtus alios tua praeterit omnes. Adde *Vell.* 1, 17. *f.*

PRAETĔRĔQUĪTANS, antis, part. ab inus. *praeterequito*, equitando praeteriens, ante et juxta aliquem equitans. *Liv.* 3, 61. Plerosque a castris avertunt, praeterequitantesque absterrent.

PRAETĔRĔUNTER, adv. praetereundo, cursim. *August. tractat.* 118. *in Joann.* Non est praetereunter loquendum.

PRAETERFĔRO, ers, a. anom. praeter aliquem locum fero. *Liv.* 21, 55. *f.* Simul latebras eorum praeterlata acies est.

PRAETERFLŪO, is, n. 3. *παραῤῥέω*, praeter, seu ante et prope fluo, fluendo praetereo. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Aquam esse oportet propinquam, quae praeterfluat, aut in aliquem locum influat. ℙ Cum accus. vi praepositionis adnexae. *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 6, 680. Flumen quod Valentiam parvo intervallo praeterfluit. *Liv.* 41, 11. Amnem praeterfluentem moenia novo alveo avertit. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 33. *med.* Corpus gaudere tamdiu, dum praesentem sentiret voluptatem: animum et praesentem percipere pariter cum corpore, et prospicere venientem, nec praeteritam praeterfluere sinere. Sic *Cato* ap. *Plin. H. N. praef. f.* Eorum ego orationes sino praeterfluere.

PRAETERGĔO. V. PERTERGEO.

PRAETERGRĔDĬOR, eris, essus sum, dep. 3. *παραβαίνω*, praeter gradior, praetereo, praeterlabor. *Sall.* ap. *Non.* 18, 28. Qui praetergrediebantur, equites cataphracti, ferrea omni specie. *Cic. Fam.* 3, 7. *med.* Mihi nunciavit, te jam castra praetergressum esse. *Hirt. B. Afr.* 69. Cum non longe a castris Scipionis abesset, quae eum necesse erat praetergredi. *Tac. A.* 11, 23. Illum fines suos praetergredientem incursavere Mardi. ℙ Translate est superare, antecellere. *Sall. in or. ad Caes.* 1. In te maxume, qui tantum alios praetergressus es, uti prius defessi sint homines laudando facta tua, quam, etc.

PRAETERHAC, adv. praeter haec, praeterea, ut *antehac*, *posthac*. *Pl. Rud.* 4, 4, 73. Si praeterhac unum verbum faxis hodie, ego tibi comminuam caput. *Id. Men.* 1, 2, 3. Praeterhac si mihi tale post hunc diem faxis, faxo, foris vidua visas patrem; et 5, 1, 25. Non patiar praeterhac. *Id. Most.* 1, 1, 72. Praeterhac mihi non facies moram. ℙ Scribitur et divisim *praeter hac.*

PRAETĔRĬENS, V. in PRAETEREO. ℙ In obliquis est *euntis*. Sed in *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 165. T. Lollius T. L. Masculus positus propter viam, ut dicant praeterientes, Lolli, ave.

PRAETĔRINQUĪRO, is, a. 3. insuper inquiro. *Ammian.* 15, 5. Statuit in negotium praeterinquiri.

PRAETĔRĪTĬO, onis, f. *παράλειψις*, actus praetereundi, omissio, neglectio. *Imp. Just. Cod.* 6, 29, 4. Maneat testatoris voluntas immutilata, ne poenam patiatur praeteritionis, qui suos filios non praeteriit. ℙ Figura rhetorum, qua dicimus nos praeterire et nolle dicere id, quod tunc maxime dicimus: quae ab *Auct. ad Her.* vocatur *occupatio*. *Aquila Romanus de figur. sentent.* p. 14. *Pithaei.*

PRAETĔRĪTUS, a, um, part. a *praetereo: παροιχόμενος*, qui praeteriit, transactus, elapsus. *Cic. Sen.* 19. *med.* Nec praeteritum tempus unquam revertitur, nec, quid sequatur, sciri potest; et *mox:* Praeterita verni temporis suavitate, aestatem venisse; et *ib.* 2. Praeterita aetas. *Virg. A.* 8, 560. O mihi praeteritos referat si Juppiter annos! *Quint.* 10, 7. Praeteritus labor periit. *Id.* 12, 4. *extr.* Praeterita saecula. *Just.* 42, 1. vita. *Prop.* 2, 11, 9. nox; et 3, 9, 7. juventa. *Ov. Her.* 20, 187. Praeteritae veniam dabit ignorantia culpae. *Plin.* 8, 18, 26. de camelis: Sitim et quatriduo tolerant, implenturque, cum bibendi occasio est, et in praeteritum, et in futurum. Sic *Suet. Dom.* 9. *f.* Negotiantes contra Clodiam legem venia in praeteritum donavit. *Auct. B. Hisp.* 42. Ingratos in populum R. hoc bello, et in praeterito tempore, cognosse. *Prop.* 2, 10, 51. Tu tamen amisso nonnunquam flebis amico: Fas est praeteritos semper amare viros. ℙ Praeteritum tempus, *παρακείμενος χρόνος*, apud grammaticos verbum est rem jam actam significans. *Quint.* 1, 4. *f.* Quaedam verba etiam mutantur, ut *fero* in praeterito. Adde *Varr. L. L.* 7, 32. etc. ℙ *Praeterita*, *orum* sunt res transactae. *Cic. Div.* 1, 30. Sevocatus animus a contagione corporis meminit praeteritorum, praesentia cernit, futura praevidet. *Id. Fat.* 7. *f.* Nec in falsum e vero praeterita possunt converti. *Caes. B. G.* 1, 20. *f.* Monet ut in reliquum tempus omnes suspiciones vitet: praeterita se fratri condonare dicit. *Just.* 21, 3. *f.* Invidiam praeterito-

rum contemptu praesentium demere. ℙ *Praeteritum, i*, est id quod antea enunciatum est. *Inscr.* non optimae notae ap. *Mur.* 1013, 5. Si quis eruperit legem praeteriti mei poenae nomine, etc., *h. e.* eam legem, quam supra posui. ℙ Item omissus. *Ter. Ad. prol.* 13. Furtum ne factum existimetis, an locum reprehensum, qui praeteritus negligentia est. *Ov. Met.* 12, 538. dolorem Praeteriti Alcidae tacito non pertulit ore. *Id. Fast.* 4, 573. immensum est erratas dicere terras: Praeteritus Cereri nullus in orbe locus. *Cic. Acad.* 4, 14. *med.* Quae ab his dicuntur, sic persequamur, ut nihil in praeteritis relinquamus. Al. leg. *in praeteritum.* ℙ *Praeterita* sunt etiam παραλειπόμενα, libri S. Scripturae, in quibus omissa in historia Regum perscripta sunt: ita vocat *Hieron. ep.* 18. *n.* 1. V. PARALIPOMENON. ℙ De iis, qui in petitione honorum, aut testamento neglecti sunt. *Cic. Planc.* 21. Quos omnes scimus aedilitate praeteritos, consules esse factos. *Val. Max.* 7, 8. *n.* 4. Cum testamento fratris praeteritus esset. ℙ *Praeteriti senatores* dicti sunt, quos in legendo senatu censores praeteribant, nec appellabant: quo facto censebantur senatu ejecti. *Festus.*

PRAETERLĂBOR, eris, psus sum, dep. 3. praeter, seu ante labor, praeterfluo, praetereo, παραῤῥέω. *Virg. A.* 6, 874. vel quae, Tiberine, videbis Funera, cum tumulum praeterlabere recentem! *Quint.* 9, 3. *f.* Silvarum amoenitas, et praeterlabentia flumina. *Virg. A.* 3, 477. Ecce tibi Ausoniae tellus: hanc arripe velis. Et tamen hanc pelago praeterlabare, necesse est, *h. e.* praeternaviges. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 25. *extr.* In mentem judicis intrare non potest: ante enim praeterlabitur, quam percepta est.

PRAETERLĂMBO, is, a. 3. lambendo praetereo. *Ammian.* 17, 2. Oppidum, quod Mosa fluvius praeterlambit, *h. e.* praeterfluit.

PRAETERLĀTUS, a, um, part. a *praeterfero:* παραφερόμενος, latus praeter aliquem locum, praetervectus. *Lucr.* 4, 569. At quae pars vocum non aures incidit ipsas, Praeterlata perit, frustra diffusa per auras.

PRAETERLŪENS, entis, part. ab inus. *praeterluo*, praeterfluens. *Appul. Met.* 6. Nemus, quod fluvio praeterluenti, rupique longae attenditur.

PRAETERMĔO, as, n. 1. παραπορεύομαι, praeter, seu ante meo, praetereo. *Lucr.* 1, 318. Saepe salutantum tactu praeterque meantum. *Ammian.* 31, 8. Ab ipsis tractibus, quos praetermeat Ister. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 234. rapidus tacitas praetermeat ingens Danubius ripas.

PRAETERMISSIO, onis, f. παράλειψις, actus praetermittendi, omissio, neglectio. *Cic. Top.* 7. Formae sunt, in quas genus sine ullius praetermissione dividitur. *Id. Off.* 2, 17. Mamerco praetermissio aedilitatis consulatus repulsam attulit.

PRAETERMISSUS, a, um, part. a *praetermitto:* παραλειφθείς, omissus, praeteritus, relictus, neglectus. *Cic. Or.* 2, 26. Cum idcirco aliquid ambigitur, quod aut verbum, aut verba sint praetermissa; et *ib.* 29. Si quid ab Antonio aut praetermissum, aut relictum sit. (*Praetermissum* oblivione, aut negligentia: *relictum* data opera. Sic *Off.* 3, 2. *med.* Qui negant, eum locum a Panaetio praetermissum, sed consulto relictum.) *Id. Att.* 11, 7. *med.* Officii praetermissi reprehensio. *Caes. B. C.* 3, 25. Nonnullae ejus rei praetermissae occasiones Caesari videbantur. *Gell.* 6, 14. Praetermissa animadversio contemptum parit.

PRAETERMITTO, is, isi, issum, a. 3. παραλείπω, omitto, praetereo, relinquo, negligo. Qua ratione a *relinquo* differat, V. in v. praec. *Cic. Att.* 9, 14. *f.* Quid est quod scribamus? Ego tamen nullum diem praetermitto. *Id. Off.* 1, 9. Praetermittendae defensionis, deserendique officii plures solent esse causae. *Hirt. B. Afr.* 1. Nullam praetermittere occasionem profectionis. *Cic. Fam.* 1, 8. nullum officium hominis amantissimi erga aliquem; et *ib.* 12, 24. nullum locum laudandi alicujus. *Just.* 8, 3. *f.* nullum jus, vel fas inviolatum. *Cic. Fam.* 11, 21. neminem, quicum loqui possis, cui non eadem ista dicas. *Id. N. D.* 3, 15. voluptates. *Id. Att.* 9, 11. *med.* scelus; et *ad Brut.* 1, 15. *med.* poenam sceleris, *h. e.* ignoscere. *Liv.* 23, 14. Nihil eorum quae pati, aut timere possent, praetermissurus. ℙ Scribendo, aut dicendo omittere, tacere. *Nep. Ep.* 1. Nil videmur debere praetermittere, quod pertineat ad eam declarandam. *Caes. B. G.* 7, 25. Quod dignum memoria visum, praetermittendum non existimavimus. *Cic. Q. Fr.* 3, 3. De aqua, et via nihil praetermisi quadam epistola, quin enucleate ad te perscriberem. *Id. Att.* 6, 3. *f.* Id te scire volui. Ne illud quidem praetermittam. Hortensius, etc. *Id. Phil.* 13, 6. Ne illud quidem silentio praetermittendum puto. Alii leg. *praetereundum.* ℙ Cum infinito. *Caes. B. C.* 2, 39. Reliqua, studio itineris conficiendi, quaerere praetermittit. *Nep. Cim.* 4. Quod facere nullum diem praetermittebat. ℙ Pro veniam dare, indulgere, connivere, sinere, permittere. *Ter. Ad.* 1, 1, 26. Do, praetermitto: non necesse habeo omnia pro meo jure agere. Ubi *Donat.* do sumptum, praetermitto delicta. *Lucr.* 4, 1184. Praetermittet te humanis concedere rebus. ℙ Pro ultra mittere, praeter aliquem locum mittere, transmittere, transvehere. *Stat. Silv.* 3, 2, 84. an facili te praetermiserit unda Lucani rabida ora maris.

PRAETERMONSTRANS, antis, part. ab inus. *praetermonstro. Gell.* 20, 10. Usus consilio sum magistri, quod docere ipse me debuerat, a quo discerem praetermonstrantis, *h. e.* monstrantis alium, qui quod ipse debebat, doceret.

PRAETERNAVIGĀTIO, onis, f. παράπλευσις, navigatio juxta, vel ante aliquem locum. *Plin.* 4, 12, 19. Ab hac Aegina liberae conditionis XVII. millib. P., cujus XX. M. P. praeternavigatio est.

PRAETERNAVĪGO, as, n. 1. παραπλέω, juxta, vel ultra navigo. *Suet. Ner.* 27. Quoties Bajanum sinum praeternavigaret. *Id. Tib.* 12. Mediterraneis agris abditus, vitansque praeternavigantium officia. Adde *Appul. de Deo Socrat. f.*

PRAETĔRO, is, trivi, itum, a. 3. idem quod tero, vel valde tero. *Plin.* 11, 37, 63. de dentibus: Frater Timarchi non mutavit primores, ideoque praetrivit. *Pl. Men.* 1, 1, 9. Januam lima praeterunt. Alii leg. *proterunt.*

PRAETER PROPTER. V. PRAETER.

PRAETERQUAM, πλὴν ἤ, nisi, praeter, excepto: adv. aut conjunctio excipiendi, post se habens casus verbi praecedentis. *Cic. Cat.* 3, 11. Quibus pro tantis rebus nullum a vobis praemium virtutis postulo, praeterquam hujus diei memoriam sempiternam. *Nep. Att.* 21. Cum tres menses sine ullis doloribus, praeterquam quos ex curatione capiebat, consumpsisset. *Ter. Eun.* 1, 1, 32. Neque, praeterquam quas ipse amor molestias habet, addas. *Cic. Div.* 2, 22. *extr.* Moneta, a qua, praeterquam de sue plena quid unquam moniti sumus? *Ter. Andr.* 4, 4, 14. Verbum si mihi unum, praeterquam quod te rogo, faxis, cave. *Vell.* 2, 40. *med.* Longeque majorem omni anie se illata pecunia in aerarium, praeterquam a Paulo, ex manubiis intulit. *Liv.* 4, 4. *extr.* Nec quod nos ex connubio vestro petamus, quicquam est, praeterquam ut hominum, ut civium numero simus. *Ov. Trist.* 4, 6, 17. Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas, Praeterquam curas attenuare meas. *Plin.* 20, 10, 42. Asparagi urinam ciant utilissime, praeterquam vesicam exulcerant, i. e. nisi quod. ℙ Sequente *etiam, quoque, tum vero*, particulis. *Liv.* 25, 23. Syracusarum oppugnatio ad finem venit, praeterquam vi ac virtute ducis, intestina etiam proditione adjuta. *Cels.* 1, 9. Aqua frigida infusa praeterquam capiti, etiam stomacho prodest. *Suet. Aug.* 71. Lusit palam oblectamenti causa, etiam senex, ac, praeterquam Decembri mense, aliis quoque festis ac profestis diebus; et *Gell.* 15, 1. *in.* Declamaverat Antonius Julianus, praeterquam semper alias, tum vero nimium quantum delectabiliter. ℙ Sequente *si* est: maxime si. *Plin.* 8, 25, 39. Hippopotamus tergoris impenetrabilis, praeterquam si humore madeat. ℙ Et sequente *quod* est: excepto eo, quod. *Liv.* 35, 25. Philopoemen, praeterquam quod ita Quintio placeret, et ipse existimabat, classem exspectandam. *Cic. Q. Fr.* 2, 14. Ego me in Cumano, praeterquam quod sine te, ceterum satis commode oblectabam. *Ter. Heaut.* 2, 4, 15. Omnes mihi labores fuere leves, praeterquam tui carendum quod erat. *Liv.* 29, 27. *f.* Coelius unus praeterquam quod non mersas fluctibus naves, ceteros omnes coelestes maritimosque terrores exponit. *Cic. Leg.* 3, 19. *f.* Praeter enim quam quod comitia illa essent armis gesta servilibus, praeterea neque tributa capitis comitia rata esse possent, neque ulla privilegii.

PRAETERRĂDO, is, a. 3. παραξύω, praetereundo rado. *Lucr.* 4, 530. Praeterradit enim vox fauces saepe.

PRAETERSUM, es, fui, n. anom. absum, extra sum, negligo. *Tert. Apol.* 38. Ipsis rebus, de quibus *(spectacula)* transiguntur, praetersumus.

PRAETERVECTIO, onis, f. praeternavigatio. *Cic. Verr.* 2, 5, 66. *extr.* Praetervectione omnium, qui utro citroque navigarent: παραπομπή.

PRAETERVECTUS, a, um, part. a *praetervehor:* praeter, seu ante vectus. *Caes. B. C.* 3, 30. Nam praetervectas Apolloniam naves viderant. *Tac. H.* 3, 71. de peditibus: Cito agmine forum et imminentia foro templa praetervecti, erigunt aciem per adversum collem. *Stat. Th.* 5, 472. litora rectis Praetervectus aquis. ℙ Translate. *Cic. Coel.* 21. Emersisse e vadis, et scopulos praetervecta videtur oratio mea.

PRAETERVĔHOR, eris, ectus sum, pass. 3. παραπλέω, praeter, seu ante, et juxta aliquem locum transeo, equo, curru, et praesertim navi vectus. Saepe habet accusativum, qui a praepositione *praeter* regitur. *Cic. Fin.* 5, 18. Neque enim Sirenes vocum suavitate videntur revocare eos solitae, qui praetervehebantur. *Hirt. B. Afr.* 2. Clupeam classe praetervehitur, inde Neapolim. *Caes. B. C.* 3, 26. Naves solvunt, atque altera die Apolloniam praetervehuntur. *Virg. A.* 3, 688. vivo praetervehor ostia saxo Pantagiae. ℙ Interjecto verbo. *Ov. Met.* 13, 711. Et jam Dulichios portus, Ithacamque, Samenque Praeter erant vecti. ℙ *Praetervehens* absolute, praetervectus, vel dum praetervehitur. *Liv.* 22, 49. Cum praetervehens equo, sedentem in saxo cruore oppletum consulem vidisset. *Suet. Aug.* 93. Quod Judaeam praetervehens, apud Hierosolymam non supplicasset; et *ib.* 98. Puteolanum sinum praetervehenti vectores de navi Alexandrina eximias laudes congesserant. *Id. Caes.* 37. Gallici triumphi die Velabrum praetervehens paene curru excussus est. Adde *ib.* 78. et *Ner.* 34. [*Etiam *Cic. Phil.* 3, 13. ille in me absentem invehens.] ℙ Translate. *Cic. Phil.* 7, 3. Periculosissimum locum silentio sum praetervectus; et *Balb.* 1. *f.* Oratio, quae non praetervecta sit aures vestras, sed in animis omnium penitus insederit. *Plin. Pan.* 56. Quid est enim in principatu tuo, quod cujusquam praedicatio vel transilire, vel praetervehi debeat?

PRAETERVERTO, is, a. 3. ante verto. *Plin.* 2, 71, 73. Eunti cum sole iter erat: eundem remeans obvium contrario praetervertebat occursu. Est qui leg. *praevertebat.*

PRAETERVOLO, as, avi, atum, n. 1. παραπέτομαι, praeter, seu ante aliquem volare, volando aut currendo praeterire. Accusativum saepe regit vi praepositionis adjunctae. *Cic. Arat.* 412. Quem rutila fulgens pluma praetervolat Ales. *Suet. Claud.* 7. Ut forum ingredienti praetervolans aquila dexteriore humero consideret. *Sil.* 10, 114. hasta, Quae medias raptim velox praetervolat auras. *Claud. B. G.* 321. Parva puppe lacum praetervolat. ℙ [*Translate dicitur de iis, quae parum sentiuntur, quae leviter et obiter dicendo tractantur.] *Cic. Or.* 3, 59. *f.* Sententiae saepe acutae non acutorum hominum sensus praetervolant. *Id. Or.* 58. Dum verba et sententias animis attentis admirantes excipiunt, fugit eos et praetervolat numerus. *Id. Acad.* 4, 13. *med.* Haec duo proposita non praetervolant, sed ita dilatant, ut, etc.

PRAETESTĀTUS, a, um, part. ab inus. *praetestor*, prius, seu ante testatus. *Tert. carm. contr. Marc.* 3, 176. Praetestata viam vitae.

PRAETEXO, is, xui, xtum, a. 3. παρυφαίνω, ante texo, contexo. *Ov. Pont.* 3, 8, 7. Purpura saepe tuos fulgens praetexit amictus. *Val. Fl.* 3, 436. glaucasque comis praetexere frondes. *Plin.* 16, 1, 1. Ulva, et palustri junco funes nectunt ad praetexenda piscibus retia. ℙ Translate. *Id. H. N. praef. med.* In his voluminibus auctorum nomina praetexui, *h. e.* praeposui, prius recensui, attexui; et 18, 25, 57. Auctores prodidere ea, quos praetexuimus volumini huic. *Plin. alter Pan.* 52. Tibi maximus honor excubare pro templis, postibusque praetexi, *h. e.* advolvi, haerere, applicitum esse. *Cic. Or.* 2, 78. Omnia quae fiunt, quaeque aguntur acerrime, lenioribus principiis natura praetexuit, *h. e.* principio constituit, instituit. *Id. Div.* 2, 54. *med.* Ex primis litteris illius sententiae carmen omne praetexitur, *h. e.* constituitur, componitur. [*V. quae de corrupto hoc loco laudat *Orell.*] *Tibull.* 3, 1, 11. Summaque praetexat tenuis fastigia chartae, Indicet ut nomen, littera facta, meum, *h. e.* quasi quaedam textura exornet. ℙ Significat etiam tegere, operire; quasi supra, aut ante aliquam rem quidpiam texere. *Plin.* 6, 25, 29. Semper fuit Parthia in radicibus montium, qui omnes eas gentes praetexunt. *Virg. Ecl.* 7, 12. Hic viridis tenera praetexit arundine ripas Mincius. *Id. A.* 6, 5. litora curvae Praetexunt puppes. *Claud. cons. Prob. et Olybr.* 249. et totum violis praetexite fontem; et *Rapt. Pros.* 2, 320. praetexere ramis Limina. *Auson. Idyll.* 10, 45. Tu neque limigenis ripam praetexeris ulvis. *Colum.* 10, 297. Sicubi odoratas praetexit amaracus umbras, *h. e.* praetexens locum aliquem, umbram inducit. *Tac. G.* 34. Utraeque nationes Rheno praetexuntur: quasi Rheno teguntur. ℙ Translate est velare, tegere colorem, seu excusationem afferre. *Virg. A.* 4, 172. Conjugium vocat: hoc praetexit nomine culpam; et *ib.* 500. Non tamen Anna novis praetexere funera sacris Germanam credit. *Claud. Ruf.* 1, 99. blando fraudem praetexere risu. ℙ Item obtendere, praetendere, adducere causam minus veram, seu praetextum faciendi quippiam, προέχεσθαι, προΐστασθαι. *Cic. Pis.* 24. Neque enim quisquam potest exercitum cupere, aperteque petere, ut non praetexat cupiditatem triumphi. *Just.* 16, 1. Quamquam in parricidio nulla satis justa causa ad sceleris patrocinia praetexi potest. *Vell.* 2, 62. Ubicumque ipsi essent, praetexentes esse rempublicam. *Tac. H.* 1, 72. Tigellinus apud Galbam T. Vinii potentia defensus, praetexentis, servatam ab eo filiam; et *ib.* 4, 73. Libertas et speciosa nomina praetexuntur.

PRAETEXTA, ae, f. et Toga praetexta, περιπόρφυρος, toga Romanorum purpureum limbum in ora intextum vel assutum habens. Ea utebantur primo pueri et puellae nobiliores honestioresque (ut est ap. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 44., nam viliores simplici toga induebantur); illi usque ad annum XVII. vel XV. quo, illa posita, virilem togam puram sumebant; puellae usque ad nuptias: Secundo magistratus omnes urbani, item colonia-

rum, et municipiorum, et Romae vicorum, et collegiorum magistri, ut ex *Liv.* apparet 34, 7. et *Festo*, dum ludos publicos agerent. Tertio omnes sacerdotes, et omnes sacra facientes, aut votum aliquod solventes, atque etiam senatores festis Deorum diebus. De dictatoribus in Urbe est locus *Sen. Clem.* 1, 12., de consulibus *Cic. in Sen.* 5. *f.*, de praetoribus *Suet. Caes.* 16. et *Vell.* 2, 65. *extr.* (quos reum aliquem civem R. morti damnaturos praetextam deposuisse, satis indicat *Val. Max.* 9, 12. *n.* 7. sed aut perversam induisse, ut est apud *Sen. Ira* 1, 16.), de auguribus *Cic. Att.* 2, 9. (quamquam alii verius non praetextam, sed trabeam, eorum vestem fuisse dicunt. *Cicero* autem διβαφον vocat), de decemviris sacra facientibus *Liv.* 27, 37., de aedilibus *Cic. Q. Fr.* 2, 12. et *Verr.* 2, 5, 14., de senatoribus *Id. Phil.* 2, 43., de triumviris epulonibus *Liv.* 33, 42. De tribunis pleb. alii affirmant, alii negant. V. *Ferrar.* et *Ruben. de re vest.* item *Gruev.* in *Cic. Verburgii*, *Cluent.* 40. De censoribus etiam controversia est. Negare videtur *Polyb.* 6, 51. Quaestores quoque urbanos ea abstinuisse, satis aperte significat *Cic. Verr.* 2, 5, 14. Provinciales adhibuisse, fortasse ex *eod. Planc.* 41. colligas. Sane major horum in provincia, quam illorum in Urbe, auctoritas; et jurisdictio fuit. ℙ Praetexta pulla nulli alii licebat uti, quam ei, qui funus faciebat. *Festus.* ℙ Magistratus in luctu publico praetextam abjecisse, colligi videtur ex *Cic. in Sen.* 5. *f.* ℙ Origo ejus est ab Etruscis, a quibus etiam alia honoris insignia Romani acceperunt, teste *Floro* 1, 5. et *Liv.* 1, 8., primumque ea usum Tullum Hostilium, tertium Romae regem, *Plin.* tradit 9, 39, 63. et *Macr. Sat.* 1, 6. Pueris autem concedi coepta est post Tarquinium Priscum, quintum regem. Nam cum is filium suum annorum quatuordecim, quod Sabino bello hostem sua manu percusserat, praetexta, quae magistratuum, et bulla aurea, quae triumphantium gestamen erat, donasset; inde ductus est mos, ut praetexta et bulla in usum puerorum nobilium usurparentur, ad omen et vota conciliandae virtutis ei similis, cui primis in annis munera haec concessa fuerant, ut ait *Macr. l. c*, alias insuper aliorum sententias subtexens ad hoc institutum pertinentes. Adde *Plin.* 33, 1, 4. ℙ Hinc *praetexta* interdum ad aetatem puerilem refertur. *Cic. Cat.* 2, 2. *f.* Tongilium mihi eduxit, quem amare in praetexta, calumnia coeperat. *Plin. l. mox. c.* Cum in praetextae annis occidisset hostem, *h. e.* praetextatus adhuc. ℙ *Praetexta* etiam dictum est genus fabulae, simile tragoediae, in quo publica negotia agebantur, et reges Romani, magistratusve inducebantur, qui toga praetexta usi sunt: eorumque res publice gestae describebantur. Haec et *praetextata* dicitur: cui quasi contraria fuit *togata*, in qua res privatae agebantur, et ignobiliores plebejique homines inducebantur, quae et *tabernaria* dicitur. *Hor. A. P.* 286. nostri vestigia Graeca Ausi deserere, et celebrare domestica facta, vel qui praetextas, vel qui docuere togatas. *Pollio* ad *Cic. Fam.* 10, 32. Illa vero jam ne Caesaris quidem exemplo, quod ludis praetextam de suo itinere ad L. Lentulum procons. sollicitandum posuit; et *ib. f.* Etiam praetextam si voles legere, Gallum Cornelium familiarem meum poscito. V. TOGATUS. Hujusmodi *Praetextae* inscribebantur v. gr. *Brutus*, *Decius*, *Marcellus*, ut ait *Diomed.* 3, 487. ℙ [**Praetexta* saepius per *toga praetexta* ab interpr. expl. V. *Wund. var. lect.* etc. *praef.* p. 52. sq.]

PRAETEXTĀTUS, a, um, adj. praetexta indutus. *Cic. Pis.* 4. Clodium, qui nunquam antea praetextatus fuisset, ludos facere, et praetextatum volitare passus es, *h. e.* tanquam ludorum magistrum, ut *Manut.* adscribit. *Suet. Ner.* 57. Praetextatae imagines. *Donat.* in *fragm. de Com. et Trag.* Praetextata comoedia. V. PRAETEXTA. ℙ Saepe dicitur de pueris puellisque, et de aetate puerili. *Cic. Verr.* 2, 1, 58. Pupillus praetexatus. *Id. Phil.* 2, 18. Tenesne memoria, praetextatum te decoxisse? *Liv.* 22, 57. *f.* Delectu edicto, juniores ab annis septemdecim, et quosdam praetextatos scribunt. (Adde *Sil.* 10, 647. et *Val. Max.* 7, 6. *n.* 1.) *Suet. Rhet.* 1. Latine Cicero declamavit, senior quoque, et quidem consulibus Hirtio et Pansa, quos discipulos, et grandes praetextatos vocabat. *Gell.* 1, 23. *f.* Praetextata aetas. *Mart.* 10, 20. Tu mihi simplicibus, Mani, dilectus ab annis, Et praetextata cultus amicitia. ℙ *Praetextatus sermo*, et *praetextata verba*, obscena et turpia, quia nubentibus, cum praetextas ponebant, obscena (id est Fescennina) a multitudine puerorum clamabantur, ut ait *Fest.*, apud quem alii, contrario sensu, *praetextatum sermonem* pudicum, et omni obscenitate carentem, et qui praetextatos pueros deceat, esse putaverunt: quod falsum est. Sed cum haec rei explicandae ratio minus satisfaciat doctis, quid si dicamus, *praetextata verba* esse ea, quibus aliquid praefari, vel praetexi debet honoris causa, quemadmodum obscenis dictis, *honos sit auribus*, praetexere solemne fuit? *Suet. Vesp.* 22. Erat dicacitatis plurimae, et sic scurrilis ac sordidae, ut ne praetextatis quidem verbis abstineret. *Gell.* 9, 10. Non praetextatis, sed puris honestisque verbis dicere aliquid. *Macr. Sat.* 2, 1. *med.* Impudica et praetextata verba jaciens. [*Ratione consimili *Ernest.* in *Lex. technol. rhet. lat.* p. 299. sq. *praetextata* expl. per *praetextanda*, i. e. quae praetexta veluti quadam obtegenda et involvenda sint, etc.] ℙ *Praetextati mores*, impudici, obsceni, turpes. *Juven.* 2, 170. Sic praetextatos referunt Artaxata mores. ℙ *Praetextatus* cognominatus est quidam puer in gente Papiria, ob loquendi tacendique prudentiam, cum a matre de rebus in senatu actis interrogaretur. Lepidam historiam narrant *Gell.* 1, 23. et ex eo *Macr. Sat.* 1, 6.

PRAETEXTUM, i, n. proprie est id, quod in anteriore parte alicujus rei texitur, et affigitur. *Plin.* 16, 9, 14. E cortice vasa corbesque faciunt, atque praetexta tuguriorum, *h. e.* extremos tecti margines in tuguriis. In MSS. teste *Hard.* est *protecta:* unde ipse mallet *projecta.* Sed et *protecta* eandem sententiam habere potest. ℙ Translate est ornamentum, ornatus, quasi purpura, aut aurum, aut aliud quippiam ornandi causa alicubi intextum. *Sen. ep.* 71. *med.* Sed illud pulcherrimum reipublicae praetextum, optimates, etc. *Val. Max.* 7, 3. *n.* 8. Abjecto honoris praetexto. Alii leg. *abjecta praetexta. Id.* 2, 10. Majestas jucundo introitu animis hominum illabitur, admirationis praetexto velata. Alii leg. *praetextu. Id.* 4, 4. *n.* 1. Plurimorum ac maximorum operum praetexto titulum imaginum suarum amplificavit. Alii leg. *praetextu. Manil.* 3, 129. nobilitas, qua constat honoris Conditio, et famae modus, et genus, et specioso Gratia praetexto. Alii leg. *praetextu.* ℙ Item praetextus. *Suet. Caes.* 30. Et praetextum quidem illi civilium armorum hoc fuit: causas autem alias fuisse opinantur. [**V. Oudend.* et *B. Crus.* Ita etiam *Tib.* 28. optimi libri: *hoc praetexto.*] Multi huc trahunt etiam locum *Senecae* modo allatum. Adde *Tac. H.* 2, 100. et *ib.* 3, 80., ubi tamen sunt, qui pro *praetexto* reponi malunt *praetextu.*

PRAETEXTUS, a, um, part. a *praetexo: παρυφής*, ante, vel in anteriori parte intextus, ut *praetexta toga*, de qua V. supra. Sic *Sil.* 10, 647. primaeva suorum Corpora praetexto spoliant velamine. *Accius* ap. *Gell.* 2, 6. *f.* Ejus serpentis squamae squalido auro et purpura praetextae. ℙ Item praetexta, vel alio quovis ornato vestitu indutus. *Prop.* 4, 1, 11. Curia, praetexto quae nunc nitet alta senatu, Pellitos habuit, rustica corda, patres. *Auson. Profess.* 18, 7. praetexta pubes, *h. e.* pueri praetextati. ℙ De *praetexta* comoedia. V. PRAETEXTA. ℙ Item opertus. *Ov. A. Am.* 1, 255. Quid referam Bajas, praetextaque litora velis? ℙ Item ornatus. *Id. Fast.* 4, 953. State Palatinae laurus, praetextaque quercu Stet domus; et *ib.* 5, 567. Augusto praetextum nomine templum.

PRAETEXTUS, us, m. *πρόφασις, πρόσχημα*, illa apparens causa, et velamen, quo moveri se aliquis simulat ad aliquid agendum, cum tamen alia causa moveatur: ita dictus, quia praetexitur quodammodo et praetenditur ad velandam veritatem. *Petron. Sat.* 97. *f.* Funde sanguinem, quem sub praetextu quaestionis petisti. *Just.* 29, 3. *f.* Hoc praetextu finito cum Aetolis bello, nihil aliud quam Poenorum et Romanorum bella respiciens, etc. *Suet. Aug.* 12. Causam optimatium deseruit: ad praetextum mutatae voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus. Adde *Tac. G.* 1. 77. ℙ In bonam partem. *Id. H.* 1, 19. Censuerant mittendos ad Germanicum exercitum legatos. Agitatum secreto, num et Piso proficisceretur, majore praetextu, *h. e.* majori specie dignitatis, et auctoritatis: vel majore ornamento legationis: quo sensu V. alia ex *Val. Max.* in PRAETEXTUM.

PRAETĪMĔO, es, ui, a. 2. ante timeo. *Pl. Amph. prol.* 29. Humana matre natus, humano patre, Mirari non est aequum, si sibi praetimet. *Tibull.* 3, 4, 14. Et frustra immeritum praetimuisse velit. *Sen. ep.* 98. *med.* Nil est miserius, quam praetimere. Quae ista dementia est, malum suum antecedere? Adde *Tert. Res. carn.* 35. *med.* V. PERTIMEO.

PRAETĪMĬDUS, a, um, adj. praetimens. *Auct. carm. de Jona et Ninive*, 65. famulum *(sese)* ille fatetur Praetimidum, fidumque Dei.

PRAETINCTUS, a, um, part. ab inus. *praetingo*, ante tinctus, imbutus. *Ov. Met.* 7, 123. Semina mollit humus valido praetincta veneno. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 4. *n.* 119. Aqua, in qua fuerit candens ferrum praetinctum.

PRAETONDĔO, es, totondi, a. 2. ante tondeo. *Appul. Met.* 5. *f.* Cum ejus comas deraserit, pinnas praetotonderit. *Sic ed. *Elmenh.* ubi ed. *Oudend.* exhibet *deraserit, pinnas praetotonderit;* sobrietas sc. *B. A.*

PRAETOR, oris, m. *ἄρχων*, [*contr. ex *praeitor*, proprie significat eum, qui in re qualicumque praeit, praeest; dux, praefectus. Atque imprimis ita dictus est consul, quia exercitus idem ducebat. V. *Perizon. diss.* de *pract.* p. 8.] *Cic. Leg.* 3, 3. Regio imperio duo sunto, iique praeeundo, judicando, consulendo, praetores, judices, consules appellantor. *Varr.* ap. *Non.* 1, 91. Quod iidem dicebantur consules, et praetores; quod praeirent populo, praetores; quod consulerent senatum, consules. *Liv.* 3, 55. *f.* Fuere, qui interpretarentur, eadem hac Horatia lege consulibus quoque, et praetoribus, quia iisdem auspiciis, quibus consules crearentur cautum esse: judicem enim consulem appellari. Quae refellitur interpretatio, quod his temporibus (idest anno CCCVII.) nondum consulem judicem, sed praetorem appellari mos fuerit. Adde *Fest.* in *Praetoria porta.* [*Huc pertinet etiam locus, quem Noster infra laudaverat, *Liv.* 7, 3. ubi *praetor maximus* dicitur pro dictatore. Porro locus *Festi* in *Maximum*, quem Noster infra laudaverat:] Praetorem, maximum dici putant alii eum, qui maximi imperii sit: alii, qui aetatis maximae. Pro collegio quidem augurum decretum est, quod in salutis augurio praetores majores, et minores appellentur, non ad aetatem, sed ad vim imperii pertinere. [*Alia exempla, in quibus *praetor* de praefecto, duce et bellicarum rerum et civilium dictum est, Noster passim laudaverat ista:] *Tac. H.* 4, 9. (et *Inscr.* ap. *Grut.* 360, 3.) Resistentibus aerarii praetoribus. *Inscr.* ap. *Grut.* 318, 7. *Cn.* Sergio Cn. F. praetori sacris Volcani; et 413, 2. *Praet.* coll. Fabr. — Ceterum notandum, *praetor* pro imperatore, duce bellico de Romanis ducibus vix dici, excepto illo, quem mox laudavimus, Livii loco 7, 3., ubi de dictatore positum.] *Cic. Div.* 1, 54. Cum ap. Delium male pugnatum esset, Lachete praetore. — Sic Thebanum imperatorem *Id. Inv.* 1, 33. praetorem dicit. [**Nep. Milt.* 4, 4. Domi autem creant decem praetores: ubi v. *Brem.*] ℙ Duravit haec appellatio, usque dum crescente populi R. imperio, bellis pluribus implicarentur; eoque cum plurimum Urbe abessent, jus populo reddere nequirent, idest usque ad L. Aemilium Mamercum, et L. Sextium Coss., videlicet anno U. C. CCCLXXXVIII. Tum enim patricii pro communicato plebi altero consulatu quaesiere sibi hunc honorem, et impetrarunt: quod *Liv.* narrat 7. *in.* et 6. *f.* Postquam igitur praetorium nomen peculiarem habuit magistratum, consules nomen praetorum amisere, quod proprium iis factum est, qui jus populo dicerent. *Cic. Mur.* 20. Qua in sorte sapiens praetor, qualis hic fuit, offensionem vitat aequabilitate decernendi, benevolentiam adjungit lenitate audiendi. ℙ Primum unus tantum praetor creatus est, ut, consulibus bello avocatis, jus in Urbe redderet, isque *Praetor urbanus* dictus est. [**V. Lips. excurs. D.* ad *Tac. A.* 1. Idem *praetor urbanus* dicitur etiam *major.* V. *Festus* in *Majorem.*] Post aliquot deinde annos, non sufficiente eo, quod multa turba etiam peregrinorum in Urbem veniret, creatus est et alius, qui *peregrinus* appellatus est, quod inter cives et peregrinos, vel inter peregrinos et peregrinos jus diceret. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* [*De quo est erudita diss. Cl. *Conradi* in *Parergis.*] ℙ Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hispania, deinde Narbonensi provincia, praetores provinciales totidem creati sunt, quot provinciae in ditionem venerant, qui in provincias cum imperio, et exercitu mitterentur, et partim rebus urbanis, partim provincialibus praeessent, idest et jus dicerent, et provincias regerent, bellum gesturi, si opus esset. V. *Liv.* 32, 27., 43, 15. et 40, 44. Deinde Cornel. Sulla quaestiones publicas instituens de falso, de parricidio, de sicariis, de injuriis, praetores quatuor adjecit. *Pompon. l. c.* ℙ Varie deinde auctus est praetorum numerus: nam C. Julius Caesar duos novos praetores creavit: Augustus sexdecim constituit; Claudius denique duos adjecit. *Pomp. ib.* ℙ *Praetor primus* erat ille, qui in comitiis plura, quam ceteri, suffragia ferebat, et primus omnium renunciabatur. *Cic. Manil.* 1. Nam cum praetor primus centuriis cunctis renunciatus sum, etc. ℙ [**Praetores Capuae* ap. *Cic. Agr.* 2, 34. iidem sunt, qui in ceteris coloniis duumviri. ℙ **Praetor* saepissime etiam ponitur de *propraetore* et *proconsule. Cic. Fam.* 2, 17. *med.* vocat praetorem M. Bibulum, qui post consulatum Syriam administrabat: quod annotavit *Manut.* ad in. *ep. Fam. Tac. A.* 1, 74. praetor Bithyniae, coll. 4, 73. inferioris Germaniae propraetori; adde 2, 56. et *cp.* 77. V. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 15, 2. *Brem.* ad *Nep. Ann.* 4, 3. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 97.]

PRAETORĬANUS, a, um, adj. ad praetorium, vel praetoriam cohortem pertinens. *Milites praetoriani*, qui ad praetorium excubant, et praetoris, hoc est ducis summi in exercitu, personam custodiunt. V. PRAETORIUS. Sub Augustis vero *praetoriani*, *σωματοφύλακες*, sunt appellati milites, qui primum ab Augusto ad sui custodiam in Urbe dispositi sunt. V. PRAETORIUS. *Tac. H.* 2, 44. Praetorianus miles, non virtute se, sed proditione victum, fremebat. *Id. A.* 1, 24. Additur magna pars praetoriani equitis, et robora Germanorum, qui tum custodes imperatori aderant. *Plin.* 6, 29, 35. Missi ab Nerone milites praetoriani cum tribuno ad explorandum, etc. *Id.* 9, 6, 5. Caesar profectus cum praetorianis cohortibus. *Aurel. Vict. Epit.* 10. et 45. Praetoriana praefectura. *Suet.*

Vesp. 6. Praetorianus exercitus. ℙ Praetoriana comitia *Liv.* 22, 35. dixisse a nonnullis creditur: sed plerique alii leg. *praetoria.* ℙ Interdum est idem quod praetorius. *Ulp. Regular. tit.* 12. *med.* Qui praetorianus tutor dicitur, qui a praetore Urbis dari consuevit. [Hunc *Cajus Institut.* (ed. *Goesch.*) 1. §. 184. *praetorium tutorem* appellat. *F.*] *August. Conf.* 6, 10. Pretiis praetorianis codices sibi conficiendos curare, *h. e.* pecunia collecta ex jurisdictione praetoria, et audiendis causis.

PRAETORĬCIUS, a, um, adj. praetorius. *Mart.* 8, 33. De praetoricia folium mihi, Paule, corona Mittis, *h. e.* de coronis, quas in ludis solebant praetores, aureis et argenteis foliis (sed tenuissimis) ornatas donare victoribus. Hinc *Plin.* 21, 3, 4. Crassus dives primus argento auroque folia imitatus, ludis suis coronas dedit. ℙ Item qui fuit praetor, ut aedilicius, qui aedilis; quaestoricius, qui quaestor. *Inscr.* ap. *Grut.* 398, 1. Q. Cornelio Senecioni Proculo praetoricio, legato provinciae Asiae, etc.

[PRAETORĬOLUM, i, n. dimin. praetorii. *Inscr.* non opt. notae in *Mus di Mantova* p. 23. Praecepit hunc praetoriolum cum hortulo et heroo libertis, libertabus, posterisque eorum cedi, etc. *Hunc* legitur vitio saeculi pro *hoc. F.*]

PRAETORĬUM, ii, n. στρατήγιον, tabernaculum praetoris, idest ejus, qui exercitui praeest: quia praetor olim notabat omnem magistratum, cui pareret exercitus, ut docent *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 14. et *Festus* in *Praetoria porta. Liv.* 10, 33. Consul duas cohortes tueri praetorium jubet. *Id.* 7, 12. Praetorium dictatoris. *Id.* 3, 25. *med.* Quercus imminens praetorio imperatoris Aequorum. Adde *Caes. B. C.* 1, 76. et *ib.* 3, 82. et *Sall. Jug.* 8. ℙ Item locus in provincia, ubi praetor habitat, et jus dicit, δικαστήριον. *Cic. Verr.* 2, 4, 28. *med.* Imperat suis, ut in praetorium deferant; et *ib.* 2, 3, 35. Curritur ad praetorium. ℙ Item cujusque principis domus. *Juven.* 10, 161. sedet ad praetoria regis, Donec Bithyno libeat vigilare tyranno. ℙ Eleganter *Virg.* transtulit ad sedem regis apum in alveari, *G.* 5, 75. Et circa regem atque ipsa ad praetoria densae Miscentur. ℙ Item coetus hominum ad praetorium imperatoris convenientium. *Liv.* 30, 5. Tribunis edicit, ut ubi, praetorio dimisso, signa concinuissent, extemplo educerent castris legiones. Adde 37, 5. ℙ Item ordo militum praetorianorum, seu praetoriarum cohortium et turmarum corpus, certo loco prope Urbem tendentium, personae principis custodiendae causa: quibus qui praeerat *praefectus praetorio* est dictus. *Plin.* 25, 2, 6. Militare in praetorio. *Id.* 7, 20, 19. Meruit in praetorio Augusti centurio. *Suet. Ner.* 9. Antium coloniam deduxit, adscriptis veteranis e praetorio. *Tac. H.* 4, 46. *f.* Spernunt oblatos agros, militiam et stipendia orant: igitur in praetorium accepti. Possunt haec intelligi etiam de ipso loco in Urbe, ubi praetoriani tendebant. V. PRAETORIUS. ℙ Denique *praetorium* dici coeptae sunt aedes elegantiores, ornatioresque in agris exstructae, et villa quaeque minime rustica, vel villae pars nobilior et cultior, ubi domini, rusticari cum libet, morantur; fortasse quia super rusticorum tuguria et casas eminebat, quemadmodum in castris praetorium super reliqua tentoria. *Suet. Aug.* 72. Ampla et operosa praetoria gravabatur. Et neptis quidem suae, profuse ab ea exstructa, etiam diruit ad solum: sua vero, quamvis modica, non tam statuarum, tabularumque pictarum ornatu, quam xystis et nemoribus excoluit. *Id. Cal.* 37. In exstructionibus praetoriorum atque villarum, omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat, quam quod posse effici negaretur. *Id. Tib.* 39. Post paucos dies juxta Tarracinam in praetorio, cui speluncae nomen erat, incoenante eo, etc. (*Tac.* hunc eundem locum designans, *villam* vocat *A.* 4, 59.) *Stat. Silv.* 1, 3, 25. de villa Manlii Vopisci: alternas servant praetoria ripas. *Juven.* 1, 75. Criminibus debent hortos, praetoria, mensas. *Modest. Dig.* 31, 1, 35. *med.* Sejus cum domum haberet, et in praetorium uxoris suae se contulisset. *Ulp. ib.* 50, 16, 198. Praetoria voluptati tantum deservientia. Adde *ib.* 47, 10, 13. *extr.*, *Nerat. ib.* 8, 3, 2. et *Pall.* 1, 8. ℙ Joculariter dolium, in quo Diogenes habitabat, *praetorium* vocat *Hieron. adv. Jovin.* 2, 14. Frigore os dolii vertebat in meridiem, aestate ad septentrionem, et utcumque sol se inclinaverat, Diogenis simul praetorium vertebatur. ℙ **Praetorium Agrippinae*, oppidum Galliae Belgicae, ad Rhenum. *Tab. Peut.* ℙ *Praetorium Latovicorum*, oppidum Pannoniae superioris. *Ant. It.* ℙ Fuit et Praetorium oppidum Britanniae, vulgo, *Cellario* judice, *Paterington.* ℙ Plura hujus nominis oppida meminit *Ant. It. B. A.*

PRAETORĬUS, a, um, adj. ad praetorem pertinens. *Cic. Att.* 16, 7. Litterae missae ad consulares et praetorios, *h. e.* qui praeturam gesserunt. *Id. Verr.* 2, 5, 56. Onera atque merces in praetoriam domum deferebantur. *Id. Div.* 1, 32. Cum C. Coponius praetorio imperio classi praeesset. *Id. Manil.* 24. Praetoria potestas. *Liv.* 10, 22. et 22, 35. comitia, *h. e.* creandis praetoribus. *Cic. Off.* 1, 10. *med.* Quae quidem pleraque jure praetorio liberantur, nonnulla legibus, *h. e.* quod praetor per edicta proponit: definiturque a *Papiniano Dig.* 1, 1, 7. Jus praetorium, quod praetores introduxerunt adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi juris civilis gratia, propter utilitatem publicam: quod et honorarium dicitur. Hinc illa JCtorum: Praetoriae actiones, ap. *Cajum Dig.* 36, 1, 63. *med.* stipulationes, *Ulp. Paul.* et alii *ib.* 46. *tit.* 5. qui *De praetor. stipulationib.* inscribitur: Praetoria cautio, *Moetian. ib.* 35, 2, 32. Praetorium pignus, *Paul. ib.* 41, 5, 12. ℙ Praetorius exercitus, *Flor.* 3, 19. *f.* qui a praetore regitur. ℙ Praetoria turba, *Cic. Verr.* 2, 1, 52. dicuntur, qui ad praetorem conveniunt juris petendi causa. ℙ Praetoria ornamenta, aut insignia ap. *Tac. A.* 12, 21. et *Plin. ep.* 7, 29. sunt latus clavus, praetexta, paludamentum, sella curulis, quae dabantur interdum ab imperatoribus, virtutis ergo aliquibus, praetoriam dignitatem nunquam adeptis. ℙ *Praetoria porta* in castris, quae ex praetorio recta in hostes ferebat (opposita decumanae, quae erat aversa hosti): hac exercitus ad pugnam educebatur. Dicta est a praetore, qua significat summum belli imperatorem. *Festus*, et *Caes. B. C.* 3, 94. ℙ Eadem ratione *praetoria cohors* appellata est, quod ab imperatore non discedebat. Scipio enim Africanus, ut ait *Fest.*, primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, et cetero munere militiae vacarent, et sesquiplex stipendium acciperent. *Caes. B. G.* 1, 40. et 42. Hinc *Cic. Cat.* 2, 10. *extr.* O bellum magnopere pertimescendum, cum hanc sit habiturus Catilina scortatorum cohortem praetoriam! ℙ Ad hujus exemplum Augustus tres cohortes allegit, quae sine castris, variis locis in Urbe tenderent ad hujus, et sui custodiam, ut est ap. *Suet. Aug.* 49., mox in Urbem IX. praetorias, et III. urbanas admisit, ut constat ex *Tac. A.* 4, 5.: postea, additis etiam equitibus, quorum numerus incertus, ex Batavia, (*Suet. Cal.* 45. V. et GERMANUS.) justum paene fecit exercitum: datusque iis est certus locus (a Sejano sub Tiberio) prope muros Urbis ad portam Viminalem, qui *castra praetoria* vel *praetoriana*, et *praetorium* dictus: ipsique milites *praetoriani*, eorum vero dux *praefectus praetorio* appellatus. *Suet. Tib.* 37. et *Tac. A.* 4, 2. [Cohors quaeque praetoria milliaria erat, urbana vero mille et ducentis militibus constabat, ex *Dione* 55, 24. Praetoriae urbanis honore praestabant, nam Augustus, ut refert *Suet. Aug.* 101., testamento legavit praetorianis militibus singula millia HS., cohortibus vero urbanis HS. quingenos. De eorundem numero postea aucto magna inter eruditos lis est; verum haec ita componenda videtur. Extremis Augusti temporibus, ut vidimus, cohortes praetoriae IX. fuerunt, et urbanae III.; mox, cum Vitellius, antequam Urbem victor ingrederetur, quidquid praetoriarum cohortium fuit, ut pessimi exempli, quippe quae pro Othone steterant, uno exauctorasset edicto (*Suet. Vit.* 10. et *Tac. H.* 2, 67.): paulo post praetorias XVI., urbanas IV. cohortes iterum scripsit (*Id. ib.* 93.). Cum tandem Vespasianus, occiso Vitellio, imperio potiretur, Titus ejus filius praetorio praefectus fuit (*Suet. Tit.* 6.), qui ex cohortibus praetoriis XVI. a Vitellio nuper conscriptis decem tantummodo retinuisse, et urbanis IV. unam addidisse videtur. Hae vero antiquitus continua progressione post IX. praetorias ita numerabantur, ut prima urbanarum vocaretur decima, secunda earundem undecima, tertia duodecima. Hinc factum est, ut, cum Titus unam veteribus praetoriis addidiset, haec quidem decima appellaretur, at itidem decima diceretur urbanarum prima, ut prius, secunda undecima, tertia duodecima, quarta decima tertia, quinta vero ab eodem addita decima quarta, quae nuncupatio deinceps semper obtinuit, ut ex exemplis mox afferendis constabit. Quoties itaque in antiquis monumentis praetoriarum cohortium numerus ultra X., et urbanarum ultra XIV. uspiam excurrit, aut suspecta ea sunt habenda, aut intra breve Vitelliani imperii tempus coarctanda. Exempla, quibus confirmatur harum cohortium numerus, et continuata earundem progressio, haec sunto. *Inscr.* ap. *Grut.* 108, 6., quae pertinet ad ann. a Chr. n. CXXX. sub Hadriano. Genio Centuriae Coh. X Pr. etc. Alia in *Giorn. Arcad.* T. 35. p. 75., quae pertinet ad ann. a Chr. n. CLXVII. sub M. Aurelio et L. Vero. Nomina eorum, qui militaverunt in cohortibus praetoriis decem *I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. IX.* X. et urbanis quinque *X. XI. XII. XIII.* XIV. Alia ap. *Fabr.* p. 131. *n.* 68. sub M. Aurelio. Cohortes praetoriae decem, et urbanae X. XII. XIIII. Alia in *Giorn. Arcad.* T. 17. p. 274., quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCVIII. sub Septimio Severo. Nomina militum, qui militaverunt in cohortibus praetoriis decem I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. VIIII. X. piis vindicibus, etc. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 466., quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCXLIII. sub M. Antonio Gordiano. Nomina eorum, qui militaverunt in cohortibus praetoriis Gordianis decem I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. VIIII. X. piis vindicibus, etc. Alia ap. *eund. ib.* p. 468., quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCXLVIII. sub Philippis Augg. Nomina militum, qui militaverunt in cohortibus praetoriis Philippianis decem I. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. VIIII. X. piis vindicibus, etc. Alia ap. *Fabrett.* p. 127. *n.* 45. D. N. Fl. Claudio Constantino Fl. Ursacius V. P. tribunus cohortium urbanarum X. XI. et XII. Tandem Constantinus M., post devictum Maxentium, praetorias cohortes factionibus aptiores, quam Urbis praesidio, penitus sustulit, ut narrat *Aurel. Vict. Caesas.* 40. *med. F.*] ℙ Praetoria navis, qua classis imperator vehitur. *Liv.* 26, 39. *med.* Ut praetoriam navem captam videre. *Flor.* 2, 7. Nata in practoria puppe laurus. *Id.* 4, 8. *extr.* Xerxes fugiebat exstincto praetoriae navis lumine, etc. ℙ Praetoria classica. V. CLASSICUM.

PRAETORQUĔO, es, orsi, ortum a. 3. ante torqueo, distorqueo. *Pl. Rud.* 3, 2, 12. Praetorquete injuriae prius collum, quam ad vos perveniat.

PRAETORRĪDUS, a, um, adj. valde torridus. *Calpurn. Ecl.* 2, 80. quos etiam praetorrida munerat aestas.

PRAETORTUS, a, um, part. a *praetorqueo*, valde tortus. *Colum.* 3, 18. Julius Atticus praetorto capite et recurvato semen demersit.

PRAETRACTĀTUS, us, m. tractatus prius positus. *Tert. Fuga in persecut.* 4. Possumus determinare ex hoc ipso praetractatu.

PRAETRĔPIDANS, antis, part. ab inus. *praetrepido*, valde trepidans, festinans. *Catull.* 46, 7. mens praetrepidans avet vagari.

PRAETRĔPĬDUS, a, um, adj. valde trepidus, festinus, exsultans. *Pers.* 2, 52. Si tibi crateras argenti, incusaque pingui Auro dona feram, sudes, et pectore laevo Excutias guttas: laetari praetrepidum cor. ℙ Item valde tremens, timidus. *Suet. Tib.* 63. Non modo invisus ac detestabilis, sed praetrepidus quoque, atque etiam contumeliis obnoxius vixit; et *Ner.* 41. Urgentibus aliis super alios nunciis, Romam praetrepidus rediit. [In priore loco aiii *pertrepidus*.]

PRAETRĪCOSUS. V. PERTRICOSUS.

PRAETRUNCO, as, a. 1. ἀποκόπτω, idem fere quod trunco, amputo, praecido, praescindo. *Pl. Capt.* 4, 3, 2. Collos praetruncabo tergoribus. *Id. Mil.* 2, 3, 47. Nonne tibi istam praetruncari linguam largiloquam jubes?

PRAETŪMĬDUS, a, um, adj. valde tumidus. *Claud. in Ruf.* 1, 225. Effera praetumido quatiebat corda furore. *Id. II. cons. Stil.* 81. Jam non praetumidi supplex Orientis adempta Legatis poscit Libyam. *Juvenc.* 1, 584. praetumidae jactatio mentis.

PRAETŪRA, ae, f. ἐπαρχία, dignitas praetoris, *h. e.* ejus, qui populo jus dicit, sive Romae, sive in provincia. Magistratus aedilitate major, consulatu minor: cujus petendi aetas erat fere annus quadragesimus, ita tamen ut post aedilitatem biennium intercederet: insignia sella curulis, praetexta, latus clavus. Patriciorum primo propria fuit: deinde etiam cum plebe communicata. V. *Liv.* 8, 15. Qui primus e patriciis hunc magistratum iniit, fuit Sp. Furius M. F. Camillus, ut est ap. *eund.* 7. *in.*; e plebejis vero Q. Publilius Philo, teste *eod. cit.* 8, 15. Tria praecipua praeturae urbanae officia significantur a *Cic. Mur.* 26. Praetura probata in jure, grata in munere, ornata in provincia. *Tac. A.* 3, 30. Volusio vetus familia, neque tamen praeturam egressa.

[PRAETŪRĪNUS, a, um, adj. ad praeturam pertinens. *Not. Tir.* p. 61. Praetor, praetorius, praetura, praeturinus. *F.*]

PRAETUTĬANUS Ager, ap. *Plin.* 3, 13, 18. et *ib.* 14, 19. et *Liv.* 22, 9. et 27, 43. fuit in Piceno, quem olim Siculi et Liburni tenuere, juxta Anconem, [ubi olim urbs Interamnia Praetutia, nunc *Teramo.* ℙ Hinc etiam factum cogn. R. *Inscr.* ap. *Delfico dell' Inter. Pretuz.* p. 118. T. Statio T. F. Vel. Praetutiano praefecto coh. II. Breucorum, etc. *F.*]

PRAETŪTĬUS, a, um, adj. Praetutianus. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 5. Praetutia vina. *Sil.* 15, 571. Tum qua vitiferos domitat Praetutia pubes, Laeta laboris, agros.

PRAEVĂLENS, entis, part. a *praevaleo:* valde potens. *Liv. praef.* Jampridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt. *Vell.* 2, 108. Praevalens corpore, animo ferox. *Plin.* 5, 24, 20. Occurrit Euphrati Taurus mons, nec resistit, quamquam XII. mill. pass. latitudine praevalens.

PRAEVĂLENTĬA, ae, f. actus praevalendi. *Paul. Dig.* 6, 1, 23. In omnibus istis causis, ex quibus mea res per praevalentiam alienam rem trahit.

PRAEVĂLĔO, es, ui, n. 2. ὑπερισχύω, plus valeo, plus possum, melior sum. *Phaedr.* 1, 13. Virtute semper praevalet sapientia, *h. e.* robore corporis. Alii leg. *virtuti*, alii *virtutem:* alii spurium versum putant. *Vell.* 2, 118. *med.* Sed praevalebant jam fata consiliis. *Stat. Achill.* 2, 122. Quisquis equo jaculoque potens, qui praevalet arcu. *Plin.* 10, 6, 7. Vulturum praevalent nigri. *Id.* 11, 19, 21. Aranei cum praevaluere *(supra apes)*, ut intexant, enecant alveos. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 15. Et in Africa, et

in Aegypto hic mos praevalet. *Plin. alter ep.* 3, 20. Ita saepius digni, quam gratiosi, praevalebant: *scil.* in petendis honoribus. *Tac. A.* 1, 58. *med.* Tuum erit consultare, utrum praevaleat, quod ex Arminio concepit, an quod ex me genita est; et *ib.* 12, 64. *f.* Enimvero certamen acerrimum, amita potius, an mater apud Neronem praevaleret. *Suet. Galb.* 19. Praevalere auctoritate et praesentia. *Id. Ner.* 28. gratia. *Tac. H.* 2, 65. Auctoritas Cluvii praevaluit, ut puniri libertum suum Vitellius juberet. [**Suet. Aug.* 7. quum, quibusdam censentibus — praevaluisset, ut etc., i. e. ea sententia prae reliquis valuisset, obtinuisset.] *Plin. ep.* 5, 21. *f.* Tales ubique sermones: qui tamen alterutram in partem ex eventu praevalebunt. *Ulp. Dig.* 1, 5, 10. Hermaphroditum puto ejus sexus existimandum, qui in eo praevalet. ℙ De iis, quae vim habent in medicina. *Plin.* 21, 21, 88. Trifolium praevalet contra serpentium ictus; et 28, 7, 21. Lac praevalet ad vitia in facie sananda.

PRAEVĂLESCO, is, n. 3. invalesco, validior fio. *Colum.* 5, 6. *med.* Vitem quoque ante, quam ex toto arbor praevalescat, conserere convenit.

PRAEVĂLĬDĒ, adv. *πάνυ ἰσχυρῶς*, admodum valide. *Plin.* 17, 14, 24. Ut praevalide accipientis trunco in media fissura relinquatur.

PRAEVĂLĬDUS, a, um, adj. *ὑπερισχυρὸς*, praepotens. *Liv.* 7, 5. Se solum inermem, illum praevalidum juvenem, et stolide ferocem viribus suis. *Ov. Her.* 9, 80. Ah quoties, digitis dum torques stamina duris, Praevalidae fusos comminuere manus! *Liv.* 27, 39. *f.* Praevalidae urbes. *Vell.* 2, 69. legiones. *Tac. H.* 2, 28. Cohortes turbidae, ac, si una forent, praevalidae. *Suet. Vesp.* 5. Ramus praevalidus ac prolixus. ℙ Translate. *Virg. G.* 2, 252. de terra: ah nimium ne sit mihi fertilis illa, Neu se praevalidam primis ostendat aristis, *h. e.* multa gignere potentem. *Tac. A.* 3, 53. Praevalida et adulta vitia; et *ib.* 12, 60. *f.* Matios et Vedios, et cetera equitum R. praevalida nomina, *h. e.* potentiores equites R. Sic *ib.* 3, 35. Avunculum esse Sejani Blaesum, atque eo pravalidum, *h. e.* magis gratiosum.

PRAEVĂLLO, as, a. 1. ante vallo. *Hirt. B. Alex.* 19. Imperat, pontem adversus hostem praevallari. *Claud. in I. cons. Stil.* 2, 188. et saevum gentibus amnem, Tibridis in morem domibus praevallet amoenis, *h. e.* tanquam vallum opponat hostibus.

[PRAEVĂPORĀTUS, a, um, part. ab inus. *praevaporo*, antea vaporo. *Thood. Prisc.* 1, 2. Alcyonii radices combures, et teres, et praevaporatis locis asperges. *F.*]

*PRAEVĂPORO, as, a. 1. ante vaporo. *Coel. Aurel.* 1, 3. Praevaporare loca. *B. A.*

PRAEVĂRĪCĀTĬO, onis, f. *καθύψεως*, actus praevaricandi. V. voces sqq. *Cic. Part.* 36. Ut si in reo pecunia absoluto, rursusque revocato, praevaricationem accusator esse definiat omnem judicii corruptelam ab reo; defensor autem non omnem, sed tantummodo accusatoris corruptelam ab reo. *Id. Q. Fr.* 2, 16. Quo die haec scripsi, Drusus erat de praevaricatione a tribunis aerarii absolutus. *Plin. ep.* 1, 20. Brevitatem custodiendam esse confiteor, si causa permittat: alioquin praevaricatio est, transire dicenda. Praevaricatio etiam, cursim et breviter attingere, quae sint inculcanda, infigenda, repetenda. *Id. ep.* 3, 9. *med.* Praevaricationis crimine corruere; et *mox:* Praevaricationis damnatus.

PRAEVĂRĪCĀTOR, oris, m. *καθυφετὴρ*, qui praevaricatur, sive praetergreditur. Accipitur pro eo, qui ab officii sui praescripto deflectit, atque aberrat: et speciatim pro accusatore, qui a reo pecunia corruptus est. *Cic. Part.* 36. Praevaricator significat eum, qui in contrariis causis quasi varie esse positus videatur. *Mart. Dig.* 48, 16, 1. Praevaricatorem esse eum ostendimus, qui colludit cum reo, et translaticie munere accusandi defungitur, eo quod proprias quidem probationes dissimularet, falsas vero rei excusationes admitteret. *Ulp. ib.* 3, 2, 4. *f.* et *l.* 47. *tit.* 15. qui *De praevaricatorib.* inscribitur, 1. Praevaricator autem est quasi varicator, qui diversam partem adjuvat, prodita causa sua. *Cic. Div. in Verr.* 18. Utrum te perfidiosum, an praevaricatorem existimari mavis? *Id. Pis.* 10. Praevaricator Catilinae quondam, nunc ultor. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 11. Praevaricator causae publicae. ℙ *Apponere sibi praevaricatorem*, est curare se per alium quempiam accusari colludendi gratia. *Cic. Phil.* 2, 11. Jam vereor, ne praevaricatorem mihi apposuisse videar, qui me non solum meis laudibus ornaret, sed etiam oneraret alienis.

PRAEVĂRĪCATRIX, icis, f. quae praevaricatur. Est *August. ep.* 89. (al. 157.) 20. et *Hieron.* in *Isaj.* 5, 12, 3.

*PRAEVARICĀTUS, a, um, part. *Isidor.* 10. *lit. P.* Praevaricatus est malae fidei advocatus. *B. A.*

PRAEVĂRĪCOR, aris, atus sum, dep. 1. valde varico, varus, *h. e.* obliquus incedo, rectam lineam praetergredior. *Paul.* ex *Fest.* Praevaricatores a praetergrediendo sunt vocati. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Arator, nisi incurvus, praevaricatur. Inde translatum hoc crimen in forum. Ibi itaque cavea-tur, ubi inventum est, *h. e.* a recto sulco deflectit. ℙ Transfertur itaque ad res forenses, et praecipue dicitur de accusatore, qui dum fingit se accusare, id agit potius, ut reus absolvatur, proditque causam suam proprias probationes dissimulando, et falsas rei excusationes admittendo, *καθυφίημι*. V. PRAEVARICATOR. *Ulp. Dig.* 47, 15, 1. Qui praevaricatur, ex utraque parte consistit, quinimo ex altera. Is autem praevaricator proprie dicitur, qui publico judicio accusaverit. Ceterum advocatus non proprie praevaricator dicitur. *Cic. Har. resp.* 20. A Catilina pecuniam accepit, ut turpissime praevaricaretur. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Norbanum reum postulavit, quasi in causa Costae praevaricaretur. *Cic. Cluent.* 21. Hoc quamquam sedulo faciebat, tamen interdum non defendere, sed praevaricari accusationi videbatur. Alii omitt. *accusationi:* alii leg. *accusatori*: alii *defensioni. Praevaricari* hoc loco est, causam susceptam prodere, male defendendo, et accusationi inserviendo. Quamvis enim proprie accusator *praevaricari* dicatur, tamen et patrono tribui potest. Cujus rei exemplum habetur etiam in *ep. Coelii* ad *Cic. Fam.* 8, 11., ubi *praevaricator* dicitur, qui aliquid defendit. Etiam *praevaricatio* hoc sensu usurpatur a *Plin. ep.* 1, 20. V. PRAEVARICATIO. ℙ Etiam *praevarico* ab antiquis dictum est, teste *Prisc.* 8, 799. Sic *August. tract. in Joann.* 99. Adam non sicut audivit, judicavit, quia quod audivit, praevaricavit, *h. e.* neglexit, vel transgressus est: quo sensu et *praevaricator* ab *eod.* accipitur, in *ep.* ad *Galat. n.* 16. et *enarr. in Psalm.* 100. *n.* 5.; item praevaricatio; *enarr. in Psalm. serm.* 118, 25. etc.

PRAEVĂRUS, a, um, adj. valde varus, obliquus, pravus. *Cic. fr.* ap. *Isid. Or.* 10. *litt. P.* Quid enim tam praevarum? *Appul. Flor. n.* 19. Venarum pulsus inconditos, vel praevaros. MSS. et editt. plures habent *praeclaros*, h. e. certos, distinctos.

PRAEVECTUS, a, um, part. a *praevehor:* provectus. *Liv.* 9, 35. *med.* Equites R. praevecti per obliqua campi, cum se fugientibus obtulissent, etc. *Id.* 24, 44. *f.* et *Virg. A.* 7, 166. Praevectus equo. *Sil.* 4, 51. volucri praevectus litora classe Scipio, Phocaicis sese referebat ab oris. Al. leg. *pervectus. Tac. H.* 5, 16. Hinc praevectus ad Germanicum exercitum, manus tendebat, etc.

PRAEVĔHOR, eris, ectus sum, dep. 3. *προβαίνω, προάγομαι*, ante vehor, provehor, praetervehor. *Tac. A.* 2, 6. Rhenus servat nomen, qua Germaniam praevehitur. *Id. H.* 4, 71. *f.* Paulum more in ascensu, dum missilia hostium praevehuntur, *h. e.* feruntur in subeuntes. *Plin. ep.* 1, 16. Adsunt aptae crebraeque sententiae, gravis et decora constructio, sonantia verba et antiqua. Omnia haec mire placent, cum impetu quodam et flumine praevehuntur: placent, si retractentur.

PRAEVELLO, is, elli, et ulsi, a. 3. ante vello, evello, avello. *Laber.* ap. *Diomed.* 1, 369. Aliqua parte praevulserat. *Tert. adv. Gnost.* 13. *f.* Sicubi ab idololatria divellit, quid ei magis, quam martyria praevellit?

PRAEVĔLO, as, a. 1. *προκαλύπτω*, ante velo, seu tego. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 325. et vultibus addunt Flamea, sollicitum praevelatura pudorem. *Id. VI. cons. Honor.* 647. Et sextas Getica praevelans fronde secures.

PRAEVĔLOX, ocis, adj. valde velox. *Plin.* 11, 31, 36. Quamvis praevelocibus camelis fugientes. *Quint.* 11, 2. *med.* Praevelox memoria.

PRAEVĔNĬO, is, eni, entum, a. 4. *φθάνω, προέρχομαι*, ante venio, occupo, praeverto. *Liv.* 22, 24. Quia haud dubie hostis breviore via praeventurus erat. *Id.* 24, 21. Ceterum praevenerat non fama solum, sed nuncius etiam ex regiis servis. *Ov. Fast.* 5, 547. Quid solito citius liquido jubar aequore tollit Candida, Lucifero praeveniente, dies? *Liv.* 8, 16. *f.* Ut beneficio praevenirent desiderium plebis de colonia deducenda Cales retulerunt. *Just.* 32, 4. et *Val. Max.* 1, 3. *n.* 3. Damnationis ignominiam voluntaria morte praevenit. *Suet. Caes.* 44. Talia agentem et meditantem mors praevenit. *Colum.* 3, 2. *med.* Nomentanae vites vini nobilitate subsequuntur Amineas, fecunditate vero etiam praeveniunt. ℙ Passive. *Ov. Trist.* 5, 4, 31. moerens tempus reminiscitur illud, Quod non praeventum morte fuisse, dolet. *Just.* 32, 3. Peregissetque ultionem, nisi morte praeventus fuisset. *Suet. Claud.* 44. Priusquam ultra progrederetur, praeventus est ab Agrippina. *Tac. A.* 14, 7. Eo descensum credebant, ut nisi praeveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset, *h. e.* prior occideretur. *Ulp. Dig.* 48, 5, 15. Si maritus sit in magistratu, potest praeveniri a patre, *h. e.* in accusanda filia adulterii rea. *Praevenire* enim aliquando dicitur, qui prior accusat, ut est ap. *eund. ib.* 4. ℙ Tmesis est in illo *Virg. Ecl.* 8, 17. Nascere, praeque diem veniens age, Lucifer, almum.

PRAEVENTOR, oris, m. qui praevenit. *Praeventores*, et *superventores* ap. *Ammian.* 18, 9. *f.* sunt militum genus, a pugnae, opinor, ineundae tempore atque ordine appellati.

PRAEVENTUS, a, um, part. a *praevenio:* quem alius praevenit, occupatus. *Sall. Jug.* 74. *f.* Quae ipse paravisset, perfidia clientis sui praeventa. *Plin. ep.* 9, 1. Jam parata editio morte praeventa. *Just.* 21, 4. Hoc consilio praeventus, iterum servitia concitat. *Tac. H.* 1, 5. Postquam praeventam gratiam intelligit, pronus ad novas res, etc. *Flor.* 3, 5. *med.* Filii scelere praeventus, male tentatum veneno spiritum ferro expulit. *Macr. Sat.* 7, 12. *f.* Ex asperatione oris praeventa suavitas excluditur. Est qui leg. *proventa*, sed repugnante sententia. Adde *Ov. Trist.* 5, 4, 32. et *Claud. IV. cons. Honor.* 101.

PRAEVENTUS, us, m. occupatio. In sexto casu sing. *Tert. adv. Marc.* 5, 12. Ne contristemur mortis praeventu.

PRAEVERBĬUM, ii, n. verbum, quod in compositione alterius verbi praeponitur. *Varr. L. L.* 5, 5. Ab iisdem principiis, antepositis praeverbiis paucis, immanis verborum accedit numerus, quod praeverbiis additis, atque commutatis, aliud atque aliud fit; et *ib.* 8. Consuetudo communis, quae cum praeverbiis conjuncta sunt, etiam nunc servat, ut aspicio, conspicio, respicio, suspicio, despicio. *Gell.* 7, 7. Addebat etiam, quod *ad* praeverbium tunc ferme acueretur, cum significaret *ἐπίτασιν*, ut adfabre, admodum.

PRAEVERNAT, abat, n. impers. l. ver praemature incipit. *Plin.* 18, 26, 65. *n.* 2. Sive ante, quando praevernat; sive post, quando hiemat.

PRAEVERRO, is, a. 3. ante verro. *Ov. Amor.* 3, 13, 24. Qua ventura Dea est, juvenes timidaeque puellae Praeverrunt latas veste jacente vias. *Virg. Mor.* 23. Praeverrit cauda silices, gremiumque molarum. Al. leg. *perverrit*, h. e. probe ac diligenter verrit, et mundat. Utraque lectio probabilis est.

PRAEVERTO et Praevorto, is, ti, a. 3. *προφθάνω*, anteverto, praevenio, antepono, praefero. *Cic. Div.* 1, 6. De quibus quid ipse sentiam, si placet, exponam, ita tamen, si vacas animo, neque habes aliquid, quod huic sermoni praevertendum putes. (Est qui leg. *praetervertendum*, minus recte.) *Liv.* 2, 24. Nec posse, cum hostes prope ad portas essent, bello praevertisse quidquam. *Gell.* 4, 3. Jurisjurandi religionem animo atque amori praevertere. *Pl. Amph.* 1, 3, 29. Illuc redeundum est mihi, ne me uxorem praevertisse dicant prae republica. ℙ Item praevenio, antecedo, currendo supero. *Virg. A.* 7, 807. proelia virgo Dura pati, cursuque pedum praevertere ventos. Sic *Id. ib.* 12, 345. equo praevertere ventos. *Catull.* 64, 341. Flammea praevortet celeris vestigia cervae. *Stat. Th.* 5, 691. volucres equitum praeverterat alas Fama recens. Adde *Achill.* 2, 396. ℙ Item praevenio, praeoccupo. *Lucan.* 8, 29. summa dies cum fine bonorum Adfuit, et celeri praevertit tristia leto. *Gell.* 17, 10. Quae absolvi, quoniam mors praeverterat, nequiverunt. *Liv.* 8, 16. Aggerem et vineas egit, turresque admovit: quorum usum forte oblata opportunitas praevertit, *h. e.* eorum usum inanem reddidit, cum ante capta sit urbs, quam illa adhiberentur. *Cic. Sull.* 16. Nemo unquam me tenuissima suspicione perstrinxit, quem non praeverterim, *h. e.* non praevenerim male dicendo, dictis lacerando. *Ov. Met.* 2, 657. praevertunt, inquit, me fata, vetorque Plura loqui. *Pl. Mil.* 3, 1, 59. Neque praeripio pulpamentum, neque praevorto poculum, *h. e.* ante tempus sumo. *Virg. A.* 1, 724. paulatim abolere Sichaeum Incipit, et vivo tentat praevertere amore Jampridem resides animos, *h. e.* praeoccupare, antequam a Junone capiantur. ℙ Item praecavere, vitare. *Ser. Sam.* 62, 1077. Si nequit infandum praevertere cautio virus. ℙ Item superare, plus posse. *Pl. Amph.* 5, 1, 16. Jam ea res me horrore afficit: herilis praevertit metus: ocius accurro. *Id. Ps.* 1, 3, 59. Quoniam pietatem amori tuo video praevortere. ℙ Interdum est divertere, transire, quasi omissis, quae occeperamus, vertere se ad alia, eaque prius persequi, et conficere, ut quae majoris momenti sint: et fere passiva voce. *Hor. Sat.* 1, 3, 38. Illuc praevertamur, amatorem quod amicae Turpia decipiunt caecum vitia. *Colum.* 3, 7. *extr.* Quare non intempestivum est, nos ad ea praeverti, quae, etc. *Tac. A.* 4, 32. Qui veteres populi R. res composuere, ingentia bella, expugnationes urbium, fusos captosque reges; aut si quando ad interna praeverterent (supple *se*), discordias consulum adversum tribunos, agrarias leges, plebis et optimatium certamina, libero egressu memorabant. *Gell.* 3, 7. Hostes profecto, ubi id viderint, fortissimus quisque ad occursandum pugnandumque in eos praevertentur, unoque illo negotio sese alligabunt. *Plin. praef.* 16. Proximum erat narrare glandiferas quoque, ni praeverti cogeret admiratio, quaenam esset vita sine arbore ulla, etc. *Caes. B. G.* 7, 33. Etsi ab hoste discedere detrimentosum esse existimabat, tamen huic rei praevertendum existimavit. *Pl. Merc.* 2, 3, 40. Rei mandatae omnes sapientes primum praevorti decet, *h. e.* vorti ante alia ad rem mandatam faciendam. Sic *Pers.* 5, 2, 20. Stultitia est, cui bene esse licet, eum praevorti litibus. Posterius

istaec te magis par agere est. Adde *Capt.* 2, 3. *f.* ℙ Hoc sensu regit interdum accusativum, quasi sit deponens. *Liv.* 8, 13. Coactique novi consules omnibus eam rem praeverti, proficiscuntur, *h. e.* vertere se ad eam rem prae, seu ante omnia. *Pl. Ps.* 2, 2, 8. Hoc praevortar principio: illa omnia missa habeo, quae ante agere occoepi. *Liv.* 35, 33. *f.* et 36, 27. Aliud in praesentia, quod magis instaret, praevertendum sibi esse dixit. [*L. Verus Imp.* ap. *Front. ad Verum Imp.* (ed. *A. Maio*) 2. Da verecundiae veniam, si urgentibus curis praepeditus negotia in manibus praeversus sum. *F.*] ℙ Huc et illa pertinent *Pl. Ps.* 1, 3, 8. In rem quod sit, praevortaris, potius quam re adversa animo ausculte*s*, *h. e.* agas, advertas, cures ante omnia, quod utile sit; et *Merc.* 1, 2, 3. Abige abs te lassitudinem: cave, pigritiae praevorteris, *h. e.* pigritiae indulgeas omissa cura salutis heri. ℙ Hac ratione etiam pro anteire, praevenire adhibetur. *Virg. A.* 1, 321. volucremque fuga praevertitur Hebrum. *Pl. Cas.* 2, 8, 75, Nostra omnis lis est: pulcre praevortar viros, *h. e.* praeveniam, ne, quod pararunt, perficere queant. ℙ Ejusdem sententiae est illud *ejusd. Amph.* 3, 2, 39. Si quid dictum est per jocum, non aequum est, id te serio praevortier, *h. e.* praeoccupare, ac statim arripere, et in serium interpretari, priusquam mentem loquentis plane intelligas. ℙ *Praeforti foras*, exire, aufugere. In *suppos. Amph. scena*, quae incipit *Di vostram fidem*, 23. Famem exspectat obambulans. *So.* curiose quidem: fores enim clausit, ne praevorteretur foras, *h. e.* ne foras egrediens fames eum anteverteret.

PRAEVĒTĬTUS, a, um, part. ab inus. *praeveto*, prius vetitus. *Sil.* 13, 155. Praevetitum namque et capital committere Martem Sponte viris.

PRAEVEXĀTUS, a, um, part. ab inus. *praevexo*, ante, aut valde vexatus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 32. Praevexatae vires. *Id. Tard.* 1, 1. *n.* 18. Aeger viribus praevexatus.

[PRAEVĬANS, antis, part. ab inus. *praevio*, qui praevius anteit. *Ambros.* in *Luc.* 3, 21. Homo viam non potest adoriri, nisi Dominum habeat praeviantem. *F.*]

PRAEVĪDĔO, es, īdi, isum, a. 2. *προορᾰ́ω*, ante video, provideo, prospicio, praesentio. *Cic. Verr.* 2, 5, 9. Omnia ista concedam et remittam: praevideo enim, quid sit defensurus Hortensius. *Tac. H.* 4, 15. Nec praeviderant impetum hostium milites, nec, si praevidissent, satis virium ad arcendum erat. *Plin. ep.* 1, 20. *med.* Quisque quasi fortissimum amplectitur, cum ab alio dictum est, quod ipse praevidit. ℙ Alia hujus verbi testimonia afferri solent ex *Ter. Andr.* 1, 2, 12., *Cic. Somn. Scip.* 8., *Div.* 1, 30. et *N. D.* 2, 65., *Hor. Ep.* 1, 7, 69., *Suet. Tib.* 14. *f.* et *Quint.* 4, 5. *med.* etc., sed ubique alii *provideo* substituunt, quod eandem vim habet. ℙ Procul video, et antequam perveniam. *Val. Fl.* 2, 442. jam quas praeviderat urbes, Navita condebat. Hic quoque est qui leg. *proviserat*. Simile est illud *Virg. A.* 5, 443. Ostendit dextram insurgens Entellus, et alte Extulit: ille ictum venientem a vertice velox Praevidit, celerique elapsus corpore cessit. ℙ Et consulo, caveo, prospicio. *Nep. Ann.* 9. Vidit autem vir omnium callidissimus, magno se fore periculo, nisi quid praevidisset. Itaque capit tale consilium, etc. Al. leg. *providisset*.

PRAEVINCTUS, a, um, part. ab inus. *praevincio*, ante, aut valde vinctus, constrictus. *Gell.* 15, 10. Cum eodem laqueo, qui essent praevinctae. *Id.* 19, 2. Ferinis voluptatibus praevinctus.

PRAEVĪRĬDANS, antis, adj. *Laber.* ap. *Macr. Sat.* 2, 7. Cum vigebam membris praeviridantibus, *h. e.* praevalidis, vegetis.

PRAEVĪRĬDIS, e, adj. valde viridis. *Front. Aquaed.* 7. *med.* Aqua colore praeviridi. Plerique omnes leg. *perviridi*.

PRAEVĪSUS, a, um, part. a *praevideo*, *προορᾰθείς*, ante visus. *Ov. Fast.* 1, 327. An, quia praevisos in aqua timet hostia cultros, etc.? *Tac. A.* 12, 63. Praevisa locorum utilitate; et *ib.* 40. *med.* Quod nobis praevisum, et missae auxilio cohortes; et *ib.* 14, 55. Non tantum praevisa, sed subita expedire. *Suet. Aug.* 10. Praevisum periculum subterfugere.

PRAEVĬTĬĀTUS, a, um, part. a *praevitio*, ante vitiatus, praecorruptus. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *n.* 15. Corpora jamdudum debilia, vel senes, aut ex alio morbo praevitiati.

PRAEVĬTĬO, as, a. 1. *προκαταισχύνω*, ante vitio, vel corrumpo. *Ov. Met.* 14, 55. Hunc *(gurgitem)* Dea praevitiat, portentificisque venenis Inquinat.

PRAEVĪUS, a, um, adj. *ὁδηγὸς*, qui praeeundo viam monstrat, qui antecedit. *Cic. Arat.* ap. *Non.* 1, 330. Praevius Aurorae, Solis Noctisque satelles. *Ov. Met.* 11, 65. Nunc praecedentem sequitur, nunc praevius anteit; et *ib.* 15, 190. cum praevia luci Tradendum Phoebo Pallantias inficit orbem. Alii leg. *lucis*. *Stat. Th.* 4, 485. Angue ter excusso, et flagranti praevia taxo, Tisiphone, dux pande diem. *Auson. Idyll. de monosyllab. coept.* 12. *et f.* 6. Lux dono concessa Deum, cui praevius est sol. Adde *Claud. in Eutr.* 2, 426. Ex his intelligis, vocem esse poeticam.

PRAEULCĔRĀTUS, a, um, part. ab inus. *praeulcero*, ante ulceratus. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 1. *n.* 18. Pulvisculum locis praeulceratis apponimus.

PRAEUMBRANS, antis, part. ab inus. *praeumbro*, umbram inducens, umbra involvens. Transl. *Tac. A.* 14, 47. Mortem obiit Memmius, auctoritate, constantia, fama, in quantum praeumbrante imperatoris fastigio datur, clarus.

PRAEUNCTUS, a, um, part. a *praeungo*, ante unctus. *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. *med.* Digitus praeunctus adipe anserino.

PRAEUNGO, is, a. 3. prius ungo. *Theod. Prisc.* 1, 19. Praeungendum est vulnus.

PRAEVOLO, as, n. 1. antevolo. *Cic. N. D.* 2, 49. *med.* Grues in tergo praevolantium colla et capita reponunt. *Tac. H.* 1, 62. Aquila leni meatu, prout agmen incederet, velut dux viae praevolavit. *Pl. Mil.* 1, 1, 40. Novisse mores me tuos meditate decet, curamque adhibere, ut praevolet mihi, quo tu velis, *h. e.* ut animus meus praecurrat, quo tu velis. Est qui leg. *praevelit*, vel *praevelim*, *quae tu velis:* a *praevolo*, *praevis*, etc.

PRAEVŌLO, is, n. anom. V. in v. praec.

PRAEURO, is, a. 3. prius, vel valde uro. *Colum. Arb.* 11. *extr.* Uvas, quae meridiem vel occidentem spectabunt, ne praeurantur, suo sibi pampino tegito. Alii leg. *perurantur*.

PRAEUSTUS, a, um, part. a *praeuro:* prius, aut valde, aut in anteriori parte ustus. *Liv.* 1, 32. *f.* Ut fecialis hastam serratam, aut sanguineam praeustam ad fines eorum ferret, *h. e.* ustulatam in cacumine. *Virg. A.* 7, 524. Stipitibus duris agitur, sudibusque praeustis. Adde *Caes. B. G.* 5, 39. *Tac. A.* 2, 14. Praeusta et brevia tela. ℙ De frigore. *Plin.* 3, 20, 24. Praeustis in transitu Alpium nive membris. V. ADUSTUS.

PRAE UT. V. in PRAE.

PRAEVULSUS, a, um, part. a *praevello*, avulsus. Absolute. *Tert. ad Nat.* 1, 10. *med.* Capitula et ungulas et plumarum setarumque praevulsa.

[PRAGMA, ātis, n. *πρᾶγμα*, negotium. *Jul. Vict. Art. rhet.* (ed. *A. Maio*) 3, 4. Pragmata scholastica. Adde *ib.* 9. et 15. *F.*]

PRAGMĀTĬCĀRĬUS, ii, m. qui in sacris principis scriniis occupatus est, et pragmaticas sanctiones, adnotationes, et acta cognitionum perscribit. *Imp. Zeno Cod.* 1, 23, 7.

PRAGMĀTĬCUS, a, um, adj. *πραγματικὸς*, ad negotia pertinens, negotialis: *πρᾶγμα* enim est negotium. Et praesertim ad lites, et causas forenses, ac civiles pertinens. V. NEGOTIALIS. Graece *Cic. Att.* 14, 3. Tu si quid *πραγματικὸν* (al. *pragmaticon*) habes, scribe: sin minus, populi *ἐπιστημασίαν*, et mimorum dicta perscribito, *qualche novita forense*, *o della piazza.* [**Ernest.* in *cl. Cic.* explicat: quod ad recte agendum prosit. Alii de rebus ad civitatem pertinentibus dictum putant: quod nescio an praeferendum sit. *Orell.* Graecis literis v. *pragm.* scripsit.] ℙ *Pragmatici homines*, rerum periti, callidi, humanorumque morum gnari. *Cic. Att.* 2, 20. Pompejus amat nos. Credis? inquies: credo: prorsus mihi persuadet. Sed quia, ut video, pragmatici homines omnibus historicis (al. *historiis*), praeceptis, versibus denique cavere jubent, et vetant credere; alterum facio, ut caveam; alterum, ut non credam, facere non possum. ℙ Speciatim sic dicebantur apud Graecos, qui res forenses callebant, qui mercede causarum actores, juris et consuetudinis fori ignaros monebant, dicenda suggerebant, agendi rationem docebant. Nam, ut ait *Quint.* 3, 6. *med*, Graeci *πραγματικοὺς* vocant juris interpretes. *Cic. Or.* 1, 45. Ut apud Graecos infimi homines, mercedula adducti, ministros se praebent in judiciis oratoribus, ii, qui apud illos *πραγματικοὶ* vocantur; et *ib.* 59. *med.* Itaque illi disertissimi homines (*Graeci*) ministros habent in causis juris peritos, cum ipsi sint peritissimi, et qui, ut abs te paulo ante dictum est, pragmatici vocantur; et *f.* Oratori pragmaticum adjutorem dare. *Quint.* 12, 3. Neque ego sum nostri moris ignarus, oblitusve eorum, qui velut ad arculas sedent, et tela agentibus subministrant: neque idem Graecos quoque nescio factitasse: unde nomen his pragmaticorum datum est. ℙ Paulatim etiam in Romano foro locum habere coeperunt. *Juven.* 7, 122. Si quater egisti, si contigit aureus unus, Inde cadunt partes ex foedere pragmaticorum, *h. e.* ex eo aureo detrahuntur partes, quae debentur pragmaticis ex pacto cum oratore inito. Adde *Mart.* 12, 72. ℙ Differebant ab *advocatis*, quia hi arcessebantur ab reo, eique aderant gratis officii causa: *pragmatici* ultro se offerebant actori, seu oratori, eique aderant mercedis gratia: *advocati* voce et consilio, *pragmatici* etiam scripto navabant operam: unde et *tabelliones* aliquando appellantur. *Ulp. Dig.* 48, 19, 9. Solet autem interdici forensibus negotiis vel juris studiosis, vel advocatis, vel tabellionibus sive pragmaticis. Hoc tamen loco *advocati* rectius intelliguntur ipsi causarum actores. ℙ *Pragmatica*, *orum*, fuit quoddam opus ab *Accio* conscriptum, quod citat *Gell.* 20, 3. Videtur autem esse idem cum eo, quod *Plinius* appellat *Praxidica*, et *Praxidicum* (*πρᾶξις* enim, et *πρᾶγμα* idem fere sonant) *in indice auctor. lib.* 18. et 18, 24, 55., ubi haec habet: Adjecit iis Accius in Praxidico, ut sereretur, cum Luna esset in Ariete, Geminis, Leone, Libra, Aquario. ℙ *Pragmatica sanctio*, aut *jussio*, aut *adnotatio*, aut *constitutio*, quae ab imperatoribus fit de rebus, ac negotiis civilibus, adhibitis in consilium viris prudentibus, et diligenti examine rei, de qua decernendum est. *Impp. Theod. et Valent. Cod.* 1, 2, 10. et *Impp. Leo*, *et Anthem. ib.* 3, 35. et alibi. Sic pragmaticum rescriptum *August. collat. cum Donatist.* 3. *c.* 2. Unde *pragmaticum* absolute, h. e. pragmatica sanctio, *Impp. Theod. et Valent. Cod. Theod.* 6, 23, 3. et *ib.* 11, 1, 36. et *Impp. Honor.* et *Theod. ib.* 16, 5, 52.

*PRAGMENTUM, i, n. *Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 87. *si sanus sit locus:* Utrimquesecus pellium pragmenta usum ratium integraverant sibique pecorique. *B. A.*

PRAMNĬUM Vinum, *πράμνιος οἶνος*, generosi vini genus, in Smyrnaeorum agro, juxta delubrum Cybeles. *Plin.* 14, 4, 6. Ap. *eund.* 37, 10, 63. Morio gemma Indica, quae nigerrimo colore translucet, vocatur pramnion.

PRANDĔO, es, prandi, pransum, a. 2. *ἀριστάω*, prandium sumo. *Cic. Fam.* 7, 30. Ita Caninio consule scito neminem prandisse, *scil.* quia creatus post meridiem, postridie mane abiturus erat magistratu. *Val. Max.* 3, 2. *n.* 3. *extr.* Sic prandete commilitones, tanquam apud inferos coenaturi. *Hor. Sat.* 2, 3, 245. Luscinias soliti impenso prandere coemptas. *Id. Ep.* 1, 17, 13. Si prandere olus patienter. *Pl. Rud.* 4, 2. *f.* Sed hic rex cum aceto pransurus est et sale, sine bono pulmento. *Id. Poen.* 3, 5, 14. Calidum prandisti prandium. *Suet. Dom.* 21. Prandere ad satietatem. *Augst. contra Acad.* 2, 4. parum. *Plin.* 28, 5, 14. Hippocrates tradit, non prandentium exta celerius senescere. V. PRANDIUM. ℙ Alterum huic praeteritum tribui solet, *pransus sum*. V. PRANSUS.

PRANDĪCŬLĀ antiqui dicebant, quae nunc jentacula. *Festus.*

[PRANDĬŌLUM, i, n. dimin. prandii. *Not. Tir.* p. 166. Prandium, prandiolum. *F.*]

PRANDĬUM, ii, n. *ἄριστον*, *δειλινόν*, cibus, qui mane sumebatur, ut *coena*, quae meridie, teste *Festo*, et *vesperna*, quae vespere. Dictum quidam putant *παρὰ τὸ πρᾶν* pro *πρωΐ*, mane: alii quasi *parandium*, quod eo sumpto pararentur ad opus: alii aliunde. Et quidem in militari vita *prandium* fere vocatus est cibus, qui ante pugnam a militibus, atque adeo mane jussu imperatoris capiebatur. *Liv.* 28, 14. Tesseram vesperi per castra dedit, ut ante lucem viri equique curati et pransi essent. *Id.* 21, 54. Ceteris ducibus praeceptum, ut prandere omnes juberent, armatos deinde signum exspectare. Adde 9, 32. et *Cat.* ap. *Gell.* 15, 13. V. PRANSUS. *Trebell. Gall.* 2. Plerique dicunt, dictum esse prandium ab eo, quod ad bellum milites paret. ℙ Postea dilata coena ad vesperam, *prandium* coeptus dici cibus circa meridiem sumptus, qui et *merenda* appellabatur. V. MERENDA. Si cui vero liberet antea sumere, *jentaculum* dicebatur. *Suet. Cal.* 58. Hora quasi septima, cunctatus, an ad prandium surgeret, marcescente adhuc stomacho pridiani cibi onere. *Id. Claud.* 34. Bestiariis, meridianisque adeo delectabatur, ut et prima luce ad spectaculum descenderet, et meridie, dimisso ad prandium populo, persederet. ℙ Non erat prandium in more omnium, ut coena: multi enim (ut hodieque non pauci) semel die tantum vescebantur. Quibus vero usque ad coenae tempus integram famem perducere difficile erat, levem simplicemque cibum in prandio sumebant: opifices et laboriosi, quantum sat esset tolerando labori: intemperantes gulae largiter inserviebant. *Cels.* 1, 3. *f.* Si prandet aliquis, utilius est exiguum aliquid, et ipsum siccum sine carne, sine potione sumere: et *paulo post:* Aestate cibo saepius corpus eget: ideo prandere quoque commodum est. *Sen. ep.* 83. Panis deinde siccus, et sine mensa prandium, post quod non sunt lavandae manus. *Mart.* 13, 30. Caseus Etruscae signatus imagine Lunae Praestabit pueris prandia mille tuis. *Id.* 6, 64. Curio dum prandia portat aranti; et 13, 13. fatuae fabrorum prandia betae. *Cic. Phil.* 2, 39. Quid prandiorum apparatus, quid furiosam vinolentiam tuam proferam? *Id. Verr.* 2, 1, 19. Quid ego istius prandia, coenas, equos, muneraque commemorem? *Suet. Vit.* 13. Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in jentacula, et prandia, et coenas, comissationesque. ℙ Solebant genio indulgentes post grandium poculis dare operam. Hinc saepe ap. *Plaut.* prandi, potavi, ut *Men.* 1, 2, 61. et 2, 3, 11. et 5, 9, 81. et *Bacch.* 1, 1, 46. etc. et *Mart.* 4, 90. Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, coeno, quiesco. Hinc *Pransus*, *potus*, de quo V. in PRANSUS. ℙ Ad prandium praeterea haec spectant. *Pl. Capt.* 3, 1, 18. Accessi ad adolescentes in foro: salvete, inquam: quo imus una ad prandium? *Id. Stich.* 4,

2, 45. de parasito: Hic quidem in summam crucem coena, aut prandio perduci potest. *Cic. Mur.* 35. Invitare ad prandium. *Pl. Men.* 5, 9, 76. et *Poen. a.* 2. *v.* 23. vocare. *Id. Poen.* 5, 5, 3. Adducere aliquem ad se ad prandium. *Id. Men.* 2, 3, 37. Coquere alicui prandium. *Id. Cas.* 2, 1, 4. parare; et *Men.* 1, 2, 61. apparare; et 1, 3, 25. accurare. *Id. Rud.* 1, 2, 53. ornare. *Id. Amph.* 2, 2, 33. dare. *Id. Poen.* 5, 5, 16. obsonare alicui; et *Men.* 2, 2, 2. anteponere; et 3, 2, 55. comedere. *Id. Poen.* 3, 5, 14. Prandium prandere. *Id. Cist.* 1, 1, 12. In prandio aliquem lepide atque nitide accipere apud se. ℙ De sportula, congiario imperatorum. *Mart.* 5, 49. Tunc, cum prandia misit imperator, Cum panariolis tribus redisti. *Suet. Caes.* 38. Adjecit epulum ac viscerationem, et post Hispaniensem victoriam duo prandia: nam cum prius parce, neque pro liberalitate sua praebitum judicaret, quinto post die aliud largissimum praebuit. *Id. Tib.* 20. Prandium populo mille mensis, et congiarium trecenos nummos viritim dedit. ℙ Item quae praebebatur a candidato tribulibus, etc. *Cic. Mur.* 32. et 34. et *Off.* 2, 17. ℙ De quocumque convivio. *Mart.* 4, 49. qui scribit prandia saevi Tereos, aut coenam, crude Thyesta, tuam. ℙ De cibo bestiarum. *Pl. Truc.* 3, 1, 1. Rus mane me ire jussit, ut bubus glandem prandio depromerem. *Val. Max.* 3, 7. *n.* 1. Prandio dato ipsis, jumentisque eorum.

PRANSĬTO, as, a. 1. frequent. a *prandeo*. *Pl. As.* 1, 1, 20. Nequam homines, qui polentam pransitant. *Vitr.* 8, 3. *med.* Ad rivum accumbentes viatores pransitare solent. *Arnob.* 4, 143. Jovem pro suillis visceribus prolem nescium Lycaoniam pransitasse. *Macr. Sat.* 2, 13. Ut patentibus januis pransitaretur, et coenitaretur. *Lampr. Elag.* 27. Pransitans, et coenitans.

PRANSOR, oris, m. *ἀριστητήρ*, qui prandet, aut qui invitatus est ad prandium. *Pl. Men.* 2, 2, 2. Bonum anteponam prandium pransoribus. *Veranius* ap. *Macr. Sat.* 3, 6. *med.* Qui novissimi comeso prandio venissent, cum jam manus pransores lavarent.

PRANSORĬUS, a, um, adj. ad prandium spectans. *Quint.* 6, 3. *med.* Mirantibus, quod humile candelabrum emisset, Pransorium erit, inquit, *h. e.* aptum erit prandentibus, quia circa meridiem prandium fit, quo tempore lucerna non est opus: nam coenantes sub noctem altiore candelabro egent, quo latius lux diffundatur. *Turneb.*

PRANSUS, a, um, part. a *prandeo: ἠριστηκώς*, qui prandit: ut *potus*, qui potavit. *Hor. Sat.* 1, 6, 27. Pransus non avide, quantum interpellet inani Ventre diem durare, domesticus otior; et *ib.* 5, 25. Millia tum pransi tria repimus. *Id. A. P.* 340. Neu pransae Lamiae vivum puerum extrahat alvo. *Liv.* 28, 14. Tesseram vesperi per castra dedit, ut ante lucem viri equique curati et pransi essent. ℙ *Pransus et paratus* proverbii speciem habet de eo, cui ad aggrediendum aliquid nihil jam deest: ductum a more militari, quo pugnaturi milites, et cibo prius curabant corpora, et arma expediebant, solumque pugnae signum exspectabant, ut in PRANDIUM dictum est. Unde *Cato* ap. *Gell.* 15, 13. Exercitum suum pransum, paratum, cohortatum eduxit foras, atque instruxit. *Varr.* ap. *Non.* 6, 59. Quare, o Marce, pransum ac paratum esse hoc minime oportet. ℙ Contra *pransus*, *potus* ineptus est ad diligenter agendum, gravatus nimii cibi potusque onere. *Cic. Mil.* 21. Adde inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis.

PRAPĔDĪLON, i, et

[PRAPĔDĬON, ii, n. herba eadem quae leontopodion. *Appul. Herb.* 7. *F.*]

[PRAPIS, idis, f. *πραπίς*, mens, pectus, ingenium. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 614, 11. Curtia D. L. Prapis. *F.*]

*PRASIAE, arum, *Πρασιαὶ*, locus Atticae. *Liv.* 31, 45. *B. A.*

*PRASIANE, es, f. *Πρασιανή*, insula magna apud Indos, in Indo flumine pertinens et exinde nomen trahens. *Plin.* 6, 20. *B. A.*

[PRASĬĀNUS, a, um, adj. ad Prasios pertinens, Indiae populos, Gangem utrinque accolentes, de quibus meminit *Plin.* 6, 19, 22. *Id.* 6, 22, 24. Gens Prasiana. *F.*]

PRĀSĪNĀTUS, a, um, adj. prasina veste indutus. *Petr. Sat.* 28. *f.* In aditu ipso stabat ostiarius prasinatus, cerasino succinctus cingulo.

PRĀSĪNĬĀNUS, a, um. adj qui ad prasinum colorem pertinet. Porro *Prasiniani* vocati sunt fautores factionis prasinae, ut Venetiani Venetae. V. FACTIO. *Capitol. Ver.* 6. Multas a Venetianis est passus injurias, quod turpissime contra eos faveret. Nam et Volucri equo prasino aureum simulacrum fecerat, quod secum portabat: et *mox:* In tanto autem equus ille honore fuit, ut ei a populo prasinianorum saepe modius aureorum postularetur. *Petr. Sat.* 70. Si prasinianus es famosus. *F.*]

PRĀSĪNUS, a, um, adj. *πράσινος*, colore porri similis, porraceus: *πράσον* enim porrum est. *Petr. Sat.* 27. Paterfamilias soleatus pila prasina exercebatur. *Plin.* 37, 10, 67. Prasinus color. *Mart.* 10, 29. De nostra prasina est synthesis empta toga; et 3, 82. Prasino flabello fugare muscas. ℙ *Prasina factio*, est una ex quatuor aurigantium in circo, cui Caligula, et Nero impensissime faverunt. V. FACTIO. *Mart.* 10, 48. De prasino conviva meus, Venetoque loquatur. *Id.* 13, 78. Et nomen prasini Porphyrionis habet. Adde 11, 33., *Suet. Cal.* 55. et *Ner.* 22. V. PRASINIANUS. ℙ *Prasini*, *orum*, absolute sunt iidem ac smaragdi. V. *Auct. l. c.* in LYCHNITES.

PRĀSĬON et Prasium, ii, n. *πράσιον*, species origani, a colore porraceo: item heraclii: item marrubii: quae nomina herbarum sunt. *Plin.* 20, 17, 67. et *ib.* 22, 89. et *Cels.* 5, 11. [**weisser Andorn.* Marrubium vulgare, *L.*]

PRĀSĬUS, ii, m. *πράσιος λίθος*, gemmo viridis: a prasino, sive porraceo colore. *Plin.* 37, 8, 32. Viridantium et alia plura sunt genera. Vilioris turbae est prasius, cujus alterum genus sanguineis punctis obhorret. V. PRASINUS.

PRĀSOĬDES, is, f. *πρασοειδής*, genus topazii: a *πράσον*, porrum, quasi porraceus. *Plin.* 37, 8, 32. Et duo ejus (*gemmae*) genera faciunt, prasoidem, atque chrysopteron similem chrysopraso.

PRĀSON, i, n. *πράσον*, frutex marinus, et phycos dictus, foliis latis, colore viridi. *Plin.* 13, 25, 48.

PRĀTENSIS, e, adj. *λειμώνιος*, ad pratum pertinens, in pratis nascens. *Hor. Sat.* 2, 4, 20. pratensibus optima fungis Natura est: aliis male creditur. *Colum* 6, 3. Pratense foenum. *Plin.* 21, 8, 25. Pratenses flores; et *ib.* 15, 50. Pastinaca pratensis.

*PRATĪTAE, arum, populi Mediae. *Plin.* 6, 15. *B. A.*

PRĀTŬLUM, i, n. *λειμώνιον*, parvum pratum. *Cic. Brut.* 6. Tum in pratulo propter Platonis statuam consedimus. Adde *Att.* 12, 6. *Arnob.* 5, 173. Cum in Siciliae pratulis flores legeret Proserpina.

PRĀTUM, i, n. *λειμών*, locus in agris, ex quo foenum percipitur. *Varr. L. L.* 4, 4. *f.* et *R. R.* 1, 7. *f. Colum.* 2, 17. et *Ulp. Dig.* 50, 16, 31. censent, prata dicta esse ab eo, quod sine opere parata sint. His subscribit et *Plin.*, qui 18, 5, 6. auctor est, veteres *parata* dixisse. *Cic. Sen.* 16. *med.* Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus dicam? *Id. Q. Fr.* 3, 1, 2. Pratum irrigare. *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 4. cratire, secare, caedere, sicilire. *Cato R. R.* 50. stercorare; et *ib.* 9. irrigua facere. *Colum.* 2, 18. renovare, restituere. *Varr. R. R. prooem.* 2. Ex segetibus prata facere. *Pall.* 10, 10 novella formare. *Inscr.* ap. *Grut.* 204. *f.* In eo agro alia prata immittere. *Colum.* 2, 17. Pratum siccaneum, aut riguum. *Cato R. R.* 8. et 9. Irriguum, aut siccum. *Ov. Met.* 1, 297. viride. *Plin. ep.* 5, 6. Prata florida, et gemmea; et *ep.* 7, 9. in carm.: verna. *Virg. G.* 2, 384. mollia; et *ib.* 1, 289. arida tondere. *Mart.* 1, 115. uda. *Virg. A.* 6, 674. recentia civis; et *G.* 4, 306. no vis coloribus rubent. *Lucr.* 5, 782. camposque per omnes Florida fulserunt viridanti prata colore. *Ov. Am.* 3, 5, 5. Area gramineo suberat viridissima prato. *Prop.* 1, 20, 37. Et circumriguo surgebant lilia prato. ℙ Metonymice. *Ov. A. Am.* 1, 299. Ipsa novas frondes, et prata tenerrima tauro Fertur inadsueta subsecuisse manu, *h. e.* teneriores herbas. *Pl. Ps.* 3, 2, 21. Non itidem coenam condio, ut alii coqui, qui mihi condita prata in patinis proferunt. ℙ Instituendi, colendique prati rationem tradunt *Colum.* 2, 17. et 18., *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 4. et *Pall.* 10, 10. ℙ Inter varios titulos, quos scriptis suis auctores praeponebant, fuere etiam, qui *pratum* inscriberent. *Gell. praef.* ℙ Translate dicitur de aequore. *Cic.* in *Arat.* 129. naves Ante solent rostro Neptunia prata secantes, etc.

PRĀVĒ, adv. *κακῶς*, *πονηρῶς*, male, perperam: cui contrarium recte, bene. [*V. in *pravus.*] *Ter. Hec.* 4, 4, 24. Hoc mihi videtur factum prave. *Hor. Ep.* 1, 1, 104. prave sectum stomacharis ob unguem. *Cic. Acad.* 1, 10. Recte facta sola in bonis actionibus ponens, prave, id est peccata, in malis *Id. Fin.* 2, 8. *f.* Quod bene, id recte, frugaliter, honeste: ille porro male, prave, nequiter, turpiter coenabat. *Plin.* 17, 9, 8. Id plerique prave intelligunt a Favonii ortu faciendum. *Tac. A.* 6, 5. Verba prave detorta. *Gell.* 4, 9. Religiosos dies multitudo imperitorum prave, et perperam nefastos appellant. *Phaedr.* 3, 10. Exploranda est veritas multum prius, Quam stulta prave judicet sententia. *Hor. Sat.* 2, 3, 87. sive ego prave, Seu recte; hoc volui: ne sis mihi patruus. *Id. Ep.* 2, 1, 266. Versus prave facti. *Id. A. P.* 88. Cur nescire, pudens prave, quam discere malo? *Tac. A.* 1, 53. Solers ingenio et prave facundus. *Liv.* 1, 32. Aut neglectis religionibus, aut prave cultis. [*Impp. Valent. et Valens Cod. Theod.* 5, 13, 17. in *fragm.* editis ab *A. Peyronio.* Hanc legem quidam judicum interpretati pravius sunt, quam utilitas publica postulabat. *F.*] *Sall. or. Lepidi contr. Sull.* Pravissumeque per sceleris immanitatem adhuc tutus furit.

PRĀVĪCORDĬUS, a, um, adj. qui pravo est corde. *August.* in *Psalm.* 146. *n.* 7. (ex *Osee* 14, 10., ubi Vulgata habet *praevaricatores.*) Quid est pravicordius? torticordius, tortum cor habens. *Occurrit et epitheton *pravicors* vel *pravicordius* ap. *Vulgat. Siracid.* 3, 28. ubi *Bibl. Clementis* habet *pravus corde. B. A.*

PRĀVĬTAS, atis, f. *σκολιότης*, vitium quo res a congruentia cum aliis, et a rectitudine deficit, perversitas, distortio, deformitas. *Colum.* 4, 20. Alligatoris cura esse debet, rectum conservare stirpem, nec flexum ridicae persequi, ne pravitas statuminum ad similitudinem sui vitem configuret. *Pall.* 4, 11. Sint boves cornibus robustis, ac sine curvaturae pravitate lunatis. *Cic. Tusc.* 4, 13. Vitium appellabant, cum partes corporis inter se dissident: ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas. *Id. Leg.* 1, 19. An corporis pravitates si erunt perinsignes, habebunt aliquid offensionis; animi deformitas non habebit? *Id. Or.* 2, 22. Fusius nervos in dicendo C. Fimbriae, quos habuit ille, non assequitur: oris pravitatem, [*i. e. oris distortionem] et verborum latitudinem imitatur; et *ib.* 1, 34. Intuendi sunt nobis non solum oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem pravitatemque veniamus. *Id. Fin.* 5, 17. *med.* Pravitas et imminutio corporis. ℙ Translate. *Gell.* 5, 20. Soloecismus vetustioribus Latinis stribligo dicebatur, a versura videlicet, et pravitate tortuosae orationis. ℙ Saepissime refertur ad animum ac mentem, et est perversitas judicii et sententiae, cum perperam sentitur de rebus, cum in judicando a recto honestoque deflectitur. *Sen. ep.* 56. *med.* Si ante animum nostrum formare incipimus, et recorrigere, quam indurescat pravitas ejus. *Sall. Jug.* 2. Quo magis pravitas eorum admiranda est, qui dediti corporis gaudiis per luxum et ignaviam aetatem agunt; ceterum ingenium incultu atque socordia torpescere sinunt. *Q. Cic. Pet. cons.* 10. *med.* Qui sine causa non amant, eos aut beneficio, aut spe delinito, dans operam, ut de illa animi pravitate deducas. *Ter. Heaut.* 5, 2, 20. Quae ista est pravitas, quaeve amentia, quod peccavi ego, id obesse huic? et *Cic. Vat.* 6. Volo, ut mihi respondeas, quae te tanta pravitas mentis tenuerit, qui tantus furor, ut cum inaudita ac nefaria sacra susceperis, auspicia, quibus omnis respublica tenetur, contempseris? *Id. Acad.* 4, 8. *f.* Quid, quod si ista vera sunt, ratio omnis tollitur, quasi quaedam lux lumenque vitae, tamenne in ista pravitate perstabitis? *Tac. H.* 3, 41. Pravitas consilii. ℙ Item malitia, improbitas, mali mores. [**Doederl.* 1, 62. sq. *pravitatem* proprie judicii esse, atque nonnisi per euphemismum ita dici de malis moribus, demonstrat.] *Cic. Fin.* 2, 9. Qualis ista philosophia est, quae non interitum afferat pravitatis, sed sit contenta mediocritate vitiorum? *Tac. A.* 14, 38. Nullum proelio finem exspectarent, nisi succederetur Suetonio: cujus adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam reipub. referebat. (Adde *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 403.) *Id. H.* 4, 44. Sosianus pravitate morum multis exitiosus. ℙ *Pravitas ominis* ap. *Gell.* 1, 22. *extr.* est malum omen.

PRĀVUS, a, um, adj. *στρεβλὸς*, *σκολιὸς*, qui non est rectus, distortus, perversus. [*Etymon hujus vocis varie tentant: Alii ducunt a *παρὰ*, *praeter*, quatenus perversionem significat. *I. F. Gron.* ad *Liv.* 2, 26, 6. *pravus* a *παραβὰς* — *παραβός*. Cui assentitur *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 5, 1. *Vossius* a *πρᾶος*, quod homines antiquissimis temporibus lenes ac mansuetos tanquam imbelles nullo loco ducebant. *Doederl.* 1, 61. sq., ubi haec laudantur, deducit a *per*, eadem formationis ratione, qua *gnavus* a *geno*, *cadivus* a *cadere*, *suavis* a *suadere*. De notione hujus vocabuli, quidve differat a *malus* v. in h. v.] *Cic. Acad.* 4, 11. Interesse oportet, ut inter rectum et pravum, sic inter verum et falsum. *Id. Fin.* 5, 17. Videsne, ut si qua in membris prava, aut debilitata, aut imminuta sint, occultent homines? *Hor. Sat.* 1, 3, 48. pravus fultus male talis. *Lucr.* 4, 514. ut in fabrica, si prava est regula prima, Normaque si fallax rectis regionibus exit, Omnia mendose fieri atque obstipa necesse est, Prava, cubantia, prona, supina, atque absona tecta. ℙ Translate est, [*qui male judicat, perperam sentit de rebus, et qui, cum quippiam minus rectum semel imbiberit, corrigi nequit, et ad sanitatem traduci. Ita recte collocavimus, quae *Noster* tertio loco posuerat, ista:] *Sall. Cat.* 5. et *Plin. ep.* 3, 9. *med.* Ingenium malum, pravumque. (Alii ita intelligunt: *malum* in alios, et perniciosum: *pravum* in se, et vitiis deditum. [**Doederl.* l. l. docet, ubi conjuncta legerentur vocabula *pravus* et *malus*, hoc posterius ad insitam natura nequitiam, *pravum* ad perversum ingenii usum et exercitium referri; coll. *Plin. ep.* 3, 9, 32. *Sen. H. S.* 2, 45.: quod *Kritz.* ad h. l. subtilius videtur, quam ut discrimen animadverti posset, demonstranti, hisce vocabulis tantummodo nequitiae cumulum significari.] *Sen. Ira* 1, 16. *med.* Cn. Piso fuit vir a multis vitiis integer, sed pravus, et cui placebat pro constantia rigor. *Phaedr.* 5, 5. Pravo favore labi mortales solent: Et pro judicio dum

stant erroris sui, etc. *Quint.* 10, 1. *med.* Philemon pravis sui temporis judiciis Menandro saepe praelatus est. *Hor. Sat.* 2, 7, 70. quae bellua ruptis, Cum semel effugit, reddit se prava catenis? *h. e.* stulta, incauta. P [*Hinc per euphemismum a judicii perversitate transfertur ad animi mores, idemque signif., quod malus, vitiosus, improbus, πονηρός. V. in PRAVITAS.] *Pl. Bacch.* 3, 3, 8. Absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum: nunc propter te, tuamque pravus factus est fiduciam. *Cic. Tusc.* 4, 13. Eorum, qui non longe a sapientia absunt, affectio est illa quidem discrepans sibi ipsa, dum est insipiens; sed non distorta, nec prava. *Id. Rosc. Com.* 10. *f.* Quod Panurgus Roscii fuit discipulus, qui diligebant hunc, illi favebant. Quid sciret ille, perpauci animadvertebant: ubi didicisset, omnes quaerebant: nihil ab hoc pravum et perversum produci posse arbitrabantur. *Juven.* 14, 40. dociles imitandis Turpibus et pravis omnes sumus. *Vell.* 2, 10. Adeo mature a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in praecipitia pervenitur: *vitia* ipsa peccata, *prava* eorum habitus et consuetudo. *Tac. A* 11, 33. Praetorii praefecto haud satis fidebat, ad honesta, seu prava juxta levi. *Id. H.* 4, 68. Pravi impulsores; et *ib.* 48. Prava aemulatio. *Id. A.* 3, 56. Spes pravas aliorum cohibere; et *ib.* 16, 28. Prava ambitio. *Phaedr.* 1, 25. Prava consilia dare cuipiam. *Cic. Tusc.* 3, 33. *med.* Quo pravius nihil esse possit. Alii leg. *gravius*. *Id. Brut.* 74. Pravissima consuetudinis regula. *Vell.* 2, 80. Pravissimus homo. P Cum gen. *Sil.* 3, 253. Battiadas pravos fidei stimulavit in arma. *Id.* 8, 260. turbarum sator, atque accendere solers Invidiam, pravusque togae. *Id.* 9, 636. heu plebes scelerata, et prava favoris! et 12, 464. audendi pravus, facilisque periclis. P *In pravum*, prave. *Quint.* 1. 3. *med.* Frangas citius, quam corrigas, quae in pravum induruerunt. *Tac. H.* 4, 81. *med.* Elapsi in pravum artus. P Quid *pravus* et *depravatus* differant, V. in DEPRAVATUS.

*PRAXAGŌRAS, ae, m. *Πραξαγόρας*, medicus, patria Cous, Plistonici praeceptor. *Cels. praef.* 1. *in.* p. 3. *Almel.* et *med.* p. 6. *Almel. Plin.* 20, 4. et 26, 2. *Coel. Aurel. Chron.* 1, 4. et 2, 13. *B. A.*

[PRAXĒĀNUS, a, um, adj. ad Praxeam pertinens, haereticum, de quo agit *Tert. Praescr.* 53., et in quem librum illum, cui titulus: *Adversus Praxeam*, edidit; in cujus *c.* 1. Fructificaverant avenae Praxeanae. *F.*]

*PRAXIBŪLUS, i, m. *Πραξίβουλος*, Atheniensium magistratus, cujus meminit *Plin.* 33, 7. *B. A.*

PRAXĬDĬCA. V. in PRAGMATICUS.

[PRAXILLĒUS vel Praxillius, a, um, adj. ad Praxillam poetriam Sicyoniam (de qua V. *Olear. dissert. de poetr. Graec. n.* 63.) pertinens. *Serv.* 1824. Praxilleum metrum Ionicum majus trimetrum brachycatalectum. *Marius Victor. ib.* 2538. Id autem, quod trochaeum recipit, Praxillium dixerunt, ut metrum Praxillae poetriae Sicyoniae, quod est trimetrum brachycatalectum, habens semper in secunda regione trochaicam basin post Ionicam primam. *Plotius ib.* 2657. Antispastum trimetrum brachycatalectum Praxillium. Hujus metri exemplum habes ap. *Sophocl. Antig.* 135. Ἀντίτυπος δ' ἐπὶ γᾶ πέσε τανυαλωθείς. *F.*]

PRAXĪTĒLES, is, m. *Πραξιτέλης*, egregius statuarius, natus in magna Graecia Olympiade CIV. Ejus opera recenset *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 10. et 36, 5, 4. *n.* 5., quarum praecipua fuit Venus nuda a Gnidiis empta, quam ut viderent, multi navigaverunt Gnidum. Voluit eam a Gnidiis mercari rex Bithyniae Nicomedes, totum aes civitatis alienum, quod erat ingens, dissoluturum se promittens: sed frustra. Nobilis etiam fuit Cupido nudus, propter quem Thespiae, oppidum Boeotiae, visebantur, cum, ut ait *Cic. Verr.* 2, 4, 2., nulla alia visendi causa esset. *Prop.* 3, 7, 15. Phidiacus signo se Juppiter ornat eburno: Praxitelem Paria vindicat urbe lapis. *Stat. Silv.* 4, 6, 25. laboriferi vivant quae marmora coelo Praxitelis. P [Alius Praxiteles recentior fuit, optimus caelator, de quo mentionem fecit *Cic. Div.* 1, 36. Hanc speciem Praxiteles caelavit argento. Adde *ib.* 2, 21. et *Auct. ad Her.* 4, 6. Alii putant, hunc fuisse Pasitelem, Varroni coaevum. *F.*]

PRAXĪTĒLĬCUS et

PRAXĪTĒLĬUS, a, um, adj. ad Praxitelem pertinens. *Cic. Div.* 2, 21. *f.* Quasi non in omni marmore necesse sit inesse vel Praxitelia capita. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 5. Praxiteliae Veneris specimen. Alii leg. *Praxitelicae.*

*PRECABĪLIS, e, adj. *Gloss. Lat. Gr.* Precabile, δεητικόν, εὐκτικόν. *B. A.*

PRĔCĂBUNDUS, a, um, adj. multum precans, abundans in precibus. *Pacat. Pan.* 36. *med.* Quanto melius manus illa consuluit, quae submissis precabunda vexillis petiit veniam necessitatis!

[PRĔCĀMEN, inis, n. idem ac precatio. *Auct.* incert. *de pulice* ap. *Wernsdorf. Poet. Lat. min. T.* 6. p. 386. *v.* 35. Rursus mutatus, fundensque precamina mille, Accirem cunctos in mea vota Deos. *F.*]

PRĔCANS, antis, part. a *precor: εὐχόμενος*, orans. *Pl. Rud.* 1, 5, 2. Vox precantum me huc foras excitavit. *Virg. A.* 12, 930. Ille humilis, supplexque oculos, dextramque precantem Protendens. *Ov. Trist.* 1, 2, 35. frustraque precanti Ore necaturas accipiemus aquas. *Id. Met.* 7, 590. Pro gnato genitor dum verba precantia dicit. *Stat. Th.* 2, 478. ramumque precantis olivae Abjicit. *Val. Fl.* 2, 240. mixti gemitus, clamorque precantum. *Aurel. Vict. Ep.* 14. *extr.* Ut crebro sese interficiendum ministrorum fidissimis precans offerret. *F.*]

PRĔCĀRĬO, adv. *μετὰ δεήσεως, κατὰ δέησιν, κατ' ἀξίωσιν*, precibus, precando. V. PRECARIUS. *Ter. Eun.* 2, 3, 27. Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario fac tradas. (V. VIS.) *Cic. Verr.* 2, 5, 23. Etiam si precario essent rogandi, tamen ab his impetraretur. *Pl. Amph. prol.* 21. Tametsi pro imperio scibat facturos; verum hoc petere me precario a vobis jussit. *Suet. Claud.* 12. Ut sibi in curiam tribunos militum secum inducere liceret, precario exegit. *Sen. Thyest.* 214. Ubicumque tantum honesta dominanti licent, precario regnatur. *Tac. Agr.* 16. *med.* Trebellius vitata exercitus ira, indecorus atque humilis, precario mox praefuit. *Ulp. Dig.* 43, 25, 1. Precario quippiam concedere. *Liv.* 34, 62. *med. Plin. ep.* 7, 30. Quibus ex causis precario studeo: studeo tamen, *h. e.* quasi alieno arbitrio, quasi impetrando a multis, qui me quotidie circumstant, ut vacare litteris liceat. *Sen. praef. Contr.* 1. Memoriam mihi jam olim precario paret.

PRĔCĀRĬUM, ii, n. locus in aedibus precibus faciendis destinatus. *Petr. Sat.* 30. Dispensator in precario aureos enumerans. Plerique alii leg. *praetorio:* alii melius *provecario.* V. PROVECARIUM. P Alio sensu V. in v. sq.

PRĔCĀRĬUS, a, um, adj. *ἱκετευτικὸς, δεδανεισμένος*, qui habetur ex precibus, qui tamdiu obtinetur, quamdiu is, qui concessit, permiserit. *Ulp. Dig.* 43. *tit.* 25. qui *De precario* inscribitur, 1. Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur: quod genus liberalitatis ex jure gentium descendit, et distat a donatione eo, quod qui donat, sic dat, ne recipiat: qui precario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium solvere. *Brut.* ad *Cic.* ad *Brut.* 1, 16. *med.* Precariam incolumitatem habere. *Liv.* 3, 47. Non orare solum precariam opem, sed pro debito petere. *Id.* 8, 35. Donatur Q. Fabius tribuniciae potestati, precarium, non justum auxilium ferenti. *Tac. H.* 4, 76. *f.* Precaria vita. *Id. A.* 1, 42. *extr.* Precariam animam inter infensos trahere. *Id. H.* 1. 52. Precarium seni imderium, et brevi transiturum. [*M. Aurel.* ap. *Front.* ad *M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 4, 8. Ego impraesentiarum sic me habeo, ut vel hinc aestimatu facile sit tibi, quod haec precaria manu scribo. *F.*] P De iis, quae licet non sint impetrata precibus, ad tempus tamen tantummodo nostra sunt. *Ov. Met.* 9, 75. Quid fore te credas, solum qui versus in anguem Arma aliena moves! quem forma precaria celat? *Sen. Tranq.* 11. Sapiens corpus suum, seque ipsum inter precaria numerat, vivitque ut commodatus sibi, et reposcentibus sine tristitia redditurus. [*Symm. or. in Val.* (ed. *A. Maio*) 1, 6. Si qua inter cognatas coelitum potestates hujusmodi esset aequatio, paribus cum sole luminibus globus sororis arderet; nec radiis fratris obnoxia precarium raperet luna fulgorem. *F.*]

PRĔCĀTĬO, onis, f. *εὐχή, δέησις*, rogatio, obsecratio, preces, praesertim quae Diis adhibentur. [*Cf. *Doederl.* 2, 189.] *Cic. Mur.* 1. Quod si illa solemnis comitiorum precatio, consularibus auspiciis consecrata, tantam habet in se vim et religionem, etc. *Id. Tusc.* 1, 47. *f.* Simili precatione Trophonius et Agamedes usi dicuntur. *Liv.* 31, 5. *f.* Precationem admisisse Deos. Al. leg. *precationi annuisse.* *Id.* 39, 18. Precationem facere. *Plin.* 28, 2, 3. Vestales nostras credimus nondum egressa Urbe mancipia retinere in loco, precatione. P [*Precatio cooptationis* in *Inscr. n.* 41. ap. *Marin. Frat. Arv.* est precum formula, quae antequam quis in Arvalium collegium cooptaretur, praecinebatur. *F.*] P Sumitur et pro carmine, seu formula certa verborum, quae superstitione occultam vim ad faciendum aliquid habere creduntur. *Id.* 28, 4, 9. Partus accelerat vicinos, si cinctu suo soluto feminam cinxerit, dein solverit, adjecta precatione, se vinxisse, eundem et soluturum.

PRĔCĀTĪVĒ, adv. preces adhibendo, precario. *Ulp. Regul. tit.* 25. de fideicomm.: Fideicommissum est, quod non civilibus verbis, sed precative relinquitur: *v. g.* Te, Titi, rogo, fideique tuae committo, ut, etc., ut habetur in *Dig.* 30, 1, 105. *f.* vel peto a te, ut partem hereditatis restituas matri tuae, ut habetur *ib.* 31, 1, 79.

[PRĔCĀTĪUNCŪLA, ae, f. dimin. precationis. *Gloss. Philox.* *Δεηοΐδιον*, precatiuncula, petitiuncula. *F.*]

PRĔCĀTĪVUS, a, um, adj. preces continens, precarius. *Ulp. Regul. tit.* 24. de legatis: Ea, quae precativo modo relinquuntur, fideicommissa vocantur. V. PRECATIVE. *Ammian.* 17, 5. Pacem poscere precativam.

PRĔCĀTOR, oris, m. *ἱκέτης*, qui precatur pro altero, deprecator. *Ter. Heaut.* 5, 2, 22. Nemo accusat, Syre, te: nec tu aram tibi, nec precatorem pararis; et *Ph.* 1, 2, 90. Ad precatorem adeam, credo, qui mihi sic oret: nunc amitte, quaeso, hunc: ceterum postquam si quidquam, nihil precor. *Pl. Ps.* 2, 2, 12. Precator et patronus.

PRĔCĀTŌRĬUS, a, um, adj. *δεητικός*, ad precandum pertinens. *Donat.* ad *Ter. Ph.* 1, 2, 92. Ars precatoria est, mitigare praesentia, futura permittere.

PRĔCĀTRIX. V. PRAECANTATRIX.

PRĔCĀTUS, a, um, part. a *precor:* qui precatus est. *Cic. Tusc.* 1, 47. Sacerdos precata a Dea dicitur, ut, etc. *Virg. A.* 9, 624. Constitit ante Jovem supplex per vota precatus. P Passive rogatus. *Juvenc.* 3, 85. Suspiciensque dehinc coelum, genitore precato, etc.

PRĔCĀTUS, us, m. *δέησις*, precatio, preces. *Stat. Th.* 10, 71. sed nec periisse precatus, Tantaque dona velit. *Ammian.* 24, 6. Concordi precatu tentare aliquid.

PRĔCES. V. PREX.

PRĔCĬAE, vel Pretiae vites in duo genera majus et minus, magnitudine acini, discernuntur: materies iis plurima, uvaque cito maturescens, generosa, et ollis utilissima, folium apio simile. Haec *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 4. et *Colum.* 3, 2. *med.* Ad illud *Virg. G.* 2, 95. Purpureae, preciaeque; *Serv.* adscribit dictas esse quasi *praecoquas*, quod ante alias coquantur.

*PRECIĀNI, orum, populi Galliae Aquitanicae. *Caes. B. G.* 3, 27. *B. A.*

PRĔCĬĀNUM, seu Praecianum pirorum genus memoratur a *Macr. Sat.* 2, 15. *f.* ex *Cloatio*, de quo nihil ap. *Plin.* 15, 15, 16. aut *Colum.* 5, 10., ubi varia hujus pomi genera recensentur.

PRĔCOR, aris, atus sum, dep. 1. *δέομαι*, rogo, quaeso, obsecro, preces adhibeo. *Cato R. R.* 134. et 139. Jane pater, te hac strue commovenda bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi: *δέομαι δέησιν.* [*Lucan.* 2, 699. Dux etiam votis hoc te, Fortuna, precatur. Cf. *Ruddim.* 2, 176.] *Cic. N. D.* 1, 42 Dii, quos nos colere, precari, venerarique solemus; et *ib.* 44. Quod ni ita sit, quid veneramur, quid precamur Deos? et *Cat.* 2, 13. Deos precari, venerari, atque implorare. *Id. Rab. perd.* 2. A Diis Deabusque immortalibus pacem, ac veniam peto: precorque ab iis, ut patiantur, etc. *Liv.* 38, 43. Deos, quos adorent, ad quos precentur, ac supplicent, Ambraciensibus non superesse. *Hor. A. P.* 200. Deosque precetur et oret, ut, etc. *Cic. Dom.* 57. Te, Capitoline, teque, Juno, precor ac quaeso, vosque patrii Penates, obtestor, ut, etc. *Id. Pis.* 20. Haec semper de vobis expetivi, haec optavi, haec precatus sum. *Id. Verr.* 2, 4, 32. Ubi ne precari quidem Jovem opt. max., atque ab eo auxilium petere possit. *Id. Amic.* 16. Precari ab indigno. *Nep. Timot. f.* Dixit, se hoc a Diis semper precatum, ut, etc. *Ov. Her.* 19, 81. ventos audirem lenta tonantes, Et nunquam placidas esse precarer aquas; et *ib.* 5, 158. Et tua, quod superest temporis, esse precor; et *Pont.* 1, 10, 19. Delicias illi precor has contingere. (Adde *Tibull.* 2, 5, 3.) *Val. Fl.* 5, 118. seque precantur Accipiant socios. *Ov. Fast.* 4, 247. Hoc quoque dux operis moneas, precor. *Id. Fast.* 2, 636. Parca precaturae sumite vina manus; et *Pont.* 2, 2, 68. Detque solum miserae mite, precare, fugae. *Id. Met.* 10, 391. Canosque suos et inania nudans Ubera, per cunas alimentaque prima precatur, ut, etc. *Id. Amor.* 2, 13, 11. Per tua sistra precor, per Anubidis ora verendi. *Id. Pont.* 4, 8, 90. pro socero paene precare tuo. *Tac. A.* 4, 7. *extr.* Precandam post haec Modestiam, ut contentus esset. *Virg. A.* 4, 113. tibi fas animum tentare precando. P Eleganter interseritur, ut *opinor, quaeso*, etc. *Ov. Her.* 16, 11. Parce, precor, fasso. *Id. Amor.* 3, 9, 67. Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna. P [**Precari* ponitur etiam pro *imprecari*, et in bonam, et in malam partem. Huc pertinent exempla, quae *Forc.* antecedentibus immiscuerat: *a)* in bonam partem:] *Cic. Pis.* 14. *f.* Utrum bono viro optabilius putas, sic exire e patria, ut omnes sui cives salutem, incolumitatem, reditum precentur, quod mihi accidit. *Prop.* 3, 9, 49. cape Roma triumphum, Et longam Augusto salva precare diem. [*Alia exempla haec sunto: *Suet. Aug.* 58. sic enim nos perpetuam felicitatem Reip. et laeta huic precari existimamus; et *ib.* 99. sibi et suis *εὐθανασίαν* similem precabatur. *Curt.* 8, 5, 16. precari alicui immortalitatem. *b)* in malam:] *Cic. Pis.* 19. Neque ego, si unquam vobis mala precarer, quod saepe feci, morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer. *Id. ib.* 14. *f.* an, quod tibi proficiscenti evenit, ut omnes exsecrarentur, male precarentur? Cf. *Pl. As.* 2, 4, 71. [*Adde *Tibull.* 2, 6, 17 tu me mihi dira precari Cogis, etc.; et *ib.* 53. Tunc tibi, lena, precor diras.] P *Preco* pro *precor* dixisse anti-

quos, ait *Prisc.* 8, 779. Hinc *precantur* passive dixit *Varr.* ap. *Non.* 7, 104.

PRĔHENDO, is, di, nsum, a. 3. λαμβάνω, capio. *Pl. As.* 3, 3, 78. Prehendere aliquem auriculis. *Cic. Or.* 1, 56. aliquem manu. *Pl. Most.* 1, 3, 62. fauces alicui, atque enicare. *Id. Pers.* 2, 4, 22. Te hodie si prehendere, defigam in terram colaphis. *Id. Epid.* 1, 1, 1. Quis me properantem prehendit pallio? *Id. ib.* 2, 3, 65. Prehendit dexteram, seducit, rogat, cur, etc. *Id. Rud.* 5, 2, 4. Rete prehendere aliquid. *Petr. Sat.* 138. Per aliquot vicos secutae fugientem, Prehende furem, clamant. *Plin.* 10, 33, 51. Perdix aucupem jam jam prehensurum effugiens. *Ov. Med. fac.* 93. Arentisque rosae quantum manus una prehendat. *Plin.* 30, 5, 12. Cinerem eum dant bibendum, quantum prehenditur ternis digitis. *Sen. Med.* 105. Felix Aeoliam prendito virginem, *h. e.* duc uxorem. Al. leg. *corripe.* ℙ *Prendo* per sync., quo libenter utuntur poetae. *Virg. A.* 2, 322. quam prendimus arcem? *h. e.* occupamus. *Id. ib.* 12, 775. teloque sequi, quem prendere cursu Non poterat. *Stat. Th.* 9, 266. Flumineam rapiente vado, puer Agrius ulmum Prenderat. *Sil.* 15, 635. lancea turbine nigro Fert letum cuicumque viro, quem prenderit ictus. Est qui leg. *prendidit* invitis criticis. *Mart.* 3, 96. Si te prendero, Gargili, tacebis. *Sen. Troad.* 1046. Cum simul ventis properante remo Prenderint altum, fugietque litus, *h. e.* altum mare ingressi fuerint. ℙ Etiam ap. *Cic.* legitur *prendo* in multis libris, ut *Acad.* 1, 11. Similem iis rebus, quae manu prenderentur; et *ad Brut.* 2, 1. Gubernacula reipublicae prenderem; et *Quint. decl.* 3, 7. *f.* Ad prendendos amplexus. (Etiam *Sen. Med.* 103. prendere dextra pectus alicujus, *h. e.* amplecti.) Al. leg. *praebendos.* Adde *Cic. Att.* 12, 13. et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 11. [*Antiquiorem eamque meliorem praedicat formam *prendo Ramsh. Gr. Lat.* §. 60. p. 121. coll. *Quint.* 1, 5, 21. 9, 4, 59. *Vet. Long.* p. 2229. 2234. *Scaur.* p. 2256.] ℙ *Prehendere aliquem*, alloquendi, aut rogandi causa sistere. *Ter Andr.* 2, 2, 16. Tuus pater modo me prehendit: ait, tibi uxorem dare sese hodie. *Id. Ph.* 4, 3, 15. Prendo hominem solum: cur non, inquam, etc. *Id. Heaut.* 3, 1, 89. Syrus est prehendendus, atque exhortandus mihi. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 11. Renunciatum nobis erat, Hirrum diutius dicturum: prendimus eum: non modo non fecit, sed, etc. *Cic. Att.* 12, 13. Prende C. Septimium, L. Statilium: denique nemo negabit se juraturum, quem rogabis. Adde *Catull.* 55, 7. ℙ Translate. *Cic. Leg.* 1, 23. Cum animus rerum omnium naturam perspexerit, eaque unde generata, quo recurrant, viderit, ipsumque ea moderantem atque regentem paene prehenderit, etc., *h. e.* intelligentia assecutus fuerit. *Lucr.* 4, 1136. Prendere aliquid oculis, *h. e.* cernere, videre. ℙ *Prehendere aliquem mendacii* ap. *Pl. Bacch.* 4, 4, 45. Sic prensus manifesti furti, ap. *Gell.* 11, 18. et manifesto furto prensus, *ib.* et prehendi in furto, *Pl. As.* 3, 2, 17. ℙ *Prehendere* etiam dicuntur, quae sata proveniunt. *Pall.* 3, 25. Pirorum plantas radicatas seramus, ut cum prehenderint, inserantur; et *ib.* 10. *extr.* Hoc genere quantum volueris numerum vitium transferes, sine ambiguitate prehendendi. V. COMPREHENDO. Huc pertinet illud *Cic.* in *Arat.* 116. Nam quarum stirpes tellus amplexa prehendit, etc. ℙ *Lucan.* 4, 19. Explicat hinc tellus campos effusa patentes, Vix oculo prendente modum, *h. e.* totam amplitudinem assequente. ℙ Sunt qui malunt scribere *praehendo:* [*Ita *Beier.*, q. v. ad *Cic. Off.* 2. p. 386. sq.] alii qui *preendo*, sublata aspiratione: sed *prehendo* est usu receptius. V. *Dausq.* in *Orthogr.*

PRĔHENSĬO et Prensio, onis, f. λαβή, actus prehendendi. *Atejus Capito* ap. *Gell.* 13, 12. Tribuni plebis prensionem habent, vocationem non habent. *Varr. ib.* In magistratu habent alii vocationem, alii prensionem, alii neutrum, *h. e.* jus prehendendi, et conjiciendi in carcerem. Adde *eund. ib.* 13. ℙ *Caes. B. C.* 2, 9. *med.* Turris tectum per se ipsum prehensionibus ex contignatione prima suspendere ac tollere coeperunt; et *mox:* Rursusque alia prehensione ad aedificandum sibi locum expediebant. *Lips.* et alii ex MSS. leg. *pressionibus*, h. e. hypomochliis et vectibus, quorum pressione magna pondera in altum tolluntur. Qui *prehensiones* retinent, cochleas, aut prela intelligunt, quorum ope itidem tolli quid potest, [*Winden.]

PRĔHENSO, et saepius Prenso, as, avi, atum, a. 1. frequent. a *prehendo*, et *prendo. Hor. Sat.* 1, 9, 63. vellere coepi, Et prensare manu lentissima brachia. *Virg. A.* 2, 444. prensant fastigia dextris; et *ib.* 12, 404. prensatque tenaci forcipe ferrum. *Ov. Fast.* 5, 476. Lubrica prensantes effugit umbra manus. *Tac. H.* 3, 28. Prehensare hostium tela, brachiaque. ℙ Item ambire, rogare in petitione honorum, et hujusmodi, παραγγέλλειν; quod fit prensando manus, et blanda verba adhibendo. *Tac. H.* 1, 66. Velamenta et infulas praeferentes, arma, genua, vestigia prensando, flexere militum animos; et *ib.* 4, 46. Prensare commanipularium pectora, cervicibus innecti, suprema oscula petere, ne desererentur, etc. *Plin. ep.* 2, 9. *med.* Itaque prenso amicos, supplico, ambio domos, stationesque circumeo. *Liv.* 1, 47. Circumire et prehensare patres, admonere paterni beneficii. *Cic. Att.* 1, 1. Prensat unus P. Galba: sine fuco ac fallaciis, more majorum, negatur. [*Adde *Or.* 1, 24. ℙ Dicitur etiam de gratias agentibus. *Liv.* 4, 60. Concursum itaque ad curiam esse prensatasque exeuntium manus, et patres vere appellatos.] ℙ Translate. *Liv.* 22, 51. Ad consilium prensandum tempus opus esse, *h. e.* capiendum. Alii leg. *pensandum.*

PRĔHENSUS et Prensus, a, um, part. a *prehendo:* λαφθείς, captus, comprehensus. *Virg. A.* 3, 623. Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro Prensa manu magna medio resupinus in antro Frangeret ad saxum. *Id. G.* 1, 285. Et prensos domitare boves. *Id. A.* 2, 592. dextraque prehensum Continuit. *Ov. Met.* 12, 223. Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis. *Plin.* 11, 17, 18. de apib. Duce prehenso, totum tenetur agmen: amisso, dilabitur. *Hor. Od.* 2, 16, 1. Otium Divos rogat in patenti Prensus Aegaeo, i. e. deprehensus. *Pl. Bacch.* 4, 4, 45. Prensus manifesti furti; et *Gell.* 11, 18. manifesto furto.

PRĔLĬUM. V. PROELIUM.

*PRĔLĬUS lacus in Hetruria fuit. *Cic. pro Mil.* 27. *med.* Ut insulam in lacu Prelio venderet, ubi edd. quaedam *Pretio* habent, minus accurate. Hodie est *lago di Castiglione.* ℙ In *Ant. It.* vocatur *Aprilis;* et fluvii, cui Prille nomen, mentio fit ap. *Plin.* 3, 5. in hunc lacum influentis. Ab amne autem (inquit *Cellarius*) nomen haesit lacui, in quem ille effunditur. *B. A.*

PRĔLUM, i, n. πιεστήρ, instrumentum, quo uva, oliva, aliudve quid comprimitur ad succum exprimendum. Ducunt a *premo*, quasi contract. a *premulum.* Alii a *praeluo*, et per diphthongum *praelum* scribunt: sed haec videtur nimis longe petita notatio. Differt a *torculari*, ut a toto pars: nam torcular est tota machina, *prelum* trabs, quae demissa comprimit: tametsi interdum promiscue ponuntur. *Vitr.* 6, 9. Ipsum torcular si non cochleis torquetur, sed vectibus et prelo premitur, ne minus longum pedes quadraginta constituatur. Ita enim erit vectiario spatium expeditum. *Virg. G.* 2, 241. tu spisso vimine qualos, Colaque prelorum fumosis deripe tectis. Ubi *Serv.:* Prela trabes sunt, quibus uva jam calcata premitur. *Colum.* 12, 50. Olivam prelo subjicere. *Cato R. R.* 31. Prelum de carpino atra potissimum facito. *(Plin.* 16, 39, 75. hunc eundem locum referens, habet, *e sapino atra.) Ulp. Dig.* 19, 2, 19. Et prelum, et suculam, et trochleas, quibus relevetur prelum, dominum praestare oportere. *Mart.* 13, 111. De Sinuessanis venerunt Massica prelis. *Prop.* 4, 6, 73. Vinaque fundantur prelis elisa Falernis. *Plin.* 18, 31, 74. Intra viginti duos hos annos inventum, parvis prelis, et minori torculari, aedificio breviore, et malo in medio decreto, tympana imposita vinaceis superne toto pondere urgere, et super prela construere congeriem. *Id.* 13, 12, 23. de charta: Premitur deinde prelis, et siccantur sole plagulae. *Mart.* 2, 46. Sic tua suppositis perlucent prela lacernis. Sic *Claud. Epith. Pall. et Celer.* 101. prelisque solutae Mira Dionaeae sumit velamina telae. Huc pertinet illud *Sen. Tranq.* 1. Placet non ex arcula prolata vestis, non mille ponderibus aut tormentis splendere cogentibus pressa, sed domestica et vilis; et *Ammiani* 28, 4. quod V. in PRESSORIUM.

PRĔMA, ae, f. Dea nuptiarum, et conjugii, Pertundae affinis, et Subigo. Ejus officium describit *August. Civ. D.* 6, 9. *n.* 3. Dea Prema adest, ut *(nova nupta a viro)* subacta, ne se commoveat, comprimatur, *h. e.* ne, cum a viro premeretur, sese subduceret.

PRĔMO, is, essi, essum, a. 3. πιέζω, θλίβω, βαρέω, nisu aut pondere urgeo, calco, deprimo, perprimo. *Pl. As.* 4, 1, 30. Pede pedem alicui premere. *Virg. A.* 2, 379. Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem Pressit humi nitens. *Ov. Ib.* 366. Pressit et inductis membra paterna rotis. *Hor. Od.* 2, 18, 3. Trabes Hymettiae premunt columnas. *Sen. Herc. Fur.* 424. Telluris illum pondus immensae premit. *Meg.* Nullo premetur onere, qui coelum tulit. *Ov. Am.* 3, 2, 24. et *A. Am.* 1, 158. Genu premere terga alicujus. ℙ [*Huc pertinent, quae *Forc.* infra laudaverat, in quibus obscenus sensus exhibetur.] *Val. Fl.* 8, 256. *Mart.* 3, 58. et *Suet. Cal.* 25. V. PREMA. ℙ Premere vestigia alicujus, eadem calcare vestigia, quae alius praecedens impressit: et translate imitari. *Tac. A.* 2, 14. *f.* Patris, patruique vestigia premens. *Nemes. Cyn.* 11. intacto premimus vestigia musco. ℙ Est etiam stringere. *Caes. B. G.* 7, 28. Cum angusto exitu portarum se ipsi premerent. *Virg. A.* 7, 518. Et trepidae matres pressere ad pectora natos. *Id. ib.* 8, 288. ut prima novercae Monstra manu, geminosque premens eliserit angues. *Id. ib.* 1, 67. Et premere, et laxas dare habenas, i. e. fortiter tenere et adducere. Adde *ib.* 11, 600. Sic *Ov. Met.* 8, 37. Premere frena manu. *Id. ib.* 12, 509. alicui fauces. *Hor. Ep.* 1, 16, 37. laqueo collum. *Id. Od.* 2, 10, 3. litus, *h. e.* stringere, radere, proxime litus navigare. [*Ov. Her.* 2, 92. Premere portus, i. e. navigare in portu. Laudat *Ruhnk.* ad h. l. *Ejusd. Am.* 1, 9, 13. freta premere. *Met.* 14, 416. premere litora. *Lucan.* 7, 835. premere aera, i. e. volare.] *Plin.* 13, 12, 23. aliquid prelo. *Ov. Fast.* 4, 769. Ubera plena premam: referat mihi caseus aera. *Id. Met.* 10, 704. Dente premunt domito Cybelcia frena leones, i. e. mordent; et *ib.* 5, 538. Premere ore aliquid; i. e. manducare; et *Sen. Troad.* 797. et *Lucr.* 3, 664. aliquid morsu. ℙ *Premere lac*, aut *caseum* ap. *Virg. Ecl.* 1, 35. et *G.* 3, 401. et *Plin.* 11, 42, 97. lac scilicet coagulo mixtum stringendo manibus, in caseum redigere. Et absolute *Virg. G.* 3, 400. Quod surgente die mulsere, horisque diurnis, Nocte premunt. *Calpurn. Ecl.* 5, 34. rursusque premetur Mane, quod occiduae mulsura redegerit horae. ℙ *Premere ensem*, stringere. *Sil.* 5, 670. premit omnis dextera ferrum; et 2, 615. Pressit ovans capulum, cunctantemque impulit ensem. ℙ Est etiam cingere, circumdare, coercere, circumligare. *Virg. A.* 4, 147. mollique fluentem Fronde premit crinem fingens. *Id. ib.* 9, 612. Canitiem galea premimus, *h. e.* coercemus et oneramus. *Ov. Fast.* 4, 517. mitraque capillos Presserat. Adde *Sen. Herc. Oet.* 375. [*Lucan.* 8, 57. vultusque prementem canitiem: ubi v. *Cort.*] ℙ Item urgendo et nitendo infigere, injicere, immittere. *Ov. Fast.* 1, 355. Quem *(caprum)* spectans aliquis dentes in vite prementem etc. *Sen. Phoen.* 173. Dexteram introrsus preme, magisque merge. *Stat. Th.* 11, 542. alte ensem germani in corpore pressit. *Pall.* 11, 12. Cuneum salicis interfossis palmae radicibus premere. *Rut. Itin.* 1, 74. Et qui primus humo pressit aratra puer. ℙ Item stringendo elicere, emittere, exprimere. *Lucan.* 4, 317. palmite crudo Arboris, aut tenera succos pressere medulla. *Virg. G.* 3, 85. Collectumque premens volvit sub naribus ignem. ℙ Item cavare: unde *fossam premere*, facere, ducere, alte terram eruendo. *Front. Strat.* 1, 5. *med.* Fossam transversam inter montes pressit. Est qui leg. *percussit.* V. PRESSUS. Sic *Tac. A.* 15, 42. Fossam deprimere. [*Huc pertinet etiam, quod *Forc.* supra laud., illud *Virg. A.* 10, 296. premere sulcum, i. e. premendo sulcum facere.] ℙ Item deprimere. *Virg. G.* 1, 240. Mundus ut ad Scythiam Rhiphaeasque arduus arces Consurgit, premitur Libyae devexus in Austros. *Ov. Met.* 2, 135. Nec preme, nec summum molire per aethera currum. *Id. Trist.* 3, 11, 67. Humanaeque memor sortis, quae tollit eosdem, Et premit. ℙ Et translate dicendo elevare. *Liv.* 22, 12. *extr.* Premendorum superiorum arte sese extollebat. [*Gronov. leg. conjecit: *premendoque superiorem — sese extollebat:* quod recepit *Kreyss.*] *Quint.* 11, 1. Qui se supra modum extollit, premere ac despicere creditur, nec tam se majorem, quam minores ceteros facere. *Tac. A.* 15, 49. Premere famam alicujus. *Quint.* 10, 4. de emendatione: Premere tumentia, humilia extollere, exsultantia coercere. Adde *Virg. A.* 11, 401. ℙ Item coercere, continere, concludere, ne quid elabatur, effugiat, evadat. *Mart.* 3, 40. Ex opibus tantis, quas gravis arca premit; et *Tac. A.* 15, 64. Obligare venas, premere sanguinem; et *H.* 4, 2. Paucos erumpere ausos circumjecti pressere. ℙ Premere oculos. *Virg. A.* 9, 486. nec te tua funera mater Produxi, pressive oculos. *Quint.* 6, 2. Amantes de forma judicare non possunt, quia sensum oculorum premit amor. ℙ Pro onerare. *Tibull.* 1, 3, 40. Presserat externa navita merce ratem. ℙ Item *premere* dicuntur, qui super aliqua re jacent, aut sedent, qui alicui rei innituntur, incumbunt. *Ov. Her.* 12, 30. Et premitis pictos corpora Graja toros. *Sen. Hippol.* 510. Juvat amnis vagi pressisse ripas. *Ov. Met.* 5, 317. Factaque de vivo pressere sedilia saxo. *Id. ib.* 2, 421. Et pictam posita pharetram cervice premebat; et *ib.* 9, 649. dura positis tellure capillis, Bibli, taces, frondesque tuo premis ore caducas. ℙ Hinc de iis, qui cadunt, et moriuntur. *Ov. Fast.* 4, 843. rutro Celer occupat ausum: Ille *(Remus)* premit duram sanguinolentus humum. ℙ Est etiam venatorum verbum, cum ita prope insequuntur feram, ut elabi non posse videatur. *Virg. G.* 3, 412. montesque per altos Ingentem clamore premes in retia cervum. *Id. A.* 1, 328. Aut spumantis apri cursum clamore prementem. Adde *Sil.* 10, 125. [*Cf. *intpp.* ad h. l.] ℙ Item militare, cum prope et acriter urgetur hostis, ut pedem referre cogatur. *Caes. B. G.* 7, 19. Haesitantes hostes premere de loco superiore. *Id. B. C.* 3, 46. Pompejani insolentius atque audacius nostros premere et instare coeperunt. *Sen. Hippol.* 727. Instare et premere. *Virg. A.* 1, 471. Hac fugerant Graji, premeret Trojana juventus. *Nep. Ann.* 11. Pergamenae naves cum adversarios premerent acrius, etc. [*Cf. *Milt.* 3, 3. *Them.* 3, 3. *Dat.* 7, 3.] ℙ Item cum in angustum redigitur, et urgendo includitur. *Virg. A.* 8, 473. hinc Tusco claudimur amni, Hinc Rutulus premit, et murum circumsonat armis; et *ib.* 647. et *Caes. B. G.* 7, 32. et *B. C.* 3, 9. Obsidione urbem premere. [*Livii exempla exhibet *Gloss. Liv.*] ℙ Significat etiam sistere. *Virg. A.* 6, 197 et 331.

Constitit Anchisa satus, et vestigia pressit. *Val. Fl.* 2, 424. Attoniti pressere gradum. *Cic. Brut.* 97. Cursum ingenii tui, Brute, premit haec importuna clades civitatis. ℙ Item obruere, tegere, celare. *Plin.* 2, 79, 80. Motu terrae urbs tota corruit, et montis pars abrupta cladem insuper eam ruina pressit. *Hor. Epod.* 1, 33. haud paravero, Quod aut, avarus ut Chremes, terra premam, etc. *Id. A. P.* 388. nonumque prematur in annum, Membranis intus positis. *Ov. Am.* 3, 8, 36. Omne lucrum tenebris alta premebat humus. ℙ Et translate. *Virg. A.* 6, 828. dum nocte prementur; et *ib.* 4, 332. curam sub corde premebat. *Plin. Pan.* 62. Premere odium. *Tac. A.* 6, 50. iram; et *ib.* 13, 16. pavorem et consternationem mentis vultu. *Sen. ep.* 3. *med.* interius omne secretum. *Val. Max.* 3, 3. *n.* 1. *extr.* dolorem silentio. *Virg. A.* 7, 103. ore aliquid; et *Sil.* 12, 646. Sic adeo orantes presse silentia. In illo *Hor. Od.* 3, 4, 18. ut premerer sacra Lauroque, collataque myrto: *premerer* est tegerer, et defenderer ab injuria ferarum. ℙ Item comprimere, continere. *Virg. A.* 10, 464. magnumque sub imo Corde premit gemitum. *Id. ib.* 9, 324. et *Phaedr.* 1, 11. Premere vocem. *Tac. A.* 3, 6. sermones vulgi, *h. e.* compescere. ℙ Premere arbores, serere: quia in terram deprimuntur. *Virg. G.* 2, 346. quaecumque premes virgulta per agros, Sparge fimo pingui. ℙ Item ramos inutiles amputare, et in arctum redigere, et compescere, ne nimis dilatentur et luxurient. *Hor. Od.* 1, 31, 9. premant Calena falce, quibus dedit Fortuna, vitem. *Ov. Met.* 14, 628. Nec jaculo gravis est, sed adunca dextera falce, Qua modo luxuriem premit, et spatiantia passim Brachia compescit. *Virg. G.* 1, 157. ruris opaci Falce premes umbras, *h. e.* arbores umbrantes; et *ib.* 4, 136. hic rarum in dumis olus, albaque circum Lilia, verbenasque premens, vescumque papaver, etc. ℙ Translate est in pauca redigere. *Cic. N. D.* 2, 7. *extr.* Haec enim, quae dilatantur a nobis, Zeno sic premebat. *Supra dixerat:* Cum autem, ut Zeno solebat, brevius et angustius concluduntur. ℙ Item subjectum tenere, dominari. *Virg. A.* 7, 737. et *ib.* 10, 54. Premere ditione populos; et *ib.* 1, 57. imperio; et *ib.* 288. Mycenas Servitio premet, ac victis dominabitur Argis. ℙ Item opprimere. *Id. ib.* 8, 249. et *ib.* 9, 393. Premere aliquem telis; et *ib.* 329. Tres juxta famulos temere inter tela jacentes, Armigerumque Remi premit. ℙ Translate a re militari, est dicendo, aut disputando, aut auctoritate, potentia, odio, et similibus urgere aliquem. *Cic. Verr.* 2, 1, 53. Tantus in adolescente pudor fuit, ut, cum a me premeretur, omnia potius responderet, quam, etc. *Id. Tusc.* 1, 7. Quoniam me verbo premis, posthac non dicam, etc. *Quint. decl.* 1, 15. Quibus te satis abundeque pressimus, dum adolescentem defendimus. *Ov. Met.* 14, 401. Criminibus veris premere aliquem. *Cic. Agr.* 1, 5. *f.* Ne urbem hanc urbe alia premere, atque urgere possitis. *Nep. Ag.* 6. Cum a plerisque ad exeundum premeretur, exire noluit, *h. e.* impelleretur, et paene cogeretur. *Virg. A.* 10, 375. Numina nulla premunt: mortali urgemur ab hoste. *Tac. A.* 3, 67. Non temperante Tiberio, quin premeret voce, vultu reum. *Cic. Tusc.* 1, 36. Hoc premendum etiam atque etiam est argumentum, *h. e.* urgendum. *Quint.* 7, 2. Premere crimen, *h. e.* urgere, et evidentius probare; et *ib.* 1. *med.* confessionem, *h. e.* urgere reum, et instare vehementius ex ipsa ejus confessione. ℙ Illud ipsum *premere* dicitur, quod nos urget, gravat, angit, in angustum redigit. *Cic. Rosc. Am.* 34. *f.* Quae necessitas eum tanta premebat, ut, etc. *Id. Fam.* 9, 1. Videor sperare debere, si te viderim, et ea, quae premant, et ea, quae impendeant, facile transiturum; et *Or.* 1, 53. Cum invidia et odio populi Galba premeretur. *Caes. B. G.* 6, 12. Cum aut aere alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentium premuntur. *Sall. Jug.* 17. Omnes has, quae me premunt, aerumnas amisisti. *Tac. H.* 1, 7. Inviso semel principe, seu bene, seu male facta premunt. *Plin.* 8, 36, 54., 9, 13, 15. et 10, 75, 98. Premi somno; et 20, 22, 87. Somnus lethargicos premit. [*Liv.* 3, 13. Premebat reum — crimen unum, i. e. maxime nocebat: cf. 39, 40.] ℙ Eleganter *premere* dicuntur, quae superiora sunt, majora, meliora. *Ov. Met.* 7, 448. Si titulos annosque tuos numerare velimus, Facta premant annos. *Id. Pont.* 3, 1, 116. Quae *(Livia)* praestat virtute sua, ne prisca vetustas Laude pudicitiae saecula nostra premat. *Stat. Silv.* 1, 2, 115. quantum Latonia Nymphas Virgo premit. ℙ Pro vexare. *Just.* 2, 1. Neque hiberna frigora, neque aestivi soles Aegypti incolas premunt. [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 107. qua zona nivalis perpetuaeque premunt hiemes.] *Just.* 9, 2. et 26. Premi bello. [*Liv.* 2, 34. Venisse tempus premendae plebis: scil. in angustiis frumenti.] ℙ Premere acu, exprimere. *Val. Fl.* 2, 410. Illic servati genitoris conscia sacra Pressit acu, currusque pios. Est qui leg. *pinxit.* Simile est illud *Statii Theb.* 8, 567. tunc auro phaleras, auroque sagittas, Cingulaque, et manicas, ne conjuge vilior iret, Presserat, *h. e.* ornaverat, et quasi oneraverat.

PRENDO. V. PREHENDO.

PRENSĀTĬO, onis, f. *δεξίωσις, παραγγελία*, actus prensandi, ambitio. *Cic. Att.* 1, 1. Non aliena ratione nostrae fuit illius haec praepropera prensatio.

PRENSĪTO, as, a. 1. frequent. a *prenso. Sidon. ep.* 2, 8. Cum libitinam ipsam flentes omnes prensitarent, remorarentur, exoscularentur, *h. e.* feretrum, in quo defunctae corpus jacebat.

PRENSO, as. V. PREHENSO.

*PRENSORĬUM, i, n. *Gloss. Lat. Gr.* Prensorium, *ἵπος*. Fuerit itaque laqueus, decipula. *B. A.*

PRENSUS. V. PREHENSUS.

*PREPESINTHUS vel Prepesinthos, i, f. *Προπεσίνθος*, insula maris Aegaei, inter Siphnum Melumque insulas. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

[PRĔPON, ontis, m. *πρέπων*, part. verbi *πρέπω*, decorus sum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 609. *n.* 75. Dis Manibus C. Betulicii Prepontis. *F.*]

[PRĔPUSA, ae, f. *πρέπουσα*, part. verbi *πρέπω*, decora sum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 15. *n.* 68. Claudia Prepusa. *F.*]

PRESBYTER, eri, m. *πρεσβύτερος*, Graece est senior: a *πρέσβυς*, senex (quo sensu *Tert. Cor. mil.* 15. Sedent et presbyteri coronati, etc. ex *Apocal.* 4, 4. ubi Vulgata habet *seniores*): item sacerdos; qua ratione ab Ecclesiasticis scriptoribus saepe usurpatur. *Tert. Baptism.* 17. Dandi baptismum habet jus summus sacerdos, qui est episcopus: dehinc presbyteri, et diaconi. Adde *adv. Haer.* 41. *extr.*, *Hieron. adv. Ruf.* 3. *n.* 2., *Prud. περὶ στεφ.* 11, 20. et *Sidon. ep.* 6, 2.

PRESBYTĔRĀTUS, us, m. munus et dignitas presbyteri. *Hieron. ep.* 22. *n.* 28. Ideo diaconatum, et presbyteratum ambiunt, ut mulieres licentius videant.

PRESSĔ, adv. *συνεσταλμένως*, premendo, in angustum redigendo, arcte. *Atejus Capito* ap. *Gell.* 10, 6. Quanto artius pressiusque conflictata essem, si frater meus classem cum ingenti civium numero non perdidisset! *Pall.* 12, 9. Vites quae fronde luxuriant, putare pressius conveniet. *Veg. Vet.* 1, 56. *f.* Jumentis pressius colla radere. ℙ *Presse dicere* est breviter, paucis, et ea solum dicendo, quae ad rem exponendam necessaria sunt, amplificationes omittendo, argumento arctissime inhaerendo. *Cic. Or.* 33. Ut definire rem possit, neque id faciat tam presse et anguste, quam in illis eruditissimis disputationibus fieri solet; sed cum explanatius, tum etiam uberius. *Id. Brut.* 55. Oratorum bonorum duo genera sunt, unum attenuate presseque, alterum sublate ampleque dicentium. *Quint.* 8, 3. *med.* Ut liqueat augere quid velimus, an minuere; concitate dicere, an moderate; laete, an severe; abundanter, an presse. *Cic. Fin.* 4, 10. Mihi placet agi subtilius, et, ut ipse dixisti, pressius: quae enim adhuc protulisti, popularia sunt. *Plin. ep.* 3, 18. *f.* Cum ea potius, quae pressius et adstrictius, quam illa, quae hilarius et quasi exsultantius scripsi, possint videri arcessita et inducta. *Id. ep.* 4, 14. Hendecasyllabis describimus aliquid, modo pressius, modo elatius; et *ep.* 9, 26. An illa custoditius pressiusque? *οὐ δὲ ἰλιχοποιεῖς*, etc. *Gell.* 1, 3. *med.* Anquisitius, et exactius, pressiusque super aliqua re disserere. [*In his saepissime idem est, quod accurate. *Cic. Tusc.* 4, 7. Itaque perturbationes definiunt pressius. V. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 129, 2. pressius audit.] ℙ *Presse loqui*, clare, expresseque, ut omnes litterae et syllabae distincte audiantur. *Cic. Or.* 3, 12. Loqui non aspere, non vaste, non rustice, sed presse, et aequabiliter, et leniter. *Id. Off.* 1, 37. In voce duo sequamur, ut clara sit, ut suavis. Utrumque omnino a natura petendum est: verum alterum exercitatio augebit, alterum imitatio presse loquentium, et leniter. Huc facit illud *ejusd. Or.* 3, 11. *extr.* Ex istis urbanis, in quibus minimum est litterarum, nemo est, quin litteratissimum togatorum omnium Q. Valerium Soranum, lenitate vocis, atque ipso oris pressu et sono facile vincat.

[PRESSĬCĬUS, a, um, adj. qui pressus est. *Not. Tir.* p. 39. Pressicius, pressorium. *F.*]

PRESSIM, adv. presse, vel premendo. *Appul. Met.* 2. Me pressim deosculato; et *ib.* Linteolum pressim adglutinatum.

PRESSĬO, onis, f. *πίεσις*, actus premendi, depressio. *Vitr.* 10, 8. *med.* Vela, quae in capite mali summo collocantur, discedentia longius a centro, pressione cacuminis vehementius cogunt progredi navem; et *paulo sup.* Gubernator ansam gubernaculi tenens una manu pressionibus artis agitans, versat eam. ℙ Item lignum illud, aut saxum, quod recti subjicitur, dum onus extollit, *ὑπομόχλιον. Vitr. ib. in.* Vectis ferreus cum est admotus ad onus, supposita uti centro pressione, quod Gracci *ὑπομόχλιον* appellant, etc.

PRESSO, as, avi, atum, a. 1. *καταπιέζω*, frequent. a *premo*, et ejusdem fere significationis. *Pl. Pers.* 2, 5, 11 Quid hoc hic in collo tibi tumet? *Sa.* vomica est: pressare parce. *Furius Antias* ap. *Macr. Sat.* 6, 3. Pressatur pede pes, mucro mucrone, viro vir. *Ov. Met.* 8, 538. cineres ad pectora pressant, Adfusaeque jacent tumulo. *Id. ib.* 15, 472. Ubera dent saturae manibus pressanda capellae. *Prop.* 3, 15, 18. Et nova pressantes inquinet uva pedes.

PRESSOR, oris, m. venator, qui feram premit. *Isidori* locum V. in ALATOR.

PRESSORĬUS, a, um, adj. ad premendum pertinens. *Colum.* 12, 18. Pressoria vasa, *h. e.* torcularia, prela. ℙ *Pressorium* absolute, instrumentum ad premendum. *Ammian.* 28, 4. Solutis pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorat. (V. PRELUM *f.*) *Plin. Valer.* 2, 17. *med.* Cotonea purgare, tundere diligenter, et exprimere in pressorio.

PRESSŬLE, adv. dimin. a *presse*, h. e. arcte quidem premendo, sed ita tamen, ut non laedatur, qui premitur. *Appul. Met.* 4. Filium diu, ac pressule saviata; et *ib.* 10. Ut lacinia adhaerens pressule membrorum voluptatem graphice lineret.

PRESSŬLUS, a, um, dimin. a *pressus*, aliquantum pressus. *Appul. Flor. n.* 9. Ampulla lenticularī forma, tēreti ambitu, pressula rotunditate.

PRESSŪRA, ae, f. *πίεσις*, pressio. *Colum.* 12, 36. Mustum, quod post primam pressuram vinaceorum exprimitur. *Plin.* 18, 31, 74. Pressura una culeos viginti implere debet. *Colum.* 12, 50. *med.* Sint in cella olearia tres labrorum ordines, ut unus primae notae, idest primae pressurae oleum recipiat, alter secundae, tertius tertiae. *Appul. Met.* 5. Lacrimae pressura palpebrarum coactae. *Id. ib.* 3. Coetus multitudo pressurae nimia densitate periclitatur. *Id. ib.* 7. Levare pressuram, *h. e.* onus, quod premit. ℙ Ap. *Coel. Aurel. Acut. praef.* 1. *med.* pressura est somnus gravior, et praeter naturam. ℙ Illud ipsum quod exprimitur. *Lucan.* 9, 809. Utque solet pariter totis se effundere signis Corycii pressura croci, sic, etc. V. SPARSIO. ℙ In aquaeductibus est deductio aquae ex loco altiore in humiliorem, ex quo cogitur rursus in altiorem conscendere, quia premitur aqua antecedens a subsequenti, et inde vim accipit, ut rursus ascendat: ut fit in lapideis fontibus, in quibus aqua per fistulas in aera fertur. *Front. Aquaed.* 18. Quinque aquarum altitudo in omnem partem Urbis attollitur, sed ex his aliae leviori pressura coguntur. ℙ Translate est afflictio, *θλῖψις*. *Tert. ad Uxor.* 1, 5. Pressuram, persecutionemque perferre. *Lactant.* 5, 22. *med.* Deus pressurae verberibus defluentem corrigit disciplinam.

PRESSUS, a, um, part. a *premo: πεπιεσμένος*, calcatus. *Hor. Sat.* 2, 3, 314. Ranae pulli vituli pede pressi. *Id. Epod.* 13, 6. Tu vina Torquato move Consule pressa meo. *Prop.* 2, 22, 35. Apparent nonnulla toro vestigia presso. *Edict. Diocl.* p. 18. Ficus Caricae N. vigintiquinque ✕ quattuor. Caricae pressae P. unum ✕ quattuor. ℙ Item strictus, constrictus. *Virg. Ecl.* 1, 82. Pressum lac, *h. e.* caseus. *Colum.* 7, 8. *med.* Caseus fistulosus provenit, si parum pressus. *Ov. Trist.* 4, 6, 20. nudo pressa uva pede. *Hor. Epod.* 2, 15. Pressa mella. *Ov. Met.* 9, 78. angebar ceu guttura forcipe pressus. *Virg. G.* 1, 410. corvi presso ter gutture voces, Aut quater ingeminant. *Sen. Herc. Fur.* 225. Gemuit lacertis pressus Herculeis leo. *Lucan.* 4, 706. Ense subit presso, *h. e.* stricto gladio. Alii leg. *prenso.* Sic 7, 562. Quae presso tremat ense manus, Hic quoque alii *prenso.* At *Sil.* 1, 515. pressumque ira simul exigit ensem. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 706.] ℙ Pressus amplexus. *Sen. Oed.* 192. tunc amplexu Frigida presso saxa fatigant. Sic *Mart.* 6, 34. Pressa basia. *Ov. Her.* 2, 94. Pressa oscula jungere. ℙ Item onustus, gravatus. *Prop.* 4, 1, 114. tu diruta fletum Supprime, et Euboicos respice, Troja, sinus. Nauplius ultores in noctem porrigit ignes: Et natat exuviis Graecia pressa tuis. *Virg. G.* 1, 303. Ceu pressae cum jam portum tetigere carinae. *Prop.* 2, 12, 42. Pressus membra mero. *Ov. Met.* 15, 21. gravitate soporis; et *Caes. B. G.* 4, 24. Magno et gravi onere armorum pressi. ℙ Item compressus. *Ov. Met.* 1, 207. Substitit ut clamor pressus gravitate regentis. *Virg. A.* 5, 566. Omnibus in morem tonsa coma pressa corona. *Lucan.* 5, 60. Cingere Pellaeo pressos diademate crines. [*V. *Cort.*] ℙ Item depressus. *Virg. G.* 2, 26. Silvarumque aliae pressos propaginis arcus Exspectant. *Hor. Od.* 1, 27, 8. Et cubito remanete presso; et *Sen. Herc. Fur.* 155. Aut deceptos instruit hamos, Aut suspensus spectat pressa Praemia dextra; et *Thyest.* 498. sagax Umber presso vias scrutatur ore, [*i. e. ad terram demisso.] Sic *Hippol.* 40. lustraque presso quaerant rostro. ℙ Item impressus, infixus. *Virg. G.* 2, 356. presso exercere solum sub vomere. *Tibull.* 4, 1, 161. presso tellus consurgit aratro. *Virg. A.* 10, 346. Dryopen ferit eminus hasta Sub mentum graviter pressa. *Prop.* 3, 8, 14. Et nitidas presso pollice finge comas. *Sen. Ben.* 2, 2. Gladius idem et stringit, et transforat: quam presso articulo venerit, refert, *h. e.* quam forti manu et adacta. Contrarium est *molli articulo.* ℙ Item adductus. *Virg. A.* 11, 600. fremit aequore toto Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis, *h. e.* quibus adductis os sibi freno graviter premitur. ℙ Item actus, impulsus, ubi de venatione sermo est. *Ov. Her.* 4, 41. In nemus ire libet, pressisque in retia cervis, etc.

Item mersus, obrutus. *Id. Met.* 11, 558. pars magna virorum Gurgite pressa gravi. ℙ Item clausus. *Virg. A.* 6, 155. dixit, pressoque obmutuit ore. ℙ Item compressus in re turpi. *Mart.* 4, 4. Quod pressa piger hircus in capella. V. PREMO. ℙ Item occultatus, absconditus, celatus. *Virg. A.* 12, 322. pressa est insignis gloria facti. *Stat. Th.* 9, 824. Pressus tacito sub corde dolor. ℙ Item tectus, opertus. *Ov. Fast.* 5, 509. Stant calices: minor inde fabas, olus alter habebant: Et fumant testu pressus uterque suo. ℙ Item signatas, [*exaratus; scriptus. Locutio translata est a re rustica. Ita ad *Ov. Her.* 10, 140. *Ruhnk.* coll. *Burm.* ad *Val. Fl.* 7, 63.] *Ov. ib.* 6, 609. dictus Sceleratus ab illa Vicus: et aeterna res ea pressa nota. *Id. Her.* 10, 140. Littera pressa articulo tremente; et *ib.* 18, 134. multa via pressa rota. ℙ *Pressa fossa*, cavata. *Plin. ep.* 10, 69. Fossam arctius pressam mari aequare. Sic *Curt.* 5, 1. Cavernae in altitudinem pressae. ℙ *Presso gradu* vel *pede* est lento, sed firmo, qualis est caute incedentium, pede scilicet solum firmiter premendo. *Liv.* 28, 14. *med.* Hispanos presso gradu incedere jubet. *Id.* 8, 8. Pede presso eos retrocedentes recipiebant. ℙ *Presso gressu*, proxime insequente, et praecedentis vestigia ipsa premente. *Ov. Met.* 3, 17. Subsequitur, pressoque legit vestigia gressu. ℙ *Niger pressus color*, quasi depressus, h. e. niger quidem, sed albicanti mixtus. Laudatur a *Pall.* in equis, 4, 13. Sic *Serv.* ad *illud* honesti spadices, *G.* 3, 82. quos phoeniciatos vocant, pressos, myrteos: ipsi sunt badii. ℙ Transfertur ad animum. *Virg. A.* 3, 47. ancipiti mentem formidine pressus. *Sen. Octav.* 103. miseriis, luctu obruta, moerore pressa. *Lact.* 4, 13. Sed veritate pressus negare non potuit. ℙ Item ad orationem, et stilum, et dicitur de eo, qui genere dicendi utitur tenui, subtili, et brevi, sine floribus et amplificatione, haerensque arcte rei propositae omnem fugit redundantiam: ducta metaphora ab arboribus, quae ita falce premuntur, ut inutilibus ramis nudentur. *Quint.* 10, 1. *med.* Alii pressa demum et tenuia, et quae minimum ab usu quotidiano recedant, sana et vere Attica putant; et *ib.* 2. Proxima virtutibus vitia comprehendunt, fiuntque pro grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii, laetis corrupti, compositis exsultantes, simplicibus negligentes. *Id.* 12, 10. *med.* Antiqua illa divisio inter Asianos et Atticos fuit, cum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur; et in his nihil superflueret, illis judicium maxime ac modus deesset. *Cic. Or.* 2, 13. Thucydides ita verbis aptus et pressus, ut, etc. *Id. fragm.* ap. *Non.* 4, 352. Quis te fuit unquam in partiundis rebus, in definiendis, in explanandis pressior? [**genauer und bestimmter.*] *Plin. ep.* 1, 8. Stilus pressus et demissus; et *ib.* 16. In conciōnibus idem, qui in orationibus, est, pressior tamen, et circumscriptior, et adductior. *Quint.* 4, 2, 117. de narratione: Pressus, et velut applicitus rei cultus. [*Cf. *Spalding.* ad h. l.] V. alia in PRESSE. ℙ *Pressum verbum*, vox rem ipsam proxime evidenterque significans. *Gell.* 2, 6. Sicuti *taxare* pressius crebriusque est, quam *tangere*, unde procul dubio id inclinatum est. ℙ *Pressior cautela*, attentior, intentior, accuratior. *Appul. Met.* 5. Exitiabile tibi periculum minatur Fortuna saevior, quod observandum pressiore cautela censeo. Sic *ib. paulo post:* Diuque cogitationibus pressioribus instructe, ad superbiam puniendam firmiores redeamus. ℙ [*Confund. *pressus* et *prensus*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 706. et 7, 562.]

PRESSUS, us, m. pressio. [*Primo loco ponendum exemplum, quod Noster pessimo consilio in fine collocaverat.] *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 42. de Ophiucho: Hic pressu duplici palmarum continet anguem. ℙ [*Hinc metaph. de animi molestiis usurpatur.] *Cic. Tusc.* 2, 23. Ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt; simillime animus intentione sua depellit pressum omnem ponderum, remissione autem sic urgetur, ut se nequeat extollere. ℙ [*De conformatione oris in loquendo, ut vox pressior exeat.] *Id. Or.* 3, 11. *extr.* Lenitate vocis, atque ipso oris pressu ac sono, *h. e.* os comprimendo, neque vaste loquendo.

PRESTER, ēris, m. πρηστὴρ, ῆρος, igneus turbo, ventus ignitus ex alto ruens columnae modo: a πρήθω, incendo. *Lucr.* 6, 422. Quod superest, facile est ex his cognoscere rebus, Presteras Graji quos ab re nominitarunt, In mare qua missi veniant ratione superne. Nam fit, ut interdum tanquam demissa columna In mare de coelo descendat, quam freta circum Ferviscunt, graviter spirantibus incita flabris: Et quaecumque in eo tum sunt deprensa tumultu Navigia, in summum veniunt vexata periclum. *Sen. Q. N.* 5, 13. Ventus circumactus, et eundem ambiens locum, turbo est; qui si pugnacior est, ac diutius volutatur, inflammatur, et efficit quem πρηστῆρα Graeci vocant: hic est igneus turbo. *Plin.* 2, 48, 50. Turbo ardentior accensusque dum furit, prester vocatur, amburens contacta pariter, et proterens. *Appul. de Mundo:* Spiritus cum majore vi torti sunt, fit procella terrestris, et a Graecis prester nomen accepit. V. ECNEPHIAS. ℙ Item genus serpentis in Africa, cujus morsus sitim efficit ardentem, inexstinguibilem, et mortalem, cum distentione membrorum. *Solin.* 27. *med.* Prester quem percusserit, distenditur, enormique corpulentia necatur extuberatus. *Lucan.* 9, 790. Nasidium Marsi cultorem torridus agri Percussit prester; illi rubor igneus ora Succendit, tenditque cutem, pereunte figura, Miscens cuncta tumor, toto jam corpore major: Humanumque egressa modum super omnia membra Efflatur sanies. [*V. *Trill.* ad *eund. ib.* 22. *ed. Web.*] *Plin.* 20, 20, 81. Porcilaca venena presterum restingui. *Id.* 24, 13, 73. Adversantur serpentium sceleratissimis, haemorrhoidi, et presteri, ruborum flos, aut mora.

*PRETI, orum, populi Indiae, trans Gangem. *Plin.* 6, 19. *B. A.*

[PRĔTĬO, as, avi, atum, a. 1. aestimo, pretium alicui rei statuo. *Cassiod. Var.* 5, 40. Gemmarum divites venae auri fulgore pretiantur. *F.*]

PRĔTĬOSĒ, adv. τιμίως, cum pretio, sumptuose, et eleganter. *Cic. Inv.* 2, 40. Vasa magnifica, et pretiose caelata. *Gell.* 5, 5. Pretiose armatum exercitum. *Curt.* 10, 1. Tanti nominis regem haud pretiosius sepultum esse, quam si fuisset e plebe.

PRĔTĬOSĬTAS, atis, f. pretium. *Atejus Capito* ap. *Macr. Sat.* 7, 13. Annuli pretiositas.

PRĔTĬOSUS, a, um, adj. ἔντιμος, πολύτιμος, qui est multi pretii, sumptuosus. *Cic. Off.* 3, 23. Equine pretiosi potius jacturam faciat, an servi vilis. *Ov. Her.* 7, 47. Exerces pretiosa odia, et constantia magno. [*Cf. *Ruhnk.*] *Prop.* 3, 11, 1. Nox pretiosa, *h. e.* quae pretio emitur. *Hor. Od.* 3, 6, 32. Pretiosus emptor, *h. e.* qui magno pretio emit. *Colum.* 3, 8. Pretiosis odoribus Arabia illustris. *Pl. Ep.* 1, 2, 17. Pretioso pretio emere aliquid, *h. e.* magno. *Id. Bacch.* 1, 1, 41. Pretiosa operaria, *h. e.* meretrix, quae magno conducitur. *Prop.* 4, 5, 43. Thais pretiosa, *h. e.* quae noctem magno vendit. [*Disputat de h. l. *Gronov.* in *observv.* in *eccl.* 2. p. 567. *ed. Fr.*] *Mart.* 10, 92. fames, *h. e.* quae non nisi magno sumptu satiatur. *Id.* 5, 69. silentia, *h. e.* magno pretio comparata. Loquitur de Antonio, qui, ut Ciceroni sibi male dicenti os obstrueret, occidendum curavit. *Plin.* Pompejum alloquens, cujus imago e margaritis, 37, 2, 6. Hinc fieri tuos vultus? sic te pretiosum videri? *Ov. Met.* 1, 115. Subiitque argentea proles Auro deterior, fulvo pretiosior aere. *Cic. Fin.* 2, 28. Non minor voluptas percipitur ex rebus vilissimis, quam ex pretiosissimis. *Plin.* 11, 37, 52. Oculi, pars corporis pretiosissima. *Id.* 7, 29, 30. de Homeri opere: Pretiosissimum humani animi opus. [**Lucan.* 3, 217. pretiosaque murice Sidon, i. e. celebris, illustris. *Claud. Eutrop.* 2, 271. pretiosaque picto marmore.]

PRĔTĬUM, ii, n. τιμὴ, τίμημα, μισθὸς, id quod aestimationis emptionisque causa constituitur, ut ait *Varr. L. L.* 4, 36. cujus etymologiam a *peritus*, quod periti soli possu t id recte facere, ridet *Salm.* Alii ejus originem ab aliis linguis petunt. V. *Voss.* in *Etym.* Est itaque pretium id, quod pro re venali poscitur. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 15. de Apelle: Tabulae pretium accepit mensura, non numero. *Id. prooem.* 33. *f.* Myrrhinis pretium facit ipsa fragilitas; et 12, 13, 28. Pretium uvae amomi in libras denarii sexaginta: friato vero amomo denarii quadraginta octo. *Varr. R. R.* 2, 2. Pretio facto in singulas oves, ut agni chordi duo pro una ove adnumerentur. *Quint.* 4, 2. De pretio convenire. *Id.* 12, 7. *f.* Alicui rei pretium imponere. *Pl. Mil.* 3, 1, 133. statuere merci. *Cic. Att.* 12, 33. certum constituere. *Id. Rosc. Am.* 46. enumerare. *Id. Off.* 3, 29. *med.* pacisci pro re aliqua. *Pl. Men.* 5, 6. 26. exsolvere; et 2, 2, 15. Quibus hic pretiis porci veneunt? *Id. Pers.* 4, 4, 30. Vendere aliquid pretio suo; et *Ps.* 1, 2, 36. Eo in macellum, ut piscium quidquid est pretio praestinem. *Id. Merc.* 2. 3, 7. Parare sibi pretio aliquid. *Cic. Rosc. Com.* 12. Jacent pretia praediorum. *Varr. R. R.* 3, 6. *f.* Multi extulerunt eorum pretia, ita ut ova eorum denariis veneant quinis. *Caes. B. G.* 1, 18. Omnia vectigalia parvo pretio redempta habere. *Cic. Verr.* 2, 2, 49. *f.* Pretio mercari ordinem senatorium; et *Plin.* 9, 55, 81. permutare aliquid. Verba *Plinii* sunt: Sex millia muraenarum mutuo appendit: nam permutare quidem pretio noluit, aliave merce. *Pl. Capt. prol.* 32. Nil pretio parsit, filio dum parceret; et *Virg. A.* 4, 214. Femina, quae nostris errans in finibus urbem Exiguam pretio posuit, *h. e.* pecunia emptam. Unde *Id. ib.* 1, 371. Mercatique solum. *Paul. Dig.* 9, 2, 33. Sextus quoque Pedius ait, pretia rerum non ex affectione, nec utilitate singulorum, sed communi fungi. *Id. ib.* 35, 2, 63. Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur. ℙ In pretio esse, pretiosum esse. *Plin.* 33, 1, 6. Effigies varias caelando (*in auro*), ut alibi ars, alibi materia esset in pretio. *Ov. Fast.* 5, 58. Inque suo pretio ruga senilis erat. ℙ Esse pretio, idem. *Plin.* 12, 12, 25. Costi radix et folium Indis est maximo pretio. ℙ Magni, parvi pretii esse, magno, aut parvo pretio valere. *Ter. Heaut.* 1, 1, 12. Agrum meliorem, neque majoris pretii nemo habet. *Cic. Q. Fr.* 2, 2, 4. *f.* Noli spectare, quanti homo sit: parvi enim pretii est, qui jam nihil sit. *Pl. Aul.* 4, 10, 60. Qui culpam admisit in se, nullus est tam parvi pretii, quin pudeat; et *Sall. or. ad Caes.* 2, 9. *extr.* Si quid adversi coortum est, de illis potissimum jactura fit, qui pretii minimi sunt. *Pl. Epid.* 3, 3, 29. Nae tu habes servum graphicum, et quantivis pretii! ℙ Pretium habere. *Cic. Verr.* 2, 3, 98. Annona pretium, nisi in calamitate fructuum, non habet. *Ov. Pont.* 4, 8, 67. Non potes officium vatis contemnere vates. Judicio pretium res habet ista tuo. *Cato R. R.* 2. Vendat oleum, si pretium habeat. ℙ Est pretium. *Ov. Trist.* 1, 9, 43. Sive aliquod morum, seu vitae labe carentis Est pretium, nemo pluris habendus erit. *Plin.* 12, 25, 54. de balsamo: Corticis etiam ad medicamenta pretium est; et *ib.* 19, 43. de casia: Corticem levari et exinaniri, pretium est. ℙ *Pretium facere* est venditoris merci suae pretium statuentis, et indicantis, quanti vendere velit. *Pl. Pers.* 4, 4, 37. Indica, fac pretium. *Do.* tua merx est, tua indicatio est. Item emptoris, cum pretium offert, et quanti velit emere, ostendit. *Mart.* 1, 86. Quis faceret pretium, nisi qui sua perdere vellet Omnia? Sic Mario noxius haeret ager. *Paul. Dig.* 10, 3, 19. Qui de vestibulo liceri cogitur, necesse habet interdum totarum aedium pretium facere. ℙ Est etiam *pretium* merces, quae pro opere datur. *Pl. Ps.* 3, 2, 59. Fateor, me esse coquum carissimum: verum pro pretio facio ut opera appareat. *Id. Epid.* 1, 2, 17. Operam Epidici nunc me emere pretio pretioso velim. ℙ Et quae datur ex turpi causa. *Virg. A.* 6, 622. fixit leges pretio, atque refixit. *Lucan.* 4, 220. Pretium mercesque proditionis. *Cic. Verr.* 2, 3, 32. *f.* Apronio data est accessio, merces operae, pretiumque impudentiae. *Id. ib.* 2, 5, 20. Pretio atque mercede minuisti majestatem reipublicae; et *Caecin.* 10. Adduci pretio ad hominem condemnandum; et *ib.* 25. Pretio judicem corrumpere. *Auct. ad Her.* 3, 3. Nec prece, nec pretio, nec gratia, nec periculo, nec simultate a recta via deduci. ℙ Et speciatim ea, quae stupri causa datur. *Ter. Andr.* 1, 1, 49. Postquam amans accessit pretium pollicens, etc. *Ov. A. Am.* 3, 551. A doctis pretium scelus est sperare poetis. Me miserum! scelus hoc nulla puella timet. Adde *Amor.* 1, 10, 17. et sqq., *Prop.* 3, 9, 31., *Tibull.* 2, 4, 14., *Hor. Sat.* 1, 2, 104. et alios, quos collegit *Broukhus.* ad *Tibull.* 1, 10, 33. ℙ Item praemium. [*Ingentem exemplorum numerus, quibus ista hujus vocis significatio confirmatur, collegit *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 373. sq.] *Or. Am.* 1, 1, 34. Ad vatem, pretium carminis, ipsa venit. *Id. Met.* 2, 701. Juncta suo pretium dabitur tibi femina tauro. *Virg. A.* 5, 110. sacri tripodes, viridesque coronae, Et palmae pretium victoribus. *Pl. Capt.* 5, 1, 20. Reddere alicui pretium pro benefactis. Adde *Cat.* ap. *Fest.* in *Optionatus.* ℙ Item poena, supplicium. (Est enim verbum medium et anceps, ut *medicamentum*, *valetudo*, *facinus*, quae in bonam et in malam partem usurpari possunt [**Liv.* 5, 47. Pretium recte et perperam facti]), quemadmodum et Graeci τιμωρίαν poenam vocant ἀπὸ τῆς τιμῆς, quod est pretium. Ita *Serv.* ad illud *Virg. A.* 9, 349. (ubi utroque sensu adhibetur) castra ut Danaum speculator adiret, Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus. Illum Tydides alio pro talibus ausis Affecit pretio. *Liv. Andr.* ap. *Non.* 4, 354. Si malos imitabor, tum pretium pro noxa dabis. *Ter. Andr.* 3, 5, 4. Ego pretium ob stultitiam fero. *Hor. Od.* 3, 24, 24. Et peccare nefas, aut pretium est mori. *Juven.* 13, 105. Ille crucem pretium sceleris tulit, hic diadema. *Pl. Men.* 5, 6, 10. Verbera, compedes, molae, lassitudo, fames, frigusque, haec pretia sunt ignaviae. ℙ *Pretium curae*, aut *operae*, merces, praemium operae, curae, industriae adhibitae in re aliqua. *Plin. ep.* 8, 6. Postea mihi visum est pretium curae, ipsum S. C. quaerere. Al. leg. *operae. Liv. in.* Facturusne operae pretium sim, si, etc. nec satis scio, etc.; et 25, 6. *f.* Operae pretium habent libertatem, civitatemque; et 21, 43. *med.* Tempus est jam opulenta vos ac ditia stipendia facere, et magna operae pretia mereri; et *Enn.* ap. *Sen. ep.* 108. Reddere alicui pro factis operae pretium. *Sen. Ben.* 3, 23. Claudius Quadrigarius tradit, cum obsideretur Grumentum, duos servos ad hostes transfugisse, et operae pretium fecisse, *h. e.* ita se gessisse, ut operae suae dignam mercedem acquisierint. Et putat *Lipsius* esse verba ipsius *Quadrigarii.* ℙ *Operae pretium est*, digna res est, cui opera impendatur, utile est, τοῦ ἔργου μισθὸς, πλείστου ἄξιον. *Sall. Jug.* 83. Ratus, capta urbe, operae pretium fore. Alii omitt. v. *operae.* V. §. sq. *Cic. Agr.* 2, 27. *med.* Quo in genere est operae pretium diligentiam majorum recordari. *Liv.* 3, 26. Operae pretium est audire, qui omnia prae divitiis humana spernunt. ℙ Ali-

quando v. *operae* subticetur. *Tac. A.* 1, 57. Germanico pretium fuit convertere agmen; et *ib.* 2, 35. Res eo anno prolatas haud referrem, ni pretium foret Pisonis, et Galli sententias noscere. [*Ap. solum *Tacitum* obvia ellipsis. V. *Wolf.* ad *Tac. A.* 1, 57.] ℙ Aliquando v. *pretium. Enn.* ap. *Pers.* 6, 9. Lunai portum est operae cognoscere, cives. *Pl. Cas.* 5, 2, 5. Est operae auribus percipere: ita ridicula auditu ea sunt, quae ego intus turbavi. V. alia in OPERA. ℙ *Operae pretium facere*, aestimare, quanti sit opera, quae praestatur. *Liv.* 27, 17. *f.* Quales ex hac die experiundo cognorit, perinde operae eorum pretium faceret. *Id.* 25, 30. Posse eum, si operae pretium faciat, principem popularium esse. ℙ Metonymice *pretium* sunt divitiae, pecunia, aurum, argentum. *Ov. Fast.* 1, 217. In pretio pretium nunc est: dat census honores. *Hor. Od.* 3, 16, 8. Converso in pretium Deo, *h. e.* Jove in aurum Danaes causa. *Ov. Pont.* 2, 8, 5. Argentum felix, omnique beatius auro, Quod pretium fuerit cum rude, numen erit, *h. e.* numisma argenteum signatum effigie Caesaris. ℙ Scribitur et *precium* per *c*; quod videtur probare *Dausqu.* in *Orthogr.*, quasi sit a *procando*, vel a *prece.* Itaque sic edidit *Haloand.* in *Pandect.*, at *Torrent.* semper *pretium* per *t.* Affert pro se *Dausqu.* carmen Praenestini lapidis: fructusque renatos Digerit in precium. Sed hoc ipsum *Manut.* per *t* scriptum esse testatur. Addit *Cellar.* ex *Grut.* 481, 4. et 893, 8. Cujus pretium Valeria Silvana intulit. Tutius itaque per *t* scribere. [*Cf. *Beier.* ad *Cic. fr.* p. 23. *b.* ℙ Confund. *pretium* et *praemium.* V. h. v. in f.]

PREX, ĕcis, f. *εὐχή, δέησις*, precatio, obsecratio, rogatio. *Ter. Andr.* 3, 4, 22. Nihil est preci loci relictum. *Pl. Capt.* 2, 1, 47. Nunc te oro per precem, per fortunam incertam, et per mei erga te bonitatem patris, *h. e.* oro te prece, ut ait *Hor. Sat.* 2, 6, 13. vel *precem* intelligit Deam Jovis filiam, praesidem supplicationum, ut *Orpheo* in *Argon.* 105. *Arrat.* Etiam *Cato* dixit *precem*, teste *Festo. Cic. Att.* 11, 15. Quintus non modo non cum magna prece ad me, sed acerbissime scripsit. *Id. Inv.* 1, 16. Prece et obsecratione humili ac supplici uti. *Auct. ad Her.* 3, 3. Nec prece, nec pretio, nec gratia, nec periculo, nec simultate a recta via deduci. *Hor. Od.* 4, 5, 33. Multa prece prosequi aliquem. *Ov. Trist.* 1, 3, 41. Hac prece adoravi Superos ego, pluribus uxor. *Id. Met.* 8, 271. opem sollicita supplex petiit prece. *Id. Fast.* 6, 251. In prece totus eram: coelestia numina sensi. ℙ Genitivi singularis exempla nondum vidi: multo minus nominativi, quo carere ait *Charis.* 1, 72., legitur tamen in *Gloss. Philox.* Prex, *παράκλησις, ἱκεσία:* et admittitur a *Servio* una cum *preces* in eodem casu, ad *A.* 1, 591. In plurali vero per omnes casus usum habet frequentissimum. *Cic. Planc.* 41. Eorumque preces et vota de meo reditu exaudiens. *Id. Cluent.* 70. *extr.* Cujus vota et preces a vestris mentibus repudiare debetis. *Plin.* 29, 4, 19. Tribuunt ei successus petitionum a potestatibus, et a Diis etiam precum. *Ov. Her.* 12, 183. si forte preces praecordia ferrea tangunt. *Cic.* ad *Caes. post ep.* 11. *l.* 9. *ad Att. med.* A te peto, vel potius omnibus precibus oro et obtestor, ut, etc.; et *Caes. B. G.* 5, 6. Omnibus precibus petere contendit, ut, etc. *Liv.* 28, 2. *med.* Precibus infimis petiere, ut, etc. *Id.* 1, 11. et *Val. Fl.* 8, 386. Fatigare aliquem precibus. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. impetrare salutem cuipiam. *Virg. A.* 2, 689. flecti. *Ov. Her.* 7, 3. moveri; et *ib.* 86. frangi. *Sen. Hippol.* 239. vinci. *Caes. B. G.* 1, 16. *extr.* et *Nep. Dion.* 2. adduci. *Cic. ad Brut.* 1, 12. alicujus cedere. *Sen. Med.* 444. iratum aggredi; et *ib.* 291. repugnare; et *ib.* 544. parere; et *Hippol.* 635. admotis agere. *Suet. Tib.* 13. impensissimis cogi; et *ib.* 21. expugnari. *Cic. Dom.* 55. numen placare. *Id. N. D.* 1, 2. Adhibere preces Diis. *Ov. Pont.* 3, 7, 36. admovere. *Id. Am.* 3, 7, 44. concipere. *Hor. Od.* 3, 29, 59. Ad miseras preces decurrere. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 295. demitti in humiles. *Virg. A.* 5, 782. descendere in omnes. *Sen. Hippol.* 669. descendere ad preces. *Val. Fl.* 4, 547. Preces ferre, *h. e.* precari. *Sen. Herc. Oet.* 1691. mittere in astra ad Superos. *Virg. A.* 5, 234. fundere, et Superos in vota vocare. *Petr. Sat.* 133. cujuspiam admittere. *Ov. Met.* 8, 852. spernere. *Cic. Pis.* 19. audire. *Liv.* 3, 12. *extr.* aversari. ℙ In illo *Catull.* 78, 64. Lenius adspirans aura secunda venit, Jam prece Pollucis, jam Castoris implorata, *h. e.* aura implorata prece ad Pollucem et Castorem facta. Alii minus recte *prece implorata* exponunt ope, auxilio implorato. ℙ Aliquando preces sunt exsecrationes. *Caes. B. G.* 6, 30. *f.* Omnibus precibus detestatus Ambiorigem. *Hor. Epod.* 5, 86. Misit Thyesteas preces. *Ov. Met.* 15, 505. Hostilique caput prece detestatur euntis.

PRI. V. PRIVIGNUS.

PRIAMĒIS, ĭdis, f. patron. Priami filia. *Ov. Am.* 1, 9, 37. Summa ducum Atrides visa Priameide fertur, etc. *h. e.* Cassandra. *Id. A. Am.* 2, 405. Priameida viderat ipsam.

PRĬAMĒĬUS, a, um, adj. ad Priamum pertinens. *Virg. A.* 2, 403. Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo Cassandra; et *ib.* 7, 252. Priameia sceptra. *Ov. Met.* 13, 404. et 513. conjux. *Id. A. Am.* 2, 5. Priameius hospes, *h. e.* Paris Priami filius. *Auct. Pan. ad Pison.* 162. heros, *h. e.* Hector.

PRĬĂMĬDES, ae, m. *Πριαμίδης*, Priami filius, aut nepos. Syllaba prima metri necessitate producitur. *Virg. A.* 3, 295. Priamiden Helenum Grajas regnare per urbes; et *ib.* 6, 494. Deiphobus Priamides. *Ov. Fast.* 6, 55. Nec quas Priamides in aquosae vallibus Idae Contulit, *h. e.* Paris. *Id. Met.* 13, 482. deploratosque recensent Priamidas.

PRĬĂMUS, i, m. *Πρίαμος*, filius Laomedontis, rex Trojanorum. Dictus est a *πριαμαι*, emo, redimo. Nam puer ab Hercule, occiso Laomedonte, excisoque Ilio, una cum sorore Hesione in Graeciam abductus est, sed statim a Trojanis pecunia redemptus. Hecubam filiam Dimantis, vel Cissei regis Thraciae uxorem duxit. Quinquaginta filios suscepit, septendecim ex uxore, reliquos ex concubinis. Ex his Helenus, et Cassandra vates fuere. Paris Helenam rapuit. Cum Priamus nullis legationibus adduci potuisset, ut Helenam redderet, bellum a Graecis decennale passus est. Vidit in eo bello filios suos fere omnes ab hostibus interfectos. Tandem capto Ilio, et ipse a Pyrrho Achillis filio occisus est prope aram Jovis Hercaei, quae in aedibus regiis erat, in oculis Hecubae. Haec ex *Cic. Tusc.* 1, 35., *Hyg. fab.* 89, 90. (ubi filiorum ejus nomina edit) et 91., *Ov. Met.* 13. a *v.* 404. et *Serv.* ad *A.* 1, 623. et ad *ib.* 2, 506. etc. ℙ Priami sceptrum unum fuit ex septem imperii R. pignoribus. *Serv.* ad *A.* 7, 188. V. ANCILE. ℙ Priamus alter filius Politae, Priami filii, quem secum Aeneas in Italiam duxisse dicitur. *Virg. A.* 5, 564.

*PRIANTAE, arum, populi Thraciae. *Plin.* 5, 11. Adde *Solin.* 10. (al. 15.) *B. A.*

PRĬĂPĒĬUS, a, um, adj. ad Priapum pertinens. Priapeium metrum, quo ait *Diomed.* 3, 512. usum Virgilium in prolusionibus suis, fortasse inde dictum est, quod eo praecipue utebantur in Priapi laudibus. Constat autem, ut docet *Serv.* in *Centimetr.* 1825. Glyconico, et Pherecratio, ut: Hellespontiacos tuum numen protegit hortos. Aliud genus tradit *Mar. Victor.* 1962. cum in hexametro versu supremi inter se pedes concatenati, a reliquis tribus sequentibus divisi separatique sunt, ut illud *Virg. Ecl.* 1, 63. Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim; et *ib.* 3, 33. Est mihi namque domi pater, est injusta noverca. Similia fere habet *Terent.* 2444. addens, hexametrum, quod sic dividatur, Iusibus, quam gravibus rebus, aptius esse. ℙ *Priapeia, orum*, carmen obscenum, Priapi res tractans: quod quidam olim *Virgilio* tribuerunt, alii *Ovidio*, alii aliis. Sed veri similius est, multorum opus esse, ob argumenti similitudinem in unum volumen compositum.

PRĬĂPISCUS, i, m. herba, alio nomine satyrion, vim habens *εἰς τὰ Ἀφροδίσια. Appul. Herb.* 15. [*Knabenkraut.]

PRĬĂPISMUS, i, m. *πριαπισμός*, tentigo, morbus cum genitale membrum in longitudinem protenditur, et in circulum intumescit sine Veneris appetitu: quod vitii genus iis potissimum solet usuvenire, qui supini cubare consueverunt. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 18. et *Tard.* 5, 9.

*PRIAPONNĒSUS vel Priaponnesos, i, f. *Πριάπου νῆσος*, insula maris Aegaei, Cariae adjacens, in sinu Ceramico. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

PRĬĂPUS, i, m. *Πρίαπος*, Ionice *Πρίηπος*, filius Liberi Patris, seu Bacchi et Veneris. Alii ejus patrem faciunt Mercurium, alii Adonidem. Hunc superstitiosa antiquitas hortorum praesidem credidit. Cum Venus Bacchum amaret, cum eo concubuit, et, Baccho in Indiam profecto, cum Adonide. Postea Baccho ex India reverso coronam illi obviam progrediens obtulit, eumque sic coronatum tanquam sponsum sequi se jussit. Ex quo cum concepisset, in Lampsacum oppidum HeHesponti abiit. Ariadne autem (aliqui Junonem scripsere) infensa illi ob zelotypiam, manu uterum illius incantando tetigit: ex quo factum est, ut pareret filium non modo praeter omnes alios deformem, sed et ingenti pene praeter modum dehonestatum. Cujus cum illam puderet, reliquit in urbe Lampsaco ab se rejectum. Hinc Lampsacenus, et Hellespontiacus dictus est. Hunc postea, cum Lampsacenis mulieribus nimium gratus esset, a civibus ejectum ferunt. Ob quam rem, cum nescio quo malo premi coepissent, templa eidem, et sacra constituerunt, factusque etiam hortorum Deus est: in quibus ejus signum nudum, et cum falce statui mos erat. Immolabant ei asinum, quod, cum olim hic Deus in festis Bacchi, ad quae Panes, Satyri, Najades, Dryades, aliique Dii, Deaeque convenerant, intempestae noctis silentio, Lotiden Nympham, vel Vestam, humi dormientem, stuprare vellet, repentino asini, quo Silenus vehebatur, clamore fuisset impeditus. Alii tradunt, ob id Lampsacenos asinum Priapo immolare consuevisse, quod ab asino, cum de magnitudine membri certarent, superatus videretur. Dicitur autem praeesse hortis propter eorum fecunditatem: nam cum alia terra semel creet aliquid, horti nunquam sine fructu sunt. Haec ex *Hyg. fab.* 160., *Serv.* ad *G.* 4, 111., *Hor. Sat.* 1, 8., *Virg. l. c.*, *Tibull.* 1, 4., *Ov. Met.* 9, 347. et *Fast.* 1. a *v.* 415. et *ib.* 6. a *v.* 319. et *Lact.* 1, 21. V. etiam *Prud. adv. Sym.* 1, 102., ubi ex veritate historiae tradit, quendam fuisse strenuum agri et horti cultorem, eundem tamen amatorem nimium, et libidinis salacissimae: unde datum fabulae locum. *Colum.* 10, 108. Et quae frugifero seritur vicina Priapo, Excitet ut Veneri tardos eruca maritos. ℙ *Priapus vitreus* ap. *Juven.* 2, 95., *siligineus* ap. *Mart.* 14, 69. est poculum, aut panis in modum Priapi turpi figura factus. *Petr. fragm. Trag.* 60. *Burm.* Repositorium cum placentis erat positum, quod medium Priapus a pistore factus tenebat. ℙ Ap. *Catull.* 47, 4. est convicium in hominem libidinosum. ℙ Fuit hoc nomine et oppidum Mysiae maritimum, in ora Hellesponti, a Priapo, ut ferunt, conditum. *Plin.* 5, 32, 40. ℙ Item urbs in Asia. *Id.* 4, 12, 24. ℙ *Item insulae nomen, Epheso objectae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*PRIATĪCUS Campus in Thracia fuit, juxta Maroneam. *Liv.* 38, 41. *B. A.*

PRĪDEM, adv. *δήν, πάλαι, πρὸ ὀλίγου*, antea, aliquot ante diebus, dudum. Dicitur de tempore praeterito longiore, quam *nuper*: non tamen valde longo: et breviore, quam *jamdudum*, et *jampridem.* Sed *Valla Eleg.* 2, 34. putat, *pridem*, et *nuper* idem esse. Ducunt etymologi a *pris* inus. (quod significat ante, prius, a *πρίν*) et *dem*, ut *idem* ab *is*, et *dem:* vel a *prius*, et *die. Cic. Fam.* 5, 6. Quod ad me pridem scripseras. *Just.* 5, 7. *extr.* Nunc jam non classem, in quam, sicuti pridem, confugiant, superesse. *Id.* 31, 3. *f.* Italiam notiorem sibi nunc, quam pridem fuisse. *Pl. Cas.* 2, 8, 29. Ita me pridem, cum ei advorsum veneram, facere atriensem voluerat. *Id. Rud.* 4, 7, 23. Spectavi ego pridem comicos ad istum modum sapienter dicta dicere. *Stat. Th.* 3, 680. Sicut erat pridem laceris turbata capillis. ℙ De admodum brevi tempore. *Just.* 12, 6. de Alexandro post Clitum occisum: Eodem igitur furore in poenitentiam, quo pridem in iram, versus, mori voluit. ℙ *Quam pridem*, quanto tempore ante. *Cic. Verr.* 2, 1, 48. Quam pridem sibi hereditas venisset, docet. *Id. Rosc. Com.* 3. Quam pridem hoc nomen, Fanni, in adversaria retulisti? et *Pl. Stich.* 2, 1, 46. Quampridem non edisti? ℙ *Non pridem*, paulo ante, nuper. *Plin.* 22, 25, 61. Alica res Romana est, et non pridem excogitata. *Ter. Heaut.* 2, 1. *f.* Hoc ego mali non pridem inveni. *Lucr.* 5, 331. habet novitatem summa, recensque Natura est mundi, neque pridem exordia cepit. *Hor. Sat.* 2, 2, 46. haud ita pridem Galloni praeconis erat acipensere mensa Infamis. *Cic. Brut.* 10. *med.* Themistocles fuit regnante jam Graecia, nostra autem civitate non ita pridem dominatu regio liberata, *h. e.* non multo ante id tempus. ℙ *Jam pridem* V. s. l.

PRĪDĬĀNUS, a, um, adj. *ἴωλος*, ad pridie pertinens, hesternus: et dicitur fere de cibis. *Suet. Tib.* 34. Solemnibus ipse coenis pridiana saepe ac semesa opsonia apposuit. *Id. Cal.* 58. Marcente adhuc stomacho pridiani cibi onere. *Id. Vit.* 13. Ut circa viarum popinas fumantia opsonia mandaret, vel pridiana, vel semesa. *Appul. Apol.* de dentifricio: Converritorem pridianae reliquiae. ℙ De aliis rebus. *Plin.* 28, 19, 77. Pridiana balinea. *Appul. Met.* 7. pluvia; et *ib.* 11. pruina.

PRĪDIE, adv. *τῇ προτέρᾳ, τῇ προτεραίᾳ*, subaudi *ἡμέρᾳ*, die uno ante: quasi pristino die, ut *Gell.* 10, 24. docet. *Cic. Phil.* 7, 4. *f.* Cui cum pridie frequentes essetis assensi, postridie ad spem estis inanem pacis devoluti. *Pl. Stich.* 1, 2, 65. Quotidie pridie caveat, ne faciat, quod pigeat postridie. *Nep. Dat.* 8. Postero die tropaeum posuit, quo loco pridie pugnatum est. *Plin.* 18, 11, 26. Quidam pridie asservata materia utuntur. ℙ Sequente *quam. Pl. Mil.* 4, 2, 91. Si hic pridie natus foret, quam hic est; et *Cic. Att.* 3, 8. Haec epistola est pridie data, quam illa; et *ib.* 5, 11. *med.* Qui pridie, quam ego Athenas veni, Mitylenas profectus erat. ℙ Habet post se tum secundum casum, tum quartum. *Caes. B. G.* 1, 47. et *Cic. Fam.* 1, 4. Pridie ejus diei. *Ulp. Dig.* 28, 1, 5. Etiamsi pridie calendarum fecerit. *Tac. A.* 15, 54. insidiarum. *Cic. Att.* 13, 25. Ego Romam pridie Idus; et *ib.* 2, 3. Pridie Compitalia; et *ib.* 9, 13. Quinquatrus; et *ib.* 11, 23. eum diem. Alii leg. *ejus diei. Liv.* 40, 2. Parilia. *Just.* 1, 10. constitutam diem. *Fest.* in *Regillis.* Pridie nuptiarum diem. *Suet. Cal.* 55. Circenses. *Ulp. Dig.* 24, 3, 7. vindemias; et *ib.* 43, 19, 1. *med.* aequinoctium autumnale. *Cic. Att.* 3, 17. Ex ante diem Non. Jun. usque ad prid. Kal. Sept. ℙ Interdum longius tempus significat, quam praecedentem diem. *Mart. Dig.* 40, 5, 10. *extr.* Qui pridie quam ex testamento ad libertatem perveniret, idem fieri passus est, *h. e.* antequam perveniret. ℙ [Pro formula *pridie*

calendas, *nonas*, *idus*, adhibetur etiam *secundo calendas*, *nonas*, *idus*, licet id negent omnes grammatici. Hujus formulae plurima affert exempla *Mar. Frat. Arv.* p. 50., inter quae praecipuum est illud *Cic. Quint.* 6. Roma egreditur ante diem II. Cal. Febr. ℙ *Pridie Cal.* pro nominativo usurpatur ab *eod. Att.* 6, 1. *med.* Litterarum datarum pridie Cal. Januar. suavem habuit recordationem clarissimi jurisjurandi, *h. e.* dies, qui fuit pridie Cal. Januar., quo die litterae tuae datae sunt, suavem habuit recordationem. *F.*]

PRIĒNAEUS, a, um, adj. *Πριηναῖος*, ad Prienem pertinens. V. PRIENEUS. *Sidon. carm.* 2, 161. Prienaee Bia, quod plus tibi turba malorum est. Adde *carm.* 15, 48. Utrobique prima producitur.

PRIĒNENSIS, e, adj. ad Prienem pertinens. V. v. sq. *Plin.* 26, 8, 38. Prienense scammonium. ℙ *Prienenses*, *ium*, sunt incolae Prienes. *Val. Max.* 1, 5. *n.* 1. *extr.* Prienensibus auxilium adversus Carras implorantibus.

PRIĒNEUS, i, m. *Πριηνεύς*, trisyll. Prienaeus, qui est ex Priene oppido Ioniae maritimo, in confinio Cariae, Heracleae proximo, patria Biantis. *Auson. VII Sap. de Lud.* 11. et *Biant.* 1. Bias Prieneus dixit, *οἱ πλεῖστοι κακοί*; et *f.* Plures esse, Bias, pravos, quem clara Priene, etc.

[PRIĒPUS, i, m. idem ac Priapus: ab Ionico *Πρίηπος*. *Inscr.* ap. *Grut.* 95, 1. Priepo Pantheo, etc. *F.*]

PRĪMAEVĪTAS, atis, f. primum aevum, primi anni adolescentiae. *Inscr.* non opt. notae ap. *Grut.* 162, 1. Cujus primaevitas, officio sedis Urbanae advocationis exercito, etc.

PRĪMAEVUS, a, um, adj. *νεανιεύων*, *νεανίσκος*, qui in primo aevo est, *h. e.* in flore aetatis: qui primos pubertatis annos est ingressus, vel qui adolescentiam nondum excessit. *Val. Fl.* 6, 569. Nestoris hastae Immoritur primaevus Helix, etc. brevibus praereptus in annis. *Virg. A.* 9, 544. vix unus Helenor, Et Lycus elapsi: quorum primaevus Helenor, etc. *Id. ib.* 7, 162. Ante urbem pueri, et primaevo flore juventus Exercentur equis. Adde *Sen. Hippol.* 620. et *Sil.* 5, 18. *Id.* 16, 406. confisus primaevo flore juventae. *Virg. A.* 10, 345. fidens primaevo corpore Clausus. Sic *Lucan.* 6, 562. Illa *(mors)* genae florem primaevo corpore vulsit. *Val. Fl.* 2, 653. centumque pares primaeva ministri Corpora. *Catull.* 64, 401. Optavit genitor primaevi funera nati. *Nemes. Cyn.* 115. de canib.: dum laeto flore juventus, Corporis et venis primaevi sanguis abundat: (ordo est *et sanguis primaevi corporis abundat in venis.*) *Claud.* in *I. cons. Stil.* 1, 51. Vix primaevus eras, paci cum mitteris auctor Assyriae.

PRĪMĀNI, orum, m. plur. primae legionis milites, ut Secundani secundae, Tertiani tertiae. *Tac. H.* 2, 43. Primani, stratis Unaetvicesimanorum principibus, aquilam abstulere. Adde *ib.* 4, 37. et alibi.

PRĪMĀNUS Tribunus is dicebatur, qui primae legioni tributum scribebat, ut tradit *Festus*, citans *Catonis* orationem, quam de suis virtutibus contra Thermum habuit.

PRĪMĀRIUS, a, um, adj. *πρῶτος*, qui primus est in aliquo ordine, princeps, primas, vel principum unus. Vetus elogium A. Atilii Calatini ap. *Cic. Fin.* 2, 35. et *Sen.* 17. Uno ore cui plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum. *Id. Verr.* 2, 1, 58. *f.* Magno praesidio fuit Anniae pupillae mater, femina primaria. *Pl. Stich.* 1, 2, 81. Quin vos capitis conditionem ex pessima primariam? *h. e.* conditionem nuptiarum et matrimonii. *Id. Mil.* 3, 1, 73. Primarius parasitus. *Plin.* 7, 43, 45. bellator. *Cic. Fin.* 3, 16. Sic in vita non ea, quae primario loco sunt, sed ea, quae secundum locum obtinent, producta nominentur.

PRĪMAS, atis, omn. gen. primus, primarius. *Appul. Met.* 2. Apud primatem feminam; et *ib.* Primatis civitatis filius. *Impp. Arcad. Honor.* et *Theod. Cod. Theod.* 7, 18, 13. Quod ad notitiam primatium urbium, vicorum castellorumque deveniat. *Impp. Hon.* et *Theod. ib.* 1, 12, 3. Periculo primatum officii.

PRĪMĀTUS, us, m. *πρωτεῖον*, primus locus, primae partes, principatus, palma. *Varr. R. R.* 1, 7. *extr.* Alii dant primatum bonis pratis. *Plin.* 24, 17, 102. Primatum obtinere apud regem. *Id.* 8, 5, 5. Donare aliquem primatu. *Id.* 13, 12, 24. de charta: Primatum mutavit Claudius: nimia quippe Augustae tenuitas tolerandis non sufficiebat calamis.

PRĪMĒ, adv. apprime, in primis. *Naev.* ap. *Charis.* 2, 188. Fabula prime proba. Agnoscit etiam *Prisc.* 3, 603.

[PRĪMĪANUS, i, m. idem ac primanus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Don.* 158, 2. L. Pompejus L. F. Ani. Primianus. *F.*]

PRĪMICĒRĬĀTUS, us, m. officium et dignitas primicerii. *Impp. Honor.* et *Theod. Cod.* 12, 27, 1.

PRĪMĪCĒRĬUS, ii, m. qui primus notabatur in tabula cerata, sive in albo vel catalogo munere aliquo fungentium; ideoque fuit magister vel princeps cujuscumque publici officii. Amplissime enim haec vox accipitur, et generatim ita vocantur, qui in aliquo munere princeps sunt, adeo quidem, ut et scholae, collegiaque suum habuerint primicerium. Unde *Suidas* generatim interpretatur *πρῶτον τῆς τάξεως*, idest qui in quocunque ordine primum locum obtinet. Itaque *Primicerius in officio Praefectorum Praetorio* legitur ap. *Veg. Mil.* 2, 21. et *Primicerius protectorum* ap. *Ammian.* 18, 3. Primicerius notariorum, ap. *Impp. Hon.* et *Arcad. Cod. Theod.* 11, 18, 1. sacri cubiculi, *ib.* mensorum, ap. *eosd. Cod. Just.* 12, 28, 1. fabricae, *Val. Theod.* et *Arcad. ib.* 11, 9, 2. domesticorum et protectorum, *Theod.* et *Valent. ib.* 12, 17, 2. Alios etiam primicerios *Cass. Variar.* 11, 25. 30, 31. et 32. suppeditat. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 134. *n.* 91. *D. M.* M. Antonii M. F. Vel. Verissimi Mil. Coh. III. Pr. primicerii M. Antonius M. Fil. Vel. Bassus primiscrinius Trib. Legion. III. Gemin. fecit. [*Hujus loci ita curam gessit *F.*, ut prorsus novum ejus ordinem eumque longe meliorem instituisse dicendus sit.]

[PRĪMĪFORMIS, e, adj. *Marius Vict.* 2533. Cum choriambus duabus utrinque longis medias breves teneat, consentanea ratione locum eidem, auctoritatemque inter principalia, id est primiformia novem metra ipsa parilitatis, qua inter se congruunt, contemplatione, vindicandam esse dixeris. *F.*]

PRĪMĪGĒNĬUS, a, um, adj. *προηγούμενος*, primitivus, qui aliunde non habet originem. *Varr. R. R.* 2, 2. Dicam de primigenia pecuaria. E feris enim pecudibus primum dicis oves comprehensas ab hominibus, et mansuefactas. ℙ *Primigenia verba*, seu vocabula, *πρωτότυπα ῥήματα*, quae non sunt ab alia voce, sed suas habent radices, ut *lego*, *scribo. Varr. L. L.* 5, 5. ℙ *Primigenia semina* dicuntur, quae a natura insita sunt, quae Graeci *τὰ πρῶτα φύσεως* appellant, et *Cic. Fin.* 5, 7. prima secundum naturam; et *ib.* 2, 11. prima data natura, item prima, et principia naturalia. In his numerant incolumitatem conservationemque omnium partium, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, vires, pulcritudinem, ceteraque hujusmodi. *Varr. R. R.* 1, 40. Primigenia semina dedit natura, reliqua invenit experientia coloni. ℙ *Primigenius sulcus* dicitur, teste *Festo*, qui in condenda nova urbe, junctis tauro et vacca, designationis causa imprimitur: quia ab eo inchoatur opus urbis condendae. ℙ *Primigenia rerum* ap. *Ammian.* 26, 10. *f.* est rerum natura. ℙ *Primigenii* ap. *Appul. Met.* 11. dicti sunt Phryges, quia credi volebant, se primos omnium hominum exstitisse: quod tangit etiam *Claud.* in *Eutrop.* 2, 251. ℙ *Primigenia Fortuna*, Dea Fortuna praeses rerum gignendarum, vel quae est unicuique a primo ortu comes. Hoc nomine praecipue culta fuit in urbe Praeneste, ubi antiquissimum et celeberrimum fuit ejus templum, de quo mentio est ap. *Cic. Div.* 2, 41. et *Suet. Tib.* 63. et *Dom.* 15. Hujus aedem Romae in colle Quirinali dedicavit Q. Marcius Ralla, duumvir ad id ipsum creatus. *Liv.* 34, 53. *med.* ℙ Ab hac videtur datum cognomen legioni XXII. Primigeniae, ap. *Spart. Jul.* 1. et in *Inscr.* ap. *Grut.* 427, 9., 552, 1. et 566, 2. et al. ℙ [*Primigenia* fuit etiam cogn. R. V. in PRIMILLUS. *F.*]

PRĪMĪGĒNUS, a, um, adj. *πρωτόγονος*, primogenitus. *Lucr.* 2, 1104. diemque Primigenum maris, et terrae, solisque coortum. *Avien.* in *Arat.* 13. Mentis primigenae penetralia dura resolvens.

[PRĪMILLĬO, onis, m. dimin. Primilli. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 438, 4. D. M. M. Mestrii Primillionis Secundi avi M. Mestrius Primus. *F.*]

[PRĪMILLUS, a, um, dimin. Primi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *De-Vita Antiq. Benev.* XLIII. 29. C. Helvius Primillus. Alia ap. *Jorio Guida di Pozzuoli* p. 187. Claudiae Primillae Claudia Primigenia, et Primus parentes filiae piissimae. *F.*]

[PRĪMĪNUS, i, m. ad Primum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* in *Giorn. Pis.* T. 16. p. 166. C. Julius C. F. Cam. Priminus. Ceterum haec eadem legitur in V. FACTOR, ubi *Burghesius* legit *Primitivus. F.*]

[PRĪMĬO, onis, m. dimin. Primi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 138, 3. M. Pomponius M. F. Primio. *F.*]

PRĪMĪPĂRĂ, ae, f. *πρωτοτόκος*, femina in quovis animalium genere, quae primo peperit. *Plin.* 8, 40, 62. Et ab ea, quae femina sit ex primipara genita, Faunos cerni. Adde *ib.* 47, 72., ubi de ovibus loquitur, sicut priore loco de canibus.

PRĪMĬPĪLĀRIS et Primopilaris, is, m. qui fuit, vel est primipilus. *Quint.* 6, 3. *med.* Consulens eum, an primipilari seni jam testato rursus suaderet ordinare suprema judicia. [*Suet. Cal.* 35. Erat Esius Proculus patre primipilari; et 38. Testamenta primipilarium, qui ab initio principatus Tiberii neque illum, neque se heredem reliquissent, ut ingrata rescidit. [*Plura exempla v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 374.] *Fragm. jur. civ. antejust.* (ed. *A. Maio*) p. 39. Primipilaribus ob id ipsum, quod primipilares sunt, vacatio a tutelis a Divo Hadriano dari coepit. *Inscr.* ap. *Grut.* 416, 1. Primipilari Leg. VIII. Aug. etc. ℙ Est etiam adj. *Fragm. jur. civ.* etc. p. 74. Praesertim cum honori primipilari sis adstrictus. *F.*] ℙ Legitur etiam *primopilaris* in *Inscr.* ap. *Grut.* 50, 6. L. Aurelius L. F. Pal. Rufus primopilaris. V. PRIMIPILUS. ℙ [Translate. *Sidon. ep.* 6, 1. Te conclamatissimum primipilarem spiritalia castra venerentur, *h. e.* episcopum. *F.*]

PRĪMĬPĪLĀRIUS, ii, m. primipilaris. *Sen. Const. Sap.* 18. Nec impune cessit primipilario, quod Caligulam dixerat. V. CALIGULA. *Spart. Jul.* 5. Nigrum misso primipilario, occidi imperat. Adde *Pesc.* 2. *med.*

PRĪMĬPĪLĀTUS, us, m. primipili dignitas. *Impp. Valer. et Gall. Cod.* 12, 63, 1. Commoda primipilatus post administrationem incipiunt deberi.

[PRĪMĬPĪLUM, i, n. idem ac primipilatus. *Inscr.* ap. *Mur.* 799, 6. Et prope diem consummationis primipili sui debitum naturae persolvit, *h. e.* prope diem, quo consummaturus erat primipilatus sui tempus, obiit. V. CONSUMMATIO et CONSUMMO. *F.*]

PRĪMĬPĪLUS et Primopilus, i, m. *πρώτου πίλου ἄρχων*, centurio primi pili, *h. e.* dux primae centuriae in ordine pilanorum, seu triariorum. *Veg. Mil.* 2, 8. Vetus consuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis promoveretur centurio primi pili, qui non solum aquilae praecerat, verum etiam quatuor centurias, *h. e.* quadringentos milites in prima acie gubernabat. Hic tanquam caput totius legionis merita consequebatur, et commoda. His similia habet *Dionys. Hal. l.* 9. p. 567. *Silb.*, qui addit: *τούτους Ῥωμαῖοι τοὺς ἡγεμόνας τῇ πατρίῳ γλώττῃ πριμοπίλους καλοῦσιν. Liv.* 7, 41. *med.* Additum legi, ne quis, ubi tribunus militum fuisset, postea ordinum ductor esset. Id propter P. Salonium postulatum est, qui alternis prope annis et tribunus militum et primus centurio erat, quem nunc primi pili appellant, *h. e.* centurionem primi pili. *Caes. B. G.* 2, 25. Omnibus centurionibus aut vulneratis, aut occisis, in his primipilo P. Sextio Baculo. Alii *primo pilo*, alii *primi pili* legunt. *Val. Max.* 1, 6. *n.* 11. Aquilarum altera vix convelli a primipilo potuit. ℙ Ex locis allatis constat, vetustiores disjunctim *primus pilus* scribere maluisse, recentiores saepius conjunctim *primopilus*, et utrobique vocem *centurio* omisisse: quod clarius patebit ex sequentibus. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 120. M. Pompejo M. F. An. Aspro Primop. Leg. III Cyren., etc. Alia ap. *Grut.* 349, 4. Paulo Aemilio Primopilo bis, Praef. Equit., Tribuno cohortis IIII. Praetor., etc. Alia ap. *eund.* 370, 1. Sex. Aulieno Sex. F. Ani. Primopil. II., Trib. Mil. etc. Adde aliam ap. *eund.* 437, 5., ubi tamen separatim legitur *primo pilo*. Alia ap. *Labus. Dissert. de la certit. de la science des antiq.* p. 61. C. Baebio P. F. Cla Attico Primopil. Leg. V. Macedonic., Primopil. iterum, etc. ℙ Aliquando etiam *pilus* pro *primus pilus* dicebatur. V. §. sq. et PILUM. ℙ Summa erat primi pili dignitas, quique eam obtinebat, statim in equestrem ordinem referebatur. *Mart.* 6, 58. Et referes pili praemia clarus eques. Hinc *Ov. Am.* 3, 8, 10. Ecce recens dives, parto per vulnera censu, Praefertur nobis, sanguine factus eques; et *mox ἐιρωνικῶς* 25. Discite, qui sapitis, non quae nos scimus inertes, Sed trepidas acies, et fera castra sequi: Proque bono versu primum deducite pilum. V. *Lips. de milit. Rom.* 2, 8. [*Hunc locum multis emendavit atque ampliavit *F.*]

PRĪMĬPŌTENS, entis, adj. primus potentia. *Appul. Trism.* p. 92. *Elmenh.* Deus primipotens, et primus gubernator mundi.

*PRĪMĬS, is, f. *Πρῖμις*, nomen duorum Aethiopiae oppidorum, majoris ac minoris, ad Nili ripam. *Plin.* 6, 29. ℙ Scribitur et *Premis. B. A.*

PRĪMĬSCRĪNĬUS, ii, m. primus in ordine scriniariorum. *Imp. Anastas. Cod.* 12, 50, 12., *Impp. Theodos. et Valent. ib.* 53, 3. et *Inscr.* ap. *Don. cl.* 6. *n.* 152.

PRĪMĬTER, adv. primitus, primo, primum. *Pompon.* ap. *Non.* 2, 661. et 10, 13. Quin bono animo es, video: eripis primiter dapes. Sed idem *Non.* 8, 42. hunc eundem locum ita refert: Bono animo es, video; eripuisti primitus de pannibus. Addit *Non. cit. cap.* 2. haec verba *Lucilii:* Sicuti cum primiter ficos populare sentis, item pretio ingenti ad primitus paucos. Quae corrupta sunt, et ab eodem sic emendate recitantur 4, 118. Sicuti cum primos ficos propola recentes Protulit, et pretio ingenti dat primitu' paucos. [*Inscr.* ap. *Labus. Epigr. Lat. scop. in Egitto.* Quod primiter felicissimo saeculo DD. NN. invictorum Impp. Severi, et Antonini novae lapicaedinae adinventae, etc. Haec *Inscr.* pertinet ad ann. a Chr. n. CCIV.—CCXI. *F.*]

PRĪMĬTĬAE, arum, f. plur. *ἀπαρχαί*, primae res in quocumque genere, ut Primitiae operum, armorum, frugum, vel fructuum, etc. a *primus*. Videntur proprie dici de primis fructibus ex agro susceptis, qui Deo offerebantur: translate etiam de aliis rebus. *Ov. Fast.* 2, 520. Primitias Cereri farra resecta dabant. *Id. Met.* 8, 274. Primitias, frugem Cereri, sua vina Lyaeo, Palladios flavae latices libasse Minervae. *Id. Past.* 3, 729. Te *(Bacche)* memorant, Gange, totoque Orienie subacto, Primitias magno seposuisse Jovi. *Calpurn. Ecl.* 2, 64.

pomiferi Laribus consuevimus horti Mittere primitias. *Val. Fl.* 3, 515. justaeque dolorum Primitiae, et tenero superati protinus angues, scil. Juno de Hercule loquitur. *Stat. Th.* 11, 285. Hei mihi primitiis armorum, et rite nefasto Libatus, *h. e.* initiis belli; et *ib.* 2, 742. Primitiae operum; et *ib.* 6, 146. lacrimarum. *Virg. A.* 11, 156. Primitiae juvenis miserae, bellique propinqui Dura rudimenta. *Sil.* 3, 111. Primitiae tori, *h. e.* prima gaudia conjugii. *Tac. H.* 4, 53. *f.* metallorum, *h. e.* primae massae e metallis erutae. *Colum.* 4, 10. Primitias vitis resecare, *h. e.* quae prima trunco vitis progerminantur. Sic 10, 147. Primitiis plantae modicos tum praebeat imbres Sedulus irrorans olitor. *Gell. praef. med.* Primitias quasdam, et quasi libamenta ingenuarum artium dedimus. *Appul. Met.* 10. Dum ludicris scenicorum choreis primitiae spectaculi dedicantur; et *ib.* 11. Rudem dedicantes carinam, primitias commeatus libant, *h. e.* initium navigationis. ℙ Legitur et *primiciae*, sed minus placet.

PRĪMĪTĬUS, a, um, adj. πρῶτος, qui in aliqua re primus et principalis est. V. PRUNITIUS.

PRĪMĬTĬVUS, a, um, adj. primus, primo adveniens. *Colum.* 9, 13. Apes primitivis floribus illectae. *Id. Arb.* 23. Ea res et fertilem arborem reddet, et primitivos annos fructum vinosum, *h. e.* cum primum arbor fructus feret, quod idem tradens, inquit 5, 10. *med.* primis annis. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 828. Ut primitivum crederes fetum geri, *h. e.* primogenitum. ℙ *Primitiva verba*, quae primigenia *Varro* vocat, sunt, quae primam positionem ab ipsa natura acceperunt, ut *lego*, *ferveo*, *domo*, *facio*. *Prisc.* 8, 824. V. PRIMIGENIUS.

PRĪMĬTUS, adv. πρῶτον, primum, primo. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 118. Sicuti cum primos ficos propola recentes Protulit, et pretio ingenti dat primitu' paucos. (V. PRIMITER.) *Varr. R. R.* 1, 31. Primitus cum exit vitis, tota resecari solet; et *ib.* 2, 2. *med.* Primitus oritur herba imbribus primoribus evocata. *Virg. Cir.* 490. Ac veluti in niveo tenerae cum primitus ovo Effigies animantis, etc. *Catull.* 19, 10. Florido mihi ponitur picta vere corolla Primitu', et tenera virens spica mollis arista. *PRIMIVIRGĬUS, i, m. qui primus virgam gestat ante regem. *Gloss. Gr. Lat.* πρωτοραβδοῦχος, primivirgius. *Gloss. Isid.* Primivirgius, caballarius, quod primus est militiae in virgis. V. *Voss. de Vit. L. L.* 3, 38. *B. A.*

PRĪMNĒSĬUS, ii, m. palus, ad quem funis nauticus religatur, quem alii tonsillam dicunt. *Paul. ex Festo.* Alii rectius leg. *prymnesius*, πρυμνήσιος, a πρύμνα, puppis, quia funis a puppi religatur ad litus: unde *Virg. A.* 6, 902. stant litore puppes.

PRĪMO, adv. πρῶτον, principio, primo loco, prima specie, primum, primiter. *Pl. Amph.* 5, 1, 42. Ibi continuo contonat sonitu maximo: aedes primo ruere rebamur tuas. *Cic. Verr.* 2, 1, 9. *extr.* Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus: antea vel judicari primo potuit, vel amplius pronunciari; et *Nep. Dat.* 3. Primo non accredidit. *Phaedr.* 4, 10. Significat primo, saepe quos ipse, etc. secundo ostendit scelera puniri, etc. *Sall. Jug.* 119. Rex primo negitare, etc. ad hoc metuere, ne, etc. denique saepius fatigatus, etc. *Id. Cat.* 10. Primo pecuniae, dein imperii cupido crevit; et *ib.* Haec primo paulatim crescere: post, etc. *Liv.* 1, 50. *f.* Primo restitere: mox pepulere etiam subeuntes. *Just.* 1, 3. Primo latebras circumspicit: mox deinde, etc. *Liv.* 26, 39. Primo quinque naves habuit: postea tres additae quinqueremes: postremo, etc. *Cels.* 5, 26. *n.* 34. Primo abstinentia utendum: deinde danda, quae, etc. postea imponi eadem, quae, etc. *Ter. Hec.* 4, 4, 91. Neque illi credebam primo: nunc vero palam est. *Tac. G.* 6. Quod primo numerus fuit, jam nomen, et honor est. *Pl. Amph.* 2, 1, 50. Neque credebam primo mihimet Sosiae: donec Sosia ille fecit, sibi uti crederem. *Liv.* 31, 29. Messanae ut auxilio essent, primo in Siciliam conscenderunt: iterum, ut Syracusas in libertatem eximerent. ℙ Additur interdum particula *dum*, nil mutata significatione. *Pl. Capt.* 1, 2, 57. Primodum opus est pistoriensibus. Plerique alii leg. *primum dum.* ℙ Quid differat a *primum*, V. ibi.

[PRĪMO, onis, m. omnium primus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 305, 2. C. Popilius Primo unguentarius. *F.*]

[PRĪMŌGĔNES, is, m. primogenitus, idem ac πρωτογενής: a *primus*, et γένος, genus. Vox hybrida. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1362, 10. C. Pomponius C. L. Primogenes. *F.*]

PRĪMOGĔNĪTĀLIS, e, adj. primigenius. *Tert. adv. Valent.* 20.

PRĪMOGĔNĪTUS, a, um, adj. πρωτότοκος, qui primus omnium genitus est, natu major. *Pall.* 1, 39. Creduntur *(apes)* non fugere, si stercus primogeniti vituli adlinamus oribus vasculorum. *Lact.* 4, 11. Filium suum primogenitum delabi jussit e coelo. *Plin.* 11, 40, 95. Primogenitis in quoque partu sues primas *(mammas)* praebent. Ita *Hard.* ex MSS., alii *primis genitis.*

PRĪMOPLASTUS, i, m. πρωτόπλαστος, primo creatus, hoc est Adam. Vox hybrida ex Latino *primus*, et Graeco πλαστὸς, factus, formatus. *Prud. Cath.* 9, 27. Ne gens periret primoplasti ex germine. *Sic ed. *Weitz.* etc., ubi ed. *Cellar.* habet *protoplasti. B. A.*

PRĪMORDĬA, orum, n. plur. ἀρχαὶ, quae primo ordimur, initia, principia, ut Primordia rerum, gentis, belli, etc. *Cic. Part.* 2. *extr.* Ut primordia rerum, et quasi praecurrentia, in quibus inest aliquid argumenti. *Id.* in *Arat. Leg.* 2, 3. A Jove Musarum primordia. *Quint.* 1, 9. Primordia dicendi. *Ov. Met.* 15, 67. mundi. *Lucan.* 10, 177. gentis. *Pers.* 6, 3. veterum vocum. *Colum.* 3, 10. *med.* Elementa spiritus cum terrenis primordiis miscere. *Pall.* 4, 12. In primordiis. *Lucr.* inverso ordine 4, 32. Quove modo distracta rediret in ordia prima. Eadem ratione *facit are* dixit 6, 962. pro *arefacit.* ℙ In sing. num. *Liv. in.* et *Sall. fr.* ap. *Prisc.* 16, 1101. A primordio urbis. *Colum.* 1, 1. *f.* Mago suorum scriptorum primordium talibus auspicatus sententiis. *Curt.* 9, 2. Adhuc in operum suorum primordio stare. *Justin.* 2, 1. *med.* Utriusque primordii Scythas origine praestare. Adde *Tac. A.* 1, 7. et *H.* 3, 34. et *Appul. Apol.* et *Flor n.* 3.

PRĪMORDĬĀLIS, e, adj. ad primordia pertinens, primus, ut Primordialis lex, *Tert. adv. Jud.* 2. causa, *Ammian.* 30, 1.

[PRĪMORDĬĀLĬTER, adv. initio, ab origine. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 5. In regiones suas, unde primordialiter exsistunt, corpore naturaliter feruntur. *F.*]

PRĪMORDĬUM. V. PRIMORDIA.

PRĪMORDĬUS, a, um, adj. *Colum.* 6, 37. Ut avitus color primordii seminis mistu reddatur nepotibus. Al. rectius leg. *primordiis seminum.*

PRĪMORIS, is, adj. comm. gen. primus, prior. *Gell.* 10, 19. In primore pueritia. *Sil.* 1, 511. Haud me dissimilem, Alcide, primoribus annis Agnosces, invicte, tuis. *Id.* 11, 143. excisam primori Marte Saguntum, *h. e.* primo belli tempore. *Gell.* 2, 7. Primore aspectu. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Primitus oritur herba primoribus imbribus evocata. ℙ *Primores dentes*, qui primi conspiciuntur. *Plin.* 7, 16, 15. et 11, 37, 45. et alibi, quos 19, 2, 11. *primos* vocat. ℙ *Primores*, proceres, primi, primates. *Hor. Ep.* 2, 2, 203. Viribus, ingenio, specie, virtute, loco, re Extremi primorum, extremis usque priores. *Id. Sat.* 2, 1, 69. Primores populi arripuit, populumque tributim. *Colum.* 12, 3. *f.* Civitatum primores, atque optimates. *Catull.* 68, 87. Primores Argivorum viri. *Juven.* 15, 40. Primores, ac duces. *Tac. A.* 2, 29. Primores feminae. *Liv.* 24, 20. *med.* Primore juventute conscripta, dispositisque stationibus, *h. e.* primoribus e juventute. *Tac. A.* 13, 30. Caninius Rebilus ex primoribus peritia legum, et pecuniae magnitudine. *Gell.* 2, 22. *med.* Primores venti. ℙ *Primores*, patres, nobiles: et opponuntur plebi. *Tac. A.* 2, 19. Plebes, primores, juventus, senes incursant; et *ib.* 6, 42. Plebem primoribus tradidit. ℙ De prima, seu anteriori parte cujusque rei. *Cato R. R.* 40. Capito tibi surculum, quod genus inserere voles, eum primorem praeacuito obliquum primores digitos duos. V. DIGITUS. *Pl. Bacch.* 4, 4, 21. Sumere aliquid digitulis duobus primoribus. *Lucil.* ap. *Non.* 5, 24. Gallinaceu' cum victor se gallus honeste Sustulit in digitos, primoresque erigit ungues. *Id. ib.* Eduxique animam in primoribu' naribus. *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 2. Pilo primori *(quo zea tunditur)* inest pyxis ferrea. *Id.* 8, 51, 80. Cauda late fusa primori parte. *Lucr.* 6, 1191. nasi primoris acumen. *Gell.* 1, 18. In primore libro; et 16, 5. Vestibulum esse partem domus primorem; et 7, 12. Tunicis uti prolixis ultra brachia, et usque in primores manus, ac prope in digitos. *Tac. H.* 3, 21. *extr.* Primori in acie versari; et *Curt.* 4, 6. *med.* Dimicare inter primores, *h. e.* inter eos, qui in primori acie sunt. ℙ *Primoribus labris* est, [*quod nos dicimus: *auf der Zunge*, *auf den Lippen*,] et translate leviter. *Pl. Trin.* 4, 2, 65. Versabatur mihi *(nomen)* in labris primoribus. *Cic. fr.* ap. *Non.* 5, 24. Quod in primoribus habent, ut ajunt, labris. *Id. Coel.* 12. Non modo qui primoribus labris gustassent genus hoc vitae, et extremis, ut dicitur, digitis attigissent; sed qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent. *Id. Or.* 1, 19. *med.* Haec esse penitus in media philosophia retrusa atque abdita, quae isti rhetores ne primoribus quidem labris attigissent. V. LABRUM. ℙ Caret recto singulari, itemque positione neutrius generis propria, in utroque num. Genitivus autem multitudinis, *primorum*, communis est cum *primus*. *Serv.* ad *A.* 9, 309. ℙ *Vetus manus* in margine cod. *Front. ad M. Anton. de Or. fr.* 2, 1. Primoribus labris. Facit nominativum singulare hoc primor labrum. Quem ad locum sic *Angelus Maius:* Utrum autem recti singularis duplex sit positio *hic et haec primoris* et *hoc primor*, an potius unica *hic et haec et hoc primor*, id demum exempla, siquando emergent, docebunt. *B. A.*

[PRĪMOSUS, i, m. idem videtur ac primarius. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 991, 10. M. Aurelius Primosus Aug. Lib. *F.*]

PRĪMOTĬCUS. V. v. sq.

PRĪMOTĪNUS, a, um, adj. πρώϊμος, primo nascens, tempestivus, maturus: cui opponitur serotinus. Agnoscitur a *Prisc. A.* 12, 1. *de primis vers.* 1227. Et fortasse ita legendum est ap. *Apic.* 4, 5. *f.* Duracina primotina pusilla praecoqua purgas. Ubi alii leg. *primotica* eod. sensu.

[PRĪMULLUS, a, um, adj. dimin. primi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 765, 4. Caecilia Primulla. *F.*]

PRĪMŬLUM, adv. dimin. primum, primo, primiter: apud comicos. *Ter. Ad.* 3, 1, 2. Modo dolores, mea tu, occipiunt primulum; et 5, 6, 10. Paulatim plebem primulum facio meam. *Pl. Men.* 5, 5, 18. Jam hercle occeptat insanire primulum; et *ib.* 9, 57. Tum dentes mihi cadebant primulum. Adde *Mil.* 4, 2, 13.

PRĪMŬLUS, a, um, adj. dimin. primus: ap. comicos. *Pl. Amph.* 2, 2, 105. Primulo diluculo abivisti ad legiones.

PRĪMUM, adv. πρῶτον, primo, primiter: et servit enumerationibus, et distributionibus. *Caes. B. G.* 1, 25. Caesar primum suo, deinde omnium e conspectu remotis equis, proelium commisit. *Cic. Fam.* 16, 3. *extr.* Te valere, tua causa primum volo, tum mea. *Id. Sull.* 15. Primum, ne qui posset, etc. deinde, ne cui liceret, etc. postremo, ne quid jam a me, etc. *Id. Verr.* 2, 2, 58. *extr.* Primum, averti pecuniam non placere: deinde ipsarum statuarum modum quendam esse oportere: deinde, illud certe: ab invitis exigi non oportere. *Id. N. D.* 2, 1. *f.* Primum docent esse Deos: deinde, quales sint: tum, mundum ab his administrari: postremo, consulere eos rebus humanis. *Cels.* 2, 1. *f.* Pueritia primum circa quadragesimum diem, deinde septimo mense, tum septimo anno, postea circa pubertatem periclitatur. *Cic. Div.* 2, 56. *med.* Primum Latine Apollo nunquam locutus est: deinde ista sors inaudita Graecis est: praeterea Pyrrhi temporibus, etc. postremo, quamquam, etc. *Id. Or.* 1, 31. *med.* Orator debet reperire primum, quid dicat: deinde inventa, etc. tum ea vestire, etc. post memoria tenere: ad extremum agere, etc. *Id. Fin.* 5, 23. Caritas generis humani serpit cognationibus primum, tum affinitatibus, deinde amicitiis, post vicinitatibus, tum civibus, deinde totius complexu gentis humanae. ℙ Additur genitivus *omnium* ad majorem vim. *Cic. Cat.* 2, 9. Primum omnium ego ipse vigilo, adsum, provideo; et *Verr.* 2, 1, 11. Primum omnium opera danda est, ut, etc. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 10. Primum omnium non te fugit, etc. *Ter. Heaut.* 2, 3, 33. Jam primum omnium Dromo pultat fores. *Pl. Truc.* 4, 3, 13. Omnium primum diversae state. ℙ [*JAM PRIMUM quid sit, v. suo loco.] ℙ Item *dum* particula. *Pl. Mil.* 2, 3, 26. Primum dum, si falso insimulas Philocomasium, hoc perieris. Iterum si id verum est, tu ei custos additus perieris. *Id. Trin.* 1, 2, 61. Primum dum omnium male dictitatur tibi vulgo in sermonibus. *Id. Most.* 2, 1, 53. Omnium primum dum aedes fac occlusae sient. Adde *Rud. prol.* 32. et *Truc.* 1, 1, 10. ℙ Interdum post *primum* non sequitur *deinde*, aut quippiam simile, subintelligitur tamen, et nihilominus absolvitur sententia. Exempla habes apud *Cic. Fam.* 2, 9., *ib.* 7, 23., *Att.* 12, 18. *med.*, *Acad.* 4, 14. *f.* et 18., quae congessit *Manut.* ad *cit. Fam.* 2., item *Ter. Andr.* 1, 3, 6., *Virg. A.* 4, 343., *Pl. Most.* 2, 1, 53. etc. ℙ [**Primum* in enumeratione haud raro omittitur a *Tac. A.* 1, 67. ut (primum) hi, mox pedes, in hostem invaderent. Cf. *Drak.* ad *Liv.* 22, 43, 3. 34, 19, 8. ℙ Saepius etiam idem fere est quod *statim*. *Tac. A.* 14, 63. huic primum nuptiarum dies loco funeris fuit, deductae in domum, in qua nihil nisi luctuosum haberet Eodem sensu positum videtur ap. *Eutr.* 2, 22. Ambo Romani consules ad Africam profecti sunt cum trecentarum navium classe; primum Afros navali certamine superant: ubi v. *Tzschuck.*] ℙ Extra enumerationem, praecedentibus particulis *ut*, *ubi*, *cum*, *nunc*, etc. *Cic. Fam.* 10, 13. Ut primum potestas data est augendae dignitatis tuae, nihil praetermisi in te ornando; et *Verr.* 2, 2, 20. Ubi primum potuit, istum reliquit. Sic *N. D.* 2, 48. Simul ac primum niti possunt, aquam persequuntur. *Id. Verr.* 2, 2, 23. Tum affuerat, cum primum dati sunt judices; et *Ter. Andr.* 5, 4, 33. Postilla nunc primum audio, quid illo sit factum; et *Pl. As.* 5, 2, 37. Censen' tu, illunc hodie primum ire assuetum esse in ganeum? *Cic. Phil.* 5, 11. *f.* Quo die primum convocati sumus. ℙ *Primum*, et *primo* id differunt, quod *primum* ad ordinem rerum pertinet, *primo* ad tempus. Aliquando tamen promiscue usurpantur. *Pl. Capt.* 2, 3. *extr.* Ei rei primum praevorti volo; et *Cic. Arch.* 3. Primum Antiochiae celeriter antecellere omnibus contigit; post, etc. *Liv.* 38, 41. Primum expulere loco hostes, deinde avertere. *Cic. Inv.* 1, 39. *med.* Primo quidem decipi, incommodum

est: iterum, stultum: tertio, turpe. ℙ Quam primum V. s. l. ℙ [*Confund. *primum* et *praemium*. V. *Spald.* ad *Quint.* T. 4. p. 193. *crit.*]

PRĪMUS, a, um, adj. πρῶτος, superl. a *prior*, dicitur is, qui ante se nullum habet, et refertur ad ordinem, locum, tempus. *Caes. B. G.* 7, 48. Eorum ut quisque primus venerat, sub muro consistebat. *Ter. Ad.* 4, 2, 7. Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia: primus porro obnuncio. *Cic. N. D.* 3, 22. *f.* Aesculapiorum primus, Apollinis, quem Arcades colunt; qui specillum invenisse, primusque vulnus dicitur obligavisse: secundus secundi Mercurii frater: tertius Arsippi, et Arsinoae, qui primus purgationem alvi invenit. *Id. Off.* 3, 1. Verum primum: verum igitur et extremum. *Liv.* 34, 19. Trium conditionum electionem ferre jubet: primam, si transire, etc. alteram, si abire, etc. tertiam, si placeat, etc. *Cic. Att.* 9, 6. *med.* Primae litterae monent, ne, etc. proximae ostendunt, etc. et *Sext.* 3. Cum tribunus plebis primus inter homines nobilissimos factus esset. *Id. Fin.* 4, 7. Primi ex omnibus philosophis a natura tributum esse docuerunt, ut, etc. *Nep. Alc.* 7. *f.* Primus Graeciae in Thraciam introiit. *Suet. Caes.* 25. Germanos primus Romanorum maximis affecit cladibus. *Tac. A.* 6, 4. Latiaris luendae poenae primus fuit. *Ov. Her.* 17, 105. Si te vidissem, primus de mille fuisses. *Id. Met.* 5, 97. Cephenum post regem primus Odites, Ense jacet Clymeni; et *Pont.* 4, 15, 4. a Superis hic mihi primus erit, *h. e.* post Superos. ℙ [*Hinc *in primis*, *cum primis*, inter primos, inter prima, primum, primo. Huc pertinent, quae *Forc.* infra laudaverat, ista:] *Nep. Paus.* 5. Dicitur mater, postquam de scelere filii comperit, in primis ad filium claudendum lapidem ad introitum aedis attulisse. *Id. Epam.* 10. Cum pugnari cum Lacedaemoniis coepit, in primis stetit. [*Adde *Sall. Cat.* 60, 6. Manlius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt, i. e. inter primos pugnantium. *Jug.* 6, 1. Leonem primus, aut in primis ferire. Porro, quod item Noster infra laud., illud *Sall. Jug.* 28. (ap. *Kritz.* 26, 3.)] Jugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat. *Cic. Verr.* 2, 2, 36. Sthenius multa, ut in primis Siculorum in dicendo copiosus est, commemoravit. *Nep. Att.* 13. Neque tamen non in primis bene habitavit; et *ib. f.* Cum in primis lautus esset eques Romanus. *Cic. Verr.* 2, 2, 35. Oppidum in primis Siciliae clarum et ornatum. *Id. N. D.* 1, 43. Vir magnus in primis. *Id. Verr.* 2, 3, 27. Homo in primis improbissimus; et *ib.* 2, 2, 28. Homo domi suae cum primis locuples atque honestus. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 2, 55. Sapiens homo cum primis nostrae civitatis. *Id. ib.* 3, 5. In primis hoc a se animadversum esse dicebat. *Id. Fin.* 4, 18. Illud vero minime consectarium, sed in primis hebes. *Id. Att.* 5, 1. Cum ad me frater venisset, in primis nobis sermo de te fuit. [*— De his vocabulis adverbii loco positis V. infra.] ℙ Cum infinito. *Sil.* 1, 160. Primus inire manu, postremus ponere Martem. ℙ *Primae Kalendae Januariae*, vel *Octobres*, et *primae Idus*, etc. sunt, quae proxime sequuntur, seu sequentia anni. Quod constat ex *Ulp. Dig.* 45, 1, 41. Cum, qui Kalendis Januariis stipulatur, si adjiciat primis, vel proximis, nullam habere dubitationem, palam est. Sed et si dicat secundis vel tertiis, vel quibus aliis, aeque dirimit quaestionem. Si autem non addat, quibus Januariis, dicendum est primas Kalendas Januarias spectari. Plane si ipsa die Kalendarum quis stipulationem interponat, quid sequemur? Et puto actum videri de sequentibus Kalendis. Item in Idibus etiam et Nonis probandum est, et generaliter in omnibus diebus. *Cato R. R.* 147. et 148. Locus vinis ad K. Octob. primas dabitur: si ante non deportaverit *(emptor)*, dominus vino, quod volet, faciet, *h. e.* tempus emptori ad exportanda vina dabitur ad proximas K. Octob.; si id is non fecerit, tum dominus, ut sibi vacua cella et dolia relinquantur, vino, quod volet, faciet. Haec porro ita sunt interpretanda, ideoque corrigenda, quae aliter ad *l. c.* exposita sunt in CALENDAE. *Inscr.* Pompejis reperta, ap. *Rosin. Isagog.* p. 63. In praediis Juliae Sp. F. Felicis locantur balneum, Venerium, et nongentum tabernae, pergulae, cenacula ex Idibus Aug. primis in Idus Aug. sextas, annos continuos quinque. V. plura huc pertinentia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 275. ℙ Saepe dicitur de priore, seu anteriore parte cujusque rei. *Cic. Fam.* 3, 6. Te in prima provincia velle esse, ut quam primum decederes; et *Ov. Am.* 3, 2, 64. potes, si forte juvabit, Cancellis primos inseruisse pedes; et *Plin.* 11, 37, 65. Ranis prima lingua cohaeret, intima absoluta a gutture; et *Cic. N. D.* 1, 8. *f.* Primis, ut dicitur, labris gustasse physiologiam. *Virg. G.* 3, 399. Primaque ferratis praefigunt ora capistris; et *Catull.* 2, 3. Primus digitus; et *Petr. Sat.* 112. Prima statim nocte; et *Colum.* 10, 190. Caeciliam primo deponit Aquarius anno. *Id.* 12, 21. *f.* Prima vindemia; et *ib.* 1. Primo mane. *Plin.* 19, 2, 11. Primi dentes, *h. e.* primores. V. PRIMORIS. ℙ *Primus sol*, sol oriens. *Virg. A.* 6, 255. primi sub lumina solis, et ortus. *Val. Fl.* 5, 332. primi jubar ad placabile Phoebi. *Sil.* 12, 571. ubi nox depulsa polo, primaque rubescit Lampade Neptunus. ℙ *Prima luna*, primus dies lunae. *Plin.* 2, 13, 10. et *ib.* 17, 16. ℙ In illo *Statii Silv.* 1, 4, 73. (et *Theb.* 1, 200.) Occiduas, primasque domos, et sole sub omni Permeruit jurata manus: *primas domos* intellige regionem orientalem, quae et nobilior est, et dextera pars mundi a terrae mensoribus dicitur. ℙ Frequenter jungitur cum *quisque*, et majorem vim adjicit. *Cic. Fam.* 13, 57. et ad *Pompej.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att. med.* et *Nep. Mil.* 4. *f.* Primo quoque tempore; et *Cic. Phil.* 8, 11. Primo quoque die; et *Liv.* 42, 48. Ut exercitui diem primam quamque diceret ad conveniendum, et *Cic. Acad.* 4, 16. Me tibi primum quidque concedente; et *Fin.* 2, 32. *f.* Fluit voluptas, et prima quaeque avolat, *h. e.* quaecumque voluptas, statim ac sese offert, praeterit more aquae labentis. ℙ *Prima* neutr. plur. principia, primordia. *Virg. Ecl.* 6, 33. ut his exordia primis Omnia, et ipse tener mundi concreverit orbis. *Liv.* 8, 3. Quod bellum, si prima satis prospera fuissent, haud dubie ad Romanos pervenisset. *Lucr.* 4, 185. In quo jam genere est solis lux, et vapor ejus, Propterea quia sunt e primis facta minutis. ℙ [*Prima viai* ap. *Lucr.* 1, 1067. i. q. prima via. — *Prima consiliorum* ap. *Tac. H.* 2, 11. i. q. prima consilia. Laudaverat haec Noster supra loco minus apto.] ℙ *Primus* pro *primum*, h. e. in primis, ante omnia, poetice. *Sil.* 2, 235. stat primam urbem, murosque patentes, Postposita caede, et dilata, invadere, pugna. Adde 10, 580. Non absimilis est ratio in illo *Virg. A.* 5, 857. Vix primos inopina quies laxaverat artus, *h. e.* vix primum, tantum non: nisi malis esse enallagen pro *prima quies*, initium somni. ℙ *Prima*, πρῶτα, adverbii ritu, primo, primum. *Grat. Cyn.* 25. Prima jubent tenui nascentem jungere filo Limbum. Huc *Porph.* et *Serv.* tradunt illud *Virg. G.* 4, 21. cum prima novi ducunt examina reges. Alii illud *Catulli* 29, 18. Paterna prima lancinata sunt bona: Secunda praeda Pontica: inde tertia Ibera; et *Val. Fl.* 1, 1. Prima Deum magnis canimus freta pervia natis, *h. e.* freta primum pervia. ℙ *A primo*, a primo tempore, primum, primo. *Pl. Most.* 3, 2, 139. Multum improbiores sunt, quam a primo credidi. *Ter. Ph.* 4, 2, 14. Petam hinc, unde a primo institui. *Cic. Or.* 8. In illa pro Ctesiphonte oratione submissius a primo: deinde pressius: post sensim exsultavit audacius. Adde *Att.* 8, 11. et 23., *ib.* 9, 6., *ib.* 16, 7., *Fin.* 5, 15. et *Phil.* 2, 30. ℙ *A primo* est etiam idem ac ab origine, et opponitur ἐπιγεννηματικῷ, seu accessorio. *Cic. Fin.* 3, 9. Posterum et consequens putandum est, quod Graeci ἐπιγεννηματικὸν appellant: quod autem in quo sapienter dicimus, id a primo rectissime dicitur; et *mox:* Verum ut haec non in posteris et in consequentibus, sed in primis continuo peccata sunt; sic ea, quae proficiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione, recta sunt judicanda. ℙ *In primo*, primo loco, ante alios. *Sall. Jug.* 71. *extr.* Equites in primo late, pedites quam arctissime ire jubet. *Sen. Q. N.* 5, 14. Repetam nunc, quod in primo dixeram. Alii omitt. *in. Cic. Or.* 64. Qui numerus in primo viget, jacet in extremo. ℙ Saepe est primarius, princeps; et refertur ad conditionem eminentem, dignitatem, nobilitatem. *Caes. B. C.* 1, 35. Evocat ad se Massiliensium quindecim primos. *Cic. Rosc. Am.* 6. Sex. Roscius fuit genere, nobilitate, et pecunia non modo sui municipii, verum etiam ejus vicinitatis facile primus; et *Verr.* 2, 4, 17. A Lysone Lilybaetano, primo homine, Apollinis signum ablatum esse non oportuit. *Petr. Sat.* 116. Urbem antiquissimam, et aliquando Italiae primam. *Hor. Ep.* 1, 20, 23. Me primis urbis belli placuisse, domique. *Virg. A.* 9, 785. juvenum primos tot miserit Orco. *Ter. Eun.* 2, 2, 17. Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum volunt, nec sunt: φιλοπρωτεύοντες. *Sil.* 17, 355. Perque bis octonos primus fuit Annibal annos Humani generis. *Ter. Eun.* 1, 2, 10. Quia sum apud te primus, *h. e.* amor a te maxime omnium. *Lampr. Alex. Sev.* 27. *extr.* Palaestes primus fuit. ℙ [*Huc recte transtulisse videmur, quod Noster supra laud., illud *Lucr.* 1, 85. Ductores Danaum delecti, prima virorum, i. e. primarii viri, Gr. τὰ πρῶτα τῶν ἀνδρῶν.] ℙ Dicitur etiam *primus* de re praecipua, potissima, maximi aestimanda, optima, praestantissima. *Cato R. R.* 1. *f.* Praedium quod primum siet, si me rogabis, sic dicam. *Sall. Cat.* 3. Otium, atque divitiae, quae prima mortales putant. *Ter. Heaut.* 5, 2, 9. Ubi te vidi animo esse omisso, et, suavia in praesentia quae essent, prima habere. *Id. Eun.* 5, 8, 51. Praeterea hoc etiam, quod ego vel primum puto, accipit homo nemo melius prorsus, neque prolixius. *Plin.* 10, 34, 52. Columbis pudicitia prima. *Id.* 5, 25, 21. Prima cura, *h. e.* praecipua, potissima. ℙ *Primae partes* in fabulis scenicis sunt ejus, qui saepius in actu est, et majorem fabulae partem exsequitur. V. PARS. *Ter. Ph. prol.* 26. Epidicazomenon quam vocant comoediam Graeci, Latini Phormionem nominant, quia primas qui partes aget, is erit Phormio parasitus, per quem res agetur maxime. ℙ Hinc translate *primas agere*, *ferre*, *dare*, *deferre*, etc. primum in quaque re locum, munus, dignitatem designat. *Cic. Brut.* 90. Primas in causis agebat Hortensius. *Id. ib.* 49. Ex his Cotta et Sulpicius facile primas tulerunt. *Id. Or.* 3, 56. Actioni primas dedisse Demosthenes dicitur, cum rogaretur, quid in dicendo esset primum: huic secundas, huic tertias. *Id. Att.* 1, 17. *med.* Amoris erga me, cum a fraterno amore discessi, tibi primas defero. *Id. Div. Verr.* 15. *med.* Si Allienus primas defero. *Id. Div. Verr.* 15. *med.* Si Allienus minus vehemens fuerit, et tibi primas in dicendo partes concesserit. *Id. Brut.* 95. *med.* Hortensius facile primas tenebat adolescens. ℙ [*Verba *in primis*, ubi adverbii vim habent, a multis conjunctim scribuntur, *inprimis* aut *imprimis:* quod minus recte fieri monent *Cellarius* et *Manutius.* Ut sint ista, hoc constare videtur, melius conjunctim scribi *imprimis*, quam *inprimis.* V. *Schneid. Gr. L.* 1. p. 314.] ℙ [*Primus* fuit etiam praen. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 145, 1. Primus Pamphilius Secundus. Alia ap. *Guasco Mus. Capit.* T. 2. p. 5. Pri. Rutilius Vitalis. Adde aliam *l. c.* in MAGIRA. ℙ Item cogn. R. V. *Inscr.* allatas in PRIMILLIO et PRIMILLUS. *F.*] ℙ [*Confund. *prima* et *praemia*. V. *intpp.* ad *Curt.* 6, 3, 17. — *Primus* et *proximus*. V. *Spald.* ad *Quint.* T. 3. p. 301.]

*PRINAS, ae, Indiae fluvius. *Plin.* 6, 17. Flumina, Prinas et Cainas (quod in Gangem influit), ambo navigabilia. Sic ed. *Hard.*, ubi antea, v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *Pumas. B. A.*

PRINCEPS, incipis, adj. comm. gen. πρῶτος, idem quod primus. Videtur esse quasi *primicapis:* a *primus*, et *capio* vel *caput.* V. DEINCEPS. [*Omnino qui primum locum capit in aliquo ordine.] *Cic. Verr.* 2, 2, 2. Omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam populi R. applicuit. *Id. ib.* 2, 5, 34. *f.* Ut quisque in fuga postremus, ita periculo princeps erat. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 17. Ad omnia pericula princeps esse non recusabat. *Liv.* 21, 4. *f.* Princeps in proelium ibat, ultimus conserto proelio excedebat; [*cf. 1, 12. item cp. 26. princeps Horatius ibat; *it.* 25, 14.] *Caes. B. G.* 7, 2. Carnutes, principes se ex omnibus bellum facturos pollicentur. *Cic. Or.* 3, 32. Princeps ex omnibus ausus est poscere, etc. *Id. Phil.* 10, 11. Princeps fuit ad conatum exercitus comparandi; et *ib.* 7, 9. Firmani principes pecuniae pollicendae fuerunt. *Id. Div. Verr.* 15. Omnibus rebus is, qui princeps est in agendo, ornatissimus esse debet. *Ov. Fast.* 2, 714. matri Qui dederit princeps oscula, victor erit. *Virg. A.* 11, 620. princeps turmas inducit Asylas. *Val. Fl.* 1, 532. pergunt Ordine cuncta suo, rerumque a principe cursu Fixa manent. *Stat. Th.* 12, 664. Cujus in Ogygio princeps stat lancea muro. ℙ Saepe *princeps* est auctor, aut inventor, aut caput rei cujuspiam. *Cic. Arch.* 1. Hunc video mihi principem ad suscipiendam, et ad ingrediendam rationem horum studiorum exstitisse. *Id. Cluent.* 22. Cum patronum, quia conscius, condemnassent, ipsum principem atque architectum sceleris absolverent? *Id. N. D.* 2, 42. *extr.* Zeno, qui inventor et princeps Stoicorum fuit. *Id. Har. resp.* 26. *f.* Deteriores cavete: quorum quidem magna est natio: sed tamen eorum omnium hic dux est atque princeps. *Id. Or.* 3, 17. Auctor publici consilii, regendae civitatis dux, sententiae atque eloquentiae princeps. *Liv.* 8, 21. *f.* Principes sententiarum consulares, *h. e.* qui ante alios sententiam in senatu rogantur. *Caes. B. G.* 2, 14. Qui hujus consilii principes fuissent, in Britanniam profugisse; et *ib.* 5, 52. Tantum apud barbaros valuit, esse repertos aliquos principes belli inferendi. ℙ Item primarius, primus, aliqua re antecellens. *Cic. Or.* 19. Longe omnium, quicumque scripserunt, aut locuti sunt, gravitate princeps Plato. *Id. Div.* 2, 42. Eudoxus in astrologia facile princeps. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Quales in republica principes essent, tales reliquos solere esse cives. *Hor. Ep.* 1, 17, 35. Principibus placuisse viris, non ultima laus est. *Plin.* 37, 2, 11. *f.* Sophocles principe loco genitus Athenis. *Id.* 8, 32, 50. *f.* Quasdam principes feminas scimus carnem eam (*cervi*) degustare solitas. ℙ *Princeps senatus*, πρόκριτος τῆς γερουσίας, dicebatur, qui primo loco a censoribus in senatu recensendo legebatur, et primus post magistratus sententiam rogabatur. Hic honos habebatur ei, qui vitae probitate, auctoritate et amplitudine rerum gestarum anteibat. *Liv.* 34, 44. Censores principem senatus P. Scipionem consulem, quem et priores censores legerant, legerunt. *Id.* 27, 11. Senatus lectionem contentio inter censores de principe legendo tenuit. Sempronii lectio erat: ceterum Cornelius morem traditum a patribus sequendum ajebat, ut qui primus censor ex iis, qui viverent, fuisset, eum principem legerent, is T. Manlius Torquatus erat. Sempronius, cui Dii sortem legendi dedissent, ei jus liberum eosdem dedisse Deos: se id suo arbitrio facturum, lecturumque Q. Fabium Maximum, quem tum principem Romanae civitatis esse, vel Annibale judice, victurus esset. Cum diu certatum esset verbis, concedente collega, lectus a Sempronio princeps in senatu Q. Fabius Max. Cos. Est qui legit *princeps*

in senatum Q. *Fabius*, etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 406, 7. *quibusdam dubiae tamen aetatis.* Princeps in senatum duobus lustris lectus est. V. *Liv.* 29, 37. [**Ernest.* in *cl. Cic. s.* h. v. comparat *fragm. or. pro Scauro:* his additis: sic etiam dici *consulares*, praesertim potentiores, nec statim, ubi *princeps senatus* occurrat, intelligendum eum, qui proprie dicatur: coll. *Wesseling. observv.* 1, 8.] ℙ *Princeps juventutis*, [*Gr. τῆς νεότητος προκριθείς in libera civitate fuit pr., cujus nomen primum recitavit censor ordinem equestrem recensens; tum in universum quicunque procerum, maxime equitum filius patris ingenio atque auctoritate, spem sui laetam excitans; denique ipsi equites ita sunt appellati. V. *Lips.* ad *Tac. A.* 1, 3. *Cic. Vat.* 10. *Fam.* 3, 11. *Liv.* 42, 61. — Ap. *Cic. Planc.* 17. principes ordinis equestris sunt equites locupletissimi, gratiosissimi, etc.] ℙ Sub imperatoribus haesit hoc nomen honoris causa eorum filiis: ut de Cajo et Lucio ab Augusto adoptatis videre est ap. *Tac. A.* 1, 3., *Ov. A. Am.* 1, 194., *Sen. Cons. ad Polyb.* 34. *med.* et in *Cenotaph. Pis. C. Caesaris*, et in *Inscr.* ap. *Grut.* 235, 1. 2. 4. etc. Adde *Suet. Cal.* 15., ubi narrat, a Caligula fratrem Tiberium die virilis togae adoptatum, atque hoc titulo appellatum. ℙ Augustus rerum potitus, sub nomine *Principis* reipublicae praefuit, invidiosa vocabula *regis*, *dictatoris*, *domini* evitans, nomenque usurpans, cui in libertate jam Romani assueverant, *principem juventutis*, et *senatus* jampridem audire soliti. Unde *princeps* postea dictus, penes quem summa rerum fuit, ἄρχων. *Ov. Pont.* 1, 2, 123., *Hor. Od.* 1, 2, 50., *Phaedr.* 5, 7., *Tac. A.* 1, 1. et 9. *Sen.*, *Plin. uterque*, *Mart.*, *Suet.* etc. [**V. Lips.* ad *Tac. A.* 1, 1. — *Liberti principum* ap. *Tac. H.* 2, 94. sunt servi ab imperatoribus manumissi, non, ut quidam volunt, a senatoribus, licet *Liv.* 29, 19. hoc vocabulo senatum designet.] ℙ *Princeps* alicujus nationis, vel gentis, vel civitatis, vel sacerdotii dicebatur, qui ejusdem primarius seu principalis esset vir. [*Laud. *Ernest.* in *cl. Cic. Sext.* 40. 48. 49. 66.] *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 380. *n.* 194. Firmus Ingenui F. princeps Sabinorum sibi, et M. Cornelio Prisco F., annor. XIII. *h. e.* M. Cornelius Firmus, filius M. Cornelii Ingenui, Sabinorum princeps, sibi, et M. Cornelio Prisco filio annorum tredecim posuit. Alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 101. Aurelius Canartha princeps gentium Baquatium, etc. Alia ap. *Grut.* 472, 4. Tenacius Vindex princeps civitatis Nicopolitanorum. Alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 26. C. Varius Apolaustus princeps sacerdotium Deae Coelestis. Hinc *Liv.* 29, 15. Patres decreverunt, ut consules magistratus, denosque principes XII. coloniarum Romam excirent: *paulo post:* Accitis Romam magistratibus, primoribusque earum coloniarum: et *mox*: Consules obstinati manere legatos Romae jubent, magistratus ire domos ad delectos habendos. Vides itaque hic, *principes*, *primores*, *legatos* appellari primarios earum coloniarum viros. V. v. sq. [**Ernest.* l. l. docet, *optimates*, καὶ ἐξοχήν principes dici: coll. *Cic. Or.* 1, 7. principum causa.] ℙ Est etiam *princeps* praefectus, praeses, alicui ordini aut officio praepositus. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Pastio magis ad pastorem, quam ad agricolam pertinere videtur. Quocirca principes, qui utrique rei praeponuntur, vocabulis quoque sunt diversi, quod unus vocatur villicus, alter magister pecoris. *Lampr. Alex. Sev.* 32. Injuriam nulli unquam fecit, nec magistris quidem, aut principibus officiorum. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 28. Accensus est nomen ordinis et promotionis in militia, ut nunc dicitur princeps, vel commentariensis. [*Comparat *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 623. nostr. *Fürst*, *Fürsteher*, *Angl. the First.*] ℙ In militia *principes* erant milites robustioris aetatis, et gravis ar maturae, qui in secundo, vel (si velites primos dicas) tertio aciei loco post hastatos collocabantur: ita dicti vel quod essent praecipuum robur exercitus, (quod tamen triariis maxime convenit): vel quod erant ex ditioribus et nobilioribus civibus: vel quod olim primi pugnam inibant, vel potius quod ipsi omnium primi antiquitus gladiis et scuto, seu, ut ait *Liv.* 8, 8., insignibus armis armati pugnabant, cum nempe hastati essent levis tantum armaturae milites, unde *Varr. L. L.* 4, 16. eos vocat principes, qui a principio gladiis pugnabant; et *Veg. Mil.* 1, 20. et *ib.* 2, 15. eosdem in prima acie collocat. Verum hos militiae ordines C. Marius abolevit. Dividebantur in decem ordines, qui a decem centurionibus regebantur, ut in hastatis, et triariis. *Cic. ad Brut.* 1, 8. Cretensi bello, Metello imperatore, octavum principem duxit, *h. e.* octavum ordinem principum. *Liv.* 42, 34. A M'. Acilio mihi primus princeps prioris centuriae est assignatus. V. ANTEPILANUS et HASTATUS. ℙ *Princeps* ap. *Phaedr.* 5, 7. est nomen propr. tibicinis; grammatici vero ap. *Suet. Gr.* 4. Me quidem adolescentulo, reputo, quendam, Principem nomine, alternis diebus declamare, alternis disputare solitum. ℙ *Genitivum *principium* habes ap. *Liv.* 39, 34. ed. *Drakenb.* ubi ed. *Gronov.* habet *principum*. *Cic. Off.* 1, 39. *med.* Studiose enim plerique, praesertim in hanc partem, facta principium imitantur. Sic edd. *Graev.* et *Heusing*, ubi ed. *Ernest.* cum aliis *principum*. *B. A.*

PRINCĬPĀLIS, e, adj. πρωτοταρχικός, primus, ex principio proveniens, seu ex origine. [*Mirum in modum h. l. Noster omnia miscuerat: nos ordinem in melius redegisse ita videmur.] *Cic. Fat.* 5. Ut et ingeniosi et tardi ita nascantur, antecedentibus causis, itemque valentes et imbecilli; non sequitur tamen, ut etiam sedere eos et ambulare et rem agere aliquam principalibus causis definitum et constitutum sit, [*i. e. naturalibus et antecedentibus.] *Quint.* 9, 1. Est igitur tropus sermo a naturali et principali significatione translatus ad aliam. [*Huc pertinet etiam locus, quem *Noster* infra laudaverat,] *Gell.* 11, 15. Principalia verba, h. e. primitiva, primigenia, primae originis. ℙ [*Hinc *principalis* idem est, quod *praecipuus*. Huc non dubitavimus transferre locum, quem Noster ab *in.* laudaverat.] *Cic. Fat.* 18. Causarum aliae sunt perfectae et principales, aliae adjuvantes et proximae. Porro *Quint. Inst.* 3, 11. Hanc quaestionem, veluti principalem, vocant ζήτημα. *Colum.* 1, 3. Post haec duo principalia subjungebat illa non minus intuenda. *Plin.* 10, 18, 20. Pici principales in auguriis. *Id.* 19, 8, 49. Peregrinum et careum (*herbae genus*) culinis principale. *Id.* 12, 13, 30. Principalia in Arabia tus, et myrrha. *Id.* 37, 13, 76. Principalia gemmarum genera. *Id.* 31, 6, 38. Principalia aquatilium. *Plin.* 18, 3, 5. De cultura agri praecipere, principale fuit et apud exteros, *h. e.* praecipua cura. *Gell.* 13, 10. Juris civilis disciplinam principali studio exercere. ℙ [*Etiam ad homines dignitate, potentia, honoribus praestantes pertinet. *Vell.* 1, 11. Metellus praeter triumphos, honoresque amplissimos, et principale in republica fastigium, etc. *Appul. Flor.* 21. principales viri.] ℙ Item pertinet ad principes in militia. *Paulus* ex *Festo.* Principalis castrorum porta nominatur, quod in eo loco est, in quo principes ordines tendunt. [*Huc pertinent et ista: *Liv.* 10, 33. Manipulos legionum principali via inducit; et 4, 19. porta principalis dextra; cf. 34, 46. et 40, 27. ℙ Ex eo quod inde ab Augusto imperatores Romani *principis* nomen assumserant, factum est, ut v. principalis hac potissimum aetate ad personam imperatoris referretur. *Noster* laud. ista.] *Vell.* 2, 56. Neque illi (*C. Caesari*) plus quinque mensium principalis quies contigit. [*Plura *Vell.* exempla v. in *Boettich. Lex. Tac.* p. 375.] *Plin. Pan.* 79. Principales curae; et *ib.* 82. copiae; et *ib.* 76. Apparatus arrogantiae principalis; et 36. *extr.* Principalia beneficia. *Tac. H.* 1, 22. Principale matrimonium; et *ib.* 4, 40. *f.* Principales commentarii; et *ib.* 2, 81. *extr.* Principalis fortuna. *Suet. Claud.* 17. majestas. [**Id. Cal.* 39. res principales, i. e. supellex, instrumentum Principum.] *Plin.* 13, 3, 4. Principale bonum. ℙ [*Principalis* etiam dicitur in militia, qui et officialis, in curia vero est primarius vir ex decurionibus. Hinc in *Inscr.* mendosa ap. *Maff. Mus. Ver.* 267, 1., emendatior ap. *Amadut. Monum. Matthej.* T. 3. p. 123. recensentur officiales centuriae cujusdam militaris, qui ibidem *principales* appellantur. In alia ap. *Mur.* 155, 3. M. Matrinius C. F. Lem. Antoninus *primus principalis* dicitur. *Impp.* vero *Arcad.* et *Honor. Cod. Theod.* 12, 1, 151. Municipalia gesta non aliter fieri volumus, quam trium principalium praesentia, excepto magistratu, et exceptore publico. V. v. praec. *F.*]

PRINCĬPĀLĬTAS, atis, f. princeps, seu primus locus, principatus. *Tert. Praescr.* 31. Revertar ad principalitatem veritati et posteritatem mendacitati deputandam. *Id. Anim.* 13. Principalitas animae. *Macr. Somn. Scip.* 1, 3. *med.* Et genera principalitatis amplectitur, et omnes ipsius somnii species attingit.

PRINCĬPĀLĬTER, adv. μάλιστα, praecipue, praesertim. *Solin.* 27. Interna Africae plurimae quidem bestiae, sed principaliter leones tenent. *Ulp. Dig.* 3, 2, 4. Sive principaliter hoc negotium gerat, sive alterius negotiationis accessione utatur. ℙ Item ut decet principem. *Sen. Consol. ad Polyb.* 36. *med.* de C. Caesare: Is homo, qui non magis dolere, quam gaudere principaliter posset, [**nostr. sich königlich freuen.*] *Plin. Pan.* 47. Mores juventutis quam principaliter formas! *Arnob.* 1, 2. Contra leges principaliter institutas, *h. e.* a principibus.

PRINCĬPĀTUS, us, m. [*i. q. initium. *Cic. Univ.* 2. an mundus ab aliquo temporis principatu ortus est? Laudat hunc locum *Schütz.* in *cl. Cic.* ℙ Hinc de vi rerum primaria, nostr. *Urkraft*, dicitur, ut *Id. ib.* expl.] *Cic. N. D.* 2, 11. Omnem naturam necesse est, quae non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio juncta atque connexa, habere aliquem in se principatum, ut in homine mentem, in bellua quiddam simile menti, unde oriantur rerum appetitus: in arborum autem radicibus inesse principatus putatur. Principatum autem id dico, quod Graeci ἡγεμονικὸν vocant, quo nihil in quoque genere nec potest, nec debet esse praestantius: ℙ [*Nunc demum recte sequuntur ea exempla, in quibus *principatus* principem s. primum locum, primam aestimationem, primas significat:] *Cic. N. D.* 2, 19. Sol qui astrorum obtinet principatum. *Id. Phil.* 12, 4. Gallia hujus belli propulsandi, administrandi, sustinendi principatum tenet. *Id. Off.* 2, 19. Eloquentiae a majoribus nostris est in toga dignitatis principatus datus. *Id. Phil.* 2, 3. Qui tibi detulerat ex latronibus suis principatum. *Plin.* 16, 36, 64. Et aquaticos frutices dixisse conveniat: principatum in his tenebunt arundines. *Id.* 15, 2, 3. Principatum in oleo obtinuit Italia; et 14, 6, 8. *n.* 3. Falerno contermina Statana (*vina*) ad principatus venere non dubie. ℙ Item dignitas, auctoritas, et regimen ejus, quem penes est summa rerum. *Cic. Phil.* 11, 14. Animadverti, dici a quibusdam, Cassio mea sententia dominatum et principatum dari. *Caes. B. G.* 6, 7. *extr.* Cingetorigi principatus atque imperium est traditum. *Plin.* 7, 8, 6. Nero toto principatu suo hostis generis humani. *Id.* 33, 11, 52. Fenestella, qui obiit novissimo Tiberii Caesaris principatu. *Tac. Agr.* 3. Nerva res olim dissociabiles miscuit, principatum et libertatem. [*Cf. *B. Crus. Cl. Suet.* p. 623.] ℙ [Item dignitas illius, qui princeps senatus dicebatur. *Cic. fragm. or. pro Scauro* (ed. *A. Maio*) 13. Curia illa vos de gravissimo principatu patris fortissimoque testatur. Loquitur hic *Cicero* de M. Aemilio Scauro patre illius Scauri, pro quo idem orationem habuit, qui teste *Asconio* in *argum. Scaurian.* aliisque, princeps senatus fuerat. *F.*] ℙ Differt a *dominatione*, quia haec tyranni est, et vi metuque subjectos continet: principatus aliquam speciem libertatis admittit, et amari magis curat, quam metui. Differt etiam a *regno*, quia rex cum dominatione insignia quoque regia habet: unde *Ov. Fast.* 2, 141. ad Romulum: florent sub Caesare leges: Tu domini nomen, principis ille tenet. *Plin. Pan.* 45. Scis, ut sunt diversa natura dominatio et principatus, ita non aliis esse principem gratiorem, quam qui maxime dominum graventur. *Suet. Cal.* 22. Nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret, speciemque principatus in regni formam converteret. Verum admonitus, et principum, et regum se excessisse fastigium, etc.

PRINCĬPĬĀLIS, e, adj. qui est ex principio, ἀρχικός. *Lucr.* 5, 246. Scire licet, coeli quoque idem terraeque fuisse Principiale aliquod tempus. *Id.* 2, 423. Haud sine principiali aliquo levore creata est.

[PRINCĬPĬO, as, a. 1. initium dicendi facio. *August. Princip. rhet.* p. 328. *Capper.* In amphidoxo genere materiae, moderatione quadam utendum erit, cum principiamus, ut et turpitudinem, quae subest, et dignitatem, quae est in re aut persona, vel illustrando augeamus, vel ita varie utrumque misceamus, ut, etc.; et *mox:* Sed ut limpidius hoc genus principiandi deprehendatur, dabo exemplum. V. v. sq.

PRINCĬPĬUM, ii, n. ἀρχή, initium, primordium, origo, caput. [*Quid intersit inter *principium* et *initium*, v. in hoc posteriore verbo.] *Cic. Tusc.* 1, 23. Origo principii nulla est: nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest. *Id. N. D.* 1, 8. *f.* Quid est cujus principium aliquod sit, nihil sit extremum? *Id. Sen.* 21. Nec principium, nec finem habere. *Id. Coel.* 23. Cujus criminis neque principium invenire, neque evolvere exitum possum. *Id. Somn. Scip.* 8. Hic fons, hoc principium est movendi. *Tac. A.* 1, 69. Tradit Plinius, stetisse apud principium pontis, grates legionibus habentem. ℙ Dicitur et de primis elementis, rudimentis, et propositionibus universalibus artium, etc. *Cic. Leg.* 1, 13. Bene provisa et diligenter explorata principia ponantur; et *ib.* 6. Nunc juris principia videamus. *Id. Off.* 3, 12. *med.* Cum ea habeas principia naturae, quibus parere, et quae sequi debeas; et *ib.* 1, 17. Id autem est principium urbis, et quasi seminarium reipublicae. *Id. Acad.* 4, 36. *f.* Principia rerum, ex quibus omnia constant. ℙ Item de auctore, capite, principe, origine generis, familiae, etc. *Sil.* 15, 748. mihi Belus avorum Principium. *Ov. Fast.* 2, 37. Graecia principium moris fuit. ℙ *Principium dicendi*, initium orationis, exordium. *Cic. Or.* 1, 26. *f.* Ut exalbescam in principiis dicendi. [*Plura exempla exstant ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 375.] V. INSINUATIO. [Hinc etiam absolute *principium* pro exordio orationis ponitur. *Appul. Met.* 10. Exemplo legis Atticae, Martiique judicii, causae patronis denunciat praeco, neque principia dicere, neque miserationem commovere. *F.*] ℙ *Principio*, *a principio*, *in principio*, initio cujuscumque rei, primum, primo, in primis. *Cic. Div.* 2, 35. *extr.* Jus augurum divinationis opinione principio constitutum est, postea, etc. *Id. Off.* 1, 4. Principio generi animantium omni est a natura tributum, ut se tueatur. *Id. Tusc.* 2, 22. *med.* C. Marius, cum secaretur, principio vetuit se alligari: nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus: cur ergo postea alii? valuit auctoritas. *Ter. Andr.* 2, 1, 28. Te obsecro principio ut ne ducas: sed si id non potest, saltem, etc. *Pl. Merc.* 1, 1, 40. Principio atque animus ephebis aetate

exiit, *h. e.* simul atque, cum primum. *Cic. Att.* 7, 1. Vellem a principio te audisse amicissime monentem. *Id. Brut.* 42. *f.* Dixeram a principio, de republica ut sileremus. *Id. Or.* 1, 48. Quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo. *Ter. Ph.* 2, 1, 22. Sed quid cessas hominem adire, et blande in principio alloqui? ℙ *Principium* pro *principio*, *a principio*. *Cato R. R.* 157. Principium te cognoscere oportet, quot genera brassicae sint. Alii leg. *principio*. ℙ *Ducere principium ab aliquo*, proficisci, descendere. *Ov. Met.* 13, 705. Inde recordati, Teucros a sanguine Teucri Ducere principium. *Cic. Vat.* 6. Omnium rerum magnarum principia a Diis immortalibus ducuntur. ℙ *Principium capessere*, incipere. *Tac. A.* 15, 49. Principium tanti facinoris capessivere. ℙ *Principia*, *orum*, locus in castris, ubi erat praetorium, et tabernacula legatorum, et tribunorum militum, et signa legionum: et ubi conciones militares, et consilia habebantur, jus dicebatur, sacra fiebant, ἀρχαῖα: ita dictus vel quod ibi principes ac duces exercitus tenderent: vel quod in castris metandis principio designaretur, postea reliqua castra. *Liv.* 28, 24. Et jura reddere in principiis sinebant. *Id.* 7, 12. *f.* Nec in circulis modo fremere, sed jam in principiis, ac praetorio in unum sermones confundi. *Just.* 11, 6. de Alex. M. exercitu: Ordines nemo, nisi sexagenarius, duxit; ut si principia castrorum cerneres, senatum te alicujus priscae reipublicae videre diceres. *Nep. Eum.* 7. In principiis nomine Alexandri statuit tabernaculum, in eoque sellam auream cum sceptro ac diademate jussit poni, eoque omnes quotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia caperentur. *Macer Dig.* 49, 16, 12. *f* Officium tribunorum est principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire. *Tac. H.* 3, 13. Primores centurionum, et paucos militum in principia vocat. Adde *ib.* 1, 48. Hunc locum ita designat *Stat. Th.* 10, 176. Ventum ad concilii penetrale domumque verendam Signorum, magnis ubi dudum cladibus aeger, Rerum extrema movens, frustra consultat Adrastus. *Tert. Cor. mil.* 12. Ecce annua votorum nuncupatio quid videtur? Prima in principiis, secunda in Capitoliis. [*Inscr.* ap. *Mur.* 460, 1. Imp. Caesar M. Antonius Gordianus P. F. Aug. principia, et armamentaria conlapsa restituit, etc. *F.*] ℙ In illo *Cic. ad Brut.* 1, 10. *f.* Spes libertatis nusquam, nisi in vestrorum castrorum principiis est: *Manut.* mallet *praesidiis*, si antiquus aliquis liber haberet. Sed *castrorum principia* figurate intelligere possumus robur exercitus, et ducum ejus militarem prudentiam, quia in principiis castrorum tendebat nobilior pars exercitus, et ibi consilia militaria habebantur, ut dictum est. ℙ *Principia* pro militibus, qui in principio aciei, h. e. in primis ordinibus, seu in fronte exercitus contra hostem instructi stant. *Liv.* 2, 65. Cessere magis, quam pulsi hostes sunt, quia ab tergo erant clivi, in quos post principia integris ordinibus tutus receptus fuit. *Sisenn.* ap. *Non.* 2, 516. Post principia paulatim recedunt, atque inde cum paucis fugae se mandant. *Sall. Jug.* 54. Deinde ipse paulatim procedere: Marium post principia habere: etenim dixerat *paulo prius:* Aciem transvorsis principiis in planum deducit. *Tac. H.* 2, 43. Primani, stratis Unaetvicesimanorum principiis, aquilam abstulere. *Liv.* 3, 22. Equites post principia collocat, *h. e.* a tergo, nam pedites aciei frontem constituebant. *Ter. Eun.* 4, 7, 11. Tu hosce instrue: hic ego ero post principia: inde omnibus signum dabo. *Gna.* Illuc est sapere: ut hosce instruxit, ipsus sibi cavit loco. Ubi *Donatus:* Militare dictum est: et ambigunt multi, an in extremo agmine sit hic locus, an in medio. Haec *Donat.* V. POSTPRINCIPIA. [*Cf. *Gron. observv.* 4, 10. p. 418. sq. *ed. Fr.*] ℙ *Principium* etiam dicta est curia, vel tribus praerogativa, quae prima sorte exibat ad ferendum suffragium. *Liv.* 9, 38. *f.* Legem curiatam ferenti triste omen diem diffidit, quod Faucia curia fuit principium duabus insignis cladibus, captae urbis, et Caudinae pacis, quod utroque anno eadem curia fuerat principium. ℙ Sequiori aevo *principia* dicti sunt principales, seu praecipui milites, qui privilegiis muniuntur, ut ait *Veg. Mil.* 2, 7. *f.* Adde *Front. Strat.* 2, 5. *med.*, *Ammian.* 15, 5., 22, 3., 25, 5. et 28, 6., item *Imp. Constant. Cod.* 12, 47, 1. et *Imp. Anastas. ib.* 38, 16. ℙ *Principium* pro principatu. *Tert. adv. Hermog.* 19. *f.* Possunt et aliter principium interpretari: nam et in Graeco principii vocabulum, quod est ἀρχῆ, non tantum ordinativum, sed et potestativum capit principatum. *Suet. Cal.* 31. Augusti principium clade Variana, Tiberii ruina spectaculorum memorabile factum. Alii leg. *principatum*, et *memorabilem*. *Gloss. Phil.* Ἀρχῆ, magisterium, magistratus, praesidatus, principium. Pro principatu est etiam in illo *Plin.* 9, 35, 54. Principium ergo, culmenque omnium rerum pretii margaritae tenent. ℙ [*Principia sacra* sunt eadem ac initia, seu sacrificia, quae foederis percutiendi causa fieri solebant. *Inscr.* ap. *Arditi*, *della Legge Petronia* p. 8. Sp. Turranius L. F. Fab. Proculus Gellianus pater patratus populi Laurentis foederis ex libris Sibyllinis percutiendi cum P. R., sacrorum principiorum P. R. Quirit. nominisque Latini, quae apud Laurentes coluntur. V. INITIUM. ℙ *Principium peragere* dicitur citharoedus, cum, antequam fabulam aliquam sono et cantu repraesentet, citharam pulsat vago sonitu, ut sibi audientiam faciat: Itali *fare una ricercata* dicunt. *Suet. Ner.* 21. Sine mora nomen suum in albo profitentium citharoedorum jussit ascribi: sorticulaque in urnam cum ceteris demissa, intravit ordine suo; utque constitit, peracto principio, Nioben se cantaturum pronunciavit. Ceterum sunt qui hic *principio peracto* putant esse idem ac exordio peracto, freti eo loco *Augustini Princip. rhet.* p. 327. *Capper.* Denique auloedos, et citharoedos, et ceteros hujusmodi artifices, quamquam non polliceantur orationem, videmus tamen praeloqui. V. supra. *F.*]

PRINCĬPOR, aris, dep. 1. princeps sum, impero. *Lactant.* 4, 13. *med.* referens verba *Isaj.* 11, 10. Erit in illa die radix Jesse, et qui exsurget principari in nationes, *h. e.* regere gentes, ut habet *D. Paul. Rom.* 15, 12. *Aug. contra advers. Legis* 2. et *Prophetar.* 6. Sanguis in nostro corpore plus ceteris humoribus principatur. *Sidon. carm.* 9, 47. Non prolem Garamantici tonantis Regnis, principibusque principantem, *h. e.* Alexandrum M., qui putabatur filius Jovis Ammonis.

*PRINOESSA, ae, f. insula maris Ionii, Leucadiae objecta. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

*PRĬON, onis, Πριών, mons Coi insulae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

PRĬOR et prius, oris, adj. πρότερος, superior: compar. ab obsoleto *pris*, cujus superl. est *primus*. Dicitur de eo, qui unum alterum praecedit tempore, loco, aliave re quacumque. *Cic. Acad.* 4, 14. *med.* Ita priori posterius, posteriori superius non jungitur. *Id. Pis.* 1. Me quaestorem in primis, aedilem priorem, praetorem primum populus R. faciebat. *Caes. B. C.* 1, 66. Qui prior has angustias occupaverit, ab hoc hostem prohibere nihil esse negotii; et *ib.* 82. *extr.* Hac de causa constituerat prior proelio non lacescere. *Cic. Brut.* 21. *f.* Etsi utrique primas, priores tamen libenter deferunt Laelio. *Id. Quint.* 7. Priore loco causam dicere. *Ter. Ph.* 3, 2. *f.* Ut potior sit, qui prior ad dandum est. *Cass.* ad *Cic. Fam.* 12, 13. Classis, quam anno priore Tullius Cimber compararat. *Cic. Fam.* 1, 9. *f.* Quod de Quinti fratris negotio scribis, te priore aestate conficere non potuisse, scito etc. *Id. Planc.* 22. Ais prioribus comitiis Tarentinam *(tribum)* a Plancio tibi esse concessam. *Ov. Met.* 15, 445. urbs, Quanta nec est, nec erit, nec visa prioribus annis. *Nep. Dion.* 1. Erat intimus Dionysio priori; et *Plin.* 14, 19, 24. Musta condire prioris vini faece, *h. e.* anni prioris; et *Colum.* 4, 22. *f.* et 12, 1. Vinea, quam priore libro praecepimus; et *Sall. Jug.* 54. Numidae numero priores. ℙ Item de eo, qui plures antecedit: estque idem ac *primus*. *Cic. N. D.* 1, 30. *extr.* In illis selectis sententiis, quas, etc., haec prior sententia est. Alii leg. *prima*, [*ita *Orell.*]. *Gell.* 14, 7. Quotiens usu venisset, ut omnes isti magistratus Romae essent, tum qui eorum prior aliis esset, ei potissimum etc. *Appul. Flor. n.* 9. Hippias e numero sophistarum est, artium multitudine prior omnibus. ℙ Est etiam anterior. *Nep. Eum.* 5. Substringebat equo caput loro altius, quam ut prioribus pedibus terram posset attingere. *Plin.* 11, 37, 47. Canities homini semper a priori parte capitis, tum deinde ab aversa. ℙ *Priores*, majores. *Phaedr.* 4, 19. Abiturus illuc, quo priores abierunt. *Virg. A.* 3, 693. nomen dixere priores Ortygiam. *Plin.* 8, 45, 70. et 18, 28, 67. *n.* 5. Apud priores. *Plin. alter ep.* 3, 4. *med.* Priores nostri. *Ov. Met.* 10, 218. More priorum. Adde *Sen. ep.* 52. *med.* et *Vell.* 2, 28. ℙ Saepe *prior* est melior, praestantior, potior. *Hor. Carm. saec.* 51. bellante prior, jacentem Lenis in hostem; et *Od.* 4, 10, 4. color puniceae flore prior rosae; et *Ov. Her.* 18, 69. A Veneris facie non est prior ulla, tuaque. *Liv.* 27, 8. Is, ut animum ejus cura sacrorum et caeremoniarum cepit, ita repente exsuit antiquos mores, ut nemo tota juventute haberetur prior. Alii leg. *in tota juventute*. *Phaedr.* 1, 13. Si vocem haberes, nulla prior ales foret; et *Sall. Jug.* 10. Quia aetate et sapientia prior es; et *ib.* 101. *f.* Neque consilio, neque manu priorem alium pati: plerosque antevenire. *Ter. Eun.* 1, 1, 5. Si quidem hercle possis, nihil prius, neque fortius. ℙ Item majoris momenti, gravior, magis necessarius. *Val. Fl.* 3, 533. quoniam belli pugnaeque propinquae Cura prior; et *Vell.* 2, 52. Neque prius, neque antiquius quidquam habuit, quam etc. *Quint.* 1, 1. Et morum quidem in his haud dubie prior ratio est: recte tamen etiam loquantur. ℙ Vetustissimi, inquit *Prisc.* 7, 767., comparativum neutrum in *or* finiebant. Unde *Val. Antias.* Hoc senatusconsultum prior factum est. *Claud. Quadr.* Qui prior bellum meminissent. *Id.* Foedus prior non esse servatum. Sic *Cass. Hemina.* Bellum Punicum posterior.

PRIORĀTUS, us, m. primatus. *Tert. adv. Val.* 4. Ut solent animi pro prioratu exciti, praesumptione ultionis accendi.

PRĬORSUM et Priorsus, adv. in priorem, seu anteriorem partem. *Macr. Sat.* 7, 9. Corpus aut accedit priorsum, aut retrorsum recedit. Alii leg. *prorsum;* et *ib.* 13. Priorsum pergere. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 18. Movetur corpus priorsus, ac retrorsus.

PRISCĒ, adv. ἀρχαίως, prisco more, severe, duriter. *Cic. Coel.* 14. Quaeram prius, utrum me secum severe, et graviter, et prisce agere malit, an remisse, ac leniter, et urbane.

*PRISCIĀNA, ae, f. opp. Mauritaniae Tingitanae. *Mela* 3, 10. *B. A.*

PRISCIĀNUS, i, m. grammaticus Caesariensis, temporibus Justiniani Imp. floruit, scripsitque de arte grammatica libros XVIII., et quaedam alia, ab *Helia Putschio* edita, de quibus accurate *Jo. Albert. Fabric. biblioth. l.* 4. *Lat. c.* 7. Creditur etiam Latinis versibus vertisse *Dionysii* Periegesim. ℙ *Theodorus Priscianus*, medicus sub Gratiano, et Valentiniano II. Impp. vixit, ediditque Medicinae libros IV. dictione horrida, et barbarie inquinata. V. *eund. Fabr. ib. c.* 12.

[PRISCILLUS, a, um, dimin. prisci. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 806, 3. Ti. Claudius Ti. F. Clu. Priscillus. Alia ap. *Fabr.* p. 167. XXXII. Helvidia Priscilla. *F.*]

[PRISCĪNUS, a, um, deriv. prisci. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 318, 1. M. Peducaeus Priscinus Cos. scil. ann. a Chr. n. CX. *F.*]

PRISCUS, a, um, adj. ἀρχαῖος, ἀρχαϊκὸς, antiquus, vetustus, cascus. Dicitur fere de iis, quae multo ante nos tempore fuerunt. *Cic. Univ.* 11. Credendum nimirum est veteribus et priscis, ut ajunt, viris, qui se progeniem Deorum esse dicebant. *Ov. Fast.* 1, 103. Me chaos antiqui (nam sum res prisca) vocabant. *Vell.* 2, 89. et 125. Prisca illa et antiqua reipublicae forma revocata. *Cic. Tusc.* 1, 12. Illud erat insitum priscis illis, quos Cascos appellat Ennius. *Id. N. D.* 3, 16. *med.* Joves plures in priscis Graecorum litteris invenimus. *Id. Or.* 3, 11. *med.* Et illud quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum; *ib.* 1, 43. et *Ov. Pont.* 3, 1, 115. verborum prisca vetustas. *Gell.* 2, 6. *f.* Laudare significat prisca lingua, nominare, appellare. *Cic. Har. resp.* 13. Prisca illa severitas. *Tac. A.* 3, 69. Priscae sanctimoniae virgo. *Id. ib.* 6, 32. Regendis provinciis prisca virtute egit. *Virg. A.* 7, 706. Sabinorum prisco de sanguine Clausus. *Festus:* Priscae Latinae coloniae appellatae sunt, ut distinguerent a novis, quae postea a populo dabantur. *Liv.* 1, 3. Ab eo (*Latino Silvio*) coloniae aliquot deductae: Prisci Latini appellati. *Paul.* ex *Festo:* Prisci Latini proprie apellati sunt ii, qui prius, quam conderetur Roma, fuerunt. *Id.* Priscus Tarquinius est dictus, quia prius fuit, quam Superbus Tarquinius. *Ov. A. Am.* 3, 121. Prisca juvent alios: ego me nunc denique natum Gratulor. *Id. Fast.* 1, 197. Priscum tempus; et *ib.* 2, 282. Prisco more. *Plin.* 12, 1, 2. ritu. ℙ *Prisci* sunt homines antiquitus nati. *Ov. Fast.* 3, 779. cum prisci colerent studiosius agros. *Plin.* 8, 42, 65. Apud priscos. *Id.* 18, 29, 69. *n.* 3. Rudis fuit priscorum vita, atque sine litteris. ℙ *Priscus* de homine severo et gravi, quales prisci fuisse perhibentur. (V. *Vell.* 2, 92, 116. et 125.) *Catull.* 64, 159. Saeva quod horrebas prisci praecepta parentis. *Virg. Cop.* 34. Ah pereat, cui sunt prisca supercilia! ℙ Interdum de eo, quod paulo ante fuit. *Hor. Od.* 3, 9, 17. Quid si prisca redit Venus? *Ov. Met.* 14, 850. de Hersilia: priscum pariter cum corpore nomen Mutat, Horamque vocat. *Val. Fl.* 4, 391. Jamque refecta Jovi, paulatim in imagine prisca Ibat agris Io victrix Junonis. ℙ [Est etiam cogn. R., ut T. Numicius Priscus ap. *Liv.* 2, 63. *F.*]

[PRISMA, ătis, n. πρίσμα, figura solida geometrica, quae superficies duas oppositas habet aequales, similes, et parallelas, alias vero parallelogrammas: a πρίζω, seco. *Capell.* 6, 233. Item prisma, id est sectio, quae instar schematis est. *F.*]

PRISTA, ae, m. πρίστης, qui serra secat, aut findit: a πρίζω, seco, findo. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 3. Myron fecit et canem, et discobolon, et Persea, et pristas.

*PRISTĬGER, a, um, adj. legitur ap. *Sidon. ep.* 4, 8. Alii *pistriger*, q. v. *Bail.*

PRISTĪNALIS. V. PISTRINALIS.

PRISTĪNUS, a, um, adj. ἀρχαῖος, παλαιὸς, qui ante fuit, superior, transactus: et fere dicitur de iis, quae nos vidimus, habuimus, sensimus, sive paulo ante, sive multis ante diebus, mensibus, annis. *Cic. Fam.* 1, 5. *extr.* Ut tuam pristinam dignitatem et gloriam consequare. *Id. Sull.* 9. Ille labor meus pristinus. *Id. Rosc. Am.* 52. Vestra pristina bonitas et misericordia. *Id. Mil.* 1. Veterem consuetudinem fori, et pristinum morem judiciorum requirere. *Liv.* 31, 2. Pristinum animum erga populum R. conservare. *Nep. Eum.* 4. *extr.* Pro pristina amicitia amplo funere extulit. *Id. Alcib.* 6. Reminiscens pristini temporis. *Ov. Met.* 3, 203. de Actaeone in cervum verso: mens tantum pristina mansit. *Caes.*

B. C. 1, 32. Catone repugnante, et pristina consuetudine, dicendi mora diem extrahente; et *ib.* 3, 82. Pristina omnium confirmatur opinio. *Id. B. G.* 7, 54. In pristinum statum redire. *Gell. praef.* Pristinae adnotationes, quas feceramus. *Suet. Claud.* 14. Consulatus, super pristinum, quatuor gessit, *h. e.* praeter eum, quem supra dixerat *ib.* 7. [**Liv.* 9, 23. in quae (castra) infecta victoria, sicut pristino die, vos recipiatis, i. e. uno de superioribus diebus, non proximo ac ne proximis quidem.] ℙ Hesternus, proxime elapsus. *Caes. B. G.* 4, 14. Milites nostri diei pristini perfidia incitati. *Suet. Aug.* 94. *med.* Somnium pristinae noctis familiaribus forte narrabat. [**Duk.* ad *Liv.* 4, 32, 10. conj. *proximae*, ut *Caes.* 7.] *Gell.* 10, 24. *med.* Etiam *die pristini* eodem modo (quo die quarti, quinti, noni) dicebatur, quod significabat die pristino, quod *vulgo pridie* dicitur. V. DIES. ℙ Priscus, antiquus. *Pl. Truc. prol.* 6. Quid si de vestro quippiam orem? abnuunt. En mehercle in vobis resident mores pristini. *Colum.* 5, 1. *med.* Tribus dictae primum a partibus populi tripartito divisi: quae tamen nunc multiplicatae pristinum nomen possident. *Claud. II. cons. Stil.* 124. Pistina Romuleis infloruit arcibus aetas. *Nep. Timol.* 1. Siciliam in pristinum statum restituere. Alii omitt. *statum.* [*Ita *Brem.*]

PRISTĪNUS et Pistrinus, a, um, adj. ad Pristin, seu Pistrin pertinens, quod est coeleste sidus. *Colum.* 11, 2. *in.* IX. cal. Februar. ex occasu pristini sideris significat tempestatem; et *med.* Id. Sept. ex pristino sidere nonnunquam tempestatem significat. V. PISTRIX.

PRISTIS. V. in PISTRIX.

PRĪVANTĬA, um, n. plur. part. a *privo*, contrariorum genus, quod privativum appellant. *Cic. Top.* 11. Sunt enim alia contraria, quae privantia licet appellemus Latine, Graece appellantur *στερητικά*.

[PRĪVĀTARĬUS, a, um, adj. ad privatum pertinens. *Edict. Dioclet.* p. 22. Balneatori privatario in singulis lavantibus Ж duos. *F.*]

*PRĪVATĪCĬUS, a, um, adj. *Gloss. Lat. Gr.* Privaticia, *στερητικά*. *B. A.*

PRĪVĀTIM, adv. *ἰδίως*, non publice. *Cic. Inv.* 1, 4. Eloquentia et privatim et publice homines perverse abutuntur. *Id. Fin.* 5, 20. *med.* Aut privatim gerere aliquid malunt, aut capessunt rempublicam. *Id. Rosc. Am.* 39. Si hanc ei rem privatim S. Roscius mandavisset. *Tac. A.* 11, 17. Privatim degeneres, in publicum exitiosi. *Sall. Cat.* 11. Vasa caelata privatim et publice rapere, *h. e.* pro se quisque singuli milites, et omnis simul exercitus, quasi publico nomine. Sic *Caes. B. G.* 5, 53. Tantam sibi auctoritatem comparaverat, ut undique ad eum legationes concurrerent, gratiam atque amicitiam publice privatimque peterent. *Gell.* 20, 1. *med* Fidem praecipue coluit, sanctamque habuit tam privatim, quam publice, *h. e.* tam erga singulos, quam universos, seu erga rempublicam. ℙ Item separatim. *Plin.* 6, 17, 20. De iis privatim condidit volumen Amometus, i. e. de iis tantummodo tractans, speciatim, peculiariter; et 33, 1, 6. Hic solus *(medius digitus)* excipitur: ceteri omnes onerantur *(annulis)*, atque etiam privatim articuli minoribus aliis, *h. e.* singuli articuli. *Id.* 23, 4, 41. Oleum cicinum bibitur ad purgationes ventris: privatim dicitur purgare praecordia. Sic 24, 16, 92. Dracunculus serpentas nidore, cum crematur, privatimque aspidas fugat. Adde 23, 1, 18. et 23. *Quint.* 8, 2. *med.* Qui jaculum emittit, jaculari dicitur: qui pilum aut sudem, appellatione privatim sibi assignata caret. ℙ Item domi. *Liv.* 23, 7. Nec privatim se tenuit, in foro cum filio, clientibusque paucis otiose inambulavit.

PRĪVĀTĬO, onis, f. *στέρησις*, actus privandi, vacuitas. *Cic. Fin.* 1, 11. Omni privatione doloris putat Epicurus terminari summam voluptatem; et *ib.* 2, 9. *extr.* Dolori non voluptas contraria est, sed doloris privatio. *Gell.* 2, 6. *med.* Omnis culpae privatio inculpatum facit.

PRĪVĀTĪVUS, a, um, adj. *στερητικός*, vim privandi habens. *Gell.* 13, 22. *f. Ne* particula privativa est. Adde 5, 12.

PRĪVĀTO, adv. ablativus adverbii ritu positus, ut *manifesto*, *auspicato*, *merito*, etc. *Liv. fragm.* ap. *Prisc.* 15, 1009. Privato nos tenuissemus.

PRĪVĀTUS, a, um, adj. *ἴδιος*, qui est uniuscujusque proprius: cui opponitur communis et publicus: a *privus*. *Caes. B. G.* 1, 5. Oppida omnia ad duodecim, vicos ad quadringentos, reliqua privata aedificia incendunt; et *ib.* 4, 1. Privati ac separati agri apud eos nihil est. *Cic. Off.* 1, 7. Ut communibus utatur pro communibus, privatis ut suis. Sunt autem privata nulla natura, sed aut veteri occupatione, aut victoria, aut lege, pactione, conditione, sorte. *Hor. Od.* 2, 15, 13. Privatus illis census erat brevis, Commune magnum. *Cic. Sext.* 12. Pro uno cive et bonos omnes privato consensu, et universum senatum publico consilio mutasse vestem. *Id. Quint.* 3. *f.* De communi quidquid poterat, ad se in privatam domum sevocabat; et *ib.* 4. Auctionem proscribit earum rerum, quae ipsius erant privatae. *Suet. Caes.* 24. Ad legiones, quas a republica acceperat, alias privato sumptu addidit. *Petr. Sat.* 10. Communes sarcinulas partiamur, ac paupertatem nostram privatis quaestibus tentemus expellere, *h. e.* singuli suis, privis. *Cic. Leg.* 3, 19. et *Dom.* 17. In privatos homines leges ferri noluerunt, *h. e.* in singulos, privos. Alii leg. *privos* utroque loco. [*Ita *Orell.* c. recentt. ex *Scal.* conject.] *Id. Fin.* 3, 1. *extr.* Ipsae rhetorum artes, quae sunt totae forenses atque populares, verbis tantum in docendo quasi privatis utuntur, ac suis. *Festus:* Privatae feriae vocantur sacrorum propriorum, velut dies natales, operationis, denecales. ℙ *Privatus homo* dicitur, qui in magistratu non est, *ἰδιώτης*: nam qui magistratum gerit, est publicus. *Cic. Cat.* 1, 1. An vero P. Scipio pontifex max. Ti. Gracchum privatus interfecit; Catilinam nos consules perferemus? *Id. Phil.* 11, 10. *f.* Privato viro imperium extra ordinem dare. *Id. Fam.* 1, 1. *med.* Crassus tres legatos decernit, ex iis, qui cum imperio sunt: Bibulus ex iis, qui privati sunt. *Id. Inv.* 1, 25. In fortuna quaeritur, servus sit, an liber: pecuniosus, an tenuis: privatus, an cum potestate. *Id. Sen.* 7. Nec ea solum in claris et honoratis viris, sed in vita etiam privata et quieta. ℙ *In privato* est privatim. *Liv.* 39, 18. Mulieres damnatas cognatis tradebant, ut ipsi in privato animadverterent in eas: si nemo erat idoneus supplicii exactor, in publico animadvertebatur. Adde 2, 54. ℙ *In privatum* est in usum privatorum hominum. *Id.* 40, 51. Fulvius locavit forum piscatorium, circumdatis tabernis, quas vendidit in privatum. ℙ *Ex privato* est ex propriis cujusque facultatibus. *Id.* 30, 44. *f.* Nunc quia tributum ex privato conferendum est, tanquam in publico funere comploratis. ℙ Sub imperatoribus omnes privati dicebantur, licet in magistratu essent, qui ad principis familiam non pertinerent. *Tac. Agr.* 39. Id sibi *(Domitiano)* maxime formidolosum, privati hominis *(Agricolae Britanniam administrantis)* nomen supra principis attolli. *Plin. ep.* 2, 1. Perfunctus est tertio consulatu, ut summum fastigium privati hominis impleret, cum principis noluisset. *Suet. Ner.* 21. Non dubitavit etiam privatis spectaculis operam inter scenicos dare, *h. e.* non a se, sed a praetore editis. *Plin. Pan.* 10. Jam Caesar, jam imperator, jam Germanicus, absens et ignarus, et post tanta nomina, quantum ad se pertinet, privatus. *Inscr.* ap. *Grut.* 475, 3. Quod ex voluntate populi munus familiae gladiatoriae ex pecunia sua, diem privatum, secundum dignitatem coloniae ediderit, *h. e.* die privato, non publico aliquo festo destinato. ℙ *Privatus* etiam opponitur legitimo, cum de regum filiis agitur. *Sall. Jug.* 5. Masinissa Jugurtham, quod ortus ex concubina erat, privatum reliquerat. ℙ Est etiam spoliatus, orbatus, carens, *στερηθείς*. *Paul.* ex *Festo* in *Privos.* Dicimus et privatum, cui quid est ademptum. *Cic. Rab. Post.* 9. Demetrium, aspide ad corpus admota, vita esse privatum. *Ov. Pont.* 1, 1, 53. Alter ob huic similem privatus lumine culpam. *Gell.* 19, 12. Animus affectionum adminiculis privatus. *Lucr.* 2, 840. quae sunt aliis rebus privata, notisque; et 1, 1036. privata cibo natura animantum Diffluit amittens corpus; et *ib.* 343. Non tam sollicito motu privata carerent. ℙ Exemptus, liber, vacuus. *Id. ib.* 59. Divum natura privata dolore omni, privata periclis; et 2, 1089. natura videtur Libera continuo dominis privata superbis. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* mendosa ap. *Rein. cl.* 17. *n.* 137., quaeque adhuc exstat in *Mus. Patav.* Loc. C. Volumnii C. L. Privati. *F.*]

PRĪVERAS, mulieres privatas dicebant. *Fest.*

PRĪVERNAS, atis, adj. omn. gen. qui est ex Priverno, oppido Latii in Volscis prope Ufentem fluvium, et Pomptinas paludes, nunc *Piperno:* olim ob generosum vinum nobili. *Liv.* 8, 20. De senatu Privernate ita decretum; et *ib.* 21. Qui Privernatium causam impugnabant; et *ib.* 19. Privernas bellum. *Sil.* 8, 395. Ferentinis, Privernatumque maniplis. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 3. Privernatia vina. *Cic. Or.* 2, 55. Testificatur pater, se tibi Privernatem fundum reliquisse. *Brut.* ap. *eund. ib.* et *Cluent.* 51. Forte evenit ut in Privernati essemus. Alii leg. *Privernate. Id. Agr.* 2, 25. Ager Setinus, Privernas, Fundanus. Est qui leg. *Privernus.* ℙ *Privernas* fuit etiam cogn. R. ob Privernates devictos inditum dictatori, qui ideo dicitur in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 291. L. Aemilius Mamercinus Privernas. ℙ Inde ortum habuit gens Privernia. *Inscr.* Priverni reperta, in *Giorn. Arcad.* T. 39. p. 246. M. Privernius Cerialis. *F.*]

PRĪVERNUS, a, um, adj. idem ac Privernas. V. in v. praec.

PRĪVIGNUS, i, m. Privigna, ae, f. *πρόγονος*, *προγόνη*, *ἀμφίγονος*, filius, filia mariti, vel uxoris meae, alterutro parente carens: cui respondent vitricus, et noverca. Privignus dictus, quod ante, quam mater secundo nuberet, est progenitus: est a *προFί* cum digammate Aeolico pro *πρίν*, prius, et *γνὸς* pro *γένος*, genus, quasi prius genitus. V. BIGNAE. *Modest. Dig.* 38, 10, 4. Uxor liberis ex alia uxore natis noverca dicitur: matris vir ex alio viro natis vitricus appellatur: eorum uterque natos aliunde privignos privignasque vocant. Adde *Cic. Att.* 13, 20. et *Q. Fr.* 3, 3. et *Hor. Od.* 3, 24, 18. ℙ Si vir ex priori uxore filium vel filiam habeat, et similiter uxor filiam vel filium, inter hos matrimonium esse potest. *Papin. Dig.* 23, 2, 34. Inter privignos contrahi nuptiae possunt, etsi fratrem communem ex novo parentum matrimonio susceptum habeant. ℙ *Privignus* etiam is est, qui vulgo conceptus ex ea natus est, quae postea mihi nupsit. *Scaevola ib.* 38, 10, 7. ℙ Adjective. *Colum.* 10, 161. Flagitat ecce suos genitrix mitissima fetus, Et quos enixa est partus, jam quaerit alendos, Privignasque rogat proles, *h. e.* terra appetit herbas, quas non sponte sua genuit, sed humana opera industriaque satas eduxit: vel in alio solo natas, et in se translatas: utroque enim modo *privignae* vocantur translate.

PRĪVILEGĬĀRĬUS, ii, m. cui aliquod privilegium concessum est. *Ulp. Dig.* 14, 5, 3. Nisi quis privilegiarius veniat.

PRĪVILEGĬUM, ii, n. *προνομία*, *προνόμιον*, lex contra privatum aliquem lata, ut illa Clodii de exsilio Ciceronis. *Cic. Leg.* 3, 19. In privatos homines leges ferri noluerunt: id est enim privilegium. Adde *Dom.* 17. ℙ Est a *privus*, singularis, et *lex:* et a *Cicerone* fere in malam partem accipitur, ut *Sex.* 30. Cum sancitum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite, nisi comitiis centuriatis, rogari; et *Par.* 4. *f.* Familiarissimus tuus de te privilegium tulit, ut, si in opertum Bonae Deae accessisses, exsulares; et *Brut.* 23. Libo rogationem in Galbam privilegii similem ferens; et *Dom.* 10. *f.* De peste civis, conservatoris reipubl. licuit tibi ferre non legem, sed nefarium privilegium; et *ib.* 42. Cum indemnatum exturbares, privilegiis tyrannicis irrogatis; et *in Sen.* 11. *f.* Vim et crudelitatem privilegii publicis litteris consignavit. Adde *Att.* 3, 15. A posterioribus ponitur etiam pro lege in favorem et commodum alicujus lata, immunitate, beneficio principis. [*Ita semper ap. *Suet.* V. *B. Crus.* in *Cl. Suet.* p. 624.] *Plin. ep.* 10, 56. Coloniam habuisse privilegium, et vetustissimum morem, arbitrio suo rempublicam administrare. *Traj.* ad *Plin. ib. ep.* 110. Sive civitates habent privilegium, quo ceteris creditoribus anteponantur, sive, etc. *Sen. Ben.* 3, 11. Quaedam privilegia parentibus data sunt. *Aurel. Arcad. Dig.* 1, 11, 1. *f.* Praefecti praetorio subnixi sunt et alio privilegio, ne a sententiis eorum minores aetate ab aliis magistratibus restitui possint. *Ulp. ib.* 38, 17, 2. *med.* Privilegio munitus. ℙ *Privilegia creditorum*, de quibus est *tit.* 6. *lib.* 42. *Dig.* (qui in ed. Torrentini est idem ac 5. De reb. judicis auctor. etc.), significant praelationem, quam habet inter multos creditores aliquis, ut sibi prius solvatur; *πρωτοπραξίαν*.

PRĪVO, as, avi, atum, a. 1. *στερέω*, aliquid cuipiam aufero, orbo, spolio: a *privus*. *Cic. Acad.* 4, 19. Spoliat nos judicio, privat approbatione, omnibus orbat sensibus. *Id. Top.* 11. Praepositio *in* privat verbum ea vi, quam haberet, si *in* praepositum non fuisset. *Id. Att.* 9, 10. Cum me aegritudo somno privaret. *Id. Fin.* 5, 29. Democritus dicitur oculis se privasse. *Id. Phil.* 9, 4. Privare aliquem vita. *Id. Quint.* 23. communi luce. *Id. Fam.* 4, 9. *f.* patriam aspectu suo. *Stat. Th.* 2, 695. sed fata monentem Privavere fide. *Lucr.* 1, 381. Aut igitur motu privandum est corpora quaeque, Aut, etc. ℙ Cum gen. *Afran.* ap. *Non.* 9, 6. Quod vitae studium, aut quod praesidium in posterum mihi supponebas, me cum privasti tui? ℙ *Ἑλληνισμὸς* est in illo *Naevii* ap. *eund.* 9, 9. Quo tu res vis hanc privari pulcras, quas uti solet? ℙ Est eliam liberare, eximere. *Cic. Agr.* 1, 4. *f.* Non enim hac exceptione unus afficitur beneficio, sed unus privatur injuria. *Id. Att.* 1, 16. *f.* Privare aliquem exsilio; et *ib.* 12, 26. molestia. *Id. Fin.* 1, 11. dolore.

PRĬUS, adv. *πρίν*, *πρότερον*, ante, antea. *Cic. Amic.* 4. Quem fuit aequius, ut prius introieram in vitam, sic prius exire de vita. *Id. Att.* 4, 1. Nihil prius mihi faciendum putavi, quam ut tibi gratularer. *Phaedr.* 4, 25. Tuae prius sunt partes, aliorum dein. *Cic. Att.* 15, 13. Quod ad te antea, atque adeo prius scripsi (sic enim mavis) etc. *Plin.* 3, 5, 9. Oppidum Formiae, Hormiae prius olim dictum. ℙ Sequente *quam* est antequam, *πρὶν ἤ*. *Cic. Phil.* 2, 1. *f.* Cui prius quam de ceteris rebus respondeo, de amicitia pauca dicam. *Id. Vat.* 2. Quod ego, simul ac te aspexi, prius quam loqui coepisti, sensi atque providi. *Ter. Andr.* 2, 1, 11. Omnia experiri certum est, prius quam pereo. *Pl. Mil.* 3, 1, 115. Prius quam lucet, adsunt. *Stat. Th.* 12, 570. vos ista decet vindicta, prius quam Emathii, Thracesque dolent. *Caes. B. G.* 1, 53. Neque prius fugere destiterunt, quam ad flumen Rhenum pervenerunt. *Cic. Fam.* 9, 26. Quid potius faciam, prius quam me dormitum conferam, non reperio. ℙ Habet interdum vim similem adverbii *potius*, aut *magis*. *Cic. Tusc.* 5, 27. *med.* Aegyptii quamvis carnificinam prius subierint, quam ibin, aut aspidem violent. *Id. Lig.* 12. Quis est, qui hoc non sentiat, quidvis prius futurum fuisse,

quam ut hi fratres diversas sententias sequerentur? *Caes. B. C.* 3, 1. Statuerat enim, hos prius judicio populi debere restitui, quam suo beneficio videri receptos. *Balb.* ad *Cic.* 1. *f. post ep.* 8. *l.* 9. ad *Att.* Praestabo eum prius tuae dignitatis, quam suae utilitatis rationem habiturum. ℙ Scribitur et conjuncte *priusquam.* ℙ *Quam prius* inverso ordine, poetice, ἢ πρίν. *Pl. Trin.* 2, 2, 13. Ad hoc genus hominum duravi, quam prius me ad plures penetravi. Alii leg. *quin prius. Prop.* 2, 14, 11. Illum saepe suis decedens fovit in ulnis, Quam prius abjunctos sedula lavit equos. Sic *quam potius* pro *potius quam.* V. POTIUS. ℙ *Prius,* olim. *Catull.* 51, 13. Otium et reges prius, et beatas Perdidit urbes. *Id.* 4, 25. Sed haec prius fuere: nunc, etc.

PRĬUSQUAM. V. v. praec.

PRĬVUS, a, um, adj. singulus, singularis, ut *Fest.* et *Gell.* 10, 20. tradunt. *Lucil. ib.* et ap. *Non.* 1, 152. et 2, 694. abdomina thynni Advenientibu' priva dabo; et *Liv.* 30, 43. Ut privos lapides silices, privasque verbenas secum ferrent. *Lucil.* ap. *Non. l. c.* Culcitulae accedunt privae centonibu' binis. *Lucr.* 4, 260. et cum Acre ferit frigus, non privam quamque solemus Particulam venti sentire, et frigoris ejus, Sed magis unvorsum. *Plin.* 8, 46, 71. de bove Api: Responsa privis dat, e manu consulentium cibum capiendo. *Gell.* 11, 16. Quae non tam dilucide demonstrari Latina oratione possunt, quam Graeci ea dicunt privis vocibus. *Lucr.* 5, 732. Inque dies privos aboriri quaeque creata, i. e. in dies singulos; et *ib.* 275. Innumerabiliter privas mutatur in horas,, i. e. singulis horis; et 4, 566. In multas igitur voces vox una repente Diffugit, in privas quoniam se dividit aures. Tribuunt et *Cic. Leg.* 3, 19. et *Dom.* 17. ex *leg. XII. Tab.*, sed alii *privatus* substituerunt. [**Orell.* c. recentt. *privus* exhibet. V. in PRIVATUS.] ℙ Interdum accipitur pro privato, et proprio uniuscujusque. *Hor. Ep.* 1, 1, 92. viden' ut pauper conducto navigio aeque Nauseat, ac locuples, quem ducit priva triremis? ℙ Item pro singulari, eximio. *Id. Sat.* 2, 5, 10. turdus, Sive aliud privum dabitur tibi, devolet illuc, Res ubi magna nitet domino sene. [**Heindf.* privatum, tibi proprium intelligit; negans latine dici *privum* pro eo, quod unicum in suo genere, eximium.] *Liv.* 7, 37. Milites singulis bobus, binisque privis tunicis donati. Alii omitt. *privis.* ℙ Item pro privato, carente. *Appul. de Deo Socr.* Turba imperitorum, vana sanctitudinis, priva verae rationis.

PRO, praep. [**pr.* particula est loci, ut *Gr.* πρό. (V. *Thiersch. Gr. Gr.* §. 158, 3., *Matth. Gr. Gr.* §. 575. et *Vig.* p. 657. *ed. Herm.*). Significat autem, modo ante aliquem locum esse aliquid, modo loco alicujus rei, modo rationem habitam loci v. temporis in constituenda vel definienda aliqua re, ita ut complectatur nostra *vor* et *für*, quae et ipsa serius demum distinguere didicimus, vulgus etiamnum miscet, et *im Verhältniss, nach*, quae comparationem loci pro vario gradu et momento notant. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 624. De loco, ante quem aliquid est, sed proxime. V. de hoc usu particulae *Duk.* ad *Flor.* 4, 2, 91. *Schaef.* ad *Plin. ep.* 1, 10, 9.] *Cic. Mil.* 1. Praesidia illa, quae pro templis omnibus cernitis. *Id. Phil.* 3, 11. Sedens pro aede Castoris. *Liv.* 30, 10. pro muro. *Plin.* 2, 37, 37. pro vallo. *Caes. B. G.* 4, 32. pro portis castrorum; et *ib* 1, 48. Pro castris suas copias produxit. *Appul. Apol. f.* Tabulas hic ibidem pro pedibus tuis abjicio. [**Ita* saepissime usurp. a *Tac.* V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 376. sq.] ℙ Ponitur et loco v. *in. Caes. B. G.* 6, 3. *f.* Hac re pro suggestu pronunciata. *Liv.* 39, 5. (et *Sall. Jug.* 8.) Ne suas quidem simultates pro magistratu exercere, boni exempli esse. *Id.* 38, 23. *f.* Laudati pro concione omnes sunt. *Cic. Fam.* 3, 8. Pro tribunali. *Tac. A.* 14, 30. Stabat pro litore classis. *Fest.:* Pro censu classis juniorum, Ser. Tullius cum dixit, accipi debet, in censu, ut ait M. Varro: sicuti pro aede Castoris, pro tribunali, pro testimonio. *Paul.* ex *Festo:* Pro sententia, idem est, ac si dicatur, in sententia, ut pro rostris, idest in rostris. ℙ [**Et* quoniam ante aliquem constitutus esse solet, qui aliquem defendit, tuetur, vel in ejus locum se substituit (Gr. πρόμαχος), idem valet, quod nostr. *für.*] Hinc Ciceronis orationes pro Archia, pro Ligario, etc. *Id. Or.* 3, 20. Hoc non modo pro me, sed contra me est potius. *Id. Cluent.* 22. *f.* Partim nihil contra Avitum valere, partim etiam pro hoc esse. *Liv.* 34, 8. Haec cum contra legem, proque lege dicta essent. *Sen. Q. N.* 2, 55. Puta ita esse: pro me est. Rursus *Cic.* in *Sen.* 11. *med.* Populum R. pro me, tanquam pro fratre, aut pro parente obsecravit. *Tac. A.* 4, 78. Cuncta pro hostibus erant. [**Nubem* exemplorum ex Taciti scriptis collectam habes ap. *Boettich.* l. l.] *Colum.* 3, 5. Quod ego minime reor esse pro agricola. ℙ Item tanquam, instar, ut, [**nostr. anstatt, für, als, wie.*] *Cic. Att.* 2, 5. Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum millibus. *Mat.* et *Treb.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 9. ad *Att.* Pro certo habere. *Ter. Ad.* 1, 1, 23. Hunc eduxi a parvulo, habui, amavi pro meo. *Caes. B. C.* 3, 109. et *Cic. Sext.* 38. et *Verr.* 2, 4, 15. Cum pro damnato mortuoque esset. *Id. ib.* 4, 2. *f.* Siciliam nobis non pro penaria cella, sed pro aerario fuisse. *Id. Arch.* 5. *f.* Gerere se pro cive. *Liv.* 32, 33. Nicephorium, Venerisque templum quae spoliasset, evastassetque, pro incorruptis restitui; et 39, 49. Adeo incredibilis visa res, ut non pro vano modo, sed vix pro sano nuncius audiretur. *Id.* 8, 1. Volsci nocte pro victis Antium agmine trepido abierunt. [**Cf. Drakenb.* ad *Liv.* 3, 17.] *Sen. Tranq.* 11. *med.* Qui mortem timebit, nihil unquam pro homine vivo faciet. *Pl. Poen.* 3, 1, 25. Neque nos populus pro cerritis insectabit lapidibus. *Id. Merc.* 4, 4, 4. Qui amat, quod amat, id si habet, id habet pro cibo. *Curt.* 4, 10. Jam pro seditione res erat. *Liv.* 43, 5. Esse alicui pro hoste. *Ulp. Dig.* 5, 3, 11. Pro herede possidet, qui putat se heredem esse. Sic *ib.* 13. Pro possessore, pro emptore, etc. *Pomp. ib.* 30, 1, 54. Turpia legata pro non scriptis habentur. *Liv.* 23, 22. *f.* Id omnino pro non dicto habendum. [**Plura Taciti* exempla v. ap. *Boettich.* l. l.] ℙ Saepe loco, vice. Unde illa *pro praetore, pro consule (pro magistro* scripturae, *Cic. Verr.* 2, 2, 70. et *Att.* 11, 10.), quae et conjuncte scribuntur, de eo qui vices agit praetoris, etc. eandemque habet auctoritatem, quamvis praetor non sit. *Cic. Or.* 45. Ain' pro aisne, nequire pro non quire, malle pro magis velle, nolle pro non velle. *Id. Leg.* 2, 5. *med.* Neque medicorum praecepta vere dici possent, si quae inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint. *Suet. Caes.* 70. Una voce, qua Quirites eos pro militibus appellarat, tam facile flexit, ut, etc. ℙ [**De* pretio, loco alicujus rei dato. V. *Sanct. Minerv.* p. 838. *ed. Schneid.*] *Pl. Aul.* 3, 3, 8. Pro vapulando abs te mercedem petam. *Ter. Eun.* 5, 4, 19. Ego pol te pro istis dictis et factis, scelus, ulciscar. *Cic. Att.* 1, 3. Misimus, qui pro vectura solveret. *Id. Or.* 1, 55. Quem omnes amare meritissimo pro ejus eximia suavitate debemus. [**Suet. Aug.* 67. quod pro epistola prodita denarios quing. accepisset; et *ib.* 57. pro quibus meritis quanto opere dilectus sit. ℙ Denique de ratione habita loci v. numeri v. temporis dicitur, nostr. *nach, im Verhältniss, zufolge*, quae manifeste sunt loco particulae, unde etiam *Latini* saepius *secundum* eodem sensu dicunt.] *Nep. Ep.* 3. *f.* Amicorum consilium habebat, et quantum quisque daret, pro facultatibus imperabat; et *Cic. Dom.* 41. Nemo est, qui non pro suis opibus defenderit. *Id. Sen.* 9. Decet, quidquid agas, agere pro viribus. *Id. Sext.* 66. Pro virili parte. [**V. Boettich.* l. l.] *Id. Off.* 3, 14. et *Caes. B. G.* 2, 25. Pro se quisque. *Cic. Rosc. Am.* 12. Quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commode posset. *Id. Verr.* 2, 1, 27. Cum in eam rationem pro suo quisque sensu ac dolore loqueretur. *Id. Fam.* 4, 10. *f.* Reliqua tu pro tua prudentia considerabis; et *ib.* 15, 15. *f.* Quibus aliquid opis fortasse ego pro mea, tu pro tua, pro sua quisque parte ferre potuisset. *Liv.* 30, 10. His raptim pro tempore instructis. *Colum.* 11, 1. *med.* Familiam semper ad opera cunctantem, pro temporibus anni festinanter producat. *Pall.* 1, 4. *f.* Pro majori parte. [**Huc* pertinent etiam, quae *Forc.* infra laudaverat, ista:] *Liv.* 36, 10. *med.* Castra metatus latius, quam pro copiis. *Id.* 21, 29. Proelium atrocius, quam pro numero pugnantium fuit: et *ib.* 59. *f.* Major Romanis quam pro numero, jactura fuit. ℙ *Pro eo*, sequente *ac, atque, quasi, quod, quantum*, ita ut, perinde ut, quomodo. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Postea quam mihi renunciatum est de obitu filiae tuae, sane quam, pro eo ac debui, moleste tuli. *Cic. Inv.* 1, 32. Pro eo ac si concessum sit. *Ulp. Dig.* 28, 1, 22. Pro eo est, atque si adhibitus non esset. *Pomp. ib.* 30, 1, 38. Pro eo erit, quasi ne legatum quidem sit. *Cic. Or.* 2, 18. Cum Annibal ad Antiochum venisset exsul, proque eo, quod ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus; et *Fin.* 4, 21. Eaque pro eo, quantum in quoque sit ponderis, esse aestimanda. *Id. Fam.* 3, 3. *f.* Equidem pro eo quanti te facio, quidquid feceris, approbabo. ℙ *Pro eo* absolute. *Id. ib.* 13, 7. Quod erit hujusmodi, ut si a Caesare, quod speramus, impetrarimus, tuo beneficio nos id consecutos esse judicemus: sin minus, pro eo tamen id habeamus, cum a te data sit opera, ut impetraremus. ℙ *Pro eo quod*, quia, vel propter hoc quod. *Liv.* 38, 49. *extr.* Sed satis jam dictum est: quin pro eo quod pluribus verbis vos, quam volui, fatigavi, veniam a vobis petitam velim. ℙ *Prout*, et *pro eo ut. Cic. Verr.* 2, 2, 34. Comparaverat supellectilem elegantiorem, tabulas pictas, etiam argenti bene facti, prout Thermitani hominis facultates ferebant, satis. *Liv.* 38, 50. Id prout cujusque ingenium erat, interpretabantur; et *ib.* 40. *f.* Prout locus iniquus aequusve his aut illis, prout animus pugnantium est, prout numerus, varia pugnae fortuna est. *Plin.* 5, 9, 10. Prout nives satiaverint, ita Nilum increscere. *Cels.* 4, 4. *n.* 5. Si secuta ulcera sunt, prout sedes ipsa est, ita varia genera morborum sunt. In *ep. L. Metelli Siciliae praet.* ap. *Cic. Verr.* 2, 3, 54. Tamen pro eo ut temporis difficultas, aratorumque penuria tulit, etc. ℙ *Pro* cum accusativo. *Inscr.* ap. *Grut.* 4, 12. Minervae libenter dedit pro salutem suam, et 46, 9. Herculi invicto sacrum pro salutem Imp. L. Sept. Severi, etc. Cave imiteris. ℙ [**Quantitatem* vocis, quod attinet, absolute posita semper producitur; in compositione modo producitur modo corrumpitur. V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 102. ℙ Confund. *pro* et *prae.* V. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 15. *a. Pro re, pro spe, prospere.* V. *Snakenb.* ad *Curt. p.* 452. *b.* — *Pro se* et *prorsus Id. ib.* p. 278. *b. Pro* et *prope. Id. ib.* p. 240. *b. Pro* et *per.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 303. 427. 562. 5, 605. 6, 484.]

PRO, ὦ, interjectio exclamantis, admirantis. *Cic. Manil.* 12. (et *Or.* 2, 55.) Pro Dii immortales! tantam ne unius hominis divina virtus, tam brevi tempore lucem afferre reipublicae potuit, ut, etc. *Id. Or.* 46. et *Tusc.* 5, 16. *med.* Pro Deum atque hominum fidem! *Ter. Ad.* 3, 3, 3. Pro Jupiter, hominis stultitiam! *Mart.* 2, 46. Pro scelus! *Hor. Od.* 3, 5, 7. Pro curia, inversique mores! *Tert. Poen. f.* Pro malae tractationis! φεῦ. *Liv.* 22, 14. Tantum (pro dolor!) degeneramus a parentibus nostris. Alii omitt. *dolor. Pl. Cas.* 2, 4, 5. Pro! bonae frugi hominem te jampridem esse arbitror. *Ov. Met.* 13, 758. pro, quanta potentia regni Est, Venus alma, tui! *Id. Her.* 3, 98. Et mea, pro! nullo pondere verba cadunt. ℙ Sunt qui scribunt *proh:* sed *Prisc.* docet 1, 548. nunquam vocalibus in fine dictionis aspirationem appingi, exceptis *ah*, et *vah*, quae voces mutilae sunt, et per apocopen factae ex *aha*, et *vaha.* Pro *Prisciano* stant *Manut.* et *Cellar.* Alii aspirationem retinent, sive quia etiam *proh* factum a *proha* censent, sive quia in enunciando majori semper spiritu effertur, quam *pro* praepositio. Stat ab his *Dausquius.*

PRŌĂCŪO. V. PERACUO.

PRŌAEDĬFĬCĀTUM dicitur, quod ex privato loco processit in publicum solum. *Festus:* qui significare videtur moenianum, projectum.

PRŌĂGŌGĬON. V. in PAEDAGOGIUM.

PRŌĂGŌRUS, i, m. προήγορος, Graece significat eum, qui ante alios verba facit: apud Catinenses, et Tyndaritanos in Sicilia nomen fuit summi magistratus. *Cic. Verr.* 2, 4, 23. et 39.

PRŌĂMĬTĂ, ae, f. proavi mei soror, seu amita avi mei, quae et *amita major* dicitur. *Cajus Dig.* 38, 10, 1. et *Paul. ib.* 10.

[PRŌĂPŌDOSIS, is, f. προαπόδοσις, figura elocutionis. *Capell.* 5, 175. Proapodosis est redditio orationis, id est, cum nomen in postrema parte membri, aut eadem quaecumque pars orationis redditur, ex quo idem membrum coepit; ut si dicas: Publicas tibi calamitates immutare debet respublica. Eadem habet *Aquila de fig. sentent.* p. 24. *Capper. F.*]

PRŌARCHĒ, es, f. προαρχή, unus ex aeonibus Valentiniani, nempe principium omnium rerum, et originum. *Tert. adv. Valent.* 7, 35. et 37.

PRŌAUCTOR, oris, m. προκαιάρχων, progenitor, princeps, quasi procul, et longa origine auctor. *Suet. Claud.* 24. Appium Caecum generis sui proauctorem, libertinorum filios in senatum allegisse docuit.

PRŌĂVĬĂ, ae, f. προμάμμη, mater avi, vel aviae meae, sive ii paterni sint, sive materni: cui respondent pronepos, proneptis, ut *Cajus Dig.* 38, 10, 1. et *Paul. ib.* 10. docent. *Suet. Cal.* 10. In Liviae Augustae proaviae suae contubernio mansit.

PRŌĂVĬTUS, a, um, adj. ad proavum, aut proaviam, et universim ad majores nostros pertinens. *Ov. Met.* 13, 415. Mittitur Astyanax illis de turribus, unde Pugnantem pro se, proavitaque regna tuentem Saepe videre patrem, monstratum a matre, solebat. *Stat. Silv.* 4, 4, 83. Proavita rura. *Sil.* 16, 254. potentia. *Id.* 5, 366. medicamina, *h. e.* quae quis a proavis tradita didicit.

PRŌĂVŬNCŬLUS, i, m. proaviae meae frater, qui et *avunculus major* dicitur, ut docent *Cajus Dig.* 38, 10, 1. et *Paul. ib.* 10. V. AVUNCULUS.

PRŌĂVUS, i, m. πρόπαππος, pater avi, vel aviae tum ex parte paterna, tum materna: cui respondet pronepos, proneptis. *Cajus Dig.* 38, 10, 1. et *Paul. ib.* 10. *Pl. Mil.* 2, 4, 20. et *Pers.* 1, 2, 5. Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus. *Cic. Mur.* 7. Et proavus L. Murenae, et avus praetores fuerunt. ℙ Pro tritavo. *Cic. Fam.* 3, 11. *extr. ad Appium Pulcrum:* In censura de proavo multum cogitato tuo, *h. e.* de Appio Claudio Caeco. V. ABAVUS. ℙ Et universim pro quocumque ex majoribus. *Hor. A. P.* 270. At vestri proavi Plautinos et numeros, et Laudavere sales. *Stat. Th.* 10, 807. Quaeque novis proavum tellus efflоruit armis: pro *proavorum. Ov. Amor.* 3, 15, 5. usque a proavis vetus ordinis heres. *Curt.* 6, 11. Quis proavum hujus Alexandrum ultus est? V. *Just.* 7. 1. 2. 3. 4. 5. et 6., *Solin.* 9. et *Euseb. in Chronic.*

PRŌBĂ, ae, f. δεῖγμα, probatio, specimen, in-

dicium. *Impp. Valent. et Valens Cod.* 12, 25, 1. Ut stratoribus unus tantum solidus probae nomine posceretur. *Ammian.* 21. *extr.* Annonae militaris indicia, ut ipsi nominant probam.

PROBĂBĬLIS, e, adj. πιθανὸς, qui probari et credi potest. *Cic. Inv.* 1, 29. *f.* Probabile est id, quod fere fieri solet, aut quod in opinione positum est, aut quod habet in se ad haec quandam similitudinem, sive id falsum est, sive verum. *Id. praef. Par.* Nihil est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. *Id. Off.* 1, 3. Medium officium id esse dicunt, quod cur factum sit, ratio probabilis reddi possit. *Id. Div.* 2, 6. Qui nihil sine aliqua probabili conjectura et ratione dicunt. *Id. Or.* 1, 56. *extr.* Galbae disputationem sibi probabilem, et prope veram videri. *Id. Verr.* 2, 5, 67. *f.* Splendida est illa causa, probabilis mihi et facilis, populo grata atque jucunda. *Liv.* 40, 29. Probabile mendacium. *Tac. A.* 6, 14. Nullas probabiles causas longinquae peregrinationis afferebat. ℙ Item probandus, probatione dignus. *Quint.* 8, 3. *med.* Ne speremus ornatam orationem fore, quae probabilis non erit. *Cic. Part.* 6. Probabile genus est orationis, si non nimis est comptum atque expolitum, si est auctoritas et pondus in verbis, si sententiae vel graves, vel aptae opinionibus hominum et moribus. *Liv.* 2, 13. *f.* Quod et virginitati decorum, et consensu obsidum ipsorum probabile erat. *Val. Max.* 6, 2. *in.* Libertas in dictis et factis vulgi sic auribus gratior, quam sapientissimi cujusque animo probabilior est. *Colum.* 3, 2. *med.* Uvae, quae habent probabilem gustum; et *ib.* 1. *f.* Maxime probabilis coeli et soli qualitas. *Id. prooem.* 1. An feneratio probabilior sit? *Plin.* 31, 3, 23. Aqua maxime probabilis. *Id.* 21, 4, 10. Rosa nec odore, nec specie probabilis. *Colum.* 6, 1. Umbria progenerat boves vastos et albos, eademque rubros, nec minus probabiles animis, quam corporibus; et *ib.* 2. *f.* Mores hujus pecudis probabiles habentur, qui sunt propiores placidis, quam concitatis, sed non inertes. *Gell.* 20, 1. *med.* Quod edictum praetorium de aestimandis injuriis probabilius esse potest? ℙ *Probabilis orator*, cujus ingenium et eloquentia probari ac placere debet. *Cic. Brut.* 76. C. Sicinius probabilis orator: jam vero etiam probatus. *Id. Or.* 2, 36. Semper existimavi, jucundiorem et probabiliorem huic populo oratorem fore, qui, etc. *Id. Brut.* 68. *med.* P. Autronius voce peracuta atque magna, nec alia re ulla probabilis. *Id. Or.* 1, 28. *med.* Discipulus probabilis. *Id. Brut.* 48. *f.* Vir ingenio sane probabili.

PRŌBĂBĬLĬTAS, atis, f. πιθανότης, verisimilitudo. *Cic. Acad.* 4, 24. Multa, quae nos fallunt probabilitate magna. *Id. Fin.* 3, 21. Ne cui falso assentiamur, neve unquam captiosa probabilitate fallamur. *Id. Tusc.* 5, 11. Quodcumque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus.

PRŌBĂBĬLĬTER, adv. πιθανῶς, credibiliter, verisimiliter. *Cic. Or.* 35. Rem breviter exponere, et probabiliter, et aperte. *Id. Or.* 2, 82. *med* Ad consilium de republica dandum, caput est, nosse rempubl.; ad dicendum vero probabiliter, nosse mores civitatis. *Id. fr.* ap. *August. contra Acad.* 3, 7. Ex quo potest probabiliter confici, eum, etc. *Liv.* 33, 28. Multa in eam partem probabiliter argumentatus. *Gell.* 9, 16. Eleganter et probabiliter hoc dictum est. *Id.* 1, 16. Id quoque recte, et probabiliter dici solitum. *Vell.* 2, 46. Consulatus neque petitus honeste ab his, neque probabiliter gestus est. *Cic. Inv.* 2, 46. Justius et probabilius accusare videtur.

*PROBALINTHOS vel Probalinthus, i, Προβάλινθος, locus oppidumve Atticae. *Plin.* 4, 7. ℙ *Steph. Byz.* δῆμον vocat. *B. A.*

PRŌBĀMENTUM, i, n. probatio. *Impp. Honor. et Theod. Cod. Theod.* 13, 6, 10. Quem non personae alicujus probamenta confutarant.

PRŌBĀTĂ, orum, n. plur. πρόβατα, Graeca vox, pecus omne, et praecipue oves significans. *Plin.* 7, 2, 2. In Africa esse familias quasdam effascinantium, quorum laudatione intereant probata, arescant arbores, etc.

[PRŌBĀTĬCUS, a, um, adj. προβατικὸς, ovinarius, ut probatica porta Hierosolymis, prope quam piscina erat, in qua oves mactandae lavari a sacerdotibus solebant. Ejus meminit *Hieron. de situ et nomin. loc. Hebr.* ex *Joann.* 5, 2. Alii minus recte putant, ita vocatam fuisse piscinam, prope quam ea porta erat. *F.*]

PRŌBĀTĬO, onis, f. συγκατάθεσις, ἀποδοχὴ, approbatio. *Cic. Font.* 4. de munitione viar: Certe falsum est, ob probationem pretium datum, cum multa improbata sint. V. PROBO. ℙ Item demonstratio, ostensio, argumentum, πίστις. *Quint.* 5, 10. Haec omnia (*enthymema*, *epicherema*, *syllogismus*, etc.) generaliter πίστεις appellant: quod etsi propria interpretatione dicere *fidem* possumus, apertius tamen *probationem* interpretabimur; et *ib. med.* Probationes potentissimae. *Just.* 32, 2. *f.* Insidias ab eo sibi paratas confingit: ad cujus rei probationem immittit indices, etc. *Plin.* 2, 2, 2. Oculorum probatio. ℙ Praeterea ita appellatur tertia orationis pars, quae et *confirmatio* dicitur, et *fides orationis*, in qua orator ponit ea, quae ad faciendam fidem directo pertinent. *Quint.* 3, 9. ℙ Denique est examen, exploratio, experimentum, periculum, δοκιμασία. *Cic. Off.* 1, 40. *med.* Athletarum probatio. *Val. Max.* 2, 2. *n.* 9. Probatio equitum, *h. e.* quae in transvectione fit. *Varr. R. R.* 1, 20. Igitur de omnibus quadrupedibus prima est probatio, qui idonei sint boves, qui arandi causa emuntur. *Plin.* 29, 2, 10. Probatio oesypi, ut sordium virus oleat. *Id.* 12, 12, 26. In his probatio una, ne sint fragilia. *Id.* 21, 6, 17. Probatio croci sinceri, si imposita manu crepat. *Id.* 36, 21, 40. Probatio pumicis in candore minimoque pondere. *Id.* 37, 13, 76. Gemmae recusant limae probationem.

[PRŌBĀTĬON, ii, n. προβάτιον, ovicula. Ita etiam vocatur arnoglossa herba ap. *Appul. Herb.* 1. *F.*]

PRŌBĀTĪVUS, a, um, adj. ad probandum pertinens. *Quint.* in *sermone*, *qui praecedit decl.* 299. In hoc probativae quaestiones duae, altera καθητικὴ, altera πραγματικὴ.

PRŌBĀTŌR, oris, m. ἐπιχειρητὴς, qui probat, approbator. *Cic. Phil.* 2, 12. Quid interest inter suasorem facti, et probatorem? *Id. Caecin.* 29. *f.* Hujus rationis non modo non inventorem, sed ne probatorem quidem esse me. *Ov. Pont.* 2, 2, 105. Ingenii certe, quo nos male sensimus usos, Artibus exceptis, saepe probator eras.

PRŌBĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad probandum pertinens. *Probatoria* absolute, *h. e.* epistola, testimonium, quo quis idoneus et probatus ostenditur, qui in ordinem aliquem adsciscatur. *Impp. Constant. et Constant. Cod.* 12, 58, 2. Nullus judicum quemquam sine sacra probatoria probare audeat, vel provehere. *Impp. Theodos. et Valent. ib.* 60, 6. Nemo aliter admittatur, nisi cum emissa sacri scrinii probatoria consecraverit.

PRŌBĀTUS, a, um, part. a *probo*: δοκιμασθεὶς, experimento cognitus, spectatus, exploratus: et fere in bonam partem. *Ov. Met.* 15, 361. Si qua fides rebus tamen est adhibenda probatis. *Pl. Pers.* 4, 6, 1. Probati argenti sexaginta minae. *Plin.* 16, 8, 11. Boletos pariunt quercus probatissimos, robur, et cupressus noxios. *Id.* 23, 5, 52. Probatissima in Aegypto palma. *Id.* 37, 5, 20. de beryllis: Probatissimi sunt ex iis, qui viriditatem puri maris imitantur. *Id.* 34, 8, 19. Probatissima statua. *Plin. alter ep.* 7, 9. Adeo notum probatumque est, ut probatione non egeat. *Id. ep.* 8, 24. *f.* Nitendum est, ne rudis et incognitus, quam exploratus probatusque, humanior fuisse videaris. *Id. ep.* 2, 13. *f.* Habes, quam probatus carusque sit nobis. *Quint.* 10, 2. Rustici probatam experimento culturam in exemplum intuentur. *Caes. B. C.* 1, 85. *med.* Ut per paucos probati et electi in provincias mittantur. *Lucil.* ap. *Non.* 5, 60. Tuam probatam mihi et spectatam maxime adolescentiam. *Cic. Or.* 1, 27. Ceterarum homines artium spectati et probati. *Id. Top.* 19. Ingeniosos, et opulentos, et aetatis spatio probatos, dignos, quibus credatur, putant. *Colum.* 11, 1. Operum probatissimi artifices. *Plin. ep.* 9, 19. Familiariter ab eo dilectus probatusque. *Cic. Planc.* 11. Quibus cum fuerit probatissimus, hodieque sit, omnibus esse se probatum debet sperare. *Liv.* 27, 8. Ita repente exuit antiquos mores, ut nemo probatior primoribus patrum, suis pariter alienisque esset. [*Discrimen inter *probatus* c. praepos. *a* et cum *dat. Brem.* ad *Nep. Them.* 1, 2. ita constituit, ut *probatus a*, adjective intelligendum de eo sit, qui in omnibus rebus talem se praebuerit, ut sine laude nominari non possit: *probatus* c. *dat.* de eo, cujus factum aliquod laude fruatur.] *Cic. Caecin.* 4. Caesennia summo loco nata, et probatissima femina. *Marcell.* ad *Cic. Fam.* 4, 11. Gratulatio tua mihi est probatissima. *Claud. IV. cons. Honor.* 487. Ut fortes in Marte viros, animique probatos. Sic justos in pace legis, *h. e.* compertos animosae virtutis bellicae. Alii leg. *animisque paratos.* ℙ *Probatum est*, receptum est, placet, νενόμισται. *Sil.* 13, 473. Regia cum lucem posuerunt membra, probatum est Hircanis adhibere canes. ℙ *Probatus*, ostensus, argumentis confirmatus, manifestus. *Ov. Met.* 15, 37. crimenque patet sine teste probatum. ℙ Item examinatus, exactus, et probus judicatus. *Modest. Dig.* 48, 10, 32. Mensuras publice probatas vini, frumenti, vel cujuslibet rei corrumpere.

PRŌBĒ, adv. καλῶς, εὖ, bene, recte, praeclare. *Cic. Or.* 3, 50. Antipater, quem tu probe meministi. *Id. Att.* 13, 6. De aquaeductu probe fecisti. *Id. Fam.* 2, 12. Quod cum probe scirem, utinam, etc. et *ib.* 10. Exercitus satis probe ornatus auxiliis. *Pl. Bacch.* 4, 9, 18. Milites armati atque animati probe. *Id. Most.* 1, 2, 19. Aedes expolitae, factae probe, examussim. *Id. Men.* 3, 2, 1. Probe lepideque concinnatus. *Id. Mil.* 2, 6, 107. Usque adhuc actum est probe. *Id. Rud.* 2, 3, 50. et *Cic. Att.* 5, 1. Probe curare aliquid. *Pl. Trin.* 3, 3, 56. Satis scite et probe. *Tac. H.* 3, 62. Mimos actitavit scite magis, quam probe. *Cic. Att.* 7, 3. Illud probe judicas. *Id. Brut.* 41. De Servio probe dicis. *Id. Off.* 1, 19. Probe definitur a Stoicis fortitudo. ℙ Item valde, vehementer, omnino, praesertim apud comicos. *Pl. Amph.* 1, 1, 126. Appotus probe; et 162. Probe percutere aliquem; et 268. decipere: et 3, 3, 20. errare; et 3, 4, 14. Faxo probe, jam hic deludatur. *Id. Capt.* 3, 4, 102. Pereo probe. *Id. Curc.* 3, 16. Nae ego hic me intus explevi probe. *Id. Ep.* 3, 4, 55. Tibi os est sublitum plane et probe. *Id. Mil.* 5, 4. Vide, ut sit acutus culter probe. *Ter. Heaut.* 5, 3, 18. Convinces facile ex te natum: nam tui similis est probe. ℙ *Probe narras*, bonum nuncium affers, *Ter. Andr.* 5, 6, 6., qui *Eun.* 5, 3, 7. bene narras, et *Hec.* 4, 4, 20. bene nuncias, eodem sensu dixit. ℙ In responsionibus est approbantis, laudantis, applaudentis. *Pl. Most.* 1, 4, 28. Unde agis te? *Ca.* unde homo ebrius. *Philo.* probe; et *Mil.* 4, 4, 9. Miles concubinam intro abiit oratum suam, ab se ut abeat. *Acrot.* eu, probe! *Ter. Eun.* 4, 7, 3. *Thr.* Primum aedes expugnabo. *Gna.* recte. *Thr.* virginem eripiam. *Gna.* probe. *Thr.* male mulcabo ipsum. *Gna.* pulcre. *Id. Ad.* 3, 4, 53. *De.* Hoc facito. *Sy.* recte sane. *De.* hoc fugito. *Sy.* callide. *De.* hoc laudi est. *Sy.* istaec res est. *De.* hoc vitio datur. *Sy.* probissime.

PROBĔAT, prohibeat. V. PROHIBEO *f.*

PROBIANUS, a, um, adj. ad Probum aliquem, nomen proprium, pertinens. *Lampr. Alex. Sev.* 40. Purpura, quae vulgo Probiana dicitur, idcirco quod Aurelius Probus id genus muricis reperisset.

[PROBĪNUS, i, adj. ad Probum aliquem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 169, 7. Julius Probinus. Hinc etiam Sex. Anicius Probinus, Sex. Anicii Petronii Probi filius, Cos. ann. a Chr. n. CCCXCV. *F.*]

PROBĬTAS, atis, f. καλοκἀγαθία, bonitas naturae ac morum, integritas vitae, virtus: ea praesertim, quae modestiam et verecundiam conjunctam habet: unde *improbitas* audaciam, imprudentiamque significat. *Cic. Planc.* 25. *med.* Virtus, probitas, integritas in candidato, non linguae volubilitas, non ars, non scientia requiri solet. *Id. Fam.* 13, 10. Cum separatim de probitate ejus, et moribus dicturus fuissem. *Id. Or.* 1, 26. *extr.* Fuit mirificus quidam in Crasso pudor, qui non modo non obesset ejus orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset. *Tac. A.* 13, 12. Spectatae probitatis femina. *Auct. dial. de Or.* 29. Ipsi parentes nec probitati, neque modestiae parvulos assuefaciunt, sed lasciviae et libertati. *Gell.* 14, 2. Multa exempla probitatis sinceritatisque ejus expromebantur. *Quint.* 6, 4. *med.* Nam est res animi jacentis et mollis supra modum frontis: fallitque plerumque, quod probitas vocatur, quae est imbecillitas.

PRŌBĬTER, adv. probe. *Varr.* ap. *Non.* 1, 72. et 11, 13. et ap. *Prisc.* 15, 1010.

PRŌBLĒMA, ătis, n. πρόβλημα, propositio cum interrogatione, quaestio ad solvendum proposita. *Suet. Gr.* 4. Instituisse et ipsos quaedam genera institutionum ad eloquentiam praeparandam, ut problemata, paraphrases, elocutiones, ethologias. *Sen. Contr.* 1, 3. *med.* Tractare problemata φιλοσοφούμενα. *Gell.* 19, 4. Aristotelis libri sunt, qui problemata physica inscribuntur. *Id.* 3, 6. Aristoteles in septimo problematum; et *ib.* 6. In problematis Aristotelis: pro *problematibus.* V. EMBLEMA.

PROBO, as, avi, atum, a. 1. δοκιμάζω, meo judicio probum, seu rectum esse judico, admitto, approbo, laudo. *Cic. Mil.* 28. Quis est, qui non probet, qui non laudet? *Id. Fam.* 7, 1. *med.* Teque, et istam rationem otii tui laudo vehementer, et probo. *Balb. et Opp.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Amplissimorum virorum consilia ex eventu, non ex voluntate, a plerisque probari solent. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Quos libros tibi tam valde probari, gaudeo. *Id. Att.* 5, 21. *med.* Habes meam causam, quae si Bruto non probabitur, nescio cur illum amemus: sed avunculo ejus certe probabitur. *Id. prooem. Par.* Cato ea sentit, quae non probantur in vulgus. *Id. Fin.* 2, 1. Quod ne in ipsis quidem philosophis magnopere unquam probavi. *Caes. B. C.* 1, 29. Caesar maxime probabat coactis navibus mare transire, et Pompejum sequi. *Plin.* 14, 20, 25. Asia picem Idaeam maxime probat; et 37, 10, 54. de achatis: Sunt qui maxime probent vitream perspicuitatem in his. ℙ *Sil.* 16, 165. stratumque ostro (quem ceperat ipse, Dejecto victor Magone, animique probarat) Cornipedem, *h. e.* compererat generosum, et ardentem. (V. simile loquendi rationem in BROBATUS, DAMNO, LAUDO, LEVO, MIROR.) Alii leg. *animisque.* ℙ Probe factum esse dico. *Pl. Most.* 1, 2, 20. Laudant fabrum atque aedes probant. *Cic. Fam.* 5, 6. *f.* Domum tuam atque aedificationem omnem perspexi, et vehementer probavi. ℙ Hinc curatores operum publicorum eadem *probare* dicuntur, cum a redemptore ex locationis formula recte exstructa esse affirmant. *Liv.* 4, 22. *extr.* Censores villam publicam in campo Martio probaverunt. *Id.* 45, 15. Petentibus (*censoribus*), ut ex instituto ad sarta tecta exigenda, et ad opera quae locassent, probanda, anni et sex mensium tempus prorogaretur; Cn. Tremellius tribunus, quia lectus non erat

in senatum, intercessit. *Inscr.* ad pontem Fabricium ap. *Grut.* 160, 3. L. Fabricius C. F. Cur. viar. faciundum coëravit, idemque probavit; et 167, 9. Murum reficiundum curarunt, probaruntque. Alia Patavii adhuc exstans ad pontem urbis medium. Pontem faciendum De *Decurionum Sententia* locarunt, iidemque probarunt. V. PROBATIO. ℙ Item probum, perfectum, recte factum esse ostendo, et, ut placeat, efficio, persuadeo. *Cic. Att.* 4, 14. (et *Nep. Lys.* 4.) Libros oratorios in manibus habeo, quos, ut spero, tibi valde probabo. *Id. Verr.* 2, 4, 38. Non vereor, ne hoc officium meum P. Servilio non probem. *Id. Quint.* 30. Si causa cum causa contenderet, nos nostram perfacile cuivis probaturos statuebamus. *Id. Div. Verr.* 22. Ut si in hac causa nostrum officium ac diligentiam probaverimus, etc. *Id. Att.* 16, 7. Ergo id erat meum factum, quod Catoni probare non possim, flagitii scilicet plenum, et dedecoris; et *ib. med.* Quibus de meo celeri reditu non probabam. *Plin. ep.* 10, 20. *extr.* Cum omnia facta dictaque mea probare sanctissimis moribus tuis cupiam. ℙ *Probare se alicui*, de se alicui satisfacere, se virum bonum ostendere. *Cic. Fin.* 2, 25. Epicurus multis se probavit. *Id. Lig.* 1. Ligarius legatus in Africam profectus est: qua in legatione et civibus, et sociis ita se probavit, ut, etc. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 4. p. 92. *a. b. ed. Fr.*] ℙ Item planum facio, ostendo, argumentis demonstro, confirmo, *ἀποδείκνυμι*. *Cic. Fl.* 37. *med.* His tu epistolis recitatis, his mulieribus productis, tantum te crimen probaturum putasti? *Id. Verr.* 2, 1, 4. His ego judicibus non probabo, C. Verrem contra leges pecunias cepisse? *Id. Balb.* 21. Paucis ipse verbis causam illam gravitate sua defendit ac probavit. *Ov. Pont.* 1, 1, 56. Ut, sua quid valeant numina, teste probent. *Id. Met.* 2, 91. Pignora certa petis, do pignora certa timendo, Et patrio pater esse metu probor. *Caes. B. G.* 1, 3. Perfacile factu esse illis probat, conata perficere. *Phaedr.* 5, 5. *extr.* Turpemque aperto pignore errorem probans; et 1, 13. Hac re probatur, quantum ingenium valet. *Cic. Tusc.* 5, 1. Hoc difficile est probatu. *Id. Or.* 1, 18. Probas mihi ista, Crasse, quae dicis. ℙ Item tento, experior, exigo, inspicio, an proba res sit. *Petr. fragm. Trag.* 70. *Burm.* Cultros jussit afferri, inspectosque miratus est: etiam nobis potestatem fecit, ut mucronem ad buccam probaremus. *Suet. Caes.* 65. Militem neque a moribus, neque a fortuna probabat, sed tantum a viribus. *Plin.* 12, 14, 32. Tus probatur candore, amplitudine, fragilitate, carbone, ut statim ardeat. *Id.* 17, 5, 3. Terram amaram sive macram, si quis probare velit, demonstrant eas atrae degeneresque herbae. *Id.* 33, 9, 46. Probare denarios. Sic *Afr. Dig.* 46, 3, 39. pecuniam. *Caes. B. G.* 5, 43. Quem locum probandae virtutis tuae exspectas? ℙ Item aestimo, penso, specto. *Ov. Pont.* 2, 3, 8. Vulgus amicitias utilitate probat. *Pl. Trin.* 4, 3, 12. Ex eorum ingenio ingenium horum probant. Adde *Pers.* 2, 2, 30. ℙ Item experiendo comperior. *Pallad.* 12, 7. *f.* Castanea inseritur, sicut probavi ipse, sub cortice mense Martio.

PROBOLE, es, f. *προβολή*, editio, emissio, prolatio: Graeca vox a *προβάλλω*, edo, emitto, profero. *Tert. Praescr.* 46. Deinde infinitas angelorum editiones, et probolas. *Id. adv. Prax.* 8. Si quis putaverit, me *προβολήν*, aliquam introducere, idest prolationem rei alterius ex altera: et *mox:* Prolatus est sermo Dei, an non? Si prolatus est, cognoscere probolen veritatis.

PROBOSCIS, idis, f. *προβοσκίς*, est, ut ait *Non.* 1, 241., Graecum nomen, dictum, quod ante depascat (a *πρὸ*, ante, et *βόσκω*, pasco); et est porrecta corporis pars inhaerens naribus, quae, excepto homine, in aliis animalibus invenitur. *Varr.* ap. *Non. ib.* et 2, 292. Calvum esse factum cricium e pilis albis cum proboscide. ℙ Speciatim dicitur de elephanti rostro. *Plin.* 8, 7, 7. Proboscidem eorum facillime amputari, Pyrrhi proeliorum experimentis patuit. *Flor.* 1, 18. Unius proboscide abscissa, mori posse belluas ostenderat. *Hirt. B. Afr.* 84. Cum elephantus lixam sub pede subditum pondere suo, proboscide erecta vibrantique, stridore maximo premeret, atque enecaret: et *mox:* Quem elephantus proboscide circumdat, atque in sublime extollit armatum.

PROBRACHYS, yos, m. pes metricus quinque syllabarum, constans brevi, et quatuor longis, ut *redundaverunt. Diomed.* 3, 478.

PROBROSE, adv. *ἐπονειδίστως*, cum probro, dedecore, ignominia. *Sen. Contr.* 1, 2. *med.* Probrose leno illam prostituit. *Gell.* 17, 21. *med.* Cum Demostheni, quod fugerat, probrose objiceretur.

[PROBROSITAS, atis, f. probrosa conditio. *Salv. Gub. D.* 3, 9. *med.* In hanc morum probrositatem prope omnis plebs redacta est, ut, etc. *F.*]

PROBROSUS, a, um, adj. *ἐπονείδιστος*, ignominiosus, dedecus afferens. *Cic. Font.* 12. *f.* De quo vos homine, ne ab inimicis quidem, ullum fictum probrosum, non modo crimen, sed ne maledictum quidem audistis. *Hor. Od.* 3, 5, 39. O magna Carthago, probrosis Altior Italiae ruinis! *Suet. Cal.* 11. Naturam saevam atque probrosam indicere. *Tac. A.* 3, 68. Vita probrosus, et opertus infamia; et *ib.* 14, 48. Factitare probrosa carmina adversus aliquem; et *ib.* 2, 50. Probrosis sermonibus aliquem illudere. *Gell.* 1, 5. Maledictis et probrosis compellationibus jactare aliquem; et *Suet. Dom.* 8. Probrosis feminis lecticae usum ademit. *Plin.* 28, 8, 27. Probrosae mollitiei homo. *Id.* 22, 6, 7. Et (quo nihil equidem probrosius duco) vivimus aliena fiducia. *Claud. Mamert. Grat. act. ad Jul.* 19. *f.* Sordidissimum quemque, et probrosissimum adulare.

PROBRUM, i, n. *αἶσχος, ὄνειδος, τὸ ἔλεγχος*, universim dicitur quidquid virtuti consentaneum non est: praecipue vero omne peccatum cum turpitudine ignominiaque conjunctum. *Attius* ap. *Fest.* Qui, nisi probrum, omnia alia indelicta aestimant. *Sall. Jug.* 48. *extr.* Quaecumque dici, aut fingi queunt, ignaviae luxuriaeque probra, in illo exercitu cuncta fuere. *Id. Cat.* 38. Qui ubique probro atque petulantia maxime praestabant. *Cic. Verr.* 2, 3, 69. *med.* Emergere ex paternis probris ac vitiis. *Pl. Curc.* 1, 3, 42. Flagitium, probrumque magnum expergefacis: bene monstrantem pugnis caedis. *P. African.* ap. *Gell.* 7, 11. Omnia mala, probra, flagitia, quae homines faciunt, in duabus rebus sunt, malitia atque nequitia. *Ulp. Dig.* 50, 16, 42. Probrum et opprobrium idem est. Probra autem quaedam natura turpia sunt, quaedam civiliter, et quasi more civitatis: ut puta furtum, adulterium natura turpe est: enimvero tutelae damnari, hoc non natura turpe est, sed more civitatis. ℙ Speciatim est incestum, stuprum, flagitium. *Festus:* Probrum virginis Vestalis ut capite puniretur; vir, qui eam incestavisset, verberibus necaretur, lex fixa in atrio Libertatis, etc. *Cic. Phil.* 2, 38. *f.* Probri insimulasti pudicissimam feminam. *Pl. Amph.* 3, 1, 9. Alcumenam insontem probri Amphitruo accusat. *Id. Truc.* 2, 5, 8. Probrum exsequi. *Id. Mil.* 2, 5, 13. Te alloquor, vitii probrique plena, quae circum vicinos vaga es. ℙ Item metonymice dedecus, ignominia, infamia, quae ex flagitio nascitur. *Caecil.* ap. *Fest.* Ea tum compressa parit huic puerum, sibi probrum. *Pl. Amph.* 2, 1, 30. Nemo id probro ducet Alcumenae. *Sall. Cat.* 23. Q. Curius flagitiis atque facinoribus coopertus, quem censores senatu probri gratia moverant. *Cic. Rosc. Am.* 17. Vita rustica, quam tu probro et crimini putas esse oportere. *Sall. Cat.* 12. Postquam divitiae honori esse coeperunt, paupertas probro haberi. *Gell.* 7, 12. Inter pleraque alia, quae objectabat, id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur manus totas operientibus. *Cic. Coel.* 18. Probrum castis, labem integris, infamiam bonis inferre. *Id. Rosc. Am.* 24. *med.* Sumptus effusi cum probro atque dedecore. *Ter. Ph.* 5, 4, 5. Ego nullo possum remedio me evolvere ex his turbis, quin, si hoc celetur, in metu; sin patefit, in probro siem. *Id. Andr.* 5, 3, 10. Adeon' impotenti esse animo, ut hanc habere studeat cum summo probro? *Ov. Her.* 17, 207. Non ita contemno volucris praeconia famae, Ut probris terras impleat illa meis. *Tac. H.* 1, 48. *med.* Servili probro respersus, tanquam scyphum aureum in convivio Claudii furatus. ℙ Item convicium, maledictum, contumelia. *Cic. Att.* 11, 9. Epistolas mihi legerunt, plenas omnium in me probrorum. *Id. Fl.* 20. *f.* Optimum virum probris omnibus maledictisque vexavit. *Id. Dom.* 29. In isto tuo maledicto probrum non modo mihi nullum objectas, sed etiam laudem illustras meum. *Tac. A.* 11, 37. *extr.* Increpare multis ac servilibus probris. *Sen. Agam.* 980. lacessere. *Flor.* 4, 4. insectari. *Ov. A. Am.* 3, 49. et *R. Am.* 697. Probra dicere alicui. *Liv.* 29, 9. jactare in aliquem. *Gell.* 7, 11. et *Tac. H.* 3, 31. ludibriosa et turpia ingerere. *Id. ib.* 4, 45. jacere. *Id. A.* 13, 14. *extr.* aggerere; et *ib.* 6, 42. fundere; et *ib.* 16, 21. componere; et *ib.* 1, 21. cumulare. *Id. H.* 2, 52. Conviciis ac probris causam caedis quaerebant; et *ib.* 3, 24. Alios pudore ac probris, multos laude et hortatu, omnes spe promissisque accendens. Adde *Liv.* 23, 45. ℙ *Probra*, adjective, probrosa. *Gell.* 9, 2. Hoc potius dolori mihi est, quod istiusmodi animalia spurca atque probra nomen usurpant sanctissimum, et philosophi appellantur. Sunt qui lectionem sollicitant, et *probrosa* legunt.

PROBUS, a, um, adj. *χρηστὸς, ἀγαθὸς*, bonus, integer, rectus, sanctus, frugi: et primo dicitur de homine, quasi *prohibus*, ut ait *Festus*, quia se a delinquendo prohibet. Sunt qui putant esse a *probatus* per sync. *Cic. Or.* 2, 43. *extr.* Ut probi, ut bene morati, ut boni viri esse videantur. *Pl. Most.* 1, 2, 53. Frugi et probum esse. *Id. Trin.* 2, 2, 39. Probus et frugi bonae. *Plin. ep.* 8, 18. Mulier natalibus clara, moribus proba. *Id. ep.* 10, 18. Vir integer, probus, industrius. *Cic. Att.* 10, 7. Modestior rex, et probior et integrior. *Hor. Epod.* 17, 40. tu pudica, tu proba. *Afran.* ap. *Non.* 4, 64. Proba et pudica quod sum. *Cic. Verr.* 2, 3, 69. Ex inerti, atque impuro, et improbo parente navus, et pudens, et probus filius. *Id. Cluent.* 48. Neque enim hoc homine sanctior, neque probior, neque in officiis retinendis diligentior esse quisquam potest. *Pl. Ps.* 1, 5, 23. Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum esse probiorem, quam ipsus fuerit, postulat. *Plin. ep.* 2, 9. et *ep.* 10, 95. Probissimus, honestissimus, eruditissimus vir. ℙ Aliquando est peritus. *Pl. Ps.* 1, 3, 132. Cantores probos! et *Poen.* 4, 2, 93. Probus faber; et *Mil.* 3, 3, 40. architectus. *Ter. Ph.* 2, 1, 29. artifex. ℙ Item navus, strenuus, callidus. *Pl. Ps.* 4, 1, 31. et *Poen.* 3, 2, 5. Probus homo. *Id. Pers.* 1, 3, 43. parasitus. *Id. Poen.* 5, 2, 6. praestigiator. *Id. Truc.* 3, 2, 15. cavillator; et 2, 1, 14. Proba lena; et 2, 1, 20. Nec unquam quisquam probus erit amator, nisi qui rei inimicus est suae. ℙ Item idoneus. *Id. Poen.* 3, 3, 67. Istic est ad istas res probus, quas quaeritas. ℙ Item honestus, pudicus, pudens. *Id. Amph.* 2, 2, 46. Quam cives vero rumificant probam. *Ter. Ad.* 5, 8, 7. Proba et modesta mulier. *Plin.* 7, 12, 10. et 37, 2, 6. Os probum et venerandum Cn. Pompeji. *Suet. Gr.* 15. Lenaeus Pompeji M. libertus tanto amore erga patroni memoriam exstitit, ut Sallustium historicum, quod eum oris probi, animo inverecundo scripsisset, acerbissima satyra laceraverit. Alii hic leg. *improbi:* sed refelluntur tum locis *Plinii* citatis, tum illo *Senecae ep.* 11. Nihil erat mollius ore Pompeji: nunquam non coram pluribus erubuit, utique in concionibus. Dicitur autem *os probum*, quia probitatis signum pudor est. ℙ In illo *Plin.* 11, 37, 60. Et os probum duriusve animal generantibus: pro iis cornea et acuta volucribus rostra: *os probum* est vultus solidus, firmus, osseus. ℙ Saepissime *probus* dicitur de rebus quibuscumque. *Pl. Men.* 1, 2, 23. Hoc facinus pulcrum est, hoc probum est, hoc lepidum, hoc factum est fabre. *Id. Poen.* 4, 2, 93. Proba materies data est, si probum adhibes fabrum. *Id. Mil.* 3, 1, 165. Probus hic conger frigidus. *Id. Cas.* 5, 4, 2. Proba occasio. *Id. Poen.* 1, 2, 129. merx. *Id. Rud.* 3, 5, 20. Affer huc duas clavas, sed probas. *Colum. Arb.* 3. *med.* Probus ager, et *f.* sapor; et 8, 2. *med.* color. *Cic. Acad.* 4, 31. *med.* Probum navigium. *Id. Or.* 51. Probae res: quae in oratione ponuntur: quibus opponit *ib.* leves sententias. *Pl. Pers.* 4, 3, 57. et *Liv.* 32, 2. Probum argentum, i. e. probatum, purum. Sic *Pl. Pers.* 3, 3, 33. Probi nummi. *Sen. ep.* 19. *f.* Nec voles quod debeo, nisi in aspero et probo accipere. ℙ *Proba oratio*, sermo probitatis et honestatis plenus. *Cic. Or.* 22. *med.* Poeta peccat, cum probam orationem affingit improbo, stultove sapientis.

PROCACIA, ae, f. procacitas, audacia in petendo. *Auson. ep.* 22. Quod nihil poscente me abnuis, magis auget procaciam, quam retundit.

PROCACITAS, atis, f. *αὐθάδεια*, petulantia. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 1, 89. et 92. deducit a *procando*, idest poscendo, his verbis: Itaque a petendo petulantia; a procando, idest poscendo, procacitas nominata est. V. PROCO. *Tac. H.* 3, 11. Ut olim virtutis, modestiaeque, tunc procacitatis et petulantiae certamen erat, ne minus violenter Aponium, quam Flavianum ad supplicium deposcerent. *Nep. Timol.* 5. Huic quidam homo petulans et ingratus vadimonium cum vellet imponere, et complures concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coercere conarentur, etc. *Mart.* 2, 41. Et convivia nequiora vita, Et quidquid lepida procacitate Laxat perspicuo labella risu. *Colum.* 8, 2. *extr.* Procacitas galli gallinacei impedienda ampullaceo corio, *h. e.* nimia coeundi libido.

PROCACITER, adv. *ἀκολάστως*, proterve, petulanter. *Curt.* 8, 1. *med.* Finem procaciter orto sermoni imponere. *Liv.* 28, 24. Procacius stipendium flagitare, quam ex modestia militari. *Tac. A.* 5, 4. Exercentibus plerisque per occultum, atque eo procacius, libidinem ingeniorum. *Curt. l. c.* Procacissime patris tui memoriam illudunt.

PROCALARE, provocare: ex Graeco *καλεῖν*. *Festus.*

PROCAPIS, progenies, quae ab uno capite procedit. *Paul.* ex *Festo.*

PROCAS et Proca, ae, m. *Πρόκας*, filius Aventini, decimus tertius rex Albanorum. Habuit duos filios, Numitorem, et Amulium Romuli avum. Annos viginti tres regnavit. *Ov. Met.* 14, 622. Jamque Palatinae summam Proca gentis habebat. *Virg. A.* 6, 767. Proximus ille Procas, Trojanae gloria Gentis. Ubi *Serv.* dicit, duodecimum regem fuisse.

PROCATIO, onis, f. actus procandi, seu maritum sibi aliquem petendi. *Appul. Apol.* Cum in hoc statu res esset inter procationem matris, et metum filii, etc. *h. e.* dum mater vidua nupturiret, et filius metueret, ne ipsa in futuri mariti domum divitias suas conferret.

PROCAX, ācis, adj. omn. gen. *αὐθάδης, φιλοσκώπτης, ἀσελγής*, primo et proprie est valde impudens in petendo: a *proco, as:* et dicitur v. gr. de meretrice, quae usque ingerit, da mihi, affer mihi, ut ait *Ter. Heaut.* 2, 1, 11. [*Cf. *Doederl.* 3, 39. sq. De discrimine inter hoc vocab. et *lascivus, protervus* et *petulans* v. in h. v.] Deinde impudens in re quacumque, audax, mordax, dicax, obscena aperte effutiens. *Cic. Coel.* 20. Si ita sese geret, ut non solum meretrix, sed etiam procax videatur. *Pl. Pers.* 3, 3, 6. Leno procax, rapax, trahax. *Id.*

Truc. 1, 2, 52. Procaciores estis vos *(meretrices)*, sed illi *(publicani)* perjuriosi. *Sen. Ag.* 209. Procacem manum armare, *h. e.* caedis immodice appetentem. *Plin.* 22, 6, 7. Excogitavit *(natura)* aliquas *(herbas)* aspectu hispidas, tactu truces, ne procaces manus rapiant. *Catull.* 61, 126. Neu diu taceat procax Fescennina locutio. *Sall. Cat.* 26. Sermo procax. [*V. *Kritz.* ad h. l.] *Hor. Sat.* 2, 6, 66. vernaeque procaces. *Mart.* 5, 2. Nequitiae procaciores. *Phaedr.* 1, 2. Procax libertas. *Tac. A.* 1, 72. Viros feminasque illustres procacibus scriptis diffamaverat. *Cic. Fam.* 7, 13. *f.* Scio, te non esse procacem in lacessendo. *Tac. H.* 2, 87. Procacissima, etiam inter severos, lixarum ingenia; et *ib.* 23. *med.* Ut quisque animo ignavus, procax ore; et *ib.* 4, 20. Procax ante periculum manus. *Id. A.* 14, 15. Procax ingenio; et *ib.* 1, 16. lingua. *Id. H.* 3, 62. moribus. *Colum.* 7, 3. Aries, cum sentiat se velut quodam naturali telo capitis armatum, frequenter in pugnam procurrit, et fit in feminas quoque procacior. ℙ Cum gen. *Tac. A.* 13, 46. *extr.* Procax otii, et potestatis temperantior, *h. e.* in otio petulans, in magistratu moderatior. ℙ Translate. *Plin.* 14, 1, 3. de vitib.: Maritas populos complexae, atque per ramos earum procacibus brachiis scandentes; et *Virg. A.* 1, 539. nimbosus Orion In vada caeca tulit, penitusque procacibus Austris Perque undas, superante salo, perque invia saxa Dispulit, *h. e.* procellosis, praecipitibus. In *Gloss. Philox.* procax προπετὴς etiam vertitur.

PROCĔDO, is, essi, essum, n. 3. *προβαίνω, πρόειμι*, ante cedo, progredior. *Cic. Fam.* 16, 9. A portu Corcyraeorum ad Cassiopen stadia CXX. processimus. *Hirt. B. G.* 8, 27. *med.* Equitatus procedit ante agmen. *Pl. Cas.* 3, 3, 2. Procedere ad forum; et *Plin.* 9, 30, 50. Locustae in pavore oblique in latera procedunt. *Id.* 8, 32, 50. Cervi quamdiu cornibus carent, noctibus procedunt ad pascua. *Pl. Capt.* 5, 2, 1. Age tu, illuc procede, bone vir. ℙ Passive impersonaliter. *Caes. B. C.* 3, 34. Tentandas tibi provincias longiusque procedendum existimabat; et *ib.* 1, 80. Lente atque paulatim proceditur. *Liv.* 25, 21. Qua temeritate processum in aciem est. ℙ De agmine, aut pompa incedente. *Ter. Andr.* 1, 1, 101. Funus interim procedit: sequimur. *Sil.* 7, 91. tacito procedens agmine. *Id.* 6, 443. Haec est, unde ingens, humeris fulgentibus ostro, Vidisti Latios consul procedere fasces. *Claud. III. cons. Honor.* 8. procede secundis Alitibus, Phoebique novos ordire meatus. *Sil. cit. l.* 6. et *Claud.* loquuntur de ingenti amicorum comitatu, quo consul primo initi consulatus die ex aedibus in Capitolium vota nuncupaturus deducebatur. ℙ *Procedere* etiam dicimus, quae extenduntur, et procurrunt. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 4. Ita ut in pedes binos fossa procedat. *Id.* 5, 29, 30. Lydia super Ioniam procedit. *Id.* 4, 2, 3. Promontorium, quod contra Peloponnesum procedit. *Cels.* 8, 1. *med.* Cubitus rotundus in extremo, parte altera paululum procedit. ℙ Translate. *Prop.* 2, 8, 13. Nunc volo subducto gravior procedere vultu, *h. e.* gravius gerere me, et res magis serias tractare. *Petr. Sat.* 2. Quis postea ad summam Thucydidis, quis Hyperidis ad famam processit? *h. e.* progrediendo pervenit. *Cic. Phil.* 5, 18. An hoc vidit puer; si aetate processerit, non videbit? *Id. Har. resp.* 23. Longius processit: in ipsum Cn. Pompejum invehi coepit. *Id. Brut.* 48. *extr.* Is processisset honoribus longius, nisi semper infirma valetudine fuisset; et *ib.* 36. L. Cotta non multum dicendi laude processerat. *Id. Fin.* 3, 2. Cum in philosophia tantum processeris; et *Plin. ep.* 8, 6. Ambitio et procedendi libido, i. e. majores honores adipiscendi. *Virg. A.* 5, 461. procedere longius iras. *Cic. Fam.* 11, 25. Non imitor *λακωνισμὸν* tuum: altera jam pagella procedit. *Sall. Jug.* 24. Ubi plerumque noctis processit, castra invadunt. Sic *Virg. A.* 3, 356. Jamque dies alterque dies processit. *Cic. Tusc.* 3, 22. Dies procedens mitigat aegritudinem; et *Plin. ep.* 6, 31. *f.* Saxa, quae procedente tempore enatam insulam imitentur. Adde *ep.* 3, 20. et *Plin. alter* 11, 16, 16. *Sall. Jug.* 5. Eo vecordiae processit, ut, etc. *Vell.* 2, 80. Processit in id furoris, ut, etc. *Cic. N. D.* 2, 58. *extr.* Perspicuum est, quo compositiones unguentorum, quo ciborum conditiones, quo corporum lenocinia processerint; et *Plin.* 8, 22, 34. Mirum est, quo procedat Graeca credulitas. *Colum.* 5, 3. *f.* Ne in infinitum procedat disputatio nostra. *Cic. Fin.* 1, 9. Constituam, quid, et quale, etc. ut ratione et via procedat oratio; et *Liv.* 25, 5. *med.* Ut qui minores septem et decem annis sacramento dixissent, iis perinde stipendia procederent, ac si, etc. *h. e.* ut anni, quos militabant, ad honestam missionem prodessent. Adde 5, 7. ℙ Hinc illa *procedere* dicuntur, quae in utilitatem alicujus cedunt, prosunt, juvant. [*V. *Drak.* ad *Liv.* 2, 44. 2.] *Cato R. R.* 148. Quot dies per dominum mora fuerit, quo minus vinum degustet, totidem dies emptori procedent. *Sall. Jug.* 87. Benefacta mea reipub. procedunt. *Ov. Her.* 9, 109. Illi procedit rerum mensura tuarum. Cede bonis: heres laudis amica tuae; et *Val. Fl.* 8, 458. Procedit non gentis honos, non gloria magni Solis avi, non barbaricae decor ille juventae. ℙ Item quae valent, locum habent. *Paul. Dig.* 5, 3, 32. Per servum acquisitae res heredi restituendae sunt: quod procedit in hereditate liberti, etc. *Ulp. ib.* 24, 1, 11. Quod ita procedit, si ea, cui donabatur, eum interposuit. *Varr. R. R.* 2, 2. Pretio facto in singulas oves, ut agni chordi duo pro una ove annumerentur: et si cui vetustate dentes absunt, item binae singulis ut procedant, *h. e.* cedant pro singulis. Vel adludit ad morem numerandi gregis: quia, ut ait *P. Victorius*, includitur is in septo, et dum procedit, seu egreditur, numeratur. ℙ *Procedere*, proficisci, venire. *Imp. Justin. Cod.* 7, 37, 3. Res, quae a sacratissimis imperatoribus, non a fiscalibus rebus, sed ex privata eorum substantia procedunt. ℙ Interdum est evenire, accidere. *Pl. Most.* 4, 3, 7. Nunquid processit ad forum hodie novi? ℙ Saepius bene, aut male cadere, cedere. *Cic. Or.* 1, 27. Nonnunquam summis oratoribus non satis ex sententia eventum dicendi procedere. *Id. Phil.* 13, 19. Pergit in mea maledicta, quasi vero ei pulcherrime priora processerint. *Id. Rab. Post.* 1. Cui bene quid processerit, multum eum providisse dicimus. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 12. Quibus cum parum procederet, ut ulla lege mihi ponerent accusatorem, etc. *Cic. Fam.* 12, 9. Omnia prospere procedent. *Val. Antias* ap. *Gell.* 1, 7. Haruspices dixerunt, omnia ex sententia processurum. ℙ Absolute, bene evenire, succedere. *Cic. Verr.* 2, 3, 98. Annona pretium, nisi in calamitate fructuum, non habet: si autem ubertas in percipiendis fructibus fuit, consequitur vilitas in vendendis: ut aut male vendendum intelligas, si processit; aut male perceptos fructus, si recte licet vendere. *Liv.* 24, 26. Si Andranodoro consilia processissent. *Pl. Pers.* 1, 3, 34. Mane quod tu occoeperis, id totum procedit diem. *Tac. A.* 15, 60. Ut ferro grassaretur, quando venenum non processerat. *Ter. Ad.* 5, 9, 22. Syre, processisti hodie pulcre. V. PROVENIO. [*Huc pertinet etiam locus *Sall. Cat.* 32, 1. quod neque insidiae Consuli procedebant: ubi v. *Kritz.*] ℙ Frequenter significat egredi, prodire. *Pl. Ps.* 2, 2, 12. Foribus foras procedere. *Virg. A.* 12, 169. procedere castris. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 170. undis. *Caes. B. G.* 5, 43. Procedit extra munitiones. *Cic. Verr.* 2, 5, 36. Procedit in medium vini somni plenus. *Id. Brut.* 9. *med.* Procedere e tabernaculo in solem. *Plin.* 11, 18, 20. Plebs apum moeret ignavo dolore, non cibos convehens, non procedens. *Id.* 7, 8, 6. In pedes procedere nascentem, contra naturam est. *Ulp. Dig.* 48, 22, 9. Potest praeses quendam damnare, ne de domo sua procedat. *Ov. Met.* 14, 46. media procedit ab aula. *Cic. Div.* 1, 52. *med.* Caesar quo die primum cum veste purpurea processit. *Id. Sext.* 31. *f.* Obviam alicui procedere. ℙ Pro apparere, exoriri, exsistere. *Virg. Ecl.* 9, 47. Ecce Dionaei processit Caesaris astrum; et *ib.* 6, 86. invito processit vesper Olympo. *Cic. Div.* 1, 39. Postea quam philosophia processit, nemo aliter philosophus sensit. ℙ De plantis germinantibus, et provenientibus. *Colum.* 4, 22. Plerumque germen de cicatrice procedit: quod sive longius prosiluerit, in flagellum submittitur, etc. *Varr. R. R.* 1, 23. *f.* Antequam radices longius procedere possint. *Pall.* 7, 5. Gemma, quae bene apparebit, sine dubio processura.

PROCELEUSMĂTĬCUS pes, *προκελευσματικὸς*, pes ex quatuor syllabis brevibus constans, ut *Abiete, Retulerat*, etc. Aliqui dictum volunt a *πρὸ*, ante, et *κελεύω*, jubeo, quasi primitus jussum, eo quod in sacris Minervae carmen quoddam hoc pedum genere constans primo loco cani jubebatur. Hinc Proceleusmaticum metrum, quod (teste *Mar. Victorino* 2546.) recipit prima, et secunda, et tertia sede proceleusmaticum pedem, quarta tribrachyn aut anapaestum. *Diomed.* 3, 513. Proceleusmaticum metrum est, quale fecit Serenus: Animula miserula properiter obiit. Lege *abiit*. Adde *Auson. Parental.* 27.

PROCELLĂ, ae, f. *θύελλα, ἄελλα*, vis venti cum pluvia, ut definit *Isid. Or.* 13, 11. *f.* et *Serv.* ad *A.* 1, 89., (quamquam et sine pluvia ventus vehemens ita appellatur. V. *Sen. Q. N.* 5, 12.) praesertim in mari et fluminibus: a *procello:* vel a *προθύελλα*, quod idem sonat. *Plin.* 2, 49, 50. Procella distat latitudine ab utroque *(nempe* a vortice, et a turbine) disjecta nube verius, quam rupta. V. *l. ejusd. c.* in ECNEPHIAS. *Cic. N. D.* 3, 20. Imbres, nimbi, procellae, turbines. *Virg. l. c.* Una Eurusque, Notusque ruunt, creberque procellis Africus; et *ib.* 106. stridens Aquilone procella Velum adversa ferit. *Hor. Od.* 3, 29, 57. si mugiat Africis malus procellis. *Id. ib.* 2, 9, 2. mare Caspium Vexant inaequales procellae. *Pl. Trin.* 4, 1, 17. Imber, fluctusque, atque procellae frangere malum, ruere antennas, scindere vela. *Lucr.* 6, 123. Cum subito validi venti collecta procella Nubibus intorsit sese, conclusaque ibidem Turbine versanti, magis ac magis undique nubem Cogit; et *ib.* 445. Hic *(ventus)* ubi se in terras demisit, dissolvitque, Turbinis immanem vim provomit, atque procellae. *Ov. Trist.* 4, 6, 35. Procellae praecipites; et *ib.* 1, 1, 85. cymba semel vasta percussa procella; et *ib.* 5, 5, 17. navis quassata procella. *Mart.* 9, 41. Dispersa rate tristibus procellis. *Lucan.* 5, 612. aequora rapta procellis. *Catull.* 25, 4. de fure: Thalle, turbida rapacior procella. *Id.* 64, 59. Irrita ventosae linquens promissa procellae. *Flor.* 4, 2. *med.* Quinam ille horror, cum eodem tempore fluctus, procellae, viri, naves, armamenta confligerent? *Petr. Sat.* 114. Illum quidem vociferantem in mare ventus excussit, repetitumque infesto gurgite procella circumegit atque hausit. ℙ De vento terrestri. *Ov. de nuce* 163. Atque utinam subitae raperent mea poma procellae. *Sen. Octav.* 897. Quatiunt altas saepe procellae domos. *Curt.* 3, 13. Procella subito nivem effuderat. ℙ Translate dicitur de impetu pugnantium (praesertim equitum, qui celerius feruntur in aciem adversam) et impressione hostem procellentium. *Liv.* 30, 18. Equestrem procellam excitemus oportet, si turbare, ac statu movere volumus. *Id.* 29, 2. Procella equestri hostem circumfundere. *Id.* 37, 41. *f.* Hac velut procella ita consternavit equos, ut, etc. *Tac. H.* 3, 53. Legiones equestri procella, mox peditum vi fundere. ℙ Translate de adversa pugna. *Flor.* 2, 6. Ticino Trebia succedit. Hic secunda belli Punici procella desaevit. *Lucan.* 8, 203. Sparsus ab Emathia fugit quicumque procella. ℙ De quavis turba, impetu, et aggressione, vi ingruente, discrimine, molestia, aerumna. *Nep. Att.* 10. *f.* Ex tot tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit. *Cic. Mil.* 2. Equidem ceteras tempestates et procellas in illis dumtaxat fluctibus concionum semper putavi Miloni esse subeundas. *Id. Cluent.* 56. Vita tranquilla et quieta, remota a procellis invidiarum. *Liv.* 2, 1. Plebs agitari coepta tribuniciis procellis. *Id.* 28, 25. Seditionum procellae. *Cic. Dom.* 53. *med.* Tu procella patriae, turbo ac tempestas pacis atque otii. *Id. Verr.* 1, 3. Ut quoniam criminum vim subterfugere nullo modo poterat, procellam temporis devitaret. *Sen. Ag.* 594. Procella impotens Fortunae. *Virg. A.* 7, 594. Frangimur, heu! fatis, inquit, ferimurque procella. ℙ In bonam partem. *Quint.* 11, 3. Hoc praecipit Homerus Ulyxis exemplo, quem stetisse oculis in terram defixis, immoto sceptro, priusquam illam eloquentiae procellam effunderet, dicit. *Homeri* versus, ad quem *Quint.* respicit, est *Iliad.* 3, 222. *Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν.*

PROCELLO, is, a. 3. idem quod percello, permoveo, propello, everto: a *κέλλω*, moveo. *Prop.* 3, 6, 3. Dum furibunda mero mensam procellis, et in me Projicis insana cymbia plena manu. Alii leg. *propellis*, improbante *Broukusio*, qui et illud *Servii* affert ad *A.* 1, 89. Dicta procella, quod omnia procellat, hoc est moveat. Ubi alii leg. *percellat;* et *Gloss. Philox.* Procello, *περιτρέπω, h. e.* impello, everto. ℙ *Procellere se* est in anteriorem partem se movere. *Paul.* ex *Festo:* Procellunt, procumbunt. *Pl. Mil.* 3, 1, 167. Sed procellunt se, et procumbunt dimidiati, dum appetunt. Ita MSS. et vet. edit. Alii *percellunt.* Loquitur *Pl.* de iis, qui mensae accumbentes, imminent ferculis, et ipsum corpus extendentes patinis quasi incumbunt, et cupide inhiant.

[PROCELLOSE, adv. turbide, in morem procellae. *August. Conf.* 13, 20. Genus humanum profunde curiosum, et procellose tumidum. *F.*]

PROCELLOSUS, a, um, adj. *ἀελλώδης, θυελλήεις*, procellis agitatus. *Liv.* 40, 2. Ver procellosum eo anno fuit. *Colum.* 9, 4. Apricus et minime procellosus coeli status. *Sen. Med.* 411. et *Val. Fl.* 3, 621. Procellosum mare. ℙ Item procellam inducens. *Liv.* 28, 6. et *Ov. Her.* 2, 12. et *Amor.* 2, 6, 44. Procellosus ventus. ℙ Sup. *Procellosissimus* ap. *August. C. D.* 5, 22. *extr.* Procellosissimum pelagus.

PROCER. V. PROCERES.

*PROCERASTIS, opp. Bithyniae, postea Chalcedon dictum. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

PROCĔRĔ, adv. *μακρὰν*, longe, in longum. Comparativum habet *Cic. Or.* 3, 59. Brachium procerius projectum, quasi quoddam telum orationis.

PROCĔRES, um, m. plur. *Serv.* ad *A.* 1, 744. ex *Varr.* sunt capita trabium, vel mutuli extra parietem prominentes. De notatione V. *Voss. Etym.* Hinc ita dicti viri primarii in quovis ordine, principes in civibus, *ἔξαρχοι, πρωτοπολῖται, πρωτάρχοντες. Cic. Fam.* 13, 15. Audiebam enim nostros proceres clamitantes. *Liv.* 1, 45. Proceres Latinorum. *Pl. Bacch.* 4, 9, 130. Fit vasta Troja: scindunt proceres Pergamum, *h. e.* principes Graeciae, fortissimi militum, qui in equo fuerant inclusi. *Tac. A.* 14, 53. Ego equestri et provinciali loco ortus, proceribus civitatis annumeror. *Virg. A.* 3, 58. Delectos populi ad proceres, primumque parentem Monstra Deum refero. *Sil.* 11, 141. Paulumque idem inter proelia, et idem Flaminium, proceres rerum demiserit umbris. *Lucan.* 7, 69. Proceres castrorum. *Id.* 8, 261. In procerum coetu tandem moesta ora resolvit. *Plin.* 17, 1, 1. Caecina Largus e proceribus. ℙ Negant grammatici *Charis., Diomed., Phocas*, etc. in singulari num. usurpari. *Juven.* tamen 8, 26. Agnosco procerem. *Capitol.*

Maxim. 2. In pueritia fuit pastor, nonnunquam procer, qui latronibus insidiaretur, *h. e.* dux et princeps ad insectandos latrones. *Ignarra de phratr.* p. 200. putat legend. Graecis litteris πρόχειρ pro πρόχειρος, manu promptus, quo quidem epitheto Maximini dexteritas maxime commendatur. Infrequens enim non est, sequioris praesertim aetatis scriptores Graecas voces Latinis aliquando immiscuisse. ℙ Translate. *Plin.* 29, 1, 8. Proceres artis ejus, *h. e.* medicinae: medicorum principes. *Id.* 7, 30, 31. sapientiae. *Id.* 9, 17, 30. gulae. *Id.* 35, 11, 40. *n.* 32. Hactenus indicatis in genere utroque *(pingendi)* proceribus. *Colum.* 9, 9. *med.* de apib.: Sunt saepe plures unius populi duces, et quasi procerum seditione plebs in partes diducitur.

PROCĔRĬTAS, atis, f. μῆκος, longitudo. *Cic. N. D.* 2, 47. *extr.* Aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant. Quae autem altiora sunt, ut anseres, ut cycni, ut cameli, adjuvantur proceritate collorum. *Plin.* 8, 15, 16. Alces, ni proceritas aurium, et cervicis distinguat, jumento similis. *Id.* 16, 6, 8. Pediculi *(glandis)* proceritas brevitasque differentiam habet; et 17, 13, 21. Proceritas rubi. *Cic. Or.* 63. Fluit omnino numerus a primo tum incitatius brevitate pedum, tum proceritate tardius, *h. e.* cum plures syllabae producuntur. ℙ Item altitudo: et praecipue staturae. *Cic. Coel.* 15. *med.* Candor hujus te, et proceritas, vultus oculique perpulerunt. *Plin. ep.* 1, 10. Proceritas corporis, et decora facies. Sic *Just.* 13, 1. *med.* Formae pulcritudo, et proceritas corporis; et *Tac. A.* 12, 44. Rhadamistus decora proceritate, vi corporis insignis. *Id. ib.* 4, 57. de Tiberio: Quippe illi praegracilis, et incurva proceritas. *Gell.* 9, 11. Dux Gallorum vasta et ardua proceritate. *Suet. Vit.* 17. Erat in eo enormis proceritas, venter obesus, etc. *Appul. Met.* 5. Remigio plumae raptum maritum proceritas spatii fecerat alienum: *scil.* altitudo in sublime se propientis. ℙ De plantis. *Cic. Sen.* 17. Cum admiraretur et proceritates arborum, et directos in quincuncem ordines. *Tac. H.* 5, 6. Palmetis est proceritas et decor. *Plin.* 17, 4, 3. Nec semper aquosa est terra, cui proceritas herbarum. *Id.* 16, 14, 25. Tilia proceritate perquam modica. *Id.* 12, 25, 54. Proceritas balsami intra bina cubita subsistit.

PROCĔRĬTŪDO, inis, f. proceritas. *Solin.* 1. *med.* Corruptam degeneri successione subolem nostri temporis, per nascentium detrimenta decus veteris proceritudinis perdidisse. *Adde *Auct. Itin. Alex.* 112. ed. *A. Maio.* Adde *c. ult.* et *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 1, 31. ed. eodem *Maio. B. A.*

PROCĔRŬLUS, a, um, adj. dimin. aliquantum procerus, longiusculus. *Appul. Flor. n.* 15. Bathylli manus tenerae, procerulae: laeva distantibus digitis nervos molitur, dextera psallentis gestu pulsabulum citharae admovet.

PROCĔRUS, a, um, adj. μακρὸς, longus, porrectus, productus, prolixus. De notatione V. *Voss. Etym. Varr. R. R.* 2, 1. *med.* [*Inter varias, quas *Voss.* hujus vocis originationes profert, illud verum videtur: Seu a *procello*, unde et *procella; procera* enim apta sunt alia *procellere.* Assentitur *Doederl.* 2, 96. sq. ubi v. quae de differentia hujus vocis a *celsus* magna cum elegentia, ingeniique acumine disputata leguntur.] Sues procero corpore, capitibus ut sint parvis. *Cic. N. D.* 1, 36. *med.* Aves corneo proceroque rostro. *Id. Brut.* 91. Procerum, et tenue collum. *Lucr.* 4, 824. proferre viai Proceros passus. *Colum.* 6, 1. Boves cornibus proceris, ac nigrantibus, et robustis. *Hor. Sat.* 2, 2, 36. Proceros odisse lupos. *Plin.* 8, 34, 52. Thoes: luporum id genus est, procerius longitudine, brevitate crurum dissimile; et *ib.* 45, 10. Procerior cauda. *Id.* 11, 43, 99. dextera. *Id.* 9, 35, 56. Procerioribus unionibus sua gratia est: elenchos appellant, fastigata longitudine. *Id.* 19, 5, 24. Procerae cucurbitae. *Gell.* 1, 1. Modus, spatiumque plantae Herculis procerius. *Cic. Or.* 3, 48. Post anapaestus, procerior quidam numerus, effloruit. *Diomed.* 2, 423. ex *Varr.* Syllabae procerae sunt, quae vocalem longam habent in paenultima, ut *facultas.* ℙ Item altus, celsus, cum de statura sermo est. *Ov. Met.* 13, 790. de Galatea: Floridior pratis, longa procerior alno. *Plin. ep.* 4, 9. *f.* In procero corpore moesta et squalida senectus. *Tac. A.* 7, 64. Procera membra; et *ib.* 15, 72. et *H.* 4, 1. Habitu procerus. *Id. H.* 4, 14. Est plerisque procera pueritia. *Suet. Vesp.* 23. Homo procerae staturae. *Id. Aug.* 73. Usus est calceamentis altiusculis, ut procerior, quam erat, videretur. *Id. Cal.* 47. Galliarum procerissimum quemque. *Sil.* 15, 717. Procerae stabant, Celtarum signa, cohortes. ℙ De plantis. *Catull.* 64, 289. recto proceras stipite lauros. *Cic. Leg.* 1, 5. Procerissimae populi. *Plin.* 17, 4, 3. Quid enim abiete procerius? *Ov. Her.* 16, 107. et *Plin. ep.* 5, 6. Procerae silvae. ℙ Item in altum extensus, sublatus. *Catull.* 64, 261. Plangebant aliae proceris tympana palmis. ℙ [*Proceriores, um*, absolute, videntur fuisse genus militum proceritate aliis praestantium, quos hodie recte nuncupaveris *granatieri. Inscr.* ap. *Mur.* 800, 2. Bulpar veteranus ex procerioribus. *F.*]

[PROCESSĀNUS, a, um, adj. ad Processum aliquem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 530, 9. M. Aurelius Processanus. *F.*]

PROCESSĬO, onis, f. idem quod processus. *Cic. Manil.* 9. Ex iis locis a militibus nostris reditus magis maturus, quam processio longior quaerebatur. Alii leg. *processus.* [*Orell.* vulg. exhibet.] *Veg. Mil.* 2, 22. Cornicines canunt, quod in omnibus exercitiis et processionibus custoditur. *Capitol. Pert.* 11. Cum Pertinax eo die processionem, quam ad Athenaeum paraverat, ut audiret poetam, ob sacrificii praesagium distulisset.

PROCESSUS, a, um, part. a *procedo:* qui processit. *Hirt. B. Afr.* 75. Caesar processus a suis castris millia passuum quinque. Alii rectius leg. *progressus. Scrib. Comp* 100. In processa aetate.

PROCESSUS, us, m. πρόβασις, actus procedendi, progressio, progressus. *Virg. G.* 3, 504. Sin in processu coepit crudescere morbus. *Sen. Ben.* 3, 29. Quidquid est, quo timentur inclyti amnes, quo nominantur, in processu paraverunt. *Appul. de Mundo:* Hinc illi septem motus, processus et retrocessus, sursum deorsum, etc. *Rut. Itin.* 1, 439. Processu pelagi jam se Capraria tollit. V. l. *Cic.* in PROCESSIO. *Prud. Cath.* 7, 121. Ternis dierum ac noctium processibus, *h. e.* triduo et trinoctio. ℙ Processus est etiam ipsa pompa, qua Augusti, et consules, cum primum in Capitolium Kal. Januariis ad nuncupanda vota magno magistratuum comitatu pergere solebant. Hinc *Felix processus consulat. Aug. N.* toties legitur in nummis Romanis, in quibus videre est ipsum Augustum consularibus insignibus ornatum, et quadrigis, seu sejugibus vectum ingredi, quod post Trojani tempora usuvenisse constat, cum antea ipsi consules pedibus eo die Capitolium ascendere soliti fuissent. V. *Eckhel. D. N. V.* T. 8. p. 335. ℙ Ap. medicos est caput ossis prominens, et procurrens in eum saepe usum, ut alterius ossis cava extremitate excipiatur, ἀκρώμιοις. *Cels.* 8, 1. Maxil lae partes extremae quasi bicornes sunt. Alter processus infra latior, etc. ℙ Translate est profectus, incrementum. *Cic. Brut.* 65. *f.* Gradus tuos, et quasi processus dicendi studeo cognoscere; et *ib.* 78. *med.* Itaque tantos processus efficiebat, ut evolare, non excurrere videretur. *Attejus Philol.* ap. *Suet. Gr.* 10. Se in Graecis litteris magnum processum habere, et in Latinis nonnullum. *Ov. Trist.* 4, 5, 25. Sic tua processus habeat fortuna perennes. *Juven.* 1, 38. in coelum quos evehit optima summi Nunc via processus. *Quint. decl.* 3, 9. In diem sperare etiam processus potest: pro hoc merito accipiet fortasse vitem. *Sen. Tranq.* 2. *med.* Ex hac aversatione alienorum processuum, et suorum desperatione obirascens fortunae animus, et de saeculo querens, etc. *Id. Consol. ad Polyb.* 28. Inimica semper alienis processibus invidia. *Licin. Ruf. Dig.* 24, 1, 41. Imperator Antoninus constituit, ut ad processus viri uxor ei donare possit. ℙ Item successus, eventus. *Sen. ep.* 115. *f.* Queruntur et de consiliis, et de processibus suis.

PROCESTRĬA dicuntur, quo proceditur in muro. Aelius procestria aedificia dixit esse extra portam. Artorius procestria, quae sunt ante castra: etiam qui non habent castra, propugnacula, quibus pro castris utuntur, aedificant. *Paul.* ex *Festo.* In quodam MS. legitur *procastria.* Sic in *Gloss. Philox.* Procastria, οἰκήματα πρὸ παρεμβολῆς. Et, Haec procastria, singulare non habet, οἱ περὶ τῶν παρεμβολῶν τόποι. Et, Procastrium, ὁ πρὸ τῆς παρεμβολῆς τόπος. In iisdem *Gloss.* παρεμβολαὶ sunt castra. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Post hanc *(coenationem)* cubiculum cum procestrio. Alii rectius leg. *procoetone.*

PROCHOS Agrios, πρόχος ἄγριος, herba saxifraga ap. *Appul. Herb.* 97. Eadem videtur esse quae et scolibrochos dicitur.

PROCHYTA, ae, et Prochyte, es, f. Προχύτη, insula maris Tyrrheni, in ora Campaniae, in sinu Puteolano, Aenariae proxima, angusto freto discreta, cui olim juncta fuisse putatur. Dicta est quasi profusa, a προχέω, profundo, quod emerserit provolutis in mare montibus. Narrant enim, Aenariae montem terraemotu concussum insulam hanc fudisse. *Plin.* 2, 88, 89. et 3, 6, 12., ubi refellit eos, qui putarunt, Prochytam dictam esse a nutrice Aeneae ejusdem nominis. *Virg. A.* 9, 715. Tum sonitu Prochyta alta tremit. *Ov. Met.* 14, 89. Inarimen, Prochytenque legit. V. *Serv.* ad h. l. *Sex. Aurel. Vict. de orig. Gent. R.* 10. scribit, Prochytam fuisse Aeneae cognatione conjunctam.

PROCĬDENS, entis, part. a *procido*, προπίπτων, qui procidit. Procidens membrum in corpore quomodo dicatur, V. in v. sq. *Plin.* 24, 13, 73. Mora imponuntur oculis procidentibus; et *ib.* 12, 67. Pastilli ex acacia sistunt vulvam, et sedem procidentes. *Id.* 22, 25, 70. Lens glutinat interanea procidentia, *h. e.* enterocelas. *Id.* 32, 1, 1. Lubricos partus atque procidentes contineri ad maturitatem. ℙ Absolute. *Id.* 24, 11, 59. Radix rorismarini sanat procidentia sedis. Adde 23, 1, 27.

PROCĬDENTĬA, ae, f. πρόπτωσις, actus procidendi, abscessus, genus morbi, cum pars quaedam corporis prolabitur extra suum locum naturalem. Itaque procidentia oculi ap. *Plin.* 34, 18, 50. dicitur, cum ingens inflammatio tanto impetu erumpit, ut oculos sua sede propellat: πρόπτωσιν id, quoniam oculi procidunt, Graeci appellant. Ita describitur a *Cels.* 6, 6. *n.* 8. *f.* Procidentia ani, seu sedis est, cum rectum intestinum extra sedem procidit. Sic procidentia vulvae, uteri, etc. *Plin.* 23, 9, 81. Myrtus utilis procidentiae vulvarum. *Id.* 26, 8, 58. Anagallidum caerulea procidentiam sedis retro agit.

PROCĬDO, is, cidi, n. 3. προπίπτω, pronus cado, procumbo. *Hor. Od.* 4, 6, 10. impulsa cupressus Euro Procidit late. *Liv.* 31, 46. *f.* Muri quoque pars, ariete incusso subruta, multis jam locis prociderat. *Ov. Met.* 9, 649. cum tu lassata sequendo Procidis. *Hor. Epod.* 17, 13. rex procidit, Heu! pervicacis ad pedes Achillei. *Stat. Th.* 9, 47. in egregii vacuum jam corpus amici Procidit. *Liv.* 26, 39. *med.* Praeceps cum armis procidit ante proram. *Plin* 16, 5, 6. Glandem in alienum fundum procidentem licet colligere. ℙ Procidere aliquod membrum in corpore, est morbo extra suam sedem prolabi, ut in in v. praec. dictum est. *Cels.* 6, 6. *n.* 8. *f.* Oculi procidunt. *Plin.* 23, 6, 54. Decocto cotoneorum foventur, si procidant vulvae et interanea.

[PROCĪDO, is, a. 3. ante caedo. *Not. Tir.* p. 18. Percidit, procidit, praecidit. *F.*]

PROCĬDŬUS, a, um, adj. πρόπτωτος, qui procidit, procumbens, deciduus. *Plin.* 16, 32, 57. Salix procidua atque detruncata. *Stat. Th.* 3, 127. Scrutantur galeas frigentum, inventaque monstrant Corpora, prociduae super externosque suosque. *Sidon. carm.* 23, 415. Turpans prociduam cruore frontem. ℙ Membrum prociduum ex morbo quid sit, V. in PROCIDENTIA. *Plin.* 21, 20, 87. Melilotos lenit testes, et sedem prociduam. *Id.* 20, 20, 81. Porcilaca infantium cerebro imponitur, umbilicoque prociduo.

PROCĪRE. V. PROCITANT et PROCITUM.

*PROCILIUS, i, m. historicus, qui multa scripsit, et Attico in pretio fuit. Ei Cicero praetulit Dicaearchum; ex quo (ait *Ernestus*) colligas, eum et geographica scripsisse. *Cic. Att.* 2, 2. *Plin.* 8, 2. *Varr. L. L.* 4. V. *Voss. de Hist. Lat.* 1, 12. ℙ Alium ejusdem nominis meminit *Cic. Att.* 4, 15. et *ad Q. Fr.* 2, 8. *B. A.*

[PROCILLUS, a, um, dimin. proci. Est cogn. R, ut C. Valerius Procillus ap. *Caes. B. G.* 1, 47. et Julia Procilla mater Agricolae ap. *Tac. Agr.* 4. *F.*]

PROCINCTŪĀLIS, e, adj. ad procinctum pertinens. *Cassiod. Variar.* 6, 22. Procinctualis ornatus, *h. e.* militaris, et paratus ad pugnam.

PROCINCTUS, a, um, part. a *procingo:* praecinctus, succinctus, expeditus. *Festus:* Procincta classis dicebatur, exercitus ad proelium instructus et paratus: quem Diali flamini videre non licet. Antiqui enim procinctum militem dixerunt, ut nunc quoque, cum exercitus instructus est. Procincta autem ideo, quod togis incincti ad pugnam ire soliti fuerint. Unde testamenta in procinctu fieri dicta, quod faciunt ad pugnam ituri. Haec *Festus*, quae subjectis exemplis illustrantur in *vet. lege Numae* ap. *eund.* in *Opima.* Cujus auspicio classe procincta opima spolia capiuntur, Jovi Feretrio bovem caedito. *Fabius Pict.* ap. *Gell.* 10, 15. Equo Dialem flaminem vehi, religio est: classem procinctam, extra pomoerium, id est exercitum armatum videre. Adde 1, 11. Quod autem ait *Fest.*, ideo procinctam dici, quod togis incincti ad pugnam ire soliti fuerint, habet etiam sub voce *Endo:* et significat cinctum Gabinum, de quo V. in CINCTUS, us. ℙ *Procinctum testamentum* V. in v. sq.

PROCINCTUS, us, m. προβολὴ, παρασκευὴ, apparatus militaris, quo se milites ad pugnam instruunt: item ipse pugnae imminentis articulus. V. v. praec. Hinc *in procinctu*, in ipso articulo proelii ineundi; et translate cujuslibet rei faciendae. *Gloss. Philox.* Procinctum, ὅταν εἰς πόλεμον συγκαλέωνται. *Plin.* 6, 19, 22. Regi LX. millia peditum in procinctu bellorum excubant. *Gell.* 1, 11. Halyattes rex terrae Lydiae concinentes fistulatores et fidicines, atque feminas etiam tibicinas in exercitu, atque in procinctu habuit, lascivientium delicias conviviorum; et *Tac. H.* 3, 2. Plus socordiae, quam fiduciae accessisse victoribus: neque enim in procinctu et castris habitos: per omnia Italiae municipia desides, insolitas voluptates hausisse, *h. e.* in expeditione; et *Plin.* 23, 1, 23. Tendere ad procinctum. *Solin.* 32. *med.* In procinctum ire. *Ulp. Dig.* 37, 13, 1. In procinctu versari. *Ov. Pont.* 1, 8, 9. Quoque magis nostros venia dignere libellos, Haec in procinctu carmina facta leges. *Quint.* 12, 9. *f.* Oratorem armatum semper, ac velut in procinctu stantem, non magis unquam in causis oratio, quam in rebus quotidianis sermo deficiet. *Id.* 10, 1. Nisi tanquam in procinctu paratam quidem ad omnes casus habuerit eloquentiam. *Sen. Clem.* 1, 1. Severitatem abditam, clementiam in procinctu habeo, *h. e.* palam

et in promptu, ut miles in acie arma sua. ℙ In procinctu factum testamentum (inquit *Festus* sub littera *I.*) dicitur, quod miles pugnaturus nuncupat praesentibus commilitonibus. *Cic. Or.* 1, 53. Se, tanqnam in procinctu testamentum faceret, sine libra atque tabulis populum R. tutorem instituere dixisset filiorum orbitati. Adde *N. D.* 2, 3. *f. Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 2. §. 101. Aut testamentum in procinctu *(faciebant)*, id est, cum belli causa ad pugnam ibant: procinctus est enim expeditus et armatus exercitus. Inde corrigendus locus similis *Imp. Justiniani Instit.* 2. *tit.* 10., ubi perperam *testamentum procinctum* pro *in procinctu* legitur. V. TESTAMENTUM. ℙ In plur. num. *Impp. Valent. et Valens Cod. Theod.* 6, 24, 2. Quos armis gestandis, et procinctibus bellicis idoneos adhuc non esse constiterit. ℙ *Prud. Hamart.* 923. Procinctum videt Angelicum, *h. e.* exercitum Angelicum paratum.

[PROCĪSUS, a, um, part. a *procīdo*, ante caesus. *Not. Tir.* p. 18. Procisus, praecisus. *F.*]

PROCĪTANT, provocitant: citare enim vocare est: unde procet (alii leg. *procit)* et prociet. *Paul.* ex *Festo.* Hinc *Gloss. Philox.* Procitat, προκαλεῖται.

PROCĪTĀRE, saepe prolicere, idest producere. *Festus.*

PROCĪTUM testamentum dicebatur, veluti procatum, provocatum, idest irritum ac ruptum. Procitum, cum prima syllaba corripitur, significat petitum. Livius *(Andron.* in *Odyss.)* Matrem procitum plurimi venerunt. *Paul.* ex *Festo.* Videtur esse a *proco*, *as*, unde part. *procitus* pro *procatus.*

PROCLĀMĀTIO, onis, f. ἀναβόησις, ἀναγόρευσις, actus proclamandi, exclamatio, vociferatio. *Quint. decl.* 8, 21. *f.* Totus in lacrymas moeroremque resolutus, etc. in omni proclamatione gemituque frater. *Id. decl.* 18, 16. O quanto nunc dolore torqueris, quod instantem non potes aliqua truci proclamatione discutere! Adde *ib.* 4. et *decl.* 7, 5. ℙ Proclamatio ad libertatem *Cajo Dig.* 40, 12, 25. et *Ulp. ib.* 14. et 34. et *Paulo ib.* 23. est ejus, qui e servitute in libertatem, confugiendo ad judicem, se vindicat. V. PROCLAMO.

PROCLĀMĀTOR, oris, m. βόης, ἀνακηρύττων, qui proclamat, clamator, vociferator. *Cic. Or.* 1, 46. Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus.

PROCLĀMO, as, avi, atum, a. 1. ἀναβοάω, palam et valde clamo, exclamo, vociferor, cum clamore loquor. *Petr. Sat.* 81. Verberabam aegrum planctibus pectus, et inter tot altissimos gemitus frequenter etiam proclamabam: ergo me, etc. *Liv.* 1, 26. Patre proclamante, se filiam jure caesam judicare. *Virg. A.* 5, 345. magna proclamat voce Diores. *Quint.* 11, 3. *f.* Nam etiam orbos viduasque videas in ipsis funeribus canoro quodam modo proclamantes. ℙ De iis qui in judicio aliquid magna vi, et clamando persequuntur. *Cic. Verr.* 2, 5, 42. Adsunt, defendunt, proclamant: fidem tuam implorant. *Ulp. Dig.* 48, 8, 4. *med.* Si ipsi, qui hanc iujuriam passi sunt, proclamaverint. ℙ Hinc apud JCtos *proclamare ad*, vel *in libertatem*, ἀναφωνεῖν εἰς ἐλευθερίαν, dicuntur qui ex servitute se in libertatem vindicant, judicis ope implorato. *Paul. Dig.* 40. *tit.* 13. qui inscribitur, *Quib. ad libertat. proclamare non licet*, *l.* 1. 3. 4. 5. et *Scaevola ib.* 4, 59. et alibi saepe. Sic *Papin. ib.* 14, 4. Post quinquennium a die manumissionis in ingenuitatem proclamare. Etiam *reclamo* hac ratione interdum utimur: q. v. v.

*PROCLES, is et i, Προκλῆς, ab Hercule oriundus, Aristodemi ex Argia filius, Eurysthenis frater geminus, rex Lacedaemoniorum. *Cic. Div.* 2, 43. *Nep. Ag.* 1. ℙ In loco *Ciceronis* genitivus *Procli* occurrit; quam formam in *Nepotis* quoque l. c. exhibet ed. *Staver. B. A.*

PROCLĪNĀTIO, onis, f. ἔγκλισις, inclinatio in anteriorem partem, curvatura. *Vitr.* 5, 12. Tunc proclinatio ea impleatur arena. *Id.* 6, 11. Ne structurae habeant ulla in parte proclinationes.

PROCLĪNĀTUS, a, um, part. a *proclino*: vergens, inclinatus. *Vitr.* 2, 10. Curvatura montis proclinata ad mare. *Id.* 5, 12. Proclinatum latus. *Ov. Trist.* 2, 83. Cum coepit quassata domus subsidere, partes In proclinatas omne recumbit onus. ℙ Translate. *Caes. B. G.* 7, 42. Adjuvat rem proclinatam Convictolitanis, plebemque ad furorem impellit. Sic *Id.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Ne quo progredereris, proclinata jam re, qua integra etiam, progrediendum tibi non existimasses. Alii leg. *inclinata.* [*Vulg. habet *Orell.*]

PROCLĪNO, as, avi, atum, a. 1. ἐγκλίνω, καταπλίνω, inclino. *Ov. Am.* 2, 11, 39. Tum mare in haec magnus proclinet litora Nereus. *Vitr.* 2, 8. *f.* Vetustate marcidi fiunt, deinde subsidentes proclinantur, et disrumpunt speciem tectoriorum. *Colum.* 7, 10. Earum *(suum)* notanda sunt capita, quam in partem proclinentur, ut ex adversa parte de auricula sanguinem mittamus. Est qui leg. *proclinent.*

PROCLĪVĒ, adv. V. v. sq.

PROCLĪVIS, e, rarius Proclivus, a, um, adj. ἐπίφορος, ἔγκλινής, κατάντης, in anteriorem partem inclinatus, declivis, pronus. [*De discrimine inter hoc v. et *acclivis* et *declivis* v. *Doederl.* 2, 121.] *Varr. R. R.* 2, 2. Solum oportet esse eruderatum, et proclivum, ut everri facile possit. *Sen. Apocol.* 13. Omnia procliva sunt: facile descenditur. *Liv.* 5, 43. Quo successerit magis in arduum hostis, eo pelli posse per proclive facilius rati. *Hirt. B. Alex.* 76. *extr.* Cum in proclive detruderentur hostes. *Colum.* 9, 5. Apes cum onere per proclivia non aegre devolant. ℙ Translate. *Appul. Flor. n.* 18. *med.* Jam proclivi senectute, *h. e.* vergente ad mortem. ℙ De eo, qui est in proclivi, seu per proclive descendit. *Claud. III. cons. Honor.* 178. primos cum detegis ortus, Aspicis Arcadium: cum te proclivior urges, Occiduum visus remoratur Honorius ignem. ℙ Saepe est facilis, quia qui per clivum cum labore ascenditur, facile descenditur. *Caes. B. C.* 1, 48. *extr.* Quibus erat proclive transnare flumen. *Lucr.* 6, 728. Et proclivus item fiat minus impetus undis. *Hirt. B. Afr.* 10. *extr.* In ejus scientia et consilio omnia sibi proclivia fore sperabant. *Gell.* 9, 1. Cum proclivior faciliorque jactus sit ex supernis in infima, quam ex infimis in superna. *Cic. Top.*18. Proclivia anteponuntur laboriosis. *Id. Off.* 2, 20. Dictu quidem est proclive. *Plin.* 37, 5, 18. Sed et vitia demonstrari oportet, in tam proclivi erratu. ℙ *Esse in proclivi*, facile esse. *Ter. Andr.* 4, 2, 17. Sed si id non poterit, id faciam, in proclivi quod est, per me stetisse ut credat. *Sall. or. ad Caes.* 2, 8. *f.* Cujus si dolum caveris, alia omnia in proclivi erunt. *Pl. Capt.* 2, 2, 86. Tam hoc quidem tibi in proclivi, quam imber est, quando pluit. ℙ Est etiam propensus, tum in malam, tum in bonam partem. *Cic. Tusc.* 4, 37. *f.* Ut aliquis potest videri ad aliquem morbum proclivior; sic animus alius aut alia vitia propensior. *Ter. Andr.* 1, 1, 50. Ut ingenium est omnium hominum ab labore proclive ad lubidinem. *Sil.* 13, 585. sceleri proclivis egestas. *Quint.* 4, 5. *med.* Eritque judex circa jus nostrum spe modestiae attentior, circa modestiam juris probatione proclivior. *Cic. Am.* 18. *extr.* Amicitia debet esse ad omnem comitatem facilitatemque proclivior. *Phaedr.* 4, 25. Stultum admovere tibi preces existima, Proclivis ultro cum sit misericordia. *Claud. Laud. Seren.* 133. pietas in te proclivior ibat. ℙ Veteres in ablativo etiam *proclive* dixerunt, teste *Gell.* 10, 24. *med.* ℙ Proclive adverbii ritu pro *procliviter* quidam leg. ap. *Lucr.* 2, 454. Et procursus item proclive volubilis exstat; et *Cic. Tusc.* 4, 18. Sunt in lubrico, incitataque semel proclive labuntur. Sed utroque loco dubia est lectio. [*Orell.* exhibet quidem *proclivi:* coll. *Görenz. Fin.* p. 635. Vehementer tamen probat *proclive*, praeter alios in hanc rem consentientes laud. *Ochsner. Eclog. Cic.* p. 55. Ap. *Lucret. Eichstadt.* leg. *in proclive.*]

PROCLĪVĪTAS, atis, f. ἐπιρρέπεια, inclinatio, declivitas. *Hirt. B. Afr.* 37. Inde parvulam proclivitatem digressus, propter mare legiones ducit, ℙ Translate est propensio in rem aliquam, praesertim vitiosam; nam in rebus bonis, et laudabilibus proprie facilitas dicitur. *Cic. Tusc.* 4, 12. Atque haec aliorum ad alios morbos proclivitas late patet; et *infra:* Haec igitur proclivitas ad suum quodque genus a similitudine corporis aegrotatio dicitur, dum ea intelligatur ad aegrotandum proclivitas. Sed haec in bonis rebus, quod alii ad alia bona sunt aptiores, facilitas nominetur, in malis proclivitas, ut significet lapsionem. Haec *Cic.*

PROCLĪVĪTER, adv. εὐεμπτώτως, in proclivi, facile. *Gell.* 1, 6. *f.* Facile et procliviter persuasit, civitatem salvam esse sine matrimoniorum frequentatione non posse. *Cic. Fin.* 5, 28. Proclivius currit oratio: venit ad extremum. *Id. Orat.* 57. Brevitate et celeritate syllabarum labi putat verba proclivius. *Lucr.* 2, 791. Quippe etenim multo proclivius exorientur.

PROCLĪVĪUM, ii, n. locus proclivis, proclivitas. *Front Strat.* 2, 2. Elegit locum castris editum, unde adjuvante proclivio impetum militum, etc. Huc pertinere potest et illud *Claud. Laud. Stil.* 1, 23. Ipsaque Pierios lassant proclivia currus.

PROCLĪVUS. V. PROCLIVIS.

PROCLŪDO, is, a. 3. idem quod claudo, concludo. *Pall.* 3, 26. Curabit autem, ut fetus proprios cum unaquaque (*matre*) procludat. Alii leg. *praecludat.*

PROCNĒ. V. PROGNE.

PRŌCO, as, a. 1. et Procor, aris, dep. 1. blande peto, posco. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 1, 89. et 92. Itaque a petendo petulantia, a procando, idest poscendo, procacitas nominata est. *Fest. Procari*, poscere, unde procaces meretrices ab assidue poscendo: et proci uxorem poscentes in matrimonium: et verbum procas, idest poscis. *Id.* in *Procum.* Est enim procare, poscere, ut cum dicitur in judice collocando: si alium procas, nive eum procas. (Adde *eund.* in *Reciprocare.*) *Varr. L. L.* 6, 5. Poscere, procare dictum. *Sen. Q. N. praef.* 4. Plancus ajebat, non esse occulte, nec ex dissimulato blandiendum: perit, inquit, procari, si latet. *Liv. Andr.* ap. *Non. cit. n.* 92. Quin, quod parere mea vos majestas procat, etc.

PROCOETON, onis, m. προοιτών, locus ante cubiculum: a πρό, ante, et κοίτη, cubile. *Plin. ep.* 2, 17. Huic cubiculo aliud, et procoeton communi pariete junguntur. Habet etiam *Varro*, sed Graece, *R. R. prooem.* 2. Nec putant se habere villam, si non multis vocabulis retineant Graecis, cum vocent particulatim loca, προοιτῶνα, παλαίστραν, ἀποδυτήριον, etc.

[PROCONNENSIS, e, et *F.*]

PROCONNĒSĬUS, a, um, adj. Προκοννήσιος, ad Proconnesum pertinens, Propontidis insulam, cujus meminit *Plin.* 5, 32, 44. (ea a *Prisc. Perieg.* 556. metri necessitate *Procōnēsus* scribitur); nunc *Marmora* appellatur. Hinc Proconnesia ancilla, *Id.* 7, 11, 9. et Proconnesium marmor, *Id.* 36, 6, 6. et 37, 10, 70. et *Vitr.* 2, 8. et Proconnense marmor, *Solin.* 37. *med.* Porro hoc marmor candidum erat, sed quibusdam discretum venis nigris, modo rectis, modo obliquis: quod etiam Cyzicenum dicitur.

PRŌCONSUL, is, m. et Pro consule, ἀνθύπατος, magistratus, qui in provinciam mittitur, potestate consulari, et loco consulis eam administraturus: de cujus officio est *titulus* 16. *l.* 1. *Dig.* Pimum dictum est *pro consule*, et ex frequentia usus coalescentibus vocibus, *proconsule:* deinde ex praepositione et ablativo *proconsul*, ut *pronepos:* unde *proconsularis*, *proconsulatus.* Utrumque autem recte Latine dicitur: sed posterius et frequentius est, et cum regit aliquod verbum, aptius adhibetur, v. gr. dici potest *missus est in Asiam proconsul*, et *proconsule:* non item tam facile *Proconsule jussit*, *decrevit haec fieri.* In antiquis lapidibus ap. *Manut.* in *Orthogr.*, *Grut.*, *Reines.*, *Don.*, *Mur.* habetur *Pro. Cos.* et *Procos.* et aliquando *Procons.*, item *Proconsul*, et in obliquis *Proconsulis*, *Proconsuli. Cic. Manil.* 21. Quid tam inusitatum, quam ut, cum duo consules essent, eques Romanus ad bellum maximum pro consule mitteretur? missus est. Quo quidem tempore cum esset non nemo in senatu, qui diceret, non oportere mitti hominem privatum pro consule, L. Philippus dixisse dicitur, non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere. Adde *Phil.* 11, 8. *Id. Or.* 1, 18. Cum pro consule in Ciliciam proficiscens Athenas venissem. *Auson. Idyll.* 2, 45. Hujus ego et natum et generum proconsule vidi, *h. e.* proconsulem vidi; et *Idyll.* 4, 43. et cui Proconsul genitor, praefectus avunculus instant. *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 10, 902. Domitium proconsulem ex inferiore Hispania arcessivit. *Tac. A.* 15, 22. Agendas propraetoribus, proveconsulibus grates. ℙ Sub libera republica, cum, crescente usquequaque imperii ditione, duo consules ad omnia non sufficerent, mitti coepti sunt in provincias viri principes, qui consulari potestate, et pro ipsis consulibus eas regerent: hique fere erant consulares. Exemplum habes in M. Tullio, et C. Antonio, qui post consulatum Ciliciam, et Macedoniam proconsules obtinuerunt, ille quidem decem annis post consulatum, hic autem uno tantum. Nonnunquam tamen extra ordinem, etiam ante consulatum proconsules facti, ut M. Antonius orator, cum praetor esset, (V. infra in PROCONSULATUS et *Epit. Livii* 68. et *Cic. Or.* 1, 18.) et Cn. Pompejus adhuc privatus, (V. *Cic. Manil.* 21.) uterque bellum contra piratas gesturi. Alia exempla collegit *Manut.* ad *in. ep. Fam.* Primus qui post consulatum proconsule rem gesserit, creditur fuisse T. Quintius, qui consul fuit ann. U. C. CCLXXXIX., ut est ap. *Liv.* 3, 2. et 4. *extr.* Duodecim lictores et fasces habebant, et cetera consularia insignia, si consules fuissent; si praetores dumtaxat, sex; summumque jus in provincia, non secus ac in Urbe consules. Ordinarii proconsules, h. e. consulares, in ipso consulatu vel comparabant inter se, vel sortiebantur provincias post consulatum administrandas, quas senatus nominasset: et sine ullis comitiis eum magistratum consequebantur. Idem dic de propraetoribus. Extraordinariis, rogatione ad populum lata, id munus mandabatur. Ordinariis imperium fere triennium durabat: extra ordinem proconsulibus pro re vel brevius, vel longius. Quae fuerint proconsulis partes in provincia, fuse docet *Cic. Q. Fr.* 1, 1. ℙ Sub imperatoribus proconsules dicti, qui provincias administrabant: qui vero majores Caesaris provincias, *legati Augusti* seu *Caesaris*, vel *legati Augusti pro praetore* appellati sunt (V. LEGATUS); qui minores, praesides, vel procuratores. V. PROCURATOR. ℙ Fuit proconsul initium fastigii Caesaribus. V. *Tac. A.* 1, 14. et *ib.* 12, 41. et *ib.* 13, 21. et *Lipsium.*

PROCONSULĀRIS, e, adj. ἀνθυπατικός, ad proconsulem pertinens. *Liv.* 3, 2. Quidnam illi (*tribuni mil. consul. potest.*) consules dictatoresve facturi essent, qui proconsularem imaginem tam saevam ac trucem fecerint? *Tac. Agr.* 42. Proconsularis vir. *Id. A.* 13, 21. Proconsulare jus. *Gell.* 5, 14. et 12, 7. imperium. ℙ *Proconsularis provincia* absolute ab aevo Constantini M. dicta fuit Africa. *Inscr.* ap. *Grut.* 361, 1. L. Aradio Val.

Proculo proconsuli provinciae Africae, vice sacra judicanti, eidemque judicio sacro per provinciam proconsularem, et Numidiam, Byzacium, ac Tripolim, etc.

PROCONSŪLĀTUS, us, m. ἀνθυπατεία, dignitas proconsulis. *Plin.* 14, 22, 28. Ad proconsulatum usque e praetura honoribus gestis. Adde *Tac. A.* 16, 23. et 30., *Plin. ep.* 3, 9. et *Suet. Aug.* 3. et al. ℙ Etiam propraetoris munus in administratione provinciae *proconsulatus* dicitur a *Suet. Aug.* 3., ubi loquitur de Q. Cicerone *proconsulatum Asiae administrante*, cum tamen ipse nunquam consul fuerit. Sunt qui putant *Suetonium* memoria lapsum fuisse: sed observavit *Manut.* etiam Q. Metellum Celerem, ap. *Cic. Fam.* 5, 1. et 2. *in titulo* proconsulem dici, qui tamen in Galliae Cisalpinae provincia solum propraetor erat; et ap. *eund. Fl.* 34. L. Lucullum Asiam provinciam consulari imperio obtinere, cum itidem praetorius esset, non consularis. Quod ita intelligi potest, ut hi, quamvis solummodo praetorii essent, haberent tamen in provincia sua idem imperium, quod consulares: ideoque proconsules honoris causa appellarentur. Confirmat haec illud *Cic. Leg.* 1, 20. Gellium familiarem tuum, cum proconsule ex praetura in Graeciam venisset. ℙ Verum ann. U. C. DCCXXVII., teste *Dione* 53, 12. et *Strabone* 17. *f.*, Augustus duodecim provincias senatui populoque addixit, in quarum duas, Asiam nempe, et Africam, rectores ex consularium numero, in decem alias praetorii mitterentur, atque utrosque *proconsules* appellari voluit; reliquas validiores, et, ut ait *Suet. Aug.* 47., quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile, nec tutum erat, ipse suscepit, easque per *legatos Caesaris*, vel *Augusti pro praetore* solus administravit. V. LEGATUS.

[PROCOPĒ, es, f. προκοπή, incrementum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Gud.* 189, 9. Aelia Procope.

*PROCOPĬUS, i, m. e Caesarea Palaestinae, historiam scripsit rerum Justiniani Imp. per Belisarium gestarum; cujus et scriba fuit, et tandem praefectus Constantinopolis. ℙ Alius, tyrannus Constantinopolitanus, de cujus supplicio *Ammian.* 26, 9. ℙ Cujusdam etiam Procopii meminit *Sidon. carm.* 2, 68. et 83. *B. A.*

PROCOR, aris. V. PROCO.

PROCRASTĪNĀTĬO, onis, f. ἀναβολή, dilatio. *Cic. Phil.* 6, 3. Nam cum plerisque in rebus gerendis tarditas, et procrastinatio odiosa est, etc.

PROCRASTĪNO, as, n. 1. ἀναβάλλομαι, diem de die traho, differo. *Cic. Rosc. Am.* 9. Rem differre quotidie, ac procrastinare illi coeperunt. ℙ [Et cum accusativo more activorum. *Front. ad amic.* (ed. *A. Maio*) 2, 6. *med.* Quis segeti torridae messem procrastinat? *F.*] ℙ Et passive. *Id. Verr.* 2, 4, 45. Res non procrastinatur. *Gell.* 17, 10. Quae procrastinata sunt ab eo.

PROCREĀTĬO, onis, f. παιδοποιία, generatio. *Cic. Tusc.* 1, 14. Quid procreatio liberorum? quid propagatio nominis? *Id. Div.* 2, 46. Dissimilitudo locorum dissimiles hominum procreationes habet.

PROCREĀTOR, oris, m. γενετήρ, genitor, parens. *Cic. Univ.* 8. Animum igitur cum ille procreator mundi Deus ex sua mente et voluntate genuisset. *Id. Fin.* 4, 7. A procreatoribus amari.

PROCREĀTRIX, icis, f. παιδοτόκος, genitrix, parens. *Cic. Or.* 1, 3. Neque te fugit laudandarum artium omnium procreatricem quandam, et quasi parentem eam, quam philosophiam Graeci vocant, etc. *Auct. Pervig. Ven.* 64. Intus occultis gubernat procreatrix viribus.

PROCREĀTUS, a, um, part. a *procreo:* genitus. *Cic. Fin.* 3, 19. Ut natura et procreari vellet, et diligi procreatos non curaret. *Id. Leg.* 3, 8. Tribunatus, cujus primum ortum inter arma civium procreatum videmus; et *ib.* 2, 2. Hoc solum, in quo tu ortus et procreatus es.

PROCRĒO, as, avi, atum, a. 1. γεννάω, progenero, progigno, creo, pario. *Cic. N. D.* 2, 51. *f.* Quae multiplices fetus procreant, ut sues, ut canes, his mammarum data est multitudo. *Nep. Reg.* 2. *extr.* Cum ex tribus uxoribus liberos procreasset. *Cic. Sen.* 15. Terra ex minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat. *Ov. Fast.* 3, 194. Atque aliquam, de qua procreet, anguis habet. *Lucr.* 2, 878. natura cibos in corpora viva Vertit, et hinc sensus animantum procreat omnes. ℙ Translate. *Id.* 4, 833. sed quod natum est, id procreat usum. *Macr. Sat.* 2, 13. *med.* Vetus verbum est: Leges bonae ex malis moribus procreantur.

PROCRESCO, is, n. 3. αὐξάνω, cresco, augeor. *Lucr.* 2, 566. Et res progigni, et genitas procrescere posse. *Id.* 1, 714. quattuor ex rebus posse omnia rentur, Ex igni, terra, atque anima procrescere, et imbri. *Id.* 6, 664. Unde queat vis immensi procrescere morbi. *Id.* 2, 546. procrescere, alique. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 1, 2. *med.* Tuus iste amor incultus et sine ratione exortus, spero, cum cedris porro adolescit et aesculis; qui si officiorum ratione coleretur, non ultra myrtos laurusque procresceret, quibus satis odoris, parum roboris. *F.*]

PROCRIS, is, f. Πρόκρις, filia Erichthei regis Atheniensium, soror Orithyiae, uxor Cephali, qui eam in silvas secutam, eodem telo, quod ab ipsa dono acceperat, putans feram esse, interfecit. *Ov. Met.* 7. a *v.* 795. ubi *v.* 825. Procrin adit, linguaque refert audita susurra. Adde *Serv.* ad *A.* 6, 445. et *Hyg. fab.* 189. V. CEPHALUS.

PROCRUSTES, ae, m. Προκρούστης, latro insignis in Attica regione, super Cephisum fluvium latrocinia exercens, qui cogebat hospites in lectum aliquem ascendere, quo si longiores fuissent, pars supereminens amputabatur, si breviores, vi extendebantur: a qua re etiam nomen illi inditum putant: προκρούω enim est pulsando affligo, ictu sterno. Hunc Theseus occidisse dicitur, teste *Paus.* 1, 38., ubi et tradit nomine Polypemona fuisse, Procrusten cognomine. At Polypemona ejus patrem facit *Ov. Ib.* 409. Ut Sinis, et Sciron, et de Polypemone natus. *Id. Met.* 7, 438. Vidit et immitem Cephisias ora Procrusten. *Id. Her.* 2, 69. torvusque Procrustes. Adde *Hyg. fab.* 38.

PROCŪBĬTOR, oris, m. προυρός, excubitor. *Festus:* Procubitores dicuntur fere velites, qui noctu custodiae causa ante castra excubant, cum castra hostium in propinquo sunt: ut M. Cato in eo, quem de re militari scripsit.

PROCŪBO, as, n. 1. cubando extendor. *Virg. G.* 3, 144. muscus ubi, et viridissima gramine ripa, Speluncaeque tegant, et saxea procubet umbra. Ubi *Philarg.* Nove *saxea umbra*, quae saxis fiat: et *procubet*, protendatur. *Claud. Consul. Prob. et Olybr.* 119. Qualis letifera populatus caede Gelonos Procubat horrendum Getico Gradivus in Haemo.

PROCŪDO, is, di, sum, a. 3. κόπτω, καταικόπτω, cudendo extenuo, tundendo produco, acuo, exacuo. *Lucr.* 5, 1263. Et prorsum quamvis in acuta et tenuia posse Mucronum duci fastigia procudendo. *Hor. Od.* 4, 15, 19. Ira procudit enses. *Virg. G.* 1, 261. durum procudit arator Vomeris obtusi dentem. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 30. *extr.* Non solum acuenda nobis, neque procudenda lingua est, sed onerandum complendumque pectus rerum plurimarum copia. *Varr.* ap. *Non.* 2, 677. Legendo, et scribendo vitam procudito, *h. e.* producito: vel quasi cudendo ornato, perpolito, perficito. ℙ Est etiam simpliciter cudo, ferio, v. gr. nummos, qui feriendo signantur. Allegorice *Hor. Art. P.* 58. licuit, semperque licebit Signatum praesente nota procudere nummum. Alii leg. *producere nomen:* sed priorem lectionem *Bentl.* acriter appositeque defendit. Metaphorice *Pl. Ps.* 2, 2, 20. Hic mihi incus est: procudam ego hodie hinc multos dolos, *h. e.* effingam, inveniam, machinabor, excudam. *Lucr.* 3, 1095. Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas. ℙ Hinc et pro gignere, procreare, propagare usurpatur. *Lucr.* 2, 1112. Humor ad humorem, terreno corpore terra Crescit, et ignem ignes procudunt, aetheraque aether. *Id.* 5, 848. Ut propagando possint procudere saecla; et *ib.* 854. propagando procudere prolem. ℙ Item propellere. *Lucr.* 4, 246. Nam cum mittitur *(imago)*, extemplo procudit, agitque aera. Alii leg. *protrudit*, alii aliter. ℙ [**Eichstadt.* vulg. servat.]

PRŌCUL, adv. πόρρω, ἀποθεν, longe, porro: quasi *porro* ab *oculis*, ut ait *Serv.* ad illud *Virg. A.* 3, 13. Terra procul vastis colitur Mavortia campis: vel quasi *prae oculis*, ut duplicem significationem habeat, et juxta, et longe, ut ait *Id.* ad illud *A.* 6, 10. horrendaeque procul secreta Sibyllae. Confirmat hunc posteriorem sensum ad illud *Ecl.* 6, 16. Serta procul tantum capiti delapsa jacebant. Modo, inquit, prope, idest juxta: nam ideo intulit: *tantum capiti delapsa:* ut ostenderet non longius provolutam comam, ut est (*A.* 10, 835.) *procul aerea ramis Dependet galea.* Haec *Serv.* Rectius tamen est si dicamus, *procul* et parvam, et magnam distantiam significare; juxta, et prope nunquam. [**Doederl.* 2, 98. *procul* adverbium esse docet verbi *procellere*, ita ut signif. *promote, remote.*] *Cic. Cat.* 2, 13. Non jam procul, sed hic praesentes sua templa Dii defendunt. *Plin.* 27, 3, 2. Aconitum procul et e longinquo odore mures necat. *Virg. A.* 3, 554. Tum procul e fluctu Trinacria cernitur Aetna. *Caes. B. G.* 2, 30. Ubi vineis actis turrim constitui procul viderunt; et *ib.* 5, 34. Jubet, ut procul tela conjiciant, neu propius accedant. *Cic. Or.* 2, 36. *f.* Subauscultando excipere voces eorum, et procul, quid narrent, attendere. *Ov. Met.* 5, 114. Procul adstare; et *ib.* 4, 648. vadere. *Id. A. Am.* 2, 350. abire. *Id. Met.* 6, 362. abscedere. *Id. Her.* 17, 155. proficisci. *Pl. Curc.* 1, 2, 18. Cuja vox sonat procul? *Id. Poen.* 3, 3, 6. Ille quisnam est, qui sequitur procul? *Plin.* 20, 19, 79. Folia, si procul intuearis, speciem passerum praebentia. *Mart.* 14, 164. Este procul pueri. *Sall. Cat.* 20. Omnibus arbitris procul amotis. *Virg. A.* 6, 258. procul o, procul este, profani. *Ov. Met.* 15, 587. procul, ah procul omnia, dixit, Talia Dii pellant. ℙ Cum aliis particulis *hinc, inde, alicunde, longe*, etc. *Ter. Hec.* 4, 3, 1. Quem cum istoc sermonem habueris, procul hinc stans accepi, uxor. *Id. Eun.* 4, 7, 16. Fundam tibi nunc nimis vellem dari, ut tu illos procul hinc ex occulto caederes. *Pl. Mil.* 4, 4, 33. Istic te procul ita volo assimulare, quasi, etc. *Id. Rud.* 4, 4, 104. Tu istinc procul dicito, quid, etc. *Ov. Am.* 3, 14, 18. stet procul inde pudor. *Cic. Verr.* 2, 2, 20. Non quaesivit procul alicunde, sed, etc. *Pl. Curc.* 2, 2, 10. In somnis visus sum viderier, procul sedere longe a me Aesculapium. *Sall. fragm.* ap. *Charis.* 2, 191. Nam procul, et diversis ex regionibus. Ubi *Asper:* ergo *procul* e loco est. ℙ Cum ablat. et *a*, vel *ab* praepositione. *Cic. Or.* 3, 36. Procul a terra abripi. *Id. Agr.* 2, 32. Esse procul a conspectu. *Caes. B. G.* 5, 17. Procul a castris constiterunt. *Virg. Ecl.* 10, 46. a patria. ℙ Et translate. *Cic. Tusc.* 5, 14. Procul ab omni metu. *Id. Acad.* 1, 4. Coelestia procul sunt a nostra cognitione. *Quint. prooem.* 1. Res procul ab ostentatione positae. *Id.* 7, 1. *med.* Quis tam procul a litteris, quin sic incipiat? *Id.* 6, 2. *med.* Procul ab ira, procul ab odio. *Ter. Ad.* 3, 2, 50. Conscia mihi sum a me culpam hanc esse procul. ℙ Et omissa praepos. *Enn.* ap. *Cic. Fam.* 7, 6. Multi suam rem bene gessere, et publicam patria procul. *Ov. Pont.* 1, 5, 73. Procul urbe. *Liv.* 38, 16. *extr.* mari. *Tac. H.* 4, 22. Haud procul castris. *Colum.* 7, 8. Haud procul igne. *Plin.* 31, 2, 19. Non procul Euripidis poetae sepulcro. ℙ Et translate. *Hor. Ep.* 2, 1. negotiis. *Id. Sat.* 1, 6, 52. ambitione; et *ib.* 4, 101. quod vitium procul affore chartis, Atque animo prius, promitto. *Tac. H.* 2, 50. Conquirere fabulosa, procul gravitate coepti operis crediderim. *Id. A.* 4, 62. Procul voluptatibus habere aliquem; et *ib.* 14, 31. Ratus domum suam procul injuria fore. *Sall. Jug.* 89. *f.* Homines superbissumi procul errant, i. e. longe, valde. *Curt.* 6, 7. Animus tanto facinore procul abhorrens. *Colum. praef.* 1. *f.* Nam illud procul vero est, quod plerique crediderunt, facillimam esse rusticationem. *Plin.* 9, 61, 87., *Quint.* 1, 5. et *Suet. Ner.* 3. Procul dubio, *h. e.* certe, profecto. *Flor.* 2, 6. et 7. Dubio procul. ℙ *Non procul est, quin*, parum abest, quin. *Sil.* 2, 335. Nec procul est, quin jam manes umbrasque pavescat. ℙ Aliquando refertur ad tempus. *Stat. Th.* 12, 810. Durabisne procul, dominoque legere superstes, O mihi bissenos multum vigilata per annos, Thebai? ℙ Item ad aestimationem. *Plin.* 34, 2, 3. Aes suo colore pretiosum, procul a Corinthio, longe tamen ante Aegineticum, atque Deliacum, quae diu obtinuere principatum, *h. e.* longe inferioris notae, quam Corinthium. ℙ *Procul* accusativo junctum nondum reperi: neque enim *procul urbem* dixisse *Curtium* credo, ut quidam, non indicato loco, existimant; neque *Livium* 21, 7. *procul muros*, cum plerique *muro*, alii *muris* legant.

*PROCŪLA, ae, f. meretrix quaedam ap. *Juven.* 2, 68. ℙ Et uxor Codri poetae. *Id.* 3, 203. *B. A.*

PROCULCĀTĬO, onis, f. conculcatio. *Plin.* 8, 18, 26. Obturbata proculcatione prius aqua. Alii leg. *conculcatione. Sen. Tranq.* 11. *med.* Ruina et proculcatio.

PROCULCĀTOR, oris, m. Proculcatores in militia dicuntur, qui agmen praeeuntes, itinera explorant, et hostium progressus. *Ammian.* 27, 10. *med.* Inveniri posse aliam viam, quam inspexere proculcatores. Alii leg. *procursatores.* V. EXCULCATOR et PROCURSO *f.*

PROCULCĀTUS, a, um, part. a *proculco*, calcatus. *Colum.* 12, 19. Proculcatae uvae. *Plin.* 8, 50, 76. Solertiam caprae Mucianus visam sibi prodidit in ponte praetenui, duabus obviis e diverso: cum cirumactum angustiae non caperent: nec reciprocationem longitudo in exilitate caeca, torrente rapido minaciter subterfluente, alteram decubuisse, atque ita alteram proculcatae supergressam. *Tac. H.* 1, 40. Milites disjecta plebe, proculcato senatu, truces armis forum irrumpunt. *Phaedr.* 1, 30. de bove: Et proculcatas *(ranas)* obteret duro pede. ℙ Translate. *Gell.* 18, 4. *med.* Verba proculcata vulgo, et protrita, *h. e.* passim usurpata et translaticia. *Id.* 17, 2. *med.* Sole occaso non insuavi venustate est, si quis aurem habeat non sordidam nec proculcatam, *h. e.* vulgaribus tantum vocabulis assuetam, et iis quasi protritam.

PROCULCO, as, avi, atum, a. 1. καταπατέω, pedibus calco, conculco. *Ov. Met.* 8, 290. de apro: crescenti segetes proculcat in herba; et *ib.* 12, 374. de centauro: pedibusque virum proculcat equinis. *Colum.* 3, 13. *med.* Ne jam pastinatum solum exportantium ramos ingressu proculcetur. *Just.* 38, 10. Ut etiam gregarii milites caligas auro figerent, proculcarentque materiam, cujus amore populi ferro dimicant. *Tac. H.* 3, 81. Propellere et proculcare aliquem. *Colum.* 2, 20. Dum a pecudibus legumina proculcantur, *h. e.* pedibus in area exteruntur. ℙ Translate est contemnere. *Sen. Phoen.* 193. Qui fata proculcavit, ac vitae bona Projecit.

[PROCULEJĀNUS, a, um, adj. ad Proculum aliquem pertinens, ut *Proculejani*, qui fuerunt e schola Proculi JCti. V. PROCULUS. ℙ *Proculejanus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1036, 6. M. Rubrio Proculo Aug. Casini, Cur. Ann. Casini M. Rubrius Proculejanus, et Sergia Quartilla uxor. *F.*]

*PROCULEIUS, i, m. Augusti libertus. *Plin.* 7,

45. et 36, 24. ℙ Fortasse idem cum eo, cujus meminit *Hor. Od.* 2, 2, 5. quem Proculum vocat *Suet. Aug.* 67. ℙ *Acron* Scholiasta ad *Horat. l. c.* scribit, Equitem fuisse Romanum, Augusti amicissimum, qui pius sic erga fratres suos Scipionem (lege *Caepionem*) et Muraenam fuit, ut spoliatis bello civili patrimonium suum ex integro divideret, quod cum eis jam ante diviserat. Hujus meminit etiam *Plutarch.* in *vita Antonii.* Cf. *Hard.* ad *Plin. l. c.* priorem et *Burm.* ad *Quint.* 6, 3. Cognomen fuisse Cominiorum tradit *Spanh. Num. diss.* 6. *B. A.*

PROCULĬANUS. V. PROCULUS.

*PROCULĪNA, ae, f. mulier de qua *Mart.* 6, 22. *B. A.*

PROCULĪNANT, promittunt, ait significare Antistius de jure pontificali libro nono. *Festus.* Alii leg. *proculiunt*, quod statim ibidem subjicit *Paulus.*

[PROCULĪNUS et Proclinus, a, um, adj. ad Proculum et Proclum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1041, 11. Herennia Proculina; et 827, 2. Seponia Proclina. *F.*]

PROCŪLUS, a, um, adj. cogn. R. *Paul.* ex *Festo:* Proculum inter cognomina eum dicunt, qui natus est patre peregrinante a patria procul. Proculos sunt qui credant ideo dictos, quia patribus senibus, quasi procul progressa aetate, nati sunt. Hinc in *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 674. *n.* 13. Cn. Acerronius Proculus Cos. In alia ap. *Grut.* 445, 3. Postumia Procula. ℙ *Proculus* etiam cognominatus est JCtus unus ex iis, qui in Pandectis laudantur: creditur a quibusdam Licinius Proculus, quem praefectum praetorio sub Othone memorat *Tac. H.* 1, 87. Circa ea tempora certe vixit. Non levis auctor juris dictus est a divis Fratribus, apud *Ulp. Dig.* 37, 14, 17. Ab eo Proculiani, seu Proculejani appellati sunt JCti Pegasus, Celsus pater, et filius, Priscus Neratius, etc., qui ejus scholae et factionis fuerunt, Sabinianis, seu Cassianis adversi. V. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *f.* ℙ *Proculus* antiquitus fuit etiam praenomen, ut Proculus Virginius Tricostus Rutilus Cos. ann. U. C. CCLXVIII., cujus meminit *Liv.* 2, 41. Hinc *Auct. lib. de nominib.* etc. Quae olim praenomina fuerunt, nunc cognomina sunt, ut Postumus, Agrippa, Proculus. ℙ *Fuit et Proculus Romanus Senator, cognomento Julius, cui Romulus apparebat, et se Quirinum nominari jubebat. *Cic. Leg.* 1, 1. ℙ Alius, Grammaticus, Antonini philosophi praeceptor, a quo ad Proconsulis dignitatem evectus est. *Capitol.* in *M. Anton. Philos.* 2. *Trebell. Poll. de Aemiliano* 22. ℙ V. PROCULUM. *B. A.*

PROCUMBO, is, ubui, ubitum, n. 3. *κατάκειμαι, ἀναπίπτω, κατακλίνομαι,* in anteriorem partem incumbo, inclinor, proclinor, prosternor. *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna non directa ad perpendiculum, sed prona ac fastigiata, ut secundum naturam fluminis procumberent. *Virg. A.* 5, 197. olli certamine summo Procumbunt, *h. e.* incumbunt remis. *Pl. Mil.* 3, 1, 167. Procumbunt dimidiati, dum appetunt, *h. e.* inhiant, et imminent mensae, et incumbunt corpore in patinas. *Val. Fl.* 3, 556. utque artus et concita pectora sudor Diluerat, gratos avidus procumbit ad amnes. *Ov. Met.* 14, 281. in terram toto procumbere vultu. *Plin.* 18, 31, 74. *med.* Vindemiare incipito, cum ad palmitem pampinus procumbere coeperit. *Caes. B. G.* 6, 42. Frumenta imbribus procubuerant. *Plin.* 16, 32, 57. Ulmus in aram ipsam procumbebat. *Id.* 4, 11, 18. Mons Haemus vasto jugo procumbens in Pontum. *Alfen. Dig.* 8, 5, 17. Si paries ita ventrem faceret, ut in vicini domo semipedem aut amplius procumberet. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3. Utilissimum est, fossas supinis lateribus procumbere. ℙ *Procumbere* est adorantium, et rogantium. *Caes. B. G.* 7, 15. Procumbunt Gallis omnibus ad pedes Bituriges, ne pulcherrimam urbem succendere cogerentur. *Ov. Met.* 13, 585. magni genibus procumbere non est Dedignata Jovis. *Tibull.* 1, 5, 41. procumbere templis. *Liv.* 25, 7. Sub haec dicta ad genua Marcelli procubuerunt. *Petr. Sat.* 30. Servus nobis despoliatus procubuit ante pedes, et rogare coepit, ut, etc. *Ov. Trist.* 4, 2, 1. Jam fera Caesaribus Germania, totus ut Orbis, Victa potes flexo procubuisse genu. *Id. Met.* 1, 375. Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque Pronus humi. *Val. Fl.* 3, 437. alte Phoebi surgentis ad orbem Ferre manus, totisque simul procumbere campis. ℙ Translate. *Sen. ep.* 18. Procumbere in voluptates; et *Vell.* 2, 16. *extr.* Fluentem procumbentemque rempublicam restituere, *h. e.* inclinatam ad interitum. ℙ Est etiam decumbere. *Caes. B. G.* 6, 26. Alces crura sine nodis articulisque habent, neque quietis causa procumbunt. *Virg. A.* 8, 30. Procubuit, seramque dedit per membra quietem. *Id. ib.* 11, 149. feretro Pallanta reposto, Procumbit super, atque haeret lacrimansque gemensque. *Ov. Fast.* 5, 456. in duro procubuere toro. *Virg. Ecl.* 8, 87. bucula viridi procumbit in ulva. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 226. Est in Romuleo procumbens insula Tibri, *h. e.* jacens, plana, humilis. ℙ Est etiam pronum cadere, procidere, ruere. *Caes. B. G.* 2, 27. Ut etiam qui vulneribus confecti procubuissent, scutis innixi proelium redintegrarent. *Virg. A.* 11, 394. Evandri totam cum stirpe videbit Procubuisse domum. *Ov. Met.* 13, 175. mea concussa putate Procubuisse solo Lyrnesia moenia dextra. *Id. Pont.* 1, 9, 13. Cum domus ingenti subito mea lapsa ruina Concidit, in domini procubuitque caput. *Quint.* 2, 16. Nunquam tecta subeamus: super habitantes aliquando procumbunt. *Curt.* 9, 5. *med.* Ramos complexus tentabat assurgere: sed ne sic quidem potens corporis, rursus in genua procumbit. ℙ De iis qui moriendo cadunt. *Virg. A.* 2, 424. primusque Coroebus Penelei dextra, Divae armipotentis ad aram Procumbit; et *ib.* 11, 417. qui ne quid tale videret, Procubuit moriens, et humum semel ore momordit. *Val. Fl.* 3, 270. vellem hac equidem me strage, meosque Procubuisse magis; et 4, 753. bellove magis laetarer et armis Procubuisse meis. *Tac. A.* 1, 59. Sibi tres legiones, totidem legatos procubuisse, *h. e.* a se caesos esse. *Virg. A.* 5, 481. Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos. *Ov. Met.* 4, 122. Procubuit terrae mactati more juvenci. Est qui leg. *terra.* ℙ Translate. *Ov. Trist.* 3, 4, 1. O mihi care quidem semper, sed tempore duro Cognite, res postquam procubuere meae. ℙ *Procumbere in aliquem*, irruere, impetu incidere urgendi opprimendique gratia. *Mart.* 1. 61. de leone, et lepore: Quod ruet in tergum, vel quos procumbet in armos? ℙ Licet in exemplis supra allatis prima syllaba in *procumbo* producatur, corripitur tamen a *Lucr.* 4, 950. Brachia, palpebraeque cadunt, poplitesque procumbunt. ℙ [*Confund. *procumbii* et *procurrit.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 616. et 713.]

PROCŪPIDO, inis, m. amor anteceptus. *Minuc. Fel. Octav.* 26. *f.* Movet etiam in nos procupidinem amoris. Alii aliter legunt.

PROCURĀTIO, onis, f. *ἐπιτροπή, διοίκησις,* curatio, administratio, gubernatio. *Cic. Acad.* 1, 3. Dum me reipublicae non solum cura, sed quaedam etiam procuratio multis officiis implicatum et constrictum tenebat. *Id. N. D.* 2, 16. *f.* Deos omni procuratione atque actione privare. *Varr. R. R.* 1, 2. Aedituus arcessitus ab aedile, cujus procuratio hujus templi est, nondum rediit. *Cic. Dejot.* 13. Nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis utebatur. *Id. Leg.* 2, 26. *extr.* Super terrae tumulum noluit quid statui nisi columellam, aut mensam, aut labellum: et huic procurationi certum magistratum praefecit. *Id. Fam.* 15, 13. *f.* Mearum rerum maximeque existimationis meae procurationem susceptam velim habeas. *Id. Att.* 4, 1. *med.* Vocare aliquem ad procurationem annonae. *Sen. Br. V.* 17. *med.* Alienorum bonorum mercenaria procuratione consenuit. *Lentul.* ad *Cic. Fam.* 12, 14. Dare cuipiam procurationem Asiae. *Plin. ep.* 7, 25. Procuratione provinciae integerrime fungi; et *ib.* 31. Ad amplissimas procurationes promotus. *Quint.* 7, 4. *med.* Procuratio male gesta. ℙ Translate. *Gell.* 17, 5. *med.* Quia natura sit benivolus, benignitasque eum per sese ipsa delectet, sine ulla recipiendae gratiae procuratione. ℙ De expiatione per sacrificia. *Cic. Div.* 1, 45. Cum terrae motus factus esset, ut sue plena procuratio fieret. *Liv.* 7, 6. et *Sen. Q. N.* 2, 35. et 38. Expiationes, procurationesque prodigiorum. *Tac. A.* 12, 8. Poenas procurationesque incesti exquirere.

PROCURĀTIUNCŪLA, ae, f. parva procuratio. *Sen. ep.* 31. *med.* Quae tamen omnia transisti procuratiunculae pretio.

PROCURĀTOR, oris, m. *ἐπίτροπος, κηδεμών,* proprie est, qui curatoris vices agit, ut *propraetor, proquaestor.* Unde *Front. Aquaed.* 105. curatori aquarum procuratorem subjicit. Alias idem est qui *curator.* Nam quem *Colum.* 9, 9. *in.* curatorem alvearium dicit, mox *procuratorem* vocat. Sic *procurator aviarii* ap. *Varr. R. R.* 3, 6. est *curator* ap. *Colum.* 9, 14. Et curator rei frumentariae *Festo*, procurator annonae rectissime dici potest. ℙ Universim est is, qui aliena negotia mandatu domini administrat: et vel omnium rerum, vel unius rei esse potest constitutus vel coram, vel per nuncium, vel per epistolam: quamvis quidam non putent, unius rei mandatum suscipientem, procuratorem esse: sicuti nec is quidem, qui rem perferendam, vel epistolam, vel nuncium suscepit. Sed verius est, eum quoque procuratorem esse, qui ad unam rem datus sit. Haec *Ulp. Dig.* 3. *tit.* 3. qui *De procuratoribus et defensoribus* inscribitur, l. V. locum *Asconii* huc pertinentem in ADVOCATUS. *Cic. Caecin.* 20. Legitime procurator dicitur omnium rerum ejus, qui in Italia non sit, absitve reipublicae causa, quasi quidam paene dominus, hoc est alieni juris vicarius. *Pl. Ps.* 2, 2, 14. Condus promus sum, procurator peni. *Ov. A. Am.* 1, 587. Inde procurator nimium quoque multa procurat, Et sibi mandatis plura videnda putat. *Mart.* 5, 62. Procuratorem vultu qui praeferat ipso. *Cic. Quint.* 6. *med.* Libellos Sex. Alphenus, procurator P. Quintii dejicit: denunciat se procuratorem esse. *Id. Att.* 4, 16. *f.* Agere aliquid per procuratorem. *Ulp. l. c.* 29. Esse procuratorem in rem alicujus. *Paul. ib.* 42. dare ad rem aliquam. *Ulp. ib.* 55. in rem suam. *Paul. ib.* 4, 4, 24. facere. ℙ Frequenter dicitur de servo, qui rationes domini ducit et pecuniam curat. Huic in urbe saepe dispensator, ruri villicus subjiciebatur. *Petr. Sat.* 30. Procurator rationes accipiebat. *Sen. ep.* 14. *f.* Rationes accipit, forum conterit, calendarium versat, fit ex domino procurator. *Colum.* 1, 6. Villico juxta januam fiat habitatio, ut intrantium exeuntiumque conspectum habeat: procuratori supra januam ob easdem causas. Adde *Cic. Or.* 1, 58. *med.* et *Att.* 14, 16. ℙ *Procurator regni* ap. *Caes. B. C.* 3, 112. *f.* est, qui, rege adhuc puero, regnum pro eo administrat, [**Reichsverweser.*] ℙ In officiis domus Augustae varia fuere procuratorum genera. Constituebantur enim ab imperatoribus, qui rei aut privatae, aut publicae suo nomine praeessent: v. gr. ludis, fisco, vectigalibus, annonae, rationibus, etc. *Plin. Pan.* 36. Dicitur actori, atque etiam procuratori tuo: in jus veni, sequere ad tribunal. [*V. *Gierig.* ad h. l.] *Tac. A.* 11, 35. Sulpicius Rufus ludi procurator. [*Cf. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 378.] *Inscr.* ap. *Grut.* 389, 7. Ti. Claudio IIo Praefecto classis Praetor. Miseni Pub. Proc. Ludi magni, etc. Alia *ib.* 376, 3. L. Bovius L. F. L. N. Pal. Celer Proc. Ludi Famil. Glad. Caesaris, etc. Alia *ib.* 575, 5. Hermae Aug. Lib. a cubiculo Domitiae Aug. Fortunatus F. Proc. Fisc. Asiatic. patri piissimo, etc. Alia *ib.* 359. *n.* 3. T. Appaeo T. F. Vel. Alfinio Secundo Proc. August. XX. hered., etc., *h. e.* procuratori Augusti vicesimae hereditatum. Alia *ib.* 371, 2. T. Aurelio Aug. Lib. Aphrodisio Proc. Aug. a rationibus; et 457, 10. M. Porcio M. F. Aniens. Apro Proc. August. ab alimentis. Leguntur ibidem procurator a censibus accipiendis, a mandatis, ab epistolis, ab ephemeride, a patrimonio, ad bona damnatorum, ad alimenta, ad praedia Gallicana, etc. V. *ib.* 355, 6., 474, 4., 61, 4., 58, 7. etc. ℙ Praecipue vero procuratores provinciarum erant, qui ab imperatore eo mittebantur, ut, proconsule, aut legato Augusti rem civilem et militarem administrante, ipsi tributa exigerent, et fisci rationes curarent; [qui tamen, quoties proconsul, vel legatus Augusti defunctus ibidem esset, vel inde discessisset, ejus vices agere solebat. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiq.* p. 148. C. Furio Sabinio Aquilae Temesitheo proc. prov. Asiae, itemque vice procos., etc. Alia ap. *Mur.* 907, 4. C. Julio Senecioni proc. prov. Galat., item vice praesidis ejus prov. et Ponti, etc. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 5. C. Minicio C. Fil. Vel. Italo proc. provinciae Asiae, quam mandatu principis vice defuncti procos. rexit, etc. *F.*] Hinc procurator Africae, Asiae, Cappadociae, etc. saepe ap. *Tac.* Hujusmodi fuere, quibus Vespasianus vulgo dicebatur uti pro spongiis, quod quasi et siccos madefaceret, et exprimeret humentes, ut ait *Suet. Vesp.* 16. ℙ [Ab his diversi sunt procuratores cum jure gladii, qui in minores provincias alteri majori et a proconsule, vel a legato Augusti administratae mittebantur, quique saepe *procuratores* et *praesides* sunt appellati: hinc Judaeam, quae Syriae subjecta erat, procuratoris nomine, ut constat ex *Tac. A.* 15, 44., obtinebat Pontius Pilatus, dum a L. Vitellio Vitellii Aug. patre, et Syriae legato Judaea expulsus est, et ad Tiberium Aug. Romam abire jussus: isque a *Vulg.* interprete *Matth.* 27, 2. et alibi *praeses* dicitur, immo *Luc.* 3, 1. *procurans* Judaeam. Hinc *Inscr.* ap. *Grut.* 493, 6. Proc. et praesidi Alpium; et *ib.* 7. Procuratori et praesidi Alpium Cottiarum. *F.*]

PROCURĀTORĬUS, a, um, adj. ad procuratorem pertinens. *Ulp. Dig.* 3, 3, 31. Si quis, cum procuratorio nomine condemnatus esset, etc., *h. e.* quia procurator erat. *Id. ib.* 57. et *Pomp. ib.* 62. Procuratoria exceptio, *h. e.* quae opponitur ei, qui tanquam procurator actionem intendit, dicendo vel procuratorem revera non esse, vel esse non posse, vel datum esse ab eo, cui procuratorem habere non licuit. V. *Quint.* 4, 4. *f.* et 7, 1. *med.*

PROCURĀTRIX, icis, f. *ἐπίτροπος,* quae procurat, gubernatrix. *Cic. Fin.* 4, 7. Sed cum sapientiam totius hominis custodem, et procuratricem esse vellent.

PROCURĀTUS, a, um, part. a *procuro:* curatus. *Appul. Dogm. Plat.* 1. *extr.* Valetudo procurata salubriter.

PROCŪRO, as, avi, atum, a. 1. *κηδέω,* curo, curam gero. *Pl. Truc.* 2, 4, 59. Nunc tu te interim, quasi pro puerpera, hic procuras. *Id. Poen. prol.* 28. Nutrices pueros infantes minutulos domi ut procurent. *Virg. A.* 9, 158. laeti bene gestis corpora rebus Procurate viri. *L. Accius* ap. *Macr. Sat.* 1, 7. *extr.* Exercent epulis laeti, famulosque procurant Quisque suos. *Gell. praef. f.* Quantum a tuenda re familiari, procurandoque cultu liberorum meorum dabitur otii. ℙ *Procurare arbores*, excolere. *Cato R. R.* 43. Si voles, vinea cito crescat, semel in mense sulcos fodere oportet. Eodem modo ceteras arbores procurato. *Pall.* 7, 9. Procurare semina; et 12, 7. *med.* plantas. ℙ Cum dativo. *Pl. Stich.* 1, 2, 36. *An.* Non sedeo istic: vos sedete: ego sedero in subsellio. *Pi.* mane pulvinum. *An.* Bene procuras mihi: satis sic fultum

est mihi. *Arnob.* 3, 115. Victa et Potua sanctissimae victui potuique procurant, *h. e.* praesunt, curam gerunt. ℙ Item curo, operam do, ut, etc. *Sil.* 6, 329. stabulis procurans otia pastor, In foveam parco tectam velamine frondis Ducit nocte lupos positae balatibus agnae. *Just. Cod.* 4, 1, 12. In his quae ipse facienda procuravit. ℙ Item saepe administro, praesertim rem alienam, curam gero, guberno, *ἐπιμέλω*. *Cic. Fam.* 12, 24. *f.* Is procurat rationes, negotiaque Dionysii nostri. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 4. *extr.* Quomodo regnum illud se habeat, quis procuret, diligenter mihi perscribas. *Cic. Att.* 6, 4. Procura, quantulacumque est, Praecianam hereditatem. *Plin.* 7, 16, 17. Filius Cornelii Taciti Belgicae Galliae rationes procurantis. ℙ Item procurator sum, procuratorem ago. *Plin. ep.* 3, 5. *f.* Cum procuraret in Hispania *Capitol. Pert.* 2. Alimentis dividendis in via Aemilia procuravit. *Jabol. Dig.* 29, 2, 85. Cum in Cilicia procuraret. ℙ Cum dativo. *Tryph. ib.* 27, 1, 44. *f.* Libertus, qui senatori patrono procurat. *Scaev. ib.* 32, 1, 33. Procurare patri. *Ulp. ib.* 43, 8, 2. *med.* Si aedificium obstet publico usui, utique is, qui operibus publicis procurat, debebit id deponere, *h. e.* praecst. ℙ Est etiam verbum sacrorum, et significat curare et exsequi ea, quae ad expianda, et sacrificiis luenda prodigia, fulmina, et hujusmodi pertinent. *Cic. Div.* 1, 2. Magna vis videtur esse in monstris interpretandis ac procurandis in haruspicum disciplina; et *ib.* 2, 63. *f.* Procurare atque expiare signa, quae a Diis hominibus portenduntur. *Tibull.* 1, 5, 13. Ipse procuravi, ne possent saeva nocere Somnia, ter sancta deveneranda mola. *Liv.* 40, 2. Simul procuratum est, quod tripedem mulum Reate natum nunciatum erat. *Phaedr.* 3, 3. Procurare ostentum. *Suet. Galb.* 4. fulgur. *Ov. Fast.* 3, 343. his, inquit, facito mea tela procures. In *vet. S. C.* ap. *Gell.* 4, 6. Ut consul hostiis majoribus Jovi et Marti procuraret. ℙ Procurare sacra *Nep. Them.* 2. *extr.*, sacrificia *Caes. B. G.* 6, 12. est sacrorum curam habere, eaque rite peragere.

PROCURRO, is, procurri, et procucurri, cursum, n. 3. *προτρέχω*, ante, aut ultra curro, excurro: et saepe ad rem militarem pertinet. *Liv.* 25, 11. Si Romani ferocius procucurrissent. (Ita videtur legere etiam *Prisc.* 10, 902. Alii *procurrissent.*) *Caes. B. C.* 3, 93. Cum infestis pilis procucurrissent; et *ib.* 1, 69. Milites, visendi causa, laeti ex castris procurrebant; et *ib.* 55. Cohortem, quae temere ante ceteras extra aciem procurrerat, circumveniunt. *Id. B. G.* 6, 39. Calones in proximum tumulum procurrunt. *Id. B. C.* 2, 8. Ad repellendum, et prosequendum hostem procurrere. *Val. Fl.* 6, 697. Nunc levis infesto procurrit in agmina curru. *Colum.* 7, 3. Aries frequenter in pugnam procurrit. *Virg. A.* 9, 690. Et conferre manum, et procurrere longius audent; et *ib.* 279. quos agmina contra Procurrunt Laurentum. [*Cf. *Nic. Heins.* et *Drakenb.* ad *Sil.* 7, 566. *Burm.* ad *Quint.* 4, 3. p. 356.] ℙ Extra rem militarem. *Caes. B. G.* 7, 26. Matresfamilias repente in publicum procurrerunt. Adde *Liv.* 34, 2. *Ov. Her.* 2, 127. In freta procurro, vix me retinentibus undis. *Hor. Sat.* 1, 7, 20. in jus acres procurrunt. *Id. Epod.* 16, 29. In mare seu celsus procurrerit Apenninus. *Val. Fl.* 3, 594. nunc ad ripas dejectaque saxis Flumina, nunc notas nemorum procurrit ad umbras. ℙ [*Translate *procurrere* dicuntur, quae protenduntur, prominent, exstant.] *Virg. A.* 5, 204. Infelix saxis in procurrentibus haesit. *Pltn. ep.* 6, 20. *med.* Nubes Miseni quod procurrit, abstulerat. *Ov. Fast.* 4, 419. Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor Trinacris. *Colum.* 6, 17. *med.* Mons, qui procurrit in occidentem juxta Oceanum. *Flor.* 2, 2. *med.* Clypea a Punico litore, quasi arx et specula procurrit. *Plin.* 4, 12. *med.* Procurrens per medium Euxinum promontorium. *Ov. Fast.* 6, 281. Par facies templi, (*h. e. rotunda*) nullus procurrit in illa Angulus. *Val. Fl.* 6, 702. Improba barbaricae procurrunt tegmina plantae. *Plin.* 18, 13, 34. Radix in longitudinem procurrens. ℙ [*Item quae affluunt, quae augentur. *Sen. ep.* In ipso actu bene cedentium rerum, in ipso procurrentis pecuniae impetu raptus est. ℙ Item *procurrere* dicuntur, qui in re aliqua ultra procedunt, progrediuntur. *Auct.* ad *Her.* Ut productus studio et viribus, ultra facile procurras. ℙ Confund. *procurrit* et *procumbit.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 616. 713.]

PROCURSĀTĬO, onis, f. actus procursandi, procursio, *ἐκδρομή*. Vox est fere militaris. *Liv.* 28, 33. Ubi a velitibus per procursationem commissa pugna esset; et 22, 44. Dirigit aciem, lacessitque Numidarum procursatione hostes. Adde 5, 19. *med.*

PROCURSĀTOR, oris, m. qui procursat. *Liv.* 42, 64. Breve certamen levis armaturae maxime cum procursatoribus fuit. V. PROCULCATOR.

PROCURSĬO, onis, f. actus procurrendi. *Quint.* 11, 3. *med.* de gestu pedum: Procursio opportuna, brevis, moderata, rara. ℙ Item digressio, quasi excursio extra ordinem. *Id.* 4, 3. Non semper est necessaria post narrationem illa procursio.

PROCURSO, as, avi, atum, n. 1. frequent. a *procurro:* ante curso pugnae incipiendae causa. V. PROCURRO et PROCURSATIO. *Liv.* 27, 2. Ibi per dies aliquot cum ab stationibus procursaretur. *Plin.* 8, 5, 5. *extr.* Procursantibus inter eos, qui lacesserent. *Ammian.* 27, 10. *med.* Velut quadam obice stetit, doctus procursantium relatione verissima, barbaros longe conspectos. *Id. ib. mox* eosdem *proculcatores* appellat, q. v. v. l. s.

PROCURSORĬUS. V. PRAECURSORIUS.

PROCURSUS, us, m. *ἐκδρομή*, procursio, procursatio. Vox militaris. V. PROCURRO et PROCURSO. *Virg. A.* 12, 711. Procursu rapido, conjectis eminus hastis, Invadunt Martem. *Liv.* 22, 41. Tumultuario proelio, et procursu magis militum, quam ex praeparato, etc. *Tac. Agr.* 33. Jamque agmina et armorum fulgores, audentissimi cujusque procursu. ℙ Extra rem militarem. *Lucr.* 2, 454. procursus in proclive volubilis exstat. *Stat. Th.* 4, 787. puer faciles sternit procursibus herbas, In vultum nitens. *Plin.* 10, 38, 54. Vultur, et feae graviores, nisi ex procursu, aut altiore cumulo emissae, non evolant. ℙ Item prominentia, exstantia. *Id.* 5, 10, 11. Alexandria ad effigiem Macedonicae chlamydis orbe gyrato laciniosa, dextra laevaque anguloso procursu. ℙ Item progressus. *Val. Max.* 3, 2. *in.* Nos quia jam initia procursusque virtutis patefecimus, actum ipsum prosequamur.

PROCURVO, as, avi, atum, a. 1. [*in anteriorem partem curvo.] *Stat. Th.* 6, 852. celsum procurvat Agyllea Tydeus. *Auct. carm. de Genesi* 14. Pomiferique simul procurvant brachia rami.

PROCURVUS, a, um, adj. *καμπύλος*, curvus, valde curvus, [*in anteriorem partem curvatus.] *Virg. G.* 2, 421. nec illae Procurvam exspectant falcem. *Id. A.* 5, 765. Procurva litora.

PROCUS, i, m. *μνηστήρ*, qui nuptias alicujus ambit, qui poscit aliquam in uxorem. V. PROCO. *Virg. A.* 12, 27. Me natam nulli veterum sociare procorum Fas erat. *Hor. Od.* 3, 10, 11. Penelopen difficilem procis. *Ov. Met.* 14, 673. cum fugias averserisque petentes, Mille proci cupiunt. ℙ In sing. num. *Claud. VI. cons. Honor.* 523. ora puellae, Spe propiore tori, mater solertior ornat. Adveniente proco; et *Nupt. Honor. et Mar.* 32. fastigia supplex Deposui, gessique procum, *h. e.* petii uxorem. *Appul. Met.* 6. Si me parentibus, et formoso proco reddideris. ℙ [*Metaph. i. q. nos dicimus *Bewerber.* *Cic. Brut.* 96. Nos, quoniam post Hortensii — mortem orbae eloquentiae quasi tutores relicti sumus, ignotos atque impudentes procos repudiemus.] ℙ Olim *proci* fuerunt proceres. *Fest.* Procum patricium in descriptione classium, quam fecit Ser. Tullius, significat procerum. Huc pertinere quidam putant illud *Pl. Poen.* 3, 1, 7. Nequicquam hos procos mihi elegi loripedes, tardissimos; et *Cic. Or.* 46. *med.* Jam, ut censoriae tabulae loquuntur, *fabrum* et *procum* audeo dicere, non *fabrorum* et *procorum.*

*PROCŪSAE, arum, insula maris Aegaei, Epheso adjacens. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

PROCYON, ōnis, m. *Προκύων*, signum coeleste, Latine *antecanis:* a *πρό*, ante, et *κύων*, canis, quia Caniculae, quae major canis dicitur, ortum praecedit. *Cic.* in *Arat.* 221. et *N. D.* 2, 44. *f.* hic Geminis est ille, sub ipsis Ante-canem (Alii *Antecanis*) Grajo Procyon qui nomine fertur. *Hor. Od.* 3, 29, 18. jam Procyon furit, Et stella vesani Leonis. *Manil.* 5, 197. At Procyon oriens, cum jam vicesima Cancri Septimaque exundis pars sese emergit in astra. Venatus non ille quidem, verum arma creatis Venandi tribuit. Adde *Colum.* 11, 2. *med.* et V. ANTECANIS, et CANICULA.

PRODACTUS, a, um, part. a *prodigo:* prodige profuseque absumptus. *Tert. Pud.* 8. Judaeus, prodacta substantia Dei, in aliena regione mendicat. *Id. Anim.* 48. Prodactus sopor, *h. e.* consumptus, discussus.

PRODĔAMBŬLO, as, n. 1. prodeo deambulatum, foras deambulo. *Ter. Ad.* 5, 1, 3. Postquam intus sum omnium rerum satur, prodeambulare huc libitum est: *προπεριπατεῖν.* Quidam leg. *porro deambulare.* [*Alii *pro, deambulare.*]

PRODĔO, is, ii, itum, n. anom. *παρέρχομαι*, in apertum eo, exeo, exsisto: a *pro*, et *eo*, *is*, inserto *d* ad hiatum explendum, ut in *redeo, prodesse*, etc. *Pl. Aul.* 2, 6, 1. Heus Staphyla, prodi, atque ostium aperi. *Cic. Or.* 2, 86. Paulo post ferunt nunciatum Simonidi, ut prodiret. *Ter. Ph.* 1, 2, 102. Puer heus, nemon' huc prodit? cape, da hoc Dorcio. *Pl. Cist.* 3, 8. Dic, me orare, ut aliquis intus prodeat propere ocius. V. INTUS. *Id. Poen.* 5, 2, 158. et *Phaedr.* 2, 4. Nunciate, ut prodeat foras. *Id. Bacch.* 4, 9, 84. Pudet prodire me ad te in conspectum, pater. *Caes. B. C.* 3, 86. Quo firmiore animo in proelium prodeatis; et *ib.* 7. *med.* Prodire ex portu. *Ov. Fast.* 1, 33. utero matris. *Id. Am.* 3, 11, 13. foribus. *Id. R. Am.* 253. tumulo. *Id. Fast.* 3, 305. ab antro. *Hirt. B. Afr.* 50. *f.* de rupe. *Id. B. G.* 8, 8. et *Cic. Fam.* 6, 1. *med.* in aciem. *Caes. B. G.* 5, 26. *f.* ad colloquium. *Cic. Att.* 8, 11. *f.* et *Just.* 36, 4. in publicum. Sic *Sen. ep.* 52. *med.* in turbam. *Cic. Mur.* 33. et *Fam.* 3, 7. obviam alicui. *Id. Off.* 1, 35. *f.* et *Nep. praef.* in scenam. *Id. Them.* 1. in concionem. *Lucan.* 7, 231. Inde, truces Galli, solitum prodistis in hostem. ℙ Pro nasci, exsistere. *Varr. R. R.* 1, 45. Exit hordeum diebus septem: legumina fere quatriduo, praeterquam faba: ea enim serius aliquanto prodit seges. *Colum.* 11, 3. Nascentis anni clementia excipit prodeuntia semina. *Plin.* 25, 7, 37. Folia ex radice prodeuntia. *Ov. Fast.* 1, 154. Prodit et in summum seminis herba solum. ℙ Pro exstare, prominere. *Id. Met.* 8, 807. genuumque rigebat Orbis, et immodico prodibant tubere tali. *Plin.* 9, 25, 41. Neque aspero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte. ℙ Translate. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 66. *med.* Missos faciant patronos: ipsi prodeant. *Hor. Od.* 2, 8, 7. juvenumque prodis Publica cura, *h. e.* viseris, pares, te praebes conspiciendam. Sic *Ov. Fast.* 4, 309. Cultus, et ornatis varie prodisse capillis Obfuit. *Cic. Div. Verr.* 22. Si haec consuetudo serpere ac prodire coeperit. *Id. Off.* 1, 39. *med.* Cavendum est, praesertim si ipse aedifices, ne extra modum sumptu et magnificentia prodeas. *Id. Brut.* 10. Vides, eloquentia quam sero prodierit in lucem; et *Pl. Cas. prol.* 9. Nunc novae quae prodeunt comoediae, multo sunt nequiores. *Id. Amph. prol.* 93. Juppiter certo prodit in tragoedia, *h. e.* est tragoediae persona. *Ov. A. Am.* 3, 171. Cum tot prodierint pretio leviore colores, *h. e.* exierint, reperti sint in usum hominum. Sic *Met.* 1, 141. Jamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum Prodierant: prodit bellum, quod pugnat utroque. ℙ Est etiam porro ire, progredi, procedere. *Virg. A.* 6, 199. illae (*columbae*) tantum prodire volando, Quantum acie possent oculi servare sequentum. *Caes. B. C.* 3, 24. Naves ad fauces portus prodire jussit. *Pl. Rud.* 2, 1, 6. Ex urbe ad mare huc prodimus pabulatum. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 1, 32. Est quadam prodire tenus, si non datur ultra. *Cic. Off.* 1, 39. *med.* Sumptu prodire extra modum. *Petr. Sat.* 25. *f.* Prodeuntibus annis, *h. e.* procedente aetate. ℙ Passive impers. *Cic. Inv.* 1, 20. *f.* Ne quam in aliam rem transeatur, ne ad extremum prodeatur. *Id. Mur.* 33. Eccui autem non proditur revertenti? *Caes. B. G.* 1, 48. *extr.* Si quo erat longius prodeundum. ℙ *Prodinunt* prisci dixere pro *prodeunt*, exeunt. *Enn.* ap. *Fest.* Prodinunt famuli: tum candida lumina lucent. Simile est *danunt* pro *dant*, *redinunt* pro *redeunt.* ℙ *Prodient* pro *prodibunt* habet *Lact.* 7. 16. *f.* V. EO, is.

PRODESSĔ. V. PROSUM.

[PRODĬCĬUS, a, um, adj. qui prodit, seu profert aliquid. *Tert. ad Nat.* 1, 7. *med.* Sed bene, quod omnia tempus revelat, testibus sententiis et proverbiis vestris, ipsaque natura, quae ita ordinata est, ut nihil lateat, etiam quod fama non prodidit. Videte, qualem prodiciam adversus nos subornastis, etc. Sic *Id.* in loco huic simili *Apol.* 7. *f.* Hanc (*famam*) indicem adversus nos profertis, quae etc. *F.*]

[PRODĬCĬUS, a, um, adj. *Προδίκιος*, ad Prodicum pertinens, philosophum Ceum, Euripidis praeceptorem, qui librum scripsit de virtute et vitiis, in quo congressum Herculis cum Voluptate et Virtute elegantissime finxit, ut narrat *Xenoph. Memorab. Socrat.* 2, 1. Hanc fabulam imitatur *Sil.* 15, 20. et sqq., ubi similem Scipionis cum Voluptate et Virtute congressum commentus est. Hujus philosophi meminere *Cic. N. D.* 1, 42., *Quint.* 3, 1. et 9, 2. *med.* et *Gell.* 15, 12., aliique: Herculis vero Prodicii ita luculenter *Cic. Off.* 1, 32. Nam quod Herculem Prodicium dicunt, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret, (quod tempus a natura ad deligendum, quam quisque viam vivendi sit ingressurus, datum est) exisse in solitudinem, atque ibi sedentem, diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius esset: hoc Herculi potuit fortasse contingere; nobis non item, qui imitamur, quos cuique visum est, atque ad eorum studia institutaque impellimur. Hactenus *Cic.* [*V. quae *Beier*, ut solet, elegantissime in hanc rem disputat *l. Cic. l.*] Hanc etiam fabulam graphice insculptam cernere est in aureo nummo Hadriani Aug., in quo Herculem nudum in templo distylo stantem mulier altera adstans dextrorsum, altera sinistrorsum ad se invitare videntur; cujus nummi descriptionem habes ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 506. *F.*]

PRODĬCO, is, ixi, ctum, a. 3. idem quod praedico. *Cic. N. D.* 2, 3. Hominibus ea, quae sint, ostendi, monstrari, portendi, prodici: ex quo illa ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur. Adde *Div.* 1, 42., ubi eadem verba repetit. Sed utrobique alii leg. *praedici.* [*Ita *Orell.*] ℙ *Prodicere diem*, est aliam diem dicere pro ea, quae dicta fuit, differre, producere, prodere. *Liv.* 2, 61. *med.* Adeo constantia sua et tribunos obstupefecit, et plebem, ut diem ipsi sua voluntate prodicerent. Ante tamen, quam prodicta dies veniret, morbo moritur. Adde 3, 57. et 38, 51.

PRODICTĀTOR, oris, m. qui pro dictatore creatur, cum res urget, et dictatorem dicere non licet. *Liv.* 22, 8. Ad dictatorem dicendum civitas confugit. Et quia et consul aberat, a quo uno dici posse videbatur; nec dictatorem populus creare poterat; quod nunquam ante eam diem factum erat, prodictatorem populus creavit Q. Fabium Maximum. [Adde *ib.* 31. *f. F.*]

PRODICTIO, onis, f. dilatio. *Fest.* in *fr.* post *Publicus:* Prodicere diem est prodere (h. e. *differre*), prodictio namque proditio est, quae, ut ait Verrius, in praesens valet.

PRODICTUS, a, um, part. a *prodico:* praedictus. *Cic. Dom.* 17. *f.* Ne, nisi prodicta die, quis accusetur. Alii leg. *prodita.* [**Orell.* Vulg. serv. coll. *Wolf.*, qui verum esse *dicta* monet.] ℙ *Prodicta dies* est etiam dilata, prorogata. *Liv.* 38, 52. Ultimus dies P. Scipioni illuxit; post quem, cum invidiam et certamina cum tribunis prospiceret, die longiore prodicta, etc. Adde 3, 58. et *l. c.* in PRODICO.

PRODĪGALĪTAS, atis, f. prodigentia. *Auct. decl. in Cat.* 9. Omitto summum pecuniae desiderium, summam simul prodigalitatem.

PRODĪGĒ, adv. ἀσώτως, prodigendo, effuse, nimis large. *Cic. Phil.* 11, 6. Non possunt non prodige vivere, qui nostra bona sperant, cum effundunt sua. *Sen. V. B.* 20. *med.* Quidquid habeo, nec sordide custodiam, nec prodige spargam. *Id. ep.* 88. *med.* Prodige uti aliqua re.

PRODĪGENTIA, ae, f. ἀσωτία, nimia largitas, prodigitas, profusio, effusio. *Tac. A.* 6, 14. Geminius prodigentia opum, ac mollitia vitae amicus Sejano. *Id. ib.* 13, 1. Cujus vitiis per avaritiam ac prodigentiam mire congruebat. Adde *ib.* 15, 37. [*Ap. solum *Tac.* invenitur.]

PRODĪGIĀLIS, e, adj. ad prodigium pertinens. *Ammian.* 25, 10. Multa et dira visebantur, quorum eventus fore luctificos, gnari rerum prodigialium praecinebant. *Prud. Hamart.* 467. Quo tantum auxilii per prodigialia signa Effudit Dominus? *Pl. Amph.* 2, 2, 107. Mulier prodigiali Jovi aut mola salsa, aut ture comprecatam oportuit, *h. e.* prodigiorum depulsori. *Claud. in Ruf.* 2, 433. flagrant elidere saxis Prodigiale caput, *h. e.* portentosum, mali ominis, monstrosum. ℙ *Prodigiale*, adverbii ritu, in modum prodigii. *Stat. Th.* 7, 402. nec monstra tenent, quae plurima nectit, Prodigiale canens, certi fors praevia fati. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 232. cometes Prodigiale rubens.

PRODĪGIĀLĪTER, adv. idem ac prodigiose. *Colum.* 3, 3. Nam illa videntur prodigialiter in nostris Ceretanis accidisse. *Hor. A. P.* 29. Qui variare cupit rem prodigialiter unam, Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.

PRODĪGIĀTOR, oris, m. τερατοσκόπος. *Festus:* Prodigiatores, haruspices, prodigiorum interpretes. [PRODĪGIŎLUM, i, n. dimin. prodigii. *Not. Tir.* p. 96. Prodigium, prodigiolum. *F.*]

PRODĪGIŌSE, adv. τερατικῶς, praeter morem, vel naturam. *Plin.* 11, 37, 80. Lien cum jecinore locum aliquando permutat, sed prodigiose.

PRODĪGIŌSUS, a, um, adj. τερατώδης, prodigium faciens, prodigii plenus, praeter naturam et consuetudinem eveniens, stupendus, mirandus. *Stat. Th.* 3, 32. Sed similes non ante metus, aut astra notavi Prodigiosa magis. *Plin.* 2, 30, 30. Prodigiosi defectus solis. *Mart.* 5, 34. Oraque Tartarei prodigiosa canis. *Ov. Met.* 15, 968. Prodigiosa petit Titanidos atria Circes; et *ib.* 9, 726. Cognita quam nulli, quam prodigiosa, novaeque Cura tenet Veneris! *Id. Am.* 3, 6, 17. Prodigiosa loquor veterum mendacia vatum. *Quint.* 1, 1. Prodigiosa corpora et monstris insignia. *Tac. H.* 3, 56. Concionanti (prodigiosum dictu!) tantum foedarum volucrum supervolitavit, ut, etc. *Plin.* 7, 20, 19. Prodigiosa *(virium)* ostentatio. *Id.* 13, 1, 2. Prodigiosa cinnamomino *(unguento)* pretia. *Id.* 33. *prooem.* Heu prodigiosa ingenia! quot modis auximus pretia rerum! *Trebell. in* XXX. *Tyr.* 31. Quo nihil prodigiosius passa est respublica.

PRODĪGĬTAS, atis, f. profusio. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 695. Nequitia occupat hos, petulantia, prodigitasque.

PRODĪGĬUM, ii, n. τέρας, portentum, monstrum, ostentum: res praeter naturam, aut morem eveniens, et futurum aliquid significans, tum in bonam, tum in malam partem. Est a *prodico*, aut *praedico*, ut *Cic.* docet: quasi *prodicium.* V. PRODICO. Sic *Festus:* Prodigia, quod praedicunt (alii leg. *prodicunt*) futura, permutatione *G* litterae: nam quae nunc *C* appellatur, ab antiquis *G* vocabatur. *Vossius* legit: nam quae nunc *G* appellatur, ab antiquis *C* vocabatur. Quod est multo verius. V. initium litterae *G. Non.* 1, 212. ducit a *porro*, et *adigo*, quia sunt avertenda, et averruncanda. Sed potior est *Ciceronis*, et *Festi* sententia. Di scrimen inter *monstrum*, *portentum*, *prodigium*, etc. V. in MONSTRUM. ℙ In bonam partem. *Virg. A.* 5, 638. jam tempus agi res: Nec tantis mora prodigiis. Ubi *Serv.:* Ecce prodigium de bono. *Plin.* 11, 37, 77. Caecinae Volaterrano dracones emicuisse de extis, laeto prodigio, traditur. ℙ In malam. *Cic. Pis.* 4. P. Clodius fatale portentum prodigiumque reipublicae. *Id. Verr.* 2, 3, 73. *f.* Non mihi jam furtum, sed monstrum ac prodigium videbatur. *Virg. A.* 3, 365. Harpyia Celaeno Prodigium canit et tristes denunciat iras. *Plin.* 10, 18, 20. Ille avem protinus concerpsit: nec multo post prodigium implevit, *h. e.* mortuus est, quod prodigium illud significaverat. *Tac. H.* 5, 13. Piare prodigia. *Id. A.* 12, 43. Accipere aliquid in prodigium; et *ib.* 13, 58. Prodigii loco habere. *Quint.* 1, 10. *f.* Prodigium divinitus factum. ℙ Promiscue. *Cic. Verr.* 2, 4, 49. Mira tota Sicilia religio est Cereris Ennensis. Etenim multa saepe prodigia vim ejus numenque declarant. ℙ De monstro, unde prodigium fit. *Ov. Her.* 9, 91. Prodigiumque triplex, armenti dives Iberi Geryones. *Id. Met.* 13, 917. Non ego prodigium, non sum fera bellua, virgo; Sum Deus, inquit, aquae. Adde *Quint.* 7. *praef.* ℙ Translate. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 2. Ecce altiles spectantur asparagi: et Ravenna ternos libris rependit. Heu prodigia ventris!

PRODĪGO, is, egi, actum, a. 3. προάγω, educo, abigo, foras, aut procul ago, propello, cum de pecore sermo est: a *pro*, aut *porro*, et *ago*, inserto *d*, ut in *prodeo*, *prodesse*, etc. *Varr. R. R.* 2, 4. de suibus: Admissuras cum faciunt, prodigunt in lutosos limites, ac lustra, ut volutentur in luto; et *ib.* 7. *med.* Prodigere in pabulum; et *ib.* 3, 9. *med.* Pulli prodigendi in solem, et in sterquilinium, ut se volutare possint. ℙ Translate est immoderate rem effundere, largius, quam par est, impensas facere, quasi patrimonium foras agendo, et perdendo, καταναλίσκω. *Fest.:* Prodegeris, consumpseris, perdideris. Fortasse respexit ad illud *Pl. Aul.* 2, 8, 10. Festo die si quid prodegeris, profesto egere liceat, nisi peperceris. *Id. Merc.* 5, 4, 60. Per nos quidem hercle egebit, qui suum prodegerit. *Sall. or. Lepidi contra Sull.* Nisi aliena bona parata prodegerint. *Sil.* 15, 498. Mercandi dextras largus, belloque parata Prodigere in bellum facilis. *Lactant.* 6, 11. *med.* Levissimorum hominum patrimonia in res supervacuas prodiguntur. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Lascivia immoderatius fundendo patrimonii prodigit facultates. *Auct. Pan.* ad *Constant.* 14. *extr.* Fruimini, dissipate, prodigite. *Aurel. Vict. Caes.* 40. *med.* Pecuniam conferre prodigenti. [**Suet. Ner.* 30. Prodigere opes. *Tac. H.* 1, 20. sumptibus quibus sua prodegerant.] ℙ Aliquando in bonam partem accipitur pro moderate consumere. *Modest. Dig.* 1, 18, 18. Plebiscito continetur, ne quis praesidum munus, donumve caperet, nisi esculentum potulentumve, quod intra dies proximos prodigatur.

PRODĪGŪAE Hostiae vocantur, ut ait Veranius, quae consumuntur: unde homines quoque luxuriosi, prodigi. *Fest.*

PRODĪGUS, a, um, adj. ἄσωτος, ἀκόλαστος, nimius in usu rei familiaris, profusus, effusus, luxuriosus, nepos, perditus: a *prodigo, is. Cic. Off.* 2, 16. Omnino duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales. Prodigi, qui epulis, et viscerationibus, et gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu, pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut levem aut nullam omnino sint relicturi. [*V. *Beier.*] *Id. Cat.* 4, 5. Lentulus largitor, et prodigus. *Pl. Most.* 4, 1, 19. Peculii sui prodigus. *Suet. Vit.* 7. Facilis ac prodigus animus. *Gell.* 7, 11. Luxus vitae prodigus effususque. *Plin.* 9, 11, 13. Prodigum et sagax ad luxuriae instrumenta ingenium. *Id.* 11, 19, 21. Apes prodigae atque edaces; et 9, 17, 31. Asinius Celer, hoc pisce (*mullo*) prodigus, unum mercatus octo millibus nummum, *h. e.* in hoc pisce emendo prodigus. *Id.* 37, 2, 6. Margaritae, prodiga res, *h. e.* quae ut emantur, multum prodigitur. *Mamert. Grat. act.* ad *Jul.* 10. *extr.* Prodigere aliquid in prodigas cupiditates, *h. e.* quae sumptibus non parcunt, ut expleantur. [**Liv.* 5, 20. ne quam invidiam apud patres ex prodiga largitione caperet; et *mox:* qui largitionem novam, prodigam, inaequalem, inconsultam arguens: laudat haec *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 9. p. 167. a *ed. Fr.*, ubi pro *pergam in multos largitionem* conjecturam viri docti in marg. *ed. Rhen. prodigam in multos largitionem* longe praeferendam censet.] ℙ Translate. *Cic.* ad *Brut.* 1, 15. Unum reprehendebas, quod in honoribus decernendis essem nimius, et tanquam prodigus. *Vell* 2, 48. Suae, alienaeque et fortunae et pudicitiae prodigus. *Stat. Th.* 6, 767. noscendi Prodigus, incautusque sui. *Hor. Od.* 1, 18, 16. Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro. *Gell.* 11, 5. Homo non praeceps, neque judicii sui prodigus; et 1, 15. *f.* Quorum lingua tam prodiga infrenisque sit, ut fluat semper aestuetque colluvione verborum teterrima; et 19, 2. Libidines in cibos atque in Venerem prodigae. *Quint. decl.* 292. Prodigis oculis intueri, *h. e.* liberioribus et luxuriosis. ℙ *Prodigus animae, vitae*, contemptor, eamque facile ac libenter in discrimen adducens. *Hor. Od.* 1, 12, 37. animaeque magnae Prodigum Paulum. *Ov. Am.* 3, 9, 64. Sanguinis atque animae prodige, Galle, tuae. *Stat. Th.* 8, 406. At postquam rabies, et vitae prodiga virtus Emisere animos, etc. Adde *ib.* 3, 69. et *Sil.* 1, 225. Sic prodigus lucis, *Claud.* in *Ruf.* 2, 183. et Fides proprii cruoris prodiga, *Prud.* περὶ στεφ. 2, 17. et prodigus sui, *Auct. Pan.* ad *Constant.* 23. *extr.* ℙ Pro abundanti, affluenti, copioso, largo. *Hor. Ep.* 1, 7, 41. Non est aptus equis Ithacae locus, ut neque planis Porrectus spatiis, nec multae prodigus herbae. *Ov. Met.* 15, 81. Prodiga divitias, alimentaque mitia tellus Suggerit. *Sil.* 6, 144. Hic studio laticum, quorum est haud prodiga tellus, etc. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 69. laetatur in antro Amnis, et undantem declinat prodigus urnam. *Id. in I. cons. Stil.* 2, 461. madidae nec prodigus urnae Aquarius, *h. e.* nimios ferens imbres. *Plin.* 13, 3, 5. Jam quidam etiam in potus addunt unguenta, ut odore prodigo fruantur ex utraque parte corporis, *h. e.* intus et foris largo odore perfundantur. *Auson. Idyll.* 10, 104. cui prodiga nutat Alvus, opimatoque fluens abdomine venter, *h. e.* laxa, ampla. *Virg. Mor.* 35. de puella Afra: Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta, *h. e.* aequo spatiosiorem pedem habens.

PRODĪNUNT. V. PRODEO.

PRODISPĔRO, as, a. 1. Prodisperare alvum pro solvere, laxare, quidam legunt ap. *Pl. Rud.* 2, 7, 31. Itaque alvum prodisperavit nobis falsis poculis. At plerique interpretes rectius *prodi speravit* reponunt, *h. e.* corrumpi, solvi. V. *Taubm.*

PRODĪTĬO, onis, f. ἀποκάλυψις, actus prodendi, et divulgandi, indicium: a *prodo. Plin.* 7, 45, 46. Proditio arcanorum. *Flor.* 3, 18. *med.* Postquam id nefas proditione discussum est. *Mamert. Grat. act.* ad *Jul.* 14. *f.* Cum proditionem futuri verborum ambago celaret. Adde *ib.* 18. ℙ Item perfidia, προδοσία. *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* Multorum in nos perfidiam, insidias, proditionem notabis. *Id. Acad.* 4, 9. Amicitiarum proditiones, et rerumpublicarum. *Virg. A.* 2, 83. quem falsa sub proditione Pelasgi Demisere neci. ℙ Item prodictio, dilatio in alium diem. *Cato* ap. *Fest.* in *Prodidisse.* Te, C. Caecili, diem prodidisse militibus legionis tertiae, cum proditionem non haberent. Alii leg. *haberes*, *h. e.* jus proferendi diem, et differendi. V. PRODO, et alium *Festi* locum in PRODICTIO. ℙ Item actus prodeundi, vel progrediendi: a *prodeo. Sidon. ep.* 5, 13. *med.* Quia dicitur haec ipsa pernicies appropinquare (cujus proditionibus Deus obviet) praeveni morbum, etc.

PRODĪTOR, oris, m. προδότης, qui prodit, [*i. e. manifestat, indicat. Haec enim primo loco debebat collocari significatio. Exempla Noster secundo loco laudaverat ista:] *Ov. Am.* 2, 8, 25. index anteacta fatebor, Et veniam culpae proditor ipse meae; et *ib.* 3, 12, 30. Proditor in medio Tantalus amne sitit, *h. e.* qui arcana Deorum vulgavit. V. TANTALUS. *Hor. Od.* 1, 9, 21. latentis proditor intimo Gratus puellae risus ab angulo. ℙ [*Hinc perfidiae notione assumpta idem est, quem nos dicimus *Verräther.*] *Cic. Fin.* 3, 19. *med.* Nec magis vituperandus est proditor patriae, quam communis utilitatis, aut salutis desertor. *Id. Fam.* 12, 3. Ea dixit de conservatoribus patriae, quae dici deberent de proditoribus. *Id. Sull.* 31. *med.* Ne exstinctor patriae, ne proditor, ne hostis appelletur. *Liv.* 2, 59. *f.* Exercitus proditor militaris disciplinae, desertor signorum. *Sall.* in *or. Phil. cont. Lepid. med.* Nostri proditor, istis infidus, hostis omnium bonorum. *Ov. Ib.* 371. Proditor ut saevi periit auriga tyranni. V. MYRTOUS.

PRODĪTRIX, icis, f. [*quae evulgat. V. v. praeced. Noster secundo loco exemplum posuerat illud:] *Prud.* περὶ στεφ. 1, 11. Fama nam terras in omnes percucurrit proditrix. ℙ [*Hinc quae prodit:] *Lactant.* 1, 10. Patris proditricem in conjugium sibi vindicavit. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 8, 30. Apollo divinationem eis concessit, adjecto, ne proditrices numinum esse vellent.

PRODĪTUS, a, um, part. a *prodo:* extra positus, foras emissus, prolatus. *Lucr.* 3, 603. de anima: Quid dubitas tandem, quin extra prodita corpus Imbecilla foras, in aperto, tegmine dempto, etc.? *Id.* 6, 561. Ad coelumque magis quanto sunt edita quaeque *(tecta domorum)* Inclinata minent in eandem prodita partem, *h. e.* extra perpendiculum deflexa. ℙ [*Huc pertinent ista, in quibus *proditus* est i. q. partu editus in lucem: quae *Forc.* infra laud.] *Ov. Her.* 11, 107. Quid puer admisit tam paucis proditus horis? *Id. Met.* 5, 517. quod nostro est prodita partu. Adde *ib.* 9, 677. Alii leg. ubique *editus. Acc.* ap. *Appul. de Deo Socrat. f.* de Ulysse: Inclute, parva prodite patria, nomine celebri, etc. Translate *Lucr.* 4, 521. Jam ruere ut quaedam videantur velle, ruantque Prodita judiciis fallacibus omnia primis. ℙ Item editus, manifestatus, vulgatus. *Cic. Rab. Post.* 7. Imago ad posteritatis memoriam prodita. *Id. Arch.* 7. Summorum virorum virtutes literis proditae. *Ov. A. Am.* 1, 326. partu proditus auctor erat; et *Her.* 12, 38. Eminet indicio prodita flamma suo. *Val. Fl.* 5, 233. socerumque exterruit ingens Prodita vox: o qui patria, etc. *Cic. Dom.* 17. Prodita dies, *h. e.* ante edicta. Alii leg. *prodicta* eod.

sensu. V. PRODICTUS. *Liv.* 25, 13. Alia prodita dies ad frumentum majore apparatu petendum. ℙ In illo *Vell.* 2, 6. Id unum nefarie ab Opimio proditum, quod, etc. *proditum* est ita factum, ut exemplo sit aliis. V. PRODO. ℙ [*Nunc demum recte sequi posse videtur, quod *Noster* supra laudaverat, illud:] *Cic. Off.* 3, 21. *med.* Regnum, quod a Tantalo et Pelope proditum jure obtinebatur, i. e. propagatum. ℙ *Proditus* est etiam προδιδόμενος, perfide traditus. *Caes. B. C.* 1, 30. *f.* Queritur sese projectum ac proditum a Cn. Pompejo; et *ib.* 2, 32. Non proditi per illum, Caesaris beneficio estis conservati? et *ib.* 3, 67. Cujus opera proditum exercitum demonstravimus. *Sall. Jug.* 36. Hosti acerrimo prodita senatus auctoritas, proditum imperium vestrum. *Cic. Verr.* 1, 4. Nudatus ac proditus consul, desertus exercitus. *Id. Att.* 3, 15. *med.* Ego proditus, inductus, conjectus in fraudem. *Id. Phil.* 11, 9. Relictus, desertus, proditus. *Val. Fl.* 7, 486. Te conjux, nataeque manent: ego prodita obibo. *Mart.* 8, 17. Prodita causa. V. PRODO. ℙ De rebus inanimis. *Sil.* 15, 712. Occubuit clypei transfixo proditus aere, *h. e.* deceptus: nam impenetrabile putaverat; et 16, 433. ni successu nimio, laetoque pavore Proditus elapso foret inter verba flagello. V. PRODO.

PRODIUS, adv. interius, propius: a *prodeundo. Varr.* ap. *Non.* 1, 231. Primum venit in urbem, atque intra muros, deinde accedit prodius, atque introit domum.

PRODO, is, idi, itum, a. 3. [*extra ponere, foras emittere, proferre,] a *pro*, et *do*. Unde *extra proditur aliquid*, ap. *Lucr.* 2, 931. quod quasi paritur, et producitur. V. PRODITUS. ℙ [*Hinc significat: aliquid in conspectum aliorum vel potestatem dare, quod tectum, commissum, creditum est. V. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 628. — Ita primum dicitur pro promere, edere, ostendere, Gr. ἐκδίδωμι. Continuo hic poterunt commemorari, quae *Forc.* infra posuerat ista:] *Ov. Fast.* 5, 518. Prodit fumoso condita vina cado. Adde *ib.* 508. et *Val. Fl.* 8, 17., ubi alii leg. *promit. Ov. Met.* 1, 656. alto suspiria prodis Pectore; et *ib.* 6, 80. Percussamque sua simulat de cuspide terram Prodere cum baccis fetum canentis olivae; [*Porro huc pertinet, quem Noster in *f.* hujus paragraphi laudaverat, locus ejusd. *ib.* 4, 656.] laevaque a parte Medusae, Ipse retro versus, squalentia prodidit ora. Alii leg. *protulit.* [*Heins. e *fragm. Amstelod.* optimae notae. Adde *Suet. Ner.* 54. prodituram se, partae victoriae ludis, etiam hydraulam, et choraulam, etc. i. e. ostensurum. Neque abesse hic recte poterant, quae *Forc.* ad *f.* posuerat, ista:] *Vell.* 2, 119, 4. quam clarum exemplum *L.* Eggius, tam turpe Ceionius prodidit; et *ib.* 6, 5. Id unum nefarie ab Opimio proditum, quod capitis civis R. pretium se daturum proposuit. [*Ejusdem generis sunt et illa:] *Cic. Fl.* 11. ne periculosam imitationem exempla reliquis in posterum proderetis; [*et *ib.* ne quod perniciosum exemplum prodatur. Adde *Liv.* 1, 11. prodendi exempli causa, ne quid usquam fidum proditori esset. *Claud. Get.* 58. Eurus ab occāsu, Zephyrus se prodat ab Indis, i. e. oriatur, surgat, proveniat. —] *Inv.* 13, 23. Quae tam festa dies, ut cesset prodere furem, Perfidiam, fraudes, etc. ℙ [*Hinc in universum signif. pronuntiare, evulgare, palam facere. Huc pertinet primum illud, quod solemne vocabulum est in pronuntiandis, creandis, dicendis magistratibus iis, qui sine suffragiis fiunt, ut Noster docuerat:] *Cic. Leg.* 3, 4. Cum populo agendi jus esto consuli, praetori, magistro populi, eique, quem produnt patres consulum creandorum ergo. *Id. Mil.* 17. Prodere flaminem. *Liv.* 5, 31. *f.* et 6, 40. *med.* et *Cic. Dom.* 14. *f.* interregem. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* dictatorem. [*— Simili ratione usurpatur etiam de promulgandis legibus.] *Cic. Acad.* 4, 9. Cum decretum proditur, lex veri rectique proditur. ℙ [*Hinc translatum est ad eos, qui res gestas litteris mandant.] *Varr. L. L.* 4, 32. De eo triceps historia, nam et Procilius non idem prodidit, quod Piso. *Cic. Tusc.* 1, 13. Si ea, quae scriptores Graeciae prodiderunt, eruere coner. *Id. Planc.* 39. *med.* Haec de clarissimis viris monumenta nobis litterae prodiderunt. *Nep. Them.* 10. Thucydides ossa ejus clam ab amicis esse sepulta, memoriae prodidit. *Id. A.* 13. Hujus bella gesta multi memoriae prodiderunt. *Sil.* 3, 222. Prodite, Calliope, famae, quos horrida coepta Excierint populos. *Plin.* 10, 43, 60. Nunc quoque erat in Urbe Roma, haec prodente me, equitis R. cornix e Baetica, etc. *Id.* 34, 7, 16. Hercules ab Evandro satica, ut produnt, in foro boario. *Ov. Fast.* 3, 291. Prodere ritum piandi fulminis. ℙ *Prodere memoria*, pro *memoriae. Caes. B. G.* 5, 12. Britannia ab iis incolitur, quos natos in insula ipsa, memoria proditum dicunt. Ita edition. omn. tum antiquae, tum recentes, quas habemus. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 31. Ut quod proditum memoria est. *F.*] *Val. Max.* 2, 6. *n.* 10. Memoria proditum est, Gallos, etc. [*Cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 3, 54. 9, 27. ℙ Tum speciatim adhibetur denotandis iis, qui quod celatum, arcanum est, quorum soli sunt conscii, detegunt, in vulgus edunt.] *Val. Fl.* 4, 479. Fata loquax, mentemque Jovis, quaeque abdita solus Consilia, et terris subito ventura parabat, Prodideram, miserans hominum genus. *Cic. Tusc.* 2, 13. *f.* Homine enunciante commissa, prodente conscios. *Pl. Cist.* 4, 2, 75. Tibi nunc prodimus, et confitemur cistellam habere. *Juven.* 9, 115. Prodere arcanum. *Plin.* 9, 10, 12. Testudines summa in aqua obdormiscere: id prodi stertentium sonitu. *Ov. Trist.* 4, 4, 9. Nil ego peccavi: tua te bona cognita produnt. *Id. Met.* 2, 447. Heu quam difficile est, crimen non prodere vultu! ℙ [*Deinde *prodere* est, ut *Forc.* expl., porro dare, i. e. tradere quasi per manus.] *Cic. Mil.* 30. *extr.* Qui sacra, qui caeremonias, qui auspicia et ipsi sanctissime coluerunt, et nobis suis posteris prodiderunt. *Id. Verr.* 2, 5, 14. *f.* Jus imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam. Ita *Non.* 4, 350. et *Graev.:* alii leg. *prodendae.* [*Ita e conj. *J. F. Gron.*, quem v. in *observv.* 1, 12. p. 59. *ed. Fr.* Adde *Virg. A.* 12, 42. ad mortem si de — Prodiderim. ℙ Hinc contra jus fasque, perfide aliquid tradere, Gr. προδίδωμι.] *Cic. Phil.* 10, 3. Si Brutum prodideritis, et deserueritis. *Id. Fl.* 33. Quem ego sum secutus, is me deseruit ac prodidit. Sic *Id. Verr.* 2, 1, 33. Cur causam populi R. deseruisti ac prodidisti? *Id. ad Quir.* 9. Qui me per simulationem amicitiae nefarie prodiderunt. *Id. Pis.* 24. Prodebas caput et salutem meam una mercede provinciae. *Id. Caecin.* 18. Rem, et causam, et utilitatem communem non relinquere solum, sed etiam prodere. *Id. Fin.* 3, 9. *f.* Prodere patriam. *Id. Verr.* 2, 5, 41. classem praedonibus. *Sall. Jug.* 35. hosti rempubl. ℙ Item perdere, quasi porro dare, projicere, deserere. *Ter. Heaut.* 3, 1, 70. Prius proditurum te tuam vitam, et prius pecuniam omnem, quam abs te amittas filium. *Enn.* ap. *Fest.* in *Prodit.* Non in sperando cupide rem prodere summam. *Cic. Acad.* 4, 8. Vir bonus statuit omnem cruciatum perferre, quam aut officium prodat, aut fidem; et *Ter. Hec.* 4, 4, 49. Quid dixti? eho! an non alemus, Pamphile? Prodemus, quaeso, potius? Ubi *Donat.* deseremus, projiciemus, porro dabimus; et *Virg. A.* 1, 254. Nos, tua progenies, coeli quibus annuis arcem, Navibus (infandum!) amissis, unius ob iram Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris. Ubi *Serv.:* porro damur, scilicet ab Italia prohibemur. *Ov. Her.* 10, 5. In quo me somnusque meus male prodidit, et tu Per facinus somnis insidiate meis. Loquitur Ariadne ad Theseum. ℙ De equo, aut auriga vectorem fallentibus. *Virg. A.* 10, 592. Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum Prodidit. *Sil.* 17, 137. Corruit asper equus, confixaque cuspide membra Huc illuc jactans, rectorem prodidit hosti. *Claud. Laud. Seren.* 168. Prodidit Oenomai deceptum Myrtilus axem. Adde *Sen. Oed.* 144. ℙ De rebus inanimis. *Lucr.* 6, 33. de Averno: Cujus ubi e regione loci venere volantes, Claudicat extemplo pinnarum nisus inanis, Et conamen utrinque alarum proditur omne, *h. e.* decipitur, non habens quo nitatur. *Sil.* 5, 570. sed vani frigentem in Marte senectam Prodebant ictus, *h. e.* destituebant, fallebant. ℙ Item longe dare, hoc est differre, protrahere. *Luc.* ap. *Non. l. c.* Possitne elabi, an porro prodenda dies sit. *Ter. Andr.* 2, 1, 13. Credo, impetrabo, ut aliquot saltem nuptiis prodat dies. Ubi *Donat.:* proferat, prolatet, differat: deinde subjicit verba *Lucilii* allata. *Festus:* Prodidisse non solum in illis dicitur, qui patriam hostibus prodiderunt, sed etiam tempus longius fecisse, ut Cato: Te, C. Caecili, diem prodidisse militibus legionis tertiae, cum proditionem non haberent. ℙ [*Hinc poetice *prodere genus*, facere ut diutius maneat, perduret, i. e. propagare.] *Virg. A.* 4, 230. qui Italiam regeret genus alto a sanguine Teucri Proderet. Ubi *Serv.:* protenderet, i. e. propagaret. ℙ *Produit*, porro dederit, ut est in lege censoria: Porticum sartam tectamque habeto, prodito (*supplent eruditi*) ni produit, etc. *Festus.* ℙ [*Confund. *Prodere* et *perdere.* V. *intpp.* ad *Suet. Tib.* 54. *Cort. ad Lucan.* 3, 201. 8, 511. — *prodere* et *promere. Id. ib.* 1, 625.]

PRODOCĔO, es, a. 2. palam, aut ante doceo. *Hor. Ep.* 1, 1, 53. quaerenda pecunia primum, Virtus post nummos: haec Janus summus ab imo Prodocet. Ita recte ex multis MSS. *Lamb., Cruqu., Bentl.*, nam *pro* in compositis, teste *Festo*, palam faciendi sensu adhibetur. Alii tamen *praedocet*, aut *perdocet* legunt.

[PRODORMĬO, is, ivi, vel ii, n. 4. plus, quam aegri conditio fert, dormio. *Front. ad M. Caes.* 1. (ed. *A. Maio*) *ep.* 4. Quae ego pro somno dixeram, tu multis et elegantibus argumentis refutasti ita scite, ut si vigilia tibi hoc acuminis et leporis adfert, ego prorsus vigilare te mallem; et *mox:* Quid si ego id postulo, ne exspergiscare? Quin postulo, ut dormias. Quo pacto ego magister appellor? qui unum hoc, quod te docere cupio, ut dormias non impetro. Perge, ut libet, dummodo Dii te mihi, sive prodormias, sive pervigiles, protegant. *M. Aurel.* ap. *Front. ad M. Caes. ep.* 4, 6. Nos valemus. Ego aliquantum prodormivi propter perfrictiunculam, quae videtur sedata esse. Ergo ab undecima noctis in tertiam diei partim scripsi; minus mehercule, quam heri. *Id.* enim dixerat in *praeced. ep.* Nos valemus. Ego hodie ab hora nona noctis in secundam diei bene disposito cibo studivi. Ex quibus porro patet, hac nocte illum pervigilare, atque adeo studere coepisse hora nona noctis; die vero sequenti hora undecima; itaque se prodormivisse narrat, cum duabus horis plus quam pridie, dormiisset. *Front.* postquam pridie scripsisset, se laborare, ita incipit *ad M. Caes. ep.* 5, 22. Ego prodormii. *F.*]

*PRODORUS, i, m. statuarius quidam, idemque pictor. *Plin.* 34, 8. *B. A.*

PRODROMUS, i, m. πρόδρομος, vox Graeca praecurrentem, praecursorem, praevium significans. *Cic. Att.* 1, 12. Nam mihi Pompejani prodromi nunciant, aperte Pompejum acturum, Antonio succedi oportere. ℙ *Prodromi* dicuntur etiam venti quidam Aquilonares octo ferme diebus exortum Caniculae antecedentes, ut *Plin.* 2, 47, 47. docet. *Colum.* 11, 2. *med.* Sext. Cal. Jul. prodromi flare incipiunt. *Cic. Att.* 16, 6. Magis commode, quam strenue navigavi: remis enim magnam partem: prodromi nulli. Quod autem *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 2. (ubi *etesiarum prodromos* vocat, quae ex *Colum. l. c.* Calendis Aug. incipiunt) alium diem his assignare videtur, nempe XIII. Cal. Aug., non eorum principium, sed tempus quo constantius perflant, intelligit, ut ex *c.* 2, 47, 47. apparet. ℙ Item genus ficuum praecocium, qui ceterorum maturitatem anteveniunt. Ita enim eos Athenis appellant. *Plin.* 16, 26, 49.

PRODŪCO, is, xi, ctum, a 3. [*Proprie in conspectum aliorum foras ducere aliquem, nostr. *vorführen. B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 629. Ita ordinem hujus loci, ut quem *Forc.* ita instituisset, ut parum probari posse videretur, totum immutavimus. Ac primum quidem huc pertinent, quae Noster infra laudaverat, ista:] *Pl. Epid.* 3, 4, 40. Quin tu fidicinam produci intus jubes? V. INTUS. *Id. Capt.* 2, 2, 2. Ubi sunt isti, quos ante aedes huc jussi produci foras? *Petr. Sat.* 126. Producere aliquem e latebris. *Sen. Tro.* 513. aliquid in medium. *Appul. Met.* 4. asinum stabulo. *Ov. Met.* 8, 213. velut ales, ab alto Quae teneram prolem producit in aera nido. ℙ De exercitu, qui ad pugnam educitur. *Pl. Amph.* 1, 1, 62. Amphitruo castris producit omnem exercitum. *Galba* ad *Cic. Fam.* 10, 30. In aciem suas copias de vico produxit. *Just.* 11, 13. Producere aciem, *h. e.* copias in aciem. *Caes. B. G.* 1, 48. Caesar pro castris suas copias produxit, et aciem instructam habuit. *Ov. Her.* 13, 143. Producetque virum, dabit et mandata reverti, *h. e.* deducet, et prosequetur extra urbem ad pugnam. ℙ [*De iis, qui in concionem, in conspectum populi deducuntur.] *Cic. Verr.* 2, 1, 47. Producere aliquem in conspectum populi R. *Id. Pis.* 6. *f.* et *Att.* 1, 14. quempiam in concionem. [*Hanc dicendi formulam *Ernest.* in *cl. Cic.* ita definit, ut sit, alicui potestatem dare in concione dicendi, sive quod velit, sive testimonium, nec non, si quis ad crimina publice respondere jubeatur. V. *Ellendt.* ad *Brut.* 60. p. 156. *b.*] Et eodem sensu absolute *Sall. Jug.* 38. Ubi silentium coepit, producto Jugurtha, verba facit. *Ter. Ad.* 4, 2, 22. Non tu eum rus hinc modo produxe ajebas? syncope pro *produxisse.* ℙ *Produci* dicuntur testes, auctores, qui sistuntur in judicio, etc. *Cic. Verr.* 2, 5, 50. Harum rerum omnium auctores testesque produco; et *ib.* 43. *f.* Graviorem apud judices se fore ab inferis testem, quam si vivus in judicium produceretur. *Id. Q. Fr.* 2, 4. Cum testis productus esset in Sextium. *Juven.* 16, 32. Producere testem contra aliquem. *Quint.* 11, 3. *f.* Reos excitare, pueros attollere, propinquos producere, vestes laniare. Adde *Cic. Verr.* 2, 4, 9. et *Rosc. Am.* 14. et *Liv.* 6, 20. ℙ Item rei, qui ducuntur e carcere ad supplicium. *Cic. Verr.* 2, 5, 45. *extr.* Producuntur e carcere, et ad palum deligantur; et *ib.* 60. Capitibus obvolutis producebantur, ut securi ferirentur; et *ib.* Producere aliquem ad necem. ℙ Item histriones. *Sen. praef. Excerpt. contr.* 3. Pronunciatio, quae histrionem posset producere. *Suet. Ner.* 4. Equites R. ad agendum mimum produxit in scenam. *Quint.* 3, 6. Qui se praetori in hortis ostenderat, neque erat productus. Huc pertinet illud *Cic. Rosc. Com.* 10. *f.* Quid sciret ille (*Panurgus Roscii discipulus*), pauci animadvertebant: ubi didicisset, omnes quaerebant. Nihil ab hoc (*Roscio*) pravum et perversum produci posse arbitrabantur. ℙ Item gladiatores. V. PRODUCTUS. ℙ Item qui ad militandum mittuntur. *Prop.* 4, 1, 85. Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos, etc. ℙ Item res venales. *Ter. Eun.* 1, 2, 53. Ancillam pretium sperans illico produxit, vendidit. *Id. Heaut.* 1, 1, 92. Servos omnes produxi ac vendidi. *Suet. Gr.* 4. Cum familia alicujus venalis produceretur. ℙ Item oratores, qui primum foro ostendebantur, et a consulari viro publice ducebantur, commendatione aliqua adjecta. *Plin. ep.* 2, 14. Ante memori-

am meam ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente. *Id. ep.* 6, 23. Est indolis optimae, brevi producturus alios, si interim provectus fuerit a nobis. ℙ Et sponsae, quae in nuptiis ad domum sponsi cum pompa deducuntur: item quae turpiter perducuntur, prostituuntur. *Claud. III. cons. Honor.* 156. sociaque nurum produxit ab aula. *Juven.* 6, 240. utile porro Filiolam turpi vetulae producere turpem. Adde *Petr. Sat.* 25. ℙ [**Vasa producere ad solem* ap. *Col.* 11, 3. *med.* Vasa majora specularibus integi debent, ut etiam frigoribus, serenis diebus, tuto producantur ad solem, i. e. quod nos dicimus: *an die Sonne gebracht werden können.*] ℙ Item evehere, provehere. [*Gr. προάγειν.] *Cic. Fin.* 3, 16. et *Amic.* 20. Quempiam producere ad aliquam dignitatem. *Liv.* 40, 56. Omni genere honoris producere eum non destitit. Absolute *Cic. Dom.* 9. Quem tu non pro illius dignitate produxeras, sed pro tuo scelere subduxeras. [*V. *Graev.* ad h. l. et *Fam.* 12, 13. et *Lael.* 20.] *Juven.* 6, 607. de Fortuna: hos amat, his se Ingerit, atque suos ridens producit alumnos. *Sen. Ben.* 2, 9. Beneficia, quae non producunt, nec honestiorem faciunt. [**Suet. Claud.* 4. quin per eosdem articulos et gragus producendus sit, per quos frater ejus productus sit. Etiam *Aug.* 2. nonnulli *in patricias producta* pro transducta. V. *Oudend.*] ℙ Item gignere, procreare. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 371. Ducunt uxores, producunt, quibus haec faciant, liberos. *Pl. Rud.* 4, 4, 129. Filia mea, salve: ego is sum, qui te produxi, pater. *Cic. Verr.* 2, 1, 12. Adolescentia qualis fuerit, ex eo, quem sui simillimum produxit, recognoscere potestis. *Sil.* 1, 112. partusque recusent, Te surgente, puer, Latiae producere matres; et *Pers.* 6, 18. geminos, horoscope, varo Producis genio. Adde *Juven.* 8, 271. et *Pl. Bacch.* 2, 3, 51. ℙ [*Dicitur etiam de oleribus: ita *Pall.*, nescio quo loco, *fici producunt folia.* — Hinc ad alias res translatum i. q. efficere. Huc pertinet locus, quem *Noster* in f. laud.,] *Cels.* 8, 7. *n.* 7. *med.* Puro jam ulcere, cibis utendum est carnem producentibus. ℙ Item educare. *Pl. As.* 3, 1, 40. Audientem dicto, mater, produxisti filiam. *Ter. Ad.* 3, 2, 16. Seni animam exstinguerem, qui illud produxit scelus. *Juven.* 14, 228. Et laevo monitu pueros producit avaros. ℙ Item edere, proferre. *Juven.* 15, 31. accipe, nostro Dira quod exemplum feritas produxerit aevo. ℙ Item patefacere, detegere. *Juven.* 8, 266. Occulta ad patres produxit crimina servus, *h. e.* conjurationem de reducendis regibus, de qua *Liv.* 2, 3. et 4. [*Item elicere, extrahere:] *Ov. Met.* 13, 322. Eloquioque virum morbis iraque furentem Molliet, aut aliqua producet callidus arte. *Seren. Sam.* 34, 647. de lana succida: Mortua quin etiam producit corpora partu. Adde *Sen. Octav.* 737. [**Nep. A.* 5, 3. dolo productum in proelium fugavit. V. *Burm.* ad *Quint. decl.* 305. p. 589. sq.] ℙ Hinc inducere, impellere. *Auct. ad Her.* 1, 3. Quoniam una cum oratoris officio producti sumus, ut de orationis partibus loqueremur. ℙ Item admovere, adducere, inducere, inferre. *Ov. A. Am.* 2, 211. Nec dubita tereti scamnum producere lecto. *Ter. Andr.* 3, 5, 9. malo aliquam moram. *Stat. Silv.* 5, 3, 13. quis, Apolline merso, Frigida damnatae produxit nubila menti? ℙ Praeterea adhibetur pro perducere, usque ad aliquem terminum ducere. *Ov. Trist.* 4, 6, 11. Tempus et in canas semen producit aristas. *Id. Met.* 8, 643. ignes Suscitat hesternos, foliisque et cortice sicco Nutrit, et ad flammas anima producit anili. ℙ Item deducere, comitari. *Val. Fl.* 3, 381. Teque renodatam, etc. Ad sua Caucaseae producunt flumina Nymphae. Adde *Ov. Her.* 13, 143. ℙ Pertinet etiam ad exsequias. *Lucan.* 2, 298. longum producere funus Ad tumulos jubet ipse dolor. *Virg. A.* 9, 486. nec te, tua funera, mater Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi. *Stat. Silv.* 2, 1, 20. nigrae solemnia pompae . . . et puerile feretrum Produxi. ℙ [*Significat etiam loco movere, promovere.] *Colum.* 6, 2. *med.* Boves vacuo plostro subjungendi et paulatim longius cum oneribus producendi sunt; et *ib.* Bovem placidissimum cum indomito jungimus, qui et procurrentem retrahat, et cunctantem producat. ℙ Producere diem, tempus, [*est degere, transigere, et proprie dicitur de iis, qui genio indulgent. V. *Broukh.* ad *Prop.* 1, 3, 39. et *Burm.* ad *Val. Fl.* 1, 251.,] *Ter. Ad.* 4, 2, 52. Cyathos sorbillans paulatim, hunc producam diem. *Mart.* 2, 89. nimio gaudes noctem producere vino. *Tibull.* 1, 4, 5. Nudus et hibernae producis frigora brumae, Nudus et aestivi tempora sicca canis. *Stat. Th.* 8, 219. vario producunt sidera ludo Ante domos, intraque. Verbum *tendere*, hoc eodem sensu usurpat *Hor. Ep.* 1, 5, 11. ℙ Item in longum duco, extendo, traho, *ἐκτείνω*, [*de spatio loci, temporis, de numero. V. PRODUCTUS.] *Mart.* 9, 75. de sutore: Dentibus antiquas solitus producere pelles. *Juven.* 15, 165. Ferrum incude producere. *Id.* 2, 93. Ille supercilium madida fuligine tactum Obliqua producit acu. *Plin.* 33, 6, 31. Lineas ex argento nigras produci, plerique miran-

tur. Adde *ib.* 3, 19. *Hor. Sat.* 1, 5, 70. Prorsus jucunde coenam producimus illam. *Cic. Sen.* 14. Convivium ad multam noctem vario sermone producere. *Id. Somn. Scip.* 1. sermonem in multam noctem. *Id. Brut.* 71. sermonem longius. *Suet. Aug.* 78. somnum ultra primam lucem. *Caes. B. G.* 4, 30. rem in hiemem. *Pl. Trin.* 2, 2, 59. pauperi vitam ad miseriam, *h. e.* ut miser diutius sit. *Cic. Sen.* 17. Ad centesimum annum vitam produxit. Alii leg. *perduxit. Id. Brut.* 15. *f.* Varro vitam Naevii producit longius; et *Lucan.* 4, 794. Curio fusas Ut vidit campis acies, etc. Non tulit afflictis animam producere rebus; et *Tac. A.* 12, 8. Eo usque spem vitae produxerat. *Ov. Her.* 12, 5. quidquid ab illo Produxi vitae tempore, [*i. e. quidquid longius vixi.] *Sen. Consol. ad Polyb.* 37. Producere scriptis memoriam alicujus. [**Suet. Aug.* 101. Produxit quaedam legata ad vicies sestertium, i. e. extendit, auxit. Al. male *perduxit.* V. *Oudend.*] ℙ Producere aliquem, differre, detinere, deludere. *Cic. Quint.* 8. Conditionibus hunc, quoad potest, producit. *Ter. Andr.* 4, 1, 24. Lactare aliquem, et falsa spe producere. ℙ Syllabam producere, i. e. longam facere: cui contrarium est corripere. *Ov. Pont.* 4, 12, 12. Fiat ut e longa syllaba prima brevis: Aut producatur, quae nunc correptius exit. Adde *Quint.* 1, 5. ℙ [*Confund. *producere* et *perducere.* V. *intpp.* ad *Liv.* 38, 50. *Ruhnk.* ad *Vell.* 2, 106, 2. — *Producere* et *procedere. Burm.* ad *Virg. E.* 3, 94.]

PRODUCTE, adv. *ἀποτάδην*, producendo. *Cic. Orat.* 48. Quae in *sapiente*, et *felice* producte dicitur, in ceteris omnibus breviter, *h. e.* syllabam producendo. *Gell.* 4, 17. Syllaba productius, latiusque pronunciata. *Id.* 2, 17. *Proficisci*, et *profundere* correpte dicimus: *proferre*, et *profligare*, producte.

*PRODUCTĪLIS, e, adj. qui extendi potest. *Gloss.* Productile, *ἐλατόν. B. A.*

PRODUCTĬO, onis, f. *ἀπότασις*, *ἔκταμα*, actus producendi. *Cic. Fin.* 3, 14. Opportunitas non fit major productione temporis. *Id. Top.* de voce *postliminium*, 8. *med.* In quo Servius noster nihil putat esse notandum, nisi *post:* et *liminium* illud productionem esse verbi vult. ℙ De longa quantitate syllabae. *Cic. Or.* 3, 50. *f.* In his si paulum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret, aut productione longius, theatra tota reclamant. *Quint.* 7, 9. *f.* et 9, 3. *med.* Voces aut productione, vel correptione mutatae.

PRODUCTO, as, a. 1. frequent. a *produco.* In illo *Ter. Andr.* 3, 5, 9. Ut huic malo aliquam producam moram: *Donat.* adscribit ab aliis legi *productem.*

*PRODUCTOR, oris, m. *Vet. Gloss.* Productor, *προαγωγός.* V. *Casaub.* ad *Cic. Att.* 16, 1. ℙ In MSS. confunditur cum *Perductor. B. A.*

PRODUCTUS, a, um, part. a *produco:* [*in conspectum alicujus foras ductus. V. PRODUCO.] *Cic. Fl.* 15. Productus coram. *Id. in Sen.* 6. in concionem. *Caes. B. C.* 1, 14. in forum; et *ib.* 76. Centuriatim producti milites idem jurant. *Quint.* 3, 6. Histrio, qui se praetori in hortis ostenderat, neque erat productus, *h. e.* in scenam et in publicum adductus. ℙ *Producti* speciatim testes vel auctores dicuntur, qui in judicio sistuntur. *Cic. Verr.* 2, 1, 5. Equites R. qui ad vos antea producti testes dixerunt. *Id. Fl.* 15. Aliquid fortasse coram producti dicent, in quo reprehendantur. ℙ Item gladiatores. *Lucan.* 4, 708. fatalis arenae Muneribus non ira vetus concurrere cogit Productos. ℙ Item quae turpiter prostituuntur. *Suet. Vesp.* 22. Cum productae pro concubitu sestertia quadringenta donasset. Adde *Ov. Am.* 3, 12, 11. Utrobique alii leg. *perductae.* V. tamen PRODUCO. ℙ *Productus* est etiam deductus, factus. *Cic. N. D.* 2, 26. Datum est Neptuno maritimum omne regnum: nomenque productum, ut Portunus a portu, sic Neptunus a nando. ℙ [*Item in lucem editus. *Sen. Oed.* 746. Genitrixque suo reddi gremio Modo productos vidit alumnos.] ℙ Item praelatus, impulsus, aut illectus. *Caes. B. C.* 3, 100. Longius productam unam quinqueremem in angustiis portus coepit. *Auct. ad Her.* 4, 47. Ut productus studio et viribus, ultra facile procurras. *Plin.* 9, 35, 59. Sponsione productus ad aliquid faciendum. *Ἐκτεταμένος*, *προαχθείς*, in longum ductus, extentus, prolatus, provectus. [*Hic primo loco poni debebant ista: *Tac. A.* 13, 40. Productiore cornuum sinistro per ima collium. *Colum.* 3, 10. Productissimum flagellum.] *Cic. Fin.* 4, 12. Sunt in eo genere tantae commoditates corporis, tamque productae temporibus, tamque multae. *Id. Tusc.* 5, 40. *med.* Dolores longinquitate producti vehementius torquent. *Cic. Or.* 2, 53. In utroque genere dicendi (*leni*, *et vehementi*) et principia tarda sunt, et exitus tamen spissi, et producti esse debent; et *Or.* 53. Animus aurium nuncio mutila sentit quaedam et quasi decurtata, productiora alia, et quasi immoderatius excurrentia. [*Loquitur de longioribus periodorum membris.] *Id. Or.* 3, 47. Paeon oritur a brevibus deinceps tribus, extrema producta atque longa: sicuti illa sunt, *domuerant*, *sonipedes.* [*Alio modo dicitur *producta syllaba*, *eine gezogene Sylbe. Cic. Or.* 48. Inclitus dicimus brevi prima litera, insanus producta. V. *Schütz. cl. Cic.*] *Quint.* 11, 5. *med.* Gestus in narrando paulo productior. *Hor. A. P.* 189. Neve minor, neu sit quinto productior actu Fabula. ℙ *Producta*, *promota*, *praeposita*, *praecipua* vertit *Cic. Fin.* 3, 4, 15. et 16. et *ib.* 4, 26. *τὰ προηγμένα* Stoicorum. Sic enim vocabant illi bona quaedam indifferentia, et ad bene beateque vivendum minime pertinentia, aestimabilia tamen, et quibusdam aliis anteponenda, ut valetudinem, integritatem sensum, vacuitatem doloris, gloriam, divitias; hisque contraria, morbum, paupertatem, infamiam, etc. *ἀποπροηγμένα*, quae *Cic. l. c.* et *Fin.* 5, 30. *rejecta*, *reducta*, et *remota.* V. etiam *Gell.* 12, 5. Verba *Cic.* sunt *cit. Fin.* 3, 16. Ut enim nemo dicit, in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem (id enim est *προηγμένον*), sed eos, qui in aliquo honore sint, quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum; sic in vita non ea, quae primario loco sunt, sed ea, quae secundum locum obtinent, *προηγμένα*, id est producta nominentur: quae vel ita appellemus (id erit verbum e verbo), vel promota, et remota, vel, ut dudum diximus, praeposita, vel praecipua; et illa rejecta. *Sen. ep.* 74. *med.* Bona illa sunt vera, quae ratio dat, cetera opinione bona sunt: et nomen quidem habent commune cum veris, proprietas in illis boni non est. Itaque commoda vocentur, et, ut nostra (*Stoicorum*) lingua loquar, producta. [*Cf. *Beier.* ad *Cic. Off.* T. 1. p. 320.]

PRODUUMVIR, iri, m. qui loco duumviri est, ut proconsul. *Inscr.* ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 193. [et *Mur.* 626, 1. C. Memmio Macrino praefecto pro II Viro Q. Q., etc. Rectius tamen separatim legendum est, ita ut sit *pro duumviro.* V. PRAEFECTUS. *F.*]

[PRODUX, ūcis, m. id, quod ex alio producitur, idem ac tradux. *Tert. Car. Chr.* 20. Cum quid extraneum extraneo agglutinatur, ita concarnatur et convisceratur cum eo, cui agglutinatur, ut, cum avellitur, rapiat secum ex corpore aliquid, a quo avellitur, quasi sequelam abruptae unitatis, et producem mutui coitus. *F.*]

PROEBIA, orum, n. plur. *ἀλεξίφθονα*, amuleta: ita appellata a *prohibendo*, quasi *prohibea*, quia videlicet mala prohibeant, seu averruncent. V. *Festi l. c.* in PRAEBIA *f.* V. et PRAEDIUM.

PROELIĀLIS, et

PROELIĀRIS, et Praeliaris, e, adj. *μάχιμος*, ad proelium pertinens. *Pl. Curc.* 4, 4, 17. Meae pugnae proeliares obtritae jacent, *h. e.* verae pugnae, non velitationes. ℙ *Proeliares dies*, quibus fas est hostem lacessere, et proelium inire. Erant enim quaedam feriae publicae, quibus nefas fuit id facere. *Festus*, et *Macr. Sat.* 1, 16., ubi non semel legitur *proelialis.* Docet autem *Macrobius*, quibus diebus nefas sit proelium sumere: scilicet Latinarum tempore, Saturni festo, patente mundo, diebus atris, feriis. Haec intellige, si ipsi Romani bellum inferrent, nam si repellerent, nullus fuit, quo se defendere vetarentur. ℙ *Proeliaris Dea* est Pallas, utpote bellipotens. *Appul. Met.* 10. [*p. 741. *Oudend.*] Proeliaris Deae comites Armigeri, Terror, et Metus nudis insultantes gladiis.

PROELIĀTOR et Praeliator, oris, m. *μαχητής*, qui proelia multa facit, bellator, pugnax, bellicosus. *Tacitus* Germanicum cum Alexandro comparans, *A.* 2, 73. Neque minus proeliator, etiam si temeritas abfuerit. *Just.* 15, 4. *f.* Elephantus, veluti domita mansuetudine, eum tergo excepit, duxque belli, et proeliator insignis fuit.

PROELIĀTUS. V. PROELIOR.

PROELĬO. V. v. sq.

PROELĬOR et Praelior, aris, atus sum, dep. 1. *μάχομαι*, proelium facio, manus consero, pugno, dimico. *Caes. B. G.* 2, 23. Legiones ex loco superiore, in ipsis fluminis ripis proeliabantur; et *ib.* 4, 2. et 33. Equestribus proeliis saepe ex equis exsiliunt, ac pedibus proeliantur. *Colum.* 9, 9. Apes inter se tanquam civilibus bellis, et cum alteris, quasi cum exteris gentibus, proeliantur. *Cic. Div.* 1, 25. *med.* Eudemum proeliantem ad Syracusas occidisse. *Caes. B. C.* 2, 42. Atque ita proelians interficitur. *Hirt. B. Alex.* 44. Navibus actuariis magnitudo non satis justa ad proeliandum. *Id. B. G* 8, 19. *extr.* Fortissime proeliando, compluresque vulnerando. ℙ Passive impersonaliter. *Just.* 19, 1. *med.* Diu, et varia victoria proeliatum fuit. *Fest.* seu *Paul.* ex *Festo* in *Arma:* Arma, ea, quibus prope proeliatur, sicut tela, quibus procul. ℙ Translate. *Cic. Att.* 1, 16. Quaeris ex me quid acciderit de judicio, quod, etc. et simul vis scire, quo modo ego minus, quam soleam, proeliatus sim. Ego sic acriter et vehementer proeliatus sum, ut, etc. ℙ Olim et *proelio*, *as*, dictum fuit, ut *Prisc.* 8, 799. tradit. *Enn.* ap. *Non.* 7, 38. Ita mortales inter se pugnant, proeliant.

PROELĬUM et Praelium, ii, n. *μάχη*, pugna, dimicatio, conflictus, certamen armorum. Vocis

etymon vide infra. *Lucr.* 4, 964. Endoperatores pugnare, ac proelia obire. *Sall. Jug.* 58. Non proeliis, neque acie, sed alio more bellum gerere. *Cic. Fam.* 6, 4. Semper incerti exitus proeliorum sunt. *Id. ib.* 15, 15., *Tusc.* 4, 19. et *Or.* 2, 67. Proelium facere. *Sall. Jug.* 61. manibus facere. *Liv.* 25, 38. inire, edere. *Cic. Div.* 1, 35. et *Caes. B. G.* 1, 15. committere cum aliquo; et *Caes. ib.* 25. redintegrare. *Hirt. B. G.* 8, 28. conficere. *Caes. B. G.* 1, 53. restituere; et *ib.* 15. Proelio hostem lacessere; et *ib.* 25. *extr.* ancipiti diu atque acriter pugnare; et *ib.* 5, 15. acriter confligere. *Liv.* 38, 40. *med.* inordinatum simul pluribus locis conserere. *Prop.* 4, 1, 28. miscere. *Id.* 3, 9, 64. Admisso Decius proelia rupit equo. *Tac. G.* 30. Ad proelium ire. *Just.* 2, 9. In proelium egredi. *Id.* 3, 7. Provocare ad proelium. *Liv.* 2, 62. elicere. *Just.* 3, 6. et 7. et *Cic. N. D.* 2, 2. *med.* Proelio dimicare cum hoste. *Id. Prov. cons.* 13. decertare. *Id. Manil.* 9. Noster exercitus proeliis usus erat secundis. *Auct. B. Afr.* 29. Turmae equitum quotidie minutis proeliis inter se sugnare non intermittunt. *Tac. H.* 5, 11. Crebra pro portis proelia serebant. *Id. ib.* 2, 42. Proelium acriter sumpsere, *h. e.* iniere, subiere. *Suet. Caes.* 60. Proelia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat. *Id. Aug.* 13. Bellum Philippense duplici proelio transegit. *Liv.* 2, 26. *extr.* Proelio uno debellatum est. *Cic. N. D.* 2, 2. *f.* Maximo proelio devincere hostem. *Liv.* 25, 40. *f.* Prope justo proelio compulit hostem intra munimenta; et *ib.* 39. *med.* Atrox proelium oritur. *Nep. Them.* 3. Pari proelio discedere; et *Paus.* 1. Proelio cadere; et *Eum.* 4. Ex proelio excedere; et *ib.* 10. Cum superior proelio discessisset. *Pl. Men.* 5, 6. *f.* Metuo, ne sero veniam, depugnato proelio; (proverb. est *μετὰ τὸν πόλεμον συμμαχία.*) *Sall. Jug.* 58. *med.* Proelium male pugnatum ab suis regem terrebat. *Curt.* 8, 2. *med.* Ex improviso adorti praetorem, diu anceps proelium fecerant. *Auson. perioch. Iliad.* 7. Proelium singulare, i. e. pugna inter duos. Quo sensu *Liv.* 1, 25. *med.* Alter fessum vulnere trahens corpus victori objicitur hosti: nec illud proelium fuit. ℙ Quotiescumque *Lucr.* conjunxit proelia pugnasque, ut 2, 117. et 4, 1004., non tanquam diversa posuit, sed duo synonyma copulavit. ℙ Quomodo a bello differat. V. in BELLUM. ℙ Transfertur ad alia. *Virg. G.* 1, 318. Omnia ventorum concurrere proelia vidi; et *ib.* 3, 220. Illi (*tauri*) alternantes multa vi proelia miscent; et *ib.* 265. imbelles dant proelia cervi. *Ov. Her.* 18, 38. Quid mecum certa proelia mente geris? *Id. Am.* 1, 8, 96. Non bene, si tollas proelia, durat amor; et *Cic. Cat.* 2, 11. *extr.* In hujusmodi certamine ac proelio, nonne, etiam si hominum studia deficiant, Dii ipsi immortales cogent ab his praeclarissimis virtutibus tot et tanta vitia superari? *Id. Fam.* 9, 11. *med.* Quod scribis, proelia te mea causa sustinere, non tam id laboro, ut, si qui mihi obtrectent, a te refutentur, quam, etc. ℙ *Proelia* etiam dicuntur amantium Venereae colluctationes. *Claud. Fesc.* 4, 28. Tum victor madido prosilias toro Nocturni referens vulnera proelii. *Arnob.* 3, 105. *f.* Priapus inter Deas virgines atque matres circumferens res illas proeliorum semper in expeditione paratas. V. PUGNA. ℙ Parasiti proelium vocant congressum in mensa cum patinis. *Pl. Men.* 1, 3, 3. Ego istic mihi hodie apparari jussi apud te proelium. In eo uterque proelio potabimus. *Id. Pers.* 1, 3, 32. Sed quid cessamus proelium committere? Dum mane est, omnes esse mortales decet. ℙ Metonymice *proelia* pro proeliantibus. *Prop.* 3, 9, 9. Colchis flagrantes adamantina sub juga tauros Egit, et armigera proelia sevit humo. Adde *Stat. Th.* 1, 8. ℙ Notationem vocis alii aliunde ducunt: scriptionem per *oe* adstruunt antiqui lapides ap. *Grut.* et *Manut.* non uni, et MSS. *Virgil.*, teste *Pierio* ad *Ecl.* 6, 3., confirmantque *Dausqu.* et *Cellarius.* Quin ap. *Pl. Men.* 1, 3, 3. (q. l. V. supra.) in vet. libris habetur *proilium*, tanquam sit *προΐλιον, πρὸ τῆς ὕλης, h. e.* ante agmen: ita ut deinceps, ut in aliis plerisque, *oi* in *oe* transierit. Sunt tamen qui scribunt per *ae*, nec destitui videntur lapidibus antiquis. Nam in *Monum. Ancyr. tab.* 4. legitur ap. *Grut.* 232. Navalis praell spectaculum populo dedi, etc.: at in eodem ap. *Edm. Chishull.*, qui lapidem inspexit, legitur *praell.* Et *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 8. *n.* 27. M. Billienus M. F. Rom. Actiacus legione XI. praelio navali facto, etc. At eadem legitur ap. *Don. cl.* 6. *n.* 14., ubi recte *proelio* scribitur, atque ita in lapide, qui etiamnum Vicetiae exstat, insculptum esse meis ipsemet oculis vidi. ℙ Etiam *prelium* sine diphthongo legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 1026, 3. L. Cornelio Severo Rom. Vet. Praef. Leg. III. Aug., etc. post prel. Act. hostib. ubique devictis, etc. Hic lapis nunc deperditus est; at haec scribendi ratio olim non obtinuit, et fortasse error fuit ejus, qui lapidem exscripsit, vel lapicidae.

*PROEMINĔO, es, n. 2. *προοιμάω Gloss. Gr. Lat. B. A.*

*PROERNA, ae, f. *Πρόερνα*, opp. Thessaliae. *Liv.* 36, 14. *in. B. A.*

PROETĪDES, um, f. plur. *Προιτίδες*, tres (aliis *quatuor*) filiae Proeti, *Προίτου*, filii Abantis, fratris Iasii et Acrisii, regis Argivorum, qui a Perseo, cui insidias tetenderat, oblato Medusae capite, in saxum versus fuit. Earum nomina ap. *Serv.* ad *Ecl.* 6, 48. sunt Lysippe, Hipponoe, Cyrianassa (aliis *Iphianassa*). Mater aliis Stenoboea, aliis Antiopa, Antia aliis dicitur. Cum forma excellerent, Junoni se praeferre ausae sunt: vel cum essent antistites, ausae sunt vesti ejus aurum detractum in usum suum convertere. Irata Juno talem eis immisit furorem, ut vaccas se crederent, et in silvas confugerent. Postea Melampus, Amythaonis filius, pactus cum Proeto, ut Cyrianassa uxor sibi cum regni parte daretur, placata Dea, fontem Clitorium infecit, ubi solitae erant bibere, et in pristinum sensum reduxit: vel, ut *Ov. Met.* 15, 325. et sqq. narrat, carmine et herbis eas ab insania liberavit, ipsis magicis purgaminibus postea in fontem conjectis, quibus factum est, ut inde bibentes odio meri imbuerentur, et abstemii fierent. *Virg. l. c.* Proetides implerunt falsis mugitibus agros.

PROETUS. V. v. praec.

PROFĀNĀTĬO, onis, f. actus profanandi, violatio, pollutio, *βεβήλωσις. Tert. Idol.* 18. Purpura idololatriae dicata habet profanationis suae maculam. *Plin.* 16, 4, 3. Postquam civilium bellorum profanatione meritum coepit videri, civem non occidere. Ita plerique libri, etiam antiqui A. 1470. et 1472. At antiquior A. 1469. *profanum.* In suis MSS. *Hard.* reperit *profano*, subauditque *scelere.*

PROFĀNĀTOR, oris, m. *Prud. Apoth.* 246. Cede, profanator Christi, jam sede Sabelli.

PROFĀNĀTUS, a, um, part. a *profano:* [*oblatus, dedicatus.] *Varr. L. L.* 5, 7. Profanatum, quod est in sacrario pollutum (lege *polluctum*). V. PROFANO. ℙ [*Hinc] *βεβηλωθείς*, pollutus, contaminatus. *Petr. Sat.* 89. *med.* Profanata sacra. *Stat. Silv.* 3, 3, 1. Summa Deum Pietas, cujus gratissima coelo Rara profanatas inspectant numina terras. *Id. Th.* 9, 8. Ergo profanatum Menalippi funus acerbo Vulnere. *Quint.* 11, 1. *f.* Ubi quis queritur os profanatum, *h. e.* illusum, praecisum turpiter.

PROFĀNĒ, adv. *Lact.* 6, 23. Profane ac petulanter illudere. *Minuc. Fel. Octav.* 8. Consulte potius, quam profane de divinitate disputans.

PROFĀNĪTAS, atis, f. *Tert. Pall.* 2. *med.* Ut autumat superiorum profanitas, *h. e.* veteres auctores profani, seu Gentiles.

PROFĀNO, as, avi, atum, a. 1. ante fanum statuere (*profanum* enim est, quod ante fanum, id est conjunctum fano, ut ait *Varr. L. L.* 5, 7.), dedicare, offerre. *Fest.* in *Potitii*, et *Aurel. Vict. Orig. gent. R.* 6. Cum Hercules ad aram, quae hodieque maxima appellatur, decimam boum profanasset. *Massur. Sabin.* ap. *Macr. Sat.* 3, 6. Instituit mercaturam, et, re bene gesta, decimam Herculi profanavit. *Cato R. R.* 50. Ubi daps profanata, comestaque erit; et *ib.* 132. Urna vini Jovi caste: profanato sine contagione. [*Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 3. Inter liba et decimas profanandas aetatem egit Numa. V. PROFANUS. *F.*] ℙ [*Hinc] *βεβηλόω*, ex sacro humanis usibus promiscuum facio, religione aliquam rem spolio: et universim polluo, violo. *Liv.* 31, 44. Plebesque scivit, ut dies festi, sacra, sacerdotes, quae ipsius (*Philippi*), majorumve ejus honoris causa instituta essent, omnia profanarentur. *Ov. Amor.* 3, 9, 19. Scilicet omne sacrum mors importuna profanat: Omnibus obscuras injicit illa manus. *Id. Met.* 4, 390. spernitque Deum, festumque profanat. *Quint. decl.* 6, 10. Mater (quamquam hoc nomen profanari nefas est) si perseverat esse filii sui noverca, etc. *Curt.* 5, 1. *med.* Profanare pudorem, *h. e.* prostituere.

PROFANS. V. PROFARIS.

PROFĀNUS, a, um, adj. *Varr. L. L.* 5, 7. dicitur, qui est ante fanum, id est conjunctus fano. Hinc profanatum, quod est in sacrario pollutum (leg. *polluctum*); et *mox:* Cum profanum dicitur, id est perinde, ut sit fani factum. Contra *Festus:* Profanum est, quod fani religione non tenetur. *Id.* in *Puri:* Profanum aurum, quod sacrum non est, et quod omni religione solutum. Neque tamen contraria docere censendi sunt. Nam proprie est *profanus*, qui sacer fuit, et Deo dicatus, et postea in usum hominum conversus, ut *Servius* docet ad *Virg. A.* 12, 778. et *Trebatius* ap. *Macr. Sat.* 3, 3., diciturque ea ratione, qua a *festo profestus.* Romani, cum pollucebant, totam quidem victimam aut dapem Diis offerebant: inde parte aliqua detracta et arae imposita (quod erat *porricere*), reliquum rei divinae adsistentibus consumendum distribuebant: hoc erat proprie *profanum*, et *profanare*, secundum *Festum*, quia sacrum quidem erat, sed post distributionem tale esse desinebat, cum in usum hominum converteretur. *Varro* autem videtur illud ipsum appellasse *profanum*, quod primo Diis oblatum sacrum erat, mox distributione profanandum: ita ut per synecdochen antecedentis pro consequente locutus sit. Lege integrum *Varronis* locum. *Virg. l. c.* colui vestros si semper honores: Quos contra Aeneadae bello fecere profanos. *Cic. Verr.* 2, 4, 55. Has tabulas Marcellus, cum omnia illa victoria sua profana fecisset, tamen religione impeditus non attigit. *Id. Har. resp.* 8. Loca sacra et religiosa, profana haberi. ℙ Universim *profanus* est contrarius sacro, *ἀνίερος, κοινὸς, ἀτέλεστος, βέβηλος.* [**V. Brem.* ad *Nep. Them.* 6, 5.] *Pl. Merc.* 2, 3, 27. Nec sacrum, nec tam profanum quicquam est, quin ibi illico adsit. *Hor. A. P.* 397. Publica privatis secernere, sacra profanis. *Ov. Fast.* 6, 439. de incendio Vestae: Flagrabant sancti sceleratis ignibus ignes, Mixtaque erat flammae flamma profana piae. *Cic. Part.* 10. *extr.* Loci consecrati, an profani. *Tac. A.* 13, 57. *extr.* Res profanae, et usu pollutae. *Plin.* 15, 30, 40. In profanis usibus pollui laurum et oleam fas non est. *Hor. Ep.* 1, 16, 54. Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis, *h. e.* omnia tentabis, ut fallere possis: et est locutio proverbialis. Simile est *fas nefasque confundere*, et *mare coelo miscere:* de quo in MISCEO. ℙ *Profanus homo* est non initiatus, *ἀμύητος. Virg. A.* 6, 258. procul o, procul este profani, Conclamat vates, totoque absistite luco. *Ov. A. Am.* 2, 601. Quis Cereris ritus ausit vulgare profanis? *Id. Met.* 3, 710. Profanis oculis sacra cernere. *Hor. Od.* 3, 1, 1. Odi profanum vulgus, et arceo. *Gell. praef. f.* Ea ne attingat, neve adeat profestum et profanum vulgus, *h. e.* quasi non initiatum Musarum sacris, atque adeo imperitum, indoctum. *Macr. Somn. Scip.* 1, 18. *in.* Non solum litterarum profanis, sed multis quoque doctrina initiatis abhorrere a fide judicatum est. Adde *Minuc. Fel. Octav.* 5. ℙ Item impius, scelestus, *ἀλιτρός. Ov. Met.* 11, 413. nam templa profanus Invia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas; et *ib.* 2, 833. Profana mens; et *Trist.* 3, 5, 48. verba. *Stat. Th.* 1, 1. Fraternas acies, alternaque regna profanis Decertata odiis. ℙ Absolute. *Plin.* 16, 4, 3. Postquam civilium bellorum profano meritum coepit videri, civem non occidere, *h. e.* scelere, impietate. V. PROFANATIO. *Id.* 2, 45, 44. Rupes Austro sacra, quam profanum sit attrectari hominis manu. ℙ Item mali ominis. *Ov. Met.* 6, 431. tectoque profanus Incubuit bubo; [**ib.* 5, 543.] ℙ Qui *prophanus* scribere volunt, nihil, opinor, habent, quo se tueri possint.

PROFĀRIS, vel re, atus sum, dep. 1. *ἐκφημι*, effari, eloqui, dicere. Vox fere poetica. *Virg. A.* 1, 565. Tum breviter Dido, vultum demissa profatur; et *ib.* 4, 364. et sic accensa profatur. *Ov. Met.* 11, 289. moveat quae tantos causa dolores, Peleusque, comitesque rogant: quibus ille profatur: Forsitan, etc. *Actius* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Veteres casmenas, cascas res, volo profari. *Petr. Sat.* 121. Si modo vera mihi fas est impune profari. ℙ Passive. *Lucr.* 6, 80. quamquam sunt a me multa profata, Multa tamen restant. ℙ Est etiam praedicere, *προφημι. Id.* 1, 739. Pythia quae tripode ex Phoebi, lauroque profatur. *Petr. Sat.* 89. Cum, Delio profante, caesi vertices Idae trahuntur. *Liv. Andron.* ap. *Gell.* 3, 16. Quando dies adveniet, quem profata Morta est, *h. e.* praedixit, determinavit. *Ulp. Dig.* 21, 1, 1. *med.* Si servus inter fanaticos non semper caput jactaret, et aliqua profatus esset. ℙ *Profarier* paragoge. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 939.

PROFĀTUM, i, n. effatum, dictum. *Gell.* 16, 8. *Ἀξιώματα*, quae M. Varro alias profata, alias proloquia appellat.

PROFĀTUS, a, um, part. a *profaris:* qui effatus est. *Lucan.* 9, 251. sic ille profatus Insiluit puppi. ℙ Passive usurpatum V. in PROFARIS.

PROFĀTUS, us, m. ipsum profari ac dicere. *Stat. Silv.* 5, 3, 101. sive orsa libebat Aoniis vincire modis, seu voce soluta Spargere, et effreno nimbos aequare profatu, *h. e.* celeritate copiosa dicendi, et volubilitate verborum. *Sen. Apocol.* 7. Quid nunc profatu vocis incerto sonas? *Gell.* 18, 11. Voces, quae mihi quidem neque abhorrere a poetica facultate visae sunt, neque dictu profatuque ipso tetrae aut insuaves esse.

PROFECTĬCĬUS, a, um, adj. ab aliquo proficiscens, et proveniens. *Dos profecticia* est, quae a patre vel parente profecta est, de bonis ejus, vel facto ejus. Sive igitur parens dedit dotem, sive procurator ejus, sive jussit alium dare: sive, cum quis dedisset negotium ejus gerens, parens ratum habuit, profecticia dos est. Haec, et alia multa *Ulp. Dig.* 23, 3, 5.

PROFECTĬO, onis, f. *πορεία*, actus proficiscendi: est a *proficiscor. Cic. Phil.* 1, 1. Exponam vobis breviter consilium et profectionis, et reversionis meae. *Caes. B. C.* 1, 27. Profectionem parare. *Id. B. G.* 1, 6. *extr.* Omnibus rebus ad profectionem comparatis; et *ib.* 5, 45. Ex hibernis fugae similem profectionem facere. *Cic. Sull.* 25. Cethegi profectio in Hispaniam. Adde *Pacuv.* ap. *eund. Div.* 1, 14.

PROFECTO, *ἀληθῶς*, certe, sane, adv. confirmandi, quasi pro facto. [*Alii deducunt a *profectus;* alii rectius contractum putant ex *pro facto.* V. *Ruddim.* 1, 313. *Zumpt. Gr. L.* §. 264. p. 241.

sq.] *Cic. Fl.* 22. Non est ita, judices, non est profecto. *Id. Verr.* 2, 2, 18. Profecto negare non potes. *Pl. Ps.* 5, 1, 7. Profecto edepol. *Id. Cas.* 5, 2, 29. Profecto hercle. *Cic. Fam.* 1, 5. et *Att.* 6, 5. Nunc quidem profecto Romae es. *Eum. Pan. Constant.* 7. Vere enim profecto illi Superum templa patuerunt. ℙ Pro omnino, videlicet, haud dubie, δηλαδή, δηλονότι. *Pl. Curc.* 3, 56. Quod istic scriptum est, id te orare jusserat, profecto ut faceres, suam si velles gratiam. [**Profecto* h. l. adhortandi particula est, ut (nostr.) *auf jeden Fall.* Similis locus est *Cic. Off.* 1, 1, 2. de rebus ipsis utere tuo judicio (nihil enim impedio), orationem autem Latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem: ubi v. *Beier.*] *Id. Amph.* 5, 1, 46. Uxorem tuam neque gementem, neque plorantem audivimus. Ita profecto sine dolore peperit. *Hor. A. P.* 315. ille profecto Reddere personae scit convenientia cuique.

*PROFECTOR, oris, m. qui in itinere est. *Gloss. Gr. Lat.* ἐκδημος, profector. *B. A.*

PROFECTUS, a, um, part. a *proficiscor:* qui profectus est. *Caes. B. G.* 6, 39. Milites, quos sub vexillo una profectos docuimus. *Cic. Fam.* 2, 6. Ex Asia domum versus profectus. *Nep. Iphicr.* 2. *f.* Idem subsidio Lacedaemoniis profectus. ℙ Item qui discessit. *Virg. A.* 4, 110. si Juppiter unam Esse velit Tyriis urbem, Trojaque profectis. *Id. ib.* 1, 344. Imperium Dido Tyria regit urbe profecta, Germanum fugiens. Adde *ib.* 7, 255. *Caes. B. G.* 1, 12. De tertia vigilia e castris profectus, ad eam partem pervenit. ℙ De iis, quae aliunde principium aut originem habent. *Cic. N. D.* 2, 55. *extr.* Venae et arteriae, a corde tractae et profectae, in corpus omne ducuntur. *Ov. Met.* 3, 35. Tyria de gente profecti. *Virg. A.* 8, 51. Arcades his oris, genus a Pallante profectum. ℙ [*De sectatoribus alicujus philosophi. *Cic. Inv.* 1, 35. quam partitionem omnes ab Aristotele profecti maxime secuti sunt. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Translate. *Cic. Fin.* 1, 21. Quae a falsis principiis profecta, vera esse non possunt. *Id. Or.* 2, 14. A philosophia profectus princeps Xenophon, scripsit historiam, *h. e.* post philosophiae studia. *Id. Fin.* 2, 14. *med.* Ut profectus a caritate domesticorum, ac suorum, serpat longius, *h. e.* post caritatem suorum feratur ad amandos alios. *Brut.* ad *Cic ad Brut.* 1, 4. *med.* Unum hoc, grato animo liberalique profectum, cautiorem liberalitatem desiderat.

PROFECTUS, us, m. προοδοπή, progressus in re aliqua, utilitas, quae ex rei alicujus tractatione provenit: est a *proficio. Ov. Met.* 9, 50. Ter sine profectu voluit nitentia contra Rejicere Alcides a me sua pectora. *Id. Pont.* 3, 9, 40. Verbaque profectu dissimulata carent. *Quint.* 10, 2. Sic profectus non a summo petitus studiorum fructus effundit uberius. *Sen. ep.* 11. Locutus est mecum amicus tuus bonae indolis: in quo quantum esset animi, quantum ingenii, quantum etiam profectus, sermo primus ostendit; et *ep.* 20. Te rogo, ut experimentum tui profectus capias, non oratione, nec scripto, sed animi firmitate, et cupiditatum deminutione. *Quint.* 1, 2. *f.* Firmiores in litteris profectus alit aemulatio; et 2, 3. *f.* Libentius se prima studia, tenerosque profectus ad imitationem condiscipulorum erigere. *Plin. ep.* 8, 13. Pertinet ad profectum tuum, a disertissimo viro discere, quid laudandum, quid reprehendendum. *Plin. alter* 35, 4, 7. Puer magni profectus in ea arte obiit. *Suet. Ner.* 20. Blandiente profectu, prodire in scenam concupivit. ℙ Licenter, ut videtur, primam syllabam corripuit *Auson. Idyll.* 4, 70. Mox pueros molli monitu, et formidine leni Pellexi, ut mites peterent per acerba profectus, Carpturi dulcem fructum radicis amarae. ℙ In plurali num. *Vell.* 1, 16. In similitudinem et temporum et profectuum. ℙ *Profectum facere* afferunt lexicographi ex *Plin.* in *epist.*, sed locum non designant.

PROFĔRO, ers, tuli, latum, a. anom. προφέρω, extra fero, promo, effero. *Pl. Amph.* 2, 2, 137. *Al.* Vin' proferri pateram? *Am.* proferri volo. *Al.* fiat: tu, Thessala, intus pateram proferto foras. V. INTUS. *Petr. Sat.* 110. Supercilia profert de pyxide. *Caes. B. C.* 2, 22. *f.* Massilienses arma tormentaque ex oppido proferunt. *Hor. Ep.* 1, 12, 18. Quid premat obscurum lunae, quid proferat orbem. *Val. Fl.* 6, 752. Nox simul astriferas profert mortalibus umbras. *Phaedr.* 1, 2. Rana profert e stagno caput. *Cic. Rosc. Com.* 10. Proferre nummos ex arca. [**Suet. Tib.* 51. veteros quosdam ad se Augusti codicillos e sacrario protulit.] *Plin.* 21, 17, 68. aliquid in solem. *Pl. As.* 4, 1, 50. linguam in tussiendo. *Id. Ps.* 3, 2, 72. Manum si protollet, pariter proferto manum; et *Cic. Caecin.* 25. Proferre digitum. *Plin.* 35, 8, 34. de Cimone pictore: Articulis membra distinxit: venas protulit, i. e. expressit. [*Hic statim sequi poterant ista, quae *Forc.* summa imis miscens infra laudaverat:] *Proferre se*, exire, ostendere se, apparere. *Suet. Ner.* 6. *f.* Draco e pulvino se proferens. *Juven.* 6, 569. quo laeta Venus se proferat astro. ℙ Et translate. *Sen.* 52. qui se ipsi protulerunt, i. e. qui ipsi per se et sine alterius adjutorio emerserunt e vitiis et ignorantia. *Plin. ep.* 1, 13. Proferant se ingenia hominum et ostentant. ℙ Est etiam edere, producere. *Cic. Att.* 15, 13. Orationem tibi misi. Ejus custodiendae et proferendae arbitrium tuum. *Suet. Tib.* 52. Quem mox hujus criminis reum putant quidam mandata prolaturum, nisi, etc.; et *Aug.* 101. Testamentum depositum apud se virgines Vestales protulerunt. ℙ [**Suet. Ner.* 25. proferre artem, i. e. publice ostendere, specimen publice proponere. Aliter intelligendum hoc dicendi genus est ap. *Cic. Ac. pr.* 2, 1. ars quae tum primum proferebatur, i. e. inventa, excogitata publicabatur.] ℙ Palam facere, prodere. *Ter. Ad.* 3, 2, 41. Palam proferre aliquid. *Petr. Sat.* 17. *f.* Proferret in populum Deorum consilia. *Cic. Mil.* 37. Cum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, exstinxi. *Id. Coel.* 23. *med.* Domus in qua nihil geratur, quod foras proferendum sit. *Id. Arch.* 6. Proferre aliquid in aspectum, et lucem. *Id. Fam.* 15, 2. Se ante illud tempus eam rem nunquam in medium, propter periculi metum, protulisse. *Plin.* 14, 22, 28. Proferre secreta animi. ℙ Allegare, citare, afferre probandi causa. *Cic. N. D.* 1, 40. *f.* Proferrem libros, si negares. *Id. Balb.* 18. Proferam testes, proferam legatos, excitabo laudatores. *Id. Or.* 2, 61. *f.* Quoniam tu Fabricios mihi auctores protulisti. *Id. Rosc. Am.* 16. Quasi vero mihi difficile sit quamvis multos nominatim proferre vel tribules, vel vicinos meos, qui, etc. *Nep. Timoth.* 4. Proferre testimonia. ℙ Narrare, commemorare, recitare, dicere. *Cic. Or.* 1, 2. Belli duces praestantissimos paene innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre possumus. *Id. Phil.* 2, 39. Quid prandiorum apparatus, quid furiosam vinolentiam tuam proferam? *Auct. ad Her.* 1, 5. In invidiam trahemus, si vim, si potentiam, factiones, divitias, clientelas, affinitates adversariorum proferemus. *Cic. Verr.* 2, 4, 52. Commemorare aliquid, et in medium proferre. *Id. Fin.* 2, 23. *med.* Quippiam profiteri, et in medium proferre. *Ter. Ph.* 2, 3, 48. Memoriter proferre progeniem suam usque ab avo, atque atavo. *Juv.* 4, 91. Libera animi verba proferre. *Pl. Amph.* 2, 1, 41. Quae neque fieri possunt, neque fando unquam accepit quisquam, profers, carnifex. *Cic. Div.* 1, 46. Exempla omnium nota proferam. *Lucr.* 2, 655. Racchi nomine abuti Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen. ℙ Enunciare. *Quint.* 11, 3. *med.* Plerisque extremas syllabas non proferentibus, dum priorum sono indulgent. ℙ *Proferre alicui quippiam*, aut *ad aliquem* est dare, offerre. *Pl. As.* 3, 3, 60. Servos tuos nos esse non negamus. Sed si tibi minae viginti argenti proferentur, quo nos vocabis nomine? In *vet. formula juramenti* ap. *Gell.* 16, 4, Uti tu ad C. Laelium consulem proferes aut profitebere quidquid inveneris sustulerisve. ℙ *Proferre gradum* vel *pedem* est progredi. *Pl. Men.* 5, 2, 22. Gradum proferam, progredi properabo. *Quint.* 11, 3. Proferre longe pedem. *Lucr.* 4, 875. Nunc qui fiat, uti passus proferre queamus, Cum volumus, dicam. ℙ Et translate. *Hor. A. P.* 134. nec desilies imitator in arctum, Unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex. ℙ Item ponitur pro extendere, protendere. *Cic. Mur.* 31. Fines officiorum paulo longius, quam natura velit, proferre. *Juven.* 14, 141. cum rus non sufficit unum, Et proferre libet fines. *Caes. B. C.* 1, 81. Quantum opere processerant et castra protulerant, tanto aberant ab aqua longius. *Virg. A.* 6, 793. super et Garamantas, et Indos Proferet imperium. *Gell.* 13, 14. Proferre pomoerium. *Plin. ep.* 5, 12. Gaudeo, quod memoriam soceri mei pulcherrimis operibus video proferri; et *ep.* 2, 7. Vita ejus brevis et angusta debuit hac veluti immortalitate proferri. [*Cf. *Gloss. Liv.* s. h. v. ℙ Hinc translate ad affectus animi pertinet, qui hominem longius quam par sit, vel res postulet, ad aliquid perficiendum producunt. *Cic. Sull.* 23. si paulo longius quam finis, quotidiani officii postulat pietas et fraternus amor Caecilium protulisset. Cf. *Luc.* 2, 493. ibique *Cort.*] ℙ Praeterea saepe ponitur pro differre, prorogare, producere. *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. Suadeo, uti haec res aliquot dies proferatur, dum, etc. *Gell.* 1, 23. Proferre aliquid in diem posterum. *Just.* 2, 15. Diem de die proferendo spatium consummando operi quaerebat. *Cic. Att.* 13, 14. Auctionis diem laxius proferre. *Suet. Caes.* 81. Periculum, quod non ultra Idus Majas proferretur, [*h. e.* intra Idus immineret.] *Cic. Fin.* 3, 22. Beatam vitam usque ad rogum proferre, *h. e.* beatum esse tota vita usque ad mortem. *Virg. A.* 12, 395. ut depositi proferret fata parentis. *Macr. Sat.* 1, 14. Dies anni proferre, vel imminuere, *h. e.* per intercalationem addere, vel detrahere. V. PROLATUS. ℙ Item gignere. *Plin. ep.* 5, 6. Coelum est hieme frigidum: myrtos, oleas aspernatur ac respuit: laurum tamen patitur, atque etiam nitidissimam profert. *Plin. alter* 17, 13, 20. Cyprus protinus floret, semenque profert. *Val. Fl.* 3, 708. Quae neque jam frondes virides nec proferet umbras. ℙ [*Confund. *proferri* et *perferri*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 763. 8, 218. — *Proferre* et *promere*. V. *Gierig.* ad *Plin. Pan.* 66, 4.]

PROFESSIO, onis, f. ἐπάγγελμα, ἐξομολόγησις, actus profitendi, [**das Heraussagen*, declaratio, manifestatio. Haec prima vocis est significatio; primoque loco posuimus, quae *Forc.* perperam ad f. collocaverat ista:] *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 8. Non me praeteribat, in tam perturbato statu civitatis fructuosissimam esse professionem bonae voluntatis, *h. e.* promissionem, pollicitationem. *Vell.* 2, 87. *f.* Canidius timidius decessit, quam professioni ejus, qua semper usus erat, congruebat; et 89. *extr.* Nos memores professionis, universam imaginem oculis subjecimus, *h. e.* brevitatis, quam professi sumus. *Plin.* 27, 3, 2. Majores, oculorum quoque medicamentis aconitum misceri saluberrime, promulgavere: aperta professione, malum quidem nullum esse sine aliquo bono. *Gell.* 7, 3. *med.* Quod erat procul dubio suae opinionis professio, non Rhodiensium culpae confessio, *h. e.* declaratio, manifestatio; et *ib. med.* Summa professio stultitiae, non ire obviam sceleribus cogitatis, sed opperiri, etc. *Tac. A.* 2, 85. Professio flagitii. *Id. Agr.* 3. *extr.* pietatis. *Pall.* 3, 9. vitiorum, *h. e.* signum, indicium. ℙ [*Hinc solemni quodam loquendi usu ponitur de certa confessione et indicatione eorum, quae quis possidet, census sui denuntiatione.] *Cic. Fam.* 16, 23. Tu vero confice professionem, si potes. Etsi haec pecunia ex eo genere est, ut professione non egeat. *Liv.* 35, 7. Posteaquam professionibus detecta est magnitudo aeris alieni per fraudem contracti. *Jabol. Dig.* 49, 14, 2. Post professionem de fideicommisso factam; et *ib.* Professionem implere. *Papin. ib.* 33, 8, 19. edere peculii. *Tert. Apol.* 42. Quantum vectigalibus pereat fraude et mendacio professionum. ℙ Item ipsa descriptio census. *Cic. Verr.* 2, 3, 47. *extr.* In Leontino jugerum subscriptio ac professio non est plus triginta millium. *Id. Arch.* 4. *f.* Iis tabulis professus est, quae solae ex illa professione collegioque praetorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem. ℙ Item ars, facultas, quam quis se callere, aut docere profitetur, et palam jactat, exercetque. *Cic. Or.* 1, 6. Vis oratoris professioque ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri videtur, ut omni de re, etc. *Suet. Gr.* 8. Studio Epicureae sectae desidiosior in professione grammaticae habebatur. *Plin.* 7, 30, 31. Posidonius professione sapientiae clarus. *Curt.* 7, 4. Magicae artis magis professione, quam scientia celeber. *Cels. praef.* Et per hos maxime viros salutaris ista nobis professio increvit, *h. e.* medicina. *Lampr. Elag.* 20. Promoturus omnes turpissimos et ultimae professionis homines, *h. e.* vilissimi artificii. *Paul. Dig.* 2, 13, 9. Si pater, aut dominus argentarii ejusdem fuerunt professionis. ℙ [*Item disciplina. *Vell.* 1, 16, 2. eminentissima cujusvis professionis ingenia: ubi v. *Ruhnk. Suet. Gr.* 4. jam discretis professionibus.]

[PROFESSIONĀRĬUS, ii, m. videtur esse, qui merces advenientes publicanis profitebatur, earumque vectigal solvebat. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 151. Professionariis de Ciconiis statim ut advenerit vinum, in una cupa numm. CXX. *F.*]

PROFESSOR, oris, m. σοφιστής, σχολάρχης, καθηγητής, qui profitetur: et praesertim qui publice aliquam liberalem artem docet. *Cels. praef.* Ut quidam ex sapientiae professoribus dixerunt. *Quint.* 12, 11. Geometrae et grammatici, ceterarumque artium professores. [**Tac. Agr.* 2. expulsis insuper sapientiae professoribus.] *Suet. Rhet.* 5. Latinae simul Graecaeque eloquentiae professor. *Ulp. Dig.* 50, 13, 1. Professores juris civilis. *Colum.* 1, 4. Consultissimus astrologiae professor Hipparchus. *Inscr.* ap. *Grut.* 38, 14. Apollini sacrum Q. Posthumius Hyginus, et Posthumius Hermes Lib. medicis et professoribus D. S. D. ℙ Absolute. *Quint.* 1, 9. Opus etiam consummatis professoribus difficile. [*Adde 10, 5, 18.] *Suet. Tib.* 11. Cum circa scholas et auditoria professorum assiduus esset. [*Ita saepissime *Suet.* V. *B. Crus. cl. Suet.* p. 631.] *Plin. ep.* 4, 11. Fortuna facit ex professoribus senatores, ex senatoribus professores. ℙ Titulus quinquagesimus secundus *Cod. l.* 10. inscribitur *De professoribus et medicis*, quia medici professorum nomine non veniunt. Idem significatur etiam ab *Ulp. l. c.*, ubi ait: Medicorum quoque eadem causa est, quae et professorum: nisi quod justior, cum hi salutis hominum agant, illi studiorum curam. De philosophis quoque ita *Id. ib.* An philosophi professorum numero sint? et non putem: non quia non religiosa res est, sed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam spernere. Itaque *professor* proprie est, qui et in re litteraria versatur, et id mercedis gratia facit, [exceptis tamen ludi litterarii magistris, quos professores non esse, affirmat *Ulp. l. c.* §. 6. *F.*] Nihilominus *Cels.* tum 2, 6. *f.* tum 8, 4. medicum nomine professoris significat. [*Impp.* vero *Hon.* et *Theod. Cod.* 10, 52, 11. vocat *professores* et grammaticos, et oratores, et philosophiae praeceptores, atque

etiam medicos, quia scilicet eo tempore mercedem publicam omnes accipiebant. Hinc patet, nostris hisce temporibus eos omnes recte professores esse appellandos, qui publica mercede conducti docent. *F.*]

PRŌFESSŌRĬUS, a, um, adj. ἐπαγγελτικὸς, ad profitendum, vel ad professorem pertinens. *Tac. A.* 13, 14. Audiretur hinc Germanici filia, inde debilis rursus Burrhus, et exsul Seneca, trunca scilicet manu, et professoria lingua, *h. e.* quae professoris, seu rhetoris modo meritoriam eloquentiam exerceret.

PRŌFESSUS, a, um, part. a *profiteor*, ἐπαγγειλάμενος. *Cic. Tusc.* 2, 4. *f.* Si grammaticum se professus quisquam, barbare loquatur. *Hor. Ep.* 1, 18, 2. professus amicum. *Ov. A. Am.* 3, 433. Sed vitate viros cultum formamque professos, *h. e.* qui prae se ferunt. *Id. Fast.* 5, 351. de Flora: Non est de tetricis, non est de magna professis; et *ib.* 2, 198. de Fabiis: Sumunt gentiles arma professa manus, *h. e.* quae pollicitae sunt patriae defensionem, et bellum gesturas cum Vejentibus; et *ib.* 4, 866. Multa professarum questibus apta Venus, *h. e.* meretricum, quae cogebantur profiteri apud aediles, si vellent vulgare corpora, qua de re *Tac. A.* 2, 85. et *Suet. Tib.* 35. ℙ Passive. *Quint. decl.* 311. Rem non professam apud nos tenemus. Publicanorum verba sunt. ℙ Est etiam vulgatus, testatus, manifestus, notus. *Ov. Am.* 3, 14, 6. Solaque deformem culpa professa facit. *Stat. Silv.* 1, 2, 24. Ergo dies aderat Parcarum conditus albo Vellere, quo stellae, Violantillaeque professus Clamaretur Hymen. *Just.* 8, 4. Orant, ut professum adversum Phocenses ducem Graeciae exhibeat, *h. e.* praebeat se apertum ducem, etc. *Quint. decl.* 3, 12. Non hic professus est furor? non aperta dementia est? [*V. *Burm.* ad *Phaedr.* 4, 6. et *Graev.* ad *Cic. Verr.* 2, 3, 56.] ℙ *Ex professo*, non dissimulate, palam, et data opera, quasique profitendo. *Sen. ep.* 14. *med.* Pars securitatis est, non ex professo eam petere. *Quint.* 11, 1. *med.* Philosophiam ex professo ostentantibus parum decori sunt plerique orationis ornatus. *Macr. Sat.* 2, 9. Vir ex professo mollis. ℙ *De professo*, idem est. *Appul. Apol. in.* Ac ne id quidem de professo audet. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 176. Ti Claudius Professus Niger suo nomine, et filiae Claudiae Professae. *F.*]

PRŌFESTUS, a, um, adj. ἀνέορτος, non festus. Profesti dies, inquit *Macr. Sat* 1, 16., hominibus ob administrandam rem privatam, publicamque concessi. *Fest.:* Profesti dies dicti, quod sint procul a religione numinis. *Non.* 5, 45. Profesti dies a festivitate vacui. *Pl. Aul.* 2, 8, 11. Festo die si quid prodegeris, profesto egere liceat, nisi peperceris. *Liv.* 34, 3. *f.* Ut carpentis, festis profestisque diebus, per urbem vectemur. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 1. Malum patremfamilias, quisquis interdiu faceret, quod noctu posset: pejorem, qui profestis diebus ageret, quod feriatis deberet. *Hor. Od.* 4, 5, 25. Nosque et profestis lucibus, et sacris, Inter jocosi munera Liberi, etc. *Id. Sat.* 2, 2, 116. Non ego temere edi luce profesta Quidquam praeter olus. *Auson. Idyll.* 4, 10. studium puerile fatiscit, Laeta nisi austeris varientur festa profestis. ℙ Horum alii sunt fasti, alii nefasti, item comitiales, proeliares, comperendini, etc., de quibus V. *ss. ll.* ℙ Profestum facere est tanquam profanum facere, id est facere, quod feriis facere non licet. *Festus.* ℙ Translate. *Gell. praef. f.* Ut ne ea attingat, neque adeat profestum et profanum vulgus, a ludo Musico diversum, *h. e.* rude, indoctum, Musarum seu litterarum sacris non initiatum.

[PROFĪCIENTER, adv. cum profectu. *August. ep.* 80. (al. 199.) Cum se in hac dilectione cor nostrum proficienter extendit. *F.*]

PROFĪCĬO, is, ēci, ectum, n. 3. [*a *pro* et *facere*, ut nostr. *fortmachen*, dicitur proprie de iis, quae loco moventur. Ita ap. *Plin.* 22, 1, 1. legitur: quum quinqueremis sola non proficeret: q. l. Noster in *f.* hujus §. laudaverat. ℙ Hinc est:] faciendo progredior, procedo, progressum facio, assequor. *Sen. ep.* 108. Id et docenti, et discenti debet esse propositum: ut ille prodesse velit, hic proficere. *Caes. B. G.* 7, 20. *f.* Statuisse imperatorem, si nihil in oppugnatione oppidi profecisset, triduo exercitum deducere; et *ib.* 3, 21. *f.* Ubi diligentia nostrorum nihil his rebus profici posse intellexerunt, etc.; et *ib.* 7, 82. Dum longius aberant, plus multitudine telorum proficiebant. *Id. B. C.* 3, 23. *f.* Adeo loci opportunitate profecit, ut, etc. et *ib.* 85. *f.* Antesignani tantum profecere, ut, equestri proelio commisso, pellerent omnes, compluresque interficerent. *Nep. Eum.* 10. Callidum imperatorem vicit consilio: neque tamen multum profecit. *Cic. Off.* 3, 8. *f.* Si modo in philosophia aliquid profecimus. [*Vell. 2, 125, 1. quid profecissemus impetrando, i. e. quam utilitatem cepissemus. Similis dicendi ratio est ap. *Curt.* 8, 14, 44. Plus monendo profecit.] *Flor.* 4, 9. Nondum ad pacis stabilitatem profecerat Caesar. *Colum.* 3, 20. Sive siccus est annus, id *(vitis genus)* quod humore proficit, contristatur, *h. e.* provenit, crescit; et 14, 4, 6. Majus dispendium, non proficiente pretio, *h. e.* non crescente. ℙ Proficientium in philosophia, et studio sapientiae tres sunt classes, inquit *Sen. ep.* 75. Primi sunt, qui sapientiam nondum habent, sed jam in vicinia ejus constiterunt: tamen etiam quod prope est, extra est. Secundum genus est eorum, qui et maxima animi mala et affectus deposuerunt, sed ita, ut non sit illis securitatis suae certa possessio: possunt enim in eadem relabi. Tertium genus extra multa et magna vitia est, sed non extra omnia. Effugit avaritiam, sed iram adhuc sentit, etc. ℙ Passive impersonaliter. *Cic. Att.* 7, 13. Qui ut nihil aliud, hoc tamen profecit: dedit illi dolorem. Sed etiam ad summam profectum aliquid puto. *Plin.* 6, 26, 30. Postquam nihil proficiebatur. *Stat. Th.* 3, 720. Proficitur bello. ℙ Saepe sumitur pro conferre, prodesse. *Cic. Brut.* 37. Ea suo quaeque loco, ubi plurimum proficere et valere possent, collocabat; et *ib.* 24. Nulla res tantum ad dicendum proficit, quantum scriptio. *Ov. Pont.* 3, 1, 138. Profectura aliquid tum tua verba puta. *Id. Trist.* 1, 4, 13. parum validus non proficientia rector Cervicis rigidae frena remittit equo. *Liv.* 3, 61. *f.* Parva certamina in summam totius profecerant spei. *Quint.* 1, 1. *f.* Prosequitur haec memoria in senectutem, et impressa animo rudi, usque ad mores proficiet. *Id. decl.* 3, 1. Vitia facillime in exemplum proficiunt. ℙ De iis, quae vim et utilitatem habent in medicina. *Hor. Ep.* 2, 2, 150. fugeres, radice vel herba Proficiente nihil, curarier? *Plin.* 27, 11, 72. Radix adversatur omnium serpentum generibus, nec alia res celerius proficit. *Id.* 36, 20, 37. Haematites proficit oculorum lacrimis. *Id.* 28, 9, 37. Axungia proficit ad strumas. *Id.* 23, 7, 62. Pirorum ligni cinis contra fungos efficacius proficit; *Id.* 20, 23, 98. Radix anethi vel in febribus proficit.

PROFĪCISCO, is, n. 3. idem ac proficiscor. *Pl. Mil.* 4, 8, 19. Obsecro, licet complecti, priusquam proficisco? *Turpil.* ap. *Non.* 7, 21. Hortatur hominem, quam primum proficisceret.

PROFĪCISCOR, eris, profectus sum, n. 3. πορεύομαι, eo, vado. In notatione etymologis aqua haeret. [*Est a *pro* et *facio*, *facesso*, *faciscor:* nostr. *vorwärts machen;* eoque differt a *peregrinari* et *iter facere*, ut certum aliquem finem, ad quem promoveamur, innuat: quam notionem istis dicendi formulis abesse vidimus. V. *Doederl.* 2, 133.] *Caes. B. G.* 7, 38. Quo proficiscimur, inquit, milites? *Sall. Jug.* 31. *extr.* Calpurnius Romam ad magistratus rogandos proficiscitur. *Ter. Ad.* 2, 2, 16. Te ajunt proficisci Cyprum. *Id. Hec.* 1, 2, 11. Corinthum hinc sum profecta. *Id. Andr.* 3, 4, 21. Hinc in pistrinum recta proficiscar via. *Id. Ph.* 5, 6, 20. Recta domum sumus profecti. *Cic. Verr.* 2, 1, 27. Omnes ad eam domum, in qua iste deversabatur, profecti sunt. *Id. Acad.* 4, 31. *med.* Si ex hoc loco proficiscatur Puteolos stadia triginta *Caes. B. G.* 3, 7. Cum in Illyricum profectus esset; et *B. C.* 3, 99. Quod ille in pugnam proficiscens dixerat. *Nep. Alc.* 4. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. *Just.* 26, 1. Cum ad portum, quasi uno agmine profecturae, convenissent. *Sall. or. Lep. contra Sull. med.* Nisi forte tribuniciam potestatem eversum profecti sunt per arma. *Pl. Amph.* 5, 2, 7. Cum profectus in exercitum. *Cic. Div.* 2, 58. Proficisci ad dormiendum; et *ib.* 2, 30. ad somnum. *Nep. Iph.* 2. *f.* subsidio alicui. *Id. Eum.* 3. Aegyptum oppugnatum erat profectus; et *ib. med.* Ut militibus persuaderet, se contra quosdam barbaros proficisci. *Pl. Aul.* 1, 2. *f.* Nunc, quo profectus sum, ibo. [*Hic, ut in sequentibus hujus §. locis, praeter ultimum, *proficisci* est *ire instituere.* V. *Lindem.* ad *Pl. Trin.* 3, 2, 2.] et *Rud.* 3, 6, 8. Etiamne in ara sedebant, cum ad me profectus ire? Alii legunt *ires;* et *Ter. Eun.* 2, 2, 49. Detineo te fortasse: tu profectus alio fueras; et *Prop.* 3, 21, 1. Magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas. ℙ Absolute *proficisci* iter aliquo facere. *Ulp. Dig.* 17, 2, 52. *med.* ℙ Est etiam discedere, abire, ἀποπορεύομαι. *Caes. B. G.* 1, 7. Maturat ab urbe proficisci. *Id. B. C.* 1, 78. Ex castris proficiscuntur. *Nep. Milt.* 1. *f.* Proficiscentes Athenis. *Cic. Att.* 2, 8. *med.* Cal. Maji de Formiano proficiscemur. *Id. ib.* 9, 9. Ille Idibus a me profectus est; et *ib.* 13, 26. Proficiscar hinc, ne relictus videar; et *Fin.* 3, 21. Ei proficiscendum est ab omni mundo, et ejus procuratione. ℙ Translate. *Cic. Inv.* 1, 38. Ut ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis utilitatem spectet *(venire);* sic a legibus nihil convenit arbitrari, nisi quod reipublicae conducat, proficisci. *Id. Fam.* 2, 19. Quaecumque a me ornamenta ad te proficiscentur; et *ib.* 3, 1. Intelligo omnia, quae a me profecta sunt in te, tibi accidisse gratissima. *Nep. Att.* 9. P. Volumnio ea tribuit, ut plura a parente proficisci non potuerint. ℙ [*De sectatoribus alicujus philosophi. *Cic. Div.* 1, 3. qui a Zenone profecti sunt. *Schütz. cl Cic.* Aliud exemplum v. in PROFECTUS, a, um.] ℙ Pro incipere. *Cic. Manil.* 2. Ut inde oratio mea proficiscatur, unde haec omnis causa ducitur. ℙ Item pergere, vel transire. *Id. Verr.* 2, 3, 5. Verum haec dicentur alio loco: nunc proficiscemur ad reliqua, si pauca ante fuerimus a vobis, judices, deprecati.

[PROFĪCŪUS, a, um, um, adj. utilis. *Cassiod. Varr.* 1, 39. Quibus mora potest esse proficua. *F.*]

PROFINDO, si, fidi, fissum, a. 3. καταλύπτω, proscindo. *Stat. Th.* 10, 512. quanta pariter cervice gementes Profindunt inarata diu Pangaea juvenci. Alii leg. *profringunt*, alii *perfringunt.*

PRŌFĪTĔOR, eris, essus sum, dep. 2. ὁμολογέω, ἐπαγγέλλομαι, palam fateor, aperte affirmo, publice confiteor, prae me fero, jacto. Differt a *fateor.* Fatemur enim coacti, et rei: profitemur sponte, et ultro. *Cic. Caecin.* 9. Ita libenter confitetur, ut non solum fateri, sed etiam profiteri videatur. *Id. Rab. perd.* 5. *med.* Quamobrem fateor, atque etiam profiteor, et prae me fero, etc. *Id. Fin.* 2, 23. Profiteri, et in medium proferre aliquid. *Caes. B. G.* 7, 2. Profitentur Carnutes, se nullum periculum recusare. *Cic. N. D.* 1, 5. *med.* Cujus rei tantae facultatem consecutum esse me, non profiteor; secutum esse, prae me fero. [*Nep. Them.* 7, 4. ap. eos liberrime professus est. — Sequente part. *de. Suet. Cal.* 12. ipsum postea de parricidio professum. *Id. Dom.* 8. de semet professo.] *Id. Tusc.* 2, 4. *f.* Profiteri se grammaticum; [*Suet. Cal.* 25. uno atque eodem die professus et maritum se ejus, et patrem infantis ex ea natae. *Id. Galb.* 10. Legatum se Senatus ac pop. R. professus est. *Id. Tib.* 62. Codicillis quoque jucundissimos et omnium horarum amicos professus. Sequitur etiam *esse:* quod *Ernest.* quidem ubique delendum suspicatus est, suae tamen regulae oblitus ad *Cic. de opt. gen. or.* 6. *in. Par.* 4. *f.* Exempla haec sunto: *Cic. Mur.* 13, 28. triduo me jureconsultum esse profitebor: ubi *Matth.* laud. *Or.* 9 30. Ecce autem aliqui se Thucydidios esse profitentur. *Verr.* 2, 3, 217. me omnium provinciarum defensorem esse profitebor: coll. *Rosc. Am.* §. 84.] et *ib.* scientiam alicujus rei; et *ib.* artem vitae. *Id. Pis.* 29. *med.* philosophiam. *Cels. praef.* medicinam. [*Profiteri aliquam* artem, operam, etc. dicuntur, qui coram magistratu, vel crimine publico declarant, se aliquam operam edituros, artem exercituros. *Suet. Ner.* 21. Nomen suum in albo profitentium citharaedorum jussit adscribi. V. *B. Crus. cl. Suet.* et *Professus, a, um.*] *Cic. Or.* 1, 10. *f.* Quamobrem ista tanta tamque multa profitenda, Crasse, non censeo. *Oc. Her.* 21, 129. Cur me cum peteres, ea non profitenda putabas, Propter quae nobis ipse petendus eras? *h. e.* significanda, jactanda, aut promittenda. *Albinov.* 1, 87. vultu profitente dolorem, *h. e.* prae se ferente, monstrante. *Suet. Aug.* 45. Ingenue profiteri aliquid. *Nemes. Ecl.* 5, 22. Sola Jove Semele vidit Jovis ora professum, *h. e.* ostendentem. ℙ De iis, qui publice rhetoricam docent. *Plin. ep.* 2, 18. Cum omnes qui profitentur, audiero, quid de quoque sentiam, scribam. *Id. ep.* 4, 11. *f.* Translatus est in Siciliam, ubi nunc profitetur, seque de fortuna praefationibus vindicat. [*Simili ratione usurpatur Gr. ἐπαγγέλλεσθαι. V. *Ernest. lex. technol, lat. rhet.* p. 308.] ℙ Item palam ultroque polliceri. *Cic. Fam.* 5, 8. *med.* Ego vero tibi profiteor atque polliceor eximium et singulare meum studium in omni genere officii. *Id. Rosc.* 53. Si id vos suscipitis, et eadem in re operam vestram profitemini. *Id. Or.* 1, 22 *med.* Ut nulla sit res, de qua se non omnia, quae dici possunt, profiteantur esse dicturos. *Caes. B. C.* 3, 19. Varro profitetur se altera die ad colloquium venturum. [*Pl. *Trin.* 3, 1, 20. aut quis profitetur, i. e. quis promittit se ad prandium me vocaturum?] ℙ *Profiteri indicium*, exhibere se indicem ac revelatorem sceleris occulte ab se una cum aliis admissi, palam fateri complices facinoris. *Sall. Jug.* 3. Sed ipse deprehensus, multis hortantibus indicium profitetur. *Tac. A.* 6, 3. *extr.* Summum supplicium decernebatur, ni professus indicium foret. Adde *Hirt. B. Alex.* 55., *Plin. ep.* 3, 16. et *Sen. Excerpt. contr.* 10, 6. ℙ Est etiam *profiteri*, nomen et bona sua in censum referre; item publice et apud acta quippiam ultro denunciare, significare, deferre. *Cic. Arch.* 4. Professus est apud praetorem Q. Metellum. *Id. Verr.* 2, 3, 15. Edixerat, ut aratores jugera sationum suarum profiterentur. *Id. Agr.* 2, 22. *med.* Ut quicumque de provincia decesserit, apud decemviros, quantum habeat praedae, manubiarum, auri coronarii, profiteatur. *Vet. tab. aen.* ap. *Mur.* 582. *in.* Iisdem diebus ad consulem profitemino, *h. e.* profiteatur. V. ANTESTOR. *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Greges ovium ad publicanum profitentur, ne si inscriptum pecus paverint, lege censoria committant. *Liv.* 4, 12. *f.* Profiteri cogendo frumentum, et vendere quod usui menstruo superesset. *Id.* 26, 18. Ut qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur, i. e. palam significarent se petere: quod *Id. paulo post* dixit. Absolute eod. sensu *Vell.* 2, 92. Nam et quaesturam petentes, quos indignos judicavit, profiteri vetuit. *Sall. Cat.* 18. Catilina pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat petere consulatum, quod intra legitimos dies profiteri nequiverit: *legitimos dies* intellige trinundinum ante comitia, h. e. fere triginta dierum spatium. V. *Cic. Eam.* 10,

12. et *Liv.* 3, 35. Alii verba *Sallustii* de profitendo censu intelligi volunt, quod mos esset, ut candidati aes alienum profiterentur. Etenim *Sen. Ben.* 6, 20. Si quis patriae meae pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc aes alienum profitebor aut candidatus, aut reus. [**Nomen profiteri*, vel absol. *profiteri*, sc. ap. rogatorem, dicebantur honorum candidati: quod nisi fecissent, aut si a rogatore improbati essent, non poterant inter candidatos recipi.] ℙ *Profiteri nomen* alio sensu *Ter. Eun. prol.* 1. Si quisquam est, qui placere se studeat bonis, In his poeta hic nomen profitetur suum, *h. e.* profitetur se esse unum ex his, qui bonis placere student.

PROFLAMEN, inis, m. qui flaminis vice agit: ut proquaestor, proconsul. *Inscr. Frat. Arv.* ap. *Mur.* 341. *f.* Sacerdotes per Catilium Severum proflaminem agnam opimam immolaverunt, etc. [Alia ap. *Grut.* 124, 1. Ibique sacerdotes per Ti. Julium Julianum proflamine magnas opimas immola*verunt*. Corrige *proflaminem agnas opimas*, etc. *F.*]

PROFLĀTUS, a, um, part. a *proflo*, efflatus. *Appul. Met.* 7. Porrectis auribus, proflatisque naribus, rudivi fortiter. *Auson. epigr.* 65. Aerea bos steteram. Mactata est vacca Minervae: Sed Dea proflatam transtulit huc animam. ℙ Item flando resolutus, cum de metallis sermo est. *Plin.* 34, 9, 20. Massa *(aeris)* proflatur in primis: mox in proflatum additur tertia portio aeris collectanei; et *mox:* Miscentur et plumbi pondo duodena centenis proflati.

PROFLĀTUS, us, m. *κατάπνευμα*, perflatus, ventus. *Colum.* 5, 9. *med.* In Favonium dirigi ordines convenit, ut aestivo proflatu refrigerentur *Stat. Th.* 10, 320. de ebrio stertente: Stratus humo gelida subter juga fida rotasque Proflatu terrebat equos.

PROFLICTUS, a, um, part. a *profligo*, profligatus. *Gell.* 15, 5. Semper eo verbo *(profligo)* qui diligenter locuti sunt, ita usi sunt, ut profligare dicerent prodigere et deperdere: profligatasque res, quasi proflictas et perditas appellarint.

PROFLIGĀTIO, onis, f. dispersio, dissipatio. *Auson. Perioch. Odyss.* 2. De contumelia domus, et bonorum profligatione conquestus.

PROFLIGĀTOR, oris, m. *καταναλίσκων, ῥαδιουργός*, qui profligat, seu prodigit, consumit, decoctor. *Tac. A.* 16, 18. Habebatur non ganeo et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu.

PROFLIGĀTUS, a, um, part. a *profligo:* afflictus, dejectus, abjectus, prostratus, perculsus. *M. Coelius* ap. *Quint.* 4, 2. *f.* Namque ipsum offendunt temulento sopore profligatum, totis praecordiis stertentem, ructuosos spiritus geminare. *Tac. A.* 12, 14. Profligata acies. ℙ Translate est afflictus, affectus, accisus, paene confectus. *Just.* 22, 8. Profligatae in Africa res. *Gell* 15, 5. Profligatas res, quasi proflictas et perditas appellarunt. *Suet. Caes.* 30. Pharsalica acie caesi profligatique adversarii. *Liv.* 21, 40. *extr.* Commissum et profligatum bellum conficere. *Cic. Fam.* 12, 30. Profligatum bellum ac paene sublatum. *Flor* 2, 15. Primo tempore commissum bellum, profligatum secundo, tertio vero confectum est. *Cic. Cat.* 2, 1. Quanto illum moerore afflictum esse, et profligatum putatis? et *Verr.* 1, 3. Usque eo senatoria judicia perdita profligataque esse arbitratur, ut, etc. Ubi *Schol.* perdita, ita ut nulla sint: profligata, violata, addicta. Etiam *Ascon.* adscribit, perditum esse, quod inveniri non potest, profligatum, quod potest: Ciceronem tamen velle hoc loco, pejus esse profligata, quam perdita. ℙ Refertur etiam ad mores, et dicitur de eo, qui adeo pravus et scelestus est, ut vix resipiscendi spem praebeat, et prope desperatus sit. *Cic. Arch.* 6. *f.* Nunquam me in hos profligatorum hominum quotidianos impetus objecissem. *Id. Verr.* 2, 3, 26. Tu omnium mortalium profligatissime ac perditissime. *Id. Rosc. Am.* 13. *f.* Mores feros, immanemque naturam, et vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, et denique omnia ad perniciem profligata atque perdita. ℙ Item paene absolutus, affectus, prope perfectus. *Cic. Tusc.* 5, 6. et *Sen. Ben.* 7, 13. Profligata jam haec, et paene ad exitum adducta quaestio est. In *monum. Ancyr.* ap. *Grut.* 232. Coepta profligataque opera a patre meo perfeci. *Liv.* 3, 50. *med.* Profligatam jam rem nunciando Romae esse. *Sen. Ot. sap.* 29. *f.* Profligatae aetatis homo. ℙ *In profligato esse*, prope absolutum et affectum esse: ratio loquendi usitata aetate *Gellii*, ut ipse testatur 15, 5., reprehenditque etiam, sed injuria. V. PROFLIGO. ℙ Item omnino absolutus, confectus. *Arnob.* 7, 244. Ludis jam terminatis, profligatisque curriculis, non multi post temporis spatium civitatem occepisse pestilentia vastari.

PROFLIGO, as, avi, atum, a. 1. *καταβάλλω*, affligo, dejicio, prosterno: a *fligo*, percutio. V. PROFLIGATUS. ℙ Cum de proelio, et bello sermo est, significat fundere, dejicere. *Cic. Phil.* 14, 14. Cum C. Caesar copias hostium profligarit. *Pl. Mil.* 2, 2, 75. Confidentia est, nos inimicos profligare posse. *Caes. B. C.* 3, 32. Quod classem hostium primo impetu profligaverim. *Sil.* 11, 399. multoque mero, somnoque virorum Profliganda acies, quam non perfregerit ensis. *Nep. Dat.* 6. *f.* Tali consilio uno tempore et proditores perculit, et hostes profligavit. *Tac. A.* 14, 36. Profligare proelia, *h. e.* proeliantes fundere. ℙ Est etiam pessundare, prodigere, deperdere (ut ait *Gell.* 15, 5.), disperdere, labefactare, ruere. *Cic. Or.* 3, 1. *med.* Cum suis consiliis rempublicam profligasset. *Nep. Pel.* 2. Nunquam ab tam tenui initio tantae opes sunt profligatae. *Liv.* 33, 19. Quamvis prope toto orbe terrarum, undique se suosque profligante fortuna, urgebatur. *Gell.* 19, 5. Valetudinem profligare. *Tert. Apol.* 42. Tura plane non emimus. Si Arabiae queruntur, scient Sabaei pluris et carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam Diis fumigandis, *h. e.* impendi, consumi. ℙ In bonam partem *profligare vitia*, tollere, exterminare, corrigere. *Just.* 20, 4. In juventute quoque quantum profligatum sit, victi feminarum contumaces animi manifestant. ℙ Item rem coeptam promovere, et prope finem adducere. *Liv.* 21, 40. *extr.* Cum foederum ruptore Deos ipsos committere ac profligare bellum: nos, qui secundum Deos violati sumus, commissum ac profligatum conficere. *Suet. Oth.* 9. Quamprimum decertare statuit, sperans, ante Vitellii adventum profligari plurimum posse. V. alia in v. praec. Reprehendit *Gell.* 15, 5. eos, qui hoc sensu usurpant, ignarus inter hos et *Cic.* et *Liv.* esse, et in monumento Ancyrano *Augustum:* ne *Tacitum* accenseam, *Florum* et alios. V. v. praec. [*Adde *Cic. Prov. cons.* 14. *Fam.* 12, 14. 30. 8, 9. et *Duk.* ad *Flor.* p. 414.]

PROFLO, as, avi, atum, a. 1. *ἐκπνέω*, flo, efflo, cum flatu emitto. *Val. Fl.* 6, 435. Noctem tartaream profl ntes pectore tauri. *Id.* 7, 571. et *Ov. Fast.* 1, 573. Taurus immani proflavit turbine flammas. *Stat. Th.* 11, 266. Sanguineos proflantem pectore rivos. *Q. Cic. in carm. de vi signor. coelest.* ap. *Auson.* in *Ecl.* Languificusque Leo proflat ferus ore calores. ℙ *Proflare pectore somnum* est inter dormiendum ex pectore sonorum flatum emittere, stertere. *Virg. A.* 9, 326. qui forte tapetibus altis Exstructus toto proflabat pectore somnum. Simile est illud *Stat. Th.* 2, 76. Serta inter vacuosque mero crateras anhelum Proflabant sub luce Deum, *h. e.* Bacchum. ℙ *Proflare iram* est flatu iram testari, ut solent ferae. *Plin.* 8, 4, 5. Subsistere ab olfactu, circumspectare, iras proflare. ℙ [*Est etiam flando resolvere. Hic collocari debebat locus, quem *Noster* supra laud., *Plin.* 34, 9, 20. Massa proflatur in primis, mox in proflatum additur tertia portio aeris collectanei.]

PROFLŪENS, entis, part. a *profluo: προρέων*, qui profluit, profluus. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Vidi permultis locis aquam profluentem, et eam uberem. [**Id. Off.* 1, 16, 52. non prohibere aqua profluente: ubi v. *Beier.*] *Plin.* 5, 29, 30. Pactolus ex Tmolo profluens. *Id.* 29, 6, 36. sanguis a cerebro. *Just* 15, 4. *med.* Sudorem profluentem detergere. ℙ Absolute, aqua profluens. *Cic. Inv.* 2, 50. In culeum conjectus in profluentem deferretur. *Plin.* 17, 10, 11. In qualo pedibus in profluente deculcare aliquid. [**Suet. Vit.* 9. laurea in profluentem excidit.] ℙ Translate est fusus, liquidus, expeditus, facilis: et refertur ad orationem. *Cic. Or.* 2, 38. Genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum; et *ib.* 3, 48. Rudis et impolita putanda est illa sine intervallis loquacitas perennis et profluens; et *ib.* 7. *extr.* Profluens quiddam habuit Carbo, et canorum. *Id. Brut.* 61. Orator proximus optimis numerabatur propter verborum bonitatem, et expeditam ac profluentem quodammodo celeritatem. [**Tac. A.* 4, 61. Haterii canorum illud et profluens; 13, 3. Augusti prompta ac profluens — eloquentia. *Dial.* 2. profluens sermo non definit. V. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* p. 308.]

PROFLŪENTER, adv. expedite, facile. *Cic. Tusc.* 5, 18. *med.* Sequitur, ut nihil poeniteat, nihil desit, nihil obstet. Ergo omnia profluenter, absolute, prospere. Igitur beate. *Gell.* 14, 1. *med.* Latius ea, et amoenius, et splendidius, et profluentius exsequebatur, *h. e.* majori facilitate et volubilitate verborum.

PROFLŪENTIA, ae, f. profluvium, abundantia. *Cic. Part.* 23. *med.* Illam disputandi prudentiam imitatur concertatio captatioque verborum; et hanc oratoriam vim inanis quaedam profluentia loquendi.

PROFLŪO, is, uxi, n. *προῤῥέω*, porro fluo, defluo, dimano. *Caes. B. G.* 4, 10. Mosa profluit ex monte Vogeso. *Colum.* 6, 7. *f.* Si lacrimae ab oculis, et pituita a naribus profluent. *Plin.* 33, 4, 21. Profluere per fossas. *Cic. Div.* 1, 44. *med.* Si lacus emissus lapsu et cursu suo ad mare profluxisset. *Pl. As.* 4, 1, 51. Gravedo profluit; et *Cels.* 3, 6. *med.* Videndum est an adstrictum corpus sit, an profluat; et *f.* Si venter profluit. ℙ Translate. *Auct. ad Her.* 4, 33. Cujus ore sermo mellate. *Auct. ad Her.* 4, 33. Cujus ore sermo melle dulcior profluebat. *Varr. L. L.* 7, 33. *extr.* Ab hoc fonte quae profluant, animadvertere est facile. *Cic. Coel.* 3. Equidem ab his fontibus profluxi ad hominum famam, et meus hic forensis labor dimanavit ad existimationem hominum, *h. e.* veni, exivi, emersi. *Tac. A.* 11, 26. Messalina ad incognitas artes profluebat, *h. e.* prolabebatur, ruebat.

PROFLUVIUM, ii, n. *καταῤῥοή*, fluxio copiosa, fluor, fluxus, cursus. *Lucr.* 6, 1203. Profluvium vero qui taetri sanguinis acre Exierat, tamen, etc. *Colum.* 6, 33. Profluvium sanguinis per nares. *Plin.* 32, 10, 42. narium sistere. *Id.* 28, 6, 17. urinae cohibere. *Colum.* 9, 13. alvi, [**διαῤῥοια.*] Et ab absolute. *Cels. praef. med.* Si corpus adstrictum est, digerendum esse: si profluvio laborat, continendum. *Plin.* 7, 15, 13. Profluvium, *h. e.* menses; et 7, 14, 12. genitale, *idem:* et 22, 22, 40. geniturae: *γονόῤῥοια.*

PROFLUVIUS, a, um, adj. profluens, labilis. *Caec.* ap. *Prisc.* 6, 699. et 7, 772. Itane Antipho est inventus profluvia fide? *h. e.* fallaci, inconstanti, fluxa. V. IMMEMORIS. ℙ *Profluvius* substantive idem ac profluvium. Hinc *Atticus profluvius.* V. ATTICUS.

PROFLŪUS, a, um, adj. *προῤῥέων*, profluens. *Plin.* 19, 4, 20. Hortos villae jungendos, non est dubium, riguosque maxime habendos, si contingat, profluo amne. Alii leg. *praefluo. Colum.* 8, 17. *med.* In ea parte litoris, quae profluo recessu nunquam destituitur. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 843. Venarum ut undam profluam manantium exciperet. *Sidon. ep.* 4, 23. Lacrimae profluae, ubertimque manantes.

PROFRINGO. V. PROFINDO.

PROFŪGIO, is, ūgi, a. 3. *ἀποφεύγω*, procul fugio, aufugio, diffugio. *Caes. B. C.* 2, 23. Appulsa ad litus trireme, pedibus Hadrumetum profugerat. *Id. B. G.* 7, 11. et 26. Coeperunt ex oppido profugere; et *ib.* 2, 14. Profugere in Britanniam. *Hirt. ib.* 8, 13. longius. *Plin.* 9, 6, 5. in altum. *Just.* 22, 8. a castris. *Vell.* 2, 19. e carcere. *Petr. Sat.* 90. extra templum. *Cic. Brut.* 89. *med* domo. *Id. Dom.* 32. *med.* in exsilium. *Id. Verr.* 2, 3, 51. *f.* Hinc centum patresfamilias extorres profugerunt. *Id. Sen.* 14. Libenter istinc, tanquam a domino agresti ac furioso, profugi ℙ Item confugere. *Id. Att.* 15, 21. Scripsit filius, se profugere ad Brutum voluisse. *Caes. B. G.* 5, 41. Qui a prima obsidione ad Ciceronem profugerat. ℙ Cum accusativo. *Sen. Consol.* ad *Polyb.* 36. Conspectum conversationemque civium suorum profugit. *Colum.* 1, 3. *med.* Ut propter injurias vicinorum sedes suas profugerint. *Id.* 10, 56. Sed trepidus profugit chelas et spicula Phoebus. *Manil.* 4, 577. in piscem sese Cytherea novavit, Cum Babyloniacas submersa profugit in undas Anguipedem alatis humeris Typhona furentem. *Plin.* 7, 2, 2. Non profugientibus adulterino sanguine natos serpentibus. *Sen. Herc. Fur.* 977. Profugit umbras Tityus. *Curt.* 10, 2. *med.* Ne servi quidem uno grege profugiunt dominos. *Anton.* ap *Cic. post. ep.* 8. *l.* 10. ad *Att.* Contra, eum ne profugias, qui, etc. Alii delent *eum.* [*Ita *Orell.*, quamquam lectionem: *eum ne profugias*, admodum memorabilem et receptae fortasse praeferendam in notis dicit.] ℙ Primam producit *Juvenc.* 2, 477. Profugite e tectis, quae vos sectabitur, urbis.

PROFŪGIUM, ii, n. perfugium. Afferuntur *Cic.* loca *Tusc.* 1, 49., *Caec.* 34., *Fam.* 5, 15. et *ib.* 7, 20., item *Sall. Jug.* 56. et *Cat.* 57., sed ubique alii rectius *perfugium.* [*Ita *Orell.* in *Cic.* locis. Cf. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 54, 3.]

PROFŪGUS, a, um, adj. *αὐτόμολος, φύξηλις, φυγάς*, qui longe aliquo fugit. *Liv.* 1, 1. Profugus domo. *Tac. H.*. 3, 56. Profugus altaribus taurus; et *ib.* 4, 49. Urbe profugi; et *ib.* 2, 46. e proelio. *Flor.* 4, 2. *f.* a proelio. *Liv.* 1, 8. ex Peloponneso. *Tac. A.* 1, 57. Profugus ad rebelles. *Colum.* 10, 104. et profugos vinctura papavera somnos. *Ov. Her.* 4, 155. Depuduit, profugusque pudor sua signa reliquit. ℙ Cum gen. *Tac. A.* 15, 1. Tiridates regni profugus. *Plin.* 7, 28, 29. Bis ab Annibale captus, bis vinculorum ejus profugus. *Flor.* 3, 22. Exsul et profugus feralis illius tabulae. ℙ In fugam actus. *Sall. Jug.* 60. *extr.* Milites Jugurthini, postquam majore vi hostes urgent, paucis amissis profugi discedunt. *Val. Fl.* 3, 57. profugi sternunt dumeta juvenci. *Claud. B. Gild.* 12. Congressum, profugum, captum vox nunciat una. ℙ Saepe de iis dicitur, qui exsilio solum vertunt. *Sall. Cat.* 6. Trojani, qui, Aenea duce, profugi incertis sedibus vagabantur. *Val. Fl.* 4, 556. profugi non sperat vellera Phrixi; et 8, 10. profuga Medea. *Prop.* 4, 1, 4. profugae boves; et *ib.* 39. profugos misisti, Troja, penates. *Ov. Met.* 13, 627. de Aenea: profugaque per aequora classe Fertur ab Antandro; et *ib.* 15, 506. profugo curru Troezena petebam. *Lucan.* 4, 9. profugique a gente vetusta Gallorum Celtae. *Liv.* 34, 60. Annibal patria profugus pervenerat ad Antiochum. ℙ Absolute exsul. *Ov. Pont.* 2, 9, 6. Quamque potes, profugo, (nam potes) affer opem; et *ib.* 3, 6, 39. An tu, cum tali populus sub principe simus, Alloquio profugi credis inesse metum? ℙ De eo, qui errabundus huc illuc fertur, et domicilium crebro mutat, ut Scythae. *Hor. Od.* 1, 35, 9. Te Dacus asper, te profugi Scythae, etc.

PROFUNDĀTUS, a, um, part. ab inus. *profundo, as*, fundatus: ut Carina profundata, et bene statuta, *Pl. Mil.* 3, 3, 43. ut legit *Taubm.* ex MSS., alii *probe fundata*, [alii rectius *pro re fundata. F.*]

PROFUNDE, adv. *βαθέως. Plin.* 8, 42, 66. de equis: Quo quis acrior, in bibendo profundius nares

mergit. *Prud. περὶ στεφ.* 5, 119. Quod fixa non profundius Intraret artus ungula.

PROFUNDĬTAS, atis, f. *βαθύτης*, altitudo, vorago. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *med.* Corporum tres sunt dimensiones, longitudo, latitudo, profunditas. ℙ Translate. *Hadr. Imp.* ap. *Vopisc. Sat.* 8. Civitas digna profecto sui profunditate, quae totius Aegypti teneat principatum, *h. e.* amplitudine, opibus, multitudine civium. *Macr. Somn. Scip.* 1, 7. Nam illud (*A.* 3, 379.), prohibent nam cetera Parcae scire, Maronis est ex intima disciplinae profunditate sententia.

PROFUNDO, is, ūdi, usum, a. 3. large, aut extra fundo, effundo, *καταχέω, προχέω.* *Cic. Cluent.* 6. *f.* Sanguinem suum profundere omnem cupit, dummodo profusum hujus ante videat. *Id. Somn. Scip.* 3. Vim lacrimarum profudi. *Sen. Med.* 541. Liberos habere comites liceat, in quorum sinu lacrimas profundam. *Plin.* 28, 2, 5. Aquas sub mensas profundere. *Virg. A.* 12, 154. lacrimas oculis Juturna profudit. *Plin.* 10, 60, 79. Sanguinem ex oculis profundunt. *Claud. Idyll.* 4, 13. de Nilo: fertur sine teste creatus, Flumina profundens alieni conscia coeli. ℙ [*Item projicio, abjicio, ita quidem ut nullam inde utilitatem capias.] *Pl. Aul.* 2, 4, 29. Aquam hercle plorat, cum lavat, profundere. *Id. Curc.* 1, 1, 92. Profundis vinum: quae te res agitant? [*Lucan.* 7, 159. capulosque solutis Profudit gladios: ubi v. *Cort.*] *Cic. Fam.* 5, 5. *f.* Quae ego si non profundere ac perdere videbor, omnibus meis viribus sustinebo; et *Lucr.* 4, 929. tu fac, ne ventis verba profundam. ℙ Item prodigere, immoderate insumere. *Cic. Verr.* 2, 3, 67. Ait, omnia pecunia effici posse: da, profunde, oppone, si velis vincere. *Ter. Ad.* 1, 2, 54. Profundat, perdat, pereat: nihil ad me attinet. *Sall. Cat.* 21. Illis divitias superare, quas profundant in exstruendo mari, et montibus coaequandis. *Cic. Cat.* 2, 5. Patrimonia sua profuderunt, fortunas suas obligurierunt. *Id. Off.* 2, 16. Pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem, aut nullam omnino relicturi sint. ℙ In bonam partem. *Id. Off.* 1, 24. *med.* Qui non modo pecuniam, sed vitam etiam profundere pro patria parati essent. *Plin. Pan.* 28. Quasi vero jam satis veneratus sim, quod tantam pecuniam profudi·sti. Adde *ib.* 35. *f.* ℙ Item edo, emitto, profero. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 158. Non peperit, verum postica parte profudit. *Lucr.* 5, 225. cum primum in luminis oras Ex alvo matris puerum natura profudit. *Id.* 6, 400. Juppiter profundit sonitus; et *ib.* 209. Profundere ignes. *Catull.* 64, 202. has moesto profudit pectore voces. *Cic. Tusc.* 2, 23. *extr.* In profundenda voce omne corpus intenditur. *Id. Fl.* 6. *extr.* Profundere clamorem. *Lucr.* 6, 6. de Epicuro: Omnia veridico qui quondam ex ore profudit. ℙ Pro gignere, procreare. *Sen. Hippol.* 526. prima quos mixtos Deis Profudit aetas. *Cic. Leg.* 1, 8. *f.* Ea, quae frugibus atque baccis terrae fetu profunduntur. *Colum.* 5, 5. *f.* Cum materia palmites profudit. ℙ *Profundere se*, erumpere, se proripere, efferre. *Caes. B. C.* 3, 93. Omnis multitudo sagittariorum se profudit. *Cic. Att.* 11, 7. *f.* Lacrimae se subito profuderunt. *Colum.* 9, 3. *f.* de apib.: Observandum, cum se nova profundent examina, ut excipiantur. *Cic. Coel.* 31. Voluptates cum inclusae diutius, et prima aetate compressae et constrictae fuerunt, subito se nonnunquam profundunt, atque ejiciunt universae. *Id. Att.* 7, 3. *med.* Si totum se ille in me profudisset, *h. e.* in me profusus ac liberalis fuisset. [*Liv.* 23, 20. in questus flebiles — sese in vestibulo curiae profuderunt. — De plantis nimium reduntantibus. *Cic. Or.* 2, 21. Facilius sicut in vitibus revocantur ea, quae se nimium profuderunt.] ℙ Translate. *Suet. Tib.* 42. Cuncta simul vitia, male diu dissimulata, tandem profudit, [*h. e.* temperata antea sine freno et modo exercuit. V. *Garv.* et *Gernh.* ad *Cic. Off.* 1, 29. *f.*] *Sabin.* 1, 77. animam per vulnera mille profudit. *Adde: *Cic. de republ.* (ed. *Maio*) 1, 3. Miltiadem — nondum sanatis vulneribus iis, quae corpore adverso in clarissima victoria accepisset, vitam ex hostium telis servatam in civium vinclis profudisse. *B. A. Cic. Pis.* 7. *f.* Omne odium, inclusum nefariis sensibus impiorum, in me profudistis, *h. e.* evomuistis, effudistis, [*cf. cp. 38.]; et *Att.* 1, 18. Nactus locum coercendae juventutis, vehemens fui, et omnes profudi vires animi atque ingenii mei; et *Acad.* 4, 27. Res jam universas profundam, de quibus volumina impleta sunt. ℙ Pro perfundere, vel prosternere (ea ratione, qua *fundere humi aliquem* dicitur.) *Lucr.* 4, 758. cum somnus membra profudit, Mens animi vigilat. ℙ [*Confund. *profundere* et *perfundere.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 159.]

PROFUNDUS, a, um, adj. *βαθύς*, fundum longe habens, ut ait *Fest.*, aut valde depressum, seu magnam deorsum altitudinem, imus. *Cic. Planc.* 6. Mare profundum et immensum. *Hor. Od.* 4, 14, 21. Profundus Danubius. *Lucr.* 3, 992. Acheron. *Just.* 24, 6. *f.* Profundum terrae foramen. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 228. Atque hiavit humus multa, vasta, et profunda. *Stat. Th.* 10, 95. Profundae valles. *Ov. Met.* 2, 229. Profunda fornax. *Eum. Pan. Constant.* 14. vulnera. *Cic. Sext.* 45. Profundissimus gurges. *Appul. Met.* 8. In profundam ruinam se praecipitare. *Tac. Agr.* 25. Silvarum et montium profunda. *Just.* 41, 1. Immensa ac profunda camporum. *Val. Fl.* 7, 401. qualesve profundum Per chaos occurrunt caecae sine vocibus umbrae. *Virg. G.* 1, 243. Styx atra, Manesque profundi, *h. e.* in imis terrae incolentes. *Id. A.* 4, 26. et *ib.* 6, 462. umbras Erebi, noctemque profundam, *h. e.* Inferorum tenebras. [*Lucan.* 1, 455. Ditisque profundi Pallida regna petunt: ubi v. *Cort.*] *Stat. Th.* 1, 615. sua monstra profundo Reddit habere Jovi, *h. e.* Plutoni. (Adde *Th.* 4, 459.) V. CERES. *Tubero* ap. *Gell.* 6, 4. In atras et profundas tenebras claudere aliquem. *Quint. decl.* 5, 15. Profunda carceris nocte membra claudantur. ℙ De altis et sublimibus. *Virg. G.* 4, 222. Terrasque tractusque maris, coelumque profundum. (Adde *Val. Fl.* 7, 478.) *Liv.* 38, 23. et *Tac. A.* 2, 61. Profunda altitudo. *Lucr.* 5, 42. et *Curt.* 7, 7. Profundae silvae, *h. e.* altae, amplae, densae. *Solin.* 26. Ursi villis profundioribus, *h. e.* longioribus et densioribus. ℙ *Auson. Grat. act. ad Grat.* 8. Instar profundae grandinis ductor Ithacesius, *h. e.* densae, glomeratae, vehementis. ℙ *Profundum* absolute, *βάθος.* *Cic. Acad.* 4, 10. Natura in profundo veritatem penitus abstrusit. *Id. Fin.* 3, 14. *f.* Esse in profundo aquae. [*Suet. Tib.* 40. profundo maris.] *Ov. Hal.* 84. vastique maris tentare profundum. *Sil.* 7, 378. Trebiam, et Tusci stagna profundi, *h. e.* lacus Trasimeni. ℙ Hac ratione saepe (et fere a poetis) de mari dicitur. *Virg. A.* 12, 263. petet ille fugam, penitusque profundo Vela dabit. *Val. Fl.* 1, 585. et *Stat. Th.* 5, 283. latumque profundum. *Val. Fl.* 8, 314. vastum. *Ov. Trist.* 1, 11, 39. indomitum. *Stat. Th.* 11, 524. imum. *Val. Fl.* 2, 606. pater ipse profundi, *h. e.* Neptunus. Sic *Ov. Met.* 11, 203. Cumque tridentigero tumidi genitore profundi; et *ib.* 197. Sigaeum et Rhoetaeum profundum; et *ib.* 7, 65. Siculum. *Sil.* 11, 22. Ionium. *Colum.* 8, 16. *f.* Helops Pamphylio profundo, nec alio pascitur. *Ov. Met.* 8, 592. Propellere aliquem in profundum; et *ib.* 5, 438. filia matri Omnibus est terris, omni quaesita profundo. ℙ Translate. *Val. Max.* 2, 10. *n.* 6. C. Marius in profundum ultimarum miseriarum abjectus. *Id.* 6. *f.* Immergere aliquem miserabiliter profundo cladium. *Id.* 9, 1. *n.* 2. *extr.* In profundum injuriarum, et turpitudinis decidere. ℙ Interdum dicitur de coelo. *Manil.* 5, 719. Quae (*stellae*) neque per cunctas noctes, neque tempore in omni Resplendent alto coeli summota profundo. ℙ Ventrem videtur significare in illo *Pl. Capt.* 1, 2, 79. Profundum vendis tu quidem, haud fundum, mihi. V. *Appul.* 1. *mox c.* ℙ Translate *profundus* est immensus, infinitus, immodicus, vehemens. *Cic. Pis.* 21. Cum partim ejus praedae profundae libidines devorassent, partim, etc. *Sall. Jug.* 83. Profunda avaritia. *Id. in ep. Mithrid. ad Arsac.* Cupido profunda imperii et divitiarum. *Plin.* 30, 2, 5. Profunda animi vitia. *Vell.* 2, 125. Rabie quadam, et profunda confundendi omnia cupiditate. *Suet. Vit.* 7. et 13. et *Appul. Apol.* Profunda gula. *Id. Met.* 2. Amoris profundi pedicis alligare aliquem; et *ib.* 7. Insatiabilis profundusque venter. *Id. de Mundo:* Labor arduus et profundus. ℙ Item arcanus, ignotus, obscurus. *Quint. decl.* 4, 17. Secreta et profunda ars, *h. e.* divinandi, hariolandi. *Mart. Dig.* 32, 15. Heres testatoris legata, quae in profundo esse dicuntur, quandocumque apparuerint, praestat. ℙ Illa quoque translata sunt. *Hor. Od.* 4, 2, 7. immensusque ruit profundo Pindarus ore, *h. e.* abundanti, rerum verborumque profunda copia affluente. *Nazar. Pan. Constant.* 35. Placida rerum quies, et profundum otium, *h. e.* valde tranquillum: ducta metaphora vel a mari, quod eo placidius est, minusque agitatur vento, quo est profundius; vel ab iis, quae in imo jacent, quae ideo tutiora et quietiora. Sic *Mamert. Pan. Maxim.* 14. *f.* Profundissima pace florere. *Mart.* 12, 57. Et in profundo somnus, et quies nullis Offensa linguis. *Appul. Met.* 2. Me somnus profundus in imum barathrum repente demergit; et *ib.* Injecta somni nebula, eoque in profundam quietem sepulto. *Gell.* 1, 15. Securitas multa et profunda, *h. e.* supina negligentia, velut dormientis. ℙ *Profundam caedem* cum dixit *Stat. Th.* 10, 837.. intellexit caedem depresso atque imo loco factam. V. integr. locum. ℙ *Profundum merum*, multum, quo mens mergitur. *Stat. Th.* 5, 262. si quando profundo Nubigenae caluere mero. Adde *ib.* 187. et *Silv.* 3, 3, 107. et *Val. Fl.* 5, 594.

PROFŪSĒ, adv. *ἀφειδῶς*, profundendo pecuniam, large, magno sumptu, impense; item cupide, effuse, vehementer, ardenter, *σφόδρα.* *Suet. Aug.* 72. *f.* Aedes profuse exstructa; et *ib.* 75. Festos et solemnes dies profusissime celebrabat. *Sall. Cat.* 13. *extr.* Eo profusius omnibus modis quaestui atque sumptui deditus erat. *Liv.* 10, 36. Consul obstitit profuse tendentibus suis in castra. *Gell.* 5, 1. Prolixe profuseque laudare.

PROFŪSIO, onis, f. *προχυσις, ὑπέρχυσις*, actus profundendi, effusio copiosa, prodigentia. *Cels.* 2, 7. et 7, 21. Omentum forfice praecidere, potest profusionem sanguinis facere. *Id. cit.* 2, 7. *med.* Profusio alvi, i. e. profluvium. *Vitr. praef.* 10. Infinitae sumptuum profusiones. *Suet. Ner.* 30. Divitiarum et pecuniae fructum non alium putabat, quam profusionem. *Plin. ep.* 2, 4. *f.* Liberalitas ita temperanda est, ne nimia profusione inarescat. *Tert. Poen.* 8. Si non et alibi hanc clementiae suae profusionem demonstrasset. ℙ *Profusiones*, vel *profusiones parentales* dicebantur libationes vel irrigationes vino, aqua arferia, lacte, unguentis, victimarum etiam sanguine, ceterisque liquoribus in sepulcra ingeri solitis; quare saepius in sepulcralibus titulis paterae, vel cyathi apparent insculpti, et foraminibus pertusi ad eas profusiones excipiendas. *Inscr.* mendosa ap. *Grut.* 803, 8., emendata ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 562. Et in memoriam eor. et sui collegio *Nautarum Benacensium* ad rosas et profusiones *Quot Annis* fa*ciendas* HS. N. LX. Mil. dedit. Alia ap. *Fabrett.* p. 147. *n.* 182. Dedit coll. VI. vir. socior. L. L. N. M., ut ex usuris eorum profus. parentales quotannis celebrent. Adde aliam ap. *eund.* p. 221. *n.* 587.

PROFŪSOR, oris, m. qui profundit, prodigus. *Tert. adv. Marc.* 1, 24. Dispensatorem bonitatis, non profusorem.

PROFŪSUS, a, um, part. a *profundo: κατακεχυμένος*, large effusus: et proprie de liquoribus dicitur. *Ov. Met.* 8, 764. abrupta cruor e cervice profusus; et *ib.* 9, 679. lacrimis vultum lavere profusis; et *ib.* 13, 636. Ture dato flammis, vinoque in tura profuso, etc. *Plin.* 11, 41, 96. Profusum lac. *Id.* 5. 9, 10. Nilus e lacu profusus; et *ib.* 30, 33. Amnis profusus Pindaso monte. ℙ Et de aliis rebus. *Nigid.* ap. *Gell.* 10, 4. Profuso intentoque flatu vocis pronunciare. *Lucr.* 4, 540. sermo summo clamore profusus. *Id.* 5, 571. calor solis, lumenque profusum Perveniunt nostros ad sensus. *Plin.* 3, 6, 12. Insula profusa ab Aenaria, *h. e.* projecta, profecta, genita. V. PROCHYTA. *Val. Fl.* 3, 3. It tectis Argoa manus, simul urbe profusi Aenidae caris socium digressibus haerent, *h. e.* confertim egressi, et effusi. Sic 6, 106. Insequitur Drancaea phalans, claustrisque profusi Caspiadae. *Lucr.* 1, 87. infula virgineos circumdata comptus Ex utraque pari malarum parte profusa, *h. e.* dependens, vel circumplicata. *Varr. R. R.* 2, 5. Boves caudam profusam usque ad calces ut habeant; et *Pall.* 4, 13. Equi coma et cauda profusior. *Lact. Op. D.* 5. *f.* Os elephanti profusis dentibus armaverat. ℙ Translate est nimis effusus, immoderatus, immodicus. *Cic. Tusc.* 4, 7. Laetitia efficit profusam hilaritatem. *Id. Off.* 1, 29. *med.* Ipsum genus jocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum et facetum esse debet. *Tac. H.* 1, 52. Profusa cupido et insignis temeritas. *Suet. Claud.* 53. Profusissima libido. *Quint. decl.* 9, 2. Non ego profusus in vitia fortuna nostra male usus sum. ℙ Item supra modum sumptuosus, ut ait *Festus*, prodigus, effusus in sumptibus. *Sall. Cat.* 5. Alieni appetens, sui profusus. *Cic. Quint.* 12. Perditus ac profusus nepos. *Id. Verr.* 2, 1, 7. *med.* Reus audax, pecuniosus, profusus, perditus. *Id. Quint.* 30. Profusis sumptibus vivere. *Vell.* 2, 33. *f.* Lucullus profusae hujus in aedificiis, convictibusque, et apparatibus luxuriae primus auctor fuit. ℙ In bonam partem. *Stat. Silv.* 3, 1, 91. Tune, inquit, largitor opum, qui mente profusa Tecta Dicarchaei pariter, juvenemque replesti Parthenopen? Adde *Mart.* 8, 38. ℙ De eo, quod immodico sumptu fit. *Cic. Mur.* 36. Amare profusas epulas. *Suet. Tit.* 7. Convivia jucunda magis, quam profusa. ℙ Humi fusus, projectus, jacens. *Lucr.* 6, 744. Praecipitesque cadunt, molli cervice profusa In terram. Adde *Pacuv.* ap. *Fest.*

[PROFŪTŪRUS, a, um, part. fut, verbi *prosum:* qui utilis futurus est. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 213. *n.* 536. C. Veturius C. F. Pol. Profuturus Parm. *F.*]

PROGEMMANS, antis, part. ab inus. *progemmo:* gemmas emittens. *Colum.* 4, 27. Si palmis incipientibus et progemmantibus fossorem immiseris.

PROGĔNER, ri, m. *ἐγγόνης ἀνήρ*, maritus neptis: et refertur ad socerum magnum, seu prosocerum; et socrum magnam, seu prosocrum, qui sunt avus, et avia uxoris meae. *Festus:* Progenerum appellat avus neptis suae virum. *Modest. Dig.* 38, 10, 5. *med.* Socer dicitur uxoris meae pater: ego illius sum gener: socer magnus dicitur uxoris meae avus: ego sum illius progener. Item prosocrus mihi uxoris meae avia est: ego illius sum progener. *Suet. Aug.* 19. Conjurationes compressit Plautii Rufi, Luciique Pauli progeneri sui, *h. e.* mariti Juliae filiae Agrippae, qui alteram Juliam Augusti filiam uxoram habebat. Adde *Sen. ep.* 21. [*et *Tac. A.* 6, 45. *H.* 5, 9.] ℙ [Ita etiam appellatur maritus neptis ex fratre. *Inscr.* ap. *Grut.* 412, 3. Fl. Stilichoni illustrissimo viro, etc. progenero Divi Theodosii, etc. Stilicho enim duxerat uxorem Serenam Honorii, fratris Theodosii, filiam, quam hic, antequam Stilichonis uxor esset, adoptaverat, ideoque Stilicho maritus ejus filiae adoptivae progener appellatur. Idem tamen *Claud. Laud. Stil.* 1, 78. dicitur *gener Augustis, olim socer ipse futurus*, nam primum fuit gener Theodosii et uxoris ejusdem, deinde etiam socer Honorii eorum filii, quippe qui Stilichonis filias Mariam, et Thermantiam, unam post aliam, uxores duxerat. *F.*]

PROGĔNĔRĀTIO, onis, f. idem ac generatio.

Plin. 8, 43, 68. de asinis: Opera sine dubio geruli mirifica, arando quoque, sed mularum maxime progeneratione. Adde 18, 28, 67. *n.* 4.

PROGĔNĔRO, as, a. 1. idem ac genero. *Hor. Od.* 4, 4, 31. nec imbellem feroces Progenerant aquilae columbam. *Plin.* 11, 16, 16. de apib.: Fetus quonam modo progenerarent, magna quaestio fuit. *Varr. L. L.* 8, 22. Non bos ad bovem collatus, similis? et qui ex his progenerantur, inter se vituli? *Colum.* 7, 3. *med.* Si res exigit, ut plurimi mares progenerandi sunt.

*PROGENICŬLO, as. *Gloss. Lat. Gr.* Progeniculo, *γουνοῦμαι. Item* Progeniculat, *γονυπετεῖ. B. A.*

PROGĔNIES, ei, f. *γενεά*, genus, familia, [*unde quis ortum, originem ducit.] *Cic. Tusc.* 1, 12. Antiquitas quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius, etc. [*Huc pertinet etiam illud:] *Ter. Ph.* 2, 3, 48. Progeniem vestram usque ab avo atque atavo proferens. ℙ [*Hinc signif. seriem eorum, qui ab uno aliquo progeniti sunt, proles, soboles.] *Id. Univ.* 11. Veteres, qui se progeniem Deorum esse dicebant. *Cic. Tusc.* 1, 35. Priamum tanta progenie orbatum hostilis manus interemit, *h. e.* quinquaginta filiis. [*Liv.* 1, 13. progenies nepotum, *h. e.* ipsi nepotes; cf. cp. 16. — et 45, 41. progenies liberorum.] *Cic. Coel.* 14. Ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia, aemulam domesticae laudis esse admonebat? [*Id. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 12. Nostri illi etiam tum agrestes viderunt, virtutem et sapientiam regalem, non progeniem quaeri oportere. *F.*] *Virg. A.* 10, 470. quin occidit una Sarpedon, mea progenies. *Ov. Met.* 4, 3. Bacchum progeniem negat esse Jovis. *Appul. Met.* 11. Rerum Natura parens, elementorum omnium domina, saeculorum progenies initialis, *h. e.* primum quod natum est initio temporum. ℙ De animalibus. *Colum.* 7, 5. de ovib.: Cui primo quoque tempore occurrendum est, ne totam progeniem coinquinet; et *ib.* 9. In omni genere quadrupedum frequenter patri similior est progenies, quam matri. *Virg. G.* 1, 414. Progeniem parvam, dulcesque revisere nidos; et *ib.* 4, 56. de apib.: Progeniem nidosque fovent. ℙ De plantis. *Colum.* 3, 9. *med.* Cum sint ipsa duo jugera unius vitis progenies. ℙ Translate. *Ov. Trist.* 3, 14, 13. Palladis exemplo de me sine matre creata Carmina sunt: stirps haec progeniesque mea est. ℙ In plur. num. *Sen. Consol. ad Polyb.* 30. Quid dicam duces, ducumque progenies, sorte defunctos inexorabili? ℙ Genitivus *progeniei* non probatur *Quint.* 1, 6. *med.* Ap. *Gell.* 9, 14. et *Non.* 8, 51. *Pacuvius* dixit *progenii*. V. DIES. In secundo itaque et tertio casu utriusque numeri non facile usurpaverim. V. aliquid simile in SPECIES f.

PROGĔNĬTOR, oris, m. *προγεννήτωρ, πρόγονος, προπάτωρ*, qui est ante genitorem, ut avus, proavus, atavus, etc. *Ov. Met.* 11, 319. Et forti genitore, et progenitore Tonante Esse satam, prodest. Loquitur *Ov.* de Chione filia Daedalionis filii Luciferi, quem Jove natum quidam tradunt. *Nep. Ag.* 7. Domo eadem fuit contentus, qua Eurysthenes progenitor majorum suorum fuerat usus. Adde *Valer. Soran.* ap. *August. C. D.* 7, 11.

PROGĔNĬTUS, a, um, part. a *progigno: γεννηθείς*, genitus, procreatus, natus, in lucem editus. *Claud. IV. cons. Honor.* 148. Nec te progenitum Cybeleius aere canoro Lustravit Corybas. *Id. Laud. Stil.* 2, 357. Progenitam Augustis, Augustorumque sororem. *Pall.* 2, 15. Arbores ex pomis sponte progenitae.

PROGERMĬNO, as, a. 1. idem ac germino. *Colum.* 4, 10. Antequam surculus progerminet. Adde *ib.* 15.

PROGĔRO, is, essi, estum, a. 3. *προκομίζω, ἐκκομίζω*, extra gero, effero, exporto, profero. *Plin.* 11, 18, 20. de apib.: Cum defunctas progerunt, funerantiumque more comitantur exsequias. *Id.* 18, 35, 88. Formicae ova progerentes. *Colum.* 1, 6. *f.* Quidquid ovilibus, stabulisque conversum progessere. *Id.* 12, 50. *med.* Urcei, quibus oleum progeritur, *h. e.* extra labrum diffunditur, et depletur. ℙ *Appul. Met.* 11. Hujus alvei felicis nitens carbasus litteris votum ingentibus progerebat, *h. e.* praeferebat.

PROGESTO, as, a. 1. frequent. a *progero*, sed ejusdem fere significationis. *Appul. Met.* 6. *f.* Sinu serico progestans nucleos.

PROGIGNO, is, genui, genitum, a. 3. *προγεννάω*, gigno, progenero, produco. *Pl. Truc.* 4, 1, 1. Neque gnatus est, neque progignetur, cui factum melius velim. *Cic. Div.* 1, 56. In seminibus vis inest earum rerum, quae ex iis progignuntur. *Lucr.* 2, 80. novos rerum progignere motus; et 4, 670. Quae penetrata queunt sensum progignere acerbum. *Ov. Her.* 7, 38. te saevae progenuere ferae. *Val. Fl.* 5, 463. quos advena Phrixus Progenuit. *Catull.* 64, 89. Quales Eurotae progignunt flumina myrtus. Olim *pergignunt* lectum fuit.

PROGNĀRE, aperte. *Fest.* in *Gnarus:* Gnarus cum significet id, quod scius, peritus; tamen invenimus, prognare significare aperte.

PROGNĀRĬTER. V. PRAEGNAVITER.

PROGNĀTĬO, onis, f. nativitas. *Capell.* 6, 210. Oppidum Calydon Diomedis Tydeique prognatione notissimum.

PROGNĀTUS, a, um, part. ab inus. *pronascor*, inserta *g* per epenthesin, *ἀπόγονος, ἔκγονος*, originem trahens, descendens ab aliquo: et proprie dicitur non de filio, sed de nepote, aut pronepote, etc. respectu avi, proavi, tritavi, etc. *Cic. Tusc.* 3, 12. Qualis enim tibi ille videtur Tantalo prognatus, Pelope natus, qui, etc.? *h. e.* Atreus, cui Tantalus avus, Pelops pater. *Caes. B. G.* 2, 29. Ipsi erant ex Cimbris Teutonisque prognati; et *ib.* 6, 17. Galli se omnes ab Dite patre prognatos praedicant. *Pl. Cas.* 2, 6, 46. Herculei prognati, *h. e.* nepotes Herculis. V. *Pl. l. c.* in DELIQUEO. ℙ Item natus, filius. *Liv.* 1, 40. Romulus Deo prognatus, Deus ipse. *Pl. Amph.* 1, 1, 209. Sosiam vocant Thebani, Davo prognatum patre. *Hor. Sat.* 1, 6, 78. Artes, quas doceat quivis eques atque senator Semet prognatos; et *ib.* 2, 1, 26. Castor gaudet equis, ovo prognatus eodem Pugnis. *Pl. Aul.* 2, 2, 35. Quali' me arbitrare genere prognatum? *Id. Men.* 5, 9, 20. Tun' a meo patre es prognatus? *Plin.* 9, 16, 23. Arundines in palude prognatae. *Catull.* 64, 1. Deliaco quondam prognatae vertice pinus.

PROGNAVĬTER. V. PRAEGNAVITER.

PROGNE et Procne, es, f. *Πρόκνη*, filia Pandionis Atheniensium regis, soror Philomelae, Terei Thracum regis uxor. V. PHILOMELA et *Virg. G.* 2, 4, 15. Et manibus Progne pectus signata cruentis. *Ov. Trist.* 5, 1, 60. Hoc querulam Prognen, Halcyonenque facit. ℙ Prima interdum corripitur, more Graeco *n* liquescente. *Id. Met.* 6, 467. cupidoque revertitur ore Ad mandata Prognes, et agit sua vota sub illis. *Petr. Sat.* 131. *in carm.* testis silvester aedon, Atque urbana Progne. ℙ *Fuit et Progne insulae nomen Rhodo adjacentis. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[PROGNOSIS, is, f. *πρόγνωσις*, praescientia. *Is. Or.* 12, 7. *med.* de cygno: Nautae vero sibi hunc bonam prognosin facere dicunt. *F.*]

PROGNOSTĬCUS, a, um, adj. *προγνωστικός*, facultate praesciendi, seu praesagiendi praeditus: a *προγινώσκω*, ante cognosco. *Is. Or.* 4, 10. Prognostica praevisio aegritudinum a praenoscendo vocata. ℙ *Prognosticum, i*, absolute est rei futurae signum, divinatio. Hinc *Prognostica* versu hexametro scripsit *Cicero* colligens naturalia signa, ex quibus rerum futurarum conjectura fieri potest. Horum aliquot tantummodo versus aetatem tulerunt, ap. *eund. Div.* 1, 7, 8. et 9. et *Prisc.* 6, 677. 10, 882. et 16, 1034. De his *Id. Cic. l. c.* 8. Atque his rerum praesensionibus prognostica tua referta sunt; et *Att.* 15, 16. Equidem etiam pluvias metuo, si prognostica nostra vera sunt: ranae enim *ὑητορεύουσιν*. [*Hic nonnulla adjecit *F.*]

PROGRAMMĂ, ātis, n. *πρόγραμμα*, a *πρό*, ante, coram, et *γράφω*, scribo, significat scriptum publice propositum, ut ab omnibus legi possit. Hinc sumitur pro edicto principis, quippiam publice jubentis. *Vulcat. Avid. Cass.* 6. Ad signa edici jussit, et programma in parietibus fixit, ut si quis, etc. *Imp. Theod. et Valent. Cod.* 1, 14, 3 Leges per omnes populos judicum programmatibus divulgari. [*Edict.* praefecti Urbis, quod pertinet ad ann. a Chr. n. XD., ap. *Fabr.* p. 529. *n.* 382. Hoc programmate universitatem nosse decernimus, frumenta, etc. *F.*]

PROGRAXĔ vel Procraxe, pro prograxisse, hoc est indicasse, effutiisse, ab aor. 1. *ἔκραξα* verbi *κράζω*, clamo. *Lucr.* 5, 1158. Quippe ubi se multi per somnia saepe loquentes, Aut morbo delirantes prograxe ferantur, Et celata diu in medium peccata dedisse. Alii leg. *protraxe* pro *protraxisse*, a *protraho*, palam traho, palam expono. Simplici usum *Plautum* quidam putant, *Asin. prol.* 5. Cave, ne graxis. Sed alii rectius leg. *gratiis.*

PROGRĔDĬOR, eris, essus sum, dep. 3. *προέρχομαι*, ante gradior, procedo, prodeo, exeo. *Cic. Off.* 1, 10. *f.* Ut regredi, quam progredi mallent. *Pl. Ps.* 3, 2, 70. Si quo hic gradietur, pariter progrediminor. *Caes. B. C.* 1, 45. Milites temere insecuti fugientes, in locum iniquum progrediuntur; et *ib.* 81. Neque ad explorandum, neque ad progrediendum data facultate. *Lucr.* 5, 539. Pedetentim progrediens. *Pl. Bacch.* 4, 2, 29. et *Men.* 1, 1, 33. Mnesilochus eccum moestus progreditur foras. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 4. Progressus sum ad Inalpinos cum exercitu. *Cic. Coel.* 24. *f.* Ex domo progredi. *Flor.* 3, 12. Populus R. Italia progredi ausus, orbe toto arma circumtulit. *Caes. B. G.* 7, 14. Romanos longius a castris progressuros. *Id. B. C.* 2, 19. Ipse cum equitibus magnis itineribus progreditur. *Just.* 1, 3. Cum paucis et incompositis in bellum progreditur; et 2, 10. Voluntariis verberibus domi affectus, in publicum progreditur. *Liv.* 7, 10. *f.* Progredi obviam alicui. *Plin.* 7, 53, 54. Adeo sani, ut de progrediendo cogitarent. ℙ Translate. *Cic. Or.* 3, 30. Nunc ad reliqua progrediar, meque ad meum munus pensumque revocabo. *Id. Phil.* 2, 4. Quid est minus hominis, quam id objicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit qui objecerit? et *ib.* 11, 3. Mihi quidem et ille pervenisse videtur, quoad progredi potuerit feri hominis amentia. *Id. Fin.* 5, 15. A primo quidem occulta natura est: progredientibus autem aetatibus, sensim nosmetipsos cognoscimus; et *Caes.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Scribendum ad te existimavi, ne quo progredereris, inclinata jam re, qua integra etiam progrediendum tibi, non existimasses. *Cic. Amic.* 11. Videamus, quatenus amor in amicitia progredi debeat; et *Div.* 1, 14. *f.* Divinatio conjectura nititur, ultra quam progredi non potest. *Id. Har. resp.* 26. *med.* Repulsi sunt ii, quos ad omnia progredientes non solum alieni, sed etiam sui repulerunt, *h. e.* ad omnia projectos, omnia aggredientes, ut ad honores perveniant. *Flor.* 3, 16. Eo vesaniae progressus est, ut, etc. *Cic. Fin.* 4, 23. *f.* Procedere et progredi in virtute. ℙ In infinito est etiam 4. conjug. *Pl. Cas.* 5, 1, 9. Obtunso ore nunc pervelim progrediri senem. ℙ Olim et *progredio* activa positione dictum est, teste *Prisc.* 8, 799. *Novius* ap. *Non.* 7, 47. Age, move te, in navem primus progredi.

PROGRESSĬO, onis, f. *πρόβασις, προκοπή*, actus progrediendi, processio, progressus. *Cic. Fin.* 5, 21. Omnium rerum principia parva sunt, sed suis progressionibus usa augentur. *Id. Tusc.* 4, 1. Cum tota res militaris divinitus esset constituta, tum grogressio admirabilis, incredibilisque cursus ad omnem excellentiam factus est. *Id. Off.* 3, 3. *med.* Quae et ingenii bonitate multi assequuntur, et progressione discendi, [*i. e. *παραλοπή*, quae fit discendo, quae debetur doctrinae et disciplinae. V. *Beier.*] et *ib.* 4. et *Fin.* 4, 24. Progressionem facere ad virtutem. ℙ Inter figuras verborum numeratur a *Cic. Or.* 3, 54., et fortasse est, cum in oratione semper aliquid priore majus insequitur, ut *Quint.* verbis utar 8, 4., unde oratio progreditur quodammodo, et crescit. Exemplum ponit *Capper.* ex *Verr.* 2, 5, 66. Facinus est, vincire civem R.: scelus, verberare: prope parricidium, necare: quid dicam in crucem tollere? et ex *Phil.* 2, 25. *f.* In coetu vero populi R. negotium publicum gerens, magister equitum, etc.

PROGRESSOR, oris, m. qui progreditur, et procedit. *August. Mus.* 6, 6. [Vocentur ergo primi *(numeri)* judiciales, secundi progressores, tertii occursores, quarti recordabiles, quinti sonantes. *F.*]

PROGRESSUS, a, um, part. a *progredior:* [processus. *Virg. A.* 11, 608. intra teli jactum progressus uterque. *Liv.* 7, 41. Quintius ante signa progressus. *Caes. B. G.* 4, 4. Tridui viam progressi rursus reverterunt; et *ib.* 23. *extr.* Millia passuum octo ab eo loco progressus. Adde *B. C.* 3, 24. ℙ Translate. *Tac. A.* 3, 47. Absurdam in adulationem progressus. *Quint.* 1, 1. Qui paulum aliquid ultra primas litteras progressi, falsam sibi scientiae persuasionem induerunt. *Cic. Sen.* 10. *med.* Paulum aetate progressus, i. e. provectus. *F.*] ℙ Comp. *Progressior* ap. *Tert. Anim.* 31. Si decrescit foris anima retrograda aetate, quanto magis erat, ut progressior reverteretur mille post annis?

PROGRESSUS, us, m. idem quod progressio, processus. *Cic. Att.* 2, 21. Quo se conferat, nescit: progressum praecipitem, inconstantem reditum videt. *Id. N. D.* 2, 20. Stellae, quae falso vocantur errantes: nihil enim errat, quod in omni aeternitate conservat progressus et regressus constantes et ratos. *Vitr.* 5, 12. progressum appellat structuram, seu aggerem in mare projectum, quo progredi in aquam licet. *Cic. Phil.* 5, 17. *med.* Progressum aetatis exspectare. [*— *Cic. Off.* 1, 4, 20. causas rerum videt, earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat: ubi *progressus* sunt effectus consequentes in serie causarum aliarum ex aliis prorsus, retro nexarum. V. *Beier.*] ℙ Translate, profectus. *Cic. N. D.* 1, 6. *f.* Balbus, qui tantos progressus habebat in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Graecis compararetur. *Id. Tusc.* 4, 19. *f.* Philosophiae principes nunquam in suis studiis tantos progressus sine flagranti cupiditate facere potuissent. Adde *Nep. Cat.* 3. ℙ [*De dialectica. *Cic. Acad. pr.* 2, 29. quae primo progressu *(h. e.* statim ab initio s. prima parte) festive tradit elementa loquendi, *Schütz. cl. Cic.*]

PROGŬBERNĀTOR, oris, m. qui gubernatoris vices gerit. *Caecil.* ap. *Non.* 13, 17. Cum progubernator prope revortit prosumiam.

PROGYMNASTES, ae, m. *προγυμναστής*, qui ante alium exercetur, qui praeit exercitatione. *Sen. ep.* 83. *med.* Progymnastas meos quaeris? unus mihi sufficit Earinus, puer, ut scis, amabilis. Alii perperam leg. *progymnasios* eodem sensu.

PROH. V. PRO, interj.

PROHĪBĔO, es, ui, tum, a. 2. *κωλύω, εἴργω*, procul teneo, arceo, submoveo, impedio, ne quid fiat: quasi porro habeo. *Lucr.* 1, 971. Prohibere et obstare; et 2, 785. Impedire et prohibere; et 1, 975. Prohibere et officere. *Pl. Epid.* 2, 2, 103. Ne te censeat filii causa facere, quo illum ab illa prohibeas. *Id. Mil.* 3, 1, 105. Haec atque alia damna multa mulierum me uxore prohibent. *Caes. B. G.* 1, 10. Locis superioribus occupatis, itinere exercitum prohibere conantur; et *ib.* 15. Hostem rapinis, pabulationibus, populationibusque prohibere; et *ib.* 4, 34. hostem a pugna; et *ib.* 1, 11. ab oppidis vim hostium. *Colum.* 6, 7. Prohibendus erit bos potione per triduum. *Cic. Verr.* 2, 4, 64. *f.* Quod praedones procul ab insula Sicilia prohibuisset Verres. *Id. Phil.* 2, 18. *f.* Patri persuasi, ut eum a tua non modo familiaritate, sed etiam congressione, patrio jure et potestate prohiberet. *Id. Lig.* 5. Nos jacentes ad pe-

des supplicum voce prohibebis? *h. e.* impedies, ne voce supplicum utamur? [*Id. Off.* 1, 16, 52. non prohibere aqua profluente: ubi v. *Beier.*] ℙ Prohibere comitia dicitur vitiare diem morbo, qui vulgo quidem *major*, ob id ipsum comitialis appellatur. Cato: Si servo aut ancillae dormienti evenit, quod comitia prohibere solet, etc. *Festus.* ℙ *Prohibere se ab injuria* est abstinere se. *Caes. B. G.* 2, 28. *extr.* Finitimis imperavit, ut ab injuria et maleficio se suosque prohiberent. ℙ Cum particulis *ne*, *ut*, et conjunctivo. *Cic. Div. Verr.* 10. *f.* Quod et potuisti prohibere, ne fieret, et debuisti. *Id. Fam.* 12, 5. Hiemem credo adhuc prohibuisse, quo minus de te certum haberemus. *Id. Rosc. Am.* 52. Dii prohibeant, ut hoc praesidium sectorum existimetur. ℙ Cum infinito. *Cic. Fam.* 1, 9. Qui Bibulum exire domo prohibuissent. *Id. Off.* 3, 11. Qui peregrinos urbibus uti prohibent. *Liv.* 4, 2. *f.* Audeat Canulejus proloqui, se delectum haberi prohibiturum. Adde *Mart. Dig.* 46, 3, 41. ℙ Cum gen. *Sil.* 6, 27. captae prohibere nequiret Cum Poenos aquilae, *h. e.* cum nequiret prohibere Poenos a capienda aquila legionis. ℙ Cum accus. et dat. personae. *Pl. Curc.* 5, 2, 7. Obsecro, parentes ne meos mihi prohibeas? *h. e.* impedias, ne meos parentes noscam? Potest etiam subintelligi *nosse.* ℙ Cum ablat. rei, et praep. *de. Lucil.* ap. *Non.* 12, 35. Solus jam vim de classe prohibuit Vulcaniam. ℙ Pro defendere, tueri. *Cic. Manil.* 7. *med.* A quo periculo prohibete rempublicam. *Id. Brut.* 96. Ut adultam virginem ab armatorum impetu prohibeamus. *Id. Manil.* 7. Magnum civium numerum calamitate prohibere. *Id. Off.* 2, 12. Tenuiores injuria prohibere. ℙ Item coercere, cohibere. *Id. Cat.* 2, 12. Q. Metellus aut opprimet hominem, aut omnes ejus motus conatusque prohibebit. *Id. Off.* 1, 25. *med.* Prohibenda maxime est ira in puniendo. ℙ Item vetare, interdicere. Distant tamen *veto*, et *prohibeo*, quod vetamus dictis, prohibemus etiam factis. *Pl Curc.* 1, 1, 33. Nemo hic prohibet, nec vetat. *Cic. N. D.* 1, 14. Lex recta imperans, prohibensque contraria. *Mart.* 6, 86. Quando ego vos, medico non prohibente, bibam? ℙ *Dii prohibeant*, averruncent, avertant, ne siverint. *Ter. Andr.* 3, 3, 36. Si eveniat, quod Dii prohibeant, discessio. Adde *Cic. Rosc. Am.* 52. Pleniora sunt illa *Ter. Ad.* 2, 4, 11. Deos quaeso, ut istaec prohibeant; et *Hec.* 2, 1, 10. Dii mala prohibeant; et *Virg. A.* 3, 265. Dii prohibete minas: Dii talem avertite casum. ℙ *Prohibesso*, *is*, *it*, ἀρχαϊκῶς, prohibeam, vel prohibuerim. *Cato R. R.* 141. Mars pater, te precor, uti tu morbos, calamitates intemperiasque prohibessis, defendas, averruncesque. *Pl. Ps.* 1, 1, 11. Misere miser sum, Pseudole! *Ps.* Id te Juppiter prohibessit. (Ubi notandus accusativus communis. Sic *Amph.* 4, 3, 17. Neque me Juppiter, neque Dii omnes id prohibebunt, si volent, quin sic faciam, uti constitui.) *Cic. Leg.* 3, 3. *f.* Quodque ii prohibessint, rarum est. ℙ Synaeresis est, vel syncope in illo *Lucr.* 1, 976. Nam sive est aliquid, quod prohibeat, officiatque. Est qui leg. *probeat.* Putant enim, quia *probi* quasi *prohibi* dicti sunt, teste *Festo*, etiam *probeo* pro *prohibeo* dictum olim fuisse; vel potius *proebeat* legend. pro *prohibeat*, ut *proebia* dicuntur, quae prohibent. V. PRAEBIA, PRAEDIUM et PROEBIA.

PROHIBĬTĬO, onis, f. ἀποκύρηξις. *Quint.* 9, 2. *in.* Quamquam illa non poena, sed prohibitio sceleris fuit. *Ulp. Dig.* 48, 19, 8. Aut dignitatis depositionem, aut alicujus actus prohibitionem.

PROHĪBĬTOR, oris, m. κωλυτήρ, qui prohibet, *h. e.* arcet, aut vetat. *Arnob.* 7, 249. Aesculapius valetudinum pessimarum propulsator, prohibitor, et exstinctor. *Ammian.* 21, 12. et 24, 4. *med.* Occupatis prohibitoribus, patefactisque latebris; et *Appul. de Deo Socrat.* Nullo adhortatore unquam indigebat, at vero prohibitore nonnunquam.

PROHĪBĬTORĬUS, a, um, adj. κωλυτικός, ad prohibendum, seu arcendum, vel vetandum inserviens. *Plin.* 10, 14, 17. Cliviam avem quidam clamatoriam dicunt, Labeo prohibitoriam. *Ulp. Dig.* 43, 26, 1. Interdictum prohibitorium.

PROHĪBĬTUS, a, um, part. a *prohibeo:* procul habitus, vetitus. *Cic. Verr.* 2, 3, 24. *f.* Ab Apronio equitem R. scitote biduum cibo tectoque prohibitum. *Suet. Ner.* 36. *extr.* Alios diurnum victum prohibitos quaerere. *Ulp. Dig.* 48, 22, 7. *f.* Majoribus honoribus prohibitus, minores petere non prohibetur. ℙ Cum infin. *Plin.* 10, 33, 51. Aves corporis gravitate prohibitae sublime petere. ℙ Absolute. *Sen ep.* 83. *med.* Plures enim pudore peccandi, quam bona voluntate prohibitis abstinent.

PROHINC, adv. igitur, ergo, proinde. *Appul. Met.* 3. Prohinc tormentis veritas eruenda. *Id. ib.* 5. Prohinc cubiculo te refer. Adde *ib.* 11.

PROJECTE, adv. abjecte, cum contemptu, sine cura. *Tert. Pud.* 13. Apostolus vero eam sceleratam libidinem tam projecte ignovisset?

*PROJECTIBĬLIS, e, adj. *Vet. Interpr. Iren.* 1, 34. Serpens projectibilis. *B. A.*

PROJECTĬCĬUS, a, um, adj. expositicius. *Argum. Cist. Plauti*, quod quidam *Sidonio* tribuunt. Lemnique natam spondit adolescentulo Amore capto illius projecticiae. V. PROJICIO. ℙ Translate est nihili habitus. *Ammian.* 28, 6. *med.* Salutat te Palladius projecticius, qui non aliam ob causam dicit se esse projectum, nisi quod in causa Tripolitanorum apud aures sacras mentitus est.

PROJECTĬO, onis, f. προβολή, actus projiciendi, extensio. *Cic. Or.* 18. *f.* Brachii projectio in contentionibus, contractio in remissis; et *Fest.* in *Tullios.* Tullios alii dixerunt esse silanos, alii rivos, alii vehementes projectiones aquae arcuatim fluentis: quales sunt Tiburi in Aniene. ℙ *Projectio* est etiam eadem ac projectura. *Ulp.* 43, 17, 3. §. 5 Item videamus, si projectio supra vicini solum non jure haberi dicatur; et §. 6. An, quo facilius possim retinere possessionem ejus projectionis, interdico tecum, sicuti nunc possidetis. V. PROJICIO.

PROJECTO, as, a. 1. frequent. a *projicio. Pl. Bacch.* 3, 6, 38. Etiamne ultro tuis me projectas probris? *h. e.* injuriis afficis. Alii leg. *prolectas*, *h. e.* provocas. *Enn.* ap. *Rufin. de figur Syncris.* Ego projector, quod tu peccas, *h. e.* rejicior, damnor, arguor.

PROJECTORĬUS, a, um, adj. ejiciendi vim habens. *Theod. Prisc. de diaeta* 15. Projectoriam vim participare. *Aemil. Macer* 4, 1. Herba projectoriae virtutis.

PROJECTŪRA, ae, f, προβολή, projectum, prominentia, et veluti supercilium cujusque rei, ut coronarum in architectura, etc. *Vitr.* 3, 2. Crepidines et projecturae spirarum? et *ib.* 3. Spirarum projecturae non procedant extra solitum; et *ib.* Projectura cymatii. V. PROJECTIO.

PROJECTUS, a, um, part. a *projicio:* ἀποβληθείς, πρόβλητος, προβλής, ante, aut procul jactus. *Varr. L. L.* 4, 5. Putescebant ibi cadavera projecta. *Hor. Epod.* 6, 19. de cane: Projectum odoraris cibum. [*Pravo consilio *Forc.* sejunxerat ab his ista:] *Nep. Chabr.* 1. Projecta hasta impetum excipere hostium. [*V. *Brem.* ad h. l.] *Sisenn.* ap. *Macrob. Sat.* 6, 4 Scutis projectis tecti. [*Liv. 7, 10. projecto laeva scuto; et 32, 25. projecto prae se clypeo.] *Sisenn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 4. Arbor circum projectis ramis majorem partem loci summi tegebat. *Virg. A.* 10, 587. projecto dum pede laevo Aptat se pugnae. *Cic. Or.* 3, 59. Brachium procerius projectum, quasi quoddam telum orationis. *Suet. Tit.* 3. Neque procera statura, et ventre paulo projectiore *Lucan.* 4, 755. Oraque projecta squalent arentia lingua, *h. e.* exserta. [*Quibus locis *projectus* i. q protentus. — Porro i. q. eminens, procurreus, porrectus. Hinc *projectum* est membrum aedium prominens, ut moenianum et subgrunda. V. IMMISSUS. Ita praecipue de situ locorum usurpatur.] *Cic. Verr.* 2, 4, 10. Urbs erat ejusmodi loco, atque ita projecta in altum. *Virg. A.* 3, 699. projectaque saxa Pachyni Radimus. *Liv.* 22, 20. Continentis projectas oras praetervehi. *Lucan.* 8, 442. si regna times projecta sub austro. *Plin.* 3, 6, 12. Insula a septentrione in meridiem projecta. *Sil.* 6, 646. ubi laetis Projecta in campis nebulas exhalat inertes, Et sedet ingentem pascens Mevania taurum. ℙ Hinc translate. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 374. Justitia foras spectat, et projecta tota est, atque eminet. [*Id. Cluent.* 65. projecta atque eminens audacia.] ℙ Item quod immoderatus, effrenatus, ad omnia se cupide projiciens, profligatus, impudens. *Cic. Verr.* 2, 1, 1. Homo ad audendum projectus. *Id. Dom.* 44. Videte hominis intolerabilem audaciam cum projecta quadam et effrenata cupiditate. *Id. Cluent.* 65. Quorum eminet audacia, atque projecta est. *Tac. H.* 5, 5. Projectissima ad libidinem gens. *Gell.* 1, 15. *extr.* Homines in verba projectos, locutulejos, et blaterones, et lingulacas dixerunt. ℙ Item prostratus, jacens. *Caes. B. G.* 7, 26. Matresfamilias fluentes, projectae ad pedes suorum. *Id. B. C.* 25, 5. Ante simulacra projecti victoriam ab Diis exposcerent; et *ib.* 3, 98. Passis palmis, projecti ad terram, flentes ab eo petierunt salutem. *Plin.* 10, 63, 83. Vulpes in latera projectae; et *Virg. Ecl.* 1, 76. viridi projectus in antro. *Stat. Th.* 12, 328. projectus caespite nudo. *Sil.* 15, 309. Stramine projectus duro. *Hor. Sat.* 2, 3, 112. Si quis ad ingentem frumenti semper acervum Projectus vigilet cum longo fuste. ℙ Item repulsus, propulsus. *Sisenn.* ap. *Non.* 4, 349. Romanos impetu suo protelant: projectos persequuntur. ℙ Et depositus, abjectus. *Petr. Sat.* 136. *med.* Projectaque veste in aditu steti; et *Hor. Sat.* 2, 7, 53. projectis insignibus, annulo equestri, Romanoque habitu. *Sil.* 10, 42. Per medios agitur, projecto lucis amore. *Ov. Met.* 6, 544. ipsa pudore Projecto tua facta loquar. ℙ Item rejectus, abjectus, expositus, temere jactus, et neglectus. *Pl. Cist.* 1, 2, 5. Puellam projectam ex angiportu sustuli. V. PROJECTICIUS. [*Tac. A. 6, 25. strangulata in Gemonias projecta.] *Caes. B. C.* 1, 30. Projectus ac proditus a Cn. Pompejo. *Sall. ep. Pomp. ad Sen.* Quem contra aetatem projectum ad bellum saevissimum, cum exercitu optume merito, fame confecistis. *Id. Jug.* 17. Cujus impio facinore in has miserias projectus sum, *h. e.* conjectus, et relictus. [*Liv. 22, 44. projectis ac proditis ad inconsultam atque improvisam pugnam legionibus.] ℙ Item vilis, abjectus, contemptus. *Liv.* 2, 27. *med.* Non esse desertam omnino rempublicam, neque projectum consulare imperium. *Tac. A.* 3, 65. *extr.* Etiam illum, qui libertatem publicam nollet, tam projectae servientium patientiae taedebat. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 153. Quid esse vobis aestimem projectius? ℙ Item demissus, abjectus. *Tac. H.* 3, 65. Vitellii vultus projectus, et degener. ℙ Item profusus, effusus. *Val. Fl.* 8, 90. septem projectus in amnes Nilus. ℙ Et naufragio ejectus. *Virg. Ecl.* 7, 42. projecta vilior alga. *Lucr.* 5, 223. saevis projectus ab undis Navita nudus humi jacet. *Ov. Pont.* 2, 3, 30. Vix duo projecto, tresve tulistis opem. *Id. Her.* 2, 135. Ad tua me fluctus projectum litora portent. [*Cic. Phil.* 12, 8. ad saxa projectus.] ℙ *Projecta sacra* appellantur, quae fulgurante coelo fiunt. Tunc enim projecta depellendorum fulgurum, vel procurandorum bonorum causa fiunt. Ita *Festus* post *Pecunia:* Suspicor, inquit *Dacerius*, projecta inde dicta fuisse, quod in scrobe ea sacra fierent, ubi postea fulmen conderetur.

PROJECTUS, us, m. projectio. In sexto casu sing. *Lucr.* 3, 1001. Quamlibet immani projectu corporis exstet; et *Plin.* 17, 12, 19. Omnium, quae projectu frondis ita defenduntur, ut per ipsas non defluant imbres, stilla saeva est.

PROJĬCĬO, is, jēci, jectum, a. 3. προβάλλω, καταβάλλω, ante, aut procul jacio, abjicio. *Caes. B. G.* 7, 81. Crates projicere, fundis, sagittis nostros de vallo deturbare. *Hor. Sat.* 2, 3, 100. qui servos projicere aurum In media jussit Libya. *Caes. B. G.* 4, 36. Aquilam intra vallum projecit; et *ib* 7, 25. Projicere aliquid in ignem *Prop.* 3, 6, 3. Dum furibunda mero mensam propellis, et in me Projicis insana cymbia plena manu. *Virg. A.* 5, 402. In medium geminos immani pondere caestus Projecit; et *ib.* 674. galeam ante pedes projecit inanem. *Id. ib.* 12, 256. praedamque ex unguibus ales Projecit fluvio; et *ib.* 6, 836. Projice tela manu. ℙ Cum infinit. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 3. levibus projecerat auris Indociles errare comas. ℙ Projicere se. *Curt.* 9, 4. Jam vestem detraxerat corpori, projecturus semet in flumen. *Caes. B. G.* 4, 25. Projicere se ex navi. *Cic. Sext.* 11. *f.* ad pedes alicujus. *Liv.* 2, 23. se in forum, *h. e.* se proripere. *Virg. A.* 9, 444. Tum super exanimem sese projecit amicum. ℙ [*Item sterno. *Val. Fl* 7, 141. stratoque graves projecerat artus. *Stat. Theb.* 1, 387. hic artus imbri ventoque rigentes Projicit.] ℙ Item rejicio, abjicio, amitto et negligo. *Pl. Cist.* 2, 3, 74. Eam postquam peperit, jussit parvam projici. Ego projeci, alia mulier sustulit, *h. e.* exposui. V. PROJECTICIUS et PROJECTUS. [*Caes. *B. C.* 3, 98. projicere arma. *Liv.* 29, 9. Insepultos projecit. *Suet. Vesp.* 2. ut insepulti projicerentur. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 626. *Ruhnk.* ad *Rut Lup.* 1, 13. ubi *Frotsch.* laud. *Matth.* ad *Cic. Mil.* 13. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 2, 135.] *Cic. Phil.* 13, 3. *med.* Nec pro his libertatem, sed pro libertate haec projicias. *Virg. A.* 6, 436. lucemque perosi Projecere animas. *Plin. ep.* 7, 27. Projicere spem salutis. *Caes. B. G.* 2, 15. Accusare Belgas, qui se populo R. dedidissent, et patriam virtutem projecissent. *Hor. A. P.* 97. Projicit ampullas, et sesquipedalia verba. [*Projicere diem ap. *Stat. Theb.* 2, 237. est luce se privare, oculos sibi eruendo. Laudaverat hunc locum *Forc.* infra.] ℙ *Projicere aliquem* est rejicere, negligere, deserere, nullam ejus rationem habendo. *Caes. B. C.* 2, 32. Nonne extremam fortunam sequi paratas projecit ille? [*Similes locos v. in projectus, a, um. ℙ Hinc translate *se projicere* dicitur potissimum de iis, qui inconsulto, desperatis rebus periculum subeunt.] *Cic. Att.* 9, 6. Epistolae tuae monent, et rogant, ne me projiciam; et ipse *Atticus ib.* 10. Tum poterimus deliberare, non scilicet integra re, sed certe minus infracta, quam si una projeceris te: *projicere se* his locis est, sine consilio celeriter Urbem relinquere, et temere se fugae dare, nullo certo loco constituto, quo confugias, et quasi in apertum exitium ruendo. ℙ [*Item est ultro se offerre, intrudere.] *Cic. Coel.* 9. *med.* Si qui se in hoc judicium forte projecerint, excluditote eorum cupiditatem, h. e. cupide ac temere se intromiserint. [*— Porro ad humilem, libero homine indignam agendi rationem descendere, nos: *sich erniedrigen zu*, *sich wegwerfen.*] *Liv.* 25, 37. In muliebres et inutiles fletus se projicere. [*— Etiam de rebus ipsis, quae infamiam, contemtum bonorum trahunt, usurpatur.] *Cic. Fin.* 2, 22. *med.* Quod adulterium, quod stuprum, quae libido non se proripiet, ac projiciet, aut occultatione proposita, aut impunitate, aut licentia? *h. e.* exseret, erumpet, effundet. ℙ Item fundo, profundo, emitto. *Manil.* 4, 259. Ille quoque, inflexa fontem qui projicit urna, *h. e.* Aquarius. *Hirt. B. Alex.* 24. *f.* Ut lacrimas, quas in colloquio projecerat, gaudio videretur profudisse. *Sen. ep.* 10. Repeto memoria, quam magno animo quaedam verba projeceris, quanti roboris plena, *h. e.* protuleris. ℙ [*Hinc pro expello, ejicio.] *Ov. Met.* 15, 504. immeritumque pater projecit ab urbe. *Cic. Cat.* 2, 1. *extr.* Urbs laetari mihi videtur, quod tantam pestem evomuerit, forasque projecerit. ℙ Item relego. *Tac. A.* 1, 3. Ut nepotem unicum Agrippam in insulam Planasiam projiceret. Adde *ib.* 4, 71. ℙ Item extendo. *Pacuv.* ap. *Gell.* 4, 17. *extr.* Id promontorium, cujus linguam in altum projicit. Alii rectius leg. *lingua*, h. e. *lingua prorjicit*, pro *projicitur.* ℙ Item differo. *Tac. A.* 2, 36. Quantum

odii fore ab his, qui ultra quinquennium projiciantur. ℙ *Projicere*, inquit *Non.* 2, 711., effundere, honeste positum. *Sisenn. ib.* Tum postquam apud Perusinos ejus facti mentionem projecit. Hoc, opinor, *Sisenna* vult dicere, negligenter jecit, quasi aliud agens meminit. ℙ *Projicere* est etiam projectum facere, in illo *Caji Dig.* 8, 2, 1. Jus immittendi tigna in parietem vicini, projiciendi, protegendi, etc. Sic *Cic. Top.* 4. Id solum esse ambitus aedium, quod parietis communis tegendi causa tectum projiceretur. V. IMMISSUS.

PROILIUM. V. PROELIUM.

PROIN, monosyllabum, idem ac *proinde:* sed poeticum, et fere comicum. *Ter. Andr.* 2, 4, 5. Proin tu fac, apud te sies. *Id. Eun.* 1, 2, 26. Proin tu, taceri si vis, vera dicito. *Pl. Stich.* 5, 2, 19. Proin tu lavare propera. *Id. Mil.* 3, 1, 185. Proin, Palaestrio, quam potes, tam verba confer maxime ad compendium. *Id. Capt. prol.* 63. Proin si quis pugnam exspectat, lites contrahat. ℙ Disyllabum est ap. *Catull.* 20, 16. Proin viator hunc Deum *(Priapum)* vereberis. ℙ Sunt qui *Ciceroni* tribuunt *Cat.* 2, 5., sed *proinde* rectius ibi alii leg.

PROINDĒ, διὸ, conjunctio idem valens, quod ideo, propterea, quapropter, ideoque: [*cum exhortatione quadam, ut Gr. πρὸς ταῦτα.] *Cic. Cat.* 2, 5. *extr.* Proinde aut exeant, aut quiescant. *Id. Fam.* 12, 6. Proinde fac, animum tantum habeas, quanto, etc. *Sall. Jug.* 53. Proinde parati intentique essent, signo dato, Romanos invadere. *Caes. B. G.* 7, 38. *f.* Proinde si quid in nobis animi est, persequamur eorum mortem. *Virg. A.* 11, 383. Proinde tona eloquio, solitum tibi, meque timoris Argue; (disyll. et ita semper *Lucr.*, itemque *Sil.* 2, 353. etc.) ℙ Aliquando est adv. similitudinis, idem ac *perinde*, aeque, pariter. *Just.* 41, 3. *f.* Proinde secunda, adversaque silentio tegunt. *Lucr.* 4, 647. Ut sunt dissimiles extrinsecus, etc. Proinde et seminibus distant, variantque figuris. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 24. Hunc filii loco non proinde habere, turpe mihi videtur. *Petr. Sat.* 83. Senex canus, qui, etc. sed cultu non proinde speciosus. *Philippi ep.* ad *Aristotel.* ap. *Gell.* 9, 3. Diis habeo gratiam, non proinde quia natus est, quam pro eo, quod eum nasci contigit temporibus tuis: *οὐχ οὕτως ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ παιδὸς, ὡς ἐπὶ τῷ κατὰ τὴν σὴν ἡλικίαν αὐτὸν γεγονέναι.* ℙ Sequentibus particulis *ac*, *quasi*, *atque*, *ut*. *Lucr.* 3, 1067. Si possent homines, proinde ac sentire videntur, Pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget, Et quibus id fiat causis, cognoscere, etc. haud ita vitam agerent. *Pl. Trin.* 3, 2, 33. Tibi proinde ac merere, summas habeo gratias. *Sall. Jug.* 4. Proinde quasi praetura et consulatus, atque alia hujuscemodi per se ipsa clara, magnifica sint, ac non perinde habeantur, ut eorum, qui sustinent, virtus est. *Lucr.* 4, 998. Proinde quasi ignotas facies atque ora tuantur; et 3, 1049. Ossa dedit terrae, proinde ac famul infimus esset. *Ter. Ph.* 2, 3, 35. Proinde expiscare, quasi non nosses. (Ita leg. etiam *Donat.*) *Varr.* ap. *Gell.* 13, 12. Neque minus multi imperiti, proinde atque haberent ea, sunt usi. *Nep. Lys.* 2. Proinde ac si iidem firmissimi solerent esse amici, qui constantes fuissent inimici. *Gell.* 1, 8. Proinde atque si primitus Latine fictum esset. *Pl. Amph.* 3, 3, 26. Haec curata sint, fac sis, proinde adeo ut me velle intelligis. Adde *Cic. Quint.* 14. et *Tusc.* 5, 2, *Lucr.* 5, 728., *Varr. L. L.* 5, 7. et *ib.* 7, 7. et *ib.* 9, 5., et *R. R.* 3, 8., *Sall. Cat.* 12. *extr.* et al., quibus locis sunt qui *perinde* reponunt. Sed ut cetera dubia sint, loca certe *Lucretii* lectionis variantiam non admittunt. [*Sunt, qui negent *proinde* aliter a veteribus positum esse, nisi pro *igitur* cum exhortatione quadam, ut Gr. *πρὸς ταῦτα.* Sed cf. quae perite monuerunt *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 9. p. 105. *ed. Fr. Zumpt. Gr. Lat.* §. 282. p. 254. et §. 344. p. 298. *Walch. Emendd. Livv.* p. 31. *Brem.* ad *Nep. Lys.* 2, 4. *Passov.* ad *Tac. G.* 5. p. 7. et *Goerenz Cic. Legg.* 2, 19, 49. *al.*]

PROLĀBOR, eris, lapsus sum, dep. 3. *παρολισθέω*, in anteriorem partem labor. *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 44. At Canis ad caudam serpens prolabitur Argo. ℙ Translate est sensim devenire, paulatim accedere. *Cic. Leg.* 1, 20. Libenter ad istam orationem tecum prolaberer. *Liv.* 30, 12. *med.* In misericordiam prolapsus est animus victoris. [*Tac. *A.* 1, 31. miles in rabiem prolapsus est; et 4, 18. cum alii ad seditiones prolaberentur.] ℙ Item longius oratione provehi, excurrere. *Cic. Caecin.* 35. Me longius prolapsum esse, quam ratio vestri judicii postularit. [*Huc pertinet locus, quem *Noster* supra laudaverat, *Cic. Leg.* 1, 20. Libenter ad istam orationem tecum prolaberer.] ℙ Est etiam labendo cadere, procidere, delabi. *Liv.* 27, 27. Postquam Marcellum prolabentem ex equo moribundum videre. V. PROLAPSUS. ℙ [*Translate varium usum habet: ac primum quidem dicitur de iis, qui opibus, dignitate, honore minuuntur, ut nostr. *sinken*, *fallen*. *Tac. A.* 3, 55. dites olim familiae — studio magnificentiae prolabebantur. — Hinc de animo, qui qualemcumque ob causam solito virium vigore destituitur.] *Cic. Quint.* 24. Cogitabam fore, uti permultis in rebus timore prolaberer. [*— Denique de moribus ad perversitatem abjectis.] *Val. Max.* 2, 1. *n.* 5. Vini usus olim Romanis feminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur. [*Huc pertinent etiam, quae *Noster* partim alieno loco laudaverat, partim omiserat, ista:] *Cic. Coel.* 20. Huc unius mulieris libido est prolapsa, ut, etc. *Sen. Controv.* 15. Eo prolapsi sunt mores, ut nemo ad suspicanda adulteria nimium credulus videri possit. [*Cic. Div.* 2, 2. his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est (juventus), ut omnium opibus refrenanda atque coercenda sit.]

PROLAPSIO, onis, f. *πρόπτωσις*, casus. *Suet. Aug.* 30. Alveus Tiberis completus ruderibus, et aedificiorum prolapsionibus coarctatus. ℙ Translate est juventutis erratum. *Cic. Coel.* 17. *f.* Interdum natura multas vias adolescentiae lubricas ostendit, quibus illa insistere, aut ingredi sine casu aliquo, aut prolapsione vix posset.

PROLAPSUS, a, um, part. a *prolabor*: lapsus. *Prop.* 1, 20, 47. de Hyla: Prolapsum leviter facili traxere liquore. [*Tac. A.* 14, 27. Laodicea tremore terrae prolapsa.] ℙ Translate. *Tac. A.* 2, 10. Paulatim inde ad jurgia prolapsi. [*Ib.* 11, 17. ad superbiam prolapsus.] ℙ Item qui excidit, elapsus. *Cic. Font.* 9. Ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum verbum videatur. ℙ Est etiam delapsus. *Plin.* 27, 8, 45. Putator ex arbore alta prolapsus. *Ov. Ib.* 223. matris prolapsus ab alvo. *Suet. Gr.* 2. Cum prolapsus in cloacae foramen crus fregisset. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 6. Prolapsum coelo excepere Palladium. *Liv.* 27, 32. Equus pilo trajectus, prolapsum per caput regem effudit. *Virg. A.* 2, 555. Trojam incensam, et prolapsa videntem Pergama. ℙ Translate [*primum pertinet ad eos, quorum opes, divitiae, dignitas, potentia concidit. *Liv.* 23, 5. Prolapsum clade Romana imperium; et 6, 22. quod rem temeritate ejus prolapsam restituit; et 45, 19. rem prope prolapsam restituit. — Tum ad animum a vero aberrantem spectat.] *Cic. Att.* 1, 17. *med.* Questi sunt Asiani, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse. *Plin.* 28, 8, 29. Virum alias sagacem, nimio juvandi mortales studio prolapsum. [*Ita praecipue dicitur de morum perversitate. *Tac. A.* 12, 53. Ad id prolapsae, *so tief gesunken.*]

PROLĀTĀTIO, onis, f. *ἀνάβλησις*, dilatio. *Tac. H.* 3, 82. Sed omnem prolatationem, ut inimicam victoriae, suspectabant. Alii leg. (inter quos *Jac. Gronov.*) *prolationem.*

PROLĀTĀTUS, a, um, part. a *prolato:* dilatus, protractus, extensus. *Tac. A.* 13, 34. Prolatatum inter Parthos, Romanosque de obtinenda Armenia bellum acriter sumitur. Alii leg. *prolatum.*

PROLĀTIO, onis, f. [*narratio, expositio. Haec primo loco poni debebat significatio, Noster ad f. collocaverat.] *Cic. Or.* 34. Commemoratio antiquitatis, exemplorumque prolatio. *Liv.* 22, 13. Sed Punicum abhorrens os ab Latinorum nominum prolatione, pro Casino Casilinum dux ut acciperet, fecit, [*cf. 23, 5. ℙ Hinc est] *ἐπέρθεσις*, extensio, protensio. *Liv.* 31, 5. Et prolationem finium, victoriamque et triumphum portendi. ℙ Sumitur etiam pro dilatione. *Cic. Rab. perd.* 3. Cum alteri ad prolationem judicii biduum quaereretur. *Caes. B. C.* 3, 32. Prolationem diei donationem esse dicebant. *Cic. Att.* 7, 12. Nec eum rerum prolatio, nec senatus discessus tardabit. V. PROLATUS. *Pl. Mil.* 2, 2, 95. Trecentae possunt causae colligi: nec domi est, abiit ambulatum, dormit: quantumvis prolationum.

*PROLATĪVUS, a, um, adj. *προφορικός. *Vit. Interpr. Iren.* 2, 18. Prolativum hominum verbum. *B. A.*

PROLĀTO, as, a. 1. *παρεκτείνω*, dilato, extendo. *Colum. praef.* 1. Quibus, diuturna permittente pace, prolatare licuit rem rusticam. *Id.* 1, 5. Si forte villam prolatare libuerit. *Quint. decl.* 3, 13. Non de prolatando tibi imperio res est. *Lucr.* 1, 981. Effugiumque fugae prolatet copia semper, *h. e.* amplificet, longius faciat. [*Tac. *H.* 2, 78. prolatare agros.] ℙ Est etiam producere secundum tempus, differre, protrahere. *Cic. Cat.* 4, 3. *extr.* Id opprimi sustentando ac prolatando nullo pacto potest. *Sall. Cat.* 44. Dubitando et dies prolatando. *Tac. A.* 6, 42. Sed ubi diem ex die prolatabant. *Id. ib.* 11, 37. Prolatare vitam. *Liv.* 21, 5. Nihil prolatandum ratus. *Sall.* in *ep. Mithrid. ad Arsac.* Pretio diem belli prolatat. *Id.* in *or. Phil. contra Lepid. med.* Ne prolatandis seditionibus inquies ipse, nos in sollicitudine retineas. Adde *Sil.* 3, 142.

PROLĀTUS, a, um, part. a *profero: προφερόμενος*, in medium allatus, expositus, exhibitus, ostensus. *Cic. Verr.* 2, 4, 16. *extr.* Nonne te et prolatis, et non prolatis tabulis condemnari necesse est? *Lucan.* 4, 97. Non deest prolato jejunus venditor auro. ℙ Dictus, narratus. *Ter. Hec.* 1, 2, 28. Qui istuc credam ita esse? dic mihi, Parmeno. *Par.* Non est opus prolato: hoc percontarier desiste. *Cic. Div.* 2, 66. Multa sunt a te ex historiis prolata somnia. ℙ Item vulgatus, editus. *Anton.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 10. *ad Att.* Non extimuissem rumorem, qui de te prolatus est. *Cic. Mur.* 13. Sapiens existimari nemo potest in ea prudentia, quae neque extra Romam usquam, neque Romae, rebus prolatis, quidquam valet, *h. e.* postquam Cn. Flavius, qui rationem agendi in foro a JCtis data opera occultatam, fastis et notis eorum expositis, protulit, ut habetur *ib.* 11. ℙ Item protentus, projectus, extensus. *Festus:* Prolato aere adstitit, Ennius in Achille Aristarchi cum ait, significat clypeo ante se protento. *Quint.* 11, 3. *med.* Dextra paulum prolata extra sinum. *Plin.* 2, 48, 48. Iisdem ventis in contrarium navigatur, prolatis pedibus, etc. V. PES. ℙ Item elatus, commotus. *Lucan.* 2, 493. Caesar calida prolatus ab ira. ℙ Item in aliud tempus dilatus, protractus, productus. *Tac. A.* 3, 11. Drusus rediens Illyrico, quamquam patres censuissent, ob res priore aestate gestas ut ovans iniret, prolato honore Urbem intravit. ℙ Hinc *res prolatae* in foro dicuntur, cum justitium indictum est, et actiones forenses, atque urbana munera intermittuntur ad tempus. *Cic. Att.* 14, 5. Meam stultam verecundiam, qui legari noluerim ante res prolatas, ne deserere videar hunc rerum tumorem. Adde *Q. Fr.* 3, 8. *med.* et *Auct. Pan. ad Pis.* 74. Festive *Plaut.* ex persona parasiti, *Capt.* 1, 1, 10. Ubi res prolatae sunt, cum rus homines eunt, simul prolatae res sunt nostris dentibus. V. PROLATIO. Contrarium est *res redeunt.* V. REDEO.

PROLĀTUS, us, m. prolatio. In sexto casu sing. habet *Tert. adv. Valent.* 33., ubi alii *prolatum* legunt.

PROLECTĀTUS, a, um, part. a *prolecto:* illectus, delectatus. *Capell.* 8. *in.* Nuptialis gratiae nomine prolectatus.

PROLECTĪBĪLIS. V. PLECTIBILIS.

PROLECTO, as, a. 1. *ἑλάγω*, illecto, allicio: a *lacto*, qua notat blanditiis trahere. *Cic. Fl.* 8. Egentes et leves spe largitionis, et viatico publico, privata etiam benignitate prolectat. Alii leg. *perlectat. Vitr. prooem.* 5. Versuum distincta pronunciatio prolectando sensus legentium, etc. *Ov. Fast.* 4, 433. Praeda puellares animos prolectat. *Appul. Met.* 5. Et illae sedatae lacrimae postliminio redeunt, prolectante gaudio. *Id Apol.* Veneficiis aliquem prolectare ad nuptias. ℙ Pro lacessere, provocare. *Pl. Bacch.* 3, 6, 38. Etiamne ultro tuis me prolectas probris? Alii leg. *projectas.*

PROLEGĀTUS, i, m. et Pro legato, legati vice fungens. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 119, 6. P. Baebio P. Fil. Pob. Tuticano Trib. Mil. a populo, Praef. Eq., Proleg., pontifici, etc. Alia sub Nerone, ap. *Don.* 137, 1. L. Titinius L. F. Gal. Glaucus Lucretianus Flam. Rom. et Aug., Praef. pro legato insular. Baliarum, etc. V. aliam in PENNINUS.

[PROLĒPOS, ōris, m. id quod loco leporis est. *Not. Tir.* p. 80. Lepos, prolepos. *F.*]

PROLĒPSIS, is, f. *πρόληψις*, vox Graeca, *praesumptio*, et *occupatio* Latine dicta, a *πρὸ*, ante, et *λαμβάνω*, capio, significat figuram loquendi apud grammaticos, cum ante numerus verbo redditur, quam personae definiantur, ut in illo *Virg. A.* 12, 161. Interea reges, ingenti mole Latinus Quadrijugo vehitur curru, etc. bigis it Turnus in albis, etc. Tum pater Aeneas, etc. Et juxta Ascanius, etc. Procedunt castris. Ita *Diomed.* 2, 438. ℙ Item cum id, quod posterius accidit, ante tempus adscribitur, ut *A.* 1, 6. Lavinaque venit Litora. Nondum enim, inquit *Diomed. ib.* 439., erat Lavinium, cum ad Italiam venit Aeneas. Simile est illud *A.* 6, 366. portusque require Velinos: de quo *Gell.* 10, 16. et *Sall.* in *fragm.* ap. *Diomed. l. c.* Montem sacrum atque Aventinum insedit. Qui mons, inquit *Diomed.*, ob hoc quod illum plebs insederat, postea sacer dictus est. *Ascon.* ad illud *Cic. Verr.* 2, 1, 45. *f. Ipse in Siciliensi edicto hoc non habet.* Figura prolepsis: non enim adhuc pervenimus ad Siciliam: cujus crimina in accusatione futura sunt, in tempore praeterita. ℙ Item figura oratoria sententiarum, de qua V. OCCUPATIO. ℙ Denique anteceptam animo rei quandam informationem, *πρόληψιν* Epicurus, anticipationem vocat *Cic. N. D.* 1, 16. *f.* V. ANTICIPATIO.

PROLES, is, f. *γενεὰ*, progenies, soboles, liberi: a *pro*, et *oleo*, cresco; ideoque prima syllaba longa est ex contractione, cum e contrario secunda in *soboles* brevis sit; oritur enim ex *sub*, et *oleo*. Dicitur fere de hominibus. *Cic. Or.* 3, 38. dicit esse vocem poeticam, non tamen omnino in prosa oratione vitandam. *Sall. in or. Lepidi ad pop.* Praeclara Brutorum, atque Aemiliorum proles, geniti ad ea, quae majores virtute peperere, subvertunda. *Hor. Od.* 4, 5, 23. Laudantur simili prole puerperae; et *ib.* 3, 6, 37. rusticorum mascula militum Proles; et *Carm. saec.* 19. Lex marita novae prolis ferax; et *ib.* 47. Dii Romulae genti date remque prolemque. *Virg. A.* 1, 79. et pulcra faciat te prole parentem. *Val. Fl.* 5, 384. Felix prole parens. *Tibull.* 1, 8, 55. At tibi subcrescat proles, quae facta parentis Augeat, et circa stet venerata senem. *Lucr.* 5, 854. propagando procudere prolem. *Ov. Met.* 9, 452. prolem est enixa gemellam. *Id. Fast.* 1, 622. prole novare viros. *Plin.* 3, 20, 24. Rhaetos Tuscorum prolem arbitrantur. ℙ De uno tantum. *Virg. A.* 6, 763. Silvius, Albanum nomen, tua postuma proles; et *ib.* 12, 830. Et germana Jovis, Saturnique altera proles. *Sen. Med.* 84. Proles fulminis improbi, *h. e.* Bacchus. *Tibull.* 1, 4, 7. Bacchi rustica proles, *h. e.* Priapus. *Val. Fl.* 4, 213. egomet Neptunia proles. ℙ Per synecdochen manus, copiae. *Cic. Leg.*

3, 3. Equitum peditumque prolem describunto. *Virg. A.* 10, 429. Sternitur Arcadiae proles, sternuntur Etrusci. ℙ Item gens, homines. *Id. ib.* 4, 236. Nec prolem Ausoniam, et Lavinia respicit arva. *Vet. Poeta* ap. *Cic. N. D.* 1, 63. Ferrea tum vero proles exorta repente est, *h. e.* ferreae aetatis homines. ℙ De bestiis. *Lucr.* 2, 660. et equorum duellica proles. *Phaedr.* 2, 3. Ubi esca se replevit et prolem suam. *Virg. G.* 3, 65. de bobus: Atque aliam ex alia generando suffice prolem; et *ib.* 541. Jam maris immensi prolem, genus omne natantum; et *ib.* 4, 281. de apib.: si quem proles subito defecerit omnis. *Colum.* 7, 6. *med.* de capris: Parit autem, si est generosa proles, frequenter duos. ℙ De plantis. *Virg. G.* 2, 3. et prolem tarde nascentis olivae, *h. e.* baccas oleae. ℙ In plur. num. *Colum.* 10, 163. Privignasque rogat proles. V. PRIVIGNUS. ℙ Testiculi, in quibus est vis prolis generandae. *Arnob.* 7, 230. Polimina sunt ea, quae nos proles verecundius dicimus: a vulgaribus autem assolent cognomine testium nuncupari; et 5, 172. Circumjectas prolibus diripiens membranulas. ℙ In gen. plur. *prolum* habet *Capell.* 3, 78.

PROLĔTĀRĬUS, ii, m. Proletarii erant pauperrimi homines in plebe Romana, qui secundum *Dionys. Hal.* 4, 16, 20. minus quam duodecim minas cum dimidia possidebant: secundum *Liv.* 1, 43. minus quam undecim millia aeris: secundum *Gell.* 16, 10. non amplius quam mille quingentum aeris in censum deferebant. Ita dicti sunt, quod fere immunes erant a militia, excepto si tumultus maximus exstitisset: solamque eam operam navabant reipublicae, ut prolem procrearent. *Lex XII. Tab.* ap. *Gell. l. c.* Proletario quoi quis volet, vindex esto. *Ennius ib.* et ap. *Non.* 2, 666. Proletariu' publicitus scutisque, feroque Ornatur ferro. ℙ Quamvis ap. *Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 22. et ap. *Festum* cum capite censis iidem esse videantur: inquit enim ille, Eos qui aut non plus mille quinquentum aeris, aut omnino nihil in suum censum praeter caput attullissent, proletarios Servius Tullius nominavit. Hic vero, Proletarium capite censum dictum, quod ex his civitas constet, etc. differunt tamen. Nam capite censi minus honesta conditione erant, multoque pauperiores, ut qui aut nullo aere censerentur, aut minore certe, quam proletarii. V. CAPITECENSI, et *Gell. l. c.* ℙ Adject. *proletarius sermo* plebejus est, et vulgaris. *Pl. Mil.* 3, 1, 157. Nam proletario sermone nunc quidem hospes utere. [*Quaedam addidit *F.*]

PROLĔVO, as, a. 1. sublevo, allevo, attollo. *Tert. Poen.* 4. Haec te peccatorum fluctibus mersum prolevabit. Aliis minus recte leg. *perlavabit.*

PROLĪBO, as, a. 1. idem quod libo. Verbum sacrorum. *Plin.* 14, 18, 22. et *ib.* 19, 23. Prolibare Diis vina. *Id.* 35, 12, 46. Fictilibus prolibatur simpuviis. Adde 28, 4, 11.

PROLĪCĔO, es, icui, n. 1. (pro *proliqueo*) *Gloss. Isid.* Prolicere, emanare, effluere. Varro: Demum ubi prolicuit dulcis unda.

PROLĪCĬO, is, exi, a. 3. *ἑπάγω*, allicio, prolecto, traho. *Pl. Curc.* 1, 2, 1. Flos veteris vini meis naribus objectus est. Ejus amos cupidam me huc prolicit per tenebras. *Ov. A. Am.* 2, 718. voluptas tarda prolicienda mora. *Tac. A.* 3, 73. Prolicere aliquem ad spem. ℙ In *Not. Tir.* p. 149. praeteritum *prolixi* pro *prolexi* legitur. V. LICTOR.

[PROLĪMEN, inis, n. spatium ante limen portae. *Hieron.* in *Ezech.* 12, 40, 8. Erat autem aliud prolimen portae juxta vestibulum intrinsecus calamo uno. *F.*]

PROLĪQUĀTUS, a, um, part. ab inus. *proliquo*, eliquatus. *Appul. Apol.* An, ut alii philosophi disputant, radii nostri mediis oculis proliquati, et lumini extrario mixti, etc.

PROLĪQUĔO. V. PROLICEO.

PROLĪTAS, atis, f. proles. Tribuunt perperam *Appul. Met.* 2. *in.* En, inquit, sanctissimae Salviae matris generosa prolitas. Alii recte leg. *probitas.*

PROLIXĔ, adv. *ἐκτενῶς*, admodum liberaliter, large, abundanter, cumulate, copiose. *Cic. Fam.* 7, 5. Neque mehercule minus ei prolixe de tua voluntate promisi. *Id. Fl.* 36. Prolixe cumulateque facere aliquid. *Ter. Eun.* 5, 9, 52. Accipit hominem nemo melius prorsus, nemo prolixius. *Suet. Tit.* 7. Prolixius fovere aliquem. *Appul. Met.* 4. Arbores prolixe foliatae; et *ib.* 8. Prolixe consentire cuipiam de re aliqua. *Cic. Att.* 7, 14. Delectus, in quo parum prolixe respondent Campani coloni, *h. e.* rari et paene inviti respondent ad nomina. *Id.* ad *Planc.* 1. *post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att. f.* Ut hoc, quod te tua sponte futurum esse certo scio, honoris nostri causa libenter, prolixe, celeriter facias. *Gell.* 5, 1. Prolixe profuseque laudare; et 12, 1. Prolixius fabulari. *Id.* 19, 10. *f.* ridere. *Id.* 1, 22. *med.* Largius prolixiusque fluere.

PROLIXĪTAS, atis, et

PROLIXĪTŪDO, inis, f. *μῆκος*, longitudo. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 697. Ne plectas fandi mi prolixitudinem. *Arnob.* 7, 250. Colubra prolixitatis immensae. *Appul. de Mundo:* Terrae latitudo quadraginta, prolixitas septuaginta millia stadiorum tenet. *Ulp. Dig.* 36, 1, 22. *med.* Prolixitas temporis. *Arnob.* 4, 138. Ne forte prolixitas fastidium audientiae pariat, cessabimus ire per singula. Adde *Hieron. ep.* 140. *n.* 8. et *Symm. ep.* 2, 8.

PROLIXO, as, a. 1. longum facio, extendo. *Colum.* 4, 24. *extr.* Monendus putator est, ut prolixet aciem ferramenti, et quantum potest, novaculae similem reddat.

PROLIXUS, a, um, adj. *μακρὸς, ἐκτενὴς, ἐπιμήκης.* Est a *pro*, et *laxus*, quasi in longitudinem laxus, protentus. *Ter. Heaut.* 2, 3, 49. Capillus passus, prolixus, circum caput rejectus negligenter. *Virg. Ecl.* 8, 34. et *Liv.* 2, 23. Prolixa barba. Alii utrobique leg. *promissa. Ov. Trist.* 4, 2, 34. Squalida prolixis qui tegit ora comis. Hic quoque alii rectius *promissis. Callistr. Dig.* 50, 6, 5. *f.* Prolixae aetatis homines. *Paul. ib.* 49, 14, 45. *med.* Prolixioris temporis spatium. *Suet. Claud.* 30. Nam et prolixo, nec exili corpore erat; et *Colum.* 1, 9. Longissimum quemque aratorem faciemus, quod in re rustica nullo minus opere fatigatur prolixior, quia in arando stivae paene rectus innititur. *Id.* 7, 3. Ovem eliges bimam vasti corporis, cervice prolixa, prolixi villi, nec asperi. *Varr. R. R.* 2, 2. Caudis observare ut sint oves in Italia prolixis, in Syria brevibus; et *ib.* 1, 9. *med.* Prolixae arbores. *Suet. Vesp.* 5. Ramus praevalidus ac prolixus. *Gell.* 7, 12. Tunicis uti prolixis ultra brachia, et usque in primores manus, ac prope in digitos. *Ulp. Dig.* 33, 1, 13. Si cognitio prolixiorem tractatum habeat. *Lucr.* 4, 1238. non tam prolixo provolat ictu, *h. e.* non tam longe jacitur. ℙ Translate est liberalis, largus, beneficus, propensus. *Cic. Fam.* 3, 8. Etsi de tua prolixa beneficaque natura limavit aliquid posterior annus. *Id.* ad *Capiton. post ep.* 16. *l.* 16. *ad Att. f.* Plancum hoc animo libenti prolixoque facere. *Id. Att.* 6, 3. *med.* Ariobarzanes in Pompejum prolixior. ℙ Item affluens, commodus, e sententia procedens, prosper. *Id. ib.* 1, 1. Cetera spero prolixa esse, his dumtaxat urbanis competitoribus. *Cato* ap. *Gell.* 7, 3. Scio solere plerisque hominibus rebus secundis, atque prolixis, atque prosperis animum excellere. ℙ Item longus in verbis. *Macr. Sat.* 3, 7. *f.* Cujus exemplum, ne sim prolixus, omisi. ℙ Et uber in explicando, copiosus, efficax. *Gell.* 13, 28. Existimo longe esse amplius, prolixius, fortius in significanda totius prope civitatis multitudine, *mortales*, quam *homines*, dixisse. ℙ *Prolixum* more adverbii idem est ac valde, diu. *Appul. Met.* 8. Puella, luctu redintegrato, prolixum ejulat. ℙ [*Sup. *Prolixissimus* ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 57. Sudor sane largus labor est, qui erit quam prolixissimus tibi quoque in rebus praesentibus, o rex. *F.* ℙ *Confund. *prolixa* et *proxima.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 381.]

PROLŎGĬUM, ii, n. et

PROLŎGUS, i, m. *προλόγιον, πρόλογος*, proloquium, principium dicendi: et fere dicitur de principio fabulae. Quidam volunt *prologium* esse fabulae argumentum: *prologum* prooemium, in quo poeta excusatur, aut defenditur, vel fabula commendatur. Verius discrimen est, *prologum* in frequenti usu esse, *prologium* in raro. *Pacuv.* ap. *Fest.* Quid est? nam me examinasti prologio tuo. *Ter. Ph. prol.* 14. Nullum invenire prologum potuisset, quem diceret, nisi haberet, cui malediceret. Adde *Andr. prol.* 5. et *Suet. Vita Terentii.* ℙ Proverbii speciem habet illud *Spart. Ael. Ver. prooem. extr.* Et quoniam nimis pauca dicenda sunt, nec debet prologus enormior esse, quam fabula, de ipso jam loquar. *Πρόλογος δράματος μακρότερος.* ℙ Est etiam *prologus* is ipse, qui prologum recitat. *Ter. Hec. prol.* 2, 1. Orator ad vos venio ornatu prologi. *Id. Heaut. prol.* 11. Oratorem esse voluit me, non prologum.

PROLONGO, as, a. 1. *ἀναβάλλομαι*, longius facio, prorogo, differo. *Plin.* 13, 3, 4. Vestes prolongant tempus: unguenta illico exspirant. Ita edit. vet. 1469. 1470. et 1472. *Hard.* et alii rectius *prorogant.* Eadem variantia est in illo *Sen. Ben.* 5, 17. *med.* Ut prolongetur tibi dies mortis, nihil proficit ad felicitatem.

PROLŎQUĬUM, ii, n. *Varro* ap. *Gell.* 16, 8. Proloquium est sententia, in qua nihil desideratur. Est autem hujusmodi (subdit ipse *Gell.*): Annibal Poenus fuit; Scipio Numantiam delevit, etc. Addit praeterea, a Cicerone dictum *pronunciatum;* a dialecticis *ἀξίωμα* appellari: duo ejus esse genera, disjunctum, et copulatum, etc. V. ibi reliqua. Adde 5, 11.

PROLŎQUOR, eris, utus sum, dep. 3. *πρόφημι*, idem est ac loquor, seu quod in animo habeo, loquendo effero, animi mei sensa claris apertisque verbis effero. *Varr. L. L.* 5, 7. Prolocutum dicimus, cum animo quod habuit, extulit loquendo. *Ter. Andr.* 1, 5, 21. Censen', me ullum potuisse verbum proloqui? *Id. Ph.* 2, 1, 53. Non potuit cogitata proloqui. *Pl. Amph.* 1, 1, 92. Numquam quidquam adhuc verborum est prolocutus perperam. *Id. ib. prol.* 50. Nunc quam rem oratum huc veni, primum proloquar. *Id. Capt. prol.* 6. Id ego apud vos proloquar, si operam datis. *Id. Aul.* 2, 1, 18. Vera proloqui; et 3, 5, 45. falsum. *Id. Epid.* 3, 4, 28. Proloqui apud aliquem. *Id. Merc.* 1, 2, 96. Scelus videtur, me parenti proloqui mendacium. *Hirt. B. Afr.* 44. *extr.* Quid sentiatis, proloquimini. *Cic. Or.* 43. Pervagatissimus ille versus, qui vetat Artem pudere proloqui, quam factites. *Enn.* ap. *eund. Tusc.* 3, 26. *extr.* Cupido cepit miseram nunc me proloqui Coelo atque terrae Medeai miserias. Alii leg. *prosequi. Id.* ap. *Non.* 4, 1. Te ipsum hoc oportet profiteri, et proloqui Advorsum illam mihi. ℙ Est etiam praedicere, vaticinari. *Prop.* 3, 11, 59. Proloquar, atque utinam patriae sim vanus haruspex.

PROLŌQUUTOR, oris, m. qui proloquitur. *Auct. decl.* quae inscribitur *Tribunus Marianus* 3. Crimen, quod tribuno mendacissimus proloquutor objecit, *h. e.* orator, causidicus, advocatus, qui pro actore, aut reo apud judicem loquitur.

PROLŌQUŪTUS, a, um, V. PROLOQUOR. *in.*

PROLŪBĬDO, inis, f. idem ac prolubium. *Varr.* ap. *Non.* 1, 324. Prolubium, et prolubidinem dici ab eo, quod lubeat.

PROLŪBĬUM, ii, n. *ἐπιθυμία, προθυμία*, cupiditas, libido: a *lubet. Accius* ap. *Non.* 1, 324. Muliebre ingenium, prolubium, occasio. *Novius ib.* Et volo, et vereor, et facere in prolubio est. *Gell.* 16, 19. Feros et immanes navitas prolubium tamen audiendi subit. *Ter. Ad.* 5, 9, 27. Quae res tam repente mores mutavit tuos? quod prolubium? quae istaec subita est largitas? Alii hic (inter quos *Non.* 8, 81. et *Serv.* ad *A.* 3, 217.) leg. *proluvium*, h. e. effusio, profusio, liberalitas nimia: a *proluendo*, quasi tam multa quis donet, ut elavet bonis, ut *Plaut.* loquitur. V. ELAVO. Confirmant illa *Caecilii*, unde *Terent.* hausisse videtur, ap. *Non.* 1, 54. Quod proluvium, quae voluptas, quae te lactat largitas? [*Ruhnk.* praeferendum censet vulg.] ℙ Idem quod voluptas. *Gell.* 5, 10. *med.* Majus mihi in ista victoria prolubium est, cum te non in causa tantum, sed in argumento quoque isto vicero. Est qui leg. *proludium*, sed perperam. [*Appul. Met.* 10. Unguento fragrantissimo prolubium libidinis suscitaram. *F.*]

PROLŪCĔO, es, n. 2. ante luceo. *Sen. Ot. sap.* 32. *in.* Natura sublime fecit illi (*homini*) caput, et collo flexibili imposuit; deinde sena per diem, sena per noctem signa proluxit, ut per haec quae obtulerat ejus oculis, cupiditatem faceret etiam ceterorum. Alii perperam omnino *produxit* pro *proluxit* legunt.

PROLŪDĬUM. V. PROLUBIUM.

PROLŪDO, is, usi, usum, n. 3. *προαγωνίζομαι*, est futurum certamen meditari, et exercendarum virium causa, confirmandique animi veluti simulacrum quoddam certaminis inire. *Virg. G.* 3, 234. et sparsa ad pugnam proludit arena. ℙ Translate. *Cic. Or.* 2, 80. Sed ut ipsis sententiis, quibus proluserunt, pugnare possint. *Juven.* 5, 26. Jurgia proludunt, sed mox et pocula torques. *Sen. Hippol.* 1060. seque praetentans satis Prolusit irae. *Id. Herc. Fur.* 221. Et tumida tenera guttura elidens manu, prolusit hydrae. *Sen. alter ep.* 102. *med.* Per has mortalis aevi moras illi meliori vitae longiorique proluditur. *Id. Q. N.* 3, 28. Denique cum per ista prolusum est, crescunt maria. V. PRAELUDO.

PROLŪGĔO, es, n. 2. diu lugeo. *Paul.* ex *Festo:* Prolugere dicuntur, qui solito diutius lugent. V. LUGEO.

PROLŪO, is, ui, utum, a. 3. *ἀποκλύζω*, lavo, vel multum lavo, madefacio. *Ov. Fast.* 4, 778. in vivo prolue rore manus. *Stat. Th.* 8, 712. jam saucia proluit ater Pectora permixtus sudore et sanguine torrens. *Sil.* 17, 300. Gracchusque cadens tibi proluit ensem, *h. e.* multo suo cruore tingit. *Virg. G.* 3, 541. genus omne natantum Litore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus Proluit. *Albin.* 1, 230. Ut posset toto proluere amne rogum. *Virg. A.* 1, 743. impiger hausit Spumantem pateram, et pleno se proluit auro, *h. e.* probe madefecit. *Pers. prol.* Nec labra fonte prolui caballino. *Hor. Sat.* 2, 4, 26. leni praecordia mulso Prolueris melius. ℙ Item lavando aufero, abripio, ut cum fluentis aquae impetus secum trahit, quae alluit. *Colum.* 2, 18. *med.* Quoniam impetus aquarum proluit terram. *Virg. G.* 1, 481. Proluit insano contorquens vortice silvas Fluviorum rex Eridenus, camposque per omnes Cum stabulis armenta tulit. *Id. A.* 12, 684. Ac veluti montis saxum, de vertice praeceps Cum ruit avulsum vento, seu turbidus imber Proluit. *Caes. B. C.* 1, 48. Tempestas ex omnibus montibus nives proluit. ℙ *Proluere cloacam*, immissa aqua abstergere, purgare. Allegorice *Pl.* de anu bibaci, *Curc.* 1, 2, 28. Age, effunde hoc cito in barathrum: propere prolue cloacam. ℙ *Proluere ventrem*, ciere, fluentem reddere. *Colum.* 7, 3. *med.* Pruinosa herba pecudi ventrem proluit. ℙ Translate. *Gell.* 2, 24. Cum plerique familiam pecuniamque suam prandiorum gurgitibus proluissent.

PROLŪSĬO, onis, f. *προγύμνασμα*, actus proludendi, principium certaminis, praeexercitamentum. *Cic. Or.* 2, 80. Atque ejusmodi illa prolusio debet esse, non ut Samnitum, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur; sed u ipsis sententiis, quibus proluserunt, vel pugnare possint. Sic *Idem* Divinationem suam in Verrem, et primum concertationem cum Q. Caecilio, qui accusator esse volebat, et contra Hortensium dicere, prolusionem vocat. Verba ejus sunt *Div. Verr.* 14. Sin mecum in hac prolusione nihil fueris, quem te in ipsa pugna cum acerrimo adversario fore putemus?

PRŌLŪSŌRĬUS, a, um, adj. *Ulp. Dig.* 49, 1, 14. Si prolusorio judicio actum sit adversus testamentum, *h. e.* per collusionem. Ita *Haloander:* at *Torrent.* habet *perlusorio.*

PRŌLŪTUS, a, um, part. a *proluo*, bene lotus, probe madefactus. *Appul. de Mundo:* Abruptis imbribus prolatas esse totas regiones. *Hor. Sat.* 1, 5, 15. absentem cantat amicam Multa prolutus vappa nauta, *h. e.* qui multam vappam biberat. V. PROLUO.

PRŌLŪVĬES, ei, f. *καταίκλυσις, ἐπίῤῥοια,* aquarum redundantia, profluvium, alluvies, diluvium. *Cic. Q. Fr.* 3, 7. Romae, et maxime Appia ad Martis, mira proluvies. Alii leg. *alluvies. Lucr.* 5, 947. templa Nympharum, quibus exibant humore fluenta Lubrica, proluvie larga lavere humida saxa. ℙ *Proluvies alvi*, fluxus. *Lucr.* 6, 1198 Ulceribus tetris, et nigra proluvie alvi. Adde *Colum.* 6, 7. et 12, 38. Sic *Virg. A.* 3, 216. de Harpyiis: foedissima ventris Proluvies. Ubi et ipsae sordes, quae in fluxu ventris copiose egeruntur, intelligi possunt.

PRŌLŪVĬO, onis, f. idem ac proluvies. *Appul. de Mundo:* In occidentis plagis scaturigines quaedam ac proluviones easdem strages dederunt.

PRŌLŪVĬOSUS, a, um, adj. *Q. Fabius Lucullus* ap. *Fulg. de prisco serm.* in *Ramentum.* Proluviosa pestis, *h. e.* proluvionis more se diffundens.

PRŌLŪVĬUM. V. PROLUBIUM.

PRŌLYTAE. V. LYTAE.

PRŌMĂGISTER, tri, m. et Pro magistro, ut vetustiores scribere solebant, qui nempe vice magistri est. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 442. *n.* 49. Magisterio C. Matidii Patruini, promagistro L. Veratio Quadrato, collegii Fratrum Arvalium nomine, etc. Alia ap. *Grut.* 607, 1. Decretum fieri placet: Jubentius Celsus promagister subscripsi III. Non. Novmb. etc. Alia ap. *Grut.* 426, 5. C. Junio C. F. Quir. Flaviano promagistro XX. hereditatium, etc. Adde aliam 454, 8. Alia ap. *Fabr.* p. 720. *n.* 419. M. Aurelio Consio pontifici majori, promagistro iterum, etc. Alia ap. *Mur.* 1019, 2. C. Julio Rufiniano in collegio pontificum promagistro, etc. *Cic. Att.* 11, 10. P. Terentius operas in portu, et scriptura Asiae pro magistro dedit. *Id. Fam.* 13, 65. Cum P. Terentio Hispone, qui operas in scriptura pro magistro dat, mihi summa familiaritas. *Id. Verr.* 2, 2, 70. In scriptura Siciliae pro magistro est quidam L. Carpinatius. [Ex allatis exemplis patet, antiquiores Latinos divisim scripsisse *pro magistro*, ut et *pro consule*, et *pro praetore*, et *pro quaestore;* posteriores vero conjunctim *promagister*, ita ut ex praepositione et nomine, una tantum vox fieret, et ut nomen declinaretur. *F.*]

[PRŌMĂGISTĔRĬUM, ii, n. dignitas illius, qui promagister est. *Inscr.* ap. *Grut.* 173, 5. Mansiones Saliorum Palatinorum longa aetate neglectas pecunia sua reparaverunt pontifices Vestae VV. CC., promagisterio Portii, Acilii, Lucillii, Vitrasii, Praetestati VV. CC. *h. e.* dum essent promagistri Portius, Acilius, etc. V. v. sq. *f. F.*]

PRŌMĂGISTRĂTUS, us, m. vel Pro magistratu. *S. C. de Bacch.* ap. *Fabr.* p. 427. Sacerdos ne quis esset, magister neque vir, neque mulier quisquam esset, neve magistratum, neve pro magistratu neque virum, neve mulierem quiquam fecisse vellet. *Vet. Tab.* ap. *Grut.* p. 629. *f.* Iis viatoribus praeconibus magistratus, prove mag. mercedis item tantundem dato. Alia ap. *Mur.* 582, 1. Nei quis magistratus, prove magistratu legatus, neive quis alius, etc. Vides itaque in his antiquioribus monumentis semper divisim *pro magistratu;* in inscriptione vero in voce praeced. allata, quae recentior est, *promagisterio* conjunctim scriptum fuisse. V. PROMAGISTER *f.* [*Unico excepto exemplo: *Vet. Tab.* etc. omnia ex suis adjecit *F.*]

PRŌMĂRĪNUS. V. PERMARINUS *f.*

PRŌMĂTERTĔRĂ, ae, f. proaviae meae soror: quae et matertera major dicitur. *Cajus Dig.* 38, 10, 1. et *Paul. ib.* 10. V. MATERTERA.

PPOMĔDĬO. V. PROMERITO.

PRŌMELLĔRĔ, litem promovere. *Paul.* ex *Festo:* a *μέλλειν.*

PRŌMĔNERVAT, monet: in Saliari carmine. *Fest.*

PRŌMERCĀLIS, e, adj. *ὤνιος,* venditioni expositus: et praecipue qui minoris emitur, ut pluris vendatur, venalis. *Colum.* 11, 1. *med.* Pecuniam domini neque in pecore, nec in aliis rebus promercalibus *(villicus)* occupet. Adde 1, 8. *med. Suet. Caes.* 54. Unde factum, ut auro abundaret, ternisque millibus nummum in libras promercale *(aurum)* per Italiam provinciasque divideret. *Id. Gr.* 23. Officinas promercalium vestium exercere. *Gell.* 4, 1. *f.* Ex his, quae promercalia, et usuaria essent, ea sola esse penoris putat, quae sint usui annuo.

PRŌMERCĬUM, ii, n. *ἐπεμπόλησις,* negotiatio, mercatura. *Mart. Dig.* 48, 8, 3. §. 4. Qui hominem libidinis, vel promercii causa castraverit, poena legis Corneliae punitur. *Paul. ib.* 30, 1, 41. *med.* Promercii causa habere aliquid. V. *eund. ib.* 33, 9, 4. §. 2., ubi alia sunt, quae promercii, alia, quae sui usus causa quis habet. V. FORICULIARIUM.

PRŌMĔRĔO, es, rui, ritum, a. 2. et

PRŌMĔRĔOR, eris, ritus sum, dep. 2. *προσάγομαι, ἄξιός εἰμι,* idem quod mereor, tum in bonam, tum in malam partem. In malam. *Pl. Trin.* 3, 2, 15. Retineri nequeo, quin dicam ea, quae promeres. *Id. Amph.* 5, 2, 12. Haud promeruit, quamobrem vitio vorteres. *Cic. Inv.* 2, 28. Reus levius punitus, quam sit ille promeritus. *Ov. Trist.* 1, 2, 61. Si quam promerui poenam, me pendere vultis. *Pl. Amph.* 2, 1, 20. Quid mali sum, here, tua ex re promeritus? ℙ In bonam. *Ter. Andr.* 2, 1, 30. Neutiquam officium liberi esse hominis puto, Cum is nihil promereat, postulare id gratiae apponi sibi. *Id. Ad.* 4, 5, 47. Ita velim me promerentem ames, dum vivas. *Pl. Capt.* 5, 1, 12. Nunquam referre gratiam possum satis, proinde ut tu promeritus de me. *Id. Men.* 5, 9, 41. Promeruisti, ut ne quid ores, quin impetres. ℙ Cum adverbiis *bene*, aut *male*, beneficium aut injuriam facere, juvare, aut obesse. *Ter. Ad.* 2, 1, 47. Quando bene promeruit, fiat. *Cic. Off.* 2, 15. Paratiores erunt ad bene de multis promerendum. *Pl. As.* 1, 2, 2. Promerenti optime hoccine pretii redditur? ℙ *Promereri aliquem*, aut *aliquid*, benefactis sibi conciliare. *Cic. Mur.* 34. Homines tenues unum habent in nostrum ordinem aut promerendi, aut proferendi beneficii locum. *Suet. Cal.* 3. Conciliandae gratiae, ac promerendi amoris studium. *Id. Tit.* 1. Ad promerendam omnium voluntatem. *Id. Aug.* 3. Imitetur in promerendis sociis suum Octavium. *Plin. Pan.* 62. *med.* Quisquis probatos senatui viros suscipit, hic maxime principem promeretur. *Arnob.* 7, 229. Ita nihil prodest promereri velle per hostias Deos laevos. Adde *Scaev. Dig.* 40, 5, 41. §. 1.

PRŌMĔRĬTO, praecipuum, praeter ceteros meritum, ut promedio, hoc est participem, et pro indiviso dicimus. *Festus* ex lectione *Scal.*

PRŌMĔRĬTUS, a, um, part. a *promereor. Virg. A.* 4, 333. ego te, quae plurima fando Enumerare vales, nunquam, regina, negabo Promeritam, *h. e.* nunquam negabo, te multa in me beneficia contulisse. *Ov. Pont.* 2, 3, 96. Tam bene promerito commoda mille precor. ℙ Passive. *Pl. Men.* 5, 6, 23. Nam illi, qui nihil metuunt, postquam malum promeritum est, metuunt. *Plin. Pan.* 58. An consularis viri filius, cum tertio consul creatur, ascendit? non debitum hoc illi? non vel sola generis claritate promeritum? ℙ *Promeritum*, *i*, meritum, benefactum. *Cic. ad Quir.* 4. Hoc majus est vestrum in nos promeritum, quod, etc. *Lucr.* 1, 61. Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira. *Ov. Fast.* 4, 394. Sponte Deae munus, promeritumque patent. ℙ Item malefactum, injuria. *Pl. Trin.* 5, 2, 49. Miserum est male promerita, ut merita, si mihi ulcisci non licet. *Hirt. B. Afr.* 90. Metu exsangues, de vitaque ex suo promerito desperantes.

PRŌMĒTHĒUS, a, um, adj. *Προμήθειος,* ad Prometheum pertinens. *Prop.* 1, 12, 10. Promethea juga, *h. e.* mons Caucasus. Sic *Sen. Med.* 1207. Promethei scopuli; et *Mart.* 9, 46. Prometheae rupes. *Val. Fl.* 7, 356. Prometheae florem de sanguine fibrae Caucasium. (Fabulantur, nasci herbas in Caucaso de sanguine Promethei a vulture lacerati, quae in veneficiis, et incantationibus magnam vim habeant. V. *Claud. in Ruf.* 1, 151., *Val. Fl. l. c.* et *Sen. Med.* 709. Aconitum esse tradit *Auson.* V. ACONITUM.) *Mart.* 10, 39. Prometheum lutum. *Colum.* 10, 59. Promethea creta.

PRŌMĒTHEUS, i, eos, m. trisyll. *Προμηθεύς,* filius Iapeti ex Asia, vel Clymene Nympha conjuge, frater Epimethei, pater Deucalionis, cui mandatum est, secundum fabulas, ut hominem effingeret, et ornaret, quemadmodum Epimetheo, ut bruta animantia. Dictus est a *προμήθεια,* providentia. Fuit enim prudentissimus. Aliqui hoc nomine divinam providentiam intelligunt. Alii Prometheum volunt esse ordinem sublimium daemonum, Epimetheum inferiorum. Dicitur hominem ex luto formasse, et ex coelesti igne animasse, quem ignem fertur, Minervae auxilio in coelum cum ascendisset, admota ferula ad rotam solis furatus esse. Ob quam causam irati Dii terris immiserunt febrem et morbos: ipsum vero Prometheum in Caucaso monte rupi alligatum damnaverunt, immisso vulture, qui aeternum ejus viscera exederet, nec unquam consumeret, qua poena post annos triginta liberatus est, interfecto vulture ab Hercule, et vinculis ejus solutis. *Hyg. praef.* et *fab.* 54. et 144. et *Serv.* ad *Ecl.* 6, 42. etc. *Virg. ib.* 42. Caucaseasque refert volucres, furtumque Promethei. *Sen. Med.* 709. Sparsus cruore Caucasus Promethei. *Prop.* 3, 3, 29. O prima infelix fingenti terra Prometheo! *Stat. Th.* 11, 468. O furor, o homines, diraeque Prometheos artes! *Mart.* 11, 84. Hic miserum Scythica sub rupe Promethea radat. ℙ Per synecdochen quivis figulus. *Juven.* 4, 133. Debetur magnus patinae, subitusque Prometheus.

PRŌMĒTHĪDES, ae, m. *Προμηθείδης,* Deucalion, filius Promethei. *Ov. Met.* 1, 390. Inde Promethides placidis Epimethida dictis Mulcet.

PRŌMĪCO, as, n. 1. extra mico, emico, exsilio, erumpo, prodeo. *Appul. Met.* 3. Promicant molles plumulae, crescunt et fortes pinnulae; et *ib.* Lacrimis promicantibus; et *ib.* 10. Spirantes cinnameos odores promicarent rosae. ℙ Transitive. *Naev.* ap. *Non.* 1, 329. Si quidem loqui vis, non perdocere multa: longe promicanda oratio est, *h. e.* extendenda, porro jacienda, ut *Non.* explicat.

PRŌMĪNENS, entis, part. a *promineo: ἐξέχων, προεκεῖσης, προπαγὴς,* exstans, eminens in anteriorem partem. *Liv.* 27, 48. Prominens collis. *Tac. H.* 3, 71. porticus. *Mart.* 5, 4. de muliere bibaci: Hanc tu rubentem prominentibus venis, etc. *Plin.* 11, 37, 53. Oculi prominentes, quos hebetiores putant. *Id.* 10, 3, 3. Aquila prominentiore cauda. *Vitruv.* 6, 2. In scenis pictis videntur signorum figurae prominentes, cum sit tabula sine dubio ad regulam plana. ℙ Absolute. *Tac. A.* 1, 53. Milites invenere in prominenti litoris, nihil laetum opperientem: et *ib.* 2, 16. Campus, ut ripae fluminis cedunt, aut prominentia montium resistunt, inaequaliter sinuatur.

PRŌMĪNENTER, adv. prominendo. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 11. *med.* Paulo prominentius a lecto producendus aeger. Adde *Tard.* 2, 4. et *ib.* 5, 4.

PRŌMĪNENTĬA, ae, f. *ἔξοχή,* locus prominens, exstantia, proclinatio. *Vitruv.* 6, 11. Anterides procurrant, deinde contrahantur, ita uti summam habeant prominentiam, quanta operis est crassitudo. *Solin.* 27. Africa extenta in tuas prominentias, quarum altera promontorium candidum dicitur, alteram Phucuntem vocant.

PRŌMĪNĔO, es, n. 2. *ἐξέχω,* extra, aut ultra emineo, extendor, exsto. *Liv.* 37, 23. In confinio Lyciae et Pamphyliae Phaselis est: prominet penitus in altum, conspicieturque prima terrarum Rhodum a Cilicia petentibus. *Ov. Met.* 13, 778. Prominet in pontum cuneatus acumine longo Collis. *Plin.* 8, 32, 50. Non habent *(cervi in senecta)* in cornibus imis ramos, alioquin ante frontem prominere solitos junioribus; et *ib.* 36, 54. Ursis ungues prominent. *Id.* 11, 37, 62. Elephanto dentes intus ad mandendum quatuor, praeterque eos, qui prominent. *Appul. Met.* 9. Digitos, qui per angustias cavi tegminis prominebant; et *ib.* 10. Inter comas aureae pinulae prominebant. ℙ Item qui sursum versus eminet, et in sublime erigitur. *Hor. Ep.* 5, 35. Cum promineret ore, quantum exstant aqua Suspensa mento corpora. *Claud. B. G.* 329. sublimis in Arcton Prominet Hercyniae confinis Rhaetia silvae. *Val. Fl.* 7, 30. Prominet, atque oculos longe tenet, *h. e.* capite super adstantes erigitur. ℙ Translate. *Liv.* 28, 43. Tanquam non longius, quam quantum vitae humanae spatium est, cupiditas gloriae extendatur, maximaque pars ejus in memoriam ac posteritatem promineat.

PRŌMĪNO, as, a. 1. *ἄγω,* porro mino, *h. e.* ago. V. MINO. *Appul. Met.* 9. Jumenta ad lacum proximum bibendi causa gregatim prominabat.

PRŌMĪNŬLUS, a, um, adj. aliquantum prominens, eminulus. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Quasi invitat in porticum latum, et prominulam. *Solin.* 27. *f.* Inter simias habenter et sphinges, villosae comis, mammis prominulis. *Capitol. Pert.* 12. Fuit habitudine corporis pinguiore, ventre prominulo. *Capell.* 3, 58. Ore constricto, labrisque prominulis erhibetur. Alii leg. *promulis.*

PRŌMISCAM et

PRŌMISCĔ, adv. idem quod promiscue. *Paul.* ex *Festo:* Promiscam dicebant promiscue. *Pl. Ps.* 4, 5, 10. Nunc ego Simonem mihi obviam veniat velim, Ut mea laetitia laetus promiscam siet. *Varr.* ap. *Non.* 4, 346. Unam virtutem propriam mortalibus fecit. Cetera promiscam voluit communia haberi. Alii leg. *promiscue. Pl. Pers.* 5, 2, 62. Promisce hunc volo ludificari. Alii leg. *pro hisce. Gell.* 7, 3. *f.* Omnibus promisce tuendi atque propugnandi modis usus est. *Id.* 2, 24. Promisce atque indefinite largiri. *Id. praef.* Indistincte atque promisce adnotare. V. PROMISCUUS.

PRŌMISCĔO, es, a. 2. commisceo, permisceo. *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. Nec aliter tam controversa sibi ac repugnantia promisceri, terram dico, et ignem, potuisse, nisi duobus mediis aeris et aquae nexibus vincirentur. Alii leg. *permisceri.*

PRŌMISCŬĒ, adv. *μίγδην, ἀδιακρίτως,* permixte, sine discrimine, confuse. *Cic. Agr.* 2, 31. Si campus Martius dividatur, et unicuique vestrum bini pedes assignentur; tamen promiscue toto, quam proprie parva frui parte malletis. *Id. Font.* 6. *med.* Unum est, et simplex aurium judicium, et promiscue, et communiter stultis ac sapientibus a natura datum. *Id. Or.* 3, 19. *med.* Promiscue haurire ex aliquo fonte. *Suet. Claud.* 21. Propria senatoribus constituit loca, promiscue spectare solitis. *Liv.* 5, 55. Promiscue urbs aedificari coepta. *Sall. Jug.* 28. In primis Adherbalem necat, dein omnes puberes Numidas, atque negotiatores promiscue, uti quisque armatis obvius fuerat, interficit. *Plin.* 11, 37, 47. In capite cunctorum animalium homini plurimus pilus jam quidem promiscue maribus ac feminis. V. PROMISCE.

PRŌMISCUS. V. v. sq.

PRŌMISCŪUS, a, um, adj. *συμμιγής, ἐπίκοινος,* permixtus, confusus, indiscretus, communis: a *pro* et *misceo. Sall. Cat.* 12. Pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere. *Pl. Rud.* 4, 4, 138. Eamus intro omnes, quando operam promiscuam damus. *Tac. A.* 12, 7. Conglobatur promiscua multitudo, *h. e.* patrum simul, et plebis. *Liv.* 4, 2. Connubia promiscua, *h. e.* plebis et patrum. *Id.* 7, 21. Consulatum promiscuum

patribus ac plebi facere. *Id.* 2, 30. *f.* Plus ibi sanguinis, promiscua omnium generum caede, quam in ipsa dimicatione, factum. *Id.* 29, 17. *med.* Nunc omnes centuriones, militesque vestros (adeo in promiscuo licentiam atque improbitatem esse voluit) Pleminios *(Q. Pleminius)* fecit. *Tac. G.* 44. Nec arma ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode. *Plin.* 21, 3, 5. Haec res in promiscuo usu est. *Id. prooem.* 14. Omnia, quae occulta ante fuerant, in promiscuo usu facta. *Tac. A.* 16, 16 *f.* Promiscua sepultura; et *ib.* 4, 16. Promiscuum jus; et *ib.* 14, 14. spectaculum, *h. e.* ad quod omnes sine discrimine admittuntur. *Id. G.* 5. *extr.* Numerus argenteorum facilior usui est promiscua ac vilia mercantibus. ℙ Cum infin. *Tac. H.* 1, 84. *f.* Quid? vos pulcherrimam hanc urbem domibus et tectis, et congestu lapidum stare creditis? Muta ista et inanima intercidere ac reparari promiscua sunt, *h. e.* omnia sine discrimine ruinae obnoxia sunt, et restitui possunt. ℙ Opponitur privato et proprio. *Id. ib.* 66. Viennenses privatis, et promiscuis copiis juvere militem. ℙ *Promiscuum nomen* grammaticis est ἐπίκοινον. V. EPICOENUM. *Quint.* 1, 4. *med.* ℙ Etiam *promiscus* olim dictum est. *Gell.* 11, 16 *f.* Varia, promiscaque, et non necessaria rerum cujusce modi plurimarum cogitatio. *Id.* 16, 13. Opinionis tam promiscae errores. ℙ Legitur etiam ab eruditis in MSS. non unis *Plauti*, et *Taciti* non uno in loco. Hinc adverbia *Promiscam* et *Promisce.*

PRŌMISSIO, onis, f. ἐπαγγελία, pollicitatio, pactio. *Cic. Att.* 8, 9. *f.* Promissio provinciae. *Id. Fam.* 4, 13. auxilii. *Id. Phil.* 8, 3. *f.* Scelerum promissio et iis, qui exspectant, perniciosa est, et iis, qui promittunt. ℙ *Promissio* et *pollicitatio*, inquit *Donat* ad *Ter. Andr.* 2, 3, 27., eandem vim habent, sed pollicitatio majoris asseverationis est.

PRŌMISSĪVĒ, adv. promittendo, cum promissione. *Tert. adv. Marc.* 4, 10. Portemus, inquit, non portabimus, praeceptive, non promissive.

PRŌMISSĪVUS, a, um, adj. quo aliquid promittimus. *P. Cons.* 2061. Et promissivum tempus, *h. e.* futurum. *Diom.* 1, 328. Modos *(verborum)* quinque esse omnes fere grammatici consentiunt: nam qui sex voluerunt, vario judicio alii promissivum, quidam impersonalem conjungunt.

PRŌMISSOR, oris, m. ἐπαγγελτής, pollicitator. *Hor. A. P.* 138. Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Adde *Quint.* 1, 5.

PRŌMISSUS, a, um, part. a *promitto:* ante aut longe missus, praemissus. *Lucr.* 4, 681. tum fissa ferarum Ungula quo tulerit gressum, promissa canum vis Ducit. ℙ Hinc productus, longus, prolixus, ἐκτεινής. *Caes. B. G.* 5, 14. Britanni capillo sunt promisso. *Nep. Dat.* 3. Capillo longo, barbaque erat promissa. *Varr.* ap. *Non.* 4, 348. et *Liv.* 38, 17. Promissae, et rutilatae comae. *Colum.* 6, 1. Boves palearibus amplis, et paene ad genua promissis. *Id.* 7, 9. Sues ventre promisso, clunibus vastis. V. PROLIXUS. ℙ Item pollicitus, pactus, ἐπαγγελμένος. *Hirt. B. Alex.* 34. Pecuniam promissam alicui persolvere. *Virg. A.* 12, 31. Promissam *(natam)* eripui genero; et *ib.* 4, 552. Non servata fides cineri promissa Sichaeo; et *ib.* 9, 107. Ergo aderat promissa dies. *Plaut. Asin.* 2, 2, 99. Operam promissam dare. *Hor. Sat.* 2, 6, 55. Militibus promissa praedia. *Cic. Verr.* 7, 72. Donum Jovi dicatum atque promissum. ℙ *Promissum, i,* promissio, ἐπάγγελμα. *Id. Att.* 4, 17. Constantiam promissi, et fidem miram! *Id. Verr.* 2, 5, 53. Satis est factum Siculis, satis officio, satis promisso nostro ac recepto. *Id. Off.* 1, 10. et *ib.* 3, 25. Promissum facere; et *ib.* 25. exigere. *Varr. R. R.* 2, 11. absolvere. *Plin. ep.* 2, 12. implere. *Cic. Verr.* 2, 3, 49. Summam promissi complere. *Id. Fam.* 3, 9. Persolvere alicui quod est promissi ac muneris. *Id. Att.* 12, 18. Voto quodam et promisso teneri. *Ov. Fast.* 3, 685. Promisso inani aliquem ludere. *Plin.* 24, 17, 99. In promisso herbarum mirabilium occurrit aliqua dicere et de magicis, *h. e.* cum promiserim me acturum de herbis mirabilibus. ℙ In plur. num. *Ter. Eun.* 2, 3, 19. Fac, sis, nunc promissa appareant. *Cic. Off.* 3, 24, Pacta et promissa servare; et *ib.* 1, 10. Illis promissis standum non est, quae coactus quis metu, quae deceptus dolo promiserit. (Sic *Virg. A.* 2, 160. manere promissis.) *Id. Planc.* 42. Alicujus promissa repetere. *Id. Fam.* 6, 17. expetere; et *ib.* 3, 11. *med.* flagitare ab aliquo. *Val. Fl.* 7, 650. reposcere aliquem. *Ter. Andr.* 4, 1. 7. perficere. *Tac. A.* 14, 7. perpetrare. *Val. Fl.* 7, 518. peragere. *Cic. Fam.* 12, 30. solvere alicui. *Catull.* 64, 139. dare alicui. (Ap. *Ov. Met.* 2, 51. et *ib.* 7, 94. dare promissa est solvere.) *Tac. A.* 13, 44. exuere; et *ib.* 12, 14. alicujus sequi; et *ib.* 15, 19. exspectare. *Id. H.* 4, 62 spernere. *Id. A.* 3, 16. Eludi ab aliquo per vana promissa. *Sall. Jug.* 82. Magnis muneribus et majoribus promissis quempiam ad studium sui perducere; et *ib.* 12. Promissis onerare aliquem. *Tac. H.* 2, 8. ingentibus corrumpere; et *ib.* 1, 74. *extr.* Promissis simul ac minis tentare aliquem; et *ib.* 3, 24. Spe et promissis accendere; et *ib.* 58. Largus promissis.

PRŌMISSUS, us, m. promissio. In sexto casu sing. *Manil.* 5, 577. flentesque parentes Promissu vita recreat.

PRŌMITTOR, oris. V. IMPORCITOR.

PRŌMITTO, is, isi, issum, a. 3. προβάλλω, ante, aut longe mitto, porro mitto, produco, profero. *Hirt. B. G.* 8, 9. Quo tutior altitudine esset, hoc audacius, longiusque tela promitteret. Ita *Aldus* 1513. et vetus editio Romana, teste *Heins.*, editio Jensonii 1471. habet *p*mitteret: aliae fere omnes *permitteret.* V. PERMITTO. *Colum.* 5, 6. *med.* Ramos vel ferro compescunt, vel longius promittunt. *Plin.* 16, 26, 44. de pinu: Nec ulla arborum avidius se promittit, *h. e.* profert, et in fructum effundit. *Id.* 10, 29, 43. de cantu lusciniae: Nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto, promittitur revocato; et 2, 25, 22. Pogoniae, quibus inferiore ex parte, in speciem barbae longae, promittitur juba. 2 *Promittere barbam, capillum,* est longiorem fieri sinere, tonsore amoto: quod in luctu fiebat. *Liv.* 6, 16. Satis constat, magnam partem plebis vestem mutasse, multos mortales capillum ac barbam promisisse. V. PROMISSUS. ℙ Fere adhibetur pro polliceri, spondere, recipere, profiteri, constituere, pacisci, ὑπισχνέομαι, ἀναδέχομαι. Nam qui pollicetur, ante et in futurum quodammodo mittit eum, cui pollicetur, vel rem, quam pollicetur, ut qui non tam facit, quam facturum se aliquando, spondet, ut ait *Vossius. Pl. Most.* 1, 3, 28. Periisti: quod jam promiseram tibi donum, perdidisti. *Petr. Sat.* 93. Hoc est, inquam, quod promiseras, ne quem hodie versum faceres? *Nep. Dat.* 10. Si rex promitteret, ut quodcumque vellet, liceret impune facere. *Cic. Fam.* 7, 5. Neque minus ei prolixe de tua voluntate promisi, quam eram solitus de mea polliceri. *Id. Mur. f.* Quem ego inimicissimum huic conjurationi futurum esse, promitto et spondeo. *Id. Fam.* 13, 8. *med.* Meque ea, quae tibi promitto ac recipio, sanctissime esse observaturum. *Id. Phil.* 5, 18. *f.* Promitto, recipio, spondeo, C. Caesarem talem semper fore. *Id Fam.* 3, 10. De me tibi sic, contestans omnes Deos, promitto, atque confirmo, me, etc. *Nep. Att.* 15. Quidquid rogabatur, religiose promittebat. *Pl. Ps.* 3, 2, 101. Promittere firmiter. *Id. Stich.* 3, 2, 27. certo. *Catull.* 109, 3. vere. *Pl. Men.* 5, 4, 6. Sanum futurum, mea id promitto fide. *Petr. Sat.* 8. Ducem se itineris humanissime promisit. ℙ Ellipsis est in his: *Cic. Top.* 4. Si quis in pariete communi demoliendo damni infecti promiserit, *h. e.* promiserit nomine damni infecti. *Id. Or.* 2, 7. Cum ille dubitaret, quod ad fratrem promiserat, *h. e.* se iturum ad coenam apud fratrem. Sic *Pl. Stich* 4, 2, 16. Ad coenam alio promisi foras. *Phaedr.* 4, 24. Ad coenam mihi promitte, *h. e.* te venturum. Adde *Petr. Sat.* 10. ℙ *Promittere sibi omnia*, credere, se omnia habiturum. *Lucan.* 7, 758. Cum sibi Tarpejas victor desponderit arces, Cum spe Romanae promiserit omnia praedae; et 2, 321. Hunc quoque totius sibi jus promittere mundi. ℙ Cum infin. praesenti. *Pl. Trin. prol.* 5. Si quidem operam dare promittitis. *Id. Cist.* 2, 2, 7. Quia ei promisi dolium vini dare. Adde *Bacch.* 4, 8, 79., *Merc.* 3, 4, 46. et *Rud.* 3, 4. *extr.* ℙ Pro affirmare, profiteri, affirmate praedicere. *Cic. Att.* 9, 7. Promitto tibi, si valebit, tegulam illum in Italia nullam relicturum; et *Pl. Rud.* 2, 5, 58. Tu promittebas mihi, illic esse quaestum maximum meretricibus. *Plin.* 37, 9, 40. Eas gemmas magorum vanitas resistere ebrietati promittit. *Id.* 20, 22, 89. Vomicas rumpere, purgare, persanare promittens. ℙ *Promittere se talem*, dare certam spem, aut signum, se talem futurum. *Sen. Controv.* 4, 29. *med.* Haterius, qui et promisit oratorem, et praestitit. *Quint. decl.* 1, 6. Interrogabo, per quae se parricidam scelera promiserit. ℙ Commode tribuitur rebus inanimis. *Sen. Hippol.* 569. Et amica ratibus ante promittet vada Incerta Syrtis. *Plin.* 31, 3, 27. Terra ipsa *(aquas)* promittit, candicantibus maculis, aut tota glauci coloris. *Id.* 35, 10, 36. *n.* 5. de pictura: Ambire enim debet se extremitas ipsa, et sic desinere, nt promittat alia post se. ℙ Pro portendere. *Flor.* 1, 6. Clarum fore, visa circa caput flamma promiserat; et *ib.* 7. *med.* Nec dubitavere cuncti, monstrum pulcherrimum imperii sedem, caputque terrarum promittere. *Plin.* 18, 31, 74. Stella, quae Vindemitor appellatur, exoriri mane incipit, vindemiae maturitatem promittens. *Val. Fl.* 6, 730. promittunt omina poenas. ℙ Pro vovere. *Petr. Sat.* 88. Antequam limen Capitolii tangunt, alius donum promittit, si, etc. *Flor.* 1, 11. Imperator pactus victoriam, templa promisit. *Tibull.* 3, 5, 33. nigras pecudes promittite Diti. *Juven.* 13, 233. Laribus cristam promittere Galli. ℙ Et licitari, seu offerre pretium rei venalis. *Plin.* 17, 1, 1. Pro domo ejus sestertium millies identidem promittens. ℙ In malam partem. *Pl. As.* 5, 2, 80. Quin surrepturum pallam promisit tibi. Etiam illud *Virg. A.* 2, 94. huc trahit *Serv.:* et me, fors si qua tulisset, Promisi ultorem, *h. e.* minatus sum. Quod verum est, si ad Ulyssem referatur; si ad Palamedem, non item. Ironia vero est in his *Ter. Heaut.* 4, 4, 6. Syrus mihi tergo poenas pendet. *Clin.* satis scite promittit tibi; et *Pl. Epid.* 1, 2, 18. Quem irrigatum plagis pistori dabo, nisi, etc. *Epid.* salva res est: bene promittit. ℙ *Promisti* syncope est pro *promisisti* ap. *Ter. Ad.* 5, 8, 17. et *Catull.* 110, 3. et *promisse* pro *promisisse* ap. *eund. ib.* 5.

*PRŌMIXTIO, onis, f. i. q. permixtio. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 20. Tunc quod promixtio maribus ac feminis laevarum mage partium existimetur, etc. ni legendum *permixtio. B. A.*

PRŌMO, is, mpsi et msi, mptum et mtum, a. 3. προχειρίζομαι, ἐκφέρω, profero, effero, in medium affero, expromo: a *pro* et *emo*, qua sumere significat. *Pl. Cist.* 1, 1, 113. Accipias claves: si quid tibi opus erit promptu, promito. *Colum.* 2, 10. *med.* Promere aliquid in usus. *Pl. Mil.* 3, 2, 16. Prompsisti tu illi vinum? *Lu.* non prompsi. *Cic. Verr.* 2, 3, 84. *med.* Cum tibi senatus ex aerario pecuniam prompsisset. *Id. Fin.* 2, 7. *f.* Medicamenta de narthecio promere. *Ov. Met.* 1, 468. Eque sagittifera promsit duo tela pharetra. *Hor. Epod.* 2, 47. vina promens dolio. *Virg. A.* 2, 260. laetique cavo se robore promunt, *h. e.* exeunt. *Colum.* 3, 12. Vites promunt se, *h. e.* pullulant, et crescunt. *Id.* 9, 13. Sameram ulmi promunt; et *Ov. Fast.* 5, 379. Nocte minus quarta promet sua sidera Chiron. *Hor. Carm. saecul.* 9. Alme sol, curru nitide diem qui Promis, et celas. *Martial.* 10, 80. gemitus imo de pectore promit. ℙ Translate. *Cic. Att.* 9, 18. Nunc certe promenda tibi sunt consilia. *Id. Or.* 1, 14. Est aliquid, quod non ex usu forensi, sed ex obscuriore aliqua scientia sit promendum, et assumendum. *Id. Top.* 2. Loci, e quibus argumenta promuntur. *Plin. ep.* 1, 10. *f.* Promere et exercere justitiam. *Id. Pan.* 66. Jubes, quae sentimus, promere in medium? proferemus. *Virg. A.* 5, 191. nunc illas promite vires, Nunc animos, quibus in Gaetulis Syrtibus usi. ℙ Saepe est eloqui, manifestare, palam facere, explicare. *Pl. As.* 1, 1, 10. Ita me obstinate aggressus, ut non audeam profecto, percunctanti quin promam omnia. *Hor. Ep.* 2, 1, 104. reclusa Mane domo vigilare, clienti promere jura. *Vell.* 2, 48. *extr.* Harum rerum ordo cum justis aliorum voluminibus promitur, tum, uti spero, nostris explicabitur. *Hor. Od.* 1, 34, 14. insignem attenuat Deus, Obscura promens. *Quint.* 1, 1. *med.* Cur improbetur, si quis ea, quae domi suae recte faceret, in publicum promit? *Id. prooem.* 8. *f.* Ea verba sunt maxime probabilia, quae sensum animi nostri optime promunt. *Petr. Sat.* 101. Jubet quemque suam sententiam promere; et *Mart.* 8, 18. Promere vulgo epigrammata. *Appul. Flor. n.* 17. Qui pueris utile carmen prompturus est.

PRŌMONSTRA, prodigia. *Festus:* nempe a *pro*, ante, et *monstro*, *as.*

PRŌMONTORĬUM, ii, n. ἄκρα, λέπας, ὄλον, eminentia in mare prominens: a *mons*, ut sit proprie mons, aut rupes in mare procurrens. Alii a *promineo* ducunt, ut sit prominentia litoris in mare procurrentis. Multa sunt enim promontoria, ubi nulli sunt montes: multi etiam montes mari incumbentes, ubi tamen nulla sunt promontoria, ut ait *Voss.* ad *Mel.* 1, 13. *Cic. Verr.* 2, 5, 56. Illi, quos a poetis accepimus sinus quosdam obsedisse maritimos, aut aliqua promontoria, aut praerupta saxa tenuisse dicuntur. *Id. Phil.* 1, 3. Leucopetra, quod est promontorium agri Rhegini. ℙ Dicitur etiam de qualibet prominentia, etiamsi ad mare non sit: ut de jugo eminenti in mediis Alpibus. *Liv.* 21, 35. Praegressus signa Annibal, in promontorio quodam, unde longe ac late prospectus erat, consistere jussis militibus, Italiam ostentat, subjectosque Alpinis montibus Circumpadanos campos. ℙ Tertiam syllabam videtur corripere *Ov. Met.* 15, 709. Inde legit Capreas, promontoriumque Minervae: at hic quatuor syllabarum fit vox, nam binae vocales *i* et *u* in unam contrahuntur, vel potius *i* naturam consonantis accipit, ut in *abiete*, *pariete*, quae saepe apud poetas trisyllabae voces sunt. ℙ Legitur et *promuntorium* in opt. codicib., quam scriptionem tuentur praeter alios *Turneb. Adv.* 13, 18. et *Voss.* ad *Mel. l. c.* *V. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* 3, 23. et notam *A. Maii* ad l. Adde 27. *B. A.*

PROMOTĬO, onis, f. προαγωγή, actus promovendi. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 28. Accensus nomen est ordinis, et promotionis in militia. *Lamprid. Anton. Diadum.* 2. Macrinus imperator dixit: Habete igitur, commilitones, pro imperio aureos ternos, et solitas promotiones, sed geminatas, *h. e.* gradus et honores militares, et quod iis debetur stipendium. *Firm. Matth.* 3, 7. *n.* 5. Augmenta vitae, promotionesque, sed cum maxima largitur infamia.

PRŌMOTOR. V. v. sq.

PROMOTUS, a, um, part. a *promoveo*, προηγμένος, ultra, seu ante motus, provectus. *Stat. Ach.* 1, 443. fervent portus, et operta carinis Stagna, suasque hiemes classis promota, suosque Attollit fluctus. *Plin.* 11, 18, 20. de apib.: Ante fores in teporem solis promotae. *Tac. H.* 4, 30. Turrim portae appropinquantem promoti contra validi asseres, et incussae trabes perfregere. *Just.* 14, 1. Exercitu in Aetoliam promoto. *Appul. Met.* 4. et 7. Nox promota. ℙ Translate ad altiorem dignitatis gradum evectus. *Lucan.* 6, 147. ibi sanguine multo Promotus, Latiam longo gerit ordine vitem. *Plin. ep.* 7, 31. Promotus ad amplissimas procurationes. *Inscr.* ap. *Grut.* 391, 4. Ti. Claudius T. F. Vitalis veter. promotus ex Leg.

XX. Vict. in Leg. IX. *Ammian.* 21, 1. Parvi habitis, quae Constantius scripserat, nulloque arbitrio ejus promotorum suscepto, praeter Nebridium, *h. e.* promotorum ab eo ad gradus honorum, ut videre est 20, 9. Unde male ex hoc loco quidam *Promotor, oris*, inter Latinas voces posuerunt. ℙ *Promota* quid sint, V. in PRODUCTUS.

PROMOTUS, us, m. promotio. *Tert. Cor. mil.* 3. *f.* Ad omnem progressum atque promotum.

PROMŌVĔO, es, ovi, otum, a. 2. προάγω, προβιβάζω, porro, seu ultra moveo, proveho, produco. *Colum.* 11, 1. Aliqua sunt opera tantummodo virium, tanquam promovendi onera, portandique. *Caes. B. C.* 2, 11. Saxa quam maxima possunt, vectibus promovent. *Plin.* 19, 5, 23. Pensiles hortos rotis in solem promovere. *Cels.* 8, 18. In palma quoque ossa interdum suis sedibus promoventur, modo in priorem partem, modo in posteriorem. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 1. In balneariis assa in alterum apodyterii angulum promovi. *Hirt. B. G.* 8, 16. Caesar legiones promovet, et turmas mittit ad insequendum. *Id. B. Afr.* 14. Equitatus subito sese extendere, et in latitudinem promovere coeperunt; et *ib.* 59. Aciem longius ab adversariorum copiis promoverat. *Liv.* 28, 44. Promovere castra ad Carthaginem. *Ter. Eun.* 5, 3, 3. *Chre.* Move vero ocius te, nutrix. *So.* moveo. *Chre.* video, sed nihil promoves; et *Phaedr.* 4, 24. Unum promorat vix pedem triclinio. *Tac. A.* 15, 4. *f.* Cum promovere scalas et machinamenta inciperent, facile detrusi, *h. e.* admovere; et *Quint.* 11, 2. *med.* Cum prior calculum promovisset, victusque esset; et *ib.* 3. *med.* Promovere manum ad sinistram intra humerum. ℙ Pro extendere, amplificare. *Ov. Am.* 2, 9, 17. Roma, nisi immensum vires promosset in orbem, Stramineis esset nunc quoque densa casis. *Suet. Ner.* 16. Ostia tenus promovere moenia. *Ov. Pont.* 2, 2, 72. imperium. ℙ Translate. *Hor. Epod.* 11, 13. Simul calentis inverecundus Deus Arcana promorat loco, *h. e.* prompserat, emiserat, ediderat. ℙ *Promovere aliquem* est evehere, provehere ad gradum aliquem dignitatis. *Lampr. Elag.* 20. Promoturus omnes turpissimos et ultimae professionis homines. *Plin. ep.* 10, 3. et *Suet. Oth.* 1. Promovere quempiam in amplissimum ordinem. *Plin. ib. ep.* 20. et *Suet. Vesp.* 16. ad praefecturam aerarii. Absolute. *Plin. Pan.* 90. *f.* Habuerat hunc honorem periculis nostris Nerva, ut nos etsi minus ut bonos, tamen promovere vellet. ℙ Interdum est juvare, conferre, proficere. *Ter. Hec.* 4, 4, 81. Abibo hinc, praesens quando promoveo parum. *Gell.* 10, 22. *f.* Futilis meditatio argutiarum, nihil ad vitam tuendam promovens. *Id.* 5, 10. Cum in studio facundiae abunde promovisset. ℙ Pro differre, in longum trahere. *Ter. Andr.* 4, 2, 27. Non satis habes, quod tibi dieculam addo, quantum huic promoveo nuptias?

PROMPTĀRĬUM. V. PROMPTUARIUS.

PROMPTĔ et Promte, adv. προθύμως, ἑτοίμως, libenter, alacriter, sine cunctatione, studiose. *Tac. A.* 15, 52. Prompte dare operam; et *ib.* 16, 10. subire necem. *Val. Max.* 4, 3. *n.* 9. pecuniam legatis distribuere. *Hirt. B. Afr.* 58. Cum tam magnis copiis essent praediti, promptiusque prosiluissent. *Tac. A.* 2, 38. Promptius adversari; et *ib.* 4, 31. Solutius promptiusque eloqui; et *H.* 1, 55. Dirumpunt imagines Galbae, quarta legio promptius, duodevicesima cunctanter. *Plin. ep.* 4, 17. *f.* Ego vero Corelliae adero promptissime. *Cels.* 2, 1. Morbi leviores sunt, et promptius finiuntur; et *Tac. H.* 1, 74. Legati apud Vitellium remanserunt, promptius, quam ut retenti viderentur. *Juven.* 10, 219. quorum si nomina quaeras, Promptius expediam, quot amaverit Hippia moechus. *Val. Max.* 6, 5. *n.* 1. Victoria promptissime licentiam subministrat.

PROMPTIM, adv. prompte. *Tert. carm. in Gen.* 98. dum dicit lumina promptim Affulsisse sibi.

PROMPTO, as, avi, atum, a. 1. frequent. a *promo. Pl. Ps.* 2, 2, 33. Supremi promptes thesauros Jovis. *Id. Bacch.* 3, 3, 61. Illum meum malum promptare malim, quam peculium: quia malum si promptet, in dies faciat minus, *h. e.* frequenter depromere, et prodigere: jocus.

PROMPTŪĀRĬUS et Promtuarius, a, um, adj. ad promendum pertinens. *Promptuaria cella*, armarium promptuarium, ubi res conduntur, subinde promendae in usum familiae, ταμιεῖον. *Cato R. R.* 11. Arca vestiaria, armarium promptuarium. Alii leg. *promptarium.* Joculariter *Pl. Amph.* 1, 1, 3. Quid faciam nunc, si tres viri me in carcerem compegerint: inde cras e promptuaria cella depromar ad flagrum? ℙ *Promptuarium* et *Promptarium* absolute, cella promptuaria *Appul. Met.* 1. Simul e promptuario oleum unctui, lintea tersui, et cetera huic eidem usui profer ociter. ℙ Translate. *Auson. ep.* 21. *f.* Aliquid reportans interim munusculi De largitate musici promptarii. Ita pro *promptuarii* metri necessitate. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Os aliis animantibus ad explendam victus necessitatem, inferendasque ventri copias comparatum est: sed homini promptuarium potius rectae rationis, et suavissimae orationis. *Sym. ep.* 9, 67. (al. 72.) Ut ornatissimae linguae tuae promptuario nunquam desit materia talium nunciorum.

PROMPTŬLUS, a, um, adj. dimin. aliquantum promptus. *Hieron. in vet. praef.* ad *Daniel. f.* Quidam e nostris satis ad loquendum promptulus.

PROMPTUS et Promtus, a, um, part. a *promo:* depromptus, eductus. *Liv.* 3, 69. *f.* Signa ex aerario prompta, delataque in campum. *Tac. A.* 15, 54. Promptum vagina pugionem, vetustate obtusum increpans, asperari saxo, et in mucronem ardescere jussit. *Arnob.* 7, 245. Habent miraculi speciem ista, si ita ut sunt prompta, humanum veniant ad auditum. ℙ Translate est in aperto positus, expositus, patens: quasi depromptus cuique ad usum. *Cic. Rosc. Am.* 40. Tametsi hoc minime latet, quod ita promptum et propositum est, ut, etc. *Id. Fin.* 1, 9. Prompta et aperta judicare. *Id. Or.* 3, 57. Discutienda sunt ea, quae obscurant, et ea, quae sunt eminentia et prompta, sumenda. *Sall. Cat.* 10. Aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habere. *Enn.* ap. *Gell.* 19, 8. Amicitiam atque inimicitiam in fronte promptam gero. *Cic. Verr.* 2, 4, 2. Se nihil tam clausum, neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum promptissimumque esset. *Tac. A.* 2, 20. Nihil ex iis Caesari incognitum: consilia, locos, prompta, occulta noverat. ℙ Item paratus, expeditus, ἕτοιμος. *Cic. Fam.* 4, 13. *f.* Cetera, quae tibi a multis prompta esse certo scio, a me sunt paratissima. *Ov. Met.* 3, 188. vellet promptas habuisse sagittas. *Tac. A.* 1, 71. Quod cuique promptum, arma, equos, aurum offerentes. *Id. ib.* 15, 19. Gratiam, honores, cuncta prompta et obvia habere. *Cic. Caecin.* 27. Qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo R. promptam expositamque praebuit. ℙ Item facilis, expeditus. *Cic. Or.* 1, 56. Utriusque rei facilis est et prompta defensio. *Liv.* 23, 1. *f.* Ab urbe oppugnanda Poenum absterruere conspecta moenia, haudquaquam prompta oppugnanti. *Tac. A.* 1, 68. Prompta expugnatio. *Id. ib.* 2, 5. possessio; et *ib.* 16, 17. At Mella, quae promptissima mortis via, exsolvit venas; et *ib.* 2, 2. *f.* Prompti aditus, obvia comitas. ℙ *Promptum est*, facile est. *Ov. Met.* 13, 10. sed nec mihi dicere promptum, Nec facere est illi. *Tac. A.* 15, 41. Domuum et templorum, quae amissa sunt, numerum inire haud promptum fuerit. ℙ *Homo promptus*, paratus ad agendum, aggrediendum, in quo nulla mora est, alacer, expeditus, strenuus, erectus, paratus. *Cic. Verr.* 2, 4, 17. Promptissimus homo, et experiens. *Caes. B. C.* 1, 3. Laudat promptos, segniores castigat. *Id. B. G.* 3, 19. *f.* Ad bella suscipienda Gallorum alacer et promptus est animus. *Cic. Fam.* 3, 11. *med.* Tuum promptum animum, et alacrem perspexi ad defendendam rempublicam. *Id. Q. Fr.* 2, 13. Hilari animo esse et prompto ad jocandum. *Id. Div. Verr.* 13. Quo paratior ad usum forensem, promptiorque esse possim. *Id. Agr.* 2, 30. Homines acres, ad vim prompti, ad seditionem parati. *Id. Brut.* 42. Prompta et parata in agendo, et in respondendo celeritas. *Id. Off.* 1, 21. Promptiores esse debemus ad nostra pericula, quam ad communia. *Nep. Them.* 1. Neque minus in rebus gerendis promptus, quam excogitandis erat. *Flor.* 4, 12. Dalmatae in latrocinia promptissimi. *Tac. A.* 15, 25. *extr.* Promptus in pavorem; et *ib.* 61. in adulationes. *Id. Agr.* 35. *extr.* Promptior in spem, et firmus adversis. *Id. A.* 6, 48. *extr.* Balbus truci eloquentia habebatur, promptus adversus insontes; et *ib.* 13, 3. Prompta et profluens eloquentia. *Liv.* 4, 3 Non promptus ingenio tantum, sed usu etiam exercitatus; et 2, 56. Aetatis ejus haud quisquam manu promptior erat; et *ib.* 45. *f.* Lingua promptus. *Tac. H.* 2, 86. Strenuus manu, sermone promptus. *Id. A.* 1, 57. et *ib.* 11, 40. audacia; et 58. animo. ℙ Cum genitivo pro ablativo, Graeca ratione. *Id. H.* 2, 23. Promptus animi. *Gell.* 10, 22. Plato veritatis amicissimus, ejusque omnibus exhibendae promptissimus. *Sall. fr.* ap. *Arus. Mess.* Belli promptissumos delegebant. ℙ Cum dativo. *Tac. A.* 4, 46. Promptus libertati, aut ad mortem animus; et *ib.* 1, 48. seditioni; et *ib.* 11, 32. ultioni; et *ib.* 15, 45. cuicumque flagitio. ℙ Cum infinito. *Lucan.* 9, 937. Jam promptum Psyllis vel gustu nosse venenum, *h. e.* facile; et *ib.* 7, 105. fortissimus ille, Qui promptus metuenda pati, *h. e.* paratus. Sic Graeci ἕτοιμος μάχεσθαι. *Stat. Th.* 7, 209. promptae superos incessere Thebae. ℙ Aliquando de iis dicitur, qui militari audacia et virtute praestant. *Tac. H.* 3, 69. Armatis occurrunt promptissimi Vitellianorum; et *ib.* 2, 25. Promptissimos praetorianorum interfecere. ℙ Item qui prudentia et constantia maxime valent. *Sall. or. Phil. contr. Lep.* Maxime vellem, rempubl. in periculis a promptissumo quoque defendi. *Tac. Agr.* 3. Multi fortuitis casibus, promptissimus quisque saevitia principis interciderunt.

PROMPTUS et Promtus, us, m. In sexto casu singulari cum verbis *sum, habeo*, etc. et *in* praepos. frequentissimus est, παρὰ πόδας, πρόχειρος, προχείρως. *Cic. Acad.* 1, 2. Ea dicam, quae mihi sunt in promptu. *Liv.* 25, 29. *f.* Omnia, quae in promptu erant, diripuere; et *Cic. Off.* 1, 30. Pertinet ad omnem officii quaestionem semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus antecedat. *Ov. Pont.* 1, 1, 23. Antonl scripta leguntur: Doctus et in promptu scrinia Brutus habet, *h. e.* in aperto, unde promi et legi ab omnibus potest. *Sall. Cat.* 1. Ea tempestate coepere se quisque magis magisque extollere, ingeniumque in promptu habere, i. e. promere, ostentare; et *or. ad Caes.* 2, 7. Occulta pericula neque facere, neque vitare, bonis in promptu est. Sic *Ov. Met.* 2, 84. Nec tibi quadrupedes animosos ignibus illis In promptu regere est, *Cic. Off.* 1, 27. Decorum ad honestatem ita pertinet, ut non recondita quadam ratione cernatur, sed sit in promptu. Sic *ib.* 35. Natura formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu: quae partes autem corporis adspectum essent deformem habiturae, eas contexit atque abdidit, i. e. sub adspectum, in aperto. *Pl. Ps.* 1, 5, 33. Insipientia est, sic iram in promptu gerere. Quanto satius est adire blandis verbis? *Lucr.* 2, 867. Nec contra pugnant, in promptu cognita quae sunt, *h. e.* quae ex facili cognoscuntur, quae cognitioni nostrae subjacent.

PROMULCUM et Promulcus, i, n. et m. idem ac remulcum. *Festus:* Promulco agi dicitur navis, cum scaphae ducitur fune.

PROMULGĀTĬO, onis, f. ἀναγόρευσις, editio, divulgatio: et fere de legibus dicitur. *Cic. Phil.* 5, 3. Ubi promulgatio trinundinum; et *ib.* 1, 10. Leges nulla promulgatione latae. *Id. Fam.* 1, 5. Subito exorta est nefaria Catonis promulgatio.

[PROMULGĀTOR, oris, m. qui promulgat. *Front. de fer. Als.* (ed. *A. Maio*) 3. Numa cenarum libator, feriarum promulgator. *F.*]

PROMULGĀTUS, a, um, part. a *promulgo:* vulgatus, editus. *Cic. Mur.* 14. Proeliis promulgatis, tollitur e medio sapientia. *Id. Phil.* 1, 10. Leges promulgatae. *Id. Att.* 1, 14. Rogatio promulgata. *Id. Fl.* 7. Res multos dies promulgata et cognita. *Suet. Ner.* 36. Conjurationes promulgatae. Alii leg. *pervulgatae:* alii *provulgatae.*

PROMULGO, as, avi, atum, a. 1. ἀναγορεύω, in vulgus emitto, palam edo, propono, divulgo. Fere dicitur de legibus, cum, antequam ferantur, per trinundinum proponuntur, ut perpendi vulgo possint. *Festus:* Promulgari leges dicuntur, cum primum in vulgus eduntur: quasi provulgari. *Cic. Q. Fr.* 2, 3. Cato legem promulgavit de imperio Lentuli abrogando. *Id. in Sen.* 2. Tribuni promulgarunt de salute mea. *Liv.* 3, 9. Dixit, se legem promulgaturum. *Sall. Jug.* 44. Mamilius rogationem ad populum promulgat, uti quaereretur in eos, quorum, etc., *h. e.* rogationem ferendam ad populum. ℙ De aliis rebus. *Plin.* 27, 3, 2. Sed majores, oculorum quoque medicamentis aconitum misceri saluberrime, promulgavere; et 33, 1, 6. Cn. Flavius dies fastos promulgaverat.

PROMULSĪDĀRE, is, et Promulsidarium, ii, n. ferculum aptum sustinendo vasi, in quo promulsis, seu gustatio, h. e. initium coenae reponitur, ὑπόθημα. *Ulp. Dig.* 34, 2, 20. *med.* Si vasa sint legata, non solum ea continentur, quae aliquid in se recipiant, edendi bibendique causa paratum; sed etiam quae aliquid sustineant: et ideo scutellas vel promulsidaria contineri. *Petr. Sat.* 31. Ceterum in promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas, etc. In *Gloss. Isid.* Pransorium, promulsarium. Alii leg. *promulsidarium.*

PROMULSIS, idis, f. cibi, quibus ante primum haustum vescebantur, caput, sive initium coenae, non tam, uti volunt, quod vice mulsi apponebatur convivis ad provocandum appetitum, quam quod daretur ante mulsum. Nam, ut scribit *Turneb. Adv.* 1, 24. et *Lips. Antiq. Lect.* 3, 1., veteres primam sitim non aliter, quam mulso sedabant, idque quod putarent, ut ait *Hor. Sat.* 2, 4, 25. vacuis venis dulcem conducere potionem. *Cic. Fam.* 9, 20. Quem tu es solitus promulside conficere, integram famem ad ovum affero. ℙ Turpem hinc metaphoram habet *Petr. Sat.* 24. *f.* ea ratione, qua ap. *Appul. Met.* 2. Veneris antecoenia. V. ANTECOENIUM. ℙ Pro promulsidario. *Tert. Pall.* 5. *med.* Drusillanus quingenariam promulsidem aedificat, *h. e.* lancem argenteam e quingentis libris.

PROMULSUS, a, um, part. ab inus. *promulceo.* V. REMULSUS.

PRŌMŬLUS, a, um, adj. V. *Capell. l. c.* in PROMINULUS *f.*

*PROMUNCTORĬUM, i, n. προμυκτήριον *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

PRŌMUS, i, m. ταμίας, cellarius: is, qui victum familiae ex cella penaria promit; qui praeest cibariis promendis. Differt a *condo.* Nam condus est, qui penora in cellam penariam recondit. Ceterum haec nomina conjungi saepe solent, quia duo haec officia fere ab eodem administrabantur. *Pl. Poen.* 3, 4, 6. Aedepol fecisti prodigum promum tibi. *Id. Ps.* 2, 2, 14. Condus, promus sum, procurator peni. *Varr. R. R.* 1, 16. Ne quis de fundo exeat praeter villicum et promum. *Colum.* 12, 3. Promis quoque, et cellariis aliquid appendentibus, aut metientibus intervenire. *Auson. ep.* 22, 20. Promusque, quam condus magis. ℙ Transfertur ad alia. *Pl. Trin.* 1, 2, 44. Ne admittam culpam, ego meo sum promus pectori, *h. e.* custos et quasi cellarius. Sic *Appul. Apol.* promum librorum appellat illum, qui libris promendis praeest. ℙ Adjective etiam usurpatur.

Tert. Resurr. carn. 27. In cellis promis caro salita, et usui reposita servatur. *Colum.* 3, 2. Cum tam suburbanus est ager, ut ratio postulet inconditum fructum mercantibus, velut promum, vendere, *h. e.* uvas non repositas vendere tanquam conditas. Sed alii rectius leg. *pomum.*

PROMUSCIS, idis, f. proboscis elephanti. *Plin.* 8, 7, 7. Promuscidem eorum facillime amputari, Pyrrhi proeliorum experimentis patuit. Ita vet. ed. 1469. et 1472.: *Hard.* et alii *proboscidem.* At etiam in *Not. Tir.* p. 174. Elephas, promuscis.

[PROMŪTŬOR, aris, dep. 1. mutuam pecuniam ante tempus accipio. *Gloss. Philox.* Promutuor, προδανείζομαι. F.]

PROMŪTŬUS, a, um, adj. ut Promutua pecunia, quae antequam debeatur, mutua accipitur. Hinc *Ulp. Dig.* 19, 2, 15. Cum quidam nave amissa vecturam, quam promutuam acceperat, repeteretur. *Scaev. ib.* 40, 7, 40. Item quaero, an eorum quoque nomine ratio haberi debeat, quod neque a conductoribus praediorum, neque a villicis pensiones exegerit, et insuper etiam promutuum eis dederit. *Caes. B. C.* 3, 32. *f.* Publicanis imperabatur insequentis anni vectigal promutuum. Hoc idem aliis verbis ita dixerat *Id. ib.* 31. Ab eisdem publicanis insequentis anni mutuam pecuniam praeceperat. V. v. praec.

*PRONAEA, ae, f. parvum flumen in Gallia Belgica, hodie *the Prüm.* *Auson.* in *Mosell. (Idyll.* 10.) *v.* 354. *B. A.*

PRONAON, vel Pronaum, i, n. porticus in anteriore templi parte columnis suffulta, supra quam fastigium quoque est: a πρὸ, ante, et ναὸς, templum. *Vitr.* 3, 1. *f.* Hypaethros decastylos est in pronao, et postico. Adde 4, 4. et 7. et 5, 1. *f. Inscr.* ap. *Grut.* 27, 2. Matri Deum, et Isidi C. Menatius C. Fil. Fab. Severus fanum refecit, et pronaum de suo fecit ex voto. Alia ap. *eund.* 214. In pronao aedis Martis.

PRONATO, as, n. 1. idem quod enato, vel natando procedo. *Hyg. Astron.* 2, 17. *f.* Delphines e toto mari pronatant ad Arionis cantum.

PRONATUS, a, um, part. a *prono*, inclinatus. *Sidon. ep.* 5, 17. Per catastropham saepe pronatus, aegre de ruinoso flexu se recolligeret. ℙ Pro *prognatus* est *Tert. Anim.* 2. *med*

PRONĔ, adv. demisse. *Paul. Petroc. Vit. S. Mart.* 4, 546. proneque secantum Ora boum abstulerant late telluris amictum. ℙ Translate est propense. *Ammian.* 30, 8. *med.* Ad exturbandos meliores pronius inclinati, *h. e.* propensiores.

PRONECTO, is, a. 3. in longum tempus necto, produco. *Stat. Silv.* 4, 3, 145. Vidi, quam seriem morantis aevi Pronectant tibi candidae sorores.

PRONĔPOS, otis, m. ἀπέγγονος, filius nepotis, vel neptis meae: et refertur ad proavum, et proaviam. *Cajus Dig.* 38, 10, 1. et *Paul. ib.* 10. *Ov. Met.* 10, 605. Namque mihi genitor Megareus Onchestius: illi Est Neptunus avus: pronepos ego regis aquarum. ℙ Licenter produxit primam et ultimam non imitandus *Sidon. carm.* 11. *f.* Cernat et in proavo, sibimet quod pronepos optet.

PRONEPTIS, is, f. ἀπεγγόνη, filia neptis, vel nepotis mei, et refertur ad proaviam, et proavum. *Cajus* et *Paul. l. c.* in v. praec. *Pers.* 6, 52. si mihi nulla Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis Nulla manet.

PRONIO, onis, m. dimin. proni. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 281, 12. Sextus Julius Montani F. Pronio. *F.*]

PRONIS, e, adj. idem quod pronus. *Varr.* ap. *Non.* 8, 94. Trabes pronis in humum accidens, proximae frangit ramos cadens.

PRONĪTAS, atis, f. κατωφέρεια, inclinatio, propensio. *Sen. praef. Decl.* Nescio qua iniquitate, et ad malum pronitate naturae, eloquentia se retro tulerit. Optimae edd. non habent illa, *et ad malum pronitate:* et videntur esse interpretatio vocis praecedentis.

PRONO, as, a. 1. inclino, pronum facio. *Sidon. ep.* 8, 11. *f.* Ipsi latrones ad pavimentum defuncti ora pronaverant.

[PRONOE, es, f. προνόη, provida. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 614, 8. Julia Pronoe. *F.*]

PRONOEA, ae, f. Πρόνοια, Stoicis erat mens mundi: a πρὸ, ante, et νοῦς, mens: Latine prudentia, vel providentia, artifex, consultrix, et provida rerum omnium. Ap. *Cic. N. D.* 1, 8. et *ib.* 2, 22. et 64. modo Graece, modo Latine scripta legitur. Adde *Gell.* 6, 1.

PRONOMEN, inis, n. ἀντωνυμία, pars orationis, quae loco nominis ponitur, et personam determinatam significat, ut *ego, tu, ipse, is, idem*, etc. *Varr. L. L.* 7, 23. et *ib.* 8, 37. et *Quint.* 9, 3. et 1, 5.

PRONOMĬNĀLIS, e, adj. ad pronomen pertinens, ut Pronominalis constructio, *Prisc.* 17, 1069.

PRONOMĬNĀTĬO, onis, f. ἀντονομασία, figura, de qua V. ANTONOMASIA.

[PRONOMĬNO, as, a. 1. aliquem significo per pronomen. *Prisc.* 17, 1064. Accidit pronomini relatio in tertia persona, per quam praedicta nomina per recordationem pronominantur, id est per pronomen significantur, ut *Juppiter postquam Troas, et Hectora navibus appulit, ipse rejecit oculos claros:* nempe Juppiter secundo loco per pronomen *ipse* significatur. *F.*]

PRONŪBANS, antis, adj. pronubam agens. *Hieron. Vita Malch. n.* 6. Pronubante nobis moestitia.

PRONŪBUS, a, um, adj. a *pro*, et *nubo*, sed mutata quantitate. *Pronuba* dicebatur mulier, quae praeerat nuptiis ex parte sponsae, ut *auspex* ex parte sponsi. Ad hoc officium adhibebatur, quae spectatae probitatis esset, et semel uni nupsisset, causa auspicii, ut matrimonio perpetuitas portenderetur, ut *Fest.*, *Varr.* ap. *Serv.* ad *A.* 4, 166. et *Tert. Exhort. ad cast.* 13. docent. Ejus munus erat sponsam ad mariti domum deducere, et in nuptiali lecto collocare. Hinc *Catull.* 61, 186. Vos bonae senibus bonis Cognitae bene feminae, Collocate puellulam. *Stat. Silv.* 1, 2, 11. Ipsa manu nuptam genitrix Aeneia ducit Lumina demissam, et dulci probitate rubentem: Ipsa toros, et sacra parat. ℙ Ipsam sponsae matrem pronubae saepe munere functam, colligunt quidam ex illo *Sen. Phoen.*, ubi et alia ejus officia significantur, 505. Non te duxit in thalamos parens Comitata primos: nec sua festas manu Ornavit aedes: nec sua laetas faces Vitta revinxit. ℙ *Pronuba* praecipue dicitur Juno, quia nuptiis universim praeest. *Virg. A.* 4, 166. et *Ov. Her.* 6, 43. ℙ Infelici conjugio pronuba esse dicitur Furiarum aliqua. *Ov. ib.* 45. et *ib.* 2, 117., *Sen. Oed.* 644., *Lucan.* 8, 90. et *Appul. Met.* 8. Nuptiis Laviniae cum Aenea Bellonam pronubam fore, minatur Juno ap. *Virg. A.* 7, 319., quia belli et caedis causa futurae erant. ℙ Poetice tribuitur aliis rebus ad nuptias pertinentibus. *Claud. IV. cons. Honor.* 642. Cum tibi prodiderit festas nox pronuba taedas. *Id. Rapt. Pros.* 1, 131. tenerum jam pronuba flamma pudorem Sollicitat. *Id. ep.* 2, 53. Et mihi quam scriptis desponderat ante puellam Conjugiis eadem pronuba dextra daret. ℙ *Pronubos* vocat *Tert. ad nat.* 1, 2. canes, qui ab Ethnicis falso dicebantur in Christianorum nocturnis coetibus ad candelabra alligati, offa injecta, eadem evertere, quo licentius exstinctis luminibus foedissimae virorum, mulierumque commixtiones fierent. *Pronubi* itaque vocantur, quia quodammodo incestis illis nuptiis faces praeferebant. V. *Tert. l. c.* in INFANTARIUS. Porro hoc idem tangit *Id. Apol.* 2. *med.* et 7. et 8. et *Minuc. Fel. Octav.* 9. ℙ Translate. *Id. carm.* 38. de magnete: Pronuba fit natura Deis, ferrumque maritat Aura tenax. ℙ In masculino, et neutro genere hujus adjectivi usum non invenio: quamvis *annulus pronubus* a quibusdam ex *Dig.* et *Cod.* adstruatur.

PRONŪMERO, as, a. 1. pernumero, adnumero. *Sidon. ep.* 2, 10. Petis, ut si qui versiculi mihi fluxerunt, hos tibi pro quadam morarum mercede pronumerem.

PRONUNTĬĀBĬLIS, e, adj. ἀποφαντικὸς, ῥητὸς, enuntiativus. *Appul. Dogm. Plat.* 3. *in.* Est una inter has (*orationis species*) quae pronuntiabilis appellatur, absolutam sententiam comprehendens sola ex omnibus veritati, aut falsitati obnoxia, quam vocat Sergius effatum, Varro proloquium, Cicero enuntiatum: familiarius dicetur propositio.

PRONUNTĬĀTĬO, onis, f. ἐκφώνησις, ἀπαγγελία, ὑπόκρισις, actus pronuntiandi, enuntiatio, prolatio. *Cic. Cluent.* 20. Oppianico re et existimatione jam, lege et pronuntiatione nondum condemnato. *Caes. B. C.* 2, 25. *f.* Curio pronuntiari navibus jubet, se in hostium habiturum loco, qui, etc. Qua pronuntiatione facta, etc. *Val. Max.* 4, 8. *n.* 5. Praeconis pronuntiatio. *Petr. Sat.* 80. Fulminatus hac pronuntiatione, etc.; et *Val. Max.* 7, 4. Cujus opera, quia appellatione nostra vix apte exprimi possunt, Graeca pronuntiatione strategemata dicuntur. ℙ Item dictum, effatum, pronuntiatum. *Cic. Fat.* 11. *f.* Quid est, cur non omnis pronuntiatio aut vera, aut falsa sit, nisi, etc.? ℙ Item sermo, oratio. *Paul. Dig.* 45, 1, 74. Stipulationum quaedam certae sunt, quaedam incertae. Certum est, quod ex ipsa pronuntiatione apparet, quid, quale, quantum sit, ut, ecce aurei decem, fundus Tusculanus, etc. ℙ De sententia judicis. *Mart. ib.* 48, 16, 1. Quorum alterutrum ipsis verbis pronuntiationis manifestatur. Nam si quidem ita pronuntiaverit, non probasti, etc. ℙ Ap. rhetores est ipsa actio, *h. e.* moderatio vocis et corporis in agendo. *Auct. ad Her.* 1, 2. Pronuntiatio est vocis, vultus, gestus moderatio cum venustate. *Cic. Inv.* 1, 7. Pronuntiatio est, ex rerum et verborum dignitate, vocis et corporis moderatio. *Quint.* 11, 3. (*quod totum de pronuntiatione est.*) Pronuntiatio a plerisque actio dicitur: sed prius nomen a voce, sequens a gestu videtur accipere Namque actionem Cicero alias quasi sermonem, alias eloquentiam quandam corporis dicit. Idem tamen duas ejus partes facit, quae sunt eaedem pronuntiationis, vocem atque motum. Quapropter utraque appellatione indifferenter uti licet. *Suet. Cal.* 53. Irato et verba, et sententiae suppetebant; pronuntiatio quoque et vox, ut neque eodem loci prae ardore consisteret, et exaudiretur a procul stantibus. *Plin. ep.* 2, 14. Fracta pronuntiatione aliquid dicere.

[PRONUNTĬĀTĪVE, adv. per modum pronuntiationis. *Donat.* ad illud *Ter. Ph.* 1, 2, 7. Nescis, quo in metu: Pronuntiative magis, quam percunctative efferendum est. *F.*]

PRONUNTĬĀTĪVUS, a, um, adj. ut Pronuntiativus modus, quo aliquid pronuntiamus, *h. e.* indicativus. *Diomed.* 1, 329.

PRONUNTĬĀTOR, oris, m. ἐκφωνητὴς, qui pronuntiat, [*palam aliquid recitat. Hujus enim significationis exemplum, quod bene *F.* adjecerat, primo loco posuimus.] *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 1, 6. Meae orationi M. Caesar actor contigit, et pronuntiator; tuaque ego opera ac voce audientibus placui. ℙ [*Hinc non sine quodam orationis vigore translatum est ad eos, qui rerum gestarum historias conscribunt.] *Cic. Brut.* 83. Thucydides enim rerum gestarum pronuntiator sincerus, et grandis etiam fuit.

PRONUNTĬĀTUM, i, n. ἀξίωμα, enuntiatio, propositio, oratio veri, vel falsi significativa. *Cic. Tusc.* 1, 7. Omne pronuntiatum, (sic enim mihi in praesentia occurrit ut appellarem ἀξίωμα: utar post alio, si invenero melius) id ergo est pronuntiatum, quod est verum, aut falsum. *Gell.* 16, 8. Quidquid dicitur plena atque perfecta verborum sententia, ut id necesse sit aut verum, aut falsum esse, id a dialecticis ἀξίωμα appellatum est, a M. Varrone proloquium, a Cicerone pronuntiatum.

PRONUNTĬĀTUS, a, um, part. a *pronuntio:* ἐκφωνηθεὶς, enuntiatus. *Cic. Par.* 3. *f.* Versus pronuntiatus syllaba una brevior, aut longior. *Gell.* 7, 10. *A* littera tractim pronuntiata. ℙ Item edictus, promulgatus. *Curt.* 10, 6. *extr.* Ipsum ad pronuntiatam praedam sequebantur. *Liv.* 24, 14. *f.* Proelium in posterum diem pronuntiato. *Hirt. B. G.* 8, 15. Fasces stramentorum, signo pronuntiato, uno tempore incenderunt. ℙ Item publice judicatus, declaratus, damnatus, aut absolutus. *Suet. Caes.* 71. Masintham nobilem juvenem, stipendiarium pronuntiatum, occultavit apud se diu. *Id. Vesp.* 3. Flaviam Domitillam duxit uxorem, ingenuam et civem Romanam pronuntiatam. *Paul. Dig.* 40, 1, 23. Sejus servus pronuntiatus.

PRONUNTĬĀTUS, us, m. pronuntiatio, enuntiatio. In sexto casu sing. *Gell.* 4, 17. Et numerus in versu, et ratio in pronuntiatu manet. *Id.* 15, 3. Quo fieret vox pronuntiatu, adituque lenior.

PRONUNTĬO et Pronuncio, as, avi, atum, a. 1. ἐκφωνέω, palam nuntio, dico, profero, enuntio. *Plin. ep.* 3, 5. *med.* Cum lector quaedam perperam pronuntiasset. *Gell.* 7, 7. Is *affatim*, ut *admodum*, prima acuta, non media, pronuntiabat; et *ib. Ad* particula satis commode accentu acuto pronuntiatur; et 13, 30. Verba corrupte pronuntiare. ℙ Saepius est recitare. *Suet. Gr.* 2. *med.* Q. Varguntejus annales Ennii certis diebus magna frequentia pronuntiabat. *Cic. Or.* 1, 61. *f.* Conjectis in os calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat. *Id. ib.* 19. *f.* Menedemus memoriter multa ex orationibus Demosthenis praeclare scripta pronuntians; (Adde *Div.* 2, 5.) et *ib.* 2, 19. Invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriae mandare, tum ad extremum agere et pronuntiare. V. PRONUNTIATIO et PRONUNTIATOR. *Quint.* 11, 3. *med.* Adhuc pejus aliqui transversum brachium proferunt, et cubito pronuntiant. ℙ Hinc pertinet ad histriones. *Varr. L. L.* 5, 7. Ideo actores pronuntiare dicun ur, quod proscenio pronuntiant, poeta cogitante. *Plin. ep.* 5, 19. Ars ejus et quasi inscriptio, comoedus, in qua plurimum facit: nam pronuntiat acriter, sapienter, apte, decenter etiam. *Plin. alter* 7, 48, 49. Lucceja mima centum annis in scena pronuntiavit. ℙ Item ad praecones, et qui palam aliquid praedicant. *Cic. Fam.* 5, 12. *f.* Praecones victorum nomina magna voce pronuntiant. *Id. Quint.* 15. *f.* Cui magistri fiunt, et domini constituuntur, qui, qua lege, et qua conditione pereat, pronuntient. *Suet. Dom.* 10. Quod eum comitiorum consularium die perperam praeco non consulem, ad populum, sed imperatorem pronuntiasset. ℙ Item ad judicem, aut magistratum edicentem aliquid, aut sententiam ferentem. *Cic. Verr.* 2, 2, 38. Palam de sella ac tribunali pronuntiat, si quis absentem Sthenium reum facere vellet, sese ejus nomen recepturum. *Id. Brut.* 22. Cum consules, re audita, amplius de consilii sententia pronuntiavissent. *Id. Off.* 3, 16. Is igitur judex ita pronuntiavit. *Id. Fin.* 2, 12. Pronuntiare sententiam. *Suet. Dom.* 11. Nunquam tristiorem sententiam sine praefatione clementiae pronuntiavit. *Plin. ep.* 6, 31. *med.* Pronuntiare de calumnia. *Tert. Resurr. carn.* 16. Pronuntiari ad bestias. *Quint.* 2, 10. *med.* Quid enim attinet probationes adhibere causae, de qua nemo sit pronuntiaturus? ℙ Urbane. *Quint.* 10, 1. Modeste, et circumspecto judicio de tantis viris pronuntiandum est, ne damnent quae non intelligunt. *Plin. ep.* 6, 18. Ego et venor, et studeo: nec tamen adhuc possum pronuntiare, utrum sit difficilius capere aliquid, an scribere. ℙ Pro creare, dicere, nominare, cum de magistratibus sermo est. *Liv.* 24, 27. Victi consensu, et seditionem metuentes, pronuntiant eos praetores. ℙ Nonnunquam est edicere. *Caes. B. G.* 5, 35. Jusserunt pronuntiari, ut impedimenta relinquerent, atque in orbem consisterent; et *ib.* 34. Duces tota acie pronuntiari jusserunt, ne quis ab loco discederet; et *ib.* 31. Pronuntiatur, prima luce ituros. ℙ Item simpliciter palam

dicere, narrare. *Id. ib.* 4, 5. Mercatores in oppidis vulgus circumsistit: quibus ex regionibus veniant, quasque ibi res cognoverint, pronuntiare cogunt; et *ib.* 7, 38. Dolore prohibeor, quae gesta sunt, pronuntiare; et *ib.* 20. *med.* Sincere pronuntiare aliquid; et *ib.* 6, 36. Alius jam capta castra pronuntiat. ℙ Item indicare, aperire. *Cic. Off.* 3, 16. Cum in venumdando rem eam scisset, et non pronuntiasset, emptori damnum praestari oportere. ℙ Item palam profiteri, et denuntiare se daturum, promittere. *Cic. Cluent.* 29. Suppressam esse ab eo pecuniam, quam pro reo pronuntiasset. *Id. Att.* 1, 16. *med.* (et *Sen. ep.* 118.) Novi est in lege hoc, ut qui nummos in tribu pronuntiarit, si non dederit, impune sit. *Liv.* 2, 20. *f.* Pronuntiare militi praemia. *Suet. Caes.* 19. nummos de suo communi nomine per centurias. *Id. ib.* 26. munus populo epulumque in filiae memoriam. *Id. Galb.* 16. militibus donativum. Absolute *Cic. Planc.* 18. *med.* Haec doce, Laterensis, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronuntiasse, divisisse, *h. e.* promisisse, divisisse pecuniam ad corrumpenda suffragia. ℙ Ad hanc notionem et illa pertinent, *Suet. Tib.* 38. Quamvis provincias quoque et exercitus revisurum se, saepe pronuntiasset; et *Ner* 21. Nioben se cantaturum, per Claudium Rufum consularem pronuntiavit. ℙ De ratione scribendi V. in NUNTIUS.

PRONUPER, adv. *νεωστὶ*, valde nuper, admodum nuper, a *pro*, et *nuper*. *Pl. Trin.* 2, 4, 26. Quas *(minas)* sponsione pronuper tu exactus es pro illo adolescente. Alii *pro* a *nuper* dirimunt, et praepositionem suo casui postponi ajunt, et *quas sponsione pro* legunt, ut sit recta constructio *pro sponsione nuper*.

PRONURUS, us, f. *προνύμφη*, nepotis mei uxor: et refertur ad prosocerum. V. PROSOCER. *Ov. Her.* 17, 206. Pronurus et magni Laomedontis ero, *h. e.* uxor Paridis, qui nepos est Laomedontis. *Modest. Dig.* 38, 10, 4. §. 6. Pater meus uxoris meae socer est, haec illi nurus: et avus meus socer magnus est, illa illi pronurus. Usurpari posse videtur etiam de uxore pronepotis, abnepotis, etc. ex *Ulp. Dig.* 23, 2, 14. §. 4.

PRONUS, a, um, adj. *πρηνὴς*, et *πρανὴς*, *προνεύων*, in anteriorem partem flexus, proclinatus, propendens, cernuus, deorsum vergens, declivis: cui *supinus* opponitur. *Cic. Div.* 1, 53. Animal omne, ut vult, ita utitur motu sui corporis, prono, obliquo, supino. *Plin.* 28, 4, 14. Supini cubitus oculis conducunt, proni tussibus, in latera adversum distillationes. *Varr. R. R.* 2, 7. *med.* Puerum imponere equo pronum in ventrem, postea sedentem. *Virg. A.* 10, 586. pronus pendens in verbera telo Admonuit bijugos; et *ib.* 11, 485. ipsum Pronum sterne solo; et *ib.* 1, 119. excutitur, pronusque magister Volvitur in caput. *Ov. Met.* 8, 378. studioque incautus eundi Pronus ab arborea cecidit radice retentus. *Sall. Jug.* 98. Ilex paulum modo prona, dein flexa, atque aucta in altitudinem. *Caes. B. G.* 4, 17. Tigna non sublicae modo directa ad perpendiculum, sed prona ac fastigiata. *Plin. ep.* 4, 30. Ampullae pronae atque vergentes. *Id. ep.* 5, 6. *med.* Demissus pronusque pulvinus. *Ov. Her.* 18, 121. et *Met.* 2, 67. Prona via; et *Catull.* 68, 59. vallis. *Sil.* 13, 336. cautes in praeruptum. *Liv.* 4, 59. Anxur urbs prona in paludes. *Tibull.* 3, 6, 6. 1, nobis prona funde Falerna manu. *Stat. Th.* 5, 255. Crateres proni, *h. e.* eversi. ℙ Est etiam versus, conversus. *Colum.* 3, 2. Campestria loca Aquiloni prona; et 1, 5. *med.* Aedificii solum pronius orienti. *Id.* 2, 9. Omne frumentum maxime campo patente, et ad solem prono, apricoque, et soluto laetatur. ℙ Dicitur etiam de eo, qui per declive decurrit. *Virg. G.* 1, 203. Pronus amnis. *Id. A.* 8, 548. pars cetera prona Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni. *Ov. Met.* 5, 423. icta viam tellus in Tartara fecit, Et pronos currus medio cratere recepit. *Catull.* 62, 51. Pronum pondus. ℙ Absolute. *Sen. ep.* 123. *f.* Per pronum ire. *Sil.* 15, 235. per prona voluti. ℙ Commode *sidus pronum*, *dies prona* dicitur, cum prope occasum est: tunc enim celerius, et per prona videntur decurrere. *Hor. Od.* 3, 27, 18. Pronus Orion. *Prop.* 1, 16, 23. Me mediae noctes, me sidera prona jacentem, etc. *Ov. Met.* 11, 257. Pronus erat Titan, inclinatoque tenebat Hesperium temone fretum. *Stat. Th.* 2, 41. Prona dies. *Sen. Ag.* 461. In astra jam lux prona, jam praeceps dies. ℙ *Pronos* etiam dicimus, qui celeri cursu feruntur: inclinatur enim in cursu corpus in anteriora. *Ov. Met.* 10, 652. cum carcere pronus uterque Emicat, et summam celeri pede libat arenam. *Id. Rem. Am.* 201. leporem pronum catulo sectare sagaci. *Hor. Od.* 4, 6, 39. de luna: celeremque pronos Volvere menses. ℙ Translate est proclivis, propensus, in utramque partem. *Hor. Ep.* 1, 18, 10. in obsequium plus aequo pronus. *Plin. Pan.* 84. Nihil est tam pronum ad simultates, quam aemulatio. *Suet. Vit.* 14. Pronus ad cujusque, et quacumque de causa necem atque supplicium. *Id. Ner.* 50. Ad poeticam pronus, carmina libenter, ac sine labore composuit. *Varr. R. R.* 1, 2. Boves mansueti, et ad domandum proni. *Tac. Agr.* 41. *f.* Pronum deterioribus principem exstimulabant. *Id. A.* 4, 29. *f.* Aures superbae, et offensioni proniores. *Flor.* 4. *f.* Pronum in omnia mala, et in luxuriam fluens saeculum. *Suet. Caes.* 50. Pronus et sumptuosus in libidines. *Sen. Octav.* 868. Animus malo pronus. *Capitol. Anton.* 10. Ad indulgentias pronissimus fuit. *Stat. Th.* 2, 391. Pronus calori, *h. e.* proclivis ad iram. *Lucan.* 5, 693. In dubios casus, et prona pericula morti, *h. e.* quasi vergentia ad mortem, eique proxima. *Liv.* 21, 28. Id pronius ad fidem est, *h. e.* credi facilius. ℙ Cum gen. *Claud. Ruf.* 2, 400. Unus per medios audendi pronior ense Prosilit exserto. *Suet. Galb.* 22. Libidinis in mares pronior. Alii rectius leg. *libidinis in mares pronioris*. *Lucan.* 1, 461. ruendi In ferrum mens prona viris. ℙ Item favens, studiosus. *Tac. H.* 1, 13. *extr.* Faventibus plerisque militum, prona in eum aula Neronis. *Suet. Galb.* 12. Germanorum cohortem remisit in patriam, quasi Cn. Dolabellae proniorem. *Stat. Silv.* 4, 8, 61. Si modo prona bonis invicti Caesaris adsint Numina. *Val. Fl.* 8, 340. Prona sententia. *Vell.* 2, 69. *f.* Quos pronior fortuna comitatur. *Tac. A.* 2, 73. *f.* Ut quis misericordia in Germanicum, aut favore in Pisonem pronior. *Id. H.* 1, 1. Pronis auribus accipere aliquid, *h. e.* libenter audientibus. *Lucan.* 5, 501. temeraria prono Expertus cessisse Deo, *h. e.* juvante, propitio. ℙ *Pronum* etiam dicitur, quod nulla difficultate impeditur, quasi in declivi positum, et decursu facile. *Tac. Agr.* 33. Omnia prona victoribus, eadem victis adversa. *Sall. Jug.* 122. Omnia virtuti suae prona esse. *Plin. Pan.* 16. *f.* Omnia haec tam prona, tamque cedentia virtutibus tuis senties, ut, etc. *Id. ep.* 8, 10. Pronum ad honores iter. *Ov. Am.* 3, 14, 47. Prona tibi vinci cupientem vincere palma est. *Just.* 1, 5. *f.* Pronam ad regnum viam ingredi. ℙ *Pronum est*, facile est. *Lucan.* 6, 606. Pronum erat, o juvenis, quos velles, inquit, in actus Invitos praebere Deos. *Stat. Silv.* 5, 3, 140. Sit pronum vicisse domi: quid Achaea mereri Praemia? Adde *Juven.* 9, 43. et *Tac. Agr.* 1.

[PROOECĀRIUM, ii, n. locus in aedibus, qui est ante oecon: a *πρὸ*, ante, et *οἰκάριον*, cellula. *Petr. Sat.* 30. Dispensatoremque in prooecario aureos numerantem deprecati sumus. Ita legend. putat *Fr. Oriolius* in *Opusc. lett. di Bologna* T. 1. p. 59. pro *precario*, quod habetur in omnib. editionibus. Nempe dispensator aureos numerabat ostentationis causa in propatulo, *h. e.* in porticu ad oecon admittente. *F.*]

PROOECONŌMĬA, ae, f. *προοικονομία*, rei futurae praeparatio et dispositio: a *πρὸ*, ante, et *οἰκονομέω*, dispenso, dispono. *Serv.* ad *A.* 5, 858. et *ib.* 9, 468. et alibi prooeconomiam dicit esse, cum illa dicuntur a poeta, per quae veri similiora, aut planiora fient, quae aliquo post intervallo dicentur.

PROOEMĬOR, aris, dep. 1. *προοιμάζομαι*, prooemio, seu exordio utor. *Plin. ep.* 2, 3. Prooemiatur apte, narrat aperte, pugnat graviter, colligit fortiter. *Sidon. ep.* 4, 3. Dum ad meum nomen prooemiaris.

PROOEMĬUM, ii, n. *προοίμιον*, exordium, principium dicendi: a *πρὸ*, ante, et *οἴμη*, cantus, vel *οἶμος*, via: de qua notatione ita *Quint.* 4, 1. *in.* Quod principium Latine, vel exordium dicitur, majore quadam ratione Graeci videntur *προοίμιον* nominasse: quia a nostris initium modo significatur, illi satis clare partem hanc esse ante ingressum rei, de qua dicendum sit, ostendunt. Nam sive propterea quod *οἴμη* cantus est, et citharoedi pauca illa, quae, antequam legitimum certamen (al. *carmen*) inchoent, emerendi favoris gratia canunt, *prooemium* cognominaverunt: oratores quoque ea, quae, priusquam causam exordiantur, ad conciliandos sibi judicum animos praeloquuntur, eadem appellatione signarunt: sive quod *οἶμον* iidem Graeci viam appellant, id, quod ante ingressum rei ponitur, sic vocare est institutum; certe prooemium est, quod apud judicem, priusquam causam cognoverit, prosit. Haec *Quintilianus*. *Cic. Or.* 2, 80. Connexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tanquam citharoedi prooemium affictum aliquod, sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur. V. PRINCIPIUM. *Id. Cluent.* 21. Paucis verbis accusat Cannutius. Incipit longo et alte petito prooemio respondere Cepasius. *Quint.* 2, 20. *f.* Prooemium et narrationem dicere. *Id.* 6, 5. Ubi prooemio utendum, et quali; narrandumne sit, et quo modo, etc. V. INSINUATIO. ℙ De principio libri, tractatus, et hujusmodi. *Cic. Att.* 16, 6. *f.* De Gloria librum ad te misi: at in eo prooemium id est, quod in Academico tertio. Id evenit ob eam rem, quod habeo volumen prooemiorum: ex eo eligere soleo, cum aliquod *σύγγραμμα* institui. Itaque jam in Tusculano, qui non meminissem, me abusum isto prooemio, conjeci id in eum librum. Cum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum: itaque statim novum prooemium exaravi: tibi misi, tu illud desecabis, hoc agglutinabis. *Id. ib.* 4, 16. In singulis libris utor prooemiis. *Id. Leg.* 2, 7. Habes legis prooemium: sic enim hoc appellat Plato. ℙ De quocumque initio. *Juven.* 3, 288. miserae cognosce prooemia rixae.

PROPĀGĀTIO, onis, f. *καπάθεσις*, actus propagandi vites. *Cic. Sen.* 15. *med.* Capitum jugatio, religatio et propagatio vitium. *Colum. Arb.* 7. Propagationum genera tria sunt in usu maxime: unum, quo virga edita a matre sulco committitur: alterum, quo ipsa mater prosternitur, atque in plures palos per suas virgas dividitur: tertium, quo vitis scinditur, etc. *Paul. Dig.* 19, 2, 24. Propagationes facere. ℙ Translate est procreatio. *Cic. Off.* 1, 17. Quae propagatio, et soboles origo est rerum publicarum. ℙ Item amplificatio, extensio, *ἔκτασις*. *Cic. Prov. cons.* 12. Finium imperii nostri propagatio. *Id. Tusc.* 1, 14. nominis. *Id. Fam.* 5, 15. *med.* Ea vita, in qua nihil insit, nisi propagatio miserrimi temporis, *h. e.* prolatio, productio; et *Tusc.* 1, 35. *extr.* Qui si mortem tum obiisset, in amplissimis fortunis occidisset, is propagatione vitae quantas hausit calamitates!

PROPĀGĀTOR, oris, m. qui propagat. *Cic. Att.* 8, 3. Ille provinciae propagator, ille absentis in omnibus adjutor. Alii leg. *prorogator*. V. PROPAGO, as. ℙ Est epitheton Jovis imperii fines propagantis. *Appul. de Mundo*, *f.* Est et Militaris, et Triumphator, et Propagator, et Tropaeophorus: et multo plura ejusmodi apud haruspices, et Romanos veteres invenies.

PROPĀGĀTUS, a, um, part. a *propago:* propagine multiplicatus. *Colum. Arb.* 7. Hoc modo propagata vitis celerrime convalescet. ℙ Translate amplificatus, auctus. *Vell.* 1, 14. Propagatae civitates, auctumque Romanum nomen communione juris. *Gell.* 20, 10. *med.* Italiae fines propagati. *Cic. Cat.* 3, 11. Eandemque diem intelligo et ad salutem urbis, et ad memoriam consulatus mei propagatam. *Gell.* 2, 24. *f.* A trecentis sestertiis ad usque duo millia sumptus coenarum propagatus.

PROPĀGES, is, f. idem quod propago. *Paul.* ex *Festo:* Propages, propagines a propagando: ut faciunt rustici, eum vitem vetulam supprimunt, ut ex ea una plures faciant. ℙ Translate est progenies. *Pacuv.* ap. *Non.* 1, 327. Salvete gemini, mea propages sanguinis. *Auson. Ephem. or.* 19., sive *Paul. Nol. carm.* 5, 19. Stirpis adoptivae meliore propage colendus.

PROPĀGĪNĀTUS, a, um, part. a *propagino*, propagatus. *Tert. Pall.* 2. *f.* Quot populi propaginati.

*PROPAGĪNO, as, a. 1. i. q. propago. *Gloss. Gr. Lat. καταφυσχεύω*, propagino. *B. A.*

PROPĀGMEN, inis, n. propagatio, productio. *Enn.* ap. *Non.* 1, 327. Nobis unde ferent fructus, vitaeque propagmen. Alii aliter leg.

PROPĀGO, as, avi, atum, a. 1. *παραφύω*, arborem, depresso in terram ramo, renovare, et multiplicare, ut in voce sequenti dicetur. *Cato R. R.* 52. Quae diligentius propagari voles, in aulas, aut in qualos pertusos propagari oportet. *Colum.* 4, 23. Castanea melius ex vicino pertica declinata propagatur. *Plin.* 17, 13, 21. Cato *(R. R.* 51.) propagari praeter vitem, tradit ficum, oleam, Punicam, malorum genera omnia, laurum, prunos, etc. *Id.* 21, 10, 34. Abrotonum cacumine suo se propagat. ℙ Translate est extendere, proferre, amplificare, multiplicare. *Cic. Div.* 2, 72. Quamobrem ut religio propaganda est; sic, etc. *Tac. A.* 12, 23. Iis qui protulere imperium, etiam terminos Urbis propagare datur. *Suet. Ner.* 18. Augere et propagare imperium. *Plin.* 5, 29, 29. Multitudo limi, qua amnis terras propagat. *Id.* 7, 55, 56. Eadem vanitas in futurum etiam se propagat. *Id.* 4, 16, 30. Romanis armis notitiam Britanniae non ultra vicinitatem silvae Caledoniae propagantibus. *Id.* 35, 2, 2. Propagare aliquid in aevum. *Id.* 15, 14, 15. cuipiam memoriam aeternam. *Tac. A.* 15, 59. *extr.* infamiam alicujus. *Cic. Sext.* 48. Mandare aliquid monumentis annalium, et posteritati propagare. *Id. Cat.* 2, 5. *med.* Meus consulatus non breve tempus, sed multa saecula propagarit reipublicae. *Id. Fin.* 5, 11. *med.* Propagare vitam aucupio. *Id. Prov. cons.* 8. Annus est integer vobis exspectandus: quo interjecto, civium calamitas, sociorum aerumna, sceleratissimorum hominum impunitas propagatur. *Flor.* 3, 17. Tantum excitavit incendium, ut hereditarium in posteros suos bellum propagaret. ℙ Item prorogare. *Suet. Aug.* 23. Praesidibus provinciarum propagavit imperium. Alii leg. *prorogavit*. Eadem lectionis varietas est *Cal.* 29. Propagari sibi commeatum saepius desiderans; et *Caes.* 24. Ut in quinquennium sibi imperium propagaretur. Dubium pariter est illud *Liv.* 23, 25. *f.* Consuli propagari in annum imperium. [*Primo et secundo *Suet.* loco longe plurimorum atque optimorum codicum numerus exhibet verbum *propagari*, quod ob ipsam hanc causam recte servarunt *edd. recentt.* V. *Oudend.* ad *Aug.* 23. Tertio *Suet.* loco, *Caes.* 24. optimi libri *prorogari*. Ceterum ita discrimen constituunt inter *prorogare* et *propagare*, ut hoc de eo, quod naturalibus causis, illud de eo, quod decreto aliquo augmentum capiat, dici contendant. *Perizon. animadvv. hist.* cp. 6. p. 229. illud ad tempus, hoc ad locum referri, a vineaque desumptum esse loquendi genus, docuit.] ℙ Item genus, stirpem, familiam procreando conservare. *Cic. Phil.* 1, 6. L. Brutus, qui et ipse regio dominatu rempublicam liberavit, et ad simile factum stirpem in prope quingentesimum annum propagavit; et *Verr.* 2, 5, 70. Cum ipsi sui generis initium, ac nominis ab se gigni et propagari vellet. ℙ Prima syllaba anceps est. *Lucr.* 5, 848. Ut propagando possint producere scaela; et *ib.* 854. Nec potuisse propagando procudere prolem. *Claud. Laud. Stil.* 1, 373. Hi propagandi ruerant pro limite regni. Idem

fortasse dicendum est de *propago* nomine; quamquam cum translate sumitur, semper correpta fuisse reperiatur. ℙ [*Confund. *propagare* et *prorogare*. V. praeter multos alios imprimis *Drakenb.* ad *Liv.* 23, 25.]

PROPAGO, inis, f. *μόσχευμα, ἐπιφυὰς*, ramus vitis vetulae, aut alterius arboris, ab ea non recisus, sed in terram depressus, atque obrutus, vel per fas fictile pertusum terraque oppletum trajectus, ut radices agens renovetur, et fructum ferat. Est a *pro*, et *pago*, pro *pango*. Duo haec propaginum genera tradit *Plin.* 17, 13, 21. et describit: item *Cato R. R.* 51. et 133. Tres propagandi rationes docet *Colum. Arb.* 7. cujus verba V. in PROPAGATIO. *Id. ib.* Virgam cum a matre in terram deprimere voles, scrobem facito ita, ut propago non laedatur alterius radicibus. *Id.* 4, 6. Ne vites pluribus flagellis emacientur: nisi si propaginibus futuris prospiciemus. *Plin.* 14, 1, 3. Deprimere vitem in propagines. *Virg. G.* 2, 26. Silvarumque aliae pressos propaginis arcus Exspectant; et *ib.* 63. Sed truncis oleae melius, propagine vites Respondent. *Plin.* 17, 10, 9. Arbores aut semine proveniunt, aut plantis radicis, aut propagine, aut avulsione, aut surculo, aut insito et consecto arboris trunco; et *ib.* 13, 21. Sabina herba propagine seritur, et avulsione; et *ib.* 20, 34. Propagines nulli faciliores, quam castaneae. Adde *Cic. Sen.* 15. ℙ Diciter et de quovis longiore ramulo, sarmento, flagello, ex quo propago fieri potest. *Fab. Pict.* ap. *Gell.* 10, 15. Propagines e vitibus altius praetentos non succidet. Ubi notand. masculin. genus. Hoc sensu accipiendum videtur et illud *Hor. Ep.* 2, 9. adulta vitium propagine Altas maritat populos. ℙ Translate est proles, progenies. *Ov. Met.* 11, 312. Alipedis de stirpe Dei versuta propago Nascitur Autolycus. *Virg. A.* 6, 871. nimium vobis Romana propago Visa potens, Superi. *Lucr.* 4, 995. At consueta domi catulorum blanda propago Degere. *Porc. Licin.* ap. *Gell.* 19, 9. Custodes ovium, teneraeque propaginis agnum. *Nemes. Cyn.* 241. de equis: Cappadocumque notas referat generosa propago. ℙ Hoc sensu prima syllaba corripitur tum in recto, tum in obliquis casibus: cum de plantis sermo est producitur. Utrumque videre licet in allatis exemplis. V. tamen v. praec.

PROPALA. V. PROPOLA.

PhOPALAM, adv. *ἐν τῷ φανερῷ*, clare, aperte, in propatulo. *Cic. Or.* 1, 35. Neque tabulis, et signis propalam collocatis. *Liv.* 34, 33. *f.* Haec propalam dicebat: illa tacita suberat cura, ne, etc. *Pl. Ep.* 1, 1, 10. Minus jam furtificus sum: rapio propalam. *Tac. A.* 6, 7. Cum primores senatus delationes exercerent, alii propalam, alii per occultum. *Tac. A.* 2, 39. *f.* Adire municipia obscuro diei, neque propalam aspici. *Pl. Mil.* 4, 8, 38. Timeo, ne hoc tandem propalam fiat nimis. ℙ *Propalam est*, manifestum est. *Terent.* 2435. Spondeon esse post trochaeum, propalam est.

PROPALĀTUS, a, um, part. a *propalo:* palam factus. *Oros.* 6, 5. Jam propalata et publica veritas.

PROPĀLO, as, a. 1. palam facio. *Sidon. ep.* 9, 11. *med.* Quae propalare dissimulat, excolere detrectat. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 2. *f.* Illud quod ista pagina propalatur, ejusdem auctor occultatur.

PROPANSUS et Propassus, a, um, part. ab inus. *propando:* expansus. *Appul. Met.* 6. Propansis utrinque pinnis affuit rapax aquila. *Id. Flor. n.* 24. Ales propassis utrisque pennis praelabitur.

[PROPĀTIOR, eris, dep. 3. antea patior. Dictum de pathico, qui prius muliebria patitur, deinde fellat. *Vet. Schol.* ad illud *Juv.* 2, 50. Hispo subit juvenes, et morbo pallet utroque: Utriusque sexus inguina lambentis, et propatientis. *F.*]

PROPĀTOR, ōris, m. *προπάτωρ*, avus, generis auctor. *Tert. Praescr.* 49. Christum autem inquit missum ab illo propatore, qui est Bythos.

PROPATRŪUS, i, m. proavi mei frater, qui et patruus major dicitur, *h. e.* patris, vel matris meae patruus magnus. *Cajus Dig.* 38, 10, 1. et *Paul. ib.* 10. *Caji* verba sunt: Quinto gradu sunt supra atavus, atavia: infra adnepos, adneptis: ex transverso fratris et sororis pronepos, proneptis: et convenienter propatruus, proamita, idest proavi frater et soror.

PROPĀTŬLUS, a, um, adj. *προφανής*, patens, apertus, sub dio positus. *Cic. Verr.* 2, 4, 49. *f.* Ante aedem Cereris in aperto ac propatulo loco signa duo sunt. ℙ [*Hinc *propatulum* substantive ponitur de loco qualicumque aperto, non incluso, omnibus patente.] *Id. fragm.* ap. *Colum.* 12, 1. Cum victus et cultus humanus non, uti feris, in propatulo, [*i. e. sub dio] ac silvestribus locis, sed domi sub tecto accurandus esset. *Liv.* 24, 16. *f.* Apparata convivia omnibus in propatulo aedium fuerant. *Plin. ep.* 1, 8. *f.* Hunc sermonem non apud populum, sed apud decuriones habui, nec in propatulo, sed in curia. *Val. Max.* 2, 5. *n.* 5. Coenare in propatulo, verecundiae non erat. [*Nep. *Hann.* 9, 3. statuas in propatulo abjicit.] ℙ Omissa praepos. *Mela* 1, 19. *med.* Mossyni notis corpus omne persignant, propatulo vescuntur. ℙ Urbane est propalam, in oculis omnium, in media luce. *Sall. Cat.* 13. Pudicitiam in propatulo habere. *Gell.* 19, 14. Varronis monumenta in propatulo, frequentique usu feruntur. *Id.* 18, 10. *med.* In promptu et in propatulo esse. [*Cf. *Tac. A.* 4, 71. et 15, 43.] *Appul. Apol.* Os, cujus in propatulo et in conspicuo usus homini creberrimus. *Id. ib.* Quid ego in propatulo et celebri agam, facile e tenebris tuis arbitraris.

PROPĚ, *ἐγγύς*, juxta, apud: [*adverb. est loci et temporis. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 266. *n.* 1. p. 243. accipit pro neutro obsoleti adjectivi *propis.*] *Cic. Fam.* 9, 7. Volebam prope alicubi esse. *Id. Sen.* 14. Prope intueri aliquid. *Ter. Ad.* 3, 2, 9. Partus instabat prope. *Pl. Rud.* 1, 4, 10. Quaenam vox mihi prope hic sonat? Quis hic loquitur prope? *Id. Cas.* 3, 5, 32. Nec quemquam prope ad se sinit adire. *Id. Most.* 2, 2, 16. Quis homo est, qui nostras aedes accessit prope? ℙ Cum ablat. et praepos. *a* vel *ab. Cic. Verr.* 2, 5, 2. *f.* In Italia bellum tam prope a Sicilia, tamen in Sicilia non fuit; et *Pis.* 11. *f.* Apud socrum tuam prope a meis aedibus sedebas. *Id. Verr.* 2, 2, 3. Tam prope ab domo detineri. *Tac. H.* 1, 10. Tam prope ab exsule fuit, quam postea a principe. *Auct. dial. de Or.* 23. Prope abest ab infirmitate, in quo sola sanitas laudatur. *Sen. ep.* 41. Prope est a te Deus: tecum est, intus est. ℙ *Prope est cum*, etc., jam jam tempus est, cum. *Ter. Andr.* 1, 1, 125. Prope adest, cum alieno more vivendum est mihi. *Pl. Men.* 5, 6, 25. Prope est, quando herus pretium exsolvet. *Id. Aul.* 2, 3, 9. Partitudo prope adest, ut fiat palam; et *Liv.* 40, 32. Jam prope erat, ut sinistrum cornu pelleretur; et 25, 21. Prope est factum, ut injussu praetoris signis convulsis in aciem exirent. ℙ Ap. JCtos saepe legitur *prope est, ut aliquid fiat*, quae verba non, ut praeferunt, dubitationem habent, sed affirmationem, et definitionem: et significant, sequitur ut ita fieri debeat. V. *Papin. Dig.* 35, 1, 69. *med.* et 45, 1, 118. et *Pompon. ib.* 3, 18. et *Paul.* 2. *Sentent. tit.* 27. et alios, quos congessit *Brisson.* ℙ Nonnunquam ponitur pro ferme, quasi, paene, propemodum. *Cic. Verr.* 2, 2, 4. Ut me prope de vitae meae statu dolore ac lacrimis suis deducerent. *Hor. Od.* 3, 8, 7. prope funeratus arboris ictu. *Caes. B. G.* 5, 20. Trinobantes, prope firmissima earum regionum civitas. *Sall. Jug.* 61. Jam scalis egressi milites prope summa ceperant. *Id. Cat.* 57. His genus, eloquentia prope aequalia fuere. *Cic. Verr.* 2, 1, 54. Excludit eum solum, cui prope dicam soli potestatem factam esse oportebat; et *ib.* 25. Eques Romanus prope annos nonaginta natus. *Id. Fam.* 7, 28. Prope desperatis his rebus; et *ib.* 4, 3. Sapientia praeditus prope singulari. *Ter. Heaut.* 1, 1, 45. Ejus filiam ille amare coepit perdite, prope jam ut pro uxore haberet. *Plin.* 2, 7, 5. Vix prope est judicare, utrum, etc. ℙ Pro omnino, admodum. *Hor. Sat.* 2, 3, 32. insanis et tu, stultique prope omnes. Tractat hic *Hor.*, quod *Cic. Tusc.* 3, 4. et 5. et *Part.* 4., nempe Stoicorum sententiam, omnes stultos insanire, docentium. Etiam *ferme* interdum hanc vim habet. ℙ [*Praepositionis loco cum accus. ponitur.] *Caes. B. G.* 1, 22. Prope hostium castra; et *ib.* 7, 36. Prope oppidum. *Virg. A.* 8, 597. Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem. *Cic. Fam.* 7, 23. *f.* Ut non modo prope me, sed plane mecum habitare posses; et *ib.* 3, 5. Prope cal. Sext. puto me Laodiceae fore. *Suet. Claud.* 44. Excruciatum doloribus nocte tota, prope lucem defecisse. *Liv.* 1, 25. *f.* Prope metum res fuerat. *Tac. H.* 3, 21. Prope seditionem ventum est. *Ulp. Dig.* 17, 1, 29. Dissoluta negligentia prope dolum est. ℙ Gradus sunt *Propius*, *Proxime*, quae V. *ss. ll.* ℙ [*Confund. *prope* et *propere:* v. *Drakenb.* ad *Liv.* 29, 31, 4. — *Prope* et *propraetoris. Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 97.]

PROPĔDIEM, adv. *αὐτίκα, ἐν βραχεῖ*, post breve tempus, brevi. *Pl. Pers.* 2, 4. 24. Te cruci ipsum propediem affigent alii. *Cic. Div.* 1, 23. *med.* Propediem te videbo. *Id. Att.* 2, 1. *f.* Prognostica mea cum oratiunculis propediem exspecta. *Sall Cat.* 59. Sperabat propediem magnas copias se habiturum.

PROPELLO, is, puli, pulsum, a. 3. *ἀπείργω, ὠθέω*, ante, aut procul pello, promoveo, procul amoveo. *Lucr.* 6, 1024. aer a tergo quasi provehit, atque propellit. *Pl. Rud.* 3, 3, 8. Qui scelestus sacerdotem anum praecipem repulit, propulit perquam indignis modis. *Lucr.* 4, 286. Atque alium prae se propellens aera volvit. *Cic. Tusc.* 4, 5. Navem remis propellere. *Ov. Her.* 21, 42. Boreas navem propellit in altum. *Prop.* 3, 21, 11. propellere remige flumen, *h. e.* remis pulsare. *Colum.* 2, 2. *f.* in priorem partem jugum. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Oves potum propellunt: et *mox:* Propellunt in pabulum. *Caes. B. C.* 1, 55. Ut venientibus resistant, atque eos propellant; et *B. G.* 4, 25. Hostes propellere, ac submovere. *Prop.* 2, 22, 39. opposita propellens suavia dextra, *h. e.* arcens. *Cels.* 7, 5. *n.* 2. Ubi apparuit mucro, si ei arundo inhaeret, propellanda est. *Gell.* 2, 30. Fluctus ab austris, qui humiliores sunt, sursum propelli. *Id. ib.* 22. *med.* Caecias nubes non procul propellit. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 4. Cum ad vota properant, cruda adhuc studia in forum propellunt. ℙ Pro dejicere, prosternere. *Val. Fl.* 6, 383. ut montis latus, aut machina muri, Quae scopulis trabibusque diu, confectaque flammis Procubuit tandem, atque ingentem propulit urbem; et 4, 311. labentem propulit heros. *Sen. Herc. Oet.* 162. Muros Oechaliae corpore propulit. ℙ Item depellere. *Ov. Met.* 8, 593. inque profundum Propulit e scopulo pariturae corpora natae. ℙ Item impellere, movere. *Lucr.* 3, 160. Esse animam cum animo conjunctam, quae cum animi vi Percussa est, exin corpus propellit, et icit. ℙ Item compellere, impellere, incitare. *Tac. A.* 11, 2. Qui terrore carceris ad voluntariam mortem propellerent; et *ib.* 6, 3. Rudes animos ad corrumpendum militiae morem propellere. *Sil.* 7, 529. torquet totas in proelia vires Poenorum ductor, propellitque agmina voce. ℙ Item propulsare, prohibere. *Liv.* 40, 11. *f.* Periculum vitae propellere a me potes, puniendo eos, qui, etc. *Id.* 7, 24. Propellere hostem a castris. *Colum.* 7, 12. Canis eligitur propellendis injuriis hominum ac ferarum. ℙ Et conjicere, jaculari. *Sil.* 16, 571. vicinam metae qui propulit hastam.

PROPĔMODO, et certius

PROPĔMODUM, adv. *ὀλίγου δεῖν, σχεδόν*, quasi, paene, prope. *Liv.* 24, 20. *med.* Cum propemodo muris accessisset. Alii aliter leg. *Pl. Ps.* 1, 3, 42. Scin', quid nos volumus? *Ba.* pol ego propemodo: ut male sit tibi. *Cic. Div.* 2, 41. Quid enim sors est? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere. *Id. Fin.* 1, 1. *med.* Ut propemodum justioribus utamur illis, qui, etc. *Id. Or.* 43. Verba componere, et syllabas propemodum dinumerare. *Pl. Men.* 5, 2, 14. Propemodum jam scio, quid siet rei. *Id. Trin.* 3, 3, 50. Tenes jam? *Ca.* propemodum. *Plin.* 34, 18, 55. Sandarachae quoque propemodum dicta natura est.

PROPEMPTĬCUM Carmen, *προπεμπτικόν*, quo abeuntem aliquem honoris et benevolentiae prosequimur, prosperaque omnia, itum, moram, reditum precamur: a *προπέμπω*, deduco, prosequor, comitor. Tale est ap. *Virg. A.* 8. a *v.* 560. Evandri ad Pallantem filium: ap. *Hor. Od.* 1, 3. ad Virgilium; et *Epod.* 1. ad Maecenatem. *Propempticon Metio Celeri* inscribitur *Statii l.* 3. silva secunda: et *Propempticon ad libellum*, carmen postremum *Sidonii.*

PROPENDENS, entis, part. a *propendeo: ἐπιῤῥέπων*, dependens, demissus. *Colum.* 7, 12. de cane: Dejectae et propendentes aures. ℙ Item pendens. *Val. Fl.* 7, 587. Incitat Aesonides dextram, inque ardentia mittit Cornua, dein totis propendens viribus haeret.

PROPENDĔO, es, ndi, nsum, n. 2. *ἐπιῤῥέπω*, ante aut deorsum pendeo, inclino, vergo: ut cum altera e lancibus praeponderans descendit. *Cic. Tusc.* 5, 17. *extr.* Qui cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa, tantum propendere illam boni lancem putat, ut terras et maria deprimat; et *ib.* 31. Vita, non solum si undique referta bonis est, sed si multo majore et graviore ex parte bona propendent, beata recte dici potest. *Plin.* 26, 7, 20. Scandens arbores, et ex ramis propendens. ℙ *Suet. Galb.* 21. Excreverat etiam in latere ejus caro, propendebatque adeo, ut aegre fascia substringeretur, *h. e.* exstando pendebat. V. PROPENSUS. ℙ Translate propensum animo esse erga aliquem. *Cic. Or.* 2, 54. *med.* Si se dant, et sua sponte, quo impellimus, inclinant atque propendent, accipio quod datur; et *ib.* 29. *med.* Necesse est, ut is, qui nobis causam adjudicaturus sit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut, etc.

PROPENDO, is, n. 3. V. DEPENDO.

PROPENDŬLUS, a, um, adj. pendens in anteriorem partem, ut Propenduli crines, ap. *Appul. Flor. n.* 3. V. l. in ANTEVENTULUS.

PROPENSĔ, adv. *ἐπιῤῥεπῶς*, ex animo, cum inclinatione, aut propensione. *Lentulus* ad *S. P. Q. R.* ap. *Cic. Fam.* 12, 15. *med.* Ut hanc concordiam et conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem propense non crederent esse factam. *Liv.* 37, 52. Propensius cumulatiusque, prout ejus merita sint, senatum facturum. *Appul. Flor. n.* 20. Eoque propensius laudandus est, quod, etc.

PROPENSIO, onis, f. *ἐπιῤῥοπή, προθυμία*, inclinatio. *Cic. Fin.* 4, 17. Qui nulla in re, nisi in virtute, aut vitio propensionem, ne minimi quidem momenti, ad summum bonum adipiscendum esse diceret.

PROPENSUS, a, um, part. a *propendeo: ἐπιῤῥέπης*, propendens, inclinatus, protentus. *Pers.* 1, 57. Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstat. *Solin.* 20. Alces mulis comparanda adeo propenso labro superiore, ut nisi recedens pasci non queat. *Capitol. Gord.* 19. Ex quibus omnibus *(concubinis)* ternos et quaternos filius reliquit; appellatusque est sui temporis Priamus, quem vulgo jocantes, quod esset natura propensior, Priapum, non Priamum, saepe vocitarunt, *h. e.* mentulatior. ℙ Fere translate sumitur. *Cic. Rosc. Am.* 30. Non tam propensus ad misericordiam, quam inclinatus ad severitatem videbatur. *Id. Tusc.* 4, 37. *f.* Ut quisque natura ad aliquem morbum proclivior, sic animus alius ad alia vitia propensior. *Id. Off.* 1, 30. Si quis est paulo ad voluptates propensior. *Id. Fam.* 4, 13. Videor mihi prospicere ipsius animum propensum ad salutem tuam. *Id. N. D.* 3. *extr.* Disputatio Balbi mihi ad veritatis similitudinem videretur esse propensior.

Id. Mur. 31. Non tu quidem vir melior esses, sed paulo ad lenitatem propensior. *Id. Off.* 2, 18. Propensior benignitas esse debebit in calamitosos; et *ib.* 20. A quo expeditior et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior. *Id. Att.* 8, 3. *med.* Infimus quisque propensus in alteram partem. *Id. ib.* 13, 21. *f.* et *Liv.* 37, 54. Propenso animo aliquid facere. *Hirt. B. Alex.* 26. Magnae copiae, quas celeriter et propensissima civitatum voluntate, et sua diligentia confecerat. *Ov. Met.* 14, 706. Sollicita petiit propensum voce favorem. ℙ Cum dativo. *Just.* 16, 1. In divisione regni propensior fuisse Alexandro videbatur. ℙ *Propensa munera*, quae propenso animo dantur, atque adeo magna, pretiosa, vel simpliciter ponderosa. *Auct. argum. Truc. Plaut.* Natique causa dat propensa munera. ℙ Haec omnia a lancibus translata sunt, quarum quae ponderosior, deprimitur ac propendet, seu deorsum inclinatur et vergit. *Cic. Par.* 3, 2. Causa igitur haec, non natura distinguit: quae quoniam utro accessit, id fit propensius; si utroque adjuncta sit, paria fiant necesse est. *Pl. Bacch.* 3, 4, 15. Verum, quam illa unquam de mea pecunia ramenta fiat plumea propensior, mendicum malim mendicando vincere, *h. e.* ponderosior ac ditior. Adde *ib.* 22.

PRŌPĔRĂBĪLIS, e, adj. properans, celer. *Tert. Anim.* 43. Dispensatio ciborum per somnum non facile procederet calore properabili, et rigore tardabili.

PRŌPĔRANS, antis, part. a *propero: ἐπείγων*, festinus, citus, celer. *Cic. Att.* 4, 4. Haec properantes scripsimus. *Ov. Pont.* 3, 5, 9. Lingua properante legere. *Sen. Herc. Fur.* 772. Siste properantem gradum. *Claud. in Ruf.* 2, 337. Festinamque rotam solito properantior urget.

PRŌPĔRANTER, adv. celeriter. *Lucr.* 5, 301. Usque adeo properanter ab omnibus ignibus ejus, etc. *Sall. Jug.* 101. Beneficia invitus accipere: sed ea properantius, quam aes mutuum, reddere. *Tac. A.* 16, 24. Eos codicillos Nero properanter accepit, spe, exterritum Thraseam scripsisse. *Ov. Fast.* 4, 673. Hanc quondam Cytherea diem properantius ire Jussit, et aetherios praecipitavit equos. *Sil.* 7, 746. mille hinc Caespite de viridi surgunt properantius arae. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 11, 30. 8. Quaecumque ad instructionem pertinent causae, ad comitatum nostrum properantissime volumus adferri.

PRŌPĔRANTĬA, ae, f. idem ac properatio. *Sall. Jug.* 40. *extr.* Neque ex tanta properantia tam facile tractum bellum, socordia magis, quam dolo, crederent. *Tac. A.* 12, 20. Taedium ex mora, periculum ex properantia.

PRŌPĔRĀTIM, adv. idem ac properato. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 651 et 663. Properatim in tenebris istuc confectum est opus. *Pompon. ib.* Pergis properatim. Adde *Sisenn.* ap. *Gell.* 12, 15.

PRŌPĔRĀTĬO, onis, f. *σπουδή, ἔπειξις*, actus properandi, festinatio. *Q. Cic.* ad *Tir. Fam.* 16, 27. Nam quae parcius frater perscripserat, verecundia videlicet et properatione. *Cic. ib.* 5, 12. Sed ad properationem meam quiddam interest, te non exspectare, dum, etc.

PRŌPĔRĀTO, adv. *ἐπειγομένως*, festinanter, celeriter. *Tac. A.* 13, 1. Neque minus properato Narcissus Claudii libertus ad mortem agitur.

PRŌPĔRĀTUS, a, um, part. a *propero; ἐπειγόμενος*, propere factus, festinatus, acceleratus. *Sall. Jug.* 120. Properatum iter. *Virg. G.* 1, 196. quamvis igni exiguo properata maderent. *Tac. A.* 2, 6. Properatae naves; et *ib.* 80. Tela agrestia ad subitum usum properata. *Ov. Her.* 18, 113. Properata oscula congerere. *Id. Met.* 9, 586. Properatae tabellae. *Id. Pont.* 2, 11, 1. brevi *(opus)* properatum tempore. *Id. Trist.* 3, 3, 34. properata mors. *Id. Met.* 15, 748. gloria rerum. *Mart.* 10, 50. meta curribus, *h. e.* propere decursa. ℙ *Properato opus est*, properandum est. *Cic. Mil.* 19. Erat nihil, cur properato opus esset.. *Pl. Mil.* 3, 1, 210. Ergo accurato et properato opus est. ℙ Comp. *Properatior* ap. *Solin.* 26. Lucinae illis *(ursis)* properatius tempus est, quippe uterum trigesimus dies liberat.

PRŌPĔRĔ, adv. *σπουδαίως, ἐπειγομένως*, properanter, studiose, celeriter, festinanter. *Nep. Fp.* 4. Egredere propere, ne alios corrumpas. *Liv.* 23, 36. Cumas se propere recepit. *Virg. A.* 9, 801. Sed manus e castris propere coit omnis in unum. *Pl. Amph.* 5, 1, 10. Ut subito, ut propere, ut valide tonuit! *Id. Aul.* 2, 2, 86. Sequere propere me ad macellum strenue. ℙ Ad significandam summam festinationem sunt illa *ejusd. ib.* 2, 8, 23. Occidor, nisi intro huc propere propero currere; et *Cas.* 3, 6, 17. Propere, cito introite, et cito deproperate; et *Cist.* 3, 8. Ut aliquis intus prodeat propere ocius; et *Curc.* 2, 3, 4. Ita nunc subito, propere, et celere objectum est mihi negotium; et *Rud.* 5, 2, 36. Eloquere propere celeriter; et *Stich.* 2, 2, 13. Ita celeri curriculo fui propere a portu; et *Trin.* 4, 3, 1. Fac te propere celerem.

PRŌPĔRĪPES, ĕdis, adj. celeripes, velox. *Catull.* 63, 34. de Aty: Rapidae ducem sequuntur Gallae properipedem. Ita *Voss.*, alii rectius *pede propero.*

PRŌPĔRĬTER, adv. idem quod propere, sed antiquius. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 663. Classem in altum properiter deducere. *Accius ib.* et 4, 199. Properiter navem in fugam tradunt. *Catull.* (corrige *Serenus*) ap. *eund.* 11, 63. Animula miserula properiter abit. Corrige *abiit.* Adde *Appul.* non semel, et *Auson. Parent.* 27.

PRŌPĔRO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπείγω, σπεύδω*, festino, celeritate utor, maturo: a *properus:* vel a *pro*, et *paro*, quasi ante alia paro. De discrimine inter hoc, et *festino*, V. FESTINO: inter hoc, et *maturo*, V. MĀTURO et MATURE. *Pl. Men.* 3, 3, 30. Propera, fer pedem, confer gradum. *Id. Curc.* 2, 2, 33. Properatin' ocius? *Sall. Jug.* 79. Neque in ullo loco amplius una die, aut una nocte moratus, simulabat sese negotii causa properare. *Ov. Her.* 5, 31. Xanthe, retro propera. *Caes. B. C.* 2, 20. Hoc magis properare Varro, ut cum legionibus quamprimum Gades contenderet; et *ib.* 3, 39. Proinde ad praedam, ad gloriam properate. *Sall. Jug.* 22. De Carthagine silere melius puto, quoniam alio properare tempus monet. *Id. in or. Macri Licin. ad pleb. med.* Ultro licentiam in vos auctum, atque adjutum properatis. *Ov. Met.* 6, 201. Ite sacris, properate sacris, *h. e.* festinate discedere a sacris. *Cic. Fam.* 12, 25. *med.* Ventis, remis in patriam omni festinatione properavi. *Id. Mil.* 19. Quae causa, cur Romam properaret? *Lucan.* 8, 658. properantem in fata tenetis, *h. e.* ruentem ad mortem. ℙ In his semper infinitivus aliquis subintelligitur: qui saepe etiam exprimitur. *Cic. Prov. cons.* 14. Si in patriam, si ad Deos penates redire properaret. *Pl. Curc.* 5, 3, 10. Sta, sis, illico, atque argentum propere propera vomere. *Virg. A.* 4, 310. Et mediis properas aquilonibus ire per altum. *Sall. Jug.* 60. *f.* Ni Marius signa inferre properavisset. *Id. Cat.* 7. Quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat, *h. e.* studebat; et *Plin.* 15, 14, 15. Mala prima adventu, et decerpi properantia. ℙ Frequenter etiam accusativus additur, sive malis infinitivum subintelligere, sive non. *Virg. G.* 4, 17. lentis Cyclopes fulmina massis Cum properant. *Hor. Od.* 3, 24, 62. Indignoque pecuniam Heredi properat: sc. parare, conficere divitias. *Virg. A.* 9, 401. et pulcram properet per vulnera mortem: sc. adire, oppetere. *Tibull.* 4, 1, 205. Seu matura dies celerem properat mihi mortem: sc. parare. *Pl. Cas.* 2, 8, 57. Abi, atque obsonia propera. *Id. fragm.* ap. *Serv.* ad *G.* 4, 171. Properare prandium. *Prop.* 3, 20, 21. laborem. *Tac. H.* 3, 40. coeptum iter. *Id. A.* 2, 22 dedicationem; et *ib.* 4, 69. accusationem; et *ib.* 11, 37. caedem; et *ib.* 2, 6. naves; et *ib.* 3, 66. *extr.* Quod multos etiam bonos pessum dedit, qui spretis quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio properant. *Pl. Aul.* 2, 3, 3. Vascula intus pure propera atque elue, *h. e.* propera eluere. Alii leg. *propere expedi, atque elue:* Alii aliter. V. *Taubmann.* ℙ Passive. *Hor. Epod.* 12, 21. Muricibus Tyriis iteratae vellera lanae, Cui properabantur? *Virg. G.* 1, 260. Multa, forent quae mox coelo properanda sereno, Maturare datur. *Ov. Am.* 3, 1, 69. teneri properentur amores, Dum vacat, *h. e.* canantur, scribantur. *Val. Fl.* 4, 573. fuga nunc medio properanda recursu. *Plin. Pan.* 51. Hinc porticus, inde delubra occulta celeritate properantur. ℙ Et passive impersonaliter. *Cic. Sull.* 19. Properatum vehementer, cum longe tempus muneris abesset. ℙ *Properare* absolute, celeriter ire. *Mart. Spect.* 25. Parcite, dum propero: mergite, dum redeo, *h. e.* ire festino.

PRŌPERTĬUS. Sex. Aurelius Propertius, ex Umbria, poeta Latinus elegantissimus, magni spiritus, et poeticae eruditionis copia supra ceteros insignis, quem facundum vocat *Mart.* 14, 189., lascivum 8, 73., blandum *Ov. Trist.* 2, 465. et *ib.* 5, 1, 17., tenerum *Id. A. Am.* 3, 333., laudat etiam impense *Plin. ep.* 9, 22. Vixit *Ovidio* paulo antiquior, creditur obiisse mortem, eo trigesimum circiter vitae annum agente, ante Christum X. Ejus elegiarum quatuor libros de Cynthiae amoribus tanti aestimat *Quint.* 10, 1., ut inter ea recenseat, quae in hoc genere Graecis opponere Romana eloquentia possit, eosque etiam certa cum spe vincendi provocare. *Ov. Trist.* 4, 16, 53. Successor fuit hic *(Tibullus)* tibi, Galle, Propertius illi: Quartus ab his serie temporis ipse fui.

PRŌPĔRUS, a, um, adj. *σπουδαῖος*, festinus, celer, velox: a *prope. Virg. A.* 12, 85. Circumstant properi aurigae. *Ov. Met.* 7, 647. Ecce venit Telamon properus. *Val. Fl.* 4, 176. Terga sequi, properosque jubet conjungere gressus. *Tac. H.* 4, 79. Simul Cerialis propero agmine subvenit; et *ib.* 68. Ille spe ac juventa properus, hic moras nectens. *Id. A.* 1, 65. Sibi quisque properus, et lentae adversum imperia aures. ℙ Cum infin. *Id. ib.* 4, 52. Quoquo facinore properus clarescere. ℙ Cum genit. *Id. ib.* 12, 66. Agrippina sceleris olim certa, et oblatae occasionis propera; et *ib.* 4, 59. Liberti et clientes ascendae potentiae properi; et *ib.* 14, 7. Vindictae propera; et *ib.* 11, 26. Properus irae. ℙ Properam pro celeri ac strenua dixisse antiquos, testimonio est Cato, cum ait in libro de re militari: Tertia e castris eductio celeris properaque est. *Festus.*

PRŌPES, ĕdis, m. funis, quo pes veli alligatur, quasi prope pedes: de quo Turpilius: Quasi cum secundus ventus fert navim in mari, si quis propedem misit, si velis, (al. *in veli*) sinistrum. Haec *Isid. Or.* 19, 4., quem penes sit fides.

PROPETRĀRE, mandare quod perficiatur: nam impetrare est exorare, et perpetrare perficere. *Festus.* Quidam lexicographi afferunt fragmentum ex *Accio:* Age vero propetra, quod coepisti fieri.

PROPEXUS, a, um, part. ab inus. *propecto:* in longum pexus. *Virg. A.* 10, 838. fusus propexam in pectore barbam. (Ubi *Serv.: propexam* quis ante hunc? Respondeo ego: *Accius* apud te ipsum ad *A.* 12, 605. Nam florei crines, vide, ut propexi jacent! *h. e.* demissi, non collecti.) *Pierius:* Malunt nonnulli *perpexam:* sed *propexam* in antiquioribus habetur. *Ov. Fast.* 1, 259. manu mulcens propexam ad pectora barbam. *Stat. Theb.* 2, 97. propexaque mento Canities. *Sil* 13, 310. propexis in pectora barbis Verrere humum.

PROPHĒTA et Prophetes, ae, m. *προφήτης*, qui futura praedicit, a se primum intellecta, vates, divinus: a *πρόφημι*, praedico. Porro *propheta* apud Graecos, et Latinos non quilibet fani alicujus antistes dicebatur, sed qui iis templis praepositus erat, ubi oraculum esset, cujus ille responsa interpretabatur. *Inscr.* ap. *Oderic. Syllog.* p. 238. C. Rufius Volusianus V. C. pater hierophanta, propheta Isidis, pontifex Dei Solis vot. solvi. *Festus:* Prophetas in Adrasto Julius nominat antistites fanorum, oraculorumque interpretes: Cum capita viridi lauro velare imperant Prophetae, sancta caste qui putant (al. *purant*) sacra. *Appul. de Mundo in.* Veluti prophetae quidam, Deorum majestate completi, effantur ceteris, quae divino beneficio soli vident. *Macr. Sat.* 7, 13. Verum est, ita Aegyptios opinari, ut ego sacerdotes eorum, quos prophetas vocant, cum vidissem, etc. Adde *Appul. Herb. omnib. fere capitib.*, ubi intelliguntur magi, qui religionem medicinae admiscebant. Adde etiam alterum *Appul. Met.* 2., ubi Zachiam quendam Aegyptium prophetam primarium nominat magiae peritum et defunctorum animas ab Inferis excitantem. ℙ In Sacris Litteris, et apud Christianos scriptores sunt prophetae viri sancti, qui a Deo illustrati multa praedixerunt de Messia, de Hebraeorum captivitate, de fine bonorum et malorum hominum, etc. *Lactant.* 1, 4. et 4, 11., *Tert., August., Hieron.* etc. ℙ *Rectum *prophetes* habes ap. *Jul. Valer. res gest Alex. M. c.* 92. *in.* ed. *A Maio. Propheta* in nominativo habet *Tert. carm' adv. Marc.* 3, 129. Magnus rex atque propheta: *de Davide. B. A.*

PROPHĒTĀLIS, e, adj. *προφητικὸς*, ad prophetam pertinens. *Hieron. ep.* 54. *n.* 17. Prophetale os. *Id. ep.* 68. *n.* 1. Spiritu prophetali longe post futura prospicere.

PROPHĒTĀTUS, a, um, part. a *propheto*, praedictus. *Tert. contr. Marc.* 3, 19. *f.* Nisi si nec mortem volet Christi prophetatam.

PROPHĒTĬA, ae, f. *προφητεία*, praedictio, vaticinium. *Tert. Anim.* 35. *f.*, *Hieron.*, *August.*

PROPHĒTĬĀLIS, e, adj. ad prophetiam pertinens, ut Prophetiale patrocinium, *Tert. adv. Valent.* 28.

PROPHĒTĬCĒ, adv. *προφητικῶς*, divinando, praedicendo. *Tert. Monog.* 4. Prophetice dictum est: Et erunt duo in unam carnem.

PROPHĒTĬCUS, a, um, adj. *προφητικὸς*, ad prophetam pertinens, prophetalis. *Tert. Cor. mil.* 7. Moyses propheticus, non poeticus pastor. *Prud. Cath.* 7, 179. Praenuntiatus ore qui prophetico Emmanuel est.

PROPHĒTIS, idis, f. *προφῆτις*, et

PROPHĒTISSĀ, ae, f. mulier divinans. *Tert. Resurr. carn.* 11. De quibus luculenter Paracletus per prophetidem priscam. *Id. Praescr.* 51. *f.* Cujusdam puellae, quam quasi prophetissam sequitur. Adde *Hieron. ep.* 54. *n.* 17.

*PROPHĒTĬZO, as, a. 1. propheto. *Vulg. Matth.* 26, 68. Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit? *B. A.*

PROPHĒTO, as, a. 1. *προφητεύω*, praedico, divino, vaticinor. *Tert. Resurr. carn.* 28. Scimus autem, sicut vocibus, ita et rebus prophetatum. *Prud. περὶ στεφ.* 13, 101. Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat. *Tert. Anim.* 47. Servi prophetaturi.

*PROPHTHASĬA, ae, f. *Προφθασία*, opp. Asiae ulterioris, in Drangiana. *Plin.* 5, 17. *B. A.*

[PROPĬĀTUS, a, um, part. a *propio*, appropinquatus. *Paul Nol. carm.* 27, 405. de vitula: Verum ubi jam propiata jugo conspexit habenas. *F.*]

PROPĪLO. V. PRAEPILATUS.

PROPĪNA, ae, f. *Isid. Or.* 15, 2. *f.* Popina Graecus sermo est, qui apud nos corrupte propina dicitur. Est autem locus juxta balnea publica, ubi post lavacrum a fame et siti reficiuntur, unde et propina, et propinare dicitur: *πεῖνα* enim Graece famem significat, eo quod hic locus famem tollat. Ceterum fallitur hic *Isid.*, qui putat *propinam*, locum nempe qui prius popina dicebatur, a *πεῖνα* derivandum, cum potius vulgus eum locum ita appellasse constet, quia ibidem non modo opipare esitare, sed etiam affatim bibere solebant ganeones illi; ideoque vulgus *propinam* a *προπίνω*, poculo provoco, eum locum appellasse. *F.*]

PROPĪNĀTĬO, onis, f. *πρόποσις*, actus propinan-

di, id est porrigendi praegustati poculi, et ad bibendum invitandi, vel denique ad salutem alicujus bibendi. *Petr. Sat.* 113. Nec Giton me aut tralaticia propinatione dignum judicabat, aut, quod minimum est, sermone communi vocabat. *Sen. Ira* 2, 33. *f.* Propinationibus crebris aliquem lacessere. *Id. Ben.* 2, 21. Ego ab eo beneficium accipiam, a quo propinationem accepturus non sim? ℙ Sumi etiam videtur pro comissatione. *Gell.* 10, 17. Sumptum plurimum, *ἀσωτίαν τε*, et propinationem adolescentis filii deplorantis. Alii leg. aliter. In vet. *Inscr.* ap. *Grut.* 753, 4. P. Appius P. F. Eutyches ad colendam memoriam Albiniae Vettii F. Valerianae certam pecuniae summam legat collegio dendrophor., ex qua propinationem praebeant, etc. Videtur itaque his comissatio seu coena funebris significari.

PROPINĀTOR, oris, m. *προποτης*, qui propinat. *Ov. A. Am.* 1, 587. Inde propinator nimirum multa propinet. Alii leg. multo rectius: *Inde procurator nimirum quoque multa procurat.*

PROPĪNO, as, avi, atum, a. 1. *προπίνω*, est praebibere, seu praegustato leviter vino poculum alteri offerre. Haec consuetudo a Graecis originem habuit. Nam principes Graeciae solemni die, quem *φιλοτησίαν* vocabant, miscere aureis, atque argenteis poculis vina solebant, quae e manu gestantium sumentes, ori parumper admovebant, deinde alteri, quem vellent, offerebant, ingens hoc argumentum benevolentiae existimantes. Exemplum habes ap. *Virg. A.* 1. a *v.* 732. in convivio Didonis. *Mart.* 2, 15. de homine foetidi oris: Quod nulli calicem tuum propinas, Humane facis, Herme, non superbe: *scil.* quia ore impuro es. *Id.* 8, 6. Hac propinavit Bytiae pulcherrima Dido In patera. *Juven.* 5, 127. quando propinat Virro tibi, sumisque tuis contacta labellis Pocula. *Cic. Tusc.* 1, 40. Cum venenum, ut sitiens, obduxisset, reliquum sic e poculo ejecit, ut id resonaret: quo sonitu reddito, arridens, Propino, inquit, hoc pulcro Critiae: qui in eum fuerat taeterrimus. Graeci enim in conviviis solent nominare, cui poculum tradituri sunt. (*Val. Max.* 3, 2. *n.* 6. *extr.*) *Pl. Curc.* 2, 3, 8. Propino poculum magnum: ille ebibit. *Mart.* 6, 44. At si ego non belle, sed vere dixero quiddam, Nemo propinabit, Calliodore, tibi, *h. e.* nemo praegustatum poculum tibi tradet impuri oris homini, ne postea, iterum bibere volens, eo uti cogatur. ℙ Cum dixit parasitus ap. *Pl. Stich.* 3, 2, 15. Dii dent quae velis. Propino tibi salutem plenis faucibus: voluit dicere, salvum te esse maxime cupio. Usurpavit autem formulam compotorum, et parasitorum propriam. ℙ Videtur etiam adhiberi simpliciter pro dare bibere, vinum bibendum praebere. *Mart.* 10, 49. Cum potes amethystinos trientes, Et nigro madeas Opimiano, Propinas modo conditum Sabinum, Et dicis mihi, Cotta, vis in auro? Quisquam plumbea vina vult in auro? et 3, 82. Ligurumque nobis saxa cum ministrentur, Vel cocta fumis musta Massilianis, Opimianum morionibus nectar Crystallinisque, myrrhinisque propinat. ℙ Interdum refertur ad cibum. *Capitol. M. Aurel.* 15. Ut parte cultri veneno lita vulvam inciderit, venenatam partem fratri edendam propinans, et sibi innoxiam reservans. ℙ De medicis pharmacum praebentibus. *Plin.* 28, 1, 2. Artemon calvaria interfecti propinavit aquam e fonte noctu comitialibus morbis. *Id.* 20, 10, 66. Quidam ad vulvae dolorem radicem asparagi cum vino dulci propinant. *Id.* 25, 2, 5. Nepenthes omnibus mortalibus propinandum. Adde 28, 16, 61. et 21, 20, 84. ℙ Translate. *Ter. Eun. f.* Hunc comedendum, et deridendum vobis propino, *h. e.* trado vobis in manus, et in potestatem. *Enn.* ap. *Non.* 1, 140. et 2, 544. Enni poeta salve, qui mortalibus Versus propinas flammeos medullitus. *Appul. Met.* 5. Nec vitricum tuum, fortissimum illum bellatorem, metuis. Quidni? cui saepius, in angorem mei pellicatus, puellas propinare consuesti, *h. e.* conciliare, praegustandas deducere, V. PRAEGUSTATOR. Verba sunt Veneris ad Cupidinem.

PROPINQUE, adv. *πλησίως*, prope, in propinquo. *Pl. Truc.* 2, 7, 21. At at eccam, adest propinque. Adde 2, 6, 18. [*Front.* ad *Anton. Imp.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2, 2. Atticis propinque thymum, serpyllumque Hymettium ruminantibus viris. *F.*]

PROPINQUĪTAS, atis, f. *ἐγγύτης*, vicinitas, vicinia. *Cic. Inv.* 1, 26. Loci opportunitas quaeritur ex magnitudine, intervallo, longinquitate, propinquitate, etc. *Id. Off.* 3, 11. Nimis imminebat propter propinquitatem Aegina Piraeeo. *Id. Phil.* 3, 6. Municipium propinquitate paene finitimum. *Caes. B. G.* 2, 21. Propter celeritatem et propinquitatem hostium. *Id. B. C.* 2, 16. Tormentorum usum spatio propinquitatis interire. *Id. B. G.* 2, 31. Ex propinquitate pugnare, i. e. ex propinquo; et *ib.* 6, 29. Vitandi aestus causa plerumque silvarum ac fluminum petunt propinquitates. ℙ Translate significat conjunctionem sanguinis, affinitatem, cognationem, *οἰκειότης, συνάφεια.* Quomodo ab affinitate differat, V. AFFINITAS. *Cic. Quint.* 6. Si pietate propinquitas colitur, necesse est, iste, qui affinem spoliare conatus est, se impium esse fateatur. *Nep. Dion.* 1. Dion, praeter nobilem propinquitatem, multa alia a natura habuit bona. *Id. Ag.* 1. Proximum propinquitate esse alicui. *Plin. ep.* 4, 4. Idem Calvisium amicum tuum arcta propinquitate complectitur: est enim sororis filius. *Suet. Oth.* 1. L. Otho materno genere praeclaro, multarum et magnarum propinquitatum. *Id. Ner.* 35. Interemit ceteros aut affinitate sibi, aut propinquitate conjunctos. *Tac. G.* 7. Nec fortuita conglobatio turmam, aut cuneum facit, sed familiae et propinquitates. ℙ Item familiaritatem, consuetudinem, amicitiam. *Pl. Aul.* 2, 2, 59. Quam ad probos propinquitate proxime te adjunxeris, tam optimum est.

PROPINQUO, as, avi, atum, a. 1. *προσεγγίζω*, propinquus fio, prope accedo, appropinquo. *Virg. A.* 12, 150. Parcarumque dies, et vis inimica propinquat; et *ib.* 5, 185. Sergestus capit ante locum, scopuloque propinquat. *Tac. A.* 15, 39. Non ante regressus est, quam domui ejus ignis propinquaret. *Stat. Th.* 10, 385. jam castra vident, armisque propinquant. Alii leg. *animisque*, h. e. animi cupiditate jam sibi videntur prope esse. *Gell.* 2, 23. *med.* Cum servus, propinquare partum herili filiae ignoraret. ℙ Cum accusativo. *Sall. fragm.* ap. *Arus. Mess.* Tum vero Bithyni propinquantes jam amnem Tartanium. ℙ Prope esse facio, maturo, expedio. *Virg. A.* 10, 254. Tu mihi nunc pugnae princeps: tu rite propinques Augurium, Phrygibusque adsis pede, Diva, secundo. *Sil.* 2, 281. Haud tamen abstiterim, mortem licet arma propinquent.

PROPINQUUS, a, um, adj. *γείτων*, prope positus, vicinus, proximus: et refertur ad locum. *Cic. Rosc. Am.* 46. Habet plura praedia, neque tamen ullum, nisi praeclarum, et propinquum. *Id. Phil.* 11, 13. Propinquae finitimaeque provinciae. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 9, 1. Duae insulae propinquae inter se. *Ov. Trist.* 4, 4, 51. Mitius exsilium, paulo que propinquius opto. [**Sil.* 11, 136. Divis propinquas rupes, i. e. altissimas, Alpes.] *Liv.* 25, 13. *med.* Ex propinquo cognoscere; et 28, 44. *med.* Ex propinquo aspicio; et 24, 38. *f.* Consulis castra in propinquo sunt. ℙ Item ad tempus. *Pl. Aul.* 1, 1, 36. Propinqua partitudo cui appetit. *Cic. Att.* 9, 15. Erat enim spes propinqui reditus. *Id. Div.* 1, 30. *extr.* Hector moriens propinquam Achilli mortem denunciat. *Liv.* 28, 25. Missi circa stipendiarias civitates exactores, stipendii spem propinquam fecerant. [**Id.* 6, 18. in propinquum certamen aderat et Manlius, i. e. imminens, instans. V. *intpp.* ad h. l. *Lucr.* 6, 1217. propinqua morte languebat. *Sil.* 2, 258. leto propinquo, i. e. mox insecuto.] ℙ Translate est proxime accedens, natura similis. *Cic. Or.* 2, 44. Ut ad eos motus abducantur, si qui finitimi sunt et propinqui his ac talibus animi perturbationibus. *Id. Inv.* 2, 54. *f.* Vitanda sunt non ea modo, quae his contraria sunt, verum etiam illa, quae propinqua videntur et finitima esse, absunt autem longissime: quod genus, fidentiae contrarium est diffidentia: audacia non contrarium, sed appositum est, ac propinquum. *Gell.* 6, 16. *f.* Quod Graeci propinqua significatione *παραπλησία* dicunt. ℙ Item sanguine, affinitate, amicitia conjunctus, *προσήκων*, [**ἀναγκαῖος.* Notionem vocabuli explicat *Brem.* ad *Nep. Con.* 2, 1.] *Cic. Off.* 1, 17. Propior est societas ejusdem gentis, nationis, linguae: multa sunt civibus inter se communia: arctior vero colligatio est societatis propinquorum. *Id. Rosc. Am.* 34. Tot propinqui cognatique optime convenientes. *Id. Off.* 1, 18. Si lis in judicio sit, propinquum potius, et amicum, quam vicinum defenderis. *Id. Mur.* 35. Virgo Vestalis hujus propinqua et necessaria. *Sall. Jug.* 10. Uti hos, qui tibi genere propinqui, beneficio meo fratres sunt, caros habeas; et 16. Affines, amicos, propinquos ceteros meos, alium alia clades oppressit. *Gell.* 20, 1. *med.* Sic clientem in fidem acceptum cariorem, quam propinquos, tuendumque esse contra cognatos, censuit. *Suet. Caes.* 1. Per propinquos et affines suos veniam impetravit. *Id. Ner.* 3. Cum ad Cassium Brutumque se, propinqua sibi cognatione conjunctos contulisset; et *Virg. A.* 2, 86. comitem, et consanguinitate propinquum. *Sen. Oed.* 690. Propinqui sceptri munera, *h. e.* regis affinitate juncti.

PROPIO, as, avi, atum, n. 1. *ἐγγίζω*, prope fio, accedo, appropinquo. *Paul. Nol. carm.* 23, 412. Nec domibus nostris propient mala. *Coripp. Johann.* 4, 589. Et qui dignus erat tali propiare magistro.

PROPIOR, ius, ōris, adj. loco magis junctus, vicinior, propinquior, *ἐγγύτερος*: compar. a *prope*, vel ab inus. positivo *propis. Virg. A.* 3, 530. portusque patescit Jam propior. *Ov. Pont.* 1, 2, 130. Ut propior patriae sit fuga nostra, roga. *Sen. ep.* 74. de fulmine: Quisquis ab igne propior stetit, percusso similis obstupuit. *Tac. H.* 5, 16. Laeva ac propiora fluminis Transrhenani tenuere. [**Liv.* 9, 35. propior pugna, i. e. ubi cominus res geritur. Similis est locus *Sil.* 5, 609. Propior Mavors.] ℙ Cum accus. *Sall. Jug.* 53. Ipse propior montem pedites collocat. Al. leg. *monti. Hirt. B. G.* 8, 9. *f.* Alter, qui propior hostem, in ipso vallo collocatus esset. ℙ Et cum gen., ut nonnullis videtur. *Lucr.* 4, 338. cum propior caliginis aer Ater init oculos prior, etc. ℙ Cum infin. *Stat. Th.* 12, 223. Et nimiis confusa malis, propiorque timeri. ℙ Refertur etiam ad tempus. *Cic. Tusc.* 1, 49. Veniunt inde ad propiora. *Id. Att.* 15, 3. Accepi duas epistolas tuas: una erat XV. cal., altera XII. data. Ad superiorem igitur prius; et *post multa:* Venio ad propiorem. Adde *ib.* 13. *Stat. Th.* 5, 120. quod si propioribus actis Est opus, ecce, etc. *Ov. Fast.* 6, 83. Ad propiora vocor. *Proculus Dig.* 23, 4, 17. Propiore aut longiore tempore aliquid facere. ℙ Item ad propinquitatem sanguinis, affinitatis, consuetudinis. *Cic. Quint.* 31. Obsecravit per ipsius conjugem et liberos, quibus propior P. Quintio nemo est. *Ov. Her.* 3, 28. Ille gradu propior sanguinis, ille comes; et *ib.* 20, 158. Sed propior certe, quam pater, ipsa sibi est. *Id. ib.* 16, 325. sequar Aegidae factum, fratrumque tuorum: Exemplo tangi non propiore potes. *Tac. A.* 2, 28. Flaccus, cui propior cum Tiberio usus erat. Adde *Ter. Ph.* 5, 3, 25. ℙ Item ad similitudinem. *Virg. G.* 3, 57. de vacca: interdumque aspera cornu, Et faciem tauro propior. *Ov. Fast.* 4, 801. et *Liv.* 4, 37. vero est propius. *Id.* 4, 17. Propius est fidem, obstringi Fidenatium populum voluisse. *Sall. Cat.* 11. Quod tamen vitium propius virtutem erat. Ita legit etiam *Prisc.* 18, 1172. *Cic. Verr.* 2, 4, 50. In quibus erant omnia, quae sceleri propiora sunt, quam religioni. *Tac. A.* 13, 34. *extr.* Armenii similitudine morum Parthis propiores. *Id. G.* 45. Gentes, quibus ritus habitusque Suevorum, lingua Britannicae propior. *Id. H.* 3, 65. *extr.* Sabinus non insultans, et miseranti propior. [**Similitudinis* notionem habet etiam illud, quod *Forc.* supra laudaverat, *Plin.* 8, 49, 75. Genus musmonum caprino villo, quam pecoris velleri propius. Porro huic paragrapho poterant adjici: *Cic. Brut.* 92. Cum Hortensio mihi magis arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior, et aetate conjunctior. *Lucan.* 6, 1. pugnae jam mente propinqui: ubi v. *Cort. Vell.* 2, 53, 1. 2, 91, 3.] ℙ Universim est junctior, conjunctior, magis pertinens, magis afficiens. *Cic. Off.* 3, 17. Societas est hominum inter homines, interior eorum, qui ejusdem gentis sunt, propior eorum, qui ejusdem civitatis. *Id. Sext.* 18. Sua sibi propiora pericula esse, quam mea, loquebantur. *Ov. Met.* 13, 578. Cura Deam propior, luctusque domesticus angit. *Id. Pont.* 4, 9, 71. ut a rerum cura propiore vacabit. *Pl. Trin.* 5, 2, 30. Hunc priorem aequum est me habere. Tunica propior pallio est. V. PALLIUM et TUNICA. [**Huc* pertinere videtur etiam illud *Ter. Heaut.* 5, 2, 34. dum nulla alia delectatio quae propior esset te.] ℙ Item paratior, accommodatior. *Cic. Att.* 14, 19. Nos autem alium portum propiorem huic aetati videbamus. *Liv.* 8, 11. Supplemento vel Latium propius esse, vel Volscos, quam Romam. *Tac. H.* 2, 8. Unde illi, super similitudinem oris, propior ad fallendum fides. [**Adde A.* 16, 9. irae quam timori propiorem cernens.] *Plin.* 35, 4, 9. *med.* Vir rusticitati propior, quam deliciis.

PROPĪTIĀBILIS, e, adj. placabilis, qui facile flectitur. *Enn.* ap. *Non.* 2, 669. Huic est animus propitiabilis. *Prud. περὶ στεφ.* 14, 130. Purgabor oris propitiabilis Fulgore, nostrum si jecur impleas. V. PROPITIUS.

PROPĪTIĀTIO, onis, f. placatio, sacrum ad placandum institutum. *Macr. Somn. Scip.* 1, 7. Quod apportant minae, litatio propitiationis avertit. *Sen. Q. N.* 2, 38. Expiationes, propitiationesque prodigiorum. Alii leg. *procurationes.*

[PROPĪTIĀTOR, oris, m. qui propitium reddit. *Hieron. ep.* 21. *n.* 2. Habentes propitiatorem Dominum nostrum Iesum Christum. *F.*]

[PROPĪTIĀTORĬUM, ii, n. *ἱλαστήριον*, locus, aut instrumentum, quo Deus placari solet, tabula posita super arcam foederis. *Isid. Or.* 15, 4. Propitiatorium, quasi propitiationis oratorium: propitiatio enim placatio est. *F.*]

[PROPĪTIĀTRIX, icis, f. quae propitiat. *Ambros. Laps. virg.* 4. *n.* 16. Immaculatam praemisissent virginem, hostiam vivam Domino, propitiatricem videlicet delictorum. *F.*]

PROPĪTIĀTUS, a, um, part. a *propitio. Tac. A.* 15, 44. Propitiata Juno per matronas. *Prud. περὶ στεφ.* 3, 214. Prospicit haec, populosque suos Carmine propitiata fovet. V. PROPITIUS.

*PROPĪTIĀTUS, us, m. i. q. propitiatio. *Vulg. Interpr. Siracid.* 5, 5. *B. A.*

[PROPĪTIĒTAS, atis, f. status propitiationis, quo quis nempe aliquem sibi propitium reddidit. *Not. Tir.* p. 92. Propitius, propitietas. *F.*]

PROPĪTIO, as, avi, atum, a. 1. *ἱλάσκομαι*, propitium reddo, placo. *Pl. Poen.* 1, 2, 120. Quid eo tu? *Ad.* Ut Venerem propitiem. *Suet. Oth.* 7. Per omnia piaculorum genera Manes Galbae propitiare tentasse. *Plin.* 28, 2, 5. Alius saliva post aurem digito relata sollicitudinem animi propitiat, *h. e.* ejus rei, quae sollicitum habet animum, prosperum procurat eventum. *Curt.* 4, 13. Ille in candida veste, capite velato, praeibat preces regi, Jovem, Minervam, Victoriamque propitianti. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 331. Nos illum interea perliciendo propitiaturos facul remur. *Plin.* 15, 30, 40. Propitiandis numinibus accendi altaria. [**Tac. Dial.* 9. suum genium propitiare.]

PROPĪTIUS, a, um, adj. *ἵλαος, ἵλεως*, placidus, placatus, favens, indulgens, secundus, praesens, amicus: cui *iratus* opponitur. Dicitur autem fere

de Diis: interdum et de hominibus. Videtur esse a *prope*, vel ab inus. *propis*, unde comparativum *propior*, ita ut *propitius* sit is, qui suo favore et voluntate prope nos est, *h. e.* nobis praesens est, et favet. V. *Virg. A.* 1, 530. Primam in *propitius* corripiunt *Plautus*, et *Seneca* in locis mox citandis, *Juvencus* vero vel vitio saeculi, vel ob metri necessitatem, ut plerique alii in *Italia* et similibus, producit, ut etiam *Prudentius* in *propitiabilis* et in *propitiatus*. *Pl. Merc.* 5, 2, 112. Pacem componi volo meo patri cum matre: nam nunc est irata. *Cha.* Tam propitiam reddam, quam cum propitia est Juno Jovi. *Id. Trin.* 4, 1, 18. Ni tua pax *(Neptune)* propitia foret praesto. *Id. Curc.* 4, 4, 1. Cui homini Dii sunt propitii, ei non esse iratos puto. *Cic. Coel.* 16. *extr.* Huic homini ego fortasse Deos propitios, plerique autem iratos putabunt. *Id. Div. Verr.* 13. Ita Deos mihi velim propitios, ut commoveor animo, etc. *Id. Att.* 8, 16. Hunc propitium sperant, illum iratum putant. *Ter. Ad.* 1, 1, 4. Evenire ea satius est, quae in te uxor dicit irata, quam illa quae parentes propitii. *Nep. Dion.* 9. *extr.* Illi ipsi custodes si propitia fuissent voluntate, foribus effractis servare eum potuissent. [**Brem.* ad h. l. docet: *propitius*, ubi de hominibus dicatur, maxime ratione superiorum habita erga inferiores adhiberi.] *Pl. Poen.* 1, 2, 164. Faciam plorantem illum, nisi te facio propitiam. *Sen. Suas.* 1. *med.* Propitiis auribus accipitur, quamvis incredibile est, quod excusatur, antequam dicitur. *Flor.* 3, 10. *med.* Oceanus tranquillus et propitius. *Sen. Ag.* 403. Et si propitios, attamen lentos Deos *(colamus)*. *Juveuc.* 1, 16. Jam me propitius rerum pater unicus alto, etc. Al. leg. *demissum.*

PROPIUS, adv. comparativum, *ἐγγυτέρω*, magis prope. *Prop.* 2, 21, 58. Longius aut propius, mors sua quemque manet. *Hor. Ep.* 1, 1, 67. Propius spectare aliquid; et *A. P.* 361. propius stare. ℙ Cum accus. *Caes. B. G.* 4, 9. Ne propius se castra moveret, petierunt; et 28. Ad partem insulae, quae est propius solis occasum; et *ib.* 5, 36. Cum propius Ambiorigem accessisset. *Cic. Phil.* 7, 9. Nec propius urbem millia passuum ducenta exercitum admoverit. Adde *Liv.* 29, 5. *Sall. Jug.* 21. Nam hi propius mare Africum agitabant. ℙ Cum dativo. *Virg. G.* 1, 355. propius stabulis armenta tenerent; et *ib.* 4, 47. propius tectis; et *A.* 8, 556. periclo. *Liv.* 21, 1. Ut propius periculo fuerint, qui vicerunt. *Sil.* 1, 13. propiusque fuere periclo, Queis superare datum. *Plin.* 27, 9, 51. mari. *Cic.* ap. *Diomed.* 1, 405. Propius grammatico accessi. *Nep. Ann.* 8. Propius Tiberi, quam Thermopylis. ℙ Cum ablat. et praepos. *a* vel *ab*. *Cic. N. D.* 2, 31. *med.* Stellae aliae propius a terris, aliae remotius, etc.; et *Tusc.* 1, 12. Antiquitas quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea cernebat. *Tac. H.* 2, 76. A contumelia, quam a laude propius fueris, post Vitellium eligi. *Plin.* 17, 25, 38. Propius ab Urbe. ℙ Ut dicimus *prope est factum, ut*, etc. h. e. parum abfuit, quin, etc. sic *Cic. Cluent.* 21. *f.* Nec quidquam propius est factum, quam ut illum persequeretur. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 5. Propius nihil est factum, quam ut occideretur. Adde *Verr.* 2, 5, 36. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 4, 10. Sed ut propius ad ea, Cato, accedam, quae a te dicta sunt, pressius agamus; et *Part.* 36. Si propius accedat ad consuetudinem mentemque sermonis defensoris definitio. *Id. Fl.* 10. Propius accedo: nego esse illa testimonia, quae tu, etc. intrabo etiam magis: qui gessit, etc. *Sall. Cat.* 11. Quod tamen vitium propius virtutem erat. Ita legit etiam *Prisc.* 18, 1172. Et *Virg. A.* 1, 530. Parce pio generi, et propius res aspice nostras, *h. e.* adsis, fave, propitia sis. ℙ *Propius sobrino* quid sit, V. in SOBRINUS.

PROPLASMA, ătis, n. *πρόπλασμα*, forma ex argilla ante opus facta, ad cujus rationem figulus justam postea figuram facit: a *πρὸ*, ante, et *πλάσσω*, fingo. *Plin.* 35, 12, 45. Arcesilaus, cujus proplasmata pluris venire solita artificibus ipsis, quam aliorum opera. Haec verba *Plinius* affert tanquam a *Varrone* prolata. ℙ Translate, et Graeca voce utitur *Cic. Att.* 12, 41. Hirtii epistolam si legeris, quae mihi quasi *πρόπλασμα* videtur ejus vituperationis, quam Caesar scripsit de Catone; facies me, quid tibi visum sit, si tibi erit commodum, certiorem. Sic *Id. Fam.* 2, 8. Futura exspecto, ut ex tuis litteris, cum formam reipublicae viderim, quale aedificium futurum sit, scire possim.

PROPNĪGEUM, i, n. locus in palaestra, aut balineo, ex quo ad sudationem transitur, calidior frigidario, sudatione ipsa minus calidum: a *πρὸ*, ante, et *πνιγεύς*, furnus. *Vitr.* 5, 11. et *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Sunt qui utrobique putent legendum *progymneum*, idem ac apodyterium, a *γυμνὸς*, nudus, quia nempe ibidem, antequam lavarentur, nudabantur.

PROPOETĬDES, um, f. plur. *Προωποιτίδες*, puellae Cypriae ex Amathunte urbe. Hae cum Venerem aspernatae essent, Deam esse negantes, ob ejusdem iram in triviis vulgavere corpora. Novissime in lapides transformatae finguntur, quia pudore indurnerant. *Ov. Met.* 10, 220. et sqq.

PROPOLA, ae, m. *προπώλης*, negotiator, qui res minore pretio emptas majore postea divendit, dardanarius: a *πωλέω*, vendo. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 118. Sicuti cum primos ficos propola recentes Protulit, et pretio ingenti dat primitu' paucos. (Hic licenter prima syllaba producitur.) *Cic. Pis.* 27. *f.* Pistor domi nullus, nulla cella: panis et vinum a propola, atque de cupa. *Varr. R. R.* 3, 14. de cochleis: Ipsae exgruminantes ad propolam vitam diu producunt, *h. e.* apud propolam: vel donec propolae divendendae tradantur. ℙ [Item adjectivorum more *piscator propola* est, qui Italice *pescivendolo* dicitur. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 731. *n.* 450. Cn. Sentio Cn. F. Ter. Felici patrono piscator. propolar., etc. *F.*] ℙ Sunt qui leg. ubique *propala*, inter quos *Turneb.*, ut dicatur is, qui merces velut ante palum, aut de palo pendentes habeat in propatulo: tum quia ita legatur in optim. MSS. et editis: tum quia prima in *propola* brevis sit, quia Graecum, *Lucilius* autem produxerit. Sed contra haec fuse disputat *Scal.* in *not.* ad *Virg. Cul. f.*

[PROPOLĬO, onis, f. dimin. a *πρόπολος*, ancilla. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1570, 9. M. Annius Postimae L. Stabilio sibi, et Domitiae L. L. Propolioni. *F.*]

PROPOLIS, is, f. *πρόπολις*, in apum operibus dicitur tertium cerae fundamentum, ex crassiore tenacioreque constans materia, frigoris injuriaeque omnes aditus obstruens, favosque stabiliens: ita translate vocatur, quia *πρόπολις* proprie est pars urbis, quae in ipso statim aditu occurrit: a *πρὸ*, ante, et *πόλις*, urbs. Est autem id, quod apes ante alveum faciunt. *Varr. R. R.* 3, 16. Propolin vocant, quod apes faciunt ad foramen introitus protectum in alvum, maxime aestate. *Plin.* 11, 7, 6. Prima fundamenta comosin vocant periti, secunda pissoceron, tertia propolin, etc.; et *mox:* E vitium, populorumque mitiore gummi propolis, crassioris jam materiae, additis floribus: nondum tamen cera, sed favorum stabilimentum: qua omnes frigoris aut injuriae aditus obstruuntur: odore et ipsa etiamnum gravi, ut qua plerique pro galbano utantur. Adde 22, 24, 50., ubi varios recenset ejus usus in medicina: item *Cels.* 5, 3. et 4. V. FUCUS.

PROPOMA, ătis, n. *πρόπομα*, potionis genus ex vino condito vel absinthio, vel rosa, vel melle, quod ante cibum sumebatur: a *πρὸ*, ante, et *πόμα*, potio. Legitur ap. *Pall.* 3, 32. in lemmate, ubi agitur, quomodo fieri possit, ut vites absinthiatum, vel rosatum, vel violatum vinum sponte ferant.

PROPONO, is, sui, situm, a. 3. *προτίθημι*, ante pono, ob oculos pono, expono, palam constituo. *Cic. Verr.* 2, 2, 32. Proponere aliquid venale. Quo sensu absolute *Suet. Ner.* 16. In popinis nullum non obsonii genus proponere; et *Juven.* 4, 46. quis enim proponere talem, Aut emere auderet? *Cic. Or.* 1, 35. Non explicata veste, neque proposito argento, neque tabulis et signis propalam collocatis. *Caes. B. G.* 2, 20. Proponere vexillum. *Virg. A.* 5, 365. geminum pugnae proponit honorem. *Prod.* 3, 22, 23. I puer, et citus haec aliqua propone columna. *Plin. Pan.* 83. Proponere atque explicare aliquid. *Hor. Ep.* 2, 1, 264. neque ficto In pejus vultu proponi cereus opto. *Ov. Trist.* 3, 9, 29. Neu pater ignoret, scopulo proponit in alto Pallentesque manus, sanguineumque caput. *Cic. Sext.* 7. *extr.* Facilius facta eorum occurrent mentibus vestris, si ora ipsa oculis proposueritis. *Just.* 5, 7. Sibi quisque ante oculos obsidionem, famem, et superbum victoremque hostem proponentes. Adde *Cic. Verr.* 2, 3, 23. *f.* et *Sull.* 26. ℙ Translate. *Id. Dejot.* 14. Propone tibi duos reges, et id animo contemplare, quod oculis non potes. *Id. Univ.* 2. Aliquid sibi proponere exemplar. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *med.* Quae aliis tute praecipere soles, tute tibi subjice, atque apud animum propone. *Id. Or.* 2, 22. *f.* Aliquem sibi proponere ad imitandum. *Id. Phil.* 4, 4. sibi bona civium ad praedam. *Liv.* 30, 30. *med.* Vim fortunae, Martemque belli communem propone animo. ℙ Est etiam promulgare. *Cic. Mur.* 11. Singulis diebus ediscendos fastos populo proposuit. *Id. Agr.* 2, 5. *extr.* Lex in publicum proponitur. *Id. Att.* 8, 9. In publico proposuit epistolam illam, in qua, etc.; et *ib.* 2, 21. et *Hirt. B. Afr.* 46. *extr.* Proponere gravissimum edictum in aliquem. ℙ Item polliceri, promittere, pronunciare. *Caes. B. G.* 5. *f.* et *ib.* 7, 27. et *Cic. Tusc.* 5, 7. Proponere magna praemia alicui. *Vell.* 2, 6. *med.* Civis R. pretium se daturum proposuit. *Suet. Ner.* 7. Populo congiarium, militi donativum proposuit. ℙ In malam partem. *Cic. Planc.* 41. Cui cum omnis metus, publicatio honorum, exsilium, mors proponeretur. *Id. Fam.* 1, 5. Injuriis, quae propositae sunt a Catone, facile resistemus. Sic *Id. Att.* 2, 19. Minae Clodii, contentionesque, quae mihi proponuntur, modice me tangunt. *Id. Fin.* 2, 17. Improbis poenam proponere. *Hor. Od.* 1, 18, 3. siccis omnia dura Deus proposuit. ℙ Item statuere, deliberare, praefinire. *Phaedr. ep.* 3. Excedit animus, quem proposuit, terminum. *Caes. B. G.* 7, 47. Consecutus id, quod animo proposuerat. *Suet. Aug.* 72. si quid secreto, aut sine interpellatione agere proposuisset. *Juven.* 3, 24. proponimus illuc Ire, fatigatas ubi Daedalus exuit alas. *Lucr.* 3, 184. quod mens fieri proponit, et inchoat ipsa. *Cic. Brut.* 6. *f.* Propositum est mihi hoc facere; et *ib.* 92. *f.* Omni huic sermoni propositum est, non ut eloquentiam meam perspicias, sed ut laborem et industriam. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 6. Nescio quo pacto ad praecipiendi rationem delapsa est oratio mea, cum id mihi propositum initio non fuisset. Adde *ad Brut.* 1, 15. ℙ Item praemittere, enunciare, innuere id, de quo dicturi sumus. *Cic. Or.* 40. Ut proponat, quid dicturus sit, *h. e.* propositionem orationis post exordium faciat. *Id. Brut.* 60. Memoria ita fuit nulla, ut tria cum proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quaereret. *Id. Fam.* 15, 14. Extremum illud est de iis, quae proposueram, confirmatio nostrae amicitiae. ℙ *Proposui*, ante dixi. *Colum.* 8, 17. *med.* Quare ut proposueram, qualitatem litoris nostri contemplemur, i. e. ut dixeram capite praecedenti. ℙ Item exponere, enarrare, disserrere. *Caes. B. G.* 1, 17. Quod ante tacuerat, proponit, esse nonnullos, quorum, etc.; et *ib.* 20. Quae ipse intelligat, quae civitas quaeratur, proponit; et *ib.* 5, 50. Concione habita, rem gestam proponit; et *ib.* 6, 10. Non alienum esse videtur, de Galliae Germaniaeque moribus, et quo differant eae nationes inter se, proponere. *Id. B. C.* 1, 3. Legati ad Caesarem mittuntur, qui voluntatem senatus ei proponant. ℙ Item offerre, dare, ferre, deferre. *Hirt. B. G.* 8, 3. et *Just.* 1, 6. Proponere conditionem. ℙ Item praebere quippiam quaerendum, disputandum. *Nep. Att.* 20. Aliquam ei quaestionem poeticam proponeret. Adde *Suet. Tib.* 56. In libris *Digestor.* saepissime legitur, praesertim in responsis *Scaevolae*, illa formula, *secundum ea, quae proponuntur*, scilicet ab iis, qui ad JCtos accedunt consilii accipiendi gratia. Crebra sunt etiam illa, *si proponas: proponamus: proponebatur*, etc. Et *nihil proponi* dicitur ibidem non semel, cum quis nihil affert, cur secundum se respondeatur. ℙ Item asserere, affirmare. *Cels. praef. med.* Neque esse crudele, sicut plerique proponunt, hominum nocentium suppliciis remedia innocentibus quaeri. *Tert. Apol.* 48. Qui proponimus, multo utique dignius credi, hominem ex homine rediturum. ℙ Item in mensa apponere, inferre. *Plin.* 10, 50, 71. Antiquis coenarum interdictis exceptum invenio, ne quid volucrum proponeretur, praeter unam gallinam, quae non esset altilis. Ita edit. vet. 1469. 1470. 1472. et MSS. aliquot: *Hard.* et alii *poneretur*. ℙ Item imponere. *Mamert. Genethl.* 5. *f.* Novam mihi propono dicendi legem. ℙ Praeteritum *proposivi*, de quo nullum adhuc vidi exemplum, adstrui potest ex eo, quod in ceteris a *pono* compositis usurpatum invenitur, a comicis tamen praecipue. V. PONO.

PROPONTĬACUS, a, um, adj. *Προποντιακός*, ad Propontidem pertinens. *Prop.* 3, 21, 1. Frigida tam multos placuit tibi Cyzicus annos, Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmus aqua. *Ov. Trist.* 1, 10, 29. Propontiacis haerentem Cyzicon oris.

PROPONTIS, idos, et idis, f. *mar di Marmora*, *Προποντὶς*, sinus maris mediterranei inter Thraciam et Asiam minorem, duo habens ostia angusta, quorum quod Aegaeo jungitur, Hellespontus; quod Euxino, Bosphorus Thracius vocatur: a *πρὸ*, ante, et *Pontus*, qua mare Euxinum significat. *Plin.* 4, 12, 24. *Ov. Pont.* 4, 9, 118. Misit in has si quos longa Propontis aquas. *Tac. A.* 2, 54. Propontidis angustiae. *Flor.* 3, 6. fauces. *Liv.* 38, 16. ora. *Catull.* 4, 8. horridamve Thraciam, Propontida, trucemve Ponticum sinum. *Manil.* 4, 614. faucesque Propontidos arctae Euxino jungit Ponto. ℙ Syllabam primam licenter produxit *Id. ib.* 676. Euxinique aspera Ponti Aequora, et extremum Propontidos Hellespontum.

PROPORRO, adv. quiddam amplius quam *porro*, ulterius, praeterea, longius. *Lucr.* 2, 977. Et sibi proporro; quae sint primordia, quaerunt. Adde 4, 888, et 5, 313. ℙ Reddi potest etiam prorsus, omnino. *Lucr.* 3, 276. Atque anima est animae proporro totius ipsa; et *ib.* 282. atque animai totius ipsa Proporro est anima, et dominatur corpore toto, *h. e.* in anima nihil est omnino, nisi anima, et ut porro, et ulterius in ejus consideratione pergas, nihil prorsus invenies, nisi animam.

PROPORTĬO, onis, f. *ἀναλογία*, comparatio et respectus unius rei ad aliam: a *pro*, et *portio*. Quia saepe *pro portione* Latine dicebatur, paulatim coalescentibus usu frequenti duabus vocibus, *proportio* facta est. *Varr. L. L.* 9, 1. Dicam de quatuor rebus, quae continentur declinationibus verborum: quid sit simile ac dissimile; quid ratio, quam appellant *λόγον*; quid proportio, quod dicunt *ἀνάλογον*; quid consuetudo. *Festus* in *Penatis:* Penatis singulariter Labeo Antistius posse dici putat, quia pluraliter Penates dicantur: cum patiatur proportio etiam Penas dici, ut optimas, primas, Antias. *Cic. Univ.* 4. *f.* Sed vinculorum id est aptissimum atque pulcherrimum, quod ex se, atque de his, quae adstringit, quam maxime unum efficit. Id optime assequitur quae Graece *ἀναλογία*, Latine (audendum est enim, quoniam haec primum a nobis novantur) comparatio, proportiove dici potest. (Adde *Quint.* 1, 6.) et *ib.* 7. *med.* Ejus particulae intervallo habebat numerus ad numerum eandem proportionem comparationemque in extremis, quam habent CCLVI. cum CCXLIII. *Id. Verr.* 2, 4, 21. Haec autem omnia antiquo opere, et summo artificio facta: ut

hoc liceret suspicari, fuisse aliquando apud Siculos peracqua proportione cetera. *Varr. R. R.* 1, 41. Ea quae laxiora, et fecundiora, ut femina, quam mas, ex proportione in virgultis item. *Curt.* 7, 11. Servare proportionem. ℙ Absolute in sexto casu. *Cic. Univ.* 5. Ut quemadmodum ignis animae, sic anima aquae: quodque anima aquae, id aqua terrae proportione redderet; et *Colum.* 12, 41. Si plus volueris facere, proportione, qua supra, mel adjicies. Adde *Plin.* 28, 19, 80. et *Nazar. Pan. Constant.* 33. *f.* Sed ubique legi etiam divisim potest *pro portione.* V. PORTIO.

PROPORTIONĀLIS, e, adj. ad proportionem pertinens, ut Proportionales termini, ap. *Front. Colon.* p. 111. et 112. *Goesii.*

PROPORTIONĀTUS, a, um, part. ab inus. *proportiono:* ut Corpus satis proportionatum, ap. *Firm. Math.* 4, 13.

[PROPOSIS, idis, f. *πρόποσις*, propinatio. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 447, 15. Domitia Proposis. Alia ap. *Grut.* 830, 4. Statiae Proposidi P. Statius Herma, etc. *F.*]

PROPOSITIO, onis, f. *πρόθεσις*, actus proponendi, exponendi, exhibendi. *Cic. Tusc.* 3, 18. Hujusne vita propositio et cogitatio aut Thyesten levare poterit, aut Aeetam? *Id. Inv.* 2, 54. Magnificentia est rerum magnarum et excelsarum, cum animi ampla quadam et splendida propositione, agitatio atque administratio. ℙ In oratione est, cum profitemur, qua de re dicturi simus. *Cic. Or.* 3, 53. Propositio, quid sis dicturus, et ab eo, quod est dictum, sejunctio. (V. *Quint.* 4, 4.) *Sen. Ben.* 6, 7. Illo transeamus, an ei debeatur aliquid, qui nobis invitus profuit. Hoc apertius potui dicere, nisi propositio deberet esse confusior, ut distinctio statim subsecuta ostenderet, utrumque quaeri, an, etc. ℙ In argumentatione oratoria est prima pars syllogismi. *Auct. ad. Her.* 2, 18. Perfectissima argumentatio est ea, quae in quinque partes est distributa, propositionem, rationem, rationis confirmationem, exornationem, complexionem. Propositio est, per quam ostendimus summatim, quid sit, quod probare volumus. *Cic. Inv.* 1, 37. Propositio est, per quam locus is breviter exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet ratiocinationis. V. etiam *ib.* 34, 35, 36. et *Quint.* 5, 14., unde patet, propositionem esse in syllogismo sententiam principalem, quae et intentio appellatur. ℙ Omnis etiam oratio, qua aliquid affirmatur, vel negatur, *propositio* est. *Quint.* 7, 1. Lex est, quae jubet exheredem esse eum, qui patri proditionis reo non affuerit: tu autem non affuisti. Hanc propositionem necessario sequitur legis laudatio, et ejus, qui non affuerit, vituperatio; et *ib.* Propositio simplex aut conjuncta. *Gell.* 2, 7. *f.* Non ergo integra est propositio dicenda: Aut honesta sunt, quae imperat pater, aut turpia. Deest enim disjunctioni isti tertium: aut neque honesta sunt, neque turpia. *Afric. Dig.* 16, 1, 19. specie facti, seu casum, ut vocant, aut quaestionem *propositionem* appellat. ℙ *Propositio animi* ap. *Tryphon. Dig.* 50, 16, 225. est propositum, voluntas.

PROPOSĪTUS, a, um, part. a *propono: προτεθειμένος*, expositus, palam positus, manifestus, promptus. *Cic. Rosc. Am.* 40. *f.* Tametsi hoc quidem minime latet, quod ita promptum et propositum est, ut, etc. *Id. Verr.* 2, 3, 41. *f.* Est hic ordo quasi propositus atque editus in altum, ut ab omnibus ventis invidiae circumflari posse videatur. *Id. Mur.* 31. *f.* Exemplar tam mihi, quam tibi propositum ad imitandum. *Id. Pis.* 36. Stipendium militibus, mensis palam propositis, numeratum. *Caes. B. G.* 7, 14. *f.* Oppida Romanis proposita ad copiam commeatus. *Suet. Caes.* 80. Libellus propositus. *Id. Cal.* 41. Vectigalia indicta, neque proposita, *h. e.* indicta per praeconem, sed non exposita scripto, ut legerentur. ℙ Item oblatus, promissus. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. Quid nunc putas, tanta abs te mihi mercede proposita? *Id. Fin.* 2, 17. *f.* Scipioni magna gloria proposita, si Annibalem in Africam retraxisset. *Suet. Aug.* 42. Propositum congiarium: et *Cic. Rab. perd.* 5. Servi, si libertatis spem propositam non haberent, etc. ℙ Item objectus, subjectus, obnoxius. *Cic fragm.* ap. *August. C. D.* 2, 9. Judiciis, ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam vitam, non poetarum ingeniis habere debemus. *Id. Fam.* 5, 16. Omnibus telis fortunae proposita est vita nostra. *Id. Mil.* 21. Vitam suam maximis praemiis propositam, et paene addictam sciebat. ℙ Item praepositus, praefectus. *Liv.* 28, 2. *f.* Quoad continuisset exercitum, propositum bello se fore ratus. Ita cum vet. ed. Mediol. 1480. et Aldina aliae nonnullae optimae notae: in aliis est *praepositus.* ℙ Item animo praeceptus, praestitutus, constitutus, susceptus. *Cic. Lig.* 9. Quem de suscepta causa, propositaque sententia nulla vis posset depellere. *Id. Off.* 1, 31. Semper in proposito susceptoque consilio permansit. *Id. Sull.* 4. Nondum ad propositum mihi finem honoris perveneram. *Id Fam.* 1, 9. *med.* Omnibus nobis in administranda republ. propositum esse debet cum dignitate otium. *Hirt. B. G.* 8, 49. Caesar unum illud propositum habebat continere in amicitia civitates. *Cic. Div.* 1, 15. Cum ex itinere quodam proposito et constituto revertisset. *Ov. Rem. Am.* 40. Et mihi propositum perfice, dixit, opus. *Id. Pont.* 1, 6, 39. Haec Dea *(spes)* quam multos laqueo sua colla ligantes Non est proposita passa perire nece! *Cic. Fam.* 1, 9, *f.* Neque mihi in omni vita res tam erit ulla proposita, quam ut quotidie vehementius, te de me optime meritum esse laetere. ℙ *Propositum, i,* absolute, id quod propositum est, sententia animi, susceptum consilium, *προαίρεσις. Caes. B. C.* 3, 84. Tentandum existimavit, quidnam Pompejus propositi, aut voluntatis ad dimicandum haberet. *Cic. ad Brut.* 1, 11. *f.* Qui nulla re deterreri a proposito potest. *Liv.* 2, 8. *f.* Nihil aliud ad eum nuncium a proposito aversus, quam ut, etc. *Cic. Fin.* 3, 6. *f.* Ut omnia faciat, quo propositum assequatur. *Suet. Gr.* 24. Nihilominus in proposito mansit. *Nep. Eum.* 3. et *Caes. B. C.* 1, 83. Tenere uterque propositum videbatur; Caesar, ut, nisi coactus, proelium non committeret; ille, ut opera Caesaris impediret, *h. e.* persistere in capto consilio, tenere institutum. *Hor. Od.* 3, 3, 1. et *Ov. Met.* 10, 405. Propositi tenax. *Id. Trist.* 3, 4, 32. memor. *Hor. Ep.* 1, 13, 11. victor, *h. e.* qui quod facere proposuerat, perfecit. *Nep. Att. f.* Tamen propositum nihilo secius peregit. *Ov. Am.* 3, 7, 14. Propositum destituere. *Phaedr. prol.* 2. servare. *Plin. ep.* 9, 19. *f.* Non habeo propositum illum reprehendendi, sed hunc tuendi. ℙ Speciatim id, quo impulsi aliquid agimus, et finem actionis vocamus. *Sen. ep.* 65. Quarta causa est faciendi propositum. Quid est propositum? Quod invitavit artificem: quod ille secutus fecit. Vel pecunia est hoc, si venditurus fabricavit: vel gloria, si laboravit in nomen: vel religio, si donum templo paravit. ℙ Item id, quod dicere quis proposuit. *Cic. Or.* 40. A proposito declinare aliquantulum; et *Brut.* 21. Egredi a proposito ornandi causa. *Id. Fin.* 5, 28. A proposito aberrare; et *ib.* 11. Redire ad propositum. *Id. Off.* 3, 9. *extr.* Sed jam ad propositum revertamur. *Hor. A. P.* 104. neu quid medios intercinat actus, Quod non proposito conducat, et haereat apte; et *African. Dig.* 33, 8, 16. *med.* Ibi enim propterea pretium deducendum, quod, etc. at in proposito, etc. *Quint.* 8, 3. *med.* Sed ad propositum, scil. veniamus, aut revertamur. *Phaedr.* 1, 5. Nunquam est fidelis cum potente societas. Testatur haec fabella propositum meum; et *Cic. Or.* 2, 53. *f.* Demonstrando, id quod concludere illi velint, non effici ex propositis, nec esse consequens. ℙ Refertur etiam ad institutum vivendi. *Vell.* 2, 2. Vir vita innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus. *Phaedr. prol.* 3. Mutandum tibi propositum est, et vitae genus. *Sen. ep.* 68. Non est quod inscribas tibi philosophiam: atque etiam aliud proposito tuo nomen impone: valetudinem et imbecillitatem vocato, et desidiam. *Juven* 9, 21. flexisse videris Propositum, et vitae contrarius ire priori; et 10, 325. quid profuit olim Hippolyto grave propositum? *Id.* 5, 1. Si te propositi nondum pudet, etc. ℙ Denique cum duo sint quaestionum genera, alterum definitum, quod Graeci *ὑπόθεσιν*, Latini causam vocant; alterum infinitum, quod *θέσιν* illi appellant: hoc nos, inquit *Cic. Top.* 21., propositum possumus nominare.

PROPRAEFECTUS, i, m. et Propraefecto, et divisim Pro praefecto, vices agens praefecti. *Inscr.* ap. *Mur.* 17, 8. Olus Terentius Pudens Uttedianus Leg. Augg. Propraef. provinciae Raetiae. In eadem tamen ap. *Maff. Mus. Ver.* 239, 1. rectius *Propraet.* legitur. Alia ap. *Grut.* 370, 3. L. Aur. Avianio Symmacho V. C. pro praefectis praetorio in urbe Roma, finitimisque provinciis, etc. *Ammian.* 28, 1. *med.* Valentinianus Maximiano praefecto annonae, Romae agere disposito pro praefectis, sociavit ad haec cognoscenda Leonem notarium. *Impp. Grat., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 6, 26, 4. Proximos memoriae, epistolarum ac libellorum ita vicariorum honore cumulamus, ut inter eos merito dignitatis habeantur, qui pro praefectis dioeceses sibi creditas temperarunt.

PROPRAETOR, oris, m. et Propraetore, indeclinabiliter, et Pro praetore, ut de voce *Proconsul* dictum est, *ἀντιστράτηγος*, qui extraordinariam praeturam gerebat, qui stante republica, cum uno anno praetor Romae fuisset, sequenti cum imperio praetorio in provinciam mittebatur. *Cic. Div.* 2, 36. Quam multi anni sunt, cum bella a propraetoribus, et proconsulibus administrantur? *Id. Phil.* 13, 10. Neque se imperatorem, neque Hirtium consulem, nec propraetore Caesarem *(vocat). Liv.* 35. *in.* Idem propraetore Lusitanos aggressus, etc. ℙ Duo fuere propraetorum genera, unum eorum, qui, exacta prius Romae praetura, deinde provinciam administrabant: alterum eorum, quibus, licet praetores antea non fuissent, praetoria auctoritas et imperium mandabatur. His similia de proconsulibus supra in PROCONSUL dicta sunt. ℙ Item stante republica *quaestor pro praetore* dictus fuit, qui loco praetoris absentis aliquam provinciam jure praetorio administrabat. *Sall. Jug.* 111. Ad Sullam *(quaestorem)* perfugiunt, quem consul *(Marius)* in expeditionem proficiscens pro praetore reliquerat. *Id. Cat.* 19. Piso in citeriorem Hispaniam quaestor pro praetore missus est, adnitente Crasso. Hinc *Inscr.* ap. *Grut.* 383, 5. Cn. Calpurnius Cn. F. P. Piso quaestor Pro Pr. ex S. C. provinciam Hispaniam citeriorem optinuit. *Vell.* 2, 45. P. Clodius legem tulit, ut M. Cato quaestor cum jure praetorio, adjecto etiam quaestore, mitteretur in insulam Cyprum. Hinc ap. *Cic. Fam.* 12, 15. P. Lentulus Spinther, qui quaestor in Asiam profectus erat cum Trebonio proconsule, in epistolae titulo *proquaestor pro praetore* dicitur: scilicet *pro praetore,* quia, defuncto Trebonio, ejus locum assumpserat; *proquaestor* vero, quia quaestoris officium non intermiserat. ℙ Sub Augustis aliter se res habuit: nam in provinciis senatoriis quaestores, et legati proconsulum dicti sunt *quaestores,* et *legati pro praetore,* licet simul adessent proconsules. Qui vero aliquando loco proconsulis vel absentis, vel defuncti provinciam administrabat, dicebatur esse *vice proconsulis. Inscr.* ap. *Grut.* 344, 8. L. Acilius Rufus Q. Propraet. provinciae Siciliae. Alia item Sicula ap. *eund.* 100, 10. Concordiae sacrum dedicantibus M. Haterio Candido Procos., et L. Cornelio Marcello Q. Pr. Pr. Alia ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 50. L. Fabio M. F. Gal. Ciloni Leg. Pr. Pr. provinciae Narbonensis. Alia ap. *Grut.* 381, 3. L. Caesonius Lucillus legatus Prov. Africae, eodem tempore vice proconsulis. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 5. C. Minicius Italus Proc. provinciae Asiae, quam, mandatu principis, vice defuncti Procos. rexit. ℙ Sub iisdem Augustis in provinciis Caesareis harum rectores appellati sunt *legati Aug. pro praetore.* V. LEGATUS. ℙ Aliquando etiam dicuntur *pro praetore* tantum, *h. e.* legati Augusti missi loco praetoris, qui stante republica eas provincias administrare solebant. *Tac. A.* 2, 66. Latinius Pandus pro praetore Moesiae eas litteras in Thraciam misit. *Id. ib.* 12, 31. P. Ostorium pro praetore turbidae res excepere. His *Taciti* locis alii conjunctim leg. *propraetore.*

PROPRIASSIT. V. PROPRIO.

PROPRIĀTIM, adv. singillatim, proprie. *Arnob.* 3. *f.* Usque adeo res exigit propriatim Deos scire, nec dubitare de uniuscujusque vi, nomine. *Lucr.* 2, 973. Quid? genus humanum propriatim de quibus actum est, etc. Alii leg. *proprietim*, alii plures *propritim:* inter quos *Non.* 11, 18.

PROPRIĒ, adv. *κυρίως*, privatim, peculiariter: cui opponitur communiter, publice, promiscue. *Cic. Fam.* 9, 15. Quod me amas, est tibi commune cum multis: quod tu ipse tam amandus es, tamque in omni genere jucundus, id est proprie tuum. *Cels.* 7, 26. *n.* 4. Hae curationes in feminis quoque similes sunt: de quibus parum, proprie tamen quaedam dicenda sunt. *Liv.* 34, 5. *f.* Quod in rebus ad omnes pariter viros feminasque pertinentibus fecisse eas nemo miratus est, in causa proprie ad ipsas pertinente miramur fecisse? *Cic. Sext.* 16. Cujus causam neque senatus publice, neque ullus ordo proprie susceperat. *Id. Agr.* 2, 31. Si campus Martius dividatur, et unicuique vestrum bini pedes assignentur; tamen promiscue toto, quam proprie parva parte frui malletis. ℙ Item ad rem maxime pertinendo, vere, legitime. *Quint.* 8, 2. Proprie dictum id est, quo nihil inveniri potest significantius. *Cic. Phil.* 2, 31. O hominem nequam! Quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere. *Id. Part.* 1. Proprie in rebus, invenire; in verbis, eloqui, dicitur. *Id. Off.* 3, 3. Illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis. *Sen. Ben.* 2, 27. Hic quater millies sestertium suum vidit. Proprie dixi: nihil enim amplius quam vidit. *Plin.* 3, 22, 26. Eo tractu fuere Labeatae, Sassaei, Grabaei, proprieque dicti Illyrii. *Id.* 33, 6, 33. In iisdem argenti metallis invenitur, ut proprie dicamus, spumae lapis candidae: stimmi appellant; et *Suet. Gr.* 4. Proprie sic *(grammaticos)* appellandos poetarum interpretes. *Gell.* 2, 6. Qui fertur et raptatur, atque huc atque illuc distrahitur, is vexari proprie dicitur. *Id.* 7, 11. Qui proprie atque integre locuti sunt, leves dixerunt, quos nunc viles et nullo honore dignos dicimus. *Id.* 9, 1. *f.* Uti aliquo verbo admodum proprie et Latine. *Id.* 16, 5. Id vocabulum non semper proprie, sed per quasdam translationes est dictum. *Id.* 19, 7. Proprie magis, quam usitate dictum. *Quint.* 1, 4. Eloquentia non mediocri est opus, ut de unaquaque earum rerum dicat proprie, et copiose. ℙ [Comp. *Proprius* ap. *Front.* ad *Amic.* (ed. *Maio*) *ep.* 1, 17. Varianis alumnis masculis feminisque sestertium deciens singulis reliquit usurarium proprius, quam proprium: nam quinquagena annua ab Augusta singulis dari jussit. *F.*]

PROPRIĒTĀRIUS, ii, m. dicitur a JCtis, qui rei cujuspiam legitimum ac proprium dominium habet: et distinguitur a fructuario, cui usus, aut fructus rei tantummodo competit. *Ulp. Dig.* 7, 1, 15. et *ib.* 15, 1, 13. et *ib.* 47, 2, 47. et *Paul. ib.* 39, 2, 22. et *Pomp. ib.* 7, 8, 22. ℙ Adjective *proprietaria res,* cujus dominium proprietarius habet. *Paul. Sentent. tit.* 5, 7.

PROPRIĒTAS, atis, f. *ἰδιότης*, propria vis et natura cujusque rei, qualitas, facultas, qua ab aliis differt. *Cic. Acad.* 4, 18. Singularum rerum singulae proprietates sunt. *Id. Part.* 12. Definitio genere declaratur, et proprietate quadam. *Liv.* 38, 17. Terrae proprietas coelique, [*i. e. clima, quod di-

cunt, et quae sunt cum eo conjuncta. Gr. ἰδίωμα.] *Id.* 45, 30. Pars prima Macedoniae Bisaltas habet, et multas frugum proprietates, *h. e.* multa propria frugum genera. *Plin.* 13, 22, 41. Coccygia proprietatem habet fructum amittendi lanugine. *Id.* 21, 15, 55. Tribulo proprietas, quod et fructum spinosum habet. *Id.* 13, 1, 2. Hujus unguenti proprietas, ut ventiletur in coquendo. *Id.* 15, 15, 17. Pomis proprietas, pirisque vini. *Id.* 35, 18, 59. Sunt genera terrae proprietatis suae: Ex Galata insula scorpiones necat, Balearis serpentes. *Id.* 28, 3, 6. Multae animalium proprietates. ℙ *Proprietas mentis*, rectus mentis status, quo quis apud se est, et mentis compos. *Sisenn.* ap. *Non.* 1, 286. C. Titinius quidam, cui minus proprietas mentis a natura tradita videretur. Alii leg. *proprietas metus*, *h. e.* natura metuendi. ℙ Ap. JCtos est dominium ipsius rei, quo res propria cujusque est, nec communis cum aliis: et differt a dominio usus et fructus. *Just.* 2, 7. De proprietate Salaminae insulae dimicatum fuerat. *Suet. Galb.* 7. De proprietate jumenti eum quaereretur, ita decrevit, etc. *Ulp. Dig.* 4, 3, 33. Rei, quam venalem possessor habebat, litem proprietatis adversarius movere coepit. ℙ Haec duplex est: plena, si ei usufructus conjunctus sit: nuda, si ab ea abscessit. *Papin. ib.* 7, 4, 4. et *Triphon. ib.* 23, 3, 78. *med.* ℙ *Proprietas* dicitur etiam ipsa res, quae propria est. *Ulp. ib.* 47, 2, 47. Quod interfuit ejus, proprietatem non esse subreptam. *Cajus ib.* 7, 1, 6. *extr.* Legare alicui proprietatem, deducto usufructu. ℙ *Proprietatis dominus*, proprietarius. *Ulp. ib.* 7, 1, 13. et 15, 25. et *Paul. ib.* 9, 2, 12. ℙ *Proprietas verborum*, conjunctio illorum arcta et apta cum rebus ipsis, quas significant. *Quint.* 8, 2. Proprietas verborum non simpliciter accipitur. Primus enim intellectus est, sua cujusque rei appellatio: qua non semper utimur: nam et obscena vitabimus, et sordida, et humilia. Secundo modo dicitur proprietas, inter plura, quae sunt ejusdem nominis, id, unde cetera ducta sunt: ut vertex est contorta in se aqua, vel quidquid aliud similiter vertitur: inde propter flexum capillorum, pars est summa capitis: et ex hoc quod est in montibus eminentissimum. Recte, inquam, dixeris haec omnia vertices: proprie tamen unde initium est. Tertius est huic diversus modus, cum res communis pluribus, in uno aliquo habet nomen eximium, ut carmen funebre proprie naenia, et tabernaculum ducis, augurale: item quod commune est aliis nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur, ut Urbem, Romam accipimus, et venales, novitios, cum sint urbes aliae quoque, et venalia multa. At illud jam non mediocriter probandum, ut proprie dictum id sit, quo nihil inveniri possit significantius, ut Cato dixit, C. Caesarem ad evertendam rempubl. sobrium accessisse, et Virgilius (*Ecl.* 6, 5.) deductum carmen, et Horatius (*Od.* 1, 12.) acrem tibiam.

PROPRĬĒTIM. V. PROPRIATIM.

PROPRĬO, as, a. 1. proprium facio. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 11. *med.* Etenim immisso liquore plurimo fluidantur accepta, atque caro mollitur, et digestione facile solidiora propriantur. Adde *Acut.* 1, 15. *f.* ℙ *Propriassit* (pro *propriaverit*) *Paul.* ex *Festo* docet esse, proprium fecerit.

PROPRĬTIM. V. PROPRIATIM.

PROPRĬUS, a, um, adj. ἴδιος, κύριος, peculiaris, praecipuus, privatus, suus cujusque, non communis: a *prope*, ut videtur. *Cic. Fam.* 7, 30. Cujus cum proprium te esse scribis mancipio et nexu, meum autem usu et fructu, contentus isto sum. Id enim est cujusque proprium, quo quisque fruitur atque utitur. [*Saepissime ita cum gen. construitur *proprius*, imprimis *proprium* substantive positum. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 6.] *Varr.* ap. *Non.* 4, 346. Nam virtutem propriam mortalibus fecit: cetera promiscue voluit communia habere. *Cic. Sen.* 11. At id quidem non proprium senectutis est vitium, sed commune valetudinis. *Id. Prov. cons.* 1. Praecipuum illum, et proprium sensum doloris, quem vos tamen communem semper vobis mecum esse duxistis, a sententia dicenda amovebo. *Plin.* 7, 25, 26. Caesari proprium et peculiare sit clementiae insigne. *Id.* 14, 20, 25. Proprium inter liquores vino, mucescere. [*Cic. Off.* 2, 5, 17. Proprium hoc, statuo, esse virtutis, conciliare animos, etc. i. e. esse virtutis munus et officium. V. *Beier.*] *Cic. Rosc. Am.* 8. Tria praedia Capitoni propria traduntur, *h. e.* ut sua ejus, et privata ac propria sint. *Virg. A.* 7, 331. Hunc mihi da proprium, virgo sata nocte, laborem, *h. e.* ut pro me tantummodo sit, mihique soli prosit. [*Maxime Tacito freq. hoc usu. *A.* 4, 19. proprium id Tiberio fuit, obtegere; et 2, 55. propria ira, *aus persönlicher Erbitterung*, *aus Zorn*, *welcher in persönlicher Beleidigung seinen Grund hatte.* *H.* 3, 38. non se proprio metu nec sui anxium, sed pro fratre, etc. Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 389. sq. Adde *Cic. Sull.* 3, 9. causa mea propria, i. e. quam ego solus suscipiam.] ℙ Jungitur cum pronominibus possessivis. *Cic. Rosc. Am.* 52. Ut cum ademerit nobis omnia, quae nostra erant propria, ne lucem quoque hanc, quae communis est, eripere cupiat. *Id. Or.* 1, 10. *extr.* Non id mihi videbitur orator, sed Crassus sua quadam propria, non communi oratorum facultate posse. *Luccej.* ad *Cic. Fam.* 5, 14. *f.* Ut redeas ad consuetudinem vel nostram communem, vel tuam solius et propriam. *Cic. ib.* 2, 17. *f.* Quod meum erat proprium, ut alariis uti negarem, id, etc. *Liv.* 3, 70. Ancipiti terrore dissipasset hostes, ni suo proprio eum proelio equites Volscorum exceptum aliquandiu tenuissent. *Caes. B. C.* 3, 20. Calamitatem aut propriam suam, aut temporum queri. ℙ Et pro iis etiam apte ponitur. *Liv.* 2, 53. *f.* Non placebat, socios propriis viribus consiliisque bella gerere, *h. e.* suis. *Id.* 7, 9. Quaesita ea propriae familiae laus leviorem auctorem Licinium facit, *h. e.* suae. *Hor. Ep.* 1, 7, 50. Adrasum quendam vacua tonsoris in umbra Cultello proprios purgantem leniter ungues. *Id. Sat.* 1, 6, 22. Vel merito, quoniam in propria non pelle quiessem, *h. e.* mea. *Ov. Pont.* 4, 7, 13. Atque utinam pars haec tantum spectata fuisset, Non etiam proprio cognita Marte tibi, *h. e.* tuo. *Claud. epigr.* 21. Hoc proprium vellet cingere Castor equum. [*Tac. A.* 1, 71. propria pecunia militem juvit. *H.* 3, 64. esse illi (praefecto urbis) proprium militem cohortium urbanarum. ℙ Idem fere quod domesticus est ap. *eund. A.* 12, 29. ipsi manus propria pedites (e popularibus) eques e Sarmatis Iazygibusque erat; cf. *H.* 4, 16. Canninefates, Frisios, Batavos propriis cuneis componit; *Germ.* 38. propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune Suevi vocentur; *ib.* 4. propria et sincera et tantum sui similis gens. *Boettich. Lex. Tac.* p. 390. Adde *Vell.* 2, 1, 4. Haec urbs nunquam X plura, quam propriae juventutis armavit: ubi v. *Ruhnk.*] ℙ *Proprium* absolute res sua, propria cujusque. *Phaedr.* 1, 4. Amittit merito proprium, qui alienum appetit. *Mart.* 12, 78. Ante Jovis statuam crepuit satur histrio: poenam Juppiter indixit, vivere de proprio. ℙ Item proprietas. *Quint.* 5, 10. *med.* Proprium est, aut quod soli accidit, ut homini sermo, risus: aut quod utique accidit, sed non soli, ut igni calefacere. ℙ Est etiam *proprius* aptus, accommodatus. *Plin.* 24, 15, 86. Chamaepeuce lumborum et spinae doloribus propria est. *Scrib. Comp.* 200. Remedia propria ad singula sumere. [*Huc pertinet etiam illud, quod *Forc.* supra laudaverat, *Cic. Sull.* 3. Tempus agendi fuit mihi magis proprium, quam ceteris.] ℙ Item saepe diuturnus, firmus, perpetuus. *Accius* ap. *Non.* 4, 346. Non facile sine Deum opera propria humana sunt bona. *Lucil. ib.* Cum sciam, nihil in vita proprium mortali datum esse. *Pl. Most.* 1, 3, 67. Si tibi sat acceptum est, fore victum tibi sempiternum, atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita. *Cic. Manil.* 16. *f.* Quod ut illi proprium sit atque perpetuum, optare debetis. *Id. in Sen.* 4. *med.* Si illud de duobus consulibus perenne ac proprium manere potuisset. *Nep. Thras.* 4. Parva munera diutina, locupletia non propria esse consueverunt. [*V. *Brem.* ad *Lys.* 1, 5.] *Ter. Andr.* 5, 5, 3. Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror, quod voluptates eorum propriae sunt. *Virg. A.* 1, 76. Deiopeam Connubio jungam stabili, propriamque dicabo. Adde *ib.* 3, 85. et *Ter. Andr.* 4, 3, 1. [*V. *Ruhnk.* ad h. l. et quem comp. *Lamb. ad Hor. ep.* 2, 2, 172.] ℙ Item legitimus, germanus, certus, maxime pertinens, conjunctus. *Cic. Caecin.* 18. Res ut omnes certis ac propriis vocabulis nominentur. *Id. Off.* 1, 12. Qui proprio nomine perduellis erat, is hostis vocabatur. *Id. Or.* 3, 37. Utemur verbis aut iis, quae propria sunt, et certa quasi vocabula rerum; aut iis, quae transferuntur. Huc pertinere videtur illud *Lucr.* 4, 1134. Atque in amore mala haec proprio summeque secundo Inveniuntur: in adverso vero, atque inopi sunt, etc., *h. e.* in amore legitimo, vero, et proprie dicto. [*De hac hujus vocabuli significatione disputat *Ernest.* in *Lex. techn. lat. rhet.* p. 311. Poterat huc referri etiam illud *Vell.* 2, 9, 2. Nam Q. Mucius juris scientia, quam propriae eloquentiae nomine, celebrior fuit: ubi v. *Ruhnk.*] ℙ *Proprium nomen* ap. grammaticos opponitur appellativo, q. v. v. s. l. ℙ *Facere proprium* opponitur v. *facere mutuum* ap. *Pl. Curc.* 1, 1, 46. Ea (*anciltula*) me deperit. Ego autem cum illa facere nolo mutuum. *Pa.* Quid ita? *Ph.* Quia proprium facio; amo pariter simul, *h. e.* quia amo illam mea, non illius causa; seu amo illam amore, qui mihi semper proprius, nec auferri possit, non qui mutuus, ideoque aliquando auferendus. ℙ Comp. *Proprior* habet *Sen. Controv.* 5, 33. *med.* Uno verbo propriore usus. Alii leg. *propiore.* ℙ [*Confund. *proprius* et *primus.* V. *Spald.* ad *Quint. Tom.* 1. p. 449. *crit.*]

PROPTER, ἐγγύς, [*pr. comparativus est v. *pro*, *prope:* ut *praeter* a v. *prae* descendit, et viciniam loci, et causam transeuntem in effectum indicat. V. *Scheid.* ad *Sanct.* p. 229. — A) de vicinia loci: ubi primo loco poni poterant exempla, in quibus adverbii vice fungitur.] *Ter. Ad.* 4, 2, 37. Ibi angiportum propter est. *Cic. Rosc. Am.* 23. Duo filii propter cubantes. *Lucr.* 2, 417. Araque Panchaeos exhalat propter odores. *Phaedr.* 2, 6. Venit per auras cornix, et propter volans, etc. *Cato R. R.* 151. Serito in loco, ubi aqua propter siet. [*Plura hujus usus exempla praebet *Wunder* in *varr. lectt. ed. Erfurt. praef.* p. 114. sq. ℙ Longe majori exemplorum numero praepositionis vim habet.] *Cic. Brut.* 6. *med.* In pratulo propter Platonis statuam consedimus. *Id. N. D.* 3, 22. Insulae propter Siciliam, quae Vulcaniae nominabantur. *Virg. Ecl.* 8, 87. et *Lucr.* 2, 30. propter aquae rivum. *Ter. Ad.* 2, 1, 15. Hic propter hunc assiste. *Sisenn.* ap. *Non.* 4, 357. Partem cohortium propter mare collocat in litore. *Hirt. B. Afr.* 73. *f.* Propter hostium castra praetergressus. ℙ B) Saepe significat causam, aut finem, ob quem fit aliquid. *Cic. Brut.* 26. Eam suspicionem propter hanc causam credo fuisse, quod, etc. *Id. Fin.* 2, 26. Amicitia ex se, et propter se expetenda. *Id. Rosc. Am.* 4. *f.* Officium aut propter perfidiam abjicere, aut propter infirmitatem animi deponere. *Id. Par.* 5, 1. Parere legibus propter metum. *Caes. B. G.* 1, 16. Nam propter frigora, frumenta in agris matura non erant. *Ter. Phorm.* 5, 7, 34. Non est aequum, me propter vos decipi. *Nep. Dion.* 9. Hi propter notitiam sunt intromissi, *h. e.* quia noti erant. *Cic. Att.* 7, 5. Tironem propter humanitatem et modestiam malo salvum, quam propter usum meum. *Varr. R. R.* 3, 2. *med.* Quid enim refert, utrum propter oves, an propter aves fructus capias? *h. e.* ex ovibus, an ex avibus. *Pall.* 12, 13. Ut sic tuta cubilia propter injuriam pretiosi velleris, humor reddat elabens, *h. e.* ad cavendam injuriam. Sic *Id.* 4, 10. *med.* Viva calce perfundendi sed parcius propter arboris noxam. ℙ *Propter hoc*, *propter quod*, propterea, ideo. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Propter hoc Siculum mel fert palmam, quod ibi thymum bonum et frequens est. *Colum.* 1, 6. *med.* Propter quod torcular debet a meridiana parte illustrari, ne, etc. ℙ Sacrificium *propter viam* est, quod fit proficiscendi causa, Herculi, aut Sanco, qui scilicet idem Deus est, ut *Festus* docet. *Laber.* ap. *Non.* 1, 264. Visus hac nocte bidente propter viam facere. In eo, ut ait *Macr. Sat.* 2, 2., mos erat, ut si quid ex epulis superfuisset, igne consumeretur. Hinc Catonis jocus de quodam Q. Albidio, qui sua bona comederat, et novissime domum, quae ei reliqua erat, incendio perdiderat, cum *propter viam fecisse*, quod comedere non poterat, id combussisse. *Macr. ib.*, ubi male in quibusdam libris *proterviam*, vel *protervia* legitur. Huc pertinet illud *Pl. Rud.* 1, 2, 61. de iis, qui naufragium fecerunt: Ut mea est opinio, propter viam illi sunt vocati ad prandium, quia post coenam laverunt heri: confracta navis in mari est illis. ℙ Aliquando *propter* suo casui postponitur. *Cic. Sen.* 7. Quod propter studium cum rem familiarem negligere videretur, etc. *Plin.* 10, 40, 56. Caprarum uberibus advolant, suctum propter lactis. *Tac. A.* 4, 48. Translata dehinc castra hostem propter; et *ib.* 15, 47. Viam propter. Adde *Virg. A.* 12, 177. ℙ [*Confund. *propter* et *per.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 82. — *Propter* et *prope.* V. *Wunder.* l. supra l.]

PROPTĔREĀ, adv. διὰ τοῦτο, διότι, propter ea, propter hoc, ideo, idcirco. *Ter. Hec.* 1, 1, 6. Ergo propterea te sedulo et moneo, et hortor, ne, etc. *Cic. Lig.* 3. Haec propterea de me dixi, ut mihi Tubero ignosceret. *Ter. Andr.* 2, 5, 1. Herus me jussit Pamphilum hodie observare: id propterea nunc hunc venientem sequor; et 5, 5, 4. Ego Deorum vitam propterea sempiternam esse arbitror, quod, etc. *Cic. Fam.* 9, 18. Cum essem otiosus in Tusculano, propterea quod discipulos obviam miseram. *Id. Div.* 1, 14. Num propterea nulla est reipubl. gerendae ratio, quia, etc.? et *ib.* 2, 22. Mulae partus res mirabilis propterea, quia non saepe fit. *Pl. Capt.* 1, 2, 71. Quia mihi natalis est dies, propterea te vocari ad coenam volo. *Gell.* 3, 6. Propterea palmam signum esse placuit victoriae, quoniam, etc. *Mart.* 7, 10. Non tu propterea, sed Matho pauper erit.

[PROPTOSIS, is, f. πρόπτωσις, prolapsio. *Marcell. Empir.* 8. *med.* Collyrium psittacinum a colore sic dictum, facit ad adustiones, quod quia loco interdum videtur propellere oculum, proptosin vocant. *F.*]

PROPŪDĬĀNUS porcus dictus est, ut ait Capito Attejus, qui in sacrificio gentis Claudiae velut piamentum et exsolutio omnis contractae religionis est. *Festus.*

PROPŪDĬOSUS, a, um, adj. ἀναίσχυντος, propudii plenus, flagitiosus, turpis. *Pl. Stich.* 2, 2, 10. Men' rogas, propudiose? *Gell.* 2, 7. *f.* Uxorem ducere infamem, propudiosam, criminosam. *Arnob.* 5, 175. Propudiosi facinoris obscenitas. *Rut. Itin.* 1, 387. Reddimus obscenae convicia debita genti, Quae genitale caput propudiosa metit. *Sidon. ep.* 9, 6. Ancilla propudiosissima.

PROPŪDĬUM, ii, n. αἰσχύνη, res pudenda, flagitium, turpe facinus, insolens Venerea libido. *Festus:* Propudium dicebant, cum maledicto nudare turpitudinem volebant, quasi porro pudendum. Quidam propudium putant dici, a quo pudor et pudicitia procul sint. Haec *Festus.* *Pl. Mil.* 2, 4, 11. Ubi iste bonus servus, qui propudii me maxime innocentem falso insimulat? *Plin.* 28, 8, 32. Hoc cinere poto propudia virorum, ejusdem aspersu feminarum libidines inhiberi. ℙ Est etiam convicium in hominem flagitiosum, turpem, impudicum, infamem. *Pl. Curc.* 1, 3, 34. Quid ais, propudium? *Id. Bacch.* 4, 1, 7. Ut pulsat, propudium! *Cic. Phil.* 14, 3. *f.* Quos interemit propudium illud, et

portentum L. Antonius. Alii hic aliter leg. V. PRAELUDIUM. Adde *Appul. Met.* 8.

PROPUGNĀCULUM, i, n. ἐπιτείχισμα, προβολή, locus munitus, unde pugnari potest defendendi causa, ut vallum, moenia, arx. *Virg. A.* 9, 170. portas Explorant, pontesque et propugnacula jungunt. *Cic. Font.* 1. Narbo Marcius, colonia nostrorum civium, specula populi R. ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum et objectum. *Tac. H.* 3, 34. Cremona propugnaculum adversus Gallos. *Cic. Verr.* 2, 5, 34. Navis ita magna, ut propugnaculo ceteris posset esse. *Tac. H.* 2, 19. Solidati muri, propugnacula addita, auctae turres; et *ib.* 3, 84. Multi semianimes super turres et propugnacula moenium exspiravere. *Id. A.* 4, 51. Barbari scalas inferre propugnaculis, eaque prensare, detrahere. *Stat. Silv.* 3, 3, 101. propugnacula aequoris, *h. e.* moles fluctibus oppositae, aut portus, ubi statio navibus tuta. *Hor. Epod.* 1, 1. Ibis Liburnis inter alta navium, Amice, propugnacula, *h. e.* turribus, et tabulatis excelsioribus in naves impositis. *Plin.* 32, 1, 1. Classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur, velut e muris. Adde *Flor.* 2, 2. *f.* et *Tac. A.* 12, 56. ℙ De privatis aedibus. *Cic. Fam.* 14, 18. *f.* Domus ut propugnacula, et praesidium habeat, Philotimo dicetis. ℙ Translate. *Cic. Pis.* 4. Lex Aelia, et Fufia eversa est, propugnacula murique tranquillitatis atque otii. *Id. Verr.* 2, 3, 16. Si prius illud propugnaculum, quo contra omnes meos impetus usurum se putat, ex defensione ejus dejecero. *Gell.* 7, 3. *med.* Ne disparilitas collationis evidens fieret, pluribus id propugnaculis defensat. *Nep. Timol.* 3. Tyrannidis propugnacula demoliri.

PROPUGNĀTIO, onis, f. ὑπεραπισμός, pugna defendendi causa inita. *Val. Max.* 5, 1. *n.* 4. *extr.* Cum Pyrrhus Argivorum invasisset urbem, abscissumque caput ejus Alcyoneus ad patrem propugnatione laborantem laetus attulisset, etc. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 5, 8. Suscepi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis; et *ib.* 1, 7. Nostra propugnatio ac defensio dignitatis tuae, etc.

PROPUGNĀTOR, oris, m. προασπιστής, qui pro aliquo defendendi causa pugnat, defensor. *Cic. Verr.* 2, 5, 33. Classis inops et infirma propter dimissionem propugnatorum atque remigum. *Caes. B. G.* 7, 25. *f.* Nec ille prius est propugnatoribus relictus locus, quam, etc. *Tac. A.* 13, 39. Nudati propugnatoribus muri, obices portarum subversi, capta escensu munimenta. *Plin.* 8, 7, 7. Viginti elephanti turriti cum sexagenis propugnatoribus. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 57. Mucius paterni juris defensor, et quasi patrimonii propugnator sui. *Id. in Sen.* 15. Propugnator mearum fortunarum, et defensor assiduus. *Just.* 8, 2. Propugnatores sceleris. *Suet. Caes.* 16. Tribuno plebis turbulentissimas leges ferenti auctorem se propugnatoremque praestitit. ℙ Est epitheton Jovis. *Inscr.* ap. *Grut.* 300, 2. P. Marcius Verus Imp. Commodo VI. et Petronio Septimiano Cos. Kal. Decem. in Palatio, in aede Jovis Propugnatoris. ℙ Item Martis, ut videre est in nummis aliquot Gordiani III. ap. *Mediobarb.* p. 337. ℙ Item Apollinis, ut in nummis Valeriani senioris ap. *eund.* p. 365.

PROPUGNĀTRIX, icis, f. quae propugnat et defendit. In fragmento orationis funebris, Augusti aetatem sapientis, ut putat *Fabr.* p. 169. *extr.* et *Marin. Iscriz. Alb.* p. 136. Speculatrix et propugnatrix morum periculorum.

PROPUGNĀTUS, a, um, part. a *propugno:* defensus. *Gell.* 9, 11. *f.* Et sua virtute nisus, et opera alitis propugnatus.

PROPUGNO, as, avi, atum, a. 1. προμαχέω, προασπίζω, pugno defendendi gratia: cui *oppugno* contrarium est. *Cic. Tusc.* 5, 37. *f.* Bestiae pro suo partu ita propugnant, ut vulnera excipiant. *Caes. B. C.* 3, 45. Neque erat facile nostris uno tempore propugnare, et munire. *Id. B. G.* 5, 9. Ipsi ex silvis rari propugnabant, nostrosque intra munitiones ingredi prohibebant. ℙ Translate. *Cic. Off.* 1, 19. Fortitudo est virtus propugnans pro aequitate. *Id. Fam.* 11, 16. Cum pro mea salute acerrime propugnaret. *Id. Rab. perd.* 10. *f.* Propugnare pro alicujus fama, gloria, memoria, non secus ac pro patriis fanis atque delubris. ℙ Cum accusat. *Suet. Caes.* 23. Qui sibi recepissent, propugnaturos absentiam suam. *Plin.* 12, 19, 42. Casiam circa paludes propugnante unguibus diro vespertilionum genere. *Stat. Th.* 2, 584. propugnant pectora parma; et *ib.* 4, 110. Omnibus aeratae propugnant pectora crates, *h. e.* protegunt, muniunt. ℙ *Propugnare alicui* pugnare pro aliquo. *Appul. Met.* 9. Ceteri fratres accurrunt moesti suppetias, et lapidum crebris jactibus propugnare fratri, atque abigere canes aggrediuntur.

PROPULSĀTIO, onis, f. ἐξώθησις, actus propulsandi, depulsio. *Cic. Sull.* 1. Cum hujus periculi propulsatione conjungam defensionem officii mei. *Tiro ap. Gell.* 7, 3. Propulsatio, et translatio criminis.

PROPULSĀTOR, oris, m. διαχρουστής, qui propulsat. *Val. Max.* 7, 8. *n.* 7. Auctorem harum rerum benevolentia, propulsatorem odio insecutus. *Arnob.* 7, 249. Valetudinum pessimarum propulsator.

PROPULSO, as, avi, atum, a. 1. frequent. a *propello:* ἐξωθέω, procul pello, depello, repello, propello, defendo, prohibeo. *Varr. R. R.* 2, 9. Taurus cornibus facile propulsat lupos. *Caes. B. G.* 1, 49. Duas acies hostem propulsare, tertiam opus perficere jussit. *Liv.* 3, 69. Ut uno animo bellum ab urbe ac moenibus propulsari vellent. *Cic. Phil.* 5, 4. Ab ingressione fori populum propulsari. ℙ [*Translate est prohibeo, arceo. *Caes. B. G.* 6, 14. Aut ipsi injurias inferrent, aut illatas propulsarent.] *Colum.* 3, 15. Et aquas hiemis, et vapores aestatis propulsare radicibus. *Cic. Fin.* 4, 25. Frigus, famem propulsare. *Id. Cluent.* 52. periculum a capite praesidio legum. *Id. Verr.* 2, 3, 60. *extr.* omnem suspicionem a se. *Colum.* 6, 5. morbos exquisitis remediis. *Gell.* 1, 2. caloris incommoda lucorum umbra. *Id.* 20, 1. *med.* luxuriam civium. *Id.* 15, 2. *med.* violentiam vini. ℙ Part. *Propulsans* ap. *Curt.* 9, 4. *f.* Clypeo incidentia tela propulsans. *Propulsaturus* ap. *eund.* 10, 8. Praesidio vim propulsaturus.

[PROPULSOR, oris, m. qui propellit. *Venant. Vit. S. Mart.* 3, 301. Cornigeri pecudis propulsor mulio tristis Exagitatur iners. *F.*]

PROPULSUS, a, um, part. a *propello:* προωθείς, impulsus, repulsus, depulsus. *Hirt. B. G.* 8, 19. Hostes victi propulsique. *Pomp.* ap. *Auct. B. Hisp.* 26. Adversarios adhuc propulsos habemus. *Phaedr.* 4, 17. Canes propulsi fustibus vadunt foras. *Tac. H.* 2, 43. Propulsa Quintanorum impetu quintadecima legio. *Ov. Trist.* 1, 10, 33. propulsaque *(navis)* fortibus Austris Transeat instabiles strenua Cyaneas; et *Lucan.* 7, 789. cernit propulsa cruore Flumina. *Ov. Met.* 8, 340. Sternitur incursu nemus, et propulsa fragorem Silva dat. *Gell.* 2, 30. *med.* Propulsae in adversum aquae. *Plin.* 11, 37, 65. de ranis coaxantib.: Tunc extenti buccarum sinus perlucent, oculi flagrant labore propulsi.

PROPULSUS, us, m. impulsus. *Sen. Q. N.* 5, 14. Aera onerari, oneratumque incumbere, et ventum propulsu suo concitare.

[PROPUNGO, is, a. 3. ante pungo. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. *med.* Tum partium propungentibus pilis capitis. Alii leg. *tum praerasis prominentibus pilis, capiti*, etc. *F.*]

[PROPURGO, as, a. 1. ante purgo. *Not. Tir.* p. 120. Purgat, propurgat. *F.*]

PROPYLAEUM, i, n. προπύλαιον, locus ante januam, aut portam, vestibulum, porticus: a πρό, ante, et πυλη, porta. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20. Cum Athenis celeberrimo loco, Minervae delubro, propylaeon pingeret. *Cic. Off.* 2, 17. Phalereus Demetrius Periclem vituperat, quod tantam pecuniam in praeclara illa propylaea conjecerit, *h. e.* vestibulum ante arcem Athenarum.

PROQUAESTOR, oris, m. et Proquaestore et Pro quaestore, indecl. (ut in PROCONSUL dictum est; V. et PROMAGISTER et PROMAGISTRATUS) ἀντιταμίας, qui quaestoris auctoritate in Urbe functus, in aliquam deinceps provinciam eadem functurus cum proconsule mittitur. *Cic. Acad.* 4, 4. Cum Alexandriae pro quaestore essem. *Id. Verr.* 1, 4. Cum eum *(Cn. Dolabellam)*, cui legatus et pro quaestore fuisset *(Verres)*, in invidiam suis maleficiis adduxit; et *ib.* 2, 1, 15. Quem Cn. Dolabella pro quaestore habuit; et *Phil.* 10, 11. *f.* Senatui placere, Q. Hortensium proconsulem cum quaestoribus, prove quaestoribus, et legatis suis provinciam Macedoniam obtinere. *P. Lentul.* ad Coss. *Fam.* 12, 15. Cum his navibus, quas comparaverat Patiscus proquaestor, Rhodum reverti. Hinc etiam *P. Sextius*, pro quo exstat *Ciceronis* oratio, Romae primum ann. U. C. DCXCI. quaestor fuit C. Antonii consulis, anno vero insequenti ejusdem Antonii Macedoniae proconsulis *proquaestor* dicitur in epistolae titulo ap. *Cic. Fam.* 5, 6. ℙ Proquaestores vel a praeside provinciae eligebantur, cum primum provinciam inibat: idque vel ut in comitatu ejus essent honoris causa: vel in adjutorium legitimi quaestoris ad omnia non sufficientis: vel denique eo mortuo, aut decedente adsciscebantur, donec alius mitteretur. *Cic. Verr.* 2, 1, 15., ibique *Ascon.*, et 36. ℙ [Cum vero Augustus omnes quaestores, quorum plures ideo eligebantur, ut, duobus urbanis exceptis, proconsules in provincias sequerentur, Romae aut in Italia variis distentos muneribus detinuisset, et anno tantum insequenti eis quaestoris officium in provinciis exercendum concederet, factum est, ut *proquaestoris* nuncupatio omnino tolleretur; cum nempe nullum amplius essent discrimen eorum, qui prius Romae, deinde in provinciis quaestores erant, et eorum, qui, nulla prius urbana quaestura functi, proconsules in provincias comitabantur. Quo autem nomine appellati postea fuerint hi quaestores in provinciis senatoriis, dictum fuit in PROPRAETOR; in Caesareis procuratores erant loco quaestorum, nam ait *Cajus Instit.* 1. (ed. *Goesch.*) §. 6. In provinciis Caesaris omnino quaestores non mittuntur. V. PROCURATOR. *F.*]

PROQUAM, adv. prout. *Lucr.* 3, 200. Igitur parvissima corpora proquam Et laevissima sunt, ita mobilitata feruntur. Alii leg. *quanto.* ℙ Etiam divisim scribitur, est enim *pro eo quam. Id.* 2, 1136. Nec satis est, pro quam largos exaestuat aestus, Unde queat tantum suboriri ac suppeditare, Quantum opus est.

PROQUĪRĪTĀTUS, a, um, part. a *proquirito:* coram populo edictus, promulgatus. *Sidon. ep.* 8, 6. *med.* Per ipsum fere tempus, ut decemviraliter loquar, lex de praescriptione tricennii fuerat proquiritata. V. PERQUIRITATUS.

PROQUĪRĪTO, as, a. 1. clamo, exclamo, coram Quiritibus vociferor. *Appul. Apol.* Turbabat impurus hic in medio foro bacchabundus: epistolam saepe aperiens proquiritabat: Appulejus magus: dicit ipsa, quae sentit et patitur.

PRORA, ae, f. πρώρα, anterior pars navis, sicut *puppis* posterior: vox Graeca ἀπὸ τοῦ πρόορᾶν, vel παρὰ τὸ πρώτως ῥέειν. *Caes. B. G.* 3, 13. Prorae admodum erectae, atque item puppes, ad magnitudinem fluctuum tempestatumque accommodatae. *Plin.* 9, 30, 49. Concham esse acatii modo carinatam, inflexa puppe, prora rostrata. *Id.* 6, 22, 24. Ob id navibus utrinque prorae, ne per angustias alvei circumagi sit necesse. *Ov. Met.* 3, 617. prorae tutela Melanthus, *h. e.* proreta. *Virg. G.* 4, 117. et *A.* 7, 35. terris advertere proram. *Id. ib.* 5, 775. Stans procul in prora pateram tenet, extaque salsos Porricit in fluctus. ℙ Navis cum portum intrat, prora intrat: cum vero religanda est, convertitur, et puppi religatur, prora autem mare spectat. *Id. ib.* 3, 277. et *ib.* 6, 902. Ancora de prora jacitur: stant litore puppes. *Id. ib.* 3. Obvertunt pelago proras, et litora curvae Praetexunt puppes. ℙ *Prora, et puppis*, Graecum proverb. πρώρα καὶ πρύμνη, summa ratio, tota causa alicujus rei faciendae, totum id, quo res aliqua constat, quemadmodum a prora et puppi pendet tota navis. Graeci, si dicere vellent, rem aliquam perire funditus, dicebant, τὰ ἐκ πρώρας, καὶ τὰ ἐκ πρύμνης ἀπόλλυται, ut ex *Philostrato Erasmus* refert. *Cic. Fam.* 16, 24. Mihi prora et puppis, ut Graecorum proverbium est, fuit a me tui dimittendi, ut rationes nostras explicares. ℙ Per synecdochen est ipsa navis. *Virg. A.* 10, 223. Quot prius aeratae steterant ad litora prorae. *Ov. Met.* 14, 163. cur barbara Grajum Prora vehit?

PRORĔPO, is, psi, n. 3. ἐξέρπω. [*Hic *Forc.* omnia miscuerat. Primo loco ponenda erant exempla, in quibus *prorepo* est, ut ipse recte explicuerat, sensim et rependo exco, prodeo, *hervorkriechen.*] *Hor. Sat.* 1, 1, 36. de formica: Quae, simul inversum contristat Aquarius annum, Non usquam prorepit; et *ib.* 3, 99. Cum prorepserunt primis animalia terris. *Plin.* 8, 39, 59. Cochleae prorepunt e cavis terrae. ℙ [*Etiam de rebus non animatis.] *Colum.* 11, 2. *med.* prima pampinatio recte inchoatur, dum prorepentes oculi digito decuti possunt. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 96. Tardaque sudanti prorepunt balsama ligno, *h. e.* stillant, defluunt. ℙ [*Nunc recte sequuntur ea, quae rependo procedendi, in anteriorem partem rependi notionem continent.] *Suet. Claud.* 10. Rumore caedis exteritus prorepsit ad solarium proximum, interque praetenta foribus vela se abdidit. *Plin. Pan.* 22. Aegri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem sanitatemque prorepere. ℙ [*Translate.] *Colum.* 7, 12. *f.* Nervus, qui per articulos spinae prorepit usque ad ultimam partem caudae. *Id.* 3, 13. *med.* Ut mota aequaliter humus novelli seminis radicibus, quamcumque in partem prorepserint, molliter cedat. *Id.* 5, 5. *med.* Ne palmites libero excursu in luxuriam prorepant. *Id.* 2, 17. *f.* Si quis supervenit humor, lente prorepit.

PRORĒTA, ae, m. πρωρᾶτης Polluci, πρωρήτης aliis, proreus, qui in navis prora sedet, ibique ventos captat, et de eorum conversionibus gubernatorem monet, docet etiam, rupes et scopuli ubi sint, ut is converso clavo eos declinet. *Rut. Itin.* 1, 455. Despectat prorae custos, clavumque sequentem Dirigit, et puppim voce monente regit. *Ov. Met.* 3, 617. tutelam prorae vocat. *Pl. Rud.* 4, 3, 75. Si tu proreta isti navi es, ego gubernator ero. *Paul. Dig.* 39, 4, 11. Quod si, absente domino, id a magistro, vel gubernatore, aut proreta, nautave aliquo factum sit.

PRORĒUS, i, m. disyll. idem ac proreta, πρωρεύς. *Ov. Met.* 3, 634. Pone metum, proreus, et quos contingere portus, Ede, velis, dixit.

PRORĪGĀ. V. PERORIGA.

PRORĪPIO, is, pui, a. 2. ἀναρπάζω, extra pervim, et cito rapio, extraho, corripio. *Cic. Verr.* 2, 5, 62. Repente hominem proripi, atque in medio foro nudari ac deligari jubet. *Ov. Am.* 3, 7, 81. Nec mora: desiluit tunica velata recincta: Et decuit nudos proripuisse pedes. Al. leg. *praeripuisse.* ℙ *Proripere se*, raptim et celerrime se subducere, erumpere, prosilire. *Cic. Har. resp.* 1. Exsanguis atque aestuans se ex curia repente proripuit. Sic *Suet. Aug.* 54. Interdum ob immodicas altercationes disceptantium e curia per iram se proripiens; et *Sall. Cat.* 33. et *Liv.* 8, 30. *f.* Dein se ex curia domum proripuit. *Caes. B. C.* 2, 12. Inermes cum infulis sese porta foras universi proripiunt, ad legatos supplices manus tendunt. *Val. Fl.* 5, 269. Ille furens ira solio se proripit alto. *Petr. Sat.* 95. De cella se proripere. *Liv.* 29, 9. se domo. *Suet. Cal.* 51. se e

strato. *Tac. A.* 4, 45. Eo nisu proripuit se custodibus, ut, etc. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 2, 22. *med.* Quod adulterium, quod stuprum, quae libido non se proripiet, ac projiciet, aut occultatione proposita, aut impunitate, aut licentia? ℙ [*Hinc *proripere* significat etiam porro trahere aliquem. Huc pertinet illud, quod *Noster* supra laud., *Tib.* 1, 6, 72. ducterque capillis Immerito, pronas proripiarque vias. ℙ Hinc *proripere se* i. q. celeriter in locum aliquem currere, *fortstürzen.*] *Liv.* 8, 28. se in publicum. *Appul. Met.* 7. se cursu; et *ib.* 4. concito gradu; et *ib.* 9. fuga. [**Suet. Oth.* 6. proripuit se cum amicis — in proximam silvam. *Ov. Met.* 14, 422. *sese* Proripit, ac Latios errat vesana per agros.] Et omisso accusativo *Virg. A.* 5, 741. Aeneas, quo deinde ruis? quo proripis? inquit, Quem fugis? ℙ [*Translate.] *Hor. Od.* 1, 8, 13. Quid latet ut marinae Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Trojae Funera, ne virilis Cultus in caedem, et Lycias proriperet catervas?

PRORITO, as, a. 1. *παροξύνω*, irrito, provoco. *Plin.* 26, 8, 58. Anagallidum caerulea procidentiam sedis retro agit, e diverso rubens proritat. ℙ Aliquando ponitur pro allicere, invitare. *Colum.* 2, 10. *med.* Nisi magnus est ejus in ea regione, quam colis, proventus, et pretium proritat. *Sen. ep.* 23. Quem spes proritat. *Id. Tranqu.* 12. *med.* Ne illi quidem sine aliqua spe moventur: proritat illos alicujus rei species. *Scrib. Comp.* 104. Varietate apta ciborum stomachum proritare, *h. e.* orexim excitare. *Arnob.* 5, 178. Proritare aliquem ad furias.

PRORŌGĀTIO, onis, f. *παρέκκλησις, ὑπερημερία*, actus prorogandi, prolatio, dilatio. *Cic. Att.* 13, 43. Ego vero utar prorogatione diei. *Liv.* 8, 26. *extr.* Duo singularia haec ei viro primum contigere, prorogatio imperii non ante in ullo facta, et acto honore triumphus. (V. *ib.* 23.). *Cic. Mur.* 23. Confusionem suffragiorum flagitasti, prorogationem legis Maniliae, *h. e.* dilationem legis promulgandae.

PRORŌGĀTIVUS, a, um, adj. *Sen. Q. N.* 2, 47. Prorogativa fulmina sunt, quorum minae differri possunt, averti tollique non possunt.

PRORŌGĀTOR, oris, m. qui erogat. V. PROROGO. *Cass. Var.* 10, 28. Arcarii prorogatores tritici, vini, et olei. *Vet. Schol.* ad *Pers.* 2, 59. Dispensatores dicti prorogatores. *Gloss. Isid.* Prorogator, dispensator.

PRORŌGĀTUS, a, um, part. a *prorogo:* prolatus nova rogatione in longiora tempora. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 1. *med.* Quod si tibi bellum aliquod magnum et periculosum administranti prorogatum imperium viderem. *Id. Phil.* 2, 29. *f.* Pauci ad solvendum prorogati dies. *Vell.* 2, 46. Caesari lege, quam Pompejus tulit, prorogatae in idem spatium temporis provinciae. *Val. Max.* 3, 4. *n.* 6. Aucta majestas senatus, prorogata familia, *h. e.* amplificata, propagata.

PRORŌGO, as, avi, atum, a. 1. *ἀναβάλλομαι*, proprie est nova rogatione seu lege proferre, protrahere. *Cic. Fam.* 3, 10. Illud pugna et enitere, ne quid nobis temporis prorogetur. *Id. Att.* 5, 11. Ne provincia nobis prorogetur, per fortunas, dum ades, quidquid provideri potest, provide. *Id. Phil.* 2, 10. Ne quinquennii imperium Caesari prorogaretur. *Front. Aquaed.* 7. Spatium praeturae in alterum annum prorogare. ℙ Translate est producere, differre, extendere. *Cic. Phil.* 12, 6. Nec solum prorogare bellum, sed concedere etiam victoriam. Al. leg. *propagare. Plin.* 16, 22, 34. Prorogare moras in hiemes. *Pl. Aul.* 3, 5, 57. spem militi in alium diem. *Id. Ps.* 3, 2, 38. vitam hominibus. *Hor. Carm. saec.* 67. Alterum in lustrum, meliusque semper Proroget aevum. *Plin. ep.* 2, 20. *med.* Medicos rogare quoquo modo spiritum homini prorogarent. *Id. ep.* 7, 31. Cujus memoriam tam grata praedicatione prorogat et extendit; et *ep.* 9, 19. Victuri nominis famam supremis etiam titulis prorogare nituntur. *Plin. alter* 2, 8, 6. Sidus Veneris ab occasu refulgens nuncupatur vesper, prorogans lucem, vicemque lunae reddens. *Id.* 13, 3, 4. Margaritae ad heredem transeunt, vestes prorogant tempus: unguenta illico exspirant. ℙ Pro diu servare. *Id.* 22, 22, 37. Quippe etiam conditum prorogatur ad urinam ciendam. *Id.* 19, 8, 39. Inventum omnes thyrsos, et folia lactucarum prorogare urceis conditos. ℙ Significat etiam praerogare, erogare. *Ulp. Dig.* 40, 1, 4. Sive ex peculio, sive ex adventicio lucro, vel prorogante eo, vel repromittente redemptus sit. *Id. ib.* 19, 2, 19. *med.* Qui pensionem integram prorogavit. *Id. ib.* 2, 14, 53. Sumptus prorogare litiganti, honestum est. Ita *Haloand.* et *Torrent.* (Alii ubique leg. *praerogare.)* V. PRORŌGĀTOR. ℙ [*De discrimine inter *prorogare* et *propagare;* deque eorum fere perpetua in Mss. confusione dictum est in *propagare.*]

PRORSUM, adv. recta in anteriorem partem, prorsus. *Pl. Pers.* 4, 5, 5. Simulato, quasi eas prorsum in navem. *Ter. Hec.* 3, 1, 35. Trepidari sentio, et cursari rursum prorsum. Ubi *Donat.* Rursum proprie *retro*, prorsum *ante* significat. V. RURSUM. ℙ Item omnino *Cato fr.* ap. *Charis.* 2, 189. Prorsum quodcumque videbat fecisse, neque quemquam observavisse. *Pl. fr. ib.* Ita sunt praedones, prorsum parcunt nemini. *Id. Pers.* 4, 3, 8. Ita prorsum credebam nemini. *Gell.* 17, 3. Prorsum irritatus. *Id.* 18, 2. Saturnalia agitabamus hilare prorsum et modeste. *Ter. Heaut.* 4, 5, 28. Prorsum nihil intelligo.

PRORSUS, adv. *εὐθεῖα*, recta in anteriorem partem, porro versus, recta via progrediendo, prorsum. *Ps. Ps.* 4, 1, 45. Non prorsus, verum ex transverso cedit, quasi cancer solet. *Id. Mil.* 4, 4, 56. Prorsus Athenas protinus abibo tecum. *Gell.* 16, 19. *med.* Tunc Arionem prorsus ex eo loco Corinthum petivisse. *Cato* ap. *Fest.* Cum Romam veniebant prorsus devertebantur pro hospitibus ad amicos suos. ℙ Item omnino, penitus, plane, utique, *καθόλου*, [**geradezu, in der That, offenbar.*] *Sall. Cat.* 16. *extr.* Tranquillae res omnes: sed ea prorsus opportuna Catilinae. *Pl. Aul.* 2, 8, 27. Prorsus perii. *Cic. Tusc.* 2, 5. *f.* Ita prorsus existimo. *Id. N. D.* 3, 8. *f.* Nullo modo prorsus assentior. *Id. Att.* 13, 45. Prorsus ex his litteris non videbatur esse dubium, quin, etc. *Id. Or.* 2, 14. Verbum prorsus nullum intelligo. *Id. Fam.* 4, 10. Venies exspectatus non solum nobis, sed prorsus omnibus. *Id. Att.* 16, 1. Affatim prorsus; et *ib.* 15. Prorsus vehementer et severe. *Id. Fam.* 6, 20. Hoc mihi prorsus valde placet. *Just.* 2, 12. Prorsus quasi cum Diis immortalibus bellum gereret. *Flor.* 1, 11. *f.* Qua velocitate! intra quindecim dies coeptum peractumque bellum, prorsus ut festinasse dictator ad relictum opus videretur. *Plin.* 14, 5, 7. Prorsus ut jure dici possit, etc. *Gell.* 2, 23. Comoediae lepide et venuste scriptae, prorsus ut melius posse fieri nihil censeas. *Id.* 20, 5. *extr.* Amavi prorsus in epistola brevitatis elegantissimae filum tenuissimum. *Varr. L. L.* 5, 3. Ut jussit vinum legere, agna Jovi facit: inter cujus exta caesa et porrecta flamen prorsus vinum legit, *h. e.* in ipso intervallo caedendi et porriciendi, non prius, neque postea. [**Tac. A.* 2, 36, et 6, 4.] ℙ Item certe, vere, recte, ut ad illud *Ter. Ad.* 5, 3, 58. Eo pacto prorsum illic alligaris filium: *Donatus* docet. Sic *Gell.* 5, 9. Adolescens loqui prorsum deinceps coepit. Addunt et *Cic. Att.* 13, 45. Sed haec omnia commode ad superiorem notionem reducuntur. ℙ Item in summa, uno verbo; vel revera. *Sall. Cat.* 26. *extr.* Ingenium ejus haud absurdum: posse versus facere, jocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci. Prorsus multae facetiae, multusque lepos inerat; et *ib.* 15. *extr.* Igitur colos exsanguis, foedi oculi: citus modo, modo tardus incessus. Prorsus in facie vultuque vecordia inerat. Adde *ib.* 24. et *Jug.* 79. [**Tac. H.* 2, 5. Vespasianus acer militiae, anteire agmen, locum castris capere — prorsus, si avaritia abesset, antiquis ducibus par.] ℙ **Prosus* pro prorsus, ap. *Symmach. Laud. in Valent. or.* et c. 1. ed. *A. Maio. B. A.*

PRORSUS, a, um, adj. porro versus, rectus. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 2, 3, 14. Prorsum est porro versum, id est ante versum. Hinc et prorsa oratio, quam non inflexit cantilena. Haec *Donat.* Alii *prorsam* orationem, et frequentius, extrito *r*, *prosam* ideo dici ajunt, quod magis recta verborum constructione constet, quam versus, in quo metri causa multo plures transpositiones conceduntur: vel quod in legendo non recurritur ad initium, ut post singulos quosque versus fit. *Appul. Flor. n.* 18. Ac jam et prorsa, et vorsa facundia veneratus sum, *h. e.* et soluta oratione, et carmine. Sunt alia scriptorum loca, in quibus *prorsa oratio* pro *prosa* in quibusdam codicib. legitur. ℙ Prorsi limites appellantur in agrorum mensuris, qui ad orientem directi sunt. *Fest.* ℙ Prorsa Dea, recti partus praeses, sicuti perversi Postverta. *Varr.* ap. *Gell.* 16, 16., ubi alii leg. *Prosa*, quod idem est. ℙ *Prorso tramite* est recto tramite. *Fl. Avian.* 3. de cancro: Innocuos prorso tramite siste gradus. Alii leg. *proso* eod. sensu.

PRORUMPO, is, upi, uptum, a. 3. *διεξελαύνω*, procedendo, seu progrediendo rumpo, perrumpo, effringo, perfringo. *Virg. G.* 1, 97. Et qui, proscisso quae suscitat aequore terga, Rursus in obliquum verso prorumpit aratro. Alii leg. *perrumpit*; {*ita *Heyn.*] *Stat. Th.* 11, 639. prono vix pectore ferrum Intravit tandem et venas prorupit aniles Vulnus. In MSS. est *prupit:* unde et *perrupit* legi potest. ℙ Saepissime est cum impetu ferri, exire, erumpere, sese proripere, et veluti objices quosque perrumpendo vadere, et se aliquo immittere, irruere, *ἐξορμάω, ἐφορμάω. Cic. Mur.* 39. *f.* Illa pestis immanis, importuna Catilinae prorumpet, qua poterit. *Caes. B. G.* 5, 15. Per medios audacissime proruperunt, seque inde incolumes receperunt. *Virg. A.* 10, 379. medius densos prorumpit in hostes. *Nep. Att.* 21. Subito tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. *Sen. Troad.* 1156. Subitus prorupit cruor per vulnus ingens. *Val. Fl.* 7, 102. et infida praeceps prorumpit ab aula. *Claud. Laud. Stil.* 1, 246. alio prorumpit ab axe Tempestas. *Auct. Pan. ad Constant.* 16. Prorumpere ex latebris. *Tac. H.* 4, 34. *f.* Obsessi omnibus portis prorumpunt. *Id. A.* 15, 40. Praediis Tigellini incendium proruperat. *Plin. ep.* 3, 16. Cum diu cohibitae lacrimae vincerent, prorumperentque. ℙ Translate. *Cic. Rosc. Am.* 5. Eo prorumpere hominum cupiditatem, et scelus, et audaciam, ut, etc. *Just.* 21. *in.* Omnes Graeciae civitates in bellum prorumpunt. *Quint. decl.* 19, 9. Prospiciebam, in grande quandoque facinus proruptu-rum. *Tac. A.* 3, 52. Severitas adversum luxum, qui immensum proruperat ad cuncta, queis pecunia prodigitur; et *ib.* 6, 51. *extr.* Postremo in scelera ac dedecora prorupit, postquam remoto pudore et metu, suo tantum ingenio utebatur; et *H.* 2, 73. Ipse exercitusque, ut nullo aemulo, saevitia, libidine, raptu, in externos mores proruperant; et *A.* 11, 35. Incensus, et ad minas prorumpens; et *ib.* 2. Ad quod victo silentio prorupit reus. ℙ Pro simplici erumpo, exeo. *Virg. A.* 7, 32. fluvio Tiberinus amoeno In mare prorumpit. *Hirt. B. G.* 8, 41. Sub ipsius oppidi murum magnus fons prorumpebat. *Tac. H.* 4, 55. Ante Flacci Hordeonii caedem nihil prorupit, quo conjuratio intelligeretur. In locis *Virg.*, et *Hirt.* non quidem vis et impetus, sed copia aquarum significatur. ℙ Dicimus etiam *prorumpere se. Gell.* 15, 22. Cerva in fugam sese prorupit. Ita usurpantur etiam *rumpo, erumpo, irrumpo.* V. Hinc passive *Lucr.* 6, 435. hinc prorumpitur in mare venti vis. ℙ Pro impetu emittere, effundere, evomere. *Virg. A.* 3, 571. horrificis tonat Aetna ruinis, Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem. ℙ [*De confus. h. v. c. *proruere* et *perrumpere* v. in *proruptus.* Adde *Burm.* ad *Virg. A.* 2, 480.]

PRORŪO, is, ui, utum, a. 3. *καθαιρέω, καταβάλλω*, cadere facio, diruo, demolior, everto, dejicio: et de iis fere dicitur, quae lapsa multifariam franguntur. [*Proprie significat ante se ruere, *vorweg einreissen*, estque frequentissimus hujus v. usus in diruendis, evertendis munitionibus.] *Caes. B. G.* 3, 26. Celeritur ad munitiones pervenerunt, atque his prorutis, prius in hostium castris constiterunt, quam, etc. *Hor. Od.* 1, 35, 13. Injurioso ne pede proruas Stantem columnam. *Liv.* 26, 13. *med.* Albam a fundamentis proruerunt. *Tac. H.* 3, 22. Hostem profligare ac proruere. *Hor. Od.* 4, 4, 66. Luctere: multa proruit integrum Cum laude victorem. *Liv.* 9, 14. Cum pars fossas explerent, pars vellerent vallum, atque in fossas proruerent; et *ib.* 37. Dolabrae ad vallum proruendum. *Id.* 22, 5. *f.* Terrae motus montes lapsu ingenti proruit. *Tac. H.* 3, 23. Ballista ingentibus saxis hostilem aciem proruebat. [**Id. A.* 1, 68. proruunt fossas, i. e. terram proruunt in fossas easque ita explent: cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 2, 29, 3.] *Festus* in *Rutabulum:* Proruere ignem. ℙ *Proruere se*, prorumpere, proripere se. *Ter. Eun.* 3, 5, 51. Foras simul omnes proruunt se, abeunt lavatum. ℙ Est etiam neutrum, ut *ruo:* cum impetu decido. *Val. Fl.* 7, 600. ille fatiscens, In caput, inque humeros ipsa vi molis, et irae Proruit. *Tac. A.* 15, 22. Motu terrae oppidum magna ex parte proruit. ℙ Item impetu ferri, irruere. *Liv.* 25, 39. Ubi ab cohorte, et equitibus ex occulto proruentibus circumventi sunt. Alii leg. *procurrentibus. Gell.* 1, 11. Impetus militum, ne sparsi dispalatique proruerent, cohibebatur. *Curt.* 4, 16. Subditis calcaribus proruere in hostem. ℙ [*De confus. h. v. c. *perrumpere* et *prorumpere* v. in *proruptus.*]

PRORUPTIO, onis, f. actus prorumpendi, eruptio, *ἐξέλασις. Aurel. Vict. Caes.* 33. Simulata proruptione hostium. *Capell.* 6, 201. Undarum proruptio.

PRORUPTOR, oris, m. qui prorumpit. *Ammian.* 24, 5. Proruptores alii jumenta intercipiunt, *h. e.* qui eruptionem, et excursionem fecerant.

PRORUPTUS, a, um, part. a *prorumpo:* perruptus, prorutus. *Caes. B. G.* 3, 26. Proruptae munitiones. Alii leg. *prorutae.* [*Quod unice verum.] *Tac. H.* 1, 86. Inundatione Tiberis proruptus pons. *Curt.* 4, 13. Proruptum vallum. Alii leg. *prorutum.* [*Ita recte *Zumpt.*] ℙ Item qui impetu erumpit, prorumpens, profluens, profusus, effusus. *Virg. A.* 7, 458. ossaque et artus Perfundit toto proruptus corpore sudor. *Stat. Th.* 2, 626. Intercepta natat prorupto in sanguine lingua. *Val. Fl.* 4, 507. proruptus Vesevus, *h. e.* effusus in ignes; et 6, 632. hiberno proruptus ab arcu Imber. ℙ Translate. *Cic. Rosc. Am.* 24. *med.* Prorupta audacia, *h. e.* projecta, temeraria, effrenis. ℙ [*Confund. *proruptus* et *perruptus* et *prorutus.* V. *Drakenb.* ad *Liv.* 4, 29, 3. et ad *Sil.* 1, 373.]

PRORŪTUS, a, um, part. a *proruo:* dirutus, eversus. *Liv.* 4, 29. et 9, 37. *med.* et *Vell.* 2, 63. Prorutum vallum. Ap. *Liv.* alii leg. *proruptum*, alii *perruptum. Tac. A.* 12, 43. Crebris terrae motibus prorutae domus; et *ib.* 2, 17. *extr.* Prorutae arbores. *Stat. Th.* 4, 819. toros riparum, et proruta turbant Gramina. *Sen. Troad.* 648. Prorutus tumulo cinis. *Lucan.* 9, 490. Saxa tulit penitus discussis proruta muris. Adde *Plin. ep.* 8, 17. *f.*

PROSA Oratio, *πεζὸς λόγος*, oratio soluta, cui opponitur *versus.* Dicta est primum *prorsa:* postea extritum *r*, ut *rusus* pro *rursus; susum* pro *sursum.* Et sunt qui negant, *prosa* dici, quia in antiq. codicib. semper *prorsa* legatur. Sed utrumque rectum est, inquit *Voss.* in *Etym.* Cur autem sic dicatur, dictum est in RRORSUS adj. [*Cf. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 471.] *Sen.* ap. *Gell.* 12, 2. Apud Ciceronem invenies, etiam in prosa oratione quaedam, ex quibus, etc. *καταλογάδην. Vell.* 1, 17. Oratio ac vis fo-

rensis, perfectumque prosae eloquentiae decus sub principe operis sui erupit Tullio. *Colum.* 11, 1. *in.* Cultus hortorum prosa oratione componere. *Quint.* 10, 1. *med.* Plato multum super prosam orationem, et quam pedestrem Graeci vocant, surgit; et 11, 2. *med.* Sicut facilius versus ediscimus, quam prosam orationem; ita prosam vinctam, quam solutam, *h. e.* ligatam oratorio numero. *Gell.* 19, 7. *f.* Verba nimium poetica, et prosae orationis usu alieniora. *Plin.* 5, 29, 31. Cadmus Milesius, qui primus prosam orationem condere instituit. *Id.* tamen 7, 56, 57. et *Appul. Flor.* 15. hanc laudem tribuunt Pherecydi Syrio. Quae ita conciliat *Hard.*, ut Cadmus ille primus res gestas et historiam, Pherecydes res philosophicas prosa oratione primus conscripserit. *Auson. Profess. n.* 3, 3. seu lege metrorum Condita, seu prosis conderet orsa modis. ℙ Absolute *Quint.* 9, 4. *med.* Nihil est prosa scriptum, quod non redigi non possit in quaedam versiculorum genera. *Gell.* 10, 18. *f.* In tragoedia eum magis, quam in prosa placuisse, Hyginus refert. ℙ Prosa Dea. V. PRORSUS adj. ℙ Alio sensu V. in PROSARIUS.

PROSAICUS, a, um, adj. πεζός, prosa oratione constans. *Venant. carm.* 7, 11, 1. Prosaico quoties direxit scripta relatu. ℙ [Item prosae orationis scriptor. *Id. Vit. S. Mart.* 2. *f.* Cujus prosaicus cecinit prius acta Severus: scil. Sulpicius Severus. *F.*]

PROSAPIA, ae, f. γενεὰ, γένος, progenies, genus per multos posteros longe productum. *Festus:* Prosapia, progenies: id est porro sparsis, et quasi jasectis liberis: quia sipare significat jacere, et disjicere. *Non.* 1, 343. vult dici a prosupando aut proferendo. Nimirum *supare*, et *prosupare*, prisca verba, idem esse videntur. [**Doederl.* 3, 85. deducit a *serisse.*] *Cato ib.* Veteres prosapias, etc. *Pl. Curc.* 3, 23. De Coclitum prosapia te esse arbitror: nam ii sunt unoculi. *Id. Merc.* 3, 4, 49. Rogitares, quis esset, aut unde esset, qua prosapia. *Sall. Jug.* 87. *f.* Homo veteris prosapiae, ac multarum imaginum. ℙ Tempore *Ciceronis* vetus verbum erat. Sic enim ille *Univ.* 11. Jovem, atque Junonem, et eorum, ut utamur veteri verbo, prosapiam. *Quint.* quoque 1, 6. *med.* inter ea recenset, quae ab ultimis, et jam oblitteratis sunt repetita temporibus; et 8, 3. *med.* insulsum esse dicit. Nihilominus postea usurparunt *Suet. Galb.* 2. Galba haud dubie nobilissimus, magnaque et vetere prosapia; et *Just.* 14. *f.* Pro gloria veteris prosapiae. Adde *Appul.* non semel. ℙ Primam, et secundam syllabam producit, et quidem recte *Prud. Apoth.* 1006. Quid peccatorum prosapia corpore in illo?

PROSAPIES, ei, f. prosapia. *Non.* 1, 343. Legitur etiam a nonnullis ap. *Prud.* περὶ στεφ. 10, 180. Et tot stuprorum sordidam prosapiem. *Gloss. Philox.* Prosapies, γένους καταγωγή.

PROSAPODOSIS, is, f. προσαπόδοσις, figura rhetorica, qua pluribus propositis sententiis, singulis ratio statim subjicitur. Vox Graeca est, et Graecis litteris scribitur a *Quint.* 9, 3. *med.*, ubi hujusmodi exemplum affert ex *C. Antonio:* Sed neque accusatorem eum metuo, qui sum innocens: neque competitorem vereor, qui sum Antonius: neque consulem spero, qui est Cicero. [Adde *Rutil. de fig. sentent.* p. 1. *Capper. F.*]

PROSARIUS, a, um, adj. prosaicus. *Sidon. ep.* 3, 14. Meas nugas confectas opere prosario. *Id. ep.* 9, 13. Prosarium loquendi genus. ℙ *Prosaria ars*, qua villi pectuntur, et complanantur in tunicis, aut togis: nam in *Gloss. Philox.* prosa, exponitur pexa tunica, πεξὸν ἱμάτιον. *Inscr.* ap. *Grut.* 649, 7. Negotiatori artis prosariae. Alii aliter leg.

PROSATUS, a, um, part. a *prosero:* satus, genitus, natus. *Nemes. Ecl.* 3, 63. de Baccho: Quin etiam Deus ille, Deus Jove prosatus ipso. Alii leg. *natus ab ipso. Auson. Idyll.* 7. *in.* Bissula trans genitum stirpe et lare prosata Rhenum. *Appul. Dogm. Plat.* 1. *in.* Plato augustiore conceptu prosatus. *Id. de Mundo:* Ornithiae venti Aquilonum genus ex aere prosati. *Solin. fragm.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 384. *Burm.* placido Dea prosata mundo.

PROSCENIUM, ii, n. προσκήνιον, locus ante scenam, *h. e.* inter scenam, et orchestram, ubi erat pulpitum, seu tabulatum, in quo stabant histriones fabulas acturi: unde et pro ipso pulpito ponitur. Erat scena depressius, orchestra altius. *Vitr.* 5, 6. Parallelos linea ducatur, quae disjungat proscenii pulpitum et orchestrae regionem. (Adde *ib.* 8.) *Pl. Amph. prol.* 91. Etiam histriones anno in proscenio hic Jovem invocarunt. *Appul. Flor. n.* 18. Pavimenti marmoratio, proscenii contabulatio, scenae columnatio. *Virg. G.* 2, 381. veteres ineunt proscenia ludi. Ubi *Serv.*, Proscenia sunt pulpita ante scenam, in quibus ludicra exercentur. *Philargyrius:* Proscenium procul dubio pulpitum dicit. Etiam *Flav. Caper de Orthogr.* 2245. pulpita ait vocari proscenia. *Suet. Ner.* 12. Hos ludos spectavit e proscenii fastigio, *h. e.* ex editiore pulpiti loco: quandoquidem non fabulae solum, sed alia ludicra in iis ludis acta sunt: quo quidem tempore pulpitum vacuum erat ab histrionibus. Ceterum etiam quando histriones agerent, locum fuisse alicui ex spectatoribus sedendi in proscenio, apparet ex *Pl. Poen. prol.* 17. Apud *Liv.* 40, 51. M. Aemilius Lepidus censor, inter alia opera, theatrum et proscenium ad Apollinis locasse legitur. Etiam in *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 2. *n.* 89. theatri et proscenii refecti mentio fit. ℙ De ipso theatro. *Claud. Laud. Stil.* 2, 403. Pompejana dabunt quantos proscenia plausus! ℙ [In omnib. fere editionibus semper scribitur *proscenium*, perperam vero *proscoenium* in *Inscr.* ap. *Reines.* in *Append. n.* 41., at rectius *proscaenium* in alia ap. *Grut.* 168, 8., quam refert etiam *Manut.* in *Orthogr.*, et ex ipsius lapidis fragmento *Adamius* in *Stor. di Volseno* T. 1. p. 255.; ita etiam scribitur in alia ap. *Mur.* 126, 1. V. SCENA. *F.*]

[PROSCHOLIUM, ii, n. V. v. sq. *F.*]

PROSCHOLUS, i, m. idem qui subdoctor: a schola. Legitur in titulo *epigr. Ausonii Profess.n.* 22., ubi *Scal. lect. Auson.* 1, 15. docet, et qui moribus puerorum ad scholam itantium praeesset, et qui sub magistro eorum studia litterarum curaret, proscholum dictum esse. Sed haec apud Graecos. [*August. de serm. Apostol. serm.* 178. *n.* 8. Tam pauper, ut proscholus esset grammatici. *Not. Tir.* p. 163. Proscolis (lege *Proscholus*), proscolium (scribe *proscholium*), *h. e.* locus, in quo immoratur proscholus. *F.*]

PROSCINDO, is, idi, issum, a. 3. προοχίζω, καταχόπτω, scindo, discindo, exscindo. *Lucan.* 3, 433. primus raptam librare bipennem Ausus, et aeriam ferro proscindere quercum. *Appul. Apol.* Proscindere piscem, *h. e.* incidere, concidere; et *Sil.* 3, 449. Spumanti Rhodanus proscindens gurgite campos. ℙ *Proscindere terram* est vomere scindere: et proprie est prima vice solum perfringere caespitem invertendo, herbas proruendo, radices confringendo: secunda vice dicitur *offringere:* tertia *lirare.* V. LIRO. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Vi omni arato: priusquam aras, proscindito. Hoc utilitatem habet, quod, inverso caespite, herbarum radices necantur. *Colum.* 3, 13. Ut more novalium terra transversis adversisque sulcis proscindatur. Adde *Varr. R. R.* 1, 27. et *Colum.* 11, 2. *med.* ℙ Universim est arare, terram colere. *Virg. G.* 2, 237. validis terram proscinde juvencis. *Lucr.* 5, 210. terram pressis proscindere aratris. *Ov. Met.* 7, 219. ferro proscindere campum. ℙ Translate. *Catull.* 64, 12. Quae (*carina*) simul ac rostro ventosum proscidit aequor. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 92. 1, celeres proscinde Notos. *Just.* 44, 3. Si quando fulgure terra proscissa est. ℙ Saepe etiam significat dictis lacerare, contumeliis afficere, insectari, διαχερτομεῖν; [*nostr. *herunter machen, herunter reissen.*] *Ov. Pont.* 4, 16, 47. Ergo submotum patria proscindere, livor, Desine. *Suet. Cal.* 30. Equestrem ordinem, ut scenae arenaeque devotum, assidue proscidit. *Id. Aug.* 13. Hunc foedissimo convicio coram prosciderunt. *Id. Vita Lucan.* Famoso carmine aliquem proscindere. *Auson. epist.* 4, 13. aliquem risu. *Lactant.* 3, 28. Fortunae nomen acerrimis accusationibus prosciderunt. *Val. Max.* 8, 5. *n.* 2. M. Scaurus C. Flavium repetundarum accusatum testis proscidit. *Id.* 5, 3. *n.* 3. Ingrata facta liberiore indignatione proscindenda sunt.

PROSCISSIO, onis, f. actus proscindendi, aratio. *Colum.* 2, 13. *med.* Sesami sextarii sex tribus jugis a proscissione coluntur. *Id.* 6, 2. Ne adhuc tenera colla dura proscissione terrae contundant.

PROSCISSUS, a, um, part. a *proscindo:* vomere scissus. *Colum.* 2, 10. Prius tamen jaciemus semina (*fabae*), deinde proscindemus terram, proscissamque in liram revocabimus. *Virg. G.* 1, 97. Et qui proscisso quae suscitat aequore terga. ℙ *Proscissum*, terra proscissa. *Colum.* 2, 2. *f.* Bubulcum autem per proscissum ingredi oportet, *h. e.* per sulcum ambulare. ℙ Translate. *Stat. Th.* 10, 439. magno proscissum vulnere pectus; et *ib.* 3, 330. sic nota in pascua taurus Bellator redit, adverso cui colla, suoque Sanguine, proscissisque natant palearibus armi. ℙ Est etiam dictis laceratus. *Plin.* 33, 1, 3. Aurum proscissum conviciis ab optimis quibusque. *Id.* 36, 6, 7. Mamurra Catulli carminibus proscissus.

PROSCRIBO, is, psi, ptum, a. 3. [*proprie significat in anteriore parte aliquid literis notare. V. locum *Petr.* in *proscriptus, a, um,* ab *in.* laud. ℙ Hinc est] ἀναγράφω, ἀπογράφω, [*προγράφω,] scripto aliquid publicum facio, edico. *Cic. Verr.* 2, 2, 52. Eximi jubet non diem ex mense, sed ex anno unum dimidiatumque mensem, ut quo die, verbi causa, esse oporteret idus Januarias, eo die calendas Martias proscriberet. *Id. Att.* 9, 17. Senatum calendis velle se frequentem adesse, etiam Formiis proscribi jussit. *Just.* 2, 12. Symbolos proponi, et saxis proscribi curat, Quae vos, Iones, dementia tenet? etc. *Cic. Att.* 16, 4. Venationem proscribere III. Id. Quint. *Tac. A.* 13, 51. Edixit princeps, ut leges cujusque publici, occultae ad id tempus, proscriberentur. *Suet. Caes.* 49. Missa facio edicta Bibuli, quibus proscripsit collegam suum Bithynicam reginam. *Gell.* 15, 4. *f.* Ut vulgo per vias versiculi proscriberentur; Concurrite omnes, etc. ℙ Praecipue locum habet in auctionibus, et locationibus, et hujusmodi, cum quis tabella proposita, quid, et quanti venditurus, aut locaturus sit, palam facit. *Ulp. Dig.* 14, 3, 11. Proscribere palam sic accipimus, claris litteris, ut de plano recte legi possint, ante tabernam scilicet, vel ante eum locum, in quo negotiatio exercetur, nec in loco remoto, sed in evidenti. *Cic. Quint.* 4. Auctionem se facturum esse proscribit earum rerum, quae, etc. *Id. Q. Fr.* 2, 6. Racilius tabulam proscripsit, se familiam Catonianam venditurum. *Id. Off.* 3, 16. Claudius proscripsit insulam, vendidit: emit P. Calpurnius. ℙ Item cum alicui bona aut per vim, aut ex lege adimuntur, δημεύω. Itaque *proscribere aliquem*, est eum suis bonis spoliare, eaque venalia scripto proponere, ac vel divendere aliis, vel sibi ipsi addicere. *Cic. Dom.* 17. Hanc tribuno plebis potestatem dabitis, ut proscribere possit, quos velit? Quaero enim, quid sit aliud proscribere. Velitis, jubeatis, ut M. Tullius in civitate ne sit, bonaque ejus ut mea sint. *Id. Agr.* 3, 4. Quos fundos in Casinati fructuosissimos continuavit, cum usque eo vicinos proscripsit, quoad, etc.; et *ib.* 2, 36. Cn. Pompejum proscribere, *h. e.* praedam, manubias, vectigales agros ab eo reipublicae partos. *Plin. ep.* 8, 18. Ut patris eorum bona proscribenda curaverit. ℙ Saevissimum proscribendi genus civile bellum atque odium L. Cornelio Sullae suggessit, cum devictis Cinna et Mario, tabulam illam feralem proposuit, qua multa millia civium R. caedi destinavit, constituto publice praemio iis, qui conquisitos jugulassent, (quo factum est, ut ferarum more ab inimicis conquirerentur) scilicet vel pecunia ex aerario, ut est ap. *Suet. Caes.* 11., vel eorum bona interfectoribus addicendo. Quod si evasissent, nihilominus fortunas, et patriam amittebant: qua de re *Vell.* 2, 28., *Flor.* 3, 21., *Epit. Liv.* 88. et *Plin.* 7, 43, 43. De ea *Cic. Rosc. Am.* 6. Posteaquam victoria constituta est, ab armisque recessimus, cum proscriberentur homines, atque ex omni regione caperentur ii, qui adversarii fuisse putabantur, etc. Sullae exemplum secutis postea triumviris Augusto, Antonio, Lepido, majori etiam crudelitate et avaritia in rempubl. saevitum est. V. *Flor.* 4, 6., *Vell.* 2, 66., *Suet. Aug.* 27. et *Epit. Liv.* 120. Hinc illud ap. *Macr. Sat.* 2, 4. *med.* Temporibus triumviralibus Pollio, cum fescenninos in eum Augustus scripsisset, ait: at ego taceo: non est enim facile in eum scribere, qui potest proscribere. V. *Val. Max.* 6, 8. *n.* 5. 6. 7.

PROSCRIPTIO, onis, f. ἀναγραφή, προγραφή, actus proscribendi, et aliquid venale proponendi. *Cic. Quint.* 18. Postulatio et proscriptio bonorum. ℙ ℙ De proscriptione Sullana, et triumvirali dictum est in v. praec. *Cic. Dom.* 17. Proscriptionis miserrimum nomen illud, et omnis acerbitas Sullani temporis. *Id. Sext.* 30. De capite civis, et de bonis proscriptionem ferre. *Suet. Caes.* 11. Eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione ob relata civium R. capita, pecunias ex aerario acceperant, quamquam exceptos Corneliis legibus.

PROSCRIPTOR, oris, m. προγραφεύς, qui proscribit. *Plin.* 7, 12, 10. de M. Antonio triumviro: Ut ille proscriptor animus, modo et contumelia furens, non aliud in censu magis ex fortuna sua duceret, *h. e.* proscriptione gaudens. V. PROSCRIBO.

[PROSCRIPTURA, ae, f. idem fere ac proscriptio. *Not Tir.* p. 11. Scriptura, proscriptura. *F.*]

PROSCRIPTURIO, is, n. 4. desiderat. proscribere cogito, et cupio. *Cic. Att.* 9, 10. *med.* Hoc turpe Cnaeus noster biennio ante cogitavit: ita Sullaturit animus ejus, et proscripturit diu. V. PROSCRIBO. *Quint.* 8, 6. *med.* vix permitti hujus verbi usum monet.

PROSCRIPTUS, a, um, part. a *proscribo*, [*in anteriore parte literis signatus. Huc pertinet locus, quem Noster mox laudaverat, *Petr. Sat.* 107. Servitia in frontibus cernitis, et vultus ingenuos voluntaria poenarum lege proscriptos, h. e. frontem habentes servili inscriptione notatam, ut dicitur *ib.* 103. ℙ Hinc est] προγεγραμμένος, scripto propositus. *Cic. Verr.* 2, 5, 69. Lex, quam non is promulgavit, cujus nomine proscriptam videtis, sed, etc. *Suet. Ner.* 39. Carmina proscripta, aut vulgata. ℙ Item propositus venalis, aut locandus, ut in PROSCRIBO dictum est. *Cic. Agr.* 3, 4. Italiae, Siciliae possessiones venales ac proscriptas hac lege video. *Id. Verr.* 2, 1, 54. Locare incipit, non proscripta, neque edicta die. ℙ Item damnatus morti, et bonorum amissioni. *Id. ib.* 47. Facturos, quod contra legem Corneliam esset, quae proscriptum juvari vetat. *Plin.* 7, 30, 31. Proscriptorum liberos honores petere puduit. V. PROSCRIBO. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 106. *extr.* Cujus pudoris dignitas in concione proscripta sit.

*PROSDA, Aethiopiae opp., vel fortasse Aegypto Aethiopiaeque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

[PROSDECTUS, a, um, adj. προσδεκτός, acceptus, gratus. Est nomen serv. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 660, 7. Prosdecta verna. *F.*]

[PROSDEXSIS, is, f. modus excipiendi aliquem: a πρὸς, ad, et δέξις, actus excipiendi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Visc. Mon. Scip. tab.* 6. *n.* 4. Cornelia Prosdexsis. Ita ἀρχαϊκῶς pro *Prosdexis. F.*]

[PROSDOCIMUS, i, m. προσδόκιμος, exspectatus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 479, 4. C. Atilius Prosdocimus. *F.*]

PROSECO, as, cui, ctum, a. 1. [*proprie signif. in anteriore parte resecare, *abschneiden, wegschneiden.* Huc pertinet locus, quem *Forc.* §. 3. adscripserat. *Appul. Met.* 2. *f.* prosectis naso prius, ac mox auribus. ℙ Hinc proprium sacrorum verbum

est, cum victima mactata; et foco imposita, partem ejus diis sacrificandam adolendamque prius resecabant, quam sacrificalis coenae initium fieret. Unde saepissime in universum pro sacrificare ponitur.] *Liv.* 5, 21. Qui ejus hostiae exta prosecuisset. *Tert. Apol.* 46. Aesculapio gallinaceum prosecare. *Suet. Aug.* 1. Semicruda exta rapta foco prosecuit, [*i. e. prosicias, ἀπαρχάς, arae imposuit. V. *Briss. de form.* p. 24. *Drak.* ad *Liv.* 25, 16.] ℙ Legitur et *prosico. Pl. Poen.* 2, 8. Vetui exta prosicarier. ℙ Idem est ac proscindo. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Tantis glebis tenacissimum solum, cum primum prosecatur, assurgit, ut nono demum sulco perdometur.

PROSECRO, as, n. 1. obsecro: vel sacrum facio. *Lactant.* 4, 27. Instigantibus iisdem daemonibus, quibus prosecrarant. Alii aliter leg.

PROSECTĀ, ae, f. idem quod proxime sequens verbum. *Lucil.* ap. *Non.* 3, 179, Coenam nullam, neque Divo prosectam ullam. Alii leg. *prosiciem*, quod idem est.

PROSECTĀ, orum, n. plur. *διάτμητα*, viscera, quae in sacrificiis prosecuissent. Qui enim sacrificarent, extis coctis, sectisque, partem soliti sunt adolere, partem sacerdotibus dare, partem mensis suis reservare. *Ov. Met.* 12, 152. Cujus ut imposuit prosecta calentibus aris. *Id. Fast.* 6, 163. Sic ubi libavit, prosecta sub aethere ponit. Adde *Stat. Th.* 5, 641. et *Licin. Macr.* ap. *Non.* 3, 179. ℙ In sing. num. *Varr. L. L.* 4, 22. *med.* Insicia ab eo, quod insecta caro, ut in carmine Saliorum est: quod in extis dicitur nunc prosectum.

[PROSECTĬO, onis, f. idem ac prosectus, actus prosecandi. *Salv. Gub. D.* 6, 16. Optimi ac peritissimi medici aliis adhibent duram ferri prosectionem, aliis blandam infundunt olei lenitatem. *F.*]

PROSECTOR, oris, m. qui prosecat. *Tert. Anim.* 25. *med.* Majorum quoque prosector Herophilus, (de medicis loquitur).

PROSECTUS, a, um, part. a *proseco:* recisus, desectus. *Cato R. R.* 134. Ubi exta prosecta erunt, Jano struem commoveto. *Val. Fl.* 3, 439. Tum piceae mactantur oves, prosectaque partim Pectora, per medios partim gerit obvius Idmon. *Appul. Met.* 2. *f.* Prosectae aures.

PROSECTUS, us, m. actus prosecandi. *Appul. Met.* 8. Prosectu gladiorum, ictuque flagrorum. *Id. ib.* Ferri vulnera similia futura prosectu dentium: pro *prosectui*, ut *aspectu* pro *aspectui Virg.* dixit.

PROSĔCŪTĬO, onis, f. *ἀκολουθία*, actus prosequendi. *Impp. Valent., Theod.* et *Arcad. Cod. Theod.* 8, 5, 47. Prosecutoribus, vel susceptoribus non licebit alios mercede subvehendos conducere, exceptis his, quos necessitas prosecutionis adjunxerit. [*Symm. ep.* 7, 59. Largitas jucundior erit, si ei commendationem prosecutio opportuna praestiterit. *F.*]

PROSĔCŪTOR et Prosequutor, oris, m. qui custodiae causa aliquem prosequitur, et deducit. *Macer Dig.* 48, 3, 7. Ut rei cum prosecutoribus ad se remittantur. *Impp. Grat., Valens* et *Theod. Cod.* 12, 51, 9. Quos in transmissionem publicarum functionum prosecutores viderint constitutos, *h. e.* qui animalia atque equos sacro usui necessarios prosequuntur, ut habetur tit. sequenti. Adde *Cod. Theod.* 12, 6, 12. Sic *Impp. Hon.* et *Theod. Cod.* 10, 72, 1. Auri prosecutores partim nulla praemissa, ut assolet, prosecutoria, aurum praesumunt, partim diutius retentant, quod statim fuerat assignandum, *h. e.* qui aurum ad principem transvehendum deducunt, prosequuntur, comitantur. *Cass. Var.* 4, 7. Prosecutores frumentorum, *h. e.* qui navibus frumenta ex uno in alium locum transvehunt. In loco *Digest.* et *Cod.* alii leg. *persecutores*, sed contra *Cujacium*, et meliores libros, [*Veg. Mil.* 3, 3. Coactis per idoneos prosecutores possessoribus ad castella idonea conferendum est quidquid in pecore, vel quacumque fruge, vinoque hostis inferens bellum ad victum suum poterit occupare. *F.*] ℙ De eo, qui jus suum persequitur. V. PERSECUTOR. ℙ De eo, qui prosequitur et deducit officii causa. *Sidon. ep.* 4, 8. Tenax caterva prosecutorum.

PROSĔCŪTŌRĬUS, a, um, adj. *Prosecutoria* est licentia, aut praeceptum auri publici prosequendi. *Impp. Honor.* et *Theod. Cod.* 10, 72, 1., ubi alii leg. *persecutoria.* V. v. praec.

PROSĔCŪTUS et Prosequutus, a, um, part. a *prosequor:* porro aut ultra secutus. *Just.* 19, 3. *f.* Ut ad limina domus suae venit, prosequutam multitudinem dimisit. ℙ In re militari. *Caes. B. G.* 2, 11. Hi novissimos adorti, et multa millia passuum prosecuti. ℙ *Cic. Cluent.* 71. Mater exsequias illius funeris prosecuta, etc. V. PROSEQUOR. ℙ Translate. *Caes. B. G.* 2, 5. Rhemos cohortatus, liberaliterque oratione prosequutus; et *Colum.* 8, 16. Improbum factum dicto prosequutus, *h. e.* improbo facto aeque improbum dictum adjungens. ℙ Absolute *prosecutus* est etiam, qui orationem continuavit, ap. *Phaedr.* 3, 5. Assem deinde illi dedit, sic prosecutus, etc. ℙ Eleganter adhibetur cum ablativis rei, ex quibus suam sumit significationem, et fere in bonam partem, ut ap. *Hirt. B. Alex.* 15. Caesar illum adhortatus, atque omnibus laudibus prosequutus. V. alia in PROSEQUOR. ℙ Ad liberalitatem etiam et dona refertur. *Suet. Dom.* 9. Omnes circa se largissime prosecutus; et *Aug.* 66. Virtutes ac merita cujusque digne prosecutus.

PROSĔDĀ, ae, f. quae ante sedet. *Fest.:* Prosedas meretrices Plautus appellat, quod ante stabula sedeant. Eaedem et prostibulae. *Pl. Poen.* 1, 2, 53. An te ibi vis inter istas versarier prosedas, pistorum amicas, reliquias alicarias, miseras, coeno delibutas, servilicolas sordidas?

PROSEDĀMUM, i, n. Videtur esse vox Sarmatica. *Plin.* 26, 10, 62. Satyrion a Sarmatis dari equis ob assiduum laborem pigrioribus in coitu: quod vitium prosedamum vocant.

PROSĔLĒNUS, i, m. *προσέληνος*, luna antiquior: a *πρὸ*, ante, et *σελήνη*, luna. Ita se vocari volebant Arcades, ut ait *Serv.* ad *G.* 2, 342. et ad *A.* 8, 352. V. ARCAS. ℙ [*Proselenos*, Graeca nempe terminatione, est nomen proprium feminae ap. *Petr. Sat.* 132. et 137. *F.*]

PROSĔLYTUS, a, um, adj. *προσήλυτος*, advena, adventicius: a *προσελεύθω*, advenio. A Judaeis proselyti dicebantur quicumque ex Gentilibus Judaicam religionem amplectebantur, vel qui inter Judaeos domiciliis positis versabantur. *Tert. adv. Marc.* 3, 21. Proselyti per Christum accessuri ad Deum. *Hieron. ep.* 64. *n.* 8. Transcendens proselytos, praeteris Israelitas. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 465. *n.* 101. Proselita ann. XVI. nomine Sara. *Proselita* vitio saeculi scribitur pro *Proselyta.*

[PROSĔMĬNĀTOR, oris, m. qui proseminat, vel procreat. *Tert. ad nat.* 2, 13. *med.* Si enim proseminatoribus suis morata plebs eadem, etc. *F.*]

PROSĔMĬNO, as, avi, atum, a. 1. *διασπείρω*, dissemino. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 3, 152. Solertiamque eam, quae posset vel in tegulis proseminare ostreas. ℙ Translate. *Id. Or.* 3, 16. *f.* Cum essent plures orti fere a Socrate, quod ex illius variis disputationibus alius aliud apprehenderat, proseminatae sunt quasi familiae dissentientes inter se. *Manil.* 1, 90. Semper enim ex aliis alios proseminat usus.

[PROSĔNES, is, m. *προσηνής*, benignus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marang. Acta S. Victor. p.* 157. M. Ulpius Prosenes. *F.*]

PROSENTĬO, is, si, a. 4. praesentio. *Pl. Mil.* 4, 4, 16. Si prosenserit miles, nihil hinc ferri poterit, *h. e.* si miles porro senserit. Sic *provideo* pro prae video, *prodico* pro praedico.

PROSĔQUIUM a prosequendo, obsequium ab obsequendo dicuntur. *Festus.*

PROSĔQUOR, eris, cutus, vel quutus sum, dep. 3. *καταχολουθέω, περιέπομαι*, porro aut ultra sequor, subsequor, deduco. *Caes. B. C.* 3, 91. Primus ex dextro cornu procurrit: atque eum milites electi circiter CXX. sunt prosecuti; et *ib.* 2, 44. Ipse equo in oppidum vectus, prosequentibus compluribus senatoribus. *Pl. Cas.* 4, 2, 3. Novum maritum volo rus prosequi. *Ov. Am.* 1, 4, 62. lacrimis ego moestus obortis, Qua licet, ad saevas prosequar usque fores. *Gell.* 18, 1. *extr.* Prosequi aliquem in domum. *Cic. Verr.* 2, 4, 35. Dianam, cum exportaretur, ture odoribusque incensis usque ad agri fines prosecutae sunt. *Id. Att.* 6, 3. *med.* Is me nec proficiscentem Apameam prosecutus est. *Suet. Aug.* 97. de eod.: Tiberium igitur Beneventum usque prosecuturus. *Liv.* 29, 26. *f.* Legationes, quae ad prosequendum Scipionem officii causa convenerant; et *ib.* Legiones ad prosequendos commilitones processerant. *Virg. A.* 3, 130. Prosequitur surgens a puppi ventus euntes. *Ov. Her.* 12, 55. oculis abeuntem prosequor udis; et *Stat. Th.* 5, 481. Illos e scopulis et summo vertice montis Prosequimur visu: donec lassavit euntes Lux oculos. *Tac. H.* 2, 9. Datae e classe Misenensi duae triremes ad prosequendum; et *G.* 30. Cattos suos saltus Hercynius prosequitur simul, atque deponit, *h. e.* tantum extenditur, quantum Cattorum regio; et una cum ea desinit. ℙ Prosequi exsequias, funus, defunctum. *Petr. Sat.* 111. In conditorium etiam prosecuta est defunctum. *Ov. Trist.* 1, 8, 14. neque exsequias prosequere meas. Absolute *Sen. ep.* 30. *med.* Bassus noster videtur mihi prosequi se, et componere, et vivere tanquam superstes sibi. ℙ Translate. *Cic. Quint.* 31. *extr.* Quae existimatio Quintum usque ad senectutem perduxit, eadem usque ad rogum prosequatur. *Id. Brut.* 36. Cum verbis, tum etiam ipso sono quasi subrustico prosequebatur atque imitabatur antiquitatem; et *Or.* 2, 15. Genus orationis fusum atque tractum prosequendum est. *Plin. ep.* 1, 8. *med.* Medici, salubres, sed voluptate carentes cibos blandioribus alloquiis prosequuntur. ℙ Significat etiam verbis, aut scriptis de aliqua re tractare, agere, dicere, quo sensu etiam *persequor* dicimus, et in libris utrumque promiscue legitur. *Auct. ad Her.* 1, 9. Rem breviter narrare poterimus, si summatim, non particulatim narrabimus; et si non ad extremum, sed usque eo, quo opus erit, prosequemur. *Cic. Rosc. Am.* 30. Non prosequar longius, quam mea fides postulabit. *Virg. G.* 3, 310. quid pascua versu Prosequar? *Plin. ep.* 3, 8. Munificentiae rationem stilo prosequi; et *ep.* 10. Neque enim affectibus meis uno libello carissimam mihi memoriam prosequi satis est. *Flor.* 3, 12. *f.* Hos omnes domesticos motus, separatos ab externis bellis, ordine prosequemur. In quodam SC. ap. *Plin. ep.* 8, 6. Cum summo honore mentionem alicujus prosequi. *Cic. Leg.* 2, 24. *extr.* Honoratorum virorum laudes cantu ad tibicinem prosequi. *Id. Tusc.* 2, 25. *f.* honorificis verbis aliquem. ℙ Absolute pergere in dicendo, sermonem continuare. *Virg. A.* 2, 107. Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur. ℙ Praeterea varios habet usus pro variis ablativis, qui ei adjunguntur. Fere autem ponitur pro ornare, honestare, cumulare. *Vell.* 2, 92. *extr.* Praesentia invidia, praeterita veneratione prosequimur. *Cic. Brut.* 1. *f.* Benevolentia, aut misericordia prosequi aliquem. *Id. Planc.* 26. lacrimis, et votis. *Id. Phil.* 14, 11. *f.* grata memoria virtutem alicujus; et *ib.* 4, 1. *f.* Grato animo nomen alicujus; et *ib.* 10, 4. memoriam cujuspiam clamore et plausu. *Quint.* 5, 11. *med.* fletibus natos, laetitia defunctos. *Liv.* 9, 8. *f.* et *Colum.* 12, 3. *extr.* aliquem laudibus. *Cic. Verr.* 2, 3, 11. beneficiis ac liberalitate. *Id. Fam.* 10, 15. omnibus officiis. *Suet. Oth.* 1. honore rarissimo, statua in Palatio posita. *Tac. A.* 13, 35. delictum venia: et *ib.* 4, 38. Ut cum laude et bonis recordationibus facta atque famam nominis mei prosequantur. *Just.* 43, 5. *f.* Quam rem domi nunciatam publico funere Massilienses prosecuti sunt; et *Plin. ep.* 10, 17. Maximum, libertum et procuratorem tuum, probum et industrium, libenter apud te testimonio prosequor. *Appul. Met.* 10. Satis genialiter grandissimum illum calicem uno haustu perhausi: clamor consona voce cunctorum salute me prosequentium. V. SALUS. ℙ Refertur etiam ad liberalitatem, et dona. *Suet. Caes.* 27. Vel invitatos vel sponte ad se commeantes prosequi uberrimo congiario. *Id. Claud.* 6. legato. *Id. Aug.* 49. Ut sumptus ad tuendos milites, prosequendosque suppeteret; et *Liv.* 39, 55. Et exceperunt, et prosecuti cum donis legatos sunt. ℙ Hactenus in bonam partem: deinceps in malam. Atque hac etiam ratione pro *persequor* adhibetur, et in libris saepe unum pro altero promiscue legitur. *Caes. B. C.* 2, 41. Sed neque longius fugientes prosequi poterant. *Petr. Sat.* 90. Te populus lapidibus prosequitur. *Caes. B. C.* 2, 8. Hinc ad repellendum, et prosequendum hostem procurrebant; et *ib.* 1, 69. Contumeliosis vocibus prosequi aliquem. *Cic. Verr.* 2, 2, 29. *extr.* Iste iratus hominem verbis vehementioribus prosequitur, atque ei gravius minari coepit.

PROSĔRO, is, ēvi, ātum, a. 3. profero, produco. *Lucan.* 4, 411. non proserit ullam Flava Ceres segetem. ℙ Translate. *Grat. Cyn.* 9. ex artibus artes Proserere. ℙ *Prosero, is, rui, rtum*, est exserere, emittere. *Pl. As.* 4, 1, 50. Ne sic tussiat, ut linguam in tussiendo proserat. Al. leg. *proferat. Sil.* 3, 447. de Rhodano: Aggeribus caput Alpinis, et rupe nivali Proserit in Celtas. Al. leg. *procidit. Avien. Perieg.* 711. Cererique Thasus dilecta, profundo Proserit albenti se vertice. *Id. Arat.* 1111. proserit hydra caput.

PROSERPINA, ae, f. *Περσεφόνη*, filia Jovis primi ex Cerere, soror Liberi, ut est ap. *Cic. N. D.* 3, 1. Aliqui censent, filiam fuisse Sicani regis Siciliae, et Cereris. Eadem a nonnullis, quae Diana sive Luna credita est. Sed Proserpina ex Jove secundo Dianam primam, et Dionysium primum genuisse fertur. *Cic. ib.* 23. A Plutone, dum Siciliam lustraret, rapta est, prope Ennam urbem, cum forte in campis Ennaeis cum Venere, Diana, Pallade, Cyane Nympha, et Sirenibus flores legeret. Ceres cum accensa face ex ignibus Aetnae montis, filiam per universum terrae orbem quaesisset, tandem aliquando a Cyane edocta rem omnem, eam esse apud Inferos comperit. Igitur petiit a Jove, ut communem filiam ab Inferis sibi reducere liceret. Ille respondit, posse eam reverti, si nihil apud Inferos gustavisset. Illa autem jam tria Punici mali in Elysio grana gustaverat: quam rem Ascalaphus Stygis filius prodidit. Quare Proserpina ad Superos remeare non potuit. Quod aegre ferens, Ascalaphum commutavit in bubonem, noctis avem, et tristium semper rerum nuncium. Postea tamen Ceres a Jove dicitur impetrasse, ut Proserpinae senis quotannis mensibus secum apud Superos, et totidem cum marito apud Inferos esse liceret. *Ov. Met.* 5. a *v.* 346., *Cic. Verr.* 2, 4, 48., *Hyg. fab.* 146. et *Serv.* ad *G.* 1, 39. et ad *A.* 4, 609. Hunc raptum *Claud.* tribus versuum libris persecutus est. ℙ *Serv.* ad *G.* 1, 5. eandem dicit esse Proserpinam et Cererem. Unde *August. C. D.* 4, 8. Proserpinam, inquit, praefecerunt frumentis germinantibus. *Id. ib.* 7, 20. scribit, Proserpinam esse ipsam terrae fecunditatem, et dictam esse a proserpendo. *Arnob.* 5, 180. Qui raptam a Dite patre Proserpinam dicit, non, ut reris, in turpissimos appetitus viraginem dirit raptam; sed quia glebis occulimus semina, isse sub terras Deam, et cum Orco significat foedera genitalis conciliare feturae. *Id.* 3. p. 119. Dicitis, quod sata in lucem proserpant, cognominatam esse Proserpinam. *Voss.* tamen hanc merito notationem improbat: quia non a *proserpendo* dicta est Proserpina, (tametsi et *Varr. L. L.* 4, 10. indidem ducit) sed ex Graeco *Περσεφόνη* aliquantum depravata. V. CATAMITUS et PERSEPHONE. Hinc a poetis ponitur pro morte. Fingitur enim habuisse a Plutone pro munere, ut in Parcas imperium exerceat, et hominum vitas, cum libuerit, abrumpat. *Hor. Sat.* 2, 5, 109. sed me Im-

periosa trahit Proserpina: vive, valeque. Adde *Virg. G.* 1, 39. et *ib.* 4, 487. et alibi: item *Val. Fl.* 5, 346. et *Mart.* 3, 43., qui omnes primam producunt. Sed et corripi potest. *Hor. Od.* 2, 13, 21. Quam paene furvae regna Proserpinae, Et judicantem vidimus Aeacum! Adde *Sen. Herc. Fur.* 549.

PROSERPĪNĀCĀ, ae, f. herba eadem ac polygonon, eximii adversus scorpiones remedii. Facit etiam ad anginas, ad lassitudines, et ad purgandum vomitione stomachum. *Plin.* 27, 12, 104.

PROSERPĪNĀLIS Herba, Graece dracontium, valet contra profluentem e naribus sanguinem. *Marcell. Empir.* 10. *med.*

PROSERPO, is, n. 3. idem ac serpo, ut *Varr. L. L.* 4, 10. docet, vel serpendo procedo, prorepo. *Pl. Poen.* 5, 2, 74. et *Pers.* 2, 4, 28. Quid huc advenisti nos captatum, bisulcilingua, quasi proserpens bestia? Sic *As.* 3, 3, 105. Fac proserpentem bestiam me, duplicem ut habeam linguam, *h. e.* ut eo osculo osculemur, quod Graeci vocant *καταγλώττισμα. Appul. Apol.* Vipera, exeso matris utero, in lucem proserpit. *Id. Met.* 4. Quidam servulus, strepitu scilicet inquietus, proserpit leniter, visaque bestia, etc. et *ib.* 7. De specu, vastum attollens caput, funesta proserpit ursa, *h. e.* egreditur. ℙ Translate. *Arnob.* 3, 119. Sata in lucem proserpunt. *Seren. Samm.* 14, 251. proserpit ad intima vulnus. *Ammian.* 15, 8. Malo proserpenti occurrere.

PROSEUCHĀ, ae, f. *προσευχή*, locus religiosus, in quem Judaei oraturi conveniebant, et fere extra Urbem: a Graeca voce allata, quae orationem significat. De Judaeis enim per contemptum videtur locutus *Juvenalis* cum ait 3, 296. Ede, ubi consistas: in qua te quaero proseucha? Alii interpretantur locum secretum atque abditum, ubi orabant Christiani, qui tunc temporis, non minus ac Judaei, vilissimi habebantur. Alii locum, ubi mendici stipem orabant: et de Judaeis itidem esse sermonem, qui mendicissimi illis temporibus vagabantur. ℙ *Inscr.* ap. *Grut.* 651, 11. P. Corfidio Signino pomario de aggere a proseucha Q. Sallustius Hermes amico benemerenti. Illa *de aggere a proseucha* videntur designare locum, ubi Corfidius iste degebat.

PROSFĒRĀRI, impetrari. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 687. Nec minimo, et prosferatur pax, quod Cassandram signo deripuit. Sed verba *Lucilii* longe aliter alii legunt.

[PROSHŌDUS, i, m. et f. et Proshodē, es, f. *πρόσοδος, ἡ*, adventus: a *πρός*, ad, et *ὁδός*, via. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 12. Proshodus 7. Ret. Tir. *h. e.* centurio retiariorum tironum. Alia ap. *Grut.* 663, 3. Ti. Claudius Zosimus fecit Claudiae Proshodo ser. massam cum cinerario. V. MASSA. Alia ap. *Fabrett.* p. 646. *n.* 398. Setia Proshode. *F.*]

PROSĪCĪAE, arum, f. plur. partes hostiae in sacrificio coctae, et dissectae, quae et *prosecta* dicuntur. *Arnob.* 2, 231. Quod si omnes has partes, quas prosicias dicitis, Dii amant. *Solin.* 5. *med.* Cum prosicias intulerint. Alii leg. *porricias* eodem sensu.

PROSĪCĪES, ei, f. idem ac prosecta: a *prosecando.* Nam veteres in compositis a *seco* mutabant *e* in *i. Varr.* ap. *Non.* 3, 179. Prosiciem extorum vel in mensam porricere. *Lucil. ib.* Coenam, inquit, nullam, neque Divo prosiciem ullam. Ita legit *Scal.*, al. *prosectam ullam.*

PROSĪCĪUM, ii, n. idem ac prosicies. *Fest.* Prosicium, quod prosecatum projicitur. *Vossius* legere mavult *prosiciae.*

[PROSĪDENS, entis, part. ab inus. *prosideo,* unde est et proseda; idem ac praesidens. *Inscr.*, quae pertinet ad ann. a Chr. n. CLXXXIV., quamque se vidisse testantur *Spon. Miscell. antiq.* p. 4. et *Fabr.* p. 367. *n.* 127. Aram ex viso posuit, prosidentibus Victorino patre et Januario. *F.*]

PROSIGNĀNUS, i, m. Prosignani sunt milites, qui pro signis, in acie locantur: videnturque ab antesignanis distingui, quod hi in prima acie erant, prosignani in secunda. *Front. Strat.* 2, 3. *n.* 17. Tunc prosignanis, qui in secunda acie erant, imperavit, ut densos numerososque palos in terram defigerent. Alii leg. *praesignanis*, alii rectius *postsignanis*, q. v. v. s. l.

PROSILĪO, is, ui, et ivi, et ii, n. 4. *ἐκπηδάω, προσάλλομαι*, extra, aut ante salio, exsilio, prorumpo, emico, erumpo, cum saltu et festinatione prodeo. *Cic. Coel.* 26. In balneis delituerunt, deinde repente prosiluerunt. *Liv.* 28, 14. Ex tabernaculo prosiluit. Al. leg. *prosilivit. Petr. Sat.* 106. Concitatus iracundia prosiliit Lycas. *Sen. Oed.* 355. Prosilit venis cruor. *Lucan.* 8, 55. prosiluit puppe. *Val. Fl.* 1, 310. pavens prosiluit stratis. *Curt.* 7, 4. E convivio prosilivit haudquaquam potens mentis. *Just.* 11, 5. *f.* Armatusque de navi, tripudianti similis, prosiluit; et 24, 8. Certatim in proelium prosiliunt. *Sen. Oed.* 1004. rapido saeva prosiluit gradu Iocasta vecors. *Liv.* 2, 12. *f.* Cum rex ab sede sua prosiluisset. *Prop.* 2, 22, 40. Prosilit in laxa nixa pedem solea. *Suet. Caes.* 32. Prosiluit ad flumen. *Petr. Sat.* 82. Prosilire in publicum. *Mart.* 1, 34. Amissum non flet, cum sola est Gellia, patrem: Si quis adest, jussae prosiliunt lacrimae. *Ov. Met.* 6, 259. seque ejaculatus in altum *(sanguis)* Emicat, et longe terebrata prosilit aura. *Id. Fast.* 4, 795. cum saxis pastores saxa terebant, Scintillam subito prosiluisse ferunt. *Plin.* 15, 23, 25. Castanea, quae balanitis vocatur, purgabilis maxime, et sponte prosiliens, *h. e.* ex echino suo exiens. ℙ Translate. *Ov. Fast.* 3, 481. de Minerva: de capitis fertur sine matre paterni Vertice cum clypeo prosiluisse suo, *h. e.* nata esse, in lucem prodiisse. *Plin.* 4, 3, 4. Boeotiae oppidum Pagae, unde Peloponnesi prosilit cervix, *h. e.* incipit Isthmus, et e Graecia in Peloponnesum protenditur. *Colum.* 7, 6. Ilignei, querneique frutices, qui in altitudinem non prosiliunt, *h. e.* crescunt, extolluntur, exsurgunt: qua ratione etiam 2, 11. et 18. et 3, 3. et 5. et 11, 3. *med.* locutus est. *Liv.* 5, 2. In concionem prosiliunt, sollicitant plebis animos. *Ulp. Dig.* 48, 2, 7. Ne facile quis ad accusationem prosiliat. *Pl. Trin.* 1, 2, 179. Prosilui amicum castigatum innoxium, *h. e.* praecipiti festinatione cucurri ad castigandum. *Hor. Sat.* 2, 7, 73. tolle periclum, Jam vaga prosiliet frenis natura remotis. ℙ In futuro *prosilibo* pro *prosiliam* non est insolens in quarta conjugatione. *Quint. decl.* 4, 19. *f.* Prosilibo fortasse, tanquam sequar classici vocantis instinctum.

PROSĪMURĪUM esse, ait Antistius in commentario juris pontificalis, pomoerium: id est locum proximum muro. *Festus:* ubi alii leg. *posmurium.* V. POMERIUM.

PROSISTENS, entis, part. ab inus. *prosisto*, ante stans, prominens. *Appul. Met.* 11. Caput corona cinxerat, palmae candidae foliis in modum radiorum prosistentibus.

PROSĪTUS, propositus. *Paul.* ex *Festo.*

PROSLAMBĀNOMĒNOS, *προσλαμβανόμενος*, Graecum nomen est cujusdam toni musici, qui videtur esse idem cum eo, qui a recentioribus musicis *A re* appellatur. *Vitr.* 5, 4.

PROSŌCER, eri, m. *ἀντιπενθερός*, uxoris meae avus, qui et *socer magnus* dicitur: cui respondet *progener:* et refertur ad pronurum. V. PROGENER. *Ov. Her.* 3, 73. Digna nurus socero Jovis Aeginaeque nepote, (*socero*, Peleo patre Achillis, de quo *Ov.* loquitur. Idem Peleus est Jovis Aeginaeque nepos, quia est filius Aeaci, filii Jovis et Aeginae.) Cuique senex Nereus prosocer esse velit; (*prosocer*, nempe quia Nereus pater est Thetidis, quae ex Peleo genuit Achillem, qui hujus novae uxoris, de qua *Ov.* loquitur, maritus futurus est. Nereus itaque erit hujus novae uxoris prosocer: haec erit illi pronurus.) *Ulp. Dig.* 25, 2, 15. Uxor, et nurus, et pronurus, viro, et socero, et prosocero furtum facere possunt. Adde *Plin. ep.* 5, 15. et *ep.* 8, 2.

PROSOCRUS, us, f. uxoris meae avia, quae et *socrus magna* dicitur: cui respondet *pronurus:* et refertur ad progenerum. *Modest. Dig.* 38, 10, 4. *med.* Prosocrus mihi uxoris meae avia est: ego illius sum progener; et *mox:* Avia mea socrus magna est *(uxoris meae):* uxor mea illi pronurus.

PROSŌDĬA, ae, f. *προσῳδία, τόνος*, tenor, accentus, seu modulatio, quae vocibus in loquendo adhibetur: lex et ratio acuendi vel deprimendi, aut circumflectendi syllabas. *Quint.* 1, 5. Adhuc difficilior observatio est per tenores (quos quidem ab antiquis dictos tonores comperi, ut videlicet declinato a Graecis verbo, *τόνους* dicunt) vel accentus, quas Graeci *προσῳδίας* vocant, cum acuta et gravis alia pro alia ponitur, ut in hoc *Camillus*, si acuitur prima. *Gell.* 13, 6. Quas Graeci *προσῳδίας* dicunt, eas veteres docti tum notas vocum, tum moderamenta, tum accentiunculas, tum voculationes appellabant. *Varr.* ap. *eund. Gell.* 18, 12. In priore verbo graves prosodiae, quae fuerunt, manent: reliquae mutant. V. ACCENTUS.

PROSODĬĀCUS, a, um, adj. *Mar. Victor. Gr.* 3, 2580. Dimetro anapaestico catalectico si phalaecii colon, idest partem e tribus trochaeis, seu syzygiam ejus adjunxeris, prosodiacum metrum efficies, quod semper a disyllabo quolibet (incipit), ut Heu heu date nunc sonitus, date bella tela. *Capell.* 9, 334. Numeri prosodiaci.

[PROSŌDĪCUS, i, m. *προσόδικος*, lucrosus, habens reditus et proventus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 397, 1. L. Cornelius Prosodicus. *F.*]

PROSONOMĀSĬA, ae, f. *προσονομασία*, figura est, quae fit ex aliqua vocum similitudine, ut: Deligere oportet quem velis diligere. Vox Graeca et Graece usurpanda. V. AGNOMINATIO.

[PROSOPA, ae, m. persona, facies, a *πρόσωπον*, vultus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 72. *n.* V. Genio C. Julii Augustae L. Prosopae. *F.*]

PROSOPIS, ĭdis, et Prosopītis, itidis, f. *προσωπίς*, et *προσωπῖτις*, herba, quae a Latinis dicitur personacia, teste *Appul. Herb.* 36. V. PERSONATA.

[PROSOPITES, ae, m. Aegypti nomus, cujus metropolis Prosopis in Delta, intra alveos Agathodaemonem, et Thermaicum, nunc *Pschati*, vel *Abschedi*, in cujus nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 4. p. 113. *ΠΡΟΣΩΠΙΤΗΣ. Plin.* 5, 9, 9. Reliqua *(pars Aegypti nomos habet)* Heliopoliten, Prosopiten, Panopoliten, etc. *F.*]

PROSOPOPOEĬA, ae, f. *προσωποποιία*, sermocinatio, conformatio, figura sententiarum, per quam personae, vel aliae res loquentes inducuntur vel ad suadendum, vel ad objurgandum, vel ad querendum, vel ad laudandum, vel ad movendam miserationem, etc. a *πρόσωπον*, persona, facies, et *ποιέω*, facio. *Quint.* 6, 1., 9, 2. et 11, 1., quibus locis modo Graece, modo Latine utitur. ℙ Sic etiam dicitur oratio integra, in qua ex persona alterius dicimus, et verba ac sententias qualitati ejus per continuatam prosopopoeiam accommodamus: cujusmodi sunt pulcherrimae ap. *Liv.* et alios historicos. *Quint.* 2, 1. Ad prosopopoeias usque, et ad suasorias, in quibus onus dicendi vel maximum est, irrumpunt. V. *eund.* 3, 8., ubi de his plura.

PROSOPOPOEĬCUS, a, um, adj. ad prosopopoeiam pertinens, ut Prosopopoeicus sermo, ap. *Firm. de error. prof. relig.* 8. *med.*

PROSPARĀLEPSIS, is, f. *προσπαράληψις*, figura eadem, quae Paragoge, q. v. v. s. l.

PROSPECTĒ, adv. *ἐσκεμμένως*, consulte, prudenter. *Tert. Apol.* 6. *med.* Circa Deos quae prospecte decreverant patres vestri, vos rescidistis. *August. ep. ad Macedonium* 55. *med.* Dicatur haec et prudentia, quia prospectissime adhaerebit bono, quod non amittatur: fortitudo, quia firmissime adhaerebit: temperantia, quia castissime.

PROSPECTĪVUS, a, um, adj. *Imp. Zeno Cod.* 8, 10, 12. Fenestras fabricare, tam quae prospectivae dicuntur, quam quae luciferae, *h. e.* quae prospectus tantum causa fiunt.

PROSPECTO, as, avi, atum, a. 1. *προβλέπω*, frequent. a *prospicio*, et ejusdem fere significationis. *Pl. Mil.* 3, 1, 2. Sinite me prius prospectare, ne uspiam insidiae sient. *Ov. Met.* 3, 651. e puppi pontum prospectat adunca; et *ib.* 15, 841. ut semper Capitolia nostra, Forumque Divus ab excelsa prospectet Julius aede. *Liv.* 24, 21. *med.* Multitudo, pars procurrit in vias, pars ex tectis fenestrisque prospectant. *Sall. Jug.* 64. Qui moenia defensabant, intenti proelium equestre prospectabant. *Tac. A.* 3, 1. Complentur moenia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 2, 5, 17. *f.* Eam navem nuper vidi Veliae: quae quidem omnibus, qui eam aspexerant, prospectare jam exsilium, atque explorare fugam domini videbatur. *Id. fragm. pro C. Cornel.* ap. *Ascon.* Prospectat videlicet Cominius, quid agatur; et *Liv.* 5, 48. Diem de die prospectans, ecquod auxilium ab dictatore appareret; et *Virg. A.* 10, 739. non me, quicumque es, inulto Victor, nec longum laetabere: te quoque fata Prospectant eadem; et *Stat. Silv.* 5, 1, 122. vel Appula conjux Agricolae parci, vel sole infecta Sabino, Quae videt emeriti, jam prospectantibus astris, Tempus adesse viri, *h. e.* apparentibus, et quasi prospicientibus. *Gell.* 9, 4. Vestigia pedum habens retro porrecta, non, ut ceterorum hominum prospectantia, *h. e.* in anteriorem partem conversa. ℙ Providere, praevidere, prospicere. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Non solum in prospectandi cognitione, verum etiam agendi opera, sequi quae Diis atque hominibus sint probata. ℙ De locis, unde prospectus est aliquo. *Phaedr.* 2, 5. Villa, quae monte summo posita Prospectat Siculum, et prospicit Tuscum mare. *Tac. A.* 14, 9. Villa, quae subjectos sinus editissima prospectat. *Id. H.* 5, 6. A meridie Aegyptus objacet; ab occasu Phoenices, et mare: septentrionem a latere Syriae longe prospectant. *Plin. ep.* 2, 17. Triclinium a lateribus, a fronte quasi tria maria prospectat. *Tac. A.* 3, 60. Locus late prospectans. *Plin.* 14, 6, 8. *n.* 3. Massica ex monte Gauro Puteolos, Bajasque prospectantia. Adde *Sil.* 3, 418.

PROSPECTOR, oris, m. qui longe prospicit. *Tert. Or.* 1. Deus prospector humanarum necessitatum. *Appul. de Deo Socrat.* Deus in rebus incertis prospector, dubiis praemonitor, periculosis tutator. Adde *Tert. adv. Marc.* 4, 31. *med.* V. PERSPECTOR.

PROSPECTUS, a, um, part. a *prospicio*, longe visus. *Plin.* 2, 67, 67. Immensum mare prospectum, aut fama cognitum. ℙ Translate. *Liv.* 44, 16. Et ibi, et ex aliis locis commeatus a praetore prospectos in hiemem habere. *Pacat. Pan. Theodos.* 2. Diu meditati, longeque prospecti.

PROSPECTUS, us, m. *ἄποψις, πρόσοψις*, aspectus longe, et in anteriorem partem. *Pl. Mil.* 3, 1, 15. Sterilis hinc prospectus usque ad ultimam plateam est probe; et *Caes. B. G.* 2, 22. Cum sepibus densissimis interjectis prospectus impediretur; et *ib.* 7, 81. Prospectu tenebris adempto, multa utrinque vulnera accipiuntur. *Sall. Jug.* 57. Nam prospectum ager arbustis consitus prohibebat. *Virg. A.* 8, 253. involvitque domum caligine caeca, Prospectum eripiens oculis. *Liv.* 10, 32. Non prospectu modo extra vallum adempto, sed propinquo etiam congredientium inter se conspectu. *Virg. A.* 1, 185. et *Catull.* 64, 241. Prospectum petere, *h. e.* prospectare, aciem oculorum longe mittere. Sic *Pacuv.* ap. *Non.* 7, 1. aucupare. *Virg. G.* 2, 284. animum uti pascat prospectus inanem; et *Caes. B. G.* 5, 10. Cum jam extremi essent in prospectu, *h. e.* eo loco essent, ut a procul stantibus prospici possent. *Tac. H.* 1, 4. Agebatur huc illuc Galba vario turbae fluctuantis impulsu, completis undique basilicis ac templis, lugubri prospectu, *h. e.* aspectu, facie. *Quint.* 10, 7. *med.* Non minus prospectu procedamus, quam gradu; et *Cic. Verr.* 2, 1, 47. Cum eum, quem virgis iste ceciderat, in prospectum populi R. produxit; et *Ov.*

Her. 10, 28. atque ita late Aequora prospectu metior alta meo. ℙ Est etiam locus editus, et apertus ad longe prospiciendum. *Cic. Att.* 14, 13. Quaeris, utrm magis tumulis prospectuque, an ambulatione ἁλιτενεῖ delecter. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 3. Praefigi prospectus omnes coegit multitudinis innumerae saeva latrocinatio. *Hirt. B. Alex.* 15. *f.* Altissima tecta petere, atque ex omni prospectu locum spectaculo capere. *Liv.* 1, 18. *med.* Prospectum in urbem agrumque capere; et *Plin.* 6, 9, 10. Ab laeva regio Medorum est, et prospectus Caspii maris. *Cic. Dom.* 44. In Palatio, pulcherrimo prospectu, porticum concupiverat; et *Acad.* 4, 25. O praeclarum prospectum! Puteolos videmus, etc. ℙ In aedibus quid sit prospectus, V. LUMEN. ℙ Translate est respectus. *Gell.* 5, 11. *f.* Cujus rationem prospectumque Bias non habuit. *Val. Max.* 5, 1. *n.* 3. *extr.* Ut officii prospectum in iis deponeret, qui tum maxime armis cum eo dissidebant. Possis etiam intelligere speciem, externum signum. ℙ Item providentia. *Tert. Spect.* 1. *f.* Ut hoc humano prospectu, non divino praescripto definitum existimetur.

PROSPĔCŪLOR, aris, atus sum, dep. 1. longe speculor, prospecto. *Liv.* 33, 1. Multitudo e muris adventum imperatoris R. regisque prospeculabatur. *Id.* 3, 43. L. Siccium prospeculatum ad locum castris capiendum mittunt.

PROSPER, et usitatius Prospĕrus, a, um, adj. εὐήμερος, secundus, felix, favens, ad voluntatem nostram fluens, commodus, amicus: cui *adversus*, *incommodus* opponitur. *Cic. N. D.* 3, 37. Ut ad prosperam adversamque fortunam, qualis sis, nihil intersit. *Id. ad Quir.* 1. Homini nihil est magis optandum, quam prospera, aequabilis, perpetuaque fortuna, secundo vitae sine ulla offensione cursu. *Id. Brut.* 3. Prosperae res deinceps multae consecutae sunt. *Id. Att.* 9, 6. Prosperos exitus consequi. *Just.* 12, 10. Prosperum in patriam reditum precatus. *Plin. ep.* 10, 1. Precor, ut tibi, et per te generi humano prospera omnia contingant. *Liv. praef. extr.* Ut orsis tanti operis prosperos successus darent. *Ov. Fast.* 6, 202. Bellona Latio prospera semper adest. *Val. Fl.* 3, 184. si fata sinant, si prospera Juno. *Sil.* 16, 598. frigens animis, nec bello prospera turba, *h. e.* favens. *Plin.* 10, 8, 9. Prosperrimum augurium. *Virg. A.* 3, 362. omnem cursum mihi prospera dixit Religio, *h. e.* auspicia secunda. *Vell.* 2, 51. *extr.* Proelium longe magis Pompejanis prosperum. *Sil.* 16, 609. nec egent tam prospera laude Facta nova; et *Plin.* 28, 2, 5. Prospera nomina, *h. e.* boni ominis. *Ov. Pont.* 4, 4, 38. verba; et *ib.* 3, 7, 50. terra prosperiore frui. *Id. A. Am.* 3, 50. Mox cecinit laudes prosperiore lyra. *Id. Fast.* 3, 614. prosperius fatum. *Vell.* 2, 122. *f.* Prosperrimo rerum eventu. *Suet. Vesp.* 20. Prosperrima valetudine usus est. *Tac. A.* 6, 51. Drusus prosperiore civium amore erat. *Id. ib.* 14, 51. *extr* Prospera fama, *h. e.* integra, inviolata. ℙ Absolute. *Lucan.* 5, 782. Prospera belli; et 7, 107. rerum; et *ib.* 708. Tam mala Pompeji, quam prospera mundus adoret. *Tac. H.* 5, 15. Germani prosperis feroces. *Plin. Pan.* 7. Nec te laeta in prospera stationis illius, sed aspera et dura ad capessendam eam compulerunt. ℙ Cum gen. *Hor. Od.* 4, 6, 37. de luna: Rite crescentem face noctilucam, Prosperam frugum, *h. e.* amicam frugibus, fruges prosperantem. Sic *Prud. περὶ στεφ.* 9, 4. Spes est oborta, prosperum Christum fore, *h. e.* propitium. ℙ Utraque positio recti casus auctores habet. *Dom.* ap. *Prisc.* 6. p. 693. Ut prosper dicendi successus ostenderet, etc. *Cic. Somn. Scip.* 4. Hominum generi prosperus et salutaris. Ita leg. *Prisc. ib.* et sic habent omnes lib. vet. *Sil.* 10, 202. immoriens magnis non prosperus ausis. Alii leg. *prosper in ausis*. *Val. Max.* 3, 7. *n.* 1. Nec minus animosus, minusve prosperus in Africam transitus. Alii leg. *prosper*. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 627. *n.* 234. M. Lancius M. L. Prosper.

*PROSPERATĬO, onis, f. *Gloss. Cyrill.* Prosperatio, κατευόδωσις. *B. A.*

PROSPĔRĀTUS, a, um, part. a *prospero*, ut Prosperata felicitas. *Tert. Apol.* 6. Prosperatus Deus, *Prud. περὶ στεφ.* 10, 365. *h. e.* prosper, et propitius factus.

PROSPĔRĔ, adv. εὐτυχῶς, εὐδαιμόνως, δεξιῶς, feliciter, ex voto. *Cic. Tusc.* 1, 18. Omnia profluenter, absolute, prospere. *Id. Fam.* 12, 9. Ut omnia (ut spero) prospere procedant. *Id. N. D.* 2, 66. *f.* Magnis viris prospere eveniunt semper omnes res. *Nep. Alc.* 7. Ut omnia minus prospere gesta ejus culpae tribuerent. *Id. Dat.* 1. Quae prospere ei cesserunt; et *ib.* 6. Haec minus prospere succedebant. *Tac. A.* 2, 46. Prospere cadere. *Colum.* 4, 32. Arundo prosperius resoluto, quam denso solo deponitur. *Gell.* 6, 6. Aves, quae prosperius evolant, *h. e.* meliori augurio. *Festus* in *Scribas*. Respublica populi R. prosperius geri coepta est. *Vell.* 2, 97. Omnia geruntur prosperrime. *Suet. Caes.* 36. Prosperrime dimicare. *Plin.* 11, 17, 18. pugnare. **Cic. de re publ.* (ed. *A. Maio*) 2, 21. Illi injusto domino atque acerbo aliquamdiu in rebus gerendis prospere fortuna comitata est. *B. A.*

PROSPERGO, is, a. 3. aspergo. *Tac. A.* 15, 44. Hausta aqua, templum et simulacrum Deae prospersum est.

PROSPĔRĬTAS, atis, f. εὐτυχία, secundus rerum cursus, res secundae, commoditas, felicitas. *Cic. N. D.* 3, 56. Omnem commoditatem prosperitatemque vitae a Diis habere; et *ib. f.* Improborum prosperitates secundaeque res. *Id. fragm.* ap. *Ammian.* 21, 16. Neque aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas. *Nep. Att.* 21. Tanta prosperitate usus est valetudinis, ut, etc.

PROSPĔRĬTER, adv. idem ac prospere. *Enn.* ap. *Prisc.* 15, 1010.

PROSPĔRO, as, a. 1. ὀλβιόω, εὐδαιμονα ποιῶ, prosperum facio, secundo. *Liv.* 8, 9. Uti populo R. Quiritium vim victoriamque prosperetis. *Tac. A.* 3, 56. Ut consilia sua reipubl. prosperarent. *Pl. Pers.* 2, 3, 11. Nunc et amico meo prosperabo, et genio meo multa bona faciam, *h. e.* prosperitatem afferam, fortunam ei prosperam reddam. *Id. Cas.* 5, 4, 26. Propter eam rem hanc tibi nunc veniam minus gravate prospero, ne, etc., *h. e.* ex animi tui sententia largior. *Val. Max.* 7, 2. *n.* 5. Pullarius, non prosperantibus avibus, ementitus, etc.

PROSPERSUS, a, um, part. a *prospergo*, aspersus. *Appul. Met.* 2. Corollis revinctus, ac flore prospersus. Al. leg *perspersus*. V. tamen PROSPERGO.

PROSPĔRUS. V. PROSPER.

PROSPEX, ĭcis, m. qui prospicit. *Tert. Testim. anim.* 5. Recogita in praesagiis vatem, in omnibus augurem, in eventibus prospicem.

PROSPĬCĬENTER, adv. προνοίως, circumspecte. *Gell.* 2, 29. Res salubriter ac prospicienter animadversas, etc.

PROSPĬCĬENTĬĂ, ae, f. πρόνοια, cura, providentia. *Cic. Phil.* 7, 7. Vigilia et prospicientia. Al. leg. *providentia*. Alio sensu *Tert. adv. Valent.* 26. Volunt illum prospicientias earum substantiarum induisse, *h. e.* prospectum, speciem, formam. Alii aliter leg.

PROSPĬCĬO, is, exi, ectum, a. 3. προορᾶω, ante, et procul video, aut aspicio. *Varr.* ap. *Non.* 5, 85. Neque post respiciens, neque ante prospiciens. *Ter. Ph.* 5, 1, 8. Nisi me animus fallit, aut parum prospiciunt oculi, meae nutricem gnatae video. *Plin.* 10, 23, 30. Grues volant ad prospiciendum, alte. *Lucan.* 1, 195. qui moenia prospicis urbis Tarpeja de rupe. *Virg. A.* 6, 357. Prospexi Italiam summa sublimis ab unda. *Id. ib.* 2, 733. per umbram Prospiciens. *Caes. B. C.* 2, 5. Facile erat ex castris, et superioribus locis prospicere in urbem. *Virg. A.* 12, 353. Longe prospicere; et *ib.* 11, 909. procul. *Sen. ep.* 110. ultra mundum. *Cic. Fam.* 7, 20. Domus habet lucum, a quo etiam advenae teneri solent: quem tamen si exciderís, multum prospexeris; et *Auct. B. Hisp.* 8. Propter altitudinem longe lateque prospiciunt. ℙ De locis, unde prospectus est. *Plin. ep.* 2, 17. Coenatio latissimum mare, amoenissimas villas prospicit. *Plin. alter* 5, 16, 15. Prospicit lacum ab oriente Arabia Nomadum. Adde *Phaedr.* 2, 5. ℙ Translate refertur ad animum. *Sen. ep.* 66. *med.* Aliquis infans decessit, cui nihil amplius contigit, quam prospicere vitam. *Id. ep.* 33. *med.* Turpe est seni, aut prospicienti senectutem, ex commentario sapere. ℙ Saepe est ante videre, praevidere, providere, praesentire, προβλέπω. *Cic. Har. resp.* 3. Tum vidi, ac multo ante prospexi, quanta tempestas excitaretur. *Id. Fam.* 4, 3. Multo ante, tanquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram. *Id. Div. Verr.* 13. Jam nunc mente et cogitatione prospicio, qui concursus futuri sint. *Id. Am.* 12. Eo loco locati sumus, ut nos longe prospicere oporteat futuros casus reipublicae. *Id. Quint.* 10. *med.* Ut jam ante animo prospicere possis, quibus de rebus auditurus sis. *Id. Dom.* 5. Neque id conjectura prospiciebamus, sed jam experti videbamus. *Id. Mur.* 28. *med.* Sapientes, ac multum in posterum prospicientes. *Virg. G.* 1, 393. ex imbri soles et aperta serena Prospicere. ℙ Item consulere, providere, cavere. *Cic. Verr.* 2, 1, 58. *f.* Habemus liberos parvos: incertum est, quam longa nostrum cujusque vita futura sit: consulere vivi, ac prospicere debemus, ut illorum solitudo et pueritia firmissimo praesidio munita sit; et *ib.* 8. Quod ad vestram famam pertinet, prospicite atque consulite. *Id. Fam.* 3, 2. Ut quibuscumque rebus poteris, prospicias, et consulas rationibus meis. *Id. Cat.* 4, 2. Consulite vobis, prospicite patriae, (*prospicere* est solum cogitare cum animo suo, et videre, quid juvet: *consulere*, adhibere in id aliorum consilium: quamquam hoc discrimen non est perpetuum.) *Id. Font. f.* Prospicite, ut plus apud vos preces virginis Vestalis, quam minae Gallorum valuisse videantur. *Caes. B. G.* 5, 7. Statuebat prospiciendum, ne quid sibi nocere posset; et *ib.* 7, 50. *med.* Prospicere saluti alicujus; et *ib.* 1, 23. rei frumentariae. *Cic. Verr.* 2, 3, 55. fidelissimis sociis; et *ib.* vectigalibus in decumis, et in re frumentaria. *Plin. ep.* 1, 17. immortalitati alicujus. *Varr. R. R.* 1, 23. in annum. *Cic. Har. resp.* 26. *f.* Huic malo populus R. ipse nullo haruspicum admonitu, sua sponte prospexit. *Ter. Heaut.* 5, 2, 8. Prospicere stultitiae alicujus. *Id. Ph.* 5, 2, 17. Plagae crescunt, nisi prospicis. *Ulp. Dig.* 40, 9, 12. Prospexit legislator, ne mancipia per manumissionem quaestioni subducantur. ℙ Passive impersonaliter. *Paul. Sentent. tit.* 4, 2. Senatus consulto Trebelliano prospectum est, ne solus heres hereditatis actionibus oneretur. *Ter. Heaut.* 2, 4, 11. Nisi si prospectum interea aliquid est, desertae vivimus. ℙ Cum accusativo. *Petr. Sat.* 10. Habitationem mihi prospiciam. *Liv.* 4, 49. *f.* Qui sedem senectuti vestrae prospiciunt. *Lucan.* 9, 234. justas sibi nostra senectus Prospiciat flammas. *Plin. ep.* 1, 14. Ut fratris tui filiae prospiciam maritum. Et passive. *Cic. Sull.* 19. *extr.* Munere servili obtulit se ad ferramenta prospicienda; et *Val. Max.* 5, 1. *n.* 1. Naves ut prospicerentur, quibus in Africam tuto trajiceret. ℙ Ponitur et pro servare. *Phaedr.* 2, 4. Pavorem simulans prospicit toto die. ℙ Item pro inspicere, considerare, animadvertere. *Varr. L. L.* 7, 24. His dictis partibus, singulas prospice, ut videas, etc. ℙ Et pro simplici aspicio, intueor. *Pl. Stich.* 4, 2, 55. Nunquam edepol me vivum quisquam in crastinum prospiciet diem. *Id. Amph.* 5, 1, 7. et *Curc.* 2, 3, 38. Caput dolet, neque audio, neque oculis prospicio satis. *Nep. Dat.* 3. Quem cum omnes prospicerent propter novitatem ornatus, ignotamque formam, etc. ℙ Part. *Prospecturus* ap. *Claud. IV. cons. Honor.* 235. hanc *(animam)* alta capitis fundavit in arce Mandatricem operum, prospecturamque labori.

PROSPĬCŬE, adv. prospicienter, provide. *Appul. Met.* 1. Benigne et prospicue in me consuluit; et *ib.* 11. Quippe cum mihi familiares, quo ad cultum sumptumque largiter succederet, deferre prospicue curassent.

PROSPĬCUS. V. DESPICUS.

PROSPĬCŪUS, a, um, adj. qui procul prospicitur. *Th.* 12, 15. prospicuae scandentem limina turris. *Appul. Met.* 6. Sic turris illa prospicua vaticinationis munus explicuit. Hic *prospicua* videtur esse provida, et futura prospiciens.

PROSPĪRO, as, n. 1. ἀποπνέω, ultra, seu longe spiro, extra spiro. *Appul. Apol.* Ea namque tabes si foras corporis prospiravit, majore dedecore, quam noxa diffunditur. Lexicographi addunt aliud exemplum *Catonis*, quod V. in PERSPIRO.

PROSPISSO, adv. tarde, valde sero. *Pl. Poen.* 3, 5, 47. Si quid boni promittunt, prospisso evenit. Rectius tamen divisum legas *pro spisso*.

[PROSPOLOS, i, m. πρόσπολος, famulus, minister sacrorum. *Inscr.* ap. *Mur.* 174, 7. Ex responso antistitum prospolois C. Lucanus Severus pro L. Lucano filio. Hic *prospolois* scribitur Graeca terminatione προσπόλοις pro *prospolis*, quibus nempe templi alicujus ministris C. Lucanus Severus pro L. Lucano filio vel peregre absente, vel morbo decumbente, ex antistitum a se consultorum responso, donum aliquod se dedisse hoc titulo testatur. V. *Bimardi* praef. ad *Mur. Inscr.* p. 66. *F.*]

PROSTANS, antis, part. a *prosto*, ante stans, exstans, prominens, eminens. *Lucr.* 2, 426. Sunt etiam quae jam nec levia jure putantur Esse, neque omnino flexis mucronibus unca; Sed magis angellis paulum prostantibus, et quae Titillare magis sensus, quam laedere possunt. ℙ De iis, qui turpiter aliorum libidini se exponunt quaestus gratia. *Juven.* 1, 47. spoliator pupilli prostantis. *Suet. Tib.* 43. *f.* Prostantes per antra et cavas rupes ex utriusque sexus pube.

PROSTAS, ădis, f. προστὰς, vestibulum, porticus. *Vitr.* 6, 10., sed Graece in plerisque libris.

PROSTĂSĬĂ, ae, f. προστασία, primus dignitatis locus inter aliquos. *Impp. Diocl. et Maxim. Cod.* 10, 41, 8., ubi alii leg. *protostasia* eod. sensu: quae vox legitur etiam in *Cod. Theod.* 11. *tit.* 23. (qui *De protostasia* inscribitur) *l.* 1, 3. et 4., ejusque munus occupabatur circa collationem et exactionem tributorum per Orientem. V. *Gothofred.* ad *l. c. l.* 11. *Cod. Theod.*

PROSTERNO, is, stravi, atum, a. 3. στρώννυμι, prius sterno, consterno, substerno. *Pl. Poen.* 2, 31. Viscum legioni dedi, fundasque: eo prosternebant folia farferi, ne ad fundas viscus adhaeresceret. ℙ Translate. *Plin. Pan.* 31. Nonne manifestum est, si quid adversi cadat, tuis laudibus, tuis virtutibus materiam campumque prosterni? *h. e.* aperiri, parari. ℙ Est multo saepius in terram dejicio, ad terram do, affligo, everto, καταβάλλω. *Ter. Ad.* 3, 2, 21. Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, et prosternerem. *Ov. Met.* 8, 776. adductaque funibus arbor Corruit, et multam prostravit pondere silvam. *Sil.* 3, 213. tantoque fragore Eruta convulsis prosternes oppida muris. *Colum.* 11, 3. *med.* de allio: Antequam caulem faciant, omnem viridem superficiem intorquere, et in terram prosternere conveniet, quo vastiora capita fiant. *Curt.* 8, 5. Prostraturus humi corpus. Sic *Liv.* 9, 6. Circa viam corpora humi prostraverunt. *Cic. Planc.* 20. Prosternere se, et supplicare alicui. *Id. Phil.* 2, 18. Filius se ad pedes meos prosternens, lacrimans te mihi commendabat. *Lucan.* 7, 372. Credite, grandaevum, vetitumque aetate senatum Arma sequi, sacros pedibus prosternere canos; et *Val. Fl.* 6, 508. densa Strage cadit legio, et latis prosternitur arvis. *Cic. Phil.* 14, 10. Hostem prostravit, fudit, occidit; et *Val. Fl.* 3, 185. Prostravitque virum celeri per pectora telo. *Mart.* 5, 42. Prosternet patrios impia flamma lares.

¶ Translate est evertere, subvertere. *Cic. Cluent.* 26. Praecipitantem impellamus, et perditum prosternamus; et *ib.* 6. Perfregit ac prostravit omnia cupiditate ac furore. [*Id. fr. or. pro Scauro* (ed. *Peyronio*) *n.* 20. Tota est acies illa *(accusatorum)* uno impetu prosternenda. *F.*] *Just.* 6, 2. *f.* Agros vastat, urbes expugnat, et quasi tempestas quaedam cuncta prosternit. *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 9. Malevolorum obtrectationes et invidias prosternere, atque obterere. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 7. Cujus aedilitas maxime prostravit mores civitatis. *Auct. dial. de Or.* 11. Detrectare poetas, atque carminum studium prosternere. *Cic. Par.* 1. *f.* Sic te ipse abjicies atque prosternes, ut nihil inter te atque quadrupedem aliquam putes interesse? ¶ Prostituere. *Suet. Cal.* 24., *Id. Caes.* 2. et *Tib.* 35. et *Arnob.* 2, 73.

PROSTHĔSIS et Prothesis, is, f. *πρόσθεσις*, et *πρόθεσις*, additio, figura, qua litterā, vel syllaba voci alicui in principio, aut in medio apponitur, ut *gnatus* pro *natus*, *tetuli* pro *tuli*, *redditus* pro *datus*, *Mavortis* pro *Martis*. Vox Graeca, et Graece adhibenda. *Charis.* 4, 248., *Diomed.* 2, 435. et *Serv.* ad *A.* 12, 817.

PROSTĪBĬLIS, e, adj. qui prostat, seu prostituitur: a *prosto*. *Pl. Pers.* 5, 2, 56. Hic faceret te postibilem propediem, *h. e.* ut prostares. Aliqui leg. *prostibulam*. *Id. Stich.* 5, 6, 4. Prostibile est stantem stanti savium dare amicum amicae, *h. e.* prostibuli, vel meretricis proprium. Alii rectius leg. *prostibuli*.

PROSTĪBŬLĀ, ae, f. idem ac prostibulum, meretrix. *Pl. Clitell* ap. *Non.* 5, 8. Intro abeo: nam meretricem adstare in via solam, prostibulae sane est. Ita recte *Bothe* legit, et edidit. *Tert. Apol.* 6. Inter matronas, et prostibulas nullum discrimen relictum. Addit *Non. l. c.* discrimen esse inter meretricem, et prostibulam, quod meretrix honestioris loci, et quaestus sit, et copiam sui tantummodo noctu faciat; prostibula vero ante stabulum sedeat quaestus diurni et nocturni causa. V. PROSEDAS, et ALICARIUS.

PROSTĪBŬLUM, i, n. *ἑταῖρα*, meretrix, quae prostat quaestus corpore faciendi causa. *Pl. Aul.* 2, 4, 6. Bellum et pudicum vero prostibulum populi! ¶ Discrimen inter prostibulum, et meretricem V. in v. praec. ¶ De masculo usurpavit *Arnob.* 6, 199. ¶ Significat etiam ipsum lupanare. *Isid. Or.* 18, 42. Idem vero theatrum, idem et prostibulum, eo quod post ludos exactos meretrices ibi prostarent: idem et lupanare vocatum ab eisdem meretricibus.

PROSTĬTŬO, is, ui, utum, a. 3. *προΐστημι*, ante statuo, aut colloco. *Arnob.* 5, 177. Viam comiter Prosumnus *(Libero)* edisserit, atque in limine ipso prostituit inferorum, *h. e.* statuit, sistit ante limen. ¶ Frequenter significat corpus suum, vel alienum quaestui exponere, corporis potestatem facere, pudicitiam venalem habere, se, vel alium meretriciae arti dedere, quasi ante, vel publice statuere. *Pl. Ps.* 1, 2, 45. Cras populo prostituam vos. *Catull.* 110, 7. plusquam meretricis avarae, Quae sese toto corpore prostituit. *Sen. Controv.* 1, 2. *med.* Servavit te leno, quam prostituturus erat in libidinem populi? *Suet. Ner.* 29. Pudicitiam suam prostituere. *Ov. Am.* 1, 10, 41. Turpe, tori reditu census augere paternos, Et faciem lucro prostituisse suam. *Petr. Sat.* 126. Formam prostituis, ut vendas. ¶ Significat etiam publicare. *Cato* ap. *Gell.* 17, 13. Neque satis habuit, quod eam in occulto vitiaverat, quin ejus famam prostitueret. *Ov. Am.* 3, 14, 11. Tu tua prostitues famae peccata sinistrae, Commissi perages indiciumque tui? ¶ Translate. *Id. ib.* 1, 15, 5. Non me verbosas leges ediscere, nec me Ingrato vocem prostituisse foro, *h. e.* exhibuisse in communem usum litigantium.

PROSTĬTŪTĬO, onis, f. *προαγωγή*. *Arnob.* 2, 53. In libidinem publica venalium corporum prostitutione damnari. ¶ Translate. *Tert. Apol.* 27. Prostitutio imaginum.

PROSTĬTŪTOR, oris, m. qui prostituit, *προαγωγεύς*. *Tert. Cult. fem.* 9. Lenones et prostitutores. ¶ Translate. *Id. Pud.* 10. *med.* Prostitutor Christiani sacramenti.

PROSTĬTŪTUS, a, um, part. a *prostituo*: *προαχθείς*, ad turpia propositus. *Mart.* 9, 7. Prostitutus infans. *Plin.* 30, 2, 5. Lupanaribus atque prostitutis mandare aliquid. *Tert. Apol.* 25. Prostitutissima lupa Larentina. Alii leg. *prostratissima*. ¶ Translate. *Sidon. ep.* 3, 13. *f.* Sermones prostituti ac theatrales.

PROSTO, as, stiti, statum, n. 1. *προΐσταμαι*, ante, et palam sto: ut ii, qui merces vendendi gratia, aut negotii gerendi exponunt se, ac praebent omnibus. *Pl. Curc.* 4, 2, 21. Hi *(lenones)* saltem in occultis locis prostant, vos in foro ipso. Vos fenore, hi male suadendo, etc. ¶ *Prostare* item dicuntur res venales, quae oculis omnium expositae sunt. *Hor. Ep.* 1, 20, 1. Vertumnum, Janumque, liber, spectare videris, Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus. ¶ Et saepius qui pudicitiam suam prostituunt, ut meretrices. *P. Syrus* ap. *Petr. Sat.* 55. *extr.* Palam prostare nudam in nebula linea. *Sen. Controv.* 1, 2. Si mater tua prostitisset, tibi noceret. *Juven.* 9, 24. quo non prostat femina templo? et 3, 65. ad Circum jussas prostare puellas. ¶ Translate. *Ov. Pont.* 2, 3, 19. Illud amicitiae quondam venerabile numen Prostat, et in quaestu pro meretrice sedet, *h. e.* venale est, et pretio comparatur. ¶ Pro exstare, eminere. V. PROSTANS.

PROSTŌMIS. V. POSTOMIS.

PROSTRĀTĬO, onis, f. actus prosternendi, dejectio, *κατάστρωσις*. *Tert. Praescr.* 41. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinae.

PROSTRĀTOR, oris, m. qui prosternit, eversor. *Firm. de error. prof. relig.* 21. *f.* Eminentes prostratores estis omnium hostium vestrorum.

PROSTRĀTUS, a, um, part. a *prosterno*: *καταβεβλημένος*, ad terram datus, dejectus, eversus, profligatus, afflictus. *Cic. Lig.* 5. Quod nos domi petimus precibus et lacrimis, prostrati ad pedes. *Ov. Trist.* 1, 3, 43. ante lares passis prostrata capillis. *Tac. H.* 4, 34. *f.* Lapsu equi prostratus. *Lucan.* 4, 357. campis prostrata jacere Agmina. *Lucr.* 6, 1262. Multa siti prostrata viam per, proque voluta Corpora, silanos ad aquarum strata jacebant. *Id.* 5, 1191. prostrati in gramine molli. *Hirt. B. Afr.* 23. Subito eruptione facta, prostratos perterritosque Pompejanos in mare passim navesque compulerunt. *Petr. Sat.* 104. cum prostrata sopore Urget membra quies. *Suet. Vesp.* 5. Arbor radicitus evulsa atque prostrata. *Plin.* 34, 7, 18. Simulacrum terrae motu prostratum. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *med.* Oppida prostrata et diruta. ¶ De prostratis piscibus V. JACENS. ¶ Prostitutus. *Suet. Caes.* 2. Non sine rumore prostratae regi pudicitiae. Adde *Just.* 12, 7. ¶ Translate. *Cic. Cat.* 2, 1. *f.* Jacet ille nunc prostratus, et se perculsum atque abjectum esse sentit. *Id. Or.* 2, 52. Afflicta et prostrata virtus. *Id. Leg.* 2, 17. Religiones scelere prostratae, afflictaeque. ¶ In mensuris *pes prostratus* (qui et *constratus*) est, cum longitudinem per latitudinem metimur. *Front. in exposit. formar.* p. 30. *Goes.*

PROSTŸLOS, i, m. et f. *πρόστυλος*. Aedes prostylos dicitur, quae habet in fronte columnas. *Vitr.* 3, 1. et *praef.* 7. *f.* V. AMPHIPROSTYLOS.

PROSTYPUM. V. PROTYPUM.

PROSŪBĪGO, is, egi, actum, a. 3. *καταρρίπω*, ante subigo, valde subigo. *Virg. G.* 3, 256. de sue: Et pede prosubigit terram, *h. e.* fodit, et pedibus impellit alternis: quod pugnaturi sues facere consueverunt, ad acquirendum robur, ut *Serv.* ait. *Prud. περὶ στεφ.* 3, 129. impositamque molam Turibulis pede prosubigit, *h. e.* calcat, proterit. *Val. Fl.* 4, 288. et fulmina Cyclops Prosubigit, *h. e.* malleo domat, tractat.

PROSUM, des, fui, anom. *ὠφελέω*, juvo, quasi *pro* aliquo *sum*: cui opponitur *noceo*, *obsum*. Inseritur *d*, quotiescumque ipsum verbum a vocali incipit, ad hiatum vitandum. Differt a *juvo*, quia hoc ad delectationem refertur, *prosum*, ad utilitatem. *Hor. A. P.* 333. Aut prodesse volunt, aut delectare poetae, Aut simul et jucunda et idonea dicere vitae. *Sen. ep.* 106. Quae sint haec, interrogas? quae scire magis juvat, quam prodest: sicut hoc quod quaeris, an bonum corpus sit. *Mart.* 5, 15. Quid tamen haec possunt, quamvis venerantia multos? Non prosint: sane me tamen ista juvant. ¶ Hoc tamen discrimen scriptores fere non servant. V. JUVO. ¶ Ad usum quod attinet, haec habeas. *Cic. Off.* 2, 10 *med.* Contemnuntur ii, qui nec sibi, nec alteri prosunt, ut dicitur; et *Fam.* 2, 17. Nihil tibi litterae meae proderunt. *Ov. Met.* 13, 365. tu tantum corpore prodes, Nos animo. *Tibull.* 2, 4, 15. Ite procul Musae, si nil prodestis amanti. *Hor. Ep.* 1, 8, 11. Quae nocuere sequar, fugiam quae profore credam. *Ter. Ad.* 5, 9, 10. Hic adjutor fuit, hic curavit: prodesse aequum est; (quod supra dixerat 5, 8, 25. Bene nos aliquid facere illi decet.) *Quint.* 8, 3. Sed protinus in id quoque prodest, ut terrae succum aequaliter trahant. *Id.* 6, 1. Si aliter obtineri vera et justa, et in commune profutura non possint. *Sall. Jug.* 89. Litterae Graecae ad virtutem doctoribus nihil profuerunt. *Hor. Od.* 1, 28, 4. nec quidquam tibi prodest Aerias tentasse domos. ¶ Quid prodest? *Ov. Her.* 18, 173. Quid mihi, quod lato non separor aequore, prodest? *Id. Met.* 13, 935. sed quid mihi fingere prodest? ¶ De iis, quae habent vim salutarem in medicina. *Plin. ep.* 7, 21. Balineum assumo, quia prodest: vinum, quia non nocet. *Ov. Med. fac.* 91. Profuit et marathros bene o lentibus addere myrrhis. *Plin.* 22, 25, 69. Fabam voci prodesse, auctor est Varro. *Id. ib.* 63. Panicum prodest ad tormina. *Id.* 20, 7, 25. Isatis contra ignem sacrum radice, vel foliis prodest. *Id.* 19, 6, 34. Allium ad multa, ruris praecipue, medicamenta prodesse creditur.

PROSUMIĀ, ae, f. genus navigii speculatorium parvum, teste *Festo. Caecilius* ap. *Non.* 13, 17. Cum progubernator propere vortit prosumiam. *Id. ib.* De nocte ad portum sum profectus prosumia. V. GESORETA.

PROSUMNUS, i, m. *Προσύμνος*, impudicus quidam Bacchi amator, qui pactus ab eo corporis usuram, ad Inferos descendentem comiter viam docuit. *Arnob.* 5, 176. *extr.*

PROSŪMO, is, mpsi, mptum, a. 3. insumo, fruor. *Pl. Trin.* 5, 2, 6. Beneficium, homini proprium quod datur, prosumpserit: nam quod datum est utendum, id repetundi copia est. Alii leg. *proprium sumpserit*. Addit *Pareus* in *Lex. Crit.* alia duo loca *ejusd. Mil.* et *Ps.*, sed frustra.

PROSUS. V. PROSA.

PROSYMNĀ, ae, et Prosymne, es, f. *Προσύμνα*, et *Προσύμνη*, regio et urbs Argolica, ubi Juno colebatur. *Stat. Th.* 1, 383., *ib.* 3, 325. et *ib.* 4, 44.

[PROTĀGĬON, ii, n. vini genus, quod Italicis proximum fecerant Asclepiadis scholae, ut ait *Plin.* 14, 7, 9. *Hard.* putat, ita esse appellatum *διὰ τὰ πρῶτα ἄγειν*, *h. e.* quia praecipuae est auctoritatis. *F.*]

PROTAGORĒUS et Protagorius, a, um, adj. *Πρωταγόρειος*, ad Protagoram pertinens. Fuit autem Protagoras Thracius genere, professione sophista, qui magorum Persarum religione imbutus, cum de Diis male sentire putaretur, ab Atheniensibus urbe et agro pulsus est, ejusque libri palam combusti. *Gell.* 5, 11. Protagorion illud antistrephon. Alii leg. *Protagoricon*. Plura de eo *Id. ib.* 3.

[PROTARCHUS, i, m. *πρώταρχος*, militiae princeps: a *πρῶτος*, primus, et *ἄρχος*, dux. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1787, 9. Q. Ninnius Q. L. Protarcus. Hic omittitur, ut alias saepissime, aspirata. *F.*]

PROTĀSĬS, is, f. *πρότασις*, propositio, seu id quod ad disputandum proponitur: item prima propositio syllogismi ap. *Gell.* 5, 11. et *Appul. Dogm. Plat.* 3. *in.* quam ipse, verbum e verbo reddens, *protensionem* vertit, est enim a *προτείνω*, protendo. Item prior periodi pars: cui respondet apodosis: item prima pars fabulae. *Donat.* in *Ter. Andr. praef.* Hic protasis subtilis, epitasis tumultuosa, catastrophe paene tragica.

PROTĀTĬCUS, a, um, adj. ad protasim pertinens, *προτατικός*. Protatica persona ea intelligitur, quae semel inducta in principio fabulae, in nullis deinceps partibus adhibetur, ut Sosia in Andria Terentii. *Donat.* in *Ter. Andr. praef.*

[PROTĀTUS, i, m. *πρότατος*, omnium primus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 276, 8. M. Aurelius Protatus. *F.*]

[PROTAULES, ae, m. qui tibia primo loco sonat: a *πρῶτος*, primus, et *αὐλός*, tibia. *Not. Tir.* p. 173. Protaules, plagiaules. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 530. P. Lucilius D. L. Croesus protaules. *F.*]

*PROTE, es, f. *Πρώτη*, prima, insulae nomen, unius e Stoechadibus. *Plin.* 3, 5. ¶ Item insula maris Ionii, Cephaleniae objecta. *Id.* 4, 12. *Mela* 2, 7. *med. B. A.*

[PROTĒA, ae, f. herba, alias nymphaea, et alga palustris. *Appul. Herb.* 67. *F.*]

PROTECTĬO, onis, f. *ὑπερασπισμός*, actus protegendi, defensio. *Tert. Fug. in persecut.* 2. Protectio fidei. Adde *Auct. decl. pro Trib. Mar.* 8. ¶ Item actus protegendi aedes, h. e. protectum faciendi. Unde *Digest. l.* 39. titulus secundus inscribitur: *De damno infecto, et de suggrundis et protectionibus.* V. PROTECTUS, a, um.

PROTECTOR, oris, m. *σωματοφύλαξ*, qui latus tegit, custos corporis, stipator, domesticus. *Spart. Carac.* 7. Cum inter protectores suos, conjuratos caedis, ageret. Adde *Ammian.* 14, 7. et *Impp. Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 6. *tit.* 24. qui *De domesticis, et protectorib.* inscribitur *l.* 9. Hinc praefectus protectorum, in *Inscr.* ap. *Grut.* 1028, 2. L. Petronio L. F. Sab. Volusiano Praefect. Protect. Augg. NN. etc. ¶ Non modo Augusti, sed primarii etiam magistratus suos habebant protectores. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 70. Aurelius Severus protect. Pr. Pr. *h. e.* praefecti praetorio. *Ammian.* 18, 5. *in.* Antoninus quidam ducis Mesopotamiae protector. ¶ Item qui quocumque modo defendit. *Tert. Apol.* 6. Legum et paternorum institutorum protectores et ultores. Adde *Coripp. Laud. Just.* 4, 324.

PROTECTORĬUS, a, um, adj. ad protectores pertinens, ut Protectoria dignitas, *Imp. Constant. Cod. Theod.* 7, 20, 5. et *Cod. Just.* 12, 47, 2.

PROTECTUS, a, um, part. a *protego*, *σκεπασθείς*, tectus, coopertus, munitus. *Ov. Met.* 12, 273. Tempora perfringit fulvo protecta capillo; et *ib.* 351. immissa protectus pectora barba. *Colum.* 9. *in.* Protectae porticus. *Plin.* 15, 22, 24. nuces gemino operimento. *Virg. A.* 10, 800. Dum genitor nati parma protectus abiret; et *ib.* 8, 662. scutis protecti corpora longis. *Cic. Planc.* 30. Non quo turpe sit, protectum in acie, hostium manibus eripi. *Caes. B. C.* 5, 96. Tabernacula protecta hedera. *Lucan.* 9, 627. arva nemorum coma. ¶ Absolute *protectum* est pars tecti prominens, extremitas tecti projecta ad removendam pluviam; quae et *projectura* et *projectum* dici potest: quamquam differt protectum a projecto, quia illud dicitur de projectura tecti, hoc de quacumque alia. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 448, 2. et ap. *Mur.* 1755, 2. Protectum antea ollaria sua impensa Dis Manib. fecer. *Ulp. Dig.* 9, 2, 29. Si protectum meum, quod supra domum tuam, et nullo jure habebam, recidisses; et *ib.* 3, 5. *f.* Neque in subgrunda, neque in protecto tabula fuerat picta, *(sed in pergula)*. *Cajus ib.* 47, 7, 6. Protectum immissum habere; et *Pompon. ib.* 43, 25, 15. Precario habere immissa, vel protecta. *Plin.* 17, 12, 18. Protecta vinearum, *h. e.* pergulae vitium. ¶ Translate est celatus. *Just.* 38, 1. *f.* Atque ita risu protectis insidiis, sevocatum ab amicis interficit. ¶ Item defen-

sus. *Lucan.* 2, 85. non ille favore Numinis ingenti Superum protectus ab ira. *Cic. Phil.* 13, 3. Sapientia cautioribus utitur consiliis, in posterum providet, est omni ratione protectior. Alii leg. *tectior.* V. PROTEGO.

PROTECTUS, us, m. pars tecti prominens, ut in v. praec. dictum est. *Scaev. Dig.* 8, 2, 41. Quatenus stillicidii rigor, et tignorum protectus competebat.

PROTĔGO, is, exi, ectum, a. 3. σκεπάζω, idem quod tego, operio, contego. *Virg. G.* 2, 489. ingenti ramorum protegit umbra. Sic *Sen. Ag.* 937. virenti protegat ramo caput. *Caes. B. C.* 1, 25. *f.* Rates ab utroque latere cratibus ac pluteis protegebat; et *ib.* 3, 42. Portus naves a ventis protegit. *Id. B. G.* 5, 43. Scuto aliquem protegere. *Plin.* 31, 11, 47. caput contra solem. *Just.* 33, 2. umbone se. *Gell.* 17, 11. Ἐπιλωτὶς inter edendum bibendumque operit atque protegit τὴν τραχεῖαν ἀρτηρίαν. *Id.* 7, 12. Vestis diffusa ad ulnas cruraque adversus oculos protegenda. *Ov. A. Am.* 2, 613. Ipsa Venus pubem, quoties velamina ponit, Protegitur laeva semireducta manu. ℙ Absolute *protegere* est tectum projicere, seu projecturam in tecto aedium facere. V. PROTECTUS, a, um. *Cic. Top.* 4. *f.* Ex quo in tectum ejus, qui aedes protexisset, aqua defluueret. *Ulp. Dig.* 9, 2, 29. Hic in suo protexit, ille in alieno fecit. *Cajus ib.* 8, 2, 1. Jus projiciendi, protegendive. ℙ Translate est celare. *Vell.* 2, 100. Singularem nequitiam supercilio truci protegens. *Quint. decl.* 8, 1. Parricidii immanitatem metu majore protegere. ℙ Item defendere, tueri. *Cic. Sull.* 18. Tu ornatus exuviis hujus venis ad eum lacerandum, quem interemisti: ego jacentem et spoliatum defendo et protego. *Plin. ep.* 3, 9. *f.* Protexi viros optimos, eosdemque gratissimos, mihi certe debere se praedicant, quod illum turbinem evaserint. *Juven.* 11, 32. seu tu magno discrimine causam Protegere affectas. *Tac. A.* 1, 13. *extr.* Donec Haterius Augustam oraret, ejusque curatissimis precibus protegeretur. *Id. H.* 2, 60. *extr.* Trachalum adversus criminantes Galeria uxor Vitellii protexit. Adde *Imp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 7, 21, 7. ℙ Item prohibere, arcere. *Stat. Silv.* 3, 1, 120. coquitur pars uvida terrae Protectura hiemes, atque exclusura pruinas.

*PROTEIA insula in Aegypto fuit, a Nilo formata. Meminit *Jul. Valer.* 1, 18. *rer. gest Alex. M.* ed. *A. Maio. B. A.*

PROTĔLO, as, a. 1. idem quod propello, longe pello, abigo, propulso. *Festus:* Protelare, longe propellere, ex Graeco τῆλε, quod significat longe. *Donat.* ad *Ter. Ph.* 1, 4, 36. ducit a πρὸ, et ἐλεῖν, ante trahere: alii a *pro*, et *telum:* quasi assiduo telorum jactu prohibere, fugare. *Non.* 4, 349. interpretatur percutere, perturbare. *Sisenn. ib.* Duae cohortes de subsidio procedunt, atque equites protelant. *Id. ib.* Romanos impetu suo protelant: projectos prosequuntur. *Turpil. ib.* Propter peccatum pauxillum indignissime patria protelatum esse saevitia patris. *Ter. l. c.* Ne te iratus suis saevidicis dictis protelet. *Appul. Met.* 8. Hanc ipsam cladem de vestris protelamus manibus. Adde *ib.* 9. et *Auct. argum. Merc. Plautini* 2. ℙ Est etiam in longum trahere, protrahere, producere, extendere. *Ulp. Dig.* 39, 2, 4. Dies cautioni praestitutus si finietur, praetoris erit ex causa vel renovare, vel protelare eam. *Id. ib.* 5, 1, 2. *f.* Protelare admonitionem. *Imp. Just. Cod.* 3, 1, 13. invito judice litem. *Tert. adv. Marc.* 4, 21. Annis quadraginta de manna coelesti sexcenta millia hominum protelavit, *h. e.* vitam eorum produxit ac prorogavit. ℙ Item perducere, pertrahere. *Id. Poen.* 4. Haec te in portum divinae clementiae protelabit. *Id. Spect.* 1. Tanta est vis voluptatum, ut et ignorantiam protelet in occasionem, et conscientiam corrumpat in dissimulationem.

PROTĔLUM, i, n. tractus jumentorum sub jugo continuatus sine interruptione: tenor trahendi: aequabilis progressus, et conatus jugatorum boum non strigantium. *Gloss. Philox.* Protelum, ἕλαμπρον, (ἕλμπρον est funis per jugum tentus, cui alligantur onera trahenda: quod et *helcium*, et *cohum* dicitur: item ipsum jugum.) *Plin.* 9, 15, 17. de siluro pisce: In Moeno Germaniae amne protelis boum, et in Danubio marris extrahitur. *Id.* 18, 18, 48. Protelis binis ternisque sic arant. ℙ Adhibetur praecipue in ablativo sing., habetque vim similem v. *protinus*, qua continuitatem significat. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 349. Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri Ducere protelo validis cervicibu' possent. *Cato ib.* Sed protelo trini boves unum aratrum ducent. *Lucil ib.* Hunc juga mulorum protelo ducere centum Non possunt. ℙ Translate. *Lucr.* 2, 531. Undique protelo plagarum continuato, *h. e.* impulsu, tenore; et 4, 190. Et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur, *h. e.* perpetua et continua serie unus splendor excitat alium. *Catull.* 56, 6. hunc ego, si placet Dionae, Protelo rigida mea cecidi, *h. e.* in continenti, protinus, unoque tenore: συντόνως: alii leg. *pro telo.* V. RIGIDUS.

PROTENDO, is, di, tum, a. 3. προτείνω, ultra tendo, in anteriorem partem extendo, profero. *Petr. Sat.* 17. *f.* Protendo ad genua vestra supinas manus, petoque, et oro, ne, etc. *Catull.* 64, 127. Protendere aciem (*oculorum*) in aestus pelagi. *Virg. A.* 11, 606. hastasque reductis Protendunt longe dextris. *Ov. Met.* 14. Brachia in mare protendens. *Tac. A.* 15, 67. Fortiter protendere cervicem. *Id. H.* 3, 68. Filium protendens, modo singulis, modo universis commendans. *Plin.* 9, 32, 51. Cochleae bina ceu cornua protendentes, contrahentesque. *Id.* 11, 43, 99. Inter digitos medius longissime protenditur. *Id.* 6, 16, 18. Ab hujus excelsis per juga Caucasi protenditur ad Bactros usque gens Mardorum. *Sen. Phoen.* 12. praerupta protendit juga Cithaeron. *Pl. fragm.* ap. *vet. Interpr. Hor.* ad *Sat.* 1, 6, 22. Anus haec in pellis periculum protenditur, *h. e.* inflatur, distenditur vino. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Licet autem, eadem vi manente, utramvis partem in plura verba protendere, ut si pro Apulejo dicas philosophum Platonicum Madaurensem. ℙ Significat etiam quantitatem syllabae producere. *Gell.* 2, 17. *In*, et *con* praepositiones tunc produci atque protendi, cum, etc. Adde 4, 17. ℙ Protendere comitia in mensem Januarium. *Cic. Fam.* 10, 26. *extr.*, ubi plerique alii leg. *protrudere.*

[PROTĔNOR, ōris, m. Προτήνωρ (a πρῶτος, primus, princeps, et ἀνήρ, vir), nomen viri ab Hypseo in Pirithoi nuptiis occisi. *Ov. Met.* 5, 98. Protenora perculit Hypseus. *Protenora* est accusativus Graecae positionis. *F.*]

PROTENSIO, onis. V. PROTASIS.

PROTENTĀTUS, a, um, part. ab inus. *protento*, pertentatus, exploratus. *Avien. Arat.* 285. ceu Siriaco torretur spica calore, Protentata manu.

PROTENTUS, a, um, part. a *protendo:* porrectus, extensus. *Tac. A.* 14, 37. Eques protentis hastis perfringit quod obvium et validum erat. *Virg. G.* 1, 171. pedes temo protentus in octo. *Lucan.* 9, 673. Defenduntque caput protenti crinibus hydri. *Avien. Perieg.* 597. Delphica quin etiam miscet confinia Phocis, Lucis in exortum protentior. *Solin.* 30. Dimidio eorum protentior, quam nostra vita est.

PROTĒNUS. V. PROTINUS.

PROTERMĪNO, as, a. 1. παρεκτείνω, propago, fines promoveo. *Appul. Met.* 9. Fines usque et usque proterminaveris. *Sidon. ep.* 3, 1. *f.* Possessionis metas in Rhodanum Ligerimque proterminant.

PROTĔRO, is, trivi, tritum, a. 3. καταπατέω, pedibus calco, obtero, conculco. *Pl. Truc.* 2, 2, 13. Nisi abis actutum, ego hic te, mulier, quasi sus catulos, pedibus proteram. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 128. vitula, quae nondum pedibus proterit arva. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 14. Ejusdem culpae homines elephantis proterendos substravit. *Id.* 1, 7. *extr. n.* 1. Proterens quidquid obvium fuerat. *Val. Fl.* 6, 522. Proterit impulsu gravis agmina, corporaque atris Sternit equis. *Virg. A.* 12, 330. agmina curru Proterit. *Stat. Th.* 8, 547. ulmus labens proterit uvas. *Ov. Met.* 2, 791. de Invidia: Quacumque ingreditur, florentia proterit arva, Exuritque herbas. *Caes. B. C.* 2, 41. Equitatus hostium circuire aciem nostram, et aversos proterere incipit. *Hor. Od.* 3, 5, 34. Et Marte Poenos proteret altero; et *Cic. Fl.* 22. *extr.* Sin istum semper ipsi domi proterendum esse, et conculcandum putaverunt, etc. *Auct. ad Her.* 4, 53. Eam urbem patiemini nunc ab homunculis deterrimis proteri atque conculcari? *Ov. Trist.* 3, 11, 25. quid inanem proteris umbram? Quid cinerem saxis, bustaque nostra premis? *Hor. Od.* 4, 7, 9. Ver proterit aestas. ℙ Exterere. *Pl. Men.* 1, 1, 9. Tum compediti januam lima proterunt.

PROTERRĔO, es, ui, itum, a. 2. διαφοβέω, terrendo abigo, fugo, absterreo. *Ter. Heaut.* 3, 1, 37. Filium proterruisti hinc. *Virg. A.* 12, 291. Tyrrhenum Aulesten adverso proterret equo. *Stat. Th.* 2, 645. jaculo parmaque Menoeten Proterrebat agens. *Appul. Met.* 3. Latrones fugare, atque proterrere; et *ib.* 8. Ardentibus facibus proterrere feras.

PROTERRĪTUS, a, um, part. a *proterreo:* terrendo ejectus, expulsus. *Pl. Trin.* 3, 2, 77. Mea opera hinc proterritum te autument. *Caes. B. G.* 5, 58. Proterritis hostibus, atque in fugam conjectis. *Cic. de re publ.* (ed. *A. Maio*) 1, 3. Themistoclem patria pulsum atque proterritum. *B. A.*

PROTERVĒ, adv. ἀσελγῶς, ἀκολάστως, petulanter, superbe, immoderate, improbe. *Pl. Truc.* 2, 2, 1. Quis illic est, qui tam proterve nostras aedes arietat? *Ter. Hec.* 3, 5, 53. Tu quoque proterve iracundus es. Ubi *Donat.* immoderate, superbe: dictum est ideo, quod proterat alium qui protervus est. *Id. Heaut.* 4, 4, 1. Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt. *Ov. Am.* 1, 4. 45. Multa miser timeo, quia feci multa proterve. *Id. A. Am.* 1, 599. Ut, quidquid facies, dicesve protervius aequo, Credatur nimium causa fuisse merum. *Aug. C. D.* 5, 22. In nostram religionem protervissime insiliunt. ℙ Videtur quodammodo in bonam partem sumi in illo *Pl. Amph.* 2, 2, 206. Quae non deliquit, decet audacem esse, confidenter pro se, et proterve loqui.

PROTERVĬA, ae, f. ἀκολασία, ἀσέλγεια, petulantia, improbitas, protervitas. *Auson. Idyll.* 10, 172. Capripedes agitat cum laeta protervia Panas. *Id. Perioch. Odyss.* 22. Procorum protervia. ℙ *Proterviam facere.* V. PROPTER.

PROTERVĬO, is, n. 4. ἀκολασταίνω, petulanter ago, lascivio. *Tert. Pat.* 12. *f.* Dilectio non inflatur, non protervit.

PROTERVITAS, atis, f. idem ac protervia, sed magis usitatum: petulantia, procacitas, lascivia, insolens impudentia. *Cic. Coel.* 12. De corruptelis, de adulteriis, de protervitate, de sumptibus immensa oratio est. *Hor. Od.* 1, 19, 7. Urit me Glycerae nitor, Urit grata protervitas. *Ter. Heaut.* 4, 6, 10. Quam paene tua me perdidit protervitas. Ubi *Calpurn.* Protervitas est levior quaedam contumelia; procacitas, major; petulantia, maxima. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 405. et ap. *Fest.* in *Redhostire:* Nisi coerceo protervitatem. Ap. *Festum* legitur *protervitates.*

PROTERVĬTER, adv. idem ac proterve. *Enn.* ap. *Non.* 11, 28. Quis est, qui nostris foribus tam proterviter? subaudi *insultat. Prisc.* quoque 15, 1010. hujus adverbii facit auctorem *Ennium.*

PROTERVUS, a, um, adj. ἀσελγής, ἀκόλαστος, petulans, procax, improbus, et qui lasciviae causa neminem veritus, quaeque sibi obstantia quasi pedibus *proterit:* ut faciunt tauri (inquit *Donat.* ad *Ter. Hec.* 3, 5, 53.) ruentes in admissuram. Includit itaque in lascivia et petulantia superbiam, et contemptum aliorum. Alii ducunt a *pro* et *torvus*, quod a *terreo* esse videtur. [*De discrimine inter h. v. et *procax* et *petulans* v. in h. v.] *Pl. Bacch.* 4, 3, 1. Petulans protervo, iracundo animo sum. *Cic. Fin.* 5, 12. Flexi fractique motus, quales protervorum hominum esse solent, contra naturam sunt. *Id. Coel.* 16. *extr.* Si vidua libere, proterva petulanter, dives effuse, libidinosa meretricio more viveret. *Just.* 30, 2. Meretrix protervior. *Ov. Her.* 5, 136. Satyri, turba proterva. *Hor. Od.* 1, 25, 2. Parcius junctas quatiunt fenestras Ictibus crebris juvenes protervi; et *ib.* 3, 14. *f.* rixae protervae; et *ib.* 2, 5, 15. proterva fronte petet Lalage maritum. *Ov. Her.* 17, 77. me spectas oculis, lascive, protervis. *Stat. Silv.* 5, 5, 67. doctumve sui convicia Nili Infantem, linguaque simul, salibusque protervum. *Ov. R. Am.* 362. Musa proterva, *h. e.* lasciva. *Sen. Hippol.* 200. de Cupidine: Proterva tenera tela molitur manu. *Id. ib.* 268. Protervus furor, *h. e.* amor novercae in privignum. ℙ Dicitur et de aliis rebus, ubi nulla est turpis libido. *Hor. Od.* 1, 26, 2. et *Epod.* 16, 22. et *Ov. Her.* 11, 14. Venti protervi. *Ov. Am.* 2, 16, 4. Et micet Icarii stella proterva canis. *Id. Met.* 5, 671. Protervas manus intentare: *scil.* pulsandi causa. *Id. de nuce* 116. me Missa petunt avida saxa proterva manu. *Mart.* 11, 54. Proterva manus, *h. e.* furax. *Id.* 10, 9. Sal protervum, *h. e.* facetiae mordaces. Sic *Ov. Ib.* 524. Proterva lingua, *h. e.* maledica; et *Trist.* 5, 6, 26. Proterva dicta dicere in aliquem. ℙ [*Proterva* est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 408. *n.* 333. Cornelia Ɔ. L. Proterva. *F.*]

PROTĒSĪLĀEUS, a, um, adj. Πρωτεσιλάειος, ad Protesilaum pertinens. *Catull.* 68, 73. Conjugis ut quondam flagrans advenit amore Protesilaeam Laodamia domum.

PROTĒSĪLĀODĀMĪA, ae, f. nomen tragoediae Livii Andronici, ex qua testimonium citat *Gell.* 12, 10. Alii tamen rectius divisim leg. *Protesilao, seu Laodamia.*

PROTĒSĪLĀUS, i, m. Πρωτεσίλαος, filius Iphicli, fortasse illius, qui frater Herculis nominatur, ex Phylace oppido Thessaliae, unus ex Graeciae principibus, qui ad bellum Trojanum profecti sunt. Vulgo tradunt, non sine omine quodam, et futurae mortis praesagio sic appellatum videri, a πρῶτος, primus, et λαὸς, populus, quod primus Graecorum in Trojana expeditione periturus erat. Huic enim a vatibus praedictum fuit, primum occisum iri, si ad bellum Trojanum proficisceretur. Nonnulli dicunt, oraculum ab Apolline Delphico editum fuisse, et quidem generatim, qui primus Graecorum ex navibus descenderet, eum periturum. Contemptis nihilominus vaticiniis, navigavit in Troadem cum ceteris ducibus. Cum igitur primus ex navibus in litus prosiliisset, ab Hectore est interfectus, qui cum agmine Trojanorum Graecis obviam venerat. Habuit uxorem Laodamiam Acasti filiam, quae cum viri interitum rescisset, in solatium moeroris optavit, ut mortui umbram videret, quod cum impetrasset, in illius amplexibus exspiravit. *Hyg. fab.* 103. et 104. (ubi paulo aliter de Laodamia narrat) et 251., *Ov. Met.* 11, 67. et *Prop.* 1, 19, 10. V. etiam *Ov. Her.* 13., ubi 84. Bella gerant alii, Protesilaus amet.

[PROTESTĀTIO, onis, f. actus protestandi. *Symm. ep.* 1, 56. Alia est enim protestatio amoris, alia linguae ostentatio. *F.*]

[PROTESTĀTUS, a, um, part. a *protestor*, qui protestatur. *Appul. Met.* 10. Mulier magno fidem praesidis protestata clamore. *F.*]

PROTESTOR, aris, atus sum, dep. 1. διαμαρτύρομαι, testis sum, palam testor. *Macr. Sat.* 1, 17. *f.* Floris species florem rerum protestatur. *Justin. proem. Instit.* Bellicos sudores nostros innumerae provinciae ditioni Romanae additae protestantur. ℙ Profiteor. [*Quint. decl.* 4, 21. Praedico, protestor: non ego parricidium faciam. *Front. de nep. am.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2. *med.* Quae mihi conscius sum, protestabor: nihil in longo vitae meae spatio a me admissum, quod dedecori, aut probro, aut flagitio fo-

ret. *F.*] *Ulp. Dig.* 11, 7, 14. *med.* Quippe protestantur, pietatis gratia id se facere. Adde *Paul. ib.* 3, 5, 33. *med.* ℙ Olim et *protesto, as*, activa positione dictum est, teste *Prisc.* 8, 799.

PROTEUS, i, m. disyl. *Πρωτεύς*, filius Oceani et Tethyos, quem in fabulis est, Deum marinum fuisse, Neptuni phocas in mari pascere consuevisse, vatem praestantissimum fuisse, sed non nisi ligatum, sive coactum vera dedisse responsa: denique in varias sese formas vertere solitum, ut nunc animal, quandoque arbor, aut ignis, aut quid aliud videretur. Aliqui eundem esse credunt atque Vertumnum, quem ajunt captum amore Pomonae in omnigenam speciem se variasse. *Serv.* ad *G.* 4, 387. auctor est, Proteum aliquando in Carpatho insula regnasse, Pallene urbe Thessaliae relicta, ad quam tamen postea reversus est. Alii, ex quibus *Herodot.* 2, 112., malunt, regem Aegypti fuisse, patria Memphiten, peritum fuisse omnium artium, et Pheroni successisse. *Hyg.* quoque *fab.* 118. senem Aegyptium marinum fuisse dicit. *Ov. Met.* 8, 730. Sunt quibus in plures jus est transire figuras: Ut tibi, complexi terram maris incola, Proteu. Nam modo te juvenem, modo te videre leonem: Nunc violentus aper, nunc, quem tetigisse timerent, Anguis eras: modo te faciebant cornua taurum: Saepe lapis poteras, arbor quoque saepe videri. Interdum faciem liquidarum imitatus aquarum, Flumen eras: interdum undis contrarius ignis. Adde *A. Am.* 1, 761., *Fast.* 1, 367., *Virg. G.* 4, 387. et sqq. et *Sil.* 7, 420. et sqq. ℙ Hinc Graecum proverb. *Πρωτέως ποικιλώτερος*: notatque hominis inconstantiam, ut ap. *Hor. Ep.* 1, 1, 90. Quo teneam vultus mutantem Protea nodo? Item astutiam, vaframque naturam, ut *Id. Sat.* 2, 3, 71. Effugiet tamen haec sceleratus vincula Proteus. ℙ In gen., Graeca positione. *Lucan.* 10, 510. de Pharo: insula quondam In medio stetit illa mari, sub tempore vatis Proteos: at nunc est Pellaeis proxima muris.

*PROTHĒON, onis, m. *Προθέων*, unus ex quinquaginta Aegypti filiis. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

[PROTHĒOREMA, ătis, n. *προθεώρημα*, praevium theorema. *Capell.* 2, 35. In aliis (*voluminibus*) circuli, lineaeque, hemisphaeriaque cum trigonis et quadratis, multiangulaeque formae protheorematum vel elementorum diversitate formatae. *F.*]

PROTHĒSIS. V. PROSTHESIS.

*PROTHOUS vel Prothoos, i, m. Teuthredonis filius, Magnesius, cum navibus XL. ad Trojam expugnatum ivit. *Hyg. fab.* 97. *B. A.*

PROTHYMĒ, adv. *προθύμως*, libenter, prompto alacrique animo. Vox Graeca. *Pl. Ps.* 5, 1, 23. Hoc ego modo, atque herus minor hunc diem sumpsimus prothyme.

PROTHYMIA, ae, *προθυμία*, libentia, alacritas, prompta voluntas. Vox Graeca. *Pl. Stich.* 4, 2, 52. Vides, ut annona est gravis! Vides, benignitates hominum ut periere, et prothymiae! et 5, 2, 9. O Dii immortales, quot ego voluptates fero! quot risiones, quot jocos, saltationes, blanditias, prothymias! [*M. Aurel.* ad *Front. ad M. Caes.* (ed *A. Maio*) 2, 5. *méd.* At ego quamquam superatus, nihil de mea prothymia decessero, ut defecero. *F.*]

[PROTHYMUS et Prothumus, i, m. *πρόθυμος*, alacer, promptus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1757, 8. Cn. Turullius Cn. L. Prothymus. Alia ap. *Fabrett.* p. 178. *n.* 364. L. Alfius L. L. Prothumus. *F.*]

PROTHYRIS, idis, f. V. ANCON, onis, m.

PROTHYRUM, i, n. *πρόθυρον*. V. DIATHYRUM.

PROTĪNAM, adv. idem ac protinus. *Varr. L. L.* 6, 6. *Ter. Phorm.* 1, 4, 13. Aliquid convasassem, atque hinc me conjicerem protinam in pedes. Ubi *Donat.* monet, etsi in vulgatis sit *protinus*, tamen rectum esse *protinam*, ac sic legisse *Nigidium*. Citat et hoc pacto *Paul.* ex *Festo* in *Protinam*, qui et ipse *protinus* exponit. *Pl. Curc.* 2, 3, 84. Ostium ubi conspexi, exinde me illico protinam dedi. (V. PROTINUS.) Adde *Cas.* 5, 3, 13., *Bacch.* 3, 1, 7., *Pers.* 4, 5, 8. et *fragm.* ap. *Non.* 4, 384., item *Naev. ib.* et ap. *Varr. l. c.* ℙ Legitur et *protenam*.

[PROTĪNĔO, es, a. 2. ante teneo. *Not. Tir.* p. 10. Tenet, pertinet, protinet, sustinet. *F.*]

PROTĪNIS et Protenis, protinus. *Afran.* ap. *Non.* 4, 384. Tunc protinis recta domum digredimur.

PROTĪNUS, adv. [*Compos. est ex *pro* et *tenus*, significatque proprie porro tenus, prorsum ante, nostr. *fürder*. Huc pertinent, quae Noster in *f.* posuerat:] *Cic. Div.* 1, 24. Praecepisse, ut pergeret protinus: quid retro atque a tergo fieret, ne laboraret. *Virg. Ecl.* 1, 13. ipse capellas Protinus aeger ago, *h. e.* ante me ago procul hinc. Eadem ratione et *protinam* adhibetur. *Pl. Curc.* 2, 3, 84. Ostium ubi conspexi, exinde me illico protinam dedi. *Non.* 4, 384. hunc locum afferens, subdit: quasi in longam fugam. *Naev. ib.* Ubi vidi, exanimabiliter timidis pedibus protinam me dedi, *h. e.* longius fugi, inquit *Nonius:* qui similiter intelligendum putat illud *Virg. A.* 7, 513. cornuque recurvo Tartaream intendit vocem, qua protinus omne Contremuit nemus, *h. e.* longe porro; ℙ [*Hinc est] *συνεχῶς*, continuate, et sine ullius rei interpositione: et refertur ad locum, cum scilicet duae res nihil habent intermedium, et se contingunt. *Virg. A.* 3, 414. Haec loca vi quondam, et vasta convulsa ruina Dissiluisse ferunt, cum protinus utraque tellus Una foret. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* A capite porticus triclinium excurrit: valvis xystum desinentem, et protinus pratum, multumque ruris videt fenestris. *Tac. G.* 43. *f.* Trans Lygios Gothones regnantur, etc. protinus deinde ab Oceano Rugii, et Lemovii. ℙ Item ad tempus. *Sisenn.* ap. *Non.* 4, 384. Ut protinus procedundo, posset intra fines Salapiorum pervenire. *Id. ib.* Postero die per incertas vias Aeserniam, inde Romam protinus profugerant. *Tubero ib.* Si quid a parentibus acceptum protinus antiquae memoriae tradiderunt. *Virg. A.* 10, 339. trajecto missa lacerto Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem; et *ib.* 9, 337. felix, si protinus illum Aequasset nocti ludum, in lucemque tulisset! et *ib.* 8, 157. Nam memini Hesionae visentem regna sororis Laomodentiaden Priamum, Salamina petentem, Protinus Arcadiae gelidos invisere fines. *Suet. Aug.* 38. Liberis senatorum, quo celerius reipubl. assuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, et curiae interesse permisit. Al. leg. *protinus virili togae latum clavum*, etc.: al. *virilem togam, ac latum*, etc.: quidam *protinus a virili toga latum*, etc. *Pl. Ps.* 2, 1, 13. Post ad oppidum hoc vetus continuo mecum exercitum protinus obducam; *pleonasmus.* ℙ Item ad ordinem, cum una res post aliam sine ulla interpositione succedit, deinceps. *Virg. G.* 4, 1. Protinus aerii mellis coelestia dona Exsequar. *Hor. Ep.* 2, 18, 67. Protinus ut moneam, *h. e.* ut porro pergam monere. ℙ Item ad personam, cum quis non per alium, sed per se quippiam facit, *αὐτόως*. *Ulpian.* Etenim parvi refert, protinus libertus patrono cogatur dare, an per interpositam fidejussoris, vel rei personam. Ita *Thes. L. L.* ex *Budaeo, Scardius*, et alii. *Id. Dig.* 14, 6, 9. Videri pecuniam a donatore profectam protinus ad creditorem, et fieri nummos accipientis. ℙ Universim est statim, illico, *αὐτίκα*. *Caes. B. G.* 2, 9. Hostes protinus ex eo loco ad flumen contenderunt. *Hor. Sat.* 2, 5, 21. tu protinus, unde Divitias, aerisque ruam, dic, augur, acervos. *Manil.* 1, 811. ignes euntes protinus et raptim. *Cic. Inv.* 1, 15. Principium est oratio perspicue et protinus perficiens auditorem benevolum, *h. e.* statim a principio. Sic *Vell.* 2, 94. Qui protinus quantus est, sperari potuerat. ℙ Sequente *a*, vel *ab, ut, cum, quam*, statim post, statim ac. *Plin.* 20, 21, 84. Protinus a partu; et *Vell.* 2, 104. Protinus ab adoptione. *Cels.* 7, 26. *n.* 5. Id protinus ab ipsa curatione faciendum est. *Id.* 5, 26. *n.* 26. Protinus ut percussus est aliquis; et *Val. Max.* 5, 4. *n.* 4. Protinus ut e Capitolio descendit. *Plin.* 18, 17, 44. *n.* 2. In flore, aut protinus cum defloruere. *Id.* 10, 28, 40. Protinus intereunt, quam litatum est ei Deo. *Id.* 15, 17, 18. *n.* 4. Protinus quam detraxere vitibus. ℙ *Protinus ac, atque*, statim ac. *Solin.* 46. *f.* Protinus atque poma ejus deciderunt maturitate. ℙ *Non protinus*, non continuo, non ideo. *Quint.* 10, 1. Non autem, ut quidque praecipue necessarium est, sic ad efficiendum oratorem maximi protinus erit momenti. ℙ Scribitur et *protenus:* quod a *Serv.* ad *c. l. Virg.* et a *Capro de Orthogr.* 2243. ita distinguitur a *protinus*, ut per *e* referatur ad locum, per *i* ad tempus. Verum id discrimen non observatur in antiquis et optimae notae codicibus, ut *Pier.* quoque agnoscit ad *cit. Ecl.* 1.

[PROTĬO, onis, m. dimin. primulus: a *πρῶτος*, primus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1134, 4. L. Arrius Logismus fecit Arrio Protioni amico. *F.*]

*PROTO, us vel onis, f. *Πρωτώ*, Nympha marina, Nerei Doridisque filia. *Hyg. fab. praef. B. A.*

PROTOCOMĬUM, ii, n. *πρωτοκόμιον*, prima coma, vel locus ubi coma incipit. *Veg. Vet.* 2, 11. *f.* Caput et tempora sub ipso protocomio inuris. Alii rectius leg. *procomio*, a *προκόμιον*, anterior coma. *Sic ed. *Gesner.*, ubi *Schneiderus* legit *procomio*, ex Graeco *προκόμιον*. *B. A.*

[PROTOCTĒTUS, i, m. primo acquisitus famulus: a *πρῶτος*, primus, et *κτητὸς*, acquisitus, emptus. Est nomen proprium servile. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 293. *n.* 240. Protoctetus Aug. dispensator. *F.*]

*PROTODĀMAS, antis, m. *Πρωτοδάμας*, unus ex Priami filiis. *Hyg. fab.* 90. *B. A.*

PROTOGĒNES, is, m. *Πρωτογενής*, pictor praestantissimus, ex Cauno urbe Rhodiorum. Tabularum ejus palmam habet Ialysus, quem cum pingeret, traditur madidis lupinis vixisse, quoniam simul famem sustinerent et sitim, ne sensus nimia dulcedine obstrueret. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 20., *Quint.* 12, 10. et *Gell.* 15, 31. *Petr. Sat.* 83. Protogenis rudimenta cum ipsius naturae veritate certantia.

*PROTOGĒNIA vel Protogenēa, ae, f. *Πρωτογένεια*, filia Deucalionis ex Pyrrha uxore. *Hyg. fab.* 155. *B. A.*

[PROTOGĒNĬUS, a, um, adj. primigenius, ad primogenitum pertinens; *πρωτογενὴς* enim primogenitum significat. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 90. *n.* 178. Volusia Q. F. Protogenia. *F.*]

PROTOLLO, is, a. 3 *μηκύνω*, differo, protraho. *Pl. Cas.* 2, 8, 11. Protollo mortem mihi; et 3, 5, 43. Neque viri vitam sinere in crastinum protolli. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 693. Si non amplius, ad lustrum hoc protolleret unum. *Gell.* 3, 16. *med.* Neque ultra decimum mensem fetura mulierum protolli potest. V. aliud in MAGMENTUM. ℙ Ponitur et pro ultra tollere, sive extendere. *Pl. Ps.* 3, 2, 71. Manum si protollet, et pariter proferto manum. *Avien. Arat.* 567. Pleiadas femoris pariter sub fine sinistri Perseus protollit, *h. e.* attollit, extollit.

PROTOMĀGISTER, tri, m. primus magister: vox hybrida. Habetur in Tab. Fratrum Arvalium ap. *Grut.* 121, 2., at ibi legendum est *promagister:* ita enim ibidem legitur, teste *Marin. Frat. Arv.* p. 495., qui lapidem vidit.

PROTOMĒDĬA, ae, f. *πρωτομηδία;* nomen herbae, de qua *Plin.* 24, 17, 102. Hestiatorida a convictu in Perside nominari, quoniam hilarentur illa: eandem protomediam, qua primatum apud reges obtineant.

PROTOMYSTĀ, ae, m. *πρωτομύστης*, primus mysta, praecipuus inter mystas. *Sidon. ep.* 2, 9. *med.* Cur a quibusdam protomystarum improbaretur.

PROTONAT, abat, impers. 1. *προβρονταῖ*, ante tonat. *Val. Fl.* 4, 205. sed tali protonat ira.

PROTOPLASTUS, a, um, adj. *πρωτόπλαστος*, qui primo fictus, seu formatus est: a *πρῶτος*, primus, et *πλάσσω*, fingo. *Protoplasti* (scilicet *homines*) dicuntur primi parentes Adam et Heva a *Tert. Exhort. ad castit.* 2. *f.* et *adv. Jud.* 13. *med.* ℙ Perperam primam vocalem corripiunt *Orient. Commonit.* 2. Per pomum, protoplaste, cadis; et *Alcim.* 2, 35. His protoplastorum sensum primordia sacra Continuere bonis.

PROTOPRAXĬĀ, oe, f. *πρωτοπραξία*, prima actio, hoc est jus exigendi ante alios pecunias a debitoribus, privilegium, quo quis ceteris creditoribus anteponitur: a *πρῶτος*, primus, et *πρᾶξις*, exactio. *Plin. ep.* 10, 109. Ego inveni a plerisque proconsulibus concessam eis protopraxian, eamque pro lege valuisse. V. PRIVILEGIUM.

PROTOSĔDĔO, es, n. 2. vox hybrida, a Graeco *πρῶτος*, primus, et Latino *sedeo. Tert. Cor. mil.* 15. Protosedent et presbyteri coronati. Lectio vitiosissima: plerique rectius leg.: *Alius (angelus) Iridis ambitu ornatur coelesti prato. Sedent et presbyteri coronati.*

PROTOSTĀSĬĀ. V. PROSTASIA.

PROTOTŌMUS, a, um, adj. *πρωτότομος*, qui est primae sectionis: a *πρῶτος*, primus, et *τομή*, sectio. *Caules prototomi*, qui primi in brassica vere secantur: teneriores proinde et suaviores, qui et *cymae* vocantur. De his *Plin.* 19, 8, 41. *n.* 1. Brassica cymas a prima sectione praestat proximo vere. Hic est quidam ipsorum caulium delicatior teneriorque cauliculus, etc. Post cymam ex eadem brassica contingunt aestivi autumnalesque cauliculi, mox hiberni, iterumque cymae. *Colum.* 10, 129. de brassica: Frigoribus caules, et veri cymata mittit; et *ib.* 369. Sed jam prototomos tempus decidere caules. *Mart.* 14, 101. cujus lemma *Boletarium.* Cum mihi boleti dederint tam nobile nomen, Prototomis, pudet heu! servio coliculis; et 10, 48. Et faba fabrorum, prototomique rudes.

PROTOTYPĬA, ae, f. *πρωτοτυπία*, vox Graeca, a *πρῶτος*, primus, et *τύπος*, forma: cujus mentio fit ab *Imp. Constant. Cod. Theod.* 6, 35, 3. et ab *Imp. Julian. ib.* 11, 23, 2. Munus fuit et officium, quod occupabatur circa tironum praestationem, ita quidem ut qui eo fungeretur, aestimaret, seu pretium statueret, quod loco tironum inferendum erat, atque ita formam daret. V. *Gothofredi* adnot. ad postremum hunc *l. c.*

[PROTOTYPUS, a, um, adj. *πρωτότυπος*, primitivus. *Marius Victorin.* 2552. Haec sola duo metra (*dactylicum* et *iambicum*) possunt prototypa dici, et omnium metrorum elementa. *F.*]

*PROTRACTE, adv. *Sarish.* 2, 26. Protractius derideri. *B. A.*

PROTRACTĬO, onis, f. actus protrahendi, productio. *Macrob. Somn. Scip.* 1, 12. A puncto nascitur linea, et in longum ex individuo procedit: ibique a puncto suo, quod est monas, venit in dyadem, quae est prima protractio.

PROTRACTUS, a, um, part. a *protraho*, in aliquam partem tractus. *Cels.* 7, 21. *n.* 2. Deinde si inguen incisum est, eo protractis tunicis, humor effundi debet. ℙ Translate eductus. *Quint. decl.* 4, 14. Vultus ex rudi caligine protractus. *Val. Max.* 3, 8. *n.* 6. Portentum tenebris protractum. ℙ Item detectus, patefactus. *Id.* 2, 5. *n.* 3. Matronae unius ancillae indicio protracta. ℙ Item dilatus. *Suet. Aug.* 17. In serum dimicatione protracta. ℙ Item redactus. *Pl. Trin.* 1, 2, 72. Ad paupertatem protractus.

[PROTRACTUS, us, m. idem ac protractio. *Inscr.* ap. *Amadut. Anecd. litt.* T. 2. p. 480. Et longis protractibus .... malorum vici. *F.*]

PROTRĀHO, is, axi, actum, a. 3. *παρέλκω*, in medium traho, pertraho, produco. *Virg. A.* 2, 122. Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu Protrahit in medium; et *ib.* 8, 265. de Caco: pedibusque informe cadaver Protrahitur. *Prop.* 3, 16, 25. Ille licet ferro cautus se condat et aere, Mors tamen inclusum protrahit inde caput. *Cic. Verr.* 2, 4, 10. *f.* Hinc in convivium Sex. Cominium protrahi jussit. *Id. Phil.* 1, 9. Ad operas mercenarias statim protra-

hi. *Pl. Merc.* 4, 4, 58. Me istam capillo protracturum esse in viam, nisi, etc.; et *Tac. H.* 4, 27. Protrahere aliquem e tentorio. *Suet. Ner.* 53. Si qua paria *(athletarum)* longius recessissent, in medium manibus suis protrahens. ℙ Translate. *Lucr.* 4, 1182. Quippiam protrahere in lucem; et 5, 1387. quidquid paulatim protrahit aetas In medium, ratioque in luminis eruit oras; et *ib.* 1030. ipsa videtur Protrahere ad gestum pueros infantia linguae. Sic *Liv.* 33, 28. *med.* Quem indicem Pisistratus timens, eo ipso timore ad indicium protraxit. ℙ Pro extrahere, usurpat *Cels.* 7, 12. *n.* 1. Specillo conquirenda est testa, quae recessit, et vulsella protrahenda est. ℙ Et in aliquam partem trahere. V. *ejusd. l. c.* in PROTRACTUS, a, um. ℙ Interdum est revelare, patefacere, publicare, prodere. *Liv.* 45, 5. *med.* Suberat et ille metus, ne damnatus auctorem se nefandi facinoris protraheret. *Ov. Trist.* 3, 4, 71. Nec meus indicio latitantes versus amicos Protrahet. *Liv.* 27, 3. Novum in occulto gliscens per indicium protractum est facinus. *Vell.* 2, 92. Cum protraxisset publicanorum fraudes, punisset avaritiam. ℙ Item differre, ἀναβάλλεσθαι. *Suet. Ner.* 32. Stipendia militum protrahere ac differre. *Id. Caes.* 52. Convivia in primam lucem protrahere. *Id. Ner.* 27. epulas a medio die ad mediam noctem; et *ib.* 33. *f.* Venenum in haedo expertus, is quinque horas protraxit, scil. vitam. ℙ Pro augere. *Val. Max.* 1, 4. *n.* 8. Ut rapacissimi victoris insolentiam dicti tumore protraheret. Alii leg. *pertraheret.* ℙ Et extendere. *Ulp. Dig.* 45, 1, 1. *f.* Utrum hoc usque ad Graecum sermonem tantum protrahimus, an vero et ad alium, Poenum forte, vel Assyrium, dubitari potest. ℙ *Protraxtis* syncop. pro *protraxistis*, ap. *Sil.* 16, 84. protraxtis ad arma Quod profugos, satis est. ℙ *Protraxe*, protraxisse V. PROGRAXE.

PROTREPTICUM et Protrepticon, i, n. προτρεπτικόν, tractatus, syntagma, liber, carmen exhortationem et monita continens: a προτρέπω, adhortor, monitis impello. Ita *Protrepticon* inscribitur ap. *Statium* silva 2. libri quinti. *Trebell. Salonin. Gall.* 2. Nec ignota esse arbitror quae dixit M. Tullius in Hortensio, quam ad exemplum protreptici scripsit. *Auson. epist. praefixa Idyll.* 4. Libellus, quem ad nepotulum meum instar protreptici luseram. Adde *Sidon. ep.* 1, 25. (al. 31.)

[PROTRICO, as, a. 1. porro trico. *Not. Tir.* p. 150. Tricat, retricat, protricat. *F.*]

PROTRIMENTUM, i, n. ἐπίτριμμα, edulium minutim tritum, concisumque, qualia etiam hodie in pulmentariis plurima concinnant ex carnibus frustillatim concisis, intrimentum: a *proterendo. Appul. Met.* 8. *f.* Et accuratius in protrimentis sapidissime coctum.

PROTRITUS, a, um, part. a *protero: καταπριβείς*, pedibus tritus, conculcatus, calcando corruptus. *Liv.* 34, 26. Quod maturi erat circa, demessum et convectum est: viride, ne hostes haberent, protritum et corruptum. *Stat. Th.* 12, 656. virides gravis ungula campos Mutat, et innumeris peditumque equitumque catervis Exspirat protritus ager. *Tac. H.* 2, 70. Protritis arboribus, ac frugibus, dira vastitas; et *ib.* 26. Protrita hostium acies. Sic *Auct. B. Hisp.* 14. Aliquot turmae loco sunt dejectae et protritae. ℙ Translate est usitatus, translaticius, vulgo frequentatus. *Gell.* 5, 21. Qui perpauca, eademque a vulgo protrita legerat, *h. e.* usurpata saepius, nota, vulgata. *Id.* 12, 2. Senecae oratio videtur vulgaris et protrita. *Id. ib.* 4. *med.* Verba proculcata vulgo, et protrita.

PROTROPUM, i, n. πρότροπον, genus potus, idest mustum, antequam uvae calcentur, a προτρέπω, praeverto, quod calcaturam, et prelum praevertat sponte effluendo. *Plin.* 14, 9, 11. Sed inter haec genera potuum ponere debeo et protropum: ita appellatur a quibusdam mustum sponte defluens, antequam calcentur uvae. V. LIXIVUS et PROTYRUM.

PROTRUDO, is, si, sum, a. 3. προωθέω, porro, sive ultra trudo, propello. *Cic. Fat.* 19. Ut igitur, qui protrusit cylindrum, dedit ei principium motionis, etc. *Phaedr.* 5, 7. Ab universis capite est protrusus foras. *Lucr.* 4, 889. atque ita tota Paulatim moles protruditur, atque movetur. *Vitr.* 2, 8. Coagmenta inter se sedentia non protrudent opus. *Ammian.* 29, 1. *med.* Protrudi penatibus, *h. e.* proturbari, ejici. *Cic. Fam.* 10, 26. *extr.* Comitia, quantum facere possumus; in Januarium mensem protrudimus. V. PROTENDO,

*PROTRYGETES, ae, m. stella, ad dextram Virginis, quae Latine provindemiator est. *Vitr.* 19, 6. (al. 4.) Ab eo non longe conformata est Virgo, cujus supra humerum dextrum lucidissima stella nititur, quam nostri provindemiatorem, Graeci προτρυγητὴν vocitant. Sic ed. *Schneid.* Al. al. Cf. *Antevindemitor. B. A.*

PROTUBERO, as, n. 1. extubero, excresco in formam tuberis. *Solin.* 45. de bucephalo: De fronte ejus quaedam exstantium corniculorum protuberabant minae; et *ib.* 46. *f.* Protinus atque poma ejus deciderunt maturitate, alia protuberant.

PROTUMIDUS, a, um, adj. in anteriorem partem tumidus, ut Protumida luna, ap. *Appul. de Deo Socrat. in.*, ubi est qui leg. *pertumida.*

PROTURBATUS, a, um, part. a *proturbo:* repulsus, rejectus. *Caes. B. G.* 2, 19. *f.* His facile repulsis ac proturbatis, ad flumen decucurrerunt. *Tac. H.* 2, 85. Proturbatis, qui de Othone nunciabant, etc. ℙ Translate, valde turbatus. *Id. ib.* 1, 60. Militum conviciis proturbatus, et desertus.

PROTURBO, as, avi, atum, a. 1. ἀπωθέομαι, porro, sive ultra, sive extra turbo, idest repello, abigo, arceo. *Liv.* 5, 47. Telis, missilibusque saxis proturbare hostes. *Plin.* 11, 19, 21. Apes pigras et ignavas proturbant. *Colum.* 9, 15. Extra tecta proturbantur. *Claud. in Eutr.* 2, 513. Proturbare aliquem laribus. *Appul. Met.* 9. quempiam de domo. *Quint. decl.* 17, 6. e domo filium. ℙ Dejicio. *Ov. Met.* 3, 79. de angue: nunc impete vasto Fertur, et obstantes proturbat pectore silvas. ℙ Emitto. *Sil.* 5, 604. Itaque anhelatum proturbat pectore murmur. ℙ Translate est valde turbare. *Val. Fl.* 1, 597. Nuncius hunc *(Aeolum)* solio Boreas proturbat ab alto, *h. e.* sedentem in solio turbat rei novitate et magnitudine. ℙ Est rejicio, repello. V. v. praec.

[PROTUS, a, et e, um, adj. et Prōtis, idis, f. πρῶτος, η, ον, primus, a, um, et πρῶτις, ιδος, prima. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Melchiorri Sillog.* p. 55. *n.* 31. P. Caecilius Protus. Alia ap. *Fabr.* p. 638. *n.* 324. Petreja M. L. Prota. Alia ap. *Grut.* 991, 5. D. M. Protes. Alia ap. *eund.* 670, 7. Ariae Protidi parentes. *F.*]

PROTUTELA, ae, f. munus ejus, qui pro tutore negotia gerit. *Ulp. Dig.* 27, 5, 1. *in.* Protutelae actionem necessario praetor proposuit. Adde *eund. ib.* §. 6. et *Paul. ib.* 8, 3, 24. Neque tutelae, neque protutelae judicio tenetur.

PROTUTOR, oris, m. quasi tutor, tutoris munus exercens. Ap. *Ulp. l. c.* in v. praec. semper in ablativo usurpatur, *pro tutore:* in recto vero *quasi tutor* dicitur. Ap. *Ammian.* 29, 5. non *protutoribus* in dativo plur., sed *protectoribus* legendum est.

PROTYPUM, i, n. πρότυπον, primum exemplar, ad cujus rationem cetera formantur: a πρὸ, ante, et τύπος, forma, exemplar impressum. *Plin.* 35, 12, 43. Primus personas tegularum extremis imbricibus imposuit, quae inter initia protypa vocavit. V. ECTYPUS. Alii leg. *prostypa*, et intelligunt figuras, quae parum exstant et prominent.

PROTYRUM, i, n. πρότυρον, genus vini in insula Lesbo, ap. *Vitr.* 8, 3. *med.*, ubi alii leg. *protropum.* Aliud est *prothyrum:* de quo V. in DIATHYRUM.

[PROVECTIBILIS, e, adj. qui proficere, et provehi in melius potest. *Fulg. Contin. Virg.* p. 747. *Stav.* Ita et ingenio natum est provectibile. *F.*]

PROVECTIO, onis, f. προαγωγὴ, actus provehendi, promotio. *Lact.* 5, 11. Non honor ille, aut provectio dignitatis fuit, sed hominis damnatio ad carnificinam.

PROVECTUS, a, um, part. a *proveho:* προαχθεὶς, praevectus, progressus. *Virg. A.* 2, 24. Huc se provecti deserto in litore condunt. *Liv.* 23, 47. Provectus ante stationes equo, Tauream compellavit. *Caes. B. C.* 3, 8. Serius a terra provectae naves; et *B. G.* 4, 28. *extr.* naves in altum. *Plin.* 3, 17, 21. Boji trans Alpes provecti Laudem Pompejam condidere. ℙ Translate. *Cic. Sen.* 4. Eum colere coepi non admodum grandem natu, sed tamen jam aetate provectum; et *Tusc.* 1. 39. *f.* Provecta aetate mortua est. *Arnob.* 6, 195. Senectute provectior. *Auson. epigr.* 19. Nestore sim quamvis provectior. *Pall.* 4, 13. *f.* Equis provectioribus tempora cavari incipiunt, supercilia canescere. *Tac. A.* 13, 20. Provecta nox erat; et *ib.* Ut Burrum demovere praefectura destinaret, tanquam Agrippinae gratia provectum; et *ib.* 2, 75. E gregario ad summa militiae provectus. *Id. H.* 1, 1. Dignitatem nostram a Vespasiano inchoatam, a Tito auctam, a Domitiano longius provectam non abnuerim. *Plin.* 26, 4, 9. Huc usque provecta credulitas antiquorum. *Tac. H.* 3, 46. Bellum longius provectum, *h. e.* protractum. ℙ Translate *provectus* est etiam abreptus, longius impulsus, coactus progredi. *Tac. A.* 4, 10. Eo audaciae provectus, ut, etc. Adde *Quint.* 1, 3. *Plin. ep.* 9, 19. Semel omnino, me audiente, provectus, ut de rebus suis hoc unum referret, etc. V. PROVEHO.

PROVECTUS, us, m. provectio. *Aurel. Vict. Caes.* 39. *f.* Honestiorum provectu, et e contra suppliciis flagitiosi cujusque, virtutum studia augebantur. *Sidon. ep.* 4, 4. Provectu aetatis, *h. e.* progressu. *Pall.* 1, 6. Praesentia domini provectus est agri.

PROVEGEO, es, a. 1. moveo, profero, promoveo, excito. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 656. Aut me occide, illinc si usquam provegeam gradum. Alii leg. *provigeam*, alii perperam *provideam.* V. PROVIDEO.

PROVEHO, is, exi, ectum, a. 3. προάγω, ultra aut ante veho, ultra duco, promoveo, praesertim si navi, aut curru, aut jumento id fiat. *Pl. Rud.* 3, 6, 24. *Pl.* Eam hinc abduxisti. *La.* non avexi. *Pl.* cur negas? *La.* quia pol provexi: avehere non quivi miser, *h. e.* navi quidem impositam porro vexi, sed avehere nequivi tempestate impeditus. *Plin.* 21, 13, 43. In Hispania alvos apum mulis provehunt. *Plin. alter ep.* 6, 31. *f.* Ingentia saxa latissima navis provehit. *Val. Fl.* 4, 421. juvet nostros nunc ipsa labores, Immissisque ratem sua per freta provehat Euris; et *Lucr.* 6, 1025. aer a tergo quasi provehit atque propellit. ℙ Saepius adhibetur in passiva voce. *Plin.* 6, 31, 36. Navigantes in eam insulam non posse ultra quasdam columnas provehi. *Virg. A.* 3, 72. Provehimur portu: terraeque, urbesque recedunt. *Caes. B. C.* 2, 3. L. Nasidius cum classe freto Siciliae provehitur. ℙ Translate est promovere, evehere. *Suet. Caes.* 72. Quosdam etiam infimi generis ad amplissimos honores provexit. *Plin. ep.* 8, 12. Colit studia, studiosos amat, fovet, provehit. *Id. ep.* 9, 14. Provehere aliquem in lucem et famam. *Vell.* 2, 128. aliquem in consulatus, censuras, et triumphos. *Cic. Phil.* 8, 11. Ecquo te tua virtus provexisset? ecquo genus? *Hor. Od.* 3, 4, 66. vim temperatam Dii quoque provehunt In majus. ℙ Et passive. *Quint. prooem.* 6. *med.* Esse nescio quam, quae spes tantas decerpit, invidiam, ne videlicet ultra, quam homini datum est, nostra provehantur; et *Vell.* 2, 69. A quo ipse in consulare provectus fastigium fuerat. V. alia in PROVECTUS. ℙ Translate pariter est abripere, longius impellere, progredi facere: ducta metaphora a ventis, qui navim impellunt. *Cic. Dom.* 12. *med.* Vestra in me audiendo benignitas provexit orationem meam. *Id. Har. resp.* 20. *extr.* Sulpicium longius quam voluit, popularis aura provexit. *Liv.* 2, 50. Haec spes provexit, ut ad conspecta procul pecora decurrerent. *Id.* 40, 14. *in.* Quo lusu apud me celebratum convivium sit, illo etiam (forsitan pravo) gaudio provehente, quod, etc. *Prop.* 2, 12, 19. Quin etiam si me ulterius provexerit ira, Ostendes matri brachia laesa tuae. *Lucr.* 5, 1433. Idque minutatim vitam provexit in altum, *h. e.* paulatim deduxit in multas calamitates, ceu in altum mare. ℙ Et passive progredi, procedere, rapi, ferri. *Cic. Fin.* 3, 22. Sentio me esse longius provectum, quam proposita ratio postularet. *Id. Phil.* 8, 3. Inani spe ad aquas usque, et Puteolos provehuntur; et *Tusc.* 4, 18. Ipsa sibi imbecillitas indulget, in altumque provehitur, nec reperit locum consistendi. *Id. ad Brut.* 1, 15. Sed provehor amore. *Liv.* 35, 48. *f.* Provectus deinde est intemperantia linguae in maledicta Romanorum. *Tac. H.* 4, 7. Paulatimque, per altercationem, ad continuas et infestas orationes provecti sunt. ℙ *Provehere vitam in periculum*, est exponere, ap. *Cic. Mil.* 21., ubi tamen alii leg. *projicere.*

PROVENDO, is, a. 3. *Afran.* ap. *Donat.* ad *Ter. Ad.* 3, 4, 34. Is, ut servorum captus est, facillime domo atque nostra familia provenditur. Alii divisim leg. *pro venditur*, ut sit constructio: *venditur pro domo atque*, etc.

PROVENIO, is, eni, entum, n. 4. προέρχομαι, extra venio, prodeo, exorior, exeo. *Pl. Ps.* 1, 5, 155. Nam qui in scenam provenit novo modo, novum aliquid inventum afferre addecet. *Id. Capt.* 2, 1, 26. Doli non doli sunt, nisi astu colas: sed malum maximum, si id palam provenit. *Naev.* ap. *Cic. Sen.* 6. *extr.* Proveniebant oratores novi, stulti, adolescentuli. Alii leg. *proventabant*, eod. sensu: *Cels.* 2, 7. *med.* Quibus feminis menstrua non proveniunt. *Plin.* 2, 23, 21. Altitudo, in qua nubila, ac venti, nubesque proveniant. Alii leg. *in quam perveniant.* ℙ Item nascor. *Tac. H.* 4, 65. Deductis olim, et nobiscum per connubia sociatis, quique mox provenere, haec patria est, *h. e.* quique ex his nati sunt. *Plin.* 10, 53, 74. *extr.* de ovis: Post solstitium nata non implent magnitudinem justam: tantoque minus, quanto serius provenere; et *ib.* 54, 75. Incubationi datur initium post novam lunam, quia prius inchoata non proveniunt. *Id.* 17, 20, 34. de castanea: Seri nuce diximus: sed, nisi ex maximis, non provenit, nec nisi quinis acervatim satis. *Id.* 9, 10, 12. Nec aliud ibi animal provenit. *Id.* 4, 16, 30. Insula, in qua candidum plumbum provenit. *Id.* 37, 10, 56. Catopyritis *(gemma)* e Cappadocia provenit. *Ov. Fast.* 4, 772. in stabulo multa sit agna meo, Lanaque proveniat nullas laesura puellas. *Id. Am.* 3, 1, 43. de Elegia: Rustica fit sine me lascivi mater Amoris: Huic ego proveni lena, comesque Deae, *h. e.* nata sum, ut essem lena, etc. *Colum.* 7, 8. *med.* de caseo: Sic neque fistulosus, neque salsus, neque aridus provenit. ℙ Item nasci simul et crescere. *Id.* 3, 18. Nulla stirps antequam deponatur, vexata et infracta, melius provenit, quam quae integra et inviolata sine injuria deposita est. *Id.* 4, 30. *f.* Virgas roscidas si recideris, parum prospere proveniunt. *Id.* 1, 2. *med.* Segetes modice siccis campis melius, quam praecipitibus locis proveniunt. *Id.* 5, 6. *med.* Quae ulmus a positione bene provenerit, etc. *Caes. B. G.* 5, 24. Frumentum propter siccitates angustius provenerat. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 2. Hoc pro senescendi celeritate attributum huic arbori, ut citissime proveniat. *Id.* 19, 7, 36. Ocimum cum maledictis ac probris serendum praecipiunt, ut laetius proveniat. *Id.* 17. *in.* Arbores sponte sua provenientes. ℙ Translate. *Ov. Trist.* 1, 1, 39. Carmina proveniunt animo deducta sereno. *Plin. ep.* 8, 19. *extr.* Ut ex studiis gaudium, sic studia hilaritate proveniunt. ℙ Pro evenire, contingere, bene aut male cedere. *Cic. Fin.* 1, 14. Nec, quid proventurum sit, provident. Alii leg. *eventurum. Tac. H.* 2, 20. *f.* Gnarus, ut initia belli provenissent, famam in cetera fore. *Pl. Most.* 2, 1, 68. Tranquille cuncta, et

ut proveniant sine malo. *Suet. Aug.* 94. Quod uni olim Magno Alexandro simile provenisset ostentum. *Colum.* 4, 29. Non quid casu fiat, sed quid certa ratione plerumque proveniat, praecipere debemus. *Lucil.* ap. *Non.* 12, 12. Adeo male me excipiunt decimae, et proveniunt male. ℙ Absolute pro succedere. *Tac. H.* 3, 41. Non ignavum, et si provenisset, atrox consilium iniit; et *ib.* 4, 18. Si destinata provenissent. ℙ Is etiam, cui quid bene succedit, aut secus, *provenire* dicitur. *Pl. Truc.* 2, 6, 34. Mars peregre adveniens salutat Nerienem uxorem suam. Cum tu recte provenisti, cumque es aucta liberis, gratulor. *Id. Rud.* 3, 5, 57. Edepol proveni nequiter multis modis. Adde *Stich.* 2, 2, 73. Eadem ratione *Ter.* dixit *Ad.* 5, 9, 22. Syre, processisti hodie pulcre. ℙ Passive impersonaliter. *Pl. Men.* 5, 5. *f.* Nimis proventum est nequiter.

PROVENTO, as, n. 1. frequent. V. in v. praec.

PROVENTUS, a, um. V. PRAEVENTUS.

PROVENTUS, us, m. τὰ γιγνόμενα, φορά, πρόσοδος, quidquid nascitur, et alicunde provenit, et fructui est, ut partus animalium, fruges, vina, poma, et hujusmodi. *Virg. G.* 2, 518. Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat. *Plin.* 18, 25, 57. Sunt qui certissimum veris indicium arbitrentur, ob infirmitatem animalis, papilionis proventum. Id eo ipso anno, cum commentaremur haec, notatum est, proventum eorum ter repetito frigore exstinctum. *Id.* 11, 11, 10. de apib.: Domos primum plebi exaedificant, deinde regibus. Si speratur largior proventus, adjiciuntur contubernia et fucis. *Id.* 13, 24, 47. Cytisus inventus in Cythno insula, mox translatus in urbes Graecas, magno casei proventu: sc. quia lactis plurimum praebet ovibus, ut *Colum.* 5, 12. scribit. *Plin.* 20, 12, 48. Ocimum exstinguit lactis proventum. *Suet. Claud.* 16. *f.* Uberi vinearum proventu. *Plin.* 17, 12, 19. in Africa miliarias vocari multas *(oleas)* a pondere olei, quod ferant annuo proventu. *Id.* 21, 5, 11. Lilium maxime rosas decet, medio earum proventu incipiens. *Id.* 15, 18, 19. Ficus trifero proventu. ℙ In plur. num. *Id.* 19, 12, 62. Hortensium proventus tantum adhuc tractavimus; et *ib.* 5, 24. Cucumis servatur usque ad alios paene proventus. ℙ Absolute de proventu uberi, abundantia, copia. *Id.* 10, 65, 85. Proventus murium siccitatibus. *Id.* 8, 55, 61. Certum est, Balearicos adversus proventum cuniculorum auxilium militare a divo Augusto petiisse. ℙ Translate. *Plin. ep.* 1, 13. Magnum proventum poetarum hic annus attulit. *Just.* 13, 1. *med.* Neque unquam ante Macedonia tam clarorum virorum proventu floruit. *Sen. Tranq.* 7. Ille Socratici fetus proventus. *Lucan.* 2, 60. tantone novorum Proventu scelerum quaerunt, uter imperet Urbi? ℙ Est etiam prosperus exitus, successus. *Caes. B. C.* 2, 38. Multum ad hanc rem probandam adjuvat adolescentia, magnitudo animi, superioris temporis proventus, fiducia rei bene gerendae. *Liv.* 45, 41. Multarum secundarum rerum velut proventus. *Plin. ep.* 9, 13. *med.* Tanta conversio vel negotii dignitatem, vel proventum orationis, vel actoris constantiam subsecuta est. *Val. Max.* 5, 10. *n.* 2. In maximo proventu felicitatis nostrae. ℙ Item eventus. *Appul. Met.* 2. Mihi proventum hujus peregrinationis anquirenti, multa respondit. ℙ Item utilitas. *Id. de Mundo:* Cultus agrorum, artificum solertia, proventus artium.

PROVERBĬĀLIS, e, adj. *Gell.* 2, 22. *med.* Ex quo versum istum proverbialem factum ait.

PROVERBĬĀLĬTER, adv. per modum proverbii. *Ammian.* 29, 2. *f.* Proverbialiter dici solet. *Sidon. ep.* 7, 9. in conc.: Ut proverbialiter loquar. Adde *Donat.* ad *Ter. Eun.* 2, 2, 37. et *vet. Schol.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 120.

PROVERBĬUM, ii, n. παροιμία, adagium, sententia, dictum, quod longa experientia probatum in ore omnium versatur, et saepe consilii, aut praecepti utilis loco est. *Cic. Verr.* 2, 1, 46. *f.* Istius nequitiam in ore vulgi, atque in communibus proverbiis esse versatam. *Id. Off.* 3, 19. A quibus natum est id, quod jam contritum (al. *tritum)* est vetustate, proverbium, etc.; et *ib.* 1, 10. *med.* Ex quo illud factum est jam tritum sermone proverbium; et *ib.* 2, 15. *f.* Quod jam in proverbii consuetudinem venit. *Id. Tusc.* 4, 16. *f.* Ita pervulgatum illud est, ut jam proverbii locum obtineat. *Liv.* 40, 46. *med.* Vulgatum illud, quia verum erat, in proverbium venit. *Plin.* 23, 1, 23. In proverbium cessit, sapientiam vino obumbrari. *Cic. Phil.* 13, 12. *f.* Quod proverbii loco dici solet. *Id. Verr.* 2, 1, 20. Quod est Graecis hominibus in proverbio. *Id. Or.* 71. Sed, ut in proverbio est, scopas mihi videntur dissolvere. *Id. Fam.* 10, 20. Culpa illa vulgari reprehensa proverbio est. *Id. Sen.* 3. Pares cum paribus, veteri proverbio, facillime congregantur; et *Amic.* 22. *f.* Acta agimus, quod vetamur veteri proverbio. *Plin.* 31, 7, 41. Veteres salem cum pane esitasse, proverbio apparet. *Gell.* 2, 6. Hic versus vice proverbii celebratus est.

PROVERSUS, a, um, part. a *proverto:* qui recta eo tendit, quo versus est. *Pl.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. Ut transversus, non proversus cedit, quasi cancer solet. Simile est illud *ejusd. Ps.* 4, 1, 15. Non prorsus, verum ex transverso cedit, quasi cancer solet. ℙ Ex *proversus* factum est per syncopen *prorsus.* ℙ *Provorsum* pro *proversus.* V. in PROVORSUM.

[PROVERTO, is, a. 3. recta eo tendo, quo versus sum. *Not. Tir.* p. 46. Vertit, pervertit, provertit. *F.*]

PROVĬDĒ, adv. ἐκ προνοίας, prudenter, caute, diligenter. *Plin.* 10, 33, 50. Tabulata ramorum sustinendo nido provide eligere.

PROVĬDENS, entis, part. a *provideo:* προορῶν, πρόνοος, praevidens, prudens, prospiciens, providus, cautus. *Cic. Fam.* 6, 6. *med.* Homo est valde acutus, et multum providens. *Id. ib.* 3, 1. Ille tibi omnia explanabit: id et ad brevitatem est aptius, et ad reliquas res providentius, *h. e.* cautius, et consultius, quia praevideo, alia me in hac epistola scribere debere, quae mea magis interest. *Tac. H.* 1, 85. Providentissimus quisque. *Plin. ep.* 9, 13. Quem providentissimum aetatis nostrae, sapientissimumque cognovi.

PROVĬDENTER, adv. προνοητικῶς, caute, prudenter. *Sall. Jug.* 95. Pro copia satis providenter exornare aliquid. *Cic. N. D.* 3, 40. Invectus es in eam Stoicorum rationem, quae de providentia Deorum ab illis sanctissime et providentissime constituta est. *Ulp. Dig.* 47, 3, 1. Quod providenter lex effecit, ne, etc. *Plin. Pan.* 1. Nihil recte, nihilque providenter homines sine Deorum ope auspicari. *Id. ep.* 10, 69. Tu quidem providentissime vereris, ne, etc.; et *ep.* 81. Providentissime fecisti, quod, etc.

PROVĬDENTĬA, ae, f. πρόνοια, prudentia, consilium, cura, cautio. Est una e tribus prudentiae partibus, quam sic definit *Cic. Inv.* 2, 53. Providentia est, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit. *Sall. Jug.* 7. Et bello strenuus erat, et bonus consilio: quorum alterum ex providentia timorem, alterum ex audacia temeritatem afferre plerumque solet. *Cic. N. D.* 1, 8. Anus fatidica, Stoicorum πρόνοια, quam Latine licet providentiam dicere; et *ib.* 2, 22. *med.* Talis igitur mens mundi cum sit, ob eamque causam vel prudentia, vel providentia appellari recte possit, (Graece enim πρόνοια dicitur) haec potissimum providet, et in his maxime est occupata, primum ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum: deinde ut nulla re egeat, maxime autem ut in eo eximia pulcritudo sit, atque omnis ornatus. *Id. Div.* 1, 51. *f.* Esse Deos, et eorum providentia mundum administrari. *Plin. ep.* 3, 19. *f.* Cum in omnibus rebus, tum in disponendis facultatibus plurimum tibi et usus, et providentiae superest. *Tac. H.* 4, 29. Strepitus dissoni, casus incerti, neque feriendi, neque declinandi providentia. *Pomp. Dig.* 33, 1, 7. *f.* Magis est ut providentia filiorum suorum hoc fecisse videatur, *h. e.* ut filiis suis prospiceret. ℙ Absolute de providentia divina, h. e. ratione, qua Deus ea, quae condidit, tuetur ac regit; seu de ipso Deo, cujus consilio huic mundo providetur, ut inconfusus eat, et actus suos explicet, ut *Sen. Q. N.* 2, 45. loquitur. *Id. ib.* Vis illum *(Deum)* providentiam dicere? recte dices. *Quint.* 10, 1. *med.* de Cicerone: Dono quodam providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur. *Id. prooem.* 6. Nullam terras despicere providentiam tester? *Id.* 7, 2. An mundus providentia regatur. Adde *Gell.* 6, 1. ℙ In plur. num. *Tert. adv. Marc.* 2, 4. *extr.* Agnosce bonitatem Dei ex providentiis et legibus, ex praemonitionibus bonis et benignis. ℙ De simplici praenotione, πρόγνωσις. *Sen. ep.* 5. *extr.* Multa bona nostra nobis nocent: timoris enim tormentum memoria reducit, providentia anticipat. ℙ *Providentia* a Graecis et Romanis tanquam Dea culta fuit. Ejus mentio frequentissima est in nummis Augustorum, in quibus praecipue globus orbem terrarum ipsis Deorum providentia permissum fuisse significat. *Macr. Sat.* 1, 17. In insula Delo aedes Providentiae, quam ναὸν Προνοίας Ἀθηνᾶς appellant, apta religione celebratur.

PROVĪDĔO, es, īdi, isum, a. 2. προοράω, προείδω, porro et procul video, ante video, futurum aliquid video, praevideo, praesentio. *Caes. B. G.* 7, 30. Plus animo providere et praesentire existimabatur. *Cic. Div.* 2, 6. Medicus morbum ingravescentem ratione providet, insidias imperator, tempestates gubernator. *Id. Vat.* 2. Quod ego, priusquam loqui coepisti, sensi atque providi. *Id. Att.* 1, 1. Petitionis nostrae hujusmodi ratio est, quod adhuc conjectura provideri possit. *Id. Mur.* 2. *f.* Est boni consulis, non solum videre quid agatur, verum etiam providere, quid futurum sit. Alii leg. *praevidere. Id. Phil.* 3, 14. *f.* Nobis vigilantibus, et multum in posterum providentibus. *Pl. As.* 2, 4, 44. Non hercle te provideram: quaeso ne vitio vertas: ita iracundia obstitit oculis. (Adde *Hor. Ep.* 1, 7, 69.) *Lucr.* 4, 881. neque enim facere incipit ullam Rem quisquam, quam mens providit, quid velit, ante. At, quod providet, illius rei constat imago, *h. e.* antequam mens providit. ℙ Saepe est praevidendo cavere, mederi, praecavere, excogitare aliquid, ne sequatur malum, quod timetur. *Cic. Att.* 11, 3. *extr.* Omnibus rebus cura et provide, ne quid ei desit. *Id. Fam.* 6, 10. *extr.* Quae sunt in fortuna, temporibus regentur, et consiliis nostris providebuntur; et *ib.* 9, 18. *f.* Actum de te est, nisi provides. *Varr. R. R.* 3, 10. *med.* Eas cellas provident, ne habeant in solo humorem: ἀναστροφή, ut illud *Virg. A.* 1, 577. Urbem quam statuo, vestra est. *Plin.* 34, 6, 14. In ea quoque re ambitioni providebant. ℙ Eleganter hoc sensu passive impersonaliter adhibetur. *Ter. Ph.* 5, 2, 14. Provisum est, ne in praesentia haec hinc abeat. *Liv.* 36, 17. *med.* Satis undique provisum atque praecautum est, ne quid, etc. *Cic. Att.* 2, 1. *med.* Quod a me ita praecautum atque provisum est, ut, etc. *Augustus* ap. *Suet. Aug.* 42. Satis provisum a genero suo Agrippa, perductis pluribus aquis, ne homines sitirent. *Plin. ep.* 3, 9. Provisum hoc legibus, *h. e.* cautum, sancitum. ℙ Pro curare, ante comparare. *Cic. Fam.* 14, 21. Quod opus erit, ut res tempusque postulat, provideas atque administres. *Id. N. D.* 2, 22. *med.* Providentia haec potissimum providet, et in his maxime est occupata, ut, etc. *Pl. Most.* 2, 2, 93. Nihil me curassis, inquam: ego mihi providero. *Cic. Fam.* 1, 2. *extr.* Et ut quam rectissime agantur omnia, mea cura, opera, diligentia, gratia providebo. *Caes. B. G.* 3, 9. Ea, quae ad usum navium pertinerent, providere instituunt. *Id. ib.* 6, 9. Rem frumentariam providet; et *B. C.* 3, 34. Eos de re frumentaria, ut providerent, hortatus est. *Cic. Phil.* 11, 11. Est autem de Brundisio, atque illa ora Italiae providendum. ℙ Pro consulere, prospicere. *Cic. N. D.* 1, 2. A Diis vitae hominum consuli et provideri. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 10. *extr.* Ut consulas omnibus, ut medeare incommodis hominum, provideas saluti. *Id. Coel.* 9. Contra hominum potentias conditioni omnium civium providere. *Caes. B. G.* 5, 8. Rei frumentariae providere. *Cic. Agr.* 2, 33. *extr.* Multum in posterum providerunt, quod, etc. *h. e.* posteris consuluerunt, posteritatis bono prospexerunt. Loquitur de Capua servata, quae opportunissimam se praebuit Romanae reipubl. in iis bellis, quae post eam devictam secuta sunt, ut paulo ante dixit. ℙ Quod habet *Non.* 2, 656. Providere, movere et ferre; critici monent legendum *prourgere:* et in testimonio *Pacuvii,* quod ibi ille recitat, *prourgeam gradum,* non *provideam:* sed profecto legendum *provegeam.* V. PROVEGEO.

PROVĪDUS, a, um, adj. πρόνοος, providens, prudens. *Cic. Div.* 2, 57. Mens provida rerum futurarum. *Id. N. D.* 2, 22. Natura consultrix et provida utilitatum opportunitatumque omnium. *Tac. A.* 4, 38. Rerum vestrarum providus, constans in periculis. *Cic. Rosc. Am.* 40. Illi homines honestissimi propter istius insidias parum putantur cauti providique fuisse. *Id. Leg.* 1, 7. Animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus hominem. *Id. N. D.* 2, 51. *f.* Haec omnia esse opera providae solertisque naturae. *Id. Part.* 5. Orator prudens et providus. *Ov. Fast.* 2, 60. provida cura ducis. *Val. Fl.* 4, 271. Pollux sic providus ictus Servat. *Stat. Th.* 6, 769. sed providus astu, Et patria vigil arte Lacon, hos rejicit ictus, Hos cavet. *Plin. ep.* 2, 10. Dispice, ne sit parum providum, sperare ex aliis, quod tibi ipse non praestes.

PROVĪGĔO. V. PROVEGEO.

PROVINCĬA, ae, f. ἐπαρχία, regio armis a populo R. devicta, aut quomodocumque in potestatem redacta, et imperio ditionique ejus adjecta, et Romanis legibus ac magistratibus subjecta. Dictae sunt provinciae, inquit *Paul.* ex *Festo,* quod populus R. eas provicit, id est ante vicit: sed, ut *Voss.* in *Etym.* ait, *pro* hic non tam ante significat, quam procul, vel foris. Proprie autem provinciae dictae sunt extra Italiam. Hujusmodi fuit illa Galliae Narbonensis pars, quae interno mari alluitur, Bracata ante dicta, amne Varo ab Italia discreta, Alpiumque jugis: a reliqua vero Gallia, latere septentrionali, montibus Gebenna et Jura: agrorum cultu, virorum morumque dignatione, amplitudine opum nulli provinciarum postferenda, breviterque Italia verius, quam provincia: quae sunt verba *Plin.* 3, 4, 5. Nomen *provinciae* huic regioni haesit adeo, ut hodieque a Gallis *Provence,* ab Italis *Provenza* dicatur. Similiter *provincia* dicta est Africae pars olim Carthagini subjecta, postquam, devictis Carthaginiensibus, eorum ditionem P. Scipio in formulam redegit provinciae, ut est ap. *Vell.* 2, 38., item Macedoniae regnum, subacto Perseo ab Aemilio Paulo, et postea Pseudophilippo: qua de re *Liv.* 45, 29. et sqq., *Flor.* 2, 14. et *Vell.* 1, 11., item Hispaniae, Bithynia, Sicilia, Sardinia, etc. V. *Manut.* de legib. R., ubi omnes reipubl. provincias enumerat. *Sall. Jug.* 13. de Adherbale Numidiae rege: Victus ex proelio profugit in provinciam, ac deinde Romam contendit, *h. e.* in eam Africae partem, de qua modo est dictum. *Cic. Verr.* 2, 2, 1. Omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidemque populi R. applicuit: prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata. *Id. Fam.* 15, 2. Bellum a Parthis in provinciam Syriam illatum. ℙ In provinciae formam redigere erat, leges et magistratus adimere devicto populo, Romanis legibus ac magistratui subjicere, et vectigalem facere. Fere itaque instituebatur vir consularis, aut praetorius, qui jus diceret, et quaestor, qui publicam pecuniam exigeret curaretque: idque fere a senatu, qui consulatu, aut praetura functos aut mittebat ipse quos vellet, in quam vellet provinciam; aut comparare inter se, vel sortiri jubebat, quae

cuique obveniret: eratque eorum imperium modo annuum, modo biennii, aut triennii, aut etiam longioris temporis. Sed haec omnia varie mutata sunt tum libera republica, tum praecipue sub imperatoribus. Quae a consulari viro regebantur provinciae, *consulares*, quae a praetorio, *praetoriae* dictae sunt: quae appellatio nulli provinciae affixa erat, sed modo huic, modo illi tribuebatur pro conditione ejus, a quo administraretur. *Cic. Font.* 1. Provinciae Galliae M. Fontejus praefuit. *Id. Fl.* 34. Provinciam Asiam consulari imperio obtinere. *Id. Fam.* 2, 15. Provinciae aliquem praeponere; et *ib.* praeficere; et *ib.* De provincia decedere. *Id. Pis.* 21. *f.* Provinciam Lentulus, cum et auctoritate senatus, et sorte haberet, deposuit; et *Phil.* 1, 8. de lege a Julio Caesare lata: Ne praetoriae provinciae plus quam annum, neve plus quam biennium consulares obtinerentur. *Id. Verr.* 2, 1, 13. Quaestor ex senatusconsulto provinciam sortitus es: obtigit tibi consularis, ut cum consule Cn. Carbone esses, eamque provinciam obtineres. *Id. Fam.* 3, 3. Provinciam alicui tradere; et *ib.* 2. accipere; et *ib.* In provinciam cum imperio proficisci; et *ib.* 15, 4. Aequitate et continentia provinciam administrare; et *Att.* 5, 2. et *ib.* 11. prorogare; et *ib.* 3, 24. ornare. V. ORNO. ℙ Translate est quodlibet negotium, munus, opus, partes. *Pl. Capt.* 3, 1, 14. Ipsi obsonant: quae parasitorum ante erat provincia. *Ter. Ph.* 1, 2, 21. Abeuntes hinc senes me filiis relinquunt quasi magistrum. *Da.* O Geta, provinciam cepisti duram! *Cic. Sull.* 18. *f.* Illam sibi officiosam provinciam depoposcit, ut cum prima luce consulem salutatum veniret, me in meo lectulo trucidaret. *Id. Coel.* 26. Qui eam provinciam susceperint, ut in balneas contruderentur. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 15. Abi rus: abi dierectus in tuam provinciam. *Id. Mil.* 4, 4, 23. Hanc tibi impero provinciam, militem lepide ludificarier. *Id. Ps.* 1, 2, 15. Heri ante dixeram omnibus, dederamque eas provincias: (verba sunt heri ad servos;) et *ib.* 25. Te cum securi caudicali praeficio provinciae. ℙ Hoc sensu intelligenda sunt illa: *Liv.* 2, 40. *extr.* Consules T. Sicinius, et C. Aquilius. Sicinio Volsci, Aquilio Hernici (nam hi quoque in armis erant) provincia evenit. *Id.* 26, 22. Cum ambo consules Apuliam provinciam haberent. Adde *ib.* 28. et 33, 43.; quibus locis negotium et munus significatur belli administrandi. Hinc *Lucan.* 1, 338. Ultima Pompejo dabitur provincia, Caesar, *h. e.* vincendus, tanquam sit ille provincia aliqua debellanda. Quae vero hic habet *Vet. Schol. ib.*, merae nugae sunt, et pura mendacia. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* mendosa ap. *Mur.* 2058, 9. emendata in *Archeogr. Triest.* T. 1. p. 126. C. Hostilio C. F. Frugioni, C. Hostilio C. F. Nepoti F., L. Mutilio L. L. Nymphodoto F. Hostilia C. L. Provincia V. F. Hinc corrigendus §. 2. in FRUGIUS, ubi citatur haec eadem inscriptio. *F.*]

PROVINCĬĀLIS, *e*, adj. ad provinciam pertinens. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 15. Mihi casus urbanam administrationem, tibi provincialem dedit; et *ib.* 7. Provincialis scientia, *h. e.* provinciae regendae. *Id. Fam.* 2, 7. molestia, *h. e.* quae oritur ex administratione provinciae. *Id. Sext.* 3. abstinentia; et *ib.* 5. integritas, *h. e.* in tractandis rebus hominum provincialium. *Id. Att.* 6, 2. *med.* Aditus ad me minime provinciales: nihil per cubicularium, *h. e.* difficiles, quales esse solent ad eos, qui provinciis praesunt. *Id. in Sen.* 14. *med.* Provincialia ornamenta et commoda, *h. e.* quae sunt magistratus provinciam regentis. *Caes. B. G.* 7, 7. Praesidia in Ruthenis provincialibus, Tolosatibus, circumque Narbonem constituit, *h. e.* qui in provincia Romana Galliae Narbonensis erant. *Suet. Caes.* 51. Provincialia matrimonia, *h. e.* inita cum feminis provinciarum. *Tac. H.* 1, 89. Provinciale bellum. *Id. Agr.* 4. Provincialis parsimonia, *h. e.* quae in provinciis servari consuevit: cui opponitur luxus urbanus. *Id. A.* 4, 20. *extr.* Provincialia crimina, *h. e.* quae in provinciis admittuntur. *Plin.* 8, 37, 56. Provinciales querimoniae, *h. e.* provincialium; et 36, 15, 24. *n.* 8. rapinae, *h. e.* de bonis provincialium actae. ℙ Provinciales, ἐπαρχιῶται, qui sunt in provinciis Romano imperio subjectis. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 5. Possunt multi esse provinciales viri boni. *Suet. Cal.* 39. Compererat, provincialem locupletem ducenta HS. numerasse vocatoribus, ut, etc. *Ulp. Dig.* 50, 16, 190. Provinciales eos accipere debemus, qui in provincia domicilium habent, non eos, qui ex provincia oriundi sunt. ℙ Praecipue ita dicti sunt reliqui Italiae populi praeter Romanos, Latinos, et Italicos, qui habitabant inter sinum Adriaticum, Rubiconem fl. a mari supero; Arnum a mari infero, Varum ab Alpibus Ligustinis, Formionem a Carnicis. Hi fuere Ligures, Galli (in quibus Boji, Insubres, et Cenomani recensentur), Veneti, Carni. Causa appellationis est, quia more provinciarum regebantur. Hinc *Colum.* 3, 3. *f.* Si modo non provincialis, sed Italicus ager est. *Plin. ep.* 9, 23. Italicus es, an provincialis? *Suet. Vesp.* 9. Submotis indignissimis, et honestissimo quoque Italicorum, ac provincialium allecto.

PROVINCĬĀTIM, adv. κατ' ἐπαρχίας, per singulas provincias. *Suet. Aug.* 49. Ex militaribus copiis legiones et auxilia provinciatim distribuit.

PROVINCO. V. PROVINCIA.

PROVINDĔMĬĀTOR, oris, m. προτρυγητήρ, et προτρυγητής, stellae cujusdam nomen. *Vitr.* 4, 6. Non longe est Virgo, cujus supra humerum dextrum lucidissima stella nititur, quam nostri provindemiatorem, Graeci προτρυγητὴν vocitant. Alii leg. *provindemiam*. *Hyg. Astron.* 3, 24. Quarum una stella, quae est in dextra penna (*Virginis*) ad humerum defixa, προτρυγητὴρ vocatur. V. VINDEMIATOR.

PROVĪSĬO, onis, f. πρόγνωσις, πρόοψις, actus providendi, praesensio, cautio. *Cic. Amic.* 21. Omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio est, atqueuna provisio, ut ne nimis cito diligere incipiamus. *Id. Part.* 20. Provisio posteri temporis. *Id. Tusc.* 3, 14. Multum potest provisio animi ad minuendum dolorem. *Id. Or.* 56. *med.* Vitiosum genus, et longa animi provisione fugiendum. *Inscr.* ap. *Mur.* 720, 2. Ob ejus temporibus difficillimis egregias ac salutares provisiones. ℙ [Item *provvisione*, *provvedimento F.*] ap. *Trebell. in* XXX. *Tyrann.* 18. In expeditionibus clarus, in provisione annonaria singularis: *et Valerian. in quadam ep. ib.* Nec est ulla alia provisio melior, quam ut in suis locis erogentur, quae nascuntur, ne aut vehiculis, aut sumptibus rempubl. gravent.

PROVĪSO, is, si, sum, a. 3. πρὸς τὸ ὁρᾶν προέρχομαι, video, vel ad videndum eo, et procedo. *Ter. Andr.* 5, 5, 1. Proviso, quid agat Pamphilus. *Id. Eun.* 3, 1, 4. Huc proviso, ut, ubi tempus siet, deducam; et *Ad.* 5, 6, 1. Hera, ego hinc ad hos provisam, quam mox virginem arcessant. Ubi *Donat.* Proviso, duas res significat, procedo, et video. *Pl. Stich.* 5, 1, 2. Si quem hominem exspectant, eum solent provisere: qui hercle illa causa nihil ocius venit.

PROVĪSOR, oris, m. qui providet, et ante cognoscit, atque adeo aut cavet, aut adsciscit et comparat. *Hor. A. P.* 164. de morib. juven.: Utilium tardus provisor, prodigus aeris. *Inscr.* ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 1. p. 35. Anicio Auchenio Basso proconsuli Campaniae, provisori ejusdem provinciae, etc.

PROVĪSUS, a, um, part. a *provideo*: προειδωμένος, praevisus, praecognitus. *Cic. Tusc.* 3, 22. Et maris subita tempestas, quam ante provisa, terret navigantes vehementius. *Pl. Capt.* 3, 4, 110. Quin exploratum dico, et provisum hoc tibi. *Cic. Verr.* 2, 1, 6. Ratio explorata atque provisa. ℙ Item praevidendo paratus, collectus, comparatus. *Caes. B. G.* 6, 44. Frumento exercitui proviso, in Italiam profectus est. *Colum.* 9, 8. Atque haec de pabulationibus, domiciliis, etc. quibus provisis, sequitur, ut, etc. *Tac. A.* 12, 5. et *ib.* 15, 4. Inerant milites, et provisi ante commeatus. *Hor. Ep.* 1, 18, 109. Sit bona librorum, et provisae frugis in annum Copia. *Id. A. P.* 311. Verbaque provisam rem non invita sequentur. ℙ *Proviso* ablativus absolute positus, re ante provisa. *Tac. A.* 12, 39. Crebra hinc proelia, ut cuique fors, aut virtus; temere, proviso; ob iram, ob praedam.

PROVĪSUS, us, m. idem ac provisio. In ablat. sing. *Tac. H.* 2, 5. Dispositu provisuque civilium rerum peritus. *Id. A.* 1, 27. Provisu pericli. *Id. ib.* 15, 8. Nullo rei frumentariae provisu. *Id. ib.* 12, 6. Quod provisu Deum vidua jungeretur principi, *h. e.* providentia.

PROVĪVO, is, xi, ctum, n. 3. ulterius, vel amplius vivo, vitam protraho. *Tac. A.* 6, 25. Quam interfecto Sejano spe sustentatam provixisse reor.

PROVŌCĂBĬLIS, e, adj. qui provocari potest. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 21. Provocabiles liquidorum fluxionibus motus.

PROVŌCĂBŬLUM, i, n. pars orationis, quae pro vocabulo ponitur, ut *pronomen*, quod pro nomine proprio. *Varr. L. L.* 7, 23. Appellandi partes sunt quatuor: e queis dicta a quibusdam provocabula, quae sunt ut *quisque:* vocabula, ut *scutum, gladius:* nomina, ut *Romulus, Remus:* pronomina, ut *hic, haec.*

PROVŌCĂTĬCĬUS, a, um, adj. qui evocari, seu extra vocari potest. *Tert. adv. Marc.* 2, 3. Bonitas Dei, apparituri boni negotiatrix, non utique repentina, nec obventiciae bonitatis, nec provocaticiae animationis.

PROVŌCĂTĬO, onis, f. ἐρεθισμός, πρόκλησις, actus provocandi, seu lacessendi, invitatio ad certamen. *Vell.* 1, 12. Ex provocatione hostem interemit. *Plin.* 7, 20, 20. Hostem ab eo ex provocatione dimicantem, inermi dextera, uno digito superatum; et *ib.* 28, 29. Octies ex provocatione victor. *Id.* 33, 1, 4. Sortiri contra provocationem, *h. e.* quis dimicatum prodire debeat contra provocantem. ℙ Item saepius appellatio, ἔφεσις, cum ab uno ad alium judicem appellamus: praesertim cum de effugienda poena agitur. Romae sub regibus nulla provocatio fuit. Iis exactis, eorumque loco constitutis consulibus, latum est, ut ab his provocatio esset ad populum, ne regiam potestatem per omnia sibi vindicasse viderentur. Ea sublata per decemviros, rursus post eorum abdicationem, restituta est, ut *Liv.* docet 3, 55. Fuerunt tamen sub libera republica dictatores, adversus quos nulla provocatio erat: et post C. Caesarem imperatores, quos penes summum jus populi fuit. *Liv. l. c.* eam vocat unicum praesidium libertatis. *Cic. Or.* 2, 48. Neque provocationem, patronam illam civitatis, ac vindicem libertatis, populo R. dari sine nobilium dissensione potuisse. *Id. Agr.* 2, 13. Gentium omnium datur cognitio sine consilio, poena sine provocatione, animadversio sine auxilio, *Id. Leg* 3, 3. Ad populum provocatio esto: et *mox:* Militiae ab eo, qui imperabit, provocatio esto. *Flor.* 1, 9. Dare populo jus provocationis adversus consules. *Liv.* 1, 26. Si a duumviris provocarit, provocatione certato: et *mox:* Tum Horatius, Provoco, inquit. Ita de provocatione certatum ad populum est. *Id.* 8, 33. Provocationi cedere. *Modest. Dig.* 49, 1, 18. Provocationem interponere. *Liv.* 3, 56. *extr.* Appellatio, provocatioque adversus injuriam magistratuum. Differunt hae vi et significatione: res sunt idem. *Appellatio* est nuncupatio judicis alterius, ad quem transferri judicium petimus: *provocatio*, adversariorum evocatio ad alium judicem. V. PROVOCO.

PROVŌCĂTĪVUS, a, um, adj. provocaticius. *Tert. Anim.* 37. *extr.* Animae crementa non substantiva, sed provocativa, *h. e.* evocata, elicita.

PROVŌCĂTOR, oris, m. ἐρεθιστής, qui provocat ad certamen. *Just.* 10, 3. Cum adversus provocatorem processisset; et 33, 4. Adversus provocatores saepe pugnavit. *Gell.* 9, 13. Insolens provocator. Adde *Epit. Liv.* 48. *med.* ℙ Item genus gladiatorum, qui adversarium primi lacessendo provocabant. Cum Samnitibus componit *Cic. Sest.* 64. *med.* Cum ex ergastulis emptos nominibus gladiatoriis ornarit, et sortito alios Samnites, alios provocatores fecerit. [Adde *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 234. *n.* 614. et 615. V. PROVOCO. *F.*]

PROVŌCĂTŌRĬUS, a, um, adj. προκλητικός, ἐρεθιστικός, ad provocandum pertinens. *Gell.* 2, 11. de L. Siccio Dentato: Populi militaria dona habuit multijuga: in his provocatoria pleraque, *h. e.* ob caesum ex provocatione hostem. Octies eum ex provocatione victorem fuisse, tradit *Plin.* 7, 28, 29.

PROVŌCĂTRIX, icis, f. quae provocat et lacessit. *Lactant.* 6, 18. *med.* Provocatrix improbitas.

PROVŌCĂTUS, a, um, part. a *provoco:* προκεκλημένος, πρόκλητος, invitatus, lacessitus. *Cic. Fam.* 1, 7. Quid mecum saepissime, non solum a me provocatus, sed etiam sua sponte, de te communicare solet. *Id. Fin.* 1, 3. Provocatus gratissimo mihi libro, quem ad me de virtute misisti. *Id. Off.* 1, 15. et *Anton. ad eund. post ep.* 13. *l.* 14. *ad Att.* beneficio. *Cic. Manil.* 6. injuriis. *Caes. B. C.* 1, 74. sermonibus. *Tac. H.* 3, 24. minis et verbis; et *ib.* 4, 17. bello. *Id. A.* 14, 49. injuria. *Pl. Ep.* 5, 1. *extr.* pedibus, *h. e.* ad cursuram. *Liv.* 8, 7. Provocatus equestria haec spolia capta ex hoste caeso porto. *Just.* 34, 4. Ut crudelitate patris provocatus, occupet insidias. *Id.* 5, 4. *med.* Excusantes, iratum provocatumque fecisse. ℙ *Provocatus* proprie dicitur de judicio ad alium judicem remisso. V. v. sq. ℙ *Plin. ep.* 7, 9. *f.* Qui sint hi, adeo notum provocatumque est, ut demonstratione non egeat, *h. e.* compertum exploratumque: nam causae provocatae et saepius actae melius intelliguntur: vel apertum, et quasi foras vocatum elicitumque: nam *provocare* elicere est. Verum omnis difficultas tollitur, si legas *probatumque*, quod facit ex MSS. *Cortius:* alii leg. *provulgatumque.*

PROVŌCO, as, avi, atum, a. 1. προκαλέω, foras voco, evoco, accio, elicio. *Pl. Ps.* 2, 2, 43. Herus si tuus domi est, quin provocas? *Id. Mil.* 4, 3, 28. Tu hic ante aedes interim speculare, ut, ubi illaec prodeat, me provoces. *Phaedr.* 4, 24. cuidam servulo, Mandant, ut ad se provocet Simonidem. *Pl. Bacch.* 3, 3, 40. Provocatur paedagogus: eho senex minimi pretii, ne attigas puerum ista causa. *Tibull.* 1, 10, 62. Dum rota Luciferi provocet orta diem: scil. quia sol Luciferum antecedentem sequitur. [*Cf. *Ov. Fast.* 1, 456.] ℙ Translate. *Colum.* 3, 15. *med.* Vinacea permixta stercori depositis seminibus in scrobem provocant et eliciunt novas radiculas. ℙ Saepissime est ad certandum invitare, lacessere, tentare, excitare; tum in bonam, tum in malam partem. *Pl. Curc.* 2, 3, 75. Talos poscit sibi in manum: provocat me in aleam, ut ego ludam. *Macrob. Sat.* 1, 10. *med.* Provocare aliquem tesseris. *Ter. Eun.* 3, 1, 52. Pamphilam cantatum provocemus. *Id. Ad.* 5, 4, 23. Experiamur, quid ego possiem blande dicere, aut benigne facere, quando eo provocat. *Cic. ad Brut.* 1, 1. Respondere in amore iis, a quibus provocere, *Id. Tusc.* 4, 22. Provocare aliquem ad pugnam. *Virg. G.* 3, 193. de equo: cursibus auras Provocet. [*Proprium verbum est in certamine bibendi. *Sen. ep.* 95. non minus potant, et oleo et mero viros provocant. *Vopisc. Firm.* 4. Nam quidam Burburus nomine, de numero vexillariorum, notissimus potator, cum ad bibendum eundem provocasset. V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 2, 7. p. 160. *ed. Fr.*] ℙ Provocare sponsione. V. SPONSIO. ℙ [**Provocare minimo*. V. MINIMUS.] ℙ Translate. *Plin. ep.* 2, 7. Tanta ei sanctitas, gravitas, auctoritas etiam, ut posset senes illos provocare virtute. In quodam S. C. ap. *Plin. ep.* 8, 6. *med.* Exemplo studium honestae aemulationis provocare. *Id. ep.* 10, 7. Bonam conscientiam civium ad usum indulgentiae principis provocare et attollere. *Tac. H.* 5, 1. Comitate et alloquiis officia provocans. *Suet. Cal.* 27. et *Claud.* 21. Omni comitate ad hilaritatem et jocum provocare.

Id. Aug. 74. ad communionem sermonis. *Plin. Pan.* 49. Sermones provocare et reddere. ℙ [*Quoniam autem, qui ad certamen alterum vocat, certus victoriae esse solet aut esse sibi videtur, *provocare* dicitur pro superare. Huc pertinet locus, quem Noster §. anteced. adjecerat, *Quint. Inst.* 10, 1, 93. Elegia Graecos quoque provocamus. — Itaque homines etiam res inanimes eodem sensu *provocare* dic.; cujus generis iterum laudaverat Noster in anteced. §. illud: *Plin. H. N.* 35, 10, 36. *n.* 16. Pinxit et heroa nudum: eaque pictura naturam ipsam provocavit. — Denique ad ipsa inanima transfertur, quae superant aliam rem. Pertinent huc, quae idem Noster in praecedd. laudaverat. *Plin. Pan.* 51, 3. Immensum latus Circi templorum pulchritudinem provocat; et *Plin. alter H. N.* 16, 8, 12. Omnes tamen has ejus (roboris) dotes ilex solo provocat cocco.] ℙ Cum infinito. *Id.* 9, 17, 30. Apicius e jecore mulloru.. alecem excogitare provocavit. ℙ Pro irritare. *Id. prooem.* 19. *med.* Tot modis provocare mortem. *Id.* 6, 33, 38. Inermes, et pacata audacia fortunam provocantes homines. *Tac H.* 2, 61. Provocare arma Romana ausus est. *Id. G.* 35. et *Plin. Pan.* 16. bellum. *Eum. Pan. ad Constant.* 7. odium. *Lucan.* 4, 725. iratas aspidas. *Cic. Phil.* 2, 18. *extr.* aliquem maledictis. *Vell.* 2, 118. injuria. ℙ Pro extorquere, impetrare, obtinere, elicere. *Hor. Epod.* 8, 19. Provocare quippiam ab aliquo. ℙ Est etiam vocare accusatorem suum ad alium judicem. V. dicta in PROVOCATIO. *Cic. Phil.* 1, 9. Ut de majestate damnati ad populum provocent. *Liv.* 1, 26. et 3, 56. Arreptus a viatore, Provoco, inquit. *Id.* 1, 26. Si a duumviris provocarit, provocatione certato; et 3, 56. Quem enim provocaturum, si hoc indemnato indicta causa non liceat? *Papin. Dig.* 26, 7, 38. et *Modest. ib.* 48, 2, 18. Provocare adversus sententiam. ℙ Cum accus. *Liv.* 3, 56. *med.* Ait, se provocare populum. Alii rectius leg. *ad populum. Ulp. Dig.* 28, 8, 6. Si nulli sint debitores, aut judicem provocent. *Id. ib.* 49, 3, 1. Si praefectus urbi judicem dederit, vel praetorio, ipse erit provocandus, qui eum judicem dederit. ℙ *Provocare*, et *appellare* re idem sunt: sed proprie *provocare* ad adversarium, seu accusatorem refertur, qui evocatur ad alium judicem: *appellare* respicit ipsum judicem, quem nuncupamus invocamusque, ut opem ferat, et iterum judicet. *Liv.* 8, 33. Tribunos plebis appello, et provoco ad populum. *Val. Max.* 8, 1. *n.* 1. Horatius a Tullo damnatus, ad populum provocato judicio, absolutus est. ℙ *Provocare in integrum*, revocare. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* De Caesare vero quod fieri potuit ac debuit, transactum est, neque jam provocari in integrum potest. Alii leg. *revocari:* sed neutram lectionem habuerim pro genuina, inquit *Grut.* [*Orell.*, q. v., habet *revocari.*] ℙ *Provocatus est*, provocavit, ut *punitus est*, punivit; *multatus est*, multavit, etc. *Flor.* 2, 17. Cum rex fuisset provocatus. Alii aliter leg. ℙ [*Provocans* etiam dicitur gladiator, qui saepius *provocator* appellatur. *Inscr.* paucis abhinc annis Patavii reperta, et in *Giorn. dell' Ital. letter.* T. 50. p. 106. illustrata. D. M. Purricina Juveni provocanti cojugi bene merenti fecit, qui vixit annis XXI., in ludo annis IIII., pugnas *(tulit)* V. Vide PROVOCATOR. *F.*] ℙ [*Confund. *provocare* et *revocare.* V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* l. supra l.]

PROVOLO, as, avi, atum, n. 1. *ἐκπέτομαι*, ante, aut ultra, aut longe volando feror. *Plin.* 10, 58, 79. de columbis: Inter pullos saepe ova inveniuntur, et alii provolant, alii erumpunt. *Id.* 11, 18, 19. de apib.: Rubetae veniunt ultro, adrepentesque foribus per eas sufflant: ad hoc provolant, confestimque abripiuntur. ℙ Translate est celeriter procurrere, ferri. *Lucr.* 6, 292. Tantus dissidio nubis, ventique procella Mittitur, ardenti sonitus cum provolat ictu. *Plin.* 11, 31, 36. Indi furantur aurum aestivo fervore, conditis propter vaporem in cuniculos formicis: quae tamen odore sollicitatae provolant, crebroque lacerant. *Liv.* 2, 46. *f.* et 3, 62. *f.* In primum infestis hastis provolant duo Fabii, *h. e.* ad primam aciem procurrunt. Eodem modo locutus est *ib.* 20. et 10, 14. succedere in primum, dixit. Sic 1, 12. Ipse ad primores Romulus provolat. *Ov. Fast.* 6, 443. Provolat in medium, et magna, Succurrite, voce, Non est auxilium flere, Metellus ait. Al. leg. *praevolat;* alii *pervolat. Claud. Qradrig.* ap. *Gell.* 2, 19. Eorum parentes cum propinquis capillo passo in viam provolarunt. *Caes. B. G.* 2, 19. *med.* Subito omnibus copiis provolaverunt, impetumque in nostros equites fecerunt. ℙ Ab *Ascon.* in *Div. Verr.* 15. tabulata prominentia extra parietem, *provolantia* dicuntur. Ejus verba sunt: Maenius cum domum suam venderet Catoni et Flacci censoribus, ut ibi basilica aedificaretur, exceperat jus sibi unius columnae, supra quam tectum projiceret ex provolantibus tabulatis. V. MAENIA.

PROVOLVO, is, vi, utum, a. 3. *προκυλίω*, porro volvo, volvendo protrudo, ruere facio, devolvo. *Ter. Andr.* 4, 4, 37. Nisi puerum tollis, jam ego hunc in mediam viam provolvam, teque ibidem pervolvam in luto. *Hirt. B. G.* 8, 42. Cupas sevo, pice, scandulis complent: eas ardentes in opera provolvunt. *Tac. A.* 4, 51. Miles contra deturbare telis, pellere umbonibus, congestas lapidum moles provolvere. Adde *H.* 2, 22. et *ib.* 3, 27. *Virg. A.* 10, 555. deturbat *(caput)* terrae, truncumque tepentem Provolvens, super haec inimico pectore fatur. *Ov. Met.* 8, 585. de amne tumido: Cumque loco Nymphas, etc. In freta provolvi. *Id. Hal.* 57. Foedus Lucanis provolvitur ursus ab antris. *Virg. A.* 12, 532. hunc lora et juga subter Provolvere rotae. *Lucr.* 6, 551. ubi magnas in aquae vastasque lacunas Gleba vetustate e terra provolvitur ingens. *Tac. H.* 1, 41. Trepidatione ferentium Galba projectus e sella, ac provolutus est. ℙ De iis, qui adoraturi, aut aliquid petituri procumbunt, et se prosternunt. *Liv.* 6, 3. Cui cum se moesta turba ad pedes provolvisset, etc. *Id.* 34, 11. Flentes ad genua consulis provolvuntur. Orant, ne, etc. ℙ Translate. *Tac. A.* 6, 17. Copiam vendendi secuta vilitate, quanto quis obaeratior, aegrius distrahebant: multique fortunis provolvebantur. Sic everti bonis, *Cic. Fl.* 5. devolutus fortuna, *Appul. Apol.*

PROVOLUTUS, a, um, part. a *provolvo.* Tmesis est in illo *Lucretii* 6, 1262. Multa siti prostrata viam per, proque voluta Corpora, silanos ad aquarum strata jacebant. ℙ Item qui se adorandi, vel aliquid petendi causa, prosternit. *Just.* 11, 9. et *Tac. A.* 12, 18. Genibus ejus provolutus; et *Curt.* 3, 12. Mater et conjux provolutae ad pedes orare coeperunt, ut, etc. ℙ Translate. *Gell.* 1, 26. Provolutus, effususque in iram; et *Tac. A.* 14, 2. Usque ad libita Pallantis provoluta.

PROVOMO, is, a. 3. evomo, emitto. *Lucr.* 6, 446. Turbinis immanem vim provomit, atque procellae.

[PROVORSUM Fulgur appellatur, quod ignoratur noctu, an interdiu sit factum, itaque Jovi Fulguri (lege *Fulguritori*) et Summano fit, quod diurna Jovis, nocturna Summani fulgura habentur. Haec *Festus.* Putant eruditi *provorsum* perperam hic positum fuisse pro *controvorsum*, h. e. *controversum:* recte enim controversa ea dici possunt fulgura, de quibus controversia est, quo tempore ceciderint, diluculo nempe, sive crepusculo. Suspicatur (ait *Gesnerus* in *Thesauro* ad V. *Proversus) Scaliger*, ex errore hoc esse vel *Festi*, vel *Pauli*, pro *controversum.* Et sane *con* et *contra* sic solent contrahi in scriptura Langobardica, ut in *pro* facile mutari possint. *F.*]

PROURGĒO. V. PROVIDEO.

PROUT, adv. *ὡσγε, καθάπερ*, sicut, perinde ut, quemadmodum. *Cic. Verr.* 2, 2, 34. Prout Thermitani hominis facultates ferebant. *Id. Att.* 11, 6. *extr.* Tuas litteras, prout res postulat, exspecto. *Caes. B. C.* 3, 61. *f.* Prout cujusque eorum aut natura, aut studium ferebat. *Pompej.* ap. *Auct. B. Hisp.* 26. Etsi, prout nostra felicitas, ex sententia adversarios adhuc propulsos habemus. *Liv.* 38, 40. *f.* Prout locus iniquus, aequusque his aut illis; prout animus pugnantium est, prout numerus, varia pugnae fortuna est. Adde 3, 57. *med.* et *Nep. Att.* 1. ℙ Sequente *ita. Plin.* 5, 9, 10. Prout in Mauritania nives imbresve satiaverint, ita Nilum increscere. *Id.* 28, 2, 4. Prout quaeque accepta sint, ita valere. ℙ Poetae synaeresin faciunt. *Hor. Sat.* 2, 6, 67. prout cuique libido est. Alii leg. *cum ut, Bentlejo* probante. *Ov. Her.* 21, 227. Sed tamen aspiceres vellem, prout ipse rogabas.

PROVULGĀTUS, a, um, part. a *provulgo:* permulgatus. *Suet. Ner.* 36. Duabus conjurationibus provulgatis. Al. leg. *promulgatis*, al. *pervulgatis.* [*Male!]

PROVULGO, as, avi, atum, a. 1. *Appul. Apol.* Provulgari eas litteras. Alii leg. *promulgari. Sidon. ep.* 9, 11. Thematis inauditi operam provulgat. Adde *Tert. adv. Marc.* 4, 21. et *Sulpic. Sev. H. sacr.* 2, 5.

PROX, bona vox, velut quidam putant, significare videtur, ut ait Labeo de jure pontificio libro undecimo. *Festus:* Sunt qui *Plauto* tribuunt *Ps.* 5, 1, 33., sed alii rectius *pax* reponunt.

PROXĔNĒTA, ae, m. *προξενητής*, conciliator, interpres duorum inter se stipulantium, aut spondentium, aliumve quemvis contractum, conventumque ineuntium: a voce Graeca allata. *Mart.* 10, 3. Quae sulphurato nolit empta ramento Vatiniorum proxeneta fractorum. *Sen. ep.* 119. Aes alienum facias oportet, sed nolo, per intercessorem mutueris; nolo, proxenetae nomen tuum jactent. Adde *Ulp. Dig.* 50. *tit.* 14. qui *De Proxenetis* inscribitur.

PROXĔNĒTĬCUM, i, n. merces, quae proxenetae datur. *Ulp. Dig.* 50, 14, 1. Proxenetica jure licito petuntur; et *ib.* 3. De proxenetico (quamquam est sordidum) solent praesides cognoscere. V. PHILANTHROPIA.

PROXĬMĀTUS, us, m. dignitas ejus, qui in sacris Palatii scriniis militans proximus erat magistro libellorum. *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 6. *tit.* 26. qui *De proximis comitib. dispositionum* inscribitur, *l.* 11. et 17. V. PROXIMUS.

PROXĬMĔ et Proxume, adv. *ἐγγυτα*, valde prope: superl. a *prope. Caes. B. C.* 1, 72. *extr.* Quam proxime potest hostium castris castra communit. *Auct. B. Hisp.* 15. Usque eo ut caedem proxime a vallo fecerint. *Plin.* 5, 26, 21. A Sura proxime est Philiscum oppidum Parthorum. *Colum.* 1, 6. *med.* Omnes tamen quam proxime alter ab altero debent habitare. *Sall. Jug.* 22. Proxume Hispaniam Mauri sunt. *Cic. Att.* 6, 5. *f.* Exercitum habere quam proxime hostem. *Id. Fam.* 11, 21. *med.* Me tuae virtuti proxime accedere. ℙ Translate est simillime, ferme. *Liv.* 24, 48. Regi pedites conscripsit, ordinatosque proxime morem Romanum instruendo et decurrendo signa sequi, et servare ordines docuit; et 30, 10. *med.* Erat res minime certamini navali similis, proxime speciem muros oppugnantium navium. ℙ *Proxime atque*, similiter atque. *Cic. Fam.* 9, 13, Non possum ego non aut proxime atque ille, aut etiam aeque laborare. ℙ Pro apte, et ad rem maxime convenienter, [*verissime. V. *Spald.* ad *Quint.* l. mox l.] *Quint.* 6, 2. *med.* Et ut proxime utriusque differentiam signem, illud (*ἦθος*) comoediae, hoc (*πάθος*) tragoediae simile. ℙ Refertur etiam ad tempus praeteritum, sed quod modo fuit, aut postremo factum est. *Caes. B. G.* 3, 29. Civitates, quae proxime bellum fecerant. *Cic. Fam.* 6, 10. Itaque et Postumulejo, et Sestio, et saepissime Attico nostro, proximeque Theudae liberto tuo totum me patefeci. *Id. Part.* 39. Quae paulo ante praecepta dedimus ambigui, quaeque proxime sententiae et scripti. ℙ Et ad tempus mox futurum. *Plin. ep.* 5, 7. Velim ergo, cum proxime judices contrahentur, quid sit juris, indices. ℙ Et ad ordinem temporis. *Cels.* 3, 2. *med.* Proximeque abstinentiam sumendus est cibus exiguus. *Pall.* 9, 8. *med.* Proxime solis occasum. ℙ Item ad ordinem rerum. *Cic. Off.* 2, 3. *med.* Proxime autem, et secundum Deos, homines hominibus maxime utiles esse possunt. [*Ad pleonasmum *proxime et secundum F. Heus.* observat, plus esse *secundum*, quam *proxime*, laudato *Non.* in v. *proximum*, et comp. *Hor. Od.* 1, 12, 18. sq. Contrarium probari posse dicit *Beier.* ad *Cic. Off.* 2, 3. *med.* ex illo *Quint. Inst.* 10, 1, 54. ut plane manifesto appareat, quanto sit aliud proximum esse, aliud secundum. Sed auctores utriusque linguae multis solere verbis simpliciter addere alia, quibus vis superiorum declaretur magis et definiatur: coll. *Fisch.* ad *Plat. Apol. c.* 1. *n.* 16.] *Vell.* 2, 124. *f.* Quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Caesaris, proxime a nobilissimis ac sacerdotibus viris, destinati praetoribus contigit. *Plin.* 12, 12, 26. de nardo: In nostro orbe proxime laudatur Syriacum, mox Gallicum, tertio loco Creticum, *h. e.* statim post Indicum. *Id.* 16, 40, 79. A praedictis morus proxime laudatur. *Id.* 34, 14, 39. Proxime indicari debent metalla ferri. ℙ Et qualitatis ac virtutis. *Plin.* 23, 8, 80. Proxime valent cetera lauri genera. *Id.* 25, 8, 53. Quidquid in Creta nascitur, infinito praestare ceteris ejusdem generis alibi genitis: proxime quod in Parnasso. *Id.* 23, 4, 39. Utilissimum esse omphacium: proxime viride. ℙ Comp. *Proximius* est *Minuc. Fel. Octav.* 19. Quid Mantuanus Maro? nonne apertius, proximius, verius? *h. e.* congruentius, et magis ad veritatem accedendo. Alii leg. *proximius veris.* Addunt *Manil.* 3, 512., sed ibi lectio variat.

PROXĬMĬTAS, atis, f. *ἐγγύτης*, vicinitas. *Vitr.* 2, 9. *med.* Quae pars est proxima terrae, per radices excipiens ex proximitate humorem enodis efficitur. *Ov. de nuce* 56. Meque ream nimiae proximitatis agi. ℙ Translate est similitudo. *Ov. A. Am.* 2, 661. Dic habilem, quaecumque brevis; quae turgida, plenam: Et lateat vitium proximitate boni. ℙ Item propinquitas sanguinis, cognatio. *Quint.* 3, 6. *f.* Cum hic testamento, ille proximitate nitatur. *Ov. Met.* 10, 339. ipsaque damno Est mihi proximitas. ℙ Item conjunctio. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Est amoris tertia species, quam diximus mediam, divini atque terreni proximitate collectus, nexuque et consortio pari copulatur.

PROXĬMO, adv. idem ac proxime. *Cic. Att.* 4, 17. Proximo a. d. VI. Cal. Octobr. exercitum Britannia reportabant. Alii leg. *proxime.* [*Orell.*, q. v., habet *proximo.*] *Id. Sen.* 7. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, et proximo scripserat, recitasse; et *ib.* 15. Et mihi ad sapientis vitam proximo videntur accedere. Ita leg. utroque loco *Charis.* 2, 191. Alii *proxime.* [*Ita *Orell.*]

PROXĬMO, as, n. 1. *ἐγγίζω*, proximus sum, appropinquo. *Cic. N. D.* 2, 44. Capiti autem Equi proximat Aquarii dextra, totusque deinceps Aquarius. *Solin.* 48. Proximat ei Margiane regio. *Appul. Met.* 2. *f.* Dum in vicum proximamus; et *ib.* 11. Paulatim progressi, jam ripam maris proximamus; et *ib.* 6. Sacratis foribus proximat; et *ib.* 5. Luce proximante.

PROXĬMUS et Proxumus, a, um, adj. *ἐγγύτατος*, valde vicinus, maxime propinquus: superl. a *propior. Caes. B. G.* 3, 12. Se in proxima oppida recipiebant; et *ib.* 1, 1. Belgae proximi sunt Germanis. *Cic. N. D.* 2, 20. Huic proximum inferiorem orbem tenet *πυρόεις*. *Hor. Sat.* 1, 5, 45. Proxima Campano ponti villula. *Cic. Off.* 2, 12. *med.* Hanc viam ad gloriam proximam, et quasi compendiariam dicebat esse, si quis id ageret, ut qualis haberi vellet, talis esset; et *Caes. B. G.* 1, 10. Qua proximum iter in Galliam per Alpes erat. ℙ *Proximus ab aliquo*, qui post aliquem prope sequitur. *Liv.* 37, 25. Ut quisque proximus ab oppresso sit, per omnes, velut continens incendium, pervasurum. *Cic. Or.* 64. Aut etiam dactylus, si est proximus a postremo. *Ov. A. Am.* 1, 139. Proximus a domina, nullo prohibente, sedeto. *Juven.* 10, 120. divinae Philippica famae, Volveris a prima quae proxima. ℙ Regit etiam ac-

cusativum, ut *proxime*. *Cic. Att.* 1, 14. Proximus Pompejum sedebam. Alii leg. *proxime*. *Liv.* 35, 27. Ad depopulandam Tripolim Laconici agri, qui proximus finem Megalopolitarum est. *Pl. Poen.* 5, 3, 1. Quis pultat? *Mil.* qui te proximus est. *Gell.* 3, 2. Quae sex posterioribus noctis horis fiunt, eo die fieri dicuntur, qui proximus eam noctem illucescit. Afferantur praeterea loca *Sall. Jug.* 21, 53. et 80., *Caes. B. G.* 3, 7., *Liv.* 8, 32. *med.* et 29, 7., quae omnia variam incertamque lectionem habent, ut et *Gratii* verba infra afferenda. ℙ Absolute. *Ter. Heaut.* 1, 1, 2. et *Hec.* 3, 2, 6. Non visam uxorem Pamphili, cum in proximo hic sit aegra? et *Cic. fil. Fam.* 16, 21. Huic locum in proximo conduxi. *Pl. Rud.* 2, 3, 73. Aquam hinc de proximo rogabo. *Id. Aul.* 2, 4, 11. Filiam vicini hujus Euclionis senis e proximo; et *Nep. Pel.* 2. Ut quemque ex proximo locum sors obtulisset, eo patriam recuperare niterentur. *Pl. Mil.* 2, 3, 16. Forte fortuna per impluvium huc despexi in proximum. *Ter. Eun.* 3, 5, 64. Eamus ad me: ibi proximum est, ubi mutes. ℙ *Proximum est, ut*, restat, sequitur. *Cic. Fl.* 12. Proximum est ergo, ut, opus fuerit classe, nec ne, quaeramus. *Id. N. D.* 2, 29. Proximum est, ut doceam, Deorum providentia mundum administrari. ℙ *Proximus lictor* quis sit, V. LICTOR. ℙ *Vicinus proximus* cum leges, *vicinum* intellige, unum ex vicinia: *proximum*, qui valde prope habitat. *Pl. Most.* 3, 1, 138. De vicino hoc proximo tuus emit aedes filius. *Ter. Hec.* 1, 2, 49. Despondit ei natam hujus vicini proximi. *Ulp. Dig.* 50, 15, 4. Et quos duos vicinos proximos habeat. *Cic. Att.* 2, 14. Sed omitto vulgus: post horam quartam molesti ceteri non sunt. C. Arrius proximus est vicinus: imo ille quidem jam contubernalis. ℙ Refertur etiam ad ea, quae valde vicina sunt ratione temporis vel praeteriti, vel futuri. *Cic. Cat.* 1, 1. Quid proxima, quid superiore nocte egeris; et *Amic.* 2. His proximis Nonis, cum in hortos Bruti venissemus, tu non affuisti. *Id. Fam.* 1, 9. *med.* Gabinius, quem proximis superioribus diebus acerrime oppugnasset. *Caes. B. G.* 1, 40. *f.* Se proxima nocte castra moturum; et *ib.* 2, 12. Quas legationes inita proxima aestate ad se reverti jussit. *Nep. A.* 3. Imperator factus, proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello subegit. *M. Cato* ap. *Gell.* 10, 24. et ap. *Non.* 2, 650. Die proximi, *h. e.* die proximo. V. CRASTINUS. *Cic. Att.* 11, 11. Ego tuis proximis (*litteris*), quas tamen jampridem accepi, nihil habeo quod rescribam; et *Tusc.* 4, 30. *f.* Eis de rebus primo et proximo die disputatum est. *Id. Fam.* 10, 26. Utrum hac petitione, an proxima praetor fias. *Id. Mil.* 9. Reliquit annum suum, seque in annum proximum transtulit. *Id. Off.* 1, 30. *f.* Qui praefectus classi proximus post Lysandrum fuit. *Id. Sen.* 12. *f.* Hic, Tito fratre suo censore, qui proximus ante me fuerat, elapsus est. ℙ Item ad ordinem. *Id. Inv.* 2, 58. Summa necessitudo videtur esse honestatis: huic proxima incolumitatis: tertia ac levissima commoditatis. *Id. Att.* 1, 1. *med.* Observat L. Domitium maxime, me habet proximum. ℙ Translate est similis. *Hor. A. P.* 338: Ficta voluptatis causa sint proxima veris. *Cic. Leg.* 2, 16. Id habendum est antiquissimum, et Deo proximum, quod est optimum. *Virg. Ecl.* 7, 22. proxima Phoebi Versibus ille facit. *Sen. ep.* 108. *med.* Ut quorum abstinentiam interrupi, modum servem, et quidem abstinentiae proximiorem. *Val. Max.* 2, 6. Proxima majorum gravitati Spartana civitas. *Quint.* 10, 2. Proxima virtutibus vitia. *Id. decl.* 13, 11. Barbari, quos proxima belluis natura efferavit. *Grat. Cyn.* 96. Deus ille, an proxima Divos Mens fuit. Alii leg. *Divo*, alii *Divis*. ℙ De iis, qui cognatione, affinitate, amicitia junguntur. *Ter. Ad.* 4, 5, 17. Hic illi genere est proximus. *Nep. Ag.* 1. Proximus propinquitate. *Cic. Inv.* 2, 49. cognatione. *Petr. Sat.* 116. Qui nec uxores unquam duxerunt, nec proximas necessitudines habent; et *Ulp.* ap. *Prisc.* 3, 607. Si quis proximior cognatus nasceretur. Et absolute *Cic. Off.* 1, 14. *med.* Injuriosi sunt in proximos: quas enim copias his et suppeditari aequius est, et relinqui, eas transferunt ad alienos. *Caes. fragm.* ap. *Gell.* 5, 13. *extr.* Neque hominum morte memoria deleri debet, quin a proximis retineatur. *Quint. decl.* 3, 18. *extr.* Optimum fuerat non habuisse talem proximum, aut libenter perdidisse. Huc pertinet illud *Ter. Andr.* 4, 1, 12. Heus! proximus egomet mihi, *h. e.* maxime conjunctus, carior mihi sum, quam quisquam alius. Similem vim habet illud *Pl. Trin.* 5, 2, 30. Tunica propior pallio est. Et Graecorum, ap. *Cic. Fam.* 16, 23. *Τόν κνήμης:* subaudi *ἐγγύτερον*. In illo *ejusd. Verr.* 2, 5, 64. Cum haec omnia cumulate tuis proximis plana fecero: *proximi* sunt amici, advocati, defensores Verris, qui in judicio aderant, et in ejus subsellio fortasse sedebant. Similiter in illo *ejusd. Pis.* 32. C. Caesar me sui totius consulatus, eorumque honorum, quos cum proximis communicavit, socium esse voluit: *proximi* sunt familiares, qui circa sunt, qui lateri adhaerent, quod pluribus confirmat *Gronov. Observv.* 1, 23. Sic *Gell.* 3, 8. Ut a proximorum insidiis salutem tutaretur. Loquitur de Pyrrho, quem veneno se sublaturos amici ejus Romanis pollicebantur; et *Cic. Q. Fr.* 1, 4. Intimus, proximus, familiarissimus quisque sibi pertimuit. *Hor. Sat.* 1, 9, 53. Accendis, quare cupiam magis illi proximus esse. ℙ Universim quicumque alteri prope accedunt re qualibet. *Nep. Them.* 9. Potissimum Thucydidi credo, quod aetate proximus erat. *Cic. Att.* 1, 20. Tibi amore nos proximi sumus. *Id. Cluent.* 55. *f.* Equites ordini senatorio dignitate proximi. *Id. Dom.* 28. Proximus est huic dignitati (*senatus*) ordo equester. ℙ *Proximus*, absolute *ὁ πλησίον:* ea nimirum ratione, qua dicitur *Matth.* 22, 39. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. *Val. Max.* 6, 9. Multum animis hominum et fiduciae adjicere, et sollicitudinis detrahere potest morum et fortunae in claris viris recognita mutatio, sive nostros status, sive proximorum ingenia contemplemur, *h. e.* sive aliorum. *Quint. decl.* 259. In illa omnium trepidatione, in qua pro sua quisque salute sollicitus nihil de proximo cogitabat. ℙ *Proximus* etiam dicitur, qui nec aequali, nec secundo loco est, sed quamvis longe remotus sit, minus tamen distat, quam ceteri. Re vera enim proximus est, qui ante se propiorem primo habet neminem. Itaque differt a *secundo*, qui post primum statim sequitur. *Quint.* 10, 1. *med.* Sed quamvis ei secundas fere grammaticorum consensus deferat, et affectibus, et jucunditate, et dispositione, et omnino arte deficitur: ut plane manifesto appareat, quanto sit aliud proximum esse, aliud secundum. [*V. *Spald.* ad h. l. et in *proxime*.] *Cic. Brut.* 47. Duobus igitur summis, Crasso et Antonio, L. Philippus proximus accedebat, sed longo intervallo, tamen proximus. (*Virg. A.* 5, 320.) Itaque eum, etsi nemo intercedebat, qui se illi anteferret, neque secundum tamen, neque tertium dixerim. *Hor. Od.* 1, 12, 18. Nec viget quidquam simile (*Jovi*) aut secundum: Proximos illi tamen occupavit Pallas honores. ℙ Denique *proximum* dicimus, quod promptum atque obvium est, facile, proclive, evidens: nam quae prope nos sunt, in promptu sunt. *Quint. decl.* 13, 10. Ut proximo utar argumento. *Gell.* 3, 14. *med.* Cum obvium, proximumque esset dicere, etc. *Appul. Apol.* Nae tu nimium patiens vir es, et oppido proxima humanitate. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 651. Sed quia profunda non licet luctarier Ratione tecum, consulamus proxima. ℙ *Proximus* est etiam idem ac praepositus: hinc *mello-proximus*, qui anno insequenti praeponendus est, et *exproximus*, qui jam eo munere functus est. *Imppp. Grat., Valent. et Theodos. Cod. Theod.* 6, 26, 4. Proximos memoriae, epistolarum ac libellorum ita vicariorum honore cumulamus, ut, etc. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 258. *n.* 86. T. Aelio Aug. Lib. Tatiano proximo a libris sacerdotalibus, etc. Hinc est *Proximatus*, q. v. v. s. l. ℙ [*Confund. *proximus* et *primus*. V. *Brem.* ad *Suet. Caes.* 50. *proxima* et *prolixa; Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 381.]

PRŪDENS, entis, adj. *σώφρων, φρόνιμος*, prudentia praeditus, multarum rerum peritus, providus, sapiens: a *providens* per syncopen. *Cic. Part.* 5. Orator prudens et providus. *Id. Or.* 5. Vir natura peracutus et prudens. *Sall. in. or. ad Caes.* 2. Neque de futuro quisquam satis callidus, satisque prudens est. *Cic. Cluent.* 38. Quis P. Octavio ingenio prudentior, jure peritior? *Suet. Tib.* 21. Circumspectissimus et prudentissimus princeps. *Cic. Font.* 15. *f.* Vir ad labores belli impiger, ad pericula fortis, ad usum ac disciplinam peritus, ad consilia prudens. *Id. Leg.* 1, 16. *f.* Quis prudentem, et, ut ita dicam, catum, non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa judicet? *Id. Brut.* 68. Elegans in dicendo, in existimando admodum prudens. *Sall. Cat.* 8. Prudentissimus quisque negotiosus maxime erat *Nep. Eum.* 3. Hoc ejus fuit prudentissimum consilium, ut, etc. *Ov. Her.* 21, 137. Prudens animi sententia. *Hirt. B. Alex.* 24. *extr.* Prudentissimo consilio facere aliquid. *Just.* 9, 8. Prudentior ille consilio, hic animo magnificentior. *Petr. Sat.* 112. *f.* Usus est miles ingenio prudentissimae feminae. ℙ Saepe est peritus, doctus, sciens, gnarus. *Nep. Con.* 1. Prudens rei militaris. *Sall.* in. *ep. Mithrid. med.* Milites belli prudentes. *Colum.* 2, 2. *med.* Non solum agricolationis, sed universae naturae prudens. *Id.* 7, 3. *med.* Veterinariae medicinae prudens esse debet pecoris magister. *Juven.* 3, 86. adulandi gens prudentissima. *Liv.* 34, 28. *f.* Achaei locorum prudentes. *Tac. Agr.* 19. Animorum provinciae prudens, simulque doctus per aliena experimenta. *Id. A.* 3, 69. moderandi. *Id. H.* 2, 25. Celsus doli prudens repressit suos. *Enn.* ap. *Gell.* 12. 4. Multarum veterum legum Divumque hominumque Prudens. *Cic. Amic.* 2. Quis prudens esse in jure civili putabatur. *Gell.* 14, 2. *med.* Peto, ut faceret me, ut earum rerum essem prudentior; et *Sall. Jug.* 53. Uti prudentes cum imperiis manum consererent. *Petr. Sat.* 88. Consulere prudentiorem coepi aetates tabularum. ℙ *Juris prudentes*, juris periti, jureconsulti, qui et prudentes absolute dicuntur. *Ulp. Dig.* 38, 15, 2. *extr.*, *Pomp. ib.* 1, 2, 2. et *Papin. ib.* 1, 1, 7. et 40, 7, 36. *Justin. Instit. tit.* 1, 2. *med.* Responsa prudentum sunt sententiae et opiniones eorum, quibus permissum erat de jure respondere. ℙ Cum infinito. *Plin.* 8, 38, 57. Ille contra urinam spargit, prudens, hanc quoque leoni exitialem; et *ib.* 31, 49. Ob ea se peti, prudens. ℙ *Prudens* quippiam facere dicitur, qui rem videns, data opera aliquid facit. *Hor. Sat.* 1, 10, 87. Complures alios, doctos ego quos, et amicos Prudens praetereo; et *ib.* 2, 7, 66. Ibis sub furcam prudens. *Enn.* ap. *Non.* 2, 625. Ut pro Romano populo prognariter armis Certando, prudens animam de corpore mitto. ℙ Eleganter cum *sciens* jungitur. *Cic. Fam.* 6, 6. *med.* Ut in fabulis Amphiaraus, sic ego, prudens et sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus. Adde *eund. Marc.* 5. *Ter. Eun.* 1, 1, 27. Prudens, sciens, vivus, videnque pereo. Ubi *Donatus: prudens*, qui intelligentia sua aliquid sentit: *sciens*, qui alicujus indicio rem cognoscit. Ergo prudens per sese, sciens per alios. *Coel.* ad *Cic. post ep.* 9. *l.* 10. ad *Att. f.* Nec te sciens prudensque eo demittas, unde exitum vides nullum esse.

PRŪDENTER, adv. *φρονίμως*, provide, sapienter. *Cic. Fin.* 5, 6. Facit igitur Lucius noster prudenter, qui audire de summo bono potissimum velit. *Id. Amic.* 2. Multa provisa prudenter. *August.* ap. *Suet. Tib.* 21. Non potuisse quemquam prudentius gerere se, quam tu gesseris. ℙ Perite, docte. *Cic. Div.* 2, 72. *f.* Acutissime sententias suas, prudentissimeque defendere. *Val. Max.* 3, 3. *n.* 4. *extr.* Totius mundi naturam prudentissime et facundissime exprompsit.

PRŪDENTĬA, ae, f. *πρόνοια*, idem ac providentia (ex qua per syncopen facta est), *h. e.* facultas praevidendi futura. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 1, 198. Id enim est sapientis providere: ex quo sapientia appellata est prudentia. *Id. Sen.* 21. Cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque prudentia. Ita legit *Non.*, alii *providentia;* et *de Rep.* 6. ap. *Non. ib.* Totam igitur exspectas prudentiam hujus rectoris, quae ipsum nomen hoc nacta est ex providendo. ℙ Quia vero ex hac praevidendi facultate oritur recta agendi ratio, sumitur fere pro scientia bene agendi, et vivendi, *φρόνησις*. *Cic. N. D.* 3, 15. Prudentia constat ex scientia rerum bonarum et malarum, et nec bonarum nec malarum. *Id. Off.* 1, 43. Prudentia, quam Graeci *φρόνησιν*, est rerum expetendarum fugiendarumque scientia: sapientia autem, quam principem dixi, rerum est divinarum atque humanarum scientia. *Id. Fin.* 5, 23. Prudentia cernitur in delectu bonorum et malorum; et *ib.* 6. Ut medicina valetudinis, navigationis gubernatio, sic vivendi ars est prudentia. *Id. Part.* 23. Prudentiam malitia, fortitudinem audacia imitatur. *Id. Inv.* 2, 53. Prudentiae partes sunt memoria, intelligentia, providentia. *Id. Sen.* 6. *extr.* Temeritas est florentis aetatis, prudentia senescentis. *Id. Part.* 22. Prudentia in suis rebus, domestica; in publicis, civilis appellari solet. *Id. Fin.* 4, 27. *extr.* Omnibus artibus volumus attributam esse eam, quae communis appellatur prudentia. *Virg. G.* 1, 416. rerum fato prudentia major. *Val. Fl.* 4, 622. saepe acri potior prudentia dextra. *Cic. Att.* 12, 4. *extr.* Ad omnes res adhibere prudentiam. ℙ Est etiam scientia peculiaris alicujus rei, peritia, facultas. *Cic. Div.* 2, 11. Physicorum est ista prudentia. *Nep. Cim.* 2. Habebat enim magnam prudentiam cum juris civilis, tum rei militaris. *Cic. Or.* 1, 60. Prudentia juris publici. *Juven.* 12, 32. nullam prudentia cani Rectoris conferret opem; et *Ov. Her.* 5, 150. Deficior prudens artis ab arte mea. ℙ Item intelligentia, vis cognoscendi, peritia. *Cic. Or.* 1, 36. Hanc omnem scientiam et copiam rerum in tua prudentia sciebam inesse. *Id. Part.* 8. Facillime auditor discit, et quid agatur intelligit, si definias, si dividas, si neque prudentiam ejus impedias confusione partium, nec memoriam multitudine. *Id. Or.* 7. Semper oratorum eloquentiae moderatrix fuit auditorum prudentia. Adde *Juven.* 10, 48.

PRŪDENTĬUS. Aurelius Prudentius Clemens Hispanus, ex Calaguri urbe, Christianorum poetarum elegantissimus, natus est anno a Chr. n. CCCXLVIII, et vario carminum genere multa scripsit poetico spiritu, uberi vena, stilo delectabili, Latinitate tamen, ut sua tempora ferebant, minus castigata, et legibus carminis ex ignoratione Graecae linguae saepe violatis: sed non ob id legi indignus.

PRUGNUM, privignum, per syncopen. *Paul.* ex *Festo.*

PRŪĪNĂ, ae, f. *πάχνη*, ros frigore concretus: non enim fit nisi hiemali tempore, et sereno. Sunt qui vocem deducunt a *πρωϊνός*, matutinus. *Paul.* ex *Festo:* Pruina dicta, quod fruges ac virgulta perurat. *Varr. R. R.* 2, 2. Hiberno ac verno tempore, pruina jam exhalata, propellunt oves in pabulum. *Plin.* 31, 3, 21. Rore nimio scabiem fieri, pruina uredinem. *Id.* 2, 60, 61. Pruinam gigni ex rore gelido. *Sen. Q. N.* 4, 3. *extr.* Quod inter aquam et rorem interest, hoc inter pruinam et glaciem; nec non inter nivem et grandinem interesse. *Cic. N. D.* 2, 10. Aqua conglaciat frigoribus, et nive pruinaque concrescit. *Id. Cat.* 2, 10. *f.* Quo pacto illi Apenninum, atque illas pruinas ac nives perferent? *Lucr.* 2, 520. rigidis insessa pruinis. *Val. Fl.* 2, 287. canis urebat (*ratem*) luna pruinis. *Hor. Od.* 1, 4, 4. prata canis albicant pruinis. *Ov. Fast.* 3, 357. Mollis erat tellus rorata mane pruina; et *ib.* 5, 215. Roscida cum primum foliis excussa pruina est; et *ib.* 6, 730. e pratis uda pruina fugit. *Id. Her.* 10, 7. Tempus erat, vitrea quo primum terra pruina Spargitur. *Id. Met.* 3, 487.

ut intabescere flavae Igne levi cerae, matutinaeve pruinae Sole tepente solent. *Stat. Theb.* 3, 468. madidos ubi lucidus agros Ortus, et algentes laxavit sole pruinas. ℙ De nive, frigore, et glacie. *Virg. G.* 3, 363. Interea toto non secius aere ningit: Intereunt pecudes, stant circumfusa pruina Corpora magna boum. *Val. Fl.* 8, 210. Hyperboreae pruinae. *Gell.* 12, 5. *f.* Cur aut in ardoribus solis aestuet, aut in pruinis immanibus obrigescat. *Lucr.* 3, 20. nix acri concreta pruina. *Petr. Sat.* 123. fluctus stupuere pruina. ℙ Metonymice. *Virg. G.* 1, 230. Ad medias sementem extende pruinas, *h. e.* hiemes. ℙ [Significat etiam crassum aliquem et pinguem humorem. *Gargil. de re Hortens.* (ed. *A. A. Scottio*) 2, 7. de amygdalis: Fiunt dulcia ex amaris, si circumfosso stipite tribus a radice digitis latior caverna ponitur, qua pruina decurrat. De ead. re loquentes *Plin.* 17, 27, 43. et *Pall.* 2, 15. *med.*, ille *pituitam*, hic *noxium humorem* vocat. *F.*]

PRŪINOSUS, a, um, adj. παχνώδης, pruinis abundans. *Ov. Am.* 2, 19, 22. Longa pruinosa frigora nocte pati; et *ib.* 1, 6, 65. et *ib.* 13, 2. Pruinosus axis. *Id. Pont.* 1, 2, 56. Sive pruinosi Noctis aguntur equi. *Id. Met.* 4, 82. Solque pruinosas radiis siccaverat herbas. ℙ Translate *Petr. Sat.* 83. *extr.* Sola pruinosis horret facundia pannis, *h. e.* hirtis, tritis, squalentibus, minime nitidis aut comptis: Vel ea ratione loquitur, qua *Mart.* 12, 36. et 14, 137. algentes togas dixit: Vel demum *pruinosi panni* dicuntur, quia orator facundus et pauper tecto carens sub dio et pruinis degere neglectus cogitur.

PRŪNA, ae, f. ἄνθραξ ἡμιέψος, ἀνθρακιά, carbo vivus. Videtur esse a πύρινος, igneus, unde per syncop. *purna*, mox pruna. *Virg. A.* 11, 787. medium freti pietate per ignem Cultores multa premimus vestigia pruna. Ubi *Servius:* Pruna, quamdiu ardet, dicitur. Horatius (*Sat.* 1, 5, 36.) Praetextam, et latum clavum, prunaeque batillum. Cum autem exstincta fuerit, carbo nominatur. Terentius (*Adelph.* 5, 3, 63.) Tam excoctam atque atram reddam, quam carbo est. *Virg. Mor.* 9. Et cinis obductae celabat lumina prunae. *Id. A.* 5, 103. Subjiciunt veribus prunas, et viscera torrent. *Plin.* 20, 6, 23. Allium sub pruna coctum. *Id.* 29, 3, 11. Putamina exusta in pruna. *Id.* 32, 7, 25. Aceti cyathum in calice novo lenta pruna decoquere. *Id.* 13, 4, 9. E palmis prunae vivaces, ignisque lentus.

[PRŪNĪCĬUS, a, um, adj. jam pruna factus. [*Alii deducunt a *pruno.*] *Ov. Met.* 12, 271. Ecce rapit mediis flagrantem Rhaetus ab aris Prunicium torrem. Alii perperam leg. *primitium. F.*]

[PRŪNĬCUS, i, n. προυνεικος, mercenarius, bajulus: a πρὸ, ante, et ἐνείκω, fero. Est nomen serv. in *Inscr.* ap. *Grut.* 1122, 10. *F.*]

[PRŪNŬLUM, i, n. dimin. pruni. Translate. *Front. de orat.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1. *in.* Confusam eam ego eloquentiam partim igneis (fortasse legend. *ligneis*) nucibus Catonis, partim Senecae mollibus et febriculosis prunuleis insitam, subvertendam censeo radicitus. Prunuleis ἀρχαϊκῶς pro *prunulis* scribitur. *F.*]

PRŪNUM, i, n. κοκκύμηλον, fructus pruni arboris: ita fortasse vocatur ab igneo colore. V. PRUNA *in.* Hujus varia sunt genera, Armenia, Aegyptia, cereola, Damascena, onychina, purpurea, praecoqua, silvestria, versicoloria, nigra, hordearia, asinina, etc., quae praeter *Colum.* et *Pall.* enumerat *Plin.* 15. *c.* 13. *Ov. Met.* 13, 817. Prunaque non solum nigro liventia succo, Verum etiam generosa, novasque imitantia ceras. *Mart.* 13, 29. de Damascenis: Pruna peregrinae carie rugosa senectae Sume: solent duri solvere ventris onus. *Id.* 7, 53. cana vocat, quae *Virg. Ecl.* 2, 53. cerea, *Colum.* 10, 404. cereola.

PRŪNUS, i, f. προύνη, arbor pruna ferens. *Colum.* 2, 2. *med.* Ebulum, rubi, pruni silvestres. *Plin.* 13, 10, 19. Prunus Aegyptia. *Pall.* ejus colendae rationem tradit 3, 25. *f.* et 12, 7. *med.*, inserendae 2, 15. *f.* et *de Insit.* 113.

*PRUPERGASĬA, ae, f. προπαρασκευή, i. e. paraceue, praeparatio, figura rhetorica, qua ante utimur, ut confirmaret (al. *confirmet*) id, quod subjecturi sumus, ut ait *Jul. Rufin. de figur. sentent. et elocut.* p. 219. ed. *Ruhnk. B. A.*

PRŪRĪGĬNOSUS, a, um, adj. ξύσιλος, ὀδαξητικὸς, prurigine laborans. *Paul. Dig.* 21, 1, 3. Gibberosi, vel curvi, vel pruriginosi, vel scabiosi (*morbosi non sunt*). ℙ Item turpi pruritu laborans. *Auct. Priap.* 64. quae tot figuris, quod Philenis enarrat, Non editis, pruriginosa discedit.

PRŪRĪGO, inis, f. κνησμὸς, ὀδαξησμὸς, idem quod pruritus: et praecipue dicitur de morbo cutis. *Cels.* 2, 8. *med.* Ubi torpor atque prurigo pervagantur, modo per totum caput, modo in parte. *Mart.* 14, 23. cujus lemma *Auriscalpium:* Si tibi morosa prurigine verminat auris, Arma damus tantis apta libidinibus. *Plin.* 23, 8, 81. Cutis pruriginem succus baccarum lauri emendat. *Id.* 27, 4, 5. Aloe sanat prurigines, et scabiem genarum. *Id.* 25, 11, 87. Hyssopum resistit prurigini in capite. ℙ De pruritu turpi *Mart.* 4, 48. et 11, 73. V. v. sq.

PRŪRĬO, is, n. κνήθομαι, libidine scalpendi laboro, pruritum habeo, excrementis acribus per poros cutis exitum quaerentibus quasi *peruror*, et ad scabendum invitor. *Scrib. Comp.* 193. Ephemeron potum protinus totum os prurire facit. [**Doederl.* 1, 158. docet, *prurio* posse eodem veri similitudine referri ac *proruo.*] ℙ Facete *Pl. Poen.* 5, 5. 36. Num tibi, adolescens, malae, an dentes pruriunt, qui huic es molestus? *h. e.* an tibi vis malas et dentes pugnis perfricari? Id autem erat in superstitione Gentilium, ut si quod pruriret membrum, boni aliquid aut mali ominarentur. Quo pertinent illa *ejusd. Mil.* 2, 4, 44. Timeo quid rerum gesserim hic: ita dorsus totus prurit; et *Amph.* 1, 1, 139. Perii! dentes pruriunt. Adde *Bacch.* 5, 2, 75. Simile est illud *Ps.* 1, 1, 104. Atque id futurum unde? *Ps.* unde dicam nescio, nisi quia futurum est: ita supercilium salit; et *As.* 2, 2, 49. Scapulae gestibant mihi; et *Plin.* 28, 2, 5. Quin et absentes tinnitu aurium praesentire sermones de se, receptum est; et Graecum proverb. ap. *Erasm.* ex *Theocr. Idyll.* 3. *v.* 37. Ἄλλεταί ὀφθαλμός μευ ὁ δεξιός· ἤτοι ἰδήσω Ἀνδρί. Unde *Juven.* 6, 577. si prurit frictus ocelli Angulus, inspecta genesi, collyria poscit. ℙ Translate est gestire, vehementer cupere. *Mart.* 3, 58. Vitulusque inermi fronte prurit in pugnam. ℙ *Prurire* etiam dicuntur, qui obscena libidine tentantur. *Catull.* 88, 2., *Pl. Pers.* 1, 1, 32. et *Stich.* 5, 5, 15., *Mart.* 14, 203., 3, 93., 6, 37., 9, 91., 10, 67. et 11, 81. et *Juven.* 11, 163. ℙ Translate. *Mart.* 1, 36. Lex haec carminibus data est jocosis, Ne possint, nisi pruriant, juvare, *h. e.* nisi libidinem excitent. *Id.* 12, 96. Musaei pathicissimos libellos, Et tinctas sale pruriente chartas. Ap. *Catull.* 16, 9. similem habes sententiam.

[PRŪRĬOSUS, a, um, adj. qui pruriginem excitat. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *n.* 33. Squilla, quam vulgo bulbum pruriosum vocant. *F.*]

PRŪRĪTĬVUS, a, um, adj. pruritum faciens, ut Pruritiva ulcera, *Plin.* 19, 8, 45. Ita legit *Hard.* ex MSS.; alii perperam *provenientia.*

PRŪRĪTUS, us, m. κνησμὸς, sensus in cute leviter mordens: ex humore acri exitum quaerente. *Plin.* 9, 45, 68. de urticis: Vis pruritu mordax. *Id.* 23, 1, 16. Pruritum afferre. *Id.* 30, 3, 8. intolerabilem facere. *Id.* 23, 1, 16. fovere. *Id.* 27, 7, 28. sanare. *Id.* 24, 6, 14. tollere. *Id.* 32, 10, 40. scabiemque sedare. *Id.* 9, 45, 68. attritu petrae scalpere. *Seren. Samm.* 6, 87. Pruritus autem salsos levat humor aceti.

PRŪSENSIS, e, adj. Προυσαεὺς, ad Prusam pertinens, Bithyniae urbem, ad Olympum sitam, quae nunc *Brusa.* Ejus meminit *Plin.* 5, 32, 43. et *alter Plin. ep.* 10, 85. Hinc *Prusenses, ium,* incolae ejusdem ap. *eund. ib. ep.* 28. et 34. ℙ [Iidem in *Inscr.* ap. *Mur.* 1073, 5. et 6. et *Marin. Frat. Arv.* p. 767. appellantur Προυσαεῖς ἀπὸ Ὀλυμπου, Prusais ab Olympo. V. PRUSIENSIS. *F.*]

PRŪSĬĀCUS, a, um, adj. ad Prusiam Bithyniae regem pertinens, de quo multa *Liv.* 37, 25., 39, 51. et 45, 44. etc. et *Just.* 33, 4. et 34, 4. Meminit etiam *Cic. Div.* 2, 24. *Sil.* 13, 888. Donec Prusiacas delatus segniter oras, etc. **Nep. Hann.* 10. sqq. *B. A.*

PRŪSĬĀDES, ae, m. Prusias rex Bithyniae. *Varr.* ap. *Non.* 4, 297. Quaerit ab Annibale, cur biberit medicamentum, quia Romanis, inquit, me Prusiades tradere volebat.

[PRŪSĬAS, ădis, f. patronymic. a Prusia, quo nomine plures urbes in Bithynia fuerunt. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 869, 2. Domitia Prusias. ℙ *Prusias, ae,* m. rex Bithyniae. V. PRUSIACUS. *F.*]

[PRŪSĬENSIS, e, adj. Προυσιεὺς, ad Prusiadem pertinens, Bithyniae urbem, quo nomine binae ibidem fuerunt: harum altera, nunc *Uskuki* appellata, ad Hypium montem, ut habet *Plin.* 5, 32, 43., flu vium, ut *Ptolem.* 5, 1.; altera, quae et Cios, seu Cius ad mare, nunc *Kiemlich* et *Ciò:* illius meminit *Plin.* 5, 32, 40., hujus *ib.* 43. *Inscr.* ap. *Mur.* 1073, 5. et 6. et 1074, 7. 8. 9. 10. et *Marin. Frat. Arv.* p. 767..... o L. F. Rufo patrono Prusais ab Olympo, Προυσαεῖς ἀπὸ Ὀλύμπου; Prusienses ab Hypio, Προυσιεῖς ἀπὸ Ὕπιου; Prusienses ab mare, Προυσιεῖς ἀπὸ θαλάσσης. *F.*]

PRYMNĂ, ae, f. πρύμνη, et Ionice πρύμνα, puppis. *Not. Tir.* p. 177. Prora, prymna, antemna. *F.*]

PRYMNĒSĬUS. V. PRIMNESIUS.

PRYTĂNES et Prytanis, is, m. πρύτανις, εως, praefectus, administrator, custos, summus magistratus Athenis, cui reipublicae administrandae cura incumbebat. *Sen. Tranqu.* 3. Non enim vis, nisi consul, aut prytanes, aut ceryx, aut sufes, administrare rempublicam. ℙ Etiam Rhodii summum eorum magistratum prytanin vocabant, teste *Liv.* 42, 45.

PRYTĂNEUM, i, n. Πρυτανεῖον, locus Athenis in arce, in quo prytanes judicia exercebant, et in quo viri bene de republ. meriti publicis sumptibus alebantur. *Cic. Or.* 1, 54. Et ut ei victus quotidianus in prytaneo publice praeberetur: qui honos apud Graecos maximus haberetur. ℙ In aliis quoque urbibus fuisse liquet. *Liv.* 41, 20. Cyzici in prytaneum, id est penetrale urbis, ubi publice, quibus is honos datus est, vescuntur, vasa aurea mensae unius posuit. *Cic. Verr.* 2, 4, 53. Altera est urbs Syracusis, cui nomen Achradina, in qua forum maximum, pulcherrimae porticus, ornatissimum prytaneum, amplissima curia. *Inscr.* ap. *Grut.* 174, 7. suum et Rhegii in Calabria prytaneum fuisse, ostendit. *Casaub.* in *animadvv. in Athen.* 15, 19. satis probat, in omnibus Graeciae urbibus suum prytaneum fuisse, et Vestae sacrum. Hinc *Suidas* vult dictum esse, quasi πυρὸς ταμεῖον, h. e. locus, in quo ignis perpetuus asservabatur, ut Romae in templo Vestae. Alii quasi πυροῦ ταμεῖον, quia ibi asservabatur frumentum, et distribuebatur alendis bene de republica meritis. [Alii tandem rectius derivant a πρὸ, ita ut πρύτανις idem sit ac πρῶτος, primus. *F.*]

PS

PSALLO, is, psalli, sine sup. n. 3. ψάλλω, instrumentum aliquod musicum pulso, tango, leni motu percutio, fidibus cano. *Gell.* 19, 9. Qui canerent voce, et qui psallerent. *Cic. Cat.* 2, 10. Qui non solum amare et amari, neque cantare et psallere, sed etiam sicas vibrare, et spargere venena didicerunt. Plerique alii leg. *saltare.* [**Orell.* habet: *neque psallere et saltare.*] *Suet. Tit.* 3. Cantare et psallere jucunde. *Spart. Hadr.* 14. et *Aurel. Vict. Epit.* 14. Psallendi et cantandi scientia. *Appul. Flor. n.* 15. Laeva distantibus digitis nervos molitur: dextera psallentis gestu pulsabulum citharae admovet. Adde *Hor. Od.* 4, 13, 7. et *Ep.* 2, 1, 33. et *Sall. Cat.* 26. ℙ Est etiam cantare ad citharam. *Caesius Bassus* ap. *Prisc.* 10, 897. Calliope princeps sapienti psallerat ore. *Aurel. Vict. Caes.* 5. de Nerone: Qui dum psallere per coetus, Graecorum invento, in certamen coronae coepisset. (V. *Suet. Ner.* 20. et 21.) *Prud. περὶ στεφ.* 10, 837. docta mulier psallere Hymnum canebat carminis Davidici. *Hor.* quoque *l. c.* et *Sall.* hac eadem significatione usurpasse, plerique volunt. ℙ Ap. *Hieron. ep.* 107. *n.* 10. et alibi, et *August. in Psalm.* 46. et 65. et alibi, psallere est, Psalmos David, quae sunt laudes Dei, canere, sive adhibito psalterio, sive assa voce fiat.

PSALLŌCĬTHĂRISTA. V. CHOROCITHARISTA.

PSALMA, ātis, n. ψάλμα, cantus citharae: item carmen ipsum, quod ad citharam canitur. *August. in Psalm.* 4. *med.* Psalma est, quod psallitur: diapsalma interpositum in psallendo silentium: sympsalma vocum copulatio in cantando. Alia ap. *Hieron. ep.* 28. putant, *diapsalma* esse commutationem metri: alii pausationem spiritus: alii alterius sensus exordium, etc. *Hieronymus* ipse docet *ib. n.* 3. esse copulationem superiorum et inferiorum. V. ibi plura; et *Isid. Or.* 6, 19.

PSALMĪCEN, inis, m. qui psalmos canit, ut Psalmicines clerici, ap. *Sidon. ep.* 5, 17.

PSALMISTA, ae, m. ψαλμιστὴς, qui psalmos facit, et cantat. *Hieron. adv. Pelag.* 1. *n.* 2. et *ib.* 3, 2. et 11. *in Isaj.* 38.

PSALMOGRĂPHUS, i, m. ψαλμογράφος, qui psalmos facit. *Sidon. in concione post ep* 7, 9. Sicut psalmographus ait, *h. e.* rex David. *Tert. carm. adv. Marc.* 3, 130. Psalmographus David, magnus rex, atque propheta.

PSALMUS, i, m. ψαλμὸς, sonus citharae seu fidium, et carmen quod ad sonum fidium canitur. A Christianis scriptoribus dicitur per antonomasiam de sacris hymnis, seu canticis David regis, quia ad psalterium ea cantare mos fuit, quod et ipse auctor fecisse dicitur. *Tert. adv. Prax.* 11. etc., *Lact.* 4, 8. et 12., *Hieron.*, *August.*, etc.

PSALTĒRĬUM, ii, n. ψαλτήριον, instrumentum musicum fidibus instructum, simile citharae, differens tamen. *August. in Psalm.* 56. *med.* Psalterium et organum, quod quidem manibus fertur percutientis, et chordas distentas habet: sed illum locum, unde sonum accipiunt chordae, illud concavum lignum, quod pendet, et tactum resonat, quia concipit aerem, psalterium in superiori parte habet: cithara autem hoc genus ligni concavum et resonans in inferiore parte habet. Itaque in psalterio chordae sonum desuper accipiunt, in cithara in inferiore parte. Eadem fere habet *in Psalm.* 32, 70, 80. et 150. Similiter *Cassiod. in Psalm.* 150. Psalterium est in modum citharae conversa positio. Buccas enim quasdam sonoras ligni gestat in capite, ubi ab imo venientes chordarum sonos in altum rapit, et gratissima, quantum dicitur, modulatione respondet. *Id. praef. in Psalter.* 4. Psalterium est, ut Hieronymus ait, in modum Δ litterae formati ligni sonora concavitas, obesum ventrem in superioribus habens, ubi chordarum fila religata, disciplinabiliter plectro percussa suavissimam dicuntur reddere cantilenam. Huic citharae positio videtur esse contraria, dum quod ista in imo continet, illud conversa vice gestat in capite. Adde *Isid. Or.* 3, 22. *Varr.* ap. *Non.* 3, 149. In psalterio tendamus nervias. *Virg. Cir.* 178. Non arguta sonant tenui psalteria chorda. *Quint.* 1, 10. *med.* Apertius profitendum puto, non a me praecipi psalteria, et spadicas, etiam virginibus probis recusanda; sed etc. ℙ Significat etiam musicum quodlibet instrumentum fidibus constans, ut est lyra et cithara, quae Musis tribuuntur. *Arnob.* 6, 209. Deum Mater cum tympano; cum tibiis et cum psalteriis Musae. ℙ Item carmen, quod ad psalterium canitur. De carmine maledico, et dicteriis (quae ad psalterium Graeci canebant: unde illud *Varr.* ὄνος λύρας ap. *Non.* 2, 249. Atque orthophallica attu-

lit psalteria, Quibus sonant in Graecia dicteria.) *Paul. Sent.* 5, 4. *med.* Psalterium, quod vulgo dicitur canticum, in alterius infamiam compositum, et publice cantatum, tam in eos, qui cantaverint, quam in eos, qui composuerint, extra ordinem vindicatur. ℙ Ap. Ecclesiae scriptores est liber Psalmorum Davidicorum. *Hieron. ep.* 53. *n.* 8. et *ep.* 125. *n.* 11. et al.

PSALTES, ae, m. *ψάλτης*, qui instrumentum aliquod musicum pulsat; item qui voce canit. *Quint.* 1, 10. Rationem impendiorum exponens, psaltis se, et geometris multa dicit dedisse. *Sidon. ep.* 8, 9. *in carm.* Chorda, voce, metro stupende psaltes. [*Capell.* 9, 313. Psaltas, chordacistas, sambucos, hydraulas inveni. *Inscr.* ap. *Grut.* 331, 2. Stratone comoedo, Ibyco psalte. Hic *psaltē* est dativus Graecae positionis, *ψάλτῃ*, positus pro ablativo, ut ait *Prisc.* 7, 731. ut etiam illud *Virg. A.* 1, 312. ipse uno graditur comitatus Achate. *F.*]

PSALTRĬA, ae, f. *ψάλτρια*, mulier, quae instrumentum aliquod fidibus instructum pulsat, citharistria. Vox Graeca a *ψάλλω*, fidibus cano: Latina appellatione *fidicina*. Neque aliud inter has discrimen esse videtur, nisi quod psaltriae Graecae erant, et plerumque meretrices, quae externo ritu, et non solum fidium cantu, sed et voce, ac mollioribus gesticulationibus oblectabant, adhibebanturque praecipue in conviviis deliciarum causa, invectae Romam, inter alias peregrinae luxuriae illecebras, ab exercitu Asiatico post devictum Antiochum et Gallograecos, circa ann. U. C. DLXVI., ut *Liv.* 39, 6. narrat. *Macr. Sat.* 2, 1. Sub illorum supercilio non defuit, qui psaltriam intromitti peteret, ut puella ex industria supra naturam mollior, canora dulcedine, et saltationis lubrico exerceret illecebris philosophantes. *Cic. fr.* ap. *Non.* 6, 98. Tu vero festivus, tu elegans, tu solus urbanus, quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriae. *Aurel. Vict. Epit.* 76. de Theodosio: Prohibuit lege ministeria lasciva, psaltriasque comissationibus adhiberi. ℙ Etiam in sacris, ut accinerent, paulatim intromissas fuisse, colligimus ex *Cic. Sext.* 54. et *Juven.* 6, 336., ubi de Clodio sermo est, qui cultu psaltriae in Bonae Deae sacellum stupri patrandi causa se immiserat.

PSALTRĬUS, ii, m. *ψαλτὴρ*, *ψάλτης*, qui fidibus canit, psaltes. *Cic. Har. resp.* 21. P. Clodius a crocota, a mitra, a muliebribus soleis, purpureisque fasciolis, a strophio, a psaltrio, a flagitio, a stupro est factus repente popularis. Est qui leg. *a psaltria: Garatonius* cum *Ernestio* rectius *a psalterio.* V. h. v.

PSĂMATHĒ, es, f. *Ψαμάθη*, Crotopi Argivorum regis filia, quae ab Apolline compressa Linum peperit, quem inter sentes occultatum canes dilaceraverunt. *Stat. Th.* 1. a *v.* 570. et *Ov. Ib.* 482. et *ib.* 575. V. CROTOPIADES. ℙ Psamathe alia, Nympha, filia Nerei, mater Phoci. *Ov. Met.* 11, 398. ℙ Item fons Boeotiae, apud Thebas. *Plin.* 4, 7, 12. et *Solin.* 7. *med.* ℙ Item fons Laconiae, ap. *Plin. ib.* 5, 9., ubi et oppidum, et portus Psamathus, vel Psammathus, *Ψαμαθοῦς*, et *Ψαμμαθοῦς*, non longe a Taenaro. *Val. Fl.* 1, 364. Qui tenet undisonam Psamathen, semperque patentem Taenaron. Est qui leg. *undisonum Psamathon.*

[PSĂMATHĪĀ, ae, f. *ψαμαθία*, arena. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 973, 3. Furia Psamatia. Hic, ut saepissime alias, aspiratio tollitur. *F.*]

*PSAMMATHUS, untis, f. *Ψαμαθοῦς*, *Ψαμμαθοῦς*, opp. Laconiae cum portu. *Plin.* 4, 5. ubi cum *m* geminata bis occurrit scripta haec vox. *B. A.*

*PSAMMETICHUS, i, m. *Ψαμμήτιχος*, rex Aegypti, cujus tempore, teste Herodoto, ducenta et octo millia Aegyptiorum ad Aethiopes transiere. Labyrinthum condidit. *Mela* 1, 9. *med. Plin.* 36, 13. *B. A.*

PSĂRONĬUS, a, um, adj. *ψαρώνιος*, qui sturni colorem refert: a *ψὰρ*, *ἀρὸς*, sturnus. Hinc psaronius appellatur lapis variegati coloris ap. *Plin.* 36, 22, 43., qui et Thebaicus, et pyrrhopoecilus, et sienites, Italice vero nunc *granito bigio* dicitur. [*Emendavit h. l. *F.*]

PSĒCAS, ădis, f. *ψεκὰς*, gutta, stilla. *Appul. de Mundo* ex *Aristotele ψεκάδας* interpretatur stillicidia. ℙ Ancillae, quae delicatarum matronarum capillos medicato fuco conspergunt, hoc nomine appellatae sunt. Ita porro ornatricem nominat *Juven.* 6, 491. Nuda humeros Psecas infelix, nudisque mamillis. Sic etiam unam ex Dianae nymphis *Ov. Met.* 3, 171. Excipiunt laticem Nepheleque, Hyaleque, Rhaniscque, Et Psecas, et Phiale. *Inscr.* mendosa ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 89., *Fabr.* p. 714. *n.* 359. et *Mur.* 57, 8., quae tamen hodieque Vicetiae exstans ita legitur: Veneri sacrum Cassia Ɔ. L. Psechas. Postrema haec vox perperam aspiratur. Ita appellata videtur fuisse haec ancilla, antequam manumitteretur, quia ejus officium erat comas dominae suae levibus fuci, aut unguenti guttis aspergere; quod *ψεκάζειν* Graece est. ℙ Hinc *Psecade natus* dicitur, qui humili et servili est genere. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 15. *extr.* Vellem, Venere prognatus tantum animi habuisset, quantum Psecade natus in hoc habuit. ℙ Etiam viri, qui delicatiorum comas ornabant, *psecades* dicti. V. COSMETA et ORNATOR. *Inscr.* ap. *Gud.* 211, 2.

Arcelaus psecas de porticu. Fuse hac de re *Koolius*, et *Hesselius* in *Indice Inscr. Gudianar. c.* 8., ubi tamen multa *ἀπροσδιόνυσα* afferuntur. [*Adjecit nonnulla *F.*]

PSEGMĂ. V. SPEGMA.

*PSELCIS, is, f. *Ψέλκις*, opp. Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. *Anton. Itin. B. A.*

[PSEPHĬON, ii, n. *ψηφίον*, dimin. a *ψῆφος*, calculus. Est cogn. R. in *Inscr.*, q. v. in MUTATORIUS §. 4. *F.*]

PSEPHISMĂ, ătis, n. *ψήφισμα*, decretum, vel plebiscitum per suffragia factum. Vox Graeca a *ψῆφος*, calculus, quo suffragia ferre solebant veteres. V. CALCULUS. *Cic. Fl.* 6. Sic sunt expressa veteista praeclara, quae vocant psephismata, non sententiis, nec auctoritatibus declarata. Adde *ib.* 7. et 8. et 10.

PSEPHŌPAECTĂ, ae, m. *ψηφοπαίκτης*, praestigiator, ut in *Gloss. Philox.* exponitur. Est a *ψῆφος*, calculus, et *παίζω*, ludo: ut qui calculis ludunt et decipiunt. Tribuunt *Julio Firmico.* Mercurius facit psephopaectas.

*PSESII, orum, populi Asiae, circa Maeotidem paludem. *Plin.* 6, 7. ℙ *Ψήσσιοι* sunt *Ptolemaeo*, *Ψησσοὶ Steph. Byz. B. A.*

PSETTĂ, ae, f. *ψῆττα*, piscis idem qui Latine rhombus. *Plin.* 9, 16, 24. et *Athen. f. l.* 7. Alii scrib. *psitta.*

PSEUDANCHŪSĂ, ae, f. herba anchusae similis, lanuginosior, et minus pinguis, tenuioribus foliis et languidioribus: a *ψευδὴς*, falsus, fictus, simulatus, vel a *ψεῦδος*, mendacium: quae est notatio omnium dictionum sequentium. *Plin.* 22, 20, 24. [**Unächte Ochsenzunge.*]

PSEUDĂPOSTŌLUS, i, m. *ψευδαπόστολος. Tert. Praescr.* 4. Qui pseudapostoli, nisi adulteri evangelizatores?

PSEUDĔNEDRUS, i, m. *ψευδένεδρος*, fictus insidiator. *Firm. Matth.* 3, 8. *n.* 7. *extr.*

PSEUDĪSŌDŌMON. V. ISODOMON.

[PSEUDOANTŌNĪNUS, i, m. falsus Antoninus. *Lamprid. Elag.* 8. Insectatus est famam Diadumeni, quod Antoninus dictus est, Pseudoantoninum, et Pseudophilippum eum appellans. *F.*]

PSEUDŌBUNION, ii, n. herba napi folia habens, fruticans palmi altitudine. *Plin.* 24, 16, 96. V. BUNIAS.

PSEUDŌCĂTO, onis, m. qui falso Cato videri cupit, Catonis falsus imitator. *Cic. Att.* 1, 14. *f.* Bonis utimur tribunis plebis, Cornuto vero pseudocatone.

PSEUDOCHRISTUS, i, m. *Ψευδόχριστος*, qui falso Christus videri cupit. Habet *Tert. adv. Marc.* 3, 3.

PSEUDŌCYPĔRUS et

PSEUDŌCYPRUS, i, *ψευδοκύπερος*, frutex cypero similis, celerrime proveniens. *Plin.* 17, 13, 20. et 34, 13, 35.

PSEUDŌDĂMĂSIPPUS, i, m. fictus Damasippus. *Cic. Fam.* 7, 23.

PSEUDŌDĒCĪMĬĂNĂ Pira, decimianis piris similia, ap. *Plin.* 15, 15, 16. V. DECIMIANUS.

*PSEUDODĪA, ae, f. *ψευδῳδία*, falsa cantio. *Hieron. ep.* 79. *B. A.*

PSEUDŌDĪĂCŌNUS, i, m. *ψευδοδιάκονος*, falsus diaconus. *Hieron. ep.* 143. *n.* 2.

PSEUDŌDICTAMNUM, i, n. *ψευδοδίκταμνον*, herba dictamno similis *Plin.* 25, 8, 55. Pro eo *(dictamno)* est et pseudodictamnum, multis in terris nascens, folio simile, ramulis minoribus, a quibusdam chondris vocatum. Adde 26, 15, 90. *extr.* ℙ Ap. *Appul. Herb.* 62. est *pseudodictamnos* fem. gen.

PSEUDŌDIPTĔROS, a, um, adj. *ψευδοδίπτερος*, ita aedes dicitur a *Vitruv.*, quae dipteros quidem videtur, sed vere non est, aliquo columnarum ordine sublato. V. *eund. praef.* 7. et 3, 1. et 2. V. DIPTEROS.

PSEUDŌĔPISCŌPUS, i, m. *ψευδοεπίσκοπος*, falsus episcopus. *Cyprian. ep.* 55. *med.*

PSEUDOFLĀVUS Color, a flavo degenerans, quasi leoninus. *Marc. Empir.* 8. *med.*

*PSEUDOGRAPHUS, a, um, adj. *ψευδόγραφος. Sarisb. ep.* 172. Librum sapientiae scripsit Philo, diciturque pseudographus. *B. A.*

*PSEUDOGRATĬĂ, ae, f. falsa gratia ficta. *Sarisb.* 2. ult. Pseudogratiam vendere. *B. A.*

PSEUDŌLĪQUĪDUS, a, um, adj. liquido similis. *Marc. Empir.* 16. *med.* Mellis adjicitur, quantum sufficiat, ut sit pseudoliquidum.

PSEUDŌLUS, i, m. servi veteratoris, et fraudulenti nomen: a *ψευδὴς*, falsus, mendax. Titulus est unius ex Plautinis comoediis, quam laudat *Cic. Sen.* 14.

PSEUDŌMĔNOS, i, m. *ψευδόμενος*, mentiens, captiosus, falsus, fictus. *Cic. Acad.* 4, 48. De oculorum, sensuumque reliquorum mendaciis, et de sorite, aut pseudomeno. Adde *Hortens. fragm.* ap. *Non.* 4, 258. Est autem captiosum quoddam genus syllogismi, quo facile adversarii in disputando captantur; cujus meminit etiam *Sen. ep.* 45. *med.* V. MENTIENS et CERATINAE. *f.*

PSEUDONARDUS, i, f. *Plin.* 12, 12, 20. de nardo: Adulteratur et pseudonardo, herba, quae ubique nascitur, crassiore atque laxiore folio, et colore languido in candidum vergente.

*PSEUDONEDRUS, i, qui occulte tendit insidias, *ψευδόνεδρος. Jul. Firm.* 3, 8. *B. A.*

PSEUDŌPĂTUM, i, n. *ψευδόπατον*, falsum, seu fictum tabulatum, vel pavimentum in aedificiis: a *ψευδὴς*, fictus, et *πατέω*, calco. *Imp. Zeno Cod.* 8, 10, 12.

PSEUDŌPĒRIPTĒRUS, a, um, adj. falsos ordines, seu latera habens, *ψευδοπερίπτερος*, ut Genus figurae pseudoperipterum. *Vitruv.* 4, 7. *f.*

PSEUDŌPHILIPPUS, i, m. *Ψευδοφίλιππος*, fictus Philippus. *Cic. Agr.* 2, 33., *Vell.* 1, 11., *Flor.* 2, 14., *Val. Max.* 7, 5. *n.* 4. et *Ep. Liv.* 49. V. et *Lampr. Elag.* 8.

PSEUDŌPORTĪCUS, i, f. Vox hybrida: a *ψευδὴς*, falsus, et *porticus. Plin.* 6, 27, 31. *f.* Oppidum maritimum etiam inde pseudoporticus habuit. *Hard.* leg. *maritimum etiam ipsa inde portum habuit.*

PSEUDOPROPHĒTĂ, ae, m. *ψευδοπροφήτης. Tert. adv. Haer.* 4.

PSEUDOPROPHĒTĪĂ, ae, f. *ψευδοπροφητεία. Tert. Jejun.* 11.

PSEUDOPROPHĒTĪCUS, a, um, adj. ficte propheticus, prophetico similis, ut Pseudopropheticus spiritus, ap. *Tert. Pud.* 21.

PSEUDOPROPHĒTIS, idis, f. *ψευδοπροφῆτις. Tert. Anim.* 57. Eundem spiritum in pseudoprophetide mentiri.

*PSEUDOPYLAE, arum, f. pl. Insulae juxta portum Isidis ap. Troglodytas. *Plin.* 6, 29. Insulae ante portum duae, Pseudopylae vocantur; interiores totidem, Pylae. *B. A.*

PSEUDOSĒLĪNUM, i, n. *ψευδοσέλινον*, herba, pentaphyllon, quinquefolium. *Appul. Herb.* 2.

[PSEUDOSĒRĪCUS, a, um, adj. qui sericum imitatur, idem fortasse ac subsericus. *Not. Tir.* p. 159. Sericus, pseudosericus, holosericus. *F.*]

PSEUDOSMĂRAGDUS, i, m. *ψευδοσμάραγδος*, lapillus smaragdo similis, *h. e.* ex dimidia parte smaragdus, ex dimidia iaspis, ut ait *Plin.* 37, 5, 19.

PSEUDOSPHEX, ēcis, f. *ψευδόσφηξ*, vespa quaedam, quae singularis volitat. *Plin.* 30, 11, 30.

PSEUDOTHYRUM, i, n. *ψευδόθυρον*, ostium occultum et tectum in postica aedium parte, *h. e.* janua ficticia. *Virg. A.* 2. ita explicat *v.* 453. Limen erat, caecaeque fores, postesque relicti A tergo. V. POSTICUS. *Ammian.* 14, 1. Per Palatii pseudothyrum introducta. ℙ Translate. *Cic.* in *Sen.* 6. Idem domi quam intemperans! non janua receptis, sed pseudothyro intromissis voluptatibus. [*Huc pertinet etiam locus, quam Noster perperam §. praeced. adscripserat, ejusd. *Verr.* 2, 2, 20. *extr.* Numerantur illa HS. CCL. Syracusanis. Ea quemadmodum ad istum postea per pseudothyrum revertantur, tabulis vobis, et testibus planum faciam.]

PSEUDOURBĀNUS, a, um, adj. *Pseudourbana aedificia* ap. *Vitruv.* 6, 8. *f.* sunt in villa ea pars aedium, qaae in usum domini rusticantis exstructa est, quod urbani aedificii elegantiam imitetur. Villa enim omnis, ut ait *Colum.* 1, 6., dividitur in tres partes, urbanam, rusticam, et fructuariam.

[PSĬATHĬUM, ii, n. *ψιάθιον*, tegeticula, parva storea: a *ψίαθος*, storea. *Hieron. praef.* in *Reg. S. Pachom. n.* 4. Nihil habent *(monachi)* in cellulis praeter psiathium, et duo levitonaria. *F.*]

PSĪLA, ae, f. *ψιλή*, a *ψιλὸς*, rasus, laevis; vestis est, seu pannus, una parte villosus, altera rasus. *Lucil.* ap. *Non.* 14, 24. Psilae, atque amphitapae, villis ingentibu' molles. V. AMPHITAPA.

*PSILE, es, f. *Ψιλή*, insula parva in mare Aegaeo, Samo adjacens. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*PSILLIS, idis vel idos, m. *Ψίλλις*, Bithyniae fluvius, circa Bosporum Thracicum. *Plin.* 6, 1. ℙ Qui scribunt *Psyllis* (quod facit *Gesnerus*), non recte scribunt. *B. A.*

PSĪLOCITHĂRISTĂ. V. CHOROCITHARISTA.

*PSILOS, i, f. insula Ioniae propinqua. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

[PSĪLOTHRO, as, a. 1. pilos e corpore per psilothri medicamentum exstirpo. *Plin. Val.* 3, 52. Hoc peruncti psilothrantur. *F.*]

PSĪLOTHRUM, i, n. *ψίλωθρον*, unguentum pilis detrahendis aptum, quo mulieres, virique molliores utebantur, ut corpus glabrum et laeve redderent. *Mart.* 6, 93. Psilothro nitet, aut acida latet oblita creta. *Plin.* 24, 10, 47. Lacrima hederae psilothrum est; et *ib.* 9, 38. Amerinae nigrae semen cum spuma argenti pari pondere, a balneo illitum, psilothrum est. [*Id.* 32, 9, 47. varia psilothri genera enumerat. *F.*] ℙ *Psilothrum* praeterea dicitur vitis alba, quod ejus semen, et uva vitia cutis in facie detergeat, et quasi faciem depilet. *Id.* 23, 1, 16. Vitis alba est, quam Graeci ampeloleucen, alii psilothrum, alii madon appellant.

PSIMMYTHĬUM, ii, n. *ψιμύθιον*: a *ψίμυθος*, cerussa. *Plin.* 34, 18, 54. Psimmythium quoque, hoc est cerussam, plumbariae dant officinae. Laudatissimum in Rhodo. Fit autem ramentis plumbi tenuissimis super vas aceti asperrimi impositis, atque ita distillantibus. Quod ex eo cecidit in ipsum acetum, arefactum molitur, et cribratur, iterumque aceto mixto in pastillos dividitur, et in sole sicca-

tur aestate. Fit et alio modo: addito in urceos aceti plumbo, obturatos per dies decem, derasoque ceu situ, ac rursus rejecto, donec deficiat materia. Quod derasum est, teritur, et cribratur, et coquitur in patinis, misceturque rudiculis, donec rubescat, et simile sandarachae fiat: dein lavatur dulci aqua, donec nubeculae omnes eluantur. Siccatur similiter postea, et in pastillos dividitur. Vis ejus ad candorem feminarum. V. *Vitruv.* 7, 12.

*PSITARAS, ae, m. Scythiae Asiaticae amnis. *Plin.* 6, 17. *B. A.*

PSITHIA. V. PSYTHIA.

PSITTA. V. PSETTA.

PSITTACĪNUS, a, um, adj. a psittaco, ut Psittacinum collyrium, a colore ita dictum, *Scribon. Compos.* 27. *et Marc. Empir.* 8.

[PSITTACIUM, ii, n. idem ac pistacium. Videtur vox corrupta ita fuisse a vulgo, cadente Latinitate, ex imitatione Graecorum; nam etiam *Athenaeus* 1, 17. eod. sensu *ψιττάκια* habet. *Edict. Diocl.* p. 17. Nuclei pinei purgati psittaciorum, zizuforum. *F.*]

PSITTACUS, i, m. *ψίτταχος*, avis Indica, de qua ita *Plin.* 10, 42, 58. Super omnia humanas voces psittaci quidem etiam sermocinantes. India hanc avem mittit, sittacen vocat, viridem toto corpore, torque tantum miniato in cervice distinctam. Imperatores salutat, et quae accipit verba, pronunciat: in vino praecipue lasciva. Capiti ejus duritia eadem, quae rostro. Hoc, cum loqui discit, ferreo verberatur radio: non sentit aliter ictus. Cum devolat, rostro se excipit, illi innititur, levioremque se ita pedum infirmitati facit. Haec *Plin.* Etiam ap. *Appul. Flor. n.* 12, accurate describitur. *Pers. prol.* 8. Quis expedivit psittaco suum *χαῖρε?* ℙ De morte psittaci est *Statii* silva quarta *l.* 2. et *Ov.* elegia sexta *l.* 2. *Am.*

PSŌADĪCUS, a, um, adj. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 1. inscribitur *De ischiadicis*, et *psoadicis*, *h. e.* his, qui clunium dolore laborant. Nam musculos clunium sub spinae finem ex interioribus atque exterioribus adhaerentes, psoas vocaverunt, ut *ib.* dicitur *ψόας*, et *ψοιὰς* Graeci vocant.

PSŌAE. V. v. praec.

PSŌLŌIS, entis, adj. *ψολόεις, εντος*, fumidus, ardens: a *ψόλος*, fumus, flamma. *Auct. Priap.* 69. Psoleon ille (*Homerus*) vocat, quod nos psoloenta vocamus. Sed, cum ap. *Homerum* nusquam occurrat vox *ψόλεον*, nec Graeca quidem sit, probanda est lectio *Gronovii* ex MSS. ita legentis: *Ille vocat, quod nos psolon, psoloenta ceraunon.* Nimirum ex *Odyss.* 24, 539. ubi *Καὶ τότε δὴ Κρονίδης ἀφίει ψολόεντα κεραυνόν.* *Psolon* autem est a *ψωλὸς*, titio, quae quidem vox ejusdem fere est pronuntiationis ac *ψωλὴ*, mentula, quae quandam cum fulmine, toties in antiquis monumentis repraesentato, similitudinem habet. ℙ Sequitur alter versiculus *ib.* Id, quod nos culum, culeon ille vocat. *Culeon* vero est *κουλεὸν*, vagina, in illo *Homer. Il.* 1, 221. *Ἄψ δ' ἐς κουλεὸν ὦσε μέγα ξίφος:* ubi *κουλεὸν* translatum et obscenum sensum habet, ut vagina in illo *Pl. Ps.* 4, 7, 85. Conveniebatne in vaginam tuam machaera militis? Itaque videtur obscenus hic poeta priore quidem versiculo sub imagine fulminis mentulam paediconis, sub vaginae vero podicem pueri pathici satis aperte adumbrasse; quod nimirum patet etiam ex disticho sequenti, cujus interpretationem habes in V. SMERDALEOS. [*Emendavit hunc locum *F.*]

PSOLOS, i, m. *ψωλὸς*, titio. V. v. praec.

[PSOPHĪDĬUS, a, um, adj. *Ψωφίδιος*, qui est ex Psophide, Arcadiae oppido, de quo mentio est ap. *Plin.* 4, 6, 10. et *Ov. Met.* 5, 607. Hinc *Plin.* 7, 46, 47. Iterum (*Delphicum oraculum*) a Gyge rege tunc amplissimo terrarum consultum, Aglaum Psophidium esse feliciorem. Adde *Val. Max.* 7, 1. *n.* 2. *F.*]

PSOPHIS, idis, f. *ψωφὶς*, oppidum Arcadiae. V. in PHOCAICUS et v. praec.

PSORA, ae, f. *ψώρα*, scabies, asperitas cutis: a *ψάω*, scalpo, rado. *Plin.* 20, 1, 2. Arida cum resina impetiginem et scabiem, quae psoram et lichenas vocant, parotidas et panos sanat; et *ib.* 5, 20. Alopecias fricuere, et psoras tusis caepis. *Id.* 22, 22, 32. Lichenas, psoras, lepras radice in aceto decocta tolli.

PSORANTHĔMIS, idis, f. *ψωρανθεμὶς*, herba quaedam, rorismarini species, infructuosa. *Appul. Herb.* 79.

PSORĪCUS, a, um, adj. *ψωρικὸς*, ad psoram pertinens, ut Psoricum medicamentum, *Plin.* 34, 12, 29. collyrium, *Scrib. Comp.* 32. h. e. quod scabrosis palpebris, aut oculorum angulis medetur. *Cels.* 6, 6. *n.* 31. Nulla per se materia est, quae psoricum nominetur: sed chalcitidis aliquid et cadmiae dimidio plus ex aceto simul conteruntur, idque in vas fictile inditum, et contectum ficulneis foliis sub terra reponitur diebus viginti, et rursus sublatum teritur: et sic appellatur psoricum.

[PSYCHARIO, onis, f. et Psycharium, ii, f. dimin. *ψυχάριον*, animula. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1531, 8. Cominiae Psycharioni contubernali etc. Alia ap. *Grut.* 632, 1. Sutoria M. L. Psycharium. *F.*]

[PSYCHĒ, es, f. *ψυχὴ*, anima. Hoc nomine appellatur ap. *Appul. Met.* 4, 5. et 6. puella formosissima, quae et eruditissima. Filia fuit regis cujusdam, minima ex tribus sororibus. Hanc ob eximiam pulcritudinem nemo ausus amare, sed quisque pronus venerari, atque hostiis quasi Deam placare solitus. Invidia succensa Venus, a Cupidine petit, ut contumacem puellam severissime coerceret. Ille matri obsecuturus visam Psychen adamavit, et in montis cacumine a Zephyro perlatam aurea in domo solam constituit. Ibi puella, ancillis corpore cassis sibi ministrantibus, ignoto utitur conjugio. Nocte enim adveniens Cupido, Veneris proeliis obscure peractis, crepusculo incognitus avolabat. Illuc se conferunt Psyches sorores, eique persuadent, maritum ejus serpentem esse; illa velut bestiam interfectura, novaculam sub pulvinar abscondit, lucernamque modio contegit. Cumque altum soporem traheret maritus, prolata lucerna, et arrepta novacula, dum Cupidinis formosissimum corpus conspicata, stupet, et immodesto amoris torretur affectu, stillam ferventis olei super humerum Dei dextrum evomit lucerna. Hinc expergefactus et exsiliens Cupido multa super puellae curiositate increpitans dom extorrem ac profugam dereliquit; tandem multis jactatam aerumnis, Jove permittente, in conjugium accipit; celebranturque in coelo solemnes nuptiae, ex quibus nascitur Voluptas. *Fulg. Myth.* 3, 6. hanc fabulam allegorice interpretatur, et ad hominis animam refert. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 957, 13. Vibia Psyche. *F.*]

PSYCHĪCUS, a, um, adj. *ψυχικὸς*, animalis: a *ψυχὴ*, anima. *Psychici* vocantur homines animales et carnales, qui non capiunt ea, quae spiritus sunt, secundum illud *Pauli Cor.* 1, 2, 14. *ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ.* *Tert. Monog.* 1. *in.* Haeretici nuptias auferunt, Psychici ingerunt. Illi nec semel, isti non semel nubunt: et *mox:* Verum neque continentia ejusmodi laudanda, quia haeretica est, neque licentia defendenda, quia haeretica est, neque licentia defendenda, quia Psychica est. *Id. de jejunio* adversus eosdem scripsit, quem consule sis.

PSYCHOMACHIA, ae, f. *ψυχομαχία*, h. e. pugna animi, seu animae: a *ψυχὴ*, anima, et *μάχη*, pugna. Ita inscribitur a *Prudentio* carmen, in quo pugnam virtutum et vitiorum describit.

PSYCHOMANTĪUM, ii, n. *ψυχομαντεῖον*, a *ψυχὴ*, anima, et *μαντεία*, divinatio, erat locus, ubi Manium fiebat evocatio, ad sciscitandum de statu mortuorum. *Cic. Tusc.* 1, 48. Cum graviter filii mortem moereret, venisse in psychomantium, quaerentem, etc. *Id. Div.* 1, 58. Testabor, me non sortilegos, neque eos, qui quaestus causa hariolentur, ne psychomantia quidem agnoscere. Est qui leg. *psychomantiam*, h. e. vaticinationem ex Manibus evocatis.

PSYCHOPHTHŌROS, i, m. *ψυχοφθόρος*, animicida: a *ψυχὴ*, anima, et *φθείρω*, occido. Ita appellatur a *Justin. Cod.* 1, 1, 6. *f.* Apollinarius haereticus, qui in Christo humanam animam non admittebat.

PSYCHOTROPHON, i, n. *ψυχότροφον*, herba, alio nomine vettonica, et seratula, *Plin.* 25, 8, 46. [*Betonienkraut.*]

PSYCHROLŪTA et Psychrolutes, ae, m. *ψυχρολούτης*, qui frigida lavat: a *ψυχρὸς*, frigidus, et *λούω*, lavo. *Sen. ep.* 53. Frigidae cultor mitto me in mare, quomodo psychrolutam decet, gausapatus. *Id. ep.* 83. Ille tantus psychrolutes, qui in Euripum saltabam.

PSYLLI, orum, m. plur. *Ψύλλοι*, pop. Libyae, sic dicti a Psyllo rege, quorum corpori ingenitum fuit virus exitiale serpentibus. Hinc, teste *Plin.* 7, 2, 2., mos illis fuit liberos genitos protinus objiciendi saevissimis serpentium, eoque modo pudicitiam uxorum experiendi. Serpentes enim adulterino sanguine natos non profugiunt. Et *Plutarchus* scribit in vita Catonis, eum iter per deserta Libyae facientem secum Psyllos duxisse, qui morsibus serpentum mederentur, partim ore trahentes venenum, partim serpentes cantibus medicantes. V. *Lucan.* 9, 891. Adde *Plin.* 8, 25, 38., 25, 10, 76., et 28, 3, 6., *Cels.* 5, 27. *n.* 3. et *Suet. Aug.* 17. *med.* ℙ Eandem vim et Marsis Italiae populis fuisse testatur idem *Plin. cit. l.* 7. et 28., item *Gell.* 16, 11., ubi de Psyllorum internecione hanc narrat ex *Herodoto* fabulam: Cum aliquando Austri diuturno flatu aquae in eorum finibus defecissent, publice universos coisse ad arma, et contra eum, quasi ad hostem, profectos: obvium stetisse Austrum, suscitatisque arenarum cumulis, omnes ad unum obruisse. *Cels. l. c.* Neque hercule scientiam praecipuam habent hi, qui Psylli nominantur, sed audaciam usu ipso confirmatam.

PSYLLĪON. V. CYNOMYIA.

*PSYRA, ae. f. insula Cariae adjacens, in sinu Ceramico. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

*PSYTTALĪA et Psyttalia, ae, f. *Ψυττάλια* et *Ψυττάλεια*, insula in sinu Saronico, e regione Salaminae. *Plin.* 4, 12. ubi in edd. *Elzev. Hard.* etc. *Psytalia* legitur, minus accurate. *B. A.*

PSYTHIA, et Psithia vitis, et uva, *ψυθία*, et *ψιθία*, genus vitis externi soli, h. e. non Itali, ex qua passum optimum fiebat. *Colum.* 3, 2. est species uvae Graeculae. *Virg. G.* 2, 93. Et passo psythia utilior; et *ib.* 4, 269. vel psythia passos de vite racemos. *Stat. Silv.* 4, 9, 38. Vel passum psythiis suis recoctum. *Plin.* docet 12, 27, 60. ex ea et optimum omphacium fieri, detractis acinis, cum sunt ciceris magnitudine. ℙ *Psythium*, passum e psythia uva. *Id.* 14, 9, 11. Psythium, et melampsythium passi genera sunt, suum saporem, non vini referentia.

P T

*PTARMĪCA, ae, f. *πταρμικὴ*, frutex acri odore, sternutamenta excitans. *Plin.* 21, 16. *B. A.*

PTE, adjectio syllabica, ut *met, piam, ce, te,* per se quidem nihil significans, aliquid tamen addens voci, cui apponitur. Adjungitur autem ablativis pronominum *meus, tuus, suus, noster, vester,* ut *Prisc.* 12, 947. docet: item aliis. *Pl. Truc.* 2, 5, 18. meapte malitia, *h. e.* mea ipsius. *Id. Ps.* 3, 2, 14. meopte ingenio. *Cic. N. D.* 1, 25. Si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere. *Id. Or* 1, 3. Propinquus suus suapte manu interfectus; et *ib.* 2, 23. *med.* Suapte natura facere aliquid. *Ter. Phorm.* 5, 2, 1. Nostrapte culpa. *Pl. Capt.* 2, 3, 11. Tuopte ingenio. In veteri decreto tribunor. pleb. ap. *Gell.* 7, 19. Quo minus suapte potestate uti liceat. *Pl. Men.* 5, 8, 10. Certissimum est, mepte potius fieri servum, quam te unquam emittam manu. *Id. Mil.* 2, 4, 38. Osculata esset suumpte amicum. *Catull.* 6, 12. Nam ni istapte, valet nihil tacere. Alii aliter leg. [*Cf. *Ramsh. Gr. Lat.* 86. II. 2. p. 265.]

*PTELĔA, ae, f. *Πτελέα*, vetus nomen Ephesi urbis. *Plin.* 5, 29. *B. A.*

*PTELEON vel

*PTELĔUM, i, n. *Πτελεὸν, Πτελεὸς*, Thessaliae oppidum, exadversus Euboeam. *Mela* 2, 3. *Liv.* 35, 43. et 42, 67. *Lucan.* 6, 352. ℙ *Nemus Pteleon*, oppido vicinum, memorat *Plin.* 4, 10. ℙ Item oppidum Peloponnesi. *Id.* 4, 5. qui in Messenia ponit. ℙ Aliud, in Boeotia. *Id.* 4, 7. ℙ Aliud denique in Ionia. *Id.* 5, 29. *B. A.*

*PTENETHU, indecl. nomus vel praefectura in Aegypto inferiore. *Plin.* 5, 9. Nomos habet — Busiriten, Onuphiten, Saiten, Ptenethu, etc. Sic ed. *Hard.*, ubi ed. *Elzev.* habet *Ptenethum*, minus bene. Sed scribendum censeo *Phthenethu.* Similiter desinens habes vocabulum *Phthemphu.* *Ptolemaeo* est *Φθενότης.* *B. A.*

*PTERĔLAS, ae, m. Taphiorum rex, de quo *Ov. Ib.* 362. ubi vocativus *Pterela* occurrit. *Πτερέλαος* est *Apoll.* 2, 4. ℙ Alius Pterelas ap. *Stat. Th.* 6, 648. et 7, 632. ℙ Meminit et cujusdam hujus nominis *Pl. Amph.* 1. 1, 105. ℙ Fuit et Pterelas nomen unius e canibus Actaeonis. *Ov. Met.* 3, 212. Et pedibus Pterelas, et naribus utilis Agre. Adde *Hyg. fab.* 181. *B. A.*

PTĔRIS, ĭdis, f. *πτερὶς*, species filicis, sic dicta a *πτερὸν*, ala, quod folia expansa habet in alarum similitudinem. *Plin.* 27, 9, 55. Pterin Graeci vocant, alii blechnon, cujus ex una radice complures exeunt filices, bina etiam cubita excedentes, non graves odore.

PTERNIX, īcis, f. *πτέρνιξ*, caules rectus cacti fruticis: nam alii idem ac frutex nomen habent. *Plin.* 21, 16, 57. Unum caulem rectum habent, quem vocant pternica. *Pternica* est accusativus Graecae positionis.

PTĔRŌMA, ătis, n. *πτέρωμα*, in aedificiis est veluti ala (*πτερὸν* enim ala est) utrinque in fronte aedis apposita ex columnis, aut pariete. *Vitr.* 3, 2. et 4, 4. et 7.

PTĔRON, i, n. *πτερὸν*, idem quod pteroma, in v. praec. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 9, ubi agit de Mausoli opere; et *ib.* 13, 19. *n.* 2., ubi de labyrintho Cretae, et aedificiorum molibus circa adjectis.

PTĔRŌNITHĪCUS. V. PENTETHRONICUS.

PTĔROPHŌROS, i, f. *πτεροφόρος*, regio apud Riphaeos montes, ubi nix pennarum similitudine continuo decidit. *Plin.* 4, 12, 26.

*PTEROS, i, insula Arabiae adjacens. *Plin.* 5, 28. *B. A.*

PTĔRŌTUS, a, um, adj. *πτερωτὸς*, alatus. *Plin.* 36, 26, 66. Calices duos, quos appellabant pterotos, *h. e.* duobus utrinque ansis, quasi alis instructos.

PTĔRYGĪUM, ii, n. *πτερύγιον*, Graece parvam alam, vel pinnulam significat, dimin. a *πτέρυξ*. Significat etiam morbum oculorum, qui Latine *unguis* appellatur, h. e. membranula nervosa, quae oriens ab angulo, nonnunquam ad pupillam quoque pervenit, eique officit. Saepius a narium, interdum etiam a temporum parte nascitur. Ita *Cels.* 7, 7. *n.* 4., ubi ejus etiam curandi, excidendique rationem tradit. *Plin.* 34, 10, 23. Cadmia pterygia et sordes oculorum purgat. Adde 32, 7, 24. ℙ Item digitorum, cum ab unguibus caruncula recedit magno cum dolore, ut ait *Cels.* 6, 19., recedit, inquam, hoc est excrescit, et ab ungue diducitur, ejusque partem aliquando operit. *Plin.* 30, 12, 37. Reduvias, et quae in digitis nascuntur pterygia, tollit canini capitis cinis. Adde 24, 4, 5. et 26, 5, 14. et 27, 4, 5. etc. ℙ In beryllis sunt nubeculae instar pterygiorum in unguibus. *Id.* 37, 5, 20.

PTĔRYGŌMĂ, atis, n. *πτερύγωμα*, pegma quoddam in modum alae constans transversis, et arrectis lignis, continensque nervos, quibus brachia machinae continentur. *Vitr.* 10, 17. *med.*, ubi alii aliter leg.

PTĬSĂNĂ, ae, f. *πτισάνη*, et *πτισσάνη*, succus ex oryza, vel hordeo pisto, et a cortice purgato confectus, cujus usus validissimus saluberrimusque tantopere probatur, inquit *Plin.* 18, 7, 15., ut Hippocrates unum laudibus ejus volumen dicaverit. *Id. ib.* 16. Indi maxime oryza gaudent, ex qua ptisanam conficiunt, quam reliqui mortales ex hordeo. Adde *Varr.* ap. *Non.* 17, 3. ℙ Item ipsum hordeum, cum tundendo a cortice spoliatum est: et haec prima est, et propria hujus vocis significatio: a *πτίσσω*, tundo: et absolute hordeum. *Cels.* 2, 18. *med.* Cum panificia omnia firmissima sint, elota tamen quaedam genera frumenti, ut alica, oryza, ptisana, vel ex iisdem facta sorbitio, vel pulticula, imbecillissimis annumerari potest. *Mart.* 12, 72. Frumentum, milium, ptisanamque, fabamque solebas Vendere. Adde *Cels.* 2, 24.

PTĬSĂNĀRĬUM, ii, n. dimin. ptisanae, sorbitio, vel pulticula ex ptisana, vel oryza. *Hor. Sat.* 2, 3, 155. Tu cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzae.

PTOCHĒUM, et
PTOCHĪUM, ii, n. *πτωχεῖον*, et
PTOCHOTRŌPHĒUM, aut
PTOCHOTROPHĪUM, ii, n. *πτωχοτροφεῖον*, locus in quo degunt, et aluntur pauperes: a *πτωχὸς*, pauper, et *τρέφω*, nutrio. *Imp. Zeno Cod.* 1, 2, 15. et *Imp. Justin. ib.* 19.

PTOCHOTRŌPHUS, i, m. *πτωχοτρόφος*, qui pauperes alit: a *πτωχὸς*, pauper, et *τρέφω*, nutrio. Inscribitur in *Cod.* l. *tit.* 3. De Episcopis, et clericis, orphanotrophis, brephotrophis, ptochotrophis, etc.

*PTOEMBARI, orum, populi Aethiopiae. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

*PTOEMPHĂNAE, arum, populi Aethiopiae, qui canem pro rege habebant, motu ejus imperia augurantes. *Plin.* 6, 30. *B. A.*

PTOLĔMAEĔUS, a, um, adj. *Πτολεμαϊεύς*, ad Ptolemaeum pertinens. *Prop.* 2, 1, 30. Et Ptolemaeeae litora capta Phari, *h. e.* Aegyptiae.

PTOLĔMAEĬUS, a, um, adj. Ptolemaeeus, ut Ptolemaeium gymnasium. *Cic. Fin.* 5. *in.*

PTOLĔMAEUS, i, m. *Πτολεμαῖος*, nomen proprium regum Aegypti *post Alexandrum M. continua serie: discrimen fecit cognomen. Sic Syriae reges plerique Seleuci, aut Antiochi; Aegypti olim Pharaones. ℙ Primus hoc nomine, Lagi filius. Is est, qui et *Magnus* et *Soter* cognominatus. ℙ Secundus, cognomine Philadelphus. V. PHILADELPHUS. ℙ Tertius, cognomine Evergetes. V. EVERGETES. ℙ Quartus, Philopator cognominatus. V. PHILOPATOR. ℙ Quintus, cognomine Epiphanes. V. EPIPHANES. ℙ Sextus, Philometor (qui et Tryphon cognominatus), quod matrem, quae juniorem illi fratrem praeferre contenderat, odisset, per antiphrasin dictus, quum XXXV annis Aegypti regnum tenuisset. ℙ Septimus, Evergetes, qui et Physcon dictus est. ℙ Octavus, cognomento Lathyrus. ℙ Nonus, qui Alexander Ptolemaeus I. ℙ Decimus, qui Alexander Ptolemaeus II., prioris filius, in insula Co educatus, in Mithridatis potestatem venit, unde liberatus ad Sullam confugit. ℙ Undecimus, qui Alexander Ptolemaeus III., post Alexandrum II. fratrem rex, ejectus regno, Tyri obiit, Romanos regni haeredes fecisse dictus. *Cic. Agr.* 2, 16. ℙ Duodecimus, Lathyri filius nothus, Auletes appellatus. T. AULETES. ℙ Ptolemaeus, decimus tertius Aegypti rex, cognomento Dionysius, Cleopatrae frater fuit, qui Pompejum post Pharsalicam cladem in Aegyptum fugientem interimendum curavit. De eo *Prop.* l. c. in PTOLEMAEUS, a, um. ℙ De hisce, qui in Aegypto regnarunt, Ptolemaeis, V., si lubet, *Champollion-Figeac, Annales des Lagides.* Porro Ptolemaeorum stemma habes ap. *Paulum Manutium Quaesitis per Epist.* 1, 10. Historiam ex nummis *Joh. Valens* descripsit. ℙ Ptolemaeus, cognomento Ceraunus, Macedonum fuit rex, Ptolemaei Lagi filius. De eo *Just.* 17 et 24. ℙ Alius, Apion cognominatus, Cyrenensium rex, Ptolemaei Physconis filius nothus. *Id.* 39. ℙ Ptolemaeus, haeresiarcha, discipulus Valentini, seu *flosculus*, ut eum *Irenaeus* 1, 5. appellat. Magistri deliriis alia addidit, duas uxores Deo Intelligentiam et Voluntatem tribuens, etc. V. *Tert. adv. Valent.* ℙ Alius, rex Mauritaniae, cujus avus Juba, Numidiae rex, a Julio Caesare devictus est. *Tac. A.* 4, 23 et 24. *Plin.* 13, 15. ℙ Claudius Ptolemaeus, Aegyptius, Pelusiensis, geographus, musicus, et astronomorum princeps. Scripsit *γεωγραφικῆς ὑφηγήσεως*, *geographiae*, libros septem, in quibus se sequutum esse opus geographicum Marini Tyrii non diu ante editum, multa tamen emendasse et supplevisse ipse profitetur: item *magnae constructionis*, sive *almagesti* libros tredecim, quod primum astronomiae systema: *quadripartitum*, sive de judiciis astrologicis libros quatuor: et alia quaedam. ℙ Alius, mathematicus, Othonis temporibus, de quo *Tac. H.* 1, 22. Seleucum appellat *Suet. Oth.* 4 et 6. Plenum nomen, ut credibile, Ptolemaeus Seleucus. ℙ Ptolemaeus fluvius, in regione Troglodytica. *Plin.* 6, 29. Eae viae omnes Arsinoen ducunt, conditam sororis nomine in sinu Charandra a Ptolemaeo Philadelpho, qui primus Troglodyticen excussit, et amnem, qui Arsinoen praefluit, Ptolemaeum appellavit. ℙ Alii fuere Ptolemaei, sed quorum nulla, ut videtur, apud Latinos scriptores auctoritas. ℙ *Ptolemaei, orum*, num. plur. ap. *Lucan.* 8, 696. Adde *Gell.* 6. *ult.* ℙ Qui scribunt *Ptolomaeus*, perperam, ne dicam monstrose, scribunt. *B. A.* ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 961, 1. M. Julius Ptolemaeus.

[PTOLĔMAĪDENSIS, e, adj. ad Ptolemaidem pertinens, Galilaeae urbem, olim Acen. Nummus ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 3. p. 404. Colonia Ptolemaidensis. *F.*]

PTOLĔMAIS, idis, f. *Πτολεμαΐς* (a *Πτολεμαῖος*, ut *Θηβαΐς* a *Θηβαῖος*) Ptolemaei alicujus filia, vel neptis. *Lucan.* 10, 69. de Cleopatra Ptolemaei Auletae filia: Miscuit incestam ducibus Ptolemaida nostris. *Sidon. carm.* 7, 94. profugisque bibax Antonius armis Incestam vacuat patrio Ptolemaida regno. ℙ Adjective, Aegyptia. *Auson. Idyll.* 10, 311. Conditor hic forsan fuerit Ptolemaidos aulae, *h. e.* templi Arsinoes sororis Ptolemaei Philadelphi. *Sidon. carm.* 5, 461. Dorida diffusam premeret Ptolemaide gaza. ℙ Est praeterea aliquot urbium nomen in Troglodytica, in Cyrenaica, in Thebaide Aegypti, in Phoenicia: de quibus *Plin.* 2, 73, 75., 5, 5, 5., *ib.* 9, 11. et *ib.* 19, 17. et 6, 29, 34. ℙ Sunt qui scribunt et *Ptolemaeis*, et *Ptolemeis.*

*PTOLEMENSES, ium, incolae Ptolemaidis, Phoeniciae urbis. *Ulp.* in *Pandect.* 1. *tit.* 15. leg. 1. *B. A.*

PTYAS, ădis, f. *πτυάς*, genus aspidis venenum in oculos hominum exspuentis, ut ait *Plin.* 28, 6, 18. a *πτύω*, exspuo. Adde 31, 6, 33.

*PTYCHIA, ae, f. insula Corcyrae adjacens. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

P U

PŪBĔDĂ, ae, m. pubescens puer, pubes. *Capell.* 1, 12. et 9, 308. et in *Gloss. Isid.*, ubi et *pubeda*, et *pubeta* ponitur. [At ubique legendum *bupaeda*, nempe a *βούπαις*, *αιδος*, grandis puer; a *βοῦ* particula intentiva (V. BU.), et *παῖς*, puer. *F.*]

PŪBENS, entis, part. a *pubeo*: *ἡβῶν*, qui pubem emisit, pubes, adolescens, ephebus. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 142. Sunt mihi pubentes alto de semine fratres, Pignora cara Probi. *Auson. Idyll. in monosyllab. de membr.* 12, 2. Pubentes annos robustior anticipat vox. ℙ Translate, lanuginem emittens: quod in herbis signum maturitatis est. *Virg. A.* 4, 514. et *G.* 3, 126. Pubentesque secant herbas. *Auson. ep.* 2, 14. pubentes salicum frondes. *Id. Idyll.* 10, 203. Stringunt attonsis pubentia gramina pratis. *Stat. Silv.* 3, 3, 129. Pubentesque rosae primos moriuntur ad Austros, *h. e.* jam expansae, et suam pulcritudinem ostentare incipientes.

PŪBĔO, es, ui, n. 2. *ἡβάω*, pubes sum. [*Hoc verbum nonnisi participio occurrere videtur: nam *pubuerit* in loco *Dig.* a *Nostro* mox laud. melius ad *pubesco* retuleris.] *Ulp. Dig.* 37, 10, 3. *med.* Si duo impuberes patiantur status controversiam, et alter eorum pubuerit, exspectari alterius quoque pubertas debet.

PŪBER. V. PUBES, eris.

*PUBERĀLE, is, n. Pubes, vel in pube pili. *Gloss. Gr. Lat. ἐφηβαιον. B. A.*

PŪBERTAS, atis, f. *ἥβη*, idem quod pubes. *Cic. N. D.* 2, 33. *f.* Ut si qui dentes et pubertatem natura dicat exsistere, ipsum autem hominem, cui ea exsistant, non constare natura. Adde *Plin.* 7, 16, 17. et 21, 26, 97. ℙ Translate. *Plin. prooem.* 23. *med.* Omphacium qua fieret ratione, incipientis uvae pubertate, docuimus, *h. e.* in prima lanugine, ut *Id.* loquitur 12, 27, 60. ℙ Item aetas, in qua pubertas enascitur, quae in maribus decimusquartus est annus, duodecimus in feminis, ut praeter alios *Macrob. Sat.* 7, 7. et *Festus* in *Pubes* docent. *Suet. Dom.* 1. Pubertatis, et primae adolescentiae tempus. *Just.* 9, 6. Primis pubertatis annis. *Id.* 23, 1. Ab initio pubertatis; et 35, 2. Annos pubertatis egressus. *Plin.* 25, 13, 95. Circa pubertatem. *Modest. Dig.* 1, 7, 40. Utique plena pubertate, id est decem et octo annis, praecedere debet. ℙ Item ipsi puberes. *Val. Max.* 2, 1. *f.* Pubertas canis suum honorem reddebat. ℙ Item generandi facultas, quae cum pubertate incipit. *Tac. G.* 20. Sera juvenum venus, eoque inexhausta pubertas.

PŪBES et Puber, ĕris, adj. *ἥβων*, *ἡβήτης*, *ἔφηβος*, qui pubem in inguinibus habet, qui generare potest, et arma ferre. Talis est puer ab annis quatuordecim, inquit *Festus*, femina a duodecim. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 2, 53. Quod nisi puberem te jam haberet, etc. *Nep. Dion.* 4. Nam puero, priusquam pubes esset, etc. *Liv.* 1, 3. Id imperium ei ad puberem aetatem incolume mansit. ℙ *Puberes* interdum dicuntur adolescentes, juvenes, arma ferre qui possunt. *Caes. B. G.* 5, 54. Hoc more Gallorum est initium belli, quo lege communi omnes puberes armati convenire coguntur. *Id. B. C.* 3, 9. Ad extremum auxilium descenderunt, servosque omnes puberes liberaverunt. *Tac. A.* 13, 39. Captа escensu munimenta, omnesque puberes trucidati sunt: et imbelle vulgus sub corona venumdatum. ℙ Interdum significant quoscumque pueritiam egressos et pube vestitos, sive juvenes sint, sive senes. *Sall. Jug.* 28. Dein omnes puberes Numidas, et negotiatores promiscue, uti quisque armatis obvius, interfecit. *Caes. B. C.* 2, 13. Ne gravius permoti milites et defectionis odio, et contemptione sui, omnes puberes interficerent. ℙ Translate. *Virg. A.* 12, 413. de dictamno: Puberibus caulem foliis, et flore comantem, *h. e.* lanuginosis. *Serv.* exponit adultis, *h. e.* maturis. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 4. Istas uvas multo commodius passas, quam puberes manducare. *F.*] ℙ Pro altera positione recti casus *puber*, *Festus:* Pubes, et puber, qui jam generare potest. *Catull.* 63, 63. Ego puber, ego adolescens, ego ephebus, ego puer. Ita leg. *Scal.* Alia ap. *Fest.* omittunt v. *puber*, et ap. *Catull.* leg. *Ego mulier, ego adolescens.* Nihilominus quidam ap. *Prisc.* 6, 707. *puber* agnoscunt: *Caesar* autem *ib.* non pubes, neque *puber*, sed *pubis*, *puberis* declinat: quo modo usurpasse aliquoties *Prudentium*, observat *Nicol. Heins.* ex MSS.

PŪBES, is, f. *ἥβη*, lanugo, et pili, qui in pueris anno decimoquarto, in puellis duodecimo circa inguina enascuntur: est a *φοίβη*, rutilus crinis. Etenim *Etym. M. Φοῖβαι, αἱ καθαραὶ, καὶ λαμπραὶ τρίχες· παρὰ τὸ φοῖβος.* V. PHOEBUS. Latini vero saepissime Graecorum diphthongum *οι* in *u* longum mutant, ut a *μοῖρα* est *murus. Cels.* 7, 19. Si inguen incidendum est, idque jam pube contegitur. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 3. de Myrone statuario: Capillum quoque, et pubem non emendatius fecisse videtur, quam rudis antiquitas instituisset. ℙ De pilis aliorum locorum in corpore. *Capell.* 2, 34. Deosculata Philologiae frontem, illic ubi pubem ciliorum discriminat glabella medietas. ℙ Item locus ipse, in quo pubes enascitur, inguen, pecten. *Virg. A.* 3, 426. Prima hominis facies, et pulcro pectore virgo Pube tenus. *Ov. Am.* 3, 12, 21. de Scylla: Pube premit rabidos inguinibusque canes. *Plin.* 11, 37, 83. Arteriae ad pubem tendentes. *Id.* 28, 15, 60. Ciet urinam vesica suis imposita pubi. ℙ Item ipsi adolescentes, juventus, juvenum multitudo, pueris ac senibus exceptis. *Cic. Mil.* 23. Cui senatus totam rempublicam, omnem Italiae pubem, cuncta populi R. arma commiserat. *Virg. A.* 8, 518. equites bis centum, robora pubis Lecta dabo. *Tac. A.* 6, 1. An ego tantum Romanae pubis, tot egregios exercitus sterni patiar? ℙ Item universim homines, populus, plebs. *Virg. A.* 7, 219. Ab Jove principium generis: Jove Dardana pubes Gaudet avo. *Id. G.* 1, 343. Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret. Adde *Hor., Catull., Ov., Tibull.* Hinc *pube praesente*, populo praesente, ut *Festus* docet, *συνεχδοχικῶς* ab iis, qui puberes sunt, omnem populum significans. *Pl. Ps.* 1, 1, 123. Nunc ne quis dictum sibi neget, dico omnibus, pube praesenti, in concione, omni poplo, etc. ℙ Quamvis pubes propria hominis sit: solus enim pubescit, ut ait *Plin.* 11, 39, 94., poetice tamen et de brutis dicitur, ut de juvencis *Virg. G.* 3, 174. pubi indomitae non gramina tantum, etc. ℙ *Pubis* in recto sing. *Prud. Cath.* 7, 162. Jejuna mensas pubis omnis liquerat. Alii leg. *pubes.* [*Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 344. *Ruddim.* 1, 66. ℙ Confund. *pubes* et *puppes.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 526.]

PŪBESCO, is, n. 3. *ἡβάω*, *ἡβάσκω*, pubem emittere incipio, pubes fio, pubertatem ingredior. *Cic. Off.* 1, 22. *med.* Herculem, cum primum pubesceret, exisse, etc. [**Liv.* 8, 8. flos juvenum pubescentium ad militiam.] *Petr. Sat.* 119. male pubescentibus annis Subripuere viros. *Virg. A.* 3, 491. Et nunc aequali tecum pubesceret aevo. *Lucr.* 5, 672. et impubem molli pubescere veste. *Sil.* 16, 678. puer vix pubescente juventa. *Id.* 3, 79. ubi flore novo pubescet firmior aetas, Emicet in Martem. Adde *Suet. Tib.* 6. ℙ De lanugine primae barbae. *Val. Fl.* 7, 340. Pubescunt dulces malae. *Stat. Silv.* 3, 3, 11. et nati modo pubescentia ora. *Capell.* 1, 3. de Mercurio: Ac jam pubescentes genae seminudum eum incedere non sinebant. ℙ Transfertur ad herbas, et plantas, quae adolescunt, et maturitatem assequi incipiunt: quo tempore quaedam et lanuginem emittunt. *Ov. Trist.* 3, 12, 7. Prataque pubescunt variorum flore colorum. *Cic. N. D.* 1, 2. Coeli mutationes, quibus omnia, quae terra gignit, maturata pubescunt; et *ib.* 2, 19. *f.* Pubescunt, maturitatemque assequuntur, quae oriuntur e terra. *Colum.* 4, 28. Medium eorum dierum spatium, quo acini formantur, vinearum nobis aditum negat: quippe florentem fructum movere non expedit: pubescentem vero et quasi adolescentem convenit religare, etc. *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 3. Apianis apes dedere nomen: ex eis duo genera lanugine et ipsa pubescunt. (Hinc *lanatae* dictae.) *Claud. Rapt. Pros.* 2, 79. nunc omnia fetu Pubescant virgulta. ℙ De aliis rebus. *Id. ib.* 49. Invalidum dextro portat Titana lacerto Nondum luce gravem, nec pubescentibus alte Cristatum radiis, *h. e.* jam adultis, et plenum fulgorem emittentibus. *Id. de Phoenice*, 51. qui saepe renasci Exitio, proprioque soles pubescere leto, *h. e.* juvenescere. *Macrob. Sat.* 7, 7. Vinum cum in infantia est, dulce; cum pubescit, magis suave, quam dulce.

PŪBIS. V. PUBES, eris et PUBES, is.

[PUBLIA, ae, f. praenomen R., ut Publia Sextilia. V. PRAENOMEN et PUBLIUS. *F.*]

PUBLIĀNUS, a, um, adj. ad Publium pertinens. *Sen. Controv.* 3, 18. *med.* Publiana sententia, *h. e.* Publii Syri mimographi.

PUBLĪCĀNA, ae, f. *Cic. Verr.* 2, 3, 34. Mulieri publicanae noluit ex decumis nimium lucri dare. V. DECIMANUS.

PUBLĪCĀNUS, i, m. τελώνης, qui vectigalia, et alios populi, principumve reditus (quae *publica* absolute dicuntur) exigendos certo constituto pretio redimit. Erant publicani equites Romani, qui tributa, et publica vectigalia P. R. quaestus sui causa conducebant. *Plin.* 33, 2, 8., *Cic. Planc.* 9., *Rab. Post.* 2., *Dom.* 28. et *Liv.* 43, 16. ℙ De origine vocis ita *Ulp. Dig.* 39. *tit.* 4. *De publican. et vectigal. l.* 1. Publicani autem sunt, qui publico fruuntur. Jam inde nomen habent, sive fisco vectigal pendant, vel tributum consequantur. Et omnes, qui quid a fisco conducunt, recte appellantur publicani. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 11. Non esse autem leniores in exigendis vectigalibus Graecos, quam nostros publicanos, hinc intelligi potest. *Id Panc.* 9. Flos enim equitum R. ornamentum civitatis, firmamentum reipubl. publicanorum ordine continetur. ℙ Neque vero solum publicani vectigalia publica redimebant, sed alia quoque praeterea multa, quae proprie ultro tributa dicuntur. *Val. Max.* 5, 6. *n.* 8. Cum secundo bello Punico exhaustum aerarium ne Deorum quidem cultui sufficeret, publicani ultro aditos censores hortati sunt, ut omnia sic locarent, tanquam respublica pecunia abundaret, seque praestituros cuncta; nec ullum assem, nisi bello confecto, petituros polliciti sunt. *Liv.* 25, 3. Item Cethego et Tuditano censoribus redemerunt reficienda, quae circum forum incendio consumpta erant, septem tabernas, macellum, atrium regium. *Id.* 27, 11. *extr.* Item Catone et Flacco censoribus conduxerunt lacus sternendos lapide, et cloacas detergendas, qua opus esset, in Aventino, et faciendas in aliis partibus, qua nondum erant. *Id.* 39, 44. ℙ Ex publicanis alii *mancipes* erant, alii *praedes*, alii *socii*. Mancipem ita definit *Festus* in *Manceps:* Quisquis a populo aliquid emit, conducitve, quia sublata manu significat, se auctorem emptionis esse. *Asconius* in *Div. Verr.* 10. Mancipes principes publicanorum esse ait, qui quaestus sui causa exigenda a sociis suo periculo exigant, et reipubl. repraesentent. Praes, teste *Festo*, est qui populo se obligat, interrogatus a magistratu, videlicet pro mancipe, qui conducit. Dictus est a praestando, quia, si manceps non solvisset, debebat praestare, quod ab eo promissum fuerat. Manceps etiam praes est, quia tam debet populo praestare, quod promisit, quam is, qui pro eo praes factus est. Socii erant, qui in partem quaestus et jacturae a mancipibus et praedibus vocabantur. *Sigon. de ant. jure C. R.* 2, 4. ℙ Deinde publicanorum alii erant *decumani*, alii *pecuarii*, seu *scripturarii*, alii *portitores*. *Ascon.* in *Div. Verr.* 10. Decumani erant illi, qui decumas redimebant, idest vectigalia, quae capiebantur ex agris. Pecuarii, sive scripturarii, qui scripturam redimebant, idest vectigalia ex silvis, sive e pastione pecorum. Portitores, qui portoria redimebant, idest vectigalia, quae capiebantur ex rerum importatione et exportatione. *Sigon. l. c.* ex *Cic. Manil.* 6., *Fl.* 8., etc.

[PUBLĪCĀRĪUS, a, um, adj. qui tacenda facile publicat, seu evulgat. *Firm. Math.* 3, 8. *med.* Mercurius faciet in omnibus actibus publicarios. *F.*]

PUBLĪCĀTĪO, onis, f. δήμευσις, actus publicandi, *h. e.* in publicum redigendi, proscriptio. *Cic. Cat.* 4, 5. Adjungit etiam publicationem bonorum. *Id. Planc.* 41. Proponere publicationem bonorum.

PUBLĪCĀTOR, oris, m. *Sidon. ep.* 3, 13. Publicator occulti.

PUBLĪCATRIX, icis, f. quae publicat. *Arnob.* 1, 20. Venus publicatrix intestini dedecoris.

PUBLĪCĀTUS, a, um, part. a *publico:* δημευθείς, publicus factus, vulgatus. *Just.* 2, 15. Cum proditionis dolum publicatum videret. *Plin.* 33, 1, 6. Dies fasti publicati. *Suet. Aug.* 29. Forum publicatum. *Id. Tib.* 5. Fundis simulacrum Felicitatis publicatum, *h. e.* publice dedicatum. *Vell.* 2, 114. Lectica ejus (*Tiberii*) publicata; et *Tac. G.* 19. Publicatae pudicitiae nulla venia. ℙ Item in publicum redactus, fisco addictus, proscriptus. *Nep. Thras.* 1. Cum tyranni plurimorum bona publicata inter se divisissent.

PUBLĪCĒ, adv. ad rem publicam, et populum refertur, et significat publico nomine, publica auctoritate: cui *privatim* opponitur, δημοσίᾳ, δημοσίως. *Cic. Verr.* 2, 3, 34. *f.* Cum Philinus de calamitate aratorum, et de fuga publice diceret, animadvertistis gemitum populi R., etc. *Ter. Eun.* 2, 2. *f.* Miror quid ex Piraeeo abierit: nam ibi custos publice est. *Caes. B. G.* 1, 16. Quotidie Caesar Aeduos frumentum, quod essent publice polliciti, flagitare. *Id. B. C.* 2, 21. *f.* Privatim ac publice quibusdam civitatibus honores habiti. *Hirt. B. Alex.* 65. Praemia benemeritis et viritim, et publice tribuit. *Sall. Cat.* 11. Signa, tabulas pictas, vasa caelata mirari: ea privatim ac publice rapere. *Liv.* 4, 13. Minucius eandem publice curationem agens, quam Maelius privatim agendam susceperat. *Caes. B. G.* 4, 3. Publice maximam putant esse laudem, quam latissime a suis finibus vocare agros. [**Nep. A.* 3, 1. publice comprobatum est, i. e. quod nos dicimus, *durch einen Schluss der Regierung.* V. *Brem. Cic. Brut.* 62, 225. publice interfectus est. V. *Ellendt.*] ℙ Item in publicum. *Ter. Ad.* 3, 4, 78. Homo antiqua virtute ac fide, haud cito mali quid ortum ex hoc sit publice. *Cic. Att.* 16, 11. *f.* et *Fam.* 15, 9. Publice tamen scripsi. *Nep. Timoth.* 3. Litteras Athenas publice misit. *Vell.* 2, 3. Quidquid publice salutare non esset, privatim alienum existimans. ℙ Sumptu publico. *Nep. Dion.* 10. In urbe, celeberrimo loco elatus publice. *Id. Arist.* 3. Ut filiae ejus publice alerentur. *Liv.* 5, 55. Tegula publice praebita est. *Plin.* 33, 1, 4. Legatis annuli publice dabantur. *Cic. Verr.* 2, 1, 6. Nemini meus adventus labori, aut sumptui neque publice, neque privatim fuit. ℙ *Publice signare* est signo seu forma publica metallum in monetam cudere. *Cic. Leg.* 3, 3. Aes, argentum, aurumve publice signanto. Huc pertinet illud *Legis Vellejatis* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 109. *col.* 2. *l.* 25. Praeter pecuniam certam, creditam, signatam forma P. P. R., *h. e.* publica populi Romani. ℙ Vulgo, omnes. *Liv.* 5, 53. *f.* Exsulatum publice ire. *Ulp. Dig.* 39, 2, 24. Fluminum publicorum communis est usus, sicuti viarum publicarum et litorum. In his igitur publice licet cuilibet aedificare. *Gell.* 13, 10. Labeo consulentibus de jure publice responsitavit, *h. e.* omnibus, promiscue. ℙ Palam, coram omnibus. *Gell.* 17, 21. Sophista ille ἀπαίδευτος, qui publice nuper disserens, Carneadem cum superiore Africano vixisse dixit. *Appul. Met.* 10. Jamque rumor publice crebuerat.

PUBLĪCĬĀ Tribus. V. POBLILIA.

PUBLĪCIĀNUS, a, um, adj. ad Publicios pertinens (familiam Rom. V. PUBLICIUS.) ut Publicianus locus, *Cic. Att.* 12, 38. ℙ *Publiciana actio* a nomine praetoris, a quo primum proposita fuit, appellata, dabatur ei, qui ex justa causa rem aliquam non a domino traditam accepisset, v. gr. ex causa emptionis, aut donationis; et necdum ejus rei dominus factus esset, ejusque possessionem casu amisisset: dabatur, inquam, ut eam rem persequi judicio posset. V. *Dig.* 6. *tit.* 2. qui *De Publiciana in rem actione* inscribitur, et *Justin. Institut.* 4. *tit.* 6. §. 4.

PUBLĪCĪTUS, adv. idem ac publice. *Ter. Ph.* 5, 7, 85. Nonne hoc publicitus scelus hinc deportarier in solas terras? Ubi *Donat. Publicitus*, publica cura, et consilio. *Pl. Amph.* 1, 1, 8. Hospitio publicitus accipiar, *h. e.* carcere publico; et 4, 2, 7. An fores censebas nobis publicitus praeberier? (Sic *Pomp.* ap. *Non.* 11, 27. dare alicui publicitus cibaria;) et *Pers.* 4, 3, 40. Auctionem publicitus facere. *Id. Bacch.* 2, 3, 79. Aurum in aede Dianae publicitus servant. Adde *Lucil.* et *Caecil.* ap. *Non. l. c.*

PUBLĪCĪUS, a, um, adj. *Festus:* Publicius clivus appellatur, quem duo fratres L. M. Publicii Malleoli aediles curules, pecuariis condemnatis, ex pecunia, quam ceperant, munierunt, ut in Aventinum vehiculis Velia venire possint. *Varr. L. L.* 4, 32. *f.* Publicius vicus, et Cosconius vicus, quod ab his viris dicuntur aedificati. V. *Ov. Fast.* 5, 283. et sqq. ℙ De Publicia tribu V. POBLILIA.

PUBLĪCO, as, avi, atum, a. 1. δημοσιόω, publicum facio, [**h. e.* usus publici facio, communi usui do.] *Tac. A.* 16, 4. Flagitante vulgo, ut studia sua publicaret. *Suet. Claud.* 3. Disciplinis liberalibus non mediocrem operam dedit, ac saepe experimentum cujusque etiam publicavit. *Plin. ep.* 1, 1. Hortatus es, ut epistolas si quas paulo accuratius scripsissem, colligerem publicaremque; et *ep.* 5, 13. Recitaturus oratiunculam, quam publicare cogito. ℙ Item copiam alicujus rei omnibus facere, utendum aliquid, aut spectandum praebere. *Suet. Ner.* 21. Non cessavit identidem se publicare; et *Aug.* 43. Solebat etiam citra spectaculorum dies, si quid dignum cognitu advectum esset, id extra ordinem quolibet loco publicare. *Id. Caes.* 44. Bibliothecas Graecas et Latinas, quas maximas posset, publicare destinabat. Sic *Plin.* 7, 30, 31. Bibliotheca, quae prima in orbe ab Asinio Pollione ex manubiis publicata Romae est. ℙ In re turpi est prostituere. *Pl. Bacch.* 4, 8, 22. Illa, quae corpus publicat vulgo suum. (*Publicare aliquam*, ad quaestum meretricium damnare. Unde illud ambiguum ap. *Quint.* 7, 9. Inde αὐλητρὶς illa vulgata, cum quaeritur, utrum aula, quae ter ceciderit, aut tibicina si ceciderit, debeat publicari. Graece αὐλητρὶς πεσοῦσα, an παῖς οὖσα.) ℙ Aliquando etiam significat manifestare, palam facere. *Just.* 1, 7. *f.* Reticenda publicare. ℙ [*Hinc in reipublicae ditionem potestatemque redigo, praeconi publico subjicio, proscribo, Gr. δημοσιεύω, προγράφω.] *Cic. Agr.* 2, 21. Privata publicare, publica liberare. *Id. Dom.* 8. *med.* Cum lege nefaria Ptolemaeum regem Cypri, causa incognita, publicasses. *Caes. B. C.* 2, 25. Tribunus plebis legem tulerat, qua lege regnum Jubae publicaverat. *Id. B. G.* 5, 54. Cingetorigem hostem judicandum curat, bonaque ejus publicat. *Sall. Cat.* 52. et 55. Censeo publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis habendos. *Tac. A.* 6, 19. Aurarias ejus, quamquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit, *h. e.* reipublicae addicerentur, fisco suo reservavit.

PUBLĪCOLA. V. POPLICOLA.

PUBLĪCUS, a, um, adj. δημόσιος, ad rem publicam pertinens, communis, totius populi ditioni subjectus: cui *privatus* opponitur. Est a *populus* quasi *poplicus*. V. POPLICUS. Differt a *communis*, quia *communia* sunt, quorum usus omnibus conceditur, et proprietas occupanti, ut aer, aqua, mare, litus, venationes, etc., vel quae sunt duorum aut plurium simul utentium, ut paries, domus: hisque opponuntur *propria*. At *publica*, quae in communi populi alicujus aut civitatis usu et dominio sunt, nec occupari a privato possunt, ut campus Martius, fora, theatra, viae, etc., hisque opponuntur *privata*. Sic jus commune dicitur jus gentium, *h. e.* quo omnes gentes utuntur: publicum, quod populus quisque sibi constituit. *Cic. Inv.* 1, 27. Publicum est, quod civitas universa aliqua de causa frequentat, ut ludi, dies festus, bellum: commune, quod accidit omnibus eodem fere tempore, ut messis, vindemia, calor, frigus. Nihilominus aliquando pro *communi* adhibetur. *Pers.* 5, 98. Publica lex hominum, naturaque continet hoc fas. *Plin.* 10, 33, 50. Jam publicum omnium (*avium*) est tabulata ramorum sustinendo nido provide eligere. Sic *commune* pro *publico* non raro ponitur. V. COMMUNIS. ℙ Ad *publicus* propria notione pertinent haec. *Caes. B. G.* 6, 12. Sacrificia publica ac privata procurant; et *ib.* 1, 12. Non solum publicas, sed etiam privatas injurias ultus est. *Sall. Cat.* 38. Juventus privatis atque publicis largitionibus excita. *Cic. Mur.* 36. Odit populus R. privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit. *Id. Verr.* 2, 3, 31. Cognoscite Agyrinensium publicas litteras, deinde testimonium publicum civitatis. *Id. Mil.* 27. Ut memoriam publicam recensionis tabulis publicis impressam extingueret: hujusmodi erant, in quibus census populi, senatusconsulta, nomina recens natorum, virilem togam sumentium, vita functorum perscribebantur. V. TABULARIUM. ℙ *Publica judicia*, et *causa publica*, cum agitur de iis, quae ad rem publicam pertinent, v. gr. de crimine majestatis, annonae, repetundarum, quae universam rempublicam laedunt: item parricidii, adulterii, peculatus, et aliis, quae *Ulp.* enumerat *Dig.* 48. *tit.* 1. qui *De publicis judiciis* inscribitur, *l.* 1. De his enim leges publicae constitutae sunt, eorumque coercitio ad universorum exemplum pertinet. *Cic. Rosc. Am.* 21. Antea causam publicam nullam dixi. ℙ *Publica sacra*, quae publico sumptu pro populo fiunt, quaeque pro montibus, pagis, curiis, sacellis. At privata, quae pro singulis hominibus, familiis, gentibus fiunt, *Fest.* ℙ *Cic. Agr.* 2, 30. Ut privatos agros, qui in publicum Campanum incurrebant, pecunia publica coemeret. *Plin. ep.* 9, 13. *f.* Consulere in publicum. *Liv.* 4, 15. *extr.* Bona alicujus vendere, et in publicum redigere. *Cic. Verr.* 2, 3, 44. Quotidie solitus non modo in publico, sed etiam de publico convivari. ℙ *Publicum*, et *publica* sunt vectigalia reipublicae, seu potius loca aut res, ex quibus vectigal pro republica exigitur, τὸ δημόσιον, τὰ δημόσια, τελωνεία. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 11. Ut et publicanis satisfacias (praesertim publicis male redemptis), et socios perire non sinas. *Hor. Ep.* 1, 1, 77. Pars hominum gestit conducere publica. *Cic. Prov. cons.* 5. *med.* Si qui frui publico non potuit, hic tegitur ipsa lege censoria. (Eodem sensu *Id. Har. resp.* 28. Vectigalibus non fruuntur, qui redemerunt.) *Suet. Cal.* 40. Ut tenerentur publico et quae meretricium, et qui lenocinium fecissent. *Id. Vesp.* 1. Publicum quadragesimae in Asia egit. *Jabolen. Dig.* 4, 6, 31. Qui operas in publicum quod vectigalium causa locatum est, dat, reipublicae causa non abest. *Sen ep.* 119. *med.* Circumspiciebam, in quod me mare negotiaturus immitterem, quod publicum agitarem. Adde *Pl. Truc.* 1, 2, 41. ℙ Translate *Sen. Const. Sap.* 14. Illi quoque, qui hoc salutationum publicum exercet, donabit, *h. e.* hoc tanquam vectigal pro admissione ad salutandum: quod fiebat a magnarum domuum janitoribus. Unde illud *Juven.* 3, 184. quid das, ut Cossum aliquando salutes? ℙ *Publicum*, aerarium publicum. *Nep. Timoth.* 1. Mille et ducenta talenta praedae in publicum retulit. ℙ *Publicus*, servus publicus. *Juven.* 10, 41. Quippe tenet sudans hanc publicus, et sibi consul Ne placeat, curru servus portatur eodem. Potest tamen *publicus* cum *servus* jungi. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 4. *n.* 48. Publicus pontificum. Alia ap. *Grut.* 1087, 7. Publicus augurum; et 21, 11. Successus publicus municipii Asisinatium ser. Amoenianus. Adde aliam ap. *eund.* 305, 5. et 6., 306, 4. et 307, 3. et ap. *Fabr.* p. 336. *n.* 504. et 505. ℙ Item magistratus. *Caes. B. G.* 6, 12. Si quis aut privatus, aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. ℙ *Publica* absolute pro meretrice usurpari videtur ap. *Sen. ep.* 88. *med.* In his libris (*Didymi grammatici*) quaeritur, libidinosior Anacreon, an ebriosior vixerit: in his, an Sappho publica fuerit, et alia quae erant dediscenda, si scires. ℙ Est etiam *publicum* locus publicus, publica lux, conspectus hominum. *Cic. Verr.* 2, 5, 35. In publico esse non audet, includit se domi; et *Agr.* 2, 5. *extr.* Lex in publicum

proponitur; et *Att.* 8, 9. Epistolam in publico proponere; et *ib.* 11. *f.* et *Verr.* 2, 1, 31. *f.* Prodire in publicum; et *Tac. H.* 4, 49. *med.* egredi; et *A.* 15, 59. *med.* Paululum in publico versatus, post domi secretus. Contra *Cic. Har. resp.* 23. *f.* et *Mil.* 7. Carere publico; et *Suet. Claud.* 36. abstinere. *Id. Ner.* 9. Lectica per publicum vehi. *Liv.* 39, 18. In aliquem animadvertere in privato, aut in publico. ℙ Praeterea *publicus* est, qui ab universis utcumque fit, et ad populum utcumque pertinet. *Hor. Od.* 2, 8, 7. juvenumque prodis Publica cura. *Ov. Pont.* 4, 14, 56. Publicus favor. *Id. Am.* 3, 7, 12. et *A. Am.* 1, 144. Publica verba, *h. e.* quibus omnes utuntur, tam vulgus, quam docti, et quae velut formulae sunt honoris, aut benevolentiae, aut urbanitatis. *Sen. ep.* 3. Ita eadem epistola illum et dixisti amicum, et negasti. Itaque sic priore illo verbo, quasi publico usus es, et sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus; quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus. *Id. ep.* 59. Magnam ex epistola tua percepi voluptatem: permitte enim mihi uti verbis publicis; nec illa ad significationem Stoicam revoca. ℙ Item vulgaris, plebejus, translaticius. *Ov. Pont.* 4, 13, 3. Unde saluteris, color hic tibi protinus index, Et structura mei carminis esse potest. Non quia mirifica est, sed quod nec publica certe; et *Juven.* 7, 53. Sed vatem egregium, cui non sit publica vena, Qui nihil expositum soleat deducere, etc. *Petr. Sat.* 3. Sermo non publici saporis.

PUBLĬLIĂ Tribus. V. POBLILIA.

PUBLĬPOR, ōris. V. MARCIPOR. ℙ Ap. *Sall. fr.*, ut refert *Prisc.* 6, 700., est nomen viri proprium.

PUBLĬUS, ii, m. praenomen Romanum, ut *Publius Cornelius Scipio. Auct. Epit. de nom. R.* Publii dicti, qui prius pupilli facti erant, quam praenomina haberent; alii ominis causa, ex pube. ℙ *Publius* mimographus poeta C. Julio Caesari familiaris, Syrus origine, scripsit mimos quosdam, sententiis acutis, gravibus, et dignis, quae a pueris ediscantur. Obiit decimo mense post Caesaris necem, ann. circiter XLIII. ante Christum. V. *Gell.* 17, 14., *Macr. Sat.* 2, 7. et *Sen. Contr.* 3, 18. Memoratur et a *Cic. Fam.* 12, 18., *Sen. ep.* 8. et *Plin.* 8, 51, 77.

PŪCĪNUS, a, um, adj. *Πούκινος*, ad Pucinum pertinens, *Πούκινον*, quod est oppidum Carnorum (ap. *Plin.* 3, 18, 22.) in colle, apud oram maris Adriatici, inter Aquilejam et Tergeste, nunc *Castel Duino*, vino generoso clarum. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9. de uva: Item Pucina omnium nigerrima. *Id. ib.* 6, 8. *n.* 1. de vino: Julia Augusta LXXXII. annos vitae Pucino retulit acceptos, non alio usa. Gignitur in sinu Adriatici maris, non procul a Timavo fonte, saxeo colle, maritimo afflatu paucas coquente amphoras. Nec aliud aptius medicamentis judicatur. Hoc esse crediderim, quod Graeci celebrantes miris laudibus Pyctanon (*Hard.* leg. *Praecianum* ex MSS.) appellaverunt ex Adriatico sinu. *Id.* 17, 4, 3. Pucina vina in saxo coquuntur.

PŪDĒFACTUS, a, um, part. ab inus. *pudefacio:* quem puduit. *Gell.* 15, 17. de Alcibiade: Traditas sibi tibias cum ad os adhibuisset, inflassetque, pudefactus oris deformitate abjecit, infregitque.

PŪDENDUS, a, um, part. a *pudet: αἰσχρὸς, αἰσχυντηλὸς*, qui ejusmodi est, ut illius nos pudere debeat, turpis, inhonestus. *Virg. A.* 11, 55. at non, Evandre, pudendis Vulneribus pulsum aspicies. *Ov. Pont.* 2, 2, 107. Nec mea, si tantum peccata novissima demas, Esse potest domui vita pudenda tuae. *Id. Her.* 2, 3, 98. Causa pudenda tua est: justa vir arma movet. *Quint.* 1, 2. Pudenda dictu spectantur. *Suet. Vesp.* 16. Negotiationes vel privato pudendas exercere. *Id. Tib.* 65. Criminari aliquem pudenda miserandaque oratione. *Id. Vit.* 2. Sive ille stirpis antiquae, sive pudendis parentibus atque avis. *Plin.* 29, 6, 39. de blatta: Hoc quoque animal inter pudenda est. *Sil.* 11, 90. proh cuncta pudendi! *h. e.* plane et in cunctis probrosi. *Ἑλληνισμός.* [*V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 393.] ℙ De genitalibus. *Auson. Idyll.* 6, 85. quod pube pudenda Hellespontiaci ridetur forma Priapi. *Id. Perioch. Odyss.* 6. Foliorum oppositu pudenda velatus. *August. C. D.* 14, 17. Omnes gentes usque adeo tenent insitum pudenda velare, ut quidam barbari illas corporis partes nec in balneo nudas habeant. *Ser. Sam.* 36, 681. Dicendum est quae sit membris medicina pudendis. ℙ Item de podice. *Minuc. Fel. Octav.* 28. *med.* Strepitus per pudenda corporis expressi. ℙ *Pudendum* interjectio, ut *nefas*, *miserabile*, et hujusmodi. *Sil.* 17, 141. tum vincla viro manicaeque (pudendum!) Addita. Alii leg. *pudendae.*

PŪDENS, entis, part. a *pudet: αἰδήμων*, quem facile pudet, (quod probitatis signum est) verecundus, pudicus, probus, abhorrens a flagitio atque dedecore. *Lucr.* 4, 1157. Balba loqui non quit, traulizi: muta, pudens est. *Cic. Verr.* 2, 3, 69. Esset ex inerti atque improbo parente navus, et pudens, et probus filius. *Id. Phil.* 3, 11. Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum. *Auct. ad Her.* 3, 13. Risus pudens et liberalis. *Cic. Verr.* 2, 1, 1. Impudentiae suae pudentem exitum quaerere. *Ter. Heaut.* 1, 1, 78. Animi est pudentis signum. *Catull.* 15, 2. Veniam peto pudentem. *Cic. Pis.* 17. Te videri pudentiorem fuisse, quam soles. *Id. Verr.* 2, 1, 37. *f.* Pudentissimae lectissimaeque feminae. *Id. Fl.* 20. *med.* Pudentissimus atque optimus vir. [*De discrimine inter *pudens* et *pudicus* diximus in h. v.] ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Malvas. Marm. Felsin.* p. 242. M. Vetilius M. F. Pom. Pudens.

PŪDENTER, adv. *αἰδημόνως*, cum pudore, verecunde. *Gell.* 12, 11. Si sciant homines, nihil omnium rerum diutius posse celari, suppressius pudentiusque peccabitur. *Afranius* ap. *Charis.* 2, 190. Pudenter mentiens. *Cic. Quint.* 11. *f.* Eum tum pudenter appellare nolebas? *Id. Or.* 2, 89. Quem paulo sciebam vel pudentius, vel invitius ad hoc genus sermonis accedere. *Id. Att.* 16, 15. *f.* Pudentissime hoc Cicero petierat.

[PŪDENTILLĂ, ae, f. dimin. pudentis. Est cogn. R. *Appul. Apol.* Aemilia Pudentilla, quae nunc mihi uxor est, etc. *F.*]

[PŪDENTĪNUS, a, um, adj. ad pudentem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 27, 6. Salvia Pudentina. *F.*]

PŪDĔO. V. PUDET.

PŪDESCIT, n. 3. idem quod pudet, aut pudere incipit. *Prud. Cath.* 2, 26. Piget, pudescit, poenitet. *Minuc. Fel. Octav.* 28. *extr.* Quos prius taedescit impudicitiae suae, quam pudescit.

PŪDET, ebat, puduit et puditum est, impers. 2. *αἰσχύνομαι*, pudore afficior, verecundor. Differt a *piget*, quia hoc est doloris et poenitentiae, *pudet* verecundiae et ruboris: *piget* rei damnum, *pudet* rei dedecus afferentis. V. PIGET, ubi multa hac de re exempla. *Cic. Or.* 1, 26. Non enim pudendo, sed non faciendo id, quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus. *Pl. Epid.* 2, 1, 1. Quos, cum nihil refert, pudet: ubi pudendum est, ibi eos deserit pudor, cum usus est, ut pudeat. *Id. Bacch.* 3, 1, 12. Neque mei, neque tui intus puditum est, factis, quae facis. *Cic. Verr.* 1, 12. Sunt homines, quos infamiae suae neque pudeat, neque taedeat. *Nep. praef. f.* Quem Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? *Ter. Heaut.* 5, 4, 19. Pudet dicere hac praesente verbum turpe: at te id nullo modo facere puduit. *Tibull.* 2, 3, 30. Servire aeternos non puduisse Deos. *Tac. Agr.* 32. Nisi si Gallos, et Germanos, et (pudet dictu) Britannorum plerosque fide teneri putatis. *Cic. Arch.* 6. Ceteros pudeat, si qui, etc. me autem quid pudeat? *Ter. Ad.* 2, 2, 36. Nihil pudet: omnes dentes labefecit mihi. *Cic. Fl.* 22. Nonne esset puditum, legatum dici Maeandrium? *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 3. Cum puderet vivos, tanquam puditurum esset exstinctos. ℙ Cum accus. communi loco genitivi. *Pl. Mil.* 3, 1, 30. et *Ter. Ad.* 1, 2, 4. Siquidem te quidquam, quod faxis, pudet. *Pl. Epid.* 1, 2, 4. Idne pudet te, quia captivam es mercatus? *Id. Cas.* 5, 2, 4. Pudet, quod prius non puditum unquam est. ℙ *Pudere alicujus* est pudore affici, quod quempiam male tractaveris. *Just.* 12, 6. de Alex.: Accesserat poenitentiae, nutricis suae, sororis Cliti, recordatio, cujus absentis eum maxime pudebat, tam foedam illi alimentorum suorum mercedem redditam. ℙ *Pudet Deorum atque hominum*, formula significantis maxime se pudere. *Pl. Trin.* 4, 2, 67. et *Liv.* 3, 19. ℙ In plurali num. *Ter. Ad.* 4, 7, 36. Non te haec pudent? *Lucan.* 8, 495. semper metuet, quem saeva pudebunt, *h. e.* quem pudebit saeva facere. ℙ In primis personis. *Pl. Cas.* 5, 2, 3. Ita nunc pudeo, atque ita nunc paveo. *Prisc.* 11, 922. docet ex *Capro*, in usu veterum fuisse *pigeo*, *pudeo*, *taedeo*, *poeniteo*. ℙ Figura est zeugma in illo *Gell.* 5, 1. Quisquis ille est, qui audit, nisi ille est plane deperditus, inter ipsam philosophi orationem et perhorrescat necesse est, et pudeat tacitus, et poeniteat, et gaudeat, et admiretur. ℙ [*Confund. *pudet* et *piget*. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 209.]

PŪDĪBĬLIS, e, adj. pudendus. *Lampr. Elag.* 12. Ad honores reliquos promovit commendatos sibi pudibilium enormitate membrorum. **Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 15. *B. A.*

PŪDĪBUNDUS, a, um, adj. *αἰδήμων*, multo pudore suffusus, valde pudens. *Hor. A. P.* 232. Ut festis matrona moveri jussa diebus Intererit Satyris paulum pudibunda protervis. *Just.* 38, 8. Quae omni studio occultanda pudibundo viro erant. *Ov. Fast.* 2, 819. Illa diu reticet, pudibundaque celat amictu Ora. *Id. Am.* 3, 7, 69. Pudibunda jaces. *Plin.* 10, 20, 22. de pavone: Cauda amissa, pudibundus ac moerens quaerit latebras. Adde *Colum.* 10, 360. ℙ Item pudendus. *Auct. Pan. ad Pis.* 114. ut pudibundos Exercere sales inter convivia possit. *Just.* 23, 4. Maternum illi genus sordidum, atque adeo pudibundum fuit. Alii leg. *pudendum.* ℙ Translate. *Stat. Th.* 5, 295. Exoritur pudibunda dies, *h. e.* in qua pudenda facta revelanda erant: quorum vel ipsam diem pudere oportebat. Quidam putant referendum esse ad auroram rubescentem. ℙ Est etiam indecoris, inhonestus, infamis. *Val. Fl.* 1, 809. date indecori pudibunda senectae Exitia, indecoresque obitus.

PŪDĪCĒ, adv. *σωφρόνως, ἁγνῶς, αἰδημόνως*, cum pudore, caste, verecunde. *Catull.* 15, 5. Conserves puerum mihi pudice. *Ter. Andr.* 1, 5, 39. Ingenium bene et pudice doctum atque eductum. (*Pl.* etiam toties fere, quoties *pudice* usurpat, cum *bene* conjungit); et 1, 1, 47. Pudice vitam, parce ac duriter agere. *Pl. Poen.* 5, 4, 51. Ut pudice verba fecit! cogitate, et commode! ut modeste orationem praebuit! *Id. Merc.* 4, 3, 15. Pudicius faciunt illi, quam, etc. *Plin. ep.* 4, 13. Ubi pudicius continerentur, quam sub oculis parentum? *Appul. Apol.* Versus tanto sanctiores quanto apertiores: tanto pudicius compositi, quanto simplicius professi. Alii perperam leg. *pudicitius.*

PŪDĪCĬTIĂ, ae, f. *σωφροσύνη, ἁγνεία*, metus, et abstinentia ab obscenis Venereisque flagitiis, praesertim quae ab aliis inferuntur, et pudori sunt patienti. (V. *Cic. Coel.* 3. et sqq. et *Val. Max.* 6, 1.) In hoc enim proprie a castitate differt, quod *castitas* etiam quae in se admittere quis potest, porro amovet; pudicitia, quae ab aliis pati: quod significare videtur *Non.* 5, 73. Pudor vero in animo est, pudicitia in corpore. [*Nimirum *pudor* latiori sensu positum est, *pudicitia* imprimis sexum spectat. V. *Doederl.* 3, 200.] *Pl. Amph.* 2, 2, 209. Non illam mihi dotem duco esse, quae dos dicitur, sed pudicitiam, et pudorem, et sedatum cupidinem, etc. *Cic. Cluent.* 5. Ita inflammata coepit ferri libidine, ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas a cupiditate revocaret. *Id. Har. resp.* 5. Pudorem pudicitiamque defendere. *Sall. Cat.* 26. Ei cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit. *Ov. Her.* 16, 288. Lis est cum forma magna pudicitiae. *Cic. Rab. perd.* 3. Nec suae, nec alienae pudicitiae parcere. *Id. Mil.* 4. Pudicitiam alicui eripere. *Id. Coel.* 20. *med.* alicujus expugnare; et *ib.* 18. alienam spoliare. *Pl. Cist.* 1, 1, 90. imminuere. *Id. Epid.* 3, 3, 24. filiae suae servare. *Petr. Sat.* 112. alicujus aggredi. *Suet. Aug.* 68. delibare. *Id. Ner.* 29. prostituere. *Sall. Cat.* 13. in propatulo habere; et *ib.* 14. parum honeste habere. *Just.* 12, 7. prosternere. *Id.* 10, 2. perpetuam ab omnibus viris mulieri imperare. *Pl. Epid.* 1, 2, 7. Vim aut vitium afferre pudicitiae cujuspiam. *Gell.* 5, 11. *extr.* Pudicitia inculumi esse. ℙ De fide conjugi servanda. *Pl. Stich.* 1, 2, 43. Pudicitia est eos magnificare, qui nos socias sumpserunt sibi. *Plin.* 10, 34, 52. de columbis: Pudicitia illis prima, et neutri nota adulteria. *Liv.* 10. 23. Spectatae pudicitiae matrona. Ex *eod. ib.* colligitur, eas praecipue matronas pudicitiae laude gloriari solitas, quae uni viro nupsissent. Adde *Festum* laudandum §. 4., *Macr. Sat.* 2, 5. et *Catull.* 61, 221. Sit suo similis patri, Et pudicitiam suae Matris indicet ore. ℙ In lege Julia de adulteriis caput etiam *De pudicitia* fuit (V. *Suet. Aug.* 34.), quo puniebantur alienam pudicitiam violantes, aut prodigentes suam. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 7. Pudicitiae quaestionem peragere. ℙ Pudicitiae signum in foro Boario est, inquit *Fest.*, ubi aedes est Herculis. Eam quidam Fortunae esse existimant. Item via Latina ad milliarium IV. Fortunae muliebris; nefas est attingi, nisi ab ea, quae semel nupsit. Haec *Festus*, quae ad pudicitiam conjugalem referuntur, de qua modo dictum est. Narrat autem *Liv.* 10, 23. sacellum Pudicitiae patriciae in foro Boario fuisse, ad aedem rotundam Herculis, in quo cum patriciae matronae supplicarent, et Virginiam Auli filiam, patriciam illam quidem, sed plebejo nuptam, sacris arcuissent, iratam eam Pudicitiae plebejae aram in vico Longo statuisse, et plebejis matronis convocatis celebrem aeque ac illam alteram effecisse. Quod confirmat *Fest.* in *Plebejae.*

PŪDĪCUS, a, um, adj. *σώφρων, ἁγνός*, quem flagitiorum, obscenaeque libidinis pudorem afferentis praecipue pudet, neque se turpi injuria contaminari patitur: cui *impudicus*, et *mollis* opponitur. [**Pudicus* et *pudens* non forma solum, sed etiam notione differre dicit *Doederl.* 3, 200. sq. Hoc secundo loco positum significare in universum ignominiae metum; illud imprimis spectare obscenae libidinis aversationem. Non tamen exempla desunt, quae *pudicus* sensu latiori adhibitum referant. V. infra.] *Pl. Trin.* 4, 2, 104. Pudicum neminem esse oportet, qui abs terra ad coelum pervenerit. *Cic. Leg.* 1, 19. Quid? possumus eos, qui a stupro arcentur, pudicos dicere? *Id. Phil.* 3, 11. Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum; et *ib.* 2, 3. *f.* Cum omnes impuritates pudica in domo quotidie susciperes. *Hor. Od.* 4, 7, 25. Pudicus Hippolytus. *Id. Sat.* 1, 6, 82. quid multa? pudicum (Qui primus virtutis honos) servavit ab omni Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi. *Pl. Curc* 1, 1, 51. Tam a me pudica est, quasi soror mea sit. *Stat. Th.* 1, 697. seu rore pudico Castaliae flavos amor est tibi mergere crines, *h. e.* quae virgo fuit, pudicitiam ab Apolline servans, et in fontem sui nominis versa. Vel Musas respicit, quae virgines sunt, et in eo fonte lavant. ℙ *Pudica uxor* est unico gaudens mulier marito, ut ait *Hor. Od.* 3, 14, 5.; et quam tori fidem violare plane pudet. *Id. Sat.* 2, 5, 76. de Penelope: tam frugi, tamque pudica, Quam nequiere proci recto depellere cursu. *Ov. Fast.* 2, 794. de Lucretia: nupta pudica. *Id. Pont.* 4, 13, 29. Pudicae matres. *Id. Am.* 3, 14, 13. saltemve imitere pudicas. *Prop.* 3, 11, 9. Haec etiam clausas expugnant arma pudicas. *Id.* 2, 23, 111. lectum servare pudicum. ℙ Universim. *Ov. Her.* 1, 85. Pudi-

cae preces. *Id. Trist.* 3, 7, 13. Pudici mores. *Id. Pont.* 3, 3, 51. crines. *Id. Her.* 6, 134. Me tibi, teque mihi taeda pudica dedit. *Id. Met.* 7, 720. donisque pudicam Sollicitare fidem. *Id. Pont.* 3, 1, 107. Aemula Penelopes fieres, si fraude pudica Instantes velles fallere nupta procos. *Id. Ib.* 351. Nec tibi contingat matrona pudicior illa. *Plin.* 7, 35, 35. Pudicissima femina. *Capell.* 2, 42. Pudicissima puellarum. *Petr. Sat.* 2. *med.* Grandis, et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa, nec turgida, sed naturali pulcritudine exsurgit. ℙ Pudens, verecundus, et a negligentia officii abhorrens. *Pl. Trin.* 3, 2, 71. Is est honos homini pudico, meminisse officium suum. ℙ *Pudicabus* dixit *Cn. Gell.* ap. *Charis.* 1, 39. ut *Deabus*, *puellabus*, *portabus*, etc. de quibus V. in ASINA. [*Discrimen inter h. v. et *castus* explicat *Doederl.* 3, 199.]

PUDOR, oris, m. *αἰσχύνη*, *αἰδὼς*, metus ignominiae, *φόβος ἀδοξίας*, ut Zeno Stoicus definit ap. *Laert. l.* 7. *sect.* 112. vel, ut alii ap. *Gell.* 19, 6., *φόβος δικαίου ψόγου*, timor justae reprehensionis: quem rubor consequitur, ut ait *Cic. Tusc.* 4, 8., sicut terrorem pallor. Est affectus animi redundans in corpus, et in vultu se prodens, cum quis, vel quod peccavit, erubescit et dolet; vel quod ad peccandum impellitur; et refugit abhorretque fuga turpitudinis: quae sunt signa animi a virtute non alieni. Differt a *pudicitia*, ut *impudens* ab *impudico*, ille enim ab animo laborat, hic a corpore. [*Nimirum *pudor* saepissime est religio, innocentia, probitas, *Gewissenhaftigkeit*. Cf. *Doederl.* 3, 200. sq.] Contrariam habet *petulantiam*. *Cic. Cat.* 2, 11. Ex hac parte pugnat pudor, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum. *Id. Fin.* 2, 34. Moderator cupiditatis pudor. *Id. Tusc.* 2, 21. Saepe videmus fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur. *Id. Planc.* 11. Adolescentuli modestissimi pudor. *Id. Or.* 3. Pudore a dicendo, et timiditate ingenua refugisti. *Hor. Ep.* 1, 18, 24. Quem paupertatis pudor et fuga tenet. *Ov. Met.* 14, 18. pudor est promissa precesque, Blanditiasque meas, contemptaque verba referre; et *Plin.* 19, 8, 43. Res maximi quaestus, non sine pudore dicenda. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 3. Pudor, Romani nominis proprius, qui saepe res perditas servavit in proeliis, tunc quoque subvenit. *Ov. Am.* 3, 2, 23. Tu quoque, qui spectas post nos, tua contrahe crura, Si pudor est, rigido nec preme terga genu. Adde *Mart.* 2, 37., 10, 90. et al. Sic *Id.* 12, 95. quis enim pudor, omnia velle? ℙ *Pudor candidus* etiam dicitur, licet pudoris color sit purpureus, sed candidus a candore et ingenua simplicitate non inscite appellatur, qualis nempe pueros, puellasque decet. *Appul. Met.* 8. Quod de pudore, candido scilicet, suo tam deformiter triumphassem. ℙ *Pudor* per metonymiam est etiam ipsum pudendum muliebre. V. *Tert. l. c.* in OBSOLEFACTUS. ℙ *Sit pudor*, modum in rebus praecipientis. *Mart.* 8, 3. Sit pudor, et finis; et *ib.* 64. Sit tandem pudor, et modus rapinus; et 11, 50. Sit pudor, et tandem veri respectus, et aequi. ℙ Simile est illud *Virg. Ecl.* 7, 44. Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci. *Val. Max.* 2, 9. *n.* 1. Parentes, vos alendo, nepotum nutriendorum debito, si quis est pudor, alligaverunt. ℙ *Pudor alicujus rei*, metus, ne res aliqua laedatur. *Cic. Prov. cons.* 6. Homo, in quo aliquis si non famae pudor, at supplicii timor est. *Enn.* ap. *Non.* 2, 696. Deum me incendit facere pietas, civium porcet pudor. *Ter. Andr.* 1, 5, 25. Tot me impediunt curae, amor, misericordia hujus, tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo usque adhuc. Adde *Liv.* 6, 46. *med.* ℙ Sq. infin. *Sil.* 4, 330. Spes virtusque cadunt, trepidaque a mente recedit Vertere terga pudor. ℙ De modestia et moderatione animi. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 6. *med.* Sint haec fundamenta dignitatis tuae, tua primum integritas et continentia, deinde omnium, qui tecum sunt, pudor; delectus in familiaritatibus; familiae disciplina. [*Huc transferri posse visus est locus *Quint. Inst.* 8, 3, 39. Ego Romani pudoris more contentus, ut jam respondi talibus, verecundiam silentio vindicabo: vbi v. *Spalding.*] ℙ De probro, dedecore pudorem afferente, metonymice. *Ov. Her.* 11, 79. Irruit, et nostrum vulgat clamore pudorem. *Id. Met.* 8, 157. Destinat hunc Minos thalamis removere pudorem, *h. e.* Minotaurum. *Liv.* 34, 58. Amicitia, quae impetrata gloriae sibi, non pudori sit. *Just.* 3, 4. Ob notam materni pudoris. ℙ [*Eleganter etiam *pudor* dicitur pro causa pudoris, adjecto gen. ejus, cui infertur ignominia, etc. *Lucan.* 5, 59. Fortunae, Ptolomaee, pudor, crimenque deorum, i. e. qui fortunae, ut ita dicam, pudorem incussisti: ita *Cort.*, qui plura utriusque linguae laudat, quorum nonnulla hic adscribamus. *Id.* 8, 597. pro superum pudor; et *ib.* 605. et nunquam superum caritura pudore Fabula. *Claud. Eutrop.* 1, 9. Heu terrae coelique pudor! *Sen. ad Polyb.* 36. pro pudor imperii! *Iscan.* 2, 268. o superum pudor! — *Hom. Il. II*, 498. *Σοὶ γὰρ ἐγὼ καὶ ἔπειτα καταφείη καὶ ὀνείδος:* ubi recte *Schol. αἴτιος αἰσχύνης καὶ ὀνείδους. Eurip. Troad.* 846. *Τὸ μὲν οὖν Διὸς Ὄνειδος οὐκέτ' ἐρῶ.*] ℙ Pro reverentia, cultu et observantia. *Mart.* 8, 78. Quos cuperet Phlegraea suos victoria ludos, Indica quos cuperet pompa, Lyaee, tuos, Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi: O pudor, o pietas! et putat esse parum. ℙ Pro existimatione, fama. *Plin. ep.* 2, 4. Magnum habes facilitatis meae pignus, cujus fiducia debes famam defuncti, pudoremque suscipere. *Id. ep.* 5, 1. Neque enim aderat alius, qui defunctae pudorem tueretur. Adde *Papin. Dig.* 3, 2, 20. et *Ulp. ib.* 3, 25. et *ib.* 47, 10, 1. *med.* ℙ *Pro pudor!* exclamatio rem valde pudendam improbantis. *Petr. Sat.* 81. Reliquit veteris amicitiae nomen, et, pro pudor! tanquam mulier secutuleja, etc. *Flor.* 1, 11. Coriolos quoque, pro pudor! victos adeo gloriae fuisse, ut, etc. Adde *Stat. Th.* 10, 874. et *Mart.* 10, 68. Simile est *o pudor!* ap. *Val. Fl.* 8, 267. qua libuit, remeat cum virgine: nobis, O pudor! et muros, et stantia tecta reliquit. ℙ Pro rubore cutis. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 268. miscet justa pudorem Temperies, nimio nec sanguine candor abundat. ℙ [*Conf. *pudor* et *rubor*. V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 20, 202. — et *furor*. V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* p. 232.]

*PUDIMENTUM, i, n. *Gloss. Gr. Lat. αἰδοῖον*, pudimentum: pudendum. *B. A.*

*PUDORĀTUS, a, um, i. q. pudicus. *Vulgat. Interpr. Siracid.* 26, 19. Mulier sancta et pudorata. *Sarisb.* 8, 11. Pudoratissima virgo. *B. A.*

PŪDORICŎLOR, oloris, adj. colorem pudoris, *h. e.* purpureum, seu rubentem habens, ut Pudoricolor aurora, *Laevius* ap. *Gell.* 19, 7.

*PUDOROSUS, a, um, adj. *Gloss. Gr. Lat. αἰδήμων*, modestus, pudorosus. *B. A.*

PUELLA, ae, f. dimin. puerae, *κόρη*, femina in tenera aetate: estque id magis viridioris aetatis nomen, quam virginitatis. Nam puellae quoque dicuntur, quae jam maritum habent, immo et gravidae sunt, atque adeo eae etiam, quae peperunt. Sane *Hor. Od.* 3, 22, 2. dixit, laborantes utero puellas. *Prop.* 3, 13, 21. et 34. puellam vocat Antiopam, quae mater erat filiorum grandium Zethi et Amphionis. *Ov. Fast.* 2, 557. viduae cessate puellae, *h. e.* abstinete maritorum complexibus. Ap. *eund. Her.* 1, 115. Penelope se puellam vocat, quae jam Telemachum Ulyssi pepererat. *Statius* quoque *Silv.* 1, 2, 163. puellam vocat, quae vidua erat, et post alteri nupta; et *Gell.* 12, 1. puellam vocat puerperam. *Cic. Att.* 1, 5. De tutela legitima, in qua dicitur esse puella, nihil usucapi potest. ℙ Augusteo autem saeculo, gliscente morum depravatione, apud poetas praesertim, *Catull.*, *Hor.*, *Od.*, *Prop.*, *Tibull.*, ac deinceps ap. *Mart.* aliosque passim *puella* dicitur quaecumque mulier virorum amoribus inservire potest. ℙ *Puellabus* dixit *Cn. Gell.* ap. *Charis.* 1, 39. pro *puellis*. V. ASINA. ℙ *Puellam* de catella. *Mart.* 1, 110. nec invenimus Dignum tam tenera virum puella. Sic *Virg. Ecl.* 7, 7. Vir gregis ipse caper.

PUELLĀRIS, e, adj. *κορασιώδης*, ad puellam pertinens. *Ov. Fast.* 4, 433. de filia Cereris: Praeda puellares animos prolectat inanis; et *ib.* 5, 611. de Europa: Saepe puellares subducit ab aequore plantas. *Plin. ep.* 5, 16. Suavitas puellaris. *Quint. prooem.* 6. *med.* aetas. *Plin.* 10, 55, 76. Puellare augurium. [*Tac. A.* 14, 2. puellaribus annis.]

PUELLĀRĬTER, adv. *κορασιωδῶς*, more puellarum. *Plin. ep.* 8, 10. Dum se praegnantem puellariter nescit. *Capell.* 1, 21. Rapiens his comas puellariter, caput illis virga comminuens.

PUELLĀRĬUS, a, um, adj. puellaris. *Petr. fragm. Tragm.* 43. *Burm.* Immo etiam puellarius erat. Alii leg. *pullarius*. V. PULLARIUS.

PUELLASCO, is, n. 3. puella fio, effeminor, *θηλύνομαι*. *Varr.* ap. *Non.* 2, 657. Quod non solum innubae fiunt communes, sed etiam veteres puellascunt, et multi pueri puellascunt.

PUELLĀTORĬUS, a, um, adj. ad puellas pertinens. *Solin.* 5. *med.* Puellatoriae tibiae, quibus a sono clariore vocamen datur, *h. e.* *παρθένιοι αὐλοί*: nam puellarum, quam puerorum, vox clarior est, et acutior.

PUELLĬTOR, aris, dep. 1. rem Veneream habeo. *Laber* ap. *Non.* 8, 56. Quaenam mens, quae deliritas vos suppilatores facit cum cano eugio puellitari? *h. e.* cum vetulis, tanquam cum puellis rem habere? Alii leg. *velitari*.

PUELLŬLA, ae, f. dimin. puellae, *κόριον*, *κορίδιον*, parva puella. *Catull.* 61, 57. Florida puellula. *Id.* 57, 9. Rivales socii puellularum. Adde *Ter. Ph.* 1, 2, 31.

PUELLUS, i, m. dimin. pueri, *παιδίον*, parvus puer. *Lucr.* 4, 1246. unde puellos Suscipere, et partu possint ditescere dulci. Adde *Varr.*, *Lucil.*, *Enn.* ap. *Non.* 2, 688. et *Plaut.* ap. *Fest.* et poetam aequalem *Gellii* 19, 11.

PŬER, ri, m. *παῖς*, tres habet significationes, ut *Paul.* docet *Dig.* 50, 16, 204., unam, cum omnes servos pueros appellamus: alteram, cum puerum contrario nomine puellae dicimus: tertiam, cum aetatem puerilem demonstramus. *Id. ib.* 161. Pueri appellatione etiam puella significatur. *Varr.* ap. *Censorin. de die nat.* 14. pueros dicit esse usque ad annum XV. (V. dicta in AETAS.) quasi *puros*, quod sint impubes. Alii putant dictum a *por*, quod olim eadem significatione fuit. V. POR. Secundum *Prisc.* 6, 697. est communis generis. Unde *Liv. Andron.* in *Odyss. ib.* Sancta puer Saturni filia, regina. *Naev. ib.* Prima incedit Cereris Proserpina puer, *h. e.* filia. In vet. *carm.* ap. *Charis.* 1, 64. Mea puer, mea puer, quid verbi ex tuo ore audio? Adde *Ael. Stilon.* et *Asin. ib.* Sed hoc jam obsoletum est. *Cic. Rosc. Am.* 53. Infantium puerorum incunabula. *Id. Or.* 34. Nescire, quid antea quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum. *Ov. Pont.* 4, 12, 20. Paene mihi puero cognite paene puer. *Pl. Poen. prol.* 28. Pueri infantes minutuli. *Plin.* 30, 3, 8. Pueri tarde dentientes. *Hor. A. P.* 173. laudator temporis acti Se puero, *h. e.* cum puer esset. (Adde *Plin.* 33, 11, 52.) *Cic. Arch.* 3. Ut primum ex pueris excessit Archias. ℙ *A puero* cum nominibus sing. numeri: *a pueris*, cum plur. aetate puerili, ab ineunte aetate, *ἐκ νέων παίδων*, *παιδόθεν*, *ἐκ παιδὸς*, *ἐκ παίδων*. *Cic. Acad.* 4, 36. Diodoto quid faciam Stoico, quem a puero audivi? *Id. Fam.* 13, 16. Doctum hominem cognovi, idque a puero. (Adde *Hor. Sat.* 1, 4, 97.) *Id. Or.* 1. 1. Ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus. *Id. Tusc.* 1, 24. Ut a pueris tot notiones haberemus. ℙ Pro filio parvo, *παῖς*. *Virg. A.* 2, 597. superet conjuxne Creusa, Ascaniusque puer? et *ib.* 4, 94. Tuque, puerque tuus, *h. e.* tu Venus, et Cupido filius tuus. *Hor. Od.* 3, 3, 68. uxor Capta virum, puerosque ploret. *Id. ib.* 1, 12, 25. Pueros Ledae. Adde *Naev. cit.* §. 1. ℙ Pro virgine, et caelibe. *Ov. Fast.* 4, 225. de Aty: Et dixit, semper fac puer esse velis. ℙ Aliquando etiam qui XV. annum excessit, *puer* dicitur, nempe etiam post sumptam virilem togam, quod primae adolescentiae tempus est: qua de re *Manut.* ad illud *Cic. Fam.* 2, 1. *f.* Nisi meis puer olim fidelissimis consiliis paruisses. *Id. ib.* 12, 25. Puer egregius praesidium sibi primum, et nobis, deinde summae reipublicae comparavit, *h. e.* Caesar Octavianus, qui exercitum collegerat privato consilio et pecunia, annos natus XIX., ut ex *Tac. A.* 13, 6. et *Vell.* 2, 61. constat. De eodem rursus *Cic. Phil.* 4, 1. *med.* Laudo vos, Quirites, cum gratissimis animis prosequimini nomen clarissimi adolescentis, vel pueri potius. Adde *Vell.* 2, 59. et *Sil.* 13, 704. et 15, 33. et 46., quibus locis puerum vocat Scipionem Africanum, quem *ib.* 10. et 18. juvenem dixerat, nempe post patrem et patruum vita functos, annos jam natum plusquam viginti, ut ex *Liv.* 26, 18. apparet. ℙ Refertur etiam in his, quae subjicio, ad vigorem corporis, simplicitatem animi, morumque innocentiam, et festivitatem blanda appellatione designat. *Virg.* ad Augustum jam rerum potientem, *Cul.* 25. Octavi venerande, meis allabere coeptis, Sancte puer. *Catull.* 12, 9. est enim leporum Disertus puer, et facetiarum. ℙ Interdum lenem objurgatioaem continet. *Virg. Ecl.* 9, 66. Desine plura, puer. *Ter. Ad.* 5, 8, 17. Promisi ego illis. *Mi.* promisti autem? de te largitor, puer. Hoc videtur esse quod nos dicimus. *Junge*, *Bube.* ℙ Distinguendi sexus gratia. *Ov. Met.* 9, 711. Cultus erat pueri: facies, quam sive puellae, Sive dares puero, fieret formosus uterque. *Catull.* 62, 42. Multi illum pueri, multae optavere puellae. *Auson. ep.* 107. Dum dubitat natura, marem, faceretne puellam, Factus es, o pulcher, paene puella, puer. ℙ Denique *puer* est servus, *παῖς*, quacumque aetate sit. *Cic. Rosc. Am.* 28. Unus puer, victus quotidiani administer, ex tanta familia Sex. Roscio relictus non est. *Pl. Most.* 1, 3, 150. Cedo aquam manibus, puer. Adde *Varr.* ap. *Non.* 2, 648., *Hor. Sat.* 1, 9, 10., *Prop.* 3, 22, 23., *Juven.* 11, 59. etc. Ap. *Liv.* 45, 6. Pueri regii apud Macedonas vocabantur principum liberi, ad ministerium electi regis. *Curt.* 5, 2. Unus ex regiis pueris mensam subdidit pedibus *(Alexandri M.)*.

PŪĔRA, ae, f. idem ac puella, apud veteres, a *puerus*. *Varr.* ap. *Non.* 2, 674. Properate vivere puerae, quas sinit aetatula ludere, et amare, et Veneris tenere leges. *Liv. Andron. Odyss.* ap. *Prisc.* 6, 697. Mea puera, mea puera, quid verbi ex tuo ore profugit? *Pl. Truc.* 1, 2, 47. Non arvus hic, sed pascuus est ager: si arationes habituris, quae arari solent, ad pueras ire melius. V. *Suet. l. c.* in PUERPERIUM.

*PUERĀRĬUS, i, m. puerorum amator. *Gloss. Gr. Lat. φιλόπαις*, puerarius. *B. A.*

PŪĔRASCO, is, n. 3. *νηπιάζω*, est exacta infantia pueritiam inchoare. *Suet. Cal.* 7. Novem libejos tulit, quorum duo infantes adhuc rapti, unus jam puerascens insigni festivitate. ℙ Translate. *Auson. Idyll.* 4, 55. Obductosque senis facies puerascere sensus. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 1, 1. In senectute puerascunt.

*PUERASTER, tri, m. *Gloss. Gr. Lat. ἀντίπαις*, pueraster, *h. e.* puer aliquantum robustus, vix ampius puer. *B. A.*

PŪĔRCŬLUS, i, m. dimin. pueri, puerulus, puellus. *Arnob.* 2, 59. *extr.* Ex puerculo sciscitari. Adde 4, 134. et 7, 247.

[PŪĔRĬGĔNUS, a, um, adj. qui puerum gignit. *Fulg. Myth. praef.* p. 613. *Stav.* Non inquirimus olorinis reptantem adulterum plumis ova pulligera virginibus inculcantem, *(potius)* quam semina puerigena visceribus infundentem. Alii leg. *puerigera*, ut sit a *Pueriger*, *a*, *um*. Loquitur hic *Fulg.* de Jove in cycnum mutato, et cum Leda concumbente. V. PULLIGER.

*PUERĬGER, era, erum, adj. *Fulg. Myth. l.*

Semina puerigera visceribus infundere. Al. leg. *puerigena*. *B. A.*

PŪĔRĪLIS, e, adj. *παιδικὸς, παιδαριώδης*, ad puerum pertinens, puerorum proprium. *Ter. Andr.* 2, 6, 17. Est quod succenset tibi. *Si.* quid est? *Da.* puerile est. *Cic. Arch.* 3. Puerilis aetas. *Id. Div.* 2, 23. Puerili specie, senili prudentia. *Id. Fin.* 1, 21. Delectatio puerilis. *Colum.* 11, 2. *med.* Una opera puerilis jugerum vineti pampinabit. *Stat. Silv.* 5, 2, 66. Ostrum puerile, *h. e.* praetexta. *Liv.* 1, 3. regnum, *h. e.* in quo rex est puer. *Virg. A.* 5, 548. agmen, *h. e.* puerorum. *Ov. Met.* 6, 719. tempus, *h. e.* pueritia; et *ib.* 626. Mixtaque blanditiis puerilibus oscula junxit. ℙ Ad distinctionem sexus. *Ov. Met.* 8, 323. facies, quam dicere vere Virgineam in puero, puerilem in virgine possis. ℙ *Puerile* absolute idem est ac *παιδοφθορία*, quod nempe, ut ait *Hyg. fab.* 189., pueri dare solent amatoribus suis. *Mart.* 9, 68. Fessus mille modis illud puerile poposci. Hoc idem *Appul. Met.* 3. vocat *puerile corollarium*. V. h. v. et *Mart.* 2, 60. *puerile supplicium*, et *Pl. Cist.* 4, 1, 5. *puerile officium*. V. h. v. Huc etiam spectat locus *Senecae* allatus in HABITUS; et *Ov. Her.* 16, 159. ℙ Translate est stultus, levis, inconsultus, vanus, qualia sunt, quae a pueris fiunt. *Cic. Att.* 14, 21. Acta illa res est animo virili, consilio puerili. *Ov. Trist.* 3, 8, 11. Stulte, quid o frustra votis puerilibus optas, Quae non ulla tibi fertque, feretque dies? *Ter. Ph.* 5, 7, 55. Quid me sic ludificamini, inepti, vostra puerili sententia? nolo, volo: volo, nolo rursum: cedo, cape. *Gell.* 1, 2. Nugalia theoremata, et pueriles isagogae. *Id.* 19, 8. Insubidae res, inertes, pueriles. *Hor. Sat.* 2, 3, 250. Si puerilius his ratio esse evincet amare.

PŪĔRĪLĪTAS, atis, f. *παιδία*, aetas puerilis, pueritia. *Varr.* ap. *Non.* 8, 90. Puerilitatis formulam audire. *Val. Max.* 5, 4. *n.* 2. Vix dum annos puerilitatis egressus. ℙ Item mores pueriles. *Sen. ep.* 4. Adhuc non pueritia in nobis, sed, quod est gravius, puerilitas remanet.

PŪĔRĪLĪTER, adv. *παιδικῶς*, puerorum more. *Phaedr.* 3, 8. Pueriliter ludentes. ℙ Item leviter, inconsulto, stulte. *Pl. Pers.* 4, 4, 42. Nimis tu quidem homo stultus es pueriliter. *Cic. Fin.* 1, 6. Quae cum res tota ficta sit pueriliter, etc. *Id. Acad.* 4, 11. Cum dicunt, hoc se unum tollere, faciunt pueriliter; et *ib.* 17. Quippiam pueriliter consectari. *Tac. H.* 4, 86. Vana pueriliter cupiens.

[PŪĔRĪNUS, a, um, adj. idem ac puerilis. Est cognomen Herculis. *Inscr.* ap. *Marin. Inscriz. Alb.* p. 49. T. Fl. Eros Herculem puerinum cum basi Deanae D. D. Hinc *Mart.* 3, 47. memorat *fanum Herculis pusilli*, h. e. Herculis Alcmenae filii, qui *puerinus*, et *pusillus* appellari coeptus est, postquam Domitianus prope rusticum fanum Herculis, in via Appia, octavo ab Urbe lapide situm, statuam sibi sub Herculis imagine posuit, qui ideo per summam adulationem Hercules major dictus est, ut constat ex *eod.* 9, 65, 66. et 102. Eam vero Herculis puerini statuam Dianae dedicavit T. Flavius Eros, qui in *Inscr.* ap. *Mur.* 903, 1. dicitur *Domitiani Caesaris servus a cellariis*, h. e. eisdem praepositus. *F.*]

[PŪĔRĪTAS, atis, f. idem ac pueritia. Translate. *Tert. ad nat.* 2, 9. Immo silva caedenda, quae, undique conceptis superstitionum seminibus, vitii pueritatem obumbravit, *h. e.* vitii originem. V. v. sq. *F.*]

PŪĔRĪTĬA, ae, f. *παιδία*, aetas puerilis: de qua V. AETAS. *Cic. Sen.* 2. Qui enim citius adolescentiae senectus, quam pueritiae adolescentia obrepit? *Id. Fam.* 1, 7. *med.* Gloria, ad quam a pueritia inflammatus fuisti. *Sall. Jug.* 67. Omnem pueritiam Arpini altus. *Tac. A.* 12, 8. Ut Domitii pueritia tali magistro adolesceret; et *ib.* 14, 3. Educator pueritiae; et *ib.* 55. Praeceptis pueritiam alicujus fovere. *Id. H.* 1, 13. Pueritiam incuriose, adolescentiam petulanter egerat. *Id. ib.* 4, 14. de Batavis: Est plerisque procera pueritia, *h. e.* statura in pueritia. *Plin.* 2, 107, 111. Servio Tullio dormienti in pueritia, ex capite flammam emicuisse. ℙ De brutis animalibus. *Colum.* 7, 6. Caper immatura veneris cupidine primis pueritiae temporibus exhaustus est. ℙ [Idem est ac initium. *Front. princ. hist.* (ed. *A. Maio*) p. 314. Cato primam Latini nominis sobolem, et Italicarum originum pueritias inlustravit. *F.*] ℙ Translate est puritas, qualis in pueris esse solet. *Varr.* ap. *Non.* 2, 672. Quae pueritia est infrequens polluta. Alii leg. *puritia*. Quidam lexicographi afferunt alium *Varronis* locum his verbis: Ea erat matronae simplicitas, et pueritia, et honestas. ℙ *Puertia* syncope. *Hor. Od.* 1, 36, 7. memor Actae non alio rege puertiae.

PŪĔRĪTĬES, ei, f. pueritia. *Auson. Prof.* 10, 15. Huic mea principio credita puerities: *pue* per synaeresin una syllaba est.

PŪĔRPĔRA, ae, f. *λεχὼ, λοχεύτρια*, mulier, quae recens peperit, vel mox paritura est sive puerum, sive pueram. *Isid. Or.* 11, 2. vult esse eam, quae puerilibus annis peperit; et *Hieron. in Jerem.* 1, 4, 31. quae primos parit fetus. At rectius *Donat.* ad *Ter. Andr.* 3, 2, 10. omnis, quae peperit, puerpera: *πρωτοτόκος*, quae primum. *Pl. Amph.* 5, 1, 40. Ibi utero exorti dolores, ut solent puerperae. *Catull.* 34, 13. Tu Lucina dolentibus Juno dicta puerperis. *Hor. Epod.* 17, 52. Utcumque fortis exsilis puerpera. *Ter. Ad.* 5, 7, 23. Multo rectius est, quam illam puerperam nunc duci huc per viam aegrotam. *Plin.* 7, 4, 3. Editis geminis, raram esse aut puerperae, aut puerperio vitam. ℙ Adjective. *Ov. Met.* 10, 511. Admovitque manus, et verba puerpera dixit. *Sen. Ben.* 4, 35. *f.* In rem praesentem venturus fui, sed aeger filius, sed puerpera uxor tenet.

PŪĔRPĔRĬUM, ii, n. *λοχεία*, nixus, et dolores parturientis: item tempus quo parit, vel quo post partum cubat. *Suet. Cal.* 8. Qualiscumque partus, sine ullo sexus discrimine, puerperium vocatur; quod antiqui etiam puellas pueras, sicut et pueros puellos dictitarent. *Pl. Truc.* 2, 5, 22. Eum gero ornatum, ut gravida quasi puerperio cubem. *Tac. A.* 15, 23. Natam sibi ex Poppaea filiam ultra mortale gaudium accepit. Locus puerperio colonia Antium fuit. *Plin.* 9, 25, 41. Echeneis partus continet ad puerperium. *Id.* 28, 8, 29. Pericula puerperii tollere. *Gell.* 12, 1. Percunctatus est, quam diutinum puerperium, et quam laboriosi nixus fuissent. ℙ Translate. *Colum.* 3, 21. Alma tellus annua vice, velut aeterno quodam puerperio laeta, mortalibus distenta musto demittit ubera. ℙ Est etiam ipsa proles, [*ap. argenteae et serioris aetatis scriptores.] *Varr. R. R.* 2, 26. In villis mulieres quidam habent, quo facilius ad greges pastores retineant, et puerperio familiam faciant majorem. *Tac. A.* 12, 6. Deligi oportere feminam nobilitate, puerperiis, sanctimonia insignem. *Plin.* 7, 11, 9. Uno abortu duodecim puerperia egesta. *Stat. Th.* 4, 279. quercus laurique ferebant Cruda puerperia, ac populus umbrosa creavit Fraxinus. *Gell.* 10, 2. Numerus puerperii, *h. e.* puerorum uno partu editorum.

PŪĔRŪLUS, i, m. dimin. pueri, parvus puer, aut servulus. *Cic. Top.* 4. Ut secundum puerulorum tabulas possessio videatur ex edicto dari. *Id. Rosc. Am.* 41. Ut inter suos omnium deliciarum atque omnium artium puerulos, ex tot elegantissimis familiis lectos, velit hos versari, homines paene operarios, ex Amerina disciplina patrisfamiliae rusticani. *Val. Max. damn.* 8, 1, 8. Non supprimenda illius quoque damnatio, qui pueruli sui nimio amore correptus, etc. Hunc eund. *Plin.* 8, 45, 70. vocat *concubinum*.

PŪĔRUS, i, m. idem quod *puer*, agnoscitur a *Prisc.* 6. p. 697. unde vocativus *puere* ap. *Caecil. et Afr. ib.* et ap. *Plaut.* plus decies. ℙ Feminin. est *puera*. V. ℙ Adjective. *Paul. Nol. carm.* 25, 217. In pueram faciem veterana refloruit aetas.

PŪGA, ae, f. *πυγή*, natis. De deprensis in adulterio *Hor. Sat.* 1, 2, 133. Ne nummi pereant, aut puga, aut denique fama, *h. e.* ne grandem pecuniam solvere, aut stuprum vel *φαραίδωσιν* pati cogantur. *Nov.* ap. *Non.* 1, 184. Pati dum poterunt, antequam pugae pilant. ℙ Scribitur et *pyga*. *Acron.* ad illud *Hor. Sat.* 1, 2, 92. Depygis: Id est sine natibus; pyga enim pars corporis posterior. [*Emendavit h. l. *F.*]

PŪGIL, ilis, m. et f. *πύκτης*, qui pugnis, aut caestu decertat, pycta, athleta: a *πύξ*, adv. pugno, vel pugnis. *Varr. L. L.* 7, 5. a pugnando derivat: et *Donat.* in *Ter. Hec. prol.* 2, 25. a pugna. *Gell.* 3, 15. Tres filios habuit, unum pugilem, alterum pancratiastem, tertium luctatorem. *Cic. Tusc.* 2, 17. Pagiles caestibus contusi ne ingemiscunt quidem; et *ib.* 23. *f.* Pugiles, etiam cum feriunt adversarium, in jactandis caestibus ingemiscunt. *Id. Brut.* 69. Pugiles inexercitati, etiamsi pugnos et plagas Olympiorum cupidi ferre possunt, solem tamen saepe ferre non possunt. *Ter. Eun.* 2, 3, 23. Si qua est habitior paulo, pugilem esse ajunt: deducunt cibum: sc. studebant pugiles habitudini et pinguedini corporis, quo et ictus inferrent graviores, et illatos levius sentirent. ℙ Celebris pugil fuit Pollux Ledae filius (ut ejus frater Castor auriga), ejusque pugnam cum Amyco describit graphice *Val. Fl.* 4. V. CAESTUS. Aurigarum, seu agitatorum, et pugilum nomine omnis ludicra exercitatio in publicis Graecorum ludis continetur: jungunturque haec duo apud *Hor. Od.* 4, 2, 18. et *ib.* 3, 4. et *A. P.* 84. Adde *Od.* 1, 12, 25. et *Sat.* 2, 1, 26. et *Ov. Am.* 3, 2, 54. et *Fast.* 5, 700., quibus locis de Castore et Polluce sermo est. Sic apud Romanos quadrigae et gladiatores in Circi spectaculis. Quamquam et ad hos aliquando pugilum certamen transiit. *Suet. Aug.* 45. Spectavit studiosissime pugiles, et maxime Latinos: non legitimos atque ordinarios modo, quos etiam committere cum Graecis solebat; sed et catervarios oppidanos inter angustias vicorum pugnantes temere ac sine arte. *Hor. A. P.* 185. media inter carmina poscunt Aut ursum, aut pugiles: his nam plebecula gaudet. ℙ Etiam in illo *Ammian.* 14, 7. Vetitis certaminibus pugilum vicissim se concidentium, specie ut lucratus ingentia, laetabatur: *Lipsius* gladiatores intelligit, nec absurde; quamvis et caestibus pugnantes cruentis ictibus se conciderent. ℙ Primam syllabam male produxit *Prud. contra Sym.* 2, 516. oleoque et gymnadis arte Unctis pugilibus miles pugnabat Etruscus. ℙ *Os pugilis*, in *epigr. Asinii Galli* ap. *Suet. Gr.* 22. est durum, et omnem contumeliam perferre paratum. Quo pertinere videtur illud *Mart.* 2, 72. Os tibi praecisum, quantum non ipse Latinus Vilia Panniculi percutit ora sono.

PŪGILĀTIO, onis, f. *πυγμαχία*, pugilum exercitatio. *Cic. Leg.* 2, 15. Jam ludi publici sint corporum certationes cursu, et pugilatione, luctatione, curriculisque equorum.

PŪGILĀTOR, oris, m. qui pugilatu certat. *Arnob.* 1, 10. Tyndaridae Castores, equos unus domitare consuetus, alter pugilator bonus.

PŪGILĀTORĬUS, a, um, adj. ad pugilatorem, seu pugilem pertinens. *Pl. Rud.* 3, 4, 16. Ego te follem pugilatorium faciam, et pendentem incursabo pugnis. Alii leg. *pugillatorium*, h. e. qui pugillis, seu pugnis feritur. V. FOLLIS.

PŪGILĀTUS, us, m. *πυγμή, πυγμαχία*, pugilum certamen, pugilatio. *Pl. Bacch.* 3, 3, 24. Exercere se cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, pila, saliendo. Adde *Capt.* 4, 2, 13. et *Plin.* 8, 22, 34. ℙ **Pugillatus*, cum geminata *l*, constanter scriptum in cod. *Jul. Valer. rer. gest. Alex. M.* ed. *A. Maio*. V. *Maium* ad 1, 68. *B. A.*

PŪGĪLĪCĔ, adv. *ἀθλητικῶς*, firmiter, valenter. Summam enim pugiles, atque athletae corporis robori curam impendebant. *Pl. Epid.* 1, 1, 18. Quid herilis noster filius valet? T. Pugilice atque athletice.

PŪGILLAR, aris, n. idem ac pugillares. *Auson. epigr.* 146. Bipatens pugillar expedi. *Catull.* 42, 4. En negat mihi vestra reddituram pugillaria. *Gell.* 17, 9. *med.* Pugillaria nova nondum cera illita. Adde *Laber.* ap. *Charis.* 1, 75.

PŪGILLĀRES, ium, m. plur. *πινάκιον, ἐγχειρίδιον*, tabellae ligneae, vel ex alia materia simul complicatae, ita ut pugillo facile tenerentur: in quibus cera illitis stilo scribere mos fuit, codicilli, tabellae. Citreos, eburneos, membraneos memorat *Mart.* 14, 3, 5. et 7. a materia. Alii duplices, *δίπτυχα*; triplices alii dicti, *τρίπτυχα*; quadruplices alii, *τετράπτυχα*, aut quincuplices, *πεντάπτυχα*, ap. *eund. ib.* 4. et 6. a tabellarum numero, quibus constabant. Fuere et *Vitelliani*, de quibus *Id. ib.* 8. et 9. et 2, 6. amatoriis praecipue nunciis mittendis apti. V. VITELLIANUS. In *Inscr.* opt. notae ap. *Grut.* 174, 7. memorantur pugillares membranacei operculis eboreis. ℙ Nomen habent ex eo, quod pugillo contineri poterant: cum libri crassiores essent, et tota manu continendi. *Mart.* 14, 3., cujus lemma *pugillares citrei*. Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas, etc. *Plin.* 16, 16, 27. Pugillares ex tubere aceris. *Sen. ep.* 15. Neque ego te jubeo semper imminere libro, aut pugillaribus, dandum et aliquod intervallum animo; et *ep.* 108. Aliqui et cum pugillaribus veniunt (*in philosophi scholam*), non ut res excipiant, sed verba. *Plin. ep.* 1, 6. Ad retia sedebam: erant in proximo stilus et pugillares; et *ep.* 9, 6. Omne hoc tempus inter pugillares ac libellos jucundissima quiete transmisi, *h. e.* in studiis. *Suet. Ner.* 52. Venere in manus meas pugillares libellique cum quibusdam notissimis versibus ipsius chirographo scriptis. *Plin. ep.* 6, 5. *f.* Celsus Nepoti ex libello respondit, et Celso Nepos ex pugillaribus: (*libelli* hic orationem meditatam et compositam significant: *pugillares* brevem commentarium, et summa capita orationis recitandae.) *Suet. Aug.* 39. Levissimum genus admonitionis fuit traditio coram pugillarium, quos taciti (*eques in transvectione*) et ibidem statim legerent. *Plin.* 13, 11, 21. Pugillarium usum fuisse etiam ante Trojana tempora, invenimus apud Homerum. ℙ Revera est adjectivum, et subaudiuntur *tabellae*, aut *codicilli*, aut *libelli*. *Juven.* 41, 156. Nec pugillares defert in balnea raucus Testiculos, *h. e.* grandiores, et pugnum implentes. Alii tamen rectius leg. *pupillares*, cum hic prima vocalis producenda sit. V. PUPILLARIS. *Prud. περὶ στεφ.* 9, 15. Unde pugillares soliti percurrere ceras.

PŪGILLARĬĀRĬUS, ii, m. pugillarium artifex. *Inscr.* ap. *Mur.* 984, 2. M. Caecilio Hilaro pugillariario.

[PŪGILLĀTOR, oris, m. qui pugillares fert, tabellarius. *Sidon. ep.* 9, 14. *med.* Igitur interrogas per pugillatorem, quos recurrentes asseram versus. *F.*]

PŪGILLOR. V. PUGILOR.

*PUGILLUM, i, n. i. q. pugillus. *Δρὰξ χειρὸς* est *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

PŪGILLUS, i, m. dimin. pugni, *δρὰξ, ακὸς*, parvus pugnus: et quantum eo comprehendi potest. *Cato R. R.* 158. Eo addito cochleas sex, et lentis pugillum. *Plin.* 20, 22, 89. Sunt qui marrubii semen, quantum duobus digitis capiant, cum farris pugillo decoctum, etc. *Prud. Cath.* 10, 152. minimi mensura pugilli. *Auct. carm. de Paschate* 69. Indignum est, cujus clauduntur cuncta pugillo, Ut tegat inclusum rupe vetante lapis. ℙ *Asinius* ap. *Charis.* 1, 75. docet, *pugillum* esse, qui plures tabellas continet in seriem sitas. Hinc *pugillaria*, et *pugillares*. ℙ *Salmas.* ad *Trebell. Gall.* 8. in *Gloss. Philox.* invenit *pugillos*, et *pugilla*, Graece *ἐλόφαιρα*, et *ἐπιοφαίρια*, quae putat fuisse veluti globos ex molli materia factos, quibus pro duris caestibus, pugiles induerent manus, cum ludicro, et innoxio pugilatu certabant, quemadmodum gladiatores per ludum se exercentes praepilatis gladiis, aut plumbeis utebantur.

PŪGĪLOR, aris, dep. 1. pugnis caedo, pugilatu

certo. *Appul. de Deo Socrat.* Si velis perniciter currere, pedes curandi sunt: itidem si pugilari valide velis, brachia vegetanda sunt, quibus pugilatur. ℙ Translate. *Id. Met.* 7. Hic *(equus)* elatis in altum vastis pectoribus, arduus capite, et sublimis vertice, primoribus in me pugilatur unguibus. Alii ubique leg. *pugillor* duplicata liquida, tanquam sit a *pugillus.* ℙ Part. *Pugilans* habet *Trebell. Gall.* 8. Pugiles sacculis, non veritate pugilantes, *h. e.* non duris caestibus et vulnus facientibus pugnantes, sed quibusdam veluti sacculis arena aut alia re molli fartis ad ictus innoxios inferendos. *Salmas.* ex conjectura legit *flacculis*, h. e. pilis seu sphaeris, vel globulis flaccidis, et ad ictum cedentibus.

PUGIO, onis, m. ἐγχειρίδιον, ξιφίδιον, παραζωστρὶς, brevis gladius, et qui veste facile tegi potest: a *pungo*, *pupugi*. *Paul.* ex *Festo:* Pugio dictus est, quod eo punctim pugnatur. Differt a *sica*, quae a *secando* ducitur: et fortasse *pugio* solo mucrone valebat ad pugnandum: *sica* et acie ad caedendum. Praeterea haec tecta fere gestabatur, et a privatis hominibus: ille etiam aperte, et a constitutis in honore militari. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 18, 9. Veste tectum pugionem expedire conatus. *Cic. Phil.* 2, 12. Caesare interfecto, statim cruentum alte extollens M. Brutus pugionem, etc.; et *ib.* Qui stillantem prae se pugionem tulit, etc. *Suet. Caes.* 82. Ut animadvertit, undique se strictis pugionibus peti, etc. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 12. Pugione percussus. *Tac. H.* 4, 29. *extr.* aliquem fodere. *Hirt. B. Alex.* 52. ferire. *Aurel. Vict. Epit.* 39. Acto per costas pugione. *Mart.* 14, 33. Pugio, quem curvis signat brevis orbita venis, Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis. ℙ In secretis C. Caligulae reperti sunt duo libelli diverso titulo: alteri Gladius, alteri Pugio index erat, ut est ap. *Suet. Cal.* 49.; nempe priori continebantur eorum nomina, quos publice et per carnificem: altero, quos clam, et per sicarios morti destinaverat. ℙ Fuit insigne imperatoriae potestatis, ac juris vitae necisque civium. *Suet. Galb.* 11. Iter ingressus est paludatus, ac dependente a cervicibus pugione ante pectus. *Id. Vit.* 15. *f.* Solutum a latere pugionem consuli primum, deinde illo recusante, magistratibus, ac mox senatoribus singulis porrigens, nullo recipiente, quasi in aede Concordiae positurus abscessit. Adde *Tac. H.* 3, 68. ℙ Hoc imperatoriae potestatis insigne praefectis praetorio imperatores tradere solebant. Unde illud celebre Trajani dictum, cum praefectum praetorio crearet: Tibi istum ad munimentum mei committo, si recte agam; sin aliter, in me magis. Rem narrat *Aurel. Vict. Caes.* 13. Hinc sub Commodo cum tres simul praefecti praetorio essent, unus ex iis qui libertinus erat, a pugione appellatus est, quod ei potissimum Commodus pugionem tradiderat. *Lampr. Commod.* 6. *extr.* ℙ Fuit etiam gestamen dignitatum militarium, ut tribunorum, centurionum. Colligitur hoc ex *Tac. H.* 1, 43. et *Val. Max.* 3, 5. *n.* 3., atque huc pertinere videtur illud distichon *Mart.* 14, 32., cujus lemma *Parazonium:* Militiae decus hoc, et grati nomen honoris: Arma tribunicium cingere digna latus. ℙ Translate. *Cic. Fin.* 4, 18. O plumbeum pugionem! *h. e.* argumentum invalidum: sunt enim argumenta quaedam veluti tela, quibus adversarium petimus.

PUGIUNCULUS, i, m. parvus pugio. *Cic. fragm. contra C. Anton.* ap. *Ascon.* Posteaquam illo Hispaniensi pugiunculo nervos incidere civium R. non potuerunt, duas uno tempore conantur in republ. sicas distringere. [*Significatur Cn. Piso in Hispaniam missus, quo socio Catilina caedem optimatium facere voluerat.] *Id. Or.* 67. Nam in iis, quibus, ut pugiunculis, uti oportet. [*De membris orationis parvis, quae dictionem membratim fusam efficiunt.]

PUGNA, ae, f. μάχη, proelium, certamen, dimicatio: a *pugnus*, quia ante reperta arma pugnis et calcibus, et morsibus, et corporum luctatione homines confligebant, ut ait *Hor. Sat.* 1, 3, 101., item *Donat.* ad *Ter. Hec. prol.* 2, 25. *Caes. B. G.* 3, 4. Diuturnitate pugnae defessi proelio excedebant. *Tac. H.* 5, 18. Legiones pugnam excipiunt, suppressaque hostium ferocia proelium aequatur. *Ov. Met.* 12, 180. et *Lucr.* 4, 841. Certamen pugnae. *Quint.* 5, 12. *f.* Pugna certaminis. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. *med.* Nonnunquam etiam res ad manus, atque ad pugnam veniebat. *Id. Mur.* 16. Cujus *(Pompeji)* ex omnibus pugnis, quae sunt innumerabiles, vel acerrima mihi videtur illa, quae cum rege commissa est, et summa contentione pugnata, qua ex pugna cum ille se eripuisset, etc. *Id. Mil.* 21. Adde incertos exitus pugnarum, Martemque communem. *Id. Verr.* 2, 4, 55. Pugna equestris in tabulis picta praeclare. *Virg. A.* 11, 709. pedestris. *Macr. Sat.* 5, 2. *f.* singularis. (Absolute *pugnam* de singulari dixit *Liv.* 7, 10. *extr.*) *Suet. Aug.* 45. gladiatorum. *Nep. Ar.* 2. Pugna navalis, quae facta est prius quam, etc. *Caes. B. G.* 3, 23. *f.* Non cunctandum existimavit, quin pugna decertaret. *Just.* 2, 11. Pugnam capessere. *Pl. Bacch.* 4, 4, 93. et *Tac. A.* 12, 30. conserere. *Id. ib.* 3, 41. ciere. *Quint.* 12, 1. *med.* inire. *Liv.* 4, 38. *f.* restituere. *Tac. H.* 5, 18. Pugna ardescit. *Ov. Fast.* 6, 187. In pugna cadere. *Liv.* 29, 34. Hostem ad pugnam elicere. *Caes. B. G.* 5, 58. evocare. *Liv.* 22, 7. et *Virg. A.* 12, 34. Pugna magna victi sumus. *Cic. Div.* 2, 25. et *Sall. Jug.* 6. Pugna mala, *h. e.* adversa. *Suet. Cal.* 35. prospera. *Val. Fl.* 6, 32. Voxque Dei pariter pugnas audita per omnes, *h. e.* per utrumque exercitum, et omnes ejus partes. [*Ita saepius, ut nostr. *Treffen*, *pugna* dicitur pro acie, ordine, agmine militum pugnantium. *Liv.* 22, 5. Ordinata per principes hastatosque ac triarios pugna; et *c.* 45. mediam pugnam tueri.] ℙ De quocumque certamine, et contentione. *Cic. Div.* 2, 51. Hic vero quanta pugna est doctissimorum hominum, negantium, etc.? *Quint.* 5, 12. *f.* Initurus forensium certaminum pugnam. *Plin.* 2, 38, 38. Rerum naturae pugna secum. ℙ De Venerea colluctatione. *Mart.* 10, 38. O quae proelia, quas utrinque pugnas Felix lectulus, et lucerna vidit! V. PROELIUM.

PUGNACITAS, atis, f. studium, ardor, et vis pugnandi. *Quint.* 4, 3. Ne, si psessae illi narrationis gracilitati conjuncta argumentorum pugnacitas fuerit, dilatis diutius dicendi voluptatibus oratio refrigescat. *Plin.* 10, 33, 51. de perdicib.: Capiuntur quoque pugnacitate ejusdem libidinis, contra aucupis indicem exeunte in proelium duce totius gregis.

PUGNACITER, adv. ἐνστατικῶς, pugnando, pertinaciter, instanter, constanter. *Cic. Acad.* 4, 3. Plerique errare malunt, eamque sententiam, quam adamaverunt, pugnacissime defendere; et *ib.* 20. De omni statu consilioque vitae certare cum aliis pugnaciter. *Sen. Q. N.* 1, 2. *extr.* Sidera collectum aera luce levi non pugnaciter, nec aspere feriunt. *Quint.* 9, 4. *med.* Ubicumque acriter erit, et instanter pugnaciterque dicendum, membratim caesimque dicemus; et *paulo post:* Quis dubitat, alia lenius, alia concitatius, alia sublimius, alia pugnacius, alia gravius esse dicenda? Est qui leg. *pugnantius.*

PUGNACULUM, i, n. προμαχών, locus munitus, unde pugnatur, seu ex quo hostilis vis arceatur, propugnaculum. *Pl. Mil.* 2, 3, 63. Deturbabo ego jam illum de pugnaculis. Adde *Ammian.* 21, 12.

PUGNANS, antis, part. a *pugno:* μαχόμενος, qui pugnat. *Caes. B. G.* 2, 8. Ne, cum aciem instruxisset, hostes a lateribus suos pugnantes circumvenire possent; et *ib.* 3, 25. Auxiliares telis subministrandis speciem atque opinionem pugnantium praebebant. ℙ Translate est pertinax. *Propert.* 4, 7, 89. Pelle hederam tumulo, mihi quae pugnante corymbo Mollia contortis alligat ossa comis. ℙ Item contrarius, repugnans, dissidens, ἐναντίος, μαχόμενος. *Cic. Fin.* 1, 18. Pugnantibus et contrariis studiis, consiliisque semper utens. *Hor. Sat.* 1, 1, 102. pergis pugnantia secum Frontibus adversis componere? *Cic. Tusc.* 1, 7. Pugnantia te loqui non vides? *Hor. Sat.* 1, 2, 73. At quanto meliora monet, pugnantiaque istis Dives opis natura suae! *Plin.* 28, 7, 23. Quaeque alia nuncupavere monstrifera, atque inter ipsas *(mulieres)* pugnantia. [*V. *Lamb.* ad *Hor. Od.* 2, 6, 15. *Vechner. Hellenob. ed. Heus.* p. 335. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 120. *g.* p. 351. sq. *Brem.* ad *Nep. Hann.* 5, 1. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 697.]

PUGNANTER. V. PUGNACITER. *f.*

PUGNATOR, oris, m. μαχητὴς, qui pugnat, proeliator. *Liv.* 24, 15. Fortissimus quisque pugnator esse desierat. *Suet. Caes.* 39. *f.* Tyriae et Aegyptiae classes magno pugnatorum numero conflixerunt. *Plin.* 30, 15, 49. Pugnator gallus. *Sil.* 15, 598. Floruerat primo clarus pugnator in aevo.

PUGNATORIUS, a, um, adj. μάχιμος, ad pugnandum idoneus. *Suet. Cal.* 54. Batuebat pugnatoriis armis, *h. e.* ad feriendum aptis: cui opponitur *ib.* 32. Rudibus batuens. ℙ Translate. *Sen. Controv. praef.* 2. Deerat illi oratorium robur, et ille pugnatorius mucro.

PUGNATRIX, icis, f. quae pugnat. *Prud. Psych.* 681. Intulit hoc vulnus pugnatrix subdola. *Ammian.* 23, 6. Pugnatrix natio, et formidanda.

PUGNATUS, a, um, part. a *pugno:* μεμαχημένος. *Cic. Mur.* 16. Pugna summa contentione pugnata. *Hor. Ep.* 1, 16, 25. Si quis bella tibi terra pugnata marique Dicat. *Id. Od.* 3, 19, 4. Et pugnata sacro bella sub Ilio. *Sall. Jug.* 58. Proelium male pugnatum ab suis.

PUGNAX, acis, adj. omn. gen., μαχήμων, πλήκτης, pugnandi cupidus, valide pugnans, bellicosus. *Cic. Phil.* 8, 9. Centuriones pugnaces, et lacertosi. *Ov. Trist.* 3, 9, 7. Minerva pugnax. *Tac. Agr.* 17. Validam et pugnacem gentem armis subegit. *Prop.* 3, 7, 25. pugnaces ire per hostes. *Colum.* 7, 3. Pugnacem arietem mitigare terebra foratis cornibus. *Petr. Sat.* 86. Gallos gallinaceos pugnacissimos duos. *Ov. Trist.* 5, 7, 48. Victaque pugnaci jura sub ense latent. *Tac. H.* 4, 60. Pugnacissimus quisque in vestigio; multi palantes occubuere. ℙ Cum inf. *Sil.* 3, 363. tenui pugnax instare veruto. ℙ Translate. *Plin. ep.* 2, 19. Oratio pugnax et contentiosa; et *Cic. Brut.* 31. *extr.* Hujus oratio in philosophiam translata pugnacior, ut ita dicam, videtur, et horum in judicia pacatior. *Id. Or.* 2, 78. Exordium dicendi vehemens et pugnax non saepe esse debet. *Id. Pis.* 28. *extr.* Graecus facilis et valde venustus, nimis pugnax contra senatorem populi R. esse noluit, *h. e.* noluit nimis contraire et adversari. ℙ Est etiam pertinax, obstinatus. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 13. Non est pugnax in vitiis, neque hebes ad id, quod melius sit, intelligendum. ℙ Item contrarius, pugnans. *Ov. Met.* 1, 432. Cumque sit ignis aquae pugnax, etc. ℙ Item resistens. *Plin.* 36, 16, 25. Quid ferri duritia pugnacius? Sed cedit, et patitur mores: trahitur namque a magnete, etc. *Id.* 15, 3, 4. Oleae callosae, contra humorem pugnaces. ℙ *Pugnacia musta* ap. *eund.* 14, 20, 25. sunt vehementia, valida, et quae lenia fieri recusant.

PUGNEUS, a, um, adj. a pugnis, hoc est ictibus manus. Joculariter *Pl. Rud.* 3, 4, 57. Si attigeris ostium, jam hercle tibi messis in ore fiet mergis pugneis. V. MERGAE.

PUGNICULA, ae, f. levis pugna. Usurpavit *Cato*, si credere volumus *Perotto* ad *Mart.* 7, 9. Quo sensu etiam *pugnariolam* ab illo dictam fuisse, idem alibi testis est. Sed *Fest.* posuit *punctariolam.*

PUGNITUS, adv., est *Caecil.* ap. *Non.* 11, 38. Nisi quidem, qui esse malit pugnitus pessundari.

*PUGNO vel Pugnon, onis, m. unus e quinquaginta Aegypti filiis. *Hyg. fab.* 170. *B. A.*

PUGNO, as, avi, atum, n. 1. μάχομαι, dimico, certo, confligo, congredior; a *pugna. Tac. A.* 2, 80. Consisterent in acie, non pugnaturis militibus. *Sall. Jug.* 108. Postquam barbari male pugnaverant; et *ib.* 61. Eminus lapidibus pugnare. *Id. Cat.* 9. Qui contra imperium in hostem pugnaverant. Adde *ib.* 56. et *Liv.* 8, 6. *extr.* et *ib.* 7. *Nep. Thras.* 2. *extr.* Cum Critias adversus Thrasybulum fortissime pugnaret. *Varr. R. R.* 2, 3. *med.* Caprae inter se cornibus pugnant. *Cic. Balb.* 9. Qui cum hoste nostro cominus in acie saepe pugnarit. *Ov. Her.* 20, 171. Pugnare pro causa iniqua. *Cic. Inv.* 1, 1. pro commodis patriae. *Petr. Sat.* 108. Illis pro ultione, nobis pro vita pugnantibus. *Ter. Hec. prol.* 33. Tumultuantur, clamant, pugnant de loco. *Gell.* 12, 5. De possessione hominis pugnantes. *Cic. N. D.* 2, 2. Pugnare ex equo. *Sen. Prov.* 2. de genu. ℙ Impersonaliter more passivorum. *Sall. Jug.* 115. Saepe ante paucis strenuis adversus multitudinem bene pugnatum est. *Caes. B. G.* 7, 84. Pugnatur uno tempore omnibus locis. *Plin.* 32, 1, 1. Armatae classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur, velut e muris. ℙ Cum accusativis *pugnam*, *proelium*, *bellum.* [*Cf. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 94.] *Hor. Od.* 4, 9, 19. pugnavit Dicenda Musis proelia. *Lucil.* ap. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 5, 2, 60. et *Ad.* 5, 3, 57. et 5, 4, 5. Vicimus, o socii, et magnam pugnavimu' pugnam. Adde *Pl. Amph.* 1, 1, 97., *Ps.* 1, 5, 110., *Nep. Ann.* 5., *Gell.* 3, 8. et 15, 18. et V. PUGNATUS. ℙ Cum dativo poetice est adversari, repugnare, resistere, pertinacem esse. *Catull.* 62, 64. noli pugnare duobus. *Virg. A.* 11, 600. fremit aequore toto Insultans sonipes, et pressis pugnat habenis; et *ib.* 4, 38. placitone etiam pugnabis amori? *Ov. Met.* 1, 19. Frigida pugnabant calidis, humentia siccis. *Stat. Th.* 8, 289. ne pugnet vulgus habenis. *Sil.* 10, 284. Nostris pugnavit monitis furor. [*V. de Graeco hoc dicendi genere, quos laudavimus in *pugnans.*] ℙ Huc pertinent illa *Cic. Tusc.* 1, 7. Pugnantia te loqui non vides? quid enim tam pugnat, quam non modo miserum, sed omnino quidquam esse, qui non sit? et *Phil.* 2, 8. Tam eras excors, ut tota in oratione tua tecum ipse pugnares: et non modo non cohaerentia inter se diceres, sed maxime disjuncta atque contraria. V. PUGNANS. ℙ [*Translate ponitur pro disputare, altercari. *Cic. Fin.* 2, 21. Pugnant Stoici cum Peripateticis.] ℙ Significat etiam conari, contendere, eniti. *Cic. Fam.* 3, 10. *med.* Illud pugna, et enitere, ne quid nobis temporis prorogetur. *Id. Rosc. Am.* 3. Hoc solum hoc tempore pugnatur, ut ad illam praedam damnatio Sex. Roscii accedat. *Ov. Met.* 7, 772. jamdudum vincula pugnat Exuere ipse sibi; et *ib.* 1, 685. Ille tamen pugnat molles evincere somnos. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 3, 25. Adde *ib.* 13, 77. Vivere pugna. *Lucan.* 4, 753. Incertoque pedum pugnat non stare tumultu: ubi *Cort.* laudat *Claud. Rapt.* 2, 196. In Chaos obliquo pugnant temone reverti; et praeter suam ipsius notam ad *Lucan.* 3, 491., *Cerd.* ad *Virg. G.* 3, 498.] ℙ De rebus inanimis. *Lucr.* 2, 205. quamquam Pondera, quantum in se est, deorsum deducere pugnent. *Petr. Sat.* 123. Prima quidem glacies, et cana vincta pruina Non pugnavit humus. ℙ *Non pugnare*, non laborare. *Cic. N. D.* 3, 1. Mihi videtur Epicurus de Diis non magnopere pugnare. ℙ *Pugnare*, et *pugnam dare* apud comicos interdum est dolum, fallaciam comminisci, machinam excogitare ad fallendum, et fraudandum. *Pl. Ps.* 1, 5, 110. Priusquam istam pugnam pugnabo, ego etiam prius dabo aliam pugnam claram et commemorabilem. *Id. Epid.* 3, 4, 57. Epidice, frugi es: pugnasti: homo es, qui me emunxisti, etc. *Id. Capt.* 3, 4, 53. Profecto jam aliquid pugnae edidit. *Id. Bacch.* 4, 9, 43. Pugnam conserui seni. Ego eum adeo uno mendacio devici. Adde 2, 3, 39. et *Ter. Eun.* 5, 3, 60. Huc pertinet illud *Ter. Ad.* 5, 3, 56. Istam psaltriam una illuc mecum hinc abstraham. *Mi.* pugnaveris. *Donat.* interpretatur, magnam rem feceris: quod fere eodem recidit. ℙ *Pugnavit* pro *pugnatum est* ap. *Plin.* 15, 18, 20. *f.* Ara inde sublata gladiatorio munere divi Julii, quod novissime pugnavit in foro. ℙ [*Confund. *pugnare* et *purgare.* V. *Drak.* ad *Liv.* 34, 62, 5. — et *repugnare.* *Spald.* ad *Quint.* T. 2. p. 272. *crit.*]

PUGNUS, i, m. πυγμὴ, κόνδυλος, manus contracta et clausa ad capiendum, vel feriendum: cujus ictus *colaphus* etiam dicitur. *Cic. Acad.* 4, 47. Manum plane comprimere, pugnumque facere. *Id. Tusc.* 5, 27. Certare pugnis, calcibus, unguibus. *Id. Verr.* 2, 3, 23. Cum pugnis et calcibus conscissus esset. *Pl. Bacch.* 3, 3, 46. Pugnis aliquem contundere. *Id. Poen.* 1, 2, 145. pectere. *Id. Amph* 1, 1, 172. onerare; et 2, 1, 59. obtundere. *Id. Truc.* 4, 2, 55. (et *Hor. Sat.* 1, 2, 66.) caedere. *Id. Poen.* 4, 1, 3. incursare. *Id. Rud.* 3, 4, 5. Pugnum alicui in os impingere. *Paul. Dig.* 47, 10, 4. ducere alicui. *Ter. Ph.* 5, 7, 95. Pugnos in ventrem ingerere. *Id. Ad.* 2, 1, 17. Ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuo in mala haereat. *Ov. Met.* 3, 626. Is mihi, dum resto, juvenili guttura pugno Rupit. ℙ De pugilatu. *Hor. Od.* 3, 12, 8. neque pugno, Neque segni pede victus. Adde *ib.* 1, 12, 26. ℙ Et mensura. *Cato R. R.* 82. Sphaeras pugnum altas facito. *Marcell. Empir.* 8. *med.* Rosae siccae pugnos duos.

PULCHELLUS et Pulcellus, a, um, adj. dimin. pulcri, venustulus. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 2, 65. Audiamus pulcellum puerum. *Cic. Fam.* 7, 23. Bacchae pulchellae, *h. e.* Baccharum signa. *Id. Att.* 1, 16. et *ib.* 2, 1. et 22. *pulchellum* vocat P. Clodium inimicum suum, tum quod cognomine *Pulcher* erat, tum etiam ironice, quod facie illiberali esset, ut constat ex *Cic. fr. or. in P. Clod.* 4. ejusque *Schol. ib.* ab *A. Maio* editis: nec audiendus *Manutius*, qui ex locis perperam interpretatis *Plut.* in *Caes.* et in *Cic.* credere videtur, Clodium pulchrum revera fuisse. V. *ejusd. Mail adn.* ad *Cic. l. c.* p. 79. *ed.* 2. [*Adjecit quaedam *F.*]

PULCHER, cra, crum, adj. καλὸς, formosus, venustus, decorus, elegans: a πολύχρους, multum coloris nitorisque habens: vel a πολύχαρις, multum habens gratiae: vel a πολύχειρ. Alii a *polio*, alii aliunde ducunt. [*Originationem h. v. maxime probabilem invenisse sibi visus est *Doederl.* 3, 24. ap. *Mart.*, qui a *pollere* deriv. scil. quia pollet caritate.] Plus est quam *venustus*. Nam *pulcher* ad formam dignitatem addit, et quandam majestatem; ut est virorum: *venustus* specie constat, et est feminarum. [*Uberius hanc rem tractat *Doederl.* 3, 29. sq.] *Suet. Ner.* 51. Fuit vultu pulcro magis, quam venusto. Non est tamen id perpetuum. *Cic. Off.* 1, 40. Cum casu formosus puer praeteriret, dixissetque Sophocles, O puerum pulcrum, Pericle! *Phaedr.* 2, 2. Animosque ejusdem pulcra juvenis ceperat. *Suet. Dom.* 18. Fuit pulcher ac decens, maxime in juventa. *Virg. A.* 1, 590. Regina ad templum forma pulcherrima Dido Incessit; et *ib.* 9, 179. quo pulcrior alter Non fuit Aeneadum; et *ib.* 358. pulcrosque tapetas; et *ib.* 684. et pulcher Aquicolus armis, *h. e.* pulcris armis instructus. *Cic. Sen.* 15. de vite et uva: Qua quid potest esse cum fructu laetius, tum aspectu pulcrius? *Virg. G.* 2, 463. varios pulcra testudine postes. *Caes. B. G.* 7, 15. Pulcherrima prope totius Galliae urbs. *Ov. Met.* 14, 260. perque atria marmore tecta Ad dominam *(Circen)* ducunt: pulcro sedet illa recessu Sublimis solio. *Id. Pont.* 1, 8, 37. Pulcri horti. *Lucr.* 4, 1027. et 1087. pulcher color. *Virg. G.* 2, 137. et *Val. Fl.* 5, 486. fluvius. *Hor. Sat.* 1, 5, 89. Pulcherrimus panis. *Id. Ep.* 1, 18, 33. Pulcrae tunicae. *Id. Sat.* 1, 2, 89. clunes. *Festus:* Pulcher bos appellatur, ad eximiam pinguitudinem perductus. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 10. Praxiteles fecit ex aere pulcherrima opera. ℙ Ad illud *Virg. A.* 3, 119. taurum tibi, pulcher Apollo: *Serv.* haec adnotat: Quidam epitheton datum Apollini reprehendunt: *pulcros* enim a veteribus exoletos dictos: nam et ap. Lucilium Apollo *pulcher* dici non vult. ℙ Translate *Cic. Mur.* 12. Praetor interea, ne pulcrum se ac beatum putaret, atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoquo carmen compositum est. Simile est illud, *ne sibi valde placeret.* ℙ Dicitur *pulcher* bonus in quocumque genere. *Caes. B. G.* 7, 77. Pulcherrimum exemplum. *Sall.* in *ep. Mithrid. ad Arsac.* Pulcherrima classis. *Id. Cat.* 5. *extr.* Respublica paulatim immutata, ex pulcherrima pessima ac flagitiosissima facta est. *Cic Off.* 1, 32. *f.* Quae majori parti pulcherrima videntur, ea exoptant. *Virg. A.* 5, 728. pulcherrima consilia. *Hor. Sat.* 1, 10, 6. pulcra poemata. Al. leg. *pura. Gell.* 19, 8. Poetarum pulcherrime. *Petr. Sat.* 88. Pulcherrimae artes. *Cato R. R.* 104. Acetum acerrimum et pulcherrimum. *Plin.* 21, 4, 10. unguentum. *Hor. Ep.* 1, 15, 41. cum sit obeso Nil melius turdo, nil vulva pulcrius ampla. ℙ Item carus, gratus. *Virg. A.* 1, 822. pulcra pro libertate. ℙ Item pretiosus. *Id. ib.* 9, 253. pulcherrima praemia. *Hor. Sat.* 2, 3, 95. Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulcris Divitiis parent. ℙ Item clarus, nobilis. *Virg. A.* 2, 290. Nascetur pulcra Trojanus origine Caesar. ℙ Item laetus, faustus. *Hor. Od.* 1, 36, 10. Cressa ne careat pulcra dies nota. *Flor.* 2, 2. *med.* Pulcherrimus exitus. ℙ Item gloriosus, honoratus, honestus, laude dignus. *Flor.* 2, 12. *f.* Pulcherrimus triumphus. *Lucr.* 5, 1233. pulcros fasces, saevasque secures. *Sall. Cat.* 20. Maximum et pulcherrimum facinus. *Virg. G.* 4, 218. pulcramque petunt per vulnera mortem. *Val. Fl.* 1, 40. Hanc mihi militiam, veterum quae pulcrior actis, Annue; et *ib.* 498. pulcherrima coepta. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 91. Miscetur decori virtus, pulcherque severo Armatur terrore pudor. *Ov. Met.* 13, 695. Pro populo cecidisse suo, pulcrisque per urbem Funeribus ferri, celebrique in parte cremari. ℙ Cum gen. *Sil.* 11, 365. pulcherrimus irae, Et dignus fieri compos memorabilis ausi, *h. e.* valde gloriosus et laudandus ob justam iram conceptam. ℙ Item fortis (ut καλὸς Graece) quasi πολύχειρ, manu multum valens. Sic enim *Serv.* interpretatur illud *Virg. A.* 7, 656. satus Hercule pulcro Pulcher Aventinus. Quo pertinere volunt illud *Flori* 2, 19. Hactenus populus R. pulcher, egregius, pius, sanctus, atque magnificus; et 4, 4. *f.* Tum quidem etiam manu pulcher apparuit. ℙ *Pulcrum est*, laude dignum est, honestum, decorum est. *Virg. A.* 2, 318. pulcrumque mori succurrit in armis. *Prop.* 2, 2, 44. Pulcrius hac fuerat, Troja, perire tibi. *Lucan.* 9, 391. pati vel quae tristissima, pulcrum, Romanumque putant. *Quint.* 1, 2. *med.* Turpe ducet cedere pari: pulcrum superasse majores. *Hor. ep.* 1, 2, 30. Cui pulcrum fuit in medios dormire dies. ℙ *Pulcher* et *pulcra* est etiam cogn. R. Ap. *Liv.* 38, 35. P. Claudius Pulcher. Ap. *Tac. A.* 4, 52. Claudia Pulcra. V. etiam infra, et PULCHELLUS. ℙ Veteres, teste *Cic. Or.* 48., *Varr.* ap. *Charis.* 56. et *Scauro de Orthogr.* 2256., sine aspiratione scribebant, excepto si vocalis sequeretur, ut in recto singulari, et in superlativo. Aetate *Ciceronis* aspiratio ubique adhibebatur. Paulatim deinde extrita est ubique: et non solum *pulcra*, *pulcrum*, sed etiam *pulcer*, *pulcerrimus*, *pulcellus*, quae in MSS. (teste *Pier.* ad *Virg. G.* 2, 534.) et lapidibus non unis reperiuntur. Sed usus frequentior videtur in his retinuisse, in ceteris reliquisse. *Scaur. de Orthogr.* 2256. Pulcrum quamvis in consuetudine aspiretur, nihilominus tamen ratio exiliter *c* enunciandum et scribendum esse persuadet, ne una omnino dictio, adversus Latini sermonis naturam, in media adspiretur: quamvis Santra a Graecis putet esse translatum, quasi πολύχρουν. ℙ Etiam *polcer*, et *polcrum* aliquando scriptum fuit, sive quod a Graeco πολὺς, sive quod a Latino *polio* duci creditum est. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. Romulus polcer in alto Quaerit Aventino. *Id. ib.* 20. Nam me visus homo polcer per amoena salicta, Et ripas reptare. Sic *polcerrimus*, *ib.* 48. Et, Venus polcra Dearum, *Id.* ap. *Prob.* ad *Virg. Ecl.* 6, 31., ubi notandus genitivus Graeco more. Alii tamen ubique per *u* scribunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 556, 1. Papiriae Polcrae, quae vixit ann. VIIII. etc.

[PULCĬO, onis, m. dimin. pulicis. Est cogn. R., ut T. Pulcio ap. *Caes. B. C.* 3, 67., qui fortasse fuit ex gente Sulpicia, et idem, qui ap. *eund. B. G.* 5, 44. T. Pulfio minus recte, ut videtur, scribitur. *F.*]

PULCRĀLIS, e, adj. pulcher. Pulcralibus atque cupediis, *Cato* dixit in ea oratione, quae est de fundo oleario, teste *Festo: h. e.* bellariis.

PULCRĒ, adv. καλῶς, probe, bene, optime, praeclare, recte, belle. *Cato R. R.* 74. Pulcre subigere aliquid. *Pl. Merc.* 5, 2, 61. Aedes probae, pulcreque aedificatae. *Ter. Ad.* 3, 4, 16. Salsamenta haec fac macerentur pulcre. *Pl. Pers.* 4, 4, 6. Oppidum pulcre munitum. *Mart.* 1, 78. Pulcre valere. *Nep. Att.* 13. aliquid facere. *Cic. Or.* 68. Nihil est aliud, pulcre et oratorie dicere, nisi optimis sententiis verbisque lectissimis dicere. *Ter. Eun.* 3, 1, 26. Pulcre mehercle dictum, et sapienter. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. Lepidum pulcre noram. *Ter. Ad.* 4, 1, 17. Ego illius sensum pulcre calleo. *Phaedr.* 4, 20. intelligo; et *ep.* 3. *extr.* meminero; et 5, 10. Hoc cur, Philete, scripserim, pulcre vides. *Sulp.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *f.* Secundam pulcherrime ferre fortunam. *Cic. Div.* 2, 15. *f.* Cum tristissima exta fuerunt, proxima hostia litatur saepe pulcherrime. *Pl. Ep.* 3, 4, 36. Conciliavisti pulcre. (Sic pulcre vendere, *Pers.* 4, 4, 31. et 38.) et 5, 1, 18. Signum pictum pulcre. *Id. Bacch.* 4, 9, 145. Hoc est incepta efficere pulcre. *Ter. Heaut.* 3, 1, 41. Pulcre instructa ad perniciem. *Cic N. D.* 2, 32. Omnia subjecta esse naturae, et ab ea pulcherrime regi. *Ov. Am.* 3, 8, 5. Cum pulcre nostri dominae placuere libelli. *Pl. Most.* 1, 1, 51. Decet me victitare pulcre, te miseris modis; et *Lucr.* 5, 173. Pulcre degere aevum. *Pl. Mil.* 2, 6, 56. Pulcre admonuisti. *Id. Rud.* 5, 3, 9. Istaec tibi res ex sententia pulcre evenit. *Id. Men.* 3, 2, 7. Pulcre ulcisci injuriam. *Cic. Cluent.* 26. *f.* Pulcre asseverat, se esse ab Oppianico destitutum, *h. e.* scite, callide, et simul affirmate. Sic *Phaedr.* 1, 10. *extr.* Te credo surpuisse, quod pulcre negas. ℙ Item large, copiose. *Pl. Aul.* 3, 1, 6. Neque ligna ego usquam gentium praeberi vidi pulcrius. ℙ Item valde, aut prorsus, in malam partem. *Pl. Curc.* 1, 3, 58. Jamne ego relinquor? pulcre occidi. *Id. Mil.* 2, 4, 50. Si ad herum haec res pervenit, peristi pulcre. ℙ De eo, cui dolus bene processit. *Pl. Merc.* 3, 4, 19. Pulcre os sublevit patri. *Id. Poen.* 2, 11. Veneri pulcre adii manum. ℙ Est interjectio applaudentis, approbantis. *Ter. Eun.* 4, 7, 3. *Thr.* Primum aedes expugnabo. *Gn* recte. *Thr.* Virginem eripiam. *Gn.* probe. *Thr.* Male mulcabo ipsam. *Gn.* pulcre. *Id. Heaut.* 2, 3, 92. Assimulabimus, tuam amicam hujus esse amicam. *Clit.* pulcre. Adde *Hor. A. P.* 428. ℙ *Pulcre est mihi*, praeclare mecum agitur, omnia mihi ex sententia procedunt. *Cic. N. D.* 1, 41. Propone ante oculos Deum nihil aliud, nisi, Mihi pulcre est, et Ego beatus sum, cogitantem. *Hor. Sat.* 2, 8, 18. sed queis coenantibus una, Fundani, pulcre fuerit tibi, nosse laboro. *Catull.* 23, 5. Est pulcre tibi cum tuo parente, i. e. jucunde vivis. Sic *ib.* 15. Quare non tibi sic bene ac beate? ℙ *Pulcre esse*, belle habere, pulcre victitare, genio indulgere. *Pl. Merc.* 3, 3, 21. Quin ergo imus, atque obsonium curamus, pulcre ut simus? Simile est illud *ejusd. Men.* 3, 2, 20. Minore nusquam bene fui dispendio.

PULCRESCO, is, n. 3. pulcher fio. *Ser. Samm.* 44, 824. Aut succis hederae pulcrescit foeda cicatrix. *August. serm. inter homil.* 35, 50. *sect.* 3. *(nunc in supposit. num.* 315. *Appendic.)* Quidquid pulcrescit visu, quidquid dulcescit gustu. [*Cass. Varr.* 5, 40. Unius rei facies de addita venustate pulcrescit. *F.*]

PULCRĬTAS, atis, f. idem ac pulcritudo. *Caecil.* ap. *Non.* 2, 665. Dii boni, quid illud est pulcritatis?

PULCRĬTUDO, inis, f. κάλλος, species, venustas, decor, elegantia. *Cic. Tusc.* 4, 13. *f.* Ut corporis est quaedam apta figura membrorum cum coloris quadam suavitate, eaque dicitur pulcritudo. *Id. Off.* 1, 28. Ut enim pulcritudo corporis apta compositione membrorum movet oculos, et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt, etc. et *ib.* 36. Pulcritudinis duo genera sunt, quorum in altero venustas est, in altero dignitas; venustatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem. *Quint.* 3, 7. Pulcritudo verborum. *Petr. Sat.* 2. orationis. *Cic. Or.* 3, 19. Praeclara et eximia species oratoris perfecti, et pulcritudo. *Id. Fin.* 2, 15. Honestum sua pulcritudine specieque laudabile. *Id. Off.* 2, 10. *extr.* Quis non admiretur splendorem pulcritudinemque virtutis? *Plin. ep.* 10, 46. de aquaeductu: Utilitas operis et pulcritudo; et *Gell.* 15, 31. de imagine: Operis pulcritudo et praestantia. *Id.* 3, 9. *f.* Pulcritudo equi. *Flor.* 2, 6. urbis. *Cic. Or.* 3, 25. colorum. *Suet. Ner.* 38. flammae. *Plin. ep.* 3, 19. Praedia agris meis vicinia venalia sunt. In his me multa sollicitant, aliqua deterrent. Sollicitat ipsa pulcritudo jungendi. *Plin. alter* 37, 9, 46. Nomen per alienas pulcritudines jactatum, *h. e.* pulcras gemmas.

PŪLEJĀTUM, i, n. vinum pulejo conditum ap. *Lampr. Elag.* 19., quod glechonites vocatur a *Colum.* 12, 35. Sic pulejata posca, *Veg. Vet.* 3, 76.

PŪLEJUM et Pūlēgĭum, ii, n. γλήχων, herba hortensis odorata duorum generum, sativi et silvestris. [*Polei, Flöhkraut.* Mentha pulegium, *L.*] Utraque et mas est, et femina: illa florem habet candidum, haec purpureum. Silvestris minoribus est foliis, quam sativa, et vi efficaciore ad varios usus in medicina, quos *Plin.* 20, 14, 54. recenset. Dicitur etiam odore necare pulices: unde et nomen ei factum putant. Rustici utuntur et viridi, et siccata ac reposita cibis condiendis. *Cic. Div.* 2, 14. Pulejum aridum florescere dicitur ipso brumali die. *Mart.* 12, 32. Quadrima nigri nec corona puleji. *Colum.* 12, 35. condiendo vino: *Pall.* 12, 22. condiendis olivis pulejum memorant. *Ser. Samm.* 1, 18. Pulegiumque potens una super aure locabis. Adde 32, 599., ubi, ut etiam ap. *Marc. de medic.* 40., *pulejum potens* dicitur ob efficaciam virtutis. Sic *Virg. A.* 7, 19. Quos hominum ex facie Dea saeva potentibus herbis Induerat Circe in vultus ac terga ferarum. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 16, 23. *extr.* Cras exspecto Leptam, etenim ad cujus rutam pulejo mihi tui sermonis utendum est, *h. e.* ad tristia illa et ingrata Leptae suavitate sermonis tui uti debeo. Ruta amara est, pulejum suave: miscenturque saepe in condimentis temperandi causa. ℙ Quae scriptio *g* exterit, videtur frequentior esse in MSS., teste *Rhodio* in *Lex. Scribon.* et aliis.

PULEX, ĭcis, m. ψύλλα, insecti minuti genus, homines, canes, gallinas, etc. infestans. A *Plinio* 9, 47, 71. dicitur aestivum animal, pernici saltu molestum. *Pl. Curc.* 4, 2, 13. Item genus est lenonium inter homines, ut muscae, culices, cimices, pedesque, pulicesque. *Mart.* 14, 83. cujus lemma *Scalptorium.* Defendet manus haec scapulas mordente molesto Pulice, vel siquid pulice sordidius. *Cels.* 6, 7. *n.* 9. Si pulex intus est *(in aure)*, compellendum eo lanae paululum est. *Colum.* 8, 5. de gallinis: Pulicibus, aliisque similibus animalibus replentur *(cubilia)*, quae secum affert avis, etc. *Pall.* 1, 35. *med.* Culices galbano infuso fugantur: pulices amurca. ℙ Sunt etiam oleribus innascentes pulices, eaque erodentes. *Colum.* 10, 320. Exurat sata ne resoluti pulveris aestus, Parvulus aut pule irrepens dente lacessat. ℙ Qui primam corripi posse putant, auctorem habent incerti, aut potius nullius ponderis, in *carm. de Pulice*, 1. Parve pulex, et amare, lues inimica puellis. ℙ M. Servilius Geminus, qui fuit magister equitum P. Sulpicio Galba dictatore, ut est ap. *Liv.* 30, 24. et consul cum Ti. Claudio Nerone (*ib.* 26.) cognominatus est *Pulex. Fasti Capit.* ap. *Grut.* 293.

[PULĬCĀRĬA, ae, f. herba eadem ac psyllion, ψύλλιον. Ejus meminit *Theod. Prisc.* 1, 10. V. CYNOMYIA. *F.*]

*PULĬCO, as, pulices progigno. *Gloss. Gr. Lat.* ψυλλίζω, pulico. *B. A.*

PŪLĬCŌSUS, a, um, adj. *ψυλλώδης*, pulicibus plenus. *Colum.* 7, 13. Pulicosae cani remedia sunt.

*PULLARĬA, ae, f. insula maris Hadriatici, Istriae objecta. *Plin.* 3, 26. ed. *Hard.*, ubi antea, v. g. in ed. *Elzev.*, legebatur *Pullariae*, pluraliter. *B. A.*

PULLĀRĬUS, a, um, adj. ad pullos equorum pertinens, ut Pullaria collectio, *Veg. Vet.* 2, 25. ℙ [Item ad pullos gallinaceos pertinens. *Inscr.* ap. *Fea Fram. di Fast. cons.* p. 32. Ti. Claudio Festo lictori, idem decuriali decuriae pullariae. Alia ap. *Donat.* 166, 3. Decuriales pullarii. Ex his patet, etiam pullarios in decurias fuisse divisos. Alia ap. *Grut.* 447, 2. M. Aurelio Eureto M. Aur. Euretus, et M. Aur. Pudentianus filii negotianti pullario patri fecerunt. *F.*] ℙ Item ad pullum, qua puerum notat. *Pullaria* enim *feles* dicitur ab *Auson. ep.* 70. qui instar felis sorices venantis, pueros captat et corrumpit. Hinc *pullariam* dixit *Pl.* ap. *Fest.* manum dexteram *ἀναφλῶσαν τοὺς παῖδας*. *Turneb. Advers.* 3, 11. Simile est illud *Auson. l. c.* in PULLIPREMA.

PULLĀRĬUS, ii, m. qui e pastu pullorum gallinaceorum captat auspicia. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 12. Pullariorum admonitu, non satis diligenter eum auspiciis operam dedisse. *Cic. Div.* 2, 34. Attulit in cavea pullos is, qui ex eo nominatur pullarius. *Liv.* 10, 40. Consul pullarium in augurium mittit: pullarius auspicium mentiri ausus tripudium solistimum consuli nunciavit. *Inscr.* ap. *Grut.* 557, 6. M. Pompejo M. F. Ani. Aspro ⌐]. Leg. XV. Apollinaris Atimetus Lib. pullarius fecit. Alia ap. *Mur.* 788, 4. L. Avillius L. F. Asperinus pullarius Leg. VI. Claudiae, (unde discimus, suum cuique legioni pullarium fuisse). Alia ap. *Grut.* 627, 5. C. Calpetanus C. L. Glyptus viator pullarius, scil. qui magistratui auguria per pullarios captanti praesto erat. ℙ Item *pullarius* est puerorum corruptor. *Gloss. Phil. Παιδεραστής*, pullarius. V. v. praec. [*Emendavit h. l. *F.*]

PULLASTRĀ, ae, f. gallina adolescens. Suapte natura adjectivum est. Nam subintelligitur gallina. *Varr. R. R.* 3, 9. *med.* Et ea quae subjicias potius vetulis, quam pullastris. *Scal.* aliter legit. Haec enim habet: Vetus lectio *pullitris*, quod verum est. Nam *pullastrae* non ad aetatem refertur, sed ad magnitudinem. Pullastri enim in genere gallinaceo, qui pumiliones in hominibus. *Pullitra* autem, vel *pulletra* (nam utroque modo scribebant) quae adhuc effeta non est. Deinde *Turnebum* reprehendit, qui *pullinis* legendum conjiciebat. *Pullitris* probat etiam *Pontedera in not. ad Varr.*, [sed *Schneid.* putat *pullastris* retinendum. *F.*]

PULLĀTĬO, onis, f. *πωλοτοκία*, fetura pullorum gallinaceorum. *Colum.* 8, 5. *med.* Plerique tamen etiam ab aestivo solstitio non putant bonam pullationem.

PULLĀTUS, a, um, adj. *μελανείμων*, atratus, pulla veste indutus, lugubrem habitum ferens ex parentum morte, vel alia quavis ratione. *Juven.* 3, 212. Si magna Asturici cecidit domus, horrida mater, Pullati proceres: differt vadimonia praetor. *Sidon.* de iis, qui omnia praepostere agunt *ep.* 5, 7. Albati ad exsequias, pullati ad nuptias. ℙ *Pullati* etiam dicebantur infimae plebis homines, quod sive togati, sive paenulati, sive tantum tunicati essent, ipso suae artis usu, tum angustia rei familiaris impedirentur albas ac nitidas semper vestes habere. *Plin. ep.* 7, 17. Illos quoque sordidos pullatosque reveremur. *Quint.* 6, 4. Imperitis ac pullatae turbae relinquunt. *Id.* 2, 12. *med.* Jam collidere manus, terrae pedem incutere, frontem caedere, mire ad pullatum circulum facit. *Suet. Aug.* 44. Sanxit, ne quis pullatorum media cavea sederet.

PULLEJĀCĔUS, a, um, adj. idem ac pullus. Hoc vocabulo utebatur Augustus, ut in ejus vita scribit *Suet.* 87. Nempe, ut recte *Casaub.* monet, ad aliorum colorum exemplum, quadam ingenii lascivia, id verbum formabat. Sic enim dicimus *violaceus*, *hederaceus*, *herbaceus*, etc.

PULLESCO. V. PULLULASCO.

PULLĪCĒNUS, i, m. dimin. pulli, qui ex gallinae ovo nascitur, pullus gallinaceus. *Lampr. Alex. Sev.* 41. Qui eos (*palumbos*) ex ovis, et pullicenis, et pipionibus alerent, *h. e.* ex pecunia, quae iis venditis colligebatur.

[PULLĪGER, ra, rum, adj. qui pullum gerit, parturit. V. *Fulg. l. c.* in PUERIGENUS, in quo si *puerigena* legas, videtur etiam *pulligena* pro *pulligera* legendum. *F.*]

PULLĪGO, inis, f. idem ac pullus color. *Plin.* 8, 48, 73. Nigri velleris oves praecipuas habet Pollentia juxta Alpes: Asia rutili: Canusium fulvi: Tarentum et suae pulliginis.

PULLĪNUS, a, um, adj. *πωλικὸς*, qui est pulli, ut Pullini dentes, quos primum equi jaciunt, et indices aetatis sunt. *Plin.* 8, 44, 69. Priusquam dentes, quos pullinos appellant, jaciat.

PULLIPRĔMA, ae, m. *παιδεραστὴς*, *παιδοφθόρος*, pullarius. *Auson. ep.* 70. Lucili vatis subulo pulliprema. Alii leg. *pullipremo* eodem sensu.

PULLĪTIES, ei, f. pullatio, fetura avium. *Varr. R. R.* 3, 7. de columbis: Altera de causa propter pullitiem; ipsae enim propter pullos, quos habent, utique redeunt. *Colum.* 8, 9. *extr.* de turturibus: Itaque circa messem, cum jam confirmata est pullities, eligitur. *Id.* 9, 11. de apib.: Cum primo vere in eo vase nata est pullities. Adde 8, 14. *f.*

PULLITRA. V. PULLASTRA.

PULLO, as, n. l. idem ac pullulo, germino. *Calpurn. Ecl.* 5, 19. Tunc etenim toto vernanti gramine silva Pullat, et aestivas reparabilis inchoat umbras.

PULLŪLASCO, is, n. 3. *βλαστάνω*, pullulans fio, germino, germen emitto. *Colum.* 4, 21. Et ita ex novello palmite vitis pullulascit. Est qui leg. *pullescit* eodem sensu. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 882. Utrum renatis pullulascat artubus.

PULLŪLO, as, avi, atum, n. l. *παραφυέω*, *βλαστάνω*, pullos emitto, idest stolones, sive germina, fetifico. Proprie enim de arboribus dicitur, cum a radicibus novae plantae surgunt. *Virg. G.* 2, 17. Pullulat ab radice aliis densissima silva. ℙ Translate. *Id. A.* 7, 329. Tam saevae facies, tot pullulat atra colubris. *Nep. Cat.* 2. Pullulare incipiebat luxuria. ℙ Active generare. *Appul. Met.* 4. Terras Venerem aliam virginali flore praeditam pullulasse.

PULLŪLUS, a, um, adj. aliquantum pullus, subniger. *Colum.* 2, 2. *med.* Ista non tam vera possunt videri, quam si sit pullula terra, quae melius proventu frugum approbatur.

PULLŪLUS, i, m. parvus pullus, h. e. puerulus amabilis, delicium, amasius. [*Front. ad Antonin. imp.* (ed. *A. Maio*) 1, 3. Vidi pullulos tuos tam simili facie tibi, ut nihil sit hoc simili similius. *F.*] ℙ Joculariter de asino *Appul. Met.* 8. Cave, ne solus exedas tam bellum pullulum, sed, etc. ℙ Item stolo, aut germen, quod ex arboris radice nascitur. *Plin.* 17, 10, 12. Nullis vero tales pulluli proveniunt, nisi quarum radices amore solis atque imbris in summa tellure spatiantur. V. PULLUS, i.

PULLUS, a, um, adj. *φαιὸς*, *ὀρφνινος*, color medius inter rubrum et nigrum, ater, subniger. Volunt esse quasi *purus*, ut ab *unus* est *ullus:* quia nativus est, et qualis in lana fusca, et nulla arte dealbata, aut in terra recens aratro proscissa: vel a *πελλὸς*, pro *πελὸς*, quod idem significat. [*V. *Doederl.* 3, 207., ubi originem hujus vocis a *pix* repetit, quod semper foedi, sordidi notionem exhibeat. V. quae dicta sunt in ATER et NIGER.] *Varr. R. R.* 3, 12. Lepus superiore parte pulla, ventre albo. *Colum. praef.* 1. *med.* In aliis regionibus nigra terra, quam pullam vocant, ut in Campania, est laudabilis. *Id.* 7, 2. Color lanae pullus, atque fuscus, quos praebent in Italia Pollentia, in Baetica Corduba. *Pullus* ad nigrum videtur magis, quam *fuscus* accedere. Poetae tamen latius haec accipiunt. *Hor. Epod.* 16, 46. Suamque pulla ficus ornat arborem. *Id. Od.* 1, 25, 18. Pulla myrtus. *Virg. G.* 3, 386. Illum autem, quamvis aries sit candidus ipse, Nigra subest udo tantum cui lingua palato, Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis Nascentum. *Tibull.* 1, 2, 62. Concidit ad magicos hostia pulla Deos. *Ov. Am.* 2, 4, 41. pendent nivea pulli cervice capilli. *Mart.* 6, 58. Si mihi lanificae ducunt non pulla sorores Stamina, *h. e.* funesta, et vitae miserae indicia. Sic *Ov. Ib.* 246. de Clotho: Nevit et infecta stamina pulla manu. ℙ *Pulla vestis*, sive toga, sive tunica, etc. ex nativo lanae fuscae colore, gestabatur ab artificibus et tenuioribus, qui sumptum in ea dealbanda ferre non poterant. *Calpurn Ecl.* 7, 26. Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste Inter femineas spectabat turba cathedras; et *ib.* 80. sed mihi sordes, Pullaque paupertas. *Cic. Verr.* 2, 4, 24. *extr.* praestringit Verrem, quod praetor Siciliae, deposito senatorio cultu, in officina, ubi vasa caelata sibi conficienda curabat, majorem partem diei cum tunica pulla sedere solebat, et pallio, tanquam vilis quidam artifex, aut infimae plebis homuncio. ℙ Usus ejus fuit praecipue in exsequiis, et luctu. V. PULLATUS. *Varr.* ap. *Non.* 16, 13. Ut, dum supra terram esset, riciniis lugerent (*feminae*), funere ipso pullis pallis amictae. *Ov. Met.* 11, 48. obscuraque carbasa pullo Naides et Dryades, passosque habuere capillos: *pullo* substantivi more, pullo colore: quemadmodum dicitur *album*, *nigrum*. (Sic *Flor.* 4, 2. *med.* Dux mane cum pullo ante principia conspectus, *h. e.* cum veste pulla: quod erat mali ominis extra luctum.) Loquitur autem de lugentibus Orphea a Bacchis discerptum. An aliquando albatae mulieres in luctu fuerint, V. *Kirchmann. de funerib.* 2, 17. ℙ Quando epulum in funere civium potentiorum publice dabatur, in eo pullis vestibus non utebantur. Ita enim illud erat funebre, ut munus esset funeris, epulum dignitatis, ut ait *Cic. Vat.* 12. *extr.*, ubi Vatinium reprehendit, quod in epulo Q. Arrii cum toga pulla accubuisset. Quod autem subdit *ib.* 13. Quis usquam in luctu domestico, quis in funere familiari coenavit cum toga pulla? cui de balneis exeunti, praeter te, toga pulla unquam data est? id significat, *togam pullam*, ne in funere quidem familiari, fuisse unquam vestem coenatoriam seu accubitoriam, et mensae aptam, sed synthesim, aut laenam, aut hujusmodi. ℙ *Non possum togam praetextam sperare, cum exordium pullum videam:* proverb. ap. *Quint.* 5, 10. *med.* h. e. non possum sperare prosperum meis ausis et conatibus exitum, cum initia parum fausta sint. ℙ *Pullus* fuit etiam cogn. R., ut L. Junius Pullus. In *Fastis* tamen *Capitol.* ap. *Grut.* 292. habetur *Paullus*, non *Pullus*. V. v. sq. ℙ Quod ait *Cato R. R.* 151. Semen cupressi per ver serito in loco, ubi terra tenerrima erit, quam pullam vocant; et *Plin.* 17, 5, 3. Cato terram optimam judicat, teneram, quae vocetur pulla: venit in mentem *Gesnero*, non tam a colore *pullam* dici, quam a teneritudine, quae juventutis quoddam robur fecundum declarat, ut terram quandam *anum* dici *Plin. l. c.* docet, quam *cariosam* appellat *Cato* 5. ℙ Quod putant nonnulli, *pullus* a *purus* ducendum esse, ut ab initio diximus, firmari videtur hoc *Varr.* fragmento ap. *Non.* 4, 360. Ubi nitidi ephebi veste pulla candidi, modeste amicti pascunt pecora: *pulla* enim hic pura est: et fortasse togam puram, seu virilem significat.

PULLUS, i, m. nomen est generale (ut *catulus*) recens natorum ex animalibus. Si esset a *πῶλος*, pullus equinus, proprie de his diceretur. *Virg. G.* 3, 75. Continuo pecoris generosi pullus in arvis Altius ingreditur. [*De etym. h. v. disputat *Doederl.* 3, 207. V. et in *pusillus*, a, um.] ℙ Sed dicitur etiam de aliis. *Plin.* 8, 41, 69. Pulli onagrorum. *Id.* 11, 41, 96. asinarum. *Varr. R. R.* 3, 15. glirium. ℙ De pullo equino, absolute *Juven.* 6, 615. Cui totam tremuli frontem Caesonia pulli Infudit. ℙ Frequentius dicitur de iis, qui nascuntur ex ovis. *Cic. N. D.* 2, 48. *f.* Ex ovis pulli orti aluntur ab iis, a quibus exclusi fotique sunt. *Id. Fam.* 9, 18. Pulli columbini. *Liv.* 32, 1. gallinacei. *Varr. R. R.* 3, 9. pavonini. *Id. ib.* 8. de turturib.: Pulli plurimi gignuntur; et *ib.* 10. Pulli anserum. *Plin.* 10, 33, 49. hirundinum. *Juven.* 14, 74. ciconiae. *Appul. Dogm. Plat.* 1. *in.* cycni. *Id. Flor. n.* 12. psittaci. *Pall.* 1, 28. pavonis. *Plin.* 11, 16, 16. apum. *Hor. Sat.* 2, 3, 314. ranae. ℙ Translate rapacem hominem *pullum milvinum* vocat *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 2. ℙ De gallinaceis, absolute *Hor. Sat.* 2, 2, 120. non piscibus urbe petitis, Sed pullo, atque haedo; et *Ep.* 2, 2, 163. accipis uvam, Pullos, ova, cadum temeti. Adde *Sat.* 1, 3, 192. et *Sen. Q. N.* 4, 6. ℙ Tribuitur etiam hominibus (quasi *puellus*). Docet enim *Festus*, puerum, quem quis amabat, pullum vocari solitum. Hinc Q. Fabium, cui Eburno propter candorem cognomen fuit, pullum Jovis appellatum esse, quod ejus natis icta esset fulmine. (V. AMBUSTUS.) Adhibetur itaque in blanditiis. *Pl. Cas.* 1, 50. Meus pullus passer, mea columba, mi lepus. Al. leg. *meus pullus*, *meus passer*. *Hor. Sat.* 1, 3, 44. strabonem Appellat paetum pater: et pullum, male parvus Si cui filius est. *Suet. Cal.* 13. *extr.* Laetissimo obviorum agmine incessit, super fausta nomina sidus, et pullum, et pupum, et alumnum appellantium. [*M. Aurel.* ap. *Front. ad Anton. imp.* (ed. *A. Maio*) 1, 1. Pullus noster Antoninus aliquo lenius tussit. *F.*] ℙ Denique in arboribus *pulli* sunt germina aut stolones ab radicibus enascentes. *Cato R. R.* 51. Abs terra pulli qui nascentur, eos in terram deprimito. (*Plin.* 17, 10, 12. vocat *pullulos.*) Adde *Pall.* 4, 9. ℙ [Fuit etiam cogn. R., ut L. Junius Pullus Cos. ann. U. C. DV. V. tamen v. praec. *F.*]

PULMENTĀRIS, e, adj. ad pulmentum pertinens. Pulmentaris cibus, ap. *Plin.* 18, 12, 30. est pulmentarium.

PULMENTĀRĬUM, ii, n. quicumque cibus cum pulte edebatur: appellatio iis orta temporibus, quibus usus panis nondum erat, sed pro eo pulte utebantur. Quidquid igitur praeter pultem (quae proprie ex leguminibus coctis fit) et invento pane, post hunc (excepto pisce aut carne) obsonii vice in coena adjiciebant, *pulmentarium* dictum est. Proprie autem dicitur de iis, quae coquuntur, et condiuntur: deinde de simplicibus et siccis. *Plin.* 18, 8, 19. Pulte, non pane vixisse longo tempore Romanos, manifestum, quoniam inde et pulmentaria hodieque dicuntur. *Varr. L. L.* 4, 22. et ap. *Charis.* 1, 56. Pulmentum, quod id cum pulte essent: et inde pulmentarium dictum. *Cato ib.* Laserpitium pro pulmentario suo habet. *Id. R. R.* 58. Pulmentarium familiae, oleae caducae quamplurimum condito. Postea oleas tempestivas, unde minimum olei fieri poterit, eas condito, parcito, uti quam diutissime durent. *Phaedr.* 3, 7. de mensa sua Dat ossa dominus: frusta jactat familia, Et quod fastidit quisque, pulmentarium. *Pers.* 3, 102. Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris. *Juven.* 7, 185. venit qui pulmentaria condit, *h. e.* coquus. *Sen. ep.* 87. Caricae, si panem habeo, pro pulmentario sunt: si non, pro pane. *Plin.* hoc illustrat, cum ait 15, 19, 21. Fici panis simul et obsonii vicem siccatae implent. *Id.* 31, 7, 41. de sale: Varro etiam pulmentarii vice usos veteres, auctor est: et salem cum pane esitasse eos, proverbio apparet. *Id.* 15, 15, 17. Pira et poma vino et aqua coquuntur, atque pulmentarii vicem implent: quod non alia, praeter cotonea et struthia. *Id.* 19, 8, 54. de sinapi: Usus ejus etiam pro pulmentario, in patellis decocto. ℙ De cibis avium. *Colum.* 8, 10. *f.* de turdis: Semper tamen etiam canaliculi milio repleti apponuntur: quae est firmissima esca: nam illa quae supra diximus, pulmentariorum vice dantur. ℙ De quocumque cibo, per synecdochen. *Hor. Sat.* 2, 2, 19. non in caro nidore

voluptas Summa, sed in te ipso est: tu pulmentaria quaere Sudando.

PULMENTUM, i, n. idem fere quod puls, vel alius cibus ad modum pultis factus: et dicitur de viliore, ac tenuioribus usitato. *Pl. Ps.* 1, 2, 84. Num ipse ego pulmento utor magis unctiusculo? *Id. Aul.* 2, 4, 37. Pulmentum pridem ei eripuit miluus. ℙ Idem quod pulmentarium, hoc est quidquid cum pane simul esitatur. *Appul. Met.* 4. Estur ac potatur incondite, pulmentis acervatim, panibus aggeratim, poculis agminatim ingestis; et *ib.* 9. Vina pretiosa defaecat, pulmenta recentia tucetis temperat; et *ib.* 10. Sapidissimis intrimentis succuum pulmenta condita. *Just.* 3, 3. de Lycurgo: Pueros puberes nihil somni causa substernere, et vitam sine pulmento degere statuit, *h. e.* sola pulte aut pane sine aliis ferculis. ℙ Universim quivis cibus. *Hor. Ep.* 1, 18, 98. Coenes ut pariter pulmenta laboribus empta. *Id. Sat.* 2, 2, 33. laudas, insane, trilibrem Mullum, in singula quem minuas pulmenta necesse est, *h. e.* offas, partes. Videri tamen potest *pulmentum* dici etiam de pisce, qui obsonii nomine praecipue significatur. Nam piscis profecto intelligitur in illo *Appul. Apol.* In maleficio ille venenum nominat, tu pulmentum: ille herbas et surculos, tu squamas et ossa: ille pratum decerpit, tu fretum scrutaris.

PULMO, onis, f. *πνεύμων*, viscus spongiosum, corporis totius secundum cor nobilissimum, ad ungulae bubulae similitudinem dissectum, follis modo spiritum attrahens, et reddens, caloremque nativum leniter refrigerans. *Cic. N. D.* 2, 55. In pulmonibus autem inest raritas quaedam, et assimilis spongiis mollitudo, ad hauriendum spiritum aptissima, qui tum se contrahunt adspirantes, tum respiritu dilatant. *Plin.* 11, 37, 72. Sub corde pulmo est, spirandique officina, attrahens ac reddens animam: idcirco spongiosus, ac fistulis inanibus cavus. (Adde *Cels.* 4, 1.) *Pers.* 1, 14. Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelat. *Pl. Curc.* 2, 1, 21. Renes dolent, pulmones distrahuntur, cruciatur jecur. *Ov. Pont.* 1, 3, 19. Cernis, ut e molli sanguis pulmone remissus Ad Stygias certo limite ducat aquas: *φθίσις*. *Lucan.* 4, 326. nulloque humore rigatus Aeris alternos angustat pulmo meatus. (Hoc ex eorum opinione, qui putarunt poculenta in pulmonem descendere, ut est ap. *Gell.* 11, 11. Sic et *Juven.* 4, 138. cum pulmo falerno arderet.) *Id.* 10, 33. Perpetuo risu pulmonem agitare solebat Democritus. *Pers.* 3, 27. pulmonem rumpere ventis, *h. e.* inflari, efferri, superbire. ℙ Habet locum in extis ab haruspice inspiciendis. *Cic. Div.* 1, 39. Quid enim habet haruspex, cur pulmo incisus, etiam in bonis extis, dirimat tempus, et proferat diem? *Juven.* 6, 548. calidae pulmone columbae Tractato. *Lucan.* 1, 622. pulmonis anheli Fibra latet. Adde *Cic. Div.* 2, 12. *f.* et *Sen. Oed.* 368. ℙ Pulmo, genus marini piscis, idem ac halipleumon, memoratur a *Plin.* 9, 47, 71., item 18, 35, 85., ubi cum apparet in pelago, plurium dierum hiemem portendere, scribit: item 32, 9, 32., ubi decoctum in aqua calculosis prodesse tradit; et *ib.* 36. emendare pernionés; et *ib.* 10, 46. alligatum purgare profluvia.

PULMONĀCEUS, a, um, adj. *Veg. Vet.* 1, 12. Radicula, quam quidam consiliginem vocant, quidam pulmonaceam. V. v. sq.

PULMONĀRIUS, a, um, adj. *πνευμονικός*, pulmonis inflammatione laborans, quam et febris acuta, et difficultas anhelitus solent comitari. *Colum.* 7, 5. *med.* Ovem pulmonariam similiter, ut suem, curari convenit, inserta per auriculam, quam veterinarii consiliginem vocant; et *ib.* 10. *med.* de suibus: Aquis nisi affatim satientur, pulmonariae fiunt.

PULMONĒUS, a, um, adj. *πνευμονικός*, ad pulmones pertinens. *Pl. Rud.* 2, 6, 26. Perii! animo male fit: contine, quaeso, caput. *Charm.* Pulmoneum edepol nimis velim vomitum vomas. *Id. Epid.* 5, 1, 21. Otiose isse admiror. Pedibus pulmoneis qui perhibetur, prius venisset, quam tu advenisti mihi, *h. e.* exossibus et teneris instar pulmonum, atque adeo ineptis ad ingrediendum. ℙ *Pulmonea mala* ap. *Plin.* 15, 14, 15. ita dicta sunt, quia stolide tument.

PULMUNCŪLUS, i, m. dimin. parvus pulmo. A similitudine *pulmunculi* dicuntur carnosae, molles, et tumidae quasi offae (*σαρκία πνευμονώδη*) in vestigio pedis camelorum, quibus insistunt. *Solin.* 49. *med.* Sunt enim illis reciprocis quibusdam pulmunculis vestigia carnulenta. *Plin.* 11, 45, 105. vestigium carnosum appellat. ℙ In jumentis sunt excrescentia carnosa in pede, item in dorso, instar pulmonis parvi. *Veg. Vet.* 2, 56. et 61.

PULPA, ae, f. *μυών*, caro musculosa in animali sine osse et pinguedine, quae manducatur; [ita appellatur a *palpo* seu *palpito*, quia mollis et tremula est: *pulpa* usurpatur de carnosis partibus externis, viscus de internis. *Isid. Or.* 11, 1. *med.* Pulpa est caro sine pinguedine, dicta quod palpitet; resilit enim saepe. V. alias minus probabiles notationes ap. *Voss.* in *Etym. F.*] *Cato R. R.* 83. Votum pro bubus. Farris libras III. et lardi P. IIII. S. et pulpae P. IIII. S., vini sextarios tres. *Mart.* 3, 77. Et pulpam dubio de petasone voras. *Appul. Met.* 2. Quae suis dominis parabat viscum fartim concisum, et pulpam frustatim consectam; et *ib.* 8. Ossa viduata pulpis, nitore nimio candentia. ℙ [Obsceno sensu *pulpam* videtur usurpasse *Cic. Fam.* 9, 22. pro mulierum natibus, mammis, etc.; *culpam* vero legentibus nullam profecto obscenitatis significationem in ea voce deprehendere licebit. *F.*] [*Orell.* exhibet *culpam*; sc. pronuntiato *hancc ulpam*, ac *p* molliore sono, erat quasi *hanc vulcam*; in eoque obscenitas.] ℙ Translate. *Pers.* 2, 62. Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores, Et bona Diis ex hac scelerata ducere pulpa? *h. e.* carne flagitiis et corruptis moribus contaminata. Hoc sensu dicitur *Gen.* 6, 12. Omnis caro corruperat viam suam super terram. Non absimile est illud *Auson. epist.* 4, 96. Nec fas est mihi regio magistro Plebejam numeros docere pulpam, *h. e.* hominem crassi et hebetis ingenii. ℙ De carne pomorum. *Scrib. Comp.* 74. Caryotarum recentium pulpas medias, detracta exteriore cute, interioribusque venis. ℙ De carne ficorum. *Pall.* 4, 10. *f.* Ficorum coria siccentur, et pulpae tunc duplicatae in cistellis serventur aut loculis. ℙ In ligno seu materie sic dicitur pars ejus enodis, sine venis. Sunt enim corpori arborum, ut reliquorum animalium, cutis, sanguis, caro, nervi, venae, ossa, medullae, adipes, ut est ap. *Plin.* 16, 38, 72. *Id. ib.* 73. In quarundam arborum carnibus pulpae venaeque sunt. Discrimen earum facile: venae latiores candidioresque, pulpae fissilibus insunt; et *mox:* Quibusdam pulpa sine venis, mero stamine et tenui constat. Haec maxime fissilia. Alia frangi celeriora, quam findi, quibus pulpa non est: ut oleae, vites.

PULPAMEN, inis, n. pulpamentum, pulpa. *Epit. Liv.* 48. *extr.* Masanissa sine pulpamine mandere, et gustare panem tantummodo solitus.

PULPAMENTUM, i, n. cibus e pulpa concisa factus. *Pl. Curc.* 1, 1, 90. Voltisne olivas, aut pulpamentum, aut capparim? *Plin.* 9, 15, 18. Thynni membratim caesi cervice et abdomine commendantur: cetera parte plenis pulpamentis sale asservantur. ℙ De proverb. *pulpamentum quaerere*, V. LEPUS. ℙ *Ego semper apros occido, sed alter semper utitur pulpamento*, est aliud proverb. usurpatum a Diocletiano, teste *Vopisc. Numer. f.*, cum strenuus venator esset aprorum, et praefectum praetorio, nomine Aprum, occidisset. Affectabat autem imperium, ad quod evehi subinde alios, hoc proverbio facete querebatur. ℙ [Accipitur etiam pro quovis cibo lautiore, quemadmodum et pulmentum. *Cic. Tusc.* 5, 32. Mihi amictui est Scythicum tegmen, calceamentum solorum callum, cubile terra, pulpamentum fames; lacte, caseo, carne vescor. Alii leg. *pulmentum. F.* *Quod longe praeferendum censet *Orell.*, licet in *ed.* sua vulg. serv.]

PULPITO, as, a. 1. asseribus, aut trabibus in modum pulpiti aedificio, fulcio. *Sidon. ep.* 8, 12. *med.* Hic pandi carinarum ventres abiegnarum trabium textu pulpitabuntur.

PULPĪTUM, i, n. *βῆμα, ἀνάβαθρον*, tabulatum alte exstructum, suggestus, unde vel sermo habetur, vel prospicitur. *Suet. Ner.* 13. Tiridatem per devexum pulpitum subeuntem admisit ad genua. *Id. Gr.* 4. *f.* Repeto, quendam, Principem nomine, alternis diebus declamare, alternis disputare: nonnullis mane disserere, post meridiem, remoto pulpito, declamare solitum. Sic *Hor. Ep.* 1, 19, 39. Non ego nobilium scriptorum auditor, et ultor Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor. ℙ Saepissime dicitur de eo suggestu, qui in morem aree in proscenio excitabatur, et inserviebat histrionibus recitantibus, ut ex editiore illo loco facile a spectatoribus conspicerentur, *λογεῖον, θυμέλη*. V. PROSCENIUM. *Hor. A. P.* 278. personae, pallaeque repertor honestae Aeschilus, et modicis instravit pulpita tignis; et *ib.* 174. Quam non adstricto percurrat pulpita socco. *Prop.* 4, 1, 15. Nec sinuosa cavo pendebant vela theatro: Pulpita solemnes non oluere crocos. *Juven.* 3, 174. tandemque redit ad pulpita notum Exodium. *Id.* 7, 93. Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt, *h. e.* qui scribendis tragoediis ac vendendis vitam tolerat. *Id.* 14, 256. Monstro voluptatem egregiam, cui nulla theatra, Nulla aequare queas praetoris pulpita lauti, *h. e.* ludos scenicos a praetore divite datos. (Adde *Juven.* 8, 195.) *Plin. ep.* 4, 25. Ludibria scena et pulpito, digna. Adde *Ov. Trist.* 2, 517. et *A. Am.* 1, 104. et *Vitr.* 5, 6. et 8. ℙ De iis, quae erigebantur ludicri alicujus exhibendi causa. *Juven.* 6, 78. Longa per angustos figamus pulpita vicos, Ornentur postes, etc.

PULPO, as, n. 1. vox exprimens cantum vulturis carnem et cadavera veluti poscentis. *Auct. carm. Philom.* 27. Dum clangunt aquilae, vultur pulpare probatur.

PULPŌSUS, a, um, adj. pulpa abundans, carnosus. *Appul. Met.* 7. Terga *(equorum)* pulposis torulis obesa.

PULS, pultis, f. *πόλτος*, cibi genus ex farre, aut leguminibus in aqua coctis. A quibusdam definitur cibus ex aqua et farina, additis interdum ovis, melle, caseo. Verum hoc pacto confunditur cum placenta. Itaque prima descriptio verior est: neque enim credibile fit, priscos illos homines et pauperes, et rusticos tot condimenta in quotidianis cibis adhibuisse. Scribit autem *Plin.* 18, 8, 19. et *Val. Max.* 2, 5. *n.* 5. pulte, non pane vixisse longo tempore Romanos. *Varr. L. L.* 4, 22. De victu antiquissima puls, appellata vel quod ita Graeci, vel ab eo, ut scribit Apollodorus, quod ita sonet, cum aqua ferventi insipitur. *Juven.* 11, 58. pultes Coram aliis dictem puero, sed in aure placentas. *Id.* 14, 170. A scrobe, vel sulco redeuntibus altera coena Amplior, et grandes fumabant pultibus ollae. *Pers.* 6, 140. Foenisecae crasso vitiarunt unguine pultes: sc. quae olim simplices erant, et sine condimentis. *Plin.* 18, 8, 19. Et hodie sacra prisca atque natalium pulte fritilla conficiuntur: videturque tam puls ignota Graeciae fuisse, quam Italiae polenta. V. FRITILLA et POLENTA. Quam *pultem niveam* memorat *Mart.* 5, 78. et 13, 35., videri potest illa, de qua *Plin.* 18, 10, 24. Milio Campania praecipue gaudet, pultemque candidam ex eo facit. Sed melius dicemus esse eam, quae ex farre Clusino fiebat, quod erat candoris nitidi, teste *Colum.* 2, 6. Unde idem *Mart.* 13, 8. Imbue plebejas Clusinis pultibus ollas. ℙ Pulte nutriebant pullos, ex quibus auspicia erant captaturi: quibus si inter vescendum aliquid ore excidisset, tripudium erat, auguriumque faustum. *Cic. Div.* 2, 35., *Fest.* et *Val. Max.* 2, 5. *n.* 5. V. TRIPUDIUM. ℙ De pulte Punica haec habet *Cato R. R.* 85. Pultem Punicam sic coquito. Libram alicae in aquam indito, facito uti bene madeat. Id infundito in alveum purum: eo casei recentis P. III., mellis P. S., ovum unum: omnia una permisceto bene. Ita insipito in aulam novam. ℙ Translate. *Sidon. ep.* 9, 16. *in carm. f.* Ut, per abruptum bove concitato, Spargeret cursus lacerum cadaver, Cautibus tinctis calida soluti Pulte cerebri. ℙ Ex *Ausonio* discimus, pultem, ex farre multa aqua dilutam potionis vice Romanis rusticis olim fuisse. Sic enim *Idyll. de cibis* 12, 5. Mox ador, atque adoris de polline pultificum far, Instruxit mensas quo quondam Romulidum plebs. Hinc cibus, hinc potus, cum diluerentur aqua puls.

PULSĀBŬLUM, i, n. plectrum, instrumentum, quo fides pulsantur. *Appul. Flor. n.* 15. Dextera psallentis gestu pulsabulum citharae admovet, ceu parata percutere.

PULSĀTĬO, onis, f. *κρούσις*, actus pulsandi. *Liv.* 31, 39. Et majore cum sonitu, quam vulnere ullo, pulsatio scutorum parumper succedentes Romanos tenuit. *Cic. Coel.* 10. De Alexandrinorum pulsatione Puteolana, *h. e.* qua Alexandrini Puteolis verberati sunt. *Pl. Bacch.* 4, 2, 1. Pulsatio ostii. Ap. *Paul. Sentent. tit.* 5, 4. pulsatio pudoris est stuprum vi illatum. V. PUDOR. ℙ Inter pulsationem et verberationem hoc interest, ut Ofilius scribit: verberare est cum dolore caedere; pulsare sine dolore. *Ulp. Dig.* 47, 10, 5. *Sine dolore* inquit, quia si propriam *pulsandi* vim spectemus, significat saepe pellere, impellere, repellere, cum sit frequentativum a *pello:* hoc autem sine dolore fieri potest. Ceterum discrimen *Ofilii* extra legem Corneliam (de qua ibi is loquitur) in Latina consuetudine nullum est. V. *Duck. de Lat. JCt.* 47.

PULSĀTOR, oris, m. *κρουστής*, qui pulsat. *Val. Fl.* 5, 694. citharae pulsator Apollo. ℙ [Est etiam idem ac litigator. *Cass. Var.* 1, 18. Quod si ante designatum tempus rem videtur ingressus praesumptor barbarus, quoniam praescriptio probatur obviare tricennii, petitionem jubemus quiescere pulsatoris.

PULSĀTUS, a, um, part. a *pulso: κεκρουσμένος*, ictus, verberatus. *Cic. Coel.* 8. Fore testem senatorem, qui se pulsatum a Coelio diceret. *Virg. A.* 6, 608. Hic quibus invisi fratres, dum vita manebat, Pulsatusque parens. *Lucr.* 4, 586. tibia digitis pulsata canentum. *Ov. Pont.* 3, 1, 1. Aequor Iasonio pulsatum remige. *Id. Trist.* 3, 2, 23. nostri toties pulsata repulceri Janua. *Id. Met.* 6, 218. campus Assiduis pulsatus equis. *Sen. Troad.* 135. bis pulsata Dardana Grajo moenia ferro, *h. e.* oppugnata, et capta. *Virg. A.* 3, 555. Saxa pulsata fluctu; et *ib.* 5, 149. vocemque inclusa volutant Litora: pulsati colles clamore resultant. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 184. adventu Veneris pulsata recedunt Nubila, *h. e.* repulsa. *Plin.* 19, 8, 46. Seritur apium, semine paulum in pila pulsato, *h. e.* pinsito. ℙ Translate. *Virg. A.* 12, 285. fugit ipse Latinus Pulsatos referens infecto foedere Divos, *h. e.* laesos, violatos fractis foederibus. *Petr. Sat.* 123. pulsata tumultu Pectora, *h. e.* curarum mole agitata.

PULSIM, adv. pellendo, ut *cursim* currendo. Videtur agnosci a *Nigidio* ap. *Non.* 2, 281.

PULSIO, onis, f. actus pellendi, impulsio. *Arnob.* 4, 129. [Partibus si Pellonia utrisque favorem ac suffragium commodarit, nominis sui vim perdet, quod partis unius in pulsione formatum est. Alii minus recte leg. *ex impulsione. F.*]

PULSO, as, avi, atum, a. 1. *τύπτω, κρούω*: frequent. a *pello:* et proprie significat saepe pellere, impellere, protrudere, agitare, quatere. *Virg. G.* 4, 313. de apib.: ut aestivis effusus nubibus imber, Erupere, aut ut nervo pulsante sagittae. *Hor. Sat.* 2, 6, 30. tu pulses omne, quod obstat. *Val. Fl.* 3, 93. Notus pulsat nubem. *Fest.* in *Matronae:* Matronae a magistratibus non summovebantur, ne pulsari, contrectarive viderentur, neve gravidae concuteren-

tur. ℙ Quia vero ictu et verbere id maxime fit, ponitur saepius pro percutere, verberare, caedere. *Cic. N. D.* 1, 41. Nec video quomodo non vereatur iste Deus beatus, ne intereat, cum sine ulla intermissione pulsetur, agiteturque incursione atomorum sempiterna. *Id. Verr.* 2, 5, 54. *med.* Sex lictores eum circumsistunt valentissimi, et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi; et *ib.* 2, 3, 26. *f.* Videtis pendere alios ex arbore, pulsari alios, et verberari. (V. VERBERO.) *Juven.* 3, 289. Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum. *Claud. Laud. Stil.* 1, 238. acie pulsare rebelles. *Petr. Sat.* 95. Os hominis palma excussissima pulsat. *Quint.* 5, 10. *f.* Pulsare ostiatim. *Pl. Bacch.* 4, 1, 7. ostium. *Ov. Met.* 5, 448. fores. *Id. ib* 6, 692 terram grandine. *Id. A. Am.* 1, 112. et *Fast.* 6, 330. ter humum pede. *Hor. Od.* 1, 37, 1. pede libero tellurem; et *Claud. Laud. Stil.* 2, 381. prata pulsare choreis. *Virg. A.* 12, 706. pulsabant ariete muros; et *ib.* 10, 216. curru Phoebe medium pulsabat Olympum; et *ib.* 4, 249. montis caput vento pulsatur et imbri. *Sil.* 17, 136. equus elatis pulsans calcibus auras. *Claud. B. Get.* 352. Pulsare equum, *h. e.* calcaribus et verbere agitare. *Ov. Met.* 11, 529. pulsant acres latera *(navis)* ardua fluctus. *Id. Am.* 3, 10, 31. pulsant arva ligones. *Val. Fl.* 1, 139. pulsatque chelyn post pocula Chiron. *Virg. A.* 6, 647. chordas digitis et pectine eburno. *Id. ib.* 9, 415. longis singultibus ilia pulsat; et *Val. Fl.* 4, 149. vasto qui vertice nubila pulsat: ὑπερβολὴ de procero homine, quam de Cyclope usurpat etiam *Virg. A.* 3, 619. Similis est illa *Silii* 5, 394. clamor vario discrimine vocum Fert belli rabiem ad Superos, et sidera pulsat. Sic *Virg. A.* 5, 451. It clamor coelo. *Claud. B. Get.* 625. Ululatus pulsat aures. ℙ Translate a prima significatione est vexare, perturbare, agitare. *Pl. Ep.* 4, 1, 3. Multa in unum locum confluunt, quae meum pectus pulsant. *Ov. Met.* 12, 228. quae te vecordia, Theseus, Euryte, pulsat, ait, qui me vivente lacessas Pirithoum? *Virg. G.* 3, 105. exsultantiaque haurit Corda pavor pulsans. *Val. Fl.* 3, 390. varia meritos formidine pulsant. *Sen. Ag.* 134. Invidia pulsat pectus. ℙ Pertinet interdum ad judicia, et accusare, aut convenire significat. *Ulp. Dig.* 11, 1, 11. *med.* Qui interrogatus responderit, sic tenetur, quasi ex contractu ejus obligatus, pro quo pulsabatur. *Id. ib.* 5, 1, 2. *med.* Non imponitur necessitas aliis pulsantibus respondere. *Claud. B. Gild.* 170. pulsari crimine falso. ℙ Incusandi vim quandam habent et illa *Statii Silv.* 5, 5, 77. nonne horridus ipsos Invidia Superos, injustaque Tartara pulsem? *Sen. Herc. Oet.* 1671. Superos, et ipsum vocibus pulsans Jovem. *Stat. Th.* 8, 249. et *Claud. in Eutrop. prol.* 2, 51. astra pulsare querelis. ℙ *Pulsare rumoribus urbes* ap. *Petr. fragm.* p. 679. *Burm.* est implere, agitare, et turbare quodammodo: quo sensu *quatere rumoribus* dixit *Val. Fl.* 5, 274. et motis linguis quatere, *Id.* 2, 122. de Fama loquens. ℙ Est etiam propulsare, depellere. *Claud. VI. cons. Honor.* 465. et nostra pericula tendit Posthabitis pulsare suis. ℙ Item movere, impellere. *Cic. Div.* 2, 58. Utrum censemus dormientium animos per se ipsos in somniando moveri, an externa et adventicia visione pulsari? *Papin. Dig.* 34, 1, 8. *extr.* Pulsare verecundiam. ℙ Item pinsere. V. PULSATUS.

PULSŬOSUS, a, um, adj. qui per pulsus fit, ut Pulsuosus dolor, *Coel. Aurel. Acut.* 2, 14.

PULSUS, a, um, part. a *pello: ὠθούμενος, κρουσθείς*, agitatus, impulsus, ictus. *Cic. Or.* 3, 57. Corpus hominis, et ejus omnis vultus, omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae. *Ov. Met.* 10, 205. Lyra pulsa manu. *Tibull.* 1, 1, 46. Martia cui somnos classica pulsa fugent, *h. e.* inflata, (classica enim sunt turbae, cornua, litui.) Catachresis. *Id.* 2, 5, 33. At qua Velabri regio patet, ire solebat Exiguus pulsa per vada linter aqua, *h. e.* remis agitata et impulsa. *Enn.* ap. *Gell.* 2, 26. Caeruleum spumat mare conferta rate pulsum. *Petr. Sat.* 123. velut ex alto cum magnus inhorruit Auster, Et pulsas evertit aquas. ℙ Translate. *Ov. Am.* 3, 1, 23. Tempus erat thyrso pulsum graviore moveri. ℙ Est etiam ictus, verberatus. *Prop.* 4, 9, 15. Maenalio jacuit pulsus tria tempora ramo Cacus. ℙ Item loco motus, expulsus. *Caes. B. G.* 1, 7. Consul occisus, exercitusque ejus ab Helvetiis pulsus, et sub jugum missus; et *B. C.* 3, 79. Pulsum fugere Caesarem, paene omnibus copiis amissis; et *B. G.* 3, 28. Maximas nationes, quae proelio contendissent, pulsas superatasque esse. *Vell.* 2, 26. Pulsus a Sulla acie. ℙ Item expulsus, ejectus. *Prop.* 3, 14, 9. Peccaram semel: et totum sum pulsus in annum. *Petr. Sat.* 122. Pulsus ab urbe mea. *Hor. Sat.* 1, 6, 13. Tarquinius pulsus regno. *Vell.* 1, 3. Achaei ex Laconia pulsi. *Virg. A.* 10, 852. Pulsus ob invidiam solio septrisque paternis. *Lucan.* 2, 601. Taurus pulsus armentis. *Stat. Th.* 5, 1. Pulsa sitis fluvio. *Prop.* 3, 11, 49. Auro pulsa fides. *Ov. Met.* 7, 290. Pulsa fugit macies; et *ib.* 6, 375. Pulsus pudor. *Virg. A.* 6, 382. corde dolor. ℙ De eo, qui repulsam tulit. *Petr. Sat.* 119. Non homo pulsus erat, sed in uno victa potestas. Loquitur de M. Porcio Catone, qui cum aliquando praeturam consequi a populo non potuisset, Si vere, inquit *Val. Max.* 7, 5. *f.* aestimare volumus, non Catoni tunc praetura, sed praeturae Cato negatus.

PULSUS, us, m. *ὠθισμὸς, κρούσεις*, actus pellendi, motus, agitatio, impulsio, ictus. *Cic. Tusc.* 1, 23. Inanimum est omne, quod pulsu agitatur externo. *Id. Div.* 2, 61. Sive externus et adventicius pulsus animos dormientium commovet, sive per se ipsi animi moventur. *Gell.* 9, 13. Animus quatitur et afficitur motibus pulsibusque (*cum legitur*). Rursus *Cic. Or.* 1, 33. *f.* Impetus pulsusque remorum. *Sil.* 14, 487. Ipse adeo senis ductor Rhoeteius ibat Pulsibus, *h. e.* hexeri ferebatur, quae sex remorum ordines habet. Sic *Lucan.* 3, 535. praetoria puppis Verberibus senis agitur. *Virg. A.* 12, 445. pulsuque pedum tremit excita tellus. *Ammian.* 23, 1. *f.* Constantinopolis terrae pulsu vibrata. ℙ Motus et impulsio arteriarum, *σφυγμὸς, σφύξις*. *Plin.* 11, 37, 88. Arteriarum pulsus in cacumine maxime membrorum evidens, index fere membrorum, stabilis, aut citatus, aut tardus, observatione crebri aut languidi ictus gubernacula vitae temperat. *Id.* 29, 1, 5. Herophilus in musicos pedes venarum pulsu descripto per aetatum gradus, etc. *Appul. Flor. n.* 22. Medicus juxtim consedit, manum hominis prehendit, eam pertractat, venarum pulsum et momenta captat. ℙ *Pulsus lyrae*, pulsatio. *Ov. Fast.* 5, 667. ad Mercurium: Laete lyrae pulsu, nitida quoque laete palaestra.

PULTĀRĬUS, ii, m. olla, vas, in quo puls coquitur, vel infertur, figura inversi infundibuli, *h. e.* lato ventre, ore angusto. *Plin.* 7, 53, 54. Calidam potionem in pultario poposcit. *Petr. fragm. Trag.* 42. *Burm.* Cum mulsi pultarium obduxi, etc. Hinc patet usus *pultarii* etiam ad bibendum: in tenuioribus tamen et servis: quem confirmat *Mart.* 13, 8. cui lemma *Far.* Imbue plebejas Clusinis pultibus ollas, Ut satur in vacuis dulcia musta bibas. Scilicet in vase, in quo puls cocta fuisset, dulcis potio mulsi, aut musti jucundior habebatur. Alium praeterea usum *pultarii* habemus ex *Celso* 2, 11. de cucurbitulis: Si cetera defecerunt, caliculus quoque, aut pultarius, oris compressioris, ei rei commode aptatur. *Pall.* 7, 7. de castrandis alvear: Fumus admovetur ex arido fimo bubulo, quem in pultario factis carbonibus convenit excitare: quod vas ita figuratum sit, ut velut inversi infundibuli angusto ore fumum possit emittere. *Colum* 9, 15. hoc vas *ollam* vocat, describitque his verbis: Idque vas ansatum simile angustae ollae figuratur, ita ut altera pars sit acutior, per quam modico foramine fumus emanet: altera latior, per quam possit afflari. Est ergo *pultarius* hic *Palladii* similis ei, in quo puls coquitur, sed qua parte latior est, fundum non habet. ℙ De ollis, in quibus uvae conduntur, et servantur. *Colum.* 12, 43. *med.* Sed uvae dependentes a matre sic in pultarios condi debebunt, ne quae partes vasa contingant: *vasa fictilia* dixerat paulo supra. Haec autem oris angusti esse non possunt, si uvas a vite pendentes excepturae sunt.

PULTĀTĬO, onis, f. idem ac pulsatio. *Pl. Truc.* 2, 2, 3. Quid tibi ad hasce accessio est aedes, aut pultatio?

PULTĬCŬLĂ, ae, f. *πολτάριον*, dimin. pultis. *Cels.* 2, 30. Pulticula vel ex alica, vel ex panico, vel ex milio; itemque ex iisdem sorbitio, et magis, si haec ante fricta sunt, alvum adstringunt. *Colum.* 8, 11. *med.* Pulli pavonini alantur ex quolibet frumento cocta pulticula. *Plin.* 26, 8, 37. Radix cum pulticula coquitur ad alvum solvendam. *Arnob.* 7, 242. de sacris Gentilium: Nam pulticulae, tura cum carnibus rapacium alimenta sunt ignium, *h. e.* molae salsae.

PULTĬFĬCUS, a, um, adj. ut Pultificum far, *h. e.* ex quo fit puls. *Auson. Idyll.* 12. de cibis: V. PULS.

PULTIPHĂGŌNĬDES, ae, m. idem ac pultiphagus. *Pl. Poen. prol.* 53. Carchedonius vocatur haec comoedia; Latine Plautus, Patruus pultiphagonides, *h. e.* Patruus Poenus: quasi multa pulte educatus. Nam Poenos pultiphagos fuisse, inde colligimus, quod genus quoddam fuit pultis, quae *Punica* dicebatur, de qua V. in PULS. ℙ Est vox hybrida, et scribitur etiam sine aspiratione. V. v. sq.

PULTIPHĂGUS, a, um, adj. qui pulte vescitur: vox hybrida, ex Latino *puls*, et Graeco *φαγεῖν*, vesci. *Pl. Most.* 3, 2, 143. Pultiphagus opifex, *h. e.* Poenus aliquis faber, ut putat *Scal.* in *Conjectan.* ad *Varr. R. R.* 3, 7. Nam multa fabricae ligneae opera ab his nominata, ut Punicanae fenestrae, ap. *Varr. ib.* lecti Punicani, ap. *Plin.* 33, 11, 51. et *Cic. Mur.* 36. plostellum Poenicum, ap. *Varr. R. R.* 1, 52. Punicana coagmenta, ap. *Cat. R. R.* 28. *f.* ℙ Scribitur et *pultifagus*.

PULTO, as, a. idem quod *pulso*. Olim in usu frequenti fuit, ut *Quint.* indicat 1, 4., paulatim haesit apud comicos, et praecipue cum de pulsando ostio sermo est. *Pl. Mil.* 2, 2, 47. Pectus digitis pultat. *Ter. Heaut.* 2, 3, 34. Ubi ventum ad aedes est, Dromo pultat fores. *Id. Ad.* 4, 5, 3. Quis ostium hoc pultavit? *Pl. As.* 2, 3, 2. I puere, pulta, atque atriensem, si est intus, evocato huc. *Id. Men.* 1, 2, 65. Placide pulta. *Pe.* metuis, credo, ne fores Samiae sient. *Id. Most.* 2, 1, 56. Neu quisquam responset, quando hasce aedes pultabit senex. *Id. ib.* 2, 23. Pultando pedibus paene confregi hasce ambas: sc. fores. *Id. Poen.* 3, 4, 30. Pultabo janu am hanc.

PULVER, ĕris, m. idem ac pulvis. *Appul. Herb.* 35. Herbae pulver in vino exhibitus. Adde *Theod. Prisc.* 1, 30. et 2, 32. teste *Reinesio*. Agnoscitur etiam a *Prisc.* 6, 707.

PULVĔRĀRĬUS, a, um, adj. ad pulverem pertinens, pulverulentus. Hinc Vicus pulverarius in *Inscr.* ap. *Grut.* 250., qui fuit Romae in regione prima. *F.*]

PULVĔRĀTĬCA, ae, f. et Pulveraticum, i, n. donativum, quod pro opere datur, quasi pro pulvere ac labore: et videtur significare illud, quod donatur alicui non mercedis, sed corollarii loco. Vox est cadentis Latinitatis, qua primum merces significata est, quae agrimensoribus pro pulvere et labore: mox quae servis militiae sese offerentibus; tandem etiam quae judicibus pro corollario dabatur. Progressu vero temporis factum etiam vulgare *pulveragium*, quod pro quovis tributo usurpatum est. V. *Ducang. Gloss. med. et inf. Latin.*; unde fortasse est Italorum *beveraggio*. V. PULVIS. *Constitut. Impp. Theodos. et Valentin.* ap. *Auct. de re agr.* p. 343. *Goes.* Praecipimus agrimensoribus, ut pro laborum vicissitudine geometricae artis, a fundo cui, etc. tres aureos accipiant absque tua pulveratica. *Imppp. Arcad., Honor. et Theodos. Cod. Theod.* 7, 13, 16. Servos etiam exhortamur, ut cum primum se bellicis sudoribus offerant, praemium libertatis, si apti ad militiam arma susceperint, pulveratici etiam nomine binos solidos accepturi, etc. *Cassiod. Var.* 12, 15. *f.* Pulveratica quoque judicis funditus amputantes.

PULVĔRĀTĬO, onis, f. fossura terrae circa vineas, cum uva maturescere incipit. Tunc enim sereno coelo, et sicco sole, ante meridiem, priusquam calere incipiat, et cum desierit, post meridiem terra foditur, et pulvis excitatur: ea res et a sole, et a nebula maxime uvam defendit, inquit *Colum. Arb.* 12., qui rursus 4, 28. Pubescentem *(uvam)* et quasi adolescentem convenit religare, foliisque omnibus nudare, tum et crebris fossionibus implere: nam fit uberior pulverationibus. *Id.* 11, 2. *med.* Frigidioribus regionibus pulverationem faciunt, quam vocant rustici occationem, cum omnis gleba in vineis refringitur, et resolvitur in pulverem. *Serv.* ad illud *Virg. G.* 2, 418. Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus: Genus, inquit, ipsum culturae pulveratio vocatur, quo imminutae glebae vitibus applicantur. V. PULVERO.

PULVĔRĔUS, a, um, adj. *κονιοάλεος, κόνιος*, ad pulverem pertinens. *Virg. A.* 8, 593. oculisque sequuntur Pulveream nubem, *h. e.* pulverem in modum nubis excitatum ab agmine. *Ov. Med. fac.* 61. Pulverea farina. *Claud. B. Get.* 458. Pulvereus turbo. *Plin.* 37, 10, 61. Indica gemma candida, pulvereo aspectu. ℙ Item pulverem excitans. *Val. Fl.* 4, 607. ludo volitans sum turma superbo Pulvereis exsultat equis. *Ov. Met.* 6, 705. de Borea: Pulvereamque trahens per summa cacumina pallam, Verrit humum. ℙ Item pulverulentus, pulvere plenus. *Ov. Met.* 7, 113. Pulvereumque solum pede pulsavere bisulco. *Stat. Th.* 6, 7. Pulvereumque fera crinem detersit oliva. *Id. Th.* 11, 403. Pulvereum aequor, *h. e.* campus ubi pugnatur; et *ib.* 6, 493. Pulvereus Circus. *Pacat. Pan. Theodos.* 34. Ut erat ex longissimo itinere anhelus, atque pulvereus.

PULVĔRIZO, as, a. 1. in pulverem redigo. Unde part. *pulverizatus* ap. *Veg. Vet.* 1, 54. Turis pulverizati drachma. *F.*]

PULVĔRO, as, avi, atum, a. 1. *κονίζω*, in pulverem redigo. Verbum rusticum, quo significatur glebas circa vitem, cum sole siccae sunt, comminuere, et in pulverem resolvere, ipsas etiam uvas eo aspergendo. V. PULVERATIO. *Plin.* 17, 9, 5. Sunt qui pulvere quoque uvas ali judicent, pubescentesque pulverent: et vitium arborumque radicibus aspergant: quod certum est Narbonensi provinciae, et vindemias certius sic eo coqui, quia plus pulvis ibi, quam sol, confert. ℙ Universim glebas refringere circa radices arborum quocumque tempore, *pulverare* dicitur a *Pall.* Sic enim habet 4, 7. Hoc mense novella vinea incipit pulverari: quod nunc ac deinceps per omnes calendas usque ad Octobres faciendum est, non solum propter herbas, sed ne tenera adhuc semina solidata terra constringat. Adde 8, 1. ℙ Interdum est pulvere conspergere. *Plin.* 11, 33, 39. de pediculis: Hoc quidem et aves infestat: phasianas vero interimit, nisi pulverantes se. ℙ Item in pulverem redigere. *Calpurn. Ecl.* 5, 88. et fragiles nimius sol pulverat herbas, *h. e.* adeo siccat, ut tactae in pulverem abeant. ℙ Neutrorum more. *Pl. fragm.* ap. *Gell.* 18, 12. Exi tu, Dave: age, sparge, mundum esse hoc vestibulum volo. Venus ventura est nostra: non hoc pulveret. Ubi *Gell.* Plautus *pulveret* dicit, quod non pulvere impleat, sed ipsum pulveris plenum sit.

PULVĔRŬLENTUS, a, um, adj. *κονιοάλεος*, pulvere plenus. *Cic. Att.* 5, 14. Iter conficiebamus aestuosa, et pulverulenta via. *Virg. G.* 1, 66. Aestas pulverulenta. *Id. A.* 4, 154. agmina cervi Pulverulenta fuga glomerant. *Ov. Am.* 3, 6, 95. Aut lutulentus agis brumali tempore cursus, Aut premis aren-

tem pulverulentus humum; et *ib.* 1, 15, 4. Praemia militiae pulverulentà sequi, *h. e.* quae sine multo labore et pulvere non consequimur. *Prop.* 3, 12, 7. Pulverulentaque ad extremas stat femina metas, *h. e.* multo pulvere conspersa. *Lucr.* 5, 740. sequitur calor aridus, et comes una Pulverulenta Ceres, *h. e.* quae aestate pulverulenta provenit. ℙ Olim *polverulentus* scribebant.

PULVILLUS, i, m. dimin. pulvini. *Hor. Epod.* 8, 15. Quid, quod libelli Stoici inter sericos Jacere pulvillos amant? *h. e.* serico pannō obductos. *Appul. Met.* 10. Pulvillis compluribus ventose tumentibus terrestre nobis cubitum praesternunt. [*Front. ad Verum imp.* (ed. *A. Maio*) 1. *med.* Adeo ut equos pulvillis instratos animadverteret. ℙ Est etiam cogn. R., ut M. Horatius Pulvillus Cos. suffectus ann. U. C. CCXLV., cujus meminit *Liv.* 2, 8. et *Cic. Dom.* 54. *F.*]

PULVĪNAR et Polvinar, aris, n. *πρόσχφαλον, προσχεφάλαιον,* cervical plerumque pluma fartum, quo cubantium capita fulciuntur. *Petr. Sat.* 134. Obscuratum dextra caput super pulvinar inclinavi. Alii leg. *pulvinum.* Est autem sermo de lectulo in cella mulieris sacerdotis, h. e. ubi ea degit, et cubat. ℙ De lecto triclinari. *Appul. Met.* 7. In summo pulvinari locatus, coena poculisque magnis inauguratur. *Sen. Ira* 3, 37. *f.* Irasci coepisti convivatori, etc. Demens, quid interest, quam lecti premas partem? honestiorem te, aut turpiorem potest facere pulvinar? Alii leg. *pulvinus.* ℙ De eo, quod sedendi causa substernitur. *Ov. A. Am.* 1, 159. fuit utile multis Pulvinar facili composuisse manu. Alii leg. *pulvinum.* ℙ Est enim discrimen, quia *pulvinar* est, quod dormituri capiti supponimus: *pulvinus*, quo in sedendo utimur. V. tamen PULVĪNUS. Praeterea *pulvinus* privatorum est: *pulvinar* augustius, et Deorum, aut imperatorum R. qui vel Dii haberi volebant, vel habebantur. Significat autem non cervical tantummodo, sed per synecdochen ipsum lectum. Ad Deos quod attinet. *Catull.* 64, 47. Polvinar vero Divae geniale locatur Sedibus in mediis, Indo quod dente politum, etc. *h. e.* nuptialis lectus Thetidis. Notat superbiam Domitiani *Suet.* 13. quod in edicto de reducenda post divortium uxore his usus sit verbis, *revocatam* eam *in pulvinar suum*, Deum scilicet se haberi volens: quod et aliis rebus affectavit. ℙ Erant *pulvinaria* in templis lectuli pluma, aut tomento farti, qui Diis sternebantur, decreta supplicatione, iisque simulacra imponebantur, cibis appositis. V. LECTISTERNIUM. Quidam volunt fuisse tabulata, in quibus signa Deorum stabant: eaque in lectisterniis ornata fuisse lectulis et pulvinis, quae iisdem signis jacentibus supponebantur. *Cic. Phil.* 2, 43. Quem Caesar majorem honorem consecutus erat, quam ut haberet pulvinar, simulacrum, fastigium, flaminem? *Ov. Met.* 24, 827. de Romulo Deo facto: Pulcra subit facies, et pulvinaribus altis Dignior, et qualis trabeati forma Quirini. *Cic. Dom.* 53. Licinia virgo Vestalis aram, et aediculam, et pulvinar sub sacro saxo dedicavit. *Id. Cat.* 3, 10. Ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est. *Liv.* 30, 21. Decretum, ut quinque dies circa omnia pulvinaria supplicaretur. *Tac. A.* 14, 12. Decernuntur supplicationes apud omnia pulvinaria. *Cass. Hemina* ap. *Plin.* 32, 2, 10. Ut convivia publica et privata, coenaeque ad pulvinaria facilius compararentur. *Hor. Od.* 1, 37, 3. Saliaribus dapibus Ornare pulvinar Deorum. ℙ *Pulvinar suscipere*, ap. *Liv.* 5, 52. V. SUSCIPIO. ℙ In Circo *pulvinar* erat locus, in quo stratis pulvinaribus Deorum simulacra, quibus ludi sacri erant, collocabantur: qui locus quia omnium erat honoratissimus, ex eo imperatores aliquando spectare solebant. *Morcellius* tamen *de Stil. Inscr.* T. 1. p. 139. ed. *Pat.* rectius putat, *pulvinar* fuisse in Circo maenianum, unde Augustus, et tota Caesarum domus ludos spectabant; dictumque pulvinar, quod Augusti, tanquam numinis, sedes esset, vel quia ipsa Augusti sedes pulvinaris formam imitaretur. *Inscr.* ex *Odericio* ab *eod.* allata *ib.* D. M. S. Ti. Claudio Sabino sodales aerarii a pulvinari B. M. F. *h. e.* aereorum operum artifices, quorum officinae, fortasse etiam collegii schola, maenianum Augusti quam proxime spectabant, sive in Circo ipso, sive extra eundem; nam et utrobique tabernae erant, et utrinque maenianum ipsum exstabat ac prominebat ingenti mole. *Festus* in *Tensam:* Tensam ait vocari Capito vehiculum, quo exuviae Deorum ludicris Circensibus in Circum ad pulvinar vehuntur. *Suet. Aug.* 45. Ipse Circenses ex amicorum fere coenaculis spectabat: interdum e pulvinari, et quidem cum conjuge et liberis sedens. *Augustus* ap. *eund. Cal.* 4. Spectare eum *(Caligulam)* Circenses e pulvinari, non placet nobis. ℙ Hinc etiam de lecto conjugali imperatorum R. *Ov. Pont.* 2, 2, 71. de Livia ux. Aug.: Incolumis conjux sua pulvinaria servat. *Juven.* 6, 131. de Messalina ux. Claud.: lupanaris tulit ad pulvinar odorem. *Sen. Consol. ad Polyb.* 35. *f.* Potest haec *(fortuna)* adversus privatas domos ullam aequitatem nosse, cujus implacabilis saevitia toties ipsa funestavit pulvinaria? *h. e.* domos Caesarum. ℙ *Scal.* in *Conjectan.* ad *Varr. L. L.* 4, 35., ubi docet pulvinar dictum a plumis, vel a pellulis; putat legendum a *polulis:* polulas fuisse pilas ex aluta, molli tomento fartas, quibus datatim ludebant in foro: unde *polire*, pila ludere, ut *Paul.* ex *Festo* tradit. His quoque se tuentur, qui *polvinar* scribi malunt.

PULVĪNĀRIS, e, adj. ad pulvinum pertinens. *Petr. fragm. Trag.* 37. *Burm.* de Fortunata ux. Trimalchion.: Est tamen malae linguae, pica pulvinaris: quem amat, amat, etc., *h. e.* garrula instar picae, quae ubi in pulvino consedit, tolutiloquentia sua enecat auscultantes. Ita locum interpretatur *Fr. Oriolius* in *Opusc. lett. di Bologna* T. 1. p. 61. [*Emendavit h. l. *F.*]

PULVĪNĀRIUM, ii, n. idem ac pulvinar. *Liv.* 21, 62. Et corvum in aedem Junonis devolasse, atque in ipso pulvinario consedisse. *Pl. Cas.* 3, 2, 27. Ibo intro, ut subducam navim rursum in pulvinarium, *h. e.* uxorem meam, quae instar navis instructa et parata est, ut prodeat, in conclave et thalamum reducam.

PULVĪNĀRĬUS, a, um, adj. pulvinaris. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 1056. macellum pingue pulvinarium, *h. e.* copia victimarum, quae mactantur ad pulvinar et aras Deorum. At fortasse rectius quis putet, hic *pulvinarium* esse gen. plur. a *pulvinar.*

PULVĪNĀTUS, a, um, adj. ad instar pulvini convexus, et mollis. *Plin.* 15, 22, 24. de nucib. juglandib.: Honor his naturae peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinati primum calycis mox lignei putaminis. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 7. Clivosa altiores poscunt scrobes, praeterea pulvinatis a devexitate labris, *h. e.* accumulata terra in modum pulvini, qua parte vergit in devexitatem clivus. *Id.* 13, 4, 7. de semine palmae: Praeterea caesum a dorso pulvinata fissura. ℙ *Capitula* columnarum *pulvinata* ap. *Vitr.* 1, 2. *med.* et 3, 3. *med.* sunt quae in modum pulvini turgent, ut in Ionicis ea pars, quae est inter echinum et abacum, unde voluta pendet. Eodem modo intelligendae videntur *pulvinatae columnae* ap. *eund.* 4, 1. *extr.* h. e. pulvinatum capitulum habentes.

PULVĪNENSIS, e, adj. a *pulvinar.* Bellona Pulvinensis, quae memoratur in *Inscr.* ap. *Grut.* 313, 1., *Fabr.* p. 498. *n.* 14. et 540. et *Don.* p. 135. *tab.* 8., sic dicta est, quia in illo ejus templo, de quo ibi agitur, pulvinar erat: neque enim in omnibus templis, ut *Serv.* docet ad *Virg. G.* 3, 533., sed in plerisque pulvinar ponebatur.

PULVĪNŬLUS, i, m. dimin. pulvini. *Colum. Arb.* 10. *med.* Quaecumque arbores in clivis erunt positae, ita ablaqueandae sunt, ut a superiore parte secundum codicem lacusculi fiant; ab inferiore autem pulvinuli altiores excitentur, quo plus aquae limique contineant.

PULVĪNUS, i, m. lectulus brevis pluma vel tomento, aliave re molli fartus, quem sedendi, aut quocumque modo fulciendi corporis causa supponimus. Quomodo a *pulvinari* differat, ibi dictum est. *Pl. Stich.* 1, 2, 37. *An.* Non sedeo istic: vos sedete: ego sedero in subsellio. *Pi.* mane pulvinum. *An.* bene procuras mihi: satis sic fultum est mihi. *Cic. Or.* 1, 7. Tum Crassum, immo vero commodius etiam, pulvinosque poposcisse, et omnes in iis sedibus, quae erant sub platano, consedisse. *Id. Verr.* 2, 5, 11. Lectica octophoro ferebatur, in qua pulvinus erat perlucidus Melitensi rosa fartus. *Sen. Consol. ad Marc.* 16. Equestri insidens statuae Cloelia exprobrat juvenibus nostris pulvinum escendentibus, in ea illos sic urbe ingredi, etc. *h. e.* lecticam, in qua pulvinus. *Cic. Fam.* 9, 18. *extr.* Sella tibi erit in ludo, tanquam hypodidascalo, proxima: eam pulvinus sequetur, *h. e.* honoris causa, et, ut mollius sedeas, sellae addetur pulvinus. *Nep. Pel.* 3. Quae *(epistola)* cum jam accubanti in convivio esset data, sicut erat signata, sub pulvinum subjiciens, etc. *Mart.* 3, 82. Effultus ostro sericisque pulvinis. *Juven.* 3, 154. exeat, inquit, Si pudor est, et de pulvino surgat equestri, *h. e.* de gradibus pulvino stratis, et equestri ordini in theatro assignatis. *Suet. Tib.* 73. et *Cal.* 12. Pulvinum alicui injicere: sc. suffocandi causa. ℙ Dicitur etiam de pulvinari, *h. e.* cervicali, quod capiti dormientes supponimus. *Sall. Jug.* 74. Dormiente illo, epistolam, super caput in pulvino temere positam, perlegit. Adde *Cels.* 3, 18., *Plin.* 26, 11, 69. et 28, 19, 79., *Catull.* 6, 9. et *Curt.* 3, 6. ℙ A similitudine *pulvinus* dicitur ab agricolis parvus terrae elatae tumulus, in modum dorsi convexus utrinque, ut aqua facile defluat: cujusmodi sunt in agris lirae inter sulcos, aut scrobes, et in hortis areolae, seu pars areolae elatior et tumentior. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 4. Male pastinatum deprehendunt scamna inaequalia. Metienda est et ea pars, quae interjacet, pulvini. *Id.* 19, 4, 20. Terram areis distinguere, easque resupinis pulvinorum toris. *Id.* 22, 22, 34. Herba crepidines marginum, assurgentiumque pulvinorum toros vestiens. *Varr. R. R.* 1, 35. Violaria in fundo facere non est utile, ideo quod necesse est terra adruenda pulvinos fieri, quos irrigationes et pluviae abluunt, et agrum faciunt macriorem. *Pall.* 3, 23. *f.* Terra fossa et subacta, excitatis ad lineam pulvinis. *Colum.* 11, 3. *med.* Spicae ulpici liratim seri debent, ut in pulvinis positae minus infestentur hiemis aquis. ℙ Ap. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* sic dicitur locus ex terra arte devexus in villa, sedendi causa. Ejus verba sunt: Ante porticum xystus concisus in plurimas species, distinctusque buxo; demissus inde, pronusque pulvinus, cui bestiarum effigies invicem adversas buxus inscripsit. ℙ *Colum.* 5, 6. *med.* de horreo: Pavimenta testacea supersternuntur, et magna vi paviculis inculcantur atque expoliuntur: omnesque parietum et soli juncturae testaceis pulvinis fibulantur, *h. e.* toris, seu prominentiis instar pulvini tumentibus, in longitudinem productis, qua imus paries pavimento jungitur; is enim locus rimas agere solet, et muribus viam ac latebras praebere. ℙ A nautis (inquit *Serv.* ad illud *A.* 10, 302. sed non puppis tua, Tarchon. Namque inflicta vadis dorso dum pendet iniquo, etc.) pulvinus vocatur durior arena *(eminens instar pulvini in hortis)*, quae remeantibus fluctibus, et euntibus plerumque densatur, et in modum saxi indurescit. ℙ *Vitr.* 5, 12. vocat *pulvinum* congestum arenae, vel caementi, in morem pulvini excitatum, super quem pila struitur in mare praecipitanda. V. integr. loc. *Id.* 10, 15. de catapulta: Supra minorem columnam chelonium, sive pulvinus, etc. V. CHELONIUM.

PULVIS, olim Polvis, eris, m. saepius quam f. *κόνις,* terra minuta et arida. *Plin.* 31, 4, 28. Quaedam terrae imbribus sicciores fiunt, velut in Narniensi agro, quod in Admirandis suis inseruit M. Cicero, siccitate lutum fieri prodens, imbre pulverem. *Cic. Inv.* 1, 30. Si multus erat in calceis pulvis, ex itinere eum venire oportebat. *Ov. Trist.* 1, 5, 47. Tot mala sum passus, quot in aethere sidera lucent, Parvaque quot siccus corpora pulvis habet. *Prop.* 2, 10, 35. qui nunc jacet horrida pulvis. *(Charis.* 1, 69. leg. *arida.)* *Enn.* ap. *Non.* 3, 157. Jamque fere polvis fulva volat. *Id. ib* polvis vasta. *Virg. A.* 11, 909. fumantes pulvere campos Prospexit longe, Laurentiaque agmina vidit; et *ib.* 877. Volvitur ad muros caligine turbidus atra Pulvis. *Lucr.* 5, 252. terra perusta Solibus assiduis, multa pulsata pedum vi, Pulveris exhalat nebulam, nubesque volantes. *Virg. A.* 12, 444. tum caeco pulvere campus Miscetur; et *ib.* 9, 33. subitam nigro glomerari pulvere nubem Prospiciunt. *Phaedr.* 4, 24. Juvenes sparsi pulvere, Sudore multo diffluentes corpora. *Ov. Trist.* 1, 3, 94. pulvere turpi Foedati crines. *Id. Fast.* 4, 238. Longaque in immundo pulvere tracta coma est. *Colum.* 11, 2. *med.* Glebas in pulverem resolvere. *Id. Arb.* 12. Pulverem excitare. *Quint.* 5, 10. *med.* movere. *Phaedr.* 2, 5. sedare, *scil.* humum conspergendo. *Ov. A. Am.* 1, 150. excutere. *Hor. Od.* 1, 1, 4. colligere, *h. e.* contrahere, conspergi. ℙ Per synecdochen est campus, in quo exercitatio, labor, aut pugna fit, acies, arena. *Cic. Leg.* 3, 6. *f.* Doctrinam ex umbraculis eruditorum, otioque non modo in solem atque pulverem, sed in ipsum discrimen aciemque produxit. *Virg. A.* 7, 163. Exercentur equis, domitantque in pulvere currus. *Mart.* 12, 83. Colliget, et referet lapsum de pulvere follem. *Val. Fl.* 1, 451. Canthus, in Aeaco volvet quem barbara cuspis Pulvere. *Id.* 7, 645. qualis Getico de pulvere Mavors Intrat equis, uritque gravem sudoribus Istrum. *Quint.* 10, 1. *med.* Nec versicolorem illam vestem bene ad forensem pulverem facere. ℙ Item labor, difficultas, negotium: unde *sine pulvere*, sine labore, *ἀπονεί.* *Hor. Ep.* 1, 51. Cui sit conditio dulcis sine pulvere palmae. V. ACONITI. ℙ *In suo pulvere*, in sua arte, in exercitatione rei, in qua quis peritus est. *Ov. Fast.* 2, 359. Adde peregrinae causam, mea Musa, Latinam: Inque suo noster pulvere currat equus. ℙ *Sulcos in pulvere ducere*, proverb. oleum et operam perdere. *Juven.* 7, 48. ℙ Metonymice est serenitas. *Virg. G.* 1, 101. hiberno laetissima pulvere farra. ℙ Quem *eruditum pulverem* nominat *Cic. N. D.* 2, 18., mathematicorum studium intelligit: quod mathematici in pulvere formas suas describere solebant, ut si quid esset emendandum, delere possent, et rursus inscribere: et notum est illud Archimedis, quem intentum formis, quas in pulvere descripserat, ab ignaro milite, quis esset, interfectum, in direptione Syracusarum, narrat *Liv.* 25, 31. Adde *Cic. Tusc.* 5, 23. Huc pertinet illud *Pers.* 1, 131. Nec qui abaco numeros, et secto in pulvere metas Scit risisse vafer; et *Rhemn. Fann. de ponderib. et mensur.* 53. Nam quae dimidium superat, pars esse negatur, Ut docuit tenui scribens in pulvere Musa; et *Appul. Apol.* Abaco et pulvisculo se dare. Adde *Sil.* 14, 677. et *Claud. Cons. Mall. Theod.* 126. ℙ De solo, et terra universim. *Prop.* 1, 22, 6. Sis mihi praecipue pulvis Etrusca dolor. Tu projecta mei perpessa es membra propinqui, etc. ℙ De terra figulari. *Mart.* 14, 102. Accipe non vili calices de pulvere natos; et *ib.* 114. Cumano rubicundam pulvere testam. ℙ De metallica. *Pers.* 2, 66. stringere venas Ferventis massae crudo de pulvere jussit. ℙ ℙ De farina aliarum rerum. *Ov. Trist.* 3, 3, 69. Atque ea cum foliis, et amomi pulvere misce. *Id. A. Am.* 3, 628. Carbonis pulvere quippiam tangere- ℙ *Pulvis* in genitivo pro *pulveris* antiquum est. *Catull.* 61, 206. Ille pulvis Erythrii Subducat numerum prius. Est qui malit *pulveris aetherii*: alii *pulveris Africi.* ℙ *Pulvis coctus* ap. *Stat. Silv.* 4, 3, 53. est idem ac Puteolanus, q. v. v. ℙ Caret plurali num., ut *Diomed.* 1, 314. et alii notant. *Gell.* ta-

men 19, 8. *med.* docet, *pulvis*, et *ventus*, et *fumus* non semper *ἐνικῶς* dici; et *Plin.* 11, 24, 28. de araneorum telis: Age, firmitas: quando rumpentibus ventis? qua pulverum mole degravante? ℙ Vi caesurae secunda syllaba producitur in illo *Virg. A.* 1, 482. et versa pulvis inscribitur hasta. V. SANGUIS.

PULVISCULUS, i, m. dimin. pulveris, *κονίσαλος*, pulvis minutissimus, ut Auratilis pulvisculus, *Solin.* 15. *f.* *Appul. Met.* 9. Pugiles, qui pulvisculo perspersi dimicant. *Id. Apol.* Si abaco, et pulvisculo te dedisses. V. PULVIS. Rursus *Id. ib. in carm.* Misi, ut petisti, mundicinas dentium, Nitelas oris ex Arabicis frugibus, Tenuem, candificum, nobilem pulvisculum. ℙ *Cum pulvisculo* dicimus, quoties omnia sic tolluntur, ut nihil sit reliqui, ne pulvis quidem. *Pl. Rud.* 3, 6, 7. Converret jam hic me totum cum pulvisculo. *Id. Truc. prol.* 19. Quo citius rem ab eo auferat cum pulvisculo. ℙ In neutro genere. *Vigilantius* ap. *Hieron. adv. Vigil. n.* 4. Pulvisculum nescio quod.

PŪMEX, icis, m. *perraro* f. *κλασηρις*, genus lapidis cavernosi, friabilis, in mari crescentis, et aquis innatantis: cujus usus praecipuus levigandae cuti, et membranis librorum. Laudatissimus in Melo, Nisyro, et Aeoliis insulis. Probatio in candore, minimoque pondere, et ut quam maxime spongiosus, aridusque sit, ac teri facilis, nec arenosus in fricando. Haec *Plin.* 36, 21, 62., ubi adjicit etiam quasdam ejus vires in medicina. *Pl. Aul.* 2, 4, 18. Pumex non aeque est aridus, atque hic est senex. *Auct. Priap.* 33. Uvis aridior puella passis, etc. Quae succo caret, ut putrisque pumex. Alii leg. *atque putris pumex. Scal. atque petra pumex. Catull.* 1, 1. Quoi dono lepidum novum libellum, Arida modo pumice expolitum? et 22, 6. chartae regiae, novi libri, Novi umbilici, lora rubra, membrana Directa plumbo, et pumice omnia aequata. *Mart.* 8, 72. liber aspero Morsu pumicis aridi politus. *Ov. Trist.* 1, 1, 11. Nec fragili geminae poliantur pumice frontes. Hinc translate *Prop.* 3, 1, 8. Exactus tenui pumice versus eat, *h. e.* summa cura politus et limatus. ℙ Solent etiam viva saxa cavernulis plena, et pumicem imitantia, hoc nomine appellari. *Ov. Met.* 8, 561. de antro et sede Acheloi: Pumice multicavo, nec levibus atria tophis Structa subit. *Albin.* 1, 252. de tecto Tiberis: Structaque pendenti pumice tecta subit. (Adde *Virg. G.* 4, 374.) *Ov. Met.* 3, 159. de antro nemorali: nam pumice vivo, Et levibus tophis nativum duxerat arcum. Sic *Fast.* 2, 315. Antra subit, tophis, laqueataqae pumice vivo; et *ib.* 4, 495. Est specus exesi structura pumicis asper. *Virg. G.* 4, 43. de apib.: penitusque repertae Pumicibusque cavis, exesaeque arboris antro. *Id. A.* 5, 213. Qualis spelunca subito commota columba, Cui domus, et dulces latebroso in pumice nidi. *Hor. Od.* 1, 11, 5. Quae (*hiems*) nunc oppositis debilitat pumicibus mare, *h. e.* scopulis et rupibus salo exesis. ℙ Cutem pumice deglabrare, et levigare, mollium et effeminatorum erat. *Ov. A. Am.* 1, 506. Nec tua mordaci pumice lumbum. Adde 9, 95. et *Mart.* 14, 205. Cur vero Catinensem pumicem nominet *Juven.* V. in CATINENSIS. ℙ *Aquam a pumice postulare*, proverb. ab eo quid petere, qui omnino caret, ap. *Pl. Pers.* 1, 1, 42. Nam tu aquam a pumice nunc postulas, qui ipsus sitiat. ℙ Feminino genere extulit *Catull. l. sup. c.*, non tam quod ita ferret usus, quam quia male sonabat *arido modo*, etc. Similia exempla congessit *Gell.* 13, 20. ex *Virg. A.* 2, 554. Haec finis Priami fatorum; et *ib.* 1, 245. quem das finem, rex magne, laborum? Ex *Ennio*, rectosque cupressos; et, aere fulva, etc.

*PUMICĀTOR, oris, m. *ομήκτης* *Gloss. Cyr. B. A.*

PŪMICĀTUS, a, um, part. a *pumico: κατακισσηρίζόμενος*, pumice expolitus, levigatus. *Mart.* 5, 11. et pumicata pauperes manu monstras. *Id.* 1, 67. Sed pumicata fronte si quis est nondum, Nec umbilicis cultus, atque membrana. *Plin. ep.* 2, 11. *f.* Qui titulus a vita hominis compti semper et pumicati non abhorrebat, *h. e.* delicati, mollis, effeminati, hujusmodi enim cutem pumice polibant. *Sidon. ep.* 8, 3. *f.* Satrapae myrrhati, pumicati, malobathrati; et *ep.* 1, 7. *med.* Paulo ante detonsus, pumicatusque,

PŪMĬCĔUS, a, um, adj. *κισσηρώδης*, qui est ex pumice. *Pl. Ps.* 1, 1, 73. Quin fles? *Ps.* pumiceos oculos habeo: non queo lacrymam exorare ut exspuant unam modo. *Stat. Silv.* 3, 1, 144. Ipsae pumiceis virides Nereides antris Exsiliunt ultro. *Sil.* 7, 418. medio surgunt qua regna profundo, Pumiceaeque procul sedes. *Mart.* 4, 57. Et quae pumiceis fontibus antra calent, *h. e.* pumice manantibus. *Ov. Fast.* 6, 318. Et quae pumiceas versat asella molas. V. PUMEX.

PŪMĬCO, as, a. 1. *καταικισσηρίζω*, pumice polio, levigo. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 202. Rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor. *Catull.* 39, 19. Dentem atque russam pumicare gingivam. Ita *Appul. Apol.* Alii *defricare.*

PŪMĬCOSUS, a, um, adj. *κισσηρώδης*, pumicis naturam, vel similitudinem habens, rarus, fistulosus. *Plin.* 17, 5, 3. Vitia terrae aridae, fistulosae, scabrae, canescentis, exesae, et pumicosae. *Id.* 36, 19, 34. Lapis pumicosus. *Id.* 32, 8, 27. Halcyoneum pumicosius, spongiaeque putri simile. Adde *Vitr.* 2, 3. *f.*

PŪMĬLĬO, onis, m. *νάνος*, nanus, homo staturae perquam brevis. Videtur esse corruptum a *πυγμαλίων*, (quod idem significat, a *πυγμή*, mensura a cubito ad pugnum) ut *Alumento* a *Laomedonte*, et *Catamitus* a *Ganymedes*, etc. V. CATAMITUS. *Lucr.* 4, 1155. de puella: Parvula, pumilio, *χαριτων ἔα*, tota merum sal. *Sen. ep.* 76. *f.* Non est magnus pumilio, licet in monte constiterit. *Mart.* 14, 213. cui lemma *Parma.* Haec quae saepe solet vinci, quae vincere raro, Parma tibi, scutum pumilionis erit. ℙ *Plin.* 10, 56, 77. et *Colum.* 8, 2. *f.* etiam de gallinis usurpant. Quin pumilionum genus in omnibus animalibus est, atque etiam inter volucres, ut ait *Id. Plin.* 11, 49, 108. etiam in plantis, justo humilioribus in suo genere, pumiliones esse. *Id.* 12, 2, 6. et 17, 22, 35. *n.* 11. satis ostendit. Hae Graecis adverbio *χαμαὶ* apposito propriis nominibus designantur, ut *χαμαιπλάτανος*, *χαμαιπεύκη*, etc.

PŪMĬLIS. V. PUMILUS.

PŪMĬLĬUS. V. PUMILUS.

PŪMĬLO, onis, m. idem ac pumilio. *Stat. Silv.* 1, 6, 57. Hic audax subit ordo pumilonum, Quos natura, brevi statu peracto, Nodosum semel in globum ligavit.

PŪMĬLUS, i, m. idem ac pumilio. *Stat. Silv.* 1, 6, 64. Casuraeque vagis grues rapinis Mirantur pumilos ferociores; (nota hic primam syllabam corripi, quam in *Pumilo* produxit.) *Suet. Aug.* 83. Nam pumilos, et distortos, et omnes generis ejusdem, ut ludibria naturae, malique ominis abhorrebat. Est qui legit *pumilios.* ℙ In *Gloss. Philox.* est, Pumilis, *νάνος*. ℙ Comp. *Pumilior* ap. *Appul. Met.* 5. Maritum sortita sum cucurbita glabriorem, et quovis puero pumiliorem.

PŪMŪLA, ae, f. genus vitis, in agro Amiternino praecipue nascentis. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 7.

PUNCTA, ae, f. ictus, qui punctim infertur. V. CAESA. ℙ In aquaeductibus quid sit, V. PUNCTUM.

PUNCTĀRĬŌLAS, leves pugnas appellat Cato in ea, quam dixit de re Histriae militari. *Festus.*

PUNCTĀRĬUS. V. PONTARIUS.

PUNCTĀTIM, adv. per puncta, concise, breviter, ut Punctatim sub mentis oculos redigere, *Claud. Mamert. Stat. anim.* 3, 14.

PUNCTILLUM, i, n. dimin. puncti. *Solin.* 15. *f.* Cyaneus e Scythia est optimus, si caerulo coruscabit: cujus gnari in marem et feminam genus dividunt. Feminis nitor purus est: mares punctillis ad gratiam interlucentibus auratilis pulvisculus variat. Adde *Not. Tir.* p. 131.

PUNCTIM, adv. per punctiones, infixionesque gladii, sive pungendo, ut *caesim*, caedendo. *Liv.* 22, 46. Hispano punctim magis, quam caesim, assueto petere hostem. *Pacat. Pan. Theod.* 36. Miles urgere eminus cominus, gladiis hastis punctim caesim ferire. *Veg. Mil.* 1, 12. Praeterea non caesim, sed punctim ferire discebant. V. CAESIM.

PUNCTĬO, onis, f. *οὐξις*, actus pungendi. *Plin.* 34, 15, 44. Contra dolores laterum pectorumque subitos, qui punctionem afferant. *Id.* 25, 13, 94. Bibitur et contra serpentes, et ante sectiones, punctionesque, ne sentiantur. *Cels.* 8, 9. *f.* Punctiones in eo sentiuntur, quia necesse est ea fragmenta spinosa esse.

PUNCTISTĬTĬUM, ii, n. V. PUNCTUM.

PUNCTĬUNCŪLA, ae, f. levis punctio. *Sen. V. B.* 15. *med.* Ad voluptatum dolorumque punctiunculas concitari. *Id. ep.* 53. *med.* Articuli punctiunculas sentiunt.

[PUNCTORĬUM, ii, n. *ἔμβολον*, instrumentum ad pungendum, paxillus, quo solum perforatur. *Gargil. de re hortensi* (ed. *A. A. Scottio*) 4, 5. Moris est (*plantam persici*) fimo oblitam, et inferioribus foliis deputatam subacto solo, et praecedente punctorio, sicuti olera, demergere. *F.*]

PUNCTŪLUM, i, n. punctiuncula. *Appul. Met.* 6. Psychen innoxio punctulo suae sagittae suscitat. ℙ De brevi punctiuncula mentulae Cupidinis, quam Psyche in concubitu experta praegnans facta fuerat. *Id. ib.* 5. Miratur de brevi punctulo tantum incrementulum locupletis uteri.

PUNCTUM, i, n. [*foramen exiguum, quod pungendo factum est.] *Mart.* 11, 45. Punctaque, lasciva quae terebrantur acu. Hinc *puncta* in aquaeductuum fistulis erant exigui moduli, per quos aqua in privatos usus, sive ex concessione principis, sive aquariorum fraude, et lucri causa, erogabatur. *Front. Aquaed.* 25. Quinque antiqui moduli exiles, et veluti puncta, quibus olim aqua, cum exigua esset, dividebatur, etc. et *ib.* 115. Etiam ille aquariorum tollendus est reditus, quem vocant puncta (male quidam leg. *punctam*). Longa ac diversa sunt spatia, per quae fistulae tota meant Urbe, latentes sub silice. Has comperi per eum, qui appellabatur a punctis, passim convulneratas omnibus in transitu praebuisse peculiaribus fistulis aquam: quo efficiebatur, ut exiguus modus ad usus publicos perveniret. Haec *Frontinus.* ℙ In illo *Sidon. carm.* 2, 251. et majoris luminis usum Perspicua in puteis compensant puncta profundis: *puncta* sunt oculi exigui introrsus in cavis, quasi puteis profundis, reconditi. ℙ [*Hinc est] *νύγμα*, *στιγμή*, punctio, et acumen ipsum tenue, quo fit. *Plin.* 8, 50, 76. Oculos suffusos capra junci puncto sanguine exonerat, caper rubi. *Hard.* mallet *punctu:* a *punctus*, *us:* ut 29, 6, 38. Mustelae etiam oculis punctu erutis ajunt visum reverti. Ad utramque positionem pertinere potest illud *Phaedr.* 5, 3. punctum volucris parvulae Voluisti morte ulcisci; et *Plin.* 11, 28, 34. Quibusdam aculei hebetes, neque ad punctum, sed ad suctum, ut muscarum generi. ℙ Ad *punctum* neutr. gen. certius reducuntur sequentia. *Plin.* 28, 13, 56. Fimum acus aereae punctis tolli jubent. *Id.* 30, 15, 47. Sanies punctis emissa e cerebro viperae. *Id.* 11, 21, 24. Ter novenis crabronum punctis interfici hominem. ℙ Item punctionis signum. *Id.* 10, 52, 74. Ovorum alia sunt candida, alia pallida, alia punctis distincta. *Id.* 37, 8, 34. Gemma sanguineis punctis. *Plin. alter Pan.* 35. Exsanguem illam et ferream frontem convulnerandam praebeant punctis, *h. e.* notis servilibus. ℙ *Punctum* est etiam nota distinctionis inter litteras et verba. *Auson. epigr.* 35, 1. Lucius una quidem, geminis sed dissita punctis Littera: praenomen sic nota sola facit: [*scil.* ·L·; ita enim veteres Latinos scribere solitos fuisse litteras singularias, quae praenominis loco erant, apparet ex palimpsestis, in quibus *A. Maius* in *praef.* ad *Cic. de rep.* p. 36., itemque ad *ejusd. fragm. or.* p. 40, *ed. 2.ae*, affirmat, se invenisse scriptum ·A· pro *Aulus*, ·L· pro *Lucius*, ·M· pro *Marcus*, ·P· pro *Publius* etc., atque adeo ita ubique ille idem edidit. ℙ Item nota, qua cola et commata in scribendo, legendoque distinguebantur. *Diomed.* 2, 432. Distinctio quidem est apposito puncto nota finiti sensus, vel pendentis mora, quod locis ponitur tribus: summo, cum sensum terminat, et vocatur finalis: medio, cum respirandi spatium legenti dat, et dicitur media: imo, cum lectionis interruptum tenorem aliud adhuc illatura suspendit, et vocatur subdistinctio. Adde *Donat.* 1, 1742. Hinc patet, veteres Latinos usos fuisse puncto ad summam litteram posito, ut illud significarent, quod nunc Itali *punto;* ad mediam, ut illud, quod nunc *virgola;* ad imam, ut illud, quod nunc *due punti* vel *punto e virgola* vocant. *F.*] ℙ Item nota minuta instar puncti, qua utebantur notarii ad scribendi celeritatem. *Auson. epigr.* 146, 4. Cui multa fandi copia punctis peracta singulis. V. NOTARIUS, ii. ℙ Item signum in magnitudine individuum, vel minima et individua lineae pars, nullam neque longitudinem habens, neque latitudinem, neque profunditatem, *στιγμή*. *Cic. Acad.* 4, 36. *med.* Illa initia mathematicorum: punctum esse, quod magnitudinem nullam habeat. ℙ Commoda hyperbole est in his. *Cic. Somn. Scip.* 3. *extr.* Ipsa terra ita mihi parva visa est, ut me imperii nostri, quo quasi punctum ejus attingimus, poeniteret. *Manil.* 4, 924. Sic adamas, punctum lapidis, pretiosior auro est. *Sen. Q. N. prooem.* 1. *med.* Punctum est, istud, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna disponitis. ℙ Metaphorice, breve et acutum dictum. *Cic. Par. prooem.* Minutis interrogatiunculis, et quasi punctis, quod proposuit, efficit. *Id. Or.* 2, 41. *extr.* Puncta argumentorum plerumque ut occulas, ne quis ea numerare possit, ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur. *Auson. Idyll. prooem.* 12. *in.* Monosyllaba sunt quasi puncta sermonum. ℙ *Punctum* in trutina, seu statera, signum unciarum, aut librarum. *Pers.* 5, 100. Diluis helleborum, certo compescere puncto Nescius examen: vetat hoc natura mendendi. ℙ Saepe transfertur ad tempus, et partem illius minimam, momentumque significat, *ἀκαρὴς χρόνος*. *Cic. Sext.* 24. Illo ipso die: die, dico? immo hora, atque etiam puncto temporis eodem. *Id. N. D.* 1, 24. Omnibus minimis temporum punctis; et *ib.* 20. Nullo puncto temporis intermisso. *Id. Tusc.* 1, 34. Animi discessus a corpore fit ad punctum temporis; et *Cat.* 4, 4. Eos punctum temporis frui vita non putat oportere. *Caes. B. C.* 2, 14. *med.* Ita multorum mensium labor puncto temporis interiit; et *ib.* 25. *extr.* Temporis puncto omnes Uticam relinquunt. *Ter. Ph.* 1, 4, 7. Temporis mihi punctum ad hanc rem est. *Cic. Phil.* 8, 7. Ne punctum quidem temporis oppugnatio respiravit. *Lucr.* 4, 200. haec (*lux et vapor*) puncto cernuntur lapsa diei Per totum coeli spatium diffundere sese. *Hor. Ep.* 2, 2, 172. tanquam Sit proprium quicquam, puncto quod mobilis horae Permutet dominos. ℙ Et absolute *Appul. Met.* 2. Minus morigeros in saxa, in pecua puncto reformat; et *ib.* 9. Puncto brevissimo dilapsae domus fortunam miseratus. *Arnob.* 5, 164. In puncti spatio poma extulit mitia. [Alii leg. *in punctistitio*, atque ita edidit *Orell. F.*] ℙ Brevius est, quam momentum. *Plin. Pan.* 56. Quod momentum, quod immo temporis punctum aut beneficio sterile, aut vacuum laude? *Appul. Met.* 10. Momento modico, immo puncto exiguo pater repente factus est. ℙ *Puncto tempore* pro *puncto temporis* est *Lucr.* variis in locis, ut 2, 263. patefactis tempore puncto Carceribus; et *ib.* 455. Omnia postremo, quae puncto tempore cernis Diffugere, ut fumum, nebulas, etc. *Id.* 4, 214. Jamne vides igitur, quam puncto tempore imago Aetheris ex oris ad terrarum accidat oras? Et addita praeposit. *Id.*

6, 228. de fulmine: transit per saxa, per aera, Et liquidum puncto facit aes in tempore, et aurum. ℙ In comitiis creandorum magistratuum distribuebantur laturis suffragium tabellae ceratae, inscripta habentes nomina candidatorum per singularias litteras expressa, ex. gr. M. T. C. *h. e.* Marcus Tullius Cicero, ut patet ex *Cic. Dom.* 43. Diribitores, quot quisque suffragia tulisset, puncto apposito notabant, ut constat etiam ex *Festo* in *Suffragatores:* Hinc puncta accipiuntur pro suffragiis, quia illis haec indicabantur. *Cic. Planc.* 22. Nonnullas tribus punctis paene totidem tulerunt; et *paulo post:* Questus es, plures te testes habere de Voltinia, quam quot in ea tribu puncta tuleris. *Id. Mur.* 34. *f.* Recordor, quantum hae quaestiones punctorum nobis detraxerint. Adde *Tusc.* 2, 26. Ita *Sidon. carm.* 2, 19. te castra tubis, te curia plausu, Te punctis scripsere tribus; et *Hor. Ep.* 2, 2, 99. Discedo Alcaeus puncto illius. *Id. A. P.* 343. Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci, *h. e.* probatur ab omnibus. *Auson. Grat. act. ad Grat.* 5. Consul ego munere tuo, non passus septa, neque campum, non suffragia, non puncta, non loculos. ℙ In ludo talorum, vel tesserarum *punctum* significat numeri unitatem. *Mart.* 14, 17. Hic mihi bis seno numeratur tessera puncto. ℙ Item ipsum jactum. *Suet. Ner.* 30. Quadringenis in punctum HS. aleam lusit, *h. e.* in singulos jactus, [*nos: *den Point zu* 400 *Sestertien.*] Sic *Auson. Profess.* 1, 29. Narrantem fido per singula puncta recursu, Quae data, per longas quae revocata moras.

PUNCTŪRA, ae, f. στίξις, punctio. *Veg. Mil.* 2, 5. Puncturis in cute punctis milites scripti. Alii rectius leg. *victuris.* V. STIGMA. *Firm. Math.* 8, 21. *med.* Viri punctura teli morientur.

PUNCTUS, a, um, part. a *pungo:* στιχθείς, στικτός. *Cic. Mil.* 24. Vulnus, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari. *Petr. Sat.* 103. Stigmate puncti. Alii leg. *puniti.* ℙ *Puncto tempore*, V. in PUNCTUM.

PUNCTUS, i, m. idem quod punctum. *Plin.* 2, 68, 68. Hae tot portiones terrae, immo vero mundi punctus: neque enim est aliud terra in universo. Etiam *Isid. Or.* 3, 12. *f.* hoc genere usurpat.

PUNCTUS, us, m. στίξις, punctio, punctura. *Plin.* 29, 6, 38. Mustelae oculis punctu erutis. *Appul. Met.* 7. Spinae acerrimae, et punctu venenato virosae. *Scrib. Comp.* 206. *f.* et 208. et 209. Punctus nervorum, qui periculosissimi sunt, quos νύγματα Graeci dicunt. V. PUNCTUM.

PUNGENS, entis, part. a *pungo:* στίζων, qui pungit. *Plin.* 8, 57, 82. Mures herinaceorum genere, pungentibus pilis. *Id.* 16, 24, 38. Pungentia folia pino, piceae, abieti.

PUNGO, is, pŭpŭgi, punctum, a. 3. στίζω, νύσσω, cuspide, vel aculeo ictum infero. *Cic. Sext.* 10. Qui per se pungere neminem potuissent. *Petr. Sat.* 21. Acu comatoria mihi malas pungebat. ℙ Item mordeo. *Varr.* ap. *Prisc.* 10, 894. Ei admovent, ut pungat, colubram: cum pupugerit, etc. ℙ Item penetro, intro. *Lucr.* 2, 459. Pungere uti possint corpus, penetrareque saxa. V. integr. loc. ℙ Item vellico. *Id.* 4, 626. At contra pungunt sensum, lacerantque coorta. *Petr. Sat.* 87. *f.* Pungere me manu coepit. *Plin.* 31, 10, 46. *n.* 4. Nitrum deprehenditur gustu: sincerum enim facile resolvitur: adulteratum pungit. ℙ Translate est stimulare, aegritudine afficere, laedere, cruciare. *Cic. Rosc. Am.* 2. Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulat ac pungit, ut evellatis, postulat. *Id. Att.* 2, 16. Epistola illa ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit: sed id cogitatione magis, quam molestia. *Pl. Trin.* 4, 2, 158. Jamdudum meum ille pectus pungit aculeus, quid illi negotii fuerit ande aedes meas. *Cic. Fam.* 7, 15. Moleste ferebam antea, te invitum istic esse: pungit me rursum, quod scribis, esse te istic libenter. *Id. Tusc.* 3, 34. Si paupertas momordit, si ignominia pupugit. *Prop.* 3, 6, 27. Odi ego, quos nunquam pungunt suspiria, somnos. *Appul. Met.* 10. Suspicio non exilis fratrum pupugit animos. ℙ Secundam in praeterito syllabam licenter produxit *Prud. περὶ στεφ.* 9, 59. Major tortor erat, qui summa pupugerat, infans, Quam qui profunda perforarat viscera. ℙ *Pepugi* pro *pupugi*, ut *memordi* pro *momordi*, antiquum est. *Atta* ap. *Gell.* 7, 9. Sed si pepugero, metuet. ℙ *Diomed.* 1, 369. etiam *punxi* in praeterito agnoscit, [atque etiam *pupungi* in *Not. Tir.* p. 131. Pungit, punxit, pupungit. *F.*]

PUNICANS, antis, adj. idem ac puniceus. *Appul. Met.* 3. *in.* Commodum punicantibus phaleris Aurora roseum quatiens lacertum coelum inequitabat. *Id. ib.* 1. Faciem punicantem prae pudore obtexit; et *ib.* 4. Floris inodori porrectos calyculos modice punicantes.

PUNĪCĀNUS, a, um, adj. ad Poenos pertinens, Punicus. *Cic. Mur.* 36. (et *Val. Max.* 7, 5. *n.* 1.) Stravit pelliculis haedinis lectulos Punicanos, *h. e.* ligneos, et artificio Poenorum factos, ut *Sen. ep.* 95. *f.* docet. *Varr. R. R.* 3, 7. Punicana fenestra. V. COCHLEA et FENESTRA *Isid. Or.* 20, 11. Punicani lecti, parvi et humiles, Carthagine advecti, et inde nominati. V. dicta in PULTIPHAGUS.

PUNĪCE, adv. lingua aut more Punico. *Pl. Poen.* 5, 2, 22. Adibo hosce, atque appellabo Punice; et *ib.* 23. Punice loqui; et *ib.* 40. salutare.

PUNĪCĔUS, a, um, adj. Puniceus color est, qui ad purpureum proxime accedit, nempe rubens, rubicundus, sed dilutus. Differt tamen, quia purpureus proprie est magis rutilus, et splendens, et nigro propior. Lege quae dicemus in PURPURA. *Pl. Men.* 5, 5, 19. Purpureum panem, an puniceum soleam tent praebere colores, Africa puniceum, purpureumque Tyros. *Ov. Fast.* 5, 318. Puniceus crocus. *Virg. A.* 5, 269. Puniceis ibant evincti tempora taenIs, *h. e.* vittis roseis, ut *Servius* exponit. Sic *Ecl.* 5, 17. Aurora rubebit. *Lucan.* 1, 214. Puniceus Rubicon: scil. de glarearum puniceo colore originem nominis mutuatus, ut ait *Sidon. ep.* 1, 5. ℙ Confunditur tamen cum purpureo. *Ov. Met.* 2, 607. Candida puniceo perfudit membra cruore. Sic *Virg. A.* 9, 349. Purpuream vomit ille animam, *h. e.* sanguinem. *Pl. Rud.* 4, 3, 61. Tu nisi caves, fiet tibi puniceum corium, postea atrum denuo, *h. e.* flagris cruentum. ℙ Scribitur et *poeniceus.* V. PHOENICEUS. ℙ *Puniceus* pro *Punicus* per epenthesin, ut *Colchiacus* pro *Colchicus*, *Ioniacus* pro *Ionicus*, *Oarion* pro *Orion*, etc. *Ov. Ib.* 283. de M. Regulo: Vel quae, qui redimi Romano turpe putavit, A duce Puniceo pertulit, ipse feras. Alii leg. *Poeniçio*, h. e. *Poenico:* alii *Cinyphio.*

*PUNICUM, i, n. sc. opp. vel castellum, in Hetruria fuit, uti discimus ex *Tab. Peut. B. A.*

PUNĪCUS, a, um, adj. Poenus, Carthaginiensis, Poenicus. *Virg. A.* 1, 342. Punica regna vides, Tyrios, et Agenoris urbem. *Plin.* 4, 22, 36. Punica lingua. *Cic. Verr.* 2, 4, 46. Inscriptum litteris Punicis. *Id. Tusc.* 3, 21. Punicum bellum. *Mart.* 6, 19. Et perjuria Punici furoris. *Sall. Jug.* 116. Bocchum magis Punica fide, quam ob quae praedicabat, simul Romanos et Numidam spe pacis attinuisse, *h. e.* sublesta, levi, insidiosa: in proverbium enim apud Romanos *perfidia Punica* abierat, quod saepius foedera et conventa tum publice tum privatim fregerant. *Liv.* 21, 4. *f.* 42, 47., *Flor.* 2, 2, 6. et 17. et *Val. Max.* 7, 4. *n.* 4. *extr.* Similis est Graeca fides. V. GRAECUS. Contraria Attica fides. V. ATTICUS. ℙ *Punica ars*, h. e. fraudum, doli, et insidiarum, quibus utebantur Poeni, praecipue in bello gerendo. *Liv.* 25, 39. In hujus silvae medio ferme spatio cohors Romana arte Punica abditur. ℙ *Punicum malum*, et *Punicum* absolute, granatum, ῥοὰ, οἰδη: [*Punica Granatum, *L.*] ita dictum quia in Africa ca circa Carthaginem plurimum proveniebat: vel quia corticem habet, florem, et grana intus colore puniceo: constat cortice, seu corio rubenti, cum ad maturitatem accedit: intus habet grana plurima suis vasculis inclusa, et succo vinoso referta. In novem genera distribuit *Plin.* 13, 19, 34., 15, 11, 11. et *ib.* 28, 34., 23, 6, 57., 58, 39. et al. ℙ *Punica malus*, quae hoc pomum fert. *Id.* 13, 22, 38. et 15, 11, 11. etc. *Colum.* 10, 243. Mox ubi sanguineis se floribus induit arbos Punica. ℙ *Punica cera*, candidissima aqua marina ter coquebatur, addito nitro, siccabaturque sole: eratque medicinis utilissima. V. *Plin.* 21, 14, 49. ℙ De pulte Punica V. PULS. ℙ Ulpicum quidam allium Punicum vocant, quia praecipue in Africa celebratum, Graeci ἀφροσκορδον, *h. e.* Africanum allium. *Colum.* 11, 3., *Plin.* 19, 6, 34. ℙ *Punicum lutum* ap. *Colum.* 9, 7. et 11, 3. *med.* quod *impensa Punica* dici videtur a *Pall.* 1, 13., genus luti imbrium patientissimi in Africa usitati, quo utebantur ad craticios parietes sub dio illinendos: quidquid operis luto cum paleis, frondibus, cannis etc. mixto, facere a Poenis didicerant Romani opifices, impensa Punica, vel Punicum lutum ideo appellabatur. Ejus rationem, tacito nomine, describit *Vitr.* 7, 3. *f.* ℙ *Punicus color* idem, qui puniceus. *Hor. Epod.* 9, 28. punico lugubre mutavit sagum. *Ov. Am.* 2, 6, 22. de psittaco: Tincta gerens rubro punica rostra croco. Adde *Prop.* 3, 2, 32. de columbis: ℙ *Punicum*, genus libi, translatum a Poenis. Id etiam appellabant *probum*, quia erat ceteris suavissimum. *Paul* ex *Festo:* Item vestis nomen, teste *eod.*, et fortasse tunicam intelligit: *tunicatus homo* ap. *Pl. Poen.* 5, 3, 2. est Carthaginiensis. V. etiam *ib.* 5, 2, 15. Sic *Ennius* probro Carthaginiensium tunicatam juventutem voluit dicere, inquit *Non.* 14, 1. ℙ *Punica, ae*, genus piscis marini. *Colum.* 8, 16. *med.* Arenosi gurgites melius pascunt punicasque et indigenas umbras. Alii rectius leg. *phycidasque, et iulidas, umbrasque.*

PUNĬO, is, ivi, et ii, itum, a. 4 κολάζω, poena afficio, plecto, castigo, mulco: ab antiquo *poenio. Cic. Off.* 1, 25. *f.* Prohibenda in puniendo maxime ira est; et *ib.* 24. Punire sontes. *Id. Caecin.* 2. maleficia. *Liv.* 3, 55. *f.* tergo et capite aliquem. *Cic. Dom.* 29. supplicio. *Appul. Met.* 5. Te vero tantum fuga mea punivero. *Id. Tusc.* 3, 27. Quid ille Terentianus ipse se puniens? V. HEAUTONTIMORUMENOS. *Quint. decl.* 270. *med.* Ipsa sua manu vitam misera punivit, *h. e.* sibi ademit. ℙ Est etiam ulcisci, vindicare. *Cic. Or.* 1, 51. Iracundia est cupiditas puniendi doloris. *Id. Har. resp.* 8. Meam domum senatus ex aerario aedificandam, a pontificibus liberandam, a magistratibus defendendam, a judicibus puniendam putavit. ℙ Passive, κολάζομαι, poenas luo, do, persolvo, vel dependo. *Ov. Met.* 9, 778. Quod videt haec lucem, quod non ego punior ipsa, Consilium monitumque tuum est, *h. e.* quod non privor vita. ℙ Est etiam verbum deponens, idem significans ac *punio. Cic. Mil.* 13. Cujus tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis meae postulare. *Id. Inv.* 2, 27. Peccatum, quod sponte sua reus punitus sit. *Id. Off.* 1. 25. *f.* Neque ad ejus qui punitur aliquem, sed, etc. Ita *Non.* 7, 27. [*Quem secutus est *Orell.*] Alii *punit;* et *Cic. Tusc.* 1, 44. Cum multi inimicos etiam mortuos puniantur. Ita *Non. ib.* Alii *poeniantur*, quod idem est. [**Orell.* leg. *poeniuntur*, locique sententiam hanc constituit: tum quum vides, ultionem multos exercere in inimicos etiam mortuos, tu id curare, aut reformidare noli, ne idem in te aliquando fortasse fiat: immo persuasum tibi sit, nil curandum esse post mortem.] *Appul. Met.* 8. Punita sum funestum praedonem. *Quint.* 9, 3. Fiunt figurae et in verbis, ut Fabricatus est gladium, et Inimicos punitus est. Quod minus mirum est, quod in natura verborum est et quae facimus, patiendi modo saepe dicere, ut arbitror, suspicor; et contra faciendi, quae patimur, ut vapulo. ℙ Pro ulcisci. *Cic. Phil.* 8, 2. Ut clarissimorum omnium crudelissimam puniretur necem.

PŪNĬOR, oris, adj. comparat., magis Poenus, h. e. magis peritus linguae Punicae. *Pl. Poen.* 5, 2, 30. *Mi.* Vin appellem hunc Punice? *Ag.* an tu scis? *Mi.* nullus me est hodie Poenus Punior. [Alii leg. *Poenior*, atque ita edidit *Bothe. F.*] ℙ *Punior* depon. pro *Punio* V. v. praec.

PŪNĪTĬO, onis, f. κόλασις, actus puniendi. *Val. Max.* 8, 1. *n.* 1. Ita forti punitione liberata fratris dextera, etc. V. alia in POENIO.

PŪNĪTOR, oris, m. qui punit, κολαστής. *Val. Max.* 6, 1. *n.* 8. Stuprosae mentis acer punitor exstitit. ℙ Item ultor. *Cic. Mil.* 13. *med.* Fuit ultor injuriae, punitor doloris sui. *Val. Max.* 3, 4. *n.* 5. Crassianae stragis punitor exstitit.

PŪNĪTUS, a, um, part. a *punio:* κολασθείς, poena affectus. *Cic. Inv.* 2, 28. Levius demonstrando reum punitum, quam sit ille promeritus. *Suet. Tib.* 61. *med.* Nemo punitorum non et in Gemonias abjectus.

PŪPA, ae, f. παιδιοκάριον, κοράσιον, κόρη, κορίδιον, puella. *Mart.* 4, 20. Dicit se vetulam, cum sit Caerellia pupa, Pupam se dicit Gellia, cum sit anus. *Auson. Idyll. de Bissula*, 7, 2, 2. Barbara, sed quae Latias vincit alumna pupas, Bissula nomen tenerae rusticulum puellae. ℙ Translate dixere *pupas* imagunculas quasdam puellares, ex linteo insutas, tomento infarctas, vestibus amictas, quibus virgines in prima pueritia lusitare solebant, quas pubertati vicinae tanquam virginitatis suae insignia Veneri offerebant, ut fauste futurum matrimonium cederet. *Varro* ap. *Non.* 2, 675. Magna pars in desiderium puparum, et sigillorum veniebat. *Pers.* 2, 70. Nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae. *Hieron. ep.* 128. *n.* 1. de infantula: Quod vernat in floribus, quod rutilat in gemmis, quod blanditur in pupis, acceptura festinet. ℙ Legitur et *puppa.*

PŪPILLA, ae, f. κόρη: dimin. pupae. *Hor. Sat.* 2, 3, 216. Pupam, aut pupillam appellet. Alii leg. *Rufam, aut pusillam.* [*Ita *Heindf.*, q. v.] Alii aliter. ℙ Plerumque significat filiam orbam parentibus, et sub tutore agentem. *Cic. Verr.* 2, 1, 50. Pupillos, et pupillas certissimam praedam esse praetoribus; et *ib.* 58. Iste infanti pupillae fortunas patrias ademit. ℙ Praeterea pupilla dicitur foramen unius ex tunicis, quae in oculis sunt, per quod species rerum ad visum transmittuntur, κόρη. *Cic. N. D.* 2, 57. Acies ipsa, qua cernimus, quae pupilla vocatur, ita parva est, ut, etc. *Lucr.* 4, 249. Et quasi perterget pupillas, atque ita transit. *Plin.* 11, 37, 55. Media eorum (*oculorum*) cornea fenestravit pupilla, cujus angustiae non sinunt vagari incertam aciem, et velut canali dirigunt, obiterque incidentia facile declinant, aliis nigri, aliis ravi, aliis glauci coloris orbibus circumdatis, etc. Adeoque iis absoluta vis speculi, ut tam parva illa pupilla totam imaginem reddat hominis. *Id.* 7, 2, 2. Esse familias in Triballis et Illyriis, qui visu quoque effascinent, interimantque quos diutius intueantur. Notabilius esse, quod pupillas binas in oculis singulis habeant; et *mox:* Feminas omnes ubique visu nocere, quae duplices pupillas habeant, Cicero quoque apud nos auctor est.

PUPILLĀRIS, e, adj. ὀρφανικὸς, ad pupillum, vel pupillam pertinens. *Liv.* 24, 18. *f.* Pecuniae quoque pupillares primo, deinde viduarum coeptae conferri. *Suet. Aug.* 66. *f.* Legata a quibuscumque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concedere, aut si pupillari aetate essent, die virilis togae, vel nuptiarum, cum incremento restituere consueverat. ℙ *Pupillaris substitutio* ap. *Justin. Instit. tit.* 2, 16. est, qua pater liberis suis impuberibus, quos in potestate habet, et pupillos post mortem suam relicturus est, alium heredem testamento substituit, si adhuc impuberes mortui fuerint. Et *pupillare testamentum* ap. *Ulp. Dig.* 28, 6, 2. quo ea substitutio fit: quae et *pupillares tabulae* dicuntur a *Paulo ib.* 36. *extr.* Et

substitutus pupillaris ap. *Ulp. ib. 8. med.* qui tali testamento pupillis substitutus est. ℙ [*Pupillares testiculi* ap. *Juven.* 11, 156. sunt, ut ait *Vet. Schol.* ad h. l., quales habent hi, qui patres non habent, scilicet tumentes in licentia pueritiae. Alii perperam leg. *pugillares*, h. e. qui pugnum seu manum impleant. V. PUGILLARES. *F.*]

PŪPILLĀRĬTER, adv. *Justin. Cod.* 6, 30, 20. Pupillariter substituere aliquem. V. v. praec.

[PŪPILLĀRĬUS, a, um, adj. idem ac pupillaris. *Vet. Schol.* ad *Pers.* 2, 19. Stajus tutor pupillarius fuit. *F.*]

[PŪPILLĀTUS, us, m. aetas pupillaris. V. *Inscr.* in MAMMA. *F.*]

PŪPILLO, as, n. 1. vocem pavonis exprimens verbum. *Auct. carm. Philom.* 26. Pupillat pavo, trinsat hirundo vaga.

PŪPILLUS, i, m. ὀρφανὸς, parvus puer, et speciatim impubes, qui desiit esse in patris potestate vel morte, vel emancipatione, ut *Pomp. Dig.* 50, 16, 239. definit. *Cic. Verr.* 2, 1, 50. Is mortuus est: reliquit pupillum parvum filium. *Id. Or.* 3, 41. Si vereare, ne paulo durior translatio esse videatur, mollienda est praepositio saepe verbo: ut si olim M. Catone mortuo, pupillum senatum quis relictum diceret, paulo durius; sin, ut ita dicam, pupillum, aliquanto mitius est. *Juven.* 6, 628. Vos ego, pupilli, moneo, quibus amplior est res, Custodite animas, et nulli credite mensae. ℙ [Est etiam cogn. R. V. *Inscr.* in MOENIENSES *f.* et in ORBILIUS. *F.*]

PUPINIENSIS, e, et

PUPINIUS, a, um, adj. ad Pupiniam pertinens, regionem VIII. millib. pass. dissitam ab urbe Roma. Ejus meminit *Val. Max.* 4, 4. *n.* 4. Pupiniae solum sterile, atque aestuosissimum; et *Liv.* 26, 9. *f.* Infra Tusculum Gabios dextrorsus descendit: inde in Pupiniam exercitu demisso, etc. Adde *Cic. Agr.* 2, 35. *Liv.* 9, 41. In agro Pupiniensi consedit. ℙ Hinc *Pupinia tribus. Festus:* Pupinia tribus ab agri nomine dicta, qui Pupinius appellatur circa Tusculum urbem. V. POPINIA. *Inscr.* ap. *Grut.* 388, 1. Cetacio Pup. Severiano, etc.; et 475, 5. Diis Manibus L. Titii L. F. Pupinia Macri, etc.

[PŪPĪNUS, a, um, adj. ad pupos pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 98, 3. L. Atilius Pupinus. *F.*]

*PUPĬUS, i, m. poeta tragoediographus, qui ita affectus spectantium movit, ut eos flere compelleret. *Hor. Ep.* 1, 67. Ut propius spectes lacrimosa poemata Pupi. ℙ Scribitur et *Puppius. B. A.*

PUPPIS, is, f. πρύμνη, pars navis posterior, altior, ornatior, et honoratior, ubi gubernaculum, et clavus. *Cic. Att.* 13, 21. Inhibitio remigum motum habet, et vehementiorem quidem remigationis, navem convertentis ad puppim. *Hor. Od.* 1, 14, 14. Nil pictis timidus navita puppibus Fidit. *Virg. A.* 3, 130. Prosequitur surgens a puppi ventus euntes. *Id. ib.* 4, 554. Aeneas celsa in puppi, jam certus eundi, Carpebat somnos. *Ov. Met.* 3, 651. e puppi pontum prospectat adunca. *Cic. Fam.* 9, 15. *med.* Sedebamus enim in puppi, et clavum tenebamus: nunc autem vix est in sentina locus. ℙ Per synecdochen saepe est ipsa navis, poetice tamen: nam prosa, ut ait *Quint.* 8, 6. *med.*, ut *mucronem* pro gladio, et *tectum* pro domo recipiet; ita non *puppim* pro navi, nec *abietem* pro tabellis. *Virg. A.* 1, 403. Haud aliter puppesque tuae, pubesque tuorum Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo. *Ov. Her.* 13, 97. Inter mille rates tua sit millesima puppis. ℙ In quarto, et frequentius in sexto casu, etiam in *e* desinit. *Lucan.* 3, 545. In puppem rediere rates. Ita legit *Prisc.* 7, 758., et reperitur in MSS. non uno: alii *puppim:* quod idem dicendum de alio loco ejusdem poetae 4, 132. parvam Texitur in puppem: quod *Prisc. ib.* 761. refert. *Puppe* habent *Ov.*, *Lucan.*, *Val. Fl.* aliquoties, *Claud.* saepe: item *Stat. Th.* 3, 29., *Sil.* 14, 525., *Juven.* 12, 79., *Pers.* 6, 30. ℙ [*Confund. *puppes* et *pubes.* V. h. v.]

PŪPŪLA, ae, f. κόρη, idem ac pupilla. *Cic. N. D.* 2, 57. Palpebrae aptissime factae et ad claudendas pupulas, et ad aperiendas. *Hor. Epod.* 5, 39. Interminato cum semel fixae cibo Intabuissent pupulae. *Varr.* ap. *Non.* 2, 790. Non umbrantur somno pupulae. *Ov. Am.* 1, 8, 15. de saga: oculis quoque pupula duplex Fulminat, et gemino lumen ab orbe venit. V. loc. *Plin.* in PUPILLA. ℙ Est etiam dimin. pupae, et puellam significat. *Inscr.* ap. *Grut.* 627, 9. A pupula annis viginti obtinui domum omnem. ℙ Interdum vox est blandientis. *Appul. Met.* 6. Sed adhuc istud, mea pupula, ministrare debebis. Hic Venus loquitur ironice ad Psychen.

PŪPŪLUS, i, m. dimin. pupi. *Catull.* 56, 5. Deprendi modo pupulum puellae Trusantem. ℙ De imaguncula. *Arnob.* 7, 215. Dii passerculos, pupulos, panes accipiunt, quibus avocare se possint. V. PUPA.

PŪPUS, i, m. παιδάριον, puer parvulus, et tenellus. *Varro* ap. *Non.* 2, 675. Ac mammam lactis sugentem pascere pupum. Ap. *Suet. Cal.* 13. *extr.* est vox et appellatio blandientis. V. PULLUS, i. ℙ Est etiam idem ac pupilla et pupula. *Paul. Nol. carm.* 20, 179. qui luminis intima servans Sub vitrea nigri latet albus imagine pupi.

PŪRĒ, adv. καθαρῶς, nullis admixtis sordibus, munde, nitide, puriter. *Pl. Aul.* 2, 3, 3. Pure eluere vasa. *Fest.:* Pure lautum antiqui dicebant aqua pura lavatum. *Cato R. R.* 66. Quam mundissime purissimeque fiat. *Hor. Od.* 1, 19, 5. Urit me Glycerae nitor, Splendentis Pario marmore purius, *h. e.* nitidius, clarius. ℙ Refertur ad abstinentiam a rebus Venereis. *Liv.* 27, 37. *med.* Pure et caste a matronis sacrificatum. *Plin.* 22, 10, 12. Radix caste pureque collecta discutit strumas. *Pl. As.* 4, 1, 61. Si forte pure velle habere dixerit, etc., *h. e.* sola cubare: quod fiebat a feminis in casto Isidis, per decem dies. V. *Propert.* 2, 24, *Tibull.* 1, 3. a *v.* 23., *Ov. Am.* 1, 8, 74. etc. ℙ Item ad mores universim. *Cic. Sen.* 5. Est etiam quiete, et pure, et eleganter actae aetatis placida ac lenis senectus. *Id. N. D.* 1, 2. Pure et caste Deos venerari. ℙ Item ad nitorem sermonis. *Cic. opt. gen. or.* 2. Pure et emendate loqui: quod est Latine. ℙ Est etiam clare, aperte. *Gell.* 9, 13. Cuimodi fuerit pugna decertatum, Q. Claudius primo annalium purissime atque illustrissime descripsit. *Id.* 2, 20. Scipio omnium aetatis suae purissime locutus. *Hor. Sat.* 1, 2, 100. Plurima quae invideant pure apparere tibi rem. ℙ Item sincere. *Id. Ep.* 1, 18, 102. Quid pure tranquillet, honos, an dulce lucellum. ℙ Item simpliciter, absolute. *Ulp. Dig.* 18, 2, 4. *med.* Cum igitur tunc recedatur ab emptione, ubi pure contrahitur; vel tunc non impleatur, ubi sub conditione fit, etc. *Papin. ib.* 8, 2, 35. Nec interest, pure utrisque, an sub conditione alteri aedes legatae sint. *Paul. ib.* 39, 2, 22. *f.* Si ab eo, quem dominum esse negarem, vellem sub exceptione satisdari: ab eo vero, quem dominum dicerem esse, pure repromitti. V. PURUS. ℙ *Purime* pro *purissime* V. s. l.

PŪRĒFĂCĬO, is, a. 3. *Non.* 2, 355. Februare positum pro purgare, purefacere.

PURGĂBĬLIS, e, adj. qui facile purgatur. *Plin.* 15, 23, 25. Rotundior *(castanea)*, quae balanitis vocatur, purgabilis maxime, et sponte prosiliens.

PURGĀMEN, inis, n. ουρφετὸς, purgamentum, sordes. *Ov. Fast.* 6, 227. Donec ab Iliaca placidus purgamina Vesta Detulerit flavis in mare Tibris aquis. Adde *ib.* 712., ubi designat diem: de quo *Festus:* Stercus ex aede Vestae XVII. cal. Julias defertur in angiportum medium fere clivi Capitolini, qui locus clauditur porta stercoraria. Hic dies notabatur in Fastis sic, Q. S. D. F., *h. e.* Quando stercus delatum, fas: ab eo appellatus (ut ait *Varr. L. L.* 5, 4. et *Fest.* in *Quando*), quod eo die ex aede Vestae stercus everritur, et per Capitolinum clivum in locum defertur certum. Cum id factum sit, tunc praetori fas. ℙ Item id quod purgandi et expiandi causa in sacris lustralibus adhibetur, lustramen, piaculum. *Ov. Fast.* 2, 35. Omne nefas, omnemque mali purgamina causam Credebant nostri tollere posse senes. *Id. Met.* 11, 409. Sumere purgamina caedis; et *ib.* 15, 327. mentis mittere in aquas. *Id. Fast.* 2, 23. capere domibus, torrida farra cum mica.

PURGĀMENTUM, i, n. ουρφετὸς, περίψημα, κάθαρμα, id quod ex re aliqua immunda tergetur, immunditiae, quas rem aliquam purgantes ejicimus, sordes, purgamen. *Liv.* 1, 56. Cloacam maximam, receptaculum omnium purgamentorum urbis, sub terram agendam. *Sen. Const. Sap.* 2. *extr.* Purgamentis oris aliquem aspergere. *Tac. A.* 11, 32. Purgamenta hortorum. *Plin.* 36, 25, 60. coenae in pavimento. *Id.* 20, 5, 20. caeparum. *Id.* 18, 10, 23. milii, et panici, et sesamae, apludam vocant. *Id.* 37, 2, 11. *n.* 1. Succinum esse concreti maris purgamentum; et 11, 37, 74. Fel nihil aliud est, quam purgamentum pessimumque sanguinis. ℙ Interdum est id, quo in sacris lustralibus utebantur ad quippiam noxium expiandum: quo in flumen, aut trivium ab aversis projecto, credebant, omne scelus et nefas procul amoveri, transferrique in eos, qui casu calcassent, aut attigissent. *Petr. Sat.* 134. Quae striges comederunt nervos tuos? aut quod purgamentum nocte calcasti in trivio, aut cadaver? ℙ Translate dicitur de homine vili, abjecto, nihili. *Id. fragm. Trag. c.* 74. Maledicere Trimalchionem coepit, et purgamentum dedecusque praedicare. *Curt.* 6, 11. Purgamenta servorum; et 10, 2. Omnia potius toleraturi, quam purgamenta quondam urbis suae, tunc etiam exsilii, admitterent.

PURGĀTĒ, adv. pure. *Non.* 1, 296. Enucleate dicitur purgate, exquisite, et sine asperitate aut duritia.

PURGĀTĬCĬUS, a, um, adj. idem ac purgativus. *Not. Tir.* p. 120. Purgat, purgaticius. *F.*]

PURGĀTĬO, onis, f. κάθαρσις, actus purgandi. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 41. *f.* Purgationes cloacarum. *Cic. N. D.* 3, 22. *f.* Qui primus alvi purgationem invenit. *Id. ib.* 2, 50. Vomitione canes, purgatione autem alvos ibes Aegyptiae curant. Alii leg. *purgatu.* [*Ex *Gronov.* conject., quam recepit *Ernest.*] *Id. Fam.* 16, 10. Inedia, et purgationibus, et vi ipsius morbi consumptus es. ℙ *Purgationes* saepe sunt menstrua mulierum. *Plin.* 32, 10, 46. Cancri in jure cocti menstruas purgationes expediunt. *Id.* 20, 14, 53. Purgationes feminarum inhibere. *Id.* 30, 14, 44. adjuvare; et 35, 15, 51. elicere. ℙ In singulari num. *Id.* 20, 9, 34. Hippocrates ubertatem puerperis hoc cibo fieri judicans, et purgationem feminis. *Id.* 24, 13, 72. Baccae prosunt purgationi feminarum. Adde *Sen. Q. N.* 3, 16. ℙ Translate est excusatio. *Cic. Inv.* 1, 11. et *ib.* 2, 31. Purgatio est, cum factum conceditur, culpa removetur, haec partes habet tres, imprudentiam, casum, necessitatem. *Ter. Heaut.* 4, 1, 12. Nescio quid peccati portat haec purgatio. ℙ Item expiatio. *Plin.* 15, 30, 40. Laurus suffimentum caedis hostium, et purgatio.

PURGĀTĪVUS, a, um, adj. καθαρτικὸς, purgandi vim habens, ut Purgativa medicamina. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 19. et *Tard.* 1, 1. et *ib.* 2, 1.

PURGĀTOR, oris, m. qui purgat, ut Purgator cloacarum, *Firm. Math.* 8, 20. Hercules purgator ferarum: *Appul. Apol.* Adde *August. C. D.* 10, 10.

PURGĀTORĬUS, a, um, adj. purgandi vim habens, καθαρτικὸς, ut Purgatorium medicamentum, *Symm. ep.* 6, 65. (al. 64.) Purgatoriae virtutes, quae animum hominis a corporis contagione purgant. *Macrob. Somn. Scip.* 1, 8.

PURGATRIX, icis, f. quae purgat. *Tert. Baptism.* 5. Purgatrice aqua se expiare.

[PURGĀTŪRA, ae, f. actus purgandi animalia V. PURGO et PURGATIVUS. *Edict. Diocl.* p. 20. Mulomedico deplecorae (videtur legend. *deplexurae*), et purgaturae capitis per singula capita ✕ viginti. *F.*]

PURGĀTUS, a, um, part. a *purgo:* abstersus, purus factus. *Liv.* 28, 29. Purgatus locus. *Plin.* 29, 4, 21. Purgata vipera, *h. e.* capite et cauda truncatis, et interaneis exemptis. *Id.* 37, 12, 74. Purgatam puramque glebam; et 24, 19, 120. Purgatum nasturtium: et 34, 8, 20. Purgatis igni vitiis *(aeris)* excoctisque. *Id.* 13, 10, 19. Purgatum prunum, *h. e.* nucleo extracto. *Pall.* 3, 25. *med.* Pira purgata granis. *Hor. Ep.* 1, 1, 7. Est mihi purgatam crebro qui personet aurem. *Pers.* 2, 57. Somnia pituita qui purgatissima mittunt. ℙ Item ejectus. *Pall.* 3, 6. Ager, purgatis lapidibus, diligenter occandus. *Claud.* in *Eutrop.* 1, 383. Non alius lanam, purgatis sordibus, aeque Praebuerit calathis. ℙ Item decorticatus. *Edict. Dioclet.* p. 15. Echini recentis purgati; et p. 16. Fabae viridis purgatae; et p. 17. Amygdalarum purgatarum, nucium Avellanarum purgatarum, nuclei pinei purgati pondo, etc. ℙ Item expiatus. *Plin.* 15, 29, 36. Myrtea verbena Romanos Sabinosque, depositis armis, purgatos in eo loco, etc. Adde *Lucan.* 7, 777. ℙ Item excusatus. *Caes. B. C.* 1, 8. Velle Pompejum se Caesari purgatum, ne ea, quae reipubl. causa egerit, in contumeliam vertat. *Id. B. G.* 1, 28. Quorum per fines ierant, his, uti conquirerent, et reducerent, si sibi purgati esse vellent, imperavit. *Cic. Phil.* 14, 6. *f.* Male mecum ageretur, si parum vobis essem sine defensione purgatus. *Id. Att.* 1, 17. *med.* Ea pars epistolae tuae, per quam te ac mores tuos mihi purgatos ac probatos esse voluisti. *Sall. fragm* ap. *Non.* 4, 205. et *Donat.* ad *Ter. Ph.* 1, 4, 28. Ita fiducia, quam argumentis, purgatiores dimittuntur.

[PURGĀTUS, us, m. idem ac purgatio. V. h. v. *F.*]

PURGĪTO, as, a. 1. frequent. a *purgo. Pl. fragm.* ap. *Non.* 3, 1. Quasi carnificis angiporta purgitans. ℙ Translate. *Id. Aul.* 4, 10, 23. Non mihi homines placent, qui quando malefecerunt, purgitant, *h. e.* excusant se.

PURGO, as, avi, atum, a. 1. καθαρίζω, καθαίρω, purum facio, admixtas alicui rei sordes, aut inutilia detraho, expurgo, mundo. [*Factum est ex *purum ago.*] *Cic. Tusc.* 1, 23. Immissi cum falcibus multi purgarunt et aperuerunt locum, *h. e.* domos excidendo et amovendo. *Ov. Pont.* 1, 8, 59. longis purgare ligonibus arva. *Petr. Sat.* 135. Partem leguminis super mensam effudit, jussitque me diligenter purgare. *Hor. Ep.* 1, 7, 51. Cultello proprios purgantem leniter ungues. *Cato R. R.* 65. Oleam, si inquinata erit, lavito, a foliis et stercore purgato. *Pall.* 5, 8. *f.* Purganda sunt alvearia sordibus. *Phaedr.* 1, 22. Molestis muribus purgare domum. *Ter. Ad.* 3, 4, 12. Purgare pisces. *Mart.* 9, 28. Purgentque saevae cana labra volsellae, *h. e.* pilos barbae evellendo. *Plin.* 18, 26, 64. Fossas purgare, aut novas facere; et *ib.* 65. *n.* 2. Purgare segetes; et *ib.* Levi sarculo purgare verius, quam fodere. *Vet. Tab. aen.* ap. *Mur.* 582. *f.* Magistratus, qui viis locisque publicis purgandis praeerunt. *Ulp. Dig.* 43, 10, 1. Purgare viam proprie dicitur, ad libramentum proprium redigere, sublato eo quod supra eam esset. ℙ *Purgare aliquid*, [*est purgando] ejicere, expellere. *Suet. Vesp.* 8. Purgare rudera. *Pall.* 4, 10. Clavo aeneo si vermes purges, difficile nascentur, *h. e.* eneces et destruas. ℙ Saepe ad usum medicinae pertinet, cum medicamento alvus subducitur, aut vis noxia utcumque corpore expellitur. *Cels.* 2, 12. Si is, qui saepe purgatus est, subito habet alvum suppressam. *Hor. A. P.* 302. Qui purgor bilem sub verni temporis horam. *Id. Sat.* 2, 3, 27. Et miror morbi purgatum te illius esse. *Cato R. R.* 157. *med.* Qui hac purgatione purgandus erit, sic eum curato. *Val. Max.* 8, 7. *n.* 5. *extr.* Purgare se helleboro. *Plin.* 26, 8, 39. vomitione, et alveo soluta, (quod *Id.* dicit *ib.* 46. purgare utraque parte). *Id.* 25, 5, 21. per inferna. *Id.* 19, 3, 15. corpora a vitiis omnibus. [*Hic debebant sequi exempla, quae Noster nescio quo pacto sejunctim posuerat: *Id.* 21, 19, 75. vul-

nera; *Id.* 20, 2, 6. faciem; et 23, 8, 75. cutem. — Tum in his quoque significat, purgando abigere, removere.] *Id.* 20, 17, 73. pituitas. *Id.* 8, 27, 41. fastidium lauri folio. *Id.* 23, 1, 16. suppurationes. *Id.* 23, 2, 28. Acetum gargarizatione tarditatem aurium purgat. *Id.* 27, 12, 85. Succus purgat cicatrices et nubeculas *(oculorum)*, et quidquid obstat. ℙ Translate. *Lucr.* 6, 23. Veridicis igitur purgavit pectora dictis. *Cic. Cat.* 1, 5. Educ tecum omnes tuos: purga urbem. *Suet. Vesp.* 9. Amplissimos ordines et exhaustos caede varia, et contaminatos veteri negligentia, purgavit. *Id. Cal.* 29. Decimo quoque die numerum puniendorum ex custodia subscribens, rationem se purgare dicebat. (Alii leg. *rationes,*) *h. e.* expedire, aequare. Similem locum V. in PERPURGO. ℙ Translate etiam est expiare, lustrare. *Ov. Fast.* 4, 640. Luce Palis populos purget ut ille cinis. *Id. Met.* 13, 952. Et purgante nefas novies mihi carmine dicto. *Tibull.* 2, 1, 17. Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestes. *Plin.* 25, 9, 59. Verbenaca Jovis mensa verritur, domus purgantur lustranturque. *Lucan.* 1, 593. Pontifices festo purgantes moenia lustro; et 8, 518. crimen habemus Purgandum gladio. ℙ *Purgare se*, se excusare, factum confitendo, sed in eo peccatum a se non esse ostendendo. *Pl. Amph.* 3, 2, 28. Et id huc revorti, ut me purgarem tibi. *Cic. Fam.* 12, 25. Quod te mihi de Sempronio purgas, accipio excusationem. *Id. Att.* 13, 10. Brutus per litteras purgat Caesarem de interitu Marcelli. *Q. Cic. Petit. cons.* 9. Si quis tibi se purgare volet, quod suspectum esse arbitretur, etc. ℙ *Purgare factum*, ostendere quippiam, quod feceris, recte, et sine ullius injuria esse factum. *Liv.* 1, 9. *extr.* Accedebant blanditiae virorum factum purgantium cupiditate atque amore. *Ov. Pont.* 3, 2, 24. Purgari factum me quoque teste suum. *Ter. Hec.* 2, 2, 11. Si quid est peccatum a nobis, profer: aut ea refellendo, aut purgando, vobis corrigemus. Ubi *Donat.* Refellit, qui negat: purgat, qui fatetur, et sic defendit. *Sil.* 7, 510. purget miles, quod vicerit hostem. ℙ Hinc ponitur pro diluere. *Liv.* 8, 23. Negligentius ea, quae ipsis objicerentur, purgabant. *Tac. A.* 4, 42. Purgare probra. *Curt.* 7, 5. *f.* facinus. *Cic. Cluent.* 1. crimina. *Claud. B. G.* 591. leto purgare fidem male suspectam, *h. e.* ostendere incorruptam fuisse. *Tac. A.* 3, 17. Adolescentem crimine civilis belli purgavit, *h. e.* absolvit. ℙ Cum gen. *Liv.* 37, 28. Oratores purgantes civitatem omnis facti dictique hostilis adversus Romanos. ℙ *Sensu neutro ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 36. Foedatus aer in id tandem aliquando purgavit, etc. *B. A.*

PŪRĬFĬCĀTĬO, onis, f. expiatio, lustratio. *Plin.* 15, 30, 40. Laurus purificationibus adhibetur. *Mart.* in *ep.* 8. *extr.* Religionis purificatione lustratus.

PŪRĬFĬCĀTUS, a, um, part. a *purifico:* purgatus, expiatus, lustratus. *Plin.* 30, 10, 24. Fel canis nigri masculi amuletum esse magi dicunt domus totius, suffitae eo purificataeve, contra omnia mala medicamenta; et *ib.* 11, 28. Gallina si sit luteis pedibus prius aqua purificatis, deinde collutis vino. Adde 21, 14, 41. *Just.* 10, 3. Regiam cognatorum caede, et strage principum replet: atque ita, velut purificato regno, bellum Cadusiis infert.

PŪRĬFĬCO, as, avi, atum, a. 1. *καθαγίζω*, purum facio, purgo. *Plin.* 8, 1, 1. Ad quendam amnem greges eorum *(elephantorum)* descendere, ibique se purificantes solemniter aqua circumspergi; et 11, 37, 54. Tenuibus membranis oculos natura composuit, callosis in extimo tunicis, quas subinde purificant lacrimationum salivis. *Gell.* 19, 12. *f.* Frutecta atque virgulta simul omnia, cum sentibus et rubis, purificandi agri causa, convellit. ℙ Item lustro, expio. *Plin.* 10, 41, 57. Villaribus gallinis et religio inest. Inhorrescunt edito ovo, excutiuntque sese, et circumactae purificant, ac festuca aliqua sese et ova lustrant. *Suet. Aug.* 94. Illam experrectam quasi a concubitu mariti purificasse se. *Lampr. Alex. Sev.* 7. Quod ille infamavit, tu purifica. *Paul. Not. carm.* 6, 72. Ipse in se nihilum, quo purificetur, habebit.

PŪRĬFĬCUS, a, um, adj. purum faciens. *Claud. VI. cons. Honor.* 328. purificumque Jovem, Triviamque precatus. Alii leg. *terrificum. Lactant.* 4, 15. Purifici roris perfusio. Est qui legit *purificati;* sed minus recte, et contra quamplurium MSS. fidem.

PŪRĬMĒ tetinero, positum est pro purissime tenuero. *Festus.*

PŪRĪ MENSTRĬO. V. in PURUS.

PŪRĪTAS, atis, f. *καθαριότης, καθαρότης, ἁγνεία*, munditia, integritas, purities. *Pall.* 11, 14. *med.* Vinum faeculentum statim limpidum reddi, si, etc. mox sumere puritatem, colarique debere, et in usum referri. *Macr. Somn. Scip.* 1, 11. *f.* Simplex et absolutissima puritas. *Capitol. Ver.* 3. Amavit simplicitatem ingenii puritatemque vivendi. *Hieron. ep.* 57. *n.* 2. Cum docti pariter et indocti mirarentur eam *(epistolam)* pro doctrina et puritate sermonis, coepit, etc., *h. e.* eleganti genere dicendi. ℙ Purulentia. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 4. *med.* Attestante sanguinis puritate.

PŪRĪTER, adv. *καθαρῶς*, munde, pure. *Cato R. R.* 112. Aquam transfundito in alterum dolium puriter et leviter. *Catull.* 39, 14. Puriter lavit dentes; et 76, 19. si vitam puriter egi. Adde *Pompon.* et *Nov.* ap. *Non.* 11, 58. et *Enn.* ap. *Prisc.* 15, 1010.

PŪRĪTĬES, ei, f. vel Puritia, ae, f. puritas, munditia. V. PUERITIA.

PŪRO, as, a. 1. *καθαρίζω*, purum facio, purgo. *Pl. Aul.* 2, 3, 3. Vascula intus pura propere. Alii leg. *pura propera*, vel *pure propera*. V. *Festi l. c.* in PROPHETA.

PURPŪRA, ae, f. *πορφύρα*, concha marina (ut conchylium, et murex, seu buccinum) alio nomine *pelagia*, ejusque succus *pelagium*, quam *Plin.* 9, 36, 60. scribit, vivere annis plurimum septenis: celerrime crescere, et anno magnitudinem implere: celatere, sicut murices, circa Canis ortum tricenis diebus: congregari plurimas ejus generis verno tempore, mutuoque attritu lentorem cujusdam cerae salivare: rostrum habere cuniculatim procurrens, et cuniculi latere introrsus tubulato, qua proferatur lingua: hanc esse longitudine digitali, tantaeque duritiae, ut reliquas conchas perforet pascendi causa: in mediis faucibus candidam venam habere, qua pretiosus ille liquor continetur, tingendis expetitus vestibus, nigrantis rosae colore sublucens: contendere piscatores, ut vivas capiant, quia cum vita succum eum evomunt: et e majoribus quidem purpuris detracta concha auferre; minores cum testa vivas frangere, ita demum florem eum exspuentes. *Id. ib.* 37, 61. varia purpurarum genera enumerat, pabulo, et solo discreta: lutense, algense, taeniense, calculense, dialutense: quae V. suis loc. Mox *ib.* 38, 62. fuse rationem tradit, qua purpurarum succus et color vestibus indebatur. Captis enim eximebatur vena, quam diximus, et addito sale macerabatur triduo: deinde in cortina plumbea decoquebatur. Lana immissa quinis horis potabat, rursusque immergebatur, ut totam saniem ebiberet, indueretque colorem illum, qui tanto in pretio quondam fuit. Quia vero sola purpura nimiae nigritiae erat, admiscebatur ei sanies buccini seu muricis, ex qua fiebat illa austeritas et nitor cocco similis, qui tantopere quaerebatur. Ratio mixturae erat, ut in quinquaginta libras vellerum buccini quidem ducenae, purpurae vero centum et decem impenderentur. Speciatim vero Tyrius color primum purpura satiabatur, mox buccino permutabatur: eratque ejus summa laus similem esse concreto sanguini, aspectu nigricantem, in suspectu refulgentem. Unde et Homero purpureus dicitur sanguis *(αἷμα πορφύρεον)*. Haec *Plin.* Conchyliata vestis alia ratione fiebat, nempe sola purpura admixto lotio, et aqua, ut in MUREX jam diximus. Alia multa huc pertinentia V. ap. *Plin. l. c.* et *ib.* 41, 65. et *Vitr.* 7, 13., ubi docet, purpuram non habere in omnibus locis, quibus nascitur, unius generis colorem: alibi enim atrum esse, alibi lividum, alibi violaceum, alibi rubrum, ut in OSTRUM dictum est. Praeterea etiam in eadem regione colorum varietas exsistit. *Sen. Q. N.* 1, 3. *f.* Sic et purpura eodem conchylio non in unum modum exit. Interest, quamdiu macerata sit; crassius medicamentum, an aquatius traxerit; saepius mersa sit et excocta, an semel tincta. *Purpura* hic est lana, seu vestis infecta purpura. *Virg. G.* 4, 274. de quodam flore: Aureus ipse, sed in foliis, quae plurima circum Funduntur, violae sublucet purpura nigrae. A *Cassiod. Var.* 1, 2. color ordinarius purpurae dicitur obscuritas rubens, nigredo sanguinea. Narrat etiam originem ejus, cane in Tyrio litore conchylia morsu frangente, unde rictus ejus mirabili colore infectus hominum artificio tingendae lanae occasionem dedit. ℙ Scriptores passim et conchylium, et buccinum, et purpuram, eorumque varios gradus: item ipsas vestes aliquo eorum imbutas, *purpuram* appellare solent: quod et in CONCHYLIUM et in MUREX adnotavimus. *Ulp. Dig.* 32, 68. *f.* Purpurae appellatione omnis generis purpuram contineri puto: sed coccum non continebitur, buccinum et ianthinum continebitur. *Plin.* 9, 39, 63. Nepos Cornelius, qui divi Augusti principatu obiit, Me, inquit, juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat: nec multo post rubra Tarentina. *Hor. Epod.* 2, 20. Certantem et uvam purpurae. *Val. Fl.* 1, 427. Illis Taenario pariter tremit ignea fuco Purpura. *Cic. Cluent.* 40. Usque ad talos demissa purpura, *h. e.* toga praetexta (ut est ap. *Quint.* 5, 13. *med.*), de qua et *Hor. Epod.* 5, 7. Per hoc inane purpurae decus precor; et *Cic.* rursus *Sext.* 8. Vestitus aspere nostra hac purpura plebeja, ac paene fusca, *h. e.* violacea, qua primo usi Romani in praetextis: postea rubram Tarentinam adhibuere, pretiosiorem, cujus libra denariis centum venibat: denique Tyria, pretiosissima, successit, et quidem saepe dibapha, cujus libra denariis mille non poterat emi, ut *Plin. cit.* 9, 39, 63. tradit. *Virg. G.* 2, 495. Illum non populi fasces, non purpura regum Flexit. *Quint.* 8, 5. *med.* Afferunt lumen clavus et purpurae loco insertae, *h. e.* segmenta e panno purpureo: *clavus et purpurae*, *ἓν διὰ δυοῖν*, h. e. clavus purpureus, qualis tunicis clavatis assuebatur. V. CLAVUS. *Suet. Caes.* 84. Lectus eburneus, auro ac purpurā stratus. ℙ Metonymice magistratum significat, quia praeter pueros, olim soli magistratus, et imperatores ea utebantur: quamquam procedente tempore ad matronas transiit, et ad viros etiam ditiores nobilioresque. Qua de re *Liv.* aliquid 34, 7. docere potest: item *Val. Max.* 2, 1. *n.* 5. Narrat *Suet. de Ner.* 32. interdixisse eum aliquando usum purpurae, non quidem omnis, sed amethystinae et Tyriae: quod idem ante fecerat de conchyliata Jul. Caesar, teste *eod. ib.* 43., exceptis certis personis, et aetatibus, perque certos dies. *Ov. Fast.* 1, 81. Jamque novi praeeunt fasces, nova purpura fulget. *Mart.* 8, 78. Purpura te *(Jane)* felix, te colat omnis honos. *Treb.* in XXX. *Tyr.* 18. et *Eutr.* 9, 8. Purpuram sumere, *h. e.* tyrannidem occupare. *Lucan.* 7, 228. omnis Latio quae servit purpura ferro, *h. e.* omnes reges. ℙ *Adorare*, aut *contingere purpuram*, est ad imperatorem accedere, eumque adorare. Legitur ap. *Ammian.* 21, 9. *f.* et in *Cod.* 2, 8, 6. et *ib.* 12, 3, 4. et in *Cod. Theod.* 6, 24, 3. ℙ Fuit etiam ex aliis rebus purpurae color, ut ex creta, rubiae radice et hysgino infecta, ut est ap. *Vitr.* 7, 14., item ex cocco, ut est ap. *Plin.* 9, 41, 65., ex vacciniis Gallicis, ap. *eund.* 16, 18, 31. ℙ De marmore porphyrite, seu porphyretico (quem *purpureum lapidem* appellat *Lucan.* 10, 116.) *Stat. Silv.* 1, 5, 36. Sola nitet Nomadum flavis excisa metallis Purpura. ℙ Ap. *Ov. Met.* 8, 80. *purpura* est capillus purpureus in capite Nisi Scyllae patris. Ap. *Mart.* 9, 77. est barba rufa. In illo *Stat. Silv.* 3, 3, 130. Aut uti verna novis exspirat purpura pratis: *purpura* videtur esse ipse herbarum viror, et pulcritudo, qua prata vere ornantur, sicut purpura homines. V. integr. loc. Simile est illud *Sidon ep.* 2, 2. *med.* Nec pilae sunt mediae, sed columnae, quas architecti peritiores aedificiorum purpuras nuncupavere, *h. e.* ornamenta, ut clavi purpurei in tunica, ornatus sunt; et *ep.* 10. Omnes nobilium sermonum purpurae per incuriam vulgi decolorabuntur. Eod. sensu dici videtur a *Cic. Or.* 58. Quos autem numeros, cum quibus tanquam purpuram, misceri oporteat, nunc dicendum est. ℙ Denique hoc adnotandum, adeo rem caram fuisse purpuram, ut ad significandas res pretiosas una cum auro in sermone jungi soleat. *Pl. Most.* 1, 3, 128. Amator meretricis mores sibi emit auro et purpura. *Lucr.* 5, 1422. nunc aurum et purpura curis Exercent hominum vitam, belloque fatigant. *Hor. Od.* 2, 16, 7. Otium non gemmis, neque purpura venale, nec auro. ℙ [De purpurae generibus, coloribus, praeparatione et usu accuratissime egit *Pasch. Amatius* in opere, cui titulus *De restitutione purpurarum*, et *Mich. Rosa*, *Dissert. delle porpore* etc., quos consule. *F.*]

PURPŪRANS. V. PURPURO.

PURPŪRĀRĬUS, a, um, adj. *πορφυρευτικὸς*, ad purpuram pertinens. *Plin.* 35, 6, 17. Purpurariae officinae. *Paul. Dig.* 32, 1, 89. Taberna purpuraria. *Inscr.* ap. *Grut.* 649, 10. Negotiator artis purpurariae. ℙ *Purpurarius*, *ii*, absolute, qui purpura tingit, vel negotiator, *πορφυρεύς*. *Inscr.* ap. *Grut.* 621, 4. C. Varius Philadelphus purpur. de vico Cornelii. Adde alias ap. *eund.* 649, 9., ap. *De Lama, Iscriz. Ant.* p. 98., ap. *Bertoli, Ant. di Aquileja* p. 257. *n.* 361., aliam denique V. in BAPHIUM, in qua *collegii purpurariorum* mentio est. ℙ *Purpurariae insulae*, in quibus purpuram Juba rex Mauritaniae tingere instituit, nominantur a *Plin.* 6, 32, 37., et sunt, quas hodie *Madera*, et *Porto Santo* appellamus sub rege Lusitaniae.

PURPŪRASCO, is, n. 3. *πορφυρίζομαι*, purpureus fio. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 2, 717. Quid mare? nonne caeruleum? at ejus unda, cum est pulsa remis, purpurascit.

PURPŪRĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad purpuratos viros pertinens. *Sidon. ep.* 1, 7. *med.* Qui non affectasset habitum purpuratorium. Alii rectius leg. *purpuratorum.*

PURPŪRĀTUS, a, um, part. a *purpuro: ὁ ἐν πορφύρᾳ*, purpura indutus, ornatus. *Pl. Most.* 1, 3, 131. Purpurata mulier. ℙ *Purpurati*, qui circa reges sunt, et apud eos dignitate et gratia antecellunt. *Cic. Tusc.* 1, 43. Istis, quaeso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis. *Liv.* 30, 42. Sopatrum ex purpuratis et propinquis regis esse. *Flor.* 1, 10. de Mucio Scaevola: Sed ubi frustrato circa purpuratum ejus ictu tenetur, etc.

PURPŪRĔO, onis, m. qui maxime purpureo colore splendet. Est cogn. R., ut L. Furius Purpureo, ap. *Liv.* 35, 41.

PURPŪRĔUS, a, um, adj. *πορφύρεος*, purpurae colorem habens, puniceus, ostrinus Purpurae color quis fuerit, in PURPURA dictum est: nempe in aspectu nigricans, in suspectu refulgens: item rubeus, vel absolute, vel ad nigrum inclinans, vel dilutus, ut in rosa: item violaceus: item alicui ex his proximus, aut similis, praesertim ap. poetas. *Prop.* 1, 20, 38. Purpurea papavera. *Suet. Ner.* 25. vestis. *Virg A.* 9, 349. Purpuream vomit ille animam, *h. e.* sanguinem. *Ov. Am.* 1, 8, 12. Purpureus lunae sanguine vultus erat. *Id. ib.* 2, 5, 34. Conscia purpureus venit in ora pudor; et *Trist.* 4, 3, 70. Purpureus molli fiat in ore rubor. *Stat. Achill.* 1, 161. niveo natat ignis in ore Purpureus. *Ov. Met.* 3, 184. Purpurea aurora. *Id. Am.* 1, 13, 10. et *Albinov.* 2, 126. manus Aurorae: *ῥοδοδάκτυλος*. *Ov. Trist.* 1, 2, 27. purpureo vires capit Eurus ab ortu, *h. e.* quia in-

de aurora surgit. *Id. Fast.* 3, 518. de Sole: Purpureum rapido qui vehit axe diem, *h. e.* cujus initium est aurora purpurea. *Id. Am.* 1, 4, 22. Purpureae genae; et *ib.* 3, 14, 23. Purpurea labella. *Mart.* 12, 17. Purpureus torus, *h. e.* purpura stratus. *Virg. G.* 1, 405. Et pro purpureo poenas dat Scylla capillo: *purpureum* vocant etiam *Tibull.* 1, 4, 57., *Prop.* 3, 17, 22. et *Ov. A. Am.* 1, 331. et splendidum ostro. *Id. Met.* 8, 8. et purpuram *ib.* 80. et *R. Am.* 68. (Unde purpureum senem *Stat.* dicit ipsum Nisum *Th.* 1, 334.) At *Virg. Cir.* 122. roseum appellat. Fortasse flavus, seu rutilus fuit, sed cum inter canos esset, rubeus videbatur. *Prop.* 3, 3, 54. Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas, *h. e.* Iris, cujus inter varios colores et rubeus, seu roseus est, ut et *Sen. Q. N.* 1, 3. *f.* docet. *Hor. Od.* 3, 15, 15. flos purpureus rosae. *Plin.* 14, 1, 3. Uvae hic purpureo lucent colore, illic fulgent roseo. *Ov. A. Am.* 2, 316. Plenaque purpureo subrubet uva mero. *Prop.* 3, 15, 17. Purpureum mustum. *Plin.* 15, 18, 19. Purpureae ficus. *Id.* 32, 6, 21. Ostreorum purpureus crinis, *h. e.* lividus cirrus, ut eum *Mart.* 7, 20. vocat. *Plin.* 16, 37, 69. Viminea salix, eademque purpurea. *Id.* 21, 11, 38. et *ib.* 19, 76. Purpurea viola. *Ov. Fast.* 4, 780. sapa. *Plin.* 19, 8, 38. lactuca. *Colum.* 11, 3. *med.* Sunt autem complura lactucae genera, etc. earum quae fusci, et veluti purpurei, aut etiam viridis coloris, etc. *Cic. Acad.* 4, 33. Mare illud, quod nunc Favonio nascente purpureum videtur, modo caeruleum videbatur, mane flavum, *h. e.* nigrescens, quale apparet cum vento, aut remis agitatur. Sic *Prop.* 2, 20, 5. purpureis agitatam fluctibus Hellen; et *Hom. Odyss.* 11, 243. πορφύρεον κῦμα, et in *Batrach. v.* 73. ὕδωσι πορφυρέοισιν. V. PURPURASCO et PURPURO. Eadem ratione *sale purpureo*, h. e. aqua marina, dixit *Val. Fl.* 3, 422. ℙ *Purpureus* etiam dicitur, qui purpura indutus est, purpuratus. *Hor. Od.* 1, 35, 12. Purpurei tyranni. *Ov. Met.* 7, 102. medio rex ipse resedit Agmine purpureus. *Id. Pont.* 2, 8, 50. Purpureus niveis filius instet equis. *Mart.* 6, 11. Vis, te purpureum, Marce, sagatus amem? *Virg. A.* 10, 722. Purpureus pennis, *h. e.* pennas habens in galea purpureas. ℙ Poetice *purpureus* est nitidus, purus, splendidus, aspectu pulcher, cujuscumque coloris sit, ἀγλαός. *Hor. Od.* 4, 1, 10. Purpurei olores. *Albinov.* 2, 62. Brachia purpurea candidiora nive. Huc trahit *Serv.* illud *Virg. A.* 1, 593. namque ipse decoram Caesariem nato genitrix, lumenque juventae Purpureum, et laetos oculis afflarat honores. Alii illud *Stat. Th.* 7, 148. de Baccho: Purpureum tristi turbatus pectore vultum. Nam, ut ait *Ov. Met.* 4, 18., formosissimus alto conspicitur coelo, estque ei inconsumpta juventus, et aeterna pueritia. Alii illud *Ov. Fast.* 6, 251. coelestia numina sensi, Laetaque purpurea luce refulsit humus; et *Virg. A.* 6, 490. de Elysio: Largior hic campos aether, et lumine vestit Purpureo; et *Val. Fl.* 3, 178. en frigidus orbes Purpureos jam somnus obit, *h. e.* pulcros oculos. Huc pertinet et illud *Colum.* 10, 256. Jam ver purpureum, jam versicoloribus anni Fetibus alma parens cingi sua tempora gaudet, *h. e.* variis florum herbarumque ornatibus pulcrum. ℙ Antique, et more suo *Lucr.* 2, 51. Nec clarum vestis splendorem purpureai. ℙ *Purpureus, ei*, m. *Naevio* ap. *Prisc.* 6, 679. nomen est Latinum Gigantis, qui *Porphyrion* Graece dicitur.

[PURPŪRĬO, onis, m. adjunctum Jovis. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 1. Licinia Quinta, Licinia Purpuris, Octavia Saturnina Jovi optimo maximo Purpurioni: dicitur autem Juppiter *Purpurio* ex cognomine Liciniae Purpuridis, quae in hoc lapide secunda legitur, quaeque signum ejus una cum duabus aliis dedicarat. Veterum enim numina a privatis aras et statuas dedicantibus cognomen sortita fuisse, notum jam est. *F.*]

[PURPŪRIS, idis, f. deriv. a purpura. Est cogn. R. V. v. praec. *F.*]

PURPŪRISSĀTUS, a, um, part. ab inus. *purpurisso:* purpurisso infectus. *Pl. Truc.* 2, 2, 35. Quia istas buccas tam belle purpurissatas habes. *Appul. Apol.* Genae purpurissatae. ℙ *Purpurissatos fastos* vocat *Sidon. ep.* 8, 8. fastos consulares, quia purpura consulum insigne fuit.

PURPŪRISSUM, i, n. ἀνθρώπινον, genus coloris floridi, facticii: purpurei, quo tum pictores utebantur, tum mulieres genis tingendis. *Plin.* 35, 6, 12. Sunt autem colores austeri, aut floridi. Utrumque natura, aut mixtura evenit. Floridi sunt, quos dominus pingenti praestat: nimirum Armenium, cinnabari, chrysocolla, Indicum, purpurissum; et *ib. med.* E reliquis coloribus, quos a dominis dari diximus, propter magnitudinem pretii, ante omnes est purpurissum e creta argentaria: cum purpuris pariter tingitur, bibitque eum colorem celerius lanis. Praecipuum est primum, fervente aheno rudibus medicamentis inebriatum: proximum egesto eo, addita creta in jus idem. Et quoties id factum, levatur bonitas pro numero, dilutiore sanie, et *mox:* Pingentes sandice sublita, mox ovo inducentes purpurissum, fulgorem minii faciunt. Si purpuram facere malunt, caeruleum sublinunt, mox purpurissum ex ovo inducunt. Haec *Plin.* ℙ De usu ejus fucandae cuti *Pl. Most.* 1, 3, 104. Cedo purpurissum. *Sca.* non do: scita es tu quidem: nova pictura interpolare vis opus lepidissimum. V. v. praec. Adde *Afran.* et *Naev.* ap. *Non.* 3, 166. ℙ Masculino gen. *Hieron. ep.* 54. *n.* 7. Quid facit in facie Christianae purpurissus, et cerussa?

PURPŪRĪTĬCUS, a, um, adj. Latina forma est idem ac porphyreticus. *Inscr.* ap. *Grut.* 128, 5. et *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 6. p. 231. ed. Mediol.: Ti. Claudius Ti. F. Fab. Messallinus *(aediculam)* vetustate corruptam adampliavit columnis purpuriticis, valvis aereis, marmore et omni ornamento a novo ex pecunia furfuraria [illegible]. *(h. e.* centuriae) suae. Haec *Inscr.* pertinet ad ann. a Chr. n. CLVI. [*Emendavit h. l. *F.*]

PURPŪRO, as, a. 1. purpureum facio. *Appul. Met.* 6. Vulcanus coenam coquebat: Horae rosis et ceteribus floribus purpurabant omnia, *h. e.* ornabant: nam *purpura* ornatum aliquando significat, ut ibi dictum est. *Furius* ap. *Gell.* 18, 11. Spiritus Eurorum virides cum purpurat undas, *h. e.* nigrantes reddit. *Gell.* interpretatur, nitefacit. Sed V. PURPUREUS. *Colum.* 10, 101. Tum quae pallet humi, quae frondes purpurat auro, Ponatur viola. Alii leg. *quae frondent purpura et auro, Ponantur violae.* Alii *quae frondens purpurat auro, Ponatur*, etc. h. e. ornatur, pingitur, coloratur: *purpura* pro ornatu, ut dictum est. ℙ *Purpurat* neutrorum more adhibetur, ut in illo *Appul. Met.* 10. Labias modicas ambrosio rore purpurantes; et *Pervig. Ven.* 12. purpurantem pingit annum floribus. *Arnob.* 5, 160. Purpurantes in violas cruor vertitur interemptae. Adde *Prud. Cath.* 6, 82.

PURULENTATIO, onis, f. purulentia. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 3. et 10.

PURULENTĒ, adv. πυωδῶς, cum pure, sive sanie. *Plin. prooem.* 23. *med.* Cicatricibus marcidis, ossibus purulente limosis plurimum confert.

PURULENTIA, ae, f. τὸ πυῶδες, puris collectio, aut copia. *Hieron. in Isaj.* 1, 1, 6. Linteola, quae ad exsiccandam saniem, et purulentias extrahendas injiciuntur vulneribus. ℙ Translate. *Tert. Pall.* 5. *extr.* Haud facile has purulentias civitatis quis eliciet, et exvaporabit.

PURULENTUS, a, um, adj. πυώδης, pure sive sanie plenus. *Cato R. R.* 157. *med.* Cancer albus purulentus est. *Plin.* 22, 11, 13. Stoebe decocta in vino praecipue auribus purulentis medetur. *Id.* 20, 2, 5. Purulenta exspuentibus auxiliatur. *Id.* 27, 12, 105. Purulentae exsereationes. *Id.* 20, 4, 13. Purulenta praecordiorum. *Cels.* 2, 8. *med.* Sputum mixtum purulentum.

PURUS, a, um, adj. καθαρὸς, ἁγνὸς, qui nihil sordidum, aut alienum admixtum habet, mundus, integer, liquidus. [*V. quae *Doederl.* 3, 202. sqq. de hoc vocabulo ejusque synon. disputat.] *Cic. Caecin.* 27. *f.* Ut quidquid inde haurias, purum liquidumque te haurire sentias. *Tibull.* 2, 1, 14. Et manibus puris sumite fontis aquam. *Id.* 1, 1, 30. Pura fictilia. *Colum.* 12, 4. *f.* vasa, *h. e.* non picata. *Prop.* 3, 1, 3. purus fons. *Ov. Met.* 2, 856. Cornua magis pura perlucida gemma. *Id. ib.* 15, 243. aere purior ignis. *Virg. A.* 4, 163. purissima mella. *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 2. Purus atque mitis aer. *Id.* 10, 54, 75. Purus, et uniusmodi perlucet color. *Mart.* 4, 22. Purum vitrum; et *Pl. Truc.* 2, 7, 6. Purae aedes, *h. e.* sine sordibus. *Cic. Sen.* 17. Terra subacta atque pura, *h. e.* a saxis, vepribus, herbisque inutilibus vacua. *Tibull.* 1, 5, 11. Purum sulphur, *h. e.* purificans. *Prop.* 2, 20, 56. Purus et Orion, purus et Haedus erit, *h. e.* ab omni nube, aut tenebris liber. *Tibull.* 4, 1, 10. Purum coelum, *h. e.* serenum. Sic *Claud. Rapt. Pros.* 2, 2. Nondum pura dies; et *Hor. Od.* 3, 29, 45. Sol purus. *Id. ib.* 1, 34, 7. absolute *purum* pro aere puro et sereno dixit. Sic *Virg. G.* 2, 364. palmes laxis per purum immissus habenis. *Prop.* 4, 3, 68. hasta pura, *h. e.* sine ferro. V. HASTA. Alio sensu *Stat. Th.* 11, 450. puraeque nefandi Sanguinis, obliquis ceciderunt ictibus hastae, *h. e.* nullo imbutae fraterno sanguine. *Tibull.* 1, 11, 27. et *Virg. A.* 12, 169. Pura vestis, *h. e.* non obsita, neque funesta, (ut ait *Serv.* hic, et *Fest.* in *Pura)* neque fulgurita, neque maculam habens: qualis erat sacra facientium. *Phaedr.* 3, 10. Toga pura, *h. e.* sine purpura praetexta. Ap. *Fest.* in *Puri*, purum aurum est, quod in usu spurco non fuit. Ap. *Plin.* 33, 4, 25. et *ib.* 6, 32. est purgatum, et sine sordibus. Ap. *Juven.* 9, 141. et *Plin. ep.* 3, 1. purum argentum est non caelatum. Sic *Vitr.* 7, 3. Coronarum aliae sunt purae, aliae caelatae; et *Paul. Dig.* 6, 1, 6. Utrum lanx pura, an caelata sit. Sic ap. *Cic. Verr.* 2, 4, 22. et 23. *extr.* argentum purum est sine emblematis, aut crustis. *Sen. Hipp.* 648. Purae genae, *h. e.* imberbes. *Liv.* 24, 14. Purus ac patens campus, *h. e.* purus ab arboribus, spectabilis undique campus, ut ait *Ov. Met.* 3, 709. Sic *Liv.* 1, 44. *f.* de pomoerio: Ut neque interiore parte aedificia moenibus continuarentur, et extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli; et *Hirt. B. Afr.* 19. *f.* In campis planissimis purissimisque. *Varr. L. L.* 4, 4. *f.* Loca in urbe pura, areae, *h. e.* in quibus nullum est aedificium. *Hor. Ep.* 2, 2, 71. Purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstet. *Scaevola Dig.* 13, 7, 43. Locum purum obligavit, et cum eum locum inaedificare vellet, etc. *Ulp. ib.* 32, 1, 50. Nec chartae purae, libris legatis: nec chartis legatis, libri debebuntur, *h. e.* in quibus nihil est scriptum. ℙ Item merus, sincerus. *Lucr.* 1, 506. Esse utramque sibi per se, puramque necesse est. *Tibull.* 2, 2, 7. Illius puro destillent tempora nardo. ℙ *Purus putus* V. in PUTUS. ℙ Translate. *Cic. Sen.* 22. Animus omni admixtione corporis liberatus, purus et integer. *Id. Tusc.* 1, 20. *f.* Ea multo puriora et dilucidiora cernentur, cum, etc. *Id. Har. resp.* 6. Domus a religionis suspicione vacua atque pura. *Praetor* ap. *Ulp. Dig.* 11, 7, 2. Ossa hominis mortui in locum purum illata, *h. e.* ut *Ulpian.* explicat, neque sacrum, neque sanctum, neque religiosum. *Ov. Fast.* 2, 558. Exspectet puros pinea taeda dies, *h. e.* ab omni religione vacuos, cujusmodi non erant atri, aut fasti. *Sen. Med.* 901. Vindicta est levis, quam ferunt purae manus, *h. e.* quae non saeviunt nisi in hostes, vel supplicium meritos. Sic *Liv.* 1, 32. Purum piumque duellum, *h. e.* bellum, quod in hostem infertur. *Suet. Tit.* 9. Pontificatum maximum ideo se professus accipere, ut puras servaret manus, fidem praestitit, nec auctor posthac cujusquam necis, nec conscius. *Lucan.* 7, 486. Vulnera pars optat, pars terrae figere tela, Et puras servare manus, *h. e.* innoxias, nulla caede imbutas. Sic *Sen. Herc. Oet.* 1561. Purum ferrum, *h. e.* incruentum. *Hor. Od.* 1, 22, 1. Integer vitae, scelerisque purus. *Id. Sat.* 1, 6, 64. placui tibi, Non patre praeclaro, sed vita, et pectore puro, *h. e.* moribus et fide integra; et *ib.* 69. purus et insons. *Enn.* ap. *Gell.* 7, 17. Ea libertas est, qui pectus purum et firmum gestitat, *h. e.* a vitiis liberum. *Cic. Rosc. Com.* 6. *med.* Estne quisquam, qui tibi purior, pudentior, humanior, officiosior, liberaliorque esse videatur? ℙ Saepe refertur ad abstinentiam a turpibus voluptatibus (unde *impurus* contrarium). *Cic. Verr.* 2, 3, 58. Qui non modo animum integrum, sed ne animam quidem puram conservare potuisset. *Plin. ep.* 4, 11. Foedum contactum a casto puroque corpore rejecit. *Prop.* 4, 5, 34. Fac similes puros Isidis esse dies. (V. PURE.) *Tibull.* 1, 3, 26. puro secubuisse toro. Adde *Pl. As.* 4, 1, 62. et *Poen.* 1, 2, 137. et *Mart.* 6, 66., 9, 64., 11, 62. et 14, 69. Huc pertinet illud *Festi:* Puri menstrio esse dicuntur, quae sacrorum causa toto mense in caerimoniis sunt, idest puri sunt certis diebus carendo. ℙ Item ad orationem. [*Cf. *Ernest. lex. technol. lat. rhet.* p. 315. sq., ubi duplici ratione v. *purus* de oratione usurpari perhibetur. Ac primum quidem significare genus dicendi ita latinum, ut nihil peregrini vel barbari admixtum habeat. *Cic. Or.* 3, 8. Oratio Catuli sic pura est, ut latine loqui paene solus videatur. coll. cp. 10. *Brut.* 79. et quem locum Noster laud.:] *Or.* 16. *f.* Elaborant alii in lenitate et aequabilitate, et puro quasi quodam et candido genere dicendi, i. e. sine ornatu, res aperte, dilucide et Latine dicendo, propriis verbis, usitatis, non translatis. [*— Sed praeter hanc puritatis notionem, quae mixturae cujusdam vel admixtionis vitium excludat, alteram etiam a Rhetoribus observatam et adhibitam esse, quae nativae cuidam elegentiae, munditiae, verecundoque ornatui significando inserviat.] *Quint.* 1, 12. Nec, quod minime sermoni puro conveniat, simplicem vocis naturam pleniore quodam sono circumlinire. *Cic. Brut.* 75. *f.* Nihil est in historia, pura et illustri brevitate dulcius. *Plin. ep.* 7, 9. Pressus sermo purusque ex epistolis petitur. Adde *Auct. ad Her.* 4. 8. ℙ Ap. JCtos *pura* sunt, quae simpliciter et absolute fiunt, nulla exceptione, aut conditione adjecta. *Cic. Inv.* 2, 20. Hic is, qui agit, judicium purum postulat: ille, quicum agitur, exceptionem addi ait oportere. *Justin. Institut.* 3. *tit.* 15. Omnis stipulatio aut pure, aut in diem, aut sub conditione fit. *Paul. Dig.* 35, 2, 45. In lege Falcidia non habetur pro puro, quod in diem relictum est. *Scaevola ib.* 40, 4, 59. Puram et directam libertatem domini sui testamento Stichus acceperat. Adde *Ulp. ib.* 46, 3, 5. ℙ *Pura familia* ap. *Cic. Leg.* 2, 22. est, quae justa defuncto propinquo persolverat, et funestae opponitur, quae funere adhuc polluta est. V. FUNESTUS.

PUS, ūris, n. πύον, humor in corpore corruptus ex vulnere, aut ulcere. *Cels.* 5, 26. *n.* 20. Sanguis omnibus notus: sanies est tenuior hoc, varie crassa, et glutinosa, et colorata: pus crassissimum, albidissimumque, glutinosius et sanguine, et sanie. Exit autem sanguis ex vulnere recenti, aut jam sanescente: sanies est inter utrumque tempus: pus ex ulcere jam ad sanitatem spectante. V. ibi alia huc pertinentia. *Id. ib.* 28. *n.* 8. Expresso pure, nulla ultra curatio necessaria est; et *ib.* 3. Pus concoquere et movere; et *ib.* 18. *n.* 7. maturare. ℙ In plurali num. *Plin.* 24, 16, 92. Pura exsereantes. *Id.* 35, 6, 21. Eretria utilis ad deprehendenda pura. ℙ Translate dicitur de homine improbo, odioso, et quasi puris pleno. *Hor. Sat.* 1, 7, 1. Proscripti Regis Rupili pus atque venenum Hybrida quo pacto sit Persius ultus, etc. Eadem ratione Augustus filias suas, vomicas appellabat, et carcinomata, ap. *Suet. Aug.* 65. *extr.* Quin a *Lucil.* ap. *Non.* 1, 1. odiosus homo appellatur febris, senium, vomitus, pus.

PŪSĂ, ae, f. puella, apud veteres. *Pomp.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica, Casca Philotonis, ipsa senex puerum. Dic tu illam pusam: sic fiet, mutua muli.

PŪSILLĀNĪMIS, e, adj. *μικρόθυμος*, qui est pusilli animi. *Tert. Fuga in persecut.* 9. Pusillanimes consolari. *Sidon. ep.* 7, 17. *f.* Spernere aliquem tanquam imperitum, vel pusillanimem.

[PŪSILLĀNĪMĪTAS, atis, f. *μικροψυχία*, animi abjectio. *Lactant. Ira D.* 5. *in.* Favorabilis admodum ac popularis oratio, non cadere in Deum hanc animi pusillanimitatem. *F.*]

[PŪSILLIO, et vetustiore scriptione Pusilio, onis, m. dimin. pusilli. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1632, 13. M. Antius Pusillio. Alia ap. *Grut.* 107, 1. M. Licinius M. F. Pusilio. *F.*]

PŪSILLĪTAS, atis, f. parvitas animi. *Tert. adv. Herm.* 14. Quaecumque potestas ei, quam pusillitas, competit. *Lactant. Op. D.* 1. *med.* Quantum pusillitas intelligentiae meae pervidet.

PŪSILLŪLUS, a, um, adj. dimin. pusilli. *Varr.* ap. *Non.* 3, 145. Pueri pusilluli, nigri. *Id. Non.* 2, 490. hunc eundem locum recitans, habet *pusilli.*

PŪSILLUS, a, um, adj. dimin. pusi, *τυτθός, μικρός*, perparvus, exiguus. *Cic. Verr.* 2, 2, 75. Pusilli et contempti libelli. *Petr. Sat.* 29. Pyxis aurea non pusilla. *Pl. Truc.* 4, 4, 15. Mus pusillus. *Plin.* 25, 13, 103. Herba pusillis foliis. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Pusilla epistola; et *ib.* 5, 2. Habuimus in Cumano quasi pusillam Romam: tanta erat in his locis multitudo; et *ib.* 12, 27. Villula sordida, et valde pusilla. *Id. Or.* 2, 60. Pusillus testis processit. *Mart.* 3, 47. Hercules pusillus. V. PUERINUS. *Juven.* 15, 70. Terra malos homines nunc educat, atque pusillos. *Quint.* 11, 3. *med.* Pusilla vox. *Treb.* ad *Cic. Fam.* 12, 16. *med.* Nactus pusillum laxamenti. *Plin.* 27, 5, 21. Aphaca pusillo altior lenticula est. *Quint.* 7, 6. *med.* Pusillum a veritate discedere. ℙ Adverbium est in illo *Cat. R. R.* 90. Primum pusillum, postea magis depses *(far)* etc. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 2, 17. *f.* Illud vero pusilli animi, et ipsa malevolentia jejuni atque inanis, quod, etc. Simile est illud *Mart.* 3, 62. Haec animo magno credis te, Quincte, parare? Falleris: haec animus, Quincte, pusillus emit, *h. e.* qui res nihili valde suscipit, et liberalitatem, quae virtus est splendida, interim negligit. Alio sensu *Hor. Sat.* 1, 4, 17. Dii bene fecerunt, inopis me quodque pusilli Finxerunt animi, raro, et perpauca loquentem, *h. e.* minime audentis. *Ov. R. Am.* 730. infirmis causa pusilla nocet, *h. e.* vel levissima. *Juven.* 10, 121. nec unquam Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli, *h. e.* qui exiguo ingenio, et fama sit. *Mart.* 9, 51. Pusillum ingenium. *Id.* 4, 43. Quod dixi tamen, hoc leve et pusillum est. ℙ Brevis dies dicitur, non pusillus. Brevis enim in natura, pusillus in corpore rerum animalium, ut ramus in silva, alvus in corpore. *Charis.* 1, 69.

[PŪSINNĂ, ae, f. pusiola, puella. V. PISINNUS. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 423, 7. Messia Pusinna. *F.*]

PŪSĬO, onis, m. *παιδάριον*, [parvus puer: dimin. pusi. *Hieron. ep.* 54. *n.* 4. An vereris, ne proles Furiana deficiat, et ex te parens tuus non habeat pusionem, qui reptet in pectore? *Prud. Cath.* 11, 13. Emerge dulcis pusio, Quem matris edit castitas. *F.*] Interdum vero impudicum quid sapit ap. *Cic. Coel.* 15., *Juven.* 6, 34., *Appul. Met.* 9. et *Arnob.* 7, 215. ℙ [Est etiam nomen propr. viri procerioris staturae, per antiphrasin nempe illi impositum. *Plin.* 7, 16, 16. Fuere sub divo Augusto homines X. pedum, quorum corpora ejus miraculi gratia in conditorio Sallustianorum asservabantur hortorum. Pusioni, et Secundillae erant nomina. *Harduinus* nulla necessitate emendat *Posioni. F.*]

PŪSĬOLĂ, ae, f. parva puella. *Prud. περὶ στεφ.* 3, 19. Ipsa crepundia reppulerat Ludere nescia pusiola.

PUSTŪLĂ, ae, f. *φλύκταινα, πέμφιξ, ἐξάνθημα*, papula, pusula, tuberculum in summa cute: qualia sunt quae urticarum, aut ignis contactu, aut frigore, aut medicamentis, aut sanguine effervescente excitantur: a *pus*, quia pus continet: quamquam et de iis dicitur, quae pure carent. *Cels.* 5, 28. *n.* 15. varia earum genera recenset, et rationem curandi tradit. *Id. ib.* Pustulae lividae sunt, aut pallidae, aut nigrae, aut aliter naturali colore mutato: subestque illis humor. Ubi hae ruptae sunt, infra quasi exulcerata caro apparet. *Id. ib.* Ex pustulis nonnunquam etiam ulcuscula fiunt, aut aridiora, aut humidiora: et modo tantum cum prurigine, modo etiam cum inflammatione ac dolore: exitque pus, aut sanies, aut utrumque. Maxime id evenit in aetate puerili, raro in medio corpore, saepe in contitate nentibus partibus. *Sen. ep.* 72. *med.* Pustularum eruptiones, et ulcuscula. *Plin.* 20, 22, 87. Sinapi illitum caustiva vi pustulas facit; et *ib.* 13, 51. Pustulas epinyctidas curant. *Tibull.* 2, 3, 9. Nec quererer, quod sol graciles exureret artus, Laederet aut teneras pustula rupta manus. *Mart.* 11, 98. Non ulcus acre, pustulaeve lucentes, *h. e.* rubentes, igneae. ℙ A similitudine dicitur de bullis in aliis rebus. *Vitr.* 7, 2. Calx non penitus macerata, cum fuerit inducta, pustulas emittit. *Plin.* 20, 18, 86. Sinceri opii experimentum est in aqua, quoniam in nubila innatat: fictum in pustulas coit. *Id.* 37, 7, 26. Carbunculi facticii deprehenduntur, pustulis argenti modo relucentibus. *Mart.* 8, 51. Et niveum felix pustula vincit ebur, *h. e.* argentum probe excoctum: vel emblema, tanquam pustula illi affixa.

PUSTŪLĀTĬO, onis, f. pustularum emissio, vel copia. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 16. Cucurbitas affigit usque ad partium pustulationem. *Id. Tard.* 5, 1. *med.* Pustulationem locorum facere.

PUSTŪLĀTUS, a, um, adj. *φλυκταινώτος*, pustulis plenus. V. PUSULATUS.

PUSTŪLESCO, is, n. 3. pustulosus fio. *Coel. Aurel. Acut.* 5, 1. *med.* Quo superficies cutis pustulescat.

PUSTŪLO, as, n. 1. pustulas facio. *Tert. Hab. mul.* 6. Si concha aliquid intrinsecus pustulat, vitium ejus magis debet esse, quam gloria: et licet margaritum vocetur, non aliud tamen intelligendum, quam conchae illius aliqua dura et rotunda verruca. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 1. *med.* Ne vicinantia usta pustulentur.

PUSTŪLOSUS, a, um, adj. idem ac pustulatus. *Cels.* 5, 26. *n.* 31. Ulcus in locum pustulosum serpit

PŪSŪLĂ, ae, f. idem quod pustula: a *pus. Plin.* 20, 6, 21. Pusulae liventes. *Id.* 21, 15, 55. Pruritus, et pusulae confestim adusto similes exsistunt. *Mart.* 14, 167. Fervida ne trito tibi pollice pusula surgat, Exornent docilem garrula plectra lyram. *Plin.* 25, 13, 109. Ranunculus pusulas, ut ignis, facit. *Id.* 27, 9, 54. Pusulas excitare; et 35, 17, 57. cohibere; et 31, 9, 45. reprimere. ℙ Etiam sacer ignis, seu erysipelas hoc nomine appellatur a pastoribus, teste *Colum.* 7, 5. *med.* ℙ A similitudine. *Fest.* in *Hetta:* Pusula, quae in coquendo pane solet assurgere. [Est ea, quam Itali *bolla* vocant. *F.*]

PUSŪLĀTUS, a, um, adj. pusulis plenus, pustulatus. Argentum pusulatum, quomodo legitur in *Pandectis Florentinis*, sive pustulatum, prout legitur ap. *Suet.*, est argentum purgatissimum, et excoctissimum: ita dictum a pusulis, seu pustulis, quas ex coctura argentum accipit, et asperior tactu fit: vel quas caelatura ipsa, et recens impressio excitavit. *Suet. Ner.* 44. Exegitque ingenti fastidio, et acerbitate nummum asperum, argentum pustulatum, aurum ad obrussam. *Mart.* 7, 86. nulla venit a me Argenti tibi libra pustulati. In quibusdam *Suetonii* codicibus pro *pustulatum* legitur *postulatum* per *o*, uti et ap. *Mart.* Itaque et nonnulli a *postulando* deducunt, eo advocantes illud *Juven.* 7, 243. Accipe, victori populus quod postulat aurum. Sed omnino est a *pustulis:* eoque per *u* scribendum. Quamquam etsi per *o* scribatur, eadem futura notio est. Nam veteres in multis *o*, et *u* promiscue usurpabant. *Alfen. Dig.* 19, 2, 31. Veluti cum argentum pusulatum fabro daretur, ut vasa fierent, aut aurum, ut annuli. Haec fere omnia *Voss.* in *Etym.: Haloander* habet *pustulatum*, at *Torrent. pusulatum.*

PUSŪLOSUS, a, um, adj. *φλυκταινώδης*, qui pusulis laborat, pustulosus. *Colum.* 7, 5. *med.* Vivam pecudem, quae fuerit pusulosa, resupinam obruamus, etc.

PŪSUS, i, m. parvus puer, pusio, idem ac potus. *Pomp.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Nam vere pusus tu, tua amica senex.

PŪTĂ, secunda persona n. sing. praesentis imperativi verbi *puto*, qua vulgus utitur adverbialiter, pro scilicet, exempli gratia, etc. *Pomp. Dig.* 28, 5, 23. Si ille, puta, consul factus fuerit. *Sen. Q. N.* 2, 2. Illa constant aut nexu, aut acervatione, ut, puta, funis, frumentum, navis. ℙ Secundam syllabam corripit, quamvis verbum sit, quia usu in verum adverbium transiit: quod et *Prisc.* 15, 1007. et *Serv.* ad *A.* 2, 651. observarunt. *Auct. Priap.* 38. Ut Phoebo, puta, filioque Phoebi. *Pers.* 4, 9. Hoc, puta, non justum est, illud male, rectius istud. Ita leg. *Prisc.*, alii *puto.* Corripuerunt etiam *Enn.* et *Pacuv.* teste *Serv. l. c.*

PŪTĂ, ae, f. Dea, quae putationi praeerat: a *puto. Arnob.* 4, 131. Putationibus arborum Puta, inquitis, praesto est. ℙ *Pūta*, prima longa, pro puella. V. in PUTILLUS.

[PUTAGŌNON, i, n. idem ac heliotropium. *Appul. H.* 49. *F.*]

PŪTĀMEN, inis, n. *λόπισμα, κέλυφος*, rei cujuslibet purgamentum. *Non.* 2, 683. Putamina non solum arborum sunt, verum omnium rerum purgamenta. Nam quicquid ex quacumque re projicitur, putamen appellatur. *Cic. Tusc.* 5, 20. Instituitque, ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi, et capillum adurerent. *Varr. R. R.* 1, 7. Nucum putamina. *Pl. Capt.* 3, 4, 122. Nucleum amisi: reliquit pigneri putamina. *Plin.* 17, 24, 37. Putamen fabae, vel ervi. *Id.* 22, 25, 70. mali Punici. *Id.* 30, 7, 19. ovi, et cochleae. *Id.* 9, 11, 13. testudinum. Adde *Petr. Sat.* 135.

PŪTĀTĬO, onis, f. existimatio. *Paul. Dig.* 47, 10, 18. *med.* Cum aliquis filiumfamilias patremfamilias putat, non potest videri injuriam patri facere, quia transferri personae putatio non potest. ℙ Item computatio. *Macr. Sat.* 1, 13. Unus mensis pari numero institutus universam putationem imparem facit. ℙ Item resectio inutilium ramorum, *κλάσις, κλάδευσις. Varr. R. R.* 1, 6. Putatio arborum. *Cic. Or.* 1, 58. *med.* Ut quid sit sementis ac messis, quid arborum putatio ac vitium, omnino nesciat. *Plin.* 17, 20, 32. Salices trimae pedibus binis a terra putatione coercentur. Adde *Plin. alter ep.* 10, 24. et *Colum.* 4, 9. et 10.

PŪTĀTĪVĒ, adv. putando, opinando. *Hieron. adv. Joann. Hierosol. n.* 24. Audit vulgus indoctum mortuos et sepultos; audit resurrectionem mortuorum, veritate et non putative; audit, etc.

PŪTĀTĪVUS, a, um, adj. qui id esse putatur, quod non est. *Tert. adv. Marc.* 3, 8. Putativus habitus, putativus actus, imaginarius operator.

PŪTĀTOR, oris, m. *κλαδευτής, κλάστης*, qui vitium aliarumve arborum inutiles ramos amputat. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Antiqui purum putum appellarunt. Ideo putator, quod arbores puras facit. *Plin.* 27, 8, 45. Putator ex arbore alta prolapsus. *Colum.* 10, 228. Quae *(carmina)* canat inter opus musa modulante putator Pendulus arbustis.

PŪTĀTORĬUS, a, um. adj. ad putatorem pertinens, ut putatoria falx, *Pall.* 1, 43.

PŪTĀTUS, a, um, part. a *puto. Paul.* ex *Festo* in *Putus.* Putatae vites quae recisis impedimentis remanent purae. Aurum quoque putatum dici solet, id est expurgatum; et ratio putata, id est pura facta. *Titin.* ap. *Non.* 4, 362. Lana putata recte, *h. e.* purgata.

*PŪTĔA, Syriae opp. in Palmyrena. *Tab. Peut. B. A.*

PŪTĔAL, alis, n. *περιστόμιον φρέατος*, ut est in *Gloss. Philox.*, septum marmoreum, plerumque rotundum, et puteo circumdatum, ne incautius accedentes in praeceps ruant. Puteal hujusmodi videre est in *Mus. Bononiens.* cum hac *Inscr.* Apollini, Genioque Augusti Caesaris L. Apusulenus L. L. Eros magister puteum, puteal, laurus sacrum D. P. S. *Cic. Att.* 1, 10. Praeterea typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possim includere, et putealia sigillata duo, *h. e.* parvis sigillis seu imaginibus exornata. V. PUTEUS. ℙ Quia vero ejusdem erat formae, ita appellatum etiam fuit septum loco sacro circumjectum, ne humus consecrata irreligiosis praetereuntium pedibus conculcaretur. Hinc *Puteal Libonis*, locus erat in foro Romano, ad arcum seu fornicem Fabianum, ubi feneratores conveniebant, et usurae exercebantur. Dictum est *puteal*, quia eo loco olim sacellum fuisset, idque fulgure tactum conflagrasset; ignoraretur autem, ubinam fuisset fulgur conditum, puteal ibi Scribonius Libo imposuit, cui a senatu negotium datum fuerat, ut sacella attacta conquireret, justisque caerimoniis procuraret. Ita colligitur ex *fragm. Festi*, post *Scleratus.* Ejus figuram praefert nummus ap. *Morell. Fam. R.* Itaque cum ad illud puteal congregari solerent, qui pecunias vel occupabant, vel sub usuris sumebant, pro negotiis feneratoriis usurpari coeptum est. *Hor. Ep.* 1, 19, 8. forum, putealque Libonis Mandabo siccis. *Id. Sat.* 2, 6, 35. Roscius orabat, sibi adesses ad puteal cras. *Cic. Sext.* 8. Puteali, ac feneratorum gregibus infestatus atque perculsus. *Ov. R. Am.* 561. Qui puteal, Janumque timet, celeresque calendas. *Pers.* 4, 49. Si puteal multa cautus vibice flagellas, *h. e.* urges et persequeris obaeratos tuos, ut solvant, vel quaeris, quibus credas pecuniam, et per multa aliorum detrimenta rem tuam augere studes. V. SCRIBONIANUS. ℙ Erat et puteal in comitio, sub quo defossa Atii Navii novacula, qua cotem discidit temporibus regis Tarquinii Prisci, non longe ab ejusdem Navii statua, quae erat in gradibus ipsis, ad laevam curiae, prope Ruminalem ficum. *Cic. Div.* 1, 17. Cotem autem illam, et novaculam defossam in comitio, supraque impositum puteal accepimus. ℙ Non desunt qui putant, ex *Dionys. Hal.* 3, 294., puteal hoc Atii idem esse cum illo Libonis. Contra multis disputat *Salm.* in *Solin.* p. 1139.

PŪTĔĀLIS, e, et

PŪTĔĀNUS, a, um, adi. *φρεατιαῖος*, ad puteum pertinens. *Ov. Ib.* 391. Ut quos dux Poenus mersit putealibus undis. *Lucr.* 6, 1172. puteales lymphae. *Colum.* 11, 3. Locus, qui, si non sit fluens aqua, fonte puteali possit irrigari. *Id.* 12, 26. et *Plin.* 14, 9, 11. Aqua puteana.

PŪTĔĀRĬUS, ii, m. *φρεατώρυχος*, qui puteos fodit. *Plin.* 31, 3, 28. Depressis puteis sulphurata, vel aluminosa occurrentia putearios necant.

PŪTĔFACTUS, a, um, part. ab inus. *putefio*, putidus factus. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 1035. Et veste, et omni putefactus corpore. Ita *Heins.* ex MSS., alii *putrefactus.*

PŪTĔO, es, ui, n. 2. *πυδάω*, foeteo, mali odoris sum: a *πύθω*, putrefacio. *Pers.* 3, 73. quod multa fidelia putet In locuplete penu. *Hor. Ep.* 1, 19, 11. Putere mero. *Id. Sat.* 2, 2, 42. Putet aper, rhombusque recens. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 15, 17. Quibus etiam alabaster unguenti putere videatur. *Hor. Sat.* 2, 4, 65. miscere mero muriaque decebit Non alia, quam qua Byzantia putuit orca. Ita *Bentl., Cruq., Torrent.*; alii *putruit. Scrib. Comp.* 186. Illoti pisces, aut etiam putentes.

PŪTĔŌLĀNUS, a, um, adj. ad Puteolos pertinens. *Cic. Fam.* 13, 56. Cluvius Puteolanus. *Id*

Agr. 2, 28. *f.* Puteolana praedia. *Plin.* 3, 6. 12. Puteolanus sinus. *Golfo di Napoli.* ℙ *Puteolani, orum*, ejus oppidi ives. *Cic. Att.* 5, 2. ℙ Puteolanus pulvis, e collibus Puteolani agri collectus, opponitur (inquit *Plin.* 35, 13, 13.) maris fluctibus, mersusque protinus fit lapis, unus inexpugnabilis undis, et fortior quotidie, utique si Cumano misceatur caemento. *Sen. Q. N.* 3, 20. Puteolanus pulvis, si aquam attigit, saxum est. Laudatur ob hoc a *Vitr.* 2, 6. et a *Sidon. carm.* 2, 59. et sqq.

PŪTĔŌLI, orum, m. plur. *Pozzuolo*, Ποτίολοι, urbs, et col. Campaniae, in ora litorali, olim perampla, et probe culta, nunc parva admodum, in colle, cum arce utcumque munita, cum portu capaci, et tuto in sinu cognomine, apud lacum Lucrinum non procul a lacu Averno. Dubitatur, an ei nomen datum sit a putore olido aquarum calidarum ob sulphureum solum, an potius a frequentia puteorum, aquis videlicet calidis scatentium. Utrumque legas ap. *Varr. L. L.* 4, 5. et *Festum.* Minorem Delum (inquit hic in *Minorem)* Puteolos esse dixerunt, quod Delos aliquando maximum emporium fuerit totius orbis terrarum: cui successit postea Puteolanum: quod municipium Graecum antea Dicaearchia vocatum est. Unde Lucilius: Inde Dicaearchum populos, Delumque minorem.

PŪTER. V. PUTRIS.

PŪTESCO, is, n. 3. putens fio, putresco, corrumpor. In vet. lib. legitur et *putisco*. *Cic. Fin.* 5, 13. *extr.* et *N. D.* 2, 64. Animam illi pecudi datam pro sale, ne putisceret. Ita legit praeter alios *Non.* 2, 706., aiii *putresceret* utrobique. [**Orell.* primo loco *putisceret;* secundo *putesceret* exhibet.] *Cato R. R.* 3. Si in terra olea nimium diu erit, putescet, oleum foetidum fiet. *Varr. R. R.* 1, 34. Putescere semina solent. Alii leg. *putrescere*. *Cels.* 2, 30. Aqua dura, id est ea, quae tarde putescit. Alii leg. *putrescit*.

PŪTĔUM, i, n. V. in v. sq.

PŪTĔUS, i, m. φρέαρ, locus, qui perpetuas habet aquas ex terrae venis manantes, non tamen fontium more foras erumpentes. Differt a cisterna, quae aquam pluviam collectam servat. *Cic. N. D.* 2, 9. *f.* Ex puteis jugibus aquam calidam trahi. *Id. Div.* 1, 50. Cum vidisset haustam aquam de jugi puteo, terrae motus dixit instare. *Hor. Ep.* 1, 15, 15. Collectosne bibant imbres, puteosne perennes. *Id. ib.* 2, 2, 135. puteum vitare patentem. *Cic. Prov. cons.* 3. *f.* Nobilissimas virgines se in puteos abjecisse. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Si natare latius, aut tepidius velis, in area piscina est: in proximo puteus, ex quo possis rursus adstringi, si poeniteat teporis. *Id. ep.* 2, 17. *f.* Haec amoenitas deficitur aqua salienti: sed puteos, ac potius fontes habet: sunt enim in summo. *Juven.* 3, 226. Hortulus hic, puteusque brevis, nec reste movendus, In tenues plantas facili diffunditur haustu. *Plin.* 9, 25, 41. Putei altissimi. *Id.* 37, 9, 43. Crystallum ad libramentum aquae depressis puteis eruta. *Id.* 17, 8, 4. In centenos pedes acti putei. *Id.* 19, 8, 55. Puteorum parietes; et 33, 4, 21. latera. *Virg. G.* 2, 230. alteque jubebis In solido puteum demitti, *h. e.* scrobem profundam, ad explorandam terrae naturam. *Plin.* 7, 56, 57. Puteos invenit Danaus ex Aegypto advectus in Graeciam, quae vocabatur Argos Dipsion, δίψιον, siticulosa. Prov. est illud *Plauti* de iis, qui nimis sero cogitant, quae parata ante oportebant: *Most.* 2, 1, 32. Miserum est opus, igitur demum fodere puteum, ubi sitis fauces tenet. ℙ *Puteos* olim puteali ornatos fuisse, ne praetereuntes, aut aquam haurientes in illos prolaberentur, monet ea *Inscr.*, quae circa puteal paucis abhinc annis Ostiae effossum legitur, et edita a *Fea Framm. di fast. cons. n.* 20. Monitu sanctissimae Cereris, et Nympharum hic puteus factus omni sumptu C. Caecili Onesimi Patr. et QQ. PP. *Corporis Militum* adjutor*um*, et L. Hortensi Galli QQ. nauticariorum, et N. Trebonl Eutychetis QQ. II. acceptorum. Ded. X. K. Sept. Laterano et Rufino Cos., *h. e.* anno a Chr. n. CLXXXXVII. ℙ *Puteus* fuit etiam servandis frugibus aptus. *Varr. R. R.* 1, 57. Quidam granaria habent sub terris, puteos ut in Hispania citeriore in agro Carthaginiensi et Oscensi. ℙ Videtur fuisse genus supplicii servilis, quo peccantes servi in puteum conjiciebantur: sive fuerit verus puteus, in quo suspensi in aqua detinerentur; sive potius locus putei modo depressus: quique dicitur a *Colum.* 1, 6. *med.* vinctis servis subterraneum ergastu um. *Pl. Aul.* 2, 5, 20. Dicant, coci abstulerunt: comprehendite, vincite, verberate, in puteum condite; et 2, 7, 1. Intervisam, quid faciant coqui: quos pol ut ego hodie servem, cura maxima est. Nisi unum hoc faciam, ut in puteo coenam coquant. Inde coctam sursum subducemus corbulis. ℙ *Conjicere aliquid in puteum*, ap. *Petr. fragm. Trag.* 43. *Burm.* proverbio dici videtur pro omnino abjicere, projicere, perdere, ut nulli usui amplius esse possit. ℙ *Puteum*, n. *Varr.* ap. *Non.* 3, 155. Ut sunt lacus et stagna, et putea, et maria. Addunt *Ulp. Dig.* 19, 1, 17. §. 8., ubi pro *putea* alii leg. *putealia*. ℙ Fodiendi, exstruendique putei rationem tradunt *Plin.* 31, 3, 28., *Vitr.* 8, 7. *f.* et *Pall.* 9, 8. et 9.

PŪTĬCŬLI, orum, m. plur. cavernae terrae extra portam Exquilinam, in quibus antiquitus sepeliebantur: a *puteus*, per diminutionem. *Fest.* Aelius Gallus, teste eodem, voluit ita dicta ea loca fuisse, quod ibi homines putiscerent, seu putrescerent. *Varr. L. L.* 4, 5. utrumque etymon docuit: et *Puticulos*, et *Puticulas* posuit.

PŪTĬDĔ, adv. nimis diligenter, moleste, fastidiose, insuaviter. *Sen. ep.* 75. Putide loqui. *Cic. Brut.* 82. Qui nec inepte dicunt, nec odiose, nec putide. *Id. Or.* 3, 11. Nolo exprimi litteras putidius, nolo obscurari negligentius.

PŪTĬDĬUSCŬLUS, a, um, adj. dimin. aliquantum putidus, diligentior, blandior, quam par est. V. *l. Cic.* in IMPUDENTIUSCULUS.

PŪTĬDŬLUS, a, um, adj. dimin. putidi. *Mart.* 4, 20. Dicit se vetulam, cum sit Caerellia pupa: Pupam se dicit Gellia, cum sit anus, etc. Altera ridicula est, altera putidula, *h. e.* Caerellia, quae cum sit pupa, affectat anus videri: atque adeo molestiam et fastidium creat. *Capitol. Macr.* 14. Cum hominem putidulum in imperio ferre non possent.

PŪTĬDUS, a, um, adj. δυσώδης, μυδαλέος, qui est mali odoris, putens: item putris, putridus, quia quae putrescunt, putere solent. *Cic. Pis.* 9. Putida caro. *Mart.* 3, 50. Putidus aper. *Pl. Bacch.* 4, 7, 23. fungus. *Cato R. R.* 37. et *Plin.* 17, 9, 6. Putidam frondem substernere. *Pl. Trin.* 2, 4, 125. Vinum, priusquam coactum est, pendet putidum, *h. e.* uvae ante vindemiam in ipsa vite putrescunt. *Varr.* ap. *Non.* 2, 645. Putidae uvae. *Caec.* et *Cato ib.* Naves putidae et sentinosae. *Afr. ib.* Et fallaci aspectu paries pictus putidus. Translate *putidum* dicitur quidquid offendit aures, ut putor nares, insuave, austerum, rancidum, inquit *Non.* 6, 12. et 68., ut *orator putidus*, qui orationem affectat, nimis diligens, ineptus, et anxius, nimisque exquisita stultaque cura dicens; et *oratio putida, sermo putidus*, etc. *Cic. Or.* 8. *f.* Quonam igitur modo audiretur Mysus, aut Phryx Athenis, cum etiam Demosthenes exagitetur, ut putidus? *scil.* quia diligenter examinabat verborum omnium pondera, ut *Id. paulo sup.* dicit. *Id. Or.* 3, 13. *extr.* Quoniam haec satis spero, vobis quidem certe majoribus, molesta et putida videri. *Id. Off.* 1, 37. Sonus (vocis) erat dulcis: litterae neque expressae, neque oppressae, ne aut obscurum esset, aut putidum, *h. e.* quod dicit *Or.* 3, 11. Nolo exprimi litteras putidius, nolo obscurari negligentius; et *ib.* 12. non aspere, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, et aequabiliter, et leniter loqui. *Id. Att.* 1, 14. Vereor, ne putidum sit scribere ad te, quam sim occupatus. *Petr. fragm. Trag.* 73. *Burm.* Ac ne sic quidem putidissimam ejus jactationem licuit effugere: nam nihil melius esse dicebat, quam sine turba lavari. ℙ *Putidus homo*, ineptus: quasi puteat. *Pl. Bacch.* 5, 2, 44. Tun', homo putide, amator istac fieri aetate audes? *Hor. Epod.* 8, 1. Rogare longo putidam te saeculo, Vires quid enervet meas? Utroque loco respicitur ad aetatem longaevam, qua res fere corrumpi solent ac putere. Rursus *Hor. Sat.* 2, 3, 75. Putidius multo cerebrum est (mihi crede) Perilli Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis, *h. e.* insanius, et quasi corruptius.

PŪTILLUS, i, m. et Putilla, ae, f. dimin. a *putus*, vox blandientis. *Pl. As.* 3, 3, 104. Dic igitur me tibi anaticulam, columbam, vel catellum, hirundinem, monedulam, putillum, passerculum. *Hor. Sat.* 2, 3, 216. Putam, aut putillam appellat. Alii aliter leg. utroque loco. *Putillum* autem putat *Jos. Scal.* in *Catalect.* dici a *putus*, et id a πόσθη, pudendum, a quo *praeputium*. V. POTUS, i. ℙ *Putilla* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1115, 7. Scantia Sp. F. Putilla.

PŪTIS, e, adj. qui mali odoris est, a *puteo*. Usus *Lucr.* 3, 585., si quibusdam libris vulgatis habenda fides. Atque ideo tanta mutatum pute ruina Conciderit corpus. In aliis libris *putre* legitur.

PŪTISCO. V. PUTESCO.

PŪTĬTĬUM Plautus dixit pro stulto, *Paul.* ex *Festo*. Quidam putant *Potitium* legendum esse. Locum autem *Plauti* esse *Bacch.* 1, 2, 15. Stultior es barbaro Potitio, qui, etc. V. PINARII.

PŪTO, as, avi, atum, a. 1. καθαίνω, est falsa, superflua, infructifera in arboribus, fruticibus, et quacumque alia re, a veris et fertilibus purgare et resecare. *Fest.* in *Imputatum:* Putum est purum: unde putare vites dicimus, hoc est detrahere, quae impedimento sunt ad fructum. *Gell.* 6, 5. Putare veteres dixerunt, vacantia ex quaque re, ac non necessaria, aut etiam obstantia, et aliena auferre et excidere, et quod esse utile, ac sine vitio videretur, relinquere. Sic namque arbores, et vites, et sic etiam rationes putari dictum. *Cato R. R.* 32. Vineas arboresque mature face incipias putare; et *ib.* 44. Putare olivetum. *Virg. G.* 2, 407. Persequitur vitem attondens, fingitque putando. ℙ Pro purgare, mundare. *Varr. R. R.* 2, 2. *f.* Quo minus lana vel infici recte possit, vel lavari, ac putari. Alii leg. *parari*. *Cato R. R.* 39. Si dolia bene putaveris. Alii leg. *picaveris*. Adde *Titin.* ap. *Non. l. c.* in PUTATUS. V. etiam IMPUTATUS. ℙ Putare rationem. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Antiqui purum putum dixerunt: ideo ratio putari dicitur, in qua summa fit pura. *Pl. Aul.* 3, 5, 52. Cedit miles, aes petit; itur; putatur ratio cum argentario. *Cato R. R.* 5. Villicus rationem cum domino crebro putet. *Cic. Att.* 4, 11. Rationes putare cum publicanis. *Cato R. R.* 14. Sic numerabitur regula: integra quae non erit, unde quarta pars aberit, duae pro una: conliciares quae erunt, pro binis putabuntur. ℙ Translate. *Pl. Cas.* 3, 2, 25. Verum altrovorsum cum eam mecum rationem puto, etc. *Ter. Andr.* 1, 1, 2. Dictum puta; et *Ov. Met.* 4, 476. Facta puta quaecumque jubes; et *Juven.* 5, 7. hoc tamen ipsum Defecisse puta, quod inani sufficit alvo. ℙ Est etiam cogitare, attente considerare. *Cic. Planc.* 4. In quo primum illud debes putare, comitiis, praesertim aedilicIis, studiumt esse populi, non judicium. *Ter. Eun.* 4, 2, 4. Dum haec puto, praeterii imprudens villam. *Virg. A.* 6, 332. Multa putans, sortemque animo miseratus iniquam. ℙ Putare argumentis cum aliquo, est disputare, rem examinare, perquirere. *Pl. Amph.* 2, 1, 45. Quo id, malum, pacto potest (nam mecum argumentis puta) fieri, nunc uti tu hic sis, et domi? ℙ Saepe est opinari, existimare, conjicere, νομίζω, οἴομαι. *Gell. l. sup. c.* Verbum ipsum *puto*, quod declarandae sententiae causa dicimus, non signat profecto aliud, quam id agere nos in re dubia obscuraque, ut decisis amputatisque falsis opinionibus, quod videatur esse verum, et integrum, et incorruptum, retineamus. *Ter. Andr.* 5, 5, 1. Aliquis forsan me putet non putare hoc verum. *Id. ib.* 1, 1, 114. Recte putas. *Id. Phorm.* 4, 5, 6. Rem ipsam putasti; et *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 2. In theatrum Hortensius introiit, puto, ut suum gaudium gauderemus. *Cic. Off.* 1, 23. *f.* Nec committere, ut aliquando dicendum sit, non putaram, οὐκ ἂν οἰόμην. (Adde *Sen. Ira* 2, 31. et *Val. Max.* 7, 2. *n.* 2.) *Id. Acad.* 4, 18. Ut quos nunquam putassemus a nobis internosci posse, etc. *Id. Amic.* 2. Atilius, quia prudens esse in Jure civili putabatur. *Id. Att.* 6, 1. Noli putare, me quicquam maluisse, quam, etc. *Caes. B. C.* 2, 31. Illos etiam iniquo loco dimicandum putare. *Ov. R. Am.* 243. Nec satis esse puta discedere: lentus abesto. ℙ Putes, putares, i. e. diceres. *Ov. Met.* 11, 113. demptum tenet arbore pomum: Hesperidas donasse putes. *Id. Trist.* 5, 10, 5. Stare putes: adeo procedunt tempora tarde. *Id. Her.* 11, 85. Vagitus dedit ille miser: sensisse putares. *Petr. Sat.* 22. *f.* Ut putares hoc convenisse. ℙ *Puto* sermoni interjicitur, ut *opinor, credo. Prop.* 2, 20, 17. Sed tibi subsidium delphinum currere vidi, Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram. *Mart.* 1, 100. Atque intra, puto, septimas calendas. *Sen. ep.* 92. Puto, inter me teque convenit, externa corpori acquiri, corpus in honorem animi coli. ℙ Nonnunquam et tunc dicitur, cum res certo ita esse creditur. *Ov. Am.* 3, 1, 7. Venit odoratos Elegia nexa capillos: Et, puto, pes illi longior alter erat; et *ib.* 11, 24. Hac amor, hac odium: sed, puto, vincit amor. ℙ Inservit ironiae. *Id. ib.* 7, 2. At, puto, non votis saepe petita meis. ℙ Et prolepsi. *Id de nuce* 57. Sed, puto, magna mei est operoso cura colono. Invenias, qui det nil mihi praeter humum; et *Pont.* 1, 2, 43. At, puto, cum requies, medicinaque publica curae, Somnus adest, solitis nox venit orba malis. Somnia me terrent, etc. Adde *Met.* 3, 266., *ib.* 11, 425. et *Fast.* 3, 493. ℙ *Ut puto*, ut mihi videtur. *Suet. Vesp.* 23. *extr.* Ut puto, Deus fio. *Ov. A. Am.* 1, 370. Ut puto, non poteris ipsa referre vicem. ℙ Frequenter est aestimare. *Cic. Verr.* 2, 4, 7. Si denariis quadringentis Cupidinem illum putasset. *Id. Att.* 12, 21. *f.* Cum unum te pluris, quam omnes illos, putem. *Id. Planc.* 4. *extr.* Magni putare honores. *Ov Met.* 10, 618. tantique putat connubia nostra. ℙ Et existimare, judicare *Cic. Phil.* 11, 11. *f.* Si ad nos nihil referretur de Dolabella persequendo, tamen ego pro decreto putarem; et *ib.* 5. Bestia consulatum in Bruti locum se petere profitetur. Quam absurdum autem, qui praetor fieri non potuerit, eum petere consulatum! nisi forte damnationem pro praetura putat: scil. in petitione praeturae de ambitu accusatus et damnatus fuerat. *Matius*, et *Trebat.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 9. ad *Att. f.* Hoc pro certo putamus. *Cic. Div. Verr.* 7. *f.* Contemnere aliquem, ac pro nihilo putare. *Id. Rosc. Am.* 46. *f.* Videtis, ut omnes despiciat, ut hominem prae se neminem putet. *Id. Manil.* 13. Quem enim possumus imperatorem aliquo in numero putare, etc.? ℙ Ellipsis est in illo *Cic. Fam.* 15, 20. Oratorem meum (sic enim inscripsi) Sabino tuo commendavi. Natio me hominis impulit, ut ei recte putarem, *h. e.* recte commendari crederem. ℙ *Puta*, scilicet, exempli gratia. V. supra s. l. ℙ *Putaram* syncop. pro *putaveram* habet *Cic. l. c.* §. 7. Sic *putaramus* pro *putaveramus* est ap. *eund. Att.* 9, 18.

PŪTOR, oris, m. δυσωδία, foetor, malus odor. *Varr. L. L.* 4, 5. Puteoli a putore, quod putidus sit *(locus)* odoribus saepe ex sulphure, et alumine. *Cato R. R.* 157. Ea omnem putorem adimet. *Arnob.* 7, 222. Sint illis putores in voluptate. V. *Serv. l. c.* in MEPHITIS.

*PUTPUT, opp. Africae Propriae, in Zeugitana. *Ant. Itin.* ℙ In *Tab. Peut.* est *Pudput. B. A.*

PUTRĀMEN, inis, n. collectio rerum putrium, putredo. Est *Cypriani* in *lib. de Laps.* 12.

PUTRĔDO, inis, f. σαπρότης, corruptio, putror. *Ov. Pont.* 1, 1, 69. Estur ut occulta vitiata putre-

dine navis. Alii rectius leg. *teredine*. *Apput. Met.* 9. Cervix cariosa vulnerum putredine. *Prud. Cath.* 9, 31. Viscerum putredines abluantur.

PUTRĔFĂCIO, acis, eci, actum, a. 3. σήπω, πύθω, putrem facio, corrumpo. *Colum.* 3, 12. Humor putrefacit deposita semina. *Liv.* 21, 37. Ardentia saxa infuso aceto putrefaciunt. *Plin.* 29, 4, 28. Stellionem in oleo putrefaciunt. *Liv.* 42, 3. *med.* Nudatum tectum patere imbribus putrefaciendum.

[PUTRĔFACTĬO, onis, f. corruptio. *August. ep.* 147. *n.* 5. Vulnerum putrefactione etiam dolorem perdidimus, quo solet medicus implorari. *F.*]

PUTRĔFACTUS, a, um, part. a *putrefacio*: σηπτὸς, putris factus, putidus. *Lucr.* 2, 897. Et tamen haec cum sunt quasi putrefacta per imbres, Vermiculos pariunt. *Varr. R. R.* 2, 5. Ex hoc bove putrefacto nasci dulcissimas apes mellis matres. *Ov. Met.* 15, 389. Sunt, qui, cum clauso putrefacta est spina sepulcro, Mutari credant humanas angue medullas. *Plin.* 29, 6, 38. Fit et collyrium ex vipera in olla putrefacta.

PUTRĔFĬO, is, actus sum, pass. anom. σήπομαι, putris fio, putresco. *Pall.* 1, 33. Humor hoc praestabit, ut si qua insunt spinarum semina, putrefiant. *Id.* 10, 9. Lupinus ubi creverit, vertitur vomere, ut putrefiat excisus. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 77. *B. A.*

PUTRĔO, es, ui, n. 2. σήπομαι, putridus sum. *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 692. Annis et aetate hoc corpus putret. *Accius ib.* Exsangue est mihi corpus, atque annis putret. *Pl. Most.* 1, 2, 67. Haec tigna humide putrent. Alii leg. *putent*. ℙ Translate. *Pers.* 5, 57. hunc alea decoquit: ille in Venerem putret. Alii leg. *est putris*. V. PUTEO.

PUTRESCO, is, n. 3. πύθομαι, putris fieri incipio, putridus fio. *Varr. R. R.* 2, 5. de vaccis: Lapides substernendi, ne ungulae putrescant. *Cic. Tusc.* 1, 43. et *Val. Max.* 6, 2. *extr.* Theodori quidem nihil interest, humine, an sublime putrescat. *Hor. Sat.* 2, 3, 119. cui stragula vestis, Blattarum ac tinearum epulae, putrescat in arca. *Plin.* 31, 9, 45. Dentes non erodi, nec putrescere, si, etc. *Id.* 35, 15, 52. Strongyle putrescentia ulcerum compescit.

[PUTRĪBĬLIS, e, adj. qui putrescere potest. *Paul. Nol. ep.* 8. (al. 30.) *n.* 6. Imagines nostras non in tabulis putribilibus, neque ceris liquentibus pinxit. *F.*]

RUTRĬCĀVUS, a, um, adj. putredine, aut carie exesus. *Lucr.* 2, 859. Mollia, lenta, fragosa, putricava, corpore raro. Alii rectius leg. *Molli lenta, fragosa putri, cava corpore raro.*

[PUTRĬDŬLUS, a, um, adj. dimin. putridi. Translate. *Ammian.* 22, 16. *med.* Didymus Chalcenterus Tullium reprehendit, ut immania frementem leonem putridulis vocibus canus catulus longius circumlatrans. Alii leg. *putredulis*. *F.*]

PUTRĬDUS, a, um, adj. σαπρώδης, putris, putrefactus, corruptus. *Cic. Pis.* 1. Non enim nos color iste servilis, non pilosae genae, non dentes putridi deceperunt. *Plin.* 23, 4, 45. Si quid in nucleo putridi fuerit. *Id.* 19, 8, 47. In putridis, et calidis maxime locis cuminum serendum. *Sen. ep.* 58. *f.* Aedificium putridum et ruens.

[PUTRĬLĀGO, inis, f. *Non.* 1, 79. Caries est vetustas, putrilago, unde cariceum veteres dixerunt. *F.*]

PUTRIS, e, et Pŭter, tris, e, adj. σηπτὸς, σαπρὸς, ἐρώδιος, flaccidus, marcens, putrefactus, putridus: a *puteo*: et dici proprie videtur de iis, quae resoluta, et a naturali statu dejecta putorem emittunt. Caret gradibus comparativi et superlativi. *Varr. R. R.* 1, 8. Palus puter evertitur. *Prop.* 2, 19, 43. Putris et in vacua requiescit navis arena. *Ov. Fast.* 1, 379. fervent examina putri De bove; et *Met.* 15, 365. de putri viscere passim Florilegae nascuntur apes; et *ib.* 7, 585. putria motis Poma cadunt ramis. *Cels.* 5, 26. *n.* 33. Si ulcus magis putre est. *Juven.* 13, 95. Et phthisis, et vomicae putres. *Sil.* 13, 487. Cadavera putri liquentia tabo. *Curt.* 9, 3. Corpora cicatricibus putria. *Val. Max.* 6, 9. *n.* 5. *extr.* Putres artus, et tabido cruore manantia membra. *Mart.* 3, 77. putri caepas halece natantes. ℙ Saepe de iis dicitur, quae facile solubilia sunt, vel soluta, flaccida, mollia, licet minime puteant. *Virg. G.* 1, 44. Zephyro putris se gleba resolvit, *h. e.* aere, sole, et imbribus soluta, quae antea gelu adstricta fuerat. *Prop.* 4, 3, 39. Quae tellus sit lenta gelu, quae putris ab aestu, *h. e.* sicca et arida. Similiter *Stat. Th.* 4, 728. de siccitate: tellus sole et pulvere putris Exhalat calidam nubem. Eadem ratione *putrem arenam*, aridam nempe, et minime cohaerentem, atque adeo sterilem, dixere *Id. Silv.* 4, 3, 126. et *Lucan.* 8, 830. Sic *Id. Stat. Th.* 6, 234. putres cineres; et *Plin. ep.* 10, 48. Lapis gracilis, et putris, *h. e.* friabilis. Alia ratione *Colum.* 2, 2. Ager pinguis ac putris, *h. e.* qui modico humore madet, et facilis culturae est. *Id.* 2, 10. *f.* Solum putre ac solutum: cui opponitur *densum*. *Virg. A.* 8, 596. Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. *Id. G.* 1, 215. putres sulci, *h. e.* imbribus et cultione probe macerati, ac molles; et *ib.* 392. putres concrescere fungos, *h. e.* qui ex putri terra exsistunt, et qui facile putrescunt. *Hor. Ep.* 1, 10, 49. fanum putre Vacunae, *h. e.* vetustate dissolutum, et semirutum. *Lucan.* 7, 403. stat tectis putris avitis, In nullos ruitura domus. *Petr. Sat.* 136. Fracta est putris sella. *Mart.* 9, 101. Trita quidem nobis togula est, vilisque, putrisque. ℙ Translate. *Hor. Epod.* 8, 7. mammae putres, Equina quales ubera, *h. e.* flaccidae et deciduae. *Id. Od.* 1, 36, 17. omnes in Damalin putres Deponent oculos, *h. e.* vino, et libidine marcentes. *Pers.* 5, 57. hunc alea decoquit: ille In Venerem est putris. *Prop.* 4, 5, 67. Atque animam in tegentes putrem exsputare paternas, *h. e.* senilem, quasique corruptam. Sic *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 692. Annis et aetate hoc corpus putret.

PUTROR, oris, m. putredo. *Lucr.* 2, 871. putrorem cum sibi nacta est Intempestivis ex imbribus humida tellus; et *ib.* 927. vermesque effervere, terram Intempestivos quam putror cepit ob imbres. *Arnob.* 5, 166. Ne putrore corpus dissolveretur.

PUTRŬOSUS, a, um, adj. putrore, seu putore plenus, ut Putruosum ulcus, *Coel. Aurel. Tard.* 2, 14. *med.*

PŪTUS, a, um, adj. καθαρὸς, purgatus, purus. *Paul.* ex *Festo*: Putus antiqui dicebant pro puro: unde putatae vites et arbores, quod decisis impedimentis remanerent purae. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Putare valet purum facere. Ideo antiqui purum putum appellarunt: ideo putator, quod arbores puras facit. *Id. R. R.* 2, 2. *med.* Sole exorto puto, propellunt. Alii leg. *puro*: alii censent *puto* esse verbum interjectum, ut *opinor*, etc. V. PUTO. *Lucr.* 4, 1068. Nunc certe puta est sanis magis inde voluptas. Alii leg. *pura*. *Cic. Att.* 2, 9. Quam bonam meis putissimis orationibus gratiam retulerit. ℙ Jungitur cum *purus*, et purissimum sincerissimumque significat. *Alfenus* ap. *Gell.* 6, 5. In foedere. quod inter populum R. et Carthaginienses factum est, scriptum invenitur, ut Carthaginienses quotquot annis populo R. darent certum pondus argenti puri puti. ℙ Translate. *Pl. Ps.* 4, 2, 31. Polymachaeroplacides purus putus est ipsus, *h. e.* verus, germanus: ipsus omnino est, non alius prorsus, non suppositicius; et *ib.* 7, 103. Purus putus hic sycophanta est. *Varr.* ap. *Non.* 1, 112. Mea igitur hecatombe pura ac puta. ℙ *Putus* substant. V. PUTILLUS.

PUXIS. V. PYXIS.

PY

PYCNĪTIS, ĭdis, f. πυκνῖτις, verbascum, herba: a πυκνὸς, densus, spissus, quia adstringendi vim habet. *Appul. Herb.* 71.

PYCNOCŌMON, i, n. πυκνόκομον, herba ap. *Plin.* 26, 8, 36. erucae foliis crassioribus, et acrioribus, radice rotunda lutei coloris, terram olente, caule quadrangulo modico, tenui, flore ocymi. Recentioribus botanicis incognita est, teste *Matthiolo*. Dicta est a πυκνὸς, densus, et κόμη, coma. [*Teste *Columna* est Scabiosa succisa, *L.* Teste *Spreng.* Leonurus Marrubiastrum, *L.*]

PYCNOSTYLOS. V. DIASTYLOS. ℙ Dicitur etiam pycnostylon, n. g. *Vitr.* 3, 3.

PYCTĀ et Pyctes, ae, m. πύκτης, Graeca appellatione est idem qui pugil. *Sen. Contr.* 1, 3. *med.* Hoc male mihi facit ille, qui aut athleta, aut pyctes est. *Plin.* 7, 47, 48. Consecratus est vivus sentiensque Euthymus pycta, semper Olympiae victor, et semel victus. *Phaedr.* 4, 24. Victoris laudem cuidam pyctae ut scriberet. V. PUGIL. ℙ Translate de gallis gallinaceis ad pugnae spectaculum commissis. *Colum.* 8, 2. Rixosarum avium lanistae totum plerumque patrimonium, pignus aleae, victor gallinaceus pyctes abstulit. V. LANISTA. ℙ Quod *pyctas* et *pugiles catervarios* distinguit opt. not. *Inscr.* ap. *Gud.* 106, 1., teste *Burm.* ad *Suet. Aug.* 45., ubi *pugiles Latini* a *Graecis* distinguuntur, hoc significare videtur, *pyctas* fuisse, qui Graeco more pugnarent, *pugiles*, qui Romano. Distinguit etiam *Tert. Jejun.* 17. *f.* Saginentur pugiles, et pyctae Olympici; et *Not. Tir.* p. 174. Podiarius, pycta, pancratiastes, pugil.

PYCTĀCIUM. V. PITTACIUM.

PYCTĀLIS, e, adj. ad pyctam pertinens. *Serv.* ad *A.* 5, 373. Amycus, qui a Polluce victus est pyctali certamine.

PYCTOMACHĀRĬUS, ii, m. idem qui pycta: a πυκτομάχομαι, pugilatu certo, *Firm. Math.* 8, 8.

*PYDĀRAS, ae, m. Thraciae fluvius, qui et Atyras dictus, inter Byzantium et Selymbriam in Propontidem cadens. *Plin.* 4, 11. Pydaras, sive Atyras. *B. A.*

[PYDNAEUS, a, um, adj. Πυδναῖος, ad Pydnam pertinens, Macedoniae urbem maritimam ad sinum Thermaicum, clade Persei nobilitatam, quae nunc *Kitro*. Hinc *Pydnaei, orum*, incolae illius urbis. *Liv.* 44, 45. Ipse propius mare ad Pydnam castra movit. Pydnaei, qui proximi erant, nondum miserant legatos. *F.*]

[PYĔLUS, i, m. πύελος, labrum balneatorium, in quo lavatur, solium. *Pl. Stich.* 4, 1, 62. Postea ibo lavatum in pyelum. Sic *Lambinus* et *Salm.* legendum pro *pilum* recte putarunt, atque ita edidit *Bothe*. *F.*]

PYGĀ. V. PUGA.

PYGARGUS, i, m. πύγαργος, genus aquilae: a πυγὴ, nates, clunes, et ἀργὸς, albus: nam non tantum anus ei albis vestitur plumis, quod pluribus aquilis commune, sed tota cauda pennas habet albicantes. *Plin.* 10, 3, 3. Secundi generis pygargus in oppidis mansitat, et in campis, albicante cauda. [*Teste *Billerb.* Falco Albicilla, *L.*] ℙ Est et caprae silvestris genus, quod ab albis clunium pilis idem nomen adeptum est. *Plin.* 8, 53, 79. Sunt et damae, et pygargi, et strepsicerotes, multaque alia haud dissimilia. *Juven.* 11, 138. apud quem Sumine cum magno lepus, atque aper, et pygargus, Et Scythicae volucres. V. RETRIOR.

PYGĬĀCUS vel

PYGĬSĬĀCUS, a, um, adj. qui ad nates pertinet: a πυγὴ, nates, vel πυγίζω, nates ferio. *Petr. Sat.* 140. Non distulit puellam invitare ad pygiaca sacra. Alii leg. *pygisiaca*, *h. e.* ad concubitum, qui *Venus pendula* dicitur. V. PENDULUS.

[PYGMĒ, es, f. πυγμὴ, certamen gymnicum, qui et pugilatus Latine dicitur. *Inscr.*, quae pertinet ad IV. a Chr. n. saeculum, ap. *Fabr.* p. 100. *n.* 226., q. v. in PAMMACHUM. *F.*]

PYGMAEI, orum, m. plur. Πυγμαῖοι, pop. Indiae, in extrema parte montium, supra Astomos, qui auctore *Plin.* 7, 2, 2., trium spithamarum, seu trium dodrantium staturam non excedunt, vel, ut *Gellius* 9, 4. scribit, non ultra duos pedes cum dimidio longi sunt. Dicti sunt a πυγμὴ, qua notat spatium a cubito ad digitos clausos, sive spatium sex digitis cubito brevius, quia tanta eorum statura creditur. Casas ex ovorum putaminibus, pennis, et luto sibi construunt: Aristoteles in cavernis habitare tradit. *Plin. l. c. Juven.* 6, 504. breviorque videtur Virgine Pygmaea, nullis adjuta cothurnis. ℙ Fama est, Pygmaeos armatos sagittis, insidentes arietum, caprarumque dorsis, veris tempore, universo agmine ad mare descendere, et ova, pullosque (*gruum*) consumere, ternis eam expeditionem mensibus confici, aliter futuris gregibus non resisti. *Plin. l. c.* ℙ Fuere item Pygmaei in Thracia. Hi cum Geraniam urbem tenerent, a gruibus fugati novas sibi sedes quaerere sunt coacti. *Plin.* 4, 11, 18. Hinc *Juvenal.* 13, 167. Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram Pygmaeus parvis currit bellator in armis: Mox impar hosti, raptusque per aera curvis Unguibus, a saeva fertur grue. ℙ Item fuere in Caria. *Plin.* 5, 29, 29.

PYGMĀLĬON, onis, m. Πυγμαλίων, filius Cilicis, nepos Agenoris, pronepos Beli prisci, qui cum statuam muliebrem a se affabre factam deperiret, ea a Venere animata, voti compos factus, ex ea Paphum filium genuit. *Ov. Met.* 10. a *v.* 243. et *Arnob.* 6, 206. ℙ Pygmalion alter, filius Beli junioris, frater Didonis, cum ardentissima auri cupiditate flagraret, Sichaeum sacerdotem Herculis, maritum Didonis, cui magnae, sed dissimulatae opes erant, clam et dolo ante aras interemit. Cujus caedis cum certior in somnis a marito Dido facta fuisset, sumptis secum thesauris fugit in Africam, ubi Carthaginem condidit. *Just.* 18, 4.

PYGMĀLĬŌNĔUS, a, um, adj. a Pygmalione, Πυγμαλιώνειος. *Sil.* 6, 532. Pygmalioneam tentarem expromere gentem, *h. e.* Carthaginienses. *Id.* 1, 21. Pygmalioneae terrae, *h. e.* Sidoniae.

PYLĀDES, ae, m. Πυλάδης, filius Strophii, regis Phoecidis, indissolubili amicitiae vinculo cum Oreste junctus. Nam cum Clytaemnestra, ab Aegistho adultero adjuta, Agamemnonem occidisset, Strophius Orestem adhuc puerum certissimae neci subduxit, et in regno suo una cum Pylade educavit. Postea cum Oreste gratia vindicandae paternae mortis, matrem peremisset, eamque ob rem in furorem conversus esset, Pylades illi perpetuus comes fuit omnium profectionum, et socius periculorum. Itaque ad Tauricam usque Chersonesum Orestem secutus est, in qua cum rex Thoas Orestem interficere vellet, neque agnosceret uter eorum esset Orestes, tanto in se invicem amore fuerunt, ut Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur, Orestes ita, ut erat, Orestem se esse affirmaret, ne amicus interficeretur. *Cic. Am.* 7. et *Fin.* 2, 24. *extr.*, *Ov. Trist.* 1, 9, 27. et *Pont.* 3, 12. a *v.* 67. et *Hyg. fab.* 119. et 120. ℙ Per antonomasiam de quocumque fideli amico dicitur. *Ov. Rem. Am.* 589. Semper habe Pyladen, qui consoletur Oresten. *Mart.* 6, 11. Ut praestem Pyladen, aliquis mihi praestet Oresten. ℙ Inclinatur et *Pylades, is. Id.* 10, 11. Teque putas Pyladi, Calliodore, parem. *Cic. Fin.* 2, 24. *f.* Si esses Orestes, Pyladem refelleres. ℙ *Pylades* fuit etiam pantomimus sub Augusto, cujus meminit *Suet. Aug.* 45., *Sen. Excerpt. controv. praef.* 3. et *Macrob. Sat.* 2, 7.

PYLĀDĔUS, a, um, adj. a Pylade, ut Pyladea amicitia. *Cic. Fin.* 2, 26.

PYLAE, arum, f. plur. πύλαι, Graece portas significant. Dicuntur etiam de angusto aditu inter duos montes, ut est ap. *Curt.* 3, 4. Hinc Pylae nomen est aliquot oppidorum apud geopraphos. *Curt. ib.* et *Liv.* 36, 16. *f.* *Adde *Cic. Att.* 5, 20. ℙ Praeterea Pylae est nomen insularum duarum exadversus sinum Avalitem sitarum. V. *Pseudopylae. B. A.*

[PYLAEMĒNĬUS, a, um, adj. ad Pylaemenen pertinens, Paphlagoniae regem, cujus *Liv.* 1, 1. meminit. *Plin.* 6, 2, 2. Gens Paphlagonia, quam Pylaemeniam aliqui dixerunt. *F.*]

PYLĀĬCUS, a, um, adj. ad Pylas, seu Thermopylas pertinens, ut Pylaicum concilium, ap. *Liv.* 31,

32. et Pylaicus conventus, ap. *eund.* 33, 35., qui apud Graecos haberi ibidem solebat, et a loco nomen habuit, qui, ut *Id.* 36, 15. ait, Pylae, et ab aliis, quia calidae aquae in ipsis faucibus sunt, Thermopylae appellatur.

*PYLE, es, f. opp. Arcadiae. *Plin.* 4, 6. ℙ *Πύλαι* est *Steph. Byz. B. A.*

*PYLENE, es, f. *Πύλληνη*, urbs Aetoliae. *Plin.* 4, 2. *Stat. Th.* 4, 102. et 8, 483. *B. A.*

PYLĬUS, a, um, adj. a Pylo oppido, Nestoris patria, qui proinde et *Pylius* dicitur. *Ov. Pont.* 1, 4, 10. Crede mihi, Pylio Nestore major ero. *Id. Met.* 2, 684. Pylii agri. *Id. Trist.* 5, 5, 684. Aequarint Pylios cum tua fata dies. *Mart.* 8, 2. Pylia senecta. ℙ *Pylii, orum*, sunt Pyli incolae ap. *Mel.* 2, 3.

PYLOS, vel Pylus, i, f. *Πύλος*, nomen trium oppidorum Peloponnesi, quae singula Nestorem civem dicunt esse suum. Horum primum nunc dicitur *Navarino*, in Messenia, quod vere Nestoris patriam fuisse testatur *Eustathius;* alterum est in Arcadia; tertium in Elide. *Ov. Her.* 1, 63. Nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva, Misimus: incerta est fama remissa Pylo. *Id. Met.* 6, 428. et Nelea Pylos. *Sen. Herc. Fur.* 561. Nestorea Pylos.

*PYNDIS, Aethiopiae oppidum, vel fortasse Aethiopiae Aegyptoque conterminum. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

PYRA, ae, f. *πυρά*, ignis rogi, vel strues lignorum ad cremanda cadavera: a *πῦρ*, ignis. *Serv.* ad *A.* 11, 185. Pyra est lignorum congeries. Rogus, cum jam ardere coeperit, dicitur. Bustum vero jam exustum vocatur. Quem ordinem servat poeta dicens, Constituere pyras. Item, Subjectisque ignibus atris ter circum accensos decurrere rogos. Item postea, Semustaque servant busta. Haec *Servius*, cujus tamen observatio perpetua non est: dicitur enim pyra et de rogo accenso. *Auct. B. Afr.* 91. Maximam in medio foro pyram construxerat. *Ov. Ib.* 36. Quem vetus accensa separat ira pyra. ℙ *Item loci nomen in monte Oeta, ubi Herculis crematum corpus mortale. *Liv.* 36, 30. *B. A.*

PYRACMON, onis, m. *Πυράκμων*, unus e tribus Cyclopibus, qui in Aetnaea officina ferrum versabant, et fulmina Jovi parabant. *Virg. A.* 8, 424. Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro, Brontesque, Steropesque, et nudus membra Pyracmon. V. BRONTES.

*PYRACMOS, i, nomen viri proprium ap. *Ov. Met.* 12, 460. *B. A.*

*PYRAE, arum, vetus Latii opp. *Plin.* 3, 5. Ultra fuit oppidum Pyrae. ℙ Item loci nomen in Aegypto. *Id.* 37, 10. Aromatites — in Arabia traditur gigni, sed in Aegypto circa Pyras. *B. A.*

*PYRAEI, orum, gens Illyrica. *Mela* 2, 3. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

PYRĂLIS, is, f. *πυραλίς*, parvum animal pennatum, al. pyraustes, magnitudine muscae, ex igne proveniens: *ἀπὸ τοῦ πυρός. Plin.* 11, 36, 42. ex *Arist.* Siquidem in Cypri aerariis fornacibus ex medio igni majoris muscae magnitudinis volat pennatum quadrupes: appellatur pyralis, a quibusdam pyrausta. Quamdiu est in igne, vivit, cum evasit paulo longiore volatu, emoritur. Haec *Plin.*

PYRĂMĔUS, a, um, adj. a Pyramo, ut Pyramea arbor, *h. e.* morus, sub qua Pyramus gladio incumbens se ipsum interfecit. *Ser. Samm.* 29, 553.

PYRĂMĬDĀTUS, a, um, adj. *πυραμιδωτός, πυραμιδοειδής*, factus in formam pyramidis. *Cic. N. D.* 1, 24. Esse corpuscula quaedam laevia, alia aspera, rotunda alia, partim autem angulata, et quaedam pyramidata, curvata quaedam, et quasi adunca. Quaedam exemplaria omittunt haec verba, *et quaedam pyramidata.* [*Ita *Orell.*]

PYRĂMIS, idis, f. *πυραμίς*, moles, quae ex basi lata paulatim in acutum fastigium desinit: a *πῦρ*, ignis, quia ejus figuram imitatur, ut habet *Ammian.* 22, 15. *f., Etym.* vero *M.* et *Steph. Byz.* deducunt a *πυρός*, triticum, quia nempe rex Pharao, Josephi monitu, undique congestum triticum in pyramidibus conservaverit: sed *Zoegae*, aliorumque potius sententia amplectenda videtur, quam refert *Wagnerus* ad *Ammian. l. c.*, scilicet vocem esse ex Hebr. et Arab. רום *rum*, eminuit, praefixo Aegyptio articulo *pi*, a Graecis deinde in *πυ* converso, et Graeca terminatione *ις* addita, ita ut *πυραμὶς* significet domum altam et aeternam, quae sepulcri loco fuerit regibus, quos cum *Plin.* 36, 12, 16. recte dixeris *tantae vanitatis auctores.* V. plura huc pertinentia ap. *Orell.* ad *Philon. Byz. lib. de VII. orbis spectac. p.* 80. *Cic. N. D.* 2, 18. Conum tibi ais, et cylindrum, et pyramidem pulcriorem, quam sphaeram, videri. ℙ Hujusmodi moles in Aepypto usitatae fuerunt. Erant quadrangulares, ab imo latissimae, et assurgebant ultra omnem omnino altitudinem, quae humanis manibus confici potest. Hinc inter septem orbis miracula recensentur. Excogitatae primum a regibus fuerunt, ne pecuniam successoribus, aut aemulis insidiantibus praeberent, aut ne plebs esset otiosa. Multa de his *Plin.* 36, 12. *Mart. Spect.* 1. Barbara pyramidum sileat miracula Memphis. ℙ Translate est *τὸ αἰδοῖον ἀῤῥενικὸν. Auct. Priap.* 64. Libidinoso tenta pyramis nervo. [*Multa hic ex suis adjecit *F.*]

PYRĂMUS, i, m. *Πύραμος*, adolescens Babylonius, qui Thisbes vicinae puellae mutuo amore captus eidem persuasit, ut deceptis custodibus, in solitudinem quandam extra urbem ad se conveniret. Quo cum puella prior venisset, conspecto leone, trepida profugit ad silvas, relicto prae festinatione amiculo, quod inventum leo dilaceravit. Veniens deinde in locum constitutum Pyramus, cum Thisbes amiculum a fera dilaceratum agnovisset, arbitratus, ipsam a leone esse devoratam, doloris impatientia, quo accinctus erat, gladio se ipse interemit. Thisbe, cum posito timore ex silva rediisset, Pyramumque ex vulnere adhuc palpitantem vidisset, exempto ex vulnere gladio, sibi etiam mortem conscivit. *Ov. Met.* 4, 55. et sqq. ℙ *Fuit et Pyramus, *Πύραμος*, Ciliciae amnis. *Cic. Fam.* 3, 11. *Mela* 1, 13. *Plin.* 5, 27. *Curt.* 3, 4. et 7. Adde *Avien Descript. orb.* 1030. ubi prior syllaba producta legitur, contra *Dionysii* auctoritatem, qui in *Perieg.* 868. antepenultimam Graecae vocis corripit. *B. A.*

*PYRANTE, es, una e quinquaginta Danai filiabus. *Hyg. fab.* 170. ℙ Ejus soror

*PYRANTHIS, idis, f. *Id. ib. B. A.*

PYRAUSTES et Pyrausta, ae, m. *πυραύστης*, insectum, de quo V. in PYRALIS.

PYREN, enis, f. *πυρήν*, genus gemmae. *Plin.* 37, 11, 73. Pyren ab olivae nucleo dicta est (Graece enim *πυρὴν* nucleum significat): huic aliquando inesse piscium spinae videntur.

PYRĒNAEUS, i, et Pyrenaeus mons, Pyrenaei, orum, et Pyrenaei montes, *Πυρήναιος*, mons Hispaniae maximus, qui Hispaniam a Gallia separat. Extenditur ab ortu aequinoctiali in occasum brumalem, idest a templo, seu portu Veneris in ora maris mediterranei usque ad fanum S. Sebastiani in ora Oceani Cantabrici. *Sil.* 3, 415. At Pyrenaei frondosa cacumina montis. *Auson. ep.* 24, 69. Bimaris juga ninguida Pyrenaei. *Flor.* 2, 6. *med.* Hispaniam totam a Pyrenaeis montibus in Herculis columnas recuperavit. *Plin.* 16, 16, 28. Buxus Pyrenaeis montibus plurima. *Sen. Q. N. praef.* 1. Pyrenaeus medium inter Gallias et Hispanias jugum extollit. ℙ *Pyrenaea Venus* dicta est, quae ad Pyrenaeos montes templum habuit. *Plin.* 3, 3, 4. ℙ *Pyrenaeae nives* ap. *Lucan.* 4, 83. Jamque Pyrenaeae, quas nunquam solvere Titan Evaluit, fluxere nives. Primam *Lucan.* corripit, quam alii producunt. *Claud. in Eutrop.* 1, 406. Teutonicus vomer, Pyrenaeique juvenci. Adde *B. Get.* 200. et *Laud. Ser.* 77. et V. PYRENE.

PYRĒNAĬCUS, a, um, adj. ad Pyrenaeum pertinens. *Auson. de Urbib. in Narbone*, 13, 6. Qua Pyrenaicis nivibus dirimuntur Iberi. Al. leg. *Pyrenaeis.*

PYRĒNE, es, f. *Πυρήνη*, filia Bebrycis, quae in Pyrenaeo monte ab Hercule compressa, atque a feris laniata, ibi sepulta est. Hinc mons dictus est Pyrene, et Pyrenaeus. Rem narrat *Sil.* 3. a *v.* 420. V. BEBRYCES et BEBRYCIUS. De ipso monte *Lucan.* 1, 688. nunc desuper Alpis Nubiferae colles atque aeriam Pyrenen Abripimur. *Sil.* 3, 417. Pyrene celsa nimbosi verticis arce Divisos Celtis late prospectat Iberos. ℙ Interdum de ipsa Hispania dicitur. *Id.* 16, 247. domitis Pyrenes gentibus; et *ib.* 279. variosque subacta Pyrene misit populos. Adde 15, 454. ℙ Primam syllabam corripit *Tibull.* 1, 8, 9. Tarbella Pyrene Testis, et Oceani litora Santonici.

PYRĒNEUS, i, m. trisyll. *Πυρενεύς*, rex Thraciae, qui Daulidem Phocidis urb. occupavit, ubi cum quodam die pluvioso Musas ad Parnassum euntes vidisset, invitavit, ut domum suam subirent, donec pluvia cessaret. Cum vero jam imber cessaret, Musaeque discedere vellent, Pyreneus clausis foribus, illis vim inferre parabat. At Musae in aves conversae evolaverunt. Quas cum persequi vellet, ex arce se dans praecipitem, caput terrae illisit, sicque exspiravit. *Ov. Met.* 5. a *v.* 274. ubi *v.* 287. claudit sua tecta Pyreneus, Vimque parat.

PYRETHRUM, i, n. *πύρεθρον*, herba, quam alii salivarem vocant, alii draconem, foliis, et caule dauco silvestri, et foeniculo similibus, linguam adurens, et mordicans. Ejus folia in acetariis probantur, radice utuntur pigmentarii. *Plin.* 28, 9, 42., *Scrib Comp.* 9, 55. etc. *Cels.* 5, 4. etc. *Ov. A. Am.* 2, 418. Tritaque in annoso flava pyrethra mero. [**Bertram*, Anthemis Pyrethrum *L.*]

*PYRĒTUS, i, m. nomen proprium Centauri. *Ov. Met.* 12, 449. Quid tibi victorem gemini Periphanta Pyreti. *B. A.*

[PYRGENSIS, e, adj. ad Pyrgos pertinens, maritimam Etruriae urbem nunc dirutam, in cujus vicinia est *S. Severa.* Ejus meminere *Virg. A.* 10, 184., *Plin.* 3, 6, 8., aliique. *Lucil.* ap. *Serv.* ad *Virg. l. c.* Pyrgensia scorta. *Liv.* 25, 3. M. Postumius Pyrgensis publicanus. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Amadut. Anecd. Rom.* T. 1. p. 459., haud longe a Pyrgis reperta, emendatior ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 257. Asclepio Salutari Aug. sacr. in honore patris Pyrgensis L. Volumnius Carus de suo fecit. *F.*]

PYRGIS, is, f. nomen herbae, quae et lingua canis, et cynoglosson dicitur. *Appul. H.* 96.

*PYRGO, us vel onis, f. nutrix filiorum Priami. *Virg. A.* 5, 645. *B. A.*

PYRGOPŌLĪNĪCES, ae, et is, m. *Πυργοπολίνικης*, nomen militis gloriosi ap. *Pl. Mil.* 1, 1, 56. et 4, 2, 9. a *πύργος*, turris, *πόλις*, urbs, et *νίκη*, victoria, *h. e.* turrium et urbium victor. *Sidon. ep.* 1, 9. *f.* Volo paginam glorioso, idest quasi Thrasoniano, fine concludere, Plautini Pyrgopolinicis imitator.

PYRGŌTĔLES, is, m. *Πυργοτέλης*, gemmarum sculptor nobilissimus, a quo solo Alexander M. se in gemmis sculpi passus est, edicto vetans, ne ab aliis sculperetur. *Plin.* 37, 1, 4. et 7, 37, 35.

PYRGUS, i, m. *πύργος*, Graece turrim significat. *Liv.* 27, 32. Postero ad castellum (Pyrgum vocant) copias eduxit. ℙ Est etiam genus vasis cavitate sessili, quo conjecti tali agitantur, antequam in alveolum emittantur: ita dictus a turriculae figura. *Hor. Sat.* 2, 7, 16. qui pro se tolleret, atque Mitteret in pyrgum talos. V. PHIMUS. *Sidon. ep.* 8, 12. *med.* Hic te tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus exspectat.

[PYRĪNUS, a, um, adj. *πύρινος*, igneus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 417, 3. Sex. Coelius Pyrinus. *F.*]

PYRĬO, as, a. 1. calefacio, a *πυριάω*, foveo. *Petr. fragm. Trag.* 73. *Burm.* In solio quod Trimalchioni pyriabatur. Alii aliter leg.

PYRIPHLĔGETHON, ontis, m. *πυριφλεγέθων*, igni ardens, urens, inflammans: a *πῦρ*, ignis, et *φλεγέθω*, uro. Igneus Inferorum fluvius (qui *Phlegethon* frequentius dicitur) sic vocatur. *Cic. N. D.* 3, 17., *Tert. Apol.* 47. *f., Arnob.* 2, 52. et *Capell.* 2, 40.

PYRĪTES, ae, m. *πυρίτης λίθος*, lapis molaris, a *πῦρ*, ignis, quia plurimus ignis illi insit, vel quia aegerrime quidem ignem accipit, semel tamen acceptum diutissime conservat, vel quia igni resistit, ideoque focis idoneus est. *Plin.* 36, 19, 30. Molarem quidam pyritem vocant, quoniam sit plurimus ignis illi. ℙ Item lapis quidam, a quo aes conflatur. *Plin. ib.* Sed est alius etiamnum pyrites, similitudine aeris. In Cypro eum reperiri volunt, et in metallis, quae sunt circa Acarnaniam, unum argenteo colore, alterum aureo, etc. ℙ Item lapis ille, quem nos igniarium dicimus, quidam etiam vivum silicem vocant, qui percussus ferreo instrumento, vel altero lapide scintillas edit; a *πῦρ*, ignis, quia plurimum habet ignis. *Plin. ib.* ℙ Denique gemma eadem, quae *pyritis:* de qua in v. sq. *Prisc. Perieg.* 987. Nec non pyrites, digitos qui strictus adurit. Hic licenter prima syllaba producitur. *

PYRĪTIS, is, f. *ἡ πυρῖτις λίθος*, gemma nigri coloris. *Plin.* 37, 11, 72. Pyritis nigra quidem, sed attritu digitos adurit.

*PYRNOS vel Pyrnus, i, f. opp. Cariae. *Plin.* 5, 28. *B. A.*

PYROBŌLĀRĬI, orum, m. plur. qui *πυροβόλους*, h. e. ignita tela, jaculantur: a *πῦρ*, ignis, et *βάλλω*, jacio. *Firm. Math.* 8, 10. Sub sidere Caniculae nascentur venatores, arenarii, pyrobolarii, et qui in populi conspectu cum feris per caveas pugnent. Ita legit *Beroaldus* in notis ad *Appul. Met.* 4.; sed ap. *Firm. l. c.* deest vox *pyrobolarii*, nec ea quidem hic locum habet.

PYRŌCŌRAX vel Pyrrhocorax, ăcis, m. *πυροκόραξ*, avis alpina, nigro colore, rostro luteo. *Plin.* 10, 48, 68.

PYRODES, ae, m. *Πυρώδης*, filius Cilicis, qui primus e silice excussisse ignem dicitur. Nam Prometheum dicunt ignem asservasse in ferula. *Plin.* 7, 56, 57.

*PYROGĔRI, orum, populi Thraciae, quorum meminit *Plin.* 4, 11. *B. A.*

PYRŌIS, entis, m. *Πυρόεις*, sidus Martis, ita dictus ab igneo colore. *Colum.* 10, 290. Sic micat et rutilus Pyrois, et rore corusco, etc. Adde *Auson. Idyll.* 18, 12. et *Capell.* 8. p. 287. Habet etiam *Cic. N. D.* 2, 20., sed Graece. ℙ Est etiam unus ex equis Solis. *Val. Fl.* 5, 432. Et formidantem patrios Pyroenta dolores. V. AETHON. Adde *Ov. Met.* 2, 153., ubi *Pyroeis* scriptum est, servata Graeca diphthongo.

*PYROMACHUS, i, m. *Πυρόμαχος*, nobilis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8, 20. et 24. *B. A.*

[PYROMĒNUS, a, nm, adj. *πυρώμενος*, inflammatus, qui inflammatione, *h. e. φλογώσει* laborat: part. pass. a *πυρόω*, accendo. *Not. Tir.* p. 180. Ictericus, pyromenus. *F.*

PYROPOECĬLOS Lapis, *πυροποίκιλος*, genus lapidis igneis velut punctis distinctum: a *πῦρ*, ignis, et *ποίκιλος*, varius, idem ac Syenites ac Thebaicus lapis. *Plin.* 36, 8, 13. *n.* 2. et *ib.* 22, 43.

PYROPUS, i, m. *πυρωπός*, mixtura quatuor partium aeris, et quintae auri. Sic dicitur, quia habet *πυρὸς ὠπα*, hoc est ignis faciem. *Plin.* 34, 8, 20. Aes in uncias additis auri scrupulis senis, praetenui pyropi bractea ignescit. *Ov. Met.* 2, 2. flammasque imitante pyropo. *Propert.* 4, 10, 21. Picta nec inducta fulgebat parma pyropo.

[PYROSACHNĒ, es, f. *πυρὸς ἄχνη*, frutex: ita appellatus a *πυρὸς*, triticum, et *ἄχνη*, gluma. *Plin.* 13, 21, 35. Frutex, in quo nascitur granum Gnidium, quod aliqui linum vocant. Fruticem vero thymelaeam, alii chamelaeam, alii pyrosachnen, alii cnestron, alii cneoron. V. COCCUM et CNEORON. *F.*]

[PYROSAGRIOS, ii, m. *πυρὸς ἄγριος*, herba quae

et chelidonia: ita appellata a *πυρρὸς*, triticum, et *ἄγριος*, agrestis. Ejus meminit *Appul Herb.* 73. *F.*]

*PYRPILE, es, f. *Πυρπίλη*, inter Deli insulae antiqua nomina refertur a *Plin.* 4, 12. *igne*, ut ait, *ibi primum reperto.* ℙ *Pyrpole* rectius scribendum censet *Salm.* ad *Solin.* p. 126. *B. A.*

*PYRPOLE. V. v. praec. *B. A.*

[PYRPOLE, es, f. *Πυρπόλη*, a *πῦρ*, ignis, et *πολέω*, versor. Ita cognominata est insula Delos, quoniam et ignitabula ibi, et ignis inventa sunt. Haec *Solin.* 11. *F.*]

PYRRHA, ae, f. *Πύρρα*, filia Epimethei, Deucalionis uxor, quae post diluvium, una cum marito, jactis post terga lapidibus, humanum genus fertur reparasse. *Ov. Met.* 1, 350. et sqq. V. DEUCALION. ℙ Graeca positione etiam *Pyrrhe* in recto casu dicitur. *Sen. Troad.* 1039. Et vir, et Pyrrhe, mare cum viderent. ℙ Fuit *Pyrrha* nomen Achillis, dum muliebri cultu in Scyro insula inter puellas latuit. *Hyg. fab.* 96. et *Sidon. carm.* 9, 138., nempe a colore comae, quoniam capillis flavis fuit: et Graece rufus *πυρρὸς* dicitur. ℙ De *Pyrrha* Lesbi oppido, V. PYRRHIAS.

PYRRHAEUS, a, um, adj. ad Pyrrham pertinens. *Stat. Th.* 8, 306. de Tellure: Prometheasque manus, Pyrrhaeaque saxa Gignis. ℙ *Item ad Pyrrham oppidum spectans. *Plin.* 16, 10. In Lesbo adcidit, incenso nemore Pyrrhaeo, *h. e.* Pyrrhae Lesbi oppido vicino. ℙ In illo *Plin.* 31, 2. In Pyrrhaea flumen, quod Aphrodisium vocatur, steriles facit; incertum est, quaenam sit regio *Pyrrhaea* dicta. Al. leg. *Pyrrha*; alii aliter. De parte Thessaliae intelligit *Hard.* citans *Steph. Byz. Πυρραία, μοῖρα Θεσσαλίας. B. A.*

*PYRRHEUM, i, n. locus in Ambracia, vel saltem Ambraciae pertinens. *Liv.* 38, 5. ℙ Revera fortasse adjectivum est, subaudito *castrum* vel *aedificium*; et sic dictum, quod a Pyrrho rege Epiri fuerit conditum. *B. A.*

*PYRRHIA, ae, nomen feminae ap. *Hor. ep.* 1, 13, 14. ℙ Nomen est ancillae in quadam fabula Titinnii, quae furata lanae glomos, ita gestavit, ut deprehensa sit. *Vet. Schol. Cruq.* ad l. *B. A.*

PYRRHIAS, ădis, f. *Πυρρίας*, ad Pyrrham pertinens, quod est oppidum Lesbi insulae, in ora occidentali, ap. *Plin.* 5, 31, 39. Hinc *Ov. Her.* 15, 15. Pyrrhiades, Methymniadesque puellae.

PYRRHICHA, ae, et Pyrrhiche, es, f. *πυρρίχη*, saltatio in armis, quae Lacedaemoniorum juventuti loco bellicae exercitationis erat, ut Aristoxenus scripsit: apud quos a quinto statim aetatis anno pueri incipiebant saltare armati, accinente interim aliquo carmen *ὑπορχηματικὸν*, ad cujus numeros motus componebant. Dicta est a Pyrrhicho Cretense, ex urbe Cydone, qui primus Cretenses sub armis saltare ad pyrrhichii pedis sonum instituit. Alii esse vocatam volunt a Pyrrho Achillis filio, quem dicunt primum in tumulo patris sui armatum honoris gratia saltavisse. *Plin.* 7, 56, 57. Saltationem armatam Curetes docuere, pyrrhichen Pyrrhus, utramque in Creta. Ubi pyrrhichen a saltatione in armis distinguit, non quasi sit plane diversa, sed quia rudior illa a Curetibus, ex arte a Pyrrho, vel potius Pyrrhicho Cretense. Alii ita distinguunt, ut pyrrhica fuerit equitum, saltatio armata peditum. Unde *Solin.* 11. de Creta: Pyrrho repertore, equestres turmas prima docuit lascivas vertigines implicare: ex qua disciplina bellicae rei ratio convaluit. *Suet. Caes.* 39. Pyrrhicham saltaverunt Asiae Bithyniaeque principum liberi. *Id. Ner.* 12. Exhibuit item pyrrhichas quasdam e numero epheborum. *Appul. Met.* 10. Pueri puellaeque virenti florentes aetatula, forma conspicui, veste nitidi, incessu gestuosi, Graecanicam saltantes pyrrhicam, dispositis ordinationibus decoros ambitus inerrabant, nunc in orbe rotarum flexuosi, nunc in obliquam seriem connexi, et in quadrati patorem cuneati, et in catervae discidium separati. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 1, 4. Enimvero omnia istaec inter Graecos versus, Latina ita scite alternata sunt a te et interposita, ut est ille in pyrrhica versicolorum discursus, cum amicti cocco alii, alii luteo, et ostro, et purpura alii aliique cohaerentes concursant. *Auct. epigr.* in *Anthol. Lat.* T. 1. p. 626. *Burm.* Femineam maribus nam confert pyrrhicha classem, Et velut in morem militis arma movet. V. CATENOPLIUM. De *pyrrhicha* multa habet docte disputata *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 4. p. 57 — 70. *ed. Mediol.* ℙ *Pyrrhiche* est etiam ipsa saltatrix. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 302, 8. Naidi Caesaris vernae ex numero pyriche Onesimus conjugi, etc. *h. e.* saltatrici in ludo pyrrhiches. [*Multis hunc l. auxit atque emendavit *F.*]

PYRRHICHARIUS, seu Purrhicharius, ii, m. *πυρριχιστὴς*, qui armatus saltat. *Ulp. Dig.* 48, 19, 8. *f.* Quod instituuntur venatores, aut pyrrhicharii, aut in aliam quam voluptatem gesticulandi, vel aliter se movendi gratia.

[PYRRHICHISTA, ae, m. *πυρριχιστὴς*, qui pyrrhicham saltat. *Not. Tir.* p. 172. Citharista, pyrrhichista. *F.*]

PYRRHICHIUS, ii, m. *πυρρίχιος*, pes metricus constans ex duabus syllabis brevibus, ut *furor*, *age*. Dictus est a pyrrhicha, quia hoc sono milites sub armis per ludum utebantur. *Quint.* 9, 4. *med.*, *Diomed.* 3, 471. ℙ *Pyrrhichius versus*, pluribus pyrrhichiis pedibus constans, decurrit quidem, sed quantum celeritatis habet, tantum gravitatis amittit: ut illud *Ter. Eun.* 1, 1, 1. Quid igitur faciam? non eam, ne nunc quidem. *Quint.* 9, 4. *f.* Aliud hujus carminis exemplum V. ap. *Auson. Parent.* 27.

[PYRRHICHUS, i, m. et Pyrrhiche, es, f. adj. *πυρρίχιος*, et *πυρρίχη*, rufus, et rufa. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 202. *n.* 502. Claudius Pyrrhicus; et p. 334. n. 500. Permissu Juliorum Orientis, et Pyrriches. In utroque exemplo altera ex duabus aspirationibus deest. *F.*]

[PYRRHIDAE, arum, m. plur. iidem ac Epirotae, ita appellati a Pyrrho eorum rege. *Just.* 17, 3. Post Pyrrhus Achillis filius amisso per absentiam Trojanis temporibus paterno regno, in his locis consedit, qui Pyrrhidae primo, postea Epirotae dicti sunt. *F.*]

PYRRHO, onis, m. *Πύρρων*, philosophus Elidensis, filius Philistarchi. Primo pictor fuit, deinde Anasarchi discipulus. Vixit annos ferme nonaginta. Ejus sectatores Pyrrhonii dicuntur, et Sceptici, h. e. considerantes, quia omnia considerando et ambigendo tractant, nihilque affirmant. V. *Gell.* 11, 5. et *Cic. Or.* 3, 17.

PYRRHOCORAX. V. PYROCORAX.

PYRRHONII. V. PYRRHO.

PYRRHUS, i, m. *Πύρρος*, filius Achillis ex Deidamia Lycomedis filia, nepos Pelei et Thetidis, pronepos Aeaci et Aeginae, adnepos Jovis et Europae: ita dictus a *πυρρὸς*, rufus, id est a fulvo colore capillorum, teste *Serv.* ad *A.* 2, 468. Hic et Neoptolemus appellatus, quod admodum adolescentulus ad belli Trojani reliquias fuerit perductus. Erat enim in fatis, sine illo Trojam capi non posse. Fuit primus, id est princeps eorum, qui in equum ligneum ingressi sunt. In Ilii expugnatione primum Politem Priami filium, deinde et patrem ipsum interfecit. Polyxenam Achillis patris sui Manibus inferias misit. Postremus Graecorum omnium ex Troade discessit, Heleno Priami filio vetante, qui tempestatem prospexit, quam passi sunt Idomeneus, Ulysses, Ajax, et ceteri Graeciae principes. Abduxit secum Andromachen Hectoris uxorem, quae illi in praedae divisione obtigerat, et Helenum. Amisso per absentiam Trojanis temporibus paterno regno, quod erat in Thessalia, consedit in Molossia regione Epiri, quae prius fuit regnum Molossorum. Duxit uxorem Andromachen, ex qua, ut aliqui scribunt, genuit filium Molossum, fortasse etiam alium filium nomine Peripeleum. Sed cum in templum Dodonaei Jovis ad consulendum venisset, ibi Lanassam neptem Herculis rapuit. Igitur Andromachen uxorem tradidit Heleno filio Priami regis, et regnum Chaonum, ob illius industriam singularem, et praecipue, quod confecto bello Trojano tempestatem praedixerit, et Pyrrhum navigare prohibuit. Ex Lanassae matrimonio octo liberos sustulit, ex quibus nonnullas virgines nuptum finitimis regibus tradidit, opesque affinitatum auxilio magnas paravit. Ad extremum rapuit Hermionen filiam Menelai et Helenae, quae Orestae desponsata fuerat. Quare ab Oreste interfectus est in templo Apollinis Delphici, inter altaria, ope Macharei, al. Macrei, sacerdotis. *Just.* 17, 3, et *Serv. var. in loc.* ℙ Pyrrhus alter, similiter rex Epiri, sive Epirotarum, qui ex Achille et ipse, Peleo, Aeaco, et Jove genus ducebat. Hic est ille Pyrrhus, qui strenuissime cum Romanis, et Carthaginiensibus plurima bella gessit. Demum in Spartae obsidione, cum inter primos pugnaret, ictu lapidis interfectus est. V. *Just.* 25, 3, 4. et 5. ℙ **Pyrrhi castra* loci nomen fuit in Laconia. *Liv.* 35, 27. ℙ Nomen recepit a Pyrrho Achillis filio, et fortasse idem est, qui *Πυρρίχιος* audit *Paus. Lacon.* 25. ℙ *Pyrrhi castra* etiam dictus est locus in Epiro, teste *Liv.* 32, 13. *B. A.*

[PYRSUS, i, m. *πυρσὸς*, fax. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 962, 5. M. Livius Pyrsus. *F.*]

PYRUM et Pyrus. V. PIRUM et PIRUS.

PYSMA, ātis, n. quaesitum, interrogatio: *πύσμα* a *πυθω*, interrogo. Differt ab erotemate, cui una voce responderi potest: pysmati autem, cum plura simul quaerendo complectatur, non nisi pluribus satisfieri potest. Haec *Capell.* 5, 171. *Adde *Aquil. Roman. de fig. sent. et eloc.* p. 152. ed. *Ruhnk. B. A.*

*PYSTIRA, insula maris Aegaei, Smyrnae adjacens. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

PYTHAGORAS, ae, m. *Πυθαγόρας*, philosophus Samius, teste *Ov. Met.* 15, 60., filius Demarati locupletis negotiatoris, al. Mnesarchi annulorum sculptoris: ita dictus, quod non minus vera, quam Pythii Apollinis oraculum, loqueretur; a *Πύθιος* epithet. Apollinis, et *ἀγορὰ*, oratio. Magnis sapientiae incrementis ornatus primo in Aegyptum profectus est, deinde astrologiae, Chaldaicaeque disciplinae cupidus Babylonem se contulit. Ex Oriente regressus in Cretam, et Lacedaemonem ad cognoscendas Minois, et Lycurgi inclytas ea tempestate leges contendit. Post haec in patriam rediens, cum eam a Polycrate tyranno occupatam vidisset, secessit in Peloponnesum. Primus se *philosophum* nominavit, h. e. sapientiae amatorem; cum ceteri per ea tempora se sapientes dicerent. Postea in Italiam venit, in eam partem, quae Magna Graecia dicta est, sedemque Crotone figens, magno auditorum affluxu philosophiam professus est, docuitque et privatim, et publice. Venit in Italiam, *Cic.* teste *Tusc.* 4, 1., L. Tarquinio Superbo regnante. *Liv.* 1, 18. scribit Servio Tullio regnante venisse. Auctor fuit metempsychoseos, idest transmigrationis animarum, docens, animas post mortem de corporibus in corpora transire, et animas hominum quandoque in bestias mitti. Hinc esus carnium prohibebat. Dicebat, se in bello Trojano fuisse Euphorbum Panthoi filium, qui interfectus a Menelao iterum revixisset in Homerum, postea in pavonem, deinde in Pythagoram. Hic postremo dicitur renatus in Q. Ennium poetam. Hinc *Pers.* 6, 10. Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse Maeonides Quintus pavone ex Pythagoreo. ℙ Discipulis suis interdicebat, ne faba vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus tranquillitati mentis quaerentis vera contrariam. V. FABA. ℙ Silentium quoque iis maxime commendabat, jubebatque per quinquentium religiosissime servare, ut scribit *Laert.* Quare ii ob id *ἀκουσματικοὶ* dicti sunt. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 157. At non Pythagorae monitus, annique silentes. ℙ Discipuli Pythagorae in disputando rationem non afferebant, sed magistri auctoritatem, et dicebant, *αὐτὸς ἔφα, ipse dixit.* V. IPSE. ℙ Cum viginti annos Crotone egisset, Metapontum migravit, ibique decessit. Illius tanta admiratio fuit, ut ex domo ejus templum facerent, eumque pro Deo colerent. *Just.* 20, 4. ℙ Littera Pythagorae est Y. Veteres philosophi huic litterae duas illas vias compararunt, quarum altera virtutis est, altera vitiorum. Dicebant enim, ut est ap. *Lact.* 6, 3., humanae vitae cursum illi esse similem, quia unusquisque hominum, cum primum adolescentiae limen attigerit, et in eum locum venerit, partes ubi se via fidit in ambas (*Virg. A.* 6, 540.), haereat nutabundus, ac nesciat, in quam se partem potius inclinet. Hujus comparationis auctor Pythagoras fuisse dicitur. *Auson. Idyll.* 12, 9. de Litteris: Pythagorae bivium ramis pateo ambiguis Y. *Pers.* 3, 56. Et tibi quae Samios deduxit littera ramos, Surgentem dextro monstravit limite callem. V. PRODICIUS. ℙ *Fuere et tres hoc nomine inclyti statuarii; quorum unus Rheginus, teste *Plin.* 34, 8. ℙ alter, Leontinus, teste *eod. ib.* ℙ tertius denique Samius, prius pictor. *Id. ib. B. A.*

PYTHAGOREUS, a, um, adj. *Πυθαγόρειος*, ad Pythagoram pertinens. *Hor. Ep.* 2, 1, 52. Pythagorea somnia. *Pers.* 6, 11. Pythagoreus pavo. V. v. praec. *Cato R. R.* 157. *in lemmate.* Pythagorea brassica, *h. e.* a Pythagora impense commendata, ut est ap. *Plin.* 20, 9, 33. ℙ *Pythagorei, orum*, philosophi discipuli et asseclae Pythagorae. *Cic. Or.* 2, 37. Referta quondam Italia Pythagoreorum fuit.

PYTHAGORICUS, a, um, adj. Pythagoreus, ut Pythagorica prudentia, *Val. Max.* 4, 7. *n.* 1. *extr.* philosophia. *Plin.* 13, 13, 27. ℙ *Pythagorici, orum*, Pythagorae discipuli, aut sectatores. *Cic. Div.* 1, 30. Pythagoricis interdictum ne faba vescerentur.

PYTHAGORISSO, as, n. l. *πυθαγορίζω*, Pythagoricus sum. *Appul. Flor. n.* 15. Noster Plato pythagorissat.

PYTHAULA et Pythaules, ae, m. *πυθαύλης*, tibicen, qui Pythium carmen tibia canit, *h. e.* Apollinis Pythii laudes. Inde enim nomen primo habuit, quasi *Pythiaules. Hyg. fab.* 273. His quoque ludis pythaules, qui Pythia cantaverat, septem habuit palliatos, qui voce cantaverunt: unde postea appellatus est choraules. ℙ Ad illos etiam appellatio translata est, qui in comoediis, tragoediisque canebant, praesertim in canticis, et ubi alicujus laudes persequi contingeret. *Diomed.* 3, 489. Quando chorus canebat, choricis tibiis, id est choraulicis, artifex concinebat: in canticis autem, pythaulicis responsabat. *Varr.* ap. *Non.* 2, 743. Priusquam in orchestra pythaules inflet tibias, domi suae ramices rumpit. *Sen. ep.* 76. Ingenti studio, quis sit pythaules bonus, judicatur: habet tibicen quoque Graecus, et praeco concursum. *Vopisc. Carin.* 19. Exhibuit et centum camptaulas, choraulas centum, etiam pythaulas centum. *Salmas.* hic eos refellit, qui *pithaules* scribunt, et a *πίθος*, dolium, deducunt: ut pithaules fuerit, qui doliolo aere pleno tibias inflaret, quemadmodum ascaules utre. *Voss.* quoque *Instit. poet.* 2, 37. eos reprehendit, qui *πειθαύλης* esse putant, a cantus dulcedine, et suadela, quae Graecis *Πειθώ*.

[PYTHAULICUS, a, um, adj. ad pythaulen pertinens. V. v. praec. *F.*]

PYTHIA, ae, f. *Πυθία*, Phoebas, sive sacerdos Apollinis Delphici, al. Pytho, quae *ὄλμῳ*, seu tripodi divaricatis cruribus insidens subeuntem excipiebat cum halitu per genitalia spiritum, inde repleta furore, crinibusque resolutis, ac spumas ore emittens, de rebus cum futuris, tum dubiis respondebat. *Cic. Div.* 1, 19. Mentem Pythiae divino afflatu concitabat. Adde *Nep. Milt.* 1.

PYTHIA, orum, n. plur. *Πύθια*, sacrum certamen in Apollinis Pythii honorem. Instituta dicuntur ob caedem Pythonis serpentis, et inde nominata.

Ov. Met. 1, 446. Instituit sacros celebri certamine ludos, Pythia, perdomitae serpentis nomine dictos. ℙ Victores hujus certaminis, teste *Luciano*, lauro coronabantur. *Plin.* 35, 9, 35. Phidias certavit cum Timagora Chalcidense, superatus ab eo Pythiis. V. PYTHIONICES.

*PYTHĬAS, adis, f. servae nomen ap. *Ter.* in *Eun.* ℙ Ita *Hor. A. P.* 238. Pythias ancilla est in comoedia Lucilii, teste *Vet. Schol. Cruq.* ad l. *B. A.*

PYTHĬCUS, a, um, adj. idem ac Pythius. *Liv.* 5, 15. Pythicum oraculum. *Id. ib.* 23. Pythicae sortes. *Tert. adv. Gnost.* 6. Carthago donata Pythico agone. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 10. Pythica divinatio.

PYTHĬON, ii, n. genus bulbi, *πυθίων*. *Plin.* 19, 5, 30.

*PYTHĬON, onis, m. *Πυθιών*, Rhodius, scripsit de re rustica. *Varr. R. R.* 1, 1. *B. A.*

*PYTHIONĬA, ae, f. insula maris Ionii, Corcyrae propinqua. *Plin.* 4, 12. ed. *Hard.*, ubi ed. *Elzev.* habet *Pytionia*. *B. A.*

[PYTHĬONĪCES, ae, m. *πυθιονίκης*, qui Pythiis ludis vicit: a Pythia, et *νίκη*, victoria. *Not. Tir.* p. 174. Pythia, pythionices. V. ISTHMIONICES. *f.*]

*PYTHĬS, is, m. eximius sculptor et pictor, quem tamen a Timagora Chalcidensi apud Delphos in picturae certamine superatum narrat *Plin.* 35, 9. Meminit eti m *Id.* 36, 5. *B. A.*

*PYTHĬUM, i, n. *Πύθιον*, opp. Thessaliae. *Liv.* 42, 53. et 44, 2, 32. et 35. *B. A.*

PYTHĬUS, a, um, adj. ad Pythium, seu Apollinem pertinens. *Prop.* 3, 11, 52. Dum petit intonsi Pythia regna Dei, *h. e.* Delphos. *Juven.* 13, 199. Pythia vates. *Cic. Div.* 1, 1. Pythium oraculum. *Lucan.* 6, 425. Non tripodas Phoebi, non Pythia consulit antra. *Mar. Victor.* 1962. Pythium metrum; et *Diomed.* 3, 493. Pythius versus.

PYTHĬUS, ii, m. *Πύθιος*, cognomen Apollinis a Pythone dracone, quem ipse Junonis nutu immissum, secundum poetarum fabulas, in prima infantio sagittis interfecit. *Ov. Met.* 1. a v. 438. *Hor. Od.* 1, 16, 5. non adytis quatit Mentem sacerdotum incola Pythius. V. *Macr. Sat.* 1, 17. *med.*

*PYTHO, onis, m. nomen viri ap. *Liv.* 44, 12. et 16. *B. A.*

PYTHO, us, f. *Πυθώ*, urbs Graeciae, eadem ac Delphi, sic dicta, quia ibi Apollo sub serpentis symbolo colebatur, quod Pythonem puer sagittis occidisset. *Tibull.* 2, 3, 27. Delos ubi nunc, Phoebe, tua est? ubi Delphica Pytho? *Lucan.* 5, 134. barbarica cum lampade Pytho Arsit.

*PYTHODĬCUS, i, m. *Πυθόδικος*, insignis statuarius, de quo *Plin.* 34, 8. *B. A.*

*PYTHODŌRUS, i, m. *Πυθόδωρος*, nobilis statuarius, Thebanus. *Plin.* 36, 5. *B. A.*

PYTHON, onis, m. *Πύθων*, ingens quidam draco, natus ex putredine terrae post diluvium Deucalionis, qui ab Apolline sagittis interfectus est. *Ov. Met.* 1. a v. 438. rem pluribus narrat; et *Macr. Sat.* 1, 17. *med.* interpretatur. *Claud.* in *Ruf. praef.* 1, 1. Phoebeo domitus Python cum decidit arcu. *Lucan.* 6, 408. hinc maxima serpens Descendit Python; et 5, 80. adhuc rudibus Paean Pythona sagittis Explicuit. ℙ *Python* dicitur etiam ventriloquus, qui Apolline inspirante loqui putabatur. V. PYTHONISSA.

PYTHONĬCUS, a, um, adj. ad Pythonem, vel ad Apollinem pertinens. *Tert. Anim.* 28. *f.* Scimus, etiam magos elicere explorandis occultis per Pythonicos spiritus.

PYTHONĬON, n. herba, alio nomine dracontea. *Appul. Herb.* 4, et 14.

[PYTHONISSĂ, ae, f. mulier fatidica, quae et ventriloqua erat. *Not. Tir.* p. 174. Pithon, Pythonissa. V. PYTHON et VENTRILOQUUS. *f.*]

*PYTHONOS COMĒ, es, f. *Πύθωνος κώμη*, Pythonis (serpentis) vicus, locus fuit in Asia, de quo *Plin.* 10, 23. Pythonos comen vocant in Asia patentibus campis, ubi congregatae inter se *(ciconiae)* commurmurant, eamque, quae novissima advenit, lacerant, atque ita abeunt. Adde *Solin.* 40. (al. 53.) *extr. B. A.*

*PYTHOPŌLIS, is, f. *Πυθόπολις*, urbs Bithyniae, ad Soloentem fluvium. *Plin.* 5, 32. *B. A.*

*PYTHUS, i, m. pilam lusoriam invenit, teste *Plin.* 7, 56. *B. A.*

PYTISMĂ, atis, n. *πύτισμα*, sputum: a *pytisso*, de quo infra. *Vitr.* 7, 4. *f.* In conviviis quod poculis, et pytismatis effunditur, simul atque cadit, siccescit. Alii perperam leg. *sputismatis. Juven.* 11, 173. Qui Lacedaemonium pytismate lubricat orbem, *h. e.* mensam e marmore Lacedaemonio (alii intelligunt pavimentum) spuendo, vel saliva ex ore effundente se ex crebro potu, madefacit, et lubricam reddit. Alii leg. *pedemate*, *h. e.* saltatione: a *πηδάω*, salio. Alii *pelteumate*, *h. e.* crebro talorum usu (nam *πεττὸς* calculum lusorium significat) terit quodam modo, et levigat mensam e marmore Lacedaemonio. Alii *pitysmate*, *h. e.* trocho e pinu, quae arbor Graece est *πιτύς*. Alii denique alia comminiscuntur. V. LACEDAEMONIUS *f.*

PYTISSO, as, n. I. *πιτύζω*, a *πτύω*, exspuo. Significat leviter vinum degustare explorandi gratia, et degustatum exspuere, ut *Donat.* docet ad illud *Ter. Heaut.* 3, 1, 48. Nam ut alia omittam, pytissando modo mihi quid vini absumpsit! sic hoc, dicens, asperum, pater: aliud lenius, sodes, vide. Alii scrib. *pitisso*, h. e. modice et per intervalla gustandi gratia bibo: a *πίνω*, seu *πίνω*, bibo.

PYXĂCANTHUS, i, m. et f. *πυξάκανθα*, frutex spinosus, cubitalibus ramis, foliis buxi: a *πύξος*, buxus, et *ἄκανθα*, spina. *Plin.* 12, 7, 16. et 24, 14, 7. Spinam ipsam in Graecia quidam pyxacanthum Chironium vocant. [*Buxdorn, Rhamnus lycioides, *L.*]

PYXĂGATHUS, i, m. *πὺξ ἀγαθὸς*, pugnis vel pugno strenuus, bonus pyctes. *Mart.* 7, 57. Castora de Polluce Gabinia fecit Achillam: Pyxagathus fuerat, nunc erit Hippodamus. Respicit ad illud *Hom. Il.* 3, 237. *Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα.* Jocus autem quaeritur in ambiguitate vocis *πὺξ*, quae adverbium est, et *pugnis* significat, quaeque etiam pro *πυγῇ*, nates usurpatur. Ita Achillas, qui prius *πὺξ ἀγαθὸς*, *h. e.* puer strenue pathicus erat, et paediconibus suis gratificari solitus, nunc repente *ἱππόδαμος*, *h. e.* equorum domitor factus Gabiniam inequitat.

PYXĬDĀTUS, a, um, adj. in modum pyxidis formatus. *Plin.* 31, 6, 31. de aquaed.: Ceterum a fonte duci fictilibus tubis utilissimum est, crassitudine binum digitorum, commissuris pyxidatis, ita ut superior intret. *Vitr.* de eadem re verba faciens, 8, 7. Sed ita ut hi tubuli ex una parte sint lingulati, ut alius in alium inire, convenireque possint; et *Pall.* 9, 11. Fictilibus tubis cum ducitur, duobus digitis crassi, et ex una parte reddantur angusti, ut palmi spatio unus in alterum possit intrare. Illustrat haec illud *Plin.* 9, 10, 12. Dentes non sunt testudini, sed rostri margines acuti, superna parte inferiorem claudente pyxidum modo.

PYXĬDĬCŬLA, ae, f. *πυξίδιον*, dimin. pyxidis. *Cels.* 6, 6. *n.* 5. Liquidum collyrium pyxidicula servatur.

PYXĪNUM, i, n. nomen collyrii, quod describitur a *Cels.* 6, 6. *n.* 25. et fortasse ex eo nomen habet, quia buxeo vase seu pyxide servatur. V. TRIPUXINUM.

*PYXIRĀTES, ae, Euphrates fluvius versus scaturigines suas dictus est. *Plin.* 5, 34. *B. A.*

PYXIS, idis, f. *πύξις*, proprie est vasculum e buxo excavatum, teres, et operculo in ipsum vas intrante (V. PYXIDATUS) clausum: a *πύξος*, buxus: sed translate accipitur pro vase parvo ex quacumque materia, ut ait *Quint.* 8, 6. *med.* et *Sen. Ben.* 5, 13. *med.*, ad continenda ea, quae plurimum interest bene clausa servari, ne corrumpantur, ut medicamenta, venena, odores, et hujusmodi. *Cic. Coel.* 25. Pyxidem veneni alicui tradere. *Suet. Ner.* 47. Venenum in auream pyxidem conditum. *Juven.* 13, 25. partos gladio, vel pyxide nummos, *h. e.* veneno: metonymia. *Suet. Ner.* 12. Barbam primam posuit, conditamque in auream pyxidem Jovi Capitolino consecravit. Adde *Petr. Sat.* 29. *Sen. ep.* 95. *med.* Nihil opus erat tam magna medicorum suppellectile, nec tot ferramentis, atque pyxidibus. *Plin.* 28, 18, 76. Aerea pyxide medicamentum condere; et 29, 6, 38. In argentea pyxide servare; et *ib.* 2, 10. In stannea pyxide condere. *Id.* 21, 20, 81. Crocum asservatur cornea pyxide. *Id.* 32, 10, 47. Psilothrum plumbea pyxide asservatur. ℙ Pertinet ad instrumentum mundi muliebris. *Mart.* 9, 38. Cum sis ipsa domi, mediaque ornere Suburra, Fiant absentes et tibi, Galla, comae: Nec dentes aliter, quam serica, nocte reponas, Et jaceas centum condita pyxidibus. *Petr. Sat.* 110. Ancilla corymbio dominae pueri adornat caput, immo supercilia profert de pyxide, sciteque jacturae lineamenta secuta, totam illi formam suam reddidit, *h. e.* ad similitudinem superciliorum quae prius deraserat, alia ficticia apponit. *Paul. Sentent.* 3. *tit.* 7. *f.* Mundo muliebri legato ea cedunt, per quae mundior mulier, lautiorque efficitur, velut speculum, conchae, situli: item pyxides, unguenta, et vasa, in quibus ea sunt. ℙ A similitudine pyxidem ferream ponit *Plin.* 18, 11, 29. *n.* 2. in primori parte pili, quo zeae granum in pila lignea tunditur ad alicam faciendam: et videtur significare ferrum teres et cavum instar pyxidis, quodque *Id. ib.* 10, 23. fistulam serratam, et *Cato R. R.* 10. fistulam farrariam vocant. V. FISTULA. ℙ Latino more scribitur et *puxis*, ut *Sulla* pro *Sylla*, et *mus* pro *μῦς*. *Scrib. Comp.* 228. Medicamentum puxide nigri plumbi reponere.

*PYXĪTES, ae, m. fluvius Colchidis. *Plin.* 6, 4. *B. A.*

*PYXUS, untis, f. *Πυξοῦς*, Graecum nomen Buxenti, Lucaniae oppidi. *Plin.* 3, 5. *B. A.*

Q

Q in mutis litteris numeratur. Hanc veteres ignorabant. Unde scribebant *oblicus*, non *obliquus*, *locuntur*, non *loquuntur*, ut testantur vetustissimi codices. Postquam vero inventa fuit, nonnulli putaverunt, non litteram, sed notam esse duas in se litteras continentem, C et U, quare scribere instituerunt *qis*, *qid*, *qaeret*, absque *u*, ut *Velius Longus* ait 1219., quod alii *cuis*, *cuid*, *cuaeret* scribere malebant. Sic *acuae* pro *aquae* ap. *Grut.* 593, 5. Contra alii pro C aut K ponebant Q., ut *pequnia*, *mequm*, *pequdes*, et alia quae leguntur ap. *eund. var. in locis.* Supervacanea dicitur, sicut et K, quoniam C potest implere earum vicem, et propter nihil aliud scribenda videtur, nisi ut U vocalem, semper post se sequentem, in eadem syllaba cum altera vocali conjungat, quae alioqui conjungi non posset: obliquioremque, et pinguiorem efficiat sonum. *Quint.* 12, 10. *med.* Duras et illa syllabas facit, quae ad conjungendas demum subjectas sibi vocales est utilis: alias supervacua, ut cum Equum, ac Equos scribimus, cum etiam ipsae eae vocales duae efficiant sonum, qualis apud Graecos nullus est, ideoque scribi illorum literis non potest. ℙ Ap. antiquissimos Graecos haec eadem littera erat media inter *H* et *P*, ut nunc apud Latinos est inter P et R; et numerum nonaginta apud eosdem etiamnum significat; ejus vero forma erat q, quae similis profecto est Latinorum Q. Id patet ex *Quint.* 1, 4. *med.* Et Q, cujus similis effectu specieque, nisi quod paulum a nostris obliquatur, Koppa apud Graecos nunc tantum in numero manet. V. *Eckhel. D. N. V.* T. 4. p. 390. ℙ In praenominibus sola ponitur, et valet *Quintus*, ut Q. Fabius Maximus, Q. Caecilius Metellus. Est etiam nota honoris, *Quaestorem* indicans: nec minus populum, cum ea notamus *Quirites. Diomed.* 2, 419. ℙ Nonnunquam est nota particulae *que*, ut cum scribimus S. P. Q. R. *senatus populusque Romanus:* et D. N. M. Q. E. *devotus numini majestatique ejus*, in antiq. Inscriptionib. ℙ [*Confund. *Q.* et *Quirini.* V. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* LX. sq. — Q. et *T. praenn. Id.* ad *Cic. Off.* 2. p. 399.]

QOEPPE et coeppe, quippe. Legitur in *Pandect. Flor.* ap. *Torrent.* 37, 4, 8. *f.* et *ib.* 41, 2, 18. ut monuit *Briss. in Παρεργ. n.* 2.

QUĀ, adv. *πῇ*, *ᾗ*, *ᾗχι*, *ὅπῃ*, qua via, per quem locum, qua parte: [*est abl. fem. pronom. relat. *qui*, *quae*, *quod*, intell. vel parte, vel ratione: nostr. *wo*, *wie*, *in wie fern:* significatque illum, quo vel loco, vel modo aliquid fieri possit. A) De loco: ubi nusquam motum per locum denotat, ut *Forc.* docuerat, sed statum in loco, ubi res qualiscunque perficitur: quamquam cum verbis motum in locum aliq. indicantibus saepissime conjungitur.] *Cic. Caecin.* 8. Iste ad omnes introitus, qua adiri poterat in eum fundum, armatos opponit. *Nep. Milt.* 3. Pontem fecit in Istro flumine, qua copias traduceret; et *Eum.* 8. Duae erant viae, qua ad hibernacula posset perveniri. *Ov. Met.* 5, 290. Quaque via est vobis, erit et mihi, dixit, eadem. *Cic. Phil.* 3, 8. In templum ipse nescio qua, per Gallorum cuniculum adscendit. *Nep. Cim.* 2. *extr.* His ex manubiis arx Athenarum, qua ad meridiem vergit, est ornata. *Caes. B. G.* 1, 38. Reliquum spatium, qua flumen intermittit, mons continet. *Ov. Her.* 2, 113. Qua patet umbrosum Rhodope glacialis ad Haemum. *Id. Met.* 14, 361. Plurima qua silva est. ℙ Item ex quo loco, unde. *Tac. A.* 3, 1. Complentur non modo portus, et proxima muris, sed moenia ac tecta, quaque longissime prospectari poterat. *Virg. A.* 2, 752. muros obscuraque limina portae, Qua gressum extuleram, repeto. ℙ Item quacumque parte. *Ov. Met.* 1, 241. qua terra patet, fera regnat Erinnys. *Sall. Jug.* 108. Omnia qua visus erat, constrata telis, armis, cadaveribus. *Cic. Or.* 1, 16. Quo minus ei liceat vagari, qua velit. ℙ B) Item qua ratione, quomodo. *Virg. A.* 1, 680. Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem. Alii leg. *quo*, teste *Pierio. Cic. Phil.* 6, 3. Ante praedico, M. Antonium delectus, qua possit, habiturum. *Ov. Pont.* 2, 4, 33. Constantique fide veterem tutare sodalem, Qua licet, et quantum non onerosus ero. *Virg. A.* 11, 292. coeant in foedera dextrae, Qua datur. Adde *Ter. Ad.* 4, 5, 56. ℙ Item in quantum, quatenus. *Liv.* 39, 48. *extr.* Statui non ultra attingere externa, nisi qua Romanis cohaerent rebus. *Quint.* 4, 1. *med.* Aut assumere in causam naturas eorum, qua competent, aut mitigare, qua repugnabant, oportebit. *Paul. Dig.* 35, 2, 63. In praesentia non qua filius alicujus, sed qua homo aestimatur. Ita *Torrent.* Alii leg. *quasi.* [**Sen. Q. N.* 3, 14. Aegyptii ignem vocant masculum, qua ardet flamma; et feminam, qua lucet innoxius tactu: q. l. laudat *Ramsh.* in *Gr. Lat.* §. 158. 5. p. 561. illud in nota docens: usurpari v. *qua* hac quidem significatione nonnisi ap. poetas et seriores prosae orationis scriptores. Adde *Tac. A.* 6, 10. qua occupandae reipubl. argui non poterant, ob lacrimas incusabantur.] ℙ In illo *Colum.* 11, 2. *med.* His diebus messis conficitur, et intra triginta dies, qua desecta est, etc. Jensoniana editio habet *quam:* quod planius et exploratius est. ℙ Saepe geminatum significat qua parte, vel partim, vel cum tum. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. *f.* Ita omnia convestit hedera, qua basim villae, qua intercolumnia ambulationis. *Plin. ep.* 6, 33. Ex superiore basilicae parte qua feminae, qua viri, et audiendi, et visendi studio imminebant. *Cic. Att.* 2, 19. Nam gladiatoribus, qua dominus, qua advocati sibilis conscissi; et *ib.* 15, 18. Intelligo, te distentissimum esse, qua de Buthrotiis, qua de Bruto; et *ib.* 9, 12. Quam expedita tua consilia, quam evigilata tuis co-

gitationibus, qua itineris, qua navigationis, qua congressus sermonisque cum Caesare! *Liv.* 2, 35. Usi sunt qua suis quisque, qua totius ordinis viribus. *Plin. Pan.* 33. Satisfactum qua civium, qua sociorum utilitatibus. *Pl. Trin.* 4, 3, 31. Mores rapere properant qua sacrum, qua publicum. ℙ [*Confund. *qua*, et *que a.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 234. — *Qua* et *quo.* V. *Brem.* ad *Nep. Milt.* 3, 1. Porro *qua* pro *quae* saepe librarii maxime in formula *si quae*, etc. posuerunt. V. *Wund. varr. lectt. praef.* p. 75 et 88.]

QUAAD. V. QUOAD.

QUĀCUMQUĔ, ὅπῃ, ἄν, per quamcumque viam, locum, partem; adverbium est motus per locum. *Cic. Verr.* 2, 1, 16. *f.* Quacumque iter fecit, ejusmodi fuit, etc. *Id. Fin.* 5, 2. Quacumque ingredimur, in aliquam historiam vestigium ponimus. *Id. Att.* 14, 17. *f.* Quacumque nos commovimus, ad Caesaris acta revocamur. *Virg. A.* 11, 762. Qua se cumque ferox medio tulit agmine virgo. ℙ Est etiam ubicumque. *Lucr.* 1, 507. Nam quacumque vacat spatium, quod inane vocamus, Corpus ea non est: qua porro cumque tenet se Corpus, ea vacuum nequaquam constat inane: tmesis. *Liv.* 24, 2. *f.* Quacumque custodiant plebis homines, ea patere aditum. *Plin.* 4, 11, 18. Romani omnia haec maria duobus nominibus appellant: Macedonicum, quacumque Macedoniam, aut Thraciam attingit: Graeciense, qua Graeciam alluit. Adde 17, 12, 18. ℙ Item undecumque. *Id.* 35, 10, 37. de Amulio pictore: Hujus erat Minerva spectantem aspectans, quacumque aspiceretur. *Id.* 2, 2, 2. Mundus convexus, mediusque quacumque cernatur.

QUĀDANTĔNUS, adv. μέχρι τινὸς, usque ad quandam partem, aliquatenus, aliquantum. *Plin.* 15, 28, 33. Citreis odor acerrimus, sapor asperrimus, quadantenus et cotoneis. *Id.* 24, 14, 76. Alterum rhamni genus est silvestre, nigrius, et quadantenus rubens. *Id. prooem.* 37. Quae fuerit origo gemmarum, diximus quadantenus in mentione auri annulorumque. Adde *Gell.* 17, 21. Tmesis est in illo *Hor. Ep.* 1, 1, 32. Est quadam prodire tenus, si non datur ultra. Alii leg. *quodam*, alii *quoddam:* sed *quadam* a *Bentl.* defenditur.

*QUADI, orum, Κουάδοι, prisca Germanorum gens, Marcomannis vicina, ad Istrum flumen, ubi nunc *Moravia*, quae sententia est *Cluverii. Tac. G.* 42, 43. *Eutr.* 8, 6. (al. 13.) Adde 9, 6. (al. 8.) *B. A.*

QUADRA, ae, f. τετράγωνον, res quaelibet quadrata figura. *Festus* in *Romanam:* Qui locus gradibus in quadram formatus est. *Vitr.* 3, 3. Uti quadrae, spinae, trunci, coronae, lysis, ad ipsum stylobatam conveniant, *h. e.* plinthi, ut *Philand.* et *Barbar.* interpretantur. *Id. ib. paulo post:* Una pars sit interior torus, altera pars cum suis quadris, scotia, *h. e.* cum suis regulis, quibus scotia clauditur, ut *Bald. in Lex.* interpretatur. *Id.* 10, 2. In quadris tignorum posterioribus figuntur chelonia: tigna enim ad quadratum sunt dolata. ℙ Praecipue sic dicitur mensa, in qua cibi apponuntur: quia olim forma quadrata fuit. *Varr. L. L.* 4, 25. Mensam escariam cibillam appellabant: ea erat quadrata, ut etiam nunc in castris est. *Virg. A.* 7, 114. Et violare manu malisque audacibus orbem Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris: Heus! etiam mensas consumimus? etc. *mensas* appellaverat etiam *ib.* 3, 257. et 394.; intelligit autem mensas paniceas, seu adorea liba, *h. e.* latas placentas ex farre, quas per herbam subjecerant epulis, ut *ib.* 109. loquitur. ℙ Hinc *aliena vivere quadra* ap. *Juven.* 5, 2. est parasitorum, qui aliorum mensas sordide sectantur, coenasque foris assidue captant. ℙ Praeterea est *quadra* quarta pars, et universim frustum, fragmentum cujusque rei. *Hor. Ep.* 1, 17, 49. Et mihi dividuo findetur munere quadra. *Mart.* 9, 92. Secta plurima quadra de placenta. Adde 3, 77. et 6, 75. *Id.* 12, 32. quadra casei Tolosatis. *Sen. Ben.* 4, 29. Quadra panis. ℙ [Est etiam cogn. R., ut Hostius Quadra, ap. *Sen. Q. N.* 1, 16. *F.*]

QUADRĀGENĀRĬUS, a, um, adj. qui in se continet quadraginta, ut Quadragenarius pupillus, ap. *Sen. ep.* 25., idest quadraginta annorum. Sic *Arnob.* 2, 60. Quadragenarium istum ad te voca: τεσσαρακοντούτην. ℙ *Quadragenaria fistula* ap. *Vitr.* 8, 7. et *Front. Aquaed.* 50. et 65. in aquaeductibus est, quae habet areae, idest luminis in rotundum coacti, digitos quadraginta. ℙ *Dolium quadragenarium* ap. *Cat. R. R.* 105. fortasse est quadraginta congiorum.

QUADRĀGĒNI, ae, a, adj. distributivum, ut terni, bini. *Cic. Verr.* 2, 1, 56. Columnae singulae sestertiis quadragenis millibus locatae. *Liv.* 1, 43. Octoginta confecit centurias, quadragenas seniorum, ac juniorum. *Plin.* 36, 8, 14. *n.* 2. Obelisci quatuor quadragenum octonum cubitorum longitudine; et 17, 23, 35. *n.* 22. Intervallum justum arborum, si aretur solum, quadrageni pedes in terga, frontemque. *Colum.* 12, 20. *med.* Ex hac compositione quantum in sextarios musti quadragenos octonos adjiciendum sit, incertum est. *Liv.* 38, 38. *f.* Obsides annorum quinum quadragenum. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Pyramides complures quadragenarum ulnarum. ℙ Ponitur et pro cardinali quadraginta. *Colum.* 5, 2. Centies vicies duceni quadrageni fiunt viginti octo millia et octingenti, *h. e.* numerus bis centum quadraginta multiplicatus per centum viginti efficit summam 28,800.

QUADRĀGĒSĬMUS, a, um, adj. τεσσαρακοστὸς, qui post triginta novem proxime sequitur. *Varr.* ap. *Gell.* 3, 10. Nono et quadragesimo die totus homo in utero absolvitur. *Cato R. R.* 23. Partem quadragesimam addito defruti in culeum. ℙ *Quadragesima* absolute, ap. *Suet. Cal.* 40. Pro litibus atque judiciis exigebatur quadragesima summae, de qua litigaretur. ℙ Item de vectigali, quo quadragesima pars pendebatur. *Tac. A.* 13, 51. Manet tamen abolitio quadragesimae, quinquagesimaeque, et quae alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerunt. *Suet. Vesp.* 1. Publicum quadragesimae in Asia egit. V. PUBLICUS. *Quint. decl.* 359. in *lemmate:* Praeter instrumenta itineris, omnes res quadragesimam publicano debeant. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 462, 2. C. Atius Alcimus Felicianus proc. quadrag. Galliarum. ℙ *Quadragensuma* ἀρχαϊκῶς pro quadragesima habetur in Galbae nummo ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 296. Quadragensuma remissa. In aliis vero nummis ap. *eund. ib.* legitur: Quadragens. remissa, vel XXXX. remissa, vel R. XXXX. ℙ Item de jejunio quadraginta dierum ante Pascha Christianis usitato. *Hieron. ep.* 41. *n.* 3. Nos unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum jejunamus, illi *(haeretici)* tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores.

QUADRĀGĬES, adv. τεσσαρακοντάκις, quater decies. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 47. de Catone: Ipse quadragies quater accusatus gloriose absolutus. ℙ Interdum per ellipsim adhibitum significat quadragies centena millia. *Cic. Fl.* 13. Sestertium ter, et quadragies. In antiqu. Inscriptionib. legitur etiam *quadragiens*, ut in *Monum. Ancyr. n.* 2. ap *Grut.* 230.

QUADRĀGĬNTĀ, adj. indecl. numerale, cardinale, τεσσαράκοντα, quater decem. *Cic. Rosc. Am.* 14. Annos natus magis quadraginta. *Catull.* 115, 1. habet instar triginta jugera prati, Quadraginta arvi; cetera sunt maria. *Pl. Most.* 3, 1, 102. et 120. Quatuor quadraginta minae, *h. e.* XXXXIV.

QUADRANGŪLĀTUS, a, um, adj. ut Quadrangulata turris, *Tert. Anim.* 17.

*QUADRANGŪLUM, i, n. τετράγωνον *Gloss. Lat. Gr. B. A.*

QUADRANGŪLUS, a, um, adj. τετράγωνος, quatuor angulos habens. *Plin.* 13, 22, 38. Intus granum quadrangula figura. *Id.* 25, 6, 27. Herba quadrangulo caule.

QUADRANS, antis, m. 3. τεταρτημόριον, quarta pars alicujus rei. Primo est quarta pars assis, *h. e.* tres unciae. Et quia asses, *h. e.* nummi, olim librales fuere, quadrans fuit moneta aerea trium unciarum, nota ratis impressa. *Plin.* 33, 3, 13. Nota aeris (*h. e.* assis) fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis: in triente vero, et quadrante rates. Quadrans antea teruncius vocatus a tribus unciis. *Paul.* ex *Festo* in *Ratitum.* Ratitum quadrantem dictum putant, quod in eo et triente ratis fuerit effigies, ut navis in asse. *Mart.* 2, 44. Et quadrans mihi nullus est in arca; et 7, 10. Quadrantem nemo jam tibi credet. *Petr. fragm. Trag.* 43. *Burm.* Paratus quadrantem de stercore mordicus tollere: *proverb.* de avaro sordido. ℙ Erat merces consueta balneatoris. *Hor. Sat.* 1, 3, 136. dum tu quadrante lavatum Rex ibis. Adde *Juven.* 6, 447. ℙ Centum quadrantes, *h. e.* asses XXV. erant sportula pauperiorum clientum, cum loco coenae pecunia dabatur. *Id.* 1, 120. densissima centum Quadrantes lectica petit. *Mart.* 10, 75. Sportula nos junxit quadrantibus arida centum. Adde *ib.* 70., 1, 60., 3, 7. et 6, 88. ℙ Quando as totam hereditatem significat, aut aliquam totam summam, *quadrans* est ejus quarta pars. *Suet. Caes.* 83. Instituit heredes sororum nepotes, C. Octavium ex dodrante, et L. Pinarium, et Q. Pedium ex quadrante reliquo. (Adde *Plin. ep.* 5, 7.) *Vell* 2, 23. Turpissimae legis auctor, qua creditoribus quadrantem solvi jusserat. ℙ In usuris est quarta pars centesimae quotannis solvenda. Adjective *Scaev. Dig.* 33, 1, 21. Pro ea pecunia computari cum eo usuras quadrantes. V. CENTESIMUS. ℙ In agris est quarta pars jugeri. *Colum.* 5, 1. Pars quarta *(jugeri)* pedes septem millia et ducentos, hoc est quadrans. ℙ Quadrans operae, est quarta pars diei operarii. *Id.* 2, 4. *med.* Jugerum proscinditur duabus operis, una iteratur, proscinditur dodrante, in liram satum redigitur quadrante operae. ℙ Quadrans diei, sex horae. *Plin.* 18, 25, 57. Ad CCCLXV. adjiciunt etiamnum intercalarios diei noctisque quadrantes. ℙ In ponderibus sunt tres unciae, quarta librae pars. *Mart.* 11, 105. Mittebas libram: quadrantem, Garrice, mittis. *Colum.* 12, 20. *med.* Myrrhae quincunx, calami pondo libram, casiae selibram, amomi pondo quadrans, croci quincunx, cripae pampinaceae libram; (v. *libram*, et *selibram* minus conveniunt cum rectis casibus *quincunx*, et *quadrans:* sed V. dicta in PONDO.) *Plin.* 23, 8, 80. Quadrantem pondo baccarum decoqui in aquae sextariis tribus. *Id.* 28, 9, 37. Axungia decoquitur quadrantis pondere in vini cyathis tribus. ℙ Hujus quadrantis nota constat ex tribus lineolis hoc modo ☰ vel ≋ (V. *Gron. de pecun. Vet.* 1, 6. et 85. et *Marin. Frat. Arv.* p. 228.) *Cato R. R.* 81. Mellis P. —, *h. e.* pondo seu libra, et quadrans seu tres unciae. ℙ In mensuris liquidorum et aridorum est quarta pars sextarii, *h. e.* cyathi tres: nam sextarius duodecim cyathos continet. *Mart.* 9, 94. Addere quid cessas, puer, immortale Falernum? Quadrantem duplica de seniore cado, *h. e.* porge mihi sex cyathos, quot nempe in nomine *Caesar* sunt litterae. *Cels.* 3, 15. Modicum cibum sumere, vini quadrantem, *h. e.* tres cyathos, ut *Id. ib.* 18. *med.* loquitur. *Varr. R. R.* 3, 14. *f.* et *Plin.* 9, 56, 82. Ut octoginta quadrantes caperent singularum *(cochlearum)* calices. ℙ Item quarta pars pedis, quo mensuramus, *h. e.* digiti quatuor: nam pes sexdecim continet. Haec mensura dicitur etiam *palmus minor.* V. PALMUS. *Gell.* 3, 10. *med.* Oresti corpus cubita longitudinis habens septem: quae faciunt pedes duodecim, et quadrantem. Adde 9, 4. *med.*

QUADRANTAL, alis, n. κύβος, figura ex omni parte quadrata, quales sunt cubi, et tesserae, quibus in alveolo luditur. In quamcumque enim partem incubuerint, immotam habent stabilitatem. *Gell.* 1, 20. ℙ Est etiam mensurae genus, pedem quaquaversum quadratum habens, continens octo congios, sextarios quadraginta octo, idem atque amphora, ut testatur *Fest.* in *Quadrantal*, et in *Publica pondera:* Graece κεράμιον. *Cato* ap. *Fest.* Vinum redemisti, praedia pro vini quadrantalibus sexaginta in publicum dedisti, vinum non dedisti. *Plin.* 14, 14, 16. Censores edixerunt, ne quis vinum Graecum Ammineumque octonis aeris singula quadrantalia venderet. *Cato R. R.* 57. *extr.* Eos *(servos)* non est nimium, in annos singulos vini quadrantalia decem ebibere. *Pl. Curc.* 1, 2, 14. *Phae.* Sitit haec anus. *Pa.* quantillum sitit? *Phae.* Modica est: capit quadrantal. *Pa.* Pol, ut tu praedicas, vindemia haec huic anui non satis est soli.

QUADRANTĀLIS, e, adj. quadrantem continens. *Plin.* 13, 15, 29. Mensa quatuor pedum, et semipedis per medium ambitum, crassitudine quadrantali: *idest* pedis quartae partis.

QUADRANTĀRĬUS, a, um, adj. τεταρτημοριαῖος, qui est ex quadrante. *Res quadrantaria* est balneum, quia quadrans fuit praemium balneatoris. *Sen. ep.* 86. *med.* Olim et pauca erant balnea, nec ullo cultu exornata. Cur enim ornaretur res quadrantaria, et in usum, non in oblectamenta reperta? ℙ Quadrantaria Clytaemnestra (ap. *Quint.* 8, 6. *med.*) dicta est a Coelio Clodia uxor Metelli Celeris, quia vili mercede corporis sui copiam faciebat. Ideo autem Clytaemnestra vocata est, quia quemadmodum illa Agamemnonem, ita haec maritum sustulerat. Alii quadrantariam dictam putant, quia a quodam callido amatore pro nummis argenteis quadrantes aerei quondam in ejus loculos immissi fuissent; quam rem narrat *Plutarch.* in *Cic.* Fortasse huc pertinet illud *Cic. Coel.* 26, ubi de eadem Clodia loquens, Nisi forte, inquit, mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori, *h. e.* vel propter corporis prostitutionem, quae in balneis praecipue a meretricibus fiebat, vel quia balneatori pro quadrante mercedem stupri dabat, familiaris illi esse potuit. Sed quod tempore *Quintiliani* aenigma erat, neque nisi quis interpretaretur, intelligi poterat: multo minus nunc sperare licet, clare evolvi posse. ℙ [*Quadrantariae tabulae* sunt, in quibus ratio habebatur de quadrante a debitoribus solvendo, quo totius assis debitum creditoribus satisfactum ex lege Valeria fuit. V. DODRANTARIUS. *F.*]

QUADRĀRĬI, ae, a, adj. quaterni. *Cato R. R.* 18. Vasa quadraria. [Alii rectius ex MSS. *quadrina* legunt, itaque edidit *Schneiderus. F.*]

QUADRĀTĀRĬUS, a, um, adj. ad quadratum pertinens. *Inscr.* ap. *Mur.* 2012, 2. Opus quadratarium Augurius Catullinus D. S. P. D. *h. e.* opus tessellatum, seu quadratis lapillis constans. ℙ *Quadratarius, ii*, absolute, est, qui litteras quadratas in marmore insculpendas curat. *Sidon. ep.* 3, 12. *med.* Carmen hoc quod consequetur, nocte proxima feci. Sed vide, ut vitium non faciat in marmore lapidicida; quod factum sive ab industria, seu per incuriam, mihi magis, quam quadratario, lividus lector adscribat. V. QUADRATUS. ℙ Item qui marmora ad amussim quadrat. *Imp. Constant. Cod.* 10, 64, 1. Quadrigarii, vel quadratarii, quos Graeco vocabulo πήκτας appellant. *Cujac.* pro πήκτας reponit λιθοθήκτας. *Vet. Auct. de limitib.* ap. *Goes.* p. 294. Vertices agrorum, qui sunt in montibus lapideis tantummodo, inductis quadratariis, ut firmius esset, quod naturaliter dolantes in montibus terminum eminentem constituerent. [*Emendavit hunc locum *F.*]

QUADRĀTĒ, adv. *Manil.* 2, 295. Ternaque bis senis quadrate fingere signis, *h. e.* cum duodecim sint Zodiaci signa, in tria quadrata, seu in tres partes, quae singulae quatuor contineant, ea dividere.

[QUADRĀTILLĀ, ae, f. dimin. quadratae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 327, 5. Acilia Quadratilla *F.*]

QUADRĀTIM, adv. quadrate. Agnoscitur a *Charis.* 2, 168., sed sine exemplis. *Laudat *Gesnerus Sosipatr. Institutionum* 1, 2. *B. A.*

[QUADRĀTĪNUS, a, um, adj. ad quadratum per-

tinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 56, 6. Maximus, et Rufus, et Quadratinus, etc. *F.*]

QUADRĀTIO, onis, f. quadratura, figura quadrata. *Vitr.* 4, 3. *f.* Agatur linea rotundationis, quae quadrationis angulos tangat.

*QUADRĀTOR, oris, m. qui lapides aliamve rem quadrat. *Cassiod. ep.* 2, 7. Marmorum quadratores. *B. A.*

QUADRĀTŪRĂ, ae, f. τετραγωνισμὸς, figura, vel res quadrata, ut Quadraturae vitreae, laminae vitreae quadratae, et pellucidae, quas loco tectorii parietibus inducebant ad ornatum. *Vopisc. Firm.* 3. Vitreis quadraturis bitumine, aliisque medicamentis insertis domum induxisse perhibetur. ℙ [Item terrae spatium in agris quadrata figura seu quatuor lineis parallelis clausum, h. e. quod *in quadro jacet*, ut ait *Vet. Auct. de limit.* p. 282. *Goes.* Hinc *Hyg. de limit.* p. 203. Limitem quemque diligenter agi oportet, et praecedere mensura cardinem, ut quadraturae diligenter cludi possint. ℙ Item ratio definiendae circularis superficiei ad quadrati dimensionem: [**die Quadratur des Zirkels.*] *Appul. Dogm. Plat.* 3. *med.* Non quod demonstrari nequeant, ut universitas maris, quae demonstrabilis non est, et ut circuli quadratura. *F.*]

*QUADRĀTUM, i, n. opp. Pannoniae. *Ant. Itin.* ℙ Aliud, in Liburnia, vel certe in Liburniae confinio. *Id. ib. B. A.*

QUADRĀTUS, a, um, part. a *quadro*: τετράγωνος, quatuor lineas rectas aequales habens, et totidem rectos angulos. *Front. in exposit. formar.* p. 30. *Goes.* Longitudinem per altitudinem metimur, deinde totam per crassitudinem, et sic efficiemus pedes quadratos, seu solidos. *Varr.* ap. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 4. Quadrata basis; et 17, 11, 16. Quadrati anguli, *h. e.* recti. *Id.* 33, 4, 21. Emissaria quina pedum quadratorum ternum. *Hor. Ep.* 1, 1, 100. Diruit, aedificat, mutat quadrata rotundis. ℙ *Quadratum* absolute, figura quadrata, corpus quadratum. *Cic. Tusc.* 1, 24. Pusionem quendam Socrates interrogat de dimensione quadrati. *Plin.* 18, 22, 51. Quaterna cubita soli in quadratum quaternis denariis venundantur. ℙ Ap. astrologos *quadratum* est, cum planeta, v. gr. sub quo quis nascitur, eo tempore distat ab alio sidere, puta a sole, quarta signiferi parte, h. e. trium signorum spatio: *triangulum*, cum tertia, h. e. quatuor signorum spatio. *Cic. Div.* 2, 42. Sic *Plin.* 2, 18, 16. Luna in quadrato solis dividua est, in triquetro seminani ambitur orbe, impletur autem in adverso. *Id. ib.* 19, 81. vocat haec *quadrata mundi.* ℙ [*Quadratus* absolute est marmor quadratum. *Cassiod. Var.* 2, 7. Marmorum quadrati, qui passim diruti negliguntur, etc. *F.*] ℙ *Quadratus* est etiam, qui quatuor lineis parallelis continetur, licet hae inaequales sint, et tandummodo ad angulum rectum dispositae. Hinc via, vel aliud opus lapide vel saxo quadrato structum opponitur ei, quod constat ex scilice, qui multilaterus et multangulus est. *Liv.* 10, 23. Semitam saxo quadrato a Capena porta ad Martis straverunt aediles curules. *Id.* 6, 4. *extr.* Capitolium saxo quadrato substructum est. *Front. Aquaed.* 124. Ductus, qui lapide quadrato consistunt. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 4. Fornices quadrati lapidis. ℙ Quadrata littera, major, et rectis quadratisque lineis deformata. *Petr. Sat.* 29. Canis ingens in pariete erat pictus, superque quadrata littera scriptum, CAVE CANEM. ℙ Statura quadrata, media, neque procera, neque humilis. *Suet. Vesp.* 20. Statura fuit quadrata, compactis firmisque membris. *Cels.* 2, 1. Corpus habilissimum quadratum est, neque gracile, neque obesum. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 2. Quadrata signa, *h. e.* statuae. *Colum.* 6, 1. Parandi sunt boves novelli, quadrati, grandibus membris, cornibus proceris, etc. *Id.* 7, 2. Pinguis situs proceras oves tolerat, gracilis quadratas; et *ib.* 12. de cane villatico: Probatur quadratus potius, quam longus, aut brevis. ℙ Quadratum agmen, acies ita disposita, ut quadratam quasi formam habeat, directis ordinibus, et ab omni parte milite firmatis, in medium receptis impedimentis, ut quacumque hostis incurrerit, facile et sine tumultu resisti possit. *Tibull.* 4, 1, 100. Tunc tibi non defit faciem componere pugnae: Seu sit opus, quadratum acies consistat in agmen, Rectus ut aequatis decurrat frontibus ordo: Seu, etc. *Varr.* ap. *Serv.* ad *A.* 12, 121. Duo genera agminum: quadratum, quod immixtis etiam jumentis incedit, ut ubivis possit consistere: pilatum alterum, quod sine jumentis incedit, sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca transmittatur. ℙ Hinc agmine quadrato incedere, paratum ad pugnam, tanquam si hostis sit in conspectu. *Sall. Jug.* 105. Neque tamen socors victoria, aut insolens factus; sed pariter ac in conspectu hostium, quadrato agmine incedere. *Sen. ep.* 59. *med.* Ire quadrato agmine exercitum, ubi hostis ab omni parte suspectus est, pugnae paratum. Adde *Cic. Phil.* 2, 42. et *ib.* 5, 7. et *ib.* 13, 8. *med.*, quibus locis, ad augendam in Antonium invidiam, quadrato agmine isse dicit in curiam, etc. quasi cives suos hostes judicaret. ℙ *Quadratum pallium*, τετράγωνον ἱμάτιον, ex duobus plagulis confectum, quarum utraque quadrata est, h. e. quatuor angulos habet: fibula in humeris nectitur, a lateribus utrinque apertum: cujusmodi sunt diaconorum in Ecclesia operantium. Ita *Ferrar. de re vest. var. in l.* Nam aliter *Salm.* ad *Tert. Pall.*, *Ruben.* etc. ut in re satis obscura, opinantur. V. PALLA. *Petr. Sat.* 135. Anus incincta quadrato pallio. ℙ *Quadratus numerus*, planus, ap. mathematicos est, qui ex ductu unius numeri in se nascitur, ut *quatuor*, quae fiunt ex multiplicatione binarii: quadratus undique, seu cubus est, qui fit ex radice in quadratum planum rursus ducta, ut si binarius ducatur in quaternarium, fit octonarius, qui est cubus. Hujus posterioris mentio fit a *Gell.* 1, 20. ℙ *Quadratus versus*, iambicus octonarius, qui quatuor habet combinationes vel mensuras. *Terent.* 2434. Sed hic trimetrus quando duplicem pedem A capite sumet, tunc quadratus dicitur, Idemque dictus est et octonarius. Ergo ante versum collocabo iambicum, Phaselus ille, quem videtis hospites. Quadratus iste talis effici potest: Adest celer phaselus ille, quem videtis hospites. *Gell.* duos ex *Ennio* tales refert versus 2, 29. *extr.* Alium ex eodem recitat 4, 7. quem quadrato numero factum dicit, ex septem, non octo iambis constantem. ℙ *Oratio quadrata*, in qua verba apte congruunt, ut quadrati lapides in structuris. *Quint.* 2, 5. Lenis et quadrata, sed virilis tamen compositio. *Diomed.* 2. *f.* structuram quadratam vocari ait, si in fine periodi paenultimus pes fuerit pyrrhichius, et paeon primus successerit: v. gr. *fugit vaniloquus.* ℙ *Quadrata Roma* (ap. *Fest.*) locus in Palatio ante templum Apollinis dicitur, ubi reposita sunt, quae solent boni ominis gratia in urbe condenda adhiberi: quia saxo munitus est initio in speciem quadratam. Ejus loci Ennius meminit, cum ait: Et quis exstiterit Romae regnare quadratae. *Solin.* 1. dicit, Romam primum dictam esse quadratam, quod ad aequilibrium foret posita. Quibus verbis significat totam Urbem, non locum in Urbe: et hoc videtur significare Ennii versus, quem alii ita leg.: *Et quis se sperat Romae regnare quadratae!* Fuse tamen *Salm.* errore lapsum *Solinum* conatur ostendere: [sed *Roma quadrata* videtur ideo recte dici potuisse tempore Romuli, quia tota urbs Palatino monte continebatur, qui quadratam figuram habet. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 239. L. Statius Quadratus Cos. scil. ann. a Chr. n. CXLII. *F.*]

[QUADRIANGULUS, a, um, adj. idem ac quadrangulus. *Auson. epigr.* 128. Muliebre membrum quadriangulum cernit. *F.*]

[QUADRIBACCIUM et Quadribacium, ii, n. gemmarum plexus ex quatuor baccis et bacis constans, ut *tribacca margarita*, quae tribus margaritis constat. *Inscr.* ap. *Mur.* 139, 1. In collo quadribacium margaritis N. XXXVI., zmaragdis N. XVIII., in clusuris duo, *h. e. collana a quattro rosette composte di trentasei perle, e di diciotto smeraldi, nel fermaglio due (smeraldi).* *F.*]

*QUADRIBURGUM, i, n. opp. Galliae Belgicae, ad Rhenum flumen. *Ammian.* 18, 2. ℙ *Burginacium* est *Ant.* in *Itin. B. A.*

QUADRICEPSOS. V. BICEPSOS.

QUADRIDENS, entis, adj. quatuor dentes habens. *Cato R. R.* 10. et 11. Rastros quadridentes duos.

QUADRIENNIS, e, adj. quatuor annos habens. *Flor.* 2, 6. Post primum Punicum bellum vix quadriennis requies. Alii leg. *quadriennii. Aurel. Vict. Epit.* 45. *extr.* Valentinianus adhuc quadriennis creatus est imperator.

QUADRIENNIUM, ii, n. τετραετία, quatuor annorum spatium. *Cic. Caecin.* 7. Fundus, quem quadriennium possedit Caesennia. *Id. opt. gen. or. f.* Quadriennio ante Philippi mortem. *Id. Sen.* 4. *in* Quaestor deinde quadriennio post factus sum.

QUADRIERIS, is, f. quadriremis, ut *trieris* triremis. *Inscr.* ap. *Mur.* 876, 3. [Ex Class. Pr. Mis. quadriere Fide. ℙ In *Not. Tir.* p. 177. legitur *quatrieris. F.*] *Vox est hybrida, cum prior vocabuli pars sit Latina, posterior Graeca. Purior esset vox *tetreris;* quemadmodum reperimus *trieris.* Graeca sunt τετρήρης, τριήρης. *B. A.*

QUADRIFARIAM, adv. τετραχῶς, in quatuor partes, quadripartito. *Varr.* ap. *Non.* 2, 181. Et ea, quae ad mortales pertinent, quadrifariam dispertierim, in homines, in loca, in tempora, in res. *Liv.* 38, 1. Conjurati quadrifariam se diviserunt: pars una Heracleam, altera Tetraphyliam petit, etc. *Suet. Vit.* 13. Epulas trifariam semper, interdum quadrifariam dispertiebat, in jentacula, et prandia, et coenas, comissationesque.

QUADRIFARITER, adv. quatuor modis. *Paul. Dig.* 38, 10, 10. *med.* Proavus quadrifariter intelligitur: est enim avi paterni, aut materni pater: item aviae paternae, aut maternae pater; et *infra:* Pronepos, et proneptis quadrifariter intelliguntur. Ita *Torrent.* et *Haloand.*, alii *quadrifariam.*

[QUADRIFARIUS, a, um, adj. quadruplex. V. BIFARIUS. *Cass. Var.* 3, 51. Colores (*aurigarum*) in vicem temporum quadrifaria divisione funduntur. V. FACTIO. *Id. ib.* 1, 45. Quadrifariae mathesis januae, *h. e.* quatuor artes matheseos. *F.*]

QUADRIFIDUS, a, um, adj. qui in quatuor partes fissus est, vel findi potest, fissilis. *Virg. G.* 2, 25. Quadrifidasque, sudes et acuto robore vallos. *Val. Fl.* 1, 662. de *Salmoneo:* cum fingeret alti Quadrifida trabe tela Jovis. *Virg. A.* 7, 509. Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis Scindebat. *Colum.* 4, 33. Taleae quadrifidas ridicas subministrant. ℙ Translate. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 268. Incipe quadrifidum Phoebi torquere laborem, *h. e.* solis cursum in quatuor anni tempora divisum.

QUADRIFINALIS, e, adj. a quadrifinio, ut Quadrifinalis arca, *Innocent. de Casis litterar.* ap. *Goes.* p. 222.

QUADRIFINIUM, ii, n. qui quatuor possessionum fines adstringit, ut definit *Isid.* 15, 14. Legitur etiam in *excerpt. Innocent. rei agrar.* p. 221. et 227. *Goes.*

QUADRIFLUVIUM, ii, n. sectio in quatuor partes: ex *quatuor* et *fluvius. Vitr.* 2, 9. Ima abietis pars, cum excisa quadrifluviis disparatur, ejecto torulo ex eadem arbore, ad intestina opera comparatur, et sapinea vocatur. [Id aliis verbis *Plin.* 16, 39, 76. *n.* 1. Communia his (*larici*, et *abieti*) pinoque, ut quadripartitos venarum cursus, bifidosque habeant, vel omnino simplices. Ad fabrorum intestina opera medulla sectilis, optima quadripartitis materies et mollior, quam ceterae. Abietis quae pars a terra fuit, enodis est: haec, qua diximus ratione, fluviata decorticatur, atque ita sapinus vocatur. V. DIFFLUVIO. *F.*]

QUADRIFLUUS, a, um, adj. qui per quatuor partes fluit. *Prud. Cath.* 3, 103. de Paradiso: Ver ubi perpetuum redolet, Prataque multicolora latex Quadrifluo celer amne rigat.

QUADRIFORIS, e, adj. τετράθυρος, quatuor fores, sive foramina habens. *Plin.* 11, 21, 24. Vespae nidos vere faciunt fere quadrifores. ℙ *Quadrifores januae* dicuntur a *Vitr.* 4, 6, quarum singulae fores, seu tabulae dupliciter plicantur.

[QUADRIFORMIS, e, adj. quatuor habens formas. *Not. Tir.* p. 110. Forma, biformis, triformis, quadriformis. *F.*]

QUADRIFRONS, ontis, adj. quatuor habens frontes: ut Janus quadrifrons. V. JANUS. *F.*]

QUADRIGAE, arum, f. plur. τέθριππον, τέτρωρον, quatuor equi ad currum trahendum apti: a *quadrijugus:* item currus a quatuor equis tractus. *Isid. Or.* 17, 35. Quadrigarum currus duplici temone olim erant, perpetuoque, et qui omnibus equis injiceretur jugo. Primus Clisthenes Sicyonius tantum medios jugavit, eosque singulos ex utraque parte simplici vinculo applicuit, quos Graeci σειραφόρους, Latini funarios vocant. *Colum.* 3, 9. Unde sacrorum certaminum studiosi pernicissimarum quadrigarum semina diligenti observatione custodiunt. *Fest.* in *October:* Rhodii quotannis quadrigas Soli consecratas in mare jaciunt. *Virg. G.* 3, 267. Glauci Potniades malis membra absumpsere quadrigae. Adde *Liv.* 1, 28. *f.* et *Mart.*, *Plin.*, *Grat.* infra citandos, *Manil.* 1, 471. et *Sidon. carm.* 22, 162. ℙ Dicitur et de aliis jumentis, *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Ut mea memoria asinus venierit sestertiis millibus LX., et unae quadrigae Romae constiterint quadringentis millibus. *Suet. Ner.* 11. Circensibus commisit etiam camelorum quadrigas. ℙ Praecipue de iis dicuntur, quibus cursu certabant in Circo. *Cic. Div.* 2, 70. Curru quadrigarum vehi. *Virg. G.* 1, 512. cum carceribus sese effudere quadrigae. *Suet. Caes.* 39. Quadrigas agitare. ℙ Earum inventorem *Virg. G.* 3, 113. et *Plin.* 7, 56, 57. Erichthonium faciunt. Arcades ap. *Cic. N. D.* 3, 23. eam inventionem Minervae quartae tribuunt. ℙ Poetice tribuuntur Soli, Aurorae, etc. *Pl. Amph.* 1, 1, 266. Cum quadrigis Sol exoriens. *Virg. A.* 6, 535. roseis Aurora quadrigis Jam medium aetherio cursu trajecerat axem. *Tibull.* 3, 4, 17. Nox aetherium nigris emensa quadrigis Mundum. ℙ Ponuntur saepe ad significandam celeritatem: quia in Circo quadrigae quam celerrime ferebantur. *Pl. Amph.* 1, 1, 291. Quadrigas si nunc inscendas Jovis, atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium. *Id. Aul.* 4, 1, 13. Servus herile imperium ediscat, ut quod jubeat, citis quadrigis citius properet persequi. *Id. Poen.* 1, 2, 155. Discrucior miser, nisi illum jubeo quadrigis cursim ad carnificem rapi. *Id. As.* 2, 2, 14. Nam si huic occasioni tempus se subterduxerit, nunquam edepol quadrigis albis indipiscet postea, *h. e.* quadrigis Jovis, ut quidam interpretantur: et *albis* dici putant, h. e. citis, quia Graece ἀργὸς tum album, tum pigrum, tum citum significat. (V. horum *Plauti* locorum interpretationem ap. *De-Vita Antiq. Benev.* p. 234.) Huc pertinet illud *Cic. Q. Fr.* 2, 15. Quoniam in isto homine colendo tam in dormivi diu, te mehercule saepe excitante, cursu corrigam tarditatem, tum equis, tum vero (quoniam scribis poema ab eo nostrum probari) quadrigis poeticis. ℙ Translate dicuntur de numero quaternario cujusvis rei. *Vopisc. Prob. f.* Nunc de Firmo, et Saturnino, et Bonoso, et Proculo dicemus. Non enim dignum fuit, ut quadrigae tyrannorum bono principi miscerentur. *Varr. L. L.* 4, 1. *f.* Initiorum quadrigae locus, et corpus, tempus, et actio. ℙ Proverb. est illud *Petr. fragm. Trag.* 64. *Burm.* Jam quadrigae meae decucurrerunt, ex quo podagricus factus sum. ℙ *Enn.* ap. *Serv.* ad *A.* 12, 499. irarumque effunde quadrigas. *Virg. ib.* moderatius dixit: irarumque omnes effundit habenas. ℙ *Qua-*

drigae fictiles fuerunt in fastigio Capitolii, ornatus gratia, currum Jovis referentes. Ferunt, eas, cum in fornace coquerentur, adeo crevisse, ut eximi, nisi fornace diruta, non possent. Itaque cum illud omen ad incrementum imperii pertinere crederetur: negarentque Vejentes, apud quos eae factae fuerant, se Romanis tradituros, bello recuperatae sunt. Rem narrant *Plin.* 28, 2, 4., *Fest.* in *Ratumena*, et *Plutarch.* in *Poplic.* Eae postea ex marmore, vel aere refectae sunt. V. *Liv.* 10, 23. *f.* ℙ In sing. num. usurpavit *Varr. in lib. satyr.*, qui inscriptus est *Exdemetricus*, teste *Gell.* 19, 8. *extr.*, quamvis *Caesar in lib. de Analog.* negaverit. Sed praeter *Varr.* etiam *Prop.* 2, 25, 39. Amphiaraeae non possunt fata quadrigae. *Id.* 3, 7, 17. Eleae concurrit palma quadrigae. *Suet. Vit.* 17. Femur subdebile impulsu quadrigae. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 10. Lysiae opus quadriga, currusque, *h. e.* quatuor equi cum curru. Equos intelligit etiam *Mart.* 6, 46. Vapulat assiduo Veneti quadriga flagello; et *Grat. Cyn.* 228. Thessalium quadriga decus. Adde *Plin.* 7, 21, 21. et al., *Val. Max.* 1, 8. *n.* 9. *extr.*, *Papin. Dig.* 31, 1, 67. et *Ulp. ib.* 45, 1, 29. His ergo ac tot auctoribus *quadrigam* usurpare poteris, cum libuerit.

QUADRĪGĀLIS, e, adj. ad quadrigas pertinens, ut Quadrigales equi, *Fest.* in *Curules.*

QUADRĪGĀMUS, i, m. qui quater uxorem duxit, τετράγαμος. Vox hybrida ex Latino *quadrus*, et Graeco γάμος, nuptiae. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 15. Erubescant *(mulieres)* alterum (*maritum*) accipere, ne trigamis, et quadrigamis comparentur.

QUADRĪGĀRĬUS, ii, m. τετριππλάτης, ἡνίοχος, qui quadrigas agit, auriga: et is praecipue, qui quadrigas in Circo agitat. *Varr. R. R.* 2, 7. *f.* Peritus belli alios (*equos*) eligit atque alit, ac docet: aliter quadrigarius, ac desultor. *Cic. fragm. or. in toga cand.* ap. *Ascon.* In eo exercitu praedonem, in introitu gladiatorem, in victoria quadrigarium. Ubi *Ascon.* De Antonio dici manifestum est, quod cum Sulla post victoriam Circenses faceret, ita ut honesti homines quadrigas agitarent, fuit inter eos C. Antonius. *Arnob.* 2, 70. Cursores, pugiles, quadrigarii, desultores. Adde *Suet. Ner.* 16. ℙ Adjective. *Id. Cal.* 19. Postridie quadrigario habitu, curriculoque bijugi famosorum equorum, etc. (Qualis fuerit *quadrigarius habitus*, scire licet ex aurigae figura, quam habes ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 3. *tab.* 31., unde illustratur locus *Cod.* 11, 40, 4. Agitator rugosis sinibus.) *Inscr.* ap. *Grut.* 339, 5. Quadrigaria familia, *h. e.* servi operam dantes equis et quadrigis Circensibus. *Veg. Vet.* 1, 56. et *ib.* 4, 13. Quadrigarii pulveris uncias tres, *h. e.* qui ex diverso pigmentorum genere mixtus, et per se adjuvat animalia, et aliis potionibus pro modo vel curae ratione miscetur, ut *Id. ib.* 13. loquitur. Habet autem inde nomen, quod quadrigariis equis praecipue medetur. ℙ Est etiam cogn. R. Hinc Q. Claudius Quadrigarius, historicus Latinus, Sisennae aequalis, ut est ap. *Vell.* 2, 9., qui annales, seu historiam rerum Romanarum scripsit, stilo simplici ac impolito, satis tamen suavi, ac Latino, (ut qui ad Ciceronis tempora prope accessit) ut apparet ex fragmentis, quae *Gell.*, *Macr.*, *Serv.*, *Prisc.*, *Non.* servarunt. Nam cetera periere. Hausit ex eo multa etiam *Liv.*, quae suis verbis protulit.

QUADRĪGĀTUS, a, um, adj. τεθριππωτός, quadrigis signatus, ut Nummus quadrigatus, *h. e.* denarius, cui quadrigarum imago impressa est. *Plin.* 33, 3, 13. Nota argenti fuere bigae, atque quadrigae, et inde bigati, et quadrigati dicti. *Liv.* 22, 58. Pretium fere in capita, equiti quingenos quadrigatos, trecenos pediti, servo centum.

QUADRĪGĒMĪNUS, a, um, adj. τετραπλοῦς, τετράδυμος. *Plin.* 8, 23, 35. Cerastis corpore eminere cornicula saepe quadrigemina, *h. e.* quatuor.

QUADRĪGĒNI. V. QUADRINGENI.

QUADRĪGŬLAE, arum, f. plur. dimin. a quadrigis. *Cic. Fat.* 3. Aut Philippus hasce in capulo quadrigulas vitare monebatur? ℙ In sing. num. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 22. Laeva tribus digitis quadrigulam tenuit, *h. e.* quatuor equulos junctos.

[QUADRĪGŬLĀRĬUS, a, um, adj. ad quadrigulam pertinens, ut Quadrigularius pictor, qui nempe quadrigas pingebat. *Inscr.* ap. *Donat.* 317, 6. Ti. Claudius Soter pictor quadrigularius. *F.*]

QUADRĪJŪGIS, e, et

QUADRĪJŪGUS, a, um, adj. a *quatuor*, et *jugum.* Quadrijuges equi, et absolute quadrijuges, vel quadrijugi sunt equi quaterni uno jugo ad currum alligati. *Virg. A.* 10, 571. Quadrijuges in equos, adversaque pectora tendit. *Stat. Th.* 12, 532. niveis victorem cernere vectum Quadrijugis. *Ov. Met.* 2, 167. tritumque relinquunt Quadrijugi spatium, *h. e.* equi Solis. ℙ Quadrijuges, vel quadrijugi currus, qui quatuor equis trahuntur. *Virg. A.* 12, 162. Quadrijugo invehitur curru. *Appul. Flor. n.* 16. Quadrijuges, et sejuges currus ponere alicui. ℙ Quadrijugum certamen, quod quadrijugis, seu quadrigis fit. *Stat. Th.* 6, 370.

QUADRĪLĀTĔRUS. V. TRILATERUS.

QUADRĪLĪBRIS, e, adj. τετράλιτρος, qui est pondo quatuor librarum. *Pl. Aul.* 5, 2. Quadrilibrem aulam auro onustam habeo.

QUADRĪMĀNUS, a, um, et Quadrimanis, e, adj. qui quatuor habet manus. *Jul. Obseq. de prodig.* 111. C. Laelio, L. Domitio Coss. puella biceps, quadripes, quadrimana, gemina feminea natura, mortua nata. *Id. ib.* 73. alia positione: Pueri quadrupedes, et quadrimanes nati. Alii leg. *quadripedes* et *quadrumanes.*

QUADRĪMĀTUS, us, m. τετραετία, aetas quatuor annorum. *Plin.* 19, 11, 58. Sed ex his, quae sunt fortissima, nullum extra quadrimatum utile est. *Colum.* 7, 9. Dum quadrimatum agant.

[QUADRĪMEMBRIS, e, adj. qui quatuor habet membra, seu qui quatuor pedibus ambulat, more bestiarum. *Capell.* 8, 272. *in carm.* Donec, jubente Baccho, Satyrus rapit jacentem *(Silenum)*, Scapulisque dat supinum, Uvidumque quadrimembrem, Colloque complicatum, Utribus parem reportat. Alii leg. *hiantimembrem. F.*]

[QUADRĪMENSTRŬUS, a, um, et *F.*]

QUADRĪMESTRIS, e, adj. τετραμηνιαῖος. *Impp. Arcad.* et *Honor. Cod.* 1, 32, 1. Breves etiam quadrimenstruos ad officium palatinum noverint dirigendos. *Varr. R. R.* 2, 2. Sic nutricantur agni, quod facti sunt quadrimestres. *Suet. Ner.* 14. Consulatus quatuor gessit; primum bimestrem, tertium quadrimestrem.

QUADRĪMŬLUS, a, um, adj. dimin. quadrimi. *Pl. Poen. prol.* 85. Altera quinquennis, altera autem quadrimula, cum nutrice una periere. *Id. Capt.* 5, 3, 4. Quadrimulus parvulus.

QUADRĪMUS, a, um, adj. τετραετής, qui habet quatuor annos. *Cic. Fam.* 16, 22. Una omnino interpositio difficilior est, de quadrimo Catone, *h. e.* de re gesta a Catone Uticense in aetate quatuor annorum. *Hor. Od.* 1, 9, 7. Quadrimum merum. *Liv.* 27, 37. Infantem natum esse quadrimo parem. *Varr. R. R.* 1, 20. Quadrimi boves. *Colum.* 4, 16. Quadrima vitis.

QUADRINGĒNĀRĬUS, a, um, adj. qui quadringentos continet. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Dejotarus habet cohortes quadringenarias nostra armatura triginta. *Liv.* 7, 7. Quadringenariae octo cohortes scribuntur. Alii leg. *quadringentariae.* ℙ [*Quadringenarius* seu *quatringenarius judex* dicitur, cui equestris census erat quadringentorum millium sestertiorum, ut *ducenarius* est appellatus, cui ducenta tantum millia sestertiorum. V. DUCENARIUS. Hinc *Inscr.* ap. *Mur.* 1048, 4. *C. Vallio Quir.* Postumo judici inter quadringenarios adlecto a Divo Antonino Pio, etc. Alia ap. *Grut.* 431, 7. L. Luccejo L. F. Ter. Hibero judici CCCC. selecto, etc. *F.*]

QUADRINGĒNI, ae, a, adj. nomen distributivum. *Suet. Vit.* 13. Singuli apparatus quadringenis millibus nummum constiterunt. *Liv.* 8, 11. *extr.* Denarios nummos quadringenos quinquagenos vectigal populus jussus pendere quotannis in singulos. ℙ Ap. *Varr. R. R.* 2, 8. legitur *quadrigenis millibus.*

QUADRINGENTĀRĬUS. V. QUADRINGENARIUS.

QUADRINGENTĒNI, ae, a, adj. idem quod quadringeni. *Plin.* 8, 43, 68. Singulas *(asinas)* quadringentena nummorum millia enixas, *h. e.* prolem enixas, quae ita praestaret, ut tot nummorum millibus venderetur. *Vitr.* 10, 14. Quadringentenis versationibus imi tympani.

QUADRINGENTĒSĬMUS, a, um, adj. τεσσαρακοσιοστός, quater centesimus. *Plin.* 8, 6, 6. Anno urbis quadringentesimo septuagesimo secundo. *Liv.* 5, 45. Quadringentesimus annus.

QUADRINGENTI, ae, a, adj. numeri cardinalis, τετρακόσιοι, quater centum. *Cic. Pis.* 5. Centum prope annos legem Aeliam, et Fufiam tenueramus, quadringentos judicium, rationemque censoriam. *Juven.* 1, 105. quinque tabernae Quadringenta parant.

QUADRINGENTIES, adv. τετρακοσιάκις, quater centies, vel quater centum. *Cic. Verr.* 2, 2, 10. HS quadringenties accepisse te arguo contra leges, *h. e.* quadringenties centena millia.

QUADRĪNI, ae, a, adj. idem ac quaterni, vel quatuor. *Pompon.* ap. *Non.* 8, 6. Plus quaesti facerem, quam quadrinas si haberem molas. *Plin.* 11, 36, 43. Trinis, aut quadrinis diebus. *Id.* 7, 50, 51. Febris quadrini circuitus. *Arnob.* 6, 192. Quadrini cardines. *Id.* 7, 230. Una commixtio quadrinis copulata de frugibus. ℙ [*Quatrini* scribitur ap. *Varr. L. L.* 7, 30. Sicut est ab uno uni, a tribus trini, a quattuor quatrini, sic a duobus duini, non bini dicerentur. *F.*]

[QUADRĪNOCTĬUM, ii, n. quatuor noctium tempus. Agnoscitur a *Prisc. de fig. num.* 1357., sed nullum affert scriptoris exemplum. *F.*]

[QUADRĪPARTĬO, is, a. 4. in quatuor partes divido. *Dictys Cret.* 1, 19. Per aequationem numeri atque partium quadripartitur exercitus. *F.*]

QUADRĪPARTĪTĬO, onis, f. divisio in quatuor partes. *Varr. L. L.* 4, 1. *f.* Quadripartitio magis sic apparebit. *Id. ib.* 6, 2. Si quid excidit ex hac quadripartitione.

QUADRĪPARTĪTO, adv. in quatuor partes dividendo. *Colum.* 4, 26. Brachia quadripartito locabimus.

QUADRĪPARTĪTUS et interdum Quadripertitus, a, um, part. a *quadripartio*: τετραμερής, divisus in quatuor partes. *Cic. Verr.* 2, 1, 12. *extr.* Quare haec eadem erit quadripartita distributio totius accusationis meae. *Id. Tusc.* 1, 28. Commutationes temporum quadripartitae. *Tac. A.* 13, 39. Quadripartito exercitu, hos subruendo vallo inducit; alios scalas moenibus admovere; multos, etc. *Id. H.* 5, 20. Praesidia modicis vicis quadripartita Civilis invasit. [V. *Plin. l. c.* in QUADRIFLUVIUM. *F.*]

*QUADRIPĒDUS, a, um, adj. *Front.* ad *M. Anton. de Or. fragm.* 2, 1. Verum sententias ejus tolutares video, quamquam quadripedo concito cursu, etc. *B. A.*

QUADRĪPES, idem ac quadrupes, legitur in quibusdam antiquis codicibus, v. gr. *Virg. Ecl.* 5, 25. nulla neque amnem Libavit quadripes: *Pierio* teste; et *A.* 11, 614. quadripedantum: teste eod. V. et QUADRIMANUS. **Jul. Val. res gest. Alex. M.* (ed. *J. Maio*) 3, 31. Quadripedes beluae vehementes. *B. A.*

QUADRIPLĪCĀTUS, a, um, adj. idem ac quadripartitus. Legitur in quibusdam MSS. ap. *Varr. L. L.* 8, 24., ubi alii *quadripartitus.*

QUADRĪRĒMIS, is, f. τετρήρης, navis, quae quatuor remorum ordines habet: quam quater surgens exstructi remigis ordo commovet, ut *Lucan.* 3, 530. ait. *Plin.* 7, 56, 57. ex Aristotele tradit, primos Carthaginienses quadriremem fecisse. *Cic. Verr.* 2, 5, 33. Egreditur Centuripina quadriremi Cleomenes e portu. V. dicta in DECEMREMIS. ℙ [Etiam adjectivi more usurpatur. *Paul. Nol. carm.* 21, 73. Scapham sequacem quadriremis machinae Ad hanc opem paraverat. ℙ Etiam *quatriremis* scribitur in *Not. Tir.* p. 177. *F.*]

[QUADRĪSĒMUS, a, um, adj. qui quatuor syllabarum est; idem ac tetrasemus. Vox hybrida: a *quatuor*, et σῆμα, signum. *Capell.* 9, 331. Proceleusmaticus, qui ad numeros aptatur, quadrisemo *(numero)* exordium debet accipere. *F.*]

QUADRĪSŎMUS. V. BISOMUS.

QUADRĪVĬUM, ii, n. τετράοδον, locus publicus, ubi quatuor viae concurrunt. *Juven.* 1, 63. Nonne libet medio ceras implere capaces Quadrivio? *Catull.* 58, 4. Nunc in quadriviis et angiportis. ℙ Adjective *Dii quadrivii*, *h. e.* quadriviorum praesides. V. BIVIUS. ℙ *Translate *Boeth. Arithm.* 1, 1. *quadrivium* appellantur quatuor artes mathematicae. *Honor. August. de Scriptorib. Eccl.* Boethius quadrivium de Graeco transtulit, arithmeticam, musicam, geometriam, astronomiam: *Quadruvium* audiunt hae artes *Scholasticis:* item *quadruviales artes* et *quadruviales litterae.* V. *Colvener.* ad *Thom. Cantiprat. Apes* p. 171. ℙ V. QUADRUVIUM. *B. A.*

QUADRO, as, avi, atum, a. 1. τετραγωνίζω, in quadrum redigo. *Colum.* 11, 12. *in.* Sexagenum pedum abies, atque populus singulis operis ad unguem quadrantur. ℙ Translate. *Cic. Or.* 58. Sic minime animadvertetur delectationis aucupium, et quadrandae orationis industria, *h. e.* oratorio numero componendae, construendae, perficiendae. ℙ Saepe neutrorum more adhibetur, et significat ex omni parte congruere, convenire, consentire, apte cadere: quemadmodum quadrati lapides in structura facile componuntur, et apte sedent. *Virg. G.* 2, 277. nec secius omnis in unguem, Arboribus positis, secto via limite quadret. Ubi *Serv.:* consentiat, congruat. Translatio a quadris lapidibus, qui sibi invicem bene conveniunt. *Cic. Or.* 3, 44. *med.* Versus in oratione si efficitur conjunctione verborum, vitium est: et tamen eam conjunctionem, sicuti versum numerose cadere, et quadrare, et perfici volumus. *Quint.* 9, 4. *med.* Praecipuum in hoc opus est, scire, quod quoque loco verbum maxime quadret. *Cic. Coel.* 29. *med.* Nisi omnia, quae cum turpitudine aliqua dicerentur, in istam quadrare apte viderentur. *Id. Att.* 4, 18. *f.* Visum est hoc mihi ad multa quadrare. *Id. Brut.* 11. Quoniam tibi ita quadrat, omnia fuisse in Themistocle paria, et Coriolano, *h. e.* placet, veri simile videtur, credibile fit. ℙ *Id. Verr.* 3, 36. *f.* Quomodo ex decies HS. sexcenta facta sint: quomodo sexcenta eodem modo quadrarint, vos existimabitis. Ubi *Ascon.* solida facta sint, ut neque plus quidquam, neque minus inveniatur in summa. Ubi enim ratio sine fraude est, difficile est sexcenta, detractis quadringentis, quadrare et solidari, vel solida fieri, quin aut minus, aut plus aliquid reperiatur. Haec *Ascon.*

QUADRŬLĂ, ae, f. parva quadra. *Solin.* 37. *med.* de quadam gemma: Nunc bractearum, nunc pulveris habet quadrulas.

QUADRUM, i, n. idem ac quadratum, scilicet figura, quae quatuor aequales lineas, quatuorque angulos rectos habet. *Colum.* 8, 3. *med.* Perticae dolantur in quadrum. ℙ Translate *in quadrum sententias redigere*, est aequaliter fundere, et suo numero servato aequaliter disponere, seu in periodum perfectam redigere. *Cic. Or.* 61. Quin redigeret omnes fere in quadrum numerumque sententias. Adde *ib.* 70.

QUADRŬPĒDANS, antis, part. ab inus. *quadrupedo*, quatuor pedibus incedens. *Pl. Capt.* 4, 2, 34. Quadrupedanti crucianti canterio advehuntur. *Plin.* 8, 45, 70. Equo juxta quadrupedante. ℙ Absolute de equis. *Virg. A.* 11, 614. perfractaque quadrupedantum Pectora pectoribus rumpunt. *Id. ib.* 8, 596. Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

QUADRŬPĒDĀTIM, adv. more quadrupedantis. Agnoscitur a *Charis.* 2, 163.

*QUADRUPEDĬUS, a, um, adj. quadrupes, quadrupedus. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 36. *extr.* Plurima autem obruerit quadrupedia. *B. A.*

QUADRŪPĔDUS, a, um, adj. [qui per quatuor pedes fit. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 2, *ep.* 1. Nam etsi aeque pernicitas equorum exercetur, sive quadrupedo currant, atque exerceantur, sive tolutim. Hinc apparet, hac voce *quadrupedo*, scilicet *gradu*, significari citatum equorum cursum, quem nos *Galopp* dicimus. *Id.* vero plenius *de orat. ep.* 1. Verum sententias ejus tolutares video, quamquam quadripedo concito cursu tenere nusquam, pugnare nusquam. Hic *quadripedo* est pro *quadrupedo*, atque etiam translato sensu. *F.*] ℙ Item usurpatur de hominibus, qui quadrupedum ritu ambulant. *Ammian.* 14, 2. Per ancoralia quadrupedo gratu repentes.

QUADRŪPES, edis, [*adj.] omn. gen. τετράπους, quatuor pedes habens. [*Hinc primo loco posuimus exempla, quae Noster secundo collocaverat:] *Enn.* ap. *Gell.* 18, 5. et *Macr. Sat.* 6, 9. Denique vi magna quadrupes eques, atque elephanti Projiciunt sese. ℙ [*Ita dicitur etiam de hominibus, qui animalium more genibus simul et manibus nituntur.] *Suet. Cal.* 27. Multos honesti ordinis ad bestias condemnavit, aut bestiarum more quadrupedes cavea coercuit. Sic *Ner.* 48. Ita quadrupes per angustias effossae cavernae receptus. *Ter. Andr.* 5, 2, 24. Cura asservandum, atque audin'? quadrupedem constringito, *h. e.* ita vincito, ut demisso capite et corpore quadrupes esse videatur. ℙ [*Tum substantive *quadrupes* usurpatur pro quovis animali quatuor pedibus praedito:] *Cic. N. D.* 2, 60. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum vectiones. *Id. Par.* 1. *f.* Ut nihil inter te, atque inter quadrupedem aliquem putes interesse. *Virg. A.* 11, 714. Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat. *Id. ib.* 7, 500. Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit, *h. e.* cervus. *Cato R. R.* 102. Si bovem, aut aliam quamvis quadrupedem serpens momorderit. *Virg. Ecl.* 5, 25. nulla neque amnem Libavit quadrupes. *Plin.* 8, 25, 37. Crocodilum habet Nilus, quadrupes malum, et terra pariter, ac flumine infestum. *Id.* 11, 36, 43. Pennatum quadrupes. *Colum.* 11, 2. *med.* Pecus lanatum, ceteraque quadrupedia tempus idoneum est castrandi.

QUADRUPLĀRIS, e, adj. quadruplus. *Macr. Somn. Scip.* 1, 19. *med.* Numerus duplaris, triplaris, quadruplaris. Alii leg. *quadruplus.*

QUADRUPLĀTOR, oris, m. [*proprie est, qui in quadruplum auget, quadruplicat. Hinc translate dicitur de iis, qui ultra modum aliquid extollunt, pretium alicujus rei justo majus postulant. Huc pertinet locus, quem *Noster* inferius laudaverat:] *Sen. Ben.* 7, 25. Male istis improbis et importunis beneficiorum suorum quadruplatoribus eveniat, qui tam bellam rem, admonitionem inter amicos, sustulerunt. ℙ [*Tum quadruplator imprimis significat delatorem, calumniatorem, Gr. ἐνδείκτης, συκοφάντης:] a *quadruplum*, sive quia hujusmodi homines pro delationis praemio quartam partem in bonis damnatorum consequebantur: sive quod deferrent crimina publica, quorum convicti damnabantur quadrupli, ut aleae, aut pecuniae gravioribus feneratae usuris, quam per leges liceret. Posteriorem nominis causam adducit *Festus:* utramque *Asconius* cum in *Div.* 7. *f.*, tum in *Verr.* 2, 2, 7. *extr.*, sed priori suffragatur hic *Taciti* locus *A.* 4, 20. M. Lepidus quartam partem accusatoribus, secundum neeessitudinem legis, cetera liberis concessit. *Cic. Verr.* 2, 2, 8. Petit Naevius Turpio quidam istius excursor et emissarius, homo omnium ex illo conventu quadruplatorum deterrimus. *Liv.* 3, 72. Populus R. quadruplatoris personam laturus. Adde *Pl. Pers.* 1, 2, 18. ℙ Ap. *Sidon. ep.* 5, 7. quadruplatores sunt, qui portoria conducunt, unde quartam partem lucrantur. *Appul. Apol.* dicitur *quadruplator*, qui quippiam auget in quadruplum.

QUADRUPLĀTUS, a, um, part. a *quadruplo:* in quadruplum multiplicatus. *Paul. Dig.* 38, 10, 10. A nepote numerus quadruplatus in se efficit triginta duo.

QUADRUPLEX, icis, adj. τετραπλοῦς, quatuor continens, quadruplus. *Pl. Curc.* 5, 2, 21. Quam ego pecuniam quadruplicem abs te auferam: et *Liv.* 30, 10. Onerariarum quadruplicem ordinem pro muro adversus hostem opposuit. *Auson. de Urbib.* 11, 1. Quis Catinam sileat? quis quadruplices Syracusas? *h. e.* quae ex quatuor urbibus constare dicuntur. (V. *Cic. Verr.* 2, 4, 53.) *Plin.* 15, 21, 23. Sorbis quadruplex differentia. *Id.* 27, 8, 38. Circaea radice semipedali triplici ferme, aut quadruplici. *Cic. Arat.* 92. Delphinus jacet haud nimio lustratu' nitore, Praeter quadruplices stellas in fronte locatas. ℙ *Quadruplex judicium*, centumvirale. V. CENTUMVIRI. ℙ [*Quadruplex* etiam dicitur, qui quater aliquid perficit. *Auct. Priap.* 83, 33. Tereris usque, donec, ah miser, miser, Triplexque quadruplexque compleas specum, *h. e.* terque, quaterque *F.*]

QUADRUPLĬCĀTĬO, onis, f. τετραπλασιασμός, repetitio quater facta alicujus rei. *Capell.* 7, 258. Quadruplicatio numeri. *Ulp. Dig.* 44, 1, 2. Illud tenendum est, omnem exceptionem, vel replicationem exclusoriam esse. Exceptio actorem excludit, replicatio reum. Sed et contra replicationem duplicatio, et contra duplicationem solet dari triplicatio, et contra triplicationem rursus quadruplicatio: et ita deinceps multiplicantur nomina, dum aut reus, aut actor objicit. Ita *Holoand.:* sed ap. *Torrent.* v. *quadruplicatio* non habetur.

QUADRUPLĬCĀTO, adv. quater multiplicando. *Plin.* 2, 17, 14. Saturni et Jovis stellae duplicato digrediuntur a sole: Martis etiam quadruplicato. *Id.* 14, 4, 5. Emptis quadruplicato vineis illis intra decimum fere curae annum, *h. e.* pretio quater majore, quam prius constiterant.

QUADRUPLĬCO, as, a. 1. τετραπλασιάζω, augeo in quadruplum. *Pl. Stich.* 3, 1, 4. Qui me in mercimoniis juvit, lucrisque quadruplicavit rem meam. *Paul. Dig.* 38, 10, 10. *med.* Quadruplicatur is numerus, qui geminatus erat.

QUADRUPLO, as, a. 1. in quadruplum augeo, quadruplico. *Ulp. Dig.* 4, 2, 14. Quadruplabitur omne, quodcumque restitui oportuit. *Et *mox:* Quadruplatur autem id, quanti ea res erit, id est cum fructibus et omni causa; et *rursum:* Julianus ait, quod interest, quadruplari solum. *Id.* 38. *tit.* et leg. 10. Et quadruplatur is *(numerus)*, qui geminatus erat. Sic ed. *Torrent.*, ubi ed. *Haloand.* exhibet *quadruplicatur. B. A.* ℙ Deponentis forma; [*i. q. quadruplatoris personam ferre.] *Pl. Pers.* 1, 2, 10. Neque quadruplari me volo.

QUADRUPLUS, a, um, adj. τετραπλοῦς, τετραπλάσιος, quater continens eam quantitatem, sive summam, de qua agitur. *Plin.* 7, 48, 49. Hesiodus cornici novem nostras attribuit aetates, quadruplum ejus cervis, id triplicatum corvis. *Id.* 11, 37, 79. Elephanto pulmo quadruplo major bubulo. *Suet. Tib.* 34. *extr.* Consueverat et quadruplam strenam, et de manu reddere. *Cato R. R. prooem.* Furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli, *h. e.* ut si duo v. gr. plus justo pro usura feneratae pecuniae exegerit, octo cogatur solvere. *Cic. Verr.* 2, 3, 13. *med.* Qui in decumanos octupli judicium se daturum edixit, idem habuit in edicto, se in aratorem in quadruplum daturum, *h. e.* ut arator, qui imperatum frumentum non solverit, cogatur quadruplicatum dare. *Ulp. Dig.* 4, 2, 14. Actio quadrupli, *h. e.* qua petitur quadruplum; et *ib.* Experiri in quadruplum.

QUADRURBEM, Athenas Attius appellavit (τετράπολιν), quod scilicet ex quatuor urbibus in unam domicilia contulerunt, Braurone, Eleusine, Pireaeo, Sunio. *Festus.* ℙ [*Festum* hic graviter errare docent *Meursius*, aliique: quippe neque ex urbibus olim Athenas constitutas, neque Athenas denique ipsas Attium notare, sed *tetrapolim Atticam*, quam Latino nomine efferre *quadrurbem* ita v. luit. Fuit autem haec Oenoe, Marathon, Probalinthus, et Tricorythus, ut constat ex *Strabone l.* 8. p. 388. ed. *Amstel. F.*]

QUADRUS, a, um, adj. τετράγωνος, quadratus, ut Quadra possessio. *Vet. Auct. de limitib.* ap. *Goes.* p. 281. Sic Quadrus terminus, *ib.* p. 253. [*Hieron. in Ezech.* 12, 40, 13. Invenit latitudinis viginti et quinque cubita, qui et ipse numerus licet quadrus sit, tamen refertur ad sensus. Adde *Cat. l. c.* in DEPUGNATIO. *F.*]

QUADRŪVĬUM, pro *quadrivium* scriptum est in Latino Lapide, quem in CREPIDO retulimus. Ut enim *quadripes*, et *quadripedans* in *Virg. Ecl.* 5, 26. et *A.* 11, 614. et in *Varr.* ap. *Non.* 2, 9. et in *Accio* ap. *eund. ib.* 583., testibus *Pierio* et *Dausquio*, in optim. MSS. legitur: sic contra *quadruvium* scribi potuit.

QUADRŪUS, a, um, adj. *Auson. Idyll.* 14, 5. Errabam riguis per quadrua compita in hortis, *h. e.* per semitas in quadrum, inter areolas, dispositas. *Prud. Psych.* 842. Quaque hominis natura viget, quam corpore toto Quadrua vis animat, *h. e.* quatuor hominis aetates, vel quatuor elementa, ignis nempe, aer, terra, aqua.

QUAERĪTO, as, avi, atum, a. 1. frequent. a *quaero. Pl. Amph.* 4, 1, 6. Sum defessus quaeritando. *Id. Cist.* 4, 2, 93. Quod quaeritabam, filiam inveni meam. *Id. Men.* 2, 1, 15. Hominem inter vivos quaeritamus mortuum: nam invenissemus jamdiu, si viveret. *Id. Poen. prol.* 105. Aliquem mari terraque usquequaque quaeritare. *Ter. Ad.* 2, 4, 2. Ehem opportune; te ipsum quaerito. *Id. Andr.* 1, 1, 47. Pudice vitam, parce, ac duriter agebat, lana ac tela victum quaeritans. *Pl. fragm.* ap. *Non.* 1, 213. Quaeritare medicum. *Id. Poen.* 5, 5, 37. Num tibi, adolescens, malae, aut dentes pruriunt, qui huic es molestus? an malam rem quaeritas? *Id. Rud.* 3, 4, 61. Ibo hercle aliquo quaeritatum ignem. *Id. Poen.* 3, 3, 77. Quaeritare hospitium ab aliquo. ℙ Interrogare, sciscitari. *Pl. Rud.* 1, 2, 22. Isticcine vos habitatis? *Sce.* quid tu id quaeritas? Adde *Ter. Eun.* 3, 3, 17.

QUAERO, is, sivi et sii, situm, a. 3. ζητέω, dare operam, ut res amissa, vel qua utcumque caremus, recuperetur, inveniatur: scrutari, indagare, perquirere. Haec enim prima est et propria hujus verbi notio, ut ex *Varr. L. L.* 5, 8. apparet. Differt a *requiro*, quod diu quaerere significat, ut *Non.* 5, 46. docet. *Afran. ib.* Proin tu, cum quaeram, ne requiram te, vide. [*Mirum in modum *Forc.* omnia ita miscuerat, ut de novo hujus loci ordine cogitandum nobis videretur. Ac primum quidem collocavimus ea, in quibus *quaero* significat vestigare, investigare, nostr. *suchen.*] *Ov. Met.* 5, 463. Quaerenti defuit orbis. *Phaedr.* 3, 12. In sterquilinio pullus gallinaceus Dum quaerit escam margaritam repperit. *Ter. Heaut.* 4, 8, 3. Te ipsum quaerebam, Chreme. ℙ [*Hinc i. q. desiderare, nostr. *vermissen:*] *Prop.* 1, 17, 17. ignotis circumdata litora silvis Cernere, et optatos quaerere Tyndaridas. *Tibull.* 2, 3, 25. Quisquis inornatumque caput, crinesque solutos Adspiceret, Phoebi quaereret ille comam. *Lucan.* 9, 964. Circuit exustae nomen memorabile Trojae, Magnaque Phoebei quaerit vestigia muri. *Stat. Th.* 4, 703. deceptum margine ripae Stat pecus, atque amnes quaerunt armenta natatos. *Cic. Verr.* 2, 3, 18. *f.* Aetnensis ager sic erat deformis atque horridus, ut in uberrima Siciliae parte Siciliam quaereremus. Sic *Mil.* 1. Oculi, quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori, et pristinum morem judiciorum requirunt. Haec et alia congessit *Brukh.* ad *l. Tibull. c.* ℙ [*Item requirere, postulare, opus habere, nostr. *erfordern, verlangen, nöthig haben. Cic. Verr.* 2, 1, 10. *f.* Nego ego quidquam a testibus dictum, quod aut vestrum cuipiam esset obscurum, aut cujusquam oratoris eloquentiam quaereret. Cf. *ib.* 2, 5, 27. *Liv.* 8, 30. bellum dictatoriam majestatem quaesivisset. *Varr. R. R.* 1, 15. Fines praedii notis arborum tutiores fiunt, ne familiae rixentur cum vicinis, ac lites ex limitibus judicem quaerant. — Huc referri posse videtur *Liv.* 9, 19. Imbellem Asiam quaesisset, i. e. optasset. ℙ Item parare, comparare, acquirere, nostr. *zu erwerben suchen, verschaffen, zuwege bringen:* et in bonam et in malam partem; modo absolute, modo cum casu subjecti, modo objecti.] *Ter. Heaut.* 3, 1, 37. Ea coacta ingratiis postilla coepit victum vulgo quaerere. *Cic. Cluent.* 9. Quaerere sibi remedium ad rem aliquam. *Id. Verr.* 2, 1, 1. Impudentiae suae pudentem exitum quaerere. *Ter. Ad.* 3, 2, 2. alicui malo salutem. *Id. Heaut.* 2, 3, 74. In mea vita tu tibi laudem is quaesitum, scelus. *Sidon. carm.* 2, 123. namque horum quaesiit unus Cinyphia sub Syrte patrem. *Pl. Capt.* 4, 2, 109. Liberorum quaerundorum causa ei uxor data est. *Cic. Att.* 7, 17. Quaerere fugam. *Id. Rab. Post.* 17. invidiam in aliquem. *Liv.* 1, 14. Id quod quaerebat, tumultuoso et minaci genere pugnae hostem excivit. [*Adde *Eund.* 6, 34. ea ipsa affinitas haud spreta gratiam Fabio ad vulgum quaesierat, i. e. conciliaverat; et 2, 43. nec huic tam pestilenti exemplo remedia ulla ab imperatore quaesita sunt, i. e. reperta. Parum recte ab his *Forc.* sejunxerat et ista:] *Ter. Eun.* 2, 2, 29. Ubi videt, me esse in tanto honore, et tam facile victum quaerere, etc. *Cic. Quint.* 3. *med.* Nec mirum, si is, qui vocem venalem habuerat, ea quae voce quaesierat, magno sibi quaestui fore putabat. *Sall.* in *ep. Pomp. ad sen.* Ductu meo hostes fusi, vobis salus quaesita est. *Id. Jug.* 89. Hae sunt meae imagines, haec nobilitas: quae ego plurimis meis laboribus et periculis quaesivi. *Hor. Ep.* 1, 15, 32. Quidquid quaesierat, ventri donabat avaro. *Ov. A. Am.* 2, 13. Nec minor est virtus, quam quaerere, parta tueri. Adde quae congessit *Broukus.* ad *Prop.* 3, 16, 5. *Liv.* 25, 6. Tantum abfuit ab eo, ut ulla ignominia iis exercitibus quaereretur, ut, etc. Sunt qui leg. *inureretur*, sed frustra. Sunt etiam qui v. *quaereretur* interpretantur, excogitaretur. Nam et hoc sensu interdum ponitur, et ad mentem pertinet. *Ter. Heaut.* 3, 1, 83. Somnum hac nocte oculis non vidi meis, dum id quaero, tibi qui filium restituerem. *Prop.* 1, 7, 6. Atque aliquid duram quaerimus in dominam. *Sall. Cat.* 34. *extr.* Ut quaeramus, quonam modo maxime ulti sanguinem nostrum pereamus. ℙ Cum inf. est dare operam, conari, curare, studere, cupere. *Phaedr. prol.* 3. qui magnas opes Exaggerare quaerit omni vigilia. *Id.* 4, 8. Homo, simulac venit in magnum periculum, Effugium reperire alterius quaerit malo. *Ov. Trist.* 5, 4, 7. Tristitiae causam si quis cognoscere quaerit. *Id. Her.* 12, 175. stultae dum te jactare maritae Quaeris, et injustis auribus apta loqui. *Id. Am.* 1, 8, 51. Aera nitent usu: vestis bona quaerit haberi. ℙ [*Notandus etiam hujus v. usus, quo, imprimis ap. seriores scriptores, ita ponitur, ut urgeatur studii in quaerendo, conquirendo adhibiti notio. *Cic. Verr.* 2, 2, 74. Scrutatus sum quae potui, et quaesivi omnia. *Vell.* 2, 116. Horum virorum mentioni si quis quaesisse (data opera) me dicet locum, fatentem arguet. *Plin. H. N.* 7, 51. Cum mortem in acie quaereret. *Tac. A.* 1, 69. Id Tiberii animum altius penetravit: non enim simplices eas curas, nec adversus externos militem quaeri; coll. *ib.* 1, 35. V. Plura in QUAESITUS.] ℙ *Rem quaerere*, et *quaerere* absolute, conari rem familiarem augere, studere lucris. *Cic. Par.* 6, 2. Qui honeste rem quaerunt mercaturis faciendis. *Ter. Ad.* 5, 3, 27. Conserva, quaere, parce, fac plurimum illis relinquas; et 5, 4, 15. Contrivi in quaerendo vitam atque aetatem meam. Adde *Heaut.* 1, 1, 87. ℙ Saepe est sciscitari, percontari, interrogare. *Cic. Q. Fr.* 2, 2. Te puto saepe habere, qui num quid Romam velis, quaerant. *Hirt.* ad *Cic. post ep.* 6. *l.* 15. *ad Att.* Rure jam redierim, quaeris. Alii leg. *an redierim. Ov. Her.* 19, 30. quaero si quis Abydon eat. *Id. Fast.* 5,

1. Quaeritis, unde putem, etc. *Id. R. Am.* 161. Quaeritis, Aegisthus quare sit factus adulter? *Cic. Or.* 48. Quaere, cur? ita se dicent juvari. *Tac. A.* 2, 9. Quaesito, an Caesar venisset, etc. *Plin.* 7, 53, 54. Cum a puero quaesisset horas. *Cic. Fam.* 3, 6. Quaesivi ex Phania, quam in partem provinciae putaret te velle ut venirem. *Caes. B. G.* 1, 18. Liscum retinet; quaerit ex solo ea, quae in conventu dixerat; et *ib.* 32. Cum ab iis saepius quaereret, neque ullam omnino vocem exprimere posset. *Cic. Verr.* 2, 3, 83. Quaero nunc a te, Hortensi, cum utris istius factum collaturus es? *Nep. Ep.* 4. *med.* A quo cum quaesisset, quo se duci vellet, etc. *Id. Dion.* 2. Quaesivit a medicis, quemadmodum se haberet. *Liv.* 4, 40. *med.* Sexte Tempani, quaero de te, arbitreris, ne, etc. *Cic. Pis.* 9. Quaerebat paulo ante de me, quid suo mihi opus fuisset auxilio; et *Vat.* 4. De te ipso quaero, Vatini, utrum tandem putes, etc. *Ov. Pont.* 4, 3, 18. Cura tibi de quo quaerere nulla fuit. ℙ *Si quaeris*, si scire cupis. *Cic. Fam.* 7, 1. Omnino, si quaeris, ludi apparatissimi. *Id. Off.* 3, 20. Et ea res, si quaeris, ei magno honori fuit. *Id. ad Brut.* 2, 7. *med.* Hoc cogere volebat, falsas litteras esse: et, si quaeris, probabat. *Id. Fam.* 12, 8. Si verum quaeris; et *Sen.* 18. *med.* At sunt morosi, et anxii, et difficiles senes: si quaerimus, etiam avari. ℙ *Noli quaerere*, et *quid quaeris?* formulae, quibus utimur, cum rem ejusmodi dicturi sumus, quae exspectatione major futura est: quasi dicamus, ne plura quaeras: sit hoc satis, quod jam dicam. *Cic. Fam.* 4, 4. *med.* Noli quaerere: ita mihi pulcher hic dies visus est, etc.; et *ib.* 3, 1. *med.* Quid quaeris? biduo factus est mihi familiaris. Adde *Fam.* 7, 3., *Att.* 2, 1. *bis*, *ib.* 4, 18. *extr.*, *ib.* 12, 51. et *Q. Fr.* 3, 2. *bis*, et *Hor. Ep.* 1, 10, 8. [*Cf. de his dicendi formulis *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 335. Item est vocabulum philosophorum, significatque quaestionem ponere, disputationem instituere.] *Cic. Fam.* 9, 25. Ille baro te putabat quaesiturum, unum coelum esset, an innumerabilia. *Scaevola Dig.* 33, 7, 28. Idem quaesiit, an fructus fundi fideicommisso cedant. *Plin.* 31, 3, 21. Quaeritur inter medicos, cujus generis aquae sint utilissimae. *Hor. A. P.* 409. Natura fieret laudabile carmen, an arte, Quaesitum est. ℙ [*Denique usitatissimum est in rebus judicialibus, diciturque de cujuscumque generis causis, capitales sint necne.] *Ter. Ad.* 3, 5, 36. Hunc abduce, vinci, rem quaere. *Cic. Verr.* 1, 9. *f.* Alterum esse quaesiturum de pecuniis repetundis. *Id. Rosc. Am.* 41. Quaerere de morte alicujus. *Id. Mil.* 22. (et *Dejot.* 1. *f.*) De servo in dominum ne tormentis quidem quaeri potest. Sic *Suet. Tib.* 58. Quaerere aliquid per tormenta. *Liv.* 33, 36. Ad conjurationem servorum quaerendam opprimendamque praetor missus. ℙ *Legibus quaerere* dicitur is, qui in judicando non indulget causarum patronis, sed legum sanctiones unice intuetur. *Plin. ep.* 5, 21. Causa dilationis Nepos praetor, qui legibus quaerit. ℙ [*Confund. *quaero* et *credo*. V. *Burm.* ad *Quint. decl.* p. 268.]

QUAESĪTĬO, onis, f. ζήτησις, actus quaerendi, quaestio. *Appul. Met.* 5. Psyche quaesitioni Cupidinis intenta, populos circuibat. Addunt quidam et *Pl. Capt.* 2, 2, 3. *Cist.* 2, 3, 48. et *Pers.* 1, 1, 52., sed plerique alii *quaestio* reponunt. ℙ De quaestione per tormenta. *Tac. A.* 4, 45. Cum postero ad quaesitionem retraheretur, proripuit se custodibus. *Inscr.* ap. *Bertol. Antiqu. Aquil.* p. 300. *n.* 419. C. Appullejus M. F. Tappo judex quaesitionis rerum capital.

QUAESĪTOR, oris, m. ζητητής, qui quaerit. *Gell.* 11, 5. Quos Pyrrhonios philosophos vocamus, ii Graeco cognomento σκεπτικοὶ appellantur. Id ferme significat quasi quaesitores, et consideratores: nihil enim decernunt, nihil constituunt, sed in quaerendo semper considerandoque sunt. *Pacat. Pan. Theod.* 28. Aurum, quod de montium venis quaesitor Bessus, aut scrutator Callaicus eruisset. ℙ Praecipue est judex, qui judicio publico, seu capitali quaestioni cum aliis judicibus praeest, qui cum quaestionem habeat, id est inquirendum curet de crimine, de eoque judicium exercendum, sedet pro tribunali, judicibus sedentibus in subselliis. Dicitur etiam *judex quaestionis*. Ad eum pertinet dimittere judices, aut retinere, urnasque custodire sententiis judicum recipiendis, quaestionem regere, tormenta moderari, etc. *Cic. Verr.* 1, 10. Duo igitur consules, et quaesitor erunt ex illius voluntate. Ubi *Asconius:* Praetor, de pecuniis repetundis quaestionem exercens: nam proprie quaesitores dicuntur criminalium quaestionum: ut Virgilius (*A.* 6, 432.) Quaesitor Minos urnam movet: ille silentum Conciliumque vocat, vitasque et crimina discit. Ex hoc loco discimus, *quaesitorem* dici etiam praetorem, cum cuicumque judicio exercendo praeest: proprie autem eum, qui praeest quaestionibus criminalibus, sive praetor sit, sive non. Interdum enim ex eo ordine, quem penes erant judicia, eligebatur qui quaestionem exerceret loco praetoris, vel quia huic non vacabat, vel quia lex aliqua sic jubebat: idque praecipue factum est, antequam perpetuae quaestiones constituerentur, h. e. antequam certae quaestiones, v. gr. de peculatu, de majestate, de ambitu, praetori quotannis mandarentur. *Cic. Vat.* 14. Numquis reus in tribunal sui quaesitoris ascenderit, eumque vi deturbarit, subsellia dissiparit, urnas delegerit. *Id. Font.* 6. Si, quia Galli dicunt, idcirco Fontejus nocens existimandus est, quid mihi opus est sapiente judice? quid aequo quaesitore? *Id. Sull.* 28. Tamen tormenta illa gubernat dolor, regit quaesitor, flectit libido, etc. *Sall. Jug.* 44. Cum ex Mamiliana rogatione tres quaesitores rogarentur. *Cic. Planc.* 17. Quaesitorem edere. [*Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 53. Q. Vario Q. F. Gemino Leg. divi Aug. II. Procos. Pr. Tr. Pl. Q. Quaesit. judic. etc. Alia ap. *eund. ib.* p. 63. P. Claudius P. F. Ap. N. Ap. Pron. Pulcher Q. Quaesitor Pr. Augur. ℙ Item qui inquirendo aliquid maleficii detegit. *Cic. Cat.* 4, 5. Qui reo custodiam, quaesitori gratulationem, indici praemium decrevit, *h. e.* mihi gratulationem, qui inquirendo conjurationem detexi. Alii perperam leg. *quaestori. F.*]

QUAESĪTŪRĂ, ae, f. idem quod quaestura. *Tac. A.* 3, 29. Ut quinquennio maturius, quam per leges, quaesituram peteret. Alii rectius leg. *quaesturam*.

QUAESĪTUS, a, um, part. a *quaero*, ζητηθείς, perquisitus, indagatus. *Caes. B. G.* 8, 38. Gutruatus omnium cura quaesitus, in castra perducitur. *Virg. A.* 7, 758. Marsis quaesitae montibus herbae; et *ib.* 10, 650. tellus quaesita per undas. ℙ [*Ap. seriores scriptores, raro admodum ap. alios, est saepissime i. q. exquisitus et affectatus, arcessitus, coactus. *Cic Or.* 26. Vitabit etiam quaesita, nec ex tempore ficta, sed domo allata, quae plerumque sunt frigida; coll. cp. 65. Exempla Noster laud. ista:] *Tac. A.* 1, 5. Exstincto Maximo, dubium an quaesita morte, etc. *h. e.* voluntaria, sibi illata. *Id. ib.* 6, 50. Quaesita interdum comitate quamvis manifestam defectionem tegebat. Sic *ib.* 5, 3. Verba inerant *(in epistola)* quaesita asperitate; et *ib.* 3, 57. Praeceperant animis orationem patres: quo quaesitior adulatio fuit. *Id. ib.* 26. Atheniensibus leges quaesitiores Solon perscripsit: cum Minos, et Lycurgus simpliciores, et pauciores tulissent; et *ib.* 2, 53. Excepere Graeci quaesitissimis honoribus. *Id. ib.* 15, 44. Nero subdidit reos, et quaesitissimis poenis affecit; et *Sall. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 2, 9. Epulae quaesitissumae. Alii leg. *exquisitissumae*. [*Adde *Quint. Inst.* 2, 7, 4. Abundabunt figuris jam non quaesitis, sed sponte se offerentibus.] ℙ Quaerendo partus, comparatus, acquisitus. *Cic. Par.* 6, 2. Iis, qui honeste rem quaerunt mercaturis faciendis, intelligimus opus esse quaesito; et *ib.* Cui quaesito opus est, quis hunc vere dixerit divitem? *Virg. G.* 4, 156. de apib.: hiemis memores aestate laborem Experiuntur, et in medium quaesita reponunt. *Hor. Sat.* 2, 6, 82. attentus quaesitis. *Ov. Met.* 7, 656. parcumque genus, patiensque laborum, Quaesitique tenax. ℙ *Quaesitum* absolute, ζήτημα. *Ov. Met.* 4, 793. quoniam scitaris digna relatu, Accipe quaesiti causam. *Id. Fast.* 1, 278. Nec mora; quaesiti reddita causa mihi.

QUAESĪTUS, us, m. quaesitio. In sexto casu sing. *Plin.* 5, 9, 10. de Nilo: Fama tantum, inermi quaesitu, cognitus.

QUAESO, is, ivi et ii, a. 3. ζητέω, idem quod quaero: quemadmodum dicebant *arbosem*, *casmen*, *Valesii*, *asa*, etc. pro *arborem*, *carmen*, *Valerii*, *ara*, etc. *Festus:* Quaeso ut significat idem, quod rogo; ita quaesere ponitur ab antiquis pro quaerere, ut est ap. Enn. libro secundo: Ostia munita est: idem loca navibu' pulcris Munda facit, nautisque mari quaesentibu' vitam. Et in Cresphonte: Ducit me uxorem liberum quaesendum gratia. *Pl.* ap. *Non.* 1, 213. et 4, 39. Quaese adveniente morbo nunc medicum tibi. ℙ Item oro, peto, δέομαι: quia qui orat, quaerit. *Lucr.* 5, 1229. ac prece quaesit Ventorum pavidus paces. *Pl. Bacch.* 2, 2, 1. Mirum est, me, ut redeam, te opere tanto quaesere. Etiam *Cicer.* dixisse *quaesere*, auctor est *Phocas* in *Arte* 1718. Fortasse significat illud in *Arat.* 18. si quaesere perges. Sed alii leg. *quaerere*. *Sil.* 16, 250. non ardua regnis Quaesumus, aut inhonora tuis; (*quaesumus* pro *quaesimus*, ut *optumus* pro *optimus:* et est in usu frequenti.) *Appul. Met.* 4. Multis precibus quaesens. *Sall.* ap. *Prisc.* 10, 902. Curionem quaesivit, uti adolescentior aetati concederet Mamerci. *Ter. Eun.* 3, 2, 13. Quaeso hercle, ut liceat, pace quod fiat tua, dare huic, etc. *Id. Ad* 2, 4, 11. Deos quaeso, ut istaec prohibeant. *Cic. Arch.* 2. Quaeso a vobis, ut mihi detis hanc veniam, ut, etc. *Id. Fam.* 5, 4. Peto, quaesoque, ut, etc. *Id. in Sen.* 1. Quaeso, obtestorque, ne, etc. *Id. Fam.* 3, 2. A te maximo opere etiam atque etiam quaeso, et peto, ut, etc. *Liv.* 28, 39. *med.* Id uti permittatis, quaesumus; et 40, 46. Has ut hodie finiatis simultates, quaesumus vos universi. ℙ Omissa *ut* particula. *Liv.* 10, 13. *f.* P. Decium quaeso mecum consulem faciatis. *Phaedr.* 1, 22. Quaeso, parcas mihi. *Brut. et Cass.* ad *Ant. Fam.* 11, 3. *f.* Deos quaesumus, consilia tua reipubl. salutaria sint, ac tibi. ℙ *Quaeso* frequentissime interseritur sermoni, ut *opinor*, *amabo*, etc. et est orantis, blandientisque. *Cic. Verr.* 2, 4, 47. *f.* Ad ea, quae dicturus sum, reficite vos, quaeso, judices, per Deos immortales. *Id. Att.* 7, 10. Tu, quaeso, crebro ad me scribe. *Id. Fam.* 3, 7. *med.* Quaeso, etiamne tu has ineptias? *Pl. Most.* 4, 2, 33. Quaeso, quoties dicendum est tibi? *Ter. Hec.* 4, 4, 49. Quid dixti? eho, an non alemus, Pamphyle? prodemus, quaeso, potius? *Id. Heaut.* 3, 1, 21. Ubinam est, quaeso? *Id. Andr.* 1, 2, 33. Bona verba, quaeso. *Id. Heaut.* 1, 1, 40. Hui! tam graves hos *(rastros)* quaeso? *Cic. Leg.* 1, 2. Quamobrem aggredere, quaesumus, et sume ad hanc rem tempus. *Arnob.* 1, 35. Quid enim officit, o quaeso, aut quam praestat intellectui tarditatem? ℙ Post multa verba. *Cic. Acad.* 1, 1. Omitte ista, quae nec percunctari, nec audire sine molestia possumus, quaeso, inquit: et quaere potius, etc. ℙ Praeteritum *quaesivi* commune est cum *quaero*, pro quo *quaesi* agnoscit *Prisc.* 10, 902., sed hoc usus non recipit.

QUAESTĬCŪLUS, i, m. κερδάριον, parvum lucrum, lucellum: dimin. a *quaestus*. *Cic. Div.* 2, 15. Aut fissum jecoris cum lucello meo, aut meus quaesticulus cum coelo, terra, rerumque natura? Adde *Fam.* 9, 16. *med.*

QUAESTĬO, onis, f. ζήτησις, actus quaerendi, investigatio, quaesitio. *Pl. Pers.* 1, 1, 52. Recipe te, quam primum potes: cave, fuas mihi in quaestione; et *Capt.* 2, 2, 3. Tibi ne quaestioni essemus. ℙ Item interrogatio, disputatio, controversia, dubitatio, ζήτημα, πρόβλημα. *Cic. Acad.* 4, 8. *f.* Quaestio est appetitio cognitionis, quaestionisque finis inventio. *Id. Or.* 3, 32. De omni re, quaecumque in disceptationem quaestionemque vocatur, copiosissime dicere. *Id. Top.* 21. Quaestionum duo sunt genera: alterum infinitum, alterum definitum. Definitum est, quod ὑπόθεσιν Graeci, nos causam: infinitum, quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus nominare; et *paulo post:* Quaestionum, quacumque de re sint, duo sunt genera: unum cognitionis, alterum actionis. *Id. N. D.* 1, 1. Perdifficilis et perobscura quaestio est de natura Deorum. *Id. Or.* 20. *f.* Id nec dubium est, et si quid habet quaestionis, hoc tamen, etc. *Id. Cluent.* 58. Res in quaestione versatur. *Quint.* 5, 14. Res in quaestionem venit. *Plin.* 7, 28, 29. *in.* Fortitudo in quo maxime exstiterit, immensae quaestionis est. *Id.* 10, 22, 27. In quaestione est, quis primus tantum bonum invenerit; et *ib.* 7, 8. Sanqualem avem augures Romani in magna quaestione habent, *h. e.* valde quaerunt, et disputant, quaenam avis sit. *Quint.* 7, 1. Quaestionem instituere. *Cic. Fin.* 5, 7. habere de finibus bonorum et malorum. ℙ Apud rhetores est id, circa quod totius causae cardo vertitur, et ex quo controversia nascitur. Nam in singulis causis considerantur constitutio sive status, genus causae, quaestio, ratio, judicatio, firmamentum. *Cic. Inv.* 1, 13. Quaestio est quae ex conflictione causarum gignitur controversia, hoc modo: Non jure fecisti: jure feci. Causarum autem haec est conflictio, in qua constitutio constat; ex ea igitur nascitur controversia, quam quaestionem dicimus, hoc modo: jurene fecerit. *Auct. ad Her.* 1, 16. *f.* videtur cum judicatione confundere. V. JUDICATIO. ℙ Saepissime dicitur de investigatione criminis, quae fit interrogando reum, ac testes, adhibito saepe tortore ac tormentis, ἐξέτασις, βασανισμός. *Ulp. Dig.* 29, 5, 1. *med.* Quaestionem sic accipimus, non tormenta tantum, sed omnem inquisitionem, et defensionem mortis. *Cic. Fin.* 2, 16. *f.* Cum praetor quaestionem inter sicarios exercuisset. *Id. Phil.* 11, 2. *f.* Verberibus ac tormentis quaestionem habuit pecuniae publicae. *Id. Rosc. Am.* 18. *f.* Mortis paternae de servis paternis quaestionem habere filio non licet. *Id. Or.* 1, 53. Quaestionem ferre in aliquem. *Liv.* 33, 28. habere ex his, qui simul fuerunt. *Cic. Cluent.* 64. *med.* de furto constituere; et *ib.* instituere de morte alicujus; et *ib.* 65. de morte viri habere; et *ib.* habere de servis in caput filii; et *ib.* 33. Ad quaestionem abripi; et *ib.* 64. *extr.* Alicui servum in quaestionem ferre; et *ib.* Postulare servum in quaestionem. *Id. Rosc. Am.* 41. dare. *Pl. Most.* 5, 1, 38. Servos dare quaestioni; et *ib.* 44. accipere. *Curt.* 4, 10. *f.* corpus offerre. ℙ De ipsis judicibus, qui quaestionem habent. *Val. Max.* 8, 1. *n.* 6. Totam quaestionem a severitate ad clementiam transtulit. ℙ *Quaestionem facere alicui*, in aliquem inquirere. *Modest. Dig.* 34, 3, 20. referens testatoris verba: Quaestionem curatoribus meis nemo faciet: rem enim ipse tractavi. ℙ *Quaestiones perpetuae* dicebantur quaestiones de publicis criminibus, ut *repetundarum*, *de parricidio*, *majestatis*, *peculatus*, etc. Dictae sunt *perpetuae*, quia iis exercendis praeerat suus quaesitor perpetuus et ordinarius, non vero novus et extra ordinem. Etenim antequam hujusmodi quaestiones instituerentur, hoc est ante ann. U. C. DCIV., quotiescumque publicum aliquod crimen admissum esset, novus ei quaesitor eligebatur: postea vero suus singulis est datus, qui quotiescumque opus esset, de hujusmodi sceleribus cognosceret: is autem erat unus ex praetoribus. *Cic. Brut.* 27. Quaestiones perpetuae hoc adolescente constitutae sunt, quae antea nullae fuerunt. Sunt qui pro *perpetuae* putant *publicae* legi oportere: alii qui *pecuniariae*, quia in aliquibus MSS. *Quaestiones P.* habetur. ℙ *Judex quaestionis*, dictus videtur ceterorum judicum princeps, qui datam a praetore actionem exercebat, judices sortiebatur, testes audiebat, quaestiones habebat, tabulas inspiciebat. *Sigon. de Judiciis* 2, 5. contendit, magistratum fuisse a praetore omnino distinctum, quod in multis causis et

praetor, et judex quaestionis interfuerit. *Cic. Cluent.* 54. Judicem quaestionis cum iis judicibus, qui ei obvenerint, quaerere de veneno lex jubet. ℙ Dicebatur et quaestioni praeesse. *Id. Rosc. Am.* 4. Te, M. Fanni, quaeso, ut qualem te antea praebuisti, cum huic quaestioni judex pracesses, talem, etc. ℙ Is etiam *quaesitor judex*, aut *quaesitor* tantum dicebatur. V. duas *Inscr.* in QUAESITOR *f.*

[QUAESTIONALITER, adv. per quaestionem, seu interrogationem. *Fulg. de prisc. serm. n.* 16. Problema est propositio in capite libri quaestionaliter posita. *F.*]

QUAESTIONARIUS, ii, m. carnifex, qui in quaestione reos torquet ad confessionem exprimendam. *Inscr.* ap. *Grut.* 545, 6. Julio Flavino commanipulari, Leg. VII. G. F. quaestionario Herennius Roagtus. Adde *Hieron.* in *Joel.* 2, 21., *Imppp. Valent. Theod. et Arcad. Cod. Theod. tit. extr. l.* 3. et *Vet. Schol.* ad *Juven.* 6, 480. ℙ [Allata superius exempla ad sequioris Latinitatis tempora pertinent; antea vero is qui postea *quaestionarius*, videtur appellatus fuisse *a quaestionibus*. Hinc *Inscr.* ap. *Grut.* 543, 6. Q. Gavius Q. F. Arn. Clemens Clusio evocatus Aug. a quaestionibus; et 560, 1. M. Sallustius Martialis mil. Coh. X. Urb. a quaestion. Praef. Urbis. Alia ap. *De-Vita Antiq. Benev.* p. 31. *n.* 10. A quaestionibus factus per Annium Verum Praef. Urbis. *F.*]

[QUAESTIONATUS, a, um, part. ab inus. *quaestiono*, quaestioni oblatus. *Cyprian. ep.* 69. *n.* 6. Tot confessores quaestionati et torti. *F.*]

QUAESTIUNCULA, ae, f. dimin. brevis, aut levis quaestio. *Cic. Or.* 1, 22. Mihi nunc vos, tanquam alicui Graeculo otioso et loquaci, quaestiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis. *Id. Leg.* 2, 20. His propositis, quaestiunculae multae nascuntur.

QUAESTOR, oris, m. [*i. q. quaesitor, i. e. qui aliquid quaerit. Perperam Noster hujus notionis exemplum secundo loco posuerat. *Pl. in suppos. Amph.* scena, quae incipit: *Dii vostram fidem*, v. 14. Martigenam ille aggressus belluam magnus Europae quaestor. ℙ Hinc] qui rei alicui quaerendae praeest, ut criminibus publicis, vel pecuniae publicae: *ταμίας*. Est tamen discrimen, quod cum de pecuniarum administratore sermo est, *quaestor*, non *quaesitor*, dicimus. *Varr. L. L.* 4, 14. Quaestores a quaerendo, qui conquirerent publicas pecunias. ℙ Ut genus quaerendi non unum, ita nec unum genus quaestorum. Fuere enim quaestores rerum capitalium, sive parricidii, quaestores urbani, seu quaestores aerarii, quaestores militares, quaestores provinciales, quaestores principis, sive Augusti, alio nomine *Candidati principis*. ℙ *Quaestores rerum capitalium*, qui et citra syncopen *quaesitores* saepe dicuntur, erant magistratus, qui quaestionibus criminum capitalium praeerant. Dicti sunt *rerum capitalium*, quia non creabantur, nisi in causis, in quibus de morte, vel exsilio alicujus civis ageretur. Iidem dicebantur *quaestores parricidii*. Nam parricidium apud veteres significabat quodcumque homicidium, ut *Fest.* in *Parici* docet. *Quaestores* dicebantur, quod quaererent de rebus capitalibus. *Varr. L. L.* 4, 14. Quaestores a *quaerendo*, qui conquirerent publicas pecunias, et maleficia, quae triumviri capitales nunc conquirunt: ab his postea, qui quaestionum judicia exercent, quaestores dicti. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* Et quia de capite civis R. injussu populi non erat lege permissum consulibus jus dicere, propterea quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent: hique appellabantur quaestores parricidii, quorum etiam meminit lex XII. tabularum. ℙ Officium horum quaestorum fuit, judices congregare, dimittere, crimina cognoscere, judicibus praecipere, ut sententias ferrent. V. QUAESITOR. His adjungebantur judices quaestionis, de quibus V. QUAESTIO. ℙ *Quaestores urbani*, seu quaestores aerarii, erant magistratus minores, qui praeerant aerario, quod in aede Saturni erat: ita dicti a quaerendis pecuniis publicis. *Varr. L. L.* 4, 14. ℙ Distinguebantur a tribunis aerariis, quia quaestores curabant pecuniam, quam in aerarium inferrent, tribuni aerarii curabant pecuniam, quam ex aerario sumptam quaestori proconsulis, atque exercitui maxime erogarent. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 13. ℙ Munus urbanorum quaestorum fuit pecuniam publicam accipere, et expendere; praedam ex hostibus captam vendere; signa militaria in aerario asservare, et consulibus in bella ituris mittere; legatos, qui Romam venerant, excipere, deducere, iis hospitium curare; aegrotantium curam gerere, mortuisque e publico funus facere. V. *Liv.* 7, 23., 26, 47. et 35, 1. et *Val. Max.* 5, 1. *n.* 1. ℙ *Quaestores militares*, erant magistratus minores, qui mittebantur cum imperatoribus, cum consulibus, vel cum praetoribus, in militiam ad administrandam rem pecuniariam, et praedam, ac manubias in rationes publicas referendas. *Cic. Sen.* 10. Aut quaestor in eodem bello, aut consul in Hispania fuerim. V. *Liv.* 26, 47., 27, 19. et 35, 1. et *Pl. Capt.* 1, 2, 2. ℙ Quaestores provinciales ejusdem fere generis erant, hoc est qui una cum proconsule, vel propraetore in provinciam exibant. Munus eorum erat pecuniam ex aerario attributam in usus provinciae expendere, vectigalem in aerarium inferre. *Cic. Fam.* 2, 19. Mihi quaestor optatior obtingere nemo potuit. *Ascon.* in *Div. Verr.* 10. Haec erat prima senatoris administratio, quaestorem fieri, et in provincia curam gerere pecuniae publicae in usus diversos erogandae. ℙ Ex Augusti vero institutione quaestores mittebantur in provincias populi R., cum in Caesareas procuratores mitterentur. *Cajus Institut.* (ed. *Goesch.*) 1. §. 6. Aedilium curulium jurisdictionem in provinciis populi R. quaestores habent; nam in provinciis Caesaris omnino quaestores non mittuntur. V. PROCURATOR. ℙ Quaestores singuli in singulas provincias mittebantur, excepta Sicilia, quae duos habuit, unum Lilybaei, alterum Syracusis, ut *Ascon.* docet in *Div. Verr.* 1. Unum tamen habuit quaestorem sub Augustis, ut patet ex *Inscr.* ap. *Mur.* 364, 2. et 434, 4. Habebant autem scribas ad conficiendas publicas rationes et lictores, togamque praetextam, ad majestatem magistratus tuendam. *Cic. Fam.* 2, 3, 78. et *ib.* 2, 2, 4. et *Planc.* 41. De quaestorum origine, et officio multa *Tac. A.* 11, 22. et *Ulp. Dig.* 1. *tit.* 14. ℙ Translate. *Cic. in Sen.* 14. *f.* Qui *(Cn. Plancius)* si mihi quaestor imperatori fuisset, in filii loco fuisset: nunc certe erit in parentis, cum fuerit quaestor non imperii, sed doloris mei. ℙ Quaestores principis, sive Augusti, erant magistratus sub Caesaribus, de quibus V. in CANDIDATUS.

QUAESTORICIUS, a, um, adj. ad quaestorem pertinens. *Quaestoricius vir*, quaestura functus. *Vet. Tabula Canus.* ap. *Fabr.* p. 599. *col.* 1.

QUAESTORIUS, a, um, adj. ad quaestorem pertinens. *Cic. Fam.* 2, 17. *med.* Quod ego officio quaestorio adductum reticere de praetore tuo, non moleste ferebam: *(scil.* quia quaestor in provincia erga praetorem suum ita se gerere debebat, ut filius erga patrem, ut constat ex *Cic. Div. Verr.* 19. et *Fam.* 13, 10.) *Id. Verr.* 2, 1, 21. *med.* Legatus quaestorius, *h. e.* legatum in militia ex quaestore agens, ut *Ascon.* interpretatur. *Id. ib.* 1, 4. Quaestorium scelus, *h. e.* a quaestore factum. *Id. Fam.* 7, 30. et *Liv.* 4, 54. *extr.* Quaestoria comitia. *Suet. Dom.* 10. Quaestorii scribae, *h. e.* qui quaestoribus operam praebent in conficiendis pecuniae publicae rationibus. *Id. Vit. Hor.* Scriptum quaestorium comparavit, *h. e.* munus scribae quaestorii. *Id. Claud.* 28. *extr.* Quaestoria ornamenta. *Id. Dom.* 4. munera, *h. e.* gladiatores. V. *eund. Claud.* 24. et *Tac. A.* 11, 22. ℙ *Homo quaestorius* ap. *Cic. Brut.* 76. et *Phil.* 13, 14. et *Liv.* 24, 14. est quaestura functus. In illo *Suet. Oth.* 3. *extr.* Provinciam administravit quaestorius per decem annos: *quaestorius* quibusdam videtur esse, qui re ipsa quaestor est. Verum optimae editiones rectius habent *quaestoribus*, h. e. per quaestores. ℙ *Quaestoria porta*, in castris, quae prope eum locum, ubi tendebat quaestor militaris. *Liv.* 34, 47. Alius tumultus ex aversa parte castrorum est exortus. In portam quaestoriam irruperant Galli. Adde 40, 27. ℙ *Quaestorium forum* ap. *eund.* 41, 2. *f.* eodem loco in castris: ibi enim ex cura quaestoris exponebantur cibaria militibus coemenda. ℙ *Quaestorii agri* ap. *Auct. rei Agrar. Sicul. Fl.* p. 2. et 14. *Goes.* et *Hyg.* p. 205. dicuntur, quos populus R. devictis pulsisque hostibus possedit, mandavitque quaestoribus, ut eos venundarent. ℙ *Quaestorium* absolute, quaestoris tabernaculum, vel aedes. *Liv.* 10, 32. *extr.* Captum quaestorium, quaestorque ibi L. Opimius Pansa occisus. *Cic. Planc.* 41. *med.* Thessalonicam me, in quaestoriumque perduxit. ℙ *Quaestoria bractea auri*, ap. *Plin.* 33, 3, 19. dicitur, quae crassitudine Praenestinae tantum cedit (V. PRAENESTINUS); quemadmodum quaestor praetori suo cedere solebat. V. supra.

QUAESTUARIUS, a, um, adj. *κερδαλέος*, ad quaestum pertinens, meritorius. *Sen. Ben.* 6, 32. Ex adultera in quaestuariam versa, *h. e.* ad quaestum corpore faciendum. *Ulp. Dig.* 3, 2, 4. Lenocinium facit, qui quaestuaria mancipia habet. *Id. ib.* 23, 2, 43. Quaestuaria mulier.

QUAESTUOSE, adv. *κερδαλέως*, cum quaestu, lucrose. *Plin.* 19, 4, 19. *n.* 2. Compertumque, non aliter quaestuosius censum haberi, aut tutius. *Sen. Ben.* 4, 3. Istud non beneficium, sed fenus est, circumspicere, non ubi optime ponas, sed ubi quaestuosissime habeas.

QUAESTUOSUS, a, um, adj. *κερδαλέος*, quaestum afferens, lucrosus. *Cic. Tusc.* 5, 31. Ut quaestuosa mercatura, fructuosa aratio dicitur: (nihilominus *quaestuosum agrum* pro *fructuoso* dixit *Cato R. R.* 1. et ex eo *Plin.* 18, 5, 6.) *Cic. Phil.* 2, 14. Cujus domus quaestuosissima est falsorum chirographorum officina. *Id. Verr.* 2, 2, 19. Illa res calamitosa Heraclio, quaestuosa Verri, etc. et *ib.* 1, 14. Uberrimus et quaestuosissimus annus. *Id. Agr.* 2, 25. *extr.* Hoc multo est quaestuosius, quam, etc. *Plin.* 18, 5, 6. Quaestuosissima vitis. *Id.* 6, 25, 28. Insula quaestuosa margaritis. ℙ De eo, qui quaestum instituit, [*qui lucri studiosus est.] *Cic. Par.* 6, 3. Quaestuosus homo: [*Huc pertinet etiam *Plin. H. N.* 26, 3, 7. *Asclepiades* orandi magister, nec satis in arte ea quaestuosus. ℙ Hinc ap. *Tac. Plin.* maj. et *Curt. quaestuosus* idem fere est, quod dives.] *Curt.* 4, 7, 19. Gens Syrtica navigiorum spoliis quaestuosa. *Plin.* 28, 4, 13. Quaestuosorum gymnasia Graecorum. *Tac. A.* 13, 35. Milites nitidi et quaestuosi. [*Adde *ib.* 12, 63. unde primo quaestuosi et opulenti.]

QUAESTURA, ae, f. *ταμεία*, quaestoris dignitas, et munus. *Cic. Verr.* 1, 4. Quaestura primus gradus honoris, quid aliud habet in se, nisi, etc.? ℙ De variis quaesturae generibus, V. in QUAESTOR. ℙ Aetas ejus petendae nulla legitima fuit annali lege definita, secundum *Manut. de legib.* At *Lipsio* in *Tac. A.* 3, 29. *Excurs. D.* fuit annus vigesimus quintus. Sane certam aliquam fuisse, indicat illud *Quint.* 12, 6. Calvus, Caesar, Pollio, multum ante quaestoriam omnes aetatem, gravissima judicia susceperunt. (Illustrat hunc locum illud *Auctor. dial. de Or.* 34. *extr.* Nonodecimo aetatis anno L. Crassus C. Carbonem, uno et vicesimo Caesar Dolabellam, altero et vicesimo Asinius Pollio C. Catonem, non multo ante aetate antecedens Calvus Vatinium, iis orationibus insecuti sunt, quas hodieque cum admiratione legimus.) Et *Tac. l. c.* Ut quinquennio maturius, quam per leges, quaesturam peteret; et *Suet. Cal.* 1. Quaesturam quinquennio ante, quam per leges liceret, gessit. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* s. h. v.]

QUAESTUS, us, m. *ἐμπόρευμα, ἐργασία*, negotiatio, professio, artificium rei quaerendae et augendae causa, opera in aliqua re praebita ob lucrum. Differt a *mercatura*, quae permutandis distrahendisque mercibus constat: *quaestus* vero vel ex pecunia, vel ex opera lucrum pecuniarium spectat. *Caes. B. G.* 6, 16. Mercurium ad quaestus pecuniae, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. *Cic. Pis.* 35. Sestertium centies et octogies, ex aerario tibi attributum, Romae in quaestu reliquisti. *Id. Off.* 1, 42. Illiberales et sordidi quaestus mercenariorum. *Pl. Rud.* 2, 1, 2. Omnibus modis qui pauperes sunt homines, miseri vivunt, praesertim quibus nec quaestus est, nec didicere artem ullam; et 4, 3, 50. Non enim tu hic quidem occupabis omnes quaestus, quos voles: Et vietorem, et piscatorem te esse, impure, postulas. *Id. Poen.* 5, 2, 127. Suum quaestum colere; et *Most.* 3, 2, 92. Quaestum non malum instituere; et *Capt.* 1, 2, 26. Facere quaestum carcerarium. ℙ Saepissime dicitur de professione meretricia et lenonia. *Ter. Heaut.* 4, 1, 27. Nempe anui illi prodita abs te filia est planissime, per te vel uti quaestum faceret, vel uti veniret palam. *Id. Andr.* 1, 1, 52. Accepit conditionem, dein quaestum occipit. *Id. Her.* 5, 1, 30. Quod pol si esset alia ex hoc quaestu, haud faceret. *Ov. Fast.* 4, 866. Multa professarum quaestibus apta Venus. *Pl. Poen.* 5, 3, 2. Corpore quaestum facere. *Id. As.* 1, 3, 63. loquitur lena: Hic noster quaestus aucupii simillimus est, etc. Adde *Cist.* 1, 2, 2., *Rud.* 5, 2, 58. etc. ℙ Translate de artificio parasitico. *Pl. Pers.* 1, 2, 1. Veterem aeque antiquum quaestum meum alimoniae servo atque obtineo, et magna cum cura colo. ℙ Metonymice est ipsum lucrum compendiumque, quod quaestu paramus, *κέρδος*. *Nep. Att.* 9. Pecuniam sine fenore credidit, maximum existimans quaestum, memorem gratumque cognosci. *Cic. Verr.* 2, 2, 3. Quos illa mercibus suppeditandis cum qnaestu compendioque dimittit. *Id. ib.* 2, 3, 44. *f.* Tantum de quaestu ac lucro dicam unius agri, et unius anni. *Cels.* 3, 4. *med.* Medici, qui quaestui serviunt. *Sall. Cat.* 13. *extr.* Quaestui deditum esse. *Id. Jug.* 34. Quibus fides, decus, pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quaestui sunt, *h. e.* venalia sunt. *Quint. prooem.* 1. *med.* Ut primum lingua esse coepit in quaestu, *h. e.* homines eloquentia uti coeperunt ad lucrum. *Cic. Off.* 2, 22. Quaestui habere rempublicam. ℙ *Τρῶμα* sunt illa *Pl. Poen.* 1, 2, 74. Non potest quaestus consistere, si eum sumptus superat; et *Truc.* 2, 4, 62. Ad suum quemque aequum est quaestum esse callidum; et 5, 40. Omnes homines ad suum quaestum callent et fastidiunt. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 15, 14. M. Fabium quod mihi amicum tua commendatione das, nullum in eo facio quaestum: multi enim anni sunt, cum ille in aere meo est. *Pl. Poen.* 3, 3, 12. Istic est thesaurus stultis in lingua situs, ut quaestui habeant male loqui melioribus. *Hor. Sat.* 2, 6, 19. Autumnusque gravis Libitinae quaestus acerbae. ℙ *Is vel Herculi conterere quaestum possiet*, proverb. ap. *Pl. Most.* 4, 2, 68. in hominem maxime sumptuosum et prodigum. Hercules enim maximos quaestus quotidie facere creditur, cum ei decimae voveantur. ℙ Habet etiam *quaesti* in genitivo, praesertim apud comicos. *Pl. Aul.* 1, 2, 5. Nam hic apud nos nihil est aliud quaesti furibus. *Id. Poen. prol.* 95. Leno huc commigravit sui quaesti causa. *Ter. Hec.* 5, 3, 38. Nunquam animum quaesti gratia ad malas adducam partes. Adde *Titin., Pomp., Turpil., Caecil.* ap. *Non.* 8, 6. et 73. ℙ Item *quaestuis*. V. FRUCTUS. *Varr.* ap. *Non. ib.* Nam liberti quaestuis causa diribebant res suas pueris. *Nov. ib.* Per Deam sanctam Lavernam, quae cultrix quaestuis sit.

[QUALIBESCIT, adv. idem ac qualibet. *Not. Tir.* p. 35. Qualibet, qualibuit, qualibescit. *F.*]

QUALIBET et Qualubet, per quemcumque locum, adverb. motus per locum. *Tibull.* 1, 2, 27. eat tutusque sacerque Qualibet. *Quint.* 5, 13. *med.* Si

vel maxima flumina in rivos deducantur, qualibet transitum praebent. *Pl. Most.* 3, 2, 122. Qualibet perambula aedes. ℙ Item quacumque ratione. *Catull.* 40, 6. Qualubet esse notus optas? *Id.* 76, 13. Difficile est longum subito deponere amorem: Difficile est: verum hoc qualubet efficias.

QUĀLIS, e, adj. *οἷος*, cujusmodi, cujus generis, relativum qualitatis, alicujus rei naturam et proprietatem significans. *Cic. Rosc. Am.* 4. *extr.* Ut qualem te jam antea populo R. praebuisti, talem te et nobis impertias. *Id. Inv.* 2, 58. *f.* Ut res non tales, quales ante habitae sint, habendae videantur. *Liv.* 27, 17. *f.* Quales ex hac die experiundo cognorit, perinde operae eorum pretium faceret. *Virg. A.* 12, 889. Vix illud lecti bis sex cervice subirent, Qualia nunc hominum producit corpora tellus. *Nep. Att.* 20. *med.* Hoc quale sit, facilius existimabit is, qui, etc. *Cues. B. G.* 1, 21. Qualis esset natura montis, et qualis in circuitu ascensus, qui cognoscerent, misit. *Id. B. C.* 2, 32. *med.* Eventus belli qualis sit futurus, ne vos quidem dubitatis. *Cic. N. D.* 1, 23. *f.* Doce me, unde sint Dii, ubi sint, quales sint corpore, animo, vita. *Id. Fin.* 2, 28. Si negaret quidquam interesse ad beate vivendum, quali uteretur victu concederem. *Id. Brut.* 86. *f.* Ii fuerunt certe oratores: quanti autem, et quales, tu videris. *Id. Tusc.* 3, 23. Aut ipsius rei natura qualis et quanta sit, quaerimus. *Id. Inv.* 2, 59. Contraria quoque et quae, et qualia sint, intelligimus. *Val. Fl.* 3, 177. quem te, qualemque videbit Attonitus, Crenaee, parens! *Ov. Fast.* 5, 460. Cernite, sim qualis, qui modo qualis eram! *Liv.* 8, 39. Equitum acies, qualis quae esse instructissima potest, invecta in hostes, caede omnia replet. *Cic. Cat.* 2, 1, 10. *f.* In hoc uno post hominum memoriam maximo crudelissimoque bello, quale bellum nulla unquam barbaria cum sua gente gessit, etc. ℙ *Qualis* relative usurpatur ad exemplum significandum rei praedictae. *Quint.* 9, 2. Et ipsi nosmet rogamus; quale est illud Terentianum: Quid igitur agam. *Id. paulo post:* Quod fit et multis et variis figuris, cum aut aliud exspectasse nos, aut majus aliquid timuisse simulamus, aut plus videri posse ignorantibus; quale est prooemium pro Coelio. ℙ Per interrogationem, *ποῖος*. *Cic. Font.* 10. Quali fide, quali pietate existimatis eos esse, qui, etc.? *Id. Acad.* 4, 14. *med.* Qualis est istorum oratio, qui omnia non tam esse, quam videri volunt? *Pl. Trin.* 4, 4, 3. O Callicles! qualine amico mea commendavi bona? *Call.* probo, et fideli, et fido. ℙ *Qualis* et *quale*, poetice pro *qualiter*, sicut, quemadmodum, velut, in comparationibus. *Virg. G.* 4, 511. Qualis populea moerens philomela sub umbra Amissos queritur fetus. *Id. A.* 1, 596. Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo Argentum, Pariusve lapis circumdatur auro. *Ov. Am.* 2, 5, 34. Conscia purpureus venit in ora pudor: Quale coloratum Tithoni conjuge coelum Subrubet. *Id. Met.* 3, 681. falcata novissima cauda est, Qualia dividuae sinuantur cornua lunae. ℙ *Qualia* absolute, qualitate praedita. *Cic. Acad.* 1, 7. *med.* Materiam ipsam totam penitus commutari putant, et ita effici quae appellant qualia. Sic *Sen. ep.* 117. med. Prius aliquid esse debet, deinde quale esse. ℙ *Qualis qualis*, qualiscumque. *Tryphon. Dig.* 20, 5, 12. Quali quali obligatione interposita. *Ulp. ib.* 47, 10, 15. *f.* Multum interest, qualis servus sit, bonae frugi, ordinarius, dispensator; an vero vulgaris, vel mediastinus; an qualis qualis.

QUĀLISCUMQUĔ, lĕcumque, adj. *οἱοσπερ, ὁποῖος δή*, quicumque, quislibet, cujuscumque modi. *Cic. Att.* 14, 14. *f.* Sed homines benivolos, qualescumque sunt, grave est insequi contumelia. *Id. Leg.* 3, 14. Licet videre, qualescumque summi civitatis viri fuerunt, talem civitatem fuisse. *Id. Fam.* 4, 8. Si libertatem sequimur, qui locus hoc dominatu vacat? sin qualemcumque locum, quae est domestica sede jucundior? *Tac. H.* 4, 8. Bonos imperatores voto expetere, qualescumque tolerare. *Manil.* 2, 856. Omne quidem signum sub qualicumque figura, etc. *Ov. A. Am.* 2, 283. carmina lector Commendet dulci qualiacumque sono. *Id. Pont.* 4, 13, 6. Qualis enim cumque est, non latet esse meam. Sic *Cic. N. D.* 2, 30. Quale id cumque est.

QUĀLISLĪBET, lĕlibet, adj. *Cic. N. D.* 2, 37. Formae litterarum vel aureae, vel qualeslibet. Rectius tamen alii *quales libet*. *Apic.* 4, 2. *med.* Pisces qualeslibet rades, et curatos mittes.

QUĀLISNAM, adj. interrogativ. quisnam. *Appul.* in *Apol.* Facile intellectu cuivis fuit, qualisnam accusatio futura esset.

QUĀLĪTAS, atis, f. *ποιότης*, id, quo res quales dicuntur, ut virtus, albedo, etc. *Cic. Acad.* 1, 6. *extr.* Quod ex utroque, id jam corpus, et quasi qualitatem quandam nominabant: dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis, quod Graeci ipsi faciunt, utamur verbis interdum inauditis. *Id. ib.* 7. Qualitates igitur appellavi, quas *ποιότητας* Graeci vocant; quod ipsum apud Graecos non est vulgi verbum, sed philosophorum. *Colum.* 8, 17. Qualitatem litoris nostri contemplemur. *Quint.* 5, 9. *f.* Qualitas coeli. *Plin.* 2, 80, 82. materiae excipientis. ℙ In plur. num. *Id.* 36, 22, 44. Qualitatum differentia. *Colum.* 2, 17. *med.* Frumentarius ager aliis qualitatibus aestimandus est.

QUĀLĪTER, adv. *οἷον, οἵα*, quemadmodum, qua ratione. *Colum.* 1, 4. *med.* Refert, villa qualiter aedificetur, et quam utiliter disponatur. *Id.* 8, 2. Consideret, qualiter gallinas debeat tueri, et pascere. *Mart.* 1, 101. Qualiter o vivam! quam large! quamque beate! ℙ Item sicuti. *Plin.* 8, 48, 73. Antiquis torus e stramento erat, qualiter etiam nunc in castris. *Id.* 21, 18, 70. Cyperos juncus est, qualiter diximus, angulosus, etc. ℙ In comparationibus. *Val. Fl.* 5, 305. Qualiter ex alta cum Juppiter arce coruscat. *Mart. Spect.* 7. Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus Assiduam nimio pectore pascit avem; Nuda Caledonio sic pectora praebuit urso Non falsa pendens in cruce Laureolus. *Id.* 5, 7. Qualiter Assyrios renovant incendia nidos, Una decem quoties saecula vixit avis; Taliter exuta est veterem nova Roma senectam. *Plin.* 2, 52, 53. Fulmina cremantia a Martis sidere proficisci putant: qualiter cum Volsinii oppidum Tuscorum totum concrematum est fulmine. *Ov. Am.* 1, 7, 57. lacrimae fluxere per ora, Qualiter abjecta de nive manat aqua. ℙ *Qualiter qualiter*, qualitercumque, utcumque. *Ulp. Dig.* 4, 4, 7. Gestum sic accipitur, qualiter qualiter, sive contractum sit, sive quid aliud contigerit. *Id. ib.* 50, 16, 63. *Penes te* amplius est, quam *apud te*. Nam apud te est, quod qualiter qualiter a te teneatur: penes te est, quod quodam modo a te possidetur. Adde *ib.* 26, 7, 4. *extr.* et 43, 19, 1. *med.* et *Cels. ib.* 8, 6, 12.

QUĀLĪTERCUMQUĔ, adv. *ὁποιωσοῦν*, quomodocumque, utcumque. *Colum.* 2, 10. Et, qualitercumque obruas, sustinet coloni negligentiam. *Just.* 2, 11. Meminerint, qualitercumque proeliantibus cadendum esse.

QUĀLUM, i, n. et saepius

QUĀLUS, i, m. *ἠθμὸς, λικμητηρὶς*, cistae genus, ut ait *Fest.* in *Canephora*, *h. e.* genus vasis viminei, metae inversae similis, per quod vinum guttatim defluit, cum calcatur uva, reliqua vero materia exire prohibetur. Sed et aliis usibus inservit. *Virg. G.* 2, 241. tu spisso vimine qualos, Colaque prelorum fumosis deripe tectis. Ubi *Serv.:* Qualos, per quos vinum defluit: qui et ipsi a *colando* dicti sunt. *Cato R. R.* 11. *f.* Corbulas Amerinas viginti, quala sataria (al. *satoria*) septem; et *ib.* 23. Quala parentur, sarciantur; et *ib.* 52. Quae diligentius propagari voles, in aulas, aut in qualos pertusos propagari oportet. *Pall.* 4, 10. *med.* Insiti surculi qualo desuper omnino muniendi sunt, vel fictili vasculo. *Colum.* 9, 15. *f.* Saligneus qualus vel tenui vimine rarius contextus saccus, inversae similis, qualis est quo vinum liquatur, obscuro loco suspenditur: in eum deinde carptim congeruntur favi. *Ulp. Dig.* 33, 7, 8. Quali vindemiatorii, exceptoriique, in quibus uvae comportantur. *Id. ib.* 7, 1, 15. Si librarium rus mittat, et qualum, et calcem portare cogat. *Colum.* 8, 3. de cubilibus gallinar.: Palis in parietes vehementer actis, vimineos qualos superimponunt. *Hor. Od.* 3, 12, 4. Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas, Operosaeque Minervae studium aufert, Neobule, *h. e.* calathum, in quo pensa puellae reponunt. *Appul. Met.* 4. (loquitur *asinus*). Jam ferme tertium qualum (*panis*) rumigabam. *Prud. Cath.* 9, 58. Ferre qualis ter quaternis ferculorum fragmina.

QUAM, *ὅσον*, quantum, quantopere: conjunctio facta a *quantum* per apoc., ut *tam*, quae illi respondet, a *tantum*. *Cic. Att.* 9, 2. Quam nihil praetermittis in consilio dando! quam nihil tamen, quod tibi placeat, explicas! [*Cf. *Ellendt.* ad *Brut.* p. 157.] *Id. Fin.* 5, 22. Ut se accusari nolunt! quam cupiunt laudari! *Id. Fam.* 11, 24. Quam multa, quam paucis! *Id. Verr.* 2, 5, 16. Memoria tenetis, quam valde universi admurmurarint. *Id. Fam.* 7, 15. Quam sint morosi qui amant, vel ex hoc intelligi potest. *Id. Div.* 1, 26. *f.* Quam vellet, cunctaretur; tamen eodem sibi leto esse pereundum. *Id. Top.* 1. Non tam vitandi laboris mei causa, quam quod id tua interesse arbitrabar. ℙ [**Quam* non tantum est *quam valde*, sed etiam *quam parum*, vel potius *quam non*, sicut *quantus*, *tantus* non solum signif. *quam magnum*, *tam magnum*, sed etiam *quam* vel *tam exiguum*. Ita *Matth.* ad *Cic. Sull.* 11, 33. Itaque attende jam, Torquate, quam ego defugiam auctoritatem consulatus mei.] ℙ Cum superl. *Cato R. R.* 65. Quam acerbissima olea oleum facies, tam oleum optimum erit; et *Varr. R. R.* 2, 9. *med.* Quam paucissimos reliqueris, tam optimi fiunt. *Sall. Jug.* 34. Quam quisque pessume fecit, tam maxume tutus est. *Ter. Heaut.* 5, 2, 44. Adolescens quam minima in spe situs erit, tam facillime patris pacem in leges conficiet suas. ℙ Omisso *tam*. *Liv.* 35, 49. Homo non, quam isti sunt, gloriosus. *Tac. A.* 4, 61. Claris majoribus, quam vetustis. *Virg. A.* 6, 305. Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat, Quam multa in silvis lapsa cadunt folia, quam multae glomerantur aves, etc. ℙ *Quam possum*, quantum possum. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 5. Quam potuit, constanter cum populo egit, ut, etc. *Ov. Trist.* 3, 4, 75. Et, quam quisque potest, aliqua mala nostra levate. *Id. Met.* 3, 302. Quam tamen usque potest vires sibi demere tentat. Alii leg. *qua*. *Curt.* 7, 7. *med.* Tibi quam potest, denuncio, ipse mihi indices, quid, etc. *Pl. Men.* 5, 9, 4. Tua est imago: tam consimilis est, quam potest. ℙ Cum *possum* et superlativo. *Cic. Dom.* 36. Quam maxima possum voce dico. *Id. N. D.* 2, 52. Aves nidos quam possunt mollissime substernunt. *Pl. Men.* 5, 2, 81. Concede huc ab isto, quam potest, longissime. *Ov. Pont.* 4, 8, 37. Sed qui quam potuit, dat maxima, gratus abunde est. ℙ Cum positivo. *Plin.* 20, 24, 100. Tusa cribrataque vino, quam possit excellenti. ℙ In his verbum *possum* aliquando subticetur, et subintelligitur. *Cic. Fam.* 13, 6. *extr.* Ut ex hac commendatione mihi Cuspius quam maximas, quam primum, quam saepissime gratias agat. ℙ Post comparativa, et ea, quae comparativorum vim habent, *ἢ*. *Cic. Att.* 7, 9. Nobis nihil est timendum magis, quam ille consul. *Id. Div.* 2, 16. *extr.* His igitur, quam physicis, potius credendum existimas? *Cassius* ad *Cic. Fam.* 15, 19. Non mehercule quidquam libentius facio, quam ad te scribo. *Cic.* ad *Pomp. post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att.* Ea cognovi commodiora esse multo, quam ut erat nobis nunciatum. *Id. Pis.* 26. Hoc inferius est, quam ut avo tuo dignum esse videatur. *Id. Or.* 3, 3. *f.* Crassus fuit plenior, quam quomodo a nobis inductus est. *Id. Att.* 13, 1. Ad Ciceronem ita scripsisti, ut neque temperatius scribi potuerit, nec magis, quam quemadmodum ego maxime vellem. *Id. Verr.* 2, 2, 70. Majorem pecuniam praetori polliceri, quam quantam hic dedisset. *Id. Or.* 1, 36. *extr.* Iniquum putabat plus secum agi, quam quod erat in actione. *Liv.* 35, 12. *med.* Qui plures milites eorum occidisset, quam quot superessent. *Cic. Par.* 1. An est, quod ego malim, quam, etc.? *Colum.* 1, 8. *med.* Ferramenta duplicia, quam numerus servorum exigit. *Liv.* 7, 8. Multiplex, quam pro numero, damnum est. *Id.* 45, 18. *f.* Dimidium tributi, quam quod regibus ferre soliti erant, populo R. pendere. Alii omitt. *quam*, ut *ib.* 26. et 29. ℙ Post positivum, licet comparatio fiat. *Pl. Trin.* 2, 4, 7. Confit cito, quam si tu objicias formicis papaverem: pro *citius quam*. Alii leg. *quasi tu objicias:* alii omitti *tam* volunt, et sententiam esse: confit tam cito, quam si, etc. ℙ Similiter omittitur in his comparationis particula. *Tac. A.* 1, 58. Pacem, quam bellum, probabam. *Pl. Rud.* 4, 4, 70. Tacita bona est mulier semper, quam loquens. *Curt.* 7, 7. *med.* Ne mea ars, quam benevolentia, me perturbat. V. POTIUS. ℙ Post superl. *Liv.* 34, 32. Bellum gerere cum tyranno, quam qui unquam, saevissimo et violentissimo in suos. ℙ Interdum habet comparativum loco positivi. *Cic. Dejot.* 3. Per dexteram te istam oro non tam in bellis et in proeliis, quam in promissis et fide firmiorem. ℙ Reperitur etiam ante comparativa pro *quanto*. *Virg. A.* 7, 787. Tam magis illa fremens, et tristibus effera flammis, Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnae. *Pl. Men.* 1, 1, 19. Quam magis extendas, tanto adstringunt magis. (Adde *Lucr.* 6, 459.) *Id. Bacch.* 5, 1, 5. Magis quam id reputo, tam magis uxor. ℙ Et omisso *tam*. *Virg. G.* 3, 309. Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra, Laeta magis pressis manabunt flumina mammis. ℙ Et omisso altero *magis*. *Pl. As.* 1, 3, 6. Quam magis te in altum capessis, tam aestus te in portum refert. ℙ Eleganter conjungit duo comparativa. *Cic. Mil.* 29. Ne libentius haec in illum evomere videar, quam verius. *Liv.* 31, 35. Non acrior quam pertinacior impetus Romanorum. ℙ Post quaedam adverbia temporis. *Cic. Or.* 2, 5. Saeculis multis ante gymnasia inventa sunt, quam in his philosophi garrire coeperunt. *Cic. fil.* ad *Tiron. Fam.* 16, 21. Tabellarii venerunt post diem sextum, quam a vobis discesserant. *Cic. Acad.* 4, 3. *f.* Cum eo postridie venissemus, quam apud Catulum fuissemus. *Id. Att.* 3, 8. Haec epistola est pridie data, quam illa. *Id. Or.* 2, 3. Postero die quam illa erant acta. *Liv.* 6, 29. *extr.* Die vigesima, quam creatus erat, dictatura se abdicavit. ℙ Post *aeque*, *contra*, *secus*, *alius*, *aliter*, *supra*, et nomina diversitatis. *Liv.* 28, 26. *f.* Nihil aeque eos terruit, quam robur ac color imperatoris. *Cic. Leg.* 2, 5. Contra faciunt, quam professi sunt. *Pl. Capt.* 2, 1, 50. Ne me secus honore honestes, quam ego te. *Liv.* 44, 27. *f.* Nil aliud agens, quam ut, etc. *Id.* 45, 25. Ob nullam aliam causam, quam ne, etc. *Cic. Verr.* 2, 1, 9. Ne aliter, quam ego velim, meum laudet ingenium. *Colum.* 4, 2. Nec aliter, quam si, etc. *Cic. Or.* 40. *extr.* Saepe supra feret, quam fieri possit. (Adde *Top.* 9.) *Id. Inv.* 1, 18. Ultra, quam satis est, producitur. *Quint.* 1, 4. *Pransus* quoque, atque *potus* diversum valent, quam indicant. ℙ Pro valde, multum. *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 13. Nam suos valde quam paucos habet. *Ter. Andr.* 1, 1, 109. Rejecit se in eum flens quam familiariter. *Cic. Verr.* 2, 3, 88. Fecerunt alii alia quam multa. *Id. Q. Fr.* 2, 6. *med.* Nam quod de Pompejo Caninius agit, sane quam refrixit. *Plin. ep.* 7, 27. Perquam velim scire. V. PER. *Cic. Att.* 1, 11. *f.* Mire quam illius loci cogitatio delectat. Alii leg. *quantum*. *Gell.* 17, 12. Favorinus oppido quam libens. *Id.* 19, 9. *med.* Voce admodum quam suavi. *Pl. Amph.* 1, 3, 43. Admodum quam saevus est. *Id. Most.* 2, 2, 79. Nimis quam formido, ne, etc. *Id. Capt.* 1, 2, 17. Nimis quam cupio. *Id. Trin.* 2, 1, 15. Quid ab eo, quod

amat, quam extemplo saviis sagittatis percussus est. (Sunt qui in his, et hujusmodi aliis latentem admirationis sensum agnoscunt: atque adeo *quam* pro *quantum* simpliciter poni.) ℙ Pro nisi. *Tert. adv. Prax.* 29. Quid est compati, quam cum alio pati? ℙ Pro quam si. *Catull.* 10, 32. Utor tam bene, quam mihi pararim.

QUAMDĔ, ἤπερ, pro quam (ut *tamde* pro tam) usos esse antiquos, cum multi veteres testimonio sunt, tum est Livius (al. *Ennius*) in primo: Juppiter! haud muro fretus magi', quamde manus vi. Et in secundo: Quamde tuas omnes legiones, ac popularis. Et Lucretius (1, 639.) Clarus ob obscuram linguam magis inter inanes, Quamde gravis inter Grajos, qui vera requirunt. *Festus.* ℙ Etiam pro *quando* adhibuisse, idem in *Quando* testimonio *Ennii* confirmat.

QUAMDĬU et Quandiu, adv. *μέχρι οὗ*: et interrogative, ἐφ' ὅσον χρόνον, et καθόσον, quanto tempore, quoad, dum: cui *tamdiu* respondet. *Caes. B. G.* 1, 17. *extr.* Quamdiu potuit, tacuit. *Cic. Quint.* 9. *med.* Ut nobis tempus, quamdiu diceremus, praestitueres. *Id. Off.* 1, 1. Disces, quamdiu voles: tamdiu autem velle debebis, quoad, etc. *Id. Fam.* 12, 19. Qui se oppido munitissimo tamdiu tenuit, quamdiu in provincia Parthi fuerunt. *Id. Rosc. Am.* 32. Haec tu tot et tanta si nactus esses in reo, quamdiu diceres! Interjecto verbo, *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 7. Quoties quisque voluit, dixit, et quam voluit diu. ℙ Item interea dum, tantisper dum. *Colum.* 12, 50. Ut neque fumus, neque fuligo, quamdiu viride oleum conficitur, in torcular admittatur. *Lampr. Elag.* 29. *f.* Jubebat, ut semper id comesset, quamdiu tamen melius invenisset. ℙ Item quam dudum. *Pl. Capt.* 5, 3, 3. Quam diu id factum est. *Sta.* hic annus incipit vicesimus.

[QUAMDĬŪTĬNUS, a, um, adj. *Tot. Tir.* p. 35. Quamdiu, quamdiutius, quamdiutinus, quamdiutissime. *F.*]

QUAMDŪDUM. V. DUDUM.

QUAMLĬBET et Quamlubet, adv. quantum libet, quantum vis. *Phaedr.* 1, 25. Quamlibet lambe otio. *Lucr.* 1, 292. flamina venti Quamlibet in partem trudunt res. *Ov. Am.* 1, 7, 66. Quamlibet infirmas adjuvat ira manus. *Plin.* 36, 22, 45. Lapis specularis finditur in quamlibet tenues crustas. *Quint.* 1, 1. Quamlibet parum sit, quod contulerit aetas prior, majora tamen, etc. *Lucr.* 2, 541. quamlubet esto Unica res. *Plin.* 19, 2, 8. Rursus quam libeat vetustum novo miscetur. *Ov. Trist.* 1, 10, 5. de navi celeri: Occupat egressas quamlibet ante rates. ℙ Pro quamvis, κἄν εἰ, καὶ εἰ. *Solin.* 9. *f.* Philippus Magnum procreat: quamlibet Olympias Alexandri mater nobiliorem ei patrem acquirere affectaverit.

QUAM MOX. V. MOX.

QUĂMOBREM, adv. παρ' ὅ, quam ob rem, quam ob causam, quare. *Caes. B. G.* 1, 50. Cum ex captivis quaereret, quamobrem Ariovistus non decertaret. ℙ Est relativum utriusque generis, et numeri. *Cic. Rosc. Am.* 3. Si vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi, etc.; et *Ter. Hec.* 3, 3, 32. Abs te quamobrem haec abierit, causam vides. *Cic. Fam.* 3, 10. Multa mihi veniebant in mentem, quamobrem istum laborem tibi etiam honori putarem fore. *Ter. Eun.* 1, 2, 65. Multae sunt causae, quamobrem cupio abducere; et *Ad.* 3, 3, 71. Ego vero hinc abeo, quando is, quamobrem hoc veneram, rus abiit. *Cic. Verr.* 2, 4, 60. *f.* Verum illud est, quamobrem haec commemorarim. *Pl. Ps.* 5, 1, 11. Hoc est homini, quamobrem vitam amet. *Ter. Eun.* 5, 6, 30. Jamdiu aliquam causam quaerebat senex, quamobrem insigne aliquid faceret his. ℙ In principiis, διότι. *Cic. Fl.* 27. Quamobrem quaeso a vobis, Asiatici testes, etc. *Id. Fam.* 2, 4. *med.* Quamobrem quoniam, etc. utar ea clausula, etc. ℙ Interrogando, διὰ τί. *Cic. Verr.* 2, 5, 29. *med.* Piratam vivum tenuisti: quem ad finem? dum cum imperio fuisti: quamobrem? quam ob causam? quo exemplo? cur tamdiu? *Id. Fin.* 1, 5. *f.* Quamobrem tandem non satisfacit? *Ter. Andr.* 1, 5, 14. Repudiatus repetor: quamobrem? *Pl. Amph.* 2, 1, 2. *Amph.* Scelestissimum te arbitror. *So.* nam quamobrem? *Amph.* quia, etc.

QUAMPLŪRES, a, um, adj. plur. valde plures, complures. *Pl. Stich.* 1, 3, 45. Curiosi sunt hic quamplures mali, alienas res qui curant studio maximo. *Petr. Sat.* 21. Intraverunt palaestritae quamplures. Afferuntur etiam ex *Cic.*, *Caes.* et aliis loca, in quibus alii leg. *complures.* ℙ Superl. *quamplurimus*, et *quam plurimus*, *a*, *um*. *Cato* ap. *Fest.* in *Veternosus.* Veternosus quam plurimum bibit, tam maxime sitit. *Id. R. R.* 157. *med.* Quam plurimum brassicae ederit, tam citissime sanus fiet ex morbo. *Caes. B. C.* 3, 45. Ut quamplurimos colles quam maximo circuitu occuparet; et *Cic. Off.* 3, 12. Frumentum quam plurimo vendere; et *Plin.* 17, 18, 29. Radices quamplurimas cum terra ferre. *Plin. alter. ep.* 10, 85. *f.* Quamplurimis diebus exspectati. *Id. ep.* 5, 10. Hortor, ut quamplurima proferas, quae imitari omnes concupiscant, nemo, aut paucissimi possint.

QUAMPRĬDEM. V. PRIDEM.

QUAMPRĬMUM et Quam primum, adv. ὅσον αὐτίκα, primo quoque tempore, sine mora. *Cic. Fam.* 2, 6. Cum has quam primum ad te perferri litteras magnopere vellemus. *Caes. B. G.* 4, 21. Huic mandat, ut ad se quamprimum revertatur. *Pl. Capt.* 2, 3, 88. Ut quamprimum possis, redeas; et *Truc.* 1, 2, 68. Quam primum expugnari potis est amator, optimum est.

QUAM PRIUS. V. PRIUS.

QUAMQUAM et Quanquam, adv. καίπερ, etsi, quamvis, licet. *Sall. Jug.* 17. Quamquam tibi immaturo, et unde minume decuit, vita erepta est, tamen laetandum magis, quam dolendum puto casum tuum. *Cic. Or.* 2, 1. Erantque multi, qui quamquam ita se rem habere arbitrarentur, tamen, etc. *Pl. Pers.* 3, 1, 8. Amabo, mi pater, quamquam libenter escis alienis studes, tuin' ventris causa filiam vendis tuam? *Ter. Ad.* 2, 1, 5. Quamquam est scelestus, non committet hodie, iterum ut vapulet. *Quint.* 1, 3. Caedi vero discentes, quamquam receptum sit, et Chrysippus non improbet, minime velim. ℙ Venustatem habet, cum quis se ipsum corrigit. *Cic. N. D.* 3, 16. Quamquam, quem potissimum Herculem colamus, scire sane velim. *Virg. A.* 5, 194. Non jam prima peto Mnestheus, neque vincere certo. Quamquam o! sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti. [*Plura hujus usus exempla v. ap. *Boett.* in *Lex. Tac.* p. 395.]

QUAMVIS, adv. ὅσον βούλει, quantum vis: atque adeo multum, valde, admodum. *Cic. Fam.* 2, 16. Quamvis parvis Italiae latebris contentus essem. *Id. Rosc. Am.* 16. Quasi vero mihi difficile sit quamvis multos nominatim proferre. *Id. Verr.* 2, 2, 54. Quidvis facere in ejusmodi rebus, quamvis callide, quamvis audacter, quamvis impudenter. *Catull.* 12, 5. Quamvis sordida res et invenusta est; et *Pl. Men.* 2, 2, 43. Quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest. *Id. Ps.* 4, 7, 79. Quamvis pernix hic est homo. *Varr. R. R.* 2, 5. Homo quamvis humanus et jocosus. *Colum.* 7, 8. Caseus ut formis exemptus est, quamvis mundissimis tabulis componitur. *Cic. Att.* 12, 37. Quamvis prudens ad cogitandum sis, sicut es, tamen nisi, etc. *Id. Leg.* 3, 10. *med.* Et praeter eos quamvis enumeres multos licet; et *Or.* 3, 26. Quare *bene* et *praeclare* quamvis nobis saepe dicatur: *belle* et *festive* nimium saepe nolo. *Lucr.* 6, 600. Proinde licet quamvis coelum terramque reantur Incorrupta fore, aeternae mandata saluti, Attamen, etc., *h. e.* quantum vis incorrupta. ℙ Etsi, licet, quamquam, etiamsi, εἰ καὶ περ. *Cic. Phil.* 2, 45. *med.* Res bello gesserat, quamvis reipublicae calamitosas, attamen magnas. (Potes Italice vertere etiam hoc modo: *per quanto siano state calamitose*, etc. Facile enim haec notio ad superiorem reducitur.) *Id. Verr.* 2, 3, 97. Utinam posset aliqua ratione hoc crimen, quamvis falsa, modo humana atque usitata defendere. *Colum.* 9, 14. *med.* Et quamvis porticu protecta vasa, nihilo minus congestu culmorum supertegemus. ℙ Cum conjunctivo. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Quae *(tabernae diversoriae)* quamvis sint fructuosae, nihilo magis sunt agriculturae partes. *Cic. Att.* 16, 7. Etsi, quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meae, approbator certe fuisti. *Id. Phil.* 2, 16. Verumtamen homines, quamvis in turbidis rebus sint, tamen interdum animis relaxantur. *Virg. G.* 4, 206. de apib.: Ergo ipsas quamvis angusti terminus aevi Excipiat, etc. At genus immortale manet. Adde *Cels. praef.* 1. *med.* et *praef.* 2. ℙ Cum indic. *Nep. Milt.* 2. Erat inter eos dignitate regia, quamvis carebat nomine. *Liv.* 2, 40. Quamvis infesto animo et minaci perveneras. *Cels. praef.* 1. *med.* Quamvis ne haec quidem sic praeteriri debent, quasi, etc. *Colum.* 2, 9. Nam quamvis de mensura minus auctoribus convenit, tamen, etc.

QUĂNAM, adv. qua via, aut ratione. *Liv.* 5, 34. Cum circumspectarent, quanam per juncta coelo juga in alium orbem transirent. *Plin.* 11, 37, 50. Delphini quanam audiant, mirum.

QUANDĬU. V. QUAMDĬU.

QUANDO, adv. ὅτε, πότε, ἡνίκα, πηνίκα, quo tempore, cum, ubi. [*De significatione hujus adv. ejusque synonym. disputant *Zumpt. Gr. Lat.* §. 346. p. 299. sq. *Ramsh. G. L.* §. 191. p. 849.] *Cic. Dom.* 27. *med.* Quando igitur est turpe? re vera quando est poena peccati. *Hor. Sat.* 2, 6, 60. O rus, quando ego te aspiciam? quandoque licebit, etc.? *Mart.* 5, 58. Dic mihi, cras istud, Postume, quando venit? *Cic. Agr.* 2, 16. Tum, quando legatos Tyrum misimus; et *Pl. Men.* 5, 5, 27. Ubi satur sum, intestina nulla crepitant: quando esurio, tum crepant. ℙ Cum gen. *gentium.* In *suppos. Amph. Plauti*, sc. Dii vostram fidem, 59. *Am.* Quis te misit, furcifer? *So.* qui me rogat. *Am.* Quando gentium? *So.* dudum. ℙ Pro aliquando, cum particulis *num*, *ne*, *si*, πότε. *Cic. Amic.* 19. Exsistit hoc loco quaestio, num quando amici novi veteribus sint anteponendi; et *Rosc. Am.* 50. Ne quando liberis proscriptorum bona patria reddantur: ἵνα μή ποτε. *Id. ib.* 13. Ut, si quando auditum sit, prodigii simile numeretur: εἴ ποτε. *Ov. A. Am.* 2, 15. Nunc mihi, si quando, puer et Cytherea, favete. Et plenius *Liv.* 10, 14. *med.* Ut si quando unquam equestri ope adjutam rempublicam meminerint, illo die adnitantur, ut, etc. ℙ Saepe est conjunctio causalis, et significat quoniam, quandoquidem, siquidem, ἐπεί, ἐπειδή, ὁπηνίκα. *Pl. Cist.* 1, 1, 118. Quando ita tibi lubet, vale atque salve. *Ter Ad.* 2, 4. *f.* Quando hoc bene successit, hilarem hunc sumamus diem. *Hor. Sat.* 2, 7, 4. libertate Decembri (Quando ita majores voluerunt) utere. *Cic. Fin.* 5, 23. *med.* Ut omnes denique (quando unam societatem hominum esse volumus) propter se expetendi sint. Adde *Top.* 5. [**Wund.* in *varr. lectt. praef.* p. 76. docet. *Ciceroni* v. *quando* sic semper usurpatum esse, ut temporis haberet notionem. Omnibus enim in locis, quos contra hanc sententiam proferri quis possit, optimorum cdd. scripturam esse non *quando*, sed *quoniam*, ita ut in paucissimis, librorum MSS. auxilio destitutis, ex conjectura *quoniam* part. reponenda sit.] et *Tac. A.* 12, 6. [*Nubem exemplorum ex *Tacito* habes ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 113. Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 211. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 191. p. 850. Adde *Quint. Inst.* 11, 1, 32. quando etiam morum senilis auctoritas immatura adolescentibus creditur: ubi docet *Spald.*, *quando* pro *quoniam* significare ejus, quod argumenti loco tangatur, inter omnes pervulgatam notitiam. Commonefacere quasi illud *quando* lectorem rationis ejus, quam alibi saepe jam expertus sit.] ℙ Post relativum. *Virg. A.* 10, 366. Aspera queis natura loci dimittere quando Suasit equos, etc. *Plin.* 17, 4, 3. Nec fluminibus aggesta *(terra)* semper laudabilis, quando senescant sata quaedam aqua, *h. e.* quandoquidem senescunt; vel cum senescant. ℙ Ex *Festo*, et ejus breviatore *Paulo* habemus discrimen inter *quando* pro *cum*, et pro *quoniam.* Docent enim priore notione accentu acuto pronunciari; posteriore, gravi. Quae pertinent ad Latinam pronunciandi rationem, quae jamdiu periit. Monent autem eruditi, *Festi* locum esse corruptum, et contra omnino se rem habere: scilicet *quando* adverbium temporis gravi accentu efferri; conjunctionem acuto. V. BREVIS. ℙ [*Confund. *quando* et *quoniam.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 437. et 440. *Wund. varr. lectt. praef.* p. 75. sq. et 98.]

QUANDOCUMQUĔ, adv. ὁποτεοῦν, quocumque tempore. *Cato* ap. *Plin.* 29, 1, 7. Quandocumque ista gens (*Graeca*) suas litteras dabit, omnia corrumpet. *Hor. Ep.* 1, 14, 16. scis, me discedere tristem, Quandocumque trahunt invisa negotia Romam: et *Hirt. B. Alex.* 22. Quandocumque fors obtulerat. *Prop.* 2, 1, 81. Quandocumque igitur nostros nox claudet ocellos, Accipe quae serves funeris acta mei. ℙ Item aliquo tempore, aliquando. *Ov. Met.* 6, 543. si non perierunt omnia mecum, Quandocumque mihi poenas dabis. *Id. Trist.* 3, 1, 57. Quandocumque, precor, nostro placata parenti Isdem sub dominis adspiciare domus. *Hor.* interjecto verbo *Sat.* 1, 9, 31. Hunc neque dira venena, nec hosticus auferet ensis, etc. Garrulus hunc quando consumet cumque. ℙ Secunda syllaba corripitur ap. *Terent. de syllab.* 2404. Ast enim Grajus locabit quandocumque hanc ultimam.

QUANDOLĬBET, adv. quo tempore libet, quandocumque, aliquando. *Lactant. Op. D.* 4. Necesse est, ut mortem recipiat quandolibet, quoniam corporalis est.

[QUANDONE, adv. idem est ac quandocumque. *Inscr.* sub T. Antonino Pio, ap. *Grut.* 607, 1. et *Mur.* 572. Ut, quandone ego esse desiero, pariter cum eis ponar. *F.*]

QUANDOQUĔ, adv. ἐνίοτε, aliquo tempore, aliquando, olim. *Cic. Fam.* 6, 19. Ego me Asturae diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat. *Liv.* 11, 3. *extr.* Istum juvenem domi tenendum censeo, ne quandoque parvus hic ignis incendium ingens exsuscitet. *Tac. A.* 6, 20. Et tu, Galba, quandoque degustabis imperium. *Macrob. Somn. Scip.* 2, 10. Quis non hinc existimet, mundum quandoque coepisse? ℙ Item interdum. *Cels.* 6, 6. *in.* Nonnunquam per duos menses durat: quandoque brevius finitur. *Colum.* 7, 3. *med.* Submitti tamen in vicinia urbis quandoque oportebit. *Sen. Q. N.* 1, 1. *extr.* Quandoque fiunt trabes, quandoque clypei, et vastorum imagines ignium. ℙ Item quandocumque, vel quando. *Hor. Od.* 4, 2, 33. Concines majore poeta plectro Caesarem, quandoque trahet feroces Per sacrum clivum merita decorus Fronde Sicambros. *Petr. Sat.* 133. Et quandoque mihi fortunae arriserit hora, Non sine honore tuum patiar decas. *Suet. Caes.* 81. Quandoque ossa Capyis detecta essent, fore, ut, etc.; et *Hor. A. P.* 359. Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus, *h. e.* quandocumque peccat aliquid poeta doctissimus. Addi possunt alia loca, praesertim ex *Colum.* 2, 4. et 10, 4, 24. et 7, 4. et in *l. Dig.* saepe: ut videre est ap. *Briss. de V. S.*, in quib. alii leg. *quandocumque*, sed plerisque invitis criticis. [*V. *Oudendorp.* et *Wolf.* ad *Suet. Caes.* 26. *Burm.* ad *Suet. Caes.* 81. *Gronov.* et *Drakenb.* ad *Liv.* 1, 31, 4.] ℙ Mediam corripuit *Venant. carm.* 4, 27, 22. Ut merear claudi quandoque clave Petri. Idem fit in *quandoquidem* (V. exemplum in voce sequent.): sed in hac quaedam metrica necessitas est, in *quandoque* nulla. ℙ *Quandoque*, et quando. *Hor. Sat.* 2, 6, 60. O rus! quando ego te aspiciam, quandoque licebit Ducere, etc. *Manil.* 2, 744. In quocumque igitur stellae, quandoque locatae. Dodecatemorio fuerint, spectare decebit.

QUANDOQUĪDEM, adv. ἐπειδή, siquidem, quoniam, conjunctio causalis. *Cic. Brut.* 44. Quandoquidem tu istos oratores tantopere laudas. *Liv.* 8, 33. Quandoquidem apud te nec auctoritas senatus, nec aetas mea valet. *Virg. Ecl.* 3, 55. Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba. *Cic. Verr.* 2, 3, 80. *f.* Quando tu quidem in proelio, in bello, etc.

QUANDŪDUM. V. DUDUM.

QUANQUAM. V. QUAMQUAM.

QUANTILLUS, a, um, adj. dimin. quantuli. *Pl. Poen.* 5, 3, 47. Haecine sunt meae filiae? Quantae e quantillis jam sunt factae! *Id. Truc.* 2, 8, 7. Quantillo mihi opere nunc persuaderi potest, ut ego hisce suffringam talos! et *Capt.* 1, 2, 90. Subducam ratiunculam, quantillum argenti mihi apud trapezitam siet. ℙ Interrogando de re parva, vel quam parvam credimus. *Id. Most.* 3, 1, 95. *Tra.* Huic debet Philolaches paulum. *Theu.* quantillum? *Tra.* quasi quadraginta minas. *Id. Curc.* 1, 2, 14. *Phae.* Sitit haec anus. *Pa.* quantillum sitit? *Phae.* modica est: capit quadrantal.

QUANTISPER, adv. quanto tempore. *Caecil.* ap. *Non.* 11, 20. Velim paulisper opperiri te. Quantisper? non plus triduum. *Pomp. ib.* Possum exorare te, ut recedas a me paulisper modo? Quantisper sat habes.

QUANTĪTAS, atis, f. ποσότης, magnitudo, extensio rei cujuspiam, vis, numerus, copia. *Vitr.* 1, 2. Quantitas est modulorum ex ipsius operis sumptione, singulisque membrorum partibus, universi operis conveniens effectus. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 2. Laborant *(arbores)* et fame, et cruditate: quae fiunt humoris quantitate. *Id.* 34, 10, 22. Tenuissima pars materiae cameris fornacum, pro quantitate levitatis, applicata. *Quint.* 7, 4. *f.* Quantitas modi, seu numeri. *Id.* 11, 3. vocis. *Appul. Apol.* pretii. ℙ Ap. JCtos usurpatur fere de iis rebus, quae pondere, numero, mensura continentur; et separatur a corpore, et specie. *Ulp. Dig.* 30, 1, 34. Si non corpus sit legatum, sed quantitas. *Paul. ib.* 31, 1, 89. Respondi, pretium tesserae frumentariae praestandum, quoniam tale fideicommissum magis in quantitate, quam in corpore consistat. *Id. ib.* 12, 1, 6. Certum est, cujus species, vel quantitas qualis, quantave sit, ostenditur. ℙ Saepe autem dicitur de summa pecuniae. *Ulp. Dig.* 16, 2. 11., *Julian. ib.* 45, 1, 65., et *Paul. ib.* 49, 14, 17. etc. ℙ *Quantitas propositionis* apud logicos est illius vis ac sententia, quae vel universa complectitur, vel particularia, etc. *Appul. Dogm. Plat.* 3.

QUANTO, idem ac *quantum*: ablativus adverbii more positus, cui respondet *tanto:* et nominibus comparativus jungitur. *Cic. Acad.* 1, 3. Quanto magis philosophi delectabunt, si, etc.? πόσῳ. *Ter. Heaut.* 3, 1, 15. Quanto diutius abest, magis cupio tanto; ὅσῳ. *Caes. B. G.* 5, 44. Quanto erat gravior oppugnatio, tanto crebriores, etc. ℙ Omisso *tanto. Tac. H.* 3, 18. *extr.* Propinqua moenia quanto plus spei ad effugium, minorem ad resistendum animum dabant. *Liv.* 21, 53. *f.* Multitudinem sciebat segnius secuturam, quanto longius ab domo traherentur. *Colum.* 2, 21. *f.* Frumenta quanto sunt expolitiora, minus a curculionibus exeduntur; et 7, 9. Sus femina quanto fecundior est, celerius senescit. ℙ Interdum *tanto* non habet locum. *Cic. Off.* 2, 16. Quanto Aristoteles gravius nos reprehendit, qui, etc. *Id. N. D.* 1, 44. Quanto Stoici melius, qui, etc! ℙ Cum verbis comparationem significantibus. *Metell. Numid.* ap. *Gell.* 12, 9. Quanto universi me unum antistatis, tanto, etc. *Nep. A.* 1. Annibalem tanto praestitisse ceteros imperatores prudentia, quanto populus R. antecedebat fortitudine cunctas nationes. *Caes. B. C.* 2, 31. *med.* Quanto haec dissimulare, quam per nos confirmari praestat? *Stat. Th.* 3, 286. ah, mea quanto Sithonia mallem nupsisset virgo sub Arcto! ℙ Cum positivis. *Tac. A.* 6, 45. Tanto acceptius in vulgum, quanto modicus privatis aedificationibus; et *ib.* 12, 11. Quanto gnara barbaris, tanto toleratiora. ℙ Cum aliis vocibus. *Cic. Sext.* 3. *med.* Quo minus exponam, quam multa ad me detulerit, quanto ante providerit. *Cato* ap. *Charis.* 2, 192. Videtote, quanto secus ego fecerim. *Quint.* 10, 1. *med.* Ut manifesto appareat, quanto sit aliud proximum esse, aliud secundum. ℙ Pro *tanto* reperitur et *tantum. Liv.* 6, 38. Cum quanto jure potentior intercessio erat, tantum vinceretur favore legum. *Tac. A.* 2, 24. Quanto violentior cetero mari oceanus, tantum illa clades magnitudine excessit. ℙ Sq. eo pro *tanto. Pomp. ad Dom.* 1. *post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Quanto magis appropinquare adversarius coepit, eo tibi celerius agendum est. *Liv.* 3, 8. Cum quanto longius ab urbe abscederent, eo solutiore cura, etc.

QUANTOCĪUS et Quantocyus, adv. quanto ocius, quam citissime. *Mamert. Grat. act. ad Julian.* 2. *extr.* Ut quantocyus ad ea, quae propria sunt, perveniat oratio. *Licin. Imp.* ap. *Lact. Mort. persecut.* 48. *med.* Eadem similiter iisdem Christianis quantocius reddant. *Sulpic. Sever. dial.* 3, 4. *f.* Discede quantocius, ne, etc.

QUANTŌPĔRĔ, adv. quanto opere, seu labore, cura, quanto, quam. *Cic. Verr.* 2, 3, 77. Perspicere vos certo scio Siculis quantopere hoc expediat. *Id. Or.* 1, 35. *f.* Neque enim tantopere hanc a Crasso disputationem desiderabam, quantopere ejus in causis oratione delector. Adde *Tusc.* 3, 3. et *Att.* 14, 6., quib. locis alii leg. *quanto opere:* nam et vox aliquando interseritur. *Cic. Fam.* 13, 7. Quantoque opere ejus municipii causa laborarem; et *N. D.* 2, 49. *extr.* Quanto se opere custodiant bestiae. [*Disjunctim scribendum. V. *B. Crus.* in *cl Suet.* p. 557.]

QUANTŪLUM, adv. dimin. a *quantum. Cic. Verr.* 2, 3, 1. *f.* Nos, qui jam, et quid facere, et quantulum judicare possemus, ostendimus.

QUANTŪLUS, a, um, adj. dimin. quanti, quam exiguus. *Pl. Bacch.* 2, 3, 86. Nescio quantulum attulerit: verum haud permultum attulit. *Cic. Div. Verr.* 17. *extr.* Nam ex illa pecunia magnam partem ad se vertit: mulieri reddidit quantulum visum est; et *Acad.* 4, 26. Sol, quem mathematici amplius duodeviginti partibus confirmant majorem esse, quam terram, quantulus nobis videtur! mihi quidem quasi pedalis. *Id. Leg.* 2, 19. Id autem quantulum est? *Hor. Sat.* 2, 3, 124. Quantulum enim summae curtabit quisque dierum, Si, etc? *Cic. Agr.* 2, 25. *med.* Quantulum interest, utrum, etc? *Juven.* 10, 172. mors sola fatetur, Quantula sint hominum corpuscula. *Plin.* 11, 5, 4. Quantulum tamen esse in tantulis potest! *Gell.* 17, 10. Carmen Pindari, quantulum est mihi memoriae, dicam. [*Cf. *Tac. A.* 3, 54. et *G.* 28. et *Tursell.* s. h. v.] ℙ *Quantulus quantulus*, quantuluscumque. *Appul. Met.* 9. Aderant tres illi fratres cladibus amici quantulum quantulum ferentes auxilium. V. QUANTUS.

QUANTŪLUSCUMQUĔ, lăcumque, lumcumque, adj. ὁπηλικοσοῦν, quam minimus, quantumvis parvus. *Cic. Or.* 1, 3. De hac mea, quantulacumque est, facultate quaeritis; et *Sen. ep.* 85. *med.* Non sequuntur, non audiunt affectus, quantulicumque sint; et *Colum.* 8, 3. *f.* Quantulumcumque aquae, vel ciborum inest, pedibus *(gallinarum)* everritur. *Mart.* 11, 14. Nam terra est illi quantulacumque gravis. *Juven.* 13, 183. Quantulacumque adeo est occasio, sufficit ire. *Cic. Or.* 30. Aures civitatis nos primi, quicumque eramus, et quantulumcumque dicebamur, ad hujus generis studia convertimus. *Id. Or.* 2, 23. *med.* Quantulum id cumque est.

QUANTŪLUSLIBET, lălibet, lumlibet, adj. quamvis exiguus. *Ulp. Dig.* 21, 1, 4. *extr.* Non denique febriculam quantulamlibet ad causam hujus edicti pertinere.

QUANTŪLUSQUISQUĔ, lăquaeque, lumquodque, adj. idem est ac quantuluscumque. *Gell. praef. f.* Progredietur igitur numerus librorum, Diis bene juvantibus, cum ipsius vitae, quantuliquique fuerint, progressibus.

QUANTUM, adv. ὅσον, quam. *Cic. Att.* 9, 7. *f.* Perge ut facis, et scribe, quantum potes; et *ib.* 13, 26. Credibile non est, quantum scribam die. *Petr. Sat.* 123. Quantum quisque timet, tantum fugit. *Liv.* 9, 38. Quantum Romae terrorem fecerat, tam, etc. [*Tac. *A.* 6, 15. quantumque saevitia glisceret, miseratio arcebatur: ubi nota: hoc vocabulum insolentius recta oratione conjunctivo junctum.] ℙ Sequente *ita* pro *tantum. Flor.* 2, 18. Numantia, quantum Carthaginis opibus inferior, ita virtutis nomine et honore par. ℙ *Quantum possum*, aut *potest*, quamprimum fieri potest, et quantum fieri potest. *Pl. Aul.* 1, 2, 40. Domum me rursum, quantum potero, tantum recipiam. *Id. Bacch.* 2, 3, 114. At ego hinc ad illam, ut conveniam quantum potest. *Id. Poen.* 3, 1, 64. Propera jam quantum potest. *Ter. Phorm.* 5, 1, 26. Comprendi jube, quantum potest. *Cic. Att.* 4, 13. *med.* Rescribas ad me, quantum potest. [*Liv.* 3, 68. Tribuni vocis verborumque quantum voletis, ingerent.] ℙ *Mirum, nimium, immane quantum*, etc. V. MIRUS, NIMIUM et IMMANE. ℙ Quantum audio, intelligo, suspicor. *Ter. Andr.* 2, 5, 12. Herus, quantum audio, uxore excidit. *Id. Eun.* 1, 2, 62. Ego quantum suspicor, ad virginem animum adjecit. Adde *Andr.* 4, 4, 17. ℙ *In quantum.* V. QUANTUS. ℙ Singularis est usus in illo *Sall. Jug.* 36. Nam et illis, quantum importunitatis habent, parum est impune male fecisse, *h. e.* qua importunitate sunt: ut sunt maxime importuni, et impotentes. ℙ *Quantum in*, aut *ad me, te*, etc. ὅσον ἐπ' ἐμοῖ. *Cic. N. D.* 3, 7. Non igitur adhuc, quantum quidem in te est, intelligo Deos esse. *Id. Fl.* 25. *extr.* Graeci nomen civium R. quantum in ipsis fuit, sustulerunt. *Ov. A. Am.* 3, 35. Quantum in te, Theseu, volucres Ariadna marinas Pavit, in ignoto sola relicta loco; et *ib.* 1, 744. Quantum ad Pirithoum, Phaedra pudica fuit. ℙ Cum comparativis pro *quanto. Liv.* 3, 15. Quantum juniores patrum plebi se magis insinuabant, eo acrius contra tribuni tenebant. *Sall. Jug.* 88. Quantum vita illorum praeclarior, tanto horum socordia flagitiosior. *Colum.* 12, 21. *f.* Aqua liquidior et purior est, quantum altiori mari hausta est.

QUANTUMCUMQUĔ. V. QUANTUSCUMQUE.

QUANTUMLĪBET. V. QUANTUSLIBET.

QUANTUMVIS, adv. quantum vis, quamvis, multum, valde. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 194. 3.] *Cic. Amic.* 20. Quantumvis licet excellas. *Pl. Truc.* 2, 7, 17. Hoc saltem servat mare, quod illi subest, apparet: meretrici des quantumvis, nusquam apparet. *Sen. Apocol. med.* Janus, homo quantumvis vafer, qui semper videt ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω. *Suet. Cal.* 53. E disciplinis liberalibus minimum eruditioni, eloquentiae plurimum attendit, quantumvis facundus et promptus. *Id. Claud.* 21. *med.* Illud quoque plane quantumvis salubriter, et in tempore. ℙ Tametsi, licet, quamquam. *Hor. Ep.* 2, 2, 39. ille catus, quantumvis rusticus. *Sen. ep.* 85. *med.* Ista, quantumvis exigua sint, in majus excedunt. Haec et ad priorem notionem referri possunt: ut de *Quamvis* dictum est.

QUANTUS, a, um, adj. ὅσος, et interrogative πόσος, quam magnus: cui *tantus* respondet. *Virg. A.* 12, 701. Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis Cum fremit ilicibus, quantus, gaudetque nivali Vertice se attollens pater Apenninus ad auras. *Cic. Att.* 7, 1. Videre mihi videor tantam dimicationem, quanta nunquam fuit. *Virg. A.* 6, 577. Tartarus ipse Bis patet in praeceps tantum, tenditque sub umbras, Quantus ad aetherium coeli suspectus Olympum. *Nep. Dat.* 5. Reminiscens, a quanto bello ad quam parvam rem principem ducum misisset. *Cic. Tusc.* 1, 35. *extr.* In propagatione vitae quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates! *Virg. A.* 3, 641. Nam qualis quantusque cavo Polyphemus in antro Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat, Centum alii curva haec habitant ad litora vulgo Infandi Cyclopes. *Cic. Or.* 2, 12. Qualis oratoris, et quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere? *Ov. Her.* 12, 58. Acta est per lacrimas nox mihi, quanta fuit; et *Vell.* 2, 129. Cum quanta gravitate causas audit! et *mox:* Quanto cum honore Germanicum suum misit in provinciam. *Plin.* 8, 25, 37. Crocodilus parit ova, quanta anseres; et *Pl. Stich.* 1, 2, 62. Quanta mea sapientia est. ℙ Cum superlativo. *Cic. Amic.* 2, 20. *med.* Tanta est inter eos, quanta maxima esse potest, morum studiorumque distantia. *Plin. ep.* 3, 21. *f.* Dedit mihi quantum maximum potuit. *Id. ep.* 6, 12. Vectio Prisco, quantum plurimum potuero, praestabo. *Liv.* 27, 43. *extr.* Consul quantis maximis itineribus poterat, ad collegam ducebat. [*Cf. *Burm.* ad *Suet. Ner.* 47. et *Caes.* 44. et *Tursell.* p. 667. *n.* 9. *ed. Schwarz.* Ita Graeci frequentissime ὅσον v. οἷον μέγιστον, πλεῖστον et similia.] ℙ Sq. inf. *Stat. Silv.* 5, 3, 149. Quantus equos, pugnasque virum decurrere versu Maeonides. ℙ *Quantus*, quam parvus. *Pl. Capt. prol. extr.* Homunculi quanti sunt, cum recogito. Adde *Rud* 1, 2, 66; [*et *Hor. Sat.* 2, 4, 81. V. in QUAM.] ℙ *Quantus quantus*, quam magnus, tantus quantus, quantuscumque, totus, ὅσος ὅσος. *Pl. Poen.* 3, 4, 28. Denegabit quantum quantum ad eum erit delatum. *Ter. Ad.* 3, 4, 30. Tu, quantus quantus, nihil nisi sapientia es. *Id. Ph.* 5, 7, 10. Quanta quanta haec mea paupertas est, tamen adhuc curavi unum hoc quidem, ut mihi esset fides. V. QUANTULUS. ℙ *Quanti* genitivus cum verbis pretii et aestimationis. *Ter. Eun.* 5, 6, 14. Quanti emit? *Par.* viginti minis. *Pl. Epid.* 2, 2, 110. Quanti emi potest minime? *Epid.* ad quadraginta minas. *Cic. Phil.* 9, 7. Quanti locaverint tantam pecuniam redemptori solvendam. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 4. *f.* Noli spectare, quanti sit homo: parvi enim pretii est. *Id. N. D.* 1, 20. *med.* Quanti haec philosophia aestimanda est? *Ter. Heaut.* 1, 1, 103. Tu illum nunquam ostendisti quanti penderes. *Cic. Fam.* 2, 16. *med.* Cum scias quanti Tulliam meam faciam; et *ib.* 7, 19. Vide, quanti apud me sis. *Ter. Eun.* 4, 7, 21. Quanti est sapere! et *Ulp. Dig.* 43, 18, 3. Examinatur, quanti ejus intersit, via non prohiberi. *Lex Aquilia* ap. *Cajum Dig.* 9, 2, 2. Qui servum alienum, vel pecudem injuria occiderit, quanti id eo anno plurimi fuit, tantum aes dare domino damnas esto. Adde *Ulp. Dig.* 23. Huic contrarium est *quanto minoris.* ℙ *Quanti quanti*, quanticumque. *Cic. Att.* 12, 23. *med.* De Drusi hortis heri ad te scripseram: sed quanti quanti, bene emitur quod necesse est. ℙ *In quantum* idem quod quantum, quatenus. *Ov. Met.* 11, 71. pedum digitos, in quantum quaeque secuta est, Traxit. *Sen. Ben.* 6, 23. Vide, in quantum corporibus vagari liceat. *Juven.* 14, 318. In quantum sitis, atque fames, et frigora poscunt. *Vell.* 1, 9. Vir in tantum laudandus, in quantum intelligi virtus potest. *Plin. ep.* 10, 75. *extr.* A me, in quantum potuerit, requirentur. ℙ *Quantum* neutrum more substantivi. *Ter. Ph.* 4, 5, 10. Quantum is voluit, datum est, dotis. *Ov. Her.* 12, 19. Quantum perfidiae tecum, scelerate, perisset! *Plin. ep.* 6, 7. Hujus sermonibus quantum dulcedinis inest! *Phaedr.* 2, 8. Tollere haec aranea, quantum est laboris? ℙ Refertur etiam ad numerum. *Ter. Heaut.* 4, 6, 6. (et *Pl. Aul.* 4, 10, 55.) Ut te quidem omnes Dii Deaeque, quantum est, perduint; et *Ph.* 5, 6, 14. O omnium, quantum est qui vivunt, homo hominum ornatissime! et *Pl. Ps.* 1, 3, 117. Quid ais, quantum terra tegit, hominum perjurissime? *Catull.* 3, 2. Et quantum est hominum venustiorum. *Cic. Verr.* 2, 3, 18. Quantum est frumenti hornotini, exaraverunt. [**Suet. Aug.* 101. Quantum militum sub signis ubique essent, quantum pecuniae in aerario et fiscis: ubi probarunt numerum plur. *Burm.* et *Oudend.* optt. libr. auctoritate, et confirmatur sueto collectivorum usu. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 650. Legitur

etiam cum *gen.* neutr. *adject.* secundae decl. *Caes. B. G.* 1, 40. Quantum haberet in se boni constantia.] ℙ Et in plurali non raro *quanti* pro quot. *Sen. Controv.* 5, 33. Quanti ex his fortes viri? quanti tyrannicidae? quanti futuri sacerdotes? *Lucr.* 5, 46. Quantae conscindunt hominem cuppedinis acres Sollicitum curae! quantique perinde timores! *Prop.* 1, 5, 10. At tibi curarum millia quanta dabit! *Val. Fl.* 3, 261. Heu socii quantis complerunt litora monstris! *Stat. Silv.* 4, 3, 49. O quantae pariter manus laborant! et *ib.* 152. Et quantos (*annos*) ego Delium poposci. *Pall.* 4, 9. *med.* Semina asparagi quanta tribus digitis comprehendere possis. *Lampr. Elag.* 25. Cum sermo esset ortus, quanti herniosi esse possent in urbe Roma. Adde *Claud. III. cons. Honor.* 126. et *Rapt. Pros.* 2, 308. Sic etiam *tanti* pro *tot* interdum adhibetur.

QUANTUSCUMQUĔ, tăcumque, tumcumque, adj. ὁπηλικοσοῦν, ὁποσοσοῦν, quam magnus, tantus quantus. *Cic. Or.* 2, 28. Atque ego is, qui sum, quantuscumque sum ad judicandum, sic statuo, etc. [*H. l. positum est, ut saepissime, pro *quantuluscumque.* V. *Spald.* ad *Quint.* 1. p. 381. et 2. p. 109. *Brem.* ad *Suet. Cal.* 3.] *Cic. Phil.* 5, 8. Quorum bona, quantacumque erant, statim comitibus suis descripsit. *Id. Marcell.* 2. Totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum. Adde *Fin.* 1, 4. ℙ *Quanticumque*, pretii. *Sen. ep.* 80. *med.* Tu non concupisces quanticumque ad libertatem pervenire? ℙ *Quantumcumque*, adv. *Cic. Fin.* 1, 4. Debeo profecto, quantumcumque possim, in eo quoque elaborare. *Ov. Trist.* 1, 6, 35. Quantumcumque tamen praeconia nostra valebunt, Carminibus vives tempus in omne meis. ℙ *Quanticumque*, quotcumque. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 13, 5, 5. Naves eorum, quantaecumque fuerint, ad aliud munus teneri non convenit.

QUANTUSLĪBET, tălibet, tumlibet, adj. ὁποσοσοῦν, quantuscumque, quantusvis. *Ov. Fast.* 6, 669. quantolibet ordine dignus. *Colum.* 8, 17. *med.* Quantalibet hiemis saevitia. *Plin.* 8, 23, 25. In quantolibet populi agmine. *Id.* 16, 40, 79. Alnus quantilibet oneris patiens. *Id.* 20, 6, 23. Quantaslibet suppurationes sanat. *Juven.* 7, 81. Gloria quantalibet quid erit, si gloria tantum est? *Tac. Agr.* 6. Quantalibet facilitate. [*Liv. 9, 18.] ℙ *Quantumlibet*, adv. *Eum. Pan. Constant.* 10. Te quantumlibet oderint hostes, dum perhorrescant.

QUANTUSVIS, tăvis, tumvis, adj. ὁποσοσοῦηποτε. *Caes. B. G.* 5, 28. Quantasvis magnas copias sustineri posse. *Liv.* 26, 42. Super portum satis amplum quantaevis classi. *Lucr.* 4, 1164. quantovis oris honore. *Ter. Andr.* 5, 2, 15. Cum faciem videas, videtur esse quantivis pretii. *Gell.* 14, 1. Quantovis hominis ingenio. *Nazar. Pan. Constant.* 19. *extr.* Quantumvis fiduciae et spiritus capias.

QUAPROPTER, adv. δι' ὅ, παῤ' ὅ, propter quam rem, quamobrem, cur, quare. *Ter. Tec.* 5, 1, 6. Credo te non nihil mirari, quid sit, quapropter te huc foras puerum evocare jussi. *Pl. Men.* 5, 1, 14. Non tu scis, mulier, Hecubam quapropter canem Graji esse praedicabant? Adde *Bacch.* 5, 2, 25. ℙ Interrogando, διὰ τί; *Pl. Most.* 2, 2, 52. Quapropter id vos factum suspicamini? *Ter. Andr.* 4, 2, 31. Parumper opperire me hic. *My.* quapropter? Adde *Heaut.* 1, 2, 14. et *Hecc.* 3, 1, 31. ℙ In principiis, διὸ, διά τοῦτο. *Sall. Cat.* 61. Quapropter vos moneo, uti forti animo sitis. *Phaedr.* 3, 6. Quapropter aufer frivolam insolentiam. *Cic. Caecin.* 27. *med.* Quapropter hoc dicam, nunquam ejus auctoritatem nimium valere, cujus prudentiam populus R. in cavendo, non in decipiendo prospexerit. ℙ Tmesis est in illo *Ter. Hec.* 4, 3, 4. Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.

QUĂQUĂ, adv. ὁπουπερ ἄν, per quamcumque partem, vel in quacumque parte. *Pl. Mil.* 2, 1, 14. Is deridiculus est, quaqua incedit, omnibus. *Id. Ep.* 5, 2, 9. Quaqua tangit, omne amburit. *Appul. Met.* 6. Te, quaqua decideris, membratim dissipabunt. ℙ Quaqua versus, in omnem partem, ἀπανταχῆ. *Cic. Phil.* 9, 7. Circumque eam statuam quaqua versus pedes quinque habere. Alii aliter leg. V. QUAQUE. *Appul. Met.* 4. Convalles spinetis aggeratae, et quaqua versus repositae.

QUĂQUAM, adv. motus per locum. *Lucr.* 1; 427. haud usquam sita corpora possent Esse, neque omnino quaquam diversa meare. Alii leg. *quoquam.* [*Ita *Eichstadt.*]

QUĂQUĔ, adv. idem quod quaqua, quoquo, quacumque. *Manil.* 5, 313. Non ullo careat digito, quaque iverit, hasta, *h. e.* ubicumque hasta auctionis instituetur, non careat licitantibus. ℙ *Quaque versus*, quaqua versus. *Cic. Phil.* 9, 7. Eam statuam quaque versus pedes quinque habere; et *f.* Pedes triginta quaque versus adsignet. Alii rectius leg. *quoquo.* [*Ita *Orell.*]

QUĂRĔ, adv. δι' ὅ, παῤ' ὅ, propter quem, quam, quod, quam ob rem, qua de causa, quapropter, cur. *Cic. Off.* 2, 19. *f.* Utendum est excusatione adversus eos, quos invitus offendas, quare id, quod feceris, necesse fuerit. *Hor. Sat.* 2, 3, 46. nunc accipe, quare Desipiant omnes. *Pompej. ad Dom. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Miror, quid causae fuerit, quare consilium mutaris. *Nep. Cat.* 2. Multas res novas in edictum addidit, quare luxuria reprimeretur, *h. e.* quibus. *Cic. Rosc. Am.* 14. *f.* Quaeramus, quae tanta vitia fuerint in unico filio, quare is patri displiceret, *h. e.* propter quae. *Id. Quint.* 19. Commissum nihil esse, quare ad istam rationem perveniretur. *Hor. Sat.* 1, 9, 53. accendis, quare cupiam magis illi Proximus esse. ℙ Interrogative, διὰ τί; *Cic. Or.* 1, 16. Namque illud quare, Scaevola, negasti te fuisse laturum? *Pl. Mil.* 5, 12. Quare ausus? ℙ Pro ut, ὥστε. *Caes. B. G.* 5, 30. Omnia excogitantur, quare nec sine periculo maneatur, etc. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 21. Omnia feci, quare perditis resisterem. *Id. Rosc. Am.* 33. *f.* Permulta sunt, quae dici possunt, quare intelligatur, summam tibi facultatem fuisse maleficii suscipiendi. ℙ Item quomodo, qua ratione, πῶ, πῶς. *Ter. Eun.* 2, 3, 77. Quid si nunc tute fortunatus fias? *Chae.* quare, Parmeno? responde. Alii rectius leg. *qua re divisim.* ℙ *Nec quid, nec quare* proverbium. *Petr. fragm. Trag.* 37. *Burm.* Modo quid fuit? Ignoscet mihi Genius tuus: noluisses de manu illius panem accipere. Nunc, nec quid, nec quare, in coelum abiit. ℙ *Nescio quare*, nescio causam, cur, etc. *Pl. Merc.* 2, 3, 31. Sollicitus mihi, nescio quare, videtur. *Cic. Att.* 6, 3. *med.* Fuit aperte mihi, nescio quare, non amicus. ℙ Saepe est conjunctio, ut *quapropter*, *quamobrem:* et locum habet in principiis, διὰ τοῦτο, διότι. *Cic. Fam.* 13, 71. Quare sic tibi eum commendo, ut, etc. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 13. Quare, quoniam in eam vitae rationem nos fortuna deduxit, caveamus, ne, etc. *Sall. Cat.* 59. Quare cum de P. Lentulo statuetis, pro certo habetote, etc. *Hor. Sat.* 2, 3, 176. Quare, per Divos oratus uterque Penates, Tu cave, ne minuas, tu ne majus facias id, etc.

*QUARIĀTES, ium, populi Galliae Narbonensis. *Plin.* 3, 4. *B. A.*

[QUARQUERNI, orum, m. plur. incolae urbis in Lusitania, quae in *Ant. Itin.* appellatur Aquae Querquernae. *Inscr.* ap. *Grut.* 245, 2. Aquiflavienses, Quarquerni. Hos *Plin.* 3, 3, 4. *Querquernos* vocat. *F.*]

QUARTADĔCĪMANI, orum, m. plur. milites legionis decimaequartae, ap. *Tac. H.* 2, 16. et al.

QUARTĀNA, ae, f. τεταρταῖος πυρετὸς, febris quarto quoque die rediens. Subintelligitur *febris:* et interdum exprimitur. *Febrim quartis diebus recurrentem*, et *biduo medio intervallatam* appellat *Gell.* 17, 12., ejusque laudes a Favorino philosopho, itemque a Platone compositas, tradit. *Cels.* 2, 3. Quartanae simpliciores sunt: incipiunt fere ab horrore, deinde calor erumpit: finitaque febre biduum integrum est: ita quarto die revertitur. *Cic. Fam.* 16, 11. In quartanam conversa vis est morbi. *Hor. Sat.* 2, 3, 290. Frigida si puerum quartana reliquerit. *Mart.* 10, 77. Saeva nocens febris saltem quartana fuisses! *Plin.* 7, 50, 51. Quartana febri liberatus est in acie. *Id.* 22, 25, 72. Horrorem tertianae et quartanae minuere. *Id.* 20, 6, 23. Quartanas excutere. *Id.* 28, 7, 23. lenire; et *ib.* 8, 25. Quartanis mederi. *Theod. Prisc.* 4. *in.* Hinc est quod et Romani Febri aedem statuerunt, et quod quartanas Saturni filias affirmavit antiquitas.

QUARTĀNĀRĬUS, a, um, adj. ad quartam aliquam partem pertinens. *Pall.* 2, 11. Tabulas autem pro domini voluntate, vel loci ratione faciemus, sive integrum jugerum continentes, seu medium, seu quartanariam tabulam, quae quartam jugeri partem quadrata conficiet. Alii rectius leg. *quaternariam.* ℙ [Item qui febri quartana laborat. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 9, 16. Ita macer et decolor, tanquam quartanarius. *F.*]

QUARTĀNI, orum, m. plur. milites legionis quartae. *Tac. H.* 1, 55. et *ib.* 4, 37. et *Inscr.* ap. *Grut.* 1081, 2.

QUARTĀRĬUS, ii, m. quarta pars sextarii, seu mensurae tum aridorum, tum humidorum. *Cato R. R.* 95. In vas ahenum indito amurcae congios duos. Postea sumito bituminis tertiarium, et sulphuris quartarium. *Colum.* 12, 5. Salis sextarium cum quartario mellis. *Plin.* 18, 3, 3. Dona amplissima, quartarii farris aut heminae, conferente populo. *Liv.* 5, 47. Cui universi selibras farris, et quartarios vini ad aedes ejus contulerunt. *Plutarch.* in *Camillo* hac eadem de re loquens, habet Ξέστου μὲν ἡμίλιτρον, οἴνου δὲ κοτύλης Ἑλληνικῆς πέταρτον. ℙ Praeterea *quartarios* appellabant antiqui muliones mercenarios, quod quartam partem quaestus capiebant. *Lucilius:* Porro homines nequam, malus ut quartariu', cippos Colligere omnes. Haec *Festus* in *Quartarios;* ubi *Scal.* pro *colligere* rectius leg. *collisere.*

QUARTĀTO, adv. quatuor vicibus. *Cato* ap. *Serv.* ad *A.* 3, 314. Verba tertiato et quartato quempiam dicere prae metu.

QUARTE, et Quarti. V. DIES.

QUARTĪCEPS. V. BICEPSOS.

[QUARTILLĀ, ae, f. dimin. quartae. Est nomen libert. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 71. *n.* 51. Quartillae Antoniae Drusi L. Dorio topiarius matri meritae dat, *h. e.* Quartillae libertae Antoniae Drusi *(uxoris)* Dorio etc. *F.*]

[QUARTĪNUS, a, um, adj. ad quartum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 282, 2. Ti. Claudius Ti. Fil. Pal. Quartinus. Alia ap. *Fabr.* p. 255. *n.* 67. Creusinia Quartina. V. QUARTUS. *F.*]

[QUARTIO, onis, m. dimin. quarti. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 181, 6. T. Fundilius Quartio. *F.*]

QUARTO, adv. τεταρτῶς, quarto loco, vel ordine. *Ov. Fast.* 2, 823. Ter conata loqui, ter destitit, ausaque quarto. ℙ *Varr.* ap. *Gell.* 10, 1. Aliud est quarto praetorem fieri, et quartum, quod quarto locum adsignificat, et tres ante factos, quartum tempus adsignificat, et ter ante factum. Igitur Ennius recte, qui scripsit: Quintus pater quartum fit consul. V. TERTIO et QUARTUM. Eadem cum *Gell.* habet *Non.* 5, 50.

[QUARTŪLĂ, ae, f. dimin. quartae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1408, 8. Pompeja Quartula. *F.*]

QUARTUM, adv. τέταρτον, quarta vice. *Quarto* et *quartum* inter se differunt. Nam *quarto consul* significat locum consulum, vel ordinem hoc modo: *Marcus fuit quarto consul*, idest tres consules ab origine, et institutione consulatus ante fuerunt, quam Marcus esset consul, qui quarto anno a primis consulibus factus est consul; *quartum* autem *consul* dicitur ratione ejusdem personae, quae tribus consulatibus jam perfuncta, quartum gerit. *Liv.* 3, 67. T. Quinctio quartum consule. V. QUARTO. Neque tamen hoc semper scriptores religiose observarunt. Nam *Q. Claud.* ap. *Gell.* 10, 1. C. Marium creatum *septimo* consulem dixit, pro *septimum.* V. SECUNDUM.

QUARTUS, a, um, adj. τέταρτος, nomen numerale ordinis, quo significatur is, qui post tertium sequitur. *Pl. Pers.* 4, 4, 7. Perfidia, et peculatus ex urbe, et avaritia si exsulant, quarta invidia, quinta ambitio, etc. *Caes. B. G.* 1, 12. Quartam partem copiarum citra flumen esse; et *ib.* 7, 35. Reliquas copias misit, demptis quartis quibusque cohortibus. *Gell.* 17, 12. Febris quartis diebus recurrens, *h. e.* quartana. *Tac. A.* 13, 15. Quartum decimum aetatis annum explebat. *Cic. Acad.* 4, 6. Carneades, qui est quartus ab Arcesila. *Virg. A.* 10, 619. Pilumnusque illi quartus pater, *h. e.* abavus. ℙ *Quarta* absolute (subaudi *pars)* frequens in jure civili, significat quartam partem alicujus rei, ut *quarta hereditatis*, *agnatorum*, *liberorum*, *curiae*, etc. de quibus V. JCtos. Exempla habes ap. *Ulp. Dig.* 5, 2, 8. *f.* et *Paul. ib.* 4, 3. *extr.* etc., quae omnia collegit *Hotoman. de verb. Jur.* In plurali num. *Quint.* 8, 5. *med.* Placet hoc ergo, decimas uxoribus dari, quartas meretricibus? *h. e.* decimas, et quartas partes hereditatum. ℙ Absolutum est etiam illud *Colum.* 3, 3. Nam frumenta, majore quidem parte Italiae, quando cum quarto responderint, vix meminisse possumus. ℙ *Die quarto* refertur ad tempus praeteritum, et est nudius quartus. *Cn. Matius* ap. *Gell.* 10, 24. *extr.* Nuper die quarto, ut recordor, etc. Dicebant etiam *die quarte*, et *die quarti*, sed de futuro, εἰς τετάρτην, ut *Gell. ib.* docet. *Pomp. ib.* Die quarte moriar fame. Sic *die quinte*, et *quinti.* V. DIES. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Visc. Op. Var.* T. 1. p. 186. *ed. Mediol.* Claudia C. F. Quarta *sibi*, et Sulpicio Simili viro suo, et Quartino fil. suo etc.

QUARTUSDĔCIMUS, a, um, adj. *Vitr.* 4, 6. Contrahuntur crassitudinis quartadecima parte. *Tac. A.* 1, 70. Quartadecima legio. *Colum.* 5, 2. Quartamdecimam partem ducere. ℙ Scribitur et divisim *quartus decimus.*

QUĂSĬ, adv. ὡσεὶ, ὡσπερανεὶ, tanquam, velut, perinde ac si. [*Ex *quam si*, nostr. *wie*, *als wie*, *als wenn*, *gleichsam*, *gleichsam als*, omnino similitudinem significat, vel veram, vel cogitatam tantum, vel effictam, adeoque simulationem, et modo singulis adjectivis et participiis praeponitur, modo post verba dicendi, sentiendi totum comma subjungit. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 650.] *Pl. Ps.* 4, 1, 45. Ex transverso cedit, quasi cancer solet. *Ter Eun.* 3, 2, 8. Assimulabo, quasi nunc exeam. *Caes. B. G.* 5, 42. Hostes maximo clamore insecuti, quasi parta jam atque explorata victoria, vallum adscendere coeperunt. *Cic. Acad.* 4, 10. *f.* Illos, qui omnia incerta dicunt, quasi desperatos relinquamus. *Pl. Mil.* 2, 4, 37. Cum alieno adolescentulo, quasi nunc est. ℙ *Quasi*, et *quasi vero*, perinde ac si. *Ter. Andr.* 5, 2, 9. Modo introii. *Si.* quasi ego, quam dudum, rogem. *Caes. B. C.* 2, 31. Quasi non felicitas rerum gestarum exercitus benevolentiam imperatoribus, et res adversae odia concilient. *Cic. Fam.* 3, 7. Quasi vero ad cognoscendum ego ad illos, non illi ad me venire debuerint. *Caes. B. G.* 7, 38. Quasi vero consilii sit res, et non necesse sit nobis Gergoviam contendere. [*Partt. *quasi vero* habent vim ironicam. Nubem exemplorum ex *Cic.* collegit *Beier.* ad *Off.* 2. p. 248. coll. *Matth.* ad *Cic. Rosc. Am.* 16, 47. pr. 33, 92. — Etiam *perinde quasi*, et simpliciter *quasi* ita usurpatur. V. *eund. Beier. ib.*] ℙ Cum aliis particulis. *Cic. Sen.* 8. *f.* Graecas litteras sic avide arripui, quasi diuturnam sitim explere cupiens. *Id. Quint.* 2. *med.* Qui, quasi sua res aut honos agatur, ita diligenter Sex. Naevii studio et cupiditati morem gerunt. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. Tantidem, quasi feta canes, sine dentibu' latrat. *Pl. Merc.* 2, 2, 42. Decrepitus senex tantundem est, quasi sit signum pictum in pariete. Alii leg. *tantidem.* *Id. Trin.* 4, 1, 16. Ita jam quasi canes,

haud secus circumtabant navem turbines venti. *Id. Merc.* 1, 1, 90. Servum una mittit, quasi uti mihi foret custos. *Id. As.* 1, 3, 26. Quasi piscis itidem est amator. *Id. Rud.* 3, 4, 27. Quasi murteta juncis, item vos virgis circumvinciam. *Cic. Mil.* 31. Proinde quasi nostram ipsam mentem videre aut sentire possimus. *Id. Quint.* 26. *f.* Atque haec perinde loquor, quasi debueris, etc. *Pl. Cas. prol.* 45. Educavit magna industria, quasi si esset ex se nata. ℙ Pro quemadmodum, sicut. *Pl. Aul.* 4, 1, 9. Quasi pueri qui nare discunt, scirpea induitur ratis, qui laborent minus, facilius ut nent, et moveant manus; eodem modo servum ratem esse amanti hero aequum censeo; et 4, 1, 6. Qui amanti hero servit, quasi ego servio, etc. ℙ Servit interdum leniendae translationi, quae duriuscula videatur. [*V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 45. 53. 152. 2. p. 61. 124.] *Cic. Or.* 1, 3. Philosophia laudatarum artium omnium procreatrix quaedam, et quasi parens; et *ib.* 59. Vocem ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipere, et quasi quodam modo colligere. [*Largam exemplorum copiam particulae quasi c. *quidam* et *aliquis* conjunctae dedit *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 67. Cf. *Frotsch.* ad *Quint.* 10, 5, 18. *extr.*] *Cic. Fam.* 3, 2 *med.* Facilior erit mihi quasi decursus mei temporis. ℙ Significat etiam ferme, circiter, fere, paene, prope. [**Pl. Capt. prol.* 20. quia quasi una aetas erat.] *Ter. Heaut.* 1, 1, 93. Quasi talenta ad quindecim coegi. *Cic. Verr.* 1, 8. Ex his quasi decem fiscos ad senatorem illum relictos esse. *Id. Or.* 13. Est enim quasi in extrema pagina Phaedri his ipsis verbis loquens Socrates. *Tac. A.* 1, 68. Rarus miles, et quasi ob metum defixus. *Suet. Cal.* 58. Hora quasi septima. [*Simili ratione Graeci adhibent ὡς, ὅσον. V. *Burm.* et *Oudend.* ad *Suet. l.* modo *l. Tursell.* p. 676. *n.* 10. *ed. Schwarz., Gronov.* ad *Liv.* 27, 12, 16.] ℙ *Quasi, quasi* idem significat ac *partim, partim. Spart. Get.* 4. Qui cum diceret quasi joco, quasi serio, omnes cum liberis occidendos partium diversarum. ℙ Apponitur iis, quae talia re vera non sunt, qualia appellamus. *Plin. ep.* 8, 16. Permitto servis quoque quasi testamenta facere, eaque, ut legitima, custodio: *et mox:* Nam servis respublica quaedam, et quasi civitas domus est. Hinc illa ap. JCtos *quasi pignus, quasi dos, quasi possessio, dominus, filius*, etc. quod est simile pignoris, dotis, possessionis, etc. *Ulp. Dig.* 19, 1, 13. *med.* et *ib.* 23, 3, 39. et *ib.* 43, 15, 3. *f.* etc. ℙ *Quase*, inquit *Quint.* 1, 7. *med.*, scriptum in multorum libris est: sed an hoc voluerint auctores, nescio: T. Livium ita his usum, ex Pediano comperi, qui et ipse eum sequebatur: haec nos *i* littera finimus. ℙ Cum in vetustissima *Tab. aenea* ap. *Daniel. Numism. Capuan.* p. 95. *l.* 8. et in alia ap. *Grut.* 628. *l.* 40. *quasei* insculptum sit, et ap *eund.* 629. *l.* 4. *quaesei*, et 203. *l.* 21. *quassei;* ideo secunda syllaba longa esse natura videtur, nec nisi elisione prioris vocalis *e* correpta fuisse. Hinc eandem producit *Lucr.* 5, 728. Proinde quasi fieri nequeat, quod pugnat uterque. ℙ [*Confund. *quasi* et *sibi.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 152.]

QUĀSILLĀRIA, ae, f. ancilla infimae domus: ita dicta, quia pensa in quasillis reposita habet. *Petr. Sat.* 132. *Burm.* Convocat omnes quasillarias, familiaeque sordidissimam partem, ac me conspui jubet. *Inscr.* ap. *Grut.* 648, 5. Musa quasillaria vix ann. XXX. Cratinus lanipend. de suo.

*QUASILLARĬUS, i, m. *ψιλίποιος Gloss. Gr. Lat. B. A.*

QUĀSILLUM, i, n. et

QUĀSILLUS, i, m. *τάλαρος, καλάθιον, κυρτίδιον,* parvus qualus. *Cato R. R.* 133. In arboribus radices uti capiant, calicem pertusum sumito tibi, aut quasillum: per eum ramulum transerito, eum quasillum terra impleto, calcatoque, in arborem relinquito. ℙ Praecipue vero dicitur de calatho, in quo mulieres ancillae pensum lanae reponunt, et fusos, et reliqua ad lanificium pertinentia. *Festus* in *litt. C.* Calathos Graeci, nos dicimus quasillos. *Id.* in *litt. T.* ex lect. *Scal.* Talassionem in nuptiis Varro ait signum esse lanificii: *τάλαρον* enim, id est quasillum, solitum appellari talassionem. *Cic. Phil.* 3, 4. Nihil humile de Tarquinio, nihil sordidum accepimus: at vero hujus domi inter quasilla pendebatur aurum, numerabatur pecunia. Alii aliter leg. [**Vulg.* hab. *Orell.*] *Tibull.* 4, 10, 3. Si tibi cura toga est potior, pressumque quasillo Scortum, *h. e.* ancilla quasillaria, vel scortum pauperrimum, et lanam faciens vitae tolerandae causa. *Prop.* 4, 7, 37. Et graviora rependit iniquis pensa quasillis.

QUASSĀBĬLIS, e, adj. qui quassari potest. *Lucan.* 6, 22. Sed munimen habet nullo quassabile ferro, Naturam sedemque loci.

QUASSĀBUNDUS, a, um, adj. qui multum quassatur. V. CASABUNDUS.

QUASSĀTĬO, onis, f. *σεισμὸς,* actus quassandi, concussio. *Liv.* 22, 17. Capitum irrita quassatio excitans flammam, hominum passim discurrentium speciem praebebat; et *Macr. Sat.* 7, 15. Si quando casu aliquid paulo densius in pulmonem, violentia spiritus trahente, deciderit, mox nasci tussim nimis asperam, et alias quassationes usque ad vexationem salutis; et *Arnob.* 7, 237. Etiamne Dii coronis afficiuntur, et floribus? etiamne aeris tinnitibus, et quassationibus cymbalorum?

QUASSĀTĬPENNAS Anates, *h. e.* pennas quassantes, vel pennas quassas habentes, dixit *Varr.* ap. *Non.* 6, 65. Nec quassatipennas anates, remipedes, buxeis rostris pecudes, paludibus nocte nigra ad lumina lampadis sequens. Alii perperam leg. *quassagipennas.* V. QUERQUEDULA.

QUASSĀTŪRA, ae, f. quassatio. *Plin. Valer.* 4, 5. Malva cum axungia veteri pulcherrime quassaturas fovet, *h. e.* laesionem ex quassatione. *Veg. Vet.* 1, 28. *med.* Qaassaturas, emota, vel extorta, vel ejecta de locis suis uri non debere, *h. e.* ipsa membra quassata ac laesa.

QUASSĀTUS, a, um, part. a *quasso: ἀναστόμενος,* concussus, labefactus. *Virg. A.* 1, 555. Quassatam ventis liceat subducere classem, *διασαλευθεῖσαν. Ov. Trist.* 2, 83. Cum coepit quassata domus subsidere. *Plin. ep.* 8, 17. Proruta opera, quassata atque etiam decussa monumenta. *Lucr.* 3, 435. quassatis undique vasis Diffluere humorem, etc. *Plin.* 10, 12, 14. Cornices nucem volantes in altum in saxa tegulasque jaciunt iterum ac saepius, donec quassatam perfringere queant. *Sil.* 7, 202. de ebrio: Tempora quassatus. Sic *Ov. R. Am.* 146. multo tempora quassa mero. ℙ Translate. *Suet. Aug.* 81. Quare quassato corpore, neque frigora, neque aestus facile tolerabat, *h. e.* gravedine vexato et affecto. *Sil.* 8, 593. quassata Placentia bello. *Cic. Sext.* 34. et *Marcell.* 8. Vim fuisse illam, flammam quassatae reipublicae, perturbatorumque temporum. ℙ *Quassatus*, fractus. *Petr. Sat.* 134. Nisi primo ictu arundo quassata verberantis impetum minuisset. *Appul. Met.* 7. Hordeum frictum, et sub mola meis quassatum ambagibus.

QUASSO, as, avi, a. 1. *ἀναείω, διασαλεύω, διακραδαίνω,* saepe quatio, concutio, commoveo, agito. *Gell.* 2, 6. *Quassare*, quam *quatere*, gravius violentiusque est. *Enn.* ap. *Macr. Sat.* 6, 3. Equus saepe jubam quassat. *Petr. Sat.* 91. Singultibus crebris pectus quassaverat. *Pl. Merc.* 3, 4, 15. Tristis incedit, quassat caput. *Catull.* 44, 13. Hic me gravedo frigida, et frequens tussis Quassavit. *Sen. Troad.* 168. Artus horridus quassat fremor. *Id. Herc. Oet.* 1878. Nunc Curetes, nunc Corybantes Arma Idaea quassate manu. *Id. Phoen.* 530. membra quassantur metu. *Val. Fl.* 8, 275. te, Graecia fallax, Persequor, atque tuis hunc quassa moenibus ignem. *Virg. A.* 9, 521. horrendus visu quassabat Etruscam Pinum, et fumiferos infert Mezentius ignes; et *ib.* 12, 94. Quassare hastam trementem; et *ib.* 5, 854. ramum Lethaeo rore madentem super utraque quassat tempora. *Pl. Epid.* 3, 3, 55. Suam qui undantem chlamydem quassando facit. *Val. Fl.* 7, 577. galeamque minantem Quassat. *Sil.* 2, 294. Quassantur oppida bello. *Ov. A. Am.* 1, 696. Quassanda est ista Pelias hasta manu. ℙ Part. *quassans* absolute neutrorum more. *Pl. As.* 2, 3, 23. Quassanti capite incedit, *h. e.* agitat caput: quod est irati, aut tristis. (Adde *Bacch.* 2, 3, 71. et V. CASANS.) *Caecil.* ap. *Serv.* ad *G.* 1, 74. Quassante capite tristes incedunt. *Virg. ib.* lactum siliqua quassante legumen Sustuleris. ℙ Significat etiam pulsare. *Mart.* 13, 1. Non mea magnanimo depugnat tessera talo: Senio nec nostrum cum cane quassat ebur. ℙ Item frangere. *Pall.* 12, 17. Olivam mola fortiore quassare. *Id.* 13, 2. Myrti baccas quassare. V. QUASSATUS. ℙ [Translate est nimio luctu aliquem conficere. *Inscr.* ap. *Grut.* 607, 4. Parce tuam, conjux, fletu quassare juventam. *F.*]

QUASSUS, a, um, part. a *quatio: σειστὸς,* quassatus, concussus, labefactatus, fractus. *Ov. Her.* 11, 77. Sic mea vibrari pallentia membra videres: Quassus ab imposito corpore lectus erat. *Hor. Od.* 4, 8, 31. Clarum Tyndaridae sidus ab infimis Quassas eripiunt aequoribus rates. *Plin.* 18, 26, 64. Dolia quassa sarcire. *Petr. fragm. Trag.* 69. *Burm.* Arundinibus quassis choraulas imitatus est, *h. e.* fissis, rimosis. Sic *Ov. Met.* 3, 508. et *Fast.* 5, 508. Quassae faces, *h. e.* ligna fissa et scissa in usum facum. *Mart.* 9, 58. Nec pigri rota quassa mulionis. *Sen. Thyest.* 568. situ quassas stabilire turres. *Liv.* 26, 51. Refectis, qua quassi erant, muris. [**Id.* 25, 3. In veteres, quassasque naves paucis et parvi pretii rebus impositis.] *Pl. Curc.* 3, 26. Oculus aula quassa cum cinere effossus. ℙ Translate. *Quint.* 12, 10. *med. de litt. F.* Quae etiam cum vocalem proxima accipit, quassa quodam modo, utique quoties aliquam consonantium frangit, multo fit horridior, *h. e.* fracta. V. FRANGO. *Curt.* 7, 7. Haec quassa adhuc voce subdeficiens, vix proximis exaudientibus, dixerat. *Sen. Hippol.* 996. Sors aggravat quassam domum. *Id. Herc. Fur.* 1308. Anima fessa senio, nec minus quassa malis; et *Thyest.* 239. Imperii quassa est fides. ℙ [*Confund. *quassus* et *cassus.* V. *Burm.* ad *Quint. Inst.* p. 1001.]

QUASSUS, us, m. frequens motio, concussio. *Pacuv.* ap. *Cic. Tusc.* 2, 21. Nam attrectatu, et quassu saevum amplificatis dolorem.

QUĀTĔFĂCĬO, is, ēci, actum, a. 3. *ἀναείω,* concutio, commoveo, labefacio. *Cic. ad Brut.* 1, 10. *med.* Romam perveni, nulloque praesidio quatefeci Antonium. Alii leg. *patefeci.* [**Orell.* nullam lectionis varietatem notat.]

QUĀTĒNUS, adv. *ἕως, καθότι,* usque ad quem finem, quantum: a *qua* et *tenus.* V. EATENUS. *Cic. Or.* 22. In omnibus rebus videndum est, quatenus: etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum. *Id. Or.* 2, 87. Sciunt, quid, et quatenus, et quomodo dicturi sunt; et *ib.* 58. *f.* Quatenus sint ridicula tractanda oratori, perquam diligenter videndum est. *Liv.* 2, 55. *f.* Consules in curiam compelluntur, incerti, quatenus Volero exerceret victoriam. *Cic. Off.* 3, 17. Aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere possunt; philosophi, quatenus ratione et intelligentia. *Id. Amic.* 11. Quatenus amor in amicitia progredi debeat. *Gell.* 1, 3. Quatenus quaque fini dari venia amicitiae debeat. ℙ Refertur ad locum. *Liv.* 28, 39. *f.* Petentibus Saguntinis, ut quatenus tuto possent, Italiam spectatum irent. *Colum.* 9, 8. Praeciditur superior pars *(arboris)*, quae ab apibus vacat, deinde inferior, quatenus videtur inhabitari. Adde *Cels.* 5, 28. *n.* 12. ℙ Item ad tempus. *Cic. Phil.* 14, 5. *f.* Quibus auspiciis istos fasces acciperem? quatenus haberem? cui traderem? ℙ Significat etiam qua ex parte, vel, quod attinet ad. *Cic. Fam.* 1, 2. Quatenus de religione dicebat, Bibulo assensum est: de tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia. *Id. ib.* 4, 4. Accipio excusationem ex ea parte, quatenus negligentia eorum, qui epistolas accipiunt, fieri scribis, ne ad nos perferantur. ℙ Pro quoniam, quandoquidem. *Hor. Od.* 3, 24, 30. Clarus postgenitis: quatenus, heu nefas! Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi. *Ov. Trist.* 5, 5, 21. Quatenus et non est in caro conjuge felix, Pars vitae tristi cetera nube vacet. *Plin. ep.* 3, 7. *f.* Quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. Adde *Juven.* 12, 101., *Tac. A.* 3, 16, *Quint.* 6, 2. *med.* et *Suet. Claud.* 26. [*Adde *Tac. Dial.* 5. Cf. *Freinsh. ind.* in *Flor.* s. h. v. *Spald.* ad *Quint.* 4, 2, 66. coll. *Oudend.* ad *Suet. Claud.* 26.] ℙ In illo *Front. Aquaed.* 7. Eidem mandatum a senatu est, ut curaret, quatenus alias aquas, quas posset, in Urbem perduceret: *quatenus* est *ut.* Alii leg. *ut curaret, quatenus alias aquas posset, in Urbem perduceret.* Pro *ut* poni videtur etiam ab *Ulp. Dig.* 4, 2, 14. *med.* Pro eo autem, qui in fuga esse dicitur, cautio extorquenda est, quatenus et persequatur, et omni modo eum restituat; et a *Paulo ib.* 19, 2, 55. *f.* Ad solvendas totius temporis pensiones ex conducto conveniri potest, quatenus locatori in id, quod ejus interest, indemnitas servetur. ℙ Pro quomodo. *Lact.* 4, 27. Quanto terrori sit daemonibus hoc signum, sciet qui viderit, quatenus adjurati per Christum, de corporibus fugiant. ℙ Antiqui *quatenos* dicebant (pro *quoniam*), ut Scipio Africanus in ea oratione, quam scripsit, postquam ex Africa rediit: Uti negotium natum erat: quatenos castra nostra ita munita erant, ut posses partem exercitus abducere. Haec *Festus*, qui et *quatinus* scriptum fuisse ait; cum discrimine tamen, quia *quatenus*, inquit, significat qua fine: at *quatinus* et *quatenos* quoniam. **Fronto de differentiis vocabulorum* (ed. *Maio*) p. 470. ed. *Mediol. Quatenus et quatinus. Quatenus qua fini: quatinus quoniam. B. A.* Sed hoc discrimen nullum est. Frequenter enim apud antiquos commutabantur *e* et *i*, item *o* et *u*, ut *protenus protinus, consol consul.* [*Cf. *Burm.* ad *Suet. Claud.* 26.]

QUĀTER, adv. *τετράκις,* quatuor vicibus. *Virg. A.* 2, 242. quater ipso in limine portae Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere. *Hor. Sat.* 2, 3, 1. Sic raro scribis, ut toto non quater anno Membranam poscas. *Varr. R. R.* 3, 10. Quater in anno pariunt. *Ov. A. Am.* 2, 447. O quater, et quoties numero comprendere non est, Felicem! *Colum.* 5, 2. *med.* Viginti ducto quater, fiunt octoginta. [**Suet. Caes.* 1. Cinnae quater Consulis, *h. e.* qui omnino quater Consul fuit. V. *B. Crus.*] ℙ Ter et (vel *aut*) quater. *Hor. Od.* 1, 31, 13. ter et quater Anno revisens aequor. *Virg. G.* 1, 410. corvi presso ter gutture voces Aut quater ingeminant; et *ib.* 2, 399. Terque quaterque solum scindendum. ℙ Cum aliis nominibus numeralibus. *Hor. Ep.* 1, 20, 27. Me quater undenos sciat explevisse decembres. *Pl. Ps.* 1, 3, 111. Quater quinis minis. *Ov. Met.* 7, 293. Anni quater deni. *Hirt B. Afr.* 19. Petrejano auxilio adhibito, equitibus CIↃC, peditum ac levis armaturae quater tanto. *Vitr.* 10, 14. Quater centies. *Cic. Verr.* 2, 1, 39. Quater decies. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 1. Ante annos quater mille sexcentos.

*QUĀTERNATĬO, onis, f. *Interpr. Iren* 1, 1. *B. A.*

QUĀTERNĀRĬUS, a, um, adj. *τετραδικός. Colum.* 11, 2. *med.* Scrobes quaternarii, hoc est quoquoversus pedum quatuor, si est commodum terrenum, quatuordecim ab uno fiunt: ternarii autem decem et octo. *Plin.* 28, 6, 17. Numerus quaternarius: *τετράς.*

QUĀTERNI, ae, a, adj. plur. numerus dispertitivus. *Hor. Sat.* 1, 4, 86. Saepe tribus lectis videas coenare quaternos. *Cic. Font.* 5. Quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse. ℙ Sumitur etiam pro cardinali. *Manil.* 3, 596. Hoc sexagenos tribuit, duplicatque quaternos. *Caes. B. C.* 1, 83. Primam aciem quaternae cohortes ex V.

legione tenebant. Alii leg. *ex* V. *legionibus*. *Auson. epigr.* 2. Annis undecies centum conjunge quaternos. *Id. Idyll.* 11, 60. Bisque quaternorum secernitur omphalos idem. ℙ In gen. plur. *quaternum* usitatius est: quod dicendum de aliis similibus dispertitivis, *duceni*, *triceni*, etc. *Colum.* 5, 5. Quaternum pedum spatia. *Plin.* 9, 3, 2. Balaenae quaternum jugerum, pristes ducenum cubitorum.

QUĂTERNĬO, onis, m. τετρὰς, quaternarius numerus, ut *ternio* ternarius. *Capell.* 7, 255. Quaternioni duos adjiciendo fecit superdimidium. Adde p. 268. V. QUATRIO.

QUATĪNUS. V. QUATENUS.

QUĂTĬO, is, a. 3. σείω, κραδαίνω, τινάσσω, cum violentia et crebro moveo, quatefacio, concutio, agito, pulso. *Fest.:* Quatere, suspensum et vicinum rei alicujus motum significat, non, ut Verrius putat, ferire: cum id ipsum verbum, concutere, ex praepositione, quae est con, et quatere, sit compositum. *Petr. Sat.* 124. ingentem quatiens Mavortius hastam; et *ib.* Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra; et *ib.* 89. *f.* Quadrupes altas quatit ad excursum jubas. [**Liv.* 8, 7. quum equus magna vi caput quateret.] *Ov Her.* 18, 48. Ventus quatit aquas. *Virg. A.* 3, 226. Harpyiae magnis quatiunt clangoribus alas. *Tac. H.* 2, 22. Super humeros scuta quatere. *Virg. G.* 4, 64. Quatere cymbala. *Plin. ep.* 7, 27. Manibus catenas gerebat, quatiebatque. *Ov. Met.* 12, 521. quatitur terrae motibus Ide. *Virg. A.* 3, 29. mihi frigidus horror Membra quatit; et *ib.* 5, 199. tum creber anhelitus artus, Aridaque ora quatit; et *Ov. Fast.* 6, 400. Quatere caput. *Id. Her.* 14, 40. Populeas quatit aura comas. *Id. Met.* 12, 329. Quercum quatere huc illuc. *Virg. A.* 11, 875. Quadrupedumque putrem sonitu quatit ungula campum; et *ib.* 512. equitum levia improbus arma Praemisit: quaterent campos; et *Liv.* 21, 10. *med.* Urbis moenia ariete quatere. *Virg. Cul.* 218. verbera alicui, *h. e.* flagella quatefacere ad aliquem verberandum. *Id A.* 2, 610. Neptunus muros, magnoque emota tridenti Fundamenta quatit. *Id. G.* 3, 132. Cursu quatere equum, *h. e.* agitare, ad cursum impellendo fatigare. Sic *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 42. *f.* Arctophylax, vulgo qui dicitur esse Bootes, Quod quasi temone adjunctam prae se quatit Arcton. *Ter. Eun.* 2, 3, 66. Quatere aliquem foras, *h. e.* quatiendo ejicere. *Hor. Ep.* 2, 2, 84. risu populum. ℙ Translate est vexare, infestare. *Virg. A.* 9, 608. quatere oppida bello. *Tac. H.* 4, 28. Mosam transire jubet, ut Menapios, et Morinos, et extrema Galliarum quateret. ℙ Item afficere, commovere. *Gell.* 9, 13. Animus quatitur et afficitur non minoribus motibus pulsibusque, quam si ipse coram spectaret. *Sen. Thyest.* 260. Fateor: tumultus pectora attonitus quatit, Penitusque volvit. *Tac. H.* 1, 52. *extr.* Quatiebatur his segne ingenium, ut concupisceret magis, quam speraret. ℙ Item commovere, turbare, percellere. *Cic. Tusc.* 3, 6. Est in animis tenerum quiddam atque molle, quod aegritudine, quasi tempestate, quatiatur. *Hor. Od.* 1, 16, 5. adytis quatit Mentem sacerdotum incola Pythius. *Val. Fl.* 1, 743. quatiuntque truces oracula Colchos. *Id.* 2, 122. de Fama: et motis quatit oppida linguis; et 5, 273. et *Sil.* 7, 7. Terrificis quatit attonitas rumoribus arces. *Sen. Herc. Oet.* 1993. Quatiet populos terrore gravi. *Stat. Achill.* 2, 55. fama trucis belli, quod nunc Europamque, Asiamque quatit; *Hor. Od.* 3, 3, 4. Quatere aliquem mente solida, *h. e.* de statu mentis dejicere.

QUATRIDŬĀNUS, a, um, adj. τετραήμερος, quatridui tempus habens. *Hieron. ep.* 108. *n.* 24. Lazarus quatriduanus mortuus cum ipso *(Iesu)* scribitur inisse convivium, ne resurrectio eorum phantasma putaretur.

QUATRĬDŬUM, i, n. τετραήμερον, quatuor dierum spatium. *Pl. Pers.* 1, 1, 37. Mihi des nummos trecentos, quos continuo tibi reponam in hoc triduo aut quatriduo. *Cic. Rosc. Am.* 7. *med.* Quatriduo, quo haec gesta sunt, res ad Chrysogonum defertur. *Id.* ad *Brut.* 1, 3. Triduo, aut quatriduo ante hanc rem pulcherrimam. *Liv.* 3, 3. *med.* Sic finem justitio, quod quatriduum fuit, reditus consulis fecit. *Lentul.* ad *senat.* ap. *Cic. Fam.* 12, 15. *extr.* Cassium quatridui iter Laodicea abfuisse. ℙ *Quatriduum* duplici *tt* legitur in vet. lap. ap. *Manut.* in *Orthogr.* in voce *Boetica*, *n.* 4. quam tamen *Grut.* 101, 3. referens, simplici *t* scribit. V. QUATUOR.

QUATRIERIS. V. QUADRIERIS.

QUATRINGENĀRĬUS. V. QUADRINGENARIUS.

QUATRĪNI. V. QUADRINI.

[QUATRĬO, onis, m. τετρὰς, idem ac quaternio, et dicitur de jactu tesserarum, qui quatuor punctis constat. *Isid. Or.* 18, 65. Jactus quisque apud lusores veteres a numero vocabatur, ut unio, binio, trio, quatrio, quinio, senio. Postea appellatio singulorum mutata est, et unionem canem, trionem suppum, quatrionem planum vocabant. *F.*]

QUATRIREMIS. V. QUADRIREMIS.

[QUATRISEXTĬUM, ii, n. quadruplex sextarium. *Not. Tir.* p. 147. Sextarium, bisextium, trisextium, quatrisextium. *F.*]

QUĂTUOR et Quattuor, τέσσαρες et τέσσαρα, nomen numeri cardinale, unum ad tria addens. *Cic. Univ.* 5. Ab iis rebus numero quatuor mundi est corpus effectum. *Virg. G.* 1, 258. Temporibusque parem diversis quatuor annum. Alii leg. *quattuor*. Atque ita scribi volunt, quotiescumque prima ap. *eund.* pluries producitur, quae ceteroquin brevis esse videtur, ut in *quater*. Unde *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. Cedunt ter quatuor de coelo corpora sancta. *Id.* ap. *Charis.* 1, 114. Jamque fere quatuor partum. *Auson.* quoque in *VII. Sap. de Cleob.* 5. Gradibus propinquis in quatuordecim sedes. Ceteri poetae omnes semper producunt. Vult autem *Manut.* in *Orthogr.* non solum in versu, cum prima producitur, sed etiam in prosa oratione ubique *tt* geminari, quod ita habeatur in Virgilio Carpensi, in Pandectis, in lapidibus permultis et apud poetas. Addit *Gesner.* etiam *MS.* Palladii, *Polenus* Frontini, in quibus semper *quattuor* scriptum est. Contra simplex *t* praeferunt *Dausq.*, *Cellar.* in *Orthogr.* et alii: ajuntque primam esse longam, quamvis sit a *quater*, ut *sedes* a *sedeo*, *mobilis* a *moveo*, *lucerna* a *luceo*, *quasillus* a *qualus*, et alia originis quantitatem mutant. In allatis autem *Ennii* et *Ausonii* locis recurrunt ad synaeresim, et *quatuor* faciunt disyllabum: itaque legunt priorem vers. *Ennii: Cedunt de coelo ter quatuor corpora sancta.* Ego neutram scribendi rationem damnaverim: primam syllabam vix corripuerim. [**Quattuor* praeferendum est. V. *Schneid. Gr. Lat.* I. p. 446. sq.]

QUATŪORDĒCIĒS et Quattuordecies, adv. τεσσαρεσκαιδεκάκις, idem ac quater decies. *Plin.* 3, 7, 13. A Gadibus quatuordecies centena.

QUATŪORDĒCIM et Quattuordecim, τεσσαρεσκαίδεκα, nomen numerale cardinale indeclin. *Plin.* 2, 14, 11. Quatuordecim partes. *Flor.* 2, 18. Per quatuordecim annos. ℙ *Sedere in quatuordecim* in theatro, est inter viros equestris ordinis sedere, quibus quatuordecim gradus assignati fuerant post orchestram, ex qua magistratus, senatoresque spectabant. *Suet. Caes.* 39. Donatus quingentis sestertiis, et annulo aureo, sessum in quatuordecim e scena per orchestram transiit. Adde *As. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. *Sen. ep.* 44. Eques Romanus es, et ad hunc ordinem tua te perduxit industria: et mehercule multis quatuordecim sunt clausi. V. et *Aus. l. c.* in QUATUOR.

[QUATŪORPRĪMI et Quattuorprimi, orum, m. plur. quatuor viri principes ex decurionibus. V. DECEMPRIMI et DECURIO. *Inscr.* ap. *Visc. Op. var. T.* 1. p. 80. K. Aug. honorem ediderunt, ludos per IIII (*quatriduum*) fecerunt IIII. primi. Adde aliam ap. *Grut.* 506. in qua ter *IIII. primi* leg. *F.*]

QUATŪORSIGNĀNI. V. SEXSIGNANI.

[QUATŪORVĪRĀLIS et Quattuorviralis, e, adj. ad quatuorviros pertinens, ut *Quattuorviralis* absolute dicitur, qui aliquando quattuorviratu functus est. *Inscr.* ap. *Grut.* 426, 3. C. Julianius Julius Dec. Mun. IIII. viralis sibi, etc. *F.*]

QUATŪORVĪRĀTUS et Quattuorviratus, us, m. τετραδαρχία, magistratus, seu dignitas quatuorvirorum. *As. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. Quatuorviratum *(Gadibus)* sibi prorogavit. [*Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 402. T. Elufrio T. F. Stell. Meliori, quod anno IIII. vir*atus* sui annonam sufficientem civitati pecunia sua praestiterit, etc. *F.*]

QUATŪORVĪRI et Quattuorviri, orum, m. plur. magistratus quatuor virorum Roma institutus post aediles curules, cui viarum intra Urbem curandarum provincia data est, ut *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. *med.* docet. *Inscr.* ap. *Grut.* 403, 1. Cn. Domitio Sex. F. Vel. Afro IIII. vir. viarum curand. etc. Alia ap. *Reines. cl.* 2. *n.* 26. P. Plotius Romanus IIII. V. V. cur. ℙ In municipiis et coloniis *quatuorviri* fuerunt summus magistratus, qui ex decurionibus eligebantur; [item *quatuorviri juri dicundo;* item *quatuorviri aediles* seu *aedilicia potestate;* item *quatuorviri ab aerario*, seu *ad aerarium*, qui omnes annui erant; fuerunt denique *quatuorviri quinquennales*, qui quinto quoque anno creabantur, et quorum munus idem erat, ac Romae censorum. *Cic. Cluent.* 8. Oppianicus Larinum cum armatis advolavit, quatuorviros, quos municipes fecerant, sustulit; se a Sulla, et alios praeterea tres factos esse dixit. Exstat *ejusd.* epistola *Fam.* 13, 76. ad quatuorviros, et decuriones Fregellanos missa. *Inscr.* Patavina ap. *Grut.* 72, 9. P. Opsidius P. F. Rufus IIII. vir, Tr. Mil. Leg. IIII. Scythic., Praef. Fabr. Alia item Patavina ap. *eund.* 366, 4. C. Asconio C. F. Fab. Sardo IIII. vir. I. D., Praef. Fabr. etc. Alia Spoletina ap. *eund.* 167, 12. P. Marcius T. F. Hister, C. Maenius C. F. Rufus IIII. vir ex S. C. faciend. coerarunt, eidemq. probarunt. Alia indidem ap. *Fabr.* p. 675. *n.* 21. P. Marcius T. F. Hister, C. Maenius C. F. Rufus IIII. vir. I. D. S. C. fac. cur. probaveruntq. Hinc liquet, *IIII. vir.* unum idemque esse ac *IIII. vir. I. D.* Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 576. C. Volusio Victori quaestori Ocriculanorum IIII. viri aediles, IIII. viri jure dic., IIII. viri Quinq., cives statuam posuerunt, etc. Alia Patavina ap. *Fabr.* p. 485. *n.* 160. M. Junius Sabinus IIII. vir aedilicíae potestat. e lege Julia municipali, etc. Alia ap. *Don. cl.* 4. *n.* 22. L. Lusio Modesto quattuorviro aedil. potestat. etc. In hac eadem ap. *Fabr.* p. 700. *n.* 219. pro *quattuorviro* mendose legitur *quartoviro.* Alia Nemausensis ap. *Grut.* 470, 6. Q. Solonio Q. F. Vol. Severino IIII. vir. ab aerar., pontific., etc. *pontifici* hic legitur ap. *Grasserum*, qui lapidem vidit. Alia indidem ap. *eund. Grut.* 413, 8. C. Fulvio C. F. Vol. Lupo Serviliano IIII. vir. ad aerarium, pontifici, etc. Alia Gabina ap. *Visc. Mus. Pio-Clem. T.* 6. p. 240. *ed. Mediol.* Referentibus L. Vipstano L. F. Cl. Publicola Messalla, L. Setrio L. F. Pal. Prisco IIII. vir. Q. Q, etc. *F.*]

QUATUS pro *cyathus* legitur in quibusdam MSS. ap. *Pall.* 1, 27. et 11, 14. etc.

QUAXĂRĔ, idem quod *coaxare*, a quo contractum est. *Festus:* Quaxare ranae dicuntur, cum vocem mittunt.

QUE

QUĔ, τε, et, ac, atque: et dictioni semper postponitur, ut τε Graece. *Cic. N. D.* 2, 59. Singulasque res definimus, circumscripteque complectimur. *Virg. G.* 3, 343. omnia secum Armentarius Afer agit, tectumque, laremque, Armaque, Amyclaeumque canem, Cressamque pharetram. *Cic. Att.* 15, 13. *f.* Ἡροσφωνοῦμεν*que* Ciceroni. *Id. Phil.* 2, 29. Ego arma contra Deos patrios, arasque, et focos tuli. *Id. Quint.* 9. *f.* Nisi tu, quod esset tuum jus, et officium, partesque, docuisses. ℙ Etiam post monosyllaba. *Cels.* 7, 27. Exque eo fieri, ut neque retineatur, etc. *Nep. Dat.* 7. Ab hoc Sysinas desciit, adque regem transiit. Alii leg. *ad regemque. Virg. Ecl.* 7, 13. eque sacra resonant examina quercu; et *G.* 4, 347. Eque Chao, etc. Ita legit etiam *Serv.:* alii *aque*, ut ap. *Ov. Am.* 2, 14, 30. Aque sua caesum matre queruntur Ityn. *Id. Her.* 6, 156. A totidem natis orba sit, aque viro. Utroque loc. alii leg. *atque. Pl. Cas.* 2, 8, 68. Tribus non conduci possim libertatibus, quin ego illis comparem magnum malum, quique hanc omnem rem meae herae jam faciam palam. ℙ Post duas voces. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 79. Ne auriculam obsidat caries, ne vermiculique. *Nep. Cat.* 1. Romam demigravit, in foroque esse coepit. *Cic. Off.* 1, 26. *med.* Quod earum administratio latissime pateat, ad plurimosque pertineat. (Adde *ib.* 39.) *Id. Fin.* 1, 1. In reque eo meliore, quo major sit, mediocritatem desiderent. *Id. Fam.* 2, 16. A meque ipse deficerem. ℙ Poetae etiam post plures. *Tibull.* 1, 3, 55. Hic jacet immiti consumptus morte Tibullus, Messalam terra dum sequiturque mari. (Plura ex eo congessit *Broukus.* ad 3, 6, 48.) *Prop.* 2, 16, 11. In te ego et aeratas rumpam, mea vita, catenas, Ferratam Danaes transiliamque domum. *Ov. Fast.* 2, 315. Antra subit tophis, laqueataque pumice vivo. Alii leg. *laqueata et.* ℙ Pro vel, aut an. *Virg. A.* 4, 143. Qualis ubi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta Deserit, ac Delum maternam invisit Apollo. Ita *Serv.*, qui et illud addit *A.* 2, 36. Aut pelago Danaum insidias, suspectaque dona Praecipitare jubent, subjectisque urere flammis. Alii leg. *subjectisve;* et *ib.* 6, 616. Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum Districti pendent. *Hor. Sat.* 2, 7, 58. Quid refert, uri virgis ferroque necari Auctoratus eas, an, etc? [*Particulam *que* in sententia disjunctiva, ubi proprie *ve* locum habet, vindicavit *Walch.* in *Emendd. Livv.* p. 53. *Liv.* 3, 55, 13. quae (senatusconsultu) ante arbitrio consulum supprimebantur, vitiabanturque. *Id.* 23, 1, 9. aliquot eo proelio nobiles juvenes capti caesique. *Tac. Agr.* rarus dnabus tribusque civitatibus conventis. *Sen. Ira* 1, 9. *extr.* quos (affectus) nunquam deprimere possit, nisi pares illis similesque opposuerit. Cf. *Jahn.* ad *Hor. Sat.* 2, 3, 157. p. 255. eundemque ad *Virg. G.* 1, 441. *A.* 2, 37.] ℙ Quibusdam videtur etiam poni pro quia, nam, quoniam. *Cic. Off.* 1, 7. Non nobis solum nati sumus: ortusque nostri partem patria vindicat, partem parentes, partem amici. [*Part. *que* h. l. non *quoniam* signif., sed adversativa conjungens idem fere est quod *potiusque*, *sed.* V. *ib.* 1, 1, 3. ut idem utroque in genere elaboraret sequereturque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus: ubi plura attulit *Beier. Or.* 3, 21. Coracem istum vestrum patiamur nos quidem pullos suos excludere, e nido qui evolent; Pamphilumque nescio quem sinamus in infulis tantam rem, tanquam pueriles delicias aliquas, depingere; nosque ipsi hac tam exigua disputatione totum orationis munus explicemus. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 188. p. 810. sq. ubi laud. *Heus.* ad *Cic. Off.* 1, 7. et ad 1, 26, 9. *Görenz.* ad *Legg.* 3, 17. *pr.* ad *Acad.* 2, 9, 27. *Fin.* 2, 5, 17. *Held.* ad *Caes. B. C.* 1, 74.] ℙ Item pro etiam, quoque: quod apparet ex his, quae subjicio: in quibus tamen omnibus dubia est lectio. *Plin. ep.* 4, 19. *f.* Nam cum matrem meam parentis vice dilexeris, meque a pueritia statim formare solebas. *Tac. A.* 6, 19. Ac ne dubium haberetur, pecuniae magnitudinem male vertisse, aurariasque ejus, quamquam publicarentur, sibimet Tiberius seposuit. [*Plura ejusdem generis exempla habet *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 177.] *Vell.* 1, 8. Is eos ludos, mercatumque instituit ante annos CMIV. *Aurel. Vict. Caes.* 3. *extr.* Mortalium conatus vacuos a Fortuna, cassosque esse. Sic *hodieque*, hodie quoque. V. s. l. [*V. plura ap. *Burm.* ad *Vell.* 1. l. Cf. etiam *Gron.* ad *Liv.* 1, 26. *f.* et *Livii intpp.* ad 5,

27. 1. quos laud. *Lindem.* ad *Pl. Mil.* 4, 4, 39. Nunc tibi vicissimque imperabo. ℙ Longe frequentissimus est hujus notionis usus ap. *Cic.*, qui mille locis v. *que* in transitione ponit, ita ut nostr. *ferner, auch* respondeat. V. *N. D.* 3, 35. Omnisque sensus hominum. *Off.* 1, 39. Eademque mediocritas. Cf. *ib.* 1, 4. 2, 20, 70. *Brut.* 21, 81. cf. 20, 78. 25, 95. ℙ Conjungit sententias et verba explicativa, ubi *que* non diversum est a formula *id est*. *Cic. Or.* 2, 67, 270. Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque, etc. i. e. in hac ironia, quam nostro vocabulo dissimulantiam vocamus. *Caes. B. G.* 6, 15. Eorum (equitum Gallorum) ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circum se ambactos clientesque habet. Primus hunc usum *Görenz.* accurate demonstravit, et plura exempla attulit *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 205 et 2. p. 138. Adde *Drakenb.* ad *Liv.* 7, 15. *it. Burm.* ad *Tac. A.* 2, 14. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 188. p. 809. *Brem.* ad *Suet. Claud.* 38. ℙ Colligit etiam ex antecedentibus. *Cic. Fin.* 5, 12. In mente hominis est admirabilis quaedam vis rationis, et cognitionis, et scientiae, virtutumque omnium. *Off.* 2, 23, 82. Alexandriam se proficisci velle dixit remque integram ad reditum suum jussit esse. *Sall. Cat.* 3, 5, nihilominus honoris cupido eademque quae ceteros fama atque invidia vexabat; et *ib.* 48, 6. Tarquinii indicium falsum videri, eumque in vinculis retinendum. *Jug.* 4, 4. Majusque commodum ex otio meo venturum; *ib.* 9, 3. Eodem modo legitur ap. *Vell.* 1, 17, 6. et 2, 62, 1. Cf. *Goer.* ad *Cic. Fin.* 1, 9, 29.] ℙ In compositione conjunctionis vim amittit, encliticae naturam servat, ut in *uterque*, *plerique*, *quisque*, *undique*, *itaque*, videre est. [*V. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 86. 11. 7. p. 267. ℙ Discrimen inter *que* et *et Herm.* ad *Elmsl. Med. ed Lips.* p. 331. ita recte constituit, ut hoc posterius copulativum, illud adjunctivum dicat: cf. *Zumpt.* uberius de hac re disputantem in *Gr. Lat.* §. 333. p. 290. sq. *Stallb.* ad *Ruddim.* 2. p. 343. ℙ Confund. *que* et *et*. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 225. et *qui*. *Id.* ad *Cic. Fragm.* p. 156. *a. Que - a* et *qua*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 234. *Que* et *quae*. *Id. ib.* 2, 615. *Que* et *ve*. *Id. ib.* 2, 898. 3, 549. *Que* et *quidem*. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 283.]

QUEI? qui? hoc est, quomodo? *Pl. Mil.* 2, 4, 12. Quei dixti tu, te vidisse in proximo hic, sceleste, me osculantem? Alii rectius leg. *quem dixti*. ℙ Est etiam dativus singularis pro *cui*, a *quis*. Vet. *Tab. aen.* ap. *Mur.* 582. *lin.* 17. Ne quei eorum, quorum nomina, etc. et *mox:* Eorum quei frumentum dederit. ℙ Ab hoc est *queis*, dativ. plur. V. QUES.

QUEIS. V. QUES.

QUEMADMODUM, adv. ὥ, quo modo, qua ratione, quem ad modum. *Caes. B. G.* 1, 36. Si ipse populo R. non praescriberet, quemadmodum suo jure uteretur, non oportere se a populo R. in suo jure impediri; et *ib.* 3, 16. Neque, quemadmodum oppida defenderent, habebant. *Cic. Catil.* 3, 1. *extr.* Semper vigilavi, et providi, quemadmodum salvi esse possemus. *Id. Fam.* 14, 2. P. Valerius scripsit, quemadmodum a Vestae ad tabulam Valeriam ducta esses. *Pl. Bacch.* 3, 3, 69. Ego omnem rem scio, quemadmodum est. ℙ Interrogative, πῶς; *Cic. Dom.* 27. Sed isti, qui Clodii leges timuerunt, quemadmodum ceteras observaverunt? *Id. Rosc. Com.* 18. Si non reliquit, quemadmodum ab eo postea exegisti? *Pl. Pers.* 1, 1, 36. Facere amicum tibi me potis es sempiternum. *Sa.* quemadmodum? Adde *Plin. ep.* 3, 2. et *ep.* 4, 18. et *ep.* 7, 2. ℙ Item sicut, καθάπερ, οἷον, ὥσπερ: cui respondet *sic*, *ita*, *eodem modo*, et similia. *Cic. Arch.* 2. Mihi detis hanc veniam, accommodatam huic reo, vobis, quemadmodum spero, non molestam. *Id. Amic.* 4. *f.* Pergratum mihi feceris, si, quemadmodum soles de ceteris rebus, cum ex te quaeruntur; sic de amicitia disputaris, quid sentias. *Id. Q. Fr.* 2, 15. *med.* Tu, quemadmodum me censes oportere esse in republica, ita et esse, et fore auricula infima scito molliorem. *Id. Fin.* 2, 26. Ut quemadmodum sint in se ipsos animati, eodem modo sint erga amicos. *Id. Acad.* 4, 34. *med.* Non enim, quemadmodum si quaesitum ex eo sit, stellarum numerus par an impar sit; item si multis aliis de rebus, in quibus versatus exercitatusque sit, nescire se dicat. *Liv.* 4, 43. Ut, quemadmodum tribunis consulari potestate creandis usi sunt, adaeque in quaestoribus liberum esset arbitrium populi.

QUĔO, is, ivi, et ii, itum, n. anom. δύναμαι, possum, valeo. A nonnullis inter defectiva enumeratur. Quare omnia ejus tempora ac personas subjiciemus. *Cic. Fam.* 14, 1. *f.* Non queo reliqua scribere. *Hor. Sat.* 2, 7, 92. liber sum, dic age: non quis. *Lucr.* 3, 647. non quit sentire dolorem. *Ter. Andr.* 4, 5, 10. Ut quimus, ajunt, quando, ut volumus, non licet. *Arnob.* 3, 104. Quod vos dicere non quitis. *Pl. Trin.* 2, 2, 10. Quod manu non queunt tangere; et 3, 2, 31. Facere non quibam miser. *Id. Rud.* 3, 1, 8. Nec eas eripere quibat inde. *Virg. A.* 6, 463. nec credere quivi. *Ter. Andr.* 4, 1, 30. Nec te quivit hodie cogere. *Accius* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. *med.* Nam si a me regnum fortuna, atque opes Eripere quivit, at virtutem non quiit. *Juvenc.* 2, 679. Hujus enim vocem nunquam comprendere quistis. *Quadrig.* ap. *Gell.* 15, 1. Nunquam quiverunt incendere. *Pl. Mil.* 4, 6, 25. Si non quibo impetrare. *Arnob.* 7, 218. Validius premere opinionem istam quibunt. *Hor. Sat.* 2, 5, 2. quibus amissas reparare queam res Artibus; et *ib.* 10. qua ratione queas ditescere. *Sall. Cat.* 61. *f.* Ne circumvenire queat. *Virg. A.* 10, 19. quod jam implorare queamus. *Just.* 5, 4. *f.* Si queant. *Pl. Merc. prol.* 55. Quod quirem. *Tac. A.* 1, 66. Cum neque precibus, neque manu retinere militem quiret. *Stat. Silv.* 5, 3, 60. nec Orpheae quirent avertere leges. *Varr. L. L.* 4, 1. *in.* Velocior ideo, si quivero. *Liv.* 4, 24. *f.* Ut vis a censoribus nullius auctoritate deterreri quiverit. *Lucr.* 6, 855. Non quierit calidum supera de reddere parte. *Arnob.* 5, 161. Cum ab Jovis maledictis nullam pausam facere quiveritis. *Hieron. in Isaj.* 8, 24, 13. Qui manus quiverint persequentis effugere. *Auson. epigr.* 139. Thebas quissent partirier ipsas. *Gell.* 11, 9. Loqui non quire. *Lucr.* 5, 1421 neque in fructum convertere quisse. *Appul. Met.* 6. et 9. Nec ullum reperire quiens saluti subsidium. ℙ Passive, seu deponentis forma. *Caecil.* ap. *Diomed.* 1, 380. Si non sarciri quitur. *Accius ib.* Neque vi impelli, neque prece quitus sum. *Id. ib.* Unde omnia perdisci ac percipi queuntur. *Lucr.* 1, 1043. Dum veniant aliae, ac suppleri summa queatur. *Pl. Pers.* 2, 2, 12. Nec subigi queantur unquam. *Ter. Hec.* 4, 1, 57. Forma in tenebris nosci non quita est. *Appul. Apol.* Cum eum jussisses accusationem sustinere, pollicitus ita facturum, ne sic quidem quitus est. ℙ Etiam *Prisc.* in praeterito *quii* pro *quivi* agnoscit 10, 905. et 907. ℙ Supini *quitum* primam syllabam brevem esse vult *Id.* 9, 867., *quitum* tamen omittit editio *Krehlii* ex MSS.

QUERCĔRUS. V. QUERQUERUS.

QUERCĒTUM, i, n. δρυμών, locus quercubus consitus. *Varr. R. R.* 1, 16. *f.* Si ad limitem quercetum habet. *Hor. Od.* 2, 9, 6. Aquilonibus Querceta Gargani laborant. *Claud. in Ruf.* 1, 383. Rorabunt querceta favis. ℙ Dicitur et *Querquetum*. *Fest.* in *Querquetulanae*. Nymphae praesidentes querqueto virescenti. Ita etiam habent Codd. *Varr. l. c.*

QUERCĔUS, a, um, adj. quernus. *Tac. A.* 1, 83. Ut super eas *(sellas)* querceae coronae statuerentur. Adde *Aurel. Vict. Epit.* 3. *f.*

QUERCĪCUS, a, um, adj. quernus. *Suet. Cal.* 19. Insignis quercica corona. *Lips.* malebat *quercina*. Alii rectius leg. *querneu*. [*V. *Oudend.*]

QUERCUS, us, f. δρῦς, arbor glandifera, procera, ramosa, annosa, crassi caudicis, ligni praeduri, et si aquis obruatur, firmissimi, corticis asperi. Haec ex *Plin.* 16, 6, 8. et *ib.* 40, 79. Habita est Jovi sacra, et in ejus tutela, ut est ap. *Phaedr.* 3, 17., ejusque fructus fuit primus priscorum mortalium cibus, qui nunc suum. *Paul.* ex *Festo:* Quercus dicitur, quod id genus arboris grave sit ac durum, tum etiam in ingentem evadat amplitudinem: querqueram enim gravem et magnam putant dici. *Virg. G.* 3, 332. Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus Ingentes tendat ramos. *Id. A.* 3, 680. quales cum vertice celso Aeriae quercus, aut coniferae cyparissi Constiterunt, silva alta Jovis, lucusve Dianae. *Cic. Leg.* 1, 1. et *Lucr.* 5, 937. Glandifera quercus. *Ov. Met.* 13, 798. saevior indomitis Galatea juvencis, Durior annosa quercu. *Virg. Ecl.* 6, 28. tum rigidas motare cacumina quercus. *Sen. Herc. Oet.* 1474. Quercus fatidica. V. DODONA. ℙ Synecdoche est in his: *Val. Fl.* 5, 65. Erginum fato vocat ipsa monenti Quercus, *h. e.* Argo navis e quercu. *Id.* 6, 243. impacta latus inter, et ilia quercu, *h. e.* hasta e quercu. *Sil.* 7, 190. quercu in cratera cavata, *h. e.* poculum. *Juven.* 14, 183. gratae post munus aristae Contingunt homines veteris fastidia quercus, *h. e.* quernae glandis. *Id.* 6, 386. Capitolina quercus, *h. e.* corona querna. V. CAPITOLINUS. Porro corona e quercu dabatur ei, qui caeso hoste civem servasset: unde et *civica* dicta est. V. CIVICUS. *Virg. A.* 6, 772. Atque umbrata gerunt civili tempora quercu. *Lucan.* 1, 357. Servati civis referentem praemia quercum. *Ov. Fast.* 4, 953. State Palatinae laurus, praetextaque quercu Stet domus. *Val. Max.* 2, 8. *f.* Ad quercum pronae manus porriguntur, ubi ob cives servatos corona danda est, qua postes Augustae domus sempiterna gloria triumphant. ℙ Reperitur et *quercus*, *i*. *Cic. fragm.* ap. *Prisc.* 6, 717. Ibi quercorum rami ad terram jacent. *Pall.* 4, 7. Cinis sarmenti, vel querci; et *ib.* 8. Pini, vel querci palos in foramen conjicies.

QUĔRĔLA, ae, f. μομφή, querimonia, conquestio: a *queror*, ut *tutela* a *tutor*. *Cic. Q. Fr.* 1, 2, 1. Intervenit nonnullorum querelis, quae apud me de illo ipso habebantur; et *ib.* 3, 8. Epistola plena stomachi et querelarum. *Id. Pis.* 1. Jamne vides, bellua, quae sit hominum querela frontis tuae? *h. e.* quid quid querantur de tua fronte, quae eos fefellit. *Id. Sen.* 3. Saepe interfui querelis meorum aequalium, quae deplorare solebant, etc. Alii leg. *quas*, alii *queis*. *Phaedr.* 1, 9. *extr.* Qui modo securus nostra irridebas mala, Simili querela fata deploras tua. *Virg. A.* 4, 360. Desine meque tuis incendere teque querelis. *Lucr.* 3, 968. Aufer ab hinc lacrumas, barde, et compesce querelas. *Ov. Fast.* 4, 83. tam longas sed supprime, Musa, querelas. *Id. Met.* 7, 711. siste tuas, ingrate, querelas. *Cic. Fam.* 10, 24. Vestrum illud divinum in rempublicam beneficium nonnullam habet querelam, *h. e.* habet aliquid, de quo homines queruntur. *Id. Sext.* 30. De tot tantisque injuriis consulum querela esse debuit, *h. e.* debuerunt consules queri. ℙ Dicitur saepe de querimonia, quae amice, et inter amicos fit. *Cic. Dejot.* 3. Cui sunt inauditae cum Dejotaro querelae tuae? nunquam tu illum accusavisti, ut hostem, sed ut amicum officio parum functum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1145, 8. Conjugi dulcissimo, cum quo advixit sine querela per annos viginti. Alia *ib.* 480, 5. Qui vixit sine ulla querela cum conjuge. *Appul.* quoque *Flor. n.* 14. querelam de jurgio inter conjuges dixit. Porro formula frequens est in lapidib. ad significandam concordiam conjugum, *cum qua vixit sine querela:* habeturque in omnib. Inscr. infra ex *Manut.* et *Cellario* citandis. ℙ Et de cantu nugatorio, quo nutrices infantibus somnum conciliant. *Stat. Th.* 5, 615. quoties tibi Lemnon, et Argo Sueta loqui, et longa somnum suadere querela? ℙ Tribuitur et brutorum quibusdam vocibus, quibus queri creduntur. *Virg. G.* 1, 378. Et veterem in limo ranae cecinere querelam, *h. e.* rege crudeli ab Jove iis dato, de quo *Phaedr.* 1, 2. narrat. *Id. A.* 8, 215. Discessu mugire boves, atque omne querelis Impleri nemus. *Mart.* 1, 54. Improba Cecropias offendit pica querelas, *h. e.* cantum Philomelae, quae fuit Atheniensis. *Plin.* 10, 34, 52. de columbis: Plenum querela guttur. *Lucr.* 4, 547. de cycnis: tollunt lugubri voce querelam. *Ov. Met.* 3, 239. de cervo: moestisque replet juga nota querelis. V. QUEROR. ℙ De cantu tibiae, qui vocibus querentium quodammodo similis est. *Lucr.* 4, 585. Chordarumque sonos fieri, dulcesque querelas, Tibia quas fundit digitis pulsata canentum. V. QUEROR. ℙ De labore ex morbo. *Sen. Q. N.* 3, 1. *extr.* Quaedam aquae pulmonis ac viscerum querelas levant. ℙ De querimonia, quae cum accusatione conjuncta est. *Just.* 1, 5. Cum per lasciviam contumaces flagellis cecidisset, a parentibus puerorum querela est regi delata. *Virg. A.* 10, 94. nunc sera querelis Haud justis assurgis, et irrita jurgia jactas. *Val. Fl.* 8, 158. Sed quid ego quemquam immeritis incuso querelis? et 6, 433. Increpat et saevis Vulcanum moesta querelis. *Lucan.* 2, 44. Effundunt justas in numina saeva querelas. ℙ Ap. JCtos *querela* dicitur expostulatio ad judicem facta de testamento inofficioso. *Ulp. Dig.* 5, 2, 1. Sciendum est, frequentes esse de inofficioso querelas; et *ib.* 6. *extr.* Querelam inofficiosi movere; et *ib.* 8. et *Paul. ib.* 21. instituere. *Id. ib.* 17. et *Ulp. ib.* 27. accusationem vocant. ℙ De quacumque controversia judiciali, in qua quis se damnum pati queritur. *Petr. Sat.* 15. Advocati flagitabant, uti apud se utraque deponerentur, et postero die judex querelam inspiceret. ℙ In laudata *Inscr.* ap. *Grut.* 480, 5. (V. supra.) et in aliis quindecim ap. *Fabr.* p. 256. legitur *querella*, itemque in aliquib. lib. *Phaedr.* et alibi. Probatur hoc a *Manut.* in *Orthogr.* allatis octo lapidibus, aliisque monum., idemque de *loquella* sentiendum putat. Dissentiunt *Dausq.* cum aliis, item *Cellar.*, qui totidem lapides e *Gruteri* opere affert simplicem *l* praeferentes. *Pier.* ad *A.* 4, 360. in usu esse ait *querela*, antiquos codd. variare. *Papin.* 2290. paulo recentiorem consuetudinem scribendi per duas *ll* testatur. [*De script. V. *A. Maium* ad *Cic. Rp.* 2, 25. *extr.* et cf. *Sen. de amic. fragm.* 1. p. 100. *ed. B. G. Niebuhrio. B. A.* Adde *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 414.]

[QUĔRĔLANS, antis, part. ab inus. *querelor:* idem ac querens. *Serv.* in *argum. ad Bucol.* Hinc est, quod, cum in prima Ecloga legimus eum recepisse agrum, postea eum querelantem invenimus. *F.*]

QUĔRĔBUNDUS, a, um, adj. μυρίοιτος, lamentabilis. *Cic. Sull.* 10. De supplicio P. Lentuli, de carcere, magna et queribunda voce dicebat. *Sil.* 13, 583. Curaeque, insidiaeque, atque hinc queribunda senectus. *Val. Fl.* 7, 126. totos lustrat queribunda penates.

QUĔRĪMŌNĬA, ae, f. idem quod querela. *Cic. Verr.* 2, 3, 57. *f.* Romae querimoniae de tuis injuris habebantur. *Nep. Att.* 17. Nulla unquam inter eos querimonia intercessit. *Liv.* 7, 9. Cum multae querimoniae ultro citroque jactatae essent. *Hor. A. P.* 75. Versibus impariter junctis querimonia primum, Post etiam inclusa est voci sententia compos. *Id. Od.* 3, 24, 33. Tristes querimoniae. *Id. ib.* 2, 20, 22. Absint inani funere neniae, Luctusque turpes, et querimoniae. *Colum. praef.* Querimonias mitigare. *Gell.* 1, 26. Querimonias, aut gemitus, ejulatusque facere. *Sen. Ben.* 2, 29. jacere in Deos. ℙ De querelis conjugum. *Hor. Od.* 1, 13, 19. nec malis Divulsus querimoniis Suprema citius solvet amor die. V. QUERELA.

QUĔRĪTOR, aris, dep. 1. frequent. a *queror*, saepe queror. *Plin. Pan.* 29. Perituraeque in horreis messes, nequicquam queritantibus sociis, auferuntur. *Paul. Nol. carm.* 10, 147. Quare gratandum magis est tibi, quam queritandum. Adde *Tac. A.* 16. 34., ubi alii aliter leg.

QUERNĔUS, et

QUERNUS, a, um, adj. δρύϊνος, δρυώδης, qui est e quercu, querceus, quercicus. *Cato R. R.* 5. Frondem populneam, ulmeam, querneam caedito. *Colum.*

7, 1. Ilignei, querneique frutices. *Virg. G.* 1, 305. quernas glandes tum stringere tempus. *Id. A.* 11, 65. feretrum Arbuteis texunt virgis, et vimine querno. *Ov. Fast.* 4, 333. querno religant a stipite funem. *Id. Trist.* 3, 1, 36. Augurium menti querna corona dabat.

QUĔROR, eris, estus sum, dep. 3. *μέμφομαι, μεμψιμοιρέω*, querelam habeo, expostulo, lamentor, conqueror. Proprie est voce aut verbis dolorem significare, remedii quaerendi gratia. *Cic. Verr.* 2, 1, 9. Nisi omni tempore abusus ero, querere, Deum atque hominum fidem implorabis. *Id. Fam.* 3, 10. *med.* Quererer tecum, atque expostularem, ni, etc. *Liv.* 35, 8. Consul questus est cum patribus conscriptis, quod non esset habitus Diis immortalibus honos. *Cic. Fl.* 24. At queritur: impudenter facit. Non enim omnia, quae dolemus, eadem jure queri possumus. *Caes. B. G.* 1, 39. Suum fatum querebantur. *Pl. As.* 3, 2, 12. Ego meas queror fortunas; et *Ov. Met.* 15, 493. neque enim fortuna querenda Sola tua est. *Cic. Att.* 5, 8. Milo queritur per litteras injuriam meam. *Stat. Silv.* 4, 8, 32. Sed queror haud faciles, juvenum rarissime, questus. *Cic. Fam.* 1, 4. et *Caes. B. G.* 4, 8. Queri de injuriis alicujus. *Cic. Att.* 9, 17. Queritur de Milone per vim expulso. *Id. Acad.* 4, 25. *f.* Neque tam quereretur cum Deo, quod parum longe, quam quod falsum videret. *Hor. Ep.* 2, 2, 24. quereris super hoc etiam, quod Exspectata tibi non mittam carmina mendax. *Nep. Chabr.* 3. Legatos miserunt Athenas questum, quod, etc. *Pl. Ps.* 1, 3, 79. Quod nunc lamentare, non esse argentum tibi, apud novercam querere; et *Cas.* 2, 1, 14. Nunc hinc meas fortunas eo questum ad vicinas. *Vell.* 2, 130. Apud aures Deorum de his queri. *Stat. Th.* 11, 495. dejectam in lumina pallam Diva trahit, magnoque fugit questura Tonanti. Adde *Plin. ep.* 3, 4. *Juven.* 2, 131. Nec quereris patri. *Ov. Fast.* 5, 233. Ibat, ut Oceano quereretur facta mariti. (Adde *Stat. Th.* 12, 215.) *Albinov.* 2, 375. Regna Deae immittis parce irritare querendo. ℙ Cum inf. *Cic. Tusc.* 5, 5. *f.* Virtutes autem noli vereri, ne expostulent, et querentur se relictas esse; et *ib.* 3, 28. *med.* Querebatur se tum, cum illa videre coepisset, exstingui; et *Att.* 13, 2. Queritur, a discipulis abesse tamdiu. *Sen. Med.* 623. Portubus lentis retinet carinas stare querentes. ℙ Tribuitur et brutis. *Ov. Met.* 14, 100. de simiis: Posse queri tantum rauco stridore reliquit. *Virg. A.* 4, 463. Solaque culminibus ferali carmine bubo Visa queri, et longas in fletum ducere voces. *Hor. Epod* 2, 26. Queruntur in silvisaves. V. QUERELA. ℙ De lyrae, aut tibiae sono. *Ov. Met.* 11, 52. Flebile nescio queritur lyra. V. QUERELA.

QUERQUEDŬLA, ae, f. avis altilis, tum in terra, tum in aqua vivens, ut anates. [*Fortasse avis, quam nos dicimus *Kriechente*.] *Varr. R. R.* 3, 3. et 11. et *Colum.* 8, 15. Dicta est a Graeco *κερκερίς*, ut *Varr.* docet *L. L.* 4, 13., vel a *κερκεθαλλίς*, ut *Voss.* et *Jos. Scal.* mallent. Alii ducunt a *querquerus*, tremorem incutiens, gelidus, quia gelido et hiberno tempore maxime apparet. Quidam putant eandem esse ac ardeam: alii ac erodium. *Varr.* (fortasse *Atacin.*) ap. *Non.* 2, 172. Aut frigidos imbres aquae caduciter ruentis Praeinnuerint aquatiles querquedulae natantes. V. QUASSATIPENNAS.

QUERQUĔRUS et Quercerus, a, um, adj. *Querquera febris* est frigida, et cum horrore tremens, teste *Aurelio Opilio* ap. *Fest*, duciturque a *Santra ib* ex Graeco, quia *κάρκαρον* Graeci tremorem febrilem vocant. A quo etiam *carcer* dictus videtur. Unde *καρκαίρω*, vibro, tremo, mico. Alii *querqueram febrem*, gravem et magnam dici volunt: a *quercus*, quia haec arbor et gravis est ac dura, et in ingentem evadit altitudinem. Sed prior notatio aptior videtur. *Luci'.* ap. *Fest.* Jactans me, ut febris querquera. *Id. ib* Querquera consequitur febris, capitisque dolores. *Plaut. fragm. ib.* et ap. *Prisc.* 6, 719. Is mihi erat bilis, aqua intercus, tussis, febris querquera. *Gell.* 20, 1. *med.* Aegrotatio gravis cum febri rapida et quercera. ℙ *Querquerum* absolute est febris querquera. *Appul. Apol.* Posse dicitis ad res Venereas sumpta de mari spuria et fascina, propter nominum similitudinem: qui minus possit ex eodem litore calculus ad vesicam, testa ad testamentum, cancer ad ulcera, alga ad querquerum. Alii leg. *querqueram*, h. e. febrim: qua ratione *Arnob.* 1, 28. Christus scitur vitiligines, querqueras, atque intercutes morbos, omniaque alia valetudinum genera sanare. Porro *Appul.* ludit in *alga* et *querquero*, quia *alga* cum *algeo* similitudinem habet, et querquera febris algorem inducit.

QUERQUĔTŬLĀNUS, a, um, adj. ad querquetum, seu quercetum pertinens. *Festus:* Querquetulanae virae putantur significari Nymphae praesidentes querqueto virescenti: quod genus silvae indicant fuisse intra portam, quae ab eo dicta sit Querquetularia. Sed feminas antiqui, quas nunc dicimus, viras appellabant: unde adhuc permanent virgines et viragines. Haec *Festus*. V. LARISCOLUS. ℙ *Querquetulanum sacellum* ap. *Varr. L. L.* 4, 8. videtur earum Nympharum fuisse. ℙ *Querquetulana porta* fuit Romae antiquitus inter Coelium, et Esquilinum colles, de qua mentio est ap. *Plin.* 16, 10, 15. Item a *Festo l. c.* in *pr.*, ubi fortasse perperam *Querquetularia* dicitur. ℙ Coelius mons olim Querquetulanus cognomento fuit, quod talis silvae frequens fecundusque esset, ut ait *Tac. A.* 4, 65. ℙ *Querquetulani, orum, Κερκετουλανοὶ*, populi in Latio ap. *Plin.* 3, 5, 9., fortasse inde nomen habuere, quod querquetum incolerent.

QUERQUĔTŬLĀRIUS. V. v. praec.

QUERQUĔTUM. V. QUERCETUM.

*QUERULOSUS, a, um, adj. queribundus. *Vulg. Epist. Jud.* v. 16. Murmuratores querulosi. *B. A.*

QUĔRŬLUS, a, um, adj. *μεμψίμοιρος*, qui saepe queritur, querelarum plenus, queribundus. Vox est plerumque poetica. *Plin. ep.* 9, 15. Tam multis undique rusticorum libellis, et tam querulis inquietor. *Curt.* 5, 5. Calamitas querula est. *Prop.* 3, 1, 18. Rettulit et querulo jurgia nostra sono. *Ov. Pont* 4, 9, 21. Nec querulus, turba quamvis elideret, essem. *Oor. A. P.* 173. de sene: Difficilis, querulus, laudator temporis acti. *Ov. Trist.* 3, 8, 32. Et nunquam queruli causa doloris abest. *Id. Her.* 5, 73. Implevique sacram querulis ululatibus Iden. *Id. A. Am.* 2, 308. Querula vox. *Mart.* 12, 75. Queruli fastus. ℙ Poetis est canorus, stridulus, resonans. *Virg. G.* 3, 328. Et cantu querulae rumpent arbusta cicadae. *Hor. Od.* 3, 7, 30. Querula tibia. *Prop.* 4, 3, 20. Et struxit querulas rauca per ossa tubas. *Ov. Am.* 2, 4, 27. querulas agili percurrit pollice chordas. *Id. Fast.* 6, 642. querulas impulit aura fores. *Petr. Sat.* 131. de amni: et querulo versabat rore lapillos. ℙ Tribuitur et quorundam animalium vocibus, ut de *Querela* (V. QUERELA.), et *Queror* (V. QUEROR.) dictum est. *Mart.* 7, 31. Et fetum querulae rudem capellae. *Ov. Met. fac.* 77. querulus volucrum nidus. *Sen. Thyest.* 728. Cervice caesa, truncus in pronum ruit: Querulum cucurrit murmure incerto caput. *Petr. Sat.* 133. Querulae suis fetus.

QUES pro qui, in recto plurali dixere antiqui (a recto *quis*) *Festo* teste. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *extr.* Decem coclites, ques montibu' summis Riphaeis fodere. *Pacuv.* ap. *Charis.* 1, 70. et ap. *Prisc.* 13. p. 960. Ques sunt isti ignoti? nescio ques ignobiles. *Cato* ap. *Serv.* ad *A.* 1, 99. Si ques sunt populi. ℙ Ab hoc sunt dativi *queis*, et *quibus*. *Virg. ib.* Queis ante ora patrum Trojae sub moenibus altis Contigit oppetere. *Id. G.* 1, 21. Diique Deaeque omnes, studium quibus arva tueri. ℙ Pro *queis* scribitur etiam *quis* producta *i*, et facta synaeresi. *Plin.* 12, 1, 2. Mille sunt usus arborum, sine quis vita degi non possit.

QUESCUMQUĔ, quicumque, in plur. num. a *ques. Cato* ap. *Charis.* 1, 70. et *Prisc.* 13, 960. Quescumque Romae regnavissent.

QUESDAM, quidam, in plur. num. a *ques. Accius* ap. *Prisc.* 13, 960.

QUESTUS, a, um, part. a *queror:* lamentatus, conquestus. *Ov. Met.* 10, 76. Esse Deos Erebi crudeles questus, etc. *Val. Fl.* 3, 328. thalamis modo questa morari.

QUESTUS, us, m. *μέμψις*, lamentatio, querela: a *queror. Cic. Quint.* 30. *extr.* Qui questus, qui moeror dignus inveniri in calamitate tanta potest? *Tac. A.* 3, 36. Exin promptum, quod multorum intimis questibus tegebatur. *Virg. A.* 9, 480. coelum questibus implet. *Catull.* 64, 170. Fors etiam nostris invidit questubus aures. *Val. Fl.* 2, 402. tali compellat Iasona questu. *Id.* 4, 117. tales evolvit pectore questus. *Ov. Met.* 9, 370. tales effundit in aera questus. *Sil.* 16, 438. lacrimae simul, et questus ad sidera fusi. *Tac. A.* 1, 11. In questus, lacrimas, vota effundi. *Val. Fl.* 7, 311. questu Superos, questuque fatigat Tartara; et 3, 639. magnoque implorat numina questu. *Phaedr.* 1, 9. Questu vano clamitare. *Sen. Herc. Oet.* 1965. Quaestibus parcere. *Id. ib.* 1837. Sedare questus; et *ib.* 176. comprimere; et *Phoen.* 387. flebiles ciere. ℙ Querela accusationi mixta. *Val. Fl.* 5, 624. questuque Jovem testatur acerbo; et 1, 112. quos talibus amens Insequitur, solitosque novat Saturnia questus. ℙ Tribuitur et brutis animalibus, ut *querela*, et *queror. Virg. G.* 4, 515. de philomela: moestis late loca questibus implet.

Q U I

QUI, quae, quod, ὅς, ἥ, ὅ, pronomen relativum, notans rem aut personam paulo ante memoratam. Ejus obliqui casus sunt gen. *cujus*, dat. *cui*, accus. *quem, quam, quod*, abl. *quo, qua, quo.* In plurali nom. habet *qui*, et *quae* tam fem. quam neutrum: gen. est *quorum* masc. et neutr. et *quarum* fem.: dat. et abl. *quibus*, et *queis:* accus. *quos, quas, quae.* Haec singula firmare exemplis, supervacaneum est, cum passim occurrant. ℙ In ablativo sing. pro *quo, qua*, adhibetur et *qui*, etiam addita *cum* praep. *Virg. A.* 11, 822. Accam ex aequalibus unam, Quicum partiri curas. *Pier.* monet, in antiquis plerisque exemplarib. *quacum* legi. *Ter. Eun.* 4, 6, 21. Quicum res tibi est, peregrinus est. *Pl. Amph.* 1, 1, 104. Patera, qui Pterela potitare rex solitus est. ℙ Dicimus tamen etiam *quocum. Ter. Phorm.* 1, 3, 19. Si tibi res sit cum eo lenone, quocum mihi est. *Id. Eun.* 3, 5, 26. Essem una, quacum cupiebam. ℙ Cum *quo*, et *qua* praepositio interdum praeponitur. *Liv.* 4, 5 *extr.* Cum quibus nec in re publica honorum, nec in privata connubii societas est. *Id* 7, 33. *med.* Et cum quo forte contulit gradum, obtruncat. Adde 4, 24. V. CUM praep. ℙ *Quicum* pro quibuscum, *Pl. Capt.* 5, 4, 5. Patriciis pueris aut monedulae, aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent. [**Lindem.* ad h. l. laud. *Aul.* 3, 5, 28.] ℙ *Ex quo*, ex quo tempore. *Juven.* 10, 77. ex quo suffragia nulli Vendimus. Adde 1, 81. ℙ *Cui* a poetis vel monosyllabum producitur, vel disyllabum utraque correpta adhibetur. Produxit secundam *Paul. Not. carm.* 35, 347. Fas etenim, ut Judaea, cui suus hostia Christus. ℙ *Quoius*, et *quoi* pro *cujus*, *cui*, V. s. l. ℙ *Queis*, et *quibus*, V. in QUES. ℙ Cum in oratione ponuntur duo substantiva diversi generis, relativum saepe concordat cum sequenti, quod est in oratione praecipuum. *Sall. Cat.* 58. Est locus in carcere, quod Tullianum appellatur. *Jd. Jug.* 21. Numidae possidere ea loca, quae proxume Carthaginem Numidia appellatur. *Cic. Brut.* 33. *f.* Exstat ejus peroratio, qui epilogus dicitur. *Id. Pis.* 24. Justa gloria, qui est fructus virtutis honestissimus. *Id. Sext.* 42. Domicilia conjuncta, quas urbes dicimus. *Liv.* 4, 59. Anxur fuit, quae nunc Terracinae sunt. *Colum.* 12, 21. Genus poculi ejus, quae est quarta pars cyathi. Adde *Cic. N. D.* 3, 11., *Pis.* 39., *Somn. Scip.* 3., *Fat.* 1. *Fam.* 13, 1. *f.* et *Plin.* 2, 16, 13. *f.*, item quae multa ex *Livio* congessit *Drak.* ad 32, 30. et quae ex aliis *Rhodius* in *Indice Scribon. v.* Quod vocant. Etiam apud Graecos hic loquendi modus invenitur. *Athenaeus* 14, 21. *f. Πειθωῦνος μέρος, ἣν πέρυσιν καλοῦσι. Gretserus* etiam *Luciani*, et *Platonis* similia loca affert. ℙ Saepe etiam concordat cum praecedenti. *Varr. R. R.* 2, 9. *med.* Imponuntur his collaria, quae vocantur maelium. *Liv.* 8, 23. Quod coloniam in Samnitium agro imposuerit, quam coloni eorum Fregellas appellent. *Colum.* 11, 3. *f.* Semina omnia succo herbae, quae sedum appellatur, medicare. *Plin.* 12, 25, 54. Succus manat, quem opobalsamum vocant. *Id.* 18, 28, 68. *n.* 3. Sidere illo, quod Caniculam appellavimus. ℙ Nonnunquam cum voce, quae subintelligitur. *Cil. Mil.* 4. Si tempus est ullum jure hominis necandi, quae multa sunt, *h. e.* quae tempora. *Varr. R. R.* 2, 6. de asinis: Horum genera duo: unum ferum, quos vocant onagros, *h. e.* quos asinos. *Sall. Cat.* 18. Sed antea item conjuravere pauci contra rempubl., in quibus Catilina: de qua quam verissume potero, dicam, *h. e.* de qua conjuratione, ut monet etiam *Diomed.* 2, 440., et anaphoram vocat. Alii leg. *de quo:* alii *de qua re. Id. ib.* 59. Interea servitia repudiabat, cujus initio ad eum magnae copiae concurrebant, *h. e.* cujus servitii, vel cujus generis hominum, vel cujus rei. *Colum. Arb* 29. Arundo seritur, quos alii bulbos, alii oculos vocant, *h. e.* iis, quos. *Plin.* 11, 37, 77. Quae praecordia appellant, quia cordi praetenditur: quod Graeci appellaverunt *φρένας. Enn.* ap. *Prisc.* 6, 712. Arcus ubi adspicitur, mortalibu' quae perhibetur, *h. e.* Iris: de ea enim sermo est. *Varr. R. R.* 3, 5. Dicam de hoc ornithone, quod fructus causa faciunt, *h. e.* aviarium: id enim *ornithon* significat. ℙ Interdum refertur non ad verba praecedentia, sed ad sensum verborum. *Varr. R. R.* 1, 1. *f.* Hoc libro circumcisis rebus, quae non arbitror pertinere ad agriculturam; et *ib.* 2, 1. Cum viverent homines ex iis rebus, quae inviolata ultro ferret terra. *Sall. Jug.* 45. Abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt. *Cic. Fam.* 2, 8. Cum Pompejo nullis in aliis, nisi de republica, sermonibus versatus sum: quae nec possunt scribi, nec scribenda sunt. *Hirt. B. Afr.* 78. *med.* Caesar alteram alam mittit, qui satagentibus occurrerent. *Cic. Sen.* 3. Querelis, quae homines deplorare solebant. *Id. Fam.* 16, 4. Illud, mi Tiro, te rogo, sumptui ne parcas ulla in re, quod ad valetudinem opus sit; et *Ter. Eun.* 2, 3, 10. Ut illum Dii Deaeque senium perdant, qui me hodie remoratus est. Ubi *Donat.* Nec mireris post *senium* additum *qui*, ideo quia declinationem ad intellectum retulit, ut alibi (*Eun. prol.* 32.) *in Eunuchum suam.* Adde *Liv.* 32, 29. ℙ *Qui* cum initio ponitur, est ille, qui, [**derjenige, welcher*,] ὅ, ὅστις. *Phaedr.* 1, 8. Qui pretium meriti ab improbis desiderat. *Cels.* 1, 8. Stomachum infirmum indicant pallor, macies, etc. quae in quo non sunt, is firmi stomachi est. *Cic. Rosc. Com.* 15. *f.* Quod si facit, qua impudentia est, eumne testem improbabit, quem, etc.? et *Dom.* 32. Pater tuus si viveret, qua severitate fuit, tu profecto non viveres; et *Ov. Pont.* 2, 2, 21. Quaeque tua est pietas in totum nomen Iuli, Te laedi, cum quis laeditur inde, putas. *Id. Her.* 17, 29. Quae tua nequitia est, non his contenta fuisset. *Id. Met.* 5, 373. Et tamen in coelo (quae jam patientia nostra est) Spernimur. *Quint. decl* 9, 21. Hoc si scisses, pater, cujus pietatis es, nemo te antecessisset. ℙ Cum particula *ne* interrogationis. *Pl. Mil.* 1, 1, 9. *Mil.* Sed ubi Artotrogus? *Art.* hic est: stat propter virum fortem, etc. *Mil.* quemne ego servavi in campis Gurgustidoniis? *h. e.* an ille, quem, etc.? *Ter. Andr.* 4, 4, 29. Quemne ego heri vidi ad vos adferri vesperi? [*V. *Ruhnk.*] *Pl. Rud.* 1, 5, 13. Ad hoc fanum ad istunc modum

non veniri solet. *Pa.* quaene ejectae e mari sumus ambae, obsecro, unde nos hostias agere voluisti huc? *h. e.* an nos, quae ejectae, etc. *Id. Truc.* 2, 6, 52. Poenitet te, quot ancillae sunt jam? quine etiam superadducas, quae mihi comedint cibum? *h. e.* tune ille, qui, etc.? *Hor. Sat.* 1, 10, 21. o seri studiorum! quine putetis Difficile et mirum, Rhodio quod Pitholeonti Contigit, *h. e.* an vos estis illi, qui putatis, etc.? [*V. *Heindf.*] Adde *Catull.* 64, 180. et 183; [*ubi v. *Muretum.*] ℙ Et omisso *ne. Pl. Mil.* 4, 1, 25. Cupio hercle equidem, si illa vult. *Pa.* quae cupit? *h. e.* dubitas an illa velit, quae maxime cupit? [**Both.* emendavit *quin cupit:* quod maxime sibi arridere non diffitetur *Lindem.* Ceterum hanc dicendi formulam exemplis illustrat *Scioppius susp. lectt.* 5, 7.] ℙ *Qui* ut qui, utpote qui. *Cic. Att.* 5, 9. Actio maluimus iter facere pedibus, qui incommodissime navigassemus. *Id. Quint.* 3. C. Quintius sane ceterarum rerum paterfamilias et prudens et attentus, una in re paulo minus consideratus, qui societatem cum Sex. Naevio fecerit. *Virg. A.* 11, 218. Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro, Qui regnum Italiae, et primos sibi poscat honores. *Pl. Mil.* 1, 1, 66. Itane ajebat tandem? *Ar.* quae me ambae obsecraverint, ut te hodie quasi pompam illac praeterducerem? *Id. Bacch.* 1, 1, 58. Sumne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo? ℙ Sequente indic. *Cic. Att.* 5, 20. Ephesum ut venerim, nosti, qui etiam mihi gratulatus es illius diei celebritatem. *Ter. Ph.* 3, 1, 7. Nos jam dudum hic te absentem incusamus, qui abieris. ℙ Pro *quis*, aut *qualis. Cic. Mur.* 15. Si diligenter, quid Mithridates potuerit, et qui vir fuerit, considerabis. *Id. Div.* 1, 25. Xenophon Socraticus, qui vir, et quantus! *Phaedr.* 1, 13. O qui tuarum, corve, pennarum est nitor! *Varr. R. R.* 1, 69. Quem qui esset, animadvertere in turba non potuit. *Virg. A.* 9, 723. qui casus agat res. *Pl. Amph.* 1, 1, 1. Qui me alter est audacior homo, aut qui me confidentior? *Id. ib.* 2, 2, 6. et *Ter. Ad.* 5, 6, 3. O qui vocare? *Ge.* Geta. *Phaedr.* 5, 7. Is forte ludis (non satis memini quibus) concidit casu gravi. *Ter. Andr.* 5, 2, 14. Nescio qui senex modo venit. *Cic. Dom.* 28. Adventus meus in urbem qui fuit? *Id. Att.* 6, 3. *med.* Illum eum futurum esse puto, qui esse debet. V. alia in QUIS. ℙ Sunt qui putant *quis* ad substantiam referri, *qui* ad qualitatem: ex illo *Ter. Eun.* 5, 1, 7. *Th.* Quis fuit igitur? *Pyth.* iste Chaerea. *Th.* Qui Chaerea? *Pyth.* ille ephebus, etc. Hoc tamen non semper servatur. ℙ Jungitur cum primis et secundis personis. *Pl. Amph.* 1, 1, 217. Tun' te audeas Sosiam esse dicere, qui ego sum? *Id. Epid.* 3, 1, 8. Quid illum ferre vis? qui, tibi cui divitiae domi maximae sunt, is nummum nullum habes. ℙ Interdum postponitur uni aut alteri verbo. *Cic. Verr.* 2, 2, 16. Cum diceret, jus esse certum Siculis, inter se quo jure certarent; et *ib.* 2, 3, 81. Multos saepe viros bonos cum aratoribus frumentum, in cellam quod sumi oporteret, aestimasse. ℙ Contra quibusdam praepositionibus praeponi solet. *Cic. Vat.* 7. Leges, quas contra praeter te nemo unquam est facere conatus. *Id. Coel.* 22. Quem propter. *Id. Verr.* 2, 4, 48. Quo in summo. ℙ *Qui* pro *quae. Pl. As.* 3, 1, 2. An ita tu es animata, ut qui expers matris imperii sies? ℙ Pro *quanti*, quod est genitivus pretii. *Pl. Pers.* 4, 4, 41. Indica, minimo daturus qui sis, qui duci queat; et *ib.* 109. Qui datur, tanti indica. *Id. fr.* ap. *Fest.* in *Sub corona*, et *Men.* 3, 3, 25. Praeco ibi adsit cum corona, quique liceat, veneat. ℙ [**Qui* in imprecandi formula simpliciter etiam pro *ut* poni, multi loci ap. *Plaut.* argumento sunt. Ita *Trin.* 4, 2, 78. Qui istum dii perdant! *Cas.* 2, 4, 1. Qui illum dii omnes deaeque perdant. *Men.* 5, 5, 31. Qui te Juppiter, diique omnes, percontator, perduint: ubi v. *Gronov. Ter. Ph.* 1, 2, 73. qui illum dii omnes perdûint: ubi *Donatus: qui* utinam est, ut *Lucil.* in *secundo: Qui* te, Momentane, malum jam cetera perdat. Imitatus est *Cic. Att.* 4, 7. De Apollonio quod scribis, qui illi Dii irati, etc. V. *Par. Lex. Plaut.* h. v., ubi tamen multi loci citati sunt, qui nihil demonstrant.] Fortasse non absurde ellipsin quis esse putet, ut scilicet commotus ira incipiat quidem recta constructione *qui*, sed praepediente affectu abrumpat sermonem, subjiciatque quod ira suggerit, exsecrationem et diras. ℙ [*Confund. *qui* et *quia.* V. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 223. *b. Brem.* ad *Suet. Aug.* 13. *qui* et *quid. Id. ib. Cal.* 34. *qui* et *que. Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 156. *a. qui* et *quod. Id.* ad *Off.* 2. p. 116. 397. *qui, quis* et *quid. Id. ib.* 325. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 379, *Wund. varr. lectt. praef.* 75. *qui* et *quoniam. Id. ib.* p. 96. sq. et 99.]

QUI, ablativus omnis generis, interdum ponitur pro *qua re*, vel *ut. Nep. Att.* 3. In tanta paupertate decessit, ut qui efferretur, vix reliquerit. *Pl. Aul.* 2, 4, 30. Censen' talentum magnum exorari potesse ab istoc sene, ut det qui fiamus liberi? *Id. Ps.* 1, 1, 86. *Ca.* Restim volo mihi emere. *Ps.* quamobrem? *Ca.* qui me faciam pensilem. *Id. Rud. prol.* 9. Juppiter nos pergentes alium alia disparat, hominum qui facta, mores noscamus. ℙ Etiam praecedente plurali num. *Pl. Aul.* 3, 5, 26. Mihi aequum est purpuram atque aurum dari, ancillas, pedissequos, vehicula, qui vehar. *Ter. Andr.* 3, 2, 31. Multa concurrunt simul, qui conjecturam hanc nunc facio. ℙ Saepe est quomodo? qua ratione? πῶς; *Cic. N. D.* 1, 10. *f.* Deum, nisi sempiternum, intelligere qui possumus? et *ib.* 30. *med.* Qui potest esse in ejusmodi trunco sapientia? *Id. Fin.* 2, 4. Qui fit, ut ego nesciam, sciant omnes? *Ter. Andr.* 1, 1, 123. Ne haec quidem satis vehemens causa ad objurgandum. *So.* qui, cedo? *Pl. Merc.* 2, 3, 60. *De.* Vidi: verum non ex usu nostro est. *Ch.* qui vero? *De.* quia, etc. *Pers.* 1, 56. Qui pote? *h. e.* quomodo fieri potest? ℙ Et sine interrogatione. *Pl. Amph.* 2, 2, 133. Ni mis demiror, qui illaec, illic me donatum esse patera sciat. *Ter. Andr.* 2, 1, 34. Invenite, efficite, qui detur tibi: ego id agam mihi qui ne detur. ℙ Est etiam cur? quare? *Id. ib.* 5, 4, 50. *Pam.* Davo istuc dedam negotii. *Si.* non potest. *Pam.* qui? *Si.* quia habet aliud, etc. *Pl. Bacch.* 5, 2, 45. qui non? ℙ *Qui dum?* quare? cur igitur? *Ter. Eun.* 2, 2, 41. *Gna.* Numquidnam hic, quod nolis, vides? *Par.* te. *Gna.* credo: at num quid aliud? *Par.* qui dum? *Gna.* quia tristis es. Adde *Hec.* 3, 1, 39. et *Pl. Men.* 3, 1, 51. etc. ℙ Pro unde. *Ter. Hec.* 2, 3, 6. Nec, qui hoc mihi eveniat, scio. *Id. Andr.* 3, 2, 21. Qui istaec tibi incidit suspicio? [*Ducunt hunc ablat. a pronomine relat. *qui Zumpt. Gr. Lat.* §. 35. p. 123. et *Ramsh. Gr. Lat.* §. 159. 2. *n.* 3. p. 571. *Cort.* vero ad *Sall. Cat.* 51, 24. nominat. *quis* esse dicit, quam rationem etiam *Jahn.* ad *Virg. A.* 11, 822. sequitur, hanc interrogativi formam usu censens etiam ad relativum esse translatam. Quod nobis cum *Kritz.*, cujus verba ad *Sall. l. l.* prolata sequimur, haud sane improbabile videtur. ℙ Conf. *qui* cum *quis* et *quid. Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 32.]

QUIA, ἐπειδή, ὅτι, ob eam causam, et de causa, quod: conjunctio causalis. *Cic. Verr.* 2, 4, 53. *f.* Urbs, quae quia postrema aedificata est, Neapolis nominatur. *Id. Tusc.* 5, 33. Voluptatem ipsam per se, quia voluptas sit, optandam putat. *Id. Fam.* 13, 70. Quia non est obscura tua in me benevolentia, sic fit, ut, etc. *Ter. Heaut.* 3, 1, 99. An eo fit, quia in re nostra aut gaudio sumus praepediti nimio, aut aegritudine? *Id. Hec.* 2, 1, 21. Ideo, quia, ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris. *Pl. Truc.* 2, 2, 34. Quia fores nostras ausa es accedere, quiaque istas buccas, etc. ℙ Pleonasmus est ap. *Pl. Amph.* 2, 2, 34. Qui tibi nunc istuc in mentem venit? *So.* quia enim sero advenimus. Adde *Capt.* 4, 2, 104. et *Ter. Heaut.* 1, 2, 14. ℙ *Quia nam*, et *quianam* pro quare? et cur? Positum apud antiquos, ut Naevium in carmine Punici belli: Summe Deum regnator, quianam genuisti? Et in satyra: quianam Saturnium populum pepulisti? Et Ennius in libro septimo: quianam dictis nostris sententia flexa est? Haec *Festus.* Rursus ap. *Serv.* ad *Virg. A.* 10, 6. quianam legiones caedimus ferro? *Pl. Truc.* 1, 2, 34. Nimis otiosum arbitror hominem esse te. *Di.* quianam arbitrare? *Virg. l. c.* Coelicolae magni quianam sententia vobis Versa retro? Adde *ib.* 5, 13. et V. OLLUS. ℙ *Quiane?* an quia? *Pl. Pers.* 5, 2, 69. *Do.* tu nunc me irrides? *Le.* quiane te voco, bene ut tibi sit? *Virg. A.* 4, 538. quiane auxilio juvat ante levatos? Adde *Stat. Th.* 10, 592. ℙ *Quia* pro *quod*, vel loco infinitivi, quod sequi debebat. *Pl. Cist.* 1, 1, 103. Mater irata est mihi, quia non redierim domum. *Pall.* 3, 13. *f.* Hoc autem noveris, quia palmes, quod extra ligaturam pendens habuerit fructu induet. ℙ Secundam syllabam in *quia* corripuit semper *Virg.*, at produxerunt *Phaedr.* 1, 5. Ego primam tollo, nominor quia leo; et *Auson. Professs.* 8, 7. Sed quia nostro docuere in aevo. *Terentian.* vero ex pravo suorum temporum more vocem hanc unica syllaba pronunciat, seu in unam contrahit, p. 2405. Quia mutas ita conjungi natura recusat; et p. 2409. Nec modo quia verbo finem facit unde, putato Sic cecidisse, etc. et alibi saepissime. ℙ [*Conf. *quia* et *quod. Spalding.* ad *Quint.* 2. p. 261. 319. *crit.* 626. *crit. qui* et *quin. Beier.* ad *Cic. Fragm.* 11. *b.*]

QUIANAM? V. v. praec.

QUIANE? V. v. praec.

QUICQUAM. V. QUISQUAM.

QUICQUE. V. QUISQUE.

QUICQUID. V. QUISQUIS.

QUICUM. V. QUI pronomen.

QUICUMQUE, quaecumque, quodcumque, ὅστις ἄν, quisquis, quivis, omnis qui. *Cic. Fam.* 10, 31. *med.* Quicumque is est, ei me profiteor inimicum. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. Quoscumque de te queri audivi, quacumque potui ratione placavi. *Id. Or.* 2, 11. Non omnia quaecumque loquimur, ad artem sunt revocanda. *Caes. B. G.* 1, 31. *f.* Fortunam, quaecumque accidat, experiantur. *Val. Fl.* 3, 684. queiscumque virum perquirere silvis. *Nep. Dat.* 10. Ut quodcumque vellet, liceret impune facere. *Prop.* 1, 8, 34. Et quocumque modo maluit esse mea. ℙ Quantuscumque. *Pompej. ad Marcell. et Lentul. post ep.* 12. *l.* 8. *ad Att.* Ut quodcumque militum contrahere poteritis, contrahatis. *Phaedr.* 5, 6. Eja, in commune, quodcumque est lucri. ℙ *Quodcumque* interdum augendi gratia ponitur, et magnum aliquid notat. *Prop.* 4, 1, 1. Hoc quodcumque vides, hospes, qua maxima Roma est, Ante Phrygem Aeneam collis et herba fuit. *Virg. A.* 1, 82 Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra Jovemque Concilias: (*Servius* minuendi causa dictum putat.) *Stat. Th.* 11, 80. Nec pretium deforme morae, cassique labores: Hoc quodcumque madent campi, quod sanguine fumant Stagna, quod innumero Lethaea examine gaudet Ripa, meae vires, mea laeta insignia. ℙ Qualiscumque. *Cic. Or.* 30. Easque nos primi, quicumque eramus, et quantulumcumque dicebamus, ad hujus generis studia convertimus. *Id. Rab. Post.* 8. Quaecumque mens illa fuit, Gabinii fuit. *Liv.* 45, 23. Qui de quacumque causa tum aspernati nostra auxilia estis. Similiter locutus est *Plin.* 8, 32, 50. ℙ Saepe, interjecto verbo, dividitur. *Ter. Andr.* 1, 1, 35. Facile omnes perferre, cum quibus erat cumque una. *Id. ib.* 1, 5, 28. Quae meo cumque animo lubitum est facere. *Cic. Or.* 3, 16. Quam se cumque in partem dedisset. *Id. Fin.* 4, 25. *med.* Quod erit cumque visum, ages. (Adde *Div.* 2, 2. *f.*) *Pl. Pers.* 2, 2, 28. Cui male dico? *So.* cui pol cumque occasio est. *Virg. A.* 12, 61. Qui te cumque manent isto certamine casus. *Lucr.* 4, 868. Humor item discedit in omnia quae loca cumque Poscunt humorem. Adde *Mart.* 2, 61., *Gell. praef. in.* etc. *Lucr.* interdum plures voces interjicit, ut 2, 404. At contra quae amara atque aspera cumque videntur, Haec magis hamatis inter se nexa teneri; et 5, 1130. Invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant Plerumque, et quae sunt aliis magis edita cumque. ℙ *Cuicumque* quadrisyllabum. *Sen. Troad.* 851. Quolibet tristis miseras procella Mittat et donet cuicumque terrae. ℙ *Quicumque* absolute pro omnis. *Cic. Fam.* 2, 19. *extr.* Quamobrem, quaecumque a me ornamenta in te proficiscentur, ut omnes intelligant, a me habitam esse rationem tuae dignitatis. *Id. Cat.* 2, 5. *f.* Quae sanari poterunt, quacumque ratione sanabo. *Id. Att.* 12, 29. Si quid erit, magnum est adjumentum; sin minus, quacumque ratione contendamus. Haec *Manut.* ad *Fam.* 2. *f.*, quibus addit *Or.* 1, 2., *Att.* 3, 21. et *Tusc.* 1. et *Virg. A.* 3. non indicato versu: quae tamen vereor ut nos cogant, ut a prima hujus vocis significatione discedamus, cum facile sit in omnibus verbum *possum*, aut aliud simile per ellipsin subintelligere.

QUID, τὶ, et τί; neutrum pronominis *quis*, naturam rei fere significans. *Cic. Att.* 11, 21. Ad ea, quae scribis de testamento, videbis, quid, et quo modo. *Cic. Verr.* 1, 10. Quid est, quaeso, Metelle, judicium corrumpere, si hoc non est? *Id. Tusc.* 1, 31. Quid aliud agimus, cum a voluptate sevocamus animum, nisi, etc.? *Id. Cluent.* 62. Quid huic cum Avito? nihil. *Id. Fam.* 5, 15. Quid enim? ad amicosne confugiam? quam multi sunt? *Id. Att.* 6, 2. *f.* Quid opus equitatu? *Ter. Hec.* 4, 4, 2. Quid mulieris uxorem habes? et *Cic. Verr.* 2, 2, 54. Exponam vobis breviter, quid hominis sit. *Pl. Rud.* 1, 2, 60. Quid illuc est hominum secundum litus? et *Cic. Fam.* 16, 4. Non video sciturum me, quid ejus sit, ni, etc. *h. e.* quid de ea re sit. ℙ Frequentem usum habet in transitionibus, pro *praeterea*, *jam vero*, et hujusmodi. *Cic. N. D.* 2, 51. Quid loquar, quanta ratio in bestiis appareat? *Id. Manil.* 5. Quid, quod salus sociorum in discrimen vocatur? *Id. Verr.* 2, 2, 59. Quid vero? modum statuarum haberi nullum placet? ℙ Saepe causam designat, et finem: et ponitur etiam pro *cur. Id. ib.* 2, 13. Cognoscet ex me populus R. quid sit, quamobrem, etc. quid sit, quod judiciis, etc. et *ib.* 4, 20. *f.* Quid est, quod tu alios accuses? *Sen. Ben.* 4, 13. Mundus in quid vices suas absolvit? in quid sol diem extendit, et contrahit? *Pl. Amph.* 1, 1, 221. Eloquere, quid venisti? *So.* ut esset, quem tu pugnis caederes. *Ov. Met.* 11, 622. Quid veniat (cognorat enim) scitatur. *Cic. Cat.* 2, 6. *med.* Quaesivi, quid dubitaret eo proficisci, quod, etc. *Ter. Andr.* 2, 2, 3. Laetus est nescio quid; et *Colum. praef.* 1. Satis mirari non possum, quid ita seligant, etc. *h. e.* cur; et *Cic. N. D.* 1, 35. *med.* Quam molestum est, uno digito plus habere! quid ita? quia, etc. *Id. Mil.* 16. *f.* Sed quid ego argumentor? Quid plura disputo? ℙ Absolute tacitam prolepsin habet, et est urgentis. *Id. Fam.* 2, 8. Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut, etc.? et *Phil.* 2, 38. *med.* Quid? eundem in septemviratu nonne destituisti? et *Dejot.* 7. Quid? ille signa aenea in insidiis posuerat, quae, etc.? *Caecin.* ad *Cic. Fam.* 6, 4. Quid si hoc muto? et *Sen.* 7. Quid jurisconsulti? quid pontifices? quid augures? quid philosophi senes? quam multa meminerunt? *Id. Phil.* 2, 31. O hominem nequam! quid enim aliud dicam? magis proprie nihil possum dicere. ℙ Post dubitativas particulas *num*, *si*, *ne*, et verba quaerendi, dubitandi, et similia, *quid* est *aliquid. Ter. Hec.* 5, 4, 25. Harum rerum num quid dixti patri? *Id. Andr.* 1, 1, 34. Ne quid nimis. *Cic. Att.* 3, 15. *med.* Si quid in te peccavi, ignosce; et *ib.* 8. Nec, quid scribam, habeo; et *Fam.* 13, 73. Nisi quid existimas in ea re violari existimationem tuam. *Varr. R. R.* 3, 13. Cum apris affunderetur glans, capreis vicia, aut quid aliud. *Plin. ep.* 4, 30. Annulum, seu quid aliud ponis in sicco, alluitur sensim. ℙ Pro quantum. *Cic. Rosc. Am.* 46. Quid praeterea caelati argenti? quid stragulae vestis? quid pictarum tabularum? quid signorum? quid marmoris apud illum putatis esse? *Pl.*

Epid. 2, 2, 26. Tum captivorum quid ducunt secum! pueros, virgines, binos, ternos: alios quinque. *Ter. Andr.* 4, 4, 6. Quid turbae est apud forum! quid illic hominum litigant! Alii leg. *litigat:* alia etiam *quot illic.* ℙ Pro quale. *Id. Eun.* 2, 2, 42. Quid videtur hoc tibi mancipium? *Par.* non malum hercle. ℙ Differunt *quod* et *quid.* Illud a *qui* est, hoc a *quis:* illud ad praecedens substantivum refertur, vel substantivum conjunctum habet, hoc ad nullum refertur, et absolute ponitur: illud enim adjectivum est, hoc substantivum. *Cels.* 5, 26. Cum quid extrinsecus laesit, ut in vulneribus: cum quid corruptum est, ut in cancro: cum quid innatum est, ut calculus in vesica, etc. Videtur tamen *quid* pro *quod* poni in illo *Pl. Amph.* 1, 1, 208. et *Ps.* 2, 2, 41. Quid ais? quid tibi nomen est? et *Most.* 3, 1, 131. Nomen domini quaero quid siet. *Id. Ps.* 2, 4, 54. Quid nomen esse dicam ego isti servo? *Cha.* simia; et *Rud.* 4, 4, 116. In ensiculo quid nomen est paternum? (Dixi *videri:* neque enim haec me cogunt, ut *quid* pro *quod* accipiam.) ℙ *Quid ni?* cur non? πῶς οὐ; vehementer affirmantis est. *Cic. Or.* 2, 67. *f.* Cum rogaret eum, ut meminisset, quid ni, inquit, meminerim? *Ter. Heaut.* 5, 1, 34. Clinia haec fieri videbat? *Me.* quid ni? ℙ Et interposito verbo. *Pl. Ps.* 2, 2, 57. Quid ego ni teneam? *Ter. Ad.* 4, 5, 28. Quid illam ni abducat? Adde *Pl. Mil.* 4, 3, 27. et 4, 8, 1. ℙ Et addita negatione. *Sen. ep.* 52. *med.* Ut feratis de meliore suffragium, quid ni non permittam? ℙ Videtur etiam idem significare ac *quomodo?* et esse valde admirantis cum quadam ironia. *Cic. Fam.* 3, 7. *med.* Quid ni? Appius Lentulo, Lentulus Appio processit obviam: Cicero Appio noluit. *Petr. Sat.* 127. Quid ni? inquit illa: donas mihi eum, sine quo non potes vivere?

QUĬDAM, quaedam, quoddam et quiddam, ὁ δεῖνα, τις, certus aliquis, unus. *Cic. Cluent.* 63. *med.* Quidam ex advocatis, homo et honoribus populi ornatus, et summa virtute praeditus, intelligere se dixit, etc. *Id. Fam.* 11, 21. Quidam de collegis nostris. *Id. Or.* 2, 3. Pudore a dicendo, et timiditate ingenua quadam refugisti; et *ib.* 74. Crassi responsum excellentis cujusdam est ingenii ac singularis; et *ib.* 1, 60. Adstrictus certa quadam numerorum moderatione; et *ib.* 3, 12. Cum sit quaedam certa vox Romani generis, urbisque propria. *Id. Fin.* 5, 2. Scis, me quodam tempore Metapontum venisse tecum. ℙ In distributionibus aut repetitur, aut similia subjiciuntur. *Cic. Top.* 21. Quibusdam quaestionibus alios, quibusdam esse alios aptiores locos. *Liv.* 45, 10. Excesserunt urbe quidam, alii mortem sibi consciverunt. *Colum.* 12, 19. Quidam quartam partem, nonnulli tertiam decoquunt. *Cic. N. D.* 1, 24. Corpuscula quaedam laevia, alia aspera, rotunda alia, partim angulata, curvata quaedam. ℙ Cum gen. *Tac. A.* 1, 49. Quidam bonorum caesi, postquam pessimi quoque arma rapuerant. ℙ Cum nominibus numeralibus, V. in ALIQUIS. ℙ Inter *quidam* et *aliquis* hoc interest, quod *quidam* dicitur de re aut persona certa et definita: *aliquis* de indefinita et incerta: ut si dicam, *est quidam qui me amat,* designo unum certum amantem mei: si dicam, *est aliquis qui me amat,* illud significo, esse nonnullos, qui me amant, non designando, quinam ii sint. Interdum tamen promiscue usurpantur. *Cic. Or.* 2, 10. Hesterno sermone remigem aliquem, aut bajulum nobis oratorem descripseras, inopem quendam humanitatis atque inurbanum. ℙ *Quoddam* et *quiddam* differunt, ut *quod* et *quid:* nempe illud adjectivum est, hoc substantivum. *Cic. Inv.* 1, 2. Nam fuit quoddam tempus, cum in agris homines vagabantur. *Id. Leg.* 3, 10. Fateor in ista ipsa potestate inesse quiddam mali. *Id. Acad.* 1, 9. Ut in his quiddam divinum esse diceret.

QUIDEM, adv. μὲν, γε, certe, profecto, sane. *Caes. B. C.* 1, 40. Sibi quidem persuaderi, eum neque suam, neque populi R. gratiam repudiaturum. *Cic. Att.* 2, 19. Tantum doleo, ac mirifice quidem. *Pl. Stich.* 1, 1, 10. Salvene, amabo? *Pi.* spero quidem, et volo. *Cic. Fat.* 2. Oratorias exercitationes non tu quidem reliquisti, sed certe philosophiam illis anteposuisti. *Id. Fam.* 6, 2. Misera est illa quidem consolatio, sed tamen necessaria. *Id. ad Brut.* 1, 3. *f.* Consules duos, bonos quidem, sed dumtaxat bonos, amisimus. *Id. Div.* 2, 44. In his locis, quae nos incolimus, post solstitium Canicula oritur, et quidem aliquot diebus: apud Troglodytas ante solstitium. *Id. Phil.* 11, 4. Cruciatus est a Dolabella Trebonius: et quidem a Carthaginiensibus Regulus. *Colum.* 1, 1. *med.* Nam quidem Diophanes Bithynius Uticensem totum Dionysium, per multa diffusum volumina sex epitomis circumscripsit. ℙ Post *ne* interjecto verbo, vehementius negat. *Caes. B. G.* 1, 38. Ne obsidibus quidem datis pacem redimere potuisse. V. NĔ. ℙ Jungitur cum aliis particulis affirmativis. *Cic. N. D.* 1, 21. Nisi tu aliquid dixisses, nihil sane ex me quidem audire potuisses. *Id. Att.* 6, 5. Nunc quidem profecto Romae es. *Pl. Stich.* 3, 2, 26. Unum quidem hercle certum promitto tibi. *Id. As.* 3, 1, 39. Te quidem edepol nihil est impudentius. *Id. Rud.* 5, 2, 13. Hoc quidem pol e rubigine factum est; et 5, 3, 12. Benigne facis. *La.* immo tu quidem hercle vero. *Lucr.* 5, 899. Flamma quidem vero, etc. ℙ Praesertim cum *certe:* et in principio si ponatur, *quidem* subjicitur; si post aliquod verbum (quod frequentius est) praeponitur. V. CERTE. *Cic. Tusc.* 1, 29. Ubi ubi est animus, certe quidem in te est. *Id. Verr.* 2, 2, 74. *f.* Hoc quidem certe manifestum erit. ℙ Et interposito verbo. *Id. Att.* 6, 3. *med.* De quo ipso nihil cupide agemus: sine tuo quidem consilio certe nihil. *Id. Prov. cons.* 17. Quam sapienter, non disputo: constanter quidem et fortiter certe. *Id. Brut.* 3. *med.* Volui id quidem efficere certe. ℙ Habet praeterea varios usus, servata semper affirmandi vi. Nam interdum ponitur pro *autem,* aut *vero. Cic. Marcell.* 9. *med.* Vagabitur modo nomen tuum longe atque late: sedem quidem stabilem non habebit. Alii omitt. *quidem. Nep. Con.* 2. Hunc adversus Pharnabazus habitus est imperator: re quidem vera exercitui praefuit Conon. *Id. A.* 2. *f.* Quare si quid amice de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celabis: cum quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris. ℙ Item pro *saltem. Cic. Att.* 9, 2. *med.* Non video causam, cur ita sit, hoc quidem tempore. ℙ Pro *etiam. Pl. Bacch* 1, 2, 3. Ita me Dii ament, ut Lycurgus mihi quidem videtur posse hic ad nequitiam adducier. ℙ Ut Graecorum μέν, ita *quidem* distributioni servit et connectendo sermoni. *Cic. Att.* 8, 11. Atque hoc nostra gravior est causa, quam illorum, quod illi quidem alterum metuunt, nos utrumque. *Id. Acad.* 4, 5. P. Crassum, et P. Scaevolam ajunt Ti. Graccho auctores legum fuisse: alterum quidem, ut videmus, palam; alterum, ut suspicamur, obscurius. *Id. Tusc.* 1, 22. *med.* Dicaearchus quidem, et Aristoxenus, nullum omnino animum esse dixerunt. ℙ Habet et alios usus, qui cum vix designari possint, lectione tamen multa deprehendi possunt. *Nep. Att.* 11. Non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit: qui quidem Serviliam Bruti matrem, non minus post mortem ejus, quam florentem coluerit. Hic habet vim v. *nam;* et *ib.* 14. Quod nos quidem jucundissimum arbitramur. *Id. Cat.* 2. Neque hoc per senatum efficere potuit: cum quidem Scipio in civitate principatum obtineret. *Virg. G.* 2, 124. ubi aera vincere summum Arboris haud ullae jactu potuere sagittae: Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris. Plura observari poterunt, praesertim apud comicos, in sermone familiari. ℙ [*Confund. *quidem* et *quid ita.* V. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* 42. *b. quidem* et *quoque. Id.* ad *Off.* 1. p. 258. sq. *quidem* et *equidem. Id.* ad *Cic. Fragm.* 221. *a.*]

QUIDNAM. V. QUISNAM.

QUIDNI. V. QUID.

QUI DUM? V. QUI, ablat.

QUIDQUID. V. QUISQUIS.

QUĬES, ētis, f. ἡσυχία, παῦσις, requies, cessatio, vacatio, otium, remissio, laxamentum. *Cic. Or.* 1, 1. Qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximae moles molestiarum, et turbulentissimae tempestates exstiterunt. *Id. Dejot.* 13. *extr.* Omnem tranquillitatem et quietem senectutis acceptam refert clementiae tuae. *Id. Coel.* 17. Quem non quies, non remissio delectarent. *Id. Cat.* 4, 4. Mors laborum ac miseriarum quies est. *Sall. Jug.* 70. Vulgus quieti et otio advorsum. *Plin. Pan.* 79. *med.* Labores otio et quiete recreare. *Sall. Jug.* 108. Multi, vulneribus acceptis, neque fugere posse, neque quietem pati. *Lucr.* 4, 846. fessum corpus mandare quieti. *Caes. B. C.* 2, 14. Ex diutino labore quieti se dare; et *B. G.* 5, 39. *f.* Ne nocturnum quidem sibi tempus ad quietem relinquebat; et *ib.* 7, 41. Tribus horis noctis exercitui ad quietem datis; et *ib.* 6, 26. Quietem capere. *Suet. Tib.* 15. Totum se ad quietem conferre. ℙ In plur. num. *Cic. Off.* 1, 29. Ludo et joco uti licet, sicut somno et quietibus ceteris. [*Sall. Cat.* 15, 4. neque quietibus neque vigiliis sedari poterat: ubi *Kritz.* notat: non inusitatum esse tale dicendi genus in iis vocabulis, quae aliquem statum significent, eumque talem, qui non generatim cogitetur, sed aut multis vicibus repetitus, aut in multis rebus conspiciendus: coll. *Heus.* ad *Cic. Off.* 1, 22, 15. 32, 2.] ℙ Metonymice est locus, ubi quies capitur. *Lucr.* 1, 404. Namque canes ut montivagae persaepe ferai Naribus inveniunt intectas frunde quietes, *h. e.* cubilia. ℙ Metaphorice. *Nep. Att.* 7. Attici quies tantopere Caesari fuit grata, ut, etc., *h. e.* abstinentia ab armis, et a partibus. *Sall. Cat.* 32. Ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnes tristitia invasit, *h. e.* pax. Sic *Ov. Pont.* 2, 2, 77. Adde triumphatos modo Paeonas, adde quieti Subdita montanae brachia Dalmatiae. Sic *Tac. G.* 14. Ingrata genti quies, et facilius inter ancipitia clarescunt. *Virg. G.* 2, 344. Si non tanta quies iret frigusque caloremque Inter, *h. e.* veris tranquillitas. *Plin.* 18, 26, 62. Quies ventorum. *Stat. Silv.* 2, 2, 26. pelagi. ℙ Singulare est illud *Plinii* 16, 16, 28. In primis vero materies honorata buxo est raro crispanti, nec nisi radice: cetero lenis quies materiae, silentio quodam, et duritie ac pallore commendabilis, *h. e.* aequabilis venarum cursus, laevis, enodis, et instar amnis per plana decurrentis, lene et quiete fluens. V. QUADRIFLUVIUM. ℙ Saepe de somno dicitur, quae vera est quies corporis; item de visis, quae in somno obveniunt. *Cic. Div.* 2, 66. Alexander somno est consopitus: tum secundum quietem visus ei dicitur draco, etc. *Pl. Curc.* 2, 2, 22. Malum, quod in quiete tibi portentum est. *Suet. Caes.* 81. et *Tac. H.* 4, 83. Per quietem. *Virg. A.* 5, 857. jacentem dulcis, et Vix primos inopia quies laxaverat artus; et *ib.* 6, 521. pressitque alta quies, placidaeque simillima morti; et *ib.* 12, 908. velut in somnis, oculos ubi languida pressit Nocte quies. *Sen. Octav.* 116. membra cum solvit quies. *Ov. Fast.* 1, 205. Nec pudor, in stipula placidam cepisse quietem. *Petr. Sat.* 104. cum prostrata sopore Urget membra quies. *Val. Fl.* 8, 80. dare permissae ora quieti. *Cic. Div.* 1, 30. Ire ad quietem; et *ib.* Quieti se tradere. ℙ De somnio. *Stat. Th.* 10, 205. vanae nec monstra quietis, Nec somno comperta loquor; et *ib.* 324. praesaga quies. ℙ De sopore letali. *Virg. A.* 10, 745. et *ib.* 12, 309. Olli dura quies oculos, et ferreus urget Somnus. ℙ De ipsa morte. *Prop.* 2, 21, 27. Quod si forte tibi properarint fata quietem, etc. ℙ Poetice *Quies* dicitur a *Stat. Th.* 10, 89. servare una cum Obliviis limen antri, ubi Somnus cubat. Quin ipsa habita est Dea, et a Romanis culta: habuitque fanum extra Urbis portam Collinam via Labicana, ut ex *Livio* constat 4, 41. V. *August. C. D.* 4, 16. et QUIETATOR. ℙ Vetustissimi *quies, ei,* declinarunt, teste *Prisc.* 6, 703. unde *requiei. Afr. ib.* Sollicito corde corpus non potitur nunc quie. *Naev. ib.* Suavi quie. ℙ Olim etiam *quies, etis,* adjective usurpatum fuit. *Naev. ib.* p. 704. Jamque ejus mentem fortuna fecerat quietem, *h. e.* quietam. *Licin. Macer ib.* Non minimo opere milites quietes volebant esse. Hinc *inquies.*

QUĬES, adj. V. v. praec.

QUIESCENTĬA, ae, f. quies. *Firm. Math.* 1, 3. *med.* Post quiescentiam calamitatibus implicatus.

QUĬESCO, is, evi, etum, n. 3. ἡσυχάζω, in quiete sum, conquiesco, cesso a labore, in otio sum. Syncopen patitur saepe in praeteritis, *quierim, quiessem, quiesse,* etc. *Sen. ep.* 3. *f.* Et quiescenti agendum, et agenti quiescendum est. *Cic. Somn. Scip.* 2. Renovat pristina bella, nec potest quiescere. *Id. Att.* 9, 10. *f.* Scribis Peducaeo quoque nostro probari, quod quierim, *h. e.* bello et partibus me non miscuerim. *Id. Planc.* 37. Quae *(tela)* si viginti quiessem dies, in aliorum jugulum consulum recidissent. *Pl. Mil.* 2, 2, 59. Nunquam hodie quiescet, priusquam id, quod petiit, perficit. *Val. Fl.* 2, 43. Ac velut ignota captus regione viarum, Noctivagum qui carpit iter, non aure quiescit, Non oculis. *Suet. Caes.* 16. Dimissis lictoribus, abjectaque praetexta, domum clam refugit, pro conditione temporum quieturus, *h. e.* a contentionibus civilibus temperaturus. ℙ Refertur ad animum. *Pl. Mil.* 3, 3, 52. Poti'ne, ut hominem mihi des? quiescas cetera, *h. e.* de ceteris ne sollicitus sis. *Id. Men.* 3, 2, 1. Poti'ne ut quiescas, si ego tibi hanc hodie probe concinnatam referam temperi? *Ter. Ph.* 4, 3, 64. Nihil do: impuratus me ille ut etiam irrideat. *Chr.* Quaeso, ego dabo: quiesce. *Auct. ad Her.* 4, 54. Quiesce tu, cujus pater cubito se emungere solebat. ℙ Per synecdochen est omittere, desinere. *Hor. A. P.* 380. Indoctusque pilae, discive, trochive, quiescit. *Pl. Most.* 5, 2, 51. Quiesce hanc rem modo petere. *Gell.* 2, 28. Statuere atque edicere quiescebant. ℙ Cum genit. Ἑλληνισμὸς est. *Claud. Quadrig.* ap. *Gell.* 9, 12. Manu significare coepit, utrinque quiescerent pugnae: facta pausa est. Simile est illud: *abstineto irarum,* et *desine querelarum,* quae *Horatii* sunt. Quidam tamen leg. *quiescerent pugnare.* ℙ Pro permittere. *Cic. Att.* 7, 9. Aut si per tribunos plebis non patiatur, tamen quiescat, rem adduci ad interregnum. ℙ Item abstinere a petulantia, inquietum, insolentem non esse. *Ter. Andr. prol.* 22. Dehinc ut quiescant, porro moneo. *Cic. Caecin.* 25. Nimia ista, quae dominatur in civitate potentia, in hoc solo genere quiescit. ℙ Huc pertinet formula illa magistratus, aut imperatoris, imperium inhibentis, et comminantis. *Liv.* 3, 48. Proinde quiesse erit melius. *Id.* 4, 49. *med.* Malum quidem militibus meis, nisi quieverint. ℙ Per metalepsin sumitur pro dormire. *Cic. Verr.* 2, 4, 14. Eo cum venio, praetor quiescebat. *Pl. Amph.* 2, 2, 100. et *Merc.* 2, 3, 36. Quievi in navi noctem perpetem. *Appul. Met.* 9. Somnum humanum quievi. *Curt.* 4, 13. Somno quiescere. ℙ De mortuis. *Petr. fragm. Trag.* 39. *Burm.* Patrono meo ossa bene quiescant. *Inscr.* ap. *Grut.* 569, 12. Arcadi, ossa bene quiescant. *Virg. A.* 1, 249. placida compostus pace quiescit. *Ov. Ib.* 305. Nec tua, quam Pyrrhi, felicius ossa quiescant. ℙ Et pro tacere. *Ov. Trist.* 1, 3, 27. Jamque quiescebant voces hominumque canumque. *Val. Fl.* 3, 358. tandemque quiescunt Dissona pervigili planctu juga. ℙ Tribuitur et rebus inanimis pro jacere, stare, non moveri. *Virg. A.* 10, 835. procul aerea ramis Dependet galea, et prato gravia arma quiescunt. *Id. ib.* 6, 226. Postquam collapsi cineres, et flamma quievit; et *ib.* 7, 6. postquam alta quierunt Aequora. *Petr. Sat.* 123. Non pugnavit humus, mitique horrore quievit. *Plin.* 13, 11, 22. Quiescentes Nili aquae, *h. e.* decrescentes: vel non amplius crescentes. *Id.* 17, 5, 3. Terra utilior intelligitur, quoties intermissa cultura, quievit; et

ib. 22, 35. *n.* 8. Quiescere ventos sationis die, utilissimum. ℙ Reperitur etiam active positum pro quiescere facio. *Sen. Herc. Oet.* 1584. Ante descendet glacialis Ursae Sidus, et ponto vetito fruetur, Quam tuas laudes populi quiescant. Potest tamen subaudiri *dicere* vel *praedicare*. Nonnulli lexicographi afferunt et illud ex *Plauto Most.* Quiesce hunc tumultum, qui est ante ostium. Sed vereor ut haec *Plauti* sint, quae adhuc reperire non potui. *Serv.* ad *Virg. Ecl.* 8, 4. *Quiesco* duplicem habet significationem: et aliter dico, *quiesco ego*, et aliter *quiesco servum*. V. REQUIESCO. ℙ Impersonaliter *Ter. Andr.* 4, 2, 8. Quibus quidem quam facile potuerat quiesci, si hic quiesset. ℙ Quidam grammatici ap. *Gell.* 6, 15. pugnant inter se, utrum e littera in hoc verbo correpta esse debeat, an producta, *h. e.* utrum exili angustoque sono efferenda sit, an pleniore et latiore. V. BREVIS.

[QUIESCĬTUS, a, um, part. a *quiesco*, unde *quietus* per syncopen. *Inscr.* non opt. notae ap. *Don. cl.* 10. *n.* 11. Aeliae Romanae filiae bene quiescitae, etc. *h. e.* quae quievit. *F.*]

QUIĔTALUS ab antiquis dicebatur Orcus. *Festus.* Alii leg. *quietalis.* Est autem a *quiete* dictus, quia mortui quiescunt.

QUIĔTĀTOR, oris, m. quietem afferens. In duobus nummis Diocletiani ap. *Med.* p. 428. in aversa parte Juppiter dicitur *Quietator Augg.*, quasi nempe eo favente quietem a laboribus post imperii abdicationem ille obtinuerit. Hinc in nummis ejusdem, et Maximiani post eorum abdicationem cusis saepissime legitur *Quies Aug.* vel *Quies Augg.* cum ejusdem Deae effigie. V. QUIES.

QUIĔTĔ, adv. ἡσύχως, tranquille, placate, placide. *Cic. Fin.* 1, 16. *med.* Quod aptissimum est ad quiete vivendum. *Id. Sen.* 5. Est etiam quiete, et pure, et eleganter actae aetatis placida ac lenis senectus. *Liv.* 27, 12. Quietius deinde, tranquilliusque hostem bellaturum, multis verbis adhortatus milites. *Caes. B. C.* 3, 4. *f.* Nostri quietissime se receperunt.

[QUIĔTILLUS, a, um, adj. dimin. quieti. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 803, 3. Carisia Quietilla. *F.*]

QUIĔTO, as, a. 1. et Quietor, aris, dep. 1. quietum facio, paco, tranquillo. Agnoscitur a *Prisc.* 8. p. 799., ubi ea verba recenset, quae tam activa, quam passiva positione idem significant, ut *mereo mereor*, *partio partior*, etc.

QUIĔTORIUM, ii, n. sepulcrum, in quo mortui quiescunt, ἀναπαυτήριον. *Inscr.* ap. *Grut.* 810, 2. M. Aur. Mutius Nolanus quietorium hoc sibi vivens paravit, etc. Adde aliam ap. *eund.* 1131, 11.

*QUIETUDO, inis, f. ἠρεμία, ἡσυχία *Gloss. Cyrill. B. A.*

QUIĔTUS, a, um, adj. ἡσυχος, a labore aut cura vacuus, tranquillus, compositus, placidus. *Ter. Eun.* 2, 2, 46. Sex ego te totos, Parmeno, hos menses quietum reddam, ne sursum deorsum cursites, neve usque ad lucem vigiles. *Cic. Tusc.* 2, 1. Animo quieto vivere; et *ib.* 5, 6. *f.* Animi quietus et placatus status cernitur, cum perturbatio nulla est, qua moveri queat. *Id. Rosc. Com* 15. Soluto et quieto animo esse. *Id. Sen.* 23. Otiosam aetatem, et quietam sine ullo labore et contentione traducere. *Id. Agr.* 2, 28. Integri, quieti, otiosi homines. *Id. Sen.* 9. Est decorus sermo senis, quietus et remissus. *Id. Verr.* 2, 4, 19. Homo quietissimus. *Vell.* 2, 117. Vir ingenio mitis, moribus quietus. *Pl. Curc.* 4, 2, 6. Meminero, de istoc quietus esto, *h. e.* securus, nihil sollicitus: quo modo etiam *Ter. Phorm.* 4, 5, 1. locutus est. ℙ De his, qui bello abstinent, et qui in discidiis civilibus neutri parti adhaerent. *Sall. or. ad Caes. de Republ. ord.* 1, 2. Homines concurrere in castra tua, et aperte quietis mortem, rapinas minitari. *Nep. Pel.* 4. Hoc jam turbido tempore, quoad cum civibus dimicatum est, domi quietus fuit. *Just.* 7, 6. Non contentus submovere bella, ultro etiam quietos lacessit. ℙ Et qui ab ambitione, et studio contendendi ad honores sunt alieni. *Plin. ep.* 10, 7. Ad quam spem (*praeturae*) alioqui quietissimum hortatur et natalium splendor, et summa integritas. *Id. ep.* 7, 31. Vir rectus, integer, quietus, ac paene ultra modum verecundus. ℙ De aliis rebus. *Cic. Cat.* 2, 9. Honores, quos quieta republica desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur. *Caes. B. G.* 5, 58. *extr.* Pauloque habuit post id factum Caesar quietiorem Galliam, *h. e.* pacatiorem. *Varr. R. R.* 2, 7. *f.* Equi demptis testiculis fiunt quietiores, *h. e.* mansuetiores. *Colum.* 12, 50. *f.* Videtur plus olei quieta, quam recens bacca reddere, *h. e.* quae in tabulato aliquamdiu jacuit. *Hor. Od.* 3, 29, 40. Cum fera diluvies quietos Irritat amnes, *h. e.* leniter placideque fluentes. *Id. Epod.* 10, 11. quietiore aequore ferri. *Virg. A.* 5, 216. columba aere lapsa quieto Radit iter liquidum. ℙ *Quieti*, mortui. *Nemes. Ecl.* 1, 38. si sentire datur post fata quietis. ℙ *Quietus* dicitur etiam qui quieti seu somno indulget. *Tac. A.* 1, 49. Quos simul vescentes dies, simul quietos nox habuerat. ℙ *Quietum*, *i*, n. usurpatur pro aere quieto ap. *Petr. Sat.* 131. Premebat illa resoluta marmoreis cervicibus aureum torum, myrtoque florenti quietum verberabat. ℙ Est etiam cogn. R, ut C. Fulvius Quietus, Macriani filius, unus ex XXX. tyrannis, quorum vitam narrat *Trebellius.* Is occisus est ann. a Chr. n. CCLXII.

QUILĪBET, quaelibet, quodlibet, ὁστισοῦν, quivis, quicumque, *h. e.* quemcumque ex multis libet eligere, vel capere. Neutrum *quodlibet* est adjectivum, *quidlibet* substantivum. *Cic. Rosc. Am.* 3. Si aut causa criminis, aut facti suspicio, aut quaelibet denique vel minima res reperietur, quamobrem, etc. *Id. Acad.* 4, 43. Ad vos nunc refero: quem sequar? modo ne quis illud tam ineruditum absurdumque respondeat: quemlibet, modo aliquem. *Hor. Od.* 3, 3, 38. qualibet exsules In parte regnante beati, Dum, etc. *Id. Sat.* 1, 3, 126. do nomen quodlibet illi. *Id. Ep.* 1, 6, 53. Cuilibet hic fasces dabit. *Liv.* 2, 49. Quibuslibet temporibus. *Pl. Poen.* 4, 2, 38. Quem ament igitur? *Sy.* alium quemlibet, nam nostrorum nemo dignus est. *Hor. A. P.* 9. pictoribus atque poetis Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas. *Id. Ep.* 1, 17, 27. Alter purpureum non exspectabit amictum: Quidlibet indutus celeberrima per loca vadet. ℙ Jungitur cum *unus.* *Liv.* 9, 17. *f.* Id vero erat periculum, ne solertius, quam quilibet unus ex iis, quos nominavi, castris locum caperet. *Id.* 42, 42. Queratur unus quilibet militis mei injuriam. ℙ Urbane dicitur de iis, in quibus nullus est delectus, nihil singulare, aut eximium: et contemptum quendam significat. *Cic. Fin.* 3, 7. Ut enim histrioni actio, saltatori motus, non quilibet, sed certus quidam est datus: sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet. *Id. Div.* 2, 34. Hic (*in auspiciis captandis*) apud majores nostros adhibebatur peritus, nunc quilibet. *Ov. Met.* 2, 388. Quilibet alter agat portantes lumina currus. *Plin.* 7, 28, 29. Bis ab Annibale captus, neque enim cum quolibet hoste res fuit. *Liv.* 6, 40. Si Claudiae familiae non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed unus Quiritium quilibet. *Cajus. Dig.* 2, 8, 5. Sane non quaelibet injuria est, duci in jus eum, qui satis idoneum fidejussorem det, *h. e.* non vulgaris, non levis.

*QUILON sive Cylon, i, n. jus gelatum. *Veg. Vet.* 3, 38. Si cylon feceris, per cornu digeres, et reparabitur. Quem ad locum V. doctissimam *Gesneri* notam, *Id. ib.* 66. Glutis taurinae semiunciam, aceti acerrimi hemina dimidia conjungitur; et fervet, ut quilon fiat. ℙ Cognatae voces sunt *quatus* pro *cyathus*, ac *quima* pro *cyma. B. A.*

QUĪMĀTUS, us, m. πενταετία, aetas quinque annorum. *Plin.* 8, 45, 70. de bobus: Feminis vita quindecim annorum longissima, maribus viginti: robur in quimatu. In MSS. *Hard.* legitur *quinquennatu.* Vetus quoque editio anni 1469. habet *V. natu.*

QUIN? τί μή; cur non: ex *quine* per apocopen, ut *seu* a *sive: ne* pro *non* posito. *Cic. Rab. perd.* 6. Quin continetis vocem, indicem stultitiae vestrae, testem paucitatis? *Liv.* 1, 57. Quin conscendimus equos, invisimusque praesentes nostrarum ingenia? *Ter. Heaut.* 4, 7, 4. Quid stas, lapis? quin accipis? *Virg. A.* 4, 99. Quin potius pacem aeternam pactosque Hymenaeos Exercemus? *Curt.* 5, 7. Quin igitur ulciscimur Graeciam, et urbi faces subdimus? ℙ Extra interrogationem est *quia non. Cic. Fam.* 4, 7. *in.* Non quin ipse dissentiam, sed quod, etc. *Liv.* 2, 15. *in.* Non quin breviter reddi responsum potuerit, ideo, etc. sed ut, etc. ℙ Post verba dubitandi, et similia. *Cic. Dom.* 26. *med.* Non quod dubitaret, quin ab isto nihil jure esset actum, sed ne quis, etc. *Caes. B. G.* 1, 4. *extr.* Non esse dubium, quin totius Galliae plurimum Helvetii possent; et *ib.* 4. Neque abest suspicio, quin ipse sibi mortem consciverit. *Cic. Fl.* 27. Quis ignorat, quin tria Graecorum genera sint? et *ib.* 17. Dubitatis, quin nobilissimum civem vindicetis? ℙ Est etiam *qui non. Id. Verr.* 2, 3, 59. *med.* Cum nemo esset, quin hoc se audisse liquido diceret; et *ib.* 2, 4, 4. Messanam nemo venit, quin viderit. ℙ Et *quo non*: nam *qui* est etiam ablativus casus. *Id. Att.* 1, 1. *med.* Dies fere nullus est, quin hic Satrius domum meam ventitet. ℙ Refertur et ad alios casus relativi. *Id. Verr.* 2, 4, 1. Nego ullum vas fuisse, ullam gemmam, quidquam ex auro, signum ullum; nego ullam picturam fuisse, quin conquisierit, inspexerit, quod placitum sit, abstulerit. *Ter. Ph.* 4, 4, 16. Nihil est, quin male narrando possit depravarier. *Cato* ap. *Gell.* 17, 13. Haud eos eo postremum scribo, quin populi et boni et strenui sint, *h. e.* non ideo scribo, quod non sint, etc. ℙ Significat etiam *quo minus*, *ut non:* post quodlibet verbum et particulam negantem. *Cic. Att.* 12, 27. Facere non possum, quin ad te mittam. *Ter. Eun.* 5, 2, 2. Ut nullo modo introire possem, quin me viderent. *Cic. Att.* 11, 15. *f.* Prorsus nihil abest, quin sim miserrimus. *Id. Inv.* 2, 28. *med.* Ut de his non modo non necesse sit, sed ne utile quidem, quin mox judicium fiat, exspectare. *Id. Quint.* 9. Cum causae nihil esset, quin secus judicaret. *Id. Q Fr.* 3, 3. De aqua et via nihil praetermisi, quin enucleate ad te scriberem. *Virg. G.* 2, 516. Nec requies, quin aut pomis exuberet annus, Aut fetu pecorum, etc. *Liv.* 32, 21. *med.* Quid recusare potest, quin et socii sibi consulant. *Pl. Cas.* 2, 8, 68. Tribus non conduci possim libertatibus, quin ego illis hodie comparem magnum malum, quinque hanc omnem rem meae herae jam faciam palam. ℙ Tacite subest praemissa negatio in his *Quadrigarii* ap. *Gell.* 17, 13. Romam venit: vix superat, quin triumphus decernatur, *h. e.* parum abest, quin; et *ib.* Paene factum est, quin castra relinquerentur. V. *Gell.* ℙ *Quin ut* pro quo minus, v. *ut* redundante. *Pl. Aul.* 2, 1, 12. Neque aequum est, occultum id haberi, neque per metum mussari, quin partiripem ego te, et tu me ut facias. ℙ Praeterea *quin* saepe valet immo, immo etiam. *Ter. Heaut.* 3, 3, 20. Credo: neque id injuria: quin mihi molestum est. *Id. Andr.* 1, 1, 18 Quin tu uno verbo dic, quid est, quod me velis. *Cic. Fam.* 7, 30. Te nec hortor, nec rogo, ut domum redeas, quin hinc ipse evolare cupio. *Id. Mil.* 29. Quin sic attendite judices, etc. *Liv.* 26, 19. *med.* His miraculis nunquam ab ipso elusa fides est: quin potius aucta. *Cic. Att.* 1, 13. *med.* Quin immo leviter inter se dissident. Alii leg. *qui nunc. Plin. ep.* 4, 9. *med.* Placuit sententia Caepionis, quin immo consurgenti ei acclamatum est. (Scribitur et *quinimmo* conjunctim.) *Cic. Att.* 13, 26. Credibile non est, quantum scribam die: quin etiam noctibus, nihil enim somni; et *ib.* 14, 21. Quin etiam hoc ipso tempore multa ὑποσύλοιχα. *Virg. A.* 2, 768. Ausus quin etiam voces jactare per umbram, Implevi clamore vias. (Sunt qui conjunctim scribunt *quinetiam.*) *Liv.* 35, 26. *f.* Nihil ea res animum militaris viri imminuit, quin contra plus spei nactus, etc. ℙ *Quin tamen*, nihilominus tamen. *Lucr.* 2, 29. Quin tamen inter se prostrati in gramine molli, Propter aquae rivum, jucunde corpora curant. Alii leg. *attamen:* alii *cum tamen:* in his *Macr. Sat.* 6, 2. ℙ Festivam salsamque hujus particulae repetitionem habes ap. *Pl. Cas.* 3, 4. a *v.* 9. usque ad 19. ℙ Pro sane, omnino. *Id. Merc.* 2, 3, 77. et 5, 4, 47. Hercle quin tu recte dicis: et tibi assentior ego. ℙ Loco particulae *nisi. Cato* ap. *Gell.* 17, 13. Neque satis habuit, quod eam in occulto vitiaverat, quin ejus famam prostitueret. (Dixi, loco particulae *nisi.* Ceterum ne hoc quidem loco vim suam mutat, qua *immo* significat. Est enim sententia: neque satis habuit eam in occulto vitiasse, immo ejus famam prostituit.) ℙ [*Conf. *quin* et *quod.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 237.]

QUĪNAM. V. QUISNAM.

QUĪNĀRĬUS, a, um, adj. πενταδικὸς, quinque continens. *Front. Aquaed.* 25. Modulus appellatus quinario nomine; et *mox:* Quinaria *(fistula)* dicta a diametro quinque quadrantum. *Plin.* 31, 6, 31. Fistulae, si quinariae erunt, sexaginta pondo pendere; si octonariae, centena. V. DENARIUS. ℙ *Quinarius nummus*, et *quinarius* absolute, argenteus fuit, dimidium denarii. V. VICTORIATUS. *Varr. L. L.* 4, 36. *med.* Denarii, quod denos aeris valebant: quinarii, quod quinos. *Plin.* 33, 3, 13. Placuit denarium *(permutari)* pro decem libris aeris: quinarium pro quinque. ℙ Quinarium numerum *Serv.* ad *Virg. G.* 1, 277. tradit Minervae esse consecratum, quia sterilis est: unde etiam omnia sterilia quinta luna nata esse dicuntur. Ob aliam causam laudat hunc numerum *Macr. Somn. Scip.* 1, 6. *med.*

QUINCENTI, ae, a, adj. numer. idem ac quingenti, ap. veteres. *Festus:* Quincentum, et producta prima syllaba, et per C litteram usurpabant antiqui.

QUĪNCTĬA Gens. V. QUINTIUS.

[QUINCTĬĀLIS, e, adj. ad Quinctium pertinens, ut *Quinctialis Lupercus* idem ac Quintilianus. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 457. *n.* 77. Q. Considius Q. L. Eros Lupercus Quinctialis vetus. *F.*]

QUINCTĬĀNUS. V. QUINTIANUS.

QUINCTILĬĀNUS. V. QUINTILIANUS.

QUINCTĬLIS. V. QUINTILIS.

QUINCUNCIĀLIS, e, adj. ad quincuncem spectans, ut Quincuncialis figura, quae quincuncem refert, πενταστιχος. *Plin.* 17, 11, 15. In disponendis arboribus, arbustisque, ac vineis quincuncialis ordinum ratio vulgata, et necessaria, non perflatu modo utilis, verum et aspectu grata, quoquo modo intueare, in ordinem se porrigente versu. V v. sq. ℙ *Quincuncialis herba*, quae mensuram quincuncis unius pedis habet, h. e. septenos fere digitos. *Plin.* 27, 11. 74. de lithospermo: Herba quincuncialis fere, foliis duplo majoribus, quam rutae. *Id.* 9, 48, 72. Quincuncialis magnitudo.

QUINCUNX, uncis, m. quinque unciae, vel quinque habens uncias. *Hor. A. P.* 327. si de quincunce remota est Uncia, quid superat? *Front. Aquaed.* 28. et 40. Senaria fistula capit quinariam unam quincuncem, sicilicum. *Colum.* 12, 28. Irim cribatam, quae sit instar pondo quincuncem et trientem. ℙ Est etiam mensurae genus, capiens quinque cyathos, h. e. quasi dimidium sextarii, uno cyatho minus. Sextarius enim duodecim cyathos continet: ejus dimidium sunt sex cyathi, quae est hemina; si unum demas, quincunx. *Mart.* 1, 28. Hesterna tibi nocte dixeramus, Quincunces, puto, post decem peractos, Coenares hodie, Procille, mecum, *h. e.* post epotos cyathos quinquaginta a multis simul convivis. *Id.* 11, 36. Quincunces, et sex cyathos, bessemque bibamus, Caius ut fiat, Julius, et Proculus, *h. e.* quinque cyathos, deinde sex, postea octo: totidem enim litteras

habent ea nomina: qua de re V. 1, 72. et 8, 51. V. etiam BIBO. ¶ *Quincunx hereditatis* ap. *Plin. ep.* 7, 11. sunt quinque partes hereditatis in duodecim divisae. ¶ De usura, qua ex singulis centenis assibus quinque unciae, seu quinque unius assis partes quolibet mense, seu quotannis quinque asses percipiuntur. *Pers.* 5, 149. Quid petis? ut nummi, quos hic quincunce modesto Nutrieras, pergant avidos sudare deunces? ¶ Adjective. *Scaevola Dig.* 46, 3, 102. *f.* Titius mutuam pecuniam accepit, et quincunces usuras spopondit. *Inscr.* in *Giorn. Arcad.* T. 28. p. 356. L. Fabio Hermogeni flamini Divi Hadriani, qui ob honores ei habitos HS. L̄. M̄. N̄. dedit, ex quorum usuris quincuncibus quotannis XIII. Kal. Aug. die natali ejus etc. ¶ *Quincunx jugeri* ap. *Colum.* 5, 1. *med.* est respectu jugeri, quod quinque unciae respectu assis aut librae. ¶ *Quincunx* etiam dicitur ordo, quo arbores ita disponuntur, ut quinque unciarum figuram referant: olim enim quinque unciae sic scribebantur ∼∼∼ vel ◡◡◡ vel —·—: hinc etiam triens sic ∼∼; quadrans vero sic ∼ vel ∼∼ V. *Marin. Frat. Arv.* p. 227. et 259. *Quint.* 8, 3. Quid illo quincunce speciosius, qui, in quamcumque partem spectaveris, rectus est? *Cic. Sen.* 17. Proceritates arborum, et directi in quincuncem ordines. *Colum.* 3, 13. Nonnulli omnem vitem per denos pedes in quincuncem disponunt, ut more novalium terra transversis adversisque sulcis proscindatur. *Caes. B. G.* 7, 73. Ante hos *(cippos)* obliquis ordinibus in quincuncem dispositis scrobes fodiebantur. Adde *Varr. R. R.* 1, 7. V. *Plin. l. c.* in v. praec.

QUINCŬPĔDĂ, ae, f. regula, seu pertica quinque pedum longitudine, notis pedum, et unciarum distincta, qua metiendis aedificiis utebantur. *Mart.* 14, 92., cujus lemma est *Quincupeda:* Puncta notis ilex, et acuta cuspide clausa Saepe redemptoris prodere furta solet, *h. e.* pertica ex ilice. V. DECEMPEDA.

QUINCUPLEX, icis, adj. πενταπλοῦς, quinquies multiplicatus, ut *Quincuplices*, scilicet pugillares quinque tabellarum. *Mart.* 14, 4., cujus lemma est *Quincuplices:* Caede juvencorum domini calet area felix, Quincuplici cera cum datur altus honor, *h. e.* victimae immolantur, cum Domitianus novum consulatum init, et pugillares quinque tabellis ceratis constantes distribuuntur. V. PUGILLARES.

QUINDĔCĬES, adv. δεκαπεντάκις, quindecim vicibus. *Cic. Verr.* 2, 2, 25. Ad illa sestertia quingenta millia hereditaria accessit ipsius antiqua sestertium quindecies pecunia. *Mart.* 7, 10. Dicere quindecies poteram: quid pertinet ad te?

QUINDĔCIM, δεκαπέντε, nomen numeral. cardinale indecl. *Pl. Ps.* 1, 1, 51. Quindecim miles minas dederat. *Caes. B. G.* 1, 15. Dies circiter quindecim.

[**QUINDĔCIMPRĪMI**, orum, m. plur. quindecim viri principes ex decurionibus. V. DECEMPRIMI et DECURIO. *Caes. B. C.* 1, 35. Evocat ad se Caesar Massiliensium quindecimprimos: cum iis agit, ne initium inferendi belli ab Massiliensibus oriatur. Docet *Strabo* 4. p. 271. *ed. Amst.* optimates Massiliensium fuisse sexcentos, his praefuisse quindecim, his rursus tres. *Inscr.* ap. *Mur.* 626, 1. C. Memmio Macrrino Q̄. N̄. Vir. Massil., Q̄., Ī̄I. Vir. Q̄. Q̄., item praefecto pro ĪĪ. Viro Q̄. Q̄. etc. Fortasse hic pro Q̄. N̄. legendum X̄V̄. *F.*]

QUINDĔCIMVĪRĀLIS, e, adj. ut Sacerdotium quindecimvirale, *h. e.* quindecimvirorum sacris addictorum, ap. *Tac. A.* 11, 11.

QUINDĔCIMVĪRĀTUS, us, m. dignitas quindecimvirorum. *Lampr. Alex. Sev.* 49.

QUINDĔCIMVĪRI, orum, m. magistratus quindecim virorum. Quindecimviri Sibyllini, seu quindecimviri sacrorum faciundorum, erant quindecim sacerdotes, qui libris Sibyllae legendis, carminibusque interpretandis praeerant. Ad hos etiam ludorum saecularium procuratio pertinebat. Insigne hujus sacerdotii fuit tripus Apollinis, ut videre est in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 316., et in lapidibus ap. *Ignarr. de phratr.* p. 154. Primum a Tarquinio Superbo duo viri ad hoc sacerdotium creati sunt *(Dionys. Halic.* 4, 62.); deinde cum plebs in partem magistratuum et sacerdotium venire vellet, decem, quinque ex patribus, totidem ex plebe (*Liv.* 6, 37. et 42.); tandem a L. Sulla quindecim (*Ser.* ad *A.* 6, 73.) *Hor. Carm. saec.* 70. Quaeque Aventinum tenet, Algidumque Quindecim Diana preces virorum Curet. *Tac. A.* 6, 12. *extr.* Notioni quindecimvirum is liber subjicitur. ¶ In veterib. libris fero hoc modo scribitur *XV. viri.* Sic et Decemviri *X. viri.* Septemviri *VII. viri.* Sexviri, aut Seviri *VI. viri*, etc. ¶ Si *Servio* habenda est fides, ad *A.* 6, 73., etiam ante Sullae tempora quindecimviri fuerunt: postea is numerus usque ad LX. auctus est, retento tamen quindecimvirum nomine. Alii pro *LX.* leg. *XL.* ¶ In sing. num. *Suet. Caes.* 79. L. Cotta quindecimvirum sententiam dicturus. *Tac. A.* 6, 12. *in.* Caninius Gallus quindecimvir postulaverat. *Gell.* 1, 12. Flamen, aut augur, aut quindecimvir sacris faciundis. ¶ *Quindecimvir* agris dividundis, seu dandis fuit alius magistratus extraordinarius. *Plin.* 7, 43, 45. Supremis laudibus patris sui L. Metelli, pontificis, bis consulis, dictatoris, magistri equitum, quindecimviri agris dandis. ¶ Sunt qui putant, etiam cum singulari nomine in omnibus casibus *quindecimvirum*, quod sit genitivus pluralis, dici debere. Itaque legunt ap. *Tac.* 6, 12. *in.* Caninius Gallus quindecimvirum, *h. e.* unus e quindecimviris: similiter ap. *Gell.* Idem videtur dicendum de aliis hujus positionis, *duumvirum*, *decemvirum*, *septemvirum*, etc., quae si aliquando singularia legantur *duumvir*, *decemvir*, per compendium scripta esse censeri possunt. Deficit hoc tamen, quotiescumque aliquod ex his nominibus absolute ponitur, non adjecta persona, ut ap. *Liv.* 3, 48. Decemvir, alienato ad libidinem animo, negat, etc. et *ib.* 49. Lictor decemviri; et *mox:* Decemviro obstrepitur. *Plin. ep.* 2, 11. *med.* Stabat modo consularis, modo septemvir epulonum, jam neutrum. *Inscr.* opt. notae ap. *Grut.* 403, 1. Septemviro epulonum. *Alia ib.* 442, 6. Sodales A. Novio A. L. Pleconti seviro Augustali. ¶ Qui scribunt *quindecemvir* falluntur similitudine v. *decemvir.* Nam *decem* quidem dicimus: *quindecem* non dicimus. Ceterum cum ap. *Front. l. c.* in DADUCHUS, et in *Inscr.* ap. *Grut.* 433, 4. et 1102, 2., quae ad IV. a Chr. n. saeculum pertinent, *quindecemvir* scriptum sit, videtur sequiori Latinitatis tempore ita scribi et pronunciari coepisse. [*Emendavit h. l. *F.*]

QUINDĔCĬMUS, a, um, adj. quintus decimus. Est *Marcelli Empir.* 36.

QUINDĒNI. V. QUINIDENI.

QUINGĒNĀRĬUS, a, um, adj. πενταχοσιοστὸς, quingena continens. *Plin.* 7, 20, 19. Quingenario thorace indutus, *h. e.* quingentarum librarum pondo. Sic 33, 11, 12. Quingenaria lanx, *h. e.* quingentas habens argenti libras. *Curt.* 5, 2. Quingenariae cohortes, *h. e.* quingentorum militum.

QUINGĒNI, ae, a, nomen numerale distributiv., πενταχόσιοι, idem quod quingenteni, per syncopen. *Cic. Att.* 16, 8. Quingenos denarios dat. Alii leg. *quingentos* minus recte; et *ib.* 12, 15. Ap. eum HS. quingena deposuerunt. Alii leg. *quinquagena.* *Suet. Caes.* 38. Non ultra quingenos sestertios remisit. *Id. Aug.* 101. Legavit cohortibus urbanis quingenos nummos. *Ulp. Dig.* 38, 1, 15. *extr.* Si communis libertus patronis duobus operas mille daturum se juraverit, quingenas potius deberi, quam singularum operarum dimidias. Adde *Suet. Ner.* 10. et *Vesp.* 17. et *Curt.* 5, 1. *extr.* ¶ Extra distributionem, quingenti. *Colum.* 5, 2. *med.* Horum pars dimidia duo millia quingeni.

QUINGENTĀRĬUS, a, um, adj. quingenta continens, quingenarius: ut Quingentaria cohors, ap. *Veg. Mil.* 2, 6., ut quidem ibi legendum esse, et *Stewech.* monet, et res ipsa postulat. Habet enim pedites DLV.

QUINGENTĒSĬMUS, a, um, adj. πενταχοσιοστὸς, qui ordine est post quadringenta nonaginta novem. *Cic. Fl.* 1. Prope quingentesimo anno. *Plin.* 15, 1, 1. Urbis anno quingentesimo quinto.

QUINGENTI, ae, a, nomen numerale, πενταχόσιοι, quinquies centum. *Hor. Sat.* 2, 7, 42. si me stultior ipso Quingentis empto drachmis deprenderis. *Pl. Mil.* 1, 1, 52. Quingentos uno ictu occidere. *Suet. Galb.* 5. Tiberio legatum ad quingenta revocante. *Varr. L. L.* 5, 5. Quingentum millium verborum. *Gell.* 7, 14. *med.* Multa talentum fere quingentum. *Just.* 2, 11. *med.* Sexcenti viri castra quingentorum millium irrumpunt.

QUINGENTĬES, adv. πενταχοσιάκις, quinquies centum. *Vitr.* 1, 6. Orbis terrae circuitio est inventa ducentorum quinquaginta duum millium stadiorum, quae faciunt passus semel et tricies millies mille, et quingenties mille. *Budaeus* et *Schneiderus* haec postrema corrupta esse probant, legendumque ita ex *Plin.* 2, 108, 112. *quae fiunt passus trecenties quindecies centena-millia.* ¶ Saepissime *quingenties* absolute dicitur pro *quingenties centena millia.* V. DECIES. *Cic. Verr.* 2, 2, 38. HS. quingenties Veneri Erycinae de Sthenii bonis exacturus. Alii leg. *quindecies.* *Suet. Aug.* 101. Nec plus perventurum ad heredes suos, quam millies et quingenties, professus, *h. e.* 15,000,000 *sestert.* *Id. Galb.* 5. Liviae Augustae testamento paene ditatus est. HS. namque quingenties cum praecipuum inter legatarios habuisset, quia notata, non perscripta erat summa, herede Tiberio legatum ad quingenta revocante, ne haec quidem accepit, *h. e.* 50,000,000. ad 50,000 revocante. [*Auxit atque emendavit h. l. *F.*]

QUINI, ae, a, πέντε, nomen numerale dispertitivum: a *quinque.* *Cic. Pis.* 27. *f.* Graeci stipati, quini in lectulis, saepe plures; et *Colum.* 4, 30. *med.* Quinum pedum interordinia esse, abunde est; et *Caes. B. G.* 7, 73. *med.* Perpetuae fossae, quinos pedes altae ducebantur; et *Nep. Att.* 18. *f.* Ita ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum, non amplius quaternis, quinisve versibus, descripserit; et *Liv.* 8, 8. *med.* Scribebantur quatuor fere legiones quinis millibus peditum, equitibus trecenis. *Julian. Dig.* 40, 9, 5. *f.* Cum uterque earum quinum aureorum sit. ¶ Extra distributionem pro quinque. *Ov. Met.* 3, 351. ter ad quinos unum Cephisius annum Addiderat. *Virg. A.* 5, 96. caedit quinas de more bidentes; et *ib.* 7, 538. Quinque greges illi balantum, quina redibant Armenta. *Liv.* 28, 26. Quina nomina principum seditionis edita sunt. *Pl. Ps.* 1, 3, 110. *Ca.* Meam tu amicam vendidisti? *Ba.* valde: viginti minis. *Ca.* Viginti minis? *Ba.* utrum vis, vel quater quinis minis. ¶ In sing. numero. *Id. ib.* 1, 3, 69. Lex me perdit quina vicenaria, *h. e.* quae vetat minorem viginti quinque annis stipulari. V. LAETORIUS, et VICENARIUS. *Plin.* 17, 11, 16. Scrobes non altiores quino semipede, *h. e.* quinque dimidiis pedibus, qui duos pedes et semis efficiunt.

QUĪNĪDĒNI, et Quini deni, *et per sync.* Quindeni, ae, a, nomen numerale dispertitivum, quindecim. *Liv.* 35, 40. *med.* Quina dena jugera agri data in singulos pedites sunt. *Quint.* 1, 10. *f.* Si quinideni pedes per latera, quini in fronte sint. Alii leg. *quindeni.* *Vitr.* 6, 9. Latitudines pedum quindenum. *Plin.* 10, 63, 83. Vivunt Laconici *(canes)* annis denis: cetera genera quindenos annos, aliquando et vicenos. *Suet. Claud.* 10. *extr.* Promisit singulis quinadena HS. ¶ Extra distributionem. *Pl. Most.* 2, 1, 11. Quindenis hastis corpus transfigi.

QUĪNIMMO. V. QUIN.

QUĪNIO, onis, m. πεντάς, numerus quinarius, ut Quinionem filiorum eniti, *Tert. Anim.* 6. *f.* et Quinio voluminum, *Id. ib.* 46. *med.* ¶ In ludis tesserarum est jactus quinarius, ut *senio* senarius. *Isid. Or.* 18, 65. V. BINIO et SENIO.

QUĪNIVĪCĒNI, et Quini viceni, ae, a, nomen numerale distributiv., vigintiquinque. *Liv.* 37, 59. *f.* Militibus quiniviceni deaarii dati.

QUINQUĀGĒNĀRĬUS, a, um, adj. πεντηκονταδικὸς, quinquaginta continens. *Varr. R. R.* 2, 10. *f.* Ad equarum gregem quinquagenarium bini homines. *Cato R. R.* 69. Quinquagenarium dolium, *h. e.* capiens quinquaginta quadrantalia, vel congios; et *ib.* 10. Urna quinquagenaria, *h. e.* quinquaginta sextariorum. *Vitr.* 8, 7. de aquaed.: Quae lamna fuerit digitorum quinquaginta, cum fistula perficietur ex ea lamna, vocabitur quinquagenaria: similiterque reliquae. ¶ *Quinquagenarii* munus proprium militiae. *Hieron. in Isaj.* 2, 3, 3. Quomodo centuriones vocantur, qui centum praesunt militibus; chiliarchi, qui mille, quos nos, tribunos appellamus, ab eo, quod praesint tribui; sic in Israelitico exercitu quinquagenarii vocabantur, qui in capite erant quinquaginta militum.

QUINQUĀGĒNI, ae, a, nomen numerale distributiv., πεντηκοντοὶ, quinquaginta. *Cic. Verr.* 2, 3, 28. *med.* In singulos HS. quinquagenis millibus damnari mavultis? et *Suet. Oth.* 5. Omnibus dena sestertia repraesentata, et quinquagena promissa. *Plin.* 15, 24, 28. Arbores quinquagenum cubitorum altitudine. *Vitr.* 9, 1. Area quinquagenum pedum. ¶ In sing. num. *Plin.* 17, 5, 3. Centena quinquagena fruge fertilis campus. *Id.* 19, 1, 2. Singula stamina centeno quinquageno filo constare. ¶ Extra distributionem. *Manil.* 3, 603. Per quinquagenas complet sua munera brumas. *Mart.* 12, 66. Bis quinquagenis domus est tibi millibus empta.

QUINQUĀGĒSĬES, adv. idem ac quinquagies. *Pl. Men. f.* Vix credo tota auctione capiet quinquagesies. Alii leg. *quinquagies*, et quidem rectius.

QUINQUĀGĒSĬMUS, a, um, adj. numeral. ordinis, πεντηκοστός. *Plin.* 7, 8, 6. Quinquagesimo uno raptus anno. *Mart.* 10, 24. Quinquagesima liba, septimamque Vestris addimus hanc focis acerram. ¶ *Quinquagesima*, *ae*, absolute, vectigal, quo penditur quinquagesima pars alicujus rei. *Cic. Verr.* 2, 3, 49. Ab omnibus enim ternae praeterea quinquagesimae exigebantur. *Id. ib.* 2, 1, 78. Scribae nomine de tota pecunia binae quinquagesimae detrahebantur.

QUINQUĀGĬES, adv. πεντηκοντάκις, quinquaginta vicibus. *Plin.* 7, 25, 25. Idem signis collatis quinquagies dimicavit. *Id.* 6, 9, 10. Universae Armeniae magnitudinem Aufidius quinquagies centena millia prodidit. *Cels.* 2, 14. *f.* Quinquagies perfricare.

QUINQUĀGINTĀ, indecl. numerale, πεντήκοντα. *Virg. A.* 1, 707. Quinquaginta intus famulae. *Cic. Att.* 4, 2. Ducenta quinquaginta millia. *Inscr.* poetica ap. *Fea*, *Relaz. di un viaggio ad Ostia* p. 11. Quinquaginta meis millibus, ut volui, Hanc aedem posuit.

[**QUINQUANGŬLUS**, a, um, adj. πεντάγωνος, quinque habens angulos. Agnoscitur a *Prisc. de ponderib.* p. 1358. *F.*]

[**QUINQUATRĀLIS**, e, adj. ad Quinquatrus pertinens. Est cogn. R. ejus, qui ipsis fortasse Quinquatribus est natus. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 513. *n.* 182. Ti. Claudius Quinquatralis. *F.*]

QUINQUATRUS, uum, f. plur. et Quinquatria, orum et ium, n. plur. Παναθήναια, Minervae festum XIV. Kal. April. celebrari solitum: a *quinque*, quia post diem quintum Idus Martias ageretur, sed deinde ad quinque dies prolatum: vulgus putavit id nominis habuisse a numero quinque dierum. *Varr. L. L.* 5, 3. Quinquatrus, dies unus, a nominis errore observatur proinde ac sint quinque. Dies ab Tusculanis post diem sextum Idus similiter vocatur Sexatrus, et post diem septimum Septimatrus; sic hic, quod erat post diem quintum Idus, Quinquatrus. Adde *Fest.*, qui in *Quinquatrus* his similia habet. *Gell.* 2, 21. adjicit, *atrus* in hac voce supplementum esse, et nullam habere significationem. ¶ Haec festa celebrabantur in honorem diei natalis

Minervae. *Ov. Fast.* 3, 812. Sed *Fest.* causam affert, quod eo die aedes ejus in Aventino consecrata est. Sunt qui putant, hanc diem munusculorum quoque fuisse, quo tempore matronae inter se invicem munera missitabant, et coenas ancillis apponebant, ut viri Saturnalibus. Eodem die Salii in comitio, ut legitur in Kal. Praenestino ap. *Foggin.* ad *Verrii Flacci Fast.*, publice saltabant. (V. QUINQUO.) *Pl. Mil.* 3, 1, 97. Da, quod dem Quinquatribus praecantatrici, conjectrici, etc. *Cic. Fam.* 12. 25. Quinquatribus frequenti senatu causam tuam egi non invita Minerva. *Id. Att.* 9, 13. Fuit enim pridie Quinquatrus egregia tempestas. *Liv.* 44, 20. Legati ex Macedonia Quinquatribus ultimis venerunt. *Aug.* ap. *Suet. Aug.* 71. Nos, mi Tiberi, Quinquatriis satis jucunde egimus, lusimus enim per omnes dies. *Suet. Dom.* 4. Celebrabat et in Albano quotannis Quinquatria Minervae, cui collegium instituerat, ex quo sorte ducti magisterio fungerentur, redderentque eximias venationes, et scenicos ludos, superque oratorum ac poetarum certamina. *Id. Ner.* 34. Solemnia Quinquatrium simul celebranda. Alii leg. *Quinquatruum:* ut ap. *Tac. A.* 14, 4. Quando Quinquatruum festos dies apud Bajas frequentabat. ℙ In *Kalend. Praenestino l. c.* Quinquatria dicuntur *opificum dies*, quod nempe, ut ait *Lactant.* 1, 18., Minerva est, quae omnes artes reperit, ideoque illi artifices supplicant. Hinc etiam *Ov. l. c.* plurium artium cultores ad haec sacra celebranda invitat. ℙ Quae hactenus descripta sunt, majora Quinquatria dicebantur. Erant etiam Quinquatria minora, sive Quinquatrus minusculae, quae celebrabantur Idibus Juniis. *Ov. Fast.* 6, 651. Et jam Quinquatrus jubeor narrare minores. *Varr. l. c.* Quinquatrus minusculae dictae Juniae Idus ab similitudine majorum, quod tibicines tum feriati per Urbem vagantur, et conveniunt ad aedem Minervae. *Fest. in litt. M.* Minusculae Quinquatrus appellabantur Idus Juniae, quod is dies festus erat tibicinum, qui Minervam colebant. ℙ *Charis.* 1, 20. et *Prisc.* 7, 773. agnoscunt etiam *Quinquatres, ium*, ℙ Negat *Charis.* 1, 61. *Quinquatria* dici pro *Quinquatrus:* contra stat *Prisc.* 7, 744. et locus allatus *Suet. Dom.* 4., si modo constans ea lectio est. Nam quod quidam afferunt ex *Ov. Am.* 1, 8, 65. mendosum certe est.

QUINQUĔ, πέντε, nomen numerale cardinale indeclin. *Virg. G.* 1, 233. Quinque tenent coelum zonae. *Cic. N. D.* 1, 8. Unde vero ortae illae quinque formae? *Colum.* 12, 23. Sextarios quinque et quadringenta.

QUINQUĔFŎLĬUM, ii, n. πενταφύλλον, herba, quae quinque foliis constat. *Plin.* 25, 9, 62. Quinquefolium nulli ignotum est, cum etiam fraga gignendo commendetur. Adde *Cels.* 2, 33. *extr.*

QUINQUĔFŎLĬUS, a, um, adj. πενταφύλλος. *Plin.* 21, 4, 10. Rosae pallidae, spinosae, quinquefoliae.

QUINQUĔGENTĀNUS, a, um, adj. Ap. *Aurel. Vict. Caes.* 39., *Eutrop.* 9, 22. et 23. et *Oros.* 7, 25. nationes Quinquegentanae sunt Pentapolitani in Libya. V. PENTAPOLIS. Alii leg. *Quinquegentianus.*

QUINQUĔGĒNUS, indecl. quinque generum. *Auson. Idyll.* 12. *in monosyll. de cibis*, 10. Et duplici defensa putamine quinquegenus nux, *h. e.* juglans, avellana, castanea, pinea nux, et amygdalum.

[QUINQUĔJŪGUS, a, um, adj. quinque habens juga. *Jul. Valer. Res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 18. Praesidet et numen *(Serapis)* cui Dite potentius ipso, Vertice quinquejugo rerum secreta gubernans. *F.*]

QUINQUĔLIBRĀLIS, e, adj. πενταλιτραῖος, qui est quinque librarum. *Colum.* 3, 15. Qui singuli non excedant quinquelibrale pondus.

QUINQUĔLIBRIS, e, adj. quinquelibralis. *Vopisc. Prob.* 5. Donatus est patera quinquelibri.

QUINQUĔMESTRIS, e, adj. πενταμηνιαῖος, quinque menses natus. *Plin.* 8, 48, 75. Castrari agnos, nisi quinquemestres, praematurum existimat. *Varr. R. R.* 2, 7. Quinquemestres pulli.

QUINQUENNĀLĪCIUS, a, um, adj. ad quinquennalem pertinens. *Inscr.* ap. *Grut.* 126. *col.* 2. A. Aegrilius Augustal. quinquennalic., *h. e.* quinquennalitate functus. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 400. C. Julio Regino decurioni Karthag. Aed. IIvir. quinquennalicio, etc. Adde Tab. Canus. ap. *Fabr.* p. 598. *col.* 2.

QUINQUENNĀLIS, e, adj. πεντετηρικός, qui fit quinto quoque anno. *Cic. Or.* 3, 32. Cum Olympiam venisset maxima illa quinquennali celebritate ludorum. ℙ Item qui quinque annos durat, ut Quinquennalis magistratus. *Liv.* 4, 24. Alios magistratus annuos esse, quinquennalem censuram, grave esse, etc. ℙ *Quinquennalia, ium*, absolute, hoc est ludi, vel certamina quinto quoque anno celebrari solita, [*h. e.* quarto quoque anno completo, et quinto incipiente, cujus certaminis exemplum sumpsisse Nero videtur a Neapolitanis, qui (teste *Suet. Aug.* 98.) in honorem Augusti illud primum instituerant, more nempe Graecorum, qui Olympicos ludos quarto quoque anno celebrare consueverant. Haec *Quinquennalia* etiam Augustalia dicebantur. V. AUGUSTALIS. *F.*] *Inscr.* ap. *Grut.* 116, 3. Quinquennalibus Neronis. *Suet. Ner.* 12. Instituit et quinquennale certamen primus omnium Romae, more Graeco, triplex, musicum, gymnicum, equestre: quod appellavit Neronia. *Tac. A.* 14, 20. Nerone quartum, Cornelio Cosso Coss. quinquennale ludicrum Romae institutum est, ad morem Graeci certaminis, varia fama, ut cuncta fere nova. [*Suet. Dom.* 4. narrat, hujusmodi ludos quinquennales a Domitiano in Capitolio fuisse celebratos, unde *Agon Capitolinus* vocati sunt. V. AGON. *F.*] *Quinquennalis* absolute, [cui saepe *IIII. vir*, vel *II.* vir, vel *Praef.* praemittitur, *F.*] fuit magistratus in municipiis et coloniis, quatuor aut duobus viris constans, cujus quidem potestas censoriae similis per quinquennium, unde ei nomen, durabat; [titulo tamen tenus, quia reapse annua tantum fuisse videtur; quemadmodum Romae censura, quae primum quinquennalis fuerat (*Liv.* 4, 8.), mox ex quinquennali facta est annua et semestris (*Id. ib.* 24.), quam tamen postea Ap. Claudius per integrum quinquennium pervicacius retinuit (*Id.* 9, 33.). Duplex hujus magistratus tempus constat ex *Inscr.* mendosa ap. *Fabr.* p. 597. *n.* 1., emendata ap. *Oliver. Marm. Pisaur. n.* 28. Abejenae C. F. Balbinae anno quinquennalitatis Petinii Apri mariti ejus plebs urbana Pisaurensium, etc. Alia paucis abhinc annis reperta Aeclani, et edita a *R. Guarin. Spicil. Ecl.* p. 5. Ti. Claudio Ti. Fil. Cor. Maximo Q., IIvir. Quinq., in quo honore hic sepultus est, cujus mater Geminia NV. Fil. Sabina ob honorem ejus in via ducente Herdonias tria millia passuum ex D. D. intra lustrum honoris ejus repraesentata pecunia stravit. *F.*] *Spart. Hadr.* 19. Per Latina oppida dictator, et aedilis, et duumvir fuit, apud Neapolim demarchus, in patria sua quinquennalis. *Appul. Met.* 10. Thiaeus oriundus patria Corintho, ut ejus prosapia ac dignitas postulabat, gradatim permensis honoribus, quinquennali magistratui fuerat destinatus. V. PRAEFECTUS. ℙ *Quinquennalis* etiam fuit in collegio Augustalium, aliorum sacerdotum, et plurium artificum, qui eodem munere per quinquennium fungebantur. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 408. *n.* 332. L. Carullius Epaphroditus VI. vir Aug. idem Q. Q. huic VI. viri Aug. post curam quinquennalitatem optulerunt, qui egit annis continuis IIII. *Appul. Met.* 11. *f.* In collegium me pastophororum suorum, immo inter ipsos decurionum quinquennales adlegit. *Inscr.* ap. *Grut.* 358, 1. L. Antonius Peculiaris Q. Q. collegii fabrum Ostiensium lustri XXV. fecit, etc.

QUINQUENNĀLĪTAS, atis, f. dignitas et munus quinquennalis. *Inscr.* ap. *Grut.* 175, 8. Ti. Claudius Chresimus ob honorem quinquennalitatis collegio dendrophor. Romanor. etc. V. aliam in v. praec. §. 5.

QUINQUENNĀTUS. V. QUIMATUS.

QUINQUENNIS, e, adj. πενταετής, qui est quinque annorum. *Ov. Pont.* 4, 6, 5. In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est, *h. e.* quae quinto quoque anno incipiente celebratur. *Hor. Sat.* 2, 8, 48. Vinum quinquenne. *Pl. Poen. prol.* 85. Filia quinquennis. *Colum.* 7, 3. *med.* Ovis post bimatum maritari debet, juvenisque habetur quinquennis.

QUINQUENNĬUM, ii, n. πενταετία, quinque annorum spatium. *Cic. Leg.* 3, 3. Censores magistratum quinquennium habento. *Ov. Met.* 4, 292. Is tria cum primum fecit quinquennia, montes Deseruit patrios, *h. e.* quindecim explevit annos. *Stat. Silv.* 5, 3, 113. Cum stata laudato caneret Quinquennia versu, *h. e.* Quinquennalia.

QUINQUĔPARTĪTO, adv. πενταμερῶς, in quinque partes. *Plin.* 25, 6, 29. Foliis per ambitum incisis quinquepartito.

QUINQUĔPARTĪTUS, a, um, part. ab inus. *quinquepartior*, πενταμερής, divisus in quinque partes. *Cic. Inv.* 1, 34. *extr.* Quinquepartitam igitur hoc pacto putant esse argumentationem. Alii leg. *quinquepertitam.*

[QUINQUĔPĔDĀLIS, e, adj. qui est quinque pedum. *Hyg. de limitib.* p. 212. *Goes.* Terminus egregius dicitur quinquepedalis. *F.*]

*QUINQUEPLEX, icis, adj. i. q. quincuplex. Est πενταπλους *Gloss. Vet. B. A.*

QUINQUEPLĪCO. V. QUINQUIPLICO.

*QUINQUEPLUM, πενταπλουν *Gloss. B. A.*

QUINQUĔPRĪMI et Quinque primi, πενταπρωτοι, quinque viri principes in aliquo senatu. *Cic. Verr.* 2, 3, 28. Magistratus, et quinqueprimi accitu istius evocantur. V. DECURIO.

QUINQUĔRĒMIS, is, f. πεντήρης, navis, quae habet quinque ordines remorum. *Cic. Verr.* 2, 4, 46. Certos homines in quinqueremi misisse. *Liv.* 42, 48. Praemissus a praetore cum quinquereme una. *Id.* 28, 30. Quinqueremis seu pondere tenacior, seu pluribus remorum ordinibus scindentibus vortices, cum facilius regeretur, duas triremes suppressit. *Plin.* 7, 56, 57. Quadriremem Aristoteles auctor est, Carthaginienses fecisse; quinqueremem Mnesigiton Salaminios. ℙ Adjective. *Liv.* 41, 9. Decem quinqueremes naves. Adde 26, 24. V. DECEMREMIS.

[QUINQUĒRES, is, f. eadem ac quinqueremis, ac penteres: vox hybrida: a *quinque*, et ἐρέσσω, remigo. *Not. Tir.* p. 177. Bieris, trieris, quatrieris, quinqueris, hexeris, hepteris, penteris. Hic semper ultima syllaba per *is* vitio saeculi effertur, cum per *es* efferenda esset. *F.*]

QUINQUIĒS, adv. πεντάκις, quinque vicibus. *Cic. Phil.* 11, 5. At hic me defendente quinquies absolutus est. *Plin.* 2, 23, 21. Quinquies millies. *Id.* 6, 13, 15. Quinquies mille quadringenta stadia. *Id.* 18, 7, 17. Aqua quinquies in die mutata. *Cato R. R.* 156. Quinquies quinque numerare.

[QUINQUĪFĪDUS, a, um, adj. in quinque partes fissus, seu divisus: a *quinque*, et *findo*. *Venant.* in *epist.* praem. *carm.* 6. *l.* 5. *med.* Haec tela velut plumis illitis quinquifida viscata tendebat. *F.*]

QUINQUIPLĪCO, as, a. 1. quinquies duplico. *Tac. A.* 2, 36. Superbire homines etiam annua designatione; quid, si honorem per quinquennium agitent? quinquiplicari prorsus magistratus, subverti leges. Alii leg. *quintuplicari*, alii *quinqueplicari.*

[QUINQUIPLUS, a, um, adj. πενταπλάσιος, alicujus rei quantitatem quinquies continens. *A. Maius* in *praef.* ad *Cic. de Repub.* p. XL. se legisse testatur in *Cod.* palimpsesto bibliothecae canonicor. Veronensium, qui continet fragmenta operis cujusdam mathematici sub n.o XXXVIII. Ad quinquiplum veniet. *F.*]

QUINQUO, as, a. 1. lustro, purgo. *Charis.* 1. 62. Quinquatrus a quinquando, idest lustrando, quod eo die arma ancilia lustrari sint solita.

QUINTĂDĔCĪMĀNI, orum, m. plur. milites legionis decimaequintae, ap. *Tac. H.* 4, 36.

[QUINTĀNENSIS, e, adj. ad quintum pertinens. *Inscr.* in *Giorn. Arcad.* T. 28. p. 350. Aurelius Chrysomallus Quintanensis Leg., *h. e.* miles legionis quintae, cujus milites etiam Quintani appellantur. V. v. sq. ℙ *Quintanenses* fuerunt etiam cognominati Labicani, quorum urbs Labicum seu Lavicum olim diruta, mox restaurata cognomen accepit a statione, quae inibi erat, quaeque *ad Quintanas* dicebatur, quod ad XV. mill. pass. ab Urbe erat. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 540. *n.* 388. Parthenio arcario reipublicae Lavicanorum Quintanensium. Eadem vero de causa in alia ap. *eund.* p. 499. *n.* 31. legitur *praedia Quintanensia.* V. LABICI. *F.*]

QUINTĀNUS, a, um, adj. πεμπταῖος, a *quintus*, ut *primanus* a *primus*, *tertianus* a *tertius*. Dicitur de iis, quae quinto loco, die, etc. fiunt. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 7. Vineas semper quintanis semitari (al. *seminari*), hoc est ut quinto quoque palo singulae jugo paginae includantur. ℙ Ap. *Tac. H.* 1, 55. et *ib.* 4, 36. Quintani sunt milites legionis quintae. ℙ *Varr. L. L.* 5, 4. Nonae quintanae dicuntur, quae quinto mensis die veniunt: sicut septimanae, quae septimo. *Macr. Sat.* 1, 15. Pontifex minor quintanas quidem dicto quinquies verbo *καλῶ*, septimanas repetito septies praedicabat. Adde *Censor. de die nat.* 20. *med.* V. CALO et CALENDAE. ℙ Quintana, inquit *Paul.* ex *Festo*, appellabatur porta in castris post praetorium, ubi rerum utensilium forum fuit. *Lipsius* vult omitti *porta*, quia quintana fuit potius via lata, seu platea in castris, in qua utensilia prostabant. Ad cujus similitudinem narrat *Suet. Ner.* 26. assuevisse eum tabernulas effringere, et expilare, quintana domi constituta, ubi partae, et ad licitationem divendendae praedae pretium assumeretur. *Liv.* 41, 2. *f.* Praetorio dejecto, ad quaestorium forum, quintanamque hostes pervenerunt. Ibi cum omnium rerum paratam expositamque copiam, et stratos lect. s in quaestorio invenissent, etc. ℙ *Festus* quintanam classem ait Verrium dicere fuisse eam, in qua erant capitecensi; sed errare videtur, nam classis, in qua erant capitecensi, fuit sexta. V. CENTURIA. ℙ *Isid. Or.* 15, 2. de aedificiis publicis verba faciens, quintanam definit partem plateae quintam, qua carpentum progredi potest.

QUINTĀRĬUS, a, um, adj. quinque continens. *Vitr.* 3, 1. Quintarius numerus: *πενταμοιρος*. V. dicta in AS. ℙ In re agrar. *Hyg. de limit.* p. 158. *Goes.* Sic et de limitibus quintariis, quintum quemque quintarium volunt. Porro autem inter quintum, et quintarium interest aliquid. Quintus est, qui quinto loco numeratur: quintarius, qui quinque centurias cludit.

QUINTĬĂ Gens. V. QUINTIUS.

QUINTĬĀNUS et Quinctianus, a, um, adj. ad Quintium aliquem pertinens, ut Quintianus exercitus, ap. *Liv.* 3, 28. *h. e.* cui praecerat L. Quintius Cincinnatus. *Cic. Cluent.* 41. Quintiana judicia, *h. e.* a L. Quintio habita.

QUINTĬCEPSOS. V. BICEPSOS.

QUINTĬLĬĀNUS, a, um, adj. ad Quintilium pertinens, quod est nomen proprium Romanum. *Festus:* Quintiliani Luperci appellati videntur a Quintilio, qui praepositus est Lupercis, ut a Fabio Fabiani dicti sunt. Fuisse autem Romuli temporibus institutos utrosque, Fabianos, et Quintilianos, multi sunt qui existimant. Haec *Festus.*

QUINTĬLĬĀNUS et Quinctilianus, i, m. M. Fabius Quintilianus nobilis rhetor Hispanus Calagurritanus, (unde *Auson. Profess.* 1, 7. Asserat usque licet Fabium Calagurris alumnum;) a Galba Aug. Romam perductus, in foro aliquamdiu versatus est non mediocri cum laude: deinde rhetorem professus scholam aperuit: in qua praeter ceteros discipulum habuit C. Plinium Caecilium Secundum, ut his ipse significat *ep.* 2, 14. et *ep.* 6, 6. Primus Romae publice rhetoricam docuit, et salarium e fisco accepit, tanta cum ingenii, eloquentiae, ac doctrinae fama, ut Domitiani sororis nepotum instituendorum cura ei delegata sit, ut ipsemet scribit *prooem.* 4. Scripsit de arte rhetorica, et de causis corruptae eloquentiae: quae perierunt. Aetatem tulit, feretque in posterum praeclarissimum opus de Institutione oratoria, duodecim libris constans, copiosum, eruditum, planeque Latinum; versatur in manibus omnium studiosorum, durabitque tamdiu, quamdiu litterae exstabunt et colentur. ℙ Declamationum, quae ei tribuuntur, aliae sunt minores, aliae majores: illae numero plures, ab aliis patri, ab aliis avo hujus tribui solent: hae numero undeviginti, quamvis videantur nonnullis ejusdem auctoris esse, qui de Institutione oratoria scripsit; a plerisque tamen tanto viro indignae jure ac merito judicantur. *Mart.* 2, 90. Quintiliane, vagae moderator summe juventae: Gloria Romanae, Quintiliane, togae. ℙ De ratione scribendi V. in QUINTIUS.

QUINTĬLĬI et Quinctilii, orum, m. plur. gens Romana antiquissima, ex illis nempe, qui primi cum Romulo Urbem condiderunt, ut colligitur ex *Festo* in *Quintilianus.* Patricia fuit, et summis honoribus clara. In corpore Inscriptionum *Gruteri*, et ap. *Livium* multi Quintilii praenomine Marci, Publii, Titi, Caii, et Sexti memorantur. ℙ *Quintilium Varum quendam meminit *Liv.* 29, 38. et 44, 18. Quintilius Varus, proconsul Syriae, praefectus, mox dux Romanorum in Germania, ab Arminio devictus, gladio mortem sibi conscivit. *Vell.* 2, 117. *Flor.* 4, 12. *Suet. Tib.* 17. *Tac. A.* 1, 3. etc. ℙ Alius, Cremonensis, poeta, ac amicus Horatii, Virgilii cognatus et sodalis. *Hor. Od.* 1, 24. Adde *A. P.* 438. ℙ *Quintilia*, *ae*, *f.* nomen feminae ap. *Catull.* 96, 7. *B. A.*] ℙ De ratione scribendi V. QUINTIUS.

QUINTĪLIS et Quinctilis, is, m. quintus mensis a Martio, ut est ap. *Varr. L. L.* 5, 4. *f.* et *Ov. Fast.* 3, 249., qui postea in honorem C. Julii Caesaris (qui eo mense a. d. IV. Idus natus erat) legem ferente M. Antonio consule, *Julius* est appellatus, ut *Suet. Caes.* 76. et *Macr. Sat.* 1, 12. narrant. *Cic. Att.* 14, 7. Volo mense Quintili in Graeciam. *Hirt. B. Afr. f.* Ante diem tert. cal. Quint. naves conscendit. *Liv.* 9, 46. *extr.* Ut equites Idibus Quintilibus transveherentur. ℙ De ratione scribendi V. in QUINTIUS.

[QUINTĬLLUS, a, um, adj. dimin. quinti. Est cogn. R., ut M. Aur. Claudius Quintillus frater et successor imperatoris Claudii Gothici in nummis ap. *Eckhel D. N. V.* T. 7. p. 478. et in *Inscr.* ap. *De-Vita Antiqu. Benev.* p. 44. *n.* 32. Domitia Quintilla. *F.*]

[QUINTĪNUS, a, um, adj. ad Quintum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 200. C. Julius Quintinus. Alia in *Giorn. Arcad.* T. 6. p. 362. Didia Q. F. Quintina. *F.*]

[QUINTĬO, onis, m. dimin. Quinti. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 599. *n.* 9. T. Flavius Quintio. Alia ap. *Grut.* 53, 7. Q. Vitalis Quintionis F. *F.*]

QUINTĬPOR, oris, m. servile nomen, frequens apud antiquos, a praenomine domini ductum: ut Marcipor, Caipor, quamvis sint, qui a numero natorum ex ancilla quinto loco dictum putent. *Festus. Varr.* ap. *Non.* 6, 1. Cum Quintipor Clodius tot comoedias sine ulla fecerit Musa. V. in GARGARIDIO et MARCIPOR.

QUINTĬUS et Quinctius, ii, m. nomen proprium civis R. Quintia gens tum patricia, tum plebeja fuit. Illa post Albam dirutam a Tullo rege inter patricias adscita, ut est ap. *Liv.* 1, 30., multis illustribus viris floruit, in quatuor familias divisa, Capitolinos, Cincinnatos, Flamininos, et Crispinos. *Liv.* 3, 12. Neque in Quintia gente, neque in civitate Romana tantam indolem unquam exstitisse. ℙ Quintia prata trans Tiberim, a Quintio Cincinnato, cujus fuerant, dicta sunt: qui sibi, damnato filio Caesone Quintio, venditis omnibus, quatuor jugerum agrum paraverat: eumque dum incoleret, a senatu dictator per viatorem salutatus, post rem bene gestam actumque triumphum, confestim eodem rediit. *Festus. Liv.* 3, 13. *extr.* et *ib.* 26., *Val. Max.* 4, 4. *n.* 7. et *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 17. ℙ De scriptione lis est non parva, aliis *ct* tum in hac, tum in cognatis vocibus *Quinctilis*, *Quinctilius*, *Quinctilianus*, et quae omnium origo est, *quinctus* acriter defendentibus: aliis *c* omnino exterentibus. In illis sunt *Manut.*, *Anton. Augustinus*, *Voss.* in *Etym.* in *Quinque*, *Lipsius*, et alii, secuti lapides Capitolinos aliasque Inscriptiones ap. *Grut.* etc., item etymologiam, quia putant *quinctus* esse a *quinque* ea ratione, qua a *relinquo* est *relictus*, a *coquo coctus.* In his *Dausquius*, et *Turneb.* secuti non pauciores lapides, quorum quinque ipse *Manut.* affert. Adde his, quod Graeci *κοΐντος*, et *κοΐντιος* sine *κ* scribunt: adde quod *quintus* numerale nomen vix cum *c* in libris et marmoribus invenies. *Cellar.* utramque scriptionem ex aequo usitatam fuisse existimat. [*Forma *Quintius*, etc. praeferenda est. V. *Schneid. Gr. L.* 1. p. 451.]

QUINTO, adv. quinto loco. Ordinem designat, et quatuor ante facta. *Liv.* 8, 25. Eodem anno lectisternium Romae, quinto post conditam Urbem, habitum est. V. QUARTO et TERTIO.

[QUINTŬLUS, a, um, adj. dimin. quinti. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 201. Aledius Quintulus. Alia ap. *Grut.* 468, 8. Lusia L. F. Quintula. *F.*]

QUINTUM, adv. quinta vice. Tempus designat, et quater ante factum. *Liv.* 27, 6. Declarati consules Q. Fabius Maximus quintum, Q. Fulvius Flaccus quartum. V. QUARTUM.

QUINTUPLEX, ĭcis, adj. omn. gen. pro *quincuplex* legitur a nonnullis ap. *Vopisc. Prob.* 7. Salarium quintuplex fecimus.

QUINTUPLĪCO. V. QUINQUIPLICO.

QUINTUS, a, um, adj. numerale ordinis, *πέμπτος*. *Liv.* 31, 7. Non quinto inde mense, quemadmodum a Sagunto Annibal, sed quinto inde die, quam ab Corintho solverit naves, in Italiam perveniet. ℙ *Quintus*, et *Quinta* est etiam praenomen R. ab ordine nascendi impositum. V. DECIMUS. *Inscr.* Patavina ap. *Grut.* 885, 3. Q. Pomponius Q. F. Fabia Severus. Alia item Patavina in figlina edita a *Jo. Labusio De la certitude* etc. p. 73. Quintae Must. Aug. Sab. C. F. *h. e.* Quintae Mustiae Augurinae Sabinae clarissimae feminae, quae videtur fuisse consanguinea T. Mustii C. F. Fab. Hostilii Fabricii Medullae Augurini, cujus est mentio in *Inscr.* itidem Patavina ap. *Grut.* 440, 4.

QUINTUSDĔCĪMUS, a, um, adj. *Gell.* 1, 16. In libro quintodecimo ita dicit. *Liv.* 45, 33. *extr.* Quintisdecimis castris Passaronem pervenit. V. CASTRA.

QUIPPE, *ἄτε*, *οἷον*, *γοῦν*, adverbium, vel conjunctio, confirmans, qua rationem reddimus ejus, quod praecessit, ut *cum*, *quia*, *nam*, *nempe*. *Cic. Dom.* 48. *med.* Jam fateor, inquit, in Gabinio me nefarium fuisse. Quippe vides, poenam illam a te in alium institutam, in te ipsum esse conversam. *Sall. Cat.* 13. Quibus mihi ludibrio videntur fuisse divitiae. Quippe, quas honeste habere licebat, per turpitudinem abuti properabant. *Tibull.* 4, 1, 156. Sed durata *(unda)* riget densam in glaciemque nivemque. Quippe ubi non unquam Titan superingerit ortus. (Adde *Prop.* 2, 1, 75. et *Virg. G.* 1, 505.) *Hor. Od.* 1, 31, 13. Diis carus ipsis, quippe ter et quater Anno revisens aequor Atlanticum Impune. *Phaedr.* 3, 2. Alii onerant saxis: quidam contra miseriti, Perituraе quippe, quamvis nemo laederet, Misere panem. ℙ Servit ironiae. *Virg. A.* 1, 41. mene incepto desistere victam, Nec posse Italia Teucrorum avertere regem? Quippe vetor fatis. *Cic. Mil.* 12. *extr.* Movet me quippe lumen curiae. Adde *Pl. Epid.* 5, 1, 12. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 4.] ℙ Cum aliis particulis causam reddentibus. *Cic. Or.* 2, 54. Leve nomen habet utraque res: quippe leve enim est hoc totum, risum movere. (Alii melius ita distinguunt, *quippe; leve enim*, etc. et sic valet certe, sane. Quod faciunt etiam in illo *Fin.* 4, 3. *f.* Ista ipsa a te quidem apte ac rotunde: quippe; habes enim a rhetoribus. [*V. *Matth.* ad h. l.]) *Lucr.* 6, 617. Quippe videmus enim vestes humore madentes Exsiccare suis radiis ardentibu' solem. *Id.* 1, 104. (et al. saepe) Quippe etenim quam multa tibi me fingere possum, etc. *Ter. Heaut.* 3, 2, 27. Quippe quia magnarum saepe id remedium aegritudinum est. *Cic. Fam.* 1, 9, 9. Ibi multa de mea sententia questus est Caesar, quippe quod etiam Ravennae Crassum ante vidisset, ab eoque in me esset incensus. Alii leg. *qui.* [*Ita *Orell.*] *Plin.* 26, 10, 64. Insanabilis non est credendus, quippe quoniam in multis sponte desiit. *Pl. Capt.* 4, 2, 106. Quippe quando mihi nihil credis. ℙ *Quippe cum* idem quod *cum* conjunctio, vel *utpote cum*. *Cic. Att.* 10, 3. Visum te ajunt in regia: nec reprehendo: quippe cum ipse istam reprehensionem non fugerim. *Nep. praef.* Neque Cimoni fuit turpe, sororem habere in matrimonio, quippe cum cives ejus eodem uterentur instituto. *Liv.* 26, 39. Raro alias tantis animis justae concurrerunt classes: quippe cum in majoris discrimen rei, quam ipsae erant, pugnarent. ℙ *Quippe ubi*, quippe cum, nam cum, quippe quia. *Lucr.* 1, 610. Quippe ubi dimidiae partis pars semper habebit Dimidiam partem; et *ib.* 988. Quippe ubi materies omnis cumulata jaceret. Adde *Prop.* 2, 1, 75., ubi alia ex *Lucr.* congerit *Broukus.* ℙ *Quippe qui*, *quae*, *quod*, utpote qui. *Cic. Rosc. Am.* 18. *f.* Convivia cum patre non inibat: quippe qui ne in oppidum quidem, nisi perraro, veniret. *Nep. Dion.* 2. Cum a tyranno crudeliter violatus esset, quippe quem venundari jussisset; tamen, etc. *Cic. Inv.* 2, 45. Cum semel causa consideretur, nihil attinet eam ex lege considerare, quippe quae in lege scripta non sit. *Id. N. D.* 3, 40. Quippe inquit Vellejus, qui etiam somnia putet ad nos mitti ab Jove. *Pl. Epid.* 3, 2, 30. Dicat, argenti minas se habere quinquaginta: quippe ego qui nudiustertius meis manibus dinumeravi. *Id. Bacch.* 3, 1, 2. Aperite januam hanc Orci: nam equidem haud aliter esse duco: quippe quo nemo advenit, nisi quem spes reliquere omnes. Adde *Amph. prol.* 22. His autem *Plauti* locis indicativus post *quippe qui* ponitur pro subjunctivo. [*Minime! Indicativus positus est, quod *quippe qui* his locis sententiam inchoat, antegressae enunciationi non tanquam partem necessariam adhaerescentem, sed integram enunciationem constituentem, cum priori non interno causarum nexu copulatam. V. *Ramsh. Gr. L.* §. 183. p. 768. coll. *Drak.* ad *Liv.* 39, 12, 7. et *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* 36, 138. *Stallb.* ad *Ruddim.* 2, 349. sq. *Sall.* semper ita locutus est. V. *Jug.* 1, 3. quippe quae prohibitatem, industriam, aliasque artes bonas neque dare, neque eripere cuiquam potest. Adde 7, 6. 14, 10. 20, 6. 28, 1. 48, 1. 54, 8. 76, 1. 85, 32. 86, 3. *Fragm. Hist.* 3, 11, 4. *Cat.* 13, 2. 48, 2. *Liv.* 5, 37. Plurimum terroris Romam celeritas hostium tulit; quippe quibus aegre ad undecimum lapidem occursum est. Contrarium usum sequitur *Cic.*, qui, si vera est *Goerenzii* observatio ad *Fin.* 4, 3, 7., *quippe qui* nunquam cum indicativo conjunxit.] ℙ Pro utpote. *Cic. Fin.* 1, 6. *med.* Sol Democrito magnus videtur, quippe homini erudito, in geometriaque perfecto. ℙ Pro certe: et simul servit jungendae orationi, ut *necnon*, *item*, *praeterea*. *Virg. G.* 1, 268. Quippe etiam festis quaedam exercere diebus, Fas et jura sinunt. *Prop.* 4, 5, 11. Quippe et collinas ad fossam moverit herbas, Stantia currenti diluerentur aqua: *quippe et*, necnon. ℙ In responsionibus quoque affirmat, ut *quippini*. *Cic. Caecin.* 19. *med.* Recte igitur diceres te restituisse? quippe. ℙ *Quippe ut*, prorsus ut, certe ut. *Just.* 4, 3. Quippe ut Rheginis melius fuerit vinci, quam vincere. ℙ Habet vim v. *certe* etiam in his. *Virg. A.* 1, 6. celsa sedet Aeolus arce Sceptra tenens, mollitque animos, et temperat iras. Ni faciat, maria ac terras coelumque profundum Quippe

ferant rapidi *(venti)* secum, verrantque per auras. (Possis tamen et ita intelligere, *quippe ni faciat*, nam ni faciat.) *Id. ib.* 4, 218. nos munera templis Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem; et *ib.* 12, 420. Fovit ea vulnus lympha longaevus Iapyx Ignorans: subitoque omnis de corpore fugit Quippe dolor, omnis stetit imo vulnere sanguis. ℙ Quod *Festus* docet testimonio *Enn.* 4. et *Annal.* 16. *quippe* significare quid ni, eruditis non probat.

QUIPPIAM. V. in QUISPIAM.

QUIPPĪNI? *τί γὰρ οὔ; πῶς οὔ;* quid ni? cur non? adverbium affirmandi comicum. *Pl. Men.* 5, 9, 50. *Mess.* Esne tu Syracusanus? *Men. sur.* certo. *Mess.* Quid tu? *Men. So.* quippini? *Id. Bacch.* 4, 7, 41. Quid illam? meretricemne esse censes? *Ni.* quippini? *Id. Poen.* 3, 4, 29. Diespiter vos perduit. *Ad.* et quippini? et *ib.* 30. Ibo, et pultabo januam hanc. *Ad.* te quippini? *Appul. Met.* 9. Apponebat ei propere *(mensam)* quamvis invita, mulier: quippini? destinatam alii. Quidam omitt. notam interrogationis, et *quippini* exponunt, quippe, utpote quam, vel nempe.

QUIQUI, idem quod quisquis, quicumque, qualiscumque: ut enim *qui* pro *quis* dicitur, ita *quiqui* pro *quisquis*. *Pl. Aul.* 4, 10, 44. Neque partem tibi ab eo, quiqui est, inde posces. *Cic. Att.* 16, 8. Veteranos, quiqui Casilini et Calatiae sunt, perduxit ad suam sententiam, *h. e.* quicumque, vel quotquot. *Pl. Men.* 5, 9, 97. Omnia venibunt, quiqui licebunt, praesenti pecunia. *Id. Poen.* 3, 2, 11. Quiqui tamen *(estis)*, et bene et benigne facitis, cum hero amanti operam datis. *Liv.* 41, 8. *med.* Liberos suos quibusquibus Romanis, in eam conditionem, ut manumitterentur, mancipio dabant.

QUIRĒ. V. in QUEO *f.*

QUIRĪĀNA Mala V. QUIRINIANA.

QUIRĪNA, tribus R. una ex rusticis: videtur, inquit *Festus*, a Cureusibus Sabinis appellationem traxisse. Constat ex *Epit. Liv.* 19. ann. U. C. DXII. Catulo et Albino Cos. tribus Velinam et Quirinam aliis adjectas fuisse, hinc tribuum XXXV. numerus, quem deinde retinuerunt, expletus est. *Cic. Quint.* 6. L. Albius Sex. filius Quirina. In S. C. ap. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 8. 6. Septimius T. F. Quirina. *Inscr.* ap. *Grut.* 56, 11. Ti. Claudius Ti. F. Quir. Tertius. Alia ap. *eund.* 521 9. C. Antonius C. F. Qui. Priscus.

QUIRĪNĀLIS, e, adj. ad Quirinum pertinens. *Virg. A.* 7, 187. Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat Succinctus trabea, *h. e.* qualem postea Quirinus habuit. Sic *ib.* 612. Ipse Quirinali trabea cinctuque Gabino, &c. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Quirinalis flamen. *Ov Fast.* 6, 218. Inque Quirinali constituere jugo, *h e.* in colle Quirinali, qui unus est ex septem Urbis Romae, nunc *Montecavallo:* de quo *Festus:* Quirinais collis qui nunc dicitur, olim Aegonus *(melius Agonius)* appellabatur, ante quam in eum commigraent Sabini Curibus venientes, post foedus inter Romulum et Tatium ictum: a quo hanc appellationem sortitus est: quamvis existiment quidam, quod in eo factum sit templum Quirino, ita dictum. *Varr. L. L.* 4, 8. Collis Quirinalis, ubi Quirini fanum: ei a Curetibus, qui cum T. Tatio Curibus venerun Romam, quod ibi habuerunt castra. *Ov. Fast.* 2, 11. Templa Deo *(Quirino)* fiunt: collis quoque dictus ab illo. In *fragm. vet. Calendarii* ap. *Grut.* 134 bis legitur: In colle Quirinale. ℙ *Quirinalis pota*, quae et Agonensis, et Collina, et mox Salaria in Sabinos fert, habetque nomen vel a colle Quirinali, quia ab ea in illum itur; vel quod proxime ea est Quirini sacellum, ut ait *Festus.* ℙ *Quirinalia, ium*, dies quo sacra fiebant in honorem Quirini, quidies erat XIII. cal. Mart. Mentio eorum fit ap. *Cic. Fam.* 2, 3. et 13. V. *Ov. Fast.* 6. a *v.* 475. ℙ Eadem dicta sunt etiam *festa stultorum*, quia hoc die sacrificium fiebat ab iis colonis, qui statum diem Fornacalium per ignorantiam praetermiserant. *Ov. Fast.* 2 527. Curio legitimis nunc Fornacalia verbis Maximus indicit, nec stata sacra facit. Inque foro, multaecircum pendente tabella, Signatur certa curia quaeque nota. Stultaque pars populi, quae sit sua curi, nescit: Sed facit extrema sacra relata die. *Fest.* i *Stultorum*, ita de hac re docet: Stultorum feriasappellari Quirinalia, qui est dies festus Quirini, qod eo die Quirino sacrificent ii, qui aut non potuerint, aut ignoraverunt suorum Fornacalium sacroum diem: et sic commissum morae piaculum expire, atque quod suis non fecerant, quibis permittur feriis sacra facere. Adde *eund.* in *Quirinalia*

QUĪRĪNĀNĀ Mala laudant *Cato R. R.* 7. et *Varr. R. R.* 1, 9. His adde *Plin.* 15, 14, 15. et *Macr. Sat.* 2, 15 apud quos alii leg. *Quiriana.* Harum appellationm causa et origo quae sit, ignoratur.

[QUĪRĪĪUS, ii, m. ad Quirinum pertinens. Est cogn. R., it P. Sulpicius Quirinius Cos. ann. U. C. DCCXLII. ante Chr. n. XII., qui postea, dum Syriae praeset esset, censum Judaeae eo anno peregit, quo natus st JESUS CHRISTUS D. N., ut constat ex *Evang. Luc.* 2, 2., ubi Graece quidem ex prava vulgi pronnciatione *Κυρήνιος*, Latine vero perperam *Cyrins* appellatur. *Inscr.* in tab. aenea ap. *Marin. Frc. Arv.* p. 782. P. Sulpicio Quirinio, C. Valgio Cos. Ita porro bis scribitur etiam in *Kalend. Praenest.* mens. Mart. et April. a *Fogginio* edito. *F.*]

QUĪRĪNUS, i, m. *Κυρῖνος*, nomen Romuli, postquam vita functus Deus habitus est. (V. *Ov. Met.* 14. a *v.* 805.) *Virg. A.* 1, 296. Cana Fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus. *Enn.* ap. *Non.* 2, 394. Teque, Quirine pater, veneror, Horamque Quirini. *Ov. Fast.* 2, 476. Qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit: Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis (Bellicus a telo venit in astra Deus) Sive suum regi nomen posuere Quirites: Seu quia Romanis junxerat ille Cures. *Festus:* Quirinus ex hac causa Romulus est appellatus, quod curi, id est hasta uteretur: a qua Romani eo nomine Romulum appellaverunt. *Serv.* ad *cit. A.* 1. praeter hanc addit aliam hujus nominis notationem, a *κοίρανος*, princeps, dominus. Possis etiam ducere a *κύριος*, quod idem notat, et propius ad Quirinum accedit. Addit *Serv.* posse etiam a Marte duci, cujus filius est habitus: quia Mars, cum saevit, Gradivus dicitur, cum tranquillus est, Quirinus: hinc duo ejus templa apud Romanos fuisse, unum sub nomine Quirini intra Urbem, quasi custodis, sed tranquilli; alterum Gradivi, quasi bellatoris, extra Urbem via Appia, prope portam Capenam. Hoc idem repetit etiam ad illud *A.* 6, 860. Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino. ℙ Etiam puer sic appellabatur ab *Ov. Fast.* 3, 41. Interea crescente Remo, crescente Quirino. ℙ *Geminos Quirinos* dixit *Juven.* 11, 105. Romulum et Remum Martis filios: ut *Castores* dicti sunt Castor et Pollux. V. CASTOR. ℙ Etiam Janus cognominatus est Quirinus, quasi bellorum potens, ab hasta, quam Sabini curim vocant. *Macr. Sat.* 1, 9. *med.* Hinc *Suet. Aug.* 22. Janum Quirinum semel atque iterum a condita Urbe clausum, terra marique pace parta, ter clusit, *h. e.* templum Jani. *Hor. Od.* 4, 15, 8. de Augusto: et vacuum duellis Janum Quirinum clusit. ℙ In illo *G.* 3, 25. In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto Gangaridum faciam, victorisque arma Quirini: *Virgilius* Augustum designat (qui Indos devicit: unde *ib.* 2, 171. Qui nunc extremis Asiae jam victor in oris Imbellem avertis Romanis arcibus Indum) qui loco Romuli Romanos regebat. Subdit hic *Serv.* ex *Suet.* eum primum appellatum esse Quirinum, deinde Augustum: quod et *Suet. Aug.* 7. tangit. Quod addit *Serv.* oblatum ei fuisse etiam nomen *Caesaris*, id pertinet ad testamentum C. Julii, qui eum in familiam cognomenque adoptaverat. *Suet. Caes.* 83. ℙ In illo *Prop.* 4, 6, 21. Altera classis erat tenero damnata Quirino: designatur M. Antonius effeminatus Cleopatrae consuetudine. ℙ Adjective. *Id. ib.* 10, 11. Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirinis. *Hor. Od.* 1, 2, 46. Laetus intersis populo Quirino. *Ov. Met.* 14, 836. lucum pete, colle Quirino Qui viret, *h. e.* Quirinali. Ubique tamen, sed perperam, alii leg. *Quirini.*

QUĪRIS pro *curis*, h. e. hasta, legitur a nonnullis in illo *Ov. Fast.* 2, 477. Sive quod hasta quiris priscis est dicta Sabinis. ℙ *Quiris* singulare a *Quirites. Festus* tradit, praeconem Romae in funeribus indictivis ea usum esse formula: Illus (corrige *ollus*, ut est ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.*) Quiris leto datus. *Hor. Ep.* 1, 6, 7. et amici dona Quiritis. *Inscr.* ap. *Grut.* 308, 1. Q. Tullius Q. F. pontifex sacr. Junonis Quiritis, *h. e.* Romanae, vel hastatae. V. CURIS. *Ov. Met.* 14, 423. Reddentemque suo jam regia jura Quiriti. *Id. Amor.* 1, 7, 29. si pulsassem minimum de plebe Quiritem. *Juven.* 8, 47. ima plebe Quiritem Facundum invenies. *Pers.* 5, 75. heu steriles veri! quibus una Quiritem Vertigo facit, *h. e.* liberum, et civem Romanum. *Hor. Od.* 2, 7, 3. Quis te redonavit Quiritem Diis patriis, Italoque coelo? *h. e.* e militia urbi restituit, et quieti. *Claud. carm.* 12, 16. Epulisque jam repleto Resonet Quirite Tibris, *h. e.* populo R. *Lucan.* 2, 386. Hirtam membra super Romani more Quiritis Induxisse togam, *h. e.* plebeji civis R. Quo pertinent modo allata loca *Ov. Am.* 1. et *Juven.* ℙ *Prisc.* 4, 633. agnoscit etiam rectum singularem *Quiritis:* item *Quirites* in eodem casu *Petr.* ap. *Serg. in edition. Donati* 2. p. 1843. *ejusd.*

QUĪRĪTĀTĬO, onis, f. humanae divinaeque opis imploratio. *Liv.* 33, 28. Fuga comitum, et quiritatio facta.

QUĪRĪTĀTUS, us, m. idem quod quiritatio, clamor, vociferatio, auxilii imploratio. *Plin. ep.* 6, 20. Audires ululatus feminarum, infantium quiritatus, clamores virorum. Sunt qui legunt *queritatus. Val. Max.* 9, 2. *n.* 1. Quarum lamentabiles quiritatus trepidae civitatis aures receperunt. Adde 6, 2. *n.* 8.

QUĪRĪTES, um, m. plur. *Κυρῖται*, proprie fuere, qui Cures incolebant, Sabinorum oppidum, in quo regnavit T. Tatius: ut Romani, qui cum Romulo Romam tenebant. Unde *Virg. A.* 7, 710. Una ingens Amiterna cohors, priscique Quirites. ℙ Verum post foedus ictum inter Romulum et Tatium, pro eodem populo Romani et Quirites habiti sunt. Itaque omnes promiscue appellari Quirites coepti sunt. Cum enim ex duobus populis, Romanis et Sabinis, unus factus esset, ut Romanorum ratio haberetur, constitutum est, ut urbs pristinum Romae retineret nomen, et unusquisque ex civibus Romanus, ut ante, appellaretur: ut ratio Sabinorum haberetur, placuit, ut populus, idest universi simul cives in posterum *Quirites* vocarentur. *Liv.* 1, 13. et *Fest.* ℙ Haec appellatio propria erat Romanorum in Urbe, quasi ad populum in pace et otio viventem: atque adeo militaribus viris ignominiosa. Narrat *Suet. de Caes.* 70. ipsum decimanos missionem et praemia flagitantes, neque adire cunctatum esse, neque dimittere, sed una voce, qua Quirites eos pro militibus appellavit, tam facile circumegisse et flexisse, ut ei milites esse, confestim responderint, et quamvis recusantem, ultro in Africam secuti sint. Hoc idem scribit *Tac. A.* 1, 42. et *Lampr. Alex. Sev.* 52, 53. et 54. Sic *Lucan.* 5, 357. discedite castris: Tradite nostra viris ignavi signa Quirites. ℙ Postquam Sabini Romanis adjecti sunt, saepe *Quirites*, et *Romani* in appellatione civium jungebantur, praesertim in formulis sacrorum, metu, opinor, ne alteruter populus in precationibus non comprehenderetur, in quibus utriusque populi comprehendi maxime intererat. Dicebant autem *populus Romanus Quirites*, et *populus Romanus Quiritesque*, et *populus Romanus Quiritium.* Primam et secundam loquendi rationem probat *Brisson. l.* 1. *de Formul.*, tertiam excludit. Omnes admittendas esse contendit *Gronov. Observ.* 4, 14. Hic habes de omnibus non unum exemplum. *Festus* in *Dici.* Dici mos erat Romanis in omnibus sacrificiis precibusque: *Populo Romano, Quiritibusque.* In formula censoria ap. *Varr. L. L.* 5, 9. Quod bonum, fortunatum, felixque, salutareque siet populo Romano Quiritium, reique publicae populi Romani Quiritium. *Liv.* 5, 41. Sunt qui, M. Fabio pontifice maximo praefante carmen, devovisse eos se pro patria, Quiritibusque Romanis tradant. *Id.* 8, 6. *f.* Comparant inter se, ut ab utra parte cedere Romanus exercitus coepisset, inde se consul devoveret pro populo Romano Quiritibusque. *In formula concipiendorum Compitalium* ap. *Gell.* 10, 24. Die noni populo Romano Quiritibus Compitalia erunt. *In alia capiendae Vestalis* ap. *eund.* 1, 12. Vestalem, quae sacra faciat, quae jus siet sacerdotem Vestalem facere pro populo Romano Quiritibus. Alii leg. *pro populo Romano Quiritium.* Sic ap. *Livium* in formula devotionis, 8, 9. Uti populo Romano Quiritium (al. *Quiritibus*) vim victoriamque prosperetis: hostesque populi Romani Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. *Id.* in formula indicendi belli, 1, 32. Quod populi priscorum Latinorum adversus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt: quod populus Romanus Quiritium bellum cum priscis Latinis jussit esse, etc. *Id.* 41, 16. Quia in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non erat, populo Romano Quiritium. *In duob. nummis Vitellii* ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 317. Vesta P. R. Quiritium. ℙ *Hard.* quartam addit loquendi rationem *populi Romani Quirites*, ut *populi Romani* sit gen. *Plin.* 16, 32, 57. Factum hoc populi Romani Quiritibus ostentum Cimbricis bellis. Alii leg. *populo Romano Quiritibus. Gron. l. c.* certe putat mendum in his verbis esse: sed *Hard.* defendit *populi Romani* ex omnib. MSS. et typis editis, censet autem, Quirites populi Romani esse non omnem populum Romanum, (nam toto orbe Romano sparsus populus Romanus erat) sed eos dumtaxat e populo Romano, qui in Urbe domicilium habebant. ℙ *Jus Quiritium* est jus civile proprium populi R., ut *Justin. Instit.* 1. *tit.* 2. docet. *Ulp. regular. tit.* 4. de Latinis: Latini jus Quiritium consequuntur his modis, beneficio principali, liberis, iteratione, militia, nave, aedificio, pistrino: praeterea ex senatusconsulto vulgo quae sit ter enixa. Pergit deinde *Ulpian* singula exponere. Quidam putant, esse idem ac jus civitatis Romanae: sed ab eo distinguitur: nam jus Quiritium est privatum civium jus, quo inter se privatim utuntur: jus civitatis R. est publicum, quo gaudent respectu totius corporis reipublicae. Quibus igitur non civibus Romanis dabatur jus Quiritium, concedebatur uti eo jure, quo cives Romani, in multis, praecipue vero in dominiis, et libertatibus. *Plin. ep.* 10, 22. Ago gratias, domine, quod et jus Quiritium libertis necessariae mihi feminae, et civitatem Romanam Harpocrati iatraliptae meo indulsisti. Adde *ep.* 4. et 6. Sunt etiam, qui cum jure Latii confundunt: sed ab hoc quoque differt. *Suet. Claud.* 19. Naves mercaturae causa fabricantibus magna commoda constituit pro conditione cujusque: civi vacationem legis Papiae Poppaeae: Latinis jus Quiritium, etc. ℙ *Quirites* eleganter ad apes *Virgilius* transtulit *G.* 4, 200. Verum ipsae e foliis natos et suavibus herbis Ore legunt; ipsae regem, parvosque Quirites Sufficiunt, aulasque, et cerea regna refingunt. ℙ In gen. plur. et *Quiritium* habet (quod usitatius est) et *Quiritum.* Patet tum ex allatis exemplis, tum ex *Hor.*, qui *Od.* 1, 1, 7. et *ib.* 4, 14, 1. habet primum: et ex *Auson.*, qui *Profess.* 22, 9. veterum quae scita Quiritum. ℙ In sing. num. V. QUIRIS. ℙ De infima plebe. V. *ib.* ℙ [*Conf. *Quirites* et *cur* et *qua re.* V. *Wund. varr. lectt. praef.* p. 61.]

QUĪRĪTO, as, n. 1. *σχετλιάζω*, Quiritium, seu populi R. fidem imploro, opem, auxilium peto, cla-

mo, vociferor: inde factum, quod opem implorantes *porro Quirites* clamare solebant. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem clamans implorat: et *mox:* Ut quiritare urbanorum, sic jubilare rusticorum. V. JUBILO. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 78. Concursans uti arenarius, clareque quiritans. *Asin. Poll.* ad *Cic. Fam.* 10, 32. Cum illi misero quiritanti, civis Romanus natus sum, responderet: abi nunc, populi fidem implora. *Liv.* 39, 8. *extr.* Nulla vox quiritantium exaudiri poterat. Est qui leg. *queritantium.* [*Cf. cp. 10. et 40, 9.] *Quint.* 3, 8. *med.* Rogatus sententiam, si modo est sanus, non quiritet, sed quam maxime potest, civili et humano ingressu mereri assensum deliberantis velit. ¶ Deponentis forma *Varr.* ap. *Diomed.* 1, 377, De Fenestella quiritatur.

QUIRRĪTO, as, n. 1. est vocem edere verris. *Auct. carm. Philom.* 55. Quirritant verres, pardus rudit, oncat asellus.

QUIS, quae, quod, et quid, τίς, pronomen interrogativum: a Graeca voce allata, [*duplex hujus pronominis forma est: *quis, quid* et *qui, quae, quod*: illud nihil nisi nomen personae vel rei spectat: hoc ad qualitatem respicit, atque usurpatur ab eo, qui cognoscere vult, quo ingenio quibusque moribus, quave conditione, omnino qualis vel quale quis vel quid sit. Utrumque *quis* et *qui* substantive ponitur. *Noster*, quamquam discrimen in *qui*, ubi v., paucis commemoraverat, tamen hic omnia miscuerat, ita ut novus hujus loci qualiscumque instituendus ordo videretur: exempla haec sunto: A) *Quis, quid. Cic. Am.* 12. *med.* Quis clarior in Graecia Themistocle? quis potentior?" *Or.* 3, 34, 137. quis doctior illis temporibus fuisse traditur, quam Pisistratus; *ib.* §. 139. quis Dionem doctrinis omnibus expolivit? non Plato? *Sall. Cat.* 44, 5. Quis sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. *Liv.* 1, 7, 9. rogitat, quis vir esset. *Ter. Andr.* 5, 6, 1. quis homo est? — Ego sum Pamphilus. *Caes. B. G.* 2, 4, 1. Quum ab his quaereret, quae civitates, quantaeque in armis essent. *Virg. A.* 4, 371. Quae quibus anteferam? h. e. quae prima, aut ultima ponam? *Prop.* 2, 9, 21. quam si perdideris, quis erit, qui talia cantet? *Pl. Truc.* 2, 7, 44. Unde es? cujus es? *Cic. Am.* 3. Quid dicam de moribus facillimis? de pietate? etc. Plura V. in QUID. ¶ Hinc *quis* utrique generi inservit. *Prisc.* 13, 3, 13. Quis etiam communis esse generis putaverunt vetustissimi, sicut apud Graecos τίς. Exempla *Noster* laud. ista: *Vet. Poeta* ap. *Varr. L. L.* 5, 7. Quis tu es mulier, quae me insueto nuncupasti nomine? *Non.* 3, 49. *Pacuvio* tribuit. *Pl. Aul.* 2, 1, 48. Quis ea est, quam vis ducere uxorem? *Id. Epid.* 4, 1, 6. Quis illaec est mulier, quae ipsa se miseratur? *Enn.* ap. *Non. l. c.* Et quis illaec est, quae lugubri succincta est stola? Adde *Pl. Epid.* 4, 2, 4., *Cist.* 4, 2, 27. et 79. et *Truc.* 1, 1, 76. Sic *Ulp. Dig.* 50, 16, 1. Verbum hoc, *si quis*, tam masculos, quam feminas complectitur. ¶ Cum neutro genere. *Pl. Poen. prol.* 17. Scortum exoletum ne quis in proscenio sedeat. Quoddam MSS. habet *quid.* ¶ B) *Qui, quae, quod.* Exempla v. in pron. rel. *qui, quae, quod.* Noster hic laudaverat ista: *Cic. Rosc. Com.* 7. *f.* Qua, malum, stultitia fuit Roscius, ut, etc.? *Id. Att.* 5, 20. Qui, malum, isti Pidenissitae? qui sunt? inquies. Adde *Planc.* 35. Qui status, quod discrimen, quae fuerit in re publica tempestas illa, quis nescit? *Or* 2, 8. Qui cantus moderatae orationis pronunciatione dulcior inveniri potest? quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius? qui actor in imitanda, quam orator in suscipienda veritate jucundior? ¶ Interdum tamen *quis* ap. aureae aetatis scriptores pro *qui*, i. e. *qualis*, ponitur. Ex iis, quae *Forc.* laud., pertinent huc ista: *Cic. Am.* 5. Quis ego sum? aut quae in me est facultas? *Ter. Andr.* 4, 2, 19. Quis videor? *Cha.* miser aeque, atque ego. Adde *Virg. G.* 1, 3. Quae cura boum, quis cultus habendo sit pecori, hinc canere incipiam. *Liv.* 5, 40. Virgines Vestales, quae sacrorum secum ferenda, quae relinquenda essent, consultabant, quisve ea locus fideli adservaturus custodia esset. Docet *Ramsh. Gr. Lat.* §. 159. p. 565. fieri hoc cum vi quadam interrogationi adjuncta, quod *quis* latius notione pateat omnesque omnino respiciat, *qui* nonnisi ad similes referri possit. Plura exempla v. in *Quid.* — ¶ Indefinitum *quis, quid*, plur. neutr. *quae* ab altera forma *qui, quae, quod*, plur. neutr. *qua* ita differre dicitur, ut hoc posterius adjective, illud prius substantive ponatur: cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 3, 10, 7. *Ramsh. Gr. Lat.* §. 159. p. 567. sqq. A) *Quis, quid.*] *Cic. Or.* 58. Quos autem numeros cum quibus misceri oporteat, nunc dicendum est. *Id. Rosc. Com.* 7. *med.* Considera, quis quem fraudasse dicatur. *Quint.* 1, 6. *med.* Notatum in sermone, quid quo modo caderet. ¶ Et pro aliquis. *Pl. Ps.* 5, 1, 37. Aperite, heus! Simoni me adesse, quis nunciate. *Hor. Sat.* 1, 3, 63. Simplicior quis et est, etc. Alii leg. *at*, et per interrogationem efferunt. *Cic. Fin.* 3, 21. Alienum est a sapiente non modo injuriam cui facere, verum etiam nocere. *Lambin.* leg. *cuiquam:* [*prob. *Orell.*] *Liv.* 6, 40. Omnia semper, quae magistratus ille dicet, secundis auribus; quae ab nostrum quo dicentur, adversis accipietis? Suni qui leg. *aliquo*, invitis sanioribus criticis. *Cic. N. D.* 2, 44. *f.* Aut vero alia quae natura mentis et rationis expers haec efficere potuit, etc. *Colum.* 4, 25. Vinitor cum in adversum pressa manu desecare quid debet, cultro utitur. Adde *Tibull.* 1, 10, 3. et *ib.* 11, 13. et 4, 3, 1. et *Edict. praetoris* ap. *Ulp. Dig.* 43, 8, 1. ¶ Praesertim post particulas *si, ne, num*, et hujusmodi. *Cic. Phil.* 2, 14. Si te in judicium quis adducat. *Id. Fin.* 3, 21. Ne cui falso assentiamur. *Varr. R. R.* 3, 7. Neve quae serpens, aliudve quid (alii leg. *quod*) animal introire queat. *Cic. Or.* 1, 9. *med.* Num quod eloquentiae vestigium appareret? *Prop.* 1, 3, 30. Neve quis invitam cogeret esse suam. ¶ Et pro quisque. *Tac. A.* 2, 26. Addidit munificentiam Caesar, quantum quis damni professus erat, exsolvendo. [*Adde cp. 54.] *Id. H.* 3, 58. Amicorum ejus quanto quis clarior, minus fidus. ¶ [*B) *Qui, quae, quod. Caes. B. G.* 1, 48. si qui, graviore vulnere accepto, equo deciderat, circumsistebant. *Cic. Leg.* 2, 26. nisi si qui publice ad eam rem constitutus esset. *Off.* 2, 3. Quaeritur, num quod officium aliud alio majus sit. *Id. Fam.* 2, 12. si qua videnda essent. *Plura* v. ap. *Ramsh.* l. l., ubi larga est hujus generis exemplorum copia, unde haec transscripsimus. Cf. etiam SI-QUIS.] ¶ *Ques* in plurali numero: item *Quid*, et *Quod* V. suis locis. ¶ [*Confund. *quid ita* et *quidem. Beier.* ad *Cic. Fragm.* 42. *b.*, *quid* et *quidquid. Id.* ad *Cic. Off.* 2. p. 302. *qui* et *quis. Wund. varr. lectt. praef.* p. 75.]

QUISNAM et Quinam, quaenam, quodnam et quidnam, τίς, idem quod *quis*, nisi quod illud *nam* vim addit. *Cic. Verr.* 2, 4, 36. Quisnam igitur tuebitur P. Scipionis memoriam mortui? *Pl. Aul.* 4, 9, 17. Quinam homo hic ante aedes ejulans conqueritur? *Accius* ap. *Charis.* 1, 70. Quinam Tantalidarum internecioni modus sit? *Ter. Heaut.* 5, 2, 3. Quodnam ob facinus? *Cic. Verr.* 2, 4, 3. Sed earum artificem quem? Quemnam? Recte admones. Polycletum esse dicebant. *Id. Inv.* 2, 1. Quaesivit ab eis, quasnam virgines formosas haberent. *Pl. Trin.* 5, 2, 45. Cruciatur cor mihi, et metuo. *Ca.* quidnam id est? *Id. Ps.* 1, 3, 7. Quonam pacto possim vincere animum! *Nep. Them.* 2. Miserunt Delphos consultum, quidnam facerent de rebus suis. *Ter. Eun.* 5, 4, 1. Reviso, quidnam Chaerea hic rerum gerat. *Id. Ad.* 3, 2, 7. Quidnam est, quod sic video timidum et properantem Getam? *Id. Andr.* 1, 4, 7. Sed quidnam Pamphilum exanimatum video? Vereor, quid siet. Opperiar, ut sciam, quidnam haec turba tristitiae afferat. ¶ *Quisnam*, quispiam, aliquis. *Cic. Rosc. Am.* 37. *med.* Qui sunt in istis bonis? duo Roscii, num quisnam praeterea? nemo est. *Id. Or.* 2, 3. Num quidnam, Crassus inquit, novi? *Ter. Andr.* 2, 1, 25. Num quidnam amplius tibi cum illa fuit? ¶ Interdum, interjecto verbo, dividitur. *Cic.* ad *Brut.* 1, 2. Quinque cohortibus quid se nam facturum arbitratus est? *Pl. Aul.* 2, 1, 16. Quis ea est nam optuma? (Ubi *quisnam* pro *quaenam:* ut *quis* pro *quae.* V. QUIS.) *Id. Aul.* 3, 2, 13. In aedibus quid tibi meis nam erat negotii? *Id. Rud.* 4, 3, 8. Quid tu, malum, nam me retrahis? ¶ Interdum invertitur. *Virg. G.* 4, 445. Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras Jussit adire domos? *Ter. Ph.* 5, 1, 5. Nam quae haec anus est? *Donat.* ἀναστροφὴν vocat, aptamque figuram esse dicit commotis aliqua re nova.

QUISPĬAM, quaepiam, quodpiam et quidpiam, seu quippiam, aliquis, quidam. *Fest.:* Quispiam quin significet aliquis, et quaepiam aliquae, similiterque alia ejusdem generis, ut dubium non est, ita unde sequens pars ejus coeperit, inveniri non potest. V. PIAM. *Cic. Quint.* 15. Si cuipiam pecuniam fortuna ademit. *Id. N. D.* 3, 35. Si grando quippiam nocuit. *Id. Fin.* 5, 11. Ut ea vis ad aliam rem quampiam referatur. *Id. Tusc.* 3, 9. Aliud quodpiam membrum. Alii aliter leg. *Ter. Eun.* 5, 2, 36. Quid si hoc voluit quispiam Deus? *Caes. B. G.* 5, 35. Cum quaepiam cohors ex orbe excesserat; et *ib.* 6, 17. Ut neglecta quispiam religione auderet, etc. *Just.* 38, 7. Neque Alexander, nec quispiam successorum ejus. *Gell.* 5, 4. Grammaticus quispiam de nobilioribus. *Id.* 2, 21. Tum quispiam ex iis, qui se ad litteras dediderant, etc. *Ter. Andr.* 2, 6, 7. Num illi molestae quidpiam sunt hae nuptiae? *Naev.* ap. *Charis.* 2, 129. Num non vis te moneam unum, si videtur quippiam? *Pl. Curc.* 1, 1, 51. Tam a me pudica est, quasi soror mea sit: nisi si est osculando quippiam impudicior, *h. e.* paululum. ¶ In plur. num. *Cic. Fam.* 9, 8. *f.* Aliae quaepiam rationes. *Appul. Flor. n.* 18. Cum proferre ad quospiam coeperis.

QUISQUAM, quaequam, quidquam et quicquam, τὶς, aliquis, ullus. *Pl. Ps.* 3, 2, 62. An invenire postulas quemquam coquum, nisi milvinis aut aquilinis ungulis? *Id. Bacch.* 4, 3, 5. Nemo est indignior, quem quisquam homo aut amet, aut adeat. *Virg. A.* 5, 378. nec quisquam ex agmine tanto Audet adire virum; et *ib.* 6, 876. Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos In tantum spe tollet avos; et *ib.* 10, 65. Aenean hominum quisquam, Divumque subegit Bella sequi? *Sall. Cat.* 37. *extr.* Neque ex castris Catilinae quisquam omnium discesserat. *Ter. Hec.* 3, 1, 13. An quisquam usquam gentium est aeque miser? *Cic. Rosc. Com.* 6. *med.* Estne quisquam omnium mortalium, de quo melius existimes tu? *Pl. Aul.* 2, 2, 29. Neque illo quisquam est alter hodie ex paupertate parcior. *Caes. B. G.* 7, 75. *extr.* Neque se cujusquam imperio obtemperaturos. *Sall. Cat.* 32. Neque loco, neque homini cuiquam satis credere; et *ib.* 34. Neque cuiquam nostrum licuit lege uti. *Nep. Ag.* 6. Si animadversum esset, quemquam ad hostes transfugere conari. *Pl. Mil.* 4, 2, 67. Nisi huic verri affertur merces, non hic suo seminio quamquam porculam impertiturus est. *Cic. Att.* 9, 4. *f.* Quidquam tu illa putas fuisse prae his de victoria gratulationibus? *Sen. Troad.* 490. Vix spei quidquam est super. *Ter. Andr.* 1, 1, 63. Comperiebam, nihil ad Pamphilum quidquam attinere. *Nep. Eum.* 11. *f.* Non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi succubuerit. *Ter. Hec.* 1, 1, 10. Nemo illorum quisquam ad te venit, quin, ita paret sese, etc. *Aurel. Vict. Ep.* 11. Percontanti cuidam, quisquam ne in palatio esset, responsum, ne musca quidem. ¶ *Quisquam unus*, est unus aliquis. *Liv.* 3, 55. *extr.* Quia nondum in quemquam unum saeviebatur. *Id.* 28, 37. *med.* Nec quisquam alterius gentis unus tantum ea arte excellit. Adde 2, 9. *extr.*, 3, 45. et 32, 20. *f.* ¶ De re inanimata. *Lucr.* 1, 1075. Nec quisquam locus est, quo corpora cum venere, etc. Adde 4, 690. ¶ Pro quivis, quilibet. *Cic. Fam.* 14, 7. Nisi vos fortiores cognossem, quam quemquam virum. *Flor.* 2, 18. *med.* Quod nemo visurum se unquam speraverat, factum est, ut fugientes Numantinos quisquam videret. ¶ In fem. gen. *Pl. Cist.* 1, 1, 68. Quod neque habeo, nec quisquam alia mulier. *Id. Rud.* 2, 3, 75. Neque digniorem censeo vidisse anum me quemquam. *Ter. Eun.* 2, 3, 82. Quandoquidem Illarum neque te quisquam novit, neque scit, qui sies. Adde 4, 4, 1. V. QUIS, QUISNAM et QUISQUE hoc modo usurpata. ¶ Quamvis *Diomed.* 1, 321. agnoscit in feminino *quaequam*, *quamquam*, *quaqua*, non facile usurpaverim, antequam exempla videam. (Exemplum autem suppetit ap. *Pl. Mil.* 4, 2, 67. quem vide supra.) Idem dic de neutro *quodquam*, et de pluralibus in omni genere *quiquam*, *quaequam*, *quorunquam*, *quibusquam*, *quasquam:* his enim aures nostrae non assuevere.

QUISQUĔ, quaeque, quodque et quidque, vel quicque, ἕκαστος, πᾶς τις, ὁστισοῦν, omnis, unusquisque, singuli: *que* est adjectio sylabica, ut in *absque.* Dicitur tum de personis, tum de rebus: usurpaturque in utroque numero. Differt ab *omnis*, quod cunctos simul significat: *quisque* distributionem quandam continet. *Cic. Or.* 1 28. *f.* Ut in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur. *Id. Somn. Scip.* 8. Ne enim tu is es, quem forma ista declarat, sed mens cujusque is est quisque. *Ter. Hec.* 4, 2, 27. Non tute incommodam rem, ut quaeque est, in animum inducas pati? *Lucr.* 1, 562. quoniam refici rem quamque videmus. *Cic. Off.* 1, 7. Quod cuique obtigit, id quisque teneat; et *ib.* 3, 17. *med.* Magni est judicis statuere, quid quemque cuique praestare oporteat. *Liv.* 21, 33. Plus inter ipsos (sibi quoque tenente, ut periculo prius evaderet) quam cum hostibus, certaminis erat. *Cic. Div.* 2, 42. Ut ejus orbis unaquaeque pars alia alio modo moveat immutetque coelum, ut quaeque stellae in iis, finitimisque partibus sint quoque tempore. *Id. Or.* 1, 15. *med.* Ut quamcumque rem a quoque cognorit, de ea multo dicat ornatius. *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 7. Scrobes ternorum pedum in quamque partem. *Id.* 18, 34, 77. *n.* 1. Quae ratio semel in quoque agro ineunda erit. *Tc. A.* 1, 59. Fama dediti Segestis, ut quibusque bellum invitis, aut cupientibus erat, spe, vel dolore accitur. *Flor.* 1, 9. *extr.* Proximis quibusque correptis, totam Italiam sub se redegerunt. *Plin.* 33, 3, 15. Annis quibusque sorte reges singulos e subjectis ungere ad currum solitus. *Suet. Caes.* 42. *med.* Pr aestimationem possessionum, quanti quasque comparassent. *Id. Tib.* 8. Archelaum, Trallianos, et Thssalos, varia quosque de causa, defendit. *Id. Aug* 89. Prout quique monitione indigerent. ¶ Cum ger *Cic. Fam.* 1, 9. *f.* Ego, quid ad te tuorum quisque necessariorum scribat, nescio. *Hor. Sat.* 2, 3, 11. Quantulum enim summae curtabit quisque dierum, Si, etc.? ¶ Jungitur cum comparativis, et superlativis. *Cic. Rosc. Com.* 11. Quo quisque est solertior, hoc docet laboriosius. *Cels.* 2, 18. *med.* Quo majus quodque animal, eo robustior ex eo cibus est. *Quint.* 9, 4. *med.* Ut quique pedes sunt temporibus pleiores, hoc graviorem faciunt orationem. *Plin. ep.* , 20. Bonus liber melior est quisque, quo major. *Cic Off.* 2, 21. *med.* Postea tot leges, et proxima quaeque duriores. *Id. Fin.* 2, 25. Optimum quidque rarissimum est. *Id. Acad.* 1, 4. Recentissima quaeque sunt correcta et emendata maxime. *Id. Or.* 2, 77. *med.* Ut in quoque eorum *(patronorum)* minimum putant esse, ita eum primum volunt dicere. *Id. Tusc.* 1, 31. Doctissimus quisque. *Plin.* 8, 8, 20. *n.* 1. Gravissima quaeque grana serere. *Id.* 35, 9, 36. *n.* 2. Quinque virgines elegit, ut quid in quaque laudatissimum esset, pictura redderet. ¶ Et cum iis, quae vim superlativi habent. *Cic. Fam.* 14. *med.* Severitas cum bonis omnibus, tum infimo

cuique gratissima. *Suet. Oth.* 2. Invalidum quemque obviorum corripere. Adde *Tac. A.* 12, 43. ℙ Et cum iis, quae ordinem significant. *Cic. N. D.* 3, 3. Primum quidque videamus. *Id. Rab. Post.* 12. Tertio quoque verbo excitabatur; et *Phil.* 8, 11. *f.* Uti de ejus honore primo quoque die ad senatum referant; et *Liv.* 42, 48. Ut exercitui diem primam quamque diceret ad conveniendum. *Colum.* 12, 48. *med.* Tertio quoque, aut quarto die; et *Cic. Phil.* 3, 15. *extr.* Primo quoque tempore. *Id. Verr.* 2, 2, 56. Quinto quoque anno Sicilia tota censetur; et *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 7. Quinto quoque palo singulae jugo paginae includantur. (V. QUINTANUS.) *Pl. Ps.* 4, 2, 17. Vix decimus quisque est, qui ipsus sese noverit. ℙ Cum verbis pluralis numeri. *Id. Capt.* 3, 2, 2. Ubi quisque vident, eunt obviam. *Id. Curc.* 1, 3, 24. Sibi quisque habeant, quod suum est. *Liv.* 2, 59. *extr.* Cetera multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti. Plura ex eodem *Liv.* congessere *Gron.* et *Drakenb.* ad 7, 19. et ex *Ov. Heins.* ad *Am.* 2, 11, 21. ℙ Cum pronominibus *sui*, et *suus*. *Cic. Agr.* 1, 9. Huic pro se quisque nostrum mederi, atque hoc omnes sanare velle debemus. *Id. Verr.* 2, 1, 27. Pro se quisque, ut in quoque erat auctoritatis plurimum, ad populum loquebatur. *Id. N. D.* 3, 1. Cum suo cuique judicio sit utendum; et *ib.* 34. Edixit, ut quod quisque a sacris haberet, id in suum quidque fanum referret. *Id. Fin.* 5, 17. Cujusque partis naturae et in corpore, et in animo sua quaeque vis est. *Id. Amic.* 16. Ut quanti quisque se ipse faciat, tanti fiat ab amicis. *Hirt. B. Afr.* 31. Edicit, uti quisque suo loco paratus esset. *Colum.* 12, 3. Cuique sua annumeravimus. *Ov. Am.* 3, 2, 58. Vincamus dominae quisque favore suae. *Id. Trist.* 3, 4, 64. Dicere quos cupio nomine quemque suo. *Pl. Merc.* 4, 5, 51. Suam quisque homo rem meminit. *Virg. A.* 6, 743. Quisque suos patimur Manes. *Tac. H.* 2, 44. Suum quisque flagitium aliis objectantes. *Catull.* 64, 277. Ad se quisque vago passim pede discedebant. ℙ De duobus pro *uterque*. *Ov. Fast.* 2, 715. Oscula quisque suae matri properata tulerunt, *h. e.* duo fratres Titus, et Aruns, Tarquinii Superbi filii. *Id. Her.* 19, 169. Atque ita quisque suas iterum redeamus ad urbes. *Liv.* 2, 44. *med.* Duas civitates ex una factas: suos cuique parti magistratus, suas leges esse. Adde *ib.* 7. et *Suet. Aug* 26. ℙ In fem. gen. *Pl. Poen. prol.* 107. Omnes meretrices, ubi quisque habitant, invenit. *Ter. Hec.* 2, 1, 19. Quo quisque pacto hic vitam vestrarum exigat. ℙ Interdum ponitur pro quisquis, quicumque, ὅστις ἄν. *Pl. Merc.* 1, 1, 20. Quemque attigit, magno multat infortunio. *Id. Mil.* 2, 2, 5. Quemque videritis hominem in nostris tegulis extra unum Palaestrionem, huc deturbatote in via. *Id. As.* 1, 3, 47. Cetera quaeque volumus uti, Graeca mercamur fide. *Auson. VII. Sap. sentent. in Pittaco*, 5. Pareto legi, quisque legem sanxeris. *Sidon. ep.* 4, 11. *in carm f.* At tu, quisque doles, amice lector, Udis parce genis rigare marmor. ℙ *Quidque* an *quicque* scribendum sit, V. in QUISQUIS.

QUISQUILIAE, arum, f. plur. dici putantur quidquid ex arboribus minutis surculorum foliorumve cadit. Ita *Festus*. Similiter *Isid. Or.* 17, 6. *extr.* Quisquiliae, stipulae immixtae surculis, et foliis aridis: sunt autem purgamenta terrarum. Eadem fere habet *Serv.* ad illud *Virg. G.* 1, 84. Saepe etiam steriles incendere profuit agros, Atque levem stipulam, etc. *Festus* ducit a *quidquid:* alii a *quisque*, ut proprie sint quidquid obvium et pedibus incidens, τὸ τυχόν. *Gloss. Philox.* Quisquiliae, *σκύβαλα, ῥυγάνων χαῖται, περιψήματα. Caecil.* ap. *Fest.* Quisquilias, volantis venti spolia, memoras: i modo. *Appul. Apol.* Nugas marinas, et quisquilias litorales quaerere. ℙ Translate dicitur de homine minime pretii, nihili, faece plebeculae. *Cic. Sext.* 43. *f.* Omitto Numerium, Serranum, Aelium, quisquilias seditionis Clodianae. (Adde *Att.* 1, 16.) *Novius* ap. *Fest.* Deturba te saxo, homo non quisquiliae. Alii leg. *quisquilia* singulari num. ℙ *Appul. Met.* 1. *f.* quisquilias vocat pisces frivolos, et viliores. ℙ *Quisquilium*, neutr. gen. *Petr. fragm. Trag.* 75. *Burm.* Coricillum est, quod homines facit: cetera quisquilia omnia. *Gloss. Philox.* Quisquilia, *σκύβαλα.* V. CUSCULIUM.

QUISQUILIUM. V. in v. praec.

QUISQUIS, quaeque, quidquid et quicquid, ὅστις, omnis qui, quicumque. Dicitur tum de personis, tum de rebus. *Cic. Brut.* 73. Quisquis ille est, si modo est aliquis, qui genuit in hac urbe dicendi copiam. *Enn.* ap. *Cic. Balb.* 22. Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis, Quisquis erit; et *Prop.* 3, 10, 5. omnes pariter pereatis avari, Et quisquis fido praetulit arma toro. *Pl. Amph.* 1, 1, 153. Quisquis homo huc venerit, vapulabit. *Tibull.* 2, 2, 1. Quisquis ades, faveas: fruges lustramus, et agros. *Virg. A.* 10, 493. Quisquis honos tumuli, quidquid solamen humandi est, Largior. *Plin.* 18, 34, 77. *n.* 3. Quisquis erit ventus. *Hor. Sat.* 2, 1, 60. Quisquis erit vitae, scribam, color. *Pl. Men.* 5, 2, 60. Quisquis es, quidquid tibi nomen est, senex, etc. *Id. Ps.* 4, 1, 17. Quisquis ille est, qui adest a milite. *Id. Men.* 5, 1, 17. Omnia mala ingerebat, quemquam aspexerat. *Id. Truc.* 5, 1, 17. Quemquam hominem attigerit, etc. *Tac. A.* 6, 7. Quaqua de te locuti incusabantur. *Ulp. Dig.* 47, 5, 1. Si quid a quoquo eorum, quos, quasve ibi habebunt, furtum factum esse dicetur. *Cic. Dom.* 10. Dicam ipso audiente, quod sentio, quoquo animo me auditurus est. *Id. Rab. Post.* 8. Quoquo consilio fecit, fecit certe suo. *Id. Att.* 9, 2. *med.* Confido adventum nostrum illi, quoquo tempore fuerit, ἀφιστιοτὸν fore. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 4. *f.* Tu, quoquo modo est, hominem investiges velim. Alii omitt. *est. Id. Fam.* 1, 5. Quoquo modo se res habeat. *Id. Rosc. Am.* 42. Quidquid maleficii, sceleris, caedis erit, proprium id Rosciorum esse debebit. *Pl. Rud.* 4, 2, 20. Hoc ego in mari, quidquid inest, reperi. *Id. Men.* 5, 2, 22. Sed quidquid id est, jam sciam, *Tac. A.* 14, 55. Quidquid illud, et qualecumque tribuisset. *Cic. Sext.* 45. Esto ut hi sint, quiqui integri sunt, et sani. *Liv.* 41, 8. *med.* Liberos suos quibusquibus Romanis mancipio dabant. ℙ Cum verbis pluralis numeri. *Ov. A. Am.* 1, 267. Quisquis ubique, viri, dociles advertite mentes. *Prop.* 4, 5, 75. Quisquis amas, scabris hoc bustum caedite saxis. *Tibull.* 1, 7, 45. Tunc procul absitis, quisquis colis arte capillos. ℙ Cum gen. *Hor. Epod.* 5, 1. At o Deorum quidquid in coelo regit, etc. *Id. Od.* 2, 1, 25. Deorum quisquis amicior Afris. *Liv.* 23, 9. Per quidquid Deorum est. ℙ Cum fem. gen. *Pl. Cist.* 2, 3, 66. Conteris tua me oratione mulier, quisquis es. *Id. Rud.* 4, 4, 102. Tibi Deos iratos esse oportet, quisquis es, quae parentes in tam angustum tuos locum compegeris. Adde *Pers.* 4, 3, 76. et *Liv. Andr., Caecil., Pacuv.* ap. *Non.* 3, 49. ℙ *Quidquid* absolute, et adverbii more. *Liv.* 31, 1. Jam provideo animo, quidquid progredior, in vastiorem me altitudinem invehi; et 7, 32. Quidquid ab urbe longius proferrent arma, magis magisque in imbelles gentes eos prodire. *Gell.* 12, 1. *f.* Quidquid ita educati liberi amare videntur, non naturalis ille amor est, sed civilis. *Cato R. R.* 48. Suum quidquid genus talearum serito. Alii leg. *quodque. Catull.* 56, 3. Ride, quidquid amas, Cato, Catullum, *h. e.* quantum. ℙ In illo *Hor. Od.* 3, 24, 25. O quisquis volet impias Caedes, et rabiem tollere civicam! *Bentl.* recte monet, scribendum esse divisim *O quis, quis:* ut sit repetitio similis illius *Epod.* 7, 1. *Quo, quo, scelesti, ruitis?* et aliis, quae ibi refert. ℙ Aliquando *quisquis* ponitur pro *quisque*, unusquisque, omnis. *Cic. Fam.* 6, 1. Quocumque in loco quisquis est, idem est ei sensus ex interitu rerum suarum. *Id. Verr.* 2, 4, 13. Ita odorabantur omnia, et pervestigabant, ut ubi quidquid esset, aliqua ratione invenirent. Alii leg. *quidque. Id. Tusc.* 5, 34. Restiae, ut quidquid objectum est, quod modo natura non sit alienum, eo contentae non quaerunt amplius. *Lucr.* 2, 955. Inque suos quidquid rursus revocare meatus. *Pl. Amph.* 2, 1, 52. Ordine omne, ut quidquid actum est, edissertavit. Alii leg. *quidque.* Adde *Catull* 68, 28. ℙ *Quiqui* pro *quisquis* V. supra s. l. ℙ Utrum per *d*, an per *c* scribenda sint *quidquid, quidquam, quidque*, quaerunt orthographi. *Manut.* et *Dausq.* praeferunt *d:* quibus accedit *Cellar.* Sunt pro his etiam Inscriptiones ap. *Grut.* 411, 3. et 691, 8. Contra *Prisc.* 1, 559. et *Mar. Victor. art. Gramm.* 1. p. 2460. et alii ap. *Quint.* 1, 7. *med.* tuentur *c:* quod *Cellar.* ipse non improbat. *Quint.* frigidam quaestionem putat.

QUITUS. V. QUEO.

QUIVIS, quaevis, quodvis et quidvis, ὅστις, ὁστιοῦν, quem vis, quilibet, quisque, omnis: tum de personis, tum de rebus. *Cic. Quint.* 27. Omnia sunt ejusmodi, quivis ut perspicere possit, in hac causa improbitatem cum veritate contendere. *Pl. Amph. prol.* 27. Juppiter non minus, quam vostrum quivis, formidat malum. *Id. Mil.* 4, 7, 10. Quaevis alia mora. *Caes. B. G.* 4, 2. Ad quemvis numerum ephippiatorum equitum quamvis pauci adire audent. *Cic. Verr.* 2, 3, 18. Ut homines quidvis perpeti, quam non de istius pravitate conqueri mallent. *Pl. Mil.* 3, 1, 152. Commodulum obsona, ne magno sumptu: mihi quidvis sat est; et *As.* 3, 3, 81. Quidvis egestas imperat; et *Poen.* 1, 3, 28. et *Truc.* 4, 4, 31. Dicere hic quidvis licet. *Plin.* 28. 9, 37. Contra scabiem quivis adeps. *Id.* 2, 71, 73. Nec nox diesque quaevis eadem toto orbe simul est. *Hor. Sat.* 1, 3, 65. quovis sermone molestus. *Ter. Ad.* 2, 3, 1. Ab quivis homine beneficium accipere gaudeas. *Plin.* 18, 4, 5. Quibusvis potius, quam agricolis. *Cic. Inv.* 1, 53. Ex iis rebus quaevis amplificationes nasci possunt. *Hor. Sat.* 1, 4, 87. E quibus unus avet quavis aspergere cunctos, Praeter eum, qui praebet aquam, *h. e.* quavis ratione. V. AQUA. ℙ Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest, *γνώμη P. Syri* ap. *Sen. Tranqu.* 11. ℙ Interjecto verbo. *Cato R. R.* 52. *extr.* Hoc modo quod genus vis propagabis. ℙ Eleganter jungitur cum *unus:* et fere in contemptu quodam ponitur. *Cic. Caecin.* 22. Si tu solus, aut quivis unus, cum gladio impetum in me fecisses. *Id. Brut.* 93. Quantum non quivis unus ex populo, sed existimator doctus et intelligens possit cognoscere. *Liv.* 9, 17. Ne solertius, quam quivis unus ex iis, quos nominavi, castris locum caperet. Alii leg. *quilibet.* ℙ *Quodvis*, quodque. *Cic. opt. gen. orat.* 1. Poematis etiam tragici, comici, epici, etc. genus suum quodvis est diversum a reliquis. ℙ *Quidvis anni*, quovis anni tempore, bis legitur ap. *Caton. R. R.* 17.

QUIVISCUMQUE, quaeviscumque, quodviscumque, idem ac quicumque. *Lucr.* 3, 389. Nec repentis itum cujusviscumque animantum. *Mart.* 14, 1. Quoviscumque loco potes hunc finire libellum.

*QUIZA, ae, f. Κουΐζα, opp. vel castellum in Mauritania Caesariensi. *Mela* 1, 6. *Plin.* 5, 2. *Ant. Itin. B. A.*

QUO

QUO, ποῖ, proprie ablativus est v. *quis*, et adverbii more adhibetur. Multas habet significationes, ac primum, in, vel ad quem locum. *Hor. Epod.* 7, 1. Quo, quo, scelesti, ruitis? *Caes. B. G.* 2, 16. *extr.* Mulieres in eum locum conjecit, quo exercitui aditus non erat; et *ib.* 21. Non longius hostes aberant, quam quo telum adjici potest. *Cic. Fam.* 3, 5. Me ad eam partem provinciae esse venturum, quo te velle arbitrarer. *Sall. Jug.* 110. Proficiscitur obsessum turrim regiam, quo Jugurtha perfugas omnes praesidium imposuerat. *Caes. B. G.* 2, 7. Omnibus vicis, quo adire poterant, incensis. *Cato R. R.* 10. Dolia, quo vinaceos condat, decem. *Caes. B. G.* 1, 6. Iter angustum et difficile, quo vix singuli carri ducerentur. *Ov. Met.* 10, 372. saucia trabs Quo cadat in dubio est, omnique a parte timetur. *Pl. Bacch.* 4, 7, 33. Non hercle, quo hinc nunc gentium aufugiam, scio. *Liv.* 28, 27. *med.* Ne hodie quidem scire videmini, quo amentiae progressi sitis. ℙ Pro *aliquo*, post particulas dubitandi. *Liv.* 38, 30. *med.* Si quando Romam, aliove quo mitterent legatos. *Pl. Aul.* 2, 4, 5. Si quo tu me ire vis, operam dabo. *Caes. B. G.* 2, 48. Si quo erat longius prodeundum, etc. *Cic. Att.* 8, 3. *f.* Ipse ne quo inciderem, reverti Formias. ℙ Interdum refertur ad personam, quae loci rationem habet. *Pl. Stich.* 1, 3, 79. Dabo parasitum inanem, quo recondas reliquias. *Id. Aul.* 3, 5, 13. Quo illae nubent? et *mox:* Quo lubeat, nubant. *Cic. Verr.* 2, 4, 18. Homo apud eos, quo se contulit, gratiosus. *Pomp.* ap. *Non.* 10, 27. Hominem beatum, quo illae pervenibunt divitiae! ℙ Est etiam, ad quam rem, finem, usum, scopum, cur? *Cic. Sext.* 13. Quid hoc homine facias? aut quo civem importunum, aut quo potius hostem tam sceleratum reserves? *Id. Verr.* 2, 2, 55. Primum quo tantam pecuniam? deinde quamobrem censores ad statuam tibi conferebant? *Id. Coel.* 21. *f.* Dixit profecto, quo vellet aurum; et *Att.* 8, 2. *med.* Quo igitur haec spectat oratio? *Petr. Sat.* 97. *med.* Quo secures attulisti? *Cic. Div.* 2, 64. Quo pertinent aenigmata somniorum? *Hor. Sat.* 1, 1, 73. Nescis, quo valeat nummus, quem praebeat usum? ℙ *Quo mihi, quo tibi?* quid mihi, tibi prodest, cui bono, quorsum? *Cic. Fam.* 7, 23. *med.* Martis vero signum quo mihi pacis auctori? *Phaedr.* 3, 18. Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono? *Hor. Ep.* 1, 5, 12. Quo mihi fortunam, si non conceditur uti? *Ov. Am.* 3, 4, 41. Quo tibi formosam, si non nisi casta placebat? et *ib.* 8, 47. Quo tibi turritis incingere moenibus urbes? Quo tibi discordes addere in arma manus? *Prop.* 4, 3, 51. Nam mihi quo, Poenis si purpura fulgeat ostris? ℙ *Quo bonum est?* cui rei utile est? Est JCtorum. *Cajus Dig.* 16, 1, 13. *f.* Quo enim bonum est exspectare conditionem. *Ulp. ib.* 37, 4, 3. *f.* Quo bonum est, ei contra tabulas dari? Adde *ib.* 10. *med.* Eod. sensu *quo bono?* dixit *Id. ib.* 7, 1, 13. Omnibus autem his loc. *Haloand.* edidit *quod.* ℙ Usurpatur etiam vice conjunctionis, et *ut* valet. *Ov. Her.* 18, 203. sed quo mare finiat iram, Accedant, quaeso, fac tua vota meis; et *ib.* 20, 23. Fraus mea quid petiit, nisi quo tibi jungerer uni? et *Rem. Am.* 517. Ne sibi tam placeat, quo te contemnere possit. Alii aliter leg. *Pl. Poen.* 3, 1, 30. An vero non justa causa est, quo curratur celeriter, ubi bibas, edas de alieno? *Id. ib. prol.* 38. Neve ambitionis causa extrudantur foras, Quo deteriores anteponantur bonis. *Ter. Andr.* 3, 1, 14. Hanc simulant parere, quo Chremetem absterreant; et *Eun.* 1, 2, 70. Id adjuta me, quo id fiat facilius. ℙ Item quia, quod *Pl. Amph.* 3, 2, 32. Non edepol quo te impudicam crederem. *Cic. Att.* 10, 1. *med.* Quod scribis, non quo ipse audieris, sed te ipsum putare, me, etc. *Id. Or.* 3, 75. *med.* Non quo libenter male audiam, sed quia ego causam non libenter relinquo. Adde *Fam.* 5, 19. ℙ Cum eo. *Cic. Quint.* 2. Non eo dico, C. Aquilli, quo mihi veniat in dubium tua fides, aut quo non in his, etc. Alii leg. *quod. Ter. Heaut.* 3, 2, 43. Neque eo nunc dico, quo quidquam illum senserim. *Id. Eun.* 1, 2, 16. Non pol, quo quemquam plus amem, eo feci, sed, etc. ℙ *Quo ne* pro *ut ne* videtur accipi in illo *Cic. Fam.* 7, 2. Sed eo vidisti multum, quod praefinisti, quo ne pluris emerem; et *Liv.* 34, 6. *med.* Cautum erat, quo ne plus auri et argenti facti, quo ne plus signati argenti et aeris domi haberemus. Alii dicunt, *quo* a *plus* pendere, et esse ablativum. Certius videtur illud *Hor. Sat.* 2, 1, 36. Missus ad hoc . . . Quo ne per vacuum Romano incurreret hostis. *Bentl.* addit ex *Ulp. Dig.* 27, 1, 17. *med.* Si celandi causa, quo ne ad dominum reverteretur, fugisset, fugitivum esse. *Torrent.* habet *causa quo, ne*, etc. *Haloand.* omittit

quo, male. Sed et in verbis *Horatii* est qui suspicatur, metathesim esse verborum, et *quo ne* dictum esse pro *ne quo*. ℙ Ponitur etiam pro quare, vel ideo, propter quod, quamobrem. *Cic. Or.* 2, 6. *f.* Quo etiam scripsit; Persium non curo legere, Laelium Decimum volo. *Varr. R. R.* 1, 54. Miscella *(uva)*, quam vocant nigram, multo ante coquitur: quo prior legenda; et *ib.* 3, 10. Anseres voraces sunt natura: quo temperandum iis. *Ter. Andr.* 2, 5, 18. Quo aequior sum Pamphilo, si, etc. *Cic. Fin.* 3, 2. Quo magis hoc philosopho faciendum est. ℙ *Quo* cum *eo, hoc, quanto* cum comparativis est quanto, tanto. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 5. Litterae quo erant suaviores, eo majorem dolorem ille casus afferebat. V. EO adv. *Id. Off.* 1, 19. *med.* Quo difficilius, hoc praeclarius. *Ter. Phorm.* 2, 2, 14. Quo magis novi, tanto saepius. ℙ Et omissa altera particula. *Liv.* 2, 51. *med.* Quo plures erant, major caedes fuit. *Cic. Quint.* 1. Quo minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparavi. ℙ *Quo loci*, quo loco, ubi: sed huc non pertinet. *Cic. Att.* 8, 10. Respondit, se nescire, quo loci esset. *Id. Div.* 2, 66. Visus est dicere quo loci illa nasceretur. ℙ *Quo* dativum pro *cui* quidam esse putant in illo *Varr. R. R.* 2, 1. *med.* Quo etiam ipse pastor diligens mederi possit. Alii leg. *quoi*. V. *Voss. de Gram.* 6, 6., qui dativum esse putat etiam cum dicimus *quo mihi, quo tibi hoc*, vel *illud*? pro *cui* rei.

QUOAD, adv. *μέχρις οὗ, ἐπὶ τοσοῦτον*, donec, quousque, usque dum, quamdiu: ex *ad*, et *quo*, sed ordine inverso, ut in *hactenus*, *quatenus* fit. Dicitur tum de tempore, tum de loco. *Ter. Phorm.* 1, 2, 98. Senem quoad exspectatis vestrum? *Cic. Att.* 15, 23. Quousque, inquies? quoad erit integrum, erit autem, usque dum ad navem. *Id. Agr.* 1, 2. Videte nunc, quoad fecerit iter apertius, quam antea. Alii aliter leg. *Liv.* 22, 6. In aquam progressi, quoad capitibus humerisque exstare possunt. *Caes. B. G.* 5, 17. Neque finem insequendi fecerunt, quoad praecipites hostes egerunt. *Nep. Ep.* 9. *med.* Ferrum usque eo retinuit, quoad renunciatum est victis Boeotios; et *ib.* 2. *f.* Exercebatur plurimum currendo et luctando ad eum finem, quoad stans complecti posset atque contendere. *Cic. Off.* 1, 1. Tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non poenitebit. *Id. Leg.* 1, 4. Jus civile catenus exercuerunt, quoad populum praestare voluerunt. *Id. Fam.* 4, 3. *med.* Hactenus existimo, consolationem recte adhibitam esse, quoad certior fieres, etc. *Gell.* 6, 4. Ut viveret quidem tantisper, quoad fieret permutatio. ℙ *Quoad vivet* cum dicitur, item *quoad morietur*, videntur quidem duae res dici contrariae, idem tamen sunt. Tempora enim duo cohaerentia significantur, quia alterius finis alterius initium est. Ita *Gell.* 7, 21. ℙ Significat etiam facultatem, vel commoditatem, et ponitur pro quantum. *Varr. L. L.* 8, 1. Verborum inclinationes sequi jubet, quoad patiatur consuetudo. *Pl. As.* 2, 2, 30. Jubeo te salvere voce summa, quoad vires valent. *Id. Men.* 5, 2, 19. Est modus tamen, quoad pati uxorem oportet. *Cic. Amic.* 1. A patre ita eram deductus ad Scaevolam, ut quoad possem, et liceret, a senis latere nunquam discederem. *Id. Verr.* 2, 3, 33. Liciti sunt usque eo, quoad se efficere posse arbitrabantur. *Id. Tusc.* 4, 38. Cognitis, quoad possunt ab homine cognosci, bonorum et malorum finibus. ℙ *Quoad ejus facere potes*, quantum facere in ea re potes: quasi dicatur, usque ad id, quod de, vel in ea re fieri licet. *Cic. Att.* 11, 12. *f.* Tu tamen velim ne intermittas, quoad ejus facere poteris, scribere ad me. *Id. Fam.* 3, 2. Vides provinciam esse habendam. Si eam, quoad ejus facere potueris, quam expeditissimam mihi tradideris, facilior erit, etc.; et *ib.* 5, 8. *f.* et *Inv.* 2, 6. Ut quoad ejus fieri possit, praesentiae tuae desiderium meo labore minuatur. *Liv.* 39, 45. Id eos ut prohiberet, quoad ejus sine bello posset, praetori mandatum est. Sunt qui ubique lectionem sollicitant, vel *quod* subjiciendo, vel v. *ejus* mutando. ℙ *Quoad hoc*, quod ad hoc pertinet, quantum ad hoc, secundum hoc, nullo verbo sequente. *Varr. L. L.* 7, 23. Haec sigillatim triplicia esse debent, quoad sexum, multitudinem, casum. *Liv.* 42, 6. Regem excusavit, quod stipendium serius, quoad diem praestaret. *Cajus Dig.* 41, 1, 3. Nec interest, quoad feras bestias et volucres, utrum in suo quisque fundo capiat, an in alieno. Ap. *Varr.* alii leg. *quod:* ap. *Liv. quam ad:* ap. *Cajum* quoque habetur *quod* in ed. *Torrent.* Videntur autem librarii *quoad* his locis ex *quod ad* perperam exscripsisse. Itaque auctor sim, ut quoad certiora invenias, *quoad* hac ratione usurpare abstineas. Nam quod addunt ex *Petr.* Experientia in arte illis, quoad nos, nihil profutura: vel hic quoque *quod ad* corrigendum est: vel potius totus locus in suspicione habendus, cum in opt. ed. *Burmanni* non appareat. ℙ In carmine monosyllabon est. *Lucr.* 2, 849. Quoad licet et potis es reperire inolentis olivi, etc. Adde 5, 1219. et 1432. et *Hor. Sat.* 2, 3, 91. ℙ *P. Victorius* initio castigationum suarum in libros *Varr. de R. R.* scribit, invenisse se in multis locis libri 1. et 2. *quoad*. Hinc in *Inscr.* ap. *Fabrett.* p. 641. *n.* 357. et in alia ap. *Cavedon. Marm. Moden.* p. 243. legitur *quaad vixit*, quod quidem magis consentaneum est, quam *quoad:* scribitur enim similiter *eatenus*, *quatenus*.

QUOADUSQUĔ et Quoad usque, quoad, usque dum. *Varr. L. L.* 4, 2. Ubi quidquam consistit, locus. Ab eo praeco dicitur locare, quoadusque id emitur, quoad in aliquo consistit pretium. *Suet. Caes* 14. Ac ne sic quidem impedire rem destitit, quòadusque manus equitum R. necem comminata est.

QUOCIRCA, adv. *διὰ ὅ*, quamobrem, itaque, quare: quasi *circa quod*. *Varr. L. L.* 8, 59. Quocirca non si genus cum genere discrepat, sed si, etc. *Cic. Div.* 1, 41. *med.* Quocirca bene apud majores nostros senatus decrevit, ut, etc. *Virg. A.* 1, 677. Quocirca capere ante dolis, et cingere flamma Reginam meditor. *Val. Fl.* 2, 101. Quocirca struit illa nefas, Lemnoque merenti Exitium furiale movet. *Hor. Sat.* 2, 6, 95. quo, bone, circa, Dum licet, in rebus jucundis vive beatus. ℙ In *Tab. aen. Heracl.* ap. *Mazoch.* p. 432. *n.* 43. Quive judicio publico Romae condemnatus est, erit, quocirca eum in Italia esse non liceat.

QUOCUMQUĔ, adv. *ὅποι ἄν*, in quemcumque locum. *Cic. Verr.* 2, 5, 65. Quocumque venerint, hanc sibi rem praesidio sperant futurum. *Id. Mil.* 1. Oculi, quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori requirunt. *Hor. Epod.* 16, 21. Ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas Notus vocabit. *Sen. ep.* 12. Quocumque me verto, argumenta senectutis meae video. *Virg. A.* 3, 682. Praecipites metus acer agit, quocumque rudentes Excutere. *Cic. Or.* 16. Oratio ita flexibilis, ut sequatur quocumque torqueas. ℙ Tmesis est in illo *Hor. Od.* 1, 7, 25. Quo nos cumque feret melior fortuna parente, Ibimus. *Virg. A.* 2, 709. Quo res cumque cadent.

QUOD, *ὅ*, vox neutra pronominis *qui*. *Cic. Manil.* 10. *f.* Quod denique genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna reipublicae? ℙ Ponitur aliquando pro *quicquid*. *Cic. Dom.* 43. Ornamentorum quod superfuit in fanis, et communibus locis, tota e Graecia, sane frugaliter, domum suam deportavit. ℙ Item pro *in quo*. *Ter. Andr.* 4, 3, 23. Sed, siquid est, quod mea opera opus sit vobis. ℙ Item pro *quantum*. *Cic. Rosc. Am.* 42. Ego in Chrysogono, quod ad me attinet, nihil ejusmodi suspicor. *Ter. Eun.* 2, 1, 8. Munus nostrum ornato verbis, quod poteris: et istum aemulum, quod poteris, ab ea pellito. ℙ *Quod ad illud*, omisso verbo *pertinet*, vel *attinet*. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 1. Quod ad Caesarem, crebri et non belli de eo rumores. ℙ Usurpatur etiam ut accusativus communis, etsi aliqui dicant, praep. *propter* subintelligi. *Ter. Hec.* 2, 3, 3. Nam (ita me ament Dii) quod me accusat nunc vir, sum extra noxiam. *Pl. Epid.* 3, 4, 20. Ut, quod ego ad te venio, intelligas. *Id. Stich.* 1, 2, 70. Hoc est quod ad vos venio, quodque esse ambas conventas volo. *Ter. Ad.* 5, 3, 49. Quod illos aetas sat acuet, *h. e.* qua in re. *Liv.* 5, 34. Alpes visae insuperabiles, nulla dum via (quod continens memoria sit) superatas. ℙ *Quod idem*, quod ipsum, aut quod etiam. *Cic. Har. resp.* 7. Quod idem in judicio capitis durum, atque iniquum est. ℙ Post dubitativas particulas. *Plin. ep.* 4, 14. *f.* Sive epigrammata, sive idyllia, sive eclogas, sive quod aliud vocare malueris.

QUOD, *ὅτι*, quia, quoniam: conjunctionis causalis vice ponitur, cum indicativo, aut conjunctivo. *Cic. Att.* 3, 3. Cum tibi agam gratias quod me vivere coegisti. *Id. Div.* 2, 24. Mirari Cato se ajebat, quod non rideret haruspex, haruspicem cum vidisset. *Id. Att.* 2, 4. Fecisti mihi pergratum, quod Serapionis librum ad me misisti; et *ib.* 1, 17. Hoc me ipse consolabar, quod non dubitabam, etc. *Id. Verr.* 2, 3, 46. Propter hanc causam, quod Leontini non sane me multum adjuverunt. ℙ Ponitur etiam pro *cur*, seu *quamobrem*. *Id. Fam.* 14, 12. In viam quod te des hoc tempore, nihil est. *Pl. Aul.* 1, 2, 14. Ne causae quid sit, quod te quisquam quaeritet. ℙ Et pro *quamvis*. *Ter. Eun.* 5, 8, 33. Miles, edico tibi: si te in platea offendero hac post unquam, quod dicas mihi, alium quaerebam, iter hac habui; periisti. (Similiter loquitur *Pl. Mil.* 2, 2, 7.) *Prop.* 3, 1, 49. Quod non Taenariis domus est mihi fulta columnis, etc. *Auct. Priap.* 6. Quod sim ligneus, ut vides, Prendam te tamen. Adde *Lucr.* 6, 313. et *Ov. A. Am.* 1, 261. quae congessere *Broukus.*, *Burm.* et alii. ℙ Item pro quare, vel ideo, propterea. *Ter. Hec.* 3, 2, 2. Male metuo, ne Philumenae magis morbus aggravescat. Quod te, Aesculapi, et te, Salus, ne quid sit hujus, oro. Ubi *Donat.* deest *propter:* ut sit *propter quod*. ℙ Item pro quantum ad illud quod. *Cic. Fam.* 14, 3. *med.* Quod scribis, te, si velim, ad me venturam; ego vero te istic esse volo. Adde *ib.* 5, 2. et alibi in *epist.* frequentissime. *Pl. Aul.* 1, 2, 13. Quod quispiam ignem quaerat, exstingui volo, ne causae quid sit, quod te quisquam quaeritet. *Id. Mil.* 2, 2, 7. Quod ille gallinam, aut columbam se sectari, aut simiam dicat, disperistis, ni usque ad mortem male mulcassitis. ℙ Item pro cum. *Id. Trin.* 2, 4, 1. Minus quindecim dies sunt, quod pro hisce aedibus minas quadraginta accepisti. Alii leg. *quam*, seu *cum;* et *Plin. ep.* 4, 27. Tertius dies est, quod audivi recitantem Sentium. Alii leg. *quo. Pl. Amph.* 1, 1, 146. Jam diu est, quod victum non datis. ℙ Item pro *ut*, cum conjunctivo. *Varr. R. R.* 2, 10. *med.* Facile est, quod habeant conservam in villa. *Vitr. praef.* 10. Utinam Dii immortales fecissent, quod ea lex etiam populo R. esset constituta. ℙ Saepe fulciendo sermonis principio inservit, et continuandae orationi, similem vim habens v. *autem*, aut *sed*, *verum:* jungiturque particulis, *si*, *nisi*, *utinam*, *ne*, *ubi*, *cum*, *ut*, *contra*, *nunc*. *Nep. Eum.* 8. Quod si quis illorum legat facta, paria horum cognoscat. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 9. Quod si te fors Afris praefecisset, tamen, etc. Cum vero, etc. et *ib.* 14. Quod si in mediocri statu praedicationis nostrae res essent, nihil abs te eximium postularetur: nunc vero, etc. *Nep. A.* 1. Quod nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. *Cic. Har. resp.* 11. Quod ni tu Megalesia illo die spectare voluisses, haud scio, an vivere nobis liceret. *Id. Fam.* 14, 4. Quod utinam minus vitae cupidi fuissemus! certe nihil in vita mali vidissemus, *h. e.* utinam autem. *Sall. Jug.* 17. Quod utinam illum eadem haec simulantem videam. *Colum.* 5, 11. *med.* Quod ne longiore exordio legentem fatigemus, unum quasi exemplum subjiciemus, *h. e.* ne autem. *Cic. Verr.* 2, 1, 26. *med.* Quod ubi ille intellexit, id agi, ut filiae suae vis afferretur, servos suos ad se vocat. *Id. Or.* 2, 49. Quod ubi sensi me in possessione judicii, etc. tunc, etc. *Caes. B. C.* 3, 68. Quod cum esset animadversum, conjunctam esse flumini, protinus, etc. *Plin.* 18, 23, 53. Quod ut hanc quoque curam determinemus, justum est singulas vehes fimi denario ire. *Lucr.* 1, 80. Illud in his rebus vereor, ne forte rearis, Impia de rationis inire elementa, viamque Endogredi sceleris: quod contra saepius olim Religio peperit scelerosa atque impia facta; et *Cic. Amic.* 24. *extr.* Peccasse se non anguntur, objurgari moleste ferunt: quod contra oportebat delicto dolere, correctione gaudere. *Id. Quint.* 28. *med.* Reliquum est, ut eum nemo judicio defenderit: quod contra copiosissime defensum esse contendi. *Lucr.* 1, 217. Nam si quid mortale e cunctis partibus esset, Ex oculis res quaeque repente periret: Quod nunc, aeterno qua constat semine quaeque, etc. ℙ Interdum simpliciter praecedentis verbi significationem determinat, et usurpatur ad resolvendum infinitum, *ὅτι:* praecipue post verba significantia opinionem, desiderium, aut scientiam. *Cato* ap. *Plin.* 29, 1, 7. Quod bonum sit illorum litteras inspicere, non perdiscere, vincam. *Pl. As.* 1, 1, 37. Scio jam, filius quod amet meus istanc meretricem. *Vitr.* 9. *praef.* Admiror, quod ita non scriptoribus iidem honores sint tributi. *Suet. Tit.* 8. Recordatus quondam super coenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset. *Ulp. Dig.* 25, 3, 1. Sufficit mulieri notum facere, quod sit praegnans. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 223. Nec credit, quod bruma rosas innoxia servet. *Pall.* 3, 24. *med.* Aliqui semen ejus non obruunt, opinantes, quod a nulla ave tangatur; et 5, 3. *f.* Rem miram de ocimo Martialis affirmat, quod modo purpureos, modo albos flores pariat. Alia ex *Cic.*, *Hor.*, *Sen.*, *Mart.*, *Plin. jun.* affert *Voss. de Gram.* 7, 20. et 62. Nos certissima quaeque afferre studuimus. ℙ Similia his sunt, quae *Manut.* congessit ad *Cic. Fam.* 7, 28., ex quibus quaedam subjicimus. *Varr. R. R.* 1, 7. *f.* Cato alium alio agrum meliorem dicit esse in novem discriminibus, quod fit primus, ubi vineae possint esse bono vino et multo: secundus, ubi hortus irriguus, etc. *Cic. Off.* 2, 20. *med.* Videndum illud, quod, si opulentum fortunatumque defenderis, in illo uno manet gratia; in autem inopem, etc. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 7. Illud mihi occurrit, quod inter postulationem et nominis delationem uxor a Dolabella discessit. *Liv.* 42, 33. Consul senatusconsultum recitari jussit: primum quod bellum senatus Perseo jussisset: deinde quod veteres centuriones ad id bellum scribi censuisset. V. etiam PRAEMONEO. ℙ *Quod* pro *quot*. Initio *Cenotaphii Pisani Caesaris:* Quod adsunt. In *Tab. aerea* sub *Claudio Imp.* ap. *Grut.* 502. *in.* In quod formas statusque resp. nostra diducta sit. Hinc *quodannis*, et divisim *quod annis*, pro *quotannis* habetur in cit. *Cenotaph. Pis.* et Inscriptionib. ap. *Grut.* 228, 8., 378, 1. et al.

QUODAMMODO, et Quodam modo, adv. *πω*, et *πως* enclitic. quodam modo, aliquo pacto. *Nep. Eum.* 7. *extr.* Quodammodo latebat, cum tamen per eum unum gererentur omnia. *Cic. Brut.* 75. Voce, motu, forma etiam magnifica et generosa quodammodo. *Id. Or.* 1, 59. Vocem recipiunt, et quasi quodam modo colligunt.

QUODANNIS. V. QUOD.

[QUODSEMELARRIPIDES, m. is qui aliquid semel arripit: vox joculariter efficta a *Pl. Pers.* 4, 6, 22. V. NUNQUAMPOSTEAERIPIDES. *F.*]

QUOI, antique pro *cui*, et Quojus pro *cujus:* unde *quoiquam*, *quojusque*, *quoique*, *quoivis*, pro *cuiquam cujusque*, etc. habentur ap. *Lucr.*, *Pl.*, *Catull.* et alios. *Quint.* 1, 7. *med.* Illud nunc melius, quod *cui* tribus, quas proposui, litteris enotamus: in quo pueris nobis, ad pinguem sane sonum, *qu* et *oi* utebantur; tantum ut ab illo *qui* distingueretur. Hoc dicit *Quint.* cum littera *q* in multis pro *c* uterentur, scribebant etiam *qui* in dativo pro *cui*. Ut igitur illud *qui* a recto distingui posset, placuit aliis *quoi*

scribere. ℙ Etiam ap. *Virg. Ecl.* 4, 62. cui non risere parentes: *Pier.* in aliquot MSS. invenit *quoi*. Idem alii ap. *Tibull.* 1, 11, 64., *Cic. Att.* 13, 42., *Virg. Ecl.* 4, 62. et *G.* 3, 6. et *Prop.* 2, 3, 7. ℙ **Quoipiam* pro *cuipiam*. *Cic. pro Fonteio fragm.* 2. c. 3. ed. *B. G. Niebuhrio:* Ut, quod acceptum populo Romano est, id expensum quoipiam sit, etc. *B. A.*

QUOLĪBET, adv. motus ad locum. *Ov. Trist.* 3, 8, 22. Ex his me jubeat quolibet ire locis. *Lucr.* 4, 902. manus Una gubernaculum contorquet quolibet.

QUOM, pro *cum* antiquum est. V. CUM.

QUOMINUS. V. MINUS.

QUOMODO, et Quo modo, adv. *πῶς, τίνα τρόπον*, quo modo, quo pacto, qua ratione, quemadmodum. *Cic. Or.* 2, 4. *f.* Ut enim quaeras omnia, quomodo Graeci ineptum appellent, non reperies. *Id. Agr.* 2, 1. *extr.* Me consulem ita fecistis, quomodo pauci nobiles in hac civitate consules facti sunt, novus ante me nemo. *Id. Tusc.* 5, 7. Et quo modo hoc est consequens illi, sic illud huic. *Id. Att.* 8, 15. *med.* Consules certe transeunt: vel, quomodo nunc est, transierunt. *Pl. Cist.* 1, 1, 48. Necesse est, quo tu me modo voles esse, ita esse, mater. *Liv.* 23, 48. Si aerarium inops esset, se aliquam rationem inituros, quo modo ab Hispanis sumant. *Pl. Poen.* 3, 1, 54. Non meminisse nos ratus, quomodo trecentos Philippos villico dederis, quos deferret, etc. *Cic. Fam.* 2, 5. Haec negotia quomodo se habeant, ne epistola quidem narrare audeo; et *ib.* 7, 5. *med.* Quo modo homines non inepti loquuntur. *Id. Or.* 2, 32. *med.* Quomodo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo causarum. ℙ Servit interrogationi. *Id. Verr* 2, 3, 10. Primum edictum audite: quantum decumanus edidisset, ut tantum arator dare cogeretur. Quomodo? quantum poposcerit Apronius, dato. *Hor. Sat.* 1, 9, 43. Maecenas quomodo tecum? ℙ Et admirationi. *Cic. Att.* 8, 16. Quomodo se venditant Caesari! *Id. Amic.* 2. *med.* Quomodo mortem filii tulit!

QUOMODOCUMQUĔ, adv. *ὁπωσοῦν*, quocumque modo, quoquo pacto, qualitercumque. *Cic. Fin.* 5, 11. Quomodocumque dicitur, intelligi tamen, quicquid dicatur, potest. *Pl. Poen.* 3, 1, 33. Sed tamen quomodocumque, quamquam sumus pauperculi, est domi quod edimus. *Flor.* 3, 23. Expediebat ergo quasi aegrae sauciaeque reipublicae requiescere quomodocumque, ne vulnera curatione ipsa rescinderentur.

[QUOMODOLĪBET, adv. quocumque modo libuerit. *August. C. D.* 21, 19. Qui quomodolibet vixerint, in quacumque haeresi vel impietate fuerint. *F.*]

QUOMODONAM, adv. idem ac quomodo. *Cic. Q. Fr.* 2, 16. *f.* Quomodonam, mi frater, de nostris versibus Caesar?

QUONAM, idem ac *quo* adv. *Cic. Att.* 8, 3. *med.* Eam si nunc sequor, quonam? *Pl. Trin.* 4, 3, 71. Quo tu te agis. *Char.* quonam, nisi domum? *Id. Merc.* 5, 2, 16. Cogito, quonam ego illum curram quaeritatum. *Stat. Th.* 1, 215. quonam usque nocentum Exigar in poenas? et *ib.* 9, 511. quonam miseros, sator inclyte Divum, Inachidas, quonam usque premes? et *Achill.* 1, 624. quonam timidae commenta parentis Usque feres? *Gell.* 1, 3. *med.* Quaero, quid et quantum, et quonam usque id fieri debuit; et *Caes. B. C.* 1, 9. Quonam haec omnia, nisi ad suam perniciem pertinere?

QUONDAM, adv. *πάλαι*, olim: quasi quodam tempore. *Cic. Rosc. Am.* 53. Populus Romanus, qui quondam in hostes lenissimus existimabatur, hoc tempore domestica crudelitate laborat. *Id. Or.* 1, 42. Omnia fere, quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt. *Id. Cluent.* 66. *med.* Cujus illa quondam socrus, paulo ante uxor fuisset. *Id. Or.* 1, 30. Ratio consuetudinis meae, qua quondam solitus sum uti, cum mihi in isto studio versari adolescenti licebat. *Ov. Fast.* 2, 547. At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis Bella, parentales deseruere dies. Non impune fuit. *Pl. Truc.* 2, 4, 29. Verum tempestas, memini, quondam fuit, cum inter nos sorderemus unus alteri. *Ter. Eun.* 2, 2, 15. Olim isti fuit generi quondam quaestus apud saeclum prius. ℙ Significat etiam quandoque, interdum. *Cic. Div.* 1, 43. *f.* Quid, cum saepe lapidum, sanguinis nonnunquam, terrae interdum, quondam etiam lactis imber effluxit? (V. *Jul. Obseq. c.* 73. 90. 91. 96. 99. 100. 101. etc.) *Hor. Od.* 2, 10, 18. quondam citharа tacentem Suscitat Musam, neque semper arcum Tendit Apollo. *Virg. A.* 2, 367. Quondam etiam victis redit in praecordia virtus. ℙ Hoc sensu de iis etiam dicitur, quae fieri solent. *Lucr.* 6, 108. Carbasus ut quondam magnis intenta theatris Dat crepitum, malos inter jactata trabesque. *Albinov.* 1, 101. Liquitur, ut quondam Zephyris et solibus ictae Solvuntur tenerae, vere tepente, nives. *Virg. G.* 4, 261. Frigidus ut quondam silvis immurmurat Auster. *Ov. Met.* 9, 170. Ipse cruor, gelido ceu quondam lamina candens Tincta lacu, stridet. ℙ Item aliquando: et cum futurum tempus respicit, tum praeteritum. Futurum *Hor. Sat.* 2, 2, 82. Hic tamen ad melius poterit transcurrere quondam. *Virg. A.* 6, 877. nec Romula quondam Ullo se tantum tellus jactabit alumno. ℙ Praeteritum *Suet. Caes.* 24. Adeo ut senatus quondam legatus ad explorandum statum Galliarum mittendos decreverit; et *Dom.* 7. Ad summam quondam ubertatem vini edixit, ne, etc. ℙ Quod Itali dicunt *quondam* de vita functis, confirmat *Inscr.*, quae pertinet ad ann. a Chr. n. CCXXXVII., ap. *Grut.* 389, 8. Locus ad statuam ponendam optimae memoriae viro quond. filio Aelii Aug. Lib. Anatellonti, amantissimo reipublicae nostrae. Alia ap. *eund.* 1090, 14. Hic consecrata est Sex. Aelii Tertii conjunx Sergia Syntyche Sergii Pauli quondam Praef. Urb. Hic autem *Sergius Paulus* fuit praefectus Urbi ann. a Chr. n. CLXX. Sic *Imp. Anton. (Caracalla) Cod.* 6, 21, 3. Valeriani quondam centurionis testamentum. *Imp. Gordian. ib.* 8, 57, 2. Intestata mortua quondam nuru tua. *Impp. Diocl. et Maxim. ib.* 7, 33, 8. Matris tuae quondam mancipia. *Iidem ib.* 4, 29, 14. Si marito quondam suo heres non exstitit. ℙ **Condam* pro *quondam* scriptum in *Inscr. Vet.* ap. *Reines.* p. 543. *B. A.*

QUONĬAM, adv. *ἐπεὶ, ὅτι*, quia, siquidem, quando, quandoquidem: conjunctio causalis, certam fere causam cognitamque significans: ex *quom* pro *cum*, et *jam. Caes. B. G.* 5, 3. De suis privatim rebus ab eo petere coeperunt, quoniam civitati consulere non possent. *Hor. Sat.* 2, 3, 301. Quam me stultitiam (quoniam non est genus unum) Insanire putas? *Virg. Ecl.* 2, 55. Sic positae quoniam suaves miscetis odores. *Plin.* 11, 14, 14. Alii ex nullo minus apibus relinquunt, quoniam magna sequatur ubertas. *Cic. Planc.* 33. *med.* In eo ipso, in quo nihil potest esse nimium, quoniam ita tu vis, nimium me gratum esse concedam. *Id. Rosc. Am.* 11. Id quod in hac causa est satis, quoniam quidem suscepi, non deest profecto. *Id. Phil.* 3, 11. *med.* Quapropter, quoniam res in id discrimen adducta est, aliquando patrium animum virtutemque capiamus. ℙ Significat etiam postquam, *Festus:* Quoniam significat non solum id quod quia, sed etiam id quod postquam: hac scilicet de causa, quod Graecum *ἐπεί*, utriusque significationem obtinet. *Pl. As.* 3, 3, 121. Quid nunc? quoniam ambo, ut est libitum, nos delusistis, datisne argentum? Adde *Aul. prol.* 9. et V. POSTQUAM.

QUOPIAM, adv. in aliquem locum. *Ter. Eun.* 3, 2, 9. Iturane, Thais, quopiam es? *Pl. Most.* 4, 2, 50. Ne forte ad merendam quopiam devorteris.

QUOQUAM, adv. *ποῖ*, aliquo, ad aliquem locum, seu partem. *Cic. Verr.* 2, 2, 21. O Verrea praeclara, quoquam si accessisti, quo non attuleris tecum istum diem! *Nep. Att.* 7. Neque se quoquam movit ex Urbe. *Pl. As.* 3, 3, 45. Ut hanc ne quoquam mitteret, nisi ad se. *Liv.* 34, 16. *f.* Priusquam inde quoquam procederet. *Lucr.* 5, 841. Nec facere ut possent quidquam, nec cedere quoquam. *Id.* 1, 1053. neque quoquam posse resolvi, *h. e.* in aliquam rem.

QUOQUĔ, *ἔτι, καὶ*, etiam: conjunctio, quae semper postponitur. *Caes. B. G.* 1, 1. Qua de causa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute praecedunt. *Cic. Rab. Post.* 12. Me scilicet maxime, sed proxime illum quoque fefellissem. *Virg. G.* 3, 1. Te quoque, magna Pales, et te memorande canemus Pastor ab Amphryso. *Hor. Od.* 2, 16, 20. patriae quis exsul Se quoque fugit? *Id. Sat.* 1, 6, 83. pudicum servavit ab omni Non solum facto, verum opprobrio quoque turpi. *Gell.* 17, 12. Non sophistae solum, sed philosophi quoque. ℙ Per pleonasmum jungitur *et, etiam* particulis. *Ter. Hec.* 5, 1, 8. Ego pol quoque etiam timida sum. *Lucr.* 5, 518. Est etiam quoque, uti possit coelum omne manere, etc. *Pl. Merc.* 2, 2, 56. Quin mihi quoque etiam est ad portum negotium. (Adde *Pers.* 4, 9, 7.) *Plin.* 8, 16, 21. Sunt vero et fortuita eorum *(leonum)* quoque clementiae exempla. V. ET. ℙ Pro *quidem. Q. Claud.* ap. *Gell.* 17, 2. *med.* Sese ne id quoque, quod tum suaderet, facturum esse. Ubi *Gellius: ne id quoque* dixit pro *ne id quidem*, infrequens nunc in loquendo, sed in libris veterum celeberrimum. ℙ *Quŏque* pro *et quo*, prima longa. *Liv.* 38, 38. Ne qua arma efferto ex iis oppidis: si qua extulit, quae, quoque oportebit, recte restituito. *Ov. Trist.* 1, 6, 37. Quoque magis faveas, etc. *Id. ib.* 3, 14, 27. Quod quicumque leget, (si quis leget) aestimet ante, Compositum quo sit tempore, quoque loco.

[QUOQUĔVERSUS, adv. idem ac quoquoversus: videtur autem esse pro *quocumque versus.* Ita porro ter scribitur in *Inscr.* opt notae ap. *Grut.* 207. *lin.* 19, 21. et 26., quae quidem Neapoli adhuc exstat, et perpetuo commentario est paucis abhinc annis illustrata a *Raym. Guarinio* et *Jo. Bapt. Zannonio;* ita etiam in *Cenotaph. Pisano*, et in *Inscr.*, quae hodieque Patavii exstat, edita vero ap. *Grut.* 801, 12, ubi tamen mendose *quoquovers.* pro *quoquevers.* legitur.

QUOQUO, adv. *ὁποιοῦν*, ad quemcumque locum. *Cic. Div.* 2, 9. *f.* Ita quoquo sese verterint Stoici, etc. *Pl. Merc.* 5, 2, 17. Quoquo hinc abducta est gentium. *Id. Aul.* 3, 3, 1. Quoquo ibo, mecum erit; et 3, 5, 31. Quoquo venias. *Id. Curc.* 5, 3, 22. Jampridem, quoquo posset, mitteret. *Id. Ps.* 3, 2, 69. Quoquo hic spectabit, eo tu spectato simul. ℙ Scribitur et *quo quo* divisim.

QUOQUOMODO, et divisim Quoquo modo, adv. quocumque modo, quomodocumque, *ὁπωσοῦν. Cic. Fam.* 1, 5. Quoquomodo se res habeat. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 4. Tu quoquomodo hominem investiges velim. *Id. Verr.* 2, 5, 37. Tu cum esses praetor renunciatus quoquo modo.

QUOQUOVERSUS, et Quoquoversum, adv. *πανταχόσε*, versus quemcumque locum, versus omnes partes. *Caes. B. G.* 3, 23. Legatos quoquoversus dimittere. *Cic. Phil.* 9, 7. *extr.* Pedes triginta quoquoversus. *Lucr.* 2, 1051. Cum quoquovorsum spatium vacet infinitum. Alii leg. *Undique cum vorsum.* [**Eichstadt.* leg *quom vorsum.*] Et *Cato R. R.* 15. Pedes decem quoquovorsum. V. QUOQUEVERSUS.

QUORSUM, et Quorsus, adv. *ποῖ;* quem locum versus: a *quo*, et *versum. Ter. Eun.* 2, 3, 13. Nescio hercle, neque unde eam, neque quorsum eam. ℙ Translate est ad quam rem, ad quem finem, exitum, *πρὸς τί. Sall. or. ad Caes. de Rep. ord.* 2, 11. Quod in certamine dubium est, quorsum accidat, id per inertiam in se, quasi victi, recipiunt. *Ter. Hec.* 1, 2, 118. Sane curae est, quorsum eventurum hoc siet. *Id. Andr.* 1, 2, 5. Mirabar, hoc si sic abiret: et heri semper lenitas verebar quorsum evaderet. *Cic. Leg.* 1, 24. Sed quorsum haec pertinent? et *ib.* 1. *med.* Quorsum tandem, aut cur ista quaeris? et *Hor. Sat.* 2, 7, 21. Non dices hodie, quorsum haec tam putida tendant, Furcifer? Ad te inquam; et *ib.* 116. Quorsum est opus? et *Cic. Rosc. Com.* 15. Quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro; et *ad Quir.* 2. Quorsum igitur haec disputo? quorsum? ut intelligere possitis, etc., et *Or.* 3, 24. Quorsum igitur haec spectat tam longa, tam alte repetita oratio? et *Pl. Pers.* 1, 2, 81. Tenes, quorsum haec tendant, quae loquor? ℙ *Quorsus* habetur ap. *Cic. Brut.* 85. et *Sen. Ira* 2, 2. et *Plin. ep.* 6, 8. etc.

QUOT, *πόσοι*, quo numero: nomen numerale indecl. *Pl. Rud.* 2, 7, 6. Quot sunt? *Scc.* totidem, quot ego et tu sumus. *Cic. Or.* 2, 32. *med.* Quot homines, tot causae. *Id. Tusc.* 1, 49. *extr.* Cras, et quot dies erimus in Tusculano, agamus haec. *Id. ib.* 35. *extr.* Is propagatione vitae quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates! *Id. Or.* 16. *extr.* Quot orationum genera esse diximus, totidem oratorum reperiuntur. ℙ *Quot*, singuli, ut *quot annis*, *quot mensibus*, *quot diebus*, singulis annis, etc. quae et conjunctim scripta leguntur *quotannis*, *quotmensibus*, etc. *Id. Verr.* 2, 2, 53. Omnes Sicul. ex censu quotannis tributa conferunt. *Virg. Ecl.* 1, 43. Hic illum vidi juvenem, Meliboee, quot annis. Ubi *Pierius:* Multi *quotannis* una dictione scribendum contendunt. In antiquis tamen omnibus exemplaribus, quotquot versare contigit, *quot annis* distincte scribitur: idque plurimum in marmoribus, et tabulis aereis. Idem confirmat ad *Ecl.* 7, 33. et ad *A.* 5, 59. Habetur *quot annis* etiam in vet. monum. ap. *Grut.* 506. *lin.* 15. *Cato R. R.* 43. Circum capita oleagina quot mensibus fodere oportet. (Adde *Vitr.* 9, 4. *f.* et 10, 7. *extr.* et *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. *f.*) *Pl. Stich.* 1, 2, 3. Vos meministis quot calendis petere demensum cibum. *Ulp. Dig.* 36, 2, 12. *f.* Pomponius scribit, nihil interesse, utrum in annos singulos, vel quot annis; an in singulos menses, vel quot mensibus; an in singulos dies, vel quot diebus legatur; *(quot diebus* habet etiam *Quint.* 1, 7. *in.) Appul. Met.* 11. Sedulum quotdies obibam culturae sacrorum ministerium. *Jabol. Dig.* 33, 1, 17. Vini Falerni, quod domi nascetur, quotannis in annos singulos binos culleos heres meus Attio dato; *h. e.* singulis annis, per omnes annos. Sic *Ulp. ib.* 6, 13. Ex eo vino heres meus amphoras decem quotannis in annos singulos dato. Nam *quotannis* continuationem temporis, *in annos singulos* intervalla significat. Tametsi *Pomponius* paulo supra allatus nihil interesse putat, quod ad legentium voluntatem pertinet. Similem locum *Ciceronis* V. infra in QUOTIDIE. Verba tamen *Jaboleni* ita distinguit *Hèrcules Dandinus*, publicus in Gymnasio Pat. Pandectarum interpres: Vini Falerni, quod domi nascetur quotannis, in annos singulos, etc. Locum autem *Ulpiani* ita legendum putat: Ex eo vino, quod in illo fundo nascetur quotannis, heres meus amphoras decem in annos singulos dato. ℙ *Quod annis*, et *quodannis*. V. QUOD.

QUOTANNIS. V. in v. praec.

QUOTCUMQUĔ, adv. idem ac quot. *Cic. Leg.* 3, 3. *med.* Quotcumque senatus creverit, populusve jusserit, tot sunto. *Catull.* 64, 280. quotcumque *(flores)* ferunt campi. *Manil.* 4, 315. Totque dabit vires, dominos quotcumque recepit. Alii leg. *quotquotque*, eodem sensu.

QUOTĒNI, ae, a, adj. plur. numerale distribut. *ποσόστις*, usque ad quem numerum. *Cic. Att.* 12, 33. Is, opinor, ita partes fecit in ripa, nescio, quotenorum jugerum.

QUOTENNIS, e, adj. quot annorum. *August. de quantit. anim.* 19. *f.* Quo lacu piscis captus sit, vel quotenne vinum sit, nosse dicere, quaedam est miseranda peritia.

QUOTĬDIĀNUS, a, um, adj. *καθημερινός*, qui quotidie fit. *Caes. B. G.* 3, 17. Quotidianus labor. *Id. B. C.* 3, 85. Extra quotidianam consuetudinem. *Id. B. G.* 4, 34. Usus quotidianus et exercitatio; et *ib.* 7, 12. Nostrarum turrium altitudinem, quantum has quotidianus agger expresserat, adaequabanti *Cic. Fam.* 4, 1. Quotidianus sermo. *Id. Or.* 1, 54.

Quotidianum victum alicui praebere. *Id. Pis.* 26. *f.* In hac quotidiana, assidua, urbanaque vita. *Nep. Dion.* 7. Cum quotidiani maximi fierent sumptus. *Cels.* 1, 3. *med.* Quotidianum cubiculum, *h. e.* cui quis diu assuevit. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. Non solum usitatum, sed etiam quotidianum est, aliquid audire de te. *Ter. Hec.* 3, 2, 22. Quotidiana febris. ℙ Metaleptice est vulgaris, usitatus. *Ter. Eun.* 2, 3, 6. Taedet quotidianarum harum formarum. *Cic. Fam.* 9, 21. Epistolas quotidianis verbis texere solemus. Adde *Mart.* mox afferendum. ℙ *Quotidiano*, morĕ adv. quotidie. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 9, 16. Ut quotidiano in forum mille hominum cum palliis conchylio tinctis discederent. *Plin.* 11, 37, 56. Palpebrae mulieribus infectae quotidiano. Adde *Afran.* et *Front.* ap. *Charis.* 2, 177. ℙ *Quotidianus* est qui quotidie certum opus facit. *Pl. Capt.* 3, 5, 66. Nisi quotidianus sesquiopus confeceris, sexcentoplago nomen indetur tibi. ℙ Quia tres priores syllabae breves sunt, poetae modo unam, modo aliam producunt, metri gratia. *Catull.* 68, 139. Conjugis in culpam flagravit quotidiana. (Sunt qui scrib. *quottidiana*, quod habetur etiam in *Inscr.* ap. *Grut.* 214. *lin.* 8.) *Mart.* 11, 1. Cultus sindone non quotidiana, *h. e.* non vulgari, aut trita. ℙ Scribitur et *cotidianus* V. v. sq.

QUOTĪDIĒ et Cotidie, adv. temporis, *ὁσημέραι, καθημέραν, καθ' ἑκάστην*, singulis diebus, quot diebus. *Ter. Hec.* 1, 2, 82. Ibatne ad Bacchidem? *Pa.* cotidie. *Cic. Phil.* 1, 2. Cum quotidie magis magisque perditi homines minarentur. *Id. Att.* 5, 7. Quotidie, vel potius in dies singulos breviores litteras ad te mitto: quotidie enim magis suspicor te in Epirum profectum, *h. e.* quotidie, vel potius in dies singulos, quibus ad te scribo. V. QUOT *f.* *Id. Coel.* 1. Cum audiat esse legem, quae de seditiosis civibus quotidie quaeri jubeat, *h. e.* quovis die. ℙ *Manut.* in *Orthogr.* ducit a *quoto die:* alii a *quot diebus* (de quo V. in QUOT): alii a *continenti die*, extrito priori *n*, ut in *cojux* pro *conjux*. Hi maxime sunt, quibus placet *cotidie* scribere: quae ratio scribendi reperitur in probatis MSS. *Ciceronis*, *Catonis*, etc. *Mar. Victor. art. Gramm.* 1, 2460., licet a *quotus* ducat, tamen per *c* rectius scribi censet. Hoc obtinebat apud multos etiam ante *Quint.*, qui quaestionem frigidam in medio relinquit, 1, 7. *Manut.* et *Cellar.* et *Dausq.* praeferunt *quotidie:* a quibus videtur stare usus frequentior. ℙ De quantitate priorum syllabarum V. in v. praec.

QUOTĪDIO et Cotidio, quotidie. *Q. Caepio* ap. *Charis.* 2, 174. Cum ab isto viderem cotidio hostes consiliis adjuvari. Videtur esse pro *cotidio tempore*, *h. e.* cotidiano: nempe ab inus. *cotidius*, *a*, *um*.

QUOTĪES et Quotiens, adv. *ὁσάκις, ποσάκις*, quot vicibus. Pro utraque scriptura sunt et lapides et antiq. MSS. et grammaticor. sententiae. *Manut.*, *Cellar.*, *Dausq.* liquidam exterunt. *Virg. Ecl.* 3, 72. O quoties, et quae nobis Galatea locuta est! *Cic. Verr.* 2, 2, 59. Quoties, et quot nominibus a Syracusanis statuas auferes? *Id. Fam.* 7, 7. Illud soleo mirari, non me toties accipere tuas litteras, quoties a Quinto mihi fratre afferuntur. *Virg. A.* 12, 483. quoties oculos conjecit in hostem, Aversos toties currus Juturna retorsit. *Hor. Ep.* 2, 1, 55. Ambigitur quoties, uter utro sit prior, aufert Pacuvius docti famam senis, Accius alti. [*Utraque forma proba; ac *quotiens* quidem tantum abest, ut pro obsoleto haberi possit, ut apud optimos aureae aetatis scriptores usu praevaluisse videatur. V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 460.]

QUOTĪESCŪMQUĔ, adv. *ὁποσακισοῦν*, idem ac quoties. *Cic. Cluent.* 18. Quotiescumque dico, toties mihi videor in judicium venire non ingenii solum, sed etiam virtutis atque officii. *Id. Tusc.* 3, 34. Cetera quotiescumque voletis, parata vobis erunt. ℙ **Quocienscumque* pro Quotiescumque, in *Comment. ad Ter.* ex cod. *Ambros.* ed. *A. Maio.* Locus est p. 63. ed. *Med. B. A.*

QUOTĪESQUĔ pro quotiescumque quidam leg. ap. *Colum.* 6, 17. *f.* Sed quotiesque mel remediis adhibetur, etc.

[QUOTLĪBET, adv. idem ac quotcumque. *Hyg. Astron.* 1, 6. *extr.* Si non in triginta partes unumquodque hemisphaerium dividatur, sed in alias quotlibet finitiones, tamen, etc. *F.*]

QUOTQUOT, adj. indecl. *ὅσοι ἄν*, quotcumque. *Cic. Inv.* 2, 49. Si leges duae, aut si plures, aut quotquot erunt, conservari non possint. *Catull.* 42, 1. Adeste hendecasyllabi, quot estis Omnes undique, quotquot estis omnes; et *Hor. Sat.* 2, 7, 14. Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis. *Id. Od.* 2, 14, 5. quotquot eunt dies, *h. e.* quot diebus, quotidie. ℙ Ponitur et pro singuli, ut *quot. Varr. L. L.* 4, 4. *f.* et *ib.* 8, 18. et *Alfen. JCtus* ap. *Gell.* 6, 5. Quotquot annis. *Id. Varr. ib.* 4, 8. Quotquot mensibus. Al. leg. *quot mensibus.*

QUOTQUOTQUĔ. V. QUOTCUMQUE.

QUŌTŪMUS, a, um, adj. *πόσος*, idem ac quotus. *Pl. Ps.* 4, 2, 7. Quotumas aedes dixerit, ego incerto scio. *Id. ib.* 4, 7, 77. Quotumo die huc pervenisti? *Har.* altero ad meridiem.

*QUOTUPLEX, icis, *ὁσαπλάσιος Onomast. Vet. B. A.*

QUŌTUS, a, um, adj. *πόσος*, cujus numeri, sive in quo numero, aut ordine; nomen interrogativum, vel relativum numeri ordinalis. *Cic. Verr.* 2, 3, 94. Quotus erit iste denarius, qui non sit ferendus? *Hor. Ep.* 2, 1, 35. Scire velim, chartis pretium quotus arroget annus. *Id. Sat.* 2, 6, 44. hora quota est? et *Od.* 3, 19, 7. Quo praebente domum, et quota Pelignis caream frigoribus, taces, *h. e.* quota hora. *Mart.* 9, 36. Scis, quota de Libyco litore puppis eat, *h. e.* quot naves. *Sen. Herc. Oet.* 95. quota est mundi plaga Oriens subactus? aut quota est Gorgon fera? ℙ Interdum ponitur pro *quot. Hor. Ep.* 1, 5, 30. Tu, quotus esse velis, rescribe, *h. e.* tertiusne, an quartus, sextus, nonus, etc. quod est, quot convivas habere tecum velis, cum apud me coenabis. Sic *Mart.* 14, 217. Dic quotus es, quanti cupias coenare. ℙ Significat etiam quantitatem continuam, et ponitur pro *quantus:* praesertim cum parvitatem, aut paucitatem significare volumus. *Lucr.* 6, 652. Et quota pars homo sit terrai totius unus. *Ov. Am.* 2, 12, 9. Pergama cum caderent bello superata bilustri, Ex tot, in Atrida pars quota laudis erat? *Id. Met.* 9, 68. ut vincas alios, Acheloe, dracones, Pars quota Lernaeae serpens eris unus Echidnae? [*Exemplis illustrat hanc dicendi formulam *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 12, 89.] ℙ Hac ratione saepe cum *quisque* jungitur: et *quot* significat. *Cic. Tusc.* 2, 4. Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ut ratio postulat? *Id. Planc.* 25. *f.* Quotus enim quisque disertus? quotus quisque juris peritus est? *Ov. A. Am.* 3, 103. forma quota quaeque superbit? *Auct. decl.* 335. Quotamquamque partem habeo viventis? et *decl.* 320. *extr.* Quotum quodque damni genus est, cui non applicari reprehensio possit? *Plin. ep.* 3, 20. Nam quoto cuique eadem honestatis cura secreto, quae palam? *Auct. dial. de Or.* 29. Quotum quemque inveneris, qui, etc.? ℙ Alia est ratio in illo *Auct. ad Her.* 3, 17. Ne impediamur, quo secius quoto quoque loco libebit, etc. *h. e.* quo minus quocumque loco libebit.

QUOTUSCUMQUĔ, quotacumque, quotumcumque, adj. quotus quisque. *Tibull.* 2, 6, 54. Moverit e votis pars quotacumque Deos, *h. e.* pars vel exigua votorum. *Ov. Her.* 13, 60. Et sequitur regni pars quotacumque sui, *h. e.* quam exigua pars. Alii leg. *quotaquaeque.* [*Ita *Ruhnk.*]

QUOTUSQUISQUĔ. V. QUOTUS.

QUOVIS, adv. *πανταχόσε, ὅποι ἄν*, in quemvis locum, quolibet, quocumque, in quamvis partem. *Pl. Most.* 4, 2, 7. Qui parasitus sum? *Ser.* ego enim dicam: cibo perduci poteris quovis. *Id. As.* 2, 1, 11. Impetritum, inauguratum est: quovis admittunt aves. *Ter. Heaut.* 5, 1, 55. Immo abeat quovis gentium. QUOUSQUĔ, adv. *ἕως ἄν*, usque ad quod tempus. *Cic. Somn. Scip.* 4. Quaeso, quousque humi defixa tua mens erit? *Id. Att.* 15, 23. Quousque? inquies. Quoad erit integrum: erit autem, usque dum ad navem. *Pl. As.* 1, 1, 28. *Li.* Exscrea quaeso usque ex penitis faucibus. *De.* quousque? *Li.* usque ad mortem volo. *Cic. Planc.* 31. Quousque ita dicis? *h. e.* quamdiu. *Id. Cat.* 1, 1. Quousque tandem abutere patientia nostra? ℙ *Plin. prooem.* 33. Quousque penetratura sit avaritia, *h. e.* usque ad quem locum, aut terminum. *Gell.* 1, 3. *med.* Cum decessero de via, quousque degredi debeo? *Mart. Dig.* 20, 3, 1. Quousque ei permissum videatur peculium administrare, i. e. quatenus. ℙ Interjecto verbo. *Mart.* 2, 64. Eja age, rumpe moras, quo te spectabimus usque?

QUUM. V. CUM.

R

R littera consonans, semivocalis, et liquida: dicta est canina, quia canes provocati eam videntur exprimere: unde *hirrire* dicuntur. Hinc *Lucil.* ap. *Charis.* 1, 100. et *Non.* 1, 132. Irritata canes, quod, homo quam, planiu' dicit. *Donat.* ad *Ter. Ad.* 2, 4, 18. ita refert: Irritata canis quod, homo quam, plurima dictat. *Pers.* 1, 109. sonat hic de nare canina Littera. ℙ Ap. Graecos in principio dictionum aspirationem recipit, ut *Ῥέα, ῥήτωρ:* hinc omnibus Graecis dictionibus ab ea incipientibus Latini addunt *h*, ut *Rhea*, *rhetor.* ℙ In nonnullis vocibus pro *l* ponitur ut *Latialis Latiaris*, *Palilia Parilia:* [*Plura v. ap. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 19, 50. et 64, 160.] in aliis pro *s*, ut *arbos arbor*, *odos odor:* quo pertinent antiqua illa, quae enumerantur a *Varr. L. L.* 6, 3. *foedesum*, *plusima*, *asena*, *janitos*, etc. pro *foederum*, *plurima*, *arena*, *janitor*, et alia. Sic *vapos*, *clamos*, *lases*, ap. *Quint.* 1, 4. pro *vapor*, *clamor*, *laser.* [**Sarp. Anal.* p. 35. *lases et asa fuerunt* scribendum putat, prob. *Buttm.* in *praef. Vol.* 4. p. 11. Omittendas censet voces *ac lases* Zumpt., q. v. Vol. 5. p. 26.] Sic *Festus:* R. pro S. littera saepe antiqui posuerunt, ut *majosibus*, *meliosibus*, *lasibus*, *fesiis*, pro *majoribus*, *melioribus*, *laribus*, *feriis:* et *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. §. 36. Appius Claudius, qui videtur ab hoc *(App. Claudio Caeco)* processisse, R litteram invenit; ut pro Valesiis Valerii essent, et pro Fusiis Furii. V. *Cic. Fam.* 9, 21. et *Liv.* 3, 4. et 8. [*Plura v. ap. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 340. sqq.] ℙ In notis R. est *Romanus*, R. P. *respublica*, R. R. *rationum relatarum* ap. *Fest.* R. P. XX. *retro pedes viginti*, etc. [*Porro est *Rufus.* V. *corp. inscriptt. Orell.* 2593. *Reficiendum; ib.* 3268. *Reliquis; ib.* 2557. *Recte; ib.* 4382. *Rarissimae; ib.* 5037. *Regnum; ib.* 2348. *Ripa; ib.* 3248. *R. R.* signif. *recta regione; ib.* 5011. ℙ Sunt qui docent *r* initiale ultimam praecedentis vocis brevem producere; porro: breves syllabas in *r* exeuntes ante vocabula cum vocali incipientia produci: quam utramque sententiam ut minus probandam evincit *Schneid.* in *Gr. Lat.* 1. p. 614. sq. ℙ Saepissime in *Mss.* commut. *r* et *s*. V. *Spald.* ad *Quint. Vol.* 2. p. 449. *crit. Cort.* ad *Lucan.* 2, 718. *Gron. Observv.* 1, 15. p. 68. *ed. Fr.* — *R.* et *T.* V. *H. Steph.* et *Garaton.* ad *Cic. Sull.* 32, quos laud. *Fr.* in *comment.* in *Cic. Sull.* p. 185 et 188.]

RA

RĂBĬDĒ, adv. *λυσσηδὸν*, cum rabie, vel iracunde, et in modum rabie correpti. *Cic. Tusc.* 5, 6. Omnia rabide appetentem cum inexplebili cupiditate. *August. Mor. Manich.* 2, 14. Rabidius, immoderatiusque raptari.

RĂBĬDUS, a, um, adj. *λυσσώδης*, rabie laborans, rabiosus, ferus. *Plin.* 29, 5, 32. Canis rabidi morsus. *Suet. Cal.* 26. *f.* Rabidis feris vilissimos senioque confectos subjiciebat. *Ov. A. Am.* 3, 8. rabidae tradis ovile lupae. *Id. Met.* 12, 494. Ecce ruunt vasto rabidi clamore bimembres; et *ib.* 7, 413. de Cerbero: rabida concitus ira; et *Virg. A.* 6, 421. de eod.: fame rabida tria guttura pandens. *Sen. Herc. Oet.* 1077. rabida sitis Tantali. ℙ Translate est supra modum cupidus, avidus, efferus, iratus: item saevus, immanis, crudelis. *Prop.* 3, 6, 11. Et mulier rabida jactans convicia lingua; et *ib.* 17, 10. Et rabidae stimulos frangere nequitiae. *Ov. A. Am.* 3, 501. rabidos compescere mores. *Catull.* 63, 38. rabidus animi furor. *Val. Fl.* 5, 627. rabidam qui Pallada coelo Non abigis, neque femineis jus objicis ausis. *Id.* 4, 239. rabidoque ita murmure terret. *Sil.* 7, 253. His dictis fractus furor, et rabida arma quierunt. *Id.* 16, 410. rabidum certamen. *Ov. Met.* 1, 36. freta rabidis tumescere ventis. *Stat. Th.* 6, 83. rabidum exsaturare dolorem. *Gell.* 19, 9. Facundia rabida et jurgiosa. *Lucan.* 6, 27. Ioniumque furens rabido cum tollitur Austro; et *ib.* 337. rabidique Leonis Solstitiale caput: sc. propter Caniculam; et *ib.* 66. rabidum latrare Pelorum: sc. propter Scyllae canes. [*V. *Cort.*] *Seren. Sam.* 42, 774. rabida podagra, *h. e.* quae dolore veluti rabidos facit. ℙ [*Confund. *rabidus* et *rapidus*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 235. 6, 337. 7, 145. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 18, 37. *Burm.* ad *Virg. A.* 7, 451. et 493. *Rabidus* et *tabidus*. V. *interpp.* ad *Suet. Cal.* 26. *f.*, ubi recte post *Oudend.* praeferendum censent *B. Crus.*, *Brem.* al. *tabidas.*]

[RĂBĬĒNUS, i, n. nomen ficticium oratoris R., qui Labienus appellabatur. *Sen. Contr. praef.* 5. Libertas *(dicendi)* tanta, ut libertatis nomen excederet; ut, quia passim ordines hominesque laniabat, Rabienus vocaretur. *F.*]

RĂBĬES, ei, f. *λύσσα*, canum morbus, (ut ait *Fest.)* quo in feritatem aguntur, et obvios quosque morsu petunt: et dicitur etiam de aliis bestiis, cum praeter modum saeviunt: a *rabio*, ut *species* a *specio*. *Colum.* 7, 12. *extr.* Rabies arcetur, letifer morbus huic generi. *Plin.* 7, 15, 13. In rabiem aguntur gustato eo canes. *Colum.* 6, 35. Equarum nota rabies, ut cum in aqua imaginem suam viderint, amore inani capiantur, et per hunc oblitae pabuli, etc. *Ov. Met.* 11, 369. de lupo: Qui quamquam saevit pariter rabieque, fameque, Acrior est rabie: neque enim jejunia curat Caede boum, diramque famem satiare, sed omne Vulnerat armentum. *Plin.* 8, 18, 26. Rabiem et cameli sentiunt; et *ib.* 36, 54. Rabies ursina. *Id. prooem.* 7. *f.* de homine: Nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior. ℙ Transfertur ad vim et impetum aliarum rerum. *Val. Fl.* 6, 355. Rabies pelagi. *Ov. Pont.* 1, 3, 53. aequora semper Ventorum rabie, sulibus orba, tument; et *Hor. Od.* 1, 3, 14. rabies Noti. *Virg. A.* 5, 802. coelique marisque. *Plin.* 32, 1, 1. mundi. *Hor. Ep.* 1, 10, 15. Canis, *h. e.* aestus Caniculae. ℙ Saepius ad hominem, et est vehemens ira, caeca et avida cupiditas, impotens libido, furor, feritas. *Cic. Tusc.* 3, 26. *f.* Hecubam autem putant propter animi acerbitatem quandam et rabiem fingi in canem esse conversam; et *ib.* 4, 24. Neque eos existimet sine rabie quidquam fortiter facere posse. *Petr. Sat.* 94. Ex dolore in rabiem efferatus tollit clamorem. *Virg. A.* 9, 64. collecta fatigat edendi Ex longo rabies, *h. e.* ingens fames. Sic *ib.* 2, 357. Improba rabies ventris. *Id. ib.* 8, 327. Et belli rabies, et amor successit habendi. *Hor. Od.* 3, 24, 25. impias Caedes, et rabiem tollere civicam. *Id. Epod.* 12, 9. Indomitam rabiem sedare, (eo sensu *rabiem* hic dicit *Hor.*, quo *Plin.* 28, 11, 49. Equos ad rabiem coitus agere; et *Lucr.* 4, 1110. Inde redit rabies eadem, et furor ille revisit.) *Vell.* 2, 61. Tribunus continua rabie lacerabat Antonium.

Hor. A. P. 79. Archilochum proprio rabies armavit iambo, *h. e.* dicacitas mordacissima, studium maledicendi. Sic *Ep.* 2, 1, 148. donec jam saevus apertam In rabiem coepit verti jocus. *Ter. Eun.* 2, 3, 8. Qui si occoeperit, ludum jocumque dices fuisse illum alterum, praeut hujus rabies quae dabit, *h. e.* impotentia in amore. *Virg. A.* 6, 48. sed pectus anhelum, Et rabie fera corda tument, *h. e.* furore divino. ℙ Rabies una est ex comitibus Martis (ut Discordia, Pavor) quae et *Furor* appellatur. *Val. Fl.* 2, 206. ℙ *Rabies* in genitivo, vel dativo, pro *rabiei. Lucr.* 4, 1076. rabies unde illae haec germina surgunt. V. FACIES et DIES. ℙ *Rabia, ae,* ponitur a *Serv.* ad *A.* 1, 204. inter Latina, pro qua *rabies* antiqua esse dicitur. Sed locus ille est suspectus: et quamvis vere *Servii* esset, admodum exigui ponderis.

RĂBĬO. V. RABO, is.

RĂBĬOSĔ, adv. idem ac rabide. *Cic. Tusc.* 4, 22. Nihil ne in ipsa quidem pugna iracunde, rabioseve fecerunt.

RĂBĬOSŬLUS, a, um, adj. dimin. rabiosi. *Cic. Fam.* 7, 16. Primum quia illas rabiosulas *(litteras)* sat fatuas dedisti.

RĂBĬOSUS, a, um, adj. λυσσώδης, rabie furens, rabidus, et proprie dicitur de canibus, qui rabie laborant, et de aliis animalibus, quae ex canis morsu rabiem contraxerunt. *Plin.* 29, 5, 32. Est limus salivae sub lingua rabiosi canis. ℙ Translate est vehementer iratus. *Cic. Tusc.* 4, 22. *extr.* Vide ne fortitudo minime sit rabiosa, sitque iracundia tota levitatis. *Sen. Herc. Fur.* 172. Jurgia rabiosa fori clamosi. *Petr. Sat.* 96. Rabiosa barbaraque voce in fugitivos diu peroravit. *Pl. Capt.* 3, 4, 15. Hic homo rabiosus habitus est in Alide, *h. e.* phreneticus.

[RĂBĪRĬĂNUS, a, um, adj. ad Rabirium aliquem pertinens, hominem R., ut *Rabirius* poeta epicus, cujus meminit *Ov. Pont.* 4, 16, 5. magnique Rabirius oris. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 94. D. Volusejus Rabirianus. *F.*]

RĂBO, is, n. λυσσάω, rabie agitor, furo. *Varr.* ap. *Non.* 1, 186. Quid est? quid blateras? quid rabis? quid vis tibi? *Caecilius ib.* Rabere se ait. Alii leg. *rabire*, ut sit a *rabio*, 4. conjugat. *Vet. poeta* ap. *Cic. Div.* 1, 31. Sed quid oculis rabere visa est derepente ardentibus? *Sen. ep.* 92. *med.* Videbis eosdem intra exiguum tempus acerrime ridere, et acerrime rabere. *Manil.* 5, 207. latratque Canicula flammans, Et rabit igne suo; et *ib.* 224. lingua rabit, latratque loquendo.

RĂBO, onis, f. idem ac arrhabo, per aphaeresin. *Pl. Truc.* 3, 2, 29. Tene hoc tibi; rabonem habeto, mecum ut hanc noctem sies. *As.* Perii! rabonem? quam esse dicam hanc beluam? Quin tu arrhabonem dicis? *St.* ar facio lucri; ut Praenestinis conia est ciconia.

RĂBŬLĂ, ae, m. περιαγορᾶιος, λογράφος, vilis causidicus, locutulejus, blatero, et, ut ait *Gell.* 19, 9., clamator tantum, et facundia rabida jurgiosaque pollens: vel, ut est ap. *Sen. Herc. Fur.* 172., qui clamosi rabiosa fori Jurgia vendens improbus, iras, et verba locat. *Festus:* Rabula dicitur in multis intentus negotiis, paratusque ad radendum quid auferendumque: vel quia acrior est in negotiis agendis, et quasi rabiosus. *Id.* in *Rava:* Ravam vocem significat, ait Verrius, raucam et parum liquidam, proxime canum latratum: unde etiam causidicus pugnaciter loquens, rabula appellabatur, ut est ap. Lucilium. Ex tribus his *Festi* notationibus prima minus est probabilis: secunda confirmatur a *Nonio* 1, 106. et 298. Est igitur *rabula*, a *rabo*, quod a *rabie.* Videtur autem significare non solum causidicum, sed etiam ardelionem, h. e. multorum negotiorum satagentem, ut *Fest.* indicat. *Cic. Or.* 15. Non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, sed doctissimum et perfectissimum quaerimus. Adde *Or.* 1, 46. *Quint.* 12, 9. A viro bono in rabulam latratoremque converti. *Varr.* ap. *Non.* 1, 106. Rabularum grex. [Hinc *Cic. Rosc. Am.* 20. Simillima est accusatorum ratio: alii vestrum anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt; alii canes, qui et latrare, et mordere possunt. *F.*]

RABULĀNA Pix, ap. *Plin.* 14, 19, 24. fortasse dicta est a colore ad flavum accedente, qui ravus dicitur. Sunt qui leg. *radulana*, quod tam sicca sit, ut radi possit. Huc pertinere putant illud *Colum.* 12, 20. *med.* Et his (*debet*) commisceri rasis, quod est genus crudae picis. *Radulanam* alii intelligunt picem, quae radula detrahitur doliis, ut nova inducatur. V. RASIS, et ZOPISSA.

RĂBŬLĀTĬO, onis, f. et

RĂBŬLĀTUS, us, m. agitatio causarum, rabularum contentiones, aut verbositas. *Capell.* 2, 46. Audiri nullo potuere rabulatu. *Id.* 6, 189. Rabulatio forensis. Alii leg. *fabulatio.*

RĂBUSCŬLUS, a, um, adj. *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9. memorat *rabusculam vitem:* ubi *Hard.* in MSS. invenit *rabucula*, et conjicit legendum *ravuscula*, quod colorem foliorum habeat ad ravum accedentem, quod si verum est, possumus et *rabusculam* retinere, quia in multis vocibus *b* pro *u* scribi adnotatum est initio litterae B.

RĂCĔMĀRĬUS, ii, m. ἐπιφυλλίς, pampinus sterilis. *Colum.* 3, 18. Ex quibus pampini pullulant vel steriles, vel certe minus feraces, quos rustici vocant racemarios.

RĂCĔMĀTĬO, onis, f. βοτρυολογία, racemorum, qui a vindemiatoribus praeteriti fuere, collectio; sicut messibus peractis, quod superest, *spicilegium* dicitur. *Tert. Apol.* 35. *med.*

RĂCĔMĀTUS, a, um, adj. βοτρυωτός, racemos habens, sive baccas, aut etiam grana racemi modo disposita. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 3. de panico: Parvis racemato paniculis.

RĂCĔMĬFER, ra, rum, adj. βοτρυφόρος, qui racemos fert. *Ov. Met.* 3, 666. Ipse racemiferis frontem circumdatus uvis. *Id. ib.* 15, 413. Victa racemifero lyncas dedit India Baccho.

RĂCĔMOR, aris, dep. 1. racemos a vindemiatore praeteritos colligo. Translate *Varr. R. R.* 3, 9. De gallinis dic sodes, Merula: tum de reliquis, si quid idoneum fuerit, racemari licebit.

RĂCĔMOSUS, a, um, adj. βοτρυώδης, racemis plenus, vel in modum racemi factus. *Plin.* 13, 4, 7. Pomum suis inter ramos palmitibus racemosum. *Id. ib.* 6, 12. Flos racemosus olivae modo. *Id.* 14, 3, 4. *n.* 8. Racemosissimae uvae.

RĂCĔMUS, i, m. proprie videtur esse pars uvae, paucis granis peculiari pediculo pendentibus constans. *Serv.* ad *G.* 2, 60. Racemus est pars botryonis. *Gloss. Phil.* Ἐπιφυλλίς, racemus. Ducunt a φάξ, φαγός, acinus. *Virg. l. l.* Et turpes avibus praedam fert uva racemos. *Prop.* 4, 2, 13. Prima mihi variat liventibus uva racemis. *Ov. Met.* 3, 484. ut variis solet uva racemis Ducere purpureum nondum matura colorem. *Id. Trist.* 4, 6, 9. Tempus, ut extentis tumeat, facit, uva racemis. (*Id. Met.* 3. 666. racemiferis frontem circumdatus uvis.) *Petr. Sat.* 135. et passis uva racemis. *Plin.* 15, 28, 34. de var. pomor. generib.: Quaedam alvo continentur, ut granata: dependent alia pediculis, ut pira: alia racemis, ut uvae, palmae: alia et pediculis, et racemis, ut hederae, sambuci. *Id.* 16, 26, 48. Palma in spathis habet fructum racemis propendentem. *Id.* 14, 3, 4. *n.* 9. Vitis Alexandrina acino nigro fabae magnitudine, nucleo molli et minimo, obliquis racemis praedulcibus. [*Virg. Cop.* 21. Sunt et mora cruenta, et lentis uva racemis. *F.*] ℙ In locis poetarum allatis *racemi* possunt et acini seu grana uvarum intelligi: in *Plinii* non possunt. ℙ Per synecdochen est ipsa uva, βότρυς, βοτρυών. *Ov. A. Am.* 3, 703. lecti de vite racemi. *Virg. G.* 2, 102. Tumidi racemi. *Sil.* 7, 208. lucentes sole racemos. *Fur. Bibaculus* ap. *Suet. Gr.* 11. Quem tres caulículi, et selibra farris, Racemi duo, tegula sub una Ad summam prope nutriant senectam. ℙ De musto, aut vino. *Ov. Fast.* 5, 343. Donec eras mixtus nullis, Acheloe, racemis, etc. ℙ Dicitur et de aliis arborum fructibus figuram uvae referentibus. *Virg. Ecl.* 5, 7. antrum Silvestris raris sparsit labrusca racemis. *Plin.* 16, 34, 62. Hederae densus acinus et grandior, racemis in orbem circumactis; et *med.* Helici racemi stantes ac subrecti. *Id.* 27, 13, 116. Herba tragos pusillis racemis rubentibus. *Id.* 13, 4, 9. de balanis: Cecidisse candidam verrucam, quae racemo adhaeserit.

*RACILĬA, ae, f. uxor L. Quintii Cincinnati, de qua *Liv.* 3, 26. *B. A.*

*RACILĬUS, i, m. gentis Rom. nomen, de qua v. g. Tribunus plebis, qui de Clodianis facinoribus est questus in Senatu. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *med.* Adde *Verr.* 2, 2, 12. *B. A.*

*RADĬA, ae, f. *Gloss. Gr. Lat.* χοινιὶς ἡ τοῦ τροχοῦ, Radia, modiolus. Fuerit itaque (dicta sunt *Gesneri*) canalis ille in rota, qui cavo suo axim recipit, convexa parte continens *radios*, a quibus nomen habet. *Scheffer. de re vehic.* 1, 6. p. 48. suspicatur legendum *Radiorum modiolus.* V. *Constant. Lex.* in v. χοινιὶς. *B. A.*

RĂDĬANS, antis, part. a *radio:* στίλβων, ἀκτινοβόλος, ἀκτινωτός, radios emittens, coruscus, splendens, refulgens, radiatus, micans. *Virg. A.* 8, 23. radiantis imagine lunae. *Ov. Trist.* 2, 325. radiantia lumina solis. *Id. Met.* 9, 272. astra. *Virg. A.* 8, 616. arma. *Ov. Met.* 4, 636. radians aurum; et *ib.* 13, 105. nitor galeae claro radiantis ab auro. *Id. A. Am.* 3, 451. e templis multo radiantibus auro. *Plin.* 37, 7, 25. Carbunculi innato fulgore radiantes. *Sen. Herc. Oet.* 1239. Fera radiante clarum fronte gestans caput, *h. e.* cerva cornibus auratis instructa. *Venant. Vit. S. Mart.* 1, 138. Gemmifer eloquio, radiantior ore lapillis. ℙ Translate. *Val. Fl.* 8, 257. Ipsi inter medios rosea radiante juventa, etc.

RĂDĬĀTĬLIS, e, adj. radians. *Venant. Vit. S. Mart.* 2, 286. Sulphurea sub luce micans radiatilis umbra.

RĂDĬĀTĬO, onis, f. στιλβωσις, radiorum emissio, splendor. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 10. In cujus *(statuae)* contemplatione monent parcere oculis, tanta marmoris radiatio est. *Arnob.* 6, 208. Mentes ipsas augustissimae lucis radiationibus territaret.

RĂDĬĀTUS, a, um, part. a *radio:* [*radiis, i. e. regulis instructus. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Axis, qui sustinet rotam radiatam. ℙ Hinc ad solem translatum signif. radiis solaribus percussus. *Lucan.* 7, 214. Miles ut adverso Phoebi radiatus ab ictu Descendens, etc., ubi recte *Cort.* alteram lectionem *radiantis* rejiciendam censet. Utrumque hunc locum *Noster* perperam in f. posuerat. ℙ Tum idem est, quod fulgens,] ἀκτινωτός, radios habens, aut emittens. *Accius* ap. *Cic. Div.* 1, 22. Orbis flammeus radiatus solis. *Enn.* ap. *eund. Or.* 3, 40. Oculis lumen radiatum rape, *h. e.* solem. *Lucr.* 5, 699. dum veniat radiatum insigne diei, *h. e.* sol. *Sen. Herc. Oet.* 1518. O decus mundi, radiate Titan. *Mart.* 1, 71. radiata colossi Moles, *h. e.* colossus solis radiati, centum pedum longitudine, a Nerone effigie sua factus, a Vespasiano refectus effigie solis. *Suet. Ner.* 31. et *Vesp.* 18. et *Plin.* 34, 7, 18. Rursus *Plin.* 27, 5, 19. In cacumine (*asteris herbae*) capitula stellae modo radiata. *Suet. Aug.* 94. *med.* Radiata corona, *h. e.* aliquot erectis acuminibus instar radiorum ornata. Hujusmodi coronis ornabantur imagines principum consecratorum et in Deos relatorum, ut in eorum nummis videre est. *Plin. Pan.* 52. Horum unum si praestitisset alius, illi jamdudum radiatum caput, et media inter Deos sedes auro staret. Adde *Lucan.* 7, 458. et *Sil.* 7, 629.

RĂDĪCĀTUS, a, um, part. a *radicor:* radices habens: ut *semina radicata*, plantae, quae una cum suis radicibus evulsae alio transferuntur. *Colum. Arb.* 20. *f.* Arbores, aut radicata semina autumno serito. Adde *Pall*, 3, 10, 18. et 19. ℙ Item qui radices egit. Translate *Sidon. ep.* 5, 10. *extr.* Naturali vitio fixum est radicatumque pectoribus humanis, ut, etc.

RĂDĪCESCO, is, n. 3. radices emitto. *Sen. ep.* 86. *f.* Liberalius sternenda vitis, ut etiam ex corpore radicescat.

[RĂDĪCĬNĂ, ae, f. dimin. radicis, parva radix. *Pelag. Veter.* 2. *med.* Gramen, quod in terra nascitur, idest radicinas ipsas, quas plerumque aratrum evertit, cum hordeo et cum paleis minutis dare cotidie convenit. *Id. ib.* 25. *in.* Chamaeleontis radicinam combustam vulneribus sparges. *F.*

RĂDĪCĬTUS, adv. ῥιζόθεν, ab radice ab imis radicibus, vel una cum radice. *Cato R. R.* 50. Herbas malas omnes radicitus effodito. *Varr. R. R.* 1, 35. Rosa conciditur radicitus in virgulas palmares. *Colum.* 4, 33. Pertica radicitus exempta, et deposita. *Id.* 6, 3. Sentes recisi radicitus intereunt. *Plin.* 21, 11, 36. Herbam radicitus eruere. *Id.* 22, 21, 29. Verrucas hoc heliotropium radicitus extrahit. *Suet. Vesp.* 5. *med.* Arbor radicitus evulsa atque prostrata. *Catull.* 64, 108. pinus procul radicitus exturbata, Prona cadit; et *ib.* 288. namque ille (*Peneos fluv.*) tulit radicitus altas Fagos. *Prop.* 3, 5, 65. vivos radicitus abstulit ungues. ℙ Translate est penitus, omnino. *Cic. Dom.* 13. Videsne, me non radicitus evellere omnes actiones tuas? *Id. Fin.* 2, 9. Cupiditas tollenda est atque extrahenda radicitus. *Id. Tusc.* 1, 46. *extr.* Hanc excutere opinionem mihimet volui radicitus. *Id. N. D.* 1, 43. Epicurus ex animis hominum extraxit radicitus religionem. *Pl. Most.* 5, 1, 62. Omnia malefacta vestra repperi radicitus. *Lucr.* 3, 891. radicitus e vita se tollit, et eicit.

RĂDĪCOR, aris, dep. 1. ῥιζόομαι, radices emitto, radices agendo firmor. *Colum.* 4, 2. Mergi (*vitium*) mox facile radicantur. *Plin.* 13, 4, 8. Ipsa arbor strata in solo humido tota radicatur, sed in frutices, non in arborem. *Id.* 18, 7, 10. *n.* 2. Frumenta multis radicantur fibris. *Id.* 19, 6, 31. Caepe, et allium non nisi in rectum radicantur.

RĂDĪCOSUS, a, um, adj. ῥιζώδης, multas radices habens. *Plin.* 16, 34, 62. Omnium hederarum generi radicosa brachia.

RĂDĪCŬLA, ae, f. ῥιζίον, parva radix. *Cic. Div.* 2, 66. Tum secundum quietem visus ei dicitur draco radiculam ore ferre. ℙ Radicula item, herba quaedam dicitur, succum habens lavandis lanis, et ab oesypo repurgandis accommodatissimum, quam Graeci ὀρεοσέλινον, Latini etiam *lanariam* vocant. *Plin.* 19, 3, 18. V. LANARIUS. Ejus varios usus in medicina describit *Plin.* 24, 11, 56. [**Seifenkraut.* Usu eadem est, quae Saponaria et Gypsophila struthium, *L.*] ℙ Alia est radicula, quam *Cels.* 2, 18. et 21. et 4, 2. *n.* 3. *extr.* inter herbas edules, sed mali succi numerat, Graece ῥαφανὶς, ex raphanorum genere, sed bulbo minore: et cum raphano proprie dicto facile confunditur. Appellat *Colum.* Syriacam radicem, 11, 3. *med.* *Plin.* quoque recensens raphanorum genera, haec habet 19, 5, 26. *n.* 3. Nostri alia fecere genera: Algidense a loco, longum atque translucidum: alterum rapi figura, quod vocant Syriacum, suavissimum fere ac tenerrimum, hiemisque patiens. Praecipuum tamen est, quod e Syria non pridem advectum apparet, quoniam apud auctores non reperitur: id autem tota hieme durat. [**Fortasse Radies, Radieschen.*] ℙ Porro utraque haec ideo *radicula*, et *radix* dicitur, quia praecipua ejus vis, et usus in radice seu bulbo est.

RĂDĬO, as, avi, atum, n. 1. [**a radius:* hinc prima vocis significatio est radiis aliquid instruere. V. primum exemplum laud. in RADIATUS. ℙ Tum transfertur ad splendorem, radios quasi emittentem, significatque illustrare radiis, fulgorem inducere,

splendidum reddere. Exempla in f. Noster collocav. ista:] *Prop.* 1, 15, 5. Et potes hesternos manibus componere crines . . . . . Nec minus Eois pectus radiare lapillis, Ut formosa novo quae parat ire viro. Est qui leg. *variare*. Hinc passive *Ov. Pont.* 3, 4, 103. Scuta sed et galeae gemmis radientur et auro, *h. e.* distinguantur, ornentur; et *Claud. Rapt. Pros.* 2, 48. Caeruleusque sinus roseis radiatur alumnis. ℙ Translate. *Flor.* 4, 2. *med.* Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est: quasi de industria prospera ejus adversis radiarentur. *Imp. Justin. Instit. tit.* 1, 5. §. 3. Constitutio, quae inter imperiales radiat sanctiones. ℙ [*Denique *synonym.* est v. *fulgere*, signif.] στίλβω, radios emitto, refulgeo, mico, resplendeo, niteo. *Plin.* 37, 9, 50. Astrobolos radiat candido in sole. *Id.* 11, 37, 55. Felium in tenebris fulgent radiantque oculi. *Sil.* 8, 468. Is *(miles)* primam ante aciem pictis radiabat in armis. Adde *Prop.* 4, 1, 27. *Ov. Met.* 2, 4. Argenti bifores radiabant lumine valvae. *Id. Her.* 18, 77. Unda repercussae radiabat imagine lunae. *Claud. de Phoenice*, 17. Arcanum radiant oculi jubar. V. RADIANS. [*— Ita etiam deponentis forma positum legitur ap. *auct. Dial. de or.* 20. *extr.* Templa marmore nitent, et auro radiantur.] ℙ Transl. *Claud. Cons. Prob. et Olyb.* 118. placidi radiant in casside vultus. *Id. IV. cons. Honor.* 517. Quantus in ore pater radiat! ℙ In illo *Silii* 3, 629. Siderei juxta radiabunt tempora nati; ἀποθέωσις, seu consecratio significatur, secundum ea, quae in RADIATUS dicta sunt.

RĂDĬŎLUS, i, m. [*proprie est bacillus, virgula. Hinc ad solem translatum denotat tenuem solis radium, Gr. ἀκτὶν vel ἀκτίς. *Ammian.* 28, 4. *med.* Si per foramen umbraculi pensilis radiolus irruperit solis. Perperam *Forc.* hunc locum in f. posuerat. ℙ Tum dicitur de genere oleae,] quae et *radius* dicitur, et *circites*, escae aptior, quam oleo, ut ait *Colum.* 5, 8., et *Arb.* 17., ubi varia olearum genera recenset. Dicta esse videtur a similitudine radii textorii. *Id.* 12, 47. Albam pauseam, vel orchitem, vel radiolum dum contundes, etc. ℙ Item herba filici similis, in saxosis nascens, vel in parietibus, habens in foliis singulis binos ordines punctorum aureorum. *Appul. Herb* 83.

RĂDĬŌSUS, a, um, adj. ἀκτινοβόλος, multos radios emittens. *Pl. Stich.* 2, 2, 41. Commodum radiosus ecce sol superabat ex mari.

RĂDĬUS, ii, m. ῥάβδος, bacillus, seu virga mensorum, mathematicorum, astronomorum, ad metiendum, et figuras, lineasque in pulvere deformandas. V. PULVIS. Est a Graeca voce allata, ut quidem *Vossio* placet. *Cic. Tusc.* 5, 23. Humilem homunculum a pulvere et radio excitabo, Archimedem. *Virg. Ecl.* 3, 40. et quis fuit alter, Descripsit radio totum qui gentibus orbem, Tempora quae messor, quae curvus arator haberet? *Id. A.* 6, 850. coelique meatus Describent radio, et surgentia sidera dicent. Virgam significat etiam in illo *Plin.* 10, 42, 58. de psittaco: Caput cum loqui discit, ferreo verberatur radio: non sentit aliter ictus; et *Auson. epist.* 25, 24. In numerum quoties radiis ferientibus ictae Respondent dociles modulato verbere pelves. ℙ [De ramis vallorum usurpat *Liv.* 35, 3. Et adeo acuti, aliusque per alium immissi radii locum ad inferendam manum non relinquunt. *F.*] ℙ Est etiam hostorium, seu baculum, quo aequatur cumulus modii, ἀπομάκτρα. Quidam lexicographi afferunt haec verba *Plauti*, quae ego apud hunc ne in Suppositis quidem invenire potui: Dii Deaeque omnes tantam nobis laetitiam, tot gaudia sine radio cumulent. ℙ Item os brachii minus, de quo *Cels.* 8, 1. *med.* Radius, quem κερκίδα Graeci appellant, superior, breviorque, et primo tenuior, rotundo et leniter cavo capite exiguum humeri tuberculum recipit. Cubitus inferior, longiorque, etc. Graece dicitur etiam παρηγχιον: ab Italis quibusdam *fusello minore del braccio:* videturque radios rotarum imitari, de quibus mox, et inde nomen sumpsisse. ℙ Ob similitudinem transfertur ad splendorem, qui e sole, stellis, igne, et hujusmodi emittitur, quia in longum et acutum more virgae subtilis fertur (unde *verbera radiorum* dixit *Lucr.* 5, 1103. et *radiis sol feriens cacumina* habet *Ov. Met.* 7, 804.) ἀκτὶν. *Cic. Fin.* 5, 24. *med.* Ut quemadmodum stellae in radio solis, sic istae in virtutem splendore ne cernantur quidem. *Lucr.* 3, 91. tenebrasque necesse 'st Non radii solis, nec lucida tela diei Discutiant, sed, etc. *Id.* 2, 113. cum solis lumina cumque Insertim fundunt radios per opaca domorum. *Virg. A.* 4, 119. ubi Titan radiis retexerit orbem; et *ib.* 7, 142. nubes ardens radiis lucis et auro; et *ib.* 25. Jamque rubescebat radiis mare. *Ov. A. Am.* 1, 724. Debet *(nauta)* et a radiis sideris esse niger. *Id. Met.* 2, 171. radiis gelidi caluere Triones. ℙ De radiis in capite consecratorum in Deos, V. RADIATUS. ℙ Etiam fulminis *radii* sunt. *Virg. A.* 8, 429. Tres imbris torti radios, tres nubis aquosae Addiderant, rutili tres ignis, et alitis Austri. Adde *Val. Fl.* 6, 55. ℙ De fulgore oculorum. *Gell.* 5, 16. Stoici causas esse videndi dicunt radiorum ex oculis in ea, quae videri queunt, emissionem. Adde *Appul. Apol.* ℙ Dicuntur etiam *radii* regulae in rotis, quae hinc modiolo, illinc canthis seu absidi inseruntur, κνῆμαι, κνημίδες. *Virg. G.* 2, 444. et *A.* 6, 616., *Ov. Met.* 2, 317. et *Val. Fl.* 6, 414. ℙ Praeterea *radius* est instrumentum textorium, quo subtemen stamini inseritur; ita dictum, quod utrinque in acutum desinit. *Ov. Met.* 6, 55. Tela jugo vincta est: stamen secernit arundo: Inseritur medium radiis subtemen acutis, Quod digiti expediunt, atque inter stamina ductum Percusso feriunt insecti pectine dentes. Adde *ib.* 132., *Lucr.* 5, 1352. et *Virg. A.* 9, 476. Graece κερκὶς a multis dicitur: sed κερκὶς videtur potius esse pecten, quo tela premitur, et densatur. Nostrates *radium* vulgo vocant [*das Weberschiffchen, der Schütze.] a figura. ℙ Item linea, quae a centro circuli ad circumferentiam ducitur. [*Der Halbmesser.] *Cic. Univ.* 6. Cujus omnis extremitas paribus a medio radiis attingitur. ℙ Item spina eminens super caudam trygonis, seu pastinacae piscis, quincunciali magnitudine, quae arbores infixa radici necat, arma, ut telum, perforat, vi ferri, et veneni malo. *Plin.* 9, 48, 72. et 32, 2, 12. ℙ Item aculeus in pedibus graviorum quarundam avium, ut gallinaceorum. *Plin.* 11, 47, 101. Avium quibusdam gravioribus, in cruribus additi radii: nulli uncos habentium ungues. ℙ Et genus olivae oblongae, quae et *radiolus*, aptior ad escam, quam ad oleum. *Virg. G.* 2, 86., *Colum.* 5, 8. et *Arb.* 17. et *Plin.* 15, 3, 4. Ejus autem duo genera esse videntur: nam *radium majorem* nominant *Cato R. R.* 6. et *Varr. R. R.* 1, 24. Erit igitur et minor: et haec fortasse radiolus. ℙ *Radius virilis* ap. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 14. est ἰθύφαλλος.

RĂDIX, icis, f. ῥίζα, ima pars plantae, quae terrae infigitur, et insistit, et inde succum trahit: a ῥάδις, ramus. *Cic. Fin.* 5, 11. *med.* Videmus, ea, quae terra gignit, corticibus et radicibus valida servari. *Varr. R. R.* 1, 37. *f.* Aliae radices angustius diffundunt, ut cupressi: aliae latius, ut platani, usque eo ut Theophrastus scribat, Athenis in Lyceo, cum etiam tunc platanus novella esset, radices trium et triginta cubitorum egisse. *Cato R. R.* 133. Surculi in arboribus radices uti capiant. *Plin.* 16, 31, 55. Magna et radicum differentia: copiosae fico, breves et angustae malo, crassiores lauro, ramosae oleae, robori carnosae. Robora suas in profundum agunt. Si Virgilio credimus *(G.* 2, 291.) aesculus quantum corpore eminet, tantum radice descendit. *Ov. Met.* 14, 632. bibulaeque recurvas Radicis fibras labentibus irrigat undis. *Id. R. Am.* 106. Et mala radices altius arbor agit. *Virg. G.* 1, 20. Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum, *h. e.* ab radice manu prehensam ferens: vel evulsam una cum radice; et *ib.* 2, 318. radicem adfigere terrae; et *ib.* 1, 319. venti segetem ab radicibus imis eruunt; et *A.* 5, 449. Aut Ida in magna radicibus eruta pinus. *Ov. Met.* 7, 226. herbas placita partim radice revellit, Partim succidit. ℙ Per excellentiam dicitur de raphano, quia ejus usus in radice praecipuus. *Hor. Sat.* 2, 8, 7. acria circum Rapula, lactucae, radices: qualia lassum Pervellunt stomachum. *Colum.* 11, 3. *med.* Satio optima radicis, et rapae. *Pall.* 1, 35. *med.* Praecipue ubi radices, et rapa pascuntur. *Scrib. Comp.* 60. *radicem edulem* vocat. *Ov. Met.* 8, 666. Intubaque, et radix, et lactis massa coacti. Adde *Arnob.* 7, 223. ℙ *Radix Syriaca* species est raphani, de qua dictum est in RADICULA. ℙ De radice Pontica, V. in RHA. ℙ *Radix dulcis* ap. *Cels.* 5, 23. et *Scrib. Comp.* 170. est glycyrrhiza. ℙ Translate dicitur de ima parte aliarum rerum, qua inhaerent. *Virg. A.* 8, 238. Silex avulsa imis radicibus. *Lucr.* 2, 102. Validae saxi radices. *Ov. Met.* 14, 713. Durior et ferro, etc. Et saxo, quod adhuc viva radice tenetur. *Phaedr.* 3, 10. A radicibus domum evertere, *h. e.* funditus. *Plin.* 37, 10, 66. Ab ora gemmae ad radicem usque candido descendente. *Ov. Met.* 6, 557. radix micat ultima linguae. *Pl. Aul.* 2, 3, 72. Si hercle ego te non elinguandam dedero usque ab radicibus. *Petr. Sat.* 126. *med.* Frons radices capillorum retro flexerat. *Ov. Met.* 2, 583. Pluma erat, inque cutem radices egerat imas. *Plin.* 36, 13, 19. *n.* 2. Radices pyramidum. ℙ Saepissime de ima parte montium. *Lucr., Caes., Cic., Nep., Liv., Plin., Just., Gell. etc.* ℙ De origine, initio, fonte rei alicujus. *Varr. R. R.* 1, 1, *extr.* Ea erunt ex radicibus trinis: et quae ipse animadverti, et quae legi, et quae a peritis audii. *Id. L. L.* 5, 5. Cetera quae non sunt ab aliquo verbo, sed suas habent radices; et *ib.* 6, 3. *med.* Quocirca radices ejus *(verbi)* in Etruria, non Latio quaerendum est; et *Cic. Sext.* 22. *med.* Memineram divinum illum virum, atque ex iisdem, quibus nos, radicibus natum ad salutem imperii hujus, C. Marium, *h. e.* municipem nostrum. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 5. Apollinis se radice ortum jactabat. ℙ Illae aptiores sunt metaphorae. *Cic. Phil.* 4, 5. *f.* Virtus est una altissimis defixa radicibus, quae nunquam ulla vi labefactari potest; et *Off.* 2, 12. *f.* Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur; et *Tusc.* 3, 6. Non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere; et *Att.* 6, 6. *f.* Pompejus, eo robore vir, iis radicibus, Q. Cassium sine sorte delegit, *h. e.* ea firmitate opum et potentiae in republica; et *Coel.* 6. Nisi tot vitiorum tanta immanitas quibusdam facilitatis et patientiae radicibus niteretur. *Brut.* ad *Att.* inter *ep. Cic.* ad *Brut.* 1, 17. Illud malum fundamentum et radices habet altiores. ℙ *Radicium* in gen. plur. dixisse aliquos, scribit *Charis.* 1, 100. et 115., et magis cum ratione dici, quam *radicum:* usus tamen hoc magis videtur admisisse.

RĂDO, is, si, sum, a. 3. ξέω, abrado, erado, levigo, auferendo polio. *Lucr.* 5, 1267. silvas excidere, Materiamque dolare, levare et radere tigna. *Hor. Sat.* 2, 4, 83. lapides varios lutulenta radere palma, *h. e.* scopis e palma factis verrere; et *ib.* 6, 25. Aquilo radit terram, *h. e.* flando, et pulverem excitando secum trahit. Sic *Epod.* 16, 54. largis Aquosus Eurus arva radit imbribus. *Juven.* 13, 150. sacrilegus, qui Radat inaurati femur Herculis, *h. e.* aurum abradat. *Colum.* 2, 20. Area ut sit ad trituram satis habilis, primum radatur; deinde confodiatur, *h. e.* excisis exstirpatisque herbis purgetur. *Plin.* 28, 4, 13. Ipsos gymnasiorum rasere parietes; et 18, 16, 43. Herbam marris ad solum radere. *Id.* 17, 23, 35. *n.* 23. Quod supra terram est, radi jubetur, ne fruticet. *Mart.* 6, 57. et *Petr. Sat.* 104. Radere caput, et supercilia. *Suet. Aug.* 79. Modo tonderet, modo raderet barbam. [*Tonderi et *radi* differunt in eo, quod illud forfice, hoc novacula fiebat. V. *B. Crus.* ad *Caes.* 45.] ℙ Absolute. *Plin.* 7, 59, 59. Primus omnium radi quotidie instituit Africanus sequens. *Suet. Caes.* 45. Ut non solum tonderetur diligenter, ac raderetur, sed velleretur etiam. Adde *Mart.* 11, 84. ℙ Translate est demere, detrahere. *Pers.* 2, 66. Baccam conchae radere; et 3, 50. Scire erat in votis, damnosa Canicula quantum Raderet. *Mart.* 2, 17. Sed ista tonstrix, Ammiane, non tondet. Non tondet, inquis? ergo quid facit? radit; et *Tac. A.* 3, 17. *f.* Nomen Pisonis radendum fastis censuit. ℙ Radere caput mos fuit quibusdam populis in luctu, ut est ap. *Suet. Cal.* 5. de morte Germanici: item servis cum manumittebantur, quia tunc pileum sumebant, signum libertatis. V. PILEUM. Hujus rei causam affert *Non.* 12, 38., quod tempestatem servitutis videbantur effugere. Nam et naufragium timentes caput radebant: eratque hoc naufragorum ultimum votum, ut ait *Petr. Sat.* 103. *f.* Unde *Juven.* 12, 81. gaudent vertice raso Garrula securi narrare pericula nautae. ℙ Est etiam tactu laedere, asperitatis sensu dolorem afferre, leviter vulnerare, praestringere, scindere, laniare, scarificare. Hinc radere et pungere *Mart.* conjungit 11, 100. Et radere genas, in legib. XII. Tab. vetantur mulieres in funere, ut est ap. *Cic. Leg.* 2, 23. *med.* *Plin.* 11, 37, 58. et *Fest.* Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento. ℙ Translate. *Pers.* 1, 107. teneras mordaci radere vero Auriculas; et 5, 15. pallentes radere mores. *Quint.* 3, 1. Quorum ne jejuna atque arida traditio averteret animos, et aures praesertim tam delicatas raderet, verebamur. ℙ *Radere* dicitur etiam vomere terram praestringens et sulcans. *Sil.* 8, 393. Hernicaque impresso raduntur vomere saxa. ℙ Saepe a poetis *radere* dicitur, qui prope locum aliquem transit, ita ut paene contingat, qui praeternavigat, praetervolat. *Virg. A.* 7, 10. Proxima Circaeae raduntur litora terrae. *Val. Fl.* 5, 108. alta Carambis Raditur. *Virg. A.* 3, 799. altas cautes, projectaque saxa Pachyni Radimus. *Id. ib.* 5, 169. Ille inter navemque Gyae, scopulosque sonantes Radit iter laevum interior. *Ov. Am.* 3, 15, 2. Raditur haec elegis ultima meta meis. *Prop.* 3, 2, 23. Alter remus aquas, alter tibi radat arenas. Adde *Lucan.* 8, 246. Simile est illud *Ov. Met.* 10, 654. de equis cursorib. Posse putes illos sicco freta radere passu, Et segetis canae stantes percurrere aristas; et *Virg. A.* 5, 216. columna aere lapsa quieto Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas. [*Huc pertinet etiam illud *Suet. Ner.* 48. trajectos surculos rasit, i. e. per trajectos surculos repsit, nempe non pedibus, sed ventre terram et viam stringens. V. *Ernest.*] ℙ Flumina quoque ripas radunt, et quia praeterfluunt, et quia demunt semper aliquid. *Lucret.* 5, 257. et ripas radentia flumina rodunt. *Lucan.* 2, 425. radensque Salerni Culta Siler. *Sen. Hippol.* 16. Maeander steriles amne maligno radit arenas. Poetae eadem ratione dixerunt: quae collegit *Broukus.* ad illud *Tibull.* 4, 1, 142. Gyndes Radit Arecteos haud una per ostia campos. V. ARECTEUS.

RĂDŬLA, ae, f. κνηστήριον, instrumentum, quo aliquid ex aliqua re raditur, cujusmodi est illud, quo vetus pix e doliis raditur, atque educitur, ut deinde iterum picentur ad futuram vindemiam. *Colum.* 12, 18. Sublata lampade, rutabulo ligneo et ferrea curvata radula pix ducitur.

RĂDŬLĀNUS, a, um, adj. qui radula eraditur. *Plin.* 14, 19, 24. Radulana pice, ac resina condire musta. V. RABULANA Pix.

[RAESIĀNUS, a, um, adj. ad Raesium aliquem pertinens. Est cogn. Dianae. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 1. *n.* 231. Dianae Raesianae Q. Raesius Q. Fil. Pal. Surdinus cum Raesia Herculaniola sacrum. *F.*]

RAETĬCUS. V. RHAETICUS.

[RĂGĬA, ae, f. videtur ita appellari piscis, qui plerumque raia dicitur. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 36, 7. C. Sulpicius Galb. L. Ragia. *F.*]

*RĂGONDO, f. opp. Pannoniae superioris. *Tab. Peut.* et *Ant. Itin. B. A.*

RĂIÀ, ae, f. *βάτος*, genus piscis plani, et cartilaginei, in tergo et cauda spinas habens iis simillimas, quae in rubo visuntur: unde et *βάτον* Graeci, idest rubum, appellarunt. [**Roche.*] *Plin.* 9, 24, 40. Planorum piscium alterum est genus, quod pro spina cartilaginem habet, ut raiae, pastinacae, squatinae, torpedo. Adde *ib.* 42, 67. [Ejus figuram habes in nummo G. Proculejae ap. *Morell. Fam. R. F.*]

RALLĂ, ae, f. genus vestis, ita dictum a raritate texturae, *Nonio* teste 14, 14.: [*est autem per syncopen a *rarula*, quod dimin. a *rara*.] Adjective *Pl. Ep.* 2, 2, 46. Tunicam rallam, tunicam spissam, linteum caesicium. ℙ Fuit cogn. R. in gente Marcia, ut M. Marcius Ralla ap. *Liv.* 29, 11. et 30, 38. et Q. Marcius Ralla ap. *eund.* 34, 53.

[RALLIĂNĂ, ae, f. ralla, vestis ita dicta a raritate texturae. *Edict. Dioclet.* p. 21. Sagum, seu rallianam rudem ✕ sedecim. *F.*]

RALLUM, i, n. ferramentum, quo vomer tergetur a terra adhaerente: a *rado*. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. Purget vomerem subinde stimulus cuspidatus rallo. Quidam leg. *rulla*, sed contra MSS., teste *Hard.*

RĂMĂLĔ, is, n. ramus aridus, ramorum fragmenta igni nutriendo. *Sen. ep.* 90. *med.* Furcae utrinque suspensae fulciebant casam. Spissatis ramalibus, ac fronte congesta, et in proclive disposita, decursus imbribus quamvis magnis erat. *Ov. Met.* 8, 645. Multifidasque faces, ramaliaque arida. *Pers.* 5, 59. veteris ramalia fagi; et 1, 97. Ut ramale vetus praegrandi subere coctum. *Tac. A.* 13, 59. Arbor mortuis ramalibus, et arescente trunco deminuta.

RĂMEN, inis, n. rasura, scobs. Dicitur a *Barth. Advers.* 4, 4. usus eo *Marc. Empir.* non designato loco. Sed videtur legend. *rasamen*, q. v. v. in MAGIS, idis.

RĂMENTĂ, ae, f. idem ac ramentum. *Pl. Bacch.* 3, 4, 15. (q. l. affert etiam *Non.* 3, 189.) Verum, quam illa unquam de mea pecunia ramenta fiat plumea (al. *plumbea*) propensior, mendicum malim mendicando vincere. *Id. Rud.* 4, 3, 77. Nunquam hercle hinc hodie ramenta fies fortunatior.

RĂMENTOSUS, a, um, adj. ramentis similis. *Coel. Aurel.* 4. *Tard.* 3. *med.* Si aegrotantes parva excluserint sanguinolenta, et ramentosa.

RĂMENTUM, i, n. *ξῆμα, ξύσμα*, tenuis particula, quae radendo aufertur, ut particulae auri, argenti, ligni, quae rasura eorum decidunt. Est a *rado*, unde *rasus*, *rasamen*, *ramentum*. *Lucr.* 6, 1043. Et ramenta simul ferri furere intus ahenis In scaphiis. [**Hammerschlag.*] *Plin.* 28, 8, 24. Ramenta eboris. *Id.* 33, 3, 19. auri. *Id.* 21, 2, 3. e cornibus. *Id.* 31, 7, 39. salis. *Id.* 36, 22, 45. lapidis specularis. *Id.* 28, 17, 69. pellis cervinae dejecta pumice. *Id.* 24, 2, 2. ligni; et *ib.* 5, 10. cupressi. ℙ Differt a *scobe*, quae pulvis est scobina, vel serra, vel terebra factus; *ramentum* vero particula crassior, aut latior. *Plin.* 15, 17, 18. *n.* 4. Uvas scobe, ramentisve abietis servare. *Colum.* 4, 29. *f.* et *Arb.* 8. *med.* Nos terebram, quam Gallicam dicimus, huic insitioni aptavimus: ea excavat, nec urit, quod non scobem, sed ramenta facit. *Pall.* tamen hac eadem de re loquens, 3, 17. *med.* scobem vocat. Quin et *Plin.* fortasse aliquo ex allatis locis ramenta pro scobe posuit. ℙ *Ramenta fluminum* sunt arenae, quas radendo secum ferunt. *Plin.* 33, 4, 21. Aurum invenitur apud nos tribus modis: fluminum ramentis, ut in Tago Hispaniae, Pado Italiae, etc. puteorum scrobibus, etc. cuniculis per magna spatia actis. ℙ *Ramentum sulphuratum* ap. *Mart.* 10, 3. est fragmentum ligni sulphure illitum. [**Schwefelhölzchen.*] ℙ De frustulis esculentis. *Scrib. Comp.* 191. Rejiciunt autem ab stomacho ramenta, quae etiam simillima torminosis.

RĂMĔUS, a, um, adj. *κλαδαρὸς*, qui ex ramo est. *Virg. G.* 4, 303. ramea costis Subjiciunt fragmenta, thymum, etc.

RĂMEX, ĭcis, m. *ῥάμαξ*, ramus oblongus, longurius, pertica. *Colum.* 9, 1. Stipes compluribus locis efforatur, et in circuitu vivarii, certis intervenientibus spatiis, defixus erigitur, deinde per transversa laterum cava transmittuntur ramices, qui exitus ferarum obserent. *Varr. R. R.* 1, 14. simile quippiam describens, *longurii* voce utitur. *Appul. Met.* 4. Ante fores exigui ramices, vice structi parietis, attenduntur. ℙ Item herniae species, qua venae in scroto intumescunt ex nimia sanguinis copia, *κιρσοκήλη*. Causa hujus appellationis ex eo duci potest, quod *ἔρος*, unde *hernia* dicta videtur, Graecis etiam ramum significat. Quare Latini *ramicem* dixerunt, Graeco vocabulo insistentes. Ideo autem rami nomine hernia significatur, quia inflatis scroti venis, veluti quidam rami apparent. *Voss.* in *Etym. Cels.* 7, 18. *med.* Integris tunicis *(testium)* ramex innascitur, *κιρσοκήλην* Graeci appellant, cum venae intumescunt; et *f.* Inguen quoque nonnunquam ramices implent: *βουβωνοκήλην* appellant. *Plin.* 30, 15, 47. Ramices infantium lacertae virides *(sanant)*. *Id.* 22, 25, 57. Paleam tritici calidam imponi ramicum incommodis experti jubent. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 743. Quod deformi' senex, arthriticus, ac podagrosus, Quod mancus, miser, exilis, cum ramice magno. *Juven.* 10, 205. jacet exiguus cum ramice nervus, *h. e.* cum scroto turgenti ex ramice: quod in senibus (de quibus hic sermo) est frequentissimum. ℙ Praeterea *ramices* dicuntur pulmones, vel potius pulmonum et pectoris venae majores, quae ramorum instar diducuntur, et cum vocem, aut spiritum intendimus, inflantur. *Varr.* ap. *Non.* 2, 743. Priusquam in orchestra pythaules inflet tibias, domi suae ramices rumpit. *Pl. Merc.* 1, 2, 26. Loquere id negotii quidquid est. *Acan.* placide: volo acquiescere: tua causa rupi ramices: jamdudum sputo sanguinem: sc. currendo. Adde *Poen.* 3, 1, 37. Sunt qui his quoque locis herniam intelligunt: sed ex ea rupta non sequitur sputum sanguinis. ℙ Ap. *Colum.* 6, 12. et *Veg. Vet.* 3, 4. *n.* 10. et 4, 19. quidam leg. *ramicem* pro *saniem*, et esse ajunt pulmunculum, seu abscessum ac tumorem ex sanguine collecto.

RĂMĪCOSUS, a, um, adj. *κηλήτης*, qui ramice, seu hernia laborat. *Plin.* 30, 15, 47. Ramicosis cochlearum cinis cum ture medetur.

*RĂMISI, orum, populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

RĂMNENSES et Ramnes, ium, m. plur. altera ex tribus primis equitum R. centuriis, de quibus in LUCERENSES dictum est. ℙ De toto ordine equestri, seu de junioribus. *Hor. A. P.* 341. Centuriae seniorum agitant expertia frugis: Celsi praetereunt austera poemata Ramnes. ℙ Scribitur et *Rhamnes.*

RĂMOSUS, a, um, adj. *ἐρνώδης, κλαδώδης*, multos ramos habens. *Lucr.* 5, 1095. Ramosa arbor. *Ov. Fast.* 3, 751. ramoso stipite nixus. *Prop.* 4, 4, 5. Silvani ramosa domus. *Plin.* 26, 10, 65. Lappago similis anagallidi, nisi esset ramosior. *Id.* 32, 2, 11. Curalium probatissimum, quam maxime rubens, et quam ramosissimum. *Virg. Ecl.* 7, 30. Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi. (*Id. A.* 1, 193. cervos dixit capita alta ferentes Cornibus arboreis.) *Plin.* 21, 10, 32. Folium imbricatum magis, et ramosius, *h. e.* magis diffusum; et *ib.* 15, 52. Radices ramosae et multiplices. *Id.* 37, 11, 73. Borsycitis gemma in nigro ramosa, candidis aut sanguineis frondibus. ℙ Translate. *Ov. Met.* 9, 73. de hydra: Hanc ego ramosam natis e caede colubris, Crescentemque malo, domui, *h. e.* multis instructam colubris, tanquam ramis, e trunco renascentibus. *Pers.* 5, 34. et vitae nescius error Diducit trepidas ramosa in compita mentes, *h. e.* quae in multas vias dividuntur, ut in ramos truncus. *Lucr.* 6, 132. etenim ramosa videmus Nubila saepe modis multis, atque aspera ferri.

RĂMŪLOSUS, a, um, adj. ramulos multos habens. *Plin.* 16, 24, 38. Folia ramulosa ulmo et cytiso.

RĂMŪLUS, i, m. *κλαδών*, parvus ramus, ramusculus. *Cic. Div.* 1, 54. In agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum suum recidisse. *Plin.* 27, 12, 88. Osyris ramulos fert nigros, tenues, lentos. *Id.* 24, 15, 81. Chamaedaphne unico ramulo est, cubitali fere. *Val. Max.* 2, 8. *n.* 5. Laureae ramulos festinabunda manu decerpserunt.

RĂMUS, i, m. *ἔρνος, κλάδος*, pars arboris, quae e trunco exit, et multipliciter se spargit. *Cic. Or.* 3, 46. In arboribus truncus, rami, folia sunt; et *ib.* 1, 7. *med.* Platanus ad opacandum locum patulis diffusa ramis. *Id. Caecin.* 21. *med.* Ramum arboris defringere. *Virg. G.* 2, 81. ingens Exiit ad coelum ramis felicibus arbos. *Id. ib.* 3, 333. quercus Ingentes tendit ramos; et *ib.* 2, 296. fortes late ramos, et brachia tendens. *Id. A.* 3, 25. ramis tegerem ut frondentibus aras; st *ib.* 6, 282. ramos, annosaque brachia pandit Ulmus opaca ingens. *Hor. Epod.* 2, 13. Inutilesque falce ramos amputans, Feliciores inserit. *Virg. G.* 2, 370. ramos compesce fluentes: sc. putando. *Id. A.* 11, 5. Ingentem quercum decisis undique ramis. *Ov. Met.* 14, 660. Suspiciens pandos autumni pondere ramos. *Lucan.* 3, 400. lucus Obscurum cingens connexis aera ramis. ℙ Per synecdochen ponitur pro arbore. *Virg. A.* 3, 649. Victum infelicem, baccas', lapidosaque corna Dant rami, et vulsis pascunt radicibus herbae; et *ib.* 8, 318. Sed rami, atque asper victu venatus alebat. ℙ Et pro fronde. *Virg. A.* 5, 71. et tempora cingite ramis; et *ib.* 8, 286. populeis evincti tempora ramis. *Val. Fl.* 6, 296. conspectaque glauco Tempora nectuntur ramo. Adde *Ov. Fast.* 3, 861. ℙ Et pro fuste, seu clava. *Prop.* 4, 9, 15. Maenalio jacuit pulsus tria tempora ramo Cacus. ℙ Et pro ture. *Claud. III. cons. Honor.* 210. Vobis rubra dabunt pretiosas aequora conchas, Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres, *h. e.* ramos turiferos. ℙ Transfertur ad alia. *Caes. B. G.* 6, 25. Ab ejus *(bovis)* summo cornu, sicut palmae, rami late diffunduntur. *Plin.* 6, 27, 31. Sub monte Cambalido, qui est Caucasi ramus. ℙ *Τὸ αἰδοῖον ἀῤῥενικὸν* significat ap. *Naevium* (V. ROBORASCO), citante *Nonio* 2, 368. Adde *Prud. contra Sym.* 1, 115. ℙ Allegorice. *Cic. Tusc.* 3, 6. Nos autem audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere. ℙ De linea consanguinitatis. *Pers.* 3, 27. an deceat pulmonem rumpere ventis, Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis? V. v. sq. ℙ De ramis Samiis V. PYTHAGORAS f.

RĂMUSCŪLUS, i, m. ramulus. *Plin.* 20, 23, 98. Et viridi ferula ramusculus utilis ad omnia ea vitia. *Hard.* legit: *E viridi medulla vulvis utilis, et ad omnia ea vitia.* ℙ Translate. *Hieron. ep.* 133. *n.* 3. *f.* Doctrina tua Origenis ramusculus est. ℙ [De linea consanguinitatis. *Isid. Or.* 9, 6. Stemmata dicuntur ramusculi, quos advocati faciunt in genere, cum gradus cognationis partiuntur. V. RAMUS. *F.*]

RĂNĂ, ae, f. *βάτραχος*; animal palustre notum, in aqua, et in terra vitam agens: ab sua voce dicta, ut ait *Varr. L. L.* 4, 13. Quidam deducunt a *φρύνος*, rubeta, mox demto *φ* Attice, et mutato *υ* in *α* Dorice. Sunt et ranae scandentes arbores, et ex iis coaxantes. [**Laubfrösche.*] *Ov. Met.* 15, 375. Semina limus habet virides generantia ranas: Et generat truncas pedibus: mox apta natando Crura dat: utque eadem sint longis saltibus apta, Posterior partes superat mensura priores; et *ib.* 6, 377. Vox quoque jam rauca est, inflataque colla tumescunt: Ipsaque dilatant patulos convicia rictus. Terga caput tangunt: colla intercepta videntur: Spina viret: venter, pars maxima corporis, albet: Limosoque novae saliunt in gurgite ranae. *Plin.* 11, 37, 65. Ranis lingua prima cohaeret, intima absoluta a gutture, qua vocem mittunt, etc. Tum siquidem inferiore labro demisso ad libramentum modicae aquae receptae in fauces, palpitante ibi lingua ululatus elicitur. Tunc extenti buccarum sinus perlucent, oculi flagrant labore propulsi. *Id.* 32, 8, 29. Est et rana parva arborem scandens, atque ex ea vociferans. *Cic. Att.* 15, 16. Pluvias metuo, si prognostica nostra vera sunt: ranae enim *ὑητορεύουσιν*. *Hor. Sat.* 1, 5, 14. mali culices, ranaeque palustres Avertunt somnos. *Id. Epod.* 5, 19. turpis ranae ova. *Phaedr.* 1, 2. Ranae vagantes liberis paludibus. *Virg. G.* 3, 430. hic piscibus atram Improbus ingluviem, ranisque loquacibus explet; et *ib.* 1, 378. Et veterem in limo ranae cecinere querelam. (Quaenam haec sit querela, cognosces ex *Servio* in *h. l.* et *Phaedr. l. c.*) *Mart.* 3, 93. Meliusque ranae garriunt Ravennates. *Suet. Aug.* 94. *med.* Cum primum fari coepisset, in avito suburbano obstrepentes forte ranas silere jussit: atque ex eo negantur ibi ranae coaxare. *Mart.* 10, 79. Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim. (V. fabulam de rana rupta ap. *Hor. Sat.* 2, 3, 314. et *Phaedr.* 1, 24.) *Id.* 14, 183. Perlege Maeonio cantatas carmine ranas: *Βατραχομυομαχίαν*. *Juven.* 2, 150. Stygio ranas in gurgite nigras. ℙ *Inflat se tanquam rana*, proverb. de eo, qui sibi plus justo placet, ap. *Petr. fr. Trag.* 74. *Burm.* ℙ *Qui fuit rana, nunc est rex*, aliud proverb. ap. *eund. ib.* 77. de eo, qui e parvis initiis valde crevit sive divitiis, sive honoribus. ℙ In illo *Juven.* 3, 44. ranarum viscera nunquam Inspexi: significatur veneficium, quod ex ranae rubetae visceribus conficiebatur. V. RUBETA. ℙ *Rana*, morbi genus in bubus. *Colum.* 6, 8. Solent etiam fastidia cibo afferre vitiosa incrementa linguae, quas ranas veterinarii vocant. *Veg.* vocat *ranulas*. V. RANULA. ℙ Piscis marinus, [Graece *βάτραχος ἁλιεύς*, Italice *martino pescatore* vocatur. *F.* **Der Seeteufel* vel *Froschfisch.* Lophius piscatorius, *L.*] *Plin.* 9, 24, 40. Planorum piscium alterum est genus, quod pro spina cartilaginem habet, ut raiae, pastinacae, squatinae, torpedo, et quos bovis, lamiae, aquilae, ranae nominibus Graeci appellant; et *mox:* Cum ceteri pisces ova pariant, hoc genus solum animal parit, excepta quam ranam vocant. [*Id. ib.* 42, 67. Nec minor solertia ranae, quae in mari piscatrix vocatur. *Cic. N. D.* 2, 49. Ranae marinae dicuntur obruere sese arena solere, et moveri prope aquam: ad quas quasi ad escam pisces cum accesserint, confici a ranis atque consumi. *F.*]

RANCENS, entis, part. ab inus. *ranceo: ταγγίζων, ἰωλίζων*, putrescens, putens, rancidus. *Lucr.* 3, 270. cadavere rancenti, jam viscere vermes Exspirant. *Seren. Sam.* 54, 978. Vetus et rancens axungia.

RANCESCO, is, n. 3. rancidus fio, putresco. *Arnob.* 1, 12. Mel amarum fieri, olearum fluenta rancescere.

RANCĬDĒ, adv. cum rancore, corrupte. Translate. *Gell.* 18, 11. Quae mihi quidem neque abhorrere a poetica facultate visa sunt, neque dictu profatuque ipso tetrae aut insuaves esse, sicuti sunt quaedam alia ab illustribus poetis ficta dure et rancide, *h. e.* nimis antique, putide; et *ib.* 8. *Ὁμοιοτέλευτα, καὶ πάρισα, καὶ ὁμοιόπτωτα*, ceteraque hujusmodi scitamenta, quae isti *ἀτεχνόκαλοι*, qui se Isocratios videri volunt, in collocandis verbis immodice faciunt et rancide, quam sint insubida, et inertia, et puerilia, facetissime significat Lucilius.

[RANCĬDO, as, a. 1. rancidum facio ob odium. *Fulg. Myth.* 2, 1. Voluptaria vita libidine mollitur, aut homicidiis cruentatur, aut rapina succenditur, aut livoribus rancidatur. V. RANCOR. *F.*]

RANCĬDŬLUS, a, um, adj. dimin. aliquantum rancidus. *Juven.* 11, 133. quin ipsa manubria cultellorum Ossea non tamen his ulla unquam obsonia fiunt Rancidula: aut ideo pejus gallina secatur. ℙ Translate est putidulus, et fastidium creans. *Pers.* 1, 33. Rancidulum quiddam balba de nare locutus, Phyllidas, Hypsipylas, etc. *Mart.* 7, 34. Qui sic rancidulo loquatur ore.

RĂNCĬDUS, a, um, adj. *ταγγὸς, ἴωλος, σαπρὸς,*

corruptus et putens: et dicitur praecipue de cibis diutius asservatis, et putrescentibus: unde malus sapor odorque, [*ranzig.*] V. RANCOR. *Hor. Sat.* 2, 2, 89. Rancidum aprum antiqui laudabant: non quia nasus Illis nullus erat; sed, credo, hac mente, quod hospes Tardius adveniens vitiatum commodius, quam Integrum edax dominus consumeret. *Lucr.* 6, 1153. Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem, Rancida quo perolent projecta cadavera ritu. *Appul. Met.* 10. Partes opimas quasque devorabam, et rancidiora religens, abliguriebam dulcia. ℙ Translate. *Juven.* 6, 184. Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla Formosam, nisi quae de Tusca Graecula facta est, De Sulmonensi mera Cecropis? et *Plin.* 22, 22, 46. de boletis: Quorundam ex his facile noscuntur venena, diluto rubore, rancido aspectu, livido intus colore, etc. *h. e.* lurido, et qualis solet esse rerum rancidarum. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 305. rancidae edentularum cantilenae.

RANCO, as, n. 1. est vociferari, proprium tigris, a sono vocis. *Auct. carm. Philom.* 49. Tigrides indomitae rancant, rugiuntque leones. Alii leg. *raucant.*

RANCOR, oris, m. *τάγγη, σαπρότης*, marcor, corruptus odor aut sapor rerum diutius asservatarum: ab obsoleto *ranceo. Pall.* 1, 20. Receptacula olei semper munda sint, ne novos sapores infecta veteri rancore corrumpant. Adde 11, 10. ℙ Translate. *Hieron. ep.* 13. *n.* 1. Veteri rancore deposito, *h. e.* odio inveterato, quo mutua benevolentia corrupta est: odium enim homines rancidos facit seu lividos.

*RANI, orum, populi Scythiae, seu Sarmatiae, accolae Caucasi montis, in confinibus Colchorum. *Plin.* 6, 7. Al. aliter leg. *B. A.*

RĂNŬLĂ, ae, f. *βατράχιον*, parva rana, ranunculus. *Appul. Met.* 9. De ore pastoricii canis virens exsilivit ranula. ℙ Item morbus in lingua boum, de quo in RANA dictum est. *Veg. Vet.* 3, 3. *f.* Periculosum fastidium bobus ranulae faciunt: quae aperiendae sunt, et allio cum sale pariter trito ipsa vulnera confricanda.

RĂNUNCŬLUS, i, m. *βάτραχος*, vox positione quidem *ὑποχοριστική*, sed usu idem quod rana, sive parva sit, sive magna. *Cic. Div.* 1, 9. Quis est, qui, ranunculos hoc videre, suspicari possit? ℙ Translate [*per jocum] ita clientes suos vocat *Id. Fam.* 7, 18. *f.* Nam Ulubris, honoris mei causa, vim maximam ranunculorum se commosse, constabat. ℙ Item herba quaedam, de qua V. BATRACHIUM. [*Fortasse *Hahnenfuss.*]

RĂPĂ, ae, f. V. RAPUM.

RĂPĂCĬĂ, orum, n. plur. teneriores raparum frondes, et cauliculi, qui decocti usum habent in cibis. *Plin.* 18, 13, 34. Et homini non minor rapaciorum suis horis gratia, quam cymarum. ℙ Legitur et *rapicia*, et fortasse rectius: unde Italorum vulgare *ravizze.* Adjective *Cato R. R.* 35. Rapinam, coles rapicii unde fiant, in loco stercorato bene, aut in loco crasso serito; et *ib.* 134. Triticum, hordeum, faba, semen rapicium.

RĂPĂCĬDĂ, ae, m. rapax, fur, latro. *Pl. Aul.* 2, 7, 8. Rapacidarum ubi tantum siet in aedibus: *rapacidarum* dixit pro *rapacium*, quasi furum genus sit et natio, ut *Aeacidarum. Turneb. Adv.* 24, 23.

RĂPĂCĬTĀS, atis, f. *ἁρπακτικόν*, vitium rapiendi. *Cic. Coel.* 6. Quis in rapacitate avarior? quis in largitione effusior? *Just.* 38, 7. *med.* Adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas proconsulum, sectio publicanorum, calumniae litium. *Mart.* 6, 72. Fur notae nimium rapacitatis.

RĂPAX, acis, adj. omn. gen. *ἅρπαξ*, palam rapiens, rapiendi avidus, rapinis intentus, fur, praedo. *Cic. Pis.* 27. *med.* Olim furunculus, nunc vero etiam rapax. *Id. Verr.* 3, 2, 2. Furem aliquem, aut rapacem accusare. *Pl. Men.* 5, 7, 26. Vos scelesti, vos rapaces, vos praedones. *Suet. Vesp.* 16. Procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia solitus promovere, quo locupletiores mox condemnaret. ℙ De eo, qui sola munera sectatur, et donis tantummodo capitur. *Tibull.* 2, 4, 25. Illa malum facinus suadet, dominamque rapacem Dat mihi; et 1, 6, 23. sagae praecepta rapacis Desere. ℙ Dicitur commode de iis omnibus, quae rapiunt, et ad se, aut secum trahunt, sive animatis, sive inanimis. *Cic. Amic.* 14. Nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura. *Sen. ep.* 95. *med.* Unde ista tam rapacia virtutis ingenia? *Plin.* 25, 2, 2. Nostri omnium utilitatum et virtutum rapacissimi. *Id.* 37, 3, 13. Succinum rapacissimum ignium, et, si juxta fuerint, celerrime ardescens. *Cic. N. D.* 3, 10. Quid constantius Oceani fervore in illis locis, Europam, Libyamque rapax ubi dividit unda? *Lucr.* 1, 17. Rapaces fluvii; et 3, 651. falcesque rapaces. *Catull.* 25, 4. turbida rapacior procella. *Ov. A. Am.* 1, 388. Nec mea dicta rapax per mare ventus agit. *Lucr.* 5, 397. Avia cum Phaethonta rapax vis Solis equorum Aethere raptavit toto. *Ov. Met.* 8, 837. rapax ignis non unquam alimenta recusat. *Id. Her.* 12, 123. Aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos. *Hor. Od.* 4, 4, 50. Cervi luporum praeda rapacium. *Id. Sat.* 2, 2, 40. rapaces Harpyiae. *Id. Od.* 2, 18, 30. Rapax Orcus; et *ib.* 1, 34, 14. Fortuna. *Sen. Hippol.* 467. Rapaces Fati manus. *Tibull.* 1, 3, 65. Mors rapax. *Prop.* 4, 1, 105. Mars rapax. *Tert. Pall.* 4. Apud hirtos et hirsutos tam rapax a culo resina, *h. e.* quae pilos a culo rapit, evellit. ℙ Aves, aut bestiae rapaces. *Plin.* 11, 45, 101. Ungues hominibus lati, rapacibus unci, ceteris recti, ut canibus. ℙ Dentes rapaces, *τομικοί*, primores, quibus arripitur cibus. *Veg. Vet.* 4, 1. Dentes molares quatuor et viginti, canini quatuor, rapaces duodecim. V. DENS. ℙ Ap. *Tac. A.* 2, 43. legio una et vicesima, cui cognomen Rapaci, ita dicta est, ut *Fulminatrix*, *Adjutrix*, etc., quod eorum militum virtus, velut torrens, aut ignis omnia raperet et conficeret. *Inscr.* ap. *Grut.* 51, 5. L. Cornelius Urbanus miles leg. XXI. Rap. Mercurio V. S. L. M. Adde 382, 6., 434, 6. et 385, 5. etc. Ipsi etiam milites *Rapaces* dicti. *Tac. H.* 3, 22. Rapaces, atque Italici omnibus se manipulis miscuerant.

*RAPHĂNA, ae, f. nobilis civitas in Decapoli regione Syriae. *Plin.* 5, 18. Plurimi tamen Damascum et Optoton riguas amne Chrysorrhoa, fertilem Philadelphiam, Raphanam, omnia in Arabiam recedentia, etc. ℙ *Ῥαφανέαι* est *Ptolemaeo. B. A.*

RAPHĂNĪNUS, a, um, adj. *ῥαφάνινος*, qui est ex raphano. *Plin.* 23, 4, 49. Raphaninum oleum phthiriases tollit.

RAPHĂNĪTIS, itidis, f. *ῥαφανῖτις*, genus herbae. [*Schwertlilie, blaue Lilie.*] *Plin.* 21, 7, 19. Illyrica iris duorum generum est: raphanitis a similitudine, et, quae melior, rhizotomos subrufa.

RAPHĂNOS Agria, *ῥάφανος ἀγρία*, h. e. raphanus silvestris, herba, quae et *apios ischas* dicitur, juncos duos sive tres spargit in terra rubentes, foliis rutae: radix caepae, sed amplior: quare quidam raphanum silvestrem vocant. Intus habet mammam candidam, extra cortices nigros. Nascitur in montuosis asperis, aliquando et in herbosis. *Plin.* 26, 8, 46., ubi pergit ejus usus in medicina describere.

RAPHĂNUS, i, m. *ῥαφανίς, ῥάφανος*, herba nota crassae radicis, inter olera locum habens. *Plin.* 19, 5, 26. Cortice et cartilagine constant raphani: multisque eorum cortex crassior etiam, quam quibusdam arborum. Amaritudo plurima illis est, et pro crassitudine corticis, etc. Graeci genera fecere tria foliorum differentia, crispi, atque laevis, et tertium silvestre. Atque huic laevia quidem, sed breviora, ac rotunda, copiosaque, atque fruticosa, etc. Nostri alia fecere genera: Algidense a loco, longum atque translucidum: alterum rapi figura, quod vocant Syriacum, suavissimum fere ac tenerrimum, hiemisque patiens, etc. (V. RADICULA et RADIX.) Etiamnum unum silvestre Graeci agrion vocant, Pontici armon, alii leucen, nostri armoraciam (unde Italorum *ramolaccio*) fronde copiosius, quam corpore. Haec ex *Plin.* qui pergit ibidem rationem serendi, et vires in medicamentis describere. ℙ De alio raphano silvestri V. in v. praec. ℙ Raphanus podici immissus, ut etiam mugil, fuit moechorum deprehensorum poena, *ἀποραφανίδωσις. Catull.* 15, 18. Quem, attractis pedibus, patente porta, Percurrent raphanique, mugilesque. ℙ In femin. gen. *Pall.* 9, 5. Raphanum tamen, sicut brassicam, constat esse vitibus inimicam. ℙ Fertur in templo Apollinis Delphis adeo ceteris cibis praelatus raphanus, ut ex auro dicaretur, beta ex argento, rapum e plumbo. *Plin.* 19, 5, 26. *n.* 4. ℙ Sunt qui scribunt *rhaphanus*, ut omnis Graeca aspiratio exprimatur.

RĂPĬCĬUS, a, um. V. RAPACIA.

RĂPĬDĒ, adv. *ὁρμητικῶς, ἁρπακτικῶς*, raptim, festinanter, velociter. *Cic Leg.* 2, 3. Fibrenus divisus in duas partes latera haec alluit, rapideque dilapsus cito in unum confluit. *Id. Or.* 37. Hoc (*παθητικὸν*) vehemens, incensum, incitatum, quod cum rapide fertur, sustineri nullo pacto potest. *Suet. Cal.* 43. Iter confecit tam festinanter et rapide, ut, etc. *Tac. H.* 4, 71. Eo rapidius Cerialis, contracto quod erat militum, tertiis castris Rigodulum venit.

RĂPĬDĬTĀS, atis, f. *ὁρμητικόν*, velocitas. *Caes. B. C.* 1, 62. Tum rapiditate fluminis ad transeundum impedirentur. Adde *B. G.* 4, 17.

[RĂPĬDŬLUS, a, um, adj. dimin. rapidi. *Capell.* 8, 270. Quo terrore, et rapiduli sonitus raucitate concussi eodem se quamplures convertere Divi. *F.*]

RĂPĬDUS, a, um, adj. [*a rapio, *ἁρπακτικός*, rapax, vorax. Poetis quidem usitatissima vox, sed a quibusdam prosae orationis scriptoribus poetarum more usurpata. *Lucr.* 4, 714. Leones rapidi: Ita *Eichstadt. Ov. Her.* 10, 96. rapidae ferae: ubi perperam *Ruhnk.* ideo *rabidae* legend. censet, quod *rapidus* pro *rapax* positum exemplis confirmari non possit. ℙ A feris translata vox est ad alia, imprimis ignem et aquam, quae quasi bestiarum more rapacitatem quandam voracitatemque exserunt.] *Virg. G.* 4, 425. rapidus Sirius. [*Lucan. 6, 337. rapidique Leonis Solstitiale caput nemorosus submovet Othrys: ubi v. *Cort.*] *Virg. G.* 263. Aestuat, ut clausis rapidus fornacibus ignis. *Id. Ecl.* 2, 10. rapido fessis messoribus aestu. *Ov. Trist.* 1, 7, 20. Imposui rapidis viscera nostra rogis. *Tibull.* 1, 2, 40. et 4, 1, 193. Rapidum mare. ℙ [*Hinc in universum *rapidus* dicitur de iis, quae, ut flumen, procella, fulmen, alia id genus plura, celeritatis impetu obvia quaeque secum rapiunt; nostr. *reissend* eodem modo usurpatur.] *Pl. Men. prol.* 63. Nam rus ut ibat ferte, ut multum pluverat; ingressus fluvium rapidum ab urbe haud longule, rapidus raptori pueri subduxit pedes. *Virg. A.* 2, 305. rapidus montano flumine torrens. *Caes. B. C.* 1, 50. Rapidissimum flumen. *Lucr.* 6, 668. Perque mare et terras rapidus percurrere turbo. *Prop.* 2, 13, 45. Haec videam rapidas in vanum ferre procellas. *Virg. A.* 6, 74. foliis ne carmina manda, Ne turbata volent rapidis ludibria ventis. *Id. ib.* 1, 42. Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem. *Tibull.* 1, 2, 44. rapidum fulmen. *Curt.* 4, 9. *med.* Cum modo saxa lubrica vestigium fallerent, modo rapidior unda subduceret. ℙ Universim dicitur de quacumque re velocissima. *Virg. A.* 7, 156. festinant jussi, rapidisque feruntur Passibus; et *ib.* 12, 683. Rapidus cursus; et *ib.* 478. currus; et *ib.* 11, 906. Sic ambo ad muros rapidi, totoque feruntur Agmine. *Tac. H.* 2, 30. Rapido agmine Caecinae junguntur. *Flor.* 4, 7. *med.* Rapido impetu recipientes se equites. *Ov. Fast.* 5, 592. Rapidi equi. *Id. Met.* 2, 716. volucris rapidissima. *Virg. A.* 8, 441. nunc viribus usus, Nunc manibus rapidis. [*Poterant commemorari et ista: *Tac. A.* 12, 67. rapidum venenum; *ib.* 13, 15. decoquitur virus cognitis antea venenis rapidum; *ib.* 12, 66. *repentinum* et *praeceps* vocatur venenum. — Porro *Liv.* 22, 12. ferox rapidusque in consiliis, i. e. pronus ad suscipiendum consilium nimiumque celer in perficiendo.] ℙ De orbibus coelestibus. *Ov. Met.* 2, 73. Rapidus orbis. *Id. Fast.* 3, 518. axis. *Virg. G.* 1, 92. et 424. sol. *Stat. Th.* 1, 197. Rapidum coelum. ℙ *Oratio rapida*, incitata, verborum copia et numeri impetu celeriter decurrens. *Cic. Fin.* 2, 1. *f.* Cum enim fertur quasi torrens oratio, quamvis multa cujusquemodi rapiat, nihil tamen teneas, nihil apprehendas, nusquam orationem rapidam coerceas. ℙ [*Confund. *rapidus* et *rabidus.* V. h. v. in f.]

RĂPĪNĂ, ae, f. *γογγυλιών*, locus rapis consitus, vel rapis seminandis destinatus. *Colum.* 11, 2. *med.* Nam et napinae, itemque rapinae siccaneis locis per hos dies fiunt. ℙ De ipsis rapis *Cato R. R.* 5. *extr.* Post imbrem autumni rapinam, pabulum, lupinumque serito; et 35. *extr.* Rapinam, coles rapicii unde fiunt, et raphanum, in loco stercorato bene, aut in loco crasso serito. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv. n.* 41. *lin.* 30. Ibi omnes . . . . cum rapinis acceperunt. ℙ In *Cat.* ll. cc. *rapinam serere*, putaverit fortasse quispiam de loco rapis destinato esse intelligendum, minime vero in allata *Inscr.*, ubi profecto *rapinae* sunt aut fructus, aut plantae. Hinc etiam in *Colum. l. c.* sunt qui *rapinas* et *napinas* non loca rapis aut napis consita, sed raporum et naporum fructus intelligunt; quod et de *coepina* et *porrina* dicendum est. [*Emendavit h. l. *F.*]

RĂPĪNĂ, ae, f. *ἁρπαγμα*, rei alienae raptio per vim: item ipsa res per vim rapta. *Cic. Div. Verr.* 1. *f.* Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis efficere potuisset. *Id. Cat.* 2, 5. Nihil cogitant, nisi caedes, nisi incendia, nisi rapinas. *Hirt. B. G.* 8, 25. Cum omnia caedibus, incendiis, rapinis vastasset. *Cassius* ad *Cic. Fam.* 12, 12. *med.* Sequi spem praedae et rapinarum. *Caes. B. G.* 1, 15. Hostem rapinis, pabulationibus, populationibusque prohibere. *Hirt. B. Afr.* 54. Rapinas per municipia facere. *Cic. Att.* 14, 14. *med.* Rapinas scribis ad Opis fieri, *h. e.* pecuniam publicam, quae est ad Opis, diripi et auferri. *Scaevola Dig.* 31, 1, 90. *f.* Scis, unum fratrem tuum filium nostrum occidisse, dum ei rapinam fecit. *Suet. Ner.* 32. Ita jam exhaustus et egens, calumniis rapinisque intendit animum. *Id. Vesp.* 16. Ad manubias et rapinas necessitate compulsus. *Virg. A.* 8, 263. Abstractaeque boves, abjurataeque rapinae Coelo ostenduntur. *Lucan.* 3, 167. tristi spoliantur templa rapina. *Id.* 9, 222. Rapinae aequoreae; et 7, 98. Ad praematuras segetum jejuna rapinas Agmina compulimus. *Plin.* 10, 24, 35. Sola hirundo rapinae ceterarum alitum obnoxia non est. *Ov. Met.* 10, 28. Famaque si veterem non est mentita rapinam (*Proserpinae*), Vos quoque junxit Amor. Sic *A. Am.* 3, 760. stulta rapina mea est, *h. e*, qua Helenam rapui. *Mart.* 10, 87. Venator leporem, colonus haedum, Piscator ferat aequorum rapinas; et 8, 78. Omnis habet sua dona dies, nec linea dives Cessat, et in populum multa rapina cadit, *h. e.* missilia munera a populo diripienda. *Plin.* 17, 14, 37. *n.* 10. Arbores necant invicem inter se umbra vel densitate, atque alimenti rapina, *h. e.* terrae humorem altera alteri rapiendo. *Id.* 2, 68, 68. Terrae tres partes abstulit coelum: Oceani rapina in incerto est, *h. e.* nescitur quantum terrae spatium Oceanus auferat habitationi hominum. ℙ In illo *Sever. A.* 611. Tum vero, ut cuique est animus, viresque, rapinae Tutari conantur opes: *rapina* est celeris raptio et collectio rerum suarum, et translatio in alium locum, ut tutae ab incendio sint.

[RĂPĪNĀTĬO, onis, f. rapina, actus rapiendi. Vox pastorum et rusticorum hominum propria. *M. Aurel.* ap. *Front. ad Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 2, 15. Tum pastor unus ad alterum pastorem, postquam plusculos equites vidit, Vide tibi istos equites, inquit, nam illi solent maximas rapinationes facere. *F.*]

RĂPĪNĀTOR, oris, m. idem ac raptor. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 468 et 753. Homo impuratus (al. *impu-*

dieus) et impune est rapinator. *Varr. ib.* In invidiam veniant in hoc ipso rapinatores. Priore *Nonii* loco legitur *rapister*, quod videtur esse mendum.

RĂPIO, is, pui, ptum, a. 3. ἁρπάζω, per vim et festinanter prehendo, capio, aufero, abripio: a Graeca voce allata, per metathesin. *Pl. Mil.* 2, 5, 39. Vi atque invitam, ingratiis, nisi voluntate ibis, rapiam te domum. *Hor. Od.* 1, 18, 13. Rapere aliquid sub divum. *Virg. A.* 11, 651. validam dextra rapit indefessa bipennem; et *ib.* 10, 486. rapit calidum de vulnere telum. *Ov. Met.* 3, 730. Ventus autumno frigore tactas, Jamque male haerentes, alta rapit arbore frondes. *Sen. Phoen.* 424. Quae me per altas aeris rapiet vias Harpyia? *Ov. Met.* 12, 271. Ecce rapit mediis flagrantem Rhoetus ab aris Prunicium torrem. Sic *Phaedr.* 1, 28. Vulpes ab ara rapuit ardentem facem, Totamque flammis arborem circumdedit; et *ib.* 13. Emisit ore caseum, quem celeriter Dolosa vulpis avidis rapuit dentibus; et *ib.* 9. Passerem accipiter nec opinum rapit; et 5, 7. Dum pegma rapitur, concidit *(tibicen)* casu gravi; et *Hirt. B. Alex.* 20. Qui in navibus remanserant, scalas rapere, navesque a terra repellere properabant. *Liv.* 41, 3. Commeatum in litore expositum in naves rapiunt. [**Vell.* 2, 80, 3. rapere aquilam legionis; et 2, 66, 4. rapere lucem alicui.] *Ov. Am.* 2, 9, 29. rapit In praeceps dominum durior oris equus. *Phaedr.* 4, 21. Vos quod rapuistis, perit, *h. e.* quod arripuistis et extulistis e navi jamjam pessum itura. *Hor. Sat.* 1, 5, 86. Quattuor hinc rapimur viginti et millia rhedis. *Id. ib.* 2, 7, 117. Ocius hinc te ni rapis; et *Od.* 3, 11, 49. 1, pedes quo te rapiunt, et aurae. *Stat. Th.* 9, 272. Desiluit ripis fratrem rapturus Agenor. ℙ Palam furari, abducere, auferre. *Ov. Her.* 8, 17. An, si quis rapiat stabulis armenta reclusis, Arma feras; rapta conjuge lentus eris? *Cic. Phil.* 2, 25. Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuisset. *Id. ib.* 4, 4. Spes rapiendi atque praedandi obcaecat animos. *Sall. Cat.* 50. Rapi virgines, pueros, divelli liberos a parentum complexu. *Id. Jug.* 45. Populus libertatem in lubidinem vertere: sibi quisque ducere, trahere, rapere. *Id. Cat.* 11. Rapere omnes, trahere: domum alius, alius agros cupere. [*Hoc de immoderata licentia et cupiditate diripiendi dictum docet *Kritz.*, q. v. ad h. l.] *Liv.* 26, 13. aliquam ad stuprum. *Pl. Trin.* 2, 2, 10. Quod manu non queunt tangere, tantum fas lubent, quo manus abstineant: cetera rape, trahe, fuge, late. *Mart.* 8, 44. Rape, congere, aufer, posside: relinquendum est. *Virg. A.* 10, 14. Tunc certare odiis, tunc res rapuisse licebit, *h. e.* praedas agere; et *Tac. Agr.* 50. Auferre, trucidare, rapere, falsis nominibus imperium appellant. *Virg. A.* 2, 374. alii rapiunt incensa feruntque Pergama: ἄγουσι καὶ φέρουσι. Sic *Stat. Th.* 4, 371. hic te, bacchate Cithaeron, Ille rapi Theumeson ait. Adde *Lucan.* 3, 98. *Hor. Od.* 3, 3, 51. humanos in usus Omne sacrum rapiente dextra. [**Tac. A.* 13, 6. rapi Armeniam, i. e. vastari.] ℙ Item adimere, auferre, est etiam in his *Ov. Her.* 15, 206. Ingenio vires ille dat, ille rapit. *Sen. Met.* 222. Hoc reges habent, nulla quod rapiat dies, prodesse miseris; et *Herc. Oet.* 396. rapit somnos pavor; et *Thyest.* 793. Cur, Phoebe, tuos rapis aspectus? *h. e.* subtrahis. ℙ Ad poenam per vim et statim ducere. *Pl. Mil.* 5, 1. Ducite hunc: si non sequitur, rapite sublimem; et *Rud.* 3, 6, 15. Opta ocius, rapi te obtorto collo mavis, an trahi. *Ter. Ad.* 3, 2, 20. Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, et prosternerem. *Pl. Bacch.* 4, 4, 37. Rapere aliquem ad carnificem. *Cic. Or.* 2, 59. ad supplicium. *Pl. Capt.* 5, 3, 45. in nervum. Adde *Ter. Andr.* 5, 2, 20. ℙ Ad judicem trahere, compellere aliquem, ut in judicio se sistat. *Hor. Sat.* 2, 3, 72. Cum rapies in jura malis ridentem alienis. *Id. ib.* 1, 9, 77. *Pl. Poen.* 5, 5, 56. Rapere aliquem in jus; et *Aul.* 4, 10, 30. ad praetorem. ℙ Celeriter et raptim ducere. *Virg. A.* 7, 725. feroces Mille rapit populos; et *ib.* 10, 308. rapit acer Totam aciem in Teucros. *Plin. Pan.* 14. Per hoc omne spatium cum legiones duceres, seu (tanta velocitas erat) raperes. *Lucan.* 3. 116. Rapere gressus. *Sen. Med.* 380. Alumna, celerem quo rapis tectis pedem? *Id. Hippol.* 738. Ocior cursum rapiente flamma. *Stat. Th.* 5, 3. Acrior et campum sonipes rapit, *h. e.* celeriter percurrit. Adde *ib.* 655. *Petr. Sat.* 137. rapitur per valles improbus amnis, *h. e.* praeceps decurrit. *Sen. Octav.* 122. Violentus ensem per latus nostrum rapit, *h. e.* celeriter ducit, adigit. [*Cf. *Tac. A.* 1, 56. rapere exercitum in Cattos; et 4, 25. cito agmine rapere cohortes; et 15, 8. rapit exercitum trans montem Taunum. *Vell.* 2, 85, 6. rapere se praecipiti fuga ad. Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 1, 433. 7, 32.] ℙ Item trahere, per terram ducere, raptare. *Virg. G.* 2, 158. Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto Squameus in spiram tractu se colligit anguis. *Hor. Sat.* 1, 1, 114. carceribus missos rapit ungula currus. V. RAPTUS, a, um. ℙ Item eripere. *Virg. A.* 5, 808. Pelidae tunc ego forti Congressum Aeneam, nec Diis nec viribus aequis, Nube cava rapui. ℙ Item arripere, cito sumere, aut facere. *Vet. Poeta* ap. *Cic. Or.* 3, 40. Vive, Ulysses, dum licet. Oculis postremum lumen radiatum rape. Pergit *Cic.* Non dixit *cape*, non *pete:* haberet enim moram sperantis diutius esse sese victurum; sed *rape.* Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, dum licet. *Hor. Ep.* 13, 3. rapiamus, amici, Occasionem de die. *Id. Od.* 2, 12, 28. Oscula rapere occupat. *Id. Sat.* 2, 5, 52. tabulas a te removere, Sic tamen ut limis rapias, quid prima secundo Cera velit versu, *h. e.* cito perlegas. *Plin.* 18, 26, 66. *n.* 2. In hoc temporis intervallo agricolae rapienda sunt ea, quibus peragendis ante aequinoctium non suffecerit. (Adde 11, 11, 12.) et *Ov. Met.* 7, 288. barba comaeque, Canitie posita, nigrum rapuere colorem; et *Virg. A.* 1, 180. rapuitque in fomite flammam, *h. e.* celeriter Achates flammam in fomite excitavit, quasi exprimendo, et extrahendo eam ex scintilla: vel, si malis constructionem esse interruptam, scintilla ipsa raptim flammam duxit concepitque in fomite. Sic *Ov. Met.* 3, 374. Admotam rapiunt vivacia sulphura flammam. *Id. Fast.* 3, 867. et *Val. Fl.* 5, 272. Rapere fugam. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 19, 74. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 403. 3, 116. 4, 151. 1, 461. 2, 157.] *Lucan.* 4, 345. letum, *h. e.* praeripere, ultro arcessere, sibi properare. [*Alia exempla haec sunto: *Tac. A.* 4, 1. quo facinore dominationem raptum ierit. De constructionis genere v. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 669. p. 515. *H.* 1, 13. spem adoptionis acrius in dies rapiebat. *Liv.* 7, 23. rapere castra, i. e. celeriter occupare. *Tac. H.* 3, 41. rapere illicitas voluptates, i. e. raptim frui. *A.* 2, 19. arma rapiunt: inde *H.* 4, 21. Batavorum gentem in arma rapit, i. e. ut arma celeriter arripiant adducit. Porro *A.* 1, 70. rapi agique agmen: de fluctu rapido. Cf. *H.* 1, 2. cum delatores agerent verterent cuncta odio et terrore; *Dial.* 8. De rapido veneno: *A.* 13, 16. ut vox pariter et spiritus raperentur. Cf. *Cort.* ad *Lucan.* 10, 517.] ℙ Urbana sunt et illa *Hor. Ep.* 7, 13. Furorne caecus, an rapit vis acrior, An culpa? responsum date; et *Ter. Ad. prol.* 3. et *Pollio* ad *Cic. Fam.* 10, 33. Rapere aliquid in pejorem partem, *h. e.* vitio dare, vituperare. *Virg. A.* 8, 21. animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc, In partesque rapit varias, perque omnia versat. *Prop.* 2, 21, 10. Quidquid jurarunt, ventus et unda rapit; et *Phaedr. prol.* 3. Suspicione si quis errabit sua, Et rapiet ad se quod erit commune omnium, Stulte nudabit animi conscientiam, *h. e.* putabit in se dictum quod in universum in omnes dictum erit. *Cic. Off.* 2, 10. *extr.* Cum aliqua ampla et honesta res objecta est, totos ad se convertit et rapit, i. e. allicit et trahit. [*Adde *ib.* 1, 3, 9. Cum enim utilitas ad se rapere, honestas contra revocare ad se videtur: ubi v. *Beier.* Plura exempla hujus usus, quo *rapere* signif., magna vi permovere ad aliquid appetendum, dabit *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v. Cf. *Brem.* ad *Nep. Eum.* 6, 2. qui comp. *Goerenz.* ad *Cic. Acad.* 2, 36.] *Hor. A. P.* 148. et in medias res, Non secus ac notas, auditorem rapit. *Cic. Leg.* 2, 17. *med.* Opinionibus vulgi rapimur in errorem. *Id. Phil.* 13, 7. Incensi omnes rapimur ad libertatem recuperandam. *Id. Pis.* 24. *med.* Praedae ac rapinarum cupiditas caeca te rapiebat. *Id. Fam.* 16, 12. Cum Caesar amentia quadam raperetur. *Ov. Am.* 2, 19, 19. Tu quoque, quae nostros rapuisti nuper ocellos. *Id. ib.* 3, 6, 28. Cum rapuit vultus, Xanthe, Neaera tuos. ℙ [*De vi ac celeritate orationis. *Cic. Fin.* 2, 1. quum fertur quasi torrens oratio, quamvis multa cujusquemodi rapiat, nihil tamen teneat; *ib.* 3, 5. quum de rebus grandioribus dicas, ipsae res verba rapiunt. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Sequente infinito. *Manil.* 1, 11. favet Mundus scrutantibus ipsum, Et rapit aetherios per carmina pandere census, *h. e.* trahit, allicit ad pandendum. ℙ *Rapi* dicitur, quod certatim et cupide a multis emitur. *Hieron. ep.* 57. *n.* 2. Harum *(litterarum)* exemplaria certatim Palaestinae rapiebantur, vel ob auctoris meritum, vel ob elegantiam scriptionis. *Sulpic. Sever. dial.* 1, 23. Cum liber tota certatim urbe raperetur, exsultantes librarios vidi, quod nihil ab his quaestuosius haberetur. ℙ Item qui immatura, aut violenta morte perit. V. RAPTUS, a, um. ℙ Item rapi simulatur virgo ex gremio matris, aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur: quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit. *Fest. Catull.* 61, 2. Qui rapis teneram ad virum Virginem, o Hymenaee. ℙ *Rapsi* antique pro *rapui. Cic. Leg.* 2, 9. Sacrum, sacrove commendatum qui elepserit, rapseritque, parricida esto. Alii leg. *rapsitque.* [Hinc *rapsatus* in *Inscr.* opt. notae ap. *Fabr.* p. 169. *n.* 323. Sed rapsata, livoribus corporis repleta, etc. ℙ [*Confund. *rapere* et *capere.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 345. *rapio* et *rumpo. Id. ib.* 1, 153.]

[RĂPISTER. V. RAPINATOR. *F.*]

RĂPISTRUM, i, n. rapum silvestre. *Colum.* 9, 4. *med.* Vulgares lapsanae, armoracia, rapistrique olus.

RĂPO, onis, m. idem ac raptor. *Varr.* ap. *Non.* 1, 108. Praetor noster eripuit mihi pecuniam. De ea questum ad annum veniam ad novum magistratum, cum hic rapo umbram quoque spei devorasset.

[RAPSĂTUS, a, um, idem ac raptatus. V. RAPIO. *F.*]

RAPTĂBUNDUS. V. REPTABUNDUS.

RAPTĂTUS, a, um, part. a *rapto:* ὑνοταοθείς. *Cic. Sext.* 69. Fortunae vexatae, dissipati liberi, raptata conjux. *Virg. A.* 2, 272. Hector raptatus bigis. *Val. Fl.* 6, 747. Ille super socias clementi turbine gentes Erigitur, paulumque levi raptatus in aethra, Jam tandem extremas pugnae defertur in oras; et 7, 146. Thessalicas raptata per urbes.

RAPTIM, adv. ἁρπαλέως, ἁρπαγμως, rapiendo, palam furando. *Novius* ap. *Non.* 2, 213. In molis ludunt raptim pila, datatim morso: *raptim*, et *datatim* contraria sunt. *Liv.* 5, 44. *med.* Vagi per agros palantur, cibo vinoque raptim hausto repleti. *Plin.* 17, 14, 22. Semen raptim avium fame devoratum. ℙ Item celeriter, cum festinatione, cursim. *Cic. Dom.* 54. *extr.* Qui ageret illam rem ita raptim et turbulente, ut neque mens, neque vox, neque lingua consisteret. *Caes. B. C.* 1. 5. Aguntur omnia raptim atque turbate. Est qui leg. *ruptim. Liv.* 5, 37. *f.* Tumultuarius exercitus raptim ductus. *Cic. Att.* 2, 9. Cum mihi dixisset Caecilius, puerum se Romam mittere, haec scripsi raptim, ut, etc. *Liv.* 31, 42. Raptim cibum capere. *Plin.* 23, 1, 18. Mustum raptim et sine interspiratione potum. *Virg. G.* 1, 409. fugiens raptim secat aethera pennis. *Petr. Sat.* 101. Simulque raptim causas odiorum trepidanti Eumolpo exponit; et *ib.* 128. Raptim aedem Veneris intravit. *Suet. Aug.* 79. In capite comendo tam incuriosus, ut raptim compluribus simul tonsoribus operam daret, ac modo tonderet, modo raderet barbam. *Hor. Ep.* 2, 2, 198. Exiguo gratoque fruaris tempore raptim. *Tac. A.* 16, 13. de pestilentia: Servitia perinde ac ingenua plebes raptim exstingui. [*Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 399.] *Plin.* 34, 8, 19. Raptim insignes artifices transcurrere.

RAPTIO, onis, f. actus rapiendi. Dicitur potissimum de persona. *Ter. Ad.* 3, 3, 1. Ctesiphontem audivi una in raptione fuisse cum Aeschino. Ubi *Donat.* Raptio ad personam refertur, rapina ad rem, raptus ad stuprum, si proprie loqui volumus. *Arnob.* 5, 183. Raptio Proserpinae. *Auson. Perioch. Iliad. prooem.* Helenae. V. RAPTUS, us.

RAPTĬTO, as, a. 1. frequent. a *rapto*, vel a *raptus*, ut vult *Gell.*, a quo, tanquam Latinum et usitatum, agnoscitur 9, 6.

RAPTO, as, avi, atum, a. 1. ὑνοτάζω, invitum vi traho: frequent. a *rapio. Lucr.* 5, 398. Avia cum Phaetonta rapax vis Solis equorum Aethere raptavit toto, terrasque per omnes. [**Cic. Tusc.* 1, 44. quadrijugo curro raptari.] *Virg. A.* 1, 487. Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros. *Ov. Met.* 12, 223. Raptaturque comis per vim nova nupta prehensis. *Stat. Th.* 9, 160. ipse manu Tyria tibi captus Adrastus Raptatur; et *ib.* 303. nunc tela natantia raptans Ingerit. *Lucr.* 1, 278. de ventis: mare, terras, nubila coeli Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant. *Pl. Aul.* 4, 4, 5. Quid me afflictas? quid me raptas? qua me causa verberas? *Sil.* 9, 10. sparsi ad pabula campis Vicinis raptanda. ℙ Translate. *Pl. Cist.* 2, 1, 8. Ita me amor lassum animi ludificat, fugat, agit, appetit, raptat, retinet, lactat. *Val. Fl.* 1, 798. sacer effera raptat Corda pavor, *h. e.* percellit, agitat, turbat. *Id.* 2, 575. Nos, ait, ad Scythici, Tirynthius, ostia Ponti Raptat iter: mox hinc vestras revehemur ad oras, *h. e.* necessario ducit. *Prop.* 3, 9, 27. Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina (al. *crimine*) Divos? *h. e.* quasi in jus rapiam, incusem, reos faciam. *Auct. argum. Amph. Plaut.* 6. Turbas uxori ciet Amphitruo, atque invicem raptant pro moechis, *h. e.* conviciantur, accusant. [**Cic. Sext.* 69. Eversa domus est, fortunae vexatae, dissipati liberi, raptata conjux, etc. sc. quum ignominiae causa duceretur ad tabulam Valeriam. V. *Fam.* 14, 2. *Dom.* 23. quid enim vos uxor mea misera violarat? quam vexavistis, raptavistis, omni crudelitate lacerastis.] ℙ Sequente infinito: *Nemes. Ecl.* 3, 56. raptantur amantes Concubitu Satyri fugientes jungere Nymphas. ℙ *Raptare*, vastare. *Tac. A.* 4, 23. Adhuc raptabat Africam Tacfarinas. *Id. ib.* 12, 54. Igitur raptare inter se, immittere latronum globos. *Stat. Th.* 6, 114. Ut cum possessas avidis victoribus arces Dux raptare dedit, vix signa audita, nec urbem Invenias: ducunt, sternuntque, abiguntque feruntque Immodici: minor ille fragor, quo bella geruntur. ℙ Raptim ducere. *Hirt. B. Afr.* 73. Ut legiones non uno in loco contineret, sed per causam frumentandi, huc atque illuc raptaret.

RAPTOR, oris, m. ἁρπακτήρ, qui palam furatur, et rapit. *Pl. Epid.* 2, 2, 115. Magnus miles, raptor hostium, *h. e.* qui hostes vivos capit, et abducit. *Id. Trin.* 2, 1, 23. Raptores panis et peni. *Prop.* 4, 9, 9. Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro. *Lucan.* 3, 124. nullasque feres, nisi sanguine sacro Sparsas, raptor, opes. *Tac. H.* 2, 86. Discordiis et seditionibus potens, raptor, largitor, pace pessimus, bello non spernendus. *Mart.* 8, 26. Raptor Gangeticus, *h. e.* venator, qui tigridum catulos matribus absentibus rapit. (V. *Plin.* 8, 18, 25., *Val. Fl.* 1. a *v.* 489., *Stat. Th.* 4, 316. et *Claud. Rapt. Pros.* 3, 263.) *Phaedr.* 1, 31. Milvius raptor. *Virg. A.* 2, 356., *Colum.* 7, 12. *med.* et *Ov. Met.* 10, 540. Raptores lupi. *Id. ib.* 8, 438. Discite raptores alieni, dixit, honoris, Facta minis quantum distent. *Vell.* 2, 27. Raptores Italicae libertatis. *Val. Max.* 5, 3. *n.* 2. Raptor spiritus. ℙ De eo, qui ad stu-

prum aliquam rapit. *Tac. A.* 1, 58. Raptor filiae meae, violator foederis vestri Arminius. *Sen. Hippol.* 627. Raptor thalami mei, *h. e.* uxoris. Adde *Hor. Od.* 4, 6, 2., *Prop.* 3, 21, 4., *Ov. A. Am.* 1, 680., *Mart.* 12, 52., *Just.*, *Lucan.* etc. Hinc raptor stupri *Sen. Hippol.* 726. est, qui per vim stuprum intulit, vel inferre tentavit. ℙ *Magines raptor ferri* ap. *August. C. D.* 21, 4. *med.* est ferrum ad se trahens.

RAPTŌRĬUS, a, um, adj. ad rapiendum, seu trahendum aptus, ut Raptorium machinamentum, *Coel. Aurel. Tard.* 3, 6. *f.* de araneo.

[RAPTRIX, icis, f. quae rapit. *Hieron.* in *Chron. ad ann.* DCLX. ab *Abraam.* Frustra igitur Jovis fabula, et raptrix aquila fingitur, *h. e.* Juppiter sub aquilae specie rapiens Ganymedem. *F.*]

RAPTŪRA, ae, f. idem ac raptus, vel raptio. *Plin.* 11, 24, 28. de araneo: Cum vero raptura incidit, quam vigilans et paratus ad cursum! Al. leg. *captura*, et quidem rectius.

RAPTUS, a, um, part. a *rapio*: ἁρπασθείς, vi et celeriter ablatus, abreptus. *Hor. Epod.* 5, 23. Et ossa ab ore rapta jejunae canis. *Id. Ep.* 1, 17, 55. meretrix saepe catellam, Saepe periscelidem raptam sibi flens. *Virg. A.* 1, 532. raptas ad litora vertere praedas. *Id. ib.* 7, 742. Tegmina queis capitum raptus de subere cortex, i. e. avulsus; et *ib.* 6, 496. populataque tempora raptis Auribus. *Id. ib.* 1, 382. Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste Penates Classe veho mecum. Sic *ib.* 9, 213. Sit qui me raptum pugna, pretiove redemptum Mandet humo solita. *Ov. Trist.* 3, 10, 17. Tantaque commoti vis est Aquilonis, ut altas Aequet humo turres, tectaque rapta ferat. *Tac. H.* 4, 30. Suspensum et nutans machinamentum, quo repente demisso singuli pluresve hostium sublime rapti. ℙ *Raptum* absolute, res rapta. Unde *rapto*, et *ex*, *de rapto vivere*, λῃστεύειν. *Liv.* 7, 25. *f.* (et *Virg. A.* 7, 749.) Quos rapto vivere necessitas cogeret. *Just.* 41, 4. Solitus latrociniis et rapto vivere. *Ov. Met.* 1, 144. Vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus. *Id. Trist.* 5, 10, 16. gentes, Quae, nisi de rapto, vivere turpe putant. Al. leg. *Quae sibi non rapto*, etc. *Vell.* 2, 73. *f.* Latrociniis ac praedationibus infestato mari, ad se exercitumque tuendum rapto utebatur. *Sen. ep.* 70. *extr.* Injuriosum est rapto vivere: at contra pulcherrimum, mori rapto, *h. e.* arripiendo quidquid mortem inferre potest: quidquid obvenerit ad vim sibi afferendam, invadendo. ℙ *Raptus* est etiam celeriter sumptus. *Val. Fl.* 5, 217. Rapta Ceres, *h. e.* cibus celeriter sumptus. *Claud. B. G.* 350. raptos contentus in armis Delibasse cibos. ℙ Item immatura aut violenta morte praereptus. *Virg. A.* 6, 428. ab ubere raptos Abstulit atra dies. *Ov. Pont.* 4, 11, 5. rapti jactura laesus amici. *Stat. Silv.* 2, 1, 208. Hic finis rapto; et *ib.* 5, 2, 16. post Orphea raptum. *Plin.* 7, 8, 6. Agrippa infelix brevitate aevi, quinquagesimo uno raptus anno. ℙ Item tractus, raptatus. *Ov. Trist.* 5, 4, 11. Quid Priamus doleat, mirabimur, Hectore rapto. Al. leg. *tracto*. *Id. Met.* 12, 591. Hectoris umbra subit, circum sua moenia rapti. Al. leg. *tracti*. Confirmat priorem lectionem illud *ejusd. Fast.* 6, 744. Hippolytus lacero corpore raptus erat; et *Am.* 2, 1, 32. Raptus et Haemoniis flebilis Hector equis; et *Trist.* 4, 3, 30. Thebana cruentum Hectora Thessalico vidit ab axe rapi. ℙ Translate. *Ov. Fast.* 2, 762. caeco raptus amore furit. ℙ Item direptus. *Stat. Ach.* 1, 152. ipsi mihi saepe queruntur Centauri raptasque domos, abductaque coram Armenta. ℙ De eo, qui amoris causa abducitur. *Ov. Fast.* 5, 669. Abstulerant raptas Phoeben, Phoebesque sororem Tyndaridae fratres. *Id. A. Am.* 1, 679. Vim passa est Phoebe: vis est allata sorori: Et gratus raptae raptor uterque fuit. Adde *Virg. A.* 1, 32., *Stat. Ach.* 1, 47. etc. *Ov. Met.* 8, 850. qui raptae praemia nobis Virginitatis habes. ℙ In dativo plur. *raptabus* dici potest ad ambiguitatem fugiendam, cum de feminis sermo est, ut jam in ASINA observavimus. *Cn. Gell.* ap. *Charis.* 1, 39. Multitudo puerorum jam erat ex raptabus.

RAPTUS, us, m. ἁρπαγή, actus rapiendi, et per vim trahendi. *Plin.* 16, 42, 82. de abiete: Ramentorum crinibus pampinato semper orbe se volvens, ad incitatos runcinarum raptus, i. e. quoties runcinae vi tractae ligni aliquid rapiunt auferuntque. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 11. *med.* Lenibus cucurbitarum raptibus utemur, quos Graeci abusive *κουφὰς* vocant. ℙ Furtum palam factum, rapina. *Tac. G.* 35. Nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. *Id. H.* 1, 46. Per latrocinia et raptus militare otium redimebant. *Id. A.* 2, 52. Vagos et latrociniis suetos ad praedam et raptus congregare. *Lucan.* 7, 236. Movere signa ad raptus segetum. ℙ De raptione, quae amoris causa fit. *Cic. Verr.* 2, 4, 48. Locus ut ipse raptum illum virginis declarare videatur. Adde *Ov. Fast.* 4, 417., *Tac. A.* 6, 1. et *Suet. Ner.* 46.

RĂPŬLUM, i, n. γογγυλίδιον, parvum rapum. *Hor. Sat.* 2, 2, 43. cum rapula plenus, Atque acidas mavult inulas; et *ib.* 8, 7. acria circum Rapula, lactucae, radices.

RĂPUM, i, n. raro Rapa, ae, f. γογγύλη, genus oleris noti, ex genere eorum, quae cartilagine constant. *Colum.* 2, 10. *med.* Ab his leguminibus ratio est habenda naporum, raporumque: nam utraque rusticos implent. Magis tamen utilia rapa sunt, quia et majore incremento proveniunt, etc. *Plin.* multa de his 18. *c.* 13. et 19. *c.* 5. De eorum satione et cultura *Colum. l. c.* et 11, 3. *f.* De condiendi ratione *Id.* 12, 54. et *Pall.* 13, 5. *Mart.* 13, 16. Haec tibi brumali gaudentia frigore rapa Quae damus, in coelo Romulus esse solet. *Suet. Vesp.* 4. Sortitus Africam, integerrime, nec sine magna dignatione administravit: nisi quod Adrumeti, seditione quadam, rapa in eum jacta sunt: *scil.* contumeliae causa, quemadmodum contra honoris causa flores, corollae, bellaria spargi in aliquem mos fuit. ℙ In femin. gen. *Colum.* 11, 3. *med.* Rapae, napique semina obrues. *Scrip. Comp.* 176. et 177. Rapae seminis pondo tria.

RĂRĔ, adv. ἀραιῶς, non dense, non spisse. *Colum.* 2, 9. *med.* Nisi rare conseritur, vanam et minutam spicam facit. *Id.* 9, 15. *f.* Tenui vimine rarius contextus saccus. ℙ Item minus saepe, insolenter, σπανίως. *Pl. Rud.* 4, 3, 56. Hic piscis rare capitur: nullus minus saepe ad terram venit. *Suet. Tib.* 47. Spectaculis rarissime interfuit; et *Claud.* 3. Non affari aviam nisi rarissime. ℙ *Raro* hoc sensu usitatius est. *Varr.* ap. *Gell.* 2, 25. A probus probe, a doctus docte: sed a rarus non dicitur rare, sed alii raro dicunt, alii rarenter. *Charis.* tamen 2, 193. et *Catonem*, et *Ciceronem* dixisse *rare* scribit. Eum penes sit fides, neque enim aut verba recitat, aut loca designat.

RĂRĔFĂCIO, acis, eci, actum, a. 3. ἀραιόω, rarum facio: cui *denso* contrarium est. *Lucr.* 6, 869., ubi sol radiis terram dimovit obortis, Et rarefecit calido miscente vapore. *Id. ib.* 232. Conlaxat, rareque facit lateramina vasi.

RĂRĔFACTUS, a, um, part. a *rarefacio*: ἀραιωθείς, rarus factus, laxatus. *Lucr.* 3, 442. corpus conquassatum ex aliqua re, Ac rarefactum detracto sanguine venis. *Id.* 2, 1138. Jure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo Sunt.

RĂRĔFĬO, is, actus sum, n. pass. anom. ἀραιοῦμαι, rarus fio, raresco. *Lucr.* 1, 647. Nihil prodesset calidum denserier ignem, Nec rarefieri, si, etc.

RĂRENTER, adv. σπανίως, minus saepe, raro. *Cato R. R.* 103. Dato rarenter bibere commixtam cum aqua amurcam. *Enn.* ap. *Non.* 11, 52. Rarenter gemitum trahere. *Fabius Pict.* ap. *Gell.* 10, 15. Rarenter flamen Dialis creatus consul est. Ipse *Gell.* 17, 8. Cur oleum saepe et facile stet, vina rarenter congelascant. Etiam *Cicero* adhibuit, teste *Statilio Max.* ap. *Charis.* 2, 193. Adde *Caec.*, *Naev.*, *Pomp.*, *Liv. Andr.* ap. *Non.* 2, 732. et 11, 52. et *Appul. Flor. n.* 9. *f.*

RĂRESCO, is, n. 3. ἀραιοῦμαι, rarus fieri incipio, rarefio. *Stat. Silv.* 1, 2, 186. cum rarescunt nubila ventis, Aut dissolvuntur solis super icta calore; et *ib.* 841. rarescit terra calore. Adde *Lucr.* 6, 512. *Colum.* 3, 16. *extr.* Interitu seminum cetera, quae virent, rarescunt. *Plin.* 11, 39, 94. Quadrupedibus in senectute pili crassescunt, lanaeque rarescunt. *Val. Fl.* 6, 616. inque omnes pariter furit, ac modo saevo Ense, modo infesta rarescunt cuspide pugnae, *h. e.* pugnantes fiunt rariores, multis cadentibus. *Stat. Th.* 4, 284. rarescunt alta colonis Maenala. Sic *Silv.* 4, 4, 14. Ardua jam densae rarescunt moenia Romae. *Sil.* 17, 423. Rarescit multo laxatus vulnere miles, Atque aperit patulas prostrato corpore late Inter tela vias. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 330. Erebi se sponte relaxat Squalor, et aeternam patitur rarescere noctem. *Stat. Th.* 11, 73. profundae Rarescunt tenebrae. *Paul. Nol. carm.* 18, 407. Noctis et extremae fuga rarescentibus astris. ℙ Translate est dilatari, aperiri. *Virg. A.* 3, 410. ubi digressum Siculae te admoverit orae Ventus, et angusti rarescent claustra Pelori. Ubi *Servius:* Quia venientibus de Ionio ad Calabriam, propter curvaturam litorum clausae videntur angustiae, quae paulatim propinquantibus aperiri videntur. *Tac. G.* 30. Durant siquidem colles, paulatimque rarescunt. ℙ Item rarius fieri, minui. *Prop.* 3, 13, 33. Litore sic tacito sonitus rarescit arenae. ℙ [*Confund. *rarescere* et *clarescere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 123.]

RĂRĬPĪLUS, a, um, adj. ψεδνὸς, ἀραιόθριξ, raros pilos habens. *Colum. praef.* 1. *med.* Caprinum pecus aliter curatur mutilum et raripilum, aliter cornutum et setosum.

RĂRĬTAS, atis, f. ἀραιότης, μανότης, qualitas densitati contraria, laxitas. *Cic. N. D.* 2, 55. In pulmonibus inest raritas quaedam, et assimilis spongiis mollitudo, ad hauriendum spiritum aptissima. *Vitr.* 2, 5. *med.* de calce: Liquor, qui est in ejus lapidis corpore, humore penetrante in foraminum raritates, confervescit. *Plin.* 8, 43, 68. de asinis: Nec pontes transeunt, per raritatem eorum translucentibus fluviis. *Id.* 28, 11, 46. Raritatem superciliorum emendare. *Quint.* 11, 3. *med.* Sunt qui spiritum cum stridore per raritatem dentium non recipiunt, sed resorbent. ℙ Item paucitas, infrequentia, σπανιότης. *Plin.* 2, 18, 16. Modo multitudo (*stellarum*) conferta inest, modo raritas, ut fugisse miremur. *Suet. Aug.* 82. Tantam infirmitatem magna cura tuebatur: in primis levandi raritate. *Id. ib.* 43. Custodes in Urbe disposuit, ne raritate remanentium grassatoribus obnoxia esset. *Plin.* 7, 13, 11. Raritas exemplorum. *Id.* 13, 4, 9. Quinque, nec plures arbores, non raritate magis, quam suavitate mirabiles. *Id.* 8, 42, 64. Alexandro equi magna raritas contigit: Bucephalon eum vocarunt. *Gell.* 3, 16. Antiquos Romanos Varro dicit non recepisse hujuscemodi quasi monstruosas raritates. Adde *Cels.* 7, 14.

RĂRĬTŪDO, inis, f. raritas. *Varr. L. L.* 4, 29. Rete dictum a raritudine. *Colum. Arb.* 3. *f.* Mediocri raritudine optima est vitibus terra.

RĂRO, adv. σπανίως, minus saepe, insolenter, non frequenter, rare, rarenter. *Cic. N. D.* 3, 27. Vinum aegrotis, quia prodest raro, nocet saepissime, melius est non adhibere omnino. *Id. Inv.* 1, 28. *med.* Evenire vulgo soleat, an insolenter ac raro. *Id. Fam.* 1, 7. Quod si rarius fiet, quam tu exspectabis, etc. *Colum.* 5, 5. *med.* Sed istud rarissime accidit. *Suet. Claud.* 3. Non affari, nisi rarissime. *Plin.* 11, 47, 107. Aves, quae rarissime apparent. *Id.* 2, 50, 51. Raro admodum. *Id.* 37, 4, 15. Perquam raro. *Id.* 22, 22, 46. Raro unquam. ℙ Aliquando, interdum. *Cic. Or.* 3, 38. Inusitata sunt prisca fere, ac vetusta, et ab usu quotidiani sermonis jamdiu intermissa: quae sunt poetarum licentia liberiora, quam nostra: sed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem. V. RARUS.

RĂRUS, a, um, adj. ἀραιὸς, μανὸς, qui non est densus aut spissus. Volunt esse ab ἀραιὸς per aphaeresin. *Plin.* 17, 10, 11. Baccae expanduntur rarae, ne calefiant acervo. *Hor. Epod.* 2, 33. et *Virg. A.* 4, 131. Retia rara. *Id. ib.* 9, 508. Qua rara est acies, interlucetque corona Non tam spissa viris. [**Liv.* 9, 27. raris ordinibus — constiterant, i. e. latius patefacta stetit, scil. dextra pars.] *Lucr.* 4, 622. rarae plexa foramina linguae. *Id.* 1, 743. Res molles et rarae. *Id.* 6, 1022. Rarior aer. *Ov. Met.* 12, 437. liquor rari sub pondere cribri Manat. *Caes. B. G.* 5, 16. Ut nunquam conferti, sed rari, magnisque intervallis proeliarentur. [**Liv.* 23, 27. rari in confertos illati; et 2, 50. rara apparebant hostium arma.] *Ov. Am.* 1, 8, 111. Alba et rara coma; [*Cf. *Suet. Cal.* 50.] et *ib.* 5, 13. Rara tunica. *Quint.* 9, 4. Textum tenue atque rarum. *Id.* 11, 3. *med.* Cava et rara manus, *h. e.* digitis diductis. ℙ Saepe est paucus, infrequens, σπανὸς. *Cic. Amic.* 18. Qui utraque in re stabilem se in amicitia praestiterit, hunc ex maxime raro hominum genere judicare debemus; et *ib.* 21. Omnia praeclara rara. *Id. Fin.* 2, 25. Vel in ipsa virtute optimum quidque rarissimum est. *Hor. Od.* 1, 2, 24. Rara juventus. *Caes. B. G.* 7, 45. *med.* Raros milites, ne ex oppido animadverterentur, ex majoribus castris in minora transducit. *Tac. Agr.* 7. *extr.* Ita successor simul et ultor electus, rarissima moderatione maluit videri invenisse bonos, quam fecisse. *Sall. in or. Macri Licin. ad pleb. med.* Raris animus est ad ea, quae placent defendenda. *Ov. Trist.* 4, 10, 121. ad Musam: Tu mihi (quod rarum) vivo sublime dedisti Nomen. *Petr. Sat.* 3. Quoniam sermonem habes non publici saporis, et, quod rarissimum est, amas bonam mentem. *Quint.* 10, 7. *med.* Rarum est enim, ut satis se quisquam vereatur. *Plin.* 18, 16, 39. Rarum dictu, esse aliquid, cui prosit negligentia. *Id.* 28, 15, 61. Calculus rarus inventu. *Id.* 21, 16, 56. Helxine rara visu est, nec in omnibus terris. *Id.* 8, 16, 18. Leones rari in potu, *h. e.* qui raro bibunt; et 33, 7, 38. Homerus circa picturas et pigmenta rarus, *h. e.* qui picturae et colorum raro meminit. *Tac. A.* 15, 53. Caesar rarus egressu, domoque, aut hortis clausus. [**Nep. Milt.* 6, 2. Ut enim populi nostri honores quondam fuerunt rari et tenues, etc. *Liv.* 6, 1. quod parvae et rarae per ea tempora litterae fuere. V. 7, 3. Porro *ib.* 31, 34. rara lanceis vulnera facta, i. e. pauciora.] ℙ Metaleptice est praestans, eximius, praeclarus. [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 17, 93.] *Ov. Pont.* 2, 3, 55. indignum, juvenis rarissime, ducis, Te fieri comitem stantis in orbe Deae. *Stat. Silv.* 5, 1, 11. laudati juvenis rarissima conjux. *Prop.* 1, 17, 16. Quamvis dura, tamen rara puella fuit. *Ov. Met.* 14, 337. de Canente nympha: Rara quidem facie, sed rarior arte canendi. *Sen. Contr.* 4, 28. *f.* Homo rarissimi, etiamsi non emendatissimi ingenii. *Non.* 4, 388. huc trahit illud *Virg. G.* 4, 130. Hic rarum tamen in dumis olus, etc. ℙ *Rarus* pro aliquis, ut *raro* pro aliquando. *Hor. Od.* 4, 1, 33. Sed cur, heu! Ligurine, cur Manat rara meas lacrima per genas? ℙ [*Confund. *rarae* et *stratae*. V. *Brem.* ad *Nep. Milt.* 5, 3.]

RĂSĀMEN, inis, n. rasura. *Marcell. Empir.* 1. *med.* V. MAGIS, idis.

RĂSĬLIS, e, adj. qui radi, levigari, et poliri potest. *Virg. G.* 2, 449. Nec tiliae leves, nec torno rasile buxum Non formam accipiunt, ferroque cavantur acuto. ℙ Item rasus, politus, levigatus, dolatus, ξεστός. *Catull.* 61, 168. Rasilemque subi forem. *Sil.* 4, 176. rasilis hasta. ℙ *Rasilis palmes* qui dicatur a rusticis, V. in DRACO. [Hunc nostrates vulgo *rasolo* vocant. *F.*] ℙ *Rasiles scopuli* ap. *Prud.* περὶ στεφ. 3, 69. sunt nullis arboribus consiti, aut herbis vestiti, atque adeo horridi. ℙ *Rasilis* est etiam idem ac interrasilis. *Ov. Met.* 8, 318. et *Stat. Th.* 7, 658. Rasilis fibula. *Ov. Her.* 9, 76. Rasiles calathi. *Vell.* 2, 56. Triumphus Hispa-

niensis argento rasili constitit. [*Intelliguntur simulacra ferculaque ex argenteis laminis politis, levigatis, non celatis.]

RĂSIS, is, f. [nunc vulgo ap. nostrates *rasa*, *F.*] genus crudae picis, quae ex vetustate dura effecta contunditur, et in pulverem redacta vino admiscetur. Ita fere *Colum.* 12, 20. *med.* [Eadem videtur esse, quae ab *eod. ib.* 23. *in.* dicitur *pix corticata;* et a *Plin.* 16, 11, 25. resina. *F.*]

RĂSĬTO, as, avi, a. 1. frequent. a *rado:* ξυράω, saepe rado. *Suet. Oth.* 12. Faciem quotidie rasitare consuetus. *Gell.* 3, 4. Comperimus, nobiles viros barba in ejusmodi aetate rasitavisse.

RĂSOR, oris, m. ξυστής. Rasores, inquit *Festus*, dicti sunt fidicines, quia videntur chordas ictu radere.

[RASTĂ, ae, f. mensura veterum Germanorum itineraria, quae, ut probat *Cellar.* in *Geogr. ant.* 1, 12, 17., tribus milliariis constabat. *Hieron.* in *Joel.* 3, 18. Nec mirum, si unaquaeque gens certa viarum spatia suis appellet nominibus; cum et Latini mille passus vocent, et Galli leucas, et Persae parasangas, et rastas universa Germania, atque in singulis nominibus diversa mensura sit. *F.*]

RASTELLUS, i, m. ξύστρον, parvum rastrum, *h. e.* instrumentum rusticorum dentatum, e ferro, aut ligno ad terram leviter effodiendam, glebas confringendas et complanandas, festucas post foeniseciam colligendas. *Suet. Ner.* 19. Isthmum perfodere aggressus, primus rastello humum effodit, et corbulae congestam humeris extulit. *Colum.* 2, 13. *med.* Medica obruitur non aratro, sed, ut dixi, ligneis rastellis, (dixerat *ib.* 11. Ligneis rastris statim jacta semina obruantur.) *Varr. R. R.* 1, 49. De pratis stipulam rastellis eradi, atque addere foeniseciae cumulum; et *L. L.* 4, 31. Homo in pratis per foenisecia eo festucas abradit: quo ab rasu rastelli dicti.

RASTRĂRĬUS, a, um, adj. qui ruri degit, et agrum rastro colit. *Hypobolimaea rastraria* est titulus comoediae *Caecilii*, cujus meminit *Non.* 1, 54. et 186. et 2, 604. et al.

RASTRUM, i, n. et in plur. num. saepius Rastri, orum, m. plur. δίκελλα, ξυστρον, instrumentum rusticum dentatum, ferreum plerumque, interdum ligneum: cujus usus ex subjectis apparet exemplis: a *rado*, *is. Varr. L. L.* 4, 31. Rastri, quibus dentatis penitus eradunt terram, atque eruunt. *Virg. G.* 1, 94. Multum adeo, rastris glebas qui frangit inertes, Vimineasque trahit crates, juvat arva. *Plin.* 18, 20, 49. *n.* 3. Aratione per transversum iterata, occatio sequitur, ubi res poscit, crate, vel rastro. *Colum.* 2, 11. Locus *(in quo medica sata est)* ligneis rastris sarriendus, et identidem runcandus est. *Sen. Ira* 2, 25. Cum vidisset fodientem, et altius rastrum allevantem. *Cels.* ap. *Non.* 3, 190. Omnes rastra attollunt, et adigunt: (*rastra* habet etiam *Stat. Th.* 3, 589.) *Virg. G.* 1, 164. Tribulaque, trabeaeque, et iniquo pondere rastri. (V. *Ter. Heaut.* 1, 1, 40. et *Ov. Met.* 11, 36.) et *A.* 7, 725. vertunt felicia Baccho Massica qui rastris; et *ib.* 9, 608. Rastris terram domare. *Id. G.* 3, 534. rimari. *Mart.* 2, 75. renovare humum, *h. e.* arenam amphitheatri sanguine imbutam rastris vertere, ne pugnaturi laberentur. ℙ Ex his patet, rastrorum usum eundem fere esse, qui bidentis, sarculi, ligonis: nisi quod rastro plures dentes esse videntur: unde quadridentes rastros *Cato* memorat *R. R.* 10. et 11. Aliud quoque discrimen esse potest, quod in rastro ferrum in superiore parte nullum fortasse fuit, sed solum in inferiore, idque divisum in dentes: si vera est figura, quam ex MS. libro Biblioth. Vat. exhibet *Nicolaus Fortiguerra* initio *Heautontim. Terent.* ℙ Quod Polyphemus dicitur ap. *Ov. Met.* 13, 765. rastris rigidos pectere capillos, non pectine: et hirsutam falce, non novacula, recidere barbam; pertinet ad significandam et feritatem hominis, et capillorum barbaeque ejus hirsutiam. ℙ *Ad rastros res redit*, proverbialis locutio. *Ter. Heaut.* 5, 1, 57. Nam si illis pergo suppeditare sumptibus, mihi illaec vere ad rastros res redit, *h. e.* eo redigar, ut ad vitam tolerandam necesse mihi sit agrum meis manibus fodere.

RĂSŪRĂ, ae, f. ξέσις, radendi actio. *Colum.* 4, 29. *med.* Calamus non amplius tribus digitis debet allevari, aequaliter ex ea parte, qua raditur: eaque rasura ita deducitur, ut medullam contingat. [*Hieron. in Isaj.* 5, 15, 2. Apud antiquos barbae capitisque rasura luctus indicium fuit. ℙ Translate *rasura gulae* dicitur labor faucium, cum verba plurimis consonantibus ac praesertim aspirationibus horrida pronunciamus, qualia sunt gentium septentrionalium et orientalium propria: Latina enim molliora habentur, quippe quae multis constant vocalibus, quod praecipue nunc locum habet in Italo nostrorum temporum sermone. *Hieron.* in *ep. Pauli ad Tit.* 2, 9. Judaei solent irridere nos imperitiae, maxime in aspirationibus, et quibusdam, cum rasura gulae, litteris proferendis. Hinc *Id. mox:* Ut non magnopere pertimescamus supercilium Judaeorum solutis labiis, et obtorta lingua, et stridente saliva, et rasa fauce gaudentium. *F.*] ℙ Ipsum quod abraditur, scobs, ξέσμα. *Veg. Vet.* 1, 10. Rasuras eboris bene tritas et cribratas miscebis. Adde *ib.* 4, 8. *f.*

RĂSUS, a, um, part. a *rado:* ξεστός, radendo levigatus, politus. *Virg. G.* 2, 358. Tum leves calamos, rasaeque hastilia virgae. *Ov. A. Am.* 1, 437. Cera vadum tentet rasis infusa tabellis. *Mart.* 1, 118. Liber pumice rasus. *Cic. Rosc. Com.* 7. Capite et superciliis semper est rasis. *Gell.* 3, 4. Barba rasa. *Juven.* 2, 97. Caerulea indutus scutulata, aut gallbana rasa. *Mart.* 2, 85. Rasa toga, *h. e.* quae nullum habet eminentem villum, laevis. *Quint.* 11, 3. *med.* Fauces rasae vocem exasperant. V. v. praec. *Ov. Met.* 3, 75. de angue celeriter proserpente: Terraque rasa sonat squamis; et *Mart.* 9, 58. Nec rasum cavea latus bisontis, *h. e.* attritum. *Id.* 8, 71. Post hunc in cotula rasa selibra data est; et *Ov. Am.* 1, 11, 21. oculosque moretur Margine in extremo littera rasa meos, i. e. abrasa. ℙ Translate. *Mart.* 10, 2. Nota leges quaedam, sed lima rasa recenti, *h. e.* emendata. *Pers.* 1, 85. crimina rasis Librat in antithetis: doctas posuisse figuras Laudatur, *h. e.* rhetorica arte elaboratis.

RĂSUS, us, m. radendi actus. In sexto casu sing. *Varr. L. L.* 4, 31. Ab rasu rastelli dicti.

*RATAE, arum, opp. Britanniae. *Ant. Itin. B. A.*

*RATANEUM, i, n. opp. Dalmatiae. *Plin.* 3, 22. *B. A.*

RĂTĂRĬAE, arum, f. plur. referuntur a *Gell.* 10, 25. inter genera navium; et fortasse ita dicuntur, quod ratis formam habeant. ℙ Ap. *Serv.* ad *A.* 1, 47. dicuntur *ratiariae*, et difiniuntur naviculae cum remis: fortasse quia *rates* etiam remos significant. V. RATIS.

[RATĬĀRENSIS, e, adj. ad Ratiaram pertinens, Mysiae superioris urbem ex *Antonini Itin.* satis cognitam. *Inscr.* ap. *Grut.* 521, 7. Antonius Paternio Nat. Mysia superiori, Reg. Ratiarese, vico Cinisco. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 466. Valerius Valerii F. Valens Ratiar. *F.*]

*RATIARĬA, ae, f. opp. Moesiae superioris. *Ant. Itin. B. A.*

RĂTĬĀRĬAE. V. RATARIAE.

RĂTĬĀRĬUS, ii, m. σχεδιαγὸς, qui rate negotiatur, ut navicularius, qui nave. *Paul. Dig.* 13, 7, 30. Qui ratiario crediderat, cum ad diem pecunia non solveretur, etc. *Inscr.* ap. *Mur.* 67, 7. Deo Silvano pro salute ratiariorum superiorum, etc.

RĂTĬHĂBĬTĬO, onis, f. κύρωσις, actus ratum habendi. *Ulp. Dig.* 3, 5, 5. *med.* Ratihabitio constituit negotium tuum, quod ab initio tuum non erat. *Id. ib.* 46, 3, 12. *extr.* Rati enim habitio mandato comparatur.

RĂTĬO, onis, f. νοῦς, λόγος, mens, animus, consilium, intelligentia, judicium: princeps ac nobilissima animae facultas, qua disserit, seu unum ab alio deducit: a sup. *ratum* verbi *reor*, ut censet *Festus* in *Ratissima:* videtur esse ejusdem cum *ratis* significationis, quatenus nexum significat. [*Alii hujus vocis originationem ita facere solent, ut computandi notionem primam esse doceant: quae quidem melior est, quam haec a *Forc.* instituta ratio: sed longe praeferenda nobis videtur hujus vocabuli descriptio, quam *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 660. sq. dedit istam: *Ratio* modus, quo aliquid cogitamus, constituimus, v. quo constitutum aliquid est, unde id quod modus omnino, mos, consuetudo, regula, quam quis sequitur in aliqua re. Tum maxime dicitur de computatione numerorum, ad quam, ut certam regulam, exigi aliquid potest, nostr. *Rechnung*, *Berechnung*: unde illae dicendi formulae: *rationem habere*, *ducere* etc. pro respicere. Denique de ipsa vi animi humani, qua, comparata rerum conditione, judicatur et consilium capitur, adeoque saepe id quod consilium, prudentia.— Quam regulam libenter quidem rectius constituendo hujus loci ordini adhibuissemus; ni temporis angustiae, redemptorisque rationes summa nos necessitate ursissent, ut seposito hoc consilio ea tantum emendaremus, quae aut prorsus falsa, aut minus recte omissa essent.] Una ratione homo a ceteris animantibus secernitur: cum sensiles facultates cum brutis communes habeat; naturales cum plantis. *Sen. ep.* 66. *med.* Bonum sine ratione nullum est: sequitur autem ratio naturam. Quid est ergo ratio? naturae imitatio. *Liv.* 28, 28. Atque ego (quamquam nullum scelus rationem habet) tamen ut in re nefaria, quae mens, quod consilium vestrum fuerit, scire velim. *Cic. Off.* 1, 28. *f.* Duplex est vis animorum atque natura: una pars in appetitu posita est, quae est ὁρμὴ Graece, quae hominem huc et illuc rapit: altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendumque sit, ita fit, ut ratio praesit, appetitus obtemperet. *Id. N. D.* 3, 27. *med.* Haud scio an melius fuerit, humano generi motum illum celerem, acumen, solertiam, quam rationem vocamus, non dari. *Id. Sen.* 19. Mens, et ratio, et consilium in senibus est. *Id. Off.* 1, 23. Corpus ita afficiendum, ut obedire consilio rationique possit. [*V. plura ap. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] ℙ *Ratio non est*, non est rationi consentaneum, imprudentis est, stulti est. *Cic. Verr.* 1, 9. Minari denique divisoribus, ratio non erat. *Id. Caecin.* 5. Nullam esse rationem, amittere ejusmodi occasionem. *Colum.* 3, 5. Tenuissimo solo vitiarium facere, minime rationis est. ℙ *Ratione facere*, prudenter, recte, jure, bene facere. *Cic. Att.* 12, 44. Quod domi te inclusisti, ratione fecisti. *Id. Quint.* 7. Existima, modo et ratione omnia fecisse Naevium. [*Ap. *Tac.* et *Vell.* saepissime *ratio* ita legitur, ut nostr. *vernünftige*, *planmässige Ueberlegung* respondeat. V. *Böttich. Lex. Tac.* p. 399.] ℙ Item ratiocinatio, discursus, argumentatio ad verum investigandum. *Cic. Or.* 2, 19 Nostra confirmare argumentis ac rationibus, deinde contraria refutare. *Hor. Sat.* 2, 3, 225. Vincet enim stultos ratio insanire nepotes. *Cic. Div.* 2, 10. Concludatur igitur ratio: si enim provideri, etc. [*V. *Schütz. l. l. Tac. H.* 2, 19. non tam culpam exprobrans, quam ratione ostendens, i. e. expositis causis, quae quanta culpa sit, demonstrent.] ℙ Item consilium, propositum. *Cic. Verr.* 1, 11. Tua ratio est, ut secundum binos ludos mihi respondere incipias: mea, ut ante primos ludos comperendinem. Ita fiet, ut tua ista ratio existemetur astuta, meum hoc consilium necessarium. [*Id. Fam.* 3, 5. tua ratio postea est commutata. Adde *Q. Fr.* 1, 1.] *Caes. B. C.* 1, 30. Itaque in praesentia Pompeji insequendi rationem omittit: in Hispaniam proficisci constituit. *Tac. A.* 3, 21. *med.* Dum ea ratio Barbaro fuit, Romanum impune ludificabatur. [*V. *Boettich. Lex. Tac.* s. h. v. *n.* 5.] ℙ Item causa. *Auct. ad Her.* 2, 18. *med.* Ratio est causa, quae demonstrat verum esse id, quod intendimus, brevi subjectione. *Cic. Div.* 2, 50. *extr.* Et quidem cur sic opinetur, rationem subjicit. *Id. Div. Verr.* 1. Si mei consilii causam rationemque cognoverit. *Id. Div.* 2, 20. Te, cum res videres, rationem causamque non quaerere. *Gell.* 15, 9. Missas auctoritates facias, etc. sed rationem dic. [*Tac. *A.* 6, 26. si — nullis moriendi rationibus vitam fugeret. *Hist.* 3, 82. ratio cunctandi.] ℙ Apud rhetores *ratio* est, quae causam facit, et continet defensionem, hoc modo: Orestes cum confiteatur se occidisse matrem, nisi attulerit facti rationem, perverterit defensionem: ergo affert eam: illa enim, inquit, patrem meum occiderat. *Auct. ad Her.* 1, 16. [*De oratorio hujus vocabuli usu v. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* p. 320. sqq.] ℙ Item genus, natura, conditio, qualitas. *Cic. Brut.* 75. Splendida et minime veteratoria dicendi ratio. *Id. Cat.* 2, 5. Ut ejus diversa studia in dissimili ratione perspicere possitis. *Id. Mur.* 35. Quantas perturbationes habet ratio comitiorum. *Id. Fam.* 10, 3. Sed cum intelligerem, quid sentires, te arbitrabar videre, quid posses. Nunc alia ratio est. *Varr. L. L.* 7, 32. Multa sunt, in quibus potius consuetudinem sequimur, quam rationem verborum. [*V. *Schütz.* l. l. *n.* 17.] ℙ Item sensus, sententia. *Cic. Att.* 1, 11. Duabus epistolis tuis perdiligenter in eandem rationem scriptis; et *Verr.* 2, 1, 27. Haec cum omnes sentirent, et cum in eam rationem pro suo quisque sensu loqueretur. ℙ Item ordo, dispositio. *Id. Cat.* 2, 6. Quemadmodum esset ei ratio totius belli descripta, edocui. ℙ Item via, modus, quem quis solet in agendo sequi. *Cic. Att.* 6, 1. Dissimilitudo meae rationis offendit hominem; et *Fam.* 3, 8. *med.* Mea ratio in tota amicitia nostra constans et gravis reperietur. [*Id. Inv.* 2, 35. se hoc peccato doctum, omni tempore a tali ratione abfuturum.] *Id. Q. Fr.* 1, 1, 9. Incumbe toto animo in eam rationem, qua adhuc usus es, ut eos, quos tuae fidei populus R. commisit, diligas, et omni ratione tueare. *Id. Att.* 12, 19. Ineunda nobis ratio est, quemadmodum, etc. *Nep. Ann.* 10. Ad hunc interficiendum talem iniit rationem. *Lucr.* 6, 902. pari ratione. *Hor. Sat.* 2, 6, 6. Mala ratione rem facere: i. e. male arte. [*Cic. *Agr.* 2, 7. Quod per ceremonias populi fieri non poterat, ratione assecutus est, i. e. artificio.] Et *Cic. Quint.* 17. Dici vix potest, quam multa sint, quae respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam necessariam devenire. *Cic. Verr.* 2, 2, 52. Solis et lunae ratio. ℙ Item res, negotium, factum, commercium, societas. *Id. Fam.* 1, 7. *med.* In hac ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat, tu perspicies; et *Prov. cons.* 14. *extr.* Nec totam Gallici belli rationem, prope jam explicatam, perturbare atque impedire debemus. *Id.* ad *Caes. post ep.* 11. *l.* 9. *ad Att.* De concordia civium agi velle arbitrabar: et ad eam rationem existimabam aptam esse et naturam et personam meam. *Id. Quint.* 4. Cum et de societate inter se multa communicarent, et de tota illa ratione atque re Gallicana. *Id. Verr.* 2, 2, 77. Hunc Verrutium neque ante adventum C. Verris, neque post decessionem quidquam cum Carpinatio rationis habuisse. *Id. Rosc. Com.* 14. Quae ratio tibi cum eo intercesserat? ℙ Item quaestio, disputatio, tractatio. *Cic. Div.* 1, 51. *f.* Continet enim totam quaestionem ea ratio, quae est de natura Deorum, quae a te secundo libro explicata dilucide. ℙ Item scientia, facultas. *Cic. Arch.* 1. Si hujusce rei ratio aliqua, ab optimarum artium studiis ac disciplina profecta, etc. [*Adde *Or.* 74. solum — et quasi fundamentum oratoris vides, locutionem emendatam et Latinam, cujus penes quos laus adhuc fuit, non fuit rationis aut scientiae, sed quasi bonae consuetudinis.] *Lucr.* 5, 1004. Improba navigii ratio tum caeca jacebat. *Colum. praef.* Rationis musicae studiosi. ℙ Item doctrina, disciplina. *Cic. Off.* 3, 4. *f.* Erit autem haec formula Stoicorum ration disciplinaeque maxime consentanea; et *Acad.* 1, 9 Speusippus et Xenocrates, qui primi Platonis ratio-

nem auctoritatemque susceperant. *Id. Fin.* 3, 20. Cynicorum autem rationem atque vitam alii cadere in sapientem dicunt, alii nullo modo. Adde *Lucr.* 1, 941. et 3, 14. ℙ Item habitudo, comparatio. *Cic. Brut.* 13. Et Graeciae quidem oratorum partus atque fontes vides, ad nostrorum annalium rationem veteres, ad ipsorum sane recentes. ℙ Item ordo, modus. *Cic. Or.* 33. In omnibus, quae ratione docentur, et via, primum constituendum est, quid quidque sit. [*Adde *Fin.* 1, 9. Primum constituam, quid et quale sit id, de quo quaerimus: non quo ignorare vos arbitrer, sed ut ratione et via procedat oratio. *Cic. N. D.* 2, 16. Nihil est, quod ratione et numero moveri possit sine consilio. — *Plin. H. N.* 28, 14. fricari cum ratione: vehemens enim fricatio spissat; ubi *ratio* est i. q. nos dicimus: *das rechte Verhältniss und Maass.*] ℙ Item magnitudo, quantitas. *Id. Att.* 6, 3. *med.* Pro ratione pecuniae liberalius est Brutus tractatus, quam Pompejus. ℙ Item saepissime supputatio, calculus. *Pl. Aul.* 3, 5, 53. Itur, putatur ratio cum argentario. *Id. Trin.* 2, 4, 17. Ratio quidem hercle apparet, argentum οὐσία. *Cic. Fam.* 5, 20. Rationes confectae et consolidatae. *Id. Caec.* 32. *f.* Venit in istum fundum: rationes a colono accepit. *Id. fragm.* ap. *Non.* 4, 436. Inire, et subducere rationes. *Hor. A. P.* 325. longis rationibus assem In partes centum diducere; et *Sen. ep.* 87. Ponitis rationem singulorum, quibus pecuniam crediturі estis, *h. e.* rationem initis facultatum eorum, quibus, etc. *Ulp. Dig.* 47, 5, 1. Ponere rationem actus, quem servus administravit. *Pl. Most.* 1, 3, 146. Bene ratio accepti atque expensi inter nos convenit. *Colum praef.* 12. *med.* In commune conspirabatur ab utroque (*conjuge*), ut cum forensibus negotiis matronalis sedulitas industriae rationem parem faceret; et *Id. opt. gen. Or.* 7. Rationes referre: et eod. sensn *Att.* 5, 13. Edere rationem; et *ib.* 21. *med.* Rationes conferre. *Id. Cluent.* 37. *f.* Rationem ab aliquo repetere; et *Modest. Dig.* 34, 3, 20. *med.* petere alicujus rei. *Colum.* 1, 7. *f.* Conditum frumentum cum fide rationibus inferre. *Caes. B. C.* 3, 53. Cum horum omnium ratio haberetur, ad duorum millium numero cecidisse reperiebamus; et *Cic. Verr.* 2, 5, 28. Rationem numerumque habere piratarum, qui, etc. [*Id. ib.* 2, 2, 70. re ac ratione conjunctus: de socio in negotiatione, vel de creditore ac debitore (*in Rechnungsgeschäften verwandt*). *Sull.* 20. magna ratione cum Mauritaniae rege contracta. *Schütz. cl. Cic.* Adde *Tac. A.* 6, 16. rationes familiares quisque componerent.] ℙ *Rationem cum Orco habere*, ap. *Varr. R. R.* 1, 4. et *rationem cum Orco ponere*, ap. *Colum.* 1, 3. quid sit, V. ORCUS. ℙ *Ratio constat*, apparet, quid et qua in re expensum sit, et quid acceptum. Translate, apparet ratio, in promptu est causa, cur quippiam factum sit. *Plin. Pan.* 38. Augeo principis munus, cum ostendo, liberalitati ejus inesse rationem: ambitio enim, et jactantia, et effusio, et quidvis potius, quam liberalitas, existimanda est, cui ratio non constat. *Id. ep.* 2, 4. *extr.* Liberalitas ita temperanda est, ne nimia profusione inarescat: sed temeranda in aliis: in te vero facile ratio constabit, etiamsi modum excesseris. *Just. praef. f.* Quod (*opusculum*) ad te transmisi, ut otii mei apud te ratio constaret. ℙ *Servus a rationibus*, qui domini rationes conficit. Fuit inter officia domus Augustae, et privatae. *Inscr.* ap. *Grut.* 415, 10., 513, 1. et 588, 2. 3. et 4. Sic alia ap. *Mur.* 921, 10. Julius Caes. verna a ration. voluptat. Sic ap. *Don. cl.* 7. *n.* 186. C. Stertinio Abascanto C. Lib. a ratione. ℙ Ista ratio maxima est, *Pl. Trin.* 2, 4, 11. Ea nimia est ratio, *Id. Truc.* 1, 1, 49. h. e. vis, numerus. ℙ [*Inde transfertur ad alias res, quae in tabulis consignantur (*Protocolle*). *Cic. Verr.* 2, 5, 57. Cedo rationem carceris, quae diligentissime conficitur, quo quisque die datus in custodiam, quo mortuus, quo necatus sit. ℙ Item ad rerum gestarum, de quibus inquiritur, omninoque vitae actae rationem: nostr. *Rechenschaft. Cic. Verr.* 2, 2, 11. semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur; et *ib.* Non statuebas, tibi non solum de te, sed etiam de illorum factis rationem esse reddendam? *Caecil.* 9. Nihil est, quod minus ferendum sit, quam rationem ab altero vitae reposcere eum, qui non possit suae reddere. *Tac. H.* 4, 14. belli ambiguam fortunam Vespasiano imputaturos: victoriae rationem non reddi. ℙ Inde *rationes* dicuntur pro commodis. *Cic. Fam.* 1, 8. me ad ejus rationes adjungo, quem tu in meis rationibus tibi esse adjungendam putasti. *Id. P. Red.* ad *Quir.* 1. Si rationes meas vestrae saluti anteposuissem.] ℙ Cum verbis *habeo*, et *duco* varios habet usus: ducta plerumque metaphora a calculorum rationibus. *Cic. Verr.* 2, 5, 39. Quod posteaquam iste cognovit, hanc rationem habere coepit. Causam sibi dicendam esse, etc. *Id. ad Brut.* 1, 5. *med.* Existimo, omnino absentium rationem sacerdotum comitiis posse haberi; et *Leg.* 2, 7. Sit hoc persuasum civibus, Deos piorum et impiorum habere rationem. *Id. ad Pomp.* 2. *post ep.* 11. *l.* 8. *ad Att. med.* Duxi meam mecum rationem, quam tibi facile me probaturum arbitrabar. *Id. Rosc. Am.* 44. *med.* Non enim laborat de pecunia: non ullius rationem sui commodi ducit. *Id. Verr.* 2, 2, 52. Novus astrologus, qui non tam coeli rationem, quam coelati duceret. *Id. Or.* 2, 4. *med.* Qui eorum quibuscum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet. Sic *Fam.* 10, 2. *extr.* Peto a te, ut me rationem habere velis et salutis, et dignitatis meae. *Id. Coel.* 20 *f.* Cum hac aliquid adolescentem hominem habuisse rationis, num tibi perturpe esse videatur? [*i. e. consuetudinem, rem habuisse cum hac: nostr. *in Verhältniss* vel *Verbindung* vel *Verkehr mit Jemandem stehen. Id. Att.* 2, 5. *f.* Cum omnibus Musis rationem habere cogito. *Sen.* 15. Agricolae rationem habent cum terra, quae nunquam recusat imperium.] et *Cic. Phil.* 4, 6. Majoribus vestris cum eo hoste res erat, qui haberet rempublicam, aerarium, rationem aliquam, si res ita tulisset, pacis et foederis; et *Fam.* 3, 5. Animadverti, te omnibus in rebus habuisse rationem, ut mihi consuleres. *Id. Verr.* 2, 5, 14. Nunc cum designatus aedilis, habeo rationem, quid a populo R. acceperim. ℙ Denique *ratio* metonymice est opus ratione, arte, ingenio factum. *Id. Or.* 3, 50. *med.* Omnes enim tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione, quae sunt in artibus ac rationibus recta ac prava, dijudicant. ℙ [*Confund. *ratio* et *oratio.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 283. *ratione* et *repugnantia. Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 210.]

RĀTIOCĬNĀBĬLĬTER, adv. rationaliter. *Macr. Som. Scip.* 2, 11. *f.* Ratiocinabiliter, vereque signavi. Alii leg. *rationabiliter.*

RĀTIOCĬNĀTĬO, onis, f. λογισμὸς, principis animae partis, idest mentis functio est, ex singularibus quibusdam universalia inducens, communesque rerum summas, ex iisque deinde argumentatione plurima eliciens, de quibus scientia habetur, vel opinio. *Cic. Inv.* 2, 5. Ratiocinatio autem est diligens, et considerata faciendi aliquid, aut non faciendi excogitatio. ℙ Accipitur etiam pro syllogismo. *Id. ib.* 1, 34. Ratiocinatio est oratio ex ipsa re probabile aliquid eliciens, quod expositum, et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet. ℙ *Quint.* 8, 4. ex quatuor generibus, quibus ait constare amplificationem, unum ponit ratiocinationem, qua scilicet aliud ex alio colligitur, et ut aliud crescat, aliud augetur, et inde ad id, quod extolli volumus, ratione ducitur. Ex gr. objecturus Antonio Cicero merum et vomitum, Tu, inquit (*Phil.* 2, 25.) istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, etc. Quid fauces et latera ad ebrietatem? Minime sunt otiosa. Nam respicientes ad haec possumus aestimare, quantum ille vini exhauserit, quod ferre et coquere non posset illa gladiatoria corporis firmitate. Haec *Quint.* ℙ Ratiocinatio item Graece διαλογισμὸς, dialogismus, est figura sententiarum, cum quis secum aliquam rem volutans, et tanquam cum altero colloquens interrogat, et respondet, ut ap. *Ter. Eun.* 1, 1, 1. Quid igitur faciam? non eam? ne nunc quidem, cum arcessor ultro? an potius ita me comparem non perpeti meretricum contumelias? Exclusit, revocat; Redeam? non si me obsecret. *Auct.* ad *Her.* 4, 16. Ratiocinatio est, per quam ipsi a nobis rationem poscimus, quare quidque dicamus, et crebro nosmet a nobis petimus uniuscujusque propositionis explanationem. Ea est hujusmodi. Majores nostri, si quam unius peccati mulierem damnabant, simplici judicio multorum maleficiorum convictam putabant, quo pacto? quoniam, etc., quid ita? quia necesse est, etc. [*V. largam de hoc v. disputationem *Ernest.* in *Lex. technol. lat. rhet.* p. 322. sqq.] ℙ Ap. architectos ratiocinatio est, quae res fabricatas solertia ac ratione proportionis demonstrare, atque explicare potest. Ita describit *Vitruv.* 1, 1.

RĀTIOCĬNĀTĪVUS, a, um, adj. ad ratiocinationem spectans. *Quaestio ratiocinativa*, seu *status ratiocinativus* est, cum quaeritur ex gr. an ubi propria lex non est, simili sit utendum. Haec controversia nomen ratiocinationis accepit, quia ex eo, quod certum est, ratiocinando deducit id, quod incertum est. *Cic. Inv.* 1, 13. Genus ratiocinativum, cum ex eo, quod scriptum est, aliud quoque, quod scriptum non est, invenitur. *Quint.* 7, 1. *f.* Ratiocinativa quaestio; et *ib.* 8. Hic status ducit ex eo, quod scriptum est, id, quod incertum est: quod quoniam ratiocinatione colligitur, ratiocinativus dicitur. ℙ *Ratiocinativae conjunctiones* ap. *Diomed.* 1, 410. sunt, quibus in ratiocinando utimur, ut *ergo*, *igitur.*

RĀTIOCĬNĀTOR, oris, m. λογοθέτης, λογιστὴς, subducendae rationis peritus, a rationibus, calculator. *Cic. Att.* 1, 12. Libertum ego habeo, sane nequam hominem, Hilarum dico, ratiocinatorem, et clientem tuum. *Colum.* 3, 3. *med.* Nec in hoc errat: quippe, ut diligens ratiocinator, calculo posito videt, id genus agricolationis maxime rei familiari conducere. *Ulp. Dig.* 14, 4, 5. §. 16. Si ego fui tabernae ratiocinator. ℙ Translate. *Cic. Off.* 1, 18. Ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus, et addendo deducendoque videre, quae reliqui summa fiat: ex quo quantum cuique debeatur, intelligas.

RĀTIOCĬNĀTUS, a, um, part. a *ratiocinor:* significat. passiva. *Vitr.* 10, 15. Omni proportione eorum ratiocinata ex longitudine, etc.

RĀTIOCĬNĬUM, ii, n. αὐλλογισμὸς, actus ratiocinandi, supputatio, calculi subductio. *Colum.* 5, 1. *f.* Jugeri modus si semper quadraret, expeditissimum esset ejus ratiocinium; et *ib.* 2. *med.* Si disparibus fuerit lateribus, aliter ejus ratiocinium ordinabitur.

RĀTIOCĬNOR, aris, dep. λογίζομαι, λογοθετέω, ratiocinium facio, rationem ineo, calculos pono, computo. *Cic. Tusc.* 1, 2. *f.* In summo apud Graecos honore geometria fuit: at nos metiendi, ratiocinandique utilitate hujus artis terminavimus modum. *Id. Inv.* 2, 39. *f.* De pecunia ratiocinari, sordidum esse, cum de gratia referenda deliberetur. ℙ Item universim aliud ex alio colligo. *Cic. Phil.* 2, 22. *f.* Omnia denique, quae postea vidimus, si recte ratiocinabimur, uni accepta referemus Antonio. *Id. Verr.* 1, 7. *med.* Etenim sic ratiocinabantur, sic inter se et mecum loquebantur, aperte jam ac perspicue, nulla esse judicia. *Id. Inv.* 2, 20. *med.* Ratiocinari, quid in similibus fieri soleat. *Auct.* ad *Her.* 2, 23. Ex eo, quod ipse facturus est, non ex eo, quod fieri convenit, utile quid sit, ratiocinatur. *Appul. Met.* 1. His ego auditis, mores atque parsimoniam ratiocinans Milonis.

RĀTIONĀBĬLIS, e, adj. λογικὸς, ratione uti qui potest, ratione praeditus, rationalis. *Sen. V. B.* Rationabilem sortiris naturam: quae melius res, quam ratio proponitur? *Quint.* 5, 11. *med.* Nec, si mutis voluptas, rationalibus quoque: immo ex contrario, quia mutis ideo non rationalibus. ℙ Rationi consentaneus, ratione factus, εὔλογος. *Ulp. Dig.* 5, 1, 2. *med.* Et haec sententia vera et rationabilis est. *Pomp. ib.* 45, 3, 37. Rationabilius esse videtur, stipulationem eis acquiri.

RĀTIONĀBĬLĬTAS, atis, f. rationis usus, ratio, λόγος, τὸ λογιστικόν. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Rationabilitatem, id est mentis optimam portionem, ait capitis arcem tenere.

RĀTIONĀBĬLĬTER, adv. εὐλόγως, cum ratione. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Haec una mundo relicta est sapientiae et prudentiae propria, ut rationabiliter volveretur. *Hieron. ep.* 39. *n.* 5. Ne videreris rationabiliter errare. V. RATIOCINABILITER.

RĀTIONĀLIS, e, adj. λογικὸς, rationis particeps, ratione utens. [*De notionum serie, qualis praeferenda sit, V. quae dicta sunt in RATIO.] *Quint.* 7, 3. *med.* Falsa est finitio, si dicas: Equus est animal rationale. Nam est equus animal, sed irrationale. *Sen. ep.* 89. *med.* Pars philosophiae rationalis, *h. e.* dialectice, quae ut *Id. ib.* ait, proprietates verborum exigit, et structuram et argumentationes, ne pro vero falsa subrepant. *Cels.* 1. *praef.* Disciplina rationalis; et *mox:* Rationalis ars, *h. e.* quae rationem, non experimenta sequitur. Hinc rationalis medicina, *ib.* et rationales medici, qui abditarum et morbos continentium causarum rationes scrutantur, et ex iis curandi modum desumunt. *Auct.* ad *Her.* 2, 12. *med.* Rationalis causa, *h. e.* quaestio ratiocinativa, status ratiocinativus, apud rhetores. V. RATIOCINATIVUS. ℙ *Rationalis* absolute, qui rationes pecuniarum aliorumque redituum conficit, et perscribit, rationarius, ratiocinator, procurator: cujusmodi mittebantur ab imperatoribus in provincias, fisci ac Caesarum rationes administraturi: praesertim bona caduca et vacantia fisco vindicaturi. *Lampr. Alex. Sev.* 45. Ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare, vel praepositos facere, vel procuratores, id est rationales, ordinare; et *ib.* 46. *f.* Rationales cito mutabat, ita ut nemo nisi annum compleret. *Capitol. Gord.* 7. Cum quidam rationalis acrius contra plurimos Afrorum saeviret, proscribens plurimos, interficiens multos, et sibi ultra procurationem omnia vindicans. *Commodus Imp.* in *ep.* ap. *Capitol. Albin.* 2. Ad procuratores meos litteras misi, quas ipse signatas excipies signo Amazoniae: et cum opus fuerit, rationalibus dabis, ne te non audiant, cum de aerario volueris imperare. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 101. *n.* 233. P. Aelio Dionysio P. V. rationali patri Vettenia Sabinilla V. V. Alia ap. *Don. cl.* 7. *n.* 179. Felici Caes. N. vern. adjutori rationalium, etc. Adde *Lactant. Mort. persecut.* 7. ℙ *Rationalia*, *ium*, libri rationum. *Ulp. Dig.* 27, 3, 1. *med.*, ubi alii *auctionalia*, alii rectius *actionalia* legunt. V. ACTIONALIS.

RĀTIONĀLĬTAS, atis, f. rationis usus. *Tert. Anim.* 38. *f.* Habet anima immortalitatem, rationalitatem, etc.

RĀTIONĀLĬTER, adv. cum ratione. *Sen. ep.* 109. *med.* Hominem movere rationaliter non potest, nisi homo.

RĀTIONĀRĬUS, a, um, adj. ad rationes pertinens. *Rationarius*, *ii*, qui rationes conficit. *Modest. Dig.* 27, 1, 15. Neque librarios, neque calculatores, quos vulgo rationarios dicimus, habere immunitatem. Haec in ed. *Torrent.* Graece habentur. V. NUMERARIUS. ℙ *Rationarium*, *ii*, liber in quo rationes, et acta continentur, ἐφημερίς. *Suet. Aug.* 28. Taedio valetudinis, magistratibus ac senatu domum adcitis rationarium imperii tradidit.

[RĀTIONĀTOR, oris, m. qui ratione utitur. *Not. Tir.* p. 69. Ratio, ratiuncula, rationator. *F.*]

RĀTIS, is, f. σχεδία, connexarum trabium compages, quae per aquam agitur, usum navium praebens: videtur esse pro ĕrātis, quod ab ἔρω pro εἴρω, necto, ut σχεδία a σχέω pro ἔχομαι, adhaereo, unde σχεδὸν, prope. *Plin.* 7, 56, 57. Nave primus in Grae-

ciam ex Aegypto Danaus advenit: antea ratibus navigabatur, inventis in mari Rubro inter insulas a rege Erythra. Reperiuntur, qui Mysos et Trojanos priores excogitasse in Hellesponto putent, cum transirent adversus Thracas. Etiam nunc in Britannico oceano vitiles corio circumsutae fiunt: in Nilo ex papyro, et scirpo, et arundine. *Quint.* 10, 2. Quid erat futurum, si nemo plus effecisset eo, quem sequebatur? ratibus adhuc navigaremus: non esset pictura, nisi quae lineas circumscriberet. *Plin.* 3, 5, 9. Tiberis propter aspera et confragosa, ne sic quidem navigabilis, praeterquam trabibus verius, quam ratibus. *Cic. Verr.* 2, 5, 2. Cum aut navibus, aut ratibus conarentur accedere. *Id. Tusc.* 1, 30. Itaque dubitans, circumspectans, haesitans, multa adversa reverens, tanquam ratis in mari immenso, nostra vehitur oratio. *Flor.* 4, 2. *med.* Missae in auxilium ejus rates, quales inopia navium fecerat. *Pl. Aul.* 4, 1, 9. Quasi pueri qui nare discunt, scirpea induitur ratis, qui laborent minus, facilius ut nent. ℙ A poetis fere pro navi ponitur. *Pacuv.* ap. *Varr. L. L.* 6, 2. *f.* Aderant aequore in alto ratibus repentibus. Ubi *Varr.* Ratis dicta navis longa propter remos, quod hi per aquas sublati dextra et sinistra duas partes (corrige *rates* cum *Scal.* ad *Fest.* et *Serv.* ad *A.* 1, 47.) efficere videntur: ratis enim, unde hoc translatum, illic ubi plures mali aut asseres. Haec *Varr.* notatio illustratur verbis *Festi* docentis, *ratis* nomine significari etiam remos: unde *Accius* in *Neoptolemo:* Atque ego repercutio ratibus mare. *Id. alio loco.* Sed jam propellunt caeruleum rates salum. *Ennii* quoque locus huc pertinere potest ap. *Prisc.* 5, 659. Caeruleum spumat mare conferta rate pulsum. Aptius tamen hic navem intelliges: quo sensu passim a poetis omnibus usurpatur, ut dictum est: et quidem tam saepe, ut exempla afferre supervacaneum sit. ℙ *Omnem ratem servare,* proverb. rem familiarem omnem servare, totum negotium feliciter administrare. *Pl. Most.* 3, 3, 15. ℙ In gen. plur. *ratium* dicitur. *Lucan.* 3, 706. Et ratium tenuere fugam. *Ulp. Dig.* 4, 9, 1. Exercitores ratium. *Auson. Idyll.* 10, 217. Innocuos ratium pulsus, pugnasque jocantes Naumachiae. ℙ *Rates* in recto sing. ponitur a *Val. Probo* 1473., sed nulla re confirmatur.

RĂTĬTUS, a, um, adj. a *ratis.* Ratitum quadrantem dictum putant, inquit *Fest.*, quod in eo et triente ratis fuerit effigies, ut navis in asse. *Plin.* 33, 3, 13. Nota aeris *(h. e. assis)* fuit ex altera parte Janus geminus, ex altera rostrum navis: in triente vero et quadrante rates. Non est audiendus *Varro,* qui scribit *L. L.* 4, 7. *extr.* Merces dicitur a merendo, et aere: hinc vecturae, quas solvebant hi, qui ratibus transibant, quadrans: ab eo Lucilius scripsit, quadrantis ratiti. Verior enim est omnino *Festi* sententia. [Ceterum, teste *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 15. falsi sunt etiam *Festus*, et *Plinius;* tam enim in assibus, quam in quadrantibus et trientibus rostrum navis eadem semper forma, eademque partium compage est. *F.*]

RĂTĬUNCŬLĂ, ae, f. λογάριον, brevis, aut levis ratio. [*V. in RATIO.] *Cic. Tusc.* 4, 19. Leves ratiunculae; et *ib.* 2, 12. *med.* Concludunt ratiunculis Stoici, cur non sit malum, *Id. N. D.* 3, 29. Huic incredibili sententiae ratiunculas suggerit. ℙ Item brevis supputatio. *Pl. Curc.* 3, 1. Beatus videor, subduxi ratiunculam, quantum aeris mihi sit, quantumque alieni siet. Dives sum, si non reddo eis, quibus debeo. Adde *Capt.* 1, 2, 89. *Ter. Ph.* 1, 1, 2. Erat ei de ratiuncula jampridem apud me reliquum pauxillulum nummorum.

RĂTO, adv. certo, constanter. *Tert. Anim.* 35. Nulli vitam istam rato fieri. *Id. ad Uxor.* 2, 9. Pater rato habet.

RĂTŪMĒNĂ Porta a nomine ejus appellata est, qui ludicro certamine quadrigis victor, Etrusci generis juvenis, Vejis, consternatis equis excussus Romae periit: qui equi feruntur non ante constitisse, quam pervenirent in Capitolium, conspectumque fictilium quadrigarum, quae erant in fastigio Jovis templi, quas faciendas locaverant Romani Vejenti cuidam artis figulinae prudenti, quae bello sunt reciperatae: quia in fornace adeo creverant, ut eximi nequirent, idque prodigium portendere videbatur, in qua civitate eae fuissent, omnium eam futuram potentissimam. Haec *Festus. Plin.* 8, 42, 65. Majus augurium apud priscos, plebejis Circensibus excusso auriga, in Capitolium cucurrisse equos, aedemque ter lustrasse: maximum vero, eudem pervenisse ab Vejis cum palma et corona, effuso Ratumena, qui ibi vicerat: unde postea nomen portae est. Adde *Solin.* eadem narrantem 45. *med.*, ubi *Salm.* adscribit, in quibusdam libris tum *Plinii,* tum *Festi* haberi *Ratumenna: Solini* vero alios *Rutimannam,* nonnullos *Rutumannam*, quosdam *Ratumannum* exhibere. Ap. *Plut.* in *Poplicol.* 13. scribitur Ῥατουμένα.

RĂTUS, a, um, part. a *reor*, νομίσας. *Sall. Cat.* 58. Consul optimum factu ratus noctem, quae instabat, ante capere; et *Nep. Alc.* 4. Utilissimum ratus, impendentem evitare tempestatem. *Id. Att.* 2. Idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis. *Cic. Har. resp.* 23. Tum vero est ratus, se posse illum etiam affligere. *Virg. A.* 2, 25. Non abiisse rati, et vento petiisse Mycenas. *Pl. As.* 5, 2, 11. Ego illum antehac hominem semper sum frugi ratus. *Id. Amph.* 3, 3, 9. An id joco dixisti? equidem serio ac vero ratus, *h. e.* ratus sum te dixisse. *Id. Rud.* 2, 4, 32. Jam illud mali plus nobis vivit, quam ratae, *h. e.* quam ratae sumus. ℙ Est etiam nomen ex part. et ponitur pro certo, constanti, fixo, stato. *Cic. N. D.* 2, 37. *f.* Astrorum in omni aeternitate ratos immutabilesque cursus. *Id. ib.* 20. Motus siderum constantes et rati. *Id. Tusc.* 5, 24. *med.* Siderum vagi motus rata tamen et certa sui cursus spatia definiunt. *Id. Div.* 2, 7. Si nihil fieri potest, nihil accidere, nisi quod ab omni aeternitate certum fuerit esse futurum rato tempore. ℙ *Rata pars*, aut *portio* in distributionibus est certa et determinata pars, proportione servata: verbi gratia post determinatam portionem donativi, quod imperator militibus dare constituit, duplex centurioni, triplex equiti dari mos fuit. Illud duplex aut triplex definiebatur ratione illius determinatae partis, quae militi concedebatur, et *duplex*, aut *triplex pro rata parte* dicebatur. *Caes. B. C.* 1, 17. *extr.* Militibus agros pollicetur, quaterna in singulos jugera, et pro rata parte centurionibus evocatisque; et *Vitr.* 3, 3. *med.* Item secundum ratam partem ex altitudine columnarum expediendae sunt altitudines epistyliorum. *Cic. Somn. Scip.* 5. Sonus intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis. Al. leg. *pro rata parte ratione distinctis. Plin.* 11, 15, 15. Decimam partem relinqui, si plenae fuerint alvi: si minus, pro rata portione. ℙ *Pars* interdum omittitur. *Liv.* 45, 40. Peditі in singulos dati centeni *(denarii)*, duplex centurioni, triplex equiti: alterum tantum peditі daturum fuisse credunt, et pro rata aliis, si, etc. Adde *Capitol. M. Aurel.* 7. et *JCtos* in *Dig.* frequenter. ℙ Sumitur etiam *ratus* pro firmo, firmato, stabili, robur habente, cui *irritus*, *vanus* opponitur, κύριος, νενομισμένος. *Cic. Prov. cons.* 19. Cujus tribunatus si ratus est, nihil est quod irritum ex actis Caesaris possit esse. *Id. Phil.* 5, 7. *f.* Quae quamquam, si leges irritas feceritis, rata esse non possunt, tamen, etc. *Id.* vertens *Homeri* carmina *Div.* 2, 30. Scire, ratosne habeant, an vanos pectoris orsus. *Imp. Nerva* in *edicto* ap. *Plin. post ep.* 66. *l.* 10. Beneficia rata et certa. *Cic. Cluent.* 47. *extr.* Censoriae subscriptiones fixae et in perpetuum ratae. *Id. Caecin.* 33. Putasne, si populus jusserit, me tuum servum esse, id jussum ratum atque firmum futurum? *Id. Acad.* 4, 9. Decretum stabile, fixum, ratum esse debet; et *ib.* 46. Illud certum, ratum, firmum, fixum fuisse vis. *Tac. H.* 4, 64. Ut amicitia societasque nostra in aeternum rata sint. *Virg. A.* 9, 104. Dixerat, idque ratum Stygii per flumina fratris Annuit. *Hor. Ep.* 1, 5, 16. ebrietas spes jubet esse ratas. *Ov. Fast.* 1, 696. Efficiatque ratas utraque Diva preces, *h. e.* exauditas, et voti compotes. *Sen. Excerpt. contr. praef.* 4. Strictum, et asperum, et nimis ratum in dicendo judicium, *h. e.* nimis severum, rigidum, immutabile. ℙ *Ratus homo*, certus, firmus. *Enn.* ap. *Fest.* potitur ratu' Romulu' praedam, *h. e.* certus se vicisse. ℙ *Ratum habere*, *ducere*, *facere*, approbare, confirmare, firmum esse putare, κυροῦν. *Cic. Part.* 26. Ratum habere judicium, si totum corruptum sit; si unus accusator corruptus sit, rescindere. *Liv.* 27, 17. *f.* Nec pro transfugis habiturum, qui non duxerint societatem ratam, ubi, etc. *Cic. Div.* 1, 39. Quid habet augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum? subaudi *augurium.* ℙ *Ratum mihi est*, approbo, confirmo. *Cic. Fam.* 7, 23. Attamen ista ipsa, quae te emisse scribis, non solum rata mihi erunt, sed etiam grata. *Cato* quoque similiter lusit ap. *Paul.* ex *Festo.* Erga rempublicam multa beneficia ratissima atque gratissima, *h. e.* certissima, et omnino firma ac perpetua. Quo pertinet illud *Virg. A.* 10, 629. atque haec Turno rata vita maneret, *h. e.* servaretur Turno haec vita, et a morte vindicaretur. ℙ *Cavere de rato*, cavere se ratum habiturum. *Paul. Dig.* 3, 4, 6. *med.*

RĂVASTELLUS. V. GRAVASTELLUS.

RAUCĂ, ae, m. vermis terrenus, qui radices arborum laedit. *Plin.* 17, 18, 30. *n.* 3. Olea, ubi quercus effossa sit, male ponitur, quoniam vermes, qui raucae vocantur, in radice quercus nascuntur, et transeunt. Adde *Ulp. Dig.* 19, 2, 15. Utrobique alii pro *raucae* leg. *erucae;* quas *Colum. Arbor.* 17. de eadem loquens *vermes* appellat.

[RAUCĔ, adv. cum raucitate. *Porphyr.* ad *Hor. Ep.* 1, 17, 50. Corvus cum accedit ad cibum, strepitu vocis alias aves rauce ciet. *F.*]

[RAUCĔDO, inis, f. raucitas. *Isid. Or.* 4, 7. Raucedo est amputatio vocis. Haec et arteriasis vocatur, eo quod vocem raucam, et clausam reddat ab arteriarum injuria. *F.*]

RAUCĬDŬLUS, a, um, adj. aliquantum raucus. *Hieron. ep.* 40. *n.* 2. Volo corniculae detrahere garrienti: raudiculam se intelligat cornix. Alii male leg. *rancidulam.*

RAUCĬO, is, si, sum, n. 4. raucus sum, vel fio. *Lucil.* ap. *Prisc.* 10, 907. Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste.

RAUCĬSŌNUS, a, um, adj. βραγχιάζων, sonum raucum habens. *Catull.* 64, 263. Multi raucisonis efflabant cornua bombis. *Lucr.* 5, 1083. Raucisoni cantus.

RAUCĬTAS, atis, f. βράγχος, obtusio vocis, quae fit aut nimia siccitate propter clamorem, aut nimie humore ad vocis locum fluente. *Cels.* 2, 1. *med.* Tussis, destillatio, raucitas. *Plin.* 22, 23, 29. In tussi, uva, fellis veteri suffusione, hydropicis, raucitatibus. *Id.* 20, 6, 23. Allium raucitatem extenuat. *Id.* 11, 51, 112. Elephas ore ipso sternutamento similem elidit sonum: per nares autem tubarum raucitati. *Capell.* 8, 270. Rapiduli sonitus raucitas, *h. e.* stertentis rhonchus.

*RAUCOR, aris, βραγχιῶ *Gloss. Cyrill. B. A.*

[RAUCŬLUS, a, um, adj. dimin. rauci. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 428, 4. Sex. Laetilius Fab. Quartio VI vir. Aug. Sex. Laetilio Valentioni, et Rufae Rauculae filiae parentibus, etc. *F.*]

RAUCUS, a, um, adj. βραγχώδης, qui nimio clamore, vel pituita fauces obsidente, vel alia de causa vocem fuscam, asperam, obtusam, impeditam, et compressam habet: a βράγχος, raucitas: vel a *ravus*, addito *c*, ut a *parum*, *parcus. Festus:* Raucos appellatos esse ait Verrius videri ab ariditate, sive a similitudine quadam spicarum aristae: in spicis namque flava frumenta, rava appellari. *Cic. Or.* 1, 61. Itaque nos raucos saepe attentissime audiri video. *Lucr.* 6, 1187. Sputa per fauces raucas vix edita tussi. *Val. Fl.* 2, 307. Raucus fremitus, *h. e.* multorum simul confusae voces. *Ov. Met.* 2, 483. vox iracunda, minaxque, Plenaque terroris rauco de gutture fertur. *Id. ib.* 6, 377. ranarum vox rauca; et *ib.* 5, 678. picarum rauca garrulitas; et *ib.* 8, 287. de apro: Fervida cum rauco latos stridore per armos Spuma fluit. *Id. Fast.* 1, 433. rudens rauco Sileni vector asellus, *h. e.* rauco clamore. *Id. Met.* 14, 100. raucum stridorem et simiis tribuit. *Virg. Ecl.* 1, 58. Raucae palumbes; et *ib.* 2, 13. raucis resonant arbusta cicadis. *Sen. Med.* 733. raucae strigis exsecta vivae viscera. ℙ *Serv.* ad illud *A.* 11, 458. Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni; et *ib.* 7, 704. aeriam gurgite ab alto Urgeri volucrum raucarum ad litora nubem: monet, *raucus* vocem esse τῶν μέσων, sicut *olens*, *spirans.* His locis significare canorum: alias vocis pessimae. ℙ Urbane et translate. *Cic. Fam.* 9, 2. *med.* Te vero nolo, nisi ipse rumor jam raucus erit factus, ad Bajas venire. Erit enim nobis honestius, etiam cum hinc *(Roma)* discesserimus, videri venisse in illa loca ploratum potius, quam natatum, *h. e.* nisi ipse Tiberis (qui et *Rumor* seu *Rumo* est appellatus. V. RUMO) paulu procellosior fuerit factus, *h. e.* nisi in deteriorem statum respublica venerit, nolim te ad Bajas venire, ne quis suspicetur, natandi nos potius causa et voluptatis, quam plorandi illuc venisse. *Mart.* 8, 67. Cum modo distulerint raucae vadimonia chartae, *h. e.* causidicorum libelli, quibus causas agunt magnis clamoribus, ad ravim usque. Unde et ipsi causidici rauci dicuntur ab *eod.* 4, 8. Sic rauci rogatores, 10, 5. Eadem ratione *Juven.* raucam cohortem, 6, 514. vocat Gallos matris Deum, ob assiduos clamores, quibus ejus signum circumferentes obstrepebant. ℙ Tribuitur et rebus inanimis, sonum utcumque confusum, impeditum, et minime liquidum clarumve edentibus. *Prop.* 3, 2, 41. rauco praetoria classica cornu Flare. *Virg. G.* 4, 71. Martius aeris rauci canor, *h. e.* tubae. *Ov. Ib.* 458. tympana rauca. *Prop.* 3, 15, 36. cymbala; et *ib.* 8, 23. tibia. *Virg. G.* 1, 109. unda cadens raucum per levia murmur Saxa ciens. *Stat. Th.* 2, 40. rauca tonitrua; et 5, 291. raucum litus, *h. e.* raucum sonum edens percussu fluctuum. *Hor. Od.* 2, 14, 13. Fractisque rauci fluctibus Hadriae. *Val. Fl.* 1, 614. venti rauco ad litora tractu Unanimi freta curva ferunt. *Mart.* 1, 50. bruma Aquilone rauco mugit. *Id.* 7, 31. Raucae cortis aves, *h. e.* strepentis raucis vocibus anserum, anatum, pavonum, gallinarum. *Juven.* 8, 59. Raucus circus. *Ov. Am.* 1, 6, 50. Raucaque concussae signa dedere fores. *Prop.* 4, 8, 49. rauci sonuerunt cardine postes. *Virg. A.* 2, 545. telum rauco aere repulsum, *h. e.* scuto. ℙ *Raucum*, et *rauca* adverbii more. *Ov. A. Am.* 3, 289. Illa sonat raucum, quiddamque inamabile stridet. *Virg. A.* 9, 125. amnis Rauca sonans. *Lucan.* 5, 217. ut tumidus Boreae post flamina pontus Rauca gemit. ℙ Comp. *Raucior* est ap. *Capell.* 1, 11. et *Serv.* ad *A.* 7, 704.

*RAUDA, Hispaniae Tarraconensis oppidum, in Vaccaeorum terra. *Ant. Itin. B. A.*

*RAUDII CAMPI, seu Raudius campus, in Italia superiore fuere, ad Sessitem fluvium, medio loco inter Padum, Vercellas, ac lacum Verbanum. In his Cimbrorum ingentes copias prostravit Marius. *Vell.* 11, 12. Quinto *(consulatu Marius)* citra Alpes in campis quibus nomen erat Raudiis, ipse consul et proconsul Q. Lutatius Catulus fortunatissimo decertavere proelio. *Flor.* 3, 3. In patentissimo, quem Raudium vocant, campo procurrere. *Aurel. Vict. de vir. illustr.* (in *C. Mario*): Teutones in Gallia apud Aquas Sextias: Cimbros in Italia in campo Raudio vicit: ubi al. leg. *Caudio* vel *Claudio*, quod nihil est. Cf. *Plutarch.* in *Mario* 25. Χώραν δὲ τὸ πεδίον τὸ περὶ Βερκέλλας. *B. A.*

RAUDUS et Rodus et Rudus, eris, n. aes ap. ve-

teres. *Varr. L. L.* 4, 34. Aes raudus dictum ex eo in veteribus mancupiis scriptum: rauduscule libram ferito. *Val. Max.* 5, 6. *n.* 3. *f.* Olim aera raudera dicebantur. *Festus* in *Rodus:* Rodus, vel raudus significat rem rudem et imperfectam: nam saxum quoque raudus appellant poetae: ut Attius in Menalippo: Hinc manibus rapere rodus (al. *raudus*) saxeum grande et grave: et in Chrysippo: Neque quisquam a telis vacuus, sed, uti cuique obviam fuerat, ferrum, alius saxum rodus (al. *rodum*, ut sit adjectivum). Vulgus quidem in usu habuit, non modo pro aere imperfecto, ut Lucilius, cum ait: Plumbi paxillum, rodi (al. *rodus*) linique metaxam: sed etiam pro signato, quia in mancipando cum dicitur, rudusculo libram ferito, asse tangitur libra. Cincius de verbis priscis sic ait: Quemadmodum omnis fere materia non deformata, rudis appellatur, sicut vestimentum rude, non perpolitum, sic aes infectum, rudusculum. Apud aedem Apollinis aes conflatum jacuit: id ad rudus appellabant. In aestimatione censoria aes infectum rudus appellatur. Haec *Festus.* ℙ *Rudus, eris*, materia. V. s. l.

RAUDUSCŬLA et Rauduscŭlana et Roduscŭlana, porta Romae inter Naeviam, et Lavernalem in veteri Servii regis urbis circuitu, quae postea ad portam Ardeatinam provecta est. V. NAEVIA: ita porro dicta est ab *raudus* aes, quia aerata erat: vel quia rudis et impolita relicta fuit: vel ab effigie aerea cujusdam Genucii Cippi praetoris, in ea inclusa. Prima notatio est *Varr. L. L.* 4, 34.: eadem, et altera *Festi:* tertia *Val. Max.* 5, 6. *n.* 3. Hinc Romae in regione XII. erat *Vicus portae Raduscŭlanae*, cujus mentio est in *Inscr.* ap. *Grut.* 251. *col.* 1.

RAUDUSCŬLUM, i, n. dimin. parvum aes, sive rude et infectum, sive signatum, ut as: quemadmodum in RAUDUS dictum est. In sermone familiari, et quasi per jocum, quia vox est perantiqua, sumitur pro parva summa pecuniae. *Cic. Att.* 7, 2. *med.* De rauduscŭlo Numeriano multum te amo, *h. e.* de parva pecuniae summa, quam Numerio debebam, a te soluta; et *ib.* 4, 8. Nam de rauduscŭlo quod scribis, etc. ℙ Scribitur et *roduscŭlum*, et *ruduscŭlum.* V. RUDICULUS.

RAVENNAS, atis, adj. omn. gen. ad Ravennam pertinens, quod est oppidum Italiae in Gallia Togata, ad amnem Bedesem, non longe a mari Adriatico, inter Padum fluv. et Ariminum, conditum a Thessalis, a Sabinis habitatum. *Plin.* 3, 15, 20. *Sil.* 8, 603. Lenta paludosae proscindunt stagna Ravennae. *Mart.* 13, 21. aequorea Ravenna. *Colum.* 3, 13. *med.* In Ravennate agro. Sic *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 6. Spionia Ravennati agro peculiaris. *Id.* 19, 8, 42. Ravennatium hortorum solum. *Mart.* 3, 93. Meliusque ranae garriant Ravennates. *Pall.* 2, 13. *f.* Ager uliginosus Ravennatia soli. ℙ *Ravennates, ium*, ejus oppidi incolae. *Inscr.* ap. *Grut.* 80, 9. Classis Ravennatium. Adde etiam 227, 1., ubi tamen sermo esse creditur non de oppido, sed de regione Transtiberina Romae, in qua assignata fuerant loca militibus classis Ravennatis, institutae ab Augusto ad custodiam maris Adriatici, ut *Suet. Aug.* 49. narrat. Quare urbs Ravennatium ea regio aliquando appellata est. *Marlian. Topograph. R.* 5, 19.

RAVENNĀTENSIS, e, adj. Ravennas. *Inscr.* ap. *Grut.* 399, 3. Ravennatensium civitas. *Pighius* rectius leg. *Ravennatium.*

*RAVI, orum, populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

RĂVIDUS, a, um, adj. *χάροψ, χαροπὸς, μελανόπυρρος*, qui est ravo colore. *Colum.* 8, 2. *med.* In gallinaceis maribus status altior quaeritur, sublimes cristae, ravidi, vel nigrantes oculi.

RAVILLAE a ravis oculis, quemadmodum a caesiis caesullae. *Paul.* ex *Festo.* ℙ [Fuit cogn. R., ut L. Cassius Longinus Ravilla Cos. ann. U. C. DCCXXVII. et Ces. duobus post annis. Ejus cognominis meminere *Anonym. Noris.* et *Front. Aquaed.* S. L. Cassius Longinus, qui Ravilla appellatus est. *F.*]

RĂVIO, is, n. 4. rauca voce loquor. *Pl. Poen.* 3, 5, 33. Nego, et negando, si quid refert, ravio, *h. e.* contenta voce usque ad ravim pernego. Adde *Paul.* ex *Festo.*

RĂVIS, is, f. *βράγχος*, raucitas. *Pl. Aul.* 2, 5, 10. Ubi siquid poscam, ad ravim poscam, prius quam quidquam detur? i. e. clamose adeo, ut vox raucescat. *Id. fr.* ap. *Non.* 2, 730. Expurgabo hercle omnia ad raucam ravim. Adde *Fest.* et ap. eum *Caecil.* Sic *Appul. Flor. n.* 17. Tragoedi ni quotidie proclament, claritudo arteriis obsolescit. Igitur identidem boando purgant ravim, *h. e.* pituitam, ex qua ravis fit.

RAVISTELLUS. V. GRAVASTELLUS.

[RĂVĬTŪDO, inis, f. ravis. V. GRAVITUDO. *F.*]

*RAUNONIA, ae, f. insula quaedam littoribus adjacens Germaniae septentrionalis. *Plin.* 4, 13. *B. A.*

[RAURĂCI et Raurici, orum, m. plur. incolae Rauracae seu Rauricae, sive Augustae Rauracorum, Galliae urbis in finibus Helvetiorum, quae nunc *Augst*, vicus nempe prope Basileam. *Caes. B. G.* 1, 5. Persuadent Rauracis, et Tulignis, et Latobrigis. *Inscr.* ap. *Grut.* 439, 8. L. Munacius L. F. Plancus in Gallia colonias deduxit Lugdunum, et Rauricam. *F.*]

RAUSURUS. V. RAUCIO.

RĂVŬLUS, a, um, adj. dimin. ravi, aliquantum ravus, hoc est raucus. *Sidon. ep.* 9, 13. *in carm.* 2. Dat ravulos choraulas, etc.

RĂVUS, a, um, adj. *βραγχώδης*, raucus. *Festus:* Ravam vocem significat, ait Verrius, raucam et parum liquidam, proxime canum latratum sonantem: unde etiam causidicus pugnaciter loquens, rabula appellabatur. (*Sidon. ep.* 8, 11. *in carm. f.* cum festa dies ciere ravos Cantus coeperit. [*Alii coloris notionem primam esse volunt.] ℙ Item qui est colore mixto ex nigro et fulvo, medio inter flavum et caesium, *χαροπός. Festus:* Ravi coloris, ravistelli appellantur a Plauto, qui sunt inter flavos et caesios. *Id.* in *Raucos:* In spicis flava frumenta, rava appellari, ait Verrius. *Cic. Acad.* 4, 33. Mare illud, quod nunc purpureum videtur, idem huic nostro videbitur: nec tamen assentietur, quia nobismetipsis modo caeruleum videbatur, mane ravum. Ita leg. *Non.* 2, 729., alii *flavum. Hor. Od.* 3, 27, 3. aut ab agro Rava decurrens lupa Lanuvino. ℙ De oculis. *Varr. R. R.* 2, 2. Arietes ravis oculis; et *ib.* 9. Canes oculis nigrantibus, aut ravis. *Plin.* 11, 37, 55. Aliis nigri, aliis ravi, aliis glauci coloris orbibus circumdatis. ℙ Est etiam cogn. R. V. in EXAUGURATUS.

RĂVUSCŬLUS. V. RABUSCULUS.

RE

RĔ, *ἀνά*, una ex iis praepositionibus, quae per se quidem nihil significant, sed cum aliis verbis conjunctae multiplicem habent notionem. Quandoque enim significat retro, ut *reposco*, rem datam retro posco. Quandoque perfectionem, ut *recognosco.* Quandoque reciprocationem, ut *redamo.* Quandoque contra, sive adversus, ut *reluctor*, idest *repugno.* Quandoque iterum, atque iterum, seu saepe, ut *reputo.* Quandoque de novo, ut *renovo*, quod est rursus novum facio. Quandoque inde, ut *removeo.* Quandoque reditum ad pristinum statum, ut *repuerasco.* Quandoque valde, ut *redundo.* Quandoque longe, ut *repostus*, idest longe positus. Quandoque contrarietatem suorum simplicium, ut *retego*, quod est tectum denudo, recludo, clausum patefacio. [*V. *Ruddim.* 1. p. 318. *n.* 20. *Zumpt. Gr. Lat.* §. 330. p. 287. Non ubique talia composita pro simpl. posita putari debent: saepius enim officii notionem continent.] Quandoque nihil omnino addit significationi sui simplicis, ut *repraesento.* [*Cf. etiam *Brem.* ad *Nep. Paus.* 2, 2. et ad *Pel.* 5, 1.] ℙ Componitur autem cum omnibus dictionibus, a quacumque littera incipiant, praeter *k*, et *r*. Sed cum *a, e, h, i, o, u*, quandoque interponitur *d*, causa euphoniae, ut in *redamo, redeo, redhibeo, redigo, redoleo, redundo.* [*Sunt qui dicant antiq. v. formam fortasse fuisse *red*, ut a *se sed.* Hinc in in nonnullis vocabulis *redi*, ut in *redivivus.*] ℙ In carmine fere corripitur: et ut producatur, jubent grammatici sequentem consonantem geminari, ut *relligio, vettulit, relliquiae:* aut vocalem, ut in *rejicio.* Alii tamen censent, etiam sine illa geminatione produci posse, cum sit monosyllaba, *Broukus.* ad *Prop.* 4, 8, 44., *Taubman.* ad *Pl. Pers.* 4, 6, 3., *Pier.* ad *A.* 1, 34., *Gifan.* in *Ind. Lucr.*, *Scal.*, *Heins.*, *Voss.*, quos secutus collegit *Drakemb.* ad *Sil.* 1, 309., quae magna rei litterariae nomina satis cuique hac in re fidem faciunt. V. RECĬDO, REDUCO, REFERT, REFICIO, REFUGIO, REJICIO, REPELLO, et *Voss. de Gram.* 1, 22. et 2, 19. *Caesell.* ap. *Cassiod. de orthogr.* 2314. Re praepositio nonnunquam geminat consonantes, ad quas accedit, quod plerumque apud antiquos est, ut, *duco redduco, cado reccido, tuli rettuli*, etc. ℙ [*Confund. in comp. *re* et *de.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 620.]

RĔA. V. REUS.

RĔABSORBĔO legitur a nonnullis ap. *August. Confess.* 10, 40., ubi alii *resorbeo.*

RĔACCENSUS, a, um, part. a *reaccendo* pro *redaccendo:* rursus accensus. Translate *Hieron. ep.* 5. *n.* 1. Quibus lectis ita reaccensus est animus Hierosolymam proficiscendi, ut, etc. Alii leg. *redaccensus.* V. REDACCENDO.

RĔADOPTO, as, a. 1. rursus adopto. *Modest. Dig.* 1, 7, 41. Nec is nepos in patris revertitur potestatem, quem avus retinuerit, filio dato in adoptionem, quem readoptavit. Alii leg. *redadoptavit.*

RĔĂDŪNĀTĬO, onis, f. iterata copulatio. *Tert. Resurr. carn.* 30. Recorporatio, et readunatio ossium. Alii leg. *redadunatio.* *Junius mavult *redanimatio*, quod quarundam veterum editionum est. *B. A.*

RĔAEDĬFĬCO, as, a. 1. rursus aedifico, *ἀνοικοδομέω. Liv.* 5, 53. *f.* Haec scelera, quia piget reaedificare, haec dedecora pati parati estis? Alii leg. *aedificare.* [*Ita *Drakenb.*] Addunt quidam et locum *Cic. Att.* 6, 1. *f.*, sed ibi quoque *aedifico* plerique omnes leg. [*Ita *Orell.*] *Tert. adv. Marc.* 5, 3. *med.* Merito non reaedificabat, quae destruxit. Adde *Pud.* 20. *f.* et *Hieron. ep.* 108. *n.* 9.

[RĔĂGĬTO, as, a. 1. iterum agito. *Not. Tir.* p. 125. Agitat, exagitat, reagitat. *F.*]

[RĔĂMBŬLO, as, n. 1. idem ac redambulo, rursus ambulo. *Not. Tir.* p. 146. Ambulat, exambulat, reambulat. *F.*]

RĔAPSĔ, *αὐτόχρημα*, re ipsa. *Festus:* Reapse est re ipsa. Pacuvius: Si non est ingratum reapse quod feci bene. *Pl. Truc.* 4, 3, 41. De istoc ipsa, etsi tu taceas, reapse experta intellego. *Cic. Div.* 1, 37. Objiciuntur etiam saepe formae, quae reapse nullae sunt, speciem autem offerunt. Alii leg. *re ipsa. Id. Fin.* 5, 10. Quod idem reapse primum est. Alii leg. *re ab se. Id. Fam.* 9, 15. Non perinde, ut est reapse, ex litteris perspicere potuisti. Alii leg. *re ipsa*; [*Orell.* ubi vulg. *reapse* serv.] *Sen. ep.* 108. *med.* Eosdem libros (*Cic. de Republ.*) cum grammaticus explicuit, primum, reapse dici ab Cicerone, id est re ipsa, in commentarium refert: nec minus sepse, id est se ipse. [Hinc quidem ap. *Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 1, 2. legitur *reapse*, et *ib.* 2, 39. *reabse*, quod eodem recidit: hinc etiam patet, criticos in tribus ejusd. *Cic.* locis supra allatis perperam censere aliter legendum. V. SEPSE. *F.*] *Lucr.* 2, 658. dum ne sit re tamen apse. ℙ *Resapsa*, res ipsa. V. SAS.

RĔASSŪMO, is, a. 3. *ἀναλαμβάνω*, iterum sumo. *Plin. ep.* 5, 6. Aestate fluminis nomen arenti alveo deserit, autumno reassumit. Alii rectius *resumit.*

RĔĀTĪNUS, a, um, adj. ad Reate pertinens. Est autem *Reate, is*, n. nunc *Rieti*, opp. Sabin. situm non procul a fluvio et lacu Velino, et via Salaria. *Varr. R. R.* 3, 1. et *Plin.* 3, 12, 17. *Sil.* 8, 417. magnaeque Reate dicatum Coelicolum Matri. *Plin. l. c.* In Reatino agro. *Id.* 2, 103, 106. Reatina palus. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 1. praefectura. *Fest.* in *Praefecturae* recenset inter ea oppida, in quae praefectus quotannis Roma mittebatur a praetore urbano. ℙ *Reatini, orum* sunt incolae illius urbis, ap. *Liv.* 28, 45. et *Plin. l.* supra *c. in.*

RĔĀTUS, us, m. *ἡ τοῦ ἐνόχου κατάστασις*, status rei, sive tempus, quo reus nec absolutus est, nec damnatus, quo tempore non reus modo, sed etiam propinqui et affines non capillos aut barbam tondebant, non candida, sed obsoleta tritaque veste uti solebant. Haec vox, teste *Quint.* 8, 3. *med.*, primum a Messala usurpata fuit, imperante Augusto. *Just.* 4, 4. Revocato igitur ad reatum Alcibiade, duo proelia secunda Niceas, et Lamachus faciunt: idest ad causam dicendam. *Mart.* 2, 24. Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum. *Modest. Dig.* 48, 19, 25. Si diutino tempore aliquis in reatu fuerit; et *mox:* Qui longo tempore in reatu agunt. ℙ Accipitur et pro ipsa culpa, qua quis reus est. *Appul. Met.* 7. Male conscientiae reatum intra me sustinebo, si, quod bonum mihi videtur, dissimulavero. *Prud. Cath.* 11, 103. irritis Plangens reatum fletibus. ℙ Item pro habitu, et specie, et cultu reorum. *Appul. Met.* 9. Repente intra pistrinum mulier, reatu miraque tristitie deformis, apparuit.

[RĔBAPTĬZĀTOR, oris, m. qui iterum baptizat. *August. serm. de pastor. in Ezech.* 46. *n.* 37. Abundare audio haereticos in Africa, abundare audio rebaptizatores in Africa. *F.*]

RĔBAPTĬZO, as, a. 1. rursus baptizo. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 1, 6, 2., *August. ep.* 203. *f.* et *Hieron. adv. Lucif. n.* 23.

[RĔBĂTŪO, is, n. 3. iterum batuo. *Not. Tir.* p. 117. Batuit, rebatuit. *F.*]

RĔBELLĀTĬO, onis, f. *ἀποστασία*, rebellio. *Tac. A.* 14, 31. Commotis ad rebellationem Trinobantibus. Alii leg. *rebellionem. Val. Max.* 7, 3. *n.* 9. *extr.* Cum Tusculani crebris rebellationibus meruissent, ut, etc. [*Cf. *Drakenb.* ad *Liv.* 8, 14, 4.]

RĔBELLĀTRIX, icis, f. quae rebellat. *Ov. Trist.* 3, 12, 47. Teque, rebellatrix, tandem, Germania, magni Triste caput pedibus supposuisse ducis. *Liv.* 40, 35. *f.* Provincia ingenio ferox, rebellatrix.

[RĔBELLĀTUS, a, um, part. a *rebello:* qui rebellavit. *Val. Max.* 9, 10. *n.* 1. M. Flavius tr. pleb. ad populum de Tusculanis retulit, quod eorum consilio Veliternos Privernatesque rebellatos diceret. Codd. MSS. habent *rebellaturos*, sed manifesto errore. *F.*]

RĔBELLĬO, onis, f. *ἀποστασία*; actus rebellandi, defectio, repugnantia. *Caes. B. G.* 4, 38. Legatum in Morinos, qui rebellionem fecerant, misit. *Suet. Cal.* 51. Audita rebellione Germaniae. *Liv.* 8, 14. Crimen rebellionis a publica fraude in paucos auctores versum. *Tac. A.* 11, 19. Semina rebellionis praebere; et *ib.* 3, 40. Rebellionem coeptare; et *ib.* 1, 55. parare; et *H.* 2, 11. comprimere. [*V. in REBELLATIO. *Cic. pro Scauro or. fr.* (ed. *A. Maio*,) p. 37. ed. *Kil.* Multis Carthaginiensium rebellionibus. *B. A.*]

RĔBELLĬO, onis, m. rebellis. *Treb. Poll. Salon.* 1. Fuisse et alios rebelliones sub eodem, de quibus dicemus. Alii leg. *alias. Gloss. Philox.* Rebellio, *ἀποστάτης*, et *ἀπόστασις. Faustina* in *epist. ad M. Anton.* ap. *Vulcat. Gall. Avid. Cass.* 9. Hortor, ut, si amas liberos tuos, istos rebelliones accerrime persequaris.

RĔBELLIS, e, adj. *ἀποστάτης, ἀποστατικὸς*, qui semel victus, et in deditionem acceptus bellum renovat: item qui reipublicae aut principis sui imperium detrectat. *Virg. A.* 12, 185. nec post arma ulla rebelles Aeneadae referent. *Id. ib.* 6, 858. sternet Poenos, Gallumque rebellem. *Claud. VI. Cons. Honor.* 213. opportunam motu strepuisse rebelli Gaudet perfidiam. [*Tac. H.* 4, 72. rebellis colonia.] ℙ Urbane et translate. *Ov. R. Am.* 246. Inferet arma tibi saeva rebellis Amor. *Stat. Th.* 1, 35. Nec furiis

post fata modum, flammasque rebelles Seditione rogi. (V. *ib.* 12, 429.) *Claud. Rapt. Pros.* 1, 155. detrectat onus cervice rebelli. ℙ [*Substantive. *Tac. A.* 1, 40. ubi obsequia et contra rebelles auxilium; et *ib.* 2, 26. rebellium gentes.]

RĔBELLĬUM, ii, n. idem ac rebellio. *Liv.* 42, 21. Et pacatos ad rebellium incitasset. [*V. *Gronov.* ad h. l.]

RĔBELLO, as, avi, atum, n. 1. *ἀφηριάζω*, bellum resumo, renovo, descisco, deficio: et proprie dicitur de iis, qui aliquando victi, et in deditionem recepti, ad arma redeunt. *Hirt. B. G.* 8, 44. Si diversis in locis plures rebellare coepissent. *Liv.* 8, 14. In Veliternos, quod toties rebellassent, graviter saevitum. *Id.* 33, 12. *f.* Si elapsus foret, mox gravius rebellaturum. *Just.* 11, 2. Multas gentes rebellantes compescuit. ℙ Urbane et translate. *Sen. Oed.* 106. ille dirus callidi monstri cinis in nos rebellat. *Id. Ag.* 137. Fessus quidem, et dejectus, et pessundatus pudor rebellat, *h. e.* reluctat, et turpi cupidini rursus adversatur. *Plin.* 25, 13, 109. Credunt, ea herba rursus sata, rebellare quae curaverint vitia, *h. e.* redire, renasci. *Id.* 26, 1, 3. Ni usque in ossa corpus exustum esset, rebellante taedio, *h. e.* morbo taedii pleno rursus erumpente. *Id.* 13, 12, 25. de charta facienda: Rebellat saepe humor incuriose datus primo, *h. e.* resistit et reluctatur, quo minus perscribi possit.

[RĔBĬLUS, i, m. cogn. R. ignotae originis, et significationis, quod tamen a *Vaillant.* in *Numm. famil.* p. 225. a rebili, seu opinabili deducitur. Hinc C. Caninius Rebilus Cos. suff. ann. U. C. DCCIX., de quo mentio est ap. *Suet. Ner.* 15., *Tac. H.* 3, 37. et in *Fast. Cons.* ap. *Grut.* p. 295. *F.*]

RĔBĬTO, is, n. 3. redeo: a *re*, et *beto*, *is*. *Pl. Capt.* 2, 3, 18. Ita convenit inter me atque hunc, Tyndare, ut te aestimatum in Alidem mittam ad patrem: si non rebitas huc, ut viginti minas dem pro te; et *ib.* 49. Si hinc rebito, faciam, ut, etc. Adde 3, 5, 89.

RĔBŌO, as, n. 1. *ἀντιβοάω*, resono, remugio, boatum reddo. *Lucr.* 2, 28. Nec citharis reboant laqueata aurataque templa. *Virg. G.* 3, 223. reboant silvaeque, et magnus Olympus. *Claud. VI. cons. Honor.* 615. Assensuque cavae sublatus in aethera vallis Plebis adoratae reboat fragor. *Sil.* 17, 252. Hinc rupti reboare poli, atque hinc crebra micare Fulmina. *Val. Fl.* 3, 634. reboatque superbis Comminus ursa lupis. *Lucr.* 4, 545. reboat raucum bombum tuba. *Nemes. Ecl.* 1, 72. Silvestris nunc te platanus, Meliboee, susurrat: Te pinus: reboat te quidquid carminis echo Respondet silvae.

RĔBULLĬO, is, ivi, a. 4. iterum bullio, ebullio. *Appul. Met.* 9. Vinum in omnibus doliis ferventi calore, et prorsus ut igni copioso subdito, rebullire. ℙ Item ebulliendo ejicio. *Id. ib.* 1. Cum ille, impetu teli praesecata gula, vocem, imo stridorem incertum per vulnus effunderet, et spiritum rebulliret: et *ib.* 5. Lucerna fervens oleum rebullivit in ejus humerum.

[RĔBURRĪNUS, a, um, adj. ad reburrum pertinens. V. v. sq. Est cogn. R. *Inscr.* Tarraconensis ap. *Grut.* 547. C. Julius Reburrinus. Alia indidem ap. *eund.* 407, 5. Julia Sex. F. Reburrina. *F.*]

[RĔBURRUS, a, um, adj. idem ac hispidus, ut definitur in *Gloss. Isid.*: fortasse est a *burrus* pro *birrus*, *h. e.* multum pilosus. Legitur etiam in *Not. Tir.* p. 150. Est cogn. R. *Inscr.* Tarraconensis ap. *Grut.* 325, 6. M. Ulpius C. F. Quir. Reburrus. *F.*]

[RĔCALCĔO, et Recalcio, as, a. 1. iterum calceo. *Not. Tir.* p. 129. Excalciat, recalciat. *F.*]

RĔCALCITRO, as, n. 1. *ἀναλακτίζω*, idem quod calcitro; hoc est calcem impingo, calce ferio, repugno, resisto. *Hor. Sat.* 2, 1, 20. Cui male si palpere, recalcitrat undique tutus.

RĔCALCO, as, a. 1. *παλιμπατέω*, rursus calco. *Colum.* 2, 2. *med.* Si velis scrobibus egestam humum recondere, et recalcare. *Appul. Met.* 6. Priora vestigia recalcare. *Prud. Cath.* 9, 9, 75. Limen recalcandum patet.

RĔCALĔFACTUS, a, um, part. a *recalefacio*: rursus calefactus. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 10. *med.* Statim recalefacto corpore.

RĔCALĔO, es, n. 2. *ἀναθέρομαι*, rursus, vel valde caleo. *Virg. A.* 12, 35. recalent nostro Tiberina fluenta Sanguine. *Flor.* 4, 2. *med.* Acrius multo atque vehementius Thessalici incendii cineres recaluere. ℙ Metaphorice *Ammian.* 28, 1. Recalebant in auribus ejus parentis effata. *Auson. Profess.* 7, 15. Nunc quoque in nostris recales medullis, blande Leonti.

RĔCĂLESCO, is, n. 3. *ἀναθερμαίνομαι*, rursus calesco. *Cic. N. D.* 2, 10. Cum motu atque agitatione recalescunt. ℙ Translate. *Ov. R. Am.* 629. Quid juvat admonitu tepidam recalescere mentem? *Plin. ep.* 7, 9. Recalescere ex integro, et resumere impetum fractum omissumque, *h. e.* rursus accendi et intendere animum ad scribendum.

RĔCALFĂCĬO, is, eci, a. 3. *ἀναθερμαίνω*, rursus calidum facio: est pro *recalefacio* per sync. *Ov. Met.* 8, 444. calidumque prioris Caede recalfecit consorti sanguine telum. ℙ Translate. *Id. A. Am.* 2, 445. Fac, timeat de te, tepidamque recalface mentem.

RĔCALVĀSTER, stri, m. *ἀναφαλαντίας*, qui fronte calvus est, non toto capite, ut dicitur etiam *Levit.* 13, 41. *Sen. ep.* 66. *med.* Ut ex duobus aeque justis et prudentibus comatum et crispulum malis, quam recalvastrum.

*RECALVATĬO, onis, f. *Vulgat. Levit.* 13, 42. Sin autem in calvitio sive in recalvatione albus vel rufus color fuerit exortus. *B. A.*

RĔCALVUS, a, um, adj. idem qui recalvaster. *Pl. Rud.* 2, 2, 11. Ecquem recalvum, ac silonem senem.

[RĔCALX, alcis, adj. omn. gen. idem ac recalcitrans. *Commod. Instruct.* 38. Improbi semper, et dura cervice recalces. *F.*]

RĔCANDENS, entis, part. a *recandeo*, candens, calidus. *Plin.* 37, 9, 52. Radios in se recandentes discutere. Ita edd. vett. 1470. et 1472., at his antiquior 1469. *Hard.* et varior: *in se cadentes* multo rectius.

RĔCANDESCO, is, et Recandeo, es, ui, n. 3. vel 2. *ἀναλευκάομαι*, candidus rursus fio. *Ov. Met.* 4, 529. percussa recanduit unda, *h. e.* candida facta est propter spumam, quam concitatum mare emittere solet. [*Cf. de hoc hujus verbi usu *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 30, 3. Alius de spuma usurpatur *albescere.*] ℙ Est etiam recalescere, denuo candentem, seu ignitum fieri, vel vehementer incalescere. *Id. ib.* 1, 435. Ergo ubi diluvio tellus lutulenta recenti Solibus aetheriis, altoque recanduit aestu. *Id. R. Am.* 734. Flamma recandescet. Alii leg. *redardescet.* ℙ Translate ita recandescere dicitur, cum semel propemodum lenita rursus exasperatur. *Id. Met.* 3, 707. et audito clangore recanduit ira.

RĔCĂNO, is, a. 3. *ἀναφωνέω*, alii cantanti vicissim reciproco cantu respondeo. *Plin.* 10, 33, 51. de perdice: Adeoque vincit libido etiam fetus caritatem, ut illa furtim et in occulto recubans, cum sensit feminam aucupis accedentem ad marem, recanat, revocetque, et ultro praebeat se libidini. ℙ Item incantationem retorqueo, ac dissolvo. *Id.* 27, 2, 4. Non pauci etiam credunt serpentes ipsas recanere, et hunc unum illis esse intellectum, contrahique Marsorum cantu, etiam in nocturna quiete. Alii minus recte leg. *recantari.*

RĔCĂNTĀTUS, a, um, part. a *recanto*. *Ov. R. Am.* 259. Nulla recantatas deponent pectora curas: *idest* amores magicis carminibus repressos. *Hor. Od.* 1, 16, 25. nunc ego mitibus Mutare quaero tristia, dum mihi Fias recantatis amica Opprobriis, animumque reddas, *h. e.* revocatis, laudes aut blanditias pro opprobriis reponendo.

RĔCANTO, as, a. 1. *παλινῳδέω*, cantando respondeo. *Mart.* 2, 86. Nusquam Graecula quod recantat echo. V. alia in v. praec.

RĔCĂPĬTŬLO, as, a. 1. *ἀνακεφαλαιόομαι*, breviter, quae dicta sunt, per capita recenseo. *Tert. adv. Marc.* 5, 17. Ut ita dixerim, sicut verbum illud in Graeco sonat, recapitulare, idest ad initium redigere, vel ab initio recensere. Adde *adv. Jud.* et *August.* 8, 4. *Consens. Evang.* 25.

*RECAPTIVĀTUS, a, um, adj. *Vet. Interpr. Iren.* Juste a Deo recaptivatus. *B. A.*

*RECAUTA, orum, Apochae species in *Novell.* 130, 1. de transitu militum, in qua *Justinianus* commemorat *recauta de more facta*, *παρὰ τῶν ὀπτιόνων τοῖς ὑποτελέσιν ὑπὸ τῶν παρ' αὐτῶν δαπανωμένων*, i. e. apochas, quibus vicissim cavetur his, qui solverunt quod debebant, non denuo exactum iri. Hinc ap. *Suidam* et in *Glossis Nomicis* Ῥέκαυτον (sic nempe legendum pro ῥέγαυγον s. ῥέγαυδον) ἀποχῆς εἶδος. *Recautum* quasi retro et vicissim cautum. Haec *Gesnerus.* *B. A.*

RĔCĂVĔO, es, āvi, n. 2. vicissim caveo. *Imppp. Grat., Valens, et Theodos. Cod.* 9, 3, 2. Et in poenam reciproci stilo trepidante recaverit.

RĔCĂVUS, a, um, adj. introrsum cavus. *Prud. Psych.* 421. Casus agit saxum, medii spiramen ut oris Frangeret, et recavo misceret labra palato. *Id. περὶ στεφ.* 11, 186. recavum speculum. *Paul. Nol. carm.* 28, 408. recava laquearia.

RĔCĔDO, is, essi, essum, n. 3. *χάζομαι*, *ἀναχωρέω*, *ἀπέρχομαι*, cessim cedo, ut ait *Pl. Cas.* 2, 8, 7. *h. e.* retrorsum cedo, secedo, abscedo, me amoveo, discedo, abeo. *Virg. A.* 12, 290. Tyrrhenum Aulesten Adverso proterret equo: ruit ille recedens, Et miser oppositis a tergo involvitur aris In caput. *Cic. Planc.* 6. Undae maris accedunt et recedunt. *Id. Rosc. Am.* 38. *f.* Cur mihi te offers, ac meis commodis officis? recede de medio. *Id. Phil.* 8, 7. Non modo illum e Gallia non discessisse, sed ne a Mutina quidem recessisse. *Pl. Mil.* 2, 4, 4. Ego abs te procul recedam. *Caes. B. C.* 2, 30. Censebant in castra Corneliana recedendum. *Hor. Sat.* 1, 1, 31. senes ut in otia tuta recedant. *Pl. Rud.* 3, 5, 7. Jube dum recedere istos ambo huc. *Id. Bacch.* 4, 1, 7. Recede hinc dierecte. *Id. Poen.* 3, 2, 34. Pone nos recede. *Id. Amph.* 1, 1, 84. Nec recedit loco, quin statim rem gerat. *Lucr.* 4, 696. fluere, atque recedere rebus odores. *Ov. Met.* 9, 700. monuit, thalamoque recessit. *Hirt. B. G.* 8, 27. Ex eo loco cum copiis recedit. *Nep. Chabr.* 3. Recedere a conspectu suorum. *Virg. G.* 4, 191. Nec vero a stabulis, pluvia impendente, recedunt Longius. ℙ Absolute. *Petr. Sat.* 85. Forte cum in triclinio jaceremus, quia dies solemnis ludum arctaverat, pigritiamque recedendi imposuerat hilaritas longior, i. e. secedendi in suum quemque cubiculum. *Ov. Ib.* 239. Jamque recessurae viridi de stipite factas Admorunt oculis usque sub ora faces. ℙ Navigantibus recedere videntur loca, a quibus ipsi recedunt. *Virg. A.* 3, 72. Provehimur portu: terraeque urbesque recedunt. Adde *Ov. Met.* 11, 466., *Val. Fl.* 2, 8., *Sil.* 3, 157., *Stat. Th.* 1, 549. ℙ De iis, quae interiore, reductiore, a nobis remotiore loco sita sunt. *Virg. A.* 2, 300. secreta parentis Anchisae domus, arboribusque obtecta recessit. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Contra parietem medium zotheca perquam eleganter recedit. *Catull.* 64, 43. quacumque opulenta recessit Regia, *h. e.* quoscumque recessus et cubicula regia habuit. *Quint.* 2, 17. *med.* Pictor vi artis suae efficit, ut quaedam eminere in opere, quaedam recessisse credamus. *Plin. ep.* 3, 6. de signo senis simili: Pendent lacerti, papillae jacent, recessit venter. ℙ Huc pertinent illa *Plinii* 5, 12, 13. Syria, Palaestina vocatur, qua contingit Arabas: et qua recedit intus, Damascena. *Sen. Consol. ad Marc.* 18. Litora in portum recedentia; et *Plin.* 4, 10, 17. Macedonia ad Epiroticas gentes in solis occasum recedens; et 3, 10, 15. Magna Graecia in tres sinus recedens Ausonii maris. *Id.* 6, 8, 8. Gens Cappadocum longissime Ponticarum omnium introrsus recedens. ℙ De iis quae disjunguntur, et separantur. *Cels.* 8, 7. In aliis ossibus ex toto saepe fragmentum a fragmento recedit. *Lucan.* 8, 674. trunco cervix abscissa recessit. *Ov. Her.* 16, 153. Ante recessisset caput hoc cervice cruenta, Quam tu de thalamis abstraherere meis. *Id. Pont.* 2, 8, 65. Nam caput e nostra citius cervice recedet. *Plin.* 22, 8, 9. Recedentes ab ossibus carnes. *Id.* 19, 5, 23. Melopepones maturitatem adepti, quamquam non pendentes, statim a pediculo recedunt. ℙ Urbane et translate. *Virg. A.* 4, 704. omnis Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit, *h. e.* abiit, evanuit. *Lucan.* 7, 688. spes nunquam implenda recessit, i. e. evanuit; et *Stat. Silv.* 3, 5, 55. sic nunquam corde recedit Nata tuo; et *Plin. ep.* 9, 5. A quo vitio tu longe recessisti. *Nep. Alc.* 8. Recedere a caritate patriae. *Lucan.* 9, 1056. a vera pietate. *Cic. Off.* 3, 4. *med.* ab officio. *Id. Quint.* 21. ab usitata consuetudine. *Id. Caecin.* 20. *f.* Ut longius a verbo recedamus, ab aequitate ne tantulum quidem. *Id. Rosc. Am.* 6. Recedere ab armis, i. e. deponere; et *Hirt. B. G.* 8, 40. ab oppugnatione. *Cic. Tusc.* 4, 17. *f.* et *Plin.* 29, 1, 5. a vita; et *Pl. Merc. prol.* 73. Postquam recesset vita patrio corpore, *h. e.* pater mortuus esset: *recesset*, syncope pro *recessisset*. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 64. quodcumque recedit Litibus, incumbit studiis. ℙ Passive impersonaliter. *Neratius Dig.* 2, 14, 57. Ab emptione, venditione quin recedi possit, dubium non est. *Paul. ib.* 20, 6, 10. Si ex venditione recessum fuerit.

RĔCELLICLŪNAE. V. in v. sq.

RĔCELLO, is, a. 3. reclinare, ut *Festus* exponit, reflectere, retro movere, retrahere: a *κέλλω*, moveo. *Lucr.* 6, 572. de terrae motu: inclinatur enim, retroque recellit, Et recipit prolapsa suas se in pondere sedes. *Liv.* 24, 34. In eas naves, tollenone super muros eminente, ferrea manus firmae catenae illigata, cum injecta prorae esset, gravi libramento plumbi recellente ad solum, suspensa prora, navim in puppim statuebat. *Appul. Met.* 6. Pavidus, et repentina facie conterritus, totum corporis pondus in postremos poplites recello, arduaque cervice sublimiter elevata, etc. ℙ *Recellere nates ἐν τῇ συνουσίᾳ*, est ap. *eund. Met.* 10. Et ob id *recelliclunas*, vel *recelliclunias* dictas ajunt a *Plauto* ap. *Fest.* nescio quo loco, meretrices. Et afferunt quidem *Plauti* locum *Poen.* 1, 2, 53. An tibi vis inter istas versarier, etc., sed nullum ibi hujus vocis vestigium.

RĔCENS, entis, adj. *νεαρός*, nuper factus, qui nuper accidit, novus. Quomodo a *novus* differt, in ea voce dictum est. *Caes. B. G.* 1, 14. Quod si veteris contumeliae oblivisci vellet, num etiam recentium injuriarum memoriam deponere posset? *Cic. Tusc.* 4, 17. *med.* Aliter ferunt inveterata, aliter recentia. *Id. Mur.* 8. Non modo antiquis illis fortissimis viris, sed his recentibus. *Id. Verr.* 1, 2. Cum e provincia recens esset, invidiaque et infamia non recenti, sed vetere ac diuturna flagraret. *Caes. B. C.* 3, 96. Recentibus caespitibus tabernacula constrata; et *B. G.* 5, 47. *f.* Hostes recenti victoria efferri sciebat. *Varr. R. R.* 3, 12. de leporib.: Fit saepe, cum habent catulos recentes, alios ut in ventre habere reperiantur; et *ib.* 2, 8. Pullum asininum a partu recentem subjiciunt equae. *Virg. A.* 6, 450. recens a vulnere Dido. *Cic. N. D.* 2, 2. *med.* Apud Regillum, bello Latinorum, in nostra acie Castor et Pollux ex equis pugnare visi sunt: et recentiore memoria iidem Persen victum nunciaverunt. *Id. Att.* 8, 15. Recentissima tua est epistola calendis data. *Ov. A. Am.* 3, 627. Lac recens. *Id. Fast.* 5, 123. Recentes herbae; et *ib.* 4, 316. Recens flos. *Virg. A.* 6, 674. prata recentia rivis; et *ib.* 1, 421. recentia serta. *Prop.* 4, 6, 7. Recentes arae, *h. e.* recentibus herbis ac floribus ornatae. *Val. Fl.* 6, 455. Hinc Veneris thala-

mos, semperque recentia sertis Tecta petit. *Ov. Her.* 13, 145. ferens dominae mandata recentia secum. *Id. Met.* 8, 488. et *Sen. Herc. Fur.* 722. Recentes animae, *h. e.* quae modo a corporibus sejunctae, ad Inferos descenderunt. Adde *Ov. Met.* 15, 846. ℙ Recens ab aliqua re. *Cic. N. D.* 3, 5. Tyndaridae, quos Homerus, qui recens ab illorum aetate fuit, sepultos esse dicit Lacedaemone. *Sen. ep.* 90. *f.* Non tamen negaverim, fuisse alti spiritus viros, et, ut ita dicam, a Diis recentes, *h. e.* ab illis conditos, non propagatos ab aliis hominibus. *Id. Prov.* 3. Inter multa magnifica Demetrii nostri et haec vox est, a qua recens sum: sonat adhuc, et vibrat in auribus meis. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 2, 1. *f.* Tu prior lege: et siquis iusit barbarismus; tu, qui a Graecis litteris recentior es, corrige. *F.*] ℙ *Recenti re*, dum adhuc res, aut negotium recens est. *Pl. Trin.* 4, 3, 8. Recipe te, et recurre petere, re recenti. *Cic. Verr.* 2, 1, 53. Mustius dixisset, si viveret: sed pro Mustio, recenti re, de Mustio auditum dixit L. Domitius; et *ib.* 39. *f.* Datam quidem esse pecuniam, inter omnes, recenti negotio, facile constabat. ℙ *Recens aqua*, recenter hausta, atque adeo frigida. *Ov. Pont.* 3, 4, 56. Illa recens pota est, nostra tepescit aqua. *Colum.* 9, 14. *med.* Quam recentissimi rigoris aqua infusa. *Lucr.* 2, 319. herbae gemmantes rore recenti. ℙ Item fluens, quia semper nova supervenit. *Colum.* 8, 17. *med.* Modus ille aquae jacentis infra libram maris, non aliter exprimitur, quam si major recentis freti vis incesserit. ℙ *Recens vinum* est novum, et *veteri* opponitur ap. *Scrib. Comp.* 271. Hinc *novum* opponit *veteri* etiam *Cic. Brut.* 83. ℙ *Recens mustum* appellatur, quod ita servatur, ut dulce semper tanquam recens permaneat. *Colum.* 12, 29. V. RECENTARIUS. ℙ *Recens sanguis*, modo effluens. *Catull.* 63, 7. recente terrae sola sanguine mane maculans. ℙ *Recens sol*, oriens. *Pers.* 5, 54. Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti Rugosum piper, *h. e.* in regione orientali. ℙ *Recens toga* ap. *eund.* 1, 15. est nova. ℙ *Recens locus*, ubi quid modo factum est. *Virg. A.* 9, 455. tepidaque recentem Caede locum. Alii leg. *tepidumque recenti Caede locum:* teste *Servio.* [*V. *Heyn.*] ℙ *Recens*, viribus integer, quasi qui recenter ad laborem accedit. *Caes. B. G.* 5, 16. et *ib.* 7, 25. Integri et recentes defatigatis succedebant. *Id. ib.* 7, 48. *extr.* Spatio pugnae defatigati non facile recentes atque integros sustinebant. *Hirt. B. Afr.* 78. *med.* Sauciis ac defatigatis integros recentioribusque viribus equites subministrare. *Ov. Met.* 2, 63. (et *Liv.* 38, 25. *f.*) Ardua prima via est, et qua vix mane recentes Enitantur equi. *Liv.* 21, 52. Consul alter proelio et vulnere suo minutus, trahi rem malebat: recentis animi alter, eoque ferocior, nullam dilationem patiebatur. *Plin. Pan.* 23. *med.* Quae circumstantium gaudia! quam recens clamor! *h. e.* vigens et fortis, et recentibus viribus editus. ℙ *Recens in dolore*, qui nuper dolere coepit, et novus in dolore est. *Tac. A.* 3, 1. *extr.* Et omissa praepos. Recens dolore et ira, *Id. ib.* 1, 41. *extr.* [*Plura v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 400. In loco, quem laudat *ib.*, *Auct.* ad *Her.* 2, 7, 10. quod alius alio recentior sit in dolore: *cdd.* aliq. *Lallemand.* exhib. *reticentior:* quod profecto nobis cum *Orell.* longe praeferendum videtur.] ℙ *Recentiores*, auctores, scriptores, qui nuper scripserunt. *Cic. Fin.* 2, 26. Attulisti aliud humanius horum recentiorum: scil. philosophorum. *Plin.* 4, 16, 30. Glessariae, quas Electridas Graeci recentiores appellavere. *Id.* 28, 17, 72. Recentiores cinerem ejus ex aqua bibunt. ℙ *In recenti*, in recenti tempore. *Modest. Dig.* 48, 19, 25. Non eo modo puniendos eos, qui longo tempore in reatu agunt, quo eos, qui in recentem sententiam recipiunt. *Ulp. ib.* 42, 6, 15. In recenti addita hereditate. ℙ *Recens* adverbii ritu, recenter, modo, nuper, *νέον*. *Lucr.* 2, 416. cum scena croco Cilici perfusa recens est. *Pl. Cist.* 1, 2, 16. Puerum alicunde ut reperirem sibi recens natum. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *G.* 3, 155. Coria recens detracta. *Suet. Tib.* 1. Romam recens conditam commigravit. *Tac. H.* 2, 10. Recens censuerant patres, ut, etc. [*Ita maxime ponitur a *Tacito.* V. *A.* 4, 5. 6, 10. 12, 27. Adde *Liv.* 2, 22, 4. ubi v. *Drakenb.* ℙ Permutantur *recens*, *repens*, *tepens*. V. *intpp.* ad *Curt.* 4, 6, 19. *ed. Snakenb.*]

RĔCENSĔO, es, sui, situm, a. 2. *ἐπιλέγομαι, ἐξαριθμέω*, recognosco, summam totius multitudinis per numeros colligo. *Virg. A.* 6, 681. omnemque suorum Forte recensebat numerum, carosque nepotes, Fataque, fortunasque virum, moresque, manusque. *Caes. B. G.* 7, 76. Coactis equitum octo millibus, et peditum circiter ducentis quadraginta. Haec in Aeduorum finibus recensebantur, numerusque inibatur. *Liv.* 1, 16. Cum ad exercitum recensendum concionem haberet. *Id.* 26, 49. Acceptis nominibus civitatum, recensuit captivos, quot cujusque populi essent. *Colum.* 12, 3. *med.* Tonsuris interesse, et vellera ad numerum pecoris recensere; et 11, 1. *med.* Vestem servitiorum, et ferramenta bis singulis mensibus recensere. *Ov. Met.* 13, 932. Recensere captivos ordine pisces. *Id. Fast.* 3, 575. Signa recensuerat bis sol sua, tertius ibat Annus. ℙ Sumitur et pro retrectare, emendare. *Gell.* 17, 10. Quae procrastinata sunt ab eo, ut post recenserentur. ℙ Item pro meditari, considerare, examinare. *Stat. Silv.* 5, 3, 20. Fulgentesque plagas, rerumque elementa recenses. ℙ Item pro narrare. *Plin. ep.* 1, 8. *f.* Quod magnificum referente alio fuisset, ipso, qui gesserat, recensente vanescit. *Ov. Her.* 9, 105. I nunc, tolle animos et fortia facta recense. *Stat. Silv.* 4, 1, 29. Dinumera fastos, nec parva exempla recense.

RĔCENSIO, onis, f. *καταλεξις, ἀπαρίθμησις*, actus recensendi, recensus, et descriptio cujusvis multitudinis, ut populi in censu copiarum, etc. *Cic. Mil.* 27. Aedem Nympharum incendit, ut memoriam publicae recensionis, tabulis publicis (*censoriis*) impressam, exstingueret. *Suet. Caes.* 41. *f.* Ne qui novi coetus recensionis causa moveri possent.

RĔCENSITIO, onis, f. *ἀπαρίθμησις*, recensio, recensus. *Ulp. Dig.* 10, 4, 3. *med.* Recensitione servorum facta.

RĔCENSĪTUS, a, um, part. a *recenseo*, idem ac recensus. *Suet. Caes.* 41. Instituit, quotannis in demortuorum locum ex iis, qui recensiti non essent, subsortitio a praetore fieret. *Claud. in Eutr.* 2, 60. Prisca recensitis evolvite saecula fastis. Ap. *Prud. Apoth.* 1069. es *recensetus.* Stirpe recenseta numerandus sanguinis heres. Opt. tamen editiones habent *recensita.*

RĔCENSUS, a, um, part. a *recenseo: καταλεχθείς*, iterum census, rursus numeratus, descriptus. *Suet. Vesp.* 9. Amplissimos ordines supplevit, recenso senatu et equite. Alii leg. *recensito.* *Tert. adv. Marc.* 4, 5. *med.* Ordo episcoporum ad originem recensus.

RĔCENSUS, us, m. idem ac recensio. *Suet. Caes.* 41. Recensum populi nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit. [*Hic et *Caes.* 41. plebis recensio ob largitionem frumentariam intelligenda, non census totius populi. V. *B. Crus.* ad *Caes.* 41.] *Tert. Anim.* 58. Vitae recensus. Adde *Epit. Livii* 115., ubi alii leg. *censum.*

[RĔCENTĀRĬA, ae, f. *Gloss. Philox.* Recentaria, *νεοφόρος*, *h. e.* quae vinum recentatum fert, seu vendit. V. v. sq. *F.*]

[RĔCENTĀRĬUS, ii, m. qui vendit vinum recentatum, *h. e.* nive refrigeratum, de quo ita *Alex. Tralian.* 11, 1. *n.* 17. *Τῶν δὲ προπομάτων ἀπεχέσθωσαν ποδαγρικοὶ· εἰ δὲ ἄρα ἡδέως ἔχοιεν, λαμβανέτωσαν ἢ ῥοδάτου, ἢ ἀψινθάτου, ψυχρίζοντες ὡσαύτως, καθάπερ εἰώθασι ποιεῖν οἱ Ῥωμαῖοι τὸ καλούμενον ῥαικεντάτον.* Hujusmodi vinum esse videtur, quod simili voce nunc Itali *razzente* vel *piccante* vocant; minime vero quod *recens mustum* Romani appellabant (V. RECENS): cum ex allato *Alex. Tralliani* loco appareat, podagricis non dulcia vina, sed austera, quale est rosatum, et absinthites, commendata fuisse. *Inscr.* Christiana paucis abhinc annis Mediolani reperta, edita vero a *Jo. Labusio* in *Monum. epigraf. Ambros.* p. 35. *n.* 8. B. ☧ M. Hic positus Epolitus, qui vixit An. P. M. LXXXV. M. V. D. XV., filius ejus recentarius dolens posuit contra votum: Dep. X. Kal. Dec. *F.*]

[RĔCENTĀTUS, a, um, part. a *recento:* recens factus. V. v. praec. *F.*]

RĔCENTER, adv. *νεωστὶ*, nuper, recens. *Pall.* 1, 26. Turdi recenter capti. *Id.* 5, 4. *f.* Recenter lecta poma. *Just.* 30, 4. Res recentissime gestae. *Plin.* 18, 23, 53. Quam recentissime stercorato solo.

RĔCENTO, as, a. 1. *ἀναπεόω*, renovo: a recens. *Non.* 2, 751. Recentari nove positum pro renovari, quod est Graece *ἀναπεοῦσθαι.* Cn. Mattius: Jam jam albicascit Phoebus, et recentatur Commune lumen omnibus, voluptasque. Citat et *Gellius* 15, 25.

[RĔCENTŌRĪCUS, a, um, adj. qui recens exercitus est, ut Recentoricus ager Siciliensis, *h. e.* ager publicus populi Romani, in Sicilia ap. *Cic. Agr.* 1, 4. et *ib.* 2, 21. *F.*]

RĔCEPTĀCŬLUM, i, n. *ἐκδοχεῖον*, quicquid rem aliquam in se recipit. *Cic. N. D.* 2, 54. Sed cum alvi natura subjecta stomacho cibi et potionis sit receptaculum. *Vitr.* 8, 7. Collocentur in castello tres fistulae intra receptacula conjuncta; uti cum abundaverit ab extremis, in medium receptaculum (*aqua*) redundet. [*Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 286. Mania M. F. Celerina receptaculum aquae inchoatum ab Amarantho liberto suo consummavit. *F.*] *Plin.* 10, 33, 51. Perdices spina et frutice sic muniunt receptaculum, ut contra feras abunde vallentur. *Tac. G.* 16. Subterranei specus suffugium hiemi, et receptaculum frugibus. ℙ Interdum idem est quod perfugium, id est locus, in quem quis re recipit, ut a vi, aut injuria tutus sit. *Caes. B. G.* 7, 14. Ne suis sint ad detrectandam militiam receptacula. *Cic. Pis.* 5. Receptaculum veterum Catilinae militum; [*Plura v. ap. *Schütz.* in *cl. Cic.*] et *Tac. A.* 14, 29. Insula incolis valida, et receptaculum perfugarum. *Id. G.* 46. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium, quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur: huc redeunt juvenes, hoc senum receptaculum. Adde *Liv.* 8, 11.

RĔCEPTĀTĬO, onis, f. actus recipiendi. *Ammian.* 20, 11. *med.* Receptatio spiritus. Alii rectius leg. *reciprocatio.*

RĔCEPTĀTOR, oris, m. *ὑποδέκτης, ἀνάδοχος*, qui receptat: et saepe in malam partem accipitur de iis, qui latrones ac fures, eorumque furta, aut hostes receptant et defendunt. *Cic. Mil.* 19. Ille latronum occultator et receptator locus. *Flor.* 3, 10. Rhenus receptator hostium atque defensor. *Ulp. Dig.* 47, 9, 3. Non tantum qui rapuit, verum is quoque, qui recepit, tenetur: quia receptatores non minus delinquunt, quam aggressores. *Torrent.* habet *receptores.* Adde *Marc. ib.* 47. *tit.* 16. qui est *De receptatoribus*, *l.* 1. et *Paul. ib.* 1, 15, 3., quib. etiam locis *Haloand.* habet *receptores.* V. RECEPTOR.

RĔCEPTĪBĬLIS, e, adj. qui recipi potest. *August. Trin.* 15, 13. *f.* Nostra scientia amissibilis est, et receptibilis.

RĔCEPTĪCĬUS, a, um, adj. *ἐξαιρετος*, excepticius, quicquid in venditione, aut quavis alia alienatione excipimus, et nobis reservamus, ut *recepticius servus*, qui est proprius nuptae mulieris, quem illa sibi reservavit, cum dotem marito daret; quem vero una cum dote in mariti potestatem dedit, *dotalis* vocatur. Quoties enim mulier in danda viro dote, aliqua ex suis bonis retinet, nec ea ad virum transmittit, recipere ea dicitur. *Cato* ap. *Gell.* 17, 6. Ubi irata facta est, servum recepticium sectari, atque flagitare virum jubet (est qui leg. *receptivum*), ubi *Verrius Fl.* intelligit servum nequam et nulli pretii, qui cum venum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium, receptusque sit: eodemque modo explicat *Festus.* Sed *Gell.* priorem interpretationem defendit: cui adde *Non.* 1, 267. ℙ *Dos recepticia* est, quam quis in mortem mulieris a marito stipulatur, ut *Cajus* docet *Dig.* 39, 6, 31. §. 2. Adde *Ulp. Regular. tit.* 6. §. 5.

RĔCEPTĬO, onis, f. *ἐκδεξις*, actus recipiendi. *Pl. As.* 5, 2, 70. Quid tibi huc receptio ad te est meum virum! *h. e.* quare recipis ad te virum meum? Simile est illud *Curc.* 5, 2, 27. Quid istum tibi tactio est? et *Truc.* 2, 2, 3. Quid tibi ad hasce accessio est aedes?

RĔCEPTO, as, avi, atum, a. 1. frequent. a *recipio: ὑποδέχομαι*, saepe recipio: et saepe in malam partem. *Ter. Hec.* 5, 1, 16. Meum receptas filium ad te. *Tac. A.* 3, 60. Eodem subsidio obaerati adversum creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur. ℙ In bonam *receptare se*, se recipere. *Ter. Heaut.* 5, 2, 14. Ibi tuae stultitiae semper erit praesidium, Clitipho, victus, vestitus, quo in tectum te receptes. ℙ Universim *Virg. G.* 1, 336. Frigida Saturni sese quo stella receptet, *h. e.* in quod signum se recipiat. *Id. A.* 10, 383. hastamque receptat Ossibus haerentem, *h. e.* ad se recipit, divellit, retrahit ex vulnere. Ubi *Serv.*: Ideo frequentativo usus est, quia ossibus inhaerentem hastam facile avellere minime poterat. Et expressit moram quandam et molitionem extrahentis. Ergo *receptat* est, frequenti concussione divellit. *Lucr.* 2, 998. quod missum est ex aetheris oris, Id rursum coeli rellatum templa receptant. *Lucan.* 7, 810. placido Natura receptat Cuncta sinu. Rursus *Lucr.* 3, 505. Tum quasi vacillans primum consurgit et omnes Paulatim redit in sensus, animamque receptat, *h. e.* resumit, recipit. ℙ Receptare se. *Pers.* 6, 7. hibernatque meum mare, qua latus ingens Dant scopuli, et multa litus se valle receptat, i. e. recedit. ℙ Usurpatur etiam pro simplici *recipio.* *Aurel. Vict. Epitom.* 35. Romanum orbem triennio ab invasoribus receptavit.

RĔCEPTOR, oris, m. idem qui receptator. *Tac. A.* 4, 23. Erat illi praedarum receptor, ac socius populandi rex Garamantum. *Ulp. Dig.* 1, 18, 13. Fures conquirere, receptoresque eorum coercere. *Callistrat. ib.* 47, 14, 3. Receptores abigeorum. *Paul. Sentent. rec.* 5, 3, 4. Receptores aggressorum, itemque latronum eadem poena afficiuntur, qua ipsi latrones. V. RECEPTATOR. ℙ Item recuperator, *ἀναλαμβάτωρ.* *Vopisc. Aurel.* 26. Aurelianus Imp. receptor Orientis.

RĔCEPTŌRĬUS, a, um, adj. ad recipiendum aptus, ut Receptorius locus, ap. *Tert. Resurr. carn.* 27. *med.* ℙ *Receptorium* absolute, est locus, quo se quis recipit. *Sidon. ep.* 5, 17. Nunciatum est, hora monente, progredi episcopum de receptorio.

RĔCEPTRIX, icis, f. quae recipit. *Cic. Verr.* 2, 4, 8. Tua, inquam, tua Messana, tuorum adjutrix scelerum, libidinum testis, praedarum ac furtorum receptrix. Adde *ib.* 7, 62.

RĔCEPTUM, i, n. *ἀναδεχθέν*, pollicitum, promissum. *Cic. Phil.* 2, 32. Promissum et receptum intervertit, ad seque transtulit. *Id. Verr.* 2, 5, 53. Satis est factum Siculis, satis officio ac necessitudini, satis promisso nostro ac recepto. [*Graev.* habet: *promisso muneri ac recepto:* quae lectio vehementer quidem probatur *Orell.*, qui leg. *promisso nostro ac muneri recepto.*]

RĔCEPTUS, a, um, part. a *recipio: ἐκδεδεγμένος.* *Sen. Thyest.* 741. Pectore receptus ensis, in tergo exstitit. *Ov. Pont.* 4, 4, 14. Verba aure recepta. *Plin. Pan.* 56. Gestum consulatum mirer, an non receptum? *Cic. Fin.* 2, 20. *f.* Sexagesimo anno post libertatem receptam, i. e. recuperatam; et *Caes. B. C.* 2, 32. Duos pulsos exercitus, duas receptas provincias. *Prop.* 4, 9, 38. Alciden terra recepta vocat, *h. e.* a monstris liberata, vindicata. *Nep. Them.* 8. Quo majore religione se receptum tueretur. *Caes. B. G.* 7, 78. Orabant, ut se in servitutem receptos

cibo juvarent. *Hirt. B. Alex.* 32. Caesar in fidem receptos consolatus, etc. *Cic. Rab. Post.* 8. Quem ex tantis inimicitiis receptum in gratiam summo studio defenderim. *Caes. B. G.* 1, 5. Bojos receptos ad se socios sibi adsciscunt. *Liv.* 4, 15. *f.* Romulus ab Diis ortus, receptus ad Deos. *Ov. Pont.* 3, 5, 53. tum me coelesti sede receptum Cum fortunatis suspicior esse Deis. *Id. Met.* 1, 41, Flumina recepta mari. *Id. Her.* 19, 135. et *Quint.* 3, 7. Receptus coelo. *Ov. Met.* 2, 529. in coelo. *Id. Trist.* 1, 1, 105. in penetrale. *Quint.* 8, 6. Tropi necessarii, atque in usum recepti. *Plin. ep.* 5, 21. *f.* et *ep.* 7, 17. Est omnino iniquum, sed usu receptum. *Tac. A.* 13, 10. Neque recepti sunt inter reos Carinas Celer, servo accusante, aut Julius Densus. *Stat. Silv.* 4, 1, 9. Preces receptae, i. e. exauditae. *Virg. A.* 1, 182. frugesque receptas Et torrere parant flammis, et frangere saxo. *Plin.* 10, 26, 38. Gallinae Africae novissimae in mensas receptae. ℙ *Receptus*, captus. *Liv.* 44, 32. Anicius Scodra recepta, etc. *Caes. B. C.* 1, 16. Recepto Asculo. *Flor.* 3, 9. Cypros recepta sine bello. Adde 4, 2. Est autem ubique sermo de locis, quae nunquam antea in potestate fuerant. ℙ *Receptum* saepe dicitur, quod est usu receptum, usitatum, in more positum, et probatum omnibus, *νομιζόμενος*. *Festus:* Receptus mos est, quem sua sponte civitas alienum adscivit. *Quint.* 3, 7. *med.* Publice recepta persuasio. *Tac. A.* 2, 85. More inter veteres recepto. *Plin.* 28, 2, 5, Quin et absentes tinnitu aurium praesentire sermones de se, receptum est; et *Tert. adv. Marc.* 4, 5. *med.* Auctoritas receptior; et *Solin. praef.* Scriptores receptissimi. ℙ *Receptus*, promissus. *Cic. Verr.* 2, 5, 71. Receptum officium persolvere. V. RECIPIO. ℙ Item exceptus, reservatus. V. RECIPIO. ℙ [*Confund. *receptum* et *perceptum*. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 204. sq.]

RĔCEPTUS, us, m. *ἀποστροφή, ἀναχώρησις*, actus recipiendi et subducendi se ex aliquo loco, v. gr. e pugna retro cedendo, et in castra redeundo. *Cic. Phil.* 13, 7. Extorqueri de manibus arma non possunt: receptui signum, aut revocationem a bello audire non possumus. *Caes. B. C.* 3, 46. Caesar receptui suorum timens, crates ad extremum tumulum contra hostem locari jussit; et *ib.* 69. *med.* Veriti ne angustiis intercluderentur, cum extra et intus hostem haberent, eodem, quo venerant, receptui consulebant; et *ib.* 1, 46. Inter duas acies perequitans, commodiorem et tutiorem nostris receptum dat. *Id. B. G.* 4, 33. Ita se collocant, ut si illi a multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant. *Auct. B. Hisp.* 25. *f.* Nostros equites in receptu adversarii cupidius sunt insecuti. *Stat. Th.* 11, 52. Suadebatque fugam, et tutos in castra receptus. *Liv.* 2, 62. Receptui signum dare. *Caes. B. G.* 7, 46. et *Cic. Phil.* 12, 3. *extr.* Receptui canere, *h. e.* tubae sonitu milites a proelio revocare: *ἀναχαλεῖσθαι*. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 3, 15. *f.* A quibus cum cecinit receptui, impellit rursum et incitat, etc. *h. e.* cum avocavit mentem a cogitandis molestiis. *Plin. ep.* 3, 1. *f.* Hanc ego vitam voto et cogitatione praesumo, ut primum ratio aetatis receptui canere permiserit, *h. e.* recedere a foro et rebus gerendis. *Ov. Met.* 1, 340. de tuba Tritonis: cecinit jussos inflata receptus. *Id. Trist.* 4, 9, 31. Hoc quoque, quam volui, plus est: cane, Musa, receptus, *h. e.* cessa, desine, finem fac. Sunt qui his *Ovidii* locis leg. *recessus:* quod minus placet. *Liv.* 4, 57. Si res sineret, libenter se daturum tempus iis fuisse ad receptum nimis pertinacis sententiae. ℙ Illa quoque translata sunt: *Caes. B. C.* 1, 1. Habere se quoque ad Caesaris gratiam et amicitiam receptum; et *Liv.* 3, 2. Si poeniteat, tutum receptum ad expertam clementiam fore; et 28, 25. *f.* Tutissimum a malis consiliis receptum. ℙ Ipse quoque locus, in quem se quis tuto recipit, *receptus* est. *Pomp.* ad *Dom. post ep.* 2, 12. *l.* 8. *ad Att. med.* Neque ex omnibus oppidis contrahere copias expedit, ne receptum amittam. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 11. Animadverti, nullum alium receptum Antonium habere, nisi in his partibus. *Virg. A.* 11, 527. Planities ignota jacet, tutique receptus. *Solin.* 7. *f.* Perdices spineis fruticibus ac surculis receptus suos vestiunt, *h. e.* nidos. ℙ Receptus et recursus maris *Eumenio Pan. Constant.* 6. *f.* est accessus et recessus: [*Ebbe und Fluth.*] ℙ *Receptus spiritus* est respiratio, ap. *Quint.* 11, 3. Spiritus nec brevis sit, nec parum durabilis, nec in receptu difficilis.

[RĔCERNO, is, a. 3. iterum cerno. *Not. Tir.* p. 42. Cernit, recernit. *F.*]

RĔCESSIM, adv. recedendo. *Pl. Cas.* 2, 8, 7. Recessim cedam ad parietem: imitabor nepam.

RĔCESSIO, onis, f. idem ac recessus, vel recedendi actus. *Vitr.* 1, 6. *med.* Ventus inclinationibus, et recessionibus varietates mutatione flatus facit.

RĔCESSUS, a, um, part. a *recedo*, recedens, remotus. *Vitr.* 5, 8. Ampliorem habent orchestram Graeci, et scenam recessiorem.

RĔCESSUS, us, m. *ἀναχώρησις, κατάδυσις, ἀπόστασις, ἄποικος*, actus recedendi, abscessus, discessus. *Cic. Div.* 2, 14. *f.* Quid de marinis aestibus dicam? quorum accessus et recessus lunae motu gubernantur. *Id. N. D.* 2, 12. *f.* Bestiis natura dedit accessum ad res salutares, a pestiferis recessum. *Caes. B. G.* 5, 42. *med.* Ut se sub ipso vallo constipaverant, recessum primis ultimi non dabant. *Plin.* 37, 6, 23. Arabicae gemmae excellunt candore circuli praelucido, neque in recessu gemmae, aut in dejectu ridente, sed in ipsis umbonibus nitente, *h. e.* neque cum submovendo longius recedit ab oculis; aut cum dejicitur, et deprimitur. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 9, 14. *f.* Legi concionem tuam: nihil illa sapientius: ita pedetentim et gradatim tum accessus a te ad causam facti, tum recessus. [*Or.* 3, 26. Habeat tamen illa in dicendo admiratio, ac summa laus umbram aliquam aut recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur, i. e. sint loci aliqui in oratione magnifica vacui ab ornamentis et quasi figurarum troporumque coloribus: translatio a pictura facta.] ℙ Item locus recedens, et a visu remotior. *Ov. Met.* 10, 691. recessus Speluncae similis. *Id. ib.* 11, 592. longo spelunca recessu. *Plin.* 8, 33, 51. Chamaeleoni oculi in recessu cavo. *Id.* 5, 27, 28. Juxta mare Limyra cum amne: oppida Apyre, et Antiphellos: atque in recessu Phellus; et 3, 1, 1. Oceanus Europam recessibus crebris excavans; et *ib.* 11, 16. Sinus Tarentinus appellatur ab oppido Laconum in recessu hoc intimo sito. [*Vell.* 2, 32, 4. recessus omnes maris.] *Rut.* 1, 79. Te, Dea, te celebrat Romanus ubique recessus. *Petr. Sat.* 89. stipant graves Equi recessus Danai, et in volo latent, *h. e.* latebras, alvum. *Quint.* 1, 5. Graeci *κοιλοστομίαν* vocant, cum vox quasi in recessu oris auditur. ℙ Item solitudo, secessus. *Cic. Att.* 12, 26. Mihi solitudo, et recessus provincia est. ℙ Translate. *Id. Marcell.* 7. Cum in animis hominum tantae latebrae sint, et tanti recessus; et *Plin. ep.* 3, 3. Vita hominum altos recessus, magnasque latebras habet. *Quint.* 1, 4. Grammatica plus habet in recessu, quam fronte promittit. *Val. Max.* 3, 6. *n.* 1. Vegeta et strenua ingenia, quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt, *h. e.* quo plus quietis et remissionis ab opere capiunt: ducta metaphora ab iis, qui, ut longius saliant, aliquot passus retro cedunt. ℙ *Recessui canere* simile est ac *receptui canere* ap. *Trebell. Gall.* 17. Saepe ad tibicinem processit, ad organum se recepit, cum processui et recessui cani juberet, *h. e.* procedebat in publicum, domumque redibat ad sonum tibicinis. ℙ [*Confund. *recessus* et *recursus*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 4, 514. 6, 40. 8, 767.]

RECHĂMUS, i, m. trochlea, lignum crassum, et in medio fissum excavatumque, in quod orbiculi cum suis axiculis includuntur: videtur esse ab inus. *ῥηχαμὸς* pro *ῥηγμὸς*, scissura, a *ῥήγνυμι*, frango; quia nempe lignum illud scinditur: huc fortasse spectat etiam ipsum Italorum vocabulum *taglia*, et aliud eorundem *ricámo*, in quo conficiendo telam, vel pannum ita mulieres acu pingunt, ut eosdem scindere videantur. *Vitr.* 10, 2. Alligatur in summo trochlea, quem etiam nonnulli rechamum dicunt. [*Emendavit h. l. *F.*]

RECHARMĬDO, as, a. 1. Charmidem me esse, nego. Verbum festive fictum a *Pl. Trin.* 4, 2, 135. V. CHARMIDES.

RĔCHĔDIPNA. V. TRECHEDIPNA.

RĔCĬDĪVĀTUS, us, m. restitutio, renovatio rei, quae jam abiit, aut cecidit, instauratio. *Tert. Res. carn.* 18. Scripturae carnis recidivatum pollicentur. Adde *Anim.* 28.

RĔCĬDĪVUS, a, um, adj. *ὑπότροπος*, qui rursus recidit, seu recurrit. *Plin.* 30, 11, 30. Quo genere et recidivas *(febres)* frequenter abigi affirmant. *Cels.* 3, 4. *med.* Hippocrates, si alio die febris desisset, recidivam timere solitus est. *Juven.* 6, 363. velut exhausta recidivus pullulet arca Nummus. Alii rectius *redivivus*. *Virg. A.* 4, 344. Et recidiva manu posuissem Pergama victis, *h. e.* Trojam post suam eversionem rursus aedificassem. *Id. ib.* 10, 58. Dum Latium Teucri, recidivaque Pergama quaerunt. Ubi *Serv.:* renascentia. Tractus est autem hic sermo ab arboribus, quae sectae repullulant. Ergo illud solum *recidivum* dicitur, quod postea renascitur: unde modo *recidiva* Pergama dixit, quae renovantur ab his, qui superstites sunt Trojanis periclis. Haec *Servius*, qui videtur ducere a *caedo:* sed obstat secundae syllabae quantitas. Quare alii a *cado* ducunt, et interpretantur, quae bis cecidere: nam bis Troja eversa fuit, semel ab Hercule, iterum a Graecis. Sed haec interpretatio minime placet. [*V. *Heyn.* ad *Virg. A.* 4, 344. et 7, 322.] *Mela* 3, 6. Adeo agri fertiles, ut cum semel sata frumenta sint, subinde recidivis seminibus segetem novantibus, septem minimum messes ferant. Adde *Prud.* in *Symm.* 2, 820. *Sil.* 1, 106. Gens recidiva Phrygum Cadmeae stirpis alumnos Foederibus non aequa premit, *h. e.* Romani. Alii leg. *rediviva*, sed invitis *Heinsio* utroque, *Barth.*, *Gronov.* et aliis. *Auson. Grat. act.* 33. Quae bona praestas, efficis, ne caduca sint: quae mala adimis, prospicis, ne possint esse recidiva. ℙ Inter *recidivus*, et *redivivus*, hoc interest, inquit *Charis.* 1, 76. quod recidiva dicuntur, quae post casum; rediviva, quae post interitum resurgunt. ℙ [*Ubique fere in MSS. permutantur *recidivus* et *redivivus*. V. *intpp.* ad omnes locos a *Nostro* hic laud.]

RĔCĬDO, is, ĭdi, asum, n. 3. *ἀναπίπτω*, rursus cado: item simpliciter cado, devenio, convertor, redigor. *Cic. N. D.* 2, 26. Quia et recidant omnia in terras, et oriantur a terris. *Liv.* 36, 29. Aetolorum prava consilia, atque in ipsorum caput semper recidentia. *Id.* 24, 29. In graviorem morbum recidere. *Cic. Sext.* 69. in eandem fortunam. *Nep. Alc.* 7. in invidiam. *Cic. Rosc. Am.* 29. Omnem suspicionem in vosmetipsos recidere intelligas. *Id. Att.* 4, 16. *med.* Id ego puto, ut multa ejusdem, ad nihil recasurum. *Id. Sull.* 32. Quam cito illa omnia ex laetitia et voluptate ad luctum et lacrimas reciderunt! *Pl. Men.* 3, 2, 54. Omnes in te istaec recident contumeliae. *Ter. Hec. prol.* 2, 38. Nolite sinere, per vos artem musicam recidere ad paucos, *h. e.* redigi. (Adde *Plin.* 5, 2, 1.) *Caes. B. G.* 7, 1. Hunc casum ad ipsos recidere posse, demonstrant. *Colum.* 4, 3. *med.* Quod nisi fecerimus, omnis impensa in cassum recidat. *Cic. Rosc. Com.* 15. Quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro; et *Liv.* 4, 2. Canulejos igitur, Iciliosque consules fore: ne id Juppiter opt. max. sineret, regiae majestatis imperium eo recidere. *Id.* 2, 7. Se superstitem gloriae suae ad crimen atque invidiam superesse, ex liberatore patriae ad Aquillios, Vitelliosque recidisse, *h. e.* Aquillium aut Vitellium aliquem patriae proditorem, creditum fuisse. *Tac. A.* 3, 59. Huc recidisse cuncta, ut, etc. Alii leg. *decidisse*. *Cic. Brut.* 91. *f.* Contentio nimia vocis reciderat, et quasi referbuerat oratio. [*Orell.* leg. *reciderat et quasi deferberat.* Illud, quod *Ellendt.* habet, *resederat* pro *reciderat*, ingeniose quidem factum dicit, quod usitatissimum in his *residere*, V. *Ellendt.*, non tamen ausus est recipere.] ℙ Pro redire, recurrere. *Plin.* 28, 16, 66. Quartanis excrementa felis adalligari jubent, et, ne recidant, non removeri septeno circuitu. (Hinc *recidive* Italorum.) *Cic. Div.* 1, 54. In agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum suum recidisse. [*Cajus. Instit.* (ed. *Goesch.*) 1. §. 127. In patris sui potestatem recasuri non sunt. *F.*] ℙ Prima syllaba a poetis interdum producitur. *Lucr.* 1, 1060. neque posse e terris in loca coeli Recidere inferiora magis, quam, etc. *Prop.* 4, 8, 44. Recidit inque suos mensa supina pedes. *Ov. Met.* 10, 18. In quem recidimus quidquid mortale creamur. Adde *ib.* 180. et 6, 212. et *Her.* 14, 46. et al., et *Lucr.* 5, 281. et *Phaedr.* 3, 18. *extr.*, quib. omnib. locis alii scribunt *reccidit*, ut *rettulit:* alii mutant in *decidit:* sed praestantiora MSS. priorem scripturam praeferunt, testib. et probantib. magnis viris *Gifan.*, *Heins.*, *Broukus.*, *Dausqu.* etc. V. dicta in RE. *V. *A. Maium* ad *Cic. de re publ.* 3, 7., ubi per duplicem *c* scriptum. *B. A.*

RĔCĪDO, is, ĭdi, isum, a. 3. *ἀποκόπτω*, reseco, abscindo, amputo: a *re* et *caedo*. *Cato R. R.* 2. Per ferias potuisse fossas tergeri, vepres recidi, hortum fodiri. *Ov. Met.* 13, 766. hirsutam falce recidere barbam. *Lucan.* 8, 677. Pompeji diro sacrum caput ense recidis. *Mart.* 1, 32. Quamprimum longas, Phoebe, recide comas. *Plin.* 10, 35, 52. Recidere ungues. *Id.* 17, 21, 35. *n.* 4. malleolos ad imum articulum. *Pall.* 11, 20. mala cydonia in brevissimas particulas. *Id.* 7, 2. mella, *h. e.* castrare alvearia, mella eximere. *Ov. Met.* 1, 190. immedicabile vulnus Ense recidendum, ne pars sincera trahatur. *Calpurn. Ecl.* 2, 45. novas ut carpere frondes Condiscant, primoque recidere gramina morsu. ℙ Translate. *Sen. Troad.* 1127. Hi stirpem hostium gaudent recidi. *Hor. A. P.* 446. versus Culpabit duros: incomptis allinet atrum Transverso calamo signum: ambitiosa recidet Ornamenta. *Quint.* 10, 5. *f.* Nimiam loquacitatem recidere. *Hor. Od.* 3, 24, 33. Quid tristes querimoniae, Si non supplicio culpa recidit? *Id. Sat.* 1, 3, 121. cum dicas esse pares res Furta latrociniis, et magnis parva mineris Falce recisurum simili te, *h. e.* puniturum eadem poena magna et parva scelera. *Tac. A.* 3, 53. Quid enim primum prohibere, et priscum ad morem recidere aggrediar? *h. e.* resecare, tollere, et ad priscos mores reformare. [*Suet. Cal.* 44. Commoda emer. militiae ad sex millia summam recidit. Cf. *ib.* 55. *Plin. Pan.* 51, 2. magnum recidere aliquid et amputare ex his, quae Princeps tamquam necessaria reliquit: ubi v. *intpp.* Eleganter etiam de his exposuit *Gron.* in *observv.* 4, 16. p. 469. ed. *Fr.* ℙ Confund. *recidere* et *rescindere*. V. *Brem.* ad *Suet. Tib.* 34.]

RĔCINCTUS, a, um, part. a *recingo: ἀπεζωσμένος*, non cinctus, solutus, discinctus. *Virg. A.* 4, 518. Unum exuta pedem vinclis, in veste recincta. *Ov. Her.* 2, 116. zona recincta. *Id. Am.* 1, 5, 9. et *ib.* 3, 1, 51. tunica. ℙ Item cinctus, succinctus. *Val. Fl.* 8, 115. cum veste recincta Labitur ardenti Thaumantias obvia Phoebo.

RĔCINGO, is, nxi, nctum, a. 3. *ἀποζωννύω*, quod cinctum erat, solvo, revincio. *Ov. Met.* 4, 510. sumptumque recingitur anguem, *h. e.* deponit anguem, quo se antea velut cingulo praecinxerat. Antea enim dixerat *ib.* 482. tortoque incingitur angue. *Id. Met.* 1, 398. velantque caput, tunicasque recingunt. *Id. ib.* 5, 593. recingor, Molliaque impono salici velamina curvae, Nudaque mergor aquis. *Stat. Silv.* 1, 4, 75. Recingi ferrum.

RĔCĬNĬĀTUS. V. RICINIATUS.

RĔCĬNĬUM. V. RICINIUM.

RĔCĬNO, is, ui, a. 3. *ἀναφωνέω*, iterum, aut frequenter cano, aut dico. *Hor. Od.* 3, 27, 1. Impios parrae recinentis omen Ducat. *Id. Ep.* 1, 1, 55. haec

juvenes recinunt dictata, senesque. ℙ Item resono, cantu et voce respondeo, ut fit in echo. *Id. Od.* 1, 12, 3. cujus recinet jocosa Nomen imago. *Cic. Brut.* 46. Quod in vocibus nostrorum oratorum recinit quiddam et resonat urbanius. ℙ Item palinodiam canere. *Appul. de Deo Socrat.* Increpitu indignatum Amorem recinendo placasset.

RĔCIPĔRO, etc. V. RECUPERO.

RĔCIPIE ap. Cat. pro recipiam, ut alia ejusmodi complura. *Festus:* ubi alii rectius leg. *recipiem.*

RĔCĬPIO, is, ēpi, eptum, a. 3. *ἀναλαμβάνω*, rursum capio, rem depositam assumo: a *re*, et *capio*. *Liv.* 9, 1. Recipiant arma, quae per pactionem tradiderunt. *Mart.* 3, 40. Tun' magnus, quod das? immo ego, quod recipis, *h. e.* me reddente, iterum accipis. *Pl. Epid.* 2, 2, 20. et *Merc.* 3, 4, 16. Recipere anhelitum. Sic *Ter. Ad.* 3, 2, 26. animam; et *Liv.* 2, 50. *f.* animum a pavore. Sic 21, 5. *f.* Priusquam ex pavore reciperent animos. ℙ Item recupero. *Cic. Sen.* 4. Q. Maximus, qui Tarentum recepit. [**Id. Or.* 2, 67. Nunquam enim recepissem, nisi tu perdidisses.] *Quint.* 5, 10. *med.* Talenta centum credidit, et non recepit. *Id. decl.* 264. Num dubium est, quin recepturus suum creditor fuerit? *Liv.* 3, 63. Ibi suas res Romanus, populationibus agrorum amissas, recipit. [**Id.* 24, 3. ut antiquam frequentiam recipere vastam ac desertam bellis urbem paterentur. *Suet. Aug.* 21. potestatem fecit, quoties vellent, obsides recipiendi; et *Tib.* 9. recepit et signa, quae — ademerant Parthi.] ℙ Item capio, occupo. V. RECEPTUS, a, um. [**Brem.* ad *Nep. Alc.* 5, 6. videri sibi dicit, v. *recipere* proprium esse de iis, qui vel conditionibus factis vel sponte in ditionem alicujus veniant: quo putat accuratius posse explicari locos, in quibus *recipere* pro simpl. *capere* positum a VV. DD. perhib., eoque pertinere, quos coll. ad *Liv.* 49, 23.] ℙ Item retraho, reduco. *Virg. A.* 9, 347. Pectore in adverso totum cui comminus ensem Condidit assurgenti, et multa morte recepit. [**Hom. Il. N.* 574. *οἱ ἐκ χροὸς ἔγχος ἀνεσπάσατο σὺν πολλῷ φόνῳ.*] *Cels.* 7, 5. *n.* 2. Sagitta saepius ab altera parte, quam ex qua venit, recipienda est, *h. e.* extrahenda. *Virg. A.* 2, 525. recepit Ad sese, et sacra longaevum in sede locavit, *h. e.* revocavit, retraxit. ℙ *Recipere se*, eo proficisci, unde aliquando discesseris, redire, reverti. *Cic. Off.* 3, 10. *f.* Vas factus est alter ejus sistendi, ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi, qui cum ad diem se recepisset, etc. *Id. Att.* 4, 15. Recipe te ad nos, ad quod tempus confirmasti. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 15. *f.* Si latro rursus in Italiam se recipere coeperit. *Cic. Att.* 5, 20. *med.* Ipse me Laodiceam recipiebam. *Id. Brut.* 92. Cum e Sicilia me recepissem. *Caes. B. G.* 4, 33. *f.* Ut per temonem percurrere, et in jugo insistere, et inde se in currus citissime recipere consueverint. [*Alia exempla haec sunto: *Vell.* 2, 74, 1. *Suet. Aug.* 17. Quum Samum in hiberna se recepisset; *ib.* 78. a coena se in lecticulam recipiebat; et 90. ut in abditum et concam. locum se reciperet. *Dom.* 16. in cubiculum se recepit. *Tib.* 49. Antiochiam se receperat.] ℙ Pertinet ad rem militarem. *Caes. B. C.* 3, 45. *extr.* Si sine maximo detrimento legiones se recepissent inde, quo temere essent progressae. *Id. B. G.* 1, 25. Pedem referre, et, quod mons suberat, eo se recipere coeperunt; et *ib.* 5, 34. *extr.* Rursus se ad signa recipientes insequantur; et *ib.* 2, 19. Cum illi se identidem in silvas ad suos reciperent. *Nep. Ann.* 11. Fuga salutem petiit, quam consecutus non esset, nisi intra sua praesidia se recepisset. ℙ Et omisso *se*, *te*, *nos*, etc., quae tamen subintelliguntur. *Caes. B. G.* 1, 48. *f.* Si quo erat longius prodeundum, aut celerius recipiendum, tanta erat celeritas, ut, etc. [**Liv.* 10, 42. intentus recipiendo exercitui esse, i. e. reducendo. V. *Drak.* ad 39, 23.] *Pl. Merc.* 2, 4, 30. Ergo actutum face cum praeda recipias? *Id. Bacch.* 2, 3, 60. Quid denique agitis? *Chry.* rursum in portum recipimus. Adde *Rud.* 3, 6, 42. ℙ Translate. *Pl. As.* 2, 1, 7. Ad ingenium vetus versutum te recipis tuum. *Cic. Coel.* 12. Multos vidi, qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent, emersisse aliquando, et se ad frugem bonam, ut dicitur, recepisse. *Varr. R. R.* 2, 5. *f.* Castrare *(vitulos)* non oportet ante bimatum, quod difficulter, si aliter feceris, se recipiunt; et *Caes. B. G.* 4, 34. Hostes constiterunt, nostri ex timore se receperunt; [*V. *Moeb.* ad 2, 12.] et *Cic. Somn. Scip.* 5. Quae cum intuerer stupens, ut me recepi, quid? hic, inquam, quis est? etc.; et *Plin. Pan.* 76. Fortasse imperator in senatu ad reverentiam ejus componebatur, ceterum egressus, statim se recipiebat in principem, *h. e.* redibat ad gravitatem et supercilium principis. [**Cic. Or.* 1, 59. Graeci tragoedi quum egerunt vocem sedentes ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipiunt, et quasi quodam modo colligunt.] ℙ Est etiam *recipio*, capio, accipio. *Pl. Rud.* 3, 3, 34. Te obsecramus, nos in custodiam tuam ut recipias, et tutere. *Cic. Agr.* 2, 33. *med.* Capua opportunissimam se praebuit ad exercitus ornandos, et tectis ac sedibus suis recipiendos. *Liv.* 27, 25. *med.* Eum ne quis urbe, tecto, mensa, lare reciperet. [*Ita saepissime *Tac.* V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 401.] *Phaedr.* 1, 18. Vir est hortatus, corpus lecto reciperet, *h. e.* reponeret, decumberet. *Cic. Arch.* 3. Luculli eum domum suam receperunt. [*Alii *in domum* etc. non improb. *Orell.*] *Id.* ad *Dolabell. post ep.* 14. *l.* 15. *ad Att. med.* et *Fam.* 13, 19. Recipere aliquem in fidem et necessitudinem suam. *Id. Phil.* 7, 5. *f.* aliquem in ordinem senatorium. *Id. Top.* 5. ad epulas. *Id. Rosc. Am.* 12. telum totum corpore. [*V. *Matth.* ad h. l.] *Id. Rosc. Com.* 8. Laborem quaestus recepit, quaestum laboris rejecit. *Id. Rosc. Am.* 39. Illum negligere oportet, qui mandarit, non illum, qui mandatum receperit. *Id. Att.* 9, 2. Recipere honorem ab aliquo. Plerique alii leg. *accipere;* et *ib.* 12, 37. A te heri duas epistolas recepi. Plerique alii leg. *accepi*. [*Ita utroque loco *Orell.* Ceterum de discrimine inter *recipere* et *accipere* cf. quae dicta sunt in h. v.] *Plin.* 4, 8, 15. Peneus accipit amnem Orcon, nec recipit, *h. e.* ei non admiscetur. *Auct. ad Her.* 4, 50. *med.* Recipere aliquem splendide; et *Agr.* 2, 23. Si qua pecunia ex novis vectigalibus recipiatur; et *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Recipere dena millia sestertia ex melle. [**Suet.* exempla collegit *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 662. Notandum: utroque modo dici, *recipere* cum praepos. *in* et *accus.* et *abl.* Laudat *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 6, 20. In parte recepta tori. *Ejusd. Met.* 2, 529. Sideraque, in coelo stupri mercede recepta, Pellite. *Liv.* 8, 26. Ex composito ab sociis in urbe receptus: ubi v. *Drak.* et *Auct. B. Hisp.* 4. in equis recipiuntur: ubi v. *Moeb.* Usitatior tamen est structura praepos. cum *accus.* V. *intpp.* ad *Ov. Her. l. l.* et *Oudend.* ad *Suet. Dom.* 14. ℙ Absolute dicitur h. s. de iis, qui ab exilio in patriam redeunt. *Vell.* 2, 45, 3. Neque post Numidici exilium aut reditum, quisquam aut expulsus invidiosius, aut receptus est laetius.] ℙ *Recipere hoc et illud* dicuntur medicamenta, quae ex variis speciebus componuntur. *Scrib. Comp.* 106. Antidotos recipit haec: stoechados, marrubii, *χαμαίδρυος*, etc. et *mox:* Quae et ipsa recipere debent tantum mellis, quantum satis erit ad comprehendenda et continenda ea. Adde *Comp.* 27. 28. 37. 52. etc. Hinc fortasse ortum habuit illud *Recipe*, quo medicorum filii in perscribendis medicamentis utuntur. ℙ *Recipere ferrum*, jubebantur gladiatores victi et jacentes, si missionem non impetrassent, quam amore vitae petebant. *Cic. Tusc.* 2, 17. *med.* Quis mediocris gladiator ingemuit? quis, cum decubuisset, ferrum recipere jussus collum contraxit? *Id. Sext.* 37. *extr.* Num repugnavit? num, ut gladiatoribus imperari solet, ferrum non recepit? *Sen. Tranqu.* 11. Vives diutius, et morieris expeditius, qui ferrum non subducta cervice, nec manibus oppositis, sed animose recipis. Adde *Cic. Rosc. Am.* 12. et V. *Sen. ep.* 7. [*V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 194.] ℙ Item capio, contineo. *Sen. Thyest.* 534. Recipit hoc regnum duos. *Vell.* 2, 97. Adolescens tot tantarumque virtutum, quot et quantas natura mortalis recipit. [*Repetit hanc ipsam loquendi formulam, paulum variatam 2, 2, 2. et 2, 104.] ℙ Item admitto. *Cic. Off.* 3, 11. Suadens, ut in urbe manerent, Xerxemque reciperent. *Liv.* 29, 24. Cunctationem res jam non ultra recipit. [**Cic. Off.* 3, 33, 119. Non recipit istam conjunctionem honestas: Gr. *οὐκ ἐνδέχεται.* V. *Beier. Vell.* 2, 130, 3. si mediocritas recipit hominum; et 52, 3. non recipit haec enarranda scripturae modus.] *Plin.* 22, 22, 43. Scolymon in cibos recipit Oriens, *h. e.* in cibis passim adhibet. *Id.* 7, 28, 29. Si recipiatur poetica fabulositas; et *Colum.* 12, 47. *med.* Haec oliva recipit quamcumque volueris condituram. ℙ Item in tutum reduco, eripio, libero. *Virg. A.* 6, 110. Illum ego per flammas, et mille sequentia tela Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi. ℙ ℙ Item refugium praesto; ut *recipere servum*, abscondendi causa refugium ei praebere apud se. *Ulp. Dig.* 11, 3, 1. Et est proprie recipere, abscondendi causa refugium servo praestare vel in suo agro, vel in alieno loco, aedificiove. V. RECEPTOR. ℙ Item excipio, reservo: quod fit, cum quis venditis ceteris, sibi quippiam reservat. *Pl. Trin.* 1, 2, 157. Posticulum hoc recepit, cum aedes vendidit; et *Cato* ap. *Gell.* 17, 6. et *Non.* 1, 267. Mulier magnam dotem attulit: tum magnam pecuniam recipit, quam in viri potestatem non committit. V. RECEPTICIUS. *L. Crassus* ap. *Cic. Or.* 2, 55. *f.* Dicet, te, cum aedes venderes, ne in rutis quidem et caesis solium tibi paternum recepisse. *Cic. Top.* 26. *f.* Ut cum aedes fundumve vendiderint, rutis caesis receptis, concedant tamen aliquid, etc. *Cato R. R.* 149. Bobus domitis binis, canterio uni, cum emptor pascet, domino pascere recipitur: oleris, asparagis, lignis, aqua, itinere, actu, domini usioni recipitur. *Paulus* ap. *Labeon. Dig.* 19, 1, 53. Si cui in ea insula, quam vendidisti, gratis habitationem dederis, et sic receperis: Habitatoribus, aut in quam quisque diem conductum habet; parum caveris: nominatim enim de his recipi oportuit. [*Hanc significationem egregie illustrat *Gronov.* ad *Sen. Consol. ad Marc.* 10.] ℙ Item suscipio. *Cic. Rosc. Am.* 1. Quae me igitur res impulit, ut causam Sex. Roscii reciperem? *Id. Div. Verr.* 8. Ego in hoc judicio mihi Siculorum causam receptam, populi R. susceptam esse arbitror. Ubi *Ascon.* Suscipitur totum, recipitur pars: suscipitur quod principale est, recipitur quod hinc pendet: suscipitur solum aliquid propter se, recipitur etiam propter aliud. [*Differt tamen recipere a suscipere hactenus, ut *recipere causam* dicatur is, cui ea ab alio delata sit, *suscipere* qui eam suapte sponte agere instituerit. V. *B. Crus. cl. Suet.* p. 662. ubi multa etiam alius, quam forensis usus exempla hanc differentiam probe confirmant.] ℙ Saepe est polliceor, promitto. Est autem quiddam amplius, quam *polliceor*, quia significat rei eventum et periculum in se suscipere. *Cic. Phil.* 5, 18. *f.* Promitto, recipio, spondeo, C. Caesarem talem semper fore civem, qualis hodie sit. *Id. Att.* 13, 1. De aestate polliceris, vel potius recipis. *Id. Fam.* 6, 12. *med.* Pansa mihi non solum confirmavit, verum etiam recepit, se, etc. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 21. Omnia ei petenti recepi, et ultro pollicitus sum. *Id. ib.* 7. Omnia me reipublicae praestitisse, quae et tua exhortatione excepi, et mea affirmatione tibi recepi. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* Quid sibi is de me recepisset, in memoriam redegit. *Liv.* 40, 35. *med.* Si neque de fide barbarorum quidquam recipere, aut affirmare nobis potes. *Cic. Fam.* 11, 1. *med.* Pro Cassio, et te si quid me velitis recipere, recipiam. *Id. Att.* 5, 17. Mihi diligentissime se, ut annui essemus, defensurum, receperat. *Id. Or.* 2, 24. In quo est illa quidem magna offensio vel negligentiae, susceptis rebus, vel perfidiae, receptis. *Liv.* 33, 13. *f.* Si pax non impetrata ab senatu foret, obsides pecuniamque reddi Philippo, receptum est. ℙ Integra locutio est *ad*, vel *in me recipio*. *Ter. Heaut.* 5, 5, 12. Ad me recipio: faciet. *Solin.* 21. Veri periculum ad me non recipio. *Cic. Fam.* 13, 10. *med.* Separatim promitto, in meque recipio, fore eum tibi et voluptati, et usui; et *ib.* 17. *f.* Spondeo, in meque recipio, eos esse Curii mores, ut, etc. ℙ *Recipere fidem*, fidem dare, promittere, recipere. *Cic. Att.* 2, 22. Sed fidem recepisse sibi et ipsum, et Appium de me: hanc si ille non servaret, ita laturum, ut omnes intelligerent, etc. Sunt qui aliter leg., sed repugnante *Gronov.* ad *Sen. ep.* 54. *f.* ℙ *Recipere in se periculum*, periculum praestare. *Ulp. Dig.* 19, 2, 13. Nisi periculum quoque in se artifex receperit. ℙ *Recipere nomen alicujus*, dicitur praetor, cum ejus accusationem admittit, eumque inter reos numerat. *Cic. Verr.* 2, 2, 38. *f.* Pacilius quidam accedit: ait, si liceret, nomen absentis deferre se velle, iste vero et licere, et fieri solere, et se recepturum; et *ib.* 42. Qui interfuerint, cum nomen absentis reciperetur. *Val. Max.* 3, 7. *n.* 9. Lex Memmia eorum, qui reipublicae causa absessent, recipi nomina vetabat. [**Cf. Boettich. Lex. Tac.* p. 401.] ℙ *Recepso ἀρχαϊκῶς* pro *recepero* habet *Catull.* 44, 19. ℙ *Recipiem* pro *recipiam* V. v. praec. ℙ [*Confund. *recipere* et *accipere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 831. *intpp.* ad *Curt.* p. 153 *a.* et 546 *b. ed. Snakenb.*]

RĔCĬPROCĀTĬO, onis, f. *παλινδρομία*, retrogressus, ejusdem viae retrograda repetitio, accessus et recessus. *Plin.* 9, 8, 9. Observata aestus reciprocatione. *Id.* 11, 24, 28. de araneorum telis: Longitudo fili a culmine, ac rursus a terra per illud ipsum velox reciprocatio. *Id.* 8, 50, 76. de capris: Solertiam ejus animalis Mucianus visam sibi prodidit in ponte praetenui, duabus obviis e diverso: cum circumactum angustiae non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitate caeca, torrente rapido minaciter subterfluente; alteram decubuisse, atque ita alteram proculcatae supergressam. *Circumactus* est conversio corporis redeundi causa: *reciprocatio* est reditio per eandem viam non converso corpore, sed cessim et in tergum regrediendo. *Gell.* 14, 1. Errantium siderum reciprocatio, *h. e.* regressio ad priorem locum coeli, unde discesserant. *Id.* 20, 1. *med.* Reciprocatio talionum, *h. e.* poena talionis vicissim inflicta. [*Tert. ad Nat.* 1, 19. Animorum reciprocatio, *h. e. μετεμψίχωσις.* F.]

RĔCĬPRŌCĀTUS, a, um, part. a *reciproco*, reciprocando ductus. *Arnob.* 2, 54. Auras accipiunt naribus, et per anhelitum reciprocatas reddunt. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 573. Per solis ignes juro, qui nostros dies Reciprocatis administrat circulis.

RĔCĬPRŌCĀTUS, us, m. reciprocatio. Est *August. de Gen. ad litt.* 11, 1. *extr.*

RĔCĬPRŌCĔ, adv. reciprocando. *Varr. R. R.* 3, 17. Posteaquam maritima flumina immisisset in piscinas, quae reciproce fluerent. Plerique alii leg. *reciprocae*, quod improbandum; etenim non piscinae reciproce fluunt, sed flumina maritima alternis aestus reciprocant.

RĔCĬPRŌCĬCORNIS, e, adj. *στρεψίκερως*, cornua habens in se reflexa. *Laberius* ap. *Tert. Pall.* 1. *med.* arietem vocat reciprocicornem, et lanicutem, et testitrahum.

[RĔCĬPRŌCĬTAS, atis, f. idem ac reciprocatio. *Not. Tir.* p. 52. Reciprocus, reciprocitas. *F.*]

RĔCĬPRŌCO, as, a. I. *ἀντιστρέφω*, *παλινδρομέω*, repeto, in contrariam partem reflecto, remitto, retrogradior. *Sil.* 15, 226. Quas auget *(undas)* veniens refluusque reciprocat aestus. [**Liv.* 28, 6. fretum ipsum Euripi non septies die temporibus statis reciprocat.] *Cic. N. D.* 3, 10. Quid Chalcidico euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius? [*Cf. *Curt.* 9, 9, 20.] *Liv.* 21, 58. Cum jam spiritum includeret ventus, nec reciprocare animam sineret. *Enn.* ap. *Non.* 2, 737. et 4,

402. Rursus prorsus reciprocat fluctus feram, *h. e.* impellit et repellit. *Gell.* 17, 11. In eam fistulam, per quam spiritus reciprocatur, *h. e.* pulmonibus attrahitur, ac remittitur. *Id.* 9, 11. Manu telum reciprocans incedebat, *h. e.* subinde vibrans, ac retrahens. *Liv.* 28, 30. Quinqueremem satis credens, deprehensam rapido in freto, in adversum aestum reciprocari non posse, *h. e.* pro arbitrio regi, et progredi, aut regredi. ℙ Adhibetur etiam absolute pro reverti, redire. *Plin.* 2, 97, 99. Aestus maris accedere, et reciprocare, maxime mirum; et *ib.* 100. Euripus in Euboea septies die ac nocte reciprocans; et *ib.* 17, 14. Cur Veneris stella nunquam longius XLVI. partibus, Mercurius XXIII. a sole abscedant: saepe citra eas ad solem reciprocent. *Id.* 9, 46, 70. Arcens urinantes a reciprocando. ℙ Et passive. *Id.* 4, 13, 27. Aestus semper e Ponto profluens, nunquam reciprocatur, *h. e.* nunquam Pontum versus redit. ℙ Passive usurpatur interdum pro mutua quadam consequentia a se invicem dependere, quod philosophi dicunt converti, vel dici ad convertentiam. *Cic. Div.* 1, 6. Siquidem ista sic reciprocantur, ut et si divinatio sit, Dii sint, et, si Dii sint, sit divinatio. ℙ Veteres usurparunt pro ultro citroque poscere, teste *Festo*, quia procare est petere, quod et *Varr.* confirmat *L. L.* 6, 5. Subjicit *Festus* fragmenta duo ex *Pacuvio*, et *Plauto*, quae et valde corrupta sunt, et utcumque legantur, ad poscendi significationem pertinere non possunt. *Plaut.* verba ita legit *Scal.* ad *Fest.* Quasi tolleno, vel pilum Graecum reciproces plana via, *h. e.* eas, et redeas; attollaris, et deprimaris. Sic *reciprocare serram* ap. *Tert. Cor. Mil.* 3. est impellere, et retrahere, in diversum alternis trahere, quod faciunt qui ligna secant.

RĔCIPRŎCUS, a, um, adj. *ἀντιστροφος, παλινδρομος*, in se rediens: quasi se *recipiens:* vel a *reci*, pro *re*, et *proco*. V. INCITEGA. *Varr. L. L.* 6, 5. Apud Attium: Reciproca tendens nervo equino concita Tela. Reciproca est, cum unde quid profectum, redit eo. Haec *Varro*. Ideo autem *reciproca tela* dixit *Attius*, quia cum aptantur arcui, retrahuntur quantum chorda patitur; dimissa in eam partem redeunt, unde retrahebantur. ℙ Saepe dicitur de mari accedente ad litus, et in se recedente. *Sil.* 3, 59. Luna, immissis per caerula bigis, Fertque refertque fretum: sequiturque reciproca Thetys. *Plin.* 2, 97, 99. Aestus maris paribus intervallis reciproci. *Id.* 9, 57, 83. Reciprocis amnibus siccatum litus. *Id.* 16, 36, 66. Lacus maturius reciprocus, *h. e.* rediens in se, postquam exundavit. [**Tac. A.* 2, 97. aestus maris paribus intervallis reciproci. Adde 1, 70. 5, 4. 16, 36. lacus maturius reciprocus.] ℙ Translate. *Plin.* 2, 44, 44. Concavi vallium sinus scindentes inaequalitate ideo resultantem aera: quae causa etiam voces multis in locis reciprocas facit sine fine, i. e. mutuo resonantes, et respondentes. *Id.* loquens de natura culicem formante, 11, 2, 1. Telum vero perfodiendo tergori, quo spiculavit ingenio! etc. ita reciproca geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, sorbendoque fistulosum esset, *h. e.* ut progredi perforando posset, et sanguinem simul ad se trahere. *Hieron. ep.* 5. *n.* 1. Nascentes amicitias foederemus reciprocis epistolis, *h. e.* mutuis. Sic *Auson. ep.* 7. Cujus rei munus reciprocum in me colendo fastidisti. *Gell.* 20, 1. *med.* Reciprocae taliones, *h. e.* quae mutuo infliguntur. *Id.* 15, 18. Pugnandi reciprocae vices, *h. e.* modo hac, modo illa acie cedente, et rursus urgente, instar marini aestus reciprocantis. ℙ *Reciproca argumenta* non nimis absurde quidam appellaverunt, quae Graece *ἀντιστρέφοντα, h. e.* quae referri contra, convertique possunt in eum, a quo dicta sunt. *Gell.* 5, 10., ubi festivum eorum exemplum affert. [*Disputat de hac re *Ernest.* in *Lex. techn. lat. rhet.* p. 324. sq.] ℙ *Reciproca pronomina* apud grammaticos sunt *sui, sibi, se*, et *suus, a, um*, quorum vis in ipsas personas transit, de quibus est sermo, vel in res ab ipsis possessas. *Prisc.* 12, 940. ℙ *Versus reciproci* sunt, qui si retro legantur, metrum servant, recurrentes, ut ille ap. *Virg. A.* 1, 12. Musa mihi causas memora, quo numine laeso: et Nereides freta sic verrentes caerula tranant, Flamine confidens ut Notus Icarium. Alia congerit *Diomed.* 3, 515. V. RECURRO.

RĔCISĀMENTUM, i, n. *ἀπόκομμα*, frustum exiguum, et veluti ramentum a re quapiam recisum. *Plin.* 34, 11, 26. de aerugine: Ocissime vero contingit coronariorum recisamentis in acetum additis. [*Auct.* incerti *fragm.* ap. *A. Maium* in *praef.* ad *Cic. de Rep.* p. XL. Ac duo recisamenta totius pyramidis. *F.*]

RĔCĪSĬO, onis, f. *ἀνατομή*, actus recidendi. *Plin.* 21, 4, 11. Omnis rosa recisione atque ustione proficit. *Ulp. Dig.* 28, 5, 35. *med.* Si forte Falcidia interveniens recisionem esset legatorum factura. Alii leg. *rescissionem.*

RĔCĪSUS, a, um, part. a *recīdo: ἀποτετμημένος*, abscissus, decisus. *Hor. Od.* 3, 6, 40. Fustes recisi. *Virg. A.* 12, 208. sceptrum ima de stirpe recisum. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 76. Laurus ima stirpe recisa. *Ov. A. Am.* 3, 574. silva montanis jugis. *Id. Fast.* 3, 377. Ancile ab omni parte recisum. *Id. Met.* 7 676. e silva hastile; et *ib.* 9, 71. caput. *Plin. ep.* 7, 27. *f.* Recisi capilli. *Flor.* 1, 10. Pons recisus. *Hor. Od.* 2, 18, 4. columnas ultima recisas Africa. *Petr. Sat.* 23. Deliaci manu recisi, *h. e.* exsecti, castrati. ℙ Translate. *Cic. Prov. cons.* 12. *f.* Nationes, quae numero hominum ac multitudine ipsa poterant in provincias nostras redundare, ita ab eodem esse partim recisas, partim repressas, ut, etc. *Claud. in Ruf.* 1, 56. vitiis a stirpe recisis. *Stat. Th.* 12, 309. scissis magnum Dea (*Luna*) nubibus orbem Protulit: expavere umbrae, fulgorque recisus Sideribus, *h. e.* deminutus, ademptus. [**Suet. Tib.* 34. mercedibus scenicorum recisis: ubi male alii *rescissis*. V. *Oudend.*] ℙ *Recisus* aliquando est brevis. *Callistrat. Dig.* 47, 21, 2. Possunt ad tempus, ut cujusque aetas patietur, relegari: et si junior, in longius; si senior, recisius. *Vell.* 2, 89. Quae fuerit magnificentia triumphorum ejus, ne in operis quidem justi materia, nedum hujus tam recisi, digne exprimi potest. [**Plin. ep.* 1, 20. quae latius dixerit, postea recisa ac purgata in unum librum coarctasse. ℙ Confund. *recisus* et *revulsus*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 112.]

RĔCĪTĀTĬO, onis, f. *ἀνάγνωσις, ἐπαγγελία*, actus recitandi, pronunciatio, lectio. *Cic. Dom.* 9. Recitatio litterarum. *Id. Cluent.* 51. Crassus ita Brutum ultus est, ut eum recitationis suae poeniteret. *Auct. ad Her.* 2, 10. *f.* Cum haec erunt considerata, statim nostrae legis expositione, recitatione, collaudatione utemur, *h. e.* enumeratione, et allegatione exemplorum, et rerum judicatarum ad rem confirmandam. V. v. sq. ℙ De recitatione poematum, historiarum, orationum. *Plin. ep.* 1, 13. *f.* Possum scribere aliquid, quod non recitem, ne videar, quorum recitationibus affui, non auditor fuisse, sed creditor. *Id. ep.* 3, 15. Videor jam nunc posse rescribere, esse opus pulcrum: si modo mihi non imposuit recitatio tua: legis enim suavissime et peritissime. V. v. sq.

RĔCĪTĀTOR, oris, m. *ἀναγνωστης*, qui recitat. *Cic. Cluent.* 51. Tres et ipse excitavit recitatores cum singulis libellis. ℙ Proprie sic dicebantur, qui in judicio recitabant libellos, testimonia, et alia, quae allegabantur ab actoribus, ut liquet ex cit. *Cic.* loco, quem integrum lege. ℙ *Recitatores* dicti et poetae, aut oratores, qui in coetu amicorum, aut publice scripta sua recitabant. *Plin. ep.* 1, 13. Subinde sibi nunciari jubent, an jam recitator intraverit, an dixerit praefationem, an magna ex parte evolverit librum. V. *eund. ep.* 3, 18., *ep.* 5, 17. et *ep.* 7, 17. et *Auct. dial. de or.* 9., ubi multa de hoc more recitandi habentur: quae, et alia fere omnia huc pertinentia, collegit *Lipsius cent.* 2. *ad Belg. ep.* 48. *Sen. ep.* 95. Recitator historiam ingentem attulit, minutissime scriptam, arctissime plicatam; et magna parte perlecta, desinam, inquit, si vultis. Acclamatur, recita, recita, ab his, qui illum obmutescere illico cupiunt. *Hor. A. P.* 474. Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus.

RĔCĪTĀTUS, a, um, part. a *recito:* pronunciatus, lectus. *Hor. Ep.* 2, 1, 222. Cum loca jam recitata revolvimus irrevocati. *Ov. Pont.* 1, 5, 57. ut recitata probentur Carmina. *Plin.* 7, 52, 53. Aperto testamento recitatus heres.

RĔCĪTO, as, avi, atum, a. 1. *ἀναγινώσκω*, est scripturam, vel orationem, vel aliud ejusmodi clara voce legere, ut alii audiant et intelligant; et proprie dicitur de iis, qui in causis libellos legunt, et testimonia: a *cito*, quod a *cieo*. *Cic. Verr.* 2, 2, 8. Quid ego nunc hic Sexti Pompeji Chlori testimonium recitem? *Id. Fam.* 10, 12. Cave, putes, ullas litteras unquam graviores, quam tuas, in senatu esse recitatas. *Id. Dom.* 32. Patrem tuum L. Philippus censor avunculum suum praeteriit in recitando senatu. *Id. Verr.* 2, 3, 10. *med.* Da quaeso, scribae: recitet ex codice. *Id. Cluent.* 48. *med.* Quod elogium recitasti de testamento Cn. Egnatii patris. *Id. Caecin.* 19. Testamento si recitatus heres esset pupillus. *Id. Planc.* 30. *f.* Recitetur oratio, quae propter rei magnitudinem dicta de scripto est; et *Quint.* 29. Postea recitavi edictum, quod aperte dominum de praedio detrudi vetat. *Suet. Aug.* 84. Ne periculum memoriae adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. [**Liv.* 28, 30. censores senatum recitaverunt: scil. ex tabulis, in quibus senatum a se lectum scripserant: et 33, 11. ex scripto recitare.] ℙ Dicitur etiam de his, qui memoriter pronunciant. *Cels.* 3, 18. *med.* de phreneticis: Quin etiam recitare, si qua meminerunt, cogendi sunt. *Quint. decl.* 6, 8. de muliere caeca: At ista legem recitat, et in cadaver filii perorat. *Mart.* 9, 84. spectant, qui recitare solent, *h. e.* histriones. ℙ Mos fuit poetis quoque, et aliis postea scriptoribus, privatim in amicorum domibus lucubrationes suas legere, antequam ederentur, ut judicium atque censura de iis fieret, vel ostentandi ingenii gratia, qua de re V. RECITATOR. *Plin. ep.* 6, 15. *f.* Tam solticite recitaturis providendum est, non solum ut sint ipsi sani, verum etiam ut sanos adhibeant. *Hor. Sat.* 1, 4, 73. Nec recitem quidquam, nisi amicis, idque coactus, Non ubivis, coramve quibuslibet, in medio qui Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes. *Ov. Trist.* 4, 10, 45. Saepe suos solitus recitare Propertius ignes. *Juven.* 3, 8. mille pericula saevae Urbis, et Augusto recitantes mense poetas. ℙ Significat etiam iterum ciere, revocare. *Pelag. Vet.* 9. *med.* Item ad pilos recitandos.

RECLĀMĀTĬO, onis, f. *ἀναβόησις*, repetitus clamor. *Cic. Phil.* 4, 2. Praeclara et luculenta reclamatione vestra factum pulcherrimum Martialium comprobastis. *Id. ib.* 1. dixerat: Nunc multo sum erectior, quod vos quoque illum hostem tanto consensu, tantoque clamore approbavistis. ℙ Item clamor qui adversandi, aut improbandi gratia editur. *Appul. Apol.* Auditisne reclamationem omnium, qui adsunt? auditisne mendacii vestri damnationem?

RECLĀMĬTO, as, n. 1. frequent. a *reclamo. Cic. Rosc. Am.* 22. *f.* Reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura.

RECLĀMO, as, avi, atum, a. 1. *ἀντιβοάω, ἀντιλέγω*, contra clamo, clamore adversor, repugno. *Cic. Or.* 3, 50. *f.* In his si paulum modo offensum est, theatra tota reclamant. *Id. Phil.* 5, 8. Cum ejus promissis legiones fortissimae reclamassent. *Id. Fam.* 1, 2. Ejus orationi vehementer ab omnibus reclamatum est. *Lucr.* 1, 616. Cui quoniam ratio reclamat vera, negatque Credere posse animum, etc. *Plin. ep.* 3, 9. Cum mihi quidam e judicibus ipsis pro reo gratiosissimo reclamarent. [**Suet. Aug.* 37. et *Vit.* 15. cunctis reclamantibus, i. e. clamore obstrepentibus.] *Cic. Balb.* 5. Una voce omnes, ne is juraret, reclamasse. *Just.* 24, 2. *extr.* Reclamante Ptolemaeo filio, fraudem subesse, etc. ℙ *Phaedr.* 4, 17. Reclamant omnes, vindicandam injuriam, *h. e.* exclamant: vel iterum clamant, quia *ib.* fustibus propulerant, et primam illam injuriam vindicaverant. Pro exclamare est etiam in illo *Auson. Idyll.* 15, 19. Juturna reclamat: Quo vitam dedit aeternam? ℙ Idem est ac proclamo. *Paul. Dig.* 41, 2, 3. *med.* Si ex possessione servitutis in libertatem reclamaverit, et liberale judicium imploraverit. V. PROCLAMO. ℙ Interdum voco, vel iterum voco. *Val. Fl.* 3, 596. Rursus Hylan, et rursus Hylan per longa reclamat Avia. *Id.* 8, 172. In vacuos dant verba Notos, dominamque reclamant Nomine. ℙ Passive. *Quint.* 12, 1. *med.* Nunc de iis dicendum est, quae mihi quasi conspiratione quadam vulgi reclamari videntur, *h. e.* objici, opponi. ℙ Poetice est resonare. *Virg. G.* 3, 261. et scopulis illisa reclamant Aequora. *Stat. Th.* 3, 120. Fervet iter gemitu, et plangoribus arva reclamant. *Id. Silv.* 4, 5, 20. canenti Mutus ager domino reclamat.

RECLANGENS, entis, part. ab inus. *reclango*, contra aut valde clangens, resonans. *Ammian.* 17, 7. Et quoniam acclivitate collium aedes pleraeque vehebantur, aliae super alias concidebant, reclangentibus cunctis sonitu ruinarum immenso.

[RECLĪNĀTORĬUM, ii, n. *ἀναклιτηρ*, fulcrum dorsi, seu capitis in lectis, et sellis seu cathedris. *Isid. Or.* 19, 26. Fulcra sunt ornamenta lectorum, dicta, quod in iis fulcimur, id est sustinemur, vel quod toros fulciant, sive caput: quae reclinatoria vulgus appellat. *F.*]

RECLĪNĀTUS, a, um, part. a *reclino: ἀναклιθεὶς*, retro inclinatus, jacens cubito innixus, recumbens, reclinis. *Caes. B. G.* 6, 26. de alcibus: His sunt arbores pro cubilibus: ad eas se applicant, atque ita paululum modo reclinatae quietem capiunt. *Sen. ep.* 36. *med.* Ut pro vallo vigilet, et ne pilo quidem incumbat: quia solet obrepere interim somnus in aliquod adminiculum reclinatis. *Hor. Od.* 2, 3, 6. Seu te in remoto gramine per dies Festos reclinatum bearis Interiore nota falerni. *Petr. fragm. Trag. Burm.* 39. Reclinatus in cubitum.

RECLĪNIS, e, adj. idem quod reclinatus, innixus, incumbens. [*V. *intpp.* ad *Sil.* 5, 470.] *Ov. Met.* 10, 558. Inque sinu juvenis posita cervice reclinis. Alii leg. *recumbens*, alii *renidens*. [**Gierig.*, q. v., habet *reclivis.*] *Mart.* 9, 92. Sic in gramine floreo reclinis. *Val. Fl.* 4, 535. Reclinis stratis. *Sen. Phoen.* 499. hastae. *Id. Hipp.* 385. sedis auratae toro. *Stat. Silv.* 4, 3, 69. Vulturnus pontis Caesarei reclinis arcu: pro *arcui*. *Tac. A.* 13, 16. Ille ut erat reclinis, et nescio similis; et *ib.* 14, 5. Aceronia super pedes cubitantis reclinis. V. RECLIVIS. *Sen. Herc. Oet.* 1643. Aeger reclini pectore immugit leo. ℙ Differunt *acclinis*, et *reclinis*, si vim vocum spectes: ille est in anteriorem partem flexus et innitens: hic in tergum, vel in latus reflexus. ℙ [*Saepe confund. a librariis *reclinis* et *reclivis*. V. *Drakenb.* ad *Sil.* 5, 470.]

RECLĪNO, as, avi, atum, a. 1. *ἀναклίνω*, reflecto, recurvo. *Caes. B. G.* 6, 26. *extr.* Huc cum se ex consuetudine reclinaverint, infirmas arbores pondere affligunt, atque una ipsae concidunt. *Virg. A.* 12, 130. Defigunt tellure hastas, et scuta reclinant. *Cic.* in *Arat.* 417. At Cepheus caput, atque humeros, palmasque reclinat. *Plin.* 29, 3, 11. Candido ovorum in oculis et pili reclinantur. *Sen. Cons.* ad *Mart.* 2. Octavia Marcellum amisit, cui et avunculus et socer incumbere coeperat, in quem onus imperii reclinare. *Hor. Ep.* 17, 24. Nullum a labore me reclinat otium, *h. e.* levat, et reclinare me sinit. ℙ Item verto, inverto. *Stat. Th.* 9, 369. Scrutaturque manu galeas, et prona reclinat Corpora.

RECLĪNUS, a, um, adj. reclinis. *Vopisc. Firm.*

4. Incudem superpositum pectori, constanter aliis tundentibus, pertulit, cum ipse reclinus, ac resupinus, et curvatus in manus penderet potius, quam jaceret. Alii leg. *reclivus*, sed minus recte. **Auct. Itin. Alex.* (ed. *A. Maio*) 13. Reclinam comam. *B. A.* [**Drak.* ad *Sil.* 5, 470. ex Grammaticis inter composita ex *clivus* et *clino* hanc notat differentiam, ut hoc de homine, illud de loco dicatur. V. in RECLIVIS.]

RECLĪVIS, e, adj. ἀνάκλιτος. *Pall.* 1, 6. *f.* Frumenta omnia maxime laetantur patenti campo, et soluto, et ad solem reclivi. *Id.* 7, 2. Vehiculi quadrata superficies tabulis munitur, quae forinsecus reclives, in summo reddant spatia largiora. Alii utroque loco *reclinis* leg., sed minus apte, quia *reclivis* de locis, *reclinis* de animantibus proprie dicitur: quod discrimen etiam inter *acclivis* et *acclinis* statuimus. Quare minus recte ii quoque faciunt, qui in locis *Mart.* et *Tac.*, quae in RECLINIS allata sunt, *reclivis* reponunt.

RECLŪDO, is, usi, usum, a. 3. ἀνοίγω, quod clausum erat, aperio, resero: a *re* et *claudo*. *Pl. Most.* 4, 2, 27. Pergam pultare ostium: heus, reclude: heus Tranio, etiam aperis? *Id. Rud.* 2, 3, 82. Heus, ecquis in villa est? ecquis hoc recludit? ecquis prodit? *Id. Capt.* 4, 4, 10. Cellas refregit omnes, reclusitque armarium. *Ov. Met.* 8, 41. aeratas hosti recludere portas. *Virg. A.* 8, 243. Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens Infernas reseret sedes, et regna recludat, *h. e.* pandat, ostendatque; et *ib.* 10, 601. latebras animae, pectus mucrone recludit. *Ov. Met.* 7, 285. stricto Medea recludit Ense senis jugulum. *Virg. A.* 1, 362. Auxiliumque viae, veteres tellure recludit Thesauros, *h. e.* aperit, et promit; et *ib.* 4, 646. ensemque recludit, *h. e.* vagina eripit. *Id. G.* 2, 423. tellus cum dente recluditur unco, *h. e.* aratur, aut foditur. *Tac. A.* 2, 25. Recludere humum. ℙ Translate. *Vet. Poeta* ap. *Cic. N. D.* 3, 26. Quibus ego iram omnem recludam, atque illi perniciem dabo. *Hor. Od.* 3, 2, 21. Virtus, recludens immeritis mori Coelum, etc. *Id. ib.* 1, 24, 17. Mercurius non lenis precibus fata recludere, *h. e.* resolvere, atque aperire viam, qua vitae reddamur. *Id. Ep.* 1, 5, 16. Quid non ebrietas designat? operta recludit; et *Virg. G.* 2, 174. tibi res antiquae laudis et artis Ingredior, sanctos ausus recludere fontes. *Tac. H.* 2, 77. *f.* Aperiet et recludet contecta et tumescentia victricium partium vulnera bellum ipsum. *Id. A.* 6, 6. Si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus. [*Adde *ib.* 16, 32. Avaritiam ac libidinem occultans; quae postquam pecunia reclusa sunt cet.] *Plin. ep.* 6, 31. Quid jucundius, quam principis justitiam, gravitatem, comitatem, in secessu quoque, ubi maxime recluduntur, inspicere? ℙ Adhibetur etiam pro claudere, vel seorsum claudere, καταχλείω. *Stat. Silv.* 3, 4, 98. Sic ait, et speculum reclusit, imagine rapta. *Just.* 26, 1. *med.* Omnibus rebus exspoliatae in carcerem recluduntur. *Id.* 1, 9. *med.* Nec se ipsam scire, ait, nec ex alia posse cognoscere, quia singulae separatim recludantur. *Pall.* 4, 10. *f.* Ficus recentes in novo vase fictili, et a se separatas recludunt. *Tert. Idol.* 17. *extr.* Neminem vinciat, neminem recludat, aut torqueat, *h. e.* in carcere claudat. V. v. sq. ℙ [*Confund. *recludere* et *revellere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 154.]

RECLŪSUS, a, um, part. a *recludo*: ἀνεῳγθείς, reseratus, apertus. *Hor. Ep.* 2, 1, 103. reclusa Mane domo vigilare, clienti promere jura. *Petr. Sat.* 16. Reclusaeque subito fores admiserunt intrantem. *Ov. Met.* 14, 776. arcis via reclusa. *Id. Her.* 8, 17. Stabulis reclusis armenta rapere. *Val. Fl.* 4, 231. reclusaque janua leti. *Quint.* 7, 2. *med.* Furtum in loco clauso, vel recluso; frequenti, vel solo. *Colum.* 6, 38. Suppuratio ferro reclusa linamentis curatur. *Stat. Silv.* 2, 4, 32. de psittaco: quo, Melior dilecte, recluso, Nunquam solus eras, *h. e.* aperta cavea emisso. *Virg. A.* 4, 63. pecudumque reclusis Pectoribus inhians, spirantia consulit exta; et *ib.* 9, 423. simul ense recluso Ibat in Euryalum. ℙ Aliquando est clausus. [*Rarius ita occurrit. V. *Ruhnk.* ad *Jul. Ruf.* 1. p. 225. *ed. Fr.* coll. *Duk.* ad *Flor.* 4, 12, 64. Cf. *Justin.* 1, 9, 16.] *Ammian.* 16, 10. Constantius, tanquam recluso Jani templo, stratisque hostibus cunctis, Romam visere gestiebat. *Justin. Instit. tit.* 3, 2. *f.* Cum satis absurdum erat, quod cognatis a praetore apertum est, hoc agnatis esse reclusum. V. RECLUDO.

RĒCOCTUS, a, um, part. a *recoquo*: ἀναπεφθείς, δίεφθος, iterum aut valde coctus. *Sen. ep.* 71. *med.* Lana quosdam colores semel ducit, quosdam, nisi saepius macerata et recocta, non perbibit. *Mart.* 11, 52. Velabrensi massa recocta foco, *h. e.* caseus, igni primum, deinde fumo coctus, quem Romae in Velabro cunctis praeferendum *Plin.* 11, 42, 97. laudat. *Flor.* 3, 20. E ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt. *Stat. Silv.* 4, 9, 38. Vel passum psythiis suis recoctum, *h. e.* valde coctum sole in vite. Fit enim passum ex certo uvarum genere, diutius in vite sole adustarum, ut ait *Plin.* 14, 9, 11. *Virg. A.* 8, 624. leves ocreas electro auroque recocto; et *Plin.* 21, 14, 49. Candidissima fit cera, post insolationem etiamnum recocta. ℙ Translate. *Petr. fr.* ap. *Diomed.* 3, 517. Anus recocta vino, Tremen-

tibus labellis. *Catull.* 54, 5. Fuffecio seni recocto. *Hor. Sat.* 2, 5, 55. plerumque recoctus Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem. Haec non una ratione explicantur ab interpretibus. *Senem recoctum* alii callidum intelligunt, et vafrum ex longa experientia et usu rerum: alii ebrietati deditum: alii repuerascentem (tanquam a Medea Aesonem renovatum, de qua *Val. Fl.* 6, 444. recoquit fessos aetate parentes) atque adeo juvenilibus amoribus deditum: alii denique firma valetudine, et, ut ait *Virg. A.* 6, 304. cruda viridique senectute. *Scriba recoctus* ab aliis uno aliquo ex dictis modis exponitur: ab aliis ex quinqueviro refectus scriba, *h. e.* qui prius quinquevir fuerit, deinde scriba.

RĒCOENO, as, n. 1. rursus coeno. *Macr. Sat.* 2, 13. Illud tamen memorabile, eum, quoad vixit, foris postea non recoenasse. Ita edit. veteres, et *Aldi*: aliae *coenasse*.

RĒCOGĪTĀTIO. V. IRRECOGITATIO.

RĒCOGĪTĀTUS, us, m. cogitatio. *Tert. Anim.* 15. Deus recogitatus cordis in populo praevenit. Adde *Pall.* 6. et *Anim.* 7. *f.*

RĒCOGĪTO, as, avi, a. 1. ἀναλογίζομαι, iterum, atque iterum cogito. *Cic. Q. Fr.* 2, 2. Sic tu mihi videris in Sardinia de forma Minutiana, et nominibus Pompejanis in otio recogitasse. *Pl. Capt. prol.* 51. Homunculi quanti sunt! cum recogito, etc. *Colum. praef.* 1. *med.* Saepe mecum retractans ac recogitans, quam turpi consensu deserta exoleverit disciplina ruris. [*V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 21. p. 132. *b. ed. Fr.*]

RĒCOGNĪTIO, onis, f. ἀναγνώρισις, repetita agnitio, iterata ex intervallo cognitio, recordatio, vel commemoratio. *Cic. Verr.* 2, 4, 50. Qui tandem istius animus est nunc in recognitione scelerum suorum? *Plin.* 11, 30, 36. de formicis: Et quoniam ex diverso convehunt altera alterius ignara, certi dies ad recognitionem mutuam nundinis dantur. ℙ Item pro inspectione. *Colum.* 11, 1. *med.* Nam frequens recognitio nec impunitatis spem, nec peccandi locum praebet. *Liv.* 42, 19. Quia per recognitionem Postumii magna pars agri Campani, quem privati sine discrimine passim possederant, recuperata in publicum erat. *Suet. Claud.* 16. Recognitio equitum. [**Musterung*: Gr. ἐξέτασις τῶν ἱππέων. *Dio.* 55, 31.]

RĒCOGNĪTUS, a, um, part. a *recognosco*. *Cic. Verr.* 2, 2, 77. *med.* Haec omnia summa cura et diligentia recognita, et collata, et ab hominibus honestissimis obsignata sunt. ℙ Hinc *descriptum et recognitum*, formula est, qua significatur exemplum cum autographo rite collatum. *Cajus Dig.* 10, 2, 15. Si quae sunt cautiones hereditariae, eas judex curare debet, ut apud eum maneant, qui majore ex parte heres sit: ceteris descriptum et recognitum faciat, cautione interposita, ut, cum res exegerit, ipsae exhibeantur. *Inscr.* Vesbini Trajani Aug. liberti ap. *Grut.* 214. Descriptum et recognitum, factum in pronao aedis Martis ex commentario, quem jussit proferri Cuperius Hostilianus per T. Rustium Lysiponum scribam, in quo scriptum erat id, quod infra scriptum, etc. V. RECOGNOSCO. ℙ In exemplis militarium diplomatum fere semper legitur, ut ap. *Grut.* 573, 1. Descriptum et recognitum ex tabula aenea, quae fixa est in ara, vel ad aram gentis Juliae, vel alibi, etc.

RĒCOGNOSCO, is, ovi, gnitum, a. 3. ἀναγινώσκω, rem olim cognitam denuo cognosco, agnosco, iterum intelligo, video, considero. *Cic. Verr.* 1, 5. *extr.* Neque enim mihi videtur haec multitudo, quae ad audiendum convenit, cognoscere ex me causam voluisse; sed ea, quae scit, mecum recognoscere. *Id. Dejot.* 2. Perturbat me, C. Caesar, etiam illud interdum: quod tamen, cum te penitus recognovi, timere desino. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. Verba tua recognosce, et aude negare, servientis adversus regem istas esse preces. *Ov. Fast.* 1, 7. Sacra recognosces annalibus eruta priscis. *Cass.* ad *Cic. Fam.* 12, 12. Legi tuas litteras, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi. ℙ Item ad memoriam revoco, reminiscor. *Cic. Verr.* 2, 2, 6. *f.* Cum istius in quaestura fugam et furtum recognosceret. *Id. Cat.* 1, 3. Luce sunt clariora nobis tua consilia omnia: quae etiam mecum licet recognoscas. Meministine, etc.? et *ib.* 4. Recognosce tandem mecum illam superiorem noctem. *Id. Tusc.* 1, 24. Se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere. *Id. Verr.* 2, 1, 12. Quae qualis fuerit, aut meministis, aut ex eo, quem sui similem produxit, recognoscere potestis. ℙ Item inspicere, videre, recensere. [*Gr. ἐξετάζειν. V. *B. Crus.* ad *Suet. Aug.* 37. et 38.] *Just.* 43, 4. *f.* Massilienses portas claudere, vigilias agere, stationem in muris observare, peregrinos recognoscere. *Colum.* 1, 8. *med.* Ergastuli mancipia recognoscere, ut explorent, an diligenter vincta sint; et *paulo post*: Vestem, manicas pedumque tegmina recognoscat. *Id.* 6, 23. Recognosci grex poterit, numerusque censeri. *Id.* 11, 1. *med.* Recognoscere instrumentum rusticum, et saepius inspicere ferramenta. *Just.* 3, 1. Recogniturus et numerum militum, et in armis industriam singulorum. *Suet. Aug.* 38. Equitum turmas frequenter recognovit; et *Cal.* 27. Custodiarum seriem recognoscens. *Id. Ner.* 61. *f.* In recognoscendis custodiis. ℙ Rursus perlegere emendandi et retractandi causa. *Cic. Balb.* 5. Nos Cn. Pompeji decretum, judicium, de consilii sententia pronunciatum recognoscemus? *Plin. ep.* 4, 26. Libellos legere et recognoscere. ℙ *Recognovit*: sic olim scriba publicus subscribebat, postquam exemplum cum autographo contulisset. In rescripto Antonini Pii ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 352. Rescripsi. Recogn. Undevincesimus. *Rescripsi* est principis subscriptio: sequitur *Recognovit*, nempe *Undevincesimus*, quod est tabellionis nomen, qui Antonini sententiam ex autographis litteris, ipsius permissu, descriptam se recognovisse testatur. V. RECOGNITUS.

RĒCOGO, is, a. 3. rursus cogo. *Paul. Nol. carm.* 35, 309. Si dubitas cineres in corpora posse recogi, etc.

RĒCOLLECTUS, a, um, part. a *recolligo*, rursus collectus. *Sen. Apocoloc. f.* Cumque recollectos auderet mittere talos, etc. *Just.* 42, 3. Recollecta multitudine, quae amisso rege passim vagabatur; et *ib.* 5. *f.* Captivi ex Crassiano exercitu recollecti. *Id.* 33, 2. Recollecto gladio, ad socios revertitur, *h. e.* recepto, recuperato. Sic *Val. Fl.* 6, 254. Recollecta hasta; et *ib.* 423. Ipse recollectis audax Ariasmenus armis Desilit.

RĒCOLLĪGO, is, egi, ectum, a. 3. ἀναλέγομαι, colligo, vel rursus colligo. *Colum.* 8, 5. Circumire cubilia, ut, quae nata sunt ova, recolligantur, notenturque quae quoque die sint edita. *Lucan.* 1, 157. de fulmine: Dat stragem late, sparsosque recolligit ignes. *Just.* 23, 4. Responso haruspicum admonitus pater, parvulum recolligit, *h. e.* quem ante exposuerat, rursus tollit, et educat. *Plin. ep.* 4, 11. *med.* Cum in illud subterraneum cubiculum demitteretur, haesissetque descendenti stola, vertit se, ac recollegit. *Id. ep.* 9, 13. *f.* Actionem meam, utcumque potui, recollegi: addidi multa. ℙ Translate. *Cic. Att.* 1, 5. *med.* Etiam si cujus animus in te esset offensior, a me recolligi oportere, *h. e.* reconciliari, iterum in amicitiam uniri. *Ov. Met.* 7, 215. Nunc opus est succis, per quos renovata senectus In florem redeat, primosque recolligat annos, *h. e.* recipiat, recuperet. *Id. ib.* 9, 744. Quin animum firmas, teque ipsa recolligis, Iphi: Consiliique inopes, et stultos excutis ignes? *h. e.* sanam mentem resumis, et resipiscis. *Plin.* 28, 9, 33. Lac bibitur ab imbecillitate vires recolligentibus, quos atrophos vocant, *h. e.* reficientibus, recuperantibus. *Id.* 23, 7, 63. Siccae fici recolligenti se a longa valetudine utilissimae; et 20, 5, 17. Aegri se recolligentes.

RĒCOLLŌCO, as, a. 1. rursum colloco. *Coel. Aurel. Acut.* 4, 1. *med.* Tum aeger lecto recollocandus.

RĒCOLO, as, a. 1. iterum colo. *Scrib. Comp.* 268. Oleum recolare per linteum duplex.

RĒCOLO, is, ui, itum, a. 3. rursus colo. *Liv.* 27, 5. Desertam tandem recoli terram, frugiferam ipsis cultoribus, populo R. annonae subsidium. *Id.* 39, 24. Metalla vetera intermissa recoluit, et nova instituit. *Val. Fl.* 7, 68. Recolere agros. ℙ Item rursus habitare, frequentare, revisere. *Phaedr.* 1, 18. Nemo libenter recolit, qui laesit, locum. [**Liv.* 27, 5. desertam recoli tandem terram.] ℙ Translate. *Plin. ep.* 7, 9. *med.* Ut terrae variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac, nunc illa meditatione recoluntur. *Tac. H.* 3, 7. Galbae imagines, discordia temporum subversas, in omnibus municipiis recoli jussit; et *ib.* 1, 77. Recens ab exsilio reversos nobiles adolescentulos, avitis ac paternis sacerdotiis in solatium recoluit, *h. e.* rursus honoravit. ℙ Est etiam resumere, renovare, instaurare, rursus exercere. *Pl. Merc.* 3, 2, 3. Certum est: antiqua recolam, et servibo mihi; et *Val. Fl.* 2, 395. ecquando natorum tempora, gentem Qui recolant, qui sceptra gerant? *Tac. A.* 3, 72. Lepidus, quamquam pecuniae modicus, avitum decus recoluit. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 5, 68. Recolere dignitatem suam. *Id. Or.* 1, 1. Ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas, interque nos recolendas. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 261. nostris celebrabitur undis Iste dies, semper dapibus recoletur opimis. ℙ Item meditari, reputare, memoria repetere, ἀναλογίζεσθαι. *Pl. Trin.* 2, 1, 24. Haec ego cum ago cum meo animo, et recolo, ubi qui eget, quam pretii sit parvi, apage te, amor: non places. *Cic. Phil.* 13, 20. Quae si tecum ipse recolis, aequiore animo moriere. [*V. plura ap. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. v.] *Virg. A.* 6, 680. Inclusas animas, superumque ad lumen ituras Lustrabat studio recolens. *Ov. Her.* 5, 113. Hoc tua (nam recolo) quondam germana canebat.

RĒCOMMĪNISCOR, eris, mentus sum, dep. 3. rursus comminiscor, rursus excogito, cogitando invenio. *Pl. Trin.* 4, 2, 70. Litteris recomminiscar. C est principium nominis, *h. e.* sectando litterarum vestigia, ipsum nomen inveniam.

RĒCOMPINGO, is, a. 3. rursus compingo, unio. *Tert. Resurr. carn.* 30. Recolligi, et recompingi os ad os.

RĒCOMPŌNO, is, sui, situm, a. 3. rursus compono. *Ulp. Dig.* 34, 2, 26. *f.* Si in hoc sint soluti, ut recomponantur. *Veg. Vet.* 2, 47. Fracturam recompones, et fasciis colligabis.

RĒCOMPŌSĪTUS, a, um, part. a *recompono*: ἀνα-

ούνθετος, rursus compositus. *Ov. Am.* 1, 7, 68. Pone recompositas in statione comas.

RĔCONCILĬĀTĬO, onis, f. καταλλαγή, actus reconciliandi. *Cic. Cat.* 3, 10. Reconciliatio concordiae. *Id. Har. resp.* 24. *med.* Significat se illi amicissimum esse, et reconciliationem esse gratiae factam. *Id. ad Quir.* 5. *f.* Cum provinciarum pactiones, reconciliationes gratiarum sanguine meo sancirentur. *Balb. et Opp.* ad *Cic. post ep.* 8. *l.* 9. *ad Att.* Ut agat de reconciliatione gratiae suae, et Pompeji; *Suet. Caes.* 73. De reconciliatione agere per amicos; et *Aug.* 17. Antonii societatem reconciliationibus variis male focillatam abrupit tandem. *Id. Ner.* 34. Reconciliationem simulare. *Just.* 16, 1. Inchoata inter fratres reconciliatio.

RĔCONCĬLĬĀTOR, oris, m. καταλλακτής, pacificator. *Liv.* 35, 45. Phaneas reconciliatore pacis, et disceptatore de iis, quae in controversia cum populo R. essent, utendum potius Antiocho censebat, quam duce belli.

RĔCONCĬLĬĀTUS, a, um, part. a *reconcilio: καταλλαχθείς. Cic. Fam.* 5, 2. Quod scribis de reconciliata nostra gratia, non intelligo, cur reconciliatam esse dicas, quae nunquam imminuta est. *Id. ib.* 1, 2. Videbatur reconciliata nobis voluntas senatus esse. *Nep. Thras.* 3. Reconciliata pax. *Curt.* 6, 10. *med.* Dexteram tuam amplexus, reconciliati pignus animi. *Suet. Aug.* 62. Reconciliatus Antonio post primam discordiam. ℙ Item recreatus, refectus. *Varr. R. R.* 3, 16. *f.* Ut reconciliatae *(apes)* ad suum quaeque opus et domicilium redeant.

RĔCONCĬLĬO, as, avi, atum, a. 1. καταλλάττω, συνοικειόω, in gratiam restituo, in concordiam reduco, pacem aut amicitiam rursus concilio et jungo. *Cic. Prov. cons.* 9. Quibus eum omnibus eadem respublica reconciliavit, quae alienarat; et *ib. f.* Hic me meus in rempublicam animus pristinus ac perennis cum C. Caesare reducit, reconciliat, restituit in gratiam. *Id. Att.* 6, 7. Animum patris sui sorori tuae reconciliavit. *Id. ib.* 1, 11. Ut agerem cum Luccejo de vestra vetere gratia reconcilianda. *Id. Dom.* 50. Inimici in gratiam reconciliabantur. *Plin. ep.* 6, 5. Reconciliare aliquos et componere. *Liv.* 42, 46. Reconciliare pacem. *Id.* 8, 36. militum animos imperatori. *Plin.* 11, 17, 18. Reconciliantur apes lacte, vel aqua mulsa. *Nep. Milt.* 7. Parum insulam, opibus elatam, cum oratione reconciliare non posset, *h. e.* impellere, ut ad officium rediret; et *Cic. Verr.* 1, 1. Adduxi enim hominem, in quo reconciliare existimationem judiciorum amissam, redire in gratiam cum populo R. possetis. *Hieron. in Isaj.* 8, 26, 5. Reconciliantes mundum Deo. ℙ Pro reducere. *Pl. Capt. prol.* 32. Nihil pretio parsit, filio dum parceret: reconciliare ut facilius posset domum, etc.; et 1, 2, 64. Nam illum confido domum in his diebus me reconciliassere, *h. e.* reducturum esse. *Id.* dixerat *ib.* 28. Sed si ullo pacto ille huc conciliari potest. Sic *ib.* 3, 4, 43. Ego me liberum confido fore, si hujus huc reconciliasso in libertatem filium: pro *reconciliavero*, reduxero.

RĔCONCĬNNĀTUS. V. PRAECONCINNATUS.

RĔCONCINNO, as, a. 1. ἀναοικοδομέω, denuo compono, instauro, reparo, exspolio. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. Tribus locis aedifico, reliqua reconcinno. *Caes. B. C.* 2, 15. Diuturni laboris detrimentum solertia et virtute militum brevi reconcinnatur. *Pl Men.* 2, 3, 72. Pallam illam ad phrygionem ut deferas, ut reconcinnetur; et 3, 3, 3. Huic ut addas auri pondo unciam, jubeasque spinther novum reconcinnarier.

RĔCONCLŪDO, is, a. 3. idem quod concludo. *Tert. adv. Prax.* 16. *med.* Quem isti in Pilati tribunal imponunt, et in monumento Joseph reconcludunt.

RĔCONDĪTUS, a, um, part. a *recondo: ἀπόθετος, κρύφιος*, repositus, sepositus, clausus. *Cic. Verr.* 2, 4, 10. Quod celari opus erat, habebant sepositum ac reconditum; et *ib.* 20. Statuerunt, se nihil tam clausum, neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum promptissimumque esset. *Id. Or.* 1, 35. Multae magnificaeque res constructae ac reconditae. *Quint.* 10, 3. Opes aerario reconditae, unde ad subitos casus proferantur. *Hor. Od.* 3, 28, 2. prome reconditum, Lyde strenua, Caecubum. *Ov. Met.* 1, 583. Inachus unus abest, imoque reconditus antro Fletibus auget aquas; et *ib.* 4, 339. fruticumque recondita silva Delituit. *Catull.* 34, 9. de Diana: Montium domina ut fores, Silvarumque virentium Saltuumque reconditorum; et *Cic. Verr.* 2, 3, 89. Locus intra oceanum jam nullus est, neque tam longinquus, neque tam reconditus, quo, etc. ℙ Translate est occultus, abstrusus, tectus, abditus. *Cic. N. D.* 3, 16. Qui interiores scrutantur et reconditas litteras. *Id. Brut.* 11. *f.* Exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus ad causas forenses popularesque traducere. *Plin. ep.* 5, 8. *med.* Narrat sane illa, narrat haec, sed aliter. Huic pleraque humilia et sordida, et ex medio petita: illi omnia recondita, splendida, excelsa conveniunt. *Cic. Fam.* 11, 21. *f.* Si quid erit occultius, et, ut scribis, reconditum, meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te litterae perferantur. *Id. Agr.* 2, 16. Quid Aegyptus? ut occulte latet! ut reconditа est! ut furtim tota decemviris traditur! *Id. Acad.* 4, 4. A me ea, quae in promptu erant, dicta sunt: a Lucullo autem reconditiora desidero. *Id. Quint.* 18. *f.* Vixit semper inculte atque horride: natura tristi ac recondita fuit: non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus est. *Augustus* ap. *Suet.* 86. Reconditorum verborum foetores, *h. e.* inusitatorum, obsoletorum. ℙ *In recondito habere*, clausum in arca habere. *Plin.* 33, 1, 6. Unum annulum in minimo digito habuisse, pretiosioris in recondito supellectilis ostentatio est.

RĔCONDO, is, didi, ditum, a. 3. ἀποτίθεμαι, ἀποκρύπτω, rursus condo, repono, sepono, tego, abscondo, abdo. *Cic. Inv.* 2, 4. *med.* Gladium cruentatum in vaginam recondidit. *Id. fragm.* ap. *Colum. praef.* 12. *in.* Necessarium fuit alterutrum foris et sub dio esse, qui labore et industria *(victum)* compararet; intus, qui tectis reconderet atque custodiret. *Colum.* 12, 51. Oleum eliquato, novisque vasis recondito; et *ib.* 16. Foliis vitigineis uvas contegunt, et ita in amphoras recondunt. *Id.* 2, 21. *f.* Frumenta in annos recondere. *Virg. A.* 2, 747. Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque Penates Commendo sociis, et curva valle recondo. *Ov. Met.* 1, 139. Quasque recondiderat *(humus)*, Stygiisque admoverat umbris, Effodiuntur opes; et *ib.* 11, 649. de Somno: et rursus molli languore solutus Deposuitque caput, stratoque recondidit alto; et *ib.* 12, 482. Cominus aggreditur, laterique recondere duro Luctatur gladium: gladio loca pervia non sunt, *h. e.* infigere, immergere. Sic *Virg. A.* 10, 387. ensem tumido in pulmone recondit. *Flor.* 1, 13. Sacra in doliis defossa terrae recondere. *Ov. Met.* 4, 146. Ad nomen Thisbes oculos jam morte gravatos Pyramus erexit, visaque recondidit illa; et 12, 15. Nidus erat volucrum bis quattuor arbore summa, Quas simul, et matrem circum sua damna volantem, Corripuit serpens, avidaque recondidit alvo. ℙ Translate. *Virg. A.* 5, 302. Multi praeterea, quos fama obscura recondit. *Cic. Acad.* 4, 10. Mens alia visa sic arripit, ut his statim utatur: aliqua sic recondit: e quibus memoria oritur. *Sen. ep.* 8. In hoc me recondidi, et fores clausi, ut prodesse pluribus possim. *Quint.* 10, 3. Demosthenes se in locum, ex quo nihil prospici posset, recondebat. *Sen. Herc. Oet.* 476. Quidquid arcani apparo, penitus recondas, et fide tacita premas, *h. e.* silentio tegas. *Tac. A.* 1, 7. *extr.* Verba, vultus *(procerum)* in crimen detorquens, recondebat, *h. e.* alta mente reponebat, suo tempore ulturus. Sic *ib.* 69. *extr.* Odia in longum jaciens, quae reconderet, auctaque promeret. [*Adde *ib.* 4, 57. Rhodi secreto vitare coetus, recondere voluptates insuerat, i. e. occulte iis indulgere.] ℙ Condere sepulturae gratia. *Plin.* 7, 53, 54. Cum Lepidus mortuus, flammae vi e rogo ejectus, recondi propter ardorem non potuisset, juxta sarmentis aliis nudus crematus est. ℙ Rursus condere, *h. e.* reaedificare. V. in RECONDUCTUS. ℙ Aliquando contraria significatione est promere, effundere. *Prop.* 2, 23, 50. Cum subito Triton ore recondit aquas. Sic duplicem habent et contrariam vim *recludo, retego, retexo.* Alii tamen ita interpretantur, ut Tritonis statua affabre facta modo promeret, modo vero reconderet, seu absorberet aquas in aliquo Urbis fonte. ℙ [*Confund. *recondere* et *retundere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 161.]

RĔCONDŪCO, is, xi, a. 3. rursus conduco. *Ulp. Dig.* 19, 2, 13. *f.* Qui impleto tempore conductionis, remansit in conductione, non solum reconduxisse videbitur, sed, etc. *Quint. decl.* 12, 18. *f.* Classis nostra vecturam facit, et vicinarum civitatum copias reconducit, *h. e.* vehendas conducit.

RĔCONDUCTUS, a, um, part. a *reconduco:* rursus conductus. *Plin.* 29, 1, 8. Notum est, ab eodem Charmide *(medico)* unum aegrum ex provincialibus HS. ducentis reconductum. ℙ In illo *Festi:* Reconductae fecerit; et condere urbem, facere, aedificare, ut Cincius testatur in libro de verbis priscis: *Scal.* legit *reconduit, refecerit:* alii *reconderit, refecerit:* ut sit *recondere* rursus condere, et *reconduit* sic dicatur, ut *creduit.*

RĔCONFLO, as, a. 1. denuo conflo, ἀναχωνεύω. Translate. *Lucr.* 4, 923. Quippe ubi nulla latens animai pars remaneret In membris, cinere ut multa latet obrutus ignis, Unde reconflari sensus per membra repente Possit, ut ex igni caeco consurgere flamma, *h. e.* quasi conflando redaccendi, et reviviscere.

RĔCONSIGNO, as, a. 1. rursus signo, noto. *Tert. Res. carn.* 52. *f.* Ideo et reconsignat imprimens.

[RĔCONSTRŬO, is, a. 3. iterum construo. *Cassiod. Var.* 2, 39. *med.* Quapropter antiqua illac aedificiorum soliditas innovetur, ut sive in thermis, sive in cuniculis fuerit aliquid reparandum, te debeat imminente reconstrui. *F.*]

RĔCONSUESCO, is, evi, n. 3. in contrarium consuesco. Perperam *reconsuevit* legitur a quibusdam in illo *Tert. Cult. fem.* 9. Gloria autem exaltare, non humiliare consuevit.

RĔCOQUO, is, coxi, coctum, a. 3. ἀνεψάω, rursus coquo. *Cic. Sen.* 23. de Medea: Quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit, neque tanquam Peliam recoxerit. *Val. Fl.* 6, 444. de eadem: recoquit fessos aetate parentes. *Virg. A.* 7, 636. recoquunt patrios fornacibus enses. *Plin.* 16, 6, 8. Carbo quercus in aerariorum tantum officinis compendio, quoniam desinente flatu protinus emoriens, saepius recoquitur. ℙ Translate. *Quint.* 12, 6. *f.* M. Tullius in Asiam navigavit, seque Apollonio Moloni Rhodi rursus formandum ac velut recoquendum dedit.

RĔCORDĀBĬLIS, e, adj. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 3, 14. Memoria multitudine recordabilium distenditur. Adde *August. Mus.* 6, 6. in V. PROGRESSOR.

RĔCORDĀTĬO, onis, f. ἀνάμνησις, revocatio in memoriam, reminiscentia, memoria. *Cic. Or.* 1, 35. Qui patris clarissimi recordatione et memoria fletum populo moveret. *Id. Brut.* 2. *f.* Quorum memoria et recordatio jucunda sane fuit, cum in eam nuper incidissemus; et *Prov. cons.* 18. *med.* Ultimi temporis recordatio, et proximi memoria. *Id. Or.* 1, 2. Repetenda est mihi veteris cujusdam memoriae non satis explicata recordatio. *Id. Har. resp.* 1. Concidit in curiae paene limine, recordatione, credo, Gabinii sui, desiderioque Pisonis. *Id. Att.* 12, 18. Recordationes fugio, quae quasi morsu quodam dolorem efficiunt. *Id. Fam.* 5, 13. *med.* Dare alicui jucundas recordationes conscientiae suae. *Id. Att.* 6, 1. *f.* Habere recordationem alicujus rei. *Tac. A.* 4, 38. Famam alicujus bonis recordationibus prosequi. *Plin. ep.* 1, 9. Subit recordatio, quot dies quam frigidis rebus absumpsi! *Gell.* 17, 2. Eratque hoc sane quam utile exercitium ad conciliandas nobis, ubi venisset usus, verborum sententiarumque elegantium recordationes.

RĔCORDĀTĪVĂ species verborum ap. *Capell.* 3, 85. est praeteritum plusquam perfectum, ut *commeaveram, laniaveram.*

RĔCORDĀTUS, a, um, part. a *recordor: ἀναμνησθείς*, qui meminit. *Ov. Met.* 13, 705. Inde recordati, Teucros a sanguine Teucri Ducere principium, Creten tenuere. *Tac. A.* 15, 70. Recordatus carmen a se compositum, versus ipsos retulit. Adde *Pl. Most.* 1, 2, 1. in V. sq. ℙ Passive, memoria retentus. *Sidon. ep.* 9, 3. *med.* Animam male sibi consciam, et per horas ad recordata poenalis vitae debita contremiscentem.

RĔCORDĀTUS, us, m. recordatio, memoria. *Tert. Res. carn.* 4. Hanc et visui et contactui, et recordatui tuo ereptam persuadere. Adde *eund. adv. Psych.* 5.

RĔCORDO, as, a. 1. in memoriam revoco, memoriam alicui refrico. *Quadrig.* ap. *Non.* 7, 65. Is ubi Dacium cognovit, et patria (al. *patriae)* eum recordavit.

RĔCORDOR, aris, atus sum, dep. 1. ἀναμιμνήσκομαι, in memoriam revoco, memini, reminiscor, memoria teneo. *Cic. Sen.* 21. *f.* Pueri ita celeriter res innumerabiles arripiunt, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. *Id. Planc.* 28. *f.* Nunquam illos aspicio, quin per hunc me his conservatum esse meminerim, hujusque meriti in me recorder. *Id. Pis.* 6. Cum aliquo dolore flagitiorum suorum recordabitur. *Id. Att.* 4, 17. Navigationem valde timebam, recordans superioris tuae transmissionis. *Id. Or.* 3, 22. Cum omnes gradus aetatis recordor tuae. *Id. Fam.* 2, 16. *f.* Recordor desperationes eorum, qui senes erant adolescente me. *Id. Arch.* 1. Pueritiae memoriam recordari ultimam. *Id. Lig.* 12. Te aliquid de hujus illo quaestorio officio cogitantem, etiam de aliis quibusdam quaestoribus reminiscentem recordari. *Id. Tusc.* 1, 6. *extr.* Tu si meliore memoria es, velim scire, ecquid de te recordere. *Id. Or.* 7. Ergo, qui in illo sermone multum tribuerim Latinis, recordor, longe omnibus unum anteferre Demosthenem. *Id. ad Brut.* 1, 5. Hoc mihi jam ante placuisse, potes ex superioribus meis litteris recordari. *Id. Mur.* 34. *f.* Recordor, quantum hae quaestiones punctorum nobis detraxerint. *Id. Att.* 4, 16. *med.* Non recordor, unde ceciderim, sed unde surrexerim. ℙ Proprie est, rursus in cor revocare, ut ait *Varr. L. L.* 5, 6. *h. e.* in mente agitare, et cogitando repetere, reputare, cogitare, versare: quod certe memoria fit. Quo pertinet non unum ex allatis locis: item sequentia. *Pl. Most.* 1, 2, 1. Recordatus multum et diu cogitavi, etc. *Cic. Fam.* 5, 17. Cum tuam virtutem animique magnitudinem diligentius essem mecum recordatus. *Id. Cluent.* 25. *f.* Si cum animis vestris longo intervallo recordari C. Staleni vitam et naturam volueritis. *Id. Fam.* 15, 21. *extr.* Tu velim tua in me studia et officia multum tecum recordere. *Id. Sull.* 9. Si mihi ne ad ea quidem, quae pro salute omnium gessi, recordanda et cogitanda quidquam relinquitur temporis. *Hor. Ep.* 2, 2, 145. Quocirca mecum loquor haec, tacitusque recordor. ℙ Hac ratione etiam de futuris usurpari potest. *Ov. Her.* 10, 80. non tantum, quae sum passura, recordor, Sed, etc. *Just.* 5, 7. *med.* Sibi quisque ante oculos obsidionem, famem, et superbum victorem proponentes: jam ruinam urbis et incendia, jam omnium captivitatem, et miserrimam servitutem recordantes. ℙ [*Discrimen inter *reminisci, meminisse* et *recordari Doederl.* 1, 166. sqq. ita explicat, ut hoc sit: revocata in memoriam contemplari: *meminisse:* memorem esse: *reminisci:* in memoriam revocare.]

RĔCORPORĀTĬO, onis, f. σωμάτωσις, σάρκωσις, corporis seu carnis restitutio. *Tert. Res. carn.* 30.

Recorporatio et readunatio ossium. ℙ Alio sensu *Coel. Aurel. Tard. praef.* 1. *μετασύγκρισις.* V. RECORPORO.

RECORPORĀTIVA Virtus, *μετασυγκριτικὴ δύναμις*, *Coel. Aurel. Acut.* 2, 38. *med.* Recorporativa adjutoria, *ib.* 3, 16. Recorporativae cucurbitae, *Tard.* 2, 1. et *ib.* 7. *med.* V. v. sq.

RĒCORPORO, as, a. 1. corpus restituo. *Tert. Anim.* 33. *med.* Qui laboribus atque servitiis puniendi, in asinos utique et mulos recorporabantur; et *ib.* 35. Recorporari animas adseveravit. *Id. Res. carn.* 7. Figulo licet argillam temperato ignis afflatu in materiam robustiorem recorporare. ℙ Apud medicos est exiguos corporis meatus morbo obstructos aperire, et ad naturalem statum reducere: quo fit corporum mixtio et secretio, et Graece dicitur *μετασυγκρίνειν*. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 4. *f.* Desiccandi virtus et recorporandi.

RECORRECTUS, a, um, part. a *recorrigo*, iterum correctus. *Tert. adv. Marc.* 4, 5. Videamus, ad quam regulam sint recorrecti.

RECORRĪGO, is, exi, ectum, a. 3. *Sen. ep.* 50. *med.* Si modo ante incipimus recorrigere animum nostrum, quam indurescat pravitas ejus. ℙ Translate *Petr. fragm. Trag.* 43. *Burm.* Inter initia malum passum ambulavit, sed recorrexit costas illius prima vindemia: vendidit enim vinum, quantum ipse voluit.

RECRASTĪNO, as, n. 1. *ἀναβάλλομαι*, procrastino, in crastinum rejicio, differo. *Plin.* 17, 14, 24. Recrastinare minime utile. *Colum.* 2, 21. Propter quae recrastinari non debet.

RECRĒĀTIO, onis, f. *ἀνάληψις*, refectio, refocillatio. *Plin.* 22, 23, 49. Ab aegritudine recreationi efficax in cibo.

RECRĒĀTOR, oris, m. qui rursus creat. Translate. *Inscr.* ap. *Grut.* 1095, 7. Pollio Julio Clementiano redonatori viae populi, omnium munerum recreatori, etc. *h. e.* qui muneribus omnis generis edendis populum recreavit. *Tert. Anim.* 43. Somnus recreator corporum, redintegrator virium.

RECRĒĀTUS, a, um, part. a *recreo: ἀναχομισθείς*, restitutus, relevatus. *Cic. Rosc. Am.* 47. *f.* Tum vero in isto bello non recreatus, neque restitutus, sed subactus, oppressusque populus Romanus est. *Id. ad Quir.* 1. *f.* E gravi morbo recreatus. *Id. Verr.* 2, 5, 61. *f.* Ex illo metu mortis, ac tenebris, quasi luce libertatis, et odore aliquo legum recreatus revixit. *Id. Att.* 7, 23. Bonorum animi recreati, improbi quasi perculsi. *Suet. Ner.* 41. Frivolo auspicio mens recreata. *Inscr.* ap. *Mur.* 111, 4. M. Cornelius Optatus ancipiti morbo recreatus V. S. L. M.

RECRĒMENTUM, i, n. *φύρμα, σκωρία*, retrimentum, sordes, purgamentum, excrementum: a *re* et *cerno* secerno, purgo: vel a *cresco*. *Cels.* 6, 8. Illinenda ulcera sunt aut plumbi recremento, aut cerussa; et *Plin.* 18, 16, 41. Farrago ex recrementis farris praedensa seritur. Sic *Prud. Apoth.* 65. Det ventilabro lecta quaeque ut horreis, Urat recrementum focis. *Gell.* 17, 11. Aridiora recrementa in alvum convenire, humidiora per renes in vesicam.

RECRĒO, as, avi, atum, a. 1. *ἀναοκευάζω*, denuo creare, quod deperiit restaurare. *Lucr.* 5, 757. Solque suos etiam dimittere languidus ignes Tempore cur certo nequeat, recreareque lumen, etc. *Plin.* 34, 15, 46. Praecipua commendatio ejus (*squamae ferri*) ad omnem callum erodendum, et rasis ossibus carnes recreandas. *Lucr.* 5, 278. aer Corpora retribuit rebus, recreatque fluentes; et *ib.* 324. recreari cum recipit res. *Pl. Men.* 1, 1, 23. Illic homo homines non alit, verum educat, recreatque. ℙ Translate est iterum eligere. *Cic. N. D.* 2, 4. Etruscorum haruspicum disciplinam, P. Scipione, C. Figulo consulibus, res ipsa probavit: quos cum Ti. Gracchus consul iterum recrearet. Plerique rectius leg. *crearet:* nam exploratum est, ann. U. C. DXCI., quo Ti. Gracchus iterum consul fuit, ipsum comitiis consularibus P. Scipionem et C. Figulum in annum sequentem consules creasse, qui antea consulatum nunquam inierant. ℙ Saepissime est reficere, restituere, relevare, relaxare, refocillare, *ἀναχομίζω, ἀνάζωπυρέω, ἀναψύχω:* et refertur tum ad corpus, tum ad animum. Ad corpus *Cic. ad Quir.* 1. *f.* Bona valetudo jucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt. *Id. Att.* 2, 23. Cum recreandae voculae causa necesse esset mihi ambulare. *Just.* 9, 1. *med.* Captis navibus, mercibusque distractis, anhelantem inopiam paulum recreavit. *Plin.* 37, 5, 16. Ab intentione alia obscurata, aspectu smaragdi recreatur acies. *Id.* 22, 13, 15. Urtica in vino pota lassitudines recreat. *Id.* 12, 1, 2. Recreans membra olei liquor, viresque potus vini. *Lucr.* 6, 3. Athenae Et recreaverunt vitam, legesque rogarunt! *scil.* arandi et serendi frumenta rationem tradentes: cum glans antea victus esset hominum. ℙ Ad animum *Cic. Planc.* 1. Vester, judices, conspectus reficit et recreat mentem meam. *Id. Mil.* 1. Sed me recreat et reficit Cn. Pompeji sapientissimi et justissimi viri consilium. *Id. Manil.* 9. Hunc in illo tempore et fuga Tigranes excepit, diffidentemque rebus suis confirmavit, et afflictum erexit, perditumque recreavit. *Id. Att.* 1, 16. *med.* Ego recreavi afflictos animos bonorum, unumquemque confirmans et excitans. *Id. ib.* 4, 10. Litteris sustentor et recreor. *Id. ib.* 12, 14. Quod me ab hoc moerore recreari vis, facis, ut omnia. *Id. Tusc.* 1, 24. *med.* Neque ea plane videt animus, cum tam repente in insolitum tamque perturbatum domicilium immigravit: sed cum se collegit atque recreavit, tum agnoscit illa reminiscendo. *Appul. Met.* 5. Dum saepius divini vultus intuetur pulcritudinem, recreatur animi, *hellenismus.* Simile est illud *ejusdem ib.* Novam nuptam interfectae virginitatis curant. ℙ *Universim. Cic. Fam.* 6, 10. *f.* Ipsa causa ea est, ut jam simul cum republica, quae in perpetuum jacere non potest, necessario reviviscat atque recreetur. *Id. Verr.* 2, 3, 91. Illam provinciam afflictam et perditam erexisti atque recreasti. *Id. Prov. cons.* 3. Macedonia consulari exercitu ita vexata est, vix ut se possit diuturna pace recreare. *Colum.* 4, 3. *med.* Novella vinea sic intabescit, ut nullis deinceps impensis recreari possit.

RECRĒPO, as, n. 1. *ἀντηχέω*, crepitum reddo, resono. *Catull.* 63, 29. Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant. ℙ Cum accusativo. *Virg. Cir.* 108. Saepe lapis recrepat Cyllenia munera pulsus, *h. e.* imitatur sonum lyrae a Deo Cyllenio, seu Mercurio, pulsae.

RECRESCO, is, evi, etum, n. 3. *ἀναφύομαι*, rursus cresco. *Plin.* 11, 37, 87. Nec praecisa ossa recrescunt. *Ov. Her.* 2, 5. Luna quater latuit, pleno quater orbe recrevit. *Liv.* 26, 41. Favete nomini Scipionum, soboli imperatorum, velut accisis recrescenti stirpibus.

RECRĒTUS, a, um, part. a *recresco:* qui rursus crevit. *Paul. Nol. carm.* 21, 560. de Sampsone: Licet ille fortis postea receperit Robur recretis crinibus.

RECRŪDESCO, is, dui, n. 3. *ἐξαγριαίνομαι*, ad pristinam cruditatem redeo. Translate accipitur pro rursus exasperari; et dicitur de morbis, de vulneribus, de pugna, et similibus rebus, semper in malam partem, quasi iterum res hujusmodi crudae fiant, cum renovantur. *Sen. Phoen.* 231. Inhaeret ac recrudescit nefas. *Cic. Fam.* 4, 6. *med.* Nunc autem hoc tam gravi vulnere etiam illa, quae consanuisse videbantur, recrudescunt. *Liv.* 10, 19. *f.* Ibi interventu Gellii cohortiumque Sabellarum paulisper recruduit pugna; et 6, 18. Recrudescente Manliana seditione.

RECTĀ, *εὐθύ, κατ' εὐθεῖαν*, subintellige *via*, adverbii modo adhibetur. *Phaedr.* 3, 19. circumeunti fuerat quod iter longius, Effecit brevius: namque recta per forum Coepit redire. *Pl. Ps.* 4, 7, 37. Hic quidem ad me recta habet rectam viam. *Cic. Verr.* 2, 5, 61. *extr.* Sibi recta iter esse Romam. *Id. Att.* 6, 8. Battonius e navi recta ad me venit domum. *Id. Off.* 3, 20. Ceteri quidem alius alio: Marius a subsellis in Rostra recta. *Hirt. B. Afr.* 8. Ex itinere recta subsidio suis occurrunt. *Hor. Sat.* 1, 5, 71. Tendimus hinc recta Beneventum. *Plin.* 2, 47, 46. Circius Ostiam recta Ligustico mari perferens. ℙ Plene *Pl. Ps.* 4, 4, 13. Ite hac, triumphi ad cantharum recta via.

RECTA, ae, f. *ὀρθὴ ἐσθής*, vestimenti virilis genus. *Festus:* Rectae appellantur vestimenta virilia, quae patres liberis suis conficienda curant ominis causa: ita usurpata (al. *appellata*), quod a stantibus, et in altitudinem texuntur. *Isid. Or.* 19, 22. *med.* Recta dicitur vestis, quam sursum versum, stantesque texunt. *Serv.* ad illud *A.* 7, 14. Arguto tenues percurrit pectine telas: Aut manu percurrit, aut ictu pectinis, ut videmus: aut quia apud majores stantes texebant, ut hodie linteones videmus. Est autem Homeri (*Iliad.* 1, 31.) qui ait *ἱστὸν ἐποιχομένην*. *Salm.* ad *Vopisc. Aurel.* 46. docet, duplicem fuisse texendi modum: alterum quo stantes, et subtemen sursum versum, seu in altitudinem spatha impellentes texebant: alterum, quo sedentes, et pectine deorsum versus et in inferiorem partem subtemen trudentes densabant: quod nunc quoque, stamine circa jugum convoluto, faciunt. Priori modo suspensis ponderibus rectum stamen extendebant: idque fuit tela *recta*, ex qua *rectae tunicae* dictae sunt. [De *rectae tunicae* texendae ratione docte disserit *Schneid.* in *Indice Scriptor. R. R.* in V. *Tela*, quem consulas oportet. *F.*] *Plin.* 8, 48, 74. Caja Caecilia prima texuit rectam tunicam, quales cum toga pura tirones induuntur, novaeque nuptae. ℙ Ab his *regillae* per diminutionem dictae videntur. *Festus:* Regillis tunicis albis, et reticulis luteis, utrisque rectis, textis sursum a stantibus, pridie nuptiarum diem virgines indutae, cubitum ibant ominis causa: ut etiam in togis virilibus dandis observari solet. ℙ Adjective. *Pl. Epid.* 2, 2, 39. Quid erat induta? an regillam induculam, an mendiculam, an impluviatam? Adde *Varr.* ap. *Non.* 14, 13.

RECTĒ, adv. *ὀρθῶς*, recta linea, aut via, non oblique. *Cic. Fin.* 1, 6. Sive aliae declinabunt, aliae suo nutu recte ferentur; erit hoc quasi provincias atomis dare, quae rectae, quae obliquae ferantur. *Plin.* 7, 2, 2. *med.* Satyri cum quadrupedes, tum recte currentes, humana effigie, *h. e.* erecto corpore. *Cato R. R.* 33. Quae jam in perticam ibit, ejus pampinos teneros alligato leviter, corrigitoque, uti recte spectent. ℙ Translate est bene, probe, ratione, *καλῶς, εὖ. Pl. Amph.* 1, 1, 133. Recte et sapienter facere. *Id. Capt.* 1, 1, 4. Scio absurde dictum hoc derisores dicere: at ego ajo, recte; et 3, 5, 51. Male id arbitrare factum: at ego ajo, recte. *Id. Cas.* 2, 3, 42. Si facias recte, aut commode, me sinas curare ancillas, quae mea est curatio. *Id. Trin.* 1, 2, 146. Haec sunt, seu recte, seu pervorse facta sunt. *Cic. Quint.* 8. *f.* Seu recte, seu perperam facere coeperunt. *Id. Pis.* 28. *med.* Recte, an secus, nihil ad nos. *Id. Acad.* 4, 30. *f.* Si recte conclusit, teneo: sin vitiose, minam Diogenes reddet. *Id. Phil.* 3, 15. D. Brutum, quod Galliam provinciam in senatus potestate retineat, recte atque ordine, exque republica fecisse et facere. *Sall. Jug.* 25. Populum R. neque recte, neque pro bono facturum, si ab jure gentium sese prohibuerit. *Caes. B. G.* 7, 80. Neque recte, aut turpiter factum celari poterat. *Cic. Div.* 2, 17. *med.* Epicurus circuitione quadam Deos tollens, recte non dubitat divinationem tollere, i. e. recte facit divinationem tollens, cum Deos circuitione sustulerit. *Pl. As.* 1, 1, 107. Eidem homini, si quid recte curatum velis, mandes. *Id. Capt.* 5, 4, 20. Fecisti edepol et recte et bene: *recte*, ratione: *bene*, utiliter. ℙ Multa sunt praeterea, in quibus promiscue pro *bene* ponitur. *Cic. Att.* 13, 17. Tuae litterae recte sperare jubent. *Pl. Most.* 1, 3, 116. Mulier recte olet, ubi nihil olet. *Hor. Od.* 2, 10, 1. Rectius vives, Licini, neque altum Semper urgendo, neque, etc. *Cic. Verr.* 2, 2, 71. *f.* Profecto, si recte homines novi, non mentientur. *Id. ib.* 6, 3. Recte admones. *Id. Leg.* 3, 5. Rectissime, Quinte, animadvertis. *Petr. Sat.* 82. Nequaquam recte faciet, qui cito credit. *Ter. Ad.* 5, 3, 46. Aetate sapimus rectius. *Hor. Ep.* 1, 6, 29. vis vivere recte? quis non? Si virtus hoc una potest dare, fortis omissis Hoc age deliciis. *Pl. Amph. prol.* 79. Sat habet favitorum semper, qui recte facit. ℙ Variis praeterea usibus eleganter inservit. Nam aliquando est tuto. *Caes. B. C.* 1, 74. De imperatoris fide quaerunt, rectene se illi sint commissuri. *Pl. As.* 2, 4, 85. Neque me Athenis est alter hodie quisquam, cui credi recte aeque putent. *Cic. Fam.* 14, 14. Si ille Romam modeste venturus est, recte in praesentia domi esse potestis; et *ib.* 1, 7. Quoties mihi certorum hominum potestas erit, quibus recte dem *(litteras)*, non praetermittam. ℙ Item utiliter. *Hor. Sat.* 2, 7, 112. Non horam tecum esse potes, non otia recte Ponere. *Cato R. R.* 44. Olivetum diebus quindecim ante aequinoctium vernum incipito putare. Ex eo die dies quadraginta quinque recte putabis. *Ter. Ph.* 1, 4, 11. Nam absque eo esset, recte ego mihi vidissem, *h. e.* utiliter mihi consuluissem. *Cic. Verr.* 2, 3, 98. Recte vendere. ℙ Item jure, merito, juste. *Id. ib.* 7, 67. Recte ac merito sociorum innocentium miseria commovebamur. *Hor. Od.* 4, 9, 46. rectius occupat Nomen beati, qui, etc. *Ter. Andr.* 5, 4, 52. Non recte vinctus est. *Id. ib.* 4, 4, 27. Recte ego semper fugi has nuptias. ℙ Item aperte, sincere, sine ambagibus. *Phaedr.* 4, 12. Utilius homini nihil est, quam recte loqui. *Pl. Poen.* 5, 6, 1. Decipitur nemo, qui suis amicis narrat recte res suas. ℙ Item simpliciter, non figurate, non artificiose. *Quint. prooem.* 8. *med.* Nam et quod recte dici potest, circumimus amore verborum; et quod satis dictum est, repetimus; et quod uno verbo patet, pluribus oneramus. V. RECTUS. ℙ Item caute, diligenter, attente. *Pl. Men.* 1, 1, 11. Recte asservare aliquem, ne aufugiat. *Id. Most.* 3, 3, 23. Ego enim cavi recte. *Id. Merc.* 2, 3, 111. Quiesce, inquam, istanc rem ego recte videro. ℙ Item prospere, feliciter, ex sententia. *Enn.* ap. *Porphyr.* et *Acron.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 37. procedere recte Qui rem Romanam, Latiumque augescere voltis. *Ter. Hec.* 4, 1, 16. Cum et recte, et tempore suo pepererit. *Pl. Truc.* 2, 6, 35. Cum tu recte provenisti, cumque es aucta liberis, gratulor. *Id. Pers.* 4, 1, 1. Si quam rem accures sobrie ac frugaliter, solet illa recte sub manus succedere. *Id. Aul.* 2, 2, 41. Quae res recte vortat mihique, tibique. ℙ Item probe, valde. *Pl. Bacch.* 2, 3, 115. Ille est oneratus recte, et plus justo vehit. *Cato R. R.* 44. Qua locus recte ferax erit; et *ib.* 33. Vineam alligato recte, dum ne nimium constringas. ℙ Item rite, auspicato. *Cic. Div.* 2, 35. *f.* Tabernaculum recte captum. *Id. Har. resp.* 23. Augures interrogabat, quae ita lata essent, rectene lata essent? illi vitio lata esse dicebant. ℙ Item sapienter, aequo animo. *Ter. Eun.* 1, 1, 33. Recte ferre molestias. ℙ Item large, liberaliter. *Pl Rud.* 3, 5, 21. Ego te hodie faxo recte acceptum, ut dignus es. ℙ Item omnino, prorsus, perfecte. *Varr. R. R.* 2, 2. Illasce oves sanas recte esse, uti pecus ovillum, quod recte sanum est. ℙ Refertur ad bonam valetudinem. *Pl. Pers.* 1, 2, 26. Visam, quieverint recte, nec ne; num infuerit febris. *Id. Amph.* 2, 1, 34. Equidem valeo, et salvus sum recte. *Cic. Att.* 1, 7. Apud matrem recte est; et *ib.* 14, 16. *extr.* De Attica pergratum mihi fecisti, quod curasti, ut ante scirem, recte esse, quam, non belle fuisse. *Dolabell.* ad *Cic. Fam.* 9, 9. Rectissime sunt apud te omnia. *Gell.* 13, 30. Recte sit oculis tuis. ℙ Et complectitur etiam ceteras res secundas. *Ter. Ad.* 5, 5, 2. O Syre noster, salve, quid fit? quid

agitur? *Sy.* recte. *Cic. Fam.* 10, 20. *extr.* Si recte istic erit. Hinc illa formula *rectene omnia?* similis illi *satin' salve? Quint.* 6, 3. *med.* Cicero, audita falsa Vatinii morte, cum Ovinium libertum ejus interrogasset, rectene omnia? dicenti, recte; mortuus est? inquit. ℙ In familiari sermone plebejo *recte* interseritur sine necessitate. *Petr. fragm. Trag.* 58. *Burm.* Recte: videbo te in publicum, mus, imo terrae tuber; et *paulo post:* Recte: venies sub dentem. ℙ In responsionibus est approbantis, laudantis. *Ter. Eun.* 4, 7, 3. *Thra.* Primum aedes expugnabo. *Gna.* recte. *Thra.* virginem eripiam. *Gna.* probe. ℙ Cum sine injuria rogantis reticere, aut negare aliquid volumus, pro *nihil*, *recte* respondemus. Voce enim *nihil* libenter abstinebant, ominis causa, putantes, si *nihil* dixissent, nihil in posterum sibi boni futurum. *Pl. Merc.* 2, 3, 33. Unde incedis? quid festinas, gnate mi? *Cha.* recte, pater. *Ter. Heaut.* 3, 2, 7. Quid tu istic? *Sy.* recte equidem. *Id. Hec.* 3, 2, 20. Quid tu igitur lacrimas? aut quid es tam tristis? *Pa.* recte, mater; et *Eun.* 2, 3, 49. Rogo, num quid velit: recte, inquit, abeo. Sic *Pl. Bacch.* 1, 1, 6. Quid in concilio consuluistis? *Ba.* bene. Ap. *Ter. Ad.* perturbatus adolescens utrumque conjungit, 4, 5, 18. *Aesch.* Perii! *Mi.* quid est? *Aesch.* nihil: recte: perge. Huc pertinet et illud *ejusd. Heaut.* 2, 1, 16. Tum quod dem ei, RECTE est: nam nihil esse mihi, religio est dicere, *h. e.* petenti amicae respondere hoc unum possum, *recte*, simulans me daturum quae velit: nam quamvis nihil habeam, religio tamen est mihi dicere *nihil.* ℙ *Recte convivari*, h. e. recta coena. *Suet. Vesp.* 19. Convivabatur assidue, ac saepius recte ac dapsile. Plerique alii leg. *recta ac dapsili.* V. RECTUS. ℙ *Recte facitis*, formula agendi gratias, ap. *Ter. Eun.* 5, 9, 54., teste *Donato.* ℙ *Nec recte*, male. V. NEC. ℙ Pro *recta*, id est recta via. *Appul. Met.* 9. *f.* Hortulanus, inscenso me, concito gradu recte festinat ad civitatem. *Pricaeus*, et *Elmenh.* habent *recta. Ammian.* 15, 7. Difficilisque ad pavorem, recte tetendit. Alii leg. *ad pavorem recti*, *tetendit. Cic. Att.* 9, 4. Sed vereor, ne tibi ἄκαιρος sim. Si enim recte ambulaverit is, qui hanc epistolam tulit, in ipsum tuum diem incidit, *h. e.* in diem febris quartanae; ea enim tunc laborabat Atticus.

*RECTIFACIO, is, a. 3. ὀρθοτομῶ *Gloss. Gr. Lat. B. A.*

[RECTINUS, a, um, adj. ad Rectum aliquem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 818, 6. Popillia L. F. Rectina. Alia ap. *Mur.* 1691, 15. Julia M. F. Rectina. ℙ Idem dicendum de controverso loco *Plin. ep.* 6, 16. Egrediebatur domo *(Plinius senior):* accepit codicillos Rectinae Caesii Bassi, imminenti periculo exterritae (nam villa ejus subjacebat, nec ulla, nisi navibus, fuga), ut se tanto discrimini eriperet, orabat. Vertit ille consilium, et quod studioso animo inchoaverat, obit maximo. Deducit quadriremes; ascendit ipse non Rectinae modo, sed multis (erat enim frequens amoenitas orae) laturus auxilium. *Rezzonicus* in *Disquis. Plin.* T. 1. p. 115. et 182., *Gierig.* ad *Plin. l. c.*, et *P. Paravia* nuperus *Plinii* epistolarum interpres Italus haec verba ita interpretantur, ut *Rectina* fuerit uxor Caesii Bassi poetae lyrici, cujus meminit *Quint.* 10, 1. *med.*, quique cum villa sua, ardente Vesuvio, ustus fuisse narratur a *Vet. Schol.* ad *Pers.* 6, 1. Alii vero minus recte ita putant legendum: *accepit codicillos. Retinae classiarii imminenti periculo exterriti (nam villa ea subjacebat, nec ulla, nisi navibus, fuga), ut se tanto discrimini eriperet, orabant:* iidemque *Retinam* arbitrantur fuisse eam villam, quae nunc pagus *Resina* appellatur. Hanc postremam sententiam irrito, ut nobis videtur, conatu comprobare aggressus est *Car. Rosin.* in *Dissert. isag.* ad *Herculan. volum.* p. 79. et sqq. *F.*]

RECTIO, onis, f. ἐπισταία, actus regendi, administratio, gubernatio. *Cic. Fin.* 5, 4. *med.* Ea quoque est ab iisdem non solum ad privatae vitae rationem, sed etiam ad rerumpublicarum rectionem relata; et *ib.* 4, 22. Rerumpublicarum rectiones.

[RECTITATOR, oris, m. idem ac rector: ab inus. *rectito. Vet. Poeta* ap. *Mar. Victor.* p. 2551. Caeruli monarcha ponti, ratisque rectitator. *F.*]

RECTITUDO, inis, f. *Aggen. Urbic. in Front.* p. 46. *Goes.* Rigor suae rectitudinis naturalis nomen accepit. ℙ Est etiam aequitas. V. *Hieron. l. c.* in LATINE. ℙ Item rectus modus. *Cassiod. praef. orthogr.* p. 2276. Quod ante scribebatur per V et O, per duo VV modo scribere nobilis rectitudo scribendi per vias certissimas investigata esse videtur; ut volnus, nunc vulnus.

RECTO, adv. recta. *Papir. Dig.* 49, 1, 21. Appellationes, quae recto ad principem factae sunt. Ita *Torrent.*, alii *recta. Inscr.* ap. *Grut.* 611, 13. Et inde recto quaque usque ad viam publicam Campanam.

RECTOR, oris, m. ἰθυντής, κυβερνητής, qui regit, gubernator. *Cic. N. D.* 2, 35. *f.* Inesse aliquem non solum habitatorem in hac coelesti ac divina domo, sed etiam rectorem et moderatorem. *Id. Div.* 1, 14. Tot navium rectores profecti ab Ilio. *Id. Or.* 1, 48. *f.* Reipublicae rector. *Suet. Aug.* 48. Rectorem apponere aetate parvulis, ac mente lapsis. *Tac. A.* 13, 2. Burrhus et Seneca rectores imperatoriae juventae; et *Just.* 38, 1. *extr.* Rectorem filio addere. *Id.* 9, 3. dare civitati. *Suet. Vesp.* 8. et *Aug.* 89. Rectores exercituum, et provinciarum. *Id. Tit.* 4. *extr.* Rector equi. *Curt.* 8, 14. *med.* elephanti. *Ov. A. Am.* 2, 433. Aspice, ut in curru modo det fluitantia rector Lora, modo admissos arte retentet equos. *Plin. ep.* 8, 17. Ibi boves, aratra, rectores, *h. e.* bubulci, vel aratores. *Ov. Met.* 13, 599. Summe Deum rector; et *ib.* 12, 364. Dolopum rector, *h. e.* rex. *Plin.* 2, 7, 5. Maximus omnis aevi rector Vespasianus Augustus; et *ib.* 6, 4. Sol siderum coelique rector. *Sen. Herc. Fur.* 592. Phoebe lucis alme rector. *Val. Fl.* 1, 587. neque enim tunc Aeolus illis *(ventis)* Rector erat. ℙ Absolute de Neptuno, *Id. ib.* 674., de Jove, *Id. ib.* 5, 667. ℙ Eleganter animus hominis *rector* ejus dicitur. *Sall. Jug.* 2. Animus incorruptus aeternus, rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipse habetur. *Sen. Q. N.* 7, 24. Animum, cujus imperio et impellimur, et revocamur, omnes fatebuntur: quid tamen sit animus ille rector dominusque nostri, etc. V. loc. *Colum.* in v. sq.

RECTRIX, icis, f. ἡνιοχεία, quae regit, gubernatrix. *Sen. ep.* 85. *med.* Artes ministrae sunt, sapientia domina rectrixque est. *Colum.* 3, 10. *med.* Videmus hominibus inspiratam velut aurigam rectricemque membrorum, animam. *Plin.* 37, 13, 77. Italia rectrix parensque mundi altera.

RECTURA, ae, f. rectitudo. *Front. de colon.* ap. *Goes.* p. 131. V. RECTITUDO.

RECTUS, a, um, part. a *rego. Sidon. ep. in carm.* 3, 12. Praefectus jacet hic Apollinaris, Post praetoria recta Galliarum Moerentis patriae sinu receptus. Fere autem est adj. ὀρθός, εὐθύς, qui nullam in partem flectitur, directus, non pravus, non obliquus, non curvus, non inflexus. *Hor. Ep.* 2, 2, 44. curvo dignoscere rectum. *Caes. B. G.* 7, 23. Saxa, quae rectis lineis suos ordines servant. *Cic. Fin.* 3, 16. *med.* Ita jacere talum, ut rectus assistat. *Sen. Hippol.* 1084. Equi recti in pedes jactant onus. *Caes. B. C.* 1, 69. *extr.* Recto ad Iberum itinere contendunt. *Virg. A.* 8, 57. Ipse ego te ripis, et recto flumine ducam. *Ov. Trist.* 2, 477. recto grassetur limite miles. *Id. Met.* 2, 622. Illa quidem recto pugnat se attollere trunco; et *Petr. fragm. Trag.* 73. *Burm.* Cella frigidaria, in qua Trimalchio rectus stabat; et *Lucan.* 8, 820. ima Pompeji nomen arena Depressum tumulo, quod non legat advena rectus; et *Stat. Th.* 5, 664. acerque reducto Affuit Hippomedon, rectoque Erymanthius ense, *h. e.* quod ait *Lucan.* 6, 237. recto mucrone gladium tenens, *h. e.* directo in hostem. *Id.* 10, 305. de Meroe: aestatem nulla sibi mitigat umbra Linea tam rectum mundi fert illa Leonem, *h. e.* supra verticem; et *Virg. A.* 8, 209. de Caco: Atque hos *(tauros)* ne qua forent pedibus vestigia rectis, Cauda in speluncam tractos, etc. *Mart.* 5, 65. tacita qui fraude solebat Ducere nec rectas Cacus in antra boves. *Ov. Met.* 3, 77. de angue: modo immensum spiris facientibus orbem Cingitur: interdum longa trabe rectior exit. ℙ *Rectum intestinum*, ὀρθός, in imo ventre situm, nullo flexu, aut paene nullo, in anum exit. *Cels.* 4, 1. *med.* ℙ *Rectum aes* ap. *Juven.* 2, 117. est tuba. V. AES. ℙ *Rectus funis* ap. *eund.* 14, 260. est extentus. Sic *recta coma* non crispa. *Sen. ep.* 95. *med.* Ut eadem sit species capillorum: ne quis, cui rectior est coma, crispulis misceatur. ℙ *In rectum*, recta, recto tramite. *Ov. Met.* 2, 715. iterque Non agit in rectum, sed in orbem curvat. *Lucan.* 7, 337. Vidit ut hostiles in rectum exire catervas Pompejus, etc. ℙ *Rectis oculis aspicere*, directa et non obliqua acie, recta in rem aliquam oculos intendere, ὀρθοῖς ὄμμασιν ὁρᾶν. Unde *Ov. Met.* 2, 775. de Invidia: macies in corpore toto: Nusquam recta acies. Sic *ib.* 787. Illa Deam obliquo fugientem lumine cernens. *Cic. Rab. Post.* 17. *f.* Hic vos aliud nihil orat, nisi ut rectis oculis hanc urbem sibi intueri, atque in hoc foro vestigium facere liceat, *h. e.* non reflexis et respicientibus, ut in exsilium euntes solent, sed directis. Ut aspicere, inquit *Manut.*, hanc urbem praesenti, non respicere liceat absenti. *Lucan.* 9, 638. quem, qui recto se lumine vidit, Passa Medusa mori est? *Id. ib.* 904. de pullis aquilae: Qui potuere pati radios, et lumine recto Sustinuere diem. ℙ Hoc modo aspicere indicium est nihil timentis, confidentis, audacis, interriti animi. *Suet. Aug.* 16. Ne rectis quidem oculis eum aspicere potuisse instructam aciem. *Sen. ep.* 104. *med.* Terribiles visu formae, letumque, labosque *(Virg. A.* 6, 277.): minime quidem, si quis rectis oculis intueri illa possit. *Id. Const. Sap.* 5. Adversus apparatus terribilium rectos oculos tenet, nihil ex vultu mutat. *Hor. Od.* 1, 3, 17. Quem mortis timuit gradum, Qui rectis (al. *siccis*) oculis monstra natantia, Qui vidit mare turbidum, etc? Ita *Bentl.*, qui ad hanc lectionem firmandam affert illud *Stat. Th.* 10, 541. non ora virum, non pectora flectit Imber atrox: rectosque tenent in moenia vultus; et *Juven.* 6, 399. Cumque paludatis ducibus, praesente marito, Ipsa loqui recta facie. Trahit etiam huc, quod ex *Cic. Rab. Post.* supra attulimus: alia praeterea congerit apte in hanc rem. ℙ *Rectus sonus, recta vox*, quae nulla modulatione flectitur, aut variatur. *Quint.* 11, 3. *med.* et *f.* ℙ *Recta via* Romae memoratur a *Sen. Apocol. med.* Et inter Tiberim, et viam rectam descendit ad inferos. *Mart.* 8, 75. Lingonus a recta, Flaminiaque recens. *Ov. Fast.* 6, 191. Quem prospicit extra Appositum rectae porta Capena viae. Sed quaenam, ubive fuerit, ignoratur, aliis alibi ex conjectura collocantibus. *Gronov.* et *Heins.* ubique *tecta* reponunt, eamque esse volunt, quae a porta Capena ad Martis ducebat. Alii duas faciunt, *rectam*, et *tectam* diversis locis positas: et *rectam*, quod recta aliquo, sine ullo flexu, ferret; *tectam*, quia lapide strata esset, dictas putant. Sed *tecta* ibi legend. videtur: duplex enim fuit Romae *via tecta*, quarum una, quae et *fornicata* appellatur, ad campum Martium ducebat; altera a porta Capena ad Martis. *Tecta* vero *via* dicitur, quae fornicibus seu porticibus; *strata*, quae lapide seu silice structa. V. FORNICATUS. ℙ *Recta coena* est lauta, integro apparatu instructa, quam ditiores dare solebant clientibus, et salutatoribus, ab ovo usque ad mala legitimis ferculis eos benigne excipientes, et liberaliter: nam sordidi et maligniores loco integri rectique convivii sportulam praebebant, quae quamvis coenae nomine daretur, non tamen coenam integram, sed partem coenae continebat. *Suet. Dom.* 7. Sportulas publicas sustulit, revocata coenarum rectarum consuetudine. *Mart.* 2, 69. En rogat ad coenam Melior te, Classice, rectam. Adde 7, 20. Absolute *Id.* 8, 50. Promissa est nobis sportula, recta data est. V. SPORTULA. *Suet. Aug.* 74. Convivabatur et assidue, nec unquam, nisi recta. *Rectam* hic ideo vocari putant, quia ordine discumbentibus praeberetur, cum sportulae sine ordine ac discrimine promiscue clientibus auferendae objicerentur. *Juven.* 1, 95. nunc sportula primo Limine parva sedet, turbae rapienda togatae. V. et *Mart.* 3, 7. Hanc intelligit *Sen.* cum ait, *ep.* 110. *med.* Non magnam rem facis, quod vivere sine recto apparatu potes, quod non desideras milliarios apros, etc. ℙ Translate *rectus* est bonus, aut pulcher. *Prop.* 2, 14, 29. Ut natura dedit, sic omnis recta figura. *Hor. Sat.* 1, 6, 65. si vitiis mediocribus, ac mea paucis Mendosa est natura, alioqui recta. *Ter. Andr.* 2, 1, 9. Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus. ℙ Universim quidquid secundum rationem, aut virtutem est, neque in defectum declinans, neque in excessum, conveniens, decens, aequus. *Cic. Fam.* 5, 19. Nihil putare utile esse, nisi quod rectum honestumque sit; et *ib. f.* Et maxime conducunt, quae sunt rectissima. *Lucan.* 4, 815. Recta sequi. *Plin. ep.* 6, 11. Ad recta tendere. *Enn.* ap. *Cic. Sen.* 6. Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant Antehac, dementi sese flexere ruina? *Hor. Od.* 4, 9, 34. est animus tibi Rerumque prudens, et secundis Temporibus dubiisque rectus. *Cic. Acad.* 1, 5. Quid rectum in oratione pravumve judicare. *Id. Or.* 2, 73. Unum te in dicendo mihi videri rectissimum: propriumque esse hoc laudis tuae, nihil a te unquam esse dictum, quod obesset ei, pro quo diceres. Alii aliter leg. ℙ Cum genitivo. *Sen. V. B.* 6. Beatus est judicii rectus. ℙ Est etiam acer, fortis, constans, gravis. *Cic. Fam.* 12, 5. *f.* Erat firmissimus senatus, exceptis consularibus: ex quibus unus L. Caesar firmus est, et rectus. *Quint.* 4, 1. Sola rectum quoque judicem inclinat miseratio. *Plin. ep.* 2, 11. Vir rectus et sanctus. ℙ Item qui sine vitio corporis est, sanus, integer, emendatus. *Catull.* 86, 1. Quintia formosa est multis: mihi candida, longa, Recta est. *Hor. Sat.* 1, 2, 123. Puella candida, rectaque sit. Rursus *Catull.* 10, 20. Non possem octo homines parare rectos. Rectos alii hic intelligunt, procero et erecto corpore, non inflexa cervice, aut dorso: similiter *rectam puellam.* Sic *Juven.* 3, 26. prima et recta senectus. Ap. *Sen. ep.* 100. *med. domus recta* est, quae ornatu quidem caret, et luxu divite: nullo tamen vitio deformatur, et decore simplici contenta est. Hinc trahitur per translationem illud *Plinii ep.* 9, 26. Dixi de quodam oratore saeculi nostri, recto quidem, et sano, sed parum grandi et ornato, ut opinor, apte: nihil peccat, nisi quod nihil peccat. ℙ De eo, qui sana intelligendi judicandique facultate praeditus est. *Id. ep.* 2, 19. Quotusquisque tam rectus auditor, quem non potius dulcia haec et sonantia, quam austera et pressa, delectent? *Id. ep.* 4, 7. Recta ingenia debilitat verecundia, perversa confirmat audacia. ℙ Item idoneus, aptus, commodus. *Pl. Bacch.* 3, 3, 8. Nam absque te esset, ego illum haberem rectum ad ingenium bonum: nunc propter te tuamque pravus factus est fiduciam. *Sen. Hippol.* 454. Quid te coerces, et necas rectam indolem? ℙ Item simplex, naturalis, non fucatus, non artificiosus. *Cic. Off.* 1, 36. Et in utroque genere (*palaestricorum*, et *histrionicorum gestuum*) quae sunt recta et simplicia, laudantur. *Quint.* 2, 5. Sermo rectus et secundum naturam enunciatus nihil habere ex ingenio videtur: illa vero, quae utcumque deflexa sunt, tanquam exquisitiora miramur. *Id.* 9, 4. *med.* Felicissimus sermo est, cui et rectus ordo, et apta junctura, et cum his numerus opportune cadens contingit. *Ter. Heaut.* 4, 3, 28. Ut recta via rem narret ordine omnem, *h. e.* simpliciter, vere, sine ambagibus. Dixerat *ib.* 23. Quin nolo mentiare: aperte ita ut res se habet, nar-

rato. Sic *Phaedr.* 4, 12. Utilius homini nihil est, quam recte loqui. ℙ *Recta oratio* figuratae opponitur. *Quint.* 9, 2. *med.* Si persona obstaret rectae orationi, decurrebant ad schemata. Sic *recta repetitio.* *Id.* 6, 1. Quae enumeranda videntur (*in repetitione*) cum pondere aliquo dicenda sunt, et aptis excitanda sententiis, et figuris utique varianda: alioqui nihil est odiosius recta illa repetitione, velut memoriae judicum diffidentis. ℙ *Rectum est*, aequum est, conveniens est, verum est. *Cic. Off.* 1, 38. *f.* Rectum est autem, etiam in illis contentionibus, quae cum inimicissimis fiunt, gravitatem retinere, iracundiam repellere; et *ib.* 3, 1. Esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere. *Id. Att.* 6, 9. *med.* Eum sine meis litteris ad te venire, vix rectum erat. ℙ *Rectum* absolute, bonum, honestum, justum, κατόρθωμα. *Auct. ad Her.* 3, 2. *med.* Rectum est, quod cum virtute et officio fit. Id dividitur in prudentiam, justitiam, fortitudinem, modestiam. *Cic. Or.* 14. Recti pravique partes. *Sen. ep.* 122. *f.* Simplex recti natura est, multiplex pravi, et quantumvis novas declinationes capit. *Lucan.* 8, 487. sidera terrae Ut distant, ut flamma mari, sic utile recto. *Ov. Met.* 7, 72. ante oculos rectum, pietasque, pudorque Constiterant. *Id. Fast.* 4, 311. et *Virg. A.* 1, 608. mens conscia recti. *Hor. A. P.* 366. quamvis et voce paterna Fingeris ad rectum. ℙ *Rectus casus* a grammaticis dicitur nominativus, *obliqui* ceteri: quia nulla declinatione inflectitur. *Varr. L. L.* 7, 1, 2. et 18, 24. et *ib.* 8, 35., *Quint.* 1, 4. et 5., *Gell.* 13, 22. etc. et *Prisc.* 5, 670. ℙ De recta tunica V. RECTA, ae.

RĔCŬBĪTUS, us, m. actus recumbendi, subsultus ille, quem faciunt corpora in solum durum incidentia. *Plin.* 24, 13, 72. Baculum ex ea (*aquifolia*) factum in quodvis animal emissum, etiam si citra ceciderit defectu mittentis, ipsum per se recubitu propius adlabi.

RĔCŬBO, as, ui, itum, n. 1. ἀνάκειμαι, rursus cubo. *Cic. Div.* 1, 27. Eum primo perterritum somnio surrexisse: dein cum se collegisset, idque visum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuisse. ℙ Item simpliciter cubo, recumbo, decumbo, quiesco. *Cic. Or.* 3, 17. In hortulis suis recubans molliter et delicate. *Tibull.* 1, 1, 63. Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo Prodest? *Nep. Dion.* 9. Cum in conclavi recubuisset. *Plin. ep.* 9, 17. Cum lector inductus est, calceos poscunt, aut non minore cum taedio recubant. *Ov. A. Am.* 2, 342. Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit. *Virg. A.* 3, 392. sus alba solo recubans; et *ib.* 8, 297. de Cerbero: Ossa super recubans antro semesa cruento. *Val. Fl.* 7, 523. immensis recubantem anfractibus anguem Turbat.

RĔCŪDO, is, cūdi, cusum, a. 3. ἀνακολάπτω, denuo cudo. *Varro.* Ut hi solent, qui vetera metalla recudunt. Ita *lexicographi* omnes post *Sipontinum*, quem penes est omnis hujus fragmenti fides.

RĔCŬLĂ, ae, f. parva, aut tenuis res, ut *diecula* a *dies*, a *spes specula*, a *nubes nubecula*. *Pl. fragm.* ap. *Prisc.* 3, 613. Si quidem imperes pro copia, pro recula. *Appul. Met.* 4. Quid oro, fili, paupertinas pannosasque reculas miserrimae anus donas vicinis divitibus? Alii leg. *resculas;* ut legitur ap. *Salv. adv. avar.* 4, 8. *med.* Ipsa te resculis tuis spolias. ℙ *Recula* est etiam parvum patrimonium. *Donat.* in *Vit. Virg. in.* Pater Virgilii silvis coemundis, et apibus curandis reculam auxit.

RĔCULTUS, a, um, part. a *recolo:* rursus cultus. *Ov. Met.* 5, 647. partimque rudi data semina jussit Spargere humo, partim post tempora longa recultae. ℙ **Recoltus* pro Recultus ap. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 35. At ille expergitus recoltisque verbis ac memoriae confirmatis, etc. ubi corrigendum videtur *recollectisque*, media syllaba a librario casu quopiam omissa. *B. A.*

RĔCUMBO, is, ubui, itum, n, 3. ἀνάκειμαι, corpore sternor, jaceo: idem ac *recubo*, cum quo praeteritum ac supinum communia habet. *Ov. Fast.* 2, 345. Ascendit (*torum*), spondaque sibi propiore recumbit. *Sen. Troad.* 830. recumbens Montis exesi spatiosus antro. *Id. Oed.* 728. de angue: Supra Chaonias celsior arbores Caeruleum erexit caput, Cum majore sui parte recumberet. ℙ De rebus inanimis. *Id. Thyest.* 589. Mitius stagno pelagus recumbit, *h. e.* jacet, tranquillum est. *Virg. G.* 1, 401. nebulae magis ima petunt, campoque recumbunt. *Mart.* 4, 64. jugera pauca Martialis Longo Janiculi jugo recumbunt. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 26. Vitem liberatam vinculo in terra recumbere. ℙ Est etiam occumbo, cado, corruo. *Ov. Met.* 7, 538. validos miratur arator Inter opus tauros, medioque recumbere sulco. Sic *Lucr.* 6, 794. Castoreoque gravi mulier sopita recumbit. *Catull.* 17, 4. de ponte: Ne supinus eat, cavaque in palude recumbat. ℙ Item mensae accumbo. *Phaedr.* 4, 24. Rediit hora dicta: recubuit: Splendebat hilare poculis convivium. *Just.* 43, 1. Saturnalibus passim in conviviis servi cum dominis recumbunt. *Plin. ep.* 4, 22. Coenabat Nerva cum paucis: Vejento proximus, atque etiam in sinu recumbebat. *Id. ep.* 9, 23. Recumbebat mecum Fabius Rufus, super eum municeps ipsius. ℙ Item inclinor, innitor, vergo. *Ov. Trist.* 2, 83. Cum coepit quassata domus subsidere, partes In proclinatas omne recumbit onus. *Virg. A.* 9, 434. inque humeros cervix collapsa recumbit. *Id. G.* 3, 86. juba dextro jactata recumbit in armo. *Ov. Met.* 10, 195. Ipsa sibi est oneri cervix, humeroque recumbit.

RĔCŬPĔRĀTIO et Reciperatio, onis, f. ἀνάληψις, actus recuperandi. *Cic. Phil.* 10, 10. Ita praeclara est recuperatio libertatis. Alii leg. *reciperatio. Just.* 30, 1. Contentus reciperatione urbium, quas amiserat. ℙ In juridicis, ap. *Fest.* ex *Gallo Aelio* reciperatio est, cum inter populum et reges, nationesque et civitates peregrina lex convenit, quomodo per reciperatores reddantur res, reciperenturque, resque privatas inter se persequantur. *Tab. aenea* ap. *Mur.* 582. *med.* De ea re jus dicunto, judicia, recuperationes dando, uti ii eos (servos) recuperare possint.

RĔCŬPĔRĀTĪVUS, a, um, adj. qui recuperari potest, ap. *Aggen. Urb. in Front.* p. 63. *Goes.* Recuperativus status controversiae de finibus.

RĔCŬPĔRĀTOR et Reciperator, oris, m. qui recuperat. *Tac. A.* 2, 52. *f.* Camillus reciperator Urbis. ℙ *Recuperatores* apud Romanos erant judices, qui ad recuperandas privatas res litiatoribus dabantur. *Pl. Bacch.* 2, 3, 36. Postquam praetor recuperatores dedit. *Gell.* 20, 1. Injuriisque aestimandis recuperatores se daturos edixerunt. ℙ Dabantur et ab imperatoribus contentione orta inter milites. *Liv.* 26, 28. Scipio tres recuperatores cum se daturum pronunciasset, qui, cognita causa, testibusque auditis, judicarent, uter prior in oppidum transcendisset. ℙ In Urbe praetores dabant recuperatores ex omni ordine, in provinciis ex conventu negotiatorum, vel e sua cohorte. *Cic. Verr.* 2, 3, 28. Iste recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur. *Id. ib.* 11. De conventu nullum unquam judicem, neque recuperatorem dedit. Omnibus his loc. alii leg. *reciperator.*

RĔCŬPĔRĀTORIUS, a, um, adj. ad recuperatores pertinens, ut Judicium recuperatorium, quod per recuperatores exercebatur. *Cic. Inv.* 2, 20. Non enim oportet in recuperatorio judicio ejus maleficii, de quo inter sicarios quaeritur, fieri praejudicium. Adde *Verr.* 2, 3, 11. Alii leg. *reciperatorius.*

RĔCŬPĔRĀTUS et Reciperatus, a, um, part. a *recupero. Just.* 36, 1. Reciperatum regnum. *Tac. H.* 3, 22. Reciperatae cibo somnoque vires. *Cic. Fl.* 23. *f.* Pecunia recuperata. *Id. Phil.* 14, 13. respublica. *Fest.* in *Ratumena:* Fictiles quadrigae bello reciperatae.

RĔCŬPĔRO et Recipero, as, avi, atum, a. 1. ἀναλαμβάνω, ἀνακομίζομαι, rem amissam recipio, rursus acquiro, jacturam reparo: a *re* et *paro* inserto *ci*, ut in *Incitega*, *concipilo*, *reciprocus.* Postea *ci* in *cu* mutatum est. Utraque tamen scriptio proba: et promiscue reperitur in MSS. et libris fere omnibus locorum, quae hic afferimus. *Caes. B. G.* 7, 1. *extr.* Veterem belli gloriam, libertatemque recuperare; et *ib.* 15. Quod se, celeriter amissa recuperaturos confidebant; et *ib.* 3, 8. Recuperare suos obsides. *Sall. Jug.* 31. pacem. *Cic. Att.* 8, 3. rempublicam. *Id. Phil.* 13, 5. villam suam ab aliquo. *Just.* 32, 3. sanitatem; et 22, 2. domesticam potentiam. *Tac. H.* 2, 86. ordinem senatorium; et *ib.* 3, 22. vires cibo somnoque. *Cic. Agr.* 2, 16. ab aliquo pecuniam depositam. *Id. Verr.* 2, 3, 14. rem suam judicio. *Id. Caecin.* 3. *f.* jus suum aliqua ratione. *Id. Att.* 1, 11. voluntatem alicujus; et *Tac. A.* 14, 5. gratiam. *Caes. B. G.* 7, 76. Consensio fuit pristinae belli laudis recuperandae. *Nep. Ag.* 6. *f.* Sic adolescentulos simulata laudatione recuperavit, *h. e.* a transfugio deterruit, et retraxit. *Cic. Fam.* 14, 1. Si in vestrum complexum venero, ac si et vos, et me ipsum recuperaro. *Just.* 18, 7. Non se expugnatum, sed reciperatum patriam venire. ℙ Recuperare se, et recuperari. *Varr. R. R.* 1, 13. Familia ubi versetur, providendum, si fessi opere, aut frigore, aut calore, ubi commodissime possint se quiete reciperare. *Vitr.* 2, 9. Ex terra recipientes radices arborum in se succum, reciperantur.

RĔCŬPIO pro valde cupio, est qui tribuit *Pl. Capt.* 4, 2, 76. Ut recupias facere sumptum. Sed *te cupias* legendum est.

RĔCŪRĀTUS, a, um. V. v. sq.

RĔCŪRO, as, avi, atum, a. 1. ἀνακομίζω, iterum, vel diligenter curo, magna cura reficio. *Catull.* 44, 13. Hic me gravedo frigida, et frequens tussis Quassavit, usquedum in tuum sinum fugi, Et me recuravi otioque (al. *ocimoque*) et urtica. *Plin.* 13, 12, 23. de charta. Excepit hanc (*amphitheatricam*) Fannii sagax officina, tenuatamque curiosa interpolatione, principalem fecit e plebeja, nomenque ei dedit. Quae non esset ita recurata, in suo mansit amphitheatrica. *Appul. Met.* 8. Placuit paulum conquiescere, corporaque diverse laniata sedulo recurare. *Id. ib.* 6. Vulneratis domo relictis et plagas recurantibus.

RĔCURRO, is, curri, et cŭcurri, ursum, n. 3. ἀνατρέχω, rursus aut retro curro, currendo redeo. *Ov. Trist.* 1, 8, 1. In caput alta suum labentur ab aequore retro Flumina, conversis solque recurret equis. *Id. Am.* 2, 1, 26. Inque suos fontes versa recurrit aqua; et *Her.* 5, 30. Ad fontem Xanthi versa recurret aqua; et *A. Am.* 3, 360. coeptum saepe recurrit iter. *Cic. Att.* 2, 12. Tamen isti puero, quem ad me statim jussi recurrere, da ponderosam aliquam epistolam. *Paul. Nol. carm.* 27, 99. Et properante gradu recucurrit ad hospita tecti. *Pl. Trin.* 4, 3, 8. Condalium es oblitus: recipe te, et recurre petere re recenti. *Id. Cist.* 2, 3, 50. Ego ad anum recurro rursum. Est qui leg. *cursum* pro *rursum.* ℙ Urbane est redire. *Cic. N. D.* 2, 19. *f.* Luna tum crescendo, tum defectibus in initia recurrendo. *Caes. B. C.* 2, 16. *extr.* Ad easdem deditionis conditiones recurrunt. *Hor. Ep.* 1, 10, 24. Naturam expellas furca, tamen usque recurret; et *ib.* 2, 1, 147. Recurrentes anni. *Ov. Pont.* 4, 11, 15. Dum tua pervenit, dum littera nostra recurrens Tot maria ac terras permeat, annus abit. *Gell.* 17, 12. Febris quartis diebus recurrens. ℙ Refertur ad memoriam. *Plin. Pan.* 88. *f.* Ita haec optimi appellatio nunquam memoriae hominum sine te recurret. *Vell.* 2, 4. *extr.* Decessit anno ferme quinquagesimo sexto: de quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum ejus. ℙ Pro confugere. *Quint. prooem.* 1. *med.* Nunc necesse est ad eos aliquando auctores recurrere, qui desertam partem oratoriae artis occupaverunt. *Id.* 1, 6. *med.* Ad eam rationem recurrunt, ut, etc. *Auct. dial. de or.* 9. Si ipse in aliquod negotium inciderit, ad hunc Secundum recurret, aut ad te. ℙ Pro simplici *curro. Mart.* 7, 20. Rectam vocatus cum recurrit ad coenam. ℙ Ap. *Quint.* 5, 9. Signa quae in contrarium non recurrunt, sunt v. gr. Omnis qui ingreditur, movetur: sed non omnis, qui movetur, ingreditur. Ubicumque messis est, ibi satum est: sed non ubicumque satum est, ibi est messis. ℙ Versus recurrentes *Sidon. ep.* 8, 11. et *ep.* 9, 14. sunt, qui, metro stante, neque litteris loco motis, ut ab exordio ad terminum, sic a fine releguntur ad summum. Sic est illud antiquum: *Roma tibi subito motibus ibit amor;* et illud: *Sole medere pede, ede, perede melos.* Hujusmodi sunt undecim versus, qui referuntur *lib.* 6. *c.* 13. *Antholog.*, ubi hoc genus versus καρκῖνοι στίχοι ἔμμετροι κατὰ ἀναποδισμὸν dicuntur. Exemplum esto: Ἀθλήσας ἤδη πόλῳ πηδήσας ἦλθε. Et Ἤδη μοὶ Διὸς ἄρα πηγὴ παρὰ σοὶ Διομήδη. Et Νόμον ὁ κοινὸς ἔχε σὸν οἰκονόμον. Et quod inscriptum labro marmoreo legitur ap. *Grut.* 1047, 9. Νίψον ἀνομήματα, μὴ μόναν ὄψιν. Nec non habentur pro recurrentibus, qui pedum lege servata, etsi non per singulos apices, per singula tamen verba replicantur, ut: *Praecipiti modo quod decurrit tramite flumen, Tempore consumptum jam cito deficiet*, quod est *Sidon.* citato *l.* 9. et si recurras, ita legitur: *Deficiet cito jam consumptum tempore flumen, Tramite decurrit quod modo praecipiti.* Hujusmodi est et illud *Francisci Philelphi* in Pium II. Pontif. Max. *Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum Scandere te fecit hoc decus eximium.* Disticha his similia septem leguntur *Antholog.* 6, 4. et dicuntur ἀντιστρέφοντα, quorum primum est: Τὸν τραγόπουν ἐμὲ Πᾶνα φίλον Βρομίοιο, καὶ υἱὸν Ἀρκάδος, ἀντ' ἀλκᾶς ἔγραφεν Ὠφελίων. Lege retro: Ὠφελίων ἔγραφεν ἀλκᾶς ἀντ' Ἀρκάδος υἱὸν, καὶ Βρομίοιο φίλον Πᾶν' ἐμὲ τὸν τραγόπουν. Item qui retro lecti, in aliud genus carminis exeunt, ut *Omne genus metri tibi pangens, optime Basse.* Contraria via fit Sotadeum: *Basse optime, pangens tibi metri genus omne.* Simile exemplum affert *Quint.* 9, 4. *med.* V. RECIPROCUS.

RĔCURSĬO, onis, f. recursus, reditio. *Capell.* 9, 308. *extr.* Juppiter, Quo gemmata poli volvere sidera Suevit lege rata sacra recursio.

RĔCURSĬTANS, antis, part. ab inus recursito, saepe recursans. *Capell.* 1, 10. Cessim plerumque recursitans.

RĔCURSO, as, n. 1. frequent. ἀνατρέχω, saepe recurro. *Pl. Most.* 3, 1, 54. Quid ego huc recursem, aut operam sumam, aut conteram? *Sen. Med.* 385. Talis recursat huc et huc motu effero, Furoris ore signa lymphati gerens. *Lucr.* 2, 105. de primis corporibus materiai: Et cita dissiliunt longe, longeque recursant. ℙ Translate est saepe redire. *Virg. A.* 1, 666. Urit atrox Juno, et sub noctem cura recursat. *Id. ib.* 12, 602. Nec te tantus edat tacitam dolor: et mihi curae Saepe tuo dulci tristes ex ore recursent. ℙ Refertur ad memoriam. *Id. ib.* 4, 3. Multa viri virtus animo, multusque recursat Gentis honos. *Tac. H.* 2, 78. Recursabant animo vetera omnia. *Eum. Pan. Constant.* 18. Recursabat in animos illa paucorum audacia.

RĔCURSUS, us, m. ἀναδρομή, reditus, qui currendo fit. *Virg. A.* 5, 583. Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus. *Ov. Ib.* 423. per alternos unda labente recursus Subtrahitur presso mollis arena pedi; et *Plin.* 5, 29, 30. Lydia perfusa flexuosi amnis Maeandri recursibus. ℙ Et simpliciter reditus, reversio. *Liv.* 26, 42. *extr.* Ut subeunti saepe ad moenia urbis recursus pateret. *Ov. Her.* 6, 59. dent modo fata recursus. *Cels.* 4, 4. Si fauces cibum et potum capiunt, facilis ad bonam valetudinem recursus est. *Val. Max.* 2, 7. *n.* 15. Recursum iis ad pristinum militiae ordinem proposuerunt, si quis bina spolia ex hostibus tulisset. *Plin.* 16, 25, 50. Ilex, picea, larix nullo flore exhilarantur, natalesve pomorum recursus annuos versicolori nuncio promittunt. *Id.* 36, 13, 19. *n.* 2. de labyrintho: Itinerum ambages, occursusque ac recursus inexplicabiles continet, *h. e.* semitas, per quas itur, rediturque. *Impp. Dioclet.*

et Maxim. Cod. 7, 62, 6. Ut post sententiam ab eo, qui de appellatione cognoscit, recursus fieri non possit ad judicem, a quo fuerit provocatum.

RĒCURVĀTUS, a, um, part. a *recurvo:* παλίγγναμπτος, recurvus factus, reflexus. *Ov. Met.* 2, 246. Quique recurvatis ludit Maeandros in undis. *Cels.* 7, 7. *n.* 4. Hamulus acutus paulum mucrone intus recurvato. *Id.* 8, 1. *f.* Os pectinis rectius in viris, recurvatum magis in exteriora in feminis. *Colum.* 3, 18. Sarmentum praetorto capite et recurvato demergere.

RĒCURVO, as, avi, atum, a. 1. ἀναγνάμπτω, retro curvo, reflecto. *Colum.* 5, 10. *med.* Cum ad scrobis solum radix pervenit, duritia humi coercita recurvatur. *Gell.* 3, 6. Palma adversus pondus resurgit, et sursum nititur, recurvaturque. *Stat. Th.* 3, 583. Horrentesque situ gladios in saeva recurvant Vulnera. *Ov. Her.* 4, 79. Sive ferocis equi luctantia colla recurvas. *Id. Am.* 1, 8, 6. de saga: Inque caput rapidas arte recurvat aquas, *h. e.* redire cogit.

RĒCURVUS, a, um, adj. παλίγγναμπτος, παλίγκλαστος, recurvatus, reflexus, incurvus. *Plin.* 9, 33, 52. Conchae ad plausum apertae, ad buccinum recurvae. *Virg. A.* 7, 513. cornuque recurvo Tartaream intendit vocem, *h. e.* buccina. V. AES. *Ov. Fast.* 5, 119. de capra: Cornibus aeriis, atque in sua terga recurvis; et *ib.* 6, 240. tegunt parvis aera recurva cibis, *h. e.* hamos; et *ib.* 2, 113. tergo delphina recurvo Se memorant oneri supposuisse novo; et *ib.* 560. Comat virgineas hasta recurva comas. V. CAELIBARIS. *Claud. in Eutrop.* 2, 230. avis dira, rostroque recurvo Turpis. *Ov. Met.* 8, 141. et *ib.* 15, 698. Recurva puppis; et *ib.* 3, 664. Impediunt hederae remos, nexuque recurvo Serpunt, *h. e.* retorto, contorto. *Id. Fast.* 2, 251. Corvus inauratum pedibus cratera recurvis Tollit, *h. e.* uncis. *Id. Her.* 10, 71. ne victor tecto morerere recurvo, *h. e.* labyrintho.

RĒCŪSĂBĬLIS, e, adj. qui recusari potest, aut debet. *Tert. adv. Marc.* 4, 35. *f.* Revelatio recusabilis.

RĒCŪSANS, antis, part. a *recuso:* reluctans, invitus. *Ov. Fast.* 2, 387. Jussa recusantes peragunt lacrymosa ministri. *Id. Trist.* 4, 2, 35. illo dicunt mactata ministro Saepe recusanti corpora capta Deo. *Cic. Or.* 10. *f.* Testificor me a te rogatum et recusantem haec scribere esse ausum.

RĒCŪSĀTĬO, onis, f. ἀνάτευξις, actus recusandi. *Cic. Or.* 2, 7. Nam haec ipsa recusatio disputationis disputatio quaedam fuit, mihi quidem perjucunda. *Id. Cat.* 3, 2. *med.* Sine recusatione, ac sine ulla mora negotium susceperunt. *Id. Leg.* 2, 16. Poena violatae religionis justam recusationem non habet. ℙ Translate. *Petr. Sat.* 141. Recusatio stomachi, *h. e.* nausea, fastidium.

RĒCŪSĀTUS, a, um, part. a *recuso:* repudiatus, rejectus. *Ov. Pont.* 4, 13, 27. qui frena coactus Saepe recusati ceperit imperii.

RĒCŪSO, as, avi, atum, a. 1. παραιτέομαι, ἀναινέω, renuo, detrecto, rejicio, repudio: a *re*, et *causa:* ut proprie sit causam afferre, cur aliquid nolis. *Cic Mil.* 36. *f.* Non recuso, non abnuo. *Id. Verr.* 2, 5, 54. Servilius et recusare, et deprecari, ne iniquis judicibus, etc. *Id. Fl.* 38. *f.* Populum R. disceptatorem non modo non recuso, sed etiam deposco. *Nep. Timol.* 3. Cum tantum haberet amorem omnium, ut nullo recusante regnum obtineret. *Just.* 13, 2. *f.* Ptolemaeus recusabat regem Aridaeum, *h. e.* nolebat Aridaeum regnare. *Ter. Hec.* 3, 1, 16. et *Hor. Sat.* 1, 4, 50. Recusare aliquam uxorem, *h. e.* nolle ducere. *Caes. B. G.* 1, 44 amicitiam populi R. *Id. B. C.* 1, 68. laborem. *Id. B. G.* 7, 2. nullum periculum communis salutis causa. *Id. ib.* 8, 1. Sors incommodi civitati non recusanda, si, etc.; et *ib.* 1, 44. Iniquum esse de stipendio recusare, quod sua voluntate ad id tempus pependerint. *Cic. Verr.* 2, 1, 2. *f.* Desinemus nos de judiciis transferendis recusare. *Liv.* 1, 24. Cum trigeminis agunt reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro: nihil recusatur. *Mart.* 9, 102. Saepe recusato Parthos duxisse triumphos, Victor Hyperboreo nomen ab orbe tulit, *h. e.* eum saepe recusasset, vel postquam saepe recusaverat. ℙ Translate. *Ov. Trist.* 5, 4, 16. More nec indomiti frena recusat equi. *Id. Met.* 8, 837. rapax ignis non unquam alimenta recusat. *Plin.* 37, 13, 76. Falsae gemmae recusant limae probationem. *Id.* 17, 20, 34. Castanea recusat glaream, rubricam, cretam. *Virg. A.* 12, 747. tardata sagitta genua impediunt, cursumque recusant. ℙ Cum infinito. *Curt.* 5, 4. Recusaturus ire, qua duces. *Caes. B. G.* 3, 22. Neque adhuc repertus est quisquam, qui mori recusaret. *Hor. Ep.* 2, 1, 208. quae facere ipse recusem. *Just.* 3, 6. *f.* Ut duobus bellis impliciti, suscipere tertium non recusarent. *Ov. Her.* 5, 83. ut Priamus Nymphae socer esse recuset. *Plin.* 29, 1, 8. de medicina: Non rem antiqui damnabant, sed artem: maxime vero quaestum esse immani pretio vitae recusabant, *h. e.* nolebant. ℙ Sequentibus particulis *ne*, *quin*, *quo minus*. *Caes. B. C.* 3, 82. Ne unus omnes antecederet, recusabant. *Cic. Off.* 3, 27. Sententiam ne diceret, recusavit. *Nep. Ann.* 12. Illud recusavit, ne id a se fieri postularent, quod adversus jus hospitii esset. *Caes. B. G.* 4, 7. Neque recusare, si lacessantur, quin armis contendant. *Cic. Acad.* 4, 3. Non possumus, quin alii a nobis dissentiant, recusare. *Nep. Ep.* 8. Neque recusavit, quo minus legis poenam subiret. *Cic. Fin.* 1, 3. Nec recusabo, quo minus omnes mea legant. *Caes. B. G.* 1, 31. Neque recusaturos, quo minus, etc. ℙ Pro negare. *Cels. Dig.* 17, 1, 48. Si quis sub usuris creditam pecuniam fidejussisset, et cum reus in judicio conventus recusare vellet, sub usuris creditam esse pecuniam, etc. ℙ *Recusare mendacium* ap. *Tert. adv. Marc.* 3, 11. *med.* est refellere.

[RĒCUSSĀBĬLIS, e, adj. qui recutitur. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 6. *f.* Tum permittentibus viribus etiam raptorio machinamento gestetur, ac deinde recussabili sphaera *(utatur)*, quam Italicam vocant, *h. e.* χωρίχω. V. CORYCEUM. *F.*]

RĒCUSSUS, a, um, part. a *recutio*, quatiendo retro impulsus. *Val. Fl.* 5, 167. penitusque recusso Aequore Cyaneas Minyae timuere relictas. ℙ Item universim concussus, retro impulsus, ἀνασεισθείς. *Virg. A.* 2, 52. uteroque recusso Insonuere cavae, gemitumque dedere cavernae. *Appul. Met.* 4. et 5. Recussus somno. *Sidon. carm.* 2, 427. de nocte recussa Excepti rores.

RĒCUSSUS, us, m. In sexto casu sing. *Plin.* 8, 53, 79. de ibicibus: In haec *(cornua)* se librant, ut tormento aliquo rotati, in petras; atque recussu pernicius, quo libuerit, exsultant, *h. e.* repercussu, resiliendo. *Fulg. Myth. praef.* 1. Quidquid per virecta Tempe Raptat unda proluens (lege *profluens*), Hinnientis et recussu quam produxit ungula.

RĒCŪTĬO, is, ussi, ussum, a. 3. retro quatio, excutio, discutio. *August. Confess.* 8, 11. *med.* Incutiebat horrorem, sed recutiebat retro, nec avertebat. *Id. Doctr. Chr.* 2, 40. *f.* Christi recutiens jugum.

RĒCŪTĪTUS, a, um, adj. exulceratus, et resecta cute saepe laceratus. *Mart.* 9, 58. Nil est tritius Hedyli lacernis, Non ansae veterum Corinthiorum, Non ruptae recutita colla mulae. ℙ Dicitur et de iis, quibus praeputium praecisum fuit, ut sunt Judaei et Turcae, quia eo loci cutis quidem utcumque resecta est, glandem tamen non amplius tegit, cum sit illa brevior, ἀπεψωλημένος, ψωλός. *Id.* 7, 30. Recutiti Judaei. *Pers.* 5, 184. recutitaque sabbata palles. Sunt qui *recutitos* intelligunt eos, qui a Judaeis ad Gentes cum defecissent, ut resecto praeputio aliqua ratione mederentur, cutem penis rursus adducebant, producebantque arte medica super glandem: de quibus *Machab.* 1, 1, 16. Et fecerunt sibi praeputia, et recesserunt a testamento sancto, et juncti sunt nationibus; et *Paul. Cor.* 1, 7, 18. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat praeputium. *Cels.* vero 7, 25. producendi praeputii rationem tradit. Verum hoc ad *Mart.* et *Persium*, qui de Judaeis in sua superstitione manentibus loquuntur, minime pertinet. ℙ Romani recutitos Judaeos maxime aversabantur. *Petr. fragm. Trag.* 68. *Burm. f.* Duo tamen vitia habet, quae si non haberet, esset omnium numerorum: recutitus est, et stertit: nam quod strabonus est, non curo.

RĒDABSOLVO, is, a. 3. idem quod solvo, vel absolvo. *Pl. Curc.* 3, 84. Te redabsolvam, qua advenisti, gratia. Rectius alii *absolvam.*

RĒDACCENDO, is, a. 3. rursus accendo. *Tert. Anim.* 30. *f.* Facilior ante exstingui, quam redaccendi. *Id. Resurr. carn.* 12. Redaccenduntur stellarum radii. V. REACCENSUS.

RĒDACTUS, a, um, part. a *redigo:* reductus, adductus. *Caes. B. G.* 2, 14. Aedui a Caesare in servitutem redacti. *Vell.* 2, 44. Capua in formam praefecturae redacta. *Inscr.* ap. *Plin.* 3, 20, 24. Gentes Alpinae sub imperium populi R. redactae. *Cic. Marc* 4. Familia ad paucos redacta. *Liv.* 26, 37. *f.* Ad vanum et irritum victoria redacta. *Hor. Ep.* 2, 1, 154 formidine fustis Ad bene dicendum, delectandumque redacti. *Liv.* 10, 46. Id aes redactum ex captivis dicebatur; et *Ulp. Dig.* 42, 5, 27. Pretium ex rebus distractis redactum.

RĒDACTUS, us, m. actus redigendi. Speciatim sumitur pro pecunia ex frugibus venditis redacta. *Scaev. Dig.* 7, 1, 58. Sempronio do, lego ex redactu fructuum oleris, et porrinae partem sextam. Sic enim in Pand. Flor. et manuscr. Codd. legitur. Vulgo est *ex reditu. Id. ib.* 46, 3, 88. Argentarii universum redactum venditionis solverunt.

RĒDĂDOPTO. V. READOPTO.

RĒDĂDŪNĀTĬO. V. READUNATIO.

RĒDAMBŪLO, as, n. 1. ἀναβαθίζω, redeo, revertor. *Pl. Capt.* 4, 2, 120. Bene ambula, et redambula. V. REAMBULO.

RĒDĂMO, as, a. 1. ἀντιφιλέω, contra, vel similiter amo, me amantem amo, in amore respondeo. *Cic. Amic.* 14. Quid enim tam absurdum, quam delectari multis inanibus rebus, ut honore, gloria, aedificio, vestitu; animo autem virtute praedito, qui vel amare, vel, ut ita dicam, redamare possit, non admodum delectari? Ex his patet, hoc verbum *Ciceroni* minime probum videri, vel tunc temporis inusitatum fuisse.

RĒDĂMOVĒO, es, a. 2. *Imppp. Valens, Grat.* et *Valent. Cod. Theod.* 8, 5, 35. *f.* Ne supra assium numero redamoveatur. Sed corrige: *Ne supra assignatum numerum rheda moveatur. Gothofr.* legend. conjicit: *Ne supra duum numerum*, etc.

RĒDAMTRŪO. V. AMTRUO.

RĒDĀNĪMĀTĬO, onis, f. animae ad corpus restitutio. *Tert. Resurr. carn.* 38.

RĒDĀNĪMĀTUS, a, um, part. a *redanimo. Tert. Resurr. carn.* 19. Redanimatus, et revivificatus Deo.

RĒDĀNĪMO, as, a. 1. *Tert. Resurr. carn.* 13. Quia singula nec redanimari, sed reformari existimentur; et *ib.* 31. Recorporandae, et redanimandae reliquiae.

RĒDĀRĀTOR. V. IMPORCITOR.

RĒDARDESCO. V. RECANDESCO.

RĒDARGŪO, is, ui, utum, a. 3. ἐξελέγχω, arguendo refello, falsum esse doceo, revinco, convinco: a *re* et *arguo* inserto *d* hiatus vitandi causa, ut in *redamo*, *redeo*, *redigo*, *redoleo*, *redundo. Cic. Tusc.* 2, 2. Nosque ipsos redargui refellique patiamur. *Id. Univ.* 3. Oratio, quae neque redargui, neque convinci potest. *Id. Or.* 2, 72. Si nostra facilius probari, quam illa redargui possunt. *Id. Cluent.* 23. Exstat memoria, sunt tabulae publicae: redargue me, si mentior. *Id. Fin.* 2, 17. Is Sextilius factum negabat, poterat autem impune: quis enim redargueret? et *Dom.* 9. In hoc inconstantiam redarguo tuam, qui, etc., *h. e.* palam ostendo, te esse inconstantem. *Virg. A.* 11, 687. Advenit qui vestra dies muliebribus armis Verba redargueret, *h. e.* vana et falsa fuisse demonstraret. *Suet. Aug.* 55. Sparsos de se famosos libellos nec expavit, et magna cura redarguit; et *Cic. N. D.* 3, 36. *extr.* Improborum prosperitates redarguunt vim omnem Deorum ac potestatem, *h. e.* ostendunt, evincunt, nullam esse. *Gell.* 15, 9. Audi rationem, falsam quidem, sed quam redarguere, falsam esse, tu non queas.

[RĒDARMO, as, a. 1. iterum armo. *Dictys Cret.* 2. *med.* At ubi novis jaculis manus utriusque redarmatae sunt, pergunt. *F.*]

RĒDAUSPĪCO, as, a. 1. μετοιωνίζομαι, denuo auspicor, seu auspicium sumo, rursus incipio. *Pl. Capt.* 3, 5, 108. Exauspicavi ex vinculis, nunc intelligo redauspicandum esse in catenas denuo. V. EXAUSPICO.

REDDĪTĬO, onis, f. ἀπόδοσις, actus reddendi. Ponitur pro secunda parte comparationis, aut similitudinis, *h. e.* pro collatione rei, de qua est similitudo: et pro secunda parte periodi, quae primae respondet. *Quint.* 8, 3. *med.* et *Auson. Idyll.* 12. *in.* V. APODOSIS. ℙ *Redditio rationis*, subjectio rationis, seu causae. *August. C. D.* 21, 7. Redditionem rationis poscentibus respondemus, hanc esse voluntatem Dei.

REDDĪTĪVUS, a, um, adj. *Redditiva pars* in oratione est ipsa redditio, de qua in v. praec. dictum est. *Diomed.* 2, 432. et *redditivas particulas* vocat *Prisc.* 17, 1052. quae redditioni inserviunt, ut *talis*, *ita.*

REDDĪTOR, oris, m. qui reddit. *August. ep.* 5. *med.* Debitorum fisci redditores et exactores.

REDDĪTŪRI. V. PRAESTO, as.

REDDĪTUS, a, um, part. a *reddo:* restitutus, datus, ἀποδοθείς. *Cic. Att.* 8, 14. *f.* Pecuniam domitio satis grandem, quam is Corfinii habuerit, non esse redditam; et *ib.* 9, 11. *med.* Serius redditae litterae. *Virg. A.* 3, 40. vox reddita fertur ad aures. Ubi *Serv.:* Pro data: redditur enim quidquid ad nos per alterum transit; et *ib.* 12, 817. Una superstitio superis quae reddita Divis. Ubi *Serv.:* Hoc est data: nam prothesis est. *Ov. Trist.* 3, 12. 46. Latio reddita vota Jovis, *h. e.* soluta. *Just.* 12, 10. Ex magna desperatione tandem saluti redditus. *Cic. Dom.* 28. *f.* Salutem redditam sibi ac restitutam accipere. *Plin.* 11, 37, 75. Fel redditum ahenis colorem aufert, *h. e.* ore rejectum. ℙ Item expressus, repraesentatus. *Mart.* 11, 9. de statua Memoris: Spirat Apellea redditus arte Memor. ℙ Pro simplici *datus* V. v. sq.

REDDO, is, idi, itum, a. 3. ἀποδίδωμι, rem acceptam, vel ablatam restituo, refero: a *re*, et *do*, quasi retro do. *Sen. Ben.* 7, 19. Reddere est id, quod debeas, ei, cujus est, volenti dare. *Ter. Eun.* 1, 2, 66. Ut virginem suis restituam ac reddam. Ubi *Donat.* Restituimur iis, quibus nos volumus: reddimur iis, qui nos volunt. Ergo restituimus volentem, reddimus volentibus. *Liv.* 3, 68. Tribuni vobis amissa reddent ac restituent. *Sen. Ben.* 6, 5. Cum dicimus, beneficium illi reddidi, non hoc dicimus, illud nos, quod acceperamus, reddidisse; sed aliud pro illo: reddere enim est, rem pro re dare. Quidni? cum omnis solutio non idem reddat, sed tantundem: nam et pecuniam dicimur reddidisse, quamvis numeravimus pro argenteis aureos, etc. *Cic. Sull.* 30. *med.* Si quid ab omnibus conceditur, reddo ac remitto. [*Hic *reddo* idem fere est, quod nos dicimus *verzichten.*] *Caes. B. G.* 6, 15. Pro vita hominis nisi vita hominis reddatur, non posse aliter Deorum numen placari; et *ib.* 1, 35. Obsides, quos haberet ab Aeduis, redderet. *Cic. Off.* 1, 15. Ea quae utenda acceperis, majore mensura, si modo possis, jubet reddere Hesiodus. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 7. Cogebantur Sullani homines, quae per vim et metum abstulerant, reddere. *Caes. B. G.* 7, 76. Pro quibus meritis civitatem ejus immunem esse jusserat, jura legesque reddiderat. *Catull.* 42, 4. Et negat mihi vestra reddituram Pugillaria. [*Cic. Or.* 48. sive paria paribus redduntur, sive opponuntur contraria: ubi *reddere* est nostr. *gegen einandersetzen. Id. Vat.* 3. quod quidem ego tibi reddo tuum: nos: *und hiermit gebe ich dir deinen Einfall zurück.*] ℙ Cum infin. *Stat. Th.* 1, 615. sua monstra profundo Reddit

habere Jovi. ℙ Saepe sumitur pro dare, tribuere. *Cels. Dig.* 31, 1, 21. et *ib.* 50, 16, 94. Verbum reddendi, quamquam significatum habeat retro dandi, recipit tamen et per se dandi significationem. Dixerunt tamen *dare*, ac *reddere:* illud enim universim concedere utcumque, tribuere, donare, significat: *reddere* est dare ea, quae aut debentur iis, quibus dantur, aut ad eos aliquo modo pertinent, quod patebit expendenti scriptorum loca, quae subjicimus. *Pl. Aul.* 1, 1, 5. Qua me nunc causa extrusisti ex aedibus? *Eu.* Tibi ego rationem reddam, stimulorum seges? *Liv.* 41, 7. *extr.* Rationem redditurus earum rerum, etc. *Cic. Fam.* 2, 17. Litteras a te mihi stator tuus reddidit Tarsi. *Caes. B. C.* 2, 18. *med.* Judicia in privatos reddebat. *Phaedr.* 4, 12. Leo inter feras Sancta incorrupta jura reddebat fide; [*Ita ap. *Tac. A.* 1, 72. *judicia reddere* est judicia exercere. V. *Boett. Lex. Tac.* p. 403.] et *Phaedr. epil.* 3. Brevitati nostrae praemium ut reddas, peto. *Cic. Rosc. Am.* 47. Suum cuique honorem et gradum redditum, gaudeo. *Quint.* 11, 1. *f.* Reddere alicui testimonium industriae. *Virg. G.* 3, 491. Nec responsa potest consultus reddere vates. *Albin.* 1, 218. Et pedes exsequias reddit, equesque duci. *Prop.* 3, 5, 37. Reddere corpus humo. *Just.* 9, 4. sepulturae. *Ov. Ib.* 407. et *Lucr.* 6, 1196. Reddere vitam, i. e. mori: scilicet tanquam naturae debitum. Unde *Nep. Reg.* 1. *f.* Morbo debitum naturae reddere. Sic *Vell.* 2, 14. Reddere ultimum spiritum; et *ib.* 123. *extr.* animum coelo; et *Ov. Trist.* 3, 3, 35. lucem; et *Sen. Oed.* 271. summum diem. ℙ Est etiam reponere. *Pl. Most.* 1, 2, 27. Tempestas venit, confringit tegulas, imbricesque: ibi dominus indiligens reddere alias nevolt. ℙ Item emittere, egerere quod infusum est. *Cic. N. D.* 2, 54. Aspera arteria excipit animam eam, quae ducta est spiritu, eandemque a pulmonibus respirat et reddit. *Ov. Her.* 16, 46. Flammiferam pleno reddere ventre facem, *h. e.* partu edere. *Plin.* 28, 12, 51. Spinam faucibus adhaerentem aut reddi, aut delabi, *h. e.* vomitu ejici. Sic *Plin. alter ep.* 5, 19. *f.* Dum nimis imperat voci, sanguinem reddidit. *Cels.* 2, 12. *n.* 2. In eo, cui satis alvus reddit quotidie; et 7, 23. Spumans bilis alvo cum rosione redditur. *Plin.* 10, 47, 65. Inter aquaticas aves mergi soliti sunt devorare, quae ceterae reddunt, *h. e.* cacant. Eod. sensu *Ov. R. Am.* 437. Reddere obscena. *Plin.* 8, 42, 66. de equis: Scythae per bella feminis uti malunt, quoniam urinam, cursu non impedito, reddunt. *Id.* 28, 15, 61. Urina calculum reddere. ℙ Emittere, edere, est etiam in his, *Ov. Met.* 11, 608. Janua, quae verso stridorem cardine reddit. *Plin.* 16, 35, 63. Admota auribus lenem sonum reddit. *Id.* 37, 2, 11. *n.* 1. Flammam ab electro reddi. ℙ Item referre, seu dicendo vel scribendo persequi, seu narrare ea, de quibus nos acturos polliciti sumus. *Cic. Brut.* 74. Sed perge, Pomponi, de Caesare, et redde quae restant. *Varr. R. R.* 3, 17. Tertium actum de pastionibus villaticis postea tibi reddam. *Plin.* 30, 2, 7. Cetera placita eorum suis reddemus locis. Adde *Tac. A.* 4, 67. ℙ Item referre, seu repetere quae audita sunt. *Hor. Od.* 4, 6, 41. Nupta jam dices: ego Diis amicum, Saeculo festas referente luces, Reddidi carmen. *Id. Ep.* 1, 18, 13. Ut puerum credas saevo dictata magistro Reddere. *Cic. Brut.* 88. Fuit memoria tanta, ut quae secum commentatus esset, ea sine scripto verbis eisdem redderet, quibus cogitavisset. [*V. *Boettich. l. l.*] ℙ Item respondere. *Ov. Met.* 6, 329. Faunine foret tamen ara, rogabam, Indigenaene Dei; cum talia reddidit hospes; et *ib.* 3, 361. de Echo: Reddere de multis ut verba novissima posset. *Lucr.* 4, 462. dicta; et *Virg. A.* 6, 688. datur ora tueri, Nate, tua, et notas audire, et reddere voces. Adde *ib.* 1, 409. ℙ Item ex una in aliam linguam vertere. *Cic. Or.* 1, 34. Cum ea, quae legerem Graece, Latine redderem. *Id. opt. gen. Or.* 5. In quibus non verbum pro verbo necesse habui reddere. ℙ Item referre, *h. e.* similem esse, exprimere, et quasi instaurare imaginem alterius. *Lucan.* 1, 538. Jam Phoebe toto fratrem cum redderet orbe. *Sen. Herc. Fur.* 1016. natus hic vultus tuos, habitusque reddit. *Sil.* 2, 635. reddentia formam Ora tuam laceras. *Plin. ep.* 7, 19. *med.* Illam tantae feminae matrem rursus videor amittere, quam haec, ut reddit ac refert nobis, sic auferet secum. *Virg. A.* 6, 768. et qui te nomine reddet Silvius Aeneas. *Stat. Ach.* 2, 189. Ut vero accessit propius, luxque aemula vultum Reddidit, et similem tandem se vidit in auro, etc. De similitudine stili *Plin. ep.* 9, 22. In litteris veteres aemulatur, exprimit, reddit. *Stat. Sil.* 4, 7. *extr.* Orsa Sallustl brevis, et Timavi Reddis alumnum. De pictoribus *Petr. Sat.* 29. Hic quemadmodum ratiocinari didicisset, dein dispensator factus esset, omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat. [*Cf. *Boettich. l. l.*] ℙ De aliis rebus. *Plin.* 36, 23, 55. Odorem croci saporemque reddit; et 35, 6, 27. Purpurissum Indicum reddit flammam excellentis purpurae. *Id.* 34, 12, 32. Limus imaginem quandam uvae reddit. ℙ Item rependere, persolvere. *Cic. Off.* 1, 15. *med.* Duo genera liberalitatis, unum dandi beneficii, alterum reddendi. *Colum.* 4, 3. *med.* Bene positam vineam nunquam non cum magno fenore gratiam reddidisse. ℙ *Reddere vota*, solvere. *Just.* 10, 10. *med.* Tyrum se ire velle ad vota Herculi reddenda. *Cic. Leg.* 2, 9. *f.* Caute vota reddunto. *Prop.* 2, 15, 19. captare feras, et reddere pinu Cornua: *scil.* tanquam voto debita, et Dianae sacra. Hinc habet locum in sacris. *Virg. G.* 2, 194. Lancibus et pandis fumantia reddimus exta. Ubi *Serv.:* Sacerdotum usus verbo: *reddi* enim dicebantur exta, cum probata et elixa arae superponebantur. *Ov. Fast.* 6, 476. Flavaque Thebanae reddite liba Deae. Adde *Tac. H.* 4, 53., *Tibull.* 1, 3, 34. et *Stat. Th.* 4, 466. ℙ *Reddere nomen alicui*, suum alicui nomen tribuere, suo aliquem proprio vocare nomine. *Ov. Trist.* 3, 6, 35. Stultitiamque meum crimen debere vocari, Nomina si facto reddere vera velis. *Plin.* 4, 12, 23. Desertis quoque insulis reddantur nomina. ℙ *Reddere poenas*, dare, persolvere poenas justitiae aut crimini debitas. *Sall. Jug.* 17. Ut ille impietatis in parentem nostrum graves poenas reddat. ℙ *Reddere* dicitur terra, quae sementem sparsum messe refundit. *Ter. Ph.* 4, 3, 74. Nunc mecum argentum attuli, fructum quem Lemni uxoris reddunt praedia. *Ov. Pont.* 1, 5, 26. Et sata cum multo fenore reddit ager. *Colum.* 2, 17. Pratum etiam in pabulo non minus reddit, quam in foeno. *Pall.* 3, 9. Amineae, ubicumque sint, vinum pulcherrimum reddunt. *Plin.* 18, 9, 20. *n.* 1. Siligineae farinae modius viginti duas libras panis reddit. ℙ Est praeterea *reddere*, facere, efficere, rem mutando, et sic mutatam alteri exhibendo. *Ter. Heaut.* 4, 5, 12. Dictum ac factum reddidi, *h. e.* statim feci. *Id. Ad.* 5, 3, 63. Tam excoctam reddam, atque atram, quam carbo est. *Id. Eun.* 2, 3, 24. Reddunt *(puellas)* curatura junceas. *Cic. Verr.* 2, 2, 34. Domum ejus exornatam atque instructam reddiderat nudam atque inanem. *Id. Caecin.* 10. Cum ita vehemens acerque venisset, ut, etc. ita eum placidum mollemque reddidi, ut, etc. *Id. Att.* 9, 17. Tu, quaeso, cogita, quid deinde: nam me hebetem molestiae reddiderunt. *Id. Cluent.* 26. Reddere aliquem iratum alicui. *Caes. B. G.* 2, 5. *f.* Loca ea tuta ab hostibus reddebat. *Ov. Fast.* 2, 389. Albula, quem Tibrin mersus Tiberinus in unda Reddidit. ℙ [*Item restituere. *Cic. Att.* 4, 3. Clodius omnes Catilinas Siciniosque reddidit. *Schütz.* in *cl. Cic.* s. h. v.] ℙ Pro facere *Non.* poni ait 4, 392. etiam illud *Lucil.* 20. Pluteos excutit, tectaque et testudines reddit. ℙ Pro tribuere, dare, usurpando compositum pro simplici. *Lucr.* 2, 63. et 141. quaeve sit ollis Reddita mobilitas magnum per inane meandi; et *ib.* 678. multa vides, quibus et color, et sapor una Reddita sunt cum odore; et *ib.* 756. si nulla coloris principiis est Reddita natura. ℙ *Reddibo* pro *reddam* comicum et antiquum est. *Pl. Cas. a.* 1. *v.* 40. Nunquam edepol jejunum est aeque, atque ego ruri reddibo te. *Id. Epid.* 1, 1, 22. Opera reddibitur tibi. Adde *fragm.* ap. *Non.* 7, 75. et 10, 28. et ap. *Prisc.* 6, 692. ℙ [*Confund. *reddo* et *redeo.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 2, 218.]

RĔDEMPTĬO et Redemtio, onis, f. ἐξώνησις, actus redimendi, conductio. *Cic. Prov. cons.* 5. Videtis, non temeritate redemptionis, aut negotii gerendi inscitia, sed avaritia, superbia, crudelitate Gabinii paene afflictos jam atque eversos publicanos; [*ubi temeritas redemptionis est, quum inconsulte vectigalia nimis magno pretio conduxerint.] *Id. Verr.* 1, 6. Ut primum e provincia rediit, redemptio est hujus judicii facta grandi pecunia. Ubi *Asconius:* Ait Cicero, artifices quosdam corrumpendorum judicum pactos esse cum Verre, et redemisse semel omnem procurationem judicii corrumpendi suo periculo, absolutionisque praestandae. *Cic. Pis.* 36. Quid ego rerum capitalium quaestiones, reorum pactiones, redemptiones, acerbissimas damnationes proferam? *h. e.* emptiones judicii et absolutionis, corruptis pecunia judicibus. *Ascon.* in *or. Cic. in toga candid. f.* Antonius redemptas habebat ab aerario vectigales quadrigas: quam redemptionem senatori habere licet per legem. ℙ Item liberatio a servitute, a vinculis, ἀπολύτρωσις. *Liv.* 25, 6. *med.* Cum captivis redemptio negabantur. *Val. Max.* 4, 3. *n.* 1. Aurum quoque, quod pro redemptione puellae allatum erat, summae dotis adjecit. (V. *Liv.* 26, 50.) *Hirt. B. Alex.* 56. Quos transmarina militia perterritos ad sacramenti redemptionem vocabat, *h. e.* ad erogationem pecuniae, qua liberarent se ab obligatione transmarinae militiae.

RĔDEMPTĬTO et Redemtito, as, a. 1. frequent. a *redempto*, quod a *redimo. Festus:* Redemptitavere item ut clamitavere. Cato in ea, qua egit de signis et tabulis: Honorem temptavere, ait, malefacta benefactis non redemptitavere, *h. e.* compensavere. Sic *Sen. Excerpt. controv. praef.* 4. *f.* Redimebat tamen vitia virtutibus.

RĔDEMPTO, vel Redemto, as, a. 1. frequent. a *redimo. Tac. H.* 3, 34. A propinquis occulte redemtabantur. Alii leg. *redimebantur.*

RĔDEMPTOR et Redemtor, oris, m. qui redimit. *Festus:* Redemptores proprie atque antiqua consuetudine dicebantur, qui, cum quid publice faciendum aut praebendum conduxerant, effecerantque, tum demum pecunias accipiebant: nam antiquitus emere pro accipere ponebatur. At ii nunc dicuntur redemptores, qui quid conduxerunt praebendum utendumque. Haec *Festus*, cujus postrema verba post *At ii*, videntur esse ex epitoma *Pauli*, more suo pauca redigentis, quae fusius a *Festo* dicta fuerant. *Redemptor operis* est, qui in se suscipit aliquid faciendum, pacta mercede, lucri causa, ἐργολάβος: v. gr. qui domum faciendam conducit, onera transvehenda, aedificium reficiendum, aut tectum tuendum, et hujusmodi. *Cic. Div.* 2, 21. Redemptor qui columnam illam de Cotta, et de Torquato conduxerat faciendam. *Plin.* 36, 23, 55. In antiquarum aedium legibus invenitur, ne calce recentiore trima uteretur redemptor; et *ib.* 2. Redemptor cloacarum. *Vitr.* 9, 3. Coronam immani pretio locavit faciendam, et aurum ad sacoma appendit redemptori. *Plin.* 35, 3, 4. Redemptor tutelae Capitolii. *Cato R. R.* 137. in lemmate: Vineam redemptori curandam partiario des. *Hor. Ep.* 2, 2, 72. Festinat calidus mulis gerulisque redemptor. *Cic. Inv.* 2, 31. Hostias nisi ad sacrificium redemptor praebuisset. *Liv.* 34, 9. *f.* Redemptoribus vetitis frumentum parare, *h. e.* qui alendi exercitus curam susceperant. *Sicul. Fl. de condit. agror.* p. 9. *Goes.* Viae per redemptores muniuntur. ℙ *Redemptor vectigalium*, vel *pontis*, qui a populo, vel principe certa pecunia emit vectigalia exigenda, ut ea exactione quaestum faciat. *Papin. Dig.* 50, 5, 8. Fisci vectigalium redemptores. *Labeo ib.* 19, 2, 60. *f.* Cum pontem transiret, redemptor ejus pontis portorium ab eo exigebat. ℙ *litium*, seu *causarum*, qui lites alienas pretio mercatur, et peragendas suscipit suo periculo, quaestus causa. *Ulp. ib.* 1, 16, 9. Si quos causarum concinnatores, vel redemptores deprehendat. *Impp. Arcad. et Honor. Cod.* 2, 15, 1. *extr.* Calumniarum redemptores. ℙ *Redemptor ab aerario* videtur esse, qui, certa pecunia proposita, tributa aerario debita exigenda emerat, ut ex ea exactione quaestum faceret. *Inscr.* ap. *Donat.* 323, 6. P. Turpilius A. L. Phronimus redemptor ab aer. ℙ Denique redemptor est, qui alium a servitute, aut a poena pretio liberat, λυτρωτής. Ita jure ac vere appellatur JESUS CHRISTUS Deus, Dei filius, qui a peccati servitute, et a maledicto legis humanum genus pretio sui sanguinis eripuit. *Hieron. ep.* 66. *n.* 8. *f.* Christus redemptio, idem redemptor ac pretium. *August. serm.* 130. *n.* 2. *med.* Venit redemptor, et victus est deceptor.

RĔDEMPTRIX et Redemtrix, icis, f. quae redimit. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 773. de lingua Machabaeo puero abscindenda: Prima offeratur in sacramentum necis, Et sit redemptrix prima membrorum omnium. *Coripp. Laud. Just.* 4, 297. ex tribus una E coelo veniens mundi Persona redemptrix.

RĔDEMPTŪRA et Redemtura, ae, f. ἐξώνησις, negotiatio, quae redimendo, seu conducendo fit. *Liv.* 23, 48. *f.* Cohortandos, qui redempturis auxissent patrimonia, ut reipublicae, ex qua crevissent, ad tempus commodarent. *Ulp. Dig.* 14, 3, 5. Mercaturis, redempturisque faciendis quempiam praeponere.

RĔDEMPTUS et Redemtus, a, um, part. a *redimo:* ἐξωνηθείς, qui faciendus aut praebendus pretio suscipitur, lucri causa. *Varr. L. L.* 5, 9. *med.* Qui de censoribus classicum ad comitia centuriata redemptum habent. *Caes. B. G.* 1, 18. Dumnorigem complures annos portoria, reliquaque omnia Aeduorum vectigalia parvo pretio redempta habere. ℙ Item iterum emptus. *Pl. Merc.* 2, 6, 31. Tuo hero redempta es rursum: ego redemi te. *Ulp. Dig.* 28, 5, 9. *f.* Servus cum libertate heres institutus, si sit alienatus, juberi adire ab eo potest, cui alienatus est: sed si redemptus sit a testatore, institutio valet. ℙ Item pretio liberatus a servitute, a poena, λυτρωθείς. *Virg. A.* 9, 213. Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemptum Mandet humo solita. *Albinov.* 1, 431. Hector redemptus ad ignes. *Ov. Am.* 1, 8, 63. Nec tu, si quis erit capitis mercede redemptus, Despice, *h. e.* si quis servus suo peculio, quod paulatim genium defraudando comparavit, pretium domino pro libertate solverit. *Ulp. Dig.* 37, 6, 1. *med.* Redemptus ab hostibus. ℙ Translate. *Juven.* 4, 2. monstrum nulla virtute redemptum A vitiis. ℙ Item emptus. *Just.* 43, 5. *f.* Massilienses aurum publicum privatumque contulerunt ad explendum pondus Gallis, a quibus redemptam pacem cognoverant. Adde *Mart.* 2, 63. et 12, 98. ℙ Item pretio conductus, ut quippiam praestet. *Plin. ep.* 2, 14. Sequuntur auditores actoribus similes, conducti et redempti mancipes. *Petr. Sat.* 5. Neve plausor in scena sedeat redemptus. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 5, 1, 4. Periniquum est, ut contra paternam voluntatem redempti forsitan tutoris aut curatoris admittatur arbitrium, *h. e.* pretio corrupti. Sic *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 10, 53. Aemuli corrupti ac redempti.

RĔDĔO, is, ii, raro ivi, itum, n. 4. ἐπανέρχομαι, ἐπάνειμι, me recipio, revenio, revertor: a *re* et *eo*, quasi retro eo, inserto *d* ad hiatum vitandum, ut in *redigo*, *redamo*, *redoleo*, *redundo*, etc. *Cic. Verr.* 1, 6. Ut primum e provincia rediit. *Ov. Fast.* 6, 785. Aede suburbana rediens. *Ter. Eun.* 5, 5, 25. Video rure redeuntem senem. *Id. Ph.* 2, 1, 13. Peregre rediens. *Phaedr.* 2, 8. dominus a coena redit. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *f.* Appius a Caesare nondum redierat. *Id. Att.* 13, 9. *extr.* Ad quos dies rediturus sim, scribam ad te. *Id. Quint.* 18. Statim ut Romam rediit

Quintius. *Caes. B. G.* 5, 11. Eodem, unde redierat, proficiscitur. *Id. B. C.* 3, 111. Redire domum. *Hirt. B. G.* 8, 52. ad exercitum. *Auct. B. Hisp.* 25. *f.* ad castra. *Pl. Amph.* 2, 2, 32. ad navim. *Caes. B. G.* 7, 20. ad suos. *Hor. Od.* 1, 2, 45. in coelum. *Virg. G.* 3, 316. in tecta. *Ov. Ib.* 376. Intrarunt caecae non redeunda *(tecta)* domus. *Id. Met.* 7, 200. amnes In fontes rediere suos. *Id. Fast.* 3, 161. Sol in sua signa redit. *Ter. Hec.* 3, 2, 12. Istoc verbo animus mihi rediit, et cura ex corde excessit. *Ov. A. Am.* 3, 730. Et mens, et rediit verus in ora color. *Liv.* 25, 16. Redire in amicitiam alicujus. [**Lucan.* 2, 723. flexi jam plaustra Bootae in faciem puri redeunt languentia coeli, i. e. eundem colorem accipiunt, quem purus aether habet, adeoque tandem evanescunt.] ℙ *Redire viam*, redire. Formula fuit priscorum JCtorum; *ite viam, redite viam*, ap. *Cic. Mur.* 12. Sic etiam *Virg. A.* 6, 122. Itque, reditque viam toties. ℙ Cum infin. *Id. Cir.* 172. Saepe redit patrios ascendere prodita muros. *Jul. Montan.* ap. *Sen. ep.* 122. *med.* hirundo Argutis reditura cibos immittere nidis. ℙ Passive impersonaliter. *Caes. B. C.* 3, 16. *f.* Interea manerent induciae, dum ab illo rediri posset. *Pl. Men. prol.* 49. Epidamnum pedibus redeundum est mihi. *Id. Pers.* 3, 3. *f.* Dum stas, reditum oportuit. *Nep. Ep.* 8. Postquam domum reditum est. *Liv.* 8, 11. Cum conversis signis retro in urbem rediretur. ℙ De iis, quae stato tempore recurrunt. *Prop.* 2, 24, 1. Tristia jam redeunt iterum solemnia nobis. *Virg. A.* 8, 47. redeuntibus annis. *Mart.* 4, 1. redeuntia saecula. *Hor. Od.* 4, 7, 1. Redeunt gramina campis. *Ov. Fast.* 3, 237. arboribus frondes. *Virg. G.* 2, 401. redit agricolis labor actus in orbem. ℙ *Res redire* contrarium est *rebus prolatis.* V. PROLATUS. *Pl. Capt.* 1, 1, 17. Prolatis rebus, parasiti invenatici sumus: quando res redierunt, molossici. V. INVENATICUS. Adde *Cic.* in *Sen.* 11., ubi alii aliter leg. ℙ *Redire* dicuntur fructus, qui ex fundis aliisque rebus percipiuntur: quia quotannis veniunt. *Nep. Them.* 2. Pecunia publica, quae ex metallis redibat; et *ib.* 10. Ex qua regione quinquaginta ei talenta quotannis redibant. *Mart. Mart.* 4, 37. Ex pecore redeunt ter ducena Parmensi. *Varr. R. R.* 1, 44. Ut ex eodem semine aliubi cum decimo redeat, aliubi cum quintodecimo, ut in Etruria, et locis aliquot in Italia: in Sybaritano dicunt etiam cum centesimo redire solitum. Adde *ib.* 2. *med.* ℙ Item hereditas, quae ad aliquem pervenit. *Ter. Hec.* 1, 2, 97. Ea ad hos redibat lege hereditas; et *Andr.* 4, 5, 4. Ejus morte ea ad me lege redierunt bona. ℙ Item qui post digressionem revertuntur ad propositum. *Sall. Jug.* 4. et 46. *extr.* Nunc ad inceptum redeo. *Nep. Ages.* 4. Sed illuc redeamus. *Cic. Att.* 7, 1. *f.* Atque haec de rebus forensibus redeamus domum. *Id. Leg.* 3, 8. Sed jam, si placet, de provinciis decedatur, in urbemque redeatur. *Hor. Sat.* 1, 1, 108. Illuc, unde abii, redeo. ℙ *Redire ad pauca*, ad breviloquentiam, post digressionem rursus orationis compendium facere. *Ter. Hec.* 1, 2, 60. et *Ph.* 4, 3, 43. ℙ *ad se*, ad sanitatem mentis. *Ter. Ad.* 5, 3, 8. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi. *De.* Repressi, redii: mitto maledicta omnia. ℙ *ad se, ad mores suos, ad ingenium*, ad naturam suam: suos mores resumere, sive bonos, sive malos. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Id, quod animum induxerat paulisper, non tenuit, sed cito ad se rediit. *Id. Div. Verr.* 17. *extr.* Redit ad se, atque ad mores suos. *Ter. Ad.* 1, 1, 45. Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet: si ferat fore clam, rursum ad ingenium redit. ℙ *in viam*, ad bonam frugem, resipiscere. *Id. Andr.* 1, 2, 19. Te oro, Dave, ut redeat jam in viam. *Cic. Phil.* 12, 2. *f.* Quod si erratum est, redeamus in viam, optimus est portus poenitenti mutatio consilii. ℙ *in gratiam cum aliquo*, reconciliari. *Caes. B. C.* 1, 4., *Cic. Prov. cons.* 9. et *Nep. Alc.* 5. Sic *Id. Att.* 17. Se nunquam cum matre in gratiam redisse, *h. e.* nunquam cum matre in simultate fuisse, ut opus esset reconciliatione. ℙ *Redire in memoriam*, non est proprie reminisci, sed curare, ut reminiscaris, memoria repetere. *Cic. Quint.* 18. Discedens in memoriam rediit Quinius, quo die profectus sit. Ad ephemeridem revertitur, invenitur dies profectionis prid. cal. Febr. Adde *Sen.* 7. et *Ter. Ph.* 5, 3, 19. ℙ *Redire animo* dicitur id, cujus recordatio subit. *Plin. ep.* 8, 23. *med.* Redit animo ille latus clavus, redeunt illa suffragia, illi sermones, etc. ℙ Pro venire. *Caes. B. C.* 3, 93. Pilis missis ad gladios redierunt. *Hirt. B. Afr.* 18. Cum ab hostibus eodem modo pugnaretur, nec cominus ad manus rediretur. *Cic. Rosc. Am.* 44. Haec bona in tabulas publicas nulla redierunt. *Sil.* 2, 223. tantone cavetur Mors reditura metu? ℙ Pro redigi, recidere, venire. *Caes. B. G.* 5, 46. Etsi opinione trium legionum dejectus, ad duas redierat; et *Ter. Heaut.* 5, 1, 58. Mihi illaec vero ad rastros res redit; et 5, 2, 27. Adeon' rem rediisse, ut periculum etiam a fame mihi sit? *Id. Ph.* 1, 4, 24. Si eo meae fortunae redeunt, abs te ut distrahar. *Id. Heaut.* 2, 3, 118. In eum jam res rediit locum, ut sit necesse. *Caes. B. G.* 2, 8. Collis in fronte leviter fastigiatus, paulatim ad planitiem redibat; et *ib.* 6, 11. Quorum ad arbitrium judiciumque summa omnium rerum consiliorumque redeat. Adde *B. C.* 1, 4. *Ter. Fun.* 1, 2, 18. Nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique: Ego excludor, ille recipitur. Adde *Andr.* 3, 3, 35. *Ἐνώμη* est illud *Sen. Thyest.* 311. Saepe in magistrum scelera redierunt sua. ℙ *Redeuntum* pro *redeuntium* ap. *Sil.* 6, 571. Jamque ubi conspectu redeuntum visa propinquo Corpora, etc. ℙ *Redies, et*, pro *redibis, it*, legitur in quodam MS. *Pall.* 7, 7. *f.* Tunc ad alvearium rediet; et *Appul. Met.* 6. Ad istum coelestium siderum redies chorum. V. dicta in EO, is. ℙ *Redeam* pro *redibo* videtur esse in illo *Pl. Aul.* 2, 3, 6. Curata fac sint, cum a foro redeam domum. ℙ Praeteritum *redivi* perrarum est. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 401. Si tamen non ad te hoc redivit, hoc carebis commodo. ℙ *Redinunt* pro *redeunt.* V. infra s. l. ℙ [*Confund. *redeo* et *reddo.* V. h. v. *in f.*]

RĔDERGŪISSĔ per e litteram Scipio Africanus Pauli filius dicitur enunciasse, ut idem etiam *pertisum. Fest.*

REDHĪBĔO, es, ui, itum, a. 2. [*a *re* cum *d* ἐφελκυστικῷ et *habeo.* V. *Beier. ad Cic.* l. *mox.* l.] facio, ut venditor rursus habeat, quod habuerat. *Ulp. Dig.* 21, 1, 21. Redhibere est facere, ut rursus habeat venditor, quod habuerat: et quia id reddendo fiebat, idcirco redhibitio est appellata quasi rehabitio. Aliqui leg. *quasi redditio. Cic. Off.* 3, 23. *f.* Dicenda vitia ea, quae nisi dixeris, redhibeatur mancipium jure civili. [*V. *Beier.*] *Pl. Merc.* 2, 3, 84. Dixit se redhibere, si non placeat, *h. e.* dixit venditor, se recepturum ancillam, restituto pretio, si ea non placeat. *Id. Most.* 3, 2, 113. Si male emptae forent, nobis istas redhibere haud liceret, *h. e.* si plus aequo pretio emptae forent, non liceret nobis venditori restituere, pretio recepto. Adde *Gell.* 4, 2. Ex quibus exemplis patet, hoc verbum duplicem habere significationem: nam si ad emptorem refertur, significat venditorem ad recipiendum cogere; si ad venditorem, significat recipere, et quasi retro habere. ℙ Pro exhibere, et reddere simpliciter. *Pl. Men.* 5, 7, 49. Salvum *(argentum)* tibi item, ut mihi dedisti, redhibebo. *Non.* 7, 75. legit, *reddibo*, scil. pro *reddam.*

REDHĪBĪTĬO, onis, f. *ἀναγωγή.* V. v. praec. *Tert. Resurr. carn.* 32. Redhibitio carnis et sanguinis. ℙ JCtis est actionis nomen, quae et actio redhibitoria vocatur. Ea vero actio contra eum intentatur, qui quod corruptum commutaverit, vendideritve, cogitur restituere pretium, et retro quod tradiderat, accipere. *Quint.* 8, 3. Aut in mancipii redhibitione sudare. *Gell.* 4, 2. *med.* Si mulier concipere fetus non posset, sanam non videri, et esse in causa redhibitionis. *Paul. Dig.* 21, 1, 60. Redhibitionem facere.

[REDHĪBĪTOR, oris, m. qui redhibet. *Gloss. Phil.* Redhibitor, *ἀνάδοχος.* F.]

REDHĪBĪTORĬUS, a, um, adj. ad redhibendum spectans. *Pomp. Dig.* 21, 1, 48. Si sex mensium exceptione redhibitoria exclusus, velit intra annum aestimatoria agere. *Papin. ib.* 54. Actioni redhibitoriae non est locus, si mancipium, etc. *Caj. ib.* 18. Aut redhibitorio, aut aestimatorio judicio agere potest.

REDHĪBĪTUS, a, um, part. a *redhibeo*, redditus. *Fest.* Redhibitum id proprie dicitur, quod redditum est, improbatumque; et qui dedit, idem rursum coactus est habere id, quod ante habuit. *Gell.* 17, 6. Servus nequam et nulli pretii, qui cum venum esset datus, redhibitus ob aliquod vitium, receptusque sit. V. REDHIBEO.

REDHOSTĬO, is, a. 4. gratiam refero; nam hostire pro aequare positum est a veteribus, teste *Festo*, qui *Naevii* et *Attii* allatis verbis id confirmat. *Non.* 2, 740. interpretatur, reddere: et affert eundem *Attii* locum, et alium praeterea, sed ambo corrupta plane, et desperata.

RĔDĪCO, is, a. 3. rursus, aut saepe dico. *Sidon. ep.* 9, 13. *med.* His proferendis confabulatio frequens, his redicendis sollicitus auditus inserviat.

RĔDĪCŬLUS, i, m. Deus quidam, quem Romani bello Punico secundo excogitavere, eique fanum dedicarunt extra portam Capenam, quia accedens ad Urbem Annibal, visis quibusdam perterritus, ex eo loco redierit. *Festus.* Adde *Plin.* 1, 43, 60. V. TUTANUS.

RĔDĪGO, igis, ēgi, actum, a. 3. *ἀνάγω*, rursus, aut retro ago, reduco: a *re* et *ago*, inserto *d*, ut in REDEO *ab in.* dictum est. [*Eleganter *B. Crusius* in *cl. Suet.* p. 664. sq. hujus verbi significationem ita descripsit: *Redigere* propr. est reducere ad aliquem locum, numerum, ordinem, intra quem quid consistat, nostr. *auf etwas zurückführen, zu etwas bringen, machen*, etc.] *Lucr.* 5, 405. Disjectosque redegit equos, junxitque trementes. *Ov. Fast.* 3, 64. Et redigunt actos in sua rura boves; et *ib.* 4, 511. Filia parva duas redigebat rupe capellas. *Varr. R. R.* 2, 5. Jam denique tauros in gregem redigo. ℙ Item retro ago, h. e. repello, retro adigo. *Liv.* 21, 9. Oppidani fusum fugatumque hostem in castra redigunt. *Id.* 26, 12. *f.* Multati virgis, manibusque praecisis Capuam rediguntur. ℙ Item ago, pello. *Just.* 9, 4. Principes civitatis in exsilium redegit. ℙ Item vi adduco, impello, adigo, pertraho. *Ter. Heaut.* 5, 1, 55. Abeat potius, quam per flagitium ad inopiam redigat patrem; et *ib.* 72. Ut ejus animum, qui nunc luxuria diffluit, retundam, et redigam, ut quo se vertat, nesciat. *Liv.* 28, 21. Barbaros sub jus ditionemque redigere. *Caes. B. G.* 7, 13. *extr.* Quod, eo oppido recepto, civitatem Biturigum se in potestatem redacturum confidebat. Adde *Nep. Pel.* 5. *Id. Milt.* 1. et 2. Cum incolas ejus insulae sub potestatem redigere vellet Atheniensium. *Id. Timoth.* 2. Corcyram sub imperium Atheniensium redegit. *Cic. Phil.* 4, 5. *extr.* Bellicosissimas gentes in ditionem hujus imperii redegerunt. *Just.* 6, 5. Spartani ad summam desperationem rediguntur; et *ib.* Ne in pristinam sortem servitutis redigerentur. *Lucr.* 5, 875. et *Cic. fr.* ap. *Lactant.* 7, 11. Redigere aliquid ad interitum. *Mart. Dig.* 5, 5, 5. in dominium. *Id. ib.* 48, 6, 1. ad poenam. ℙ Item quocumque modo adduco, reduco, traho. *Ter. Ph.* 2, 3, 36. Ego me nego nosse: tu, qui ais, redige in memoriam. [**Rut. Lup.* 2, 7. p. 153. redigere vos in memoriam: quam lectionem *Ruhnk.* ab emendatione: *redigere vobis in memoriam*: ita defendit, ut vulg. ea ratione capi posse doceat, qua *Cic.* dixerit *Fl.* 25. revocarem animos vestros ad Mithridatici belli memoriam.] et 5, 7, 73. Redigere aliquos in gratiam; et *Liv.* 26, 37. *f.* victoriam ad vanum et irritum; et *Lucr.* 1, 790. ad nihilum. *Colum.* 4, 3. *med.* ad ultimam maciem. *Caes. B. C.* 1, 76. *extr.* rem ad pristinam rationem; et *B. G.* 2, 27. Quae facilia ex difficillimis animi magnitudo redegerat. *Ov. Met.* 6, 199. Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum. *Varr. R. R.* 1, 1. *f.* Hosce ipsos utiliter ad sex libros redegit Diophanes. *Plin.* 20, 9, 36. Redigere cicatrices ad planum. *Id.* 30, 13, 39. carnes excrescentes ad aequalitatem. *Id.* 23, 7, 71. sextarios tres succi leni vapore ad crassitudinem mellis. *Id.* 18, 3, 4. farris pretium ad assem. ℙ *Redigere aliquid ad verum*, considerando atque inspiciendo videre et intelligere quod veri in re est. *Sen. ep.* 13. *med.* Nemo resistit sibi, cum coeperit impelli: nec timorem suum redigit ad verum. *Id. ep.* 45. *med.* Ecce tibi tota vita mentitur: hanc coargue: hanc ad verum, si acutus es, redige. *Hor. Od.* 1, 37, 14. Mentemque lymphatam Mareotico Redegit in veros timores, *h. e.* eo perduxit, ut timeret, quae vere timenda sunt. ℙ *Redigere in ordinem* est *ordinare*, ordine disponere. *Auct. ad Her.* 3, 9. Dispositio est, per quam quae invenimus in ordinem redigimus. ℙ Est etiam idem quod *in ordinem cogere*, de quo V. in ORDO. Unde *Quint.* 1, 4. Veteres grammatici auctores alios in ordinem redegerunt, alios omnino exemerunt numero, *h. e.* inter vulgares, ignobiles, indoctosque scriptores enumerarunt. [*Male ita Noster. Melius *Ruhnk.* in *hist. crit. oratt. gr.* p. 61. *ed. Fr.* docet: *in ordinem, in numerum redigi* proprie dici scriptores, quos Critici in canonem aliq. retulissent: Gr. *ἐγκρίνεσθαι.* Cf. *Spald.* ad *Quint. l. c.*] ℙ *in numerum*, enumerare cum aliis ejusdem generis. *Quint.* 10, 1. *med.* Apollonius in ordinem a grammaticis datum non venit, quia Aristarchus atque Aristophanes, poetarum judices, neminem sui temporis in numerum redegerunt, *h. e.* inter poetas enumerarunt. ℙ *in versum*, efficere, ut sit versus. *Id.* 9, 4. *med.* Nihil est prosa scriptum, quod non redigi possit in quaedam versiculorum genera. ℙ Significat etiam colligere, cogere. *Ulp. Dig.* 36, 4, 5. *med.* Heredem colere agros, et fructus redigere. *Id. ib.* 22, 1, 46. Quod in redigendos fructus impensum est, etc. *Pall.* 10, 8. Ex farragine semen redigere. ℙ *Redigere pecuniam* est vel a variis debitoribus repetitam colligere, vel ex rebus venditis conficere, et ad se recipere. *Hor. Epod.* 2, 67. fenerator Alfius, Jam jam futurus rusticus, Omnem redegit idibus pecuniam: Quaerit calendis ponere. Alii leg. *relegit. Cic. Agr.* 2, 36. Cum omnem pecuniam ex aerario exhausissetis, ex vectigalibus redegissetis, ab omnibus regibus coegissetis. *Id. Div. Verr.* 17. Deinde bona vendit, pecuniam redigit. *Liv.* 5, 16. *med.* Bona incognita sub hasta veniere, quodque inde redactum, militibus est divisum. *Pl. Pers.* 2, 5, 23. Atque ego omne argentum tibi actutum redigam, *h. e.* aliquid vendendo conficiam et reddam. *Quint. decl.* 269. Si vendita esse omnia, si in pecuniam redacta constabit. [*V. *Burm.* ad h. l.] ℙ Colligendi et coacervandi vim habet etiam in his. *Cic. Phil.* 5, 4. *extr.* Aliqua redigere in unum. *Id. Verr.* 2, 3, 73. Cum omnis frumenti copia penes istum esset redacta. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 20. *Quaestorem*, eum ad quem rediguntur pecuniae ex proscripti bonis, et a quo sociis adnumerantur. *Liv.* 5, 19. *med.* Ingenti praeda est potitus, cujus pars maxima ad quaestorem redacta est: haud ita multum militi datum. ℙ Simul etiam conferendi, attribuendi, assignandi. *Ulp. Dig.* 17, 2, 52. et 73. Redigere aliquid in commune. *Liv.* 2, 42. Quidquid captum ex hostibus est, vendidit consul, ac redegit in publicum. *Tac. H.* 4, 72. Redigere praedam in fiscum. *Julian. Dig.* 10, 2, 51. Fructus post litem contestatam percepti ad eum redigendi sunt.

[RĔDĪMĬAE, arum, f. plur. pecuniae pro redimendo captivo datae. *Gloss. Phil.* Redimiae, *χίτρα.* F.]

[RĔDĪMĬCŬLO, as, a. 1. redimiculum solvo. *Gloss. Phil.* Redimiculat, *ἀναλύει δέσματα.* F.]

RĔDĪMĬCŬLUM, i, n. *κάλυντρον, ἀναδέσμη, στρόφιον, ταινία*, fascia, taenia, muliebre ornamentum capitis, aut colli. *Isid. Or.* 19, 31. Redimicula sunt, quibus mitra adligatur. *Cic. Verr.* 2, 3, 33. Haec

civitas mulieri redimiculum praebeat, haec in collum, haec in crines. *Virg. A.* 9, 616. Et tunicae manicas, et habent redimicula mitrae. *Juven.* 2, 84. Qui longa domi redimicula sunt Frontibus, et toto posuere monilia collo. *Ov. Fast.* 4, 135. Aurea marmoreo redimicula solvite collo. *Id. Met.* 10, 264. Dat digitis gemmas, longoque monilia collo: Aure leves baccae, redimicula pectore pendent. [*Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) *f.* Pampinos *(vitis)* ita pulcros esse, ut necterentur ex eis Libero thyrsi, corona Sileno, Nymphis Bacchisque redimicula, *h. e.* taeniae circa collum, pectus, brachiaque, ut videre est in vetustis anaglyptis. *F.*] ℙ Translate est laqueus, vinculum, nodus, quo quis tenetur, ne abeat longius. *Pl. Truc.* 2, 4, 41. Ut esset aliquis laqueus et redimiculum, reversionem ut ad me faceret denuo. ℙ *Paul.* ex *Festo*, redimiculum, inquit, vocant mulieres catellam (*h. e.* catenulam), qua maxime utuntur ornatus causa.

RĔDĪMIO, is, ivi, itum, a. 4. *ἀναδέω*, cingo, corono, orno. *Cic. Tusc.* 3, 18. *f.* Incendes odores, et sertis redimiri jubebis, et rosa. *Stat. Silv.* 1, 5, 16. crinem redimire corymbis. *Lucr.* 5, 1398. caput atque humeros plexis corollis. *Ov. Her.* 9, 63. mitra capillos. *Id. Am.* 1, 11, 25. lauro tabellas. *Mart.* 8, 70. frontem corona. ℙ Translate. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 98. Nec sic innumeros arcu mutante colores Incipiens redimitur hiems. ℙ Universim pro cingere, circumdare. *Suet. Aug.* 91. Fastigium aedis tintinnabulis redimivit. Est qui leg. *redimiit. Auson. epigr.* 94. Punica turgentes redimibat zona papillas: pro *redimiebat.* Sic *Virg. A.* 10, 538. Infula cui sacra redimibat tempora vitta.

RĔDĪMĪTUS, a, um, part. a *redimio*, *στεπτός*, coronatus, circumdatus. *Cic. Cat.* 2, 5. Accubantes in conviviis, vino languidi, conferti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti. *Catull.* 64, 193. Eumenides, quibus anguino redimita capillo Frons. *Tibull.* 1, 8, 45. Frons redimita corymbis. *Id.* 3, 4, 23. redimitus tempora lauro. *Val. Fl.* 1, 278. vittis. *Ov. Fast.* 6, 483. hedera capillos; et *ib.* 3, 669. mitra; et 269. coronis; et *ib.* 4, 661. frontem papavere; et *Met.* 9, 3. arundine crines. *Flor.* 3, 19. *med.* Regium in morem frons redimita. ℙ Item universim cinctus, circumdatus. *Cic. Somn. Scip.* 6. Terra quasi quibusdam redimita et circumdata cingulis. *Catull.* 63, 3. Adiitque opaca silvis redimita loca Deae. *Sen. Oed.* 488. Naxos Aegaeo redimita ponto. *Catull. l. c.* 66. Mihi floridis corollis redimita domus erat, *h. e* ornata in postibus et januis. *Stat. Achill.* 1, 612. Redimitum missile, *h. e.* thyrsus Bacchi.

RĔDĪMĪTUS, us, m. actus redimiendi, coronatio. *Solin.* 33. Plurimis crines intonsi, mitrata capita, redimitu pari. *Salm.* hanc lectionem appellat ineptissimam et falsam. Itaque legit *mitrata capita, pars rasa in cutem barba.*

RĔDĪMO, is, emi, emptum, et emtum, a. 3. *ὠνέομαι*, iterum emo, rem alienatam occupatamve recupero, pretio recipio: a *re* et *emo*, inserto *d*, ut in REDEO dictum est. *Quint. decl.* 12, 25. *extr.* Veniit frumentum lucro, redemptum est patrocinio. *Cic. Phil.* 13, 5. Pompejo sua domus patebit: eamque non minoris, quam emit Antonius, redimet: redimet, inquam, Cn. Pompeji domum filius. *Id. Att.* 11, 13. *med.* Frusinatem fundum redimere. *Liv.* 38, 60. *extr.* Quae necessaria ad cultum erant, redempta ei a proximis cognatis sunt. ℙ Item invicem emo. *Pl. Men.* 4, 2, 109. et 4, 3, 4. Orabo, ut mihi pallam reddat, quam dudum dedi: aliam illi redimam meliorem. *Plin.* 6, 28, 32. de Arabib.: Gentes ditissimae, ut apud quas maximae opes Romanorum Parthorumque subsistant, vendentibus quae e mari, aut silvis capiunt, nihil invicem redimentibus. ℙ Et pro emo simpliciter. *Mart.* 6, 60. Et redimunt soli carmina docta coci. [*Signif. *redimere* nostr. *ankaufen, an sich kaufen.* Ita *Suet. Claud.* 16. redimi concidique coram imperavit (essedum argenteum). Adde *Gr.* 8. quos libros Orbil. suppressos redemisse se dixit.] V. REDEMPTUS. ℙ Item liberare a servitute, a poena, molestia, pretio persoluto, *ἀπολυτρόω*. *Pl. As.* 1, 1, 92. Quid, si forte insidias devenero? tu redimes me, si hostes interceperint? *De.* redimam. *Liv.* 22, 59. Majores quoque acceperamus se a Gallis auro redemisse. *Cic. Off.* 2, 18. Redimere e servitute captos; et *ib.* 16. Suis facultatibus captos a praedonibus redimunt. [**Vell.* 2, 42, 2. Quae nox eam diem secuta est, qua publice civitatium pecunia redemptus est.] ℙ Urbane. *Cic. Sull.* 11. *f.* Ego vitam omnium civium, statum orbis terrae, urbem hanc denique, quinque hominum amentium ac perditorum poena redemi. *Id. Mil.* 32. Pecunia se palam a judicibus redemerat. *Nep. Dion. f.* Ut eum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere. *Petr. fragm. Trag.* 72. *Burm. f.* Jamdudum se redemerat a cane: quidquid enim acceperat de coena, latranti sparserat. *Ov. R. Am.* 229. Ut corpus redimas, ferrum patieris, et ignes, *h. e.* a morbo liberes. *Plin.* 37, 1, 2. Redimere se ab invidia fortunae. *Tac. Agr.* 6. Redempturus mutuam dissimulationem mali. ℙ *Redimere malum* est arcere, propulsare, aut pretio, aut industria. *Cic. Fam.* 2, 16. Nulla est acerbitas, quae non omnibus impendere videatur: quam quidem ego a republica meis privatis et domesticis incommodis libentissime redemissem. *Id. Verr.* 2, 5, 44. Metum virgarum navarchus pretio redemit. *Ulp. Dig.* 49, 14, 29. Redimere delatorem, *h. e.* pretio corrumpere, ne deferat. *Ov. Pont.* 3, 1, 105. Si mea mors redimenda tua (quod abominor) esset. ℙ *culpam, scelus*, luere, pro culpa satisfacere. *Ov. Am.* 3, 3, 21. Ut sua per nostram redimat perjuria poenam. *Sall. Cat.* 14. Alienum aes grande conflaverat, quo flagitium, aut facinus redimeret. *Plin. Pan.* 28. Nullam congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem redemisti. Adde *Planc. ad Coss.* etc. *Fam.* 10, 8. Sic *Sen. Excerpt. controv. praef.* 4. *extr.* Redimebat tamen vitia virtutibus: et plus habebat, quod laudares, quam quod ignosceres. [*V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 17, 49. vitium auctore redemit; et ad *Vell.* 2, 87, 1. adeo, ut multa desidiae crimina morte redimeret.] ℙ *aliquid*, pretio sibi comparare, acquirere. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 11. *f.* Aequo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat atque otium. *Caes. B. G.* 1, 44. *f.* Quorum omnium gratiam atque amicitiam ejus morte redimere posset. *Id. B. C.* 1, 39. *extr.* Largitione redemit militum voluntates. *Sall. Jug.* 31. Jugurtha primum tantummodo belli moram redimebat, *h. e.* dilationem belli pecunia comparabat. *Cic. Verr.* 2, 5, 45. Non vitam liberum, sed mortis celeritatem redimere cogebantur parentes; et *ib.* Redimere pretio sepeliendi potestatem. *Tac. H.* 1, 46. Per latrocinia et raptus, aut servilibus ministeriis militare otium redimebant. ℙ Denique *redimere* dicitur, qui aliquid certo pretio faciendum aut praebendum suscipit, conducitque lucri causa, ut in REDEMPTOR dictum est. *Cic. Brut.* 22. Societas, quae picarias de P. Cornelio, L. Mummio censoribus redemisset. *Ulp. Dig.* 7, 8, 12. *f.* Si vestimenta texenda redemerit, vel insulam, vel navem fabricandam. [*V. *Passerat.* ad h. l.] ℙ *Redimere litem*, ejus periculum in se suscipere, pacta futuri emolumenti parte, cum obtinueris. *Cic. Rosc. Com.* 12. Societatis, non suas lites redemit, cum fundum a Flavio accepit. Adde *Papin. Dig.* 17, 1, 7. et V. REDEMPTOR. ℙ [*Confund. *redimere* et *dirimere*. V. *Burm.* ad *Calpurn. decl.* p. 806.]

RĔDĪNDŪTUS, a, um, part. ab inus. *redinduo:* ut Redindutus carnem, *Tert. Resurr. carn.* 42. *f.*

RĔDĪNUNT, redeunt, ut *prodinunt* prodeunt. *Enn.* Redinunt in patriam. *Festus.*

RĔDĪNTEGRĀTIO, onis, f. *ἀνανέωσις, καταλλαγή*, renovatio. *Macr. Sat.* 1, 11. Instauraticius dies dictus a redintegratione, ut Varroni placet. V. INSTAURATICIUS. ℙ Translate. *Arnob.* 7, 249. Sanguis detur ut corpori, et viribus redintegratio subrogetur; et *Tert. adv. Marc.* 4, 10. Redintegratio membrorum, *h. e.* sanatio a paralysi, Adde *Appul. de Mundo.* ℙ Item iteratio. *Auct. ad Her.* 4, 28. de conduplicatione: Vehementer auditorem commovet ejusdem redintegratio verbi.

RĔDĪNTEGRĀTOR, oris, m. instaurator. *Inscr.* ap. *Grut.* 459, 1. Postumio Lampadio redintegratori operum publicorum, etc. ℙ Translate. *Tert. Anim.* 43. *med.* Somnus redintegrator virium.

RĔDĪNTEGRĀTUS, a, um, part. a *redintegro:* renovatus. *Papin. Dig.* 25, 2, 30. Redintegrato matrimonio. *Caes. B. G.* 2, 23. proelio. ℙ Translate. *Id. ib.* 3, 26. Redintegratis viribus acrius impugnare coeperunt; et *ib.* 2, 25. *f.* Spe illata militibus ac redintegrato animo. *Liv.* 8, 32. Tunc Papirius redintegrata ira, spoliari magistrum equitum, ac virgas, et secures expediri jussit.

RĔDĪNTEGRO, as, avi, atum, a. 1. *ἐπανανεόω, ἀναακενάζω*, instauro, renovo, integro, innovo, quasi in integrum restituo: a *re* et *integro*, inserto *d*, ut in REDEO dictum est. Plus est quam *renovo:* nam renovantur, quae, cum propemodum perierint, reficiuntur: redintegrantur, quae penitus collapsa, iterum fiunt. *Auct. ad Her.* 2, 30. Enumeratio est, per quam colligimus et commonemus, quibus de rebus verba fecerimus, breviter: ut renovetur, non redintegretur oratio, [*i. e. non ad verbum repetatur.] *Cic. Inv.* 1, 52. Auditoris memoria redintegrabitur. *Caes. B. G.* 1, 25. Rursus instare, et proelium redintegrare coeperunt. [**Liv.* 3, 56. redintegrata extemplo est omnibus memoria foedissimae potestatis.] ℙ Translate. *Caes. B. G.* 7, 25. Cum semper hostibus spes victoriae redintegraretur. *Plin. Pan.* 61. *f.* Renovare gaudium, redintegrare laetitiam. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Ut redintegrantes rursus ad pastum alacriores faciant. ℙ [*Hinc ponitur pro recreare, reficere.] *Varr. R. R.* 3, 7. de columbis: Quod faciunt duabus de causis: una, si fastidiunt, aut inclusae consenescunt, quo libero aere, cum exierint in agros, redintegrentur. *Tac. A.* 4, 33. Nam situs gentium, varietates proeliorum, clari ducum exitus retinent ac redintegrant legentium animos. ℙ Neutrorum more. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Rursus pascunt (oves), quoad contenebravit: iterum enim tum jucunditas in herba redintegabit. ℙ Item supplere. *Caes. B. G.* 7, 31. Ut deminutae copiae redintegrarentur, imperat certum numerum militum civitatibus. [**Cic. Fam.* 11, 9. Imprimis rogo te, ad hominem ventosissimum, Lepidum mittas, ne bellum nobis redintegrare possit, i. e. instaurare, Antonio sibi conjuncto.] ℙ Est etiam repetere. *Auct. ad Her.* 4, 28. Interpretatio est, quae non iterans idem redintegrat verbum, sed id commutat alio verbo, quod idem valeat. ℙ Legitur et *reintegro. Sen. Ben.* 4, 25. Imbribus venas fontium arentes redintegrare, et infuso per occulta nutrimento renovare. Plerique tamen leg. *redintegrare.*

RĔDĪNVĔNIO, is, a. 4. rursus invenio, reperio. *Tert. Anim.* 46. *med.* Coronam auream Sophocles tragicus somniando redinvenit.

RĔDĪPISCOR, eris, redeptus sum, dep. 3. rem amissam rursus adipiscor, acquiro, assequor. *Pl. Trin.* 4, 4, 15. Inter eosne homines condalium te redipisci postulas?

RĔDĪSCO, is, a. 3. rursus disco. *Venant. Vita S. Mart.* 1, 122. gressum meditando rediscens.

RĔDĪTIO, onis, f. *ἀναστροφή*, actus redeundi, regressio. *Caes. B. G.* 1, 5. Ut domum reditionis spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeunda essent. [*V. *Moeb.* ad h. l.] *Cic. Verr.* 2, 1, 6. Industriam meam celeritas reditionis declaravit. *Varr.* ap. *Non.* 3, 192. Ne quam reditionis per gentilitatem spem haberent. *Pl. Most.* 2, 1, 30. Jube abire rursum: quid illi reditio etiam huc fuit?

RĔDĪTUS, us, m. *ἀναστροφή*, reditio, reversio. *Cic. Att.* 15, 5. *f.* Noster itus, reditus, incessus. *Id. Somn. Scip.* 2. Solis anfractus reditusque. *Id. Brut.* 63. *f.* Inter profectionem reditumque L. Sullae. *Caes. B. G.* 4, 30. His superatis, aut reditu interclusis. *Hirt. B. G.* 8, 24. *extr.* Nullum reditum habere in civitatem. *Catull.* 63, 47. Reditum ferre ad aliquem locum, *h. e.* redire; et *ib.* 79. in aliquem locum. *Nep. Them.* 5. Excludi reditu in Asiam. *Cic. Phil.* 8, 11. Quempiam prohibere reditu ad aliquem. *Id. Amic.* 4. Animis, cum e corpore excessissent, reditum ad coelum patere. Alii leg. *in coelum.* [*Ita *Orell.*] *Id. Cluent.* 42. *f.* Hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus esset. *Id. Att.* 2, 3. *f.* Reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine. *Id. Har. resp.* 24. *f.* Si reditus ei gratiae patuerit. ℙ In plur. num. *Hor. Epod.* 16, 35. reditus abscindere dulces. *Ov. Met.* 11, 576. reditusque sibi promittit inanes. *Virg. A.* 11, 54. Hi nostri reditus, exspectatique triumphi? ℙ Differt a *reversione:* est enim *reditus* ejus, qui quo intenderat, pervenit, deinde redit: *reversio* ejus, qui ante quam ad metam itineris perveniat, revertitur: item *reditus* est voluntarius, *reversio* coacta et necessaria. *Cic. Att.* 16, 7. *med.* Quam valde ille reditu, vel potius reversione mea laetatus! (V. *Fam.* 12, 25.) Hoc tamen non est perpetuum. *Cic. Fin.* 2, 31. *med.* Ut omnium siderum eodem, unde profecta sunt, fiat ad unum tempus reversio; pro *reditus. Id. Phil.* 2, 30. Qui vero Narbone reditus? et tamen quaerebat, cur ego ex ipso cursu tam subito revertissem: pro *reversio. Manut.* ℙ Est etiam proventus, fructus, quia quotannis redit. [*Gr. *πρόσοδοι.*] *Nep. Att.* 14. *f.* Omnis ejus pecuniae reditus constabat in Epiroticis et urbanis possessionibus. *Ov. Pont.* 4, 5, 19. Aut populi reditus positam componet ad hastam, *h. e.* vectigalia populi R. publice locabit, (qua de re V. etiam *ib.* 9, 45.) *Plin. ep.* 2, 4. Sunt quidem omnino nobis modicae facultates, reditus, propter conditionem agellorum, nescio minor, an incertior: sed quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur. *Ov. Am.* 1, 10, 41. Turpe, tori reditu census augere paternos, *h. e.* lucro ex vendita pudicitia. [**Suet. Cal.* 41. Quasi adjuvantium Caesaris reditus; et *ib.* 16. adjicit et fructum omnem vectigalium et reditum medii temporis. Al. *redituum.* Sunt autem *reditus* h. l. privata vectigalia, s. quae ex privatis possessionibus ad fiscum redibant. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 665.] ℙ [*Reditus* est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 109, 8. M. Aurelius Reditus. ℙ *Redditus* duplici *d* scribitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 408, 1. et 414, 2. et alibi saepissime. *F.*]

RĔDĪVĬA et Reduvia, ae, f. *παρονυχία* et *παρονυχίς*, resolutio, et abscessus cutis ad radices unguium, in manibus, aut pedibus. V. PARONYCHIA. *Festus:* Redivìam quidam, alii reluvium appellant, cum circa ungues cutis se resolvit: quia luere est solvere. Haec *Festus.* Ex voce Gracca allata factum est panaricium, et apud Italos *panereccio. Plin.* 28, 4, 8. Sordibus aurium reduvias sanari. *Id.* 30, 12, 37. Reduvias, et quae in digitis nascuntur pterygia, tollit canini capitis cinis. ℙ Proverbium est ap. *Cic. Rosc. Am.* 44. Intelligo, me ante tempus haec scrutari, et propemodum errare, qui cum capiti Sex. Roscii mederi debeam, reduviam curem, *h. e.* cum rei gravissimae consulere debeam, ea neglecta levem persequar et parvi momenti. ℙ Convicium est in malum servum illud *Titinii* ap. *Fest.* Lassitudo conservum, rediviae flagri, *h. e.* qui toties verberatur, ut conservos lasset, et flagri bubuli cutem tergo attritam in redivias rumpat. ℙ *Reduvias escarum* vocat *Solin.* 32. *med.* reliquias ciborum crocodili dentibus adhaerentes: et reduvias conchyliorum. *Id.* 9. fragmina et testas, quae affatim mari indito exspuuntur. Sunt qui leg. *reluvias.*

RĔDĪVĬOSUS et Reduviosus, a, um, adj. rediviis plenus. Translate *Laevius* ap. *Fest.* in *Rediviam:* Scabra in legendo, rediviosaque offendens, *h. e.* aspera, aut hiantia.

RĔDĬVĬUS, ii, m. *χρότων*, ricinus, musca canina: fortasse a redeundo, quia saepius redit. *Colum.* 6, 2. Et ut redivii, qui plerumque feminibus inhaerent, eximantur. Meliora exemplaria habent *ricini*.

RĔDIVĪVUS, a, um, adj. *παλίνζωος, παλίμβιος*, qui post interitum revixit, in vitam revocatus, renovatus. *Sil.* 1, 106. Gens rediviva Phrygum, *h. e.* Romani. Alii rectius leg. *recidiva*. ℙ Translate. *Id.* 10, 257. Umbraene Ausoniae rediviva in bella retractant Post obitum dextras? Alii hic quoque leg. *recidiva*: q. v. V. ℙ *Festo* redivivus est, ex vestuto renovatus. Hoc autem dicit, quia structoribus, et architectis *rediviva* vocantur lapides et materiae, quae ex diruto aedificio ita eximuntur, ut ad aliud struendum utiles sint: Graecis *παλίγκιστος* dicitur. *Vitr.* 7, 1. Rudus si novum erit, ad tres partes una calcis misceatur: si redivivum fuerit, quinque, etc. *Cic. Verr.* 2, 1, 56. Utrum existimatis minus operis esse, unam columnam efficere ab integro novam, nullo lapide redivivo, an quatuor illas reponere? et *mox:* Rediviva sibi habeat, quasi quidquam redivivi ex opere illo tolleretur, ac non totum opus ex redivivis constitueretur. ℙ [*De perpetua fere commutatione vv. *redivivus* et *recidivus* V. in h. v.]

RĔDO, onis, m. genus piscis. *Auson. Idyll.* 10, 89. Et nullo spinae nociturus acumine redo. *Ov.* idem tradit de gobio, marino pisce, *Hal.* 128. Lubricus et spina nocuus non gobius ulla. Sed *Auson.* de fluviatili pisce loquitur, in Mosella degente.

RĔDŌLĔO, es, ui, n. 2. *ἀπόζω*, odorem refero: a *re* et *oleo*, inserto *d*, ut in REDEO dictum est. [**Redoleo* et *oleo*, non aliter differre affirmat *Doederl.* 3, 132. quam *nitere* et *renitere:* ita ut *re* i. q. *intrinsecus*, et *redolere* signif. nostr. *ausduften*. V. plura in *renitere*.] Dicitur tum de bonis odoribus, tum de malis. *Cic. Phil.* 2, 25. *f.* Vomens, frustis esculentis vinum redolentibus gremium suum, et totum tribunal implevit. *Virg. A.* 1, 440. et *G.* 4, 169. redolentque thymo fragrantia mella. (Frustra est *Diomed.* qui 1, 304. putat, *thymo* ad *fragrantia* referri, non ad *redolent:* nam et *oleo* ablativum habet. Sic *Val. Max.* 1, 6. *f.* Mons Hymettus thymi flore redolens; et *Val. Fl.* 4, 15. arcano redolentem nectare rorem.) *Plin.* 11, 18, 19. de apib.: Unguenta redolentes infestant. *Ov. R. Am.* 355. Illa tuas redolent, Phineu, medicamina mensas. *Mart.* 14, 59. Delicias Nini vos redolete nurus. *Colum.* 12, 18. Cella bonis odoribus suffienda, ne quem redoleat foetorem. *Ov. Met.* 8, 675. in patulis redolentia mala canistris. *Mart.* 13, 18. Fila Tarentini graviter redolentia porri. ℙ Translate. *Cic. Brut.* 82. *f.* Mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur; et *ib.* 21. Exiliores orationes, et redolentes magis antiquitatem. *Id. Or.* 2, 25. *f.* Definitio genere ipso doctrinam redolet, exercitationemque paene puerilem. *Id. Sext.* 10. Ita domus ipsa fumabat, ut multa ejus sermonis indicia redoleret. Alii leg. *redolerent*. [**Quint.* 6, 3, 107. redolens Athenarum proprium saporem: ubi v. *Spald.* coll. *Doederl.* 3, 124.] *Val. Max.* 6, 2. *n.* 8. Municipalis homo servitutem paternam redolens: *scil.* quia libertini filius. *Capitol. Gord.* 11. Praefectus Urbis, cui nescio quid redoluerat, a conventu se abstinuit.

[RĔDŌMĬTUS, a, um, part. ab inus. *redomo*, iterum domitus. *Cic. Sull.* 1. Improbi ac perditi cives, redomiti atque victi. Ita MSS. et edit. primae, alii leg. *edomiti*. *F.* *Ita *Matth.* q., v., locum explicat, ut *redomitus* idem sit quod *denuo domitus*, sc. Sulla absoluto, quem condemnari voluerant. *Graevius*, cui assentitur *Wolff.*, *redomitus* pro simpl. *domitus* positum contendit, ut *recubor* pro *cubor*, *redimo* pro *emo*, etc.]

RĔDONĀTOR, oris, m. qui rursus donat. *Inscr. ex aevo Constantini*, ap. *Grut.* 1095, 7. Redonator viae populi, *h. e.* qui viam publicam a privatis usurpatam populo restituendam curavit.

RĔDŌNO, as, avi, atum, a. 1. *ἀναδίδωμι*, reddo, remitto. *Hor. Od.* 2, 7, 3. Quis te redonavit Quiritem Diis patriis, Italoque coelo, Pompej? *Id. ib.* 3, 3, 30. protinus et graves Iras, et invisum nepotem, Troia quem peperit sacerdos, Marti redonabo.

RĔDOPTO, as, a. 1. rursus opto. *Tert. Resurr. carn.* 4. *f.* Rursus ulcera, et vulnera, et febris, et mors redoptanda.

RĔDORDĬOR, iris, dep. 4. *ἀναπηνίζομαι*, resolvo fila jam prius texta. *Plin.* 6, 17, 20. Seres lanicio silvarum nobiles perfusam aqua depectentes frondium canitiem: unde geminus feminis nostris labor redordiendi fila, rursumque texendi. *Id.* 11, 22, 26. Telas redordiri, rursusque texere invenit in Ceo mulier Pamphila. [Haec *Plin.* ex *Aristot. Hist. anim.* 5, 19. *Τὰ βομβύκια ἀναλύονσι τῶν γυναικῶν τινες ἀναπηνίζόμεναι, κἄπειτα ὑφαίνουσι. Πρώτη δὲ λέγεται ὑφᾶναι ἐν Κῷ Παμφίλη.* Hinc patet, *redordiri* idem esse ac e glomeribus (Itali dicunt *bozzoli*) a bombyce elaboratis fila resolvere, quae mox fuso subteminis circumvoluta ad vestes texendas adhiberi solent. *F.*]

RĔDORMĬO, is, n. 4. *ἀναχομάομαι*, rursus dormio. *Plin. ep.* 9, 36. Paulum redormio, dein ammbulo. *Cels.* 1, 2. Qui parum concoxit, quiescere debet: et, si mane surgendi necessitas fuerit, redormire.

RĔDORMĪTĀTĬO, vel
RĔDORMĪTĬO, onis, f. *ἀναχοίμησις*, actus redormiendi. *Plin.* 10, 75, 98. A vino, et a cibis, atque in redormitione vana esse visa, prope convenit. *Hard.* legit *redormitatione*.

RĔDORNO, as, a. 1. rursus orno. *Tert. Resurr. carn.* 12. Redornantur et specula lunae, quae menstruus numerus attriverat.

RĔDŪCO, is, xi, uctum, a. 3. *ἀνάγω*, iterum, aut retro duco, redigo, retraho. *Liv.* 36, 35. *extr.* Demetrius ad patrem reducendus legatis datus est. *Ter. Phorm.* 1, 2, 36. Puellam sectari, in ludum ducere et reducere. *Petr. Sat.* 140. *f.* Mercurius qui animas ducere et reducere solet, *h. e.* qui virga, ut ait *Virg. A.* 4, 242., animas evocat Orco Pallentes: alias sub tristia Tartara mittit. *Pl. Capt.* 3, 5, 106. Sequere hac: reducam te ubi fuisti. *Caes. B. G.* 4, 38. Legiones, quas ex Britannia reduxerat; et *ib.* 7, 88. Copias a munitionibus reducunt; et *ib.* 5, 26. Reducere suos ab oppugnatione; et *B. G.* 2, 38. *extr.* captivos ad Caesarem; et *ib.* 1, 42. copias in castra. *Hirt. B. Afr.* 61. exercitum intra munitiones. *Caes. B. G.* 5, 23. exercitum ad mare. *Nep. Ag.* 3. exercitum Ephesum hiematum. Et absolute *Tac. A.* 1, 58. *f.* Reducere exercitum, *h. e.* post expeditionem, in hiberna aut domum reportare. *Pl. Men.* 5, 4, 19. Aliquem domum. *Cic. Acad.* 1, 1. aliquem ad villam suam. *Id. Phil.* 2, 4. aliquem de exsilio. *Id. Fam.* 1, 2. Ut tres legati regem reducerent, *h. e.* in suum regnum restituerent. [*Cf. *Schütz. cl. Cic. s.* v.] *Nep. Dion.* 6. et *Ter. Hec. aliquoties*. Uxorem reducere, *h. e.* post divortium, aut discidium revocare. [*Adde *Suet. Dom.* 3. 8. 13.] ℙ *Reducere* absolute, domum deducere. *Quint.* 12, 8. Bene comitati per forum reducuntur. *Mart.* 2, 74. Cinctum togatis post et ante Saufellum, Quanta reduci Regulus solet turba, etc. ℙ Illa etiam urbana sunt et commoda. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 8. *ad Att.* Ut Caesarem et Pompejum, perfidia hominum distractos, rursus in pristinam concordiam reducas. *Cic. ad Quir.* 6. Is me confectum consularibus vulneribus, consulari medicina ad salutem reduxit. *Id. Rab. Post.* 8. (et *Ter. Andr.* 5, 4, 45.) Reducere aliquem in gratiam. *Id. Inv.* 1, 52. aliquid in memoriam. *Plin. ep.* 3, 10. aliquem in memoriam; et *Ter. Andr.* 3, 3, 27. Lacrimae reducunt animum ad misericordiam. *Tac. A.* 11, 18. Legiones operum et laboris ignavas, veterem ad moram reducere. *Ter. Ad.* 5, 3, 44. Quovis illos tu die reducas, *h. e.* ad bonam frugem revoces. Quod plene *Nep. Dat.* 2. Reducere aliquem ad officium. [**Plin. Pan.* 37, 7. reducere in patris potestatem: ubi v. *Gesner.* et *Schwarz.*] *Tac. A.* 1, 72. legem majestatis; et *Plin. ep.* 9, 13. *med.* intermissum morem, [i. e. restituere, nostr. *wieder aufführen*. *Suet. Aug.* 40. habitum vestitumque pristinum reducere studuit. *Plin. ep.* 4, 29, 3. vel instituere vel reducere ejusmodi exemplum.] ℙ Illa sunt poetica. *Virg. A.* 1, 147. Collectasque fugat nubes, solemque reducit; et *ib.* 11, 913. gurgite Phoebus Ibero Tingit equos, noctemque die labente, reducit; et *Ov. Met.* 3, 150. altera lucem Cum croceis evecta rotis Aurora reducet. *Virg. G.* 3, 296. frondosa reducitur aestas; et *Hor. Sat.* 2, 3, 294. reducere febrem; et *Od.* 3, 21, 17. Tu *(amphora)* spem reducis mentibus anxiis, Viresque. *Id. ib.* 2, 10, 15. informes hiemes reducit Juppiter, idem Submovet. ℙ Est etiam retrahere, retro, aut ad se trahere. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 2, 781. Ut calculum reducas, si te alicujus dati poenitet. *Caes. B. G.* 7, 22. Laqueis falces cum destinaverant, tormentis introrsus reducebant. *Ov. Met.* 6, 106. de Europa tauro vecta: tactumque vereri Adsilientis aquae, timidasque reducere plantas; et *ib.* 11, 461. reducunt Ordinibus geminis ad fortia pectora remos. *Petr. Sat.* 98. Reducere spiritum; et *Gell.* 5, 9. gladium; et *Val. Fl.* 5, 375. passus; et *Quint.* 10, 3. brachia in jaculando. *Catull.* 55, 11. sinum, *h. e.* diducere vestes, quibus sinus seu pectus tegitur. Sic *Claud. in Eutr.* 1, 86. leviterque reductis Vestibus, etc. *Stat. Th.* 11, 494. vitantem aspectus, pudibundaque longe Ora reducentem. *Virg. A.* 4, 375. Reducere socios a morte. *Quint.* 12, 5. animum ab iis, quae facienda sunt. *Ov. Trist.* 5, 7, 65. meque ipse reduco, A contemplatu submoveoque mali. *Lact.* 5, 2. *med.* Profitens, se reducturum alios ab errore. *Sen. Ben.* 1, 14. Nemo haec ita interpretetur, tanquam reducam liberalitatem, et frenis arctioribus reprimam, *h. e.* contraham. ℙ Pro redigere. *Ov. Met.* 15, 380. de ursa: lambendo mater in artus Fingit, et in formam, quantam capit ipsa, reducit. *Plin.* 27, 12, 82. Polyanthemum cicatrices ad colorem reducit. *Id.* 24, 8, 30. Corpus sensim ad maciem reducentes. *Id.* 30, 13, 39. Excrescentes carnes ad aequalitatem reducunt. *Id.* 22, 22, 32. Jumentorum scabiem ad pilum reducit. *Colum.* 12, 19. Fasciculos foeniculi fustibus illigatos habeat, quos possit utique ad fundum vasorum demittere, ut quidquid faecis subsederit, exagitet, et in summum reducat. *Plin.* 18, 7, 10. *n.* 3. Nullum frumentum (*milio*) ponderosius est, aut quod coquendo magis crescat. LX. pondo panis e modio reducunt, modiumque pultis ex tribus sextariis. ℙ Primam producit *Lucr.* 1, 228. Unde animale genus generatim in lumina vitae Reducit Venus? aut reductum daedala tellus Unde alit? et *ib.* 4, 990. crebras reducunt naribus auras, *h. e.* ducunt, hauriunt. Adde 5, 1336. quibus locis sunt qui putant scribendum *redduco*; sed V. dicta in RE.

RĔDŪCTĬO, onis, f. *ἀναγωγή*, actus reducendi. *Cic. Fam.* 1, 7. *med.* Senatusconsultum nullum exstat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit, *h. e.* in suum regnum restitutio. *Vitr.* 5, 10. *f.* Clypeum aeneum catenis pendeat, per cujus reductiones et demissiones perficietur sudationis temperatura, *h. e.* sublationes.

RĔDŪCTO, as, a. 1. frequent. a *reduco*. *Aurel. Vict. Caesar.* 38. Cum exercitum reductaret.

RĔDŪCTOR, oris, m. *καταγωγεύς*, qui reducit. *Liv.* 2, 33. *f.* Reductori plebis Romanae in Urbem sumptus funeri defuit. *Plin. ep.* 8, 12. Litterarum senescentium reductor ac reformator.

RĔDŪCTUS, a, um, part. a *reduco: ἐπαναχθείς*, iterum aut retro ductus. *Caes. B. G.* 1, 28. His, uti conquirerent et reducerent, imperavit: reductos in hostium numero habuit. *Id. B. C.* 3, 18. *f.* Cum in Italiam reductus existimabor. *Cic. Att.* 9, 14. Reductus de exsilio. [**Id. Rab. Post.* 17. Possum excitare multos reductos testes liberalitatis tuae, i. e. interprete *Ernest.* in *cl. Cic.* s. h. v., possum adducere multos testes lib. t., quos tu, cum aere alieno concidissent et solum vertissent, reduxisti, restituisti, aere alieno ipsorum tua liberalitate dissoluto, quod cum et pater tuus fecisset, ei opem tulit in judicio capitis, adeoque tibi etiam prodesse debet.] ℙ Translate. *Id. Cluent.* 36. Reductus in gratiam. ℙ Retro actus, retractus. *Virg. A.* 5, 478. durosque reducta Libravit dextra media inter cornua caestus; et *ib.* 12, 306. ille securi Adversi frontem mediam mentumque reducta Disjicit. *Petr. Sat.* 89. Laocoon reducta cupside (h. e. *hasta*) uterum notavit. *Suet. Vit.* 17. Reducto coma capite. [*V. *Brem.*] ℙ Item remotus, introrsum actus, secretus. *Hor. Ep.* 1, 18, 9. Virtus est medium vitiorum, et utrinque reductum. *Quint.* 11, 3. *med.* Qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt. (Sic *Id.* 2, 17. *med.* Pictor vi artis suae efficit, ut quaedam eminere in opere, quaedam recessisse credamus.) *Hor. Ep.* 2, 11. et *Virg. A.* 6, 703. Reducta vallis. *Id. ib.* 1, 163. (et *G.* 4, 420.) insula portum Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos. *Serv.* exponit, replicabiles: intellige intimos recessus ab alto mari remotos, obliquos, flexuosos, quasique replicatos. ℙ Reducta, *ἀποπροηγμένα*, quid sint, V. in PRODUCTUS. ℙ Primam protrahit *Lucr.* 1, 228. V. in REDUCO.

RĔDULCĔRĀTUS, a, um, part. a *redulcero:* ut Redulceratus dolor. *Appul. Met.* 5.

RĔDULCĔRO, as, a. 1. *ἀνελκόω*, denuo ulcerosum facio. *Colum.* 7, 5. Scabra pars prius aspera testa, vel pumice defricata redulceratur.

RĔDUNCUS, a, um, adj. ab *uncus: ἀναγαμπὴς*, retrorsum inflexus, cui *aduncus* opponitur. *Plin.* 11, 37, 45. de cornib.: Jamque aliis ad incursum robusta, aliis ad ictum, aliis aduncа, aliis redunca, etc. *Hard.* in MSS. reperit *reunca*. *Ov. Met.* 12, 562. Viribus usus avis *(aquilae)*, pennis, rostroque redunco.

RĔDUNDANS, antis, part. a *redundo*, *πλεονάζων*. *Cic. Brut.* 13. Asiatici oratores parum pressi, et nimis redundantes. *Tert. Cult. fem.* 2, 9. Amputatio et decussio redundantioris nitoris. ℙ Cibo, vinove gravis. *Plin. Pan.* 63. Marcidi somno, hesternaque coena redundantes.

RĔDUNDANTER, adv. superflue, abundanter, nimis. *Plin. ep.* 1, 20. *med.* Ut illud immodice et redundanter, ita hoc jejune et infirme. *Ambros. ep.* 82. (al. 63.) *n.* 27. Pro remedio parcius, non pro deliciis redundantius bibendum.

RĔDUNDANTĬA, ae, f. *πλεοναστὸς*, superfluitas, quod abundat, quod nimium est. *Cic. Or.* 30. *f.* Ipsa enim illa pro Roscio juvenilis redundantia multa habet attenuata, quaedam etiam paulo hilariora. *Vitr.* 1, 6. *med.* Aer lenis et crassus, qui perflatus non habet, neque crebras redundantias.

RĔDUNDĀTĬO, onis, f. redundantia, *περίσσεια*. *Plin.* 7, 6, 5. Fastidium in cibis, redundatio stomachi. Sic 11, 37, 55. Nulli sine redundatione stomachi eruitur oculus. ℙ Translate. *Vitr.* 9, 4. *med.* Astra nitentia contra mundi cursum, suis itineribus perficiunt circuitum, sed coeli versatione redundationibus referuntur quotidiana temporis circulatione, *h. e.* quasi undis adversis, et retro pellentibus.

RĔDUNDĀTUS, a, um, part. a *redundo*, *πλεοναζόθείς*. *Ov. Fast.* 6, 402. Amne redundatis fossa madebat aquis, *h. e.* extra alveum undantibus. Adde *Trist.* 3, 10, 52.

RĔDUNDO, as, avi, atum, n. 1. *περισσεύω*, *ὑπερβλύζω*, superfluo, exundo, superabundo: et proprie dicitur de aquis, aut liquoribus, cum adeo augentur, ut se ripis, litoribus, aut vasis non contineant: a *re* et *undo*, inserto *d*, ut in REDEO dictum est. *Cic. N. D.* 2, 45. *med.* Mare conglobatur undique aequabiliter, neque redundat unquam, neque effunditur. *Id. Div.* 2, 32. Si lacus Albanus redundasset, isque in mare fluxisset, Romam perituram: si repressus esset, Vejos. *Lucr.* 6, 712. Nilus in aestati crescit,

campisque redundat. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 2, 534. Moenia oppidi stagnabant, redundantibus cloacis advorso aestu maris. *Flor.* 3, 17. *f.* Apprehensum faucibus viator non ante dimisit, quam sanguis in ora et oculos redundaret. *Cic. Tusc.* 4, 10. Cum pituita redundat, aut bilis in corpore. *Oc. R. Am.* 536. Gutture fac pleno sumpta redundet aqua. *Lucan.* 9, 812. largus manat cruor: ora redundant, Et patulae nares. *Cic. Cat.* 3, 10. Omnis hic locus acervis corporum, et civium sanguine redundavit. *Eum. Grat. act. ad Constant.* 13. Si horrea messis implesset, si vindemia redundasset. ℙ Poetice, et cum accusativo *Statius* fluvium loquentem inducens *Silv.* 4, 3, 71. Pandis talia faucibus redundat. ℙ Translate dicitur de quacumque alia re, pro abundare, superesse, superfluere. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 400. Tum intelligas, quam illud sit necessarium, quod redundat. *Id. N. D.* 1, 35. *f.* Tuus Deus non digito uno redundat, sed capite, collo, cervicibus, etc. *Id. Fam.* 3, 10. *med.* Cum tu omnibus vel ornamentis, vel praesidiis redundares, illi omnia deessent. *Id. Or.* 3, 4. *extr.* Ut neque in Antonio deesset hic ornatus orationis, neque in Crasso redundaret. *Id. Balb.* 25. Ut aliqui sermones hominum alienis bonis moerentium, etiam ad vestras aures permanarent, et in judicio ipso redundarent; et *Verr.* 2, 3, 66. *med.* Necesse est, quod redundarit de vestro frumentario quaestu, ad illum potissimum defluxisse. *Id. Prov. cons.* 12. *f.* Nationes eas, quae numero hominum ac multitudine ipsa poterant in provincias nostras redundare, ita ab eodem esse partim recisas, partim repressas, ut, etc. *Id. Lig.* 5. Si in hac tanta tua fortuna lenitas tanta non esset, acerbissimo luctu redundaret ista victoria. *Id. Pis.* 11. Capua optimorum civium multitudine redundat. *Auct. dial. de Or.* 36. Hi clientelis etiam externarum nationum redundabant. *Tac. H.* 2, 32. Hispanias armis redundare. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 400. Redundat aurum, et thesauri patent. ℙ Pro valde madere. *Cic. Verr.* 2, 4, 11. *med.* Crux illa, quae etiam nunc civis R. sanguine redundat. ℙ *Redundare in*, vel *ad aliquem* est recidere, referri, pertinere, tum in bonam, tum in malam partem. *Cic. Or.* 1, 1. *med.* Hoc tempus objecimus iis fluctibus, qui per nos a communi peste depulsi, in nosmetipsos redundarunt. *Id. Am.* 21. Erumpunt saepe vitia amicorum cum in ipsos amicos, tum in alienos: quorum tamen ad amicos redundet infamia. *Id. Cat.* 1, 12. Verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricida civium interfecto, invidiae mihi in posteritatem redundaret. *Id. Mur.* 39. *med.* Quid fiet, si haec elapsa de manibus nostris in eum annum, qui consequitur, redundarint? *Id. Sull.* 9. *med.* Si ex hoc tanto beneficio nullum in me periculum redundarit. *Hirt. B. Alex.* 60. Et victoris et victi detrimentum ad eundem Caesarem esset redundaturum. *Sen. Oct.* 690. Propinqui munera ad nostros lares sceptri redundant. *Val. Max.* 4, 3. *n.* 13. Nisi operum suorum ad se laudem, manubias ad patriam redundare maluisset. *Plin. Pan.* 62. Beneficiorum, quae merentibus tribuuntur, non ad ipsos gaudium magis, quam ad similes redundat; et *ib.* 31. *med.* Annona Urbis tuis opibus, tua cura usque in Aegyptum redundavit. ℙ Singulare est illud *Cic. Rab. Post.* 5. Num denique toto illo judicio Postumi nomen audistis? Non igitur reus ex ea causa, quae judicata est, redundat Postumus, *h. e.* reus exsistit, apparet. In ea causa damnatus est Gabinius: sed non inde reus fit etiam Postumus, veluti quadam damnationis, ut ita dicam, redundantia perfusus atque obrutus. ℙ [*Confund. *redundabit* et *redundarit*. V. *intpp.* ad *Cic. Sull.* 9, 28. p. 54. *ed. Fr.*]

RĔDUPLĪCĀTUS, a, um, part. ab inus. *reduplico*: *Tert. Pat.* 14. *f.* Quae amiserat, reduplicata possedit.

RĔDŪRESCO, is, n. 3. iterum duresco. *Vitr.* 1, 4. Ferrum cum molle et candens est, si refrigeratur tinctum frigida, redurescit.

RĔDŪVIA, etc. V. REDIVIA.

RĔDUX, ūcis, adj. omn. gen. [*qui reducit, reducens. Haec prima vocis est significatio, cujus exempla *Noster* tertio loco posuerat ista:] *Ov. Her.* 13, 50. Et sua det reduci vir meus arma Jovi. *Inscr.* ap. *Grut.* 22, 3. Templum Jovis reducis. *Mart.* 8, 65. Hic ubi Fortunae reducis fulgentia late Templa nitent. *Fortunae reduci* multi lapides, nummique inscripti sunt, vota solventium pro felici in patriam reditu ab itinere, exsilio, expeditione militari, (praesertim imperatorum) et hujusmodi. *Claud. VI. cons. Honor.* 1. Aurea Fortunae reduci si templa priores Ob reditum vovere ducum, etc. *Vet. Inscr.* ap. *Graev. Antiq. Rom.* T. 10. *praef.* Fortunae reduci viator. conservatrici sacr. Sex. Percilius Sex. fil. Priscus, etc. Etiam Neptuno reduci (ob incolumem ex navigatione reditum) votum solvit Q. Manlius Q. F. Pal. Severianus, ut est in alio lapide *ib.* ℙ [*Hinc redux est is,] qui ab exsilio aut captivitate, bello, aut peregre profectione incolumis redit, aut reductus est, ὑπόστροφος, παλίντροπος. *Cic. Mil.* 37. Quid me reducem esse voluistis? an ut, inspectante me, expellerentur, per quos essem restitutus? *Pl. Capt. Prol.* 43. Fratrem, servabit suum, reducemque faciet liberum in patriam ad patrem; et 5, 1, 1. Jovi ago gratias, cum te reducem tuo patri reddiderunt; et *ib.* 11. Tibi hunc reducem in libertatem feci. *Mart.* 9, 8. Redux de gentibus Libycis. *Ter. Hec.* 5, 4, 12. Egon', qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris, sinam sine munere a me abire? *Tac. A.* 1, 70. *extr.* Nec fides salutis, antequam Caesarem, exercitumque reducem videre. *Plin.* 8, 16, 19. Captivam Gaetuliae reducem audivi, etc. *Liv.* 21, 50. Classis Romana incolumis, una tantum perforata nave, sed ea quoque ipsa reduce, in portum rediit. ℙ Item universim quicumque undecumque rediit. *Plin.* 8, 5, 5. de elephant.: Sexto (*die a coitu*) perfunduntur amne, non ante reduces ad agmen. *Petr. Sat.* 117. *f.* (si modo *Petr.* sunt verba.) Ad ingenium redux Eumolpus. *Claud. de Phoenice*, 40. tunc conscius aevi Defuncti, reducisque parans exordia formae, *h. e.* mox post rogum rediturae. *Mart.* 10, 70. Nunc consul, praetorve tenet, reducesque choreae, *h. e.* turbae deducentium, quae chorearum instar eunt, redeuntque.

RĔXĪNĀNĬO, is, a. 3. *Apic.* 8, 6. *extr.* Reexinanies in cacabum. Adde 4, 2.

RĔFABRĬCO, as, a. 1. *Dioclet. et Maxim. Impp. Cod.* 8, 10, 5. Collapsum balneum refabricare enisus est.

RĔFĂCĬO, is, eci, actum, a. 3. idem ac reficio apud veteres. *Pl. Truc.* 4, 4, 24. Nam refacere si velim, non est locus. Alii leg. *re facere*, rectius. *Prop.* 2, 24, 22. Noctibus his vacui refaciamus iter. Est qui leg. *reficiamus:* sed *refaciamus* perperam a *Broukus.* defenditur; alii rectius leg. *ter faciamus.* ℙ [Part. *Refactus* in *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 66. Cum ea aedificia longa vetustate dilaberentur, neque refacta usui essent futura. *F.*]

RĔFECTĬO, onis, f. ἐπισκευή, actus reficiendi, seu instaurandi. *Colum.* 12, 3. *med.* Ceteraque, si refectionem desiderant, fabris concinnanda tradantur. *Suet. Caes.* 15. Refectio Capitolii. *Vitr.* 6, 3. Displuviata habent in refectionibus molestiam magnam. *Ulp. Dig.* 43, 11, 1. Refectio viae publicae. *Torrent.* habet *refictio* eodem sensu. ℙ Item recreatio. *Quint.* 10, 3. Tempora ad quietem, refectionemque data in acerrimum laborem convertimus. *Plin. Pan.* 81. Instar refectionis existimas mutationem laboris. *Cels.* 3, 15. *med.* Abstinendum in septimum diem dixit, quod ut sustinere aliquis possit; tamen etiam febre liberatus vix refectioni valebit; et 4, 6. *f.* Si in refectione vero manserit tussis, intermittere oportebit uno die, *h. e.* dum reficitur cibo et potu corpus. *Plin. Pan.* 15. Posteri visendum tradere minoribus suis gestient, quis sudores tuos hauserit campus, quae refectiones tuas arbores, quae somnum saxa praetexerint. *Plin. alter* 23, 4, 40. Oleum lassitudinum, perfrictionumque refectio est. *Id.* 37, 5, 16. de smaragdis: Non alia gratior oculorum refectio est: ita viridi lenitate lassitudinem mulcent. V. REFICIO.

RĔFECTOR, oris, m. qui reficit, μεταποιητής. *Suet. Vesp.* 18. Item colossi refectorem insigni congiario, magnaque mercede donavit. V. PECTINARIUS et REPOSTOR.

RĔFECTUS, a, um, part. a *reficio*: θεραπευόμενος, ἀναισχεναομένος, rursus factus, reconcinnatus, instauratus, renovatus. *Cic. Att.* 16, 3. Idem οὐνταγμα misi ad te retractatius: et quidem ἀρχέτυπον ipsum, crebris locis inculcatum et refectum. *Caes. B. G.* 5, 23. Naves invenit refectas. *Id. B. C.* 1, 41. Pons refectus. ℙ Iterum electus. *Sen. ep.* 101. *med.* Refectus consul, *h. e.* cui consulatus in alterum annum continuatus est. Adde *Liv.* 3, 21. ℙ Translate. *Stat. Silv.* 1, 4, 112. arte refectus Telephus Aemonia; et *Val. Fl.* 4, 391. Jamque refecta Jovi, paulatim in imagine prisca ibat agris Io victrix Junonis, *h. e.* humanae formae restituta. *Hor. Ep.* 2, 2, 136. cognatorum opibus curisque refectus, *h. e.* sanatus, ad pristinum mentis statum restitutus. *Liv.* 9, 27. *f.* Conspectu ducis refectus militum animus. *Tac. A.* 6, 17. *f.* Refecta fides. *Virg. A.* 12, 788. armis animisque refecti. *Id. G.* 3, 235. Refectae vires. *Id. ib.* 511. de aegris equis: furiisque refecti Ardebant, *h. e.* quos vinum infusum refecerat. *Ov. Met.* 7, 827. subito collapsa dolore ..... cecidit, longoque refecta Tempore, etc. *Petr. Sat.* 111. *med.* Refecta potione, ac cibo. *Capell.* 2, 36. Ut refectior coelum sublimisque conscendas. *Ov. Fast.* 3, 144. vires flamma refecta capit. *Papin. Dig.* 26, 7, 38. *med.* Pecuniam ex venditionibus Romae refectam in provinciam trajecit. V. REFICIO.

RĔFECTUS, us, m. id quod ex aliqua re colligitur. *Scaev. Dig.* 36, 1, 78. §. 12. Interim ex refectu paupertatis, qui ad vos pervenerit, alatis cum usuris pro quantitate nummorum redactis, *h. e.* ex eo, quod e mea modica hereditate refici poterit. V. REFICIO. ℙ Est etiam idem ac refectio. *Plin.* 18, 7, 14. Panem ex hordeo antiquis usitatum vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectui, *h. e.* alimentis. *Hard.* leg. ex MSS. *fere cibus est. Appul. Met.* 5. Psyche instrumentum coenatorium rata refectui suo commodum, libens accumbit. V. REFECTIO.

RĔFELLO, is, elli, a. 3. Cum *fello* proprie sit mammam sugo, *refello* est quasi ex ore exspuo, rejicio, respuo: unde translate ponitur pro refutare, redarguere, quae dicta sunt, falsa esse arguendo ostendere, ἀντιλέγω, διελέγχω. *Serv.* ad *Virg. A.* 4, 380. et *Donat.* ad *Ter. Ph.* 1, 2, 82. rectius ducunt a *re*, et *fallo*. Hinc in *Not. Tir.* p. 92. Fallit, refellit; refellit, refefellit. *Cic. Tusc.* 2, 2. *med.* Et refelli sine pertinacia, et refellere sine iracundia parati sumus. *Id. ib.* Nosque ipsos redargui et refelli patiamur. *Id. Att.* 12, 5. *med.* Sed tu me γεωμετρικῶς refelleras. *Id. Or.* 1, 20. Et id, quod intenderemus, confirmare, et id, quod contra diceretur, refellere. *Id. Lig.* 5. *f.* Refellere et coarguere mendacium alicujus. *Virg. A.* 12, 16. Et solus ferro crimen commune refellam. *Suet. Ner.* 41. Cetera convicia, ut falsa, non alio argumento refellebat, quam, etc. *Id. Aug.* 56. Testem se in judiciis et interrogari, et refelli aequissimo animo patiebatur. *Cic. Or.* 2, 2. *f.* Scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere, si quid velim, nullius memoria jam refellente, *h. e.* quin aliquis memoria tenens, rem aliter evenisse, atque ego scribo, mendacii me coarguat. *Id. Div.* 2, 23. Num ergo opus est ad haec refellenda Carneade?

RĔFERCĬO, is, ersi, a. 4. ἀναπληρόω, farciendo, inculcando, sine delectu congerendo impleo, repleo: a *re* et *farcio*. *Cic. Sext.* 35. *med.* Corporibus civium Tiberim compleri, cloacas refarciri. *Plin. Pan.* 31. *f.* Stupebant agricolae plena horrea, quae non ipsi refersissent. *Sil.* 5, 265. modo quem fortuna fovendo Congestis opibus, donisque refersit opimis. *Avid. Cass.* in *ep.* ap. *Volcat. in ejus vita*, *f.* Aerarium publicum refercire. ℙ Translate. *Cic. N. D.* 1, 13. *med.* Puerilibus fabulis refersit libros; et *ib.* 2, 24. *med.* Hominum vitam superstitione omni referserunt. *Id. Rab. Post.* 14. *extr.* Aures refersit istis sermonibus. *Id. Or.* 1, 35. *med.* Perfice, ut Crassus haec, quae coarctavit, et peranguste refersit in oratione sua, dilatet nobis atque explicet.

[RĔFĔRENDARĬUS, ii, m. qui supplicum preces ad principem recitat, et mandata principis judicibus insinuat: *a referendo* dictus. *Cass. Varr.* 6, 17. Quapropter referendarium te electio nostra constituit. sed tu puritatem conscientiae, et veritatem linguae nostris jussionibus adhibeto. *F.*]

RĔFĔRIO, is, a. 4. ἀναπαίω, ἀναπλήττω, vicissim, aut iterum ferio, repercutio. *Pl. As.* 2, 2, 108. Quaeso, aequo animo patitor (*pugno malam si tibi percussero*). *Li.* patitor tu item, cum ego te referiam. *Sen. Ira* 2, 34. *f.* Percussit te? resede, referiendo enim et occasionem saepius feriendi dabis, et excusationem. *Ov. Met.* 4, 348. cum puro nitidissimus orbe Opposita speculi referitur imagine Phoebus. *Auson. ep.* 10, 23. Turbita congestis referitur vocibus echo.

RĔFĔRIVA. V. REFRIVA.

RĔFĔRO, refers, retuli, relatum, a. anom, ἀναφέρω, [*retro fero, reporto, removeo aliquid in eum locum, unde sumptum, promotum.] *Pl. Poen.* 4, 2, 25. Nunc domum haec ab aede Veneris refero vasa. *Cic. Verr.* 2, 4, 28. *f.* Quod cum satis jam perspexisse videretur, tollere incipiunt, ut referrent. *Plin. ep.* 6, 28. Jam tuis denunciavi, si rursus tam multa attulissent, omnia relaturos. *Sil.* 7, 508. referre ensem vaginae. [*Adde *Suet. Caes.* 82. lecticae impositum — tres servuli domum retulerunt. *Vitell.* 16. referri se in Palatium passus est. *Curt.* 6, 1, 5. Ergo clypeo suo exceptum armigeri raptim in castra referebant. *Suet. Tib.* 3. Traditur etiam pro praetore ex provincia Gallia retulisse aurum, Senonibus olim in obsidione Capitolii datum. *Liv.* 30, 16. ad Tuneta rursum castra refert. ℙ Hinc poetica locutio: *se referre* pro *redire*.] *Virg. A.* 12, 865. Turni se pestis ab ora Fertque refertque sonans. *Val. Fl.* 7, 614. ad socios paulum se retulit heros: et *ib.* 538. Seque sub extremis in moenia retulit umbris. [*V. quae attulit *Gronov.* ad *Tac. A.* 13, 32. ex *Hor.* et *Virg.* Etiam ap. prosae orationis scriptores obvium dicendi genus.] *Cic. Fl.* 21. Iterum iste Romam se retulit. *Caes. B. C.* 2, 8. Turrim parvam fecerant; huc se referebant. *Nep. A.* 11. *f.* Seque ad sua castra nautica retulerunt. [*Adde *Cic. N. D.* 3, 14. cur se sol referat nec longius progrediatur. *Tac. A.* 13, 32. qui ovans se de Britannis retulit. ℙ Translate.] *Cic. Off.* 2, 1. *f.* Referre se ad philosophiam. *Id. ib.* 2, 22, 77. ut eo, unde egressa est, referat se oratio. ℙ [*Ejusdem sensus est alia formula *pedem referre*, quae proprie dicitur de militibus sedate et salvis ordinibus et fronte adversa cedentibus. V. *Gron. observv.* 4, 26. p. 539. *ed. Fr.*] *Caes. B. C.* 1, 44. si premerentur, pedem referre, et loco excedere non turpe existimarent. [**Liv.* 21, 8. nec ullo (Saguntinorum) pedem referente. *Curt.* 4, 16, 5. pedem referre subito pavore perterritos? et 6, 1, 11. Tandem Laconum acies languescere, lubrica arma sudore vix sustinens, pedem deinde referre coepit, et urgente hoste apertius fugere. Etiam absolute ita usurpatur. *Liv.* 8, 8. Si apud principes quoque haud satis prospere esset pugnatum: a prima acie ad triarios sensim referebantur. Tum ad alia transfertur.] *Cic. Phil.* 12, 3. *extr.* ut non referat pedem, insistat certe. *Phaedr.* 2, 1. feroque viso retulit retro pedem. *Ov. Her.* 16, 88. Victorem coelo retulit ille pedem. [**Id. Fast.* 2, 342. saepe viator turbatum viso retulit angue pedem; et v. 502. retulit ille gradus; et 6, 334. errantes fertque refertque pedes. Ejusdem generis est illud.] *Cic. Att.* 15, 16. Itaque me referunt pedes in Tusculanum. ℙ De navigan-

tibus, qui retro feruntur, contra ac destinaverant. *Pl. As.* 1, 3, 6. Quam magis te in altum capessis, tam aestus te in portum refert. *Ov. Met.* 14, 76. cum jam prope litus adessent Ausonium, Libycas vento referuntur ad oras. *Val. Fl.* 3, 42. puppis Turbine flectit iter, portuque refertur amico. Adde *Hor. Od.* 1, 14, 1., *Caes. B. G.* 5, 5. et *Val. Fl.* 8, 144. et *Sen. Thyest.* 438. Sic concitatam remige et velo ratem Aestus, resistens remigi et velo, refert; et *Stat. Achill.* 2, 434. Stabam equidem, nec me referebat concitus amnis. ℙ [*Varios hinc in usus *referendi* vocabulum abiit. Ac primum quidem est *reddere.*] *Cic. Div.* 1, 25. *extr.* Quaestione habita, confessus est, pateramque retulit. *Virg. A.* 8, 560. O mihi praeteritos referat si Juppiter annos! *Sen. ep.* 81. *med.* Referre est ultro, quod debes, afferre; et *paulo post:* Referre est ad eum, a quo acceperis, ferre. *Cic. Att.* 16, 3. *extr.* Ita mihi dulcis salus visa est, per te missa ab illa: referes igitur ei plurimam. Ad hanc reddendi notionem refer et illa, *referre gratiam*, aut *gratias*, *par pari*, etc., de quibus V. GRATIA et PAR. [*Front.* ad *M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 1, 2. *med.* Et gaudeo, quod ingratum me, et referundae gratiae imparem facias. *F.* *Huc pertinet illud:] *Paul. Dig.* 12, 2, 17. 23. et 38. et *Ulp. ib.* 34. *referre jusjurandum*, i. e. delatam ab adversario jurisjurandi conditionem in eum transferre. ℙ Et contra objicere, regerere. *Ov. Met.* 1, 758. pudet, haec opprobria nobis Et dici potuisse, et non potuisse referri. ℙ Et rependere. *Id. A. Am.* 1, 370. Ut puto, non poteris ipsa referre vicem. ℙ Aliquando recordari, memoria repetere, recolere. *Ov. Trist.* 4, 3, 55. Tempus ubi est, quo te (nisi si fugis illa referre) Et dici memini, juvit et esse meam? *Id. Am.* 2, 8, 17. At quanto, si forte refers, praesentior ipse, etc. et *R. Am.* 299. Saepe refer tecum sceleratae facta puellae. Adde *Met.* 1, 165. ℙ Et exprimere, reddere, imitari. *Id. Met.* 13, 442. similisque minaci Temporis illius vultum referebat Achilles. *Plin. ep.* 5, 16. *f.* Non minus mores ejus, quam os vultumque referebat. *Id. ep.* 7, 19. *f.* Matrem ejus reddit ac refert nobis. *Colum.* 7, 3. *med.* Quod ex vetere materia nascitur, parentis senium refert. *Tac. G.* 43. Burii sermone cultuque Suevos referunt. Adde *Sen. Troad.* 647. [*V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 404.] ℙ Et rejicere, vomere. *Virg. A.* 9, 349. Purpuream vomit ille animam, et cum sanguine mixta Vina refert moriens. ℙ Et iterare, resumere. *Sil.* 11, 28. Sed fas id Celtis, fas impia bella referre Bojorum fuerit populis; et 16, 77. Servitio si tam faciles, cur bella refertis? *Virg. A.* 5, 596. Hunc morem, hos cursus, atque haec certamina primus Ascanius, Longam muris cum cingeret Albam, Retulit, *h. e.* revocavit, innovavit, quod ante jam fecerat. *Cic. Or.* 3, 20. Nisi Atheniensibus, quod mysteria non referrent, ad quae biduo serius veneram, succensuissem. *Ter. Hec. prol.* 1, 7. et *prol.* 2, 21. et 30. Comoediam referre. *Cic. Dom.* 29. *f.* In hoc genere solum rem judicatam referre posse voluerunt, *h. e.* retractare. [*Plura ejusdem generis v. ap. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 404. Repetendi notio est etiam in his: *Liv.* 37, 6. idem illud responsum retulit: cf. 9, 16. *it.* 26, 19. *Quint. Just.* 5, 13, 29. neque enim pigebit — referre. V. *Zumpt.* ad *Eund.* T. 5. p. 293.] ℙ Et praevenire, quasi retro ferendo seu trahendo. *Fest.:* Referri diem praedictam, idest anteferri, religiosum est, ut ait Veranius: idque exemplo comprobat L. Julii et P. Licinii censorum, qui id fecerunt sine ullo decreto augurum: et ob id lustrum parum felix fuit. *Papin. Dig.* 4, 8, 33. Arbiter ita sumptus ex compromisso, ut et diem referre possit, hoc quidem facere potest: proferre autem, contradicentibus litigatoribus, non potest. V. PRAEFERO. ℙ Item recensere. *Virg. Ecl.* 6, 85. Cogere donec oves stabulis, numerumque referre Jussit. ℙ Saepe est narrare, renunciare, dicere. *Virg. A.* 2, 547. referes ergo haec, et nuncius ibis Pelidae genitori. *Cic. Dejot.* 9. Mittebat qui rumores Africanos exciperent, et celeriter ad se referrent. *Caes. B. G.* 1, 47. *f.* His mandavit, ut quae diceret Ariovistus, cognoscerent, et ad se referrent; et *ib.* 6, 9. Illi referunt, Suevos omnes ad extremos fines sese recepisse. *Virg. G.* 2, 118. Quid tibi odorato referam sudantia ligno Balsama? *Id. A.* 4, 437. talesque miserrima fletus Fertque refertque soror. *Nep. Dion.* 6. Versum illum Homeri retulit, in quo, etc. *Ov. A. Am.* 1, 681. Fabula, nota quidem, sed non indigna referri. *Id. Met.* 15, 298. res horrenda relatu. *Plin.* 31, 11, 54. *extr.* Purgamenta relatu indigna, et algis potius annumeranda, quam animalibus. ℙ [*Hinc dicitur de iis, qui aliquid in eum locum, unde progressi sunt, secum reportant.] *Suet. Tib.* 13. Pollicebatur se, si juberet, caput exsulis relaturum. In *vet. tab. Heracl.* ap. *Mazoch.* p. 423. *n.* 48. Quive ob caput civis Romani referendum pecuniam, praemium, aliudve quid cepit, ceperit. [*Adde *Vell.* 2, 45, 5. unde pecuniam longe sperata majorem Cato Romam retulit. *Curt.* 8, 7, 11. domum cicatrices referre; et 9, 2, 27. referre opes in patriam; et 8, 14, 12. simulacrum ex acie. Porro huc pertinent ista: *Cic. Off.* 1, 39. Huc in domum non repulsam solum retulit, sed ignominiam et calamitatem. *Tac. A.* 3, 21. Quo proelio servati civis decus retulit. ℙ Tum in universum est ad locum aliquem admovere cum quadam recondendi notione. *Liv.* 5, 50. quum in quae (templa) referri oporteret (aurum), confusa memoria esset; et 29, 18. pecuniam omnem conquisitam in thesauros Proserpinae referri jussit. *Suet. Aug.* 1. ut reliquiae ad Octavios referrentur: ubi v. *Ernest.* Huc pertinet etiam illud:] *Sen. Ben.* 1, 14. *f.* Benignitatis lines introrsus referre, i. e. retrahere, contrahere, arctare. ℙ [*Etiam sola admovendi notione usurpatur.] *Tac. A.* 15, 58. Manum ad capulum referens. *Petr. Sat.* 89. Parvulas illi manus ad ora referunt. [*Adde *Suet. Aug.* 94. osculum alicui delibatum digitis ad os suum referre. ℙ Hinc eleganter inservit iis, quae omnino vel motu et actione vel voce redduntur, et ad aliquem locum admoventur, vel homini alicui traduntur. Ita primum est:] respondere, reponere, opponere. *Cic. Quint.* 13. *med.* Quid a nobis refertur? Pecuniam petit? negamus deberi. *Id. Caecin.* 29. *med.* Ego enim tibi refero: si non sum ex eo loco dejectus, quo, etc. at ex eo sum dejectus, etc.; et *mox:* Velim, sic existimetis, id me non ad meam defensionem attulisse, sed illorum defensioni retulisse. Adde *Ov. Met.* 2, 35. et *ib.* 3, 387. ℙ Et perferre, ferre. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 14. *f.* Theatrum ita resonans, ut usque Romam significationes vocesque referantur. *Petr. Sat.* 89. Qualis silenti nocte remorum sonus Longe refertur, cum premunt classes mare. ℙ Et convertere. *Cic. Quint.* 14. *f.* Cum ad te, C. Aquili, oculos animumque retuli. *Id Prov. cons.* 16. Si ex illa jactatione populari referunt aspectum in curiam. *Val. Fl.* 7, 79. Haesit, et ad juvenem pallentia retulit ora. *Cic. Rosc. Am.* 16. *f.* Referre animum ad studia; et *Or.* 1, 1. ad veritatem. *Virg. A.* 11, 425. Multa dies, variique labor mutabilis aevi Retulit in melius. ℙ Item ponere, adscribere. *Cic. N. D.* 1, 12. Referre aliquem in Deorum numero. Alii leg. *numerum* (ut est ap. *Suet. Caes.* 88. et *Claud.* 45.) et *ib.* 13. *f.* Terram et coelum refert in Deos. *Id. Rosc. Am.* 10 Ut potius vivus in reos, quam occisus in proscriptos referretur. *Id. Brut.* 62. Eodem Q. Caepionem referrem, nisi, etc, *h. e.* his adnumerarem. *Tac. A.* 13, 41. *f.* Referre diem aliquem inter festos. *Id. ib.* 4, 57. et *ib.* 6, 49. causam alicujus rei ad aliquem. ℙ Item describendo transferre. *Cic. Brut.* 23. Quam orationem Cato in Origines suas retulit. *Id. Phil.* 1, 8. Si quid memoriae causa retulit in libellum. *Id. Fl.* 9. Falsas rationes inferre, et in tabulas quodcumque commodum est, referre. *Lampr. Commod.* 12. *med.* Refertur in litteras, pugnasse illum sub patre, etc. [*De dicendi formulis *referre in tabulas*, *rationes* etc. *referre ad senatum*, V. *Ernest. cl. Cic.* s. h. v. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 29, 1. et quos *ib.* laud. De structurae genere *referre in numerum* et *in numero*, et de utriusque dictionis discrimine bene exposuit *Goerenz.* ad *Cic. Fin.* 5, 30, 32. et ad *Cat.* 2, 2, 4.] ℙ *Referre rationes* ap. *Cic. Verr.* 2, 1, 28. *f.* Referre rationes ad aerarium, est: rationes pecuniae publicae acceptae et expensae perscriptas afferre ad aerarium, et exhibere quaestoribus. Eas enim ex commentariis et ephemeride in codicem describebant, et exhibebant. ℙ *Referre acceptum.* V. ACCEPTUS. ℙ *Referre ad aliquem*, rem narrare, consulendi causa, deferre, proponere. *Cic. Att.* 16, 3. *f.* Cum ei praescriptum esset, ne quid sine Sextii sententia ageret, neque ad illum, neque ad nostrum quemquam retulit. Adde *Fam.* 3, 5. *med.* et *Just.* 31, 4. *f.* Sic referre ad animum, *Phaedr.* 3, 19. [*Tac. A.* 14, 39. cuncta tamen ad imperatorem in mollius relata. *Liv.* 34, 32. refero enim ad vos, utrum, i. e. penes vos sit.] ℙ *ad senatum*, proponere in senatu rem deliberandam. *Cic. Phil.* 8, 11. Ut consules de ejus honore praemiove primo quoque die ad senatum referant. *Id. Dom.* 53. C. Cassium censorem de signo Concordiae dedicando ad pontificum collegium retulisse; et *mox:* Eam rem ex auctoritate senatus ad hoc collegium praetor retulit. *Nep. Eum.* 12. De hoc cum solus constituere non auderet, ad consilium retulit. *Id. Lys.* 3. Lacedaemonii omnia ad oracula referre consueverant. *Caes. B. C.* 1, 6. In provincias praetores mittuntur, neque exspectant, ut de eorum imperio ad populum referatur. Alii rectius leg. *feratur:* ita enim saepius dicitur, cum de populo sermo est. ℙ *Referre*, dirigere. *Cic. Phil.* 10, 10. Nos ita a majoribus instituti sumus, ut omnia consilia atque facta ad dignitatem et virtutem referamus. *Id. Or.* 1, 52. *f.* Philosophus omnia ad voluptatem corporis, doloremque referens. *Id. Dejot.* 2. *f.* Tuum est, Caesar, qui pro multis saepe dixisti, quid nunc mihi animi sit, ad te ipsum referre, *h. e.* respiciendo te ipsum conjecturam de me facere. *Id. Leg.* 1, 1. *f.* Leges in historia ad veritatem referuntur, in poemate ad delectationem. *Varr. R. R.* 1, 40. *f.* Ita inserere oportet referentem ad fructum, meliori genere ut sit surculus, quam est, quo veniat, arbor, *h. e.* spectantem, rationem habentem. *Tac. G.* 34. Sive adiit Hercules, seu quidquid ubique magnificum est, in claritatem ejus consuevimus, *h. e.* honori ejus tribuere, ita narrando, tanquam si ab eo actum sit. ℙ Pro pertinere. *Pl. Pers.* 4, 4, 44. Te ex puella prius pertontari volo, quae ad rem referunt. [*Tac. A.* 15, 65. non referre dedecori (non prodesse ad dedecus minuendum), si citharoedus demoveretur et tragoedus succederet.] ℙ *Referre opem*, pro ferre, tribuitur *Pacuvio* ap. *Cic. Div.* 1, 31. et ipsi *Cic. Leg.* 3, 19., sed utrobique dubia est lectio. [*Primo loco *Orell.* habet *ferre:* secundo, ubi v., *referre.* ℙ Confund. *referunt* et *revocant.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 789. *referebat*, et *inferebat.* V. *intpp.* ad *Cic. Sull.* 19, 53.] ℙ *Rettuli*, *rellatus* an scribendum sit, cum prima producitur, V. REFERT.

RĔFERSUS, a, um. V. REFERTUS.

RĔFERT, ebat, tulit, *διαφέρει, προσήκει, συμφέρει*, interest, ad rem pertinet, utile est, prodest, juvat. *Pl. Curc.* 4, 3, 23. Quid refert me fecisse regibus, ut mihi obedirent, si hic me hodie umbraticus deriserit? *Ter. Heaut.* 3, 1, 58. Illud permagni referre arbitror, ut nescientem sentiat te id sibi dare. *Colum.* 3, 9. *med.* Tantum retulerit, ut in transferendis seminibus similem statum coeli, locique observemus. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 7. Parvi refert, abs te jus dici diligenter, nisi, etc. *Caes.* ap. *eund. Att.* 14, 1. Magni refert, hic quid velit: sed quidquid vult, valde vult. *Cic. Coel.* 23. At quibus servis? Refert enim magnopere id ipsum. *Id. Fam.* 5, 9. Sed quanti id refert? *Id. Or.* 3, 55. Refert etiam, qui audiant, senatus, an populus, an judices. *Id. Phil.* 2, 12. Quid refert, utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? *Id. Div.* 2, 34. Aves pascantur nec ne, quid refert? et *ib.* 29. Quasi si vero referat, quod fieri potest, quam id saepe fiat; et *ib.* 47. Fac, in puero referre, ex qua affectione coeli primum spiritum duxerit. *Virg. G.* 2, 104. neque enim numero comprendere refert. *Ov. Pont.* 3, 4, 61. Nec minimum refert, intacta rosaria primus, An sera carpas paene relicta manu. *Pl. Epid.* 2, 2, 91. Quam ad rem istuc refert? ℙ Cum *mea*, *tua*, *sua*, *nostra*, *vestra;* sive sint casus ablativi singulares feminini, sive accusativi plurales neutrius generis: qua de re, *Minerv. Sanct.* 3. 5. et *Voss. de Gramm.* 7, 29. legi possunt. *Sall. Jug.* 119. Faciundum aliquid, quod illorum magis, quam sua retulisse videretur. *Cic. Fam.* 5, 20. *med.* Non adscripsi id, quod tua nihil referebat. *Ter. Ad.* 5, 4, 27. Id mea minime refert, qui sum natu maximus. ℙ In illo *ejusd. Phorm.* 5, 3, 17. Quid istuc nostra? *Chr.* magni; et *Hec.* 3, 5, 60. Quid mea? vel *interest*, vel *refert* subaudiendum est. ℙ Notationem hujus verbi aliam a refero esse multi volunt: illud enim personale a re particula indeclinabili, et quae in carmine semper corripitur: hoc impersonale a *res*, vel *rei*, vel *re* ablativo, et *fert* conflari: et semper produci. Unde *Ov. Met.* 13, 268. Quid tamen hoc refert, si se pro classe Pelasga Arma tulisse refert contra Troasque, Jovemque? Alii contra et impersonalia nulla esse docent in re grammatica: et absurdum esse ajunt, ut alia sit origo v. *refero*, alia v. *refert:* et non semper a poetis id servari, ut in *refero* prima corripiatur, in *refert* producatur, cum produxerit *Seren. Sam.* 374. Sin etiam rutilus refertur pectore sanguis: tametsi alii aliter legunt. Verius esse v. *re* in compositis produci posse etiam non geminata consonante sequenti, cum sit anceps, ut in RE et al. adnotavimus.

RĔFERTUS, a, um, part. a *refercio: βεβυσμένος*, confertus, oppletus, repletus. *Cic. Font.* 1. Referta Gallia negotiatorum est, plena civium R. *Varr.* ap. *Non.* 9, 13. Ipsa Italiae oppida sunt vastata, quae prius fuerunt hominum referta. *Caes. B. C.* 2, 11. Cupae taeda ac pice refertae. *Ov. Am.* 1, 12, 8. cera referta notis. *Cic. Manil.* 18. *f.* insula divitiis; et *ib.* 8. *med.* Domicilia regis omnibus rebus ornata atque referta. *Id. Or.* 1, 35. Locuples ac referta domus. *Id. Verr.* 2, 3, 87. *med.* Tum refertius erit aerarium populi R., quam unquam fuit. *Id. Q. Fr.* 1, 1, 14. *f.* Theatrum celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum. ℙ Translate. *Id. Tusc.* 5, 7. *f.* Xerxes refertus omnibus praemiis donisque fortunae; et *ib.* 31. Vita undique referta bonis. *Id. Q. Fr.* 2, 15. Litterae refertae omni officio, diligentia, suavitate. *Id. Acad.* 1, 4. Academici, et Peripatetici, Platonis ubertate completi, certam quandam disciplinae formam composuerunt, et eam quidem plenam ac refertam. *Id. Or.* 1, 19. Quaerebat, cur de prooemiis, et de epilogis, et de hujusmodi nugis referti essent rhetoricorum libri. *Id. Or.* 41. Invidis referta sunt omnia. ℙ Absolute. *Id. Mur.* 9. Asia ista referta, et eadem delicata. Sic *Sen. Med.* 485. Referta domus. *Tac. H.* 2, 56. Referti agri. ℙ Etiam *refersus* legitur in *Not. Tir.* p. 150., ubi alibi *farsus.* V. FARTUS.

RĔFERVENS, entis, part. a *referveo*, iterum, aut valde fervens. *Plin* 16, 11, 22. Item terebinthinam in sartagine referventi. ℙ Translate ponitur pro vehementi, et atroci. *Cic. Rosc. Com.* 6. Nonne, ut ignis in aquam conjectus continuo restinguitur et refrigeratur, sic refervens falsum crimen in purissimam et castissimam vitam collatum statim concidit et extinguitur?

RĔFERVĔO, es, et Refervesco, is, bui, n. 2. et 3. iterum aut valde ferveo. *Cic. Div.* 1, 23. Visum Mercurium e patera sanguinem fundere, qui cum terram attigisset, refervescere videretur sic, ut tota domus sanguine redundaret. V. v. praec. ℙ Est etiam refrigescere, fervere desinere. *Id. Brut.* 91. *f.* Contentio vocis reciderat, et quasi referbuerat oratio. Alii leg. *referverat.* V. FERVEO [*et RECIDO.]

[RĔFESTĪNO, as, n. 1. iterum festino. *Ruf.* ap. *Hieron. in Ruf.* 3. *n.* 6. Sed refestinante eo, qui ad te remeabat, malui paucis ad te, quam ad alios, pro tuis maledictis latius scribere. Hunc loquendi modum *Hieron.* mox sordidissimae elocutionis περισσολογίαν vocat. Utitur tamen etiam *Paul. Nol. epist.* 45. (al. 44.) Qui a tenebris justissime refestinavit ad lucem suam. *F.*]

RĔFĪBŪLO, as, a. 1. fibulam retexo, seu solvo. *Mart.* 9, 28. et cujus Refibulavit turgidum faber penem, *h. e.* fibulam peni inductam solvit.

RĔFĬCĬO, is, eci, ectum, a. 3. ἐπισκευάζω, ἀναλαμβάνω, iterum facio, restituo: a *re* et *facio. Nep. Timol.* 3. Urbium moenia disjecta, fanaque deleta refecit. *Id. Con.* 4. *extr.* Muros dirutos reficiendos curat. *Caes. B. C.* 2, 15. et *Sall. Jug.* 70. Ea quae sunt amissa, reficere instituit. *Ulp. Dig.* 29, 1, 9. Videtur jure militari refecisse testamentum. ℙ Item restauro, renovo. *Ulp. Dig.* 43, 20, 1. Reficere est, quod corruptum est, in pristinum statum restaurare. Verbo reficiendi *(rivos)* tegere, substruere, sarcire, aedificare, item advehere, apportareque ea, quae ad eandem rem opus essent, continentur. *Cic. Verr.* 2, 1, 24. *f.* locatur opus id, quod ex mea pecunia reficiatur: ego me refecturum esse dico. *Id. Top.* 3. *med.* Si aedes corruerunt, vitiumve fecerunt, heres restituere non debet, nec reficere. *Nep. Att.* 20. Cum aedes Jovis vetustate prolaberetur, Caesar eam reficiendam curavit. *Caes. B. C.* 1, 34. *extr.* Muros, classem, portasque reficere. *Hor. Od.* 1, 1, 17. mox reficit rates Quassas. *Plin.* 11, 24, 28. de araneo: Scissa protinus reficit, ad polituram sarciens. *Petr. Sat.* 136. Reficere ignem. ℙ Translate *reficere aliquem consulem, tribunum*, est ei magistratum continuare, in sequentem quoque annum creando. *Cic. Am.* 25. *med.* Cum ferret legem de tribunis plebis reficiendis. (De hac lege, V. *Epit. Livii* 59.) *Liv.* 2, 56. Plebs Voleronem tribunum reficit. *Id.* 3, 21. In reliquum magistratus continuari, et eosdem tribunos refici, judicare senatum contra rempubl. esse, V. REFECTUS. ℙ Ponitur et pro supplere, substituere, ad explendum numerum. *Caes. B. C.* 3, 87. Hae copiae, quas videtis, ex delectibus horum annorum sunt refectae. *Virg. G.* 3, 69. Semper erunt, quarum mutari corpora malis: Semper enim refice. p *Reficere tribum* ap. *Cic. Planc.* 18. quid sit, V. Interpretes: non una est enim ejus loci et lectio, et expositio. [**Orell.* exhibet *conficere.*] ℙ Saepe est recreare, refovere; et refertur ad corpus. *Cic. Fam.* 7, 26. *extr.* Ego hic cogito commorari, quoad me reficiam: nam et vires, et corpus amisi. *Caes. B. G.* 7, 32. Exercitum reficere ex labore atque inopia. *Hirt. B. G.* 8, 1. Cum milites hibernorum quiete a tantis laboribus reficere vellet. *Plin.* 26, 11, 68. Reficientibus se ab imbecillitate utilissima radix geranii. *Liv.* 37, 24. Cibo reficere vires. *Sall. Jug.* 18. Saucios cum cura reficit. *Nep. Eum.* 9. *extr.* Ad lassitudinem sedandam militum, ac reficienda jumenta. *Cic. Q. Fr.* 3, 1. Ego ex magnis caloribus in Arpinati summa cum amoenitate fluminis me refeci. *Plin. Pan.* 77. Tam assiduus in tribunali, ut labore refici ac reparari videretur. *Cic. Att.* 7, 3. *extr.* Tironis reficiendi spes est in M'. Curio, *h. e.* sanandi. *Sen. ep.* 7. Ex longo morbo refici. *Plin.* 37, 5, 17. Reficit aciem oculorum smaragdus. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 4. Nitrum reficit lassitudines. *Id.* 32, 6, 21. Ostrea stomachum unice reficiunt. *Mart.* 4, 37. Reficere nauseam. ℙ Item ad animum. *Cic. Planc. I.* Vester, judices, conspectus reficit et recreat mentem meam. *Id. Mil.* 1. Sed me recreat et reficit Cn. Pompeji consilium. *Quint.* 10, 5. *med.* Reficere ac reparare. *Cic. Verr.* 2, 4, 47. *f.* Ad ea, quae dicturus sum, reficite vos, quaeso, judices, *h. e.* a lassitudine audiendi vos recreate, et vires ad audiendum resumite. *Sall. Cat.* 49. Sociorum animos reficere. Sic *Liv.* 33, 36. Reficere animos militum a terrore. *Virg. A.* 11, 731. reficitque in proelia pulsos, *h. e.* cohortando in pugnam restituit. *Cic. Att.* 12, 14. Omnia nitor, non ad animum, sed ad vultum reficiendum, *h. e.* ad speciem non dolentis componendum. ℙ Item ad alia. *Nep. Ag.* 7. Post Leuctricam pugnam Lacedaemonii se nunquam refecerunt, i. e. pristinas imperii vires recuperarunt. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Nemo sanus debet velle impensam ac sumptum facere in culturam, si videt, non posse refici; et *Virg. G.* 3, 336. cum frigidus aera vesper Temperat, et saltus reficit jam roscida luna; et *Ov. Fast.* 3, 711. Postera cum teneras aurora refecerit herbas. Adde *Plin.* 2, 11, 8. ℙ Aliquando est reficere, colligere, redigere. *Varr. R. R.* 1, 24. Hostum vocant, quod ex uno facto olei reficitur. *Cic. Par.* 6, 1. *f.* Nunquam eris dives, antequam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones possis. *Liv.* 35, 1. *extr.* Cetera (*praeda*) vendenda quaestori data: quod inde refectum est, militi divisum. *Just.* 9, 1. *f.* In Scythiam praedandi causa profectus est, more negotiantium impensas belli alio bello refecturus; et *Cels. Dig.* 50, 16, 88. Tantum quis pecuniae relinquit, quantum ex bonis ejus refici potest. ℙ *Reficere* prima producta. *Lucr.* 1, 34. Reficit aeterno devinctus vulnere amoris. Alii eg. *rejicit.* V. dicta in RE.

RĔFĬCTĬO, onis, f. idem quod refectio: a *refingo. Ulp. Dig.* 43, 21, 1. §. 7. Purgandi verbum ad eum rivum pertinet, qui refictione indiget: plerumque enim refictione et purgatione rivus indiget.

RĔFĪGO, is, ixi, a. 3. ἀποκαθηλόω, quod fixum erat, avello, revello, evello. *Cic. Phil.* 12, 5. *extr.* Figentur rursus eae tabulae, quas vos decretis vestris refixistis. *Hor. Ep.* 1, 18, 56. Sub duce, qui templis Parthorum signa refixit. *Val. Max.* I, 6. *n.* 10. Tum demum immobile Dei caput terra refigi potuit. *Cels.* 6, 15. *f.* Si dolor in gingivis est, moventurque aliqui dentes, refigi eos oportet: nam curationem impediunt. *Plin.* 35, 2, 2. Affixis hostium spoliis, quae nec emptori refigere liceret. *Sil.* 10, 601. clypeos in bella refigite captos. *Sen. V. B.* 19. *f.* Cum refigere se crucibus conentur, in quas unusquisque vestrum clavos suos ipse adigit. *Quint. decl.* 10, 19. Refigere ferrum. ℙ *Refigere leges*, abrogare, tollere, infringere, rescindere. V. FIGO. *Cic. Phil.* 13, 3. Acta Antonii rescidistis, leges refixistis: per vim et contra auspicia latas decrevistis. *Id. Fam.* 12, 1. *f.* Cujus aera refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus? ℙ *Refigere jurgia*, resolvere, tollere, amovere. *Hor. Ep.* 2, 2, 170. Sed vocat usque suum, qua populus adsita certis Limitibus vicina refigit jurgia. Ita *Bentl.* ex aliquot MSS. *Lambini.* Alii leg. *refugit.* ℙ Pro figere, aut rursus figere. *Virg. G.* 4, 202. aulasque, et cerea regna refigunt. Ubi *Serv.*: *re* abundat: id est figunt. Alii tamen rectius leg. *refingunt.*

*RĔFĪGŪRO, as, a. 1. reformo, refingo. *Vulg. Sapient.* 19, 6. Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis praeceptis, ut pueri tui custodirentur illaesi. *B. A.*

RĔFĪNGO, is, a. 3. fingo, simulo. *Appul. Met.* 3. Hilari vultu renidens, quantumque poteram, laetiorem me refingens. ℙ Item formo, facio. V. v. praec.

RĔFĪRMĀTUS, a, um, part. ab inus. *refirmo*, firmatus, constitutus. *Sex. Ruf. Brev.* 14. *f.* Super ripam Tigridis limes est refirmatus.

RĔFĪXUS, a, um, part. a *refigo*: ἀποκαθηλωθείς, revulsus, avulsus, detractus. *Just.* 9, 7. *med.* Refixum corpus interfectoris super reliquias mariti cremavit, *h. e.* cruci detractum. *Virg. A.* 5, 360. clypeum Neptuni sacro Danais de poste refixum; et *ib.* 527. coelo ceu saepe refixa Transcurrunt, crinemque volantia sidera ducunt. *Claud. IV. cons. Honor.* 496. non hasta refixas Vendit opes: avida sector non voce citatur, *h. e.* legitimis dominis proscriptione ereptas.

REFLĂBILIS, e, adj. qui facile efflatur, ut Cibi facile reflabiles, *Coel. Aurel. Tard.* 4, 1. *med.*

REFLĂBRI Venti, recurrentes, et reciproci, in contrarium scilicet flantes, modo antrorsum, modo retrorsum. *Appul. de Mundo:* Excursores venti habentur, qui directo spirant: reflabri, reciproci, ut Caecias putatur esse.

REFLĂGĬTO, as, a. 1. ἀναιτίζω, iterum flagito. *Catull.* 42, 6. et 10. Persequamur eam, et reflagitemus.

REFLĂTĬO, onis, f. evaporatio. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. *med.* Erit tondendus aeger usque ad cutem. Hinc etiam patientes partes levantur, cum ex alto reflatio quaedam viarum nuditate permittitur.

REFLĂTUS, a, um, part. a *reflo*, vento reflante plenus, tumidus. *Appul. Met.* 2. Signum perfecte luculentum, veste reflatum. *Id. ib.* 4. *f* Psychen mitis aura, vibratis hinc inde laciniis, et reflato sinu sensim levatam vehens, etc. ℙ Item vaporem emittens, ut Reflata succositas, *Coel. Aurel. Acut.* 2, 29.

REFLĂTUS, us, m. ἀντίπνοια, flatus adversus, idest ventus contrarius. *Cic. Att.* 12, 2. Hic rumores, quinquaginta naves delatas in Uticam reflatu hoc. *Plin.* 9, 6, 5. de orca: Quorum *(navigiorum)* unum mergi vidimus, reflatu belluae oppletum unda, *h. e.* exspiratione, efflatu.

REFLECTO, is, xi, xum, a. 3. ἀναχάμπτω, retro flecto, inflecto, retorqueo. *Plin.* 11, 50, 111. Caudam sues intorquent, canum degeneres sub alvum reflectunt; et *ib.* 37, 78. Venter sanguine carentibus nullus: intestinus enim ab ore incipit, et quibusdam eodem reflectitur, ut sepiae, polypo. *Val. Fl.* 5, 455. odere tamen, visusque reflectunt. *Catull.* 45, 10. leviter caput reflectens. *Id.* 64, 112. Inde pedem victor multa cum laude reflexit. *Val. Max.* 7, 4. *n.* 5. Cum alio cursum direxisset, subito ad Contrebiam reflexit. *Sen. Thyest.* 428. Reflecte gressum, dum licet, teque eripe, *h. e.* refer pedem, revertere. *Id. Troad.* 46. ferox saeva manu Coma reflectens regium torta caput, Alto nefandum vulneri ferrum abdidit. *Ov. Met.* 5, 547. de Ascalapho vertente se in bubonem: Inque caput crescit, longosque reflectitur ungues. ℙ Translate pertinet ad lenitatem, et misericordiam. *Cic. Or.* 1, 12. *med.* Causae, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur. *Id. Sull.* 16. Nonnunquam animum incitatum ad ulciscendam orationem tuam, revoco ipse, et reflecto. *Virg. A.* 10, 632. et in melius tua, qui potes, orsa reflectas. *Sen. Ag.* 155. At te reflectat conjugii nomen sacrum. *Ter. Ad.* 3, 2, 8. Quem neque fides, neque jusjurandum, neque illum misericordia repressit, neque reflexit. ℙ *Reflectere animum*, vertere, flectere ad advertendum. *Virg. A.* 2, 741. Nec prius amissam (*Creusam*) respexi, animumque reflexi, Quam, etc. *Mamert. Grat. act.* 14. Ad Romanam urbem mentem reflexit. *Quint. decl.* 245. An si quis nostrum transfugisset, non ipsum modo, etc. idem non reflectemus in nos, etc.?

REFLEXIM, adv. cui contrarium est directim. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Ex hac conjugatione primi modi fit illativum; si directim, universale, ut Omne igitur honestum utile est; si reflexim, particulare, ut Quoddam igitur utile est honestum.

REFLEXIO, onis, f. conversio. *Macr. Sat.* 5, 11. *med.* Crebram cervicis reflexionem in Palinuro sidera consulente descripsit. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Verum hoc in simplici conversione, quae in conclusionum illationibus reflexio nominatur.

REFLEXUS, a, um, part. a *reflecto*: ἀναχαμφθείς, retro flexus, inflexus. *Sen. Oed.* 733. Sonuit reflexo classicum cornu, Lituusque adunco stridulos cantus Elisit aere. *Ov. A. Am.* 3, 779. et *Stat. Achill.* 1, 382. Reflexa cervix. *Plin.* 30, 11, 30. Scarabaeus, cui sunt cornicula reflexa. *Id.* 11, 37, 62. Elephanto dentes intus ad mandendum quatuor: praeterque eos qui prominent, masculis reflexi, feminis recti atque proni: ἀναστομους habet *Aristot. Hist. anim.* 2, 11. h. e. sursum reflexos, repandos. *Capitol. Pertin.* 12. Reflexus capillus, *h. e.* tortus, crispatus.

REFLEXUS, us, m. sinus, recessus, locus reflexus. *Appul. Flor. n.* 6. Prope Oceani reflexus.

REFLO, as, avi, atum, a. 1. ἀντιπνέω, retro flo, contra spiro. *Cic. Att.* 6, 7. Rhodum volo, inde Athenas, etsi Etesiae valde reflant. *Id. Tusc.* 1, 49. Quo utinam velis passis pervehi liceat! sin reflantibus ventis rejiciemur, tamen, etc. *Id. Off.* 2, 6. Cum prospero flatu fortunae utimur, ad exitus pervehimur optatos: et cum reflavit, affligimur. *Sidon. ep.* 9, 13. *in carm.* 2. Quibus antra per palati Crepulis reflanda buccis Gemit aura tibialis. ℙ Est etiam exspirare, emittere. *Lucr.* 4, 935. Interiorem etiam partem spirantibus aer Verberat, hic idem cum ducitur atque reflatur. ℙ Item flando tumefacere, et extollere. *Appul. Met.* 10. Quam quidem laciniam curiosulus ventus nunc lasciviens reflabat, ut dimota, etc. ℙ Et contra, efflando spiritum ejicere, et facere ut quod inflatum erat, detumescat. *Lampr. Elag.* 25. Multis vilioribus amicis folles pro accubitis sternebat, eosque reflabat prandentibus illis, ita ut plerumque subito sub mensis invenirentur prandentes. Primus denique invenit sigma in terra sternere, non in lectulis, ut a pedibus utres per pueros ad reflandum spiritum solverentur.

REFLORESCO, is, rui, n. 3. ἀνανθέω, rursus floreo. *Plin.* 19, 8, 47. Pulegii natura in carnariis reflorescens saepius dicta est. *Id.* 18, 16, 43. Secatur incipiens florere, et quoties refloruit. ℙ Translate. *Sil.* 15, 741. Celsus, ceu prima reflorescente juventa, Ibat consul.

[REFLŪAMEN, inis, n. quod refluit, superest. *Venant. Vit. S. Mart.* 1, 29. Parvula grammaticae lambens refluamina guttae, *h. e.* sectatus grammaticas quisquilias. *F.*]

RĔFLŪO, is, xi, n. 3. ἀναῤῥέω, retro fluo. *Ov. Met.* 8, 162. Non secus ac liquidus Phrygiis Maeandros in arvis Ludit, et ambiguo lapsu refluitque, fluitque. *Virg. A.* 9, 31. ceu pingui flumine Nilus Cum refluit campis. *Id. G.* 4, 262. Ut mare sollicitum stridit refluentibus undis.

REFLŪUS, a, um, adj. παλίῤῥοος, qui refluit, qui retrogrado fertur fluxu. *Plin.* 2, 97, 100. Pontus semper extra meat in Propontidem, introrsus in Pontum nunquam refluo mari. *Stat. Silv.* 5, 1, 91. et refluo circumsona gurgite Thule, *h. e.* aestuanti et reciproco. *Sil.* 5, 624. reflui pugnarunt montibus amnes. *Appul. Met.* 4. Proximas oras reflui litoris petit, *h. e.* ad quod mare fluit, et refluit.

RĔFŌCILLĀTUS, a, um, part. a *refocillo*, recreatus, refotus. *Plin. ep.* 3, 14. Ipse paucis diebus aegre refocillatus, non sine ultionis solatio decessit. Alii leg. *focillatus.* Adde *ep.* 16. *f.*, ubi eadem varia lectio.

RĔFŌCILLO, as, avi, atum, a. 1. recreo, refoveo, reficio. *Sen. Ben.* 3, 9. Efficacibus remediis refocillasse lugentem. *Refocillasse* sync. pro *refocillavisse.*

RĔFŌDĬO, is, ōdi, ossum, a. 3. ἀνορύσσω, fodiendo eruo, effodio. *Plin.* 2, 63, 63. Si ulli essent inferi, jam profecto illos avaritiae atque luxuriae cuniculi refodissent. *Id.* 19, 5, 27. Solum quam altissime refodere. *Colum.* 2, 2. *f.* Summas radices omnes refodiat ac persequatur.

RĔFORMĀTĬO, onis, f. μεταμόρφωσις, formae mutatio. *Appul. Met.* 3. Nec ullum miserae reformationis video solatium, *h. e.* qua ex homine in formam asini mutatus sum; et *mox:* Facilior reformationis hujus medela suppeditat; et *ib.* 11. Populi mirantur facilitatem reformationis, *h. e.* qua ex asino in hominem rursus sum restitutus. ℙ Translate. *Sen. ep.* 58. *med.* Quid de istis capiam, quae modo tractavimus, remotis a reformatione morum? quomodo meliorem me facere ideae Platonicae possunt?

RĔFORMĀTOR, oris, m. ἀνακλαστής, qui reformat, instaurator. *Plin. ep.* 8, 12. Ipsarum litterarum jam senescentium reductor, ac reformator.

*REFORMATRIX, icis, f. quae reformat. *JCt.* in *Dig. B. A.*

RĔFORMĀTUS, a, um, part. a *reformo:* nova forma mutatus. *Ov. Met.* 9, 399. reformatus primos Iolaus in annos. *Appul. Met.* 11. *f.* In alienam quampiam personam reformatus. *Id. ib.* 7. Ducatum latrones unanimes ei deferunt, vestemque lautiusculam proferunt: sumeret, abjecto centunculo divite. Sic reformatus, etc. *h. e.* mutata veste quasi in aliam formam versus. *Inscr.* ap. *Grut.* 149, 4. Imp. Caes. Divi F. Aug. orbe mari et terra pacato, templo Jani cluso, et Rep. P. R. optim. legib. sanctiss. instit. reformata, etc.

RĔFORMĀTUS, us, m. reformatio. *Tert. adv. Valent.* 13. Aeonum tutelaris reformatus.

RĔFORMĪDĀTĬO, onis, f. φόβος, actus reformidandi, timor, metus. *Cic. Part.* 4. In suasione autem aut spem, aut reformidationem deliberantis.

RĔFORMĪDO, as, a. 1. περιφοβέομαι, valde formido. *Cic. Phil.* 7, 6. *f.* Pacis nomine bellum involutum reformido. *Id. Fin.* 3, 2. Vulgi reprehensionem reformidans. *Id. Tusc.* 5, 30. *med.* Imbecillius horrent dolorem, et reformidant; et *ib.* 1, 45. Ita tetra sunt, ut ea fugiat et reformidet oratio. *Plin. ep.* 1, 10. Reverearis occursum, non reformides. *Id. ep.* 5, 8. Nullius sibi conscius culpae, posteritatis memoriam non reformidat. *Quint.* 1, 2. *med.* Assuescat jam a tenero non reformidare homines; et *ib.* 1. Ne amaritudinem studiorum semel praeceptam, etiam ultra rudes annos reformidet. ℙ Cum infin. *Cic. Phil.* 14, 3. *f.* Refugit animus, eaque dicere reformidat, quae, etc. *Plin. Pan.* 44. Quis comparari tibi non reformidet? ℙ Cum *quod* conjunctione causali. *Caes. B. C.* 1, 32. *f.* Neque se reformidare, quod in senatu Pompejus dixisset, ad quos legati mitterentur, iis auctoritatem tribui. ℙ Translate. *Ov. Pont.* 2, 7, 13. Membra reformidant mollem quoque saucia tactum; et *ib.* 3, 4, 49. reformidant insuetum lumina solem. *Virg. G.* 2, 369. de vitibus: Ante reformidant ferrum. *Colum.* 4, 9. Quae putatio non debet secundum articulum fieri, ne reformidet oculus.

RĔFORMO, as, avi, atum, a. 1. μεταμορφόω, formam aliam induco, vel pristinam reddo. *Ov. Met.* 11, 253. Nec te decipiat centum mentita figuras: Sed preme quidquid erit, dum, quod fuit ante, reformet, *h. e.* formam, quam prius habebat, resumat. *Appul. Met.* 11. Hunc hodie Deae numen augustum reformavit ad homines, *h. e.* humanae formae restituit. *Id. ib.* 5. Quem temporis modici spatium repentina senecta reformavit; et *ib.* 3. Singula monstravit, quae possunt rursus in facies hominum tales figuras reformare. ℙ Translate. *Plin. Pan.* 53. Corruptos depravatosque mores reformare et corrigere; et *Eum. Pan. Constant.* 2. Solutam et perditam disciplinam reformare *Val. Max.* 6, 5. *n.* 2. *extr.* ruinas patriae in pristinum habitum. *Appul. Met.* 9. Divinae providentiae fatalis dispositio subverti, vel reformari non potest, *h. e.* mutari, inflecti. *Ulp. Dig.* 49, 1, 1. Appellandi usus nonnunquam bene latas sententias in pejus reformat.

RĔFOSSUS, a, um, part. a *refodio:* fodiendo erutus, effossus. *Lucan.* 4, 292. tellure refossa Occultos latices quaerunt. *Colum.* 3, 11. Refossas radices comburere. *Plin.* 7, 16, 16. Orestis corpus oraculi jussu refossum.

RĔFŌTUS, a, um, part. a *refoveo:* refocillatus. *Suet. Ner.* 27. Epulas a medio die ad mediam noctem protrahebat, refotus saepius calidis piscinis, ac tempore aestivo nivatis. *Appul. Met.* 5. A lassitudine viae sedilibus refotae; et *ib.* 9. Mollitie cubiculi refota lassitudine, vegetus exsurgo. *Gell.* 15, 2. *f.* Calefacto refotoque animo.

RĔFŌVĔO, es, ōvi, otum, a. 2. ἀναθάλπω, idem fere quod foveo, refocillo, recreo, reficio: praesertim si modice calefaciendo fiat. [*Curt.* 8, 4, 15. refovere artus igne.] *Lucan.* 8, 67. adstrictos refovet complexibus artus. [*Plura laud. *Cort.* ad h. l.] *Ov. Her.* 11, 58. Pressa refovisti pectora nostra tuis. *Colum.* 2, 14. Omni solo una praesens medicina est, ut stercore adjuves, et absumptas vires hoc velut pabulo refoveas. *Plin.* 8, 27, 41. Anguis, hiberna latebra visu obscurato, marathro herbae sese affricans, oculos inungit ac refovet; et *paulo sup.* Herba, qua se lacerti, quoties cum serpentibus conseruere pugnam, vulnerati refovent. *Pall.* 4, 10. *med.* Amat putari atque circumfodi, et parco humore inter siccitates saepe refoveri. *Stat. Th.* 6, 521. Dat vires, refovetque Deus. *Sil.* 3, 637. Nec refovere datur torpentia membra quiete. [*Tac. *A.* 12, 66. refovendis viribus mollitie coeli et salubritate aquarum Sinuessam pergit. *Liv.* 33, 2, 3. dum regem auferunt refoventque: ita e conjectura *Gron.* nobis quidem probata pro vulg. *perferuntque*, quod *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 405. vix ferendum jure meritoque contendit.] ℙ Translate. *Plin.* 36, 15, 22. Leni afflatu simulacra refovente. V. *Hard. Ov. Am.* 2, 19, 15. de amanti: tepidosque refoverat ignes, *h. e.* suscitaverat. *Plin. ep.* 3, 18. Studia prope exstincta refoventur. *Id. Pan.* 18. Disciplinam castrorum lapsam exstinctamque refovisti. Adde *ib.* 69. *Vell.* 1, 15. Post bellum vires refovendae magis, quam spargendae. [*Adde 2, 113, 2. Plura *Tac.* exempla, v. ap. *Boettich. l. l.* Adde *Suet. Caes.* 35. reliquias partium in Africa refoventes.]

REFRACTĀRĬOLUS, a, um, adj. ἀντιτυπής, dimin. refractarii. *Cic. Att.* 2, 1. Fuit mihi commodum, quod in eis orationibus, quae Philippicae nominantur, enituerat civis ille tuus (*Demosthenes*), et quod se ab hoc refractariolo judiciali dicendi genere abjunxerat, ut σεμνοτερός τις, καὶ πολιτικώτερος videretur; curare, ut meae quoque essent orationes, quae consulares nominarentur, *h. e.* contumaci, concertatorio, jurgiorum et rixae pleno, cum adversario contra dicenti resistitur, ejusque argumentatio contrariis rationibus, clamore, altercatione ac strepitu refringitur. Utitur autem diminutiva voce, quia comparat cum deliberativo dicendi genere, quod multo est gravius et augustius, cum sententia dicitur in senatu, aut ad populum verba fiunt de republica. In hoc enim nulli sunt clamores, nulla altercatio, sed perpetua oratione, gravibus verbis sententiisque res agitur. Itaque prae hoc leve illud, et quasi nugatorium est. [Hinc *Id. Brut.* 87. Thucydides hoc forense, concertatorium, judiciale non tractavit genus. *F.*]

REFRACTĀRĬUS, a, um, adj. ἀντίτυπος, contumax, nimis suae sententiae tenax, a *refringendo*, tanquam obstantia refringens, nulloque claustro se patiens coerceri. *Sen. ep.* 73. Errare mihi videntur, qui existimant, philosophiae fideliter deditos contumaces esse ac refractarios, et contemptores magistratuum. V. ENFRACTARIUS.

*REFRACTĬO, onis, f. ut *Refractio seu repercussio luminis* in *l.* 8. *Dig. tit.* 2. *leg.* 17. *the refraction. B. A.*

REFRACTUS, a, um, part. a *refringo*, ἀναχεχλασμένος. *Luer.* 4, 441. Quae demersa liquore obeunt, refracta videntur Omnia converti. *Plin.* 17, 11, 15. Ulmorum samara colligenda est, deinde biduo in umbra siccata, serenda, densa in refracto, terra super minutatim cribrata, *h. e.* in terra pastinata, occata, et resoluta. *Colum.* 4, 33. Castanea sabulonem humidum, vel refractum totum non respuit. ℙ Translate. *Stat. Silv.* 4, 5, 8. Jam Zephyris Aquilo refractus, *h. e.* fractus, repulsus, victus. *Plin. ep.* 2, 14. Refractis pudoris et reverentiae claustris.

REFRAENO. V. REFRENO.

REFRĀGĀTĬO, onis, f. ἀντιμάχησις, repugnantia. *August. ep.* 177. Si in re facillima curvam refragationem, et nodos difficultatis posuissem: *curvam* dicit, et *nodos* memorat respiciens ad *suffraginem* in corpore animalium.

REFRĀGĀTOR, oris, m. ἀντιχειροτονῶν, qui refragatur. *Ascon. in. exposit. or. in toga cand.* Acerrimi, ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petiit consulatum.

[REFRĀGĀTUS, a, um, part. a *refragor. Curt.* 9, 5, 21. Sed ipse, scilicet gloriae suae non refragatus, abfuisse, missum in expeditionem, memoriae tradidit, *h. e.* non suffragatus. V. REFRAGO. *F.*]

[REFRĀGĀTUS, us, m. idem ac refragatio. *Lact.* ad *Stat. Th.* 4, 468. Haec signa aut testantur extorum promissus, si bona sint; aut si contraria, refragatus. In editionibus perperam legitur *refragantur. F.*]

REFRĀGO, as, a. 1. antique pro suffragor, teste *Non.* 7, 3., ap. quem *Sisenn.* Multi populi, plurimae conciones dictaturam omnibus animis et studiis refragabunt. Alii leg. *suffragabunt.*

REFRĀGOR, aris, dep. 1. ἀντιλέγω, adversor, obsto, oppugno, resisto petenti aliquid, cui *suffragor* contrarium est. *Cic. Mur.* 23. Illa lex petitioni tuae refragata est. *Id. Phil.* 11, 9. Sed de hoc quidem hactenus, ne refragari homini amicissimo videar. Etsi quis potest refragari non modo non petenti, verum etiam recusanti? [*Liv.* 45, 40. si aut non refragati honori ejus fuissent.] *Vell.* 2, 40. *extr.* Pars optimatium refragabatur, ne promissa civitatibus persolverentur. ℙ Translate. *Quint.* 10, 6. Ut is, cui non refragetur ingenium, acri studio adjutus tantum consequatur, ut, etc. *Plin. ep.* 2, 5. Sunt enim quaedam adolescentium auribus danda, praesertim si materia non refragetur. *Plin. alter* 19, 8, 38. Quidam hanc lactucam eunuchion vocant, quoniam haec maxime refragetur Veneri. V. ASTYTIS et EUNUCHION.

REFRĒNĀTĬO, onis, f. κολασμὸς, actus refrenandi. *Sen. Ira* 3, 15. Necessaria est ista refrenatio doloris.

REFRĒNĀTUS, a, um, part. a *refreno:* cohibitus. *Lucr.* 5, 115. Religione refrenatus ne forte rearis, etc.

REFRĒNO et Refraeno, as, avi, atum, a. 1. χαλιναγωγῶ, freno retraho, et sisto. *Curt.* 4, 16. Refrenare equos jussi qui vehebantur, agmenque constitit. *Lucr.* 6, 530. Et mora, quae fluvios passim refrenat euntes. *Ov. Her.* 6, 87. Illa refrenat aquas, obliquaque flumina sistit. ℙ Translate est cohibere, comprimere, coercere, compescere, retinere, revocare. *Cic. Div.* 2, 2. Juventus his temporibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda sit. *Lucr.* 1, 849. Et pereunt, neque ab exitio res ulla refrenat. *Id.* 4, 1078. Blandaque refrenat morsus admixta voluptas. *Quint. prooem.* 8. *med.* Cursum dicendi refrenare. *Cic. Coel.* 31. *f.* Magno ingenio adolescentes refrenandi potius a gloria, quam incitandi sunt. *Id. Phil.* 11, 2. Impetum furentis colligavit, progressu arcuit, a reditu refrenavit. *Id. Par.* 5. Refrenare libidines, spernere voluptates, iracundiam tenere, coercere avaritiam. [*Adde *Verr.* 2, 3, 57. quum ejus animum ad persequendum non negligentia tardaret, sed conscientia sceleris avaritiaeque suae refrenaret.] *Hor. Od.* 3, 24, 29. indomitam licentiam. ℙ De ratione scribendi, V. FRENUM.

REFRĒQUENTO, as, a. 1. *Suet. Aug.* 46. Italiam duodetriginta coloniarum numero deductarum ab se refrequentavit, *h. e.* rursus frequentem reddidit, cum bellis civilibus, et proscriptionibus exhausta esset. Plerique alii rectius leg. *frequentavit.*

REFRĪCO, as, cui, a. 1. ἀναφάω, rursus, vel valde frico. *Cato R. R.* 87. Id omne ita facito, et refricato denuo. ℙ Metaleptice ponitur pro renovare, tractum a vulneribus, quae plerumque fricando renovantur. *Ov. R. Am.* 729. Admonitu refricatur amor, vulnusque novatum Scinditur. *Cic. Att.* 12, 18. Quae res forsitan sit refricatura vulnus meum. Sic *ib.* 5, 15. Appii vulnera non refrico, sed apparent, nec occulti possunt. *Id. Agr.* 3, 2. Refricare obductam reipubl. cicatricem. *Id. Fam.* 5, 17. *med.* litteris desiderium ac dolorem. *Id. Phil.* 3, 7. memoriam pulcherrimi facti. *Id. Sull.* 6. Cum caedes, cum civium cruor, cum cinis patriae versari ante oculos, atque animum memoria refricare coeperat, *h. e.* pungere, vellicare. ℙ Neutrorum etiam more usurpatur. *Id. Att.* 10, 17. Crebro refricat lippitudo, non illa quidem perodiosa, sed tamen quae impediat scriptionem meam, *h. e.* molestiam renovat.

REFRĪGĔO, es, ui, n. refrigesco. *Veg. Vet.* 3, 4. *med.* Si bos sudans in opere faciendo refriguit.

REFRĪGĔRĀTĬO, onis, f. ἀνάψυξις, actus refrigerandi. *Cic. Sen.* 14. Et refrigeratio aestate, et vicissim aut sol, aut ignis hibernus. *Colum.* 11, 1. *med.* Umbras arborum, fonticulorumque amoenitatem, vel aurae refrigerationem captare.

REFRĪGĔRĀTORĬUS, a, um, adj. ἀναψυκτικὸς, qui refrigerat. *Plin.* 25, 13, 95. Semini et foliis cicutae refrigeratoria vis. *Id.* 22, 25, 70. Lens refrigeratoriae naturae. *Pelag. Vet.* 28. *med.* Potio refrigeratoria.

REFRĪGĔRATRIX, icis, f. quae refrigerat. *Plin.* 19, 8, 38. Est quidem natura omnibus (*lactucis*) refrigeratrix.

REFRĪGĔRĀTUS, a, um, part. a *refrigero:* frigidus factus, ἀναψυχθείς. *Cic. N. D.* 1, 10. Si mundus est Deus, Dei membra partim ardentia, partim refrigerata dicenda sunt; et *ib.* 2, 9. Refrigerato et exstincto calore, occidimus ipsi et exstinguimur. *Cato R. R.* 92. Frumentum refrigeratum condito. *Plin.* 13, 1, 2. *med.* de unguento: Ventilatur in coquendo, donec desinat olere: rursus refrigeratum odorem suum capit. *Id.* 22, 21, 28. Refrigeratus panis; et 34, 18, 50. Refrigeratum plumbum. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Refrigerato aere vespertino. ℙ Translate. *Cic. Verr.* 1, 10. *f.* Defessa ac refrigerata accusatio. *Id. Fam.* 3, 8. Refrigerato jam levissimo sermone provincialium. *Quint. ep. ad Tryphon.* Refrigerato inventionis amore. *Vell.* 2, 83. Plancus refrigeratus ab Antonio ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Caesarem, *h. e.* frigore imminutae benevolentiae, et dissolutae amicitiae percussus. V. FRIGUS. [*Ruhnk.* locum ita exhibet: Plancus — cum Glaucum saltasset in convivio, refrigeratus, ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Caesarem: ut *refrigeratus* non ad *ab Antonio* referendum, sed absolute intelligendum censeat, i. e. frigide spectatus, frigide exceptus, ut saltationem suam parum placere sentiret. *Forc.* sententiam, de benevolentiae frigore v. *refrigeratus* h. l. dictum putantis, habent *Gesn.* in *Thes. L. L.* et *Lips.* ad h. l. Nobis *Ruhnk.* ratio praeferenda videtur, fretis loco, quem idem laud. ad *Vell.* l. c., *Quint.* 5, 7, 26. ubi v. *Spalding.*] *Suet. Claud.* 41. Historiam cum frequenti auditorio commisisset, aegre perlegit, refrigeratus saepe a semetipso, [*i. e. minuta a semet ipso auditorum attentione.] V. *integr. loc. ejusd. l. c.* in REFRIGERO.

REFRĪGĔRĬUM, ii, n. refrigeratio: et translate solatium, levamen, recreatio. *Salvian. Avar.* 3, 11. Dives in ille Evangelio guttam refrigerii impetrare non poterat. Adde *Tert. Apol.* 39. *med.* et *Virg. veland.* 9., et *Oros.* 5, 15.

REFRĪGĔRO, as, avi, atum, a. 1. ἀναψύχω, rem calidam frigidam facio, frigus alicui rei induco. *Cic. N. D.* 2, 46. *f.* Stella Saturni refrigerat, Martis incendit. *Id. Rosc. Com.* 6. Ignis in aquam conjectus continuo restinguitur et refrigeratur. *Plin.* 31, 3, 23. Neronis inventum est decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare. *Varr. R. R.* 1, 57. Granaria sublimia faciunt, quae non solum a lateribus per fenestras, sed etiam subtus a solo ventus refrigerare possit. *Colum.* 12, 43. Doliola nova in sole siccant: deinde cum ea in umbra refrigeraverunt, etc. Sunt qui hoc loco neutrorum more, et intransitive usurpari putant. ℙ De iis, quae calorem aestumque in corpore minuunt. *Cels.* 2, 27. Refrigerant olera, coriandrum, cucumis, etc. et *Varr* ap. *Gell.*

13, 30. Vinum novum refrigerare, vetus calefacere. *Plin.* 20, 20, 81. Porcilaca manducata refrigerat intestina; et *ib.* 2, 6. Pepones refrigerant maxime in cibo; et *ib.* 3, 8. Colocynthis recentes podagras in cibo; et *ib.* 3, 8. Colocynthis recentes podagras refrigerat. *Id.* 23, 1, 27. Aceto summa vis est in refrigerando. *Cic. Sen.* 16. *f.* Calescere apricatione, vel igni, aut vicissim umbris aquisve refrigerari. ℙ Translate est vigorem minuere, reprimere, languescere facere. *Quint.* 5, 7. *med.* Testis brevi interlocutione patroni refutandus est, aut aliquo, si contingat, urbane dicto refrigerandus. [*Longe praeferenda est *Spald.*, q. v., hujus loci interpretatio, *refrigerandus* per *in risum dandus* bene expl. Atque eodem sensu positum h. v. est in loco, quem *Noster* bene quidem intellectum pravo consilio sequenti §. adscripserat, *Suet. Lucan.* Siquidem aegre ferens, recitante se, subito, ac nulla nisi refrigerandi sui causa, Neronem recessisse, i. e. aliorum contemptui exponendi.] V. alia in REFRIGERATUS. ℙ De iis, qui insulsi, inepti, frigidi sunt in dicendo. *Mart.* 3, 25. Si temperari balneum cupis fervens, Roga, lavetur, rhetorem Sabineum: Neronianas is refrigerat thermas. ℙ *Refrigerari alicui* ap. *Tert. ad Scapul.* 4. *med.* et *Anim.* 51. *f.* est refrigerium seu opem ferre.

REFRIGESCENTIA, ae, f. idem quod refrigeratio. *Tert. Anim.* 43. Sed nec somni refrigescentiam admittam.

REFRIGESCO, is, xi, n. 3. *ἀναψύχομαι*, calore deposito frigidus fio. *Cato R. R.* 105. Ubi bullabit vinum, ignem subducito: ubi id vinum refrixerit, in dolium infundito. *Lucr.* 4, 704. Refrigescit enim cunctando plaga per auras. *Ov. Met.* 12, 421. parvo cor vulnere laesum Corpore cum toto, post tela educta, refrixit. *Colum.* 2, 16. Refrigescere agrum, qui non stercoretur: peruri, si nimium stercoretur. ℙ Translate est languescere, vigorem amittere, remissum fieri. [*Cf. *Manut.* ad *Cic. Fam.* 9, 10. *f. Ruhnk.* ad *Ter. Ad.* 2, 2, 25.] *Ter. Ad.* 2, 2, 24. Ubi illinc rediero, nihil est: refrixerit res. (*Pl. Poen.* 4, 2, 92. At enim nihil est, nisi, dum calet, hoc agitur.) *Cic. Planc.* 23. Crimen de nummis caluit re recenti: nunc in causa refrixit, [*i. e. non ita ut ante jactatur, augetur, magnum putatur.] *Id. Phil.* 5, 11. *f.* Teretur interea tempus: belli apparatus refrigescent. *Id. Fam.* 9, 10. *extr.* et *ib.* 15, 17. Unum vereor, ne hasta Caesaris refrixerit, [*i. e. ne lucrum ex auctione bonorum Pompejanorum Sullae morte, qui multa solebat emere, imminueretur.] *Id. Att.* 1, 1. Cum Romae a judiciis forum refrixerit. *Quint.* 10, 7. *med.* Recentes rerum imagines continuo impetu feruntur, quae nonnunquam mora stili refrigescunt. *Id.* 4, 3. Dilatis diutius dicendi voluptatibus, orato refrigescit. *Hieron. in Isaj.* 6, 14, 15. Refrigescens caritas. ℙ [*Contemni. *Cic. Div.* 2, 41. ceteris in locis sortes refrixerunt. ℙ De candidatis dicitur, quum spem potiundi honoris amittunt. *Id. Att.* 4, 18. Memmius autem dirempta coitione, invito Calvino, refrixerat. *Q. Fr.* 3, 2. Scaurus refrixit. *Ern.* in *cl. Cic.*]

REFRIGO, is, a. 3. idem quod frigo, torreo. *Festus*, cujus verba V. in REFRIVA.

REFRINGO, is, fregi, fractum, a. 3. *ἀναχλάω*, effringo, perfringo. *Virg. A.* 6, 210. Corripit Aeneas extemplo, avidusque refringit *ramum aureum;* et *Stat. Th.* 4, 139. de Centauro ruenti: silvas humeris et utroque refringens Pectore. *Catull.* 63, 86. Refringere virgulta pede. *Colum.* 11, 2. *med.* glebam, et resolvere in pulverem. *Plin.* 8, 15, 17. Leones, condito in corporis vaginas unguium mucrone, ne refringatur, hebeteturve, ingredi. [*Ov. *Met.* 9, 208. totas refringere vestes.] *Caes. B. G.* 7, 56. *f.* Dispositio equitatu, qui vim fluminis refringeret. ℙ Praesertim cum aperiendi, et aditum sibi parandi causa quippiam rumpitur. *Pl. Capt.* 4, 4, 10. Cellas refregit omnes, reclusitque armarium. *Liv.* 34, 44. *f.* Refringere carcerem. [*Plura *Livii* exempla v. in *Gloss. Liv.* s. h. v.] *Enn.* ap. *Hor. Sat.* 1, 4, 61. et ap. *Serv.* ad *A.* 7, 622. et *Ov. Met.* 6, 597. portas. *Val. Fl.* 1, 595. aditus et claustra. *Stat. Silv.* 4, 6, 67. Seu clausam magna Babylona refregerat hasta, *h. e.* expugnaverat. ℙ Translate. *Cic. Mur.* 8. Cum ego claustra ista nobilitatis refregissem, ut aditus ad consulatum posthac non magis nobilitati, quam virtuti pateret. *Hor. Od.* 3, 3, 26. nec Priami domus Perjura pugnaces Achivos Hectoreis opibus refringit, *h. e.* retundit, imminuit, perdomat, frangit. Sic *Prop.* 3, 2, 44. et Teutonicas Roma refringat opes; et *Nep. Lys.* 1. Ut Atheniensium impotentem dominationem refringerent. *Liv.* 5, 37. Vim fortunae ingruentem refringere. *Plin. ep.* 3, 15. *f.* Confido, me non sic auribus duci, ut omnes aculei judicii mei illarum delinimentis refringantur. *Id. ep.* 9, 26. Laxandos esse eloquentiae frenos, nec angustissimo gyro ingeniorum impetus refringendos. *Quint.* 1, 3. *f.* Pudor refringit animum, et abjicit, *h. e.* quod ait *Plin. ep.* 4, 7. Recta ingenia debilitat verecundia, perversa confirmat audacia. ℙ *Refringere verba* ap. *Stat. Silv.* 2, 1, 123. est in puerilem blandumque modum formare. ℙ *Refringi radius* dicitur, cum veluti repercussus, retro, vel oblique flectitur. *Plin.* 2, 59, 60. Radium solis immissum cavae nubi, repulsa acie in solem refringi.

REFRIVA Faba, quae ex segete domum referebatur ad sacrificium: quasi *referiva*, a *refero*. *Fest.* Refriva faba dicitur, ut ait Cincius, quae ad sacrificium referri solet domum ex segete auspicii causa, quasi revocent fruges, ut domum datantes revirtico ad rem divinam faciendam. Aelius dubitat, an ea sit, quae prolata in segetem domum referatur, an quae refrigatur, quod est, torreatur. Sed opinionem Cincii adjuvat, quod in sacrificiis publicis, cum puls fabata Diis datur, nominatur refriva. Haec *Fest. Plin.* 18, 12, 30. In eadem (*faba*) peculiaris religio. Namque famam utique e frugibus referre mos est auspicii causa, quae ideo refriva appellatur. Utroque loco alii *referiva* leg. [*Marin Frat. Arv.* p. 202. ut obscura *Festi* verba *datantes revirtico* aliquantulum illustret, haec affert ex *Tab. Arv.* 41. *lin.* 27. Duo ad fruges petendas cum publicis discederunt, et reversi dextra dederunt, laeva receperunt, deinde ad alterutrum sibi reddiderunt. Ita *revirtico* idem fere esset ac revertendo. *F.*]

REFRONDESCO, is, n. rursus frondesco. *Sidon. carm.* 22, 46. Sponte refrondescit per brachia roscida palmes.

RĔFŬGA, ae, comm. gen. *αὐτόμολος*, fugitivus, vel fugitiva, qui, vel quae aliorum dominium refugit. *Ulp. Dig.* 48, 19, 8. Refugae ex opere metalli in metallum damnantur. ℙ *Macer. ib.* 49, 16, 13. Ejus fugam, qui, cum in carcere esset, discesserit, in numero desertorum non computandum, quia custodiae refuga, non desertor militiae est. Adde *Tert. Hab. mul.* 5.

RĔFŬGĬO, is, ūgi, a. 4. *ἀποφεύγω*, rursus fugio, fuga retrorsum me recipio, fugiendo recedo [*in locum, unde progressus sum.] *Virg. A.* 12, 753. de cervo: Mille fugit refugitque vias; [*V. *Wopkens. Lectt. Tull.* 2, 15.] et *ib.* 7, 500. Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit. *Hirt. B. G.* 8, 36. Neminem ex caede refugisse in castra, qui de accepta clade nuncium perferret. *Suet. Aug.* 16. *med.* Per devios tramites refugiens. *Cic. Verr.* 2, 5, 38. *f.* Reliqui Syracusas, classe amissa, refugerant. *Enn.* ap. *Cic. Fin* 5, 11. Refugit timido sanguen. ℙ [*Item a loco, ad quem processi, in quo constiti, recedo.] *Cic. N. D.* 2, 47. Vites a caulibus brassicisque, si propter sati sint, ut a pestiferis et nocentibus refugere dicuntur, nec eos ulla ex parte contingere. *Id. Caecin.* 8. *med.* Impetum armati Antiochi ceterorumque tela atque incursus refugit. [*Suet. *Caes.* 63. C. Cassium — obvium sibi neque refugit; et *Gr.* 23. qui quum in turba osculum sibi ingerentem, quamquam refugiens devitare non posset. — *Curt.* 9, 9, 26. refugit mare, i. e. refluit. *Ov. Fast.* 3, 590. et ex oculis visa refugit humus. *Virg. G.* 1, 442. (sol) medioque refugerit orbe: ubi v. *Heyn.*] ℙ Translate. *Colum.* 12, 50. *med.* Et si qua sunt alia, quae nunc memoriam meam refugiunt. [*Porro hic sequi debebant ea, in quibus devitandi, abhorrendi, recusandi, abstinendi notio a v. *refugiendi* vindicatur: quae Noster infra laudaverat ista:] *Virg. A.* 7, 618. Abstinuit tactu pater, aversusque refugit Foeda ministeria. *Id. ib.* 2, 12. Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit. *Cic. Phil.* 14, 3. *f.* Refugit animus, eaque dicere reformidat, quae, etc. *Id. Att.* 12, 18. Refugio a te admonendo. *Id. Or.* 3, 3. Sive judicio, sive pudore a dicendo, et timiditate ingenua refugisti. *Id. Rosc. Com.* 15. *extr.* Quem ego si ferrem judicem, refugere non deberet. *Ov. Met.* 8, 95. Munera porrexit: Minos porrecta refugit. *Id. Her.* 14, 50. Castaque mandatum dextra refugit opus, *Colum.* 2, 2. *med.* Hic ager colono est poenitendus, ac tanquam pestilens refugiendus. [*Lucan. 2, 175. mors ipsa refugit Saepe virum: ubi v. *Cort.* Adde *Ov. Fast.* 3, 51. Scelus unda refugit. Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 14, 50.] ℙ Cum infin. *Ov. Am.* 3, 6, 5. ad amnem: Parvus eras, memini: nec te transire refugi; et *Hor. Od.* 1, 1, 33. nec Polyhymnia Lesboum refugit tendere barbiton. ℙ Pro confugere. *Cic. Dejot.* 11. *f.* Cum esset productus, et tecum fuisset, refugit ad legatos. *Liv.* 23, 47. *f.* Cum refugientem ad urbem Claudius sequeretur. *Petr. Sat.* 118. Forensibus ministeriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem, tanquam ad portum faciliorem, refugerunt. [*Perfugere et *refugere* ita ex *Kritzii* sententia ad *Sall. Cat.* 54, 3. differunt, ut hoc de iis dicatur, qui aliquo se recipiunt, ut ibi quam longissime a periculo absint; *perfugere* usurpatur, si quis aliquo fuga contendat, ubi tutus sit impetumque defendere possit.] ℙ Apte dicuntur *refugere*, quae procul sita sunt, et veluti recedunt. *Virg. A.* 3, 536. refugitque a litore templum. *Plin.* 4, 12, 24. Pontus Euxinus longe refugientes occupat terras. ℙ Prima syllaba produci etiam potest. *Lucr.* 3, 69. Refugisse volunt longe, longeque recesse. V. dicta in RE. ℙ [*Confund. *perfugere* et *fugere*. V. *Spald.* ad *Quint.* 2. p. 87. crit.]

[RĔFŬGISCO, is, a. 3. idem ac refugio. *Commod. Instruct.* 23. Paratus ad epulas, et refugiscere praecepta. *F.*]

RĔFŬGĬUM, ii, n. *καταφυγή*, locus, ad quem confugimus, perfugium. [*Liv. 9, 37. silvae tutius dedere refugium: nam castra in campis sita eodem die capiuntur.] *Just.* 2, 6. Superfuerunt (*diluvio*), quos refugia montium receperunt; et 11, 4. *med.* Portas refugiis profugorum aperuere. *Ulp. Dig.* 11, 3, 1. Abscondendi causa refugium servo praestare vel in suo agro, vel in alieno loco, aedificiove. [*Quid differant *refugium* et *perfugium*, V. in *refugio.*] ℙ Speciatim *refugia* sunt loca domus abditiora et penitiora, in quae imminente vi majore vel hostium, vel incendii, se bonaque sua refugiendi hostium impetus, vel incendii causa paterfamilias conjicere solet. Hujusmodi loca aperire, et pervia facere usufructuario non licet. *Ulp. Dig.* 7, 1, 13. *med.* Vel aditus, posticasque vertere, vel refugia aperire. ℙ [*Translate.] *Cic. Off.* 2, 8. Regum, populorum, nationum portus erat et refugium senatus. [*Suet. *Tib.* 35. Eos omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exsilio affecit.]

RĔFŬGUS, a, um, adj. *ἀποφεύγων*, fugiendo recedens, se fuga subducens. *Tac. A.* 13, 40. Ut instantibus cominus resisterent, refugos non sequerentur. *Id. H.* 3, 61. Quidam in castra refugi cuncta formidine implebant. [*Lucan. 6, 50. refugi Parthi: ubi v. *intpp.* Cf. *Sil.* 4, 322. Atque eadem refuga cedentes arte resolvunt.] *Ov. Met.* 10, 42. et *Her.* 18, 182. nec Tantalus undam Captavit refugam. *Plin. Pan.* 30. *med.* Nilus non placido se mollique lapsu abstulerat, *h. e.* cum post inundationem in alveum suum refluerat. *Lucan.* 1, 410. cum funditur ingens Oceanus, vel cum refugis se fluctibus aufert. *Val. Fl.* 3, 587. velut refugi quem contigit improba Mauri Lancea, sanguineus vasto leo murmure fertur, *h. e.* qui statim atque ictum tulit, refugit. *Id.* 4, 41. Corpus hebet somno, refugaque eluditur umbra, *h. e.* quae, dum ille amplecti conatur, se subtrahit. *Id.* 1, 579. Litore Trinacrio, refugique a parte Pelori, *h. e.* qui procul navigantibus vicinior videtur, quam re vera est: prope autem accedentibus recedere videtur: tam longe in mari apparet. *Lucan.* 10, 132. refugosque gerens a fronte capillos, *h. e.* a fronte reflexos, et retrorsum rejectos. *Prud. περὶ στεφ.* 11, 102. viae refugae, *h. e.* in contrarium euntes.

[RĔFULCĬO, is, a. 4. iterum fulcio. *Not. Tir.* p. 117. Fulcit, refulcit. *F.*]

RĔFULGENTĬA, ae, f. splendor, fulgor. *Appul. Flor. n.* 18. Lacunarium refulgentia.

RĔFULGĔO, es, ulsi, n. 2. *ἀπολάμπω*, fulgorem remitto, resplendeo. [*Cic. N. D. 2, 44. (ex Arateis) fervidus ille canis stellarum luce refulget.) *Virg. A.* 8, 623. cum caerula nubes Solis inardescit radiis, longeque refulget. *Plin.* 9, 38, 62. Nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens. *Id.* 37, 7, 25. Carbunculi masculi acrius, feminae languidius refulgentes. *Virg. A.* 1, 406. rosea cervice refulsit; et *ib.* 2, 590. et pura per noctem in luce refulsit. [*Liv. 7, 10. Corpus alteri magnitudine eximium, versicolori veste pictisque et auro caelatis refulgens armis.] *Hor. Od.* 2, 12, 27. quorum (*Castorum*) simul alba nautis Stella refulsit, etc. *Ov. A. Am.* 2, 721. oculos tremulo fulgore micantes, Ut sol a liquida saepe refulget aqua. *Pall.* 4, 10. *med.* Ubi aestas refulserit, *h. e.* apparuerit, advenerit. [*Sil. 9, 190. refulgent ossibus campi, i. e. albescunt.] ℙ Translate. *Prop.* 3, 18, 8. Splendidaque a docto fama refulget avo. *Pers. prol.* 12. si dolosi spes refulserit nummi, *h. e.* spes apparuerit lucri et pecuniae. *Vell.* 2, 103. *f.* Tum refulsit certa spes liberorum parentibus. *Plin.* 35, 9, 36. *n.* 1. Festinans ad lumina artis (*picturae*), in quibus primus refulsit Apollodorus.

[RĔFULGĔRAT, abat, impers. iterum fulgerat seu fulgurat. *Not. Tir.* p. 118. Fulgerat, infulgerat, refulgerat. *F.*]

RĔFŬNDO, is, ūdi, usum, a. 3. *ἀναχέω*, rursus, aut vicissim fundo, regero [*in eum locum, unde hausi, sumpsi.] *Cic. N. D.* 2, 46. (et *Lucan.* 10, 258.) Stellae aquarum vaporibus aluntur, quibus altae renovataeque, refundunt eodem, et rursum trahunt indidem. *Ov. Met.* 11, 488. Egerit hic fluctus (*e navi*), aequorque refundit in aequor. ℙ [*Edere, quae quis hausit, assumsit res liquidas.] *Sen. Hipp.* 1030. Fluctus refundens ore physeter capax. [*Translate. *Sil.* 14, 550. mox sua ponto Singultante anima propulsa refunditur unda. ℙ Hinc de iis dicitur, quae aquas, aliasve res liquidas quasi fundendo repellunt, remittunt.] *Lucan.* 2, 617. Portus erat, si non violentos insula Coros Exciperet saxis, lassasque refunderet undas, *h. e.* repelleret. [*V. *Cort.*, qui leg. *retunderet.*] *Virg. A.* 7, 590. de scopulo: spumea circum Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga. ℙ [*Est etiam i. q. perfundo, madefacio.] *Cels.* 7, 16. Si angustius vulnus est, quam ut intestina commode refundantur, incidendum est. ℙ Translate est reddere, restituere. *Plin. Pan.* 31. Refudimus Nilo suas copias: recepit frumenta, quae miserat. [*Adde *ib.* 40, 4. quo ingenio, si natura pateretur, quam libenter tot spoliatis, tot trucidatis sanguinem et bona refudisses! ubi v. *Gierig.*] *Valer. Imp.* in *quadam ep.* ap. *Treb. Claud.* 14. Huic dabis loricam unam, quam refundat, cocum, quem refundat, unum, mulionem, quem refundat, unum, etc. *Ulp. Dig.* 12, 4, 5. *f.* Consequens est, ut dicamus, eum refundere quod accepit. *Id. ib.* 18, 2, 6. Fructus venditori refundere; et *ib.* 19, 5, 5. *f.* invicem

impensas. *Id. ib.* 15, 1, 9. *f.* Ut caveat, refusurum se, si quid praestiterit dominus. ℙ Item effundere, profundere. *Claud. B. Gild.* 162. distantibus idem Inter se vitiis cinctus: quodcumque profunda Traxit avaritia, luxu pejore refundit. ℙ Item respuere, abjicere. *Id. in Eutrop.* 1, 91. cum serta refundit Canities, *h. e.* quae utpote capillis rara male retinere possit serta delabentia. Est qui legit *refutat.* ℙ Item transferre. *Spart. Hadr.* 9. *med.* Quorum quidem necem in Tatiani consilia refundebat. ℙ [*Est etiam: facere, ut aliquid fundi possit, i. e. liquefacere, solvere.] *Plin.* 2, 101, 104. Luna glaciem refundit, [*h. e. concretam glacie aquam rursus solvit et fundit.] ℙ Alia ad hoc verbum pertinentia V. in REFUSUS. ℙ [*Confund. *refundere* et *retundere.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 5, 601.]

RĔFŪSE, adv. refundendo, regerendo. *Colum.* 4, 1. Nam semper in plano refusius egesta humus tumidior est, quam gradus soli crudi. [*Pontedera* in *Op. post.* T. 2. p. 163., probante *Schneid.* legit ex MS. *in plano refusus ex egesta humo tumidior,* etc. *F.*]

RĔFŪSĬO, onis, f. actus refundendi. *Macr. Sat.* 1, 21. *f.* Aquarius ipsam vim solis ostendit. Unde enim imber caderet in terras, nisi solis calor ad supera traheret humorem, cujus refusio pluvialis est copia?

RĔFŪSORĬUS, a, um, adj. *Refusoriae litterae* dicuntur a *Sidon. ep.* 9, 10. quibus aliquid remittitur.

RĔFŪSUS, a, um, part. a *refundo*, rursus, aut retro fusus, redundans, effusus. *Virg. A.* 1, 129. Emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis Stagna refusa vadis, *h. e.* aquas, quae sunt in imo mari, excitatas et effusas toto aequore. *Id. ib.* 6, 107. tenebrosa palus Acheronte refuso. *Lucan.* 8, 797. de Pompejo: situs est, qua terra extrema refuso Pendet in Oceano, *h. e.* in extremo litore, quod mari inundante superfunditur. *Ov. Met.* 11, 657. Tum lecto incumbens, fletu super ora refuso, Haec ait. ℙ De aliis rebus. *Val. Fl.* 5, 255. anguis spiris nemus omne refusis Implicuit, *h. e.* effusis, expansis instar aquae exundantis. Alii leg. *reflexis. Lucan.* 8, 105. sic fata, iterumque refusa Conjugis in gremium, *h. e.* reclinans. Sic *Claud. Epith. Honor. praef.* 5. Praeberetque Jovi communia pocula Chiron, Molliter obliqua parte refusus equi. *Sil.* 13, 322. Campi in spatium immensum refusi, *h. e.* patentes in morem aequoris.

RĔFŪTĀTĬO, onis, f. διάλυσις, ἀναοχεύη, actus refutandi, confutatio. *Cic. Top.* 25. Refutatio autem accusationis, in qua est depulsio criminis, quae Graece στάσις dicitur, Latine appellatur status, in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio. *Quint.* 4, 3. Refutatio maledictorum. [*Cf. *Ern. lex. techn. lat. rhet.* p. 327.]

RĔFŪTĀTOR, oris, m. qui refutat. *Arnob.* 1, 18. Refutator incredulus.

RĔFŪTĀTORĬUS, a, um, adj. ad refutandum pertinens. *Imp. Constant. Cod.* 7, 61, 1. *f.* Refutatorias preces offerre. Adde *ib.* 62, 18.

RĔFŪTĀTUS, a, um, part. a *refuto:* confutatus. *Cic. Manil.* 17. Obsolevit jam ista oratio, re multo magis, quam verbis, refutata. ℙ Item non admissus. *Capitol. Anton.* 5. Circenses natali suo dicatos non respuit, aliis honoribus refutatis.

RĔFŪTĀTUS, us, m. refutatio. In sexto casu sing. *Lucr.* 3, 526. Ancipitique refutatu convincere falsum.

RĔFŪTO, as, avi, atum, a. 1. ἐξελέγχω, dicendo confuto, refello, redarguo: a *re*, et *futo*, arguo. [**Refutare* frequent. est a v. *refundere.* V. in *confuto:* coll. *Doederl.* 1, 161. significatque miscendo coercere, i. e. fervidam aquam admixta frigida mitigare. Hinc prima v. *refutandi* notio, cujus ap. scriptores exemplum prostat, est: coercere, compescere, reprimere vim alicujus personae vel rei. *Noster* infra laud. ista:] *Cic. Rab. Post.* 16. Quam bonitatem non modo non aspernari ac refutare, sed complecti etiam et augere debetis. *Id. Tusc.* 2, 23. In primisque refutetur ac rejiciatur Philoctetaeus ille clamor. *Cic. Har. resp.* 4. Si in me impetum facere conabitur, resistam, et ejus conatum refutabo. *Id. Prov. cons.* 13. Semper illas nationes nostri imperatores refutandas potius bello, quam lacessendas putaverunt. *Arnob.* 4, 137. Arrogantiam refutaturus. ℙ [*Hinc sequi poterant exempla, quae refellendi, redarguendi significationem verbo *refutandi* tribuunt] *Cic. Or.* 2, 19. *med.* Nostra confirmare argumentis ac rationibus, deinde contraria refutare. *Id. Font.* 1. Plus laboris consumo in poscendis testibus, quam ceteri defensores in refutandis; et *ib.* 16. Sceleratorum perjuria testimoniis ac laudationibus suis refutare. *Id. Har.* 8. *med.* Refutare maledicta improborum hominum. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 3, 1. *extr.* Haec tibi est excidenda lingua: qua vel evulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit. *Suet. Aug.* 71. Vitae castitate infamiam impudicitiae refutare. *Lucr.* 2, 866. neque id manifesta refutant, Nec contra pugnant, in promptu cognita quae sunt; et *Liv.* 2, 52. *f.* Non tribunos modo, sed plebem oratione feroci refutando. ℙ Item non admitto, nego. *Lucr.* 3, 351. qui, corpus sentire, refutat. *Val. Fl.* 6, 123. ubi jam vires aliae, notosque refutat Arcus, et inceptus jam lancea temnit heriles. *Sall. fragm.* ap. *Serv.* ad *G.* 4, 218. Se regibus devovent, et post eos vitam refutant, i. e. nolunt iis esse superstites. *Solin.* 22. *med.* Nummum refutant: dant res, et accipiunt. ℙ Quod est ap. *Virg. A.* 12, 41. ad mortem si te (Fors dicta refutet) Prodiderim, etc. dictum est, ut *absit omen*, *Dii averruncent*, *omen avertant*, et hujusmodi.

[*RĔGALĬŌLUS. V. in REGAVIOLUS.]

RĔGĀLIS, e, adj. βασιλικός, ad regem pertinens, rege dignus, regificus, regius. *Hor. Od.* 4, 9, 15. Regalis cultus. *Sen. Oedip.* 835. Regale genus. [*Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 12. *f.* Nostri illi etiam tum agrestes viderunt, virtutem et sapientiam regalem, non progeniem quaeri oportere. *F.*] *Id. Har. resp.* 25. *med.* Regalis potestas. *Virg. A.* 1, 641. domus regali splendida luxu; et *ib.* 690. Regalis mensa. *Id. ib.* 7, 75. Regales comae: sc. Laviniae regis filiae. *Prop.* 3, 13, 24. Regales manicae, *h. e.* quae regalis personae manus vinciunt. *Val. Fl.* 1, 820. regalia jussa. *Sen. Med.* 463. Regalis ira. *Liv.* 27, 19. animus. *Plin.* 13, 2, 2. Regale unguentum: sc. quo utuntur reges. *Id.* 10, 63, 83. Regalis palma, *h. e.* rege digna, excellens, nobilis. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 4. Regalia impendia, *h. e.* magnifica, et qualia reges facere solent. *Cic. Off.* 1, 13. Regalis sane, et digna Aeacidarum gente sententia. *Id. Sen.* 17. Nihil tam regale videri, quam studium agri colendi. *Pl. Capt.* 4, 2, 45. Non ego nunc parasitus sum, sed regum rex regalior: tantus ventri commeatus meo adest in portu cibus. [*Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 2, 33. Regalissimum munus. *F.*] ℙ *Regale carmen*, quo regum facta canuntur: cujusmodi est tragicum. *Ov. Trist.* 2, 553. Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis. *Id. Pont.* 4, 16, 9. Quique dedit Latio carmen regale, Severus. ℙ *Regalia fulmina*, quorum vi tangitur vel comitium, vel principalia urbis liberae loca: quorum significatio regnum civitati minatur. *Sen. Q. N.* 2, 49. ex *Caecina.* ℙ *Regalia exta*, inquit *Festus*, appellantur, quae potentibus insperatum honorem pollicentur, privatis et humilioribus hereditates, filio familiae dominationem. ℙ Absolute *regales* aliquando dicti sunt regum filii et agnati, βασιλικοί, ut *Vet. Gramm.* ap. *Putsch.* p. 2205. docet. *Ammian.* 16, 12. *med.* Reges numero quinque, regalesque decem, et optimatum series magna. *Impp. Valentin. et Valens Cod. Theod.* 7, 1, 9. Neque regalibus, neque legatis sua milites jumenta suppeditent. ℙ [*Regales* etiam fuerunt, qui Formiis ordinem quendam constituebant; cur vero ita fuerint dicti, omnino incertum. *Inscr.* Formiana paucis abhinc annis effossa, ap. *Orell. Coll. Inscr. Lat. n.* 3884. L. Varronio L. F. Pal. Capitoni scribae aedilic., accenso velato, II viro Quinquen., curatori aquarum, patrono coloniae ordo Regalium, quorum honore contentus sua pecun. posuit. L. D. D. D. Ceterum *G. Grossi* in *Bibliot. analit. Napol.* ann. 1814. April. p. 57. putat, *Regales* fuisse appellatos incolas alicujus oppidi, cum hodieque locus quidam septem circiter ab urbe Formiis millib. pass. nuncupetur *Regali*, ibique plures veterum aedificiorum reliquiae inventae fuerint. *F.*]

RĔGĀLĬTER, adv. βασιλικῶς, regum more, idest splendide, munifice. *Liv.* 42, 51. Sacrificio regaliter confecto. ℙ Imperiose, superbe, tyrannice, pro imperio. *Ov. Met.* 2, 397. precibusque minas regaliter addit.

[RĔGAMMANS, antis, part. ab inus. *regammo*, duplicis gammae figuram repraesentans, ut *Regammans limes* ap. *Aggen. in Frontin.* p. 62. *Goes.* et *Regammans linea* ap. *Auct. de limit.* p. 254. V. GAMMA et GAMMATUS. *F.*]

RĔGĀVĬŌLUS, [*et REGALIOLUS] i, m. τροχίλος, πρέσβυς, avis exigua, quae aliter dicitur rex avium; trochilus. Alii putant esse galgulum, quae avis Graece dicitur ἴκτερος, a colore. *Suet. Caes.* 81. Pridie autem easdem Idus avem regaviolum, cum laureo ramo Pompejanae curiae se inferentem, volucres varii generis e proximo nemore prosecutae, ibidem discerpserunt. V. TROCHILUS.

[RĔGĔLĀTĬO, onis, f. actus regelandi. *Aggen. in Front.* p. 57. *Goes.* Gallia togata immodicas Alpium nives in mare transmittit, et subitarum regelationum repentinas inundationes patitur. Adde p. 70. *F.*]

RĔGĔLĀTUS, a, um, part. a *regelo:* gelu solutus, mollitus, tepefactus. *Mart.* 11, 8. Succina virginea quod regelata manu: subaudi *olent.* Sic 5, 37. Quod succinorum rapta de manu gleba. Adde 9, 14. Nempe succina manu tractata, odoratiora fiunt. Alii perperam leg. *relegata:* quod quid sit, non facile dixeris.

RĔGĔLO, as, a. 1. ἀποχρυσταλλῶ, gelu resolvo. *Colum.* 1, 5. *med.* Aedificii solum matutino regelari ortu poterit. *Id.* 10, 77. Post ubi Riphaeae torpentia frigora brumae Candidus aprica Zephyrus regelaverit aura. *Mart.* 3, 93. Cum bruma mensem sit tibi per Augustum, Regelare nec te pestilentia possit, *h. e.* cum adeo frigeas, ut ne pestilentia quidem, ardentissimus morbus, liberare te queat a frigore. *Sen. ep.* 67. Jam aetas mea contenta est suo frigore: vix media regelatur aestate. ℙ Absolute. *Colum.* 11, 2. *in.* Itaque dum hae *(vites)* regelare sinuntur, etc. *h. e.* regelare se. ℙ Pro refrigerare. *Varr. R. R.* 1, 57. *extr.* Granaria sublimia faciunt, quae non solum a lateribus per fenestras, sed etiam subtus a solo ventus regelare possit. Quod *Plin.* aliis verbis sic tradit, 18, 30, 73. Alibi suspendunt granaria lignea columnis, et perflari undique malunt, atque etiam a fundo.

RĔGĔMO, is, n. 3. ingemo, gemitum reddo. *Stat. Th.* 5, 389. dat operta fragorem Pinus, et abjunctis regemunt tabulata cavernis. *Id. ib.* 8, 17. Tunc regemunt pigrique lacus, ustaeque paludes.

RĔGĔNĔRĀTĬO, onis, f. nova generatio, ἀναγέννησις. *August. C. D.* 20, 5. Mortuorum resurrectionem nomine voluit regenerationis intelligi.

[RĔGĔNĔRĀTUS, a, um, part. a *regenero.* Translate. *Isid. Or.* 15, 4. Fons in delubris locus regeneratorum est. *F.*]

RĔGĔNĔRO, as, avi, atum, a. 1. ἀναγεννάω, iterum genero. *Plin.* 7, 11, 10. Signa quaedam, naevosque, et cicatrices etiam regenerari; et *ib.* 12, 10. Qui adulterio Aethiopis nata matre, nil a ceteris colore differente, ipse avum regeneravit Aethiopem, *h. e.* avo similis fuit: avi colorem in se retulit. *Id.* 12, 1, 5. Sed ex ea primum in ipsa Creta platani satae regeneravere vitium, *h. e.* rursus retulere vitium amittendi hieme folia. Adde 14, 22, 28.

RĔGENS, entis, part. a *rego*, absolute est rex, princeps. *Claud. IV. cons. Honor.* 298. componitur orbis Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, ut vita regentis; et *Laud. Stil.* 1, 168. Scilicet in vulgus manant exempla regentum. *Lucan.* 9, 226. tali compellat voce regentem, *h. e.* ducem exercitus.

[RĔGENTĪNUS, a, um, adj. ad regentem pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 1275, 6. Quintius Regentinus. *F.*]

RĔGERMĬNĀTĬO, onis, f. ἀναβλάστησις, actus regerminandi. *Plin.* 17, 20, 34. Castanea regerminatione caedua vel salice laetior. Adde 19, 7, 36.

RĔGERMĬNO, as, n. 1. ἀναβλαστάνω, iterum germino. *Plin.* 16, 33, 60. Et in Aenaria succisa (cupressus) regerminat. Adde 19, 7, 36.

RĔGĔRO, is, essi, estum, a. 3. ἀναχομίζω, retro gero, seu porto, refero [*in eum locum, unde quid sumptum, depromptum est.] *Plin.* 17, 4, 3. In Syracusano agro advena cultor elapidato solo, perdidit fruges luto, donec regessit lapides. *Id.* 6, 23, 26. Longe a terra abest navium statio: lintribusque asferuntur onera, et regeruntur. *Jabolen. Dig.* 7, 4, 24. *extr.* Si summa terra sublata ex fundo meo, et alia regesta esset. Simile est illud *Senecae ep.* 15. Quibus ad votum dies est actus, si bene desudaverint, si in locum ejus, quod effluxit, multum potionis altius jejuno gutture regesserunt, *h. e.* ingesserunt, potaverunt. ℙ Item remitto, reddo. *Tac. H.* 2, 21. Sive ab oppugnatoribus incensum (*amphitheatrum*), dum faces in obsessos jaculantur; sive ab obsessis, dum regerunt. *Plin.* 2, 9, 6. Lunam in coitu non cerni, quoniam haustum omnem lucis aversa illo regerat, unde acceperit. *Id.* 37, 9, 47. Gemma contraria soli regerens candicantes radios. ℙ Translate est rejicere, retorquere. *Sen. Hipp.* 720. Regeramus ipsi crimen, atque ultro impiam Venerem arguamus, *h. e.* vertamus in ipsum. *Plin. ep.* 10, 30. Dum communem culpam hi in illos, illi in hos regerere posse confidunt. *Plin. alter* 13, 15, 29. Mensarum insania, quas feminae viris contra margaritas regerunt, *h. e.* objiciunt viris, quando ab his accusantur nimii luxus in margaritis. *Cass.* ad *Cic. Fam.* 15, 19. Pro quo tibi proxima epistola tot rusticos Stoicos regeram, ut, etc. *Hor. Sat.* 1, 7, 29. Regerere convicia. *Sen. Oed.* 638. Egit qui in ortus semet, et matri impios Fetus regessit. (De Oedipo loquitur, qui matrem inscius uxorem duxit, et ex ea liberos procreavit.) *Plin.* 28, 4, 7. Despuimus comitiales morbos, hoc est contagia regerimus, *h. e.* in caput aliorum recidere, imprecando jubemus. *Quint.* 11, 1. et *Tac. H.* 3, 78. Regerere invidiam in eum, qui nos coegit. ℙ [*Item in locum aliquem refero, reporto, colligo aliquid.] *Colum.* 2, 10. *med.* in acervum culmos regerant; et 3, 11. Diligentissime refossas omnes radices in summum regeri, atque comburi. ℙ Item transfero, transscribo: quod referre saepius dicimus: [*nostr. *eintragen.*] *Quint.* 2, 11. *f.* Ex diversis congesta oratio cohaerere non potest: similisque est commentariis puerorum, in quos ea, quae aliis declamantibus laudata sunt, regerunt. ℙ Item egero, extraho, evello. *Varr. R. R.* 1, 64. Decoquunt in ahenis, duas partes quoad regerunt, *h. e.* igne expellunt, et absumunt. *Sever. Aetn.* 433. Et lapis adcretus regerendis ignibus aptus. V. v. sq.

RĔGESTUS, a, um, part. a *regero:* iterum relatus. *Ov. Met.* 11, 188. Indiciumque suae vocis tellure regesta Obruit, et scrobibus tacitus discedit opertis, *h. e.* iterum aggesta humo, quam effoderat. ℙ Item retro versus, conversus, recidens. *Sen. Ag.* 223. Et tota captae fata Dardaniae domus Regesta Danais. *Tert. Pall.* 1. Habitus quadrangulus, ab utroque laterum regestus. ℙ Item aggestus, congestus. *Sen. Thyest.* 767. impositas dapes Transiluit ignis, inque trepidantes focos Bis ter regestus, et pati jussus moram, Invitus ardet. ℙ Aliquando transscriptus. *Quint.* 3, 6. *med.* Sunt enim velut regestae in hos commentarios, quas adolescens deduxe-

rat, scholae. ℙ Hinc *Regesta, orum*, res multae in unum collectae, et in tabulas et commentarios relatae, quae vulgo corrupte *registra* dicunt. *Vopisc. Prob.* 2. Usus sum etiam regestis scribarum porticus porphyreticae, actis etiam senatus ac populi. V. REGĔRO. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 1131. Hic in regestis est liber coelestibus, Monimenta servus laudis indelebilis. ℙ Item egestus, fodiendo erutus. *Colum.* 11, 3. Resolutaque humus, quae erat autumno regesta, usque ad mediam sulcorum altitudinem reponitur. ℙ *Regestum* absolute, terra effossa, et egesta, et in aliquam altitudinem elevata. *Id.* 11, 3. *med.* Ejusque abunde est gradum effodere tribus pedibus, ut in quatuor consurgat regestum. *Id.* 3, 13. *med.* Cum a superiore parte in inferiorem detrahitur humus, vix justum pastinationi praebet regestum.

RĒGIA, ae, f. *βασιλική, βασίλειον*, domus regis, aula. Adjectiva vox est, et *domus* subintelligitur. *Cic. Fin.* 3, 16. *in.* (et *Caes. B. C.* 3, 112. *med.*) In regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem. *Ov. Fast.* 6, 264. intonsi regia magna Numae. *Liv.* 35, 31. Regiam aedificare. *Ov. Met.* 2, 1. Regia Solis erat sublimibus alta columnis. *Virg. G.* 1, 503. regia coeli: sc. quia sedes ac domicilium Jovis. *Ov. Met.* 4, 438. Ignorant, ubi sit nigri fera regia Ditis. *Virg. A.* 8, 242. *regiam* vocat speluncam Caci latronis. ℙ Item urbs, in qua rex degit. *Id. ib.* 9, 737. dotalis regia Amatae. *Hor. Ep.* 1, 11, 2. Croesi regia, Sardes. Adde *Plin.* 5, 2, 1. *f.* ℙ Item domus C. Julii Caesaris, quam invidiose regiam vocat *Cic. Att.* 10, 3. Visum te ajunt in regia; nec reprehendo, quippe cum ipse istam reprehensionem non fugerim. ℙ Item tabernaculum, tentorium, ubi militiae cum exercitu rex tendit. *Liv.* 2, 12. *med.* et *Curt.* 9, 5. *f.* ℙ Item stabulum armenti. *Val. Fl.* 5, 67. Ac velut ille, gregis cessit cui regia, taurus Fertur ovans, etc. ℙ Metonymice, ipsae regiae personae. *Liv.* 24, 22. *f.* Quicumque aut propinquitate, aut affinitate, aut aliquibus ministeriis regiam contigissent. ℙ Aulicorum vita, et conditio. *Petr. Sat.* 5. Nec curet alto regiam trucem vultu. [**Tac. A.* 11, 29. prioris quoque regiae peritus. — De imperio; *Id. ib.* 6, 34. inanem mox regiam Aeetae vacuosque Colchos repetivit. — De tempore imperii: *Id. ib.* 14, 13. Deterrimus quisque, quorum non alia regia fecundior exstitit.] ℙ Romae in sacra via, in quarta regione Urbis, (ut est ap. *Ascon. in Milon.* 14.) locus fuit *regiae* nomine ita dictus, vel quia ibi sacra a rege sacrificulo fiebant, vel quia in eum sacrorum causa, tanquam in fanum conveniebant, convocati a pontifice max: qui erat regiae quodammodo dignitatis: quae duae causae ap. *Fest.* leguntur: prior etiam ap. *Serv.* ad *A.* 8, 363. Sunt etiam qui putant, hoc ei nomen haesisse, quod eo loci regia Numae fuerit: quod tamen minime admittendum est; haec enim Numae regia fuit in regione octava Urbis. Ibi Agonalibus aries immolabatur, teste *Varr. L. L.* 5, 3. In eam mense Octobri cauda equi, mactati in campo Martio, deferebatur, ut *Fest.* tradit in *October.* Flaminica quotmensibus nundinarum tempore Jovi ariete faciebat, ut est ap. *Macr. Sat.* 1, 16. *med.* Regina sacrorum porcam*vel agnam Junoni immolabat. *Id. ib.* 15. *f.* Denique ibi concilium pontificum haberi solitum, colligimus ex *Plin. ep.* 4, 11., ubi Domitianum reprehendit, quod jure pontificis maximi reliquos pontifices, non in regiam, sed in Albanam villam convocaverat. Ejus mentio est etiam his verbis ap. *Cic. Mil.* 14. Nuper quidem, ut scitis, me ad regiam paene confecit. Adde *Plin.* 34, 8, 18., *Augustum* ap. *Suet. Aug.* 76. et *Gell.* 4, 6. ubi refert haec veteris senatusconsulti verba: Quod C. Julius L. F. pontifex nunciavit, in sacrario in regia hastas Martias movisse, de ea re ita censuerunt, etc. ℙ *Regia theatri*, pars theatri, vel potius scenae nobilior, in modum aulae regiae exornata, *βασίλειον*. *Vitr.* 5, 7. *f.* Ipsae scenae suas habeant rationes explicatas, ita uti mediae valvae ornatus habeant aulae regiae, dextra ac sinistra hospitalia. *Ascon.* in *fr. or. pro Scauro med.* Quatuor columnae marmoreae, quae nunc esse in regia theatri Marcelli dicuntur. *Suet. Aug.* 31. Pompeji statuam contra theatri ejus regiam, marmoreo Jano supposuit. Alii putant ab *Ascon.* et *Suet.* designari domum magnificam et regiae similem, theatro adjunctam: quod eorum verbis est profecto conformius. Et fortasse eadem est cum *basilica:* utraque enim vox idem sonat. V. BASILICA. Hoc sensu *Stat. Silv.* 1, 1, 30. Illic belligeri sublimis regia Pauli, *h. e.* a L. Aemilio Paullo, qui consul fuit ann. U. C. DCCIV., temporibus Ciceronis, de novo exstructa, perfecta ab alio Aemilio ann. U. C. DCCXX. sub Augusto: denique cum incendio paene corruisset, restituta a M'. Lepido sub Tiberio. *Cic. Att.* 4, 16. *f.* et *Tac. A.* 3, 72.

*RĒGIĀNA, ae, f. oppidum Hispaniae Baeticae. *Ant. Itin. B. A.*

RĒGĪBĬLIS, e, adj. qui facile regi potest. *Ammian.* 16, 12. Juventus regibilis et consulta. Adde 19, 7. *extr.*

RĒGIĔ, adv. *βασιλικῶς*, regio more, ut rex solet, vel ut decet regem. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* Regie polita aedificia. *Pl. Stich.* 2, 2, 53. Advexit lectos eburatos, auratos. *Ge.* accubabo regie. *Cic. Verr.* 2, 3, 48. *f.* Ut ea, quae regie, seu potius tyrannice statuit in aratores Apronius, praetermittam: [**despotisch.*]

RĒGIENSIS, e, adj. ad Regium Lepidi pertinens, quod est oppidum Galliae Cisalpinae in via Aemilia, *Reggio di Modena:* dictum a M. Aemilio Lepido, qui ibi cum consul ann. U. C. DLXVII. esset, forum habuit. *Inscr.* ap. *Cavedon. Marm. Mod.* p. 198. Fulvia Quarta Regiensis. ℙ *Regienses, ium*, sunt ejus oppidi cives. *Fest.* in *Rhegium, Plin.* 3, 15, 20., *Cic. Fam.* 13, 7. et *Brut.* ad *Cic. Fam.* 11, 9. ℙ Aliud est *Rhegium* (a quo *Rhegini*) situm ad fretum Siculum in Calabria: quod tamen et ipsum aliquando sine aspiratione scriptum invenitur. V. RHEGIUM. [*Emendavit h. l. *F.*]

RĒGĪFĪCE, adv. *βασιλικῶς*, regio apparatu, splendide, sumptuose, regie. *Cic. Tusc.* 3, 19. ex *Ennio:* Vidi ego te, astante ope barbarica, tectis caelatis, laqueatis, auro, ebore, instructam regifice. *Sil.* 11, 273. Regifice exstructis celebrant convivia mensis.

RĒGĪFĪCUS, a, um, adj. *βασιλικός*, regius, magnificus, splendidus. *Virg. A.* 6, 604. epulaeque ante ora paratae Regifico luxu. *Val. Fl.* 2, 652. Stant gemmis auroque tori, mensaeque paratu Regifico.

RĒGĪFŪGĬUM, ii, n. festus dies Romae in memoriam fugae Tarquinii Superbi ex Urbe, cum post Lucretiae mortem a Bruto exactus est, et libertas populo parta. *Ov. Fast.* 2, 685. Nunc dicenda mihi regis fuga, traxit ab illa Sextus ab extremo nomina mense dies, *h. e.* sexto Kal. Mart., qui dies in *Kalendar. Maffejor.* ap. *Grut.* 133. *Regif.* notatur. *Auson. Ecl. de fer. R.* 13. Nec regifugium, pulsis ex Urbe tyrannis, Laetum Romanis fas reticere diem. (Hic licenter secunda producitur metri necessitate.) *Festus* in *Regifugium.* Regifugium dies notatur in Fastis VI. Kal. Martias, ut ait Verrius, ita dictus, quia eo die rex Tarquinius Roma fugerit, etc. V. *ejusd. l. c.* in COMITIO. V. infra, et FUGALIA. ℙ Quidam ex loco *Macr.* mox afferendo perperam putarunt, Tarquinium Kal. Juniis pulsum fuisse, quod ille auctor minime affirmat, sed potius, Junium Brutum Carnae Deae in Coelio monte voti reum sacra fecisse, post debellatos nempe Etruscos, qui ad restituendum Tarquinium contra Romanos exercitum duxerant, et post fugatum e proelio Tarquinium; atque ita eodem die ipsum Brutum annua consulis jura cepisse. *Macr. Sat.* 1, 12. *med.* Nonnulli putaverunt, Junium mensem a Junio Bruto, qui primus Romae consul factus est, nominatum, quod hoc mense, id est Kalendis Juniis, pulso Tarquinio, sacrum Carnae Deae in Coelio monte voti reus fecerit. ℙ *Regifugium* fuit etiam IX. Kal. Martias, et IX. Kal. Junias, qui dies in *Kalend. Maffejor., Praenest.* et *Vatican.* ita notatur: Q. R. C. F., de quibus notis ita *Ov. Fast.* 5, 728. Quattuor inde notis locus est, quibus ordine lectis, Vel mos sacrorum, vel fuga regis inest. *Verr. Fl.* in *Kalend. Praenest.* ad IX. Kal. Martias haec habet ap. *Foggin.* Hunc diem plerique perperam putant Q. R. C. F. appellari, quod eo die ex comitio fugerit rex. Nam neque Tarquinius abiit ex comitio, et alio quoque mense (*scil.* IX. Kal. Junias) eadem sacra fiunt. Ex his patet, eas notas Q. R. C. F. duplici modo jam ab antiquis explicatas fuisse; nempe aut, Quando Rex Comitiavit, Fas: aut, Quando Rex Comitio Fugit: atque adeo ignoratum fuisse, hoc esse accipiendum de vetustissimo ritu, ex quo sub regibus ipse rex, postea rex sacrificulus seu sacrorum, e comitio, victima percussa, aufugiebat. [*Multis h. l. emendavit *F.*]

RĒGIGNO, is, genui, genitum, a. 3. *ἀναγεννάω*, iterum gigno. *Lucr.* 5, 245. quapropter maxima mundi Cum videam membra, ac partes consumpta regigni, etc.

RĒGILLA. V. RECTĂ, ae.

[RĒGILLĀNUS, i, m. ad Regillum seu Regillos pertinens, oppidum nunc dirutum Sabinorum, prope Cures urbem eorundem primariam: ejus meminit *Suet. Tib.* 1. *in.* et *Liv.* 2, 16. Est cogn. R. Hinc ap. *Suet. ib.* 2. memoratur Appius Claudius Regillanus (al. *Regillianus*), decemvir legibus scribendis, qui in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 289., et ap. *B. Borghes.* in *Framm. de' Fasti* T. 1. p. 100. appellatur Ap. Claudius Ap. F. M. N. Crassus Inregillensis Sabinus. *F.*]

[RĒGILLENSIS, e, adj. ad lacum Regillum pertinens. Est cogn. R. in gente Postumia ex victoria de Latinis ann. U. C. CCLVIII. a dictatore A. Postumio Albo ad eundem lacum relata, ut narrat *Liv.* 2, 20. et 21. Hinc in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* p. 290. et ap. *B. Borghes. Framm. de' Fasti* T. 2. p. 43. M. Postumius A. F. A. N. Albinus Regillensis: *scil.* A. Postumii Albi nepos, qui censor fuit ann. U. C. CCCLI. una cum M. Furio L. F. Sp. N. Camillo: hos tamen *Liv.* 5, 1. non censores, sed tribunos militares cons. potestate fuisse narrat manifesto errore, ut *Borghes. ib.* probat. *F.*]

RĒGILLUS, i, m. et Rēgilla, ae, f. dimin. regis, et reginae, ut habent *Gloss. Isid.* et *Philox.* Est cogn. R. *Liv.* 24, 7. M. Aemilius Regillus. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 413. *n.* 356. Annia Regilla. ℙ *Regillus lacus* est *lago di S. Prassede, lago di Castiglione;* lacus Latii, ap. Algidum nemus, inter Tibur ad Bor. et montem Algidum ad Mer. *Liv.* 2, 19. et *Plin.* 33, 2, 11. *f.* A *Flor.* 1, 1. *Regilli lacus* dicitur. [*Primam hujus loci partem adscripsit *F.*]

RĒGĪMEN, inis, n. *ἐπιστασία, κυβέρνησις*, rectio, gubernatio. *Lucr.* 3, 95. In quo (*animo*) consilium vitae, regimenque locatum est. *Liv.* 3, 33. Regimen totius magistratus penes Appium erat. *Tac. A.* 3, 47. Omissa Urbe, unde in omnia regimen; et *ib.* 4, 9. Regimen reipublicae suscipere. *Id. ib.* 12, 42. cohortium transferre ad aliquem. *Id. ib.* 13, 3. equorum exercere; et *ib.* 49. tenere imperii. *Vell.* 2, 85. classis alicui committere. *Suet. Aug.* 27. *f.* recipere morum et legum. *Stat. Th.* 11, 658. manu tractare cruentum, *h. e.* tyrannidem exercere. *Plin.* 7, 16, 15. Vocis sermonisque regimen dentes primores tenent, concentu quodam excipientes ictum linguae, etc. ℙ Pro gubernaculo navis. *Ov. Met.* 3, 593. Addidici regimen, dextra moderante, carinae Flectere. ℙ Pro arte regendi. *Petr. Sat.* 123. cum magnus inhorruit Auster, Et pulsas evertit aquas, non arma ministris, Non regimen prodest. *Tac. A.* 2, 23. Variis undique procellis incerti fluctus prospectum adimere, regimen impedire. ℙ Pro rectoribus, ut *servitium* pro servis, *imperium* pro imperatoribus. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 9. Quapropter non dubitaverunt sacris imperia servire: ita se humanarum rerum futura regimen existimantia, si divinae potentiae bene atque constanter fuissent famulata.

RĒGIMENTUM, i, n. idem quod regimen. *Aurel. Arcad. Dig.* 1, 11, 1. Regimentis reipublicae ad imperatores perpetuo translatis. Adde *Ammian.* 25, 9. et 28, 1. et utrobique in plur. numero: in singulari habet *Festus.* Regimen, inquit, pro regimento usurpant poetae.

RĒGĪNA, ae, f. *βασίλισσα*, mulier regnum possidens, vel regis uxor. *Cic. Att.* 14, 8. et 20. et *ib.* 15, 15. Reginae fuga mihi non molesta, *h. e.* Cleopatrae: de qua et *Hor. Od.* 1, 37, 7. verba facit. *Virg. A.* 12, 659. Praeterea regina, tui fidissima, dextra Occidit ipsa sua, *h. e.* Amata uxor Latini regis. ℙ Ut Dii *reges*, sic Deae *reginae* dictae. De Venere, *Hor. Od.* 1, 30, 1. et *ib.* 3, 26, 11. de Junone, *Virg. A.* 1, 50., *Cic. Verr.* 2, 5, 72., *Liv.* 5, 21., *Pl. Cist.* 2, 1, 37. et saepe in *veterib. Inscr.* de Fortuna, *Inscr.* ap. *Grut.* 78, 7. et 8. de Iside, *ib.* 83, 12. et 13. de Calliope, *Hor. Od.* 3, 4, 2. Sic regina nemorum est Diana, ap. *Sen. Hipp.* 406. atri regina poli, ap. *eund. Herc. Fur.* 1105. est Proserpina. Siderum regina bicornis, ap. *Hor. Carm. saecul.* 35. est Luna. ℙ Pro regis filia. *Val. Fl.* 5, 374. et 386. et 442. et 6, 657. et alibi, Medeam significans. Adde *Stat. Ach.* 1, 295. de Deidamia. ℙ Per catachresin ponitur pro domina, divite, nobili. *Pl. Truc.* 2, 6, 49. Adduxi ancillas tibi eccas ex Suria duas: sed istae reginae domi suae fuere ambae. *Ter. Eun.* 1, 2, 87. Eunuchum dixti velle te, quia solae utuntur his reginae. Hic tamen *Donatus* reginas putat appellari matronas nobiles et opulentas; ita rex pro homine potenti ap. *Ter. Ph.* 2, 2, 24.; sed et clientes patronos divites et potentes vocabant reges. V. *Hor. Ep.* 1, 17, 43. ℙ Et pro principe ac prima in aliquo ordine. *Stat. Th.* 4, 379. Silvestris regina chori, *h. e.* Bacchantium antistes. *Id. ib.* 6, 854. Alpini veluti regina cupressus Verticis. *Id. Silv.* 2, 2, 12. Appia longarum teritur regina viarum. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 2. *n.* 84. Via Appia regina. ℙ Hoc nomine appellatur etiam Messalina Claudii Aug. uxor. *Plin.* 29, 1, 8. Jam vero et adulteria etiam in principum domibus, et Eudemi in Livia Drusi Caesaris, item Valentis in qua dictum est regina, *h. e.* Messalina, cujus adulterium cum Vectio Valente *Id. ib.* 5. narraverat. ℙ *Bithynica regina* per maximam contumeliam vocatur ap. *Suet. Caes.* 49. C. Julius Caesar, quia in Bithynia a rege Nicomede ejus florem aetatis contaminatum fuisse, creditum est. ℙ Transfertur ad ea, quae magnam vim habent, et dominantur in animis hominum. *Cic. Or.* 2, 44. *f.* Tantam vim habet illa, quae recte a bono poeta dicta est flexanima, atque omnium regina rerum oratio. *Id. Off.* 3, 28. Justitia omnium est domina et regina virtutum. *Hor. Ep.* 1, 6, 36. Scilicet uxorem cum dote, fidemque, et amicos, Et genus, et formam regina pecunia donat. ℙ *Reginam sacrorum*, h. e. regis sacrificuli uxorem, vel filiam memorant inscripti lapides ap. *Grut.* 1087, 8. et *Fabr.* p. 484. *n.* 153., item *Macr. Sat.* 1, 15. *med.* et *Fest.* in *Inarculum.* V. ARCULUM.

[RĒGĪNENSIS, e, adj. ad Reginam pertinens, Hispaniae Baeticae urbem, Emeritae conterminam. *Inscr.* ap. *Mur.* 1075, 6. L. Rufius Primus Italicus, domo Reginensis. ℙ *Reginenses, ium*, absolute sunt incolae illius urbis. Alia ap. *Grut.* 267, 7. Resp. Reginensium. *F.*]

*RĒGĪNUM, i, n. opp. Vindeliciae, hodie *Regensburg. Ant. Itin.* et *Tab. Peut. B. A.*

[RĒGĪNUS, a, um, adj. ad Regium, seu Rhegium pertinens, Calabriae urbem. *Inscr.* ap. *Morisan. Inscr. Reg.* p. 266. Municipes Regini. Alia ap. *eund. ib.* p. 339. Populusque Reginus. V. RHEGINUS. ℙ *Reginus* est etiam cogn. R., ut L. Antistius Reginus in nummo G. Antistiae ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 137., quod verisimiliter a Rhegio urbe ad fre-

tum Siculum posita derivandum est, in cujus nummis saepius REGINO et *PHTINΩN* legitur. *F.*]

RĒGIO, onis, f. *χώρα*, pars terrae magna, aut parva, tractus, plaga, locus: a *rego*, quia per partes seu provincias terra regitur. *Cic. N. D.* 1, 10. Terrae maximas regiones inhabitabiles atque inculitas videmus, quod pars earum appulsu solis exarserit, pars obriguerit nive, etc. *Lentul. ad Coss. Fam.* 12, 15. *med.* Usque Sidam, quae extrema regio est provinciae meae. *Cic. Fl.* 12. In ejusmodi regione portae Exquilinae accessere. Adde 25, 25. ℙ *E regione* est etiam recta. *Cic. Fat.* 9. *med.* Ut cum duo individua per inanitatem ferantur, alterum e regione moveatur, alterum declinet. Adde *ib.* 20. et *Fin.* 1, 6. ℙ Item e contra. *Hieron. adv. Jovin. n.* 2, 7. Arabes, et Saraceni camelorum lacte et carnibus vivunt; e regione septentrionales populos si ad esum asinorum camelorumque compellas, etc. ℙ Non solum terrae, sed etiam coeli *regiones* sunt: quarum maximae ac praecipuae quatuor, septentrio, meridies, ortus, occasus. *Ov. Ib.* 38. Atque eadem regio Vesper, et Ortus erunt. *Val. Fl.* 2, 117. de Fama: Quam pater omnipotens placidis regionibus arcet Aetheris. *Cic. N. D.* 2, 19. *f.* Regio lunae, quae tum est aquilonalis, tum australis. *Virg. A.* 8, 528. coeli in regione serena. ℙ Hac ratione pertinet ad augures, qui lituo designantes coeli loca, intra quae augurium capere volunt, *regiones* vocant. *Varr. L. L.* 6, 2. In hoc templo faciundo arbores constitui fines apparet, et intra eas regiones, qua oculi conspicient. *Cic. Div.* 1, 17. et *ib.* 2, 3. Ab Attio Navio per lituum regionum facta descriptio. *Id. Leg.* 2, 8. *f.* Coeli fulgura regionibus ratis temperanto. ℙ Ponitur etiam pro fine, limite, termino: praesertim in plur. num. *Id. Balb.* 28. C. Caesar abest longissime, atque in iis est nunc locis, quae regione orbem terrarum, rebus illius gestis imperium populi R. definiunt. *Id. Cat.* 4, 10. Pompeji res gestae iisdem, quibus solis cursus, regionibus ac terminis continentur. *Id. Arch.* 10. Res hae, quas gessimus, orbis terrae regionibus definiuntur; et *ib.* 11. *med.* Si animus, quibus regionibus vita spatium circumscriptum est, eisdem omnes cogitationes terminaret suas. *Id. Agr.* 2, 35. *f.* Vix facile sese regionibus officii, magnis in fortunis et copiis, continet. *Pl. Poen. prol.* 48. Argumenti nunc regiones, limites, confinia determinabo. ℙ Pro orbita, et linea. *Cic. Verr.* 68. *f.* Si quis tantulum de recta regione deflexerit. *Virg. A.* 2, 736. avia cursu Dum sequor, et nota excedo regione viarum. ℙ Inter officia domus Augustae fuit etiam *a regionibus. Inscr.* ap. *Mur.* 895, 4. Ti. Claudius Aug. L. Eupaes a regionib., etc. Adde aliam *ib.* 5. et 894, 8. Ita appellati videntur curatores regionum urbis Romae, qui praeter praefectum vigilum, et aediles, curam habebant regionum, vicorumque, saepe ex libertis ad id munus electi, ut videre est in vet. *Inscr.* ap. *Grut.* 250. et 251.

RĒGIONĀLIS, e, adj. ad regionem pertinens, ut Concilium regionale, ap. *August. Baptism. contr. Donatist.* 7, 53. h. e. alicujus regionis aut provinciae: cui opponitur *plenarium.*

RĒGIONĀLITER, adv. regionatim. *Appul. de Mundo:* Quae tamen illi cum regionaliter videantur esse pestifera, etc.

[RĒGIONĀRIUS, a, um, adj. ad regionem pertinens. *Not. Tir.* p. 63. Regio, regionarius, regionosus. *F.*]

RĒGIONĀTIM, adv. *κατὰ χώρας*, per singulas regiones. *Liv.* 40, 51. *extr.* Mutarunt suffragia, regionatimque generibus hominum, causisque, et quaestibus, tribus descripserunt. *Id.* 45, 30. Regionatim commercia interrupta. Adde *Suet. Caes.* 39.

[RĒGIONOSUS, a, um, adj. qui multis regionibus constat. V. REGIONARIUS. *F.*]

RĒGIUM et Regium Lepidi, *Reggio*, urbs Galliae Togatae. V. REGIENSIS.

RĒGIUS, a, um, adj. *βασιλικὸς*, ad regem aliquo modo pertinens, regalis. *Cic. Phil.* 1, 1. *f.* Regia potestas. *Id. Fam.* 12, 1. Rege interfecto, regios omnes nutus tuemur, *h. e.* Caesare interfecto, ejus nutus etc. *Id. Tusc.* 1, 48. *f.* Ornatu regio esse; et *Somn. Scip.* 1. Apparatu regio accipere aliquem. *Sall. Jug.* 121. Plerumque regiae voluntates, uti vehementes, sic mobiles, saepe ipsae sibi advorsae. *Ov. Met.* 13, 523. regia virgo, *h. e.* regis filia, vel regii sanguinis. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 11. *extr.* Regii interitus, *h. e.* mortes regum. *Liv.* 27, 19. Regium nomen alibi magnum, Romae intolerabile est. *Id.* 39, 4. Impotens ac prope regia ira. *Flor.* 1, 24. Regius furor, *h. e.* impotens dominandi cupiditas. *Caes. B. C.* 3, 104. praefectus; et *ib.* 109. exercitus; et *ib.* 106. Regia majestas. *Sall. Jug.* 79. domus. *Liv.* 35, 32. legatio, *h. e.* legati regis. *Tibull.* 4, 1, 140. regia lympha, Choaspes, *h. e.* ex quo solum flumine reges Parthorum bibunt, ut *Plin.* 31, 3, 21. tradit. *Prop.* 3, 2, 8. tropaea, *h. e.* de rege parta. *Ov. Met.* 4, 362. ales, *h. e.* aquila. *Lucan.* 8, 412. Venus, *h. e.* nuptiae, vel concubitus regis. *Plin.* 29, 4, 30. auctio, *h. e.* qua bona regis venduntur. *Id.* 37, 1, 3. fama, *h. e.* clara, magnifica, ingens, nobilis. *Pl. Mil.* 1, 1, 9. Vir fortis, atque fortunatus, et forma regia. *Hor. Od.* 2, 15, 2. Regiae moles, *h. e.* aedificia ampla, magnifica, sumptuosa. ℙ *Atrium regium* ap. *Liv.* 26, 27. est atrium templi Vestae, ita dictum, quia olim eo loci regia Numae fuerat, ut *Ov. Fast.* 6, 263. docet. ℙ *Morbus regius*, qui et arquatus, et aurugo. *Hor. A. P.* 453. Ut mala quem scabies, aut morbus regius urget. V. ARQUATUS. Dicitur *regius*, quia, ut ait *Cels.* 3, 24. *f.*, remedio est adversus eum uti conclavi cultiore, usu, loco, ludis, lascivia, aliis, per quae mens exhilaretur: quae quotidianae regum deliciae sunt. *Varr.* ap. *Plin.* 22, 24, 53. regium cognominatum, morbum arquatum tradit, quoniam mulso curetur, qui cibus delicatus est. *Seren. Sam.* 58, 1033. Regius est vero signatus nomine morbus, Molliter hic quoniam celsa curatur in aula. ℙ *Regii, orum*, ministri, aut milites regis. *Nep. Ag.* 8. Hujus de adventu fama cum ad regios esset perlata. ℙ *Regiae* dicuntur res multae, quae in suo genere majores aut praestantiores sunt ceteris. *Colum.* 5, 8. Regia olea. *Id. ib.* 10. *med.* et 12, 10. pira. *Plin.* 15, 15, 16. Incerta nominis causa est piris regiis, quae minimo pediculo sessilia. *Id. ib.* 30, 39. Laurus regia, quae coepit Augusta appellari, amplissima et arbore et folio. *Id.* 13, 24, 46. Spina, quae regia vocatur; et *ib.* 4, 9. Palmae regiae, *h. e.* quae regibus tantum Persidis servabantur; et 15, 3, 4. Magnitudine (*olivae*) copiam olei non constare, indicio sunt quae regiae vocantur, ab aliis majorinae, ab aliis phauliae, grandissimae, alioquin minimo succo. *Id.* 20, 15, 58. Est cumino simillimum, quod Graeci vocant ammi: Hippocrates regium appellat, quia efficacius Aegyptio judicavit. *Id.* 25, 5, 19. Eam, quae est latissimo folio, scopam regiam vocant. *Id.* 18, 26, 64. Stella regia in pectore Leonis, scil. quod quibus ea in ortu praeest, regiam nativitatem habere videntur. De *hastula regia* V. HASTULA. ℙ *Regium est, regia res est*, est regis proprium: tum in malam, tum in bonam partem. *Plin. Pan.* 7. *f.* Superbum istud, et regium est, nisi, etc. *Ov. Fast.* 6, 595. Regia res scelus est. *Id. Pont.* 2, 9, 11. Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis.

REGLESCIT, cum dixit Plautus, significat, crescit, hoc versu: Vix supersum dolori, qui in dies (vae misero mihi ac perdito!) reglescit magis magisque. Haec *Festus.* Est autem *reglescit* pro *regliscit*, a *re* et *glisco*, cresco.

REGLŪTĪNĀTUS, um, part. a *reglutino:* glutine solutus. Translate est vix remotus. *Capell.* 6, 191. Tandem reglutinatis ab aethrae intervibrantis admiratione luminibus.

REGLŪTĪNO, as, a. I. *ἀποκολλάω*, quod glutinatum erat, dissolvo. *Catull.* 25, 9. Quae nunc tuis ab unguibus reglutina, et remitte. ℙ Est etiam iterum glutinare. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 873. Vel amputatum plaga collum dividens Rursus coibit ac reglutinabitur.

REGLŪTĪNOSUS, a, um, adj. *κολλώδης*, valde glutinosus. *Plin.* 11, 15, 15. Ut sit odoratum, ex dulci acre, reglutinosum, perlucidum. Ita tres edd. vett. anni 1469. 1470. et 1472., sed apparet esse mendum, quia omittunt vocem *acre*, et pro ea *ac reglutinosum* exhibent. *Hard.* habet *glutinosum.*

REGNANS, antis, part. a *regno*, absolute est qui regnat, regnator. *Tac. A.* 2, 82. Displicere regnantibus civilia filiorum ingenia; et *Just.* 7, 6. *in.* Uno ex Amyntae filiis regnante, florentissimum fore Macedoniae statum.

REGNĀTOR, oris, m. *βασιλευτής*, qui regnat. *Virg. A.* 4, 269. Ipse Deum tibi me claro demittit Olympo Regnator, coelum, et terras qui numine torquet; et *ib.* 2, 557. Regnator Asiae. *Sen. Hippol.* 945. freti, *h. e.* Neptunus. *Val. Fl* 2, 621. occiduis regnator montibus Atlas. ℙ Urbane *Mart.* 10, 61. Quisque eris nostri post me regnator agelli, *h. e.* possessor. *Id.* 11, 6. Unctis falciferi senis diebus, Regnator quibus imperat fritillus, *h. e.* alea Saturnalibus vulgo passim usurpata. *Stat. Silv.* 4, 7, 5. Regnator lyricae cohortis, Pindare.

REGNĀTRIX, icis, f. *βασιλεύουσα*, quae regnat. *Tac. A.* 1, 4. Ti. Nero prima ab infantia eductus in domo regnatrice, *h. e.* familia Augusta, quae Romae rerum potiebatur.

REGNĀTUS, a, um, part. a *regno: βασιλευθείς*, possessus. *Plin.* 6, 20, 23. Pandae, sola Indorum regnata feminis gens. *Hor. Od.* 2, 6, 11. Et regnata petam Laconi rura Phalanto. *Virg. A.* 3, 14. terra acri quondam regnata Lycurgo. *Ov. Met.* 13, 720. regnataque vati Buthrotos Phrygio; et *ib.* 8, 623. Misit in arva suo quondam regnata parenti. Adde *Her.* 10, 69. et *Sil.* 14, 7.

REGNĪCOLA, ae, m. et f. habitans in regno. *Aug. adv. Faust.* 20, 7. Eam lucem dicere, ubi Deus Pater habitat cum regnicolis suis.

REGNO, as, avi, atum, a. 1. *βασιλεύω*, regnum possideo, rerum potior, dominor. *Cic. Manil.* 3. Ab illo tempore annum jam tertium et vicesimum regnat: et ita regnat, ut se non Ponto occultare velit, sed emergere e patrio regno, etc. *Id. Dom.* 8. *med.* Cum regem Cypri, fratrem regis Alexandrini, eodem jure regnantem publicasses. *Nep. Them.* 9. Themistoclem, Xerxe regnante, in Asiam transisse. *Ov. Am.* 1, 8, 39. et *Fast.* 1, 193. Saturno regnante. *Tac. A.* 11, 24. Advenae in nos regnaverunt; et *Liv.* 1, 3. Mansit Silviis omnibus cognomen, qui Albae regnaverunt. *Plin.* 33, 3, 15. Regnaverat in Colchis Salauces. *Virg. A.* 3, 295. Priamiden Helenum Grajas regnare per urbes. *Sen. Herc. Fur.* 68. vacuo volet regnare mundo. *Ov. Met.* 14, 223. Aeolon ille refert Tusco regnare profundo. *Hor. Od.* 3, 30, 11. Et qua pauper aquae Daunus agrestium Regnavit populorum: *hellenismus*, Isocrates: *Βασιλεύειν τῆς Ἀσίας.* ℙ Passive. *Virg. A.* 6, 770. si unquam regnandam acceperit Albam. *Tac. H.* 1, 16. *f.* Ut in ceteris gentibus, quae regnantur; et *A.* 13, 54. Qui nationem eam regebant, in quantum Germani regnantur. Adde *G.* 43. V. REGNATUS. ℙ Passive impersonaliter. *Virg. A.* 1, 276. Hic jam tercentum totos regnabitur annos. *Liv.* 1, 17. Ab sua parte non erat regnatum in societate aequa. ℙ Urbane et translate est summa auctoritate esse, plurimum posse. *Cic. Fam.* 11, 16. Cum equitum centurias tenes, in queis regnas; et *ib.* 7, 25. Olim cum regnare existimabamur, non tam ab ullis, quam hoc tempore observor a familiarissimis Caesaris. *Hor. Ep.* 1, 10, 8. Quid quaeris? vivo et regno, simul ista reliqui, Quae vos ad coelum fertis, *h. e.* libere vivo, felix beatusque sum, ut vulgo reges videntur. *Plin. ep.* 7, 3. Quousque regnabis? quousque vigilabis, cum voles? dormies, quamdiu voles? etc. ℙ Et saepe in malam partem pro impotenter et superbe dominari: quia *rex, regnum, regnare* in libera republica voces odiosae sunt. *Liv.* 6, 40. Sextium, et Licinium, perpetuos, si Diis placet, tribunos, tantum licentiae novem annis, quibus regnant, sumpsisse, ut, etc. *Cic. Verr.* 2, 2, 54. *f.* Timarchidem omnibus oppidis per triennium scitote regnasse. *Id. Mil.* 16. In Clodio non dubitandum, quin se ille, interfecto Milone, regnaturum putaret. Adde *Liv.* 3, 11. *extr.* ℙ Eleganter tribuitur rebus inanimis. *Cic. Or.* 37. *Ἠθητικὸν*, quo perturbantur animi et concitantur: in quo uno regnat oratio. *Ov. Met.* 8, 827. furit ardor edendi, Perque aridas fauces, immensaque viscera regnat; et *ib.* 12, 221. ebrietas geminata libidine regnat. *Sen. Hipp.* 981. Fraus sublimi regnat in aula. *Petr. Sat.* 14. Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat? *Virg. G.* 2, 306. de igne: inde secutus Per ramos victor, perque alta cacumina regnat. *Grat. Cyn.* 462. affectaque corpora mulce, Regnantem excutiens morbum. *Lucr.* 5, 396. humor regnarit in arvis. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 74. Zephyrus lascivo regnat per prata meatu. *Stat. Th.* 1, 635. in totum regnaret Sirius annum: *scil.* quia toto anno saevierit pestilentia. Sirius autem sidus noxium habetur. *Claud. Cons. Prob.* et *Olybr.* 22. tacitam Luna regnante per Arcton, Sidereae cedunt acies, *h. e.* orbe pleno splendente. *Mart.* 10, 19. *extr.* dum furit Lyaeus, Cum regnat rosa, cum madent capilli, *h. e.* dum potatur, gestantur coronae, adhibentur unguenta, in coenis.

REGNUM, i, n. *βασιλεία*, locus, possessio regia, principatus, dominatus. *Cic. Har. resp.* 25. *med.* Neque enim alius discordiarum solet esse exitus inter potentes viros, nisi aut universus interitus, aut victoris dominatus, aut regnum. *Id. Sen.* 16. Regnum appetere. *Id. Sull.* 9. occupare. *Caes. B. G.* 1, 3. obtinere; et *ib.* 5, 6. alicui deferre; et *ib.* 1, 3. conciliare. *Hirt. B. Alex.* 36. recuperare. *Caes. B. G.* 5, 52. Regno aliquem expellere. *Cic. Div.* 1, 15. multare. *Sall. Jug.* 11. In regnum adoptione pervenire; et *ib.* 26. Regnum armis tenere. *Id. Cat.* 5. sibi parare. *Nep. Reg.* 1. virtute adipisci. *Pl. Rud.* 4, 2, 31. magnum instituere. *Id. Mil.* 4, 1, 4. tutari. *Id. Amph.* 1, 1, 39. stabilire alicui. *Cic. Att.* 7, 7. *med.* Sub regno esse, *h. e.* sub rege. ℙ Item locus, regio, in qua rex dominatur. *Nep. A.* 12. Annibalem in Prusiae regno esse. *Caes. B. G.* 5, 37. Atua-

tici, regno ejus finitimi. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Nationes, quae in eorum regno ac ditione sunt. *Luer.* 2, 90 Nuda triumphati jacuit per regna Jugurthae. ℙ Urbane et translate est summa auctoritas et potentia. *Flor.* 3, 13. Ordinis equestris auctoritas judiciorum regno nitebatur: *scil.* quia soli equites R. judicabant. *Cic. N. D.* 1, 23. *f.* Abuteris ad omnia atomorum regno et licentia. *Id. Fam.* 9, 18. Sublatis judiciis, amisso regno forensi. *Ov. Met.* 14, 20. At tu, sive aliquid regni est in carmine, carmen Ore move sacro; et *Prop.* 4, 7, 50. Longa mea in libris regna fuere tuis, *h. e.* diu regnavi, et celebrata sum tuis carminibus. ℙ Saepe movendae invidiae causa *regni* vox adhibetur, quae in libera republica valde est odiosa. *Cic. Verr.* 1, 12. Hortensium alloquens: Quoniam haec te omnis dominatio regnumque judiciorum tantopere delectat. *Ter. Ad.* 2, 1, 21. Quid hoc rei est? regnumne, Aeschine, hic tu possides? Adde *Cic. Att.* 1, 1. et *Verr.* 2, 3, 86. *f.* et *Sull.* 7. et *Liv.* 3, 58. Hinc *crimen regni* est, cum quis in libera republica solus dominari et regnare affectat. *Ov. Fast.* 6, 189. de Manlio: Vixit, ut occideret damnatus crimine regni. ℙ De impotentia amoris, nimium in homines imperium exercentis. *Tibull.* 4, 5, 3. Te nascente, novum Parcae cecinere puellis Servitium, et dederunt regna superba tibi. *Hor. Od.* 4, 1, 4. Non sum, qualis eram bonae Sub regno Cynarae. *Prop.* 3, 8, 17. ut sit tibi forma perennis: Inque meum semper stent tua regna caput. Adde alia, quae congessit *Broukus.* ad *Tibull.* 1, 7, 75. ℙ De loco, ubi quis plene dominus est, licet parvus sit. *Cic. Or.* 1, 10. Id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, *h. e.* in villa tua Tusculana. *Virg. Ecl.* 1, 70. Post aliquot mea regna videns mirabor aristas, *h. e.* meum agellum. *Lucan.* 9, 458. Regna videt pauper Nasamon errantia vento, *h. e.* casas suas. Adde *Mart.* 12, 57. et *Cic. Att.* 14, 16. ℙ *Regnum vini*, arbitrium bibendi in conviviis. *Hor. Od.* 1, 4, 18. Nec regna vini sortiere talis. Adde *Tac. A.* 13, 15., quamquam aliud ab *Horatio* regnum, aliud a *Tacito* intelligi quidam volunt: ab illo nempe magisterium convivii; ab hoc arbitrium quasi regium imperandi convivis ludicra quaedam, risus et laetitiae causa, praecipue Saturnalibus. ℙ *Regna* pro *regibus*, ut *necessitudines* pro *necessariis*, *servitia* pro *servis*, etc. *Stat. Th.* 12, 980. Etsi regna vetant. ℙ *Fuit et Regnum oppidum Britanniae. *Anton. Itin. B. A.*

RĔGO, is, xi, ctum, a. 3. *εὐθύνω*, rectum teneo, recta duco, dirigo. Potest videri esse a *re* et *ago.* vel quasi *recta* aut *recte ago.* Sed V. etymologos. *Cic. Somn. Scip.* 8. Animus est, qui viget, qui sentit, qui tam regit et moderatur et movet id corpus, cui praepositus est, quam ut mundum ille princeps Deus. *Virg. A.* 4, 336. dum spiritus hos reget artus; et *ib.* 9, 409. Hunc sine me turbare globum, et rege tela per auras. *Lucan.* 7, 515. nusquam rexere sagittas, Sed petitur solus, qui campis imminet, aer, *h. e.* in neminem direxere; et *ib.* 350. Ipsi tela regent per viscera Caesaris. *Cic. N. D.* 1, 13. Mundi modum regere, atque tueri. *Prop.* 2, 11, 7. Nec sic incolumem Minois Thesea vidit, Daedaleum lino cum duce rexit iter. Sic *Virg. A.* 6, 29. ipse dolos tecti ambagesque resolvit, Caeca regens filo vestigia. *Id. ib.* 10, 218. Ipse sedens clavumque regit, velisque ministrat. *Ov. Trist.* 1, 4, 12. regere arte ratem. *Prop.* 2, 21, 20. Ursa suo sidere vela regit. *Ov. A. Am.* 1, 4. Arte leves currus, arte regendus Amor. *Id. Pont.* 4, 12, 24. Regere frena. *Id. Fast.* 1, 25. habenas; et *A. Am.* 3, 556. et *Ib.* 474. equos. *Sall. fragm.* ap. *Prisc.* 6, 715. gregem prope litora. *Quint.* 1, 1. *med.* Pueri scribentis manum manu super imposita regere. *Liv.* 35, 11. *med.* Equi impotentes regendi, *h. e.* qui regantur, *παθητικῶς.* ℙ *Regere fines agrorum*, suo cuique agro terminos assignare ordine, et dirigere, rectis limitibus agros finire. *Tibull.* 1, 3, 43. fixus in agris, Qui regeret certis finibus arva, lapis. *Cic. Mur.* 9. *f.* Ille *(militaris)* exercitatus est in propagandis finibus: tu *(jurisconsultus)* in regendis. Adde *Top.* 10. et *Leg.* 1, 21. *med.* et *Ulp. Paul.* etc. *Dig.* 10. *tit.* 1. qui *Finium regundorum* inscribitur. ℙ Translate est moderari, gubernare, imperare, administrare, praeesse, *διοικεύω*, *βασιλεύω.* *Cic. Att.* 16, 2. Omnia nostra, quoad eris Romae, ita gerito, regito, gubernato, ut, etc. *Id. Part.* 22. Moderari cupiditates, et regere animi motus. *Id. Att.* 10, 6. Vellem, suscepisses juvenem regendum: pater enim nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat. *Id. Fam.* 4, 14. Agitur praeclare, si nosmetipsos regere possumus, ut ea moderate feramus. *Sen. Ira* 2, 15. *extr.* Nemo regere potest, nisi qui et regi. *Οὐκ ἔστιν εὖ ἄρχειν τὸν μὴ ἀρχθέντα. Caes. B. G.* 6, 16. Mars bella regit. *Manil.* 4, 762. hospitium recturi principis orbem. *Cic. Acad.* 4, 36. Regere rempublicam. *Virg. A.* 1, 344. imperium; et *ib.* 6, 851. imperio populos. *Id. ib.* 1, 157. dictis animos. *Quint.* 2, 16. *f.* senatum consiliis. *Tac. H.* 3, 57. *med.* classem molli imperio; et *ib.* 4, 49. legionem; et *A.* 3, 33. *extr.* exercitum; et *ib.* 1, 48. provinciam severe integreque. *Suet. Caes.* 48. disciplinam domesticam diligenter et severe. *Tac. A.* 6, 50. valetudinem alicujus; et *Suet. Tib.* 68. *f.* valetudinem arbitratu suo, sine adjumento consiliove medicorum. ℙ Pro admonere, docere, corrigere. *Cic. Mur.* 29. Non multa peccas: sed si peccas, te regere possum. *Caes. B. C.* 3, 57. *med.* Regere errantem. *Plin. ep.* 10, 30. haesitantem; et *ep.* 119. *extr.* dubitationem alicujus. ℙ [*Confund. *rego* et *gero.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 193. *a. Cort.* ad *Lucan.* 8, 341.]

REGRADĀTĬO, onis, f. *καταβιβασμός*, dejectio de gradu dignitatis. *Imp. Const. Cod. Theod.* 8, 5, 2. *extr.* Promotus regradationis humilitate plectetur.

REGRADĀTUS, a, um, part. a *regrado:* in inferiorem gradum dejectus. *Hieron. adv. Joann. Jerosol. n.* 19. Finge aliquem tribuniciae potestatis suo vitio regradatum, per singula militiae equestris officia, ad tironis vocabulum devolutum, numquid ex tribuno statim fit tiro? *Solin.* 1. Regradati menses, *h. e.* regredientes, in priorem gradum seu locum restittiu.

[REGRĀVO, as, a. 1. iterum gravo. *Not. Tir.* p. 46. Gravis, praegravat, regravat. *F.*]

REGRĔDĬOR, eris, essus sum, dep. 3. *ἐπαναχωρέω*, retro gradior, revertor. *Cic. Off.* 1, 10. *f.* Atque ut regredi, quam progredi mallent. *Pl. Aul.* 1, 1, 7. Illuc regredere ab ostio. *Plin.* 2, 8, 6. de Saturni sidere: Trigesimo anno ad brevissima sedis suae principia regredi, certum est. *Id.* 5, 29, 31. Regredientibus inde, etc. ℙ Translate. *Cic. Fat.* 15. Similiter superiora repetentem regredi infinite licet. *Pl. Capt.* 5, 4, 26. Nunc edepol demum in memoriam regredior. *Ulp. Dig.* 48, 5, 27. *med.* Ne servi timeant, se in reorum potestatem regressuros. ℙ *Regredi gradum*, simile ac *currere cursum*, Enniana locutio est. V. REGREDO, is.

REGRĔDO, as, a. 1. V. DEGRADO.

REGRĔDO, is, n. 3. revoco, apud veteres. *Enn.* ap. *Non.* 2, 745. Quo nunc incerta re, atque inorata gradum regredere conare?

REGRESSĬO, onis, f. *ἀναχώρησις*, actus regrediendi, regressus, reversio. *Appul. Met.* 2. Metum istum tibi demam maturata regressione; et *ib.* 9. Condicta vespertina regressione. [*Front. Princ. Hist.* (ed. *A. Maio*) *med.* Principis ad triumphum decedentis haudquaquam secura, nec incruenta regressio. *F.*] ℙ Est hoc nomine rhetorica figura, species repetitionis: de qua *Quint.* 9, 3. *med.* Est et illud repetendi genus, quod semel proposita iterat, et dividit. (*Virg. A.* 2, 435.) Iphitus, et Pelias mecum: quorum Iphitus aevi Jam gravior; Pelias et vulnere tardus Ulyssi: *ἐπάνοδος* dicitur Graece: nostri regressionem vocant. Haec *Quint.*

REGRESSUS, a, um, part. a *regredior:* reversus. *Liv.* 24, 18. *med.* Ex itinere regressi clam in castra. *Vell.* 2, 56. Regressus in Urbem omnibus ignovit. *Just.* 20, 4. Inde regressus Cretam contendit. ℙ In re militari est qui retro cessit. *Caes. B. G.* 2, 23. Progressi regressos ac resistentes hostes in fugam dederunt.

REGRESSUS, us, m. idem ac regressio. *Cic. N. D.* 2, 20. Nihil enim errat, quod in omni aeternitate conservat progressus, et regressus, reliquosque motus constantes et ratos. *Ov. A. Am.* 2, 32. Dare regressum alicui. ℙ Translate. *Liv.* 24, 26. *f.* Neque locus poenitendi, aut regressus ab ira relictus est. *Tac. A.* 4, 11. Quis enim mediocri prudentia, inaudito filio exitium offerret, idque sua manu, et nullo ad poenitendum regressu? *h. e.* nullo sibi ad poenitendum spatio relicto. *Id. H.* 2, 74. Esse privatis cogitationibus regressum: imperium cupientibus nihil medium inter summa, aut praecipitia, *h. e.* locum desistendi ab incepto. Alii leg. *progressum. Virg. A.* 11, 413. Funditus occidimus, neque habet Fortuna regressum, *h. e.* non potest reverti in melius. *Quint. decl.* 17, 12. *med.* Non habent proximorum odia regressum, *h. e.* non exstinguuntur. *Tac. A.* 12, 10. *extr.* Ideo regum obsides liberos dari, ut si domestici imperii taedeat, sit regressus ad principem, patresque, *h. e.* sit recursus. Sic *Pomp. Dig.* 21, 2, 34. Si mancipium contra legem venditionis faciente te, ad libertatem pervenerit, tu videris quasi manumisisse: et ideo nullum adversus venditorem habebis regressum. *Plin. praef. H. N. med.* Illos pingendi fingendique conditores absoluta opera pendenti titulo inscripsisse, *Apelles faciebat, aut Polycletus*, tanquam inchoata semper arte, aut imperfecta: ut contra judiciorum varietates superesset artifici regressus ad veniam, velut emendaturo quidquid desideraretur, si non esset interceptus. *Stat. Silv.* 3, 3, 157. seu blanda diu Fortuna regressum Maluit, *h. e.* vertere se, et veluti regredi ad infelicia, cum hactenus prospera fuerit. *Val. Max.* 6, 2. *n.* 2. Consul regressum animoso ejus dicto obtulit, *h. e.* facultatem leniendi, aut retractandi audax dictum.

RĔGŬLA, ae, f. *στάθμη*, *κανών*, instrumentum, quo lineae diriguntur: a *rego;* et producitur prima, licet in *rego* corripiatur. *Cic.* ap. *Non.* 2, 718. Atqui si id crederemus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis. *Plin.* 36, 25, 63. Materiam ad regulam et libellam exigere. *Vitr.* 7, 3. Longitudines ad regulam, et lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam respondentes exigantur. *Colum.* 3, 13. *med.* Nam duas regulas ejus latitudinis, qua pastinator sulcum facturus est, in speciem litterae X decussavimus. *Pall.* 1, 9. Hoc cum regula exploraveris aequale, etc. ℙ Ponitur aliquando pro baculo, quo aliquid rectum tenetur. *Colum.* 6, 19. Ut inserto capite descendentibus per foramina regulis cervix tencatur. Sic *Cels.* de instrumento ad fracta ossa reponenda idoneo, 8, 10. Ab ea parte, in qua os se inclinat, involutam lana regulam objicit. *Caes. B. C.* 2, 60. Quadratas regulas quatuor patentes digitos defigunt, quae lateres, qui super musculo struantur, contineant. ℙ Item pro instrumento eundem usum praebente, quem fiscus, in factura olei: est enim vas exilibus regulis aliquantum inter se dissitis compactum, ut liquor exire possit, cum olivae prelo subjiciuntur. *Colum.* 12, 50. *med.* Aut regulis, si consuetudo erit regionis, aut certe novis fiscis debebunt sampsae exprimi. Adde *Plin.* 15, 1, 2. ℙ Est etiam virga ferrea non rotunda, sed plana. *Vitr.* 5, 10. Regulae ferreae aut arcus fiant, eaeque uncinis ferreis ad contignationem suspendantur quam creberrimis. *Stat. Th.* 6, 594. Jam ruit, atque aequam submisit regula limen, *h. e.* repagulum ferreum, quo coercentur carceres, cecidit, cavitatem in limine implevit, et reliquo solo aequavit. V. *Inscr.* in PARASTATICUS, ubi regulae sunt ansae ferreae, quibus statuae parastaticae postico zothecarum, ne nutent, aut proruant, firmantur. ℙ Translate est lex, exemplum, norma, ratio, ad quam quippiam dirigitur. *Cic. Acad.* 4, 46. Fontem omnium bonorum in corpore esse: hanc normam, hanc regulam, hanc praescriptionem esse naturae, a qua qui aberraverit, cum nunquam, quid in vita sequatur, habiturum. *Id. Fin.* 1, 19. *med.* Servata illa (quae quasi delapsa de coelo est ad cognitionem omnium) regula, ad quam omnia judicia rerum dirigentur. *Id. Brut.* 41. *f.* Habere regulam, qua vera et falsa judicentur; et *ib.* 74. Nec utendum pravissima consuetudinis regula. *Id. Off.* 2, 17. In his ipsis mediocritatis regula optima est. *Id. Leg.* 1, 6. Lex est juris et injuriae regula. *Hor. Sat.* 1, 3, 117. adsit Regula, peccatis quae poenas irroget aequas. *Mart.* 11, 2. regula morum. *Quint.* 1, 5. emendate loquendi. *Id.* 9, 4. *in.* Neque enim locuti sunt ad hanc regulam et diligentiam primi homines. *Paul. Dig.* 22, 6, 9. Regula est, juris ignorantiam cuique nocere, facti non nocere. ℙ Herba; quam Graeci basiliscam, *βασιλίσκην* vocant, a Latinis *regula* dicitur, et illis locis nascitur, ubi fuerit serpens basiliscus. *Appul. Herb.* 128.

RĔGŬLĀRIS, e, adj. ad regulam pertinens. *Aes regulare* dicitur, quod ductile est, et in quamcumque formam malleis trahi potest: indeque nomen habens, quod in metallis postquam igni excoctum purgatumque est, in angustas oblongasque lineas, regularum similes, duci solet, et sic distrahi: contra caldarium funditur quidem, sed malleis fragile est. Haec ex *Plin.* 34, 8, 20.

RĔGŬLĀRĬTER, adv. *κανονίκως. Ulp. Dig.* 15, 3, 3. Et regulariter dicimus, toties de in rem verso actionem esse, etc. *Macr. Somn. Scip.* 1, 20. *med.* Ut liquere possit ratio commenti, prius regulariter pauca dicenda sunt.

RĔGŬLĀTĬM, adv. regulariter. *Diomed.* 1, 402. et *Veg. Vet.* 2, 41. *extr.*

*REGULBIUM vel Regulvium, i, n. oppidum Britanniae. *Not. Imp.* ℙ Hodie est *Reculver*, servato nomine, vicus maritimus prope Tanetum insulam situs, Tamesim versus. *B. A.*

RĔGŬLO, as, a. 1. dirigo, rectum facio. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 4. Regulantur, sive diriguntur eorum virtutes.

RĔGŬLUS, i, m. *βασιλίσκος*, parvus rex: dimin. a *rex.* De rege puero usurpat *Liv.* 29, 30. ut videre est *ib.* 29. *f.* De filio regis *Id.* 45, 14. Sed accipitur universim pro domino regionis aut urbis. *Plin.* 18, 3, 5. Cum senatus regulis Africae bibliothecas donaret. *Sall. Jug.* 11. Reguli in unum convenere. *Tac. A.* 2, 80. Auxilia Cilicum, quae reguli miserant. Adde *Suet. Cal.* 5. ℙ Est etiam nomen aviculae, de qua V. in TROCHILUS. *Auct. carm. Phil.* 43. Regulus, atque merops, et rubro pectore progne. ℙ Item regis apum. *Varr. R. R.* 3, 16. Mellarius animadvertat, ne reguli plures exsistant. ℙ Item serpentis, qui Graece *βασιλίσκος* dicitur. *Hieron. in Isaj.* 16, 59, 6. Si fregerit ova, antequam comedat, inveniet regulum. *Id. ep.* 7. *n.* 3. Nos pristina contagione sordentes, quasi reguli, et scorpiones, arentia quaeque sectamur. ℙ Est etiam cogn. R., ut M. Atilius Regulus, de quo *Cic. Sext.* 59., *Fin.* 5, 27. *extr.* et *Off.* 3, 26., *Sen. Prov.* 3. bis, *Epit. Liv.* 18., *Vell.* 2, 28., *Flor.* 2, 2., *Val. Max.* 1, 1. *n.* 14. et 4, 4. *n.* 6. et *Gell.* 6, 4. V. etiam *Sil.* 2. a *v.* 340. et 6. a *v.* 296. usque ad 550.

RĔGUSTĀTUS, a, um, part. a *regusto:* saepe gustatus. *Pers.* 5, 138. regustatum digito terebrare salinum.

RĔGUSTO, as, a. 1. *ἀναγεύομαι*, iterum gusto. *Sen. Prov.* 3. *f.* Quidquid biberint, vomitu remetientur tristes, et bilem suam regustantes. ℙ Translate. *Cic. Att.* 13, 13. Crebro regusto tuas litteras: in his acquiesco. *Id. Att.* 4, 17. Vestorio dandi sunt dies, et Latinus *Ἀττικισμὸς* regustandus.

RĔGYRO, as, n. 1. in gyrum redeo, revolvor. *Varr. R. R.* 1, 57. Quidam granaria sublimia faciunt, quae non solum a lateribus per fenestras, sed etiam subtus a solo ventus regyrare possit. Alii re-

ctius leg. *refrigerare*. *Flor.* 4, 2. *med.* Bellum postremo in Hispaniam regyravit. Quidam leg. *remigravit*.

RĒHĂLO, as, a. 1. sursum halo, exhalo, ἀάζω. *Lucr.* 6, 522. Terraque cum fumans humorem tota rehalat.

*REHISCO, is, n. 3. contra hisco. *Gloss. Gr. Lat.* ἀντιχαίνω, rehisco. *B. A.*

REICŪLUS, a, um, adj. trisyll. qui rejici meretur, qui ob vitium aliquod ab omnibus spernitur, et rejicitur, ut *oves reiculae*, quae propter aetatem, vel morbum rejiciuntur. *Varr.* ap. *Non.* 2, 757. Ut in grege opilio oves minus idoneas removere solet, quas reiculas appellant. *Id. R. R.* 2, 1. *f.* de ovib.: Scire oportet quot feminas habeat, quae parere possint, quot reiculae sint alienandae; et *ib.* 5. *f.* de vaccis: Delectus quotannis habendus, et reiculae rejiciundae, quod locum occupant earum, quae ferre possunt fructus. *Auct. Geopon.* 17, 20. rejiculas ita describit: τὰς στείρας, καὶ τὰς ἀσθενεῖς, καὶ τῇ ἡλικίᾳ προβεβηκυίας, *h. e.* steriles, infirmas, ac aetate provectas. *Sen. ep.* 47. *med.* Stare ante limen Callisti (*liberti Claudii Aug.*) dominum suum vidi: et eum, qui illi impegerat titulum, qui inter reicula mancipia produxerat, aliis intrantibus excludi. *Id. Br. V.* 7. *med.* Dispunge ac recense vitae tuae dies: videbis paucos admodum, et reiculos apud te resedisse. Utroque loco *Senecae* alii leg. *ridiculus*, sed minus recte. *Reiculos dies* videtur designare *Id. Q. N.* 7, 32., ubi ait: Quis philosophiam, aut ullum liberale respicit studium, nisi cum ludi intercalantur, cum aliquis pluvius intervenit dies, quem perdere licet? ℙ Scribitur et *rejiculus*.

REJECTĀNĔUS, a, um, adj. ἀποπροηγμένος, qui rejicitur. *Cic. Fin.* 4, 26. Illa autem, morbum, egestatem, dolorem, non appello mala, sed si libet, rejectanea. *Id. ib.* 5, 26. *f.* appellat *rejicienda*; et *Acad.* 1, 10. vocat *rejecta*. V. PRODUCTUS.

REJECTĀTĬO, onis, f. frequens rejectio. *Solin.* 5. *f.* Aeterna rejectatione terra terram evomit. Alii aliter leg.

REJECTĬO, onis, f. ἀπώθωσις, ἀπόπεμψις, ἀναγωγή, actus rejiciendi, repudiatio. *Cic. Fin.* 3, 6. Ut ea teneat, quae secundum naturam sunt, pellatque contraria: quae inventa selectione, et item rejectione, sequuntur. *Id. Balb.* 12. Si civi Romano licet esse Gaditanum, sive exsilio, sive postliminio, sive rejectione hujus civitatis. *Plin.* 23, 8, 76. Rejectio sanguinis. ℙ *Rejectio in alium* inter figuras sententiarum enumeratur a *Cic. Or.* 3, 53. *med.* cum a se orator quippiam removet, et in alium rejicit. ℙ Rejectio judicum fieri poterat et ab accusatore, et ab reo, cum sorte ductis a praetore judicibus alicui causae publicae disceptandae, quosdam eorum uterque, vel alteruter rejiciebat, tanquam iniquos sibi, aut incommodos aliqua re futuros. Rejectione celebrata, in eorum locum, qui rejecti fuerant, subortiebatur praetor alios, quibus ille judicum legitimus numerus compleretur. *Ascon.* ad illud *Cic. Verr.* 1, 6. Mansit in conditione atque pacto usque ad eum finem, dum judices rejecti sunt, posteaquam rejectio judicum facta est, etc. *Id. Att.* 1, 16. Rejectio facta est clamoribus maximis, cum accusator, tanquam censor bonus, homines nequissimos rejiceret: reus, tanquam clemens lanista, frugalissimum quemque secerneret. V. REJICIO. ℙ Translate. *Quint.* 7, 1. *med.* Excutere quidquid dicitur, et velut rejectione facta ad optimum pervenire. *Plin. praef. H. N. med.* Est quaedam publica etiam eruditorum rejectio.

REJECTO, as, a. 1. frequent. a *rejicio*, saepe rejicio. *Lucr.* 2, 330. clamoreque montes Icti rejectant voces ad sidera mundi, *h. e.* referunt. *Spart. Anton.* 12. Cum caseum Alpinum in coena edisset avidius, nocte rejectavit, *h. e.* evomuit. *Virg. A.* 5, 470. crassumque cruorem Ore rejectantem. Alii leg. *ejectantem*.

REJECTUS, a, um, part. a *rejicio*: ἀπόβλητος, ἀπωθηθείς, retro jactus, repulsus, repudiatus. *Lucr.* 4, 571. Vox solidis adlisa locis, rejecta sonorem Reddit. *Virg. A.* 11, 630. Bis Tusci rejecti armis; *Poll.* ad *Cic. Fam.* 11, 32. *med.* Cum pransus, nudis pedibus, tunica soluta, manibus ad tergum rejectis inambularet. *Plin.* 28, 4, 11. Rejectis post terga manibus. *Suet. Aug.* 26. Cum centurio, rejecto sagulo, ostendens gladii capulum, etc.; et *Phaedr.* 5, 2. rejecta paenula. *Ter. Heaut.* 2, 3, 49. Capillus passus, circum caput rejectus negligenter. *Cic. Caecin.* 30. *f.* Ut si qui ex alto, cum ad patriam accesset, tempestate subito rejectus, etc. *Hor. Od.* 4, 8, 16. Rejectaeque retrorsum Annibalis minae. *Id. ib.* 3, 9, 20. Rejectaeque patet janua Lydiae. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 5. Rejectam (*statuam a Cois*) Gnidii emerunt. *Id.* 11, 11, 11. Fucus ademptis alis in alveum rejectus, ipse ceteris adimit; et *Sen. Thyest.* 809. rejecto Latus explicuit monte Typhoeus, *h. e.* repulso, et a se amoto. *Liv.* 39, 3. Id Cenomani conquesti Romae apud senatum, rejectique ad consulem.

REJECTUS, us, m. rejectio. Pro vomitu afferunt nonnulli lexicographi haec verba *Celsi*: Et rejectus vomitu, sed non his verbis, 1, 3. et 2, 13. ℙ *Rejectus navis*, pars puppis posterior recurva, et in anteriorem partem rejecta: vel ima carinae pars rejecta, et ab oculis remota. *Hyg. Astron.* 3, 36. Habet in puppi ad singula gubernacula, ad primum stellas quinque, ad alterum quatuor, circum carinam quinque, et sub rejectu quinque. Alii aliter leg. aut interpretantur.

[REJENSIS, e, adj. ad Rejos pertinens, coloniam in Gallia Narbonensi, septem leucis ab Aquis Sextiis, ante dictam Albiaecen, nunc *Riez*, de qua mentio ap. *Plin.* 3, 4, 5. et *Strab. l.* 4. *med.* Eadem in *Inscr.* ap. *Mur.* 1100, 7. vocatur *Col. Jul. Aug. Apollinar. Rejorum:* in alia ap. *Grut.* 428, 9. *Col. Rejor. Apollinar.* Hinc *Rejenses*, *ium*, incolae illius urbis. *Sidon. ep.* 6, 12. *med.* Quantas tibi gratias Arelatenses, Rejenses, etc. exsolvant. *F.*]

REJĬCĬO, is, jeci, jectum, a. 3. proprie est vicissim jacio, retorqueo. *Caes. B. G.* 1, 46. Caesari nunciatum est, equites Ariovisti lapides telaque in nostros rejicere, etc. se ad suos recepit, suisque imperavit, ne quod omnino telum in hostes rejicerent. ℙ Item rursus jacio, vel ago. *Pl. Pers.* 2, 5, 18. Boves in bumilem rejicere, ne vagentur. ℙ Item ἀποβάλλομαι, ἀποθέω, repello. *Cic. Att.* 16, 7. Cum a Leucopetra profectus stadia circiter trecenta processissem, rejectus sum Austro vehementi ad eandem Leucopetram. *Caes. B. C.* 2, 2. Eos, qui eruptionem fecerant, in oppidum rejiciebant. *Vitr.* 10, 20. *extr.* Ab his rejicientur plagae balistarum, et impetus incendiorum. ℙ Item retro jacio. *Virg. A.* 11, 618. Extemplo turbatae acies, versique Latini Rejiciunt parmas, *h. e.* ad tergum referunt, ut se tegant in fuga. Sic *Galba* ad *Cic. Fam.* 10, 30. Rejicere scutum; et *Quint.* 11, 3. Sinum togae in dextrum humerum ab imo rejicere. ℙ Item propello, promoveo. *Plin.* 36, 15, 24. *n.* 6. Ut domus eorum fores extra aperirentur, et janua in publicum rejiceretur. ℙ Est etiam abjicere, deponere. *Cic. Pis.* 23. Lictores togulis acceptis, sagula rejecerunt. *Ov. Met.* 9, 32. Rejicere de corpore vestem. *Virg. A.* 5, 421. duplicem ex humeris rejecit amictum. ℙ Item avertere, amoliri, arcere, prohibere. *Cic. Rosc. Am.* 53. Hanc proscriptionem nisi a vobis rejicitis atque aspernamini, etc. *Plin. ep.* 4, 11. *med.* Foedumque contactum a casto puroque corpore rejecit. *Ov. Trist.* 1, 1, 66. Rejicere e gremio suo librum. *Virg. Ecl.* 3, 96. Tityre, pascentes a flumine reice capellas. *Cic. Fam.* 2, 10. Cassius feliciter ab Antiochia hostem rejecerat. ℙ Item evomere: unde Italorum *récere* factum est. *Suet. Aug.* 77. Quoties largissime se invitaret, senos sextantes non excessit, aut, si excessisset, rejiciebat. *Plin.* 23, 6, 57. Caventur (*apyrina*) aeque vomitionibus, ac bilem rejicientibus. *Id.* 26, 12, 82. Ore sanguinem rejicere. *Scrib. Comp.* 191. aliquid ab stomacho. ℙ Item occurrendo repulsare. *Cic. Mur.* 37. Quorum ego ferrum et audaciam rejeci in campo, debilitavi in foro, compressi etiam domi meae. *Stat. Th.* 6, 769. providus astu, Et patria vigil arte Lacon, hos rejicit ictus, Hos cavet. ℙ Item avertere. *Virg. A.* 10, 473. Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis. ℙ *Rejicere se*, reclinare, recumbere, retro flectendo corpus, et supinum collocando. *Petr. Sat.* 92. Se in grabatum rejecit. *Ter. Andr.* 1, 1, 109. Rejecit se in eum flens quam familiariter. *Curt.* 10, 5. Velut omni vitae debito liberatus, fatigata membra rejecit. ℙ Translate est respuere, aspernari, repudiare. *Cic. Fin.* 1, 2. Qui Ennii Medeam, aut Antiopam Pacuvii spernat aut rejiciat. *Id. Tusc.* 2, 23. In primisque refutetur ac rejiciatur Philoctetaeus ille clamor. *Id. Or.* 2, 24. *med.* Id totum abjudico atque rejicio. Alii leg. *ejicio*. *Id. Leg.* 1, 23. Ad bona deligenda et rejicienda contraria. *Plin. ep.* 5, 16. *extr.* Recens animi dolor consolationes rejicit ac refugit, mox desiderat. *Pl. As.* 2, 1, 6. Abs te socordiam omnem rejice, et segnitiem amove. *Hor. Od.* 4, 9, 41. bonus atque fidus judex Rejecit alto dona nocentium Vultu. *Hirt. B. Alex.* 39. Si conditiones, quas rejecerat, rursus appeteret. ℙ *Rejici* dicuntur, quorum amor spernitur. *Ov. Met.* 9, 512. Ergo ego, quae fueram non rejectura petentem, Ipsa petam? et *ib.* 606. Et si rejicerer, potui moritura videri. ℙ Praeterea significat remittere, seu ad alium mittere. *Verr. Fl.* ap. *Gell.* 5, 17. Senatus eam rem ad pontifices rejecit, ut ipsi, quod videretur, statuerent. Adde *Caes. B. C.* 3, 17. *Cic. Att.* 9, 13. *f.* Sed ne bis eadem legas, ad ipsam te epistolam rejicio. *Id. Fam.* 10, 16. *med.* Hoc animo esse debes, ut nihil huc rejicias, neve in rebus tam subitis tamque angustis a senatu consilium petendum putes. *Id. Att.* 1, 4. Cum jam te adventare arbitraremur, repente abs te in mensem Quintilem rejecti sumus, *h. e.* dilati, protracti. *Id. Q. Fr.* 2, 1. *f.* Habes acta unius diei: reliqua, ut arbitror, in mensem Januarium rejicientur. ℙ *Rejicere judices* quid sit, in REJECTIO dictum est. *Cic. Planc.* 17. Cum ex centum viginti quinque judicibus, quinque et septuaginta reus rejiceret, quinquaginta referret. Adde *Att.* 1, 16. et *Verr.* 2, 1, 7. ℙ Interdum *judices rejicere* est eligere, per metalepsin consequentis, quia qui aliquos rejicit, is eos, qui reliqui sunt, sumere intelligitur. *Id. Verr.* 2, 3, 11. Quid praetor? jubet recuperatores rejicere. Decurias scribamus: quas decurias? de cohorte mea rejicies, inquit. *Ernestius* hic quoque *rejicere* pro *explodere* recte accipit. ℙ *Balb.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 8. *ad Att.* Crede mihi, Caesarem maximum beneficium te sibi dedisse judicaturum, si huc te rejicis: si intendis animum in hanc rem: si adduceris, ut suscipias curam conciliandae inter Caesarem et Pompejum concordiae. ℙ Si primam corripi opus sit, alterum *i* poetae exterunt: vel *reicit* faciunt disyllabum, ut *eicit* ab *ejicit*. V. EJICIO. *Stat Th.* 4, 574. Tela manu, reicitque canes in vulnus hiantes. Invenitur tamen ap. *Virg.* uno *i* scriptum (licet *re* producatur) illud *Ecl.* 3, 96. supra allatum: flumine reice capellas, ut *Serv.* et *Pier.* testantur. V. quae dicta sunt in voce RE de quantitate hujus particulae. V. etiam *Voss. de Grammat* 2, 19. fuse de his disputantem. [*Cf. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 581. et 583.]

REJĬCŪLUS. V. REICULUS.

RĒINCĬPĬO, is, a. 3. rursus incipio. Vetus Lapis, qui videtur inscriptus saeculo Christi quinto aut sexto, ap. *Grut.* 1161, 5. Cum finierit, a capite reincipe.

RĒINTEGRO. V. REDINTEGRO.

*REINVĪTO, as, a. 1. *Vulg. Luc.* 14, 12. Cum facis prandium aut coenam, noli vocare amicos tuos neque fratres, — neque vicinos divites, ne forte te et ipsi reinvitent, et fiat tibi retributio. *B. A.*

RĒĪTĔRĀTĬO, onis, f. ἀνάληψις, actus reiterandi, repetitio. *Quint.* 11, 2. *med.* Quae exciderunt, retractantur, ut crebra reiteratione firmentur. Alii leg. *intentione*, alii rectius *iteratione*. [*Ita *Spald.*, q. v.]

RĒĪTĔRO, as, a. 1. ἀναλαμβάνω, repeto. *Appul. Met.* 8. Ferinos rugitus reiterans. Alii rectius leg. *iterans*.

RĒLĂBOR, eris, lapsus sum, dep. 3. ἀναπίπτω, retro, aut rursus labor, refluo, revertor, recido. *Hor. Od.* 1, 29, 10. quis neget arduis Pronos relabi posse rivos Montibus, et Tiberim reverti? *Claud. Laud. Seren.* 79. Quaeque relabentes undas aestumque secutae In refluos venere palam Nereides amnes. *Ov. Met.* 3, 616. quo non alius conscendere summas Ocior antennas, prensoque rudente relabi. *Id. ib.* 10, 57. de Orpheo: Flexit amans oculos, et protinus illa relapsa est. *Id. Her.* 10, 149. Flecte ratem, Theseu, versoque relabere velo; et *ib.* 15, 95. Huc ades, inque sinus, formose, relabere nostros. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 1, 18. Nunc in Aristippi furtim praecepta relabor.

RĒLAMBO, is, a. 3. rursus lambo. *Sedul.* 4, 248. vomitum quicumque suum canis ore relambit.

RĒLANGUĔO, es, ui, n. 2. ἀναθερέω, rursus langueo, iterum infirmus fio, in languorem seu morbum recido. *Not. Tir.* p. 181. Languet, relanguet. ℙ Translate. *Ov. Am.* 2, 9, 27. Cum bene pertaesum est, animoque relanguit ardor. *Cic. Att.* 13, 41. Quod autem relanguisse dicit, etc. ℙ Aliquando idem significat ac simplex *langueo*. *Ov. Met.* 6, 290. trahens haerentia viscere tela, Imposito fratri moribunda relanguit ore, *h. e.* concidit, defecta est viribus.

RĒLANGUESCO, is, n. 3. idem ac relangueo. *Sen. Q. N.* 5, 8. *f.* Venti etiamsi violentiores flavere, circa medium tamen diem relanguescunt. *Plin.* 37, 9, 51. Stella, quae post totidem menses relanguescat. ℙ Aliquando ponitur pro simplici *languesco*. Translate. *Caes. B. G.* 2, 15. Nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium, inferri, quod his rebus relanguescere animos, eorumque remitti virtutem existimarent.

RĒLĀTĬO, onis, f. actus referendi. *Quint.* 10, 3. *f.* Scribitur optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi: nisi forte visus infirmior membranarum potius usum exiget: quae ut juvant aciem, ita crebra relatione, quoad intinguntur calami, morantur manum, et cogitationis impetum frangunt. Alii aliter legunt. ℙ Item ἀναφορά, διήγησις, actus referendi, *h. e.* narrandi, renunciandi. *Just.* 2, 1. Relatio rerum ab Scythis gestarum. *Quint.* 4, 1. Nonnunquam contingit relatio meritorum: de quibus verecundius dicendum erit sua, quam aliena laudanti. *Plin.* 7, 1, 1. Et de universitate quidem generis humani, magna ex parte in relatione gentium diximus, *h. e.* cum gentes et populos in geographicis recenseremus. *Appul. Met.* 3. Simplicitatem relationis taciturnitate remuneravi. *Id. de Mundo:* Omnia quae ibi gererentur, ille otacustarum relatione discebat. ℙ Speciatim est oratio, qua proponitur in curia quippiam a senatoribus disceptandum: quod fere consulum munus erat, vel praetorum, aut tribunorum, iis absentibus. *Cic. Pis.* 13. Et quis audivit non modo actionem aliquam, aut relationem, sed vocem omnino, aut querelam tuam? *Liv.* 3, 39. Post relationem Ap. Claudii (*decemviri*) postulavit, ut de republica liceret dicere. *Tac. A.* 13, 49. Licere patribus, quoties jus dicendae sententiae accepissent, quae vellent expromere, relationemque in ea postulare, *h. e.* postulare, ut consules de ea referant; et *ib.* 5, 4. Monere consules, ne relationem inciperent; et *ib.* 1, 13. Relationi consulum jure tribuniciae potestatis intercedere; et *ib.* 2, 38. Relationem egredi, *h. e.* aliud censere praeter id, quod propositum est. *Liv.* 32, 22. approbare. *Suet. Cal.* 15. Relationibus consulum auctor fuit, ut adjiceretur: Quod bonum felixque sit C. Caesari, sororibusque ejus.

Alii hoc loco *relationes* intelligunt renunciationes, cum creatorum consulum nomina renunciantur; quod minime probandum. ℙ Jus unius relationis, tertiae, quartae, etc. est de una re, vel de tribus, vel de quinque, quoties senatus haberetur, referendi. Olim enim imperatoribus jus unius relationis dabatur: postea de pluribus dari coepit. Scribit *Capitol. Pert.* 5. primum omnium Pertinacem ea die, qua Augustus est appellatus, etiam patris patriae nomen recepisse, necnon simul etiam imperium proconsulare, necnon jus quartae relationis. Docet *Casaub.* ad *Suet. Caes.* 20. ex *Dione*, Augusto primum a senatu jus unius relationis concessum fuisse. Vespasiano quoque, ut in veteri aenea Tabula habetur (ap. *Grut.* 242.) lege lata (quae *regia* a nonnullis dicta est) permissum est, ut ei senatum habere, relationem facere, remittere, senatus consulta per relationem discessionemque facere liceret, uti licuit D. Augusto, etc. quamvis consul non esset. Adde *Vopisc. Prob.* 12. *extr.* ℙ Decreta post tres relationes in curia municipiorum et coloniarum facta, ab universo decurionum ordine admittebantur. *Inscr.* ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 6. p. 239. *ed. Med.* Hoc decretum post tres relationes placuit in tabula aerea scribi, et proponi in publico, unde de plano recte legi possit. ℙ In *Codice Just.* titulus LXI. libri VII. inscribitur *De relationibus*, cum scilicet judex, aut magistratus in re dubia quippiam refert ad principem consulendi causa. ℙ *Relatio gratiae* est actus reddendae gratiae, ap. *Sen. Ben.* 5, 11. Beneficium, et gratiae relatio ultro citroque ire debent. Adde *ep.* 74. *med.* ℙ *Relatio criminis* in rhetoricis est, cum ideo jure factum dicitur, quod alius ante injuria lacessierit, ut *Cic. Inv.* 1, 11. definit. *Ulp. Dig.* 48, 1, 5. Constitutionibus observatur, ut non relatione criminum, sed innocentia reus purgetur. [*Cf. *Ernest. lex. techn. lat. rhet.* p. 328.] ℙ *Relatio jurisjurandi* est delati jurisjurandi conditionem in adversarium transferre. *Ulp. Dig.* 12, 2, 34. *extr.* ℙ *Relationem* inter figuras verborum enumerans *Cic. Or.* 3, 54. *f.* quid accipi velit, sibi non liquere, ait *Quint.* 9, 3. *f.* Putat *Aquila Romanus* ap. *Pithaeum* p. 26. significari epanaphoram, quae *repetitio* est, et *relatum* ab eo appellatur, ut illud *Cic. Verr.* 2, 2, 10. Verres calumniatores apponebat: Verres adesse jubebat: Verres cognoscebat: Verres judicabat. *Capperoner.* censet esse *ζεῦγμα*, scil. cum ad unum verbum plura referuntur: quae figura ob aliam rationem dicitur contrapositum: de qua *Cic. Part.* 15. Augent etiam relata verba, etc. Exemplum est illud *ejusd.* pro *Cluent.* 6. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. [*Cf. *Ernest. l. l.*] ℙ In logicis *relatio* est respectus. *Paul. Dig.* 1, 1, 11. Praetor quoque jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit: relatione scilicet facta non ad id, quod praetor ita fecit, sed ad illud, quod praetorem facere convenit. Sic *relatio pronominum* ap. grammaticos est, cum ea ad aliud referuntur: et ideo *relativa* appellantur. *Prisc.* 17, 1061. 1063. etc.

RĔLĀTĪVĔ, adv. *ἀναφορικῶς*, cum respectu ad aliud. *August. Trin.* 5, 11. Vicinus et amicus relative dicuntur. Adde *ib.* 11. et 12.

RĔLĀTĪVUS, a, um, adj. *ἀναφορικὸς, ὁ πρός τι*, qui ad alium refertur, qui ad alium pertinet, et (ut *Sen.* loquitur *Ben.* 5, 10.) sic est formatus, ut tota significatio illius discedat a nobis. *Arnob.* 7. p. 221. Honos omnis relativi est ad alterum generis. *August. Trin.* 5, 16. Relativa appellatio, *scil.* domini, et servi. *Capell.* 4, 111. Dicuntur relativa tribus modis: aut alicujus, ut filius; aut alicui, ut vicinus; aut ad aliquid, ut duplum. ℙ Relativa pronomina, quae antecedens nomen quodammodo referunt, et velut in memoriam reducunt, ut *qui*, *qualis*, *hic*, *ille*, etc. *Prisc.* 17, 1063. et 1064. V. RELATIO.

RĔLĀTOR, oris, m. qui refert, seu narrat. *Prop.* 3, 4, 5. Omnis enim debet sine vanis esse relator. *Venant. Vit. S. Mart.* 2, 471. Aequiparare valens, illustris uterque relator, *h. e.* historicus; nempe *Sulpicius Sever.* et *Paulinus Petrocor.*, qui ejusdem Martini vitam scripserunt. ℙ De eo, qui proponit in senatu quippiam deliberandum. *Balb.* ad *Cic. post ep.* 15. *l.* 8. *ad Att. med.* Incipiam sperare, consilio senatus, auctore te, illo relatore, Pompejum et Caesarem conjungi posse. ℙ *Inscr.* ap. *Mur.* 902, 5. T. Flavius Aug. Lib. Firmus Narcissianus relator auctionum, *h. e.* qui auctiones publicas in tabulas refert, seu qui praeconis more nunciat voce auctiones publicas, ut etiamnum apud nos fieri solet.

[RĔLĀTŌRĬUS, a, um, adj. relationem continens. *Relatoria* absolute dicitur apocha seu securitas iis tradita, qui aliquid retulerunt, ut eisdem pro cautione sit. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 13, 5, 8. Navicularios Hispaniarum neque ad extraordinaria teneri officia, neque alicubi retentos mores sustinere, oportet; sed relatorias traditarum specierum intra decem dies a susceptoribus percipere: cumque ad aliquas insulas, portus, litora, stationes accesserint; ostensis relatoriis, nullam prorsus inquietudinem sustinere. *F.*]

RĔLĀTUS, a, um, part. a *refero*: *ἀναφερόμενος*, [*reportatus in eum locum, unde promotio, progressio facta est.] *Ov. Met.* 13, 121. arma medios mittantur in hostes. Inde jubete peti, et referentem ornate relatis. *Caes. B. G.* 5, 5. Naves eodem, unde erant profectae, relatae; et *Virg. A.* 1, 394. tibi reduces socios, classemque relatam Nuncio: [*— Huc pertinet etiam locus, ubi *relatus* idem fere est, quod repetitus, in usum denuo admissus.] *Cic. N. D.* 2, 57. *med.* Aures duros et quasi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur sonus; et *Div. Verr.* 22. Consuetudo longo intervallo repetita atque relata. ℙ [*Hinc dicitur de iis, quae quis undecunque desumpta in eum locum, unde profectus est, secum reportat.] *Tac. A.* 14, 57. Relatum caput ejus *(Sullae)* illusit Nero; et *ib.* 59. Caput interfecti *(Plauti)* relatum. ℙ [*Hinc i. q. remotus.] *Plin.* 5, 27, 22. Seleucia supra amnem Calycadnum, a mari relata, ubi vocabatur Holmia. ℙ [*Tunc signif. i. q. admotus.] *Ov. Met.* 15, 567. digiti ad frontem saepe relati; et *Fast.* 3, 563. cineres ter ad ora relatos Pressit. ℙ [*Hinc ponitur etiam de iis, quae voce, scriptura etc. in locum vel personam admoventur, i. e. transscriptus, responsus, renunciatus.] *Plin.* 11, 2, 1. Quaeso, ne nostra legentes, etiam relata fastidio damnent; et *Cic. Sull.* 15. Judicium in tabulas publicas relatum; et *Vell.* 2, 58. *extr.* Exemplum relatum a Cicerone. *Caes. B. G.* 1, 35. His responsis ad Caesarem relatis. *Id. B. C.* 2, 20. *extr.* Relatis ad eum publicis rationibus. [*V. REFERO. ℙ Confund. *relatus* et *relictus*. V. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* 291. *b.*] ℙ Si prima sit producenda, jubent *l* geminari, ut in *relligio*, *rettulit*. *Lucr.* 2, 998. quod missum est ex aetheris oris, Id rursum coeli rellatum in templa receptant. V. tamen dicta in RE.

RĔLĀTUS, us, m. relatio. In sexto casu sing. *Tac. H.* 1, 30. Neque enim relatu virtutum in comparatione Othonis opus est. [*Cf. *Germ.* 3.]

[RĔLĀUDO, as, a. 1. iterum laudo. *Not. Tir.* p. 47. Conlaudat, relaudat. *F.*]

RĔLĀVO, as, a. 1. rursus lavo. *Lucr.* 6, 799. calidis etiam cum te relavaris. Alii rectius leg. *calidis etiam cunctere lavacris.* [*Eichstadt.* leg. *si calideis etiam contere lavabreis.*]

RĔLAXĀTĬO, onis, f. *ἀναχαλασμὸς*, actus relaxandi, remissio. Translate. *Cic. Fam.* 7, 26. et *Or.* 2, 5. *extr.* Otii fructus est non contentio animi, sed relaxatio; et *Fin.* 2, 29. *med.* Relaxatio doloris: *ἄνεσις*.

RĔLAXĀTOR, oris, m. qui relaxat, ut Relaxator fluentium, *Coel. Aurel. Acut.* 2, 38.

RĔLAXĀTUS, a, um, part. a *relaxo*: *ἀναχαλασθείς*, dissolutus, remissus. *Varr. R. R.* 1, 27. Glebae relaxatae: sc. cum proscissae sunt, et sole percalefactae. *Cic. Div.* 2, 48. Animus somno relaxatus solute movetur et libere.

RĔLAXO, as, avi, atum, a. 1. *ἀναχαλάω*, remitto, dissolvo, aperio: cui *adstringo* contrarium est. *Cic. N. D.* 2, 54. *f.* Alvus tum adstringitur, tum relaxatur, atque omne quod accipit, cogit et confundit; et *ib.* 55. Reliquiae cibi depelluntur, tum adstringentibus se intestinis, tum relaxantibus. *Id. Sen.* 22. *med.* Relaxare se vinculis. *Ov. Fast.* 2, 321. tunicarum vincla relaxat, Ut possit vastas exseruisse manus. *Id. Am.* 1, 6, 17. Relaxare claustra. Sic *Sen. Thyest.* 901. fores templi. *Ov. Met.* 1, 281. ora fontibus. *Sen. Ag.* 322. arcum. *Virg. G.* 1, 89. plures calor ille vias et caeca relaxat Spiramenta; et *ib.* 418. Juppiter uvidus austris Densat, erant quae rara modo, et quae densa, relaxat. *Sil.* 14, 400. diversa relaxans Brachia. [*Lucr. 6, 879. relaxat humor aquai nodos: cf. *ib.* 356. *Sil.* 3, 51. relaxans fontes, i. e. aperiens, majorem vim aquarum extrudens. Cf. *Ov. Met.* 1, 281.] ℙ Translate est remittere, recreare, solvere, levare. *Cic. Brut.* 5. *f.* Relaxa modo paulum animum, aut sane, si potes, libera. *Id. fr.* ap. *Non.* 4, 398. Quaero enim, non quibus intendam animum rebus, sed quibus relaxem ac remittam. *Id. Phil.* 2, 16. Relaxari animo. *Id. Att.* 16, 16. et *Fam.* 7, 1. *f.* Si te occupatione ista relaxaris. *Id. Leg.* 1, 4. A contentionibus, quibus summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid. *Id. Att.* 10, 6. *f.* Pater nimis indulgens, quidquid ego adstrinxi, relaxat. *Id. Or.* 52. *f.* Relaxare se a nimia necessitate faciendi aliquid. *Petr. fr. Trag.* 49. *Burm. f.* vultum in hilaritatem. [*Cf. *Sen. Cons. ad Helv.* 15.] *Cic. Or.* 2, 58. *med.* Risus tristitiam ad severitatem mitigat et relaxat. *Id. carm. de suo consul. Div.* 1, 13. anxiferas curas requiete relaxas. *Id. Fin.* 2, 29. Dolor si longus, levis: dat enim intervalla, et relaxat. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 330. Erebi se sponte relaxat Squalor. [*Curt. 5, 13, 5. Relaxat diurnum laborem nocturna quies.] ℙ *Relaxare mores*, a lege velut eximere, et dissolutos reddere. *Claud. Cons. Prov. et Olybr.* 153. mores aetas lasciva relaxat. ℙ [*Confund. *relaxare* et *laxare*. V. *intpp.* ad *Eutrop.* 9, 8.]

RĔLAXUS, a, um, adj. *πολύχαυνος*, laxus, vel valde laxus, solutus, rarus. *Colum.* 11, 3. *med.* Relaxa humo plenioris crassitudinis fiat radix.

RĔLECTUS, a, um, part. a *relĕgo*, iterum collectus. *Ov. Met.* 8, 173. Janua difficilis filo est inventa relecto, *h. e.* rursus collecto, quod labyrinthum ingrediendo explicaverat Theseus. V. LEGO, is. Alii minus recte *relicto* scribunt. ℙ Item iterum lectus. *Id. R. Am.* 717. Scripta cave relegas blandae servata puellae. Constantes animos scripta relecta movent.

RĔLĒGĀTĬO, onis, f. *ἐξοριασμὸς*, genus exsilii, cum quis finibus patriae exire jubetur. *Cic. Rosc. Am.* 15. Tamenne haec attenta vita, et rusticana, relegatio, atque amandatio appellabitur? *Liv.* 3, 10. *f.* Exsilio, et relegatione civium ulciscentes tribunos. V. RELEGATUS. ℙ Sumitur etiam pro attributione, quae testamento fit, ut Relegatio dotis, ap. *Ulp. Dig.* 33, 4, 1.

RĔLĒGĀTUS, a, um, part. a *relēgo*: *ἐξωστρακισμένος, ἐξωρισμένος*, patria pulsus, in exsilium missus. *Festus:* Relegati dicuntur proprie, quibus ignominiae aut poenae causa necesse est ab urbe Roma, aliove quo loco abesse, lege, senatusconsulto, aut edicto magistratus, ut etiam Aelius Gallus indicat. Relegatorum, inquit *Ulp. Dig.* 48, 22, 7., duo sunt genera. Sunt quidam, qui in insulam relegantur: et sunt, qui simpliciter, ut provinciis eis interdicatur, non etiam insula assignetur. Et de his sunt verba *Festi* modo allata. Relegati in insulam, teste *eod. ib.* et *Mart. ib.* 19, 4., vel ad tempus, vel in perpetuum relegantur. Est discrimen inter hos et *deportatos*, quod deportati civitatem Romanam amittunt, et jus patrium in liberos, et testamenti factionem; et in perpetuum damnati intelliguntur: relegati etiam in perpetuum nullo ex his juribus spoliantur. Ad tempus relegatis neque tota bona, neque pars adimitur: relegatis in perpetuum vel pars bonorum, vel tota bona adimuntur: deportatis nihil fere ex bonis habere permittitur. Relegati excedere jubentur: deportati in vinculis a servis publicis educi solent. ℙ Exsilio puniti a relegatis differunt, quod cum triplex exsilium sit, aut certorum locorum interdictio; aut lata fuga, ut omnium locorum praeter certum locum; aut deportatio in insulam, ut *Mart.* tradit *Dig.* 48, 22, 5., relegati primum solummodo, aut secundum ex his poenae genus subeunt. *Ov. Trist.* 2, 135. Adde quod edictum quamvis immane minaxque, Attamen in poenae nomine lene fuit. Quippe relegatus, non exsul dicor in illo. Adde *ib.* 5, 2, 61. et *ib.* 11, 21. ℙ Nonnunquam tamen *relegatus* de quocumque exsule dicitur. *Cic. Att.* 2, 11. Plane relegatus mihi videor, postea quam in Formiano sum. ℙ Est etiam ablegatus, longe positus, remotus. *Id.* vertens *Sophocl.* carmina, *Tusc.* 2, 8. Non saeva terris gens relegata ultimis. *Caes. B. G.* 5, 30. Rejecti et relegati longe a ceteris. [*V. *Moeb.* Adde *Tac. Agr.* 15. Jam Britannorum etiam deos misereri, qui Romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent: *das durch Thorheit des Feldherrn nach Mona gleichsam verwiesene, dort wie festgebannte Heer:* quae est *Walchii* interpretatio. Cf. *Ann.* 2, 82.] *Plin.* 6, 22, 24. *med.* Tabrobane extra orbem a natura relegata. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 1, 10, 84. Ambitione relegata, te dicere possum, Pollio, *h. e.* seposita. ℙ *Relegata dos* est testamento relicta. Dicitur autem *relegata* quasi iterum legata, seu restituta: quod fit cum maritus moriens uxori superstiti dotem, quam ipsa attulerat, testamento ei assignat ac reddit. *Alphen. Dig.* 23, 5, 8. *Ulp. ib.* 33. *tit.* 4. qui *De dote relegata* (al. *praelegata*) inscribitur, l. et 2. etc.

RĔLĒGO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποπέμπω*, remitto, mitto, quasi retro lego. *Nep. Cat. f.* Studiosos Catonis ad illud volumen relegamus. [*Ita *Heusing.*] Alii leg. *delegamus.* [*Ita *Brem.*] *Plin.* 7, 1, 1. Nec tamen in plerisque obstringam fidem meam, potiusque ad auctores relegabo. ℙ Item saepius, amandare, removere. *Cic. Off.* 3, 31. Criminabatur, quod filium ab hominibus relegasset, et ruri habitare jussisset. [*V. *Beier.*] *Virg. G.* 3, 212. tauros procul, atque in tuta relegant Pascua. *Id. A.* 7, 774. At Trivia Hippolytum secretis alma recondit Sedibus, et Nymphae Aegeriae nemorique relegat, *h. e.* mandat custodiendum. *Lucan.* 6, 324. Relegare bella. [*Plin. Pan.* 47, 1. cum sibi vitiorum omnium conscius princeps, inimicas vitiis artes non odio magis, quam reverentia relegaret.] *Vell.* 2, 45. *med.* P. Clodius in senatu, sub honorificentissimo ministerii titulo, M. Catonem a republica relegavit, *h. e.* removit. [*Cf. *Cic. Sext.* 28.] Quod idem dixit *Cic. Dom.* 25. M. Cato, quasi per beneficium, Cyprum relegatur. ℙ Haec a JCtis et foro sumpta sunt, ubi *relegare* est exsilii causa amandare, *ἐξορίζειν*. V. RELEGATUS. *Cic. Sext.* 12. *f.* Consul L. Lamiam in concione relegavit, edixitque, ut ab Urbe abesset millia passuum ducenta. *Suet. Aug.* 16. *extr.* Supplicem, concessa vita, Circejos in perpetuum relegavit. *Tac. A.* 3, 17. *extr.* Relegare aliquem in decem annos; et *ib.* 68. in insulam Gyaron. *Liv.* 25, 6. *med.* in exsilium. *Suet. Claud.* 23. Quosdam novo exemplo relegavit, ut ultra lapidem tertium vetaret egredi ab Urbe. *Plin. ep.* 8, 14. *med.* Hos alius in insulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur; et *mox:* Propior aliquanto est sententiae relegantis, quae absolvit, quam quae occidit. ℙ Translate. *Claud. Laud. Stil.* 1, 250. Et quos interior nimio plaga sole relegat, *h. e.* a nobis longius removet, mediam Africam incolentes sub zona torrida. ℙ Est etiam testamento relinquere, ut *relegare dotem*, ap. *Ulp. Dig.* 33, 4, 1. et 2. *usumfructum*, ap. *Julian. ib.* 2, 23. V. RELEGATUS. ℙ Et translate

assignare, attribuere. *Liv.* 28, 42. *med.* Patere, nos omnia, quae prospera evenere, tuo consilio assignare, adversa casibus incertis belli, et Fortunae relegare. Alii leg. *delegare.* [*V. *intpp.* ad h. l.] *Tibull.* 4, 6, 5. Illa quidem ornandi causas tibi, Diva, relegat: Est tamen, occulte cui placuisse velit, [*i. e. se te propter ornare dicit.] *Vell.* 2, 64, 2. Fortunae invidiam in auctorem relegabat, *h. e.* transferebat, refundebat. [*Cf. *Ruhnk.*] *Quint.* 7, 4. *med.* Interdum culpa in hominem relegatur. *Id. prooem.* 6. *med.* Frustra mala omnia ad crimen Fortunae relegamus. ℙ [*Confund. *relegare* et *religare.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 791.]

RĔLĔGO, is, egi, ectum, a. 3. *ἀναλέγομαι,* iterum colligo. *Hor. Epod.* 2, 69. Omnem relegit Idibus pecuniam. Alii leg. *redegit. Val. Fl.* 6, 237. de hasta: docilis relegi, docilisque relinqui. *Stat. Silv.* 5, 3, 29. ter relegens coelo, terque ora retexens Luna, *h. e.* colligens plenum orbem. [**Cic. N. D.* 2, 28. qui omnia, quae ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, et tanquam relegerent, sunt dicti religiosi ex relegendo, etc.] ℙ Item rursus eandem viam percurro, redeo, revertor. *Virg. A.* 3, 690. Talia monstrabat relegens errata retrorsum Litora Achaemenides, *h. e.* renavigans; et *Ov. Trist.* 1, 10, 24. Hellespontiacas illa *(navis)* relegit aquas. *Val. Fl.* 8, 121. Egressi relegunt campos; et 4, 54. relegitque vias, et vallibus exit. *Stat. Achill.* 1, 23. Culpatum relegebat iter. *Sen. Ag.* 574. retro spatia relegens. *Claud. B. G.* 529. Ut mea converso relegam vestigia cursu. *Prud. Apoth.* 1072. Relegere cursum. *Tac. A.* 2, 54. Relegit Asiam, appellitque Colophona. ℙ Item *ἀναγινώσκω,* iterum lego. *Ov. Pont.* 1, 5, 15. Cum relego, scripsisse pudet, quia plurima cerno, Me quoque, qui feci, judice digna lini. Adde *ib.* 3, 5, 11. ℙ Ponitur et pro simplici lego. *Mart.* 4, 29. Tu quoque de nostris releges quemcumque libellis, Esse puta solum: sic tibi pluris erit.

RĔLENTESCO, is, n. 3. *ἀναγλιαχραίνομαι,* iterum lentesco, ad lentorem pristinum redeo. Translate. *Ov. Am.* 1, 8, 76. Neve relentescat saepe repulsus amor.

RĔLĔVĀMEN, inis, n. levamen. *Prisc. Perieg.* 440. praegnantibus ista Auxilium confert, facilis relevamine partus.

[RĔLĔVĀTĬO, onis, f. levamen oneris. *Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 13. Simile solet evenire onus grave humero gestantibus, cum illud onus in sinistrum ab dextro humero transtulere; quamquam nihil de pondere deminutum sit, tamen ut oneris translatio videatur etiam relevatio. ℙ Est etiam deminutio. *Theod. Prisc.* 1, 9. Nam et ciborum et potionis continentia, et vomitus, vel purgationes, capillorum relevatio, sanguis de naribus provocatio adjuverunt. ℙ Translate usurpatur a *Salv. l. c.* in AGGRAVATIO. *F.*]

RĔLĔVĀTUS, a, um, part. a *relevo:* erectus, recreatus. *Ov. Trist.* 1, 11, 12. Omnis ab hac cura mens relevata mea est. *Cic. Cat.* 2, 4. Relevata et recreata respublica.

RĔLĔVO, as, avi, atum, a. 1. *ἀναίρω, ἐπαναίρω, ἀνακουφίζω,* sursum tollo, elevo, erigo. *Ov. Met.* 9, 318. e terra corpus relevare. *Id. Pont.* 3, 3, 11. membra in cubitum. *Lucan.* 8, 267. nec sic mea fata premuntur. Ut nequeam relevare caput. [*Praeferenda nobis videtur *Cortii* interpretatio, qui *caput relevare* pro *iterum leve reddere,* liberare ab iis, quae onerent, premant, accipit. V. plura ap. ipsum] ℙ Item exonero, levem facio, *ἀποκουφίζω. Cic. Att.* 1, 13. Quotus enim quisque est, qui epistolam paulo graviorem ferre possit, nisi eam pellectione relevarit? [*V. *Schütz.* in *cl. Cic.*] *Ov. R. Am.* 186. supposita fugiunt examina taxos, Ut relevent dempti vimina torta favi. *Id. Am.* 1, 6, 25. sic unquam longa relevere catena. ℙ Translate est minuere, levem facere. *Cic. Cat.* 1, 13. Relevare aliquem cura et metu. *Ov. Met.* 6, 354. sitim; et *ib.* 11, 129. famem. *Id. R. Am.* 586. Quae relevet luctus, turba sodalis abest. *Id. A. Am.* 3, 697. Aura, meos releves aestus. *Plin. Pan.* 19. Ut studium omnium laboremque et tanquam exactor intenderes, et tanquam particeps sociusque relevares. ℙ Refertur ad sumptus et impensas. *Cic. Fl.* 17. *med.* Cujus mors te ex aliqua parte relevavit: edacem enim hospitem amisisti; et *Suet. Dom.* 12. Tentavit quidem, ad relevandos castrenses sumptus, militum numerum diminuere; et *Caes.* 20. Publicanos remissionem petentes tertia mercedum parte relevavit. ℙ Est item recreare, reficere, consolari. *Ov. Met.* 8, 639. Membra senex posito jussit relevare sedili; et *Pont.* 1, 3, 17. Non est in medico semper relevetur ut aeger. *Id. Fast.* 3, 304. Et relevant multo pectora sicca mero. *Cic. Att.* 3, 10. *f.* Haec eo scripsi, ut potius relevares me, quam aut castigatione, aut objurgatione dignum putares. *Ulp. Dig.* 17, 2, 63. *med.* Nec enim aequum est, dolum suum quemquam relevare. ℙ In integrum restituere. *Modest. Dig.* 4, 4, 29. Quia pupilla videbatur in ceteris litis speciebus relevata fuisse.

RĔLĬCĪNUS, a, um, adj. *ὑποδεδυκώς,* ut habetur in *Gloss. Philox.*, qui in occiput refugiente capillamento crispus est: vel a *recello,* quia capilli retro recellunt: vel a *re* et *lacio,* traho, unde *relicio* retraho, sicut *allicio* attraho. V. LICINUS. *Appul. Flor. n.* 3. Marsyas laudans sese, quod erat et cotus. ℙ *Frons relicina* dicitur, quae reflexis in verticem capillis nuda apparet, aperta, lata, et capillorum tegumento libera. *Id. ib. n.* 7. de Alex. M.: Ut eadem forma viridis juventae, eadem gratia relicinae frontis cerneretur. [Eandem frontis gratiam relicinis capillis decoram cernere est in imaginibus Alexandri M. editis et illustratis a *Viscont.* in *Iconogr. Gr.* T. 2. *tab.* 2. p. 56. — 72. *ed. Med. F.*]

RĔLĬCTĬO, onis, f. *ἀπόλειψις,* actus relinquendi. *Cic. Att.* 16, 7. *med.* Desperatio ac relictio reipublicae. Alii leg. *rejectio:* alii *religio. Id. Verr.* 2, 1, 13. *med.* Relictio et proditio consulis. Alii leg. *rejectio.* [**Orell.* utroque loco v. *relictio* serv.] *Vitr.* 7, 9. Cum ergo haec emissa erunt, tunc minium, propter argenti vivi relictionem, quas in se naturales habuerat vires, relinquit, *h. e.* quia ab argento vivo separatum est, et quasi relictum.

RĔLĬCTUS, a, um, part. a *relinquo: ἀπολειφθείς. Caes. B. G.* 3, 26. Cohortes, quae praesidio castris relictae, integrae ab labore erant. *Varr. R. R.* 3, 16. Cum pauper cum duobus fratribus, et duabus sororibus essem relictus. *Virg. G.* 4, 127. senex, cui pauca relicti Jugera ruris erant. *Nep. Cat.* 1. Ibi heredium a patre relictum habebat; et *Att.* 13. Domus ab avunculo hereditate relicta. *Ulp. Dig.* 21, 1, 17. *med.* Cum se testamento liberum relictum esse audisset. *Plin. ep.* 9, 36. Ab iis, quae avocant, abductus, et liber, et mihi relictus. *Cic. Att.* 8, 6. *f.* Tironem nostrum ab altera *(quartana)* relictum audio. ℙ Absolute. *Pl. Merc.* 3, 4, 81. Nam mihi nihil relicti quicquam aliud jam esse intellego. *Ov. de nuce,* 99. Si fiat rapti, fiat mensura relicti. ℙ In re agraria *relicta loca* sunt, quae sive locorum iniquitate, sive arbitrio conditoris relicta, limites non acceperunt, nec ulli sunt assignata, ut *Front. de limit.* p. 42. *Goes.* docet. *Cic. Agr.* 1, 1. *med.* Utrum tandem hanc silvam in relictis possessionibus, an in censorum pascuis invenisti? ℙ *Relictis rebus* aliquid agere, est, omni alio seposito negotio, uni rei operam dare. *Pl. Epid.* 4, 2, 35. Ego, relictis rebus, Epidicum operam quaerendo dabo. *Ter. Andr.* 2, 5, 1. Herus me, relictis rebus, jussit Pamphilum hodie observare. *Lucr.* 3, 1085. jam rebus quisque relictis Naturam primum studeat cognoscere rerum. *Cic. Or.* 3, 14. Atqui vides, cum alias res agamus, quam te inviti *(audiamus)*, qui adduci possumus, relictis ut rebus omnibus te sectemur, te audiamus. Alii omitt. *omnibus. Ter. Eun.* 1, 2, 85. Nonne, ubi mihi dixti, cupere te ex Aethiopia ancillulam, relictis rebus omnibus quaesivi? Adde *Caes. B. C.* 3, 102. Sic *Pl. Stich.* 2, 2, 38. Immo res omnes relictas habeo, prae quod tu velis. Sic *Cic. Fam.* 2, 14. Omnia relinques, si me amabis, cum tua opera Fabius uti volet. ℙ Item derelictus, desertus. *Cic. Fam.* 4, 1. *med.* Urbem sine legibus, sine judiciis, sine jure, sine fide, relictam direptione et incendiis. *Id. Rab. perd.* 8. Nemo est inventus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni honestate relictus qui, etc. *Id. Brut.* 72. *extr.* Habere aliquid pro relicto. *Virg. A.* 3, 123. Hoste vacare domos, sedesque adstare relictas. *Ov. Met.* 14, 217. Solus, inops, exspes, leto poenaeque relictus. ℙ De amantibus, aut conjugibus, cum alter alterum deserit. *Pl. Truc.* 2, 4, 63. Quid me futurum est, quando miles venerit? relictusne abs te vivam? *Ov. Her.* 10, 80. Nunc ego non tantum, quae sum passura, recordor, Sed quaecumque potest ulla relicta pati; et *Prop.* 1, 6, 8. Et queritur nullos esse, relicta, Deos; et *Tibull.* 3, 6, 39. Gnosia Theseae quondam perjuria linguae Flevisti ignoto, sola relicta, mari. ℙ [Sup. *Relictissimus* ap. *Front. Laud. fum.* (ed. *A. Maio*) *med.* Verum conquiret Deos, et homines a ceterorum laudibus relictissimos. *F.*] ℙ [*Confund. *relictus* et *relatus* V. h. v. in *f.*]

RĔLĬCTUS, us, m. relictio. *Gell.* 3, 1. *med.* Labor virilis, exercendique corporis studium relictui est, *h. e.* negligitur, deseritur.

RĔLĬCŬUS. V. RELIQUUS.

RĔLĪDO, is, a. 3. a *re* et *laedo.* Translate. *Auson. epist.* 25, 42. brevius nihil est, nec plenius istis, *(est,* et *non)* Quae firmata probant, aut infirmata relidunt, *h. e.* refutant, respuunt, negant.

RĔLĪGĀMEN, inis, n. ligamentum, vinculum. *Prud. Psych.* 358. Ut mitra, caesariem cohibens aurata virilem, Combibat infusum croceo religamine nardum.

RĔLĪGĀTĬO, onis, f. *ἀνάδεσις,* actus religandi. *Cic. Sen.* 15. Et ipsa natura delectat, adminiculorum ordines, capitum conjugatio, religatio, et propagatio vitium.

RĔLĪGĀTUS, a, um, part. a *religo: ἀναδεδεμένος. Cic. Tusc.* 1, 44. Trahit Hectorem ad currum religatum Achilles. *Ov. Am.* 1, 6, 1. Janitor (indignum!) dura religate catena. *Id Met.* 4, 671. Quam simul ad duras religatam brachia cautes Vidit, etc. et *ib.* 14, 445. Solvitur herboso religatus ab aggere funis; et *ib.* 247. religata in litore pinus. *Hor. Od.* 2, 11, 23. incomptam Lacaenae More comam religata nodo *(Lyde). Virg. A.* 9, 352. religatos rite videbat Carpere gramen equos. *Plin. Pan.* 82. Navigium religatum revinctumque.

RĔLĪGENS, entis, part. Antiquum carmen ap. *Gell.* 4, 9. Religentem esse oportet, religiosum nefas, *h. e.* pium esse oportet, et Diis addictum, non tamen superstitiosum. V. v. sq.

RĔLĪGĬO, onis, f. *θρησκεία, θεοσέβεια, εὐσέβεια,* metus divini numinis, ex quo ejus cultus, reverentia, et observatio sequitur, pietas, sanctitas. *Serv.* ad illud *Virg. A.* 2, 715. Religione patrum, etc. timore: et est reciprocum. Sic Terent. (*Heaut.* 2, 1, 16.) Nam, nihil esse mihi, religio est dicere. Item Virgilius contra (*A.* 7, 60.) multosque metu servata per annos. Connexa enim sunt timor, et religio. Haec *Serv.* Sic *formido, metus, pavor* pro religione ponuntur: quae V. ss. ll. *Cic. Inv.* 2, 22. Religionem eam, quae in metu et caeremonia Deorum est, appellant pietatem; et *ib.* 53. *med.* Religio est, quae superioris cujusdam naturae, quam divinam vocant, curam caeremoniamque affert. *Id. N. D.* 1, 42. Religio Deorum cultu pio continetur. *Id. Part.* 22. *f.* Justitia erga Deos, religio dicitur; erga parentes, pietas. *Id. Leg.* 2, 11. Tum maxime et pietas et religio versatur in animis, cum rebus divinis operam damus. ℙ De notatione haec habet *Id. N. D.* 2, 28. *med.* Non philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur et immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati: quod nomen postea latius patuit. Qui autem omnia, quae ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, et tanquam relegerent, sunt dicti religiosi, ex relegendo (al. *religendo: quod idem est*), ut elegantes ex eligendo, tanquam a diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes: his enim in verbis omnibus inest vis legendi eadem, quae in religioso Ita factum est in superstitioso, et religioso, alterum vitii nomen, alterum laudis. Hactenus *Cic.*, cujus etymon confirmatur illo *vet. carm.* ap. *Gell.* 4, 9. Religentem esse oportet, religiosum nefas. Ubi *religentem* religiosum significat. Contra acriter insurgit *Lactant.* 4, 28. ineptum asserens esse discrimen ab eo assignatum inter *superstitionem,* et *religionem:* verum autem esse, illam falsi cultus esse; hanc veri. Notationem quoque aliam afferens, nempe a *religando:* et nomen religionis a vinculo pietatis esse deductum, quod hominem sibi Deus religaverit, et pietate constrinxerit: quod et *Serv.* facit ad *A.* 8, 349. et *August. Retractat.* 1, 13. et placuisse videtur *Nigidio* ap. *Gell. l. c.* Unde *Lucr.* 1, 930. et arctis Relligionum animum nodis exsolvere pergo; et *Tac. A.* 3, 26. Numa religionibus et divino jure populum devinxit. Nam quod *Massur. Sabin. ib.* et *Serv. Sulpic.* ap. *Macr. Sat.* 3, 3. a *relinquendo* duci volunt, quia religio propter sanctitatem remota ac seposita a nobis sit, puto arrisurum esse nemini. *Cic. Leg.* 1, 23. Cultum Deorum, et puram religionem suscipere. *Id. Balb.* 24. Sacra Cereris summa religione caeremoniaque conficere. ℙ Religio alicujus rei est ejus sanctitas, majestas, sacer status et venerabilis. *Id. Inv.* 2, 1. Religio fani. *Tac. H.* 1, 4. templorum. *Cic. Rab. perd.* 10. *f.* Sapientissimorum ac fortissimorum civium mentes mihi videntur ad Deorum religionem et sanctimoniam demigrasse, *h. e.* in Deos esse relatas. *Plin.* 11, 45, 103. Hominis genibus quaedam et religio inest, observatione gentium. Haec supplices attingunt, ad haec manus tendunt, haec, ut aras, adorant. ℙ Interdum ponitur pro peculiari ratione divini cultus, seu pro ritibus ipsis, quibus Deus colitur: vel etiam pro ipsis numinibus. *Cic. Leg.* 1, 15. *f.* Neque solum in homines obsequia, sed etiam in Deos caeremoniae religionesque tolluntur. *Id. Dom.* 40. Ut non putares Deos satis posse placari, nisi etiam muliebribus religionibus te implicuisses. *Id. Font.* 9. *f.* Ceterae nationes pro religionibus suis bella suscipiunt, istae contra omnium religiones. *Id. Mil.* 27. Solemnes religiones supplicio alicujus expiare. *Id. Dom.* 48. polluere. *Id. Verr.* 2, 4, 35. violare. *Tac. A.* 16, 22. spernere. *Cic. Dom.* 1. sapienter interpretari. ℙ Interdum pro superstitione. *Just.* 18, 6. *f.* Cum peste laborarent, cruenta sacrorum religione et scelere pro remedio usi sunt. *Id.* 22, 6. Sed terrebat eos portenti religio, quod navigantibus eis sol defecerat. ℙ Item pro vitae innocentia. *Cic. Caecin.* 10. Splendor ordinis, decus atque ornamentum judiciorum, exemplar antiquae religionis, Fidicularius Falcula. *Id. Dejot.* 6. Dejotarum non tam ingenio et prudentia, quam fide et religione vitae defendendum puto. ℙ Item pro metu laedendi Deos, quem scrupulum etiam dicimus: quo inhibemur quippiam facere. *Plin.* 5, 1, 1. Subit tacita religio animos. *Ter. Andr.* 5, 4, 38. Dignus es cum tua religione, odio: nodum in scirpo quaeris. *Liv.* 8, 17. Religio deinde incessit, vitio eos creatos. *Cic. Cat.* 3, 6. *extr.* Ut quae religio C. Mario non fuerat, quominus C. Glauciam praetorem occideret, ea nos religione in privato P. Lentulo puniendo liberaremur. *Id. Caecin.* 33. Alicui religionem injicere. *Id. Fam.* 10, 12. offerre; et *Verr.* 2, 4, 35. *med.* afferre. *Pl. Merc.* 5, 2, 40. objicere. *Liv.* 22, 42. *med.* incutere animo. *Cic. Phil.* 2, 33. *med.* Religione aliquem obstringere.

Id. Caecin. 34. solvere. *Liv.* 3, 20. exsolvere. *Id.* 1, 45. *f.* tangi. *Virg. A.* 8, 349. relligio pavidos terrebat agrestes Dira loci. *Hor. Sat.* 1, 9, 70. vis tu Curtis Judaeis oppedere? nulla mihi, inquam, Relligio est. Sic *Cic. Div.* 1, 35. Nec eam rem habuit religioni. Contra *Id. N. D.* 2, 4. Res illa in religionem populo venit; et *Liv.* 26, 11. In religionem ea res apud Poenos versa est, *h. e.* veriti sunt Poeni, ne Diis displiceret; et *Ter. Heaut.* 2, 1, 16. Hoc facere religio est. *Varr.* ap. *Non.* 4, 387. Non demunt animis curas ac relligiones Persarum montes, non atria diviti' Crassi. *Festus:* Religioni est quibusdam porta Carmentali egredi, et in aede Jani, quae est extra eam, senatum habere: quod ea egressi sex et trecenti Fabii, apud Cremeram omnes interfecti sunt, cum in aede Jani senatus consultum factum esset, uti proficiscerentur. ℙ *Religio est,* contrario sensu, h. e. religio jubet, Diis gratum est. *Plin.* 25, 4, 11. Panacea evulsa, scrobem repleri vario genere frugum, religio est, ac terrae piamentum. *Id.* 30, 5, 15. Et obrui tales, religio est. ℙ *Religiones* dicuntur ea ipsa, quae talem metum afferunt. *Cic. Phil.* 1, 6. Inexpiabiles religiones in rempublicam inducere. ℙ Praeterea *religio* sumitur pro fide ac veracitate, qua utuntur, qui Deos verentur et metuunt. *Id. Fl.* 4. Videte, quo vultu, qua confidentia dicant: tum intelligetis, qua religione dicant. *Id. Font.* 6. *f.* Ea quae dicuntur a testibus, quanto pudore, quanta fide, quanta religione dicantur. *Id. Fam.* 11, 29. Sum admiratus fidem tuam, et in consilio dando religionem. *Id. Fl.* 4. Testimoniorum religionem et fidem nunquam ista natio coluit. *Id. Rosc. Com.* 15. *f.* Fides et religio judicis. *Religio judicis* est observantia jurisjurandi, quia judices jurati sententiam ferebant. Unde et *religio jurisjurandi* dicitur, quia cum illo conjuncta est. [*Cf. *Burm.* ad *Quint. Decl.* p. 11.] ℙ Translate est minuta et scrupulosa diligentia et cura. *Id. Brut.* 82. Ejus oratio nimia religione attenuata. *Id. Or.* 8. Atheniensium semper fuit prudens sincerumque judicium, nihil ut possent, nisi incorruptum audire et elegans, quorum religioni cum serviret orator, nullum verbum insolens, nullum odiosum ponere audebat. ℙ Item justa muneris functio. *Id. Verr.* 2, 3, 1. Qui sibi hoc sumit, ut corrigat mores aliorum, quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officii declinarit? *Id. Sull.* 3. *f.* Sin est in me ratio reipublicae, religio privati officii, studium retinendae voluntatis bonorum, etc. ℙ Item reverentia, observantia. *Id. Rosc. Am.* 24. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis. ℙ A poetis *l* geminatur, primae extendendae causa. *Virg., Lucr., Hor.* supra allati, *Ov.* etc. V. tamen dicta in RE.

RĔLĪGĬOSĔ, adv. εὐσεβῶς, cum religione. *Cic. Inv.* 2, 1. Templum Junonis, quod religiosissime colebant. ℙ Interdum est solicite, accurate. *Colum.* 3, 10. *med.* Nihil curiose, nihil religiose administrant. *Id.* 11, 2. *f.* Qui religiosius rem rusticam colunt. ℙ Interdum fideliter. *Cic. Coel.* 22. *extr.* An gravis, sapiens, moderatusque vir religiose testimonium dixisse videatur. *Plin. Pan.* 65. Nemini religiosius, quod juraverit, custodiendum. ℙ Interdum adubitanter, verecunde. *Cic. Fam.* 13, 17. *f.* Qui religiose et sine ambitione commendant. ℙ Interdum caute, aut parce. *Nep. Att.* 15. Quidquid rogabatur, religiose promittebat, quod non liberalis, sed levis arbitrabatur, polliceri quod praestare non posset.

RĔLĪGĬOSĬTAS, atis, f. religio, morum innocentia. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Justitia cum religiositate, idest ὁσιότητι copulatur. *Tert. Apol.* 25. Religiositatis meritum.

[RĔLĪGĬOSŬLUS, a, um, adj. dimin. religiosi, aliquantisper religiosus. Ita per contemptum vocatur Rufinus ab *Hieron. adv. Ruf.* 3. *n.* 7. Tibi quasi religiosulus et sanctulus personam humilitatis imponis, etc. *F.*]

RĔLĪGĬOSUS, a, um, adj. εὐσεβής, δεισιδαίμων, timens Deum, pius, sanctus, religione praeditus. *Festus:* Religiosi dicuntur, qui faciendarum praetermittendarumque rerum divinarum secundum morem civitatis dilectum habent, nec se superstitionibus implicant. *Sall. Cat.* 12. Templa Deorum, quae nostri majores, religiosissimi mortalium, fecere. *Cic. Rosc. Com.* 15. Homines natura sancti et religiosi. *Id. Verr.* 2, 4, 4. Homines integri, innocentes, religiosi. *Id. Or.* 2, 43. *med.* Mores justi, integri, religiosi. *Colum.* 11, 2. *f.* Religiosiores agricolae. *Festus:* Religiosus est non modo Deorum sanctitatem magni aestimans, sed etiam officiosus adversus homines. ℙ Item fidelis, verax, Deorum metu fallere nescius. *Cic. Caecin.* 10. Huic testi gratias agam, quod et in re misericordem se praebuit, et in testimonio religiosum. *Id. Fin.* 4, 22. Cum te M. Cato, justissimum virum, optimum judicem, religiosissimum testem audiremus. *Petr. Sat.* 21. Uterque nostrum religiosissimis juravit verbis. ℙ De rebus cum dicitur, significat Deo sacrum, augustum, sanctum, majestatis venerationisque plenum, et quod sine piaculo violari non potest. *Festus* in *Religiosus.* Gallus Aelius inter sacrum, et sanctum, et religiosum differentias bellissime refert. Sacrum aedificium, consecratum Deo: sanctum murum, qui sit circum oppidum: religiosum sepulcrum, ubi mortuus sepultus, aut humatus sit. Quod sacrum est, idem lege, aut instituto majorum sanctum esse putant, ut violari id sine poena non possit. Idem religiosum quoque esse, quoniam sit aliquid, quod ibi homini facere non liceat, quod si faciat, adversus Deorum voluntatem videatur facere. Haec *Festus.* V. *Manut. de quaes. per epist. par.* 2. *n.* 10. *Cic. Rab. perd.* 2. *f.* De locis religiosis, ac de lucis, quos ab hoc violatos esse dixisti, etc. *Id. Planc.* 35. Religiosa altaria. *Id. Verr.* 2, 4, 43. Herculis templum apud Agrigentinos sanctum et religiosum. *Flor.* 1, 13. Quidquid religiosissimum in templis erat, partim recondunt, partim avehunt. *Fest.* in *Religiosum:* Religiosum ac sacrum est, ut templa omnia atque aedes, quae etiam sacratae dicuntur. At quod per se religiosum est, non utique sacrum est, ut sepulcra, quod ea non religiosa sunt. *Cels.* ap. *Ulp. Dig.* 11, 7, 2. Non totus, qui sepulturae destinatus est, locus religiosus sit, sed quatenus corpus humatum est. [*Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 2, 6. Religiosum nostra voluntate facimus, mortuum inferentes in locum nostrum, si modo ejus mortui funus ad nos pertineat. Sed in provinciali solo placet plerisque, solum religiosum non fieri, quia in eo solo dominium populi R. est, vel Caesaris; nos autem possessionem tantum, et usumfructum habere videmur. Adde *Cic. Leg.* 2, 22. *f. F.*] ℙ *Religiosi dies,* inquit *Gell.* 4, 9., dicuntur tristi omine infames, impeditique: in quibus et res divinas facere, et rem quampiam novam exordiri temperandum est: quos multitudo imperitorum prave et perperam nefastos appellant. Itaque M. Cicero in libro epistolarum nono ad Atticum (*ep.* 5.) Majores, inquit, nostri funestiorem diem esse voluerunt Alliensis pugnae, quam Urbis captae, quod hoc malum ex illo. Itaque alter religiosus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 387. Anno vertente dies tetri, miseri, ac religiosi. *Fest.* in *Religiosus:* Dies religiosi, quibus, nisi quod necesse est, nefas habetur facere: quales sunt sex et triginta, atri qui appellantur, et Alliensis, atque ii, quibus mundus patet. Adde *Liv.* 6, 1. *f.* et *Ov. Fast.* 1. a *v.* 55. et *Gell.* 5, 17. ℙ *Fest. l. c.* Religiosum esse Gallus Aelius ait, quod homini ita facere non licet, ut si id faciat, contra Deorum voluntatem videatur facere: quo in genere sunt haec: in aedem Bonae Deae virum introire: adversus mystica legem ad populum ferre: die nefasto apud praetorem lege agere. *Liv.* 2, 5. Quem campi fructum, quia religiosum erat, consumere, desectam segetem fudere in Tiberim. *Plin.* 28, 4, 6. Naevos in facie tondere, religiosum habent etiam nunc multi. ℙ *Religiosum est,* contrario sensu, secundum religionem est, Diis gratum est. *Plin.* 30, 1, 4. Romani sustulere monstra, in quibus hominem occidere religiosissimum erat, mandi vero etiam saluberrimum. *Id.* 28, 2, 5. Et aliqui nomine quoque consalutare, religiosius putant. Similiter adhibetur *religio est.* ℙ Aliquando est superstitiosus. Antiquum carmen ap. *Gell.* 4, 9. Religentem esse oportet, religiosum nefas. *Nigid. ib.* Religiosus is appellabatur, qui nimia et superstitiosa religione sese aligaverat: eaque res vitio assignabatur. *Cic. Fin.* 2, 7. *f.* Reperiemus asotos ita non religiosos, ut edant de patella. Adde *Ter. Heaut.* 4, 1, 36. Huc pertinere videtur illud *Caton.* ap. *Fest.* in *Repulsior.* Ne quis incultior, religiosior, desertior publicis negotiis repulsior. ℙ Translate *Cic. Or.* 9. Ad Atticorum aures teretes et religiosas qui se accommodant, *h. e.* quorum semper fuit prudens sincerumque judicium, nihil ut possent, nisi incorruptum audire, et elegans, ut *Id. ib.* 8. loquitur. ℙ Sequioris Latinitatis tempore *religiosus* is dicebatur, qui clericatum amplectebatur, et *saeculari* opponitur, quod etiamnum apud Italos obtinet. *Salv. Avar.* 3, 5. Dicitis: quid opus est religiosis, aequam accipere cum fratribus patrimonii portionem? et *mox:* Iniquum igitur arbitramini, ut saecularibus filiis religiosos substantia pares esse faciatis?

RĔLĪGO, as, avi, atum, a. 1. ἀναδέω, idem fere quod ligo, connecto. *Caes. B. C.* 2, 10. Eo super tigna bipedalia injiciunt, eaque laminis clavisque religant; et *ib.* 6. Si quando nostri, facultatem nacti, ferreis injectis manibus navem religaverant, undique suis laborantibus succurrebant. *Hor. Od.* 1, 5, 4. Religare comam; et *Tac. G.* 38. capillum in vertice. *Lucan.* 2, 670. caesis innectere vincula silvis, Roboraque immensis late religare catenis. *Id.* 4, 451. religatque catenas Rupis ab Illyricae scopulis. *Plin.* 19, 8, 39. Religare lactucae folia. *Ov. Met.* 14, 735. vincula laquei foribus: scil. causa suspendii. *Suet. Vit.* 16. *extr.* canem pro foribus; et *ib.* 17. manus post terga. *Flor.* 3, 19. latrones compedibus et catenis. *Colum.* 2, 18. *med.* desectam herbam, et exportare. ℙ Saepe ad rem nauticam pertinet. *Caes. B. C.* 3, 15. Naves ad terram religandi potestas fiebat. *Virg. A.* 7, 106. Gramineo ripae religavit ab aggere classem. *Ov. Met.* 13, 439. Litore Threicio classem religarat Atrides. *Hor. Sat.* 1, 5, 18. missae pastum retinacula mulae Nauta piger saxo religat. *Caj. Dig.* 1, 8, 5. Riparum usus publicus est jure gentium, Itaque naves ad eas appellere, et funes ex arboribus ibi natis religare, cuilibet liberum est. *Sen. Ag.* 373. dicit, Delon insulam, antea mari errantem, nunc stabilem, religare rates, cum esset assueta sequi: quia naves sibi religatas firmas tenet. ℙ Translate. *Cic. Dom.* 47. Numquid igitur is bona Lentuli religionibus religavit? Alii leg. *religioni obligavit.* ℙ Significat etiam solvere. *Lucan.* 7, 860. Nullus ab Emathio religasset litore funem. *Catull.* 64, 173. Indomito nec dira ferens stipendia tauro, Perfidus in Cretam religasset navita funem; et 63, 84. Ait haec minax Cybele, religatque juga manu. Dixerat *ib.* 76. Ibi juncta juga resolvens Cybele leonibus. ℙ [*Conf. *religare* et *relegare.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 860. et 8, 791.]

RĔLĪNO, is, lēvi, lĭtum, a. 3. ἀποχρίω, quod oblitum, obturatumque erat, aperio. Solebant enim dolia, ne quid vaporis exhalaret, quam accuratissime oblini. Unde cum aperirentur, dicebantur relini, soluta nimirum argilla, qua erant oblita. *Ter. Heaut.* 3, 1, 51. Relevi dolia omnia, omnes serias. *Pl. Stich.* 5, 4, 38. Nolo ego nos pro summo bibere: nulli relerimus postea, *h. e.* nulli deinceps vinum deprompserimus. Ubi *relerimus* pro *releverimus,* per syncop. (*Diomed.* 1, 367. ap. *Ter.* legit *relivi,* quia *lino* et *levi* et *livi* facit.) *Virg. G.* 4, 228. mella servata thesauris relinere, *h. e.* favis eximere.

RĔLĪNQUO, is, līqui, lictum, a. 3. ἀπολείπω, ἀφίημι, [*linquo, facio restare aliquem, vel aliquid in loco, unde decedo, nostr. *hinterlassen, zurücklassen.*] *Cic. Fam.* 2, 15. Q. Fratrem si reliquissem, dicerent iniqui, non me plane post annum de provincia decessisse, quoniam alterum me reliquissem. *Caes. B. G.* 4, 37. Morini, quos Caesar in Britanniam proficiscens pacatos reliquerat; et *ib.* 7, 5. Legati, quos Caesar ad exercitum reliquerat; et *ib.* 49. Quem minoribus castris praesidio reliquerat. *Id. B. C.* 1, 78. Explicitius videbatur Ilerdam reverti, quod ibi paululum frumenti reliquerant. [*Huc pertinet etiam illud *Stat. Theb.* 11, 566. et ensem Jam laetus, fratris non frater corde reliquit. ℙ Interdum est i. q. superare cursu. *Sil.* 16, 503. jamque has, jamque illos relinquit. ℙ Hinc i. q. facere, ut reliquum aliquid sit, h. e. servare, nostrum *erhalten, aufbehalten, übrig lassen.*] *Cic. Verr.* 2, 3, 48. Cum multis non modo granum nullum, sed ne paleae quidem relinquerentur. *Id. Agr.* 1, 6. Ut vobis ne libertatis quidem recuperandae spes relinquatur. *Caes. B. C.* 1, 5. Nec tribunis pleb. extremi juris intercessione retinendi, quod L. Sulla reliquerat, facultas tribuitur. *Varr. R. R.* 1, 44. *med.* Agrum alternis annis relinqui oportet, aut paulo levioribus sationibus serere, *h. e.* intermitti, et ab serendo abstineri. *Liv.* 44, 10. Poenitentiae relinquens locum. *Ter. Ph.* 3, 3, 14. Parumne est, quod nobis succenset senex, ni instigemus etiam, ut nullus locus relinquatur preci? Alio sensu. *Cic. Fam.* 1, 1. Nec precibus nostris, nec admonitionibus relinquit locum, *h. e.* ita sua sponte, et prompto animo agit, ut se rogari non sinat. [*Huc pertinent etiam ista: *Liv.* 24, 33. non modo pacis, sed ne belli quidem jura relicta erant, i. e. servata, observata erant. *Id.* 5, 40. muliebris fletus et concursatio incerta — nihil, quod humanis superesset malis, relinquebant, i. e. summam omnino miseriam exhibebant, referebant.] ℙ Cum infin. *Sil.* 3, 708. nullique relinques Altius Ausoniae penetrare in viscera gentis. ℙ *Relinquitur,* reliquum est, restat. *Caes. B. G.* 1, 9. Relinquebatur una per Sequanos via: qua, Sequanis invitis, propter angustias ire non poterant; et *ib.* 5, 19. Relinquebatur, ut neque longius ab agmine discedi pateretur, etc. *Att.* ap. *Cic. Att.* 9, 10. *med.* Nihil relinquitur, nisi fuga. *Cic. ib.* 10, 8. Relinquitur, ut, si vincimur in Hispania, quiescamus. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* ℙ Saepius *relinquere* est nostrum *vorbehalten. Suet. Aug.* 27. ut omnia sibi reliquerit libera.] ℙ *Relinquimus* quae post nos, et mortem nostram mansura linquimus. *Cic. Brut.* 19. In Originibus suis scriptum reliquit Cato. *Id. Or.* 2, 46. *f.* Quod a Democrito in scriptis relictum esse dicunt. *Ov. Met.* 13, 733. si non omnia vates Ficta reliquerunt. *Ter. Heaut.* 3, 3, 41. Ea mortua est: reliquit filiam adolescentulam. *Cic. Off.* 2, 16. Pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem aut nullam omnino sint relicturi. *Id. Verr.* 2, 1, 49. *f.* In eo loco, in sermone hominum, audaciae suae monumentum aeternum relinquere. *Id. Fam.* 2, 3. Ut testatum apud animum tuum relinquam, quid senserim. ℙ Pertinet saepe ad ultimas voluntates. *Cic. Rosc. Am.* 7. *med.* Fundos decem et tres reliquit, qui, etc. *Nep. Ar.* 3. *f.* In tanta paupertate decessit, ut qui efferretur, vix reliquerit. *Ter. Eun.* 1, 2, 40. Qui mihi reliquit haec, quae habeo, omnia. *Cic. Quint.* 4. Heredem testamento relinquit hunc P. Quintium; et *ib.* Cum aeris alieni aliquantum esset relictum. ℙ [*Saepius *relinquere* est nostrum *auf etwas beruhen lassen, überlassen. Id. Caecil.* 4. hoc non modo in oratione mea non pono, sed ne in opinione quidem cujusquam relinquo, me omnibus patronis esse propositum; et *ib.* 8. In quo quid eniti, aut quid efficere possim, malo in aliorum spe relinquere, quam in oratione mea ponere. *Schütz. cl. Cic.*

P Deinde *relinquere* est etiam i. q. omittere, missum facere, praeterire, deserere. Ac primum quidem in bonam partem dicitur de iis, qui a loco, vel re etc. discedunt, redeunt, functo officio, data venia, et quae sunt ejus generis plura: nostr. *verlassen*. *Cic. Verr.* 2, 3, 51. ut permulti locupletes homines — agros latos ac fertiles desererent, totasque arationes relinquerent. *Suet. Aug.* 74. relinquere convivia: opp. *inire*. *Liv.* 5, 48. jactantibus non obscure Gallis, haud magna mercede se adduci posse, ut obsidionem relinquant. *Curt.* 5, 3, 15. Urbem reliquit intactam. *Vell.* 2, 117, 2. quam (Syriam) pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit. — Hinc transfertur ad eos, qui dicendo, scribendo vel quolemcumque rem tractando illud oratione non prosequuntur, non tangunt, non elaborant, quod ut jamdudum notum, expositum, recensitum, perfectum commemoratione, descriptione, tractatione non eget. Cf. *Ellendt.* ad *Cic. Brut.* cp. 59. *Matth.* ad *Cat.* 3, 8, 18. Huc pertinent, quae *Forc.* §. 1. adscripserat, ista: *Cic. Verr.* 2, 3, 44. *med.* Audistis haec, quae nunc ego omnia praetereo ac relinquo. *Id. Prov. cons.* 3. *f.* Omitto jurisdictionem contra leges, caedes relinquo, libidines praetereo. — Interdum etiam est, quod nos dicimus: *hingehen lassen*. *Id. Verr.* 1, 33. relinquere injurias suas, i. e. injurias sibi factas haud persequi. *Caecin.* 3. quis est, qui vim armatis hominibus factam relinqui putet oportere? Cf. *Matth.* ad *Cic. Manil.* 15, 11. P In malam partem usurpatur de iis, qui deserunt, destituunt, quae non debent: ubi saepe conjunguntur *deserere* et *relinquere*. V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 11.] *Pl. Curc.* 1, 3, 58. Jamne ego relinquor? pulcre, Palinure, perii? *Cic. Caecin.* 18. Rem et causam communem non relinquere solum, sed etiam prodere; et *ib.* 36. Jus suum dissolute relinquere. *Ov. Her.* 10, 129. Relinquere aliquem sola tellure, *h. e.* in locis solis. Sic *Val. Fl.* 1, 442. celerem Scythica te moesta relinquet arena. *Ov. Pont.* 2, 3, 28. In mediis lacera puppe relinquor aquis. *Nep. Dat.* 6. *med.* Coacti sunt cum eis pugnare, ad quos transierant, ab hisque stare, quos reliquerant, *h. e.* a quibus transfugerant. P *Relinqui*, non juvari, non defendi. *Id. ib.* 6. Quare relinqui eum non par esse, sed omnes confestim sequi. P *Relinquere animam*, mori. *Ter. Ad.* 3, 5, 52. Animam relinquam potius, quam illas deseram. *Virg. G.* 3, 547. aves alta vitam sub nube relinquunt. Sic *Lucr.* 5, 64. et *Ov. Ib.* 339. quem vita reliquit. *Nep. Eum.* 4. Non prius distracti sunt, quam alterum anima reliquerit, *h. e.* defecit; et *Ov. Met.* 10, 459. fugitque Et color, et sanguis, animusque reliquit euntem. [*V. *Burm.* ad *Quint. Decl.* p. 278.] P *Relinquere res*, *relinquere omnia* quid sit, V. in RELICTUS. P *Relinquere* dicuntur etiam qui discedunt, abeuntque. *Ov. Met.* 7, 57. Aeoliam Pitanen a laeva parte relinquit; et *ib.* 9, 645. Jam Cragon, et Lymiren, Xanthique reliquerat undas. *Ov. Trist.* 1, 3, 62. Roma relinquenda est, etc.

RĔLĪQUA, orum, n. V. in RELIQUUS.

RĔLĪQUĀTĬO, onis, f. quod rationibus deductis est reliquum. *Paul. Dig.* 26, 7, 43. Sed etsi pupillus post pubertatem rationibus a tutore acceptis reliquationem ejus secutus usuras acceptaverit. P Eandem vocem scite transtulit ad id, quod in aetate residuum est, *Tert. Anim.* 56. Donec reliquatio compleatur aetatis; et *mox:* Nulla erit reliquatio temporum.

RĔLĪQUĀTOR, oris, m. qui integrum debitum non solvit, aliquidque adhuc reliqui debet, seu partem aeris alieni servat sibi; qui reliqua contraxit. *Scaev. Dig.* 46, 3, 102. Cum superioris anni sit reliquator. *Cassiod. Var.* 5, 6. Comperimus, Thomatem nunc decem millia solidorum reliquatorem nostris utilitatibus exstitisse.

RĔLĪQUATRIX, icis, f. quae integrum debitum non solvit. *Tert. Anim.* 35. Anima reliquatrix delictorum, donec exsolvat novissimum quadrantem.

RĔLĪQUIAE, arum, f. plur. *τὰ λείψανα, τὰ λοιπὰ*, pauca illa, quae ex aliqua re relicta sunt. *Cic. N. D.* 2, 55. Reliquiae cibi depelluntur, tum adstringentibus se intestinis, tum relaxantibus. *Phaedr.* 3, 3, 1. Reliquiae vini; et 5, 4. hordei. *Cels.* 3, 4. *f.* febris. *Plin.* 34, 7, 18. limae. *Caes. B. C.* 3, 21. Quod magnis muneribus datis, gladiatoriae familiae reliquias habebat. *Nep. Them.* 5. Etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut, etc. *Liv.* 22, 56. Reliquias tantae cladis velut ex naufragio colligens. *Hirt. B. Alex.* 40. *extr.* Reliquias exercitus dissipati colligere. *Sall. or. Philippi contra Lepid.* Reliquiae belli. *Id. Or. Macri Licin. ad pleb. med.* Reliquias exsulum persequi. *Cic. Par.* 4, 1. Reliquiae conjurationis. *Id. Sen.* 6. *med.* Quam palmam utinam Dii immortales tibi, Scipio, reservent, ut avi reliquias persequare, *h. e.* quas Africanus major bello Carthaginiensi reliquit, domitis quidem Poenis, sed non deletis. *Ter. Ad.* 3, 3, 90. Quam gaudeo, ubi etiam hujus generis reliquias restare video, *h. e.* hujus generis hominum antiqua virtute ac fide aliquos superesse video. P Praecipue cineres crematorum cadaverum, et ossa reliquiae sunt, ut *Serv.* ad *A.* 2, 539. docet. *Sen. ep.* 92. *f.* Neminem de supremo officio rogo: nulli reliquias meas commendo. *Tac. A.* 2, 75. Ferales reliquias sinu ferre; et *ib.* 3, 4. inferre tumulo; et *ib.* 1, 62. humo tegere. *Suet. Aug.* 100. *f.* legere, et in Mausoleo condere. *Id. Dom.* 8. *extr.* Ossa et reliquias mari mergere. *Virg. A.* 5, 47. reliquias et ossa parentis condere terra. P Et quae coena peracta supersunt. *Phaedr.* 1, 22. Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis. Adde *Pl. Curt.* 2, 3, 42. *Suet. Galb.* 22. *Petr. fragm. Trag.* 67. *Burm.* In illo *Sen. Const. Sap.* 13. Nec medicus reliquias et effusa intueri dedignatur: *reliquias* excrementa alvi, *effusa* vesicae intellige. P In sing. num. *Appul. Apol. in carm. de dentifricio.* Converritorem pridianae reliquiae, *h. e.* eorum, quae ex hesterna coena inter dentes haesere. P In neutr. gen. *Phaedr. l. c.* ut fruaris reliquiis, Quae sunt rosuri. Alii leg. *reliquis:* al. *quas. Pl. Mil.* 1, 1, 54. At peditatus reliquia erant, si viverent. Alii aliter legunt. P In carmine ut prima producatur, solet *l* geminari. *Virg. A.* 1, 34. Troas, relliquias Danaum atque immitis Achilli. Adde *Lucr., Mart.* etc. Sunt tamen, qui simplici liquida scribi malunt, quod *re* sit communis. V. RE.

[RĔLĪQUIĀRĬUM, ii, n. locus, in quo reliquiae ponuntur. *Not. Tir.* p. 106. Reliquiae, reliquiarium. *F.*]

RĔLĪQUO, as. V. v. sq.

RĔLĪQUOR, aris, atus sum, dep. 1. *λοιπογραφῶ, λοιπάζω*, partem debiti non solutam reliqui, reliqua debeo, reliquis obnoxius sum. *Ulp. Dig.* 50, 4, 6. *med.* Eos debitores rerum publicarum accipere debemus, qui ex administratione rei publicae reliquantur. *Scaev. ib.* 33, 8, 23. Stichus summas, quibus reliquatus erat, tam ex calendario, quam ex variis causis reddidit. *Id. ib.* 7, 20. Stichus servus praedium unum ex his coluit, et reliquatus est amplam summam. *Paul. ib.* 26, 7, 45. Debitum quod ex conductione reliquatus est. P Activa positione. *Ulp. ib.* 34, 3, 9. Si quis rationes exigere vetetur, non impeditur reliqua exigere, quae quis se reliquavit. Ita *Torrent.*, at *Haloand.* habet, *quae quis ipse reliquavit*. Sensus est: *Exigere* reliqua, quae aliquis non soluta reliquit.

RĔLĪQUUS, a, um, adj. *λοιπὸς*, qui relictus est, residuus, reliqua pars. *Cic. Acad.* 4, 2. Sunt enim multi, qui omnino Graecas non amant litteras; plures qui philosophiam; reliqui qui etiamsi haec non improbent, tamen, etc. *Caes. B. G.* 4, 4. *extr.* Reliquam partem hiemis se eorum copiis aluerunt; et *ib.* 1, 5. Oppida, vicos, reliqua privata aedificia incendunt; et *ib.* 2, 2. Dat negotium Senonibus, reliquisque Gallis, ut, etc.; et *ib.* 10. *f.* Ad eam sententiam, cum reliquis causis, haec quoque ratio eos deduxit. *Nep. Them.* 2. *f.* Arcem sacerdotibus tradunt, reliquum oppidum relinquunt, *h. e.* reliquam partem oppidi. *Id. Dat.* 2. Exercitusque reliquus conservatus est, *h. e.* reliqua exercitus pars. *Cic. Leg.* 3, 7. Illud habet consul, ut ei reliqui magistratus omnes pareant, excepto tribuno. Sic *Just.* 2, 2. Aurum et argentum perinde aspernantur *(Scythae)*, ac reliqui mortales appetunt. *Cic. Univ.* 11. Ut Oceanum Salaciamque Coeli satu, Terraeque conceptu generatos memoremus, ex his Phorcyn, Saturnum, et Opem, deinceps Jovem atque Junonem, reliquos. Ubi notanda conjunctionis *et* omissio. Sic *Phil.* 2, 12. *f.* Constitue Brutorum, C. Cassii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum, quam velis esse causam. P *Reliquus est*, restat, superest. *Cic. Fam.* 13, 39. Cum familia Titurnia necessitudo mihi intercedit vetus: ex qua reliquus est M. Titurnius Rufus; et *Verr.* 2, 2, 27. Erant mihi oppida complura etiam reliqua, quae adire vellem; et *Fam.* 9, 18. *f.* Potes mulo isto, quem tibi reliquum esse dicis, cum canterium comedisti, Romam pervehi; et *Div. Verr.* 5. Si qua reliqua spes est, quae sociorum animos consolari possit. Et absolute *Id. Sull* 31. *extr.* Quid enim est huic reliqui, quod eum in hac vita teneat? *Id. Fin.* 2, 31. *med.* Cum reliqui nihil sit omnino, quod pertineat ad nos. *Nep. Timol.* 3. *med.* Imperium deposuit, et privatus Syracusis, quod reliquum vitae fuit, vixit. *Pl. Cist. f.* Nunc quod ad vos spectatores reliquum relinquitur, date plausum extrema in comoedia. *Ter. Heaut.* 1, 2, 19. Quid reliqui est, quin habeat, etc.? P *Reliquum est*, superest, restat. *Cic. Fam.* 7, 31. Quod quando uterque nostrum consecutus est, reliquum est, ut officiis certemus inter nos. *Nep. Att.* 21. Reliquum est, ut egomet mihi consulam. *Sall. or. Licin. ad pleb.* Nunc hortari modo reliquum est, et ire, etc. *Id. Or.* ad *Caes.* 1. *f.* Reliquum est optare, uti quae tibi placuerint, ea Dii immortales approbent. P *Reliquum habeo*, mihi superest. *Cic. Fam.* 9, 15. Moriar, si praeter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquae festivitatis agnoscere. P *Reliquum facere*, relinquere, omittere. *Nep. Att.* 21. *f.* Nihil reliqui feci, quod ad sanandum me pertineret. *Cic. Fam.* 3, 13. Non solum auctoritate, sed etiam opera, consilio, nullum onus officii cuiquam reliquum fecisti. *Id. Att.* 3, 8. Tum vero haec cura addita vix mihi vitam reliquam facit. *Id. Verr.* 2, 3, 44. Duarum mihi civitatum reliquos feci agros, *h. e.* reliqui, de quibus dicerem; et *ib.* 48. *f.* Quibus nihil non modo de fructu, sed ne de bonis quidem suis reliqui fecit; et *ib.* 55. *f.* Quibus aratrum saltem aliquod satelles istius Apronius reliquum fecit. *Caes. B. G.* 2, 26. *extr.* Nihil ad celeritatem sibi reliqui fecerunt; et *Tac. A.* 1, 21. Nihil reliqui faciunt, quo minus invidiam, misericordiam, metum, et iras permoverent. *Sall. Cat.* 29. *extr.* Quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant. P Aliquando quae post futura sunt, respicit. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 15. Illud cogita, nos non de reliqua et sperata gloria jam laborare, sed de parta dimicare. *Id. Sext.* 34. Spe reliquae tranquillitatis praesentes fluctus fugisse. *Pl. Cas.* 5, 1, 3. Nunquam ecastor ullo die risi adaeque: neque hoc quod reliquum est (scil. *vitae*) plus risuram opinor. *Nep. Them.* 2. Non solum praesenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. P *In reliquum*, in futurum, in reliquum tempus. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 7. *f.* A te peto, ut quarum rerum spe ad laudem me vocasti, harum fructu in reliquum facias alacriorem; et *Sall. Jug.* 46. Plusque in reliquum sibi timoris, quam potentiae addidit. *Liv.* 36, 10. *f.* Appius Larissam, ad confirmandos in reliquum sociorum animos, descendit. Plene *Caes. B. G.* 3, 16. In quos eo gravius Caesar vindicandum statuit, quo diligentius in reliquum tempus jus legatorum conservaretur; et *Cic. Verr.* 2, 3, 55. In reliquum tempus ait se vectigalibus prospexisse. P *Quod reliquum est, de reliquo*, quod ad reliqua attinet, ceterum: et servit conjungendo sermoni. *Cic. Fam.* 13, 73. Quod reliquum est, sic velim existimes, etc. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 11. Quod reliquum est, tuum munus tuere. *Id. ib.* 6, 20. *med.* De reliquo, ut te saepe per litteras hortatus sum, ita velim tibi persuadeas, te nihil habere, etc. *Id. Or.* 1, 22. De reliquo jam nostra culpa fuerit, si, etc. *Id. Att.* 16, 13. De reliquo quid tibi ego dicam? ardeo studio historiae. P *Reliquum*, de reliquo, ceterum. *Pl. fragm.* ap. *Non.* 3, 54. Ad cubituram mage sum exercita: reliquum ad cursuram sum tardiuscula. Alii aliter leg V. CUBITURA. P *Et reliqua*, et cetera. *Vopisc. Firm.* 5. *extr.* Quare sanctissimi Quirites, et reliqua. P Saepe *reliquus* ad aes alienum refertur, cujus pars aliqua, subductis rationibus, solvenda relicta est: tum ex parte debitoris, tum creditoris. *Cic.* ad *Planc. post ep.* 16. *l.* 16. ad *Att.* Ut pecuniam reliquam Buthrotii ad diem solverent. *Cat. R. R* 2. *med.* Putare rationem vinariam, olearam: quid vaenierit, quid exactum siet, quid reliquum siet. *Ter. Ph.* 1, 1, 2. Erat ei de ratiuncula jampridem apud me reliquum pauxillulum nummorum. P Hiuc *reliqua, orum*, ipsa reliqua pars debiti, aut crediti. *Cic. Att.* 15, 15. Cum ex reliquis, quae Eros Nonis April. fecit, abundare debeam, cogor mutuari; et *ib.* 16, 15. *med.* Cum enim tanta reliqua sint, ne Terentiae quidem adhuc, quod solvam, expeditum est; et *ib.* 6, 1. *med.* Reliqua mea Camillus scribit se accepisse. [In nummo Hadriani Aug. ap. *Eckhel. D. N. V. T.* 6. *p.* 478. Reliqua vetera HS. novies mill. abolita. Hoc idem plenius habet mendosa *Inscr.* ap. *Grut.* 10, 6., emendatior ap. *Fea, Framment. de' fast. cons.* p. 111. S. P. Q. R. Imp. Caes. Trajano Hadriano Aug., quod primus omnium principum et solus remittendo sestertium novies millies centena millia N. *(h. e. novecento milioni di sesterzi)* debitum fiscis non praesentes tantum cives suos, sed et posteros eorum praestitit hac liberalitate securos. Idem vero confirmat *Spart. Hadr.* 7. Hujus liberalitatis exemplum imitatus est Honorius Aug., ut constat ex *Cod. Theod.* 11, 28, 3., aliique ante et post eundem principes, quos laudat *Gothofr.* ad *l. c. leg.* 3. *F.*] P *Reliqua trahere*, est contrahere, reliquari, aeris alieni partem non solutam relinquere. *Papin. Dig.* 40, 7, 34. *med.* Ut si reliqua non trahat, liber sit: quod si trahat, ita demum, si obtulerit eam quantitatem, quae refundi debuit. Adde *Paul. ib.* 26, 7, 45. P *Reliqua habere*, debere. *Paul. ib.* 35, 1, 79. P In sing. num. *Id. ib.* 49, 14, 45. *f.* Nisi forte fidejussores minus idonei sint, et in reliquum non exsolutae quantitatis accesserint. *Pl. Cist.* 1, 3, 40. Nunc quod reliquum est, volo persolvere, ut expungatur nomen, ne quid debeam. P *Reliqua corporis*, reliquiae. *Aurel. Vict. Caes.* 21. *extr.* Cum Syriam circumgrederetur, anno potentiae sexto moritur. Corporis reliqua luctu publico relata Romam, atque inter Antoninos funerata sunt. P [*De vocabulorum *ceteri* et *relicui* discrimine v. *Beier.* in *Seebodii Miscell. critt. Vol.* 1. p. 1. p. 181., qui docuit, *ceteri* dici, ubi, qui restant, singuli cogitentur, *relicui* autem, ubi omnes, qui supersunt, in unum comprehendantur, singulis cogitatione non discretis.] P Prima syllaba producitur in illo *Pl. Truc. prol.* 15. Sed reliquam dat operam, ne sit reliquum; et *Lucr.* 1, 560. Nunquam reliquo reparari tempore posset. Ubi etiam quadrisyllaba vox fit per diaeresim: et sunt qui mallent scribi *relicuo*. Sic ap. *Phaedr.* 3, 4. Inter reliquas merces atque obsonia. Alii leg. *relicuas:* quod tamen necesse non est: uti neque geminari liquidam, cum *re* producitur. V. Re. **Cic. de re publ.* (ed. *A. Maio*) 2, 22. Relicuum populum distribuit in quinque classis. *Id. or. pro Fl. fragm.* ed. eodem *Maio*, p. 94. ed. *Kil.* Relicum tempus. V. *Maium* et *Heinrichium* ad l. *B. A.* [*Forma *relicuus* praeferenda. V. *Schneid. Gr. Lat.* 1. p. 332. et *Bentl.* ad *Phaedr.* 1, 31. p. 20 — 21. P Confund. *reliquus* et *relictus*. V. *Spald.* ad *Quint.* T. 2. p. 108.]

RĔLĪSUS, a, um, part. part. a *relido:* collisus,

oblisus. *Prud. περὶ στεφ.* 9, 47. Conjiciunt alii fragiles, inque ora tabellas Frangunt: relisa fronte lignum dissilit. *Id. Apoth.* 162. Hanc igitur non flagra secant, non sputa saliva Aspergunt, alapis non vexat palma relisis.

RĔLŌCO, as, avi, atum, a. 1. rursus loco. *Ulp. Dig.* 19, 2, 13. *med.* Si in lege operis locandi comprehensum esset, ut si ad diem effectum non esset, alii relocare id liceret; non alias prior conductor ex locato tenebitur, quam si eadem lege relocatum esset: nec ante relocari id potest, quam dies efficiendi praeterisset.

RĔLŌQUOR, eris, dep. 3. rursus loquor, vel respondeo. *Varr. L. L.* 5, 7. *med.* Dicuntur eloqui et reloqui in fanis Sabinis e cella Dei, qui eloquuntur.

RĔLŪCĔO, es, uxi, n. 2. *ἀναλάμπω*, lucem remitto, aut emitto, resplendeo. *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 42. Huic non una modo caput ornans stella relucet. *Virg. A.* 2, 312. Sigea igni freta lata relucent. *Ov. Met.* 11, 617. vestis fulgore reluxit Sacra domus. *Plin. Pan.* 52. Tota area hinc auro, hinc argento relucebat. *Plin. alter* 9, 27, 43. Piscis lucerna tranquillis noctibus relucet. *Liv.* 22, 17. Ex capite boum relucens flamma. *Virg. A.* 12, 300. Occupat os flammis, olli ingens barba reluxit, Nidoremque ambusta dedit. *Petr. Sat.* 127. Toto mihi clarius coelo nescio quid relucente. *Gell.* 17, 10. *f.* Favilla ignea, et relucens. *Plin. ep.* 8, 8. Fons purus et vitreus, ut numerare jactas stipes, et relucentes calculos possis. ℙ Absolute. *Id. ep.* 6, 20. *med.* Paulum reluxit, quod non dies nobis, sed adventantis ignis indicium fuit. ℙ Translate. *Val. Max.* 9, 15. *n.* 6. Postquam a Sullana violentia Caesariana aequitas reluxit.

[RĔLŪCESCO, is, n. 3. idem ac reluceo. *Capell.* 8, 294. Alias cum luna in superiore, aut inferiore latitudinis loco fuerit, pleni luminis effigie relucescit. *F.*]

RĔLŪCTANS, antis, part. a *reluctor: ἀντιστάμενος*, resistens, repugnans. *Virg. G.* 4, 300. huic geminae nares, et spiritus oris Multa reluctanti obsuitur. *Ov. Am.* 2, 9, 12. Pigra reluctanti cessat in hoste manus; et *ib.* 3, 4, 13. Vidi ego nuper equum, contra sua vincla tenacem, Ore reluctanti fulminis ire modo: Constitit, ut primum concessas sensit habenas. *Hor. Od.* 4, 4, 11. Reluctantes dracones. *Ov. Met.* 6, 85. Illa reluctantem curru deducere Lunam Nititur. *Tac. A.* 4, 22. In cubiculo reluctantis et impulsae vestigia cernebantur. *Petr. Sat.* 111. *med.* Vis tu, reviviscere reluctantibus fatis exstinctum? *Quint.* 9, 4. *in.* Inter obstantia saxa fractae aquae, et reluctantes.

RĔLŪCTĀTIO. V. ERUCTATIO.

RĔLŪCTĀTUS, a, um, part. a *reluctor:* qui obluctatus est. *Plin. Pan.* 60. His tot tantisque rationibus, quamquam multum reluctata verecundia principis nostri, tandem tamen cessit. *Vell.* 2, 102. *f.* Diu reluctatus invitusque revertens in Italiam. Adde *Curt.* 8, 2. *med.* ℙ Passive. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 42. Paene reluctatis iterum pugnantia rebus Rupissent elementa fidem.

RĔLŪCTO, as. V. v. sq.

RĔLŪCTOR, aris, atus sum, dep. 1. *ἀντιπαλαίω, ἀντιμάχομαι*, obluctor, resisto, obsisto, repugno. *Quint. prooem.* 1. Cum a me postularent, ut aliquid de ratione dicendi componerem, diu sum equidem reluctatus. *Mart.* 5, 35. Et suscitanti Lectio reluctatur. *Sen. Herc. Oet.* 1728. Refugit ignis, et reluctantur faces, et membra vitant. *Plin. ep.* 10, 26. Continuae navigationi Etesiae reluctantur. ℙ Cum infin. *Claud. in Ruf.* 2, 353. equites illic poscentia cursum Ora reluctantur pressis sedare lupatis, *h. e.* conantur, ardori equorum obsistendo. ℙ Activa positione. *Appul. Met.* 4. Jam faucibus ipsis hiantis Cerberi reluctabat; et *ib.* 7. Centunculis male consarcinatis semiamictus, inter quos pectus et venter crustata crassitie reluctabat.

RĔLŪDO, is, usi, a. 3. contra illudo. *Manil.* 5, 170. sibique ipse reludat. V. PILARIUS. *Sen. Controv.* 2, 10. *med.* Temerarios mariti jocos relusit.

*RELUMINATĬO, onis, f. *Gloss. Lat. Gr.* Reluminatio, *ἀναγγαία. B. A.*

RĔLŪMĬNO, as, a. 1. rursus illumino. *Tert. Apol.* 21. Cum ille caecos reluminaret. Adde *Anim.* 34. et *Paul. Nol. ep.* 30. (al. 8.) 4. Reluminare quod caecatum fuerat.

RĔLŪO, is, a. 3. *Festus:* Reluere, resolvere, repignerare quasi rursus luo ac solvo, ut rem oppigneratam redimam. Caecilius: Ut aurum, et vestem, quod matris fuit, reluat, quod viva ipsa opposuit pignori. ℙ Pro solvere usurpasse videtur *Afran.* ap. *Non.* 1, 259., vel pro lavare: Sed verba ejus obscura sunt, aut corrupta.

RĔLŪVĬA et RELUVIUM. V. REDIVIA.

[RĔLŪVĬES, ei, f. iterata eluvies. *Not. Tir.* p. 134. Eluvies, reluvies. *F.*]

RĔMACRESCO, is, crui, n. 3. *μινύθω, ἰσχναίνομαι*, macer fio, extenuor, macesco. *Suet. Dom.* 18. Calvitie deformis, et obesitate ventris, et crurum gracilitate, quae tamen ei valitudine longa remacruerant.

RĔMĂLĔDĪCO, is, n. 3. *ἀντιλοιδορέω*, vicissim maledico. *Vespasianus* ap. *Suet. Vesp.* 9. *extr.* Pronunciavit, non oportere maledici senatoribus: remaledici civile fasque esse.

RĔMANCIPĀTUS, a, um, part. a *remancipo. Festus:* Remancipatam Gallus Aelius esse ait, quae mancipata sit ab eo, cui in manum convenerit. V. v. sq.

[RĔMANCIPO, as, a. 1. iterum mancipo, seu redhibeo. *Gloss. Philox.* Emancipat, *ἀντιπαράχωρεῖ, ἀντιπαραγράφει.* Remancipo, *ἀποκαθιστῶ. Cajus Instit.* (ed. *Goesch.*) 1. §. 140. Excepto eo, quem pater ea lege mancipio dedit, ut sibi remancipetur: nam quodammodo tunc pater potestatem propriam reservare sibi videtur eo ipso, quod mancipio recipit; et §. 172. Qui filiam, neptemve, aut proneptem alteri ea lege mancipio dedit, ut sibi remanciparetur, remancipatamque manumisit, etc. *Fragm. jur. civ. antejustin.* (ed. *A. Maio*) p. 15. Per mancipationem ita (*acquiri*) potest, ut nos proprietatem, quae illis mancipio data (*est*), deducto usufructu, remancipemus. Adde *Not. Tir.* p. 73. *F.*]

RĔMANDO, as, a. 1. iterum, aut vicissim mando. *Eutr.* 2, 13. Pax displicuit: remandatumque Pyrrho a senatu est, eum cum Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse.

RĔMANDO, is, di, sum, a. 3. *ἀναμασσάομαι*, rumino, rursus mando. *Plin.* 10, 73, 93. Pontici mures simili modo remandunt. *Quint.* 11, 2. *med.* Devoret initio taedium illud et scripta, et lecta saepius revolvendi, et quasi eundem cibum remandendi.

RĔMANĔO, es, ansi, ansum, n. 2. *διαμένω*, non abeo, resto, resideo, maneo. *Ov. Met.* 3, 477. Quo fugis? o remane, nec me, crudelis, amantem Desere. *Cic. Acad.* 4, 48. Ita sermone confecto, Catulus remansit, nos ad naviculas nostras descendimus. *Id. Fam.* 6, 3. *med.* Nihilo te nunc majore in discrimine esse, quam quemvis aut eorum qui discesserint, aut eorum qui remanserint. *Caes. B. G.* 4, 1. Singula millia ex suis finibus educunt: reliqui domi remanent; et *mox:* Neque longius anno remanere uno in loco, incolendi causa, licet; et *ib.* 2. Equos eodem remanere vestigio assuefaciunt; et *ib.* 15. *f.* Remanere se apud eum velle, dixerunt. *Hor. Od.* 1, 26, 7. impium Lenite clamorem sodales, Et cubito remanete presso. *Nep. Ep.* 9. *med.* Si ferrum, quod in corpore remanserat, extraxisset. ℙ Duro, persisto, persevero, supersum. *Caes. B. G.* 7, 35. *f.* Iisdem sublicis, quarum pars inferior integra remanebat, pontem reficere coepit. *Vell.* 2, 123. Volens omnia post se salva remanere. *Sall. Jug.* 26. *f.* Si ulla apud vos memoria remanet avi mei; et *ib.* 62. *med.* Eum obsecrat, ne quam contumeliam remanere in exercitu victore sinat. *Ov. Trist.* 1, 9, 23. in duris remanentem rebus amicum. *Cic. Rosc. Am.* 10. In qua muliere, quasi exempli causa, vestigia antiqui officii remanent. *Id. Manil.* 18. Rhodiorum usque ad nostram memoriam disciplina navalis et gloria remansit. *Petr. Sat.* 109. Ne residua in animis, etiam post jusjurandum, ira remaneret. *Curt.* 10, 7. *med.* In eadem domo familiaque imperii vires remansuras esse gaudebant. *Sen. Med.* 41. si quid antiqui tibi Remanet vigoris, pelle femineos metus. *Varr. L. L.* 5, 6. *med.* Id quod remansit in mente.

RĔMĀNO, as, n. 1. *ἀποβρύω*, refluo. *Lucr.* 5, 270. retroque remanat Materies humoris. ℙ Aliquando est repetere, redire. *Enn.* ap. *Fest.* Destituunt rivos, camposque remanant. Alii leg. *remant*, alii aliter. V. REMANT.

RĔMANSĬO, onis, f. *διαμονή*, actus remanendi. *Cic. Lig.* 2. Profectio certe animum tuum non debet offendere: num igitur remansio? multo minus. Adde *Q. Fr.* 3, 1, 5. *med.*

RĔMANSOR, oris, m. dicitur de milite, qui longius extra castra remanet, quam commeatus imperatoris permittat. *Arrius Menand. Dig.* 49, 16, 4. *f.* Edictum Germanici Caesaris militem desertorem faciebat, qui diu abfuisset, ut is inter remansores haberetur; et *ib.* 5. *f.* Si remansor, aut negligens suorum, aut segnis, etc. Ita editiones *Torrentini, Gothofredi* et *Parisina* 1562. Aliae cum *Haloandr.* habent *emansor*, q. v. v. s. l. ℙ *Remansor* etiam dicitur, qui cum venia imperatoris domi remanet, aliis in expeditionem exeuntibus, nihilominus sacramento obstrictus, ac stipendia merens: quod virtutis, ac naviter praestitae in bello operae praemium est. *Inscr.* ap. *Mur.* 347, 2. Pro reditu eorum ab expeditione Parthica, quod voverat, aram marmoream posuit sua pecunia M. Aurelius Nepos remansor. Dedicata Kal. April. Severo et Victorino Cos. *h. e.* ann. a Chr. n. CC.

RĔMANT, repetunt. Ennius libro primo: desunt rivos, camposque remant. Haec *Festus:* Videtur autem *remo, as*, esse quasi *remeo*, repeto, redeo. Unde *Lucr.* 3, 69. Refugisse volunt longe, longeque remasse: syncope pro *remavisse.* Sed locus *Festi* et *Ennii* corruptus esse videtur: *Lucretii* certe dubius est: nam alii *remosse* legunt per syncop. pro *removisse:* alii *recesse* pro *recessisse.* V. REMANO.

RĔMĔĀBĬLIS, e, adj. qui remeare, seu redire solet, aut potest. *Remeabile saxum* dicitur a *Statio*, quod apud Inferos a Sisypho tollitur, et provolvitur: *Th.* 4, 537. quis enim remeabile saxum, Fallentesque lacus, Tityonque alimenta volucrum, Et caligantem longis Ixiona gyris Nesciat? *Prud. Apoth.* 1117. Cum moritur Christus, cum flebiliter tumulatur, Me video: e tumulo cum jam remeabilis adstat, Cerno Deum. *Tert. Resurr. carn.* 1. *med.* Animam in corpora remeabilem affirmant.

RĔMĔĀCŬLUM, i, n. reditio, reditus. *Appul. Met.* 6. *in.* Illuminarum Proserpinae nuptiarum demeaculа, et luminosarum filiae inventionum remeacula.

RĔMĔĀTUS, us, m. reditus, reditio. *Mart. Dig.* 48, 19, 4. *f.* Nemo potest commeatum remeatumve dare exsuli, nisi imperator.

RĔMĔDĬĀBĬLIS, e, adj. cui facile remedium inveniri potest. *Sen. ep.* 95. Minora peccantes, et levi cura remediabiles. Aiii leg. *medicabiles.*

RĔMĔDĬĀLIS, e, adj. ut Remedialis vis, quae sanitatem, seu remedium continet, ap. *Macr. Sat.* 7, 16. *f.*

RĔMĔDĬĀTĬO, onis, f. curatio, sanatio. *Scrib. Comp.* 11. Torpor est signum remediationis.

RĔMĔDĬĀTOR, oris, m. qui remedium affert. *Tert. adv. Marc.* 4, 8. Remediator valetudinum; et *ib.* 35. languorum.

RĔMĔDĬĀTUS, a, um, part. a *remedio:* curatus, sanatus. *Scrib. Comp.* 122. *f.* Oportet tamen non indifferenter remediatos in futurum vivere. V. v. sq.

RĔMĔDĬO, as, avi, atum, a. 1. remedium affero, curo, sano. *Scrib. Comp.* 11. Capitis dolorem in perpetuum remediat. Adde *Tert. adv. Marc.* 4, 35. ℙ Passive. *Id. Scrib. Comp.* 18. Viros facilius mulieribus remediari. *Tert. ad Scapul.* 4. A daemoniis aut valetudinibus remediati sunt. Adde *eund. Baptism.* 9. et *Appul. Herb.* 112. ℙ Deponentis forma. *Appul. ib.* 2. Herba quinquefolium mire remediatur; et 105. Febricitanti mire remediaberis. *Hieron. ep.* 68. *n.* 1. *med.* Quod crebro medici remediantur.

RĔMĔDĬTOR, aris, dep. 1. rursus meditor. *Sen. ep.* 72. *in.* Quod quaeris a me, liquebat mihi, si remeditari possem. Ita leg. *Lipsius*, alii *si remeditarer, per se.*

RĔMĔDĬUM, ii, n. *ἄκος, βοήθημα*, id quod medendi causa adhibetur, medicamentum: a *re*, et *medeor. Lucr.* 6, 1223. Incomitata rapi certabant funera vasta, Nec ratio remedi communis certa dabatur. *Cic. N. D.* 2, 50. Pantheras, quae venenata carne vescerentur, remedium quoddam habere, quo cum essent usae, non morerentur. *Id. Phil.* 13, 11. *med.* Qui tuis veneficiis remedia invenit. *Id. Tusc.* 5, 26. Illa sibi remedia comparavit ad tolerandum dolorem. *Just.* 18, 6. *f.* Cum peste laborarent, cruenta sacrorum religione, et scelere pro remedio usi sunt. *Cels.* 3, 9. Aegros contrariis remediis sanare. *Id.* 4, 20. *med.* et *Colum.* 6, 13. Si purgatio nimia nocet, remedio sunt cucurbitulae. *Cels.* 4, 6. Remedium est magni et recentis doloris sanguis missus. *Plin.* 28, 6, 17. Remedium alicui adhibere; et 30, 6, 17. facere lieni. *Id.* 27, 12, 104. Proserpinaca est eximii adversus scorpiones remedii. *Id.* 36, 20, 37. Haematites est praecipui remedii ad jocineris vitia. *Id.* 29, 4, 27. de phalangii ictu: In remedio est, si quis ejusdem generis alterum percusso ostendat. *Id.* 12, 17, 39. Tradit odorem (*brati arboris*) esse proximum cedro, fumumque ejus contra ligna alia remedio; et 28, 4, 14. Abstinere cibo omni, in praesentissimis remediis habetur. *Id.* 28, 11, 49. Magnum remedium est in luporum capitis cinere. *Id.* 11, 53, 117. Vomitiones homini ad haec in remedium excogitatae. *Id.* 8, 51, 77. Remedium est (*abortus suum*), ne prima subatione coitus fiat. *Id.* 18, 8, 20. *n.* 1. Siligo biennio in triticum transit. Remedium, ut gravissima quaeque grana ejus serantur. ℙ Transfertur ad cujuscumque incommodi provisionem cautionemque. *Caes. B. C.* 1, 81. Quantum castra protulerant, tanto aberant ab aqua longius: et praesenti malo aliis malis remedia dabantur. *Sall. Cat.* 41. Miseriis suis remedium, mortem exspectant. *Liv. praef. med.* Donec ad haec tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est. *Cic. Cluent.* 9. Oppianicus domo sibi quaerendum remedium existimavit ad eam moram, quae nuptiis afferebatur; et *ib.* 24. *f.* Acrioribus saluti suae remediis subveniendum putavit. *Id. Sull.* 23. *extr.* In adversis sine ullo remedio atque allevamento permanere. *Id. Verr.* 2, 5, 10. *med.* Ad magnitudinem frigorum, et ad tempestatum vim praeclarum sibi hoc remedium comparat. *Id. ib.* 2, 3, 56. *med.* Nunquam perpeterere, ut homines injuriae tuae remedium morte ac suspendio quaererent. *Suet. Aug.* 42. Magna quondam sterilitate, ac difficili remedio. *Tac. A.* 3, 28. Pompejus corrigendis moribus delectus, et gravior remediis, quam delicta erant. *Quint.* 1, 2. Facile erat hujus metus remedium. ℙ De iis, quae morbum, aut mala quaelibet antevertunt. *Plin.* 25, 2, 3. Mithridati excogitatum quotidie venenum bibere, praesumptis remediis. Adde *Gell.* 17, 16. eadem de re loquentem. *Id.* 15, 1. Si quid posset remedii fore, ut ne tam assidue domus Romae arderent.

*REMEDODĬA, ae, f. opp. Moesiae superioris. *Tab. Peut. B. A.*

RĔMĔLĪGO, inis, f. remora. Translate accipitur tum de pisce, qui naves remoratur, tum de muliere tardius procedente. *Festus:* Remeligines, et remorae dictae sunt a Plauto in Casina (4, 3, 6.) Nam quid illaec nunc tam diu intus remorantur remeligines? (*h. e.* mulieres illae, quae sponsam ad

me adducere remorantur.) Ab Afranio in Prodito: Remeligo a Laribus missa sum huc, quae cursum navis cohibeam. Locus *Plauti* in editis sic habet: Nam quid illaec (*sponsa*) nunc tam diu intus remoratur, quasi ob industriam? *Festus* notationem vocis ducit ab ipsa re et significatione: si verba spectes, erit a *re*, et *mello* inusit., quod a *μέλλω*, moror, unde veteres Latini habent *promellere*. Nempe ut a *remoror* factum est *remora*; ita a *remello* seu *remelo* (quando veteres non geminabant consonas) ortum est *remeligo*, quae vox tum remoram piscem, tum mulierem remorantem significat. [*Multis h. l. auxit *F.*]

RĔMĔMĪNI, isti, anom. *Tert. adv. Marc.* 4, 1. ex *Isai.* 43, 24. Ne rememineritis priorum.

*REMEMORATĬO, onis, f. *Scrib.* 8, 6. Rememoratio vitiorum. *B. A.*

RĔMĔMŌRO, as, a. 1. rursus commemoro. *Tert. adv. Marc.* 4, 43. ex *Luc.* 24, 6.

RĔMENSUS, a, um, part. a *remetior*, vicissim mensus. *Mart.* 6, 89. Ille fide summa testae sua vina remensus, *h. e.* eadem mensura velut restituens. ℙ *Remensus iter* dicitur qui eadem via reversus est. *Stat. Th.* 3, 324. Jamque remensus iter fesso Danaeia Tydeus Arva gradu, viridisque legit devexa Prosymnae. ℙ Passive. *Virg. A.* 2, 181. pelagoque remenso Improvisi aderunt, *h. e.* renavigato; et *ib.* 3, 144. remenso Hortatur pater ire mari.

RĔMĔO, as, n. 1. *ἐπανέρχομαι*, retro meo, redeo, revertor. *Cic. N. D.* 2, 46. Neque remearet aer. [*Liv.* 9, 16. ad se (legati) ne remearent: cf. 9, 3. et 24, 3. *Suet.* in v. *Plin.*] *Virg. A.* 2, 95. Si patrios unquam remeassem victor ad Argos.{[*Proprium verbum *remeandi* esse victoribus et triumphis docet *Cort.* ad *Lucan.* 7, 256.] *Mart.* 1, 16. Gaudia non remeant. Alii rectius leg. *remanent:* sequitur enim, *sed fugitiva volant. Tac. A.* 2, 69. Germanicus Aegypto remeans. *Id. ib.* 15, 60. Remeare ex Campania; et *ib.* 14, 25. *extr.* in patrias sedes; et *ib.* 3, 21. *med.* Tacfarinas spargit bellum; ubi instaretur, cedens, ac rursus in terga remeans; et *ib.* 12, 69. *f.* Navium quasdam, quae mari remeabant, circumvenere Barbari. *Pl. Epid.* 5, 1, 55. Remeabo intus, ut accurentur advenientes hospites; et *Afran.* ap. *Fest.* Vetuit me sine mercede prorsum remeare in ludum; et *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Cum coturnices ex Italia trans mare remeant. *Ov. Met.* 15, 569. domito victor remeabat ab hoste. *Sidon. Ep.* 8, 6. *med.* Mos est remeaturis, decimum quemque captorum necare. ℙ Omissa praepos. *Virg. A.* 11, 793. patrias remeabo inglorius urbes. *Stat. Silv.* 3, 5, 12. Euboicos fessus remeare penates Auguror.

RĔMERGO, is, a. 3. rursus mergo. *August. Confess.* 8, 5. *med.* Conatus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur.

RĔMĔTĬOR, iris, mensus sum, dep. 4. *ἀναμετρέω*, iterum, aut vicissim metior. *Virg. A.* 5, 25. Si modo rite memor servata remetior astra. *Sen. ep.* 95. *med.* Invitis ingesta visceribus per os reddunt, et vinum omne vomitu remetiuntur, *h. e.* eandem vini mensuram evomunt, quam biberunt: quod et *Mart. l. c.* in REMENSUS, et *Id. Sen. Prov.* 3. *f.* dixere. *Quint. decl.* 12, 19. *extr.* Frumentum pecunia remetiri, *h. e.* tantam vim pecuniae admetiri, quanta est mensura frumenti. ℙ *Remetiri iter*, rursus idem iter facere, eadem via reverti. *Plin.* 2, 71, 73. Alexandri cursor Philonides ex Sicyone Elin mille et ducenta stadia novem diei confecit horis: indeque quamvis declivi itinere, tertia noctis hora remensus est saepius. *Sen. Med.* 31. de sole: Non redit in ortus, et remetitur diem? V. *l. Stat. c.* in REMENSUS. ℙ Translate est recognoscere. *Sen. Ira* 3, 36. Totum diem meum scrutor, facta ac dicta mea remetior; et *Plin. ep.* 8, 11. Incipit refici, transmissumque discrimen convalescendo remetiri. Alii leg. *metiri. Appul. Met.* 1. et 2. Fabulam tuam illam remetire, *h. e.* repete et renarra.

RĒMEX, ĭgis, m. (et potest esse etiam femin.) *ἐρέτης, κωπηλάτης*, qui remum agit. *Cic. Div.* 2, 55. Remex ille de classe Coponii praedixit, etc. *Id. Verr.* 2, 5, 33. Classis inops et infirma, propter dimissionem propugnatorum atque remigum. *Caes. B. C.* 3, 24. *med.* Quadriremum cum remigibus defensoribusque suis ceperunt. *Cic. Verr.* 2, 4, 34. *f.* Nautas remigesque exigere, frumentum imperare. *Id. Or.* 2, 10. Remigem aliquem aut bajulum, nobis oratorem descripseras, inopem quendam humanitatis, atque inurbanum; et *ib.* 1, 33. *f.* Ut concitato navigio, cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum. *Cass.* ad *Cic. Fam.* 12, 13. Delectum remigum habere. *Caes. B. C.* 1, 58. Quod minus exercitatis remigibus, minusque peritis gubernatoribus utebantur. *Nep. Dion.* 9. Exercere remiges. *Suet. Galb.* 12. Classiarii, quos Nero ex remigibus justos milites fecerat. *Sen. Herc. Fur.* 557. Uno tot populi remige navigant, *h. e.* vectore, portitore. De Charonte loquitur. ℙ Saepe in singulari num. pro remigibus ponitur. *Virg. A.* 5, 116. Velocem Mnestheus agit acri remige pristin. *Ov. Her.* 3, 153. impellere remige classem. *Id. Trist.* 5, 14, 44. Vela damus, quamvis remige puppis eat; et *ib.* 1, 10, 4. navis remige carpit iter. *Tac. A.* 4, 5. Classes duae valido cum remige.

*REMI vel Rhemi, orum, Ῥῆμοι, populi Galliae Belgicae, ubi fere hodiernum *Reims. Caes. B. G.* 2, 3. et 5. et 6, 4. *Plin.* 4, 1. ℙ Metropolis eorum Durocortorum dictum *Caes. B. G.* 6, 44. *B. A.*

[RĔMĪCO, as, n. 1. iterum mico. *Not. Tir.* p. 110. Micat, remicat. *F.*]

RĒMĪGĀTĬO, onis, f. *εἰρεσία*, actus remigandi. *Cic. Att.* 13, 21. Inhibitio autem remigum motum habet, et vehementiorem quidem remigationis navem convertentis ad puppim.

RĒMĪGĬUM, ii, n. remorum supellex et ordo in navi, ipsi remi. *Pl. As.* 1, 3, 5. Remigio veloque, quantum poteris, festina. *Virg. G.* 1, 201. qui adverso vix flumine lembum Remigiis subigit. *Tac. A.* 2, 24. Claudae naves raro remigio, aut intentis vestibus, et quaedam e validioribus tractae revertere. *Hor. Od.* 1, 14, 4. nudum remigio latus, Et malus celeri saucius Africo. ℙ Item remigatio, *εἰρεσία. Pl. Bacch.* 2, 3, 55. Ubi portu eximus, homines remigio sequi. *Plin.* 6, 29, 34. Isidis portus decem dierum remigio ab oppido distans. *Id.* 9, 3, 2. Vastus sinus duodecim dierum et noctium remigio enavigatus. ℙ Metonymice ipsi remiges, ut *servitium* servi. *Cic. Tusc.* 5, 39. *med.* Quae pugna, quae acies, quod remigium, etc? *Virg. A.* 3, 471. Remigium supplet, socios simul instruit armis. *Hor. Ep.* 1, 6, 63. remigium vitiosum Ithacensis Ulyssei. *Liv.* 26, 51. Remigium, classicique milites tranquillo in altum evecti, agilitatem navium experiebantur. ℙ *Meo remigio rem gero*, proverb. *Pl. Mil.* 3, 1, 149. Si illis (*servis*) aegre est, mihi quod volupe est, meo remigio rem gero, *h. e.* illis, velint nolint, parendum est, cum mei sint. ℙ Poetae ut *alas* pro remis ponunt, ita *remigium* ad alas et volatum transferunt: sunt enim avibus alae, quod remi navibus. *Lucr.* 6, 743. Remigii oblitae (*aves*) pennarum vela remittunt. *Virg. A.* 1, 301. et *ib.* 6, 19. volat ille per aera magnum Remigio alarum: *εἰρεσίᾳ τῶν πτερῶν.* V. v. sq. et REMUS. *Ov. A. Am.* 2, 45. de Daedalo: Remigium, volucres disponit in ordine pennas. *Avien. Arat.* 640. de Cycno: dextro Cephaleida dextram Radens remigio. *Appul.* quoque, quamvis prosae scriptor, hac metaphora usus est 5. et 6. *Met.* et *de Deo Socrat.*, sed non est imitandus: ipsaque poetis relinquenda.

RĒMĪGO, as, avi, atum, n. 1. *ἐρέσσω*, remos ago, remis navem impello. *Cic. Tusc.* 4, 4. *f.* Utrum igitur mavis? statimne nos vela facere, an, quasi e portu egredientes, paulum remigare? *Sen. ep.* 122. *f.* Contra aquam remigantes. ℙ Cum accus. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 178. missamque Pado qui remigat alnum. ℙ *Aves pennis remigare*, translatio poetica est. V. v. praec. et REMUS. *Quint.* 8, 6. In illo vero plurimum erroris est, quod ea, quae poetis permissa sunt, convenire quidam etiam prosae putant. At ego in agendo nec *pastorem populi* (*ποιμένα λαῶν*) auctore Humero dixerim: nec *volucres pennis remigare*, licet Virgilius in apibus, ac Daedalo (*A.* 6, 19.) speciosissime sit usus. Metaphora enim aut vacantem occupare locum debet, aut si in alienum venit, plus valere eo, quod expellit. Alii leg. *nec volucres per aera nare, nec pennis remigare.* Ut respiciat illud *Virg. G.* 4, 59. de apib.: Nare per aestatem liquidam suspexeris agmen.

RĒMĪGRO, as, avi, atum, n. 1. *ἐπανέρχομαι*, rursus migro manendi causa, retro migro, revertor, redeo. *Cic. Fam.* 9, 18. *med.* Romam tibi remigrandum est; et *Acad.* 1, 4. Quid Antiocho magis licuit remigrare in domum veterem e nova, quam nobis in novam e vetere? Adde *Tusc.* 1, 49. *med. Lucr.* 2, 964. Inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 5, 21. *f.* Atque ei ne integrum quidem erat, ut ad justitiam remigraret, *h. e.* ad justitiam colendam rediret. *Pl. Ep.* 4, 1. *f.* Remigrat animus nunc demum mihi, *h. e.* redit mihi animus. *Appul. Dogm. Plat.* 2. Vinculis liberata corporeis sapientis anima remigrat ad Deos. *Pl. Poen. prol.* 47. Ad argumentum nunc volo vicissatim remigrare.

RĒMILLUM dicitur, quasi repandum. *Festus.*

RĒMĪNISCENTĬA, ae, f. *ἀναμνησις*, recordatio, memoria. *Tert. Anim.* 23. et 24. *f.* et *Arnob.* 2, 57. et quidem ubique plurali numero. Loquuntur autem de placito *Platonis*, qui docuit, *μαθήσεις* esse *ἀναμνήσεις*, discentias esse reminiscentias, ut *Tert.* vertit: qua de re disserit et *Cic. Tusc.* 1, 24. et *Sen.* 21.

RĒMĪNISCOR, eris, dep. 3. *ἀναμιμνήσκω*. Proprie est, ut ait *Varr. L. L.* 5, 6., ea, quae tenuit mens ac memoria, cogitare, et cogitando repetere: seu res praeteritas et memori mente repostas cogitatione versare. Ex quo fit, ut non sit proprie recordari, sed res praeteritas cogitare, unde recordatio sequitur. V. EMINISCOR. *Nep. Dat.* 5. Reminiscens, a quanto bello ad quam parvam rem principem ducem misisset. *Cic. Tusc.* 1, 24. Docet enim, quemvis qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem declarare, se non tum illa discere, sed reminiscendo recognoscere. (V. vocem praeced.) *Id. Lig.* 12. Spero etiam te, aliquid de hujus illo quaestorio officio cogitantem, etiam de aliis quibusdam quaestoribus reminiscentem recordari. *Id. Sen.* 21. *f.* Pueri cum artes difficillimas discant, ita celeriter res innumerabiles arripiunt, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. *Nep. Alcib.* 2. Ut si ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci, neque majora posset consequi. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. *med.* Ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt. *Virg. A.* 10, 782. et dulces moriens reminiscitur Argos. *Ov. Pont.* 1, 8, 31. Nam modo vos animo dulces reminiscor amicos. *Caes. B. G.* 1, 13. Reminisceretur et veteris incommodi populi R., et pristinae virtutis Helvetiorum. *Nep. Phoc.* 4. Reminiscentes veteris famae. ℙ Rufum quendam rhetorem reprehendit *Auson. epigr.* 48. et 49., quod *reminisco* activa positione dixerit. Antiqui tamen etiam hac terminatione protulerunt, teste *Prisc.* 8, 799.

[RĒMĪNISTRO, as, a. 1. iterum ministro. *Not. Tir.* p. 41. Ministrat, reministrat. *F.*]

[RĒMĪNŬO, is, a. 3. iterum minuo. *Not. Tir.* p. 51. Minuit, reminuit. *F.*]

RĒMIPES, ĕdis, adj. omn. gen. qui pedibus pro remis utitur. *Auson. ep.* 30, 12. Anates marinas junximus, remipedes. V. TREMIPES et CERCERIS. ℙ Item qui remis pro pedibus. *Id. Idyll.* 10, 201. Remipedes certant medio cum flumine lembi.

RĒMISCĔO, es, iscui, a. 2. *ἀναμίγνυμι*, iterum misceo. *Sen. ep.* 71. *med.* Animus aut in meliorem emittitur vitam, aut certe sine ullo futurus incommodo, naturae suae remiscebitur. ℙ Item permisceo, commisceo. *Hor. A. P.* 151. Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet, Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

*REMISIĀNA, ae, f. opp. Moesiae superioris. *Ant. Itin.* ℙ *Romesiana* audit *Tab. Peut. B. A.*

RĒMISSĀ, ae, f. remissio, ut Remissa peccatorum, *Tert. adv. Marc.* 4, 18. *f.* et *Cyprian. ep.* 59. *f.*

RĒMISSĀRĬUS, a, um, adj. ad remittendum pertinens. *Cato R. R.* 19. *extr.* Vectes longissimos pedum XIIX., secundos pedum XVI., tertios pedum XV., remissarios pedum XII., alteros pedum X., tertios pedum VIII. *Turneb. Adv. c. paenult.* 7. Remissarii vectes suntne, quibus remittitur, non intenditur prelum? an vero qui remissioris et minoris longitudinis? Si me roges, hoc verius putem. Ut autem hi remissioris sunt longitudinis, sic etiam remissius premunt, minusque adstringunt: unde et nomen.

RĒMISSĒ, adv. *ἀνειμένως*, lente, leniter, placide. *Cic. Or.* 3, 26. Quam leniter, quam remisse, quam non actuose! *Id. Coel.* 14. Utrum me secum severe, et graviter, et prisce agere malit, an remisse, ac leniter, et urbane. *Colum.* 1, 8. *med.* Ut neque remisse, neque crudeliter imperet. *Suet. Claud.* 33. Remisse quid, vel serio agentem multa dehonestabant, *h. e.* per jocum et in remissione animi. *Cic. Verr.* 2, 4, 34. Cum iste nihilo remissius, atque etiam multo vehementius instaret quotidie.

RĒMISSĪBĬLIS, e, adj. qui remitti, seu condonari potest. *Tert. Pud.* 2. Delicta alia remissibilia, alia irremissibilia. ℙ Item lenis. *Coel. Aur. Tard.* 2, 13. *n.* 164. Quae non sensibili tactu, sed remissibili quadam digestione immoratur.

RĒMISSĬO, onis, f. *ἄνεσις*, actus remittendi, relaxatio, intermissio: cui opponitur intentio, continuatio. *Cic. Off.* 1, 41. Ex oculorum obtutu, ex supercilliorum aut remissione aut contractione, ex moestitia, ex hilaritate facile judicabimus, etc. *Gell.* 18, 10. *extr.* *Σφυγμὸς* est intentio motus, et remissio in corde, et in arteria. *Varr. R. R.* 2, 6. *med.* et *Plin.* 8, 43, 68. Asinus remissione laboris fit deterior. *Gell.* 15, 2. *med.* Modicae honestaeque inter bibendum remissiones, *h. e.* intervalla. ℙ Translate. *Plin. ep.* 4, 9. *med.* Ut enim faces ignem assidua concussione custodiunt, dimissum aegerrime reparant; sic et dicentis calor, et audientis intentio continuatione servatur, intercapedine et quasi remissione languescit. ℙ *Remissio pensionis*, diminutio, aut condonatio. *Colum.* 1, 7. Remissionem colonus petere non audet. *Suet. Caes.* 20. Publicanos remissionem petentes, tertia mercedum parte relevavit. *Tac. A.* 4, 13. Remissio tributi in triennium. Adde *Plin. ep.* 9, 37. et *ep.* 10, 24. *med.* ℙ *Remissio poenae*, diminutio. *Cic. Cat.* 4, 6. *f.* Cum multo magis sit verendum, ne remissione poenae crudeles in patriam, quam ne severitate animadversionis nimis vehementes in acerbissimos hostes fuisse videamur. ℙ *Remissio nunciationis* ap. *Paul. Dig.* 39, 1, 8. est cessatio a novi operis nunciatione, missam eam faciendo, et recedendo a prohibitione novi operis faciendi. ℙ *Remissio morbi*, diminutio, aut intermissio. *Cic. Fam.* 7, 26. Visa est mihi vel loci mutatio, vel ipsa fortasse jam senescentis morbi remissio profuisse. *Suet. Tib.* 74. Remissio febris. *Scrib. Comp.* 99. doloris. ℙ *Remissio usus*, intermissio, aut cessatio. *Cic. Amic.* 21. Tales amicitiae sunt remissione usus eluendae. ℙ Est etiam nova seu iterata missio. *Petr. fragm. Trag.* 60. *Burm.* Repente nova ludorum remissio hilaritatem hic refecit. ℙ *Remissio animi*, relaxatio, recreatio, cessatio ab agendo, et ludicrorum consectatione. *Id. Or.* 2, 6. Ad omnem animi remissionem ludumque descendere. *Tac. Agr.* 9. Tempora curarum, remissionumque divisa. ℙ Sumitur etiam pro languore animi, abjectione, dissolutione. *Cic. Fam.* 5, 2. *med.* Si humanitas appellanda est, in acerbissima injuria re-

missio animi ac dissolutio. ℙ Item pro lenitate. *Id. Or.* 2, 17. *f.* Judex tum ad severitatem, tum ad remissionem animi, tum ad tristitiam, tum ad laetitiam est conversus. ℙ *Remissio vocis*, vox non intenta, submissa. *Cic. Brut.* 91. Omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis, et totius corporis contentione dicebam. *Id. Or.* 1, 61. *f.* Demosthenes tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut una continuatione verborum binae ei contentiones vocis, et remissiones continerentur.

RĒMISSĪVUS, a, um, adj. remittens, relaxans, remissus, lenis. *Coel. Aurel. Acut.* 3, 4. *med.* Relaxare tumentia rebus congruis ac remissivis. ℙ Ap. *Prisc.* 15, 1021. adverbia remissiva sunt contraria hortativis, et remissionem quandam, et quasi lenitudinem continent, ut *pedetentim*, *paulatim*, *sensim*.

RĒMISSUS, a, um, part. a *remitto*: iterum, aut retro missus. [*V. in REMITTO.] *Hirt. B. G.* 8, 55. Cognoscit, legiones ab se remissas, in Italia retentas esse. *Ov. Met.* 5, 35. teloque ferox inimica remisso Pectora rupisset. ℙ Item emissus, ejectus. *Ov. Pont.* 1, 3, 19. e molli sanguis pulmone remissus. ℙ Item dimissus. *Ulp. Dig.* 48, 5, 25. Semel remissus adulter reduci non potest. ℙ Item intermissus. *Val. Fl.* 5, 276. datus et sociis utrinque cremandis Ille dies, alterque dies, cum, Marte remisso, etc. ℙ Item relaxatus, retensus, solutus: cui opponitur intentus, adductus, rigidus. *Hor. Od.* 3, 27, 67. Remissus arcus. *Ov. Am.* 3, 2, 14. Deque meis manibus lora remissa fluent. *Id. Met.* 5, 399. Collecti flores tunicis cecidere remissis; et *ib.* 9, 315. vinclis levor ipsa remissis. *Id. Her.* 19, 197. Stamina de digitis cecidere sopore remissis. *Cic. Tusc.* 2, 23. Onera contentis corporibus facilius feruntur, remissis opprimunt. *Val. Fl.* 3, 334. vadit sonipes cervice remissa. *Lucr.* 5, 850. Semina qua possint membris manare remissis, *h. e.* voluptate solutis. Sic *Mart.* 1, 50. Mollesque nympharum lacus, Quibus remissum corpus adstringas, *h. e.* solutum laxatis meatibus cutis. *Ser. Sam.* 15, 269. unguere prodest Ursino et tauri sevo, cerisque remissis, *h. e.* solutis, mollitis, liquefactis. Sic *Pall.* 1, 41. Ammoniacum remissum. *Ov. Fast.* 4, 126. Vere nitent terrae: vere remissus ager, *h. e.* frigore solutus, glacie liberatus. *Caes. B. G.* 5, 12. *extr.* Remissiora frigora. *Id. B. C.* 3, 26. Remissior ventus. ℙ *Remissus*, laxatus, solutus vinculis. *Petr. Sat.* 89. *med.* Nudo remissus Thessali quadrupes jugo. *Plin. ep.* 7, 1. Perustus ardentissima febre, tandem remissus. Sic *Scrib. Comp.* 99. Cum remissi fuerint, *scil.* dolore capitis. ℙ Cantus remissior. *Cic. Or.* 1, 60. Solet Roscius dicere, se, quo plus sibi aetatis accederet, eo tardiores tibicinis modos, et cantus remissiores esse facturum. ℙ *Mons Tarpejus remissus*, remissiore cura, negligenterque custoditus. *Prop.* 4, 4, 81. Mons erat ascensu dubius, festoque remissus. ℙ *Remissior carbunculus*, minus ardens. *Plin.* 37, 7, 29. ℙ Saepe transfertur ad animum, et lentum, mollem significat, negligentem, languidum, pigrum. *Hor. Ep.* 1, 18, 90. oderunt agilem, gnavumque remissi. *Cic. Mur.* 26. Cum te remissiorem in petendo putarent; Catilinam et spe, et cupiditate inflammatum viderent. *Nep. Iph.* 3. In labore remissus nimis, parumque patiens. *Cic. ad Quir.* 9. In ulciscendo remissior. *Sall. Jug.* 57. Dolus Numidarum nihil languidi, neque remissi patiebatur. *Caes. B. C.* 1, 21. *f.* Remisso ac languido animo esse; et *ib.* 2, 14. Hostes, nostris languentibus atque animo remissis, portis se foras erumpunt. ℙ Et ad orationem, poniturque pro leni, minus acri aut vehementi, placidiore. *Cic. Fin.* 3, 1. Quamvis in eo sermone non remissi fuimus, tamen haec acrior est cum Stoicis parata contentio. *Id. Or.* 2, 23. Alia quaedam dicendi molliora ac remissiora genera viguerunt. *Id. Sen.* 9. Est decorus sermo senis quietus et remissus. ℙ Est etiam lenis, placidus, facilis, mansuetus, tardus ad irascendum, ad comitatem et laetitiam pronus. *Auct. dial. de Or.* 11. Quae cum dixisset Aper acrius, ut solebat, et intento ore, remissus et subridens Maternus, paravi, inquit, etc. *Cic. Att.* 16, 15. Si me non improbissime Dolabella tractasset, dubitassem fortasse, utrum remissior essem, an summo jure contenderem. *Id. Coel.* 6. Cum tristibus severe, cum remissis jucunde, cum senibus graviter, cum juventute comiter vivere. *Plin. ep.* 3, 14. Remissus et mitis. *Sen. Phoen.* 186. pectus remissum ac placidum. *Liv.* 24, 39. Caedes omnia tenet, nihilo remissiore militum ira, quod turbam inermem caedebant, quam si periculum par, et ardor certaminis eos irritaret. *Val. Max.* 8, 10. *n.* 3. Remisso vultu, et languida voce, et soluto genere orationis uti. *Mart.* 4, 14. Nec torva lege fronte, sed remissa Lascivis madidos jocis libellos. *Suet. Claud.* 21. Nec ullo spectaculi genere communior aut remissior erat. *Id. Aug.* 98. Remississimo ad otium, et ad omnem comitatem animo. *Ov. Met.* 3, 318. Jovem diffusum nectare curas Seposuisse graves, vacuaque agitasse remissos Cum Junone jocos; et *Trist.* 2, 547. Ne tamen omne meum credas opus esse remissum: Saepe dedi nostrae grandia vela rati, *h. e.* leve, jocosum, ludicrum. Sic *Val. Max.* 8, 1. *n.* 13. Remissior materia. ℙ Item quietus, tranquillus, nulla perturbatione commotus. *Cic. Or.* 2, 46. *f.* Quae si ille histrio, quotidie cum ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat; quid? Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse? ℙ *Remissus*, concessus, condonatus, in gratiam alicujus omissus. *Id. Tusc.* 1, 1. Cum defensionum laboribus, senatoriisque muneribus essem aliquando liberatus, retuli me ad ea studia, quae retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi. *Ov. A. Am.* 2, 599. En iterum testor: nihil hic, nisi lege remissum, Luditur: in nostris instita nulla jocis. *Just.* 11, 1. Alii taedio longinquae militiae remissam sibi expeditionem gaudebant. *Plin. Pan.* 36. Nec poena cuiquam remissa, sed addita est ultio. De iis, quae aerario, aut fisco debentur. *In nummis Galbae Aug.* ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 296. Quadragessima remissa; et XXXX. remissae. *In nummo Nervae* ap. *eund. ib.* p. 408. Vehiculatione Italiae remissa.

RĒMITTO, is, isi, issum, a. 3. *ἀναπέμπω*, rursus, aut retro mitto [*in eum locum, unde quis, vel quid quocunque modo profectum, protractum, desumptum.] *Cic. Att.* 7, 23. Mutavi consilium de mulieribus, quas, ut scripseram ad te, Romam remittebam. *Caes. B. G.* 3, 8. *extr.* Si velit suos recipere, obsides sibi remittat. *Pl. Epid.* 2, 2, 22. A legione omnes remissi sunt domum. *Cic. Att.* 9, 9. Demetrii librum de concordia tibi remisi, et Philotimo dedi. *Caes. B. G.* 2, 27. *med.* Ut hostes tela in nostros conjicerent, pilaque intercepta remitterent; et *ib.* 5, 23. Naves, quae ex continente ad eum remitterentur; et *ib.* 51. Caesar Fabium cum legione in sua remittit hiberna. *Ov. Met.* 13, 702. Nec leviora datis Trojani dona remittunt. *Id. ib.* 5, 95. Jamque remissurus tractum de corpore telum. ℙ [*Item retro pello, jacio, mitto. *Nep. Eum.* 5, 5. calces remittere: *mit den hintern Füssen ausschlagen.* ℙ Hinc dimitto, ut *remittere adulterum deprehensum*, *Ulp. Dig.* 48, 5, 25. *exercitum*, *Fest.* in *Remisso.* V. IMPERO. Ejusdem fere generis sunt ista: *nuncium*, aut *repudium remittere*, de quibus v. in NUNTIUS. ℙ Item omitto, vel differo in aliud tempus. *Ov. Her.* 7, 149. hos potius populos in dotem, ambage remissa, accipe. ℙ Hinc ap. poetas interdum propellendi, repellendi notionem vindicat.] *Sen. Hippol.* 581. Dura cautes resistit undis, et lacessentes aquas longe remittit. [*Adde *Lucr.* 2, 196. sqq. Nonne vides etiam, quanta vi tigna trabeisque Respuat humor aquae? Non, quo magis ursimus altum Directa, et magna vi multei pressimus aegre, Tam cupide sursum revomit magis, atque remittit; Plus ut parte foras emergant, exsiliantque! V. REMISSUS. ℙ Transfertur etiam ad mentem animumque. *Id.* 6, 68. Quae nisi respuis ex animo, longeque remittis. ℙ Saepius etiam emittendi, edendi significatu ponitur. V. *Doederl.* 1, 171.] *Colum.* 12, 20. Vasa aenea in coctura aeruginem remittunt; et *ib.* 13. Caseus seri minimum remittit; et *Arb.* 26. *med.* Lactis plurimum, remittit ficus. *Grat. Cyn.* 521. sterilis quodcumque remisit Terra, *h. e.* produxit. *Hor. Ep.* 2, 1, 235. tractata notam labemque remittunt Atramenta. *Id. Sat.* 2, 4, 69. Pressa Venafranae quod bacca remisit olivae. *Id. A. P.* 349. chorda sonum poscenti gravem persaepe remittit acutum. ℙ [*Multis in locis est etiam i. q. reddo, restituo.] *Cic. Sulla* 30. non modo nihil assumo, in quo quispiam repugnet, sed etiam si quid ab omnibus conceditur, id reddo ac remitto. *Caes. B. C.* 2, 32. *f.* Vestrum vobis beneficium remitto: nihil meum restituite nomen. *Pl. Most.* 3, 2, 110. Aedes alicui remittere, i. e. venditori restituere recepto pretio. *Virg. G.* 2, 218. Et bibit humorem, et, quum vult, ex se ipsa remittit. [*Cf. *Ov. Met.* 1, 604. ibique *Gierig.* Reddendi notionem exhibent etiam ista, ap. poetas maxime obvia: *Id. ib.* 3, 460. Nictu quoque signa remittis; et *ib.* 378. illa parata est Exspectare sonos, ad quos sua verba remittat; et *ib.* 500. totidemque remisit verba locus. *Virg. A.* 9, 635. Remittunt responsa Rutulis; et *ib.* 12, 929. remittunt late vocem nemora. ℙ Item trado, tribuo. *Tac. A.* 3, 10. *extr.* Tiberius integram causam ad senatum remittit, i. e. ad senatus arbitrium transfert. ℙ Unde translate i. q. deponere. *Cic. Cluent.* 2. A vobis, judices, postulo, si quam opinionem jam vestris mentibus comprehendistis, si eam ratio convellet, ne repugnetis, eamque animis vestris aut libentibus, aut aequis remittatis. ℙ [*Item concedere, condonare.] *Vat.* ad *Cic. Fam.* 5, 10. Meam animadversionem et supplicium, quo usurus eram in eum, quem cepissem, remitto tibi et condono. *Cic. Verr.* 2, 5, 9. Omnia ista concedam et remittam. *Id. ib.* 18. *med.* et *Planc.* 30. *med.* Te mihi remittere atque concedere, ut omne studium meum in Plancii honorem consumerem. ℙ Et saepe de iis dicitur, quae debentur: cui contrarium est exigere. *Caes. B. C.* 2, 21. Pecunias, quas erant in publicum Varroni cives R. polliciti, remittit. *Cic. Acad.* 4, 33. Tibi aut concedendum est ita esse, aut memoriam mihi remittas oportet, *h. e.* concedas mihi, memoriam esse. *Id. Verr.* 2, 4, 9. *f.* Navem imperare ex foedere debuisti: remisisti in triennium. *Sen. Herc. Oet.* 900. Vitam cuipiam remittere. *Cic. Phil.* 11, 8. multam. *Liv.* 40, 10. *f.* poenam. *Just.* 1, 9. tributa et militiae vacationem in triennium. *Liv.* 39, 5. inimicitias suas reipublicae. *Id.* 9, 38. *med.* simultates suas patriae. *Tac. A.* 3, 10. odia sua publicis utilitatibus. *Id. ib.* 1, 8. Conclamant patres, corpus ad rogum humeris senatorum ferendum. Remisit Tiberius arroganti moderatione, *h. e.* adversari desiit, et permisit concessitque. *Quint. decl.* 2, 1. Solus omnium non remittit sibi, ut, etc. ℙ *Remittere de*, aut *ex aliqua re*, minuere, detrahere, demere. *Cic. Verr.* 2, 3, 35. *med.* Remittere alicui de summa. *Id. Phil.* 1, 5. *f.* Remisisset profecto aliquid de severitate cogendi. *Caes. B. G.* 5, 4. Remittendum de celeritate existimabat. *Cic. Div. Verr.* 15. Et ex eo, quod ipse potest in dicendo, aliquantum remittet, ut tu aliquid esse videare. *Caes. B. C.* 3, 28. Non ex pristina virtute remittendum aliquid putaverunt. ℙ Item ignosco. *Sall.* in *or. Licin. ad pleb. f.* remittere injuriam. *Val. Fl.* 3, 407. culpam. ℙ Cum inf. pro permittere. *Ov. Met.* 11, 376. nec res dubitare remittit. *Claud. Laud. Stil.* 2, 37. Occulto saevire vetat, prodesse remittit. [*Cf. de toto hoc dicendi genere, quo v. *permittendi* condonare, concedere, permittere signif., *Wolf.* ad *Tac. A.* 1, 8. et *Gronov. observv.* 4, 2. p. 352. sqq. *ed. Fr.* ℙ Denique v. *remittendi* inservit etiam significandis iis, quae retenta, adducta, in pristinum ipsorum statum reducuntur, i. e. relaxantur. Ac proprie quidem de arcu dicitur. Exempla Noster laudaverat ista:] *Cic. Div.* 1, 54. In agro ambulanti ramulum adductum, ut remissus esset, in oculum suum recidisse. *Id. Amic.* 13. Habenas vel adducere, cum velis, vel remittere. *Ov. Trist.* 1, 4, 14. Remittere frena equo. *Sen. Phoen.* 61. manum, *h. e.* a corpore alicujus, quem teneas, removere. *Virg. G.* 1, 262. brachia. *Plin.* 11, 26, 32. Digitum contrahere ac remittere. *Id.* 8, 32, 50. Cervi cum erexere aures, acerrimi auditus; cum remisere, surdi. *Colum.* 11, 2. *med.* Possunt, si jam librum remittunt, inseri oleae, vel emplastrari. ℙ [*Ita apud poetas usurpatur interdum de iis, quae dura, congelata resolvuntur, liquefiunt, emolliuntur.] *Tibull.* 3, 5, 4. Cum se purpureo vere remittit humus. *Virg. G.* 4, 35. frigore mella Cogit hiems, eademque calor liquefacta remittit. *Ser. Sam.* 41, 763. sevum bovis igne remittis. V. REMISSUS. ℙ Saepissime est laxare, minus contendere, negligenter agere, molliter, dissolute, languide: cui opponitur acriter incumbere, intento animo agere, diligenter persequi; ducta metaphora ab arcu: et simile est vv. cessare, omittere. *Ter. Andr.* 5, 1, 8. Nam si cogites, remittas me onerare injuriis. *Hor. Od.* 2, 11, 1. Quid bellicosus Cantaber et Scythes cogitet, remittas quaerere. *Ter. Heaut.* 1, 1, 18. Nullum remittis tempus, neque te respicis. *Cic. Fin.* 4, 28. Urgent tamen, et nihil remittunt. *Liv.* 9, 16. *med.* Ne nihil remissum dicatis, remitto, ne utique dorsum demulceatis, cum ex equis descendetis. *Id.* 30, 3. Nullo tempore hiemis belli opera remittere. *Id.* 35, 5. Partim labore, partim metu remittere ardorem pugnae. *Id.* 39, 24. Remittere animum a colligendis in pace viribus. *Hirt. B. Afr.* 18. Equitibus imperat, ut uno ictu contenderent, neque remitterent, donec hostes repulissent. *Caes. B. C.* 2, 14. *f.* Contentionem nostri omnem remiserant. *Id. B. G.* 6, 13. Remittere diligentiam in perdiscendo. *Cic. Verr.* 2, 4, 61. curam animi. *Quint. decl.* 260. *med.* Haec ego fortius dixi, quia remissurus sum. ℙ *Remittere se*, dare se remissioni, animi contentionem deponere, recreare se. *Nep. Alc.* 1. Idem cum tempus posceret, laboriosus, patiens, etc. idem simul ac se remiserat, nec causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus reperiebatur. ℙ *Remittere animum*, eadem sententia. *Liv.* 27, 31. Rege per dies festos licentius, quam inter belli tempora, remittente animum. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 398. Quaero enim, non quibus intendam rebus animum, sed quibus relaxem et remittam. *Id. Leg.* 2, 15. *med.* Varii canendi soni et incitant languentes, et languefaciunt excitatos, et tum remittunt animos, tum contrahunt. *Gell.* 18, 2. Saturnalia Athenis agitabamus hilare prorsus, et modeste, non, ut dicitur, remittentes animum, (nam remittere, inquit Musonius, animum, quasi amittere est) sed demulcentes eum paululum atque laxantes jucundis honestisque sermonum illectationibus. ℙ *Remittere se*, et *remittere* absolute dicitur morbus, qui sedatur, aut decrescit. *Cic. Brut.* 34. *med.* Cum remiserant dolores pedum, non deerat in causis. *Cels.* 4, 24. *f.* Ubi dolor et inflammatio se remiserunt. *Ter. Hec.* 3, 2, 14. Si remittent quippiam Philumenae dolores. (Ubi *Donat.* Verbum activum quasi neutrum posuit.) Alii leg. *Philumenam.* Simile est illud *Liv.* 40, 33. Ubi primum remiserunt imbres. ℙ Passive. *Cels.* 3, 12. Febres, quae certum habent circuitum, et ex toto remittuntur. [*Conf. *remitti* et *demitti*. V. *Brem.* ad *Suet. Oth.* 8.] ℙ **Cod. rescript. Cic. de re publ.* (ed. *Maio*) 1, 4. *extr. remiteret* habet pro *remitteret*; quemadmodum in *Ambros. Pl. Vidul. palimps.* scriptum reperitur *naravisti* pro *narravisti*, et in *Cic. fragmm. pro Tullio* et *in Clodium* habes *adderet* pro *adderet*. *B. A.*

RĒMIVAGUS, a, um, adj. qui remis fertur, epitheton navis. *Varr.* ap. *Non.* 13, 1. Nautae remivagam movent celocem.

RĔMIXTUS vel Remistus, a, um, part. a *remisceo*. *Hor. Od.* 4, 15, 30. Lydis remixto carmine tibiis. *Sen. Const. Sap.* 7. Venenum remixtum cibo.

REMMĬUS, a, um, adj. *Remmia lex* a latoris nomine dicta, sanciebat, ut is accusator, qui calumniatus esset, damnaretur, si crimen probare non posset. Memoratur a *Cic. Rosc. Am.* 19. *extr.*, ubi alii leg. *Memmia:* [*Male! V. *Ernest. ind. legg.* s. h. v.] item a *Mart. Dig.* 48, 16, 1. et *a Papin. ib.* 22, 5, 13. ℙ Est qui scribit *Rhemmius.* ℙ *Remmius Palaemon, Grammaticus. *Suet. Gr.* 23. *B. A.*

RĔMOLIOR, iris, dep. 4. *ἀποσείω*, moliendo recedere facio, multa vi loco moveo. *Ov. Met.* 5, 354. de Typhoeo: Saepe remoliri luctatur pondera terrae, Oppidaque et magnos evolvere corpore montes. *Stat. Th.* 10, 527. et ferrea sudant Claustra remoliri. *Sen. Q. N.* 6, 13. *f.* Proxima quaeque remolitur ac jactat. ℙ Item rursus magno conatu moveo, reparo. *Sil.* 1, 35. Iterum instaurata capessens Arma remolitur. ℙ Passive. *Colum.* 2, 12. *f.* Nihil itaque amplius in iteratione, quam remoliri terra debet aequaliter. Alii rectius leg. *remolliri.*

RĔMOLITUS, a, um, part. a *remolior*, signific. passiva. *Sen. Herc. Fur.* 503. nullus eripiet Deus Te mihi, nec orbe si remolito queat Ad supera victor numina Alcides vehi. ℙ Quidam huc trahunt etiam locum *Suet. Aug.* 79., de quo V. REMOLLITUS.

RĔMOLLESCO, is, n. 3. *ἀναμαλάττομαι*, mollis fio. *Ov. Met.* 10, 285. ut Hymettia sole Cera remollescit. ℙ Translate sumitur pro delicatiorem fieri, effeminari. *Caes. B. G.* 4, 2. *f.* Quod ea re ad laborem ferendum remollescere homines, atque effeminari arbitrantur. ℙ Item pro mitem et placatum fieri. *Ov. Met.* 1, 377. precibus si numina justis Victa remollescunt.

RĔMOLLIO, is, a. 4. *ἀναμαλάττω*, idem ac mollio, vel rursus, aut valde mollio. *Ov. Met.* 4, 286. quare male fortibus undis Salmacis enervet, tactosque remolliat artus. Adde *Colum.* 2, 12. de quo loco in REMOLIOR.

RĔMOLLITUS, a, um, part. a *remollio: ἀναμαλαχθείς*, rursus aut valde mollitus. *Appul. H.* 3. *n.* 9. Grana humore remollita. ℙ Translate. *Suet. Aug.* 79. Eo se inhibitum ac remollitum, quominus, ut destinaret, in transitu Alpium, per simulationem colloquii propius admissus, in praecipitium propelleret. Quidam leg. *remolitum*, a *remolior*, et explicant a molimine et conatu revocatum.

RĔMONĔO, es, ui, a. 2. iterum, ac saepius admoneo. *Appul. Met.* 5. Hic tibi identidem semper cavenda censebam, hic benevole remonebam. Alii leg. *te monebam.* Adde *Not. Tir.* p. 88.

RĔMORA, ae, f. mora, tardatio, omne id, quod remoratur. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Remeligines.* Quae vox ex te resonans meo gradu remoram facit? *Pl. Trin.* 1, 1, 16. Remoram faciunt rei privatae et publicae. ℙ Item pisciculus in mari, Graecis *ἐχενηΐς*, ita dictus, quod navem, cui annixus fuerit, remoretur. *Plin.* 32, 1, 1. E nostris quidam Latine remoram appellavere eum. Adde 9, 25, 41. ℙ Id quod remoram facit. *Cels.* 7, 15. Eo plumbea fistula injicienda est, vel recurvatis in exteriorem partem labris, vel eandem circumcingente quadam remora, ne tota intus delabi possit. ℙ *Remoram* vocare Romam quidam primorum civium certabant. *Enn.* ap. *Cic. Div.* 1, 48. Certabant, urbem Romam Remoramne vocarent. Alii leg. *Remuram*, alii *Remam;* sed *Remoram* firmat *Dionys. Halic.*, qui 1, 87. habet in meliorib. MSS. *Ῥημοῦλαν.*

RĔMORĀMEN, inis, n. remora, retardatio. *Ov. Met.* 3, 566. irritaturque retenta, Et crescit rabies: remoraminaque ipsa nocebant. Alii leg. *revocamina*, alii *moderamina.*

*REMORATĬO, onis, f. *ἀναστροφή, διατριβή. Gloss. Vet. Cyrill. B. A.*

[RĔMORĀTOR, oris, m. qui remoratur. *Capell.* 1, 19. de Coelo: Verum sator eorum *(Deorum)* gressibus tardus et remorator incedit, glaucoque amictu tectus caput. *F.*]

*REMORATRIX, icis, f. *παρελκύστρα. Vet. Gloss. Cyrill. B. A.*

RĔMORĀTUS, a, um, part. a *remoror: ἀναβεβλημένος*, moratus. *Ov. Met.* 4, 134. retroque pedem tulit, etc. Sed postquam remorata suos cognovit amores, etc. ℙ Passive, ut videtur, retardatus. *Id. ib.* 10, 671. Et rursus pomi jactu remorata secundi Consequitur, transitque virum.

RĔMORBESCAT, Ennius posuisse videtur pro: in morbum recidat. *Festus.*

RĔMORDĔO, es, ordi, orsum, a. 2. *ἀντιδάκνω*, vicissim mordeo, eum mordeo, a quo morsus sum. *Hor. Epod.* 6, 3. Quin huc inanes, si potes, vertis minas, Et me remorsurum petis? ℙ Translate ponitur pro cruciare, sollicitare. *Lucr.* 3, 840. Praeteritisque admissa annis peccata remordent. *Virg. A.* 1, 261. quando haec te cura remordet. *Liv.* 8, 4. Libertatis desiderium remordet animos. *Juven.* 2, 34. vitia ultima castigata remordent *(censores suos).*

RĔMORES aves in auspicio dicuntur, quae actum aliquid remorari compellunt. *Festus.* ℙ Remus, frater Romuli, dictus a tarditate: quippe talis naturae homines ab antiquis Remores dicti. Ita *Aurel. Vict. de orig. gent. R.* 21. *extr.*

RĔMORĬA, dictus est locus in summo Aventino, ubi Remus de Urbe condenda fuerat auspicatus. *Fest.* in *Remurinus*, ubi alii leg. *Remuria*, q. v. v. s. l.

RĔMOROR, aris, atus sum, dep. 1. *ἀναβάλλω, ἐπέχω*, moram alicui affero, retardo, retineo. *Pl. Pers.* 1, 2, 28. Sed aperiuntur aedes: remorandus est gradus. *Id. Cas.* 3, 5, 65. Eo nunc jam, nisi quippiam remorare me. *Ov. Met.* 13, 220. cur non remoratur ituros? *Cic. Manil.* 14. Hae res, quae ceteros remorari solent, non retardarunt. *Sall. Jug.* 54. Existumans hostes transvorsis proeliis iter suum remoraturos; et *ib.* 100. Ab negotiis eum nunquam voluptas remorata est. *Ter. Andr.* 4, 3. *f.* Manebo, ne quod vestrum remorer commodum. *Cic. Cat.* 1, 2. Num unum diem postea L. Saturninum mors ac reipublicae poena remorata est? *h. e.* distulit, quin statim corriperet? *Prop.* 1, 19, 17. Quamvis te longae remorentur fata senectae, *h. e.* mortem tuam differant ac retardent. *Ov. Fast.* 6, 772. Et fugiunt, freno non remorante, dies. ℙ Absolute pro morari. *Pl. Cas.* 4, 3, 6. Quid illaec nunc tam diu intus remorantur remeligines, quasi ob industriam? (V. REMELIGO.) *Lucr.* 2, 564. remorari in concilio. *Catull.* 61, 200., sed abit dies: Perge, ne remorare. Non diu remoratus es. Jam venis. ℙ [*Confund. *remorandum* et *removendum.* V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 2. p. 87. *a. ed. Fr.*]

RĔMOTĔ, adv. *πόῤῥω*, procul. *Cic. N. D.* 1, 31. *med.* Stellae aliae propius a terris, aliae remotius eadem spatia conficiunt. *August. Trin.* 12, 5. *med.* Quamvis longe remotissime facta sunt.

RĔMOTĬO, onis, f. *ἀποκίνησις*, actus removendi. *Ulp. Dig.* 26, 10, 4. Remotio tutoris. ℙ *Remotio criminis* est, inquit *Cic. Inv.* 2, 29., cum ejus intentio facti, quod ab adversario infertur, in alium, aut in aliud dimovetur. Id fit bipertito: nam tum causa, tum res ipsa removetur. Causae remotionis hoc nobis exemplo sit, etc. Ipsius autem rei fit remotio, cum id quod datur crimini, negat neque ad se, neque ad officium suum reus pertinuisse. *Cic. ib.* et 30. [*Cf. *Ern. Lex. techn. lat. rhet.* p. 329. et *Spald.* ad *Quint.* 5, 10, 66.]

[RĔMOTĪVUS, a, um, adj. qui removetur. Constitutio juridicialis assumptiva per remotionem seu remotiva dicitur, cum objectum crimen in alterum, vel in aliud ab eo, qui percellitur, removetur, ut, Legatus intra diem tricesimum proficiscatur; legatus non accepto viatico remansit, et reus est. *Jul. Victor. Art. rhet.* (ed. *A. Maio*) 4, 6. A destructione remotivae assumptionis, cur profectus non sit: Utrumne quod viaticum non acceperit, an ob insidias, vel contumaciam, vel laedendae rei publicae studio? V. *Capell.* 5, 147. *F.*]

RĔMOTUS, a, um, part. a *removeo*: *ἀπωσθείς, ἀποσεισθείς*, amotus, dimotus, abactus. *Cic. Verr.* 2, 5, 31. *f.* Remoto atque ablegato viro. *Id. Off.* 3, 31. Remotisque arbitris, ad se adolescentem jussit venire. *Ter. Hec. prol.* 2, 14. Remotus injuria adversarium ab studio. ℙ Item dissitus, longe positus, semotus, *χωριζόμενος*. *Cic. Verr.* 2, 3, 37. *med.* Parva civitas procul a manibus tuis, atque a conspectu remota. *Id. ib.* 2, 5, 31. Ab arbitris remotus locus. *Nep. Dion.* 9. Cum a conventu se remotum domi teneret. *Suet. Tib.* 42. Secreti licentiam nactus, et quasi civitatis oculis remotus. *Ov. Pont.* 2, 2, 123. patrio toto sumus orbe remoti. *Id. Trist.* 4, 2, 67. longe remotus. *Id. Fast.* 6, 121. remotius antrum. ℙ Translate. *Cic. Off.* 1, 19. Scientia, quae est remota a justitia, calliditas est appellanda. *Id. Agr.* 2, 12. *f.* Cum tu a Tiberii Gracchi aequitate ac pudore longissime remotus sis. *Id. Mur.* 35. Et illa pie fecit, et hic a culpa est remotus. *Id. Verr.* 2, 4, 19. Ab omni minimi errati suspicione remotissimus; et *ib.* 2, 2, 66. Homines quietissimi, qui maxime ab injuriis nostrorum magistratuum remoti consuerant esse praesidio foederis. *Id. Or.* 9. *f.* Cujus sermo est ille quidem melle dulcior, sed a forensi strepitu remotissimus. [*Genus argumentationis remotum*, quid sit, V. ap. *Ernest.* in *Lex. techn. lat. rhet.* p. 330.] ℙ Item alienus, abhorrens. *Id. Fam.* 15, 4. *med.* Si quisquam fuit unquam remotus ab inani laude et sermonibus vulgi, ego profecto is sum. *Id. Att.* 14, 12. *f.* Homo remotus a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatus. *Colum.* 12, 1. Villica a vino, ab escis, a superstitionibus, a somno, a viris remotissima, *h. e.* minime dedita vino, escis, etc.

RĔMOVĔO, es, ōvi, ōtum, a. 2. *ἀποκινέω*, recedere facio, amoveo, dimoveo, abduco, aufero. *Cic. Rosc. Am.* 8. *f.* Multa palam domum suam auferebat: plura clam de medio removebat. *Id. Fam.* 16, 12. Ut removeat praesidia ex his locis, quae occupavit. *Id. Or.* 2, 76. *f.* Ea secerni arbitror oportere, atque ex oratione removeri. *Id. Off.* 1, 35. Removere aliquid ab oculis, *h. e.* tegere, occultare. *Pl. Mil.* 3, 1, 163. Remove, abi, aufer. *Caes. B. C.* 1, 48. *med.* Pecora finitimae civitates longius removerant. *Hirt. B. Afr.* 62. Cum classe se longius a conspectu removisset. *Ov. Met.* 5, 488. Rorantesque comas a fronte removit ad aures; et *ib.* 7, 256. Et monet arcanis oculos removere profanos. *Hor. Sat.* 2, 1, 71., ubi se a vulgo et scena in secreta remorant: syncope pro *removerant.* (Similiter *remosse* pro *removisse* quidam leg. ap. *Lucr.* 3, 69. V. REMANT.) *Ov. Met.* 6, 493. cura removente soporem, *h. e.* impediente somnum. *Plin.* 28, 7, 21. Mater quae infantem removit, *h. e.* a lacte depulit. ℙ Translate. *Sall. Jug.* 90. Nam quae ad hoc tempus Jugurtham tutata sunt, omnia removistis, avaritiam, imperitiam, superbiam. *Curt.* 7, 2. *f.* Libertatem linguae ab auribus credulis remoturus. *Lucr.* 5, 350. morbis aegrescimus isdem Atque illi, quos a vita natura removit. *Pl. Stich.* 2, 1, 37. Removere moram; et *Ov. Trist.* 3, 7, 31. causas desidiae. *Caes. B. C.* 3, 21. Senatus Coelium ab republica removendum censuit, *h. e.* curia et foro prohibendum. *Hirt. B. Afr.* 54. Ob eas res, ignominiae causa, ab exercitu meo te removeo. *Cic. Off.* 1, 20. *f.* A negotiis publicis se removere, ad otiumque perfugere. *Ov. Met.* 3, 645. Meque ministerio scelerisque artisque removi. *Suet. Tib.* 35. *f.* Alium et quaestura removit, quod, etc. *Cic. Agr.* 2, 8. *f.* Remove te a suspicione alicujus tui commodi. *Id. Verr.* 2, 3, 59. *extr.* Illam suspicionem levare, atque a se removere cupiebat. *Id. Att.* 4, 8. *med.* Quid sit, quod se a me removit, si modo removit, ignoro, *h. e.* convictu meo abstinuit, se a me alienavit. *Id. Amic.* 21. Ab amicitia Q. Pompeji meo nomine se removerat Scipio. *Id. Or.* 2. Nec solum ab optimis studiis excellentes viri deterriti non sunt, sed ne opifices quidem se artibus suis removerunt, qui aut Ialysi non potuerunt, aut Coae Veneris pulcritudinem imitari, *h. e.* suas artes deseruerunt. *Id. Q. Fr.* 2, 6. Catonem Lentulus a legibus removit, *h. e.* a legibus ferendis deterruit. ℙ *Remorant* syncop. pro *removerant*, et *remosse* pro *removisse.* ℙ [*Conf. *removere* et *revomere.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 24. *Removendum* et *remorandum.* V. h. v.]

RĔMŪGĬO, is, n. 4. *παραμυκάομαι*, mugitu respondeo, contra mugio. *Ov. Met.* 1, 656. de Io: alto tantum suspiria prodis Pectore, quodque unum potes, ad mea verba remugis. ℙ Et universim reboo, resono. *Stat. Th.* 12, 602. alio si forte remugit Bellatore nemus, *h. e.* alio tauro. *Virg. G.* 3, 45. Et vox assensu nemorum ingeminata remugit. *Id. A.* 6, 99. Sibylla Horrendas canit ambages, antroque remugit. *Id. ib.* 9, 504. sequitur clamor, coelumque remugit. *Hor. Od.* 3, 10, 5. nemus Aquilone remugit. *Sen. Thyest.* 675. latratu. *Catull.* 63, 29. Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.

RĔMULCĔO, es, ulsi, ulsum, a. 2. retro mulceo, reflecto. *Virg. A.* 11, 812. de lupo: Conscius audacis facti, caudamque remulcens Subjecit pavitantem utero, *h. e.* retrahens inter crura: nam *mulceo* est mulcendo inflectere: [ita *Hesiod. Ἔργ.* 512. *Θῆρες δὲ φρίσσουσ', οὐρὰς δ' ὑπὸ μέζεα θέντες.* Solent autem lupi, sicut et canes, et leones, etc., cum irati sunt, caudam intendere et erigere; cum resedit ira, et successit pavor, remittere ac reflectere. *Appul. Met.* 1. *med.* Equi sudorem fronde curiose exfrico, aures remulceo, frenos detraho. Sic *Id. ib.* 9. Jamque et plausus manuum, et aurium flexus, et ductum capistri placide patiebar. Loquitur hic asinus. *F.*] ℙ Hinc translate *Stat. Th.* 8, 93. oro, minas stimulataque corda remulce. *Appul. Met.* 5. [*p. 399. *Oud.*] Quae cuncta dulcissimis modulis animos audientium remulcebant.

RĔMULCO, as, a. 1. *ὀνυολιστέω*, remulco traho. *Sisenn.* ap. *Non.* 1, 282. Si quae celeriter solvi poterat, in altum remulcare trahit. *Remulcare trahit* videtur esse glossema: et *Sisenna* scripsisse *remulcat:* alius addidisse explicandi gratia *trahit:* inde factum *remulcare trahit.*

RĔMULCUM, i, n. vel Remulcus, i, m. promulcum, funis, quo alligata navis ab alia trahitur: a *ὄῦμα*, funis, et *ἕλκω*, traho. [*Cf. *Polyb.* 1, 26, 27.] *Isid. Or.* 19, 4. Remulcum, funis, qua deligata navis trahitur vice remi: de quo Valgius: Hic mea me longo succedens prora remulco Laetantem gratis sistit in hospitiis. *Festus:* Remulco est, cum scaphae remis navis magna trahitur. *Caes. B. C.* 2, 23. *f.* Postquam relictam in litore navem conspexit, hanc remulco abstraxit; et *ib.* 3, 40. Submersamque navim remulco, multisque contendens funibus abduxit. [*Videtur illud ex h. l. apparere, quod *remulcus* non solum de fune, quem nos *das Schlepptau* dicimus, sed in universum etiam de omni machinatione ad trahendam h. modo navem religatam usurpetur.] *Hirt. B. Alex.* 11. *extr.* Naves onerarias Caesar remulco victricibus suis Alexandriam deducit. *Liv.* 32, 16. Tarde inde ad Maleam, trahendisque plerumque remulco navibus, quae cum commeatu sequebantur, pervenit. Adde 25, 30. *Auson. Idyll.* 10, 41. Et cum per ripas, nusquam cessante remulco, Intendunt collo mularum vincula nautae. ℙ [*Remulcus* est etiam parvum navigium, ex quo funis alligatus navem trahit, quemque Itali quoque *rimburchio* et *rimurchio* vocant. *Auson. epist.* 2, 9. celerisque remulci Culpabam properos adverso flumine cursus. *Paul. Nol. ep.* 49. (al. 36.) Victricem ventorum et fluctuum navem ad portum suum, remulco praeeunte, duxerunt. ℙ Scribitur et *rymulcus* ap. *Ammian.* 18, 5. Non contis, nec rymulcis, ut ajunt, sed velificatione plena in rem publicam ferebatur. Proverbialiter hoc dictum est. *F.*]

[RĔMULSUS, a, um, part. a *remulceo*, leniter mulceo, vel reflecto. *Appul. Flor. n.* 3. de Apolline: Crines ejus remulsis antiis, et promulsis capronis anteventuli, et propenduli. Alii minus recte leg. *praemulsis*. V. CAPRONAE. *Id. Met.* 7. Alius (*equus*) hinnitu maligno comminatus, remulsis auribus, dentiumque candentium renudatis hastis, totum me commorsicat. Alii perperam leg. *remissis*. *Cassiod. Var.* 7, 15. de equis aeneis: Mirabitur formis equinis signa etiam inesse fervoris. Crispatis enim naribus ac rotundis, constrictis membris, auribus remulsis, credet forsitan cursus appetere, cum se metalla noverit non movere, *h. e.* auribus retro flexis erectisque. V. REMULCEO. *F.*]

RĔMŬLUS, i, m. 2. dimin. Remi, qui fuit frater Romuli conditoris urbis Romae. Nam et *Romulus* diminutivum est a *Romus*, quo nomine appellatum fuisse qui Urbi nomen dedit, ex multis antiquis scriptoribus tradit *Fest.* in *Romam*, et *Serv.* ad *A.* 1, 277. *Sulpicia Sat.* 19. Sed genus Ausonium, Remulique exturbat alumnos, *h. e.* populum Romanum. ℙ Aliorum quoque virorum nomen *Remulus* fuit, ut videre est ap. *Virg. A.* 9, 360. et *ib.* 11, 636. et *Sil.* 4, 186.

RĒMŪLUS, i, m. dimin. remi, parvus remus, κώπιον. *Turpil.* ap. *Non.* 13, 1. Remulis sensim celox ab oppido processerat.

RĒMUNCŪLUS. V. LENUNCULUS.

RĒMUNDO, as, a. 1. repurgo, saepius mundo. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 146, 3. Et ut monimentum remundetur.

*REMUNERABĬLIS, e, adj. *Sarisb. ep.* 143. Remunerabilius est exulem ad bonorum participium invitare. *B. A.*

RĒMŪNĔRĀTĬO, onis, f. ἀντιδωρεά, actus remunerandi, vicissitudo beneficii, aut officii, mutua gratiae relatio. *Cic. Off.* 2, 20. A quo expeditior et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior. *Id. Amic.* 14. Nihil est remuneratione benevolentiae, nihil vicissitudine studiorum officiorumque jucundius. [*Inscr.* ap. *Grut.* 449, 7. Comes sacrarum remunerationum. *F.*]

RĒMŪNĔRĀTOR, oris, m. ἀντιδωρούμενος, qui remuneratur. *Tert. Apol.* 36. Deus exactor et remunerator. [*Inscr.* ap. *Grut.* 449, 7. Remuneratores virtutum. *F.*]

*REMUNERĀTUS, a, um, part. pass. *Gell.* 18, 13. Facete Diogenes sophisma remuneratus. *B. A.*

RĒMŪNĔRO, as, a. 1. ἀντιδωροῦμαι, idem quod remuneror. *Q. Cic. Pet. cons.* 9. *extr.* Ut hoc te officio remunerent. *Petr. Sat.* 140. Puellae artificium pari motu remunerabat. *Quint. decl.* 2, 6. Necesse est sic remuneret, ut faciat heredem. *Papin. Dig.* 17, 1, 7. Laborem dominus remunerare voluit. *Cic.* in *Sen.* 12. Quibus officiis T. Annii beneficia remunerabo. Alii leg. *remunerabor*. ℙ Passive. *Tert. Apol.* 46. Philosophi facilius statuis et salariis remunerantur, quam ad bestias pronunciantur. [*Front.* ad *M. Caes.* (ed. *Maio*) *ep.* 2, 1. Remuneratus est a me mutuo. Adde *Minuc. Octav.* 7. *F.*]

RĒMŪNĔROR, aris, dep. 1. ἀντιδωροῦμαι, ἀνταμείβομαι, munus munere compenso, mutuam gratiam refero, beneficium reddo. *Varr. R. R.* 2, 1. Sed haec ita a nobis accipietis, ut remuneremini nos, ac quae scitis, proferatis. *Cic. Att.* 8, 1. *extr.* Si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderem, tu, si tibi eadem causa est, me remunerere sane velim. *Id. Fam.* 9, 8. Ut possem te remunerari quam simillimo munere. *Caes. B. G.* 1, 44. *extr.* Si liberam sibi possessionem Galliae tradidisset, magno se illum praemio remuneraturum. *Plin. ep.* 7, 31. *extr.* Neque enim obligandus, sed remunerandus est in amoris officio, qui prior coepit. *Cic. Fam.* 2, 6. Nullam esse gratiam, quam non vel capere animus meus in accipiendo, vel in remunerando cumulandoque illustrare possit. ℙ In malam partem. *Catull.* 14, 19. Omnia colligam venena, Ac te his suppliciis remunerabor. ℙ Translate. *Colum.* 2, 2. Solum pinguiter densum impensam coloni, laboremque magno fetu remuneratur. ℙ Activa positione V. in v. praec. ℙ Passiva significatione V. *ib.*

RĒMŪRĬA et Remoria, ae, f. locus in summo Aventino, ubi Remus de Urbe condenda fuit auspicatus. *Fest.* in *Remurinus:* et *Aurel. Vict. de Orig. gent. R.* 23. ℙ *Remuria, orum*, n. plur. dies funesti, quibus Remi umbra sacrificiis placabatur. V. LEMURIA. *Ov. Fast.* 5, 479. Romulus obsequitur, lucemque Remuria dixit Illam, qua positis justa feruntur avis. Aspera mutata est in lenem tempore longo Littera, quae toto nomine prima fuit, *h. e.* r in l, et Lemuria dicta.

RĒMŪRĪNUS ager dictus, quia possessus est a Remo. *Festus.*

RĒMURMŪRO, as, n. 1. ἀντιμορμύρω, vicissim murmuro, resono, reboo. *Virg. A.* 10, 291. Qua vada non spirant, nec fracta remurmurat unda, Sed mare inoffensum crescenti adlabitur aestu. *Stat. Silv.* 5, 1, 152. pinus radice soluta Deficit, et nulli spoliata remurmurat aurae. ℙ Cum accus. *Calpurn. Ecl.* 4, 27. certe mea carmina nemo Praeter ab his scopulis ventosa remurmurat echo. (Ubi *praeter* est *praeterquam*. V. PRAETER.) Sic *Virg. Ecl.* 1, 5. resonare Amaryllida. ℙ [Significat etiam de alicujus fama detrahere. *Front.* ad *Amic.* (ed. *A. Maio*) 2, 6. *in.* Sicut eos, qui dicta factaque tua *(in)* administranda provincia maximis laudibus ferunt, laetus ac libens audio; ita si quis quid remurmurat aut deprecatur, multo scrupulosius ausculto. *F.*]

RĒMUS, i, m. Ῥέμος, frater Romuli primi Romanorum regis, qui in in ipso regni initio, quod per contemptum prima urbis moenia saltu trajecisset, ab eo interemptus est. *Liv.* 1, 7. V. REMORES. [Alii dicunt non a fratre, sed in turba atque rixa a nescio quo occisum esse. *Aurel. Vict. de Or. gent. R. f.* et *Ov. Fast.* 5, 467. et sqq. *Id. ib.* 452. Et male veloci justa soluta Remo. ℙ Aliquando pro Romulo ponitur praesertim a poetis, quia et ipse una cum illo condendae Urbis ab initio auctor fuit. *Catull.* 58, 5. Glubit magnanimos Remi nepotes. *Prop.* 2, 1, 23. Regnave prima Remi. *Id.* 4, 1, 9. domus; et *ib.* 6, 80. signa.

RĒMUS, i, m. κώπη, ἐρετμός, instrumentum, quo naves aguntur: ab altera voce Graeca allata. *Cic. Or.* 1, 33. *f.* Intermisso impetu pulsuque remorum. *Id. fragm.* ap. *Non.* 2, 717. Maris unda, cum est pulsa remis, purpurascit. *Caes. B. G.* 5, 8. Remis contendit, ut eam partem insulae caperet. *Auct. B. Hisp.* 40. *f.* Ancoris sublatis, pelagus remis petere. Sic *Hor. Od.* 1, 37, 16. ab Italia volantem Remis adurgens. *Val. Fl.* 2, 77. Certatim remis agitur mare. *Ov. Met.* 11, 461. reducunt Ordinibus geminis ad fortia pectora remos. *Id. ib.* 3, 662. remorum in verbere perstant; et *Her.* 3, 65. canescunt aequora remis. *Id. Trist.* 4, 5, 19. remis ad opem luctare ferendam. *Id. Met.* 1, 294. ducere remos. *Virg. A.* 4, 594. impellere. *Id. ib.* 8, 689. totum spumare reductis Convulsum remis aequor. *Id. ib.* 3, 207. et 560. insurgere remis; et *ib.* 10, 294. validis incumbere. *Id. ib.* 8, 58. amnem adversum superare; et *ib.* 6, 320. vada verrere; et *ib.* 3, 668. vertere aequora. *Ov. Met.* 3, 657. impellere properantibus. *Virg. G.* 2, 503. sollicitare freta. *Ov. Am.* 1, 11, 5. movere. *Id. Fast.* 5, 644. torquere aquas. *Val. Fl.* 1, 471. pontum subigere. *Virg. A.* 10, 195. navim promovere. *Caes. B. G.* 3, 14. *med.* incitare. *Cic. Tusc.* 4, 5. propellere. *Sil.* 1, 568. impellere. *Val. Fl.* 2, 429. Jam remi tenuere ratem. *Ov. Her.* 13, 101. Remo et velo movere carinam. ℙ *Detergere remos.* V. DETERGEO. ℙ *Inhibere remos.* V. INHIBEO. ℙ De remorum ordinibus in navi. V. DECEMREMIS. ℙ Dare homines ad remum. *Liv.* 34, 6. *med.* et *Suet. Aug.* 16. remiges facere. *Val. Max.* 9, 15. *n.* 3. Remo publicae triremis affixus est. ℙ Translate. *Cic. Tusc.* 4, 5. Quaerebam, utrum panderem vela orationis statim, an eam ante paululum dialecticorum remis propellerem, [*i. e. initium facerem a subtiliore disputatione, more dialecticorum.] ℙ *Velis remisque*, et *remis velisque*, et *remis ventisque*, omni contentione, omni vi. *Id. ib.* 3, 11. *extr.*, *Virg. A.* 3, 563. et *Sil.* 1, 568. ℙ *Remi corporis*, brachia et pedes, quibus homines natant. *Ov. Her.* 18, 215. ℙ *Remi* de alis avium, quemadmodum alae de remis navium. *Id. Met.* 5, 558. super fluctus alarum insistere remis. *Sil.* 12, 97. de Icaro: lapsumque solutis Pennarum remis. V. REMIGIUM et ALA. ℙ Ad illud *Virg. A.* 6, 233. de Miseno: suaque arma viro, remumque tubamque: *Serv.* adscribit, *remum* dici etiam lorum, quod continet tubam: sed non probat; [cum potius interpretandum sit de remo et tuba sepulcro impositis. V. *Heynii* adnotat. ad *l. c. F.*] ℙ [*Commutantur *remi* et *rami*. V. *Burm.* ad *Virg. A.* 4, 399.]

RĒMŪTO, as, a. 1. rursus muto. *Tac. de Or.* 19. Cum conditione temporum formam quoque orationis esse remutandam. Pleraeque tamen opt. edd. habent *mutandam*.

REN. V. RENES.

RĒNĀLIS, e, adj. ad renes pertinens, ut Renalis passio. *Coel. Aurel. Tard.* 5, 3. V. NEPHRITIS. ℙ *Renale, is*, n. 2. absolute. V. LUMBARE.

RĒNANCISCOR, eris, dep. 3. rursus prehendo, reprehendo. *Fest.*

RĒNARRO, as, a. 1. ἐπάνειμι, rursus narro, narrando repeto. *Virg. A.* 3, 716. Sic pater Aeneas intentis omnibus unus Fata renarrabat Divum. *Stat. Th.* 12, 390. Mutuaque exorsae Thebas, Argosque renarrant. *Ov. Met.* 6, 316. Utque fit, a facto propiore priora renarrant. ℙ Pro simplici narro. *Id. ib.* 5, 635. citius, quam nunc tibi facta renarro, In laticem mutor.

*RENASCIBILĬTAS, atis, f. facultas renascendi, ap. *August. B. A.*

RĒNĀSCOR, eris, natus sum, dep. 3. ἀναγεννάομαι, denuo nascor, iterum exorior, renovor. *Cic. Att.* 4, 2. *med.* Qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci: sed, ut spero, jam renascuntur. *Ov. Met.* 15, 402. Corpore de patrio parvum phoenica renasci. *Cic. Tusc.* 1, 23. Principium exstinctum nec ipsum ab alio renascetur, nec a se aliud creabit. *Plin.* 13, 4, 9. Phoenix moritur et renascitur ex seipsa. *Hor. A. P.* 70. Multa renascentur, quae jam cecidere, cadentque Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus. *Id. Or.* 3, 3, 61. Trojae renascens fortuna.

RĒNĀTĀTUS. V. v. sq.

RĒNĀTUS, a, um, part. a *renascor:* ἀναγεννηθείς, iterum natus, denuo exortus. *Cic. Fam.* 11, 14. *med.* Bellum istic renatum mirantur homines. *Sen. Herc. Oet.* 861. Renatus dies. *Virg. A.* 6, 600. nec fibris requies datur ulla renatis. *Juven.* 14, 10. cum septimus annus Transierit, puero nondum omni dente renato. Sic *Plin.* 11, 37, 64. Renati dentes. *Liv.* 6, 1. Velut a stirpibus laetius feraciusque renatae urbis. *Mart.* 6, 4. Tot nascentia templa, tot renata. ℙ [Translate qui per mysteria Deo proximus est factus. *Inscr.* ap. *Grut.* 28, 2. Taurobolio, criobolioque in aeternum renatus. *F.*] ℙ *Renatus* est etiam part. a *reno, as*, rursus natatus. *August. C. D.* 18, 17. Post novem annos eodem renato stagno reformabantur in homines. Alii leg. *renatato*.

RĒNAVĪGO, as, a. 1. ἀναπλέω, rursus navigo, navigando revertor. *Cic. Att.* 14, 16. Post in haec Puteolana, et Cumana regna renavigare. *Sen. Herc. Fur.* 715. Acheron invius renavigari. *Plin.* 32, 1, 1. Cajus princeps ab Astura Antium renavigans.

[RĒNĔCO, as, a. 1. iterum neco. *Not. Tir.* p. 122. Necat, renecat. *F.*]

RĒNECTO, is, a. 3. connecto, innecto. *Avien. Arat.* 474. Cornipedis simul hunc lux indiscreta renectit. Adde *Not. Tir.* p. 122.

RĒNĔO, es, a. 2. ἀναχλώθω, rursus neo. *Ov. Fast.* 6, 757. At Clymenus, Clothoque dolent: haec fila reneri, etc. Alii leg. *teneri*. *Stat. Silv.* 3, 1, 171. Parcarum fila renebo, Extendamque colos. Alii leg. *tenebo*. *Albinov.* 1, 444. Stant rata non ulla fila renenda manu. Alii leg. *tenenda*. Sed hae variae lectiones, quo facilior est *r* in *t* mutatio, eo minus probantur. [*Cf. *Ruhnk.* ad h. l.] [Ap. *Albinov. l. c.* fila renenda videntur significare fila seu neta dissolvenda, a *reneo*, dissolvo. *F.*]

RĒNERVO, as, a. 1. nervos iterum addo. *Not. Tir.* p. 108. Enervat, renervat. *F.*]

RĒNES, num, m. plur. νεφροί, viscera duo utrinque lumbis inhaerentia, sub imis costis, a parte earum rotunda, ab altera vero resima, quae et venosa sunt, et tunicis superconteguntur, ut ait *Cels.* 4, 1. et urinae secernendae deserviunt. *Plin.* 11, 37, 81. Renes habent omnia quadrupedum, quae animal generant: ova parentium testudo sola. *Cic. N. D.* 2, 55. Ab eo cibo cum est secreta bilis, iique humores, qui ex renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem vertunt. *Pl. Curc.* 2, 1, 21. Lien necat, renes dolent. *Cic. Tusc.* 2, 25. Laborare ex renibus. Hujus morbi signa recenset *Cels.* 2, 7., curationem tradit 4, 10. ℙ De lumbis *Nemes. Cyn.* 112. canis sit cruribus altis, Renibus ampla satis validis, diductaque costas. ℙ In gen. plur. habet *renum*, et *renium*. Illud habet *Plin.* multis in locis, et videtur usitatius: hoc *Id.* 21, 29, 103. et 28, 8, 27. bis (prob. *Hard.* ex MSS.) et *Scrib. Comp.* 125. et 143. ℙ Rectus singularis est *ren*, pro quo et *rien* dixere, ut *Charis.* 1, 24. et *Prisc.* 5, 645. docent. *Festus:* Rienes quos nunc vocamus, antiqui nefrundines appellabant, quia Graeci νεφροὺς eos vocant. Plautus in Satyrione: Male tibi evenisse video: glaber erat, tanquam rien. *Petr. Sat.* 35. Structor imposuerat cibum: super Arietem, cicer arietinum: super Taurum, bubulae frustum: super Geminos, testiculos et rienes. *Gloss. Philox.* Rien, νεφρός. Rienosus, νεφριτικός. ℙ In illo *Auson. epigr.* 12. Utere rene tuo, alii leg. *vere*.

RĒNĬCŪLUS, i, m. parvus ren. *Marcell. Empir.* 26. *f.* Reniculorum dolor.

RĒNĪDENTĬA, ae, f. actus renidendi, *h. e.* ridendi. *Tert. Anim.* 49. Infantum renidentias animadvertere.

RĒNĪDĔO, es, ui, n. 2. φαιδρύνομαι, niteo, resplendeo: a *re*, et obsoleto *nideo*, quod fortasse eandem ac *niteo* habet originem. [*V. *Doederl.* 2, 74. plura de his disputantem.] Est autem vox fere poetica. *Hor. Od.* 2, 18, 1. Non ebur, neque aureum Mea renidet in domo lacunar; et *ib.* 3, 19. Ut pura nocturno renidet Luna mari. *Stat. Th.* 10, 660. et sparsa orichalca renident. *Lucr.* 2, 27. Nec domus argento fulget, auroque renidet. *Virg. G.* 2, 282. late fluctuat omnis Aere renidenti tellus, *h. e.* armis nitentibus. Similem locum habet *Lucr.* 2, 327. ℙ Translate. *Claud. in Eutrop.* 2, 501. jam sola renidet In Stilichone salus, *h. e.* spes salutis affulget. [*Renidere* a *nitere* ex *Doederl.* sententia l. l. prolata in eo differunt, quod illud priore loco positum semper ad spectatorem aliquem respiciat, cui res renidens imaginem quasi referat.] ℙ Quia quae nitent, laetitiam quandam prae se ferunt, et hilaritatem conciunt, ideo *renidere* ridere etiam significat, vel risum ore praeferre, παιδιᾷν. [*Hinc sunt qui *renidere* deducendum putant a *ridere*. At v. *Doederl.* 2, 73. sq.] *Catull.* 39, 1. Egnatius, quod candidos habet dentes, Renidet usquequaque; et *ib.* 15. renidere usquequaque te nollem. Nam risu inepto res ineptior nulla est. *Ov. Met.* 8, 197. Ore renidenti. *Sen. Hipp.* 277. de Cupidine: Lascivus puer, et renidens. Adde *Liv.* 35, 49. ℙ De eo, qui cum stomacho et ficte ridet. *Tac. A.* 4, 60. Tiberius torvus, aut vultu falsum renidens. [*Adde 15, 66. et *H.* 4, 43.] *Val. Fl.* 4, 234. Illum Amycus, etc. Ore renidenti lustrans obit, et fremit ausum; et *ib.* 359. renidenti cohibens suspiria vultu. ℙ Translate. *Quint.* 12, 10. *med.* Nescio quomodo velut hilarior protinus renidet oratio. *Calpurn. Ecl.* 2, 81. Mille renidenti dabimus tibi cortice Chias, *h. e.* Chias ficus cortice scisso et hianti,

ut quasi renidere videantur: quae est nota ficus maturae. Alii leg. *renitenti:* sed obstat quantitas. *Plin.* 37, 6, 23. Candore circuli in dejectu renitente. Pleriq. omn. leg. *ridente*, aut *renidente*. ℙ Pro gaudere, laetari. *Hor. Od.* 3, 6, 11. et adjecisse praedam Torquibus exiguis renidet. ℙ Praeteritum est in *Gloss. Philox.* Reniduit, ἐμειδίασεν. ℙ [*Confund. *renidere* et *residere*. V. *Spald.* ad *Quint.* T. 2. p. 471.]

RĒNĪDESCO, is, n. 3. ἀναστίλβω, incipio renidere. *Lucr.* 2, 327. totaque circum Aere renidescit tellus.

RĒNĪSUS. V. RENIXUS.

[RĒNĪTĔO, es, ui, n. 3. iterum niteo, et

[RĒNĪTESCO, is, n. 3. iterum nitesco. *Not. Tir.* p. 183. Enituit, enitescit: renituit, renitescit. ℙ Part. *Renitens* V. in RENIDEO. *F.*]

RĒNĪTOR, eris, nixus sum, dep. 3. ἀντερείδω, contra nitor, obsisto, resisto. *Plin.* 2, 82, 84. Quoniam alter motus alteri renititur. *Id.* 16, 42, 81. Robur et olea curvantur, ceduntque ponderi: abies, larix renituntur, nec temere rumpuntur. *Id.* 8, 32, 50. Cervi vestigant cavernas (*serpentium*) nariumque spiritu extrahunt renitentes, *h. e.* invitos. *Cels.* 5, 28. *n.* 12. Si molle est, quod ultimo specillo contingitur, intra carnem adhuc vitium est: si magis id renititur, ad os ventum est. *Liv.* 5, 49. Auferri aurum de medio, et Gallos summoveri jubet. Cum illi renitentes pactos dicerent sese, negat, etc.

RĒNIXUS, vel Renisus, us, m. actus renitendi. *Cels.* 5, 28. *n.* 12. Cartilago ubi subsit, ipsa sedes docet: perventumque esse ad eam, ex renisu patet. *August. C. D.* 21, 16. Infantia sine ullo renisu subjacet carni.

RĒNO, as, n. 1. ἀνανήχομαι, iterum no, vel natando redeo. *Albinov.* 1, 432. Nullaque per Stygias umbra renavit aquas. *Hor. Epod.* 16, 25. simul imis saxa renarint Vadis levata: pro renaverint, supernataverint. V. RENATUS.

RĒNO, onis. V. RHENO.

RĒNODĀTUS, a, um, part. a *renodo*, retro nodis ligatus. *Val. Fl.* 5, 381. Teque renodatam pharetris ac pace fruentem Ad sua Caucaseae producunt flumina Nymphae, *h. e.* capillis retro in nodum constrictis.

RĒNODIS, e, adj. in nodum convolutus. *Capitol. Albin.* 13. Fuit statura procerus, capillo renodi et crispo.

RĒNODO, as, a. 1. ἀναδέω, retro in nodum constringo. *Hor. Epod.* 11, 28. Aut teretis pueri longam renodantis comam.

[RĒNOMEN, inis, n. nomen illustre. *Not. Tir.* p. 35. Nomen, renomen. *F.*]

[RĒNORMĀTUS, a, um, part. ab inus. *renormo*, iterum ad normam redactus, et colonis adtributus. *Frontin. de colon.* p. 104. *Goes.* Ager ejus (*municipiis*) limitibus Gracchanis antea fuerat assignatus, postea jussu Caesaris Augusti limitibus nominis ejus est renormatus. Adde *eund. ib.* p. 137. *F.*]

RĒNOSCO, is, a. 3. agnosco. *Paul. Nol. carm.* 15, 342. Ad primos pavefacta sonos vix nota renoscit Alloquia.

RĒNOVĀMEN, inis, n. idem ac renovatio. *Ov. Met.* 8, 729. et in hoc renovamine mansit.

RĒNOVĀTĬO, onis, f. ἀνανέωσις, actus renovandi, innovatio, instauratio. *Cic. N. D.* 2, 46. A quo rursum renovatio mundi fieret. *Id. Fam.* 11, 18. Renovatio timoris. *Id. Brut.* 71. doctrinae. *Id. Att.* 6, 1. Confeceram, ut Salaminii solverent centesimis sexennii ductis cum renovatione singulorum annorum, *h. e.* cum anatocismo, seu renovatione usurarum in singulos annos non solutarum. V. RENOVATUS *f.* et ANATOCISMUS.

RĒNOVĀTĪVUS, a, um, adj. qui renovat. Renovativum fulgur vocatur, cum ex aliquo fulgure functio (al. *significatio*) fieri coepit, si factum est simile fulgur, quod idem significet. *Fest.*

RĒNOVĀTOR, oris, m. qui instaurat, et renovat. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 101. *n.* 232. Institutori novorum, ac renovatori operum publicorum.

RĒNOVĀTUS, a, um, part. a *renovo*: ἀνανεωθείς, innovatus, instauratus. *Cic. N. D.* 2, 23. *med.* Virtutis templum a M. Marcello renovatum; et *ib.* 46. Vaporibus altae renovataeque stellae refundunt, etc. *Ov. Met.* 1, 110. Renovatus ager; et *ib.* 7, 215. Nunc opus est succis, per quos renovata senectus In florem redeat. *Quint.* 1, 3. Itaque vim plus afferunt renovati ac recentes: *scil.* post remissionem. *Cic. Prov. cons.* 8. *f.* Instauratae belli reliquiae, ac renovatae. *Id. Har. resp.* 10. *f.* Quorum de sententia illa eadem renovata atque instaurata celebrantur. *Id. Fin.* 1, 17. *f.* Bona praeterita grata recordatione renovata delectant. *Sall. Jug.* 10. In Hispania nomen familiae renovatum est. *Cic. Att.* 6, 3. Centesimis, renovato in singulos annos fenore, contentus non fuit. V. RENOVATIO *f.*

RĒNOVELLO, as, a. 1. ἐπανανεόω, rursum novellum facio. *Colum. Arb.* 6. Factis sulcis vinea optime sternitur, atque ita renovellatur.

RĒNOVO, as, avi, atum, a. 1. ἀνανεόω, novum facio, repeto, instauro, redintegro, innovo. V. REDINTEGRO. [*Cf. *Doederl.* 1, 185.] *Cic. Verr.* 1, 4. Scelus suum illud pristinum renovavit et instauravit quaestorium. *Colum.* 4, 27. *f.* A trunco surgentes pampinos submovere oportebit, nisi ad renovandam vitem unus atque alter servandus est. *Ov. Trist.* 4, 6, 13. Hoc tenuat dentem terram renovantis aratri; et *ib.* 5, 12, 23. Fertilis, assiduo si non renovetur aratro, Nil nisi cum spinis gramen habebit ager. *Petr. Sat.* 117. *med.* Imperamus Eumolpo, ut tabulas testamenti omnibus renovet. *Caes. B. G.* 3, 20. *extr.* Nostros disjectos adorti, proelium renovaverunt; et *ib.* 2. Renovare bellum. *Id. B. C.* 3, 93. cursum. *Ov. Trist.* 2, 209. vulnera. *Tac. A.* 2, 58. dextras. V. DEXTERA. *Id. Hist.* 4, 36. veterem iram; et *ib.* 2, 30. seditionem. *Ov. Met.* 14, 465. luctum. *Front. Aquaed.* 109. beneficium, *h. e.* de novo tribuere. *Cic. Div.* 2, 2. studia philosophiae. (Sic *Hirt. B. G.* 8, 1. consilia belli.) *Id. Acad.* 1, 3. *med.* Haec inclusa habebam, et ne obsolescerent, renovabam, cum licebat, legendo. *Id. ad Quir.* 3. *med.* Frater unus erat, qui suo fletu desiderium mei, memoriamque renovaret. Adde *Liv.* 22, 61. *f.* *Quint. decl.* 1, 12. Noverca miserum dextera sanguinem tulit, et manum subinde renovavit, *h. e.* rursus tinxit sanguine. *Paul. Nol. carm.* 27. 51. Hanc renovaturus citharam Deus ipse magister. ℙ *Renovare animum*, recreare, refocillare, reficere. *Cic. Inv.* 2, 15. *med.* Et auditoris animus aut renovatur ad ea, quae restant, aut omnibus jam dictis, exsuscitatur. *Quint.* 6, 3. *in.* Risus animum ab intentione rerum frequenter avertit, et aliquando etiam reficit, et a societate, vel a fatigatione renovat. *Hirt. B. Afr.* 18. Suis ex terrore firmatis, rursusque renovatis animis, est. Huc pertinet illud *Quint.* 11, 3. *med.* Ars porro variandi (*vocem*) cum gratiam praebet, ac renovat aures, tum, etc. *h. e.* recreat, et interiores reddit ad audiendum; et 10, 5. *med.* Alitur enim, atque enitescit facundia, et assidua contentionum asperitate fatigata renovatur: *scil.* domi declamando. ℙ Pro repetere, rursus dicere. *Cic. Agr.* 2, 10. Hic quoniam video, vos hominis dignitate, et contumelia legis esse commotos, renovabo illud, quod initio dixi, regnum comparari, libertatem funditus tolli. ℙ *Renovare se*, se reficere, reparare vires suas, denuo se instruere et munire. *Cic. Mur.* 15. *f.* Mithridates pulsus regno, tantum tamen consilio et auctoritate valuit, ut se, rege Armeniorum adjuncto, novis opibus copiisque renovarit.

RĒNŪBO, is, n. 3. iterum nubo. *Tert. ad Ux.* 1, 7. Etsi non delinquas renubendo.

RĒNŪDĀTUS, a, um, part. a *renudo:* vestem rejiciendo nudatus. *Appul. Met.* 8. Brachia humero tenus renudata; et *ib.* Asinus cunctis stramentis renudatus.

RĒNŪDO, as, a. 1. spolio, detego. *Arnob.* 2. *f.* Tectum, parietes, januas, partesque alias operis renudare, dejicere, affligere. *Capell.* 1, 15. Septem radiorum coronam renudavit, *h. e.* detexit, ostenditque.

RĒNŪDUS, a, um, adj. retro nudus. *Tert. Virg. vel.* 17. A fronte quidem protectae, qua autem proprie caput est, renudae. Alii leg. *nudae.*

[RĒNŬLUS, i, m. dimin. renis. *Theod. Prisc.* 4, 2. *med.* Ipsa vesica habet super se duos renulos nervosos, non ad suscipiendam urinam, sed ad respirationem, vel vaporationem. *F.*]

RĒNŪMĔRO, as, a. 1. ἐπαναριθμέω, [*proprie signif. enumerare nostr. *zuzählen.* Interdum enim re notionem vocis *extrinsecus* vindicat. Cf. *Doederl.* 1, 171. *Caes. B. C.* 3, 53. millia sagittarum circiter triginta in castellum conjecta Caesari renumeraverunt: ubi al. male *renuntiaverunt.* ℙ Deinde est] reddo, quod ante mihi numeratum fuerat, ut aurum, dotem. *Ter. Hec.* 3, 5, 52. Sin alio est animo, renumeret dotem huc; eat. *Pl. Bacch.* 1, 1, 12. Nam haec si habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens. *Appul. Apol.* Potes, ne sis beneficio obstrictus, omne, ut acceperas, renumerare. [*Inscr.* ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 6. p. 241. *ed. Mediol.* Ut tum omnis summa municipibus Tusculanis confestim renumeraretur. *F.*]

*RENUNCULUS, i, m. renulus. *Marc. Empir.* 26. *B. A.*

RĒNUNTĬĀTĬO, onis, f. ἀπαγγελία, actus renuntiandi, editio, enuntiatio, relatio, nuntiatio. *Cic. Verr.* 2, 1, 34. *f.* et *ib.* 2, 3, 39. Caesio renuntiat, se dedisse: cognoscite renuntiationem ejus ex litteris. *Id. Planc.* 6. Renuntiatio suffragiorum. *Id. Mur.* 8. *med.* consulum, aut praetorum, *h. e.* cum post lata suffragia renuntiantur nomina eorum, qui creati sunt. *Ulp. Dig.* 11, 6, 1. Interest nostra, ne fallamur in modi renuntiatione, si forte vel de finibus contentio sit, vel emptor scire velit, vel venditor, cujus modi ager vaeneat, *h. e.* cum mensor renuntiat, cujus mensurae ager sit. *Id. ib.* 17, 2, 63. *extr.* Voluntate distrahitur societas, renuntiatione, *h. e.* renuntiando et profitendo, se nolle amplius socium esse. Ad illud *Cic. Verr.* 1, 6. Postquam mea diligentia istorum impudentiam vicerat, renuntiata est tota conditio: *Ascon.* haec adscribit: Renuntiatio dicitur recusatio ejus rei, quae in pactum et promissionem venerat.

RĒNUNTĬĀTOR, oris, m. ἀπαγγελτήρ, qui renuntiat, refert, denuntiat; relator. *Paul. Dig.* 48, 19, 38. Transfugae ad hostes, vel consiliorum nostrorum renuntiatores, aut vivi exuruntur, aut furca suspenduntur. *Tert. Anim.* 57. *f.* Renuntiator dispositionis infernae. *Id. Pall.* 4. *extr.* Reverere habitum, erroris tui renuntiatorem.

RĒNUNTĬĀTUS, a, um, part. a *renuntio:* καταγγελτος, enuntiatus, relatus, editus. *Cic. Manil.* 1. Ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus. *Plin. Pan.* 92. Renuntiati consules. *Plin. alter* 6, 31, 36. Insula renuntiata Alexandro regi adeo dives, ut equos incolae talentis auri permutarent.

RĒNUNTĬO, as, avi, atum, a. 1. ἀναγγέλλω, ἀπαγγέλλω, nuntium affero, significo, declaro, refero, expono: et proprie adhibetur cum nuntium alicujus rei exspectanti [*referimus missi.] *Sall. Jug.* 98. *med.* Marius cum Ligure, promissa ejus cognitum ex praesentibus misit: quorum uti cujusque ingenium erat, ita rem difficilem aut facilem renuntiavere. *Pl. Bacch.* 4, 2, 10. Non it: negato esse ituram: abi, et renuntia. *Ter. Hec.* 3, 5, 58. Deliberet, renuntietque hodie mihi, velitne, an non. *Nep. Ann.* 12. *f.* Imperavit ei, ut propere sibi renuntiaret, num eodem modo undique obsideretur. Puer cum celeriter, quid esset, renuntiasset, etc. [*Huc pertinent] *Cic. Phil.* 9, 1. et *Liv.* 39, 33. Renuntiare legationem, i. e. quae in legatione acta sunt, referre. [*Cf. *Spald.* ad *Quint.* 7, 4, 36. quoniam alii in renunciando sunt. — In seq. loco.] *Quint.* 12, 11. Sed hi primum renuntient sibi, quanta sit humani ingenii vis, quam potens efficiendi quae velit, *h. e.* secum cogitent, et ipsi se quodammodo doceant: [**Spalding. renunciare* idem esse notaverat, quod *respondere.* Quam interpretationem *Buttm.* recte quidem, ut parum satisfacientem, vituperat, haud tamen pari jure scripturae veritatem impugnare videtur. Locus sanus est: *renunciare*, insolito quidem usu, sed proprio significatu, cum magna quadam adversandi gravitate, positum ita, ut quaeritantes quasi, quid sit, quod ipsorum oppositis (lege antecedd. a *Vereor* usque ad *experimentum*) respondeat, ipsos sibi ut responsum referant, jubeat illud res quidem continens notissimas, sed quibus ipsis adversariorum sententia talia, quae debent, parum reminiscentium, omnino refutatur. ℙ Hinc est in universum alicujus rei nuncium alicui afferre, etiam non exspectanti, a quo missi non sumus: Illud tamen notandum: *renunciare* plerumque hoc sensu tum poni, cum quis nuntii cujusdam prius accepti certiorem alium facit. Cf. *Brem.* ad *Nep. Alc.* 10, 1.] *Pl. Trin.* 4, 2, 153. Ibo ad illum, renuntiabo, ut sciat, etc. *Id. Men.* 2, 3, 66. Hunc metuebam, ne meae uxori renuntiaret de palla, et prandio. *Cic. Verr.* 2, 3, 31. Acta et imperia tua domum ad senatum suum renuntiaverunt. [*Porro huc pertinet:] *Ter. Andr.* 3, 2, 19. Quasi non tibi renuntiata sint haec sic fore. ℙ Passive impersonaliter. *Sulpic.* ad *Cic. Fam.* 4, 5. Postquam mihi renuntiatum est de obitu Tulliae. *Pl. Men.* 5, 9, 68. Postquam ad nos renuntiatum est, te et patrem esse mortuum. ℙ Pertinet ad comitia, et significat praedicare ejus nomen, cui est magistratus datus. *Cic. Planc.* 6. Renuntiare suffragia. *Id. Manil.* 1. Ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum. *Vell.* 2, 92. Juravit, etiam si factus esset consul suffragiis populi, tamen se eum non renuntiaturum. *Varr. R. R.* 3, 17. *in.* Coepti sunt a praecone renuntiari, quem quaeque tribus fecerint aedilem. Adde *Liv.* 5, 18. et *Plin. Pan.* 63. ℙ *Renuntiare alicui*, contrarium nuntiare. *Pl. Stich.* 4, 1, 18. Jube domi coenam coqui, atque ad illum renuntiari, *h. e.* nuntiari, te non ire ad coenam apud illum, cui promiseras. *Sen. Clem.* 1, 9. *med.* Renuntiari extemplo amicis, quos in consilium rogaverat, imperavit, *h. e.* nuntiari, ne ad se venirent: eorum se consilio in praesens non usurum. ℙ Hinc saepe ponitur pro recusare, rejicere: quasi contrario nuntio irritum facere: [*Nostr. *aufsagen*, *aufkündigen.*] *Cic. Verr.* 2, 2, 36. Iste vehementer Sthenio infensus, hospitium ei renuntiat: domo ejus emigrat. *Tac. A.* 2, 70. Renuntiare alicui amicitiam. Sic *Liv.* 36, 3. Num prius societas eis et amicitia renuntianda esset, quam bellum indicendum; et *Paul. Dig.* 17, 2, 65. *med.* Qui societatem in tempus coiit, ante tempus eam renuntiando, socium a se, non se a socio liberat. *Cic. Verr.* 1, 6. Renunciata est tota conditio. *Id. Att.* 2, 1. *med.* Quid impudentius publicanis renuntiantibus? *h. e.* conductioni vectigalium reipubl. stare recusantibus; ℙ [*Hinc *renunciare* in universum est, ut Gr. ἀπειπεῖν, i. q. nolle amplius uti aliqua re.] *Cic. Or.* 1, 53. *extr.* Renuntiare Stoicis. *Quint.* 10, 7. civilibus officiis. *Suet. Rhet.* 6. foro. *Id. Galb.* 11. vitae. *Plin. Pan.* 59. inertiae. *Tert. ad Ux.* 1, 1. nuptiis. *Sen. Q. N.* 6, 1. *med.* Desinamus audire istos, qui Campaniae renuntiavere, quique post hunc casum (*terraemotus*) emigravere. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 407. sq.] ℙ *Renuntiare repudium*, sponsalia aut matrimonium dissolvere. V. REPUDIUM. *Pl. Aul.* 4, 10, 53. et *Ter. Phorm.* 4, 3, 72.

RĒNUNTĬUS, ii, m. qui iterum nuntiat. *Pl. Trin.* 2, 1, 21. Ducitur familia tota, vestiplicae, unctor, auri custos, flebelliferae, sandaligerulae, cantrices, cistellatrices, nuntii, renuntii, raptores panis et peni. *Imppp. Valent., Valens, et Grat. Cod. Theod.* 3, 7, 1. Taciti nuntii, renuntiique corrupti.

RĒNŪO, is, ui, a. 3. *ἀναινέω*, nutu significo mihi non placere, renuto, abnuo. *Hor. Ep.* 2, 2, 63. renuis quod tu, jubet alter; et *ib.* 1, 16, 49. renuit, negitatque Sabellus. *Cic. Rab. Post.* 13. Superciliis renuentes huic decem millium crimini. *Ov. Her.* 17, 89. Credere me tamen hoc oculo renuente negavi. *Id. Met.* 8, 325. et *Mart.* 2, 14. Facere aliquid renuente Deo, *h. e.* non probante, invito. ℙ Recusare, refugere. *Cic. Coel.* 11. *extr.* Qui nullum convivium renuerit, qui unguenta sumpserit. *Sabin.* 1, 27. Nec laudem Danai tanto renuere labori.

RĒNŪTO, as, n. 1. frequent. a *renuo*. *Lucr.* 4, 601. vox per flexa foramina rerum Incolumis transire potest, simulacra renutant, *h. e.* transire non possunt, recusant, renituntur, nequeunt. *Id.* 3, 351. si quis, corpus sentire, renutat, *h. e.* non admittit, negat. Alii leg. *refutat.*

RĒNŪTRĬO, is, a. 4. rursus nutrio. *Paul. Nol ep.* 23, 9. Quem ex rusticanis receptum domi renutrimus. Adde *Not. Tir.* p. 123.

RĒNŪTUS, us, m. *ἀνάνευσις*, actus renuendi. *Plin. ep.* 1, 7. Nam ego quoque simili nutu ac renutu respondere voto tuo possum. *Nutu*, idest assensu, dum promitto non agere adversus Gallum: *renutu*, dum nolo adesse Gallo adversus Baeticos, quem tu me defendere in judicio rogas. Hic vero alluditur ad illud *Homeri Iliad.* 16, 250. *Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε κατὰ ῥῖνα, ἕτερον δ' ἀνένευσεν.*

[RĒONĔRO, as, a. 1. iterum onero. *Not. Tir.* p. 131. Onerat, reonerat. *F.*]

RĒOR, reris, ratus sum, dep. 1. *νομίζω, οἶμαι, ἡγέομαι*, puto, opinor, existimo, censeo, arbitror. *Quint.* 8, 3. *med.* dicit, *reor* esse verbum horridum, fortasse ob repetitionem caninae litterae. *Cic. Or.* 3, 38. docet esse poeticum, sed tamen ex his unum, quibus loco positis, grandior atque antiquior oratio saepe videri solet. Non est autem in omnibus aeque modis, temporibus, ac personis usitatum. *Hor. Ep.* 2, 1, 69. Non equidem insector, delendave carmina Laevi Esse reor. *Petr. Sat.* 122. *med.* Ut reor, haud impune. *Prop.* 3, 2, 38. Ut reor a facie, Calliopea fuit. *Virg. A.* 6, 96. via prima salutis, Quod minime reris, Graja pandetur ab urbe. *Pl. Bacch.* 5, 2, 9. Rerin' ter in anno tu has tonsitari? *h. e.* rerisne? *Virg. A.* 7, 437. Non, ut rere, meas effugit nuncius aures. *Stat. Th.* 11, 59. nec se tanta in certamina retur Sufficere. *Pl. As. f.* et *Cic. Off.* 2, 9. Remur impetrari posse. *Arnob.* 4, 146. Omnis superorum gens, quam esse vos remini. *Pl. Amph.* 3, 3, 20. Qai me Amphitruonem rentur esse. *Cic. Or.* 3, 22. Quem natura rebar ita dicere. (*Id. ib.* 38. *rebar* dicit esse poeticum, ut modo diximus.) *Virg. A.* 10, 608. Ut rebare. *Cic. Att.* 7, 3. *med.* Non rebatur oppidum ese Piraeea. *Pl. Amph.* 5, 1, 43. Aedes ruere rebamur tuas. *Cic. N. D.* 3, 6. *f.* Rebantur enim fore, ut etc. *Sen. Herc. Fur.* 303. Tum restitutas fratribus rebor meis animas. *Pl. Aul.* 1, 2, 28. Sese a me derideri rebitur. *Id. Most.* 1, 3, 2. Unde me melius rear esse defaecatam. *Caecil.* ap. *Gell.* 7, 17. *f.* Ne tibi me esse ob eam rem obnoxium reare. *Auson. VII. Sapient. in.* Ignoscenda istaec, an cognoscenda rearis. *Pl. Ps.* 1, 2, 34. Ut mihi rem esse reantur. *Cic. Har. resp.* 23. Tum vero est ratus se posse. *Ter. Hec.* 5, 3, 21. Uxorem, quam nunquam est ratus posthac se habiturum, reddo. ℙ Usurpant praeterea *Liv.* 40, 5. *extr.*, *Plin. uterque*, *Tibull.*, *Lucan.*, *Mart.* et saepissime *Ov.*, sed fere in prima persona praesent. indicat., aut quo modo allata exempla praeferunt: in aliis modis non facile sine auctore adhibuerim. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 408.]

[RĒORNO, as, a. 1. iterum orno. *Not. Tir.* p. 56. Ornat, reornat. *F.*]

[RĒPĂCISCOR, eris, n. 3. iterum paciscor. *Not. Tir.* p. 71. Paciscitur, repaciscitur. *F.*]

RĒPĀGES, um, f. plur. a poetis interdum dicuntur, quae *repagula* usitatiori vocabulo appellantur. *Fest.* in *Repagula.*

RĒPĀGŬLA, orum, n. plur. *μοχλὸς, κόραξ*, vectis, qui ostii valvis contra vim opponitur: a *re*, et *pango.* Adhibetur fere in plur. numero. *Festus:* Repagula sunt, ut Verrius ait, quae patefaciundi gratia ita figuntur, ut ex contrario quae oppanguntur. Alii legi mallent: *ut ex contrario* (*h. e.* extrinsecus) *quoque oppandantur. Plin.* 16, 42, 82. Firmissima in rectum abies. Eadem valvarum repagulis, et ad quaecumque libeat intestina opera aptissima. *Hard.* in MSS. suis *paginis* legit. *Pl. Cist. a.* 3. *v.* 18. Occludite aedes pessulis, repagulis. *Cic. Div.* 1, 34. In templo Herculis valvae clausae repagulis, subito se ipsae aperuerunt. *Id. Verr.* 2, 4, 43. *med.* Convulsis repagulis, effractisque valvulis, etc. *Appul. Met.* 1. Fores ad pristinum statum resurgunt, cardines ad foramina resident, postes ad repagula redeunt, ad claustra pessuli recurrunt. *Ov. Met.* 5, 120. Raptaque de dextro robusta repagula poste Ossibus illidit mediae cervicis. ℙ Item obices, quibus armenta coercentur. *Id. Met.* 2, 155. Solis equi hinnitibus auras Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant. Quae postquam Tethys repulit, etc. *Lucan.* 1, 295. laxare repagula. *Sil.* 16, 317. prolato sonuere repagula signo. ℙ Translate est quodvis obstaculum, frenum, impedimentum. *Cic. Verr.* 2, 5, 15. *med.* Repagula juris, pudoris, et officii perfringere. *Vet. Poeta* ap. *eund. N. D.* 3, 26. Ille mihi hodie tradidit repagula, Quibus ego iram omnem recludam.

RĒPANDĪROSTRUS, a, um, adj. rostrum habens repandum, ut pisces multi praesertim majores, ut delphines, item anates. *Quint.* 1, 5. *med.* Ex praepositione, et duobus vocabulis dure videtur struxisse Pacuvius: Nerei repandirostrum incurvicervicum pecus. V. *Lucilii l. c.* in REPANDUS.

RĒPANDO, is, a. 3. *ἀνοίγω*, aperio, pando. *Appul. Met.* 4. et 9. Clave subtracta, fores januae repandit.

RĒPANDUS, a, um, adj. *ἀνάσιμος, ἀνάκυρτος*, retrorsum pandus, h. e. paudus simul, et latus, sed retro et sursum reflexus, recurvus, qualia sunt dorsa, et ora delphinum. Nam de his *Plin.* 9, 8, 7. Pro voce gemitus humano similis, dorsum repandum, rostrum simum; et *Ov. Met.* 3, 680. truncoque repandus in undas Corpore desiluit: falcata novissima cauda est; et *Lucil.* ap. *Non.* 2, 689. Lascivire pecus jussit, rostrique repandum. *Plin.* 14, 22, 28. Pectorosa cervicis repandae ostentatio. *Cic. N. D.* 1, 29. *f.* Juno Sospita cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis. [*Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 48. Repanda crura Socratis. *F.*] ℙ Hinc repandirostrum pecus Nerei, ap. *Pacuv.* V. REPANDIROSTRUS.

RĒPANGO, is, a. 3. idem quod pango, sero, ap. *Colum.* 5, 10. *med.* et *Arb.* 22. *f.* Ibique semen ferulae repangito.

RĒPARĀBĬLIS, e, adj. *ἀνασκευαστὸς*, qui reparari potest. *Ov. Her.* 5, 103. nulla reparabilis arte Laesa pudicitia est: deperit illa semel. *Id. Met.* 1, 379. Dic, Themi, qua generis damnum reparabile nostri Arte sit. *Sen. Br. V.* 6. *med.* Nec velocissimae omnium rei (*vitae*) moram facitis, sed abire, ut rem supervacuam ac reparabilem, sinitis. *Auson. Idyll.* 18, 6. Phoenix, reparabilis ales. *Val. Fl.* 6, 502. nulla coelum reparabile gaza, *h. e.* lux, et vita nulla pecunia reparabilis. *Pers.* 1, 102. Euion ingeminat: reparabilis adsonat echo, *h. e.* quae facile voces reparat ac repetit.

RĒPARĀTIO, onis, f. *ἀνασκευή*, actus reparandi, renovatio, instauratio. *Prud. Cath.* 10, 128. Mors haec reparatio vitae est. [*Inscr.* ap. *Grut.* 177, 7. Desperatio reparationis. *F.*] Tribuunt et *Sall. Jug.* 34., sed rectius ibi leg. *paratio.*

RĒPARĀTOR, oris, m. *ἀνασκευαστής*, qui reparat, refector. *Stat. Silv.* 4, 1, 11. immensi reparator maximus aevi, *h. e.* Janus, qui novos annos inchoat. [*Inscr.* ap. *Mur.* 260, 1. Reparatori orbis sui D. N. Flavio Valerio Constantino P. F. I. Aug. etc. *F.*] V. IMPORCITOR.

RĒPARĀTUS, a, um, part. a *reparo: ἀνασκευασθείς*, restitutus, refectus, instauratus. *Just.* 20, 5. et 26, 2. *f.* Reparatus exercitus. *Id.* 22, 1. *extr.* Reparatum bellum. *Petr. fr.* p. 677. *Burm.* Iunaeque senectus, Et reparatus honos. *Lucan.* 4, 635. Desectam timuit (*Alcides*) reparatis anguibus Hydram. ℙ Iterum emptus, commutatus. *Hor. Od.* 1, 31, 12. Vina Syra reparata merce, *h. e.* empta ex pecunia, quae redacta est ex merce Syra devendita: vel potius commutata cum merce Syra.

RĒPARCO, is, arsi, n. 3. parco. *Pl. Truc.* 2, 4, 25. Utinam a principio rei item parsissem meae, ut nunc reparco saviis. [*Perperam *F.* huic loco *non parcendi* notionem adscripserat: quae ne in altero quidem est, quem laudaverat *Lucr.* 1, 668. modo pro *ulla* cum *Eichstadt.* legas, quod unice praeferendum est: Scilicet ex nulla facere id si parte reparcent, i. e. si ab hoc faciundo nulla ex parte abstinebunt.]

RĒPĂRIO. V. REPATRIO.

RĒPĂRO, as, avi, atum, a. 1. *ἀνασκευάζω*, rursus paro, recupero, iterum acquiro, [*quod amisi, perdidi.] *Cic. Verr.* 2, 3, 86. Arator id perdere videbatur, quod alio praetore, eodem ex agro reparare posset. *Plin. ep.* 6, 8. Reparare quod amiseris, gravius est; et 3. Ager, descrescente reditu, etiam pretium minuit, quod, te curante, reparabit. *Id. ep.* 4, 9. Faces ignem assidua concussione custodiunt, dimissum aegerrime reparant. [*Suet. Dom.* 20. reparare bibliothecas incendio absumptas. *Curt.* 5, 1, 9. celeriter pristinam reparasse fortunam.] *Ov. Met.* 1, 11. Nec nova crescendo reparabat cornua Phoebe. ℙ Rursus emere, quod faciunt mercatores, qui, merce divendita, aliam comparant, *ἀνταγοράζειν*, nam et parare pro emere ponitur. *Hor. Od.* 1, 31, 12. Vina Syra reparata merce. V. REPARATUS. *Alfen. Dig.* 15, 3, 16. Cum boves non essent idonei, jusserat eos vaenire, et his nummis, qui recepti essent, alios reparari. *Scaev. ib.* 45, 1, 122. Si intra diem supra scriptam non reparasset merces. *Inscr.* ap. *Donat.* 39, 5. Silvano sacrum: C. Vicirius Rufus V. S., quod licuit Junianos reparare penates; quodque tibi vovi, posui de marmore signum. ℙ Et de novo creare, producere. *Ov. Met.* 15, 252. rerumque novatrix Ex aliis alias reparat natura figuras. *Sen. Oed.* 650. Solum reparat herbas. *Mart.* 9, 102. de Hercule: Fecundam vetuit reparari mortibus Hydram, *h. e.* nova capita, recisis aliis, emittendo. *Plin.* 27, 13, 111. Trichomanes illitum cohibet capillos defluentes: aut si effluverint, reparat. ℙ Translate. *Quint.* 10, 1. *med.* Velut attrita quotidiano usu forensi ingenia, optime rerum talium blanditia (*lectione poetarum*) reparantur. *Id.* 10, 1. *med.* Timagenes intermissam historias scribendi industriam nova laude reparavit. ℙ Est etiam reficere, renovare. *Plin. ep.* 10, 75. Ut aedificia, quae sunt vetustate sublapsa, reparentur in melius. *Laurea Tull.* ap. *Plin.* 31, 2, 3. Reparare villam sub cultu potiore. *Hirt. B. Alex.* 12. *med.* Non tamen reparandae classis cogitationem deposuerunt. [*Cf. *Suet. Aug.* 16.] Sic *Liv.* 30, 7. Reparare exercitum. *Curt.* 5, 7. Hoste et aemulo regni reparante tum cum maxime bellum; et *Just.* 22, 3. Majori mole bellum reparaturus. *Id.* 3, 6. Reparare proelium. *Tac. A.* 3, 73. auxilia, *h. e.* auxiliares copias rursus adscischere; et *Lucan.* 1, 104. novas vires, *h. e.* rursus sibi comparare. [*Cf. *Vell.* 2, 37, 1.] ℙ Item reficere, recreare. *Ov. Met.* 4, 215. de ambrosia: et fessa diurnis Membra ministeriis nutrit, reparatque labori. *Id. Her.* 4, 90. de requie: Haec reparat vires, fessaque membra novat. *Plin. Pan.* 11. *med.* Tam assiduus in tribunali, ut labore refici ac reparari videretur. ℙ In illo *Hor. Od.* 1, 37, 23. nec latentes Classe cita reparavit oras: *reparare* alii sumunt pro munire, portus, arces, et moenia, quae lapsa erant, celeriter classe omnia loca obeundo, reficere et firmare: alii pro mutare, alias nempe terras et magis abditas pro Aegypto, quae infirma erat, et tota patebat hosti, quaerere: alii alia comminiscuntur. *Bentl.* ut se expediat, *penetravit* ex conjectura substituit. ℙ Quidam putant, primam syllabam produci posse, propter ea, quae in RE dicta sunt. Itaque legunt ap. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 260. Oebaliae qui reparat arva Galesus. Alii leg. *temperat.* ℙ [*Confund. *reparare* et *recuperare.* V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* 1, 21. p. 132. *ed. Fr.*]

RĒPARTŪRIENS, entis, part. ab inus. *reparturio*, iterum parturiens, seu pariens. *Alcim.* 6, 71. Teque reparturiens melius, quam corporis alvo.

RĒPASCO, is, a. 3. paseo, aut iterum pasco. *Paul. Nol. ep.* 44. (al. 31.) 1. *f.* Impendia, quibus possim divitem pauper repascere. *Id. carm.* 21, 853. Ut pullus aquilae dicitur repascere Cura parentes mutua.

RĒPASTĪNĀTĬO, onis, f. *βωλοστροφία*, actus repastinandi. *Cic. Sen.* 15. *med.* Quid agri fossiones, repastinationesque proferam? *Colum.* 2, 2. *med.* Junci et graminis pernicies repastinatio est. ℙ Translate est coercitio, et amputatio inutilium, ap. *Tert. Exhort. cast.* 6.

RĒPASTĪNĀTUS, a, um, part. a *repastino*, refossus. *Colum.* 3, 18. Repastinatae dictae fuere vineae veteres, quae refodiebantur: nunc antiquitatis imprudens consuetudo quidquid emoti soli vincis praeparetur, repastinatum vocat. *Plin.* 17, 10, 11. Baccae lauri in sulco repastinato palmi altitudine, vicenae fere acervatim seruntur. *Id.* 19, 8, 41. *n.* 2. Si caulem in repastinato seras; et *med.* Hipposelinum et repastinato seritur.

RĒPASTĪNO, as, avi, atum, a. 1. *βωλοστροφέω, μεταστρέφω*, iterum pastino, refodio. *Varr. R. R.* 1, 18. *f.* Si altius repastinaverimus, aut minus, quam alii. *Colum.* 4, 32. Cultus arundinetis primo triennio non alius est, quam ceteris: cum deinde consenuit, repastinandum est. ℙ Et universim pastino fodere, terram pastino emovere, purgare. *Festus:* Repastinari ager is dicitur, ut Verrius existimat, cujus natura mutatur fodiendo, cum aut silvester excodicatur, aut lapis mollitur frangendo, ut fiat pascuus vel pecoribus herba, vel hominibus satione. Cato in ea, quam scripsit de suis virtutibus contra Thermum: Ego jam a principio in parsimonia, atque in duritia, atque industria omnem adolescentiam meam abstinui, agro colendo, saxis Sabinis, silicibus repastinandis atque conserendis. Afranius in Repudiato: Repastinasse ratus sentes fugis. *Plin.* 13, 13, 27. Cn. Terentium scribam, agrum suum in Janiculo repastinantem offendisse arcam etc. ℙ *Repastinare ungues* ap. *Tert. Poen.* 11. est a sordibus ibi collectis purgare: Et, repastinare usum divitiarum, *Id. Cult. fem.* 9. *med.* h. e. coercere, et veluti purgare: Et, repastinare vitis modo vitam aetate renovata, *Id. Anim.* 50. *f.* h. e. instaurare, et renovare: Et, commissionem injuriae, metu vicis statim occursurae, repastinare, *Id. adv. Marc.* 2, 18. h. e. infodere, obruere (ut vites pastino solent) sepelire, reprimere. Omnes hae metaphorae duriores sunt, et suo auctori relinquendae.

RĒPATRĬO, as, n. 1. in patriam redeo. *Solin.* 27. *med.* Cum multi captivorum, aliquot leonibus obvii, intacti repatriaverint. *Id.* 33. Hoc Arabiae sat est: hinc ad Pelusium repatriemus, *h. e.* redeamus. *Salm.* mallet *ad Pelusium vela repariemus*, h. e. aequatis velis, et secundo vento Pelusium renavigemus. *Repariare vela*, esse ait paria et aequa vela facere, quod fit, cum secundus ventus est. **Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 1, 4. *in.* Ovans repatriat Macedoniam. *B. A.*

RĒPECTO, is, a. 3. Quidam legi putant ap. *Stat. Th.* 6, 418. Colla toris crinita tument, stantesque repectit Aura jubas. Ubi *Vet. Schol.* exponit dispergit, dissolvit, pexas comptasque jubas turbat. Alii

leg. *reflectit. Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 222. de Tiberino: frons hispida manat Imbribus: in liquidos fontes se barba repecit, *h. e.* aquae ex barba profluunt, quando illa pectine discriminatur. V. REPEXUS.

[RĒPĔDĂBĬLIS, e, adj. qui repedat, vel cedit retro. *Venant. Vit. S. Mart.* 1, 266. Extimuit fugitiva virum repedabilis arbor, Et ruitura procul suspendit in aera lapsum. *F.*]

RĒPĔDO, as, n. 1. *ἀναποδίζω*, pedem retraho, retro cedo, recedo, revertor. [*De orig. significatuque hujus verbi exposuit *Doederl.* 3, 180. sq.] *Lucil.* ap. *Non.* 2, 738. Redisse ac repedasse, ut Roma vitet Gladiatoribus; et *ib.* Romam repedabam numero. *Ammian.* 24, 7. *f.* Ad signa repedavit ocius miles. Adde *Juvenc.* 4, 492. ℙ Cum accus. *Pacuv.* ap. *Fest.* Paulum repeda, gnate, a vestibulo gradum. Nisi dicas illud *gradum* esse casum communem spatii. ℙ [*Est etiam discursitare. *Lucr.* 6, 1279. repedabat populus perturbatus. ℙ *Part. *repedatus* ap. *Auct. Itin. Alex.* 103. ed. *A. Maio. B. A.*]

RĒPELLO, is, repuli, repulsum, a. 3. *ἀνωθέω, ἀναχρούω, ἀποσείω*, accedentem, aut irruentem retro pello, rejicio, depello, prohibeo, propello, propulso, amoveo. *Cic. Caecin.* 12. Homines inermes armis, viris, terrore periculoque mortis repellere, fugare, avertere. *Id. in Sen.* 7. *med.* Tu affinem tuam, filiam meam, superbissimis et crudelissimis verbis a genibus tuis repulisti. *Id. Dom.* 21. Homines audaces ab ejus templi aditu atque ascensu repulisti. *Pl. Bacch.* 4, 3, 18. Hinc eum ego meis dictis malis his foribus repuli. *Plin.* 7, 16, 15. *extr.* Zoroastri cerebrum ita palpitasse, ut impositam repelleret manum. *Hirt. B. Alex.* 20. Navigia hostium lapidibus ac fundis a mole repellebant. *Id. B. Afr.* 6. Cum ab equitibus in oppidum repellerentur. [**Liv.* 25, 41. Qui Hannibalem subnisum victoria Cannensi ab Nola repulisset.] *Caes. B. C.* 2, 9. Tegumenta ad defendendos ictus, ac repellendos. *Mart.* 3, 46. In turbam incideris: cunctos umbone repellet. *Ov. Met.* 3, 63. serpens squamis defensus, et atrae Duritia pellis, validos cute repulit ictus. ℙ Illa urbana sunt et commoda *Cic. Or.* 11. Hac ego religione non sum ab hoc conatu repulsus. *Id. Fin.* 1, 9. Omne animal dolorem aspernari, et quantum possit, a se repellere. [*Adde *ib.* 4, 9, 21.] *Id. Cat.* 1, 10. *f.* Repellere aliquem a consulatu. (Hinc *repulsa.*) [*Cf. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 20, 177.] *Id. Mil.* 28. furores Clodii a cervicibus civium. *Id. Mur.* 14. ab aliquo belli pericula. *Id. Off.* 1, 38. *f.* contumeliam, *h. e.* contumelia abstinere. *Id. Or.* 1, 11. oratorem a gubernaculis civitatum. *Q. Cic. Pet. cons.* 14. aliquem ab impediendo ac laedendo. *Virg. A.* 4, 214. alicujus connubia, *h. e.* recusare. [**Vell.* 2, 56, 4. repulsum ita erat diadema, ut non offensus videretur; et 89, 5. repellere dictaturam.] *Ov. Met.* 14, 377. preces, *h. e.* rejicere. *Id. A. Am.* 3, 491. fraus est concessa, repellere fraudem. *Id. Met.* 5, 777. facinus, *h. e.* prohibere. ℙ [*Deinde *repellere* usurpatur etiam removendis, rejiciendis iis, quae non accedunt, irruunt, sed in loco, cui accedimus, sedent, prostant, obstant, impedimento sunt: ita ut idem fere sit, quod *depellere*. Huc pertinent ex iis, quae *Forc.* laud., ista:] *Hirt. B. Alex.* 20. naves a terra repellere, ne hostes potirentur. — *Repellere repagula* ap. *Ov. Met.* 2, 157. est removere, tollere, et aditum aperire. *Id. ib.* 6, 661. Thracius ingenti mensas clamore repellit; et 9, 164. Victa malis patientia repulit aras, i. e. evertit, proturbat. *Claud. VI. Cons. Honor.* 484. Sic ille minacem Tyrrhenam labente manum pro ponte repellens, etc. *Ov. Met.* 10, 165. repellit Ver hiemem. ℙ In illo *Ov. Met.* 2, 786. de Minerva: haud plura locuta Fugit, et impressa tellurem repulit hasta: significatur motus volatum inchoantis, et impressa terrae hasta nisu se in aera tollentis: terra enim quodammodo repellitur, dum corpus ab ea celeriter resilit. Simile est illud *Virg. G.* 4, 232. Taygete simul os terris ostendit honestum Plias, et Oceani spretos pede repulit amnes. ℙ [*Translate.] *Colum.* 7, 3. Capri vel arietis petulci saevitiam pastores hac astutia repellunt, i. e. expellunt, tollunt. [**Tac. H.* 2, 4. *f.* Segnitiem, h. e. abjicere.] ℙ Repellere aliquem ad meretricium quaestum, ap. *Pl. Cist.* 1, 1, 43. est compellere, impellere, adigere. ℙ Quotiescumqae prima in praeteritis a poetis producitur, volunt grammatici, duplici *p* scribi, *reppulit:* sed non est necesse, ut in RĔ, et REFERT jam diximus. ℙ [*Saepius *repellere* est glossa v. *pellendi.* V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1, 38. *f.* Confund. *repellere* et *depellere.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 258. *a.*]

RĒPENDO, is, di, ensum, a. 3. proprie est contra, aut vicissim pendo, aequo pondere reddo, *ἀντισταθμίζω. Plin.* 19, 4, 19. *n.* 2. Ecce altiles spectantur asparagi: et Ravenna ternos libris rependit, *h. e.* adeo magnos alit, ut terni librae pondo sint. ℙ *Rependere pensum*, est eodem pondere lanam netam reddere, quo ut neretur data est. *Ov. Her.* 9, 77. de Alcide: Crassaque robusto deducis pollice fila, Aequaque famosae pensa rependis herae. *Prop.* 4, 7, 37. Et graviora rependit iniquis pensa quasillis, Garrula de facie si qua locuta mea est. ℙ *Rependere* etiam dicuntur emptores, qui pro merce justam pecuniam solvunt: haec enim olim, ante pecuniam signatam, appendebatur, non numerabatur, ut in AES, et alibi dictum est. Re postea mutata, nihilominus mansit loquendi modus. *Plin.* 36, 16, 25. Aethiopico magneti laus summa datur, pondusque argento rependitur; et 12, 25, 54. de balsamo: Cum duplo rependebatur argentum, *h. e.* cum pro uno balsami pondere, v. gr. libra, duo argenti pondera, binae librae solvebantur. *Cic. Or.* 2, 67. Septumulejus, cui pro C. Gracchi capite aurum erat repensum, *h. e.* tantum auri pondus datum fuerat, quantum erat pondus capitis. Sic *Plin.* 33, 3, 14. de eod.: Cum auro rependendum caput ejus excisum tulerit. Adde *Val. Mal.* 9, 4. *n.* 3. ℙ Translate. *Stat. Th.* 4, 763. Dircaeos tibi, Diva, greges, numerumque rependam Plebis, et hic magna lucus signabitur ara, *h. e.* pro numero exercitus victimas tibi immolabo; quot fuerint milites, tot erunt hostiae. ℙ Est etiam persolvere, reddere, vicissim tribuere. *Prop.* 4, 11, 100. Dum pretium vitae grata rependit humus. *Ov. Met.* 2, 694. neu gratia facto Nulla rependatur, nitidam cape praemia vaccam. *Sil.* 17, 577. patresque docet Carthaginis altae Magna repensuros, nec se leviora daturum. *Stat. Th.* 9, 50. Hasne tibi grates, haec praemia digna rependo? *Prop.* 4, 4, 55. raptae ne sint impune Sabinae, Me rape, et alterna lege rependе vices. *Virg. A.* 2, 160. Tu modo promissis maneas, servataque serves, Troja, fidem, si vera feram, si magna rependam, *h. e.* praestabo. *Stat. Silv.* 3, 3, 154. Quas tibi devoti juvenes pro patre renato, Summe ducum, grates, aut quae pia vota rependant? *h. e.* vota faciant pro te. ℙ *Rependere poenas*, dare, luere, *ἀντιτίειν. Sen. Oed.* 1030. Nunquam rependam sceleribus poenas pares. ℙ Est etiam pensare, compensare, paria facere, *ἀντιμετρέω. Ov. Her.* 15, 31. Si mihi difficilis formam natura negavit, Ingenio formae damna rependo meae. [*V. *Ruhnk.* ad h. l.] *Id. Met.* 5, 15. hac vitam servatae dote rependis! *Virg. A.* 1, 242. Hoc equidem occasum Trojae, tristesque ruinas Solabar, fatis contraria fata rependens. *Quint. decl.* 9, 2. *f.* Ut porrectos egenti cibos mea fame rependat. *Gell.* 1, 3. *med.* Rependitur et compensatur damnum delibatae honestatis majore alia gravioreque in adjuvando amico honestate. [**Sil.* 14, 619. cladem rependit unum inter strages tutum caput.] ℙ In deteriorem partem, malum pro malo inferre, par damnum afferre. *Stat. Th.* 8, 666. peremptos Ulcisci socios, moestamque rependere noctem. *Val. Fl.* 6, 4. magnoque rependere luctu Regis pacta: et *ib.* 744. culpam hanc magno terrore rependat. ℙ [*Interdum est etiam redimere, sibi parare. *Plin. Pan.* 44, 5. An prona parvaque sunt ad aemulandum, quod nemo incolumitatem turpitudine rependit? ubi v. *Gierig.*] ℙ Pro expendere, examinare. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 227. Diis proximus ille, Quem ratio, non ira movet: qui facta rependens, Consilio punire potest.

RĒPENS, entis, part. ab inus. *repo: ἀφνίδιος*, subitus, repentinus, inopinatus, improvisus. Ducunt a *ῥέπω*, vergo, quia quo quid vergit, eo statim inclinatur, ut in lance pondus. *Cic. Tusc.* 3, 22. Hostium repens adventus magis aliquando conturbat, quam exspectatus. *Id. ib.* 14. vertens carmina *Euripidis:* Ne me imparatum cura laceraret repens. *Liv.* 1, 14. Tumultus repens ex agris in urbem illatus. *Id.* 10, 7. *med.* Si quod repens bellum oriatur. *Id.* 33, 2. *med.* Quantum Attali repens casus coegit. *Sil.* 3, 220. repensque Castra quatit clamor. *Virg. A.* 12, 313. quove ista repens discordia surgit? *Stat. Th.* 7, 360. vocisque repens singultus apertum Intercepit iter. *Sen. Met.* 971. Quid repens affert sonus? ℙ [*Praeter vulg. signif. *repens* etiam idem fere est, quod recens, sed ap. solum, quod sciam, *Tacitum. A.* 6, 7. Quid repens aut vetustate obscurum; 11, 24. non repens, sed priori populo factitatum est; 15, 68. accesserat repens causa; *H.* 4, 25. Cum adcursu tot provinciarum exstingui repens perfidia potuerit; 1, 23. (ubi propius accedit ad vulg. signif.) sceleris cogitatio incertum an recens: studia militum jam pridem — affectaverat. Falso haud paucis locis recens praetulerant editores. De librariorum in confundendis his vocibus errore v. *Drakenb.* ad *Liv.* 8, 29, 1. *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 408.] ℙ Extra rectum casum singularem rari est usus. *Lucr.* 5, 401. Phaethonta repenti fulminis ictu Deturbavit equis. *Liv.* 6, 41. Fama repentis belli Gallici allata. Alii leg. *repens. Sil.* 15, 604. fraudes latuere repentum Armorum. Alii leg. *recentum.* ℙ Adverbii ritu, velut *recens*, ut videtur. *Ov. Fast.* 1, 95. Tum sacer ancipiti mirandus imagine Janus Bina repens oculis obtulit ora meis. Alii leg. *repente*, invito *Heinsio*, et aliis. [*Adde *Tac. A.* 1, 25. murmur incertum, atrox clamor et repens quies: ubi *I. Beck.* c. *Wolf.* praetulit *repente* contra *librr.* auctoritatem. Ap. *Liv.* quoque haud raro, si non simpliciter adverb. est, tamen ad verbum simul referendum. V. locos supra laudatos: coll. 22, 8. 21. et 29, 10.]

[RĒPENSĀTĬO, onis, f. actus repensandi, retributio. *Salv. in avar.* 4, 3. Coguntur omnes ipsa conscientia sua ad repensationem vicissitudinis, postquam esse coeperint debitores. *F.*]

RĒPENSATRIX, icis, f. quae repensat. *Capell.* 9, 304.

RĒPENSO, as, a. 1. frequent. a *rependo:* idem quod rependo, vel saepe rependo, compenso, paria facio. *Colum. R. R.* 3, 2. *med.* Id tamen incommodum repensant uvarum multitudine. *Vell.* 2, 12. *f.* Hac victoria videtur Marius bona malis repensasse, *h. e.* tot bona attulisse reipublicae, quot mala intulerat. *Sen. Ira* 2, 32. Non enim ut in beneficiis honestum est merita meritis repensare, ita injurias injuriis. *Vell.* 2, 21. *med.* Cujus interitus voluptas amissorum civium paene damno repensata est. *Tert. Idol.* 8. *med.* Minor merces frequentiore actu repensatur.

RĒPENSUS, a, um, part. a *rependo. Hor. Od.* 3, 5, 25. Auro repensus scilicet acrior Miles redibit? et *Ov. Am.* 1, 8, 80. Vanescat culpa repensa tua. Alii leg. *repulsa*, alii *repressa.*

[RĒPENTĀLĬTER, adv. repente. *Fulg. Myth.* 5, 2. Melius est doceri, quam ex necessitate veniente repentaliter perterreri. *F.*]

RĒPENTĒ, adv. *ἐξαίφνης*, subito, repentino: a *repens*, subitus. *Cic. Off.* 1, 33. *med.* Amicitias, quae minus delectent, magis decere censent sapientes sensim dissuere, quam repente praecidere. *Pl. Mil.* 2, 2, 21. Ita abripuit repente sese subito. *Id. Cas.* 2, 5, 26. Repente emori. *Id. Ps.* 1, 1, 37. Repente exortus sum, repentino occidi. *Ter. Ad.* 5, 9, 24. Quae res tam repente Mores mutavit tuos? *Cic. Phil.* 2, 27. Persona de mino, modo egens, repente dives. *Id. Fam.* 4, 4. *med.* Repente praeter spem dixit, se senatui roganti non negaturum. *Id. Div. Verr.* 17. *f.* Sed repente e vestigio tanquam aliquo Circaeo poculo, factus est Verres; et *Verr.* 1, 17. Ecce autem repente, his diebus paucis, etc. *Caes. B. G.* 1, 52. Hostes repente celeriterque procurrerunt; et *ib.* 6, 11. *f.* Novam et repente collectam auctoritatem tenere. *Virg. A.* 1, 598. cunctisque repente Improvisus ait. ℙ Item statim. *Id. ib.* 2, 379. Improvisum aspris veluti qui sensibus anguem Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit. *Id. ib.* 5, 315. signoque repente Corripiunt spatia audito. ℙ Item perbrevi tempore. *Id. G.* 3, 471. nec singula morbi Corpora corripiunt, sed tota aestiva repente, Spemque, gregemque simul, cunctamque ab origine gentem. *Derepente*, V. s. l.

RĒPENTĬA. V. REPETENTIA.

RĒPENTĬNĒ, adv. idem quod repentino, repente. *Lact.* 1, 11. *med.* Solemus eos, quorum virtutem miramur, aut qui repentine advenerint, de coelo cecidisse, dicere. Alii leg. *repentino.*

RĒPENTĪNO, adv. idem ac repente. *Cic. Quint.* 4. Moritur in Gallia Quintius, cum adesset Naevius, et moritur repentino. *Pl. Ps.* 1, 1, 37. Quasi solstitialis herba, paulisper fui: repente exortus sum, repentino occidi. *Afr.* ap. *Charis.* 2, 193. Ut sint repentino apparandae nuptiae.

RĒPENTĪNUS, a, um, adj. *ἀφνίδιος*, subitus, improvisus, inopinatus, repens. *Cic. Tusc.* 3, 19. *med.* Sentit omnia repentina et necopinata esse graviora. *Id. Agr.* 2, 22. *med.* Unde iste amor tam improvisus, ac tam repentinus? *Id. Or.* 2, 55. *med.* Quae fuit illa! quanta vis! quam inexspectata! quam repentina! *Cic. Div.* 2, 35. *med.* Propter mortem repentinam ejus, qui in praerogativa referenda subito conciderat. *Liv.* 41, 10. Repentinus, et tumultuarius exercitus. *Caes. B. G.* 5, 38. Ut nonnulli milites repentino equitum adventu interciperentur; et *ib.* 3, 3. Cum tantum repentini periculi praeter opinionem accidisset. *Ter. Andr.* 5, 4, 35. Mirando hoc tanto, tam repentino bono. *Ov. Met.* 5, 5. Inque repentinos convivia versa tumultus. *Appul. de Mundo:* Nimbus quando repentinior est, tanto vehementior. ℙ *Repentinus homo*, novus, qui subito in hominum cognitionem, famam, commendationemque pervenit. *Cic. Brut.* 69. C. et L. Caepasii fratres, ignoti homines et repentini, quaestores celeriter facti sunt oppidano quodam et incondito genere dicendi.

[RĒPERCELLO, is, culi, et culsi, a. 3. iterum percello. *Not. Tir.* p. 117. Perculit, perculsit; reperculit, reperculsit. *F.*]

RĒPERCUSSĪBĬLIS, e, adj. qui repercutere, vel repercuti potest. *Coel. Aurel. Tard.* 1, 1. *n.* 45., item *ib.* 3, 6. *f.*, ubi alii aliter leg.

RĒPERCUSSĬO, onis, f. *ἀντιτυπία, ἀνάκλασις*, actus repercutiendi. *Sen. Q. N.* 7, 19. Quidam nullos esse cometas existimant, sed species illorum per repercussionem vicinorum siderum, aut per conjunctionem cohaerentium reddi.

RĒPERCUSSUS, a, um, part. a *repercutio: ἀντιτετυπημένος*, iterum, aut vicissim percussus, reverberatus, regestus, reflexus. *Val. Max.* 1, 8. *n.* 11. *extr.* Remigem sentinam haurientem, cum e navi fluctus abjecisset, altero latere repercussum fluctus contrarius in navem retulit. *Plin.* 17, 21, 35. *n.* 1. Medulla (*vitis*) ante se tendit, longitudinem impellens, quamdiu nodi pervia patet fistula: cum vero concreti ademere transitum, repercussa erumpit. *Id.* 33, 9, 45. de speculo: Natura mira est imagines reddendi: quod repercusso aere, atque in oculos regesto fieri convenit. *Tac. A.* 4, 51. *med.* Montis anfractu repercussae voces. *Liv.* 21, 33. *med.* Clamores dissoni, quos nemora repercussaeque valles

augebant. *Virg. A.* 8, 22. Sicut aquae tremulum labris ubi lumen aenis, Sole repercussum, aut radiantis imagine lunae, Omnia pervolitat late loca. *Ov. Met.* 2, 109. positaeque ex ordine gemmae Clara repercusso reddebant lumina Phoebo; et *ib.* 3, 434. Illa repercussae, quam cernis, imaginis umbra est. *Pall.* 2, 15. *med.* Nux repercussa. V. REPERCUSSUS, us, *f.*

RĔPERCŪSSUS, us, m. repercussio. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Teporem solis infusi repercussu cryptoporticus auget; et *Plin. alter* 5, 5, 5. Mons adusto similis, aut solis repercussu accenso; et *Flor.* 3, 3. *med.* Ut ex splendore galearum ac repercussu quasi ardere coelum videretur. *Plin.* 5, 9, 10. Causas hujus incrementi (*Nili*) varias prodidere, sed maxime probabiles, Etesiarum eo tempore ex adverso flantium repercussum; et 37, 2, 8. Sunt qui maxime in iis (*murrhinis*) laudent extremitates, et quosdam colorum repercussus, quales in coelesti arcu spectantur. *Tac. G.* 3. Affectatur praecipue asperitas soni, et fractum murmur, objectis ad os scutis, quo plenior et gravior vox repercussu intumescat; et *Plin.* 16, 2, 2. de silva Hercynia: Constat, attolli colles occursantium inter se radicum repercussu, *h. e.* occursu, dum propter magnitudinem ac densitatem arborum radices invicem occurrentes, progredi in rectum nequeunt, sed regredi coguntur. Simili ratione verbum *reverbero* adhibetur a *Colum.* Sic *Pall.* 2, 15. med. Lapis subter, vel testa ponenda est, ut (*nux sata*) radicem non simplicet, sed repercussa respergat.

RĔPERCŪTĬO, is, cussi, cussum, a. 3. ἀντιπαίω, ἀντιπλήττω, percutientem vicissim percutio, referio, reverbero, reflecto. *Plin. ep.* 4, 30. *f.* Ut flumina, quae in mare deferuntur, adversantibus ventis, obvioque aestu retorquentur; ita est aliquid, quod hujus fontis excursum repercutiat. [**Sen. Ep.* 115. Multa aciem nostram repercutiunt, i. e. praestringunt. *Bail.*] V. alia in REPERCUSSUS part. et subst. ℙ Translate. *Quint.* 6, 3. *med.* Aliena aut reprehendimus, aut refutamus, aut elevamus, aut repercutimus, aut eludimus, *h. e.* retorquemus in eos, qui intulerunt; et *med.* Repercutiendi multa sunt genera: venustissimum, quod etiam similitudine aliqua adjuvatur, ut Trachalus dicenti Suellio, Si hoc ita est, is in exsilium; Si non est ita, redis, inquit. [*Cf. *Ern. Lex. techn. lat. Rhet.* p. 330.] *Plin. praef. H. N. f.* Dicto repercutere aliquem. *Id.* 28, 4, 7. Exspuendo fascinationes repercutimus, *h. e.* discutimus, amolimur.

RĔPĔRĬO, is, pĕri, pertum, a. 4. εὑρίσκω, invenio: a *re* et *pario*. Discrimen inter *reperio*, et *invenio* in hoc verbo posuimus. [*Proprie signif. rei amissae, deperditae iterum, denuo compotem fieri: *Etwas wieder finden*. Huc pertinet illud *Ter Andr.* 5, 6, 5. Mea Glycerium suos parentes reperit. *Pl. As.* 3, 3, 138. Ego caput huic argento fui hodie reperiendo. ℙ Hinc omnino signif. *invenire* aliquo loco rem aliquam.] *Pl. Rud.* 4, 2, 20. Hoc ego in mari, quidquid inest, reperi. *Id. Poen.* 3, 3, 2. Convivas volo reperire nobis commodos, qui una sient. *Id. Truc.* 4, 1, 1. Neque gnatus est, neque progignetur, neque potest reperirier. *Ter. Ad.* 4, 3. 1. Ego in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere. *Cic. Brut.* 95. Si quaerimus, cur, etc. causas reperiemus verissimas duas. [*Curt.* 10, 5. Qui post Alexandrum respiceret, utique non reperturas. *Plin.* 17, 9, 6. Apud Homerum regius senex agrum suis manibus laetificans reperitur. *F.*] *Id.* 35, 3, 3. Clypeos dicare primus instituit, ut reperio, Appius Claudius, [*V. *B. Crus. cl. Suet. s.* v.] ℙ Pro deprehendere, cognoscere, [*nostr. *erfunden werden.*] *Pl. Bacch.* 3, 6, 11. Multi more isto vivunt, quos cum censeas esse amicos, reperiuntur falsi falsimoniis. *Cic. Brut.* 31. Omnes Stoici prudentissimi in disserendo sunt: iidem traducti a disputando ad dicendum, inopes reperiuntur, *Id. Fl.* 38. Hoc vel maxime moliuntur, ut vestrae sententiae optimo cuique infestissimae atque inimicissimae reperiantur. [*Huc pertinet etiam illud, quod *Forc.* supra laudaverat *Ejusd. Coel.* 19. At vero in M. Coelio nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum aes alienum. Cf. *B. Crus. cl. Suet.* p. 675. ℙ Interdum est i. q. comperire. *Vell.* 2, 50, 1. cum transgressos reperisset css. in urbem revertit. ℙ Hinc vindicat etiam notionem capiendi, accipiendi, occupandi. Hic poterat constitui locus, quem iterum *Noster* supra laud., *Ter. Heaut.* 1, 1, 60. Simul rem et belli gloriam armis reperi, i. e. acquisivi, comparavi. Adde *Caes. B. G.* 1, 53. aut lintribus inventis sibi salutem repererunt. Sic et Gr. *εὑρέσθαι ἀγαθόν*. V. *Valkenaer.* ad *Herodot.* 9, 6. Porro *Cic. Div.* 1, 10. *in.* quae nomen ex inventore reperit: ubi v. *Orell.* coll. *Beier.* ad *Off.* 3, 31, 112.] ℙ Pro comminisci, excogitare. *Pl. Capt. f.* Hujusmodi paucas poetae reperiunt comoedias, ubi boni meliores fiant. *Ter. Heaut.* 3, 2, 22. Aliquid reperiret, fingeret fallacias, etc. *Plin.* 37, 5, 20. Indi gemmas adulterare repererunt. *Id.* 10, 22, 27. Condire reperit. *Ov. Met.* 8, 246. et serrae reperit usum. [*Huc pertinet locus, quem *F.* ex Append. perperam supra laud., *Cic. Acad.* 4, 16. Zeno nihil novi reperiens, sed emendans superiores. Quaedam praebet etiam *Boettich. Lex. Tac.* p. 409.] ℙ *Reperibo* in futuro pro *reperiam* in 4. conjugat. non est insolens. *Pl. Epid.* 1, 2, 48. Quid de illa fiet fidicina? *Epid.* aliqua reperibitur. *Caecil.* ap. *Non.* 10, 29. Cum morti remedium reperibit nemo. Adde *Pomp. ib.* ℙ Praeteritum duplici *pp* scribi solet, cum in carmine prima producitur. *Prop.* 2, 24, 27. Ah pereat, quicumque meracas repperit uvas! *Catull.* 79, 4. Si tria notorum suavia reppererit. *Prisc.* 10, 905. vult semper *p* duplicari, sive in prosa oratione, sive in carmine: alii contra nunquam. V. dicta in RE.

RĔPĔRĪTO, as, a. 1. frequent. a *reperio*. Quidam legunt ap. *Varr. R. R.* 1, 1. *med.* Indicabo, a quibus scriptoribus reperites. Alii *reperias*, alii *repetas*. Alii *reperito* volunt esse pro *reparito* frequent. a *reparo*.

RĔPERTĬCĬUS. V. REPTICIUS.

RĔPERTOR, oris, m. εὑρετής, qui reperit, inventor. *Sall.* in *ep. Mithr. ad Arsac.* Callidi, et repertores perfidiae. *Ov. Pont.* 2, 9, 44. Quique repertorem torruit arte sua, *h. e.* Perillum. *Virg. A.* 7, 772. Repertor medicinae, *h. e.* Aesculapius. *Id. ib.* 12, 829. hominum, rerumque, *h. e.* Juppiter. *Ov. R. Am.* 76. carminis et medicae opis, *h. e.* Phoebus. *Varr. R. R.* 1, 2. *med.* et *Ov. Am.* 1, 3, 11. vitis, *h. e.* Bacchus: qui ab *eod. Fast.* 3, 762. etiam mellis repertor dicitur. *Plin.* 28, 8, 31. Hippopotamus repertor detrahendi sanguinis. *Ov. Ib.* 523. pugnacis iambi, *h. e.* Archilochus. *Quint.* 2, 16. Repertores legum; et *Tac. A.* 4, 71. flagitii. *Lucr.* 3, 105. doctrinarum atque leporum. *Appul. Flor. n.* 23. Aristippus Cyrenaicae sectae repertor, *h. e.* auctor, caput. *Hor. A. P.* 278. personae, pallaeque repertor honestae Aeschylus.

RĔPERTORĬUM, ii, n. ἀπογραφή, index, sive commentarius particulatim rerum recensitarum descriptionem continens. *Ulp. Dig.* 26, 7, 6. Tutor, qui repertorium non fecit, quod vulgo inventarium appellatur, dolo fecisse videtur.

RĔPERTRIX, icis, f. quae reperit, inventrix. *Appul. Apol.* Paupertas omnium artium repertrix.

RĔRERTUS, a, um, part. a *reperio*: εὑρεθείς, inventus. *Caes. B. G.* 5, 12. *extr.* Magnus ibi numerus pecoris repertus. *Plin.* 37, 4, 15. Cujus hoc ingenio inventum? quove casu repertum? *Ov. Met.* 1, 654. tu non inventa reperta Luctus eras levior. V. INVENIO. *Id. Fast.* 3, 846. Furta reperta. *Virg. A.* 6, 343. namque mihi, fallax haud ante repertus, Hoc uno responso animum delusit Apollo. *Appul. Apol.* Per me licet fuerit repertissimum. ℙ *Repertum, i*, res inventa, excogitata, εὕρημα. *Lucr.* 1, 736. exponunt praeclara reperta. *Rhemn. Fann. de ponderib. et mens.* 15. cuncta haec non foedere certo Naturae, sed lege valent, hominumque repertis.

RĔPERTUS, us, m. εὕρεσις, inventio. In sexto casu sing. *Appul. Met.* 11. Ceres repertu laetata filiae; et *ib.* Imago solerti repertu, etiam ipsa novitate reverenda. *Id. Flor. n.* 3. Ars ista repertu novo commodum oriebatur.

RĔPĔTENTĬA, ae, f. ἀνάμνησις, memoria, facultas memoriae, qua res praeteritas repetimus, et reminiscimur. *Arnob.* 2, 61. Multo facilius est credere, discere animam quod nesciat, quam oblitam quod paulo ante sciebat, et oppositu corporis amitti repetentiam priorum; et p. 62. Quod rebus ingressis priorum repetentiam detrahit, et intra se gesta irrecordabili debet oblitteratione deperdere. *Lucr.* 3, 864. Interrupta semel cum sit repetentia nostra. Alii leg. *retinentia*, hoc est vinculum, quo retinetur anima unita corpori. Alii *repentia*, h. e. tacitus et sensim progrediens vitae cursus.

RĔPĔTĪCĬUS. V. REPTICIUS.

RĔPĔTĪTĬO, onis, f. ἀπαίτησις, ἐπανάληψις, actus repetendi, iteratio. *Quint.* 6, 1. Rerum repetitio et congregatio, quae Graece dicitur ἀνακεφαλαίωσις. *Id.* 9, 1. *med.* Frequentior ejusdem nominis repetitio. *Gell.* 13, 24. *med.* Repetitio instauratioque ejusdem rei sub alio nomine. *Ulp. Dig.* 30, 1, 19. Legata inutiliter data Papinianus putat confirmari per repetitionem postea forte in codicillis factam. ℙ Ap. rhetores est figura verborum, qua continenter ab uno atque eodem verbo in rebus similibus et diversis principia sumuntur, hoc modo: Vobis istud attribuendum est: vobis gratia habenda: vobis res ista erit honori. Haec *Auct. ad Her.* 4, 13. Adde *Quint.* 9, 3. *med.*, ubi pro exemplo ponit illud *Cic. Catil.* 1, 1. Nihil ne nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, etc. et *Cic. Or.* 3, 54. [*Cf. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* p. 330. sq.] ℙ Iterata petitio, seu postulatio, ut res mea ad me redeat. *Appul. Apol.* Sola trecenta millia nummum scripta, eorumque repetitionem filiis Pudentillae pacto datam. *Ulp. Dig.* 50, 17, 41. In re obscura melius est favere repetitioni, quam, etc. *Id. ib.* 3, 6, 3. Repetitionem habere, *h. e.* facultatem et jus repetendi.

RĔPĔTĪTOR, oris, m. 3. ἀπαιτητής, qui repetit, et rem suam sibi dari postulat. *Ov. Her.* 8, 19. Sit socer exemplo nuptae repetitor ademptae.

RĔPĔTĪTUS, a, um, part. a *repeto*, ἐπαναληφθείς. [*De exemplorum ordine v. in *repeto.*] *Virg. G.* 1, 39. Nec repetita sequi curet Proserpina matrem; et *Hor. A. P.* 365. Haec placuit semel: haec decies repetita placebit; et *Ov. Met.* 9, 422. repetitum Mulciber aevum Poscit Erichthonio; et *Liv.* 4, 19. Assurgentem umbone resupinat, repetitumque saepius cuspide ad terram affixit; et *Suet. Cal.* 52. *extr.* Gestavit Alexandri M. thoracem repetitum e conditorio ejus; et *Ov. Met.* 6, 20. repetitaque longo Vellera mollibat nebulas aequantia tractu, *h. e.* saepius tractata digitis. *Mart.* 12, 18. Me multos repetita post decembres Accepit mea Bilbilis, *h. e.* quam repetii et revisi. *Suet. Dom.* 8. *med.* Corneliam absolutam olim, dehinc longo intervallo repetitam atque convictam defodi imperavit; et *Claud.* 21. Spectacula ex antiquitate repetita; et *Cic. Sext.* 13. (et *Or.* 3, 24. *med.*) Ne quis miretur, quid haec mea oratio tam longa, ac tam alte repetita velit. *Id. Or.* 3. Video hanc primam ingressionem meam non ex oratoris disputationibus ductam, sed e media philosophia repetitam. *Id. Div. Verr.* 22. Haec majorum consuetudo longo intervallo repetita ac relata. *Ulp. Dig.* 39, 2, 15. *med.* Repetita igitur die promittendum erit, *h. e.* die seu tempore retro atque in praeteritum tracto. Ita *Budaeus.* Sic *Paul. ib.* 22, 4, 3. Repetita quidem die cautionem interponi non debuisse.

[RĔPĔTĪTUS, us, m. actus repetendi, accessus. *Non.* 1, 325. Pedato positum pro repetitu, vel accessu, quasi per pedem, sicut nunc vulgo dicitur tertio pedato. *F.* [**Tac. A.* 14, 61. itur et in principis laudes repetitum (uxoris) venerantium, i. e. ii qui repetitum (Octaviae) venerabantur, ibant in principis laudes, sive: qui principem ob repetitum Octaviae venerabantur, in ejus laudes ibant. Ita *Boettich.*, q. v. in *Lex. Tac.* p. 210. et 409.]

RĔPĔTO, is, ivi, et ii, itum, a. 3. [*Omnes significationes verbi *petere* continet addita pro diversa vi praepositionis *re* vel personae vel loci et temporis, quo quid petitur vel unde petitur, definitione. V. PETO. Ac primum quidem exempla posuimus ista, in quibus signif. iterum, retro impetere eum vel id, unde quis petitur: de gladiatoribus, sicariis cet.] *Quint.* 5, 13. *f.* Ut bis cavere, bis repetere oportuerit: nostr. *nachstossen.* [**Suet. Cal.* 58. signum erat omnium, repete, i. e. iterum feri.] Adde *Liv.* 4, 19. *Sen. Ira* 3, 27. Num quis satis constare sibi videatur, si mulam calcibus repetat, et canem morsu. ℙ [*Translate.] *Suet. Claud.* 44. *f.* Repetere aliquem toxico, *h. e.* post primum venenum, quod non processerit, aliud ei propinare. ℙ [*In rebus judicialibus de iterata accusatione.] *Suet. Aug.* 32. Diuturnorum reorum nomina abolevit, conditione proposita, ut si quem quis repetere vellet, par periculum poenae subiret. [**Id. Dom.* 9. reos liberavit, nec repeti, nisi intra annum, permisit.] Adde *Paul. Dig.* 48, 2, 3. et *ib.* 16, 10. Sic repetere crimen *Ulp. ib.* 7. ℙ *Repetere aliquem*, reverti iterum ad aliquem. *Ov. Her.* 3, 143. Qua (spe) si destituor repetam fratresque virumque. ℙ Repetere dicuntur et morbi, cum redeunt et rursus corpora aggrediuntur. *Cels.* 2, 1. *med.* et 4, 14. Morbi repetunt. *Id.* 3, 22. Febricula repetit. *Id.* 4, 4. *n.* 5. *med.* cum vomitus repetiit. ℙ [*Hinc i. q. operam dare, ut aliquid reddatur, restituatur: nostr. *zurückfordern, zurücknehmen:* ἀπαιτεῖν.] *Pl. Trin.* 5, 2, 7. Quod datum utendum est, id repetundi copia est, quando velis. *Hor. Ep.* 1, 3, 18. si forte suas repetitum venerit olim Grex avium plumas, moveat cornicula risum Furtivis nudata coloribus. *Varr. L. L.* 4, 15. *f.* Fetiales mittebant, antequam bellum conciperetur, qui res repeterent. (V. CLARIGO.) *Id. Arch.* 8. *f.* Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vendicant, Salaminii repetunt. *Id. Planc.* 42. Quid me adspectas? quid mea promissa repetis? *Id. Div. Verr.* 5. Ereptas pecunias civili actione, et privato jure repetere. *Ter. Eun.* 4, 6, 11. Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quicquam abs te pretii. *Pl. Bacch.* 4, 6, 7. Navigo in Ephesum, ut aurum repetam ab Theotimo domum. *Cic. Dom.* 55. *f.* Respublica ab istius inflammato atque ignito furore jam tum me seque repetebat. [**Suet. Caes.* 78. repete a me Rempublicam, i. q. eripe mihi Rempubl. ℙ *Repetere res* ap. *Cic. Off.* 1, 11, 36. rebus repetitis: est postulare, ut vitia quis rei venditae praestet, adeoque damnum emptori compenset. Deinde *res repetere* omnino dicuntur ii, qui prius more legitimo querunt, quam ad arma procurrunt. V. *Beier.* ad *Cic. l. l.*] ℙ *Repetere poenas* ab aliquo est exigere, ut debitas poenas luat, poenas petere, expetere, exigere. *Cic. Rosc. Am.* 24. Furiae, quae dies noctesque parentum poenas a conscleratissimis filiis repetunt. Adde *Verr.* 2, 5, 63. *med.* [*Unde *repetundae:* ubi v.] ℙ Item recupero. *Cic. Phil.* 10, 10. Ne mors quidem in repetenda libertate fugienda. ℙ Item revoco. *Cic. Dom.* 57. Vos, qui maxime me repetistis atque revocastis. *Ter. Andr.* 1, 5, 14. Repudiatus repetor. *Pl. Truc.* 4, 3, 72. Filium istinc tuum te melius est repetere. *Virg. A.* 7, 240. hinc Dardanus ortus, Huc repetit. *Cic. Brut.* 16. *med.* Lysias est Atticus, quoniam Athenis est et natus et mortuus: quamquam Timaeus eum, quasi Licinia et Mucia lege, repetit Syracusas. ℙ [*Est etiam iterum aut bis peto.] *Caes. B. G.* 49. Cicero Gallum ab eodem Verticone repetit, qui litteras ad Caesarem deferat. ℙ [*Repetere aliquem locum est redire ad aliquem locum,

cursum rursus dirigere ad aliquem locum.] *Liv.* 31, 21. Galli, omissa praeda, castra repetivere. *Virg. Ecl.* 7, 39. Cum primum pasti repetent praesepia tauri. *Ov. Pont.* 4, 4, 41. Inde domum repetes toto comitante senatu. *Id. Her.* 18, 123. Invitus repeto patriam, quis credere posset? *Tac. A.* 15, 17. Syriam repetiturus. [*Huc pertinet locus, quem *Noster* infra laudaverat:] *Petr. Sat.* 21. coenatoria repetimus. Adde *Suet. Vit.* 1. eorum progeniem longo post intervallo repetisse Urbem atque ordinem senatorium, *h. e.* in Urbem et in senatum rediisse. ℙ Cum accus. et praepos. *Liv.* 25, 27. *f.* Missis nunciis, qui onerarias retro in Africam repetere juberent. *Virg. Cul.* 103. Et jam compellente vagae pastore capellae Ima susurrantis repetebant ad vada lymphae. (*Scal.* mallet *repebant.*) *Grat. Cyn.* 245. Intacto repetens prima ad vestigia gyro. Simile esse videtur *visere ad aliquem* ap. *Pl., Ter., Lucr.* Alii putant esse ellipsim, ut integra locutio sit, *repetere*, seu *resumere viam ferentem ad vada*, aut *vestigia.* ℙ [*Repetere aliquem vel aliquid ex aliquo loco i. q. arcessere, v. desumere, repetito loco, ubi quid ad tempus collocatum fuit, nostr. *zurückholen*, *nachholen. Suet. Aug.* 16. Quum partem reliquam copiarum continenti repeteret. Al. leg. *quum ad partem reliquam copiarum continentem repeteret. Id. Cal.* 39. quidquid instrumenti veteris aulae erat, ab Urbe repetiit: coll. 52. *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 674. — *Cic. Fin* 5, 19. praetermissa repetimus, inchoata persequimur.] ℙ Saepe *repetere* est resumere, interruptam rem iterum sumere, [*quasi redire ad aliquid.] *Ov. Met.* 3, 151. Propositum repetamus opus. *Id. A. Am.* 3, 747. Sed repetamus iter. *Virg. A.* 2, 178. Omina ni repetant Argis. *Lucan.* 3, 520. emeritas repetunt navalibus alnos, *h. e.* deducunt e navalibus, ut rursus utantur. *Cic. Fat.* 2. *extr.* Longo intervallo haec studia repetens. *Id. Verr.* 1, 6. *f.* Ecce autem repente eadem illa vetera consilia pecunia majore repetuntur. *Plin. ep.* 9, 33. *f.* Solita ministeria repetere. *Tac. A.* 3, 6. *extr.* solemnia. *Colum.* 11, 2. Ab Idib. Januar. quidquid ex autumno putationis superfuit, repetendum est. Sic *Arbor.* 10. Quam partem vineae non deputaveris, circa calend. Februar. repetito. *Pall.* 2, 13. *extr.* Cum tumor pastini nondum repetita soliditate subsedit, *h. e.* nondum resumpta. ℙ Est etiam iterare, [*saepius tractare, attingere al.] *Colum.* 4, 28. Pampinationem repetere. *Cic. N. D.* 1, 7. *med.* Quamobrem Vellei, nisi molestum est, repete quae coeperas. Repetam vero, inquit. *Quint.* 1, 1. *f.* Repetere aliquid, et inculcare. *Flor.* 2, 7. *f.* Iterum iterumque praeconem repetere illam vocem jubebant. *Sen. Ben.* 6, 35. Si repetivero quod dixi. *Ov. Met.* 13, 739. Talibus alloquitur, repetens suspiria dictis. ℙ Pertinet etiam ad memoriam: nam reminisci est, ut ait *Varr. L. L.* 5, 6., cum ea, quae tenuit mens ac memoria, cogitantur, et cogitando repetuntur. *Cic. Or.* 1, 1. Cogitanti mihi, et memoria vetera repetenti, etc. *Virg. A.* 12, 439. et te animo repetentem exempla tuorum, etc. *Cic. Verr.* 2, 4, 47. *f.* et *Dejot.* 7. Alicujus rei memoriam repetere. ℙ Absolute. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 2. *med.* Si omnium mearum epistolarum praecepta repetes, intelliges, etc. et *Virg. A.* 7, 122. genitor mihi talia namque (Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit. *Plin. ep.* 7, 6. *f.* Non facile me repeto tantum consecutum assensum agendo, quantum tunc non agendo. *Suet. Gr.* 4. Me quidem adolescentulo, repeto, quendam alternis diebus declamare, alternis disputare solitum. ℙ Hinc ponitur pro exordiri, incipere, retrorsum initia petere, cum de re aliqua est dicendum. [*Quasi revocare, restituere ex longinquo tempore.] *Virg. A.* 7, 371. Et Turno, si prima domus repetatur origo, Inachus, Acrisiusque patres. *Cic. Leg.* 1, 6. Alte, et a capite repetere; et *ib. med.* Visne, ipsius juris ortum a fonte repetamus? *Id. Or.* 1, 20. Neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem disertum fuisse dicebat, cum repeteret usque a Corace nescio quo, et Tisia. *Id. Tusc.* 1, 48. *med.* Repetunt ab Erechtheo Codrum, qui, etc. *Id. Inv.* 1, 49. Quippiam longius repetere, quam res postulat. *Id. Fin.* 1, 20. Fabulas ab ultima antiquitate repetere. *Id. Fam.* 6, 16. initia amicitiae ex parentibus. His affinia sunt illa *ejusd. Div.* 2, 47. L. Tarutius urbis nostrae natalem repetebat ab iis Parilibus, quibus, etc., *h. e.* ducebat; et *Tusc.* 5, 12. Hujus sententiae gravitas a Platonis auctoritate repetatur, *h. e.* ducatur, hauriatur, sumatur. ℙ [*Confund. *repetisse* et *reperisse.* V. *intpp.* ad *Curt.* 6, 4, 10. *Repeto* et *refero. Burm.* ad *Virg. A.* 1, 372.]

RĒPĔTUNDAE, arum, f. plur. res, quae repetuntur, seu quarum restitutio poscitur. Crimen repetundarum fuit crimen magistratus, qui in provinciam cum potestate missus pecuniam in usum privatum a provincialibus accepisset. Nomine pecuniae intelliguntur non solum nummi, sed etiam omnia, quibus divitiae constant, ut vasa pretiosa, statuae, picturae, vestes, frumentum, navigia, etc. Ceterum lege Julia hoc crimine etiam magistratus urbani accusabantur, siqui in aliqua curatione pecunias cepissent; item judices, si pecunias cepissent ob judicandum, etc. Repetundarum causa, inquit *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 23., ita se habebat, ut si convictus reus esset atque damnatus, pecuniam redderet aestimata lite, hoc est in pretium redactis omnibus furtis: quam summam, proscriptis ejus bonis, sectores curabant. Quod vero ad vocem attinet, participium, seu gerundium est, sub quo *pecuniarum*, vel *rerum* intelligere oportet. Est autem *repetundarum* more antiquo pro *repetendarum. Quint.* 4, 2. Repetundarum insimulari. *Suet. Caes.* 43. convinci. *Tac. A.* 4, 19. criminibus haerere. *Id. ib.* 3, 38. Postulare aliquem repetundis. ℙ *Cicero* fere addit *pecuniae*, ut *Cluent.* 53. *f.* Lege pecuniarum repetundarum non teneri; et *Brut.* 27. L. Piso legem primus de pecuniis repetundis tulit. (V. dicta in CALPURNIUS, a, um.) Et rursus *Id. Cluent.* 37. Repetere rationem ab aliquo de pecuniis repetundis.

RĒPEXUS, a, um, part. a *repecto: διεκτενισμένος*, iterum, aut probe pexus. *Ov. A. Am.* 3, 153. Et neglecta decet multas coma, saepe jacere Hesternam credas: illa repexa modo est. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 3. crinemque repexi Blandius elato surgant temone jugales; et 240. tum flava repexo Gallia crine ferox, *h. e.* Gallia comata.

RĒPIGNĔRO et Repignoro, as, a. 1. pignus recipio, soluto pretio. *Ulp. Dig.* 13, 6, 5. *med.* Rem tibi dedi, ut creditori tuo pignori dares: dedisti: non repigneras, ut mihi reddas. *Fest.* in *Reluere:* Reluere, solvere, repignerare.

RĒPIGRĀTUS, a, um, part. a *repigro:* retardatus. *Appul. Met.* 1. Obsepto utero, et repigrato fetu. [*Capell.* 1, 13. Ne uxoris Cyllenius fotibus repigratus, somnolento repente marcore torperet; et *mox:* Ne totis noctibus repigratior paullulum simularet anomalum. Alii minus recte leg. *repigritior. F.*]

RĒPIGRO, as, a. 1. retardo. *Appul. Met.* 8. Cum et ipso lumine dirarum bestiarum repigratur impetus.

RĒPINGO, is, a. 3. rursus pingo. *Venant. Vit. S. Mart.* 1, 172. Stat rubor inde genis: oculos pupilla repingit. *Id. ib.* 246. Jussit abire procul, digitis crucis arma repingens.

[REPLĀNO, as, a. 1. iterum planum facio. *Not. Tir.* p. 79. Planus, implanat, explanat, replanat. *F.*]

*RĒPLASMO, as, a. 1. de novo formo, creo. *Vet. Interpr. Iren.* 3, 20. *B. A.*

RĒPLAUDO, is, a. 3. referio, percutio. *Appul. Met.* 1. Dextra saeviente frontem replaudens; et *ib.* 6. Equestri celeritate, quadrupedi cursu solum replaudens.

RĒPLĔO, es, evi, etum, a. 2. *ἀναπληρόω*, [*iterum, denuo impleo, compleo.] *Plin. Pan.* 55. Ut qui exhaustum aerarium non sis innocentium bonis repleturus. *Cic. Prov. cons.* 2. *f.* Replere exhaustas domos. [*Ov. Met.* 8, 680. Interea, quoties haustum cratera repleri Sponte sua, per seque vident succrescere vina.—Transfertur ad vulnera, quibus caro inducenda est.] *Plin.* 34, 15, 46. His adjicitur, cum sunt repurganda vulnera, aut replenda, ceratum, *h. e.* vulneribus caro inducenda. Sic *Id.* 20, 23, 99. Replere alopecias. Adde 23, 7, 63. ℙ [*Hinc multis in locis idem fere est quod supplere, adjicere, complere, nostr. *ersetzen. Cic. Mur.* 25. qui consumpta replere, erepta recuperare vellent. *Liv.* 24, 42. brevi replevit exercitum. *Plin. Pan.* 28, 5. Ex his castra, ex his tribus replebuntur. *Quint. Inst.* 10, 4, 33. Sed facilius in iis simpliciusque judicium, quae replenda vel dejicienda sunt: ubi v. *Spald.*] *Ov. Her.* 10, 37. quod voci deerat, plangore replebam. *Ulp. Dig.* 42, 1, 4. *f.* Tempore legitimo repletur ex lege, quod sententiae judicis deest. *Id. ib.* 40, 1, 4. *med.* Pretium redemptionis replere, *h. e.* totum pretium numerare. ℙ *Replere*, reficere, recreare. *Stat. Th.* 4, 759. tu refugas vires, et pectora bello Exanimata reple. ℙ [*Nunc denique omissa iterandi notione signif. omnino impleo, plenum facio.] *Virg. G.* 2, 235. scrobes terra. *Ov. Fast.* 4, 432. sinum floribus. *Mart.* 7, 20. lagenam vino. *Ov. Met.* 12, 155. corpora tosta carne. *Petr. Sat.* 96. et 111. *extr.* avide se cibo. *Phaedr.* 2, 4. se esca et prolem suam. *Caes. B. G.* 7, 56. *extr.* frumento et pecore exercitum. *Pall.* 4, 13. equas. *Pl. Rud.* 4, 6, 22. verbis aures alicujus. *Virg. A.* 2, 679. gemitu tectum omne. *Sen. Hipp.* 1171. Daedalea vasto claustra mugitu replens. *Ov. Fast.* 3, 121. Annus erat, decimum cum luna repleverat orbem. *Manil.* 2, 719. summa repletur, *h. e.* absolvitur, completur. *Cic. Or.* 1, 42. *extr.* Repleri juris civilis scientia. *Vell.* 2, 100. Spectaculis animos oculosqae populi R. replere; et *ib.* 103. incredibili laetitia patriam. ℙ De Nili incremento *Lucr.* 6, 717. aquilones contra fluvium flantes remorantur, et undas Cogentes sursus replent, coguntque manere, *h. e.* retro impellentes inflant et extollunt, ac pleniores reddunt. ℙ In illo *Stat. Silv.* 3, 91. Tune, inquit, largitor opum, qui mente profusa Tecta Dicarchaeae pariter, juvenemque replesti Parthenopen? *replesti* est exornasti, ditasti. ℙ *Replesti* sync. pro *replevisti* V. supra. Sic *replerat* pro *repleverat* ap. *Lucr.* 6, 1270.

REPLĒTIO, onis, f. adimpletio, complementum. *Imp. Justin. Cod.* 6, 28, 4. *med.* et *ib.* 7, 2, 15. *med.*

REPLĒTUS, a, um. part. a *repleo*: *ἀναπληρωθείς*, impletus, plenus. *Cic. Manil.* 15. Referto foro, repletis omnibus templis. *Sen. Ag.* 1006. Repletum ratibus eversis mare. *Suet. Cal.* 3. Gracilitas crurum paulatim repleta assidua equi vectatione post cibum. *Lucr.* 2, 805. Cauda pavonis larga luce repleta; et 5, 41. terra trepido terrore repleta. V. TERROR et *Plin.* 12, 10, 21. Insula repleta silvis. *Just.* 13, 7. *med.* Virginem a Deo repletam quatuor pueros peperisse. Alio sensu *Capitol. Macr.* 3. Vates, quae Deo repleta solebat vera canere. (V. PLENUS.) *Lucr.* 2, 1167. antiquum genus pietate repletum. *Suet. Aug.* 89. Augustus eruditione varia repletus. *Petr. fragm. Trag.* 30. *Burm.* Repleti voluptatibus. *Lucan.* 3, 242. vita, *h. e.* qui cursum vitae impleverunt: qui satis diu vixerunt. *Sil.* 6, 160. serpens repletus; et *Claud. Fesc.* 16. repletus epulis.

REPLEXUS, a, um, part. ab inus. *replecto*, reflexus, replicatus. *Plin.* 21, 1, 3. Semen autem esse ad speciem scorpionum, cauda replexa, sed candida.

REPLĪCĀBĬLIS, e, adj. dignus qui repetatur, aut iteretur. *Venant. carm.* 7, 8, 33. O nomen mihi dulce, Lupi, replicabile semper! ℙ Alio sensu usurpat *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 165. V. REDUCTUS.

REPLĪCĀTĬO, onis, f. *ἀνάπτυξις*, conversio. *Cic. N. D.* 1, 13. Ut replicatione quadam mundi motum regat, [*durch Wiederaufziehn.] ℙ Est et *replicatio* vox JCtis frequens, ad eas allegationes pertinens, quae intentionem sustentant adversus exceptionis iniquitatem: inde dicta, quod implicatam et tectam exceptionis iniquitatem replicet, atque patefaciat. *Justin. Institut.* 4. *tit.* 14. Alia allegatione opus est adjuvandi actoris gratia, quae replicatio vocatur, quia per eam replicatur atque resolvitur jus exceptionis. *Julian. Dig.* 44, 2, 24. Adversus exceptionem, *si non ejus sit res*, replicatione hac adjuvabitur, *at si res judicata non sit.* Adde *Cajum ib.* 27, 10, 7. ℙ *Replicatio numeri* ap. *Capell.* 7, 250. contraria est multiplicationi, et est ejus explicatio, et veluti revolutio, cum numerus, qui duplicatus erat, et compositus, simplex fit, atque adeo minor: nam *replicare* aliquando explicare et revolvere significat. Graeci multiplicatos numeros *πολλαπλασίους*, replicatos *ὑποπλασίους* appellant, ut *Id. ib.* docet; et *mox:* Multiplicationis ratio est senioni ad ternionem, contra replicationis ternioni ad senionem.

REPLĪCĀTŪRA, ae, f. Videtur esse Italorum *rimendatura*, ita appellata a filo, quod pluries replicatur, ut scissae vestis partes rursus adhaereant. *Edict. Dioclet.* p. 21. Sarcinatori in veste subtili replicaturae ✕ sex. *F.*]

REPLĪCĀTUS, a, um, part. a *replico:* apertus, reclusus. [*V. in REPLICO.] *Arnob.* 4, 147. Possumus omnes istos, nobis quos inducitis atque appellatis Deos, homines fuisse monstrare, vel Euhemero replicato, vel Nicagora, vel Leonte, vel auctoribus aliis mille, qui, etc. ℙ [*Hinc omnino] retro curvatus, reflexus. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 18. Vitulus genu premitur, replicata cervice. *Id.* 9, 33, 52. Conchae vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato. *Id.* 11, 31, 73. Victimarum jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra. ℙ *Replicatus numerus.* V. in REPLICATIO.

REPLĪCO, as, a. 1. [*retro plico, volvo, evolvo: nostr. *aufschlagen*, *aufrollen:* ac proprie quidem de libris, ex more veterum, qui cum in foliis arborum vel corticibus scribebant, folia aut cortices ordine dispositos volvebant, aut plicabant. V. REPLICATUS. Hinc translate usurpatur in istis:] *Cic. Sull.* 9. explicare annalium memoriam; et *Leg.* 3, 14. replicare memoriam temporum. — *Id. Div.* 1, 56. et primum quidque replicantis, i. e. ad finem constitutum perducentis. ℙ [*Hinc reflecto, recurvo.] *Plin.* 8, 45, 70. Taurus stat, ira gliscente, alternos pedes replicans, spargensque in alvum arenam. *Id.* 17, 14, 24. de insitione: Calamus ne luxetur, dum deprimitur: neve cortex replicetur in rugas. *Id.* 8, 27, 41. Replicans, ut extra fiat, membranae quod fuerat intus. *Cato R. R.* 41. Surculos in terram demittito, replicatoque ad vitis caput. *Quint.* 11, 3. *med.* Labra et porriguntur male, et adstringuntur, et diducuntur, et velut quodam fastidio replicantur et pendent. *Plin.* 35, 15, 51. Bitumen incommodos oculorum pilos replicat, *h. e.* in contrarium plicat et flectit, ne oculos pungant. Sic 24, 6, 22. et *ib.* 7, 28. Palpebras lentiscina resina commodissime replicat. (*Hard.* exponit, replet, et pilis ornat. *Dioscor.* de eadem re ita loquitur 1, 91. *Ἐν τε ἀναχολλήσει τριχῶν ἁρμόζει τῶν ἐν βλεφάροις;* et c. 90. *ἀναχολλᾷ δὲ τὰς τρίχας ἐν ὀφθαλμοῖς.*) *Seren. Sam.* 54, 986. Sin autem subito replicantur corpora morbo, *h. e.* curvantur, contrahuntur. ℙ *Sen. Q. N.* 1, 3. *med.* Ab omni laevitate acies radios suos replicat, *h. e.* reflectit; et *ib.* 2, 10. *med.* Radii solis replicantur. ℙ Translate de Chrysippo. *Id. Ben.* 1, 4. Cujus acumen (*ingenii*) nimis tenue retunditur, et in se saepe replicatur. ℙ *Replicare vestigium suum* ap. *Appul. Met.* 4. est iterare, repetere, eadem redeundo, qua veneris. ℙ Item versare animo, repetere, renarrare. *Appul. Met.* 4. et *ib.* 3. *in.* Haec identidem mecum replicabam. *Pacat. Pan. Theodos.* 3. Sed parcam replicare causas, et placatum vulgus offendere. *Prud. περὶ στεφ.* 11, 3. Incisos tumulis titulos, et singula quaeris Nomina: difficile est, ut replicare queam. *Hieron. ep.* 129. *n.* 2. *extr.* Quae idcirco non replico, ne sensum

legentis videar obtundere, et memoriae illius diffidere.

REPLICTUS, a, um, idem ac replicatus per sync. *Stat. Silv.* 4, 9, 29. non replictae Bulborum tunicae.

[REPLORO, as, a. 1. iterum ploro. *Not. Tir.* p. 121. Plorat, replorat. *F.*]

REPLUM, i, n. vox, quae legitur ap. *Vitr.* 4, 6., ubi de ostiis verba facit, in qua explicanda valde sudant interpretes, nec inter se conveniunt. *Baldus* in *Lexic. Vitr.* putat, replum dici partem excavatam et profundam in valvis januae, quae media est inter scapos, et tympanum; conaturque rem illustrare exhibita figura. *Turneb. Adv.* 11, 4. fassus, se hujus vim verbi assequi non posse, *peplum* legendum putavit, ut significaret operimentum quoddam in modum vestimenti undantis, et replicati: idque confirmare conatus est alio *Vitruvii* loco 10, 17., ubi ait: Cheloni replum, quod est operimentum. Alii alias excogitavere interpretationes, quas collegit *Id. Balb. l. c.* [Alii fortasse rectius putant, esse regulam illam ligneam, quae mobilis aliquando ita imponitur extremae latitudini valvarum, ut, cum clausae fuerint, intersitam earundem rimam operiat: eadem vero si immobilis fuerit, pagmentum a *Vitr.* 4, 6. *f.*, Italice *battente*, dicitur. Hinc in *Gloss. Isid.* Replum, vestis muliebris, *h. e.* pars vestis, quam nostrates vulgo *doppione*, Itali *solino* vocant. *F.*]

REPLUMBĀTUS, a, um. V. in v. sq.

REPLUMBO, as, a. 1. *ἀναμολυβδόω*, quod plumbo ferruminatum erat, dissolvo, a plumbo separo: et generatim quamvis ferruminationem dissolvo. *Ulp. Dig.* 34, 2, 19. §. 3. Celsus quaerit: si centum pondo argenti fuerint relicta, an replumbari debeant, ut sic appendantur: et Proculus et Celsus ajunt, exempto plumbo appendi debere: nam et emptoribus replumbatae assignantur. *Sen. Q. N.* 4, 2. *med.* Saxa velut igni fervescunt, argentum replumbatur, signorum coagmenta solvuntur. *Paul. Dig. l. c.* 32. Aurea emblemata, quae in absidibus argenteis essent, et replumbari possent.

REPLŪMIS, e, adj. qui rursus plumas emittit. *Paul. Nol. carm.* 21, 857. de aquilis: Donec replumi vestiantur corpore.

REPLŪO, is, n. 3. rursus, aut vicissim, aut contra pluo. *Sen. Contr. praef.* 5. *med.* Quis ferret hominem de siphonibus dicentem, coelo repluunt?

RĒPO, is, psi, ptum, n. 3. *ἕρπω*, corpus trahens ambulo, humi haerens incedo, serpo: a voce Graeca allata (a qua et *serpo*) per metathesin. Proprium est animalium carentium pedibus, aut admodum breves habentium, ut sunt vermes, cochleae, formicae. *Sall. Jug.* 98. Animadvertit inter saxa repentes cochleas. *Plin.* 9, 20, 37. Muraenae in sicco quoque repunt. *Id.* 29, 6, 39. Millepeda multis pedibus arcuatim repens. *Id.* 37, 11, 72. Repens formica. *Hor. Ep.* 1, 7, 29. Forte per angustam tenuis nitedula rimam Repserat in cumeram frumenti. *Plin.* 8, 7, 7. Elephas pedibus confossus, repsit genibus in catervas. *Id.* 11, 37, 77. Pyrrho regi, quo die periit, praecisa hostiarum capita repsisse. ℙ Translate dicitur de plantis, earumque radicibus. *Id.* 19, 5, 24. Cucurbitae humi repunt; et 22, 22, 39. Olus silvestre in terra repens. *Colum. Arb.* 4. *f.* Spatium autem radicibus, qua repant, lapides praebent; et *ib.* 16. *f.* Paucas viti gemmas relinquito, ne, antequam invaluerit, in altitudinem repat. ℙ Item de aquis, quae vix fluunt. *Id.* 1, 5. Deterior aqua palustris, quae pigro lapsu repit. ℙ Item de hominibus, cum manibus ac pedibus simul humi procedunt. *Nep. Ann.* 3. *f.* Effecitque, ut ea elephantus ornatus ire posset, qua antea unus homo inermis vix poterat repere. *Plin.* 22, 17, 20. Verna carus Pericli, cum is in arce templum aedificaret, repsissetque super altitudinem fastigii, et inde cecidisset. *Stat. Th.* 9, 427. ad hunc certe repsit Tirynthius amnem, *h. e.* puer Hercules ad hunc fluvium reptavit. *Quint.* 1, 2. Quid non adultus concupiscet, qui in purpuris repit? *h. e.* infans deliciis omnibus innutritus est. ℙ De iter facientibus, qui in rheda sedentes, quae humilis est, a jumentis trahuntur. *Hor. Sat.* 1, 5, 25. Millia tum pransi tria repimus. ℙ De turribus ligneis ambulatilibus. *Lucan.* 3, 457. hae nullo fixerunt robore terram, Sed per iter longum causa repsere latenti. ℙ De rātibus. *Pacuv.* ap. *Varr. L. L.* 6, 2. *f.* Aequore in alto ratibus repentibus. ℙ De nantibus. *Arnob* 1, 20. Indigetes illi, qui flumen repunt, et in alveis Numici cum ranis et pisciculis degunt. ℙ De iis, quae tacite et occulte subeunt et fallunt. *Stat. Silv.* 1, 2, 59. ubi quondam conscia culpae Lemnia repserunt deprenso vincula furto, *h. e.* rete tenuissimum, quo Vulcanus Venerem, Martemque deprehendit. ℙ Ap. *Hor. Ep.* 2, 1, 250. sermones repentes per humum, *h. e.* humili stilo. ℙ Sumitur etiam pro lente ire, ambulare. *Enn.* ap. *Serv.* ad *G.* 3, 76. de gruib.: Perque fabam repunt et mollia crura reponunt. *Virg. Cul.* 104. capellae lma susurrantis repebant ad vada nymphae. Ita legit *Scal.* Alii aliter. Graeci quoque *ἕρπειν* pro ire, incedere usurpant.

RĒPŌLĪO, is, a. 3. rursus polio. *Colum.* 2, 21. *f.* Pura frumenta si in annos reconduntur, repurgari debent: sin protinus usui destinantur, nihil attinet repoliri, *h. e.* repurgari.

PĔPONDĔRO, as, a. 1. rependo, repono, quasi contra, seu vicissim pondero. *Sidon. ep.* 1, 4. *f.* Reminiscaris, velle me tibi studii hujusce vicissitudinem reponderare. *Id. ep.* 5, 1. Réponderatur tibi ex hoc consummatissima gloria.

RĒPONO, is, sui, olim et sivi, situm, a. 3. *ἀνατίθημι*, iterum, aut rursus pono, [*in eum locum, unde quid sumptum.] *Cic. Sext.* 27. Insigne regium, quod ille de suo capite abjecerat, reposuit, et regnare jussit. *Virg. A.* 7, 134. et vina reponite mensis. *Id. ib.* 3, 231. arisque reponimus ignem. *Cels.* 8, 10. *n.* 1. *med.* Reponere ossa in suas sedes. *Virg. G.* 2, 230. alteque jubebis In solido puteum demitti, omnemque repones Rursus humum. *Mart.* 2, 37. Ullus si pudor est, repone coenam, *h. e.* rursus appone, et mensae restitue cibos, quos e mensa sustulisti. *Hor. Sat.* 1, 4, 39. Languidus in cubitum se jam conviva reponet. V. CUBITUS. *Colum.* 12, 3. *med.* Ut meminisset, atque adnotaret, quid, et quando, et cui dedisset: et cum recepisset, ut quidque suo loco reponeret. *Quint. prooem.* 8. *med.* Ungues polire, et capillum reponere, *h. e.* disjectum refingere. *Id.* 5, 7. Si quid testes titubaverint, opportuna interrogatione velut in gradum reponantur. *Id.* 11, 3. *med.* Togam, si decidat, reponere. [*Suet. Caes.* 75. statuas a plebe disjectas reposuit: coll. *Oth.* 7. ubi v. *Brem.*] ℙ *Reponere crura* est sublata crura et pedes demittere, et in terra rursus ponere: quod saepe fit, cum lente ambulamus, saepissime, cum properamus, aut currimus. *Enn.* ap. *Serv.* ad *G.* 3, 75. de gruib.: Perque fabam repunt, et mollia crura reponunt. *Virg. ib.* Continuo pecoris generosi pullus in arvis Altius ingreditur, et mollia crura reponit. ℙ Translate. *Hor. A. P.* 190. Fabula, quae posci vult, et spectata reponi, *h. e.* iterum induci, et agi; et *ib.* 120. Homereum si forte reponis Achillem, *h. e.* si iterum scribis de Achille, de quo olim Homerus. *Pers.* 6, 65. neu dicta repone paterna, *h. e.* ne ingeras, saepiusque repetas. ℙ Item restituo, in pristino statu pono. *Virg. A.* 1, 257. sic nos in scepta reponis? *Sil.* 10, 487. Certabat pulsos per bella reponere reges. *Val. Fl.* 6, 742. Reponere aliquem solio. ℙ Item alterius rei loco pono. *Cic. Fam.* 7, 18. Non enim puto te meas epistolas delere, ut reponas tuas. *Sen. Phoen.* 121. dira ne sedes vacet, Monstrum repone majus. *Cic. Verr.* 2, 2, 21. *med.* At vero praeclarum diem illis reposuisti, Verrea ut agerent. *Quint.* 11, 2. *f.* Invitus perdit quisque id, quod elegerat, verbum: nec facile reponit aliud, dum id, quod scripserat, quaerit. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Qui se in ejus locum reponi pateretur. *Colum.* 4, 26. Submovenda pedamenta, quae justo breviora sunt, eorumque in vicem idonea reponenda. ℙ Item reparo, reaedifico, reficio. *Tac. A.* 1, 63. *extr.* Ruptos vetustate pontes reponere. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 409.] *Virg. A.* 5, 752. Ipsi transtra novant, flammisque ambesa reponunt Robora. *Sil.* 1, 558. molemque reponunt. ℙ Translate. *Id.* 5, 533. et cessata reponere avebant Tempora caede virum. ℙ Item reddo, restituo. *Pl. Pers.* 1, 1, 37. Ut mihi des nummos, quos continuo tibi reponam in hoc triduo. *Virg. G.* 2, 201. Et quantum longis carpent armenta diebus, Exigua tantum gelidus ros nocte reponet. *Sen. Ben.* 4, 32. *extr.* Quid cuique debeam, scio: aliis post longam diem repono, aliis in antecessum. *Plin. ep.* 8, 2. Cum reputarem, quosdam ex debito aliquantum, quosdam aliquid, quosdam nihil reposuisse; et *Hor. Ep.* 1, 7, 39. donata reponere. ℙ Item respondeo, rependo, quasi vicissim ponere, par pari referre. *Cic. Fam.* 1, 9. Peto a te, ut id a me in hoc reo non requiras, ne tibi ego idem reponam, cum veneris. *Juven.* 1, 1. Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam? ℙ *Reponere injuriam, scelus*, injuriam pro injuria rependere, scelus pro scelere. *Sen. Ira* 2, 28. Cogitemus, alios non facere injuriam, sed reponere. *Sen. alter Thyest.* 1052. Sceleri modus debetur, ubi facias scelus, non ubi reponas. ℙ Item ad tempus recondo servandi causa. *Cic. N. D.* 2, 62. Nec tempestive demetendi percipiendique fructus, neque condendi ac reponendi ulla pecudum scientia est. *Virg. A.* 4, 402. formicae farris acervum populant, tectoque reponunt. *Quint.* 10, 4. Optimum est emendandi genus, si scripta in aliquod tempus reponantur. *Id.* 11, 2. Scriptis reponere aliquid. *Colum.* 12, 11. et 44. *f.* poma in vetustatem. *Quint.* 2, 16. alimenta in hiemem. *Virg. G.* 3, 403. caseum parvo sale contingunt, hiemique reponunt. *Tac. Agr.* 39. *f.* Optimum in praesentia statuit, reponere odium, donec, etc., *h. e.* occultare, celare. *Prop.* 1, 17, 11. An poteris siccis mea fata reponere ocellis? *h. e.* cineres et ossa mea componere, et humo condere. V. REPOSITUS. [*Cf. *Brem.* ad *Nep. A.* 7, 5. *f.*] ℙ Item depono. *Id. ib.* 5, 484. hic victor caestus artemque repono. *Ov. Met.* 4, 10. Telasque, calathosque infectaque pensa reponunt, Turaque dant. *Pl. As.* 3, 1, 16. Si reposivi remum sola ego in casteria. *Cic. N. D.* 2, 49. *f.* Grues in tergo praevolantium colla et capita reponunt. *Val. Fl.* 4, 279. respirant ambo, paullumque reponunt Brachia, *h. e.* demittunt. *Catull.* 31, 8. Cum mens onus reponit, ac peregrino Labore fessi venimus ad Larem nostrum. *Manil.* 2, 619. Sumere iram, et reponere. ℙ Proprie *deponit*, qui resumpturus non est: *reponit*, qui contra. *Quint. decl.* 3, 9. Quid faciet? deponet arma, an reponet? ℙ *Reponere fugam*, cessare a cursu, ap. *Stat. Th.* 6, 591. nunc ignea tollunt Crura, brevemque fugam necopino fine reponunt. ℙ Ap. *Virg. G.* 2, 416. Jam vinctae vites, jam falcem arbusta reponunt, *h. e.* putata sunt, et falcem non amplius requirunt. ℙ *Reponere pontum*, procellosum, tumidum, et vento sublatum deprimere, et planum tranquillumque reddere. *Val. Fl.* 1, 652. Haec ait pontum pater *(Neptunus)* et turbata reponit Litora. *Ponere freta* eadem ratione dixit *Hor. Od.* 1, 3, 16. ℙ Saepe ponitur pro simplici pono, sive colloco. *Hor. Od.* 1, 9, 5. Dissolve frigus, ligna super foco Large reponens; et *ib.* 10, 17. Tu pias laetis animas reponis Sedibus. *Val. Fl.* 3, 339. hunc Adlevat Aesonides, celsoque reponit in ostro. *Ov. Met.* 15, 407. nidum Ante fores sacras Hyperionis aede reponit. *Colum.* 12, 16. Cum uvae modice aruerint, in vasa nova sicco loco reponito. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 23. Totus mergus abscinditur, reponiturque altius in terram. *Cic. N. D.* 2, 21. Stellas in Deorum numero reponere; et *ib.* 1, 38. Homines jam morte deletos reponere in Deos. *Anton.* ad *Cic. post ep.* 8, 10. *ad Att. med.* aliquem in suis. *Cic. Or.* 2, 48. Si placuerit, vos meam defensionem in aliquo artis loco reponetis. *Id. Sull.* 33. In judicum humanitate causam totam reponere. *Plin. ep.* 3, 9. *med.* in re aliqua omnem fiduciam. *Caes. B. C.* 2, 41. spem omnem in virtute. *Liv.* 1, 49. In caritate civium nihil spei reponens. *Val. Fl.* 5, 391. in te animos, sed et omnia nostra repono. *Virg. Ecl.* 3, 54. Sensibus haec imis (res est non parva) reponas, *h. e.* immittas, infigas. *Plin. ep.* 1, 3. Hoc sit negotium tuum, hic labor, haec quies: in his vigilia, in his etiam somnus reponatur, *h. e.* insumatur, occupetur, collocetur. [*Tac. G.* 30. plus reponere in duce quam in exercitu. ℙ Confund. *reponere* et *reportare* V. *Burm.* ad *Virg. A.* 9, 502.]

RĒPORRĪGO, is, a. 3. rursus porrigo. *Petr. fragm. Trag.* 51. *Burm.* Phialam reporrigere.

*REPORTATĬO, onis, f. *JCt.* in *Dig. B. A.*

RĒPORTĀTUS, a, um, part. a *reporto*: *ἀναχομισθείς*, relatus, revectus. *Cic. in Sen.* 11. In patriam equis insignibus, et curru aurato reportati.

RĒPORTO, as, avi, atum, a. 1. *ἀναχομίζω*, retro porto, reveho, refero, [*aliquem vel aliquid in pristinum ipsius statum.] *Caes. B. G.* 5, 23. Quod nonnullae deperierant naves, duobus commeatibus exercitum reportare constituit. *Tac. A.* 1, 63. Legiones classe, ut advexerat, reportat. *Cic. Att.* 4, 17. *f.* Exercitum Britannia reportabant. *C. Gracch.* ap. *Gell.* 15, 12. *extr.* Alii vini amphoras quas plenas tulerunt, eas argento plenas domum reportaverunt. ℙ [*Reportare se*, i. q. reverti. *B. Hisp.* 4. *Appul. Met.* 1. Eodem sensu dicitur *pedem reportare* ap. *Virg. A.* 11, 764. ℙ Hinc pertinet ad eos, qui, quod comparaverunt, occupaverunt eo, unde profecti, progressi sunt, secum regerunt.] *Virg. G.* 1, 274. lapidemque revertens Incisum, aut atrae massam picis urbe reportat. *Hor. Carm. saec.* 74. Spem bonam certamque domum reporto. ℙ Est etiam renuncio, refero. *Virg. A.* 2, 114. Eurypylum scitatum oracula Phoebi Mittimus: isque adytis haec tristia dicta reportat; et *ib.* 7, 166. longaevi regis ad aures Nuncius ingentes ignota in veste reportat Advenisse viros. *Prop.* 3, 4, 37. Et mea cum multis lacrymis mandata reporta. *Appul. Apol.* Reportat ad socerum haud mollia. *Ov. Met.* 3, 369. de Echo: Ingeminat voces, auditaque verba reportat. ℙ Translate est referre, hoc est colligere, consequi, obtinere, et quasi domum secum ferre. *Cic. Manil.* 3. Ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriae, non victoriam reportarent. *Id. Leg.* 3, 8. Nihil enim, praeter laudem, bonis atque innocentibus, neque ex hostibus, neque a sociis reportandum. *Plin. ep.* 3, 7. Ex proconsulatu Asiae gloriam reportaverat. Sic *Id. Pan.* 16. Imperatore veram ac solidam gloriam reportante. *Flor.* 1, 1. *med.* Spolia opima de rege Feretrio Jovi manibus suis reportavit. *Plin. praef. H. N. f.* Qui imperator triumphum reportavit. *Appul. Met.* 11. Curiositatis improsperae sinistrum praemium reportasti. ℙ Pro reducere. *Catull.* 46, 10. Longe quos simul a domo profectos Diversos variae viae reportant. ℙ [*Confund. *reportare* et *reponere*. V. h. v.]

RĒPOSCO, is, a. 3. *ἀπαιτέω*, rursus posco, repeto: et de iis dicitur, quae nostra fuerunt, vel aliqua ratione nobis debentur. *Ter. Ad.* 1, 2, 51. Nam ambos curare, propemodum reposcere illum est, quem dedisti. *Pl. Trin.* 3, 2. *f.* Cui talentum mutuum dedi, reposcam. *Id. Aul.* 4, 10, 33. Aulam auri te reposco, quam tu confessus mihi te abstulisse. *Virg. A.* 7, 606. Parthosque reposcere signa. *Val. Fl.* 7, 650. Haud jam mendacem promissa reposcere regem Dignatur. *Stat. Th.* 11, 570. I mecum ad manes: illic quoque pacta reposcam. *Cic. Verr.* 2, 4, 51. Ut ad Verrem adirent, et eum simulacrum Cereris reposcerent. *Id. in Sen.* 4. *f.* Quorum alter a me Catilinam amatorem suum, alter Cethegum consobrinum reposcebat. *Virg. A.* 11, 240. Quae referant, fari jubet, et responsa reposcit Ordine cuncta suo. *Mart.* 8, 38. Reposcere vicem, *h. e.* ut pari refera-

tur; et *Plin. ep.* 1, 13. *f.* Ut in ceteris rebus, ita in audiendi officio perit gratia, si reposcatur. *Id. ep.* 7, 12. *extr.* Negabis ullius pretii esse *libellum*, cujus pretium reposceris. ℙ Universim pro exigere, repetere, postulare. *Catull.* 50, 20. Ne poenas Nemesis reposcat a te. *Virg. A.* 2, 139. Quos illi fors ad poenas ob nostra reposcent Effugia; et *ib.* 12, 573. Ferte faces propere, foedusque reposcite flammis. *Prop.* 2, 1, 81. Quandocumque igitur vitam mea fata reposcent. *Cic. Div. Verr.* 9. (et *Verr.* 2, 3, 1.) Nihil est quod minus ferendum sit, quam rationem ab altero vitae reposcere eum, qui non possit suae reddere. *Caes. B. G.* 5, 30. Hi sapient, et, si gravius quid acciderit, abs te rationem reposcent. *Liv.* 39, 37. *med.* Vos rationem reposcitis, quid Achaei Lacedaemoniis bello victis fecerimus? *Ov. Met.* 13, 234. trepidos cives exhortor in hostem, Amissamque mea virtutem voce reposco. *Lucr.* 6, 920. Quo magis attentas aures, animumque reposco. *Tac. A.* 3, 13. Quid dicturi reposcentibus aut prospera aut adversa?

RĔPOSCO, onis, m. qui, quod sibi deberi putat, acriter reposcit, flagitator molestus et assiduus. *Ammian.* 22, 16. *f.* Homines Aegyptii ad singulos motus excandescentes, controversi, et reposcones acerrimi.

RĔPOSĪTĬO, onis, f. actus reponendi, et recondendi. *Pall.* 1, 32. Repositiones foeni, ligni, cannarum nihil refert, in qua parte fiant, dummodo siccae sint.

RĔPOSĪTORĬUM, ii, n. instrumentum, puta orbis, aut discus major, in quo vasa escaria in mensa imponuntur. *Plin.* 33, 11, 49. Vasa argentea et in mensas repositoriis imponimus; et *ib.* 52. Repositoriis argentum addi sua memoria coeptum, Fenestella tradit, qui obiit novissimo Tiberii Caesaris principatu. Sed et testudinea tum in usum venisse (V. 9, 11, 13.) ante se autem paulo lignea, rotunda, solida, nec multo majora, quam mensas fuisse. Se quidem puero, quadrata et compacta, aut acere operta, aut citro coepisse: mox additum argentum in angulis, lineasque per commissuras. *Id.* 28, 2, 5. Bibente conviva, mensam vel repositorium tolli, inauspicatissimum judicatur. *Id.* 18, 35, 90. In conviviis mensisque nostris vasa, quibus esculentum additur, sudorem repositoriis linquentia diras tempestates praenunciant. V INCITEGA. ℙ [Idem est ac sepulcrum. *Jul. Valer. res gest. Alex M.* (ed. *A. Maio*) 3, 95. His igitur omnibus mando repositorium corpori meo fieri magnorum talentorum sex. *F.*] ℙ *Repostorium* per syncopen: accipitur etiam pro loco secretiore in aedibus, ubi pretiosiora quaeque reponuntur. *Capitol. M. Aurel.* 17. Vendidit gemmas etiam, quas multas in repostorio sanctiore Hadriani repererat.

RĔPOSĪTUS, et per sync. Repostus, a, um, part. a *repono: ἀναιθεὶς*, iterum, [*vel in loco, unde quid absumptum, deportatum, denuo] positus. *Quint.* 2, 4. *med.* Necesse est his, cum eadem judiciis pluribus dicunt, fastidium moveant, velut frigidi et repositi cibi. *Cels.* 8, 10. *n.* 1. Indicium ossis repositi est dolor sublatus. ℙ Item restitutus, instauratus, refectus. *Tac. H.* 3, 34. *f.* Reposita fora, templaque munificentia municipum. *Petr. Sat.* 110. Repositum in pristinum decorem puerum gaudebam. ℙ Item sepositus servandi causa. *Hor. Epod.* 9, 1. Repostum Caecubum ad festas dapes. *Caes. B. C.* 2, 14. Arma omnia reposita et contecta. *Plin.* 23, 7, 71. Ricini mori sanguinem sistunt adalligati: ad hoc servantur repositi. ℙ Translate. *Virg. A.* 1, 30. manet alta mente repostum Judicium Paridis, spretaeque injuria formae. *Quint. prooem.* 8. *med.* Sed opus est studio praecedente, et acquisita facultate, et quasi reposita. *Val. Fl.* 2, 286. Navis Thetidi, Glaucoque reposta, *h. e.* sepos ta post longum usum, et consecrata. Simile est illud *Virg. A.* 5, 484. hic victor caestus artemque repono. Mos enim fuit arma, et instrumenta artis postibus alicujus Dei suspendere, et sacrare post desitam artem, et exactam militiam. V. *Virg. A.* 1, 252. et *Ecl.* 7, 24., *Hor. Od.* 3, 26, 3. et *Ep.* 1, 1, 5. ℙ *Repostus tellure*, sepultus. *Virg. A.* 6, 654. quae cura *(vivis)* nitentes Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos. ℙ Item depositus. *Id. ib.* 11, 149. feretro Pallanta reposto Procumbit super. ℙ Item positus, collocatus. *Sen. Hipp.* 1230. Saxum his cervicibus repositum degravet fessas manus. *Cic. Verr.* 2, 4, 3. Duo signa virginali habitu, quae manibus sublatis sacra quaedam reposita in capitibus sustinebant, *h. e.* canephorae. *Id. Fam.* 9, 14. *f.* Intelligere debes, in te repositam esse rempublicam. ℙ Item retro positus, remotus, reductus, sepositus, dissitus. *Virg. A.* 6, 59. penitusque repostas Massylum gentes. *Id. ib.* 3, 364. Italiam petere, et terras tentare repostas. *Appul. Met.* 4. Convalles lacunosae, cavaeque nimium, spinetis exaggeratae, et quaquaversus repositae.

RĔPOSTOR, oris, m. qui reponit, *h. e.* reficit, restitutor, restaurator, reparator, refector. *Ov. Fast.* 2, 63. de Augusto: Templorum positor, templorum sancte repostor. Alii leg. *refector.*

RĔPOSTORĬUM. V. REPOSITORIUM.

RĔPOSTUS. V. REPOSITUS.

RĔPŌTĀTĬO, onis, f. iterata potatio. *Varr. L. L.* 5, 8. *f.*

RĔPŌTĬA, orum, n. plur. *τὰ ἐπαύλια*, sunt, cum postridie nuptias apud novum maritum coenatur: quia quasi reficitur potatio. Ita *Fest.* Aliis est septimus a nuptiis dies, quo nova nupta solebat redire ad parentes suos, ut est ap. *Acron.* ad illud *Hor. Sat.* 2, 2, 60. Ille repotia, natales, aliosve dierum Festos albatus celebret. *Gell.* 2, 24. *f.* Lege Julia profestis diebus CC. finiuntur *(in sumptum coenae)*, calendis, idibus, nonis, et aliis quibusdam festivis CCC., nuptiis autem, et repotiis HS mille. *Auson. f. ep.* 9. Natalis si forte fuit solemnis amico, Conjugioque dapes, aut sacra repotia patrum. ℙ Proprie. *Appul. Apol.* Quid sit diei, vides. Dico, Crassum jamdudum ebrium stertere, aut secundo lavacro, ad repotia coenae obeunda, vinolentum sudorem in balneo desudare, *h. e.* ad repetendam potationem. *Id.* de Mundo: Hic ad convivii repotia vespertinus comissator adventat.

RĔPŌTĬĀLIS, e, adj. ad repotia pertinens. *Pacuv.* ap. *Fest.* in *Repotia*, ex lectione *Scal.* Ab eo depulsum mamma paedagogandum accipit repotialis liber, *h. e.* puer natus statim post nuptias, ipsis repotiis. V. interpretes *Festi.*

REPRAESENTĀNĔUS, a, um, adj. idem quod praesentaneus, praesens. *Tert. Apol.* 28. Repraesentaneae potestatis respectu aliquid agere.

REPRAESENTĀTĬO, onis, f. *ὑποτύπωσις*, actus repraesentandi, et rem quasi praesentem atque ob oculos ponendi. *Quint.* 8, 3. *med.* Plus est evidentia, vel, ut alii dicunt, repraesentatio, quam perspicuitas. *Plin.* 9, 6, 5. Orca, infesta balaenis bellua, cujus imago nulla repraesentatione exprimi possit alia, quam carnis immensae dentibus truculentae. *Gell.* 10, 3. *med.* Sed enim Cicero praeclare, cum diutina repraesentatione non *caesus est*, sed *caedebatur*, inquit, (*Verr.* 2, 5, 62.), *virgis in medio foro Messanae civis Romanus. Tert. adv. Prax.* 24. Pater visibilis fit in filio ex virtutibus, non ex repraesentatione personae. ℙ *Repraesentatione emere*, praesenti solutione, seu pecunia. *Cic. Att.* 12, 31. Si Faberianum venderem, explicare vel repraesentatione non dubitarem de Silianis, si modo adduceretur, ut venderet. *Id. ib.* 13, 29. *f.* Dolabellae nomen jam expeditum videtur, ut etiam repraesentatione confidam. *Marc. Dig.* 35, 1, 35. Repraesentatio fideicommissi, *h. e.* praesens solutio. ℙ Figura, exemplum, imago. *Val. Max.* 5, 10. *n.* 2. Aemilius Paulus nunc felicissimi, nunc miserrimi patris clarissima repraesentatio.

REPRAESENTĀTOR, oris, m. *Tert. adv. Prax. med.* Filius repraesentator patris.

REPRAESENTĀTUS, a, um, part. a *repraesento*: oculis subjectus, *ὑποτυπωθείς*. *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 3. Repraesentata veritas. *Val. Max.* 7, 5. *in.* Campi repraesentata conditio. ℙ Statim solutus. *Ulp. Dig.* 2, 15, 8. Repraesentatam pecuniam consumere. [*Inscr.* ap. *Orell.*, *Coll. Inscr. Lat. n.* 5020. In via ducente Herdonias tria millia passuum ex D. D. re praesentata pecunia stravit. *F.*]

REPRAESENTO, as, avi, atum, a. 1. *ὑποτυπόω*, praesentem esse facio, ob oculos pono, in conspectu pono, refero, exhibeo. *Colum.* 8, 17. *med.* Scopulos per stagni spatia disponere, et quantum comminisci valet hominis ingenium, repraesentare faciem veri maris. *Plin.* 37, 10, 56. Crocallis gemma cerasum repraesentat; et *ib.* 58. Encardia cordis speciem repraesentat; et *ib.* 8, 33. Callaides viliores constantius colorem repraesentant, *h. e.* exhibent ac servant. Sic *Colum.* 12, 47. *med.* Haec maxime nota *(conditurae)* etiam post annum repraesentat viridem saporem olivarum. *Cic. Sext.* 11. Erat senatus in aede Concordiae, quod ipsum templum repraesentabat memoriam consulatus mei. *Hor. Ep.* 1, 19, 12. si quis vultu torvo ferus, et pede nudo, Exiguaeque togae simulet textore Catonem, Virtutemne repraesentet, moresque Catonis? *Appul. Flor. n.* 9. Effingere et repraesentare virtutes alicujus, *h. e.* moribus exprimere, referre, imitari. *Id. Apol.* similitudinem alicujus rei. *Plin. ep.* 4, 19. affectum patris. In quodam SC. ap. *eund. ep.* 8, 6. Cum senatui populoque R. liberalitatis gratior repraesentari nulla materia possit, quam si, etc. *Id. ep.* 9, 28. Nuncias, multa te nunc dictare, nunc scribere, quibus nos tibi repraesentes, *h. e.* nos, qui absumus, velut praesentes tibi facias. *Plin. alter* 7, 24, 24. Charmadas quidam in Graecia, quae quis exegerat volumina in bibliothecis, legentis modo repraesentavit: statim memoriter, quid illa continerent, recitavit. ℙ *Repraesentare vicem*, praestare. *Id.* 28, 10, 45. Butyrum per se prodest contra venena: nam si oleum non sit, vicem ejus repraesentat. *Id.* 18, 14, 36. Lupinum adeo non eget fimo, ut optimi vicem repraesentet. ℙ *Repraesentare* dicuntur pictores, et statuarii, qui similes imagines faciunt. *Plin.* 34, 8, 19. *n.* 31. Niceratus repraesentavit Alcibiadem, lampadeque accensa matrem ejus sacrificantem. Adde *Val Max.* 8, 11. *n.* 3. et 5. *extr.* ℙ Item oratores graphice quippiam describentes. *Id.* 2, 7. *n.* 6. ℙ *Repraesentare se*, praesentem se sistere, adesse. *Colum.* 11, 1. *med.* (et 1, 8. *med.*) Curabit villicus, ut justa reddantur: istaque non aegre consequetur, si semper se repraesentaverit. *Appul. Met.* 10. Ut iste repraesentatus est judicio. Adde *Ulp. Dig.* 48, 5, 15. *med.* ℙ *Repraesentare aliquid*, statim et in praesentia praestare quod differri poterat. *Sen. ep.* 95. *in.* Petis a me, ut id, quod in diem suum dixeram debere differri, repraesentem. *Front. Aquaed.* 119. Ut aestimet, quae repraesentanda, quae differenda sint. *Caes. B. G.* 1, 40. *f.* Se, quod in longiorem diem collaturus esset, repraesentaturum, et proxima nocte castra moturum. *Hirt. B. Alex.* 70. Respondit, se fore aequissimum Pharnaci, si quae polliceretur, repraesentaturus esset. *Plin.* 31, 2, 7. Thespiarum fons conceptus mulieribus repraesentat, *h. e.* statim fecunditatem affert. *Cic. Fam.* 5, 16. *f.* Neque debemus exspectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possimus, *h. e.* statim adhibere. *Id. Phil.* 2, 46. Corpus libenter obtulerim, si repraesentari morte mea libertas civitatis potest, *h. e.* statim dari. *Id. Att.* 16, 2. *med.* Mihi videntur istorum animi incendi etiam ad repraesentandam improbitatem suam, *h. e.* in praesenti declarandam, effundendam, exsatiandam. *Curt.* 10, 1. *med.* Coeperat esse praeceps ad repraesentanda supplicia. *Id.* 6, 11. *med.* Repraesentare consilium. *Quint.* 10, 7. judicia. *Phaedr.* 3, 10. in se poenam facinoris. Sic *Suet. Claud.* 34. Tormenta quaestionum, poenasque parricidarum repraesentabat, exigebatque, *h. e.* statim sumebat, nulla post sententiam dilatione interposita. *Id. Vit.* 10. *med.* Verbera, et plagas, saepe vulnera, nonnunquam necem repraesentantes adversantibus, *h. e.* statim inferentes. ℙ Similiter in emptionibus, et solutionibus significat pecunia praesenti rem transigere. V. REPRAESENTATIO. *Cic. Att.* 12, 25. Reliquae pecuniae vel usuram Silio pendemus, dum a Faberio, vel ab aliquo, qui Faberio debet, repraesentabimus. (Adde *ib.* 29.) *Suet. Aug.* 101. Legavit populo Romano quadringenties, cohortibus urbanis quingenos, legionariis tricenos nummos: quam summam repraesentari jussit: nam et confiscatam semper repositamque habuerat, *h. e.* statim post mortem suam solvi. *Id. Claud.* 18. Positis ante se cum pecunia fiscis, ad subveniendum hortatus est, repraesentans pro opera dignam cuique mercedem. *Cic. Fam.* 16, 14. *f.* Dies promissorum adest: quem etiam repraesentabo, si adveneris, *h. e.* statim ac adveneris, praestabo: quamvis dies promissorum tunc, cum advenies, fortasse impletus non erit. Loquitur autem de manumissione, quam Tironi suo antediem certam promiserat! quamque eidem praestitisse comperimus ex epistola Quinti fratris ejus *Fam.* 15, 16. *Marc. Dig.* 35, 1, 35. *med.* Repraesentare fideicommissum, *h. e.* ante diem finitam, in praesenti ac statim solvere.

REPRAESTO, as, avi, atum, a. 1. idem fere quod praesto, do, exhibeo, solvo. *Paul. Dig.* 19, 1, 47. L. Titius accepta pecunia ad materias vendendas sub poena certa, ita ut si non integra repraestaverit, etc. *Ulp. ib.* 36, 1, 22. Decrevisse divum Marcum, fideicommissum eis repraestandum. Ita *Torrent.* editio, et alior. Ap. *Haloandr.* et alios *praestiterit*, et *repraesentandum.*

REPREHENDO, is, endi, ensum, a. 3. *ἀναλαμβάνω, ἀντιλαμβάνω*, retro prehendo, prehendendo retraho: et proprie est euntem, vel fugientem capere, sistere, et retrahere. *Pl. Mil.* 1, 1, 59. et *Trin.* 3, 1, 22. Ut illae, here quae pallio me reprehenderunt. *Id. Most.* 4, 1, 5. Servi fugiunt: sed si reprehensi sunt, faciunt, etc. *Liv.* 34, 14. *med.* Adeo turbati erant equites peditesque, ut quosdam consul manu ipse reprehenderit, et adversos in hostem verterit. *Luer.* 6, 567. non ulla refrenet Res, neque ab exitio possit reprehendere euntem. *Phaedr.* 5, 8. Quem si occuparis, teneas: elapsum semel Non ipse possit Juppiter reprendere. *Prop.* 3, 17, 9. Cursum alicujus reprehendere. ℙ Translate est retinere, revocare, reprimere. *Cic. Acad.* 4, 45. *med.* Labor, ut assentiar Epicuro: revocat virtus, vel potius reprehendit manu. *Ter. Ad.* 4, 4, 13. Sensi illico ad illas suspicari: sed me reprehendi tamen, ne quid de fratre garrulae illi dicerem, *h. e.* me reprehendi. Alii leg. *repressi.* ℙ Et iterum prehendo, resumo. *Ter. Ad. prol.* 12. Pernoscite, furtumne factum existimetis, an locum reprehensum, qui praeteritus negligentia est. ℙ Item saepe increpo, arguo, castigo verbis, accuso: nam etiam verbis ab agendo retrahimus. *Nep. Dat.* 5. Reminiscens, a quanto bello ad quam parvam rem principem ducum misisset, se ipse reprehendit. *Cic Planc.* 35. Meum discessum, quem saepe defleras, nunc quasi reprehendere et subaccusare voluisti. *Id. Verr.* 2, 5, 18. Non modo te hoc crimine non arguo, sed ne illa quidem communi vituperatione reprehendo. *Id. Or.* 26. Reprehendere quaedam et exagitare. *Caes. B. G.* 7, 52. Reprehendere temeritatem cupiditatemque militum. *Cic. N. D.* 1, 11. *med.* quempiam vehementer de re aliqua. *Id. Part.* 37. Se id fecisse ipsum, in quo reprehenduntur. *Colum.* 11, 1. Non satis est reprehendisse peccantem, si non doceas recti viam. *Ter. Ad.* 5, 9, 36. Consulitis parum haec reprehendere, et corrigere me. *Suet. Vesp.* 23. Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinae vectigal commentus esset. *Hieron. adv. Jovin.* 1. *n.* 11. Nonnullos hanc intelligentiam reprehensuros arbitror. ℙ Speciatim usurpatur de scriptis, quae minus proba videntur, notare. *Suet. Gr.* 10. Asinius

Pollio Sallustii scripta reprehendit, ut nimia priscorum verborum affectatione oblita. *Plin. ep.* 9, 26. Plurimum autem refert reprehendenda annotes, an insignia. Adde *Cic. Or.* 8. ℙ Item confuto, apud rhetores. *Cic. Part.* 12. et *Inv.* 1, 42. 44. 45. 46. etc. V. REPREHENSIO. ℙ Item retineo aliquid, ne elabatur, aut dissolvatur. *Lucr.* 3, 599. et omnes Extremum cupiunt vires reprendere vinclum. ℙ *Reprendo* sync. fere poeticum est. *Ov. Her.* 11, 53. Contineo gemitus, elapsaque verba reprendo. *Lucil.* ap. *Non.* 5, 24. Calpurni saevam legem Pisoni reprendi: Eduxique, etc. *Lucr.* 4, 499. Nec porro poterunt sensus reprendere sese. **Cic. de re publ.* 4, 4. ed. *Maio:* Quas reprendis, ubi notat *Maius* ita cod., prisca orthographia, sicuti in palimpsestis Ambrosianis et in Palatino: quin et ap. *Cic.* sic diserte legisse videri *Cornutum* p. 2286. *Fragm. Cic. pro Fonteio* (ed. *B. G. Niebuhrio*) c. 1. Quid accusas? quid reprendis? *B. A.*

[REPREHENSIBILIS, e, adj. reprehensione dignus. *Salv. Gub. D.* 4, 14. Ebrietas reprehensibilis. *Ruf. Inv.* in *Hieron.* 2. *n.* 30. Quae tibi videbantur reprehensibilia, in medium proferre debueras. *F.*]

REPREHENSIO, onis, f. actus prehendendi, sistendi, et retro trahendi, retractio. *Cic. Or.* 3, 25. *f.* Concinnam, distinctam, ornatam, festivam, sine intermissione, sine reprehensione, sine varietate, quamvis claris sit coloribus picta vel poesis, vel oratio, non posse in delectatione esse diuturna, *h. e.* si non sistat se quodammodo, et continuata suavitate retrahat. *Lambin.* leg. *respiratione.* ℙ Item saepius increpatio, vituperatio, ἐπιτίμησις, ἐπίπληξις. *Id. Phil.* 12, 10. Gloriam in morte debent ii, qui in republica versantur, non culpae reprehensionem, et stultitiae vituperationem relinquere. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 23. A reprehensione temeritatis absum. *Cic. Fin.* 1, 1. Ut hic noster labor in varias reprehensiones incurreret. *Id. Or.* 1. Doctorum reprehensionem vereri. *Plin.* 36, 6, 7. Magna reprehensione aliquid facere. *Tac. H.* 1, 49. Sine reprehensione quippiam agere. *Suet. Ner.* 19. *f.* Haec partim nulla reprehensione, partim etiam non mediocri laude digna, in unum contuli. *Quint.* 5, 7. Si reprehensionem non capit ipsa persona, infamare signatores licet. ℙ Ap. rhetores *reprehensio* est idem quod confutatio, cum argumentando adversariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut elevatur, ut ait *Cic. Inv.* 1, 42. Adde *ib.* 14. *f.* et *Part.* 9. et 12. ℙ Recensetur etiam ab *eod. Or.* 3, 54. inter figuras verborum, cum orator corrigit seipsum, quasi reprehendens, ut *Id.* ait *Or.* 39. *med.* Graece est ἐπανόρθωσις, ἐπιδιόρθωσις. *Id. Rab. Post.* 5. Numquis testis Postumum appellavit? testis autem? num accusator? etc.

REPREHENSO, as, a. 1. frequent. a *reprehendo*, ἐπαναλαμβάνω. *Liv.* 2, 10. Reprehensans singulos, obsistens, obtestansque Deum et hominum fidem, *h. e.* retinens, et retro trahens.

REPREHENSOR, oris, m. μῶμος, qui reprehendit. *Cic. opt. gen. or.* 6. Huic labori nostro duo genera reprehensorum opponuntur. *Ov. Her.* 17, 219. Delicti fies idem reprehensor et auctor. ℙ Sumitur etiam pro emendatore et correctore. *Cic. Planc.* 3. *med.* Ut reprehensores essent comitiorum.

REPREHENSUS, et per sync. Reprensus, a, um, part. a *reprehendo:* ἀναληφθείς, prehensus et retractus. *Suet. Cal.* 45. Obsides quosdam clam praemissos, cum equitatu insecutus, veluti profugos ac reprehensos, in catenis reduxit. *Curt.* 4, 14. Reprehensi ex fuga Persae. *Ov. Met.* 15, 525. de Hippolyto: nervos in stirpe teneri, Membra rapi partim, reprensa relinqui. ℙ Translate increpitus, culpatus. *Hor. Sat.* 1, 10, 55. Cum de se loquitur, non ut majore reprensis. *Plin. ep.* 8, 18. *med.* Tanto melius de viro merita, quanto magis est reprehensa, quod nupsit.

REPRESSE, adv. *Gell.* 12, 11. Si sciant homines, nihil diutius posse celari, repressius pudentiusque peccabitur. Alii leg. *suppressius*, eodem sensu. *Ammian.* 29, 2. *med.* Nec tamen post haec tam poenitenda repressius actum est.

[REPRESSIO, onis, f. coercitio. *Inscr.* ap. *Mur.* 1412, 13. Cum quo vixit ann. XXV. sine repressione. Ita fortasse insculptum fuit vel marmorarii negligentia, vel vitio saeculi pro *reprensione. F.*]

REPRESSOR, oris, m. καταστολής, qui reprimit. *Cic. Sext.* 69. Exstinctor domestici latrocinii, repressor caedis qnotidianae. *Eutr.* 10, 16. Julianus imperator tributorum repressor, *h. e.* tributa minuens, nova non indicens.

REPRESSUS, a, um, part. a *reprimo:* ἐπεχόμενος, cohibitus, compressus, coercitus. *Cic. Manil.* 5. *med.* Impetus hostium repressi ac retardati. *Val. Fl.* 6, 278. voxque repressa gelu. *Suet. Cal.* 6. *extr.* Repressa saevitia. *Id. ib.* 9. Repressum ac retentum vehiculum; et *Claud. carm. de piis fratr.* 31. tanta virtute repressas Enceladi fauces obriguisse reor: et *Stat. Th.* 5, 522. arentesque lacus, fontesque repressi; et *Just.* 1, 6. *f.* Hac repressi castigatione, in proelium redeunt, *h. e.* fuga cohibiti. *Cic. Brut.* 4. Sic omnis fetus repressus, exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit, *h. e.* enectus.

REPRIMO, is, pressi, essum, a. 3. ἀναστέλλω, καταστέλλω, coerceo, cohibeo, inhibeo, compesco. *Tac. A.* 15, 43. Aqua privatorum licentia intercepta, subsidia reprimendis ignibus quisque haberet. *Cic. Att.* 10, 19. Dubitabat nostrum nemo, quin Caesar itinera repressisset: volare dicitur, *h. e.* a celeritate se cohibuisset. *Caes. B. G.* 3, 14. Reprimere fugam hostium; et *B. C.* 3, 93. cursum; et *Virg. A.* 2, 378. retroque pedem cum voce repressi. *Id. ib.* 12, 939. Reprimere dextram. (Sic *Stat. Th.* 11, 309. atque ensem, quem jam dabat ira, repressi.) *Cic. Div.* 2, 39. fluvium redundantem. *Id. Somn. Scip.* 3. fletum. Sic *Att.* 11, 15. *f.* Et cetera, quae, fletu reprimor, ne scribam. ℙ Translate. *Id. Fin.* 1, 1. Difficilem quandam temperantiam postulant in eo, quod semel admissum coerceri reprimique non potest. *Id. ad Brut.* 2, 7. Quorum repressimus impetum, ardoremque restinximus. *Id. Sext.* 55. Vix homines odium suum a corpore ejus impuro represserunt. *Id. Att.* 4, 16. *f.* Reprimere susceptam objurgationem, *h. e.* abrumpere, omittere. *Id. Verr.* 2, 2, 22. consuetudinem peccandi; et *ib.* 26. *f.* conatus alicujus. *Id. Sext.* 44. furorem exsultantem alicujus. *Id. Har. resp.* 1. alicujus impudentiam. *Plin. Pan.* 83. se, ac revocare ab omni contagione vitiorum. *Ter. Ad.* 5, 3, 8. iracundiam, atque ad se redire. *Ov. Met.* 9, 136. solita gemitum virtute repressit. ℙ Cum infinito. *Enn.* ap. *Fest.* in *Occasus.* Aut occasus ubi, tempusque audere repressit. Sed *audere* pro substantivo est. ℙ *Reprimere se* est se continere. *Cic. Leg.* 2, 17. *f.* Sed reprimam me, et non insequar longius. *Ter. Hec.* 5, 1, 39. Reprimam me, ne aegre quidquam ex me audiat. *Pl. Mil.* 4, 8, 58. Vix reprimor, quin te manere jubeam, ℙ Illa ad rem medicam pertinent, cum vis morbi sistitur. *Plin.* 35, 15, 51. Reprimere vulvas procidentes. *Id.* 27, 5, 15. abundantiam sanguinis. *Id.* 20, 9, 36. parotidas; et 31, 9, 45. pusulas; et 20, 13, 51. sudorem; et 34, 18, 50. cicatrices: *scil.* ne deformitatem inducant: vel complanare. *Cels.* 2, 12. *med.* alvum, quod *ib.* supprimere, dixerat. *Id.* 6, 10. medicamenta reprimentia; et *ib.* 16. Si sine morbo id intumuit, primum reprimentibus experimentum fiat.

[REPROBABILIS, e, adj. qui reprobari debet. *Not. Tir.* p. 32. Probabilis, reprobabilis. *F.*] **Interpr. Iren.* 4, 54. Reprobabili mente. *Sarisb.* 7, 20. Reprobabilem censecrare. *B. A.*

*REPROBATICIUS, a, um, adj. reprobabilis. *Gloss. Lat. Gr.* Reprobaticius, ἀποδοκιμαστέος. *B. A.*

REPROBATIO, onis, f. improbatio, rejectio. *Tert. Apol.* 13. Nec electio sine reprobatione. Adde *adv. Marc.* 4, 35. *f.*

*REPROBATOR, oris, m. *August. B. A.*

REPROBATRIX, icis, f. quae reprobat. *Tert. adv. Marc.* 4, 36. Disciplina reprobatrix superbiae.

REPROBATUS, a, um, part. a *reprobo:* improbatus, rejectus. *Scaev. Dig.* 48, 4, 4. *extr.* Qui statuas imperatorum reprobatas conflaverit.

REPROBO, as, avi, atum, a. 1. ἀποδοκιμάζω, improbo, rejicio. *Cic. Fin.* 1, 7. Quod ipsa natura adsciscat, et reprobet, id est voluptatem, et dolorem. *Quint. prooem.* 6. Quem ultra esse usum mei, Diis reprobantibus, credam?

REPROBUS, a, um, adj. *Reproba pecunia*, adulterina, improba. *Ulp. Dig.* 13, 7, 24. Reprobos nummos creditori solvere: et *mox:* Reproba pecunia non liberat solventem. **Vulg. Rom.* 1, 28. *Gloss. Lat. Gr.* Reprobus, ἀδόκιμος. *B. A.*

REPROMISSIO, onis, f. ἐγγύησις, actus repromittendi. *Cic. Rosc. Com.* 13. *f.* Siquidem sine cautione et repromissione, nihilominus id Fannius societati debebat. Adde *ib.* 13. *med.*

REPROMISSUS, a, um, part. a *repromitto*, poscenti sponsus. *Aurel. Vict. Vir. illustr.* 2. Petiit quod illi in sinistris manibus gerebant: quibus dolose repromissis, etc.

REPROMITTO, is, isi, issum, a. 3. ἀναδέχομαι, vicissim promitto, stipulanti promitto, poscenti spondeo. *Pl. As.* 2, 4, 47. Argentum tamen mihi si vis denumerare, repromittam istoc nomine solutam rem futuram. *Cic. Rosc. Com.* 13. Repromittis tu abhinc triennium Roscio, quid? recita istam restipulationem clarius. *Id. Brut.* 5. Non mehercule tibi repromittere istuc quidem ausus sim. *Just.* 22, 2. Amilcarem exorat, ut inter se et Syracusanos pacis arbitria suscipiat, peculiaria in ipsum officia sua repromittens. ℙ Adhibetur et pro simplici promitto, polliceor. *Cic. ad Quir.* 10. In referenda gratia hoc vobis repromitto, semperque praestabo, etc. *Plin. ep.* 4, 27. Ad hunc gustum totum librum repromitto. Adde *Suet. Tib.* 17. et *Oth.* 4.

[REPROPITIO, as, a. 1. iterum propitium reddo, idem fere ac propitio. *Tert. ad Nat.* 1, 17. Quod irreligiosi dicamur in Caesares, usque imagines eorum repropitiando, neque Genios dejerando hostes populi nuncupamur. *F.*]

REPTABUNDUS, a, um, adj. multum reptans. *Sen. V. B.* 18. *med.* Hoc me non impediet, quo minus virtutem adorem, et ex intervallo ingenti reptabundus sequar; et *ib.* 12. Effusus in voluptates, reptabundus semper, atque ebrius.

REPTATIO, onis, f. ἕρψις, actus reptandi, reptatus. *Quint.* 1, 12. Ut corpora infantium nec casus tam graviter affligit, nec illa per manus et genua reptatio, etc.

REPTATUS, a, um, part. a *repto:* ἑρπυσθείς, reptando percursus. *Stat. Th.* 5, 581. Et Nemees reptatus ager, *scil.* ab angue. *Claud. IV. cons. Honor.* 133. Cretaque se jactat tenero reptata Tonanti. *Id. in Ruf.* 2, 180. teneroque amnis reptatus Achilli. *Pacat. Pan. Theodos.* 4. *extr.* Geminis Delos reptata numinibus.

REPTATUS, us, m. ἑρπυσμός, reptatio. In sexto casu sing. *Plin.* 14, 1, 3. Vites improbo reptatu pampinorumque superfluitate, peritia domini amplo discursu atria media complentes. *Tert. Anim.* 10. *med.* Limaces incedunt spumante reptatu.

[REPTICIUS, a, um, adj. qui reptando ingressus est. *Sall. decl. in Cic.* 1. Ita in hoc ordine M. Tullius moderatur, quasi unus reliquus ex familia viri clarissimi, Scipionis Africani, non repticius, accitus ac paulo ante insitus huic urbi civis. Alii leg. *reperticius*, alii *repeticius. F.*]

REPTILIS, e, adj. ἑρπετός, omne animal repens. *Sidon. ep.* 8, 12. Ipsae tuum mihi videntur adventum reptiles cochleae cum domibus nativis antecessurae.

REPTO, as, avi, atum, n. 1. ἑρπύζω, frequent. a *repo*, et ejusdem significationis atque usus. V. REPO. *Pl. fragm.* ap. *Gell.* 3, 3. Major pars populi aridi reptant fame, *h. e.* adeo languent fame, ut stare nequeant, et repant. *Plin.* 9, 30, 50. Cetera in undis natant: locustae reptantium modo fluitant. *Claud. II. cons. Stil.* 172. anguis reptavit placido tractu. *Gell.* 10, 12. Chamaeleon humi reptans. *Plin.* 19, 5, 24. Cucumeres reptantibus flagellis scandentes parietum aspera in tectum usque. *Sen. Herc. Fur.* 216. gemina cristati caput angues ferebant ora: quos contra obvius Reptavit infans. *Claud. Ruf.* 1, 93. reptavit parvus in isto Saepe sinu. *Id. in Eutr.* 2, 441. qui pondere postquam Decidit implicitus limo, cunctantia pronus Per vada reptabat coeno subnixa tenaci. ℙ De lente incedentibus. *Hor. Ep.* 1, 4, 4. tacitum silvas inter reptare salubres; et *Lucr.* 2, 317. in colli tondentes pabula laeta Lanigerae reptant pecudes. Adde *Plin. ep.* 1, 24. et *Claud. in Eutr.* 1, 316.

REPUBESCO, is, n. 3. ἀνηβάω, rursus pubesco. *Colum.* 2, 1. *med.* Non ergo est exiguarum frugum causa terrae vetustas, si modo, cum semel invasit senectus, regressum non habet, nec revirescere, aut repubescere potest.

REPUDIATIO, onis, f. ἀποπομπή, actus repudiandi, rejectio. *Cic. Att.* 12, 51. *med.* Epistola, nisi plane iis intelliges placere, mittenda non est: id autem utrum illi sentiant, anne simulent, tu intelliges: mihi simulatio pro repudiatione fuerit. *Id. Mur.* 4. Fuga laboris desidiam, repudiatio supplicum superbiam coarguit. *Impp. Dioclet. et Maxim. Cod.* 6, 42, 26. Repudiatio fideicommissi.

REPUDIATOR, oris, m. qui repudiat, et rejicit. *Tert. adv. Marc.* 1, 14. Marcionita repudiator creatoris.

REPUDIATUS, a, um, part. a *repudio:* ἀποπεμφθείς, rejectus, recusatus. *Cic. Or.* 3. *f.* Eloquentia forensis spreta a philosophis, et repudiata, *Id. Phil.* 9, 6. *extr.* Repudiata et rejecta legatio. *Ter. Andr.* 1, 5, 14. Repudiatus repetor. *Suet. Cal.* 25. Orestillam ad se deduci imperavit, intraque paucos dies repudiatam biennio post relegavit. *Id. Caes.* 21. Repudiatus prior sponsus. *Mart. Dig.* 20, 6, 8. *med.* Repudiatum legatum.

REPUDIO, as, avi, atum, a. 1. ἀποπέμπω, ἀποβάλλω, respuo, rejicio, repello, aspernor: et proprie adhibetur in re nuptiali, cum aut uxorem sponsamve quis dimittit, aut uxor sponsave virum vel sponsum. *Pl. Truc.* 4, 1, 8. Si repudiatur miles, mulier mecum perit. *Suet. Caes.* 74. *f.* Interrogatus cur repudiasset uxorem, quoniam, inquit, etc. *Id. Claud.* 26. Priorem sponsam virginem adhuc repudiavit. *Id. Tib.* 35. Quam *(uxorem)* se nunquam repudiaturum, ante juraverat. *Quint.* 7, 8. Venefica secubanti amatorium dedit: eundem repudiavit. ℙ Saepius universim ponitur pro respuere, rejicere. *Varr. L. L.* 8, 64. Sic enim omnes repudiandum est artes, quod, etc. *Pl. Trin.* 2, 3, 11. Repudiare beneficium. *Id. Rud.* 3, 6, 47. hospitium. *Plin. Pan.* 55. amplissimos honores. *Caes. B. C.* 2, 32. fortunam et duces. *Cic. Quint.* 14. conditionem aequissimam. *Id. Off.* 1, 25. *f.* Iracundia omnibus in rebus repudianda est. *Id. Or.* 8. Quod genus dicendi Athenienses funditus repudiaverunt. *Ter. Andr.* 4, 3, 18. Repudio quod consilium primum intenderam. *Cic. Or.* 3, 1. *med.* Neque vero esse mirandum, si cum suis consiliis rempublicam profligasset, consilium senatus a republica repudiaret. *Id. Cluent.* 70. *extr.* Cujus vota et preces a vestris mentibus repudiare debetis. ℙ Ap. JCtos est rejicere, et nolle ad se pertinere. *Terent. Dig.* 37, 14, 21. *extr.* Liberti filius heres institutus, si bona repudiaverit, patronum non excludit. *Modest. ib.* 32, 1, 35. *med.* Repudiare fideicommissum. *Papin. ib.* 79. *f.* hereditatem. *Paul. ib.* 33, 5, 10. a se legatum.

REPUDIOSUS, a, um, adj. qui repudiari meretur. *Pl. Pers.* 3, 1, 56. Ne haec fama faciat repudiosas nuptias, *h. e.* ut nemo velit me habere uxorem propter hanc famam.

REPUDIUM, ii, n. ἀποπομπή, rejectio uxoris, aut

sponsae, a viro aut sponso facta: vel viri aut sponsi ab uxore aut sponsa: a *pudor*, quia, ut est apud *Fest.*, repudium Verrius ait dictum, quod fit ob rem pudendam. Accius: Repudio ejecta ab Argis: jam dudum exsulo. *Modest. Dig.* 50, 16, 101. Divortium inter virum et uxorem fieri dicitur: repudium vero sponsae remitti videtur, quod et in uxoris personam non absurde cadit. *Paulus ib.* 191. inter divortium et repudium hoc interest, quod repudiari etiam futurum matrimonium potest: non recte autem sponsa divertisse dicitur, quando divortium ex eo dictum est, quod in diversas partes eunt, qui discedunt. *Pl. Aul.* 4, 10, 53. Is me nunc renunciare repudium jussit tibi. *Eucl.* repudium, rebus paratis, atque exornatis nuptiis? (Adde *Ter. Ph.* 4, 3, 72.) *Id. ib.* 69. et *Lucil.* ap. *Non.* 4, 398. Ea re repudium remisit avunculus causa mea. *Marcell. Dig.* 24, 3, 38. Maevia denuo repudium sponsalibus misit. ℙ Formula repudiandorum sponsaliorum haec fere fuit: *Conditione tua non utor;* ut est ap. *Cajum. Dig.* 24, 2, 2. ℙ *Repudium* pro divortio, *h. e.* diremptione matrimonii. *Val. Max.* 2, 1. *n.* 4. Repudium inter uxorem et virum, a condita Urbe usque ad vicesimum et quingentesimum annum, nullum intercessit. *Plin.* 7, 36, 36. M. Lepidus Apulejae uxoris caritate post repudium obiit. *Suet. Tib.* 11. *med.* Repudium uxori remittere. *Tac. A.* 3, 22. dicere. *Tert. Apol.* 6. *med.* scribere. *Just.* 11, 11. Uxorem repudio dimittere. ℙ Formula fuit: *Res tuas tibi habeto.* V. DIVORTIUM.

RĔPŬĔRASCO, is, n. 3. *ἀναπαιοῦμαι*, rursus puer fio, ad puerilem aetatem redeo, puerilia studia resumo, instar pueri desipio. *Cic. Sen.* 23. Si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac aetate repuerascam (al. *repuerescam*, in MSS. *repueriscam*), et in cunis vagiam. *Id. Or.* 2, 6. Laelium fere cum Scipione solitum rusticari, eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, etc. conchas et umbilicos ad Cajetam legere consuesse. *Pl. Merc.* 2, 2, 24. Senex cum extemplo est, jam nec sentit, nec sapit: ajunt solere cum rursum repuerascere. Hinc proverb. *δὶς παῖδες οἱ γέροντες, ὀρθῶ τῷ λόγῳ.*

RĔPUGNANS, antis, part. a *repugno: ἀντιστάμενος, ἐναντίος*, contra pugnans, resistens, adversans, reluctans. *Cic. Or.* 2, 44. *f.* Tantam vim habet oratio, ut non modo inclinantem erigere, aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem capere possit. *Id. Off.* 1, 31. Nihil decet, invita, ut ajunt, Minerva: id est adversante et repugnante natura. Adde *ib.* 3, 19. *extr. Hirt. B. G.* 8, 22. Invitis principibus, resistente senatu, bonis omnibus repugnantibus, bellum concitare. *Plin.* 10, 12, 14. Duritia nucis rostro cornicis repugnans. *Id.* 36, 17, 28. Ulcera curationi repugnantia. ℙ *Repugnantia* ap. rhetores sunt, quae simul cohaerere non possunt, ut verum falso. *Lactant. Ira D.* 9. Quo quid repugnantius dici possit, non video. ℙ Hinc *locus a repugnantibus*, qui etiam *a contrariis* dicitur, unde sumere licet argumenta. *Cic. Or.* 2, 40. et *Top.* 4. et 12. Exemplum esto illud *Rosc. Com.* 6. *f.* Qua in re mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eundem et laederes, et laudares, et virum optimum, et hominem improbissimum esse diceres: eundem tu et honoris causa appellabas, et virum primarium esse dicebas, et socium fraudasse arguebas.

RĔPUGNANTER, adv. *ἀκόντι*, repugnando, invite. *Cic. Amic.* 25. Monere, et moneri, proprium est verae amicitiae: et alterum libere facere, non aspere; alterum patienter accipere, non repugnanter.

RĔPUGNANTĬA, ae, f. *ἐναντίωσις*, actus repugnandi, contentio, pugna. *Plin.* 22, 23, 49. Concordia naturae ac repugnantia. *Id.* 21, 13, 45. Natura hanc dedit repugnantiam apibus, sicut contra serpentes Psyllis Marsisque inter homines. *Cic. Phil.* 2, 8. Qui tantam rerum repugnantiam non videas, nihil profecto sapis. *Id. Off.* 3, 7. *f.* Panaetius induxit eam, quae videretur esse, non quae esset, repugnantiam.

RĔPUGNĂTĬO, onis, f. repugnantia. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Ubi repugnationes istae nocivae erunt.

RĔPUGNĂTORĬUS, a, um, adj. ad repugnandum aptus. *Vitr.* 10, 22. *med.* In repugnatoriis rebus non tantum machinae, sed etiam maxime consilia sunt comparanda.

RĔPUGNAX. V. PERPUGNAX.

RĔPUGNO, as, avi, atum, n. 1. *ἀντιμάχομαι, ἐναντιοῦμαι*, contra pugno, pugnando resisto. *Caes. B. G.* 3, 4. Nostri primo integris viribus fortiter repugnare. *Pompej.* ad *Domit. post ep.* 2, 12. *l.* 8. *ad Att.* Ut non pugnet, sed suis locis repugnet, haerebit; et *ib. med.* Regiones oportet ejusmodi obtinere, e quibus repugnemus. *Cic. Verr.* 2, 5, 35. Cum ipsi neque repugnare, neque mari effugere ullo modo possent. *Sall. Jug.* 47. Pauca oppida, repugnantibus Numidis, capit; plura deserta igni corrumpit. *Nep. Ep.* 9. Neque prius pugna excesserunt, quam repugnantes profligarunt. ℙ Item universim quacumque ratione resistere, obniti, adversari, obstare, reluctari. *Cic. Fam.* 1, 2. Consules neque concedebant, neque valde repugnabant. *Id. Rosc. Com.* 17. Resistere et repugnare contra veritatem non audet. *Id. Rab. perd.* 5. *med.* Cum ego omnibus dictis atque factis repugnarim et restiterim crudelitati. *Id. Fin.* 4, 7. *med.* Magnitudo animi, qua potest repugnari obsistique fortunae. *Plin. ep.* 7, 14. Patiaris, me in hoc uno tibi eodem animo repugnare, quo in omnibus obsequi soleo. *Id. ep.* 8, 6. Repugnare voluntati alicujus. *Sen. Med.* 294. precibus. *Ov. Met.* 10, 319. amori. *Cic. fragm.* ap. *August. Acad.* 2, 11. Quae tu si alio nomine vis vocare, nihil repugno. *Vell.* 2, 89. *med.* Cum saepe obnitens repugnasset. *Mart.* 9, 12. Nomen nobile, molle, delicatum Versu dicere non rudi volebam, Sed tu syllaba contumax repugnas. *Quint. prooem.* 8. Circa quae si is, qui instituetur, non repugnaverit, pronum ad cetera habiturus est cursum. *Ov. Her.* 20, 121. Hostibus e siquis, ne fias nostra, repugnat. V. alia in REPUGNANS. ℙ Cum infin. *Id. ib.* 17, 137. Ferrea, crede mihi, non sum: sed amare repugno Illum, quem fieri vix puto posse meum. *Lucr.* 4, 1081. Quod fieri contra, coram natura repugnat. ℙ *Repugnare* dicuntur quae contraria sunt, et cohaerere non possunt. Quidquid enim repugnat, id ejusmodi est, ut una simul esse non possit. *Cic. Tusc.* 3, 29. Sed haec inter se quam repugnent, plerique non vident. *Id. Top.* 4. Repugnat enim, recte accipere, et invitum reddere. *Id. Fin.* 5, 26. Nam illud vehementer repugnat, eundem et beatum esse, et multis malis oppressum. ℙ *Repugnare aliquid*, oppugnare, impugnare. *Tert. adv. Marc.* 3, 16. *f.* Et a vobis diversitas defendenda est, sicuti et a nobis repugnanda.

RĔPULLESCO, is, et
RĔPULLŬLASCO et Repullulesco, is, n. 3. *ἀναβλαστάνω*, repullulare incipio, regermino, renascor. *Colum.* 4, 22. *med.* Plurimarum stirpium natura sic se commodat, ut juxta cicatricem novellis frondibus repullulascant. Alii leg. *repullulescant*, alii *repullescant;* et *ib.* 24. Praestat ex vulnere sobolem repullescentem vellere.

RĔPULLŬLO, as, n. 1. *ἀναβλαστάνω*, regermino. *Plin.* 16, 10, 19. Larix ustis radicibus non repullulat; et *ib.* 44, 90. Vites aquaticae senescunt quidem velociter, sed e radicibus repullulant.

RĔPULSA, ae, f. *ἀποδοκιμασία, ἀποτύχημα*, rejectio, repudiatio: et praecipue adhibetur in petitione honorum. *Cic. Planc.* 21. Appium Claudium sine repulsa factum esse consulem; et *mox:* Avus tibi aediliciam praedicaret repulsam; et *mox:* Duabus aedilitatis acceptis repulsis. *Id. Tusc.* 5, 19. A populo repulsam ferre. *Id. Off.* 2, 17. Mamerco praetermissio aedilitatis consulatus repulsam attulit; et *ib.* 1, 39. Non repulsam solum retulit, sed ignominiam et calamitatem. *Val. Max.* 7, 5. *n.* 1. Repulsa notatus; et *n.* 4. afflatus; et *n.* 5. sugillatus. ℙ De petitione aliarum rerum. *Ov. Met.* 2, 97. Eque tot ac tantis coeli, terraeque, marisque Posce bonis aliquid: nullam patiere repulsam: (Adde *ib.* 3, 289.) et *ib.* 12, 199. Sint tua vota licet, dixit, secura repulsae. *Id. A. Am.* 3, 580. Miscenda est laetis rara repulsa jocis. *Prop.* 3, 12, 26. longae nulla repulsa morae, *h. e.* nulla repulsa diu differtur, sed statim venit. *Phaedr.* 1, 3. Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas; et *Sen. Ira* 2, 6. In tristitiam omnis ira vel post poenitentiam, vel post repulsam, revolvitur, *h. e.* postquam repulsa est, ne ultionem perageret.

RĔPULSANS, antis, part. ab inus. *repulso;* quod est frequent. a *repello:* qui saepe repellit. *Lucr.* 4, 580. ita colles collibus ipsis Verba repulsantes iterabant dicta referre, *h. e.* vocis repercussu reddentes; et *ib.* 911. retroque Vera repulsanti discedas pectore dicta, *h. e.* refutanti, aspernanti.

RĔPULSĬO, onis, f. refutatio, rejectio. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 7. *f.* Communi repulsione arguendos Erasistratum, et Asclepiadem arbitramur, quod non viderint, etc.

RĔPULSORĬUS, a, um, ad repellendum aptus. *Ammian.* 24, 4. Repulsoriae cohortes.

RĔPULSUS, a, um, part. a *repello: ἀπωθισμένος*, retro pulsus, depulsus, propulsus, rejectus. *Caes. B. G.* 1, 8. Saepius si perrumpere possent, conati, operis munitione, et militum concursu, et telis repulsi, hoc conatu destiterunt. *Cic. Sext.* 17. Ne quis vim vi repulsam reprehenderet. *Virg. A.* 2, 544. telumque imbelle sine ictu Conjecit, rauco quod protinus aere repulsum. *Ov. Am.* 3, 11, 9. foribus tam saepe repulsus. *Sall. Jug.* 110. ab amicitia. *Lucr.* 5, 407. Quod procul a vera nimis est ratione repulsum, *h. e.* Quod nimis a vera est longe ratione remotum, ut *Id.* ait 6, 853. *Phaedr.* 1, 1. Repulsus ille veritatis viribus, *h. e.* refutatus, convictus. ℙ De eo, qui in petitione repulsam tulit. *Cic. Har. resp.* 26. Ne deterioribus repulsisque honos augeatur. *Sall. Jug.* 118. *extr.* Si quid meque vobisque dignum petiveris, haud repulsus abibis. V. REPULSA. ℙ In re amatoria. *Prop.* 2, 3, 2. Saepe roges aliquid, saepe repulsus eas. *Ov. Met.* 13, 735. Repulsi proci. *Id. Am.* 1, 8, 76. Neve relentescat saepe repulsus amor. ℙ *Aera repulsa* ap. *Tibull.* 1, 3, 23. et *ib.* 9, 22. sunt aerea sistra et crepitacula pulsata. ℙ Comp. *Repulsior* est *Catonis* ap. *Fest.* Nec quis incultior, religiosior, desertior, publicis negotiis repulsior.

RĔPULSUS, us, m. *ἀπόκρουσις*, repercussio, repulsio. *Cic.* in *Arat. Div.* 1, 7. *extr.* densus stridor cum celso e vertice montis Ortus, adaugescit scopulorum saepe repulsu. *Plin.* 11, 37, 62. Vipera impresso dentium repulsu virus fundit in morsus, *h. e.* repercussu et collisione dentium inferiorum cum superioribus. *Id.* 8, 43, 68. Asini varia somno visa concipiunt, ictu pedum crebro, qui nisi per inane emicuerit, repulsu durioris materiae clauditatem illico affert. *Claud. B. G.* 433. an Mauri fremitus, raucosque repulsus Umbonum, et vestros passuri cominus enses? *Lucr.* 4, 104. assiduo crebroque repulsu Rejectae (*effigiae*) reddunt speculorum ex aequore visum.

RĔPŪMĬCĀTĬO, onis, f. expolitio velut pumice facta. *Plin.* 17, 26, 39. de remediis arborum: Vitium extenuatio, et domitura palmitum; gemmarum, si frigus retorridas hirtasque fecerit, repumicatio, et quaedam politura, *h. e.* decussio et abrasio gemmarum frigore perstrictarum, et inutilium, relictis iis, quae spem fructus habent.

[RĔPUNCTOR, oris, m. *puntatore* Itali vulgo Galli nunc *piqueur* vocant, qui nempe in aliquo collegio, quoties quis collegarum a collegialibus conventionibus abfuerit, nomen ejusdem in albo descriptum puncto notat, ut is conventicio, seu sportula, quae eo die ex privatorum legatis distribuenda inter praesentes est, privetur: vero enim simile est, eandem sportulam, non quoties collegae convenissent, sed quolibet mense vel anno transacto distributam fuisse, ut etiamnum apud nos usuvenit in nostris *Canonicorum* collegiis. Hinc etiam in *Gloss. Isid.* Dispunctores, qui dona militibus erogant, *h. e.* qui, dum militibus donativum imperator distribuebat, eorum nomina in albo descripta dispungebant. *Inscr.* ap. *Mur.* 1067, 4. Q. Albinio Ouf. Secundino Q. F. Q. Nep. Q. Pron. Mestrio Aebutio Tulliano Eq. R. Eq. P., Accens. Vel., Flam. Divi Magn. Antonini (*h. e.* Caracallae. V. MAGNUS.) II. Vir. I. D. M. P. (*h. e.* duumviro juri dicundo municipii Placentini), Cur. R. P. Parmens, (*h. e.* curatori reipublicae Parmensium), repunctori splendid. collegiorum fabrum et centonariorum C. A. A. F. M. (*h. e.* coloniae Aeliae Augustae Felicis Mediolanensis) collegia S. S. (*h. e.* supra scripta) patrono. Alia ap. *Donat.* T. 1. p. 555. M. Atusio M. F. Ouf. Glycero Eq. R., II. Vir. I. D. M. P., Pont., Quaest. aer., patrono et repunctori Coll. Aer. Col. M. (*h. e.* collegii aerariorum coloniae Mediolanensis) etc. *F.*]

RĔPUNGO, is, a. 3. *ἐντιτίζω*, iterum pungo, vicissim pungo. *Cic. Fam.* 1, 9. *med.* In quo possem illorum animos mediocriter lacessitus leviter repungere. ℙ In praeterito et *repungit* et *repunxit* legitur in *Not. Tir.* p. 131.

RĔPURGĀTUS, a, um, part. a *repurgo: ἀποκαθαιρόμενος*, purgatus, perpurgatus. *Ov. Met.* 5, 285. victoque Aquilonibus Austro, Fusca repurgato fugiebant nubila coelo. *Sen. ep.* 66. *med.* Serenitas coeli non recipit majorem adhuc claritatem in sincerissimum nitorem repurgata. *Plin.* 8, 55, 81. Fetus (*cuniculorum*) ventri exsectos, non repurgatis interaneis, gratissimo in cibatu habent, *h. e.* non extractis. *Plin. alter ep.* 1, 20. *med.* Quae per plures dies latius dixit, postea recisa ac repurgata in unum librum coartavit.

RĔPURGĬUM, ii, n. *ἀποκάθαρσις*, purgatio, expurgatio. *Imp. Constant. Cod. Justin.* 11, 42, 1. et *Cod. Theod.* 15, 2, 1. Repurgium formarum (*aquaeductuum*) facere.

RĔPURGO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποκαθαίρω*, purgo, perpurgo, expurgo. *Liv.* 44, 4. *f.* Per invia transgressus, praemissis qui repurgarent iter. *Ov. Met.* 14, 603. Quidquid in Aenea fuerat mortale, repurgat. *Id. de nuce* 125. Repurgare humum saxis. *Flor.* 4, 12. *med.* aurum venis. *Plin.* 23, 4, 48. Cauliculi ex oleastro nomas repurgant, carbunculos rumpunt. *Id.* 8, 25, 37. Os primum assultim repurgans, mox dentes, etc. *Id.* 34, 15, 46. Repurganda vulnera, aut replenda.

[RĔPŪSA, ae, f. propendens, *ῥέπουσα*, part. a *ῥέπω*, propendeo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 358, 8. Calpurnia Repusa. *F.*]

RĔPŪTĀTĬO, onis, f. *ἀναλογισμὸς*, actus reputandi, et quasi rationem putandi, cogitatio, consideratio, aestimatio. *Plin.* 18, 1, 1. Ipsa materia intus accendit ad reputationem naturae parientis et noxia. *Id.* 7, 46, 47. Subeunt in hac reputatione Delphica oracula, *h. e.* in hac enumeratione calamitatum Augusti. *Id.* 10, 38, 54. Columbarum volatus in reputationem ceterarum quoque volucrum nos impellit, *h. e.* ad percensendos varios volandi modos in ceteris avibus. *Id.* 25, 3, 7. Qua quidem in reputatione misereri sortis humanae subit, *h. e.* in recogitandis et recensendis multiplicibus morborum humanorum generibus. *Tac. H.* 2, 38. *extr.* Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit. *Gell.* 12, 5. *med.* Et utendi consilii reputatio, et honestatis utilitatisque verae contemplatio. ℙ Item actus computandi, et imputandi alicui. *Marcell. Dig.* 46, 3, 48. Quaero, an ea, quae ex re mariti perceperit, in dotem ei reputari debeant. Marcellus respondit, reputationem ejus, quod proponeretur, non iniquam videri. *Cajus ib.* 10, 2, 19. Quae consequetur, si aut reputationes inter heredes fecerit, aut curaverit cautiones interponi. *Ulp. ib.* 27, 2, 2. Officio judicis congruit, reputationes tutoris non improbas admit-

tere, ut puta si dicat, impendisse in alimenta pupilli, vel disciplinas.

RĔPŪTESCO, is, n. 3. iterum, vel valde putesco. *Tert. Anim.* 32. Ne aliqua sepulturae conditione reputesceret.

RĔPŪTO, as, avi, atum, a. 1. rationem ineo, computo. *Plin.* 7, 50, 51. Nec reputantur infantiae anni, qui sensu carent: non senectae in poenam vivacis. *Tac. H.* 2, 50. Et tempora reputantibus, initium finemque miraculi cum Othonis exitu competisse. *Ulp. Dig.* 27, 3, 1. *med.* Item sumptus litis tutor reputabit, et viatica. *Paul. ib.* 3, 5, 33. Reputabant heredes aviae alimenta praestita nepoti. ℙ Item computationem ineundo imputo, attribuo. *Papin. ib.* 11, 7, 17. Si nondum pater dotem recuperaverit, vir solus convenietur (*ut in funus uxoris conferat*), reputaturus patri quod eo nomine praestiterit. ℙ Frequenter est ἀναλογίζομαι, cogito, considero, quasi rationem puto alicujus rei. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 4, 2, 4. ait, *putare* esse rerum praesentium, *reputare* praeteritarum. Sed hoc discrimen nullum puto. *Cic. N. D.* 2, 46. *extr.* Quae copulatio rerum quem non movet, hunc horum nihil unquam reputavisse, certo scio. *Id. Dejot.* 13. *f.* Haec ille reputans, et dies et noctes cogitans, non modo tibi non succenset, verum, etc. *Id. in Sen.* 12. *extr.* Multa mecum ipse reputavi. *Sall. Jug.* 13. In otio facinus suum cum animo reputans, timere populum R., etc. et *ib.* 87. *med.* Quaeso reputate cum animis vestris, num, etc. et *ib.* 4. Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratum adeptus sum, et quales viri idem assequi nequiverint, profecto existimabunt, etc. *Nep. Alc.* 4. Multa secum reputans de immoderata civium suorum licentia. *Pl. Trin.* 3, 2, 48. Te moneo, hoc etiam atque etiam ut reputes, quid facere expetat. *Ter. Andr.* 2, 6, 11. Etenim ipsus secum recta reputavit via; et *Tac. H.* 2, 16. Reputare infirmitatem suam; et *ib.* 74. Et Vespasianus modo in spem erectus, aliquando adversa reputabat. *Plin. ep.* 1, 9. Haec si quotidie fecisse te reputes, inania videntur. *Sen. Ag.* 23. Reputemus omnes, quos ob infandas manus Quaesitor urna Gnossius versat reos; Vincam Thyestes sceleribus cunctos meis.

RĔQUIES, etis et iei, f. ἀνάπαυσις, cessatio a labore, laxamentum, quies. *Cic. Att.* 1, 18. Ita sum ab omnibus destitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore et filiola consumitur. *Id. Fin.* 5, 19. *f.* et *fragm.* ap. *Charis.* 1, 52. Si requietem natura non quaereret. *Id. de suo cons. Div.* 1, 13. Tu tamen anxiferas curas requiete relaxa. *Id. Or.* 1, 52. Philosophorum libros reservet sibi ad hujuscemodi Tusculani requiem atque otium. *Id. Off.* 2, 2. Si oblectatio quaeritur animi, requiesque curarum. *Val. Fl.* 5, 602. Nec requies, quin Marte diem noctemque fatiget. *Lucr.* 4, 228. Nec mora, nec requies inter datur ulla fluendi. *Virg. A.* 5, 458. Nec mora, nec requies. *Id. ib.* 4, 423. Tempus inane peto, requiem spatiumque furori. *Ov. Met.* 3, 618. et qui requiemque modumque Voce dabat remis; et *ib.* 7, 812. Auram exspectabam: requies erat illa labori. *Id. ib.* 13, 317. Tentaretque feros requie lenire labores. *Colum. praef.* 12. *med.* Ad requiem forensium exercitationum. *Mart.* 4, 25. Vos eritis nostrae portus requiesque senectae. *Tibull.* 1, 8, 41. Bacchus et afflictis requiem mortalibus affert. ℙ Genitivus *requiei* agnoscitur a *Prisc.* 6, 704. et 7, 781. *f.* et *Valer. Prob.* in *Cath.* p. 1460. Apud scriptores ego nondum legi. Pro eo *requie* dixit *Sall. fragm.* ap. *Prisc. cit.* p. 781. At inde nulla munitionis aut requie mora processit ad oppidum. *Auson. Idyll.* 4, 4. Sed requie studiique vices rata tempora servant. Addit *Prisc.* vetustissimos etiam *requies* dixisse in eod. casu. V. DIES.

RĔQUIESCO, is, quievi, quietum, n. 3. ἀναπαύομαι, ἡσυχάζω, a labore cesso, quietem ago, conquiesco. *Cic. Div.* 1, 46. *f.* Puellam defatigatam petiisse a matertera, ut sibi concederet paulisper, ut in ejus sella requiesceret. *Virg. Ecl.* 7, 10. Et si quid cessare potes, requiesce sub umbra. *Tibull.* 1, 1, 37. satis est, requiescere tecto Si licet. *Ov. Met.* 10, 556. libet hac requiescere tecum, Et requievit, humo. *Cic. Rosc. Am.* 34. *f.* Quae necessitas eum tanta premebat, ut id temporis Roma proficisceretur, nullam partem noctis requiesceret? *Caes. B. C.* 3, 98. Ex castris sibi legiones alias occurrere, et eas, quas secum duxerat, invicem requiescere, atque in castra reverti jussit. ℙ Refertur ad animum. *Sall. Cat.* 4. Ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit. *Cic. Off.* 3, 1. Africanus requiescens a reipublicae pulcherrimis muneribus, otium sibi sumebat aliquando. *Id. Coel.* 32. Qui hoc unico filio nititur, in hujus spe requiescit. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 44. *f.* Neque sepulcrum habeat portum corporis, ubi corpus requiescat malis. Alii leg. *a malis.* [*Ita *Orell.*] *Id. fragm.* ap. *Prisc.* 10. p. 886. Nisi eorum exitio non requieturam. ℙ De quiescentibus in lecto. *Prop.* 1, 8, 33. angusto requiescere lecto. ℙ De mortuis. *Mart.* 1, 94. Fabricio junctus fido requiescit Aquinus. *Petr. fragm. Trag.* 71. *Burm.* C. Pompejus Trimalchio Maecenatianus hic requiescit. Adde *Mart.* 6, 18. ℙ Hinc eo utimur, cum bene precamur mortuis. *Ov. Am.* 3, 9, 67. Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna. Hinc in nummo Constantii Chlori jam consecrati ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 474. Requies optimor. merit. ℙ Active, quiescere, aut cessare facio, sisto, quietum reddo. *Virg. Ecl.* 8, 4. Et mutata suos requierunt flumina cursus. *Calvus* ap. *Serv. ib.* Sol quoque perpetuos meminit requiescere cursus. *Virg. Cir.* 232. Tempore, quo fessas mortalia pectora curas, Quo rapidos etiam requiescunt flumina cursus. *Prop.* 2, 25, 75. Quamvis ille suam lassus requiescat avenam. Alii leg. *sua avena*, invitis *Scal.* et *Brouck. Sall. fragm.* ap. *Serv. l. c.* Paululum requietis militibus. Huc trahi potest et illud *Prop.* 2, 18, 25. Juppiter Alcmenae geminas requieverat Arctos, *h. e.* jusserat a nocturno cursu cessare. Potest etiam sic exponi: in gratiam Alcmenae duas noctes requieverat. ℙ *Requierant* sync. pro *requieverant* ap. *Catull.* 84, 7.

RĔQUIĒTĬO, onis, f. requies. *Jovin.* ap. *Hieron. in eund.* 2. *n.* 18. Omnis Hebraeus septimo requietionis anno absque personarum discretione dimittitur, [et in jubilaeo universa cunctis debita relaxantur. ℙ Est etiam pausatio mortuorum in sepulcro. *Inscr.* quae pertinet ad ann. a Chr. n. CLV. ap. *Grut.* 607, 1. et *Mur.* 572. A quo didici causas erequitionis (ita legitur in lapide pro *et requietionis)* et religionis. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 266. Temporalis requetio. Lege *requietio. F.*]

RĔQUIĒTŌRĬUM, ii, n. sepulcrum. *Inscr.* ap. *Grut.* 1030, 9. Q. Fontejus Celer VI. Vir August. sibi et conjugi cariss. requietorium fecit. Adde alias ap. *eund.* 954, 1. et ap. *Mur.* 1460, 7.

RĔQUIĒTUS, a, um, part. a *requiesco*: ἀναπεπαυμένος, qui requievit, qui ab opere cessavit. *Liv.* 44, 38. Nihilne interest, utrum militem requietum, integrum in aciem educas, an longo itinere fatigatum, et onere fessum hosti objicias? *Sen. Tranq.* 15. *med.* Danda est remissio animis, meliores acrioresque requieti surgent. *Ov. A. Am.* 2, 351. Da requiem: requietus ager bene credita reddit. *Colum.* 2, 1. *med.* Terra requietior et junior. ℙ De iis, quae recentia non sunt. *Id.* 7, 8. Caseus lacte fieri debet sincero, et quam recentissimo: nam requietum, vel mixtum celeriter acorem contrahit. *Id.* 8, 5. de ovis: Aptissima sunt ad excludendum recentissima quaeque: possunt tamen etiam requieta supponi, dum ne vetustiora sint, quam dierum decem.

RĔQUĪRĪTO, as, a. 1. frequent. a requiro. *Pl. Most.* 4, 3, 11. Quid tu otiosus res novas requiritas?

RĔQUĪRO, is, sivi et sii, situm, a. 3. ἀναζητέω, idem fere quod quaero, diligenter quaero, rursus aut saepius quaero. *Non.* 5, 46. *Quaerere*, et *requirere* hoc differunt, quod *requirere*, est diu quaerere. Afranius Fratriis: Proin tu, cum quaeram, ne requiram te, vide. *Cic. Fin.* 3, 3. Tu autem, cum ipse tantum librorum habeas, quos hic tandem libros requiris? *Pl. Cist.* 4, 2, 58. Quid quaeritas? *Ha.* vestigium hic quaero, qua aufugit quaedam. *Id. Epid.* 3, 4, 56. Ego illam jam requiram, ubi est. *Ov. Met.* 4, 129. juvenemque oculis animoque requirit. ℙ *Requirere* dicuntur qui quod vellent, abesse sentiunt, queruntur, et desiderant. *Cic. Par.* 1, 1. In quo equidem continentissimorum hominum, majorum nostrorum saepe requiro prudentiam, qui haec imbecilla et commutabilia pecuniae membra (alii leg. *munera)*, verbo bona putaverunt appellanda. [*V. *Orell.*, qui *membra* quidem legit, sed uncis inclusit, *pecuniae munera* vix latinum judicans.] *Id. Fam.* 6, 6. Vereor ne litterarum a me officium requiras. *Cic. Sen.* 10. Isto bono utare, dum adsit: cum absit, ne requiras, nisi forte adolescentes pueritiam, paulum aetate progressi adolescentiam debeant requirere. *Id. Mil.* 1. Haec novi judicii nova forma terret oculos, qui quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori, et pristinum morem judiciorum requirunt. *Id. Fin.* 5, 20. Voluptatem requirentes. *Ov. Met.* 7, 515. multos tamen inde requiro, Quos quondam vidi vestra prius urbe receptus. ℙ Est etiam poscere, petere, velle, quaerere. *Nep. Thras. f.* Illa igitur corona contentus Thrasybulus, neque amplius requisivit, neque, etc. *Cic. Verr.* 2, 5, 67. Omnes cives R. vestram severitatem desiderant, vestram fidem implorant, vestrum auxilium requirunt. *Id. Tusc.* 5, 8. *med.* Qui beatus est, non intelligo quid requirat, ut sit beatior. *Id. Fin.* 1, 18. *extr.* Virtus nixa hoc honesto nullam requirit voluptatem. ℙ *Requiritur*, opus est, necesse est. *Cic. Manil.* 22. Atque in hoc bello Asiatico non solum militaris illa virtus, sed aliae quoque virtutes animi multae et magnae requiruntur. ℙ Pro sciscitari, percontari, interrogare. *Cic. Dom.* 2. Primum illud a te requiro, quae te tanta poena vexet, ut, etc. *Id. Coel.* 28. Ex quibus requiram, quonam modo latuerint. *Id. Manil.* 9. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, cum haec ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. *Ov. A. Am.* 2, 663. Nec quotus annus eat, nec quo sit nata require Consule. *Id. Met.* 4, 679. Pande requirenti nomen terraeque, tuumque, Et cur vincla geras. *Id. Her.* 6, 31. tua facta requirere coepi. *Nep. Att.* 20. Nullus dies intercessit, quo non ad eum scriberet, quo non aliquid de antiquitate ab eo requireret. *Val. Max.* 9, 11. *n.* 1. Repentinae morae causam requisiit. ℙ Inquirere, inspicere, animadvertere. *Cajus Dig.* 28, 1, 4. Requiremus, an secundum regulas juris civilis testatus sit. *Pomp. ib.* 45, 3, 39. Qua actione fructuarius recuperare possit a domino proprietatis, requirendum est.

RĔQUĪSĪTĬO, onis, f. inquisitio, indagatio. *Gell.* 18, 2. Historiae antiquioris requisitio.

RĔQUĪSĪTUS, a, um, part. a *requiro:* quaesitus. *Suet. Cal.* 24. *f.* Chirographa omnium requisita divulgare. *Gell.* 15, 22. Postea requisita, periisse credita est. *Varr. R. R.* 1, 17. Uno eorum e noviciis requisito, quid, etc. ℙ Absolute. *Quint prooem.* 8. *f.* Ad requisita respondere. *Sall. fragm.* ap. *eund.* 8, 6. *med.* et *Spart. Carac.* 6. *med.* Ad requisita naturae, *h. e.* ad ventrem, aut vesicam exonerandam.

RĔRŌGO, as, a. 1. iterum rogo. *Pl. Amph.* 2, 2, 76. Alcumena, unum rogare te volo. *Alc.* quidvis roga, reroga. Alii leg. *quid vis rogare? roga:* alii rectius *quidvis roga.*

RES, rei, f. πρᾶγμα, ἔργον, id quod est actio, opus, factum. Vox est immensi prope usus, ad omnia significanda, quae fieri, dici, aut cogitari possunt: in cujus notatione assignanda valde laborant etymologi. V. *Voss.* in *Etym.* [*Derivatur fortasse a *reor*, ut Anglicum nomen *thing* a verbo *to think. B. A.*] *Cic. N. D.* 1, 38. *f.* Earum rerum, quae nunquam fuerunt, nec esse potuerunt, ut Scyllae, ut Chimaerae, praesto est imago; et 15. Communis rerum natura, universa atque omnia continens. *Id. Fin.* 2, 28. Negat, tenuissimo victu minorem voluptatem percipi, quam rebus exquisitissimis ad epulandum. *Catull.* 39, 16. Nam risu inepto res ineptior nulla est; et 28, 3. Veranni optime, tuque, mi Fabulle, Quid rerum geritis? *Pl. Men.* 5, 2, 60. *Men.* Quisquis es, senex, summum Jovem, Deosque detestor. *Se.* qua de re, aut cujus rei rerum omnium? *Ter. Ad.* 2, 1, 21. Quid hoc rei est? *Pl. Men.* 5, 2, 14. Propemodum jam scio, quid siet rei. *Cic. Sen.* 6. Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnae geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia. *Id. Off.* 1, 22. Cum plerique arbitrentur, res bellicas majores esse, quam urbanas. *Id. Or.* 1, 17. *med.* Videamus, ne plus ei tribuas, quam res et veritas ipsa concedat. *Id. Att.* 2, 21. *f.* Cum comitia in mensem Octobr. distulisset, quod solet ea res populi voluntatem offendere, putarat Caesar, etc. [*Adhibetur h. l. v. RES ad circumscrib. neutrum pronominis vel adjectivi, quo usu nihil est tritius. V. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* V. infra.] *Cic. Att.* 22. Nunc se res sic habet: volitat, furit, nihil habet certi. *Id. Fam.* 13, 8. Res autem est haec; et *Amic.* 13. Ad monendum non modo aperte, sed etiam acriter, si res postulabit; et *Fam* 15, 11. Res ipsa loquitur; et *Acad.* 4, 1. Res militaris; et *Verr.* 2, 5, 17. Res navalis; et *ib.* 2, 2, 12 Res judiciaria; et *Att.* 8, 1. Res frumentaria; et *Sen.* 15. *f.* Res rusticae. *Id. Quint.* 3. Res pecuaria et rustica. *Cato R. R.* 5. Res divina; et *Ter. Andr.* 5, 1, 10. Res uxoria, i. e. matrimonium; et *Lucr.* 2, 173. et *Ov. R. Am.* 431. Res Veneris: συνουσία, quae *Cic. Sen.* 14. res Venereae. *Pl. Amph.* 2, 2, 1. Res voluptatum, *h. e.* voluptates: χρῆμα ἡδονῶν. *Phaedr.* 4, 7. Res cibi, *h. e.* cibus: χρῆμα τροφῆς. Sic ap. Graecos χρῆμα νυκτός, nox: χρῆμα γυναικός, femina: ἔργα εὐνῆς. etc. [*Cf. *Wesseling.* ad *Herodot.* 1, 36. 7, 188. al. Huc pertinere videtur etiam illud: *Quint. Decl.* 2, 5. p. 43. *ed. Burm.* Rem quin immino fecit ejus, qui etc.: ubi v. *intpp.*] ℙ Factum. *Sall. Cat.* 21. Tantum modo incepto opus est: cetera res expediet. *Ov. Met.* 3, 349. Vana diu visa est vox auguris: exitus illam, Resque probat. *Liv.* 2, 65. Conclamant se ituros: clamoremque res est secuta. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 11. *med.* Et me, si, quem esse voluisti, eum exitu rebusque cognoscis, defende ac suscipe. ℙ *Res*, facta, res gestae, acta. *Sall. Cat.* 3. Haudquaquam par gloria sequitur scriptorem, et auctorem rerum. *Liv. in. Hist.* A primordio Urbis res populi R perscribere. *Plin.* 2, 83, 85. et *ib.* 103. 106. *f.* Sicut in rebus Neronis retulimus. ℙ Experientia. *Cic Fam.* 6, 14. Et res eum quotidie, et dies, et opinio hominum, et etiam sua natura mitiorem facit. *Ter. Ad.* 5, 4, 2. Res, aetas, usus semper aliquid apportat novi. ℙ Pertinet ad veritatem significandam. *Pl. Trin.* 2, 4, 89. Rem fabulare; et *Ter. Eun.* 5, 6, 9. Te arbitrari quod res est, velim. *Id. Andr.* 1, 2, 28. Aperte ipsam rem modo locutus, nihil circuitione usus es. ℙ Aliquando opponitur verbis. *Cic. fragm.* ap. *August. contra Acad.* 2, 11. Non enim vocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem decet esse sapientem. *Id. Or.* 1, 5. Est enim scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda est. *Id. Acad.* 4, 5. *f.* Peripatetici, et Academici nominibus differentes, re congruentes. Sic Graeci λόγῳ, ἔργῳ. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. Te rogo, ut rem potiorem oratione ducas. *Cic. Rosc. Am.* 15. *med.* Vides, quantum distet argumentatio tua ab re ipsa atque a veritate. *Id. Fin.* 2, 16. *med.* Ut in omnibus factis re, non teste moveamur. *Id. fragm.* ap. *Macr. Sat.* 6, 2. *f.* Ut majora omnia re, quam fama viderentur. *Julian. Dig.* 1, 3, 32. Quid interest, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis et factis? *Cic. Att.* 5, 5. Non modo res omnes, sed etiam rumores cognoscamus. *Id. N. D.* 3, 21. Qui hos Deos non re, sed opinione esse dicunt. *Ov. Am.* 3, 3, 23. Aut

sine re nomen Deus est, frustraque timetur, Aut, etc. *Cic. Quint.* 2. Habet adversarium Quintius verbo Sex. Naevium, re vera hujusce aetatis homines disertissimos. *Liv.* 39, 35. Per speciem auxilii Byzantiis ferendi, re ipsa ad terrorem regulis injiciendum. *Cic. Rosc. Am.* 42. *med.* Eum tametsi verbo non audeat, tamen re ipsa de maleficio suo confiteri. *Ter. Heaut.* 4, 1, 23. Simulare mortem verbis, re ipsa spem vitae dare. *Id. Ad.* 4, 7, 15. Si non ipsa re tibi istuc dolet, simulare certe est hominis. *Id. Eun.* 4, 6, 3. Ego illius ferre possum magnifica verba, verba dum sint: verum si ad rem conferentur, vapulabit. ℙ [*Frequenter conjunguntur *res* et *spes*, quum futura rerum conditio praesenti opponitur. Ita *Cort.* ad *Sall. Cat.* 20, 13. mala res, spes multo asperior: coll. *ib.* 21, 1. neque res neque spes bona ulla. *Cic. Coel.* 32, 78. hominem sine re, sine fide, sine spe. *Quint. Inst.* 9, 3. non enim tam spes laudanda quam res.] ℙ Interdum est eventus, exitus, effectus. *Marcell.* ad *Cic. Fam.* 4, 11. *extr.* Ut intelligas, homini amicissimo te tribuisse officium, re tibi praestabo. *Id. Or.* 30. *med.* Adolescens non tam re et maturitate, quam spe et exspectatione laudatus. *Id. Cluent.* 16. *med.* Servus non incallidus, sed, ut ipsa res declaravit, frugi atque integer. *Ter. Eun.* 3, 2, 15. Perpulcra, credo, dona, haud nostris similia. *Par.* res indicabit. *Ov. Her.* 20, 99. Omina re careant. ℙ Item causa. *Pl. Amph. prol.* 113. Et haec ob eam rem nox est facta longior. *Lucr.* 1, 172. Atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni. *Cato R. R.* 158. *extr.* Ea re tot res sunt, uti bene dejicias. *Cic. Acad.* 4, 34. *f.* Illud ea re a se esse concessum, quod, etc. ℙ Item finis. *Pl. As.* 3, 2, 43. *Li.* Nimis vellem habere perticam. *Le.* cui rei? *Li.* qui verberarem asinos; et *Cist.* 1, 3, 36. Ei rei nunc suam operam servus dat, si possit illam invenire. ℙ [*Item propositum. *Ter. Ad.* 2, 1, 31. Mitte ista, et ad rem redi, *h. e.* (ut exponit Donatus,) ad negotium, de quo agitur. *Cic. Fin.* 1, 20. Sed ad rem redeamus. *B. A.*] ℙ Item lis, causa, contentio forensis. *Festus:* Res comperendinata significat judicium in diem tertium constitutum. *Cic. Verr.* 2, 2, 48. De rebus ab isto cognitis, judicatisque, et de judiciis datis dicere desistamus. *Varr. L. L.* 6, 5. *med.* Quibus res erat in controversia, ea vocabatur lis: ideo in actionibus videmus dici: quam rem, sive litem dicere oportet. *Lir.* 1, 32. *med.* ex *vet. formula:* Quarum rerum, litium, causarum condixit pater patratus, etc. *Cic. Mur.* 12. *extr.* Illud mihi mirum videri solet, tot homines, tam ingeniosos, per tot annos etiam nunc statuere non potuisse, utrum diem tertium, an perendinum; judicem, an arbitrum; rem, an litem dici oporteret. *Ulp. Dig.* 43, 29, 3. *med.* Alias differri oportere rem in tempus pubertatis, alias repraesentari. *Cajus ib.* 3, 3, 12. Tractu temporis futurum, ut res pereat. *Ulp. ib.* 42, 1, 1. Res judicata dicitur, quae finem controversiarum pronunciatione judicis accipit: quod vel condemnatione, vel absolutione contingit. ℙ Item modus, ratio. *Cic. Fam.* 6, 9. Mihi necesse est ejus salutem et fortunas, quibuscumque rebus possim, tueri. ℙ Item argumentum, ratio. *Cic. Par.* 4. *in.* Ego vero te non stultum, ut saepe; non improbum, ut semper; sed dementem et insanum rebus addicam necessariis. *Quint.* 5, 8. Res ad faciendam fidem appositae. ℙ *Res*, et *res familiaris*, pecunia, facultates, census, bona, opes, patrimonium, *οὐσία*, [*χρήματα, nostr. *Vermögen, Habe.*] *Cic. Fam.* 9, 13. *med.* Res familiaris alteri eorum valde exigua est, alteri vix equestris. *Id. Cat.* 2, 5. Res eorum jam pridem, fides deficere nuper coepit. *Id. Att.* 9, 7. *med.* Sumptus, egestates tot egentissimorum hominum nec res privatae possunt, nec respublica sustinere. *Hor. Sat.* 2, 5, 8. Et genus, et virtus, nisi cum re, vilior alga est. *Cic. Off.* 2, 21. Non esse in civitate duo millia hominum, qui rem habeant. *Id. Rab. Post.* 14. Rem bonis et honestis rationibus augere. *Ter. Ad.* 2, 2, 12. Nunquam rem facies, *h. e.* divitias comparabis, lucrum facies. *Id. Eun.* 2, 2, 26. Coqui, piscatores, aucupes, quibus et re salva, et perdita profueram. *Juven.* 3, 164. Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi. *Hor. Ep.* 1, 20, 20. Me libertino natum patre, et in tenui re. *Id. Sat.* 2, 5, 12. Res ubi magna nitet domino sene. *Id. ib.* 1, 4, 110. Rem patriam perdere. *Cic. Par.* 6, 2. honeste quaerere mercaturis faciendis. *Id. Fam.* 11, 21. familiarem comedere; et *ib.* 4, 7. *f.* dissipare; et *in Sen.* 5. conficere: *eod. sensu. Pl. Ps.* 1, 1, 17. Juvabo aut re, aut opera, aut consilio bono. *Ter. Heaut.* 1, 1, 34. Aut consolando, aut consilio, aut re juvero. ℙ Dicitur et de publicis opibus, copia, bonis, viribus civitatis, regni, populi, eorumque statu, conditione. [*Saepissime hoc sensu et fere semper in singulari numero dicitur, non facile in plurali. V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 193. qui adiri jubet *Cerd.* ad *Virg. A.* 6, 858.] *Liv.* 1, 28. *f.* Ut animum inter Fidenatem, Romanamque rem ancipitem gessisti. *Virg. A.* 3, 1. res Asiae, Priamique evertere gentem; et *ib.* 1, 456. afflictis confidere rebus. *Liv.* 6, 40. *f.* Parva ista non contemnendo majores nostri maximam hanc rem fecerunt. *Id.* 21, 16. Neque hostem acriorem secum congressum, nec rem Romanam tam desidem unquam fuisse atque imbellem. *Just.* 8, 6. Compositis, ordinatisque Macedoniae rebus. *Tac. H.* 1, 29. Incruenta Urbs, et res sine discordia translatae, *h. e.* imperium, et summa rerum ab uno translata in alium. *Nep. Att.* 9. *f.* Potiri rerum. V. POTIOR. ℙ Item de statu et conditione, seu qualitate fortunae. *Cic. Off.* 1, 26. Ut adversas res, sic secundas immoderate ferre. Similiter dicuntur *res salvae*, *integrae*, *contractae*, *periculosae*, *arctae*, *perturbatae*, *eversae*, etc. In sing. num. *Sall. Cat.* 21. Nobis domi inopia, foris aes alienum: mala res, spes multo asperior; et 22. Quibus neque res, neque spes bona ulla. [*Cf. *Kritz.* ad *Sall. Cat.* 6, 3. coll. *Drak.* ad *Liv.* 30, 42, 18.] ℙ *His rebus*, in hoc rerum statu: *incertis rebus*, cum res sunt incertae: *bonis*, *florentibus rebus*, cum belle omnia fluunt, et ex sententia. *Cic. Fl.* 5. *med.* Vehementem accusatorem nacti sumus, judices, et inimicum in omni genere odiosum ac molestum: quem spero, his rebus, fore magno usui et amicis et reipublicae. Alii *his rebus* intelligunt hac vehementia, odio, molestia: alii aliter leg. [*Corruptus locus est: v. *Orell.*, qui leg. *his rebus.*] *Pl. Rud.* 3, 3, 12. Neque est melius morte in malis rebus, miseris. *Virg. A.* 6, 196. dubiis ne defice rebus. *Cic. Fam.* 4, 9. *med.* An eum magis communem censemus in victoria futurum fuisse, quam incertis rebus fuisset? et *ib.* 12, 2. *f.* Habes auctores consilii publici, qui numerus etiam bonis rebus exiguus esset: quid censes perditis? *Pl. Trin.* 2, 4, 45. Bonis tuis rebus meas res irrides malas. *Cic. Fam.* 4, 1. et *ib.* 7, 30. *f.* Bis enim est a me judicio capitis, rebus salvis, defensus, *h. e.* libera republica. *Caes. B. G.* 1, 30. Quod eo consilio, florentissimis rebus, domos suas reliquissent, ut, etc. *Ter. Ph.* 5, 3, 8. Ex his praediis talenta argenti bina, rebus vilioribus multo, capiebat. ℙ *Rebus prolatis.* V. PROLATUS. ℙ *Res redeunt.* V. REDEO. ℙ *Alias res agere.* V. AGO. ℙ *Re recenti.* V. RECENS. ℙ *In malam rem*, in calamitatem, in exitium, in malam crucem. *Ter. Andr.* 2, 1, 17. Abin' hinc in malam rem cum suspicione isthac, scelus? *Id. Ph.* 5, 7, 37. I in malam rem hinc cum isthac magnificentia. ℙ *Res tuas tibi habe*, formula divortii faciendi. V. DIVORTIUM. Similis est illa *Res tuas ocius tolle*, in dirimenda societate, contubernio, amicitia, apud *Petr. Sat.* 79. *extr.* ℙ *Res*, res militaris. *Sil.* 15, 149. comites rerum, bellique ministri. Hinc *res gerere.* V. GERO. *Hirt. B. Afr.* 33. Cum animadvertisset, praesidium ibi esse, non ausus periculo suo rem facere, etc. ℙ Negotium, consuetudo, congressus, commercium. *Cic. Cluent.* 13. *f.* Itaque rem cum Oppianico transigit: pecuniam ab eo accipit, causam relinquit. *Ter. Ad.* 4, 7, 17. Res composita est: fiunt nuptiae. *Cic. Rosc. Am.* 30. Tecum enim mihi res est, T. Rosci, quoniam istic sedes, ac te palam adversarium esse profiteris; et *Fam.* 9, 20. Proinde te para: cum homine edaci tibi res est; et *Sext.* 16. Erat autem ei res cum exercitu C. Marii invicto. *Ter. Eun.* 1, 2, 39. et 57. Ego cum illo, quocum tum uno rem habebam hospite, abii huc. Adde *Pl. Bacch.* 3, 6, 35. et *Merc.* 3, 1, 35. et 37. Uterque autem locus turpem consuetudinem significat: *συνουσιάζειν.* ℙ Refertur ad utilitatem, commodum, usum. [*V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 1. p. 306.] *Cic. Cluent.* 69. Summa est hominis in communem municipii rem diligentia, in singulos municipes benignitas. *Ter. Ph.* 2, 4, 9. Ego quae in rem tuam sint, ea velim facias. *Id. Andr.* 3, 3, 14. Si in rem est utrique, ut fiant *(nuptiae)*, arcessi jube. *Sall. Jug.* 33. *extr.* Id frustra, an ob rem faciam, in vestra manu situm est, *h. e.* utiliter. Sic *Ter. Ph.* 3, 2, 40. Non pudet vanitatis? *Do.* non, dum ob rem. *Cic. Rosc. Am.* 30. *med.* Si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset. *Id. Fam.* 13, 44. Tanta mihi cum eo necessitudo est, ut, si mea res esset, non magis laborarem; et *Ter. Heaut.* 2, 3, 113. Quasi istic minor mea res agatur, quam tua. ℙ *Alicui rei esse*, esse aliquantum frugi, utilem, idoneum esse ad aliquid. *Ter. Ad.* 3, 3, 3. Si illum potest, qui alicui rei est, etiam eum ad nequitiam abducere: est qui leg. *alicujus. Pl. Stich.* 5, 4, 38. Nolo ego nos pro summo bibere: nulli rei erimus postea. Alii aliter leg. *Gell.* 13, 30. Musicam, quae sit abscondita, eam esse nulli rei. *Id.* 9, 2. Erraticum esse hominem, dicere, et nulli rei. *Id.* 14, 2. *med.* Illum hominem esse non bonae rei, vitaque turpi ac sordida. ℙ *E*, et *ex re esse*, in rem esse, lucro, commodo esse. *Ter. Ph.* 5, 7, 76. Non hercle ex re istius me instigasti, Demipho. *Cic. Att.* 5, 8. *extr.* Statues, ut ex fide, fama, reque mea videbitur. *Pl. Ps.* 1, 3, 102. et 104. Ex tua re non est, ut ego emoriar. Et omissa praep. *Id. Capt.* 2, 2, 46. Haec tu eadem si confiteri vis, tua re feceris. ℙ *Pro re*, ut res fert, ut res patitur. *Sall. Jug.* 54. Dein ipse pro re atque loco, sicuti monte descenderat, paulatim procedere. *Lucr.* 6, 1279. Quisque suum pro re consortem moestus humabat, *h. e.* pro facultatibus. ℙ *Pro*, et *e re nata*, pro eventu rei, et occasione, pro tali rerum statu. *Cic. Att.* 7, 8. Animadverteram, posse pro re nata, te non incommode ad me in Albanum venire; et *ib.* 14, 6. Antonii colloquium cum heroibus nostris pro re nata non incommodum. *Ter. Ad.* 3, 1, 8. E re nata melius fieri haud potuit, quam factum est. Ubi *Donat.* Sic proprie dicimus de iis, quae contra voluntatem nostram acciderant. [*Librorum fere omnium scriptura probata *Bentl.* est: *e re natae*, i. e. ex commodo filiae tuae.] *Appul. Met.* 4. E re nata consilium capere; et *ib.* 9. E re nata fallaciosa mulier temerarium tollens cachinnum, magnum, inquit, etc. Huc pertinet illud *Pl. Truc.* 5, 70. Ut rem natam video, hoc accipiundum est, quod datur. Adde *Bacch.* 2, 2, 40. ℙ *Ab re* significat ab eventu. *Liv.* 1, 17. Id ab re interregnum appellatum. ℙ Item sine causa sine ratione, praeter propositum. *Pl. Capt.* 2, 2, 88. Quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam. *Suet. Aug.* 94. Non ab re fuerit subtexere quae evenerint. *Gell.* 18, 14. Haec notare non abs re visum est. Ita *Gron.*, alii *ab re.* ℙ Item in damnum, in jacturam. *Pl. As.* 1, 3, 71. Si papillam *(meretricis)* pertractavit, haud est ab re aucupis, *h. e.* non est aucupi, *h. e.* lenae, damnosum. *Id. Trin.* 2, 1, 11. de Amore: Ab re consulit blandiloquentulus, harpago, mendax. ℙ In illo *Ter. Ad.* 5, 3, 44. At enim metuas, ne ab re sint omissiores paulo: *ab re* est, quod ad rem familiarem attinet, seu, ut ait *Donat.*, a patrimonio. [*V. *Ruhnk.*] ℙ Interdum *res* relativi pronominis vicem gerit, vel cum eo juncta redundat. *Varr. R. R.* 2, 2. Emptor stipulatur prisca formula sic: Illasce oves, qua de re agitur, sanas recte esse, etc. *Pl. Capt.* 2, 2, 13. Sunt ex te quae solo scitari volo, quarum rerum te falsiloquum mihi esse nolo. [*Cic. Off.* 2, 4, 15. nisi tam multae nobis artes ministrarent? quibus rebus exculta hominum vita, cet. V. *Beier.*] ℙ Loco pronominis *is*, *ea*, *id. Varr. R. R.* 3, 16. *med.* Quos alii *μελισσουργοφτεία* appellant, eandem rem quidam mellaria. *Id. L. L.* 6, 3. *med.* Altissimum in urbe quod est, ea res tutissima tutulus vocatur. ℙ Genitivus *rei* primam corripit, ut *spei*, *fidei. Hor. Od.* 3, 16, 25. Contemptae dominus splendidior rei. Adde *Charis.* 1, 26. et *Prisc.* 8. *f.* p. 780. Aliquando producit. *Lucr.* 6, 918. Ipsius rei rationem reddere possis; et 392. Et potius nullae sibi turpis consciu' rei. Adde 1, 688., 2, 111. et 336. et al. Quidam volunt his locis scribi *reji* (ut *eji*, de quo V. in IS) ut sit ratio producendi. Monosyllabum est in illo *ejusd.* 4, 883. At quod providet, illius rei constat imago. (Nisi malis *illius*, seu *illiu'* dactylum esse, et *rei* produci, ut in superioribus.) *Vet. Poeta* ap. *Lact.* 6, 6. Virtus, quaerendae finem rei scire, modumque. ℙ [*Res v. excidit inter litt. LE..S. V. *Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 48. *a.* — Confund. *res esset* et *restitisset. Id. ib.* p. 284. — *Re* abl. post similem syll. absorptus. *Id.* ad *Off.* 2. p. 341. Saepe in textum irrepere solent *res* et casus ejusd. v. obliqui. V. *Spald.* ad *Quint. Inst.* 6, 1, 9. coll. *Drak.* ad *Liv.* 2, 18, 2. — Confund. *Res publica* et *Populus Romanus.* V. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* p. 127. *a* — *Rerum* et *regum.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 7, 579.]

RĒSACRO. V. RECECRO.

RĒSAEVĬO, is, n. 4. iterum saevio. *Ov. Trist.* 1, 1, 103. Quaeque quiescebat, ne mota resaeviat, ira, Et poenae tu sis altera causa, cave.

[RĒSALVĀTUS, a, um, part. ab inus. *resalvo*, iterum salvatus. *August. C. D.* 18, 31. Apparet quippe id esse completum, cum resalvati ex monte Sion, id est ex Judaea credentes in Christum, etc. *F.*]

RĒSALŪTĀTĬO, onis, f. actus resalutandi. *Suet. Ner.* 37. *f.* Neque quemquam osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem.

RĒSĂLŪTO, as, avi, atum, a. 1. *ἀντασπάζομαι, ἀντιπροσαγορεύομαι*, salutantem saluto. *Cic. Phil.* 2, 42. *med.* Descenderant, ut istum salutarent: tamen inter omnes constabat, neminem esse resalutatum. *Mart.* 5, 21. Quintum pro Decimo, pro Crasso, Regule, Macrum Ante salutabat rhetor Apollonius. Nunc utrumque suo resalutat nomine; et 57. Cum voco te dominum, noli tibi, Cinna, placere: Saepe etiam servum sic resaluto meum, *h. e.* resalutando appello. *Id.* 10, 70. Nunc resalutantes video nocturnus amicos. *Sen. Tranq.* 12. Salutaturi aliquem non resalutaturum.

RĒSĂNESCO, is, nui, n. 3. iterum sanus fio. Translate. *Ov. Am.* 1, 10, 9. Nunc timor omnis abest, animique resanuit error. *Lact.* 5, 2. *med.* Ut susceptis Deorum cultibus resanescant.

RĒSĂNO, as, a. 1. iterum sano. Translate. *Lact.* 4, 20. Ne adduceret eos in poenitentiam, atque impios resanaret. *Id.* 5, 22. *f.* Omnes qui resanati fuerint, adhaereant religioni.

RESAPSĀ, res ipsa, ut *reapse*, re ipsa. V. SAS.

RĒSARCĬO, is, arsi, artum, a. 4. *ἀναβάλλω*, sarcio, reficio, reconcinno. *Ter. Ad.* 1, 2, 40. Fores effregit? restituentur: discidit vestem? resarcietur: ubi *Donat. Re* abundat. *Colum.* 11, 2. *med.* Fracta juga vitium considerare, et resarcire. ℙ Translate est compensare. *Cic. Fam.* 1, 9. *in.* In meis damnis ex auctoritate senatus resarciendis. Alii leg. *sarciendis. Suet. Claud.* 6. Damnum liberalitate sua resarturum pollicens. *Colum.* 11, 1. *f.* Ut jacturam capitis amissi restituat, et quaestum resarciat. *Plin.* 17, 20, 32. Perticas ex salice caedi justum est quarto fere anno. Et eae autem senescentium propagine resarciunt locum, *h. e.* rursus implent, supplent.

RĒSARRĬO, is, a. 4. *ἀναοκάλλω*, rursum sarrio.

Plin. 18, 20, 49. *n.* 4. Cum hieme praegelida captae segetes essent, reseverunt, resarrientes campos mense Martio, uberrimasque messes habuerunt.

RESCINDO, is, scīdi, scissum, a. 3. *ἀνασχίζω, ἀναῤῥηγνύω*, scindo, caedo, confringo, destruo, dissolvo, labefacto. *Tibull.* 1, 11, 61. Sit satis, e membris tenuem rescindere vestem. *Virg. G.* 3, 453. ferro rescindere summum Ulceris os. *Colum.* 6, 30. venam, quae sub oculo est; et *ib.* 11. suppurationem ferro. *Virg. A.* 12, 389. Ense secent lato vulnus, telique latebras Rescindent penitus. *Sen. Contr.* 5, 34. *med.* Cadaverum artus rescindere, ut nervorum articulorumque positio cognosci possit; et *Colum.* 2, 14. Et quod falx reliquerit, priusquam inarescat, vomis rescindat atque obruat; et *ib.* 4. *f.* Modo in elatiora, modo in depressiora clivi obliquum agi sulcum oportebit, ut in utramque partem rescindamus, *h. e.* vomere proscindamus; et *Sall. fragm.* ap. *Non.* 2, 204. Pluteos rescindit, munitiones demolitur. *Caes. B. G.* 7, 35. Pontes rescindendos curaverat; et *ib.* 58. *med.* Refecto ponte, quem hostes resciderant; et *ib.* 86. *extr.* Falcibus vallum ac loricam rescindunt. *Flor.* 2, 15. In usum novae classis tecta domusque resciderunt; et *Virg. G.* 1, 280. Et conjuratos coelum rescindere fratres. Sic *A.* 6, 583. manibus rescindere coelum Aggressi. *Suet. Cal.* 3. Germanicus lenis adeo et innoxius, ut Pisoni decreta sua rescindenti, etc. *Just.* 14, 1. Rescissurosque se ferro decreta Macedonum affirmarent. ℙ *Rescindere vias* ap. *Lucr.* 2, 406. est obstantia tollendo aperire, munire, patefacere. [*Ita *Eichstadt.*] Alii leg. *restringere.* Similiter *Cic. Agr.* 2, 1. *f.* Et eum locum, quem nobilitas praesidiis firmatum, atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce rescidistis, virtutique in posterum patere voluistis. Ap. *Sen. Phoen.* 226. *rescindere vias aurium* est lacerare, confringere meatus et organa aurium, per quae sonus hauritur. ℙ Translate est abrogare, abolere, tollere, irritum esse jubere. *Cic. Phil.* 13, 3. Acta Antonii rescidistis, leges refixistis. *Id. Verr.* 2, 2, 26. Ut omnes istius injurias rescinderet, et irritas faceret. *Id. Att.* 6, 1. *in.* Rescindere constituta ab alio. *Id. Prov. cons.* 5. pactiones. *Id. Sull.* 22. res judicatas. *Id. Dom.* 15. *med.* quae contra auspicia acta sunt. *Vell.* 2, 90. foedus turpe. *Cic. Verr.* 2, 1, 43. *f.* voluntates mortuorum; et *ib.* 2, 2, 57. *med.* totam triennii praeturam. *Sen. Ben.* 3, 13. Beneficium suum ipse insequenti injuria rescidit. ℙ *Rescindere sacrilegium* ap. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 2. est destruere, expiare. ℙ *Rescindere vulnus* est, quod ait *Ov. Trist.* 4, 4, 41. retractando rumpere, refricare, *h. e.* renovare memorando. *Flor.* 3, 23. Ne vulnera curatione ipsa rescinderentur. *Ov. Trist.* 3, 11, 63. Ergo quicumque es, rescindere vulnera noli. Est qui leg. *crimina. Id. Met.* 12, 542. quid me meminisse malorum Cogis, et obductos annis rescindere luctus? ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 3, 31. an male sarta Gratia nequicquam coit, et rescinditur? *Petr. Sat.* 114. *med.* Veritus, ne inter initia coeuntis gratiae recentem cicatricem rescinderet. ℙ *Rescindere caecitatem* ap. *Quint. decl.* 6, 19. *extr.* est ex oculis caecis et obstructis vi lacrimas exprimere, et ita obductam quasi cicatricem rescindere. ℙ [*De discrimine vv. *rescindere* et *recidere* disputat *Herz.* ad *Caes. B. G.* 6, 29. cui assentitur *Brem.* ad *Nep. Milt.* 3, 4. — Saepissime confund. *rescindere* et *recidere.* V. h. v. *in f.*]

RESCĪO, is, ivi, et ii, itum, a. 4. et

RESCISCO, is, a. 3. *μανθάνω, γινώσκω*, intelligo, cognosco: et fere adhibetur, cum aliquid de industria celatum, aut inopinatum, insperatum, nobisque molestum cognoscimus. *Gell.* 2, 19. Aliter dictum esse *rescivi*, aut *rescire* apud eos, qui diligenter locuti sunt, nondum invenimus, quam super his rebus, quae aut occulto consilio latuerint, aut contra spem opinionemve usuvenerint. Deinde *Naevii, Quadrigarii*, et *Catonis* loca subjicit: pro quibus a me habe *Ter. Hec.* 4, 1, 4. Quod si rescierit, peperisse eam, id qua causa clam me habuisse dicam? *Id. Ad.* 5, 3, 5. Hem tibi! rescivit omnem rem: id nunc clamat scilicet. *Nep. Dat.* 2. *med.* Mater, quid ageretur, resciit, filiumque monuit. *Cic. Off.* 3, 23. *med.* Quaerit etiam, si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis; cum id rescierit, soluturus ne sit eos, si cui debeat, pro bonis. *Ter. Ad.* 1, 1, 45. Dum id rescitum iri credit, tantisper cavet: si sperat fore clam, rursum ad ingenium redit. *Nep. Eum.* 8. *f.* Intelligebat, prius adversarios rescituros de suo adventu, quam, etc. ℙ Extra praeteritum fere in usu est *rescisco* pro *rescio. Ter. Hec.* 5, 4, 26. Placet non fieri hoc itidem, ut in comoediis, omnia omnes ubi resciscunt: hic, quos par fuerat resciscere, sciunt: quos non autem aequum est scire, neque resciscent, neque scient. *Id. Ad.* 4, 2, 7. Primus sentio mala nostra: primus rescisco omnia. *Pl. Merc.* 5, 4, 44. Nihil opus est resciscat. *Eut.* quid istuc? non resciscet: ne time. *Liv.* 29, 14. Occultantibus id patribus, ne resciscerent Carthaginienses. Alii leg. *rescirent.*

RESCISSĬO, onis, f. actus rescindendi. *Callistr. Dig.* 50, 9, 5. Si ad publicam utilitatem respiciat rescissio prioris decreti. *Ulp. ib.* 37, 4, 3. *med.* Rescissio emancipationis. *Id. ib.* 43, 23, 11. *f.* emptionis. *Tert. Res. carn.* 57. *med.* mortis, *h. e.* deletio, oblitteratio per resurrectionem. ℙ Scribitur et *rescisio.*

RESCISSORĬUS, a, um, adj. ad rescissionem pertinens. *Ulp. Dig.* 4, 6, 28. *f.* Rescissoria actio. *Cels. ib.* 39, 5, 21. Habeo adversus debitorem meum rescissoriam in id, quod supra legis modum tibi promisit.

RESCISSUS, a, um, part. a *rescindo: ἀνεῤῥηγμένος*, scissus, caesus, confractus. *Colum.* 4, 29. *med.* Rescissa vitis, *h. e.* caesa et fissa. Alii leg. *recisa. Prop.* 3, 6, 8. Fac mea rescisso pectora nuda sinu. *Plin. ep.* 7, 19. *f.* et *Sen. Phoen.* 164. Rescissa vulnera. *Quint. decl.* 10, 2. Rescissa orbitas, *h. e.* refricata, et renovata tanquam vulnus. *Lucan.* 4, 328. Rescissoque nocent suspiria dura palato, *h. e.* siti exasperato, ulcerato. *Plin. ep.* 10, 64. Acta alicujus rescissa. *Claud. B. Get.* 586. Vulneribus pars nulla vacat: rescissaque contis Gloria foedati splendet jactantior oris, *h. e.* rescissa et vulnerata facie vulneribus in proelio acceptis: unde gloria, et militaris honestaque jactantia nascitur: *μεγαυχία. Scaev. Dig.* 2, 15, 3. Rescissum testamentum. ℙ Scribitur et *rescisus.*

RESCRĪBO, is, psi, ptum, a. 3. [*repitita opera scribere, aliter scribere, retractare, nostr. *umarbeiten.*] *Suet. Caes.* 56. Asinius parum diligenter compositos *(commentarios)* putat, existimatque rescripturum et correcturum fuisse. *Plin ep.* 5, 8. Potes simul et rescribere actiones, et componere historiam, *h. e.* retractare: quod paulo supra dixerat. Adde *ep.* 7, 9. ℙ [*Hinc] vicissim scribo, scripto respondeo, *ἀντιγράφω. Caes. B. C.* 1, 19. Pompejus rescripserat, sese rem in summum periculum deducturum non esse. *Cic. Att.* 13, 23. Antemeridianis tuis litteris heri statim rescripsi: nunc respondeo vespertinis; et *ib.* 4, 16. Ad eam epistolam rescribam; et *ib.* 7, 17. *med.* Rescripsi ad Trebatium, quam illud hoc tempore esset difficile; et *ib.* 8, 1. Pompejo statim rescripsi, non me quaerere, ubi, etc. et *ib.* 5, 12. *med.* Cui rei fugerat me rescribere. *Id. Fam.* 1, 9. *in.* Rescribam tibi ad ea, quae quaeris. *Hor. Ep.* 1, 5. *f.* Tu, quotus esse velis, rescribe. ℙ *Rescribere* dicitur princeps, cum per litteras respondet consulentibus de jure alicujus rei. *Suet. Aug.* 45. Quod inter spectandum, epistolis libellisque legendis ac rescribendis vocaret. [*Plura ejusd. exempla habes in *B. Crus. cl. Suet.* p. 681.] *Papir. Dig.* 18, 1, 71. Imperatores Antoninus et Verus Augusti Sextio Vero in haec verba rescripserunt. *Ulp. ib.* 36, 4, 1. *f.* Divus Pius ad Aemilium Equestrem rescripsit, non debere, etc. *Id. ib.* 1, 16, 4. *f.* Imperator Antoninus ad desideria Asianorum rescripsit, proconsuli necessitatem impositam, etc. Hinc *rescripta.* Etiam JCti *rescribere* aliquando dicuntur: quamvis eorum proprium sit *respondere*, aut *scribere.* Hinc *Labeo rescripsit, Scaevola, Julianus rescripsit*, habes ap. *Pomp. Dig.* 40, 7, 29. *med.* et *ib.* 4, 46. et *Ulp. ib.* 47, 2, 53. *med.* etc. ℙ Significat etiam scribere, perscribere. *Cic. Tusc.* 4, 2. Morem hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes: ex quo perspicuum est, et cantus tum fuisse rescriptos vocum sonis, et carmina, *h. e.* scriptos et notatos suis sonis, ut a musicis fit. Et qui leg. *descriptos.* [*Est *Lambinus*, qui ita legit, prob. *Urs. Gron.* ad *Liv.* 7, 2. et *Wolf.* in *Praelectt.* Etiam *Orell.*, licet vulg. serv., lectionem hanc dicit admodum memorabilem, receptae fortasse anteponendam.] ℙ Item e contrario scribere, seu contra ea, quae scripta sunt. *Quint.* 10, 5. *f.* Melius hoc, quam rescribere veteribus orationibus, ut fecit Sextius contra Ciceronis orationem habitam pro eodem. *Suet. Gr.* 19. Cujus etiam libro de Orthographia rescripsit, non sine insectatione studiorum, morumque ejus. Adde *Cal.* 53. ℙ *Rescribere milites* est de uno in alium militiae ordinem transferre. *Caes. B. G.* 1, 42. *f.* Caesarem pollicitum, cohortis praetoriae loco decimam legionem habiturum: ad equum rescribere. ℙ Item dimissos rursus per delectum milites facere. *Liv.* 9, 10. Rescriptae ex eodem milite novae legiones. ℙ *Rescribere pecuniam* dicitur trapezita, qui datam sibi ab aliquo pecuniam fenori, eidem aliquando restituit: quia tum in danda, tum in recuperanda pecunia scriptura intervenit. *Ter. Ph.* 5, 7, 28. Transi sodes ad forum, atque illud mihi argentum rursum jube rescribi. *Virg. A.* 7, 422. Et tua Dardaniis transscribi sceptra colonis: *transscribi*, inquit, tradi. Sermo autem hic tractus est de pecunia: nam *scribi* est dari. Horatius (*Sat.* 2, 3, 69.) Scribe decem Nerio: *rescribi*, reddi. Horatius (*ib.* 75.) dictantis quod tu nunquam rescribere possis. Terentius *(l. c.)* illud mihi argentum, etc. Haec. *Serv. Auson. epist.* 5, 23. Ergo aut praedictos jam nunc rescribe Darios, etc. Aut alios a me totidem dabo. [*Pertinet huc etiam locus in *perscribo* laud. *Cic. Att.* 16, 2. ubi *Orell.* pro vulg. *perscribamus*, cum omnibus fere edd. exhibet *rescribamus.*]

RESCRIPTĬO, onis, f. idem quod rescriptum. *Julian. Dig.* 1, 18, 8. Hac rescriptione non imponi necessitatem proconsuli. *Callistrat. ib.* 9. Quoties princeps ad praesides provinciarum remittit negotia per rescriptiones

RESCRIPTUS, a, um, part. a *rescribo*, iterum scriptus. *Plin. ep.* 8, 21. *extr.* Haec vel emendata postea, vel deteriora facta, quasi nova rursus et rescripta cognosces. ℙ Item contra scriptus. *Cic. Att.* 12, 21. Legi Bruti epistolam sane non prudenter rescriptam ad ea, quae requisieras. *Suet. Aug.* 86. Rescripta Bruto de Catone. Adde *Tac. A.* 4, 34. *med.* et *Sen. controv. praef.* 5. *med.* ℙ Item respondendo scriptus. Hinc *rescriptum* absolute scriptum, quo imperatores consulentibus se respondent. *Plin.* ad *Trajan. ep.* 10, 2. Ex rescripto intelligo, hoc te ei praestitisse, etc. *Tac. A.* 6, 9. Precatusque per codicillos, immiti rescripto venas resolvit. *Ulp. Dig.* 49, 1, 1. Quaesitum est, an adversus rescriptum principis provocari possit. V. ANNOTATIO.

RESCULA. V. RECULA.

RESCULPO, is, psi, a. 3. iterum sculpo, refingo. Translate. *Prud. praef. Psych.* 50. Haec ad figuram praenotata est linea, Quam nostra recto vita resculpat pede. *Tert. adv. Psych.* 5. Nam et primus populus primi hominis resculpserat crimen, *h. e.* renovaverat.

[RĒSĒCĀTĬO, onis, f. idem ac resectio. Translate. *Salv. Gub. D.* 7, 22. Non interficientes Vandali mulieres impudicas, ne, dum peccata auferre cuperent, ipsi in peccatorum resecatione peccarent. *F.*]

RĒSĒCĀTUS, a, um, part. a *reseco*, rescissus. *Eum. Grat. act. ad Constant.* 11. *f.* Sicut aegra corpora, resecata aliqua sui parte, sanantur. ℙ Translate est severus. *Appul. Flor. n.* 23. Sic enim ferme assolet apud prudentes viros esse in operibus judicatio resecatior, in rebus subitariis venia prolixior. Alii leg. *resecratior*, alii rectius *restrictior.* [*Emendavit h. l. *F.*]

RĒSĔCO, as, cui, ectum, a. 1. *ἀποτέμνω*, idem quod *seco*, rescindo, amputo. *Virg. G.* 2, 78. enodes trunci resecantur. *Ov. Met.* 8, 649. Servatoque diu resecât de tergore partem Exiguam, sectamque domat ferventibus undis; et *ib.* 11, 182. longos ferro resecare capillos. *Sen. Ag.* 974. collum. *Plin.* 19, 6, 32. Gethyum saepius resecatur, ut porrum. *Colum.* 5, 9. *med.* Arbores musco infestantur, quem nisi ferramento resecueris, etc. *Id.* 6, 12. Extrema pars ipsius unguis ad vivum resecatur. ℙ Translate est excidere, tollere: ac de iis ferre dicitur, quae vel superflua sunt, vel noxia: ducta a medicis metaphora, qui quae sunt corrupta in vulneribus, ferro purgant. *Cic. Tusc.* 4, 26. *f.* Nimia resecari oportere, naturalia relinqui. *Id. Att.* 1, 18. *med.* Nactus locum resecandae libidinis, et coercendae juventutis. *Juven.* 8, 166. Quaedam cum prima resecentur crimina barba. *Cic. Cat.* 2, 5. *f.* Quae sanari poterunt, quacumque ratione sanabo: quae resecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manare. *Id. Amic.* 5. Neque id ad vivum reseco, ut illi, qui haec subtilius disserunt, *h. e.* stricte, restricte, presse de solis sapientibus hoc intelligi volo. [*Alio sensu *ad vivum resecare* dicitur ap. *Eund. Verr.* 2, 3, 50. Nummos dabat arator — unde? de frumento. Quasi habuisset te praetore quod venderet. De vivo igitur erat aliquid resecandum, i. e. de frumento ad sustentandam et alendam aratoris familiam necessario erat aliquid vendendum. V. *Schütz. cl. Cic.*] *Plin. ep.* 2, 5. Liber crevit, dum ornare patriam gaudemus: tu tamen haec ipsa, quantum ratio exegerit, reseca; et *Hor. Od.* 1, 11, 6. et spatio brevi spem longam reseces.

RĒSĔCRO, as, a. 1. *ἀντιβολέω*, est contrarias preces facere, solvere religione: a *sacro.* Nam *obsecro*, et *resecro*, opponuntur. Utique (ait *Fest.*) cum reus populum comitiis oraverat per Deos, ut eo periculo liberaretur, jubebat magistratus eum resecrare. Nempe qui *obsecrat*, votis suis quasi vincit; qui *resecrat*, obsecratione ac devotione liberat et solvit. Quod si reus resecrare nollet, tunc in ejus caput vinum per sacerdotum servos infundebatur, ut in eum omnis religio contracta verteret, et magistratus libere in eum animadvertere posset. *Nep. Alc.* 6. *f.* Iidem illi Eumolpidae sacerdotes resecrare sunt coacti, qui eum devoverant. Alii leg. *resacrare.* V. *Frontonis l. c.* in OBSECRO. [*Cf. *Brem.* ad *Nep. l. c.*] ℙ Est etiam iterum obsecro. *Pl. Aul.* 4, 7, 4. Nunc te obsecro resecroque mater, quod dudum obsecraveram: fac mentionem cum avunculo, mater mea. *Id. Pers.* 1, 1, 49. Obsecro, resecroque te, operam da hanc mihi fidelem, *h. e.* obsecro te, et valde rursusque obsecro. [*Emendavit h. l. *F.*]

RĒSECTĬO, onis, f. *ἀνατομή*, actus resecandi. *Colum.* 4, 29. Resectio vitis; et *ib.* 24. *med.* Devexam resectionem facere post gemmam. V. RESECATIO.

RĒSECTUS, a, um, part. a *reseco: ἀνατετμημένος. Cic. Div.* 2, 46. Aut quorum linguae sic inhaererent, ut loqui non possent, hae scalpello resectae liberarentur? *Id. Pis.* 19. Quem Carthaginienses resectis palpebris illigatum in machina vigilando necaverunt. [*Id. Leg.* 2, 22, 55. Neque necesse est, edisseri a nobis — quemadmodum os resectum terra obtegatur. Ita *Lamb.*, quem secutus *Goerenz.*, recte hunc locum explanat: Videtur auctor eum ritum tangere, quo a cadavere igne cremando digitus rescin-

debatur, qui reliquo corpore combusto terrae mandaretur, quoque demum ritu sepultura compleretur. — Idem etiam in peregre mortuis observabatur, ut digitus rescissus ad familiam deportaretur, et ad eum justa fierent. V. *Schütz.* in *cl. Cic.*] *Ov. Trist.* 4, 10, 58. Barba resecta mihi bisve semelve fuit. *Id. Fast.* 2, 520. Primitias Cereri farra resecta dabant.

RĒSĔCŪTUS, a, um, part. a *resequor:* post loquendo secutus. *Ov. Met.* 13, 749. Nereis his contra resecuta Crataeide natam: Acis erat, etc. *Auson. epist.* 25, 68. de Echo: Solatur nostras Echo resecuta querelas.

RĒSĒDA, ae, f. genus herbae, a *resedo*, quia morbos sedaret. [*Reseda alba; *L.*] *Plin.* 27, 12, 106. Circa Ariminum nota est herba, quam resedam vocant. Discutit collectiones, inflammationesque omnes. Qui curant ea, addunt haec verba: *Reseda morbos reseda. Scisne, scisne, quis hic pullos egedicunt, totiesque despuunt.* Haec ter *Plinii* in dictione praec.

RĒSĒDO, as, a. 1. sedo, cessare facio. V. verba *Plinii* in dictione praec.

RĒSEGMEN, inis, n. *ἀπόκομμα*, quod resecatur, ut Resegmen unguium, quod ex unguibus amputatur. *Plin.* 28, 1, 2. Omnia persecuti usque ad resegmina unguium. *Id.* 13, 12, 23. Longitudo papyri quae potuit esse, resegminibus amputatis.

RĒSĒMĬNO, as, a. 1. rursus semino. *Ov. Met.* 15, 392. de phoenice: Una est, quae reparet, seque ipsa reseminet, ales.

RĒSĒQUOR, eris, quutus vel cutus sum, post loquendo sequor. *Ov. Met.* 8, 863. Se quaeri gaudens, sic est resecuta rogantem. [*Cf. *ib.* 6, 36.] V. RESECUTUS.

RĒSĒRĀTUS, a, um, part. a *resero: ἀνεῳγμένος*, apertus. *Ov. Fast.* 2, 455. et sex reserata diebus Carceris Aeolii janua lana patet. *Id. Met.* 6, 664. reserato pectore, diras Egerere inde dapes. *Val. Fl.* 1, 655. Emicuit reserata dies, *h. e.* orta.

RĒSĒRĀTUS, us, m. actus reserandi. *Sidon. ep.* 9, 11. In voluminis ipsius, operisque reseratu.

RĒSĒRO, as, avi, atum, a. 1. *ἀνοίγω*, aperio, recludo: a *sera*, quia, sera remota, valvae patefiunt, ut *Non.* 1, 195. et *Fest.* et fortasse etiam *Varr. L. L.* 6, 6. *extr.* docent. *Virg. A.* 7, 613. reserat stridentia limina consul; et *ib.* 8, 243. penitus vi terra dehiscens Infernas reseret sedes, et regna recludat Pallida. *Plin.* 10, 21, 24. Domos claudere, aut reserare. *Ov. A. Am.* 3, 577. portas reseravimus hosti. [**Val. Max.* 2, 10. reserari fores jussit. *Bail.* Cf. *Tib.* 1, 8, 60. 1, 2, 18. et 1, 2, 31. ℙ Hinc translate varios in usus abiit. Ac primum quidem signif., aditum ad locum, vel ad rem aliquam aperire, facere, ut liber alicujus rei usus pateat.] *Sen. Ag.* 718. Reserare fauces; et *Oct.* 367. pectora alicujus ferro. *Cic. Phil.* 7, 1. Ut reserare nos exteris gentibus Italiam juberet. *Paul. Sentent.* 5. *tit.* 25. Reserare signum; et *Cic. Off.* 2, 15. *f.* Nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit: nec ita reseranda, ut pateat omnibus. *Plin. Pan.* 66. *f.* Obsepta diutina servitute ora reseramus, frenatamque tot malis linguam resolvimus. ℙ [*Deinde est initium facere alicujus rei.] *Id. ib.* 58, 4. Aperire annum, reserare fastos. [*V. *Gierig.* ad h. l. coll. *Ov. Pont.* 4, 4, 23. Ergo ubi, Jane biceps, longum reseraveris annum. ℙ Denique docere, palam facere, quae incognita, obscura sunt.] *Ov. Met.* 15, 145. et augustae reserabo oracula mentis. Sic *Val. Fl.* 2, 437. Minyas terris, adytisque sacerdos Excipit hospitibus reserans secreta, Thyotes. *Mamert. Grat. act. ad Jul.* 17. Tuto apud te omnia animi operta reserabo. *Petr. fragm.* 680. *Burm.* Reserare commissa.

RĒSĔRO, is, resevi, a. 3. *ἀναφυτεύω*, rursus semino, seu rursus planto. *Varr. L. L.* 4, 4. *f.* Restibilis ager, qui restituitur, ac reseritur quotquot annis. *Plin.* 18, 20, 49. *n.* 4. Nam cum hieme praegelida captae segetes essent, reseverunt, resarrientes campos mense Martio. *Colum.* 4, 33. Melius ex vicino pertica *(castaneae)* declinata propagatur, quam exempta reseritur. *Id.* 3, 11. Reserere vineta.

RĒSERVĀTUS, a, um, part. a *reservo: διαπεφυλαγμένος*, servatus, conservatus. *Caes. B. G.* 3, 5. *extr.* Placuit, hoc reservato ad extremum consilio, interim rei eventum experiri. *Cic. Caecin.* 10. Testis exspectatus, et ad extremum reservatus. *Id. fragm. in toga cand.* ap. *Ascon.* O miser, qui non sentias, illo judicio te non absolutum, verum ad aliquod severius judicium, ac majus supplicium reservatum! *Id. Agr.* 1, 4. *med.* Hanc causam idcirco a judicibus praetermissam esse arbitrantur, quod ipsa sit reservata. *Id. Cat.* 4, 9. Habetis consulem ex plurimis periculis, et insidiis, atque ex media morte, non ad vitam suam, sed ad salutem vestram reservatum. [*Inscr.* optimae notae ap. *Marin. Iscriz. Alb.* p. 139. Ad desiderium luctumque reservatus videor. *F.*]

RĒSERVO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποτίθημι, διαφυλάττω*, ab aliis servo, in aliud tempus servo, sive ab bonum, sive ad malum. *Lucr.* 1, 607. Concedit natura reservans semina rebus. *Cato R. R.* 29. Stercus sic dividito: partem dimidiam in segetem, partem quartam circum oleas, alteram quartam partem in pratum reservato. *Ov. Met.* 7, 656. parcumque genus, patiensque laborum, Quaesitique tenax, et qui quaesita reservent. *Caes. B. C.* 1, 36. Frumentum in publicum conferunt: reliquos commeatus ad obsidionem urbis, si accidat, reservant; et *ib.* 2. Reservare et retinere legiones ad periculum alicujus. *Virg. A.* 8, 575. Incolumem Pallanta mihi si fata reservant. *Caes. B. G.* 1, 53. *extr.* De se ter sortibus consultum dicebat, utrum igni statim necaretur, an in aliud tempus reservaretur. *Cic. Q. Fr.* 2, 8. Cetera praesenti sermoni reserventur; hoc tamen non queo differre; et *Or.* 1, 52. Philosophorum autem libros reservet sibi ad Tusculani requiem atque otium. *Id. Rosc. Am.* 29. *extr.* Si quid est, quod ad testes reservet, ibi nos quoque paratiores inveniet, quam putabat. *Ov. Met.* 13, 168. Nate Dea, dixi, tibi se peritura reservant Pergama. *Stat. Th.* 8, 120. si quando nefanda Huc aderit conjux, illi funesta reserva Supplicia. *Quint.* 11, 1. de Socrate: Et quando ab hominibus sui temporis parum intelligebatur, posterorum se judiciis reservavit. *Cic. Coel.* 24. Dii praesentis fraudis poenas in diem reservant. *Virg. A.* 5, 625. O gens infelix! cui de exitio Fortuna reservat? *Mart.* 8, 40. *ad Priap.* Furaces moneo manus repellas, Et silvam domini focis reserves, *h. e.* serves, custodias. ℙ Pro servare, conservare. *Cic. Fam.* 5, 4. *extr.* Vide, ne, cum velis revocare tempus omnium reservandorum, cum qui servetur non erit, non possis. [*Varie tentatus locus: at v. *Orell.*] *Cels.* 2, 8. *med.* Ut etiam gravida mulier non solum conservari possit, sed etiam partum reservare. [*Cf. *Liv.* exempla in *Gloss. Liv.* p. 577. *Suet.* locos collectos habes a *B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 681.]

RĒSES, idis, adj. omn. gen. qui non movetur: a *resideo*, ut *deses* a *desideo*. *Claud. epigr.* 36. Insula, quae resides fluctus mitescere cogit, *h. e.* quietos, tranquillos. *Varr. R. R.* 3, 17. *med.* Residem aquam, et locis pestilentibus habitarent pisces ejus. *Id. ib.* 2, 11. Casei cum molles sunt, magis alibiles, in corpore non resides, *h. e.* in stomacho non remanentes, sed concoqui faciles. *Liv.* 2, 32. Timere patres residem in Urbe plebem, incerti, manere eam, an abire mallent, *h. e.* quae, cum milites per secessionem abiissent, eos non sequebatur. ℙ Transfertur ad animum, et pigrum, otiosum, desidem, inertem significat, *σχολαῖος*. *Id.* 6, 23. Cunctatorem ex acerrimo bellatore factum: et qui adveniens castra urbesque primo impetu rapere sit solitus, eum residem intra vallum tempus terere. *Virg. A.* 1, 725. viro tentat praevertere amore Jampridem resides animos, desuetaque corda; et *ib.* 6, 814. residesque movebit Tullus in arma viros. *Ov. Met.* 14, 463. resides, et desuetudine tardi. *Claud. praef. B. Get.* 1. Resides anni, *h. e.* in otio acti; et *praef. Rapt Pros.* 2, 15. de Orpheo: Et resides levi modulatus pectine nervos, *h. e.* quos diu non pulsaverat. *Phaedr.* 5, 1. Resides, et sequentes otium. *Val. Fl.* 8, 220. Solvere in hoc tandem resides dux litore curas, *h. e.* residem facientes. *Heins.* mallet *residens*, h. e. residens hoc litore.

RĒSEX, ĕcis, m. in vitibus quid sit, disces ex locis, quos subjicio. *Colum.* 4, 21. Novellis palmis semper vitis renovetur: quae si satis excreverint, jugo superponantur: sin aliqua earum vel perfracta, vel parum procera fuerit, locumque idoneum obtinebit, unde vitis anno sequenti renovari debeat, in pollicem tondeatur: quem quidam custodem, alii resecem, nonnulli praesidiarium appellant, id est sarmentum gemmarum duarum, vel trium: ex quo cum processere fructiferae materiae, quidquid est supra vetusti brachii amputatur: et ita ex novello palmite vitis pullulascit; et 3, 10. *med.* Confiteor, pampinarios quoque, cum e duro prorepserint, tempore anni sequentis acquirere fecunditatem, et ideo in resecem submitti; et 5, 5. *med.* Pro materiis longioribus pollices quaternum aut quinum gemmarum relinquuntur: pro custodibus autem bigemmes reseces fiunt. Loquitur hic *Colum.* de putatione, quae adhibetur viti componendae in brachia, docetque quid differat a putatione vitis jugatae. Est autem *resex* a *resecando* dictus, quia palmes resecatur in cacumine, et ad longitudinem pollicis truncatur.

[RĒSĪBĬLO, as, n. 1. rursus seu multum sibilo. *Sidon. carm.* 9, 83. de Gigantum turba: Mox contra tonitrus resibilante Audebat Superos ciere planta, *h. e.* planta anguina, nam Gigantibus angues pro cruribus erant. *F.*]

RĒSĪDĔO, es, edi, essum, n. 2. *καθίζομαι, ἀνακαθίζω, ἀπόκειμαι*, sedeo, consideo, subsisto, subsideo, quiesco. *Cic. Fin.* 3, 2. *extr.* Sed resideamus, inquit, si placet: itaque fecimus. [*Ita nos quoque dicimus: *lasst uns sitzen.*] *Ov. Fast.* 3, 749. pandi tergo residebat aselli. *Id. A. Am.* 3, 696. Lassus in hac juvenis saepe resedit humo. *Id. Fast.* 3, 15. Fessa resedit humi. *Id. Met.* 7, 102. medio rex ipse resedit Agmine purpureus. *Virg. A.* 1, 510. solioque alte subnixa resedit; et *ib.* 5, 180. Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit. *Id. ib.* 8, 503. Etrusca resedit Hoc acies campo, monitis exterrita Divum. Sic *Cic. Mil.* 19. Cur neque ante occurrit, ne ille in villa resideret? ℙ Translate est remanere, perdurare, haerere. *Cic. Dejot.* 3. Ne residere in te ullam partem iracundiae suspicemur. *Id. Tusc.* 1, 43. *extr.* In corpore autem perspicuum est, elapso animo, nullum residere sensum. *Id. Att.* 1, 17. Hujus incommodi culpa ubi resideat, facilius possum existimare, quam scribere. *Id. Cat.* 1, 13. Si ex tanto latrocinio iste unus tolletur, periculum residebit in visceribus reipublicae. *Caes. B. G.* 7, 77. Quorum in consilio pristinae residere virtutis memoria videtur. *Cic. Fam.* 5, 7. Quibus *(meis officiis)* si quando non mutue respondetur, apud me plus officii residere facillime patior. *Lucr.* 3, 399. Non sine mente animoque nequit residere per artus Temporis exiguam partem pars ulla animai. ℙ Item inesse, vigere. *Cic. Fam.* 12, 3. *f.* Etiam nunc residet spes in virtute tua. *Id. Sen.* 17. *f.* Quorum non in sententia solum, sed etiam in nutu residebat auctoritas. ℙ Item cessare, otiosum esse. *Petr. Sat.* 115. *med.* At miles circumscriptus, dum residet, etc. *Pl. Capt.* 3, 1, 8. Itaque venter gutturque resident esuriales ferias, *h. e.* cessant ab edendo et bibendo, quasique servant ferias esuritioni dicatas. *Plin.* 34, 14, 40. Cum exprimere vellet Athamantis furorem, Learcho filio praecipitato, residentem poenitentia, *h. e.* prae poenitentia sedentem, et feriantem. Alii leg. *residentis poenitentiam*, h. e. cum exprimere vellet furorem, simulque poenitentiam feriantis, et nihil agentis. Alii aliter leg. ℙ Passive. *Cic. Leg.* 2, 22. Nec vero tam denicales, quae a nece appellatae sunt, quia residentur mortui; quam ceterorum coelestium quieti dies, feriae nominarentur, etc., *h. e.* sedendo aguntur feriae mortuorum. [*V. *Goerenz.* ad h. l.] ℙ Item sedari, subsidere, desinere. *Virg. A.* 7, 27. Cum venti posuere, omnisque repente resedit Flatus. *Hor. Od.* 3, 3, 29. Nostrisque ductum seditionibus Bellum resedit. *Cic. Tusc.* 3, 12. Cum tumor animo resedisset. *Liv.* 2, 29. Cum irae resedissent. *Id.* 35, 38. Postquam resedit terror. *Coel.* ap *Cic. Fam.* 8, 2. Marcelli impetus resederunt, non inertia, sed consilio. *Caes. B. G.* 7, 64. *f.* Quorum mentes nondum a superiore bello resedisse sperabat. ℙ Item inclinari, descendere: et hoc sensu cum *resido* confunditur, cum quo commune habet praeteritum. V. RESIDO.

RĒSĬDĬA, ae, f. desidia. *Pl. Merc. prol.* 29. Haeret etiam aviditas, residia, injuria. Alii leg. *desidia.*

RĒSĪDO, is, edi, essum, n. 3. idem fere quod *resideo*, a quo et praeterita mutuatur: licet *sido sidi* habeat. *Virg. A.* 8, 467. Congressi jungunt dextras, mediisque residunt Aedibus. *Sil.* 16, 245. Sceptrigero cum rege pari sub honore residunt. *Plin.* 8, 37, 55. Mures Alpini residunt in clunes. Alii leg. *resident. Id.* 10, 39, 55. Primum volant *(aves)* quae apodes, quia carent usu pedum. Cetera genera residunt, et insistunt. ℙ Item remaneo. *Virg. A.* 5, 702. Siculis ne resideret arvis, Oblitus fatorum, Italas ne capesseret oras. *Plin. ep.* 4, 22. *f.* Viennensium vitia inter ipsos residunt, nostra late vagantur. ℙ Saepe est se demittere, subsidere, descendere. *Cic. Pis.* 33. Si montes resedissent, amnes exaruissent. [*V. *Gron. Observv.* 4, 17. p. 476. *sq. ed. Fr.*] *Plin.* 2, 82, 84. de terrae motu: Cum intumescit assurgens, alternoque motu residit. Alii leg. *residet. Id.* 28, 13, 57. Residere lienem aegri vitiatum, liberarique morbo; et 5, 9, 10. Nilus incipit crescere Cancrum sole transeunte, et residit in Virgine. *Virg. G.* 2, 479. qua vi maria alta tumescant Objicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant. *Hor. Od.* 2, 20, 9. Jam jam residunt cruribus asperae Pelles, *h. e.* arcte adhaerescunt, abscedente pulpa quae in humanis cruribus esse solet. ℙ Residere retro, demittendo se recedere. *Virg. A.* 9, 539. dum se glomerant, retroque residunt In partem, quae peste caret. ℙ *Residere* dicitur quidquid faeculenti, aut spissi in liquoribus in fundo vasis subsidit. *Plin.* 33, 4, 21. Arenae lavantur, atque ex eo, quod resedit, conjectura capitur. ℙ Translate. *Ov. Am.* 1, 1, 27. Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat, *h. e.* hexametro incipiat, in pentametro se demittat. *Virg. A.* 6, 407. tumida ex ira tum corda residunt, *h. e.* placantur. *Id. ib.* 9, 642. jure omnia bella Gente sub Assaraci fato ventura resident, *h. e.* sedabuntur. *Plin. ep.* 5, 17. de recitante elegos suos: Apte enim et varie nunc attollebatur, nunc residebat: excelsa depressis, exilia plenis, severis jucunda mutabat.

[RĒSĪDŪĬTAS, atis, f. omissio residui in debito solvendo. *Not. Tir.* p. 78. Residuus, residuitas. *F.*]

RĒSĪDŪUS, a, um, adj. *λοιπός, ὑπόλοιπος*, qui residet, hoc est remanet, superest, reliquus est: a *resideo*, ut *assiduus* ab *assideo. Liv.* 29, 37. *med.* Residua et vetus simultas. *Planc.* ad *Cic. Fam.* 10, 11. *med.* Cupio mehercules, nullam residuam sollicitudinem esse. *Just.* 27, 2. Nec quicquam illi ex tanto apparatu, praeter nudum corpus et spiritum, et paucos naufragii comites residuos fortuna fecit. *Hirt. B. Afr.* 44. Navis una ab residua classe cum erravisset, a Virgilio excepta est. *Suet. Aug.* 73. Instrumenti ejus et supellectilis parcimonia apparet etiam nunc, residuis lectis atque mensis, quorum pleraque vix privatae elegantiae sint; et *ib.* 3. Fugitivos, residuam Spartaci et Catilinae manum, delevit. *Id. Ner.* 13. Bellum residuum. *Tac. A.* 11, 23. Residui nobilium. *Suet. Galb.* 7. Residuum cibariorum vendere. *Id. Aug.* 73. Residua diurni actus conficere;

et *Cal.* 15. *f.* Criminum si qua residua ex priore tempore manebant, omnium gratiam fecit. *Quint. decl.* 9, 23. Infelicissimus senex, confectus cladibus, et tantum poenae suae residuus, *h. e.* superstes tantum ad poenas, ut *Id. Inst. prooem.* 6. *med.* loquitur. ℙ *Residua pecunia* est non quae ex integra summa debiti reliqua est, et solvenda remanet; sed quaecumque summa sive ex toto, sive ex parte residet apud aliquem, et ab eo retinetur: idque praecipue de pecunia publica intelligendum est. *Paul. Dig.* 48. *tit.* 13. qui *ad legem Juliam peculatus, et de sacrilegiis, et residuis* inscribitur, 2. Lege Julia de residuis tenetur, qui publicam pecuniam, delegatam in usum aliquem, retinuit, neque in eum consumpsit; et *Mart. ib.* 4. Lege Julia de residuis tenetur is, apud quem ex locatione, emptione, alimentaria ratione, ex pecunia, quam accepit, aliave qua causa pecunia publica resedit. *Paul. ib.* 9. *med.* Cum eo, qui cum provincia abiret, pecuniam, quae penes se esset, ad aerarium professus retinuerit, non esse residuae pecuniae actionem, quia eam privatus fisco debebat; et *mox:* Sed eam quoque lex Julia residuorum post annum residuam esse jussit, *h. e.* intra annum habetur, qui pecuniam retinuit, tanquam privatus debitor: post annum fit reus lege Julia de residuis; et *Cic. Agr.* 2, 22. *med.* Quantae cujusque manubiae fuerint, quid relatum, quid residuum sit. *Liv.* 33, 48. Omnibus residuis pecuniis exactis, tributo privatis remisso. *Suet. Aug. f.* Residua vectigaliorum, *h. e.* pecuniae, quae apud publicanos vectigalium conductores erant, et reipublicae solvi aliquando debebant. ℙ De pecunia privatorum. *Ulp. Dig.* 26, 7, 6. *med.* Residuarum summarum pupillares usuras pendi oportet, *h. e.* pecuniae pupilli a tutoribus retentae. *Papin. ib.* 27, 7, 7. Placuit inter eos, qui solvendo essent, actionem residui dividi. ℙ *Curator residuorum* in *Inscr.* ap. *Grut.* 178, 3. sub M. Aurelio, et fortasse etiam in alia ap. *eund.* 184, 4. fuit, qui praeerat exactionibus pecuniae fisco, vel aerario debitae, et ultra concessum a publicanis aliisve retentae. Ceterum haec perperam omnino; nam in priore *Inscr.* mendose quidem legitur *Statio Juliano curatore resi. rejecit,* cum eadem ap. *Mur.* 485, 9. multo rectius habeat *S. J. c. refecit et perfecit.* In altera autem, quam affert et *Smetius* 11, 17., verba *aed. cur. res.* ita ex ejusd. Indice nominum propriorum est interpretanda: *aedilis curulis restituit.* ℙ *Residuus,* reses, deses, ignavus. *Actius* ap. *Fest.* in *Reses.*

RĒSIGNĀCŬLUM, i, n. contrarium signaculo. *Tert. adv. Marc.* ex *Ezech.* 10, 28, 12. Tu es resignaculum similitudinis: qui scilicet integritatem imaginis, et similitudinis resignaveris. *Vulgata* habet *signaculum.* V. *Hieron.* in *Ezech.* 9, 28.

*RESIGNĀTOR, oris, m. *ἀποσφραγιστής Gloss. Cyrill. B. A.*

RĒSIGNĀTRIX, icis, f. quae resignat et aperit. *Tert. Hab. mul.* 1. de Heva: Tu es diaboli janua, tu es arboris resignatrix, tu es divinae legis prima desertrix.

RĒSIGNĀTUS, a, um, part. a *resigno: ἀνασφραγισθείς,* signo sublato apertus. *Pl. Trin.* 3, 3, 65. Resignatae litterae, et inspectae. ℙ Resignatum aes dicitur militi, cum ob delictum aliquod jussu tribuni militum, ne ei stipendium detur, in tabulas refertur, inquit *Fest.:* nam *resignare,* ut *Idem* docet, antiqui ponebant pro rescribere, *h. e.* rursus scribere. Itaque aes, quod in tabulis scriptum fuerat, ut militibus in stipendium daretur, id si aliquando, ne amplius daretur, rescriptum esset, *resignatum* aes dicebatur: et miles is, cui adimebatur, *aere dirutus.* V. DIRUTUS.

RĒSIGNO, as, avi, atum, a. 1. *ἀνασφραγίζω,* signo amoto aperio, resolvo. *Cic. Att.* 11, 9. *med.* Resignare litteras. *Hor. Ep.* 1, 7, 9. opella forensis Adducit febres, et testamenta resignat. *Plin.* 14, 13, 14. Fabius Pictor scripsit, matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariae cellae, resignavisset, a suis inedia mori coactam. *Sil.* 17, 425. irrumpit mole ruinae Ausonius globus, et perjuria Graja resignat, *h. e.* aperit, laxat, disjicit phalangem Macedonum perjurorum. ℙ In illo *Virg. A.* 4, 244. Dat somnos, adimitque, et lumina morte resignat: dissentiunt interpretes, quid resignare significet: multi aperire, quod mortuorum oculos in ipsa morte claudi, in rogo rursus aperiri mos esset. Hinc *Plin.* 11, 37, 55. Morientibus oculos operire, rursusque in rogo patefacere, Quiritium ritu, sacrum est: ita more condito, ut neque ab homine supremum eos spectari fas sit, et coelo non ostendi nefas. *Serv.* ad *Virg. l. c.* Claudere, perturbare, auferre: claudere, inquam, non adductis manu palpebris operire oculos, sed, opinor, confecta corruptaque eorum acie, usum videndi adimere. Fortasse etiam *resignare* est solvere, et resolvere eo sensu, quo *Virg. A.* 12, 951. Illi solvuntur frigore membra; et *Ov. Ib.* 148. Sive manu facta morte solutus ero; et *Met.* 1, 227. jugulum mucrone resolvit. Sane quod dicimus *resignare litteras* etiam *solvere,* et *resolvere* recte et latine dici potest. Itaque hac ratione *resignare morte lumina* erit ita corrumpere ac dissolvere oculos, exsiccatis eorum humoribus, et labefacta structura, ut pervidere amplius nequeant. [**Resignare lumina* significat, claudere oculos. Simili ratione *resignare* pro simpl. signare, i. e. claudere, positum est ap. *Sil.* 4, 790. pacta resigna, i. e. signa, firma.] ℙ Translate est labefactare, abrogare, dissolvere. *Cic. Arch.* 5. Cum Appii tabulae negligentius asservatae dicerentur: Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas, post damnationem calamitas omnem tabularum fidem resignasset, i. e. minuisset, irritam fecisset: ducta translatione ex eo, quod quippiam dum clausum est, sincerum habetur: si aperiatur cuilibet, ob asservandi negligentiam, corrumpi, aut adulterari potest. *Flor.* 4, 7. *f.* Brutus cum in Cassio etiam suum animum perdidisset, ne quid ex constituti fide resignaret (ita enim pariter superesse bello convenerat) ipse quoque uni comitum confodiendum praebuit latus; et *Lactant.* 7, 22. *f.* Eos, qui resurrexerint, nec mori jam ulterius fas, ut beatam possint agere vitam, quorum mors resignata est, *h. e.* dissoluta, et infracta. ℙ Item violare. *Prud. adv. Symm.* 1, 90. de Mercurio: Traditur exstinctas sumptae moderamine virgae In lucem revocasse animas, Cocytia lethi Jura resignasse, sursum revolantibus umbris, *h. e.* cum sit jus mortis et inferorum, ut nemo inde remeet, dicitur Mercurius hoc jus violasse, aperiendo mortuis viam redeundi ad vitam. ℙ Item explicare, revelare, patefacere; nam et hoc est aperire. *Ov. Fast.* 6, 535. Nunc, ait, o vates venientia fata resigna, Qua licet. *Pers.* 5, 28. totumque hoc verba resignent, Quod latet arcana, non enarrabile, fibra. *Mart.* 9, 36. Verba ducis Daci Cattis mandata resignas. ℙ Est etiam reddere. Ut enim olim *resignare* ponebant pro *rescribere,* ut *Fest.* docet: *rescribere* autem in re pecuniaria est reddere, ut in RESCRIBO dictum est; ita et *resignare* adhibetur pro reddere. *Hor. Od.* 3, 29, 53. de Fortuna: Laudo manentem: si celeres quatit Pennas, resigno quae dedit. *Id. Ep.* 1, 7, 34. Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno. ℙ Denique olim pro assignare positum fuit. *Cato.* ap. *Serv.* ad *A.* 4, 244. De aqua quod attinet, ad salinatores aerarios, cui cura vectigalium resignat, *h. e.* is, cui cura est vectigalium. *Id. ib.* Ne spolia figerentur, nisi de hoste capta: sed tum, ubi ii dimissi sunt, revortantur resignatis vectigalibus. Alii putant, haec pertinere ad notionem rescribendi, seu reddendi.

RĒSĬLĬO, is, silui, et silii, sultum, n. 4. iterum salire [*in eum locum, unde prosilui, progressus sum.] *Ov. Met.* 6, 373. de ranis: Saepe super ripam stagni considere, saepe In gelidos resilire lacus. *Plin.* 9, 19, 35. Exit in terram in Indiae fluminibus certum genus piscium, ac deinde resilit. *Flor.* 3, 6. de piratis: Sub ipso hostis recessu, impatientes soli, in aquas suas resiluerunt. ℙ [*Hinc in contrarium salio, saliendo recedo, subito pedem refero: Gr. *ἀναπηδάω, ἀναθρώσκω* nostr. *abprallen, zurückprallen.*] *Ov. Met.* 12, 479. Nudaque Phyllei juvenis ferit ora sarissa. Non secus haec resilit, quam tecti a culmine grando. *Sen. Herc. Oet.* 153. In nudo gladius corpore frangitur, Et saxum resilit. *Plin.* 2, 54, 55. Ab ictu resilit ignis. *Id.* 11, 15, 15. de melle: Abrumpi statim, et resilire guttas, vilitatis indicium habetur. *Id.* 2, 38, 38. Radii infracti resiliunt. *Id.* 11, 37, 45. Cornua cochleis semper bina, et ut praetendantur, ac resiliant. ℙ Translate. *Cic. Rosc. Am.* 29. Scopulum offendis ejusmodi, ut non modo ab hoc crimen resilire videas, verum omnem suspicionem in vosmetipsos recidere intelligas, *h. e.* ab hoc esse crimen remotum, alienum, huic non haerere, non convenire. *Plin.* 5, 27, 27. de Tauro monte: Mediam distrahens Asiam, nisi opprimenti terras occurrerent maria. Resilit ergo a septemtrione, *h. e.* se flectit. ℙ Saepe est recedere, refugere. *Id.* 10, 70, 90. Non potest petris avelli polypus, idem, cunila admota, ab odore protinus resilit. *Lucr.* 4, 688. ad sua quemque Pabula ducit, et a tetro resilire veneno Cogit. *Claud. Quadrig.* ap. *Prisc.* 10, 906. Artorius Taureae dextrum humerum sauciat, atque ita resiluit. *Ulp. Dig.* 18, 2, 9. Ut liceret emptori resilire, meliore conditione allata; et *Flor.* 4, 12. Nec dum assuetae frenis servitutis tumidae gentium cervices, ab imposito nuper jugo resiliebant. *Quint.* 12, 10. *med.* Instandum iis, quae placere intellexeris: resiliendum ab iis, quae non recipientur. ℙ *Resilire* etiam dicuntur, quae residunt, subsidunt, restringuntur, decrescunt, contrahuntur. *Ov. Met.* 3, 677. In spatium resilire manus breve vidit, et illas Jam non esse manus, jam pinnas posse vocari. *Plin.* 11, 40, 95. de porcellis: Suam quisque (*mammam*) novit in fetu, eaque alitur, nec alia: detracto illa alumno suo sterilescit illico, ac resilit. *Id.* 22, 13, 15. de urtica: Uvas in ore, procidentesque vulvas tactu resilire cogit.

RĒSĬLĪTĀRĔ, saepe resilire. *Paul.* ex *Festo:* ubi alii leg. *resillare,* alii *resultare,* alii *residiare.*

[RĒSIMPLĪCĀTUS, a, um, part. ab inus. *resimplico,* reduplicatus: a *re,* et *simplico. Coel. Aurel. Tard.* 5, 1. *n.* 20. Alii linteolum aqua tingentes partibus resimplicatum apponunt. *F.*]

RĒSĪMUS, a, um, adj. *ἀνάσιμος,* dicitur de naribus depressis, extremitate sursum reflexa. *Ov. Met.* 14, 95. de simia: naresque a fronte resimas. *Colum.* 6, 1. Boves naribus resimis patulisque, cervice longa et torosa. *Plin.* 8, 25, 39. Hippopotamus rostro resimo, cauda et dentibus aprorum aduncis. *Varr. R. R.* 2, 9. Canis labris subnigris, neque resimis superioribus, neque pendulis subtus. ℙ Transfertur ad alia. *Cels.* 8, 3. *med.* Lamina aenea firma, paululum resima, *h. e.* recurva, reflexa; et 4, 1. *med.* Renes, qui lumbis sub imis costis, inhaerent; a parte earum resimi, ab altera rotundi. *Id.* 7, 26. *n.* 2. Incidi cutis plaga luxata debet, etc., deinde ea parte, qua resima plaga est, etc. *h. e.* recursa, retusa. [Ita edidit *Targa* ex *Morgagno ep.* 7. *in Cels.* et ex MSS., cum antea omnes editiones haberent *qua strictior ima plaga est. F.*]

RĒSĪNA, ae, f. *ῥητίνη,* humor tenax ex arboribus sponte sua defluens: a voce Graeca allata, quae a *ῥέω,* fluo. Duplex est, sicca, et liquida: illa e pinu et picea fit, haec e terebintho, larice, lentisco, cupresso, etc. Ex ea cocta fit pix. V. *Plin.* 16, 11, 22. et 24, 6, 22., ubi plura de ea, deque variis ejus in medicina usibus. Praecipue autem utebantur evellendis pilis e corpore: item vinis condiendis. *Capitol. Pert.* 8. Vasa Samnitica calfactandae resinae ac pici devellendis hominibus et levigandis. *Mart.* 12, 32. Nec plena turpi matris olla resina, Summoenianae qua pilantur uxores. (Adde 3, 74. et 77.) *Tert. Pall.* 4. Apud hirtos et hirsutos tam rapax a culo resina, tam furax a mento volsella. *Cato R. R.* 23. Resinam si indes, in culleum musti pondo tria bene comminuito: indito in fiscellam, et facito, uti in dolio musti pendeat: eam quassato crebro, uti resina condeliquescat.

RĒSĪNĀCĔUS, a, um, adj. *ῥητινώδης,* resinam referens. *Plin.* 24, 11, 59. Rosmarinum, cui et caulis, et semen resinaceum.

RĒSĪNĀLIS, e, adj. resinaceus, resinosus. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 13. *n.* 178. Strobilus, quod in semet habeat resinale, etc. Adde *ib.* 14. *n.* 207.

[RĒSĪNĀRĬA, ae, f. quae resinam vendit, seu quae resina utitur ad pilos e mulierum corpore evellendos. V. RESINA. *Inscr.* quam in *Mus. Vatic.* vidit *B. Borghesius.* Juliae Agele resinariae, quae vix. an. LXXX. Julia Irene patronae B. M. F. et sibi, et suis, posterisq. eorum. V. PICATRIX. *F.*]

RĒSĪNĀTUS, a, um, adj. resina illitus. *Juven.* 8, 114. quid resinata juventus, Cruraque totius facient tibi levia gentis? *h. e.* mollis, effeminata, et pilos corporis resina illita evellens. [**Cf. Beier.* ad *Cic. Fragm.* p. 106.] ℙ Resinatum vinum, *ῥητινίτης οἶνος,* resina conditum: quam rationem docet *Cato* in RESINA allatus. *Mart.* 3, 77. Resinata bibis vina, Falerna fugis. Adde *Plin.* 23, 1, 24. et *Cels.* 2, 24.

RĒSĪNŌSUS, a, um, adj. *ῥητινώδης,* resinam ferens, resina abundans, resinam referens. *Colum.* 12, 20. Medicamina vino adjicere, quae sint aut liquida, aut resinosa. *Plin.* 26, 8, 30. Ladanum odoratum, molle, viride, resinosum. *Id.* 24, 11, 60. Cachrys si fricetur, resinosa est. *Id.* 13, 6, 12. Resinosus lentor. *Id.* 27, 4, 10. odor. *Id.* 24, 7, 33. et 15, 7, 7. Brutia pix pinguissima, resinosissima.

RĒSĪNŪLA, ae, f. dimin. resinae. *Arnob.* 7, 233. Si hoc honorantur numina, nec indigne sustinent Panchaicas sibi ardere resinulas, *h. e.* turis grana: tus enim resinae genus quoddam est.

RĒSĬPĬO, is, ivi, et ii, et ui, n. 3. *χυμὸν ἔχω,* saporem habeo, refero, sapio: a *re,* et *sapio.* Et referri potest etiam ad odorem. *Varr. R. R.* 1, 54. Seorsum, quod expressum est, servant, quod resipit ferrum. (V. FERRUM.) *Colum.* 12, 46. Hoc jure macerentur, donec quam minimum amaritudinis resipiant. *Plin.* 14, 1, 3. Uva picem resipiens. *Id.* 31, 3, 12. Est etiamnum vitium aquae, non foetidae modo, verum omnino quidquam resipientis, jucundum sit illud licet, gratumque. ℙ Translate. [**Cic. N. D.* 2, 17. Epicurus minime resipiens patriam, i. e. Athenas, minime redolens Atticam urbanitatem praesertim in jocis.] *Gell.* 3, 3. *med.* Non tamen dubium est, quin istae *(fabulae),* quae scriptae a Plauto non videntur, veterum poetarum fuerint, et ab eo retractatae et expolitae sint, ac propterea resipiant dictum Plautinum, *h. e.* stilo Plauti similes sint, Plautinam locutionem redoleant. *Auson. praef. monosyll. Idyll.* 12. Laboravi, ut quantum ejus posset apud aures indulgentissimas, absurda concinerent, insulsa resiperent, hiulca congruerent, *h. e.* aliquem elegantiae saporem haberent. ℙ Est saepe ad priorem mentis statum, vel ad meliorem mentem redire, resipiscere, *ἀναφρονῶ.* Adhibetur fere in praeteritis: in aliis temporibus *resipisco* locum habet: refertur-que tum ad corpus, tum ad animum. *Suet. Ner.* 42. Postquam Hispanias descivisse cognovit, collapsus animo male fracto, diu, et sine voce, et prope intermortuus jacuit. Utque resipivit, veste discissa, capite converberato, actum de se pronuntiavit. Alii leg. *resipuit:* alii *resipiit.* [**B. Crus.* in *cl. Suet.* p. 682. formam *resipiit* non magis ferendam videri dicit, quam *desiliit,* et *transiliit* cet.] *Cic. Att.* 4, 5. Vix aliquando, te auctore, resipivi. Alii leg. *resipui.* (Adde *Sext.* 38.) *Pl. Mil.* 4, 8, 35. Jam resipisti? *Ter. Heaut.* 4, 8, 1. Nunc me fortunatissimum factum puto esse, gnate, cum te intelligo resipisse. Ita cum aliis *Prisc.* 10, 879. Alii *resipiscere:* et *Afran.* ap. *Prisc. ib.* Equidem nunc resipui, postquam pectus est laetitia onustum.

RĒSĪPISCENTĬA, ae, f. *μετάνοια,* actus resipiscendi, poenitentia. *Lactant.* 6, 24. Is, quem facti

sui poenitet, errorem suum pristinum intelligit: ideoque Graeci melius et significantius *μετάνοιαν* dicunt: quam nos possumus resipiscentiam dicere.

RĒSIPISCO, is, n. 3. *ἀναφρονέω*, resipere incipio, a deliquio animi me recipio, ad pristinum sensuum statum redeo. *Pl. Mil.* 4, 8, 22. Animo male factum est huic repente miserae, etc. afferte aquam, quaeso, dum resipiscit. *Suet. Tib.* 73. Cum extractum sibi deficienti annulum, mox resipiscens requisisset. *Petr. Sat.* 138. *f.* Et resipiscerent partes veneficio, credo, sopitae. ℙ Transfertur ad animum, et significat ad bonam mentem redire, rectius sentire incipere, ad meliorem frugem reverti, quasique ab insipientia, seu insania convalescere. *Liv.* 36, 22. Ut tunc saltem, experti regiam vanitatem, resipiscerent. *Plin.* 30, 10, 24. Tradunt, lymphatos sanguinis talpae aspersu resipiscere. *Prop.* 3, 23, 17. Nunc demum vasto fessi resipiscimus aestu *Tac. H.* 4, 67. *f.* Resipiscere paulatim civitates, fasque et foedera respicere. *Suet. Aug.* 48. Rectorem apponere solitus aetate parvis, ac mente lapsis, donec adolescerent, aut resipiscerent. *Ter. Andr.* 4, 2, 15. Hanc, nisi mors, mihi adimet nemo. *Cha.* resipisco.

RĒSISTO, is, stĭti, n. 3. *ἑστάναι*, maneo non ultra progrediens, gradum sisto, resto, consisto. [**Virg. G.* 4, 425. ipsa procul nebulis obscura resistit. *Liv.* 37, 21. ut, quum terga caederentur, nemo pugnandi causa restiterit, *h. e.* retro se verterit.] *Ter. Andr.* 2, 2, 7. Dave, ades, resiste. *Id. Eun.* 2, 3, 45. Heus, heus tibi dico, Chaerea, inquit: restiti. *Caes. B. G.* 7, 35. E regione unius eorum pontium cum duabus legionibus in occulto restitit. *Val. Fl.* 3, 100. Restitit ille gradu, seseque a lumine ferri Sustinuit. *Cic. Tusc.* 5, 28. Vita beata, virtutibus omnibus sine ullo animi terrore ad cruciatum profectis, resistet extra fores limenque carceris. *Id. Fin.* 4, 18. Deinde reliqui gradus: sed ego in hoc resisto. [**Adde Att.* 2, 2. negavit se unquam cum Curione restitisse: scil. colloquendi causa.] *Phaedr.* 1, 12. Ad fontem cervus cum bibisset, restitit. *Liv.* 36, 13. *extr.* Baebius restitit ad Pellinaeum oppugnandum. *Tac. H.* 2, 87. Vitellius ad omnes municipiorum amoenitates resistens, gravi urbem agmine petebat. [**Plin. Pan.* 10, 4. in secundo resistere; ubi v. *Schwarz.* cf. 48, 3. *Suet. Galb.* 19. viso procul eo, parumper restiterunt. Seq. dein rursum incitati. Cf. *Cal.* 58. *Oth.* 6.] *Sen. Q. N. praef.* 1. *med.* Sidus nusquam resistens, sed aequaliter citum. *Colum.* 6, 7. *med.* Si neque ventris restiterit citata proluvies, neque intestinorum dolor. *Ov. Her.* 13, 121. verba resistunt, *h. e.* sermo intermittitur. *Quint.* 11, 2. *f.* Interruptus actionis impetus, et resistens, ac salebrosa oratio [**V. intppr.* ad h. l.] *Virg. A.* 4, 76. Incipit effari, mediaque in voce resistit. *Sen. Med.* 744. Rota resistat membra torquens: tangat Ixion humum. ℙ Item permaneo. *Pl. Trin.* 4, 4, 18. Hic meo hero amicus solus firmus resistit. ℙ Item insisto, pedem sisto, [**resurgo.*] *Cic. Mur.* 39. Nihil est jam unde nos reficiamus, aut ubi lapsi resistamus. ℙ Item non cedo, repugno, obsisto, *ἀνθίσταμαι. Virg. G.* 3, 502. aret Pellis, et ad tactum tractanti dura resistit. *Plin.* 19, 5, 23. Fimo circumaggeratae radices frigori resistunt. *Id.* 36, 15, 24. *n.* 3. de cloacis Romae: Aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus, pugnantque diversi aquarum impetus intus: et tamen obnixa firmitas resistit. *Id. ib.* 22, 49. Silex vehementer igni resistens. *Id.* 37, 7, 30. Gemmae, quae scalpturae contumaciter resistunt. *Id.* 17, 13, 21. Rubi defigunt rursus in terram capita, iterumque nascuntur ex sese, repleturi omnia, ni resistat cultura. *Id.* 29, 4, 17. Nisi incendiis semina exurerentur, non esset fecunditati eorum resistere. *Varr. R. R.* 1, 13. Plaustra ac ceterum instrumentum sub dio adversus tempestatem nocentem non resistunt; et *Cic. Att.* 2, 1. *med.* Restitit et pervicit Cato; et *Nep. Att.* 3. Quamdiu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit. *Caes. B. G.* 4, 12. *f.* Ipse equo vulnerato dejectus, quoad potuit, fortissime restitit; et *ib.* 14. Qui celeriter arma capere potuerunt, paulisper nostris restiterunt. *Nep. Pel.* 1. *f.* Existimabant, eos esse solos, qui adversus resistere auderent. *Cic. Rosc. Com.* 17. *med.* Resistere et repugnare contra veritatem non audet. *Colum.* 1, 5. *f.* Fundamenta praestructa valenter resistent contra ea, quae postmodum superposita incumbent. *Suet. Tib.* 25. Obfirmato cuipiam resistere. *Cic. Agr.* 2, 6. Resistere libidini. *Id. Fam.* 5, 17. fortiter dolori ac fortunae. *Sen. Hipp.* 891. precibus. *Sall. Cat.* 35. fanctioni inimicorum. *Id. Jug.* 41. Lucullus et Annius tribuni plebis, resistentibus collegis, continuare magistratum nitebantur. *Cic. Verr.* 2, 5, 1. Resistere defensioni alicujus, *h. e.* respondere, eamque refellere. ℙ De medicamentis, quae morbos propellunt, nec sinunt accedere. *Plin.* 22, 13, 15. Semen urticae potum in sapa resistit stomachi inflationibus. *Id.* 37, 10, 57. Dionysias *(gemma)* ebrietati resistere putatur. *Id.* 36, 19, 31. Amiantus veneficiis resistit omnibus. *Id.* 30, 11, 28. Morbo regio resistunt sordes aurium. *Id.* 20, 4, 17. Resistere febribus. *Id.* 23, 8, 80. serpentium venenis. ℙ Passive impersonaliter. *Caes. B. G.* 5, 30. Cum a Cotta acriter resisteretur; et *ib.* 39. A nostris eadem ratione, qua pridie, resistitur. *Sall. Jug.* 71. Neque a fortissumis infirmissimo generi resisti posse. *Plin.* 26, 13, 86. Phthiriasi resistitur uvae taminiae succo. [**Liv.* 4, 43. vix deorum opibus, quin obruatur Romana res, resisti posse. *Bail.*] Adde *Cic. fragm.* ap. *Prisc.* 15, 1014. ℙ [**Hinc resistere* dicitur de montibus longius prominentibus in campum: opp. *cedere. Tac. A.* 2, 16. Idistavisus campus — medius inter Visurgim et colles, ut ripae fluminis cedunt, aut prominentia montium resistunt, inaequaliter sinuatur: ubi verum vidit *Ern.* Eleganter, inquit, utrumque verbum (*cedere* et *resistere*) dicitur in tali descriptione, ut *refugere* ap. *Plin. ep.* 5, 6, 38. et *occurrere*, variis in locis. *Cedere* ripae fluminis s. flumen ipsum dicitur, cum sinum facit aversum a campo: montes *resistere*, quum longius prominent in campum. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 410. ℙ Confund. *resistere* et *restitare.* V. *Spald.* ad *Quint.* 10, 3, 10. qui laud. *Drakenb.* ad *Liv.* 10, 19, 5.]

*RESISTOS, i, Thraciae oppidum, circa Propontidem. *Plin.* 4, 11. Adde *Ant. Itin. B. A.*

RĒSOLŪBĬLIS, e, adj. qui resolvi potest, solubilis. *Prud. Cath.* 10, 157. resolubile corpus Revocas, Deus, atque reformas. *Id. Apoth.* 581. jacet illud nobile templum. Cur jacet? artificis quia dextra solubilis illud Caementum struxit resolubile, jure solutum est.

RĒSOLVO, is, olvi, lutum, a. 3. *ἀναλύω*, idem fere quod solvo, dissolvo, a vinculis libero. *Colum.* 1, 8. *med.* Villicus quem ipse sua sponte vinxerit, ante quam sciat dominus, non resolvat. *Quint.* 6, 1. *med.* Resolvere vulnus. *Ov. A. Am.* 3, 272. vinclis crura resolve suis. *Id. Met.* 1, 382. cinctasque resolvite vestes. *Id. Fast.* 4, 180. Ter jungat Titan, terque resolvat equos. *Cels.* 7, 4. *n.* 4. Tertio quoque die nodus resolvendus est. *Sil.* 6, 280. longoque resolvens Aggere se ripae. ℙ Item diduco, avello, abstraho. *Sen. Phoen.* 51. Vis nulla, genitor, a tuo nostram manum Corpore resolvet. ℙ Item aperio. *Tac. A.* 6, 48. Resolvere venas. *Liv.* 26, 15. *med.* litteras. *Plin.* 8, 30, 47. Fiber, hominis parte comprehensa, non antequam fracta concrepuerint ossa, morsus resolvit. *Ov. Met.* 2, 282. fauces haec ipsa in verba resolvo; et *ib.* 13, 226. expectatoque resolvit Ora sono: (Adde *Virg. G.* 4, 452. et *A.* 3, 457.) et *ib.* 1, 227. et *ib.* 6, 643. Jugulum ferro resolvere: quod *Juven.* 4, 110. aperire, dixit. *Val. Fl.* 1, 655. Emicuit reserata, dies coelumque resolvit Arcus, *h. e.* aperuit, patefecit, fugatis nubibus. ℙ Item dissolvo, dilabi facio, tenuo. *Virg. G.* 1, 44. Zephyro putris se gleba resolvit. *Ov. Met.* 14, 400. nebulas ventis ac sole resolvi; et *Trist.* 3, 10, 13. Nix jacet, et jactam nec sol, pluviaeque resolvunt. *Virg. A.* 8, 591. Lucifer exsulit os sacrum coelo, tenebrasque resolvit. *Plin.* 9, 35, 58. Aceti asperitas in tabem margaritas resolvit. *Lucr.* 6, 966. Ignis enim liquidum facit aes, aurumque resolvit. *Colum.* 11, 2. *med.* Omnis gleba in vineis refringitur, et resolvitur in pulverem. *Sil.* 5, 553. Resolvere muros ariete, *h. e.* diruere. ℙ *Resolvere nummos* ap. *Lampr. Alex. Sev.* 39. *f.* est rursus solvere, et conflare, ut novae formae pecunia cudatur. ℙ Et translate. *Virg. G.* 1, 302. Invitat genialis hiems, curasque resolvit; et *Plin.* 24, 6, 15. Styracis modico potu tristitiam animi resolvi. *Quint. prooem.* 8. *med.* Argumentandi et afficiendi locos, et quibus generibus concitari, placari, resolvi judices oportet, adjecimus, *h. e.* ad hilaritatem excitari, ab intenta audiendi cura tantisper solvendo. Sic 4, 2. *med.* Ficta narratio introduci solet vel ad concitandos judices, vel ad resolvendos aliqua urbanitate. Alii leg. *solvendos. Sil.* 7, 153. Discinxit ratione dolos, fraudesque resolvit. Adde *Virg. A.* 6, 29. ℙ Item mollio, enervo, effemino, languidum reddo, remissiorem facio. *Prop.* 2, 25, 42. ad molles membra resolve choros. *Pall.* 4, 12. *med.* Quae res intra triduum totius saevitiae iram resolvet. *Sen. ep.* 36. Felicitas alios in aliud irritat: hos in potentiam, illos in luxuriam: hos inflat, illos mollit, et totos resolvit. *Ov. A. Am.* 2, 683. Voluptas resolvit corpus. *Sen. Octav.* 717. Resolvi somno. Sic *Virg. A.* 6, 422. de Cerbero: atque immania terga resolvit Fusus humi. ℙ Item violo, perrumpo. *Id. ib.* 4, 27. Ante, pudor, quam te violo, aut tua jura resolvo. ℙ Item rescindo, tollo. *Cajus Dig.* 21, 2, 57. *f.* Resolvere stipulationem. *Pomp. ib.* 46, 3, 107. obligationem. *Paul. ib.* 41, 5, 2. *med.* conventionem. *Jul. ib.* 23, 3, 44. promissionem. *Ulp. ib.* 18, 2, 2. emptionem. ℙ Item laxo, remitto. *Val. Fl.* 4, 703. Nec vero ipse metus curasque resolvere ductor, sed, etc. *Tac. H.* 1, 51. Resolvere disciplinam militarem. ℙ Item partior, divido. *Ov. Met.* 8, 587. Continuam diduxit humum, partesque resolvit In totidem, mediis quot cernis Echinadas undis. ℙ Item libero, levo, absolvo. *Hor. Od.* 1, 28, 34. Teque piacula nulla resolvent. *Sil.* 17, 205. de Annib.: cuncti praestare videntur, Quod sponte abscedat, Superi, tandemque resolvat Ausoniam. ℙ Item dirimo, finio. *Hor. Sat.* 2, 3, 103. Nil agit exemplum, quod litem lite resolvit. *Val. Fl.* 4, 43. Cum sopor, et vano spes moesta resolvitur actu. ℙ Item aboleo. *Tac. H.* 4, 65. Vectigal, et onera commerciorum resolvimus. ℙ Item refello. *Quint.* 5, 13. Si resolvere ex parte diversa dicta difficilius erit, nostra argumenta cum adversariorum argumentis conferemus. ℙ Item explico, expono. *Lucr.* 770. Quod superest, quoniam magni per caerula mundi Qua fieri quidquid posset ratione, resolvi, etc. Nunc redeo, etc. ℙ *R. solvere amphiboliam, ambiguitatem*, ap. *Quint.* 7, 9. *f.* et 12, 2. *med.*, est tollere, declarare. ℙ Interdum ponitur pro solvere in re pecuniaria, et aeris alieni. *Cato R. R.* 144. et 149. Si quid emptor, aut pastores, aut pecus emptoris domino damni dederit, boni viri arbitratu resolvat. *Pl. As.* 2, 4, 26. Ecquis pro vectura olivi resolvit? *Pl. Epid.* 1, 2, 38. Huic opus est quadraginta minis, danistae quas resolvat. *Id. Men.* 5, 5, 30. Perdormisco, si resolvi argentum, cui debeo. ℙ Resolvere vocabulum Graecum in voces Latinas ratione etymologica falsa, *Gell.* 1, 18. v. g. *lepus* in *levis* et *pes.* ℙ *Resolvi stomachum* quid sit ap. *Cels.* 4, 5. V. in RESOLUTIO. ℙ [**Conf. resolvere* et *remittere.* V. *Burm.* ad *Virg. G.* 4, 36. Item *resolvere* et *revolvere.* V. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 316. *Resolvere* et *solvere* V. *Spald.* ad *Quint.* 2. p. 70. *crit.*]

RĒSOLŪTĒ, adv. solute, effuse, libere. *Tert. ad Nat.* 1, 19. Quo resolutius decachinnetis.

RĒSOLŪTĬO, onis, f. *ἀνάλυσις*, actus resolvendi. *Gell.* 17, 9. *med.* Resolutio lori; et 18, 2. *med.* sophismatis. *Cels.* 2, 6. ventris; et *ib.* 1. *med.* nervorum, quam Graeci *παράλυσιν* nominant; et 6, 6. *n.* 36. oculorum, quam *παράλυσιν* Graeci nominant. *Id.* 4, 5. *med.* Vulgatissimum pessimumque stomachi vitium est resolutio, idest cum cibi non tenax est. *Ulp. Dig.* 41, 2, 13. Redhibitio, venditionis resolutio est, *h. e.* rescissio, abrogatio.

RĒSOLŪTUS, a, um, part. a *resolvo*, *ἀναλελυμένος*, a vinculo liberatus, solutus. *Sil.* 3, 462. resoluta vincla. *Tibull.* 1, 3, 31. et *Ov. Am.* 2, 14, 39. puella resoluta capillos. *Id. Fast.* 3, 257. resoluto crine precari *Lucan.* 8, 787. ossa resoluta nervis. *Ov. Met.* 4, 737. virgo resoluta catenis ℙ [**Item diductus, disjectus, apertus.*] *Ov. Met.* 11, 516. cadunt largi resolutis nubibus imbres. *Sen. Octav.* 317. Navis resoluto robore labens, Pressa dehiscit, sorbetque mare. [**Porro huc pertinet illud:*] *Colum.* 12, 50. *med.* Olivae resolutis corticulis emolliri debebunt, i. e. ruptis apertisque per primam pressuram. ℙ [**Item ruptus, dissolutus, liquefactus.*] *Claud. epigr.* 7. Gemma resoluta gelu. Sic *Suet. Dom* 6. Resolutus repente Rhenus; et *Lucan.* 1, 219. madidis Eurl resolutae flatibus Alpes, *h. e.* nives in Alpibus liquefactae. *Plin.* 35, 11, 41. Resolutae igne cerae. [**Huc pertinent et ista, quae Noster infra laudaverat:*] *Pall.* 3, 29. *f.* Laser ex aqua ad sapae pinguedinem resolutum. *Plin.* 18, 7, 12. *n.* 2. Frumento in potum resoluto. *Vell.* 2, 123. *extr.* Augustus in sua resolutus initia, animam coelestem coelo reddidit. [**V. Ruhnk.* ad h. l.] *Virg. G.* 4, 225. Scilicet huc reddi deinde, ac resoluta referri Omnia. *Colum.* 4, 1. et 11, 3. Terra resoluta, *h. e.* aratro aut ligone fossa, et subacta. Sic *Pall.* 1, 5. *f.* Pinguis ac resolutus ager, qui facile subigitur. Rursus *Colum.* 10, 7. Pinguis ager, putres glebas, resolutaque terga Qui gerit. ℙ Item enervatus, effeminatus, languore affectus, diffluens. *Colum. praef. med.* Juvenum corpora fluxa et resoluta. *Ov. A. Am.* 3, 793. ex imis resoluta medullis Femina; et *Met.* 9, 483. totis resoluta medullis, *h. e.* prae voluptate diffluens. *Mart.* 10, 98. minister Idaeo resolutior cinaedo. *Ov. Fast.* 1, 371. Brachia somno resoluta. *Val. Fl.* 2, 535. fluctus defertur bellua in imos, Jam totis resoluta vadis: scil. quia clava ab Hercule icta et occisa. Sic *Sen. Oed.* 139. sub ictu ponderis vasti resoluta cervix. *Plin.* 11, 37, 50. In equis aures indicia animi praeferunt, fessis marcidae, micantes pavidis, subrectae furentibus, resolutae aegris. ℙ [**Item liberatus.*] *Tibull.* 1, 10, 83. fallaci resolutus amore Tibullus; et *Lucan.* 2, 145. Tunc data libertas odiis, resolutaque legum Frenis ira ruit. *Claud. in Eutr.* 2, 233. pavor, resoluto corde, quievit. ℙ Item effusus, immodicus. *Sil.* 11, 305. Tyrio resoluta in gaudia coetu Converso. Sic *Id.* 14, 680. mens resoluta in gaudia, *h. e.* sepositis curis effusa. ℙ Item rescissus, diremptus, sublatus. *Ulp. Dig.* 12, 6, 23. Transactio resoluta.

RĒSONĀBILIS, e, adj. qui resonat, aut resonare potest. *Ov. Met.* 3, 357. Vocalis Nymphae, quae nec reticere loquenti, Nec prior ipsa loqui didicit resonabilis Echo. Adde *Auson. epigr.* 99. itidem de Echo loquentem.

RĒSONANS, antis, part. a *resono*, *ἀντηχοῦν*, sonum reddens, personans. *Cic. Q. Fr.* 1, 1, 14. *f.* Theatrum natura ita resonans, ut usque Romam significationes vocesque referantur. *Vitr.* 5, 8. *f.* Sunt nonnulli loci naturaliter impedientes vocis motus, uti dissonantes, qui Graece dicuntur *κατηχοῦντες:* circumsonantes, qui apud eos nominantur *περιηχοῦντες:* item resonantes, qui dicuntur *ἀντηχοῦντες:* consonantesque, quos appellant *συνηχοῦντες:* et *mox:* Resonantes sunt, in quibus cum in solido tactu vox percussa resiliat, imagines exprimendo, novissimos casus duplices faciunt auditu. *Virg. A.* 3, 432. Scyl-

lam, et caeruleis canibus resonantia saxa. ℙ Item sonum edens, sonans, crepitans. *Sen. Thyest.* 584. Ne superfusis violetur undis Ignis aeternis resonans caminis. *Val. Fl.* 4, 18. de Hercule: Ille graves oculos, et Hylan resonantia semper Ora ferens.

RĔSŌNANTĬA, ae, f. *ἀντήχησις*, actus resonandi, vocis aut sonitus redditio. *Vitr.* 5, 3. *med.* de theatro: Ita in voce, cum offensio nulla priorem interpellaverit, non disturbat secundam, nec insequentes, sed omnes sine resonantia perveniunt ad imorum et summorum aures.

RĔSŌNO, as, avi, n. 1. *ἀντηχέω*, sonum reddo, sonui respondeo. *Virg. A.* 12, 607. resonant late clangoribus aedes. *Hor. Sat.* 1, 4, 76. Suave locus voci resonat conclusus. *Phaedr.* 4, 24. Magno apparatu laeta resonabat domus. *Prop.* 1, 18, 31. resonant mihi Cynthia silvae, *h. e.* me saepe Cynthiam in silvis appellante, respondent silvae, idemque nomen repetunt. ℙ Et cum accus. *Virg. Ecl.* 1, 7. Formosam resonare doces Amaryllida silvas. *Claud. Epit. Pall. et Celer.* 23. omnisque maritum Palladium resonabat ager. ℙ Praecipue dicitur de echo, quae voces et sonum repercutit ac reddit. *Varr. R. R.* 3, 16. *med.* *Μελιννῶνας* facere oportet, potissimum ubi non resonent imagines. *Cic. Tusc.* 3, 2. Gloria virtuti resonat, tanquam imago, *h. e.* respondet. V. RESONABILIS. ℙ Item persono, sonitu plenus sum. *Virg. G.* 2, 328. Avia tum resonant avibus virgulta canoris; et *E.* 2, 13. Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis. [*V. *Burm.* ad h. l.] ℙ Et cum accus. *Id. G.* 3, 338. Litoraque alcyonem resonant, acalanthida dumi. ℙ Item sonum edo, sono. *Id. E.* 7, 13. eque sacra resonant examina quercu. *Manil.* 5, 566. Aura per extremas resonavit flebile rupes. *Cic. Tusc.* 1, 40. Cum venenum obduxisset, reliquum sic e poculo ejecit, ut resonaret. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* s. v.] *Ov. Met.* 4, 333. resonant aera auxiliaria Lunae; et *ib.* 8, 320. Ex humero pendens resonabat eburnea laevo Telorum custos. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 55. Non, mihi centenis resonent si vocibus ora, Acta Probi narrare queam. ℙ Active, resonare facio: qua ratione etiam *persono* adhibetur. *Virg. A.* 7, 11. Dives inaccessos ubi Solis filia lucos Assiduo resonat cantu. [*V. *Burm.* ad h. l.] ℙ Passive impersonaliter. *Cic. N. D.* 2, 57. *med.* Quocirca et in fidibus testudine resonatur, aut cornu, *h. e.* sonus fidium augetur et redditur. ℙ Olim dicebant *resono, is,* ut *sono, is. Accius* ap. *Prisc.* 9, 863. Sed valvae resonunt regiae. *Id.* ap. *Non.* 10, 4. Clamore et gemitu templum resonit coelitum. *Pacuv. ib.* Hymenaeum fremunt aequales: aura resonit crepitu musico. *Enn.* ap. *Prisc. l. c.* Tunc clypei resonunt, et ferri stridit acumen.

RĔSŌNUS, a, um, adj. *ἀντηχῶν, προσηχὴς*, sonum reddens, resonans, sonorus. *Ov. Met.* 3, 495. de Narcisso: quotiesque puer miserabilis, eheu, Dixerat, haec resonis iterabat vocibus, eheu. *Lucan.* 7, 480. Excepit resonis clamorem vallibus Haemus. *Val. Fl.* 1, 618. conversaque frontem Puppis in obliquum resonos latere accipit ictus.

RĔSŌPĬO, is, a. 4. idem quod sopio. *Fulg. Contin. Virg. p. m.* 756. *Staver.* pro simplici *sopio.* Tricerberum mellitis resopit offulis.

RĔSORBĔO, es, ui, et psi, ptum, a. 2. *ἀναῤῥοφέω*, est iterum sorbere, quod quis evomuit. *Plin.* 9, 43, 67. Hamo devorato, omnia interanea evomunt, donec hamum egerant: deinde resorbent. *Id.* 18, 35, 87. Corvi singultu quodam latrantes, seque concutientes, si continuabunt, ventos praesagiunt; si vero carptim vocem resorbebunt, ventosum imbrem. *Plin. alter. ep.* 6, 20. Mare in se resorberi, et tremore terrae quasi repelli videbamus. *Quint.* 11, 3. *med.* Sunt qui spiritum cum stridore per raritatem dentium non recipiunt, sed resorbent. [*Cf. de h. l. *Ern. Lex. technol. lat. rhet.* p. 333.] *Virg. A.* 11, 627. de ponto: Nunc rapidus retro, atque aestu revoluta resorbens Saxa fugit. *Ov. Her.* 12, 125. Quaeque vomit totidem fluctus, totidemque resorbet. ℙ *Resorbere fletum,* comprimere, continere, et erumpentem veluti introrsus agere. *Sil.* 12, 594. respectantque suos, fletumque resorbent. *Sen. Herc. Oet.* 1285. Fletum virtus saepe resorbet. *Stat. Th.* 5, 654. Fortior ille malis: lacrimasque insana resorbet Ira patris. [**Albinov.* 114. dicit: lacrimas intus agit: ubi v. *Ruhnk.*]

[RESPECTILLĂ, ae, f. dimin. respectae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 887, 8. C. Samuconius Spectatus sibi, et Respectille def. an. XX. *Respectille* vitio saeculi sine diphthongo scribitur. *F.*]

[RESPECTĪNUS, i, m. ad respectum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 647, 5. Mattonius Respectinus. *F.*]

RESPECTO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποβλέπω, παπταίνω*, saepe retro aspicio, respicio, oculos reflecto. *Pl. Cas.* 5, 2, 13. et *Men.* 1, 2, 51. Ne te uxor sequatur, respectas identidem. *Ter. Ad.* 2, 1, 3. Quid respectas? nihil pericli est. *Stat. Th.* 3, 376. non me ullius domus anxia culpet, Respectentque truces obliquo lumine matres. *Liv.* 3, 48. Respectans ad tribunal, tuum, inquit, etc. [*Cf. 8, 39. Adde *Vell.* 2, 107. et *Tac. Agr.* 37.] *Cic. Sext.* 5. *extr.* Haec ita praetereamus, ut tamen intuentes et respectantes relinquamus. ℙ Translate est curam habere, curae esse: quod qui faciunt, respicere solent. *Virg. A.* 1, 607. siqua pios respectant numina. *Catull.* 11, 21. Nec meum respectet, ut ante, amorem. Alii hic interpretantur, exspectet. Nam et exspectantium est saepe respicere, ut in illo *Lucretii* 5, 973. Sed taciti respectabant, somnoque sepulti, Dum, etc. et 6, 1232. Funera respectans; et *Cic. Planc.* 18. Neque hoc liberis nostris interdicendum est, ne observent tribules suos, ne par ab iis munus in sua petitione respectent. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. v.] ℙ Huc pertinet et illud *Lucr.* 5, 374. Haud igitur leti praeclusa est janua coelo, Sed patet, immani et vasto respectat hiatu, *h. e.* quasi videtur exspectare, dum coelum ruat, et pereat.

[RESPECTUS, a, um, part. a *respicio:* Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 804, 6. L. Dindius Respectus. *F.*]

RESPECTUS, us, m. *ἀπόβλεμμα, ἐπιστροφή*, actus respiciendi, conversio oculorum retrorsum. *Cic. Div.* 1, 32. Conscensionem in naves cum fuga, fugientibusque miserabilem respectum incendiorum fore. *Id. ad Brut.* 2, 1. *f.* Meus quidem animus in aciem est, neque respectum ullum quaerit, nisi me utilitas civitatis forte converterit; et *Liv.* 32, 12. *med.* Rex primo effuse, ac sine respectu fugit: dein substitit, etc. (*h. e.* quod *Xenoph. Symp. c.* 4. *n.* 50. *φεύγειν ἀμεταστρεπτὶ*) *Id.* 8, 38. *med.* In suo quisque gradu obnixi, urgentes scutis, sine respiratione ac respectu pugnabant. ℙ Translate est consideratio, cogitatio, intuitus. *Phaedr.* 5, 4. Hujus respectu fabula deterritus, Periculosum semper vitavi lucrum. *Sen. Ira* 2, 28. *f.* Faciet nos moderatiores respectus nostri; si consuluerimus nos, nunquid et ipsi tale commisimus; et *Val. Max.* 2, 1. *in.* Operae est cognosci, hujusce vitae quaenam fuerint elementa, ut eorum quoque respectus praesentibus aliquid moribus prosit. *Just.* 11, 9. Movebat haec multitudo hostium respectu paucitatis suae Alexandrum. ℙ Item ratio, qua ad quippiam agendum vel non agendum movemur, *λόγος. Cic. Phil.* 5, 18. Itaque cum respectum ad senatum, et ad bonos non haberet, eam sibi viam patefecit ad opes suas amplificandas, quam virtus liberi populi ferre non posset. *Mart.* 8, 18. Sed tibi tantus inest veteris respectus amici, Carior ut mea sit, quam tua fama tibi. *Liv.* 39, 28. *extr.* Si aliquis respectus est mei, ut socii atque amici regis, deprecor, ne me tanta injuria dignum judicetis. *Id.* 29, 9. Sine respectu non majestatis modo, sed etiam humanitatis, in legatum impetum faciunt. [*V. *Gloss. Liv.* p. 577.] *Sen. Ben.* 6, 13. Non enim exigo, ut sine sui respectu mihi consulat; et *Val. Max.* 3, 7. *n.* 3. Majorem ejus auctoritatis, quam suorum alimentorum respectum egerunt. *Sen. Ben.* 4, 32. In illius respectum iste populo praesideat. Sic *Ov. Trist.* 1, 3, 99. Et voluisse mori, et moriendo ponere sensus: Respectuque tamen non posuisse mei; et *Pont.* 4, 9, 99. Illi me, quia velle vident, discedere malunt: respectu capiunt hic tamen esse sui. [*Rationem hujus dicendi generis egregie illustravit *Gronov.* ad *Liv.* 21, 44.] ℙ Proverbium est a Graecis sumptum, ap. *Suet. Ner.* 20. Occultae musicae nullus est respectus. *Τῆς λανθανούσης μουσικῆς οὐδεὶς λόγος, h. e.* nulla ratio habetur, nullo in honore est, nihili fit. [*V. *Brem.* ad h. l.] ℙ *Respectus,* locus, quo, si opus sit, respicere et confugere possumus. *Cic. Phil.* 10, 4, *f.* Qui ab illo abducit exercitum, et respectum pulcherrimum, et praesidium firmissimum adimit reipublicae. (Adde *ib.* 11, 11., qui locus varie a variis legitur: et a *Graevio* corruptus putatur, et insanabilis.) *Liv.* 9, 23. *med.* Castra habeant, repetantque, quibus operae est trahere bellum: nos omnium rerum respectum, praeterquam victoriae, nobis abscindamus. *Id.* 21, 44. *med.* Illis timidis et ignavis licet esse, qui respectum habent, quos suus ager, sua terra per tuta ac pacata itinera fugientes accipient. Est qui leg. *receptum. Id.* 42, 46. Quae serva atque obnoxia fore, si nullos alio sit, quam ad Romanos, respectus.

RESPERGO, is, si, sum, a. 3. [*retro spargo, retro flecto in varias partes: haec enim prima est vocis significatio, quam *Noster* in fine posuerat, exemplo laudato isto:] *Pall.* 2, 15. *med.* Lapis subter, vel testa ponenda est, ut nux sata radicem non simplicet, sed repercussa respergat. ℙ [*Hinc in universum est] *ῥαντίζω*, aspergo, re aliqua liquida perfundo. *Cic. Verr.* 2, 5, 38. Cum praetoris nequissimi inertissimique oculos praedonum remi respergerent. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. v.] *Liv.* 1, 13. Ne se sanguine nefando soceri generique respergerent. [*Cf. 21, 63. *Suet. Ner.* 12.] *Ov. Met.* 14, 603. Numicius suis Quidquid in Aenea fuerat mortale, repurgat, Et respergit aquis. *Sen. Ira* 3, 6. Per frequentia loca properanti necesse est alicubi respergi, *h. e.* inquinari. *Plin.* 14, 12, 13. Numae regis Postumia lex est: Vino rogum ne respergito. *Id.* 18, 30, 73. Lentem aceto respergere. *Lucr.* 2, 143. Cum primum aurora respergit lumine terras. Ita *Macr. Sat.* 6, 1., alii, Primum aurora novo cum spargit lumine terras. ℙ Translate. *Quint. decl.* 18, 3. Cujus mentem nulla libidinum respersit infamia. *Tac. H.* 1, 48. Respergi probro servili.

RESPERGO, ginis, f. respersio. *Prud. in Sym.* 1, 503. Marmora tabenti respergine tincta lavare.

RESPERSĬO, onis, f. *ῥαντισμός*, actus respergendi. *Cic. Div.* 2, 21. Habes et respersionem pigmentorum. *Id. Leg.* 2, 24. Ne sumptuosa respersio, ne longae coronae, etc. *h. e.* infusio unguentorum et vini in rogum.

RESPERSUS, a, um, part. a *respergo: διαῤῥανθείς*, conspersus. *Cic. Rosc. Am.* 24. *f.* Respersae manus paterno sanguine. [**Suet. Cal.* 57.] *Plin.* 31, 6, 33. Ptyade aspide respersi, *h. e.* aspersi venenata saliva aspidis. *Paul.* ex *Festo.* Respersum vinum dixerunt, quia vino sepulcrum spargebatur in sacris novendialibus. *Stat. Th.* 8, 8. respersus pulvere campi. *Catull.* 64, 181. fraterna caede respersus. *Plin.* 29, 4, 27. Phalangium rufo capite, reliqua parte corporis nigra, albis incursantibus respersum guttis. *Sen. Herc. Oet.* 722. nulla nube respersus jubar Laxabat ardens fervidus Titan diem.

RESPERSUS, us, m. respersio. In sexto casu sing. *Plin.* 24, 17, 102. Feras urinae hyaenae respersu recreari. *Id.* 10, 3, 3. Respersu pennarum hostem obcoecantes.

RESPĬCĬO, is, exi, ectum, a. 3. *ἀποβλέπω, ἀφοράω*, retro, aut post me aspicio. *Varr.* ap. *Non.* 5, 85. Neque post respiciens, neque ante prospiciens. *Cic. Div.* 1, 24. Tum ei ducem illum praecepisse, ne respiceret: illum autem id diutius facere non potuisse, elatumque cupiditate prospexisse. *Id. Tusc.* 5, 2. *f.* Tam longe retro respicere non possunt. *Ter. Andr.* 2, 5, 6. Quasi de improviso respice ad eum. *Sen. ep.* 73. Habet hoc vitium omnis ambitio: non respicit, *h. e.* non respicit eos, qui inferiore honoris gradu post se positi sunt. ℙ Pro simplici *aspicio. Cic. Cluent.* 61. Quem propter animi importunitatem nemo recipere tecto, nemo adire, nemo alloqui, nemo respicere vellet; et *Val. Fl.* 6, 561. tandem dulces jam cassus in auras Respicit. *Lucan.* 4, 57. Sidera respiciens. *Ov. Am.* 1, 8, 38. Quantum quisque ferat, respiciendus erit. ℙ Transfertur ad animum. *Pl. Curc.* 1, 2, 68. Respicio, nihili meam vos gratiam facere; et *Ps.* 2, 2, 18. Non soles respicere te, cum dicas injuste alteri? *Val. Fl.* 6, 661. Respiciens, an vera soror, *h. e.* attente intuens, et considerans. *Tac. H.* 4, 4. Mox Deos respexere: restitui placuit Capitolium, *h. e.* de Diis cogitarunt. ℙ Praeterea significat praeterita mente percurrere, quod est quasi retro aspicere. *Cic. Arch.* 1. Quoad longissime potest mens mea respicere spatium praeteriti temporis. ℙ Est etiam respectum, seu rationem habere. *Ter. Heaut.* 1, 1, 18. Nullum remittis tempus, neque te respicis. [*V. *Ruhnk.* ad h. l. coll. *Cic. Fam.* 10, 24. quod si aut Caesar se respexerit, i. e. ad consilia sibi et reipb. salutaria redierit: nos: *sich eines bessern besinnen. Schütz. cl. Cic.* Cf. etiam *Graev.* ad h. l.] *Ter. Ph.* 2, 3, 87. Respice aetatem tuam. ℙ [*Item exspectare, sperare. *Liv.* 4, 17. Obstringi Fidenatium populum, ne respicere spem ullam ab Romanis posset, cet.] ℙ Item considerare, intueri, aspicere juvandi causa, favere, curam habere, prospicere. [*Docet *Ruhnk.* ad *Ter. Andr.* 4, 1, 18. *respicere* h. sensu proprie dici de diis, homines servantibus, malis eos liberantibus: hinc ad homines etiam dicendi genus esse translatum.] *Ter. Ph.* 5, 3, 34. Dii nos respiciunt: gnatam inveni nuptam cum filio tuo; et *Andr.* 5, 6, 11. Me in tuis respice; et *Ad.* 5, 8, 9. Nec, qui eam respiciat, quisquam est. (Adde *Hor. Od.* 1, 2, 36.) *Cic. Att.* 7, 1. Videre mihi videor tantum dimicationem, nisi idem Deus, qui nos Parthico bello liberavit, respexerit rempublicam. [*Cf. *Fam.* 10, 11.] *Pl. Bacch.* 4, 3, 24. Tace; aliquis nos Deus respiciet. *Cic. Verr.* 2, 3, 55. Saltem commoda populi R. respicite, si sociis fidelissimis prospicere non laboratis. *Pl. Capt.* 4, 2, 54. Respice. *Erg.* fortuna quod tibi nec facit, nec faciet, hoc me jubes. ℙ Hinc *Fortuna respiciens,* favens, opem ferens; cujus nempe simulacrum ita reflexo est capite, ut respicere videatur. *Cic. Leg.* 2, 11. indicat, Fortunae respicientis fanum Romae fuisse: nomenque ex ea vico inditum in regione decima, docet *vet. Monum.* ap. *Grut.* 250. Ap. *eund.* 79, 1. et 1072, 6. et ap. *Mur.* 84, 5., 350, 1. et 1042, 2. sunt inscr., in quibus *Fortunae respicienti* quippiam sacratur. [V. *Heyn.* ad *Virg. Ecl.* 1, 28. *F.* *Verba in loco *Virg.* sunt: Libertas: quae, sera, tamen respexit inertem: Adde *Lucan.* 7, 435. (Libertas) nec respicit ultra Ausoniam. *Virg. A.* 5, 688. Pietas labores humanos respicit. — *Liv.* 4, 46. subsidia, quae respicerent in re trepida.] ℙ Pro spectare, pertinere. *Caes. B. C.* 3, 5. *extr.* Toti officio maritimo M. Bibulus praepositus cuncta administrabat. Ad hunc summa imperii respiciebat. *Quint. decl.* 1, 14. Ad te suspicio magis respicit. *Ulp. Dig.* 18, 6, 4. Debet dici, emptionem manere, periculum autem ad venditorem respicere. ℙ *Respexim, is, it,* pro *respexerim,* antiquum est, et comicum. *Pl. Aul.* 1, 1, 19. Si respexis, donicum ego te jussero. *Id. Most.* 2, 2, 90. Cave, respexis. Adde *Rud.* 3, 3, 16.

RESPĪRĀCŬLUM, i, n. *Claud. Mamert. Stat. anim.* 2, 12. Redactae paululum respiraculo vires.

RESPĪRĀMEN, inis, n. *ἀνάπνευμα*, halitus, seu meatus spiritus. *Ov. Met.* 2, 828. Vitalesque vias, et respiramina clausit; et *ib.* 12, 142. Elidunt fauces, et respiramen iterque Eripiunt animae.

RESPĪRĀMENTUM, i, n. solatium, laxamentum. *August. serm. de Temp.* 144. *f.* Solatium meum, et respiramentum periculorum meorum nullum est, nisi bona vita vestra. *Id. Confess.* 7, 7. *f.* Et nusquam erat laxamentum, et respiramentum.

RESPĪRĀTIO, onis, f. ἀνάπνευσις, actus respirandi (cui respondet, vel contraria est *aspiratio*), attractio aeris in pulmones per asperam arteriam, simulque ejus emissio e pulmonibus, quia sibi invicem aspiratio, et respiratio succedunt. *Cic. Univ.* 6. Neque erat anima circumfusa extrema mundi, ut respirationem requireret. *Plin.* 9, 7, 6. Quis enim sine respiratione somno locus? ℙ Pausa, intervallum in loquendo, interspiratio, interpunctio. *Cic. Or.* 16. *med.* Flumen aliis verborum, volubilitasque cordi est, qui ponunt in orationis celeritate eloquentiam: distincta alios, et interpuncta intervalla, morae, respirationesque delectant. *Quint.* 7, 9. Amphiboliae divisio respiratione et mora constat: *statuam*, deinde *auream hastam*, vel *statuam auream*, deinde *hastam*. [*Huc pertinet etiam illud *Liv.* 8, 38. urgentes scutis sine respiratione ac respectu pugnabant.] ℙ Item exhalatio, evaporatio. *Cic. N. D.* 2, 10. *med.* Aer multo calore admixtus est, ipse enim oritur ex respiratione aquarum: earum enim quasi vapor quidam aer habendus est.

RESPĪRĀTUS, us, m. respiratio. *Cic. N. D.* 2, 55. Pulmones tum se contrahunt aspirantes, tum respiratu dilatant. Alii leg. *spiritu*, plures *respiritu*, eodem sensu. [*V. *Orell.* ad h. l. *respiratu* egregie defendentem.] *Appul. Met.* 4. Parvis respiratui circa nares et oculos datis foraminibus.

RESPĪRĪTUS, us. V. in v. praec.

RESPĪRO, as, avi, atum, n. 1. [*retro spiro, ex adverso spiro: ac proprie quidem de aere et ventis dicitur. *Lucr.* 6, 568. nisi respirent venti; et v. 570. Nunc, quia respirant alterneis, etc. ℙ Hinc est] ἀναπνέω, aerem in pulmones per asperam arteriam attraho, spiritum duco, anhelo: quasi retro spiro, aut spirando retraho: et sumitur etiam pro *aspiro*, h. e. aerem exspiro ex pulmonibus, ut in RESPIRATIO diximus: quasi iterum spiro. *Cic. Fin.* 4, 23. *f.* Quis enim ignorat, si plures ex alto emergere velint, propius fore eos quidem ad respirandum, qui ad summam jam aquam appropinquant, sed nihilo magis respirare posse, quam eos, qui sunt in profundo? *Id. N. D.* 2, 54. Cum aspera arteria ad pulmones usque pertineat, excipiatque animam eam, quae ducta sit spiritu, eandemque a pulmonibus respiret et reddat. *Pl. Pers.* 3, 3, 12. Sine respirare me, tibi ut respondeam. *Juven.* 14, 26. quae nunquam maternos dicere moechos Tam cito, nec tanto poterit contexere cursu, Ut non ter decies respiret. *Plin.* 14, 22, 28. de strenuo potore: Optima fide non respirasse in hauriendo, neque exspuisse. Graeci ἀπνευστὶ πίνειν dicunt. ℙ *Respirare* dicuntur, qui labore, morbo, negotiorum mole paulisper intermittendo levantur, recreantur. *Cic. Rosc. Am.* 8. Cum tot tantisque negotiis distentus sit, ut respirare libere non possit. *Id. Att.* 2, 24. *extr.* Respiraro, si te videro. *Id. Cluent.* 70. *f.* (et *Har. resp.* 23.) Spe vestrae aequitatis erigere animum, et paulum respirare a metu coepit. *Id. Fam.* 6, 2. Si armis positis civitas respiraverit. *Val. Fl.* 7, 647. Aut niger ex antris, rutilique a fulminis aestu Cum furit, et Siculo respirat in aequore Cyclops. *Liv.* 22, 18. *f.* Respirare a continuis cladibus. *Plin.* 28, 7, 20. Eodem odore vulvae morbo strangulatas respirare. *Id.* 17, 23, 35. *n.* 26. Arbor quoque ipsa gaudet assiduo levata onere, similis respiranti. *Quint.* 9, 4. *med.* Quo animi respirant ac reficiuntur. *Id.* 1, 8. *med.* Cum poeticis voluptatibus aures a forensi asperitate respirant. *Liv.* 29, 4. Nuncius tandem venit, Laelium, non Scipionem, etc. Ita respiratum est. [*Vell. 2, 27, 3. respiravit Romana acies. — *Liv.* 4, 25. Si plebi respirare ab eorum mixtis precibus minisque liceat, i. e. sine interpellatione consilia inire, agitare.] ℙ Pro intermittere, sistere se, cessare. *Cic. Quint.* 16. *f.* Si haec tecum duo verba fecisses, quid ago? respirasset cupiditas atque avaritia paululum. *Id. Phil.* 8, 7. Ne punctum quidem temporis oppugnatio respiravit. ℙ Ponitur et pro exhalare. *Stat. Silv.* 2, 2, 77. inde malignum Aera respirat pelago circumflua Nesis; et *ib.* 4, 35. Et tenues Arabum respirant germine plumae, *h. e.* halant, spirant. ℙ *Calpurn. Ecl.* 4, 74. prospice, ne tibi forte Tinnula tam fragili respiret fistula buxo, Quam resonare solet, si quando laudat Alexin, *h. e.* exspiret, et sonum emittat.

RESPLENDENTIA, ae, f. splendor. *August. ep. ad Maced.* 55. *med.* Luculentis ingeniis non defit resplendentia veritatis.

RESPLENDĒO, es, n. 2. ἐκλάμπω, splendorem remitto, refulgeo. *Virg. A.* 12, 741. fulva resplendent fragmina arena: sc. ensis fracti. *Sen. Ag.* 543. Omne resplendet fretum: sc. jactis fulminibus. *Sil.* 12, 732. Et tremula infuso resplendent caerula Phoebo. Adde *Claud. Rapt. Prov.* 3, 446. ℙ Pro simplici *splendeo*. *Manil.* 5, 719. Quae *(stellae)* neque per cunctas noctes, neque tempore in omni Resplendent alto coeli summota profundo. Addunt et *Cic. Fin.* 2, 8. Resplendeat his vestis, argentum, etc., sed alii rectius *respondeat*. [*Ita *Orell.*] ℙ Transl. *Claud. Laud. Stil.* 1, 16. Narrem justitiam? resplendet gloria Martis. ℙ [*Conf. *resplendere* et *respondere*. V. *Burm.* ad *Virg. A.* 6, 23.]

[RESPLENDESCO, is, n. 3. iterum splendesco. *Not. Tir.* p. 56. Splendescit, resplendescit. *F.*]

[RESPLENDOR, oris, m. iteratus splendor. *Not. Tir.* p. 56. Splendor, resplendor. *F.*]

RESPONDĒO, es, ondi, onsum, a. 2. ἐπαγγέλλομαι, vicissim spondeo, repromitto. *Pl. Capt.* 4, 2. 118. *Erg.* Sponden' tu istud? *He.* spondeo. *Erg.* At ego tuum tibi advenisse filium, respondeo. [*Jocus est in ambiguitate verbi *respondeo*: sed vulgaris notio praevalet, responsum do, quod intelligit parasitus. Ita *Lindem.*] Addunt quidam *Prop.* 4, 8, 88. Respondi, et toto solvimus arma toro. Sed aliter leg. *Heins.* et *Broukus.* Retinet *Passerat.* et conatur explicare: nihil tamen affirmat. ℙ Pro simplici *spondeo* videtur poni a *Papin. Dig.* 50, 1, 17. *extr.* Fidejussores, qui salvam rem publicam fore responderunt. ℙ Veteribus *spondeo* erat dico, loquor, teste *Festo:* unde *respondeo* est vicissim dico, interroganti satisfacio, ad voluntatem rogantis loquor, ἀποκρίνομαι, ἀντιφωνέω. *Pl. Rud.* 3, 5, 33. Si appellabit quampiam, vos respondetote istinc istarum vicem. *Ter. Ph.* 4, 4, 3. Verbero, aliud mihi respondes, ac rogo. *Id. Andr.* 2, 2, 8. Etiam tu hoc respondes? quid istic tibi negotii est? *Id. Ph.* 2, 1, 50. Ubi tute verbum non respondeas. *Pl. Poen.* 3, 3, 39. Adiit ad nos: salutat: respondemus. ℙ Proprie est ore loqui, non scripto. Unde *Sen. ep.* 67. Si quando interveniunt epistolae tuae, tecum esse mihi videor, et sic afficior animo, tanquam tibi non rescribam, sed respondeam. *Cic.* tamen *Att.* 6, 2. Respondebo primum postremae tuae paginae; et *mox:* Respondi postremae tuae paginae prima mea. ℙ *Respondere criminibus, accusatori, argumentis*, dictis refellere, solvere. *Cic. Phil.* 2, 43. *f.* Respondebisne ad haec, aut omnino hiscere audebis? *Id. Cluent.* 59. *extr.* Habetis, quam haec levia sint genere ipso: quam falsa, re; quam brevia, responsu. *Id. Planc.* 2. Haec mihi sunt tractanda tum denique, cum respondero criminibus. *Id. Verr.* 2, 1, 5. Videat, quid de illis respondeat, quos domi suae reservavit. *Id. Acad.* 4, 7. Neque hoc loco exspectandum est, dum de remo inflexo, aut de collo columbae respondeam. *Id. Har. resp.* 8. *f.* Graviter contra inimici contumeliam respondere. [*Liv. 35, 50. nec absurde adversus utrosque respondisse visus est: cf. 8, 32. *it.* 30, 31. 33, 35.] ℙ *Respondere* dicuntur oracula, et haruspices. *Suet. Aug.* 94. Velitris tacta de coelo parte muri, responsum est, ejus oppidi civem quandoque rerum potiturum. Adde *ib.* 97. Sic *Cic. Div.* 1, 36. Pater ad haruspices retulit: qui responderunt, nihil illo puero clarius fore. [*Cf. *Liv.* 5, 54. et 31, 5. *Vell.* 2, 24, 3. Responderant magi ex notis corporis.] V. RESPONSUM. ℙ Item JCti consulentibus de jure. V. RESPONSUM. *Cic. Brut.* 30. Rutilius magnum munus de jure respondendi sustinebat. *Id. Leg.* 2, 12. Facultas respondendi juris. *Id. Or.* 1, 45. Ut in respondendo jure, auctoritate plus etiam, quam ingenio valerent. *Id. Leg.* 1, 4. Si te ad jus respondendum dedisses. *Id. Planc.* 25. *med.* Quasi quisquam sit, qui sibi hunc falsum de jure respondisse dicat. *Hor. Ep.* 1, 3, 23. Seu linguam causis acuis, seu civica jura Respondere paras. ℙ Item qui vocati adsunt. *Hor. Sat.* 1, 9. 36. et casu tunc respondere vadatus Debebat: quod ni fecisset, perdere litem. *Varr.* ap. *Gell.* 11, 1. M. Terentius quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei unum ovem multam dico. *Liv.* 7, 4. Virgis caesi, qui ad nomina non respondissent: *scil.* in delectu habendo. [*Cf. 2, 28.] *Val. Max.* 6, 3. *n.* 4. Consul cum delectum subito edicere coactus esset, et juniorum nemo respondisset. *Arr. Menand. Dig.* 49, 16, 4. *med.* Qui ad delectum non respondebant, ut proditores libertatis in servitutem redigebantur. [*Suet. *Ner.* 44. nullo idoneo respondente. — Ita etiam in recognitione Equitum *Id. Tib.* 38. Permisit — ad respondendum, quoties citarentur, pedibus venire.] *Ulp. ib.* 49, 1, 14. *med.* Respondere nomine possessoris absentis, *h. e.* comparere in judicio et defendere. *Id. ib.* 3, 3, 35. per procuratorem. ℙ Item qui satisfaciunt, qui, quod optamus, volumus, speramus, praestant. *Cic. Fam.* 2, 1. *med.* In omnibus tuis rebus meis optatis fortuna respondit. *Id. Att.* 16, 2. Quamquam enim reliqua satis apta sunt ad solvendum, tamen fit saepe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus. *Sen. ep.* 87. Respondere nominibus. *Cels.* 2, 6. *f.* Conjecturae ratio talis est, ut cum saepius aliquando responderit, interdum tamen fallat. *Suet. Caes.* 46. Villam a fundamentis inchoatam, magnoque sumptu absolutam, quia non tota ad animum ei responderat, totam diruisse. *Sen. ep.* 47. *f.* Quidquid non ex voluntate respondit, iram provocat. *Liv.* 28, 6. *med.* Haudquaquam ad spem eventus respondit. *Pall.* 1, 5. *f.* Ager spissus labore quidem maximo, tamen ad vota respondet. *Virg. G.* 1, 47. seges votis respondet avari Agricolae. ℙ [*Insolentius paulo usurpatur ap. *Tac. A.* 14, 54. Possumus seniores amici quieti respondere, i. e. operam dare, consulere. V. *Boettich. Lex. Tac.* p. 410. sq.] ℙ Et quae conveniunt, consentiunt, quadrant. *Cic. Or.* 12. Ut verba verbis, quasi demensa et paria, respondeant. *Virg. A.* 1, 589. dictis respondent cetera matris. *Cic. Fam* 2, 15. Nam ea quae speras, etc., scio, cui epistolae tuae respondeant. *Vitr.* 7, 3. Deformentur directiones arenati, uti longitudines ad regulam et lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam respondentes exigantur. Adde *Plin.* 36, 22, 51. ℙ Universim usurpatur de rebus inanimis, quae, quod volumus, aut quod natura solent, efficiunt. *Front. Aquaed.* 10. Dies, quo primum aqua Virgo responderit, V. Id. Jun. invenitur, *h. e.* destinatis in Urbe locis fluxerit. *Cels.* 4, 4. *n.* 5. Feminae, quibus sanguis per menstrua non respondet. *Id. praef. med.* Medicus aliquid oportet inveniat, quod non ubique fortasse, sed saepius tamen etiam respondeat, *h. e.* remedium, quod juvet. *Petr. fr. Trag.* 40. *Burm.* Multis jam diebus venter mihi non respondit. *Sen. ep.* 23. *med.* Metalla opulentissima assidue plenius responsura fodienti. *Colum.* 3, 2. *med.* Gemella vitis major, nisi praepingui solo, non respondet; et *ib.* 3. Frumenta quando cum quarto responderint, vix meminisse possumus. *Stat. Achill.* 2, 154. aut respondentia tentant Tympana, *h. e.* quae pulsata facile sonum reddunt. *Ov. Met.* 11, 52. flebile lingua Murmurat exanimis: respondent flebile ripae. Sic *Cic. Arch.* 8. Saxa et solitudines voci respondent. ℙ De iis, quae stato tempore redeunt. *Sen. Q. N.* 3, 16. Quartana ad horam venit, podagra ad tempus respondet. ℙ Item quae similia sunt, referunt, imitantur, aequant. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* de bobus: Ut mares seminis boni sint, quorum et forma est spectanda, et qui ex his orti sunt, ut respondeant ad parentum speciem. *Cic. Fin.* 3, 2. *med.* Hoc proprium tuum munus est, ut ita erudiatur, ut et patri, et Caepioni nostro, et tibi tam propinquo respondeat. *Id. Tusc.* 1, 2. Nec tamen, si qui magnis ingeniis in eo genere exstiterunt, non satis Graecorum gloriae responderunt; et *Fam.* 2, 5. Tua virtus opinioni hominum respondet; et *Ov. Fast.* 4, 641. fructu non respondente labori. *Plin.* 9, 30, 48. Caput polypi dolii magnitudine, dentes magnitudini respondentes; et *Cic. Har. resp.* 23. *f.* Velle se in Carinis aedificare alteram porticum, quae Palatio responderet, *h. e.*, ut ait *Manut.*, eversa Pompeji domo, aedificare porticum similem illi, quam, domo mea eversa, aedificaverat in Palatio. *Vell.* 2, 129. Respondente cultu triumphi rerum, quas gesserat, magnitudini. *Hor. Ep.* 2, 2, 48. arma Caesaris Augusti non responsura lacertis. ℙ Par pari referre. *Cic. Fam.* 15, 21. *med.* Cui quidem ego amori, utinam ceteris rebus possem, amore certe respondebo. *Pl. Pers.* 2, 2, 41. Par pari respondes dicto, *h. e.* totidem verbis, quot compellaris. *Ter. Ph.* 1, 4, 35. Istuc serva, et verbum verbo, par pari ut respondeas. [*Cic. *Att.* 4, 3. re familiari comminuti sumus. Quinti fratris tamen liberalitati pro facultatibus nostris, ne plane exhaustus esset, respondemus; et *ib.* 16, 7. provide si cui quid debeatur, ut sit unde par pari respondeatur. ℙ Solvere ad diem constitutum. *Cic. Att.* 16, 2. fit saepe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus. V. *Gronov. Observ.* 2, 4. p. 123. *ed.* Fr. ℙ Resistere, repellere, item parem esse ad resistendum. *Cic. Cat.* 2, 11. urbes coloniae et municipia respondebunt Catilinae tumulis silvestribus. *Id. Alt.* 4, 10. Ut possim tibi aliquid respondere. *Schütz. cl. Cic.*] ℙ Item pertinere. *Ulp. Dig.* 50, 1, 30. Qui ex vico ortus est, eam patriam intelligitur habere, cui reipublicae vicus ille respondet. ℙ Item contra, aut e regione situm esse, respicere. *Virg. A.* 6, 23. Contra elata mari respondet Gnossia tellus. [*V. *Burm.* ad h. l.] ℙ Aliquando est tertiae conjugationis in quibusdam modis, aut temporibus: quod in verbis secundae saepe usuvenit. *Manil.* 5, 737. Sic etiam magno quaedam respondere mundo. *Bentl.* rectius leg. *Sic etiam in magno quaedam respublica mundo est. Mart.* 3, 4. Si, quando veniet? dicet, responde: poeta Exierat, veniet, cum citharoedus erit. Alii rectius leg. *Si quando veniet; tu respondeto: poeta*, etc. [*Emendavit haec *F.*] ℙ Passive. *Sall. Jug.* 117. Sulla respondit, pauca se coram Aspare locuturum, cetera occulte: simul edocet, quae sibi responderentur. *Cic. Mur.* 13. Quae consuluntur, minimo periculo respondentur: *scil.* a JCtis. ℙ Impersonaliter. *Cic. Fam.* 5, 7. Si quando officiis non mutue respondetur. *Sall. Jug.* 112. Romae legatis Bocchi amicitiam petentibus hoc modo respondetur. *Vell.* 2, 103. Ut nec plus sperari potuerit, nec spei responderi felicius. *Cic. Fin.* 1, 1. Philosophiae vituperatoribus satis responsum est eo libro, quo, etc. ℙ [*Confund. *respondere* et *resplendere*. V. h. v.]

RESPONSIO, onis, f. ἀπόκρισις, actus respondendi, responsum. *Pl. Most.* 3, 1, 62. Modestus si sum, reddite argentum: abiero. Responsiones omnes hoc verbo eripite. *Gell.* 12, 12. Si objectum sit turpe aliquid, quod negari non queat, responsione joculari eludas. *Cic. Balb.* 16. In quo erat accusatoris interpretatio indigna responsione, qui ita dicebat, *comiter* esse *communiter*, *h. e.* indigna quae refelleretur. ℙ Apud rhetores est figura sententiarum, qua aliud interroganti aliud respondetur. *Quint.* 9, 2. Est aliqua etiam in respondendo figura, cum aliud interroganti ad aliud, quia sic utilius sit, occurritur, tum augendi criminis gratia, ut testis in reum rogatus, an ab reo fustibus vapulasset, et innocens, inquit:

tum declinandi, quod est frequentissimum: quaero, an occideris hominem; respondetur, latronem, an fundum occupaveris; respondetur, meum. ℙ Item qua orator se ipsum interrogat, sibique ipse respondet: quae et *subjectio* dici potest. *Cic. Or.* 40. Ut interrogando urgeat, ut rursus, quasi ad interrogata, sibi ipse respondeat. ℙ Hanc idem *Cic. Or.* 3, 54. *med.* enumerat inter figuras verborum, ubi ait: Et interruptum, et imago, et sibi ipsi responsio. Sed videtur hic *dialogismum* designare. [*V. *Ern. Lex. Technol. lat. rhet.* p. 333.]

RESPONSĬTO, as, a. 1. *ἀναποκρίνομαι*, frequent. a *responso*. Speciatim dicebatur de JCtis, et de pontificibus, qui de jure civili, et de caeremoniis consulti responsa edebant. *Cic. Leg.* 1, 4. Summos fuisse in civitate nostra viros, qui jus civile interpretari populo, et responsitare soliti sint. *Gell.* 13, 10. Consulentibus de jure publice responsitavit. Adde *Ulp. Dig.* 3, 1, 1.

RESPONSĬVĒ, adv. per modum respondendi. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 56. *f.* V. INTERROGATIVE.

RESPONSO, as, a. 1. frequent. a *respondeo*. *Pl. Men.* 4, 2, 56. Numquis servorum deliquit? num ancillae aut servi tibi responsant? ℙ Sumitur et pro repugnare, adversari. *Hor. Sat.* 2, 7, 85. Responsare cupidinibus, contemnere honores; et *ib.* 103. tibi ingens Virtus atque animus coenis responsat opimis: et *Ep.* 1, 1, 68. qui, fortunae te responsare superbae Liberum et erectum, hortatur. ℙ Pro simplici *respondeo*. *Pl. Cist.* 2, 1, 31. Non remissura es mihi illam? *Mel.* pro me responsa tibi. *Id. Most.* 2, 1, 56. Neu quisquam responset, quando hasce aedes pultabit senex. Adde *Mil.* 4, 1, 17. ℙ Item sonum reddere. *Virg. A.* 12, 756. exoritur clamor, ripaeque lacusque Responsat circa. *Val. Fl.* 4, 286. Avia responsant gemitu juga. Adde 3, 597. et *Claud.* in *Eutrop.* 2, 162. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 4, 18. Ne gallina malum responset dura palato, *h. e.* reluctetur palato et dentibus ob duritiam.

RESPONSOR, oris, m. qui respondet. *Pl. Rud.* 1, 4, 6. Neque eam usquam invenio, neque quo eam, neque qua quaeram, consultum est: neque quem rogitem responsorem, quemquam interea invenio, *h. e.* qui mihi respondeat de illa sciscitanti. *Hor. Ep.* 1, 16, 40. vir bonus est quis? Qui consulta patrum, qui leges juraque servat: Quo multae magnaeque secantur judice lites: Quo responsore, et quo causae teste tenentur, *h. e.* jurisperito respondente jus consulentibus. *Bentl.* cum aliis legit *quo res sponsore*: quod videtur ad totam sententiam aptius.

[RESPONSORĬUS, a, um, adj. Absolute pro responso. *Jul. Vict. Art. rhet.* (ed. *A. Maio*) 26. p. 122. *f.* Audire sermocinantem rationis est, primum ut attente audias, ne, dum res alias agas, cum responsorio opus sit, aliud respondeas. ℙ Est item vox ecclesiastica, eorum nempe propria, qui in choro psallunt. *Isid. Or.* 6, 19. Responsoria Itali tradiderunt, quod inde responsorios cantus vocant, quod alio desinente, id alter respondeat. Inter responsorios autem, et antiphonas hoc differt, quod in responsoriis unus versum dicit, in antiphonis autem versibus alternant chori. *F.*]

RESPONSUM, i, n. *ἀπόκρισις*, responsio. *Ter. Phorm. prol.* 17. Is sibi responsum hoc habeat; *Cic. Att.* 7, 17. *f.* Sed haec paucis diebus ex illius ad nostra responsa responsis intelligentur: sc. per litteras. *Id. Verr.* 2, 5, 16. Responsum dare alicui de re aliqua. *Id. Planc.* 14. reddere. *Id. Cat.* 1, 8. ferre ab aliquo; et *Or.* 1, 56. *med.* auferre: et *Att.* 7, 17. Scire te oportet, quae L. Caesar responsa referat a Pompejo. *Hirt. B. G.* 8, 23. Legati responsa ad suos referunt. *Quint.* 5, 7. *med.* Responsum elicere. *Prop.* 1, 20, 48, Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas: Cui procul Alcides iterat responsa, *h. e.* audito sonitu cadentis in aquas respondet iterum iterumque vocando. ℙ Saepe dicitur de oraculo, aut responsione haruspicis. *Ter. Andr.* 4, 2, 15. Non Apollinis magis verum, quam hoc, responsum est. *Cic. Cat.* 3, 4. En fatis Sibyllinis, haruspicumque responsis. *Virg. A.* 7, 85. Hinc Italae gentes In dubiis responsa petunt. *Tac. A.* 2, 54. Sacerdos edit responsa versibus; et *ib.* 13, 24. Urbem princeps lustravit e responso haruspicum. *Plin.* 15, 30, 40. Brutus tellurem osculatus ex responso. *Nep. Paus. f.* Inde Dei Delphici responso erutus. ℙ Item de sententiis et opinionibus eorum, quibus permissum erat de jure respondere, ut ait *Justin. Institut.* 1. *tit.* 2. *med.* Nam cum veteres leges regiae, et XII. Tabularum et in sententiis, et in verbis obscurissimae essent, et in pluribus deficerent, constitutum est, ut essent qui ea publice interpretarentur: quorum responsiones consulentibus datas responsa prudentum vocaverunt. Multi doctissimi viri, quorum nomina in Digestorum libris leguntur, utilissimum hoc civibus munus Romae exercuerunt: iique libri his ipsis eorum responsis referti sunt. V. *Pompon. Dig.* 1, 2, 2, ubi veteres juris peritos recenset. *Cic. Mur.* 13. *f.* Vestra responsa atque decreta evertuntur saepe dicendo. Adde *Or.* 2, 27.

RESPONSUS, us, m. responsio. *Cajus Dig.* 44, 7, 1. *med.* Verbis obligatio contrahitur ex interrogatione et responsu. Ita *Torrent.* Alii leg. *responsione*. ℙ Item convenientia, congruentia, consensus. *Vitr.* 1, 2. Scenographia est frontis et laterum abscedentium adumbratio, ad circinique centrum omnium linearum responsus; et *mox*: Symmetria est ex ipsius operis membris conveniens consensus, ex partibusque separatis, ad universae figurae speciem, ratae partis responsus. *Id.* 3, 1. Sacrarum aedium membra, ad universam totius magnitudinis summam, convenientissimum debent habere commensuum responsum, *ἀναλογίαν*. Adde *Manil.* 3, 71:, ubi alii aliter leg. ℙ *Ad responsum*, et, ut alii volunt, conjunctis vocibus *Adresponsum* dicitur is, qui deputatus est a magistro militum, ut responsum, id est ministerium exhibeat militibus, ipso magistro absente, *ἀποχρισιάριος*. *Imp. Anast. Cod.* 12, 36, 18.

RESPUBLĬCĂ et Res publica, reipublicae, f. *τὸ κοινὸν, δημόσιον*, res communis et publica civium una viventium. *Cic. fragm. de Republ.* ap. *August. C. D.* 3, 19, 21. Respublica est res populi: populus autem non omnis coetus multitudinis, sed coetus juris consensu, et utilitatis communione sociatus. *Pl. Pers.* 1, 2, 23. Sed sumne ego stultus, qui rem curo publicam, ubi sunt magistratus, quos curare oporteat? *Cato* ap. *Gell.* 13, 24. Cum tantam rempublicam agier arbitrarer. ℙ Item ratio rei ipsius publicae regendae, administrandae, gerendae, gubernandae: cujus genera sunt quatuor, *regnum* seu *monarchia*, *μοναρχία*, in qua unus tantum dominatur: *oligarchia*, *ὀλιγαρχία*, in qua pauci: *aristocratia*, *ἀριστοκρατία*, in qua optimates: *democratia*, *δημοκρατία*, in qua populus universus ex patribus et plebe mixtus: qualis fuit Romana post reges exactos, usque ad C. Julium Caesarem, qui rursus in monarchiam convertit. Promiscua sunt, quae subjicimus exempla. *Cic. Rosc. Am.* 1. *med.* Ad rempublicam accedere. *Id. Att.* 2, 22. Rempublicam attingere. *Id. Or.* 3, 29. capessere. *Id. Off.* 1, 25. administrare. *Id. Inv.* 1, 3. gerere. *Id. Div.* 2, 2. tueri. *Id. Fam.* 5, 2. conservare. *Id. Fin.* 1, 13. *med.* labefactare. *Nep. Dion.* 6. *med.* bene gerere. *Cic. Fam.* 10, 5. De republica bene mereri. *Liv.* 8, 4. *extr.* et *ib.* 23. et *ib.* 32. *extr.* Hoc est e republica, *h. e.* reipublicae expedit. *Caes. B. C.* 1, 9. Omnem rempublicam senatui populoque R. permittere; et *Nep. Cat.* 3. Reipublicae peritus; et *Cic. Inv.* 1, 3. In rebus publicis versari. *Id. Acad.* 4, 9. Proditiones rerum publicarum. *C. Gracch.* ap. *Fest.* Eae nationes per avaritiam atque stultitiam respublicas suas amiserunt. *Cic. Div.* 2, 2. *med.* A Platone didiceram, naturales esse quasdam conversiones rerum publicarum, ut eae tum a principibus tenerentur, tum a populis, aliquando a singulis; et *Fam.* 1, 8. *med.* Commutata tota ratio est senatus, judiciorum, rei totius publicae; et *Leg.* 3, 16. *med.* Utinam isto animo atque virtute in summa republica nobiscum versari, quam in municipali maluisses, *h. e.* Romae, quam Arpini. ℙ Aliquando ad unam rem bellicam, et militare imperium refertur, quia ibi maxime res agitur publica. *Liv.* 2, 64. Et in Volscis republica egregie gesta, tum ducis, tum militum opera. Adde 8, 31. *Pl. Amph.* 1, 1, 42. Ut gesserit rempublicam ductu, imperio, atque auspicio suo; et 1, 3, 26. Ex me primo prima scires rem ut gessissem publicam. Adde *Liv.* quamplurimis in locis, quae congessit *Drakemb.* ad 2, 64., in quib. *rempublicam gerere* de re militari dicitur, contra *Sigon.*, qui in eorum multis v. *publicam* expungit. Sic *administrare rempublicam* eod. sensu dicitur ab eodem *Liv.* 6, 6. et 40, 35. *f.* [*Cf. egregiam *Ern.* in *cl. Cic.* disputationem de triplici v. *res publica* significatione. Adde *B. Crus.* in *cl. Suet.* s. v. RES.] ℙ [Num *respublica* conjunctim, an disjunctim *res publica* scribendum sit, disputat *A. Maius* ad *Cic. de Rep.* 3., et exemplis hac super re allatis probat, duas reapse esse voces. Rectius itaque veteres duplex, quam recentiores unicum fecisse vocabulum, vero simile est. V. dicta in PROMAGISTER et PROMAGISTRATUS *f. F.*]

RESPŪO, is, ui, a. 3. *ἀποπτύω*, spuendo rejicio, exspuo: item simpliciter rejicio, repello, expello, non admitto. *Stat. Th.* 8, 543. Saucius extremo donec cum sanguine frenos Respuit: sc. equus saucius. *Cic. N. D.* 2, 9. Reliquiae cibi, quas natura respuerit. *Quint.* 1, 2. *f.* Vascula oris angusti superfusam humoris copiam respuunt. *Scrib. Comp.* 101. Varios liquores ex stomacho respuere. *Cic. Or.* 3, 25. *med.* Gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius, quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit! *Vitr.* 7, 4. Tegulae curiosius picentur, ut ab se respuant liquorem. Adde *Lucr.* 6, 1052. *Plin.* 2, 103, 106. Duo fontes juxta fluunt, alter omnia respuens, alter absorbens. *Pall.* 1, 33. Limus, quem fluvii incrementa respuerint. *Ov. Ib.* 170. Respuet invisum justa cadaver humus. *Plin.* 17, 10, 14. Materia respuens secures. *Id.* 8, 21, 30. Tauri silvestris tergori duritia silicis, omne respuens vulnus, *h. e.* invulnerabilis. *Id.* 7, 15, 13. Mola, caro informis, inanima, ferri ictum et aciem respuens. *Id.* 33, 9, 45. Speculum aerem repercussum respuit, aut excipit, *h. e.* remittit. Sic *Sen. ep.* 53. *f.* Philosophia quaedam tela defatigat, et velut levia laxo sinu eludit: quaedam discutit, et in eum usque, qui miserat, respuit; et *Plin.* 31, 2, 15. Fons exsilit tanta vi, ut sine mora pondus impactum respuat. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 146. caput inde Pachyni Respuit Ionias praetentis rupibus iras. ℙ Translate est repudiare, aspernari, nolle. *Cic. Coel.* 15. *f.* Illum habere tuis copiis devinctum non potes: calcitrat, respuit. *Id. Fat. f.* Cum id dicat, quod omnium mentes aspernantur ac respuunt. *Id. Caecin.* 19. *extr.* Hominum prudentium consilium et auctoritas respu t defensionem, et pro nihilo putat. *Liv.* 2, 41. *f.* Munera ejus in animis hominum respuebantur. [*Cf. 42, 14.] *Lucr.* 6, 67. Quae nisi respuis ex animo, longeque remittis, Diis indigna putando, etc. *Val. Fl.* 5, 322. sin vero preces et dicta superbus Respuerit, jam nunc animos firmate repulsae. *Ov. R. Am.* 123 Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte Respuit atque odio verba monentis habet. *Caes. B. G.* 1, 42. Non respuit conditionem Caesar. *Hor. Ep.* 2, 1, 42. poetae, quos et praesens, et postera respuet aetas. *Gell.* 6, 16. *extr.* Maledicere alicui et respuere, et recusare, et detestari. *Cic. Part.* 5. Auditorum aures moderantur oratori, et quod respuunt, immutandum est. *Id. Pis.* 20. Nemo bonus est, qui vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur. *Plin.* 28, 2, 3. Hoc sapientissimi cujusque respuit fides; et *Colum.* 6, 2. *med.* Respuere imperium, *h. e.* detrectare, nolle obedire. *Cic. Att.* 7, 26. Caesaris interdicta, *si te secundo lumine hic offendero*, respuuntur, *h. e.* contemnuntur. ℙ [Part. *Respuens* cum gen. more nominis ap. *Gell.* 6, 15. Communium vocum respuens nimis ac fastidiens. *F.*]

RESTAGNĀTĬO, onis, f. *πλημμύρα*, actus restagnandi, inundatio. *Plin.* 2, 67, 67. Palus Maeotica, sive Oceani sinus est, sive angusto discreti situ restagnatio. *Id.* 6, 28, 32. Ubi restagnatio Euphratis cum Tigri confluit. *Id.* 11, 37, 66. Ne restagnatio intempestiva alvi obstrepat, *h. e.* redundatio et rejectio cibi e stomacho per fauces in os.

RESTAGNO, as, n. 1. *λιμνάζω*, *πλημμύρω*, dicitur de aquis, cum fluere desinentes in morem stagni redundant. *Plin.* 5, 5, 5. Puteos haud difficiles inveniunt, ibi restagnantibus Mauritaniae aquis. *Ov. Met.* 11, 382. Quam restagnantis fecit maris unda paludem. *Lucan.* 4, 88. impulsaque gurgite multo Castra labant: alto restagnant flumina vallo. *Sil.* 8, 382. Qua Saturae nebulosa palus restagnat. *Sen. Oed.* 545. Tristis restagnat humor. ℙ Item de locis, quae stagnantibus aquis inundantur. *Caes. B. C.* 2, 24. *extr.* Longe lateque is locus restagnat.

RESTAURĀTĬO, onis, f. *ἀνακαινή*, renovatio, instauratio, refectio. *Julian. Dig.* 23, 5, 7. Si fundum Titio reddiderit sine restaurationе servitutis. *Ulp. ib.* 4, 4, 7. *extr.* Constat, omnis aetatis hominibus restaurationem eremodicii praestari.

RESTAURĀTOR, oris, m. *ἐπισκευαστής*, renovator, instaurator, refector. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 164. *n.* 297. Domitius Secundus curat. et restaurator fratrib. suis. [Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 582. Restaurator thermarum hiemalium. *F.*]

RESTAURĀTUS, a, um, part. a *restauro*: *ἀνασκευασθείς*, instauratus, refectus. *Ulp. Dig.* 7, 4, 10. *med.* Navis dissoluta, et iisdem tabulis restaurata.

RESTAURO, as, a. 1. *ἀνασκευάζω*, instauro, reficio, restituo, renovo. *Tac. A.* 3, 72. Pompeji theatrum igne fortuito haustum, Caesar exstructurum pollicitus est, eo quod nemo e familia restaurando sufficeret; et *ib.* 4, 43. Aedem Veneris vetustate delapsam restaurari postulavere. *Ulp. Dig.* 43, 20, 1. Quod corruptum est, in pristinum statum restaurare. *Id. ib.* 48, 5, 4. *f.* Restaurare accusationem, *h. e.* rursus instituere. *Modest. ib.* 4, 4, 29. item. *Ulp. ib.* 42, 9, 14. et *Tryphon. ib.* 9, 4, 37. actionem furti. *Papin. ib.* 19, 5, 9. veterem obligationem. *Just.* 20, 5. Auxiliis auctus bellum velut ex integro restaurat; et 31, 3 Promittens, hac manu non minus bellum quam gesserit, Italiae restauraturum. Adde 2, 10. et 3, 5. Ubique autem alii *instaurat*, et *instauraturum* legunt. [*Emendavit h. l. *F.* Fortasse etiam *Liv.* duobus locis hanc vocem usurpavit, 5, 52, 9., 27, 21, 9.; v. tamen *Drak.*]

[RESTERNO, is, avi, atum, a. 3. iterum sterno. *Not. Tir.* p. 90. Resterno, restravi, restratum. *F.*]

[RESTERTO, is, n. 3. iterum, seu valde sterto. *Pelag. Vet.* 12. *med.* Toto corpore concidit, naribus reddit humida, et aquam multam bibit, tussit duriter, et restertit. *F.*]

RESTĬĀRĬUS, ii, m. qui restes facit. *Inscr.* paucis abhinc annis Anxani reperta, et nuper edita a *Jo. Cam. Rossi*. L. Aelio et M. Servilio Cos. (*h. e.* ann. a Chr. n. III.) Patrono L. Flav. Poro colleg. FF. (*h. e.* fabrum) restiariorum municipii Anxani P. Prob. D. D. V. RESTIO.

RESTĪBĬLIO, is, a. 4. iterum stabilio, restituo, restauro, instauro. *Pacuv.* ap. *Fest.* in *Sas.* Nam Teucrum regi sapsa res restibiliet.

RESTĪBĬLIS, e, adj. *παλιμβλαστος*, *παλιμφυής*, qui quotannis seritur. *Varr. L. L.* 4, 4. *f.* Ager restibilis, qui restituitur, ac reseritur quotquot annis: contra qui intermittitur, a novando novalis. *Id. R. R.* 1, 44. Illud quoque multum interest in rudi terra, an in ea seras, quae quotannis obsita sit, quae vocatur restibilis, an in vervacto, quae interdum requierit. *Colum.* 2, 10. Phaselus terrae mandabitur, vel in vervacto, vel melius pingui, et restibili agro. ℙ *Restibilis seges*, est quae regerminat, quasi cujus fecunditas in sequentem quoque au-

num restet. *Plin.* 18, 17, 45. Ubertatis tamen tantae sunt, ut sequente anno sponte restibilis fiat seges. ℙ *Restibile vinetum*, quod singulis annis repastinatur. *Colum.* 3, 18. Repastinatae dictae fuere vineae veteres, quae refodiebantur. Haec enim propria appellatio restibilis vineti erat; et *ib.* 11. Ultima est conditio restibilis vineae: nam si necessitas facere cogit, prius quidquid est residuae vitis exstirpari debet, etc. ℙ *Restibilis fecunditas* est continua, et non intermissa. *Plin.* 28, 19, 77. Conceptum leporum utero exemptum his, quae parere desierint, restibilem fecunditatem afferre putant. ℙ *Restibilis platanus*, quae vigorem suum recuperat. *Id.* 16, 32, 57. Antandri platanus etiam circumdolatis lateribus restibilis sponte facta, vitaeque reddita. ℙ *Restibilis ager* definitur a *Festo*, qui biennio continuo seritur farreo spico, id est aristato: quod ne fiat, solent, qui praedia locant, excipere. In *Gloss. Philox.* Ἄγρος δὶς τοῦ ἔτους ἠροτριωμένος. Idem fere dicit *Festus*, quod *Varro*. Ager enim, qui biennio continuo seritur, illo biennio restibilis est: qui vero quotannis, multo magis. Illud solum interest, quod eum sic dicit *Festus*, qui seritur farreo spico, hoc est semine spicam et aristam ferente: *Varro* autem quolibet semine.

RESTĬCŬLA, ae, f. σχοινίον, parva restis, funiculus. *Cato R. R.* 110. Testam calfacito in igni bene: ubi calebit, eam picato, resticula alligato, testam demittito in dolium infimum leniter. *Varr. R. R.* 1, 41. *f.* Resticulas per ficos, quas edimus, maturas perserunt, et eas, cum inaruerunt, complicant, ac quo volunt mittunt. [Quidam *Codd.* fortasse rectius habent: *per resticulam ficos;* et *Cic. fragm. or. pro Scaur.* (ed. *A. Peyron.*) p. 76. Sed collum digitulis duobus oblideret, resticula cingeret. *F.*] *Ammian.* 14, 7. *med.* Hirsutis resticulis cruribus ejus innexis, divaricatum adusque praetorium traxere.

*RESTĬCŬLĀRIS, is, m. *Vet. Gloss.* Σχοινοπλόκος, resticularis, resto. *B. A.*

RESTĬCŬLUS, i, m. resticula. *Ulp. Dig.* 9, 3, 5. §. 12. Si amphora ex resticulo suspensa decidisset. *Torrent.* habet *reticulo.*

RESTILLO, as, n. 1. stillando, et fluendo redeo. *Prud. adv. Symm.* 2, 287. ad proprium restillet vena metallum. ℙ Translato sensu usus est elegantissime *Cic. Att.* 9, 7. Litterae tuae mihi quiddam quasi animulae restillarunt; recreatum enim me non queo dicere. [*V. *Orell.* ad h. l.]

RESTINCTĬO, onis, f. ἀπόσβεσις, actus restinguendi. *Cic. Fin.* 2, 3. *med.* Illa autem voluptas ipsius restinctionis in motu est.

RESTINCTUS, a, um, part. a *restinguo:* ἀναπεπνυμένος, exstinctus. *Cic. Top.* 12. Restinctus ignis. *Plin.* 31, 3, 27. Lucerna restincta. *Id.* 36, 27, 68. Carbo restinctus. *Virg. A.* 5, 698. vapor omnis. ℙ Translate. *Cic. Fam.* 11, 12. Non modo non restinctum bellum, sed etiam inflammatum videtur. *Id. Or.* 8. Restincta animorum incendia; et *Div.* 1, 30. *f.* Illa etiam tertia parte animi, in qua irarum exsistit ardor, sedata atque restincta. *Id. Fin.* 2, 3. *med.* Restincta sitis. *Plin.* 26, 1, 5. Morbus celeriter restinctus. *Plin. alter ep.* 2, 11. Favor, et misericordia acres et vehementes primos impetus habent, paulatim consilio et ratione, quasi restincta, considunt.

RESTINGUO, is, inxi, inctum, a. 3. ἀποσβέννυμι, exstinguo. *Cic. Mur.* 25. *extr.* Respondit si quod esset incendium excitatum, id se non aqua, sed ruina restincturum. *Id. Rosc. Com.* 6. Ignis in aquam conjectus continuo restinguitur et refrigeratur. *Plin. H. N.* 20. *praef.* Ignes aquis restinguentibus. *Ov. R. Am. f.* Nutritur vento, vento restinguitur ignis. *Lucr.* 5, 121. praeclarum coeli restinguere solem. [**Id.* 3, 1057. qui genus humanum ingenio superavit, et omnes Restinxit, stellas exortus uti aethereus sol. Alii aliter. V. PRAESTINGUO. *B. A.*] *Caes. B. G.* 7, 25. aggerem, *h. e.* ignem, qui aggerem comprehenderat. Sic *Hirt. B. G.* 8, 43. Nostri opera flamma comprehensa partim restinguunt, partim interscindunt. *Plin.* 37, 10, 55. Bronte gemma putant restingui fulmine ictum, *h. e.* refrigerari. *Id.* 34, 14, 41. Tenuiora ferramenta oleo restingui mos est, ne aqua in fragilitatem durentur, *h. e.* cum ignita fuerint, refrigerari oleo; et 33, 3, 20. Aes accensum restinguitur sale, aceto, alumine. *Id.* 36, 24, 58. Restinguere calcem; et 34, 10, 22. exustum lapidem vino Chio. ℙ Translate. *Cic. Rab. Post.* 6. Restinguere odium. *Id. Fin.* 1, 13. omnium cupiditatum ardorem. *Id. Sext.* 21. Animos hominum sensusque morte restingui. *Id. Or.* 1, 51. Eorum mentes, qui audiunt, aut inflammare dicendo, aut inflammatas restinguere. *Ter. Eun.* 1, 1, 22. Haec verba *(irarum plena)* una mehercule falsa lacrimula restinguet. *Id. Ph.* 5, 7, 81. Hisce ego illam dictis ita tibi incensam dabo, ut ne restinguas, lacrimis si exstillaveris. *Liv.* 28, 42. Velut ad commune restinguendum incendium concurrent. ℙ Pro necare. *Plin.* 29, 4, 17. Cimices in potu datos haustas sanguisugas ab animalibus restinguere. ℙ Et translate. *Id.* 28, 19, 77. Equi spuma illita, priusquam primum nascantur pili, restinguuntur. *Id.* 26, 10, 63. Vim Veneris restinguit aqua mulsa. [**Pl. Trin.* 3, 2, 50. Restingere genus suum.] ℙ Est etiam tollere, delere, comprimere. *Cic. Or.* 1. *extr.* Nec vero Aristotelem in philosophia deterruit a scribendo amplitudo Platonis: nec ipse Aristoteles admirabili quadam scientia et copia ceterorum studia restinxit. *Id. Att.* 13, 10. Cui quidem quamprimum agendum puto, praesertim si statuit: sermunculum enim omnem aut restinxerit, aut sedarit. *Hor. Od.* 2, 11, 18. Restinguet ardentis Falerni Pocula praetereunte lympha. *Cic. Fin.* 2, 3. *med.* et *Virg. Ecl.* 5, 47. Sitim restinguere. *Plin.* 32, 10, 40. Ignes sacros restinguunt ranarum ventres impositi. *Id.* 20, 21, 84., 28, 10, 45. et 29, 4, 23. Restinguere venena. *Id.* 32, 5, 20. veneficium. *Id.* 24, 8, 29. ictus scorpionum. *Id.* 8, 27, 41. nauseam silvestris lactucae succo.

*RESTĬO, is, n. 4. ad reserendum, laborandum, colendumve aptus sum. *Vet. Gloss.* Restire, παλιμφρεῖν. Laudatus etiam *Colum.* 3, 21. Nam et quae restire incipiunt tempestive leguntur: et quae nondum maturitatem ceperunt uvae, sine dispendio differuntur. Nescio unde acceperit *Galepinus;* nam ab hoc *Stephanus.* Legitur enim in exemplaribus, puto omnibus, *Et quae maturescere incipiunt.* Haec *Gesnerus. B. A.*

RESTĬO, onis, m. σχοινοπώλης, aut σχοινοπλόκος, qui restes vendit, aut facit, funarius. *Front.* ap. *Putsch.* p. 2201. Restiarius, qui facit: restio, qui vendit. *Suet. Aug.* 2. *extr.* M. Antonius libertinum ei proavum exprobrat restionem, avum argentarium. [**V. Casaub.* ad h. l.] ℙ *Pl. Most.* 4, 2, 1. Illi erunt bucaedae multo potius, quam ego sim restio, *h. e.* ut mihi ad restim res redeat, jocus in verbis. ℙ *Restionem* inscripsit *Laberius* unum e mimis suis, teste *Gell.* 10, 17. et 16, 7. ℙ [Fuit etiam cogn. R. in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 139. C. Antius C. F. Restio. *F.*]

RESTĬPŬLĀTĬO, onis, f. ἀντεπερώτησις, actus restipulandi. *Cic. Rosc. Com.* 13. Quis est hujus restipulationis scriptor, testis, arbiter? [**V. Schütz. cl. Cic.*] *Adde *Gaii Instit. Comment.* (ed. *Goes.*) 4. p. 259. *ed. Berol. B. A.*

RESTĬPŬLOR, aris, dep. 1. ἀντεπερωτάω, cum eo certo, a quo sponsione sum provocatus; idest vicissim stipulor, et mutuam sponsionem exigo. *Cic. Rosc. Com.* 13. Quid hic porro nunc restipulatur, quod jam pridem ipse exegit? [**Cf. Ernest. cl. Cic.*] *Val. Max.* 2, 8. *n.* 2. Valerius sponsione Lutatium provocavit, non se petiturum triumphum, nisi suo ductu Punica classis esset oppressa, nec dubitavit restipulari Lutatius. *Appul. Apol. f.* An ut eam dotem filiis suis magis restipularetur, quam penes me sineret? *h. e.* mihi quidem promitteret, se viva, sed se mortua me obligaret, ut filiis suis, quos ex priori marito susceperat, restituerem.

RESTIS, is, f. σχοῖνος, ἄρχόνη, ἑλλεδανὸς, idem quod funis: nisi quod hic de crassioribus etiam dicitur, illa fere de tenuioribus. In quarto et sexto casu singulari duplicem positionem habet *restim* et *restem*, et *resti* et *reste*, ut *ignis*, *puppis*, *turris*, et alia multa, quae *Prisc.* 7, 756. et 759. enumerat. *Varr. R. R.* 1, 22. Quae nasci in fundo, ac fieri a domesticis potuerunt, eorum ne quid ematur, ut quae fiunt de cannabi, lino, junco, palma, scirpo, ut funes, restes, tegetes; et *ib.* 23. *med.* Serere cannabim, linum, juncum, spartum, unde lineas, restes, funes facias. *Colum.* 11, 3. *in.* Farina aqua conspersa illinitur vel nauticis veteribus funibus, vel quibuslibet aliis restibus. *Varr. R. R.* 1, 8, Jugorum genera fere quatuor, pertica, arundo, restes, vites, *h. e.* cum vitis brachia in jugum alligantur restibus. *Inscr.* ap. *Grut.* 715, 10. *f.* Atimeto Lib., cujus dolo filiam amisi, restem et clavom, unde sibi collum alliget. *Pl. Pers.* 5, 2, 34. Restim tu tibi cape crassam, ac suspende te. *Id. ib.* 2, 4, 11. Caedere tu hodie restibus. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 868. Grabati restibu' tenti. *Juven.* 10, 58. descendunt statuae, restemque sequuntur. *Pl. Rud.* 4, 3, 97. Paulisper remitte restem, dum concedo, et consulo, *h. e.* rudentem. *Juven.* 3, 126. Hortulus hic, puteusque brevis, nec reste movendus, *h. e.* ubi non fune, sed manu aqua hauritur. *Id.* 14, 272. de schoenobate: ancipiti figens vestigia planta, Victum illa mercede parat, brumamque, famemque Illa reste cavet. ℙ *Restes allii*, sunt allii folia, quae siccata simul nectuntur in modum restis. *Mart.* 12, 32. Calvaeque restes allioque, caepisque. *Plin.* 20, 6, 23. Ad serpentium ictus allium potum cum restibus suis, efficacissime ex oleo illinitur. ℙ *Restim ducere* [χόρδακα ἕλκειν dixit *Aristoph.* in *Nub.* 540. *F.*] dicuntur in saltationibus pueri et puellae choros agentes, manu aut reste conserti. *Liv.* 27, 37. *f.* Per manus reste data, virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt. *Ter. Ad.* 4, 7, 34. Tu inter eas restim ductans saltabis. Ibi *Donatus:* Lusus est natus ab eo fune, quo introductus equus durius in Trojam est, cum nexis manibus fune, chorum ducunt saltantes. Hoc a quibusdam dicitur: sed ego puto, manu consertos choros puellorum puellarumque cantantes, *restim ducere* existimari: et id maxime convenire ad exagitandam importunitatem senis, velut pueros imitantis. ℙ *Ad restim res rediit*, proverb. *h. e.* adeo perditae res sunt, ut de suspendio sit cogitandum. *Ter. Ph.* 4, 4, 4. Opera tua ad restim mihi quidem res rediit planissime. *Caecil.* ap. *Non.* 3, 64. Ad restim res redit, immo collus, non res: nam ille argentum habet. Huc pertinet illud *Mart.* 4, 70. Nil Ammiano praeter aridam restem Moriens reliquit ultimis pater ceris, *h. e.* laqueum, quo se suspenderet. V. *Inscr. cit.* in §. 1. ℙ *Colubra restem non parit*, aliud proverbium, non sunt dissimiles parentum filii. *Petr. fragm. Trag.* 45. *Burm.*

RESTĬTO, as, n. 1. frequent. a *resto:* ἐφίσταμαι, saepe, aut subinde resto, subisto, ire recuso, remoror. *Enn.* ap. *Non.* 2, 605. Restitant, occurrunt, obstant, obstringillant, obganniunt. *Ter. Eun.* 4, 4, 1. Exi foras, sceleste! at etiam restitas, fugitive? *Pl. Capt.* 3, 2, 2. Ubi quisque vident, eunt obviam, gratulanturque eam rem: ita me miserum restitando, retinendoque lassum reddiderunt. *Liv.* 30, 31. *med.* Restitantem ac tergiversantem attrahere. [**Cf.* 10, 19. et 7, 39.] *Plin.* 8, 16. de leone: Quamlibet magna canum et venantium urgente vi, contemptim restitansque cedit.

[RESTĬTOR, oris, m. qui restat. *Not. Tir.* p. 91. Institor, restitor. *F.*]

RESTITRIX, icis, f. quae restat, et in eodem loco remanet. *Pl. Truc.* 4, 2, 5. Ego interim hic restitrix his praesidebo.

RESTĬTŬO, is, ui, utum, a. 3. ἐπανορθόω, rursus statuo, rursus colloco, repono. *Virg. G.* 2, 270. Ut quo quaeque (*arbor*) modo steterit, qua parte calores Austrinos tulerit, quae terga obverterit axi, Restituant. *Cic. Fam.* 12, 25. Ut statua, quam turbo dejecerat, restitueretur. ℙ Item reficio, restauro, instauro. *Id. Top.* 3. *med.* Si aedes eae corruerunt, vitiumve fecerunt, quarum usufructus legatus est, heres restituere non debet, nec reficere, non magis quam servum restituere, si is, cujus usufructus legatus est, deperisset. *Caes. B. G.* 1, 28. Ipsos oppida vicosque, quos incenderant, restituere jussit. *Nep. Tim.* 4. Muros ex hostium praeda patriae restituere. *Ter. Ad.* 1, 2, 40. Fores effregit? restituentur: discidit vestem? resarcietur. *Plin.* 18, 28, 67. *n.* 4. Senescunt prata: restituique debent faba in his sata, vel rapis, vel milio. ℙ Et universim in pristino loco, aut statu repono. *Ov. Fast.* 3, 16. turbatas restituitque comas. *Id. Pont.* 3, 6, 35. Restituere exstinctum; et *Ter. Andr.* 3, 5, 13. rem impeditam et perditam; 4, 1, 58. Restitue in quem me accepisti locum. *Cels.* 8, 20. Luxatum femur ex toto restituere, *h. e.* ita ut rursus ne excidat. *Cic. Verr.* 1, 4. provinciam in antiquum statum. *Id. Fam.* 10, 27. Sin ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restitutura est. *Id. Caecin.* 13. Restituere aliquem in aedes suas. *Ter. Phorm.* 2, 4, 11. aliquid in integrum. *Nep. Timol.* 1. in pristinum. *Id. Iphicr.* 2. aliquem in regnum. *Ter. Hec.* 3, 1, 11. rursum in gratiam. *Liv.* 28, 39. aliquem ex servitute in libertatem. *Id.* 5, 18. *med.* aciem, *h. e.* exercitum inclinantem ad fugam, turbatosque ordines rursus colligere, et in hostem dirigere. Sic *Id.* 4, 38. *f.* Restituitur omnibus locis pugna; et 6, 8. Imperator conspectu suo proelium restituit. *Plin.* 8, 22, 34. Homines in lupos verti, rursumque restitui sibi. *Enn.* ap. *Cic. Sen.* 4. et *Att.* 2, 19., *Virg. A.* 6, 846., *Ov. Fast.* 2, 242., *Liv.* 30, 26. et *Macr. Sat.* 6, 1. Unus homo nobis cunctando restituit rem; et *Plin.* 32, 10, 40. Haec curatio etiam pilos restituit. ℙ Translate. *Val. Fl.* 2, 69. Cereris tum munere fessas Restituunt vires, et parco corpora Baccho. *Pl. Merc.* 5, 2, 4. Ne pave: restituam jam ego te in gaudia. ℙ Est verbum solemne praetoris, quo in interdictis utebatur, quae *restitutoria* vocantur: et significat, in eo statu rem ponere, quo antea fuit, sive faciendum sit aliquid, sive omittendum; sive reddere quippiam necesse sit, sive non, sive aedificare, sive destruere. *Cic. Caecin.* 13. Praetor interea tanta de re tacebit? qui dies totos aut vim fieri vetat, aut restitui factam jubet, etc. [**Id. Verr.* 2, 2, 26. Judicia restituta sunt, h. e. res judicatae sublatae, et ii, qui judicio damnati erant, in integrum restituti sunt. *Id. Phil.* 2, 23. Licinium Denticulam, de alea condemnatum, restituit. *B. A.*] In *Edicto praetoris* ap. *Ulp. Dig.* 43, 8, 2. *med.* Quod in via publica, itinereve publico factum, immissum habes, quo ea via, idve iter deterius sit, fiat; restituas. *Ulp. ib. f.* Restituere videtur, qui in pristinum statum reducit: quod fit, sive quis tollat id quod factum est, sive reponat quod sublatum est. Adde *ib.* 11, 1. *f.* et 12, 1. *f.* et *ib.* 22, 1. *extr.* et *ib.* 23, 1. et *ib.* 25, 2., quibus locis similia edicta proponuntur. ℙ Pro judicare, addicere. *Phaedr.* 3, 13. Quapropter apibus fructum restituo suum, *h. e.* ajo, fructum esse apum, non fucorum, inquit vespa judex. ℙ Ab exsilio in patriam reduco. *Nep. Arist.* 1. *extr.* Sexto fere anno, postquam erat expulsus, plebiscito in patriam restitutus est. *Cic. Mil.* 14. Quae fuisset igitur causa restituendi mei, nisi ei fuisset injusta ejiciendi? *Id. Phil.* 2, 23. Restituebat multos calamitosos, in his patrui nulla mentio. ℙ Est etiam corrigere, emendare, sanare. *Cic. Div.* 2, 46. Illudne dubium est, quin multi, cum ita nati essent, ut quaedam contra naturam depravata haberent, restituerentur, et corrigerentur ab natura, aut arte, aut medicina? *Varr. R. R.*

3, 16. *extr.* Quae apes sic concaluerunt, restituunt se, reviviscunt; et *Plin.* 20, 6, 23. Capitis ulcera manantia sanitati restituens; et *ib. f.* Ita in cibo sumptum, donec sanitatem restituat. *Id.* 25, 8, 50. Chelidonia hirundines oculis pullorum in nido restituunt visum. *Id.* 36, 21, 40. Vertigines sedat, mentes commotas restituit. *Id.* 14, 18, 22. Vina in apothecis Canis ortu mutantur quaedam, posteaque restituuntur sibi; et *Pli. Trin.* 1, 2, 79. Quid tu adolescentem, quem esse corruptum vides, qui tuae mandatus est fidei et fiduciae, quin tu eum restituis? quin ad frugem corrigis? ℙ *Restituere aliquem a limine mortis* ap. *Catull.* 68, 4. est revocare, retrahere, servare. Sic *Sall. or. in Caes. de republ. ord.* 2. *f.* Urbem prope jam ab occasu restituere. ℙ Pro reddere, reponere, referre. V. RESTITUTIO. *Ter. Eun.* 1, 2, 67. Virginem cupio abducere, ut suis restituam ac reddam. *Liv.* 3, 68. Tribuni vobis amissa reddent ac restituent. *Caes. B. C.* 3, 60. *f.* Quam maximas pecunias mutuati, perinde ac satisfacere, et fraudata restituere vellent. *Q. Cic. Pet cons.* 5. *f.* Ut intelligant, nullum se unquam aliud tempus habituros restituendae gratiae. Alii leg. *referendae. Liv* 2, 13. et 49. Deos precantur, ut sospites brevi in patriam ad parentes restituant. *Id.* 25, 18. Restituere alicui animum; et *Cic. Rose. Am.* 22. Quae quoniam te fefellerunt, Eruci, etc. restitue nobis aliquando veterem tuam illam calliditatem atque prudentiam, *h. e.* iterum age nobiscum callide et astute, ut solebas, quando adhuc oscitanter et remisse egisti. *Tac. Agr.* 16. Britanniam unius proelii fortuna veteri patientiae restituit. ℙ *Restituere aliquem natalibus suis* ap. *Ulp.*, *Marcell.*, *Scaevolam*, etc. *toto tit.* 11. *lib.* 40. *Dig.* quid sit, V. in NATALIS. ℙ Pro reddere, h. e. producere, ferre. *Pall.* 7, 5. Ramus punici poterit intra fictile vasculum claudi, ut ad ejus magnitudinem poma restituat. ℙ Reperitur etiam pro exstruere, aedificare. *Nep. Them.* 6. Idemque muros Atheniensium restituit praecipuo periculo suo. ℙ Pro praestare. *Ulp. Dig.* 5, 1, 67. Qui se dicit suis nummis redemptum esse, si hoc probaverit, exinde liber erit, ex quo redemptus est: quia constitutio non liberum pronunciari praecipit, sed restitui ei libertatem jubet. ℙ Et pro dare, tradere. *Paul. ib.* 11, 4, 14. *med.* An cogi debet dominus restituere servum, et pretium servi accipere? *Ulp. ib.* 19, 1, 13. *med.* Quod ex operis servus praestitit venditori, emptori restituendum. Hinc *restituere dicitur* heres fiduciarius, seu fideicommissarius, cui hereditas ex testamento obvenit cum pacto, ut certo post tempore alteri tradat. Exempla passim occurrunt in *Digestis*, praesertim 36. *tit.* 1. Junguntur autem *reddere restituere* in illo *Scaev. Dig.* 36, 1, 78. *med.* Fidei vestrae mando C. Sei et Lucia Titia, uti post obitum vestrum reddatis restituatis Titio, et Sempronio semissem patrimonii, et portionis ejus, quam vobis dedi. ℙ Item reconciliare. *Catull.* 107, 5. Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te. V. RESTITUTUS.

*RESTĬTŪTA JULIA oppidum fuit Hispaniae Baeticae, ad Anam fluvium, etiam Segida appellatum. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

RESTĬTŪTĬO, onis, f. ἀποκατάστασις, actus restituendi, et in priorem locum aut statum reponendi, reparatio. *Suet. Aug.* 57. Pecuniam conferre in restitutionem domus incendio absumptae. *Id. Ner.* 4. Spondere alicui pristinae fortunae restitutionem. *Just.* 2, 14. Restitutio urbis in majus. *Val. Max.* 4, 1. *n.* 4. *extr.* Victoria insignis restitutione libertatis. *Cic. Pis.* 15. *med.* Nemini est triumphus honorificentius, quam mihi salus restitutioque perscripta, *h. e.* revocatio ab exsilio. *Arnob.* 6, 196. Luna semper in motu est, et ter denas facies in restitutione accipit menstrua. *Inscr.* ap. *Grut.* 1067, 4. Minervae Memori Tullia Superiana, restitutione facta sibi capillorum. ℙ Item redditio. *Cajus. Dig.* 50, 16, 22. Plus est in restitutione, quam in exhibitione, nam exhibere est praesentiam corporis praebere: restituere est etiam possessorem facere, fructusque reddere. *Ulp. ib.* 36, 1, 1. *med.* et *ib.* 6. Restitutionem facere.

RESTĬTŪTOR, oris, m. qui restituit. *Cic. Mil.* 15. P. Lentulus ultor sceleris illius, propugnator senatus, restitutor salutis meae. *Liv.* 4, 20. Augustus Caesar templorum omnium conditor, aut restitutor. *Eumen. Grat. act. ad Constant.* 4. Restitutor reipublicae.

RESTĬTŪTORĬE. V. in v. sq.

RESTĬTŪTORĬUS, a, um, adj. ad restituendum pertinens, ut Restitutorium interdictum, *Ulp. Dig.* 43, 1, 1. judicium, *Cajus ib.* 3, 3, 46. Restitutoria actio, *Jul. ib.* 2, 10, 3. §. 1. et absolute *Ulp. ib.* 27, 6, 7. Sumptus, quos facturus est actor restitutorio agendo, *h. e.* judicio restitutorio. Est qui legit *restitutorie*. V. RESTITUO.

RESTĬTUTRIX, icis, f. quae restituit. *Appul. Trismeg. in.* Terra sola in se ipsa consistens, omnium est receptrix, omniumque generum, quae accipit, restitutrix.

RESTĬTŪTUS, a, um, part. a *restituo:* repositus, redditus. *Vell.* 2, 45. Domus a Clodio disjecta, a senatu restituta. *Cic. Dom.* 28. *f.* Me patria sic accepit, ut lucem salutemque redditam sibi ac restitutam accipere debuit. *Id. Agr.* 2, 14. Quae post restitutam tribuniciam potestatem nemo attigit. *Id. Dom.* 4. *med.* In meam pristinam dignitatem restitutus; et *ib.* 32. *med.* Amplissimis omnium judiciis restitutus; et *ib.* 27. Ad administrandam civitatem restitutus. *Caes. B. G.* 1, 53. *f.* Hospitem ereptum e manibus hostium, sibi restitutum videbat. *Catull.* 36, 2. mea puella Vovit, si sibi restitutus essem, etc. h. e. animo reconciliatus. V. RESTITUO. ℙ [Fuit etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 2080, 10. Ti. Claudius Restitutus. *F.*]

RESTO, as, stiti, n. 1. ἐφίσταμαι, subsisto, remaneo, resideo, restito, remoror. Fere usurpatur in praeterito *restiti*, quod commune habet cum *resisto. Cic. Cat.* 4, 4. Tenentur ii, qui ad Urbis incendium, ad vestram omnium caedem, ad Catilinam accipiendum Romae restiterunt. *Liv.* 26, 3. Cum effuse omnes fugerent, se quoque turba ablatum: quid autem solum se restantem prodesse reipublicae potuisse? *Pacuv.* ap. *Non.* 2, 73. Si resto, pergit iter: jam si ire conor, prohibet petere. ℙ *Restare* etiam dicuntur, quae firma manent, et non cedunt. *Lucr.* 2, 449. duri robora ferri, Aeraque, quae claustris restantia vociferantur. *Prop.* 2, 19, 58. amor Restat, et immerita sustinet aure minas. ℙ Est etiam superesse, reliquum esse. *Cic. Marcell.* 9. Haec igitur tibi reliqua pars est, hic restat actus. *Id. Sen.* 14. Ego vero conviviis delector, nec cum aequalibus solum, qui pauci admodum restant, sed cum vestra etiam aetate, atque vobiscum. *Id. Off.* 3, 2. *med.* Qui e divisione tripartita duas partes absolverit, huic necesse est restare tertiam. *Virg. A.* 4, 324. hoc solum nomen de conjuge restat. *Ov. Fast.* 6, 795. Tot restant de mense dies, quot nomina Parcis. *Id. Am.* 3, 9, 59. Si tamen e nobis aliquid, nisi nomen et umbra, Restat. *Virg. A.* 1, 679. Dona ferens pelago et flammis restantia Trojae. *Id. ib.* 2, 70. quid jam misero mihi denique restat? *Cic. Cat.* 3, 10. *extr.* Cum hostes vestri tantum civium superfuturum putassent, quantum infinitae caedi restitisset; et *Quint* 9. *med.* Illud etiam restiterat, quod hesterno die fecerunt, ut te in jus adducerent. *Id. Sull.* 26. *f.* Studia amicorum, quae ei sola in malis restiterunt. *Id. N. D.* 2, 16. *f.* Restat igitur, ut motus astrorum sit voluntarius. ℙ Cum infin. *Ter. Phorm.* 1, 2, 35. Restabat aliud nihil, nisi oculos pascere. *Hor. Ep.* 1, 6, 27. Ire tamen restabat, Numa quo devenit et Ancus. *Ov. Met.* 1, 700. restabat verba referre. *Stat. Silv.* 4, 1, 40. Restat Bactra novis, restat Babylona tributis Frenari. ℙ *Restat hoc mihi*, manet me, inquit *Serv.* ad illud *Virg. A.* 7, 270. generos externis adfore ab oris, Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum Nomen in astra ferant. ℙ *Restat* pro distat, ait (*Verrius*) Ennium ponere, cum is dicat, Impetus aut longe mediis regionibu' restat. Haec *Fest.* Sed *restat* est restitat, et retro manet: ex quo fit, ut ab aliis progredientibus magno intervallo distet. ℙ Pleonasmus est in his, non tamen vitiosus: *Virg. A.* 11, 160. vivendo vici mea fata, superstes Restarem ut genitor. *Pl. Cist.* 1, 3, 40. Nunc quod reliquum restat, volo persolvere. ℙ Item adversor, reluctor, obnitor, repugno, resisto. *Ter. Heaut.* 5, 3, 7. In qua re nunc tam confidenter restas, stulta? *Prop.* 3, 6, 31. Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector. *Enn.* ap. *Fest.* in *Sibinam.* Illurici restans sicis sibinisque fodentes. *Sil.* 6, 124. tuus ille parens decora alta paravit Restando adversis. *Ov. Fast.* 2, 749. Postmodo victa caedes: melioribus, Ardea, restas. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 12, 30. Validam urbem multos dies restantem pugnando vicit. *Sil.* 7, 129. impasta truces ululatus turba luporum Exercet, morsuque quatit restantia claustra. (*Id.* 13, 108. quateretque morantia claustra.) *Tac. A.* 3, 46. Restantibus laminis adversum pila et gladios. Adde *Lucr.* 1, 111., item multa *Livii* loca ap. *Drakenb.* ad 4, 58., in quibus alii aut *restito*, aut *resisto* legunt. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 34, 15. Ut qua minima vi restatur, ea parte irrumpat. Alii leg. *resistitur*, vel *resistatur.*

RESTRICTĒ, adv. στεγανῶς, συνοχηδὸν, stricte, arcte, anguste, severe. *Cic. Leg.* 2, 18. Sed ego cetera uon tam restricte praecipio. *Id. Fin.* 2, 13. *med.* Parce et restricte facere aliquid. *Nazar. Pan. Constant.* 15. Qui refrenandis cupiditatibus restricte contenteque vixerunt. *August. Doctr. Chr.* 3, 12. Rebus praetereuntibus restrictius uti. *Plin. ep.* 5, 8. *f.* Tum si laudaveris, parcus; si culpaveris nimius fuisse dicaris: quamvis illud plenissime, hoc restrictissime feceris.

RESTRICTIM, adv. idem ac restricte. *Afran.* ap. *Non.* 11, 55. Restrictim cogitata, atque omnibus rationibus.

RESTRICTĬO, onis, f. actus restringendi. *August. Mor. Eccl. Cath.* 31. *med.* Necessario victui redundat plurimum ex operibus manuum, et epularum restrictione.

RESTRICTUS, a, um, part. a *restringo*, ἀναστα-λθείς, strictus, adstrictus. *Hor. Od.* 3, 5, 35. Qui lora restrictis lacertis Sensit iners. *Catull.* 64, 296. Prometheus silici restrictus membra catena. *Petr. fragm. Trag.* 73. *Burm.* Restrictis manibus annulos de pavimento conabantur tollere; et *Plin.* 35, 10, 36. *n.* 16. Restrictis ad terga manibus. *Quint. decl.* 12, 27. Restrictis labris morsus abrupimus. *Tac. A.* 15, 57. Vinculum fasciae in modum laquei ad arcum sellae restrictum. *Suet. Dom.* 18. Pulcher ac decens toto corpore, exceptis pedibus, quorum digitos restrictiores habebat. *Id. Aug.* 73. Togae neque restrictae, neque fusae. *Seren. Sam.* 28, 519. Restricta alvus. ℙ Translate est angustus, definitus. *Plin. ep.* 9, 19. *f.* An restrictius arbitraris, per orbem terrarum legendum dare, duraturam memoriam suam, quam uno in loco duobus versiculis signare quod feceris? ℙ Item parcus, avarus, tenax. *Cic. Att.* 10, 11. An existimas illum in isto genere (*solvendi*) lentulum aut restrictum? *Id. Off.* 2, 18. In his qui se adjuvari volent, restricti omnino esse nullo modo debemus. *Id. Fam.* 3, 8. *f.* Cum natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior. *Id. Planc.* 22. Restrictum et tenacem esse. [*Cf. *Beier.* ad *Off.* 2, 18, 62.] ℙ Item severus, rigidus. *Tac. A.* 15, 48. *extr.* Summum imperium non restrictum, nec perseverum volunt. *Appul. Flor. n.* 23. Judicatio restrictior. ℙ *Restrictus* contrario sensu, laxatus, diductus, ut *reseratus* est apertus, *retectus*, detectus. V. RESTRINGO. *Appul. Apol. in carm.* Misi, ut petisti, mundicinas dentium, etc. Ne qua visatur tetra labes sordium, Restrictis si forte labellis riseris.

RESTRĪGO, as, n. 2. iterum strigo, interquiesco. *Sen. ep.* 31. *med.* Surge, et restriga, et clivum istum uno, si potes, spiritu exsupera. Sed alii rectius leg. *inspira.*

RESTRINGO, is, inxi, ictum, a. 3. ἀναστέλλω, idem quod stringo, adstringo, constringo, arcte religo, presse revincio. *Tac. A.* 14, 64. Puella restringitur vinculis, venaeque ejus per omnes artus exsolvuntur. *Appul. Flor. n.* 17. Quid si manus manicis restringantur, pedes pedicis coarctentur? *Quint.* 11, 3. *med.* Laevam restringere, prolata longius dextra, est odiosum, *h. e.* retrahere. *Stat. Th.* 6, 814. tunc vix ambo conatibus ambas Restringunt, cohibentque manus, *h. e.* corripiunt, retinent, impediunt, ne feriant. ℙ Translate est coercere. *Sen. Ben.* 1, 4. Ne liberalitatem haec ipsa observatio restringat, dum temperat; et *Plin. ep.* 1, 8. *med.* Cum omnes homines ad custodiam pecuniae natura restrinxerit. *Id. ep.* 6, 19. Restringere sumptus candidatorum. *Id. ep.* 5, 19. *extr.* Est enim tum parcus et continens, ut non solum delicias, verum etiam necessitates valetudinis frugalitate restringat. *Auct. Pan. ad Constant.* 6. Iratos incensosque ad ulciscendum animos restringere. *Tac. A.* 16, 16. Patientia servilis, tantumque sanguinis domi perditum, fatigant animum, et moestitia restringunt. *Appul. de Mundo:* Quanto improvisior nimbi praecipitatio est, tanto breviore casu restringitur, *h. e.* contrahitur, et parum durat. *Plin.* 24, 16, 97. Myrrhis phalangiorum morsus restringit, *h. e.* coercet, ne altius descendant, et latius serpant. Adde 23, 7, 63. [*Plin. *ep.* 8, 27. restringere nauseam.] *Tert. Apol.* 20. *med.* Caecos reluminare, leprosos purgare, paralyticos restringere, i. e. resolutos artus quasi revincire et firmare. ℙ Significat etiam laxare, diducere, solvere, aperire. *Pl. Capt.* 3, 1, 25. Ne canem quidem irritatam voluit quisquam imitarier. Saltem si non arriderent, dentes ut restringerent, [*h. e. ringerentur, qui risus est violentus et simulatus.] *Lucr.* 2, 406. Proptereaque solere vias restringere nostris Sensibus, introituque suo perrumpere corpus. Alii leg. *rescindere.* [*Ita *Eichstadt.*] *Ov Met.* 12, 542. quid me meminisse malorum Cogis, et obductos annis restringere luctus? *h. e.* renovare, quasi rursus aperto vulnere, quod coierat. Alii leg. *rescindere.* Quidam addunt ex *Appul. Met.* haec verba, quae ego nondum reperi: Jumentum restrinxit, abireque liberum stabulo sivit. ℙ [*Ap. *Liv.* 10, 13, 8. 28, 23, 2. et cp. 42, 10. fluctuat lectio inter *restinguere* et *restringere;* sed *Drakenb.* jure defendit *restringere.*]

RESTRUCTUS, a, um, part. a *restruo*, rursus exstructus. *Tert. ad Nat.* 1, 10. *med.* Varro commemorat, statuas dejectas non nisi per vim popularium restructas.

RESTRŪO, is, xi, uctum, a. 3. iterum exstruo, restituo. *Tert. Apol.* 6. *f.* Licet Serapidi aras restruxeritis. *Id. Resurr. carn.* 31. Ita et Deus eam restruebat fidem, quam populus destruebat.

[RESTŪTUS, a, um, adj. sync. pro *restitutus.* Est cogn. R. frequent. in antiquis monumentis. *Inscr.* ap. *Mur.* 1281, 9. D. M. Tigelliae Restutae matri fecit M. Tigellius Restutus fil. *F.*]

RĒSŪDO, as, a. 1. *Curt.* 5, 1. Causa fertilitatis est humor, qui ex utroque amne manat, toto fere solo propter venas aquarum resudante. *Id.* 7, 10. Cum solum, sub quo tantus amnis fluit, ne modico quidem resudet humore. *Prud. Apoth.* 787. crudus conviva resudat Congeriem ventris. *Id. Cath.* 10, 105. Morbus pestifer Sua tunc tormenta resudans Luet inter vincula mille.

RĒSULCO, as, a. 1. rursus sulco. *Prud.* περὶ στεφ. 5, 141. Praesicca rursus vulnera, Dum se cicatrix colligit, Manus resulcans diruet.

RĒSULTO, as, n. 1. ἀναπηδάω, retro salto, resilio, reflector. *Virg. A.* 10, 330. tela partim galea clypeoque resultant Irrita. *Petr. Sat.* 89. Unda resultat scissa. *Lucr.* 2, 96. de corporib.: Sed magis

assiduo varioque exercita motu, Partim intervallis magnis conflicta resultant. *Sen. Hipp.* 1093. illisum caput scopulis resultat. *Sidon. ep.* 8, 12. *med.* Hic tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus te exspectat. ℙ *Resultare* dicuntur loca, quae sonum reddunt, sive quia sono percussa resilire videntur quodammodo, et contremere, sive quia sono ipso resiliente resonant ac respondent. *Virg. G.* 4, 50. ubi concava pulsu Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago. *Plin.* 11, 19, 21. Inimica est apibus echo resultanti sono. *Virg. A.* 5, 150. et *ib.* 8, 305. pulsati colles clamore resultant. *Tac. A.* 1, 65. Cum barbari laeto cantu, aut truci sonore subjecta vallium ac resultantes saltus complerent. *Plin. Pan.* 73. Resultantia vocibus tecta. *Stat. Th.* 2, 714. oranti nox, et juga longa resultant. *Plin.* 2, 80, 82. Murmur grassans in angusto, idem raucum in recurvis, resultans in duris. Adde *Mart.* 9, 70. et *Claud. Rapt. Pros.* 3, 389. ℙ *Pronunciatio resultans*, varia, inconstans crebra mutatione vocis, non aequabilis aut moderata. *Quint.* 11. *f.*

RĒSŪMO, is, umpsi, umptum, a. 3. ἀναλαμβάνω, iterum sumo. *Ov. Met.* 9, 523. culpatque, probatque tabellas, Inque vicem sumptas ponit, positasque resumit; et *ib.* 192. nec profuit Hydrae Crescere per damnum, geminasque resumere vires; [**Am.* 2, 1, 21.] et *Just.* 20, 5. *in.* Crotonienses vix vires longo otio ex prioris belli clade resumentes. *Plin. Pan.* 61. *med.* Modo praetextas exuerant, resumant; et *ib.* 66. Universos adhortatus es resumere libertatem; et *ib.* 79. Consularibus curis exsolutus, principales resumpsit. *Quint.* 10, 1. et 4. Librum perlectum resumere in manus ex integro. *Plin. ep.* 7, 9. *extr.* Quin ergo pugillares resumis, et aliquid ex his scribis? *Tac. H.* 4, 76. Resumpturus arma, si metus abscesserit. [*Cf. *A.* 3, 40. et 4, 64.] *Just.* 6, 4. Hoc initium Atheniensibus resumendae potentiae, et Lacedaemoniis habendae finis fuit. *Claud. in Ruf.* 2, 141. redit in rabiem, scelerumque immane resumit Ingenium. *Stat. Th.* 6, 11. Resumere gemitus. *Suet. Ner.* 41. nomen. *Id. Aug.* 78. somnum. *Id. Vit.* 15. animum. *Sen. Herc. Oet.* 25. animam. ℙ *Resumere aegrotum* ap. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 1. et *Tard.* 3, 7. est reficere, refocillare, recreare. ℙ Pro recipere. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 4, 10. de Terra: Haec enim terris gentes omnes peperit, et resumit denuo.

RĒSUMPTĬO, onis, f. in re medica est recreatio, refectio. *Coel. Aurel. Acut.* 2, 37. *f.*

RĒSUMPTĪVUS, a, um, adj. ad resumendum, seu recreandum et refocillandum pertinens, ut Resumptiva odoramenta, *Coel. Aurel. Tard.* 4, 3. *med.*

RĒSUMPTŌRĬUS, a, um, adj. resumptivus, ut Resumptoria adjutoria, *Coel. Aurel. Acut.* 3, 8. *f.*

RĒSUMPTUS, a, um, part. a *resumo*: iterum sumptus. *Tac. H.* 2, 67. Resumpta militia; et *ib.* 5, 8. dominatio per arma. *Ov. Met.* 4, 664. Resumptae pennae. [*Fortasse *magistratuum insignia resumpta*, non *sumpta* legendum est in *Liv. Epit.* 74. ubi v. *Drakenb. Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 411.] ℙ *Coelio Aurel. Acut.* 2, 28. *resumptus aeger* est cibo refectus, refocillatus.

[RĒSŬO, is, a. 3. iterum suo. *Not. Tir.* p. 136. Suit, exsuit, resuit. *F.*]

RĒSŪPĪNĀTUS, a, um, part. a *resupino*: ὑπτιωθείς, resupinus factus facie sursum versa, in tergum jacens. *Petr. Sat.* 29. Paene resupinatus crura mea fregi. *Cels.* 7, 14. Resupinatum corpus. *Plin.* 9, 30, 48. Polypus si invertatur, elanguescit vis: exporrigunt enim se resupinati. Adde 10, 46, 63. quem locum V. in v. sq. §. 1. *Juven.* 8, 175. Et resupinati cessantia tympana Galli, *h. e.* qui prae ebrietate, vel desidia, aut mollitie resupinus jacet. ℙ Item universim retrorsum pandus, reflexus, recurvus. *Cels.* 8, 1. *med.* Os coxarum ab exteriore parte gibbum, ad spinam resupinatum. *Vitr.* 3. *f.* Quo longior visus lineae in superiorem partem procedit, resupinatam facit ejus speciem.

RĒSŪPĪNO, as, a. 1. ὑπτιόω, retro supino, retro et sursum reflecto, ita colloco, aut verto, ut supinus sit, aut jaceat. *Ter. Ph.* 5, 6, 23. Puer ad me adcurrit, pone apprehendit pallio, resupinat: respicio. *Liv.* 4, 19. Assurgentem ibi regem umbone resupinat; et *Stat. Th.* 9, 311. Te quoque sublimi transnantem flumina curru, Dum socios, Pharsale, petis, resupinat ademptis Dorica cuspis equis. *Plin.* 24, 17, 102. Hac herba admota, leones resupinari cum hiatu laxo. *Cels.* 7, 16. Resupinandus autem homo est, etc. *Sen. ep.* 123. *med.* Qui per pronum eunt, resupinant corpora: qui in arduum, incumbant; et *Quint.* 11, 3. *med.* Nares plana manu resupinare, indecorum est. *Plin.* 10, 34, 52. Proprium turturum colla non resupinare, cum bibunt; et *ib.* 46, 63. Bibunt aves, quibus longa colla, intermittentes, et capite resupinato velut infundentes sibi. ℙ Obscenam sententiam habet illud *Juven.* 3, 112. aviam resupinat amici. Qui *aulam* legunt, non facile defendent. ℙ Pro evertere, prosternere retro impellendo. *Prop.* 4, 8, 51. Nec mora, cum totas resupinat Cynthia valvas. ℙ Translate *Accius* ap. *Non.* 2, 734. Quid agis? perturbas rem omnem ac resupinas, soror, *h. e.* pervertis. *Sen. Ben.* 2, 13. Libet interrogare, quid tantopere te resupinet, (al. *supinet*,) *h. e.* superbum faciat, caput attollendo, et pectus projiciendo.

RĒSŪPĪNUS, a, um, adj. ὕπτιος, idem ac supinus, id est ita procumbens, ut pars corporis anterior sursum, posterior deorsum spectet. *Plin.* 7, 2, 2. Sciapodae in majore aestu humi jacentes resupini, umbra se pedum protegunt. *Id.* 9, 8, 7. Delphini resupini atque conversi. *Quint.* 10, 3. *med.* Si non resupini spectantesque tectum exspectaverimus, quid obveniat. *Ov. Her.* 16, 255. Et modo cantabam veteres resupinus amores, *h. e.* molliter in tergum projectus. *Virg. A.* 1, 480. Fertur equis, curruque haeret resupinus inani, Lora tenens tamen. *Ov. Met.* 13, 86. Cominus ingenti resupinum p ndere fudi; et *ib.* 15, 520. Et retro lentas tendo resupinus habenas; et *ib.* 2, 267. Corpora phocarum summo resupina profundo Exanimata jacent. *Mart.* 9, 44. spectat resupino sidera vultu. *Colum.* 2, 2. *med.* Si cornibus illigetur jugum, boves retractis et resupinis capitibus excruciantur. *Ov. Met.* 1, 730. Resupinum collum; et *ib.* 12, 138. pectus. *Plin.* 8, 25, 38. caput. Adde *Lucr.* 1, 38. et *Accium* ap. *Cic. Div.* 2, 22. ℙ Dicitur et de aliis rebus. *Plin.* 21, 5, 11. de lilio: Paulatim se laxans effigie calathi, resupinis per ambitum labris, tenuique filo et semine. *Id.* 19, 4, 20. Hortum areis distingui, easque resupinis pulvinorum toris. *Id.* 18, 18, 48. Culter futuris sulcis vestigia praescribens incisuris, quae resupinus in arando mordeat vomer. *Stat. Th.* 4, 237. auget resupina maniplos Elis, *h. e.* colle acclivi, et supino sita. ℙ Translate est mollis, effeminatus. *Quint.* 5, 12. *med.* Licet hanc eloquentiam libidinosam resupina voluptate auditoria probent. *Id.* 11, 3. *f.* Nam cantici quiddam habent, sensimque resupina sunt: *saxa atque solitudines voci respondent (Cic. Arch.* 8.) ℙ Item negligens, oscitans, socors. *Paul. Dig.* 22, 3, 25. Qui solvit, nunquam ita resupinus est, ut facile suas pecunias jactet. *Venulej. ib.* 43, 23, 4. Quia non opinionem ejus, et resupinam existimationem sequi oportet. ℙ Item superbus, elatus, magnifice incidens. *Ov. Met.* 6, 275. de Niobe: Et mediam tulerat gressus resupina per urbem, Invidiosa suis: at nunc miseranda vel hosti. *Sen. ep.* 80. *med.* Ille qui in scena elatus incedit, et haec resupinus dicit.

RĒSURGO, is, surrexi, surrectum, n. 3. ἀνίσταμαι, iterum surgo, in pristinum statum redeo. *Tac. A.* 3, 46. Jacentes nullo ad resurgendum nisu, quasi exanimes linquebantur. *Ov. Am.* 2, 16, 9. Herbae resurgentes. *Tac. H.* 2, 78. Arbor repente processerat, ac postera die, eodem vestigio resurgens, etc. [*Cf. *Boettich. Lex. Tac.* p. 411.] Adde *Suet. Vesp.* 5. *Ov. Pont.* 4, 8, 28. Obruta de mediis cymba resurget aquis; et *Met.* 7, 81. favilla Crescit, et in veteres vires agitata resurgit; et *ib.* 2, 453. Orbe resurgebant lunaria cornua nono; et *ib* 8, 11. Sexta resurgebant orientis cornua Phoebes. *Id. Trist.* 3, 3, 23. Nunciet huc aliquis dominam venisse, resurgam. ℙ Translate. *Virg. A.* 4, 531. rursusque resurgens Saevit amor. *Prop.* 4, 1, 71. Dicam, Troja, cades, et Troia Roma resurges. *Liv.* 24, 45. Posteaquam res Romana, contra spem votaque ejus, velut resurgeret. *Just.* 37, 1. *f.* Cum eum summi imperatores ita vicerint, ut major clariorque in restaurando bello resurgeret. *Tac. H.* 3, 2. Legiones deceptae magis, quam victae, resurgere in ultionem properant. [*Plura ejusd. exempla v. ap. *Boettich. l. l.*] *Vell.* 2, 88. Novi ac resurrecturi belli civilis initium. ℙ Pro reviviscere, post mortem ad vitam redire. *Lactant.* 4, 19. *Tert.* saepe, *Claud.* (si modo is auctor est) *epigr.* 49. *de mirac. Christi*, *August.*, *Hieron.* etc.

RĒSURRECTĬO, onis, f. ἀνάστασις, actus resurgendi, reditus in vitam. *Tert. Resurr. carn.* 1. et *Lactant.* 4, 19. etc.

RĒSUSCĪTĀTĬO, onis, f. actus resuscitandi, ad vitam restitutio. *Tert. Resurr. carn.* 30.

RĒSUSCĪTĀTOR, oris, m. qui vitae restituit. *Tert. Resurr. carn.* 12. *med.* Nec dubites Deum carnis resuscitatorem, quem omnium noris restitutorem. Adde *Pat.* 15.

RĒSUSCĪTO, as, avi, atum, a. 1. ἀνεγείρω, resurgere facio, iterum suscito, excito. *Ov. Met.* 8, 474. Inque vicem ponit, positamque resuscitat iram. Adde *ib.* 14, 495. ℙ Translate. *Paul. Dig.* 34, 4, 27. Si rursus in servitutem inciderit, non tamen legatum ejus resuscitabitur. ℙ Item revoco ad vitam. *Prud. περὶ στεφ.* 6, 136. relliquias resuscitandas, Et mox cum Domino simul futuras. Adde *Tert. Resurr. carn.* 38.

RĒSŪTUS, a, um, part. a *resuo*: dissutus. *Suet. Aug.* 94. *med.* Sumenti virilem togam tunica lati clavi, resuta ex utraque parte, ad pedes decidit, *h. e.* vel suturis resolutis, vel nodis, aut fibulis, quibus in humeris jungebatur, dissuta et divisa.

RĒTAE, arum, f. plur. arbores, quae ex ripis fluminum eminent, aut virgulta, quae in alveis eorum exstant: dictae a retibus, quod praetereuntes naves retineant instar retium, et quasi irretiant. *Gell.* 11, 17.

RĒTĂLĬO, as, a. 1. aequo jure compenso, talionis lege ago. *Gell.* 20. 1. *med.* Quod per imprudentiam factum est, retaliari per imprudentiam debet.

RĒTARDĀTĬO, onis, f. ἀναβολή, μέλλησις, commoratio, mora. *Cic. Phil.* 5, 11. *f.* Unde est adhuc bellum tractum, nisi ex retardatione et mora? *Vitr.* 9, 4. *med.* Mercurii et Veneris stellae circum solis radios, solem ipsum, uti centrum, itineribus coronantes, regressus retrorsum et retardationes faciunt.

RĒTARDĀTUS, a, um, part. a *retardo*: detentus, retentus. *Cic. Sext.* 31. Excitavit illam suam non sopitam, sed suspicione aliqua retardatam consuetudinem reipublicae bene gerendae. *Suet. Caes.* 59. Ne religione quidem ulla a quoquam incepto absterritus unquam, vel retardatus. *Hirt. B. Afr.* 66. *f.* Perterritus, ac retardatus. *Nazar. Pan. Constant.* 36. Velox virtus aetatis mora non retardata. *Plin.* 21, 21, 89. Thymum prodest mulierum mensibus retardatis.

RĒTARDO, as, a. 1. ἀνέχω, remoror, detineo, moram affero. *Cic. Phil.* 10, 5. Quem nisi in via caducae hereditates retardassent, etc. *Id. N. D.* 2, 40. *f.* Stellarum motus tum incitantur, tum retardantur, saepe etiam insistunt. *Id. Manil.* 5. *f.* Impetus hostium reprimere ac retardare; et *ib.* 14. Hae res, quae ceteros remorari solent, non retardarunt. *Colum.* 2, 2. *f.* Boves fortiter retinere ac retardare. *Cic. Vat.* 1. Ut loquacitatem istam tuam paucissimis interrogationibus irretitam retardarem. *Id. Fam.* 5, 17. Retardare aliquem a scribendo. *Id. Manil.* 9. Illum in persequendi studio moeror, hos laetitia retardavit. *Id. Sen.* 16. *med.* Ad agrum fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat atque allectat senectus. *Plin. Pan.* 22. Ergo non aetas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit, quo minus oculos insolito spectaculo impleret. *Suet. Caes.* 34. Summa frumentariae rei penuria retardante.

RĒTĀRĬUS. V. CRETARIUS.

*RETAVI, orum, populi Arabiae, de quibus *Plin.* 5, 24. Mox Arabes, qui Retavi vocantur: horum caput Singara. *B. A.*

RĒTAXO, as, a. 1. ἐγκαλέω, taxo, aut vicissim taxo. *Suet. Vesp.* 13. Licinium Mucianum nunquam nisi clam, et hactenus retaxare sustinuit, ut, etc.

RĒTE, is, n. saepius quam Retis, is, m. et f. δίκτυον, σαγήνη, instrumentum, quo aves, ferae, pisces capiuntur, plaga, laqueus. Quid a *plaga* differat, in ea voce dictum est. De notatione vero, V. etymologos. Nam *Varr. L. L.* 4, 29. a raritudine dictum putat, si probare hoc sanus quisquam potest. *Id. R. R.* 3, 11. Idque septum totum rete grandibus maculis integitur. *Cic. N. D.* 2, 48. Araneolae quasi rete texunt, ut, si quid inhaeserit, conficiant. *Pl. Rud.* 4, 3, 45. Ubi demisi retem atque hamum, quidquid haesit, extraho. *Varr. R. R.* 3, 5. Intra retem aves sunt omne genus; et *mox*: Quibus cibus objicitur sub retem; et *supra*: Porticus tecta sit rete cannabina. *Pl. Rud.* 4, 3, 5. Non vides referre me uvidum retem sine squamoso pecu? Ita enim *Prisc.* 7, 759. legit. *Virg. G.* 1, 307. retia ponere cervis. *Ov. Her.* 5, 19. Retia saepe comes maculis distincta tetendi. *Id. Met.* 13, 922. ducebam ducentia retia pisces. *Id. Hal.* 27. laxata foramina retis. *Nemes. Cyn.* 229. Nec non et casses iidem (*servi*) venatibus aptos, Atque plagas, longoque meantia retia tractu Addiscant raris semper contexere nodis. *Tibull.* 4, 3, 12. Ipsa ego per montes retia torta feram. *Plin.* 9, 8, 10. Retia praetendere; et *ib.* pandere; et *ib.* circumdare. *Id.* 16, 1, 1. praetexere piscibus. *Pl. Truc.* 1, 1, 16. rete jacere. *Charis.* 1, 20. Retes, δίκτυον: nam et in consuetudine dicimus: *in retes meas incidisti.* ℙ In abl. habet *rete* et *reti*. *Ov. Fast.* 5, 371. pro Libycis claudantur rete leaenis; et *Hal.* 22. Clausus rete lupus. *Pl. Rud.* 4, 4, 27. Si in mari reti apprehendi, qui tuum potius est, quam meum? *Id. Truc.* 1, 1, 17. pisces reti impedire. ℙ Retia, et linum Arachne puella Lyda (de qua fabulam narrat *Ov. Met.* 6. *in.*) invenisse dicitur. *Plin.* 7, 56, 57. *med.* ℙ Translate. *Lucr.* 4, 1140. Nam vitare, plagas in amoris ne laciamur, Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis Exire. *Prop.* 2, 23, 70. Tendis iners docto retia nota mihi. *Lucil.* ap. *Prisc.* 10, 903. Nectere alicui retia. *Pl. Pers* 1, 2, 22. Qui albo rete aliena oppugnant bona, *h. e.* legum et juris specioso praetextu. ℙ Rectus casus *retis* agnoscitur a *Prisc.* 5, 659. ℙ In gen. plur. *retium* habet, non *retum*, quoniam, ut ait Plinius Sermonis dubii libro sexto, genitivus nunquam pauciores syllabas habet, quam nominativus. *Charis.* 1, 115. et *Caper de verbis dub.* p. 2250. ℙ Olim et *retia, ae*, f. usurpatum fuit. *Pl. Rud.* 4, 1, 9. Nunc et operam ludos facit, et retiam. Ita legit *Prisc.* 7, 759. Alii *retia*.

RĒTECTUS, a, um, part. a *retego*: detectus. *Virg. A.* 9, 461. Jam sole infuso, jam rebus luce retectis. *Sil.* 6, 3. primique novo Phaethonte retecti Seres, lanigeris repetebant vellera lucis. *Virg. A.* 12, 374. hunc lata retectum Lancea consequitur. *Plin.* 28, 7, 23. Ire per media arva, retectis super clunes vestibus. Alii rectius *rejectis* leg. *Prop.* 4, 9, 26. nullis sacra retecta viris. *Pers.* 3, 101. dentes crepuere retecti. *Lucan.* 9, 830. retectus ensis. ℙ Item tectus, contectus. *Suet. Aug.* 78. Post cibum meridianum, ita ut vestitus calceatusque erat, retectis pedibus paulisper conquiescebat. Alii rectius interpretantur *apertis*, seu stragula non tectis, ut meridiantes solebant.

RĒTĔGO, is, exi, ectum, a. 3. ἀνακαλύπτω, dete-

go, denudo, aperio, revelo. *Petr. Sat.* 17. Retexit superbum pallio caput. *Lucan.* 8, 669. Ac retegit sacros scisso velamine vultus. *Id.* 9, 768. Fugit rupta cutis, pallentiaque ossa retexit. *Stat. Th.* 3, 174. Tum ferro retegunt silvas, collisque propinqui Annosum truncant apicem. *Ov. Met.* 5, 356. et rex pavet ipse silentum, Ne pateat, latoque solum retegatur hiatu. *Sen. Herc. Fur.* 54. Ereboque capto potitur, et retegit Styga. *Juven.* 6, 227. Retegere scrinia. *Cic. Att.* 4, 7. thecam nummariam. *Ov. Met.* 8, 1. Lucifer retegens diem. *Virg. A.* 4, 119. et *ib.* 5, 65. ubi Titan radiis retexerit orbem. *I. ib.* 1, 360. caecumque domus scelus omne retexit. *Lucan.* 7, 787. clara dies Pharsalica damna retexit. *Ov. Met.* 13, 336. responsa Deum, Trojanaque fata retexi. *Hor. Od.* 3, 21, 15. Retegere arcanum consilium. *Claud. Laud. Stich.* 2, 215. insidias. *Tac. A.* 15, 74. occulta conjurationis. ℙ Est etiam iterum tegere. *Pall.* 12, 7. *med.* Circa imum truncum cortex reciḍatur, et cum inde modicus humor effluxerit, argilla, vel paleato luto plaga retegatur.

RĒTEJĂCŬLUM, i, n. genus retis piscatorii, dictum a *jaciendo:* quod et *funda* appellatur, Graece βόλος, a βάλλω, jacio. Differt a *verriculo*, quod non jacitur, sed verritur, *h. e.* trahitur. Hoc autem super aquam late, et longe jacitur spargiturque, et quando abiit pessum, adducitur. Unde *jaculatorem* de piscatore *Pl.* dixit. V. JACULATOR. *Id. As.* 1, 1, 87. Venari retejaculo in medio mari. Alii leg. *retiaculo*, quod habetur etiam ap. *Serv.* ad *G.* 1, 141. V. FUNDA, et JACULUM. ℙ Revera duae voces sunt: unde et divisim usurpantur a *Pl. Truc.* 1, 1, 14. In piscinam rete qui jaculum parat.

RĒTENDO, is, endi, ensum et entum, a. 3. ἀνίημι, quod tensum erat, laxo, remitto. *Ov. Met.* 2, 419. Exuit hic humero pharetram, lentosque retendit Arcus. *Stat. Silv.* 4, 4, 30. Et sontes operit pharetras, arcumque retendit Parthus. *Quint.* 1, 3. *med.* Ea quoque, quae sensu et anima carent, ut servare vim suam possint, velut alterna quiete retenduntur. Alii perperam leg. *retinentur.* [*V. *Spalding.*]

RĒTENSUS, a, um, part. a *retendo:* remissus. *Phaedr.* 3, 14. Arcum retensum posuit in media via.

RĒTENTĀTOR, oris, m. διαχάνοχος, qui retentat, *h. e.* retinet, detentator. *Cass. Var.* 2, 10. Quidquid a retentatoribus constiterit possideri, sine ulla facias dilatione restitui.

RĒTENTATRIX, icis, f. quae retentat, seu retinet. *Macr. Sat.* 7, 4. *med.* de cibor. digestione: Secundae hoc cura virtutis est, quam Graeci, quia retentatrix est, vocant καταδεκτικήν.

RĒTENTĀTUS, a, um, part. a *retento:* iterum tentatus. *Ov. Met.* 14, 382. Retentatae preces.

RĒTENTĬO, onis, f. ἐποχή, ἐπίσχεσις, retinendi actus, cohibitio. *Cic. Att.* 13, 21. Retentio aurigae. *Id. Acad.* 4, 18. *med.* assensionis. *Lact.* 6, 10. *f.* societatis, *h. e.* conservatio. *Ascon.* in *Verr.* 2, 1, 2. Rejectio judicum et retentio. *Vitr.* 9, 4. *med.* Retentiones facere. *Papin. Dig.* 31, 1, 79. Retentionem dotis virum habere placuit.

RĒTENTO, as, avi, atum, a. 1. ἀναπειράω, iterum tento, seu experior, retracto, resumo: a *re*, et *tento. Sen. ep.* 72. *in.* Quod quaeris a me, liquebat mihi, si remeditari possem: sed diu non retentavi memoriam meam. *Ov. Trist.* 5, 12, 51. si demens studium fatale retentem. *Id. Met.* 5, 117. Retentare fila lyrae; et *ib.* 11, 792. viam lenti. *Lucan.* 2, 514. arma. *Ov. Met.* 1, 745. metuitque loqui, ne more juvencae Mugiat: et timide verba intermissa retentat, *h. e.* iterum conatur proferre; et *ib.* 9, 208. retentans totas infringere vestes. *Sen. Br. V.* 10. Nec audent ea retentare, quorum vitia retractando patescunt. ℙ Spes vana me retentat, *Val. Fl.* 5, 679. *h. e.* movet, sollicitat, impellit. ℙ *Retentare vota* ap. *Val. Fl.* 5, 173. est iterum suscipere. ℙ Est etiam frequent. a *retineo*, et idem fere significat, [*aucta significationis vi,] ἐπέχειν. *Pl. As.* 3, 3, 1. Cur me retentas? *Phi.* quia tui amans abeuntis egeo. *Liv.* 10, 5. Quo magis festinantes videt dictator, eo impensius retentat agmen, ac sensim incedere jubet. [*Saepius *Aurel. Vict.*, sed sine emphasi, teste *Drakenb.* ad *h. Livii l.* Haec *Boettich.* in *Lex. Tac.* p. 412. ubi laud. *Tac. H.* 2, 35. 4, 13. et 5, 31.] *Ov. A. Am.* 2, 433. in curru modo dat fluitantia rector Lora, modo admissos arte retentat equos. *Id. Am.* 2, 9, 30. Retentare frena. *Val. Fl.* 3, 97. iras, *h. e.* reprimere. *Sen. Oed.* 1054. quisquis exilem jacens Ammam retentat; et *Lucan.* 3, 585. dum pugnat ab alta Puppe Catus, Grajumque audax aplustre retentat, *h. e.* manu corripit, et retinere conatur; et *ib.* 636. mersus foret ille profundo, Sed prohibent socii, suspensaque crura retentat, *h. e.* retinent, ne mergatur. *Nemes. Ecl.* 3, 58. Satyri Nymphas Jam jamque elapsas hic crine, hic veste retentat. *Lucan.* 4, 723. Ipse cava regni vires in valle retentat, *h. e.* retinet, seu detinet exercitum in valle insidiarum causa, nec in apertum contra hostes educit. *Cic. carm. de suo consul. Div.* 1, 11. coelum terramque petessit, Quae penitus sensus hominum vitasque retentant, *h. e.* continent, conservant. *Auct. ad Her.* 4, 49. *med.* Iste qui tanquam cochlea abscondens retentat se tacitus, *h. e.* domi se continet. *Lucr.* 2, 726. quae non animalia solum Corpora sejungunt, sed terras ac mare totum Secernunt, coelumque a terris omne retentant, *h. e.* distinent, distare faciunt, retinentque ne coelum cum terra confundatur. Adde *Claud. Cons. Mall. Theod.* 203. [*Impp. Valent. et Valens* in *fragm. Cod. Theod.* (a *Peyronio* editis) 5, 14, 4. Eligat unusquisque quem velit *(fundum)*, eumque perpetuo jure suscipiat, palatiis tantum in rei privatae sollicitudine retentandis. *F.*] **Auct. Itin. Alex.* 86. Limo profundius retentantur. *B. A.*

RĒTENTOR, oris, m. qui retinet. *Appul. Flor. n.* 6. Dracones lubrico volumine elephantos indepti revinciunt, ut illis expedire gressum nequeuntibus, necesse sit ultionem a ruina molis suae petere, ac retentores suos toto corpore oblidere.

RĒTENTUS, a, um, part. a *retineo:* κατασχεθείς, detentus. *Ov. Fast.* 6, 741. Solliciti terrentur equi, frustraque retenti, Per scopulos dominum, duraque saxa trahunt. *Albin.* 1, 117. plenior unda Effluit, exigua si qua retenta mora. *Ov. Fast.* 5, 580. Persequitur Partha signa retenta manu. *Plin. ep.* 10, 28. Contrariis ventis retentus. *Mart.* 5, 79. Sudor madida veste retentus; et 12, 32. Sarcinae retentae pensione pro bima; et *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Humiles et retentae manu arbusculae, *h. e.* manu et arte coercitae, ne crescant. ℙ Urbane. *Cic. Div.* 2, 35. *extr.* Jus augurum divinationis opinione principio constitutum, postea reipublicae causa conservatum ac retentum. *Id. Tusc.* 1, 1. Retuli me ad ea studia, quae retenta animo, remissa temporibus, longo intervallo intermissa revocavi; et *ib.* 5, 30. Sunt autem hae de finibus, ut opinor, retentae defensaeque sententiae. *Val. Max.* 2, 8. Disciplina militaris acriter retenta. *Ov. Her.* 11, 82. Torpuerat gelido lingua retenta metu. *Id. Am.* 2, 18, 7. lacrimis vix illa retentis, Me miseram! dixit, etc. *Id. Met.* 10, 474. verba dolore retenta. *Plin. Pan.* 83. Multis dedecori fuit aut inconsultius uxor assumpta, aut retenta patientius. *Suet. Galb.* 10. *f.* Alarum altera aegre retenta in officio. ℙ Item retensus, remissus: a *retendo. Ov. Met.* 3, 165. de Diana lavatura: Nympharum tradidit uni Armigerae jaculum, pharetramque, arcusque retentos.

RĒTENTUS, us, m. actus retinendi, tenacitas. *Claud. in Ruf.* 2, 438. de manu Rufini abscissa: vivosque imitata retentus Cogitur adductis digitos inflectere nervis.

RĒTERGĔO, es, et Retergo, is, rsi, a. 2. et 3. abstergeo, extergeo. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 14. *n.* 207. Reterget vulnera. *Ammian.* 29, 6. Retersit obrutas ruderibus fossas. *Not. Tir.* p. 80. Tergit, retergit.

RĒTĔRO, is, trivi, tritum, a. 3. ἀνατρίβω, rursus tero, purgo, excerno. *Colum.* 2, 21. Pura deinde frumenta, si in annos recondantur, reteri debent. Plerique alii leg. *repurgari.*

RĒTEXO, is, xui, et xi, xtum, a. 3. ἀναλύω, quod textum erat, dissuo. *Penelopes telam retexere* proverbio dicuntur, qui magno vel labore, vel sumptu rem quampiam conficiunt, quam postea destruunt. Tractum a Penelope Ulyssis uxore, quae pacta cum procis pudicitiae suae insidiantibus, ut tantisper exspectarent, donec telam, quam tum forte habebat prae manibus, detexeret, quidquid interdiu texebat, noctu retexebat. *Cic. Acad.* 4, 29. *f.* Quid quod illa ars, quasi Penelopae telam retexens, tollit ad extremum superiora? *Stat. Silv.* 3, 5, 8. mille procos intacta fugares, Non intertextas commenta retexere telas, Sed sine fraude palam. ℙ Translate est dissolvere, destruere, revocare, irritum facere. *Lucr.* 1, 529. Haec (*corpora solida*) neque dissolvi plagis extrinsecus icta Possunt, nec porro penitus penetrata retexi. *Cic. Or.* 2, 38. Reperiunt non modo ea, quae jam non possint ipsi dissolvere, sed etiam quibus ante exorsa, et potius detexta, prope retexantur. *Matius* ad *Cic. Fam.* 11, 28. *med.* An quod adolescens praestiti, cum etiam errare cum excusatione possem, id nunc aetate praecipitata commutem, ac me ipse retexam? *Cic. ib.* 14. *f.* Novi timores retexunt superiora. *Id. Verr.* 2, 2, 26. Omnia erant Metelli ejusmodi, ut totam istius praeturam retexere videretur; et *Phil.* 2, 13. Itaque jam retexo orationem meam; et *Fin.* 5, 28. Audeo dicere, inquit, non potest, nisi retexueris illa. *Ov. Pont.* 1, 3, 29. Rursus amor patriae, ratione potentior omni, Quod tua texuerunt scripta, retexit opus. Adde *R. Am.* 12. *Manil.* 4, 214. Qui leges potius posuit, quam jura retexit. *Appul. Apol.* Ordine eorum vestigia persequor, et singillatim apprehendens, omnem calumniae textum retexo, *h. e.* accusationis artificium dissolvo. *Sen. ep.* 94. *f.* Omnia ista exempla retexenda sunt, et plenum malis sermonibus pectus exhauriendum. ℙ *Retexit orbem luna*, cum decrescit. *Ov. Met.* 7, 531. Luna quater plenum tenuata retexuit orbem. ℙ Est etiam iterum texere. Orpheus ad Plutonem, et Persephonem, ap. *Ov. Met.* 10, 31. Eurydices, oro, properata retexite fila. ℙ Translate est repetere, iterare, renovare. *Virg. A.* 12, 763. Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt. *Ov. Met.* 15, 249. Inde retro redeunt: idemque retexitur ordo. *Claud. VI. cons. Honor.* 130. Latio discedere jussus Hostis, et immensi revolutus culmine fati, Turpe retexit iter. *Hor. Sat.* 2, 3, 2. scriptorum quaeque retexens, *h. e.* ad incudem revocans, relegens, corrigens. ℙ Pro recensere, evolvere, narrare. *Claud. B. G.* 325. Talia dum longo secum sermone retexunt. *Auson. Idyll.* 10, 298. Qui potis innumeros cultusque, habitusque retexens, Pandere tectonicas per singula praedia formas? *Id. praef. Perioch. Iliad.* Breviter, et in epitomae speciem belli Troici causam originis, apparatusque retexuimus. *Appul. Met.* 9. Oro, mater, ordine mihi singula retexe.

RĒTEXTUS, a, um, part. a *retexo:* dissutus, dissolutus. *Ov. Am.* 3, 9, 30. Tardaque nocturno tela retexta dolo.

RĒTĬĀCŬLUM. V. RETEJACULUM.

RĒTIĀRĬUS, ii, m. δικτυφόρος, qui fert rete. Hoc nomine speciatim dicebatur alter ex gladiatoribus in arena depugnantibus. Fuit enim genus gladiatorii certaminis, in quo duo pugnabant, quorum alter *retiarius* vocabatur, quod tunicatus fuscinam et rete gestaret, quo adversarium involveret, et implicatum caperet: alter appellabatur *Gallus* a Gallicae armaturae genere, et *mirmillo* a mormyre pisce, quia armatus erat scuto, et falce, et galea, in cujus vertice erat piscis hujus effigies, et *sequutor*, quia in primo congressu perinde ac retiarium fugiens, vel fugam simulans, arte ictum ejus evitabat, et si frustra rete jecisset, infesta falce sequebatur. Retiarii figuram habes ap. *Gor. Inscr. Etr.* T. 3. p. 99. et ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 165. Hoc genus pugnae institutum videtur a Pittaco, uno ex septem sapientibus, qui adversus Phrynomen dimicaturus propter finium controversias, quae erant inter Atticos et Mitylenaeos, rete occulto allato impedivit Phrynonem, ut *Strabo l.* 13. narrat. *Isid.* contra *Or.* 18, 54. et 55. putat, hoc certamine pugnam Vulcani et Neptuni, *h. e.* duorum elementorum ignis et aquae, repraesentatam antiquitus fuisse; *sequutor* enim Vulcanum, *retiarius* fuscina armatus Neptunum repraesentabat. A retiario vero pugnante adversus mirmillonem cantabatur: *Non te peto, piscem peto: quid me fugis, Galle?* Ita *Festus.* V. *Lipsium Sat.* 2, 8. et *Labusium* in *Monum. Bresc.* p. 81. et sqq. *Suet. Cal.* 30. Retiarii tunicati quinque numero gregatim dimicantes, sine certamine ullo totidem sequutoribus succubuerant: cum occidi juberentur, unus resumpta fuscina omnes victores interemit. *Quint.* 6, 3. *med.* Pedo de mirmillone, qui retiarium consequebatur, nec feriebat, *Vivum*, inquit, *capere vult.* Hinc *Juven.* 8, 202. movet ecce tridentem *(retiarius)*, Postquam librata pendentia retia dextra Nequicquam effudit, etc. *Inscr.* ap. *Grut.* 649, 6. et *Donat.* 244, 3. Iantino retiario pugnarum V. Ingenua posuit conjugi Karo, etc. Adde *Val. Max.* 1, 7. *n.* 8. ℙ *Contra retiarium ferula*, proverbium in eos, qui infirmo praesidio contra maxime instructum pugnant. *Mart. praef.* 2. Denique videas, an te delectet contra retiarium ferula.

RĒTĬCĂ Vitis. V. RHAETICUS.

RĒTĬCENTER, adv. tacendo. *Cic. Att.* 10, 6. Fiat in Hispania quidlibet, et tamen reticenter. Alii rectius legunt *retice*, alii *respice.*

RĒTĬCENTĬĂ, ae, f. ἀποσιώπησις, silentium, taciturnitas: et praecipue cum non dicitur quod dici debet. *Pl. Merc.* 5, 2, 52. Quid taces? dic, enicas me miserum tua reticentia. *Cic. Phil.* 14, 12. *med.* Vestra virtus nec oblivione eorum, qui nunc sunt, nec reticentia posterorum insepulta esse poterit. *Id. Off.* 3, 16. A jureconsultis etiam reticentiae poena est constituta, *h. e.* cum vitium mercis a venditore reticetur. ℙ Figura rhetorica, sententiarum ap. *Cic. Or.* 3, 53. *f.* et *Quint.* 9, 2. *med.* V. APOSIOPESIS. [*Cf. *Ern. lex. technol. lat. rhet.* p. 333. sq.

RĒTĬCĔO, es, ui, n. et a. 2. ἀποσιωπάω, taceo, conticeo, tacendo occulto. *Lucan.* 6, 812. Tu fatum ne quaere tuum; cognoscere Parcae, Me reticente, dabunt. *Pl. Men.* 5, 9, 47. Respondebo: nihil reticebo, quod sciam. *Cic. Or.* 2, 57. Hic cum Sulpicius reticuisset, Quasi vero, inquit Crassus, etc. *Id. Q. Fr.* 1, 2, 1. *f.* Nihil nec temere dicere, nec astute reticere debeo. *Sall. Sat.* 24. Neque reticere quae audierat, neque suamet ipse scelera occultare, quicquam pensi habebat. *Cic. Verr.* 2, 1, 53. Tamen de Chelidone reticuit, quoad potuit. [**Phil.* 1, 12. Non possum de utriusque vestrum errore reticere. *Tac. A.* 1, 67. reticuit de adversis.] *Ov. Met.* 3, 357. Vocalis Nymphae, quae nec reticere loquenti, Nec prior ipsa loqui didicit, resonabilis Echo. *Id. Her.* 19, 63. Multaque praeterea, linguae reticenda modestae, etc. *Prop.* 1, 10, 13. vestros didici reticere dolores. *Plin.* 10, 29, 43. de lusciniis: Audit discipula intentione magna, et reddit: vicibusque reticent. [*Plura ejusd. constructionis exempla haec sunto: *Liv.* 3, 41, 3. 23, 12, 9. *Tac. A.* 14, 49.] ℙ Urbane. *Claud. IV. Cons. Honor.* 223. Vel lyra, quae reticet, vel qui non tenditur, arcus. *Id. in Ruf.* 2, 43. reticet, pastore fugato, Pelion.

[RĒTĬCESCO, is, n. 3. idem ac reticeo. *Not. Tir.* p. 90. Conticescit, reticescit. *F.*]

[RĒTĬCŬLA, ae, f. idem ac reticulum. *Not. Tir.* p. 178. Retis, reticula. *F.*]

[RĒTĬCŬLĀTIM, adv. in modum reticuli. *Pelag. Vet.* 16. *med.* Si nihil profuerit, necessitate cogente urito reticulatim: usta curato, ut supra. *Veg. Vet.* 2, 41. *extr.* Si tardius confirmabitur, ures reticula-

tim, et solemniter usta curabis. Ita ex *Codd.* ed. *Schneiderus;* minus recte *Gesnerus* sic: *Si tardius confirmabit vires, regulatim et solemniter*, etc.

RĒTĬCŬLĀTUS, a, um, adj. *δικτυόθετος, δικτυωτός*, instar retis factus, multis foraminibus rete imitans, cancellatus. *Plin.* 9, 33, 52. Conchae distinctione virgulata, crinita, crispa, cuniculatim, pectinatim divisa, imbricatim undata, cancellatim reticulata. ℙ *Reticulata structura* parietum est, cum lapidei cunei sibi invicem superpositi, et in latus jacentes ita parietem convestiunt, ut eorum capita foris exstantia retis figuram referant. *Vitr.* 2, 8. *in.* Structurarum genera sunt: reticulatum, quo nunc omnes utuntur, et antiquum, quod incertum dicitur. Ex his venustius est reticulatum, sed ad ruinas faciendas ideo paratum, quod in omnes partes dissoluta habet cubicula et coagmenta. Incerta vero caementa alia super alia sedentia, inter seque implicata, non speciosam, sed firmiorem, quam reticulata, praestant structuram. *Plin.* 36, 22, 51. Reticulata structura, qua frequentissime Romae struunt, rimis opportuna est. ℙ *Reticulata fenestra*, minutis clathris in retis modum munita. *Varr. R. R.* 3, 7. Fenestrae Punicanae, aut latiores reticulatae, utrinque ut locus omnis sit illustris, neve quae serpens, aliudve quod animal introire queat.

RĒTĬCŬLUM, i, n. et Reticulus, i, m. *δικτύδιον*, parvum rete, vel rete solito angustioribus maculis contextum. *Varr. R. R.* 3, 5. *med.* Inter columnas exteriores reticuli e nervis sunt, ut perspici in silva possit, neque avis eas transire. ℙ *Reticulum aeneum* ap. *Fest.* in *Secespita*, est rete ex aere, quo sacraria in templis olim sepiebantur: [apud Italos *graticciata*, ap. nostrates *ramata*, *reata*. *F.*] ℙ Item sacculus in modum retis contextus, ad varios usus. *Plin.* 31, 6, 37. Demissae reticulis in mare concavae e cera pilae, dulcem intra se colligunt humorem. *Colum.* 12, 51. Aromata leviter confracta in reticulum junceum aut lineum adjici, et ita cum saxi pondusculo in olei partem demitti. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. Reticulumque ad nares sibi admovebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosae. ℙ Praecipue reponendis ad iter cibariis. *Hor. Sat.* 1, 1, 47. ut si Reticulum panis venales inter onusto Forte vehas humero. *Juven.* 12, 60. Mox cum reticulis, et pane, et ventre lagenae, etc. ℙ Sacculus est etiam in illo *Ov. A. Am.* 3, 361. Reticuloque pilae leves fundantur aperto: Nec, nisi quam tolles, ulla movenda pila est. Describit *Ov.* varios lusus puellis aptos, inter quos illum, quo multae pilae in reticulum, h. e. sacculum conjectae effunduntur acervatim, deinde ita singulae tolluntur, ut, dum una manu capitur, ceterae minime moveantur. Nihil huc facit ludus pilae, virorum proprius, quo reticulis manubriatis pila datur, ac remittitur. V. integrum *Ovidii* locum. ℙ Item fascia, vel pileolus in modum retis, a mulieribus praecipue usurpatus capillis continendis, *κεκρύφαλος*. Solebant sumptuosiores feminae has auro et gemmis ornare. *Varr. L. L.* 4, 29. Et quod capillum contineret, dictum a rete reticulum. *Id.* ap. *Non.* 14, 8. et 32. Suspendit Laribus marinis molles pilas, reticula, ac strophia. *Petr. fragm. Trag.* 67. *Burm.* Ultimo et periscelides resolvit, et reticulum aureum, quem ex obryzo esse dicebat. *Capitol. Maxim. jun.* 1. *extr.* Reticulum de prasinis undecim, *h. e.* ornatum gemmis undecim prasinis, cujusmodi sunt smaragdi. V. PRASINUS. *Claud. Quadrig.* ap. *Non.* 3, 188. Reticula galearia. Adde *Fenest. ib.* et *Fest.* in *Regillis*, et *Lampr. Alex. Sev.* 41. et *Elag.* 11. *f.*, quo loco de viris loquitur effeminate viventibus, et molli ac muliebri cultu utentibus. Sic *Juven.* 2, 96. Reticulumque comis ornatum ingentibus implet. ℙ Quod ait *Plin.* de opificibus turis, 12, 14, 32. Signantur iis subligaria, persona adjicitur capiti, densusque reticulus: intelligit sudarium aliudve tegmen, velut calvaticam, ad operiendos oculos, ne, ubi reponatur tus, videant. ℙ Item pannus reticulato opere textus. *Spart. Ael. Ver.* 5. Lectum eminentibus quatuor anacliteriis fecerat, minuto reticulo undique inclusum, *h. e.* conopeo.

RĒTĪNA. V. RECTINUS.

RĒTĪNĀCŬLUM, i, n. *ἔχμα*, id quo aliquid firmatur, et retinetur, vinculum, nexus. *Cato R. R.* 63. et 135. Lorea retinacula in plostrum, longa pedes viginti sex. *Vitr.* 10, 5. Tignum, quod erigitur, et distinetur retinaculis quadrifariam. *Hor. Sat.* 1, 5, 18. missae pastum retinacula mulae Nauta piger saxo religat; et *Ov. Met.* 14, 547. Stuppea perrumpit Phrygiae retinacula classis; et *ib.* 15, 696. Torta coronatae solvunt retinacula navi. *Colum.* 6, 2. Buculos retinaculis continere. *Virg. G.* 1, 513. frustra retinacula tendens Fertur equis auriga; et 265. Amerina parant lentae retinacula viti. ℙ Translate. *Plin. ep.* 1, 12. Ut jam securus, liberque moriturus, multa illa vitae retinacula abrupit. *Appul. Met.* 11. Abruptis ardentissimi desiderii retinaculis. *Auson. ep.* 8, 1. Tandem eluctati retinacula blanda morarum, Burdigalae molles liquimus illecebras. ℙ *Retinaclum* per cync. est *Prud. in Sym.* 2, 147.

RĒTĪNAX, ācis, adj. omn. gen. retinendi vim habens. *Sym. ep.* 1, 41. (al. 47.) Non illius coeli aut soli illecebram retinax advenarum lotos arbor aequaverit.

RĒTĪNENS, entis, part. a *retineo: κατέχων. Cic. Q. Fr.* 1, 2, 3. *f.* Fert enim graviter homo et mei observantissimus, et sui juris dignitatisque retinens. *Tac. A.* 2, 38. *f.* Avitae nobilitatis, etiam inter angustias fortunae, retinens. *Id. ib.* 5, 11. Nisi lacesseretur, retinens modestiae. *Gell.* 10, 20. *f.* Sallustius quoque proprietatum in verbis retinentissimus.

RĒTĪNENTĬA, ae, f. conservatio. *Lucr.* 3, 676. Ut actarum exciderit retinentia rerum, *h. e.* recordatio; et *ib.* 864. retinentia nostri. V. REPETENTIA.

RĒTĪNĔO, es, ui, tentum, a. 2. *κατέχω*, teneo, ne abeat, ne elebatur, retro teneo. [*De discrimine inter *retinere* et *detinere* dictum est in h. v.] *Pl. Epid.* 1, 1, 61. Adsta: abire hinc non sinam. *Thes.* quid nunc me retines? *Caes. B. G.* 1, 18. Concilium dimittit, Liscum retinet. *Pl. Curc.* 2, 3, 30. (et *Ter. Heaut.* 2, 4, 23.) Tenebrae oboriuntur, genua inedia succidunt: retine, retine me, obsecro; et *Prop.* 2, 7, 67. Quid si longinquos retinerer miles ad Indos? *Virg. A.* 5, 669. acer equo turbata petivit Castra: nec exanimes possunt retinere magistri. *Cic. Att.* 13, 14. Quare, nisi jam profecti sunt, retinebis homines. *Pl. Curc.* 2, 1, 12. Tormento non retineri potuit ferreo, quin reciperet se huc esum ad praesepim suam. *Cic. Att.* 13, 33. Varro venit ad me, et quidem id temporis, ut retinendus esset, *h. e.* ad coenam vocandus. ℙ Et translate. *Spart. Hadr.* 10. Labantem disciplinam incuria superiorum principum, retinuit, ordinatis et officiis, et impendiis. *Liv.* 32, 8. Nec Attali auxilia retenturos ultra quam regi commodum esset. ℙ Ponitur et pro simplici teneo. *Cic. Verr.* 2, 4, 34. Sinistra manu retinebat arcum: dextra facem praeferebat. *Pl. Epid.* 4, 1, 32. Cedo manum. *Mul.* accipe, aerumnosam mulierem retines. Adde *Capt.* 2, 3, 82. et *Prop.* 2, 22, 5. [*V. *Duk.* ad *Flor.* 2, 20, 3.] ℙ Item pro habere, possidere, tenere, occupare. *Lucr.* 4, 414. terrarum millia multa, Quae variae retinent gentes, et saecla ferarum. ℙ Et pro continere, tenere. *Nep. Ep.* 10. Quamdiu facta est caedes civium; domi se retinuit. *Paul. Dig.* 11, 4, 4. Fugitivos retinere in custodiam. ℙ Saepe est, quod habemus, servare et custodire. *Cato* ad *Cic. Fam.* 15, 5. Potius mansuetudine et innocentia imperatoris provinciam, quam vi militum retentam atque conservatam esse. *Hor. Sat.* 1, 1, 89. Retinere et servare aliquem amicum. [*Junguntur *colere* et *retinere*. *Cic. Off.* 2, 12, 42. colenda et retinenda justitia; ubi *Beier.* laud. *Inv.* 1, 2, 3. et *Off.* 1, 35. *f.*] *Cic. Verr.* 2, 3, 14. *med.* (et *Caes. B. C.* 1, 5.) jus suum contra aliquem. *Id. Amic.* 24. fidem in amicitia. *Id. Off.* 3, 29. Regulus retinendi officii causa cruciatum subiit voluntarium. *Id. Fin.* 3, 18. *med.* Retineri in vita. *Pl. Rud. prol.* 29. Qui aetatem agitis cum pietate et fide, retinete porro, post factum ut laetemini. *Cic. Leg.* 3, 12. *f.* Gratissimam memoriam retinet consulatus tui. *Id. Fin.* 2, 1. Qui mos cum a posterioribus esset retentus, etc. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. v.] *Nep. Att.* 11. *f.* Immortali memoria praecepta retinebat beneficia. *Caes. B. G.* 5, 46. Hortatur ut pristinam virtutem retineat. *Hor. Ep.* 1, 18, 70. garrulus idem est, Nec retinent patulae commissa fideliter aures. *Catull.* 64, 8. Diva, retinens in summis urbibus arces, *h. e.* Minerva, quae ideo a Graecis *πολιοῦχος* dicitur. V. POLIAS. ℙ [*Retinere* signif. etiam tenere aliquid, quod reddendum erat sive quod alienum est. *Cic. Cluent.* 36. de LLS IOC quae ille quum accepisset nomine judicii retinuit, atque suppressit. *Flacc.* 23. queritur gravis, locuples, ornata civitas, quod non retinet alienum; spoliatum se dicit, quod id non habet, quod ejus non fuit. *Schütz. cl. Cic.* s. v. — Differunt *sustinere, retinere* et *continere.* Illud, quod primo loco positum est, signif. servare aliquid, quod cum onere comparatur; *retinere*, servare ita ut non elabatur vel intereat; *continere*, ne dilabatur. Ita *Matth.* ad *Cic. Manil.* 6, 14.] ℙ Item cohibere, coercere, reprimere. *Ter. Ad.* 1, 1, 32. Pudore et liberalitate liberos retinere, satius esse credo, quam metu. *Cic. Rosc Am.* 25. Retinere aliquem in officio. *Liv.* 25, 40. in fide animos sociorum. *Ov. Met.* 1, 649. Nec retinet lacrimas; et *ib.* 9, 575. Vixque manus retinet trepidantis ab ore ministri. ℙ Item delectare. *Cic. Fam.* 5, 12. *med.* Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum; [*et *ib.* Multam casus nostri tibi varietatem in scribendo suppeditabunt, plenam cujusdam voluptatis, quae vehementer animas hominum in legendo retinere possit.] ℙ Pro meminisse. *Gell.* 17, 9. *med.* Virum quempiam illustrem (sive ille Asdrubal, sive quis alius est, non retineo) epistolam hoc modo abscondisse. *Ulp. Dig.* 35, 1, 90. Retinĕo, me dixisse, deficere eos a petitione fideicommissi. ℙ [*Confund. *retinere* et *retendere*. V. *Spald.* ad *Quint.* I. p. 52. *crit.*]

RĒTĬNGO, is, inxi, inctum, a. 3. iterum tingo. *Stat. Silv.* 1, 4, 73. Nec in otia pacis Permissum laxare animos, ferrumque retingi, *h. e.* sanguine imbui. Al. leg. *recingi. Pall.* 13, 2. Vinum myrtite retingemus, *h. e.* conditura imbuemus, qua colorem aliquantum mutabit, [*ubi ed. *Schneid.* habet *tingemus*, quae lectio est *Cod. Lugd. B. A.*] ℙ Item *retingo, is, tigi*, a tango, idem quod tango. *Cato R. R.* 160. Ubi coierint, et altera alteram retigerit. Al. leg. *tetigerit.*

*RĒTĬNNĬO, is, a. 4. restituendum censet *Gesner. Varr. R. R.* 1, 2. *praef.* Nec putant se habere villam, si non multis vocabulis retinniant Graecis, quam vocent particulatim loca *προαστιῶνα, παλαίστρας*, etc. Vulgo *retineant.* Comparat *Gesnerus* vocabulum hocce cum verbis *resono, retono*, et similibus. In *tinniendi* verbo (ait) significatur aliquid molle, quod auriculis blandiatur. *B. A.* [*Inde *Schneid.* et *Schütz.* ap. *Cic. Brut.* 46, 171. pro *recinit* ut veram lectionem restituisse sibi videntur retinnit. Cf. *Ellendt.* et *Orell.*]

RĒTĬŎLUM, i, n. parvum rete. *Appul. Met.* 8. Aper calcata retiola transabiit. *August. ep.* 109. (al. 211.) *n.* 10. Ne sint vobis tam tenera capitum tegmina, ut retiola subter appareant, *h. e.* reticula.

RĒTIS. V. RETE.

[RĒTĬUM, ii, n. idem ac rete. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 8, 207. Galerus est humero impositus gladiatoris, quo citius sparsum funem, vel jactatum retium colligat. *Gloss. Philox.* Retium, *δίκτυον. F.*]

RĒTO, as, a. 1. rete purgo alveum fluminis. V. RETAE. In *edicto praetoris* ap. *Gell.* 11, 17. Qui flumina retanda publice redempta habent, etc. V. LUCRINUS.

RĒTŌNDĔO, es, a. 2. idem ac tondeo, vel rursus tondeo. *Pl. Ps.* 1, 2, 26. At haec *(securis)* retonsa est. Plerique alii rectius leg. *retunsa.*

RĒTŌNO, as, n. 1. *ἀναβροντάω*, contra tono, resono. *Catull.* 63, 82. Face, cuncta mugienti fremitu loca retonent.

RĒTŌNSUS, a, um, part. a *retondeo:* rursus tonsus. *Plin.* 18, 17, 45. de segetib.: Retonsarum vero etiam semel omnino certum est granum longius fieri.

RĒTORPESCO, is, n. 3. obtorpesco. *Tert. adv. Gnost.* 1. *med.* Pristini sensus retorpescunt.

RĒTORQUĔO, es, torsi, tortum, a. 2. *ἀντιστρέφω*, retro torqueo, reflecto. *Caes. B. C.* 1, 69. Ubi paulatim retorqueri agmen ad dextram conspexerunt. *Ov. Met.* 3, 68. de angue vulnerato: Ille dolore ferox caput in sua terga retorsit; et *ib.* 11, 163. sacer ora retorsit Tmolus ad os Phoebi. *Id. Her.* 9, 66. de Maeandro: Qui lassas in se saepe retorquet aquas. *Colum.* 4, 26. *f.* Meminerit alligator, ne retorqueat sarmentum, sed tantum inflexum devinciat. *Stat. Th.* 9, 802. ferri lumine diro Turbatus sonipes sese, dominumque retorsit In latus. *Ov. Trist.* 1, 1, 83. Quicumque Argolica de classe Capharea fugit, Semper ab Euboicis vela retorquet aquis. *Virg. A.* 12, 485. aversos currus Juturna retorsit. *Cic. Cat.* 2, 1. *f.* Retorquet oculos saepe ad hanc urbem. *Quint. decl.* 8, 8. *extr.* Omnium oculos in se retorquere, *h. e.* convertere. [*V. *Burm.* ad h. l.] *Virg. A.* 8, 460. Demissa ab laeva pantherae terga retorquens. Ubi *Serv.:* A sinistro humero pellem demissam habuit, quam retorquens, et in dextram revocans, se amiciebat. ℙ Translate. *Virg. A.* 12, 841. Annuit his Juno, et mentem laetata retorsit, *h. e.* ab ira et tristitia revocavit, et alio flexit. *Sen. Ben.* 3, 3. *med.* Nemo nostrum novit nisi id tempus, quod cum maxime transit: ad praeterita rari animum retorquent. *Just.* 34, 4. Hortati sunt, ut crudelitate patris provocatus, occupet insidias, et in auctorem retorqueat scelus. *Ulp. Dig.* 38, 2, 14. *med.* Si ab eo petitus retorsit in eum crimina. *Appul. Flor. n.* 18. Discipulus biceps illud argumentum retorsit, *h. e.* convertit in adversarium. ℙ *Retorquere aliquem*, repellere, retro agere. *Hor. Od.* 2, 19, 21. de Baccho: Tu, cum parentis regna per arduum Cohors Gigantum scanderet impia, Rhoetum retorsisti leonis Unguibus, horribilique mala. *Quint. decl.* 16, 18. Tibi imputes, quod me retorsisti, *h. e.* retraxisti. ℙ *Retorquere viam*, redire viam, eandem viam rursus inire. *Claud. de Phoenice*, 27. ubi mille vias longinqua retorserit aestas.

RĒTORRESCO, is, n. 3. *καταξηραίνομαι*, retorridus fio, aresco. *Colum.* 3, 3. *med.* Sata non ita enutriunt, ut ante convalescant ac prosiliant, quam retorrescant. Adde *ib.* 5. et 17. *f.*

RĒTORRĬDĒ, adv. *κατεξηραμένως*, aride. *Plin.* 17, 5, 3. Terram amaram, sive macram, siquis probare velit, demonstrant atrae herbae: frigidam autem retorride nata.

RĒTORRĬDUS, a, um, adj. *καταξηρός*, valde torridus, nimio sole, aut frigore ustus, ambusto similis, exsuccus, corrugatus, aridus, siccus: et fere de plantis dicitur. *Varr. R. R.* 1, 9. *f.* Prata retorrida et muscosa. *Colum.* 3, 12. (et 4, 5. *extr.*) Nimia siccitas destituit plantas naturali alimento, aut in totum necat, aut scabras et retorridas facit. *Id.* 11, 2. *med.* Oleae cacuminibus retorridae frondis. *Plin.* 15, 29, 36. Myrtus retorrida ac squalida. *Id.* 17, 26, 39. Si frigus gemmas retorridas hirtasque fecerit. *Id. ib.* 22, 35. *n.* 11. Fructus retorridus, et nodosus. *Sen. ep.* 12. Nodosi et retorridi rami. *Plin.* 27, 12, 97. Herba spinis retorrida, lanugine spissa. ℙ Translate. *Phaedr.* 4, 1. de murib.: Aliquot secutis, venit et retorridus, Qui saepe laqueos

et muscipula effugerat, *h. e.* annis obsitus, macilentus, enectus, pelle corrugata et arida: atque adeo callidus, astutus. *Gell.* 15, 30. Qui ab alio genere vitae detriti jam et retorridi, ad litterarum disciplinas serius adeunt. *Capitol. Maxim.* 6. Vultu gravissimus, et retorridus, *h. e.* tristis, corrugata fronte, severus. Al. leg. *verecundus. Lampr. Alex. Sev.* 59. Gallicanae mentes, ut sese habent durae ac retorridae, et saepe imperatoribus graves, severitatem hominis nimiam non tulerunt, *h. e.* asperae, difficiles, intractabiles, inflexibiles, ut sunt arentes arborum rami. Ita *Salmas.* Al. leg. *retrorsae*, aut *retrogradae.*

RĒTORTUS, a, um, part. a *retorqueo: καμπύλος*, contortus, flexuosus. *Colum.* 8, 7. Specus alios simplices et rectos, alios in cochleam retortos. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 86. Colla nec ornatu patitur mollire retorto, *h. e.* torque. *Mart.* 6, 39. Hic qui retorto crine Maurus incedit; et *Virg. A.* 12, 100. ille retorto Paeonium in morem senior succinctus amictu, *h. e.* circa corpus obvoluto. *Hieron. ep.* 64. *n.* 10. Refert Josephus *(Antiq. Hebr.* 3, 8. *ἐκ βύσσου κλωστῆς)* haec feminalia de bysso retorta ob fortitudinem solere contexi. ℙ Item retro tortus, reflexus. *Plin. Pan.* 34. *med.* Intueri delatorum supina ora, retortasque cervices. *Hor. Od.* 3, 5, 21. vidi ego civium Retorta tergo brachia libero. ℙ Item retro actus, retro pulsus, repulsus. *Id. ib.* 1, 2, 13. Vidimus flavum Tiberim, retortis Litore Etrusco violenter undis, Ire, etc. *Sen. Hipp.* 676. Ac versa retro sidera obliquos agant retorta cursus. ℙ Translate. *Diomed.* 2, 423. Syllabae, ut ait *Varro*, aliae sunt asperae, aliae lenes, procerae aliae, aliae retortae, etc. Retortae sunt, quae mutam habent extremam, ut *hic, haec, hoc.*

RĒTOSTUS, a, um, part. ab inus. *retorreo: παλίνοπτος*, iterum, aut valde tostus. *Plin.* 13, 4, 9. Thebaidis palmae fructus in cados conditur cum sui ardoris anima: ni ita fiat, celeriter exspirat, marcescitque non retostus furnis.

[RĒTOVĪNUS, a, um, adj. ad Retovium, nunc *Retorbio*, pertinens, oppidum Italiae in Liguria, quod *Liv.* 32, 29. Litubium, fortasse mendose, vocat. *Plin.* 19, 1, 1. Retovinis linis tenuitas summa densitasque, candor aeque ut Faventinis, sed lanugo nulla, quod apud alios gratiam, apud alios offensionem habet. *F.*]

RETRACTĀTĬO, onis, f. *ἀναμεταχείρισις*, actus retractandi, *h. e.* opinionem revocandi. *Cic. Tusc.* 5, 29. Ut sine retractatione libere dicere auderent, sapientes esse semper beatissimos. *Id. Att.* 13, 25. Conficies, et quidem sine ulla dubitatione, aut retractatione. *Id. Phil.* 14, 14. *f.* Cum sine ulla retractatione pro patria vitam profuderint, *h. e.* detrectatione, recusatione. Omnibus his loc. alii leg. *retrectatio.* [**Orell.* habet *retractatio. Liv.* 6, 28. *med.* Sine retractatione. Sic ed. *Drak.*, ubi ed. *Gron.* habet *retrectatione. B. A.*] ℙ *Retractationes* inscripsit *August.* libros duos, in quibus multa retractat et corrigit, quae in aliis operibus scripserat.

RETRACTĀTOR, oris, m. qui detrectat, et recusat aliquid facere. *Tert. Jejun.* 15. Retractator officii. Al. leg. *detrectator. Spart. G.* 4. Fuit moribus asperis, retractator, gulosus, cupidus, etc. Ita *Salmas.* ex MSS. Alii *tractator.*

RETRACTĀTUS, a, um, part. a *retracto:* recognitus, recensitus. *Quint.* 2, 4. Quoties eandem materiam rursus a me retractatam scribere de integro juberem. Al. leg. *tractatam. Plin. ep.* 8, 21. *f.* Leges librum, sed retractatum. *Cic. Att.* 16, 3. Sed tamen idem *σύνταγμα* misi ad te retractatius, et quidem *ἀρχέτυπον* ipsum crebris locis inculcatum, et refectum.

RETRACTĀTUS, us, m. retractatio. *Tert. Apol.* 4. Dure definitis dicendo, non licet esse vos: et hoc sine ullo retractatu humaniore praescribitis; et *adv. Marc.* 1, 1. *f.* Alius libellus hunc gradum sustinebit adversus haereticos, etiam sine retractatu doctrinarum revincendos, quod hoc sint de praescriptione novitatis, *h. e.* etiam si eorum doctrinae non retractentur, et ad examen non revocentur. *Id. Praescr.* 7. Eaedem materiae apud haereticos, et philosophos volutantur, iidem retractatus implicantur.

RETRACTĬO, onis, f. actus retrahendi, contractio, diminutio, detractio. *Macr. Sat.* 1, 14. Modo auctio, modo retractio dierum proveniebat. *Arnob.* 5, 162. Tam gerere illa morem sine ulla retractione debuerat, *h. e.* non retrahendo se, non recellendo. ℙ In gradibus scalarum retractio est spatium et latitudo, qua gradus superior ab inferiore retrahitur, ut pedi scandentium locum praebeat insistendi. *Vitr.* 3, 3. Retractiones graduum nec minus quam sesquipedales, nec plus quam bipedales faciendae videntur.

RETRACTO, as, avi, atum, a. 1. iterum tracto, contingo, refrico. *Virg. A.* 10, 396. Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant. *Ov. Trist.* 4, 4, 41. (et *ib.* 3, 11, 19.) Neve retractando nondum coeuntia rumpam Vulnera. *Id. Met.* 10, 288. rursusque manu sua vota retractat, et *ib.* 370. furiosaque vota retractat. *Virg. A.* 7, 693. desuetaque bello Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat, i. e. resumit. Adde *Liv.* 2, 30. Tutius visum est defendi inermes Latinos, quam pati retractare arma. ℙ Item renovo, reficio. *Colum.* 4, 26. Pedamenta post putationem retractanda sunt, partesque eorum putres dedolandae. ℙ Item rursus inspicio, recognosco, memoria repeto, iterum commemoro, *ἀναλογίζομαι. Colum.* 1, 4. Ager prima inspectione neque vitia, neque virtutes abditas ostendit, quae mox retractantibus facilius apparent. *Id. praef. med.* Saepe mecum retractans atque recogitans, quam turpi consensu deserta exoleverit disciplina ruris. *Cic. N. D.* 2, 28. et *Ov. Met.* 4, 568. Retractare et relegere aliquid. *Sen. ep.* 46. *f.* De libro tuo plura scribam, cum illum retractavero. *Varr. L. L.* 7, 1. *in.* Quod cum de copia verborum scribam, erit retractandum. *Suet. Aug.* 34. Leges retractavit, et quasdam ex integro sanxit. *Ov. Met.* 7, 714. mecumque Deae memorata retracto. *Suet. Gr.* 2. Carmina poetarum diligentius retractare. *Eum. or. pro restaur. schol.* 6. Me jussit disciplinam artis oratoriae retractare, *h. e.* resumere, iterum profiteri. *Cic. Att.* 8, 9. *f.* Sed haec omittamus: augemus enim dolorem retractando. *Sen. Controv. praef., med.* Retractare memoriam carissimi sodalis. ℙ Item reviso, relego, recenseo emendandi gratia. *Plin. ep.* 5, 8. *med.* Egi magnas et graves causas: has destino retractare, ne tantus ille labor meus, nisi hoc, quod reliquum est, studii addidero, mecum pariter intercidat. Adde *ep.* 4, 9. *extr.* et *ep.* 9, 10. et 40. Sic *Gell.* 3, 3. *f.* Fabulae a Plauto retractatae atque expolitae sunt; et 17, 10. Retractare et corrigere aliquid. ℙ Praeter ea cum sit frequentativum a *retraho*, significat revocare, reprobare, omittere, quasi se retrahendo, *ἀναπόθεμαι. Virg. A.* 12, 11. nihil est quod dicta retractent Ignavi Aeneadae, nec quae pepigere recusent. *Trajan.* ad *Plin. ep.* 10, 112. Ne multorum securitas subruatur, factas ante aliquantum temporis largitiones retractari, atque in irritum vindicari non oportet. ℙ Item reprobare, improbare. *Gell.* 14, 3. Retractandi levandique ejus operis gratia. ℙ Denique est retrahere se, recusare, reluctari, detrectare; atque hac notione etiam *retrecto* scribitur. *Cic. Tusc.* 1, 31. Veniet tempus, et quidem celeriter, et sive retractabis, sive properabis, *h. e.* cunctaberis, invitusque progredieris. *Liv.* 3, 52. Secuta exercitum plebs, nullo, qui per aetatem ire posset, retractante; et 37, 18. *med.* Eumene summae rei discrimen haud dubie retractante. Alii utrobique leg. *detrectante. Colum.* 2, 2. *f.* Retractans juvencus et calcitrosus, *h. e.* qui non potest facile duci, quo volumus, sed retractat ac renuit. Alii leg. *retrectans. Sall.* in *or. Philippi contra Lep.* Vos mussantes, et retractantes verbis et vatum carminibus, pacem optatis magis, quam defenditis, *h. e.* recusantes quidquam agere propter verba, et carmina vatum. *Virg. A.* 12, 889. Quae nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas?

RETRACTUS, a, um, part. a *retraho*, retro tractus, reductus, retro actus. *Plin.* 9, 17, 26. Mugilem longa linea ad branchias religata emissum in mare, eademque linea retractum feminae sequuntur ad litus. *Colum.* 2, 2. *med.* Plus queunt pecudes collo et pectore conari, quam cornibus: atque hoc modo tota mole corporis nituntur: at illo retractis et resupinis capitibus excruciantur. *Appul. Met.* 4. Paululum a via retractum in vallem proximam praecipitant. ℙ Saepe de eo dicitur, qui inter fugiendum captus, reducitur eo, unde fugerat. *Cic. Phil.* 6, 4. Atque ita moestus rediit, ut retractus, non reversus videretur. *Sall. Cat.* 40. et 49. Quem retractum ex itinere parens necari jussit. *Id. ib.* 48. *extr.* et *Suet. Aug.* 17. *f.* Quem retractum ex fuga supplicio affecit. *Tac. A.* 4, 29. Cessit urbe, ac retractus Ravenna exsequi accusationem adigitur. ℙ Est etiam reductus, remotus. *Liv.* 34, 9. Graecum oppidum in mare expositum: Hispanis retractior a mari murus erat. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* Hujus atrii a laeva retractius paulo cubiculum est amplum. *Liv.* 36, 21. Creusa Thespiensium emporium est, in intimo sinu Corinthiaco retractum. *Sen. Controv.* 1, 6. Retracti introrsus oculi, *h. e.* introrsum conditi, ut *Id.* ait *ib.* 1. *med.*

RETRACTUS, us, m. actus retrahendi, retractio. *Tert. adv. Gnost.* 1. Bellicam machinam retractu tela vegetantem.

RETRĀDO, is, a. 3. reddo, restituo. *Ulp. Dig.* 4, 2, 9. *med.* Ut si per vim res tradita sit, retradatur. *Modest. ib.* 24, 3, 58. Reddendus est a marito servus uxori, ea conditione, ut, cum jussu ejus adierit, rursum marito retradatur. Adde *Pomp. ib.* 19, 1, 6.

RETRĀHO, is, xi, ctum, a. 3. *ἀνέλκω*, retro, vel in contrariam partem traho. *Cic. Coel.* 26. *f.* Licinius cum jam manum ad tradendam pyxidem porrexisset, retraxit, *Pl. Rud.* 4, 3, 8. Quid tu, malum, nam me retrahis? *Virg. A.* 5, 709. quo fata trahunt, retrahuntque, sequamur; et *ib.* 10, 307. retrahitque pedem simul unda relabens. *Cic. Fin.* 2, 17. *f.* Scipio Annibalem in Africam retraxit. *Ov. Met.* 3, 87. se retrahebat ab ictu, Laesaque colla dabat retro. *Auct. B. Hisp.* 6. Retrahere aliquem a via. ℙ *Retrahi* dicuntur, qui in fuga capti, eodem, unde aufugerant, reducuntur. *Caes. B. G.* 5, 7. *med.* Partem equitatus ad eum insequendum mittit, retrahique imperat. *Liv.* 25, 7. Missi qui sequerentur, ab Tarracina comprehensos omnes retraxerunt. *Just.* 38, 9. Fugientem Phraates, equitum celeritate per compendiosos tramites occupatum, retrahit. V. RETRACTUS, a, um. *Ter. Heaut.* 4, 2, 11. Retraham hercle, opinor, ad me idem illud fugitivum argentum tamen. [**V. Duk.* ad *Flor.* 3, 9.] ℙ Item rursus traho. *Tac. A.* 15, 57. Postero die cum ad eosdem cruciatus retraheretur, etc. *Id. ib.* 13, 23. *extr.* Tabulae exustae sunt, quibus oblitterata aerarii monumenta retrahebat, *h. e.* exigendi causa rescribebat, et quodammodo reviviscere faciebat. *Varr. L. L.* 4, 1. *in.* Quare illa *(verba)* quae jam majoribus nostris ademit oblivio fugitiva, secuta sedulitas Mucii et Bruti retrahere nequit, *h. e.* in usum reducere. ℙ Item avoco, revoco, abduco, abstraho. *Cic. Sext.* 15. Cum duos consules a republica provinciarum foedere retraxisset. *Id. decl. in Sall.* 3. Atque ipsa republica manu retrahente me. *Ter. Ph. prol.* 1. Postquam poeta vetus poetam non potest retrahere ab studio, et transdere hominem in otium. ℙ Item eripio, vindico. *Nep. Ep.* 8. *med.* Uno proelio Thebas ab interitu retraxit. *Aug.* in *ep.* ap. *Suet.* 71. Ad summam tamen perdidit non multum, sed ex magnis detrimentis praeter spem paulatim retractus est. ℙ Item repono, restituo. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 41. Qui damnati ad poenam erant, non modo ea liberati sunt, sed in conditionem proborum ministrorum retrahuntur. ℙ Item converto, in contrarium traho. *Cic. Part.* 39. Deinde genus ejusmodi calliditatis et calumniae retrahatur in odium judicis, cum quadam invidiosa querela. ℙ *Retrahere se*, se subducere. *Hor. Ep.* 1, 18, 58. Ac ne te retrahas, et inexcusabilis absis. *Cels.* 1, 1. Interdum in convictu esse, interdum ab eo se retrahere. *Catull. carm.* 30, 9. Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia ventos irrita ferre sinis, *h. e.* a fide et promissis discedis. ℙ *verba*, supprimere, sermonem abrumpere, aliquo, cui non fidis, superveniente. *Sen. ep.* 3. *med.* Quid est ergo, quare ulla verba coram amico meo retraham? quid est, quare me coram illo non putem solum? ℙ *vires ingenii*, retinere, reprimere, non omnes exserere. *Sen. ep.* 79. *med.* Modestia tanta in te est, ut videaris mihi retracturus ingenii tui vires, si vincendi periculum sit, tanta tibi priorum reverentia est. ℙ *noctes*, ad brevitatem reducere, contrahere. *Manil.* 4, 253. de Capricorno: brumalem servans per sidera sortem, Qua retrahis ductas summa ad fastigia noctes. ℙ Pro simplici *traho. Tac. A.* 16, 1. Nocturnae quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit, *h. e.* somnium pro re certa habuit.

[RETRANSĒO, is, ivi, n. 4. iterum transeo. *Innocent. de Cas.* p. 222. *Goes.* Casa retransit limitem sextaneum ante se. *F.*]

RETRANSĪTĬO, onis, f. iterata transitio. Est *Prisc.* 17, 1086. et 1092., ubi loquitur de pronomine *sui, sibi, se.*

(RETRANSMITTO, is, a. 3. iterum transmitto, idem ac retranseo. *Auct. Itin. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 103. Bactris ipse profectus retransmittit protinus Caucasum. V. TRANSMITTO. *F.*]

RETRECTO. V. RETRACTO.

RETRĪBŬO, is, ui, utum, a. 3. *ἀνταποδίδωμι*, reddo, restituo, quasi retro tribuo. *Liv.* 2, 41. *med.* Jubet, pro Siculo frumento pecuniam acceptam retribui populo. ℙ Item vicissim tribuo. *Lucr.* 5, 276. Semper enim quodcumque fluit de rebus, id omne Aeris in magnum fertur mare: qui nisi contra Corpora retribuat rebus, recreetque fluentes, Omnia jam resoluta forent, et in aera versa. ℙ Item assigno, adscribo, attribuo. *Cic. Rosc. Com.* 15. Nihil mihi detraham, cum illis exactae aetatis severissime fructum, quem meruerunt, retribuam.

RETRĪBŬTĬO, onis, f. *ἀντιδωρεά, ἀνταπόδοσις*, remuneratio. *Tert. Apol.* 18. Deus judicaturus est cultores suos in vitae aeternae retributionem. *Sidon. ep.* 4, 11. *med.* Merita sua spe futurae retributionis celare studuit. ℙ In malam partem. *Lact.* 6, 18. *med.* Voluit *(Tullius)* hominem canino more vivere, ut remordeat lacessitus. Quae retributio contumeliae quam perniciosa sit, etc.

RETRĪBŬTOR, oris, m. qui retribuit, et compensat. *Tert. adv. Marc.* 4, 29. *med.* et *ib.* 5, 16.

RETRĪBŪTUS, a, um, part. a *retribuo:* redditus. *Pl. Nol. carm.* 32, 513. Cur aliena tenes? qua spe linquenda retentas Nec retributa suis, nec potienda tibi?

RETRĪCĪBUS, cum ait Cato in ea, quam scripsit, cum edissertavit Fulvii Nobilioris censuram, significat aquam eo nomine, quae est supra viam Ardeatinam, inter lapidem secundum et tertium: qua irrigantur horti infra viam Ardeatinam et Asinariam, usque ad Latinam. Haes *Festus: Retrices* itaque sunt rivi aquae: fortasse a *ῥεῖθρον*, vel *ῥέεθρον*, fluentum, rivus, ut vult *Martinius.*

[RETRĪCO, as, a. 1. iterum trico, h. e. tricis involvo. *Not. Tir.* p. 150. Tricat, intricat, extricat, retricat. *F.*]

RETRĪMENTUM, i, n. *ἀπόχριμα*, cujuslibet rei excrementum. *Varr. R. R.* 1, 64. Amurca cum ex olea est expressa, qui est humor aquatilis, ac retrimentum conditum in vas fictile. *Cels.* 5, 15. et 19. *n.* 26. Plumbi retrimentum *ὀχωρίαν μολύβδου* vocant Graeci. ℙ In animalibus quoque excrementa

omnia *retrimenta* vocantur, ἀφοδεύματα. *Varr.* ap. *Non.* 3, 158. Retrimenta cibi, quae exierant per posticum, evallefecerunt. *Macr. Sat.* 7, 4. In ventre fit prima digestio, cujus faex retrimenta sunt, quae per intestina labuntur. *Id. ib.* 15. *f.* Urina est retrimentum potus.

[RETRĬOR, us, oris, adj. posterior: a *retro*. *Vet. Schol.* ad *Juven.* 11, 138. Pygargus, fera est specie cervi, quae retriores partes albas habet: ideo et pygargus dictus est, quia Graece nates πυγὴ dicuntur. V. PYGARGUS. *F.*]

RETRĪTŪRO, as, a. 1. idem quod trituro, vel iterum trituro. *August. ep. ad Macr.* 255, 3.

RETRĪTUS, a, um, part. a *retero*, valde tritus. *Naev.* ap. *Fest.* in *Rutabulum:* Senile retritum rutabulum.

RETRO, adv. ὀπίσω, ὄπισθεν, a tergo, post, in eam partem, quae a tergo est: et cum statui, tum motui inservit. *Ter. Heaut.* 5, 1, 29. Est mihi in ultimis conclave aedibus quoddam retro. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 15. *med.* Iter mihi necessarium retro ad Alpes versus incidit. *Cic. Div.* 1, 24. Praecepit, ut pergeret protinus: quid retro atque a tergo fieret, ne laboraret. *Hor. Od.* 1, 35, 25. meretrix retro Perjura cedit; et *ib.* 2, 11, 5. fugit retro Levis juventas et decor. *Ov. Met.* 4, 134. retro ferre pedem; et *ib.* 3, 10. flectere ora; et *ib.* 1, 529. Et levis impexos retro dabat aura capillos. *Liv.* 30, 10. *f.* Retro inhibere navem. *Virg. A.* 5, 428. Abduxere retro longe capita ardua ab ictu. *Id. ib.* 9, 392. simul et vestigia retro Observata legit; et *ib.* 4, 489. Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro; et *ib.* 3, 686. certum est dare lintea retro, *h. e.* retro navigare. *Id. G.* 4, 495. en iterum crudelia retro Fata vocant, *h. e.* revocant. *Inscr.* ap. *Mur.* 840, 7. Ante portam ped. XII. a retro p. XV. Alia ap. *Gud.* 299, 4. In Fr. P. VIII. a ret. P. V. Adde aliam *ib.* 197, 1. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 635. Ante, et a retro. P [**Retro ire* flumina dicuntur, cum de re non verosimili sermo est. *Virg. A.* 11, 405. Amnis et Adriacas retro fugit Aufidus undas; ubi v. *Serv. Ov. Trist.* 1, 7, 1. In caput alta suum labentur ab aequore retro Flumina. V. *Erasm. Adagg.* p. 719. et *Drak.* ad *Sil.* 5, 253. Laudat haec *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 5, 30.] P Amat pleonasmum. *Cic. Tusc.* 5, 2. *f.* Tam longe retro respicere non possunt. *Auct. B. Afr.* 50. Retro regredi. *Phaedr.* 2, 1. et *Virg. A.* 9, 798. referre pedem. *Id. ib.* 794., *Ov. Met.* 15, 249. et *Liv.* 24, 20. redire. *Id. ib.* 40. Navibus Oricum retro, unde venerat, ad ceteram classem remissis. [*Adde 38, 16. Cf. *Heindf.* ad *Cic. N. D.* 2, 43. p. 224.] P Translate. *Sen. ep.* 122. *f.* Infamiam petunt omnes isti, qui, ut ita dicam, retro vivunt. P Refertur etiam ad tempus praeteritum. *Hor. Od.* 3, 29, 43. cras vel atra Nube polum Pater occupato: non tamen irritum Quodcumque retro est, efficiet. *Traj.* ad *Plin. ep.* 10, 116. Cujus legis vim si retro quoque velimus custodire, multa necesse est perturbari, *h. e.* in iis, quae jam acta sunt. *Id. ib. ep.* 120. Obsonia eorum certaminum retro non debentur, *h. e.* pro tempore praeterito. *Inscr.* ap. *Grut.* 281, 4. Magno, invicto ac super omnes retro principes fortissimo Imp. Caes. M. Aurelio Maximiano, pio, felici, etc. Adde *Pacat. Pan. Theod.* 1. *Id. ib.* 22. *med.* Persis ipsa, reipublicae nostrae retro aemula. Adde *Plin. ep.* 10, 119., *Stat. Silv.* 1, 4, 68. et *Capitol. Pert.* 9. P Translate. *Virg. A.* 10, 6. Coelicolae magni, quia nam sententia vobis Versa retro? *h. e.* mutata, in contrarium versa. *Sen. Controv. prooem.* 1. Nescio qua iniquitate naturae, eloquentia se retro tulerit, *h. e.* collapsa sit, et a pristino nitore recesserit. *Cic. Tusc.* 5, 31. Honestatem sic complectitur, ut omnia, quae sine ea sint, longe et retro ponenda censeat: *longe*, a se removendo: *retro*, posthabendo. *Lucr.* 1, 943. retroque Vulgus abhorret ab hac, *h. e.* refugit, et aversatur. *Marcell. Dig.* 46, 3, 67. Aliquot nummos accipiendo ab eo, eique retro dando, *h. e.* reddendo, vicissim dando; et *mox:* Ut cum decem acceperit, eadem ei retro reddat. P Pro viceversa, contra. *Afran. Dig.* 46, 1, 21. Si hic servus manumissus fidejussorem dederit, deinde fidejussori suo heres exsistat, durare causam fidejussionis, etc. Retro quoque si fidejussor servo manumisso heres exstiterit, eadem adversus eum stipulatio manet. Adde *Cajum ib.* 7, 7, 4.

RETRŌACTUS et Retro actus, a, um, part. a *retroago*, retrorsum actus. *Quint.* 9, 4. *med.* Dactylum retroactum appellari constat anapaeston.

RETRŌĂGO et Retro ago, is, egi, actum, a. 3. ἀποστρέφω, retrorsum ago. *Quint.* 11, 3. *med.* Capillos a fronte contra naturam retroagere, ut sithorror ille terribilis. *Id.* 1, 1. *med.* Ut cum satis litteras affixisse pueris recto illo, quo primum scribi solent, contextu videntur, retroagant rursus, donec litteras facie norint, non ordine. *Id.* 2, 4. *med.* Retro agere expositionem, et a media in utramque partem discurrere; et 12, 2. *med.* ordinem, *h. e.* invertere, ab ultimis incipiendo. *Plin.* 7, 44, 45. Quos non honores currusque illa sua violentia fortuna retro egit, per mediam Urbem censore tracto in Capitolium illud, in quod triumphans ipse captivos traxerat? *Sen. Ira* 1, 16. *med.* Iram saepe misericordia retro egit, *h. e.* mutare propositum, et quasi cursum coegit.

RETROCĔDENS et Retro cedens, entis, part. ab inus. *retrocedo:* ἀναποδίζων, retrorsum cedens, retro gradiens. *Liv.* 8, 8. *med.* Pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum principes recipiebant.

RETROCESSUS, us, m. ἀναχώρησις, regressio. *Appul. Dogm. Plat.* 1. Illis septem motus, processus, et retrocessus, dexterioris, ac sinistri, etc.

RETROCĪTUS, a, um, part. ab inus. *retrocieo*, reflexus, recurvus. *Lucr.* 4, 548. Nec simili penetrant aures primordia forma, Cum tuba depresso graviter sub murmure mugit, Aut reboant raucum retrocita cornua bombum.

*RETRODO vel rectius Retro do, est *Marcian.* in *Pandect.* 46. *tit.* 3. leg. 67. *B. A.*

RETRODŪCO et Retro duco, is, a. 3. ἀνάγω, retrorsum duco, reduco. *Vitr.* 10, 6. *f.* Sed non poterat ad lineam via recta ducere, sed exibat in unam vel alteram partem: ita necesse erat rursus retroducere. *Mart. Dig.* 34, 5, 16. Quaedam sunt, in quibus res dubia est, sed ex postfacto retroducitur, et apparet, quid actum sit.

RETROĒO et Retro eo, is, n. 4. ὑπερωτέω, retrorsum eo. *Plin.* 2, 16, 13. Progreditur radii violentia, et retroire cogit vapor repercussus. *Sen. Q. N.* 7, 21. Deficiente materia, retroiens ipse descendit.

RETROFLECTO et Retro flecto, is, a. 3. ἀναχάμπτω, retrorsum flecto, reflecto. *Petr. Sat.* 126. Frons minima, et quae radices capillorum retroflexerat.

RETROFLEXUS et Retro flexus, a, um, part. a *retroflecto*, retrorsum flexus. *Appul. Met.* 3. Manibus ambabus capillo abreptum, ac retroflexum effligere lapide gestit.

RETROGRĂDĀTĬO, onis, f. retrocessus. *Capell.* 8. *f.* Retrogradatione sua viciniae solis admotus.

RETROGRĂDIOR et Retro gradior, eris, dep. 3. ἀναχάζω, retrorsum gradior, retroeo. *Plin.* 8, 15, 16. Labrum ei *(achli)* superius praegrande: ob id retrograditur in pascendo, ne in priora tendens involvatur. P Habet locum in motibus planetarum, cum moveri videntur contra Signorum ordinem. *Id.* 2, 15, 12. Ab his terminis retrogradiuntur ad solem; et *ib.* 17, 14. Mox ab altitudine descendit, retroque graditur ab occasu vespertino usque ad exortum matutinum.

RETROGRĂDIS, e, adj. retrogradus. *Appul. Met.* 4. Sensim retrogradi gradu domum facesso. *Locus est p. 151. ed. *Elmenh.* vel p. 195. ed. *Vulcan. B. A.*

RETROGRĂDO, as, n. 1. retrogradior. *Capell.* 8. *f.* Solis radius eas retrogradare facit.

PETROGRĂDUS, a, um, adj. qui retrograditur, ὀπισθοπόρος: et dicitur de planetis recedentibus, ut in RETROGRADIOR dictum est. *Sen. Q. N.* 7, 25. *med.* Utrum emergeret Juppiter, an occideret, an retrogradus esset, (nam hoc illi nomen imposuere cedenti) ante paucos annos didicimus. *Plin.* 2, 17, 15. *extr.* Mercurii sidus retrogradum in Tauro, et Geminis non fieri. *Sidon. ep.* 8, 11. *med.* Super tetragono Saturnus retrogradus. P *Retrogradum carmen* ap. *August. C. D.* 17, 15. (ubi alii leg. *grande*) est reciprocum, seu recurrens.

RETROGRESSUS, us, m. retrocessus. *Macr. Sat.* 1, 17. *med.* Cum sol in Signo Cancri aestivum solstitium facit, et inde retrogressum agit ad diminutionem dierum.

RETROLĔGO et Retro lego, is, a. 3. retrorsum lego. *Quint. decl.* 6, 7. Curva litora retro lego, *h. e.* retro navigo.

RETROPENDŬLUS. V. ANTEPENDULUS.

[RETROPOSĬTUS, a, um, part. ab *retropono*. *Acron.* ad illud *Hor. Sat.* 2, 3, 299. Respicere ignoto discet pendentia tergo: id est, retroposito.

RETRORSUM et Retrorsus, adv. εἰς τοὐπίσω, ὀπίσω, retro: quasi *retroversum*, ut *antrorsum* quasi *anteversum*. Et tum motui, tum statui inservit. *Cic. N. D.* 2, 33. Ex terra aqua, ex aqua oritur aer, ex aere aether: deinde retrorsum vicissim ex aethere aer, etc. *Hor. Ep.* 1, 1, 74. me vestigia terrent Omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum. *Id. Od.* 1, 34, 3. retrorsum vela dare. *Id. ib.* 4, 8, 16. Rejectaeque retrorsum Annibalis minae. *Val. Fl.* 3, 268. dare vera retrorsus Terga metu. *Lucan.* 9, 652. ipsique retrorsum Effusi faciem vitabant Gorgonos angues. *Sil.* 11, 511. de Aufido: Mox fluctus ferit Adriacos, magnoque fragore Cedentem impellit retrorsus in aequora pontum. P Pleonasmus est in illo *Plin.* 9, 31, 51. Cancri in pavore etiam retrorsum pari velocitate redeunt; et *Appul. Met.* 2. Retrorsus respiciens substitit. V. RETRO. P Translate. *Quint.* 5, 9. Quaedam argumenta et retrorsus idem valent, ut vivere hominem, qui spirat: et spirare, qui vivit; et *Flor.* 4, 12. *med.* Sumpserant bellum adeo certa victoriae spe, ut praedam in antecessum pactione diviserint: Cherusci equos, Suevi aurum et argentum, Sicambri captivos elegerant. Sed omnia retrorsum: victor namque Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsosque praeda divisit et vendidit; et *African. Dig.* 44, 3, 6. Hunc perinde haberi, ac si retrorsum homo mihi vaenisset, *h. e.* si homo a me venditus, rursus ad me emptione redisset. P Adhibetur ad designandum tempus praeteritum. *Ulp. Dig.* 15, 1, 32. *f.* Retrorsum ad id tempus conventionem reducere emptoris, quo venditor conventus sit, *h. e.* in tempus praeteritum. Sic *ib.* 13, 5, 18. Retrorsum se actio refert.

RETRORSUS, a, um, adj. retro versus. *Plin.* 26, 9, 59. Atque ita retrorsa manu ter dicat, *h. e.* retrorsum adducta. *Appul. Met.* 2. Denique saepe retrorsa respiciens substitit. Ita *Pricaeus*, et alii: alii leg. *retrorsus*. Adjectivum videtur esse etiam in illo *ejusd. Met.* 6. Iter retrorsum porrigens. P *Retrorsior* est antiquior: a *retro*, et *retrorsum*, cum pro ante ponitur. *Tert. Apol.* 19. Extremissimi eorum non retrorsiores deprehenduntur vestris sapientibus legiferis, et historicis. Alii leg. *retrosiores* eodem sensu, a *retro:* vel legendum *retriores*. V. RETROR.

RETROSĬOR. V. in v. praec.

RETROSPĬCIENS, entis, part. ab inusit. *retrospicio*, retro aspiciens. *Vitr.* 9, 4. Lunae orientis orbem sol retrospiciens.

RETROVERSIM, et

RETROVERSUM, et

RETROVERSUS, adv. recessim, retrorsum. *Pl. fragm.* ap. *Non.* 2, 592. Retroversum cedam, imitabor nepam. *Petr. fragm. Trag.* 44. *Burm.* Colonia retroversus crescit, tanquam coda vituli. *Claud. Mamert. Stat enim.* 7. Radii corporum repercussu retroversim cedentes.

RETROVERSUS, a, um, part. ab inus. *retroverto*. *Ov. Met.* 4, 655. Ipse retroversus squalentia prodidit ora. *Lactant.* 1, 16. *f.* Argumentum retroversum idem valet.

RETRŪDO, is, a. 3. ἀνωθέω, retro trudo. *Pl. Epid.* 2, 2, 63. Coepi rursum versum ad illas pauxillatim accedere, quasi retruderet hominum me vis invitum. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 1, 5, 1. In metallum retrudendus. P *Part. *retrudens* ap. *Auct. Itin. Alex.* 59. ed. *A. Maio.* Adde 115. *B. A.*

RETRŪSUS, a, um, part. a *retrudo:* retro trusus, et a conspectu remotus. *Cic. Verr.* 2, 1, 3. Simulacra Deorum, quae non modo ex suis templis ablata sunt, sed etiam jacent in tenebris, ab isto retrusa atque abdita. *Id. Or.* 1, 19. *f.* Haec sunt in media philosophia retrusa atque abdita. *Q. Cic. Pet. cons.* 11. *f.* Frons est animi janua: quae si significat, voluntatem abditam esse ac retrusam, etc.

RĔTUNDO, is, tudi, tusum, et tunsum, a. 3. ἀμβλύνω, repercutio, repello, hebeto cuspidem aut aciem cujuspiam rei. *Plin.* 16, 40, 76 *n.* 3. Tilia citissime ascias retundit. *Ov. Am.* 2, 9, 13. Quid juvat in nudis hamata retundere tela Ossibus? *Lucan.* 6, 160. confringite tela Pectoris incursu, jugulisque retundite ferrum. *Id.* 5, 601. Occurrit gelidus Boreas, pelagusque retundit. P Translate est reprimere, coercere, repellere, vanum et irritum reddere. *Cic. Cat.* 3, 1. *med.* Gladios in rempublicam destrictos retudimus. *Id. Sull.* 30. Cujus nuper ferrum retuderim, flammamque restinxerim. *Id. Cluent.* 44. Censorii stili mucronem multis remediis majores nostri retuderunt. *Quint.* 10, 5. *med.* Mucro ingenii quotidiana pugna retunditur. *Att.* ap. *Cic. Att.* 16, 15. *med.* In praesentia belle iste puer retundit Antonium. *Lentul.* ad *Cic. Fam.* 12, 14. *med.* Alicujus improbitatem retundere. *Prud. Cath.* 6, 94. iram. *Phaedr.* 4, 23. superbiam. *Ter. Heaut.* 5, 1, 72. animum, qui luxuria et lascivia diffluit. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 6. sermones. *Liv.* 33, 31. *med.* linguas Aetolorum; et *Plin. ep.* 3, 15. Hebetare et retundere aculeos judicii. *Nazar. Pan. Constant.* 5. Nec intuentem iniquus fulgor retundit. *Hieron. ep.* 14. *n.* 3. *extr.* Aries iste pietatis, quo fides quatitur, Evangelii retundendus est muro. V. Alia in RETUSUS. P [*Confund. *retundere* et *recondere* V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 161. et *refundere Id. ib.* 5, 601.]

RĔTUNSUS, a, um, part. a *retundo*, percussus, obtusus, perstrictus. *Pl. Ps.* 1, 2, 26. Securis retunsa; et 4, 4, 8. Quam diu mihi cor retunsum est oppugnando pectore! et 1, 2. 26. Servi plagis retunsi. *Virg. G.* 2, 301. neu ferro laede retunso Semina. *Pier.* testatur ita legi in exemplarib. antiquioribus. Alii *retuso*. V. OBTUNSUS.

RĔTURO, as, a. 1. aperio. *Varr.* ap. *Non.* 4, 330. Pueri obscenis verbis novae nuptae aures returant. Quo loco ad veterum respexit consuetudinem, qui, simul ac virgo nupta detulisset praetextam ad Fortunam Virginalem, pueris permittebant, ut coram ea obscena verba proferrent: ante vero Veneris vocabulis acerbae virginis aures imbuere non licebat. Eadem verba *Varr.* refert idem *Non.* etiam 2, 749. *Arnob.* 1, 31. Ora coarticulare mutorum, surdorum auriculas returare. [**Doederl.* 3, 168. pro *returare* legendum censet *reserare. Id. ib.* 167. docet, v. *returare*, nonnisi duriore pronunciatione ab inus. forma frequent. *retusare* verbi *retundere* diversum, non contrarium esse v. *obturare*, sed eandem significationem vindicare: atque in loco *Varr.* vv. *obscenis verbis* non dat. sed abl. posita esse.]

RĔTUSUS, a, um, part. a *retundo:* ἀμβλυνθείς, obtusus. *Ov. Met.* 12, 496. Tela retusa cadunt: manet imperfossus ab omni Inque cruentatus Caeneus Elateius ictu. *Colum.* 4, 24. *f.* Retusum et crassum ferramentum. *Petr. Sat.* 94. *f.* Rudis novacula, et in hoc retusa, ut pueris discentibus audaciam tonsoris daret. P Item repercussus. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 135. de Hyacintho: te fronte retusa Delius luget.

¶ Translate est hebes, minime acutus, aut perspicax. *Cic. Div.* 1, 36. *f.* Partes agrorum aliae, quae acuta ingenia gignant, aliae quae retusa. *Claud. in Eutrop.* 2, 47. adeone retusi Quisquam cordis erit, dubitet qui, etc? *Hieron. ep.* 69. *n.* 4. Acumen omni pistillo retusius. V. PISTILLUM. ¶ De luce repercussa et reddita. *Claud. Cons. Prob. et Olybr.* 22. Haud secus ac tacitam Luna regnante per Arcton, Sidereae cedunt acies, cum fratre retuso Aemulus adversis flagraverit ignibus orbis. ¶ De subobscura, fusca, et languida. *Id. IV. cons. Honor.* 183. Visa etiam medio, populis mirantibus, audax Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso Languida, sed quantus numeratur nocte Bootes. ¶ [**Rebus retusis* ap. *Sil.* 16, 31. est: rebus fractis. *Id.* 8, 321. belli furore retuso.]

RĔVĂLESCO, is, lui, n. 3. *ἀναῤῥώννυμαι*, ex morbo convalesco. *Ov. Her.* 21, 231. Ne tamen ignores, ope qua revalescere possim, etc. *Gell.* 16, 13. Quod in eorum finibus ex capitali morbo revaluisset. ¶ Translate. *Tac. H.* 2, 54. Causa fingendi fuit, ut diplomata Othonis, quae negligebantur, revalescerent. *Id. A.* 14, 27. Laodicea tremore terrae prolapsa, nullo a nobis remedio, propriis opibus revaluit. *Appul. Met.* 10. Revalescens astutia.

RĔVĂNESCO, is, nui, n. 3. *ἀναφαίζομαι*, iterum evanesco, et in nihilum redigor. *Ov. Am.* 2, 9, 27. animique revanuit ardor. Alii leg. *relanguit, resanuit, evanuit.*

*REUDIGNI, orum, populi Germaniae septentrionalis, medio inter Albin ac Vistulam loco. *Tac. G.* 40. *B. A.*

*REVECTO, as, a. 1. i. fere q. reveho. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 42. Revectari tamen ad Macedoniam corpus meum Dii permitterent. *B. A.*

RĔVECTUS, a, um, part. a *reveho*: relatus. *Liv.* 1, 35. *med.* Praeda inde majore, quam quanta belli fama fuerat, revecta, ludos opulentius, quam priores reges, fecit. *Id.* 2, 47. Consul revectus in castra. Adde *Vell.* 2, 24.

RĔVĔHO, is, exi, ectum, a. 3. *ἀναχομίζω*, rursus aut retro veho, refero, reporto: et dicitur de iis, quae navi, aut curru, aut jumento reportamus. *Ov. Met.* 13, 401. Vela dat, ut referat, Tirynthia tela, sagittas: Quae postquam ad Grajos, domino comitante, revexit, etc. *Plin.* 12, 17, 40. Ex Syria revehunt styracem; et *ib.* 19, 42. Contra revehunt vitrea, et ahena, vestes, etc. ¶ *Revehi* dicuntur, qui equo, curru, aut navi redeunt. *Liv.* 3, 70. Conficerent equos virosque, ne quis reveheretur inde ad proelium. *Hor. Sat.* 2, 5, 4. Non satis est Ithacam revehi, patriosque penates Aspicere? *Mart.* 6, 58. Sospite me sospes Latias reveheris ad urbes. *Ov. A. Am.* 2, 138. Hac ego sum raptis parte revectus equis. *Plin.* 7, 26, 27. Eques R. curru triumphali revectus est. ¶ Pro simplici *vehere*. *Val. Fl.* 1, 98. jam stare ratem, remisque superbam Poscere quos revehat. ¶ Translate. *Cic. Brut.* 63. Sed ad paulo superiorem aetatem revecti sumus, *h. e.* revertimus sermone ad superiorem aetatem. *Plin. ep.* 8, 24. *med.* Onerat te quaesturae tuae fama, quam ex Bithynia optimam revexisti.

RĔVĔLĀTĬO, onis, f. *ἀποκάλυψις*, actus revelandi et detegendi, detectio. *Arnob.* 5, 182. Revelatio pudendorum. ¶ Translate manifestatio arcani. *Tert. adv. Marc.* 5, 4. Qui filii sui revelationem disposuit. Adde *August. Confess.* 9, 10.

RĔVĔLĀTOR, oris, m. *ἀποκαλύπτων*, qui revelat. *Tert. adv. Marc.* 4, 25. Nec revelator ipse erit, qui absconditor non fuit.

RĔVĔLĀTORĬUS, a, um, adj. *ἀποκαλυπτικός*, ad revelandum seu manifestandum pertinens. *Tertull. Anim.* 47.

RĔVĔLĀTUS, a, um, part. a *revelo: ἀποκαλυφθείς*, detectus, apertus. *Ov. Fast.* 6, 619. Ore revelato qua primum luce patebit Servius, etc. *Suet. Galb.* 7. *extr.* Ut jumentum ad lacum duceretur capite involuto, atque ibidem revelato. *Flor.* 4, 2. *med.* de Cat. Utic.: Stricto gladio revelatum manu pectus semel iterumque percussit. *Appul. Met.* 10. Carpenta partim contecta, partim revelata. ¶ Item manifestatus. *Appul. Met.* 9. Detectae ac revelatae fraudes.

RĔVELLO, is, elli, (*raro* ulsi,) ulsum, a. 3. *ἀναστάω, ἀποστάω*, avello, refigo, aufero. *Cic. Verr.* 2, 4, 11. *med.* Nec prius illam crucem, quae fixa est ad portum urbemque vestram, revellistis. *Hor. Od.* 2, 18, 23. Quid, quod usque proximos Revellis agri terminos, etc.? *Colum.* 2, 3. Boves cum ab opere disjunxerit, substrictos confricet, manibusque comprimat dorsum, et pellem revellat, nec patiatur corpori adhaerere. *Virg. A.* 9, 561. simul arripit ipsum Pendentem, et magna muri cum parte revellit; et *ib.* 12, 787. telumque alta ab radice revellit. *Ov. Pont.* 4, 13, 7. ut chartae titulum de fronte revellas. *Val. Fl.* 5, 8. flens arma revellit Idmonis e celsa Mopsus rate. *Quint. decl.* 10, 15. Revellere sidera mundo. *Cic. Pis.* 11. *med.* tela de corpore alicujus. *Sil.* 4, 181. Idem, sanguinea Venuli cervice revellens, Sternit praecipitem, etc. *Ov. Met.* 12, 356. solidoque revellere dumo Annosam pinum magno molimine tentat; et *ib.* 300. duroque sudem vix osse revellit. *Id. R. Am.* 87. Arborem tellure revellere. ¶ *Revellere signa* militare est, cum signis sublatis exercitus alio ducitur. *Sil.* 12, 733. et *Lucan.* 7, 77. ¶ Pro eruere, evertere, subruere. *Virg. A.* 4, 427. Nec patris Anchisae cineres, manesque revelli. *Ov. Amor.* 3, 10, 13. de Cerere: Prima jugo tauros supponere colla coegit, Et veterem curvo dente revellit humum. ¶ Item eripere, auferre. *Ov. Fast.* 6, 515. Injiciuntque manus, puerumque revellere tentant. ¶ Item effringere, vi reserare. *Cic. Verr.* 2, 4, 23. *f.* et *Liv.* 5, 21. *med.* Pars claustra portarum revellunt. *Lucan.* 3, 115. Ut videt ingenti Saturnia templa revelli Mole. ¶ Translate. *Sen. ep.* 95. *med.* Ut revellatur penitus falsorum recepta persuasio. Sic *Pers.* 5, 91. ira cadat naso, rugosaque sanna, Dum veteres avias tibi de pulmone revello. *Virg. A.* 4, 545. et quos Sidonia vix urbe revelli, Rursus agam pelago? et *Stat. Th.* 3, 375. Revelli natis, thalamo, patria. *Cic. Caecin.* 25. Qui jus civile contemnendum putat, is vincula revellit judiciorum, *h. e.* dissolvit. *Id. Att.* 5, 20. Perillustres fuimus, honorificisque verbis omnes injurias revellimus superiores, *h. e.* sustulimus, ex omnium memoria delevimus. *Id. Phil.* 13, 12. Consulatum alicujus ex omni monumentorum memoria revellere. *Nazar. Pan. Constant.* 3. Etsi conspectu abes, revelli tamen mentibus non potes. *Claud. in Ruf.* 2, 207. Si juvat imperium penitus de stirpe revelli. *Ov. Met.* 4, 152. quique a me morte revelli Heu! sola poteras, poteris nec morte revelli, *h. e.* separari. *Stat. Silv.* 3, 2, 57. Dissipat amplexus, atque oscula fida revellit. ¶ De altero praeterito *revulsi*. *Ov. Her.* 6, 104. Aurea Phryxeae terga revulsit ovis. *Id. Met.* 8, 584. A silvis silvas, et ab arvis arva revulsi. Ita, praeter alios, *Pierius* ad illud *A.* 4, 427. cineres, manesque revelli: ubi in oblongo codice Vaticano *revulsi* legi testatur. *Serv.* negat: *revulsi* recte dici. Grammatici *velli*, et *vulsi* simplici *vello* passim tribuunt. Ceterum *revelli* et certius, et usitatius est.

RĔVĔLO, as, avi, atum, a. 1. *ἀποκαλύπτω*, velamine ablato detegere, aperire, nudare, denudare. *Ov. Her.* 11, 73. Eripit infantem, mentitaque sacra revelat. *Arnob.* 7, 221. Via decedere, assurgere, caput revelare. *Tac. G.* 31. Super sanguinem et spolia revelant frontem, *h. e.* capillis spoliant. V. alia in REVELATUS. ¶ Translate. *Auson. Perioch. Odyss.* 21. Ulyxes Eumaeo, quis sit, revelat. *Tert. Apol.* 7. *f.* Tempus omnia revelat; et *adv. Herm.* 28. Si hoc a Deo revelatum est. *Hieron.* in *Isaj.* 15, 56, 2. Justitia et salus Domini, quae prope est, et cunctis gentibus revelanda. ¶ [*Confund. *revellere* et *recludere*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 3, 154.]

RĔVENDO, is, a. 3. iterum vendo, *ἀναπιπράσκω*. *Ulp. Dig.* 38, 2, 37. Quoties pater ejus donum, munus, operas liberto revendiderit.

RĔVĔNĔO, is, n. 4. rursus veneo. *Nerat. Dig.* 18, 3, 5. Si fundus revenisset.

RĔVĔNĬO, is, eni, entum, n. 4. *ἐπανέρχομαι*, rursus venio, redeo, revertor. *Pl. Men.* 5, 3, 4. Quaeso, si senex revenerit, ne me indicetis. *Cic. Or.* 1, 38. *f.* et *ib.* 40. Cum miles domum revenisset. *Pl. Trin.* 1, 2, 119. Si ille huc salvus revenit. *Tac. A.* 2, 24. *extr.* Ut quis ex longinquo revenerat, miracula narrabant; et *ib.* 4, 74. *extr.* Revenere in urbem trepidi. *Pl. Stich.* 3, 5, 8. Cum eo reveni ex inimicitia in gratiam. *Id. Bacch.* 4, 2, 24. In eum nunc haec revenit res locum, ut quid consilii dem meo sodali, nesciam. ¶ Passive impersonaliter. *Pl. Amph.* 3, 2, 61. Si reventum in gratiam est.

RĔVENTUS, us, m. reditus. *Suevius* ap. *Macr. Sat.* 2, 14. *f.* suo post inde reventu Hoc genus arboris in praelatis finibu' Grajis Disseruere.

RĔVĔRĀ et Re vera, adv. *ὄντως, τῇ ἀληθείᾳ*, re ipsa, reapse. *Cic. Balb.* 3. Cujus igitur crimen est? revera nullius: actione accusatoris ejus unius, qui donavit. *Id. Fam.* 3, 5. Et re vera, confirmata amicitia, et perspecta fide, commemoratio officiorum supervacua est. *Id. ib.* 1, 4. Qui nunc populi nomine, re autem vera sceleratissimo latrocinio, etc. *Id. Quint.* 17. *f.* Haec ille si verbis non potest, re quidem vera palam loquitur.

RĔVERBĔRO, as, a. 1. *ἀνωθέω*, repercutio, repello. *Sen. Contr.* 1, 3. *med.* Sic veneficiis corpus induruit, ut saxa reverberaret. *Colum.* 3, 13. *med.* Ut mota aequaliter humus novelli seminis radicibus molliter cedat, ne incrementa duritia sua reverberet. (V. REPERCUSSUS, us in fin.) *Appul. de Deo Socrat.* Corpora splendida et tenuia usque adeo, ut radios nostri tuoris et raritate transmittant, et splendore reverberent. ¶ Translate. *Sen. Clem.* 2, 5. *med.* Sapiens omnem fortunae iram reverberabit, et ante se franget.

RĔVĔRECUNDĬTER, adv. reverenter. *Enn.* ap. *Prisc.* 15, 1010.

RĔVĔRENDUS, a, um, part. a *revereor: αἰδέσιμος*, timorem ac reverentiam incutiens. *Ov. Ib.* 75. Noxque tenebrarum specie reverenda tuarum. *Claud. VI. cons. Honor.* 588. de Victoria: quae divite pompa Patricii reverenda fovet sacraria coetus. *Gell.* 9, 14. *f.* et 18, 5. *f.* Reverendae vetustatis liber. *Impp. Honor. et Theodos. Cod.* 1, 55, 8. Reverendissimi episcopi. V. v. sq. §. 4.

RĔVĔRENS, entis, part. a *revereor: αἰδούμενος*, qui veretur et timet. [*De discrimine inter *reverens* et *verecundus* v. in h. v.] *Cic. Or.* 2, 28. Dicam enim non reverens assentandi suspicionem. *Id. Tusc.* 1, 30. *med.* Itaque dubitans, circumspectans, haesitans, multa adversa reverens, tanquam in rate, in mari immenso, nostra vehetur oratio. Alii leg. *revertens*. V. REVERTO. ¶ Item qui veretur et observat. *Ov. Met.* 1, 232. Non illo melior quisquam, nec amantior aequi Vir fuit, aut illa reverentior ulla Deorum. Alii leg. *metuentior*. *Appul. Met.* 8. Puella parentum suorum reverens. *Tac. G.* 34. *extr.* Sanctius ac reverentius visum de actis Deorum credere, quam scire. *Plin. Pan.* 69. Quis reverentior senatus candidatus, quam tu? *Id. ep.* 6, 17. *f.* Quis uno te reverentior hujus operis, quis benignior aestimator? (*supra dixerat:* omnes, qui aliquid in studiis faciunt, venerari etiam, mirarique soleo.) *Id. ep.* 8, 21. *med.* Illud modestius, et fortasse reverentius, sed hoc simplicius et amantius. *Id. ep.* 10, 18. Integer, probus, industrius, atque inter ista reverentissimus mei. *Tac. H.* 1, 17. Sermo Pisonis erga patrem imperatoremque reverens, de se moderatus. *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 4, 20. *f.* Responsum parum reverens. *Prop.* 2, 23, 29. Nec tu virginibus (*Musis*) reverentia moveris ora, *h. e.* pudibunda, verecunda ora seu vultus conturbaveris, et ruborem expresseris. ¶ *Flor.* 4, 12. *extr.* Sanctius et reverentius visum est nomen Augusti, *h. e.* majorem reverentiam ac religionem incutiens. ¶ Ap. *Cass. Var.* 7, 24. et alibi *reverentissimus* legitur pro *reverendissimus*. V. DESIDERANS.

RĔVĔRENTER, adv. *εὐλαβῶς*, cum timore et observantia. *Plin. ep.* 3, 21. Adire reverenter aliquem. *Id. ep.* 7, 31. *med.* Reverenter et fideliter amicos colere; et *ep.* 10, 32. Gabius Bassus et reverentissime et officiosissime venit ad me. *Tac. H.* 2, 27. Copiae reverentius et aequalius duci parebant. *Suet. Ner.* 23. *f.* Judices reverentissime alloqui. *Id. Aug.* 93. Veteres caeremonias reverentissime colere.

RĔVĔRENTĬA, ae, f. *αἰδώς, εὐλάβεια*, pudor ac metus cum observantia conjunctus. *Cic. Off.* 1, 28. Adhibenda est igitur quaedam reverentia adversus homines, et optimi cujusque, et reliquorum: nam negligere quid de se quisque sentiat, non solum arrogantis est, sed etiam omnino dissoluti. *Quint.* 11, 1. *med.* Videas rixatores quosdam neque judicum reverentia, neque agendi more ac modo contineri; et *ib. med.* Oblivisci reverentiae, quae parentibus debetur. *Juven.* 2, 110. Hic nullus verbis pudor, aut reverentia mensae; et 5, 71. dextram cohibere memento: Salva sit artoptae reverentia. *Id.* 14, 177. quae reverentia legum, Quis metus, aut pudor est unquam properantis avari? *Mart.* 11, 5. Tanta tibi est recti reverentia, Caesar, et aequi. *Plin. ep.* 8, 5. et *ep.* 10, 11. Reverentiam praestare alicui. *Id. ep.* 4, 17. habere. *Tac. H.* 1, 55. exuere. *Id. ib.* 12. sacramenti rumpere. *Id. A.* 6, 37. *f.* retinere in aliquem. *Id. G.* 29. Protulit magnitudo populi Romani ultra Rhenum imperii reverentiam. *Id. A.* 15, 1. *in.* Reverentia continui foederis. ¶ Metonymice videri potest persona ipsa reverentia digna. *Plin. Pan. extr.* Ego reverentiae vestrae sic semper inserviam, ut non me ut consulem, sed ut candidatum consulatus putem. ¶ Est etiam erga minores *reverentia*, cum cavemus, ne aliqua ratione laedantur. *Juven.* 14, 47. Maxima debetur puero reverentia. *Plin. ep.* 7, 24. Quod mihi non amore ejus (*nepotis*) magis facere, quam reverentia videbatur. *Mart.* 9, 80. Tam placidae mentes, tanta est reverentia nostri. ¶ Est etiam respectus, et cura. *Quint. decl.* 5, 13. Cum fratri, praeter ejusdem nominis par ac simile consortium, reverentia quoque languoris accesserit. ¶ Item modus. *Prop.* 3, 11, 13. Nulla est poscendi, nulla est reverentia dandi. *Ov. Met.* 9, 555. Nec nos aut durus pater, aut reverentia famae, Aut timor impedient. ¶ Item metus, fuga, cunctatio. *Colum.* 11, 1. *med.* Nisi magnitudo rei pepererit reverentiam vel discendi, vel profitendi paene immensam scientiam. ¶ Item aestimatio, ratio. *Plin. ep.* 4, 28. Ibi studiorum summa reverentia, summus amor studiosorum. ¶ Ap. *Ov. Fast.* 5, 23. Reverentia est Dea, mater Majestatis ex Honore. [*De discrimine inter *reverentia* et *verecundia* et *veneratio* v. in hh. vv.]

RĔVĔRĔOR, ēris, ĕrĭtus sum, dep. 2. *αἰσχύνομαι*, vereor et colo, observo simul et metuo. *Cic. Inv.* 2, 22. Observantia, per quam aetate, aut sapientia, aut honore, aut aliqua dignitate antecedentes reveremur, et colimus. Al. leg. *veremur*, al. *veneramur*. *Id. Att.* 2, 19. ex *Ter. Ph.* 2, 1, 3. Mihi nihil est molestius, quam Statium manumissum: nec meum imperium: age mitto imperium: non simultatem meam revereri saltem? *Id. Hec.* 4, 4, 7. Dic filiae, rus concessuram hinc Sostratam: ne revereatur, minus jam quo redeat domum; et 3, 1, 10. Adventum tuum ambas scio reverituras. *Auct. ad Her.* 4, 17. Difficile est virtutes revereri, qui semper secunda fortuna sit usus; et *Colum.* 2, 1. Illustrium scriptorum auctoritatem revereri. *Plin. ep.* 5, 15. Cum eum sequerer ut magistrum, ut parentem revererer; et *ep.* 13. Recitaturus oratiunculam, advocavi aliquos, ut revererer; paucos, ut verum audirem. *Pl. Mil.* 4, 4, 34. Te ita volo assi-

mulare, quasi ejus opulentitatem revereris, *h. e.* admirere, suspicias, teque multo inferiorem ducas. *Gell.* 11, 11. Nigidium Cicero summe reveritus. ℙ Item parco. *Plin.* 10, 51, 72. de histrione: Ne quaestus quidem suos reveritus illos opimos, et voce meritos. ℙ Passive impersonaliter, et cum patrio casu. *Varr.* ap. *Non.* 9, 3. Non te tui saltem pudet, si nihil mei revereatur? ℙ Antiqui etiam *revereo* dixerunt, teste *Prisc.* 8, 799. [*Differentiam inter *revereri* et *admirari*, *suspicere* et *vereri* v. in h. v.]

RĔVERGO, is, a. 3. *Claud. Mam.* ad *Sidon. ep.* 4, 2. Quin illud in aliorum commoda revergat.

RĔVERRO, is, n. 3. contrarium significat v. *verro*, in illo *Pl. Stich.* 2, 2, 64. Reverram hercle hoc, quod converri modo, *h. e.* dispergam, amittam, quod modo collegi et comparavi. V. supra *v.* 51.

[RĔVERSĀTUS, a, um, part. a *reverso:* retro versus. *Plin. Valer.* 1, 21. Reversata prius palpebra. V. FOCACIUS. *F.*]

RĔVERSĬO, onis, f. ἀναστροφή, actus revertendi, regressio. Quomodo a *reditu* differat, in ea voce dictum est. *Varr.* ap. *Non.* 4, 32. Caesar reversionem fecit, ne post occipitium exercitus relinqueret. *Cic. Phil.* 1, 1. Exponam vobis breviter consilium et profectionis, et reversionis meae. *Id. N. D.* 3, 10. Tertianas febres, et quartanas divinas esse dicendum est, quarum reversione et motu quid potest esse constantius? *Appul. de Mundo:* Coeli spatium sol annua reversione collustrat. *Id. Dogm. Plat.* 1. Planetarum reversiones, ortus, obitus. *Pl. Truc.* 2, 4, 42. et *Varr.* ap. *Non.* 3, 192. et 4, 32. Reversionem facere ad aliquem. ℙ *Reversio*, h. e. inversio, est figura verborum ap. *Quint.* 8, 6. *med.* V. ANASTROPHE.

RĔVERSO, as, a. 1. iterum verso. *August. Confess.* 6. *extr.* Versa, et reversa in tergum, et in latera.

RĔVERSUS, a, um, part. a *reverto*, aut *revertor:* qui rediit, regressus. *Caes. B. G.* 6, 41. Reversus ille, judicavit, etc. *Just.* 13, 5. Reversus ab India. *Id.* 21, 6. in patriam; et 16, 4. de exsilio. *Plin. ep.* 7, 19. *f.* Ego solatium relegatarum, ego ultor reversarum. ℙ Passive. *Scaev. Dig.* 34, 4, 30. Si putaveris eam ad bonam vitae consuetudinem reversam.

RĔVERTĬCŬLUM, i, n. reversio. *Appul. Met.* 3. et *Flor. n.* 18. Siderum obliqua curricula, solis annua reverticula.

RĔVERTO, (antique *Revorto*) ertis, erti, ersum, a. 3. ἀναστρέφω, iterum verto: et translate resolvo, reputo. *Cic. Tusc.* 1, 30. *med.* Dubitans, circumspectans, haesitans, multa adversa revertens. Al. leg. *reverens;* [*quod unice ferendum. V. *Orell.* ad h. l.] ℙ Fere ponitur pro regredi, redire, revenire: quasi retro vertere se. *Lucr.* 3, 1074. Exit saepe foras magnis ex aedibus ille, Esse domi quem pertaesum est, subitoque revertit. *Pomp.* ap. *Non.* 7, 68. Coenam quaeritat: si cum nemo vocat, revortit moestus ad me. *Caes. B. G.* 7, 5. *med.* Paucos dies ibi morati, domum revertunt. *Lucr.* 5, 657. Sol sub terras revertens. *Caes. B. G.* 2, 14. Divitiacus post discessum Gallorum ad eum reverterat. *Pl. Men* 2, 1, 31. Nisi domum revorteris. *Sall. Cat.* 38. *extr.* Id adeo malum multos post annos in civitatem reverterat. *Cic. Div.* 1, 15. Persaepe revertit ex itinere cum jam progressus esset multorum dierum viam. *Id. Fam.* 3, 10. Ut vidit tua interesse, Epheso Laodiceam revertit. *Caes. B. G.* 7, 66. Majoribus enim copiis reversuros. [*Forma activa hujus verbi Cicero non aliter nisi in praeterito, temporibusque a praeterito ductis utitur. ℙ Construitur cum dat. ap. *Rut. Lup.* 2, 3. rursus eum reversurum officio: ubi v. quae *Frotsch.* p. 142. a *Kochio* sibi perscripta de hoc dicendi genere tradit.] ℙ Saepius usurpatur in voce passiva, praesertim in indicativis. *Pl. Poen. prol.* 79. Revortor rursus denuo Carthaginem. *Ter. Heaut.* 1, 1, 16. et 70. Domum revertor moestus. *Id. Ad.* 4, 1, 9. Prius nox oppressisset, quam huc reverti posset iterum. *Id. Eun.* 2, 1, 13. Aut jam revertere, aut mox, etc. *Pl. Ps.* 1, 2, 30. Cum ego a foro revortor. *Ov. Met.* 5, 585. Lassa revertebar (memini) Stymphalide silva. *Nep. Them* 5. Qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Asiam reversus est. *Phaedr.* 4, 17. Mirati, sibi legatos non revertier. *Hor. Od.* 1, 29, 10. quis neget, arduis Pronos relabi posse rivos Montibus, et Tiberim reverti? ℙ Translate. *Liv.* 8, 35. et *Petr. Sat.* 87. Reverti in gratiam cum aliquo. *Ov. A. Am.* 1, 340. Poena reversura est in caput ista tuum. *Id. Trist.* 3, 7, 9. Et tamen ad Musas, quamvis nocuere, reverti. *Lucr.* 2, 959. Reverti ad vitam. *Caes. B. G.* 1, 42. ad sanitatem. *Cic. Fin.* 2, 32. Ut ad propositum revertamur. *Formula post digressionem:* Sic *Nep. Dion* 4. *extr.* Sed illuc revertor. *Cic. Coel.* 3. Ut ad me revertar, *h. e.* de me dicere aggrediar. *Hor. A. P.* 390. nescit vox missa reverti. *Pall.* 11, 20. In melle decoques, donec ad mensuram mediam revertatur, *h. e.* redigatur. *Cic. Inv.* 2, 56. Utilitas aut in corpore posita est, aut in extraneis rebus: quarum tamen rerum multo maxima pars ad corporis commodum revertitur, *h. e.* redundat, refertur. *Pomp. Dig.* 19, 1, 6. et 7. Reverti ad aliquem, et adversus aliquem, *h. e.* regressum habere.

RĔVESTĬO, is, n. 4. rursus vestio. *Tert. carm. adv. Marc.* 5, 129. Et jam despectum victor sua luce revestit.

RĔVESTĪTUS, a, um, part. a *revestio:* rursus vestitus. *Tert. Resurr. carn.* 42. *f.* Revestitos voluit intelligi eadem substantia, qua fuerant spoliati.

RĔVIBRĀTĬO, onis, f. lucis repercussio. *Hyg. Astron.* 4, 14. *med.* Lunam solis lumine accepto, lucere revibratione.

RĔVIBRĀTUS, us, m. In sexto casu sing. *Capell.* 2, 27.

RĔVIBRO, as, a. 1. repercutio. *Capell.* 2, 41. Globosum corpus instar speculi praenitentis fulgoris radios revibrare; et 8. p. 273. Ipsa extimi coeli contextio lucis fulgoribus revibravit.

RĔVICTĬO, onis, f. actus revincendi, refutatio. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Utriusvis harum propositionum revictio confirmat alteram: non tamen et utriusvis confirmatio revincit alteram.

RĔVICTUS, a, um, part. a *revinco:* idem quod victus, aut iterum victus. *Lucr.* 5, 410. Inde cadunt vires *(ignis)* aliqua ratione revictae. *Hor. Od.* 4, 4, 23. diu Lateque victrices catervae Consiliis juvenis revictae. *Bentl.* leg. *repressae.* ℙ Item convictus, apertis manifestisque indiciis argumentisque probatus, deprehensus, sive in bonam, sive in malam partem. *Liv.* 6, 26. *f.* Crimina revicta rebus, verbis confutare nihil attinet, *h. e.* [*convicta.] Sic 40, 16. Ut omnibus appareret, noctis proximae crimen facile revictum. *Tac. A.* 15, 73. Coepta, adulta, et revicta conjuratio; et *Gell.* 6, 2. *f.* Homines in culpa et in maleficio revicti; et *Lact.* 4, 15. *f.* His testimoniis revicti solent confugere, etc.

RĔVĪDĔO, es, a. 2. rursus video. *Pl. Truc.* 2, 2, 65. Nunc ad heram revidebo, *h. e.* rursus ad heram accedam. V. REVISO.

RĔVĪGESCO, is, gui, n. 3. rursus vigere incipio. *Juv.* 2, 204. Hunc similem sancti flatus revigescere certum est. *Cic. Tusc.* 1, 16. *f.* Multaque saecula post reviguit Pythagoreorum nomen. Ita leg. *Non.* 9, 12. Alii *sic viguit:* quod est longe rectius. [*Ita *Orell.*, nullam lectionis discrepantiam indicans.]

RĔVILESCO, is, n. 3. vilis fio, evilesco. *Sen. Tranqu.* 15. *med.* Nec virtuti periculum est, ne admota oculis revilescat.

[RĔVĪMENTUM, i, n. lacinia, fimbria: est ab inus. *rebito*, quod ex *bito*, vel a *revio*, quod a *vio*, *as*, quia totam vestem ambit. Hinc *Gloss. Isid.* Revidare (lege *reviare*), reverti, redire, repedare. *Gloss. Philox.* Rebio (pro *revio*), παραστρέφω; et Rebitare (lege *reviare*), περιάπτω; et Revimentum, παραστροφή. *Front. Laud. fumi* etc. (ed. *A. Maio*) *in.* Sed contra istic laborandum, ne quid inconcinnum, vel hiulcum *(in oratione)* relinquatur; quin omnia, ut in tenui veste, oris detexta, et revimentis sint vincta. *Id.* aliis verbis eadem fere dixit *ib. paulo post:* Eam culpam ita devitabimus, si divisa generatim argumenta nectemus, non sparsa, nec sine discrimine aggerata, ut quae per suturam feruntur, sed ut praecedens sententia in sequentem laciniam aliquam porrigat, et oram praetendat. *F.*]

RĔVINCĪBĬLIS, e, adj. qui revinci potest. *Tert. Resurr. carn. f.* Materiae iisdem litteris revincibiles.

RĔVINCĬO, is, inxi, inctum, a. 4. ἀναδέω, idem quod vincio, vel arcte vincio, alligo. *Caes. B. G.* 7, 23. Trabes revinciuntur introrsus, et multo aggere vestiuntur, [*i. e. copulantur per alias trabes oblique, decussatim positas.] *Virg. A.* 3, 76. de Delo: Quam pius Arcitenens, oras et litora circum Errantem, Gyaro celsa Myconeque revinxit. *Prop.* 3, 12, 11. latus ense revincit. ℙ Translate. *Catull.* 61, 33. Mentem amore revinciens. *Claud. B. Gild.* 47. urbesque revinxi Legibus. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 36. Qui sibi te generum fraterna prole revinxit. ℙ Significat etiam solvere. *Colum.* 1, 8. *med.* Num villicus aut alligaverit quempiam, domino nesciente, aut revinxerit.

RĔVINCO, is, ici, ictum, a. 3. ἐξελέγχω, manifesto probare rem ita esse, coarguere, convincere. *Lucr.* 4, 487. An poterunt oculos aures reprehendere, an aures Tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris? An confutabunt nares, oculive revincent? *Cic. Arch.* 6. Quaere argumenta, si qua potes, nunquam enim hic neque suo, neque amicorum judicio revincetur. [*Tac. *A.* 6, 5. neque cuncta revincebantur.] *Ulp. Dig.* 26, 10, 3. *med.* Si in mendacio revincatur. V. alia in REVICTUS.

RĔVINCTUS, a, um, part. a *revincio:* ἀνάδετος, evinctus, devinctus. *Lucr.* 5, 554. terra Partibus aeriis mundi, coeloque revincta. *Virg. A.* 2, 57. juvenis manus post terga revinctus. *Ov. Met.* 10, 379. zona de poste revincta; et *ib.* 11, 212. quam dura ad saxa revinctam Vindicat Alcides. *Caes. B. G.* 3, 13. Ancorae pro funibus ferreis catenis revinctae; et *ib.* 7, 73. Stipites ab infimo revincti, ne revelli possent. *Plin. Pan.* 82. Religato revinctoque navigio, non secus ac piaculum aliquod trahebatur. *Mart.* 6, 41. lana fauces et colla revinctus; et *Varr. Atacin.* ap. *Charis.* 1, 70. Cujus ut aspexit torta caput angue revinctum. *Virg. A.* 4, 459. tempus Velleribus niveis, et festa fronde revinctum. ℙ Translate. *Val. Fl.* 6, 418. implicitos, miseraque in peste revinctos Confodiunt. *Id.* 4, 708. *(Symplegadum scopulos)* Imperio fixos Jovis, aeternumque revinctos. *Claud. in Ruf.* 1, 168. Latices in glaciem revincti, *h. e.* gelu adstricti.

RĔVIRĔO, es, ui, n. 2. reviresco. *Albin.* 2, 113. Redditur arboribus florens revirentibus aetas. ℙ Translate est renovari, renasci. *Auct. ad Her.* 4, 34. Aliquando reipublicae rationes, quae malitia nocentum exaruerant, virtute optimatium reviruere.

RĔVIRESCO, is, n. 3. ἀναθάλλω, iterum viridis fio, ad pristinam viriditatem revertor. *Colum.* 2, 1. Nec revirescere, nec repubescere potest. *Ov. Met.* 2, 408. laesasque jubet revirescere silvas. [*Tac. *A.* 13, 58. donec in novos fetus revirescseret arbor.] ℙ Translate sumitur pro reviviscere, renasci, renovari. *Cic. Prov. cons.* 14. Impolitae vero res, et acerbae, si erunt relictae, quamquam sunt abscissae, tamen efferent se aliquando, et ad renovandum bellum revirescent. *Ov. Met.* 7, 304. Spes est virginibus Pelia subjecta creatis, Arte suum patrii revirescere posse parentem. Adde *ib.* 9, 430. *Val. Max.* 4, 8. *n.* 4. Omne praeclari facti decus crebra memoria in se ipso revirescit. *Sil.* 8, 228. promissae revirescens pignore laudis, *h. e.* gaudens, et animum resumens. Adde 15, 134., *Flor. prooemii f.*, et *Cic. Phil.* 7, 1., ubi alii leg. *reviviscere.* [*Orell. habet *revirescere*. Adde *Tac. A.* 4, 12. et *H.* 3, 7. *Curt.* 10, 9, 5.]

[RĔVĪRĪDESCO, is, n. 3. idem fere ac reviresco, *Not. Tir.* p. 9. Virescit, revirescit, reviridescit. *F.*]

*REVĪRĪDO, as, revireo. *Vulg. Interpr.* 4 *Esdr.* 5, 36. *B. A.*

RĔVIRTĬCO. V. REFRIVA *f.*

RĔVISCĔRĀTĬO, onis, f. viscerum reparatio. *Tert. Resurr. carn.* 30. Ita oportebit ossium quoque credi revisceratione et respirationem.

RĔVĪSĬO, onis, f. actus revidendi. *Claud. Mamert.* ad *Sidon. ep.* 4, 2. Revisionis potestas multis modis intercluditur.

RĔVĪSĪTO, as, a. 1. frequent. a *reviso*, saepe reviso. *Plin.* 18, 3, 3. Nundinis urbem revisitabant.

RĔVĪSO, is, si, sum, a. 3. ἀνεποσκέπτομαι, iterum viso, redeo ut videam, redeo ad videndum. *Cic. Att.* 1, 14. Revise nos aliquando. *Id. Quint.* 6. Hic cum rem Gallicanam cuperet revisere. *Gell.* 13, 30. Cum valebo ab oculis, revise ad me. *Lucr.* 2, 360. et crebra revisit Ad stabulum. *Pl. Truc.* 2, 4, 79. Ut quando otium tibi sit, ad me revisas. *Ter. Eun.* 5, 4, 1. Reviso, quidnam Chaerea hic rerum gerat. *Colum. prooem.* 12. *med.* Nec villici magna erat opera, cum ipsi domini quotidie negotia sua reviserent, atque administrarent. *Catull.* 64, 377. Non illam nutrix orienti luce revisens. *Virg. A.* 11, 426. multos alterna revisens Lusit, et in solido rursus fortuna locavit.

RĔVĪVĪFĪCĀTUS, a, um, part. ab inus. *revivifico*, ad vitam revocatus. *Tert. Resurr. carn.* 19.

RĔVĪVISCO, is, n. 3. ἀναβιόω, ad vitam redeo, renascor. *Cic. Par.* 5, 2. Reviviscat M'. Curius, aut eorum aliquis, quorum, etc. *Brut.* ad *Cic. ad Brut.* 1, 16. *med.* Ne patri quidem meo concesserim, si reviviscat, ut, etc. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. v.] *Colum.* 4, 5. Gramina nisi manu eliguntur, et in summum rejiciuntur, reviviscunt. *Plin.* 11, 28, 33. Nullis eorum *(insectorum)* pennae reviviscunt avulsae. *Id.* 9, 37, 61. Reviviscentes conchae. ℙ Translate. *Cic. Har. resp.* 23. Respirare vos a metu caedis, reviviscere memoriam ac desiderium mei vidit. *Id. Fam.* 6, 20. *f.* Causa ea est, ut jam simul cum republica, quae in perpetuum jacere non potest, necessario reviviscat atque recreetur. Sic *ib.* 4, 4. *med.* Ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis reipublicae. *Id. Att.* 5, 16. *f.* Adventu nostro reviviscunt justitia, abstinentia, clementia. *M. Anton.* ap. *Cic. Phil.* 13, 18. Quo facilius reviviscat Pompejanorum causa toties jugulata. [*V. *Schütz.* l. l.] *Petr. Sat.* 91. *extr.* Reviviscens amicitia. *Paul. Nol. carm.* 15, 306. Ergo reviviscens notissima comminus ora.

RĔVĪVO, is, ixi, ctum, n. 3. rursus vivo, renascor. *Cic. Pis.* 27. *extr.* Ubi galli cantum audivit, avum suum revixisse putat. *Sen. Med.* 476. Secare membra non revicturi senis. *Paul. Nol. carm.* 35, 563. Cumque omnes, in qua vixerunt, carne revivent. ℙ Translate. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Civitates suis legibus, et judiciis usae, αὐτονομίαν adeptae revixerant. *Id. Verr.* 2, 5, 61. *f.* Cum ex metu mortis, ac tenebris, quasi luce libertatis, et odore aliquo legum recreatus revixisset.

[RĔULCĔRO, as, a. 1. iterum ulcero. *Not. Tir.* p. 180. Exulcerat, reulcerat, subulcerat. *F.*]

RĔUNCTOR, oris, m. is cujus ministerio utuntur medici, qui iatralepticen profitentur: quem Patavini per jocum appellant *scalda e peta*, quoniam ejus frequens officium est cataplasmata et cerata ab iatraleptis praescripta calefacere et imponere. *Plin.* 29, 1, 2. Prodicus instituens quam vocant iatralepticen, reunctoribus quoque medicorum, ac mediastinis vectigal invenit.

[RĔUNGO, is, unxi, unctum, a. 3. iterum ungo. *Not. Tir.* p. 130. *F.*]

RĔVŌCĀBĬLIS, e, adj. qui potest revocari. *Ov. Met.* 6, 264. cum jam revocabile telum Non fuit. *Met.* 6, 264. cum jam revocabile telum Non fuit. *Claud. in Eutr.* 2, 488. revocabile damnum, *h. e.* reparabile. *Val. Fl.* 6, 461. et non revocabilis unquam Cessit ab ore pudor. *Albin.* 1, 427. Supprime jam lacrimas, non est revocabilis istis, Quem semel umbrifera navita lintre tulit, *h. e.* ad vitam revocari non potest. *Sen. Herc. Fur.* 559. Parcarumque colos non revocabiles. Adde *Prop.* 4, 7, 51., ubi alii leg. *revolubile.*

RĔVŌCĀMEN, ĭnis, n. idem ac revocatio. *Ov. Fast.* 1, 561. Accipio revocamen ait; et *Met.* 2, 596. tibi, ait, revocamina, corvus, Sint, precor, ista malo, *h. e.* haec dicta, quibus me dehortari conaris a referendo alterius crimine.

RĔVŌCĀTĬO, onis, ἀνάκλησις, actus revocandi. *Cic. Phil.* 13, 7. *med.* Receptui signum, aut revocationem a bello audire non possumus. *Id. Tusc.* 3, 15. *med.* Avocatione a cogitanda molestia, et revocatione ad contemplandas voluptates. *Vitr.* 9, 4. *f.* de luna: Revocationes a sole. *Ulp. Dig.* 5, 1, 2. *med.* Celsus huic domum revocationem dandam ait, *h. e.* jus, et facultatem revocandi domum. V. DOMUS. ℙ [**Revocatio verbi* ap. *Cic. Or.* 3, 54. in figuris elocutionis commemoratur. V. *Ernest. Lex. technol. lat. rhet.* p. 334.]

RĔVŌCĀTOR, oris, m. qui revocat. *Quint. decl.* 10. Magus revocator animarum, *h. e.* revocans ad vitam.

RĔVŌCĀTŌRĬUS, a, um, adj. ad revocandum, seu extrahendum pertinens, ut Emplastrum revocatorium, *Theod. Prisc.* 2, 32. ℙ *Revocatoria*, epistola, seu diploma principis, quo absentem ad se revocat. *Imp. Anastas. Cod.* 12, 1, 18.

RĔVŌCĀTUS, a, um, part. a *revoco: ἀνακεκλημένος*, rursus vocatus. *Cic. Agr.* 3, 1. Qui provocati a me venire noluerunt, revocati saltem revertantur. *Virg. A.* 5, 476. Revocatus a morte. *Ov. Am.* 3, 5, 17. lente revocatas ruminat herbas, *h. e.* a stomacho ad os retractas. *Virg. A.* 1, 239. Hinc fore ductores revocato a sanguine Teucri, *h. e.* retracto a deletione, a qua non procul aberat, renovato. *Just.* 7, 1. et *Petr. Sat.* 10. Rursus revocatus in memoriam injuriae. *Liv.* 33, 32. Revocatus praeco. V. v. sq.

RĔVŌCO, as, avi, atum, a. 1. *ἀνακαλέω*, retro voco, abeuntem vocando retraho, reduco. *Pl. Men.* 1, 2, 5. Quoties foras ire volo, me retines, revocas. *Hor. Sat.* 2, 3, 264. Exclusit: revocat: redeam? non si me obsecret. Adde *Ter. Eun.* 1, 1, 4. *Cic. Dom.* 57. Qui maxime me repetistis, atque revocastis. *Id. Fam.* 10, 1. Posteaquam de medio cursu reipublicae sum voce revocatus. *Ov. Am.* 2, 1, 23. Carmina sanguineae deducunt cornua Lunae, Et revocant niveos Solis cuntis equos. *Id. Met.* 1, 334. Revocare fluctus et flumina, *h. e.* regredi, et refluere jubere. *Plin.* 28, 2, 5. ferculum, aut mensam; et *Cato R. R.* 2. Ad rationem operum operarumque villicum revoca. ℙ Item rursus voco. *Petr. Sat.* 23. Refectum igitur est convivium, et rursus Quartilla ad bibendum revocavit: *rursus revocare* pleonasmus non inusitatus, ut *retro regredi*, *rursus rescribere*, etc. ℙ Item mutuo, et per vices voco, *ἀντικαλέω*. *Varr.* ap. *Non.* 2, 751. Qui nos provocare, advocare cum audeant, nos illos revocare timemus? *Cic. Rosc. Am.* 18. *extr.* Domum suam istum non fere quisquam vocabat *(ad coenam)*: nec mirum, qui neque in urbe viveret, neque revocaturus esset. Adde *Phaedr.* 1, 26. et *Lact.* 6, 12. [*V. *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 282. ℙ Signif. etiam retro citroque per flexuras volutare, Gr. *ἀναγυλοῦν*. *Lucr.* 4, 546. revocat retro cita tuba bombum.] ℙ *Domum revocare.* V. DOMUS. ℙ Translate. *Ov. Her.* 10, 231. Multaque ne videam, versa cervice recumbo: Sed revocas oculos protinus ipsa meos, *h. e.* facis ut rursus convertam in te. *Id. Met.* 4, 247. gelidos artus in vivum revocare calorem. *Claud. in Ruf.* 2, 78. Ipse inter medios, ne qua de parte relinquat Barbariem, revocat fulvas in pectora pelles, *h. e.* gestat complicatas ante pectus. *Virg. A.* 9, 125. revocatque pedem Tiberinus ab alto. Sic 6, 228. revocare gradum. ℙ Illa etiam translata sunt: *revocare vitem*, h. e. nimis se effundentem putatione compescere. *Cic. Or.* 2, 21. Nam facilius, ut in vitibus, revocantur ea, quae sese nimium profuderunt; [*in *marg. Lamb. ed. a.* 1584. est *resecantur.*] *Colum.* 2, 10. *med.* Proscindemus terram, proscissamque in liram revocabimus, *h. e.* proscissione dissipatam, in liram componemus. ℙ Ad vim reducendi pertinent et illa *Plin.* 22, 24, 53. Mulsum appetendi quoque revocat aviditatem cibi. *Id.* 2, 101, 104. Luna somno sopitis torporem contractum in caput revocat. *Sen. Ag.* 296. Revocare frena, *h. e.* adducere, et equos retrahere. *Id. Thyest.* 685. Post terga juvenum nobiles revocat manus, *h. e.* reducit, et religat. *Id. Oed.* 416. Spargere effusos sine lege crines: Rursus adducto revocare nodo. [**Suet. Caes.* 45. Deficientem capillum revocare a vertice, i. e. reducere pectine.] ℙ Est etiam retraho, abduco, avoco, removeo. *Cic. Sull.* 16. Nonnunquam animum, incitatum ad ulciscendam orationem tuam, revoco et reflecto. *Id. Div.* 2, 8. Dejotarum necessarium nostrum ex itinere aquila revocavit. *Id. Att.* 3, 15. *med.* Revocare aliquem a turpissimo consilio. *Id. Cluent.* 5. *med.* a cupiditate. *Id. Cat.* 3, 5. a scelere. *Ov. Trist.* 2, 557. animum ab ira. *Virg. G.* 4, 88. ubi ductores *(apum)* acie revocaberis ambo, *h. e.* ab acie. ℙ Cum infin. *Prop.* 1, 16, 11. Nec tamen illa suae revocatur parcere famae Turpior et saecli vivere luxuriae, *h. e.* non retrahitur, ut parcat, etc. et desistat a vita luxuriosa. ℙ Item abstraho. *Cic. Tusc.* 1, 16. Revocare mentem a sensibus, et cogitationem a consuetudine abducere. ℙ Item adduco, reduco, devoco. *Cic. Cluent.* 49. Cum tribunus plebis, populo concitato, rem paene ad manus revocasset. *Id. Caecin.* 27. Populi R. causa, civitatis jus, bona, fortunae, possessionesque in dubium incertumque revocabuntur. *Id. in Sen.* 9. *med.* Qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitio ad salutem revocavit. *Id. Brut.* 3. Vestris litteris recreatus, me ad pristina studia revocavi. *Id. Amic.* 16. *med.* Omnia ad suam potentiam revocans. *Petr. Sat.* 111. *med.* Exulceratas mentes ad sanitatem revocare. *Cic. Rosc. Am.* 39. In minimis privatisque rebus etiam negligentia in crimen mandati revocatur. *Id. Verr.* 2, 3, 91. An me ad M. Antonii aestimationem frumenti, exactionemque pecuniae revocaturus es? *h. e.* dices, Verrem imitatum fuisse M. Antonium in aestimatione frumenti? *Id.* dixerat *ib.* 90. Quo me igitur, aut ad quae exempla revocas? *Plin.* 29, 1, 2. Medicinam revocavit in lucem Hippocrates. ℙ Item refero, reduco. *Cic. Off.* 3, 21. *med.* Cum ad veritatem coepi revocare rationem. *Id. Fin.* 2, 13. *f.* Ad scientiam omnia revocans. *Id. Dom.* 5. Nonnulli illam rem ad illam rationem conjecturamque revocabant, quod, etc. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* ℙ *Ad suas res revocare* dicitur auditor, quum ea, quae ipse similia tulerit aut metuat, in memoriam revocat, vel cogitat. *Cic. Or.* 2, 52. Misericordia movetur, si is qui audit adduci potest ut illa quae de altero deplorentur ad suas res revocet, quas aut tulerit acerbas aut timeat, ut intuens alium crebro ad se ipsum revertatur. *Schütz.* l. l. ℙ *Revocare*, opp. *ad se rapere*, etc., dicitur etiam eleganter de virtute homines justo more ad se perducente. *Cic. Off.* 1, 3, 9. Cum enim utilitas ad se rapere, honestas contra revocare ad se videtur: ubi *Beier.* laud. *Cat.* 1, 9, 28. Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor unquam a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore revocarit; et *Legg.* 2, 7, 16. *extr. Lact.* 5, 9, 4.] ℙ Item resumo, recipio. *Cic. Tusc.* 1, 1. Studia longo intervallo intermissa revocavi. *Id. Fam.* 7, 26. *extr.* Vires et corpus amisi: sed si morbum depulero, facile illa revocabo. *Virg. A.* 1, 218. Tum victu revocant vires; et *ib.* 206. revocate animos. *Plin.* 18, 6, 8. *n.* 3. ex *Catone:* Praetermissa frustra revocari, *h. e.* quae suo tempore in agri cultione facta non sunt, frustra repeti et resumi, quia, ut *Id.* ait *R. R.* 5. *med.* res rustica sic est: si unam rem sero feceris, omnia opera sero facies. ℙ Item renovo, instauro. *Sil.* 13, 123. humenti fluvio revocare colorem. *Id.* 4, 15. revocantque nova fornace bipennes. Alii leg. *recoquuntque.* Priori autem loco *renovare:* haec enim duo *revoco*, et *renovo*, ob facilem mutationem, saepe confudere librarii ap. *Ov.*, *Prop.*, *Sen.* etc., ut praeter alios monet *Drakenb.* ad *Sil.* 14, 112. et ad *Liv.* 3, 51. ℙ *Revocare memoriam*, quasi vocare iterum, ut officio suo fungatur. *Sen. Ben.* 5, 25. *extr.* Memoria ad referendam gratiam admonitione revocanda est; et *ib.* 7, 25. Submissis et familiaribus verbis *(beneficii)* memoriam revocare. *Liv.* 3, 51. Non minore motu animorum Siccii caedis memoria revocata. His quoque locis *renovare* alii. V. *Drakenb. l. c.* Dicimus etiam *revocare aliquem in memoriam. Petr. Sat.* 10., *Just.* 1, 5. et 7, 1. Absolute *Sil.* 12, 81. dignos jam vosmet reddite vestra, Quam trahitis, fama, et revocate in pectora Cannas, *h. e.* excitate in animis vestris eam virtutem, qua in proelio Cannensi Romanos fregistis. *Virg. A.* 7, 40. et primae revocabo exordia pugnae. ℙ Item sumo, duco. *Virg. G.* 4, 281. si quem proles *(apum)* subito defecerit omnis, Nec genus unde novae stirpis revocetur, habebit. ℙ Item repono. *Id. A.* 3, 451. Nec revocare situs *(foliorum)*, aut jungere carmina curat. ℙ Item reparo, reddo. *Sen. Hipp.* 291. senibusque fessis Rursus exstinctos revocat calores. *Id. Herc. Oet.* 1578. comam silvis revocabit aestas. ℙ Item in usum reduco. *Hor. Od.* 4, 15, 12. Et veteres revocabit artes. *Juven.* 2, 30. qui tunc leges revocabat amaras. *Suet. Claud.* 22. Quaedam exoleta revocavit, aut etiam nova instituit. [*Plura exempla v. in *B. Crusii cl. Suet.* p. 686.] *Tac. A.* 1, 20. *extr.* Veterem duramque militiam revocabat. ℙ [*Item repetere aliquid ab aliquo, h. e. facere jussu vel alio modo, ut restituatur. *Ner.* 44. a delatoribus revocanda praemia, quaecunque cepissent. *Galb.* 15. liberalitates Neronis revocandas curavit exigendasque. *Ner.* 32. revocavit praemia coronarum, quae unquam sibi in certam. civitates detulissent, h. e. repetiit, denuo solvi sibi jussit. Sed probabilior lectio: *revoc. et praemia civitatum, quae coronas detulissent*: ubi *revocavit*, ut *Ner.* 44. et *Galb.* 15. reddi jussit, nostr. *wieder einfordern. Burm.* emendavit: *praemia coronarum, quas* sq., ubi *revocavit* eodem sensu i. q. restitui jussit. — Ceterum hic usus verbi frequens etiam ap. *Plin.* Ita *ep.* 3, 9, 17. ut pecuniae, quas creditoribus solverat, revocarentur; et 10, 28, 5. videntur non mediocres pecuniae posse revocari a curatoribus operum; et 10, 34, 2. erit enim pecunia, ex qua fiat; primum ea, quam revocare a privatis et exigere jam coepi, cet. *B. Crus. cl. Suet.* p. 686.] ℙ Item retracto, [*rescindo id, quod decretum v. factum est, nostr. *widerrufen, zurücknehmen.*] *Sen. Ben.* 4, 39. Fuit tanti non revocare promissum suum. *Ov. Met.* 9, 617. Nam primum (si facta mihi revocare liceret) Non coepisse fuit, *h. e.* infecta reddere. *Ulp. Dig.* 48, 18, 1. *f.* Praeses provinciae pecuniariam sententiam suam revocare non potest, *h. e.* rescindere. [**Suet. Vesp.* 8. literas revocavit (quibus praefecturam adolescentulo dederat.) *Galb.* 5. herede Tiberio legatum ad quingenta revocante, h. e. recidente. Huc referre etiam possis loco *Claud.* 29. et *Ner.* 44. secundum lectionem: revocavit et praemia civitatum, quae sqq. *B. Crus. cl. Suet.* p. 686. sq. Adde *Tac. A.* 13, 26. ut adversus male meritos (libertos) revocandae libertatis jus patronis daretur.] ℙ *Revocare se ad se*, se colligere. *Cic. Acad.* 4, 16. *f.* Quis enim cum sibi fingit aliquid, et cogitatione depingit, non, simul ac se ipse commovit, atque ad se revocavit, sentit, quid intersit inter perspicua et inania? et *ib.* 17. Ne vinolenti quidem, quae faciunt, eadem approbatione faciunt, qua sobrii: dubitant, haesitant, revocant se interdum, iisque, quae videntur, imbecillius assentiuntur. ℙ [**Revocare se* est etiam temperare sibi. *Cic. Att.* 13, 1. Cujus rei cupiditas impellit me interdum, ut te hortari velim, sed me ipse revoco. ℙ Item corrigere. *Id. Div.* 2, 46. Illudne dubium est, quin multi quum ita nati essent, ut quaedam contra naturam depravata haberent, restituerentur et corrigerentur ab natura, quum se ipsa revocasset aut arte aut medicina. *Schütz. cl. Cic.* l. l.] ℙ *Revocare se ad aliquid*, rursus se comparare, [*redire ad aliquid.] *Cic. Brut.* 94. Itaque cum jam paene evanuisset Antonius, et ego consul factus essem, revocare se ad industriam coepit. *Id. Or.* 3, 3. Nunc ad reliqua progrediar, meque ad meum munus pensumque revocabo. ℙ [**Revocare se* dicitur, qui haesitat in legendo, recitando, dicendo. *Cic. Dom.* 55. delatum tum est ad vos, pontifices, quemadmodum iste praeposteris verbis — identidem se ipse revocando, dubitans, timens, haesitans, omnia aliter, ac vos in monumentis habeatis et pronunciarit et fecerit. ℙ Aliud est, si orator *se ipsum revocat;* quam formam *Cicero* inter lumina sententiarum ponit *Or.* 40. Ea nimirum concinna quaedam ab iis quae adscita sunt in causam, ad institutum praecipuum regressio significatur. Cf. *Ernest. Lex. techn. lat. rhet.* s. v. *reditus.* ℙ Significat etiam: expedire se ex re aliqua, in quam nos immisimus. *Cic. Pis.* 29. revocare se non poterat familiaritate implicatus. *Schütz. cl. Cic.* l. l.] ℙ In recitationibus *revocare* est jubere, ut qui legit, repetat. *Plin. ep.* 3, 5. *med.* Memini quendam ex amicis, cum lector quaedam perperam pronuntiasset, revocasse, et repeti coegisse: huic avunculum meum dixisse: Intellexeras nempe? cum ille annuisset, Cur ergo revocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus. — [*Imprimis actores dicuntur *revocari*, quum jubentur a spectatore repetere versus aliquos.] *Cic. Sext.* 58. Nominatim sum appellatus in Bruto: *Tullius qui libertatem civibus stabiliverat:* millies revocatum est. Adde *Arch.* 8., *Liv.* 33, 32., *Val. Max.* 6, 2. *n.* 9., item *Hor. Ep.* 2, 1, 223. [*Cf. *Schütz. cl. Cic.* l. l. ℙ Item qui jubentur altera vice accusari. *Quint. Fr.* 2, 6. populus revocat. ℙ Conf. *revocare* et *provocare* V. *Ruhnk.* ad *Rut. Lup.* p. 39. *b. ed. Fr.* — *Revocant* et *referunt. Cort.* ad *Lucan.* 7, 789.]

RĔVŌLO, as, avi, atum, n. 1. *ἀναπέτομαι*, retro volo, volando redeo. *Cic. N. D.* 2, 49. *f.* Grues in tergo praevolantium colla et capita reponunt: quod quia ipse dux facere non potest, revolat, ut ipse quoque quiescat. *Virg. G.* 1, 361. Cum medio celeres revolant ex aequore mergi, Clamoremque ferunt ad litora. *Varr. R. R.* 3, 5. Turdi quotannis in Italiam trans mare advolant circiter aequinoctium autumnale, et eodem revolant ad aequinoctium vernum. ℙ Translate celeriter redeo. *Ov. Met.* 7, 684. fortunaque missum *(telum)* Non regit, et revolat, nullo referente, cruentum. *Manil.* 2, 193. Cum sol aequoreis revolans decurrit in astris. *Vell.* 2, 120. et 123. Ille ad patrem patriae exspectato revolavit maturius.

REVOLSUS. V. REVULSUS.

RĔVŌLŪBĬLIS, e, adj. *ἑλικὸς, ἑλίσσοχος*, qui revolvi potest, volubilis. *Ov. Ib.* 193. Sisyphe, cui tradas revolubile pondus, habebis. *Prop.* 4, 7, 51. Juro ego fatorum nulli revolubile stamen. (V. v. sq.) *Auson. Ecl. de nominib. sept. dier.* 12. revolubilis orbita.

RĔVŌLVO, is, olvi, olutum, a. 3. *ἀναγυλίω, ἀναστρέφω*, idem quod volvo, retro, aut rursus volvo, convolvo, circumvolvo. *Cic.* in *Arat. N. D.* 2, 42. Torvu' Draco serpit subter supraque revolvens Sese, conficiensque sinus e corpore flexos. *Colum.* 8, 17. Pelagus agitatum ventis assidue renovatur, nec concalescere potest, quoniam gelidum ab imo fluctum revolvit in partem superiorem. *Sen. Ag.* 488. Vento resistit aestus, et ventus retro Aestum revolvit. ℙ Commode *revolvi* dicuntur sidera, anni, tempus, quia certos habent cursus, et velut orbes volvuntur. *Plin.*

18, 25, 57. Centesima revolvente se luna. *Claud. de Phoenice*, 104. te saecula teste Cuncta revolvuntur. ℙ Metaleptice est lego, ea ratione, qua in EVOLVO dictum est. *Liv.* 34, 5. *med.* Tuas adversus te Origines revolvam. *Mart.* 6, 64. has nugas Non dedignatur bis terve revolvere Caesar. Adde 11, 1. ℙ Et rursus, iterum lego. *Hor. Ep.* 2, 1, 223. Cum loca jam recitata revolvimus irrevocati. ℙ Item enarro, evolvo. *Virg. A.* 2, 101. Sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo? *Claud. Laud. Stil.* 1, 35. quid facta revolvam, Militiamque patris? ℙ Metaphorice sumitur pro recogitare, secum iterum mente versare. *Ov. Fast.* 4, 667. Numa visa revolvit. *Lucan.* 8, 316. cuncta revolvens Vitae fata meae. *Tac. Agr.* 46. Ut omnia dicta factaque ejus secum revolvant. *Id. A.* 4, 21. Animus revolvens iras. *Sen. Oed.* 764. Curas revolvit animus, et repetit metus. ℙ *Revolvi* est redire, recidere, relabi. *Cic. Att.* 13, 26. Itaque revolvor identidem in Tusculanum. *Virg. A.* 4, 690. Ter sese attollens, cubitoque adnixa levavit, Ter revoluta toro est. *Ov. Met.* 10, 63. de Eurydice: revolutaque rursus eodem est. ℙ *Revolvere iter*, remetiri, iterum percurrere. *Virg. A.* 9, 391. rursus perplexum iter omne revolvens Fallacis silvae. ℙ Translate. [**Ter. Hec.* 4, 4, 69. In eandem vitam te revolutum denuo video esse.] *Sen. Thyest.* 418. Modo fortis fui, et laetus: nunc contra in metus revolvor. *Ov. Met.* 10, 335. quid in ista revolvor? Spes interdictae discedite. *Virg. A.* 10, 61. iterumque revolvere casus Da, pater Iliacos Teucris, *h. e.* subire iterum, experiri, pati. *Cic. Acad.* 4, 48. Ego ad patris revolvor sententiam, *h. e.* accedo. *Id Div.* 2, 5. Primum eodem revolveris, *h. e.* eadem dicis, quae prius: in eandem sententiam relaberis. ℙ *Revolvere fila*, postquam fuso evolveris, rursus circa illum convolvere, [**ἀνακλώσθηναι.*] *Sen. Herc. Fur.* 181. Durae peragunt pensa Sorores, Nec sua retro fila revolvunt. *Stat. Th.* 7, 774. immites scis nulla revolvere Parcas Stamina. V. *Propertii l. c.* in REVOLUBILIS. ℙ [**Confund. *revolvere* et *resolvere*. *Cort.* ad *Lucan.* 8, 316.]

[RĔVOLŪTĬO, onis, f. conversio. De Pythagorica animarum migratione. *August. C. D.* 22, 12. *extr.* Ut post multas itidem per diversa corpora revolutiones aliquando tamen eam, sicut Porphyrius, finire miserias, etc. Adde *Trin.* 12, 24. *F.*]

RĔVOLŪTUS, a, um, part. a *revolvo:* volutus, retro aut rursus convolutus. *Virg. A.* 11, 625. de mari: Nunc ruit ad terras, scopulosque superjacit undam: Nunc rapidus retro, atque aestu revoluta resorbens Saxa, fugit; et *ib.* 10, 660. rumpit Saturnia funem, Avulsamque rapit revoluta per aequora navem. *Val. Fl.* 8, 330. Abrupta revolutus aqua. *Petr. Sat.* 136. *med.* Anseres revolutam, passimque per totum effusam pavimentum collegerant fabam, *h. e.* evolutam, et folliculis spoliatam. Alii leg. *resolutam;* et *ib.* 134. trepidusque furentes Flectere Phoebus equos revoluto cogitur orbe, *h. e.* retro verso. *Tac. H.* 5, 14. Addiderat obliquam in Rhenum molem, cujus objectu revolutis amnis adjacentibus superfunderetur, *h. e.* refluens. *Virg. A.* 5, 336. Ille autem spissa jacuit revolutus arena. ℙ De eo, qui volvendo se decidit. *Id. ib.* 11, 671. Suffosso revolutus equo. *Claud. VI. cons. Honor.* 131. immensi revolutus culmine fati, *h. e.* deturbatus, dejectus. V. REVOLVO. ℙ Et qui volvendo se redit, ut anni, dies, tempora. *Virg. A.* 10, 256. interea revoluta ruebat, Matura jam luce, dies. *Ov. Fast.* 4, 29. Principiumque sui generis, revolutaque quaerens Saecula. ℙ Translate. *Virg. A.* 6, 448. juvenis quondam, nunc femina Caeneus, Rursus et in veterem fato revoluta figuram. *Tac. A.* 4, 9. Ad vana et toties irrisa revolutus de reddenda republica, etc. *h. e.* dicendo cum rediisset. *Id. ib.* 16, 18. Revolutus ad vitia. *Just.* 30, 1. *med.* in luxuriam. *Liv.* 4, 12. *f.* ad dispensationem inopiae. ℙ Est etiam *revolutus* contrarium v. convolutus, hoc est evolutus, explicatus. *Gell.* 17, 9. *med.* Id lorum, litteris ita praescriptis, revolutum ex surculo, imperatori commenti illius conscio mittebant. *Virg. A.* 9, 476. Excussi manibus radii, revolutaque pensa, *h. e.* incomposita et evoluta cecidere. *Sen. Oed.* 985. Servatque suae decreta colus Lachesis, dura revoluta manu: *decreta colus revoluta*, h. e. colus decreto seu fato stamine spoliata.

RĔVOMO, is, ui, a. 3. *ἀνεμέω*, idem quod vomo, evomo. *Virg. A.* 5, 181. illum et risere natantem, Et salsos rident revomentem pectore fluctus. *Plin.* 10, 72, 92. Dracones avibus devoratis solidis, contentione plumam excitam revomunt. *Sen. Thyest.* 581. rapax haustum mare revomit Charybdis. Adde *Ov. Met.* 13, 731. ℙ Translate. *Lucr.* 2, 196. Nonne vides etiam, quanta vi tigna trabesque Respuat humor aquae? nam quam magis ursimus alte Directa, et magna vi multi pressimus aegre, Tam cupide sursum revomit magis, atque remittit, *h. e.* repellit, rejicit. Alii minus recte leg. *removet.* Sic *Lucan.* 6, 24. illisum scopulis revomentibus aequor. *Flor.* 2, 10. Sic cum sanguine et spiritu male partam revomuere victoriam. ℙ [**Confund. *revomunt* et *removent*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 24.]

RĔVORTO, etc. V. REVERTO.

RĔUS, i, m. et Rea, ae, f. *ὑπόδικος, ἔνοχος, διάδικος*, quicumque in judicium adducitur sive quippiam admiserit, sive non: cui opponitur *accusator, petitor*, et *actor*. Dictus est etiam *unde petitur*. V. UNDE. *Festus:* Reus dictus est a re, quam promisit ac debet. *Cic. Or.* 2, 43. Reos appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes quorum de re disceptatur: sic enim olim loquebantur. *Festus:* Reus nunc dicitur, qui causam dicit: et item qui quid promisit, spoponditve, ac debet. Ac Gallus Aelius libro secundo significationum verborum, quae ad jus pertinent, ait: Reus est, qui cum altero litem contestatam habet, sive is egit, sive cum eo actum est. Haec *Festus:* ex quibus discimus, utrumque litigatorem olim hoc nomine fuisse appellatum. *Cic. Or.* 2, 79. Reos appello, quorum res est. *Id. Fam.* 13, 54. Ut operam des, ut socrus adolescentis rea ne fiat. *Id. Verr.* 1, 2. Semel ait se in vita pertimuisse, tum cum primum reus a me factus sit. Ubi *Ascon.* Quid est reum fieri, nisi apud praetorem legibus interrogari? Cum enim in jus ventum esset, dicebat accusator apud praetorem reo: ajo, te Siculos spoliasse. Sic tacuisset, lis ei aestimabatur, ut victo: si negasset, petebatur a magistratu dies inquirendorum ejus criminum, et instituebatur accusatio. *Liv.* 4, 42. et *Plin. ep.* 3, 9. *f.* Peragere reum. V. PERAGO. *Id. ep.* 7, 33. Postulare aliquem reum impietatis. V. POSTULO. *Quint.* 12, 7. Accusatoriam vitam vivere, et ad deferendos reos praemio duci, proximum latrocinio est. V. DEFERO. *Cic. Verr.* 2, 5, 42. Absentem aliquem referre in reos. *Id. ib.* 4, 40. *f.* Eximere aliquem ex reis. *Quint.* 12, 1. *f.* Defendere manifesti peculatus reum. *Ov. Met.* 15, 41. Reos damnare, aut absolvere culpae. *Cic. Sext.* 15. *f.* Cum equester ordo reus a consulibus citaretur. *Id. Mil.* 13. *f.* Reus Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit, *h. e.* Milone accusante. *Id. Sext.* 35. Sextius, qui est de vi reus. *Id. Vat.* 17. Est enim reus uterque ob eandem causam, et eodem crimine. *Vell.* 2, 45. Reus incesti actus P. Clodius. *Quint.* 4, 2. Cynicum apud censores reum de moribus facere. *Ov. Met.* 15, 36. Spretarumque agitur legum reus. *Suet. Vesp.* 16. Reis tam innoxiis, quam nocentibus absolutiones venditare. *Liv.* 6, 24. *med.* Orare, ut se reum fortunae ejus dici, crimine eximerent, *h. e.* in quo residebat culpa adversi proelii ejus diei. *Mart.* 10, 70. Reum esse desidiae. *Ov. Her.* 14, 120. Quid fiet sonti, cum rea laudis agar? ℙ A JCtis reus dicitur interdum, qui aliquam rem praestare tenetur. *Festus:* Reus stipulando est idem, qui stipulatur: reus promittendo est, qui suo nomine alteri quid pro altero promisit. *Modest. Dig.* 45, 2, 1. Qui stipulatur, reus stipulandi dicitur: qui promittit, reus promittendi habetur. *Julian. ib.* 46, 3, 34. *f.* Quoties reus satis dandi reo satis accipiendi heres exstitit. *African. ib.* 16, 1, 17. *med.* Reus pecuniae. *Ulp. ib.* 24, 3, 22. dotis. *Id. ib.* 19, 2, 13. *med.* locationis. ℙ Extra forum, et lites. *Virg. A.* 5, 236. taurum Constituam ante aras voti reus. Ubi *Serv.:* voti reus, debitor: unde vota solventes dicimus absolutos. Inde est, *(Ecl.* 5, 80.) damnabis tu quoque votis; et *Macr. Sat.* 3, 2. Haec vox propria sacrorum est, ut reus vocetur, qui suscepto voto se numinibus obligat: damnatus autem, qui promissa vota non solvit. *Liv.* 25, 30. *med.* Quo intentius custodiae serventur, opportuna loca dividenda praefectis esse, ut suae quisque partis tutandae reus sit, *h. e.* ut si quid adversi acciderit, ei, qui tutari debuit, imputetur.

RĔUTĬLIS, e, adj. iterum utilis. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Donat.* 332, 8. P. Rubrius Reutilis. *F.*]

RĔVULSĬO, onis, f. *ἀπόσπασμα*, actus revellendi, evulsio. *Plin.* 13, 12, 24. Sed ratio deprehendit vitium, unius schedae revulsione plures infestante paginas.

RĔVULSUS, a, um, part. a *revello: ἀποσπασθείς*, evulsus, avulsus, refixus. *Cic. Verr.* 2, 2, 46. Cujus de meritis fuit aenea tabula fixa in curia, etc. quae tabula tum imperio tuo revulsa, nunc a me reportata est. *Virg. A.* 8, 691. pelago credas innare revolsas Cycladas. *Sen. Oed.* 978. lacerum caput Largum revulsis sanguinem venis vomit. *Ov. Met.* 2, 316. Illic frena jacent, illic temone revulsus Axis; et *ib.* 13, 882. partemque e monte revulsam Mittit; et *ib.* 5, 39. ferrum ex osse revulsum. *Lucan.* 1, 482. patriaque a sede revulsos Pone sequi. *Virg. G.* 4, 523. caput a cervice revolsum; et *A.* 4, 515. equi de fronte revolsus, Et matri praereptus amor. *Plin.* 28, 4, 9. Revulsus cruci.

REX, rēgis, m. *βασιλεύς*, qui habet summum imperium alicujus regionis, aut populi, aut urbis: a *rego*, ut *lex* a *lego*. *Cic. Fin.* 3, 22. *med.* Rectius appellabitur rex, quam Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit. *Id. Sext.* 26. *f.* Rex sedens cum purpura et sceptro, et illis insignibus regiis. *Lucr.* 3, 1041. multi reges, rerumque potentes Occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt. *Phaedr.* 1, 14. cum jaceret morbo confectus gravi Rex urbis. *Claud. IV. cons. Honor.* 298. componitur orbis Regis ad exemplum. *Ov. Her.* 17, 166. An nescis longas regibus esse manus? *Virg. A.* 2, 648. Divum pater, atque hominum rex, *h. e.* Juppiter, qui rex Deorum *ib.* 12, 851. dicitur. *Ov. Met.* 10, 606. rex aquarum, *h. e.* Neptunus. *Sen. Herc. Fur.* 833. tertiae sortis, *h. e.* Pluto: qui dicitur *ib.* 560. qui rex populis pluribus imperat. *Mart.* 12, 62. Antiqui rex magne poli, mundique prioris, *h. e.* Saturne. *Virg. A.* 11, 301. solio rex infit ab alto; et *ib.* 1, 548. Rex erat Aeneas nobis, quo justior alter Nec pietate fuit, nec bello major et armis. ℙ Per excellentiam *βασιλεὺς* dicebatur a Graecis rex Persarum: quorum imitatione *Ter. Heaut.* 1, 1, 65. In Asiam ad regem militatum abiit. Adde *Eun.* 3, 1, 7. et 11. Idem dicebatur etiam *rex regum*, ut est ap. *Suet. Cal.* 5., quia reges aliquot habebat instar satellitum sibi ministrantes. ℙ Etiam regum liberi et affines *reges* dicuntur. *Caes. B. C.* 3, 107. Controversias regum ad populum R. pertinere existimans; et *ib.* 109. Controversias regum componere. *Cic. Verr.* 2, 4, 27. Reges Syriae, regis Antiochi filios pueros, scitis Romae nuper fuisse. Sic *Virg. A.* 9, 223. vocat regum Iulum Aeneae filium: *Val. Fl.* 1, 174. Acastum filium Peliae. Adde *Stat. Achill.* 1, 156. et *Manil.* 2, 2. [**Cf. *Duk.* ad *Flor.* 4, 9. q. laud. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 12, 1.] Similiter *reginae* dicuntur regum filiae. V. REGINA, ℙ Romae ab initio reges imperitarunt, per annos fere CCXLV. Quorum septimus, qui Tarquinius Superbus fuit, propter suam impotentiam, et Sexti filii libidinem, a L. Junio Bruto privatus imperio, exsul vitam finivit. V. *Liv. l.* 1. et 2., *Flor. l.* 1., *Ov. Fast.* 2. a *v.* 685. et *Sex. Aurel. Vict. Vir. illustr. in.* Postea creatis consulibus, adeo *regis* nomen exosum fuit Romanis, ut eo ad invidiam conflandam potentissimis civium uterentur: qua de re etiam in REGNO et REGNUM dictum est. Hinc *Cic. Agr.* 2, 6. ut in agrariae legis auctores odium populi concitet, vocat eos reges aerarii, vectigalium, provinciarum omnium, etc. V. *eund. Off.* 3, 21., *Suet. Caes.* 79. et 80. et *Liv.* 4. a *c.* 13., ubi de Sp. Maelio, et 6, 20., ubi de M. Manlio narrat. ℙ *Rex* dicebatur summus magistratus Lacedaemoniorum; eratque talis nomine magis, quam imperio: bini autem simul et perpetui erant, ut est ap. *Nep. Ages.* 1.; item Carthagine, ut Romae consules, bini et annui suffetes erant, qui tamen ab *eod. Ann.* 7. appellantur reges. ℙ *Rex causarum* dicitur ab *Ascon.* in *argum. Div. Verr.* Hortensius, qui in foro ob eloquentiam aliquando regnavit. ℙ *Rex sacrorum*, et *rex sacrificulus*, aut *sacrificus*, sacerdos apud Romanos, qui publica quaedam sacra, olim per reges factitata, obibat. Retentum est in eo *regis* nomen religionis causa, ut ea sacra rite peragi, atque etiamnum a rege fieri dici posset, quamvis reges in perpetuum essent expulsi. Subjecerunt tamen pontifici maximo, ne regiam et supremam auctoritatem in sacris habere videretur. *Cic. Har. resp.* 6. *f.*, *Liv.* 2, 2. et 6, 40. *f.* et 40, 42., *Festus* in *Sacrificulus*, *Varr. L. L.* 5, 4. et *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 10, 15. ℙ Aliquando *rex* ponitur pro regnatore ac domino. *Virg. A.* 1, 25. Hinc populum late regem, belloque superbum Venturum excidio Libyae. ℙ Item pro rectore, moderatore. *Hor. Od.* 1, 36, 7. memor Actae non alio rege puertiae. ℙ Item pro magistro convivii, qui et Graece *βασιλεύς:* et quae *Cic. Sen.* 14. magisteria, haec *Hor. Od.* 1, 4, 18. regna vini appellat. *Macr. Sat.* 2, 1. Rex mensae. Adde *Prud. Cath.* 9, 30. ℙ *Rex artis* dicitur Vulcanus in nummo Claudii Gothici ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 7. p. 473., quem *Plutarch. Comp. aqu. et ign.* vocat *ἀρχηγὸν τῶν τεχνῶν*, ducem artium, *Homerus* saepe *κλυτοτέχνην*, arte celebrem appellat. ℙ Universim divites, potentes, felices *reges* dicuntur, quia tales esse reges vulgo creditur. *Hor. Ep.* 1, 1, 106. Ad summam sapiens uno minor est Jove, dives, Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum. *Sen. Thyest.* 911. o me coelitum excelsissimum, Regumque regem! *Pl. Poen.* 3, 3, 58. Rex sum, si ego illum hodie hominem ad me allexero. *Hor. Ep.* 1, 1, 59. rex eris, ajunt, Si recte facies. ℙ Hinc asseclis, clientibus, salutatoribus, parasitis patroni sui, domini, et amici potentiores *reges* sunt. *Pl. Stich.* 3, 2, 1. Confido me meum obtenturum regem ridiculis meis. *Colum. praef.* 1. *med.* An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium, circumvolitantis limina potentiorum, somniumque regis sui rumoribus inaugurantis. *Mart.* 2, 18. Sum comes ipse tuus, tumidique anteambulo regis; et *mox:* Qui rex est, regem, Maxime, non habeat. Adde *Juven.* 1, 136. et 5, 14., *Stat. Silv.* 3, 2, 92. et *Ter. Ph.* 2, 2, 24., ubi parasitus loquitur. [**V. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 2, 86.] ℙ Inter animalia quoque suus est rex. *Phaedr.* 4, 12. Cum se ferarum regem fecisset leo. *Stat. Th.* 5, 333. Rex armenti, *h. e.* taurus. Adde 11, 28. De rege apum *Virg. G.* 4. a *v.* 88. *Plin.* 10, 74, 95. Rex avium. V. TROCHILUS. ℙ In rebus inanimis. *Virg. G.* 1, 482. Fluviorum rex Eridanus; et *ib.* 2, 98. firmissima vina, Tmolius assurgit quibus, et rex ipse Phanaeus. ℙ *Rex*, cognomen familiae Romanae plebejae in gente Marcia, quia ab Anco Marcio, quarto Romanorum rege, ducebat originem, ut est ap. *Suet. Caes.* 6. Hinc ap. *Liv.* 43, 1. P. Marcius Rex. ℙ *Regerum* antiquus est, et obsoletus genitivus pluralis, usurpatus a *Cn. Gellio* ap. *Charis.* 1, 40. ℙ [**Confund. *regum* et *legum*. V. *Cort.* ad *Lucan.* 6, 301. 8, 685. et *rerum*. *Id. ib.* 7, 579. 584.]

RH

RHĂ, indecl. nunc *die Wolga*, Ῥᾶ, fluvius ingens Sarmatiae, qui aliis receptis fluminibus, duplici alveo in Caspium mare influit. In ejus ripis nascitur nobilis illa radix, quae rha Ponticum dicitur, et a *Celso* 5, 23. *f.* radix Pontica. [*Rhapontik, Rhabarber*, Rheum Rhaponticum, *L.*] Fluvii meminit ex quorundam Codd. lectione *Mela* 3, 5.; fluvii, et radicis *Ammian.* 22, 8. *med.* Hinc (*Tanai*) Rha vicinus est amnis, in cujus superciliis quaedam vegetabilis ejusdem nominis gignitur radix, proficiens ad usus multiplices medelarum. V. RHACOMA.

RHABDOS, i, f. ῥάβδος, virga. In meteoris est ad virgae rigorem per longum colorata nubecula, ut ait *Appul. de Mundo.*

RHACĪNUS, i, m. piscis pulli coloris, memoratus ab *Ov. Hal.*, ut testatur *Plin.* 32, 11, 54., si modo ea lectio sana est.

RHACŌMĂ, ae, f. herbae species, eadem quae rha. *Plin.* 27, 12, 105. Rhacoma affertur ex his, quae supra Pontum sunt, regionibus. Radix costo nigro similis, minor, et rufior paulo, sine odore, calfaciens gustu, et astringens, etc.

*RHACŌTES, ae, Ῥακώτης, vetus nomen Alexandriae Aegypti urbis. *Plin.* 5, 10. ed. *Hard.*, ubi ed. *Elzev.* exhibet *Arapotes.* ℙ *Rhacotis* est *Tac. H.* 4, 84. *Straboni* Ῥακῶτις. *B. A.*

*RHACOTIS. V. v. praec. *B. A.*

RHADĂMANTHUS, i, m. Ῥαδάμανθος, filius Jovis et Europae, frater Minois, legumlator Cretensium una cum fratre. Regnasse dicitur in Lycia. Justissimus fuit: hinc a poetis judex Inferorum fingitur. *Virg. A.* 6, 566. Gnosius haec Rhadamanthus habet durissima regna. *Claud. in Ruf.* 2, 477. Conspicuus solio pertentat crimina Minos, Et justis dirimit sontes: quos nolle fateri Viderit, ad rigidi transmittit verbera fratris. Nam juxta Rhadamanthus agit. ℙ In 3. decl. *Pl. Trin.* 4, 2, 83. Illum reliqui ad Rhadamanthem. Alii rectius leg. *Rhadaman*, vel *Rhadamam*, ut sit a *Rhadamas, ae.* V. CALCHAS.

*RHADAMĒI, orum, populi Arabiae. *Plin.* 6, 28. ed. *Hard.*, ubi ed. *Elzev.* habet *Rhammei. B. A.*

*RHADATA, oppidi nomen Aegypto Aethiopiaeque contermini, in quo felis aurea pro deo colebatur, teste *Plin.* 6, 29. *B. A.*

RHĂDINE, es, f. ῥαδινή, gracilis, tenuis (vox Graeca ἀπὸ τοῦ ῥᾶον δινεῖσθαι) de puella tabida, tussi et macie confecta, ab amatore dicitur ap. *Lucr.* 4, 1160. quom vivere non quit Prae macie, rhadine vero est.

RHAETI, orum, m. plur. populi Rhaetiae, Noricis et Vindelicis contermini, quos Tuscia oriundos arbitrantur, et a Gallis inde pulsos, duce Rhaeto Alpes occupasse. *Plin.* 3, 20, 24., *Just.* 20, 5. et *Liv.* 5, 33 *f.* ℙ Scribitur et *Raeti.*

RHAETĬA, ae, f. regio Europae inter fontes Danubii ac Rheni, et Lycum fluvium, qui in Danubium influit: et inter Danubium ipsum et Alpes, supra Galliam Cisalpinam. *Plin. var. in loc. Claud. IV. cons. Honor.* 441. Aspera nubiferas qua Rhaetia porrigit Alpes. *Id. B. G.* 329. sublimis in Arcton Prominet Hercyniae confinis Rhaetia silvae: Quae se Danubii jactat Rhenique parentem, Utraque Romuleo praetendens flumina regno. ℙ Scribitur et *Raetia.*

[RHAETĪCĪNUS et Raeticinus, a, um, adj. ad Rhaeticum pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 886, 2. Ti. Claudius Raeticinus. Alii leg. fortasse rectius *Raeticianus. F.*]

RHAETĬCUS, a, um, adj. ad Rhaetiam pertinens. *Plin.* 3, 19, 23. Rhaetica oppida. *Ov. Trist.* 2, 226. arma. *Suet. Tib.* 9. Rhaeticum bellum. *Tac. G.* 1. Rhaeticae Alpes. *August. C. D.* 18, 18. Annona quae dicitur Rhaetica, quoniam ad Rhaetias deportatur. ℙ Rhaetica vitis, Rhaeticum vinum laudatur a *Plin.* 14, 2, 3. et 6., *Virg. G.* 2, 96., *Colum.* 3, 2. *f.* et *Mart.* 14, 10. Intelligitur autem quod in collibus nascitur ab Alpibus Rhaeticis Veronam usque: quia is tractus ad Rhaetiam pertinebat. *Plin. l. c.* Eo Augustus maxime delectabatur, teste *Suet.* 77. Scribit *Serv.* ad *Virg. l. c.* laudari etiam a *Cat.* in libris, quos scripsit ad filium: contra a *Catullo* vituperari, et nulli rei esse dici: sed quo loco *Catullus* haec habeat, non video. Fortasse in verbis *Servii* mendum est. ℙ Scribitur et *Raeticus.* [Nummus Hadriani ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 6. p. 500. habet *exercitus Raeticus*: et *Inscr.* ap. *Mur.* 816, 1. Eques Sing. Aug. lectus ex exercitu Raetico. *F.*]

RHĂGĀDES, um, f. plur. et Rhagadia, orum, n. plur. ῥαγάδες, ῥαγάδια, fissurae, scissurae in labiis, ano, pedibus, etc. Vox Graeca a ῥήσσω, frango. *Cels.* 6, 18. *n.* 7. In ano saepe, et quidem pluribus locis, cutis scinditur: ῥαγάδια Graeci vocant. *Id.* 7, 30. *fissa ani* appellat. *Plin.* 23, 4, 44. Myrteum oleum attrita sanat, et furfures, et rhagadas. *Id.* 24, 7, 64. Pix rhagadas sedis, et pedum, panosque emendat. *Id.* 23, 7, 23. Caprifici cinis ex melle rhagadia sedat. *Id.* 28, 6, 18. Urina exesis, ambustis, sedis vitiis, rhagadiis illinitur. V. FISSUS.

RHĂGĪON, ii, n. ῥάγιον, parvus acinus apud Graecos. Hinc et genus aranei. *Plin.* 29, 4, 27. Vocatur et rhagion acino nigro similis, ore minimo sub alvo, pedibus brevissimis tanquam imperfectis.

RHAMNES. V. in RAMNENSES.

RHAMNOS, i, f. ῥάμνος, genus rubi albi. *Plin.* 24, 14, 76. Inter genera ruborum rhamnos appellatur a Graecis, candidior, et fruticosior. Is floret, ramos spargens rectis aculeis, non, ut ceteri, aduncis, foliis majoribus, etc. [*Wegdorn, Kreuzdorn*, Rhamnus, *L.*]

RHAMNUS, untis, f. Ῥαμοῦς, pagus Atticae, in tribu Aeantide, inter Athenas et Chersonesum, insignis Amphiarai templo, et Nemesis simulacro. *Plin.* 4, 7, 11. et 36, 5, 4. *n.* 3. et *Lucan.* 5, 233. ℙ Item opp. et portus Cretae, in occidua parte, inter Phaasarnen et Chersonesum, al. inter Lycastrum et Lyctum. *Plin.* 4, 12, 20.

RHAMNŪSIS, idis, f. idem ac Venus Rhamnusia, idest Nemesis. *Ov. Met.* 14, 694. memoremque time Rhamnusidis iram.

RHAMNŪSĬUS, a, um, adj. Ῥαμνούσιος, qui est est Rhamnunte, vel ad Rhamnuntem spectat. *Ter. Andr.* 5, 4, 27. Hoc certe scio, Rhamnusium se ajebat. ℙ *Rhamnusia Virgo*, et *Rhamnusia* simpliciter, eadem ac Nemesis, Dea indignationis, quae etiam Adrastia vocatur, quae ab iis poenas repetere existimabatur, qui praesentibus bonis se indignos praebuissent, superbiendo, et prosperam sortem bene ferre nesciendo. Hinc cum Narcissus formae bonitate abuteretur superbius, adversus eum haec Dea indignata esse dicitur, ex quo ille a se ipso interiit. Hujus simulacrum Agoracritus Parius Phidiae discipulus fecit. Cum certavissent inter se Agoracritus, et Alcamenes Atheniensis, ambo discipuli Phidiae, in Venere facienda, Alcamenes vicit, non opere, sed civitatis suffragiis contra peregrinum populari suo faventis. Quare Agoracritus ea lege signum suum vendidisse traditur, ne Athenis esset, et appellasse Nemesin. Id positum est in Rhamnunte pago Atticae. M. Varro omnibus signis praetulit. *Plin.* 36, 5, 4. *n.* 3. *Ov. Trist.* 5, 8, 9. Exiget at dignas ultrix Rhamnusia poenas. Adde *Met.* 3, 406., ubi de *Narcisso. Catull.* 66, 71. Pace tua fari haec liceat, Rhamnusia virgo. *Stat. Silv.* 3, 5, 4. nullis in te datur ire sagittis: Audiat infesto licet haec Rhamnusia vultu. *Claud. B. Get.* 631. Dea, quae nimiis obstat Rhamnusia votis. V. NEMESIS et MĒDICUS.

[RHĂNIS, idis, f. Ῥανὶς, una ex Dianae nymphis, quae ejusdem Deae ornatrices erant: est a ῥανὶς, stilla. *Ov. Met.* 3, 171. Excipiunt laticem Nepheleque, Hyaleque, Rhanisque, Et Psecas, et Phiale. ℙ Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 44. *n.* 251. Sulpicia Trionis L. Rhanis. *F.*]

RHAPĒĬON, ii, n. ῥαπήϊον, herba eadem quae leontopetalon. *Plin.* 27, 11, 72.

*RHAPHĂNE, es, f. cognominata est Apamia (Apamea) Mediae urbs. *Plin.* 6, 14. *B. A.*

RHAPHĂNUS. V. RAPHANUS.

RHĂPISMĂ, ātis, n. ῥάπισμα, alapa, vel potius ictus virga aut baculo inflictus: a ῥαπίζω, virgis caedo, quod a ῥαπὶς, virga. *Imp. Justin. Cod.* 8, 49, 6. Inspeximus in emancipationibus vanam observationem custodiri, et venditiones in liberas personas, et circumductiones inextricabiles, et injuriosa rhapismata.

RHAPSODĬA, ae, f. ῥαψῳδία, contextura carminum, praesertim heroicorum, liber versuum: a ῥάπτω, consuo, et ᾠδή, carmen. Hoc nomine appellata sunt carmina Homeri, quia cum ante dissipata essent, disjectaque, a Pisistrato, vel filio ejus Hipparcho in libros, seu rhapsodias digesta sint, ut *Cic. Or.* 3, 34. scribit. *Nep. Dion.* 7. Et versum illum Homeri retulit ex secunda rhapsodia.

RHĔA, ae, f. Ῥέα, et Ῥέη, et Ionice Ῥείη, eadem quae Cybele, et Latine Ops, filia Coeli et Terrae, uxor Saturni, magna Deum mater. *Ov. Fast.* 4, 201. Saepe Rhea questa est, toties fecunda, nec unquam Mater: et indoluit fertilitate sua. *Auson. Idyll. monosyll.* 12. de Deis: Sunt et coelicolum monosyllaba. Prima Deum Fas, Quae Themis est Grajis: post hanc Rhea, quae Latiis Ops. ℙ Rhea Silvia, Numitoris filia, Remi et Romuli mater. Si Graece Ῥείη scribatur, primam producet. *Virg. A.* 7, 659. Collis Aventini silva, quem Rhea sacerdos, etc. *Prud.* in *Symm.* 1, 174. Et si Rhea sacram lascivi Martis amore, etc.

*RHEBAS, ae, m. Ῥήβας, Bithyniae fluvius. *Plin* 6, 1. *Avien.* in *descript. orb.* 974. *Val. Fl.* 4, 698. Litora, longinquique exirent flumina Rhebae. *B. A.*

RHĒCTAE, arum, m. plur. ῥῆκται, motus terrae, quorum impulsu tellus dissilit: a ῥήγνυμι, frango. *Appul. de Mundo.*

RHĒDA, ae, f. ἁπήνη, ζεῦγος, ὄχημα, τετράκυκλον, vehiculum quatuor rotarum, teste *Isid. Or.* 20, 12. gestandis hominibus et sarcinis idoneum. Vox est Gallica, ut *Quint.* 1, 5. *med.* docet. *Imp. Constant. Cod. Theod.* 8, 5, 8. Statuimus rhedae mille pondo tantummodo superponi, birotae ducenta, veredo triginta. *Varr.* ap. *Non.* 2, 754. Si tuam heri rhedam non habuissem, varices haberem. *Caes. B. G.* 1, 51. Omnem aciem suam rhedis et carris circumdederunt. *Cic. Mil.* 20. Cum alter veheretur in rheda paenulatus, una sederet uxor. *Id. Att.* 6, 1. *f.* Vedius venit mihi obviam cum duobus essedis, et rheda equis juncta, et lectica, et familia magna. *Suet. Caes.* 57. Longissimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus, meritoria rheda. *Cic. Att.* 5, 17. Hanc epistolam dictavi sedens in rheda. *Helvius Cinna* ap. *Gell.* 19, 13. *extr.* At nunc me Geniana per salicta, Binis rheda rapit citata nanis. *Mart.* 10, 13. Cum cathedralicios portet tibi rheda ministros. *Hor. Sat.* 2, 6, 42. Rheda tollo aliquem, *h. e.* mecum in rheda sedere jubeo. *Varr.* ap. *Non.* 6, 17. Medeam advectam per aera in rheda anguibus. *Nonius* vult, improprie hic dici pro curru duarum rotarum. ℙ *Capsus rhedae* quid sit, V. in CAPSUS. ℙ Scribitur et *reda* in MSS. et editis libris non paucis.

RHĒDĀRĬUS, a, um, adj. ad rhedam pertinens. *Varr. R. R.* 3, 17. Ex equili educere rhedarios mulos. ℙ Absolute *rhedarius, ii*, m. ζευγηλάτης, rector rhedae, auriga. *Cic. Mil.* 10. *med.* Adversi rhedarium occidunt. ℙ Item qui rhedas facit, ζευγοποιός. *Capitol. Max.* et *Balb.* 5. Maximo pater fuit, ut nonnulli dicunt, faber ferrarius, ut alii, rhedarius vehicularius fabricator, *h. e.* artifex ejus generis vehiculorum, quae rheda dicitur.

*RHEDŌNES vel Redones, um, Ῥηδονες, populi Galliae Celticae sive Lugdunensis, ubi hodie *Bretagne. Caes. B. G.* 2, 34. et 7, 75. *Plin.* 4, 18. ℙ In Rhedonum terra fuit Condate, quae *Civitas Redonum* appellatur in *Not. Civ. Gall. Redones* autem vel *Redonae* (nam ibi accusativus tantum *Redonas* occurrit) in *Not. Imp. occid.*, unde hodiernum nomen *Rennes* perfluxit. ℙ Scribitur (ait *Gesnerus*) sine aspiratione melius. Certe non. *B. A.*

*RHEDONĪCUS vel Redonicus, a, um, adj. ad Rhedones vel Redones spectans. *Greg. Turon.* 5, 30. Regio Redonica (Rhed.). *B. A.*

RHĒGIENSIS, e, adj. Ita perperam legitur in *Inscr.* ap. *Grut.* 1101, 1., quae cum ad Regium Lepidi pertineat, rectius in eadem scribitur *Regiensis* ap. *Mur.* 563, 1. In templo collegl fabrum et centonariorum Regiensium. V. REGIENSIS.

RHĒGĪNUS, a, um, adj. ad Rhegium pertinens (V. REGINUS), ut Rhegina litora, *Sil.* 13, 94. ℙ *Rhegini, orum*, Rhegii incolae. *Cic. Arch.* 3.

RHĒGĬUM, ii, n. *Reggio di Calabria*, Ῥήγιον, urbs Italiae, in ora freti Siculi, ex adverso Siciliae ins. et Messanae urbis. Conditum fuit a Chalcidensibus. Dictum est a ῥήγνυμαι, frangor, quod inde Sicilia, olim continenti juncta, vi fluctuum terrae fractione avulsa fuerit. *Just.* 4, 1., *Plin.* 3, 8, 14. et *Fest. Ov. Met.* 14, 47. Oppositumque petens contra Zancleia saxa Rhegion ingreditur. Alii leg. *oppositam.* V. PELION. ℙ Sunt qui scribunt *Regium*, ut sit Latina appellatio: nec desunt lapides qui id confirmant, et eruditi qui probant: inter quos est *Graev.* ad *Cic. Fam.* 12, 25. et *Morisan. Inscr. Reg.* p. 266. ℙ Aliud est *Regium* in Gallia Cisalpina: de quo V. in REGIENSIS.

RHEMMĬUS. V. REMMIUS.

*RHEMNĬA, ae, f. oppidum in confinio Aegypti atque Aethiopiae. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

RHĒNĀNUS, a, um, adj. ad Rhenum pertinens. *Mart.* 9, 36. Rhenanam numeras, Sarmaticamque manum, *h. e.* Germanorum copias.

*RHENE, es, f. Ῥήνη, insula maris Aegaei, Cycladum una, Delo adjacens. *Mela* 2, 7. *Plin.* 4, 12. *B. A.*

RHĒNO, onis, m. διφθέρα, vestis pellicea, Gallorum, Germanorumque propria, ab humeris dependens usque ad umbilicum, et Sardorum mastrucae similis. V. MASTRUCA. Videtur plerisque fuisse pellis illius quadrupedis ex cervorum genere, qui caloris impatientissimus eodem nomine fuit appellatus, quique a *Caes B. G.* 6, 26. bos cervi figura, a *Plin.* 8, 34, 52. tarandus, a recentioribus Gallis *renne*, a Germanis *Rennthier*, ab Italis vulgo *rangifero* dicitur. Sunt qui putant, hanc vocem derivandam a ῥὴν, ηνὸς, ovis, unde et ῥῆνιξ, ικος, ovium pellis. In ipsa vero olim Germania indigenae videntur fuisse rhenones: nunc in septentrionalibus tantum ejusdem regionibus degunt, quoniam, excisis silvis, et excultis agris, longe clementius Germaniae coelum sit, quam illa fuerit aetate. Paulo aliter eosdem describit *Isid. Or.* 19, 23. Rhenones sunt velamina humerorum et pectoris usque ad umbilicum, atque intortis villis adeo hispida, ut imbres sespuant, de quibus Sallustius: Germani intectum rhenonibus corpus tegunt. Dicti autem rhenones a Rheno Germaniae flumine, ubi iis frequenter utuntur. [*Derivanda vox videtur a vett. Germanorum v. *Rhen*, quod hodieque ap. *Suecos* illud signif. animal, quod nos dicimus *Rennthier*. V. Beckmanni libr.: *Ueber die Thiere des alten deutschen Landes* p. 63. sq.] Haec *Isid.* At *Serv.* ad illud *Virg. G.* 3, 382. Gens effrena virum Rhiphaeo traditur Euro, Et pecudum fulvis velatur corpora setis: Rhenonibus; nam, ut Sallustius in historiis fragm. incert. Vestes de pellibus rhenones vocantur. *Caes. B. G.* 6, 21. *extr.* Germani pellibus, aut parvis rhenonum tegumentis utuntur, magna corporis parte nuda. Adde *Sidon. ep.* 4, 20. Meminit etiam *Varr. L. L.* 4, 35. ℙ Scribitur et *reno.*

RHĒNUS, i, m. Ῥῆνος, nobilis fluvius Germaniae, qui, ut ait *Tac. G.* 1, Rhaeticarum Alpium inaccesso ac praecipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus, septentrionali Oceano miscetur: *bicornem* appellat *Virg. A.* 8, 727, 1. quia duplici ostio mare

influit. Adde *Melam* 3, 2. *f.*, *Plin.* 4, 14, 28. et *ib.* 15, 29., *Serv.* ad *Virg. l. c.*, *Sen. Q. N.* 3, 27. et *ib.* 6, 7. et *Ammian.* 15, 4., ubi ejus cursus describitur. ℙ Adjective. *Hor. A. P.* 18. Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus. ℙ De ipsis Rheni accolis seu Germanis. *Ov. Pont.* 3, 4, 88. Alter enim de te, Rhene, triumphus adest. *Stat. Silv.* 1, 4, 89. Arctoas acies, Rhenumque rebellem Pandere. *Pers.* 6, 47. ingentesque locat Caesonia Rhenos, *h. e.* Rhenanos, Rheni accolas. ℙ Est et in Italia parvus Rhenus, ex Apennino oriens, et per agrum Bononiensem decurrens. *Sil.* 8, 599. parvique Bononia Rheni.

RHĒSUS, i, m. Ῥῆσος, filius unius ex Musis, rex Thraciae, qui in auxilium Trojanorum venit. De hoc ab oraculo Delphico Graecis responsum est, eos Trojae non potituros, nisi equos Rhesi abducerent, antequam Troadis herbam gustarent, et de Xanthi aqua biberent. Omnia alba habuisse fertur, equos, tentoria etc. Diomedes et Ulysses a Graecis missi ex Troade profecti sunt, exploraturi, quando Rhesus veniret, et in silvis latitavere. Cum igitur rex ad Troadis fines accessisset, et noctu castra metatus esset, Diomedes, et Ulysses circa primam quietem castra ingressi sunt, Rhesum interfecere, exercitum ejus partim ceciderunt, partim fugarunt, denique equos abduxerunt, antequam fatalem herbam, et aquam attingerent. *Cic. N. D.* 3, 18., *Virg. A.* 1, 473., *Catull.* 55, 26. et *Ov. Met.* 13, 249., *Ib.* 631., *A. Am.* 2, 137. etc. *Serv.* ad *l. c. Virg.* scribit fuisse filium Martis, et Euterpes. ℙ *Fuit et Rhesus fluvius Troadis, ex Ida monte decurrens. *Plin.* 5, 30. Ceteri (*amnes*) Homero celebrati, Rhesus, Heptaporus, Caresus, Rhodius, vestigia non habent. *Homer. Il.* M. v. 20. Ῥῆσός θ', Ἑπταπορός τε, Κάρησός τε, Ῥοδίος τε. *B. A.*

*RHETENOR, oris, m. unus e sociis Diomedis. *Ov. Met.* 14, 504. *B. A.*

RHĒTOR, ōris, m. ῥήτωρ, qui rhetoricam, sive artem oratoriam docet: a ῥέω, dico, eloquor. Differt ab *eloquente*, ab *oratore*, a *declamatore*, a *sophista*, quod *rhetor* sit, qui rhetoricam profitetur, seu qui docet vel scribit praecepta de bene dicendo: *eloquens*, qui excellit facultate, vel virtute bene dicendi: *orator*, qui in judiciis, concionibus, et senatu causas agit: *declamator*, qui aut docendi alios, aut exercendi se gratia fictas causas agit, ut in veris postea causis possit orare: *sophista*, qui artificiosas orationis delicias affectat. *Cic. Or.* 1, 18. *f.* Eos, qui rhetores nominarentur, et qui dicendi praecepta traderent, nihil plane tenere. *Id. Phil.* 2, 39. *extr.* Quasi rhetor ille te disertum facere potuisset. *Mart.* 2, 64. Dum modo causidicum, dum te modo rhetora fingis: *rhetora* est accusativus Graecae positionis. ℙ Aliquando ponitur pro oratore. *Cic. Fin.* 2, 6. Quasi vero perpetua oratio rhetorum solum, non etiam philosophorum sit. Adde *Or.* 2, 3. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 10, 12. *Brem.* ad *Nep. Ep.* 6, 3.]

RHĒTŎRĬCĂ, ae, et Rhetorice, es, f. ῥητορική, est ars vel doctrina bene dicendi. *Quint.* 2, 15. *f.* Huic ejus substantiae maxime convenit finitio, rhetoricen esse dicendi scientiam. *Id.* 2, 1. Rhetoricen exercere. *Cic. Fin.* 2, 6. Omnem vim loquendi in duas tributam esse partes; rhetoricam palmae, dialecticam pugno similem esse; et *mox:* Dicam, si potero, rhetorice, sed hac rhetorica philosophorum, non illa nostra forensi, quam necesse est, cum populariter loquatur, esse interdum paulo hebetiorem.

RHĒTŎRĪCĒ, adv. ῥητορικῶς, rhetorum more, perpetua oratione, oratorie, copiose, ornate. *Cic. Fin.* 2, 6. Rhetorice igitur, inquam, nos mavis, quam dialectice, disputare? *Id. Brut.* 11. Hanc enim mortem rhetorice, et tragice ornare potuerunt.

RHĒTŎRĪCO, as, n. 1. idem ac rhetoricor, ap. veteres. *Nov.* ap. *Non.* 7, 69. Age nunc, quando rhetoricasti, responde quod te rogo.

RHĒTŎRĪCOR, aris, dep. 1. ῥητορεύω, rhetorum more loquor. *Tert. Resurr. carn.* 5. Ita nos rhetoricari provocant haeretici.

RHĒTŎRĪCOTĔROS, a, um, adj. ῥητορικώτερος, magis rhetor, compar. more Graecorum. *Cic. Or.* 3, 43. ex *Lucilio:* Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis.

RHĒTŎRĪCUS, a, um, adj. ῥητορικός, ad rhetoricam pertinens. *Cic. Or.* 2, 3. Nec vero te rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor, ut erudiam. *Id. Fin.* 4, 3. Scripsit artem rhetoricam Cleanthes. *Id. Or.* 1, 19. *med.* Rhetorici doctores. ℙ Interdum sine substantivo ponitur in genere masc., et subintelligi *liber*, vel *libri* debet. *Quint.* 3, 5. *med.* Sicut et Ciceronis quoque Rhetorico primo manifestum est. *Id.* 3, 1. de Cicerone: Nisi et Rhetoricos suos ipse adolescenti sibi elapsos diceret, *h. e.* libros de Inventione. V. *Cic. Or.* 1, 2. ℙ In neutr. gen. *Cic. Fat.* 2. Mihi rhetorica vestra satis nota sunt.

RHĒTŎRĪSCUS, i, m. dimin. rhetoris. *Gell.* 17, 20. Heus, inquit, tu rhetorisce, (sic enim me in principio recens in diatribam acceptum appellitabat) videsne, inquit, etc.? [*ed. *Longol.* habet ῥητορίσκα.]

RHĒTŎRĪSSO, as, n. 1. ῥητορίζω, [*rhetoricor,] rhetorice loquor. *Pomp.* ap. *Non.* 2, 742. Dolasti uxorem, nunc quapropter me cupis Concidere? etiam rhetorissas? *h. e.* blateras?

RHĒTRĂ, ae, f. ῥῆτρα, dictio, oraculum, lex: a ῥέω, dico. Hoc nomine appellatae sunt leges Lycurgi a Lacedaemoniis. *Ammian.* 16, 5. Tanquam adstrictus sumptuariis legibus viveret, quas ex rhetris Lycurgi, et axonibus Romam translatas, et senescentes paulatim, reparavit Sulla dictator.

RHĒTUS. V. RHOETUS.

RHEUMĂ, ătis, n. ῥεῦμα, [aestus maris, fluxus, fluxio. *Veg. Mil.* 5, 12. Certis horis, diebus pariter ac noctibus, aestu quodam, quod rheuma vocant, ultro citroque pelagus procurrit, et, more torrentium fluminum, nunc exundat in terras, nunc refluit in altitudinem suam. *F.*] ℙ Translate. *Hieron. ep.* 122. *n.* 1. *med.* In terra deserta a vitiis, et invia adversariis potestatibus, et absque humore et rheumate ullius libidinis commorarer. ℙ [*Rheuma* est etiam morbus oculorum, cum nempe humorem praeter naturam emittunt, hinc *Sen. ep.* 64. Hoc (*collyrio*) asperitas oculorum conlevatur; hoc palpebrarum crassitudo tenuatur; hoc vis subita, et humor avertitur; hoc acuitur visus. *Inscr.* ap. *Viscont. Op. var.* T. 3. p. 326. ed. *Mediol.* Junii Tauri crocod. Paccian. ad cicat. et reum., *h. e.* crocodes Paccianum ad cicatrices et rheumata. *Theod. Prisc.* 1, 10. *med.* Si his adhibitis, rheuma (*oculorum*) cum dolore perseverarit, phlebotomandi sunt. V. RHEUMATIZO. *F.*]

RHEUMĂTĬCUS, a, um, adj. ῥευματικός, qui rheumatismo, seu fluxione laborat. *Plin.* 29, 6, 9. Aut tritas clysteribus infundendas orthopnoicis, aut rheumaticis.

RHEUMĂTISMUS, i, m. ῥευματισμός, *flussione, catarro*, fluxus, eruptio. *Plin.* 22, 18, 21. Decoquuntque in cibo contra fluxiones, quas Graeci rheumatismos vocant. *Id.* 23, 2, 32. Faex aceti stomachum, interanea, ventrem illita adjuvat: sistit earum partium rheumatismos. *Id.* 26, 14, 87. Rheumatismos cohibere. *Id.* 25, 8, 49. sanare. *Id.* 27, 12, 88. Rheumatismis mederi. *Id.* 24, 3, 3. resistere. *Id.* 25, 13, 109. Rheumatismo laborare. *Id.* 23, 1, 23. Si venter, aut interanea rheumatismum sentiant.

[RHEUMĂTIZO, as, n. 1. ῥευματίζομαι, fluxione, vel gravedine infestor. *Theod. Prisc.* 1, 10. *med.* Si oculi rheumatizaverint, iis vini et carnium parcitas indicenda est: et *mox:* Sitire etenim omnibus rheumatizantibus satis prodest. V. RHEUMA. *F.*]

RHEXIĂ, ae, f. herba ita appellata, quia fissum asini labium repraesentat: a ῥῆξις, fissio. V. ONOCHILES.

*RHIDAGUS, i, m. flumen Parthiae. *Curt.* 6, 4. *B. A.*

RHĪNĂ, ae, f. ῥίνη, piscis marinus ex genere squalorum, qui Latine squatus seu squatina dicitur, cujus meminit *Plin.* 32, 11, 53. *med.* Ita vero appellatur a ῥίνη, quae vox limam significat, quia, ut ait *Isid. Or.* 12, 6., sit squamis acutis, unde et ejus cute lignum politur. [Eadem etiamnum utuntur nostri fabri lignarii, ac praesertim intestinarii; et *pelle di pesce* vulgo vocant. *F.*]

[RHĪNENCHYTES, ae, m. ῥινεγχύνης, specillum, seu instrumentum, quo quid in nares infunditur: a ῥίν, nares, et ἐγχέω, infundo. *Scrib. Comp.* 7. Per nares ergo purgatur caput iis rebus infusis per cornu, quod rhinenchytes vocatur. *F.*]

RHĪNĬON, ii, n. ῥίνιον, collyrium ita dictum ab exterendis callis, et cicatricibus: a ῥινέω, limo. Ejus compositionem docet *Cels.* 6, 6. *n.* 30.

*RHINNEA, ae, insulae nomen Arabiae adjacentis. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

RHĪNŌCĔROS, ōtis, m. ῥινόκερως, animal quadrupes, simile elephanto, nisi quod cornu habet ex nare prominens. *Solin.* 30. dicit illud cornu repandum esse, idest recurvum, sed attritum cautibus in mucronem excitari, et rhinocerotem pugnare cum elephantis. *Pausan.* 9, 21. affirmat, rhinocerotem duo habere cornua, alterum insigni magnitudine ex naribus exstans, alterum, quod superne erumpit, exiguum quidem, sed validissimum: quod colligitur etiam ex *Mart. Spect.* 22.: nunc vero exploratum est, Africanum rhinocerotem duo, Asiaticum vero unicum habere cornu. ℙ Rhinocerotem quidam esse ajunt bovem Aegyptium, ut ait *Festus*, pro quo alii Aethiopicum tradunt, ut *Pausanias l. c.* Vox Graeca est, ex ῥίν, ῥινός, nasus, et κέρας, cornu. *Plin.* 8, 20, 29. Iisdem ludis et rhinoceros, unius in nare cornu, qualis saepe visus. Alter hic genitus hostis elephanto. Cornu ad saxa limato praeparat se pugnae, in dimicatione alvum maxime petens, quam scit esse molliorem. Longitudo ei par, crura multo breviora, color buxeus. Haec *Plin.* De pugna ejus cum tauro est epigramma *Mart. Spect.* 9. et 14, 53. et cum uro seu urso *Spect.* 22. ℙ *Nasum rhinocerotis habere* ap. *eund.* 1, 4. est acerrimum esse in deprehendendis aliorum vitiis, irridendis, insectandis: hoc enim per nasum Latini significant (V. NASUS.), et rhinocerotis nasus, seu cornu longissimum est. ℙ Synecdoche est in illo *Juven.* 7, 130. magno cum rhinocerote lavari, *h. e.* ingenti gutto ex cornu rhinocerotis; et *Mart.* 14, 52. cujus lemma, *Guttus corneus:* Gestavit modo fronte me juvencus: Verum rhinocerota me putabis. Adde *ib.* 53. ℙ Metaphorice *rhinocerotem* appellat *Lucil.* ap. *Non.* 1, 102. eum, qui bronchus est, *h. e.* ore producto, et dentibus prominentibus.

RHĪNŌCĔRŌTĪCUS, a, um, adj. ad rhinocerotem pertinens. *Sidon. carm.* 9, 339. Sed nec turgida contumeliosi Lectoris nimium verebor ora, Si tanquam gravior severiorque, Rugato Cato tertius labello, Narem rhinoceroticam minetur, *h. e.* irrisionem, reprehensionem: respicitque ad locum *Mart.*, de quo in v. praec.

RHĪNŌCŎLŪRĂ, ae, f. opp. Aegypti, in ora maris mediterranei, in limitibus Palaestinae: ita dictum a ῥίν, nasus, et κόλουρος, decurtatus, quia illius incolis omnibus rex quidam Persarum nares recidit. *Sen. Ira* 3, 20., *Plin.* 5, 13, 14., *Liv.* 45, 11.

[RHĪNŌCŌRAX, ăcis, f. genus corvi a rostri fortasse longitudine sic nuncupatum. *Jul. Valer. res gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 34. Tum rhinocoraces insecutae, sed eae sane neque ad homines saeviebant, neque ignes temere advolabant. *F.*]

RHĪNTHŌN, onis, m. Ῥίνθων, poeta comicus Tarentinus, hilarodus, seu potius scriptor ἱλαροτραγῳδιῶν, *h. e.* parodiarum, in quibus vis comica petebatur ab argumentis tragicis ex cothurno in soccum detortis, quae derisui audientibus et spectantibus essent. In ejusmodi carminibus variorum metrorum fuit usus, ac praecipue dactylici, unde postea *Lucilius*, et *Horatius* satyrarum suarum exemplum sumpserunt. Illius meminit *Cic. Att.* 1, 20., cujus etiam iambicum versum attulit. *Varro* autem *R. R.* 3, 3. *f.*, et ex eodem *Colum.* 8, 16. ejusdem dicterium quoddam nobis servarunt. Hujus poetae plenior habetur mentio ap. *Lydum de magistrat. R.* 1, 40. et 41.

RHĪNTHŌNĪCUS, a, um, adj. Ῥινθωνικός, ad Rhinthonem pertinens, ut *Rhinthonica fabula* ap. *Donat. fragm. de comoed. et tragoed. med.*, et ad *Ter. Ad. prol.* 7., et ap. *Euanth. comment. de trag. et com. f.*, ubi Rhinthonicam fabulam ab auctoris nomine dictam fuisse docet.

*RHĪON vel Rhium, i, n. Ῥίον, promontorium Achaiae. *Plin.* 4, 2. Promontorium Antirrhinum, ubi ostium Corinthiaci sinus minus mille passuum latitudine influentis, Aetolosque dirimentis a Peloponneso. Promontorium quod contra procedit, appellatur Rhion. ℙ Item Achaiae oppidum, juxta Rhium promontorium jam dictum; quae sententia est *Sigonii. Liv.* 27, 30. *Steph. Byz.* Ῥίον πόλις Μεσσήνης ἢ Ἀχαΐας· καὶ ἄλλη Αἰτωλίας. ℙ Ipsum quoque fretum, quo Corinthiacus sinus ex Ionio mari effunditur, Rhium vocatur, ut promontorium, quod intus est in Peloponneso. *Liv.* 27, 29. Aetoli navibus per fretum, quod Naupactum et Patras interfluit (Rhion incolae vocant) exercitu trajecto, (*Achaeos*) depopulati erant. *Id.* 28, 7. Veriti, ne intra Rhium (fauces eae sunt Corinthii sinus) opprimerentur. *Mela* 2, 3. *med.* Rhion deinde (maris id nomen est) anguste, et velut freto, latus orae sequentis incidens inter Aetolos et Peloponnesiacos, usque ad Isthmon irrumpit. *B. A.*

RHIPAEI, Riphaei, Rhiphaei et Ripaei montes, Ῥίπαια ὄρη, montes Scythiae altissimi, et aeternis nivibus rigentes, in Sarmatiae Asiaticae et Scythiae ora extrema supra fontes Tanais, qui inde oritur. Dicti sunt vel a ῥιπή, flatus, vel a ῥιπίζω, ventilo, quia perpetuo ventorum flatu infestantur. *Plin.* 4, 12, 24. Tanais amnis ex Riphaeis montibus defluens. Adde 6, 5, 5., *ib.* 7, 7. et al., et *Mel.* 1, 19. *f.* ℙ Adjective. *Virg. G.* 3, 382. Gens effrena virum Riphaeo tunditur Euro; et *ib.* 4, 517. Arvaque Rhipaeis nunquam viduata pruinis. *Sen. Hipp.* 8. Riphaea nix. *Claud. Rapt. Pros.* 3, 321. frigora. *Val. Fl.* 5, 605. et *Colum.* 10, 77. bruma. *Stat. Th.* 1, 420. Rhiphaea grando, *h. e.* nix durata gelu. *Lucan.* 3, 272. vertice lapsus Riphaeo Tanais. *Val. Fl.* 6, 33. Riphaeus orbis, *h. e.* Scythicus. *Claud. VI. cons. Honor.* 31. axis, *h. e.* septentrionalis. *Val. Fl.* 2, 516. volucres Rhipaea per ardua nubes. *Virg. G.* 1, 240. Mundus ut ad Scythiam, Rhipaeasque arduus arces Consurgit. ℙ Prima et secunda scribendi ratio videntur esse probabiliores, et in libris frequentiores. ℙ *Serv.* ad *A.* 9, 82. Ripaei montes Arcadiae non scribuntur cum adspiratione, quam addimus, cum Riphaeos montes Scythiae significamus. *Eum penes sit fides.*

*RHIPEUS, ei et eos, m. Ῥιπεύς, Trojanus, justitiae nomine Trojanis omnibus praelatus, ut auctor est *Virg. A.* 2, 426. *B. A.*

*RHIPHEARMA, oppidum Arabiae Felicis, dictum ab hordeo, quod ibi abundat. *Plin.* 6, 28. *B. A.*

RHIZĪAS, ae, m. ῥιζίας ὀπός, succus e radice laserpitii profluens. *Plin.* 19, 3, 15. Succus duobus modis capiebatur, e radice, atque caule. Et haec duo erant nomina, rhizias, atque caulias, vilior ille, ac putrescens.

[RHIZONĪTAE, arum, m. plur. incolae Rhizonis, urbis in Illyrico, quae nunc *Risano* inter *Cattaro*, et *Castelnovo*, quaeque etiam Risinium dicitur. V. RISINITANUS. *Liv.* 45, 26. Praefecit Rhizoni et Olcinio urbibus opportunis C. Licinium; et *mox:* Pro tribunali pronunciavit, immunes fore Rhizonitas et Olciniatas. *F.*]

RHIZŌTŌMŪMĒNĂ, orum, n. plur. τὰ ῥιζοτομούμενα, vox Graeca: a ῥίζα, radix, et τέμνω, seco;

significat ea, quae pertinent ad medicinam ex sectis herbarum radicibus. *Plin.* 20, 23, 96.

RHIZOTOMUS, i, m. ῥιζοτόμος, herba, species iridis subrufae. *Plin.* 21, 7, 19.

*RHIZUS, untis, Ῥιζοῦς, oppidum Thessaliae, in Magnesia. *Plin.* 4, 9. *B. A.*

RHO, nomen litterae R. ap. Graecos, ῥῶ. *Cic. Div.* 2, 46. Demosthenem scribit Phalereus cum rho dicere nequiret, exercitatione fecisse, ut planissime diceret.

*RHOALI, orum, populi Syriae (ut credibile est), Mesopotamiae adjacentes. *Plin.* 5, 24. Qui cohaerent Mesopotamiae, Rhoali vocantur. At in Syria oppida, etc. *B. A.*

RHOAS. V. RHOEAS.

*RHODA, ae, f. oppidum Hispaniae Tarraconensis, ad montes Pyrenaeos, hodie *Roses*. *Liv.* 44, 8. *Mela* 2, 6. *med.* ℙ Aliud in Gallia, ad Rhodanum flumen. *Plin.* 3, 4. Rhoda Rhodiorum fuit, unde dictus multo Galliarum fertilissimus Rhodanus fluvius, ex Alpibus se rapiens per Lemanum lacum: ex quo loco apparet Rhodiorum forte coloniam primitus fuisse hoc oppidum. *B. A.*

RHODĀNĭCUS, a, um, adj. Rhodanici nautae, Rhodano navigantes. *Inscr.* ap. *Grut.* 418, 3. Patrono Rhodanicorum, et Araricorum. Adde 248, 8. et 425, 1., ubi idem significatur, et ap. *Mur.* 1055, 2., ubi expresse *Rhodanicus nauta* habetur.

RHODĀNĪTIS, idis, f. adj. quae ad Rhodanum pertinet, seu sita est. *Sidon. ep. in carm.* 9, 13. *f.* Similis favor resultat Rhodanitidas per urbes.

[RHODANTHĬON, onis, m. dimin. a ῥόδον, rosa, et ἄνθιον, flosculus. Est nomen prop. R. *Inscr.* ap. *Marangon. Act. S. Vict.* p. 148. Hic situs est annis plenus, vitaque beatus, Et laetus omni more Rhodanthion; Nec sit mirum, quod comis, quod dulcis, amoenus In vita fuerit: nomine floris erat. *F.*]

RHODĀNUS, i, m. fluvius maximus, et rapidissimus Galliae Narbonensis. Hunc M. Varro, teste *Gellio* 10, 7., tertium Europae fl. haud Istro minorem scribit. *Plin.* 3, 4, 5. Regio Volcarum Tectosagum, ubi Rhoda Rhodiorum (*oppidum*) fuit; unde dictus multo Galliarum fertilissimus Rhodanus amnis, ex Alpibus se rapiens per Lemanum lacum, segnemque deferens Ararim, nec minus se ipso torrentes Isaram, et Druentiam. Libyca appellantur duo ejus ora modica: ex his alterum Hispaniense, alterum Metapinum: tertium, idemque amplissimum, Massalioticum. Haec *Plin.*, quae poetice etiam *Sil.* 3, 447. describit. *Tibull.* 1, 8, 11. Testis Arar, Rhodanusque celer. *Claud. in Ruf.* 111. Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit. *Hor. Od.* 2, 20, 19. me peritus Discet Iber, Rhodanique potor, *h. e.* Galli. Sic *Lucan.* 5, 268. Rhodano, Rhenoque subactis. ℙ Est etiam nomen propr. serv. *Inscr.* ap. *Grut.* 517, 7. Rhodanus Caesaris verna.

*RHODAPHA, ae, oppidum Indiae. *Plin.* 6, 17. Iomanem amnem tantundem: inde ad Gangem CXII. mill.: ad Rhodapham CXVIIII. mill. *B. A.*

[RHODE, es, f. ῥοδῆ, frutex rosae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 195. *n.* XLIII. T. Octavius Thallus, et Vibia Rhode parentes infelicissimi Rhodino filio suo posuerunt. Vixit annis IIII. mensib. VIIII. dieb. XXV. H. II. *F.*]

[RHODENSES, ium, m. plur. incolae Rhodae, urbis in Hispania Tarraconensi, nunc *Rosas*. *Inscr.* ap. *Grut.* 404, 4. Q. Egnatulo Q. F. Rhodenses equestrem e marmore statuam constituere. *F.*]

RHODĬACUS, a, um, adj. a Rhodo, ut Rhodiacae spongiae, *Plin.* 31, 11, 47. Rhodiacum glutinum, *Id.* 28, 17, 71. peristylium, *Vitr.* 6, 10. quod unam altiorem habet porticum.

[RHODĬAS vel Rodias, ădis, f. Ῥοδιάς, patron. ab urbe Rhodo, vel poculi genus, quod itidem ῥοδιὰς dicitur. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 651, 8. Domitia Rodias. *F.*]

RHODĬENSIS, e, adj. ad Rhodum pertinens, Rhodius. *Suet. Tib.* 62. Rhodiensis hospes. *Gell.* 7, 3. civitas. ℙ *Rhodienses*, *ium*, sunt Rhodi incolae, Rhodii, ap. *eund. ib.* et 13, 24.

RHODĪNUS, ă et ē, um, adj. rosaceus, ῥόδινος: a ῥόδον, rosa, ut Rhodinum unguentum, *Plin.* 13, 1, 2. oleum, *Id.* 15, 7, 7. ℙ Simplicissima rhodini unguenti mixtura diu fuit, additis omphacio, flore rosae, crocino, cinnabari, calamo, melle, junco, salis flore, aut anchusa, vino. *Id. l. c.* ℙ Est etiam *Rhodinus* et *Rhodine* cogn. R. *Inscr.* ap. *Fabr.*, quam vide in RHODE. Alia ap. *Mur.* 1336, 4. Herennia Rhodine.

*RHODIOPŌLIS, is, f. oppidum Lyciae, cujus meminit *Plin.* 5, 27. *B. A.*

RHODĪTIS, is, f. ῥοδῖτις, gemma sic dicta a colore roseo. *Plin.* 37, 11, 73.

RHODĬUS, a, um, adj. Ῥόδιος, ad Rhodum pertinens. *Ov. Met.* 12, 574. Rhodiae ductor pulcherrime classis. ℙ *Rhodii*, *orum*, Rhodi incolae. *Cic. Off.* 3, 12., *Liv.*, *Flor.* etc. Hi olim fuere bellicosissimi, et mari potentes: sed paulatim abundantia rerum et luxu effeminati sunt: unde eos *imbelles* suo tempore appellat *Juven.* 8, 113. ℙ *Rhodia uva*, ex Rhodo in Italiam advecta, mensis apta magis, quam cellae vinariae, laudatur a *Virg. G.* 2, 102., *Plin.* 14, 3, 4. *n.* 9., *Colum.* 3, 2. et *Macr. Sat.* 2, 16. *f.* Vinum ex ea,' in sacris saepe adhibitum, ut innuit *Virg. l. c.*, laudant *Plin.* 14, 8, 10. et *Gell.* 13, 5. ℙ *Rhodia ficus* nigra est, et inter praecoces recensetur ab eodem *Plin.* 15, 18, 19. et *Colum.* 5, 10. ℙ *Rhodias gallinas* proceritate insignes, fecunditate non item, memorat *Colum.* 8, 2. *in.* et *med.* et *ib.* 11. *med.*, item *Mart.* 3, 58. ℙ *Rhodium marmor*, aureis venis interstinctum. *Plin.* 37, 10, 62. ℙ *Rhodio cypero* secunda laus post Ammoniacum datur ab *eod.* 21, 18, 70. ℙ *Rhodiae cretae* vim tribuit ad vina mitiganda, *Id.* 24, 1, 1. ℙ *Rhodium opus* ap. *Mart.* 1, 71. est colossus Solis in Rhodo insula. ℙ Rhodium dicendi genus medium erat inter Asianum tumidum, et Atticum limatum, et ex utroque mixtum, ut ait *Quint.* 12, 10. *Cic. Brut.* 13. *med.* Asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate, nec copia, sed parum pressi, et nimis redundantes: Rhodii saniores, et Atticorum similiores. ℙ *Rhodius secessus* ap. *Tac. A.* 4, 15., quo quis Rhodum Roma secedit, ibique moratur. ℙ *Rhodia lex* de navalibus commerciis, cognominata est a Rhodiis, quorum fuit plurimus navigandi usus mercaturae causa. *Paul. Dig.* 14. *tit.* 2. qui *Ad legem Rhodiam de jactu* inscribitur, l. Lege Rhodia cavetur, ut si levandae navis gratia jactus mercium factus sit, omnium contributione sarciatur, quod pro omnibus factum est.

[RHODO, ōnis, m. ῥοδών, rosetum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 949, 8. L. Paccio Rhodoni Paccia Tyche Lib. *F.*]

RHODODAPHNĒ, es, f. ῥοδοδάφνη, frutex florem habens similem rosae, folium indeciduum simile lauri foliis: a ῥόδον, rosa, et δάφνη, laurus. *Plin.* 16, 20, 33. et 34, 9, 53., *Pall.* 1, 35. et *Virg. Cul.* 401. V. v. sq.

RHODODENDROS, i, m. ῥοδόδενδρος, frutex folio similis amygdalae, sed majore pinguioreque, semine patenti, qui et nerion, et rhodophne dicitur: a ῥόδον, rosa, et δένδρον, arbor, quasi rosa arborescens. *Plin.* 24, 11, 53. Rhododendros ne nomen quidem apud nos invenit Latinum, rhododaphnen vocant, aut nerium. Mirum, folia ejus quadrupedum venenum esse, homini vero contra serpentes praesidium, ruta addita e vino pota. Adde *eund.* 16, 20, 33. et 21, 13, 45.

RHODOMĔLI, n. indecl. ῥοδόμελι, mel rosae conditum, vel mixtum. *Pall.* 6, 16.

[RHODONĪCUS, a, um, adj. rosam vincens: a ῥόδον, rosa, et νίκη, victoria. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 830, 10. Venulina Rhodonica. *F.*]

RHODŌPE, es, f. Ῥοδόπη, Nympha Oceanitis, Ponti et Maris filia. *Hyg. praef.* ℙ Item regina Thracum: item Strymonis filia, quae Athon ex Neptuno peperit. Ab alterutra ex his nomen traxit mons Thraciae excelsus, et nivibus obsitus, qui eam provinciam fere bifariam secat, et ab Apollonia urbe ad Pontum Euxinum pertinet. *Ov. Met.* 2, 222. Et tandem Rhodope nivibus caritura, Mimasque; et *ib.* 10, 77. in altam Se recipit Rhodopen. *Stat. Th.* 12, 181. Quo Rhodopes non ulla nurus, etc. *h. e.* Thraciae. ℙ *Est nomen meretricis ap. *Juven.* 9, 4. ℙ Rhodope, quae et Rhodopis. V. RHODOPIS. *B. A.* ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 475, 5. Titia Rhodope. *F.*]

RHODŌPĒIUS et Rhodopēus, a, um, adj. Ῥοδοπεῖος, ad Rhodopen pertinens, Thracius, ut Rhodopeius vates, *h. e.* Orpheus. *Ov. Met.* 10, 11. Sic Rhodopeius heros, *Id. ib.* 50. Rhodopeia spicula, *h. e.* Thracia, ab Orpheo in proelio jactata, *Sil.* 12, 400. regna, *h. e.* Thracia, *Ov. Ib.* 347. Sic Rhodopeia flumina, *Claud. IV. cons. Honor.* 525. Ap. *eund. III. cons. Honor.* 113. Rhodopeia saxa Orpheis animata modis. ℙ *Rhodopeia conjux* ap. *Stat. Th.* 5, 121. est Procne uxor Terei regis Thraciae. ℙ Pro altera forma *Lucan.* 6, 618. Aequoraque et campi, Rhodopeaque saxa loquentur.

*RHODŌPIS, idis, f. Ῥοδῶπις, meretrix quaedam Thraciae, mirae pulchritudinis, quae una cum Aesopo captiva fuit. Illam Charaxus Mitylenaeus, frater Sapphus, maxima pecunia redemit, ut *Herodotus* scribit 2, 135. Cujus rei etiam meminit *Ov. Her.* 15, 63. sq. Hanc eandem *Plin.* 36, 12. pyramidem laudatissimam construxisse scribit, illam Aesopi philosophi conservam et contubernalem fuisse tradens; cui, notandum, *Rhodope* audit. V. *Strab.* 17. p. 1162. ed. *Almelov.* ibique notam *Casauboni.* Adi etiam *Bentl.*, *Dissert. upon Phalaris, etc. and Aesop's Fables*, *f.* ℙ Ἀπαρθ' ὅμοια, καὶ Ῥοδῶπις ἡ ἁλή, *Similia cuncta, Rhodopis ipsa etiam decens*; proverbium de mortalium conditione. Nam formosi pariter ac deformes senescunt ac moriuntur. *B. A.*

RHODŌRA, ae, f. nomen herbae Gallicum. [*Spiraea ulmaria, *L.*] *Plin.* 24, 19, 112. Juxta rumbotinum viduam vite nascitur herba, quam Galli rhodoram vocant. Caulem habet virgae ficulneae modo geniculatum, folia urticae in medio exalbida, eadem procedente tempore tota rubentia, florem argenteum.

RHODOS et Rhodus, i, f. Ῥόδος, insula pulcherrima Asiae minoris, et maris Carpathii, in ora Cariae, in qua urbs metropolis eodem nomine. Inter Asiaticas insulas tertia nominatur: nam Lesbus et Cyprus majores habentur. In urbe dicitur nunquam ita coelum nubilum esse, ut non aliqua hora sol cernatur, ut est ap. *Plin.* 2, 62, 62., quapropter Soli colossum dedicarunt altitudine tanta (scil. 70. cubitorum), ut unum ex septem orbis miraculis haberetur. Nomen habet a rosa, quae Graece ῥόδον, quia in ea condenda illius floris imago inventa traditur. *Hor. Od.* 1, 7, 1. Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen. *Ov. Met.* 7, 365. Phoebeamque Rhodon; et *Lucan.* 5, 50. pelagique potens Phoebeia donis Exornata Rhodos. *Stat. Silv.* 1, 1, 104. Rhodos aspera: scil. quia saxis et montibus abundat.

*RHODUSSA, ae, f. insula Cariae objecta, prope Caunum. *Plin.* 5, 31. ℙ *Rhodussae*, *arum*, insulae Propontidis. *Id. ib.* ℙ Revera adjectivum est *Rhodussa*, ex Graeco sc. ῥοδόεσσα et contracte ῥοδοῦσσα, *h. e.* rosea. *B. A.*

RHOEAS, ădis, f. ῥοιάς. Tertium genus papaveris sativi, erucae simile, cubitali altitudine, flore rufo, sponte nascens in arvis, maxime cum hordeo, Latini erraticum dicunt, Graeci ῥοιάδα (*Plin.* 19, 8, 53. et 20, 19, 77. Latina positione in accusativo *rhoean:* ubi alii leg. *rhoan*) quia floris folia protinus decidua sunt: a ῥέω, fluo. *Plin. ib.*

[RHOEBUS, i, m. nomen equi ap. *Virg. A.* 10, 861., at fortasse *Rhaebus* scribendum est, quod in uno ex Codicibus legitur ap. *Heyn. ad Virg. l. c.*, Graece enim ῥαιβός varum significat, quod equo apprime convenit. *F.*]

RHOECUS. V. RHOETUS.

RHOETĒIUS, et

RHOETĒUS, a, um, adj. Ῥοιτήϊος, ad Rhoeteum pertinens, quod est promontorium et oppidum Troadis, Ῥοίτειον. Ibi fuit Ajacis sepulcrum. *Plin.* 5, 30, 33. Extra sinum sunt Rhoetea litora Rhoeteo, et Dardanio, et Arisbe oppidis habitata. ℙ Ponitur pro Iliaco, Trojano, Phrygio. *Virg. A.* 12, 456. ductor Rhoeteius, *h. e.* Aeneas. *Lucan.* 6, 351. Rhoeteia litora. *Stat. Ach.* 1, 44. Rhoeteae trabes, *h. e.* quibus constructa est classis a Paride Helenam rapturo. *Sil.* 9, 72. Nomine Rhoeteo Solymus. *Id.* 1, 115. Rhoetea fata. *Sen. Troad.* 1122. vada. *Ov. Met.* 11, 197. Rhoeteum profundum, *h. e.* mare alluens promontorium Rhoeteum. Et absolute *Id. Fast.* 4, 279. Rhoeteum rapax. ℙ Interdum pro Romano, quia Romani suam originem ad Trojanos referunt. *Sil.* 9, 621. Rhoeteia pubes. *Id.* 17, 197. Pulsat Agenoreas Rhoeteia lancea portas. *Id.* 2, 51. Rhoeteius imo Imperet aeternum. *Id.* 7, 431. num migrantur Rhoeteia regna In Libyam superis? ℙ *Rhoeteus*, *i*, Ῥοιτεύς, disyll. nomen est proprium hominis Rutuli, ap. *Virg. A.* 10, 399. et 402.

RHOETUS, Rhoecus et Rhetus, m. Ῥοῖτος, Ῥοῖκος, et Ῥῆτος, unus ex Gigantibus, qui coelo bellum intulere. *Hor. Od.* 2, 19, 23., ubi alii leg. *Rhaecus*, et *Od.* 3, 4, 55. ℙ Item unus ex Centauris. *Ov. Met.* 12, 271. et 285., *Claud. praef. Nupt. Honor. et Mar.* 13. etc. *Adde *Virg. G.* 2, 456. *Val. Fl.* 1, 140. *Lucan.* 6. *v.* 390. ℙ Fuit et Rhoetus, Ῥοῖτος, Marrubiorum sive Marsorum rex in Italia, qui Anchemolo filio Casperiam superduxit novercam; hanc privignus stupravit; quo cognito, quum eum pater persequeretur, et ad poenam vocaret, fugiens ille, se ad Turnum contulit. Haec *Serv.* in illud *Virg. A.* 10, 388. Hinc Helenum petit, et Rhoeti de gente vetusta Anchemolum, thalamos ausum incestare novercae. ℙ Rhoecus, plastices inventor. *Plin.* 35, 12. *B. A.*

*RHOGE, es, f. Ῥώγη, insulae nomen in mari Mediterraneo, Lyciae propinquae. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

RHOĪCUS, a, um, adj. V. RHUS.

RHOĪTES, ae, m. ῥοίτης, vinum ex malis Punicis expressum: a ῥοιά, malum Punicum. *Plin.* 14, 16, 19. *n.* 3.

*RHOLUS, i, m. unus ex architectis, qui Lemnium Labyrinthum aedificarunt. *Plin.* 36, 13. *B. A.*

RHOMBOĪDES, is, f. ῥομβοειδής, figura rhombo similis. *Front. Expos. form.* p. 36. *Goes.* Quarta (*figura*), quae nec aequilatera, nec rectangula est, sed adversa latera et oppositos angulos aequales habet, et appellatur rhomboides. Adde *Capell.* 6, 230.

RHOMBUS, i, m. ῥόμβος; [a ῥέμβω, circumago. Ita primo dictus est fusus, in quem fila mulieres glomerant, cujus, cum plenus est, decrescente versus utrumque extremum crassitie, verticalis ejusdem sectio per axem instituta exhibet eam figuram, quae rhombus a mathematicis dicitur. V. infra. Jam usum illum domesticum feminarum appellatio fusi frequentior obscuravit, sed superest aenei rhombi mentio in sacris Rheae, seu Matris magnae Phrygiae ap. Graecos, nempe ap. *Schol.* ad *Apoll. Argon.* 1, 1139. Ῥόμβος, τροχίσκος, ὃν στρέφουσι ἰμᾶσι τύπτοντες. *F.*] ℙ Hinc saepe memoratur rhombus ap. Graecos et Latinos auctores in rebus magicis et incantationibus, ut *vertigo* et *turbo*, quae fere idem sunt. *Ov. Am.* 1, 8, 7. Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo Licia, quid valeat virus amantis equae. *Prop.* 2, 21, 35. Deficiunt magico torti sub carmine rhombi. *Mart.* 9, 30. Thessalico Lunam deducere rhombo. *Id.* 12, 57. Cum secta Colcho Luna vapulat rhombo. V. alia in STAMINEUS. ℙ Item a similitudine ita appellari putant nonnulli muliebre instrumentum, quod circumagen-

do lana netur: et fortasse est, quod nostrates vulgo *corlo* et *corletto* vocant. [Sunt qui huc trahunt locum *Gloss. Philox.* Girgillus, ῥόμβος. Sed ibi quoque de instrumento hauritorio mentio habetur. V. GIRGILLUS. *F.*] ℙ *Rhombus* dicitur etiam figura mathematica, quadrilatera, angulis oppositis aequalibus, sed iis, qui ad latus sunt, obtusis, qui versus extrema, acutis. *Capell.* 6, 230. Tertia figura aequilatera est, non tamen directiangula, et dicitur ῥόμβος. *Front. Expos. form.* p. 36. *Goes.* Tertia aequilatera est, sed rectos non continet angulos, et dicitur rhombus. ℙ A simili figura factum est quoque nomen pisci marino e genere planorum, laudatissimo in cibis, praecipue circa Ravennam, ut *Plin.* 9, 54, 79. docet. Graece etiam ψῆττα dicitur, lauduturque ab *Hor. Sat.* 2, 2, 95. et *ib.* 8, 30., *Juven.* 2, 2. et 4, 39. et *Mart.* 13, 81. et al. [*Ex aliorum sententia, *der Glattbutt*, Pleuronectes rhombus *L.*; alii putant, esse piscem, quem nos dicimus *der Steinbutt*, Pleuronectes maximus *L.* Cf. *Heindf.* ad *Her. Sat.* 1, 2, 116.]

[RHOMĒ, es, f. ῥώμη, fortitudo. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 297, 2. D. M. sacr. Arruntiae Rhomes. *F.*]

RHOMPHAEA et Romphaea, ae, f. ῥομφαῖα, hastilis genus, cujus ferrum ligno aequale est: aliter framea. Ap. *Gell.* 10, 25. legitur *rumpia* positione Latina, diciturque genus teli esse Thracae nationis, positumque hoc vocabulum in Q. Ennii Annali quartodecimo. Alii volunt esse gladium ex utraque parte acutum, qualis est, quam vulgo *spatam* vocant. *Isid. Or.* 18, 6. Sed verius est esse hastam. V. FRAMEA. ℙ Est a ῥέμβω, circumago: hoc enim facere solent romphaea pugnantes, ut qui anceps sit gladius, ut *Isid. l. c.* ait. *Ascon. argum. Milonianae:* Humerum ejus Birrhia rhomphaea trajecit. *Claud. epigr.* 27. Sic Geticas ultrix feriat rhomphaea catervas. *Liv.* 51, 39. *med.* Thracas quoque rhomphaeae, ingentis et ipsae longitudinis, inter objectos undique ramos impediebant. *Val. Fl.* 6, 98. Aequaque nec ferro brevior, nec rumpia ligno. Quidam leg. *romphea* extrita priore adspiratione, et praepositiva diphthongi.

RHOMPHAEĀLIS, e, adj. a rhomphaea. *Prud.* sine diphthongo scribit cc[illegible]piendi causa. *Cath.* 7, 93. Dextram perarmat rhompheali incendio.

RHONCHĪSONUS, a, um, adj. qui rhonchos sonat. Translate ponitur pro derisore. *Sidon. carm.* 3, 8. Nec nos rhonchisono rhinocerote notat.

RHONCHISSO, as, n. 1. sterto, ῥέγχω. *Plaut.* Cyathissat, dum coenat; dum dormit, rhonchissat. Ita est in Calepini, et aliorum Lexicis: sed nos locum *Plauti* invenire non potuimus.

[RHONCHO, as, n. 1. idem ac rhonchisso. *Sidon. ep.* 1, 6. Si relinquare inter bubsequas rusticanos, subulcosque rhoncantes. *F.*]

RHONCHUS, i, m. ῥόγχος, sonus, quem stertentes edunt: a ῥέγχω, sterto. *Mart.* 3, 82. Nos accubamus, et silentium rhonchis Praestare jussi, nutibus propinamus. ℙ Transfertur ab *Appulejo* ad exprimendum sonum ranae tacite coaxantis, *Met.* 1. Cauponem vicinum deformavit in ranam: et nunc senex ille dolium innatans vini sui, adventores pristinos in faeces submissus officiosis rhonchis raucus appellat. ℙ Translate etiam est irrisio, atque idem est ac sanna. *Mart.* 1, 4. Majores nusquam rhonchi: juvenesque senesque, Et pueri nasum rhinocerotis habent; et 4, 87. Nec rhonchos metues malignorum. ℙ Sunt qui scribunt *ronchus.*

RHONDE, Sicadionque cum dixit Lucilius, quo nomina riparum posuit, tam infestum sibi corpus et valetudinem referens, quam levis sed saluti navigantium. *Festus.* Quae verba satis corrupta ita emendant critici: Rhondes Icadionque cum dixit Lucilius, nomina piratarum posuit, tam infestum sibi corpus et valetudinem referens, quam illi essent saluti navigantium. Versus Lucilii sunt ap. *Fest. hic*, et in *Querqueram*: Querquera consequitur febris, capitisque dolores, Tamde mihi infesti, quam Rhondes, Icadionque: ubi *tamde* est pro *tam*, ut *quamde* pro *quam*. Alii leg. Infesti mihi, tanquam Rhondes, Icadionque. [Porro *Icadii* piratae meminit *Cic. Fat.* 3. V. ICADION. *F.*]

[RHOPĀLĬCUS, a, um, adj. ut Rhopalicus versus, qui a monosyllaba voce incipiens gradatim crescit, et ῥόπαλον, *h. e.* Herculis clavam, imitatur, ab angusto et tenui in latitudinem desinens. *Serv.* in *Centim.* p. 1826. Rhopalicus versus est, cum verba, ut sequuntur, per syllabas crescunt, ut est hoc: Rem tibi concessi, doctissime, dulcisonorem. *F.*]

RHOPĀLON, i, n. ῥόπαλον, herba Nymphaea, inde dicta quod radicem habet clavae similem: nam ῥόπαλον clavam significat. *Plin.* 25, 7, 37., *Appul. Herb.* 67.

[RHOPĒ, vel Rope, es, f. ῥοπή, propensio, momentum. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 159, 5. Salvia Rope. *F.*]

RHOSĬACUS, et

RHOSĬUS, a, um, adj. ad Rhoson pertinens, quod est oppidum Syriae ad sinum Issicum, non procul a Casio monte, Ῥῶσος, et Ῥωσσός. Ibi optima fictilia fiebant. *Plin.* 5, 22, 18. Intervallum Rhosiorum montium. *Cic. Att.* 6, 1. *med.* Rhosiaca vasa.

*RHOSPHODŪSA, ae, f. insula Chersonesi Tauricae in sinu Carcinite. *Plin.* 4, 13. *B. A.*

[RHOXĀLĀNI et Roxolani, orum, m. plur. Ῥωξολάνοι, populi Sarmatiae Europaeae, vel Scythiae, a laeva parte Moeotidis paludis. *Plin.* 4, 12, 25. Mox Alani et Rhoxalani. *Vopisc. Aurel.* 33. Gothi, Alani, Roxolani, Sarmatae religatis manibus captivi praecesserunt. *Inscr.* ap. *Grut.* 453. Regibus Rhoxolanorum filios Dacorum fratrum captos, aut hostibus ereptos remisit. Adde *Tac. H.* 1, 79. *F.*]

*RHŪMA, oppidum Aethiopiae, inter Meroem insulam et Troglodytas. *Plin.* 6, 29. *B. A.*

RHUNCUS, i, m. nomen Gigantis, qui idem esse putatur ac *Rhoetus*, vel *Rhoecus. Naev.* ap. *Prisc.* 6, 679.

RHUS, rhois, m. et f. ῥοῦς, ῥοός, ὁ καὶ ἡ, herba, et frutex quidam: de quo *Plin.* 24, 11, 54. Nec rhus Latinum nomen habet, cum in usum plurimis modis veniat. Nam et herba est silvestris, foliis myrti, cauliculis brevibus, quae tineas pellit: et frutex coriarius appellatur, subrutilus, cubitalis, crassitudine digitali, cujus aridis foliis, ut malicorio, coria perficiuntur. *Id. ib.* 55. Rhus, qui erythros appellatur, semen est hujus fruticis. Vim habet adstringendi, refrigerandique: aspergitur pro sale obsoniis: alvos solvit, omnesque carnes cum silphio suaviores facit. *Id.* 13, 6, 13. Etiam rhus Syriae mascula fert, sterili femina, folio ulmi paulo longiore et piloso, foliorum inter se semper contrariis pediculis, gracili brevique ramo. Pelles candidae conficiuntur iis. Semen lenti simile, cum uva rubescit, quod vocatur rhus, medicamentis necessarium. Hactenus *Plinius. Cels.* 6, 11. *med.* Rhus, quem Syriacum vocant. Quidam leg. *ros.* Ubi autem legimus ap. *Scrib. Comp.* 111. Rhus Syriaci coquuntur sextarii duo: Eruditi corrigunt *rhois Syriaci;* et ap. *Colum.* 9, 13. Uva passa cum rore Syriaco: *rhoe Syriaco;* et 12, 41. *f.* Tres heminae roris Syriaci: *rhois Syriaci.* Adde *Pall.* 4, 15. Alii tamen putant, nihil esse mutandum, quod non sit librariorum error, sed depravatio Graecae vocis olim in Latinam consuetudinem invecta. ℙ In accusativo *rhun* Graeca positione, et *rhum* Latina facit. *Plin.* 24, 14, 79. Pari mensura ejus, quod rhun Syriacon vocant. *Id.* 29, 3, 11. Una mensura ejus, quod rhum diximus. ℙ Hinc est adjectivum *rhoicus. Id.* 24, 11, 54. Medici rhoicis *(foliis)* utuntur ad contusa, etc.

RHŪSĔLĪNON, i, n. ῥουσέλινον, apium rusticum, herba scelerata. *Appul. Herb.* 8.

*RHYAS, ῥυᾶς, morbus oculorum, de quo *Cels.* 1, 7. ubi Graecis literis scribitur, nam Graeca vox est. *B. A.*

*RHYMMĬCI, orum, gens quaedam, Rhymmum accolens. Fuit autem Rhymmus Scythiae Asiaticae fluvius, in mare Caspium, intra Imaum montem, influens. *Plin.* 6, 17. ubi ed. *Basil.* (1530) habet *Rhymnici*, sed perperam. *B. A.*

*RHYMOZOLI, orum, gens Asiae, ultra Maeotim paludem. *Plin.* 6, 7. ed. *Hard.* ubi pro *Rhymozolos* habet ed. *Elzev.* cum antiquioribus quibusdam *Rhymosolos. B. A.*

*RHYNDĂCUS, i, m. fluvius Asiae minoris, in Mysia parva vel minore Phrygia, inter Cyzicum et Apameam, in Propontidem se exonerans, olim Lycus dictus. *Plin.* 5, 32. et 6, 34. *Mela* 1, 19. *B. A.*

*RHYPĂRA, ae, f. insula maris Agaei, Samo adjacens. *Plin.* 5, 31. *B. A.*

RHYPĂROGRAPHUS, i, m. ita cognominatus est quidam Pyrrhicus pictor, quod tonstrinas, sutrinasque pinxit, et asellos, et obsonia, ac similia, ap. *Plin.* 35, 10, 37.: est a ῥυπαρός, sordidus, et γράφω, pingo.

RHYPODES, is, adj. neutr. ῥυπῶδες, subaudi ἔμπλαστρον, genus emplastri, cujus compositionem tradit *Cels.* 5, 19. *n.* 15. a similitudine sordium appellatum: ῥύπος enim sordes significat. Ap. *eund.* alicubi Latinis litteris scribitur, ut 6, 18. *n.* 7. Tetrapharmacum, aut rhypodes rosa diluendum est.

[RHYTHMĪCE, es, f. ῥυθμική, scil. τέχνη, ars supputandi numeros, arithmetice. *Capell.* 9, 327. Rhythmice est ars omnis in numeris, quae numeros quosdam propriae conversionis accipiat. *F.*]

RHYTHMĪCUS, a, um, adj. ῥυθμικός, ad rhythmum pertinens. *Rhythmici* dicuntur, qui curiose numerum in oratione consectantur, diligentissime singula verba et particulas expendentes, et ad certam soni rationem ac regulam exigentes: quod musicorum potius, quam oratorum munus est. *Cic. Or.* 3, 49. *med.* Neque tamen hoc tanti laboris est, quanti videtur: nec sunt haec rhythmicorum ac musicorum acerrima norma dirigenda. *Quint.* 9, 4. *med.* Quis dubitet, unum sensum, et unius spiritus esse? *(Cic. Cluent.* 1.) *Animadverti, judices, omnem accusatoris orationem in duas divisam esse partes:* tamen et duo primo verba, et tria proxima, et deinceps duo rursus ac tria suos quasi numeros habent spiritum sustinentes: sicut apud rhythmicos aestimantur hae particulae, prout sunt graves, acres, lentae, celeres, etc.

*RHYTHMIZATĬO, onis, f. *Vet. Interpr. Iren.* 2, 20. Apta rhythmizatio. *B. A.*

[RHYTHMYZOMĒNON, i, n. ῥυθμιζόμενον, id quod ad numeros, vel rhythmum redigitur: est part. a ῥυθμίζω, ad numeros redigo. *Capell.* 9, 326. Interest tamen inter rhythmum et rhythmizomenon: quippe, rhythmizomenon est materia numerorum. *F.*]

[RHYTHMOĪDES, is, adj. omn. gen. ῥυθμοειδής, similis rhythmo, vel numeris. *Capell.* 9, 327. Verba, quae rhythmoides, id est similia numeris judicantur. *F.*]

*RHYTHMOPOEĬA, ae, f. ῥυθμοποΐα, quemadmodum procreatio numerorum possit effingi. *Martian. Capell.* 9, 327. *B. A.*

[RHYTHMŪLUS, i, m. dimin. rhythmi. *Diomed.* 3, 474. Musici viri ociori melo intenti, ex rotae situ et volubili modo, rhythmulum ejus *(pedis trochaei)* et tonum designant. *F.*]

RHYTHMUS, i, m. ῥυθμός, modus certa dimensione, et proportione constans, concinnitas, harmonia, congruentia ex plurium rerum apte decurrentium, aut inter se compositarum ordine et motu nascens. Hinc *rhythmus venarum* ap. *Vitr.* 1, 1. *f.* est pulsus earum per certa intervalla distinctus, ex quibus modus et numerus quidam efficitur. Similiter *rhythmus* dici potest certus motus pedum in iis, qui ad tibiam saltant. Sed praecipue locum habet in musica, et a *Capella* sic definitur 9, 326. Est diversorum modorum ordinata connexio, tempori pro ratione modulationis inserviens, per id quod aut efferenda vox fuerit, aut premenda, et qui nos a licentia modulationis ad artem disciplinamque constringat. *Gell.* 16, 18. Κανονική longitudines et altitudines voces emetitur: longior mensura vocis ῥυθμὸς dicitur, altior μέλος. ℙ Item in oratione, in qua, ut *Quintiliani* verbis utar 9, 4., omnis structura, ac dimensio, et copula vocum constat aut numeris (numeros ῥυθμοὺς accipi volo) aut metro, idest dimensione quadam. Quod etiamsi constat utrumque pedibus, habet tamen non simplicem differentiam: nam rhythmi, id est numeri, spatio temporum constant: metra etiam ordine: ideoque alterum (*h. e.* rhythmus) esse quantitatis videtur, alterum (*h. e.* metrum) qualitatis. Addit mox alia discrimina, quod in *rhythmis* non servatur ordo, modo sit eadem quantitas: idem enim rhythmus est in anapaesto *superant*, quod in dactylo *conterit*: in *metris* certa ordinis lex est, quam si violes, metri ratio tollitur: item quod *rhythmis* libera sunt spatia, in *metris* finita: item quod *metrum* in verbis modo, *rhythmus* etiam in corporis motu est, etc. *Varro* ap. *Diomed.* 3, 512. dicit, inter rhythmum et metrum id interesse, quod inter materiam et regulam. Disserit de rhythmo etiam ipse *Diomed.* 2, 464. V. quae diximus in NUMERUS. ℙ Ex hac voce depravata orta est lex Italici carminis *rima*, quae si spectetur in mensura ipsius versus certis syllabis, et certo temporum intervallo constantis idem est cum rhythmo Latinorum: si in fine, ubi ὁμοιοτέλευτα, hoc est similiter desinentia, ponuntur, alia prorsus res est, et a Latinis non usurpata. V. LEONINUS.

RHYTĬUM, ii, n. ῥύτιον, poculi genus infra angustum, supra latum, et curvum in modum cornu: dimin. a ῥυτόν, quod inter pocula numerat *Athenaeus* 10, 13. et 11, 5. Hinc *Mart.* 2, 35. Cum sint crura tibi, simulant quae cornua Lunae; In rhytio poteras, Phoebe, lavare pedes. ℙ *Rhytium* vel *Rhythion*, *i*, n. opp. Cretae. *Plin.* 4, 12. V. *Homer. Il.* B. 648.

R I

RĪCĂ, ae, f. καλύπτρη, palliolum, flameum, seu tegumentum capitis, quo flaminicae sacrificaturae utebantur: unde *ricinium*, et *ricinum. Festus:* Rica est vestimentum quadratum, fimbriatum, purpureum, quo flaminicae pro palliolo utebantur, ut Verrius existimat. Titinius: Rica ex lana succida alba vestitus. Alii dicunt, pallium esse triplex, quod conficiant virgines ingenuae patrimae, et matrimae, quod caeruleo colore infectum lavetur aqua pura. Alii, quo flaminica tingat pileum. Haec *Festus:* Etiam *Varr. L. L.* 4, 29. rica velari docet caput feminarum, sacrificium cum faciunt. Sed quod ducit a *ritu*, quia Romano ritu id fiebat, ab etymologis improbatur. *Massur. Sabin.* ap. *Gell.* 10, 15. Flaminica Dialis venenato operitur, et in rica surculum de arbore felici habet, *h. e.* in tutulo, quod est ornamentum ac tegumentum capitis. *Id. Gell.* de quodam Euclide, qui mutata veste itabat ad Socratem, 6, 10. Euclides, cum advesperasceret, tunica longa muliebri indutus, et pallio versicolore amictus, et caput rica velatus, e domo sua Megaris ad Socratem commeabat. *Caes. German.* in *Arat.* 121. de Astraea: ore Velato, tristesque genas abscondita rica. Alii leg. *vitta.* Adde *Pl. Epid.* 2, 2, 48. *Seren. et Nov.* ap. *Non.* 14, 15. et *Lucil.* ap. *eund. ib.* 16. qui quidem *Nonius* interpretatur *sudarium:* sed et sudarium velando capiti nonnunquam adhibetur.

*RICCIĂCUM, i, n. opp. Galliae Belgicae, in agro Treverorum. *Tab. Peut. B. A.*

*RICINA, ae, f. opp. Liguriae, hodie forsan *Recco. Tab. Peut.* ℙ Aliud in Piceno. *Tab. Peut.* ℙ Et insula inter Britanniam atque Hiberniam. *Plin.* 4, 16. *B. A.*

[RICINENSIS, e, adj. ad Helviam Ricinam pertinens, quae fuit urbs in Piceno, eidem proxima, quae

nunc *Macerata* appellatur. Helvia autem nominata est in honorem P. Helvii Pertinacis Aug., cujus cognomen sibi adscivit L. Septimius Severus Aug., qui eandem coloniam deduxit, ut constat ex *Inscr.* ap. *Grut.* 265, 5., in qua is ejus coloniae conditor dicitur. *Front. de colon.* p. 118. et 124. *Goes.* Ricinensis ager. ℙ *Ricinenses, ium*, sunt ejus urbis incolae. *Plin.* 3, 13, 18. Pausulani, Pleninenses, Ricinenses. *Inscr.* ap. *Mur.* 450, 2. Respublica Ricinensium; et 1116, 4. Municipium Ricinensium. Alia ap. *Grut.* 446, 9. Curator R. P. Ricinensium. Etiam hic *Ricinensium* legend. videtur.

RĪCĪNIĀTUS, a, um, adj. ricinio indutus. *Arnob.* 6, 209. Riciniatus Juppiter. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 279. Pueri riciniati. V. *Festi l. c.* in v. sq.

RĪCĪNIUM et Recinium et Ricinus, m. *Festus*: Ricinium omne vestimentum quadratum. Ii, qui XII. Tab. interpretati sunt, esse dixerunt virilem togam, qua mulieres utebantur, praetextam clavo purpureo, unde riciniati mimi planipedes. *Id.* in *Orchestra:* Orchestra locus in scena, quo antea, qui nunc planipedes appellantur, non admittebantur histriones, nisi tantum interim dum fabulae explicarentur, quae sine ipsis explicari non poterant: ricinia autem portabant, quo nequiori *(Godofr.* aequiori, alii *nobiliori)* habitu prodirent, atque ut inde nomen ducerent. *Non.* 14, 33. Ricinium, quod nunc mavortium dicitur, palliolum femineum breve. Varro *περὶ Μενελάου*: Nihilo magis decere mulierem, quam de muliebri ricinio palliolum simplex. Idem de vita populi R. l. 1. Ex quo mulieres in adversis rebus ac luctibus, cum omnem vestitum delicatiorem ac luxuriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt. *Varr. L. L.* 4, 30. Ricinium, id quod eo utebantur duplici: ab eo quod dimidiam partem retrorsum jaciebant, ab rejiciendo ricinium dictum. *Id.* ap. *Non.* 16, 13. Ut dum supra terram essent, riciniis lugerent, funere ipso pullis pallis amictae. *Cic. Leg.* 2, 23. *med.* Extenuato igitur sumptu, tribus riciniis, et vinculis purpurae, et decem tibicinibus, tollit etiam lamentationem. *Lucil.* ap. *Non.* 14, 16. Ricini et aurati, ricae, atque oraria mitrae. *Voss.* leg. *Ricini aurati* etc., ut duae priores syllabae producantur. *Serv.* ad *Virg. A.* 1, 286. Togas autem etiam feminas habuisse, cycladum et ricini usus ostendit. Ricinus autem dicitur ab eo, quod post tergum rejicitur: quod vulgo mavorte dicunt. *Isid. Or.* 19, 25. Eadem stola et ricinium Latino nomine appellata, eo quod dimidia ejus pars retro ejicitur, quod vulgo mavortem dicunt: vocatum autem dicunt mavortem, quasi Martem. Signum enim maritalis dignitatis et potestatis in eo est. Caput enim mulieris vir est: inde et super caput mulieris est. [*V. *Ferrar. de Re Vestiar.* 1, 25. *Ruben.* 1, 7. *Salm.* ad *Vopisc. Aurel.* 45. p. 541.] ℙ Adjective *ricinus, a, um* usurpatur a *Varr.* ap. *Non.* 14, 16. Mitra ricina, *h. e.* habens formam ricinii. ℙ Ex locis supra allatis satis constat, ricinium, diminutivum ricae, fuisse pallioli genus, quo tum viri, tum mulieres humeros et capita tegebant vel in suorum luctu et exsequiis, vel in scenicis fabulis actitandis, vel in sacrificiis peragendis. ℙ Mavortium *Nonii*, et mavorte *Servii*, vel mavors *Isidori* sunt voces minus Latinae, quae tamen idem significant, scilicet operimentum muliebre capitis, quod plur. numero effert *Gloss. Isid.* Mavortes, operimentum capitum mulierum. V. LAENA.

RĪCĪNUS, i, m. *κρότων*, animal aestivi temporis, omnium foedissimum, infixo semper sanguini capite vivens, atque ita intumescens: unum animalium, cui cibi non sit exitus: debiscitque nimia satietate, alimento ipso moriens. Nunquam hoc in jumentis (h. e. mulis, asinis) gignitur, in bubus frequens, in canibus aliquando: in ovibus, et in capris hoc solum. Ita, tacito nomine, a *Plin.* 11, 34, 40. et 30, 10, 24. describitur. *Id.* 22, 18, 21. Chamaeleonis nigri succo ricinos canum necant. *Varr. R. R.* 2, 9. *f.* de canib.: Nucibus Graecis in aqua tritis perungunt aures, quod muscae, et ricini, et pulices soleant eas exulcerare. *Colum.* 6, 2. *med.* de bub.: Sub femina manum subjicere, ut ricini, qui plerumque feminibus inhaerent, eximantur. Adde 7, 13., et *Cat. R. R.* 96. *Seren. Sammon.* 36, 699. purgabitur ulcus Sanguine seu ricini, quem bos gestaverit ante. ℙ Tineas appellat *Nemes. Cyn.* 209. ℙ In alio peduclum vides, in te ricinum non vides: proverb. de quo V. in PEDICELLUS. ℙ Est etiam nomen fruticis, ad magnitudinem parvae ficus assurgentis, folio platani, sed majore, laeviore, et nigriore, ramis et caudice arundinum modo concavis, semine uvarum aspero, quod purgatum figuram ricini animalis repraesentat, Graece *κρότων*, et *κίκι*. *Plin.* 15, 7, 7. V. CICI et CROTON. ℙ Praeterea ricinos appellant Graeci poma imperfecta mori arboris. *Plin.* 23, 7, 71., ubi alii leg. *cytinos.*

[RICOTĬA, ae, f. medicamenti genus. *Theod. Prisc.* 1, 5. Ap. aliquos hoc genus medicamenti ricotia appellatur. *F.*]

*RICTI, oppidum Pannoniae. *Notit. Imper.* ℙ *Ritti* est *Ant. Itin. B. A.*

RICTO, as, n. l. frequent. a *ringor*, rictum saepe aperio, dentes ostendendo, et turbatam vocem emittendo, quod irritata canis facere solet. *Spart. Get.* 5. Familiare illi fuit has quaestiones grammaticis proponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, velut agni balant, porcelli grunniunt, ursi saeviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, etc. [*Cf. *Gron. observv.* in *Eccl.* 8. p. 595. sq. *ed. Fr.*]

RICTUM, i, n. idem ac rictus. *Lucr.* 5, 1063. Mollia ricta fremunt duros nudantia dentes. *Id.* 6, 1193. inhorrebat rictum, frons tenta manebat. *Cic. Verr.* 2, 4, 43. de Herculis statua: Usque eo, judices, ut rictum ejus, ac mentum paulo sit attritius. Ita *Non.* legit 3, 185., alii *rictus.* [*Orell.* habet *rictum.*]

RICTUS, us, m. *χάσκος, χάνος*, hiatus oris, unde verba et vox exit, et tota illa pars circa ipsum hiatum, quae in homine ridente, et in bestiis os aperientibus lineis quibusdam terminatur, ut maxime sunt labia: a priore Graeca voce allata, vel potius a sup. verbi *ringor. Quint.* 1, 11. Ne immodicus hiatus rictum distendat. *Id. decl.* 10, 11. *f.* Illos oculos, illam gratissimam faciem, et rictus oris expressos, etc. *Suet. Claud.* 30. Risus indecens, ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus. *Hor. Sat.* 1, 10, 7. risu diducere rictum. *Juven.* 10, 230. ad conspectum coenae diducere rictum, *h. e.* inhiare ad fercula. *Ov. A. Am.* 3, 283. Sint modici rictus, sint parvae utrinque lacunae. *Id. Met.* 11, 126. de Mida: Fusile per rictus aurum fluitare videres. [*Front. ad M. Caes.* (ed. *A. Maio*) 4, 12. *med.* Cum interim nunquam tua imago *(picta in pergulis, tabernis, protectis, vestibulis,* etc.) tam dissimilis ad oculos meos in itinere accidit, ut non ex ore meo excusserit rictum osculi et somnum (lege *sonum.*) *F.*] *Ciceronis* locum V. in v. praec., et adde *Lucan.* 6, 757., *Titin., Pomp., Lucil.* et *Varr.* ap. *Non.* 6, 43. et *Poetam Gelli aequalem* ap. *eund.* 19, 11. et *Flor.* 3, 11. *extr.* ℙ De feris. *Ov. Met.* 6, 378. de ranis: Ipsaque dilatant patulos convicia rictus; et *ib.* 11, 55. in lapidem rictus serpentis apertos Congelat; et *ib.* 367. rictus lupi fulmineos; et *ib.* 14, 65. rictus Cerberei; et *ib.* 4, 98. Caede leaena boum spumantes oblita rictus. Adde *Mart.* 1, 105. et *Lucan.* 9, 845.

RĪCŪLA, ae, f. dimin. ricae. *Isid. Or.* 19, 31. Ricula est mitra virginalis capitis. *Turp.* ap. *Non.* 14, 16. et 16, 8. Interea adspexit virginem, injecta in caput ostrina indutam ricula.

RĪDĔO, es, si, sum, a. 2. *γελάω*, risum edo. *Cic. Fin.* 5, 30. *f.* M. Crassum semel ait in vita risisse Lucilius. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 14. *f.* Curre per Deos, et quam primum haec risum veni. *Cic. Verr.* 2, 3, 25. Ridere convivae, cachinnari ipse Apronius. *Catull.* 42, 9. Ridentem catuli ore Gallicani. V. GALLICANUS. *Hor. Sat.* 1, 1, 24. ridentem dicere verum Quid vetat? proverbium. *Cic. Fam.* 7, 25. Ne si istum habuerimus, rideamus *γέλωτα Σαρδόνιον.* ℙ Pro jocari. *Cic. Fam.* 2, 4. Jocerne tecum per litteras? civem mehercule non puto esse, qui temporibus his ridere possit. *Id. Att.* 14, 14. De haeresi Vestorina, et de phetriorum more Puteolano risisse me satis. ℙ *Ridere aliquem*, aut *aliquid*, de re aliqua ridere, deridere. *Cic. Q. Fr.* 2, 13. Risi nivem atram. *Id. Har. resp.* 4. *extr.* Cum riseritis impudentiam hominis; et *ib.* 5. Sua concio risit hominem. *Ter. Ad.* 4, 1, 9. Rideo hunc: primum ait se scire: is solus nescit omnia. *Pl. Cas.* 5, 1, 3. Nunquam ecastor ullo die risi adaeque, neque hoc, quod reliquum est, plus risuram opinor. ℙ Passive. *Ov. Pont.* 4, 12, 15. His ego si vitiis ausim corrumpere nomen, Ridear, et merito pectus habere neger. *Mart.* 1, 54. Inter Ledaeos ridetur corvus olores. *Hor. Sat.* 1, 7, 22. Persius exponit causam: ridetur ab omni Conventu. *Id. Ep.* 1, 1, 9. Solve senescentem mature sanus equum, ne Peccet ad extremum ridendus. *Val. Max.* 8, 8. *n.* 1. *extr.* Socrates eum parvulis filiolis ludens ab Alcibiade risus est. *Juven.* 10, 124. ridenda poemata malo, Quam, etc. ℙ *Petr. fragm. Trag.* 61. *Burm.* Satius est rideri, quam derideri. *Rideri* est hoc loco risum movere jocis et aliis scurrilibus: *derideri*, contemni. ℙ *Ridere vitia*, rem ludicram vitia putare, et solum risu digna, non vindicta. *Tac. G.* 19. Nemo illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi, saeculum vocatur. *Ov. A. Am.* 1, 635. Juppiter ex alto perjuria ridet amantum. Adde *Tibull.* 3, 6, 49. ℙ *Ridere alicui*, arridere, risu blandiri. *Pl. Truc.* 5, 8. Hanc mnam fero auri, si mihi rides: spice. *Virg. Ecl.* 4, 62. cui non risere parentes, Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est, *h. e.* infans, cui parentes, ejus risu blanditiisque provocati, non arrisere, neque mensae admissus est ab Hercule, neque lecto ab Junone. Unde mos erat, inquit *Serv.*, nobilibus pueris editis, in atrio domus Junoni lectum, Herculi mensam ponere. *Quint.* 9, 3. *in.* legit *qui*, et ita interpretatur: Ex illis, qui non risere, hunc non dignatus Deus, nec Dea dignata. Additque, esse figuram, qua plurali numero singularis subjungitur: *qui non risere ..... hunc.* Porro *ridere parentes* hac ratione est arridere ad parentes, et, ut ait *Virg. ib.*, risu cognoscere matrem. *Pierius* testatur, se in omnibus Codicib. vidisse *cui*, in aliquibus *quoi:* [ideoque *Quintiliani* lectio et interpretatio jure meritoque repudianda videtur *Heynio* ad *Virg. l. c.*, et *Spalding.* ad *Quint. l. c. F.*] ℙ *Ridere aliquem*, arridere alicui. *Pl. Capt.* 3, 1, 20. Quasi muti silent, neque me rident. ℙ Cum infinito. *Stat. Th.* 10, 646. sic Lydia conjux Amphitryoniaden exutum horrentia terga Perdere Sidonios humeris ridebat amictus, Et turbare colus, et tympana rumpere dextra. ℙ Translate est prosperum esse, favere. *Ov. Trist.* 1, 5, 27. Dum juvat et vultu ridet Fortuna sereno. ℙ Item nitere, pulcrum, amoenum esse. *Hor. Od.* 4, 11, 6. Ridet argento domus. *Lucr.* 4, 1118. et pulcra in pedibus Sicyonia rident. *Claud. Cons. Prob.* et *Olybr.* 70. Oraque ridenti lanugine vestiat aetas. *Virg. Cir.* 103. Purpureis late ridentia litora conchis. *Catull.* 64, 284. Queis *(floribus)* permulsa domus jucundo risit odore. *Ov. Met.* 15, 204. florumque coloribus almus Ridet ager. *Virg. Ecl.* 4, 20. Mixtaque ridenti colocasia fundet acantho. *Lucr.* 5, 1394. tempestas ridebat, *h. e.* serena erat et tepida; et 1003. ridentibus undis, *h. e.* tranquillis ac leniter crispantibus. *Hor. Od.* 2, 6, 13. Ille terrarum mihi praeter omnes Angulus ridet, *h. e.* amoenitate, et fertilitate placet. Sic *Petr. Sat.* 5. sive armigerae rident Tritonidis arces, Seu Lacedaemonio tellus habitata colono, Sirenumque domus, *h. e.* seu placent Athenae, seu Tarentum, seu Neapolis. ℙ *Rideor* deponentis forma. *Petr. fragm. Trag.* 57. *Burm.* Bellum pomum, qui rideatur alios; et 61. Quid enim mihi aufert, qui ridetur? *Ne imiteris.* ℙ Olim *rido, is*, dictum fuit, ut *strido, fervo, olo*, etc. *Diomed.* 1, 378. V. IRRIDEO. Sic *ridit* legunt nonnulli in illo *Lucr.* 3, 21. aether large diffuso lumine ridit. [*Ita *Eichstadt.*]

RĪDĪBUNDUS, a, um, adj. *μειδιῶν*, ridens, abunde ridens. *Pl. Ep.* 3, 3, 32. Ita ridibundam atque hilaram huc adduxit simul. Adde *Gell.* 11, 15.

RĪDĪCA, ae, f. *χάραξ, ἄγχεμον*, genus pedamenti sustinendis vitibus, ex talea crassa, non integra, sed fissa, ita ut ex una fiant plures. Itaque differt a palo, qui integer est et rotundus, ridica fissa et angulosa. V. PEDAMENTUM. *Varr. R. R.* 1, 26. Diligenter observant, ut ridica vitis ab septentrione versus tegatur: et si cupressos vivas pro ridicis inferunt, alternos ordines imponunt. *Colum.* 4, 26. Vineae stabiliendae melior est ridica palo: neque ea quaelibet; nam est praecipua cuneis fissa olea, quercus, suber; et *ib.* 33. *f.* Castanearum taleae propius stirpem recisae quadrifidas plerumque, ac deinde secundae taleae ejusdem arboris bifidas ridicas subministrant: quod genus fissilis adminiculi manet diutius, quam teres palus. Adde *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 10. et *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 404. *n.* 306. ℙ Primam syllabam corripit, secundam producit *Atta.* Robustearum fascias ridicarum. Ita *Jul. Scalig.*, quem penes sit fides.

RIDICŪLA, ae, f. paxillus, parva ridica. *Sen. Q N.* 1, 3. Cum *(fullo)* os aqua implevit, et vestimenta ridiculis diducta leviter aspergit. *Edd. *Lips.* et *Gronov.* exhibent *rediculis. B. A.* V. TENDICULA.

RĪDĪCŪLĀRĬUS, a, um, adj. *καταγέλαστος*, risum excitans. *Front.* ad *M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 4, 3. In verbis rusticanis, et jocularibus ac ridiculariis. *Gell.* 4, 20. Qui jurabat, cavillator quidem, et canalicola, et nimis ridicularius fuit. ℙ *Ridicularia, orum*, n. plur. facetiae, res ridiculae. *Pl. As.* 2, 2, 64. Mitte ridicularia. *Cato* ap. *Macr. Sat.* 2, 10. Ridicularia fundere.

RĪDĪCŪLĒ, adv. *καταγελάστως*, cum risu. *Cic. Or.* 1, 57. Non modo acute, sed etiam ridicule ac facete. *Pl. Trin.* 4, 2, 60. Novistin' hominem? *Sy* ridicule rogitas, quocum una cibum capere soleo. *Phaedr.* 3, 4. Ridicule magis hoc dictum, quam vere aestimo.

RĪDĪCŪLŌSUS, a, um, adj. ridiculus. *Arnob.* 5, 175. Ridiculosa negotia defendere. *Pl. Stich.* 2, 2, 64. Advexit secum parasitos ridiculosissimos. ℙ *Hieron. adv. Ruf.* 3, 12. *in.* ridiculosum a ridiculo distinguit, ubi ait: Non ridiculosa, ut scribis, sed ridicula mihi forte res accidit, *h. e.* non risu digna, sed contemptu.

RĪDĪCŪLUS, a, um, adj. *γελοῖος, καταγέλαστος*, risum movens, risu dignus, ridendus, ridiculosus. *Cic. Att.* 1, 13. *med.* Facie magis, quam facetiis ridiculus. *Ter. Andr.* 2, 2, 34. Ridiculum caput. *Pl. As. prol.* 13. Inest lepos lususque in hac comoedia: ridicula res est. *Juven.* 3, 152. Nil habet infelix paupertas durius in se, Quam quod ridiculos homines facit. *Catull.* 56, 1. O rem ridiculam, Cato, et jocosam! *Pl. Capt.* 3, 1, 22. Dico unum ridiculum dictum de dictis melioribus. *Id. Stich.* 2, 2, 58. Quando adbibero, alludiabo: tum sum ridiculissimus. *Id. Men.* 2, 2, 42. Solet jocari saepe mecum illo modo: quamvis ridiculus est, ubi uxor non adest, *h. e.* facetus, urbanus. ℙ Cum infinito. *Hor. Sat.* 2, 8, 24. Ridiculus totas simul absorbere placentas. ℙ *Ridiculum est*, ridicula res est. *Ter. Heaut.* 2, 3, 112. Ridiculum est, te istuc me admonere. *Cic. Arch.* 4. *med.* Est ridiculum, ad ea quae habemus, nihil dicere; quaerere quae habere non possumus. *Ter. Andr.* 3, 1, 16. Hui, tam cito? ridiculum! postquam ante ostium me audivit stare, approperat. Adde *ib.* 4, 2, 29. ℙ *Ridiculum, i*, res, aut dictum ridiculum. *Pl. Stich.* 3, 2, 1. Confido, me meum obtenturum regem ridiculis meis. *Id. Amph.* 3, 2, 35. Joco illa dixeram dudum tibi ridiculi causa. *Cic. Off.* 1, 37. *med.* Cum studiose de absentibus detrahendi causa, aut per ridiculum, aut severe, maledice contumelioseque dicitur. ℙ *Ridi-*

culus, i, m. parasitus, quia potissimum ejus artificium est, ad captandas coenas, tum risum dictis captare, tum se ridendum, et contumeliis incessendum praebere. *Pl. Capt.* 3, 1, 10. et 17. Ita juventus jam ridiculos, inopesque ab se segregat. *Id. Stich.* 4, 2, 54. Vides, ridiculos nihili fieri. ℙ *Ridiculo*, et *pro ridiculo esse* habet *Ter. Heaut.* 5, 1, 79. Qui sibi me pro ridiculo ac delectamento putat; et *Eun.* 5, 7, 3. Mihi solae ridiculo fuit, quae, quid timeret, sciebam.

[RIDITAE, arum, m. plur. incolae ignoti municipii in Dalmatia. *Inscr.* Salonitana, nunc Patavii exstans, ap. *Orell. Collect. Inscr. Lat. n.* 502. T. Flavio T. Fil. Tro. Agricolae Decur. Col. Sal., Aedili, II. Vir. jure dic., Dec. Col. Aequitatis, II. Vir. QQ., Disp. municipl Riditarum, Curatori reipubl. Splonistarum, etc. *F.*]

RIDO. V. RIDEO.

*RIDUNA, ae, f. insula inter Galliam Britanniamque. *Auct. Itin. marit. (conjunct. cum Ant. Itin.). B. A.*

RIEN. V. RENES.

[RIENOSUS, a, um, adj. laborans ex renibus. *Gloss. Phil.* Rienosus, *νεφριτικός. F.*]

RIGATIO, onis, f. *δεῦμα*, actus rigandi, irrigatio. *Colum.* 11, 3. *med.* Sin autem sicco loco seri debuerint, quo rigationem ministrari non expediat, etc. *Pall.* 3, 25. *med.* Si in arena sit, rigationibus adjuvetur.

RIGATOR, oris, m. *ὁ δεύων*, irrigator, qui rigat. *Tert. adv. Valent.* 15. *extr.* O fletum rigatorem!

*RIGATRIX, icis, f. quae rigat. *Augustin. B. A.*

RIGATUS, a, um, part. a *rigo:* irrigatus, maderis alternos angustat pulmo meatus. factus. *Lucan.* 4, 326. nulloque humore rigatus Ae-

*RIGATUS, us, m. rigatio. *Fortunat.* Rigatu aliquid madefacere. *B. A.*

[RIGEFACIO, is, eci, a. 3. rigidum ex frigore reddo. *Front. Strat.* 2, 5. *n.* 23. Hos consul et adortus temere, et secutus, jejunum exercitum in maximo frigore transitu fluminis rigefecit. Alii leg. *rigere fecit. F.*]

RIGENS, entis, part. a *rigeo: ῥιγῶν*, gelu constrictus, frigore induratus, rigidus. *Liv.* 21, 32. *med.* Animalia, inanimaque omnia rigentia gelu. *Mart.* 14, 117. aquam potare rigentem De nive. *Petr. Sat.* 122. tellus glacie concreta rigens, hiemisque pruinis; et 132. Rigens bruma. *Lucan.* 4, 291. sicca rigens adstrinxit vulnera sanguis. *Id.* 2, 25. Membra rigentia fugiente vita; et *Tibull.* 4, 1, 165. Pars terrae rigens; et *Solin.* 15. *med.* Pars mundi ipsis prorsus Aquilonis conceptaculis rigentissima. *Claud. Laud. Stil.* 1, 125. nunc triste rigentem Danubium calcabat eques; et *Mart.* 1, 50. Avidam rigens Dircenna placabit sitim. ℙ Translate est inflexibilis, durus, ut ea, quae gelu induruere. *Ov. Her.* 5, 72. Et secui madidas ungue rigente genas. *Quint.* 11, 3. *med.* Caput praedurum ac rigens. *Id.* 2, 13. *med.* de statua: Adversa facies, et demissa brachia, et juncti pedes, et a summis ad ima rigens opus; et *Plin.* 23, 1, 24. Rigentes oculi; et 16, 10, 19. Arbor pinguioribus foliis, et simplicibus, atque etiam non rigentibus; et *Claud. B. Get.* 23. muri adamante rigentes; et *Sen. Herc. Oet.* 578. Coma rigens Herculis, *h. e.* hirta, horrida, erecta. *Id. ib.* 1432. rigenti cernitur Trachin jugo, *h. e.* saxoso, aspero, duro contra cultum agricolarum; et *ib.* 135. Ad Trachina vocor, saxa rigentia, Et dumeta jugis horrida torridis. *Virg. A.* 8, 621. loricam ex aere rigentem, *h. e.* rectam, duram, non facile flexilem. Sic *ib.* 11, 72. vestes auroque ostroque rigentes. *Claud. Laud. Stil.* 2, 339. rigentia profert Dona, graves auro trabeas; et *Cons. Prob. et Olybr.* 205. Rigentes tunicae. *Id. in Eutrop.* 2, 166. adamante gravem, nodisque rigentibus hastam. *Sen. Thyest.* 304. Vir rigens tot malis, *h. e.* cujus animus tot malis induruit. *Id. Hipp.* 413. Animum rigentem tristis Hippolyti doma, *h. e.* frigentem et obduratum contra amorem. *Id. Thyest* 634. Si metu corpus rigens remittet artus, *h. e.* metu, quasi gelu, constrictum, et induratum.

RIGEO, es, ui, n. 2. *ῥιγόω*, frigore corripior, durus frigore fio: a voce Graeca allata. *Cic. Tusc.* 1, 28. *med.* Partes terrae incultas, quod aut frigore rigeant, aut urantur calore. *Tibull.* 4, 1, 156. de aqua: Sed durata riget densam in glaciemque, nivemque. *Mart.* 7, 95. riget horridus december. *Plin. ep.* 5, 6. *med.* Cryptoporticus subterraneae similis, aestate incluso frigore riget; et *Sen. Ira* 2, 3. Oratori eloquentissimo, dum ad dicendum componitur, extrema riguerunt. ℙ Translate est durum esse, rigidum, erectum, et inflexibilem, ut sunt quae frigore constringuntur. *Virg. A.* 5, 404. de caestib.: tantorum ingentia septem Terga boum plumbo insuto ferroque rigebant. *Ov. Met.* 3, 100. gelidoque comae terrore rigebant i. e. erectae ac durae stabant. *Id. Am.* 1, 6, 28. Roboribus duris janua fulta riget, *h. e.* immota manet, et limini valide haeret. *Id. Met.* 11, 121. de Mida: sive ille sua Cerealia dextra Munera contigerat, Cerealia dona rigebant, *h. e.* indurabantur in aurum; et *ib.* 4, 554. sensit riguisse lacertos, *h. e.* versos esse in lapidem. Sic *Sen. Herc. Oet.* 390. Riget superba Tantalis luctu parens, *h. e.* Niobe in saxum versa est. *Id. Ag.* 714. versi retro Torquentur oculi: rursus immites rigent, *h. e.* duri fiunt, nec circumaguntur. *Id. Med.* 853. Vultus cipietatem aut misericordiam. Sic *Herc. Oet.* 167. Quis tatus ira riget, *h. e.* obdurescit, et obstinat contra vastus Briareus, quis tumidus Gyges Hoc vultu riguit? *Ov. Met.* 8, 284. de apro: igne micant oculi, riget ardua cervix, *h. e.* rectitudinem ac robur habet: cui contrarium est ap. *eund. Am.* 3, 7, 66. et 67. et *Hor. Epod.* 8, 17. *languet*, remissa est. ℙ Rigere etiam dicuntur, quae stantia et erecta horrorem incutiunt. *Ov. A. Am.* 2, 116. Et riget amissa spina relicta rosa. *Id. Met.* 13, 690. sine frondibus arbos Nuda riget. *Id. ib.* 11, 150. late riget arduus alto Tmolus in ascensu. ℙ *Rigere*, torpere, languere, inertem esse. *Mart.* 5, 31. Sed feritas immota riget. ℙ De vestibus auro intextis. *Sil.* 4, 155. Auro virgatae vestes, manicaeque rigebant Ex auro. V. v. praec. ℙ Obsceno sensu est idem ac arrigo. *Auct. Priap.* 72. Tota nocte (*canis*) mihi litat rigendo. V. ARRIGO.

RIGESCO, is, n. 3. rigere incipio, frigore et duritie corripior. *Virg. G.* 3, 363. vestesque rigescunt Indutae, caeduntque securibus humida vina. *Plin.* 2, 63, 63. Rigescunt aquae in grandines. ℙ Item universim adstringor, ac durus fio. *Ov. Met.* 2, 364. stillataque sole rigescunt De ramis electra novis; et *ib.* 9, 357. materna rigescere sensit Ubera, *h. e.* durescere in lignum; et *ib.* 14, 564. rigescere puppim Cautibus Alcinoi, saxumque increscere ligno. ℙ Translate. *Claud. in Eutr.* 2, 113. nunquam corrupta rigescent Saecula? *h. e.* virilem severitatem induent?

RIGIDE, adv. *ἀστερρῶς*, dure, solide. *Vitr.* 2, 3. *med.* Tectorio inducto, rigideque obsolidato. ℙ Item intente, et recta linea. *Sen. Ben.* 2, 17. *med.* Rigide et excusse pilam mittere. ℙ Translate est severe, aspere, *ἀτρέπτως*. *Ov. Trist.* 2, 251. Ecquid ab hac omnes rigide submovimus Arte? *Val. Max.* 9, 7. *extr.* Dissolutam disciplinam praefractius et rigidius adstringere conatus.

RIGIDITAS, atis, f. *σκληρότης, ἀκαμψία*, rigor, durities, soliditas, firmitas, quae non flectitur. *Vitr.* 2, 9. *med.* Populus, salix, tilia, vitex parum terreni habentes, egregiam habere videntur in usu rigiditatem.

RIGIDO, as, a. 1. rigidum et durum facio. *Sen. ep.* 71. *med.* Virtus recta est; flexuram non recipit: rigidari quidem, amplius intendi non potest. Alii rectius leg. *rigida est.*

[RIGIDULUS, a, um, adj. dimin. rigidi. *Hadr. Aug. in carm.* ap. *Spart. Hadr.* 25. Animula, vagula, blandula, Quae nunc abibis in loca Pallidula, rigidula, nudula. Alii leg. *rigida. F.*]

RIGIDUS, a, um, adj. *ῥίγιος*, rigens, frigoris rigore correptus, durus prae frigore, gelidus. *Lucr.* 2, 520. Hinc flammis, illinc rigidis insessa pruinis; et 1, 355. rigidum permanat frigus ad ossa. *Virg. G.* 3, 316. Tellurem Borea rigidam spirante moveri. *Sen. Med.* 715. Rigida bruma. *Ov. Trist.* 3, 10, 48. Nec poterit rigidas findere remus aquas. *Auson. ep.* 12, 6. Erramus gelido-*τρομεροὶ*, rigidique poetae. ℙ Translate est rectus, erectus, arrectus, stans: item durus, inflexibilis, firmus, ut sunt ea, quae frigore adstringuntur, *ἀμάλακτος, ἄκαμπτος*. *Virg. Ecl.* 6, 28. tum rigidas motare cacumina quercus. *Ov. Fast.* 3, 529. Rigidae columnae. *Id. Her.* 5, 53. rigido pendentia lintea malo. *Id. Met.* 10, 425. albaque toto Vertice canities rigidis stetit hirta capillis; et *ib.* 9, 225. et 613. Rigidae silices. *Id. ib.* 85. Rigidum cornu. *Id. R. Am.* 11. ferrum. *Id. Am.* 2, 6, 4. Et rigido teneras ungue notare genas. *Id. Met.* 3, 118. et *Virg. A.* 12, 304. Rigidus ensis. *Id. ib.* 10, 346. Rigida hasta. *Suet. Tib.* 68. Incedebat cervice rigida, et obstipa. Adde *Ov. Trist.* 1, 4, 14. *Cic. Brut.* 18. Canachi signa rigidiora, Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora, quam Canachi. V. RIGOR. ℙ In re turpi *Petr. Sat.* 134., *Mart.* 6, 49., 9, 48. et 11, 16. Hinc *rigidus Deus*, Priapus. *Auct. Priap.* 46. et *Ov. Fast.* 1, 391. et *rigida, ae*, absolute est *mentula tenta.* V. PROTELUM. ℙ Refertur ad animum severum, constantem, recti tenacem *Liv.* 39, 40. *f.* de Cat.: Vir invicti cupiditatibus animi, et rigidae innocentiae. [**Tac. A.* 16, 22.] *Lucan.* 2, 389. de altero Catone: Justitiae cultor, rigidi servator honesti. *Hor. Ep.* 1, 1, 17. Virtutis verae custos, rigidusque satelles. *Ov. A. Am.* 2, 664. Rigidus censor. *Id. R. Am.* 762. Rigidi mores. *Id. Fast.* 4, 310. senes. *Plin. ep.* 4, 9. *med.* Sententiam Macri, ut rigidam duramque, reprehendunt. ℙ Est etiam durus patiensque laboris, asperam vitam ducens. *Ov. Met.* 14, 797. et *Hor. Ep.* 2, 1, 25. Rigidi Sabini. *Id. Od.* 3, 24, 11. Getae. *Mart.* 7, 70. Rigidus fossor. ℙ Item immitis, crudelis, ferus. *Ov. Trist.* 5, 1, 45. poenae modo parte levata, Barbariem, rigidos effugiamque Getas. *Mart.* 10, 65. Rigidus leo. *Ov. Met.* 8, 20. Mars; et *Fast.* 1, 124. Rigidae ferae. ℙ Item durus, rudis, nihil valens percipere, tanquam caudex, stipes, lapis. *Arnob.* 5, 164. O Abdera, esse tu fatua, et stoliditatis rigidissimae judicaris.

RIGO, as, avi, atum, a. 1. *ἀρδεύω*, irrigo, terram aqua deducta madefacio, humorem induco fertilitatis causa: a *ῥήσσω*, tingo: unde *ῥῆγος:* alii a *rivos ago. Plin.* 2, 103, 106. Fluvius Astaces rigat campos. *Id.* 6, 27, 31. Euphrate accolae rigant campos. *Id.* 17, 26, 40. Desiderant maxime rigari arbores, quae assuevere. *Colum.* 5, 6. *med.* Seminaria conspergi potius, quam rigari debent. *Id.* 11, 3. *med.* Nihil ingruente aestate obrui debet nisi semen apii, si tamen rigaturus es. *Ov. Fast.* 5, 210. hortus liquidae fonte rigatur aquae. *Prop.* 3, 1, 52. operosa rigat Marcius antra liquor. *Tibull.* 4, 1, 146. Quaque Istrus Tanaisque Getas rigat. *Lucr.* 6, 612. Imbres qui maria ac terras sparguntque, rigantque. *Id.* 4, 1023. Lotio rigare vestem stragulam. ℙ *Rigare aquam*, est variis ductibus derivare, ut faciunt, qui prata rigant. In *Vet. oraculo* ap. *Liv.* 5, 16. *f.* Romane, aquam Albanam cave lacu contineri, cave in mare manare suo flumine sinas: emissam per agros rigabis, dissipatamqae rivis exstingues. Simile est illud *Curt.* 8, 9. Erymanthus crebris flexibus subinde curvatus, ab accolis rigantibus carpitur: *agros* tamen hic possis subintelligere. Sic *Plin.* 11, 37, 69. de corde: Ex hoc fonte duae venae per alias minores omnibus membris vitalem sanguinem rigant, *h. e.* diffundunt. ℙ Translate. *Auct. ad Her.* 4, 6. Isti cum se ipsos fontes esse dicant, et omnium rigare debeant ingenia. *Ov. Am.* 3, 9, 25. Adjice Maeoniden, a quo, ceu fonte perenni, Vatum Pieriis ora rigantur aquis. *Prop.* 3, 2, 51. Calliope Ora Philetea nostra rigavit aqua. *Cic. carm. de suo cons. Div.* 1, 12. quae parvos Mavortis semine natos Uberibus gravidis vitali rore rigabat. ℙ Illa sunt poetarum: imber rigans genas, *Ov. A. Am.* 1, 532. rigare fletibus ora, *Id. Met.* 11, 419. lacrimis ora, *Id. Pont.* 2, 11, 9. oculos uberi fletu, *Sen. Med.* 388. effuso genas fletu, *Id. Troad.* 410. arma lacrimis, *Lucan.* 4, 180. Sic *Sen. Hipp.* 990. Rigatque moestis lugubrem vultum genis. ℙ Commodum est illud *Lucr.* 4, 200. et 5, 294, ubi dicitur lux solis mare ac terras coelumque rigare, *h. e.* perfundere, complere: et *Furii Antiatis* ap. *Macr. Sat.* 6, 1. *med.* mitemque rigat per pectora somnum. (Sic *Virg. A.* 1, 695. V. IRRIGO.) *Prud. Cath.* 6, 27. Quies pectus feriatum placat rigante somno.

*RIGODULUM, i, n. opp. Galliae Belgicae, ad Mosellam, in agro Treverorum, hodie *Riol* vel *Rigol. Tac. H.* 4, 71. *B. A.*

*RIGOMAGUS, i, opp. Galliae Belgicae, ad Rheni ripam, hodie *Rheinmagen. Tab. Peut. B. A.*

RIGOR, oris, m. *ῥῖγος*, vis, et asperitas frigoris, frigidus horror: a voce Graeca allata. *Lucr.* 6, 367. Prima caloris enim pars, et postrema rigoris, Tempus id est vernum. *Id.* 5, 639. Brumales usque ad flexus, gelidumque rigorem; et *ib.* 745. bruma nives affert, pigrumque rigorem. *Ov. Met.* 14, 794. Rigor Alpinus, *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 1. coeli et soli. *Id.* 11, 28, 34. et *Just.* 2, 1. *med.* hiemis. *Id.* 11, 8. In praefrigidam undam se projecit: tum repente tantus nervos ejus occupavit rigor, ut interclusa voce, etc. *Colum.* 9, 14. *med.* Aestuantes apes refrigerare oportet, quam recentissimi rigoris aqua infusa. [**Tac. A.* 2, 23.] ℙ In corporibus rigor est, cum membrum durescit, torpetque velut genu adstrictum, et sensum amittit, et corrumpitur. *Cels.* 2, 7. *med.* Si tumores super ulcera subito esse desierunt, vel distentio nervorum, vel rigor timeri potest. Adde *ib.* 1. *med.* et 10. *Plin.* 26, 12, 81. Alceae radix rigores excalfacit. *Id.* 35, 6, 27. In medicina Indicum rigores et impetus sedat. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 4. Nitrum infunditur rigori corporum. ℙ Alias est distentio nervorum. *Cels.* 4, 3. Cervicis morbus is, qui quodam rigore nervorum modo caput scapulis, modo mentum pectori adnectit, modo rectam et immobilem cervicem intendit. *Plin.* 28, 12, 52. Cervicum rigores perfricantur bubulo sevo. *Id.* 32, 8, 28. Rigorem cervicis mollire. ℙ Universim rigor est quaevis durities firma et inflexibilis, qualis est in iis, quae frigore congelant. *Id.* 36, 16, 25. Quid lapidis rigore pigrius? *Virg. G.* 1, 143. Rigor ferri. *Lucr.* 1, 492. Conlabefactatus rigor auri solvitur aestu. ℙ In arboribus rigor est spissa firmitas in ligno rectitudinem servans, et resistens ponderi sine flexu, aut pandatione. *Vitr.* 2, 9. *med.* Abies rigore naturali contenta non cito flectitur ab onere, sed directa permanet in contignatione. *Plin.* 16, 40, 77. Rigorem fortissime servat ulmus, ob id cardinibus crassamentisque portarum utilissima, quoniam minime torquetur. *Colum.* 4, 16. *f.* Statuminibus firmiora juga sunt alliganda: eaque vel saligneis perticis, vel compluribus quasi fasciculis arundinum connectuntur, ut rigorem habeant, nec pandentur onere fructuum; et 9, 14. *med.* Si quid ablui non potest (*in alvis apum*), pinnis aquilae, vel etiam cujuslibet vastae alitis, quae rigorem habent, emundari. ℙ Rigor aquae fluentis est rectus tenor, et naturalis cursus ejus, quo in medio alveo fluit, sive rectus sit, sive inflexus. *Ulp. Dig.* 43, 12, 1. §. 5. Flumen naturalem rigorem cursus sui tenens. Sic *stillicidii rigor* ap. *Scaev. ib.* 8, 2, 41. est rectus fluxus, quo naturaliter defluit. ℙ In re agraria *rigor* est rectus processus, seu tractus, *εὐθυωρία*: ducta appellatione a rigore aquae in flumine. *Front. Exposit. form.* p. 38. *Goes.* Extremitas est quousque unicuique possidendi jus concessum est. Extremitatum genera sunt duo: unum quod per rigores observatur: alterum quod per flexus. Rigor est quidquid inter duo signa velut in modum lineae re-

ctum perspicitur. Flexus, qui secundum locorum naturam curvantur. *Aggen. de limit. ib.* p. 46. *extr.* Limes est quodcumque in agro opera manuum factum est ad observationem finium. Rigor vero suae rectitudinis naturalis nomen accepit. *Siculus Fl. ib.* p. 5. Aliquando petras occurrentes in finibus notatas invenimus, et quasdam, si pevseveret rigor, rectas notas habentes: in versuris vero gammas. *Auct. de limit.* p. 296. Si ordines olivarum sibi in transverso occurrerint, hic est rigor finalis. Adde *Front. de colon.* p. 120. et *Inscr.* cit. in HYPAMPELUS. ℙ Per translationem a duritie *rigor* est tenor constans, et nulla re flexibilis, severitas, constantia. *Modest. Dig.* 49, 1, 19. Si expressim sententia contra juris rigorem data sit. *Tac. H.* 1, 18. *extr.* Nocuit antiquus rigor, et nimia severitas, cui jam pares non sumus; et *ib.* 83. *med.* Rigor disciplinae militaris. *Id. A.* 6, 50. animi. *Quint.* 19, 8. Quis non novit taciturnitatis meae rigorem? quis ignorat, qua cuncta soleam ferre patientia? *Sen. Hipp.* 686. Hoc meus meruit rigor? *h. e.* constanter aversus ab amore animus. ℙ Differt a constantia, quae virtus est, et flecti aliquando patitur: rigor flecti nescit, ob id vitium. *Sen. Ira* 1, 16. *med.* Cn. Piso vir a multis integer, sed pravus, et cui placebat pro constantia rigor. *Plin.* 7, 19, 18. Socratem ferunt eodem semper visum vultu, nec aut hilaro magis, aut turbato. Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam torvitatemque naturae duram et inflexibilem, affectusque humanos adimit. *Quint. decl.* 17, 19. *med.* Pertinacissimus rigor. ℙ De rudi, agresti, inculto. *Ov. Her.* 4, 77. Te tuus iste rigor, positique sine arte capilli, Et levis egregio pulvis in ore decet. ℙ In picturis quoque locum habet. *Plin.* 35, 9, 19. Polygnotus plurimum picturae primus contulit: siquidem instituit os adaperire, dentes ostendere, vultum ab antiquo rigore variare. Sic *Quint.* 9, 3. *f.* Et oratio habeat rectam quandam velut faciem, quae ut stupere immobili rigore non debebit, ita saepius in ea, quam natura dedit, specie continenda est. ℙ *Rigor accentus*, in Latina lingua dicitur a *Quint.* 12. 10. paene continuatus accentuum quasi tenor ac modus: quia nullum in ea verbum in acutam aut circumflexam syllabam desinit: cum in lingua Graeca id saepissime fiat: adeoque sit ea, quo magis varia, ita jucundior.

RĪGORĀTUS, a, um, part. ab inus. *rigoro:* firmatus, roboratus, fultus, ut rigorem, seu rectitudinem habeat. *Plin.* 17, 23, 35. *n.* 26. Traduces alligantur una conciliati, virgultorum comitatu obiter rigorati, qua deficiant, *h. e.* quod dicit *Colum.* 5, 7. *f.* Si tradux traducem non contingit, media virga inter eas deligetur.

RĪGOROSUS, a, um, adj. rectus, severus, rigidus. *Sen. ep.* 11. Opus est aliquo rigoroso, ad quem mores nostri se ipsi erigant. Videtur tamen illud *rigoroso* irrepsisse: nam in plerisque optimis editionibus deest.

RĪGUUS, a, um, adj. *ἀρδόμενος*, qui rigatur, irriguus. *Colum.* 2, 17. de prato: Ejus animadvertimus duo genera, quorum alterum est siccaneum, alterum riguum. *Plin.* 5, 1, 1. Mons opacus, numerosus, et scatebris fontium riguus. *Id.* 16, 17, 29. Italia ulmos siccanas praefert, quae non sint riguae. *Ov. R. Am.* 193. riguis plantam deponere in hortis. ℙ *Riguum* absolute est locus aquis irrigatus. *Plin.* 9, 57, 83. Circa Babylonis rigua. *Id.* 19, 5, 24. Cucurbitae amant rigua, ac fimum. ℙ Active *riguus* dicitur de ipsa aqua, quae rivis diducta rigat, *ἀρδων. Virg. G.* 2, 485. Rura mihi, et rigui placeant in vallibus amnes. ℙ Catachresis est in illo *Solini* 2. *med.* Boa captat primo greges bubulos: et quae plurimo lacte rigua bos est, ejus se uberibus innectit, *h. e.* abundans. ℙ Absolute *riguum*, et *riguus*, ipsa aqua irrigans. *Plin.* 17, 26, 39. Ficus arbor ipsa riguis alitur, pomum vero ejus marcescit; et *ib.* 40. Rigua aestivis vaporibus utilia, hieme inimica, autumno varia; et *ib.* 41. Riguus pro sarculo est. Etiam hic *Hard.* recte putat legend. *riguum.*

RĪMA, ae, f. *σχίσμα, ῥαγὰς, ῥῆγμα*, fissura in tabulis male junctis, hiatus tenuis in pariete, et aliis rebus: ab ultima Graeca voce allata, quae a *ῥήγνυμι*, findo, frango. [**Doederl.* 3, 250. a *ringi* deducendum putat.] *Hor. Ep.* 1, 7, 29. Forte per angustam tenuis nitedula rimam Repserat in cumeram frumenti. *Plin. ep.* 10, 48. Theatrum ingentibus rimis descendit, et hiat. *Plin. alter* 17, 14, 24. Ne hiscat nimium rima, laxeque capiat, aut ne parum. *Id.* 16, 40, 78. Rimam, fissuramque non capit sponte credrus, cupressus, olea, buxus. *Virg. A.* 1, 126. laxis laterum compagibus omnes (*naves*) Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt. *Ov. Met.* 2, 260. Dissilit omne solum, penetratque in Tartara rimis Lumen; et *ib.* 14, 303. setaeque cadunt, bifidosque relinquit Rima pedes. ℙ *Agere, ducere*, et *facere rimas*, rimis findi. *Cic. Att.* 14, 9. Tabernae mihi duae corruerunt, reliquae rimas agunt; et *Ov. de nuce* 67. maturas fisso nova cortice rimas Nux agit. *Id. Met.* 4, 65. Fissus erat tenui rima, quam duxerat olim, Cum fieret paries domui communis utrique. ℙ Rimae in corpore sunt fissurae in labiis, manibus, pedibus, sede, etc. *ῥαγάδες. Plin.* 28, 15, 61. Taurinum fel rimas perducit ad cicatricem. *Id.* 27, 9, 47. Dipsacos sanat rimas sedis. ℙ Translate. *Ov. Trist.* 2, 85. Cunctaque, Fortuna rimam faciente, dehiscunt, *h. e.* casum minante. ℙ Rimam aliquam reperire dicitur de tergiversatoribus, qui nulla in causa tot fidei vinculis adstringi possunt, quin aliqua elabantur: duciturque a muribus muscipulo inclusis, qui adeo rimantur cuncta, ut tandem evadant. *Pl. Curc.* 4, 2, 23. Rogitationes plurimas propter vos (*trapezitas*) populus scivit, quae vos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam. Simile est illud *Prop.* 4, 1, 146. persuasae fallere rima sat est. ℙ *Plenus rimarum*, qui nihil celare potest eorum, quae illi creduntur, tanquam vas aquarium rimosum. *Ter. Eun.* 1, 2, 25. Plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo. V. RIMOSUS. ℙ *Explere rimas*, implere, farcire quod vacuum est. *Cic. Or.* 69. *f.* Neque inferciens verba, quasi rimas expleat: nec minutos numeros sequens. ℙ *Ignea rima* de fulgure, qui ita per coelum discurrit, quasi lumen per tenuem rimam exiens. *Virg. A.* 8, 391. tonitru cum rupta corusco Ignea rima micans percurrit lumine nimbos. *Plin.* 2, 43, 43. Esse tonitrua impactorum ignium plagas: ideoque protinus coruscare igneas nubium rimas. ℙ *Rima* etiam dicitur pudendum muliebre. *Juven.* 3, 97. *Adde *Pl. Cas.* 5, 2, 23. *B. A.*

RĪMĀBUNDUS, a, um, adj. studiose perscrutans, contemplans. *Appul. Met.* 2. Dum haec identidem rimabundus eximie delector.

RĪMĀTIM, adv. per rimas. *Capell.* 27. Quam cum rimatim ab ostio speculabunda cognosceret, etc.

RĪMĀTOR, oris, m. qui diligenter rimatur. *Arnob.* 5, 161. Varro ille Romanus multiformibus eminens disciplinis, et in vetustatis indagatione rimator.

RĪMĀTUS, a, um, part. a *rimor:* qui diligenter quaesivit. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 40, Quidquid luce procul venas rimata sequaces Abdita pallentis fodit solertia Bessi. Adde *eund. Laud. Seren.* 236. ℙ Passive. *Sidon. ep.* 7, 2. *med.* Diligenter, quae ad socrum pertinuerant, rimatis.

RĪMO, as, a. 1. idem ac rimor. *Prisc.* 8, 799. inter verba Latina recenset. *Vet. Poeta* ap. *Fest.* in *Ruspari.* Ut latebras ruspans rimarem optimas. Alii leg. *rimer maritimas. Accius* ap. *Non.* 4, 395. Aut stagnorum humidorum rimarem loca. Ita leg. *Voss.* ad *fragm. Pacuvii.* Alii *rimarer.* **Jul. Valer. res. gest. Alex. M.* (ed. *A. Maio*) 3, 26. Indigenas barbaros rimabam, siquid nobis de itinere consultarent. *B. A.*

RĪMOR, aris, atus sum, dep. 1. *ἐρευνάω*, diligenter quaero, perscrutor: quasi rimas omnes persequor inveniendi causa, ut est ap. *Festum. Cic. Div.* 1, 57. Id quoque rimatur, quantum potest, Posidonius. *Virg. A.* 7, 507. quod cuique repertum Rimanti, telum ira facit; et *ib.* 11, 718. partes rimatur apertas, Qua vulnus letale ferat. *Varr.* ap. *Non.* 4, 395. et *Sat. Th.* 11, 526. Oculis coeli rimari plagas. *Ov. Hal.* 77. elatis rimantur naribus auras. ℙ Translate. *Gell.* 7, 2. Multa in Caesellio reprehendendo etiam per calumnias rimabantur. *Quint. decl.* 3, 18. Rimari occasionem criminum. *Tac. A.* 6, 3. *med.* Omnium secreta rimans. *Id. H.* 4, 11. Rimandis offensis sagax. ℙ *Rimari terram*, findere, rimas seu sulcos ducere. *Virg. G.* 3, 534. Ergo aegre rastris terram rimantur. ℙ *locum*, subruere quaerendi causa. *Tac. H.* 2, 29. Tabernacula ducis, ipsamque humum pilis et lanceis rimabantur. *Virg. G.* 1, 384. volucres rimantur prata Caystri. Ubi *Serv.:* Pascuntur in pratis cibum per terrae rimas requirentes. Nam *rimari* tractum est a porcis, qui glandes rimantur de rimis terrarum. *Id. A.* 6, 597. rostroque immanis vultur obunco Viscera rimatur epulis. ℙ *exta*, inspicere auspicii causa. *Juven.* 6, 551.

RĪMOSUS, a, um, adj. *ῥωγαλέος*, rimis abundans. *Colum.* 1, 5. *f.* Aedificium fissum et rimosum. *Virg. A.* 6, 414. Rimosa cymba. *Juven.* 3, 270. vasa. *Prop.* 2, 13, 72. Rimosae fores. *Gell.* 17, 11. Potum defluere ad pulmonem, et demanare per eum, quia sit rimosior. ℙ Translate *rimosa auris*, quae quasi rimarum plena, non retinet, neque celat, quae audivit. *Hor. Sat.* 2, 6, 46. Et quae rimosa bene deponuntur in aure. V. RIMA.

RĪMŪLA, ae, f. tenuis rima. *Cels.* 8, 4. Ne parvae rimulae fallant. Adde *Lactant. Op. D.* 8. *med.*

RINGOR, eris, rictus sum, dep. 3. *σέσηρα*, os aperio, et dentes ostendo, nares corrugo, et hirrio: quod fit a canibus, aliisque bestiis, cum irascuntur: est a *ῥύγχος*, rostrum, unde rictus. [**Perottus* ringi a Gr. *ῥῦν, Fest.* a *rumpere* deducit. V. *Doederl.* 3, 250.] *Acc.* ap. *Non.* 12, 1. Fit desubito hilarus, tristis saltat, ridens ringitur. Translate dicitur de plantis, quae frigore adstrictae corrugantur, et cortice finduntur. *Varr. R. R.* 1, 45. Radices tectae terra tepore propagantur, supra terram aere frigidiore ringuntur. Alii aliter leg. ℙ Est etiam stomachari, indignari. *Ter. Ph.* 2, 2, 27. Cum ille cura et sumptu absumitur, dum tibi sit, quod placeat: ille ringitur, tu rideas. Ubi *Donat.* ringi est stomachari tacitum: est enim translatio a canibus latraturis. *Sen. ep.* 104. *med.* Ringeris, quoties aliquem in fastis saepius legeris. *Sidon. carm.* 23, 86. Ignavis timidis, et improbatis Multum ringitur otiosa virtus. Alii leg. *fingitur. Hor. Ep.* 2, 2, 126. Praetulerim scriptor delirus inersque videri, Dum mea delectent mala me, vel denique fallant, Quam sapere et ringi. *Petr. fragm. Trag.* 75. *Burm.* Me non facias ringentem, amasiuncula.

RIPA, ae, f. *ὄχθη*, extremitas terrae, quae aqua alluitur: et proprie dicitur de flumine, ut *litus* de mari. Nam hoc depressum est, declive, atque humile: ripa altior fere, et praeruptior. Unde *Ov. Met.* 1, 42. flumina dicit, cum in mare pervenerint, *pro ripis litora pulsare;* et *Mela* 3, 9. Vasta omnia vastis praecisa montibus, ripae potius sunt, quam litora. [**Hoc loco fretus Doederl.* 3, 208. *ripa* a *rumpere* derivat, ita ut *ripa* locum significet, quo flumen perruperit abruptamque terram fecerit.] *Ulp. Dig.* 43, 12, 1. §. 5. Ripa recte definitur id quod flumen continet, naturalem rigorem cursus sui tenens. *Pl. Poen.* 3, 3, 17. Vos mihi amnes estis: vestra ripa vos sequar. *Lucr.* 5, 257. ripas radentia flumina rodunt. *Ov. Fast.* 2, 222. Riparum clausas margine finit aquas. *Virg. A.* 7, 106. Laomedontia pubes Gramineo ripae religavit ab aggere classem. *Ov. Fast.* 6, 519. Appulerat ripae vaccas Oetaeus Iberas. *Id. Am.* 2, 17, 31. Sed neque diversi ripa labuntur eadem, etc. *h. e.* eodem alveo fluunt. *Id. ib.* 3, 6, 11. Ulterior nostro ripa premenda pedi; et *Caes. B. G.* 4, 4. Menapii ad utramque ripam fluminis aedificia vicosque habebant. *Ov. Fast.* 1, 505. in dextram tendens sua brachia ripam, *h. e.* quae adverso flumine naviganti erat ad dexteram. Ceterum *dextera ripa* est ea, quae secundo flumine spectantibus dextera est. Hinc de Tiberi Urbem inundante *Hor. Od.* 1, 2, 18. vagus et sinistra Labitur ripa. *Virg. G.* 3, 144. viridissima gramine ripa. *Stat. Th.* 6, 174. Ripae arundineae. *Ov. Met.* 5, 591. declives. *Plin. ep.* 9, 39. abruptissimae. *Hor. Od.* 3, 1, 23. Ripa umbrosa. ℙ Aliquando pro litore ponitur. *Colum.* 1, 5. *med.* Villa semper mare recte conspicit, cum pulsatur, et fluctu respergitur: nunquam ex ripa, sed paulum submota a litore. [**Recte Doederl.* 3, 208. monet, h. l. v. *ripa* non pro *litore*, sed propria significatione positum esse, quum Columella scructuram villae remotiorem a flumine, quam a mari postulet atque ex verbis *subnota a litore* intelligi debeat *ex litore conspergitur.*] ℙ Sic *litus* pro ripa. *Virg. A.* 7, 797. Qui saltus, Tiberine, tuos sacrumque Numici Litus arant; et *ib.* 8, 83. viridique in litore conspicitur sus. ℙ *Ripa* de fretis, quae cum angusta sint, fluminis potius, quam maris similia sunt. *Plin.* 9, 15, 20. Thynni dextra ripa intrant, exeunt laeva. Id accidere existimatur, quia dextro oculo plus cernant. ℙ Hyperbolice et joculariter *Pl. Stich.* 2, 1, 6. Ripis superat mihi atque abundat pectus laetitia meum. ℙ **Alta Ripa*, oppidum ad Rheni ripam, hodie *Altrip. Notit. Imper.* ℙ Aliud, hoc nomine, in Pannonia inferiore. *Tab. Peut. B. A.*

RĪPAEI. V. RHIPAEI.

[RĪPĀNUS, a, um, adj. ad ripam pertinens. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 172, 1. C. Julius Ripanus. *F.*]

RĪPĀRENSIS, et

RĪPĀRIENSIS, e, adj. a *ripa.* Riparienses milites dicebantur, qui in ripis fluminum, praesertim Danubii, seu Istri, ubi termini imperii R. erant, stationem habebant ad hostium incursiones prohibendas. *Vopisc. Aurel.* 38. Septem millibus ripariensium interemptis. Adde *Impp. Arcad. et Honor. Cod. Theod.* 7, 1, 18., ubi legitur *riparenses.*

[RĪPĀRĬŌLUS, a, um, adj. dimin. riparii. *Marcell. Empir.* 15. *med.* Pullus hirundinis silvestris, vel melius si ripariolae, certe etiam domesticae assus, vel elixus comestus anginam velocissime certissimeque sanat. V. v. sq. *F.*]

RĪPĀRIUS, a, um, adj. in ripis habitans. *Plin.* 30, 4, 12. de hirundinib.: Multo tamen efficacissimi (*contra anginas*) ripariarum pulli: ita vocant in riparum cavis nidificantes.

RĪPENSIS, e, adj. juxta ripam positus, ut Ripensis Dacia, quae Danubii ripam spectat, ap. *Ammian.* 26, 7. *med.*, cui opponitur mediterranea ap. *eund. ib.* 6. ℙ *Ripenses milites* ap. *Imp. Constant. M. Cod. Theod.* 7, 20, 4. iidem sunt ac riparienses: hinc *Ripensis militia* ap. *Imppp. Valentinian., Valent. et Grat. ib.* 22, 8.

*RIPEPORA, opp. Hispaniae Baeticae. *Plin.* 3, 1. *B. A.*

RĪPĒUS, a, um, adj. idem ac Rhipaeus. *Enn.* ap. *Varr. L. L.* 6, 3. *f.* Ripei montes. Sic *triumpus* scripsere et *tropaeum*, aspiratione extrita. *Servius* ad *A.* 9, 82. distinguit Rhipaeos a Ripeis: illos esse in Scythia, hos in Arcadia, sed frustra.

*RIPHAEES, um, *Ῥιφαεῖς*, dicti sunt qui in montibus Riphaeis habitabant. *Mela* 1, 2. *B. A.*

*RIPHEARMA, Arabiae oppidum. *Plin.* 6, 28. Riphearma oppidum, quo vocabulo hordeum adpellant. *B. A.*

*RIPHEUS, vel Rhipheus, ei et eos, m. unus e Centauris, Ixionis et Nubis filius, a Theseo in Pirithoi nuptiis interfectus. *Ov. Met.* 12, 352. *B. A.*

RĪPHAEI. V. RHIPAEI.

RĪPŪLA, ae, f. *ὀχθίδιον*, exigua ripa. *Cic. Att.* 15, 16. Tamen haec *τοπογραφία* ripula videtur habitura celerem satietatem.

*RIRA, ae, Thraciae fluvius. *Plin.* 4, 11. *B. A.*

*RISARDIR, portus nomen in Mauritania. *Plin.* 5, 1. *B. A.*

RISCUS, i, m. ῥίσκος, cista, aut area reponendis vestibus aliisque mulierum ornamentis, ut est ap. *Polluc.* 10, 31. *n.* 137. Sic *Gloss. Philox.* Riscus, κιβωτὸς μεγάλη, λάρναξ, *h. e.* cista, arca, capsa magna, loculus. *Donat.* ad *Ter.* Riscus, cista pelle contecta: nomen Phrygium. *Ter. Eun.* 4, 6, 15. Cistellam, Pythias, domo effer cum monumentis. *Py.* ubi sita est? *Tha.* in risco. *Ulp. Dig.* 34, 2, 26. riscum mundo muliebri contineri ait, et cum lavatione conjungit. V. LAVATIO. ℙ Etiam ligneos esse riscos, ostendunt illa *Hieronymi in Ezech.* 4, 15, 1. de lignis silvarum: Succisa plurimam praebent utilitatem: attenuantur in scuta, raduntur in hastilia, cludunt foribus, continent armariis, risco, loculis. ℙ Riscos *Nonius* 2, 736. interpretatur loca in parietibus angusta, quae Itali dicerent *armadj cavati nel muro:* et fortasse intelligit κιβωτοὺς θυριδωτάς, arcas fenestratas, quae memorantur a *Polluce l. c.* Sed magis placet prior interpretatio.

[RISIBILIS, e, adj. ad ridendum aptus, qui ridere potest et solet. *Capell.* 4, 123. Quemadmodum omnis homo risibilis est, ita omne risibile homo est. *F.*]

RISILOQUIUM, ii, n. sermo cum risu. *Tert. Poen.* 10.

[RISINITANUS, a, um, adj. ad Risinum pertinens, urbem in Illyrico, quae a *Plin.* 3, 23, 26. Rhizinium dicitur, et a *Liv.* 45, 26. Rhizon. V. RHIZONITAE. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 455. P. Lurius Moderatus Risinitanus. *F.*]

RISIO, onis, f. idem ac risus. *Pl. Stich.* 5, 2, 10. Quot ego voluptates fero, quot risiones, quot jocos!

RISITO, as, a. 1. frequent. a *rideo*, saepe rideo. *Naev.* ap. *Non.* 3, 116. Clam ineunt, irruunt, cachinnos, joca, dicta risitant.

RISOR, oris, m. χαταγελαστής, qui ridet, scurra, irrisor. *Hor. A. P.* 225. Verum ita risores, ita commendare dicaces Conveniet Satyros. *Firm. Math.* 5, 2. Risores mulierum. ℙ Dicitur etiam de eo, qui sine irrisione ingenue ridet. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 99. *n.* 222. M. Alfedius L. F. Marcellus ingenio bellus, cantor, risor, aetatula prima heic requievit.

[RISORIUS, a, um, adj. qui risu dignus est. *Fulg. Myth.* 2, 17. Urbicarius mimologus praestare visus est ex parte quidem veros honores, sed risorios et citius fugitivos.

RISULUS, i, m. dimin. risus. Est nomen propr. serv. *Inscr.* ap. *Mur.* 597, 1. Hospitalis, Risulus, Pannychus. *F.*]

RISUS, us, m. γέλως, actus ridendi. *Cic. Or.* 2, 58. Quid sit risus, quo pacto concitetur, ubi sit, quomodo exsistat, atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere nequeamus, et quomodo simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, viderit Democritus. *Id. Att.* 6, 3. *med.* In quo tamen ille mihi risum magis, quam stomachum movere solet. *Id. Q. Fr.* 2, 10. Miros risus edere: et *mox:* Pacne ille timore, ego risu corrui. *Ov. Her.* 17, 161. et *Hor. Sat.* 2, 8, 63. Risum compescere. *Pl. As.* 3, 2, 36. aegre continere. *Hor. A. P.* 381. tollere; et *Sat.* 4, 83. et *Cic. Tusc.* 2, 7. captare; et *Quint.* 6, 3. lacessere. *Id. ib.* conciliare. *Just.* 21, 5. praebere; et eodem sensu *Macr. Sat.* 7, 15. risum de se tradere posteris. *Pl. Mil.* 4, 2, 81. Nequeo risu me admoderarier. *Ter. Eun.* 3, 1, 42. Risu omnes, qui aderant, emoriri. *Ov. A. Am.* 3, 285. contendere ilia. *Petr. Sat.* 24. ilia sua dissolvere; et *ib.* 20. *f.* non indecenti commovere latera. *Hor. Ep.* 2, 2, 84. populum quatere. *Just.* 44, 2. exsultare. *Afran.* ap. *Non.* 4, 396. rumpi. *Petr. Sat.* 10. In risum diffundi; et *ib.* 18. effundi. *Hor. Ep.* 1, 13, 9. aliquid vertere. *Quint.* 1, 2. Risu aliquid excipere. *Cic. Q. Fr.* 2, 6. *med.* In eam tabulam magni risus consequebantur: *Nep. Ep.* 8. *extr.* Haec cum dixisset, risus omnium cum hilaritate est coortus. *Cic. Phil.* 2, 29. Cum repente a te praeclara illa tabula prolata, qui risus hominum de te erat! *Id. Verr.* 2, 4, 12. Risus populi, atque admurmuratio omnium facta est. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 9. Post repulsam vero risus facit, *h. e.* movet: ridendi de se causas praebet. Eod. sensu *Hor. Sat.* 2, 5, 57. Captatorque dabit risus Nasica Corano. *Liv.* 6, 34, *med.* Minor Fabia risui sorori fuit. *Ov. Fast.* 1, 438. Ille est risus omnibus, *h. e.* est causa et occasio risus. ℙ *Risus* fuit Deus apud Thessalos. *Appul. Met.* 3. Nam lusus iste, quem publice gratissimo Deo Risui per annua reverticula solemniter celebramus, semper commenti novitate florescit. Iste Deus auctorem suum propitius ubique comitabitur amanter, nec unquam patietur, ut ex animo doleas, sed frontem tuam serena venustate laetabit assidue.

RITE, adv. εὐχέως, προσηκόντως, secundum morem, et comprobatam consuetudinem, ex more atque instituto, bene, recte: et primo locum habet in sacris, quae rite fieri dicuntur, cum servatur in iis consuetudo recepta, et mos majorum. Ritus enim est mos comprobatus in administrandis sacrificiis, ut ait *Paul.* ex *Festo.* Nihil autem, inquit *Prisc.* 15. p. 1011., traditur ritibus, nisi quod rectum esse credatur. *Accius* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. *med.* Rite perfectis sacris; et *Colum.* 10, 419. sacris jam rite solutis. *Cic. carm. de suo consul. Div.* 1, 13. Rite Deos colere. *Id. Dom.* 52. *med.* Si postem tremebunda manu tetigit, nihil rite, nihil caste, nihil more institutoque perfecit. *Hor. Od.* 4, 6, 37. Rite Latonae puerum canentes; et *ib.* 15, 28. Rite Deos prius apprecati. *Ov. Fast.* 1, 609. augusta vocantur Templa, sacerdotum rite dicata manu. *Virg. A.* 7, 5. At pius exsequiis Aeneas rite solutis, etc. et *ib.* 93. Centum lanigeras mactabat rite bidentes. ℙ Deinde universim dicitur de iis omnibus, quae ex more fiunt. *Lucr.* 1, 495. manu retinentes pocula rite, i. e. ut fit. *Hor. Od.* 3, 24, 10. Scythae campestres, Quorum plaustra vagas rite trahunt domos. *Virg. A.* 9, 352. religatos rite videbat Carpere gramen equos. *Auct. ad Her.* 1, 13. *med.* Testamentum ipso praesente conscribunt: testes rite adfuerunt; et *Ov. Trist.* 4, 2, 47. in curru, Caesar, victore veheris Purpureus populi rite per ora tui. ℙ Item quae recte, ordine, bene fiunt. *Festus:* Ritus est mos, vel consuetudo, rite autem significat bene ac recte. *Enn.* ap. *Non.* 3, 141. Ni metus ulla tenet, rite in virtute quiescunt. *Afran.* ap. *Charis.* 2, 193. Idque ut rite intelligas te facere. *Pl. Bacch.* 3, 3, 53. Hic rite productus est patri: in mare it, rem familiarem curat, custodit domum; et *Ov. Her.* 7, 107. spem rite dare, i. e. recte, et merito. *Id. Met.* 3, 263. si maxima Juno Rite vocor. *Cic. Fin.* 2, 12. Divinarum humanarumque rerum scientia, quae potest appellari rite sapientia; et *Virg. A.* 5, 25. Si modo rite memor servata remetior astra; et *ib.* 4, 555. rebus jam rite paratis. *Tert. ad Uxor.* 2, 3. Matrimonium rite contractum, *h. e.* legitime. ℙ Prospere, feliciter. *Pl. Poen.* 5, 1, 17. Deos Deasque veneror, ut quod de mea re huc veni, rite venerim. *Hor. Carm. saecul.* 13. Rite maturos aperire partus Lenis Ilithyia, tuere matres. *Virg. A.* 10, 254. tu rite propinques Augurium, Phrygibusque adsis pede, Diva, secundo; et *ib.* 3, 36. Rite secundarent visus, omenque levarent. ℙ Substantive pro ablativo *ritu*, ut *nocte* et *noctu* dicimus, *die* et *diu*. *Stat. Th.* 11, 284. regni Hostia, nate, jaces, ceu mutus, et e grege sanguis: Hei mihi! primitiis armorum, et rite nefasto Libatus, jussusque mori.

RITUALIS, e, adj. νόμιμος, ad ritus pertinens. Rituales libri, θεσμοθετικὰ βιβλία, libri de ritibus sacris. *Fest.* Rituales nominantur Etruscorum libri, in quibus perscriptum est, quo ritu condantur urbes, arae, aedes sacrentur, qua sanctitate muri, quo modo tribus, curiae, centuriae distribuantur, exercitus constituantur, ordinentur, ceteraque ejusmodi ad bellum ac pacem pertinentia. *Cic. Div.* 1, 33. Quod Etruscorum declarant et haruspicini, et fulgurales, et rituales libri, nostri etiam augurales. Hic alii tamen leg. *tonitruales.*

RITUALITER, adv. rite, servatis caeremoniis ac ritibus. *Ammian.* 29, 1. *med.* Mensula imprecationibus carminum secretorum, choragiisque multis ritualiter consecrata.

RITUS, us, m. θεσμὸς, mos et approbata consuetudo: et praecipue in sacrificiis administrandis, ut ex *Festo* docent *Paulus*, et *Serv.* ad illud *Virg. A.* 12, 836. morem ritusque sacrorum Adjiciam. *Serv.* addit esse morem sacrorum externum, et adscitum, qui cum receptus est, *mos* dicitur. *Lanz. Sagg. di ling. Etr.* T. 2. p. 822. putat, hanc vocem derivatam fuisse ab Etrusco *eritu*, quod legitur in *Tab. Eugub.*, quodque idem significat ac ἱερωσύνη, ministerium sacrum. *Varr. L. L.* 6, 5. *med.* Duodecim viros Graeco ritu sacra, non Romano facere. *Cic. Leg.* 2, 16. Ut de ritibus patriis colantur optimi. *Ov. Fast.* 3, 291. Ritum piandi prodere; et *ib.* 5, 421. Ritus erit veteris, nocturna Lemuria, sacri. *Tac. A.* 2, 85. *extr.* Cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent, *h. e.* sacra et religionem Aegyptiorum, et Judaeorum. ℙ Dicitur et de alio quocumque more, et consuetudine. *Ov. Met.* 15, 93. ritusque referre Cyclopum. *Sil.* 15, 40. Ni fugis hos ritus, Virtus te saeva jubebit Per medias volitare acies, *h. e.* hunc morem Romanis usitatum bella gerendi. *Plin.* 7, 1, 1. Neque enim ritus moresque nunc tractamus, innumeros, ac totidem paene, quot sunt hominum coetus. *Id.* 3, 5, 6. Italia numine Deorum electa, quae sparsa congregaret imperia, ritusque molliret. *Id.* 11, 10, 10. de apib.: Favi aliquando duorum generum, cum duo examina concordibus populis dissimiles habuere ritus. *Gell.* 14, 2. Legitimi ritus. *Hor. Od.* 3, 1, 45. Cur invidendis postibus, et novo Sublime ritu moliar atrium? *Plin.* 7, 8, 6. Ritu naturae capite hominem gigni mos est, pedibus efferri. ℙ *Ritus nuptiarum* sunt leges de matrimoniis ineundis. De his est *tit.* 2. *lib.* 23. *Dig.* ℙ Frequentem habet in ablativo usum. *Cic. Phil.* 2, 25. *med.* Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuisset. *Id. Amic.* 9. *med.* Qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt. *Just.* 27, 2. *med.* Non hominis, sed accipitris ritu in alienis rapiendis, etc. *Pl. Men.* 2, 3, 44. Haec mulier cantherino ritu adstans somniat. *Petr. Sat.* 102. Statuarum ritu patiemur pannos et vincula. *Hor. Od.* 3, 29, 32. quod adest, memento Componere aequus: cetera fluminis Ritu feruntur. *Gell.* 18, 13. Ritu aleatorio; et *Luer.* 6, 1152. tetrum volvebat odorem, Rancida quo perolent projecta cadavera ritu, *h. e.* quo modo. ℙ *Rituis* in genitivo, ut *senatuis*, *fructuis*, *graduis*, antiquum est. *Varr.* ap. *Non.* 8, 93. Itaque domui rituis nostri, qui per Dium Fidium jurare vult, prodire solet in compluvium. V. FRUCTUS.

RIVALICIUS, a, um, adj. ad rivales pertinens, ut Rivalicia lex, quae lata fuit rogante populum Ser. Sulpicio Sex F. Rufo, de iis, qui ab eodem rivo aquam ducunt. *Fest.* in *Sifus.*

RIVALIS, e, adj. ad rivum, seu ad aquam fluentem pertinens. *Colum.* 8, 15. *med.* de anatib.: Aquatilibus cibis datur cammarus, et rivalis allecula, vel si qua sunt incrementi parvi fluviorum animalia, *h. e.* in rivis degens, ℙ *Rivales* dicuntur, qui in agris rivum habent communem, ὁμόῤῥειθροι: et propter eum saepe contendunt. *Ulp. Dig.* 43, 19, 1. *med.* Si inter rivales, id est qui per eundem rivum aquam ducunt, sit contentio de aquae usu. *Gell.* 14, 1. Negotium alicujus, quod ei forte de aquaeductu cum rivalibus, aut de communi pariete cum vicino apud judicem est. ℙ Translate qui ejusdem mulieris amore tenentur, ἀντεραστὰι, ἀντίζηλοι. *Donat.* ad *Ter. Eun.* 5, 8, 42. Rivales dicuntur aemuli de mulieribus, facta translatione nominis a feris bestiis, quae sitientes cum ex eodem rivulo haustum petunt, in proelium contra se invicem concitantur. *Pl. Stich.* 3, 1, 30. Eadem est amica ambobus: rivales sumus. *Ter. Eun.* 2, 3, 62. Miles Thraso Phaedriae rivalis. *Ov. Am.* 2, 19, 60. Me tibi rivalem si juvat esse, veta. *Id. A. Am*, 2, 539. Rivalem patienter habe. *Id. R. Am.* 791. Hunc quoque, quo quondam nimium rivale dolebas, etc. *Suet. Oth.* 3. Poppaeam adeo dilexit, ut ne rivalem quidem Neronem aequo tulerit animo. *Catull.* 57, 9. Rivales socii puellularum. ℙ De bestiis. *Colum.* 7, 3. Aries rivalem violentissime persequitur. ℙ *Amare sine rivali* dicuntur, qui stulte ea amant, quae nemo alius, utpote minimi pretii: ductum ab amantibus puellam deformem. *Cic. Q. Fr.* 3, 8. *med* O Dii, quam ineptus! quam se ipse amans sine rivali! *Hor. A. P.* 444. Quin sine rivali teque, et tua solus amares.

RIVALITAS, atis, f. ἀντιζηλία, aemulatio inter amantes, qui eandem mulierem, vel quae eundem virum amant. *Cic. Tusc.* 4, 26. Obtrectare vero alteri aut illa vitiosa aemulatione, quae rivalitati similis est. *Appul. Met.* 10. Cujus (*fortunae*) instinctu domum juvenis protinus se direxit saeva rivalitas. Et illico haec eadem uxor coepit puellam, velut aemulam tori, primo suspicari, dehinc detestari, dehinc crudelissimis laqueis mortis insidiari.

RIVATIM, adv. per rivos, vel in morem rivi. *Macr. Sat.* 7, 12. *f.* Rivatim aquae de Ponto fluunt.

RIVIFINALIS, e, adj. objectu rivi fines agrorum faciens, ut Tractus rivifinalis, *Sicul. Flacc. de condit. agror.* ap. *Goes.* p. 12.

RIVINUS, i, m. idem ac rivalis. *Argum. Asin. Plaut.* Rivinus amens ob praereptam mulierem. Alii leg. *rivalis. Gloss. Philox.* Rivinus, ἀντίζηλος.

RIVO, as, 1. derivo. *Paul. Not. carm.* 28, 614. Condita perductos rivaret in atria fontes.

*RIVOSUS, a, um, adj. *Gloss. Lat. Gr.* Rivosus, ῥεῦδώδης. *B. A.*

RIVULUS, i, m. ῥύακιον, parvus rivus. [*Prud. περὶ στεφ.* 10, 160. Almonis usque pervenitis rivulum. ℙ Translate. *Cic. de Rep.* (ed. *A. Maio*) 2, 19. Influxit enim non tenuis quidam e Graecia rivulus in hanc urbem, sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium. *F.*] *Id. Coel.* 8. *med.* Quaeram denique, a quo iste fonte senator emanet: nam si ipse orietur ex sese, fortasse commovebor: sin autem, ut rivulus arcessitus et ductus ab ipso capite, etc. laetabor. *Id. Or.* 2, 27. Tardi ingenii est rivulos consectari, fontes rerum non videre. *Cels.* 7, 4. n. 1. de fistulis: Si flexus reperiuntur, hi quoque ferro persequendi sunt: idemque faciendum, si plures se quasi rivuli ostendunt.

RIVUS, i, m. ῥέαξ, ὀχετὸς, aqua fluens, a fonte, vel flumine deducta. *Festus:* Rivus vulgo appellatur tenuis fluor aquae, non specu incilioque factus, verum naturali suo impetu. Sed ii rivi dicuntur, qui manu facti sunt, sive super terram fossa, sive subter, specu: cujus vocabuli origo ex Graeco pendet. *Ulp. Dig.* 43. *tit.* 20. qui est *De rivis*, 1. Rivus est locus per longitudinem depressus, quo aqua decurrat, cui nomen est ἀπὸ τοῦ ῥεῖν. *Cic. Top.* 8. Partium distributio saepe est infinitior, tanquam rivorum a fonte deductio. *Ov. R. Am.* 445. Grandia per multos tenuantur flumina rivos. *Hor. Ep.* 1, 10, 21. aqua per pronum trepidat cum murmure rivum. *Virg. Ecl.* 3, 111. Claudite jam rivos, pueri: sat prata biberunt. *Id. G.* 1, 269. rivos deducere nulla Relligio vetat. *Ov. R. Am.* 194. rivos ducere lenis aquae. *Virg. A.* 4, 120. potis gaudent intyba rivis. *Inscr.* ap. *Mur.* 441, 5. Jussu Imp. Caesaris Augusti circa eum rivom, qui aquae ducendae causa factus est, octonos ped. ager dextra sinistraque vacuus relictus est. ℙ De canali aut fistula, per quam aqua defluit. *Ner. Dig.* 7, 1, 61. Usufructuarius novum rivum parietibus non potest imponere. ℙ Hactenus de rivis manufactis, ut vult *Festus:* sed et aquas naturaliter decurrentes rivos appellant:

quando tantae non sunt, ut amnes dici possint. *Catull.* 68, 57. Qualis in aerii pellucens vertice montis Rivus, muscoso prosilit e lapide. *Virg. G.* 4, 20. tenuis fugiens per gramina rivus. *Ov. Met.* 8, 334. Concava vallis erat, qua se demittere rivi Assuerant pluvialis aquae. *Plin.* 26, 8, 56. Silaus nascitur glareosis et perennibus rivis. *Hor. Ep.* 1, 14, 29. rivus, si decidit imber, Multa mole docendus aprico parcere prato, *h. e.* rivus qui crescit, et fit torrens, si pluvia decidit. *Virg. A.* 3, 350. arentem Xanthi cognomine rivum. *Caes. B. G.* 5, 48. Ut minore cum periculo vallem rivumque transiret. ℙ *E rivo flumen facere*, rem minimam nimis amplificare. Habet *Ov. Pont.* 2, 5, 21. Ingenioque meo, vena quod paupere manat, Plaudis, et e rivo flumina magna facis. ℙ *Rivus* de quocumque humore fluente. *Virg. G.* 1, 132. rivis currentia vina. *Id. A.* 5, 200. sudor fluit undique rivis; et *ib.* 11, 668. Sanguinis ille vomens rivos cadit. *Lucr.* 5, 1255. argenti rivus et auri. Hinc *Hor. Ep.* 1, 12, 9. ut te Confestim liquidus Fortunae rivus inauret, *h. e.* divitiis affluentibus te locupletet. *Plin.* 2, 106, 110. Rivi ignium. *Hor. Od.* 2, 19, 10. Vinique fontem, lactis et uberes Cantare rivos. *Ov. Met.* 9, 655. et humectat lacrimarum gramina rivo, *h. e.* magna vi lacrimarum. *Lact. Op. D.* 20. *f.* Tenuis in nobis facundiae rivus est.

RIXA, ae, f. ἔρις, contentio, quae plerumque manu peragitur, pugna levior inter duos. Hoc enim differt a turba, ut *Labeo* docet ap. *Ulp. Dig.* 47, 8, 4. quod turba est multitudinis hominum turbatio et coetus; rixa duorum. *Cic. Verr.* 2, 4, 66. Ecce autem nova turba atque rixa. *Tac. G.* 22. Crebrae, ut inter vinolentos, rixae, raro conviciis, saepius caede et vulneribus transiguntur. *Petr. Sat.* 96. *f.* Manus a rixa continere. *Hor. Od.* 1, 13, 9. seu tibi candidos Turparunt humeros immodicae mero Rixae. *Juven.* 3, 288. miserae cognosce prooemia rixae: Si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum. *Hor. Od.* 1, 27, 4. Rixae sanguineae; et *ib.* 3, 14, 26. protervae; et *ib.* 27, 70. Rixa calida. ℙ Dicitur et de dissidio ac pugna inter plures. *Tac. H.* 1, 64. Jurgio primum, mox rixa inter Batavos et legionarios prope in proelium exarsere. *Hor. Od.* 1, 18, 8. Centaurea cum Lapithis rixa super mero Debellata. *Liv.* 2, 18. Concursu hominum rixa ac prope proelium fuit; et *ib.* 29. Intercursu patrum rixa sedata est. *Vell.* 1, 2. Rixam ciere; et 2, 47. *f.* contrahere. *Petr. fragm. Trag.* 70. *Burm.* facere. *Catull.* 40, 4. vecordem excitare. *Colum.* 9, 15. committere. *Quint.* 6, 4. Ire in rixam. *Plin.* 11, 17, 18. de apib.: Rixa in convehendis floribus exorta. *Ov. Ib.* 174. de tuo fiet Insatiabilibus corpore rixa lupis. ℙ Dicitur et de Venerea amantium colluctatione. *Prop.* 2, 12, 10. Quantaque sublato lumine rixa fuit! *Catull.* 66, 13. Dulcia nocturnae portans vestigia rixae. V. PROELIUM. ℙ Translate est quaecumque contentio. *Cic. Fam.* 9, 22. Academiae nostrae cum Zenone magna rixa est. *Mart.* 1, 37. Nobilis haec esset pietatis rixa duobus. *Flor.* 3, 10. Major cum Oceano, quam cum ipsis navibus, rixa. ℙ Vetus dictum est, *a lasso rixam quaeri*, inquit *Sen. Ira* 3, 10, quia labore fessi proniores ad iracundiam sunt.

RIXĀTOR, oris, m. qui rixatur. *Firm. Math.* 5, 8. Homines erunt mali, litigiosi, rixatores, contentiosi. *Quint.* 11, 1. Videas rixatores quosdam neque judicum reverentia, neque agendi more ac modo contineri. *Hor. Ep.* 1, 18, 15. Alter rixator de lana saepe caprina Propugnat nugis armatus. Alii leg. *rixatur.*

[RIXĀTŌRĬUS, a, um, adj. idem ac jurgiosus. *Front.* ad *M. Caes.* (ed. *A. Maio*) *ep.* 4, 12. Accipe aliud rixatorium jam hoc et jurgiosum.

RIXO, as, a. 1. idem quod *rixor*, apud veteres. *Varr.* ap. *Non.* 7, 82. Ille viros hortari, ut rixarent. *Id. ib.* Vigilant, clamant, calent, rixant. *Id. ib.* Ne familiae rixent cum vicinis.

RIXOR, aris, atus sum, dep. 1. νεικέω, ἐρίζω, rixam facio, contendo. *Lucr.* 6, 1283. multo cum sanguine saepe Rixantes. *Cic. Or.* 2, 59. Cum esset cum eo de amicula rixatus. ℙ Translate. *Sen. ep.* 56. *med.* Dum inter se non rixentur cupiditas et timor. *Mart.* 9, 28. sonas grandibus minax verbis, Et cum theatro saeculoque rixaris, *h. e.* inveheris, declamas, indignaris. *Plin.* 16, 2, 2. Rami arborum inter se rixantes, *h. e.* crescentes unus contra alterum, seque invicem implicantes luctantium more. *Quint.* 9, 4. Consonantes, quae sunt asperiores, in commissura verborum rixantur. *Varr. R. R.* 1, 48. Herbae dum tenerae sunt, vellendae: prius enim aridae factae rixantur, et celerius rumpuntur, quam sequuntur.

RIXOSUS, a, um, ἐριστικός, contentiosus, pugnax, proclivis ad ineundum certamen. *Colum.* 8, 2. Non rixosarum avium lanistae. V. LANISTA.

ROBĔUS. V. ROBIUS.

ROBĪGĂLĬA et Rubigalia, um, n. plur. dies festus in honorem Robigi Dei, cui sacra fiebant, ut rubiginem a segetibus averteret. Instituta fuere a Numa anno regni sui undecimo, ad Graecorum, ut videtur, exemplar. Etenim Rhodii, teste *Strab.* 13, 912., Apollini Ἐρυθιβίῳ, *h. e.* Soli robiginem, ἐρυθίβην, frugibus averruncanti templum dicaverant. Celebrabantur autem VII. Kal. Majas, idest die XXV. Aprilis, quia tunc fere segetes rubigo infestat. *Varr. R. R.* 1, 1. et *L. L.* 5, 3., *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 2. et *Paul.* ex *Festo. Kal. Praenest.* ap. *Foggin.* Feriae Robigo via Claudia ad milliarium V., ne robigo frumentis noceat, sacrificium et ludi cursoribus majoribus minoribusq. fiunt. ℙ Sacra haec ove et cane fiebant, quorum exta cum ture et vino offerebantur. *Ov. Fast.* 4, 908. et 935. et *Colum.* 10, 342. ℙ Quem *Varr., Fest.* et *Serv.* ad *G.* 1, 151. et *Kal. Praenest.* Robigum, Deum masculum faciunt, *Ov. l. c.* 907. et 920., *Colum. l. c.* et *Tert. Spect.* 5. *f.* Deam feminam, Robiginem vocant. *Ov. l. c.* 907. Flamen in antiquae lucum Robiginis ibat; et 919. si culmos Titan incalfacit udos, Tum locus est irae, Diva timenda, tuae. Haec vero discrepantia ex eo fortasse est derivanda, quod eo nomine alii Apollinem, alii Cererem colerent; illum, quia plerique soli tribuebant hujusmodi satorum morbum (V. ROBIGO.); hanc, quia eadem frugibus praeerat. ℙ Hujusmodi festum diu celebratum fuisse constat etiam post Christianam religionem a Constantino M. promulgatam, cui deinceps suffectae sunt *litaniae majores*, quae etiamnum eodem die in Ecclesia Catholica celebrantur. ℙ De orthographia V. in ROBIGO.

ROBĪGĬNOR et Rubiginor, aris, n. 1. robiginem contraho, ἰόομαι. *Appul. Flor. n.* 17. Gladius usu splendescit, situ robiginatur. Alii leg. *robiginat.*

ROBĪGĬNŌSUS et Rubiginosus, a, um, adj. ἰώδης, robigine plenus. *Pl. Stich.* 1, 3, 77. Robiginosam strigilem, ampullam rubidam *(vendo).* [*Front. de eloq.* (ed. *A. Maio*) p. 230. Gladio dimicandum, sed interest robiginoso, an splendido. Hic tamen legitur *robignoso* per sync. *F.*] *Appul. de Deo Socrat.* Telum sanguine rubiginosum. ℙ Translate. *Mart.* 5, 28. de obtrectatore: Rubiginosis cuncta dentibus rodit. ℙ De scriptione V. v. sq.

ROBĪGO et Rubigo, inis, f. ἰός, ἐρυσίβη, vitium metallorum, quo atrum ruborem contrahunt, et exeduntur: in ferro dictum speciali nomine *ferrugo*, in aere *aerugo*. Est a *robus*, aut *robius*, pro *rubeus. Plin.* 7, 15, 13. Aes, ac ferrum rubigo corripit. *Id.* 33, 3, 19. de auro: Super cetera non rubigo ulla, non aerugo, non aliud ex ipso, quod consumat bonitatem, minuatve pondus. *Id.* 34, 9, 21. Aera extersa rubiginem celerius trahunt, quam neglecta; et *ib.* 15, 43. Ferrum a rubigine vindicatur cerussa et gypso, et pice liquida; et *mox:* Ferreos annulos rubigine infestari. *Id.* 17, 4, 3. Terra ferro rubiginem obducit. *Id.* 34, 14, 41. Celerius rubiginem sentire. *Virg. G.* 1, 495. Exesa inveniet scabra robigine pila; et *ib.* 2, 220. salsa laedit robigine ferrum. *Prop.* 2, 19, 55. scabra teritur robigine mucro. *Ov. Pont.* 1, 1, 71. Roditur ut scabra positum rubigine ferrum. ℙ Per similitudinem dicitur de aliis rebus. *Plin.* 36, 18, 30. Sunt lapides molares, qui vetustate rubiginem trahunt. *Id.* 16, 6, 8. de glandib. arborum: Distant inter se, quod aliis subest tunica rubigine scabra, aliis protinus candidum corpus. *Ov. A. Am.* 1, 515. Linguaque ne rigeat, careant rubigine dentes. ℙ Contrahit rubiginem ferrum, quod diu in usu esse desiit: hinc translate *Id. Trist.* 5, 12, 21. ingenium longa rubigine laesum Torpet. *Val. Max.* 2, 9. *n.* 5. Abrogamus istud horridae vetustatis rubigine obsitum imperium. *Sen. ep.* 95. *med.* Hebetibus et obtusis aut mala consuetudine obsessis diu rubigo animorum effricanda est. *Ov. Met.* 8, 803. de Fame: Labra incana situ, scabrae rubigine fauces, scil. per quas diu cibus non descendit. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 175. infectus longi rubigine ruris, *h. e.* longo situ, et otio, quo ruri degebam, remotus a rebus gerendis. ℙ Translate. *Prud. Cath.* 7, 205. appellat *rubiginem pectorum* vitia animi, peccata et sordes, quibus estur et inquinatur. Similiter *Sen. ep.* 7. *med.* Malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem suam affricuit. ℙ Saepe sic dicitur morbus satorum: de quo *Plin.* 18, 28, 68. *n.* 3. Plerique dixere, rorem inustum sole acri frugibus rubiginis causam esse, et carbunculi vitibus: quod ex parte falsum arbitror, omnemque uredinem frigore tantum constare, sole innoxio. *Id. ib.* 10, 20. *n.* 3. Siligo semper rectam habet spicam, nec rorem continet, qui rubiginem faciat; et *ib.* 17, 44. *n.* 2. Coeleste frugum, vinearumque malum nullo minus noxium, est rubigo. Frequentissima haec in roscido tractu, convallibusque, ac perflatum non habentibus: e diverso carent ea ventosa et excelsa. *Ov.* quoque rori, et soli attribuit, *Fast.* 4, 917. Nec venti tantum Cereri nocuere, nec imbres; Nec sic marmoreo pallet adusta gelu; Quantum si culmos Titan incalfacit udos. At *Colum. Arb.* 13., *Pall.* 1, 35. et *Serv.* ad *G.* 1, 131. malae nebulae causam assignant: quod et rustici Patavini nunc faciunt, qui ideo vocant *nibia:* quae vox a *nebula* facta est. Italis est *golpe*, *melume*, *ruggine*, Gallis *nielle*. *Varr. L. L.* 5, 3. Ne rubigo occupet segetes. *Virg. l. c.* Mox et frumentis labor additus, ut mala culmos Esset robigo. *Colum.* 2, 12. Segetes rubigine infestantur; et 10, 342. mala rubigo virides ne torreat herbas. ℙ De Robigine Dea V. in ROBIGALIA. ℙ Addit *Serv. l. c.* robiginem esse, ut Varro dicit, vitium obscenae libidinis, quod ulcus vocatur: idque nasci abundantia et superfluitate humoris, et a Graecis σαπυρίασιν vocari. ℙ *Pier.* ad *l. Virg. citata*, in antiquis plerisque codicib. primam syllabam per *o* scribi testatur. Non desunt alii, qui per *u.* Praefert *Broukus.* ad *Prop.* 2, 19, 55., item *Manut.* in *Orthogr.* priorem scriptionem, quae antiquorum est: alteram *Dausquius*, quae videtur frequentiori posteriorum usu confirmari. ℙ Eadem a *Virg., Ov., Colum.* allatis, itemque a *Silio, Juven., Prop.* producitur: corripitur a *Prud. Psych.* 105. Condere vaginae gladium, ne tecta robigo, etc. Addunt quidam et *Mart.* 2, 61. nimiaque rubigine captus Adlatras nomen quod tibi cumque datur. Sed plerique alii leg. *aerugine.* Item *Ov. Met.* 8, 803. Labra incana situ, scabraque rubigine dentes. Sed alii tollunt *que:* alii leg. *scabrae rubigine fauces.* V. supra.

ROBĪGUS et Rubigus, i, m. Deus averruncus, qui a Romanis colebatur, ut a frugibus robiginem averteret. *Varr., Plin., Fest., Serv.* (jam in ROBIGALIA indicati) et *Gell.* 5, 12. *extr. Inscr.* ap. *Gud.* 55, 4. Robigo, et Cereri, et Florae sacrum L. Ampsanius Merenda, etc. Alia ap. *Mur.* 102, 6. Deo Rubigo sacrum.

ROBĬUS aut Robeus, a, um, adj. idem quod rubeus, rufus. *Inscr.* ap. *Grut.* 61, 3. Ut praetor litaturum se sciat Volcanalibus omnibus annis vitulo robio, et verre. Alii leg. *robeo. Voss.* in *Etym.* in V. *Ruber*, et *Scal. in not.* ad *Varr. R. R.* 2, 5. p. 244. Legitur *robius* etiam ap. *Colum.* 6, 2., ubi de coloribus boum loquitur, et 8, 2., ubi de gallinarum, in quibusdam MSS., nam alii passim *rubeus* habent. V. ROBUS.

ROBORĀRĬUM, ii, n. δρυφράκτον, vivarium, septum, villa, quae inclusa habet animalia: a *robur*, idest a tabulis roboreis, quibus vivaria septa erant, antequam moenibus cingerentur. *Scipio African.* ap. *Gell.* 2, 20.

ROBORASCO, is, n. 3. robur acquiro. *Naev.* ap. *Non.* 2, 368. de puero pubescente: Cujus vox gallulascit, cujus jam ramus roborascit. V. RAMUS.

ROBORĀTUS, a, um, part. a *roboro:* robustus factus. *Plin.* 21, 15, 55. Mordacitas urticae non protinus cum ipsa herba gignitur, nec nisi solibus roborata. *Tert. Anim.* 25. Roboratior exitus.

*ROBORĒTUM, i, n. *Gloss. Gr. Lat.* δρυμών, Quercetum, roboretum. *B. A.*

ROBOREUS, a, um, adj. δρύϊνος, qui est ex roboris materia, robustus. *Colum.* 6, 30. Stabula roboreis axibus constrata. *Plin.* 28, 8, 29. Roborea ligna. *Ov. Fast.* 5, 622. virgo simulacra virorum Mittere roboreo scirpea ponte solet.

ROBŌRO, as, avi, atum, a. 1. κραταιόω, robur et vires addo, firmo, reficio. *Cic. Off.* 1, 31. Catoni cum incredibilem tribuisset natura gravitatem, eamque ipse perpetua constantia roboravisset. *Lucr.* 4, 1032. adulta aetas cum primum roborat artus. *Plin.* 10, 33, 49. Hirundines nidos luto construunt, stramento roborant. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 11. Pampinos adjugatae vitis detergere, usque quo placeat roborari eam. *Id.* 18, 28, 67. *n.* 4. Cum spica deflorescere coepit, atque roborari. *Colum.* 6, 27. *med.* Equus roborandus est largo cibo.

ROBŌROSUS, a, um, adj. qui robore seu tetano laborat, tetanicus. *Veg. Vet.* 3, 24. Quae potio roborosos tetanicos, et opisthotonicos salubriter curat. *Id. ib.* Roborosa passio dicitur, quae animal rigidum facit ad similitudinem ligni. V. ROBUR.

ROBUR, oris, n. δρῦς ἀγρία, species quercus durissimo ligno, et in aquis incorruptibili. Multa de ea *Plin.* 16. *c.* 6. 7. 8., item *ib.* 38, 73. *extr.*, ubi totam ejus materiam osseam esse; et *ib.* 40, 76. *n.* 3., ubi tantam ei esse duritiam scribit, ut terebrari nisi madefactum non queat, et ne sic quidem adactus avelli clavus; et *ib.* 79., ubi marina aqua corrumpi. Sed profecto plures sunt, non una species quercuum, quae hoc nomine appellantur. *Festus* vocem ducit a *robus*, ruber, rufus, quia roboris materia plurimas venas ejus coloris habet. *Cic. Acad.* 4, 31. *f.* Sapiens non est e saxo sculptus, aut e robore dolatus. ℙ Per synecdochen est res aliqua ex robore. *Sil.* 2, 244. et 267. robur letale, *h. e.* hasta. Sic *Virg. A.* 10, 479. ferro praefixum robur acuto, *h. e.* hastile ferrea cuspide armatum. *Mart.* 9, 44. Cujus (*Herculis*) laeva calet robore, *h. e.* clava. (Adde *Stat. Silv.* 3, 1, 35.) *Virg. A.* 1, 230. sacrum robur, *h. e.* equus ligneus. Ap. *eund. G.* 1, 162. et *Val. Fl.* 7, 555. grave robur aratri est ipsum aratrum e robore. *Cic. Mur.* 35. *f.* Lacedaemonii quotidianis epulis in robore accumbunt, *h. e.* in sedili e robore, vel alio quocumque ligno duro. *Festus:* Robur in carcere dicitur is locus, quo praecipitatur maleficorum genus: quod ante arcis robusteis includebatur. *Liv.* 38, 59. *f.* Ut in carcerem inter fures nocturnos vir clarissimus includatur, et in robore et tenebris exspiret. *Id.* 34, 44. *extr.* inferiorem carcerem appellat, et *Sall. Cat.* 58. Tullianum: ac describit. *Calpurn. Fl. decl.* 4. Video carcerem publicum, saxis ingentibus structum, etc. In hunc conjecti robur Tullianum prospiciunt. Alii leg. *robur Tullianumque. Lucan.* 2, 125. Saeva tribunicio maduerunt robora tabo. *Appul. Apol.* O subtilitas digna carcere et robore! *h. e.* vinculis et morte, quia in robore supplicium de reis sumebatur. *Tac. A.* 4, 29. Robur, et saxum,

aut parricidarum poenas minitari. Adde *Lucr.* 3, 1031., ubi quidam designari putant equuleum, in quo insidentes, vel porrecti rei torquebantur. Quod scribit *Val. Max.* 6, 3. *n.* 1. *f.* familiares Gracchorum *de robore praecipitatos fuisse*, negotium facessit interpretibus: neque enim praecipitari poterant, qui de carcere in robur, imum carceris locum, supplicii causa demittebantur. Itaque aut locum ipso robore depressiorem ibi fuisse dicendum est: quod sane non constat; aut *Valerium* robur cum saxo Tarpejo confudisse; aut denique locum esse corruptum. Clara erat sententia, si dixisset, *in robur*. ℙ Item quodcumque lignum durum et validum. *Virg. A.* 12, 782. Viribus haud ullis valuit discludere morsus Roboris Aeneas, *h. e.* oleastri, quem supra dixerat *v.* 766. Adde *G.* 2, 305., *ib.* 3, 420. et al. saepe. Huc pertinent et illa *ib.* 332. Sicubi magna Jovis antiquo robore quercus Ingentes tendat ramos, *h. e.* vetustae duritiae et firmitatis. Adde *A.* 4, 441. ℙ Massyla robora *Statio Silv.* 3, 3, 94. sunt arbores citri, ex quibus pretiosae mensae fiebant. V. CITRUS. Haec eadem vocat *Id. ib.* 4, 2, 39. robora Maurorum. *Id. Th.* 5, 287. curvum robur, *h. e.* cymba ex codice cavato. ℙ Ap. *Colum.* pallentia robora betae, 10, 326. sunt ejus caules duriusculi, et aliquid roboris habentes. ℙ Dicitur et de duritia aliarum rerum. *Lucr.* 1, 889. fruges cum robore saxi Franguntur. *Virg. A.* 7, 609. Centum aerei claudunt vectes, aeternaque ferri Robora. ℙ Item de facultate ac viribus cujuspiam rei. *Id. G.* 2, 177. Nunc locus arvorum ingeniis: quae robora cuique, Quis color, et quae sit rebus natura ferendis. ℙ Saepe de viribus corporis, *ῥώμη*. Hanc notionem ex eo descendere putat *Festus*, quia homines valentes boni coloris esse solent, et ad rubeum, qualis in venis roboris est, accedentis. Alii tamen, ut *Voss.* in *Etym.*, volunt hanc esse primam et propriam vim hujus vocis, et inde transferri ad arborem. *Virg. A.* 2, 638. quibus integer aevi Sanguis, ait, solidaeque suo stant robore vires. *Id. ib.* 8, 518. Arcadas huic equites bis centum, robora pubis Lecta dabo, *h. e.* fortissimos juvenes. Sic *Val. Fl.* 2, 644. Cum tales intrasse duces, tot robora cerno. *Id.* 1, 561. robur Herculeum, *h. e.* ipse Hercules fortissimus. ℙ Item de viribus animi: et universim ponitur pro vi, virtute, firmitate. *Cic. Rosc. Am.* 51. Qui si jam satis aetatis atque roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret. *Id. Manil.* 4. Altera pars, quae multo plus firmamenti ac roboris habebat. *Id. Fin.* 5, 5. Dummodo plus in virtute teneamus firmitatis et roboris. *Id. Fam.* 6, 1. Quantum in cujusque animo roboris est, atque nervorum. *Id. Font.* 8. Illi habuerunt tantum animi, tantum roboris, ut M. Scauro testi non crederent. *Id. Agr.* 2, 35. *med.* Quibus illi rebus elati et inflati, si paulum assumpserint vetustatis ac roboris, non continebuntur. *Id. Off.* 1, 5. Animi excelsi atque invicti magnitudo ac robur. *Id. Mil.* 37. Vir quodam incredibili animi robore. *Id. Cluent.* 56. C. Flavius Pusio, Cn. Titinius, C. Maecenas, illa robora populi R. *Id. Att.* 6, 5. *med.* Auxilia sane bona, sed ea Galatarum, Pisidarum, Lyciorum: haec enim sunt nostra robora. *Tac. H.* 4, 33. *extr.* Caesorum eo die in partibus nostris major numerus, et imbellior: e Germanis ipsa robora; et *Quint. prooem.* 6. *med.* Robur contra dolores ac metus. *Ov. Trist.* 5, 12, 11. Des licet hic valido pectus mihi robore fultum, etc. Fracta cadet tantae sapientia molе ruinae. *Mart.* 1, 40. magnae subnixus robore mentis. *Sen. Phoen.* 78. Magno robore aerumnas doma. *Alter. Sen. ep.* 10. *med.* Verba plena roboris. ℙ Ap. *Veg. Vet.* 3, 24. *in.* et *Pelag. Vet.* 23. dicitur *robur* morbus jumentorum, quo nervi rigent, tetanus, *τέτανος*. V. ROBOROSUS. ℙ *Robore natus*, agrestis, durus, ferus, inhumanus, ferreus. *Stat. Th.* 4, 339. vos autem hunc ire sinetis, Arcades? o saxis nimirum, et robore nati! ℙ Olim *robus* et *robos* dixere pro *robur*, ut *labos*, *honos* pro *labor*, *honor*. V. ROBUS.

RŌBURNĔUS, a, um, adj. *δρύϊνος*, qui est e robore, quernus. *Colum.* 9, 1. *med.* Ferae pecudes in vivariis ut graminibus, ita frugibus roburneis opus habent, *h. e.* glandibus, quibus vescuntur.

RŌBUS, ruber, rufus, flavus, *ξανθός*. *Festus:* Robum rubro colore et rufo significari, ut bovem quoque rustici appellant, manifestum est. Unde et materia, quae plurimas venas ejus coloris habet, dicta est robur. Hinc et homines valentes, et boni coloris, robusti. Robus quoque in carcere dicitur is locus, quo praecipitatur maleficorum genus, quod ante arcis robusteis includebatur. Haec *Festus. Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 6, 22. Sanguineis frontem moris, etc. Multi hoc dictum putant, quod robus color Deorum sit: unde et triumphantes facie miniata, et in Capitolio Juppiter in quadriga miniata. Alii leg. *rubeus*. *Gell.* 4, 6. Si quid succidaneis opus erat, robus accederet, *h. e.* vitulus robius. Alii perperam leg. *robigus*. ℙ *Robus*, h. e. robur arbor, antique. *Cato R. R.* 17. Robus, materies item pro ridica, ubi solstitium fuerit ad brumam, semper tempestiva est. ℙ Est praeterea *robus* genus tritici, a colore sic dictum. *Colum.* 2, 6. Tritici genera quamplura cognovimus: verum ex his maxime serendum est, quod robus dicitur, quoniam et pondere et nitore praestet.

RŌBUSTĀRĬUS, ii, m. artifex, qui in robusta materia opus facit. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 2. *n.* 27. Corpus robustariorum. Hanc eand. habet *Mur.* 519, 2., ubi aliter legit, et contendit minus Latinam *robustariorum* vocem esse.

ROBUSTĔ, adv. fortiter, firme, valide. *August. Confess.* 8, 11. Ne revalesceret iterum, et me robustius alligaret. *Nazar. Pan. ad Constant.* 17. Fecunda malis suis natio ita raptim adolevit robusteque recreata est.

ROBUSTĔUS, a, um, adj. *δρύϊνος*, qui est e robore, roburneus, robustus. *Vitr.* 2, 1. Scandulae robusteae. *Id.* 3, 3. et 5, 12. *med.* Robustei pali. Addunt et *Varr. R. R.* 1, 38. *extr.*, ubi constans lectio non est.

ROBUSTUS, a, um, adj. *δρύϊνος*, qui ex robore est, roburneus, quernus: et universim ex quocumque duro ligno factus. *Cato R. R.* 18. Eo capitulum robustum indito; et *ib.* Stipites robustas facito. *Varr. R. R.* 1, 38. *extr.* et *Colum.* 2, 15. Robusta materia, *Plin.* 11, 37, 55. *med.* Robusti caudices. *Ov. Met.* 5, 120. Robusta repagula. *Pl. Curc.* 5, 2, 13. Robustus carcer, *h. e.* locus robustis axibus munitus. V. ROBUR et ROBUS. *Hor. Ep.* 2, 2, 74. Tristia robustis luctantur funera plaustris. *Id. Od.* 3, 16, 2. Robustae fores. ℙ De robusto codice V. in CODEX. ℙ Translate est durus, rigidus, valens, firmus, vigorem ac robur habens. *Plin.* 11, 37, 45. Cornua aliis ad incursum robusta, aliis ad ictum. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 11. Tertius vineae annus palmitem velocem robustumque emittit. *Id.* 36, 22, 48. Albi lapides, nec contra humores et auram maris robusti. *Colum. praef. med.* Robustissimum solum, *h. e.* cui imperari assidua cultura potest, et quod feracissimum est. ℙ *Robustus cibus* est valens, *h. e.* in quo multum alimenti inest, ut *Cels.* 2, 18. *in.* explicat. *Id. ib.* Ex feris quo majus quodque animal, eo robustior ex eo cibus est. *Plin.* 18, 17, 46. Colles robustius, sed minus, reddunt triticum. Adde *ib.* 30, 72. ℙ De viribus corporis. *Nep. Alc.* 2. Postquam robustior est factus. *Plin.* 27, 4, 10. Robustiores vinum bibere, infirmiores aquam. *Ov. Met.* 15, 207. Transit in aestatem post ver robustior annus. *Suet. Tib.* 68. Corpore amplo atque robusto esse. *Cic. Agr.* 2, 31. Homines robusti, et valentes, et audaces. *Just.* 25, 4. Exercitus partem robustissimam amisit. *Ov. Her.* 9, 77. de Hercule: Crassaque robusto deducis pollice fila. *Plin.* 7, 16, 17. Robusta vox. *Nep. A.* 10. Cum videret, regem domesticis rebus minus esse robustum, *h. e.* minus instructum militaribus copiis. ℙ Illa etiam commode translata sunt. *Cic. Phil.* 2, 25. *med.* Sed haec, quae robustioris improbitatis sunt, omittamus; et *Phil.* 5, 11. *extr.* Omne malum nascens facile opprimitur, inveteratum fit plerumque robustius. *Id. Off.* 1, 20. Ea quae videntur acerba, ita ferre, ut nihil a statu naturae discedas, robusti animi est, magnaeque constantiae. *Id. Tusc.* 4, 23. Robusta et stabilis fortitudo. *Id. Planc.* 8. *extr.* Solidam, et robustam, et assiduam frequentiam praebuerunt. *Pers.* 5, 5. robustum carmen, *h. e.* grandiloquum, tragicum, magni ponderis. *Val. Max.* 4, 7. *n.* 2. Robusta constantis amicitiae exempla.

[ROCUS, a, um, adj. idem ac raucus. Est cogn. R., ut T. Romilius Rocus Cos. ann. U. C. CCXCIX. in *Fast. Capitol.* ap. *Grut.* 289. et Q. Creperejus Rocus in nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 5. p. 197., in quorum postica est Neptunus in biga hippocamporum, quo quidem ad raucos maris sonitus allusum fuisse videtur. V. RAUCUS. *F.*]

RODO, is, si, sum, a. 3. *τρώγω*, dentibus quippiam erado: a voce Graeca allata. *Phaedr.* 1, 22. laboras, ut fruaris reliquiis, Quas sunt rosuri mures. *Ov. Fast.* 1, 357. Rode, caper, vitem. *Hor. Epod.* 5, 47. irresectum saeva dente livido Canidia rodens pollicem. *Id. Ep.* 1, 14, 40. Cum servis tu urbana diaria rodere mavis, *h. e.* durum servorum cibum, et panem vix morsus admittentem, qualis urbanis dabatur servis, fatigato dente mandere. De corvis *Plin.* 17, 5, 3. Corvique aratoris vestigia ipsa rodentes, *h. e.* rostro tundentes cibi exquirendi gratia. ℙ Ponitur et pro excedere. *Id.* 36, 22, 48. Tophus tectorii calce roditur. *Id.* 35, 15, 52. Vis liquidi aluminis adstringere, indurare, rodere. *Ov. Pont.* 1, 1, 71. Ferrum rubigine roditur. ℙ Item eradere, abradere. *Lucr.* 5, 257. ripas radentia flumina rodunt; et *ib.* 258. quodcumque alit, auget, roditur, *h. e.* deminuitur. ℙ Transfertur ad obtrectatores, et maledicos. *Cic. Balb.* 26. More hominum invident, in conviviis rodunt, in circulis vellicant. *Hor. Sat.* 1, 4, 81. absentem rodere amicum; et *ib.* 6, 46. Quem rodunt omnes libertino patre natum. *Mart.* 5, 28. Rubiginosis cuncta dentibus rodit. *Id.* 13, 2. quid dentem dente juvabit Rodere? *h. e.* carpere eum, qui pari est mordacitate. V. PELLIS. ℙ *Pers.* 3, 81. Murmura cum secum, et rabiosa silentia rodunt, *h. e.* versant, et quasi dentibus rodunt verba, secum obmurmurantes.

RODUS et Rōduscula, V. RAUDUS, etc.

RŌGĀLIS, e, adj. ad rogum spectans. *Ov. Am.* 3, 9, 41. Tene, sacer vates, flammae rapuere rogales? *Sidon. ep.* 3, 13. *med.* Sordidior et deformior est cadavere rogali.

*ROGĀMEN, inis, n. rogamentum. *Gloss. Gr. Lat. δέημα*, Rogamen. *B. A.*

RŌGĀMENTUM, i, n. interrogatio. *Appul. Dogm. Plat.* 3. Rogamentum proponere.

RŌGANS, antis, part. a *rogo*: *δεόμενος*, qui rogat, supplex. *Cic. Fam.* 4, 4. Dixit se senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem causa negaturum. *Ov. Fast.* 6, 70. Blandior, et partes paene rogantis ago. *Id. Her.* 20, 33. En iterum scribo, mittoque rogantia verba. *Id. A. Am.* 1, 412. Flectitur iratus voce rogante Deus.

*ROGARĬUS, i, m. qui rogum curat, qui corpus comburit. *Gloss. Gr. Lat. νεκροκαύστης*, Rogarius, bustuarius. *B. A.*

[ROGĀTĀRĬUS, a, um, et *F.*]

[ROGĀTĬCĬUS, a, um, adj. qui ab alio rogatus fuit. *Front. ad Ver. Imp.* (ed. *A. Maio*) 1. *med.* Nerva facta sua in senatu verbis rogaticiis commendavit, *h. e.* oratione ab aliquo scriptore a se rogato mutuata. In *Codicis* margine antiqua manu scriptum est *rogatariis* pro *rogaticiis*. *F.*]

RŌGĀTĬO, onis, f. *δέησις*, actus rogandi, petitio, postulatio, preces. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 3. *f.* Ego Curtium non modo rogatione, sed etiam testimonio tuo diligo. *Val. Max.* 6, 4. *n.* 4. Cum amici cujusdam injustae rogationi resisteret. ℙ Item interrogatio, figura sententiarum apud rhetores, *ἐρώτημα*. *Cic. Or.* 3, 53. Et rogatio, atque huic finitima quasi percontatio. V. PERCUNCTATIO et PERCUNCTOR. ℙ *Rogatio* dicitur etiam pensatio in comitiis. *Cic. Planc.* 10. Rogatio ipsa semper est gratiosissima, quae èst officio necessitudinis conjuncta maxime. Neque enim ego sic rogabam, ut petere viderer, quia familiaris esset meus. *Id. paulo ante:* Appellavi populum, tribubus submisi me, et supplicavi; ultro pollicentes rogavi. ℙ Hoc nomine appellatur etiam lex, antequam perferatur, quia in ea ferenda rogabatur populus illis verbis: *velitis, jubeatis, uti*, etc., (integram formulam habes ap. *Gell.* 5, 19.) post quae ferebat ille suffragium: quo si responderetur, *uti rogas*, lex erat: quae cum perscriberetur, haec in principio verba apponebantur: *consul populum jure rogavit, populusque jura scivit.* V. ROGO. *Cic. Fin.* 4, 28. Et eadem imbecillitate et inconstantia L. Tubulum fuisse, qua illum, cujus is condemnatus est rogatione, P. Scaevolam. ℙ Aliqui rogationem accipiunt pro privilegio, et a lege differre ajunt, quod lex universalis sit, rogatio particularis. *Festus:* Rogatio est, cum populus consulitur de uno pluribusve hominibus, quod non ad omnes pertineat: et de una pluribusve rebus, de quibus, non omnibus, sanciatur. Nam quod in omnes homines, resve populus scivit, lex appellatur. Itaque Gallus Aelius ait: Inter legem et rogationem hoc interest; rogatio est genus legis; quae lex, non continuo ea rogatio est: rogatio non potest non esse lex, si modo justis comitiis rogata est. Haec *Festus*. Sed haec differentia non observatur; nam, ut ait *Gell.* 10, 20., sive lex, sive privilegium, sive plebiscitum sit, sine rogatione ad populum perferri non potest, et utrumque confuso et indistincto vocabulo rogatio dicitur. *Cic. Brut.* 33. de C. Galba: Rogatione Manilia, Jugurthinae conjurationis invidia oppressus est; et *mox* 34. Invidiosa lege Manilia C. Galbam Gracchani judices sustulerunt. *Id. ib.* 23. Rogationem in Ser. Galbam privilegii similem ferente T. Libone trib. plebis. *Id. Sextr.* 10. *extr.* Promulgare rogationem de re aliqua. *Id. Q. Fr.* 2, 2. *f.* Rogationem perferre. *Id. Att.* 1, 14. *med.* accipere, *h. e.* approbare. *Caes. B. C.* 3, 1. ad populum ferre. ℙ Dicitur interdum *rogatio*, etiam postquam perlata est. *Laelius Felix* ap. *Gell.* 15, 27. Quibus rogationibus ante patricii non tenebantur, donec Q. Hortensius eam legem tulit, ut eo jure, quod plebes statuisset, omnes Quirites tenerentur. *Gell.* 20, 1. *med.* Quid salubrius visum est rogatione illa Stolonis jugerum de numero praefinito? ℙ *Rogationes*, Italis quoque nunc *rogazioni*, appellatae fuerunt triduanae supplicationes, quae segetum lustrationibus per Fratres Arvales triduo Romae habitis suffectae videntur, et tribus diebus JESU CHRISTI *Ascensionem* praecedentibus celebrari coeptae sunt a Lazaro Mediolanensi in Italia archiepiscopo ann. CCCCXLI., mox invectae etiam a Mamerto Viennensi in Gallia episcopo ann. CCCCLXIX., ut constat ex *Sidon. ep.* 5, 14. Quidquid illud est, quod vel otio vel negotio vacas, in urbem tamen, ni fallimur, rogationum contemplatione revocabere. Quarum nobis solemnitatem primus Mamertus pater et pontifex invenit, instituit, invexit. Erant quidem prius vagae, tepentes, frequentesque, et, ut sic dixerim, oscitabundae supplicationes, quae saepe interpellantum prandiorum obicibus hebetabantur, maxime aut imbres, aut serenitatem deprecaturae; in his autem jejunatur, oratur, psallitur, fletur. *Id. ep.* 7, 1. ad Mamertum: Solo invectarum te auctore rogationum palpamur auxilio: quibus inchoandis instituendisque populus Arvernus, etsi non effectu pari, affectu certe non impari coepit initiari. Ex his patet, *Sidonium* Augustonemeti, nunc *Clermont*, episcopum illas rogationes, Mamerto auctore, adoptasse; quas postea Leo III. Pont. Max. ann. DCCCL. Romae celebrari jussit, unde per universam Catholicam Ecclesiam propagatae sunt.

ROGATIUNCŬLA, ae, f. brevis rogatio, seu interrogatio, breve argumentum, interrogatiuncula. V. INTERROGATIO. *Cic. Fin.* 1, 11. *med.* Chrysippus in hac est rogatiuncula delectatus: Num quidnam manus tua, etc? ℙ Item parva rogatio, seu lex. *Cic. Dom.* 20. Eaque te ex una rogatiuncula fecisse.

ROGĀTOR, oris, m. *αἰτητής*, qui rogat. *Cic. ad Planc. post ep.* 2, 16. *l.* 16. *ad Att.* Quamquam haec epistola non suasoris est, sed rogatoris. ℙ Stipem petens, mendicus, *ἐπαίτης*. *Mart.* 10, 5. Interque raucos ultimus rogatores Oret caninas panis improbi buccas. *Id.* 4, 30. Bajanos sedet ad lacus rogator. ℙ In comitiis ita dicebatur, qui iis praeerat, et tribus de aliqua re rogabat. *Cic. N. D.* 2, 4. Haruspices responderunt, non fuisse justum comitiorum rogatorem. Tum Gracchus: itane vero? ego non justus, qui et consul rogavi, et augur, et auspicato? ℙ Item qui nomen ejus, de quo comitia fiebant, renunciabat, et centuriam suffragium rogabat. Locum habuit primo, cum suffragia voce ferebantur: retentus est etiam post inductum tabellarum usum. *Cic. Div.* 2, 35. *med.* et *ib.* 1, 17. *extr.* Cum haruspices Ti. Gracchus, propter mortem repentinam ejus, qui in praerogativa referenda subito concidisset, in senatum introduxisset, non justum rogatorem fuisse dixerunt. Primum vide, ne in eum dixerint, qui rogator centuriae fuisset: is enim erat mortuus. *Id. in Sen.* 11. Quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque vidistis? Adde *Pis.* 15. *f.*, ubi de eadem re loquitur, *h. e.* de se ab exsilio revocando. ℙ *Rogator legum*, qui leges fert. V. ROGATIO et ROGO. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 397. Consilium patriae, legumque oriundu' rogator. ℙ Inter ministros scenae etiam *rogatorem* fuisse, colligitur ex *Inscr.* ap. *Mur.* 660, 3. M. Vipsanius Narcissus rogator ab scaena. Putatur autem fuisse is, qui vestes hinc inde rogando conquirebat, ad varios scenae atque histrionum usus: et huc pertinere illud *Hor. Ep.* 1, 6, 40. chlamydes Lucullus, ut ajunt, Si posset centum scenae praebere, rogatus, Qui possum tot? ait: tamen et quaeram, et quot habebo, Mittam: post paulo scribit, sibi millia quinque Esse domi chlamydum: partem, vel tolleret omnes. Alia est *Inscr.* ap. *eund. Mur.* 898, 5., quae vel eodem refertur: Eros Aug. L. rogator, Livia Lesbia: vel rogatorem comitiorum significat. Tres alias *Inscr.* affert *Ficoronius de person. scenic. c.* 56. (unde haec sumpta sunt), in quibus *rogator* legitur.

*ROGATRIX, icis, f. *Sidon. B. A.*

*ROGATŪRA, ae, f. rogatio. *Gloss. Gr. Lat.* *ἀπαιτησις*, Rogatura. *B. A.*

ROGĀTUS, a, um, a *rogo: αἰτηθείς, δεηθείς. Ov. Am.* 2, 19, 20. Saepe time insidias, saepe rogata nega. *Id. A. Am.* 1, 345. quaeque negant, gaudent tamen esse rogatae. *Cic. Verr.* 2, 4, 8. Rogatus de Cybaea, tenetis memoria, quid responderit; et *Mart.* 4, 90. Rure morans quid agam, respondeo pauca rogatus. *Ov. Fast.* 4, 150. Fortuna hoc, parvo ture rogata, facit. *Hor. Sat.* 1, 4, 97. causaque mea permulta rogatus Fecit; et *ib.* 2, 4, 88. per amicitiam, Divosque rogatus. *Lucan.* 4, 735. Rogatus, ut metuat. *Suet. Ner.* 22. *f.* Rogatus, ut cantaret. *Cic. Att.* 1, 13. et *Atejus Capito* ap. *Gell.* 4, 10. Senator sententiam rogatus. *Gell.* 2, 29. *med.* Cognati et affines operam quam dare rogati sunt, supersedent. *Ov. Met.* 4, 154. Hoc tamen amborum verbis estote rogati, Ut, etc. *Quint.* 12, 2. *f.* Qui velut sacramento rogati, nefas ducunt a suscepta semel persuasione discedere. *Ov. Her.* 1, 60. Ille mihi de te multa rogatus abit. *Id. Ib.* 643. Pauca quidem, fateor; sed Dii dent plura rogatis. ℙ *Testes rogati* in Jure dicuntur, qui certiores facti, qua de re testes futuri sint interrogantur, an velint adesse, necne, *παρακληθέντες μάρτυρες*. *Ulp. Dig.* 28, 1, 21. *med.* In testamentis, in quibus testes rogati adesse debent, ut testamentum fiat; alterius rei causa forte rogatos ad testandum non esse idoneos placet. *Pomp. ib.* 22, 5, 11. Ad fidem rei gestae faciendam etiam non rogatus testis intelligitur. ℙ De legibus latis ad populum. *Sall. Jug.* 76. *f.* Populus a tribuno plebis rogatus, quem vellet cum Jugurtha bellum gerere, frequens Marium jussit. *Pl. Curc.* 4, 2, 23. Rogitationes plurimas propter vos populus scivit, quas vos rogatas rumpitis. *Cic. Sext.* 24. Puncto temporis eodem mihi reique publicae pernicies, Gabinio et Pisoni provincia rogata est.

RŌGĀTUS, us, m. *δέησις*, rogatio. *Cic. Att.* 1, 9. *extr.* Chilius te rogat, et ego ejus rogatu. *Id. N. D.* 1, 6. *f.* Cum ad eum ipsius rogatu arcessituque venissem. *Id. Fl.* 4. Nunquam vobis ad rogatum respondent. Adde *Amic.* 1. *med.* et *Fam.* 7, 1. *med.* et *ib.* 13, 36.

RŌGĬTĀTĬO, onis, f. actus rogitandi. *Pl. Curc.* 4, 2, 23. Rogatationes publicas propter vos populus civit, *h. e.* leges rogavit.

*ROGĬTĀTOR, oris, m. qui rogitat. *Augustin. B. A.*

[RŌGĬTĀTUS, a, um, part. a *rogito*, saepe rogatus. *Cic. fragm. or. pro Scauro* (ed. *A. Maio*) 8.]Testium fidem primum ipsa tollit consensio, quae late facta est compromisso Sardorum, et conjuratione rogitata. *Peyronius* vero *ib. n.* 38. p. 83. pro *late facta* legit *patefacta*, et *recitata* pro *rogitata*, nempe omnium Sardorum testimonio ex unica syngrapha, iisdemque verbis recitato. *F.*]

ROGĬTO, as, avi, atum, a. 1. frequent. a *rogo:* saepe rogo, quaero, sciscitor. *Ter. Andr.* 1, 1, 56. Observabam illorum servulos venientes aut abeuntes: rogitabam, heus puer, etc. *Id. Eun.* 3, 5, 5. Neminemne intervenire nunc mihi, qui rogitando obtundat, enecet? *Virg. A.* 1, 750. Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa. *Pl. Epid.* 2, 2, 16. Rogitando sum raucus factus. ℙ Adhibetur etiam pro simplici *rogo*, interrogo, quaero, sine ulla frequentiae significatione. *Pl. Cas.* 3, 3, 8. Rogitare oportet prius, et percontarier. *Id. Merc.* 3, 4, 48. Requireres, rogitares, quis esset aut unde esset. *Id. Aul.* 2, 8, 3. Venio ad macellum, rogito pisces: indicant caros, *h. e.* quaero, quanti vaeneant pisces. *Ter. Ad.* 4, 1, 11. Rogitavit me, ubi fuerim. *Id. Heaut.* 5, 1, 70. Illum rogitato, quamobrem id faciam. *Pl. Curc.* 5, 2, 3. Rogita, unde istunc habeat annulum. ℙ *Rogitas?* frequentissima apud comicos formula, in eum, qui aut scit, aut scire debet, et tamen rogat. *Ter. Eun.* 4, 4, 8. Ubi est? *Phae.* rogitas? non vides? *Id. Heaut.* 4, 1, 18. Perii! quid ego feci? *Chre.* rogitas? Adde *Pl. Aul.* 2, 5, 13. et 4, 4, 7. etc. Sic *Id. ib.* 6. Verberabilissime, etiam rogitas? Adde 3, 2, 10. et 23. etc. ℙ *Rogito* pro *rogo*, *h. e.* precor, peto. *Ter. Eun.* 2, 2, 35. Sed ego cesso ad Thaidem haec deducere, et rogitare, ad coenam ut veniat?

ROGO, as, avi, atum, a. 1. *ἔρομαι, πυνθάνομαι*, quaero, percontor, sciscitor, sciendi causa interrogo, peto. *Cic. fragm.* ap. *Non.* 4, 397. Roga ipsum, quemadmodum ego eum Arimini acceperim. *Ter. Ph.* 4, 4, 3. Eho verbero, aliud mihi respondes, ac rogo? *Id. Andr.* 4, 4, 24. *Da.* Cujum puerum hic apposuisti? dic mihi. *My.* tu nescis? *Da.* mitte id quod scio: dic quod rogo. *Pl. Most.* 3, 1, 130. Dicisne hoc, quod te rogo? *Id. Pers.* 4, 4, 90. Jam de istoc rogare omitte, non vides nolle eloqui? *Phaedr.* 4, 18. Rogare aliquem causam alicujus rei. *Suet. Caes.* 82. Quasi aliquid rogaturus propius accessit. *Ter. Andr.* 2, 3, 49. Rogo, numquid velit. *Cic. Verr.* 2, 4, 12. Rogavi, pervenissentne Agrigentum: dixit, pervenisse. *Id. Vat.* 4. *extr.* Tum respondeto ad ea, quae de te ipso rogaro. *Pl. Amph.* 2, 2, 76. Alcumena, unum te rogare volo. *Varr. L. L.* 8, 33. Rogant, cur malimus habere lectos ex ebore, etc. *Ter. Eun.* 3, 3, 5. Roget quis: quid tibi cum illa? i. e. dicet aliquis. ℙ *Rogare* dicitur, qui stipulatur: interrogat enim alterum, utrum dare, aut facere quippiam velit. *Ulp. Dig.* 2, 14, 7. *med.* In novissima parte pactorum ita solet inseri: Rogavit Titius: respondit Maevius. *Pl. Ps.* 1, 1, 112. et 4, 6, 8. Roga me viginti minas: roga, obsecro hercle, gestio promittere. ℙ *Rogas?* et *etiam rogas?* est increpantis eum, qui de re interrogat, quam scit, aut scire debet. *Ter. Andr.* 1, 1, 134. *Si.* Quem ego credo obnixe omnia facturum, mihi ut incommodet. *So.* Quapropter? *Si.* rogas? mala mens, malus animus; et 4, 4, 23. Quid vis? *Da.* at etiam rogas? Adde *Eun.* 2, 3, 34. et *Phorm.* 5, 7, 22. et alibi, et *Plaut.* plurimis in locis, *v. gr. Amph.* 2, 1, 21. Rogasne, improbe, etiam, qui ludos facis me? ℙ *Rogas?* sine increpatione. *Cic. Mil.* 22. Quibusnam de servis? rogas? de P. Clodii. *Plaut. Aul.* 2, 4, 17. Quid negotii sit, rogas? pumex non aeque est aridus, atque hic est senex. *Id. Bacch.* 4, 9, 56. Quod te misi, ecquid egisti? *Chry.* rogas? congredere. ℙ *Si roges*, si quaeris. *Ov. Met.* 13, 823. Nec, si forte roges, possim tibi dicere, quot sint. ℙ *Rogare aliquem sententiam*, interrogare, quae sit alicujus aliqua de re sententia; et locum habet praecipue in senatu. *Cic. Q. Fr.* 2, 1. *med.* Racilius de privatis me primum sententiam rogavit. *Id. Att.* 1, 13. Scito, me non esse rogatum sententiam. *Sall. Cat.* 49. *extr.* Caesar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a consule, hujuscemodi verba locutus est. Absolute *Cic. Fam.* 4, 4. Cum omnes ante me rogati gratias Caesari egissent, ego rogatus mutavi meum consilium. ℙ *Rogare legem*, ferre. V. ROGATIO. *Festus:* Rogat est, consulit populum, vel petit ab eo, ut id sciscat, quod ferat: unde nos quoque in consuetudine habemus pro petere, et orare. Cato in dissuasione, ne lex Baebia derogaretur: ait: hoc potius agam, quod hic rogat. *Vetus formula initio legum perscribendarum*, ap. *Front. Aquaed.* 129. et *Cic. Phil.* 1, 10. Consul populum jure rogavit, populusque jure scivit. *Id. ib.* 2, 29. Ego leges perniciosas rogavi. *Id. Leg.* 3, 3. *f.* Quod tribuni plebem rogassint, ratum esto. *Pomp. Dig.* 1, 2, 2. Penes consules summum jus uti esset, lege rogatum est. *Cic. Fl.* 13. Nonne eo ipso tempore, cum L. Flaccus in Asia remiges imperabat, nos hic in mare superum et inferum sestertium ter et quadragies rogabamus? *h. e.* legem ferebamus, qua lege illa pecuniae summa in classem, ad mare superum inferumque tuendum, impenderetur. ℙ *magistratum*, creare, seu interrogare populum, velitne, ac jubeat aliquem in magistratu esse. *Liv.* 3, 65. Ut qui plebem Romanam tribunos plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum decem tribunos plebis faceret. *Cic. Div.* 1, 17. Comitia consulibus rogandis habuit. *Id. Att.* 9, 9. *med.* Majus imperium a minore rogari, non est jus: praetores cum ita rogentur, ut, etc. *Id. Leg.* 3, 4. Tribunis, quos sibi plebs rogassit, jus esto cum patribus agendi. Adde *Liv.* 6, 42. *extr.* ℙ *milites sacramento* est milites facere, et citatos sacramento obligare, ad sacramentum vocare. *Id.* 35, 2. C. Flaminium vagos milites de exercitu P. Africani sacramento rogasse. *Caes. B. G.* 6, 1. Milites, quos ex Cisalpina Gallia consulis sacramento rogavisset, ad signa convenire jubet. Adde *Liv.* 34, 26. ℙ Est etiam *rogare* precibus petere, orare, quaesere, *δέομαι:* quia preces fere per quandam interrogationem, et postulationem concipiuntur: et finitima sunt rogare sciendi causa, et habendi: et praeterea qui preces adhibet, sciscitatur animum ejus, a quo quippiam exspectat. *Cic. Verr.* 2, 1, 29. Rogat, et orat Dolabellam, ut de sua provincia decedat. Sic *Fam.* 13, 66. *extr.* Etiam atque etiam te rogo atque oro, ut, etc. *Ter. Ad.* 5, 5, 1. Heus Demea, rogat te frater, ne abeas longius. *Mart.* 4, 77. Nunquam divitias Deos rogavi. *Cic. Q. Fr.* 3, 1, 2. Taurum de aqua per fundum ejus ducenda rogabo. *Petr. Sat.* 39. Servus, pro quo rogaveramus. *Suet. Aug.* 13. Patrem, et filium rogantes pro vita, sortiri, vel micare jussit, ut alterutri concederetur. *Nep. Thras. f.* Nolite, rogo vos, mihi dare, quod multi invideant. *Cic. Fam.* 13, 43. *extr.* Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. *Marcell. Dig.* 36, 1, 44. *med.* In ejusmodi quaestione rogo respondeas, an, etc. *Ov. Am.* 3, 14, 4. Sed tantum, tentes dissimulare, rogat. ℙ Est etiam in comitiis aliorum suffragia prensando petere. V. ROGATIO. ℙ Speciatim est utendum petere. *Pl. Aul.* 1, 2, 18. Quae utenda vasa semper vicini rogant, fures venisse, atque abstulisse dicito. *Id. Ps.* 4, 6, 8. Roga me viginti minas. *Id. Rud.* 2, 3, 73. Aquam hinc de proximo rogabo. *Sempron. Asellio* ap. *Gell.* 13, 21. *extr.* Crepidarium cultellum rogavit a crepidario sutore. *Jabol. Dig.* 18, 6, 16. Servi emptor, si eum conductum rogavit, donec pretium solverit, etc. *Ulp. ib.* 22, 1, 21. Rogare fidejussores, *h. e.* precibus arcessere. Hoc sensu *Lampr. Elag.* 4. Ubi primum diem senatus habuit, matrem suam in senatum rogari jussit; et *Alex. Sev.* 48. Cum quidam senator rebellare voluisset, ad Palatium eum rogavit, eique gratias egit, quod curam reipubl. reciperet. ℙ *Rogare testes.* V. ROGATUS. *Plin. ep.* 1, 9. Ille me ad signandum testamentum, ille in advocationem, ille in consilium rogavit. ℙ *Precario rogare* ap. *Cic. Verr.* 2, 5, 23. dicitur is, qui ab eo aliquid petit, a quo nihil postulare jure potest, sed spem obtinendi in solis precibus ponit. Non enim precario, sed jure suo rogat, qui vel ex conventione, et pacto, vel ex foedere quippiam petit: v. gr. Romanus magistratus a civitatibus sociorum. ℙ *Malo emere, quam rogare*, proverb. ap. *eund. ib.* 6, 6. *extr.* de iis, qui aegre ad preces descendunt, maluntque vel magno quippiam emere, quam rogando se submittere. Molestum enim verbum est, ut ait *Sen. Ben.* 2, 2., onerosum, et demisso vultu dicendum, rogo. Posset etiam usurpari, cum res vilissimo pretio emuntur: quia tunc maxime praestat emere quam precario habere.

RŌGUS, i, m. *πυρά*, strues lignorum, in qua imposita cadavera cremantur pyra. V. PYRA. *Cic. Tusc.* 1, 35. Metellum multi filii, filiae, nepotes, neptes in rogum imposuerunt. *Id. N. D.* 3, 35. In lectulo mortuus, in rogum illatus est. *Plin.* 7, 3, 3. Eutychis a viginti liberis rogo illata. *Cic. Div.* 1, 23. Ad mortem proficiscens, cum ascenderet in rogum ardentem, etc. *Id. Fin.* 3, 22. *extr.* et *Liv.* 25, 17. Rogum exstruere. *Lex. XII. Tab.* ap. *Cic. Leg.* 2, 23. ascia ne polito. Eadem ap. *Plin.* 14, 12, 14. vino ne respergito. *Id.* 8, 40, 61. accendere. *Id.* 7, 44, 45. Portari in rogum; et *ib.* 52, 53. Aviola consularis in rogo revixit: et quoniam subveniri non potuerat, praevalente flamma, vivus crematus est. *Id. ib.* C. Aelium Tuberonem a rogo relatum plerique tradunt. Adde 26, 3, 8. *Ov. Am.* 3, 9, 28. Diffugiunt avidos carmina sola rogos, *h. e.* mortem. ℙ [*Rogus* est etiam idem ac sepulcrum. *Inscr.* ap. *Don. cl.* 5. *n.* 189. Hic collegio suo centonariorum legavit HS ∞, ex cujus reditu quotannis die parentalium ne minus homines XII. ad rogum suum vescerentur. *F.*] ℙ *Rogum* neutr. gen. *Afran.* ap. *Non.* 3, 186. Pulcre hoc incendi rogum.

ROMA, ae, f. *Roma*, *Ῥώμη*, urbs Italiae, in Latio, sed cum suburbio Vaticani in Etruria, Tiberi interfluente, sedes olim reipublicae Romanae, postea Romani imperii, nunc summorum Christianae religionis Pontificum, et Catholicae atque Apostolicae Fidei: septem colles murorum ambitu complexa: unde *arx septicollis* dicitur a *Prud. περὶ στεφ.* 10, 413., caput totius orbis terrarum, amplissima, pulcherrima, splendidissimis ac plane regiis aedificiis ornata. Dicta est vel a *ῥώμη*, robur, vires: unde prius *Valentia* a juventute Latina dicta est, teste *Solino initio Polyhist.* et *Festo* in *Romam:* vel a Rome Aeneae nepte: vel a Romo Aeneae filio: vel ab homine quodam comite Aeneae, etc. Ex quibus colligitur, ex multorum sententia, Romam ante Romulum jampridem fuisse. Vel denique (quod multi alii dixere) nominata est a Romulo conditore,

qui, ut docet *Paul.* ex *Festo*, non *Romulam*, sed *Romam* appellavit, ut ampliore vocabuli significatu prosperiora patriae suae ominaretur. V. *Solin. l. c.* et *Fest.* Scribit *Plin.* 3, 5, 9. et ab eo *Solinus l. c.* duplicem huic Urbi fuisse nomen, alterum vulgatum: alterum quod nefas eeset evulgari arcanis caeremoniarum: hujusmodi nomen arcanum *Saturnia* fuisse videtur. V. *Minut. Fel. Octav.* 22., *Varr. L. L.* 4, 7., *Virg. A.* 8, 357., et *Dionys. Halic.* 1, 34. et 2, 2. *Virg. G.* 2, 534. rerum facta est pulcherrima Roma, Septemque una sibi muro circumdedit arces; et *A.* 6, 782. En hujus, nate, auspiciis illa inclyta Roma Imperium terris, animos aequabit Olympo, Felix prole virum. A *Cic. Cat.* dicitur 4, 6. lux orbis terrarum, et arx omnium gentium: a *Mart.* 12, 8. terrarum Dea, gentiumque, Cui par est nihil, et nihil secundum. *Prop.* 3, 21, 17. Omnia Romanae cedent miracula terrae. Natura hic posuit quidquid ubique fuit. *Ov. Fast.* 4, 270. Dignus Roma locus, quo Deus omnis eat. V. *Claud. in II. cons. Stil.* a *v.* 130., ubi ejus laudes fuse persequitur. ℙ Deae quoque nomine culta est, eique dicata templa, ut colligitur ex *Liv.* 43, 6., *Tac. A.* 4, 37. et *Suet. Aug.* 52. Quidam poeta ap. *Serv.* ad *Ecl.* 1, 20. Aesculapii filiam vocat: quia is est Deus bonae valetudinis: ῥώμη autem robur viresque significat, ut dictum est. ℙ [*Confund. *Roma* et *forma*. V. *Burm.* ad *Vell.* p. 692.]

ROMĀNE, adv. Romano more. *Gell.* 13, 21. Haec, me audiente, Castricius Romane et severe dixit, *h. e.* graviter, et ut Romanum civem decet.

ROMĀNENSIS et Romaniensis, e, adj ad Romam pertinens eo modo, quo *Hispaniensis* ad Hispanias, scilicet qui Romae quidem est, sed aliunde venit. *Cato R. R.* 162. Salis Romaniensis moliti in singulas pernas semodius. Alii leg. *Romanensis*. *Inscr.* ap. *Grut.* 41, 7. P. Cornelius Trophimus pistor Romaniensis ex Reg. XIIII. et 650, 6. Sagarius Romanensis. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 88, 1. Ofilliae Quintae sacrorum Romaniensium C. Julius Hymenaeus contubernali, *h. e.* sacrorum Isidis ab Roma huc provenientium cultor. Hinc alia ap. *Grut.* 312, 6. Hic sacrorum Isidis conditus est. Alia ap. *Mur.* 183, 4. M. Aemilius Phoebus sacrorum ab Roma Isidi donum D. V. HISPANIENSIS et CORINTHIENSIS. [*Quaedam adjecit *F.*]

[ROMĀNĬA, ae, f. regio Romanis subdita, et Barbariei opponitur. *Ven. carm.* 6, 4, 7. Hinc cui Barbaries, illinc Romania plaudit, Diversis linguis laus sonat una viri. *F.*]

[ROMĀNĬĀNUS, a, um, adj. ad Romanium aliquem pertinens. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 808. Atimetus Augg. NN. Ser. Act. praediorum Romanianorum. *F.*]

ROMĀNĬCUS, a, um, adj. Romanus. *Cato R. R.* 135. Aratra in terram validam Romanica bona erunt, in terram pullam Campanica: juga Romanica optima erunt, *h. e.* Romae facta, vel ex usu Romano.

ROMĀNĬENSIS. V. ROMANENSIS.

[ROMĀNILLA, ae, f. dimin. Romanae. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1525, 5. Caelia Romanilla. *F.*]

ROMĀNĬTAS, atis, f. mores et instituta Romanorum. *Tert. Pall.* 4.

ROMĀNŪLA Porta, teste *Varr. L. L.* 4, 34. et *ib.* 5, 3. *f.*, in Palatio fuit, gradus habens in navalia, ad Volupiae sacellum. Quidam falso putant, esse eandem ac Portam Romanam, de qua in v. sq.

ROMĀNUS, a, um, adj. Ῥωμαῖος, ad Romam pertinens, Romae civis, aut incola. *Cic. Att.* 16, 2. Populum Romanum manus suas non in defendenda re publica, sed in plaudendo consumere; et *ib.* 10, 8. Regnum non modo Romano homini, sed ne Persae quidem cuiquam tolerabile. *Id. N. D.* 1, 29. *f.* Romana Juno, *h. e.* quae ab Romanis, et Romano ritu colebatur, ut Argiva, quae ab Argivis. *Laurea Tullius* ap. *Plin.* 31, 2, 3. Romana lingua, *h. e.* Latina. *Plin.* 23, 1, 19. gravitas. *Id.* 15, 4, 5. majestas. *Id.* 10, 21, 24. purpura, *h. e.* consulatus. *Id.* 2, 108, 112. computatio; et 16, 10, 19. Romanum judicium, *h. e.* ut Romani judicant, censent. *Id.* 19, 1, 6. forum. V. FORUM. ℙ *Romano more* est simpliciter, aperte, sincere, candide, Latine, ἁπλῶς. *Cic. Fam.* 7, 5. *med.* De quo tibi homine haec spondeo, non illo vetere verbo meo, quod jure lusisti: sed more Romano, quo modo homines non inepti loquuntur; et *ib.* 18. Ego te Balbo more Romano commendabo; et *ib.* 16. Balbus mihi confirmavit, te divitem futurum, id utrum Romano more sit locutus, bene nummatum te futurum; an quomodo Stoici dicunt, omnes esse divites, qui coelo et terra frui possint, postea videro. [*Cf. *Heindf.* ad *Hor. Sat.* 1, 4, 85.] ℙ *Romani ludi*, qui et *Magni* (V. MAGNUS.) antiquissimi omnium Romae instituti sunt a Romulo, et annui facti ab Tarquinio Prisco, in honorem Jovis, Junonis, ac Minervae, fiebantque ab aedilibus curulibus. Dicti sunt *Romani*, quia ab Romanis instituti, non ab exteris nationibus adsciti, ut scenici ab Etruscis. Primo circenses fuerunt, postea et in scenam invecti. Initio per unum diem, postea per biduum, deinde per triduum peracti: crevitque deinceps numerus usque ad novem dies. *Cic. Verr.* 2, 5, 14.; *Liv.* 1, 35. *f.* et 28, 10. et 29, 38, *f.* et 31, 4. et al. ℙ *Romanam portam* vulgus appellat, ubi ex epistylio defluit aqua, qui locus ab antiquis appellari solitus est statuae Cinciae, quod in eo fuit sepulcrum ejus familiae. Sed porta Romana instituta est a Romulo infimo clivo Victoriae, qui locus gradibus in quadram formatus est. Est appellata autem Romana a Sabinis praecipue, quod ea proximus aditus erat Romam. Haec *Fest.* Ex his patet, portam Romanam fuisse in veteri Romuli urbe versus collem Capitolinum, in quo post Romuli de Sabinorum rege Tatio victoriam iidem sedem suam habuerunt; tunc autem a Romulo apertam fuisse portam Romanulam ad Palatii radices, et Tiberim versus, ut probat *Nibbyus Mur. di Roma* p. 57. et 66. ℙ *Romani, orum*, absolute, οἱ Ῥωμαῖοι. *Caes. B. G.* 1, 51. *extr.* Mulieres flentes implorabant, ne se in servitutem Romanis traderent. *Plin.* 27, 1, 1. Dii Romanos velut alteram lucem dedisse rebus humanis videntur. *Virg. A.* 1, 286. Romanos rerum dominos, gentemque togatam. *Liv.* 2, 27. Victor tot, intra paucos dies, bellis Romanus promissa consulis exspectabat. ℙ *Romanus sedendo vincit*, proverb. ap. *Varr. R. R.* 1, 2. ductum, ut videtur, a Fabio Cunctatore, qui, ut ait *Liv.* 22, 24. *med.*, sedendo et cunctando Annibalem fregit. Usurpari potest de iis, qui plus valent consilio domi, quam alii foris manu et opera. ℙ [Est etiam cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 531, 1. M. Aurelius Romanus. Alia ap. *Mur.* 1525, 1. Caecilia Romana. *F.*]

*ROMATĪNUS (fluvius), i, m. vel Romatīnum (flumen), i, n. in Venetis fuit. *Plin.* 3, 18. Flumina et portus Romatinus, Tilaventum majus, etc. ℙ Hodie est *the Lemne. B. A.*

*ROMESIĀNA, oppidum Moesiae superioris. *Tab. Peut.* ℙ *Romatiana* est *Gennad. de script. eccl.* 1. *Remisiana* autem *Anton. Itin. B. A.*

ROMĬLĬA, et rectius Romulia, tribus Romana, primum locum inter rusticas obtinuit, eratque trans Tiberim in Etruria. Dicta est a Roma ipsa, teste *Varr. L. L.* 4, 9., quia incipiebat prope Urbis muros, et usque ad mare secundum flumen extendebatur. *Paul.* ap. *Fest.* scribit, dictam esse a Romulo, quod ex eo agro censebatur, quem Romulus ceperat ex Vejentibus. *Cic. Agr.* 2, 29. Respondit, a Romilia tribu initium esse facturum. *Inscr.* ap. *Grut.* 373, 8. M. Baebio M. F. Rom. Secundo Aed., etc. et 412, 5. P. Flavius Q. F. Rom. Stabilis. ℙ *Romulia* legitur ap. *Festum*, *l. c.* [et in hac *Inscr.* quae adhuc exstat Aponi, edita vero est a *Polcastro*, *Padova* p. 171. A. A. C. Cluentius C. F. Romul. Proculus Ateste aedilis, II. vir, quaestor aerari bis, pontifex V. S. *F.*]

*ROMIPĒTA, ae, m. et f. qui Romam peregrinationem instituit. *Sarisb.* 6, 1. *B. A.*

ROMPHĒA. V. RHOMPHAEA.

ROMPHUS. V. RUMPUS.

ROMŪLĀ. V. ROMULUS, a, um.

ROMŪLĀRIS, e, adj. ad Romulum pertinens, ut Romularis ficus. V. RUMINALIS. ℙ Romuleus, Romanus. *Sidon. ep.* 9, 13. *in carm.* 2. *f.* Toga, miles, ordo equester, Populusque Romularis.

ROMŪLENSIS, e, adj. ad Romulam, seu Juliam Romulam pertinens. V. ROMULUS, a, um. *Plin.* 3, 1, 3. Hispalis colonia, cognomine Romulensis. ℙ [*Romulenses*, *ium*, sunt incolae illius coloniae. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 422, 1. Ordo splendidissimus Romulensium. *F.*]

ROMŪLĒUS et Romulĕus, a, um, adj. ad Romulum, et ad Romam pertinens. *Ov. Fast.* 3, 67. Romuleoque cadit trajectus Amulius ense; et *ib.* 2, 482. Multaque Romulea bella peracta manu; et *ib.* 5, 260. Romulea urbs, *h. e.* Roma. *Id. Met.* 14, 845. Romuleos ingreditur colles. *Sil.* 7, 485. Punica Romuleos quatient mox spicula muros. *Virg. A.* 8, 654. Romuleoque recens horrebat regia culmo. *Petr. fragm.* p. 676. *Burm.* Romulea casa (quam stramentis tectam fuisse tradunt *Virg.* modo allatus, *Vitr.* 2, 1. et *Ov. Fast.* 3, 184.). *Stat. Silv.* 3, 3, 165. Romuleum reseras iterum, Germanice, limen, *h. e.* Palatium. *Juven.* 11, 104. Romulea fera, *h. e.* lupa. ℙ *Romuleum* pro *Romuleorum* dixit *Ennius*. V. DUELLUM. ℙ *Rōmŭlēus* paenultima producta est ap. *Auct. Pervig. Ven.* 72. Romuleas ipsa *(Venus)* fecit cum Sabinis nuptias. *Pithoeus* leg. *Romuloeas*. ℙ *Romulea* fuit oppidum Italiae in Hirpinis, nunc *Bisaccio:* ejus meminit *Liv.* 10, 17. *F.*]

ROMŪLĬA. V. ROMILIA.

ROMŪLĬDAE, arum, m. plur. Romani: a Romulo. *Virg. A.* 8, 637. subitoque novum consurgere bellum Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis. *Pers.* 1, 30. inter pocula quaerunt Romulidae saturi, quid dia poemata narrent. ℙ *Romulidum* pro *Romulidarum* est *Prud. adv. Sym.* 1, 6.

ROMŪLUS, a, um, adj. Romuleus, Romanus. *Virg. A.* 6, 877. nec Romula quondam Ullo se tantum tellus jactabit alumno. *Prop.* 4, 4, 24. Romula hasta. *Hor. Od.* 4, 5, 1. et *Carm. saec.* 47. gens. *Sil.* 13, 793. Romula facta canere. ℙ *Romula*, absolute, vel *Julia Romula* dicta est Hispalis, nunc *Seviglia*, colonia Romanorum in Hispania, a C. Julio Caesare facta, teste *Isid. Or.* 15, 1. *f.* *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 3. *n.* 26. Scapharii, qui Romulae negotiantur. Eadem *Julia Romulea* dicitur in alia ap. *Grut.* 257, 12. et *Julia Romula* in alia ap. *eund.* 258, 1. V. ROMULENSIS.

ROMŪLUS, i, m. Ῥωμύλος, filius Iliae, seu Rheae Silviae, ex incerto patre, secundum fabulas ex Marte, Remi frater geminus, primus Romanorum rex, et Romae conditor, ut multi scripsere. In rixa fratre interempto, regnavit solus annos septem et triginta, et sine liberis vita functus, sive illata a suis morte, sive casu obita, inter Deos relatus est, et Quirini nomine cultus. *Enn.* ap. *Cic. Tusc.* 1, 12. et *Serv.* ad *A.* 6, 764. Romulus in coelo cum Diis genitalibus aevum Degit. V. *Liv. l.* 1., *Aurel. Vict. de orig. gent. R.* a *c.* 19. et *Vir. illustr.* 1., *Flor.* 1, 1,, *Gell.* 6, 7. et 11, 14., *Val. Max.* 3, 2. *n.* 3., *Ov. Fast.* 2. a *v.* 383. et a *v.* 491. ℙ In multis antiquis MSS. legitur *Romolus*. *Pier.* ad *A.* 8, 654. ℙ *Festus:* Romulum quidam a ficu rumiali; alii quod lupae ruma nutritus est, appellatum esse, ineptissime dixerunt: quem credibile est a virium magnitudine (ῥώμη est robur), item fratrem ejus, appellatos. ℙ [*Sall. decl. in Cic.* 4. eum vocat per contemptum *Romulum Arpinatem*, et *M. Aemil. Lepidus* inter *Sallustii fragm.* 1, 6. vocat Sullam *saevum Romulum*. ℙ *Romulus* etiam accipitur pro tota Romanorum gente in illo *Poet.* incerti ap. *Suet. Tib.* 59. Aspice felicem sibi, non tibi, Romule, Sullam, *h. e.* Tiberium Sullana crudelitate in Romanos saevientem. *F.*] ℙ **Romulus Sylvius* inter reges Albanos memoratur a *Liv.* 1, 3., qui tamen *Remulus* audit *Ov. Fast.* 2, 59. et *Met.* 14, 216. et 217. unde *Remulus* corrigendum apud *Livium* suspicatus est *Gronovius. B. A.*

ROMUS. V. RĔMULUS.

RONCHUS. V. RHONCHUS.

RONCĪNIUS. V. RUNCINIUS.

RONCO. V. RUNCO.

RORĀLIS, e, adj. rorans, roratus, in modum roris sparsus. *Ov. Fast.* 4, 728. Virgaque rorales aurea misit aquas. Plerique alii leg. *roratas:* [*ita *Gierig.* ducibus *Heins.* et *Burm.*] quidam *rorantes*.

RORANS, antis, part. a *roro:* madens et manans, stillans, roscidus. *Virg. A.* 3, 567. Ter spumam illisam, et rorantia vidimus astra. *Ov. Fast.* 4, 141. Litore siccabat rorantes nuda capillos. *Stat. Th.* 2, 136. Impulerat coelo gelidas Aurora tenebras, Rorantes excussa comas. *Manil.* 2, 53. Integra quaeramus rorantes prata per herbas. *Lucan.* 2, 123. Ora ferens miles festae rorantia mensae Imposuit, *h. e.* caput abscissum, venis sanguine manantibus. ℙ Et adjecto casu. *Ov. Met.* 3, 177. rorantia fontibus antra. *Stat. Th.* 5, 406. cana rorans aspergine ponti Tyndarides. *Virg. Cul.* 75. rorantes lacte capellae. *Quint. decl.* 4, 8. Rorantia hostili cruore arma. *Lucan.* 7, 163. Romana signa rorantia fletu. *Sil.* 7, 180. irriguis citus extulit hortis Rorantes humore dapes, *h. e.* olera recentia: vel potius, ut ait *Virg. Ecl.* 8, 37. roscida mala. *Colum.* 10, 267. Antraque Castaliis semper rorantia guttis. *Mart.* 7, 37. Exprimeret quoties rorantem frigore nasum. *Appul. Met.* 2. Venus cinnama fragrans, et balsama rorans. ℙ Ap. *Manil.* 5, 482. rorans juvenis est Ganymedes, qui in coelum translatus est ibi Signum Aquarii. ℙ Eleganter *Cic. Sen.* 14. Me vero et magisteria delectant, et pocula, sicut in Symposio Xenophontis, minuta atque rorantia. Hic *rorantia* active sumuntur, *h. e.* leviter et paulatim madefacientia, quia locus *Xenophontis* sic habet, *in Sympos.* 2. *f.* Ἡ δὲ ἡμῖν οἱ παῖδες μικραῖς κύλιξι πυκνὰ ἐπιῤῥαίνουσιν, οὕτως οὐ βιαζόμενοι ὑπὸ τοῦ οἴνου μεθύειν, ἀλλ', etc. Hinc translate *Macr. Sat.* 7, 9. Exercebo Disarium nostrum, si tamen minutis illis suis, et rorantibus responsionibus satisfaciet consulenti.

RORĀRĬI, orum, m. plur. iidem ac velites, expediti, ferentarii, idest milites levis armaturae, qui, antequam acies congrederentur, fundis et lapidibus pugnae praeludebant: ita dicti a *rore*, vel a *rorando*, quia sicut ros pluviam praecedit, ita hi aciem praecedebant, et pugnabant, antequam justum et verum proelium inciperetur. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Rorarii dicti a rore, qui bellum committebant ante: ideo quod ante rorat, quam pluit. *Fest.* Rorarios milites vocabant, qui levi armatura primi proelium committebant, quod ut ante imbrem fere rorare solet, sic illi, ante gravem armaturam quod prodibant, rorarii dicti, qui et ferentarii. *Plaut.* ap. *Varr. l. c.* Ubi rorarii estis? en sunt. Ubi sunt accensi? ecce. *Lucil.* ap. *Non.* 18, 3. Quinque hastae: aureolo cinctu rorariu' velox. Alii leg. *rorariu' veles*. *Id. ib.* Pone paludatus stabat rorariu' velox. Alii leg. *paludatum*. *Liv.* 8, 8. Primum vexillum triarios ducebat, veteranum militem spectatae virtutis: secundum rorarios, minus roboris aetate factisque: tertium accensos, minimae fiduciae manum: eo et in postremam aciem rejiciebantur; et *ib.* 9. *f.* Nam et rorarii procurrebant inter antepilanos, addiderantque vires hastatis ac principibus. Ex his *Livii* locis apparet, *rorarios* non ante hastatos aut principes, sed post triarios in acie locum habuisse: procurrisse autem, ubi res posceret, et ad committendam pugnam, et ad opem laborantibus opportune ferendam. ℙ Rorarium vinum, quod rorariis dabatur. *Paul.* ex *Festo*.

RŌRĀTĬO, onis, f. *ψιχασμὸς*, roris casus. *Appul. Met.* 9. Assiduis pluviis, nocturnisque rorationibus, sub dio, et intecto conclusus stabulo, continuo discruciabar frigore. ℙ Item morbus vitium, quoties uva deflorescente ros frigidior acinos infestat: nunc enim hi decidunt. *Plin.* 17, 24, 37. *n.* 6. Sideration is genus est in his deflorescentibus roratio. *Id.* 18. 29, 69. *n.* 3. docet, ad hunc morbum averruncandum instituta fuisse Floralia, IV. cal. Maji.

RŌRĀTUS, a, um, part. a *roro:* qui in modum roris decidit. *Ov. Fast.* 3, 357. Mollis erat tellus rorata mane pruina. Alii leg. *roratăque*, ut ad *tellus* referatur. *Id. Met.* 4, 478. Laeta redit Juno: quam coelum intrare parantem Roratis lustravit aquis Thaumantias Iris. Adde *Fast.* 4, 728. [*Cf. *Valken.* ad *Eurip. Hippol.* p. 180.] ℙ Translate. *Id. Pont.* 2, 1, 36. Saxaque roratis erubuisse rosis, *h. e.* manu a populo sparsis. Alii leg. *jactatis.*

RŌRESCO, is, n. 3. roris instar diffluere incipio. *Ov. Met.* 15, 245. resolutaque tellus In liquidas rorescit aquas. Alii leg. *rarescit:* [*quod multis defendit *Oudend.* ad *Lucan.* 4, 123. p. 272.]

RŌRĬDUS, a, um, adj. roscidus, humidus, aquis madens. *Prop.* 4, 4, 45. Tu cave spinosi rorida terga jugi. *Id.* 2, 23, 28. Rorida muscosis antra tenere jugis. Alii leg. utroque loco *roscida*, aut *rosida. Appul. Met.* 4. An ignoras, hoc genus bestiae locos consitos, et specus roridos et colles frigidos semper incubare?

RŌRĬFER, ra, rum, adj. *δροσοβόλος, δροσοφόρος*, rorem ferens. *Lucr.* 6, 864. roriferis terram nox obruit umbris. *Sen. Hipp.* 10. qua prata jacent, quae rorifera mulcens aura Zephyrus vernas evocat herbas. *Stat. Th.* 1, 337. Titanis late mundo subvecta silenti Rorifera gelidum tenuaverat aera biga.

RŌRĬFLŪUS, a, um, adj. rore fluens. *Sisebut.* in *Anth. Lat.* T. 2. p. 327. *Burm.* Quin mage pernices aquilas vis pigra elephantum Praecurret, volucremque pigens testudo molossum, quam nos rorifluam sectemur carmine lunam, *h. e.* ros in terras demittentem. De *Sisebuto* hujus carminis auctore V. in LEGICREPA.

RŌRĬGER, ra, rum, adj. rorifer. *Fulg. Myth.* 1. de nocte: Caerula rorigeris pigrescere jusserat alis.

RŌRO, as, avi, atum, a. 1. *δροσίζω*, rorem, vel tenuem pluviam roris instar fundo, madefacio, irroro. Translate. *Lucr.* 3, 470. lacrimis rorantes ora genasque. *Sil.* 10, 263. Cum videt in scopulo rorantem saxa cruore, Torvoque obtutu labentem in Tartara Paulum. *Manil.* 5, 563. Extulit et liquido Nereis ab aequore vultum, Et casus miserata tuos roravit et undas, *h. e.* lacrimis aspersit. V. RORATUS. ℙ In prima persona praesentis vix est in usu, inquit *Diomed.* 1, 375. ℙ Passive. *Ov. Her.* 15, 97. Scribimus, et lacrimis oculi rorantur obortis. ℙ In propria significatione fere adhibetur in tertiis personis, ut *pluit, tonat. Colum.* 11, 2. *med.* Idib. Octobris, et sequenti biduo interdum tempestas: nonnunquam rorat. *Plin.* 17, 10, 14. Periculum eo tantum die est, si roraverit quantulumcumque imbrem. *Suet. Aug.* 92. Si ingrediente se longinquam profectionem, forte rorasset. *Ov. Fast.* 3, 403. Cum croceis rorare genis Tithonia conjux Coeperit. *Varr. L. L.* 6, 3. *med.* Rorarii dicti a rore, qui bellum committebant ante: ideo quod ante rorat, quam pluit, *h. e.* minutae guttulae cadunt. ℙ Translate dicitur de quocumque humore in modum roris destillante: et de quacumque re, humore quolibet aspersa, eumque roris instar demittente, *δροσίζω, ψεκάζω. Virg. A.* 8, 644. Raptabatque viri mendacis viscera Tullus Per silvam: et sparsi rorabant sanguine vepres. *Prop.* 4, 1, 123. Qua nebulosa cavo rorat Mevania campo. *Ov. Met.* 3, 683. de delphinis: Undique dant saltus, multaque aspergine rorant; et *ib.* 1, 266. de Noto: Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis, Fronte sedent nebulae, rorant pennaeque, sinusque. *Claud.* in *Ruf.* 1, 383. Rorabunt querceta favis. *Val. Fl.* 5, 415. densaeque sequuntur Pliades, et madidis rorant e crinibus ignes. *Auct. Pervig. Ven.* 20. Humor ille, quem serenis astra rorant noctibus. *Appul. Met.* 5. Pollicem nixu fortiore pupugit altius. ut per summam cutem roraverint parvulae sanguinis rosei guttae.

RORŪLENTUS, a, um, adj. *δροσώδεις, ἐρσήεις*, rore plenus, roscidus, pruinosus. *Cato R. R.* 37. Caveto, ne quam materiam doles, neu caedas, neu tangas, si potes, nisi siccam, neu gelidam, neu rorulentam. *Acc.* ap. *Non.* 4, 427. Ut rorulentas terras ferro proscindant. *Colum.* 12, 38. *med.* Ne baccae rorulentae legantur, cavendum. *Id.* 5, 6. *med.* Rorulentae vites. *Plin.* 18, 31, 74. Rorulenta uva. *Id.* 12, 17, 37. Pastibus matutinis, cum est rorulenta Cypros.

ROS, roris, m. *δρόσος, ἕρση, ψεκάς*, humor coelo defluens noctu, cum sudum est, et omnis aura quiescit: qui si gelu concrescat, est pruina. Videtur esse vel a prima Graeca voce allata, vel a *πρῶξ, πρωκός*, gutta, stillicidium. *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 5. Neque in nube, neque in flatu cadunt rores. *Id.* 31, 10, 46. *n.* 3. Cum ros cecidisset. *Id.* 18, 31, 74. Uvam ne legito prius, quam ros a sole discutiatur. *Id.* 20, 18, 76. Cum ros in papavere exaruerit. *Id.* 17, 24, 37. *n.* 5. Scabies gignitur roribus lentis: nam si rariores fuere, etc. *Id.* 16, 26, 46. Punica roribus nimis, et pruinis florem amittit. *Virg. Ecl.* 8, 15. (et *G.* 3, 326.) Cum ros in tenera pecori gratissimus herba est. *Ov. Fast.* 3, 880., ubi . . . . Canuerint herbae rore recente; et *ib.* 1, 312. Sparsaque coelesti rore madebit humus. *Id. Am.* 1, 6, 55. vitreoque madentia rore Tempora noctis eunt. *Cic.* in *Arat. Div.* 1, 8. *extr.* Cum primum gelidos rores aurora remittit. ℙ Poetice dicitur de aqua. *Lucr.* 1, 769. ignis terraeque coire Corpus, et aerias auras, roremque liquorum; et *ib.* 496. infuso lympharum rore superne. *Id.* 4, 439. quaecumque supra rorem salis edita pars est Remorum, recta est, etc. Quae demersa liquore obeunt, refracta videntur. *Prop.* 2, 20, 1. Vidi te in somnis fracta, mea vita, carina Ionio lassas ducere rore manus. *Ov. Fast.* 4, 778. vivo prolue rore manus, *h. e.* flumine vivo, ut ait *Virg. A.* 2, 719. Sic *Hor. Od.* 3, 4, 61. Qui rore puro Castaliae lavit Crines solutos. *Id. ib.* 3, 3, 56. Rores pluvii, *h. e.* imbres. *Petr. Sat.* 131. amnis querulo versabat rore lapillos. ℙ Magis proprie *Virg. A.* 6, 229. ter socios pura circumtulit unda, Spargens rore levi; et *ib.* 5, 854. Lethaeo rore madens ramus. Adde *Mart.* 9, 19. ℙ Item de lacrimis, quae roris instar defluunt. *Hor. A. P.* 429. super his etiam stillabit amicis Ex oculis rorem. *Claud. Rapt. Pros.* 1, 190. Heu quoties praesaga mali violavit oborto Rore genas! *Ov. Met.* 14, 708. madidae lacrimarum rore coronae. *Sen. Hipp.* 381. Lacrimae cadunt per ora, et assiduo genae rore irrigantur. Adde *Stat. Silv.* 5, 1, 35. ℙ Item de aliis liquoribus. *Cic. de suo consul. Div.* 1, 12. parvos Mavortis semine natos Uberibus gravidis vitali rore rigabat. *Ov. Met.* 11, 57. sparsos stillanti rore capillos, *h. e.* cruore. *Stat. Th.* 2, 673. ardentiaque ora cruentis Roribus, *h. e.* aspergine cruoris. *Plin.* 9, 36, 60. Minores purpuras cum testa vivas frangunt, ita demum rorem eum exspuentes, *h. e.* saniem, quae color est purpurae. *Mart.* 4, 59. Quae *(vipera)* dum miratur pingui se rore teneri, etc., *h. e.* succino. *Ov. Her.* 15, 76. Non Arabo noster rore capillus olet, *h. e.* myrrha. Sic *Tibull.* 3, 4, 28. Stillabat Syrio myrtea rore coma, *h. e.* malobathro, aut nardo, aut balsamo. ℙ Usurpatur et de virili semine. *Appul. Ἀνεχόμ.* 20. Ejaculent tepidum rorem niveis laticibus. ℙ *Ros maris*, et *ros marinus*, herba, aut frutex, de quo V. in ROSMARINUS. *Ov. Met.* 12, 410. Ut modo rore maris, modo se violave, rosave Implicet. *Id. A. Am.* 3, 690. Ros maris, et lauri, nigraque myrtus olent. *Hor. Od.* 3, 23, 15. Parvos coronantem marino Rore Deos, fragilique myrto. ℙ De rore Syriaco V. in RHUS. ℙ In fabulis *Ros* est Deus, Aeris et Lunae filius. *Aleman lyricus* ap. *Macr. Sat.* 7, 16. *f.*

ROSA, ae, f. *ῥόδον*, flos pulcherrimus, odoratissimus e spina nascens: a Graeca voce allata, ut *Varr. L. L.* 4, 21. docet. *Plin.* 21, 4, 10. Rosa nascitur spina verius, quam frutice: in rubo quoque proveniens, illic etiam jucundi odoris, quamvis angusti. Germinat omnis primo inclusa granoso cortice: quo mox intumescente, et in virides alabastros fastigato, paulatim rubescens dehiscit, ac sese pandit, in calycis medio sui stantes complexa luteos apices. Usus ejus in coronis prope minimus est: praeterea in unguenta transit: emplastris atque collyriis inseritur mordaci subtilitate. Genera ejus nostri fecere celeberrima, Praenestina, et Campana: addidere alii Milesiam, cui sit ardentissimus colos, non excedens duodena folia: proximam ei Trachiniam minus rubentem: mox Alabandicam, viliorem albicantibus foliis: vilissimam vero plurimis, sed minutissimis, spineolam. Differunt enim multitudine foliorum, asperitate, laevore, colore, odore. Paucissima quina folia, ac deinde numerosiora, cum sit genus ejus, quam centifoliam vocant, etc. Haec *Plin.* l. c., ubi et alia multa de rosarum satione, proventu, etc. *Id. ib.* 18, 73. Et rosa adstringit, refrigerat. Usus ejus *(in medicina)* dividitur in folia, et flores, et capita. Foliorum partes quae candidae, ungues vocantur: in flore aliud est semen, aliud capillus: in capite aliud cortex, aliud calyx. ℙ Flos est Veneri sacer, propter odorem et pulcritudinem. Fabulantur etiam, olim candidam fuisse, traxisse autem purpureum colorem ex sanguine Deae, cujus pedem in horto deambulantis spina forte pupugerat, ut ejus est ap. *Auson. Idyll.* 6, 76. et 92. Addunt et causam, quia sicut rosa brevi viget, ita et forma corporis, et juventae flos, et Venerea voluptas. Nam, ut ait *Id. ib.* 14, 39. Una dies aperit, conficit una dies; et *ib.* 43. Quam longa una dies, aetas tam longa rosarum. V. *totum* Idyllium, ubi et rosa describitur, et ejus brevitas explicatur. *Lucr.* 2, 627. ninguntque rosarum Floribus. *Hor. Od.* 2, 3, 13. Huc vina et unguenta, et nimium breves Flores amoenae ferre jube rosae; et *ib.* 3, 29, 2. lene merum cum flore rosarum. *Auct. Cop.* 14. Sertaque purpurea lutea mixta rosa. ℙ Novissimam inter vernos flores esse, scribit *Plin.* 21, 11, 38. Hinc reprehendit residem Verrem *Cic. Verr.* 2, 5, 10. *f.*, quod veris initium non a Favonio, neque ab aliquo astro notabat; sed cum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur. ℙ Usus rosae in coronis, quibus utebantur praecipue in conviviis, et potationibus: item in unguentis, quae divulgata maxime, ut ait *Plin.* 13, 1, 2., eorumque mixturam *ib.* tradit, et in RHODINUS a nobis posita est. V. *Prop.* 3, 3, 44. et 4, 6, 72., *Ov. Fast.* 5, 344. et *Mart.* 5, 64., 7, 89. et 9, 94. etc. Huc pertinent illa *Cic. Fin.* 2, 20. M. Regulum clamat virtus beatiorem fuisse, quam potantem in rosa Thorium; et *Tusc.* 5. 25. *f. M.* Omnes sapientes confiteri beatos esse, necesse est. *A.* etiamne in cruciatu atque tormentis? *M.* An tu me in viola putabas, et in rosa dicere? ℙ Rosis ornabant mensas et lectos, farciebant pulvinos odoris causa. *Cic. Verr.* 2, 5, 11. et *Hor. Od.* 1, 5, 1. ℙ Rosis item mortuos spargebant, sternebant sepulcra. *Virg. A.* 6, 885., *Prop.* 1, 17, 22. V. ROSALIS. ℙ *Vivere in rosa*, in deliciis et voluptatibus. *Mart.* 8, 77. *ad Liberum.* Liber in aeterna vivere digne rosa. Sic *Sen. ep.* 36. *med.* Nemo discit, ut si necesse fuerit, aequo animo in rosa jaceat. ℙ Labra formosi oris, et pulcro in vultu pudor rosae comparantur. *Mart.* 4, 42. Paestanis rubeant aemula labra rosis. *Claud. Nupt. Honor.* 265. non labra rosae, non colla pruinae, Non crines aequant violae, non lumina flammae. *Anacreon. od.* 28. *Γράφε ῥόδα, καὶ παρείας, Ῥόδα τῷ γάλακτι μίξας. Virg. A.* 12, 68. mixta rubent, ubi lilia multa Alba rosa, talis virgo dabat ore colores. *Ov. Am.* 2, 5, 34. Conscia purpureus venit in ora pudor, Quale rosae fulgent inter sua lilia mixtae. *Enn* ap. *Non.* 8, 4. Sic mulier erubuit, ceu lacte et purpura mixta. Adde *Prop.* 2, 2, 22. V. ROSETUM. ℙ De formoso dicuntur etiam haec. *Pers.* 2, 37. Hunc optent generum rex et regina: puellae Hunc rapiant; quidquid calcaverit hic, rosa fiat. *Claud. Laud. Seren.* 90. quamcumque per herbam Reptares, fluxere rosae. ℙ Est vox blandientis amatoris. *Pl. As.* 3, 3, 74. Da, meus ocellus, mea rosa, mi anime, mea voluptas. *Id. Men.* 1, 3, 9. Quid hoc est? induviae tuae, atque uxoris exuviae, rosa. Adde *Bacch.* 1, 1, 50. ℙ Metonymice est mensis Majus, rosarum tempus. *Inscr.* ap. *Grut.* 753, 4. *f.* Oleum et propinationem per rosam praebeant. Hinc *rosales escae.* V. ROSALIS. ℙ *Rosa*, unguentum, vel oleum rosaceum. *Cels.* 8, 3. Instillare paululum rosae, vel lactis, quo magis lubrico scalprum circumagatur; et *ib.* 4. *med.* Si membrana per inflammationem intumuerit, infundenda erit rosa tepida. Adde 6, 18. *n.* 8. ℙ Ipse frutex, unde rosa nascitur. *Plin.* 8, 41, 63. Radix silvestris rosae, quae cynorrhodos appellatur. *Id.* 18, 26, 64. Terram ad rosarum et vineae satum vertere bipalio. ℙ Est etiam rosa alba, ex cujus vermiculis nasci cantharides, *Id.* tradit 29, 4, 30. et 11, 35, 41. ℙ Est etiam mali species, nomine deducto a colore, quod Itali nunc *mela rosa*, aut conjunctim *melarosa* vocant. *Edict. Diocl.* p. 18. Mala minora N. quadraginta Ⅹ quattuor. Rhosae N. centum Ⅹ octo. ℙ Item cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 303, 1. Q. Vibius Rosa.

ROSĀCĔUS, a, um, adj. *ῥόδινος*, qui est ex rosa. *Plin.* 21, 3, 6. Rosacea corona. *Id.* 24, 13, 73. Rosaceum ceratum. *Id.* 15, 7, 7. E junco fit juncinum oleum, quod est rosaceo simillimum. ℙ *Rosaceum* absolute, subaudi *oleum. Plin.* 32, 7, 23. Oculum rosaceum inungere. *Id.* 22, 24, 50. Mel auribus instillatur cum rosaceo.

ROSĀLIS, e, adj. *ῥόδινος*, ad rosam pertinens, seu qui ex rosis fit. *Inscr.* ap. *Mur.* 867, 8. C. Vettonius Fabia Maximus veteranus ex militia reversus vivos sibi fecit, inque memoriam sui, et colendae sepulturae rosis et escis, paganis Misquilen*sibus (h. e.* incolis pagi Misquilis, qui nunc *Musile*, in agro Vicetino prope oppidum, nunc *Bassano*, ad Medoacum fluv. adjacens, ubi lapis repertus est, hodieque exstat) HS N. DCCC. dedit, ex cujus summae reditu rosam ne minus ex HS N. XVI. posuisse velint, et, reliquum quod est ex usuris, escas rosales, et vindemiales omnibus annis poni sibi voluit, et loco uti jussit. *Escae* autem *rosales* sunt, quae una cum rosis, et *vindemiales*, quae tempore vindemiae in sepulcro C. Vettonii quotannis ponendae ex illius jussu erant. Morem inferendi rosas cum cibis mense Majo in sepulcra alii quoque memorant veteres lapides, scil. ap. *Grut.* 237, 5. Ut quotannis rosas ad monumentum ejus deferant, et ibi epulentur; et 435, 2. Ut superstes rosis S. *(h. e.* sepulcrum) jacentis quotan. Kal. Jun. exornet, hicque epulentur; et 444, 6. Pecuniam dedit legavitque ad solemnia cibi et rosarum; et 636, 12. Curatores substituam, qui vescantur ex horum hortorum reditu. natali meo, et praebeant rosam in perpetuum. Alios satis sit indicasse, ut ap. *eund.* 449, 5., 460, 3., 636, 12., 744, 1., 753, 4., 803, 8. et 1021, 4. Huc pertinet illud *Tibulli* 2, 4, 48. Annua constructo serta dabit tumulo. ℙ *Rosalia, ium*, absolute sunt solemnia rosarum seu dies, quo rosae in sepulcra ferebantur. *Inscr.* ap. *Maff. Mus. Ver.* 146, 3. Item dedit Coll. Naut. Arilic. HS ⅩⅡ. N., ut ex ejus sum. reditu rosal. et parent. Justo F., et Justae uxori, et sibi omn. an. in perpetuom procur. Alia ap. *Grut.* 1031, 5. et *Gor. Inscr. Etrur.* T. 2. p. 25. Ex cujus reditu parental. et rosar. (lege *rosal.*) quotann. ad sepulchrum suum celebrent. Alia ap. *Fabr.* p. 147. *n.* 182. et *Grut.* 772, 7. Ut ex usuris eorum profu*siones* ei tam parent., tam ros. quodannis celebrent. ℙ *Rosalium* porro dies non idem ubique fuit; nam ex *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 724. *n.* 443. fuit V. Id. Maj. *h. e.* die XI. Maji; ex alia in ROSATIO citata XII. Kal. Jun. *h. e.* die

XXI. Maji; ex *Kalendar. Constantini* ap. *Spon. Miscell. antiqu.* p. 55. X. Kal Jun. (*h. e.* die XXIII. Maji) macellus rosas sumat; ex alia *Inscr.* ap. *Grut.* 435, 2. supra in §. 1. citata Kal. Jun.: quemadmodum *dies violaris*, seu *violae* ex ead. *Inscr.* ap. *Fabr.* modo cit. fuit XI. Kal. Apr. *h. e.* die XXII. Martii. V. VIOLARIS. [*Multa adjecit *F.*]

RŌSANS, antis, part. ab inus. *roso*, *as*, roseus sum. V. *Sisebuti l. c.* in ROTO.

RŌSĀRIUS, a, um, adj. ῥόδινος, ad rosam pertinens, rosaceus, rosalis. *Suet. Ner.* 27. *extr.* Indicebat et familiaribus coenas: quorum uni mellita quadragies HS constitit, alteri plus aliquanto absorptio rosaria. Alii eod. sensu leg. *rosacea*. [*V. *intpp.* ad h. l.] *Appul. Met.* 3. In alterum diem auxilio rosario Lucius denuo futurus; et *ib.* 4. Rosarium venenum. ℙ *Rosarium*, absolute, locus rosis consitus, rosetum, ῥοδών, ῥοδωνιά. *Colum.* 11, 2. *med.* Rosarium serotinum perfossum et cultum habere, jam tempus est. *Plin.* 18, 26, 65. *n.* 2. Eodem hoc tempore hortorum, rosariorumque cura est. *Virg. G.* 4, 119. biferique rosaria Paesti. *Ov. Trist.* 5, 2, 23. Litora quot conchas, et amoena rosaria flores, etc. *Mart.* 5, 37. Fragravit ore, quod rosarium Paesti. Adde *Prop.* 4, 5, 59.

*ROSĀRIUS, i, m. venditor rosarum. *Gloss. Lat. Gr.* Rosarius, ῥοδοπώλης. *B. A.*

[ROSĀTIO, onis, f. rosarum sparsio. *Inscr.* ap. *Zaccar. Ann. lett. d' Italia* T. 1. P. 2. p. 208. et *Marin. Frat. Arv.* p. 639. Ita ut ex reditu ejus insulae quodannis die natalis sui, et rosationis, et violae, et parentalibus memoriam sui sacrificiis quater in annum factis celebrent, etc. Alia, quae extra portam Labicanam prope aquaeductus Claudii imperat: in vinea *Hieronym. de Lazaris* Romae inventa, et accurate descripta fuit a *Jo. Zaratino Castellinio*, ex cujus schedis haec habentur: Item XII K. Junias die rosationis, item III N. Januarias die natali meo, etc. Mos hic spargendi rosas super defunctorum sepulcra pluribus adductis Inscriptionibus illustrat idem *Marin. ib.* p. 562. V. ROSALIS. *in. F.*]

RŌSĀTUS, a, um, part. ab inus. *roso*, *as*: ῥόδιος, rosaceus, rosa conditus. *Seren. Sam.* 34, 637. Lana oleo madefit, sed nondum lauta, rosato. ℙ *Rosatum* absolute est vinum rosa conditum, ῥοδίτης οἶνος. *Pall.* 3, 32. et 11, 15. et *Lampr. Elag.* 19. Fiebat autem hoc modo, ut *Pall.* tradit 6, 13., quinque libras rosae pridie purgatae in vini veteris decem sextarios mergebant, et post triginta dies decem despumati mellis libras adjiciebant, et utebantur. Elagabalus pineas attritas admiscere solitus est, quo esset odoratius. *Lampr. l. c.*

ROSCIA Lex fuit theatralis ap. Romanos, lata a L. Roscio Othone tribuno plebis, M. Glabrione, et C. Pisone Coss., qua sancitum est, ut equites considerent in quatuordecim theatri gradibus, qui caveae, ubi senatores spectabant, proximi erant. Extra theatrum, in Circo v. gr. confusi spectabant equites, et plebes: quia lex Roscia nihil nisi de quatuordecim ordinibus sanxerat, ut ait *Tac. A.* 15, 32., donec sub Nerone latum, ut equites etiam in Circo discreti a plebe, et ante ipsam spectarent. Cum vero in theatro quoque paulatim licentia invaluisset promiscue sedendi in quatuordecim, eam inhibuit Domitianus, teste *Suet. Dom.* 8. *Hor. Ep.* 1, 1, 62. Roscia, dic, sodes, melior lex, an puerorum Naenia? Adde *Epod.* 4, 15., *Juven.* 3, 159. et 14, 324., *Epit. Liv* 99. et *Mart.* 5, 8, 14. et 24. [*Cf. *Ernest. indic. legg.* s. v.]

*ROSCIĀNUM, i, n. Italiae oppidum, in Brutiis. *Ant. Itin. B. A.*

ROSCIĀNUS, a, um, adj. ad Roscium pertinens, ut Rosciana imitatio, *h. e.* Roscii histrionis, *Cic. Or.* 2, 59. *f.* V. ROSCIUS.

ROSCIDUS, a, um, adj. δροσώδης, ἐρσήεις, rore perfusus, rorulentus, rore abundans, humectus. *Varr. R. R.* 2, 2. *med.* Cum prima luce exeunt pastum, propterea quod tunc herba roscida meridianam, quae est aridior, jucunditate praestat *Plin* 9, 10, 12. Testudines roscido humore viventes, *h. e.* rore. *Virg. Ecl.* 8, 37. Roscida mala legere; et *ib.* 4, 30. Et durae quercus sudabunt roscida mella, *h. e.* purissimo rore confecta. (V. *Plin.* 11, 11, 11. et *ib.* 12, 12.) *Ov. A. Am.* 3, 180. Roscida luciferos cum Dea jungit equos, *h. e.* Aurora. Sic *Sen. Thyest.* 816. genitrix primae roscida lucis; et *Med.* 100. sic nitidum jubar Pastor luce nova roscidus aspicit, *h. e.* rore perfusus tempore aurorae. *Virg. G.* 3, 337. saltus reficit jam roscida Luna. *Id. A.* 4, 700. roscida Iris. *Ov. Fast.* 2, 314. Hesperus et fusco roscidus ibat equo. *Plin.* 2, 62, 62. et 18, 28, 67. *n.* 4. Roscidae noctes. *Id. ib.* 17, 44. *n.* 2. Rubigo frequentissima in roscido tractu, convallibusque, *h. e.* ubi rosima in roscido tractu, convallibusque, *h. e.* ubi roses plurimi cadunt: qualia sunt loca ventis minime obnoxia. Sic *Colum.* 5, 6. *med.* In solo roscido et nebuloso. *Varr. R. R.* 3, 14. Locus (*cochleis*) is melior, quem et non coquit sol, et tangit ros: quod si naturalis non est, manu facere oportet roscidum: qui fit, si eduxeris fistulam, et in eam mamillas imposueris tenues, quae eructent aquam, ita ut in aliquem lapidem incidat ac late dissipetur. ℙ *Roscidus locus*, humectus, madens, irriguus. *Plin.* 19, 12, 62. Libanotis locis putribus et macris ac roscidis seritur semine. Sic *Prop.* 2, 23, 28. et *Ov. Fast.* 2, 33. Roscida antra. *Virg. A.* 7, 683. rivis Hernica saxa. *Mart.* 4, 18. templa. ℙ Legitur etiam *rosidus* in multis libris, ap. *Colum. cit.* 5, 6. et 4, 30. *f. Pall.* 3, 13. et *Ov. Fast.* 2, 314. etc. Est enim a *ros*, unde et *rōseus*.

L. ROSCIUS OTHO, civis Romanus, qui trib. pleb. legem tulit, ut equites sederent in theatro statim supra senatores in quatuordecim gradibus. V. ROSCIA. Hac lege equites sibi adjunxit, alienavit a se plebem. Quo factum est, ut cum quinquennio post, consule Cicerone, dum ludi ederentur, in theatrum veniret, a plebe maximo strepitu, ab equitibus ingenti plausu exceptus sit. Cumque iterum plebs, et equites, ut quisque animo erat affectus, Roscium accepissent, paulatim ad verborum convicia descenderunt, atque theatrum perturbarunt. Id cum Cicero consul accepisset, statim, advocata concione, populum castigavit: qui in theatrum reversus, et ipse cum equitibus de Roscii honoribus, *Plutarcho* auctore, contendit. Unde merito *Plin.* ita in laudes Ciceronis erupit 7, 30, 31. Te suadente, tibus Roscio theatralis auctori legis ignoverunt, notatasque se discrimine sedis aequo animo tulerunt. ℙ Q. Roscius comoedus, vir Lanuvinus. *Cic. Div.* 1, 36. Fuit perversissimis oculis, sed tamen Q. Catulo seniori pulcherrimus videbatur, a quo et adamatus fuit. *Id. N. D.* 1, 28 Evasit praestantissimus in arte histrionica. *Id. Or.* 2, 57. Eo praestantiae pervenit, ut, quicumque in aliqua arte excellit, is in suo genere Roscius dicatur. *Id. ib.* 1, 28. *f.* ℙ Hic, cum obliquos haberet oculos, et turpis esset aspectu, primus persona in scena usus est. Populus tamen eum sine persona intueri malebat, ob pronunciandi dulcedinem. *Id. Or.* 3, 59. Fuit Ciceronis praeceptor in pronunciationis et gestus exercitatione. Scripsit librum, in quo histrionicam eloquentiae comparavit. A Fanio quodam ob pecuniariam rationem in judicium adductus, a Cicerone defensus, absolutus fuit. Ejus morte omnes commoti sunt. *Id. Arch.* 8.

ROSĔA. V. in ROSEUS.

ROSĔĀNUS, a, um, adj. ad Roseam pertinens. *Varr. R. R.* 2, 7. *med.* Nobiles equi a regionibus dicuntur, in Graecia Thessalici, in Italia Appuli, ab Rosea Roseani.

ROSĔTUM, i, n. ῥοδών, locus rosis consitus, idem ac rosarium. V. ROSARIUS. Sunt tamen qui putant *rosetum* ita differre a *rosario*, ut illud natura, hoc sit manu et arte factum: ceterum sequentia exempla id non probant: etenim pro ipsa planta, deinde pro flore, tum translate pro papilla usurpatur. *Varr. R. R.* 1, 35. Quod jam egit radicem, rosetum conciditur radicitus in virgulas palmares, et obruitur. *Virg. Ecl.* 5, 16. Lenta salix quantum pallenti cedit olivae, Puniceis humilis quantum saliunca rosetis. ℙ De flore. *Claud. Nupt. Honor.* 8. Subitisque se rosetis Vestiat Alpinus apex. *Auct. Epithal. Laur. et Mariae.* 32. Lilia ceu niteant rutilis commixta rosetis. *Reposian. Concub. Mart. et Ven.* 54. Tunc ne purpurei laedat te spina roseti. *Pall.* 12, 11. Quamvis mense Februario sint conserenda rosaria, tamen locis calidis hoc etiam mense poterimus roseta instituere. Alii rectius *roseta* omittunt, ut et interpres Italus Veronae ann. 1810. editus. ℙ Translate de rubicundis mamillarum papillis. *Capell.* 7, 236 Furtis modo (*Voluptas*) adlubescat, Et clam roseta parvae Liliaque det papillae, *h. e.* modo sinat me clam tractare roseas candidarum mamillarum papillas. V. ROSA. [*Egregie curam emendandi hujus loci gessit *F.*]

ROSĔUS, a, um, adj. δροσώδης, roscidus: a *ros.* Hinc *Rosea*, teste *Festo*, dictus campus agri Reatini in Sabinis, quod in eo arva rore humida semper feruntur. *Cic. Att.* 4, 15. Lacus Velinus a M'. Curio emissus, interciso monte, in Narem defluit, ex quo est illa siccata, et humida tamen modice Rosea. *Virg. A.* 7, 712. colunt qui Rosea rura Velini. *Varr. R. R.* 1, 7. *extr.* Caesar Vopiscus campus Roseae, dirit Italiae sumen esse, in quo relicta pertica postridie non appareret propter herbam. Adde *Plin.* 17, 4, 3. *Serv.* ad *l. Virg. c.* hunc locum appellari ait *Rosulanum*. ℙ Genus est cannabis *Rosea* dictum, ab eodem loco nomen habens, tantae proceritatis, ut arborum altitudinem aequet. *Plin.* 19, 9, 56.

ROSĔUS, a, um, adj. ῥόδιος, ῥοδόεις, rosae colorem habens. *Plin.* 21, 23, 34. et 29, 4, 17. Roseus pannus. *Id.* 37, 9, 40. Refulgens quidam in purpura leviter roseus nitor. *Id.* 14, 1, 3. Hic (*acini uvae*) purpureo lucent colore, illic fulgent roseo. *Id.* 25, 6, 26. Mithridatiae herbae caulis sustinens roseum florem. *Nemes.* 3, 59. Roseum mustum. *Catull.* 64, 49. Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco. ℙ Poetae *roseas* dicunt partes corporis, in quibus est coloris suavitas, *h. e.* niveus candor cum rubore sanguinis, qui color est pulcritudinis ac venustatis proprius. Unde *Ov. Am.* 3, 3, 5. Candida candorem roseo suffusa rubore Ante stetit: niveo lucet in ore rubor. *Virg. A.* 1, 406. de Venere: avertens rosea cervice refulsit; et *ib.* 2, 593. de ead.: roseoque haec insuper addidit ore. *Id. ib.* 12, 606. Roseae genae. *Mart.* 8, 56. Rosea labra. *Claud. Nupt. Honor.* 19. roseo pectebat pollice crines. *Catull.* 55, 12. Roseae papillae. *Val. Fl.* 8, 257. rosea radiante juventa. *Id.* 8, 30. Roseus honor, *h. e.* venustas admiratione et honore digna. V. HONOR. *Mart.* 7, 80. ephebus, *h. e.* formosus; et 12, 64. Rosei ministri. ℙ Item res aliae, in quibus is color, aut similis apparet. *Ov. A. Am.* 3, 84. Rosea Dea, *h. e.* Aurora. Sic *Fast.* 4, 714. Memnonis in roseis lutea mater equis. *Prop.* 3, 23, 7. Roseus Eous. *Val. Fl.* 6, 527. roseis it Lucifer alis. *Lucr.* 5, 609. rosea sol alte lampade lucens *Id. ib.* 974. Dum rosea face sol inferret lumina coelo. Adde *Mart.* 12, 60. *Virg. A.* 11, 913. roseus Phoebus. *Val. Fl.* 4, 77. Velocem roseis demittit nubibus Irim. *Id.* 3, 538. roseis Bacchus habenis: scil. quia etiam vinum *roseum* dicitur *Nemesiano* 3, 59. et ab *Isid. Or.* 20, 3. ℙ Interdum *roseus* est rosaceus, rosalis. *Sen. Med.* 70. Praecingens roseo tempora vinculo, *h. e.* corona e rosis. *Virg. Cop.* 32. Et gravidum roseo necte caput strophio. *Claud. de Magnete* 29. Rosei flores, *h. e.* rosae. *Id. Rapt. Pros.* 3, 85. Roseae convalles, *h. e.* rosis consitae: vel universim floreae, floridae Sic *Id. Laud. Seren.* 72. et roseis formosus Duria ripis.

ROSĪDUS. V. ROSCIDUS.

*ROSĪNA herba memoratur a *Veget. de re veter.* 4. (al. 6.) 13. *B. A.*

ROSĬO, onis, f. ῥοφῆσις, actus rodendi. *Cels.* 7, 23. Spumans bilis alvo cum rosione redditur: *Id.* 5, 28. *n.* 17. Alterum genus (*impetiginis*) pejus est, squamulae ex summa cute decidunt, rosio major. *Plin.* 28, 9, 33. Infunditur lac contra rosiones a medicamentis factas; et *mox:* Ad rosiones intestinorum babulum utilius. *Id.* 20, 14, 54. Pulejum stomachi rosiones sistit. *Id.* 23, 1, 23. Rosiones praecordiorum.

ROSMĀRĪNUS, rorismarini, m. et Rosmarinum, i, n. λιβανωτίς, frutex, de quo *Plin.* 24, 11, 59. Est et rosmarinum. Duo genera ejus: alterum sterile, alterum cui et caulis, et semen resinaceum, quod cachrys vocatur. *Appul. Herb.* 79. Libanotis alia est coronalis a Sorano adpellata, quam Latini rosmarinum appellant, tenues nutriens virgas, in quibus folia longa, tenuia, viridia: alia est fructifera, folia habens foeniculi similia, sed aspera, et terrae prostrata, et boni odoris, thyrso cubitali, etc. radice turis odorem simulante. Nascitur in locis maritimis (ob id *marinus ros* dicta) et hortis. Antequam tus sciretur, haec herba homines Deos placabant. *Colum.* 9, 4. Ut rosmarinus, et utraque cytisus. *Pall.* 1, 27. In fructicibus sint rosae, lilia, rosmarinus, hederae. Adde *Plin.* 19, 12, 62. V. ROS.

*ROSOLOGIĀCUM, i, n. oppidum Galatiae. *Ant. Itin. B. A.*

[*ROSOR, oris, m. qui rodit. *Ambros. Serm.* 81. p. 380. Mures, horreorum rosores. *Bail.*]

ROSTELLUM, i, n. parvum rostrum, ῥυγχίον. *Colum.* 8, 5. *med.* Animadvertat, an pulli rostellis ova percuderint, et auscultetur, si pipiant. *Plin.* 30, 11, 30. Muris rostellum auriculasque summas roseo panno adalligari jubent.

ROSTRA. V. ROSTRUM.

ROSTRĀLIS, e, adj. a Rostris. *Sidon. ep.* 1, 11. Dignum poema, quod apicibus perennandum auratis juste tabula rostralis acciperet, aut etiam Capitolina, *h. e.* dignum, quod in aes incisum pro Rostris, vel in Capitolio inter publicorum monumentorum tabulas collocetur.

ROSTRANS, antis, part. ab inus. *rostro*, rostrum impingens, rostro penetrans. *Plin.* 18, 19, 49. *n.* 2. In collibus transverso tantum monte aratur, sed modo in superiora, modo in inferiora, rostrante vomere. *Hard.* suspicatur, *rostrato* esse legendum, *h. e.* vomere simplici rostro instructo, non aurito, quali in planis utebantur, teste *Pall.* 1, 43

ROSTRĀTUS, a, um, part. ab inus. *rostro*, *as*, rostro instructus. *Rostratae falces*, quae in modum rostri curvatam et continuam aciem habent. *Colum.* 2, 21. Sunt autem metendi genera complura: multi falcibus vericulatis, atque iis vel rostratis, vel denticulatis medium culmum secant. ℙ *Rostratae naves*, rostrum in prora habentes, χαλκέμβολοι νῆες. V. ROSTRUM. *Cic. Inv.* 2, 32. Ut si qua rostrata in portu navis deprehensa sit, publicetur. *Hirt. B. Afr.* 23. Cum naviculis cujusquemodi generis triginta, inibi paucis rostratis, profectus, etc. *Plin.* 9, 30, 49. Concha acatii modo carinata, inflexa puppe, prora rostrata. *Id.* 10, 23, 32. Olores liburnicarum modo rostrato impetu feruntur, facilius ita findentes aera, quam si recta fronte impellerent. ℙ [Hinc *rostratae* absolute sunt naves rostratae. *Sym. or.* in *Valent.* (ed. *A. Maio*) 2, 3. Scit bicornis iste (*Rhenus*) vicinis succumbendum esse rostratis; et *mox* 21. Habent sua quodammodo castra rostratae. *F.*] ℙ *Rostratus vectis* genus vomeris e vecte praefixum ferreum rostrum habente. *Plin.* 18, 18, 48. ℙ *Rostrata corona* ap. *Plin.* 16, 4, 3. et 22, 3, 3. eadem erat, quae *navalis* et *classica*, aurea, et exiguis quibusdam veluti rostris navium insignita, ut est ap. *Gell.* 5, 6., qua donabatur is, qui navali proelio primus in hostium navem insiluisset: vel generatim qui vicisset navali certamine. Duos hac donatos fuisse, refert *Plin. cit.* 16, 4, 3. primum M. Terentium Varronem, dante Magno Pompejo, ob devictos pi-

ratas; quod narrat etiam *Fest.* in *fragm.* in *Navali:* secundum M. Agrippam, tribuente Augusto ob similem causam. De hoc *Virg. A.* 8, 683. cui belli insigne superbum, Tempora navali fulgent rostrata corona. ℙ *Rostrata columna* ap. *Suet. Galb.* 23. rostris navium exornata, qualis videtur in nummis Caesarum ap. *Patin.* in *Suet.*, posita est in foro post devictos navali primum proelio Carthaginienses a C. Duilio Cos., qui primus ob id navalem triumphum egit de Poenis, ut est ap. *Plin.* 34, 5, 11., *Flor.* 2, 2. et *Epit. Liv.* 17. Adde *Sil.* 6, 663. In ea longa inscriptio fuit descriptionem ejus victoriae continens, aliarumque rerum ab Duilio gestarum. Est autem omnium Latinae linguae monumentorum antiquissimum: ex quo videre licet, quae illius aetatis (id est anni ab U. C. CCCCXCIV., ante Chr. n. CCLX.) loquendi ratio et scribendi fuerit. Quare multum in ea describenda, supplenda, explicanda laborarunt viri docti, et praecipue *P. Ciacconius*, qui singulari libello illustravit. V. *litteram* D. Ejus fragmentum est in *Gruteri* collectione p. 404. *n.* 1. ℙ *Servius* ad illud *Virg. G.* 3, 29. navali surgentes aere columnas: Augustus, inquit, victor totius Aegypti multa de navali certamine sustulit rostra, quibus conflatis quatuor effecit columnas, quae postea a Domitiano in Capitolio sunt locatae: quas hodieque conspicimus. Nam rostratas C. Duilius Cos. posuit, victis Poenis navali certamine: e quibus unam in Rostris, alteram ante Circum videmus a parte januarum. Haec *Servius.*

ROSTRUM, i, n. *ῥύγχος*, os, quo animalia cibum capiunt, rictus: et dicitur proprie de bestiis. Volunt esse a *rodo*, ut *rastrum* a *rado. Cic. N. D.* 1, 36. *med.* Aves cruribus rigidis, procero, corneoque rostro; et *ib.* 2, 47. *f.* Animalia cibum partim oris hiatu capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum. *Id. Div.* 1, 13. *f.* Sus rostro si humi A litteram impresserit. *Plin.* 8, 32, 50. Camelorum rostra; et *ib.* 25, 39. Hippopotamus rostro resimo. *Id.* 9, 8, 7. Rostrum delphini simum; et *ib.* 10, 12. Dentes non sunt testudini, sed rostri margines acuti. *Lucan.* 4, 441. nec creditur ulli Silva cani, nisi qui presso vestigia rostro Colligit, et praeda nescit latrare reperta. *Plin.* 28, 10, 44. Rostrum lupi. *Id.* 10, 3, 4. superius aquilae. *Id.* 28, 8, 25. inferius leonis. *Varr. R. R.* 2, 3. Caprae sub rostra duas ut mammulas pensiles habent. *Plin.* 11, 10, 10. Rostrum apum. ℙ Dicitur etiam de homine, sed fere in sermone familiari, et per contemptum. *Pl. Men.* 1, 1, 11. Quem tu asservare recte, ne aufugiat, voles, esca atque potione vinciri decet: apud mensam plenam homini rostrum deliges. *Lucil.* ap. *Non.* 6, 41. Ne designati rostrum praetori', pedesque Spectes. *Id. ib.* Arripio rostrum, labiasque hujus, etc. *Varr. ib.* Itaque videas barba, rostro illum commentari, et unumquodque verbum statera auraria pendere. *Petr. fragm. Trag.* 75. *Burm. med.* Ut celerius rostrum barbatum haberem, labra de lucerna ungebam. *Ulp. Dig.* 19, 1, 17. *f.* Rostrum personae. ℙ Ob similitudinem dicitur de aliis rebus. *Colum.* 4, 25. Falcis vinitoriae pars, quae adunca est, rostrum appellatur. Eo vinitor utitur, cum incavare quid debet. *Plin.* 18, 18, 48. Vomer exigua cuspide in rostro, *h. e.* in anteriori parte. *Id.* 28, 11, 46. Fungi lucernarum, ac fuligo, quae est in rostris earum. *Id.* 34, 14, 41. Ad densandas incudes, malleorumve rostra, *h. e.* qua parte mallei tundunt. *Id.* 10, 33, 49. Insulam ne laceret amnis, muniunt opere, palea et stramento rostrum ejus firmantes, *h. e.* partem ejus in angustum procurrentem contra flumen. ℙ *Rostrum navis* est trabs aerea, (hinc *aeratae* vocantur *Hor. Od.* 2, 16, 21.) interdum ferrea, prominentior ex prorae parte inferiore, rostri modo, unde, si navis remigio agitaretur in hostilem navem, haec perforari et deprimi: *ἔμβολον:* quam primus addidisse navibus dicitur Pisaeus Tyrrhenus, ut *Plin.* refert 7, 56, 57. Id mos erat aere ferroque praefigere ad ictus in proeliis. *Hirt. B. Alex.* 46. Naves adversae rostris concurrunt adeo vehementer, ut navis Octaviana, rostro discusso, ligno contineretur. *Liv.* 37, 30. Regiae naves neque ipsae ferire rostro hostem poterant, et obliquas se ipsae ad ictus praebebant; et *ib. f.* Rhodia cum rostro percussisset Sidoniam navem; et *ib.* 24. Rostro concurrere cum hostium navi. *Hirt. B. Afr.* 46. Naves rostris perforatae merguntur. ℙ Quas primum hostiles naves Romani bello Latino ab Antiatibus cepere, L. Furio Camillo, C. Moenio Coss. *h. e.* ann. U. C. CCCCXVI., earum rostris, in victoriae monumentum, eam partem fori exornari placuit, ante curiam Hostiliam, teste *Varr. L. L.* 4, 32. *med.*, ubi suggestus erat, seu pulpitum, cujus figuram exhibet nummus G. Lolliae ap. *Morel. Num. Fam. R.*, quo conciones ad populum habebantur, ut *Liv.* 8, 14. *extr.* et *Flor.* 1, 11. narrant. Inde factum ipsi suggestui, et loco circa posito nomen *Rostra.* Fuerunt autem olim ad comitium, prope juncta curiae, ut ait *Ascon.* in *Milon.* 5., postea a Jul. Caesare translata sunt in alium locum ejusdem fori, ante aedem D. Julii: et haec nova, illa vetera dicta. *Cic. Vat.* 11. Cum Vettius perorasset, descendissetque de Rostris. *Liv.* 30, 17. Praetor, concione advocata, cum C. Laelio in Rostra ascendit; et 34, 54. Consul ex auctoritate patrum in Rostra ascendit, et edixit, ut, etc. *Id.* 27, 50. *f.* Vociferantes, ut in Rostris prius, quam in senatu, litterae recitarentur. *Caes. B. C.* 3, 21. Consul concionari conantem de Rostris deduxit. *Suet. Claud.* 12. *extr.* Plures a magistratibus in Rostra producti. *Plin. Pan.* 65. Procedere in Rostra. *Varr. L. L.* 5, 9. *med.* Comitia edicere e Rostris. *Cic. ad Brut.* 1, 15. *med.* In Lepido reprehendimur, cui cum statuam in Rostris statuissemus, iidem illam evertimus. *Vell.* 2, 19. Sulpicii caput erectum et ostentatum pro Rostris, *h. e.* in suggestu; et *ib.* 56. *extr.* Caesar sedens pro Rostris. *Suet. Aug.* 100. *f.* Bifariam laudatus est, pro aede D. Julii a Tiberio, et pro Rostris sub veteribus a Druso. Alii delent v. *sub.* [*Distinguuntur *rostra vetera* a *rostris Juliis*, de quibus v. *Fabric.* ad *Dion.* 43, 49. coll. *Schwarz.* ad *Plin. Pan.* 65, 1. et *Beier.* ad *Cic. Off.* 2. p. 171. sqq.] *Suet. Ner.* 13. Curuli residens apud Rostra triumphantis habitu. ℙ Metonymice. *Lucan.* 8, 685. campum et rostra movere, *h. e.* populum in comitiis et in concionibus. *Id.* 1, 275. Tenere rostra, *h. e.* dominari in concionibus. *Id.* 7, 65. rostra forumque Optare, *h. e.* pacem. ℙ **Rostrum Nemaviae*, oppidum Vindeliciae, aliis hodie *Memmingen*, aliis *Mindelheim* vel saltem illic viciniae situm. *Ant. Itin. B. A.*

ROSULA, ae, f. dimin. parva rosa. [*Dracont. Hexaem.* 1, 165. Qui rosulis stellare nemus, vel floribus agros Imperat. *F.*] ℙ Est etiam nomen propr. mulieris (Italis *Rosina* nunc dicitur) in *Inscr.* ap. *Mur.* 1447, 3., [et in alia in *Giorn. Lett. Pis.* T. 6. p. 38. Rosulae benemerenti in pace. Deposita D. XVII. Kal. April. D. N. Honor. IIII. *h. e.* ann. a Chr. n. CCCXCVIII. *F.*]

[ROSULANUS, a, um. V. ROSEUS. *F.*]

ROSULENTUS, a, um, adj. rosis abundans. *Prud. περὶ στεφ.* 3, 199. Floribus ut rosulenta putes Prata rubescere multimodis. *Capell.* 1, 19. Rosulenti splendoris gratia totam aulae curiam illuminavit, *h. e.* rosei.

ROSUS, a, um, part. a *rodo:* abrosus. *Stat. Silv.* 4, 9, 10. Rosus tineis, situque putris. *Mart.* 3, 24. Vite nocens rosa stabat moriturus ad aras Hircus. *Id.* 7, 20. Rosos tepenti spondylos sinu condit. *Petr. fragm.* ap. *Vet. Schol.* ad *Hor. Epod.* 5, 48. Pollice usque ad periculum roso.

ROTA, ae, f. *τροχός*, instrumentum versatile rotundum, orbis, quo v. gr. circumacto currus procedit, aut figulus vasa format, etc. Ducunt a *ῥοθέω*, impetu feror. *Pl. Capt.* 2, 3, 9. Pro rota me uti licet: vel ego huc, vel illuc vortar, quo imperabitis. *Plin.* 8, 16, 19. Orbes rotarum circumacti. *Id.* 16, 43, 84. Rotarum axibus fraxinus utilis. *Id.* 28, 9, 37. Adipe verrino axibus vehiculorum perungendis ad faciliorem circumactum rotarum utebantur. *Ov. Met.* 2, 107. Aureus axis erat, temo aureus, aurea summae Curvatura rotae; et 317. Rotarum radii, *Varr. R. R.* 3, 5. Rota radiata. *Virg. A.* 2, 235. pedibusque (*equi lignei*) rotarum Subjiciunt lapsus. *Ov. Met.* 2, 133. Rotarum vestigia, *h. e.* orbitae. *Id. Pont.* 2, 7, 44. curvis Appia trita rotis. *Id. Ib.* 194. Celeres rotae; et 178. rapidae. *Id. Pont.* 2, 10, 34. Esseda nos agili sive tulere rota; et *ib.* 18, 68. Appia ferventi ducit in arva rota. *Hor. Od.* 1, 1, 5. metaque fervidis Evitata rotis. *Prop.* 4, 8, 18. Effusae per saxa rotae. *Plin.* 18, 10, 23. Rotae, quas aqua versat obiter. *Id.* 19, 5, 23. Pensiles hortos rotis in solem promovere. *Hor. A. P.* 21. amphora coepit Institui: currente rota cur urceus exit? *Pl. Epid.* 3, 2, 35. Vorsutior es, quam rota figularis: *γιγγλύμου πολυτροφώτερος. Prop.* 3, 4, 26. Staminea rhombi ducitur ille rota, *h. e.* ipso rhombo, vel rhombi versatione et cursu. ℙ Per synecdochen ponitur pro curru. *Virg. A.* 12, 671. eque rotis magnam prospexit ad urbem. *Val. Fl.* 1, 678. de Neptuno: ubicumque rotis horrendus, equisque Stas, pater. *Ov. A. Am.* 2, 230. Si rota defuerit, tu pede carpe viam; et *ib.* 3, 468. nec admissis excutiare rotis. *Id. Met.* 2, 312. Rotis expelli. *Prop.* 4, 10, 42. Nobilis e tectis fundere gaesa rotis, *h. e.* ex essedo, aut covino. *Id.* 1, 2, 20. Avecta externis Hippodamia rotis. Adde *Ov. A. Am.* 2, 8. ℙ *Rota solis* est ipsum solis corpus, discus, orbis, rotundus globus. *Lucr.* 5, 433. Hic neque tum solis rota cerni lumine largo Altivolans poterat. Adde *ib.* 565. Sic *Enn.* ap. *Isid. Or.* 18, 36. *extr.* et *Val. Fl.* 3, 559. Inde patefecit radiis rota candida coelum. *Sen. Herc. Oet.* 1022. Testor nitentis flammeam Phoebi rotam. ℙ *Luciferi rota* eodem modo intelligenda videtur, neque enim Lucifero currus tribui solet, sed equus, ut est ap. *Isid. l. c.* et *Ov. Met.* 15, 189. cumque albo Lucifer exit Clarus equo. *Tibull.* 1, 10, 62. Dum rota Luciferi provocet orta diem. *Claud. in Ruf.* 2, 337. de eod.: Festinamque rotam solito properantior urget. ℙ In illo *Sen. Herc. Oet.* 1439. Phoebique tritam flammea zonam rota: *rota* currus Phoebi omnino significatur. At in *Thyest.* 796. Nondum Hesperiae flexura rotae Jubet emeritos solvere currus, *h. e.* flexus et inclinatio coeli ad occidentem. ℙ Ap. *Val. Fl.* 5, 413. rapit ipse *(sol)* nitentes Altus equos, curvoque diem subtexit Olympo: Pone rota breviore soror, densaeque sequuntur Pliades: *rota brevior* est brevior et angustior gyrus, quem suo curru Luna percurrit. ℙ Est etiam gyrus seu circuitus in illo *Prop.* 2, 19, 65. prius infecto deposcit praemia cursu, Septima quam metam triverit ante rota, *h. e.* septimus circuitus curru circensi, nam septies obcundus erat circus victoriam appetenti, ut *Varr.* docet ap. *Gell.* 3, 10. *f.* et *Ov. Hal.* 68. ℙ *Rota anni* circularis cursus anni se circumagentis. *Sen. Herc. Fur.* 179. volucrique die Rota praecipitis vertitur anni. ℙ Praeterea fuit *rota* genus supplicii apud Graecos, quo sontes distento corpore, et inter rotae radios implicato suspensi torquebantur. *Cic. Tusc.* 5, 9. Theophrastus putatur dicere, in rotam beatam vitam non ascendere. *Appul. Met.* 3. Nec mora, cum ritu Graeciensi ignis, et rota, tum omne flagrorum genus inferuntur. *Sen. Herc. Oet.* 1011. Membra praebere rotae. ℙ Talis esse fingitur poena Ixionis apud Inferos. *Tibull.* 1, 3, 73. Illic Junonem tentare Ixionis ausi Versantur celeri noxia membra rota. *Sen. Herc. Fur.* 750. Rapitur volucri tortus Ixion rota. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 335. Non rota suspensum praeceps Ixiona torquet. *Virg. G.* 4, 484. Atque Ixionii vento rota constitit orbis. *Id. A.* 6, 616. Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum Districti pendent. *Lampr. Elag.* 24. Parasitos ad rotam aquariam ligabat, et cum vertigine sub aquas mittebat, rursusque in summum revolvebat: eosque Ixionios amicos vocavit. ℙ Refertur ad varietatem instabilitatemque Fortunae, quae rotae insistere dicitur. *Cic. Pis.* 10. In quo ne tum quidem, cum illum suum saltatorium versaret orbem, Fortunae rotam pertimescebat. *Tibull.* 1, 6, 33. At tu, qui potior nunc es, mea furta timeto. Versatur celeri Fors levis orbe rotae. ℙ Item ad amorem. *Pl. Cist.* 2, 1, 4. Jactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser. *Prop.* 2, 7, 32. Vinceris, aut vincis, haec in amore rota est. ℙ Commode etiam ad elegiacum carmen. *Ov. A. Am.* 1, 264. imparibus vecta Thalia rotis; et *Pont.* 3, 4, 85. Ferre etiam molles elegi tam vasta triumphi Pondera disparibus non potuere rotis. ℙ Praeterea *rota* nomen est marinae beluae, quaternis radiis distinctae, modiolum ejus oculis duobus utrinque claudentibus. *Plin.* 9, 4, 3. et 32, 11, 53. ℙ [Denique *rota* est capra ignoti generis. *Varr. R. R.* 2, 1. Ut in Samothrace greges caprarum, quas Latine rotas appellant. *Schneiderus* putat scribendum *strepsicerotas* pro *Latine rotas. F.*]

ROTABILIS, e, adj. qui rotari, et in gyrum agi potest. *Ammian.* 23, 4. Validi juvenes versant agiliter rotabilem flexum. ℙ Item qui rotis et rhedis percurri potest. *Inscr.*, si modo legitima est, ap. *Grut.* 149, 1. C. Julius Caesar viam inviam solertia sua et impendio rotab. redd. V. *Marin. Frat. Arv.* p. 697. *col.* 1. *n.* 128.

ROTALIS, e, adj. qui rotas habet, ut Rotale carpentum, *Capit. Macr.* 12. *med.*

[ROTANUS, a, um, adj. *Inscr.* ap. *Riccy*, *Del Pago Gemon.* p. 40. Dianai Rotanai C. Claudius L. F. Ser. N. Lem. Haec reperta est in vico *Rotavello* (qui fortasse olim Rota appellatus) prope Crustuminum, molo *Palombara* in Sabina. Hinc *Diana Rotana* est Dea, cujus tutelae habitatores Rotae sese dederant, quemadmodum sexcenties factum invenimus apud scriptores et in veteribus lapidibus. *F.*]

ROTATILIS, e, adj. qui in gyrum agitur. *Sidon. ep.* 2, 9. *med.* Inter rotatiles catastropharum gyros. *Prud. praef. περὶ στεφ.* 8. Sacramus et rotatiles trochaeos.

ROTATIM, adv. *κύκλῳ*, in modum rotae, in orbem. *Appul. Met.* 10. Puelli puellaeque saltantes pyrrhicham decoros ambitus inerrabant, nunc in orbem rotatim flexuosi, nunc in obliquam seriem connexi, etc. ℙ Ap. *Diomed.* 3, 474. rotatim et volubiliter dicere est per trochaeos loqui. Trochaeus autem est *ἀπὸ τοῦ τρέχειν*, unde et *τροχός*, rota.

ROTATIO, onis, f. *κυκλοφορία*, in gyrum versatio, circumductio. *Vitr.* 10, 8. *in.* Nec sine porrecto rotationis versationes onerum possunt facere levationes; et *f.* Rotatio circini.

ROTATOR, oris, m. qui rotat, et in gyrum agit, *Stat. Silv.* 2, 7, 7. Et tu Bassaridum rotator Euan. *Cass. Var.* 7, 5. Camerarum rotator, *h. e.* qui cameras in fornicis speciem aedificat. V. GYPSOPLASTES.

ROTATUS, a, um, part. a *roto: κυκλωθείς*, in gyrum actus. *Auct. Pan. ad Pison.* 53. et nunc cervice rotata, Incipit effusos in gyrum carpere cursus. *Ov. Met.* 12, 296. Ignis rotatus. *Plin.* 8, 16, 19. Correptum aliquem, rotatumque sternere; et *ib.* 53, 79. Ut rotati tormento aliquo. *Id.* 2, 3, 3. Moles rotata vertigine assidua. *Ov. Met.* 2, 74. poterisne rotatis Obvius ire polis? et *ib.* 9, 221. Rotatae nives. *Quint. decl.* 17, 16. Rotatos per abrupta mollis jactus explicuit. *Prud. περὶ στεφ.* 10, 537. Cadet rotati solis in terram globus. ℙ *Sermo rotatus*, est oratio brevis, expedita, et volubilis. *Juven.* 6, 448. aut curtum sermone rotato Torqueat enthymema.

ROTATUS, us, m. rotatio, circumvolutio. *Stat. Ach.* 2, 416. didici, quo Paeones arma rotatu, Quo Macetae sua gaesa citent. *Auson. Idyll.* 10, 362. Praecipiti torquens cerealia saxa rotatu.

RŌTO, as, avi, atum, a. 1. *κυκλόω, περιελίσσω, ὀφενδονάω, τροχίζω*, rotae more verso, circumago, volvo, in orbem verto, torqueo. *Ov. Met.* 4, 515. et parva Learchum Brachia tendentem rapit, et bis terque per auras More rotat fundae. *Hor. Od.* 4, 11, 11. Sordidum flammae trepidant rotantes Vertice fumum. *Lucr.* 6, 201. de ventis: rotantque cavis flammam fornacibus intus. *Virg. A.* 9, 441. ac rotat ensem Fulmineum. *Val. Fl.* 6, 551. clypeumque rotans. *Id.* 4, 235. Sanguineosque rotat furiis ardentibus orbes, *h. e.* torquet in gyrum oculos. *Id.* 1, 20. de vate Deo pleno: vittamque, comamque per auras Surgentem, laurusque rotat (similem locum habes ap. *Lucan.* 5, 172.). *Quint.* 11, 3. *med.* Jactare caput, et comas excutientem rotare, fanaticum est. *Lucan.* 6, 222. Ursa se rotat in vulnus. *Ov. A. Am.* 2, 373. Sed neque fulvus aper media tam saevus in ira, Fulmineo rabidos cum rotat ore canes. *Val. Fl.* 4, 656. Unda laborantes praeceps rotat. *Claud. IV. cons. Honor.* 329. Rotare saxa, *h. e.* jacere; ductum a funda. Sic *Stat. Th.* 9, 801. in ora loquentis Telum immane rotat. *Lucan.* 8, 673. caput ense rotare, *h. e.* desectum provolvere. *Manil.* 1, 281. Orbis sidereus aetherios rotat cursus, *h. e.* agit in orbem. [*Hieron. ep.* 107. *n.* 10. Rotare fusum. *Sisebut.* in *Anthol. Lat.* T. 2. p. 330. *Burm.* de defectu lunae: tum sidere casso Pallescit teres umbra rotae, dum transeat axem Aggerei velox tumuli, speculoquo rotanti Fraternas reparet per coelum libera flammas. Alii minus recte leg. *speculoque rosanti.* V. ROSANS. *F.*] ℙ *Rotari*, in gyrum verti, circumagi. *Manil.* 1, 595. His eadem est via, quae mundo, pariterque rotantur Inclines. *Stat. Ach.* 1, 56. scopulosaque cete, Tyrrhenique greges circumque infraque rotantur. ℙ *Rotare* dicuntur pavones, cum caudam explicantes se circumagunt. *Colum.* 8, 11. *med.* Signa sunt exstimulatae libidinis, cum semetipsum veluti mirantem gemmantibus pinnis protegit: idque cum facit, rotare dicitur. Alii leg. *rotari.* ℙ Absolute neutrorum more. *Virg. A.* 10, 362. qua saxa rotantia late Impulerat torrens. Ubi *Serv.*: ut Eleusinae matris volventia plaustra (*G.* 1, 163.): Rotantia ergo, quae rotantur.

*ROTOMĀGI. V. v. sq. *B. A.*

*ROTOMĀGUS, i, m. urbs Galliae Belgicae, in Vellocassium agro, hodie *Rouen. Ant. Itin.* ℙ *Rotomagi* audit *Ammian.* 15, 27. *B. A.*

*RŌTŬLA, ae, f. *τροχίσκος*, parva rota. *Pl. Pers.* 3, 3, 38. Citius abeunt, quam in cursu rotula circumvortitur. *Plin.* 18, 18, 48. Ut duas aratro adderent rotulas. *Colum.* 11, 3. *med.* Possunt etiam vasis majoribus rotulae subjici, quo minore labore producantur. **Pallad.* 1, 20. Trapetis et rotulis et praelo nata est forma. Quo in loco incertum (ait *Gesnerus*) *rotuline* an *rotulae* intelligantur. Loquitur de instrumento oleario. *B. A.*

*RŌTŬLO, as, a. 1. i. fere q. roto. *Sarisb.* 8, 12. In orbe rotulari quam incedere magis idoneus est. *B. A.*

[RŌTŬLUS, i, m. cylindrus. *Calpurn. Ecl.* 7, 50. Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis, Et coit in rotulum, tereti qua lubricus axe Impositos subita vertigine falleret ungues; Excuteretque feras. Alii perperam pro *rotulum* legunt *rotulam*, vel *rutilum*, vel *rutulum*. V. *Salmas.* ad *Hist. Aug. scriptores* p. 436. *Lips. de amphit. c.* 12. ℙ Translate ita appellatur pes trochaeus. *Diomed.* 3, 474. Trochaeus dictus *ἀπὸ τοῦ τρέχειν*: ajunt, hunc trochaeum Auruncos rotulum nuncupasse, nimirum simili ratione, qua Graeci a rota invitati, vel diversa appellatione persuasi, etc. *F.*]

[RŌTUNDĀ, ae, f. massa rotunda. *Scrib. Comp.* 201. *extr.* Atque ita emplastrum manibus subigetur, et redactum in rotundas ampliores, quas magdalidas dicunt, reponetur. Rectius legend. videtur *turundas ampliores. F.*]

RŌTUNDĀTIO, onis, f. *στρογγύλωσις*, actus rotuntandi, rotunditas. *Vitr.* 1, 6. *f.* Diducto circino circumagatur linea rotundationis. Adde 3, 1. et 10, 11.

RŌTUNDĀTUS, a, am, part. a *rotundo*: *στρογγυλώμενος*, rotundus factus. *Vell.* 2, 59. *f.* Solis orbis super caput ejus, curvatus aequaliter, rotundatusque in colorem arcus conspectus est. *Appul. Met.* 71. Vasculum in modum papillae rotundatum. ℙ Translate. *Sidon. ep.* 8, 4. Citos iambos, elegos acutos, ac rotundatos hendecasyllabos elucubrare, *h. e.* polite et affabre compositos.

RŌTUNDĒ, adv. *στρογγύλως*, cum rotunditate. [*Colum. Arb.* 5. *med.* Ut in orbem quam rotundissime formetur. Ita *Schneiderus* optime ex *Cod. Sangermanensi*, cum antea *Gesnerus* haberet *rectissime. F.*] ℙ Translate est concinne, collecte, ut ait *Non.* 2, 727., vel eleganter, composite, ut alii: nam ut rotundum sit aliquid, arte opus est et diligentia. *Cic. Fin.* 4, 3. *f.* Ista ipsa, quae tu breviter, regem, dictatorem, divitem solum esse sapientem, a te quidem apte ac rotunde: quippe, habes enim a rhetoribus. Supra dixerat *polite apteque.*

RŌTUNDIFŌLIUS, a, um, adj. rotunda habens folia, ut Herbae rotundifoliae. *Appul. Herb.* 71.

RŌTUNDĪTAS, atis, f. *στρογγυλότης*, figuram habens rotundam, circulus, gyrus, circuitus. *Plin.* 37, 11, 73. Gemma rotunditatis absolutae. *Id.* 16, 23, 35. Populo albae folia in juventa circinatae rotunditatis sunt: vetustiora in angulos exeunt. *Id.* 19, 5, 25. Rapum rotunditate brevi notabile. *Id.* 11, 18, 19. Apes optimae breves, variaeque, et in rotunditatem compactiles. *Id.* 22, 22, 33. Olus maritimum esse dixerunt salsum, et inde nomen, foliis in rotunditatem longis. *Id.* 18, 13, 34. Rapa in rotunditatem globantur. ℙ Translate. *Macr. Sat.* 7, 5. Aures nostras gratia linguae captivas tenet, et verborum rotunditati assentire cogimur, circumventi volubilitate sermonis. *Sidon. ep.* 1, 1. Symmachi rotunditatem, C. Plinii disciplinam maturitatemque vestigiis insequi.

RŌTUNDO, as, avi, atum, a. 1. *στρογγύλόω*, rotundum facio. *Cic. Univ.* 10. Cumque similem universitatis efficere vellet, ad volubilitatem rotundavit. *Vitr.* 10, 11. Rotundare tignum ad circinum. *Plin.* 21, 17, 66. Omnes herbae folium primum emittunt, mox in caulem rotundantur; et *Mela* 1, 18. *f.* Flamma cogit se ac rotundat, et fit ingens globus. ℙ Translate. *Hor. Ep.* 1, 6, 34. Mille talenta rotundentur, etc. V. CORROTUNDO.

RŌTUNDŬLĀ, ae, f. dimin. parvum emplastrum, vel placenta rotunda. *Appul. Herb.* 13. His bene commixtis facies exindè velut rotundulam, etc., *τροχίσκον*. V. TURUNDULA.

RŌTUNDUS, a, um, adj. *στρογγύλος, τροχοειδής*, circuli figuram habens, globosus: a *rota. Cic. Somn. Scip.* 3. Stellae globosae et rotundae. *Id. Univ.* 15. Mundum Deus ita tornavit, ut nihil effici possit rotundius. *Id. N. D.* 2, 19. Stellarum rotundi ambitus. *Ov. A. Am.* 3, 140. ora rotunda; et *Cic. Tusc.* 5, 14. *extr.* Medius mundi locus, qui est idem infimus in rotundo. *Plin.* 24, 16, 91. Radix nigra in latitudinem rotunda. *Hor. Epod.* 8, 13. Nec sit marita, quae rotundioribus Onusta baccis ambulet. *Cels.* 8, 1. *f.* Capita feminum rotundiora, quam humerorum sunt, cum illa ex ceteris rotundissima sint. ℙ Rotundam aedem Vestae Numa Pompilius consecrasse videtur, quod eandem esse terram, qua vita hominum sustentaretur, crediderit, eamque pilae forma esse: ut sui simili templo Dea coleretur. *Festus.* V. *Ov. Fast.* 6. a *v.* 263. ℙ *Rotunda vestis* esse videtur, quae aequaliter ambit, et undique clausa est, unoque injectu totum tegit corpus: qualem fuisse Romanorum togam, *Ferrar. l.* 1. *de re vestiar. priorib. capitib.* ostendit. *Quint.* 11, 3. *med.* Ipsam togam rotundam esse, et apte caesam velim. Vult *Quint.* togam esse rotundam, quia illa erat togae forma maxime decens. Fortasse autem hoc significat, ut sit toga aequaliter ab omni parte fluxa, et undanti ambitu composita. Sunt enim qui inter quadratas vestes eam reponunt: qua de re legendi *Ferrar.*, *Sigon. de judic.*, *Salmas. in not. ad Tert. de Pall.*, *Ruben.*, *Manut. de quaestionib. per epist.*, etc. V. QUADRATUS. ℙ Translate. *Hor. Sat.* 2, 7, 85. de sapiente: contemnere honores Fortis; et in se ipso totus; teres atque rotundus, Externi ne quid valeat per leve morari. (Ita distinguit *Bentl.*, nam alii: *et in se ipso totus teres atque rotundus.*) *Auson. Idyll.* 16, 4. de eod.: mundi instar habens, teres atque rotundus, Externae ne quid labis per levia sidat. Respicit *Hor.* rotundam figuram, quae, ut ait *Cic. Un.* 6., nihil asperitatis habet, nihil offensionis, nihil inclusum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum: ita vir sapiens adeo aequaliter est compositus, et undique perfectus, ut nulla ei labes vitii adhaerescat. ℙ Refertur ad dictionem periodicam, et ad eloquentiam. *Cic. Brut.* 78. *med.* Erat verborum et delectus elegans, et apta et quasi rotunda constructio, *h. e.* apta, concinna, polita, aequabilis: unde orationis volubilitas exsistit. *Id. Or.* 13. Cum Thucydides videretur Socrati praefractior, nec satis, ut ita dicam, rotundus; primus instituit dilatare verbis, et mollioribus numeris explere sententias. *Gell.* 16, 1. *Ἐνθύμημάτιον* vere atque luculente dictum, verbisque est brevibus et rotundis vinctum; et 17, 20. Videsne *ἐνθύμημα* crebrum, et coruscum, et convexum, brevibusque et rotundis numeris cum quadam aequabili circumactione devinctum? *Id.* 11, 13. Cursus, et sonus rotundae volubilisque sententiae; et 1, 4. Crispum sane agmen orationis, rotundumque, ac modulo ipso numerorum venustum. *Hor. A. P.* 323. Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo Musa loqui, *h. e.* copiose, polite, perfecte, suaviter. [*Cf. *Ern. Lex. techn. lat. rhet.* p. 336.] ℙ Aliter accipiendum est illud *Quint.* 8, 5. *med.* Soluta oratio et e singulis non membris, sed frustis collata, structura caret: cum illa rotunda, et undique circumcisa insistere invicem nequeant, *h. e.* verba, quae simul componi nequeunt, et alterum alteri inhaerere, et quadrare, velut si quis murum ex rotundis saxis construeret. ℙ *Rotundo* maxime contrarium est *quadratum.* Hinc proverbio dicitur *mutare quadrata rotundis* ap. *Hor. Ep.* 1, 1, 100. qui *vitae disconvenit ordine toto*, modo *aedificat*, modo *diruit*, sibique ipse contrarius est.

*ROXĀNE vel Rhoxene, es, f. *Ῥωξάνη*, Oxartae sive Oxyartae filia, amasia Alexandri M., quam totius paene Orientis victor et imperator, ob solam ejus pulchritudinem, matrimonio sibi junxit. Post mortem mariti, a Cassandro necata est una cum filiolo suo Alexandro. *Just.* 12, 15. 13. et 15, 2. *Curt.* 10, 2. *B. A.*

R U

[RŪBASTĪNUS, a, um, adj. ad Rubos pertinens, Appuliae oppidum, nunc *Ruvo* V. *Horatii* et *Servii l. c.* in RUBEUS. In hujus oppidi nummis ap. *Eckhel. D. N. V.* T. 1. p. 142. *PTBAΣTEINΩN* legitur. *Frontin. de colon.* p. 127. *Goes.* Ager Urianus, Rubustinus (lege *Rubastinus*), Rudinus. ℙ *Rubastini, orum* sunt incolae illius urbis. *Plin.* 3, 21, 16. Matini, Rubustini (lege *Rubastini*), Sylvini. *F.*]

*RUBĒAS, promontorium septentrionale, de quo *Plin.* 4, 13. Philemon Morimarusam a Cimbris vocari, hoc est mortuum mare, usque ad promontorium Rubeas: ultra deinde Cronium. Adde *Solin.* 19. (al. 13.) Utrobique *Rubeas* vox occurrit, ita ut cum *Hofmanno* rectum possis dicere esse *Rubeae, arum.* Nomen fortasse traxit a Rubone sive Rhubone, Sarmatiae Europaeae fluvio, ut tradit *Ptolemaeus*, hodie *the Dwina*, vel, ut aliis placet, *the Nieme* vel *the Memel.* Hodie est *Dagerort* promontorium Livoniae, aliis autem *Wardhuis* in Scandinavia. *B. A.*

RŪBEDO, inis, f. *ἐρύθρημα*, color rubeus. *Firm. Math.* 2, 12. *med.* Leo significat colorem croceum, atque ad rubedinem declinantem.

RŪBEFĂCIO, is, eci, actum, a. 3. *ἐρυθραίνω*, rubro colore tingo, rubentem facio. *Ov. Met.* 8, 382. Fixa sub aure feri summum destringit arundo Corpus, et exiguo rubefecit sanguine setas. *Sil.* 16, 136. Aurora obscuri tergebat nubila coeli, Vixque Atlantiadum rubefecerat ora sororum.

RŪBĒFACTUS, a, um, part. a *rubefacio: ἐρυθρός*, rubens factus. *Ov. Met.* 12, 382. Cornua vara boum multo rubefacta cruore.

RŪBELLIĀNA Vitis dicta est a colore rubello. *Colum.* 3, 2. *med.* Sed earum quoque feracior est minor (*vitis Nomentana*), cujus et folium parcius scinditur, et materia non ita rubet, ut Amineis: a quo colore rubellianae nuncupantur.

RŪBELLIO, onis, m. piscis praegrandi capite, ex genere mullorum: a *rubellus*, quod dimin. a *ruber*. Ita vero a colore dici, argumento est, quod similiter Graecis vocetur *ἐρυθρῖνος*, ab *ἐρυθρός*, ruber. *Plin.* 32, 10, 49. Mullus in vino necatus, vel piscis rubellio, iis, qui inde biberint, taedium vini affert. Adde *Apic.* 10, 7. V. ERYTHINUS.

RŪBELLŪLUS, a, um, adj. dimin. rubelli. *Capell. in carm.* 5, 187. Umbilicus (*voluminis*) rubellulus. V. RUBRICA.

RŪBELLUS, a, um, adj. *ὑπέρυθρος*, subrubens, qui modice, et dilute rubet: dimin. rubri. *Mart.* 1, 104. Et Vejentani bibitur faex crassa rubelli. (Adde *Pers.* 5, 147.) *Plin.* 14, 2, 4. *n.* 2. Proxima dignitas Nomentanis (*vitibus*), rubente materia, quapropter quidam rubellas appellavere vineas. V. RUBELLIANA. *Capell.* 8, 271. Depile, rubellumque calvitium.

RŪBENS, entia, part. a *rubeo:* qui rubet. *Virg. G.* 1, 234. Semper sole rubens, et torrida semper ab igni. *Ov. Fast.* 5, 511. Vina rubentia. *Plin.* 37, 6, 23. Superficies locustarum maris crustis rubentior. *Virg. Ecl.* 3, 63. suave rubens hyacinthus; et *ib.* 4, 29. Rubens uva. *Id. G.* 1, 251. Vesper; et *ib.* 2, 319. ver. *Hor. Od.* 1, 2, 2. de Jove: rubente Dextera sacras jaculatus arces, *h. e.* igne et fulmine armata. *Id. ib.* 2, 11, 19. neque uno rubens Luna nitet vultu. *Ov. Met.* 12, 277. Rubens ferrum igne; et *ib.* 6, 222, Tyrio rubentia fuco Terga; et *ib.* 4, 481. Palla rubens cruore; et *ib.* 10, 101. pomoque onerata rubenti Arbutus. *Lucan.* 8, 34. amnis Emathia clade rubens. *Claud. Epith. Pall. et Celer.* 116. tum vere rubentes Desuper invertunt calathos, *h. e.* purpureis floribus plenos. *Id. Laud. Seren.* 7. flores veris honore rubentes. *Id. in Ruf.* 1, 102. stagna rubentis Aurea Pactoli. *Catull.* 20, 7. Rubens arista sole fervido. ℙ Translate est erubescens. *Tibull.* 3, 4, 31. Ut juveni primum virgo deducta marito Inficitur teneras ore rubente genas. *Mart.* 5, 2. Quem Germanicus ore non rubenti Coram Cecropia legat puella, *h. e.* Domitianus coram Minerva. Adde *Claud. Laud. Stil.* 2, 327.

*RUBENSIS, e, adj. ut *Rubensis lacus* in Narbonensi provincia, quem praeterlabitur Atax. *Plin.* 3, 4. Flumen Atax e Pyrenaeo Rubensem permeans lacum. Sed rectius legitur *Rubrensis. Mela* 2, 5. est *Rubresus* (lacus). *B. A.*

RŪBĒO, es, ui, n. 2. *ἐρυθραίνομαι*, ruber, seu rubens sum. *Lucr.* 6, 1164. ulceribus quasi inustis omne rubere Corpus, ut est, per membra sacer cum dicitur ignis. *Virg. G.* 2, 430. Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis; et *A.* 12, 77. Puniceis invecta rotis Aurora rubebit. *Juven.* 6, 479. hic frangit ferulas, rubet ille flagellis. *Sen. Herc. Fur.* 135. Aspera die dumeta rubent, *h. e.* luce perfusa. *Catull.* 3, 17. meae puellae Flendo turgiduli rubent ocelli. *Ov. Met.* 12, 19. tum denique saxa Non exauditi rubuerunt sanguine vatis; et *ib.* 3, 483. de pomis: quae candida parte, Parte rubent; et *A. Am.* 3, 170. bis Tyrio murice lana rubet. *Tibull.* 2, 2, 16. Eoi qua maris unda rubet. V. v. sq. ℙ [**Rubere* construitur etiam cum accus. significans rubendo aliquid referre, repraesentare. *Lucan.* 5, 549. de Luna: Ventorum-

que notam rubuit. *Solin.* 36. Crystallinum lucet, rubet purpuram. V. *Cort.* ad *Luc.* l. c.] ¶ Translate est erubescere. *Cic. Att.* 15, 4. *med.* Rubeo, mihi crede: sed jam scripseram: delere nolui. *Id. Verr.* 2, 2, 76. *med.* Haerere homo, versari, rubere. *Ov. Met.* 7, 78. Et rubuere genae, totoque recanduit ore. *Juven.* 1, 166. rubet auditor, cui frigida mens est Criminibus.

RŪBER, bra, brum, adj. ἐρυθρὸς, colorem habens sanguinis, aut ignis, aut ostri, aut croci, aut prope accedentem ad horum aliquem, rubens, rufus, russus, rubidus: de quibus disputat *Gell.* 2, 26. Censet *Voss.* esse a voce Graeca allata κατ' ἀφαίρεσιν: alii aliunde ducunt. *Plin.* 31, 7, 41. Sal ruber Memphi, rufus est circa Oxum. (*Isid.* haec describens *Or.* 16, 2. *med. Sal*, inquit, *Memphiticus rufus est.* De eo, qui est circa Oxum, tacet.) *Hor. Epod.* 17, 51. panni cruore rubri. *Id. Od.* 3, 13, 7. Rivos rubro sanguine inficere. *Ov. Met.* 11, 368. lupus rubra suffusus lumina flamma. *Hor. Sat.* 2, 5, 39. rubra Canicula. *Prop.* 3, 11, 16. Quos Aurora suis rubra colorat equis. *Mart.* 8, 56. Thestylis et rubras messibus usta genas. *Id.* 12, 54. Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine laesus. *Id.* 5, 8. Phasis purpureis ruber lacernis. *Ov. Am.* 2, 6, 22. Tincta gerens rubro punica rostra croco. *Hor. Set.* 2, 6, 102. Rubro cocco tincta vestis. *Ov. Fast.* 1, 415. At ruber hortorum Deus et tutela, Priapus. *Tibull.* 1, 1, 21. Pomosisque ruber custos ponatur in hortis (*Priapus*). *Mart.* 9, 91. Frontem sutilibus ruber coronis. *Plin.* 10, 63, 85. Colorem illico mutant rubriore pilo. *Cels.* 5, 18. *n.* 31. Nitrum quam ruberrimum. *Virg. G.* 3, 359. sol Oceani rubro lavit aequore currum, *h. e.* qui accedente ad occasum sole rubescit. Ceterum *Rubrum mare* ap. *Cic. N. D.* 1, 35., *Prop.* 3, 11, 6, *Tibull.* 2, 4, 30., *Mel.* 3, 8. et *Plin. var. in loc.* est quod Persicum et Arabicum sinum complectitur. V. ERYTHRAEUS. *Claud. Laud. Ser.* 3. solitam consurgere gemmis, Et rubro radiare mari, *h. e.* fulgere margaritis. *Sil.* 12, 231. Lucet in aure lapis rubris advectus ab undis. ¶ Quas *breves Rubras* memorat *Mart.* 4, 64. fuit locus Etruriae in Vejentano agro, via Flaminia, circa Cremeram: qui et *Saxa rubra* appellatus est. *Liv.* 2, 49. et *Cic. Phil.* 2, 31. Hinc ap. *Vitr.* 2, 7. *rubrae lapidicinae* circa Urbem memorantur. ¶ *Rubrae leges* ap. *Juven.* quid sint, V. in RUBRICA. ¶ *Rubrus* pro *ruber* est *Solini* 49. de chamaeleone: Colores duo sunt, quos fingere non valet, rubrus, et candidus.

RŬBESCO, is, n. 3. ἐρυθραίνω, rubere incipio, rubens fio. *Virg. A.* 8, 695. arva nova Neptunia caede rubescunt. *Id. ib.* 7, 25. Jamque rubescebat radiis mare; et *ib.* 3, 521. Jamque rubescebat stellis Aurora fugatis. *Ov. Fast.* 6, 727. Sol abit e Geminis, et Cancri signa rubescunt, *h. e.* sole ingrediente accenduntur. *Claud. de magnete*, 4. rubescentes ferali crine cometae. *Id. Nupt. Honor.* et *Mar.* 187. Mavortia signa rubescunt Floribus. *Plin.* 34, 18, 54. Coquitur (*cerussa*) in patinis, misceturque rudiculis, donec rubescat. *Id.* 11, 37, 63. *extr.* Ceteris senecta dentes rubescunt, equo tantum candidiores fiunt. *Id.* 21, 4, 10. Rosa rubescens. *Id.* 14, 2, 4. *n.* 6. Vina rubescentia.

RŪBĒTĂ, ae, f. et Rana rubeta, φρῦνος, genus ranae venenatae, fere in rubis degentis: unde et nomen. Idem est ac bufo. Vim multam habet in veneficiis ad dementandos homines, et occidendos. *Plin.* 32, 5, 18. Sunt quae in vepribus tantum vivunt, ob id rubetarum nomine, quas Graeci phrynos vocant: grandissimae cunctarum, geminis veluti cornibus, plenae veneficiorum. *Id.* 8, 31, 48. Ranae rubetae, quarum et in humore vita. *Juven.* 6, 659. res agitur tenui pulmone rubetae. *Prop.* 3, 4, 27. Illum turgentis ranae portenta rubetae, Et lecta ex sectis anguibus ossa trahunt. [*Cf. *Schneid. Hist. amphib.* 1. p. 227.] ¶ Mira quae de his tradunt magi, referuntur a *Plin. cit.* 32, 5, 18.

RŪBĒTUM, i, n. βατών, locus, in quo rubi copiose proveniunt, vel ipsa ruborum copia. *Ov. Met.* 1, 105. in duris haerentia mora rubetis. Adde *Fast.* 4, 509. et *Calpur. Ecl.* 3, 5.

RŪBĔUS, a, um, adj. idem quod robius, robus, rufus, flavus. *Varr. R. R.* 2, 5. *med.* Vaccae colore potissimum nigro, dein rubeo, tertio helvo, etc. *Colum.* 6, 1. *extr.* Boves colore rubeo, vel fusco. *Pall.* 4, 14. *med.* Asinus murini maxime coloris, aut rubei. V. ROBIUS. ¶ Ad illud *Virg. G.* 1, 266. Nunc facilis rubea texatur fiscina virga: *Serv.:* idest ea virga, quae apud Rubos Italiae oppidum (in Apulia, prope Canusium: de quo *Hor. Sat.* 1, 5, 94. Inde Rubos fessi pervenimus. V. RUBASTINUS) plurima nascitur: an a *rubo*, cujus meminit (*Virg. Ecl.* 3, 89.) ferat et rubus asper amomum. Haec *Servius.* Sunt etiam virgae coloris rubei, aut sanguinei, quarum meminit *Plin.* 16, 18, 30., 19, 10, 58. et 24, 10, 43. Has *Virgilium* potius significare quispiam putet, quam spinosas virgas e rubo, quae texendis fiscinis ineptae quidem videntur, [sed iis etiam veteres usos fuisse ad ligandas vites, constat ex *Colum.* 4, 31. et *Plin.* 16, 37, 69. *F.*]

*RUBI, orum, Appuliae opp., juxta Canusium, hodie *Ruvo.* [*V. *Riedesel. itin. per Sicil. et Magnam Graeciam* p. 249.] *Hor. Sat.* 1, 5, 94. ¶ Hinc *Rubustinus, a, um*, adj. ad Rubos spectans, ut *ager Rubustinus* ap. *Front. de colon.* ¶ *Rubustini, orum*, Ruborum incolae. *Plin.* 3, 11. ed. *Hard.*, ubi edd. priores *Robustini. B. A.*

RŪBĬĂ, ae, f. ἐρυθρόδανον, ἐρευθέδανον, herba radicem habens rubram, tingendis lanis ac coriis idoneam. [*Färberröthe, Krapp.*] *Plin.* 19, 3, 56. In primis rubia, tingendis lanis et coriis necessaria, etc. *Id.* 24, 11, 7. *n.* 14. Alia est erythrodanus, quam aliqui ereuthodanum vocant, nos rubiam, qua tinguntur lanae, pellesque perficiuntur. Adde *Vitruv.* 7, 14.

[RŪBĬCO, as, n. 1. idem ac rubeo. *Venant. carm.* 8, 12, 11. Aureus ordo crocis, violis hinc blatteus exit, Coccinus hinc rubicat, lacteus inde nivet. *F.*]

RŪBĬCO et Rubicon, onis, m. fluv. Aemiliae, seu Galliae Togatae, apud Caesenam urbem, qui mare subit inter Aprusam fluv., vulgo *Luso*, et Sapim, *il Savio*, et inter portum Caesenatem, et Ariminum. Olim fuit terminus Italiae. *Plin.* 3, 15, 20. *Sidon. ep.* 1, 5. Ad Rubiconem ventum, qui originem nominis de glarearum puniceo colore mutuatur. ¶ Ibi a senatu Romano C. Julio Caesari interdictum est, ne ulterius armatus procederet, ut *Suet. Caes.* 31. narrat. *Plin. l. c.* Hinc Rubico quondam finis Italiae. *Lucan.* 1, 214. parvisque impellitur undis Puniceus Rubicon, cum fervida canduit aestas. Alii leg. *Rubico:* qua de re *Quint.* 1, 5. Et ut *Palaemo*, sic *Thelamo*, et *Plato* (nam sic eum Cicero quoque appellat) dicerentur, retinuerunt: quia Latinum, quod *o*, et *n* litteris finiretur, non reperiebant. Ex hoc loco *Quint.* discimus, Latinam positionem esse, si in *o* desinat; Graecam, si in *on.* Hinc et *Laco* et *Lacon*, *Plato* et *Platon*, *Pluto* et *Pluton*, *Zeno* et *Zenon*, *Agamemno* et *Agamemnon*, etc. Prosae scriptores tutius primam: utramque, ut libuerit, poetae usurpaverint.

RŪBĬCUNDŬLUS, a, um, adj. frequent. rubicundi, subrubens. *Juven.* 6, 425. tandem illa venit rubicundula, totum Oenophorum sitiens.

RŪBĬCUNDUS, a, um, adj. ἐρυθραῖος, rubore plenus, abunde rubens. *Plin.* 18, 35, 19. de luna: Si rubicunda, ventos portendere dicitur. *Sen. Q. N.* 7, 11. Habitus cometae rubicundior. *Virg. G.* 1, 297. Rubicunda Ceres, *h. e.* flava. *Ov. Fast.* 6, 319. rubicunde Priape. *Id. Med. fac.* 13. (et *Mart.* 6, 64.) matrona premens altum rubicunda cubile, *h. e.* perusta solibus, ut ait *Hor. Ep.* 2, 41., de Sabinis enim sermo est. Sic *Claud. Laud. Stil.* 2, 257. Et calido rubicunda die sic Africa fatur. *Pl. Ps.* 4, 7, 120. Rufus quidam, subniger, magno capite, ore rubicundo. *Hor. Ep.* 1, 16, 8. Rubicunda corna. *Mart.* 14. 114. testa. *Varr. R. R.* 1, 9. *med.* Sabulo rubicundior.

RŪBĬDUS, a, um, adj ὑπέρυθρος, subruber, subrufus. *Gell.* 2, 26. Fulvus, et flavus, et rubidus, et phoeniceus, et rutilus, et luteus, et spadix appellationes sunt rufi coloris, aut acuentes eum, quasique incendentes, aut cum colore viridi miscentes, aut nigro infuscantes; et *mox:* Rubidus est rufus atrior, et nigrore multo inustus. *Suet. Vit.* 17. Erat in eo facies rubida plerumque ex vinolentia. *Festus:* Rubidus panis appellatur parum coctus, dum rubro colore, rubefactus. Plautus in Casina (2, 5, 1.) In furnum condito, atque ibi torreto me pro pane rubido. Quidam leg. ap. *Fest.* iterum coctus: quod ad *Plauti* sententiam aptius convenire videtur. *Isid. Or.* 20, 2 Panis rubidus, recoctus et rubefactus. Rursus *Fest.*: Scorteae ampullae, vetustate rugosae, et coloris ejusdem, rubidae dici solent. *Pl. Stich.* 1, 3, 78. Rubiginosam strigilem, ampullam rubidam.

RŪBĪGO cum derivatis, V. ROBIGO.

RŪBOR, oris, m. ἐρυθρότης, rubedo, color rubens. *Gell.* 2, 26. Sed cum aliter rubeat ignis, aliter sanguis, aliter ostrum, aliter crocum, has singulas rufi varietates Latina oratio singulis propriisque vocabulis non demonstrat, omniaque ista significat una ruboris appellatione, cum tamen ex ipsis rebus vocabula mutuetur, et igneum aliquid dicat, et flammeum, et sanguineum, et croceum, et ostrinum, et aureum. *Plin.* 10, 22, 39. Decet tetraonas suus nitor, absolutaque nigritia, in superciliis cocci rubor. *Val. Fl.* 8, 58. Quis rubor iste poli? quod tam lugubre refulsit Sidus? *Id.* 6, 27. Aureus effulsit campis rubor *Plin.* 22, 23, 47. Fungi, qui rubent callo, minus diluto rubore, quam boleti. *Virg. G.* 3, 306. quamvis Milesia magno Vellera mutentur Tyrios incocta rubores, *h. e.* colorem purpurae. *Sen. Herc. Oet.* 663. Sidonio mollis aheno Repetita bibit lana rubores. *Plin.* 28, 17, 69. Rubori cum prurigine illinitur equi spuma, *h. e.* suffuso sanguini sub cute. *Pl. Capt.* 5, 2, 9. At ego faciam, ut pudeat: nam in ruborem te totum dabo, *h. e.* loris caedam. ¶ De colore, qui suffuso sanguine in vultu apparet. *Ov. Am.* 3, 3, 5. Candida candorem roseo suffusa rubore Ante stetit: niveo lucet in ore rubor. *Lucan.* 5, 214. rubor igneus inficit ora. *Virg. A.* 12, 66. de Lavinia: Flagrantes perfusa genas: cui plurimus ignem Subjecit rubor, et calefacta per ora cucurrit. *Plin.* 11, 38, 91. Alius est irae rubor, et alius verecundiae. ¶ Metonymice est pudor, αἰσχύνη: cujus signum est in vultu rubor. *Cic. Or.* 2, 59. *extr.* Praestet orator ingenuitatem et ruborem suum, verborum turpitudine, et rerum obscenitate vitanda. *Liv.* 30, 15. Massinissae haec audienti non rubor solum suffusus, sed lacrimae etiam obortae. [*Curt.* 9, 7, 25.] *Auct. ad Her.* 4, 10. Rubores alicui eliere; et *Mart.* 1, 53. Ruborem cuipiam imponere. Alii leg. *pudorem.* *Tac. A.* 13, 15. inferre. *Plin.* 36, 1, 2. Ingens ista reputantem subit etiam antiquitatis rubor, *h. e.* redeo in memoriam, quantus fuerit majorum pudor et parcimonia in sumptibus. *Suet. Dom.* 18. Vultu modesto, ruborisque pleno. *Val. Max.* 1, 1. *n.* 15. Magnus coelestibus injectus est rubor, ulterius adversus eam saeviendi. *Id.* 4, 4. *n.* 5. Nec fuit iis rubori, eburneo scipione deposito agrestem stivam aratri repetere. *Ov. Am.* 3, 14, 21. Illic nec tunicam tibi sit posuisse pudori. *Tac. A.* 14, 55. *extr.* Rubori mihi est, quod praecipuus caritate, nondum omnes fortuna antecellis. *Id. G.* 13. Nec rubor inter comites aspici. *Ov. A. Am.* 3, 167. Nec robur est emisse palam. *Id. Her.* 20, 201. matri licet omnia narres: Nil tua, Cydippe, facta ruboris habent. *Id. Fast.* 5, 69. Dicere verba digna rubore, *h. e.* turpia, et erubescenda. *Tac. H.* 1, 30. Rubor ac dedecus. *Id. ib* 4, 62. Rubor et infamia. *Juven.* 13, 241. quando recepit Ejectum semel attrita de fronte ruborem. *Mart.* 7, 12. Et mihi de nullo fama rubore placet, *h. e.* non placet mihi famam parare ruborem aliis inferendo. [*Dicitur etiam de orationis ornatu nimis quaesito et affectato. Ita usurpatur in loco, quem Noster ab initio posuerat, *Cic. Or.* 23. Fucati vero medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur: elegantiae modo, et munditia remanebit. ¶ Confund. *rubor* et *pudor.* V. *Ruhnk.* ad *Ov. Her.* 21, 202.]

[RUBRANS, antis, part. ab inus. *rubro*, rubrum reddens. *Alcim.* 5, 525. Junxerat interea, ponto qua Magdalus instat, Hebraeus populus rubranti castra profundo, *h. e.* mari Rubro. *F.*]

*RUBRENSIS et

*RUBRĒSUS. V. RUBENSIS. *B. A.*

[RUBRĬA Lex memoratur tantummodo in *Tab. leg. Gall. Cisalp.* Vellejae reperta ann. a Chr. n. MDCCLX., edita et docte illustrata a *P. De-Lama*, quae lata fuisse videtur ann. U. C. DCXXXI. a Q. Rubrio trib. pl. tempore Gracchorum, quaeque de damno infecto agit, seu de judicis jure ac munere in ea re judicanda. *F.*]

RUBRĬĀNUS, a, um, adj. ad Rubrium pertinens, nomen Romani hominis. Senatusconsultum Rubrianum, factum sub Trajano, [ann. Chr. n. CI. *F.*] Rubrio Gallo, Coelio Hispone Coss., ut refert *Ulp. Dig.* 40, 5, 26. *f.*, libertatibus subveniebat, quae ex causa fideicommissi debebantur, ut *ib* dicitur. Adde *ib.* 28. et *Modest. ib.* 36. et *Paul. ib.* 33.

RUBRĪCA, ae, f. πηλὸς, ῥουσιώδης, σινωπὶς, μίλτος, quaevis terra coloris ad rubrum accedentis. *Vitr.* 2, 3. Faciendi sunt lateres ex terra albida, cretosa, sive de rubrica. *Colum.* 3, 11. *extr.* Gravis est rubrica et ad comprehendendum radicibus iniqua; sed alit eadem vitem, cum tenuit: verum est in opere difficilior, quod neque humentem fodere possis, quod sit glutinosissima; nec nimium siccam, quia ultra modum praedura. *Plin.* 18, 14, 36. Lupinum ex densiore terra rubricam maxime amat. Adde *Colum.* 2, 16. [*Ita recte primo loco posuisse videmur, quae Noster secundo collocaverat. Hinc praesertim dicitur de terra rubri coloris,] qua et pictores utuntur. Cum enim colores partim fiant, partim nascantur, rubrica ex his est, ut *Plin.* docet 35, 6, 14. Est autem multiplicis generis, Sinopica, Aegyptia, Balearica, Africana, Lemnia, Cappadox, ut *Id. ib.* et *Vitr.* 7, 7. tradunt. *Hor. Sat.* 2, 7, 98. Proelia rubrica picta, aut carbone. *Colum. Arb.* 20. Priusquam arbusculas transferas, rubrica, vel alia qualibet re signato, ut iisdem ventis, quibus ante steterunt, constituas eas. *Pers.* 1, 65. scit tendere versum, Non secus ac si oculo rubricam dirigat uno, *h. e.* lineam rubrica tinctam, ut solent materiarii. *Plin.* 6, 30, 35. Homines atri coloris tota corpora rubrica illinunt. *Auct. ad Her.* 3, 22. *f.* Rubrica delibutus; et *Pl. Truc.* 2, 2, 39. Buccas rubrica, creta omne corpus intinxti tibi. *Plin.* 34, 13, 37. Diphryges fit ex lapide pyrite cremato in caminis, donec excoquatur in rubricam, *h. e.* in rubrum colorem. ¶ Metonymice est inscriptio seu titulus earum rerum, quae in legibus infra scriptis continentur: quia olim rubrica legum tituli et capita librorum notabantur, distinctionis et ornatus gratia, et ut facilius appareant. Hinc *Ov. Trist.* 1, 1, 7. Nec titulus minio, nec cedro charta notetur; et *Mart.* 3, 2. Et cocco rubeat superbus index. *Pers.* 5, 89. Cur mihi non liceat, jussit quodcumque voluntas, Excepto si quid Masuri rubrica vetavit? *Quint.* 12, 3. *f.* Alii se ad album, ac rubricas transtulerunt, et formularii, vel ut Cicero ait, leguleji quidam esse maluerunt. [*V. *Buttm.* ad h. l.] *Paul. Dig.* 43, 2, 2. *f.* Recuperandae possessionis causa proponuntur interdicta sub rubrica, Unde vi. Huc pertinet illud *Juven.* 14, 101. accipe ceras, Scribe, puer, vigila, causas age, perlege rubras Majorum leges.

RUBRICĀTUS, a, um, part. a *rubrico:* μιλτωτὸς, tinctus rubrica, vel quocumque colore rubeo, ut Rubricatus mutinus, ap. *Auct. Priap. Not. Tir.* 71. p. 86. Rubrica, rubricata.

*RUBRICĀTUS (fluvius) sive Rubricātum (flumen)

in Hispania Tarraconensi, in mare Mediterraneum cadens. *Mela* 2, 6. *Plin.* 1, 3., ubi *flumen Rubricatum* audit. V. *Telobis. B. A.*

[RUBRĪCO, as, a. 1. rubrica tingo. *Venant. Vit. S. Mart.* 2. *f.* Addite martyribus, queis (lege *quos*) rubricat unda cruoris. Hic licenter paenultima corripitur. *F.*]

RUBRĪCOSUS, a, um, adj. Rubricosus ager, *Cato R. R.* 34. et rubricosum solum, *Colum.* 4, 33. et *Plin.* 18, 17, 46. est rubri coloris, aut ad rubrum accedentis, quae et *rubrica* dicitur.

[RUBRĪCUS, a, um, adj. idem ac rubricatus. *Not. Tir.* p. 82. Rubor, rubricus; et p. 128. Rubeus, rubricus, rubricosus. *F.*]

RUBRUS. V. RUBER.

RŪBUM. V. RUBUS.

RŪBUS, i, m. *βατὸς*, frutex spinosus caule et folio, passim in dumetis nascens et saxis, florem candidum, et mora ferens ante maturitatem rubentia: unde fortasse nomen: cujus alterum genus cynosbatos dictus, florem habet rosae similem: tertium genus Idaeum vocant Graeci a loco: quoniam in Ida non aliud nascitur: tenuius quam cetera, minoribusque spinis, et minus aduncis. Haec *Plin.* 16, 37, 71., qui *ib.* 21, 23. scribit, alicui generi folia non cadere; et 17, 13, 21. curvari rubos gracilitate, et simul proceritate nimia, defigere rursus in terram capita, iterumque nasci ex se, repleturos omnia, ni resistat cultura: ita pessimam et exsecrandam rem propaginem tamen docuisse, ac viviradicem. *Id.* 24, 13, 73. et *ib.* 14, 74, 75. et 76. varias et valde utiles eorum vires in medicina persequitur. *Virg. G.* 3, 315. Horrentesque rubos, et amantes ardua dumos. *Id. Ecl.* 3, 89. ferat et rubus asper amomum. *Ov.* 113. de nuce: At rubus et sentes tantummodo laedere natae. *Id. Met. fac.* 4. mordaces interiere rubi. *Id. Pont.* 4, 4, 4. Mixta fere duris utilis herba rubis. *Prop.* 4, 4, 26. hirsutis brachia secta rubis. *Tibull.* 4, 3, 10. hamatis crura notare rubis. ℙ Feminino genere. *Prud. Cath.* 5, 31. Moyses nempe Deum spinifera in rubo Vidit conspicuo lumine flammeum. Adde *Apoth.* 123. et *Sulpic. Sev. Hist. sacr.* 1, 14. ℙ De moris rubi. *Prop.* 3, 11, 28. Et dare puniceis plena canistra rubis. Hoc sensu *rubum, i,* n. esse videtur, si analogiam sequaris.

*RUCINĀTES, ium, gens Vindeliciae. *Plin.* 3, 20. ed. *Hard.*, ubi antea legebatur *Virucinates. B. A.*

[RUCTĀ, ae, f. idem ac rumen. *Gloss. Isid.* Ructa, vel framen in homine, vel rumen in bestia: pars gutturis gurgulioni proxima. V. RUMA. *F.*]

RUCTĀMEN, inis, n. ructus. *Prud. Hamart.* 467. Carnis et immodicae spurco ructamine crudos.

RUCTATRIX, icis, f. quae ructat: et quae ructum movet. *Mart.* 10, 48. Nec deest ructatrix menta, nec herba salax.

RUCTĀTUS, a, um, part. a *ructo: ἐρευχθείς*, ructu emissus, effusus, profusus. *Sil.* 15, 435. Permiscetque mero ructatos ore cruores. *Id.* 2, 685. patuloque redundat Gutture ructatus longe cruor.

RUCTO, as, a. 1. *ἐρεύγω*, ructum emitto. *Pl. Ps.* 5, 2, 9. Pergin' ructare in os mihi? *Juven.* 3, 107. Si bene ructavit, si rectum minxit amicus. *Plin.* 7, 19, 18. Ut in Antonia Drusi nunquam exspuisse, in Pomponio consulari poeta nunquam ructasse. *Cic. Phil.* 2, 25. *f.* Magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, etc. *Plin.* 20, 17, 68. Tragoriganum efficacissimum stomacho acida ructanti. *Juvenal.* 6, 10. glandem ructante marito. *Mart.* 9, 49. Ructare aprum. ℙ Dicitur etiam *ructor, aris*, deponens. *Varr. R. R.* 3, 2. Cujus aves hospitales etiam nunc ructor, quas mihi apposuisti paucis ante diebus. *Lucil.* ap. *Perott.* in *Cornucop.* Ructantur juvenes, et sputis omnia foedant. *Cicero* quoque usurpavit, teste *Festo.* ℙ Translate est emittere: sed metaphora est humilis et plebeja. *Hor. A. P.* 457. dum sublimes versus ructatur. *Pall.* 8, 8. *f.* Si terra vaporata humidum fumum nebulosumque ructaverit, aquas inesse coguosces. *Sidon. carm.* 23, 252. Qui supra satrapas sedet tyrannus, Ructans semideum propinquitates, *h. e.* jactans, in ore habens.

RUCTOR. V. in v. praec.

RUCTŪO, as, a. 1. ructo. *August. serm. de Temp.* 135. *med.* Bibentes unicum Verbum, unde impleti ructuant laudes.

RUCTŪOSUS, a, um, adj. *ἐρευματώδης*, plenus ructibus. *M. Coelius* ap. *Quint.* 4, 2. *f.* Totis praecordiis stertentem, ructuosos spiritus geminare.

RUCTUS, us, m. *ἐρυγή*, cibi et potus in stomacho male concocti ventosa per os exspiratio, crudi stomachi sonitus, quem edere solent, qui plus aequo onerarunt ventriculum: ab *ἐρευκτός*. *Cic. Fam.* 9, 22. *f.* Stoici crepitus ajunt aeque liberos, ac ructus esse oportere. *Mart.* 1, 88. Extremo ructus cum venit a barathro. *Plin.* 24, 15, 86. Ructu gravis herba, *h. e.* quae manducata ructus movet foetidi oris. *Lucil.* ap. *Non.* 2, 733. exhalas acidos de pectore ructus. *Cels.* 4, 5. *f.* Si coacuit intus cibus, aut computruit: quorum utrumlibet ructus ostendit. *Plin.* 26, 8, 47. Peucedani succus ructus gignit. *Id.* 20, 18, 74. Anethum ructus movet. *Id.* 27, 13, 109. Smyrnion sudores ciet, et ructus. *Id.* 22, 23, 48. Silphion inflationes facit, et ructus. *Id.* 20, 12, 48. Ructum dissolvere; et *ib.* 17, 66. Piperitis utilis ructibus.

RŪDĔĀTUS. V. in v. sq.

RŪDECTUS, a, um, adj. est adjunctum terrae ruderibus plenae, macrae, siccae. *Cato R. R.* 34. Ager rubricosus, et terra pulla, materina, rudecta, arenosa; et *ib.* 35. Lentim in rudecto, et rubricoso loco, qui herbosus non siet, serito. (*Plin.* haec sic reddit 18, 17, 46. Lentem seri in frutectoso, et rubricoso, qui non sit herbidus.) *Id. ib.* 131. Ea loca primum arato, quae rudecta, arenosaque erunt. (*Plin.* 18, 26, 65. *n.* 3. Arare incipiat macra arenosaque. Ipse *Cato R. R.* 50. Loca primum arato, quae sicissima erunt.) Alii leg. *rudeata:* quidam *rudeta*, eod. sensu: quae varietas est etiam in duobus prioribus locis modo allatis.

RŪDENS, entis, m. et f. *κάλως, πρότονος, ἐπίτονος, καρχήσιοι*, funis nauticus, praesertim quo antenna, et velum tenditur. *Cincius* ap. *Fest.* in *Rodus* videtur ducere a rudis. *Non.* vero 1, 254. rudentes, inquit, ea causa sapientissimi dictos volunt, quod funes, cum vento verberantur, rudere existimentur: atque hunc sonum proprium funium, non asinorum putant. *Cic. Div.* 1, 56. Explicatio rudentis. *Pl. Rud.* 4, 3, 1. Mane, dum hanc tibi, quam trahis, rudentem complico. *Pacuv.* ap. *Coel.* ad *Cic. Fam.* 8, 2. de oborta tempestate: Strepitus, fremitus, clamor tonitruum et rudentum sibilus. Sic *Hor. Epod.* 10, 5. Niger rudentes Eurus, inverso mari, Tractosque remos differat. *Virg. A.* 1, 91. Insequitur clamorque virum, stridorque rudentum. *Ov. Trist.* 1, 11, 19. contenti stridunt Aquilone rudentes. *Id. Met.* 3, 616. quo non alius conscendere summas Ocior antennas, prensoque rudente relabi. *Catull.* 64, 235. Candidaque intorti sustollant vela rudentes. ℙ Excutere, laxare, immittere, expedire rudentes, est vela facientium. *Virg. A.* 3, 267. excussosque jubet laxare rudentes; et *ib.* 682. Praecipites metus acer agit quocumque rudentes Excutere, et ventis intendere vela secundis. *Id. ib.* 10, 229. velis immite rudentes. *Lucan.* 5, 426. Cum pariter solvere rates, totosque rudentes Laxavere sinus. *Claud. B. Gild.* 480. arripiunt naves, ipsique *(milites)* rudentes Expediunt. ℙ *Rudens* titulus est comoediae Plautinae, in qua piscator inducitur captum in mari vidulum rudente trahens. ℙ Per synecdochen dicitur de navi, aut velis, aut navigatione. *Val. Fl.* 1, 627. illicitas temerare rudentibus undas. *Cic. Tusc.* 5, 14. Qui glorianti cuidam mercatori, quod multas naves in omnem oram maritimam dimisisset; non sane optabilis ista, inquit, rudentibus apta fortuna, *h. e.* quasi alligata rudentibus, et ab incerto maris statu pendens. ℙ *Rudentium* pro *rudentum* habet *Vitr.* 10, 19. *med.* et *Prud. adv. Sym. praef.* 2. ℙ Adhibetur etiam extra rem nauticam, ad quemcumque funem significandum. *Vitruv.* enim usurpat de funibus catapultae et balistae, 10, 17. *extr.* et *ib.* 18.

RŪDENTĪSĪBĪLUS, i, m. stridor funium nauticorum. *Pacuv.* ap. *Varr. L. L.* 4, 1. *med.* V. ejusd. locum in RUDENS, in quo *Coelius* videtur duriusculam veteris poetae compositam vocem mitigasse.

RŪDĔRĀ. V. RUDUS.

RŪDĔRĀRĬUS, a, um, adj. ad rudera spectans, ut Ruderarium cribrum, idest cribri genus majus ex membrana minutis foraminibus pertusa, quo rudus, et arena, et calx cribrantur. *Appul. Met.* 8. Quem ad finem cantherium isti vaenui subjiciemus, et vetulum, et colore deformem, nec quidquam amplius, quam ruderarium cribrum?

RŪDĔRĀTĬO, onis, f. actus ruderandi, h. e. sternendi rudere pavimenta, *ψήφωσις*. Differt a statuminatione, quia statuminatio fit lapidibus, et caementis libralibus, et manualibus, sine calce et arena; ruderatio vero statumini superinducitur cum calce et arena, aut rudere novo, aut redivivo, idest ex vetere aedificio sumpto, non nuper effosso, quod constat e caemento, ad differentiam nuclei, qui est e testa contusa, et tertio loco inducitur. *Vitr.* 7, 1. Primumque incipiam de ruderatione, quae principia tenet expolitionum.

RŪDĔRĀTUS, a, um, part. a *rudero. Plin.* 21, 4, 10. Rosa seri nec pinguibus vult, nec argillosis locis, nec riguis, contenta raris: proprieque ruderatum agrum amat, *h. e.* in quo rudera, veterumque aedificiorum fragmina plurima sunt.

RŪDĔRO, as, avi, atum, a. 1. *ψηφόω*, rudus induco in pavimentis, solum rudere sterno. *Vitr.* 7, 1. Si plano pede erit ruderandum, quaeratur solum, etc. et *mox:* Tunc insuper statuminetur, ne minori saxo, quam quod possit manum implere: statuminibus inductis, ruderetur.

RŪDĔTUM, i, n. locus ruderatus, seu ruderibus plenus. V. RUDECTUS.

RŪDĬAE. V. RUDINUS.

RŪDĬĀRĬUS, a, um, adj. ad rudem, h. e. virgam pertinens. *Rudiarii* sunt gladiatores rude donati. V. RUDIS substant. *Suet. Tib.* 7. Munus gladiatorium in memoriam patris dedit, rudiariis quoque quibusdam revocatis auctoramento centenum millium. ℙ *Cincius* ap. *Fest.* in *Rodus*, vocat *rudiarios* qui saga nova poliunt: nempe a *rudis* adj.

RŪDĬCŪLA, ae, f. *κύκηθρον, σπάθη*, spatha, ligula, instrumentum, quo agitantur ea, quae coquuntur: a *rudis*, virga. *Cato R. R.* 95. Amurcae in vas ahenum indito congios duos: postea igni leni coquito: rudicula agitato crebro, usque adeo dum fiat tam crassum, quam mel. *Colum.* 12, 46. *med.* Defrutum confundito in ollam, taleolas inulae adjicito, ac rudicula lignea peragitato. *Plin.* 34, 18, 54. Coquitur in patinis, misceturque rudiculis, donec rubescat.

RŪDĬCŪLUS ap. *Fest.* in *Persillum* est vas quoddam: sic enim vocatur a *Paulo ib.* Alii leg. *ruduscu-lum*, et intelligunt vas ex cavo informi saxo, quia *rudus* saxum impolitum est.

RŪDĬMENTUM, i, n. *προπαιδεία*, primum principium artis, aut disciplinae cujuslibet: a *rudis*, quia res omnes initio rudes sunt, et qui ad artem quamlibet accedit, rudis est. *Petr. Sat.* 83. Vidi Protogenis rudimenta, cum ipsius naturae veritate certantia. *Plin.* 21, 5, 11. Est flos non dissimilis lilio in herba, quam convolvolum vocant, nullo odore, nec crocis intus, candorem tantum referens, ac veluti naturae rudimentum lilia facere condiscentis; et *Gell.* 12, 1. *med.* de lacte matris: Ad fovenda vitae atque lucis rudimenta praesto est. *Stat. Ach.* 1, 478. Cruda rudimenta, et teneros formaverit annos. *Ov. Her.* 5, 97. Turpe rudimentum, patriae praeponere raptam; et *Quint.* 2, 1. *med.* Suasoriae, quae sunt apud rhetorem materiae inter rudimenta dicendi. *Liv.* 1, 3. Rudimentum primum puerilis regni; et *Virg. A.* 11, 157. Dura rudimenta belli. *Vell.* 2, 129. Imbutus rudimentis militiae. *Appul. Apol.* Virgo affert ad maritum pulcritudinis gratiam, floris rudimentum, *h. e.* primitias virginitatis delibandas. *Id. Met.* 6. Thalami rudimentum; et *ib.* 7. Veneris rudimentum, *h. e.* primus virginis cum marito concubitus, cum nempe amori rudi litare novi conjuges solent. ℙ *Rudimentum ponere, deponere*, rudem esse desinere, incipere fieri instructiorem et politiorem. *Liv.* 31, 11. *f.* Verminam rudimentum adolescentiae, bello lacessentem Romanos, posuisse. *Just.* 7, 5. Prima pueritiae rudimenta in urbe severitatis antiquae deposuit. *Id.* 9, 1. *f.* Sub militia patris tirocinii rudimenta deponere. Adde *Suet. Ner.* 22.

RŪDĪNUS, a, um, adj. *Ῥωδιακός*, ad Rudias Calabriae oppidum, nunc *Rugge*, pertinens, quae Ennii patria fuit, Graece *Ῥωνδία* et *Ῥωδία*. Unde *Sil.* 12, 396. Miserunt Calabri, Rudiae genuere vetustae: Nunc Rudiae solo memorabile nomen alumno. Ipse *Enn.* de se, ap. *Cic. Or.* 3, 42. *extr.* Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini. [*Ita *Orell.*] Alii leg. *qui fuimus Rutuli*, aut *Rutili:* alii *qui fuimus Rudii:* alii aliter. Primam lectionem confirmat *Auson.*, cujus est illud in *Grammaticomast.* 17. Unde Rudinus ait, Divum domus altisonum coel? Prima autem syllaba *ru* corripitur, quia poetae alteram diphthongi seu proprii, seu improprii vocalem saepe exterere consueverunt, et in *ω* alterum *o*.

RŪDIS, e, adj. *αὐτόσχεδος, ἀνέργαστος*, incultus, impolitus, inelaboratus, non levigatus, inornatus, imperfectus: unde *rudis* virga gladiatorum, de qua in v. sq. *Cincius* ap. *Fest.* in *Rodus*. Omnis fere materia non deformata, rudis appellatur, sicut vestimentum rude, non perpolitum. *Virg. G.* 2, 211. At rudis enituit impulso vomere campus. *Varr. R. R.* 1, 44. Multum interest, in rudi terra, an in ea sera, quae quotannis obsita sit. *Colum.* 3, 11. Rudem potius eligendum agrum, quam ubi fuerit seges. *Virg. A.* 9, 743. ille rudem nobis, et cortice crudo Intorquet summis adnixus viribus hastam. *Petr. Sat.* 114. Rudis atque infecta materies. *Ov. Met.* 1, 7. chaos, rudis indigestaque moles. *Plin.* 11, 51, 112. Rudis parietum circumjectus, *h. e.* parietum tectorio non politorum. *Ov. A. Am.* 3, 227. Cur mihi nota tuo causa est candoris in ore? Claude forem thalami: quid rude prodis opus? *h. e.* opus fucandi oris, cum adhuc imperfectum est. *Id. Met.* 6, 19. Rudis lana. *Id. Fast.* 4, 659. vestis. *Id. Met.* 8, 640. Textum rude; et *ib.* 1, 406. Signa rudia. [*Possunt esse nondum elaborata satis. Sed ne idem ter dicat, non male rudis antiquitatis signa intelliges. *Gierig.*] et *Quint.* 9, 4. *med.* saxa; et *Plin.* 37, 3, 11. *n.* 2. Succinum advehi rude, polirique adipe suis. *Id.* 33, 3, 13. Servius rex primus signavit aes: antea rudi usos Romae, Timaeus tradit. V. GRAVIS. *Sen. Hipp.* 320. Dare legem rudibus capillis, i. e. incomptis. *Ov. A. Am.* 3, 113. Rudis simplicitas, *h. e.* inornata. *Mart.* 2, 90. fons vivus, et herba rudis, *h. e.* sua sponte nascens, nulla arte exculta aut disposita, ut fit in hortis deliciarum causa institutis. *Id.* 10, 48. Prototomi rudes, *h. e.* vel nulla, vel simplici conditura in cibum parati. ℙ Translate. *Pl. Poen.* 1, 1, 60. Placet consilium. *Mil.* imo etiam ubi expolivero, magis hoc tum demum dices: nunc etiam rude est. *Cic. Or.* 1, 2. Quae pueris, aut adolescentulis nobis, ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt. ℙ Ex his apparet, *rudia* dici quae talia sunt, qualia natura edidit, nihilque illis adhuc adjectum est. Hujusmodi sunt *lana, herba, hasta, campus rudis, aes rude*, etc. Hinc *rudes querelae* ap. *Mart.* 11, 70. sunt sine arte, non fictae. Sic dicuntur etiam quae recentia sunt, nova, integra. *Plin.* 35, 6, 26. de purpurisso: Praecipuum est primum, fervente aheno rudibus medicamentis inebriatum, i. e. sanie purpurae, quae nondum quidquam aliud tinxit. *Petr. Sat.* 94. *f.* Rudis novacula, et retusa, *h. e.* nova, cote nondum asperata, et quae nullam adhuc barbam desecuit. *Claud. VI. cons. Honor.* 541. lunamque rudem madefecerat Auster, *h. e.*

novam. *Id. Nupt. Honor. et Mar.* 80. Rudes lacrimae, *h. e.* quae funduntur a teneris juvenibus tum primum amore implicitis. *Lucan.* 3, 193. et *Appul. Met.* 11. Rudem dedicantes carinam, *h. e.* novam, et mare nondum expertam. Et translate *Catull.* 64, 11. rudis Amphitrite, *h. e.* mare nondum navibus tentatum. *Sen. Troad.* 217. Rudem cruore regio dextram imbuit, *h. e.* quae sanguinem nondum feriendo hauserat. *Mart.* 1, 67. Secreta quaere carmina, et rudes curas, *h. e.* quae nondum vulgatae sunt, neque expertae judicium vulgi. *Prop.* 3, 13, 5. Rudes animi, *h. e.* nondum amorem experti. ℙ *Rudis agna* ap. *Mart.* 9, 72. est tenella, recens a matre: *τέρεν πρόβατον.* Sic *rudis filia*, parvula, infans, 7, 95. ℙ Aliquando *rudis* est durus, non mollitus. *Id.* 13, 68. Turget adhuc viridi cum rudis uva mero. ℙ ℙ Translate a prima significatione est imperitus, ignarus, indoctus, *ἀπαίδευτος, ἀμαθής. Cic. Fl.* 7. Imperiti homines, rerum omnium rudes ignarique. *Plin. ep.* 8, 14. Rudis et imperitus. *Cic. Marcell.* 7. *med.* Quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in republica, qui, etc.? *Id. Balb.* 20. *med.* Non imperitus foederis, non rudis exemplorum. *Gell.* 13, 16. Rudis litterarum. *Suet. Tit.* 4. musicae. *Hor. Ep.* 2, 2, 47. belli civilis. *Ov. Fast.* 4, 336. juvenca operum conjugiique rudis. *Id. Trist.* 2, 424. et *Stat. Theb.* 6, 437. Ennius ingenio maximus, arte rudis. *Vell.* 2, 73. Adolescens studiis rudis, sermone barbarus, impetu strenuus. *Cic. Verr.* 2, 2, 6. *med.* Provinciae rudis, et tiro. *Id. Or.* 1, 50. *extr.* Orator nulla in re tiro ac rudis, nec peregrinus atque hospes in agendo esse debet: et *ib.* 58. *med.* In communi vita nec hebetem esse, nec rudem. *Prop.* 2, 25, 82. Sive in amore rudis, sive peritus erit. *Liv.* 24, 48. Rudem ad pedestria bella Numidarum gentem esse. *Ov. Her.* 11, 48. Et rudis ad partus, et nova miles eram. *Id. Pont.* 3, 7, 18. Ad mala jampridem non sumus ulla rudes. *Quint.* 1, 1., *Tac. A.* 13, 16. et *Sen. Thyest.* 317. Rudes anni, *h. e.* infantiae, et pueritiae. *Val. Max.* 5, 3. *in.* et *Quint.* 12, 11. *med.* Rude saeculum, *h. e.* sine litteris. *Plin.* 18, 29, 69. *n.* 3. Rudis fuit priscorum vita, et sine litteris. ℙ Item molestus, incommodus, noxius. *Mart.* 6, 42. fontes Aponi rudes puellis: scil. quia in his viri recreantur, si mulier descendat, incenditur, inquit *Cassiod. Var.* 2, 39. *med.* ℙ Item agrestis, rusticus. *Quint.* 11, 3. *med.* Sit vox non subsurda, rudis, immanis, dura, rigida, etc. *Ov. A. Am.* 1, 111. rudem praebente modum tibicine Tusco. ℙ *Rude* in ablativo. *Inscr.* ap. *Mur.* 347, 1. Moenia de rude coepta solo. ℙ Comp. *Rudior* non habet, quod sciam, exempla: non tamen improbaverim. Sup. *Rudissimus* tribuitur *Ammian.* 26, 6. Inexorabilis, et crudelis, et in rabido corde rudissimus. Sed alii leg. *durissimus.*

RŪDIS, is, f. virga impolita, qualis erat, qua gladiatores olim, cum ipsis permitteretur a gladiatorio munere cessare, a praetore donabantur, et publica alebantur pecunia. *Cic. Phil.* 2, 29. *extr.* Tam bonus gladiator rudem tam cito accepisti? ℙ Hujusmodi rudibus ipsi gladiatores cum ad artem discendam exercebantur, pugnabant. *Suet. Cal.* 32. Myrmillonem e ludo rudibus secum batuentem, et sponte prostratum confudit ferrea sica. *Auct. ep. ad Octavium f.* Veteres vulneribus, et aetate confectos gladiatores ad rudem compellere, *h, e.* ad resumendam professionem cogere. *Ov. Am.* 2, 9, 22. Tutaque deposito poscitur ense rudis. *Id. A. Am.* 3, 515. Sic ubi prolusit, rudibus puer ille relictis, Spicula de pharetra prompsit acuta sua. *Liv.* 26, 51. Rudibus inter se in modum justae pugnae concurrerunt, praepilatisque missilibus jaculati sunt. [*Inscr.* ap. *Grut.* 333, 4. Decorato retiario, qui peremit Caerulum, et peremptus decidit. Ambos exstinxit rudis, utrosque protegit rogus. *F.*] ℙ Translate respiciendo ad priorem rudis usum, accipitur pro libertate, et optato rei cujusvis fine: et *rudem dare*, seu *donare* est a quovis munere dimittere: *rudem mereri*, est mereri missionem, vel cessationem a labore, vel officio: *rude donari*, vel *rudem accipere*, quocumque onere liberari, a munere quovis in otium restitui, vel ob aetatem, vel ob imbecillitatem, etc. *Hor. Ep.* 1, 1, 2. Spectatum satis, et donatum jam rude quaeris, Maecenas, iterum antiquo me includere ludo. *Mart.* 3, 36. Ut nondum credas me meruisse rudem. *Juven.* 7, 171. Ergo sibi dabit ipse rudem. ℙ Hinc *prima rudis*, vel *summa rudis* seu conjunctim *summarudis* vocabatur primus lanista, seu gladiatorum doctor, et *secunda rudis*, qui secundo loco id muneris obibat. *Inscr.* ap. *Mur.* 613, 3. D. M. et memoriae aeternae Hylatis dymachaero (lege *dimachaero)* sive assidario (lege *essedario)* P. VII Ru. I. (*h. e.* pugnarum septem rudi primae) Ermais conjugi, etc. Alia ap. *Don. cl.* 11. *n.* 12. et *Mur.* 1232, 4. Cornelio Eugeniano summarudi, et Corneliae Rufinae parentib. dulcissimis filia fecit. Alia ap. *Grut.* 57, 8. Deo Marti Aug. Callimorphus secunda rudis. Alia ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 682. Q. Titio Lathrico secundae rudi Caesarum fecit Nymphidia Quartina uxor bene merenti. Adde aliam ap. *Mur.* 619, 2., in qua pro *secunda audis* legendum *secunda rudis*, ut invicte probat *Marinius l. c.* ℙ Sumitur etiam *rudis* pro ligula, seu spatha, idest virga lignea, qua res agitantur, et miscentur, ut fit in iis, quae coquuntur. *Plin.* 34, 18, 50. Uritur in patinis per laminas minutas cum sulphure, versatum rudibus ferreis, aut ferulaceis. *Cato R. R.* 79. Coquito, versatoque crebro duabus rudibus.

RŪDITAS, atis, f. *ἀμαθία*, ignorantia, imperitia. *Appul. Flor. n.* 20. Litteratoris ruditatem eximere.

RŪDĪTUS, us, m. *ὀγκηθμὸς*, vox asini. *Appul. Met.* 8. Audito ruditu meo. In *Gloss. Philox.* est *ruditum*, *i*, neutr. gen.

RŪDIUS, a, um, adj. Rudinus: a Rudiis. *Cic. Arch.* 10. de Ennio: Rudium hominem majores nostri in civitatem receperunt. *Sulpicia Sat.* 46. de eod.: Scipio, qui Rudio crevit formante magistro. Alii leg. *Rhodio*, et Panaetium philosophum ex Rhodo insula intelligunt: quod veri similius est.

RŪDO, is, rudi, et ivi, a. 3. et 4. *ὀγκάομαι*, clamorem asini edo. Prima syllaba fere corripitur, aliquando producitur. *Ov. Fast.* 6, 342. Intempestivo cum rudit ille sono. *Id. Fast.* 1, 433. Ecce rudens rauco Sileni vector asellus, *Id. A. Am.* 3, 290. Ut rudit ad scabram turpis asella molam. *Pers.* 3, 9. Findor, ut Arcadiae pecuaria rudere credas. *Appul. Met.* 7. Porrectis auribus, proflatisque naribus, rudivi fortiter. ℙ Exprimit etiam vocem inconditam aliorum animalium. *Virg. A.* 7, 16. de leonib.: saeva sub nocte rudentum. *Id. G.* 3, 374. de cervis: graviterque rudentes Caedunt. *Claud. Cons. Mall. Theod.* 298. Conveniant ursi, magna quos mole rudentes, etc. ℙ De incondita voce hominis. *Virg. A.* 8, 248. de Caco: Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem. *Lucil.* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. *f.* Haec, inquam, rudet e rostris, atque ejulitabit, Concursans ut arenarius, clareque quiritans.

RŪDOR, oris, m. ruditus, clamor inconditus, mugitus, stridor, murmur. *Appul. de Mundo:* Mycetias vocatur tetri rudoris inquietudo terrena. *Id. Flor. n.* 17. Vox hominis et tuba rudore torvior, et lyra concentu variatior.

RŪDUS, ĕris, n. duplex est, vetus et novum. Vetus Graeci vocant *λοπάριον*, fragmina minuta laterum, vel lapidum, et duratae calcis ex aedificiis prolapsis: quarum rerum aliquis usus est et in novis exstruendis. *Tac. A.* 15, 43. Ruderi accipiendo Ostienses paludes destinabant: utique naves, quae frumentum Tiberi subvectassent, onustae rudere decurrerent. *Suet. Aug.* 30. Alveum Tiberis laxavit, et perpurgavit, completum olim ruderibus, et aedificiorum prolapsionibus coarctatum. *Id. Vesp.* 8. *f.* Restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit. ℙ Novum rudus est vel glarea, vel lateres, aut saxa contusa: quae calce admixta usum habent praecipue in pavimentis: unde *ruderatio*, et *rudero*. Hinc illa *rudus inducere*, *injicere*, *solidare*, *densare*, *fistucare*, *subigere*, *fricare*, etc. ap. *Cat. R. R.* 18., *Vitr.* 7, 1., *Plin.* 36, 25, 62. et 63., *Pall.* 1, 9. et 6, 11. Hinc *rudus* est ipsum pavimentum ex glarea aut saxis contusis admixta calce solidatum. Pavimentum vero dicitur, cum ex lapide quadrato, aut lateribus integris stratum est: illud dicitur Ital. *un battuto*, *un terrazzo:* hoc *selciato*, *lastrico. Isid. Or.* 16, 3. Rudus artifices appellant lapides contusos, et calci admixtos, quos in pavimentis faciendis superfundunt, unde et rudera dicuntur. *Hirt. B. Alex.* 1. Alexandriae aedificia tecta sunt rudere, aut pavimentis. *Auct. B. Hisp.* 8. Omnia loca rudere, non tegulis, teguntur. V. PAVIMENTUM: ℙ Alia est ruderis ratio in illo *Colum.* 10, 81. Rudere tum pingui, solido vel stercore aselli, Armentive fimo saturet jejunia terrae. In *Gloss. Philox.* rudus dicitur *βῶλος, χῶμα*, quae voces glebam, aut terram significant. Itaque *Colum.* videtur *pingue rudus* intelligere pinguem terram, probe maceratam et fermentatam, qua hodieque ad stercorandos hortos utuntur, et Itali vocant *terruzzo.* ℙ *Purgare rudera* Latinum est, illud contra *rejicere rudera* ab antiquis esse negat *Morcell. de stil. Inscr. Lat.* T. 1. p. 238. *ed Pat.*, ac notas illas *R. R.*, quas plerique *ruderibus rejectis* interpretari solent ap. *Grut.* 198, 2. 3. 4. et al., legendas esse ait per haec verba *recta regione*, quae omnibus litteris perscripta ap. *eund. Grut.* exhibentur p. 200. *n.* 3., quaeque rei omnino conveniunt, de qua in cippis riparum Tiberis agitur. Hanc eandem sententiam amplexus est, et plurimis comprobat exemplis *Marin. Frat. Arv.* p. 617. ℙ Denique *rudus*, idem est ac *raudus*, h. e. aes infectum, aes rude, aliquando et signatum, v. gr. asses, ut in ea voce dictum est. *Prud. Apoth.* 792. sculptor ab aeris Rudere decoctam consuescit fingere massam. *Liv.* 26, 11. *med.* Aeris acervi, cum rudera milites religione inducti jacerent, post profectionem Annibalis magni inventi, *h. e.* cum milites Poeni aera conferrent ad placandum numen, cujus templum jussu Annibalis spoliaverant. *Jacere rudera*, videtur eo sensu dictum, quo *Id.* 3, 18. *extr.* In consulis domum plebes quadrantes, ut funere ampliore efferretur, jactasse fertur; et *Suet. Aug.* 57. Omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto stipem jaciebant.

RŪDUSCŬLUM. V. RAUDUSCULUM.

*RUES, is, f. pro Ruina in *Gloss. Cyrill. B. A.*

RŪFESCO, is, n. 3. *πυῤῥάζομαι*, rufus fio. *Plin.* 40, 29, 42. Grues senectute nigrescunt, merula ex nigra rufescit. *Id.* 28, 12, 53. Butyrum cum melle decoctum, donec rufescat. *Adde 34, 18. et 36, 19. *B. A.*

[RŪFILLUS, a, um, dimin. rufi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 1284, 11. Veltius Q. L. Rufillus, Veltia Q. L. Nice, Veltia Rufilla Q. L. filia patri et matri F. C. *F.*]

[RŪFĪNUS, a, um, adj. ad rufum pertinens. Est cogn. R., ut P. Cornelius Rufinus bis consul, ap. *Val. Max.* 2, 8. *n.* 4. et Calvisia C. F. Rufina in *Inscr.* ap. *Grut.* 305, 9. *F.*]

[RŪFĬO, onis, m. dimin. rufi. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Mur.* 963, 5. L. Magius P. F. Rufio. *F.*]

RUFĪUS. V. CHAMA.

RŪFO, as, a. 1. *πυῤῥόω*, rufum facio. *Plin.* 23, 2, 32. Tunc *(faex aceti)* addito lentiscino oleo illita, una nocte rufat capillum. *Id.* 15, 22, 21. Rufatur capillus primum prodeuntibus nucleis. Adde 23, 4, 46.

[RUFRĀNUS, a, um, adj. ad Rufras, seu Rufriam pertinens. Samnii oppidum in confinio Campaniae, cujus mentio est ap. *Liv.* 8, 25., *Virg. A.* 7, 739. et *Sil.* 8, 566. *Inscr.* ap. *Mur.* 267, 6. Rufrani vicani. *F.*]

[RUFRĒNUS, a, um, adj. ad Rufrenum aliquem pertinens. Est nomen legis cujusdam, et alibi non memoratae. *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 39. Divo Julio jussu populi Romani statutum est lege Rufrena. ℙ Est autem cognomen R., et deinceps gentilicium etiam nomen factum. *Inscr.* ap. *eund. ib.* p. 327. C. Gigennius Rufrenus. Alia ap. *Mur.* 1050, 8. Rufrena L. L. Stacte. Etiam *Cic. Fam.* 10, 21. memorat *Canidios Rufrenosque cives* Romanos. *F.*]

*RUFRI MACERIA vel MACERIAE, loci, fortasse oppidi, nomen in Campania, Nolae vicini. *Cato R. R.* 22. *extr.* Nolae ad Rufri maceriam claves *(optimae erunt).* Adde 135. *B. A.*

*RUFRIUM vel Ruferium, i, n. Italiae oppidum, in Hirpinis. *Liv.* 8, 25. ubi edd. *Drakenb.* et *Gronov.* habent *Ruffrium.* ℙ Sunt qui credunt (e. g. *Cluverius)* idem oppidum esse cum Rufris, dissentiente tamen *Cellario.* Recentioribus est *Ruvo*, *Cluverio* judice. *B. A.*

RŪFŬLUS, a, um, adj. dimin. rufi. *Pl. As.* 2, 3, 20. Macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus. *Plin.* 25, 13, 94. Mandragora foliis hirsutis, radicibus binis rufulis, intus albis, etc. ℙ Rufuli, sive Rutuli, unum genus tribunorum militum, ita dictum a Rutilio Rufo, qui de eorum jure legem tulit. Tribuni enim militum dividebantur in Rufulos, sive Rutulos, et Comitiatos. *Ascon.* in *Cic. Verr.* 1, 10. Tribunorum militarium duo sunt genera, primum eorum, qui Rufuli dicuntur. Hi in exercitu creari solent. Alii sunt Comitiati, qui Romae comitiis designantur. *Fest.* Rufuli tribuni militum appellabantur, quos consules faciebant, non populus: de quorum jure quod Rutilius Rufus legem tulerit, qua eis cavebatur multis modis, (sic enim elevaverant eorum jus, ac tunc elevabant, qui populi suffragio creabantur) Rufuli a cognomine Rutilii, ac post Rutuli appellati sunt. *Liv.* 7, 5. *f.* Et cum eo anno primum placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri, (nam et antea, sicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant) T. Manlius, qui postea Torquatus appellatus est, secundum in sex locis tenuit.

RŪFUS, a, um, adj. *πυῤῥός, ξανθός.* Docet *Gell.* 2, 26. nomen esse generale cujuscumque rubri coloris: et idem significare, quod russus, et ruber: cujus species sunt fulvus, flavus, rubidus, rutilus, phoeniceus, etc. Itaque usurpatur de omnibus rubri coloris gradibus: et praecipue de eo, qui non plane rubet, sed ad flavum nonnihil declinat: vel qui ita flavus est, ut ad ruborem accedat. *Cels.* 2, 8. Sputum mixtum rufo quodam sanguine. *Vitr.* 8, 3. *med.* Quoniam in campis Trojanis proxime flumen armenta rufa, et pecora leucophaea nascuntur, ideo id flumen Ilienses Xanthum appellavisse dicuntur. *Mart.* 14, 129., cujus lemma *Rufae Canusinae:* Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis: Et placet hic pueris, militibusque color; et *Plin.* 31, 7, 41. Sal ruber Memphi, rufus est circa Oxum; et 17, 24, 37. *n.* 3. Sorbus arbor infestatur vermiculis rufis et pilosis; et 32, 6, 21. Ostrea rufa Hispaniae, fusca Illyrico, nigra Circejis. *Id.* 18, 9, 20. *n.* 1. Campana siligo rufior, at Pisena candidior. *Id.* 16, 14, 25. In tilia mas et femina differunt: nam materies mari dura rufiorque. ℙ Cum dicitur de hominibus, refertur ad colorem capillorum. *Pl. Ps.* 4, 7, 120. Rufus quidam, ventriosus, crassis suris, subniger, magno capite, acutis oculis, ore rubicundo, admodum magnis pedibus. Creditur a nonnullis *Plautus* his notis se ipse descripsisse. ℙ Hic color in cute puellarum improbatur, ut videre est ap. *Ter. Heaut.* 5, 5, 17. et *Mart.* 2, 33., 6, 39. et 12, 32.; candida enim membra, coma vero rufa seu flava laudantur saepissime apud poetas Graecos et Latinos, ut pluribus ostendit *Ug. Foscolo* in *Chioma di Berenice* p. 205.-213. ℙ Ab hoc facta sunt *Ruforum*, *Rufinorum*, *Rufillorum* et *Rufionum* cognomina non una in familia apud Romanos. *Quint.* 1, 4. *med.* Scrutabitur origines nominum, ut quae ex habitu corporis Ciceriones, Rufos, Longosque fecerunt. Hinc in *Inscr.* ap. *Grut.* 1026, 2. C. Cornelius Rufus. ℙ Contra sanam orthographiam est geminato *f Ruffus* scribere.

RŪGA, ae, f. *ruga*, *ῥυτίς*, plicatura, et quasi sul-

cus in cute contracta, aspera, et inaequali, ut in senibus videre est. *Hor. Od.* 4, 13, 11. te rugae Turpant, et capitis nives. *Id. Epod.* 8, 4. rugis vetus Frontem senectus exarat. *Virg. A.* 7, 416. in vultus sese transformat aniles, Et frontem rugis arat. *Ov. Pont.* 1, 4, 2. Jamque meos vultus ruga senilis arat; et *Trist.* 3, 7, 34. Rugaque in antiqua fronte senilis erit. *Id. Met.* 3, 276. Sulcavitque cutem rugis. *Petr. Sat.* 23. *extr.* Inter rugas malarum tantum erat cretae, ut putares detectum parietem nimbo laborare. *Prop.* 2, 14, 8. Et faceret scissas languida ruga genas. *Tibull.* 2, 2, 19. tarda senectus Inducit rugas. ℙ Metonymice est aetas provecta. *Hor. Od.* 2, 14, 1. fugaces Labuntur anni, nec pietas moram Rugis, et instanti senectae Afferet. *Cic. Sen.* 18. Non cani, non rugae repente auctoritatem arripere possunt. ℙ Rugae frontis tristitiam et moerorem significant. *Ov. A. Am.* 1, 240. Tunc dolor, et curae, rugaque tristis abit. *Juven.* 13, 215. densissima ruga Cogitur in frontem. *Id.* 14, 325. Haec quoque si rugam trahit, extenditque labellum, etc. *Varr. R. R.* 1, 2. *f.* Hujusce pedes solent dolere, et in fronte contrahere rugas. ℙ Item severitatem, et rigidos mores. *Cic. in Sen.* 7. Populum R. non consilio, neque eloquentia, sed rugis supercilioque decepit. *Prop.* 2, 24, 23. nunquam vitae fallet me ruga severae. *Ov. Am.* 2, 2, 33. Cum bene vir traxit vultum, rugasque coegit. *Plin. ep.* 9, 17. Vis tu remittere aliquid ex rugis? ℙ In vestibus *rugae* sunt parvulae plicaturae, contra grandes cavitates inter rugas *sinus* dicuntur. *Plin.* 35, 8, 34, Cimon articulis membra distinxit, venas protulit, praeterque in veste et rugas, et sinus invenit. *Petr. Sat.* 102. Vestes quoque diutius vinctas ruga consumit. *Macr. Sat.* 2, 9. Hortensius togam corpori sic applicabat, et rugas non forte, sed industria locatas artifex nodus constringeret, et sinus ex composito defluens nodum lateris ambiret. Adde *Tert. Pall.* 5. *in.* ℙ A similitudine rugarum senilium usurpatur et in aliis rebus. *Plin.* 11, 37, 45. Cornua erecta, rugarumque ambitu contorta strepsiceroti. *Id.* 18, 31, 74. *med.* Mali rugis per cochleas bullantibus. *Id.* 15, 16, 18. *n.* 1. Aquilonis afflatus poma deturpans rugis; et *ib.* 13, 12. Pruna siccata in rugas. *Id.* 12, 7, 14. Candidum piper tostum solibus colore rugisque mutatur. *Id.* 9, 35, 54. Margaritae flavescunt senecta, rugisque torpescunt. *Id.* 17, 14, 24. Cortex arboris replicatur in rugas. *Id.* 8, 10, 10. Arctare aliquid in rugas. *Juven.* 14, 2. Nitidis rebus maculam et rugam figere, *h. e.* res bonas corrumpere, ut rugae in vultu pulcritudinem oris corrumpunt. ℙ Fuit etiam cogn. R., ut Sp. Carvilius Ruga: quem primum Romae divortium cum uxore fecisse, ann. U. C. DXXVII., scribunt *Gell.* 4, 3. et 17, 21. et *Val. Max.* 2, 1. *n.* 4. V. CARVILIANUS. Item M. Acilius L. F. Quir. Ruga, in *Inscr.* ap. *Mur.* 233, 3.

RŪGĀTUS, a, um, part. a *rugo:* in rugas contractus, rugosus. *Plin.* 9, 33, 52. de concharum testis: Laevibus, rugatis, denticulatis, striatis.

*RUGĪI, orum, populi Germaniae septentrionalis, quorum caput Ῥύγιον, *Rugium*, dictum, si qua fides *Ptolomaeo. Tac. G.* 43. ℙ Prope ostium fluminis, quod hodie *the Wipper* audit, superest locus *Rügenwald* dictus, qui veterem nomenclaturam regionis confirmat. Est et illic viciniae insula *Rügen* appellata. *B. A.*

RŪGĪNOSUS, a, um, adj. rugosus. *Coel. Aurel. Acut.* 1, 11. Cutis veluti ruginosa, vel sulcata pannositas, quam Graeci ῥάχωσιν vocant.

RŪGĬO, is, n. 4. *βρυχάομαι*, leonum est, cum vocem emittunt. Factum est a sono, ut *muggire, gannire*, multaque alia. *Spart. Get.* 5. Agni balant, porcelli grunniunt, ursi saeviunt, leones rugiunt. *Auct. carm. Philom.* 49. Tigrides indomitae rancant, rugiuntque leones. ℙ Translate. *Hieron. ep.* 52. *n.* 6. Vix milio, et cibario pane rugientem saturare ventrem poteram. V. v. sq. et MURMURO.

RŪGĪTUS, us, m. *βρυχηθμός*, vox leonis. *Vopisc. Prob.* 19. Centum leones, qui rugitibus suis tonitrua excitabant. ℙ Translate. *Coel. Aurel. Tard.* 3, 2. et *ib.* 4, 7. Interiorum rugitus, quem Graeci *βορβορυγμὸν* vocant. *Hieron. ep.* 22. *n.* 11. Intestinorum rugitus, et inanitas ventris.

RŪGO, as, a. 1. *ῥυτιδόω*, in rugas contraho. *Hieron. ep.* 50. *n.* 2. Si rugasset frontem, jactasset manum, barbam tornasset. ℙ Neutrorum more, in rugas contrahor, *ῥυτιδόομαι. Pl. fragm.* ap. *Gell.* 18, 12. Quid est hoc? rugat pallium: amictus non sum commode. *Id. Cas.* 2, 3, 30. Vide palliolum ut rugat. Observat autem *Gell. ib.*, id quoque habitum esse in oratione facienda elegantiae genus, ut pro verbis habentibus patiendi figuram, agentia ponerent: additque praeter hoc alia tum ejusdem *Plauti*, tum aliorum exempla.

RŪGOSĬTAS, atis, f. rugarum multitudo, rugae. *Tert. Pat.* 15. Si et effigiem ejus comprehendamus, vultus illi tranquillus et placidus, frons pura, nulla moeroris aut irae rugositate contracta.

RŪGOSUS, a, um, adj. *ῥυτιδώδης*, rugis plenus. *Ov. Am.* 1, 8, 112. Rugosae genae. *Tibull.* 3, 5, 25. Cum mea rugosa pallebunt ora senecta. *Mart.* 3, 2. et *ib.* 4, 7. Interiorum rugitus, quem Graeci 3, 93. Rugosiorem cum geras stola frontem. *Id.* 13, 29. Pruna peregrinae carie rugosa senectae. *Id.* 4, 89. Nec rugosarum vimen breve Picenarum. V. PICENUS. *Colum.* 11, 43. *med.* Rugosa acina *Ov. Her.* 5, 28. Populi rugosus cortex. *Pers.* 5, 55. Rugosum piper; et *ib.* 91. Rugosa sanna: scil. quia in sanna os et nares corrugantur. *Hor. Ep.* 1, 18, 105. rugosus frigore pagus. *Imppp. Theodos., Arcad. et Honor. Cod.* 11, 40, 4. Si qua pictura rugosis sinibus agitatorem offerat in publicis porticibus, illico revellatur. Hujusmodi porro agitatoris figuram videre est ap. *Visc. Mus. Pio-Clem.* T. 3. *tab.* 31. *Claud. in Eutrop.* 1, 110. sulcisque genarum Corruerat passa facies rugosior uva.

*RUGUSCI, orum, populi Alpini, inter eos quos Caesar subegit. *Plin.* 3, 20. *B. A.*

RŪĪDUS, a, um, adj. non laevigatus, impolitus, asper. *Ruidum pilum* opponitur *praeferrato* in pistura farris. *Plin.* 18, 10, 23. Etruria spicam farris tosti pisente (lege *pisit*) pilo praeferrato, etc. Major pars Italiae ruido utitur pilo: *ruidus* quibusdam dictus videtur a *ruendo*, h. e. cadendo, quia crebro casu pilum frumenta pisat, et decorticet. Qui leg. *ruvidus*, contra vet. lib. faciunt, et MSS.

RŪĪNA, ae, f. πτῶσις, κατάπτωσις, casus, lapsus: a *ruendo*. *Lucr.* 6, 155. Ruina grandinis. *Mart.* 13, 25. nucum. *Coel. Aurel. Tard.* 2, 1. *med.* aquarum, *h. e.* stillicidium. *Prop.* 2, 25, 4. Capanei magno grata ruina Jovi, *h. e.* cum ictus fulmine de muro Thebarum cecidit. *Cic. Or.* 2, 86. Scopas ruina conclavis oppressus cum suis interiit. [*V. *Schütz. cl. Cic.* s. v.] *Hor. Od.* 2, 19, 14. tectaque Penthei Disjecta non leni ruina. *Id. ib.* 1, 37, 6. dum Capitolio Regina dementes ruinas, Funus et imperio parabat. *Sen. Ira* 1, 16. *med.* In ruinam prona sunt, quae sine fundamentis crevere. ℙ *Dare, facere ruinam*, ruere, cadere. *Virg. A.* 2, 310. jam Deiphobi dedit ampla ruinam, Vulcano superante, domus. *Hor. Sat.* 2, 8, 54. Interea suspensa graves aulaea ruinas In patinam fecere. ℙ *Ruinam trahere*, idem. *Virg. A.* 2, 465. turris lapsa repente ruinam Cum sonitu trahit; et *ib.* 631. ornus traxit jugis avulsa ruinam. Adde *ib.* 8, 192. et *ib.* 9, 712. ℙ *Dare ruinam*, active, sternere, deruere. *Id. ib.* 11, 613. Connixi incurrunt hastis, primique ruinam Dant sonitu ingenti, *h. e.* stragem hostium edunt. ℙ Pro strage, caede, et clade exercitus ponitur et a *Val. Fl.* 3, 206. nox alta cadentum Ingentes donec sonitus, augetque ruinas; et a *Liv.* 42, 66. *f.* Ibi vere clamor jubentium referre signa, ruinae quoque prope similem trepidationem fecit; et ab *Hor. Od.* 4, 14, 18. Devota morti pectora liberae Quantis fatigaret ruinis. ℙ De morte. *Id. ib.* 2, 17, 8. ille dies utramque Ducet ruinam, *h. e.* mihi quoque una tecum afferet interitum. *Virg. G.* 4, 249. generis lapsi sarcire ruinas, *h. e.* apum excidium. *Plin.* 17, 25, 38. Prodigium in nostro aevo Neronis principis ruina factum. ℙ Interdum ruina est ipsa res, quae ruit. *Id.* 33, 4, 21. Flumina ad lavandam hanc ruinam jugis montium ducere. *Ov. Met.* 15, 424. Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas Ostendit. *Hor. Od.* 3, 3, 7. Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinae. [*Liv. 42, 3. ruinis templorum templa aedificantur. *Suet. Vesp.* 8. deformis Urbs veteribus incendiis ac ruinis erat. *Vell.* 2, 19, 4. Ruinae Carthaginienses; et 2, 35, 4. ruinae urbis.] ℙ Ruina coeli, quidquid e coelo ruit, et praecipue fulmina, ac tonitrua, quibus ipsum ruere coelum videtur: simulque fragor talium rerum comes. *Virg. A.* 1, 133. Fluctibus oppressos Troas, coelique ruina. *Sil.* 1, 251. de Annibale: vertice nudo Excipere insanos imbres, coelique ruinas. *Val. Fl.* 8, 334. Crebra ruina poli coelestia limina laxat. ℙ Interdum *ruina* est impetus et incursus cujuspiam rei in aliquid irruentis. *Mart.* 7, 19. de Argo navi: Quam nec Cyaneae quondam potuere ruinae Frangere. *Val. Fl.* 4, 694. fugit ipse novissimus ictus Tiphys, et e mediis sequitur freta rapta ruinis. ℙ Translate est quaevis calamitas, pernicies, excidium. *Cic. Cat.* 1, 6. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties. *Liv.* 21, 10. *med.* Sagunti ruinae (falsus utinam vates sim) nostris capitibus incident. *Sall. Cat.* 32. *extr.* Quoniam quidem circumventus ab inimicis praeceps agor, incendium meum ruina restinguam, *h. e.* excidio reipublicae. Adde *Cic. Mur.* 25. *extr. Vell.* 2, 91. *f.* Ita se mores habent, ut publica quisque ruina malit occidere, quam sua proteri. *Ov. Met.* 8, 498. Spemque patris, regnique trahat, patriaeque ruinam. *Id. Pont.* 1, 4, 5. Nec, si me subito videas, agnoscere possis: Aetatis facta est tanta ruina meae. *Lucr.* 1, 740. Principiis tamen in rerum fecere ruinas, Et graviter magni magno cecidere ibi casu, *h. e.* graviter lapsi sunt, et a veritate longe aberrarunt. ℙ [*De lapsu et errore in philosophando. *Cic. Fin.* 5, 28. Utinam quidem dicerent, alium alio beatiorem; jam ruinas videres. *Legg.* 1, 13. Si invaserit (Academia recens) in haec quae satis scite nobis instructa et composita videntur, nimias edet ruinas. *Schütz. cl. Cic.* s. v.]

RŪĪNOSUS, a, um, adj. *ἐρείψιμος*, qui ruinam minatur. *Cic. Off.* 3, 13. Aedes male materiatae, ruinosae. *Sen. Ira* 3, 35. *extr.* Parietes exesi, ruinosi, inaequales. ℙ Translate qui cecidit. *Ov. Her.* 1, 55. Semisepulta virum curvis feriuntur aratris Ossa: ruinosas occulit herba domos.

RULLĂ. V. RALLUM.

[RULLIĀNUS, a, um, adj. ad rullum pertinens. Est cogn. R. *Fast. cons.* ap. *Grut.* 296. *col.* 2. Q. Fabius M. F. Maximus Rullianus Cos. V. *h. e.* ann. U. C. CDLIX. *Rullianus* porro fuit cognominatus a cognomine patris, qui fuit M. Fabius N. F. Ambustus Rullus. V. RULLUS. *F.*]

[RULLIO, onis, m. dimin. rulli, seu rustici, rusticellus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 424, 9. L. Julius M. F. Rullio. *F.*]

RULLUS, a, um, adj. dimin. *Voss.* in *Etym.* docet, esse a *rure*, unde *rurus*, rusticus, et *ὑποκοριστικῶς rullus*, rusticellus. Est cogn. R., ut M. Fabius N. F. Ambustus Cos. III. ann. U. C. CD., de quo mentio est ap. *Liv.* 7, 18., et cui in *Fragm. Dion.* editis ab *A. Maio* in *Collect. Scriptor. vet.* T. 2. p. 160. additur cognomen aliud *Rullus*, unde ejus filius est cognominatus *Rullianus*. V. hanc vocem. Hinc etiam P. Servilius Rullus, contra quem Cicero Agrarias orationes habuit: et Gavia L. F. Rulla in *Inscr.* ap. *Grut.* 564, 9. [*Emendavit hunc locum *F.*]

RŪMĂ, ae, f. et Rumis, is, f. et Rumen, inis, n. *θηλή*, mamma, apud veteres: est a *ῥύω*, sive *ἐρύω*, traho. *Varr.* ap. *Non.* 2, 756. Hisce Manibus lacte fit, non vino, Cuninae propter cunas, Ruminae propter rumam, id est prisco vocabulo mammam: a quo subrimi etiam nunc dicuntur agni. *Id. R. R.* 2, 1. *med.* Agni appellantur subrumi, id est sub mamma: antiquo enim vocabulo mamma rumis, ut opinor; et *ib.* 11. Mammae enim rumis, sive rumae, ut ante dicebant. *Festus* in *Ruminalis:* Mamma autem rumis dicitur: unde et rustici appellant haedos subrumos, qui adhuc sub mammis habentur. *Plin.* 15, 18, 20. Sub ea inventa est lupa infantibus praebens rumen: ita vocabant mammam. ℙ Est praeterea *ruma*, et *rumen* cavus gutturis locus, et ipsum guttur. *Festus:* Rumen est pars colli, qua esca devoratur: unde rumare dicebant, quod nunc ruminare. *Id.* in *Subrumari:* Agni rumine trahunt lacte sugentes. *Serv.* ad illud *Virg. Ecl.* 6, 54. pallentes ruminat herbas: Ruminatio dicta est a ruma, eminente gutturis parte, per quam demissus cibus a certis revocatur animalibus. *Arnob.* 7, 230. Rumae, quae sunt prima in gurgulionibus capita, qua dejicere cibos, et referre natura est ruminatoribus saeculis. Alii perperam leg. *aerumnae. Pomp.* ap. *Non.* 1, 64. Ego rumorem parvifacio, dum sit, rumen qui impleam. Adde *Tert. Resurr. carn.* 4. et *Isid. Or.* 11, 1. *med.* V. RUCTA.

RUMBOTĪNUS. V. RUMPOTINUS.

RŪMEN. V. in RUMA.

RŪMENTUM in auguralibus significare videtur interruptio, abruptiove, dum verba ancilibus movendis praeit, si interim avis canerit, tum aeque atque auspicio, augurio rumentum estod. Haec *Festus.* Ut a *moveo* est *movi, movimen, movimentum, momentum*, ita a *rumpo* fit *rupi, rupimentum, rumentum.* Illa *dum verba*, etc. desumpta videntur a *Festo* ex libris auguralibus. *Paulus* haec omnia ita contraxit: Rumentum, abruptio.

RŪMEX, icis, m. *λαπαθον*, lapathi silvestris genus, ad strumas cum axungia efficacissimum, *Plinio* teste 20, 21, 85. Adde 19, 12, 60. ℙ Reperitur etiam in genere fem. *Id.* 11, 8, 8. Ceras ex omnium arborum, satorumque floribus confingunt, excepta rumice, et chenopode. Sed subintelligi potest *arbore*, vel *herba.* Adde *Pl. Ps.* 3, 2, 26. ℙ Est et rumex teli genus, simile spari Gallici, ut ait *Festus. Lucil.* ap. *eund.* Tum spara, tum rumices portantur, tragula porro. Adde *Gell.* 10, 25.

RŪMĬA, ae, vel Rūmĭnă, ae, f. Dea, quae rumis, idest mammis, et infantibus lactentibus praeerat. *Varr. R. R.* 2, 11. Non negarim ideo apud Divae Rumiae sacellum a pastoribus satam ficum. Ibi enim solet sacrificari lacte pro vino, et pro lactentibus. Mammae enim rumes, sive rumae, et inde dicuntur subrumi agni lactentes. *Id.* ap. *Non.* 2, 756. Hisce Manibus lacte fit, non vino, Cuninae propter cunas, Ruminae propter rumam, id est prisco vocabulo mammam, a quo subrumi etiam nunc dicuntur agni. Adde *August. C. D.* 4, 11., *ib.* 6, 19. *f.* et *ib.* 7, 11.

RŪMĬFĔRO. V. v. sq.

RŪMĬFĬCO, as, a. 1. divulgo, praedico, rumoribus fero. *Pl. Amph.* 2, 2, 46. Quamque adeo cives Thebani vero rumificant probam. Ita MSS. omnia, et lib. vet. Unus *Nonius* 2, 748. *rumiferant.*

RŪMĬGĔRĀTĬO, onis, f. λογοποιία, divulgatio. *Lampr. Elag.* 10. Infami rumigeratione pascuntur.

RŪMĬGĔRO, as, a. 1. idem quod rumito, divulgo. *Festus* in *Rumito.*

RŪMĬGĔRŪLUS, a, um, adj. *διαθρυλλῶν*, qui rumores aucupatur, et gerit, et aliquid divulgat. *Ammian.* 14, 1. Per clandestinos, versutosque rumigerulos. *Hieron. ep.* 117. *n.* 10. Me malignum, suspiciosum, et rumigerulum clamitas. *Id. ep.* 50. *n.* 1. Monachus rumigerulus, rabula, vafer.

RŪMĬGO, as, a. 1. [*biascicare*, nostrates vulgo *rumegare* dicunt, *F.*] idem ac rumino. *Appul. Met.* 4. de Asino: Jam fere tertium qualum (*panis*) rumigabam. *Voss.* legit *rumitabam*, eodem sensu.

RŪMĬN, inis, n. idem ac rumen, ap. veteres.

Varr. R. R. 2, 11. ut *Scal.* legit: Mamma enim rumis, sive rumin. V. RUMA.

RŪMĪNA. V. RUMIA. ℙ *Rumina ficus*, Ruminalis ficus, de qua in v. sq. *Ov. Fast.* 2, 411. quaeque vocatur Rumina nunc ficus, Romula ficus erat. Sunt qui leg. *Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.* Sed hoc est contra historiam. Nam *Liv.* 1, 4. In proxima alluvie, ubi nunc ficus Ruminalis est, (Romularem vocatam ferunt) pueros exponunt. Sic *Varro, Festus, Tac.* etc. *ruminalem* vocant. Ergo haec fuit usitata ejus appellatio, *Romula* vero antiqua.

RŪMĪNĀLIS, e, adj. qui ruminat, ut Ruminales hostiae, eorum animalium, quorum proprium est ruminare. *Plin.* 8, 51, 77. Coruncanus ruminales hostias donec bidentes fierent, puras negavit. ℙ *Ruminalis ficus*, et poetice *Rumina ficus*, fuit ficus illa, sub qua Romulus et Remus ex lupae uberibus pendentes reperti sunt, quae post Urbem conditam erat in foro, et in comitio, et alio nomine *Romula*, et *Romularis* est appellata. Dicta est a *rumine*, id est mamma, quod ibi lupa infantibus illis lac praebuerit. Vel a *rumine*, qua notat cavum gutturis locum, quod sub ea ficu pecudes solerent ruminare. Vel fortasse haec vox ex *Romularis* corrupte facta est. Nam primo *Romularis* appellata est, postea *Ruminalis*, ut *Livius* scribit 1, 4. Adde *Ov.* de quo in v. praec. *Varr. L. L.* 4, 8. *f.* Germalum a germanis Romulo et Remo, quod ad ficum Ruminalem hi inventi, quo aqua hiberna Tiberis eos detulerat in alveolo expositos. *Festus:* Ruminalem ficum appellatum ait Verrius prope curiam, sub Veteribus, quod sub ea arbore lupa rumam dederit Remo et Romulo, idest mammam. *Tac. A.* 13, 58. Eodem anno Ruminalem arborem in comitio, quae super octingentos et quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, et arescente trunco deminutam, prodigii loco habitum est, donec in novos fetus reviresceret. Adde *Plin.* 15, 18, 20. et *Sext. Aurel. Vict. de orig. gent. R.* 20. *extr.* et *Serv.* ad *A.* 8, 90.

RŪMĪNĀTĬO, onis, f. *μηρυκισμός*, actus ruminandi: a *rumino*, quod a *ruma*, qua notat cavum gutturis locum. *Plin.* 11, 37, 79. Quibus neque dentes utrinque, neque ruminatio. Adde *Serv.* ad *Ecl.* 6, 54. ℙ Translate est replicatio. *Plin.* 15, 23, 25, Ceterae *(castaneae)* suum pabulo gignuntur, scrupulosa corticis intra nucleos quoque ruminatione. Ita *Hard.* ex omnib. MSS. Quidam leg. *ferruminatione.* ℙ Item iteratio, reditus. *Id.* 17, 22, 35. *n.* 19. Si saucias vites recenti medicina mordeat quaedam hiemis ruminatio. ℙ Item consideratio, seu rei cujuspiam in memoriam revocatio. *Cic. Att.* 2, 12. Ubi sunt, qui ajunt *ζώσης φωτῆς?* Quanto magis vidi ex tuis litteris, quam ex illius sermone, quid ageretur? de ruminatione quotidiana, de cogitatione Publii, de lituis *Βωπιδος*, etc. *h. e.* de commentatione et meditatione Caesaris, et aliorum de republica suo arbitrio administranda. Ita *Corradus.* De occultis consiliis, quae Caesar, Pompejus, Crassus quotidiana ruminatione contra rempublicam inirent. *Manutius.*

RŪMĪNĀTOR, oris, m. qui ruminat. *Arnob.* 7, 230., cujus verba V. in RUMA.

RŪMĪNO, as, avi, atum, a. 1. et Ruminor, aris, atus sum, dep. 1. *μηρύκω, ἀναμηρυκάομαι*, devoratum cibum rursus a rumine, seu gula ad os revoco, et iterum mando, conficio, remando. Proprium est eorum animalium, quae in superiore oris parte primores dentes habent, ut boum, ovium, cervorum, Ponticorum murium, scari piscis, etc., ut est ap. *Plin.* 11, 37, 61., 10, 63, 83. et 9, 17, 29. et de scaro *Ov. Hal.* 119. Ht scarus, epastas solus qui ruminat herbas. *Plin.* 10, 47, 66. de onocrotalo: Perfecta rapina, sensim inde in os reddita, in veram alvum ruminantis more refert. *Ov. Am.* 3, 5, 17. de tauro: Dum jacet, et lente revocatas ruminat herbas. *Paul. Nol. carm.* 18, 340. Armentum reduces dum gutture ruminat escas. Adde *Virg. Ecl.* 6, 54. et *Colum.* 6, 6. ℙ Translate est in memoriam revocare, recensere, retractare: et adhibetur fere *ruminor, aris*, deponentis forma. *Varr.* ap. *Non.* 2, 746. Non modo absens quicquam de re segnius cogitabit, sed etiam ruminabitur humanitatem. *Liv. ib.* Nemo haec vestrae ruminabitur mulieri. Rursus *Varr.* ap. *eund.* 7, 103. Erras, inquit, Marce: accusare nos ruminaris antiquitates. *Id. ib.* et 4, 399. Ebrius es, Marce. Odysseam enim Homeri ruminari incipis, cum *περὶ τρόπων* scripturum te serio receperis. *Sym. ep.* 3, 13. *extr.* Dum carmina tua ruminas, dum epigrammata componis, fallitur doctis cogitationibus sensus laboris.

RŪMĪNUS, i, m. cogn. Jovis omnia alentis, et ruma, idest mamma animalia nutrientis. *August. C. D.* 7, 11.

RŪMIS. V. RUMA.

RŪMĪTANT, significat rumigerant. *Naevius:* Simul alius aliud aliunde rumitant inter se. *Festus.* ℙ *Rumito* pro *rumigo*, V. in RUMIGO.

RŪMO, as, a. 1. *Fest.* Rumen est pars colli, qua esca devoratur, unde rumare dicebatur, quod nunc ruminare.

RŪMO et Rumon, onis, m. olim dictus est Tiberis, quasi ripas ruminans. *Serv.* ad illud *A.* 8, 63. Stringentem ripas, et pinguia culta secantem. Adde ad v. 90. V. v. sq.

RŪMOR, oris, m. [*Etym. ducunt alii a *ῥῦμα* pro *ῥεῦμα*, alii a *ruendo:* V. *Heyn.* ad *Virg.* l. mox laudandum: et proprie est strepitus, murmur. Huc pertinent ex iis, quae *Noster* laudaverat, haec: *Virg. A.* 8, 90. Ergo iter inceptum celerant, rumore secundo Labitur uncta vadis abies, etc. ubi secundum *Guell.* et *Gron. Observv.* 2, 17. p. 174. *sq. ed. Fr.*, quibus Donatus praeivit, recte interpretari videmur, de murmure aquae carina et remis percussae, qua navis a puppi propellitur, ideoque omnino de motu aquae. Simili ratione usurpatum est a *vet. Poeta* ap. *Cic. Div.* 1, 16. Solvere imperat secundo rumore, adversaque avi: Utroque loco *Forc. rumore secundo* pro favente, sermone omnium approbante, acclamatione, applausu acceperat. *Ern., Schütz., al.* pro vento dictum putant. Alii aliter. V. *intpp.* ad *Virg.* l. l. ubi *Serv.* legi posse censet *rumone*, de quo v. RUMO et RAUCUS. Adde *Auson. Mos.* 22. interlabentis tacito rumore Mosellae. — Dicitur quoque de strepitu, clamore hominum quacumque de causa orto. *Claud. Nupt. Honor. et Mar.* 159. variis vectae Nereides ibant, Audito rumore, feris. *Appul. Met.* 3. Trepido rumore viciniae conclamantis latrones fugit territus. ℙ Hinc est] *φήμη, φῆμις*, sermo in populo de recenti re dispersus, in bonum vel in malum, sine certo auctore: qua re differt a *fama*, ut in ea voce dictum est. *Caes. B. G.* 6, 19. Si quis quid de republica a finitimis rumore aut fama acceperit, uti ad magistratum deferat. *Id. ib.* 4, 5. His rumoribus atque auditionibus permoti, de summis saepe rebus consilia ineunt. *Id. ib.* 7, 59. De Aeduorum defectione rumores afferebantur. *Plin. ep.* 6, 31. *med.* Tertio die inducta cognitio est, multis sermonibus, et vario rumore jactata. *Cic. Fam.* 12, 9. Nihil perfertur ad nos praeter rumores de oppresso Dolabella, satis illos quidem constantes, sed adhuc sine auctore. *Id. ib.* 2, 8. Rumor multa perfert. *Caes. B. C.* 1, 53. multa fingit. *Cic. Dejot.* 9. Graves de te rumores sparsi; et *ib.* Rumores excipere et referre. *Id. Phil.* 14, 4. et *Liv.* 7, 38. *f.* dissipare. *Ter. Heaut. prol.* 16. et *Nep. Dion. f.* differre. *Virg. A.* 12, 228. serere. *Cic. Mur.* 21. *f.* Rumor serpit. *Hor. Sat.* 2, 6, 50. manat per compita. *Virg. A.* 7, 144. diditur per agmina. *Claud. in Ruf.* 1, 347. volitat per oppida. *Cic. Att.* 16, 5. Rumoris nescia quid afflaverat, commissione Graecorum frequentiam non fuisse. *Hirt. B. Alex.* 25. Cum rumores exsisterent, magna Caesari praesidia adduci. *Tac. H.* 2, 42. Is rumor ab exploratoribus dispersus, an forte surrexerit, parum compertum. *Id. A.* 6, 23. *f.* et *ib.* 15, 15. *extr.* Rumor incedebat, fore, ut, etc. *Ter. Hec. prol.* 31. Rumer venit, datum iri gladiatores. *Tac. A.* 15, 39. Pervaserat rumor, inisse eum domesticam scenam. *Id. ib.* 3, 9. (et *Sall. Cat.* 30.) Res vulgi rumoribus exagitata. *Id. ib.* 76. Testamentum ejus multo apud vulgum rumore fuit; et *Ter. Phorm.* 5, 7, 18. Qui erit rumor populi, si id feceris? et *Tac. A.* 2, 77. Relinquendum rumoribus tempus, quo senescant; et *ib.* 4, 10. Non omiserim eorum temporum rumorem validum adeo, ut nondum exolescat. *Caes. B. C.* 1, 60. *f.* Exstinctis rumoribus de auxiliis legionum. *Id. B. G.* 4, 5. Incertis rumoribus servire; et *Tac. A.* 11, 23. Multus ea super re, variusque rumor; et *ib.* 5, 10. Rumor acer magis, quam diuturnus. *Id. H.* 1, 34. vagus et incertus. *Catull.* 5, 2. Rumoresque senum severiorum Omnes unius aestimemus assis. ℙ Rumor est, [**es geht die Rede, man sagt.*] *Ter. Andr.* 1, 2, 14. Meum gnatum rumore est amare. *Cic. Fam.* 1, 8. *f.* Rem te valde bene gessisse, rumor erat. ℙ *Rumore primo*, dixit *Sall. fragm.* ap, *Charis.* 2, 192. ubi *Asper*, Non est, inquit, nomen, sed adverbium. Sic *Tac. A.* 2, 77. An festinamus appellere, ut te inauditum et indefensum planctus Agrippinae, ac vulgus imperitum primo rumo rapiant? ℙ *Rumore secundo*, h. e. favente, sermone omnium approbante, acclamatione, applausu. *Hor. Ep.* 1, 10, 9. Quae vos ad coelum fertis rumore secundo. *Tac. A.* 3, 29. *extr.* Utque haec secundo rumore, ita adversis animis acceptum, quod filio Claudii socer Sejanus destinaretur. Adde *Fenest.* et *Enn.* ap. *Non.* 4, 403. ℙ *Rumor*, fama. *Hor. Sat.* 1, 4, 125. rumore malo flagrare, *h. e.* male audire. *Liv.* 27, 20. *med.* Marcellus adverso rumore esse. *Tac. A.* 15, 48. Claro apud vulgum rumore esse. *Pl. Trin.* 3, 2, 14. Rumori servire. *Pompon.* ap. *Non.* 1, 64. Rumorem parvi facere. *Mart.* 10, 3. Procul a libellis nigra sit meis fama, Quos rumor alba gemmeus vehit penna. ℙ Item obtrectatio, reprehensio, calumnia. *Sall. fragm.* ap. *Non.* 4, 403. Ad haec rumoribus adversa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando corrumpebant. ℙ Ambiguum habet turpemque sensum ap. *Mart.* 2, 72., 3, 73. 80. et 87. tanquam sit a *ruma:* unde et *irrumo*, etc.

RUMPĬĀ. V. RHOMPHAEA.

RUMPO, is, rupi, ruptum, a. 3. *ῥήγνυμι*, frango, abrumpo, discindo, dissolvo. *Ov. Am.* 3, 10, 32. Ruperat et duram vomer aduncus humum. [**Rumpere* Graecis est in tali re *διατέμνειν*. Cf. *Apollon. Rhod.* 1, 628.] *Lucr.* 6, 430. Incita vis venti rumpit nubem. *Phaedr.* 3, 14. Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris. *Ov. A. Am.* 3, 707. tenues a pectore vestes Rumpere. *Id. Her.* 3, 15. et *ib.* 5, 141. ungue capillos. *Id. Am.* 3, 11, 3. catenas. *Cic. Tusc.* 1, 30. *f.* vincula carceris. *Hor. Ep.* 1, 14, 9 obstantia claustra; et *ib.* 10, 20. aqua tendit rumpere plumbum. *Id. Epod.* 10, 20. Ventus rumpit carinam. *Plin. H. N. prooem.* 20. adamantem sanguis hircinus. *Virg. G.* 4, 135. hiems frigore saxa. *Id. A.* 3, 639. fugite, atque ab litore funem Rumpite. *Id. ib.* 9, 431. viribus ensis adactus Transabiit costas, et candida pectora rupit. *Ov. Met.* 6, 251. sagitta rumpit praecordia. *Plin.* 36, 22, 48. Tofi aspergine, et gelu pruinisque rumpuntur in testas. ℙ *Rumpi* dicitur coelum, cum tonat. V. RUPTUS. [*Cf. *Mart. Lag.* ad *Lucan.* 1, 153. Huc pertinent etiam ista: *Ammian.* 31, 4. p. 675. rumpente noctis tenebras luna. *Fulgent. Homil.* 11. Cum igitur in lucem noctis tenebrae rumperentur.] ℙ Rumpere. *Plin.* 30, 4, 10. de bupresti: Bovem ita inflammat, ut rumpat. *Id.* 20, 22, 89. Marrubium rumpit vomices. *Mart.* 1, 50. Leporemque forti callidum rumpes equo, *h. e.* adeo fatigabis, ut rumpatur. ℙ *Rumpere*, implendo adeo distendere, ut rumpere videatur. *Virg. G.* 1, 49. Illius immensae ruperunt horrea messes. *Colum.* 10, 307. Pressaque flammeola rumpatur fiscina caltha. *Ov. Pont.* 4, 4, 27. Cernere jam videor rumpi penetralia turba. ℙ Rumpere se, et rumpi. *Plin.* 13, 4, 9. de caryotis: Rumpit se pomi ipsius, etiam in sua matre, ebrietas, calcatis similis. *Virg. Ecl.* 8, 71. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis; et *ib.* 7, 26. invidia rumpuntur ut ilia Codro. *Pl. Capt. prol.* 14. Ego me tua causa, ne erres, non rupturus sum, *h. e.* dirupturus (simile est illud ejusd. *Merc.* 1, 2, 27. Tua causa rupi ramices: jamdudum sputo sanguinem.) *Lucil.* ap. *Non.* 2, 149. Tu Lucilium credis contenturum, cum me ruperim, summa omnia fecerim. ℙ Huc pertinet illud *Lucr.* 3, 298. de leonib.: Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes, *h. e.* adeo graviter fremunt, ut pectus rumpere videantur. Similis hyperbole est in his. *Virg. G.* 2, 238. Et cautu querulae rumpent arbusta cicadae. *Juven.* 1, 13. assiduo ruptae lectore columnae. *Afran.* ap. *Non.* 4, 396. Ego misera risu clandestino rumperer. ℙ Rumpere se, et rumpi, magna vi erumpere. *Virg. A.* 11, 548. tantus se nubibus imber Ruperat. *Id. G.* 1, 445. ubi sub lucem densa inter nubila sese Diversi rumpent radii, *h. e.* quasi ruptis nubibus exibunt. *Id. ib.* 3, 428. amnes rumpuntur fontibus. ℙ Item debilitare, corrumpere. *Cato* ap. *Prisc.* 6, 710. Si quis membrum rupit, aut os fregit, talione proximus cognatus ulciscitur. *Lex aquilia* ap. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. Si quis alteri damnum faxit, quidve usserit, fregerit, ruperit injuria. *Ulp. ib. med.* Inquit lex, ruperit: quod verbum fere omnes veteres intellexerunt, corruperit; et *paulo post:* Rupisse eum utique accipiemus, qui vulneraverit, vel virgis, vel loris, vel pugnis ceciderit, vel telo, vel quo alio sciderit alicui corpus, vel tumorem fecerit. V. ibi reliqua. *Alfen. ib.* 19, 2, 30. Qui mulas ad certum pondus oneris, locarat, cum majore onere conductor eas rupisset, etc. *Id. ib.* 47, 10, 9. Servus praesidi offerendus est, qui eum flagris rumpat. *Val. Fl.* 5, 341. rumpere lumina fletu. Quod *Ov.* dixit *A. Am.* 1, 129. lacrimis corrumpere ocellos. ℙ Item lacerando interimere. *Ov. Ib.* 505. Quique Lycurgiden letavit, et arbore natum, Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper. *Frango* quoque hac ratione usurpatur. ℙ Rumpere tauri colla securi, *Id. Met.* 12, 249. abscindere. ℙ Animal, quod ex labore vehementissime defatigatur, *rumpi* dicitur ap. *Veg. Vet.* 3, 1. *med.* Nimiam lassitudinem sequitur aegritudo: et omne animal est debile, si rumpitur. Adde *ib.* 1, 41. 42. et 43. ℙ Rumpere membra libidinibus, *Prop.* 2, 13, 14. et rumpere latus, *Auct. Priap.* 83. *f.* et *Mart.* 11, 104. et rumpere ilia, *Catull.* 11, 20. pertinent ad enervandas vires *τῇ συνουσίᾳ*. Sic *Ov. Am.* 2, 10, 29. quem Veneris certamina rumpunt. ℙ Est etiam irrumpere, perrumpere, penetrare. *Virg. A.* 12, 683. rapido cursu media agmina rumpit; et *Prop.* 3, 9, 64. Admisso Decius proelia rupit equo. *Virg. A.* 2, 494. Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant. *Just.* 1, 6. Proinde videant, fugientibus haec, an illa pugnantibus acies rumpenda sit. *Val. Fl.* 1, 463. de Lynceo: possit qui rumpere terras, Et Styga transmisso tacitam deprendere visu; et *Sil.* 5, 616. Dissiliens tellus, nec parvos rumpit hiatus, *h. e.* aperit. *Id.* 11, 135. Annibal rupit Alpes, *h. e.* per Alpes viam sibi fecit, ruptis aceto saxis. *Juven.* 10, 153. Diducit scopulos, et montem rumpit aceto. (Adde *Liv.* 21, 37.) *Pall.* 4, 1. Cum germen ruperit, et aliquod ceperit incrementum, *h. e.* corticem perruperit, et exierit. ℙ *Stat. Theb.* 9, 173. Eumenis ex oculis rejecta caerula parma Fugit, et innumeri galeam rupere cerastae, *h. e.* galeam, quam habere in capite visa fuerat, exsistentes subito cerastae destruxere, quod est uno verbo, galea in cerastas dissoluta, et versa est. ℙ Translate est dissolvere, violare, irritum reddere. *Sil.* 6, 515. (et 7, 33.) si stat rumpere vitam, In patria moriamur. *Cic. Balb.* 5. *extr.* Foedera negligere, violare, rumpere. *Virg. G.* 4, 213. et *Sabin. ep.* 2, 96. Rumpere fidem. [*Cf. *Liv.* 9, 40. *f.* 24, 29. 28, 32.] *Lucan* 4, 175. leges. *Lic.* 4, 17. jus gentium. *Hor. Od.* 4, 15, 22. edicta. *Sen. Thyest.* 179. fas omne.

Id. Herc. Fur. 79. imperium Jovis. *Ov. Met.* 15, 780. superi Ferrea non possunt veterum decreta Sororum Rumpere. *Virg. A.* 6, 883. fata aspera. *Cic. Or.* 1, 57. testamentum. *Hor. Od.* 1, 15, 7. nuptias. *Vell.* 2, 48. *f.* Conditiones pacis discutere ac rumpere; et *ib.* 110. Fortuna rumpit proposita hominum; et *Suet. Tib.* 24. Rumpere patientiam. ℙ Item abrumpere, interrumpere. *Virg. A.* 8, 110. audax quos rumpere Pallas Sacra vetat. *Id. ib.* 7, 458. Olli somnum ingens rumpit pavor. *Sen. Troad.* 785. Rumpe jam fletus, parens, *h. e.* omitte flere. *Tibull.* 2, 3, 19. O quoties ausae, caneret cum valle sub alta, Rumpere mugitu carmina docta boves! *Ov. Am.* 3, 6, 88. et *Hor. Od.* 3, 27, 5. Rumpere iter inceptum. *Id. Epod.* 13, 15. reditum alicui, *h. e.* intercludere. *Virg. A.* 4, 292. amores; et *ib.* 6, 814. otia patriae. *Ov. A. Am.* 1, 539. Excidit illa metu, rupitque novissima verba. ℙ Item separare, avellere. *Val. Fl.* 5, 132. amplexus fessi rupere supremos. ℙ *Rumpere silentium*, loqui. *Virg. A.* 10, 64., *Val. Fl.* 3, 509. et *Hor. Epod.* 5, 85. Sic *Ov. Met.* 1, 208. Juppiter hoc iterum sermone silentia rupit. ℙ *Rumpere vocem*, quasi invitum erumpere in vocem et verba: vel rumpere, h. e. aperire viam vocis. Notant eruditi dixisse etiam *Demosthenem* ῥῆξαι φωνὴν, et in *epigram.* esse ῥῆξαι δάκρυα, erumpere in lacrimas: eademque ratione *D. Paul. ad Galat.* 4, 27. ῥῆξον καὶ βόησον. *Virg. A.* 2, 129. Composito rumpit vocem, et me destinat arae; et *ib.* 11, 377. Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces. *Sil.* 8, 301. invitus vocem hanc e pectore rumpam. *Ov. Met.* 10, 147. hoc vocem carmine rupit: Ab Jove Musa parens, etc. *Virg. A.* 4, 553. Tantos illa suo rumpebat pectore questus. *Claud. Rapt. Pros.* 2, 249. et questus ad nubila rumpit inanes. *Sil.* 4, 458. gemitumque ad sidera rupit. ℙ *Rumpere moras*, tollere, auferre, quasi perrumpere ea, quae morantur, et obstant, *Virg. A.* 9, 13., *Val. Fl.* 1, 306. *Plin. ep.* 5, 11., *Lucan.* 1, 264., *Mart.* 2, 64. etc. Rumpere moram, *Ov. Met.* 15, 583., ubi alii leg. *moras.* ℙ *Rumpere iter, cursum*, celeriter prosequi, impetu ire, obstantia quaeque perrumpendo. *Val. Fl.* 1, 2. Fatidicamque ratem, Scythici quae Phasidis oras Ausa sequi, mediosque inter juga concita cursus Rumpere. *Sil.* 8, 568. Disjecit postes, rupitque in proelia cursum. *Id.* 4, 196. Si reserare viam, atque ad regem rumpere ferro Detur iter; et 15, 782 rumpit Per medios Nero saevus iter. *Stat. Theb.* 8, 468. turbabatque agmina Grajum, Igne viam rumpens. *Virg. A.* 10, 372. Rumpere ferro viam per hostes. ℙ *Rumpi*, et *rumpi invidia*, angi, aegerrime ferre, discruciari. *Cic. Q. Fr.* 3, 9. Ut his malis reipubl. licentiaque audacium, qua ante rumpebar, nunc ne movear quidem. *Prop.* 1, 8, 27. Hic erit, hic jurata manet: rumpantur iniqui. *Ov. Her.* 16, 221. Rumpor, et invideo, cum, etc. *Mart.* 9, 98. Rumpatur, quisquis rumpitur invidia. *Hor. Ep.* 1, 19, 15. Rupit Iarbitan Timagenis aemula lingua, *h. e.* dirupit. V. DIRUMPO. ℙ Rumpere fontem, rupta humo elicere. *Ov. Met.* 5, 257. fons, Dura Medusaei quem praepetis ungula rupit. ℙ *Rupit*, et *rupsit*, pro *ruperit*, ἀρχαϊκῶς. *Lex XII. Tab.* ap. *Fest.* in *Talionis.* Si membrum rupsit (alii leg. *rupit*), ni cum eo pacit, talio esto. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 397. Ferri tantum, si roget me, non dem, quantum auri petit, si se rupit, *h. e.* etiam si rogando et clamando se ruperit.

RUMPOTĪNĒTUM, i, n. locus arboribus rumpotinis consitus. *Colum.* 5, 7. Nam fere ita rumpotinetum constitutum animadverti. V. v. sq.

RUMPOTĪNUS, a, um, adj. *Rumpotinum* est arbustum erumpis, vel in quo rumpi vitium traducuntur, *h. e.* traduces. *Rumpotinae arbores*, quae rumpis sustinendis inserviunt. V. v. sq. *Colum.* 5, 7. Est et alterum genus arbusti Gallici, quod vocatur rumpotinum. Id desiderat arborem humilem, nec frondosam. Cui rei maxime videtur idonea opulus, cornus, et carpinus, et ornus, nonnunquam et salix, etc. et *mox:* Potest etiam ulmus sic disponi, ut adhuc tenera decacuminetur, ne altitudinem quindecim pedum excedat: nam ita fere constitutum rumpotinetum animadverti, ut ad octo pedes locis siccis et clivosis, ad duodecim locis planis et uliginosis tabulata disponantur; et *mox:* Arboribus rumpotinis si frumentum inseritur, in utramque partem viginti pedum spatia interveniunt: at si segetibus indulgetur, in alteram partem quadraginta pedes, in alteram viginti relinquuntur. ℙ Speciatim *rumpotinus* vocatur, et alio nomine populus, arbor Italiae, Padum transgressis, cujus tabulata in orbem patula vites replent, puroque perductae dracone in palmam ejus, inde in subrectos ramorum digitos flagella dispergunt. Haec *Plin.* 14, 1, 3., ubi alii leg. *alio nomine opulus* propter ea, quae modo ex *Colum.* allata sunt. *Hard.* tamen defendit *populus* libris omnibus etiam MSS. ℙ Hanc ipsam arborem, sive *populus* sit, sive *opulus*, designat *Id. Plin.* 24, 19, 112. Rumpotinum arborem demonstravimus inter arbusta. Alii hic et *l.* prius *c.* leg. *rumbotinus.* Est autem ap. *Plin.* non adjectivum nomen, sed substantivum.

RUMPUS, i, m. [tradux vitium, quam nostrates rustici *tirella* vocant. *Pontedera* in *Antiqu. Graec. et Lat.* p. 529. derivat a ῥομφεύς, lorum, quia arbusta sustinendis vitibus posita per traduces hinc inde demissas inter se connectuntur; quod culturae genus *Plin.* 17, 22, 35. *n.* 10. funetum vocat. *F.*] *Varr. R. R.* 1, 8. Pedamentum fere quatuor generum: unum robustum, quod e quercu, et vocatur ridica: alterum palus e pertica: tertium quod horum inopiae subsidio misit arundinetum: quartum est pedamentum nativum ejus generis, ubi ex arboribus in arbores traductis vitibus vinea fit: quos traduces, quidam rumpos appellant.

RŪMUSCŬLUS, i, m. θρυλλίδιον, parvus rumor. *Cic. Cluent.* 38. Qui imperitorum hominum rumusculos aucupati tum illum absolverunt. *Id. Leg.* 3, 16. L. Cassius dissidens a bonis, atque omnes rumusculos populari ratione aucupans. *Aucupari rumusculos* est aliorum de se opinionem, etiam infimorum, consectari: sollicitum esse, quid de se dicant et opinentur homines, ineundae gratiae causa: undecumque famam venari.

RŪNA, ae, f. genus teli simile pilo. *Festus*: Runa genus teli significat. Ennius: runata recedit, id est pilata. *Gloss. Isid.* Runa, pilum; runata pilata. V. EMISSICIUS. ℙ Hoc etiam nomine vocatae sunt a priscis Danis litterae ligneis bacellis inscriptae, unde apud eosdem *runica scriptura* locum habuit. *Venant. carm.* 7, 18, 19. Barbara fraxineis pingatur runa tabellis, Quodque papyrus agit, virgula plana facit.

RŪNĀTUS. V. in v. praec.

RUNCA, pro runcina, vel potius pro ferramento ad runcandum apto, a quibusdam firmatur *Festi* testimonio: item *Colum.* 2, 12. bis in quibusdam MSS.

RUNCĀTĬO, onis, f. βοτανισμὸς, actus runcandi. *Colum.* 2, 9. Frequentem tamen exigunt sarritionem, et runcationem, ut herbis liberentur. *Id. ib.* 12. *f.* Subjungenda est sarritioni runcatio. *Plin.* 18, 21, 50. Runcatio, cum seges in articulo est, evulsis inutilibus herbis, frugum radicem vindicat, segetemque discernit a caespite. ℙ Ipsae herbae inutiles, quae runcando evelluntur. *Colum.* 2, 12. *med.* Faba manibus ducta secernitur a cetera runcatione.

RUNCĀTOR, oris, m. βοτανιστὴς, qui runcat. *Colum.* 11, 3. Quaeque praeteriero, intelligi oportebit, nullam operam postulare runcatoris. Adde 12, 13.

RUNCĪNA, ae, f. ὀγκάνη, ὀγκάνη, instrumentum, quo ligna aspera laevigantur. *Varr. L. L.* 5, 10. *extr.* Runcinare a runcina, cujus origo Graeca, ὄγκος. *Plin.* 16, 42, 82. Firmissima ad tectum abies. Eadem valvarum repagulis, et ad intestina opera aptissima, sive Graeco, sive Campano, sive Siculo fabricae artis genere spectabilis, ramentorum crinibus pampinato semper orbe sese volvens ad incitatos runcinarum raptus. *Arnob.* 6, 200. Simulacra ista, quae vos terrent, runcinarum laevigata de planis. *Tert. Apol.* 12. In Deos vestros *(ligneos)* per omnia membra validius incumbunt asciae, et runcinae, et scobinae. ℙ Dea praeses frumenti. *August. C. D.* 4, 8. *med.* Praefecerunt florentibus frumentis Deam Floram; lactescentibus Deum Lacturnum; maturescentibus Deam Matutam; cum runcantur, id est a terra auferuntur, Deam Runcinam.

[RUNCĪNĬUS, a, um, adj. runcina expolitus. *Gargil. de re hort.* (ed. *A. A. Scottio*) 2, 3. Ferularem *(amygdalum)* alio modo scribit *(Columella):* nam hoc tantum praestare amygdalis ferulas, ut illas faciant roncinias. Ita *Cod.* pro *runcinias, h. e.* molles, et putamine fragili, quales erant Tarentinae. *F.*]

RUNCĪNO, as, a. 1. ὀγκαλίζω, runcina abrado, polio. Agnoscitur a *Varrone*, ut est in RUNCINA; et *Arnob.* 5, 177. Ramum praesecans dolat, runcinat, levigat. Adde *Minuc. Fel. Oct.* 23. *med.* ℙ Runcinare frumenta, h. e. metere. V. RUNCINA.

RUNCO, as, a. 1. βοτανίζω, rubos, et sentes, aliosque frutices noxios ferramento exstirpare, et herbas inutiles ex adultis segetibus manu evellere, (qua de re *P. Victor* 36, 8. *var. lect.* fuse disputat.) nam *sarrire* est idem facere, non manu, sed ferramento, id est sarculo. *Cato R. R.* 2. Per ferias potuisse fossas tergeri, vepres recidi, pratum purgari, spinas runcari. *Varr. R. R.* 1, 3. Inter vernum aequinoctium, et Vergiliarum exortum haec fieri: segetes runcari, boves terram proscindere, salicem caedi, etc. *Colum.* 11, 2. *med.* Per hos dies runcandae segetes sunt, foenisiciae instituendae. *Id.* 5, 6. *med.* Qui runcaturi sunt, medias partes arearum facile manu contingant. *Plin.* 18, 21, 50. Siliginem, far, triticum, semen, hordeum occato, sarrito, runcato quibus dictum erit diebus. *Id. ib.* 18, 47. Postea pauci runcant: quod botanismon (βοτανισμὸν) vocant. ℙ Translate est vellere, depilare. *Pers.* 4, 35. penemque, arcanaque lumbi Runcantem, etc.

RUNCO, onis, m. ferramentum rusticum, incurvum, longo manubrio: a ὄγκος, rostrum. *Pall.* 1, 43. Vangas, runcones, quibus vepreta persequimur. Adde *Isid. Or.* 20, 14.

RŪO, is, rui, rutum et ruitum, a. 3. καθαιρέω, sterno, everto, dejicio, deruo, diruo: ab ἐρύω, traho, unde per aphaeresin est ῥύω vel ῥύομαι. *Ter. Ad.* 3, 2, 21. Ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, prosternerem. Ubi *Donat.* Ruere est toto corpore uti ad impellendum: quod faciunt, qui ipsi praecipites alios prosternunt. *Ov. Met.* 12, 134. Cedentique sequens instat, turbatque, ruitque. *Pl. Trin.* 4, 1, 17. Procellae infensae frangere malum, ruere antennas, scindere vela. *Val. Fl.* 3, 102. ad amnem Spumantem nimbis, fluctuque arbusta ruentem. *Virg. A.* 9, 516. Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque. *Lucr.* 5, 1324. Ruere aliquem ad terram. *Virg. A.* 1, 39. spumas salis aere ruebant; et *ib.* 5, 695. ruit aethere toto Turbidus imber aquam. *Cic. Att.* 2, 15. Seu ruet, seu eriget rempublicam. ℙ Item deruendo complano. *Virg. G.* 1, 105. cumulosque ruit male pinguis arenae. Hinc *Scal.* in *conject.* ad *Varr.* putat *ruere* esse, modio cumulum adaequare: unde *rutrum* et *rutellum.* Non tamen satis probat: et quae affert *Plauti* verba, invenire non potui. ℙ Item affligo, mergo. *Lucr.* 1, 272. venti vis Ingentesque ruit naves, et nubila differt. Adde *ib.* 289. ℙ Item egero, cum impetu emitto, et impello. *Virg. G.* 2, 308. de igne: Et totum involvit flammis nemus, et ruit atram Ad coelum picea crassus caligine nubem. ℙ Item eruo, effodio. *Plin.* 10, 71, 91. Alia *(animalia)* dentibus praedantur, alia unguibus, alia rostri aduncitate carpunt, alia latitudine ruunt, alia acumine excavant. *Lucr.* 6, 726. mare permotum ventis ruit intus arenam. *Virg. A.* 1, 88. Incubuere mari, totumque a sedibus imis Una Eurusque Notusque ruunt; et *ib.* 11, 211. Moerentes altum cinerem, et confusa ruebant Ossa focis, *h. e.* de cineribus eruebant. *Hor Sat.* 2, 5, 21. unde Divitias, aerisque ruam, dic augur, acervos, *h. e.* eruam, inveniam, comparem. *Lucil.* ap. *Non.* 4, 389. ruis haec, et colligis omnia furtim. ℙ Hactenus usum habet fere poeticum: sed et neutrorum more adhibetur, et commune est prosae scriptoribus. Significat autem cum impetu et celeriter cadere, concidere, corruere, in praeceps ferri, πίπτω, καταφέρομαι. *Cic. Manil.* 7. *f.* Ruere illa non possunt, ut haec non eodem labefactata motu concidant. *Ov. Met.* 4, 459. Aut petis, aut urges ruiturum, Sisyphe, saxum. *Lucan.* 7, 403. stat tectis putris avitis In nullos ruitura domus. *Virg. A.* 2, 290. Hostis habet muros: ruit alto a culmine Troja; et *ib.* 4, 164. ruunt de montibus amnes. *Val. Fl.* 2, 88. praerupti Vulcanum vertice coeli Devolvit: ruit ille polo noctemque diemque Turbinis in morem; et 7, 287. strictumque ruebat in ensem. *Sen. Herc. Oet.* 349. Ruere super aliquem. *Id. Herc. Fur.* 1046. ad terram. *Id. Thyest.* 728. in pronum. *Sall. fragm.* ap. *Don.* ad *Ter. Ad.* 3, 2, 2. in flumine: pro in flumen. *Mart.* 1, 89. Accipe non Pharios nutantia pondera saxo, Quae cineri vanus dat ruitura labor, *h. e.* sepulcra sumptuosa in cineres ibi reconditorum corporum jam collapsura. ℙ De iis qui moriendo cadunt. *Virg. A.* 10, 756. caedebant pariter, pariterque ruebant Victores, victique. *Val. Fl.* 7, 641. cuncta jacebant Agmina, nec quisquam primus ruit. ℙ *Ruere coelum* dicitur (ut et *rumpi*) cum vel tonat, vel fulgurat, vel immodici imbres cadunt. *Virg. G.* 1, 324. ruit arduus aether, Et pluvia ingenti sata laeta, boumque labores Diluit. *Id. A.* 8, 524. improviso vibratus ab aethere fulgor Cum sonitu venit, et ruere omnia visa repente. *Sen. Hipp.* 674. omnis impulsus ruat Aether, et atris nubibus condat diem. *Val. Fl.* 1, 664. Juppiter ruens contra Athon, aut Rhodopen. *Tac. A.* 1, 3. Adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates. Adde *Val. Fl.* 1, 616. et 4, 663. et *Mart.* 3, 100. ℙ *Quid si coelum ruat? τί, εἰ οὐρανὸς ἐπέσοι;* proverb. ap. *Ter. Heaut.* 4, 3, 41. in eos, qui omnia timent, et vano metu ab agendo deterrentur. ℙ Ruere in pejus. *Virg. G.* 1, 200. sic omnia fatis In pejus ruere, et retro sublapsa referri. Hinc *ruentia* sunt adversa, et opponuntur prosperis. *Tac. H.* 3, 64. Ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem: adeo ruentibus debilitatum. ℙ Item cursu praecipitem ferri, ardenter ac festinanter ire, audaci impetu agi, advolare, ἄσσω, ἐπισεύομαι. *Cic. Att.* 7, 80. At illum ruere nunciant, et jam jamque adesse. *Virg. A.* 10, 811. Quo moriture ruis, majoraque viribus audes? et *ib.* 9, 438. At Nisus ruit in medios, solumque per omnes Volscentem petit. *Sil.* 6, 319. Laxabat ferro campum, ac per iniqua ruebat. *Tac. A.* 16, 32. Simul in amplexus occurrentis filiae ruebat, nisi lictores obstitissent. ℙ De his, qui certatim et magno numero affluunt. *Virg. A.* 8, 648. Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant. *Claud. Laud. Stil.* 1, 373. Hi propugnandi ruerant pro limite regni: Hic stabat Romana salus. *Virg. A.* 12, 526. Aeneas, Turnusque ruunt per proelia. *Tac. H.* 5, 22. Quaerunt arma, ruunt per vias. *Liv.* 3, 3. Legiones adesse hostium, et infesto agmine ruere ad urbem; et 27, 41. *f.* Eques pedesque certatim portis ruere. *Tac. H.* 1, 46. Ad seditiones et discordias, et ad extremum, bella civilia ruebant; et *ib.* 45. Ruere cuncti in castra, anteire proximos, certare cum praecurrentibus. *Flor.* 2, 18. *med.* Ut destinata morte in proelium ruerent. *Tac. A.* 1, 7. At Romae ruere in servitium consules, patres, eques: quanto quis illustrior, tanto magis falsi ac festinantes. *Id. H.* 1, 84. In exitium ruere. ℙ Est etiam irruere pugnandi gratia. *Id. ib.* 5, 78. Legio sustinuit ruentes, mox impulit. *Flor.* 4, 2. Rex infesto in Cappadociam agmine ruebat. ℙ Item effundi, emitti. *Virg. A.* 6, 44. Unde ruunt totidem voces, responsa Sibyllae. ℙ Item adventare. *Id. ib.* 2, 250. Vertitur interea coelum, et ruit Oceano nox, *h. e.* celeriter venit: et ideo *ruit*, quia mare altius terra. *Id. ib.* 10, 256. interea revoluta ruebat, Matura jam luce, dies, noctemque fugarat. ℙ Contra *Sol ruit* ap. *Val. Fl.* 1, 274. est occidit, ruit in mare. Sic *Virg. G.* 1, 313. Cum ruit imbriferum ver, *h. e.* in finem vergit. ℙ *Ruere se*, celeriter se demittere. *Appul. Flor. n.* 2. *f.* de aquila: Et quaerit, quorsus potissimum in praedam superne sese ruat, fulminis vice. Sic *Ter. Eun.* 3, 5, 51. foras simul omnes proruunt

se. ℙ Transfertur ad animum, et ponitur pro temere, et sine consilio agere, caeco impetu ferri, nimio festinandi studio ire praecipitem, mentis quodam furore rapi, transversum agi, labi, errare. *Prop.* 3, 13, 44. Nescit vestra ruens ira referre pedem. *Cic. Att.* 7, 7. *f.* Ego bonos viros sequar, etiamsi ruent. *Id. Marcell.* 5. *med.* Ut nulla non modo cupiditate, se ne spe quidem, prudens et sciens ad interitum ruerem voluntarium. *Id. Dom.* 55. Non potuit ullo modo non in agendo ruere, ac saepe peccare. *Id. Off.* 3, 13. Emptorem pati ruere, et per errorem in maximam fraudem incurrere. *Ter. Heaut.* 2, 3, 128. Heus tu, vide sis, ne quid imprudens ruas. Adde *Cic. Sext.* 64. et *Att.* 2, 14. ℙ Cum inf. *Prop.* 4, 1, 73. Quo ruis imprudens vaga dicere facta, Properti? *Claud. Rapt. Pros.* 3, 386. animare ad crimina taxos Torva Megaera ruit. *Lucan.* 7, 751. Scire ruunt, quanta fuerint mercede nocentes, *h. e.* nosse festinant. *Stat. Theb.* 7, 177. novercales ruimus ditare Mycaenas. ℙ Passive impersonaliter. *Liv.* 8, 24. Ut ferme fugiendo in media fata ruitur. ℙ Supinum *ruitum* ex futuro *ruiturus* firmatur: sed et *rutum* dici posse, ostendunt *ruta caesa*, et *rutabulum*, et composita, *erutus*, *prorutus*, *dirutus*, etc.

[RŪPA, ae, f. idem videtur esse ac rupes. *Gloss. Isid.* Rupa ex utraque parte acuta, *h. e.* locus abruptus. ℙ Est etiam nomen propr. libert. R., nempe liberti cujusdam C. Scribonii Curionis, de quo *Cic. Fam.* 2, 3. Rupae studium non defuit declarandorum munerum tuo nomine. *F.*]

RŪPES, is, f. ἐρεύνη, ῥωγάς, praerupta et inaccessa terrae, aut montis pars. Videtur esse a *rumpo*, pro quo veteres *rupo* dixisse videntur, ut *frago* pro *frango*. *Caes. B. G.* 2, 29. Oppidum egregie natura munitum, quod omnibus in circuitu partibus altissimas rupes despectusque habebat. *Hor. Od.* 3, 27, 61. Sive te rupes, et acuta leto Saxa delectant. *Id. Ep.* 1, 20, 15. Qui male parentem in rupes protrusit asellum. *Ov. Pont.* 1, 8, 51. pendentes rupe capellas Pascere. *Id. A. Am.* 3, 195. Sed non Caucasea doceo de rupe puellas. *Id. Fast.* 2, 209. Libyca de rupe leones Invadunt sparsos lata per arva greges; et *ib.* 5, 293. Ardua rupes. *Val. Fl.* 4, 599. nubifera. *Sil.* 7, 468. frondosa. *Virg. G.* 4, 508. aeria. *Id. A.* 3, 245. praecelsa. *Id. Ecl.* 6, 29. Parnassia. *Claud. in Ruf.* 2, 507. dubio tibi pendula rupes Immineat lapsu. ℙ De scopulo. *Stat. Achill.* 1, 198. Undisonae rupes. *Virg. A.* 10, 693. velut rupes, vastum quae prodit aequor, Obvia ventorum furiis, expostaque ponto, etc. *Val. Fl.* 4, 637. Cyaneae rupes; et 3, 108. in medio rupes latet horrida ponto. *Claud. in Eutr.* 2, 425. Sic ruit in rupes amisso pisce sodali Bellua. *Lucan.* 5, 513. primisque invenit in undis Rupibus exesis haerentem fune carinam. ℙ De antro. *Virg. A.* 3, 443. quae (*Sibylla*) rupe sub ima Fata canit, *h. e.* in antro. *Claud. IV. cons. Honor.* 146. Cumanaque rursus Intonuit rupes, rabidae delubra Sibyllae. *Virg. G.* 3, 253. Cavae rupes.

RŪPEX, ĭcis, adj. omn. gen. homo durus, rusticus, hebes: a rupis duritie dictus, ut *Festus* docet in *Petrones:* nam et *petro* eandem significationem habet. *Lucil.* ap. *Fest.* in *Squarrosus:* Varronum, ac rupicum squarrosa, incondita rostra. *Gell.* 13, 9. Sed enim veteres nostri non usque eo rupices et agrestes fuerunt, ut stellas hyadas idcirco suculas nominarent, quod *ves* Latine sues dicantur. *Tert. Pall.* 4. Ille (*Achilles*) apud rupicem, et silvicolam, et monstrum eruditorem scrupea schola eruditus, *h. e.* apud Chironem centaurum. *Id. Apol.* 21. *f.* Rupices et feros homines ad humanitatem temperare. *Id. Anim.* 6. *f.* Tot ac tantae animae rupicum et barbarorum, quibus alimenta sapientiae desunt. ℙ Sunt qui in verbis *Lucilii* avem intelligunt, quae et χαράδριος dicitur, et in rupibus fere degit.

RŪPICAPRĂ, ae, f. ἀγρία αἴξ, capra silvestris, quasi rupium capra. *Plin.* 11, 37, 45. Rupicapris in dorsum adunca cornua, damis in adversum. *Id.* 8, 53, 79. Caprae in plurimas similitudines transfigurantur: sunt capreae, sunt rupicaprae, sunt ibices pernicitatis mirandae. *Id.* 28, 17, 67. Rupicaprae sevi cyatho, et lactis pari mensura, deploratum phthisicum convaluisse, certus auctor affirmat.

RŪPĪCO, onis, m. idem ac rupex. *Appul. Flor. n.* 7. *extr.* Quis ex rupiconibus, bajulis, tabernariis tam infans est, ut, etc.?

[RŪPĪLĬA Lex ap. Siculos dicebatur continens jura, quae P. Rupilius praetor victis Siculis de decem legatorum sententia, ut moris erat, dederat, cum Siciliam in provinciae formam redigeret. Ejus saepe fit mentio ap. *Cic. Verr.* 2, 2, 13. et al. *F.*]

RŪPĪNA, ae, f. idem quod rupes, aut locus rupibus ac petris horridus. *Appul. Flor. n.* 11. Qui herediolum sterile, et agrum scruposum, meras rupinas et senticeta miseri colunt. *Id. Met.* 7. Provolutos in proximas rupinas praecipites dedere; et *ib.* 6. Vides istas rupinas proximas, praeacutas in his praeminentes silices.

RUPITĬAS, in duodecim significat, damnum dederis. Ita *Festus.* Critici legunt: *Rupit* (alii *rupsit*) *damnum dederit.* Alii aliter.

RUPTIM, adv. sine ordine, praepostere, confuse. *Caes. B. C.* 1, 5. His de causis aguntur omnia ruptim atque turbate. Alii rectius leg. *raptim.*

RUPTĬO, onis, f. ῥῆγή, actus rumpendi, fractio. *Ulp. Dig.* 9, 2, 27. *med.* Aquilia eas ruptiones, quae damna dant, persequitur.

RUPTOR, oris, m. ῥήκτης, qui rumpit: et translate violator. *Liv.* 4, 19. Hiccine est ruptor foederis humani, violatorque gentium juris? *Id.* 8, 39. *f.* Ruptor induciarum. *Tac. A.* 2, 13. Perfidi, et ruptores pacis. Adde *Flor.* 1, 3. *f.*

[RUPTŪRA, ae, f. ruptio. *Gell.* 20, 1. *med.* Neque rumpi membrum facile possit ad alterius rupturae, ut ais tu, aequilibrium. *F.*]

RUPTUS, a, um, part. a *rumpo:* ῥαγείς, fractus. *Hor. Sat.* 2, 7, 70. Ruptae catenae. *Virg. G.* 2, 480. Rupti obices. *Tac. A.* 1, 63. vetustate pontes. *Petr. Sat.* 111. crines; et *Val. Fl.* 2, 37. ruptp sonuit sacer aequore Titan, *h. e.* perrupto, intrato. *Plin.* 7, 16, 16. Ruptus mons terrae motu. ℙ *Rupta* in membris sunt scissa, et fracta, Graece ῥήγματα, ex casu, vel ictu. *Cels.* 4, 4. *n.* 5. Vel exesa parte aliqua sanguinem exire, vel rupta, vel ore alicujus venae patefacto. Primam διάῤῥωσιν, secundam ῥηγμοχωσιὸν, tertiam ἀναστόμωσιν appellant. *Plin.* 28, 11, 48. Si sint rupta aliqua in auribus, vel caprinum (*medetur*) cum lacte mulierum; et *ib.* 14, 58. *f.* Feminum haedi cinis rupta intestina sarcit. *Id.* 27, 4, 10. de alcea: Usus radicis ex vino dysentericis, et ruptis, convulsis. *Id.* 32, 9, 32. Rupta, convulsa cancri fluviatiles sanant. *Id.* 26, 13, 85. Ruptis convulsisque, ex alto dejectis centaurium majus. Ubi *Dioscorid.* habet ῥήγμασι, σπάσμασι, etc. *Plin.* 21, 21, 92. Abrotoni semen nervis utile, tussi, orthopnoeae, convulsis, ruptis. *Id.* 22, 17, 20. Herba urceolaris contra ulcera, rupta, lapsusque. Adde alibi saepissime, quae loca indicare nimis longum esset. Utrum autem *rupta* aliquando apud eum herniam significent, non affirmaverim. Ap. *Mart.* certe distinguuntur, 10, 56. Enterocelarum fertur Podalirius Hermes: Qui sanet ruptos, dic mihi Galle, quis est? Ruptos hic intellige nimia lassitudine defatigatos, et paene confectos. Simili sententia *Phaedr.* 1, 24. de rana: dum vult validius Inflare sese, rupto jacuit corpore; et 20. 5. de canib. Aquam coepere bibere, sed rupti prius Periere, quam, etc. ℙ *Ruptus*, disjectus, diffractus, laxatus, vi apertus. *Virg. G.* 1, 473. Vidimus undantem ruptis fornacibus Aetnam. *Id. A.* 8, 391. tonitru cum rupta corusco Ignea rima micans percurrit lumine nimbos; et *ib.* 7, 569. ruptoque ingens Acheronte vorago Pestiferas aperit fauces. ℙ *Ruptum coelum* dicitur, cum tonat ac fulgurat. *Sil.* 1, 134. quaenam subitis horrescit turbida nimbis Tempestas, ruptoque polo micat igneus aether? *Id.* 3, 196. Congeminat sonitus rupti violentia coeli. Adde 8, 653. et 17, 252. Sic 6, 607. atramque per aethera volvens Abrupto fregit coelo super agmina nubem. ℙ *Ruptus turbo*, magna vi ac celeritate se rumpens, *h. e.* se propripiens, discurrens. *Virg. A.* 2, 416. Adversi rupto ceu quondam turbine venti Confligunt. *Petr. Sat.* 123. nec rupto turbine venti Deerant. ℙ Translate. *Cic. Or.* 1, 38. Rupta testamenta. *Tac. A.* 1, 74. Rupta taciturnitas; et eod. sensu *ib.* 6, 20. vox. (V. RUMPO.) et *H.* 1, 12. sacramenti reverentia. *Val. Fl.* 3, 46. quies. *Ov. Ib.* 40. gratia. *Id. R. Am.* 598. singultu verba dolentis; et *Sabin.* 2, 96. fides. *Lucan.* 4, 27. Ruptae leges. *Id.* 1, 4. et *Virg. G.* 4, 492. Ruptum foedus.

RŪRĀLIS, e, adj. ἄγροικος, ad rus pertinens, rurestris. *Macr. Sat.* 5, 2. Theocritum fecit pastoralis operis auctorem, ruralis Hesiodum. *Nemes. Ecl.* 1, 65. Munera dat, lauros carpens, ruralis Apollo. *Id. ib* 2, 65. *pastoralem* vocat. *Ammian.* 30, 2. *f.* Negotiis se ruralibus dedit. *Firm. Math.* 8, 11. Erit ruralibus officiis semper applicatus. *Caes.* quoque usus creditur, *B. G.* 3, 14. Falces praeacutae, insertae affixaeque longuriis, non absimili forma ruralium falcium. Ita legit etiam Graecus Interpres, qui vertit, οὔτε πάντ᾽ τὴν ὄψιν διαφέροντα τῶν γεωργικῶν ὀρεπάνων. Alii tamen rectius *muralium.*

[RŪRĀLĬTER, adv. per rura, non oppidatim. *Cassiod. Var.* 3, 51. Quod spectaculum postea Romulus in raptu Sabinarum, necdum fundatis aedificiis, ruraliter ostentavit Italiae. *F.*]

RŪRĀTĬO, onis, f. res rusticae. *Appul. Apol.* Nec Diis rurationis, qui eum pascunt, primitias impartit, *h. e.* agricolis Diis, ut eos *Tibull.* 1, 1, 14. vocat. *Id. Flor. n.* 15. Ruratio omnis in sarculo, et surculo.

RŪRESCO, is, n. 3. rusticus, silvestris fio. *Enn.* ap. *Charis.* 1, 105. Rurescant frundes. Alii leg. *rarescant*, quod est veri similius.

RŪRESTRIS, e, adj. ἄγροικος, γεωργικὸς, ad rus pertinens, rusticus, ruralis, agrestis. *Paul. Dig.* 32, 1, 97. Muliones propter opus rurestre testator destinatos habebat. *Appul. Met.* 4. Minime rurestri vocabulo vulgus indoctum rosas laureas appellat. *Id. ib.* 8. Rurestria arva. *Capsll.* 9, 307. Rurestris Faunum tibia decuit.

RŪRĬCOLA, ae, adj. omn. gen. ἀγροῖκος, qui rus colit, agricola, rusticus. *Ov. Fast.* 2, 628. Et quae ruricolis semina tosta dedit, *h. e.* Ino, quae ut sterilitatem et famem induceret, iniit cum pluribus consilium, ut fruges, in sementem quas darent, torrerent, ne nascerentur, ut *Hyg. fab.* 2. et *Ov. Fast.* 6. a v. 553. narrant. *Id. Am.* 3, 2, 53. Ruricolae Cereri, teneroque assurgite Baccho. *Id. Trist.* 1, 10, 26. Et te ruricola, Lampsace, tuta Deo. *h. e.* Priapo. *Id. Fast.* 1, 381. et *Met.* 5, 479. Boves ruricolae. *Id. Trist.* 4, 6, 1. Aratrum auricola. *Lucan.* 7, 859. ruricolis feriuntur dentibus ossa, *h. e.* rastris. *Nemes. Ecl.* 1, 52. ruricolum discernere lites: pro *ruricolarum. Appul. Met.* 6. Formicula parvula, atque ruricola.

RŪRĬCOLĀRIS, e, adj. ad ruricolas pertinens. *Venant. Vita S. Mart.* 1, 325. Obstant inculti cultores ruricolares.

RŪRĬGĒNA, ae, adj. comm. gen. ruri genitus: rusticus. *Ov. Met.* 7, 764. et exitio multi pecorumque suoque Rurigenae pavere feram.

RŪRĪNA, ae, f. Dea ruris, ap. Romanos, teste *August. C. D.* 4, 8. Alii leg. *Rusina* eodem sensu.

RŪRO, as, n. 1. et

RŪROR, aris, dep. 1. ἀγραυλέω, rei rusticae operam do, ruri dego, rusticor. *Pl. Capt.* 1, 1, 14. Parasiti rebus prolatis latent in occulto, miseri victitant succo suo, dum ruri rurant homines, quos ligurriant. *Varr.* ap. *Non.* 2, 731. Dum in agro studiosius ruror.

RURSUM et Rursus, adv. ὀπίσω, retro, retrorsum, retroversum: cui *prorsum* opponitur. *Ter. Hec.* 3, 1, 35. Trepidari sentio, et cursari rursum prorsum. Ubi *Donatus: Rursum* proprie retro, *prorsum* ante significat: et est proverbiale, ut dicimus *sursum deorsum*, *intro foras*, *hac illac*, et similia, Graeci ἄνω κάτω. *Varr.* ap. *Non.* 4, 402. Mortales multi rursus ac prorsus meant; et *Enn. ib.* et 2, 737. Rursus prorsus reciprocat fluctus feram. *Vitr.* 10, 13. *med.* Regulae oleo subactae. ut faciliter impellantur, et rursus introrsus reducantur; et *Pl. Epid.* 2, 2, 63. Coepi rursum versum ad illas pauxillatim accedere, quasi retruderet hominum me vis invitum. *Id. Amph.* 5, 1, 60. Ego cunas recessim rursum vorsum trahere. *Id. Mil.* 4, 4, 14. Non tu scis, cum ex alto puteo sursum ad summum escenderis, maximum periculum inde esse, a summo ne rursum cadas? ℙ Item contra, vice versa. *Virg. G.* 3, 138. Rursus cura patrum cadere, et succedere matrum Incipit. *Cic. Or.* 1, 24. Vehementer se assentire Crasso dixit, quod neque ita amplecteretur artem, ut ii solerent, qui omnem vim dicendi in arte ponerent; neque rursus eam totam, sicut plerique philosophi facerent, repudiaret. *Tac. Agr.* 28. *f.* Quem casum neque ambitiose, neque per lamenta rursus ac moerorem muliebriter tulit. Adde *A.* 1, 80. et *ib.* 13, 13. et *Val. Fl.* 3, 645. ℙ Saepe est denuo, iterum, αὖθις. *Ter. Eun.* 4, 4, 40. Dic dum hoc rursum. *Cic. Mur.* 7. Facis, ut rursus plebs in Aventinum sevocanda esse videatur. *Caes. B. G.* 1, 25. *f.* Rursus instare, et proelium redintegrare coeperunt. *Virg. A.* 2, 655. Rursus in arma feror. ℙ Cum *denuo* jungit *Pl. Cas. prol.* 32. Diphilus hanc Graece scripsit: post id rursus denuo Latine Plautus. Adde *Poen. prol.* 79. ℙ Redundat (eleganter tamen) etiam in his: *Caes. B. G.* 4, 4. *med.* Triduo viam progressi, rursum reverterunt; et *ib.* 6, 3. Rursus legiones in hiberna reduxit; et *B. C.* 3, 93. Rursus renovato cursu. Sic *rursus resecare*, *revocare*, *recipere*, *repetere*, *redire*, *referre*, etc. ap. *Nep.*, *Varr.*, *Plaut.*, *Terent.*, *Suet.*, *Claud.* etc. Similiter et *retro* usurpatur. ℙ Veteres ut *susum* pro *sursum* dixere, ita *rusum* pro *rursum*. Hinc Deo *Rusori* sacra faciebant, quod rursus cuncta eodem revolvuntur. *Varr.* ap. *August. C. D.* 7, 23. *extr.* V. RUSOR.

RUS, rūris, n. ἀγρὸς, ἀγροικία, locus extra urbem, ubi sunt agri sive culti, sive inculti, silvae, pascua, et villae. *Varr. L. L.* 4, 4. *extr.* Quod in agris quotquot annis rursum facienda eadem, ut rursus capias fructus, appellata rura. Aptius ab ἄρουρα per aphaeresin *rura* factum esse *Serv.* docet ad illud *A.* 1, 431. apes aestate nova per florea rura, etc. Sic ab ἀμέλγω, mulgeo, etc. *Id.* ad illud *G.* 2, 412. laudato ingentia rura, Exiguum colito: *rura* ait a majoribus dictos agros incultos, idest silvas et pascua, (quo sensu *Virg. A.* 4, 527. aspera dumis Rura; et *Lucr.* 5, 1247. Pandere agros pingues, et pascua reddere rura:) *agrum* vero, qui colebatur. Postea de agro culto, et de quocumque praedio rustico cum villa, secessus, et fructus causa parato usurpatum est. *Ter. Eun.* 2, 1, 10. Ego rus ibo, atque ibi manebo. *Id. Hec.* 1, 2, 100. Senex rus abdidit se. *Cic. Off.* 3, 1. Urbe relicta, rura peragrantes, saepe soli sumus. *Id. Rosc. Am.* 46. Habet animi relaxandi causa rus amoenum, et suburbanum, plura praeterea praedia. *Tibull.* 2, 3, 1. Rura meam, Cornute, tenent, villaeque puellam; et *ib.* 5, 37. munera ruris Caseus, et niveae candidus agnus ovis. *Hor. Od.* 1, 17, 15. hic tibi Copia Manabit ad plenum benigno Ruris honorum opulenta cornu. *Id. ib.* 3, 18, 2. Aprica rura. *Id. Ep.* 1, 15, 9. frigida. *Id. Epod.* 2, 3. paterna bubus exercere. *Sen. Troad.* 1021. centum Rura qui scindunt opulenta bubus. *Plin.* 18, 6, 7. *n.* 4. Coli rura ab ergastulis, pessimum est. *Hor. Ep.* 1, 10, 6. ego laudo ruris amoeni Rivos, et musco circumlita saxa, nemusque. *Virg. G.* 1, 156. ruris opaci Falce premes umbras. *Ov. Met.* 13, 719. Phaeacum felicibus obsita pomis Rura. ℙ In ablativo *ruri* et *rure* dicitur. *Brutus* ap. *Cic. Cluent.* 51. Forte evenit, ut ruri in Privernate essemus. *Cic. Off.* 3, 31. Quod filium ab hominibus relegasset, et ruri habitare jussisset. *Hor. Ep.* 1, 14, 10. Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum. ℙ Est tamen in usu discrimen, quia si adjectivum jungitur, *rure* dices, non *ruri:* nam hoc adverbii vim habet, ut *vesperi*, *peregri*, item *noctu*, *diu:* illud est ablativus nominis. *Hor. Ep.* 1, 18, 60. nugaris rure paterno. *Ov. Fast.* 6, 671. Rure

dapes parat ille suo. *Ter. Eun.* 5, 6, 1. Ex meo propinquo rure hoc capio commodi. ℙ Similiter si verbum adhibeas motus de loco. *Ter. Hec.* 1, 2, 115. Rure huc advenit. *Id. Eun.* 3, 5, 63. Ne pater rure redierit. Adde 5, 5, 25., *Pl. Merc.* 4, 5, 5. et *Truc.* 3, 2, 26. et *Cic. Fam.* 5, 20. *extr.* Sic *Ov. Pont.* 1, 8, 40. rure frui: non *ruri*. Neque tamen hoc est perpetuum: nam ap. *Plaut.* legitur in optim. lib. *Truc.* 3, 2, 1. Ruri filium non rediisse; et *ib.* 25. Si ruri veniet. Adde *Most.* 5, 1, 28. ℙ Cum verbis status *ruri* dixere semper *Plaut.* ac *Ter.* Unde *rure esse* negat *Festus* recte dici. Nihilominus *Hor. Ep.* 1, 14, 1. pollicitus me rure futurum. *Ov. A. Am.* 2, 229. Rure erit, et dicet, venias, etc. *Liv.* 38, 53. *med.* Morientem rure, eo ipso loco sepeliri se jussisse ferunt. Praeterea *Charis.* 1, 115, affert loca *Varr.*, *Titinii*, atque etiam *Ter. Ad.* (4, 2, 3., ubi tamen lectio variat) qui *rure esse* dixerunt. ℙ Translate rustici, incomptique mores, sermo ineruditus, incultus *rus* dicitur. *Catull.* 22, 14. Idem inficeto est inficetior rure; et 36, 19. Pleni ruris et inficetiarum annales. *Hor. Ep.* 2, 1, 157. sic horridus ille Defluxit numerus Saturnius, et grave virus Munditiae pepulere: sed in longum tamen aevum Manserunt, hodieque manent vestigia ruris. ℙ In plur. numero praeter *rura* nullum alium casum habet in usu. *Charis.* 1, 72. et 97. Quidam tamen leg. ap. *Plin. ep.* 5, 18. Frueris mari, fontibus, ruribus, agro. Sed alii reponunt *viridibus*, alii aliud.

[RUSCA, ae, m. idem videtur ac ruscum et ruscus. Est cogn. R., ut M. Pinarius Rusca trib. pleb. ann. U. C. DCXXIV. ap. *Cic. Or.* 2, 65. *F.*]

RUSCĀRIUS. V. RUSTARIUS.

[RUSCIO, onis, m. dimin. rusci. Est nomen proprium serv. R. *Cic. Mil.* 22. Heus tu, Ruscio, verbi causa, cave sis mentiaris. *F.*]

[RUSCONIENSIS et Ruscuniensis, e, adj. ad Rusconias pertinens, Mauritaniae Caesariensis coloniam, quae a *Plin.* 5, 2. 1. *colonia Augusti Rusconiae*, et a *Ptolem.* 4, 2. Ῥουσκόνιον appellatur. *Inscr.* ap. *Donat.* 287, 2. Decurio duarum Coll. Auziensis, et Ruscuniensis. *F.*]

RUSCŬLUM, i, n. parvum rus, agellus. *Gell.* 19, 9. Coenam dabat amicis suis sub urbe in rusculo.

RUSCUM, i, n. et Ruscus, i, f. [*Mäusedorn, Ruscus aculeatus, *L.* nostratibus vulgo *rusco*, *F.*] ὀξυμυρσίνη, genus myrti silvestris per colles nascens, foliis acutis, ex quo fiunt ruri scopae, ut est apud *Plin.* 23, 9, 83. Ejus cauliculi incipientes, asparagorum more, usum habent in cibo sumpti, teste *eod.* 21, 15, 50. (et *Colum* 12, 7. et *Edict. Diocl.* p. 16. Rusci fascis habens N. sexaginta ✕ quatuor), qui *ib.* 27, 100. utilitates ejus in medicina recenset. *Colum.* 10, 373. jam tamni sponte virescunt, Et scilla, hirsuta sepes nunc horrida rusco Prodit. Alii leg. *Et stilo thyrsuta seges nunc horrida*, etc. V. THYRSUTUS) *Festus:* Ruscum est, ut ait Verrius, amplius paulo herba, et exilius virgultis fruticibusque, non dissimilis junco. *Calpurn. Ecl.* 3, 4. duris ego perdita ruscis Jam dudum, et nullis dubitavi crura rubetis Scindere. [*Emendavit h. l. *F.*]

RŪSĔ pro rure dixerunt veteres, teste *Varr. L. L.* 6, 3., ubi alia multa hujus generis ponit.

[RUSELLANUS, a, um, adj. ad Rusellas pertinens, Etruriae urbem, nunc *Roselle*. *Plin.* 3, 5, 8. Intus coloniae, Rusellana, Senensis, Sutrina. *Liv.* 10, 4. Rusellanus ager. ℙ *Rusellani, orum*, absolute sunt incolae illius urbis ap. *Liv.* 28, 45. ℙ Etiam *Russellanus* scribitur, ut in *Inscr.* ap. *Marin. Frat. Arv.* p. 395. Russellanus fons. *F.*]

RŪSĪNA. V. RURINA.

[RŪSO, onis, m. villaticus, rusticus: a *ruse*, quod veteres, teste *Varr. L. L.* 6, 3., pro *rure* usurpabant. Est cognomen R., ut P. Calvisius Ruso Cos. ann. a Chr. n. LXI. in *Inscr.* ap. *Grut.* 64, 9. *Mart.* 5, 28. Pietate fratres Curtios licet vincas, Quiete Nervas, comitate Rusones. *F.*]

RŪSOR, oris, m. a *rusum* pro *rursum*, ut *susum* pro *sursum*. *Varr.* ap. *August. C. D.* 7, 23. Pontifices quatuor Diis faciunt rem divinam, Telluri, Tellumoni, Altori, Rusori, etc. Altori quare? quod ex terra aluntur omnia, quae nata sunt. Rusori quare? quod rursus cuncta eodem revolvuntur.

RUSPOR, aris, dep. 1. ἐξερευνάω, est scrutari, ut *Nonius* exponit, sive crebro quaerere, ut *Festus* interpretatur. *Accius* ap. *Non.* 2, 744. Jube nunc attentare, jube nunc animo ruspari Phrygas. *Vet. Poeta* ap. *Fest.* Ego ibo, ut latebras ruspans rimer. ℙ Activa forma. V. *Tert. l. c.* in RUSTO.

RUSSĀTUS, a, um, adj. russo colore indutus. *Tert. Cor. mil.* 1. Nunc sanguine suo russatus, spe calceatus. ℙ *Russata* dicebatur una e factionibus aurigarum in Circo, quia russatis vestibus utebatur: quatuor enim erant, alba, russata, prasina, veneta. V. FACTIO. *Inscr.* ap. *Reines. cl.* 5. *n.* 63. Agitator factionis russatae. *Plin.* 7, 53, 54. Invenitur in actis, Felice russato auriga elato, in rogum ejus unum e faventibus jecisse sese. Adde alias ap. *Grut.* 76, 4. et 337., item 338, 3. 4. et 5. et 339, 1.

RUSSĔOLUS, a, um, adj. dimin. aliquantum russeus. *Prud.* περὶ στεφ. 11, 130. Luserat e minio russeolam saniem.

RUSSELLĀNUS. V. RUSELLANUS.

RUSSĔUS, a, um, adj. russus, rubeus, rufus. *Cato* ap. *Fest.* in *Ruscum*. Russeae fasciae. *Lucr.* 4, 73. Et volgo faciunt id lutea, russea vela, Et ferrugina, cum magnis intenta theatris, etc. Alii leg. *russaque*. *Petr. Sat.* 27. Russea tunica. *Pall.* 4, 13. *med.* de equis: Colores hi praecipui, badius, aureus, albineus, russeus, murteus, cervinus, gilbus, etc. ℙ *Russea factio*, russata. *Inscr.* ap. *Sirmond.* in *not. ad Sidon. carm.* 23, 323. M. Aurelius Mollicius Tatianus vicit palmas N. CXXV. sic: in russeo N. LXXXVIIII., in prasino N. XXIII., in Veneto N. V., in albo N. VIII. V. FACTIO.

RUSSŬLUS, a, um, adj. russeolus, subrufus. *Capitol. Albin.* 5. *f.* Cum pueri ejus familiae russulis fasciolis illigarentur. *Valer. Imp.* in *ep.* ap. *Vopisc. Prob.* 4. Huic igitur dari jubebis, (quoniam mediocris fortunae est) ut ejus dignitas incrementis juvetur, tunicas russulas duas, pallia Gallica duo fibulata, etc. Alii leg. *rufulas*.

RUSSUS, a, um, adj. rufus, rubens. *Catull. carm.* 39, 18. Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane Dentem atque russam defricare gingivam. *Valer. Imp.* in *ep.* ap. *Trebell. Claud.* 14. Tunicas russas militares annuas. *Id.* ap. *Vopisc. Aurel.* 13. Tunicas ducales russas quatuor. Adde *Gell.* 2, 26.

RUSTĀRIUS, a, um, adj. rustis exscindendis aptus, ut *Rustariae falces* ap. *Cat. R. R.* 11. *f.* et *Varr. R. R.* 1, 22. *f.* sunt falces, quibus rubus seu rustum passim per incultos agros proserpens exscinditur, quasque *Pall.* 1, 43. runcones, Itali vero *ronconi* vocant. Alii minus recte leg. *ruscariae*, alii pejus *rusticariae*. V. RUSTO et RUSTUM.

RUSTĬCĀNUS, a, um, adj. ἀγροικος, ad rus et rusticos pertinens, agrestis, rusticus. *Rusticanus homo* qui ruri degit, et rusticam vitam agit: cui *urbanus* opponitur. *Cic. Att.* 8, 13. Multum mecum municipales homines loquuntur, multum rusticani. *Id. Verr.* 2, 1, 48. *f.* Homines rusticani ex municipiis. *Id. Tusc.* 2, 22. *med.* C. Marius, rusticanus vir, sed plane vir. *Id. Rosc. Am.* 15. *f.* Attenta vita, ei rusticana. *Id. Or.* 3, 11. Illud quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum.

RUSTĬCĀRIUS. V. RUSTARIUS.

RUSTĬCĀTIM, adv. idem ac rustice. *Pomp.* ap. *Non.* 1, 8. et 2, 747. Ego rusticatim tangam, urbanatim nescio.

RUSTĬCĀTĬO, onis, f. ἀγρανλία, actus rusticandi. *Cic. Amic.* 27. *med.* Neque solum militia, sed etiam peregrinationes, rusticationesque communes. ℙ Est etiam labor, et cura rei rusticae. *Colum. prooem.* 6. In rusticatione antiquissima est ratio pascendi. Adde 11, 1.

RUSTĬCĀTUS, us, m. idem ac rusticatio. *Cic. Att.* 12, 1. Ut dum consisto in Tusculano, sciam, quid garriat in rusticatu. Sed alii leg. rectius *garriat: sin rusticatur*.

RUSTĬCĒ, adv. ἀγροίκως, rusticorum more, atque adeo duriter, inurbane, imperite, absurde. *Hor. Sat.* 1, 3, 30. rideri possit, eo quod Rusticius tonso toga defluit, et male laxus In pede calceus haeret. *Cic. Or.* 3, 12. Sic locutum esse ejus patrem judico, sic majores, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse, et aequabiliter, et leniter. *Id. Off.* 3, 9. *f.* Urgent rustice sane: negant enim posse. *Id. Att.* 12, 36. *f.* Brutum objurgato, quod in Cumano esse noluerit: cogitanti enim mihi, nihil tam videtur potuisse facere rustice. ℙ *Gell.* 12, 6. Quod nunc barbare quem loqui dicimus, id vitium sermonis non barbarum esse, sed rusticum, et cum eo vitio loquentes rustice loqui dictitabant. P. Nigidius in commentariis grammaticis, Rusticus fit sermo, inquit, si adspires perperam. Haec *Gellius*.

RUSTĬCELLUS, a, um, adj. aliquantum rusticus. *Varr.* ap. *Plin.* 7, 20, 19. Rusticellus Hercules appellatus, mulum suum tollebat Fusius. ℙ Est etiam cogn. R., ut C. Rusticellus Bononiensis ap. *Cic. Brut.* 46.

[RUSTĬCILLUS, a, um, adj. idem ac rusticellus. Est cogn. R. *Inscr.* ap. *Grut.* 849, 5. Julia Rusticilla. *F.*]

RUSTĬCĪTAS, atis, f. ἀγροικία, ἀγρότης, agreste quiddam, durum, impolitum, quod in rusticis hominibus apparet: et tum in bonam, tum in malam partem sumitur. In bonam *Plin. ep.* 1, 14. Brixia multum adhuc verecundiae, frugalitatis, atque etiam rusticitatis antiquae retinet, *h. e.* simplicitatis, justitiae, diligentiae, gravitatis. ℙ In malam sumitur pro vitio urbanitati contrario, quod est in imperitia ac negligentia et fuga elegantiae et cultus erga se, et erga alios, et in rudi duritia tum in sermone, tum in moribus. V. URBANITAS. *Quint.* 6, 1. *med.* Nam et imperitia, et rusticitas, et rigor, et deformitas afferunt interim frigus. *Id.* 11, 3. Pronunciatio vitio carebit, si fuerit os facile, explanatum, jucundum, urbanum, id est in quo nulla neque rusticitas, neque peregrinitas resonet; et *paulo ante:* Qui verborum, atque ipsius etiam soni rusticitate, ut L. Cettam dicit Cicero (*Or.* 3, 11.) fecisse, imitationem antiquitatis affectant. *Plin.* 35, 4, 9. M. Agrippa, vir rusticitati propior, quam deliciis. *Ov. A. Am.* 3, 127. cultus adest: nec nostros mansit in annos Rusticitas, priscis illa superstes avis. *Id. Her.* 20, 59. Et decor, et vultus sine rusticitate pudentes; et *ib.* 17, 186. Rusticitatem excutere. *Mart.* 7, 58. Quaere aliquem Curios semper, Fabiosque loquentem, Hirsutum, et dura rusticitate trucem. Adde *Suet. Caes.* 53. ℙ Item nimis timida et inepta verecundia. *Ov. Am.* 1, 8, 43. casta est, quam nemo rogavit. Aut, si rusticitas non vetat, ipsa rogat. *Id. A. Am.* 1, 672. rusticitas non pudor ille fuit. Adde *Sen. Ben.* 2, 3. V. RUSTICUS. ℙ Ipsa res rustica, opus rusticum. *Pall. Insit.* 11. Est nostrae studium non condemnabile Musae, Urbanum fari rusticitatis opus. ℙ Ipsi rustici homines. *Id.* 1, 31. Piscina madefaciat virgas, coria, et lupinos, et si qua rusticitas consuevit infundere. *Imppp. Valent., Valens et Grat. Cod.* 1, 55, 3. Ut innocens et quieta rusticitas in pecuniariis causis litigandi habeat facultatem. ℙ Denique ruditas, et ignorantia, quae in rusticis esse solet. *Callistr. Dig.* 49, 14, 2. *extr.* Si ea persona sit, quae ignorare propter rusticitatem jus suum possit. Adde *Paul. ib.* 2, 6, 2.

RUSTĬCOR, aris, dep. 1. ἀγραυλέω, ruri dego, ruri vitam ago. *Cic. Arch.* 7. *f.* Haec studia pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. *Id. Leg.* 1, 3. *med.* Si qui dies ad rusticandum dati sunt. *Id. Off.* 2, 6. Rusticari cum aliquo. ℙ Item rei rusticae operam dare, agros colere. *Colum.* 11, 1. *med.* Sed haec ejus temporis sunt, quo Ischomachus negabat quemquam rusticari nescire. Adde *Sidon. ep.* 8, 6. *med.* ℙ Item rudi stilo et rustice loqui. *Id. ep.* 4, 3. Cui Varrones, Terentius, Plinii compositi, in praesentiarum rusticabuntur.

RUSTĬCŬLUS, a, um, adj. aliquantum rusticus. *Mart.* 10, 19. Nec doctum satis, et parum severum, Sed non rusticulum nimis libellum Facundo mea Plinio Thalia, 1, perfer, *h. e.* non omnino rudi et rustico stilo conscriptum. *Auson. Idyll. carm.* 7, 3. Bissula nomen tenerae rusticulum puellae, Horridulum non solitis, sed domino venustum. ℙ *Rusticulus, i*, substantive. *Cic. Sext.* 38. Sensit rusticulus non incautus, suum sanguinem quaeri. ℙ *Rusticula, ae*, gallina rustica. V. in v. sq. *Plin.* 10, 38, 54. Ambulant aliquae, ut cornices: saliunt aliae, ut passeres, merulae: currunt, ut perdices, rusticulae. *Mart.* 13, 76., cujus lemma *Rusticula:* Rustica sim, an perdix, quid refert, si sapor idem est? Carior est perdix: sic sapit illa magis. Alii leg. *Rustica sum perdix*.

RUSTĬCUS, a, um, adj. ἀγροῖκος, ad rus et agros pertinens, agrestis, villaticus. *Cic. Or.* 1, 58. *med.* Cui nostrum non licet fundos nostros obire, aut res rusticas vel fructus causa, vel delectationis invisere? *Id. Rosc. Am.* 15. Rustica praedia. *Phaedr.* 4, 4. Instrumentum rusticum. *Ter. Heaut.* 1, 1, 90. opus. *Juven.* 14, 24. Carcer rusticus, *h. e.* ergastulum. *Plin. ep.* 2, 17. *med.* hortus, *h. e.* in usum rusticorum. *Plin. alter* 19, 8, 47. Grato menta mensas odore percurrit in rusticis dapibus. *Id.* 10, 33, 49. Rusticae et agrestes hirundines. *Ov. Her.* 4, 132. Rustica Saturno regna tenente, *h. e.* aureo saeculo, cum homines ruri agebant, nondum conditis urbibus. *Id. Met.* 1, 192. rustica numina, Nymphae. *Varr. R. R. prooem.* 7. Nostri majores praeponebant rusticos Romanos urbanis. *Colum. prooem.* 1. *med.* Prolatare rem rusticam, *h. e.* agros, et eorum colendorum artem. *Cic. Rosc. Am.* 27. *med.* In rusticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaque vita istiusmodi maleficia gigni non solere; et *mox:* Vita haec rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniae, diligentiae, justitiae magistra est. *Id. Or.* 3, 11. Rustica vox et agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur. *Id. Rosc. Am.* 49. Putat homo imperitus morum, agricola, et rusticus, ista omnia more, lege, jure gentium facta. ℙ *Rustica gallina*, genus gallinae silvestris, facie similis non his villaticis nostris, inquit *Varr. R. R.* 3, 9. *med.*, sed Africanis, aspectu ac facie incontaminata. *Colum.* 8, 2. Cohortalis est avis, quae vulgo per omnes fere villas conspicitur: rustica, quae non dissimilis villaticae, per aucupem decipitur: eaque plurima est in insula, quam in Ligustico mari sitam nautae Gallinariam vocitaverunt. Adde *Mart.* 13, 76. V. RUSTICULUS. ℙ *Rustica Vinalia*, dies festus, de quo V. VINALIA. ℙ *Rusticus sermo*, quo utuntur rustici homines. *Gell.* 2, 21. *med.* Triones rustico certo vocabulo boves appellatos scribunt. *Id.* 17, 2. *med. Sermonari* rusticius videtur, sed rectius: *sermocinari* crebrius est, sed corruptius. ℙ Antiqui *rusticum sermonem* dicebant, qui nunc *barbarus*. V. locum *Gellii* in RUSTICE. ℙ *Rusticus, i*, homo ruri degens, et in opere rustico occupatus, ἀγρώτης. *Ov. Fast.* 1, 665. Rusticus emeritum palo suspendat aratrum. *Id. Pont.* 2, 5, 61. Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem amat. *Colum.* 2, 9. *med.* Hordeum, quod rustici hexastichum appellant. ℙ Translate est incultus, imperitus, rudis, agrestis, durus. *Virg. Ecl.* 3, 84. Pollio amat nostram, quamvis est rustica, Musam. *Pl. Pers.* 2, 1, 2. Nimis me quidem pro barda, et pro rustica reor habitam. *Quint.* 1, 11. *med.* Gestus, manusque formantur, ut recta sint brachia, ne indoctae, rusticaeve manus, ne status indecorus. *Cic. Phil.* 10, 10. *f.* Homines rustici et agrestes. *Mart.* 4, 55. Haec tam rustica, delicate lector, Rides nomina? *Virg. Ecl.* 2, 56. Rusticus es, Corydon, *h. e.* stultus. *Ov. Fast.* 3, 463. quem flebam rustica, dixit, Utiliter nobis perfidus ille fuit; et *Her.* 16, 219. Poenitet hospitii, cum, me spectan-

te, lacertos Imposuit collo rusticus iste tuo. Infra v. 305. vocat hominem sine pectore, et qui ignorat dotes formae uxoris suae. ℙ Item asper, molestus. *Ov. Met.* 14, 522. Addidit obscenis convicia rustica dictis. *Id. Am.* 3, 6, 88. quid coeptum, rustice, rumpis iter? ℙ Item nimis verecundus, insulse, inepte timidus. *Ov. A. Am.* 1, 607. Colloquio jam tempus adest: fuge rustice longe Hinc pudor: audaces Forsque, Venusque juvant. *Cic. Fam.* 5, 6. subrusticum pudorem dixit. Rursus *Ov. Am.* 2, 4, 13. Sive procax aliqua est; capior, quia rustica non est. V. RUSTICITAS. ℙ Et qui amoris vim non sentit, aut repellit. *Id. ib.* 3, 10, 17. de Cerere: Nec tamen est, quamvis agros amet illa feraces, Rustica, nec viduum pectus amoris habet. ℙ Habet locum in conviciis. *Pl. Most.* 1, 1, 38. Oboluisti allium, germana illuvies, rusticus, hircus, hara suis. *Phaedr.* 4, 23. Laboro nihil, atque optimis rebus fruor. Quid horum simile tibi contingit, rustica? ℙ Interdum in bonam partem sumitur pro simplici, puro, non fucato. *Mart.* 10, 72. Per quem de Stygia domo reducta est Siccis rustica veritas capillis. *Sen. ep.* 88. *med.* Magno impendio laudatio haec constat: O hominem litteratum! simus hoc titulo rusticiore contenti: O virum bonum!

RUSTO, as, a. 1. rustis aliquid emundo. *Tert. Pall.* 2. Itaque *(gens humana)* colere omnia, si demum intelligis alibi stipantem, alibi deserentem, runcare atque rustare instituit, ut inde, velut ex surculis et propaginibus, populi de populis, urbes de urbibus per ubique orbis pangerentur. Alii minus recte leg. *ruspare.*

RUSTUM, i, n. idem ac rubus: videtur esse per syncopen a *rubustum*, quod a *rubus*. *Festus:* Rustum est rubus. *Virg. Ecl.* 7, 42. Horridior rusto, projecta vilior alga. *Id. G.* 2, 413. nec non etiam aspera rusti Vimina per silvam, et ripis fluvialis arundo Caeditur. Ubi *Serv.:* Rustum virgultum est, unde vites ligantur. Ap. *Virg. l. c.* utrobique, et ap. *Serv.* alii perperam leg. *rusco*, *rusci*, et *ruscum.* V. *Pontedera Op. post.* T. 1. p. 275.

RŪSUM. V. RURSUM.

RŪTA, ae, f. πήγανον, herba hortensis, olim Graece ῥύτα, vel ῥυτή. *Varr. L. L.* 4, 21. Quae in hortis nascuntur, alia peregrinis vocabulis, ut Graecis ocimum, menta, ruta, quam nunc πήγανον appellant. *Plin.* 19, 8, 45. et *Colum.* 11, 3. *med.* ejus serendae rationem tradunt. Duplex est, sativa, et silvestris. Utriusque vires in medicina fuse persequitur *Plin.* 20, 13, 51. *Id.* 14, 16, 19. *n.* 4. ex ea condiri vinum, quod *rutatum* ipse appellat *l. c.* 19, 8, 45., manipulis binis conditis in cadum musti, etc. *Id. l. c.* 20, 13, 51. docet, eam emendare sanguinem oculis suffusum, et Venerem cohibere, unde eidem nomen est datum πήγανον a πήγνυμι, cohibeo; ut contra eruca eandem excitare creditur. Hinc *Ov. R. Am.* 801. Utilius sumas acuentes lumina rutas, Et quidquid Veneri corpora nostra negat. ℙ Condiendis quoque cibis multum usum habet. *Mart.* 11, 52. tenui major cordyla lacerto, Sed quam cum rutae frondibus ova tegant; et *ib.* 31. Ut condat *(cucurbitas)* vario vafer sapore In rutae folium capellianae. ℙ Hinc *in rutae folium conjicere aliquem*, proverb. ap. *Petr. fragm. Trag.* 37. *extr.* et 58. *Burm.*, in quo explicando varie conantur eruditi. Eos consule ap. *Burm.* ℙ Translate. *Cic. Fam.* 16, 23. *extr.* Cras exspecto Leptam: etenim ad cujus rutam pulejo mihi tui sermonis utendum est. V. PULEJUM.

RŪTĀ CAESĀ et Ruta et caesa, neutr. plur. ita dicitur supellex omnis, quae loco moveri potest, et quae vel ruitur, vel etiam caeditur; quae avulsa et separata ab aedilibus vel fundo venali, excipi, sibique retineri a venditore possit: a *ruo* et *caedo*. *Festus:* Ruta caesa dicuntur, quae venditor possessionis, sui usus gratia concidit, ruendoque contraxit. *Ulp. Dig.* 19, 1, 17. Si ruta et caesa excipiantur in venditione, ea placuit esse ruta, quae eruta sunt, ut arena, creta, et similia: caesa esse, ut arbores caesas, carbones, et his similia. *Q. Mucius ib.* 50, 16, 241. In rutis caesis ea sunt, quae terra non tenentur, quaeque opere structili tectoriove non continentur. *Cic. Top.* 26. Ne praeterirem aliquid, quod ad argumentum in omni ratione reperiendum pertineret, plura, quam a te desiderata erant, sum complexus: fecique quod saepe liberales venditores solent, ut cum aedes, fundumve vendiderint, rutis caesis receptis, concedant tamen aliquid emptori, quod ornandi causa apte et loco positum esse videatur. Sic tibi nos ad id, quod quasi mancipio dare debebamus, ornamenta quaedam voluimus non debita accedere. *Crassus* ap. *Cic. Or.* 2, 55. Cui rei studere dices? an juri civili? est paternum. Sed dicet, te cum aedes venderes, ne in rutis quidem et caesis solium tibi paternum recepisse. ℙ Si *Varroni* credimus *L. L.* 8, 60., primam syllabam in *ruta* ita dicimus, ut *u* producamus. Fortasse quia contractum est a *ruita:* at in compositis *erutus*, *dirutus*, esc. brevis est.

RŪTABRI, ferramenta ad terram eruendam. *Varr. L. L.* 4, 31. Rastri, quibus dentalibus penitus eraduut terram atque eruunt: a quo et rutabri dicti. Alii aliter leg.

RŪTĀBŪLUM, i, n. ἐτοιμάλλης, instrumentum, quo rustici in proruendo igne, panis coquendi gratia, utuntur, ut *Fest.* definit. *Novius ib.* Quid ego facerem? otiosus rodebam rutabulum. Adde *Cat. R. R.* 10. et 11. et *Suet. Aug.* 75., ubi inter instrumenta villae una cum forcipe enumerant. ℙ Sumitur et pro rudicula. *Colum.* 12, 20. *med.* Jubebis rutabulo ligneo agitari quod decoxeris; et *ib.* 23. Rutabulo ligneo permiscere. ℙ Translate est τὸ αἰδοῖον ἀρρενικόν. *Naevius* ap. *Fest.* Senile retritum rutabulum.

RŪTĀCEUS, a, um, adj. ex ruta factus, ut Rutaceum oleum, *Plin. Valer.* 2, 28.

RŪTĀRIUS, a, um, adj. *Inscr.* ap. *Fabr.* p. 10. *n.* L. In monimento palangariorum, in agro Fontejano, quod est via Aurelia in clivo rutario, *h. e.* ubi multa ruta, seu rudera sunt: ibi enim multae olim aediculae fuerunt, temporum injuria prolapsae.

RŪTĀTUS, a, um, adj. πηγανωτός, ex ruta factus, ruta conditus, seu medicatus. *Plin.* 19, 8, 45. Invenio, mustum rutatum populo datum. *Mart.* 10, 48. Secta coronabunt rutatos ova lacertos, *h. e.* ruta conditos, vel involutos. *Pelag. Vet.* 2. *med.* Perungendus est equus oleo primum rutato.

RŪTELLUM, i, n. parvum rutrum. *Lucil.* ap. *Non.* 1, 66. Frumentarius est, modium secum, atque rutellum Una affert, *h. e.* baculum ad aequandum modii cumulum, hostorium.

RŪTILANS, antis, part. a *rutilo*, rutilus. *Claud. Laud. Stich.* 1, 38. rutilantes crinibus alae, *h. e.* auxilia Germanorum, quibus flava coma. *Tac. H.* 1, 13. Visae per coelum concurrere acies, rutilantia arma, etc. *Plin.* 16, 11, 22. Rutilans color. *Nazar. Pan. Constant.* 35. Rutilantes auro columnae. *Stat. Th.* 11, 513. It praeceps sonipes *(saucius)* strictae contemptor habenae, Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro; et *Venant. carm.* 8, 7, 351. Vellere candidior niveo, rutilantior auro.

RŪTĪLĀTUS, a, um, adj. rutilus factus. *Liv.* 38, 17. Procera corpora, promissae et rutilatae comae. *Tac. H.* 4, 61. Propexus, rutilatusque crinis. *Lucan.* 9, 810. omnia membra Emisere simul rutilatum sanguine virus. Alii leg. *rutilum pro.*

RŪTĪLESCO, is, n. 3. ξανθίζομαι, rutilus fio, flavesco. *Plin.* 8, 55, 81. Lepores in Alpibus candidi, quibus hibernis mensibus pro cibatu nivem credunt esse, certe liquescente ea rutiletcunt annis omnibus. *Capell.* 2, 31. Fulgura rutilescunt.

RŪTĪLIĀNUS, a, um, adj. ad Rutilium pertinens; nomen civis R., ut Rutiliana narratio. *Cic. Brut.* 23., ubi alii leg. *Rutilia*, ut dicitur *Tullia gens, lex Julia*, etc.

RŪTĪLIS, e. V. RUTILUS

RŪTĪLĬUS, a, um, adj. rufus, rutilus. *Festus:* Rutilium, rufum significat, cujus coloris studiosae etiam antiquae mulieres fuerunt, unde traxerunt nomen *Rutilias*, ut indicat frequenter Afranius. Sunt qui leg. *rutilum.* ℙ Hinc Rutiliorum nobilis fuit Romae familia, ex qua P. Rutilius vir doctus, et summae innocentiae, de quo *Sen. Ben.* 6, 37., *Val. Max.* 6, 4. *n.* 4. *Ov. Pont.* 1, 3, 63. Et grave magnanimi robur mirare Rutili. ℙ *P. Rutilius Lupus*, rhetor et orator, vixit tempore Caesarum Augusti ac Tiberii, scripsitque *de figuris sententiarum et elocutionis*, quatuor Gorgiae libris in unum translatis, ut docet *Quint.* 9, 2. *med.* Ejus etiam meminit *Mart.* 5, 56. nihil sit illi Cum libris Ciceronis, aut Maronis, Famae Rutilium suae relinquat. Hic alii perperam leg. *Tutilium.* ℙ *Claudius Rutilius Numatianus*, natione Gallus, religione ethnicus, summis honoribus Romae functus, poeticum ingenii sui monumentum reliquit, quod *Itinerarium* inscribitur duobus libris, qui tamen mutili ad nos pervenerunt, stilo valde probabili: nitido et eleganti. Floruit anno a Chr. n. CCCCXVII., Honorio imperante: quo dignior admiratione est, linguae et liberalium artium cultura jam prope ad ferream et luteam aetatem accedente. ℙ Prima et secunda syllaba ambigua est, ut videre est ex *Ovidii* et *Mart.* locis allatis.

RŪTĪLO, as, avi, atum, a. 1. ξανθίζω, rutilum facio. *Plin.* 28, 12, 51. Sapo, Galliarum inventum rutilandis capillis, fit ex sebo et cinere. *Val. Max.* 2, 1. *n.* 5. Capillos cinere rutilare. *Suet. Cal.* 47. Rutilare, et submittere comam. ℙ Sunt qui putant *rutilare crinem* esse crispare. Afferunt illud *Senecae Herc. Fur.* 948. de leone: et rutilat jubam Cervice jactans. Sed alii leg. *et rutila jubam Cervice jactat.* ℙ Neutrorum more est splendescere, nitere in modum auri, aut cujuslibet rei flavae ac nitentis. *Accius* ap. *Varr. L. L.* 6, 5. Jamque auroram rutilare procul cerno. Ipse *Varro* mox: Rutilare est a colore auri: aurei enim rutili. *Virg. A.* 9, 529. Arma inter nubem coeli in regione serena Per sudum rutilare vident, et pulsa tonare. *Val. Fl.* 5, 251. Tu quoque sacrata rutilant cui vellera quercu, Excubias, Gradive, tene. V. RUTILANS.

RŪTĪLUS, a, um, adj. πυρρίας, ξανθός, ἐρυθρός, rufus, russus, ruber, flavus ad rubrum accedens, aureus, fulvus. De his appellationibus rufi coloris disputat *Gell.* 2, 26.: sed cum singulis propriam definitionem assignet, de rutilo nihil dicit. Usurpatur autem de colore auri, ignis, et sanguinis, et flavae comae. Hinc a *Varr. L. L.* 6, 5. aurora dicitur rutilare, quod ab igne solis tum aureo aer aurescit: aurei enim rutili: et inde etiam mulieres valde rufae, rutilae. *Val. Fl.* 8, 114. Rutila pellis, *h. e.* aureum vellus Phrixi. *Claud. in Ruf.* 1, 197. laxet rutilos tibi Lydia fontes, *h. e.* Pactolum auriferum. *Lucan.* 9, 364. rutilum metallum, *h. e.* aurum. *Cic. Somn. Scip.* 4. Hominum generis salutaris ille fulgor, qui dicitur Jovis: tum rutilus horribilisque terris, quem Martem dicitis. *Virg. G.* 1, 454. et *A.* 8, 430. Rutilus ignis. *Val. Fl.* 7, 617. Rutilum fulmen. *Ov. Met.* 12, 294. Rutilae flammae. *Val. Fl.* 5, 451. palla rutilis correpta venenis, *h. e.* incendia portantibus. *Ov. Met.* 5, 83. rutilum vomit ille cruorem. *Colum.* 8, 2. *med.* Gallinae rectis rutilisque cristulis; et *mox:* Gallinaceis maribus paleae ex rutilo albicantes. *Ov. Met.* 2, 635. et *ib.* 6, 715. Rutili capilli. *Tac. Agr.* 11. et *G.* 4. Rutilae Caledoniam habitantium comae. *Sil.* 16, 472. comam rutilus, sed cum fulgore nivali Corporis. *Pl. Merc.* 2, 2, 34. Tun' capite cano amas, senex nequissime? *De.* Seu canum, seu istuc rutilum, sive atrum est, amo. (*Rufum crinem* eodem sensu dixit *Sen. Ira* 3, 26. de Germanis loquens: *flavam caesariem* de iisdem *Juven.* 13, 164. et *auricomum Batavum*, *Sil.* 3, 608.) *Suet. Ner.* 1. E nigro rutilum, aerique adsimilem capillum reddere; et *mox:* Rutila barba esse. *Catull.* 63, 83. Rutila juba leonis. *Festus:* Rutilae canes, id est, non procul a rubro colore, immolantur canario sacrificio pro frugibus. ℙ *Rutilem galeam* pro *rutilam*, in Africana gallina, quidam leg. ap. *Colum.* 8, 2. *in.* tanquam a recto *rutilis.* Sed alii plerique *rutilam.* Et sane bis deinde eodem capite hanc positionem adhibuit: ut veri simile non sit alteram illam inusitatam probasse. ℙ Aliquando *rutilus* est splendens, nitens, nitidus. *Val. Fl.* 4, 620. Rutilus thorax. *Claud. Laud. Stil.* 2, 341. Rutilae columnae. ℙ *Rutilus* fuit etiam cogn. R. a comae colore, ut Sp. Nautius Rutilus in *Fast. Capit.* ap. *Grut.* 291. *col.* 1. T. Virginius Rutilus, *Liv.* 3, 7.

RUTRUM, i, n. σκαπάνη, σκαφεῖον, χρώπιον, instrumentum rusticum praeferratum, ad aliquid eruendum: est a supino *ruitum* sive *rutum*, verbi *ruo*, ut aratrum ab *aratum*. *Varr. L. L.* 4, 31. Rutrum, ut ruitum, a ruendo. *Cato R. R.* 10. et 11. Rutra quinque, rastros quadridentes duos. *Fest.* Rutrum tenentis juvenis est effigies in Capitolio, ephebi more Graecorum arenam ruentis exercitationis gratia: quod signum Pompejus Bithynicus ex Bithynia supellectilis regiae Romam deportavit. *Varr.* ap. *Non.* 1, 66. Rutro caput displanat. *Pomp. ib.* Sarculum hinc illo profectus, illinc redisti rutrum, *h. e.* retro res tuae ierunt, haud aliter ac si ager, qui jam sarculo sarriendus erat, talis evadat, qualis prius fuit, cum rutro vertendus erat. Prius enim rutro vertitur ager, inde seritur, occatur, sarritur. *Ov. Fast.* 4, 843. de Remo: Nec mora, transiluit: rutro Celer occupat ausum. ℙ Item instrumentum, quo permiscetur calx, et subigitur, quae et *ascia* et *marra* dicitur. *Vitr.* 7, 3. *med.* Ita materies temperetur, uti, cum subigitur, non haereat ad rutrum, sed purum ferrum e mortario libretur. *Plin.* 36, 23, 55. Experimentum marmorati est in subigendo, donec rutro non cohaereat. Adde *Pallad.* 1, 15. Huc pertinent illa *Cat. R. R.* 37. Partem de nucleis succernito, et in lacum conjicito: eo aquam addito, permisceto rutro bene; et *ib.* 128. Terram cretosam sumito, eo amurcam infundito, paleas indito: sinito quatriduum frascescat: ubi bene fracuerit, rutro concidito: ubi concideris, delutato. ℙ Addit *Scal.* ad *Varr.* dici *rutrum* etiam hostorium, quo modii cumulus aequatur. V. RUTELLUM.

RŪTŪBĀ, ae, f. perturbatio, teste *Non.* 1, 750. Videtur esse a supino *rutum* verbi *ruo:* quamvis prior ejus syllaba longa sit, quae in compositis corripitur, ut in *Ruta caesa* adnotavimus. *Varr. ib.* Ergo tum Romae parce pureque pudentes Vivere cum patria: nunc sumus in rutuba. ℙ Est etiam hoc nomine fluvius Liguriae, *la Rota*, prope Intemelium. *Lucan.* 2, 422. et *Plin.* 3, 5, 7.

RŪLŪLĀ, ae, f. dimin. parva ruta. *Cic. Fam.* 9, 22. Ruta, et menta, recte utrumque dicitur: volo mentam pusillam ita appellare, ut rutulam; non licet.

RŪTŪLI, orum, m. plur. populi Latii veteris, ad mare siti, inter Laurentum et Antium, quorum primarium oppidum Ardea. *Plin.* 3, 5, 9. *Virg. A.* 10, 108. Tros, Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo; et *ib.* 12, 216. At vero Rutulis impar ea pugna videri. ℙ *Rutuli* ap. *Sil.* 1, 584. et 2, 541. et 567. sunt Saguntini, quia ex Ardeatibus olim coloni Saguntum deducti fuerant, teste *eod. ib.* a *v.* 291. et 2, 604. ℙ Adjective. *Virg. A.* 11, 88. Rutulo perfusos sanguine currus; et *ib.* 9, 728. Rex Rutulus, *h. e.* Turnus. ℙ *Rutulum* pro *Rutulorum* habet *Virg. A.* 10, 445. et *ib.* 12, 79.

RŪTŪLUS, i, m. V. ROTULUS.

RŪTŪPINUS, a, um, adj. ad Rutupias pertinens, qui est unus ex portubus Britannicae insulae, in Cantio. *Lucan.* 6, 67. Rutupinaque litora fervent. *Auson. de clar. urb.* 7. Felix *(Aquileja)*, quae tanti spectatrix laeta triumphi, Punisti Ausonio Rutupinum Marte latronem, *h. e.* Magnum Maximum, qui cum ann. a Chr. n. CCCLXXXIII. in Britannia purpuram arripuisset, quinquennio post Aquilejae a Theodosio M. occisus est.

RŪVĬDUS. V. RUIDUS.

FINIS TOMI TERTII.


Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Farbkarte #13
B.I.G.
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black


Grauskala #13
C Y M
B.I.G.
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19